Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
22 — N
10

Digitized by Google

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
AVGVSTINVS.
TOMVS PRIMVS.

In quo hæreſes & mores Pelagij contra naturæ humanæ ſanitatem, ægritudinem & medicinam ex S. Auguſtino recenſentur ac refutantur.

Cum duplici indice Rerum & S. Scripturæ.

LOVANII,
Typis IACOBI ZEGERI, Anno M. DC. XL.

Cum gratia & Privilegio S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Catholici.

Digitized by Google

Copia testamenti Perillustris ac Reverendissimi Domini Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis ab ipso dictati vix media hora ante mortem.

EGo Cornelius Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Iprensis de mea libera voluntate do & dono omnia mea scripta, ad explicationem S. August. spectantia Capellano meo Reginaldo Lamæo, partim quia magno labore ea scripsit vel dictavit, partim quia sine originali, Copia corrigi non potest. Hâc tamen mente hanc donationem facio, ut cum doctissimis viris Magnifico Domino Liberto Fromondo & Reverendo Domino Henrico Caleno Canonico Mechliniensi cōferat, & disponat de editione quàm fidelissimè. Sentio enim aliquid difficulter mutari posse. Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi usque ad hunc lectum mortis, obediens sum. Ita mea postrema voluntas est. Actum sexta Maij 1638.

Infra scriptum erat CORNELIVS Episcopus Iprensis, & impressum sigillum ejusdem.

Ita testor.

HENRICVS CALENVS.

Digitized by Google

Cum Gratia & priuilegio S. Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis. An: 1640.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
FERDINANDO,
HISPANIARVM INFANTI,
S. R. E. CARDINALI,
BELGARVM GVBERNATORI &c.

SERENISSIME PRINCEPS,

QVod Reverendissimi Præsulis, Iprensis COR. IANSENII manes jam non possunt, nos superstites & à moriente rogati facimus. AVGVSTINVM suum Celsitudini Vestræ destinaverat, nos repræsentamus. Celsum & Augustum Opus, si quod à temporibus Augustini, ejus argumenti, in lucem paxijt. Magno tamen & Augusto, id est, Vestro patrocinio forsitan indigebit. In altas profunditates oculi etjam acuti, non sine vertigine despiciunt, & aspicientibus Solem caligo oboritur. Eorum præsertim, qui contrarijs opinionibus præventi & imbuti, symptomata hæc erunt.

Sed familia illa hodie Orbis terræ Princeps, veritatis arx, fidei Catholicæ perfugium & propugnaculum, aperiet suum (sic speramus, & supplices rogamus) Augustino asylum. Austriacæ Domûs prima fundamenta è cœlo, religio & pietas, quibus etiam tot jam seculis tota moles compagesque innixa stetit. Stabit etiam porrò, quamdiu tale firmamentum habebit: & augurij hujus evidentia signa in Belgio nostro & Germania cernimus. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum*, inquit ille qui *mutat tempora & ætates*,

1. Reg. 2.
Dan. 2.

ætates, transfert Regna & constituit. Sic Constantinus Imperium Orbis adeptus est. *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Sic Imperio Iulianus dejectus est.

Quis credidisset Illustrissimam Domum istam, inter tot undique ferocissimorum hostium assultus potuisse statum gradumque servare? Fecit tamen, & faciet, quia omnipotenti manu tenetur.

Principes nuper nostri, sapientiâ & usu rerum cani, longis bellis exerciti, uni hosti vix pares erant; Celsitudo Sua, in isto ætatis & armorum tyrocinio, duos veteranos & potentissimos ex æquo sustinet. Vnde? Nisi quia virtutem & animos sanguini Hispano & Austriaco Deus inspirat, ideóq; tot oneribus pressus, ubi alij opprimerentur, erectus manet?

Suscipe tamen, Magne & Magnanime Princeps, inter magnas istas curas exiguum hoc etiam S. Augustini, id est, pietatis & veritatis patrocinium. Veritatis, dicimus; quia sic putamus, & omnium eruditorum qui vacui affectuum, pleni pietatis, ac Apostolicæ Sedis præsertim erit judicium.

Deus Opt. Max. pia Celsitudinis Suæ arma fortunet, & Austriacam Hispanicamq; Familiam, geminum hodie religionis Christianæ sub cælo propugnaculum, Majestate & gloriâ evehat in cælum. Ita vovemus & apprecamur. Lovanij XII. Cal. Iul. MDCXL.

CELSITVDINIS SVÆ,

Humillimi & subditissimi famuli

HENRICVS CALENVS S. Th. L. Archipresbyter Bruxell. & Canon. Metropol.

L. FROMONDVS S. Th. Doct. & S. Script. Lovanij Profess. Regius.

Digitized by Google

CENSVRA.

QVam in hoc suo AVGVSTINO Perillustris ac Reuerendissimus Dominus CORNELIVS IANSENIVS, Episcopus Iprensis tradit doctrina, videtur mihi esse non terrena, sed cœlestis; non tam sapientiæ humanæ verbis aut rationibus, quam diuinis auctoritatibus firmata; non Aristotelica, sed Apostolica; non de nouitate suspecta, sed ab antiquitate commendata: ab ipso Theologorum omnium Magistro S. Augustino, Spiritu Dei reuelante, pridem tradita & publicata; multorum Conciliorum sanctionibus definita; ab ipsa Sede Apostolica, totaque Ecclesia recepta & approbata; à multis sanctis Patribus prædicata & propugnata; septem sanctissimorum pariterque doctissimorum Vrbis & Orbis Pontificum Ecclesiastico & infallibili iudicio confirmata; à præstantissimis Episcopis laudata, tanquam *orthodoxa, calestis, Apostolica, Euangelica, defæcatissima, saluberrima, & indubitata*; tanquam *à Magistro optimo, & summo in Ecclesia viro, quem nunquam aliquis sinistræ opinionis rumor* (vt loquitur Celestinus Papa) *aspersit*, profecta: ad quam etiam ipsi Pontifices dubios & in fide fluctuantes miserunt, ut ex ea discerent *quid Romana, hoc est Catholica, sequatur & asseueret Ecclesia*, inquit Hormisda: *quam secundum prædecessorum suorum statuta Romanam Ecclesiam sequi, & probare* Ioannes II. profitetur: quam *qui impugnant & vana obijcere, & recta impugnare, & praua defendere, & diuinis atque humanis constitutionibus rebellare* asserit Prosper: cui *cum adhæret, secutum se* existimat Bernardus. Et verè sicut in SS. Trinitatis mysterio nemo errabit sequendo Athanasium, sic nec in altissimis gratiæ mysterijs sequendo Augustinum; *cui non solum Romanam & Africanam Ecclesiam, sed per omnes mundi partes vniuersos promissionis filios, sicut in tota fide, ita in gratia confessione congruere*, idem testatur Prosper. Et hic quidem Augustinus, tanquam alter Abraham, primus fodit puteos, è quibus purissima gratiæ Dei aqua, in salubrem pastorum ouiumque potum educta fuit. Sed inuidi Palæstini, id est, Pelagiani (qui in Palæstina primò exorti, & damnati sunt) eosdem varijs calumniarum & errorum fascibus iniectis opplere conati sunt; adeò vt & hostes, & aliqui etiam filij Ecclesiæ, non potuerint amplius haurire aquam puram, sed turbidam & lutulentam. Rem proinde necessariam & Ecclesiæ utilissimam mihi fecisse videtur *Eruditissimus hic Auctor*, qui tanquam alter Isaac, obstructos illos puteos ab ingestis ruderibus expurgauit, & iterum latitudinem, abundantiam, & aquam vivam invenit; puram scilicet & defæcatam Sancti Augustini doctrinam. Hanc autem & clarissimè & fidelissimè repræsentauit, omniaque & singula, quæ sanctissimus Doctor in varijs libris de statu naturæ integræ, lapsæ, nudæ, reparatæ; de peccato originali, ejusque effectibus; de natura, efficacia, & necessitate gratiæ Saluatoris nostri Dei, aliisque altissimis fidei nostræ mysteriis docuit, & pro occasione alibi latenter, alibi patenter sparsit, magno studio & indefesso 22. annorum labore, insigni ordine & methodo in hos tres Tomos redegit, tantoque argumentorum & divinarum rationum densitate stipatam exhibuit, ut quemvis Lectorem, veritatis amicum, passionibus non præventum pondere ipso quasi opprimere, & dulci quadam violentia in suam sententiam trahere videatur. Itaque cum hic non exhibeatur doctrina aliqua nova, ex humano cerebro, aut placitis Philosophorum (quos merito Tertullianus Patriarchas hæreticorum vocat) conficta, sed à Principe Theologorum omnium Sancto Augustino pridem tradita, & à sancta Catholica Romana Ecclesia (quæ columna est veritatis) approbata; existimo non solum expedire ut ea atramento voluminibus chartaceis exprimatur, sed tabulis quoque cordis carnalibus imprimatur, totoq; orbe Christiano publicetur. Verum sicut Auctor totam suam doctrinã, ita & ego hanc censuram sanctæ Sedis Apostolicæ Iudicio humillimè submitto. Hac S. Thomæ Aquinatis, Anni 1638.

Aug. l. 1. de prædest. SS. ca. 4. prosp. Epistola ad Ruff. vid. Leon. Epist. 80. Prosp. cont. Coll. Celest. ad Episc. Gall. Hormisda Epist. 70. Ioan. ad quosdam Senat. Prosp. cont. Coll. Bern. Ep. 77. Prosp. contra Coll. & Epist. ad Ruff. Genes. 26.

Tertull. Lib. de ani. cap. 3.

2. Corin. cap. 3.

HENRICVS CALENVS *S. Theol. Licent. Metropolitanæ Ecclesiæ Mechliniensis Canonicus, Archipresb. Bruxell. Librorum Censor.*

CENSVRA

HOc opere, per Reverendissimum D. CORNELIVM IANSENIVM Episcopum Iprensem, de hæresi Pelagiana, de statu naturæ innocentis, lapsæ, puræ, reparatæ, singulari miraque eruditione concinnato, arcanissima divinæ providentiæ circa creaturam rationalem dispositio panditur, liberique arbitrij natura & gratiæ vires explicantur, ubique conformiter ad Divi Augustini doctrinam: cujus principijs Auctor sic inhæret, ut non tam suum quàm ipsius Augustini sensum exprimat & explanet. Quamobrem opus hoc prælo ac publicâ luce dignissimum censeo, fructusque eximios solidarum virtutum Orbi Christiano allaturum confido. Datum Lovanij 15. Kal. Iulij M. DC. XXXX.

IACOBVS PONTANVS *S. Th. Doctor, Pontificius ac Regius Librorum Censor.*

Digitized by Google

Summa Privilegij Cæsarei.

FErdinandus III. Romanorum Imperator semper Augustus &c. seriò inhibet & vetat omnibus Typographis, Bibliopolis, alijsque librariam negotiationem exercentibus, ne quis opera CORNELII IANSENII Episcopi Iprensis per decennium à prima editionis die computandum intra Sacri Imperij regnorumque suorum hæreditariorum fines recudat, aut alibi recudenda vel impressa adducat, vendat, distrahat, clam vel palam, citra voluntatem & consensum calcographi *Iacobi Zegers* ejusve hæredum, sub pœna confiscationis omnium librorum, & decem marcarum auri puri, puti, probi, applicanda ex semisse Ærario Imperiali, & ex altero semisse Typographi prædicti *Iacobi Zegers* ejusve hæredum usibus, omni remissionis & veniæ spe præcisâ &c. uti latius continetur in diplomate Cæsareo dato Viennæ Idibus Februarij anno cIↃ. IↃc. XL. Signatum FERDINANDVS, & infra: Ad mandatum S. Cæsareæ Majestatis proprium *Ioannes Valderode.*

Summa Privilegij Regiæ Catholicæ Majestatis.

P*Ermissum est speciali gratiâ* Iacobo Zegers *Typographo Lovaniensi, ut possit opera* CORNELII IANSENII *Episcopi Iprensis approbata per Censores typis suis excudere, vendere, distribuere, vel per alios quos volet Typographos, excudi curare, & intra Regna ditionesque omnes nostras, libere divendere. Inhibendo severè omnibus alijs Typographis, Bibliopolis, Librarijs, ne quis dicta opera imprimat, vel alibi impressa distribuat intra sexennium, sub pœna confiscationis omnium ejusmodi operum, & mulctâ sex florenorum pro singulis exemplaribus, applicanda pro parte media Fisco Regio, & pro altera parte media usibus supra dicti* Iacobi Zegers *Typographi, ut latius continetur in diplomate dato Bruxellæ 33. Ianuarij 1638. Signatum per Regem in Concilio suo Privato.*

I. de Cottignies.

Summa Privilegij ejusdem Regiæ Catholicæ Majestatis in Concilio Brabantiæ.

PErmittit Regia Catholica Majestas *Iacobo Zegers* Typographo Lovaniensi, ut omnia opera Reverendissimi CORNELII IANSENII Episcopi Iprensis possit liberè imprimere & per Brabantiam ditionesque ultra Mosam vendere distrahereque. Inhibendo dictorum operum impressionem quibusvis alijs Typographis, & eorundem alibi Impressorum venditionem in Brabantia, sub pœna confiscationis omnium exemplarium, & mulcta trigintâ florenorum solvenda per eos omnes, qui secus fecerint &c. Vti latius continetur in litteris Regijs datis Bruxellæ VIII. Aprilis M. DC. XXXIX. Per Regem in Concilio suo.

Signatum *Steenhuyse.*

Digitized by

SYNOPSIS VITÆ
AVCTORIS.

CORNELIVS IANSENIVS *natus est anno* MDLXXXV. *Leerdami, modico Bataviæ oppidulo, sed tanti viri natalibus jam magno. Parentes, & tota familia civium, Catholici inter ferventissimos, & avitæ fidei retinentissimi. Vltrajecti puerilibus & humanitatis litteris eruditus, Philosophiâ Lovanij in Pædagogio Falconis, & anno* MDCIV. *in Licentia Artium, quatuor Pædagogiorum primus renunciatus. Theologiæ mox operam daturus, in Collegium Adriani VI. Pont. Max. à Moderatore ejus Iacobo Iansonio, viro pietate & doctrinâ illustri, adscitus est. Post acre & assiduum aliquot annorum studium, in tabis & vitæ periculum incidit; unde Medicorum consilio, solum & aërem vertere, & in Galliam peregrinari constituit. Lutetiæ, per litteras Græcas, quas Lovanij sine Præceptore, magno & ærumnali labore didicerat, viris genere & doctrinâ nobilibus insinuatus, familiæ etiam uni insertus, ingenuorum adolescentum studia rexit. In Cantabriam deinde migravit, ubi eruditissimorum virorum consuetudine, & familiari studiorum communione, in SS. Patrum, & præsertim sancti Augustini intelligentiâ magnos progressus fecisse, sæpe testatus est. Lovanium postea revocatus, & novo S. Pulcheriæ Collegio Præfectus, fundos & reditus, suppeditatâ à Dominis Provisoribus pecuniâ emit, ædificia construxit, totumque Collegium anteà informe, ad eam quam hodie cernimus, formam composuit; ut meritò fundator, licet alienis opibus, haberi possit. Cùm verò postea curâ familiari & regimine juventutis, multum temporis studijs suis deperire animadvertisset, statuit relicto Collegio, privatim sibi & sacris Musis unicè vivere. In ista solitudine, aut admisso unius tantùm familiaris Doctoris cœtu, plusculos annos egit: inter quos à Lectione Sacræ Theologiæ Ordinariâ, ad Regiam Sacræ Scripturæ, à Catholicâ suâ Majestate est assumptus. Quo fructu & eruditionis famâ, Academia, discipuli, Commentarij typis editi loquuntur. Præter enim ingentem, è SS. Patribus collectam, rerum sacrarum supellectilem, linguæ quoque Græcæ & Hebraicæ insignem addiderat peritiam. Vnde cùm Silvæducenses Ministri Calvinistæ Catholicos provocassent ad disputationis certamen, delectus ipse inprimis est, qui & scientiâ rerum & intelligentiâ linguarum armatus, tutò conferret pedem.*

Vir autem studiorum & Scholarum umbris sic immersus, incredibile est, quomodo in publicâ negotiorũ luce non caligaret, sed ad actionem contemplationemq; ex æquo factus esse videretur. Hoc Academia Lovaniensis experta domi, forisque, cùm bis Legatus in Hispaniam missus, difficultates Academicas ex adversariorum manibus felicissimè extricavit. In rebus enim semel prudenter destinatis, magnanimus, acer, & instans, per omnia impedimenta & obstantia ad exitum facile penetrabat. Sed magnanimitas ejus præcipuè initio Episcopatus enituit, cùm novi Palatij Episcopalis magnificam molem statim auspicatus, & multa per Diœcesim Iprensem reformare aggressus, aut meditabatur, haud dubiè perfecisset, nisi morte contagiosâ intra alterum Episcopatûs annum oppressus esset, 1638. *prid. Non. Maij.*

Quantum verò ad totum ejus ingenium, mores, & eruditionem, hæc paucis Lector accipe.

Ingenti & rarissimo Dei beneficio, ingenium acerrimum, judicium gravissimum, memoria in eo fuit capacissima. Subtilis enim cholerae nonnihil habuit, quam flammulæ salpetræ lepidè comparare solebat, quæ momento incenditur, & sine nidore & fumo,

 momento

momento in nihilum dispergitur. Ab hoc igniculo modicus calor, & splendidus quidam fulgor totam acuebat & illuminabat animam. Ad istas naturæ dotes accesserat studium noctu diúque infatigabile, & veritatis immensus amor. Rogatus aliquando à sodali, quodnam Dei attributum maximè ei esset cordi & veneraretur, VERITATEM respondit. Et sæpè inter horti sui spatia & solitarias meditationes, visus auditusque oculis in cœlum sublatis erumpere in hanc vocem, O veritas!

Ab initio studij Theologici, cum Scholasticis legere cœpit SS. Patres, sed præcipuè Augustinum; statimque advertit, ut fatebatur, plurimos Scholasticos in materia illa capitali de Gratia & libero arbitrio, longè abire à Sanctissimi Doctoris mente. Crevit cum ætate amor id certiùs noscitandi; nec ab eo tempore ad finem vitæ omisit hanc curam & assiduam Augustini lectionem. Familiaribus quandoque fassus est, se decies & ampliùs universa Opera Augustini, attentione acri, adnotatione diligenti, libros verò contra Pelagianos facilè trigesies à capite ad calcem evolvisse. Patres ceteros utiles esse, sed Augustinum necessarium, imò unum pro omni materia Theologica sufficere aiebat. Vbertatem enim ejus & fœcundum illud pectus cum stupore admirabatur, & unde ei, statim etiam à conversione, ante studium Theologicum, abundantia illa rerum divinarum, quæ in primos ejus libros manaverunt. Quæ enim postea in libris Retractationum delevit, parvi momenti, & vocum ferè magis quàm rerum maculas esse censebat. Nullum aut Aristotelis, aut Archimedis, aut cujuscunque sub cælo ingenium, dicebat æquale Augustino; & tale à Deo factum, ut Ecclesia haberet, quem subtilissimæ omnium Pelagianæ hæresi opponeret, cui ullum ceterorum SS. Patrum negabat fuisse parem. Dicentem non semel audivimus: vitam sibi jucundissimam fore, si in Insula aliqua aut caute Oceani, extra omne humanum consortium, cum solo suo Augustino deponeretur. Breviter, post Deum & sacram Scripturam, omnia ei erat Augustinus; adeo, ut etiam lætaretur, se ad eum Episcopatum electum esse, in quem auctoritate Pontificiâ conversum fuisset Monasterium Regularium S. Augustini. In Opere isto, quod AVGVSTINVM vocat, componendo, ubique ad preces & opem S. Augustini identidem recurrebat, & sæpè familiaribus testabatur, se evidens ejus adjutorium in magnis difficultatibus persentire.

Multis tamen annis cum veteribus suis opinionibus luctatus est, antequam in totum exueret, & perveniret ad intimam S. Augustini mentem. Aiebat enim Augustinum à discipulis, non à Magistris velle intelligi, & falli, quisquis aliâ opinione occupatus accederet ad ejus lectionem. Addebat deinde, omnia pendere ab uno primo principio, unde tota doctrinæ ejus de Gratia, catena de vincla esset; & hinc factum, ut qui eo aberrant, extra viam & spem inveniendæ veritatis vagentur. Vnde subridebat potius, non mirabatur, quòd contrariarum & diversissimarum opinionum Scholastici, omnes tamen Augustinum ad se traherent; quia unus hunc, alter istum annulum medium catenæ arriperent, nemo teneret primum illum & capitalem.

Rem tamen istam ingentis momenti & fructûs in Ecclesia esse censebat, nec vitam perfectè spiritualem formari posse, nisi ad illam doctrinæ S. Augustini normam. Christianam tamen præcipuè humilitatem in ea fundari, nec in ea qua debet, id est altissima sui demissione haberi posse, nisi extrema illa divinæ gratiæ necessitas, & profundissima creaturæ à Creatore suo, quam prædicat Augustinus, dependentia ei subjiciatur. Vnde animas spirituales & profundè humiles sæpe consulebat, quid de tanta divini adjutorij, etiam in minimis bonis actibus, necessitate, & liberi arbitrij infirmitate existimarent: quos plerosque omnes admirabatur & gaudebat, doctrinæ S. Augustini consentanea respondere. Hæc doctrina est, inquiebat, quæ Augustinum supra omnes Doctores, & ferè mortales, in illo culmine scientiæ, humilem fecit: imò putabat neminem sine ea verè & ex corde humilem fieri posse.

posse. Hinc viri multi spirituales & eruditi seculares, Regularesque curventi sæpissimè calcar addiderunt, ut opus inchoatum deproperaret, ne, quod Veneri Apellis accidit, morte interceptus, non inveniret qui ad præscripta lineamenta auderet succedere. Ipse quoque huic operi unicè natum, & ubi absolvisset, paratissimum se mori dictitabat. Quod et profectò evenit. Nam pestilenti & lethali morbo correptus, moribundâ manu novissimas lineas duxit, & in fine ac ipso puncto perfecti operis (res admiranda, & providentiæ Dei argumentum singulare) finivit & vitam. Nec alia testamenti ejus cura sollicitior, quam ut fideles amicos rogaret, ne fœtus instinctu, ut credebat, divino tot vigilijs & laboribus à se efformatus supprimeretur, & non veniret ad partum.

Antequam extingueretur, inter lacrymas & singultus (audita à Cappellano qui ejus excepit confessionem, narro) totius vitæ delicta Sacramentali pœnitentia expiavit. Mors vitæ simillima. Hanc enim piè semper & religiosissimè traduxerat. Nec superstitiosus tamen, aut scrupulosus erat, sed masculâ pietate, & ferventi præsertim charitate in Deum & propinquos ardebat. In pauperes largus, restrictus in se. In mensa cum lepore siccus tamen semper: & cùm interdum ad prandia, quæ detrectare non poterat, invitaretur; aiebat, se ire ad pœnitentiam. *In epulis enim luctum animi ejus facile advertisses, ne pars superior, pruritu voluptatis delaberetur in concupiscentiam. Omnibus verò tentationibus meditatone matutinâ se præparabat, quam quotidie hora quarta, aut maturius, studijs præmittebat, repetebatque vesperi ante quietem; & totus re verâ dies nihil ferè aliud erat, quàm jugis Dei, meditatio, aut divinorum.*

PRÆFATIO
IN PELAGIUM.

DE Pelagiana & Semi-Pelagiana hæresi scripturus, nihil ordinatius à me fieri posse arbitratus sum, quam si ante omnia distinctè totam naturam istius hæresis Lectorum intelligentiæ exponerem. Frustrà enim in refellendis erroribus laboraveris nisi omnes anfractus ejus penetrando, fallaciam ejus omni ex parte perspectam habeas. Quod non nisi partim ex ipsa historica rerum gestarum fide, partim ex dogmatum universorum serie & genuino sensu, prout eum & Hæretici ipsi tradiderunt, & oppugnatores eorum Catholici Doctores expresserunt, obtineri posse censui. Itaque historiam Pelagianam, velut totius operis basim sternam: cui mox omnium dogmatum Catholicorum & veram eorum intelligentiam, quanta potuero veritatis cura subtexam. Neque enim exigua aut vilis de nonnullis eorum controversia est, dum alij aliud eos asseruisse, alióve quæ docuerunt sensu intellexisse contendunt. Quo effectum est, ut quædam Pelagianis non ignobiles hujus ævi Scriptores imposuerint: quæ nunquam vel per somnium cogitaverunt; quædam itidem ab eorum sententijs removе-

Digitized by Google

moverint, quæ pertinacissimè docuerunt. Quod quidem forsitan non tam Pelagianæ hæreseos declarandæ, quàm suæ opinionis astruendæ conatu, neque tam sincerissimæ veritatis, quàm partium studio, subinde factitatum esse facilè credi potest. Vt enim quodque vel sententiæ quam arripuerant fulciendæ servire videbatur, vel adversariæ infamãdæ opportunũ, mox idem Pelagio adimendum vel tribuendũ esse censuere: usque adeò, ut etiam nonnullas ejus capitales opiniones, & à Concilijs Ecclesiæ Catholicæ condemnatas, quas somnolenta quadam Augustini inspectione, illius Sancti disputationibus defensas fuisse nonnulli existimarunt, etiam sibi tuendas, doctrinæque suæ veluti fulcra substituendas esse judicaverint. Quæ sive licentia, sive negligentia, in rebus tam arduis delicatisque, quàm sit fidei Christianæ periculosa, nihil opus est verbis exaggerare. Hoc enim agitur, ut tales dogmatis cujuspiam Pelagiani ignorantia abrepti, vel dissimulata facie seducti, quo securius in suis disputationibus velificantur, eò inopinatius naufragium faciant: ac dum fidem suam integerrimam esse sentiunt, subitò detectâ veritate, doctrinam suam errori cuipiam vicinam vel obnoxiam esse mirentur. De quo jam inde ab initio saluberrimè monuit ille:

———————*Fronte placent, quæ fine latent.*

Prosp. carm. de ingratis. Et causam exprimens:

———————*Ab honesto*

Principio in vitium exitur plerumque tumoris.

Tanta est enim dogmatum istorum superbissimorum cum corrupta per superbiam ratione consensio, tantum in illis quasi Syrenibus prurientium in suam laudem & admirationem animorum lenocinium, ut nisi cœlestis illa gratia quam illa à fronte, à tergo, à lateribus impetunt, aures eorum qui in hoc perturbatissimo doctrinarum confusissimarum pelago prænavigant, obturaverit, animumque eorum autoritati immobili D. Augustini veluti malo alligaverit, vix vel nullo prorsus modo fieri possit, quin aliqua ex parte pestifera eorum dulcedine seducamur. Quod multò luculentiùs tot insignium sive doctrinâ, sive pietate virorum lapsus jam inde à condita Christi Ecclesia & ante conditam (ut suo loco dicendum est) patefecerit, quam ego disserendo persuasero.

Accedit aliud non minus periculosum, quod hæresi Pelagianæ inter omnes quæ in Ecclesia grassatæ sunt, singulare esse demonstrat ratio, & qui cum illa luctati sunt gravissimi sanctissimique divinæ gratiæ defensores, veluti tesseram ejus propriam tradiderunt. Observatum est enim tantam inter errores Pelagianos esse connexionem, ut si vel unica unius Semi-Pelagiani dogmatis tenuissima extremaque fibra, quam vix oculis assequaris Lyncæis, reservetur, tota superbissimi illius erroris moles cum omnibus dogmatum pestiferorum ramis reviviscat, & prodeat. Vt nullibi fortassis aptius veriusque dici possit. Quicunque totam doctrinæ Catholicæ veritatem servaverit, *offendat autem in* Iacobi 2. *uno factus est omnium reus.* Hinc D. Leo: *Novimus hanc eorum esse versutiam,*

ut in

ut in quacunque particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum. Quod ante ipsum observaverat, atque à totius Africæ vigilantissimis Antistitibus perspectum fuisse cecinerat Prosper:

Carm. de ingratis c. 8.

——— Mille senum prudentia pervigil olim
Perspicuum notumque tenens, quod tota nefandæ
Hæreseos summa exigua sub parte tegatur,
De qua plena mali labes renovetur, & omne
Commenti corpus per singula membra resurgat.

Nam quemadmodum ansulæ catenarum sibi innexæ sunt & perplexæ, ut qui unam arripuerit, etiam ceteras attrahat; ita si Pelagio tantillum dederis, danda sunt omnia; usque adeò, ut qui unicam anguis illius mortui palpitationem quovis verborum præstigio, vel erroris minus perspecti fuco delusus, in sinu foverit, omnem ille veram gratiam extinguere, veram pietatem interficere, peccatum originale tollere, scandalum crucis evacuare, Christum ipsum abijcere, diabolicæ supremæque superbiæ thronum velit nolit, erigere convincatur. Quæ sententiarum scelera, sicut Christiano sensu detestamur & exhorrescimus, ut etiam intelligentię vivacitate fugiamus, operę pretium me facturum esse arbitratus sum, si ante omnia cunctas dissimulatissimi erroris ambages rimando, omnes anfractus, quantum Deus dederit vires, excuterem, tortuosumque colubrum suis latebris extractum soli exponerem, nequis licentius vel minus cautè fortassis per plausibilis alicujus doctrinę campos vagando à latente in herbis angue mordeatur. Etenim rectissimè jam olim dixit magnus quidam istius hæreseos Antagonista. *Ecclesiæ victoria est vos apertè dicere quod sentitis, sententias vestras produxisse.* Qua de causa obsecro? *Patet primâ fronte blasphemia. Non necesse habet convinci, quod suâ statim professione blasphemum est.* Vt nihil mirum videri debeat, siquis in assequenda versipellium istorum mente fallatur. Familiare namque huic callidissimo errori semper fuit per mille viarum insidias iter opertum agere, & sub doctrinæ sanæ verbis latitando in publicum Catholicâ larvâ prodire. Hinc cùm Iulianus aliquando hæretico studio ambiguam sententiam protulisset; *Tu autem,* inquit Augustinus oculatissimus ejus delector, *quanta arrogantia & vestra præsumptione virtutis hoc dixeris, ille non agnoscit, qui dogmata vestra non novit. Sed tanquam tibi ipse de nimia vestra præsumptione erubueris, ita sententiam temperasti, ut & vestrâ & nostrâ posset voce defendi. Sed qui scimus,* ut adjicit statim, *quid sentiatis, nescire non possumus quomodo ista dicatis.* Et aliam ipsius Pelagij hæresiarchæ exagitans: *Videte latebras,* inquit, *ambiguitatis falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati, ita ut etiam nos cùm primum ea legimus recta vel correcta propemodum gauderemus.* Denique totâ disputationis mole de summa rei cum Pelagio Celestioque decernens, videte quid dicat: *Potest Pelagius se latebris obscuritatis hujus involvere, ut etiam ijs quæ à S. Ambrosio conscripta posuimus, consentire se dicat, & ea se quoque sentire proclamet, semperque sensisse, atque ita singula conetur exponere, ut etiam ejus sententiæ convenire credantur.* Omninò

Hieron. Ep. ad Ctesip.
Ibid. infra.
Lib. 4. cont. Iul. c. 3.
Lib. de pecc. orig. c. 18.
De grat. Christi c. 47.

Digitized by Google

ninò verissimè, nam præter ista affectata ambiguitatis latibula, ex quibus hæreticus prosiliebat sensus alia in hoc argumento peculiaris obscuritas occurrit, sub qua non modo Pelagiani, sed quotquot etiam postea Catholico nomine divinæ gratiæ struxerunt insidias, imperitorum oculis latuerunt. Nam ista quæstio ubi de libero arbitrio & gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Ex quo arctissimo liberi arbitrij gratiæque nexu fiebat olim, ut cùm Pelagiani, imprimisque Massilienses Catholicorum de gratia voces exponendo, pro se raperent, Catholici verò liberi arbitrij officia, compellente veritate faterentur, Hæretici veræ gratiæ munera, Orthodoxi arbitrij vires in speciem extollerent: cumque esset inter eos de tota possessione contentio, de solis terminis quodammodo esse videretur. Ex qua etiam discernendi difficultate, similitudine vocabulorum quibus utrimque sine veritatis præjudicio utuntur, nascitur, ut nisi eruditissimi cujusque vigilantia solerter dispiciat, quid in sensu Hæreticorum adimat etiam vera gratia, quid liberi arbitrij concursus juxta S. Augustinum afferat, judicatis oculis error sese loco veritatis insinuet, ita ut nesciendo quid alterutri senserint, quid alteri in alteris reprehenderint loco antidoti ipsum pestilentiæ virus hauriant. Quid enim aliud causæ fuisse suspicemur, cur quidam libri erroribus Pelagianis refertissimi in hodiernum usque diem a doctissimis quidem viris, sed minus quàm oporteret Pelagianas versutias penetrantibus, Catholicissimi esse censeantur? Quid item aliud, cur palam dogmata quædam antiquitus reprobata, tanquam nullo errore inquinata tueantur, nisi quòd nesciant, præclari alioquin pietate viri, lepræ candorem à sanitatis luce discernere? Neque enim ut in alijs plerisque erroribus usu venit, sensus Pelagianorum verbis, sed verba sensu plerumque metienda sunt. Nam latius, quam vulgò putatur, patet, quod August. dixit: *Qui scimus quid sentiatis, nescire non possumus quomodo ista dicatis.*

q. ten. rel. cap. 3.

Istæ igitur causæ sunt, cur hunc laborem, quem non inutilem fore spero, suscipiendum esse iudicavi, ut detectâ larvâ totum fucatissimi illius erroris corpus, cum omnibus ossibus atque nervis quibus sustentatur, & venis, quibus incrementum sumpsit, usque ad ultima lineamenta, quibus dignosci potest, omnium oculis subjiciatur. Addam & ætates varias quibus adolevit, status, quibus instar Prothæi vultum mutavit: genus denique ac majores, quibus præsatus est; progeniem, indolem ac machinationum omnium scopum. Quam sententiarum Pelagianarum telam ab ipsa hominis conditione orsus, per lapsum ejus & reparationem quæ per Christum facta est quam brevissimè & veracissimè potuero octo libris pertexam: quorum primus rerum ab Hæreticis istis gestarum historiam, ac damnationis modum complectetur; septem reliqui in eruendis, & intelligentiæ subjiciendis eorum dogmatibus versabuntur.

Digitized by Google

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE HÆRESI PELAGIANA
LIBER PRIMVS.

PELAGIVS Patriam habuit [a] Britanniam. Vnde Brito cognominatus est, ut ab alio Pelagio qui Tarenti dicebatur, distingueretur teste [b] Augustino. Et à [c] Prospero coluber Britannus dictus. [d] Hieronymus tamen eum subinde quasi Scotum insectatur: *nec recordatur*, inquit, *stolidissimus, & Scotorum pultibus prægravatus*, crediderim propter Britannorum & Scotorum vicinitatem, usum Hieronymum occasione, ut illo nomine stupiditatem ejus irrideret. Sic enim alibi etiam Celestium veluti crassioris & corporis & indolis sub Scoticæ nationis nomine subsannat: *Latrat*, inquit, *per Alpinum canem* (Celestium) *grandem & corpulentum, habet enim originem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia.* Qua phrasi significat Celestium esse corporis effigie Scotis similem, propterea quod Britanni, unde magister ejus Pelagius erat oriundus, Scotis essent contermini, nisi fortassis ad ipsum Pelagium illa verba referre malis, qui propter viciniam Britanniæ & Scotiæ etiam eodem sensu Scoticæ gentis originem per contemptum habere diceretur. Non tamen propriæ Scotum sed Britannum fuisse natione videtur distinctius Prosper indicare, cùm dicit de Celestino Pontifice: *Nec segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto seclusit Oceani. Et ordinato Scotis Episcopo dum Romanam Insulam studet servare Catholicam, fecit etiam Barbaram Christianam.* Scotiam intelligit, cui præfecit Palladium.

a Prosper in Chronico.
b August. Epist. 106. ad Paulinũ.
c Prosper in Carm. de ingratis.
d Hieron. præf. in lib. 1 in Ieremiam.
Hiero. præf. in 3. lib. in Ieremiam.
Prosper contra Collat. in fine.

A

B

Professione fuit Monachus, quo nomine fere semper compellatur à Patribus Concilij Diospolitani, quod nulla Ecclesiastici ordinis esset prærogativa spectabilis. Nam si quis post monachatum susceptum Ecclesiastico ordini initiaretur, jam ordinis nomine, Episcopus, ut Augustinus vel Presbyter, ut Hieronymus, vel Diaconus, ut Petrus vocabatur. Hinc Augustinus: *Post veteres hæreses multas, etiam modo hæresis, excitata est) non ab Episcopis seu Presbyteris, vel quibuscumque Clericis sed a quibusdam veluti Monachis, quæ contra Dei gratiam disputaret.* Vnde uterque tam Celestius quàm Pelagius Laici videntur fuisse. An monachatum professus sit in Ægypto non ita liquidè constat, sicuti quod ibidem peregrinatus est. Nam Isidorus Pelusiota litteris ad eum scriptis incorrigibilem & simul vagum ejus animum, de monasterio ad monasterium avolantem, ut vitæ mollioris, ciborumque lautitiæ inhiantem perstringit: ἀκαμπὲς ἔχεις τὸ φρόνημα, ἄλλοτε μὲν εἰς ἄλλας ἀμείβων καὶ πασῶν ἐρευνῶν τὰς τραπέζας. εἰ οὖν κνίσσης μέλει σοι, καὶ ὄψων παρασκευῆς, τοὺς ἐν τέλει μᾶλλον κόλακευε καὶ τὰς πόλεις τὰς κατασκευάζοντας ἐρεύνα. ἐρημῖται γὰρ ἄνθρωποί σε δεξιώσασθαι προσφιλῶς οὐκ ἀρκοῦσι. *Rigidum*, inquit, *atque inflexum animum habes, ex alio ad aliud subinde migrans, atque omnium mensas perscrutans atque explorans. Quamobrem si tibi carnium nidor atque obsoniorum condimentum curæ est, iis qui magistratum gerunt potius blandire, atque urbium caminos vestiga. Neque enim homines Eremitæ facultates eas habent, ut te quemadmodum tibi gratum est, excipere valeant.* Hæc Pelusiota. Ex quibus videmus jam senem Pelagium in hæresin fuisse abreptum: quam cùm jam animo parturiret, abjecta fide Catholica, mores etiam religiosos abjecisse juxta Isidori testimonium, verisimile est. Nam ut alibi dicturi sumus Pelagiani omnes de laxiori vita culpati sunt. Quamquam quoad integer fide vixit non parvam sanctitatis opinionem adeptus fuit. Testis eius rei locuples est Augustinus. *Nam*, inquit, *ut de meipso potissimum dicam, prius absentis & Romæ constituti Pelagij nomen cum magna eius laude cognovi.* Et luculentius alibi: *Post paucissimos dies legi Pelagij quædam scripta, viri ut audio sancti, & non parvo provectu Christiani.* Quem provectum intelligit castitatis & paupertatis professionem, ut ex epistola octogesima-nona clarescit, propter quam Pelagij vita à multis prædicabatur. Ex quo effectum est ut sanctus Ioannes Chrysostomus, magno dolore se tactum diceret cùm viros tam piè ac sanctè, tantaque cum tolerantia viventes in fraudem abripi cerneret.

Aug. lib. de gestis Pelagij c. 35.
Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 314.
Lib. de gestis Pelag. c. 22.
Lib. 3. de peccat. meritis c. 1.
Chrysost. Epist. 4.

C

Ingenio fuit tum ipse tum Celestius præstanti, acuto, atque acri, quod Augustinus multis in locis commendavit. Hinc uno loco vocat [a] *Magna & acuta eorum ingenia*; alio [b] *non contemptibilia*; alio [c] *fortissima atque celeberrima.* Ipsum Pelagium nominat [d] *acutissimum*: [e] Celestium *hominem acerrimi ingenij.* Tanto impetu ferebatur Pelagius in concionibus, ut eas *vehementes & ardentes* fuisse [f] fidem Augustinus confirmet; librosque Pelagianorum [g] *propter acrimoniam atque facundiam à plurimis fuisse lectos.* Hieronymus tamen passim ingenia Pelagianorum despicit & acumen vellicat, & tanquam Barbaros atq; elingues ridet: *Vnus*, inquit, *discipulorum eius*

a Epist. 106. ad Paulin.
b Lib. 3. ad Bonif. c. 3.
c Lib. de nat. & grat. c. 6.
d Ibid. c. 35.
e Lib. 2. ad Bonif. c. 3.
f De gestis Pelag. c. 25.
g Epist. 143. ad Iulianam

Hieron. Epist. ad Ctesiph. (Celestius) *imo iam Magister & totius ductor exercitus, per solæcismorum, & non, ut sui iactitant, per syllogismorum spineta decurrens, sic philosophatur & disputat.* Et alibi cum Pelagium ironice vocasset Demosthenem eorum, *Tam enim*, inquit, *involutus dictator est, & nimio verbositate sermonum coopertus, ut suspicionem magis quam intelligentiam lectori præbeat.* *Lib. 2. Dialog. adversus Pelag.*

Præfat. in lib. 1. Dialog. Stylum Pelagij quē alibi ut *putidum & elinguem ridet*, mirum in modum extollit inferius: *Quæ duo, inquit, capitula orationis & laudis soles cum tuis iurare discipulis non esse tua, cum perspicuè in eis styli tui splendor eluceat, & tanta sit venustas eloquij Tulliani, ut testudineo incedens gradu, quæ secreto doces, mutisque venalia, publice non audeas profiteri: Et quis ille tanti erit ingenij, ut leporem tui sermonis possit imitari?* Et infra: *Ab nimium disertum esse cœpisti, ut non dicam eloquens, postquam discipuli tui versi sunt in Magistros &c.* Et alio loco vocat Pelagium [a] *indoctum calumniatorem* cumque cum discipulo ita elinguem & miserum ... ut [b] *ne maledicere quidem suis verbis potuerit.* Sed salvâ pace Sancti Hieronymi, acutissimi ingenij eos fuisse, & styli non contemnendi non tantum Sancti Augustini testimonio credere malumus, verum etiam ipsa rei veritate convincimur. Nam prætérquam quod eorum argumenta præstantissimum ingenium, quod Ecclesia Christi habuit, non mediocriter fatigaverunt, vel solus ille libellus, contra quem liber de iustitiæ perfectione conscriptus est, ita vigentibus nervosisque ratiocinationibus contextus est, ut cuivis emunctæ naris homini, eos subtilitate ingenij præcelluisse, & accuratissime philosophicis disciplinis excultos fuisse manifestum sit. Vnaque Epistola quam Pelagius ad virginem sanctam Demetriadem exaravit, aliaque nonnulla exigua fragmenta librorum de libero arbitrio, verissimum esse Augustini judicium de Pelagij facundia contestantur. Tanti enim nitoris & facilitatis est illa Epistola, ut à multis seculis sub nomine & Augustini & Ambrosij, & ipsius Hieronymi quorum operibus intexta circumferebatur lecta fuerit. Cujus erroris non alia videtur fuisse occasio nisi quod non tam rerum soliditas quam quędam styli facilitas aut dignitas tantorum virorum similitudinem mentiretur.

Ibid.

a Præfat. in lib. primum in Ierem.
b Præfat. in lib. 4. in Ierem.

Porrò lapsus est Pelagius in hæresin in senectute sua, ut ex Epistola Isidori Pelusiotæ ad eum scripta colligitur. τῷ ἐφραΐμ ἐξέχυθησαν πολιαὶ, ἀλλ' οὐκ ἔγνω, νεάζων τοῖς πάθεσι, καὶ σὲ πολὺς ὄχλος ἐτῶν περιέδυσε, ἀλλ' ἔτι ἀκαμπὲς ἔχεις τὸ φρόνημα, ἄλλην μόνην ἐξ ἄλλης ἀμείβων &c. *Cani, inquit, effusi sunt in Ephraim & ipse ignoravit, vitiosis nimirum affectionibus invetescens. Eodem modo quoque tibi ingens annorum turba caniciem invexit: & tamen rigidum atque inflexum animum habes, ex alio monasterio ad aliud subinde migrans &c.* *Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 314.*

Ad rationem temporis quod attinet videtur impietas ejus innotescere cœpisse circa annum quadringentesimum quartum vel quintum. Constat hoc ex Epistola Sancti Ioannis Chrysostomi ad Olympiadem in cujus calce sic attexit de Pelagio: σφόδρα ἤλγησα ὑπὲρ Πελαγίου τοῦ μονάζοντος. ἐννόησον τοίνυν πόσων ἄξιοι στεφάνων εἰσὶ γενναίως στάντες, ὅταν ἄνδρες ἐν τοσαύτῃ ἀσκήσει διαγαγόντες καὶ καρτερίᾳ, οὕτω φαίνωνται ὑποσυρόμενοι. *De Pelagio Monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur quot quantisque coronis digni sint, qui fortiter animos in acie steterunt, cum viros tam pie ac sanctè tantaque tolerantia viventes, abripi atque in fraudem impelli videamus.* Idem tempus ab ipso Pelagio designatur in Epistola purgationis, quam ad Sanctum Innocentium Romanum Pontificem scripsit, quæ cum eum superstitem non reperisset Zozymo ejus successori tradita est. Vnde scripta est sub mortem Innocentij anno quadringentesimo decimo septimo. Vt ergo sese purgaret, quod de gratia male sentiret: *Legant, inquit, illam Epistolam quam ad Sanctum virum Paulinum Episcopum ante duodecim fere annos scripsimus, quæ trecentis fere versibus nihil aliud quam Dei gratiam & auxilium confitetur.* Hanc Epistolam se legisse testatur Augustinus, & fermento Pelagiani erroris, ut cætera posteriora scripta, esse corruptam. Cum igitur annus ille duodecimus in quadringentesimum quintum incidat constat eum jam tum vel etjam ante de divina gratia perperam sensisse, scripsisse atque docuisse. Scripsit & alia circa idem tempus, & paulo post partim Epistolas partim opuscula, de quibus suo loco dicturi sumus, omnia novis dogmatibus respersa; sed ita cautè ut oculatissimos quosque falleret. Quod sibi ipsi quoque penè contigisse in operibus ejus posterioribus testatur Augustinus: *Mihi, inquit, penè persuaserat, hanc illum gratiam de qua quæstio est, confiteri. Sed cum in manus meas & alia venissent quæ posterius latiusque conscripsit, vidi quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare, sub ambigua generalitate quid sentiret abscondens, gratiæ tamen vocabulo frangens invidiam, offensionemque declinans.* *Chrysost. Epist. 4. ad Olympiad.* *Apud Aug. lib. de gratia Christi c. 35* *Ibid. c. 37.*

Hæc enim erat hæretici istius versutia singularis, ut clam suis discipulis virus detegeret, palam autem sive verbo sive scripto tegeret, vel generalibus vocabulis gratiæ, celando sententiam, vel solius naturæ laudibus inculcando. Vbi si quis offensus gratiæ derogari quereretur, respondebat; egone abnuo gratiam, qui rem confitendo, confitear necesse est & per quid res effici potest? Vt ex ipso Pelagij opere refert Augustinus. Hinc Innocentius Pontifex Epistola ad Patres Concilij Carthaginensis: *Qui perversis, inquit, instructi verborum argutijs, sub imagine Catholicæ fidei disputantes, velut pestiferum exhalantes virus totam veri dogmatis quærunt evertere disciplinam.* Hanc Pelagij fraudulentiam *Lib. de natura & gratia c. 10*

lentiam etjam Sanctus Hieronymus commemorat: *Nosti*, inquit, *quid intrinsecus discipulos tuos doceas, aliud ore commemorans & aliud celans conscientia: nobisque alienis & indoctis loqueris per parabolas, tuis autem mysteria confiteris, & hoc juxta scripturam te facere jactitas, quia dictum est, turbis Iesus in parabolis loquebatur, & ad discipulos in domo dicit; Vobis datum est scire mysteria regni cælorum, illis autem non est datum.* Nempe, ut infra idem Hieronymus explicat, quia vulgus indoctum non poterat arcanorum ejus onera sustentare, nec capere solidum cibum quod infantiæ lacte contentum est. Itaque conqueritur multum Sanctus ille Doctor omnibus hæreticis, Eunomianis, Arrianis, Macedonianis, nullum nobis laborem facessentibus quia quod sentirent apertè loquerentur, *solam hanc hæresin esse, quæ publicè loqui erubesceret, quod secretò tradere non timeret.* Propter quos clandestinos hæreseos disseminandæ conatus subinde illud Apostoli contra eum usurpat, *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Pelagius enim atque ejus discipuli, ut tutiùs hominum animos tentarent, & vacillantes ad ruinam impellerent, sub quæstionum obtentu difficultates suas contra fidem proferebant, neque quid à se, sed quid ab alijs contra moveretur scriptis suis inserebant. Cujus fraudis luculentius habemus exemplum apud Augustinum libro tertio de peccatorum meritis, qui difficultatibus quas Pelagius quasi aliorum nomine protulerat, dissolvendis destinatus est.

Epist. ad Ctesiph.

Epist. ad Ctesiph.

Proemio in lib. primum Dialog. adversf. Pelag.

Accedebat alia serpentina calliditas, quod ad imitationem Simonis Magi, Nicolai, Marcionis, Arij, Donati, aliorumque hæreticorum mulierculis oneratis peccatis utebatur, per quas errores suos latius ferret; quæ prurientes auribus, hæreses jam sæpè damnatas & vetustissimum cœnum quasi novam temperaturam suscipiebant. Quibus artibus effectum est, ut mirum in modum brevi tempore error ille diffunderetur. Testatur hoc Augustinus in Epistola ad Hilarium quam initio hæresis illius scripsit: *Plures*, inquit, *sunt quam sperare possumus & ubi non redarguuntur, etiam alios ad suam sectam seducunt, & sic crebrescunt, ut nesciam quo sint erupturi:* quibus, ut inquit alibi: *usquequaque iam plena sunt omnia.* Causam autem tantæ multiplicationis fuisse illud fraudulentum silentium docet Hieronymus: *Ideò*, inquit, *crevit vestra hæresis, & decepistis plurimos, maximeque eos qui adhærent mulieribus, & sciunt se peccare non posse: quia semper docetis, semper negatis.*

Aug. Epist. 89. ad Hilarium

Epist. 95. ad Innocent.

Hieron. epist. ad Ctesiph.

Hac versipelli astutia ut fœlicius ac tutius Pelagius uteretur, nihil ipse palam de dogmatibus sive verbo prodebat, sive scripto; sed per discipulos clam imbutos errores suos propagabat, eo sanè consilio ut si à libentibus auditoribus susciperentur, in laudem Magistri doctrinæ applausus redundaret; sin minus discipulorum ignorantiæ error ignosceretur. *O te felicem*, inquit Hieronymus, *cujus præter discipulos nemo conscribit libros, ut quicquid videris displicere, non tuum sed alienum esse contendas.* Et hoc est quod alibi dicit: *Ipse invitus latrat per Alpinum canem grandem & corpulentum, & qui calcibus magis possit sævire quàm dentibus.* Qua periphrasi Celestium discipulum Pelagij suo colore depingit. Fuit enim inter discipulos Pelagij princeps Celestius, tum acumine differendi, tum audacia proferendi, tum pertinacia asserendi. Nam ut Augustinus loquitur, Erat vir *acerrimi ingenij*, philosophiæ non imperitus; quam ob causam à Pelagianis per syllogismorum, ut supra diximus, spineta decurrere ferebatur. Itaque Augustinus ratiocinationes illas acutas, breves atque contortas, quas libro de perfectione justitiæ insertas videre licet, testatur à Celestij ingenio non abhorrere: quod in alio ejus opere inspexerat, cujus eum esse constabat auctorem.

Lib. 3. Dialog. adversus Pelag.

Hieron. præfat. in lib. 3. in Hieremiam.

Aug. lib. 2. ad Bonif. c. 3.

Aug. lib. de perf. iustit. c. 1.

Hanc indolem ejus respiciens Hieronymus: *Magistrorum*, inquit, *silentia profert rabies discipulorum, quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant.* Et Augustinus genium utriusque & Magistri & discipuli brevibus exprimens: *Quid inter illum* (Pelagium) *& Celestium in hac quæstione distabit, nisi quod ille apertior, iste occultior fuit, ille pertinacior, iste mendacior, vel certe ille liberior, hic astutior? Ille enim nec in Ecclesia Carthaginensi damnare voluit, quod in Romana postea se tenere confessus est.* Ex qua prædicandi libertate id assecutus est, ut facile quadriennio ante Magistrum in Concilio Carthaginensi tanquam hæreticus detestatus absceſſerit, & Celestij nomine a *hæresis Celestiana* non minus quam Pelagiana indigitata sit, & Celestius seu *Celestiani* haud secus ac Pelagiani sectatores istius dogmatis nuncuparentur.

Hieron. Epist. ad Ctesiph.

Aug. lib. de pecc. orig. c. 12.

a Hieron. Epist. ... ad ... & Aug. ... b A... ...

Cæterum Pelagius quo faciliùs efficaciusque venenum suum diffunderet, Ægypti peragratis monasterijs Romæ sibi delegit domicilium. Testatur enim Augustinus eum diutissime Romæ esse commoratum, multisque in ea urbe fuisse notissimum, ita ut quid sentiret ac diceret, per mysteria scilicet, eos latere non posset, uti in his fuerat sermonibus contentionibusque versatus. Vbi cum à quodam Augustini Coepiscopo illa verba ex libris confessionum fuissent commemorata, *Da quod iubes & iube quod vis, Pelagius ea ferre non potuit, & contradicens aliquanto vehementius, penè cum eo qui ea commemoraverat, litigavit*, ut ab ipso Augustino refertur. Quod necesse est contigisse sub hujus hæresis initia, nam ut mox dicturi sumus, paulo post in Palæstinam migravit, nec Romam ad se purgandum reverti ausus est. Familiaritate autem videtur junctus fuisse Ruffino, & ex illo nonnulla etjam hæresis suæ fundamenta traduxisse, inde colligas, quod Celestius paucis annis post Ruffinũ

Aug. Epist. 95. ad Innocent. & de peccato orig. c. 8. & 21.

Lib. de dono persev. c. 20.

peccatum originale negantem Romæ se audivisse fateatur, ut ex actis judicij Episcopalis Carthaginensis Augustinus commemorat. A Itaq; sicut quædam doctrinæ capita, ita odium quo Ruffinus in sanctum flagrabat Hieronymum, ex ipso in Pelagium & Calestium quasi hæreditate transfusum est. Statim enim post mortem Ruffini, quæ circa Christi annum quadringentesimum decimum accidit in Sicilia, jam suo cortice natare incipientes Pelagius atque ejus discipuli, sanctum Hieronymum acerrimè calumnijs persecuti sunt. Queritur hoc multis ipse sanctus. De Ruffino enim defuncto loquitur quando dicit: *Scorpius inter Enceladum & Porphyrium Trinacria humo premitur, & hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit.* De Pelagianis vero ejus successoribus: *Putabam quod medio serpente confosso non viviscerent hydræ novella plantaria, & Scylla mortua, nequaquam in me Scyllæi servirent canes qui latrare non cessant &c. hæresis ipsa non moritur, hæreditarijs contra nos odiorum suorum catulis derelictis.* B Quænam vero fuerint quæ in sancto Hieronymo reprehenderent, declarat alibi: *Nuper*, inquit, *indoctus calumniator erupit, qui commentarios meos in Epistolam Pauli ad Ephesios reprehendendos putat, nec intelligit nimia stertens vecordia leges commentariorum &c.* Item: *In quibus contra Iovinianum voluminibus, dolet virginitatem nuptijs, & nuptias bigamiæ, & bigamiam polygamiæ esse prælatam.* Vt autem Pelagium designaret, vocat præcursorem magistrum ejus Grunium, hoc est Ruffinum qui eadem in se olim carpserat, & Scotorum pultibus esse prægravatum: quo scommate Britanniam Pelagij patriam exprimit. Nam commentarios in Epistolam ad Ephesios etjam à Ruffino olim fuisse culpatos, ex libro primo Apologiæ Sancti Hieronymi adversus Ruffinum, liquido constat. C Hinc alio in loco: *Cui (Grunnio seu Ruffino) duobus*, inquit, *respondi libris, quæ iste quasi sua profert, quæ alio tam calumniante purgata sunt.* Et infra respondens alteri de nuptijs damnatis impactæ sibi calumniæ: *Legat*, inquit, *ejusdem operis Apologiam, quam ante annos plurimos adversus Magistrum eius gaudens Roma suscepit, & tunc animadvertet alienis se vocibus blasphemare, & in tantum esse imperitum, ut ne maledicta quidem habeat propria, sed inimicorum etiam olim sepultorum contra nos utatur rabie.* Hæc Hieronymus. Quo verò pacto intelligendum sit, quod Ruffinus Pelagianorum præcursor fuerit, suo loco demonstrabitur.

Hier. præf. in primum lib. comment. in Ezech.

Præfat. in lib. 6. Comment. in Ezech.

Præfat. Comment. in lib. 1. Ierem.

Ibid.

Interea Roma capta per Barbaros circa annum quadringentesimum decimum, Pelagius cum Celestio discipulo inde quoque D diffugit, eodemque circiter tempore in Africam videntur appulisse. Nam de Pelagio quidem sic Augustinus: *Vt de me ipso*, inquit, *aliquid loquar, prius absentis & Romæ constituti Pelagij nomen magna cum laude cognovi; postea cœpit ad nos fama perferre quod adversus Dei gratiam disputaret. quod licet dolerem, & ab eis mihi diceretur quibus crederem, ab ipso tamen aliquid, vel in eius aliquo libro nosse cupiebam, ut si inciperem redarguere, negare non posset.* Quæ omnia manifeste tempus illud respiciunt de quo egimus, cum Romæ usque ad captam à Gotis Vrbem, lupus sub ovina pelle latitaret, sic tamen ut jam fama perversitatis ejus erumperet. Quæ verò post captam urbem, hoc est post annum quadringentesimum decimum, post quem statim contra discipulos ejus, atque ipsum agi & scribi cœptum est, consecuta sint, sic idem Augustinus prætexit: *Postea vero*, inquit, *quam in Africam venit me absente, nostro id est Hipponensi littore exceptus est, ubi omnino sicut nostri, nihil ab illo hujusmodi auditum est, quia & citius quam putabatur, inde profectus est.* Hæc de primo Pelagij in Africam adventu, postquam jam hæresim suam disseminare cœpisset, ita ut publica ubique fama innotesceret. De secundo verò adventu ejus agens Augustinus, vel certè si in ipsa Africa (ut planè verisimile est) diutius egerit, de occursu quem cum Pelagio habuit, sic subjungit: *Postmodum eius faciem Carthagine quantum recolo semel vel iterum vidi, quando curæ Collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui, ille vero etiam ad transmarina properavit.* Contigit hæc Collatio anno quadringentesimo undecimo primo videlicet postquam Roma à Barbaris fuisset spoliata, quæ calamitas etjam Pelagianos, urbe fugavit. Nullo enim decreto publico hactenus condemnati fuerant. Porro ex Africa ad transmarina properans in Palestinam videtur appulisse, ubi ante congregatam Synodum Diospolitanam satis diu eum hæsisse certum est. Nam eo quod ibi fixisset domicilium, à fratribus ad Concilium Episcoporum illius provinciæ tractus est. Sed hæc longè posterius contigerunt. Commorationem vero ejus in Palestina circa hoc tempus videtur & Hieronymus perstringere, qui in Bethleem circiter biennio scribens Commentarios in Hieremiam, antequam adhuc ullo judicio publico tanquam hæretici Pelagiani innotuissent. *Hic*, inquit, *tacet, alibi criminatur, mittit in universum orbem Epistolas biblinas prius auriferas, nunc maledicas & patientiam nostram de Christi humilitate venientem malæ conscientiæ signum arbitratur.* Ex quo manifestum est tempus illud designari quo necdum contra Pelagianos Hieronymus silentium ruperat. Sed paulo post eodem circiter anno in quo versamur quadringentesimo undecimo, vel certe sequenti antequam tamen Celestius Carthagine ferret dignam suâ perversitate sententiam, suppressis adhuc authorum nominibus cœpit primus adversus serpentem hæresin scribere. Cùm enim interpellatus fuisset à Ctesiphonte, missa ad eum solâ illa de impeccantia, seu apathia quæstione, in quam

Lib. de gestis Pelag. c. 22.

De gestis Pelag. c. 22.

Hieron. præfat. in lib. 3. Hierem.

Digitized by Google

quam stabiliendam initio suæ hæreseos omnes ingenij sui nervos Pelagiani contulerant, fontes illius doctrinæ detegit, Ruffinum, Iovinianum, Evagrium, Origenem, & Philosophos Zenonem atq; Pythagoram, & repulsis breviter eorum argumentis præcipuis, in hoc penè totus incumbit, ut colubrum tortuosum, qui mille per meandros & fluxus, omni calliditatis artificio palam per alienas quæstiones, clam per assertiones, quas palam suas esse pernegabat, se insinuare nitebatur, & plerosque jam etjam in Oriente deceperat, è cavernis in publicum produceret, quod monstrum hoc nosse esset confecisse. Hinc Hieronymus: *Necdum, inquit, scripsi, & cōminaris mihi rescriptorum tuorum fulmina, ut scilicet hoc timore perterritus, non audeam ora reserare. Et non animadvertatis idcirco nos scribere, ut vos respondere cogamini, & aperta aliquando dicere quod pro tempore, personis & locis, vel loquimini vel tacetis. Nolo vobis liberum esse negare, quod semel scripseritis. Ecclesiæ victoria est vos apertè dicere quod sentitis. Aut enim idem responsuri estis quod & nos loquimur, & nequaquam eritis adversarij, sed amici: aut si contraria nostro dogmati dixeritis, in eo vincemus quod omnes cognoscent Ecclesiæ, quid sentiatis. Sententias vestras prodidisse superasse est. Patet prima fronte blasphemia.* Et hæc quidem in Oriente Hieronymus; quo tempore jam ita fervere cœperāt hujusmodi contentiones, ut jam discipuli Pelagiani inciperent appellari. Testis est locuples idem Sanctus, in eadem Epistola, ubi cùm dixisset; *nullius in hoc opusculo nomen propriè tangitur. adversus magistrum perversi dogmatis locuti sumus.* infrà subjungit: *Fratrum inter se cernis iurgia & rides atque lætaris, quod alij tuo nomine, alij Christi appellentur.*

Ita Hieron. testatur Epist. ad Ctesiph.

Ibid. versus finem.

Epistola ad Ctesiph. in fine

In Occidente verò cum hoc anno quadringentesimo undecimo, quo Pelagium in Africam venisse & ab Augustino cura Collationis occupatissimo, aliquoties Carthagine visum fuisse diximus, eòdem etjam Celestius cum suo magistro fuisset delatus, cœpit confestim acriter de Pelagianis quæstionibus disputare, & quaquaversum nova dogmata maximè in Carthaginensi urbe diffundere, unde perturbati boni nonnulli Ecclesiastici maximeque Paulinus Diaconus, cùm animadverterent eum, ut majori auctoritate propagandis hujusmodi doctrinis incumberet, clandestina calliditate conari, ut ad presbyterij gradum eveheretur, Christiana usi libertate ad Episcoporum judicium Carthagine Celestium detulerunt, ubi accusatus atque damnatus, excommunicationis sententia ab Ecclesia Carthaginensi pulsus est. Auctor historiæ est Augustinus, qui cùm dixisset anno Collationis cum Donatistis Pelagium fuisse Carthagine, statim hæc de Celestio: *Interea*, inquit, *per ora eorum qui eius discipuli ferebantur, dogmata ista fervebant, ita ut Celestius ad Ecclesiasticum iudicium perveniret, & reportaret dignam sua perversitate sententiam.* Et in Epistola ad Hilarium: *Nam unus*, inquit, *eorum nomine Celestius in eiusdem civitatis* (Carthaginensis) *Ecclesia iam ad presbyterij honorem surrepere cœperat: sed fidelissima libertate fratrum propter has ipsas contra Christi gratiam disputationes usque ad iudicium Episcopale perductus est.* Contigerunt hęc non ipso illo anno quadringentesimo undecimo quo propter Collationem cum Donatistis multis Antistites in illam urbem confluxerant. Augustinus enim qui inter primos molem istius Collationis sustinuit, testatur se cùm Celestius damnabatur Carthagine non fuisse, sed eam ab Aurelio alijsque Episcopis peractam esse: *Hæc*, inquit ad Aurelium Augustinus *ita obiecta sunt* (scilicet ex doctrina Celestij) *ut etiam apud Carthaginem, a tua sanctitate & ab alijs tecum Episcopis dicerentur audita atque damnata; ubi quidem ut recolis ipse non fui, sed postea cùm venissem Carthaginem eadem gesta recensui.* Non etjam contigerunt anno præcedenti quadringentesimo decimo, quia idem Augustinus de se fatetur in libris de peccatorum meritis & remissione, qui post Celestium damnatum scripti sunt, *sibi cum esset Carthagine*, nempe in ista Collatione (nam damnationi Celestij non interfuit) *cursim aures à transitoriè colloquentibus fuisse perstrictas, non ideò parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo, eaque novitate permotum, & quia opportunum non fuit, ut contra aliquid diceret* (quia scilicet cura Collationis, ut suprà diximus, occupatissimus erat) *& non tales homines erant, de quorum esset authoritate sollicitus, facile hoc in transactis atque abolitis habuisse.* Quæ omnia manifestè convincunt, tempore illius famosæ Collationis, nihil adhuc de Celestio fuisse tractatum. Cùm ergo Patres Concilij Carthaginensis, quod anno quadringentesimo decimo sexto celebratum fuit, in Epistola Synodali ad Innocentium testentur *se recensendum petijsse, quod ante ferme quinquennium* super Celestij nomine apud Ecclesiam Carthaginensem fuisset agitatum, superest anno quadringentesimo duodecimo, sequenti nempe anno post Collationem, Celestium ab Africanis Episcopis fuisse damnatum. Acta porro contra Celestium in isto judicio confecta perierunt præter exiguum fragmentum quod in operibus Augustini conservatum est, aliaque nonnulla quæ hinc inde colliguntur. Fragmentum vero sic se habet: *Aurelius Episcopus dixit.* Sequentia recitentur, & recitatum est: *quod peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, & non generi humano.* Et cùm recitatum esset Celestius dixit: *Dixi de traduce peccati me dubium esse; ita tamen ut cui Deus donavit gratiam peritiæ consentiam, quia diversa ab eis audivi, qui utique in Ecclesia Catholica constituti sunt presbyteri.* Paulinus Diaconus dixit: Dic nobis nomina ipsorum. Celestius respondit: *Sanctus Presbyter Rufinus Romæ qui mansit cum Sancto Pammachio. Ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit.* Paulinus Diaconus dixit: Est aliquis alius? Celestius dixit: *Audivi & plures dicere.* Paulinus Diaconus dixit.

Lib. de gestis Pelag. c. 11.

Epist. 89. ad Hilarium.

Lib. de gestis Pelagij c. 11. Et lib. 2. Retract. c. 33.

Lib. 3. de peccatorum meritis & remiss. c. 6

Epist. 90. apud Aug.

Ex libro de peccato orig. cap. 3.

Dic

Digitized by Google

Dic nomina ipsorum. Celestius dixit: *Non sibi sufficit unus sacerdos?* Et post aliqua alio loco: Aurelius Episcopus dixit: Reliqua libelli legantur. Et recitatum est, *Quod infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem*: usque in finem libelli minoris superius inserti. Aurelius Episcopus dixit: Docuisti Celesti, aliquando, ut dixit Diaconus Paulinus, quod infantes qui nascuntur, in eo statu sint in quo Adam ante transgressionem. Celestius dixit, *exponat, quid dixit ante transgressionem.* Paulinus Diaconus dixit: Tu nega hoc te docuisse. Vnum est ex duobus, aut neget se docuisse, aut jam damnet istud. Celestius dixit: *Iam dixi, exponat, quomodo dixit ante transgressionem.* Paulinus Diaconus dixit: nega te illa docuisse: Aurelius Episcopus dixit: Rogo, quid collegerim ego ex hujusmodi objectione, dico Adam constitutus in paradiso, quod ante dicatur inexterminabilis factus, postea per transgressionem præcepti factus sit corruptibilis. Hoc dicis frater Pauline? Paulinus Diaconus dixit: Hoc Domine. Aurelius Episcopus dixit: Status certè infantium hodie baptizandorum, utrùm talis sit, qualis fuit ante transgressionem Adæ, an certè de eadem origine peccati, de qua nascitur, transgressionis culpa trahat? Hoc vult Diaconus Paulinus audire. Paulinus Diaconus dixit: Vtrum docuit hoc an non, neget. Celestius dixit: *Iam de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam constitutos plures audivi destruere, nec non & alios astruere, licet quæstionis res sit ita, non hæresis: infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari. Quid quærit aliud?*

Cap. 4. A B

Præter illos duos articulos de parvulorum innoxia puritate, qui gestis illis comprehenduntur, etiam alij nonnulli Celestio objecti sunt. Nam isti duo iam allati articuli, erant secundus & quintus. Omnes autem simul breviter recensentur ab Augustino libro de gestis Pelagij, ex ipsis actis Concilij Diospolitani, quod quadriennio post contra Pelagium celebratum est. Verba Augustini sunt huiusmodi, *Hic enim sequuntur* (nempe in actis Concilij Diospolitani) *objecta Pelagio, quæ in doctrina Celestij discipuli eius referuntur inventa. Adam mortalem factum qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit & non genus humanum. Quoniam lex sic mittit ad regnum, quemadmodum Euangelium. Quoniam ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato: Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem: Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat. Hæc ita objecta sunt ut etiam apud Carthaginem à Sanctitate tua & alijs tecum Episcopis dicerentur audita atque damnata. Vbi quidem ut recolis ipse non fui* &c. Hæc ita Augustinus. Præter ista vero quæ dicta sunt, aliunde constat libellum quendam, quo fidem suam profiteretur, Episcopis obtulisse Celestium, atque

C

Lib. de gestis Pelag. c. 11.

D

inter cætera falsum esse, redemptionem parvulis esse necessariam, etsi nullo peccato originali infectos esse censeret. Testis hujus antilogiæ est Augustinus in lib. de peccato originali: *Nam & Celestius apud Carthaginem*, inquit, *in libello suo confessus est redemptionem parvulorum, & tamen noluit fateri ex Adam in eos transisse peccatum.* Hinc alibi: *Redemptionem etiam ipsis* (parvulis) *opus esse concedunt, sicut cuiusdam eorum libello brevissimo continetur, qui tamen ibi remissionem alicuius peccati apertius exprimere noluit.* Et apertissime in Epistola ad Hilarium, ubi cum ea de Celestio apud Carthaginem quæ suprà diximus, retulisset; *Coactus est*, inquit, *confiteri propter baptizandos parvulos, quod & ipsis redemptio sit necessaria; ubi quamquam noluerit de originali peccato aliquid expressius dicere, tamen ipso redemptionis nomine, non parum sibi præscripsit.* Quæ omnia etjam eo consilio adduximus, ut ostenderemus falli scriptorem quendam qui putat Epistolam illam ad Hilarium itemq; libros de peccatorum meritis & remissione, anno superiori quadringentisimo decimo ante damnationem Celestij esse conscripta. Nam præter evidentissima testimonia quæ produximus, ipse Augustinus alibi expressis verbis dicit quod *cùm libros de peccatorum meritis scriberet, Celestius Pelagij discipulus iam propter tales assertiones apud Carthaginem in Episcopali iudicio*, ubi ego, inquit, *non interfui, excommunicationem meruerat.*

Lib. de peccato orig. c. 19.

Lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 34.

Epist. 89 ad Hilar.

Lib. 2. Retract. c. 33.

Neque verò movere debet id quod scriptorem illum in transversum abripuit, quod nulla in hac Epistola ad Hilarium Pelagij fiat mentio, quasi propterea ante hoc de Celestio judicium tanquam adhuc latitante, conscripta esse judicanda sint: Nam Epistola ad Hilarium potius contra doctrinam Celestij exarata est, cujus etjam idcirco tanquam damnati mentionem fecit. In libris de peccatorum meritis à Pelagij acerbiore commemoratione supersedendum esse arbitratus est, non quod non satis essent utriusque propalata ac diffamata nomina, sed ne tam aperta oppugnatione offensi, insanabiliores redderentur. Ita enim charitatis Christianæ modestiâ faciliùs eos corrigi posse sperabat, ut Augustinus ipse de suo hoc animo testatur. Idem namque propositum etjam in libro de natura & gratia persecutus est, quem tamen jam aliquot annis ab ista Celestij damnatione conscripsit. De quo libro modestiæ suæ scopum exprimens, sic ipse loquitur: *Nec sic tamen operi meo* (de natura & gratia) *quo eundem librum refelli, Pelagij nomen inserui, facilius me existimans profuturum, si servata amicitia, adhuc eius verecundiæ parcerem, cujus litteris iam parcere non debebam.*

Lib. de gestis Pelag. c. 23.

Sed quis tandem exitus istius accusationis Celestij & Iudicij Episcopalis? Nempe & ipsa dogmata ab Episcopis audita atque [a] damnata sunt, & auctor eorum aut propugnator Celestius dignam reportavit [b] *sua perversitate* sententiam, hoc est ut alibi dicit [c] *excommunicationem.* Qua percussus quidem pulsus-

a Testatur August. lib. de gestis Pelag. c. 11.
b Ibid. c. 22.
c Lib. 2. Retract. c. 33.

pulsusque Carthagine, animo tamen pervicaciam non deposuit, *magis enim convictus*, inquit, Augustinus, *& ab Ecclesia detestatus, quàm correctus & paratus abscessit.*

Epist. 89. ad Hilar.

Hac ergo ignominia fugatus ex Africa, in Siciliam se videtur contulisse. Nam circa hoc tempus novis Pelagianorum doctrinis, hæc insula perturbata est. Ex quo consecutum est ut Hilarius quinque Pelagianorum quæstiones Augustino solvendas mitteret, quæ apud Syracusas magna contentione disputabantur. Dissolvit eas accuratissimè tota Epistola octogesima nona quam ad Hilarium dedit, ubi cum eum inter cætera de recentibus gestis circa Celestium certiorem fecisset: *Veritus sum*, inquit, *ne forte sit ipse qui vestram fidem perturbare conatur, ideo nominis ipsius commemorationem putavi esse faciendam.* Aliquamdiu enim eum in Sicilia docuisse, satis ex initio libri de perfectione justitiæ & inscriptione chartulæ quæ ad Augustinum ex Sicilia, delata est, conjici potest. Nimirum huc respicit Hieronymus, dum docet hæresin jugulatã cœpisse reviviscere, & non solũ in occidẽtis sed & in oriẽtis partibus sibilare, & in quibusdam insulis præcipue Siciliæ & Rhodi maculare plerosque. Et quanquam non liqueat quis in Rhodo insula venenum sparserit, tamen in Palæstina Pelagium, in Sicilia Celestium aliquamdiu sedem fixisse, ubi præcursor eorum Rufinus diem clauserat, satis certum est. Nempe ut partito Orientis & Occidentis imperio, quasi novi Apostoli terrarum orbem novæ doctrinæ sacramentis imbuerent.

Epist. 89. ad Hilar.

Hieron. præfat. in 4. Comment. Hierem.

Porro antequam istas litteras ad Hilarium dedisset Augustinus, damnato jam fugatoque Carthagine Celestio, missæ sunt ei quæstiones nonnullæ solvendæ, maximè de peccato originali, baptismo parvulorum & perfectione virtutis Christianæ in hac vita à Marcellino. *Quos eos*, inquit, *quotidie molestissimos disputatores patiebatur.* Quibus quæstionibus dissolvendis conscripsit tres ad eundem Marcellinum libros de peccatorum meritis & remissione, quod primum omnino opus fuit, ut ipse testatur quo contra Pelagianos exerceri cœpit. Cùm verò Marcellinus, difficultate quadam in secundi libri sexto capite occurrente moveretur, quomodo possibile esse dixisset, ut homo viveret in hac vita sine peccato, cùm nullum istius rei dari posset exemplum, adjecit quartum librum ad eundem Marcellinum, quem de spiritu & litera inscripsit, in quo ex divinis litteris, & sine exemplo esse perfectam justitiam, nec tamen Deo esse impossibilem, magna virium contentione confirmat. Nec tamen interea cessabant istæ in Africa maximeque Carthagine quæstiones, quæ tanto fervore agitabantur, ut quidam talia sentientes ea nonnullis Fratribus ita persuadere conarentur, ut de orientalibus comminarentur Ecclesijs, quod nisi hæc tenerent, earum possent judicio condemnari. Hinc Augustinus postea, cùm venisset Carthaginẽ, & antea gesta contra Celestium recensuisset, jubente Aurelio in Basilica majori, gestans quoque in manibus Epistolam gloriosissimi martyris Cypriani, & de hac re verba ejus recitans atque pertractans, sermonem habuit, ut error iste nefarius de quorundam cordibus auferretur. Testatur hæc omnia ipsemet Augustinus in libro quem de gestis Pelagij in Palæstina conscripsit. Extat ille sermo luculentissimus inter eos quos de verbis Apostoli conscripsit, decimus quartus Carthagine recitatus.

Lib. de gestis Pelagij c. 11.

Lib. 2. Retract. c. 33

Lib. de gestis Pelag. c. 11.

Cæterùm Pelagius cùm ex Africa recessisset, litteras ad sanctum Augustinum dedit, adulatione plenas, ut tantum virum sibi conciliaret, cujus doctrinam & calamum verebatur. Magnis enim laudibus extollebat in Augustino dona, quibus eum Deus cumulaverat præcipueque justitiam: quemadmodum ex ipso Augustino hæc referente constare possunt. Multum enim ab Augustino dilectum esse Pelagium, quamdiu rectæ fidei esse videbatur, ex litteris ad Sanctum Paulinum Nolanum Episcopum, qui cum eo quoque non vulgari amicitiæ nexu colligatus fuerat, abundè liquet. Litteris istis Pelagij hunc in modum Augustinus respondit:

Lib. de gestis Pelag. c. 26.

Epist. 106. ad Paulinũ initio.

Domino dilectissimo & desideratissimo Fratri *Pelagio* *Augustinus* in Domino salutem.

Gratias ago plurimum quod me litteris tuis exhilarare dignatus sis, & certum facere de salute vestra. Retribuat tibi Dominus bona, quibus semper sis bonus, & cum illo æterno vivas in æternum, Domine dilectissime & desideratissime Frater. Ego autem etsi in me non agnosco præconia de me tua, quæ tuæ benignitatis Epistola continet, benevolo tamen animo erga exiguitatem meam, ingratus esse non possum, simul admonens ut potius ores pro me, quo talis à Domino fiam qualem me jam esse arbitraris. Et aliâ manu memor nostri incolumis Deo placeas Domine dilectissime & desideratissime Frater.

EX hoc litterarum contextu vides totas ea intentione esse dictatas ut Pelagium ab errore revocaret, quo dona Dei viribus humanis dicebatur asserere. Idcirco verò desideratissimum eum vocat, quoniam valde cupiebat cum eo præsente aliquid colloqui: jam enim audierat contra gratiam quâ justificamur, quando huic aliqua commemoratio fie-

tio fieret, aperta eum contentione conari. A
Quem istarum litterarum scopum atq; sensum alibi ipse Augustinus luculente exponit.

Lib. de gestis Pelagij c. 26. & 29.

Eodem verò anno finiente quadringentesimo duodecimo, vel certe initio quadringentesimi decimi tertij, scripsit Augustinus libros illos, de quibus suprà diximus, ad Hilarium & de peccatorum meritis & remissione, itemque alium connexum præcedentibus de Spiritu & littera. Cùm enim ad Marcellinum tribunum tres postremi scripti sint, qui tyrannide Heracliani anno quadringentesimo decimo tertio, octavo Idus Aprilis cæsus fuit, necesse est ut ad hoc tempus referantur. In quibus cum quasdam refellat Pelagij argumentationes quæ Commentarijs in Epistolas Pauli elaboratis intextæ, post paucissimos, ut inquit Augustinus, dies venerant in ejus manus, liquet illas Pelagij in Apostolum lucubrationes ante præsentem annum perfectas esse. Porrò quod adhuc sub Catholico nomine latitaret, dubitationes suas contra Catholicam de peccato originali fidem, non ex sua, sed ex aliorum persona indidit scriptis suis, usque adeò *scitus*, inquit Augustinus, *hanc nescio quam esse novitatem, ut eam ipse confiteri aut verecundatus aut veritus fuerit.* Quam ob causam circumspectum virum eum appellat. B

Lib. 3. de peccat. merit. c. 2.

Lib. 3. de peccat. merit. c. 1.

Lib. 3. de peccat. merit. c. 3. & cap. 10.

Sed anno sequenti quadringentesimo decimo tertio occasio oblata est, qua se rejectâ paululum larva lucumentiùs proderet, cum propria contra Dei gratiam dogmata non amplius dubitando sed asserendo propagare conatus est. Demetrias enim ex Aniciorum stemmate virgo nobilissima, propter Gotorum invasionem in Africam toto fugerat, ubi Sancti Augustini exhortatione ad offerendam Deo virginitatem incitata, hoc circiter anno, toto orbe mirante, converso repente animo desiderio cœlestium nuptiarum, declinavit mortale conjugium, & ut omnem prosapiam suam pudicitiæ titulo consecraret, primam stirpis suæ perpetuam virginem virginum sponso dedicavit. Quod factum miris elogijs & epithalamijs à sanctissimis juxta doctissimisque Patribus celebratum est, a Hieronymo, b Augustino, c Innocentio Pontifice, d Prospero. Pelagius igitur quod hactenus à minus perspicacibus vir sanctus haberetur, à Iuliana Demetriadis matre (si verum est ipsius Pelagij hac de re testimonium) interpellatus est, ut aliquid ad sanctam Virginem confirmandam scriberet. Quam aptissimam occasionem ratus, qua tam illustri sese familiæ coluber ille vaferrimus insinuaret prolixam ad Demetriadem epistolam scripsit, ut eam ad perfectionem vitæ Christianæ institueret: habetur illa inter opera Divi Augustini, itemque Hieronymi, sub cujus nomine multis seculis lecta est, jam inde à temporibus Bedæ, qui cùm eam à dignitate nominis Hieronymiani removisset, adductis ac refutatis non paucis C D

a Hieron. Epist. 8.
b Aug. Epist. 179.
c Innocent. Epist. Rom. Pontif. Epist. 11
d In Epistola illa ad Demetriad.

Erat Epist. 142. nunc rejecta in appendicem. Vide Bedam præf. in Canticum Cant.

hæresibus, quibus infarta est, eam attribuit Iuliano illi Pelagianorum antesignano, contra quem Sanctus Augustinus multis annis luctatus est, unde nescio quid Baronio in mentem venerit, dum dicit istam Epistolam à Beda agnitam fuisse tanquam Pelagij fœtum. Refutata est aliquot annis pòst à Sancto Augustino, qui ei Epistolam centesimam quadragesimam tertiam ad Iulianam Demetriadis matrem opposuit. Porrò esse verissimum ipsius Pelagij fœtum, sine ulla ambiguitate confitetur ipse Pelagius in litteris purgationis quas abhinc quinquennio ad Innocentium Papam dedit: cujus verba libro Augustini de gratia Christi intexta sic se habent: *Legant etiam*, inquit Pelagius, *quam ad sacram Christi virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus Epistolam, & invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei semper gratia addamus auxilium.* Quibus adductis Pelagij verbis, multa loca ex eadem Epistola citat ac refutat Augustinus, quæ verbotenus, in eadem in hunc usque diem reperiuntur. Ex hoc autem Pelagij testimonio videre licet, in Oriente seu Palæstina, non in Sicilia circa hæc tempora hæsisse Hæresiarcham ut suprà retulimus.

Baron. tomo 5. annal. ad annum 413.

Quemadmodum verò nobilissimæ virginis pectus miris laudum atque adulationis blanditijs in illis litteris demulsit, ita & aliam quandam viduam cujus nomen neque apud Augustinum, neq; apud Hieronymum exprimitur, imò neque in libro expressum fuit, ut inquit Augustinus, eodem fuco jam ante deliniverat, ut ei non modo à Sancto Hieronymo paulò pòst falsissimè exprobratum est, sed etjam in Concilio Diospolitano tanquam crimen objectum, quod nisi negando id se scripsisse vel dixisse, purgare non potuit, quemadmodum ab Augustino ex actis istius Concilij commemoratur. Non autem erat hæc epistola quam ad viduam scripsit, ut putavit Baronius, sed plures libri exhortatorij vel consolatorij ut ab Augustino vocantur, quorum fragmenta nonnulla in utrisque operibus videre licet. Præterquam verò quod viduam istam enormibus laudum encomijs extulisset, superbissimam orandi ei formam præscripsit, quæ tantam Pelagio invidiam suscitarunt, ut illa duo capitula orationis & laudis, jurare cum suis soleret discipulis, ea non esse sua, ut Hieronymus testis est. Scripti autem fuerunt illi libri faciè ante biennium ut ex Augustino colligitur.

Lib. de gestis Pelag. c. 6.
Hieron. Dialog. 3. contra Pelag.
Lib. de gestis Pelag. c. 6.
Ibid.
Hieron. lib. Dialog. adversus Pelag.
Aug. lib. de gestis Pelag. in fine.

Circa annum verò quadringentesimum decimum quintum videtur contigisse quod Augustinus narrat de Timasio & Iacobo honestis & religiosis adolescentibus servis Dei. Qui cùm in Pelagiū incidissent, erroribus ejus imbuti sunt, & ipsius Pelagij exhortatione, spem quam habebant in seculo reliquerunt. Deo verò misericorditer inspirante per Sancti Augustini operam ex illa hæresi liberati sunt: qui cum ejus admonitionibus inciperent emendari, tradiderunt ei librum quem

Lib. de gestis Pelag. c. 10. & 23. & Epist. 95. & 252.

Digitized by Google

quem ipsius Pelagij esse dixerunt, ubi hominis naturam contra Dei gratiam qua justificatur impius, quanta potuit argumentatione defendit, zelo ardentissimo accensus eos, qui cùm in suis peccatis humanam voluntatem debeant accusare, naturam potiùs accusantes humanam, per illam se excusare conabantur; & ut illi libro responderet Augustinum eum impendio rogaverant. Qui cùm hactenus de Pelagij sententia fluctuasset, accepto hoc ejus libro, ubi apertissimè objectam sibi à seipso tamquam ab adversario quæstionem, non aliter sibi solvere visus est, nisi ut naturam cum libero arbitrio conditam Dei diceret gratiam, aliquando idque tenuiter nec apertè ei conjungens vel legis adjutorium, vel remissionem etjam peccatorum; tum verò sine ulla dubitatione ei claruit, quam esset Christianæ saluti venenum illius perversitatis inimicum. Quare continuò instantibus Timasio atque Iacobo, libro isti Pelagij, altero libro, quem de natura & gratia inscripsit, respondendum esse judicavit, ut eo modo error ipse nefarius de cordibus eorum perfectiùs auferretur. Neque hìc tamen operi suo Pelagij nomen inseruit, *ne offensus insanabilior redderetur; facilius se existimans profuturum, si servata amicitia, adhuc eius verecundiæ parceret, cuius litteris iam parcere non deberet.* Quamquam istius eum postea consilij pœnituerit, quod animadverteret se dum dolorem Pelagio timeret facere, tumorem ejus auxisse silentio. Cùm ergò illi ad quos liber scriptus atque directus fuit Timasius & Iacobus eum accepissent, miram in modum recreati hasce litteras Augustino rescripserunt:

Lib. de gestis Pelag. c. 23. — *Epist. 106. ad Paulin.* — *Lib. de gestis Pelag. c. 23. Ibid. c. 35.*

Domino verè Beatissimo & meritò Venerabili Patri Episcopo Augustino *Timasius & Iacobus* in Domino salutem.

Apud Aug. lib. de gestis Pelag. c. 34.

Ita nos refecit & recreavit gratia Dei ministrata per verbum tuum, ut prorsus germanè dicamus, mittit verbum suum & sanavit eos, Domine beatissime & meritò venerabilis Pater. Sanè ea diligentia ventilasse sanctitatem tuam textum eiusdem libelli reperimus, ut ad singulos apices responsa reddita stupeamus, sive in his quæ refutare detestari aut fugere deceat Christianum, sive in illis in quibus non satis invenitur errasse, quamvis nescio qua calliditate, in ipsis quoque gratiam Dei credidit supprimendam: Sed unum est quod nos in tanto beneficio afficit, quia tardè hoc tam præclarum gratiæ Dei munus effulsit. Siquidem contingit absentes fieri quosdam, quorum cæcitati tam perspicuæ veritatis illustratio deberetur, ad quos etsi tardius, non diffidimus propitio Deo eandem gratiam pervenire qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Nos verò etsi olim Spiritu charitatis qui in te est, docti subiectionem eius abiecerimus erroris, in hoc etiam nunc gratias agimus, quod hæc quæ ante credidimus, nunc alijs aperire didicimus, viam facilitatis uberiore sanctitatis tuæ sermone pandente. Et alia manu: Incolumem beatitudinem tuam nostrique memorem, misericordia Dei nostri glorificet in æternum.

VBi quod dicunt uno se affici, quia *tardè hoc præclarum Dei munus effulsit* propter quorundam absentiam quibus veritatis illustratio deberetur, Pelagium præcipue significabant, quem visa tam accurata omnium apicum refutatione, ab errore liberari posse sperabant. Sed tantum abest ut Pelagium cœpti pœnituerit, ut ad solitas conversus ludificandi strophas invidiosissimè questus sit libros suos ex quibus error innotuit *inemendatos sibi fuisse surreptos, alios verò omninò suos esse* negaverit. Quam querimoniam etjam diu post etjam apud Zozymum Innocentij successorem retricuit, ut ex litteris ejusdem ad Episcopos Africanos liquet. Ludibrium hujus versutiæ jam ante Augustinus præviderat. Hinc misso libro tum Pelagij tum suo ad Innocentium Romanum Pontificem, ut loca quædam quæ signis erant notata, inspicere non gravaretur, quo quam malè de divina gratia sentiret Pelagius, deprehenderat, sic Ponficem præmunierat: *Si autem hunc esse suum librum negat aut eadem in libro loca, non contendimus, Anathematizat ea & illam confiteatur apertissimè gratiam, quam doctrina Christiana commendat. Ego enim*, inquit alibi, *idoneos testes habeo honestos & fideles viros, & eius sine dubio dilectores, quibus attestantibus purgare me possum, quod eundem librum ipsi mihi dederint, eumque Pelagij esse dixerint, ut saltem hoc mihi sufficiat, ne dicat a me fuisse sive corruptum sive falsatum.* Innocentius verò perfidiam hæretici detestatus, judicium suum Augustino de libro illo Pelagij rescripsit in hunc modum: *Librum sane qui eius esse diceretur nobis a vestra Caritate transmissum evolvimus, in quo multa blasphemia, nihil quod placeat, nihil quod*

Lib. de gratia Christi c. — *Epist. 95.* — *Epist. 252.* — *Epist. 96. ad August.*

Digitized by Google

quod non penitus displiceret, à quovis damnandum atque calcandum, cui similia, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret.

Eodem porrò tempore quo hæc scribebat Augustinus, Hieronymus crebra fratrum expostulatione fatigatus, cur post Epistolam ad Ctesiphontem, promissum opus ultra differret, in quo pollicitus fuerat, se ad cunctas eorum qui Apatheiam prædicant quæstiunculas responsurum, tandem operi se accinxit, & tria dialogorum volumina condidit, Socraticorum servata consuetudine, ut ex utraque parte quod dici posset, exponeret, & ita veritas magis elucesceret. Quod consilium ea de causa contra Pelagium cepit, quia semper docendo doctrinamque suam negando sepia suo se atramento tegebat, ut quod sentiret, agnosci non nisi ab oculatissimis posset. Et quanquam apertè significet Hieronymus se contra Pelagij sensus ac doctrinam scribere, ne tamen magis homines quam errores odisse videretur, vel aliquorum infamiam quærere, Attici & Critobuli nomina induxit, per quos utraq; pars quid sentiret exprimeret. Hinc Pelagius teste Augustino non solebat contra Hieronymum jactitare, nisi quod ei tanquam æmulo invideret; à qua calumnia se tuetur ipse Hieronymus in præfatione Dialogorum. Scripsisse autem statim ante Synodũ Diospolitanam ex multis capitibus fit valde verisimile. Non enim tantum nullam unquam facit Synodi mentionem in toto decursu Dialogorum, sed multa doctrinæ capita, quæ ab Occidentalibus Pelagio objecta in Synodo attinguntur, Hieronymus adhuc tum prorsus videtur ignorasse. Et sanè cum Hieronymus in his Dialogis hoc potissimum spectet, ut Pelagij doctrina noscetetur, frustra id exegisset post celebratam Synodum, ubi quo pacto ea sentiret exposuerat, nisi versutas ejus interpretationes quibus in alios sensus suas sententias detorquebat, aliqua ex parte voluisset attingere, & ex ejus libris quos frequenter citat, fraudulentiam ejus convincere. Quod cum ante omnia esset post istud Concilium necessarium, summum tamen ea de re apud Hieronymum silentium, quod apertè argumento est, nondum ista interpretandi ludibria in publicum fuisse propalata. Accedit quod sententiæ illæ Pelagij, quas Hieronymus oppugnat (quidquid sit de ipso Pelagio) apertissimè fuissent condemnatæ; cujus tanti præjudicij cum in illis revincendis magna contentione laboraret, nunquam recordatus est. Hinc per Orosium qui paulò post absolutam mense Decembri Synodum in Africam solvit, scribens Augustino: *Certe*, inquit, *in Dialogo quem nuper edidi, tuæ Beatitudinis, ut dignum fuerat recordatus sum*: ubi significat jam aliquamdiu dialogos illos lucem vidisse. Quod ergò Prosper post Synodum Diospolitanam meminit Dialogorum Hieronymi, quibus hostem dissecuit, noscique dedit, non arguit eos post Synodum esse scriptos. Non

In Prolog. Dialogorum

Lib. 2. contra Iul. c. ult.

Epist. 30. apud Aug.

A enim dicit, post Synodum, sed: *Tunc etiam Betlei præclari nominis hospes Hieronymus libris valde excellentibus hostem dissecuit &c.*

Prosper Carm. de ingratis c. 2.

Quo significat circa idem tempus eum scripsisse. Non mediocriter verò Pelagius Hieronymi scriptis offensus fuit, ut ex ijs liquebit. quæ postea paulò post dicturi sumus. Hinc Annianus quidam Diaconus Celedensis post Concilium Palestinum Epistolam ad Ctesiphontem, ut videtur, edito responso confutare conatus est. De quo scripto ita ipse Hieronymus ad Sanctum Augustinum. *Quod autem quæritis utrum rescripserim contra libros Anniani pseudodiaconi Celedensis qui copiosissimè pascitur, ut aliena blasphemiæ verba frivola subministret, sciatis me ipsos libros in scedulis missos à Sancto Fratre Eusebio presbytero suscepisse non ante multum temporis, & exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione Sanctæ & Venerabilis filiæ vestræ* B *Eustochij ita doluisse, ut propemodum contemnendos putarem. In eodem enim luto hæsitat, & exceptis verbis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut dum Epistolæ meæ respondere conatur apertius se proderet, & blasphemias suas omnibus patefaceret. Quicquid enim in illa miserabili Synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hoc opere profitetur, nec grande est ineptissimis nænijs respondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, & notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis respondebimus, non ut convincamus hæresim emortuam, sed ut imperitiam atque blasphemiam eius nostris sermonibus confutemus. Meliusque hoc faceret Sanctitas vestra ne cogamur contra hæreticum nostra laudare.* Ita Hieronymus. Quis iste fuerit Annianus Pseudo-diaconus Celedensis, non constat nisi quod quidam putant scribi debuisse Valerianum, qui cùm esset hæreticus & servus Comitis Valerij ex Occidente Alexandriam post damnatos Pelagianos migravit, ut se Cyrilli
C Episcopi Alexandrini insinuaret amicitiæ, quemadmodum ex Eusebij Epistola apud Cardinalem Baronium apertè colligitur. Si conjecturæ locus detur haud scio, an non ipse Pelagius ista circumlocutione insinuetur. Nam apertè dicit, eum in eodem luto hæsitare, scilicet quo in Synodo Diospolitana, & quidquid in illa se dixisse denegaverat, in eodem opere confiteri. Quis enim nisi Pelagius in Synodo Palestina se perversa illa dogmata docuisse denegavit? Nec est insuetum Hieronymo confictis nominibus personas insinuare, sic enim Scorpium & Grunium, Ruffinum etjam defunctum appellare solet. Favet & nomen Pseudodiaconi quo indicat illum Annianum Pseudonymum fuisse & ementita Diaconi dignitate latere voluisse. Fortassis libri de quibus loquitur Sanctus Hieronymus, sunt illi quatuor, quos de libero arbitrio scripsit Pelagius, in quibus teste
D etiam Augustino quæ in Synodo Palestina negaverat palam docuit ac professus est. Sed ista facilè contigerunt uno anno post: nec nisi pro conjectura haberi volo.

Epist. Hier. 24. apud August.

Lib. de peccato orig. c. 13. & 1. contra Iul. c. 5.

Cùm ergò doctrinæ Pelagianæ fundamenta

Digitized by Google

menta ab Hieronymo in Oriente, ab Augustino in Occidente convellerentur, ipse Pelagius à viris bonis qui disputationibus ejus offensi fuerant ad Episcopale Iudicium, sicut à triennio Celestius in Africa perductus fuit. Nam quod ad tempus attinet, hoc anno quadringentesimo decimo quinto, mense Decembri, hanc Synodum esse celebratam, ex Epistola Luciani Presbyteri, quæ in appendice operum Augustini habetur, manifestum est: quæ cum hujus anni consules habeat, mentionem facit Episcopi Hierosolimytani Ioannis, in ejus celebratione occupati. Libellum accusationis contra eum dederant duo Episcopi Galli, Heros & Lazarus, qui ut refert Augustinus, propter gravem unius eorum ægritudinem, de qua sese excusarunt, ad diem Synodi occurrere & præsentes esse non potuerunt. Celebrata est autem Synodus ista Lyddę quæ alio nomine Diospolis vocabatur, à quatuordecim Episcopis Palestinæ, quorum recenset nomina Augustinus sæpius in libris contra Iulianum. *habemus*, inquit, *alios orientales Episcopos quatuordecim, Eulogium, Ioannem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zozymum, Zeboennum, Nymphidium, Chromatium, Iovinum, Eleutherium, Clematium, illos ipsos qui Pelagio iudices præsederunt, eumque ut homines nullo ex altera parte urgente adversario putantes Catholicum tanquam Catholicum pronuntiarunt.* Quibus ultimis verbis significat Augustinus in ista Synodo accusatores illos Episcopos non affuisse, sed ex solo eorum accusationis libello dogmata Pelagij fuisse perlecta. Ex quo fiebat ut cum vel horos vel dogmata esse sua negaret, vel ea quoquomodo in Catholicum sensum flecteret, nemo astaret qui eum vel mendacij vel fraudis argueret, vel verborum Latinorum vim, quæ ex Pelagij operibus decerpta legebantur, accuratius Græcis Episcoporum auribus redderet. Libellus porrò accusationis traditus fuerat Eulogio Episcopo, ut indicat Augustinus in libro de gestis Pelagij. Ex quo colligitur eum fuisse Primatem Palestinæ Cæsariensis. Quæ autem acta sunt in illo Concilio, quam brevissimè fieri potest, ex libro Augustini de gestis Pelagij colligemus.

Lib. de gestis Pelag. c. 1. & 35

Lib. 1. cõtra Iul. c. 5. & 7

Cùm Synodus Diospolim convenisset Pelagio in consessum inducto, inter ea quæ libello sunt recitata objecta Pelagio, illud fuit primũ quod in libro suo quodam scribit: *Non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit.* Quo recitato Synodus dixit: *Tu hoc edidisti Pelagi?* At ille respondit; Ego quidem dixi sed non sicut illi intelligunt; non dixi non posse peccare qui scientiam legis habuerit, sed adjuvari per legis scientiam ad non peccandum, sicut scriptum est, *Legem in adjutorium dedit.* Synodus dixit, Planè aliena non sunt quæ respondit.

Lib. de gestis Pelag. c. 1.

1. Objectio *Primum Capit.*

2. *Capit.* 2. Objectio Synodus dixit: Legatur aliud Capitulum. Et lectum est in eodem libro dixisse Pelagium, *Omnes voluntate propria regi.* Quo lecto Pelagius respondit. Et hoc dixi propter liberum arbitrium cui Deus adjutor est eligenti bona, homo verò peccans, ipse in culpa est quasi liberi arbitrij. Episcopi dixerunt: neque hoc alienum est ab Ecclesiastica doctrina.

Item recitatum est quod in libro suo Pelagius posuit, in die judicij iniquis & peccatoribus non esse parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos. Respondit Pelagius: Hoc secundùm Euangelium dixi ubi dicitur de peccatoribus, Isti ibunt in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternam. Et si quis aliter credit Origenista est. Quo audito Catholica sententia Episcopis placuit. 3. Capit. 3. Objectio

Deinde objectum est & illud Pelagio tanquam in suo libro scripserit, *Malum nec in cogitationem venire.* Respondit Pelagius: Hoc non ita posuimus, sed diximus debere studere Christianum ne malè cogitet. Quam responsionem Episcopi approbarunt. 4. Capit. 4. Objectio

Recitatum est & aliud quod in suo libello scripsit: *Regnum cœlorum etiam in veteri Testamento promissum.* Respondit Pelagius; Hoc & per Scripturas probari possibile esse, hæretici autem in injuriam veteris Testamenti hoc negant. Ego verò Scripturarum auctoritatem secutus dixi, quoniam in Propheta Daniele scriptum est, & accipient Sancti regnum Altissimi. Qua accepta responsione, Synodus dixit neque hoc alienum est à fide Catholica. 5. Capit. 5. Objectio

Post hæc objectum est quod Pelagius dixit in eodem libro suo: *Posse hominem si velit, esse sine peccato.* Et quod scribens ad viduam adulatoriè dixit: *Inveniat apud te pietas, quæ nusquam invenit, locum; inveniat ubique peregrina in te locum iustitia, veritas quam iam nemo cognoscit, domestica tibi & amica fiat, & lex Dei quæ ab omnibus propè hominibus contemnitur à te sola honoretur.* Et iterum ad ipsam: *O te felicem & beatam si iustitia quæ in cœlo tantum esse credenda est, apud te solam inveniatur in terris.* Et in alio ad ipsam libro, post orationem Domini & Salvatoris nostri, docens quemadmodum debeant Sancti orare ait: *Ille ad Deum dignè elevat manus, ille orationem bona conscientia effundit, qui potest dicere: Tu nosti Domine quàm sanctæ & innocentes & mundæ sint ab omni malitia & iniquitate & rapina, quas ad te extendo manus, quemadmodum iusta & munda labia, & ab omni mendacio libera, quibus offero tibi deprecationem, ut mihi miserearis.* Ad hoc respondens Pelagius ait: Posse quidem hominem sine peccato esse, & Dei mandata custodire si velit, diximus: Hanc enim possibilitatem Deus illi dedit. Non autem diximus, quod inveniatur aliquis ab infantia usque ad senectutem qui nunquam peccaverit. Sed quoniam à peccatis conversus proprio labore & Dei gratia possit esse sine peccato: nec tamen per hoc in posterum inconvertibilis. Reliqua verò quæ subjecerunt, neque in libris nostris sunt, neque talia unquam diximus. His autem Synodus dixit: Quoniam negas te talia scripsisse, anathematizas illos qui sic tenent? Pelagius respondit: Anathematizo quasi stultos, non quasi hæreticos, siquidem non est dogma. Episcopi dixerunt, Nunc quoniam anathematizavit Pelagius insertum stultiloquium, rectè respondens, hominem cum adjuto-

6. Objectio 6. Capit. 7. 8.

adjutorio Dei & gratia posse esse sine peccato, A respondeat & ad alia capitula.

7. Objectio Deinde objecta sunt Pelagio, quæ in doctrina Cælestij discipuli ejus referuntur inventa. 9. Capit. *Adam mortalem factum qui sive peccaret, sive* 10. *non peccaret, mortuum esset: Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit & non genus humanum:* 11. *Quoniam lex sic mittit ad regnum quemadmodum* 12. *Evangelium: Quoniam ante Adventum Christi fue-* 13. *runt homines sine peccato: Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem:* 14. *Quoniam neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat.* Hæc ita objecta sunt ut etiam apud Carthaginem ab Aurelio & aliis Coepiscopis dicerentur audita atque damnata. Deinde objecta sunt & alia quædam capitula cum commemoratione nominis Augustini interposita, quæ ei de Sicilia missa fuerant cùm ibi fratres Catholici hujusmodi B quæstionibus turbarentur. Ista sunt autem:

15. *Posse hominem sine peccato si velit esse.*

16. *Infantes etsi non baptizentur habere vitam æter-* 17. *nam. Divites baptizatos nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visi fuerint facere non reputari illis, neq; regnum Dei posse eos habere.* Ad hæc sibi objecta Pelagius ita respondit: Posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superius. De eo autem quod fuerint ante adventum Domini homines sine peccato, dicimus & nos, quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sancti & justè secundùm Scripturarum Sanctorum traditionem. Reliqua verò & secundùm ipsorum testimonium à me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo: sed tamen ad satisfactionem Sanctæ Synodi, anathematizo illos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt. Synodus dixit: Ad hæc prædicta capitula sufficienter & rectè satisfacit præsens Pelagius anathematizans ea quæ non erant ejus.

18. Cap. 8. Objectio Deinceps objectum est Pelagio quod diceret, *Ecclesiam hic esse sine macula & ruga.* Respondit Pelagius: Dictum est à nobis scilicet ita, quoniam lavacro ab omni macula & ruga purgatur Ecclesia, quam velit ita Dominus permanere. Ad quod Synodus dixit: Hoc & nobis placet.

9. Objectio Deinde objecta sunt de libro Celestij quid in uno quoque capitulo contineatur magis secundùm sensum quàm secundùm verba, quæ quidem ille latius exsequitur, sed tunc subjicere omnia qui libellum adversus Pelagium dederant, se non potuisse dixerunt. Ergò in primo capitulo libri Celesti, hoc scriptum esse: 19. *Quoniam plus facimus quàm in lege & Evangelio jussum est.* Ad quod Pelagius respondit: Hoc quasi nostrum posuerunt: Dictum est verò à nobis secundùm Apostolum de Virginitate, de qua Paulus dicit: *Præceptum Dei non habeo.* Synodus dixit: Hoc & Ecclesia recipit.

10. Object. Deinde objiciuntur Pelagio alia Celestij capitula capitalia. In tertio capitulo scripsisse 20. Cap. Celestium: *Gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege* 21. *ac doctrina.* Et iterum: *Dei gratiam secundum* A *merita nostra dari, quia si peccatoribus illam det videtur esse iniquus.* Et his verbis intulisse: *Pro-* 22. *pterea & ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fierem sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur a peccato, non nos vincimur sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnimodo & non potuit.* Et iterum ait: *Si gratia* 23. Cap. *Dei est quando vincimus peccata ergo ipsa est in culpa quando à peccato vincimur, quia omnino custodire nos aut non potuit aut noluit.* Ad ista Pelagius respondit: Hæc utrum Celestij sint, ipsi viderint, qui dicunt ea Celestij esse: Ego verò nunquam sic tenui; sed anathematizo qui sic tenet. Synodus dixit: Recipit te Sancta Synodus ita verba reproba condemnantem.

Deinde de quinto capitulo Celestij Pelagio 11. Object. fuit objectum quod affirment: *unumquemque* 24. Cap. *hominem omnes virtutes posse habere & gratias & auferant diversitatem gratiarum quam Apostolus docet.* Pelagius respondit: Dictum est à nobis sed malignè & imperitè reprehenderunt. Non enim auferimus gratiarum diversitatem: sed dicimus donare Deum ei qui fuerat dignus accipere omnes gratias, sicut Paulo Apostolo donavit: Synodus dixit: Consequenter & Ecclesiastico sensu & ipse sensisti de dono gratiarum, quæ in Sancto Apostolo continentur.

Post hæc in sexto capitulo libri Celestij 12. Object. positum objectum est: *Filios Dei non posse voca-* 25. Cap. *ri, nisi omnimodo absque peccato fuerint effecti.* In 26. *septimo: Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt sed secundum necessitatem.* In decimo capitulo: *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio,* 27. *quoniam in propria voluntate habet unusquisque aut facere aliquid aut non facere.* In duodecimo capitulo: *Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio,* 28. *sed ex libero arbitrio.* Quod inferre dictus est his C verbis: Nostra est victoria, quoniam propria voluntate arma suscepimus; sicut è contrario, nostrum est quando vincimur quoniam armari propria voluntate contempsimus. Et de Apostolo Petro posuit testimonium. *Divinæ nos esse* 29. *consortes naturæ.* Et syllogismum facere eum: *Quoniam si anima non potest esse sine peccato, ergò* 30. *& Deus subjacet peccato, cujus pars, hoc est, anima, peccato obnoxia est.* In decimo tertio capitulo dicit: *Quoniam pœnitentibus venia non datur se-* 31. *cundum gratiam & misericordiam Dei, sed secundum merita & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerunt misericordia.* His recitatis Synodus dixit: Quid ad hæc quæ lecta sunt capitula dicit præsens Pelagius Monachus? Hoc enim reprobat Sancta Synodus & Sancta Dei Catholica Ecclesia. Pelagius respondit: Iterum dico, quia hæc etjam secundùm ipsorum testimonium non sunt mea, pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo. Quæ verò mea esse D confessus sum, hæc recta esse affirmo. Quæ autem dixi non esse mea, secundùm judicium Sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti & contradicenti Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinis. Ego enim in unius substantiæ Trinitatem credo, & omnia secun-

secundum doctrinam sanctæ Catholicæ Ecclesiæ. Si quis vero aliena ab hac sapit, Anathema sit.

Synodus dixit; Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus præsentis Pelagij Monachi, qui quidem pijs doctrinis consentit, contraria vero Ecclesiæ fidei reprobat & anathematizat, communionis Ecclesiasticæ eum esse & Catholicæ confitemur. Hæc Synodus. In qua sententia proferenda hoc intuiti sunt Episcopi, quid verbis coram Pelagius profiteretur, non quid sonarent & sibi vellent ea quæ de libris ejus recitabantur. Hoc enim Episcopi Græci homines & ea verba per interpretem audientes, discutere non curarunt, id duntaxat considerantes, quod ille qui interrogabatur sensisse se diceret, non quibus verbis eadem sententia in ejus libris scripta diceretur. Alia est enim causa fidei non sanæ, alia locutionis incautæ, ut meritò contra quoquo modo urgentibus Pelagius dicere potuisset: Hæc se quidem & ante sensisse, quæ nunc in Ecclesiastico dixit examine, sed suæ sententiæ non se satis circumspecta verba posuisse, & ideò fidem suam omninò esse approbandam, librum emendandum. Quod si dixisset, quis ejus verbis incautius, negligentiusque conscriptis non facillimè ignosceret, cum sententiam quam illa verba continent non defenderet, sed eam diceret suam, quam veritas approbaret? Hæc ergò pios Iudices cogitasse credendum est, cum Pelagium verbis sanam fidem coram ipsis profitentem, neglecta librorũ ejus quos per interpretem audiebant discussione, Catholicæ Communionis esse dixerunt.

Et hactenus quidem de gestis Pelagij quæ dogmatum condemnationem spectant. A quibus ut se purgaret luculentius, plenus jactantia multorum Sanctorum litteras in laudem suam scriptas protulit, atque inter cæteras etjam illas à Sancto Augustino ad se datas, quas superius inseruimus. Antequam verò in Synodi consessum introduceretur, gravis altercatio Pelagio cum fratribus eum accusantibus intercesserat, præsente Ioanne Episcopo Ierosolymitano, prout hoc Antistes iste in pleno Concilio commemoravit: *Fratribus enim instantibus*, inquit Ioannes Episcopus, *& dicentibus quia hæreticus est, dicit enim, quoniam potest homo si voluerit, esse sine peccato, & de hoc interrogantibus nobis eum, respondit, non dixi, quoniam recipit natura hominis ut impeccabilis sit, sed dixi, quoniam qui voluerit pro propria salute laborare & agonizare ut non peccet, & ambulet in præceptis Dei, habere eum hanc possibilitatem à Deo. Tunc quibusdam susurrantibus & dicentibus, quod sine Dei gratia diceret Pelagius posse hoc perfici, culpam, inquit, super hoc etiam intuli, quia & Apostolus Paulus multum laborans, sed non secundum suam virtutem sed secundum gratiam Dei dixit: Amplius omnibus illis laboravi, non ego autem sed gratia Dei mecum. Et iterum non est volentis neque currentis sed miserentis Dei. Et illud: Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Hæc & alia multa similia diximus, inquit, de Scripturis Sanctis. Illis autem non suscipientibus quæ dicebantur à nobis de Sanctis Scripturis, sed adhuc susurrantibus dixit Pelagius, Et ego sic credo, Anathema sit, qui dicit absque adjutorio Dei posse hominem ad profectum omnium venire virtutum.* Hæc Ioannes Episcopus narravit suis Coepiscopis in Concilio, astante Pelagio, qui nihil contradicens silentio suo cuncta vera esse confessus est.

Lib. de gestis Pelag.

Hæc sunt vera gesta istius Synodi. Quæ namque à Baronio qui librum unde ista collegimus, nondum viderat, tanquam ex Cresconiana collectione afferuntur, non sunt desumpta ex actis Synodi Diospolitanæ, ut ipse existimavit, sed sunt omnia ipsissima verba Divi Augustini ex Epistola centesima sexta ad Paulinum, neque continent nisi pauca damnatorum articulorum capita, ut parum fortè Gabriel Vasquez sibi persuaserit, se invento in quadam bibliotheca isto fragmento, Synodi Diospolitanæ acta invenisse.

Porrò non solum Heros & Lazarus, qui libellum obtulerant adversus Pelagium, non affuerunt Synodo, sed neque Paulus Orosius, qui circa hoc tempus Augustini hortatu ex Africa in Palestinam trajecerat. Testis est hujus rei ipse Augustinus: *Nam quidquid dixit*, inquit, *Ioannes Episcopus de absentibus fratribus nostris sive Coepiscopis, Herote & Lazaro, sive de Presbytero Orosio, sive de alijs quorum ibi non sunt nomina expressa, credo quod intelligat ad eorum præjudicium non valere. Si enim præsentes essent, possent eum fortasse, absit ut dicam, convincere de mendacio, sed fortè commemorare quod forte fuisset oblitus.* Quæ Augustini verba id ideo adduximus, ut ostenderemus falsa esse illa, quæ sub nomine Orosij in quadam oratione operibus ejus subjuncta commemorantur, quod ipse coram in Concilio Diospolitano Pelagium accusaverit, aliaque nonnulla à vero dissidentia. Videtur enim ista oratio ab aliquo exercitationis causa esse conscripta, qui nihil pene eorum sciverit quæ in ista Synodo acta fuerant. Nam extrema istius orationis, partim ex libro Augustini de perfectione justitiæ, partim ex libro de natura & gratia per multas paginas perturbatè sine ordine judicioque corrasa sunt: ut nihil dicam quod Augustinus non nisi biennio aut triennio post, librum istum ad Ioannem Episcopum Ierosolymitanum destinaverit, quod non fecisset, si tunc temporis ab Orosio fuisset in illas oras delatus. Neque enim videtur tempore profectionis Orosij fuisse absolutus, sed aliquanto post.

De gestis Pelagij c. 15.

Ex his vero manifestum est, quanta arte vaferrimus Hæresiarcha suam absolutionem surripuerit, excusando enim dogmata sua, palliando, tergiversando, & admixtis mente limitationibus verborum suorum, mentiendo, absolutionem suam furatus est. Quod nemo adesset qui coram Græcis Iudicibus verborum latinorum sensum excuteret, librorumque

Digitized by Google

A unde proferebantur, eum auctorem esse convinceret. Quam ob causam Hieronymus eam miserabilem Synodum appellat. Ipsa tamen hæresis luculentè damnata, & Pelagij lingua tanquam prostrati gladio detruncata est, ut Augustinus frequenter Pelagio & Iuliano exprobravit.

Lib. 3. contra Iul. c. 1. & lib. 1. c. 5 & alibi.

Discipuli itaque Pelagij ad illud fraudulentum nefas toto capite annuentes, nebulis istis astutarum interpretationum, quarum nonnullæ ab Augustino referuntur, judicium illud illusum, ac tot Episcopos ab eo irrisos esse ridebant: ipse vero de hujusmodi triumphans victoria, mox gestorum tarditate procurata, litteras ad quendam amicum suum presbyterum, qui eum benigne admonuerat ne per ejus occasionem aliquis à corpore Ecclesiæ separaretur, magna celeritate præmisit, in quibus inter cætera de isto judicio se gloriando jactitans: *Quatuordecim*, inquit, *Episcoporum sententia definitio nostra comprobata est, qua diximus posse hominem sine peccato esse, & Dei mandata facile custodire si velit. Quæ sententia contradictionis os confusione perfudit, & omnem in malum conspirantem societatem ab invicem separavit.*

Lib. 1. contra Iul. c. 5.

Libro de gestis Pelag. c. 30.

B In quibus verbis duplici fuco rerum gestarum ignaris illusit; nam & facilitatem posuit non peccandi, de qua nulla in tota hac Synodo quæstio fuit, quasi judicibus etiam de isto verbo placuisset, & gratiam Dei non posuit, quam confitendo & audendo, pœnam Ecclesiasticæ damnationis evaserat. Quin etiam ut totum Occidentem de sua innocentia Pelagius imbueret, Chartulam quandam suæ defensionis, qua se dicebat objectis respondisse Gallorum, & quæ tanquam pro gestorum Synodalium breviatione usquequaque discurreret, ad Augustinum in Africam per civem quendam Hipponensem, Diaconum autem Orientalem transmisit.

Ibid. c. 32. & sequentibus.

Epist. 252.

C Quæ quidem ea versutia erat concinnata, ut non putaretur esse ablata quamlibet earum sententiarum defendendi licentia, quasi videlicet ei tantummodo objectæ, nec ejus esse probatæ fuissent, non tamen anathematizatæ atque damnatæ. Alios etiam nonnullos articulos ita congessit, ac si quis illorum adhuc post istam Synodum licitè defendi potuisset, tanquam non dixisset id se de his rebus sapere quod Ecclesia jam judicasset, sed quod in posterum fuisset judicatura. Hinc est quod Augustinus Pelagio rescribens, Epistolam ad Innocentium Pontificem sequenti anno miserit, rogans eum, ut ei illam mittere non gravaretur. *Sic enim*, inquit, *eam legere potius non dedignabitur, magis in illa eum qui misit, quam qui scripsit attendens.* Simul adjecit fama jactitari gesta in Oriente esse confecta, quibus Pelagius absolutus esse perhiberetur.

Epist. 95. ad Innocent.

D Cui rescribens Innocentius sic judicium de Pelagij purgatione pronunciavit: *Nobis tamen* inquit, *nec persuaderi potest eum esse purgatum, quamvis ad nos à nostris quibusdam laicis sint gesta perlata quibus ille auditum se crederet & absolutum, quæ utrum vera sint dubitamus, quod sub nulla illius prosecutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re litteras apud quos ipsius rei præstitit causas &c.* Et infra: *Cum sint aliqua in ipsis posita gestis, quæ objecta partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis, quam verà ratione, ut ad tempus poterat videri purgavit negando, alia falsa interpretatione vitando.* Hæc Innoc.

Epist. Innocent. Papæ ad Aug. 96.

Cum ergo Pelagius callida damnatione aut fallaci interpretatione fallendo Iudices furatus fuisset absolutionem suam & Catholicæ communionis esse judicatus, multo acrius clam incubuit, ut ea dogmata quorum omnium defensionem sibi reservaverat, sub Catholico nomine propagaret, & nova defensione stabiliret. Hoc est enim quod Hieronymus paulo post absolutam Synodum per eundem Orosium in Africam revertentem scribit Augustino: *Magis demus operam ut perniciosissima hæresis de Ecclesijs auferatur: quæ semper simulat pœnitentiam ut docendi in Ecclesijs habeat facultatem, ne si aperta se luce prodiderit, foras expulsa moriatur.* Vbi pœnitentiam appellare mihi videtur illam fallacem aliter quam libri ejus continerent, sentiendi simulationem atque hypocrisim. Nam in tota Synodo Palestina nullum vel confessionis alicujus erroris nedum pœnitentiæ dedit indicium.

Epist. 10. apud August.

Statim itaque quatuor libros composuit, quos de libero arbitrio inscripsit, ubi cum id ageret ut de divina gratia rectè sentire crederetur, velis remisque ea dogmata astruere conabatur, quæ in Palestina Synodo damnasse videbatur, tanta quidem impudentia, ut teste Augustino, & apertè peccatum originale tolleret, & simul de gestis Palestinæ Synodi gloriaretur. Imo cum omnem divinam gratiam vel prorsus tolleret, vel ad legem doctrinamque revocaret, tamen sequenti anno missis litteris ad Innocentium Pontificem, cujus illæ successori traditæ sunt, sic tamen de fidei suæ integritate hæretica fronte gloriando loquitur: *Legant*, inquit, *recens meum opusculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus, & agnoscent quam iniquè nos negatione gratiæ infamare gestierint, qui per totum penè ipsius textum operis perfectè atque integrè & liberum arbitrium confitemur & gratiam.* Porro quatuor fuisse istius operis libros testatur Augustinus, apud quem varijs in locis ex eorum primo, tertio & quarto, nonnulla fragmenta citata reperiuntur. Editos autem fuisse à Pelagio post Palestinam Synodum, ex ejusdem Epistola ad Paulinum patet. Ita hæretici semper solent in pejus proficere, errantes & in errorem mittentes.

Lib. 2. de peccato orig. c. 14.

Apud Aug. lib. de gratia Christi c. 41.

Lib. de gratia Christi c. 41.

Ibid. c. 5. 7. 41. de peccat. orig. c. 13.

Epist. 10 ... ad Paulin.

Neque verò furtiva hujusmodi coram hominibus absolutione damnatorumque à seipso dogmatum manifesta defensione contentus fuit, sed palam in vindictam exarsit adversus eos qui ipsum tanquam hæreticum fuerant persecuti. Tempestas in Sanctum Hieronymum potissimum in easque religiosas fœminas

minas, quæ sub ejus cura Deo serviebant Eustochiam & Paulam incubuit, ut Pelagius vel certè Pelagiani crudelitatem stomachi, quam ex illis Dialogorum libris, quibus plerique anfractus hæreseos Pelagianæ patefacti fuerant, in eorum Auctorem evomerent. Rem ipsam ac tempus breviter tangit Augustinus: *De his autem*, inquit, *quæ post hoc judicium ibi à nescio quo cuneo perditorum, qui valde in perversum perhiberetur Pelagio suffragari, incredibili audaciâ perpetrata dicuntur, ut Dei servi & ancillæ ad curam Sancti Hieronymi presbyteri pertinentes sceleratissima cæde afficerentur, diaconus occideretur, ædificia monasteriorum incenderentur, vix ipsum ab hoc impetu atque incursu turris munitior tueretur, tacendum nobis video & expectandum quid illic fratres nostri Episcopi de his tantis malis agendum existiment, quibus eos dissimulare posse quis credat?* Hæc Augustinus. Videntur ea porro dissimulatione Ioannis Episcopi Hierosolymitani fuisse perpetrata, qui Pelagium multum diligebat, ut ex Augustini Epistola ad eundem Ioannem scripta colligitur. Nam & in eodem ipso Concilio Palæstino in absentes accusatores Pelagij tanquam calumniatores invectus est. *Quicquid dixit*, inquit Augustinus, *de absentium fratribus nostris sive Coepiscopis Herote ac Lazaro, sive de presbytero Orosio, sive de alijs, quorum ibi non sunt nomina expressa, credo quod intelligat ad eorum præjudicium non valere. Si enim præsentes essent, possent eum fortasse, absit ut dicam, convincere de mendacio, sed forte commemorare, quod forte fuisset oblitus, aut in quo eum fefellerit Latinus interpres &c. Si quis autem memoratis fratribus nostris ex hoc aliquid quæstionis intulerit, eosque ad Iudicium Episcopale vocaverit, sibi ut poterunt aderunt.* Ex quo vides Lector jam tum in ipso Concilio Ioannem Episcopum Fautorem Pelagij vel ipsum quoque Pelagium in accusatores Herotem, Lazarum, Orosium absentesque alios, & in primis Hieronymum stomachatos, ut nihil mirum sit, si Episcopo loci dissimulante vel favente, in sanctum virum & creditas ei virgines facinora illa perpetraverint. Qua de re cum querimoniæ ab ipso Hieronymo & sanctis illis virginibus ad Papam Innocentium essent perlatæ sine expressione Authorum, graviter Pontifex litteris apud Ioannem expostulauit: *Direptiones*, inquit, *cædes, incendia, omne facinus extremæ dementiæ, generosissimæ Sanctæ Virgines Eustochium & Paula deploraverunt in locis Ecclesiæ tuæ perpetrasse diabolum: nomen enim hominis causamque reticuerunt. Quod etsi ambiguum non sit, & a quo commissum; oportuit tamen custodire germanitatem tuam, & gregi illius sollicitius providere, nequid hujusmodi oriretur, quod cum aliorum periculo tua lacessit negligentia admittere in gregem Domini, & tales agnos quos incendio, armis & persecutionibus nudas debiles post suorum cædes & mortes vix vivere audivimus. Nihil movet pietatem illam Sacerdotij tui de tanta diaboli in te atque in tuos potestate admissa: In te inquam: Prorsus enim Sacerdotij gravitatem condemnat tantum nefas in Ecclesia fuisse complexum. Ubi provisiones tuæ? Ubi certe, si casus evenerant, auxilia vel consolationes? Cum plus se adhuc metuere dicant quam conquerantur esse perpessas.* Hæc & plura Innocentius.

Lib. de gestis Pelag. c. ult.

Epist. Aug. 252.

Lib. de gestis Pelag. c. 15.

Epist. Innoc. 32. in tomu Concil.

Cum ergo pronum istum Ioannis Episcopi animum & conniventiam erga Pelagium audivisset Augustinus, litteras ad eum dedit, quibus ei suggessit, hanc exhiberet Pelagio dilectionem, ut homines qui eum non noverant, & diligenter audiverant, non ab eo ipsum existimarent falli. Simul instruxit ipsum quam male de divina gratia, qua Christiani sumus sentiret Pelagius. Quod ut uberius intelligeret librum ei misit & Pelagij & suum de natura & gratia, quo sensus ac dicta Pelagiana confutaverat. Cum autem gesta Pelagij in Palæstina Synodo confecta quibus perhiberetur esse purgatus, nondum in Africam essent perlata, eadem instanter à Ioanne petijt. *Quod*, inquit, *ex multorum Episcoporum desiderio peto, quos mecum de hac re fama incerta perturbat. Sed ideo solus hoc scripsi, quia occasionem perlatoris festinantis à nobis, quem cito ad nos audivi posse remeare prætermittere nolui.* Hæc gesta paulo post ad Augustinum transmissa sunt, de quibus librum composuit, quem de gestis Pelagij inscripsit: qui cum diu latuisset, tandem nostro tempore Fæsulis in Abbatia Sancti Bartholomæi Canonicorum Regularium Lateranensium inventus est. Atque hactenus de Pelagio in Oriente.

Epist. 253. Aug. ad Ioannem Hierosolym.

Celestius interim post damnationis sententiam qua Carthagine percussus fuerat ad Sedem Romanam appellavit, ut ex libello Paulini Diaconi accusatoris ejus, quem post damnatos Pelagianos ad Zozymum Papam misit, perspicuum est. Sed quia nihil ab Innocentio Papa tanquam proprio judicio condemnatus sperabat subsidij, velificatione mutata in Asiam contendit, ubi testibus litteris Concilij Carthaginensis & Milevitani ad presbyterium, unde fratrum libertate in Africa repulsus fuerat, pelagiana fraude surrepsisse ferebatur.

Epist. 90. & 92. apud Aug.

Porro duo illa memorata Concilia celebrata fuerunt anno Domini quadringentesimo decimo sexto. Theodosio Septimùm & Palladio consule, hoc est mox sequenti anno post Synodum Diospolitanam. Colligitur hoc evidenter ex litteris Innocentij Pontificis, quas acceptis jam relationibus Synodalibus, ad utriusque Concilij Patres dedit; datæ sunt enim illæ quas ad Milevitanos scripsit, sexto Calendas Februarias Honorio & Constantio consulibus, qui anno quadringentesimo decimo septimo gesserunt consulatum: illæ vero quas ad Carthaginenses, quinto Calendas ubi supplendum videtur simili modo Februarias. Simul enim utrisque respondisse, quas simul eodem

dem perlatore Iulio Episcopo acceperat plane verisimile est.

Celebrata est autem Synodus Carthaginensis paulo post Milevitanam, quæ illam se dicit in scribendo ad Apostolicam Sedem imitari. Causa congregationis non tam fuit (ut videri posset) hæresis Pelagij, quam aliæ diversæ necessitates Ecclesiasticæ, propter quas cum Patres in unum Carthagine confluxissent, supervenit Orosius ex Palestina, qui porrectis litteris Herotis & Lazari Episcoporum Gallorum qui Pelagium in Palestinam usque fuerant persecuti, Ecclesiæ proceres contra periculosam istam hæresin excitavit. Sic enim loquuntur in litterarum suarum exordio: *Cum ex more ad Carthaginensem Ecclesiam solemniter conveniremus, atque ex diversis causis congregata ex nobis Synodus haberetur, Compresbyter noster Orosius nobis litteras fratrum & consacerdotum nostrorum dedit Herotis & Lazari, quorum formam his constituimus esse subdendam.* Hæc ibi. Acta tamen Concilij Diospolitani nondum in Africam perlata fuerant, ut testis est Augustinus non modo in Epistola quam ad Paulinum dedit, sed etjam in illa quam ad Innocentium unà cum Synodalibus trãsmisit. Vt autem narrant in eadem sua ad Innocentium relatione Patres Concilij Carthaginensis, cum ex litteris ab Orosio ad se perlatis Pelagium atque Celestium Authores nefarij prorsus erroris adverterent, recensendum petierunt quid ante fermè quinquennium super Celestij nomine apud Ecclesiam Carthaginensem fuisset agitatum. Quo recitato, quamvis illo tempore hoc vulnus ab Ecclesia excisum esse videretur, nihilominus tamen id communi deliberatione censuerunt, & hujusmodi persuasionis Authores, nisi hæc apertissimè anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui ab eis decepti essent vel decipi possent, cognitâ sententiâ quæ in eos lata esset, sanitas procuraretur. Quibus verbis jam tum suggesserunt Innocentio id quod postea Zozymo Pontifici ex plenario Africæ consilio inculcaverunt, apertis verbis sine fuco ac tergiversatione eos anathematizare debere dogmata quæ vel ipsis objicerentur vel ab eorum discipulis docerentur. Hinc est enim quod propter eorum jam usurpatas in Palestina Synodo versutias in fine subijciunt: *Vnde etiam si Pelagius Celestiusque correcti sunt, vel se ista nunquam sensisse dicunt, & quæcumque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negabunt; nec est quemadmodum de mendacio convincantur, generaliter tamen quicumque dogmatizat & affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata & mandata Dei facienda sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ Sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur: & quicumque negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari & salutem percipere sempiternam, Anathema sit.* Quibus verbis breviter

Ex Epist. 90 apud Aug. — *Epist. Conc. Carthag. ad Innocent.* — *Epist. 106. initio ad Paulinum.* — *Epist. 95. ad Innoc.* — *Ex Epist. Patrum Carthag. ad Innoc. 90. apud Aug.* — *Ibid.*

A comprehendunt quicquid in illa Synodo contra illos constitutum est, nempe quod de divina gratia & baptismo fidelibus esset tenendum; & quo loco essent habendi qui istis duobus capitibus adversarentur. Cætera namque quæ in Synodo Palestina Pelagio atque Celestio objecta dicerentur, judicio Innocentij Pontificis reliquerunt, ut tum de illis, tum de gestis illius Synodi, tum etjam de personarum absolutione quæ confecta esse dicebantur, rectene an perperam facta fuisset, dijudicaret, unde omnes in Dei misericordia gauderent. Vnde etjam Pelagius atque Celestius in hac Synodo non nisi sub conditione damnati sunt, nempe nisi dogmata sua perversa damnarent. Numerus autem eorum qui Carthaginem convenit Antistitum, non septuaginta septem ut putavit Baronius, sed sexaginta octo dumtaxat fuit, quot etjamnum litteris ad Innocentium scriptis nomina præfixa recensentur. B Quod vero etjam addit Baronius de Canonibus in hac Synodo constitutis qui perierunt, de magisterio in docendo exhibito, alijsque ex carminibus Prosperi adductis, quantum in eis hallucinetur, paulo post commodius disseremus.

Quinetiam Numidiæ Antistites intellecto periculo, quod ex gliscente Pelagiana pernicie magis magisque augebatur, Milevi convenerunt numero sexaginta & unus, ubi damnatis pari prorsus modo duobus istis capitibus, de adjutorio gratiæ ad bene vivendum negato, & de baptismo parvulorum evacuato adjutores istius impietatis Pelagium atque Celestium etjam damnandos esse judicarunt, si necessitas ita postularet, malle se tamen, ut in Ecclesia sanarentur authoritate Innocentij, cui facilius crederent quam ut desperata salute ab Ecclesia resecarentur. C Hæc per Epistolam Synodalem quæ extat, Pontifici Innocentio insinuarunt; id se facere significantes ad imitationem Coepiscoporum Provinciæ Carthaginensis, quod ad Sedem Apostolicam de hac re scripsisse compererant. Quod per ipsum Carthaginensium litterarum perlatorem Iulium Episcopum eos comperisse verisimile est, quia idem ipse utriusque Synodi litteras simul ad Innocentium pertulit, ut ex responso Pontificis ad litteras Synodi Milevitanæ liquet. Adjecerunt etjam privatas litteras ab Augustino scriptas quinque Antistites, Aurelius, Alipius, Augustinus, Evodius & Possidius, quibus eandem causam accuratius tractaverunt, varijs documentis ex divina Scriptura depromptis erroris istius impietatem convellentes, qua novi hæretici divinam gratiam tollere conabantur. Et quia necdum gesta Palestina in Africam perlata fuerant, D solliciti ne cum absoluto Pelagio, etjam dogmata ipsa absoluta putarentur, exponunt quo pacto Orientales Episcopi eum absolvere potuerint, quod scilicet simul cum libero arbitrio divinam

divinam gratiam fateretur: quæ ab illis ex Ecclesiastica consuetudine nulla alia intelligi potuerit, nisi quam in libris Dei legere & populis prædicare consueverant. Postulant autem in primis atque sollicitè ad opprimendam illam hæresin auxilium Innocentij, propter sinistram famam quæ de illo Pontifice sparsa fuerat. *Audivimus enim*, inquiunt, *esse in urbe Roma, ubi ille diu vixit, nonnullos qui diversis causis ei faveant, quidam scilicet, quia vos talia persuasisse perhibent; plures verò quia eum talia sentire non credunt, præsertim quia in Oriente ubi degit, gesta Ecclesiastica facta esse iactantur, quibus perhibetur esse purgatus.*

Epist. 95. ad Innoc. apud Aug.

Innocentius acceptis per Iulium Episcopum litteris utriusque Concilij, collaudatoque in omnibus Catholicæ fidei studio, vehementer errorem illum utrumque Pelagianum detestatus est, & Pelagium atque Celestium id est inventores vocum novarum ab Ecclesiæ communione submovit, donec resipiscerent à diaboli laqueis. Iussit tamen simul ut si unquam sani deposito pravi dogmatis errore resipuerint, damnarintque ea quorum seipsi prævaricatione damnarant, eis medicinam solidam id est receptaculum suum ab Ecclesia non negari: *Hæc igitur*, inquit, *fratres charissimi in supradictos maneat fixa sententia, absint atrijs Dominicis, careant custodia pastorali, ne duarum ovium dira contagia serpant forsan per vulgus incautum.* Litteræ verò quibus hæc constitutio continetur, datæ fuerunt sexto Calendas Februarij Honorio & Constantio consulibus, quem annum incidisse in annum Christi quadringentesimum decimum septimum suprà diximus. Postridie verò hoc est quinto Calendas Februarij responsum dedit ad litteras eodem acceptas perlatore, illorum quinque Episcoporum, idque in eandem ferè sententiam. Quod verò de Pelagianis in urbe latitantibus quasi se favente suggesserant, respondit se istud neque manifestare posse, neque negare, cùm etsi sint, inquit, *lateant, nec aliquando audeant vel illum prædicantem ista defendere, vel talia aliquo nostrorum præsente iactare*, credere se tamen ubicumque terrarum degant facilè eos, audita

Innocent. in Epist. ad Concil. Milevit. Epist. 93. apud Aug.

A ejus damnatione esse corrigendos.

Ex his quæ de duobus istis Concilijs hactenus narrata sunt manifestissimè constat Celestium atque Pelagium ab Innocentio Pontifice fuisse damnatum & Ecclesia pulsum, hoc ipsiusmet Innocentij testificatione in litteris ad Concilium Milevitanum & ad quinque Episcopos non semel repetitur, ut prætermittam quod & Gennadius adversus eosdem decretum ab Innocentio scriptum esse testatur. & à Zozymo promulgatum. Quæ promulgatio comparatione totius Orbis scriptis publicis litteris intelligenda est. Nam Africanis ea satis jam suprà dictis litteris innotuerat. Hinc est enim quod post biennium scribentes Episcopi Africani ad Zozymum: *Constituimus*, inquiunt, *in Pelagium atque Celestium per venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli Petri Sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur gratiam Dei per* IESVM *Christum &c.*

Apud Prosp. adversus Collator.

B Cùm autem viderent Patres illi Carthaginenses & Milevitani, hæresin istam magis magisque clanculum serpere & invalescere, ad eam suffocandam & expugnandam Sanctum Augustinum communi suffragio selegerunt. Testantur hoc gesta Ecclesiastica quæ postea pro successore Augustini Eradio in Episcopatum Hipponensem substituendo utroque præsente coram Clero & populo Hipponensi confecta sunt. Vbi sic ipse Augustinus: *Nostis*, inquit, *ante aliquot annos quid facere voluerim & non permisistis. Placuit mihi & vobis propter curam Scripturarum quam mihi fratres & patres mei coepiscopi duobus Concilijs Numidiæ & Carthaginis imponere dignati sunt, ut per quinque dies nemo mihi molestus esset. Gesta confecta sunt, placuit, acclamastis, recitatur placitum vestrum & acclamatio vestra: parvo tempore servatum est circa me, & postea violenter irruptum est, & non permittor ad quod volo vacare. Ante meridiè & post meridiem in occupationibus hominum teneor.* Hæc gesta illa. Quam quidem curam quanta sedulitate & gloria & fructu executus sit, sole clariùs testantur ejus opera, & inter cæteros luculentissimis versibus Sanctus Prosper ita canit:

Gesta Eccles. Epist. Aug. 110.

C

Istius ergò inter cunctos qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major
Majus opus, totum præstantius imbuit Orbem.
Nam quocumque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertus
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum.
Insidijsque aditum non reperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum expulsa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Nec dubia obliquis turbaret corda querelis;
Istius ore viri fecit Deus; istius ore

Prosp. Car. de ingratis cap.

B 3 Flumina

Digitized by Google

Flumina librorum Mundum effluxere per omnem
Quæ mites humilesque bibant, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos. Hæc Prosper.

Prosp. lib. contra Collat. initio.

HInc etiam alibi: *Viginti*, inquit, *amplius annis contra inimicos gratiæ Dei, Catholica acies hujus viri ductu pugnat & vincit.*

Atque hactenus quidem ea quæ in duobus istis Conciliis Carthaginensi & Milevitano gesta sunt recensuimus, quibus addit Baronius canones quosdam in Concilio tam Carthaginensi quàm Milevitano esse constitutos, sed illos desiderari, hos verò esse octo numero qui scilicet de gratia Dei sub nomine Concilij Milevitani vulgo circumferuntur. Sed ut dicam quid sentio, utrumque caput mihi vehementer suspectum est, ut non dicam falsum. Extant enim Epistolæ Synodales seu relationes ad Apostolicam Sedem utriusque Concilij, in quibus accuratè recensetur quid in Concilijs actum sit contra Celestium atque Pelagium, eos nempe ab Apostolica Sede esse excommunicandos, nisi hęc duo capita fateantur, gratię adjutorium ad operandam justitiam cavendaque peccata esse necessarium & parvulis gratiæ Sacramentum ad consequendam vitam æternam prodesse ut à perditione liberentur, & nihil præterea. Utrumque petit utraque Synodus ab Innocentio confirmari. *Hoc itaque gestum*, inquiunt Carthaginenses Patres, *charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, & quorumdam perversitate etiam corrigenda.* Et Milevitani, allatis eisdem duobus de gratia atque baptismo capitulis: *Hæc*, inquiunt, *insinuantes Apostolico pectori tuo, non opus habemus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, cum procul dubio te ita permoveant, ut ab eis corrigendis ne latius serpant &c. dissimulare non possis.* Et infra: *Quodlibet autem ipsi eligant* (Celestius atque Pelagius, sive cedant auctoritati Innocentij sive non cedant) *certè vel alijs, quos plurimos possunt, si ab eis dissimuletur, suis laqueis implicare, cernit Venerabilitas tua instanter & celeriter providendum.* Innocentius etjam Papa dum utriusque Synodi litteris accuratè respondet utrumque hæreseos caput tam de gratia quàm de baptismi necessitate evacuata damnat, & auctores vinculo excommunicationis innectit. Quis autem credat si qui Canones essent contra hæresin conditi, illos non ante omnia ad Apostolicam Sedem fuisse referendos, vel ab eadem Sede roborandos? vel certè rem tanti momenti tanto silentio fuisse transeundam, ut ne verbulo quidem sive à Synodis sive ab Innocentio attingeretur.

Epist. 47. ad Valent.

Accedit quod Augustinus cùm sæpe utriusque Concilij mentionem faciat, nusquam in omnibus operibus suis ullorum Canonum vel verbo meminit, sed cùm vellet & Valentinum & Paulinum de divina gratia instruere, relationum istarum quas dixi Synodalium meminit & responsi Sedis Apostolicæ litterarumque familiarium quinque Episcoporum, quibus aliquanto diutius causa gratiæ cum Innocentio acta fuerat, eaque omnia ad eorum instructionem transmisit, nulla prorsus Canonum illorum facta mentione, cùm tamen illis tota quæ cum Pelagio Celestioque intercedebat causa contineretur, nec quicquam majoris ponderis ad eos erudiendos posset afferri. Sed quid evidentius, quam quod Celestius Papa citans tertium, quartum & quintum Canonem, quos putant esse Concilij hujus Milevitani, expressis verbis dicit, eos esse Concilij Carthaginensis. Sic enim loquitur: *Illud etiam quod intra Carthaginensis Synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectimur*, & continuo citat ipsissimis verbis tres istos Canones quos attulimus. Nec tamen quod sciam quisquam dixit unquam, eos esse istius Concilij Carthaginensis quod hoc anno celebratum est. Nam præterquam quod Baronius potius Canones istos perijsse putat, nullum est in antiquitate talis opinionis vestigium. Et ex ipso ordine quo Celestius probationes adducit, constat diu post hoc Concilium esse conditos. Nam primo citat Epistolã Innocentij ad hanc Carthaginensem Synodum, tum aliam ad Milevitanam, deinde Epistolam Zozymi ad totius Orbis Episcopos, rescriptumque Antistitum Africanorum; ac deniq; Canones Concilij Carthaginensis, qui ordo cùm in cæteris sit omnino temporis quo edita fuere, certe in ipsorum etjam Canonum allegatione videtur servatus. Quid quod Prosper, cujus authoritate motus Baronius arbitratur in his Concilijs Canones esse conditos, longe plures Episcopos nominet quam ad ea convenerunt.

Epist. 94. ad Hilar. Epist. 106. ad Paulin.

In Epist. ad Episc. Gallos.

Et trecentenis, inquit, *procerum sunt edita linguis.*

Carm. de ingrat.

Constat vero ad Carthaginensem non nisi sexaginta octo, ad Milevitanam sexaginta & unum confluxisse, ut ex Epistolis Synodalibus ad Pontificem Innocentium scriptis manifeste liquet, qui omnes non conficiunt nisi centum & viginti novem. Nam ideo asserere quod tanto plures affuerint, divinare est. Fundamenta igitur duo, quibus ista nititur opinio videntur esse ruinosa. Primum est quod Prosper ita canat;

Convenere

Digitized by Google

Ibid.

Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima coetu
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic Synodorum exerta potestas &c.
Condita sunt & scripta manent, quae de cataractis
Æterni fontis fluxere undante meatu
Et trecentenis procerum sunt edita linguis &c.

Et infra: *An alium in finem posset procedere Sanctum*
Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat.

A

EX his confici putat Baronius, in gemino cœtu senum, id est utroque illo Patrum Africanorum Concilio, quorum Carthaginensi præfuit Aurelius, Milevitano autem Augustinus, Canones esse conditos, quorum illi perierunt hi octo supersunt. Sed falli Baronium non obscurè convinci videtur ex eo, quod Prosper non loquatur de isto gemino cœtu Patrum, qui anno quadringentesimo decimo sexto, sed potius de illo qui aliquanto post celebratum est, quando Pelagiani toto orbe damnati sunt, quod ex eo evidenter liquet quod ibi in medium afferat contra Semi-Pelagianos omnia præjudicia, quibus eorum parentes Pelagiani condemnati sunt. Quis autem credat eum tacitum Africana illa Concilia præterijsse, quibus Zozymo cooperantibus, hæresis una cum suis authoribus prostrata est? Hoc autem omnino dicendum, erit si isti duo cœtus sunt ista duo Cōcilia, Carthaginense & Milevitanum. Ista enim afferuntur ibi à Prospero, tanquam quorum authoritate ultimo tandem pestis illa oppressa, & suffocata est. Cùm tamen non istis Synodis Carthaginensi & Milevitana, sed biennio post magno molimine, duabus alijs in Africa Synodis & Zozymi autoritate profligata sit. Nec sanè trecenti Episcopi, quod Prosper asserit, in duabus istis prioribus Synodis confluxere, sed tantùm centum viginti novem ut suprà declaratum est. Neque verò putandus est Prosper ista hujus anni quadringentesimi decimi sexti duo Concilia, de quibus agimus, penitus in illo carmine prætermisisse: sed illa insinuavit quando dixit:

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri quæ pastoralis honore &c.

HOc enim intelligendus est Prosper dicere de illa condemnatione Pelagij atque Cœlestij quæ facta est à Pontifice Innocentio

B

post auditas relationes Concilij Carthaginensis & Milevitani. Post quam condemnationem semper solet Prosper subjungere Synodum illam Diospolitanam, quo Pelagius dogmate suo propria lingua suffocato, ut Catholicus absolutus est. Hoc ne commento potius ingenioso me finxisse, quàm solida ratione collegisse lector existimet, alia Prosperi loca intuenda sunt. Nam contra Pelagianos inculcans præjudicia, sic alibi loquitur: *Secundum tuam censuram erravit Papa Innocentius & Petri Sede dignissimus, qui cùm de istis loqueretur qui in libero arbitrio gloriantur*, Nam quid, inquit, *nos de eorum post hæc rectum mentibus existimemus* &c. *Erraverunt Orientales in quorum judicio* &c. *Erraverant Africana Episcoporum Concilia, quæ decretis constituere utrumque Dei donum esse, & scire quid facere debeamus & diligere ut faciamus* &c. Qui est Canon quartus de quo agitur. Vbi vides eodem planè ordine primo loco poni Censuram Innocentij quam edidit post relationem istorum duorum Conciliorum, tum Synodum Orientalem Palestinam, denique Concilia Africana. Nec verò in istis postremis verbis eum de istis Concilijs Carthaginensi & Milevitano loqui, de quibus agimus, ex eo manifestum est, quod istum Canonem dicat esse duorum Conciliorum Africanorum, cum tamen certum sit Patres Concilij Carthaginensis non adfuisse decretis Milevitanis, sed ante Cōcilium Milevitanum discessisse, cujus Episcopi in Epistola ad Innocentium se dicunt imitari Episcopos provinciæ Carthaginensis, quos ad eandam Sedem Apostolicam scripsisse comperetant, nempe per Iulium Episcopum Milevo transeuntem, cui utriusque Concilij litteræ simul ea occasione Romam perferendæ traditæ sunt. Deinde ipse Prosper ut magis declaret se de alijs loqui Concilijs Africanis, mox addit: *Erraverunt ducenti quatuordecim Sacerdotes qui in Epistola quam Constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis Antistitem Beatum Zozymum sunt allocuti, Constituimus in Pelagium* &c. Vbi facta mentione Epistolæ quæ constitutionibus seu decretis illis Africanis præfixa fuerat apertè dicit eos illam Epistolam ad Zozymum destinasse. Fieri ergò non potest, ut

C

loquatur de Concilijs duobus prædictis quæ ad Innocentium scripserunt, sed de alijs quæ biennio vel triennio post Carthagine congregata sunt. Et plenissimè in alio ejusdem libri loco, eodem ordine recensens omnia ista præjudicia: *Tunc, inquit, istorum machinæ fractæ sunt*

Contra Collat. initio.

Epist. Synodalis ad Innocent. 92.

tunc in superbia sociis ac principibus corruerunt, quando Beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit. Et mox subjungit. *Quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam Palæstinorum Episcoporum Synodus coarctavit: quando Africanorum Conciliorum Beatæ recordationis Papa Zozymus sententiæ suæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum.* Vbi iterum primo loco ponit censuram Innocentij, quam post auditas relationes utriusque Concilij Carthaginensis & Milevitani, de quo agimus, in hæreseos auctores tulit, secundo Synodum Palæstinam, ac denique decreta illa Africanorum Conciliorum, quæ à Zozymo confirmata sunt. Ex quo enumerandi ordine quem perpetuò servat Prosper evidenter colligitur, etiam illo loco libri de Ingratis, quo pestem subeuntem prima recidisse dicitur Sedes Roma Petri, intelligi illam excommunicationem Innocentij, quam post Synodos Carthaginensem & Milevitanam tulit, geminos autem illos cœtus Africanorum Patrum, quos post commemoratam Synodum Palæstinam attingit, esse illa Africana Concilia quæ sub Zozymo celebrata sunt. Si cui vero mirum esse videatur, cur Innocentius semper ab eo primo loco dicatur hæreticos istos prostravisse, cum; ut videtur, Concilia illa duo Africana in ejus condemnatione præcesserint, is animadvertere debet, Patres utriusque illius Synodi non tam excommunicationem in Pelagium Celestiumque pronuntiasse, quam ab Apostolica Sede pronunciandam concepisse atque postulasse. Quid enim eos in homines non Afros in Palæstina vel Asia commorantes juris? Hinc in suis relationibus dicunt Patres Milevitani authores illius hæreseos faciliùs Innocentij authoritati esse cessuros, petuntque instanter ab eo celeriter provideri. Carthaginenses verò hoc apertius indicantes: *Hoc itaque gestum*, inquiunt, *Domine frater Sancte, Charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur autoritas.* Videbant enim exigui roboris in refractarios istos suam habendam esse censuram, nisi Romani Pontificis autoritate firmaretur. Vnde sententiæ istius robur videtur per ipsos Patres ab Apostolicæ Sedis nutu fuisse suspensum.

Alterum vero fundamentum quo nixi putant nonnulli ad hoc Concilium Milevitanum hos Canones pertinere, est quod in collectione Conciliorum ad hanc quam diximus Synodum, referantur. Cui respondemus, plures errores eum qui collegit Concilia commisisse, dum ad idem Concilium Milevitanum res diversissimis temporibus gestas contulit. Retulit enim istos de quibus agimus Canones ad Concilium Milevitanum, quod sub consulatu Arcadij & Honorij celebratum est, quod verum nullo modo esse posse, nemo nisi historiæ Pelagianæ imperitissimus potest dubitare. Concilium enim illud facile decennio ante celebratum est quam Pelagius in Ecclesia Africana audiret hæreticus, vel ullum contra hæresin illam Ecclesiasticum judicium esset exercitum. Accedit quod huic nostro Milevitano præsederit Sylvanus Primas Numidiæ, illi vero Aurelius Carthaginensis; qui tamen eodem tempore, quo hæc Milevitana Synodus contra Pelagium celebraretur, Carthagine contra eandem hæresin cum suis Episcopis decertabat. Illud Milevitanum fuit universale Concilium, hoc ad quod Canones ab aliquibus referuntur, provinciale Numidiæ. Qui errores tam crassi apertè convincunt, Collectorem ignorasse rationem temporum, rerum gestarum ordinem, atque authores, & in unum corpus contulisse diversos Canones, ut optime notavit Baronius, qui quorum authoritate essent conditi, nesciebat. Vt nullo fundamento subnixum sit, ideo eos ad secundum Milevitanum velle referre, quia ad istud primum tanta absurditate congesti sunt. Sed hactenus de illis Canonibus. Ad quam vero Synodum revocandi sint, paulo post accuratius dicendum erit.

Cæterum Celestius atque Pelagius omnibus modis allaborandum sibi duxerunt, ut antiquatis iis quæ contra se acta fuerant, Catholici declararentur atque haberentur. Hac de causa Celestius, jam tum in Asia factus presbyter eo anno Honorius undecimum & Constantinus secundum agerant consulatum, qui erat Christi quadringentesimus decimus septimus, Romam profectus est. Nam ut ex litteris diversis Zozymi Papæ qui successerat Innocentio, ad Africanos Episcopos constat, appellaverat à sententia Concilij Carthaginensis, quo eum olim damnatum fuisse diximus. Neque tamen tam de Iudicio illo abhinc quinquennio contra eum lato, quam de nuperrimo anni quadringentesimi decimi sexti conquerebatur. Suggerebat enim Zozymo omnia ibi per festinationem esse facta, ad solas litteras Herotis & Lazari absentum, quas ex Palæstina per Orosium ad Concilium Carthaginense perlatas fuisse supra retulimus. Cum illis autem aiebat nunquam sibi de talibus quæstionibus fuisse sermonem; nec ante sane quam de se scriberent vel visu compertos: Lazarum jam in transitu cognitum; Herotem verò etiam satisfactione interposita quod secus de ignoto atque absente sensisset à se cum gratia recessisse. Proinde accusatores suos ultro deposcens, omnia in se crimina falso jactabat illata. Itaque Zozymus Papa posthabitis omnibus in Basilica Sancti Clementis causam instituens, omnia quæ prius fuerant acta discussit. Nam primum intromisso Celestio libellum ejus quem dederat, fecit recitari. Libelli istius non extant nisi quædam fragmenta apud Augustinum, in quibus apertè quidem negabat peccatum originale, sed ne propterea hæreticus putaretur, initio libelli de hujusmodi quæstionibus locuturus, præfatus fuerat: *Si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur.* Hanc ejus prælocutionem tenens Venerabilis Papa Zozymus ut narrat Augustinus, egit cum homine

[*Litteræ Zozimi datæ ad Conc. Carthag. anno 418. 12 Calend. April. & anno 417.*]

[*Lib. de pec. orig. c. 5.*]

[*Aug. ibid. c. 7.*]

homine quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant objecta damnaret, atque ut Sedis Apostolicæ litteris, quæ à Sanctæ memoriæ suo prædecessore manaverant præberet assensum. Vbi objecta Paulini intelliguntur illa propter quæ anno quadringentesimo duodecimo Carthagine in judicio Episcopali, & iterum anno præcedenti in Concilio Carthaginensi, ubi ea gesta, ut diximus repetita relecta atque examinata fuerant, sententiam damnationis exceperat. Præcipuum autem caput quod ei objiciebatur erat de peccato originali, de quo olim Carthagine se dubitare dixerat, hic autem illud apertè in suo libello destruebat. Et hæc causa fuit, cur Beati Innocentij litteris, illis nempe quas ad Concilium Carthaginense & Milevitanum hoc eodem anno quadringentesimo decimo septimo dederat, assentire urgeretur. Quo autem hæc modo gesta sint coram Zozymo, apertius patent ex libello ejusdem Paulini quem sequēti anno in gratiarum actionem ad Zozymum misit, ubi ex actis Ecclesiasticis narrat sic Celestiū ab eodem Zozymo fuisse interrogatum: *Damnas ergò illa omnia quæ in libello Paulini continentur, hoc est de quæstionibus?* Et in alio loco: *Cognovisti quales litteras dederit Sedes Apostolica ad fratres & Coepiscopos Africanæ Provinciæ?* Et adjectum: *Damnas illa omnia quæ damnavimus, & tenes quæ tenemus?* Et iterum: *Illa omnia damnas quæ iactata sunt de nomine tuo?* Et iterum: *Vel ea quæ in libello suo exposuit Paulinus?* Et cùm diceret Paulinum posse ex his quæ illi objecta, hæreticum approbari; Zozymus respondit: *Nolo nos circuitu ducas, damnas ea omnia quæ tibi obiecta à Paulino sive per famam iactata sunt?* Hæc ex libello Paulini. At Celestius: *Noluit quidem*, inquit Augustinus, *Paulini Diaconi objecta damnare, sed Beati Papæ Innocentij litteris non est ausus obsistere, imò se omnia quæ Sedes illa damnaret, se damnaturum esse promisit.*

Ex libello Paulini gratulatorio misso ad Zozymum anno 408.

De peccato orig. c. 7.

Isti tam apertæ professioni, qua & verbo & simul etjam oblato libello se Apostolicæ Sedis sententiæ in omnibus assentire velle & ejus judicio sua corrigere paratum esse asseruerat, credens Zozymus libellum ejus, ut ait Augustinus, *Catholicum existimavit, quia & hoc Catholicæ mentis, si qua fortè aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissimè definire; sed detecta ac demonstrata respuere. Non enim hæreticis sed Catholicis Apostolus loquebatur, ubi ait: Quotquot ergò perfecti, hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit. Hoc in illo factum esse putabatur quando se litteris Beatæ memoriæ Papæ Innocentij, quibus de hac re* (nempe peccato originali) *dubitatio tota sublata est, consentire respondit. Veruntamen à vinculis excommunicationis nondum est creditus esse solvendus, sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur in Africa, ubi eius calliditas aliquanto evidentius innotuerat, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententia lenitate concessus est.* Hæc Augustinus. Itaque Zozymus hominem innocentem calumnijs appetitum putans, litteras ad Aurelium & universos per Africam Episcopos dedit, quibus eos de rebus cum Celestio actis certiores facit, litteris ipsa gesta Ecclesiastica de Celestij jam dicta purgatione conjunxit. Interim non leviter perstrinxit Africanos Antistites, quod solis rumoribus & litteris Herotis & Lazari absentium tantam fidem adhibuerint, ut autoritatem testimonij in re tanti momenti mererentur. Duos illos Antistites Gallos dicit homines facinorosos, etjam olim à Sacerdotali communione submotos, Celestium se pra(e)sentem tueri, fidem suam exponere, accusatoresque suos provocare: *Quare*, inquit, *intra secundum mensem aut veniant qui præsentem redarguant aliter sentire, quam libellis & confessione contexuit; aut nihil post hac tam aperta & manifesta quæ protulit, dubij post hac Sanctitas vestra resedisse cognoscat.* Citatus est etjam Paulinus Diaconus à Zozymo Papa misso Carthaginem Basilisco Diacono quarto Nonas Novembris, ut adesset ad Apostolicam Sedem. Suggestum enim fuerat eum fugam arripuisse. Ita testatur ipse Paulinus in libello sequenti anno ad Zozymū misso. Ex quo patet sub finem hujus anni quadringentesimi decimi septimi omnia ista fuisse gesta. Nam sub initium sequentis anni Celestius & Pelagius condemnati sunt.

Lib. 2. ad Bonif. c. 3.

Lib. de pec. orig. c. 7.

Litteræ Zozymi ad Aurelium & Episc. African. data Honorio & Constantino consulibus.

Acceptis litteris illis Zozymi Papæ Antistites Africani graviter perturbati sunt, quod versipellis hæreticus serpentina versutia innocentiam simularet. Quare Pontificem obtestati sunt, ut causa illa tantisper suspenderetur, donec plenius ipsi rescriberent. Miserunt & alias litteras per Marcellinum Diaconum quibus conqueri videbantur, quasi Celestio commodaverit in omnibus fidem, verbisque ejus non discussis, ad omnem syllabam præbuisset assensum. Quibus rescripsit Zozymus, nihil se post illas quas priores acceperat ab Africanis litteras, immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, cùm hoc eis per litteras suas indicaret. Colliguntur hæc omnia clarè ex litteris quas sequenti anno ad Episcopos Carthagine congregatos Zozymus dedit. Ex quibus apertum est frequentes litteras inter Zozymum & Africanos Episcopos in hac causa intercurrisse, prout idem Augustinus testatum relinquit. Vt ergò plenius & manifestius Celestij vel fides vel perfidia innotesceret, *Exspectabatur*, ut narrat Augustinus, *ex venturis ex Africa litteris, in qua provincia eius aliquanto calliditas evidentius innotuerat. Quæ Romam litteræ posteaquam venerunt, id continentes non sufficere hominibus tardioribus & sollicitioribus quod se generaliter Innocentij Episcopi litteris consentire fatebatur: sed apertè eum debere anathematizare quæ in suo libello prava posuerat, ne si id non fecisset, multi parùm intelligentes magis in libello eius illa fidei venena à Sede Apostolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat eius libellum esse Catholicum; quàm emendata propter illud quod se Papæ Innocentij litteris consentire ipse responderat. Tunc ergò cum eius præsentia posceretur ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis vel correctio dilucesceret, & nulli ambigua remaneret, se subtra-*

Litteræ Zozymi ad Aurelium & Episcopos Carthag. congreg. 12. Cal. Aprilis Honorio 12. Consule.

Lib. 2. ad Bonif. c. 3.

Ibid.

subtraxit & negavit examini. Nec differendum non fuerat quod alijs prodesset, si nimium perversorum pertinacia dementiaque non posset. Videntur verò illæ litteræ Africanorum circa finem mensis Martij Romam esse perlatæ, juxta quas continuo condemnatio Pelagij atque Celestij consecuta est. Nam mense Maio accepto condemnationis nuncio Concilium Carthaginense ejusdem hæreseos condemnationem conclamavit. Veruntamen istam quam retulimus Zozymi cunctationem & consecutam ex Africanorum litteris mutationem, acerbè Pelagiani Catholicis jam damnati tanquam prævaricationem exprobrarunt. Testatur id Augustinus qui cum refutaret calumnias Iuliani: *Quale est autem*, inquit, *quod Beatæ memoriæ Zozymum Apostolicæ Sedis Episcopum prævaricationis accusas: qui non recessit à suo prædecessore Innocentio quem tu nominare timuisti, sed maluisti Zozymum quia egit primitus leniùs cum Celestio; quoniam se in his sensibus vestris si quid displiceret, paratum esse dixerat corrigi, & Innocentij litteris consensurum esse promiserat.* Ita Augustinus. Sed antequam ad sententiam quæ in utrosque lata est Celestium atque Pelagium progrediamur, breviter etiam res Pelagij perstringendæ sunt.

Lib. 6. contra Iul. c. 12.

Pelagius igitur cùm in Synodo Palæstina absolutus, cùm quod contra se in Africa gereretur, intelligeret, omnes vires adhibuit, ut quemadmodum Palæstinos judices præsentes, ita & Innocentium absentem falleret, atque ita utriusque Concilij Africani vim eluderet, quorum robur, prolata que sententiæ vigor à judicio atque ore Pontificis Innocentij ad quem relata fuerat, quasi suspensa fluctuabat. Eadem itaque qua Celestius fallendi usus astutia litteras simul & libellum fidei ad Innocentium misit, quem defunctum esse nesciebat, atque ideò Zozymo ejus successori tradita sunt, ut pluribus in locis Augustinus testatur. Ea verò tam litteras suas tum ipsum libellum seu professionem fidei, arte & verborum ambiguitate digesserat, ut non nisi ab oculatissimis animadverti posset ex eis hæreticos posse prosilire sensus, quando nullo existente qui respondere posset, tanquam in solitudine aliquis inveniretur infirmus. Litteræ, ut putatur, non extant integræ, fragmenta tamen passim apud Augustinum dispersa reperiuntur, ut non difficile ex eis coagmentatis sensus eorum possit intelligi. Quæ ad lectoris commoditatem hîc ordine suo consuta subjecimus:

Lib. de grat. Christi c. 30. & de pecc. orig. c. 18.

Sunt, inquit Pelagius, *de quibus me homines infamare conantur; unum quod negem parvulis baptismi Sacramentum, & absque redemptione Christi aliquibus cælorum regna promittam. Nunquam (verò) ego vel impium aliquem hæreticum audivi qui hoc de parvulis diceret. Quis enim ita Evangelicæ lectionis ignarus est, qui hoc non modo affirmare conetur, sed qui vel leviter dicere aut etiam sentire possit? Deinde quis tam impius qui parvulos exortes regni cælorum esse velit, dum eos baptizari & in Christo renasci vetat (Scriptura dicente) Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei. Quis ille tam pius qui cuiuslibet ætatis parvulo interdicat communem humani generis redemptionem: & in perpetuam certamque vitam renasci vetet eum qui natus est ad incertam? Aliud est, quod ita dicitur posse hominem vitare peccatum ut Dei excludam auxilium & in tantum libero confidam arbitrio, ut gratiæ repudiem adjutorium.*

Lib. de grat. Christi c. 30.

De pecc. orig. c. 18.

De grat. Christi c. 30.

Hîc interpositis invidiosis contra suos inimicos querelis sic loquitur.

Ibid. c. 31. *Ecce*, inquit, *ad beatitudinem tuam Epistola ista me purget in qua purè atque simpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino semper adjuvatur auxilio.*

Hîc cum quædam de hominis conditione & ad peccandum & non peccandum naturali ejus probitate interposuisset, adjunxit.

Ibid. *Quam liberi arbitrij potestatem dicimus in omnibus esse generaliter, in Christianis, Iudæis, atque Gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam, sed in solis Christianis juvatur à gratia. In illis nudum & inerme est conditionis bonum; in his verò qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio. Illi ideò judicandi atque damnandi sunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate concessa: Hi verò remunerandi sunt, qui benè libero utentes arbitrio, merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.*

Deinde

Digitized by Google

Colligitur ex lib. de grat. Christi c. 32.

Deinde cùm ad librum fidei suæ jussisset transire lectorem, de alijs opusculis sic subjungit.

Ibid. c. 35. *Legant*, inquit, *illam Epistolam, quàm ad Sanctum virum Paulinum Episcopum ante duodecim ferè annos scripsimus, quæ trecentis fortè versibus nihil aliud quàm Dei gratiam & auxilium confitetur nosque nihil omninò boni facere posse sine Deo.* *Ibid. c. 36.* *Legant etjam ad Sanctum Constantium Episcopum, ubi breviter quidem sed planè libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumque conjunxi.* *Ibid. c. 37.* *Legant etjam quam ad sacram Christi Virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus: Et invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei semper gratiæ addamus auxilium.* *Ibid. c. 41.* *Legant etjam recens meum opusculum quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus, & agnoscent quam iniquè nos negatione gratiæ infamare gestierint, qui per totum penè ipsius textum operis perfectè atque integrè & liberum arbitrium confitemur & gratiam.*

Atque ista quidem sunt fragmenta litterarum Pelagij quæ invenire potuimus. Litteris porro libellum fidei suæ conjunxit qui integer reperitur inter opera Sancti Hieronymi tomo quarto Editionis Parisiensis Mariani Victorij quasi esset Epistola decima septima hoc titulo *Symboli explicatio ad Damasum.* Esse autem ipsissimum Pelagij symbolum non solum ex eo patet quod ea quæ Augustinus ex eo citat diversis in locis ad verbum in eo reperiuntur, sed etjam quod in omnibus ad unguem cum eo conveniat, quod Baronius ex codice Vaticano descriptum protulit. *Lib. de grat. Christi c. 33. & de peccato orig. c. 21.* Quod verò mirabilius est, idem libellus fidei Pelagij usque in hunc diem legitur in operibus Sancti Augustini tanquam sermo centesimus nonagesimus primus de tempore: sed ei impostor aliquis caput apposuit & caudam, ut sermonis præ se ferret effigiem. Et loco ejus quod Pelagius dixerat *Beatissime Papa*, posuit ipse, *Dilectissimi fratres.* Vltima verò Pelagij verba resecuit quibus professionem suam hoc modo concluserat: *Hæc est fides Papa Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus. In qua si minus peritè aut parum cautè aliquid fortè positum est emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & Sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum vel malevolum vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Ita Pelag. Hæc fidei professio tanta erat dexteritate concinnata, ut nullam non tantùm hæresin apertè contineret, omnemque hæreseos suspicionem per ultimam illam clausulam à suo autore tolleret, quod in omnibus si quid minus peritè aut parum cautè fortè posuisset, ad nutum Apostolicæ Sedis cuperet emendari; sed etjam ut plerique fidei articuli contra quos novam hæresin condidisse ferebatur, ipsa sua expressione & Catholici essent, & simul argumentum juxta sensum Pelagij suppeditarent ad fidem Catholicam expugnandam. Nam ijsdem ipsis postea eodem planè verborum ordine Pelagiani usi sunt ad convellenda dogmata, quæ Pelagius fassus esse videbatur. Itaque ut Catholicus confitetur, [a] animas à Deo dari ab ipsoque factas esse, sed idcircò sic expressit ut negato traduce animas inquinari non posse in ipsa conceptione, & Christi animæ animas parvulorum æquales esse crederetur. [b] Nihil homini dicit præceptum esse impossibile, ut justitiæ perfectio & vita immaculata sine peccato transigi posse putaretur; [c] Dei Filium carnis necessitate mentitam negat, ut eum non venisse in similitudine carnis peccati, & consequenter nullam carnem peccati esse convinceret. [d] In cælo nos diffitetur habituros esse virtutes, quas hic habere neglexerimus ut justitiam in hac vita tantam, quanta est Beatorum astrueret. [e] Errare dixit eos qui cum Manicheis dicerent peccatum vitari non posse, & cum Ioviniano, nos non posse peccare, ut duos fidei articulos clam subverteret, unum quo Augustinus docuerat, non omnia peccata in hac vita nos posse vitare; alterum, gratiam ita agere voluntatem, ut non peccaret. [f] Hominem fatetur & peccare posse & non peccare, eumque [g] semper esse liberi confitetur arbitrij, ut eo quasi duplici telo, quo hæresis ista semper usa est, omnem adjutorij divini necessitatem everteret, prout omnium istorum argumentorum vim sensumque Pelagianum varijs in locis hic annotatis Augustinus expendit atque confutat.

a Lib. 4. ad Bonif. c. 2.
b Lib. de gratia & Lib. arb. c. 16
c Lib. 1 ad Bonif. c. 12. & Lib. 3. c. 6.
d Lib. 3. ad Bonif. c. 7. & Lib. 4. c. 7.
e Lib. 1. contra Iul. oper. imperf.
f Ibid.
g Lib. de gestis Pelag. c. 18. & 1. ad Bonif. c. 15.

Cùm ergò tanta versutia fallacissimus hæresiarcha fidem Catholicam simulasset, & hypocrisin suam litteris Patriarchæ sui Praïlij Hierosolymitani adornasset, facilè ab omnibus qui strophas & ludibria Pelagiana minus penetraverant, Catholicus existimatus est. Hinc lectis Pelagij litteris Romæ ingens lætitia oborta est. Testatur id ipse Zozymus Papa in litteris quas hac de re ad Episcopos Africanos duodecimo Calendas Octobris dedit: *Vtinam*, inquit, *ullus vestrum, Dilectissimi Fratres, recitationi litterarum interesse potuisset: quod Sanctorum virorum qui aderant gaudium fuit! Quæ admiratio singulorum! vix fletu quidem se & lacrymis temperabant. Talem etiam absoluta fidei infamari potuisse? Estne ullus locus in quo Dei gratia vel adjutorium* *Littera Zozymi*

rium prætermissum sit! &c. Litteris autem suis conjunxit eas quas diximus litteras purgationis Pelagij, libellumque confessionis, ut omnibus quam rectè de fide sentiret, innotesceret, & earum lectione parem haberent de absoluta ejus fide lætitiam. Gravissimè verò invehebatur in Herotem & Lazarum, quos tanquam improbos jam olim calumniatores fratrum suorum Episcoporum & communione submotos accusat, quod ubi de Episcopatu Brixij Turonensis abdicando ageretur, maria terraque lustrarentur, nec ulla suffragia prætermitterent: ubi verò Innocentium Pelagij atque Celestij fama percelleretur, otiosi ac delicati sive accusatores sive testes (in utroque enim fallentibus nomen infame est) in cubilibus & lectulis suis litteris abuterentur & totam Africam universumque tranquillum Catholicæ serenitatis duę istę pestes ad suas libidines obnubilarent. Tantæ quoque Africanos Episcopos levitatis arguit, quod famæ duntaxat ac litteris Herotis ac Lazari, quia superioribus Concilijs Carthaginensi & Milevitano, præsentes non affuerant, itemque Timasij ac Iacobi scripta quædam tanquam Pelagij Augustino tradentium assertionibus credidissent, quia non deceret Episcopalem autoritatem ad levium susurronum scripta pendere. Hæc & similia Zozymus Papa in re facti à vaferrimis impostoribus circumventus, quorum subdolas calliditates, simulatamque professionem, & versutissimos dictorum suorum interpretes necdum pernoverat. Nihilominus quantumcumque speciosa se orthodoxæ fidei larva tam Pelagius quàm Celestius induissent, non ante judicati sunt excommunicationis vinculo, quo per defunctum Innocentium innexi fuerant, esse solvendi, quam rescripta ex Africano Episcoporum Concilio, quæ Zozymus postulaverat, mitterentur.

Porrò litteras istas Zozymi quas Baronius primus ex Vaticano codice protulit, nonnulli commentitias esse docuerunt, quod nonnulla contineant quæ Augustino repugnare videantur, ista nempe quod Celestius fuisset à Zozymo receptus, fides ejus probata, negati ab eo errores de quibus accusabatur, evocatum fuisse ex Africa Paulinum, ex Gallia Herotem & Lazarum, termino duorum mensium præfixo, qui etjam plaustris conviciorum à Zozymo obruuntur. Sed hæc pro animi affectu allegari videntur. Nam in primis certò ex

Lib. 2. ad Bonif. c. 3. De peccato orig. c. 7.

Augustino constat Celestium benignè habitum fuisse à Zozymo, ita ut libellus quem obtulerat etjam Catholicus esse ab eodem Pontifice judicaretur. Quod ideò factum docet, atque

Lib. 2. ad Bonif. c. 3.

excusat Augustinus, quia & hoc Catholicæ mentis est, si forte aliter sapit quàm veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere. Usqueadeò autem hæc lenitas Zozymi cum Celestio magna fuit, ut inde nata sit illa Pelagianorum prædicatio, quod Clerici Romani, qui ante gestis Catholico dogmati adhæserant, postea prævaricatores essent Celestiumque damnarent.

Ubi quamvis veris falsa permisceant, satis tamen indicatur lenitatem Zozymi fuisse talem, ut hominem non prorsus hæreticum esse censeret. Unde & Augustinus addit supra ci-

Ibid. c. 3.

tatis verbis: *Hoc in illo factum esse putabatur quando se litteris Beatæ Memoriæ Papæ Innocentij, quibus de hac re dubitatio tota sublata est se consentire respondit. Et hoc ut plenius & manifestius in illo fieret exspectabatur venturis ex Africa litteris.* Ex quibus manifestissimum est, Zozymum Papam Romanosque Clericos existimasse ipsum Celestium humano fortassis errore lapsum, jam esse Catholicum, & professionem fidei eo tensu esse Catholicam, & errores, si quos habuisset, consentiendo litteris Innocentij, satis superque revocasse. Ut immeritò planè litteræ illæ quæ germanissimè stylum Zozymi aliis ejusdem litteris collatum referunt, tanquam spuriæ rejiciantur, quasi ab Augustino dissonent, cui apprime consentiunt. Quod verò addunt, & hoc adversari Augustino, quod Paulinus ex Africa, Heros & Lazarus ex Gallia evocati sunt, duplici ex capite non videtur verum, tum quod Epistolæ illæ neminem nominatim citent, neque Paulinum neque Herotem neque Lazarum, sed duntaxat in genere: *Quare intra secundum mensem aut veniant qui præsentem redarguant aliter sentire quam libello & confessione connexuit,* aut &c. Ubi nihil aliud præscribit, nisi ut Catholicus habeatur Celestius, nisi intra duos menses veniat si quis eum accusare voluerit. Veruntamen id quod hic tanquam falsum litteris istis & Augustino dissonum impingitur, alunde constat esse verissimum, nempe Paulinum ad Sedem Apostolicam fuisse evocatum. Hoc enim testatur ipsemet Paulinus in libello gratulationis, quem post damnatos Pelagianos, ad Zozymum dedit: *Quem* (libellum) inquit, *ideo direxi, quia me, licet sermone, Basiliscus Subdiaconus à tua beatitudine cum gestis Sedis Apostolicæ directis, Carthagine convenit quarto Nonas Novembris die, ut adessem ad Apostolicam Sedem, & tuæ judicio Sanctitatis, ad quam me fugisse suggestum est.* Quid evidentius dici potest contra eos qui hunc ipsum libellum tanquam suæ causæ firmamentum citant? Iam verò quod de Herote & Lazaro tanta perstrictos acrimonia adjiciunt, nemini mirum videri debet qui consideraverit aliam ejusdem Pontificis Epistolam de ordinationibus duorum Episcoporum absque consensu Patrocoli Arelatensis Antistitis susceptas, in qua eodem prorsus modo Lazarum perstringit: *Sed Lazarus*, inquit, *dudum in Taurinensi Concilio gravissimorum Episcoporum sententijs pro calumniatore damnatus, cum Brixij innocentis Episcopi vitam falsis objectionibus appetisset; post vero indebitum ab eodem Proculo, qui inter cæteros Synodo damnationis ejus accesserat, Sacerdotium consecutus est, à quo se ipse vita sua conscius datis litteris in abdicationem sui sponte submovit.* Hæc Zozymus. Quæ ad amussim litteris istis de quibus agimus consonant, ut potius hoc quod affertur ut falsitatis judicium, robustum sit veritatis testimonium.

Ex libello Paulini ad Zozymum

In Epist. ad Aurelium & Episc. Africanos

Iam

Iam vero quod & hoc falsi arguunt quod de tempore duorum mensium supra ex litteris istis citavimus, sine dubitatione falluntur. Testatur enim Augustinus illos duos menses fuisse præfixos donec ex Africa rescripta reciperentur, ut interea daretur ei resipiscendi locus, nempe pleniùs, cujus resipiscentiæ jam testimonia tam aperta edidisse putabatur. Quibus nihil continent litteræ istæ in contrarium, sed maxime consonum, ut quæ præscribant ut intra duos menses venirent, qui eum redarguerent, & aliunde constat Paulinum ad hoc ipsum ad Apostolicam Sedem fuisse evocatum. Prætiterunt utrumque Episcopi Africani intercurrentibus litteris, vt inane sit idcirco litteris istis calumniam concitare falsitatis, imprimisque quod præ se ferant Pelagium fefellisse Romanum Pontificem, ita ut Catholicus putaretur, Augustinus vero testetur, inquiunt, Pelagium Romanam Ecclesiam fallere non potuisse. Sed potius falluntur ipsi. Hæc enim sunt verba Sancti Augustini: *Romanam vero Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit. Quamvis & hoc fuerit utcumque conatus.* Vbi potius litterarum istarum textui consentit Augustinus. Indicat enim fefellisse ex parte, usquequaque tamen non potuisse, nempe quia postea melius imbutus recoluit ea quæ recensit ibidem Augustinus. Iudicium Innocentij, sensum Romanorum, discipulum ejus fuisse Celestium, quibus accuratius ponderatis Pelagius cum Celestio sententia damnationis plexus est. Atque hæc ad astruendam litterarum illarum autoritatem dicta sufficiant.

Lib. de peccato orig. c. 8.

Cæterum quod ad Africanos attinet Antistites, quibus strenuissime cooperantibus sententia in fidei perduelles prolata fuit, constat non modo, ut supra diximus, varias intercurrisse litteras inter Zozymum Papam & Africanos, sed etjam diversa Concilia. Nam plerumque ubi de ista condemnatione fit mentio tam Prosper quàm Augustinus plurium Conciliorum Africanorum meminerunt. Hinc Prosper: *Erraverunt Africana Episcoporum Concilia, quæ decretis constituere utrumque Dei donum esse &c.* Et in eodem libro: *Quando*, inquit, *Africanorum Conciliorum decretu Beatæ Recordationis Papa Zozymus sententia sua robur annexuit.* Et Augustinus: *Posteaquam*, inquit, *Pelagiana hæresis cum suis autoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ prius Innocentio deinde Zozymo cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris convicta atque damnata est &c.* Et ne quis Prosperum atque Augustinum intelligat loqui de Concilijs Carthaginensi hujus anni sub Consulibus Honorij & Theodosij & alijs Carthaginensi & Milevitano ante biennium celebratis, omnem scrupulum eximit ipse Augustinus, qui Epistola ad Valentinum enumerans omnia quæ contra Pelagianos acta & constituta sunt sic loquitur: *Quod enim scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ urbis Episcopum de Concilio Provinciæ Carthaginensis & de Concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius à quinque Episcopis, & quod ipse ad tria ista rescripsit. Item quod Papæ Zozymo de Africano Concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis Episcopos missum. Et quod posteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus &c. per eos misimus vobis.* Vbi distinctissimè præter Concilia duo superius cõmemorata, duo alia sub Zozymo attexuntur. Quare ut quo hęc ordine peracta videátur melius intelligatur, recolendum est quod supra diximus, Zozymum anno superiori quadringentesimo decimo septimo Honorio undecimum, & Flavio Constantino secundum consule ad Aurelium cæterosque Africanos Antistites dedisse litteras, quibus significabat non sine levitatis eorum reprehensione, causam Celestij Romæ coram se esse instaurandam. Datæ verò videntur fuisse facilè media æstate. Nam posterioribus litteris eodem anno undecimo Calendas Octobris datis, significat eidem Aurelio & Africanis, cùm jam apud se Celestius esset auditus, supervenisse Pelagij & Praylij Hierosolymitani litteras, ejusque similiter causam coram se esse tractandam, præsertim cum solis rumoribus non sine levitate negotia illa discussisse viderentur. His litteris excitati Antistites Africani confestim Carthaginem sub finem ejusdem adhuc anni quadringentesimi decimi septimi confluxerunt ubi primò per litteras Zozymum obtestati sunt, ut omnia in eodem statu permanerent, donec accuratius de re tanti momenti rescriberent. Paulò verò post missis per Marcellinum Subdiaconum litteris subintenso se animo tulisse indicant, quod nimis credulus in omnibus Celestio commodasset fidem. De quo se purgat Zozymus litteris ad eos mense Martio datis anni sequentis, consulibus Honorio & Theodosio. Denique sub initium anni sequentis scilicet quadringentesimi decimi octavi statim post litteras illas quas diximus per Marcellinum missas, omnibus circa Celestium atque Pelagium ritè examinatis atque perpensis scripserunt Episcopi Africani ex Concilio Carthaginensi illas litteras, quas condemnatio istius hæresis consecuta est. Continebant autem teste Augustino, non sufficere quod Celestius generaliter se Innocentij Papæ litteris consentire fatebatur, sed ipsa omninò verba quæ in suo libello pravè posuerat esse anathematizanda, quod inter cætera his verbis, ut narrat Prosper, Zozymo Papæ significaverant: *Constituimus in Pelagium atque Celestium per Venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli Petri Sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur, gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum non solùm ad cognoscendam verum etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuvari.* Simul etjam teste Augustino detexerunt fraudem qua Pelagius sensus suos in libello texerat, dum ijsdem Sacramenti verbis dicerent, baptismum in infantibus

Lib. contra Collat. initio

Epist.

Lib. 2. ad Bonif. c. 3.

Lib. de peccato orig. c. 11.

Digitized by Google

quibus & in majoribus esse celebrandum. Ad postremum vero illud contigit, ut retulimus ex Augustino, quod in plenario Concilio posteriori totius Africæ contra ipsum errorem breviter constitutum est. Quæ proinde omnia partim sub finem anni quadringentesimi decimi septimi, partim anno quadringentesimo decimo octavo Honorio & Theodosio consulibus peracta sunt. Posterius vero illud ab Augustino Concilium vocatur, quia Episcopi qui sub finem superioris anni convocati fuerant post moram aliquam dilapsi, denuo revocati sunt: vel potius quia novâ sessione de ipsis Pelagianis dogmatibus tractaturi cövocati sunt. Sic enim eadem ratione sequenti anno duo Concilia enumerantur sextum & septimum Carthaginense, quæ eosdem eodemque numero ducentos & septemdecim habuerunt Episcopos, & non nisi uno mense post se invicem celebrata sunt. Vt clarissimum sit unum & idem diversis sessionibus celebratum aut continuatum fuisse Concilium. Porro celebratum fuit hoc Concilium ipsis Calendis Maijs, ut disertis verbis in fronte Concilij annotatur. Ex quo conficitur damnatos esse Romæ Pelagianos vel sub finem mensis Martij, ut diximus, vel initio Aprilis, ut interea certiores ante Calendas Majas de eorum condemnatione fieri potuerint Africani acceptis illis Zozymi litteris, quas ad universos totius Orbis Episcopos scripserat. Hoc enim ipsum satis indicat ille ordo quem servat Augustinus in recensendis monumentis contra Pelagianos sub Zozymo conditis, inter quæ primo loco ponit rescriptum ad Zozymum ex Concilio Africano, nempe de forma examinandi Celestium atque Pelagium, secundo rescriptum Zozymi ad universos totius Orbis Episcopos missum, scilicet de damnatis à se Pelagianis ex informatione Africanorum, tertio posterius Concilium totius Africæ Calendis Maijs celebratum ut diximus, nempe postquam hæresin damnatam esse accepissent. Vt impossibile sit id quod putat Baronius, ijsdem Calendis Maijs hæresiarchas illos Romæ esse damnatos. Quod & ex ipsa Honorij constitutione apertissimum est. Sanxit enim illam contra Pelagium atque Celestium ut inter hæreticos haberentur, postquam eos ab Ecclesia damnatos esse intellexisset, ut testatur Possidius. Et tamen sanctio ejus pridie Calendas Majas ejusdem anni quadringentesimi decimi octavi data deprehenditur, hoc est uno die prius quam fuissent damnati.

Quid vero fuerit illud quod contra errorem illum Africani constituere nihil probabilius dici potest, quam esse Canones illos, quos octo sub nomine Milevitani Concilij male circumferri supra probavimus. Idcirco enim non contra Pelagium atque Celestium, sed contra ipsum errorem se aliquid constituisse dicit. Nec enim aliud quicquam inveniri potest quod contra errorem ipsum ab Africanis Episcopis constitutum est. Hoc autem ita se habere ex ipso Concilio Cartha-

A ginensi sub illis Consulibus celebrato aperte liquet. Nam sine ambagibus dicit Honorio duodecimum & Theodosio octavum Consulibus Calendis Maijs, cum Aurelius Episcopus Carthagine in Secretario Basilicæ Fausti in universali Concilio consedisset, omnibus placuisse, ut quicumque dixerit Adam primum hominem &c. & recensentur octo illi vulgati Canones de quibus quæstio est. Testatur Binius in tomo decimo quinto Conciliorum in vetusto codice Monasterij Sancti Lavonis in Gandavo, alioque vetustissimo Anglicano Monasterij Vintoniensis, tertioque impresso à centum amplius annis Moguntiæ, eosdem Canones ad hanc Synodum Carthaginensem fuisse relatos. Eòdem eos refert Compendium Canonum Ecclesiæ Africanæ, quod Hadrianus primus Carolo Magno donavit. Quin etjam cum anno sequenti post
B Consulatum Honorij rursum Concilium ex tota Africa confluxisset, in quo difficilis illa quæstio de appellationibus ad Sedem Apostolicam & Canonibus tricenis agitata fuit, omnibusque visum fuisset, Concilia priora multorum annorum esse lustranda & Canones colligendos, iterum clarè dicunt in eo Carthaginensi Concilio Canones istos fuisse constitutos, nulla duorum illorum Carthaginensis & Milevitani, quæ anno quadringentesimo decimo sexto celebrata sunt, factâ mentione, idcirco videlicet quod nulli in eis, ut supra probavimus, neque de gratia neque de alijs rebus Canones constituti sint. Accedit his Prosper in Chronico, qui disertis verbis sub eisdem Consulibus, *Concilio*, inquit, *apud Carthaginem habito ducentorum decem & septem Episcoporum ad Pontificem Zozymum Synodalia decreta perlata sunt, quibus probata per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Ne vero illa de-
C creta Synodalia aliud quippiam præter istos Canones esse arbitreris, occurrit ipse Prosper libro contra Collatorem: *Erraverunt*, inquit, *Africana Episcoporum Concilia quæ decretis suis constituere, verumque Dei donum esse & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Vbi inter decreta ista Synodalia ponit Canonem quartum eorum de quibus nostra vertitur quæstio. Quibus constitutionibus mox Epistolam Africanorum ad Zozymum dicit fuisse præfixam, ut ad aliud Carthaginense Concilium sub Innocentio referri non possit. Omnem enim scrupulum amovet Celestinus Pontifex qui in Epistola quam ad Antistites Gallicanos scripsit, Canonem tertium, quartum & quintum expressis verbis sub nomine Carthaginensis Synodi allegat: quæ alia profecto esse non potest nisi ista hujus anni de qua tractamus. Nam illi Synodo quæ anno quadringentesimo decimo sexto celebrata fuit Augustinus non interfuit,
D qui tamen se cum alijs Episcopis contra errorem Pelagianum aliquid constituisse testatur: numerosque Episcoporum quem Prosper meminit, illi non convenit, cum non nisi sexaginta & unus fuerint. Quocirca hoc videtur sine ulla dubitatione tenendum.

Nec

Vt initio lib. contra Collat. & in fin.

Nec moveat quod Prosper ubique dicat ducentos quatuordecim Episcopos Carthagine adfuisse, & decreta contra illam hæresim condidisse. in Chronico vero dicantur adfuisse ducenti & septemdecim. Error enim irrepsit in numerum ex eo quia per Arithmeticos characteres expressus est hoc modo CCXII. Vbi nihil fuit facilius quàm characteres II. coire in unum V. ut ita loco XIIII. evaderit XVII. Neque vanam esse conjecturam ex eo patet quod Arnoldus Pontacus Episcopus Vazatensis in quinque exemplaribus se numerum illum CCXIIII deprehendisse testetur. *In notis ad Chronicon Prosp.* Erroris causam fortasse dedit, quod in Concilio Carthaginense anni sequentis illum numerum Antistitum CCXII. confluxisse crebra testificatione in istius Concilij scriptis liqueat. Sed ibi Canones esse conditos nullius quod sciam authoris suffragio nititur; nec vero fieri potuit, cum ipsummet illud Concilium eos revocet B ad Synodum anni præcedentis. Probati tamen ibi secundo fuerunt, ita ut non immerito etiam illis ducentis septemdecim Episcopis attribui possint. Hinc enim est quod Prosper contra Collatorem ea decreta Africanis Episcoporum Conciliis tribuit.

Cum igitur à Zozymo Papa plenius de fraudibus illorum versipellium hæreticorum per Antistites Africanos imbuto, Celestius ad anathematizanda illa quæ à Paulino Diacono ei objecta fuerant. atque ipsemet claris verbis in suo Libello pravè inseruerat. cogeretur, subtraxit se examini, fallaciterque emendationem pollicitum fuisse omnibus constitit. Tunc quoque nonnulla scripta Pelagii in urbe Roma ubi diutissimè vixerat, atque in his fuerat prius sermonibus contentionibusque versatus, cura fidelium fratrum prolata patuerunt, ex quibus ejus perversitas evidenter innotuit. *Aug. lib. de peccato orig. c. 21.* Quare nihil ultra differendum ratus imitando prædecessorem suum Innocentium *repetita*, inquit Augustinus, *eos autoritate damnavit*. *Lib. 2. ad Bonif. c. 3. & 4.* An Iulianus simul damnatus fuerit non ita constat, nullibi enim fit illius aperta mentio nisi quod Augustinus alicubi Iuliano dicat: De hoc interim (id est Zozymo) taceo, ne animum tuum quem sanare potius cupio, quam irritare, laudibus tui damnatoris exulcerem. *1. Contra Iul. c. 4.* Damnator enim ejus vocatur, quia Pelagianam hæresim omnesque damnavit qui ab illa poste non resipiscerent. Nam ante hoc tempus nihil prorsus Iulianus pro illa hæresi scripsisse legitur. Quo vero pacto sententia concepta fuerit declarat Prosper:

Carm. de ingrat. c. 2.

Sic, inquit, *moderante suam legem bonitate severa*
Vt qui damnato vellent de errore renati,
Acciperent pacem pulsis qui prava tenerent.

De peccato orig. c. 22.

ET hoc est quod Augustinus dicit duos A istos Pelagium atque Celestium *aut in locum pænitentiæ redactos. aut si id recusaverint, omnino esse damnatos.* Scripsit itaque Zozymus litteras ad universos totius orbis Episcopos, ut eos de damnatione certiores faceret, cujus sententiæ ut omnibus justitia patesceret, scripta quædam blasphema Pelagij, teste eodem Augustino, attexuit, ubi Epistolam Pauli Apostoli ad Romanos velut exponens argumentatur ac dicit: *Si Adæ peccatum etiam non habentibus nocuit, ergo & Christi justitia etiam non credentibus prodest*, & cætera hujusmodi. Fragmenta duntaxat nonnulla istarum litterarum extant apud [a] Augustinum, [b] Prosperum & [c] Celestinum Papam perinsignia: quas postea rescribentes Zozymo Africani Antistites magnis præconijs extulerunt, ut eorundem testificatione & fragmento rescripti quod extat abunde constat.

a Aug. Epist. 157. ad Optatum.
b Prosp. lib. contra Collat. initio.
c Celestin. Epist. ad Gallos c. 8.
Apud Prosp. contra Collat. ibid. & Celestin ibid. c. 7.
Epist. 104. & 105.

Sic ergo damnato Pelagio atque Celestio cum Sectatoribus suis, Sixtus presbyter postea Pontifex successor Bonifacij, qui paulo ante, ut inquit Augustinus, magni momenti patronus suæ doctrinæ à Pelagianis ferebatur, prior anathema eis in populo frequentissimo pronunciavit, quem reliquus Clerus consecutus est. Quam ob causam acerbissime à Pelagianis crimine prævaricationis accusati sunt, quasi qui ante Pelagianis dogmatibus faventes, terrore perculsi peccatum originale in humana natura agnovissent. Sed quam improba fuerit ista & impudens calumnia, luculente ostendit Augustinus: *Quin etiam*, inquit, *Romanos Clericos arguunt, scribentes eos jussionis terrore perculsos non erubuisse crimen prævaricationis admittere, ut contra priorem sententiam suam qua gestis Catholico dogmati assuerant, postea pronunciareat malam hominis esse naturam. Imo vero Pelagiani spe falsa putaverunt novum & execrabile dogma Pelagianum vel Celestianum persuaderi quorundam Romanorum Catholicis mentibus: quando illa ingenia quamvis nefando errore perversa non tamen contemptibilia, cum studiose corrigenda potius quam facile damnanda viderentur, aliquanto lenius, quam severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt.* *Lib. 2. ad Bonif. c. 3* Hæc ille. Origo calumniæ totius erat quam supra de Zozymo quoq; attulimus, quod cum B Celestius in suo Libello posuisset, hominem sine originali vitio nasci inter ea duntaxat de quibus se adhuc dubitare & instrui velle & paratum corrigi dixerat, Libellus ejus fuisset Catholicus dictus. Quo verbo in homine acerrimi ingenij, qui si corrigeretur plurimis profuisset, *voluntas*, inquit Augustinus, *emendationis non falsitas dogmatis approbata est.* Itaque Sixtus ut jactatam de se famam dissiparet qua de amicitia ejus Pelagiani sese efferebant, litteras ad

Digitized by Google

Aurelium Carthaginensem dedit, breves quidem quæ tamen vigorem ejus contra pestem illam satis loquerentur. Descripserunt eas magna alacritate certatim Episcopi Africani, & circumquaque quibus poterant magno studio prælegebant. Postea verò prolixius justo opere contra dogmata ista disseruit, quo in Africa accepto, tanta exultatione Augustinus, cæterique Coepiscopi ejus efferebantur, ut non solùm illud tristitiæ nubilum quod falsa fama pepererat, de cordibus eorum fugeret, sed nihil in eis mœror iste egisse videretur nisi successurorum ampliorem flagrantiam gaudiorum. Quibus excitatus Augustinus paulò pòst repoluit ei responsi loco Epistolam centesimam quintam, ubi monet eum ut docendis instaret, quibus terrendis satis insisterat. Non enim deerant qui justissimè damnatas impietates, quas in aperto clamare metuebant, Romæ in secreto seminare satagebant.

Neque solùm adversus tam nefarij erroris autores Episcopalia Concilia, & Apostolica Sedes totaque Romana Ecclesia, sed etjam Romanum Imperium commotum fuit. Testatur id non solùm Augustinus atque Possidius, sed ipsa etjam extat Sanctio Imperialis, qua decernit Honorius eodem hoc anno ut pulsis ex urbe capitibus dogmatis execrandi Celestio atque Pelagio, quicumque Sectatores eorum de eadem hæresi sermones serere deprehenderentur, ad Iudicium à quocumque deferantur & accusentur, ita ut probationem, inquit, convicti criminis stylus publicus insequatur, ipsis inexorati exilij deportatione damnatis. Atque hujusmodi decretum jussit per universum Imperium promulgari. Datum id fuit pridie Calendas Maias, consulibus Honorio duodecimum & Theodosio octavum, hoc est eodem anno quo Romæ damnati sunt, quadringentesimo decimo octavo, post quam, ut inquit Possidius, prolatum judicium audiisset. Hanc autem Sanctionem cùm sit apertissima, nescio qua ludificatione Pelagiani pro se interpretati sunt, Iuliano non modo dicente sed scribente, pro se potius ab Imperatore esse responsum. Cui Augustinus: *Cur ergò non in medium prosilitis, & hoc ultro publicis potestatibus allegatis, vos esse monstrantes, quorum Christianus Princeps approbavit fidem? Verum si Dei legem non sicut sese habet, sed sicut vobis placet intelligitis, quid mirum si & de lege Imperatoris hoc facitis?* Quæ verba malè à Baronio attributa sunt Iuliano, cùm apertissimè sint insultantis Iuliano Augustini.

(Lib. de pecc. orig. c. 17. Possidius in vita Aug.) (Lib. 3. contra Iul. c. 1.)

Damnatis itaque toto Orbe Pelagianis, manus omnium fidelium contra eos unanimiter insurrexit, & eorum contra omnes. Statim enim ab eorum proscriptione videtur contigisse quod narrat Prosper eos & Sicilia & Epheso fuisse pulsos:

(Carmine de Ingrat. c. 2.)

Præterea, inquit, *quanto fuerit benè mota tumultu*
Clara Ephesus, non passa suis consistere tectis
Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis:
Quaque fide tellus etjam Trinacria fervens
Agmen vipereum proprijs exegerit oris.

IPsi vicissim sicut post Synodum Palæstinam in Hieronymum qui eis adversatus fuerat, ita nunc in Constantium, vicaria præfectura functum furorem suum evomuerunt. Hoc tempore nempe eodem hoc anno Consulatus Honorij atque Theodosij, inquit Prosper: *Constantius servus Christi ex Vicario Romæ habitans, & pro gratia Dei Pelagianis devotissimè resistens, factione eorundem multa pertulit, quæ illum Sanctis Confessoribus sociarunt.*

(In Chronico)

Celestius Roma pulsus adiisse videtur Constantinopolim, ibique secundam damnationis sententiam accepisse, cùm causam Pelagianam ageret apud Atticum Patriarcham Constantinopolitanum. Narrat enim Prosper Legatos Pelagianorum ab Attico fuisse confutatos:

(Carmine de Ingrat. c. 2.)

Quid loquar & curam magnam quam gessit in urbe
Constantinopoli docto bonus ore Sacerdos
Atticus, antiqua Legatos hæreticorum
Confutando fide? De qua tunc impia corda
Quamvis se obducta tegerent velamine forma
Iudicij, & tacitæ tulerant tormenta repulsæ.

DVcem enim legationis hujus egisse Celestium ex eo fit verisimile, quod testetur Augustinus eum Constantinopoli fuisse debellatum. In Occidente enim damnati Orientem tentarunt, non modo illa legatione quam diximus, sed etjam scriptis litteris ad Episcopum Thessalonicensem, quibus in auxilium suum pro Catholica fide, ut loquebantur, contra Manichæorum profanitatem, confessionem Orientalium exposcebant, nihil aliud nitentes, nisi ut horribili hæresi objecta laterent inimici gratiæ in laude naturæ. Quas litteras ab octodecim Pelagianis velut Episcopis missas ad Episcopum Thessalonicensem sua

(Lib. 2. ad Bonif. c. 1.) (Lib. 1. ad Bonif. c. 1.)

sua calliditate tentandum, Augustinus paulo post confutavit. Porro acta Constantinopoli contra Pelagianos, à Catholico Antistite Attico Romam directa sunt, ut hisce ipsis verbis Celestinus Papa affirmat in Epistola ad Nestorium.

Pelagius verò gravissime conquestus est, immeritò se absentem esse damnatum, qui coram auditus in Synodo Palestina quatuordecim Episcoporum suffragio fuisset Catholicus declaratus. Hinc etjam tum sub Catholico pallio se tegere quantis potuit viribus conatus est. Rogatus enim ab Albino & Melania in Palestina commorantibus, ubi degebat quoque Pelagius, ut quæcumque adversus eum dicerentur scripto damnaret, ore gratię necessitatem ad singulos actus singulaque momenta ita confessus est, ut ab eis Catholicus esse putaretur. Sed Augustinus eodem damnationis eorum anno, litteris eorundem provocatus, libros duos contra Pelagium atque Celestium dictavit adhuc existens Carthagine, de gratia Christi & de peccato originali, in quibus ostendit quanta fraus sub illius confessionis ambiguitate latitaret: immerito etjam Pelagium conqueri, ut qui Palestinos Iudices fefellerit, id scriptis libris docendo, quod se damnare simulaverat. De ipso igitur potissimum Pelagio videtur intelligi quod Hieronymus Augustino scribit: *Quæ (hæresis) ita infecit corda multorum, ut cum superatos damnatosque esse se sentiant, tamen venena mentium non omittant; & quod solum possunt nos oderint, per quos putant se libertatem docendæ hæreseos perdidisse.* Quantumcumque tamen simularet se etjam tum esse Catholicum, testatur tamen Augustinus animum non fuisse mutatum sed ipsum non minus quam Celestium, & [a] recenti judicio in sua damnatione perstitisse, [b] & adhuc octennio circiter post, cum libros contra Iulianum scriberet, nondum cessisse.

Lib. de gratia Christi c. 2.

Ibid. c. 1.

Hieron. Epist. 24. apud Aug.

a Epist. 200 ad Asellicum
b Lib. 2. contra Iul. c. ult.

Porro quod Baronius eodem hoc anno damnationis eorum quadringentesimo decimo octavo ab Augustino putat librum scriptum de gratia & libero arbitrio, duasque Epistolas ad Valentinum & Monachos Adrumetinos, longissimè fallitur. Nam facile decennio post lucubrationes illas esse exaratas ex Augustino & Prospero non dubijs argumentis colligitur. Nam imprimis ex supradictis indubitatum est, teste etjam ipso Baronio, damnatos esse Pelagianos à Zozymo Papa vel circa mensem Majum, vel paulo ante, ut probabilius demonstravimus, quo tempore Augustinus cum cæteris Africanis Episcopis Carthagine in celebrando Concilio quo eorum damnatio conclamata fuit, occupabatur. Liber autem de libero arbitrio, illæque Epistolæ quæ Concilij istius Carthaginensis, damnatæque hæresis faciunt mentionem, ante tempus paschale scripti sunt, ut ex utraque Epistola aperte constat. fieri ergo non potuit ut eodem anno conscriberentur. Deinde in libris retractationum, ubi libri Augustini secundum ordinem temporum recensentur, liber iste de gratia & libero A arbitrio, penultimus eorum omnium ponitur quos Augustinus usque ad finem vitæ quo retractationes suas lucubrabat, ediderat. Vixit Augustinus facile duodecim aut tredecim annos post damnatam hæresin Pelagianam. Et quamvis infirmum hoc esset temporis documentum, aliundè tamen constat statim post editum illum librum, alium ad eosdem Monachos de correptione & gratia fuisse conscriptum, qui non modo fuit ultimus omnium quos Augustinus retractavit, sed etjam occasio hæreseos Semipelagianæ & tumultuum quos in Gallijs excitarunt, ut testis est Prosper in Epistola ad Augustinum. Semipelagianos autem non esse natos nisi sub occasum vitæ Sancti Augustini omnibus notum est. Ex quo factum ut idem Prosper cum Semipelagiani pernegarent ultimos illos Augustini libros, quorum eos doctrina offenderat, à Celestino Pontifice esse comprobatos, duos illos tanquam B controversiæ istius occasiones omiserit, & alios allegaverit diu ante scriptos, inter quos non pauci sunt, qui quatuor, quinque aut sex annis post hæresin Pelagij profligatam exarati sunt.

Al annum 418.

Ibid.

Ex c. 1. lib. de Corr. & gratia.

Sub finem lib. contra Collat.

Cum ergo fremerent Pelagiani se injustè damnatos esse, intellexit Augustinus eos nescio quid ad Valerium Comitem litterarum conscripsisse, quibus Catholicos asserendo originale peccatum damnatores esse nuptiarum operisque divini quo ex maribus & fœminis Deus hominem creat, invidiosissimè clamitabant. Quare zelo resistendi eorum insidijs incitatus, librum ad eundem dedit de nuptijs & concupiscentia inscriptum, quo accuratissimè bonum distinguit nuptiarum, quarum homines fructus sunt, à malo concupiscentiæ, unde trahitur originale peccatum. Scriptum autem esse post eorum damnationem testatur ipse Augustinus, idque hoc eodem damnationis C anno ex eo colligi videtur quod sequenti anno à Iuliano refutatus fuerit, ut mox dicemus.

Lib. 2. Retract. c. 53. & lib. 1 de nupt. & Conc. c. 1.

Lib. 1. ad Bonif. c. 5.

Porrò iste Iulianus [a] juvenis erat confidentissimus, plenus animositate [b] & ingenio, eloquio perquam disertus, litteris secularibus mirum in modum inflatus. Patrem habuit [c] Memorem seu Memorium Episcopum qui cum Augustino non parvam inierat amicitiam colloquio litterarum, & Iulianum ei carissimum fecerat. Extat ad eundem Memorium Divi Augustini [d] Epistola, qua significat ei se mittere sextum librorum suorum de Rythmo seu musica, quos instantissimè ille postulaverat, in qua ejusdem Iuliani jam Diaconi militiæque cælestis commilitonis mentionem facit, cujus ardentissimo videndi desiderio se teneri scribit. Initio [e] conjugatus fuit, ut idem Augustinus testis est, deinde sive defuncta sive dimissa uxore [f] Ecclesiasticus factus D est, & [g] Episcopus, quem [h] Gennadius vult fuisse Episcopum Capuanum, [i] Petrus Diaconus eum vocat Eclanensem, [k] Beda citat opuscula Iuliani sub nomine Celanensis Episcopi à Campania. [l] Prosper in chronico vocat Iulianum Eclanensem. In quo tamen ipso

a Aug. lib. 1. contra Iul. c. 6. & lib. 3. c. 8. lib. 6. c. ult.
b Gennad. de viris Illustribus.
c Aug. lib. 1. contra Iul. c. 4.
d Epist. 131
e Lib. 3. contra Iul. c. 4. & 21.
f Lib 5. c. 5.
g Lib. 4. c. 11
h Lib. de viris illust.
i Petrus Diac. in lib. ad S. Fulg. ult.
k Beda lib. 1. in Cantic. Cantic. de gratia Dei
l Epigram. ante lib. de Ingrat.

loco

Google

loco infinita est lectionum varietas, alijs præferentibus Athelenensem, alijs Athelensem, alijs Echlanensem, alijs Eclanẽsem, a ijs Attelanensem. Verisimilius est esse legendũ Eclanensem, vel ut Baronius legit, Attelanensem. Constat enim & Eclanum & Attellam urbes esse Campaniç. Vnde nihil certi confici posse videtur, an fuerit Episcopatu an natione Capuanus, an Eclanensis, an Attelanensis. Episcopum tamen Capuanum fuisse ex testimonio Gennadij penè coætanei verisimilius est, patria verò Eclanensem vel Atellanensem itidem Campanum: unde Prosper, doctrinam Iuliani *gramen Campaniæ* vocat. Iulianus ergò nactus librum illum Augustini quæ in eo infirmiora existimavit, quatuor grandiorum voluminum strepitu quasi quadrigarum impetu prosternere & conculcare molitus est; sed vix quarta parte libri arrosa, eos saltus in prætereundis Augustini disputationibus fecit quasi omninò desperasset utriusque operis quenquam esse posse lectorem qui ista deprehenderet, ut [m] Augustinus ei subinde exprobravit. Ingressus est autem palestram illam, ut [n] ipsemet confitetur, tanquam qui destitutam à Pelagianis veritatem tueretur contra præcipuum Catholicæ Religionis propugnatorem. Nempe juvenis animosissimus, & novæ doctrinæ vento inflatus magis de certamine nominari desiderabat, quàm formidabat in certamine superari, famam de prælio præferens infamiæ de amissa victoria. Hinc vana insanaque cordis elatione sibi blandiendo fingebat, lauteque sibi gratulabatur, se esse David, Augustinum Goliat, qui ad Monomachiam egressus in se uno summam prælij optasset intelligi: *Oblato*, inquit, *placuit compositi fœdere bellum, ut pugnas omnium contentio nostra dirimeret*. Cui Augustinus modestissimè: *Quis tibi promisit meum singulare certamen? Vbi, quando, quomodo, quibus præsentibus, quibus arbitris? Absit ut mihi apud Catholicos arrogem, quod tibi apud Pelagianos arrogare non pudet. Vnus sum è multis, qui profanas vestras novitates, ut possumus, refutamus.* Tanta verò arrogantia Augustinum invasit, tot contumelijs & convitijs, tum ipsis quatuor libris, tum alijs octo quos postea conscripsit, Augustinum laceravit, ut omnium Pelagianorum rabies per os unius Iuliani evomi videretur. Nec Augustinum tantùm contumeliosissimè proscidisse contentus, in Catholicos omnes, totamque Ecclesiam eadem feritate debacchatus est. Nihil verò invidiosius pro Pelagianis passim tam in illis libris quàm alijs scriptis suis querebatur, quàm examen sibi & Episcopale Iudicium denegari. Apud Iudices se propterea non potuisse suam causam agere, quia nemo de rebus dubijs bene consultat, nisi qui ab odio, ira & inimicitia vacuum pectus attulerit, quales non fuissent, qui de causa sua judicassent, quia prius eam cœpissent odisse quã nosse. Toto penitus Occidente non minus stultum quam impiũ dogma esse susceptũ, & simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus ad hoc subsignandum subscriptionem fuisse extortam. Hinc alibi dicit omnia per surreptionem esse contra Pelagianos acta, ideoque se tanto negotio Iudices dari vociferatos, ut quæ surreptionibus acta constaret, emendarentur potius quam ponerentur examini. Quibus querelis atque calumnijs varijs in locis respondet Augustinus, ostendens causam eorum jam apud competens Iudicium communium Episcoporum esse finitam: neque amplius cum eis agendum esse, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequerentur, quod si nollent, à turbulenta vel insidiosa inquietudine cohiberentur: *Aut vero*, inquit, *congregatione Synodi*, nempe universalis *opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissima inveniantur propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt. Verum istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis atque Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, commovere conantur, cum potius vigilantia & diligentia pastoralis post factum illis competens sufficiensque Iudicium, ubicumque isti lupi apparuerint contenti sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.* Hæc Augustinus.

Propter hanc ergo denegatam sibi novi Episcopalis Iudicij authoritatem, passim stomachabatur & calumniabatur Iulianus seditionum popularium decreto se esse damnatos, vulgique judicio, qui sententiæ meritum de prosperitatibus ponderans eam veriorem æstimat, quam pluribus placere conspexerit: *Pro se*, inquit, *suorum de ipsum plebecularum aut ruralium aut theatralium scita commendant, quæ quo sint promulgata Concilio historia nulla commemorat.* Hęc vero ipsa causa est, cur tam contumeliose populum Christianum, quem consonantibus studijs contra Pelagianos flagrare cernebat, tractet Iulianus, vocans eos *de plebeia fece sellulariorum opificum, qui in suam invidiam essent concitati, milites, scholasticos auditoriales, nautas tabernarios, cetarios, coquos, lanios, adolescentes ex Monachis dissolutos.*

Quin etiam ipsam sanctionem Imperialem contra se latam in favorem causæ suæ torquebat, miserrimo usus argumento, quo universi utuntur hæretici, quos à perniciosa licentia leges Imperatorum Catholicorum premunt. Dicebat enim *laborare illam partem rationis inopia, quæ in disserendo cum terrorem surrogat, nullum à prudentibus impetrat, sed cæcum à meticulosis extorquet assensum.* Quasi vero esset consequens ut qui conferre in aliquo judicio non sinuntur, putari debeant de veritate confidere. Nec vero ipse Augustinus invidia apud Pelagianos caruit quod librum illum suum de nuptijs & concupiscentia Comiti Valerio dedicasset: quod Iulianus idcirco factum dicebat, quia nihil haberent Traduciani, hoc est, Catholici, quod vi rationis qua protererentur opponerent,

m *Lib. 1. contra Iul. c. 1.*
n *Lib. 2. c. 10.*
Lib. 6. contra Iul. c. 8.
Apud Aug. lib. 2. contra Iul. c. 1.
Lib. 1. Oper. imperf. L. 11. apud Aug.
Lib. 3. contra Iul. c. 1.
Lib. 4. ad Bonif. c. ult.
Lib. 2. Oper. imp. contra Iul. num. 3.
Ibid. n. 14.
Lib. 3. contra Iul. c. 1.
Lib. 2. contra Iul. oper. imperf. n. 14

Digitized by Google

rent, *Vt alia*, inquit, *eorum scripta, ita hi contra* A *quos agimus testantur libelli, qui directi ad militarem virum aliis magis negotiis quam litteris occupatum, impotentia contra nos precantur auxilium.* Cui Augustinus: *Non impotentia contra vos precamur auxilium, sed pro vobis petimus ut ab ausu sacrilego cohibeamini, Christianæ potentiæ laudamus officium.* Porro libros illos suos quatuor Iulianus Turbantio inscripsit quem fratrem & consacerdotem dilectissimum vocat, & Episcopum magno virtutum fulgore conspicuum. Eum vero à Pelagianorum errore postmodum fuisse liberatum Augustinus tradit.

Ibid.

Lib. 3 contra Iul. c. 17.

Lib. 1. oper. imperf. n. 1.

Eodem tempore scripsit & alia nonnulla idem Iulianus contra Ecclesiam, Epistolas nempe duas, quarum alteram Romam misit vt per illam quos posset suos aut inveniret aut faceret, alteram una cum aliis octodecim Episcopis ejusdem erroris consortibus Thessalonicam ad ejusdem urbis Episcopum sua calliditate tentandum, & ad suas partes si fieri posset B traducendum. Scatebat utraque enormibus & intolerandis calumniis non modo contra Augustinum, sed imprimis contra Catholicam Ecclesiam, cujus lenitate fuerant ante tolerati & severitate damnati. Nam omnia penè dogmata erroribus Pelagianis adversantia, in perversum sensum detorta proponebant, & invidiosissime Ecclesiam Catholicam arguebant hæreseos. Refutat eos accurate Augustinus libris quatuor, quibus Bonifacij Papæ nomen præfixit, quod utramque Epistolam singulari benevolentiæ testimonio ad se misisset, in quibus invenisset calumniose interpositum nomen suum, & ut eis responderet ab Augustino petijsset. Cum verò dicat initio illius Epistolæ Iulianus, se modo quatuor libellis Augustini libro primo de nuptijs respondisse, eodemque tempore constat esse conscriptos. Quod videtur incidisse in initium Pontificatus Bonifacij C Papæ anno circiter quadringentesimo decimo nono. Alipius enim qui tunc temporis Romę fuit Epistolam illam sibi traditam à Bonifacio in Africam tulit, una cum quibusdam excerptis ex libris illis quatuor quos contra librum primum de nuptijs Iulianus exaraverat. Nam Pelagianus quidam cum sperasset se Comitem Valerium à Christiana fide ad errorem suum posse evocare, magna diligentia loca quædam ex illis quatuor libris maximeque primo corraserat, & tanquam spongiam libri Augustini Comiti direxit hoc titulo prænotata *Capitula de libro Augustini quem scripsit, contra quæ de libris* (nempe Iuliani) *pauca decerpsi.* Misit ea Valerius ad Alipium jam Ravennâ profectum Romam, ut ea in Africam ab Augustino confutanda deferret. Præstitit id accuratissimè Augustinus alio libro quem itidem de nuptijs & Concupiscentia prænotatum, eidem Comiti inscripsit.

Aug. lib. 1. ad Bonif. c. 1.

Quid verò Alipio Legationis Ravennam D suscipiendæ, ubi Imperator morabatur, causa fuerit, non ita liquet nisi quod vehemens suspicio sit contra Pelagianos in Africa latitantes, eum nomine Africanorum Antistitum remedium postulasse. Invenimus enim eodem anno quadringentesimo decimo nono, quinto Idus Iunias Ravennæ Monaxio & Flinta Consulibus ab Imperatoribus Honorio & Theodosio rescriptum datum ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, quo post primum edictum quo Pelagius atque Celestius Roma pulsi fuerant iterata constitutione sanxerunt, ut si quis eos in quacumque Provinciarum parte latitare non nesciens aut propellere aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subjaceret. Præcipuè tamen collimabant ad quorundam Episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorem disputationes tacito consensu adstruerent, vel publica oppugnatione non destruerent. Hinc eos per Aurelium Carthaginésem moneri jubent hanc definitionem esse præfixam, ut quicumque damnationi supra memoratorum subscribere impia obstinatione neglexerint, Episcopatus amissione mulctati, interdicta in perpetuum expulsi civitatibus communione priventur. Ita Sanctio Imperatoria. Quam planè verisimile est ad instantiam Africanorum Antistitum legatione Alipij esse conditam, ab eo denique in Africam fuisse perlatam. Paruit ei continuò Aurelius, & litteris Episcopos suæ provinciæ certiores fecit, quæ datæ leguntur eodem hoc anno Calendis Augusti.

Interea Augustinus non contentus excerpta illa ex libris Iuliani refutasse, libros ipsos, sex adversus eos conditis voluminibus, operosissima lucubratione protrivit. Duo primi quod Iulianus crebro Catholicis manichæorum nomen & crimen impingeret, adductis antiquorum Patrum autoritatibus, hoc agunt ut ostendant non posse dogma Catholicum de peccato originali, vel Augustinum ipsum illius dogmatis propugnatorem tam execrabili criminatione aspergi, nisi tot Sancti Patres Ecclesiæ Doctores eidem opprobrio subjacerent. Reliqui quatuor singuli singulis Iuliani libris oppositi, quidquid in eis validum firmumque occurrit, magna eloquentiæ vi & rationum impetu scripturarumque prosternunt. Dedicavit illud tantum *tamque elaboratum*, vt ipse Augustinus illud vocat, *opus* Claudio Episcopo, à quo sibi volumina illa quatuor Iuliani missa fuerant. Cujus quidem operis suscipiendi causam sibi fuisse dicit, quod comperisset illum qui nonnulla ex Iuliani libris decerpserat, & ad Valerium Comitem miserat, non omnia ita posuisse ut in ipsis Iuliani libris legebantur. Vnde, inquit, videri poterit Iuliano vel cuilibet eorum me potius fuisse mentitum, quia non vtique sicut hi quatuor libri, ita illa quæ de his excerpta & memorato Comiti missa sunt, innotescere potuerant. Sicut Augustinus auguratus fuerat, prorsus ita contigit. Iulianus enim accepto illo secundo libro de nuptijs & concupiscentia, quem illis excerptis ex Iuliani opere objectum fuisse diximus, tantam inde concitavit Augustino invidiam quasi ex pura obstinataque malitia librorum ejus falsator esse voluisset. Hinc plaustra convicio-

Lib. 2. Retract. c. 62.

In Epist. ad Claudium libro contra Iul. præfixam.

Vide lib. 1. oper. imperf. contra Iul.

rum

rum in eum evomuit: impudentiam Augustini A se non posse satis mirari, induratam esse Numidæ frontem, turpissimæ levitatis, luminibus involutis in certamen Andabatarum more procedere, falsitate & malignitate ejus excerpta illa esse composita, & Ciceronis verbis in Catilinam declamatis quasi in parricidam publicum contra Augustinum debacchatus est. Itaque sicut adversus primum Augustini librum de nuptijs & concupiscentia quatuor suos evomuerat, ita contra secundum alios octo conscripsit, quorum duo primi unà cum refutatione Augustini à clarissimo viro Claudio Menardo Audium Proprætore nuper inventi sunt, & luci publicæ dati. Ex quibus sine ulla dubitatione liquet, illos octo Iuliani libros non adversus sex Augustini volumina contra eum scripta esse conditos, ut malè opinatus est Baronius, ipseque Inventor Claudius, alijque nonnulli, sed ut dixi, adversus librum secun- B dum de nuptijs & concupiscentia, quem quanta potuit facundia, subtilitate, fraudeque Iulianus, citatis ex eo verbis, confutare conatus est. Contigit hoc autem aliquot annis post, sub ipsum finem vitæ Divi Augustini, teste Prospero, qui eum libris Iuliani inter impetus obsidentium Wandalorum in ipso dierum suorum fine respondisse confirmat. Quin & ipse Augustinus testatur in Epistola ad Quod vult Deum, se cura refutandi eos à suorum opusculorum retractatione (quam in fine vitæ elucubravit) fuisse distractum. Agebat autem tum temporis Romæ Alipius, qui cum eos Iuliani libros accepisset, oblatam occasionem noluit prætermittere per quam Augustino priores quinque transmisit, promittens alios tres cito se esse missurum, & multum instans ne respondere differret. Cùm autem in eadem Epistola fateatur Augustinus se jam quarto Iuliani libro respondere quintoque absoluto C se de hæresibus, ut poscebatur scripturum esse, istumque de hæresibus tractatum uno libro absoluto imperfectum reliquerit, manifestò liquet, quinque saltem Iuliani libris totidem oppositis Augustini voluminibus responsum fuisse: adeoque cùm duos duntaxat prædictos habeamus, tres reliquos vel perijsse vel latere. Quod autem de Alipij transmarina commoratione tetigit, noli lector de illius primæ legationis tempore intelligere. Illa enim facilè octennio ante contigit circa annum quadringentesimum decimum nonum, qua absoluta constat vivente adhuc Bonifacio Pontifice Alipium in Africam redijsse, & Epistolas Iuliani, excerptaque illa prima ad Augustinum detulisse. Fuit ergò illud secundum ejus iter in Italiam, an iterum institutum contra Pelagianos non facilè divinaverim. Non abhorrere tamen à vero illud suadet quod tam impudenti calumniandi audacia Iulianus illã D profectionem ejus laceraverit, ut non sit veritus dicere & scribere, tantum esse Catholicorum pavorem, ut contra Pelagianorum sanguinem pecuniarum effusione, hæreditatum largitate, equorum transmissione, populorum seditione, potestatum corruptione pugnaverint. Quibus verbis Alipij conatus calumniosissimè insinuat, ut luculentius se declarat aliquanto superius, ubi dicit: *Vociferans cum feminis, cunctisque Calonibus & Tribunis, quibus octoginta aut amplius equos tota Africa saginatos collega tuus nuper adduxit Alipius.* Cujus calumniæ effrontem impudentiam stoliditatemque retundens Augustinus: *Quid nequius*, inquit, *si hoc ipse finxisti? Quid stolidius si fingentibus credidisti? Iam verò quid etiam scribere ausus es, neque veritus, ne ad ea loca libri pervenirent tui, quæ terra marique transeuntem seu venientem Collegam meum Alipium susceperunt, ubi legi apertissima tua falsiloquia sine tua irrisione vel potius detestatione non possunt, cui non dico impudentia sed dementia comparatur?* Porrò Alipius qui antea Augustino chartam illam excerptorum Ravennã tulerat, hac secunda profectione librum Augustini secundum de nuptijs, quo illa refutata sunt, & cui Iulianus octo suos opposuit, in Italiam retulit. Testis est hujus rei ipsemet Iulianus, qui compellans Florum quendam Episcopum, cui octo libros suos inscribebat: *Quia*, inquit, *id impendio poposcisti, imo indixisti autoritate patria, ut libro Tractatoris pœni quem ad Valerium Comitem vernula peccatorum eius Alipius nuper detulit obviarem, hinc mihi est longior facta responsio.* Et hæc quidem extra ordinem temporum dicta sint, ut clarius ordo scriptorum inter Augustinum & Iulianum intelligeretur: nunc ad seriem temporum redeamus.

Ad annum 419.

Lib. 1 contra Iul. imperf. F. 113.

Ibid. L. 35.

Ex lib. contra Iul. oper. imperf. F. 8.

Iam suprà diximus Pelagium atque Celestium statim post suam damnationem Honorij Edicto Roma pulsos fuisse. Sed cum hæretica pertinacia, eorum alter Celestius iterum sese urbi insinuaret, iterato rescripto Constantij Imperatoris pelli jubetur. Contigit hoc non ante consulatum Theodosij nonum & Constantij Cæsaris tertium, hoc est quadringentesimo vigesimo, quo ex Cæsare Augustus ab Honorio, teste Prospero, renuntiatus est. Edictum illud ad Volusianum Præfectum urbis transmissum est, qui mox sub pœna proscriptionis interdixit, ne quis eidem Celestio quem secreta reis amica hactenus judicijs subduxerant, latebram putaret esse præbendam. Quæ quidem Edicta videtur Prosper significare cùm dicit: *Sancta Memoria Bonifacius pijssimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non solum Apostolicis sed etiam regijs utebantur Edictis.* Et his quidem Edictis magnopere compressi fuerunt Pelagiani. Cæterum cùm Augustinus hactenus cum ijs fuisset luctatus, ut divinam gratiam, quam abolere nitebantur contra superbiam liberi arbitrij stabiliret, paulò ante quam librorum suorum retractationem inciperet, mutata velificatione ipsum liberum arbitrium quod tot scriptis videbatur depressisse, tueri coactus fuit, edito commentario de gratia & libero arbitrio. Contigisse hoc videtur circa annum quadringentesimum vigesimum sextum, cujus mense Septembri Theodosio duodecies & Valentiniano iterum Consule, Eradium sibi ascivit socium seu Coadjutorem Episco-

Prosp. contra Collat. in fine

A Episcopatus, ut plus spinosis negotijs superesset, ad retractanda ut jam multis annis proposuerat, opuscula sua, inter quæ ultimi recensentur libri illi de quibus loquimur, unus de gratia & libero arbitrio, & alter de correptione & gratia. Rem ipsam breviter narrat ipse Augustinus ad Valentinum in cujus monasterio Adrumeti in Africa hac de re cœperat esse contentio: *Venerunt*, inquit *ad nos duo juvenes Cresconius & Felix, de vestra congregatione se esse dicentes qui nobis retulerunt monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium: & quod gravius est, dicant quod in die judicij non sit vel redditurus Deus unicuique secundum opera ejus.* Occasionem erroris dederat quorundam Monachorum ignorantia, quibus cùm unus eorum Florus nomine, Aramseu Epistolam Augustini ad Sixtum scriptam prælegeret, difficilimamque quæstionem & paucis intelligibilem solvere atque enodare conaretur, in alterum extremum inciderunt, putantes eum docere, quod sola gratia omnia perficerentur, detracto penitus libero arbitrio: cùm potius eum recta sentientem docentemque non intelligerent. Colligitur hoc ex duobus locis inter se collatis Divi Augustini. Cùm enim ad se mitti petijsset eum à quo se dicerent Monachi fuisse turbatos, eo quod fortè vel ipse non intelligeret librum suum, vel ab alijs non intelligeretur, & cum eo de recta liberi arbitrij & gratiæ fide contulisset, de eodem sic loquitur: *Hanc*, inquit, *fidem quæ sine dubio vera & Prophetica & Catholica est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo: Unde hi potius corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse jam existimo qui eum non intelligebant.*

Epist.

Lib. de cor. & grat. c. 1.

Correcti ergo quidem videntur fuisse, ut gratiam simul & liberum arbitrium non alterum sine altero ad bona opera concurrere faterentur; sed cùm unus eorum gratiam secundum nomen suum à gratuita Dei benevolentia pendere intelligeret, ex vera opinione in alium errorem præcipitatus est, asserens ut ipse Augustinus refert, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit, sed pro illo ut faciat tantummodo orandum. Quam falsam opinionem ut ab ejus & quorumvis errantium mentibus tolleret, scripsit alium ad eosdem Monachos Adrumetinos librum de correptione & gratia, quo ostendit neque gratia prohiberi correptionem, neque correptione negari gratiam: & ideo sic præcipiendam esse justitiam, ut à Deo gratia, qua id quod præcipitur fiat, fideli oratione poscatur: & hoc utrumque ita faciendum esse ut neque justa correptio negligatur. Atque hoc pacto Adrumeti omnia pacata sunt.

Lib. 2. retract. c. 67.

Interim in Italia res novas movere cœpit circa eadem hæc tempora Celestius. Nam quia Julianus toties suis libris invidiose conquestus fuerat, quod Pelagianis Episcopale Iudicium negaretur, hoc ille denuo retractando acrius urgere cœpit. Tradit hoc breviter Prosper his verbis: *Venerabilis memoriæ Pontifex Celestinus, cui ad Ecclesiæ Catholicæ præsidium multa Dominus gratia suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicij sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum, Celestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeo & prædecessorum suorum statuta & decreta synodalia immobiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.* Hæc Prosper. Quo vero se proripuerit haud planè constat. Conjiciunt aliqui eum una cum Pelagio in Britanniam natale solum Hæresiarchæ se contulisse. Invenimus eum circa annum quadringentesimum vigesimum nonum illam Insulam ab eodem Pelagio ejusque discipulis hæresios istius disseminatione fuisse depravatam atque turbatam. Hinc est quod eodem loco Prosper adjungit: *Nec vero segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit* (Celestinus Pontifex) *quando quosdam inimicos gratiæ solum* B *suæ originis occupantes etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam Insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.* Exprimit hoc paulo distinctius in Chronico sub Consulibus Florentio & Dionysio his verbis: *Agricola Pelagianus Severiani Episcopi Pelagiani filius Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed ad actionem Palladij Diaconi Papa Celestinus Germanum Antisiodorensem Episcopum vice suâ mittit, & deturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem dirigit.* Ubi cum deturbatos hæreticos memorat, satis indicat plura fuisse perturbationis istius capita, quam unum illum Agricolam. Et sanè Constantius Presbyter postea Episcopus inter scriptores hujus temporis perillustris, dum vitam Sancti Germani Episcopi Antisiodorensis pertexit, & Legationis istius in Britanniam acta percenset, non obscurè ipsum Pelagium in Britannia Sancto Germano restitisse docet. C Ex quo paulò accuratius res ista illustranda est. Sic ergò historiam illam narrat. *Eodem tempore ex Britannijs legatio Gallicanis Episcopis nuntiavit Pelagianam perversitatem in locis suis late populos occupasse, & quam primum fidei Catholicæ debere succurri. Ob quam causam Synodus numerosa collecta est: omniumque judicio duo præclara Religionis lumina universorum precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus Apostolici Sacerdotes, terram corporibus, cælum mentibus possidentes. Et quanto necessitas laboriosior apparebat, tanto eam promptius heroes devotissimi susceperunt, celeritatem negotij fidei stimulis maturantes.* Et infra post descriptum eorum iter sic prosequitur: *Interea Britannorum Insulam quæ inter omnes est vel prima vel maxima, Sacerdotes Apostolici raptim opinione, prædicatione, virtutibus impleverunt. Et cum quotidie irruente frequentia stiparentur, divinus sermo non solum in Ecclesijs, verum etiam per trivia per devia fundebatur, ut passim & fideles Catholici firmarentur,* D *& depravati viam correctionis agnoscerent. Erat in illis Apostolorum instar gloria & autoritas per conscientiam, doctrina per litteras, virtutes ex meritis. Accedebat præterea tantis autoribus assertio veritatis. Itaque regionis universitas in eorum sententiam prompta transierat: latebant abditi sinistræ persuasio-*

Prosp. contra Collat. in fine

Ibid. contra Collat.

In Chronico

suasionis auctores, & more maligni Spiritus gemebant perire sibi populos evadentes. Ad extremum diuturna meditatione concepta præsumunt inire conflictum. Procedunt conspicui divitiis, veste fulgenti circumdati, assentatione multorum contentionisque subire aleam maluerunt, quam in populo quem subverterant pudorem taciturnitatis incurrere, ne viderentur se ipsi silentio damnavisse. Illic planè immensa multitudinis numerositas etiam cum conjugibus ac liberis excitata convenerat. Aderat populus Spectator futurus & Iudex. Astabant partes dispari conditione dissimiles: hinc divina autoritas, inde humana præsumptio. hinc fides, inde perfidia: hinc Christus, inde Pelagius autor. Primo in loco beatissimi Sacerdotes præbuerunt adversariis copiam disputandi, quæ sola verborum nuditate diu inaniter & aures occupavit & tempus. Deinde Antistites venerandi torrentes eloquii sui cum Apostolicis & Evangelicis tonitruis profuderunt. Miscebatur sermo proprius cum divino & assertiones frequentissimæ, lectionum testimonia sequebantur. Convincitur vanitas & perfidia confutatur, ita ut ad singulas verborum objectiones reos se dum respondere nequiverunt, faterentur. Populus arbiter vix manus continet, Iudicium cum clamore testatur. Cum subitò vir tribunitia potestatis cum conjuge procedit in medium, decem annorum filiam cæcam sinibus ingerens Sacerdotum, quam illi offerri adversariis præceperunt, sed illi conscientia puniente deterriti, jungunt cum parentibus preces, & curationem parvulæ à Sacerdotibus precantur. Qui exspectationem populi, & inclinatos adversarios intuentes, orationem breviter fundunt. Ac deinde Germanus plenus Spiritu Sancto Sanctam invocat Trinitatem, & protinus inhærentem lateri suo capsulam cum Sanctorum reliquiis collo avulsam, manibus comprehendit, eamque in conspectu omnium puellæ oculis applicavit: quos statim evacuatis tenebris lumine veritatis implevit. Exultant parentes, miraculo populus contremiscit. Post quam diem ita ex animis hominum persuasio iniqua deleta est, ut Sacerdotum doctrinam sitientibus desideriis sectarentur. Hactenus Constantius. Qui quod à Synodo Gallicana missum dicit Sanctum Germanum in Britanniam, non repugnat Prospero. Idem enim potuit mitti à Synodo & à Pontifice probari & potestate muniri. Ex qua narratione vides jam tum superfuisse Pelagium quem hæreseos illius autorem dicit Christo restitisse, nisi fortè sit figura loquendi, quia in suis discipulis Christo resistebat. Nec sanè usquam posthac reperio quo Pelagius vel Celestius se contulerint vel quo fine, ubi, quando disjuncti sint. Sed quia perturbatores illi Britanniæ non tam fugati quam convicti fuerant, hinc sub Sixto Pontifice qui Celestino successit, iterum latibulis suis prorepentes, populum Pelagiana pravitate inficere cœperunt. Quare Sanctus Germanus secundo in Britanniam reversus est adjuncto Severo qui Treviris ordinatus fuerat Episcopus. Vbi cum prædicatione populum de prævaricationis emendatione commonuisset, omnium sententia pravitatis autores Insula expulsi sunt. Narrat hanc secundam legationem fusius ille Constantius quem vitam Sancti Germani scripsisse diximus.

Neque segnius verò Augustinus in Africa Pelagianorum conversioni intentus, ut Leporius quidam suo exemplo testatum facit, de quo ita Gennadius: *Leporius adhuc Monachus postea Presbyter præsumens de puritate vitæ, quam arbitrio tantum & conatu proprio non Dei se adjutorio obtinuisse credebat Pelagianum dogma cœperat sequi. Sed à Gallicanis doctoribus admonitus, & in Africa per Augustinum à Deo emendatus scripsit emendationis suæ libellum, in quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione. Simul & quod de Incarnatione Christi male senserat corrigens Catholicam sententiam tulit dicens: Manentibus in Christo in sua substantia duabus naturis, unam reddi Filii Dei personam.*

In Catalogo de Illustribus viris

Quinam autem illi Galliæ Doctores fuerint qui Leporium admonuerint, declarat Cassianus cum ita de eodem scribit: *Leporius tunc Monachus modo Presbyter, qui ex Pelagii, ut supra diximus institutione, vel potius pravitate descendens apud Gallias assertor prædictæ hæreseos, aut inter primos aut inter maximos fuit, à nobis admonitus, à Deo emendatus* (nempe per Augustinum in Africa ut ex Gennadio diximus) *ita male conceptam persuasionem magnificè condemnavit, ut non minus pene admiranda sit correctio illius, quam illæsa multorum fides: quia primum est errorem penitus non incurrere, secundum benè repudiare. Is ergo in se reversus, non solum in Africa ubi tunc erat atque nunc est, tam errorem suum cum dolore, quam sine pudore confessus est, sed etiam ad omnes Galliæ civitates admodum flebiles confessiones ac planctus sui litteras dedit; scilicet ut ubi deviatio ejus primum cognita erat, illic etiam emendatio nosceretur. Et qui testes erroris antea fuerunt iidem postea correctionis essent.* Ita Cassianus qui partem deplorationis ejus libro suo primo intexuit. Error ejus præcipuus circa Christum Dominum versabatur, quem non Deum natum sed pro meritis factum cum Pelagianis asserebat. Hinc Nestorium ejus discipulum fuisse quidam contendunt, quod non aliter videtur esse verum nisi quia ante exortum Nestorium, errorem illum docuit quem tam solemni pœnitentia retractavit.

Cassian. lib. 1. de Incar. Christi

Nec minorem diligentiam Augustinus adhibuit in corrigendo quodam Vitale Carthaginensi, qui docere cœperat non esse aliter divini muneris ut prædicato Euangelio consentiamus, nisi quia credere non possumus, nisi prædicatio externa veritatis antecesserit. Quē errorem accuratissimè redarguit, scripta ad eum Epistola centesima decima septima, ex precibus Ecclesiæ, quæ non tantum pro eis funduntur, qui prædicatione veritatis carent, sed pro eis maximè qui prædicationi obdurato collo resistunt. Ex quo concludit credentium à non credentibus discretionem, non prædicationi nec libero arbitrio, sed divinæ gratiæ esse tribuendam. Hinc eos corrigas qui malè putaverunt Vitalem docuisse, non esse orandum pro idololatris vel aliis non credentibus. Quin potius ex orationum firmissimo fundamento ab errore suo revocetur. Videtur autem hæc Vitalis exorbitatio (quia annus incertus est) circa hæc extrema vitę Augustini tem-

Baron. ad annum Christi

tempora contigisse. Tunc enim passim Pelagiani propter negatam Dei gratiam condemnati illud dogma mordicus conati sunt astruere, quod saltem gratia detur secundum meritum, ut ex libris Augustini ad Bonifacium & contra Iulianum sæpè liquet. Hoc autem meritum in eo solebant ponere, quod audita Euangelij prædicatione ex libero arbitrio vellemus credere, itemque peteremus, quæreremus, pulsaremus, ut gratiam inveniremus. Quam doctrinæ Pelagianæ partem, quæ sub occasum Pelagianismi maximè urgeri cœpit, postea ambabus manibus Semipelagiani amplexi sunt. Cujus hæreseos prima exordia jam tempus est videamus.

Cùm ergo tot tantisque voluminibus Pelagianum errorem prostravisset Augustinus, & de omnibus divinæ gratiæ adversarijs victor triumphasset, ex ipsis jam penè deletæ hæresis cineribus alius periculosissimus emersit error, tanto utiq; nocentior, quod non à damnatis Ecclesiæ hostibus sed ab ejus probatis filijs promeretur. Quidam enim in Gallia Presbyteri non penetrantes profunditatem veræ gratiæ, & quasi duritia illius doctrinæ offensi, qua docebat Augustinus, non ex hominis sed ex Dei proposito unum præ alio diligentis gratiam & salutem hominibus contingere, novam viam explicandæ gratiæ moliti sunt qua inter Pelagium & Augustinũ incedentes medij neque peccati originalis gratiæque negatione in damnatum errorem cum Pelagio prolaberentur, neque divini illius propositi prædicatione quo cujus vellet misereri, & quem vellet obdurare, nulla propriorum operum in ista discretione habita ratione, putabatur quasi fatum quoddam cum Augustino fatalemque necessitatem proferre viderentur. Quo ruinoso principio subnixi talem divinæ gratiæ œconomiam commenti sunt ut contra Pelagium assererent totam humanam naturam in Adamo fuisse perditam, nec nisi gratia posse reparari, ad eam tamen tenuissimo quodam motu virium naturalium, quæ tanquam generalis istius ruinæ ac stragis reliquiæ ex dono Dei superessent, præeunte divina vocatione, posse perveniri. In quam gratiæ prædicationem se contulerunt, ne prædicatio fidei & bonorum operum irrita & supervacanea esse videretur, si nihil in humanis viribus superesset, quod admonentis Dei vel hominis cohortatione posset excitari. Hi jam ante contra doctrinam Divi Augustini clam susurraverant, sed edito illo de Correptione & gratia commentario, quo retectis gratiæ penetralibus, luculentissimè istius divini propositi immutabilis constitutio firmabatur, apertè cœlesti illi tubæ obtrectare cœperunt. Sed dilata in alium librum de eorum dogmatibus disputatione, historiæ seriem ex Prospero pertexamus: *Multi ergò, inquit, servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt in Sanctitatis tuæ scriptis quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni &* (Epist. ad August.)

A *Ecclesiæ sensui, quicquid in eis de vocatione Electorum secundum propositum disputasti. Et cum aliquamdiu tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere; quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem Beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare, evenit ex dispositione misericordiæ Dei ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de correptione & gratia plenum divinæ autoritatis emitteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas: quia universis quæstionibus de quibus consulenda erat Sanctitas tua, tam plene illic absoluteque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, ut quæ apud nos erant turbata componeres. Recensito autem hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut qui Sanctam atque Apostolicam doctrinæ tuæ autoritatem antea sequebantur intelligentiores multo instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores quàm fuerant* B *recesserunt, quorum tam abrupta dissensio primum propter ipsos metuenda est, ne tam præclaris tamque egregijs in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat: deinde ne simpliciores quiq; apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutissimum sibi æstiment quod audiunt eos quorum autoritatem sine iudicio sequuntur, asserere.* Hæc Prosper. Autores harum contentionum erant nonnulli non modo presbyteri, verum etjam Episcopi, ut ex Prosperi Epistola colligitur, sed præcipuus Ioannes Cassianus natione Scyta, exercitatione Monachus, in qua non exiguum profectum fecerat: qui peragratis varijs Ægypti & Thebaidis Monasterijs Patrum illorum Sanctorum Collationes stylo prosecutus est: quo ex opere non exiguam laudem promeruit. Iste tandem Massiliæ in Gallia fixit domicilium, & inter suos quibus propter eruditionem atque eloquẽtiam cultui & admirationi erat, cœpit Augustini doctri- C nam de gratia & prædestinatione non sine multorum astipulatione reprehendere. Objecit se illorum disputationibus inter cæteros Prosper & Hilarius, quorum ille postea Regiensis, hic Arelatensis fuit Episcopus: ille libris Augustini, hic etjam disciplina institutus, sicut hoc ipsemet testatur cùm dicit: *Sufficiat mihi pœna mea, quod à præsentia tuæ delicijs exulatus, ubi salubribus tuis uberibus nutriebar, non solum absentia tua crucior, verum etiam pervicacia quorundam qui non tantum manifesta respuunt, verum etiam non intellecta reprehendunt.* (In Epist. Hilar. ad August.)

Hi duo igitur cùm non possent usquequaque querimonijs istorum satisfacere, totam eorum opinionem scripto complexi sunt, & ad Augustinum transmiserunt, rogantes eum, ut quid de singulis illis esset sentiendum atque tenendum, quam lucidissimis expositionibus aperire dignaretur. Præstitit id quidem pri- D mò solus Hilarius, deinde iteratis litteris uterque seorsim. Nam bis de eadem re Hilarium scripsisse ex fine posterioris Epistolæ colligitur (prima enim videtur intercidisse) ubi dicit: *Nec mireris quod aliter vel aliqua in hac Epistola addidi quantum puto, quæ in superiore non dixeram.* (Ibid.)

Et

Google

A Et hęc est causa, cur aliqua in Augustini refutatione inveniuntur citata Gallorum verba quæ in Epistolis quas habemus Prosperi & Hilarij non extant.

Acceptis illis litteris Augustinus quanquam tot libris suis atque epistolis abundè satis putaret egisse, quæ ad stabiliendam Dei gratiam pertinerent, arripuit calamum, & duos illos postremos libros de prædestinatione Sanctorum & dono perseverantiæ in ultima senectute composuit: ubi tanta ubertate argumentum illud pertractavit, ut nihil addi posse, & divino Spiritu ea profudisse videretur. Hæc Cygnea vox fuit de divina gratia & prædestinatione Sanctissimi Antistitis, quam etjam post retractationum suarum libros emisit. Sic enim ipsemet de istis libris loquitur: *Cum mea cuncta opuscula retractarem, eamque retractationem stylo prosequerer, cujus operis iam duos absolveram libros, antequam scripta vestra prolixiora sumpsissem* &c. Cum ergò Prosperi testimonio constet, ut supra diximus Augustinum libros contra Iulianum scripsisse inter impetus obsidentium Wandalorum in ipso dierum suorum fine, & Augustinus ipse testetur hoc contigisse eodem tempore quo scribendis retractationibus incumbebat, ita ut uni operi noctem alteri diem attribueret quas in hisce libris jam absolutas esse confirmat, manifestò liquet, inter ultima morientis verba hosce libros censendos esse. Quæ causa fuit ut neque retractatione indigerent, neque libris istis retractationum inserti sint. Defunctus est autem Sanctissimus Episcopus, teste Prospero Theodosio decimum tertium & Valentiniano tertium Consulibus quinto Calendas Septembris gloriosè in confessione divinæ gratiæ perseverans, idque tertio Wandalicæ obsidionis mense, qui annus incidit in Christi quadringentesimum trigesimum. Ex quo patet quam verum sit quod dicit Prosper: *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies huius viri ductu pugnat & vincit.* Nam ab anno quadringentesimo decimo quo cœpit innotescere hæresis Pelagiana, etsi non scriptis voluminibus, sermonibus tamen & dissertationibus privatis publicisq; ab Augustino refutata est, sicut ipse hoc diserte testatur, cùm dicit in primorum librorum, quos contra Pelagianos scripsit retractatione: *Venit etiam necessitas quæ me cogeret adversus novam Pelagianam hæresin scribere, contra quam prius cum opus erat, non scripturis sed sermonibus & collocutionibus agebamus, ut quisque nostrum poterat aut debebat.*

Lib. de prædest. Sanct. c. 3.

Lib. contra Collat. init.

Lib. 2. retract. c. 33.

Cùm verò paulò ante obitum Divi Augustini Nestorius res novas moliri cœpisset, & malum quotidie glisceret & vires acquireret, coëgit necessitas Celestinum Romanum Pontificem Ephesi Concilium Oecumenicum indicere. Quod Concilium ut pijssimus Imperator pro sua in res divinas observantia promoveret, communes ad Episcopos litteras dedit, quibus eos ad Synodum convocat datas Constantinopoli decimo tertio Calendas Decembris ejusdem anni; aliasque privatas ad nonnullos celebrioris famæ Antistites. Imprimisque teste Liberato, scripsit Beato Augustino Hipponensi Episcopo per Ebagnium Magistrianum, ut ipse Concilio præstaret suam præsentiam: qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam audivit à Capreolo urbis ipsius Antistite Aurelij Successore, Beatum Augustinum ex hoc mundo migrasse ad Dominum. Sed non opus erat alio Augustini calculo, quam eo quem ante mortem sæpius de condemnandis in Ephesina Synodo dogmatibus tulerat. Tanta enim luce Nestorianam hæresin in suis libris confutatam reliquit, ut vix aliquid luculentius post ipsum Concilium reperiri queat. Nam quasi præsagus Augustinus, quam facile sit violata Christi gratia etjam Christum ipsum è medio tollere, frequenter in suis postremis contra Pelagianos lucubrationibus inculcaverat, ex natura hu-

In Breviario c. 5.

B mana atque divina unam personam mediatoris coalescere, idque non merito bonorum operum aut liberi arbitrij sed gratia Dei: *Est etiam*, inquit, *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum homo Christus* IESVS: *qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana quæ in illo est comparavit? Respondeatur quæso, ille homo ut a verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod eius bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante? Quid credidit? Quid petivit ut ad hanc ineffabilem gratiam perveniret?* Quibus verbis utramque hæresim jugulavit propter quam ab Imperatore Ephesum accersebatur. Nestorius enim cùm jam personam Christi dividere & perniciosissimum dogma in Ecclesiam inferre meditaretur, Pelagianos exules Iulianum, Florum aliosque nonnullos ex Occidente pulsos Episcopos

De prædest. Sanct. c. 15.

C Constantinopoli excepit & fovit, utpote quorum magisterio illam doctrinam hauserat. Nam & isto errore Pelagianos laborasse fidem facit, tum recens illa Leporij conversio, qui cum reliquis Pelagij erroribus etjam istud dogma retractavit, tum verò Prosperi Cassianique testificatio, qui Nestorianam hæresin Pelagianæ filiam fuisse testantur, idemque de Christo dogma ambas tenuisse, quasi ex merito ad illam dignitatem pertigisset.

Prosper in Epitaphio hæresis Nestor. & Pelag.

Cassian. lib. 1. & 7. de Incarnat.

Itaque Nestorius confugientibus ad se velut ad azylum suum consanguineis Pelagianis, humanitatem non modicam, quamvis non ita palam, exhibuit. Nam imprimis cum Theodosio Imperatori autor fuisset ut nova Sanctione contra plerasque novas hæreses insurgeret, Pelagianos tamen solemniter condemnatos, qui ante oculos ejus Constantinopoli versabantur, omisit, quod haud dubiè Nestorij persuasione factum est. Paulò post etjam ipsum

D Pontificem Romanum pluribus litteris pro Pelagianis Episcopis interpellare ausus est. Fraudem enim simulatione tegens sic loquitur: *Fraternas nobis invicem debemus collocutiones, ut una inter nos secundum obtinente concordia pugnaturi diabolum pacis inimicum. Quorsum hoc antiloquium*

Epist. Nestorij ad Celestin.

loquium? Iulianus quidam & Florus & Orontius & Fabius dicentes se Occidentalium partium Episcopos, sæpe & piissimum & prædicatissimum Imperatorem adierunt, ac causas suas desieverunt, tanquam Orthodoxi temporibus Orthodoxis persecutionem passi: sæpe eadem & apud nos lamentantes, ac sæpe rejecti, eadem facere non desierunt, sed insistunt per dies singulos implentes aures omnium vocibus lacrymosis. His quidem ad eos sermonibus, quibus oportuit, usi sumus, cum negotij eorum veram fidem nesciremus. Sed quoniam apertiore nobis de causis eorum notitia opus est, ne piissimus & Christianissimus Imperator noster molestiam sæpe ab his sustineat, ne nos ignorantes eorum causas, circa negotij defensionem dividamur, dignare nobis notitiam de his largiri: ne vel quidam ignorando iustitiam veritatis, importuna miseratione conturbentur, vel canonicam indignationem Beatitudinis tuæ, quæ contra eos pro sectu religionis forte probata est, aliud quicquam quam hoc æstiment. Hactenus Nestorius ad Celestinum de Pelagianis. Hujusmodi querimonias eundem sæpius apud eundem Pontificem ingeminasse, testes sunt aliæ litteræ, quibus eum sic alloquitur: *Sæpe scripsi Beatitudini tuæ propter Iulianum, Orontium & cæteros, qui sibi Episcopalem dignitatem, & celeberrimam aditionem apud piissimum & prædicatissimum Imperatorem faciunt, nosque continuis frequentibus lamentationibus, tanquam temporibus orthodoxis de Occidente projecti. At hucusque scripta de his à tua veneratione non suscepimus: quæ si haberem possem eis respondere, daremque compendiosum responsum luctibus eorum. Nunc enim ab incertis dictis eorum non habet quo ad quid se convertat, alijs hæreticos eos vocantibus, & ideo de Occidentalibus partibus projectos esse dicentibus; ipsis vero iurantibus calumniam se sustinuisse, & periculum pro orthodoxa fide ex surreptione perpessos. Quorum utrum certum sit, nobis grave est ignorantia. Nam condolere eis, si vere hæretici sunt, crimen est; & iterum non condolere, si calumniam sustinent, durum & impium est. Dignetur igitur amantissima Dei anima tua informare nos, qui ad utramque momentum hucusque dividimur, id est, & ad odium & ad miserationem eorum. Doceri autem volumus quam de his sententiam teneamus. Detinemus enim eosdem viros per dies singulos dissimulantes spe & expectatione Beatitudinis tuæ &c.* Ita callidus Hæresiarcha favorem dissimulationis nomine prætexit. Sed Celestinus vafritiem odoratus in hunc modum hæreseos Pelagianæ patrocinium in eo sugillavit: *Aliquantis diebus vita nostra post nefandum & sæpe damnatum dogma Pelagij atque Celestij Catholica fides quietem habuit, quando eos cum sua disputatione sequacibus telis mutatis, sententia Oriens Occidensque percussit. Denique Sanctæ Recordationis Atticus Catholicæ Magister fidei, & vere Beati Ioannis etiam in ista Successor, eos ita persecutus est pro re communi, ut ijs nec standi quidem illic copia præstaretur.* Et aliquanto inferius: *Hos quoque Hæreticos, de quibus nos, velut eorum quæ gesta sunt nescius, consulere voluisti sedibus suis, impia dicentes expulit iusta damnatio, quos illic invenisse requiem non putamus esse mirandum. Invenerunt enim impiam prædicationem, cujus comparatione se existimant innocentes. Legimus quam bene teneas originale peccatum, qualiter ipsam naturam asseras debitricem & eum delictum merito reddere, qui descendunt. Quid tecum faciunt, qui sunt hæc negando damnati? nunquam sine suspicione ea quæ sibi sunt adversa conveniunt. Excerentur denique, si tibi quoque similia displicerent. Cur tamen ea quæ in hos tunc sunt acta quæruntur, cum certum sit illinc ad nos à Catholico tunc Antistite Attico gesta directa? Cur non Sanctæ memoriæ Sisinnius quæsivit? Quia utique sub decessore suo probaverit eos iure damnatos. Defleant infelices ipse se hominum fuisse deceptos, quibus iam potuit propter communionem sola pœnitentia subvenire. Ecce scire de his incipis signa ante nescisti. Causam tuam magis modo quam aliorum Catholica & festina deliberatione curato; quia convenienter dicitur, medice cura teipsum &c.* Hactenus Celestinus in litteris ad eum datis tertio Idus Augusti ijsdem consulibus sub quibus Augustinum defunctum Prosper posuit.

Porro qui ad Nestorium Constantinopolim fugerant, & ab eo foti fuerant Pelagiani, sequenti anno quadringentesimo trigesimo primo, ad Synodum Ephesinam eundem comitati sunt, sperantes ejus ope se quicquid in Occidente contra se actum fuerat posse infringere. Itaque Ioannes Episcopus Antiochenus, qui serius post condemnatum Nestorium ad Synodum venerat, corrogata hujusmodi Episcoporum fece, ipsum Concilium Ephesinum ausus est communione privare. Rem narrat his verbis Sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus: *Cum vix, inquit, curru desilisset Ioannes, cubiculumque ingressus esset, adhuc pulverulentus, sententiam putidam & stultam cum ijs tulit quos consentientes habebat. Erant autem viri agrestes & Celestiani depositi, & qui Nestorij dementiam tuebantur, ex vehementi stupiditate in blasphemia contra Christum culpa cum illo communicabant.* Hæc Cyrillus. Quorum nonnullos extorres vagari solitos, nec habuisse Ecclesias, alios sæpe numero gravibus de causis à Metropolitanis suis fuisse depositos atque inter illos Celestianos, Pelagianosque fuisse ipsa Sacrosancta Synodus ad Celestinum Papam scribens affirmat, eosque numero fuisse hominum circiter triginta. Itaque cum tam strenuam Pelagiani prælaramque Nestorio atque Ioanni Antiocheno Episcopo navassent operam in suffulcienda causa damnata, paulo post vicem illis rependendam censentes, prostratam hæresin Pelagianam denuo erexerunt sancitoq; Canone statuerunt: *Adæ animam minime per peccatum mortuam esse, & consequenter nullum peccatum in posteros propagari.* Qui Canon cum etiam Sancto Gregorio tanquam Synodi Ephesinæ obtrusus fuisset, tanquam spurius ab eo rejectus est, eo quod nec in Romanis Codicibus nec in eo quem de Ravennate Ecclesia pervetustum afferri curaverat inveniri potuisset. Additq; alibi, ut Chalcedonensem, ita & Ephesinam Synodum esse falsatam quod certo constaret in ea Pelagium damna-

[Marginalia: *in Concilio Ephes. græce non videtur extare.* — *Nec ista videtur Græce extare.* — *Littera Celestini Pontificis ad Nestorium 3. Idus Augusti Theodos. & Valent. Consulibus.* — *Extant etiam in Græcam linguam versæ in Concilio Ephes.* — *Cyrill. Alexand.* — *Epist. Synodalis apud Cyrill. & in actis Synodi Ephesinæ.*]

dãnationis sententiam accepisse. Fraude igitur A hæreticorum videntur acta Conciliabula istius Satanici, cui Ioannes Episcopus Antiochenus Nestorij patronus præerat, cum legitimis fuisse permixta. Sed gaudium hypocritarum fuit ad punctum. Paulò post enim lectis Commentarijs Romæ sub Celestino conscriptis, & hæresis ipsa Pelagiana, & Autores Fautoresque ejus Episcopi ab œcumenica Synodo iterum condemnati sunt. Testatur hoc ipsum Concilium in Epistola ad Celestinum his verbis: *Cæterum ubi lecti sunt in Sancta Synodo Commentarij de depositione impiorum Pelagianorum Celestij, Pelagij, Iuliani, Persidij, Flori, Marcellini, Orontij, & reliquorum eadem cum illis sentientium, indicavimus & nos solida & firma permanere debere, quæ à pietate tua sunt decreta, sumusque omnes ejusdem sententiæ.* Hæc Synodus.

Epist. Synodalis in actis Conc. Ephes. & epist. 12. apud Cyrill.

Hinc est quod nonnulli Canones in Synodo B Ephesina conditi perinde de Celestio ac Nestorio decernunt. Sic enim loquitur Canon primus: *εἴτις ὁ μητροπολίτης τῆς ἐπαρχίας ἀποστατήσας τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου, προσέθετο τῷ τῆς ἀποστασίας συνεδρίῳ, ἢ μετὰ τοῦτο προστεθῇ, ἢ τὰ Κελεστίου ἐφρόνησεν, ἢ φρονήσῃ, οὗτος κατὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων, διαπράττεσθαί τι οὐδαμῶς δύναται, πάσης ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἐντεῦθεν ἤδη ὑπὸ τῆς συνόδου ἐκβεβλημένος, καὶ ἀνενέργητος ὑπάρχων.* *Si quispiam Metropolita provinciæ derelicta Sancta & Oecumenica Synodo, aut accessit ad illorum defectionis consessum, aut accedet in posterum, sive cum Celestio sentit aut sentiet, ipse nihil amplius poterit agere adversus Provinciæ Episcopos, ut qui iam inde à Synodo totius Ecclesiasticæ communionis expers sit factus & prorsus inutilis.* Et Canon quartus: *εἰ δέ τινες ἀποστατήσειεν τῶν κληρικῶν, καὶ τολμήσαιεν ἢ κατ' ἰδίαν, ἢ δημοσίᾳ τὰ Νεστορίου, ἢ τὰ Κελεστίου φρονῆσαι, καὶ τούτους εἶναι καθῃρημένους ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου δεδικαίωται.* *Si qui autem Clericorum defecerint, & ausi fuerint vel privatim vel publicè quæ sunt Nestorij aut Celestij sapere, sancitum est à Sancta Synodo istos quoque* B *depositos esse.*

In actis Conc. Ephes. Can. 1.

Canon 4.

Hoc modo cum una eademque sententia duo consanguinei errores Pelagianus Nestorianusque cecidissent, dignum memoria ac relatione scripsit Prosper eorum Epitaphium, quod sic se habet:

Prosper in Epitaph. Nestor. & Pelag. hæreseon.

Nestoriana lues successi Pelagianæ.
Quæ tamen est utero progenerata meo.
Infelix miseræ genitrix & filia natæ,
Prodivi ex ipso germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis,
De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in summa armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habui:
Et consanguineæ post tristia vulnera fraudis,
Aspera conserui prælia fine pari,
Me tamen una dedit victam sententia letho
Illa volens iterum surgere, his cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur, mecumque sepulchrum
Intrat, & inferni carceris ima subit.
Quo nos præcipites insana superbia mersit,
Exutas donis & tumidas meritis?
Nam Christum pietate operum & mercede, volentes
Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus:
Sperantesque animi de libertate coronam,
Perdidimus quam dat gratia iustitiam.
Quique igitur geminæ miseraris busta ruinæ,
Ne nostro exitio consociere cave.
Nam si quæ Domini data munera sero fatemur
Hæc homini credis debita, noster eris.

Atque

Digitized by Google

ATque ita quidem in Oriente totius Orbis Concilio quod tantis clamoribus tantaque Catholicorum invidia Pelagiani postulaverant, hæresis ista cum suis autoribus proscripta est. In Occidente verò delatis illis postremis duabus lucubrationibus Augustini, de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ in Galliam, animi presbyterorum illorum qui jam ante Sanctissimi Antistitis doctrinæ obtrectaverant magis quam ante ab ea alieni facti sunt, & Augustino palã obluctati sunt. Restitit eis magno animo Hilarius quem supra diximus. Et Prosper. Et primo quidem Prosper vivente adhuc, ut videtur, Augustino, Epistolã scripsit ad Ruffinũ, qua eum de statu totius quæstionis instruit, & cõtra rumores innuit, ne quid ei formidinis vel anxietatis inferrent. Et quia non tam Catholicã fidem, quam Sancti Augustini doctrinam quasi ab ea exorbitantem videre volebant reprehendere, inter cætera hæc de ipsorum conatibus, deque ipso tanto Doctore scribit: Cui (Augustino) *inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas ad illuminationem Ecclesiæ, & ad gloriam Christi, qua ipse illustratus est, præfulgenti, quidam nostrorum (quod de ipsis multum dolendum est) occultis sed non incognitis susurrationibus obloquuntur. Et prout sibi noxias aliquorum aures opportunasque repererint, scripta eius, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratia nomine necessitatem prædicare fatalem. Adjicientes etiam duas illas humani generis massas & duas credi velle naturas, ut scilicet tantæ pietatis viro Paganorum & Manichæorum ascribatur impietas. Quæ si vera sunt, cur ipsi tam negligentes, ne dicam tam impij sunt, ut tam abruptam perniciem ab Ecclesia non repellant? Tam insanis prædicationibus non resistant? nec saltem aliquibus scriptis eum, à quo talis emanat doctrina conveniant? Magna enim gloria sua humano generi consuluerint si Augustinum ab errore revocaverint. Nisi forte modesti homines, novique censores magnorum prius meritorum seni honorabiliter ac misericorditer parcunt, & securi quia libros eius nemo usquam recipiat, conquiescunt atque ignoscunt. Imo noverunt non solùm Romanam Africanamque Ecclesiam, & per omnes mundi partes universos promissionis filios cum doctrina huius viri, sicut in tota fide, ita in gratia confessione congruere: sed etiam in ipsis his locis, in quibus adversus eum querimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos qui ad perceptionem Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ, saluberrimis eius disputationibus imbuuntur, & quotidie in membris corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat dilatantur. Si rectè reprehendimur, cur non constanter arguimur? Si arguendi non sumus, cur occulta obtrectatione mordemur? Sed quis nescit cur ista privatim de stomacho garriant, & publicè de consilio conticescant? Volentes enim in sua iustitia magis, quàm in Dei gratia gloriari, molestè ferunt, quod his quæ adversus excellentissima autoritatis virum, inter multas collationes asseruere, resistimus. Nec dubitant, si quam hinc moverint quæstionem, in qualibet frequentia Sacerdotum, in qualibet congre-*

In Epist. ad Ruff.

A *gatione populorum, centenis sibi Augustini voluminibus obviandum.* Hæc Prosper. Ex quibus non obscurè colligitur, hæc, Divo Augustino adhuc superstite esse scripta.

Sed simul atque defunctus esset Augustinus, non jam amplius privatim de stomacho, sed publicè, voce, scriptis calumnijs doctrinam Sancti Augustini infirmare & exagitare cœperunt. Et primo quidem presbyteri Galli juncto studio capitula excogitarunt quindecim, quæ in libris ejus damnabilia se reperisse jactabant: ut tali commento & detestationem ejus quem impeterent obtinerent, & ab his quæ infamassent curam exterriti lectoris averterent. Hanc ne quis temere persuasionem reciperet, & talem putaret sensum scriptis Catholici inesse doctoris, qualem eum qui frustra calumniabantur ostentarent, singulis capitulis quæ Rationis titu-
B lo prænotarant, breviter Prosper & absolutâ responsione respondit, in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in Sancti Augustini scriptis continentur.

Sed tantùm abest ut eis Prosper satisfecerit, ut potius hæreseos apud eos suspicionem incurrerit, coactusque fuerit, non ab Augustino tantum sed à seipso quoque tam atrocem propulsare calumniam. Quidam enim ex eis Vincentius nomine, objectiones commentus est sexdecim contra ipsum Prosperum quibus totidem errores vel blasphemiæ comprehendebantur, quasi quæ in doctrina ejus fuissent inventæ. De quibus sic ipse Prosper: *Quidam Christianæ ac Fraternæ charitatis obliti in tantum existimationẽ nostram quoquo modo student lædere, ut suam se evertere nocendi cupiditate non videant. Contextum enim & qualibus possunt sententijs cõprehendunt ineptissimarũ quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia: eaque ostendenda & ingerenda multis pu-*
C *blicè privatimque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu qualia diabolico continentur indiculo: quæ falso in nos ad excitandam invidiam iactitari, facile & sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis, nisi malignitas eorum, qui se gravari putant, si de nobis benè sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esset habitura* &c. Hæc Prosper. Propositis igitur sigillatim sedecim capitulis, sub unoquoque eorum sensus sui verba subjunxit, ut evidenter *Omnes*, inquit, *agnoscant, impiarum profanarumque opinionum, nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium: & blasphemias quas perspexerint, nostra professione damnari, in earundem repertoribus, censeant debere puniri.* Sed hæc Prosperi lucubratio, videtur post ejus à Cælestino reditum esse elaborata, quod fidem se dicat ex Apostolicæ Sedis autoritate defendere. Fuit autem Vincentius ille, quantum colligere licet ex Gennadio, unus ex Presbyteris illis offen-
D sioribus, item Gallus, quem dicit in divinis Scripturis exercitatum, linguam habuisse usu loquendi & majorum lectione politam.

Præfat. in respons. ad Capitula obiect. Vincent.

Ibid.

Ibid. in præfat.

In Catalogo Illust. viror.

Porrò quod Camillus atque Theodorus presbyteri Genuenses excerpta quædam ad

Prosperum ex libris Divi Augustini miserunt, A non obtrectandi ejus doctrinæ sed discendi studio factum est, ut ex responsionibus ipsius Prosperi patet, qui eos non tanquam calumniatores, sed tanquam fratres tractat, idque cum humili admodum præfatione, ne potiùs de doctrina præsumpsisse, quàm eorum voto simpliciter obedisse putaretur, dum suum (quod ipsi postulaverant) de istis locis sensum exponit.

Inter presbyteros verò Gallicanos qui doctrinam Sancti Augustini carpebant, præcipuus videtur fuisse Ioannes Cassianus presbyter Massiliensis, qui quod ingenio styloque cæteris antecelleret, libro edito doctrinam novam non longè à Pelagiana abhorrentem, quantum ad gratiam attinet liberumque arbitrium in medium adduxit, idque alieno nomine ut à se invidiam novitatis amoveret. Quorum omnium autoritati cùm Prosper & Hilarius resistere non possent, Romam ad Apostolicam Sedem profecti sunt, querelasque de Gallorum petulantia apud Celestinũ Pontificem exposuerunt. Scripserat ille nuper in eadem causa litteras ad Thuentium Episcopũ, quibus omnia pacatum iri putaverat: sed cùm novas perturbationes ortas ex Prospero Hilarioque percepisset, alias litteras dedit ad Venerium, Marium, Leontium, Auxonium, Arcadium, Philtatium & cæteros Gallicanos Episcopos, quibus eos negligentiæ accusat, quod apud eos presbyteris tantum liceret, ut supra ipsos Episcopos haberent copiam disputandi. Quin etiam Episcoporum conniventiam dogmatum esse consensum interpretatur: *Timeo*, inquit, *ne connivere, sit hoc tacere; timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis tantum loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret, si falsitas displiceret.* Hæc & plura Celestinus contra eos, mandans ut hujusmodi presbyterorum garrulitati imponant silentium. C

Celestin. Epist. ad Episc. Gall.

Quia verò duo erant contra illos presbyteros munienda capita, scilicet quod Sancti Augustini scripta incesserent & quod prædicârent (ut inquit) adversantia veritati, hinc utrique malo præparavit Antidotum D. Augustino enim sic loquitur: *Augustinum Sanctæ Recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse invenimus, ut inter magistros optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur. Benè ergò de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori.* Hæc de Augustino. Veritatem verò quam de divina gratia sequi deberent, paucis Romanorum Pontificum & Africanorum Conciliorum sententijs, quas Apostolici Antistites comprobando suas fecerant, comprehendit, atque in Galliam transmisit quod presbyteri illi necessarium modum Augustinum excessisse dicerent, eaque tantummodo se sequi & probare profiterentur, quæ Sacratissima Beatissimi Apostoli Petri Sedes contra inimicos D gratię Dei per ministerium Præsulum suorum sanxisset atque docuisset. Et quia ante hæc doctrinæ capita, litteræ Celestini sua quasi epistolari apprecatione (*Deus vos incolumes custodiat fratres carissimi*) videntur esse conclusæ, & stylus nonnihil à cæteris distinguere, hinc nonnulli Celestinum non esse illius partis autorem arbitrantur. Sed quidquid sit de autore collectionis illorum capitum, atque styli, malè idcircò à Celestini autoritate vel etiam illa Epistola removentur. Nam litteras etiam Pontificias ab alijs concipi atque exarari, maximè si operosa cogitatum & Conciliorum examinatione & collectione indigeant, ab alijs verò legi, examinari, mitti & autoritatem suam sortiri, frequentissimum est. Hinc est quod etiam qui proximi fuerant Celestini Papæ temporibus doctissimi viri, totam etiam illam partem Celestini esse, indubitatum habuere. B Nam Petrus Diaconus unà cum reliquis ex Oriente Romam in fidei causa missis, postremam partem, usque ad extrema verba Epistolæ sub nomine Celestini allegant, neque à Sancto Fulgentio cæterisque Africanis Episcopis quibus scribebant, propterea reprehensi sunt: sic enim loquuntur: *Terminat autem idem magister (Celestinus) hanc ipsam Epistolam, atque concludit ita dicens: Quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententijs esse contrarium.* Quibus ipsis verbis finitur Epistola Celestini. Quanquã Prosperum styli esse autorem non videtur esse diffitendum, multum enim dissentit à superioribus, totius tamen Epistolæ par est autoritas.

Pet. Diac. ad Fulgent.

Sed non tantum in Occidente contra Presbyteros Galliæ, verum etiam in Oriente Pontificis istius laudatissimi industria in comprimendis Pelagianis enituit. Cum enim Maximianus deposito è Constantinopolitana sede successisset Nestorio, sic ei inter cætera de inquietissimis illis totius Ecclesiæ perturbatoribus scribit: *Eorum imputas novella non habeat, & compressa olim per totum Orbem sua damnatione noto Celestiano errori à tua vigilantia resistatur, ut quicumque hujus dogmatis sint sequaces ab omni societate hominum repellantur. Obsistat illis per te Spiritus Sanctus his in omnibus, qui ad has quascumque conantur Provincias pervenire, ne eorum impia prædicatio resurgat. Obsistite eis: ita enim ut damnentur, quocumque perveniant innotescunt, & tanquam non illis sententia toties repetita sufficiat, longinquas terras remotasque Provincias inquietant. Sed eos ille persequitur cujus fidem suâ pravitate persequi nitebantur. Sed quo se abscondant, ad quas latebras confugiant, sua se impietate prodentes, (invenire) non possunt.* Hæc Celestinus, quibus ingentem sollicitudinem suam prodit, ne veterrima illa pestis sese incautis insinuaret, atque resurgeret. Datæ sunt autem hæ litteræ Idibus Martijs Flavio Aetio & Valerio Consulibus, qui annus incidit in quadringentesimum trigesimum secun-

Epist. ad Constantinop. & Maximianum

Digitized by Google

secundum Domini, uno mense ante mortem ejus. Ex quo colligi videtur, vel hoc eodem anno, vel certe præcedenti quadringentesimo trigesimo primo Prosperum atque Hilarium Romam contendisse, obtentisque litteris illis Celestini Gallos repressos esse.

Sed non diu Ecclesiæ pax illa constitit. Nam paulo post suffecto Sixto Pontifice, illo inquam qui olim contra Pelagianos primus Anathema conclamaverat, doctissimisque Scriptis eos insectatus fuerat, cavillationibus contra Epistolam illam Celestini Papæ excipere cœperunt, iisdemq; calumniis Sancti Augustini postremos libros impetere, ut scilicet, quia in Epistola Celestini Papæ librorum pro quibus actum est non esset expressus titulus, hinc eos appareret non probatos, & istam in Sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum Scriptorum meritis fuisse collatam. Nempe quia invidiosum fuisset apertè divinam gratiam eppugnare, tutius arbitrati sunt ejus acerrimum propugnatorem Augustinum criminari, ut eo tanquam qui excessisset in gratia asserenda modum, amoto, sine repagulis effreni licentia quidquid humanæ superbiæ arrideret, sub prætextu salvandæ libertatis inveherent. Quibus acerrime restitit idem Prosper: *Maneat*, inquit, *plane maneat ista conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur, si in eadem causa eiusdem viri dissentit antiquitas; & ut inutile aut incongruum iudicetur, quod ab his quæ contra Pelagianos condidit dissonans invenitur.* Et mox ostendit libros Augustini anteriores eandem prorsus atque postremos doctrinam comprehendere. *Agnoscant*, inquit, *calumniatores superfluo se obiicere, quod his libris non speciale, neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim fides, quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, & quod iudicio iungit laude non dividit. Qui ergo hos proximos libros refutant, anterioribus acquiescant, & iis quæ pro gratia Christiana prius sunt scripta consentiant. Sciunt enim omnia Pelagiana sibi esse contraria & nihil sibi posse competere ad consequentium resolutionem, si confiteantur in præcedentibus consistere veritatem.* Hæc Prosper.

Lib. contra Collat. in fin.

Neque tantum eorum murmurationes contra Divum Augustinum, & Epistolam illam quam diximus Celestini Prosper retudit, sed etiam librum contra unum eorum condidit quem Collatorem nominat. Fuit iste quem supra meminimus Ioannes Cassianus, qui in quadam Collatione cujus de Protectione Dei inscriptio est, novam planè & à cæteris Gallicanis Presbyteris differentem de gratia sententiam explicuit. Et ut minori istius novitatis invidia premeretur, Abbatem induxit Chæræmonem ad eum modum quo ipse sentiebat de gratia & libero arbitrio disserentem. Hunc enim ipsum fuisse sensum Cassiani ostendit Prosper, dum asserit istius Abbatis eum per omnia probasse ac suscepisse sententiam. Vt jam non cum isto Abbate Catholicis esset negotium, qui fortè tales opiniones suas, aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret;

Epist. 13.

Lib. contra Collat. paulo post initio

A sed cum eo ipso qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei talem studuerat proferre doctrinam. Quam periculosum autem esset hoc quotidie augescens malum, inde est facilè conjicere quod teste Prospero in magna & virtutis & scientiæ existimatione haberetur, eo quod non dubium esset, omnibus eum in Sanctarum Scripturarum studio antecellere. Hinc enim fiebat ut ab indoctis & parum cautis misero perversoque successu facilem mendacio consensum eliceret, quia reverentiam sibi præsúptione pepererat. Nec enim credebatur ullo modo tarditate intelligentiæ aut temeritate judicii in superfluæ querelæ conclamationem potuisse prorumpere: ac non potius magno ingenio ac vehementi studio laborasse; ut subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensis, censura districtior, & inspectio sagacior inveniret, quod antea securus favor & benignitas injuriosa non viderat. Vt ergò huic

B malo occurreret Prosper, libro edito collationem illam Cassiani accuratè refutavit, ostenditque eum pedetentim in ipsissima Pelagii dogmata apertè decidere. Quod cum iis, qui in doctrina Sancti Augustini versati atque innutriti sunt, luce meridiana clarius luceat, mirandum quomodo viri nonnulli doctissimi in eam sententiam induci potuerint, ut doctrinam Cassiani quæ in illa decima tertia collatione traditur, excusaverint, palliaverint, & Catholicam esse arbitrati sint. Quod inde contigisse suspicor quod viderint multas de divina gratia sententias hoc tempore Ecclesia connivente agitari, asseri & publicè tradi, quæ à Cassiani definitionibus sententiisque non magnopere discrepant. Sed probare Cassianum non est aliud quam Prosperum improbare. In quo præcessit eos olim Gennadius fuligine tinctus Pelagiana, qui Cassiani recen-

C sens monumenta sic loquitur: *Legi & librum Prosperi in personam Cassiani adversus opuscula Cassiani sub persona Collatoris, quæ Ecclesia Dei salutaria probat ille infamat nociva.* Sed non mirum si ille qui & ipsum Augustinum ex multiloquio ausus est dicere contraxisse peccatum, Prosperum Sanctissimo Magistro suo in censura conjunxerit. Fuit enim & ille Gennadius, unus, ut videtur, ex istis perturbatoribus Presbyteris Gallicanis, tametsi tempore aliquanto posterior. Scripsit autem hoc opus Prosper sub Sixto Pontifice ut ex calce libri patet, ubi adductis in medium verbis Augustini, quæ olim in Epistola ad eundem Sixtum adhuc Presbyterum data illius auribus insonuerant, eum hortatur, ut autoritatis privilegio, versutiis eorum obsistendo, prostrati dogmatis Pelagiani nullum membrum sinat assurgere: *Vbi enim non habet aliud summa quam portio, non est devotionis dedisse prope totum, sed fraudis reti-*

D *nuisse vel minimum. Quod ne hypocritarum*, inquit, *obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Celestino, operetur & in Sixto: & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata pastori, ut sicut illi lupos abigere*

Gennad. de viris illust.

Prosper contra Collat. in fine.

egere manifestos, ita hic depellat occultos. Hæc A Prosper. Occultos autem lupos calumniatores, Hypocritas quidem in illo opere eos nominat, non tamen hæreticos: quin verò expressis verbis eos adhuc in Catholica vixisse communione testatur: *Quorum tamen*, inquit, *dum adhuc non sunt a fraterna societate divisi, toleranda magis est intentio, quam desperanda correctio, donec Dominus per Ecclesiæ Principes, & legitimos iudiciorum suorum ministros, hæc quæ per paucorum superbiam & quorumdam impietatem sunt turbata componat.* (*Ibid.*)

Porrò quàm graviter iste Pontifex fallacissimis versutiis Pelagianis, occultisque lupis in figuram ovium se transfigurantibus restiterit argumento est evidenti id quod idem Prosper sub Consulibus Theodosio & Festo, hoc est sexennio post accidisse scribit. (*Prosper in Chronico*) Illa namque tempestate, Iulianus Eclanensis jactantissimus Pelagiani assertor erroris, quem dudum amissi B Episcopatus intemperans Cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis spem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Sixtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit, & ita omnes Catholicos de rejectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncasset. Tradit vero de eodem Iuliano Gennadius (*In Catalog. virorum illustr.*) quod eleemosynis tempore famis & angustiæ indigentibus omnibus suis prærogatis, multos miserationis specie nobilium, præcipuè religiosorum, illexerit hæreticæque suæ sociaverit. Mortuum vero esse Valentiniano Constantij Filio imperante. Quo vero ad amussim anno defunctus sit haud liquido mihi constat, nisi quod testificatione Prosperi usque ad tempora Sancti Leonis Papæ vitam (*Prosper de promiss. & prædic. Dimid. temp. c. 6.*) produxisse videatur. Dicit enim se apud C Campaniam constituto, venerabilem & Apostolico honore nominandum Papam Leonem Manichæos & Pelagianos contrivisse, maximeque Iulianum. Vti quod de quodam Floro adjungit, videtur ille omnino esse, cui supra diximus postremos octo Iuliani libros fuisse dedicatos, unaque cum ceteris Pelagianis Episcopis in Ephesina Synodo damnatum. De quibus sicuti nec de cæteris hæreseos pelagianæ antesignanis Pelagio atque Celestio, nec item de reliquijs eorum Semipelagianis Cassiano & gallicanis presbyteris quicquam præterea in libris vel Augustini vel Prosperi quod ad rem nostram spectet, invenio. Ex quibus potissimum, cum nobis hæresis ista procudenda, intelligenda, refutandaque proposita sit, finem huic historicæ narrationi faciam. Posteriores enim reliquiæ Semipelagianæ nihil alicujus momenti protulerunt, quod non ab D Antecessoribus Pelagio, Celestio, Iuliano & Massiliensibus præformatum fuerit. Scriptores autem Catholici qui post Augustinum & Prosperum Catholicam fidem contra hæresim istam defenderunt, illorum Doctrinam ad amussim æmulati sunt; ut sane ad intelligendam naturam hæreseos pelagianę nihil opus sit seriem historiæ ad nostra usque tempora pertexere. Pro complemento tamen hujus operis paucos Pelagianorum libros quibus fidem impugnaverunt recensebo.

Vt autem ab ipso Pelagio incipiam, pleraque ipsius opuscula in historiæ contextu attigimus. Inter quæ recenset ipsemet in litteris purgationis ad Innocentium Papam datis, qua propter Innocentij obitum Zozymo ejus successori traditæ sunt, (*Lib. de gratia Christi c. 35. & seqq.*) Epistolam unam ad Paulinum Episcopum, aliam ad Constantinum item Episcopum, libros quatuor de libero arbitrio, quibus cum vellet fidei suæ integritatem ostendere, hæresim suam luculentius prodidit. Suis item locis attigimus libros ejus ad viduam adulatione plenos, quos Sanctus Hieronymus multum exagitat, (*Lib. 3. Dialog. contra Pelag.*) litteras ejus ad Augustinum, Chartulam defensionis ejus post Concilium Palestinum ad eundem fine B litteris transmissam, Epistolam quam eodem tempore ad presbyterum amicum misit, qua de victoria in Synodo obtenta gloriabatur, litteras ejus ad Innocentium unà cum libello seu confessione fidei.

Frater hæc ergo, antequam proderetur hæreticus, scripsit, inquit Gennadius, *Studiosis tres necessarios de fide Trinitatis libros.* (*Gennad. Catalog. de viris illust.*) De istis libris, quod sciam, nullum extat apud antiquos vestigium. Addit Gennadius: *Et pro actuali conversatione Eulogiarum ex divinis Scripturis librũ unum, Capitulorum indicijs in modum Sancti Cypriani Martyris præsignatum.* (*Ibid.*) Nempe ista putat à Pelagio adhuc inter Catholicos versante esse conscripta. Propterea enim subjecit: *Postquam hæreticus publicatus est, scripsit hæresi suæ faventia.* Vbi magis credo Gennadium illos ab eo libros editos velle ante hæreseos ejus publicationem, quàm ante hæresim. Constat enim C illum librum, quem Eulogiarum vocat hæreseon penè omnium quas postea pertinacissimè defendit, fuisse seminarium. Nam liber ille Eulogiarum idem ille est quem Augustinus sæpius vocat Capitulorum, & ita vocatum fuisse testatur, (*Lib. de gestis Pelag. c. 3. & c. 30.*) ex quo in Synodo Palestina hęreses ejus detectæ ipsiq; Pelagio objectæ sunt. Caussam autem nomenclaturæ tangit Gennadius, quod per varia Capitula distinctus esset, quibus probandis Scripturæ subjiciebantur. Fecerat hoc ad imitationem Sancti Cypriani qui simili forma libros Testimoniorum ad Quirinum scripserat. Ex quo fit ut Augustinus eundem Pelagij librum Testimoniorum vocet his verbis: *Beatissimum Cyprianum etiam ipse hæresiarches istorum Pelagius cum debito certe honore commemorat, ubi Testimoniorum librum scribens eum asserit imitari, hoc se dicens facere ad Romanum quod ille fecerit ad Quirinum.* (*Lib. 4. ad Bonif. c. 8. & 9.*) De qua ambitiosa ejus affectatione etiam Sanctus Hieronymus: D *Cumque se imitatorem*, inquit, *imò expletorem operis Beati Martyris Cypriani scribentis ad Quirinum esse fateatur, non intelligit se in eodem opere dixisse contraria*, nempè Beato Cypriano. (*Lib. 1. Dialog. adv. Pelag.*) Porrò citat titulos seu Capitula istius operis Hieronymus ultra centum & septuaginta, inter quæ multa sunt

Digitized b

sunt omninò eadem cum illis quæ Pelagio ex libro Capitulorum in Synodo Palæstina, tanquam quæ ejus hæreses continerent, objecta sunt; ut in dubium revocari nullo modo possit, quin liber ille Eulogiarum, Testimoniorum & Capitulorum, unus idemque sit, quem omnes tres Augustinus, Hieronymus atque Gennadius ad imitationem Sancti Cypriani ab eo scriptum esse testantur.

Scripsit præterea quædam opuscula quæ inemendata sibi quosdam surripuisse, invidiosissime questus est. De quibus Augustinus libro de gratia Christi: *Quisquis hæc audit, inquit, & sensum eius ignorat, quem in libris suis satis evidenter expressit, non illos quos dicit inemendatos sibi fuisse surreptos, aut omninò suos negat* &c. Qui fuerint illi libri, nullibi apertè asseritur, nisi quod vehementissima sit suspicio, illum esse librum quem tanto molimine refutavit Augustinus, objecto ei libro de natura & gratia. Videtur enim illud Augustini opus magnam ei conflasse invidiam, quod apertas in ea adversus Christianam fidem hæreses astruxisset. Hinc est quod ubi Pelagius operum suorum texit catalogum, librum illum ab Augustino refutatum silentio prætermittit, maximè quia gravissimo Innocentij Pontificis testimonio non ignoraret his verbis tunc damnatum: *Librum sanè qui eius esse diceretur, nobis à vestra charitate transmissum, evolvimus in quo multa blasphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitus displiceret, à quovis damnandum atque calcandum, cui similia, nisi qui ista scripserat, nemo aliter in mentem reciperet atque sentiret.* Hoc tam illustri præjudicio condemnatum opus, & ab Augustino tam luculente refutatum, non est ausus amplius suo nomini vendicare.

Lib de grat. Christi c. 35. & seqq.

In Epist. ad quinque Episcopos Aurel. Alip. quæ est 96. apud Aug.

Præter hæc omnia citantur ab Augustino Pelagij quædam scripta, quæ in Pauli Apostoli Epistolas, expositiones brevissimas continerent: ex quibus loca quædam adducit sibique refutanda proponit. Sed quænam hæc scripta Pelagij? Qui Commentarij in Epistolas Pauli? Nisi multum & cum nonnullis ante me fallor, illi ipsi omnino sunt, qui suo nomine Sancti Hieronymi in fine operum ejus circumferuntur. Indignum profectò qui tam illustri Catholicæ fidei propugnatori tantoque Pelagij adversario adscripti sunt, cum non sint aliud quam lerna quædam omnium hæreseon Pelagianarum, & cloaca ipsissimarum sordium, quas ille impurus Hæresiarches evomuit. Vt non immerito de illis Commentarijs illud Sancti Innocentij de alio Pelagij libro jam iam pronuntiatum dici queat: *Quibus similia, nisi qui ista scripserat Pelagius, nemo aliter in mentem reciperet atque sentiret.* Quod sane multis ijsque non obscuris rationibus evinci potest.

Lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 1

Nam primo quæ apud Augustinum de Pelagij Commentarijs in Epistolas Pauli consignata sunt, sic ad amussim reperiuntur. Primo enim vocat expositiones brevissimas. Hæ vero ita breves sunt, ut plerumque non nisi notationes quædam esse videantur. Deinde testatur Augustinus locum illum ad Romanos capite nono: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*, à Pelagio in istis Commentarijs ita fuisse interpretatum, ut hoc non ex persona Pauli dictum assereret, sed eum voce interrogantis & redarguentis usum fuisse cum hæc diceret. Quæ sane interpretatio in istis expositionibus ijsdem plane verbis, quibus eam Augustinus retulit, habetur expressa. Sic enim loquitur: *Vnde intelligitur, quia hic interrogantis voce utitur, & redarguentis potius quam negantis.* Tertio idem Augustinus dicit Pelagium cum illum locum Apostoli tractaret: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*, sic exposuisse quod exempla jam præcesserant & virorum quos uxores, & feminarum quas mariti lucrifecerant Christo & parvulorum &c. Quæ omnia ad amussim sic habentur in illius loci Commentario. *Exemplum*, inquit Commentator, *refert quia sæpe contigerit, ut lucrifieret vir per mulierem.* Et infra: *Sæpe non contingeret ut filij illos parentes qui crediderant sequerentur. Sub qua spe credi voluit alterum salvari posse tam liberorum exemplo, quam coniugis.* Quarto Augustinus ostendens quam diversis modis illud Apostoli quo Adam dicitur forma futuri, exponi possit: *Et nos, inquit, aliud vide aliquando diximus, & aliud fortasse dicemus, quod tamen huic intellectui non sit adversum, & ipse Pelagius non uno modo id exposuit.* Quibus verbis quid aliud quam hosce Commentarios digito ostendere voluit, in quibus tribus diversis modis ille locus exponitur. Catholicam vero expositionem non nisi nomine quorundam quasi per contemptum præterit. Vnus tantum locus est qui difficultatem ingerit, quod Augustinus testatur in Commentarijs Pelagij super locum Apostolicum capitis quinti ad Romanos: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum* &c. quandam argumentationem fuisse comprehensam his verbis: *Hi autem qui contra traducem peccati sunt, ita illam impugnare nituntur. Si Adæ, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergò & Christi iustitia etiam non credentibus prodest, quia similiter imò & magis decet per unum salvari, quam per unum ante perierunt.* Nihil autem hujus argumentationis vel horum verborum in istum Apostoli locum, vel in toto istarum expositionum volumine nunc reperitur.

Lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 1

Lib. de gestis Pelag. c. 16.

In c. 9. Rom

Lib. 3. de peccat. merit. c. 12.

In Exposit. c. 7. 1. ad Cor.

Lib. 3 de peccat. merit. & remiss. c. 4.

Lib. 3. de peccat. merit. c. 1. & 2.

Ad quam difficultatem respondendum videtur Pelagium vaferrimi ingenij hæresiarchē eandem artem adhibuisse in suis istis Commentarijs quam cęteris dictis suis ac factis. Quamdiu enim sub ovina Catholici pelle lupus latuit, quicquid perperam dixerat aut scripserat in Catholicum torquebat sensum, vel suum esse, vel ex persona sua dictum negabat. Ita namque in Synodo Palæstina omnes hæreses suas etiam apertissimis verbis comprehensas tali industria palliavit, excusavit, invertit, negavit, ut à plena Synodo Catholicus judicatus fuerit. Testatur item sæpè tum Augustinus tum Hieronymus, ut suprà latè deduximus, huic hæresi id fuisse peculiare, ut quod clam docebant, palam negarent, vel certè sub aliena persona suos errores per modum quæ-

Digitized by Google

quæstionum expromerent. Postea verò ex suc-
cessu assumpta audacia & ex amisso pudore
pertinacia, maximè postquam Ecclesiæ Ca-
tholicæ communione præcisi fuerant verbis
scriptisque audaciter asseruerunt quidquid
ante à sua persona removerant: *Eos qui sen-*
Lib. 1. contra Jul. c. 5. *tiunt ista*, inquit Augustinus, *damnavit* (Pe-
Vide & lib. de peccato orig. c. 12. 13. 14. lagius) *cum eis quos damnavit profecto damnandus,*
quia id quod negavit ore, corde servavit. Nam quod
verò eius anathematizatur, in litteris eius inveni-
tur. Quod ipsum ex professo demonstrat Au-
gustinus in libro de peccato originali. Pela-
gius igitur ex solemni hæreticorum consuetu-
dine proficiens in pejus dubitationem illam
supra relatam postea sustulit, atque ejus loco
sententiam definitivam apertamque substituit,
non alieno jam sed suo nomine. Sic enim nunc
habet Commentarius: *Quomodo potest unius de-*
licto Adæ omnes homines condemnare cum nec unius
Christi iustitiâ omnes homines iustificati sint? Quan-
quam & alia forsan illius mutationis causa
fuerit, nempe quod illa ipsa verba Pelagij à
Zozymo Papa litteris quas ad totius Orbis
Episcopos post damnationem dedit, tanquam
impia ac detestanda subjuncta fuerunt, quæ
propterea ut totius Orbis invidiam declinaret,
videtur Commentarijs suis erasisse.

Sed jam videamus accuratius, quomodo
dogmata de quibus Pelagius redargutus fuit,
pleraque clarissimis verbis sine ullis ambagi-
bus, in his brevissimis expositionibus conti-
neantur, ut nemini dubium sit ipsum eundem
hæresiarcham, illius esse commentationis au-
torem. Primo capitale dogma Pelagij fuit,
non esse ullum peccatum origine in homines
traductum. Audite quanto conatu illud de-
struat in istis Commentarijs. *Si cum lex non*
In c. 7. ad *esset, peccatum mortuum est; insaniunt qui de Adam*
Rom. n. 18. *per traducem asserunt ad nos venire peccatum.* Hinc
inferebat Pelagius exemplo duntaxat Adam
posteris nocuisse, peccatum & mortem non nisi
imitatione traductum, Christum similiter non
nisi exemplum esse justitiæ, mortem esse natu-
ralem, apud Apostolum proinde mortem ani-
mæ intelligi non corporis quæ pertransijt. Vi-
dete quam belle hæc omnia in suis Commen-
In c. 5. ad tarijs expresserit. De exemplo Adæ & Christi:
Rom. *In hunc mundum*, inquit, *peccatum intravit*, *Ex-*
emplo seu forma. Et mox infra: *Sicut Adam pri-*
mus mandatum Dei prævaricans, exemplum est legem
Dei prævaricare volentibus, sic & Christus volunta-
tem Patris complens, exemplum est imitari eum cu-
Ibid. *pientibus.* Et mox: *Non invenit Adam multam iu-*
Ibid. *stitiam quam suo exemplo destrueret.* Et, *Sicut ex-*
emplo inobedientiæ Adæ peccaverunt multi, ita & Chri-
sti obedientia iustificantur multi. Et infrà: *Chri-*
Ibid. *stus iustitiæ dedit exemplum.* De imitatione audi:
Ibid. *Ostendere vult propterea Christum passum, ut qui*
sequentes Adam discesseramus a Deo &c. Et: *In*
omnes homines mors pertransijt, dum ita peccant &
Ibid. *similiter moriuntur.* De morte naturali: *Unius*
In c. 8. ad *delicto multi mortui sunt, quia communi & natu-*
Rom. *rali morte non solum peccatores sed & iusti moriun-*
tur. Et alibi: *Manifeste nunc ostendit, quia non*
de communi & naturali morte superius fecerit mentio-
nem. Et alio in loco. *Si ante adventum Domini* *In c. 5. 2.*
vel passionibus vel conditione naturæ (corpus) *fuerit* *ad Cor.*
dissolutum. Quod mors animæ apud Apostolum
intelligatur in illo ad Romanos: *In omnes mors* *In c. 5. ad*
pertransijt: Nunc Apostolus mortem animæ significat, *Rom.*
quia Adam prævaricans mortuus est. Hæc de pec-
cato originali, in quo plures alias cum do-
ctrina Pelagij exactissimas consonantias pos-
sem ostendere, nisi prolixitatis tœdiũ vererer.

Iam verò de Concupiscentia peccati fru-
tice, loco cujus Pelagius non nisi consuetu-
dinem pravam agnoscit, Paulumque ad Ro-
manos septimo in aliena persona loqui con-
tendit. Audite de ijsdem illum Commenta-
torem: *Mandatum quod erat ad vitam datum, hoc* *In c. 7. ad*
mihi in mortem inventum est pueritiæ consuetudine & *Rom.*
more peccandi. Et in illud Apostoli: *Velle adia-* *Ibid.*
cet mihi, est voluntas sed non est effectus, quia car-
nalis consuetudo voluntati resistit. Et in istud: *Ca-*
ro concupiscit adversus Spiritum: *Carnalis*, inquit, *In c. 5. ad*
consuetudo adversus spirituale desiderium. Et, *Quis* *Galat.*
me liberabit de corpore mortis huius, id est de con- *In c. 7. ad*
suetudine mortifera corporali. Et infrà: *Unde pro-* *Rom.*
batur, quia Paulus ex alterius persona hæc loquitur.
Et paulò superius in illud: *Scio quia non ha-* *Ibid.*
bitat in carne mea bonum: *Hoc*, inquit *ex persona*
eius dicitur qui peccandi consuetudinem habet & car-
nis vitijs tenetur obnoxius. De quibus omnibus
doctrinæ articulis Augustinus Pelagium im-
pugnat, ut facilè si necesse esset, posset ostendi.

De lege verò quid? Mirabilis in omnibus
consonantia. Pelagius docebat doctrinam &
legem esse gratiam qua bene viveretur; hinc
distinguebat tempora, alios volens lege natu-
ræ, alios lege Moysi, alios denique Christi
gratia esse justificatos; legẽ ex qua nemo justi-
ficatur non esse Decalogum, sed circumcisionẽ
cæterasque cæremonias, & quod nunc lex
moralis non sufficiat, hoc esse propter inve-
teratam consuetudinem peccandi, quam Chri-
stus suo exemplo superare facit. Omnia hæc,
aliaque non pauca eodem spectantia ad nau-
seam usque in his expositionibus inculcantur.
Nam exponens illud: Gratia Dei per IESUM
Christum: *Quia*, inquit, *quæ Moyses & natu-* *In c. 7. ad*
ralis lex non docuit, hæc docuit Dominus noster *Rom.*
IESUS *Christus, contemnere mundum & superare*
vitia: Et in illud, Qui cœpit in vobis opus
bonum: *Cœpit*, inquit, *doctrinam sive gratiam* *In c. 1. Philip.*
scientiæ largiendo, perficiet, perficiendo quod docti
fuerint ut doceant. Et infrà in illud: Vobis
donatum non solum ut in eum credatis; *Oc-*
casio fidei, inquit, *à Deo donata est, quia si non* *Ibid.*
venisset Christus & docuisset non utique crederemus.
Et in illud: Primitias Spiritus habentes: *De* *Ad Rom. 8.*
Sanctis dicit qui Deo placuerunt naturali lege & lege
Moysi. Et in illud: *Naturaliter quæ legis sunt fa-*
ciunt; Sive de his dicit qui naturaliter iusti fuerunt *Ad Rom. 2.*
ante legem, sive qui etiam nunc boni aliquid operantur.
Et in Caput tertium: *Ex operibus legis modo ne-*
mo iustificatur; indicans olim lege fuisse justifi- *In c. 3. Rom.*
catos. Et ibidem: *Opera legis* (ex quibus ne-
mo justificatur) *circumcisionem dicit, Sabbatum*
& cæteras ceremonias, quæ non tam ad iustitiam
quam ad carnis lætitiam pertinebant. Idem repetit
paulò

Digitized by

paulò inferius in illud Capitis tertij: Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis, *scilicet circumcisionis vel sabbati.* Et in Capitis octavi, quod impossibile erat legi: *Infirma erat quia nos volebamus, non enim impossibilia mandata. In illis infirmabatur non in se.* Et alibi: *Deus dedit victoriam illius peccati, in quo lex per carnalem nostram voluntatem fuerat infirmata.*

Ad Rom. 8. *1. Cor. 15.*

Ad gratiam quod attinet nullam eam nisi vel remissionem peccati, vel doctrinam Christi atque exemplum ponit, vel denique ipsam arbitrij libertatem, sicut hæc ipsa solemnis Pelagij doctrina fuit. Nam in illud ad Romanos: Ex operibus legis nemo justificatur: *Lex*, inquit, *novit punire noxia, non dans veniam pœnitenti; Christus autem remissionem peccatorum donat credentibus, & docet quomodo debeant carnis vitia vitari.* Et in Caput sextum: *Qui enim sunt participes gratiæ, didicerunt quemadmodum oportet vincere passiones & Deum diligere & proximum, sicut scriptum est: Non enim estis sub lege sed sub gratia, gratiam vincendi & doctrina præbuit exemplum.* Et infrà: *In doctrina & exemplo Christi* (scilicet sumus liberati à peccato) *qui non solum peccata sed etiam occasiones auferre docuit peccatorum.* Cujusmodi loca innumera occurrunt. Et in illud Capitis undecimi: Dedit illis Deus Spiritum compunctionis: *Divina Scriptura hoc habet ut cum unusquisque habeat libertatem faciendi bonum vel malum, Deum dicat tradere aut dare, propterea quia ipse est qui dedit libertatem.* Hinc sicut Pelagius fidem & charitatem ad libertatem hominis revocat, tanquam gratia vim inferret arbitrio, nec aliter statuit Deum operari in homine velle & perficere, nisi docendo, non in voluntate operando; negatque Deum facere homines bonos nisi præcedente vocatione; ita & omninò autor harum expositionum. Videte quomodo eandem orbitam iisdem planè lineis terat. *Voluntate Dei*, inquit, *vocatur quisque ad fidem, sed sua sponte & suo arbitrio credit, sicut ait in actibus: Non fui incredulus cœlesti visioni.* Et alibi: *Occasio fidei à Deo donata est: quia si non venisset Christus & docuisset non utique crederemus. Cæterum & fidem voluntariam in actibus legimus.* Et in illud: Qui omnes homines vult salvos fieri. *Hic*, inquit, *probatur, nemini oportere ad credendum vim inferre, nec tollere arbitrij libertatem, & ad agnitionem veritatis venire, si ipsi tamen vocanti consentire voluerint.* De Charitate verò in illud ad Corinth. Excellentiorem viam demonstro vobis: *Charitatem* inquit, *per quam pervenitur ad Deum. Vult nos magis illa quærere quæ in nobis sunt & ad vitam prosunt quam signa quæ non sunt in nostra potestate posita.* Et in Caput decimum tertium: *Charitas verò ex nobis est & omnem possidet fructum* Et in Caput primum ad Colossenses: *Simul exposuit quod frequenter obscure dicebat, hoc est, quomodo Deus det velle vel adjuvet & confirmet, docendo scilicet sapientiam & intellectum gratiarum tribuendo, non libertatem arbitrij auferendo.* Et in illud ad Romanos: Nunquid iniquitas apud Deum: *Timuit ne non intelligentes putarent eum dicere, quod alios Deus bonos faceret, alios malos.* Vbi phrasi Pelagiana

Ad Rom. 3. *Ad Rom. 6.* *Ibid.* *Ad Rom. 11.* *In 1. ad Cor. 1.* *In Philip. 1.* *In 1. Cor. 12* *In 1. Cor. 13* *In cap. 1. ad Coloss.*

vult negare, quod Deus faciat aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, ut ex libro primo contra Iulianum imperfecto manifestè liquet. *In fin.*

De perfectione verò justitiæ quanta in omnibus similitudo quanta conformitas? *Quomodo*, inquit, *negat* (Apostolus) *se esse perfectum si alij sunt, nisi humilitatis gratia hoc dictum accipias? Quicunque perfectus est hoc sentiat, vetera scilicet obliviscendo & nova sectando, quia perfecti debent esse discipuli Christi.* Et in illud, Veruntamen ad quod pervenimus, *Perfectionem* (scilicet, inquit) *novi Testamenti.* Hinc illud, Non quod jam perfectus sim, *De immortalitate resurrectionis* exponit. Et paulò superius: *Ideò surrexit ut nos similiter resurgamus, qui autem hoc verè cognoscit, satis agit, si omnino non peccet.* *In cap. 3. Philip.*

De divitijs censebat Pelagius, nisi prorsus dimittantur hominem non posse salvari; quo Commentatorem istum respicere nemo non videt, quando dicit in illud Capitis primi ad Corinthios: Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? *Potest illud dici his qui relicto Christi exemplo Sanctos veteris Testamenti in solis divitijs cupiunt imitari, numquid Abraham crucifixus est pro vobis, aut in nomine Iob baptizati estis? Et illud Domini: ubi docemur non quærere quid alij discipulo jubeatur, dicentis Petro, quid ad te? Tu me sequere.* Quo omnino modo eos elusisse exempla veterum Patrum, qui divites fuerant testatur Augustinus, quia videlicet nondum Christus hoc imperaverat antiquis Patribus, sicut nobis. *In cap. 1. 1. Cor.* *In Epist. 89 ad Hilar.*

Constat item docuisse Pelagium nullo modo esse jurandum, audite brevem hujus Commentatoris aphorismum: *Adjurare*, inquit, *permittitur, non jurare.* Rursum dogma Pelagij fuit, Ecclesiam non constare nisi perfectis & immaculatis. Quid Commentator? *Ostendit*, inquit, *qui sunt Ecclesia Dei, Sancti scilicet & immaculati, quia Ecclesia neque maculam habet, neque rugam, & ideo his scribit qui ante gratiam adhuc servabant, non qui perdiderant hanc sanctitatem.* Et in Caput secundum secundæ ad Timotheum: *Magnam domum non Ecclesiam dicit ut quidam putant, quæ non habet maculam neque rugam, sed mundam.* *Vide Epist. Aug. 89.* *In cap. 5. 1. ad Thess.* *In cap. 1. 1. ad Cor.* *In cap. 2. 2. ad Timot.*

Iam quid opus est cætera attingere, de prædestinatione propositoque Dei quæ non nisi ex præscientia fidei ac meritorum esse contendit, de modo quo Deus tradit atque indurat, nempe sola patientia, de honestate membrorum, cæterisque non paucis, cum in omnibus ad amussim cum doctrina Pelagiana conveniat? Vnum tamen non possum silentio prætermittere, Iuliani pleraque expositiones in loca Apostoli, quibus contra Augustinum & Ecclesiam utitur, ex hocce commentario, subinde iisdem quoque servatis verbis deprompta esse. Longum hoc esset exemplis ostendere tædiique lectoris plenum, verissimum tamen ac demonstratu facile ijs qui libros Augustini sex contra Iulianum maximeque duos postremos operis imperfecti legerint. Quid sane aliud illud clamat, nisi Iulianum strenuissimum

mum fideliſſimumque Pelagij diſcipulum magiſtri ſui triviſſe veſtigia, doctrinæque ipſius ſimilitudinem uſque ad ipſa verba affectaſſe? Ex quibus omnibus evidentiſſimum factum puto non alium horum Commentariorum eſſe autorem quam ipſum hæreſiarcham Pelagium. In quibus tamen obſervandum eſt, magnam partem expoſitionis in caput decimum quintum primæ ad Corinthios, item totum commentarium in caput decimum ſextum, rurſumque initium in caput primum Secundæ ad Corinthios verbotenus convenire cum alio Commentario in eadem loca, qui ſub nomine Ambroſij circumfertur. An hic ex illo, an ille ex hoc mutuatus ſit, eruditorum ſit judicium. Et hæc hactenus de libris Pelagij. Veniamus nunc ad ejus primogenitum in blaſphemijs & impietate Celeſtium.

In catalogo de viris illuſt.

Celeſtius, inquit Gennadius, *antequam ad Pelagium concurreret, imo adhuc adoleſcens ſcripſit ad parentes ſuos de Monaſterio Epiſtolas in modum libellorum tres omni Deum deſideranti neceſſarias. Moralis ſiquidem in eis dictio: nihil vitij poſtmodum prodit: ſed totum ad virtutis incitamentum tenuit.* Hæc Gennadius. Poſtquam in hæreſim Pelagianam lapſus eſt, tam ſtrenue eam verbo ſcriptoque propugnavit, ut perinde Celeſtina hæreſis atque Pelagiana nominata ſit, etjam utroque vivente, in primiſque in Concilio Epheſino. Operum ejus nihil extat, niſi breves illæ ratiocinationes, conglobatæque ſine conciliatione Scripturæ contrariæ, quas Auguſtinus libro de Iuſtitiæ perfectione refutavit, & ejus nomine prænotatas fuiſſe teſtatur. *Neque iſtæ breves*, inquit, *definitiones vel potius ratiocinationes ab illius* (Celeſtij) *abhorrent ingenio, quod in alio eius opere inſpexi, cuius eum conſtat eſſe autorem; Et non fruſtra iſtos fratres, qui hæc attulerunt, in Sicilia exiſtimo audiviſſe, quod iſte docuerit iſta, vel ſcripſerit.*

Aug. lib. de perfect. iuſt. c. 1.

Ad quem vero librum Celeſtij reſpexerit hic Auguſtinus, nihil probabilius dici poſſe puto, quam horum quendam capitulis diſtinctum, quem imitatione Pelagij Magiſtri ſui forte conſcripſerit, ex quo multa capitula capitalia Pelagio etjam objiciuntur in Synodo Paleſtina, & quem Auguſtinus ſe legiſſe confirmat *Si tamen*, inquit, *eum eſſe non negat.* Vbi tamen infra addit, non habuiſſe autoris ſui titulum, ſed qui perhiberetur eſſe Celeſtij. Ex quibus ſanè brevibus Capitulis, & contortis ratiocinationibus liquet hominem philoſophico acutoque viguiſſe ingenio, uſque adeò ut à Pelagianis per Sillogiſmorum ſpineta, teſte Hieronymo decurrere perhiberetur. Allegavit autem idem Celeſtius nonnullos libellos ſuos vel opuſcula geſtis Eccleſiaſticis Romæ apud Zozymum, ut autor eſt Auguſtinus, etſi nihil ſpeciatim deſignet, niſi ſe ad Albinum & Melaniam illa tranſmittere. Nam quem infrà dicit libellum ibidem fuiſſe allegatum, non niſi libellus ſeu confeſſio fidei fuit. Sicut & ille libellus breviſſimus, quem ſe in libris ad Marcellinum legiſſe dicit, libellus duntaxat fidei fuit, idemque Celeſtij ut non

Lib. de geſtis Pelag. c. 13. & 14.
Ibid. c. 35.
Epiſt. ad Cteſiph.
Lib. de grat. Chriſti c. 30.
Ibid. c. 33.
Lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. c. 34.

obſcurè ex libris de peccato originali capite decimo nono, libro tertio contra Iulianum capite tertio, libro ſecundo de peccatorum meritis capite ultimo, & Epiſtola octogeſima nona ad Hilarium inter ſe colliſis exprimitur. Præter quæ nihil aliud ſub nomine Celeſtij hactenus me legiſſe memini.

Iulianus ingenio declamatorio ſtyloque pompatico & inflato, nimia loquendi abuſus facilitate multa cōtra Eccleſiam loquaciſſima prolixitate, quam ei Auguſtinus ſæpe exprobrat, elucubravit. Maximam eorum partem in ipſa rerum geſtarum ſerie, prout ſe offerebat occaſio, annotavimus, nempe quatuor libros contra librum primum Auguſtini de nuptijs & concupiſcentia, octo alios contra librum ſecundum, Epiſtolam quam miſit Romam ut per eam ſuos aut inveniret aut faceret, aliam in Orientem ad Epiſcopum Theſſalonicenſem, quam ut ſuam Iulianus agnoſcit. Omnibus iſtis ab Auguſtino reſponſum eſt. Præter quæ fatetur ipſemet alias ſe duas Epiſtolas ſcripſiſſe. *Ad Zozymum*, inquit, *quondam illius civitatis* (Romæ) *Epiſcopum ſuper his quæſtionibus duas Epiſtolas deſtinavi: verum eo tempore quo adhuc libros* (quatuor primos contra Auguſtinum) *exorſus non eram.* Vbi tamen aliam illam quam dixi ab eo Romam ſcriptam Epiſtolam pro ſua non agnoſcit. Duæ illæ Epiſtolæ non extant nec ab Auguſtino videntur fuiſſe cognitæ. Denique ſcripſit opuſcula in Canticum Canticorū quæ Venerabilis Beda cautiſſime legenda monuit, ne lector per copiam eloquentiæ blandientis, in cœnum incideret doctrinæ nocentis, ſed ut dici ſolet, ita carperet botrum ut & ſpinam caveret: *Eſt enim*, inquit, *homo ut Rhetor peritiſſimus, ita gratiæ Dei poſt Pelagium impugnator acerrimus, ut apertius ſcripta eius, quibus contra ſtrenuiſſimum eiuſdem gratiæ propugnatorem Auguſtinum inſanivit oſtendunt. Cuius cauſa duelli, primum de amore libellum compoſuit ſub obtentu, quaſi hunc à fœdis foret voluptate ſecreturus, re autem vera ſuam cōfirmaturus hæreſim.* Hæc Beda. Vbi videtur indicare Commentarijs illis in Canticum Canticorum fuiſſe præfixum libellum de amore, ſi non fuit aliud opuſculum, idque ut illo obtentu deſtrueret gratiam. Libellus ille ab eodem Venerabili Beda magna ex parte refutatur, & Pelagianis erroribus plenus oſtenditur. Porrò quod Epiſtola illa longa ad Demetriadem Deo dicatam virginem, perperam à Beda Iuliani eſſe exiſtimata ſit, cùm neque ipſius ſit neque Hieronymi, ut tempore Bedæ putabant aliqui, ſed Pelagij, jam alibi fuſius declaravimus. Non contentus autem multa ſcribere Iulianus, plura adhuc paſſim ſe ſcripturū eſſe comminabatur, ut teſtis eſt Auguſtinus, qui verba pugnacis illius belluæ referens: *Promittis*, inquit, *cum libri illi* (nempe quos Auguſtinus ſcripſerat de gratia Chriſti & peccato originali) *ventilari cœperint quod abs te illa ſententiarum mearum & nudabitur & confodietur impietas.* Cui reponit Auguſtinus: *Quis non exſpectet ſapientiam diſſerentis, qui fidem cognoverit mentien-*

Lib. 2. oper. imperf. contra Iul. n. 177.
Apud Aug. lib. 1. oper. imperf. n. 8.
Beda in Canticum Canticorum
Aug. lib. 4. contra Iul. c. 8.

mentientis? De alio verò quodam opere, quod contra Catholicam Ecclesiam parturiebat, sic ipsemet Iulianus loquitur: *In libris quos ad fratrem nostrum Turbantium Episcopum virum magno virtutum fulgore conspicuum contra Augustinum dictavi scripta* (id est in libris quatuor contra librum primum de nuptijs & concupiscentia) *pollicitus sum, si nihil quod studijs obsisteret, eveniret incommodi, occursurum me protinus eorum argumentis omnibus, qui ex sententia Manicheorum traducem peccati id est malum naturale defenderent: a quo sum hactenus varia & indissimulabili necessitate suspensus. Verum ut primum respirare licuit, consilium erat, quantum maximè tulisset ipsius rei natura breviter promissa complere, nisi me actuosiorem denuò ingredi provinciam, beatissime Pater Flore voluisses.* Hęc ille. Sed *nubes & ventus & pluvia non sequentes.* Tumidus enim ille uterus non aliter videtur pervenisse ad partum, nisi quia in postremis contra Augustinum libris, Scripturarum quarundam explicationes latiores inseruit. Atque hæc sunt quæ de scriptis Iuliani indagare potui, quæque de rebus gestis Pelagianorum dicenda judicavi.

Apud Aug. lib. 1. oper. imperf. contra Iul.

Proverb. 25.

Nunc ipsa dogmata Pelagiana & Semipelagiana recensenda sunt & sensus eorum genuinus, prout eum ipsi autores hæreseos istius tradiderunt & explicuerunt, & Augustinus ac Prosper intellexerunt, accuratius ac uberius declarandus est.

FINIS.

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE HÆRESI PELAGIANA
LIBER SECVNDVS.
Quo continentur dogmata ad naturam primi hominis spectantia.

De libero Arbitrio primi hominis.
CAPVT PRIMVM.

A PELAGIANOS nimia liberi arbitrij laude cecidisse, notum est; à qua solemni more omnes exhortationes suas ordiri solebant: *Quoties*, inquit Pelagius, *mihi de institutione morum & Sanctæ vitæ conversatione dicendum est, soleo prius humanæ naturæ vim qualitatemque monstrare, & quid efficere possit ostendere.* Nimirum, ut mox subnectit, *prima Sancta & spiritualis vitæ fundamenta sunt, ut virgo*, cui scribit, *vires suas agnoscat, quas demum bene exercere poterit, cùm eas se habere didicerit.* Quæ superbissima prædicatio ut idoneis fulcris niteretur, & probabilior Christianis auribus animisque influeret, totam humanæ naturæ conditionem & statum inaudito in Christi Ecclesia commento ipse cum discipulis perturbavit. Et à libero protoplastorum arbitrio rem exorsi hominem primum arbitrio quidem, ut fas erat, liberrimum conditum esse statuerunt, sed in libertatis explicandæ ratione, proprietatibus, potestate, in multos errores præcipitati sunt. Quod ut dilucidè percipiatur, tota liberi arbitrij essentialis definitio, & uberior explicatio ipsorum Pelagianorum verbis, maximeque Iuliani, qui eam ex professo tradidit, atque acerrimè contra Augustinum propugnavit, in medium proferenda est. Sic igitur ipse loquitur: *Sicut supra de iustitia & peccati definitione disseruimus, nunc quoque videamus, quæ libertati arbitrij definitio competat; ut planum sit quis nostrum consentiat quis repugnet. Libertas arbitrij, qua à Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati & abstinendi à peccato possibilitate consistit. Factum est enim animal rationale mortale capax virtutis & vitij, quod posset ex concessa sibi possibilitate vel servare mandata vel transgredi, vel magisterio naturali conservare ius humanæ societatis; liberumque haberet alterutrum velle, vel partem in quo peccati & iustitia summa est. Et boni igitur possibilitas, & mali bona est, quoniam per se bonum facere iam virtutis est, posse*

Pelag. in Epist. ad Demetriad.

Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. fol. 118.

fol. 120.

malum

malum facere testimonium libertatis. Per hoc igitur si appetit homini habere proprium bonum, per quod et iubesi posse facere malum. Tota ergo divini plenitudo Iudicij tam multum habet negotium cum libertate bonum unum, ut harum qui unam agnoverit, ambas noverit. Sic igitur & libertas humani custoditur arbitrij, quemadmodum divina aequitas custodit. Vnde fit ut harum unam qui violaverit, ambas violet. Hic intellectus liberi arbitrij est, qui & Fatorum opinionem, & Chaldaeorum supputationem & Manichaeorum phantasias veritate Ecclesiastica subiugavit. Hic intellectus est qui cum illis quos enumeravimus vos etiam à Christo monstrat alienos. Libertas igitur arbitrij possibilitas est, vel admittendi vel vitandi peccati expers cogentis necessitatis qua in suopte iure habet utram suggerentia partem sequatur, id est, vel ardua asperaque virtutum, vel demersa, & palustria vitiorum. Quæ Iuliani verba & Pelagianorum sensus ut accuratius intelligantur, paululum lustranda & illustranda sunt.

Et primò, possibilitatis verbum apud Pelagianos pervulgatum est, quo non tam potestas passiva, à qua res aliqua possibilis dicitur, cui non repugnat ut fiat; sed activa potius significari solet, per quam causa dicitur posse aliquid facere. Declarat hæc satis ipse Iulianus dum quasi exponens hanc possibilitatem subjicit, hominem esse animal rationale, *quod possit ex concessa sibi possibilitate vel servare mandata, vel transgredi.* Et infra clarius; *voluntas & ante Baptisma in unoquoque delinquit, qua illo ipso tempore pro peccat, potestatem habet recedere à malo.* Sic Pelagius; *Dicimus cuiusque rei possibilitatem non tam in arbitrij humani potestate, quàm in natura necessitate consistere. Vt puta loqui possum, quod loqui possum, meum non est, quod loquor, meum est.*

Apud Aug. lib. de natura & gratia cap. 45.

Deinde hæc possibilitas seu potestas liberi arbitrij essentialiter consistit in quadam indifferentia ad plura, quod sæpius in citatis verbis repetitur. Idem Iulianus: *Non minore plane stultitiæ professione, quam profanitate liberum vocas, quod dicis nisi unum velle non posse.* Et alibi: *Voluntas non pronuntiatur rea, quæ aliud velle non potuit.* Quam indifferentiam non tantum libertati, sed etjam voluntati, eo ipso quo voluntas est esse essentialem esse decernunt, *voluntas*, inquit Iulianus, *motus est animi in iure suo habentis utrum sinisterior ad prava decurrat, an dexterior ad celsa conscendat.* Quod magis explanat subjiciendo: *Nec est prorsus voluntas, antequam velit, nec potest velle, antequam potuerit & nolle.* Hauserat hanc voluntatis definitionem, etsi Pelagiano sensu adulteratam, ex Augustino qui libro de duabus animabus dixerat. *Quamquam si liberum non est*, hoc est, ita indifferens ut pro solo libitu velle possit & abstinere, *nec voluntas*, hoc est volitio, *dici potest.* Nam de voluntatis motu seu de volitione definienda tractabatur.

Lib. 1. operis imperf. con. Iul. fol. 150
Ibid. fol. 158
Lib. 1. operis imperf. f. 38.
Aug. lib. de duabus animabus c. 10.

Et quidem in actionibus indifferentibus, ut sunt loqui, videre, ingredi, & similibus, indifferentiam contradictionis, quam vocant, ad agendum & non agendum censebant ad rationem libertatis sufficere: Pelagius: *Quod loquor meum est*, id est, propriæ voluntatis: *& quia quod loquor meum est, utrumque facere possum, id est, & loqui, & non loqui: Quia verò quod loqui possum, meum non est, id est, arbitrij mei atque voluntatis, necesse est me semper loqui posse.*

De natura & gratia c. 45.

Cùm verò ad virtutem ac vitium ventum erat, prorsus necessariam statuebant indifferentiam contrarietatis, sive quæ est ad agendum bonum & malum. Hoc etjam in superioribus Iuliani verbis multis modis tangitur. Disertisque verbis omnes Pelagiani inculcant. Pelagius: *Volens Deus rationabilem creaturam voluntarij boni munere & liberi arbitrij potestate donare, utriusque partis possibilitatem homini inserendo proprium eius fecit esse quod velit, ut boni & mali capax naturaliter utrumque posset, & ad alterutrum voluntatem deflecteret. Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum nisi æquè etiam malum habere potuisset.* Et iterum in eadem Epistola: *liberum est unum semper ex duobus* (bonum aut malum) *agere, cum semper utrumque possimus.* Et Iulianus: *Clauderis undique disputationis tuæ laqueis, arbitrium ante Baptisma liberum fuit: facultatem habuit faciendi boni, sicut facultatem habuit faciendi mali.*

Epist. ad Demet.
Lib. 1. contra Iul. imperf. fol. 151.

Hanc porrò indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum, ut indicat in iisdem verbis Iulianus, tam essentialem esse censebant libertati ut sine illa neque bonum neque malum in moribus vel actibus intelligi posset. Hinc Pelagius: *Nec esset omninò virtus ulla in bono perseverantis si is ad malum transire non potuisset.* Et paulò inferius: *Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum nisi æque etiam malum habere potuisset.* Et infra: *Malique facultatem ad hoc tantum dedit ut voluntatem eius ex nostra voluntate faceremus.* Hoc est, ut posset verè voluntas dici qua Dei voluntatem faceremus. Hoc est enim quod mox adjungit: *Nec est quo magis rationabilis creatura cæteris præferatur, nisi quod cum omnia alia conditionis tantum ac necessitatis bonum habeant, hæc sola habeat etiam voluntatis.* Succinctè & accuratè Iulianus non modo in verbis quæ excutimus, dum dixit: *Per se bonum facere laus virtutis est, posse malum facere, testimonium libertatis*, quasi nempe aliter non esset libertas in faciendo bono nisi adesset simul potestas ad oppositum malum. Sed adhuc luculentius infra sese evolvit: *Si ergò est ut ratio prodidit, arbitrij libertas propulsatrix necessitatum, ut nemo sit vel bonus vel malus, cui non sit liberum esse contrarium.* Et clarissimè citra ullum fucum, & tergiversationem: *Catholici, id est, nos dicimus*, inquit, *quod ab initio usque ad finem sine aliquo naturalium coactu voluntas & ante baptismum in unoquoque delinquit, qua illo ipso tempore quo peccat, potestatem habet recedere à malo & facere bonum ut constet ratio libertatis.* Hoc est quod sæpius idem Iulianus cæterique Pelagiani dicunt libertatem comprehendere potestatem peccandi & non peccandi. Nam etsi hoc sonare videatur indifferentiam contradictionis, nihil tamen significat aliud quam illam contrarietatem quam

Epist. ad Demet.
Ibid.
Lib. 1. operis imperf. fol. 122.
Iul. fol. 146

Digitized by Google

quam designavimus : quippe per peccare & non peccare intelligunt ut supra dixit Iulianus, servare mandata divina vel transgredi & facere malum & bonum, peccatum & justitiam, sequi ardua asperaque virtutum vel demersa & palustria vitiorum. Hinc est enim, quod cum exprobrasset Augustino quod diceret liberam esse voluntatem, *Fol. 143.* sed *ut malum tantummodo faciat, non autem in hoc esse liberam, ut malum desistat operari*; hoc est ut non peccet; mox dilucidius hoc aperiens *despiis ergo*, inquit, *genus hominum per liberum arbitrium, nihil aliud quam peccare, nec aliud posse facere; per quod absolute pronuncias, humanam naturam unum semper cupere, quod malum est, & velle non posse contrarium.* Neque minus manifeste aliquanto inferius cum dixisset: *Fol. 151.* *Si ergo responderis, sic fieri post baptisma liberam voluntatem, ut & peccare & non peccare posit, hoc ipso pronunciabis liberam non fuisse, cum utrumque non poterat*: continuo exponens quid intelligat per non peccare, subjicit quasi contrarium Augustino: *Facultatem habuit faciendi boni, sicut facultatem habuit faciendi mali.*

Eodem plane modo Pelagius multis annis ante Iulianum ex vi libertatis hoc collegerat: *quia non peccare nostrum est*, hoc est, ut paulò ante exposuerat nostri arbitrij & voluntatis, *possumus peccare & non peccare.* *Lib. de nat. & gratia c. 49.* Et ut intelligeremus per hæc duo, quæ contradictoria videri possent, non nisi contraria intelligi, exprimit alibi clarius: *Quod bene vel agimus vel loquimur vel cogitamus nostrum est, quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus.* *De gratia Christi. c. 4.* Nec mirum sane, qui enim deliberata voluntate non peccat, maxime inter vetitum præceptumque constitutus. (prout ille conflictus de libertate cum Pelagianis intelligitur) quid eum, nisi rectè agere judicaverimus?

Ex hoc ergo fonte proficiscitur, quod cum Divus Augustinus in libris de duabus animabus istam primi peccati, quale primi hominis fuit, definitionem protulisset: *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat & unde liberum est abstinere*, *Lib. de duabus animab. c. 11.* avidissime Iulianus eam contra peccatum originale arripuit: *O lucens*, inquit, *aurum in stercore! Quid verius, quid plenius dici à quoquam vel orthodoxo potuisset?* *Iul. lib. 1. operis imperf. fol. 37.* nimirum quod inde sequi videbatur non tantum primum, sed omnino peccatum esse debere liberum ad contraria. *Ibid. f. 38.* *Voluntas enim*, inquit, *est motus animi in jure suo habentis, utrum sinisterior ad prava decurrat an dexterior ad celsa contendat.* Et inferius: *Hæc igitur voluntas quæ alternatur, originem possibilitatis in libero accepit arbitrio, ipsius vero operis existentiam à se suscipit: Nec est prior voluntas antequam velit, nec potest velle antequam potuerit & nolle. Nec utrumque habet in parte peccati, id est, velle & nolle antequam usum rationis adipiscatur; quibus collectis apparet te verissime definisse peccatum esse voluntatem retinendi vel adipiscendi.* (ita legendum loco amittendi)

A *quod justitia vetat & unde liberum est abstinere.* Quibus verbis luce meridiana clarius exprimit, libertatem in moribus humanis utramque contrarietatis partem amplecti, & hoc sensu à peccatis liberum esse abstinere, quia non ei necessitas imponitur partis alterius, sed dum peccat voluntate mala bonam voluntatem potest suscipere. Imo ne quidem voluntatem esse posse, sive volitionem, nisi adsit illa potestas oppositi boni & mali.

Ex ipsoem initio citatis Iuliani verbis vides, istam indifferentiam contrarietatis ita ab ipsis fuisse prædicatam, ut etiam ipsam mali perpetrandi potestatem utilem atque bonam esse constituerent, nempe quia, inquit, *testimonium est libertatis*, in bono scilicet, adeoque ex ea digniorem hominem fieri. Audi Pelagium fidelissimum suæ sententiæ interpretem: *Quod tamen ita sit hoc quoque ipsum quod etiam mala facere possumus, bonum* *Epistola ad Demet.* B *est, bonum inquam, quia boni partem meliorem facit. Facit enim ipsam voluntariam sui juris non necessitate devinctam, sed judicio liberam.* Audin præcinentem discipulo præceptorem? Ejus est & illud: *Si diligenter retractes & ad subtiliorem intellectum cogas animum, hinc* (scilicet hac indifferenti possibilitate) *tibi melior status hominis ac superior apparebit, unde putabatur inferior.*

Huc respexit ille limpidissimus Pelagianismi fons, qui dixit: *Natura quæ potest peccare, sicut & non peccare, si semper vinceret illi natura præponenda erat, quæ ideo non peccat, quia impossibilis est*, (hoc est Deo) *non enim magnum videretur non peccare, quia non potest. Magnificum autem si cum posset peccare non peccaret.* *Autor qq. utriusque Testam. q. 109.* Vides diabolicam illam superbiam hic emicare, quasi vero Angeli qui steterunt, quia cadere sive peccare potuerunt Deo idcirco C præferantur.

Huic igitur libertati ad bonum & malum, nihil perinde repugnare statuebant quam necessitatem. Hinc namque est, quod ejus essentiam Iulianus in possibilitate utriusque partis collocat, quam *expertem cogentis necessitatis* nuncupat, quod eam fato, *Chaldeorum supputatione & Manicheorum* phantasijs, qui malum naturaliter fieri non libera voluntate somniabant, superiorem esse gloriatur. Hinc est quod vocat eam *propulsatricem necessitatum*, *Lib. 1. operis imperf. f. 120* quod *neminem velit ab intentione propria necessitate revocari.* Quod absurdissimè putet *exclusa libertate boni vel mali cuiquam necessitatem incumbere*: *Fol. 140.* Quod Augustino exprobrat acerbissimè, liberum ab eo arbitrium, *ante mali, postea boni necessitate subverti.* *Fol. 153.* Hinc est quod omnem arbitrij *captivitatem ad unam partem* sive boni sive mali exhorret, tanquam isti utriusque partis naturali possibilitati, & libertatis D quasi æquilibrio ex diametro repugnantem. *Possibilitas*, inquit, *est ad hoc solum excubans ne homo vel in peccatum à quoquam impellatur vel à peccato abstrahatur voluntate captiva, quam non posse capi, si dedi ipsa voluerit testatur fortitudo.*

Fol. 113. Et iterum alibi: *Vt enim ipsa verba iungamus quod liberatur captivum est, quod captivum est, liberum non est, quod liberum est, captivum non est.* Ecce quàm capitalem inimicitiam inter libertatem arbitrij & captivitatem in bono aut in malo esse docet. Et insultans propter illam contradictionem manifestam Augustino, *duo ista qua iungis*, ait, *liberum & non liberum est, id est, liberum & captivum, illi quidem rei de qua agimus* (libero arbitrio) *convenire non possunt. Tibi vero stultitiam singularem, impudentiam novam, impietatem veterem* (Manicheorum significatam vult) *adesse testantur.* De qua necessitate vide plura ubi de peccati definitione tractavi.

Hanc autem necessitatem subinde *coactionem* vocat. Non enim tam intelligit coactionem proprie dictam quæ fit renitente voluntate, quàm illam ad vnam partem addictionem, sive captivitatem, qua liberum arbitrium non nisi bonum, vel non nisi malum velle posse diceretur; sive voluntate suâ reniteretur, sive non. Nam Pelagius: *Quem tantum*, inquit, *iustitia executorem Dominus voluntarium esse voluit non coactum: Et ideo reliquit in manu consilij sui.* Et ne quis hæreret quid coactio sibi in voluntate vellet, facem ipse prætulit: *Providendum est ne ideo non vere bonum factum hominem putes, quia is facere malum potest, nec ipsa natura violentia astringatur ad immutabilis boni necessitatem.* Vbi omnia confundens & naturam, & violentiam, & astrictionem, & necessitatem, & immutabilitatem actionis bonæ, satis superque docet hoc se vocare coactionem, quæ ad unam siue boni, sive mali partem affigit, ita ut ad contrarium, ut ipse latius deducit, transire non possit. Cui consentit in eadem intelligentia Iulianus. Nam quodam loco: *Vos*, inquit, *dicitis Catholicam hanc fidem esse, ut liberum confiteatur arbitrium, sed per quod homo malum facere cogatur, & bonum velle non possit.* Vbi bonum velle non posse, est idem quod *cogi malum facere*. Quod alibi sæpe vocat *necessitatem mali*; alibi, *in peccatum carnis sua necessitate cogi*. Alibi permiscet omnia, coactionem, necessitatem, naturam, & unum tantum posse: *Si*, ait, *libertas arbitrij primo est eversa peccato, & in omni deinceps hominum genere, manca ideo remansit, ut non sit ei possibile nisi tantummodo malum facere, non hoc habeat in facultate electionem partis alterius, id est recedere à malo & facere bonum, sed iniquitatis necessitate depressa appetentia criminum parere compellatur: Si facta sunt naturalia qua fuerant voluntaria.* Et quodam loco exponens id quod reprehenderat, voluntatem sic esse liberam, ut vel malum tantummodo velle cogeretur: *Si*, inquit, *responderis, sic fieri post baptisma liberam voluntatem ut & peccare & non peccare possit, hoc ipso pronuncia bis liberum arbitrium non fuisse, cum utrumque non poterat*, pro iisdem habens *cogi* & *utrumque non posse*. Itaque male vocari coactionem ad bonum, quando malum velle non potest. Declarat idem Augustinus, quia *qui cogitur, non vult, & quid absurdius quam ut dicatur nolens velle quod bonum est?* Vnde ipse Iulianus interpres sui factus coactionem necessitatemque conjunxit, cum dixit: esse possibilitatem illam *expertem cogentis necessitatis*, utpote, *qua in suopte iure habet, utram suggerentiæ partem sequatur.* In hoc enim libertatem illam arbitrij essentialiter collocarunt unanimiter Pelagiani, quod homo habeat; ut ipsi loqui subinde solent, *ut suopte iure, in suaque potestate*, utramlibet partem sequi, & nemine in alterutrum *impellente* necessitatis alicujus impulsu, maneat *voluntaria, sui iuris, non necessitate devincta*, sed *iudicio libera* electio boni aut mali.

Epist. ad Demetr.

Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. fol. 115.

Lib. 1 fol. 153. & 154

Lib. 1. ad Bonif. c. 2. & lib. 2. fol. 30.

Lib. 1. operis imperf. fol. 151.

151.

Locus supra citato.

In libertate arbitrij imago Dei, ideo inamissibilis. Quædam de naturali possibilitate boni.

CAPVT SECVNDVM.

Neqve vero mirum cuiquam videatur Pelagianos ita de arbitrij libertate decernere; in hac enim indifferentia ad eligendum bonum aut malum imaginis illius rationem ad quam homo conditus est, & humanæ conditionis decus supra cætera animantia constitutum putant. Pelagius non obscurè præfert: *In hoc gemini itineris discrimine, in hac utriusque libertate, rationabilis anima decus positum est. Hinc, inquam, totus natura honor consistit, hinc dignitas, hinc denique optimi quique laudem merentur, hinc præmium.* Nec aliud sane voluit Iulianus, cum ad astruendam illam boni malique libertatem quasi rationem ex ipsa hominis conditione petens, addidit: *Factum est enim animal rationale mortale, capax, virtutis & vitij.* Sed clarius longe alibi: *Secundum* (gratiæ munus) *quod ut viventibus sensu ita sentientibus rationem præstamus, qua impressa est anima, ut conditoris imago diceretur. Ad cuius æque respicit dignitatem arbitrij concessa libertas.*

Epist. ad Demetr.

Iul. lib. 1. operis imperf. fol. 118.

Fol. 138.

Cum igitur sui conditoris imaginem nullo conatu sive hominis ipsius sive dæmonis deleri ex homine posse cum Catholicis faterentur, ex hoc fonte fluxit quod istam jam descriptam hominis conditi libertatem seu naturalem possibilitatem boni quam acceperat nullo peccato amitti posse, sed sub quibuscumque tandem delictis delictorumque consuetu-

Digitized by Google

consuetudinibus integram perseverare contenderent. Audite hoc identidem inculcantem Iulianum: *Nos dicimus liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, nec Ada peccato perire potuisse. Quod scripturarum omnium autoritate firmatur.* (Lib. 1. ad Bonif. c. 15.) Quæ erat omnium Pelagianorum invidiosissimis vocibus frequentata cantilena. Vnde gravissimè Augustino & Ecclesiæ Catholicæ tanquam Manichæorum tinctis fuligine exprobrabant, quod liberum arbitrium primi hominis peccato perijsse confirmarent. Vt eodem libro: *Dicunt illi Manichæi, quibus modo non communicamus, id est toti isti cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est, Adæ, liberum arbitrium periit.* (c. 2.) Et petulantius alibi: *Non parum hic immorati sumus, ut ostenderemus, certissimum esse quod dixeram, quia negarent liberum arbitrium homines qui vestro jussissent sermone deterriti, & in verum exitium vana formidine truderentur, teque esse præcipuum arbitrij liberi negatorem.* (Lib. 3. operis imperf. cont. Iul. f. 164.) Quo opprobrio non idcirco Catholicam Ecclesiam ejusque defensorem strenuissimum Augustinum aspergebant, quod dicerent putarentve, facultatem illam quæ liberum arbitrium nuncupatur ex humana natura peccato perijsse, sed quod possibilitatem illam naturalem boni, seu illam indifferentiam ac libertatem ad bonum ac malum, quam ei Pelagiani ut vidimus essentialem esse statuebant, sublatam crederent ac docerent. Contra istam Catholicorum opinionem clamabat Iulianus, *Deum justum*, sive ante peccatum Adæ, sive post, *ad bonum opus liberum hominem condidisse*; (Lib. 2. operis imperf cont. Iul. f. 115.) & ne quid scrupuli superesset quid sibi vellet illa libertas conditionis, adjicit: *Et esse in uniuscuiusque potestate recedere à malo ac studijs splendere virtutis.* Et iterum alibi: *Liberum autem arbitrium & post peccata tam plenum est quam fuit ante peccata.* (Lib. 1. f. 131) Multò fortius & clarius: *Nos dicimus peccato hominis non naturæ statum mutari*, (Ibid. f. 141.) quasi aliquid in ipsa liberi arbitrij natura internisque ac naturalibus dotibus mutaretur, *sed meriti qualitatem*, nempe ut fiat ex justo injustum, & ut naturalem illam boni malique possibilitatem atque indifferentiam salvam illæsamque esse intelligeremus, seipsum exponit: *id est, & in peccante hanc esse liberi arbitrij naturam, per quam potest à peccato desinere* (rectè vivendo) *quæ fuit in eo ut posset à justitia deviare.* Hinc est quod vociferabatur *nullum malum* quo arbitrium esset vitiatum, *hominis esse congenitum.* (Lib. 1. Oper. imperf. cont. Iul. fol. 166) Hinc inculcabat non aliter reddi posse libertatem arbitrij si peccato fuisset læsum, nisi reddita illa possibilitate ad bonum, quæ est ad malum. *Si*, inquit, *Adam præter voluntatis opus, ipsius naturæ instituta subverterat, per Christi gratiam liberum baptizatis esse reddendum arbitrium ut per correctionem naturæ expulsa lege peccati tam possibile confiteremur esse mortalibus nitere splendore virtutum, quam sordibus horrere vitiorum.* (Lib. 1. fol. 191.) Quæ verba magna ex parte ex magistro Pelagio mutuatus est Iulianus. Tradidit enim Pe-

A lagius hanc doctrinam tanquam dogmati universo præcipuam & capitalem: *Habemus*, inquiebat, *possibilitatem utriusque partis à Deo insitam, velut quandam ut ita dicam radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis*, (solo scilicet nutu ejus) *diversa gignat & pariat, & quæ possit ad proprium cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.* (Pelag. lib. 1. de lib. arb. apud Aug. lib. de gra. Christi c. 18.) Quare ut omnem Christianæ gratiæ necessitatem funditus tolleret, illam naturalem bene vivendi sive non peccandi possibilitatem quæ homini in sua conditione perinde ut delinquendi concessa fuerat, aut tri peccato nullo modo potuisse commentus est: *Dicimus*, inquit, *cujusque rei possibilitatem non tam in arbitrij humani potestate, quam in naturæ necessitate consistere.* (Lib. de natura & grat. c. 45.) Quam sententiam cum naturalium sensuum visus auditusque exemplo probavisset, *simili ergo modo*, ait, *de non*
B *peccandi*, hoc est bene vivendi *possibilitate intelligendum est: quod non peccare nostrum sit, posse verò non peccare non nostrum.* (Ibid. c. 48.) *Quia verò posse non peccare nostrum non est, etsi voluerimus non posse non peccare, non possumus non posse non peccare.* (Ibid. c. 49.) Hoc est ut planius exprimit Augustinus, *seu velimus seu nolumus possumus non peccare. Quia*, addit Pelagius, *nulla adimere voluntas potest, quod inseparabiliter insitum probatur esse naturæ.* (Ibid. c. 50.) En sensum Pelagij dilucidis verbis expressum: quod illa naturalis non peccandi possibilitas, sive illa possibilitas bene vivendi per liberum arbitrium, quam sicut & male vivendi homini Deus in ortu suo contulerat, nulla animi posset voluntate, quia inseparabiliter humanæ naturæ cohæreret. Quam suam sententiam ut planissimè caperemus alijs verbis in opere suo postremo quod ad Pontificem Innocentium de libero arbitrio quatuor libris comprehensum suæ purgationis ergo de-
C stinaverat, luculentè consignavit; *Liberum*, *mihi est, nec voluntatem bonam habere, nec actionem, nullo autem modo possum non habere possibilitatem boni. Inest mihi etiam si noluero, nec otium sui aliquando in hoc natura recipit.* (Lib. de grat. Christi c. 4.) Vides hanc possibilitatem bonæ voluntatis & actionis naturalem, ideoque inseparabilem statui. Neque mirum profectò. Nam hoc est, quod Pelagium supra dixisse diximus: *Quod volens Deus rationabilem creaturam voluntarij boni munere & liberi arbitrij potestate donare, utriusque partis possibilitatem homini inserendo, proprium eius fecit esse quod velit, ut boni & mali capax naturaliter utrumque posset.* (Epist. ad Demetr.) Et quod *utrumque nos posse voluit optimus creator.* (Infra ibid.) *Et unum liberum est, cum semper utrumque possumus.* Si enim naturaliter utrumque possumus, certè naturalis erit possibilitas boni, naturalis erit possibilitas bonæ voluntatis atque actionis; naturalis erit possibilitas non pec-
D candi, quæ nihil aliud quam bene agendi possibilitatem, seu bonæ voluntatis atque actionis significari, & jam supra monstravimus, & hoc ipso quem versamus loco Pelagius suggerit. Quod enim bonam volun-

tatem atque actionem nominaverat, mox eodem loco non peccandi possibilitatem, dicit: *Cum dicimus hominem esse sine peccato, confessione possibilitatis accepta, laudamus Deum qui nobis hoc posse largitus est.* Ex quibus omnibus manifestum esse arbitror, quanto conatu Pelagiani naturalem illam boni malique capacitatem ac possibilitatem sive indifferentiam ad bonum ac malum, in qua liberum arbitrium conditum fuerat, stabilire etiam post hominis lapsum, tuerique niterentur: ut si illam internam liberæ facultatis integritatem illæsam perstitisse defendi posset salus hominis non minus post peccatum quam ante à flexu voluntatis humanæ & *volendi fonte*, ut Prosper loquitur, suspenderetur. Hoc est enim quod Pelagius velut errorem impegit Augustino, quasi docuisset: *Sic hominem factum, ut de iustitia quidem posset in peccatum ire & de peccato ad iustitiam* (eadem illa libertate) *redire non posset*. Hoc est quod dici volebant negantesque vehementer arguebant: Ex vi liberi arbitrij, *tam possibile esse mortalibus nitere splendore virtutum quam sordibus horrere vitiorum.* Hoc est quod uno ore omnes consonabant: *Liberum arbitrium & post peccata tam plenum est quam fuit ante peccata.* Huc omnes illas scripturas magno studio congerebant, quæ possibilitatis illius naturalis sive libertatis flexum ad bonum exigebant, deflexumque arguebant: *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum.* Et iterum: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et: *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos sub alas, & noluisti.* Et: *Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis; Si nolueritis & non audieritis, gladius vos comedet.* Et: *Deus ab initio constituit hominem & reliquit eum in manu consilij sui.* Per quas & similes Scripturas illam boni possibilitatem, quæ conveniebatur, vel integram perstitisse colligebant, vel stolidè ab exhortante, jubenteque conveniri. *Ecce*, inquit Pelagius, *ubi velle videmus & nolle eligere & refutare, ibi non vis naturæ*, hoc est determinatio aliqua quasi naturalis ad alteram sive boni sive mali partem ad quam arbitrium est indifferens, *sed libertas intelligitur voluntatis.*

Apud Aug. lib. de grat. Christi c. 4.
Lib. de ingrat. c. 6.
Lib. de nat. & gratia c. 23.
Lib. 2. operis imperf. f. 292
Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. fol. 131.
Ibid. f. 133.
Ibid. & lib. 4. ad Bonif. c. 2.
Lib. de perf. iust. c. 19. Et Peleg. Epist. ad Demet.
Ibid. infra

Neque vero hac solum de causa inamissibilem illam boni malique potestatem attruebant, quod eam ad primigeneam naturæ humanæ dignitatem, qua natura rationalis est, spectare crederent, sed etiam quod alioquin nulla esse possent vel bona vel mala merita; neque justitiæ divinæ æquitatem defendi posse judicarent: *Hinc*, inquit Pelagius, *optimi quique laudem merentur, hinc præmium. Nec esset omnino virtus ulla in bono perseverantis, si is ad malum transire non potuisset.* Et quod superius allegavimus ex Iuliano: *Tota ergo divini plenitudo judicij tam iunctum habet negotium cum hac libertate hominum*, videlicet cum ista indifferentia contrarietatis ad bonum & malum; *ut harum qui unam agnoverit, ambas noverit. Sic igitur & libertas humani custodiatur arbitrij*, videlicet ad bonum & malum, *quemadmodum divina æquitas custodit. Unde fit ut harum unam qui violaverit, ambas violet &c.* Hinc omnem præcepti æquitatem tolli penitus credebant, omnem auferri exhortationis instantiam, nisi esset in homine talis arbitrij indifferentia ad bonum & malum. Qua de re alibi plura dicturi sumus, quando causas propalabimus, cur Dei gratiam, quæ liberat arbitrium nostrum & facit nos operari bonum, tanto horrore aversarentur.

Epist. ad Demet. ibid.
Lib. 1. operis imperf. f. 130

De viribus liberi arbitrij quibus omnes motus animi bonos ac malos compesceret suo nutu, & moderaretur.

CAPVT TERTIVM.

IAM de viribus concreatæ libertatis videamus. Quæ quoniam, ut supra vidimus, eadem est in omnibus hominibus sive stantibus sive lapsis in sensu Pelagianorum, quidquid de unis dictum fuerit, idem omnino de alteris intelligendum est. Nullum enim in ijs quæ hominis naturam atque imaginem Dei naturalem spectant discrimen agnoscunt. Sentiebant ergo Pelagiani uno omnes consensu, tantas esse vires in hac naturali libertate, bonique ac mali possibilitate constitutas, ut quæcunque tandem à rebus sive extrinsecus irruentibus, sive intrinsecus se commoventibus vel cogitationes phantasiæque moverentur vel animi desideria motusque cierentur, quidquid tandem sive homines sive Angeli sive Dæmones, adeoque Spiritus ipse Sanctus suaderet atque suggereret, quicunque vel pietatis vel iniquitatis motus inciderent, quibuscunque passionum bonarum auris animus propelleretur vel malarum fluctibus procellisque turbaretur, nihil de suo imperij principatu domina illa libertas amitteret; sed plenissima discernendi potestate penes vim rationis ac voluntatis permanente, sola fieret ad malum bonumque suasio ac provocatio, nutus verò probandi vel improbandi, utendi & repellendi, in illa naturalis indifferentiæ liber-

tate ac

tate ac naturali possibilitate persisteret. Hanc A esse mentem eorum de primi hominis, imo etjam de lapsorum hominum libertate plenissime & Augustinus & eorum ipsorum scripta testantur. Et quidem quanta liberrimi illius nutûs potestas fuerit supra omnes animi motus atque passiones quæ ad terrena provocarent, audite fidelissimum doctrinæ Pelagianę testem Augustinum: *Epist. 95. initio* *Tantum dicunt valentem* (humanam naturam) *ut suis viribus in origine suæ creationis acceptis, possit per liberum arbitrium nihil ulterius adjuvante illius gratia qui creavit, domare & extinguere omnes cupiditates tentationesque superare.* Nec diffitentur sanè hujus testimonij veritatem Pelagiani: *Lib. contra Iul. c. ult.* *Sufficit*, inquit Iulianus, *homo ingenitis sibi motibus dare leges.* Et paulò ante de ipso & Pelagianis omnibus Augustinus: *Lib. 5. cont. Iul. c. 16.* *Ideò homines acutissimi, non modum, non genus, sed excessum voluptatis* (hoc est concupiscentiæ) *argutis* B *& exprobrandum censetis obscœnis: quia eum nostis, ut dicis, intra concessos fines animi* potestate posse retineri. Cui consonat quod procaciter eidem Augustino insultãdo dicat Iulianus *Lib. 3. cont. Iul. c. ult.* *eum mētiri, tantas esse libidinis vires, ut eam ratio regere ac frenare non possit*, significans hujusmodi impulsus quantumlibet violentos naturalis illius possibilitatis nutu humanæque libertate rationis posse frenari. Vnde alibi Augustinus: *Lib. 1 operis imperf. cont. Iul. fol. 105.* *Non viribus nostræ voluntatis, ut putas tuus* (concupiscentiæ) *obsistimus nisi divinitus adjuvetur.* Neque vires istas libertatis in solis dumtaxat nudisq; animi motibus coercendis, nutuque suo superandis sufficere arbitrantur: etjam in gravissimis corporis doloribus perferendis, dummodo illa nollet cedere, aut sese dedere vincendisque prædicabant: *Ibid. f. 121.* *Possibilitas*, ait Iulianus, *est ad hoc solum excubans ne homo vel in peccatum à quoquam impellatur vel à peccato abstrahatur voluntate captiva, quam non posse capi si dedi ipsa noluerit testatur fortitudo, cujus lacerti in contemptu* C *dolorum & per Gentiles & per Christianos assiduè claruerunt.* Ex quibus satiatissime constat nullos sive dolores sive passiones animi, quæ corporum dolores solent cruciatusque comitari, posse, autoribus Pelagianis imperium illius naturalis possibilitatis infringere, aut ad alteram partem, quasi captiva voluntate rapere aut inclinare. Quod non minus exertè Pelagius inculcat: *Epist. ad Demetriad.* *Duo sunt ex omnibus vitia quæ maxime homines decipiunt, gula, scilicet, & libido, quæ deponere eo difficilius est, quo eis uti dulcius. Et tamen hæc vitia tam molesta, tamque delectione sui periculosa, ita à multis calcari videmus, ut tota ætate virgines manserint in summa abstinentia.* Et ut vires illius ingenitæ possibilitatis agnosceremus, *Ibid. infra* *Da*, inquit, *tantam in cæteris magnitudinem animi, & vide quid non possis efficere. Sed nos, proh pudor! quadam delectatione peccati cum in quibusdam ostendimus quandam vim naturæ, in alijs omninò torpescimus.* Et clarius paulò superius contra querelas difficultatum: *Ibid.* *O profanam temeritatem duplici ignorantia accusamus Deum scientia ut videatur nescire quod fecit, nescire quod jussit, quasi oblitus fragilitatis naturæ, cujus autor ipse est, imposuerit homini mandata quæ ferre non possit.* Et ut nihil dubitationis de naturalis illius possibilitatis facultate remaneret: *Ibid. supra* *Nemo magis novit mensuram virium nostrarum quam qui ipsas vires nobis dedit. Nec quisquam melius, quantum possimus, intelligit, quam qui ipsam virtutem, qua possit donavit*, largiendo videlicet tantæ potestatis naturam ac libertatem.

Cæterùm quid de potestate libertatis in passionibus quæ ad terrena incitant frænandis asserebant, idem omninò fieri intelligebant in ijs quæ nos ad bona & cælestia capienda provocabant. Eandem enim omninò in omnibus coercendis animi naturalem possibilitatem esse statuebant, nam hinc est quod Pelagianorum omnium vox erat: *Lib. 1. ad Bonif. c. 18.* *Hominem opus Dei defendimus, nec ex ullius potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi.* Et iterum illa omnium clarissima, quam jam reddidimus apud Iulianum: *Lib. 1. operis imperf.* *Possibilitas est ad hoc solum excubans ne homo vel in peccatum à quoquam impellatur* (nempe per concupiscentiam) *vel à peccato abstrahatur* (per ullos immissos bonos animi motus) *voluntate captiva: quam non posse capi, si dedi ipsa noluerit testatur fortitudo.* Quid evidentius dici potest de illa possibilitate in utramq; partem supra omnes sive bonos sive malos animi motus qui ad alliciendum extorquendumve volũtatis nutum sæviunt aut blandiuntur? Sic enim trahi in alteram partem ut quasi in illam captivata voluntas inclinetur, fieri non posse dicertissimè confitetur.

Indeliberatos animi Motus bonos ac malos salva manente libertate admittunt Pelagiani.

CAPVT QVARTVM.

NAM hujusmodi etjam bonos motus ac desideria in animũ incidere posse, nulla erat omnino apud Pelagianos disceptatio. Hinc est enim quod Iulianus admittit amorem boni quem homo suę libertatis possibilitate concepit, etjam à Spiritus Sancti inspiratione magis inflammari: *Iul. lib. quem scripsit de amore ap. Bedam in cantica.* *Ad eam*, inquit, *magnitudinem atque pulchritudinem studijs procedit ac meritis, ut generosum eius ignem gratia Spiritus Sancti incipiat ventilare.* Hoc est ut Beda exponit, sicut lucentem ignem ventus spirando juvat ut amplius ardeat, & magis magisque flammescat. Sed ne quis suspicaretur aliquid per hoc naturali isti animi possibi-

possibilitati ac libertati in utrumque detrahi, A ibidem præmonet amorem nostrum ac solius animi moveri arbitrium, *& in actibus suis habere incitamenta, ut perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem.* Hoc est, Beda quoque interprete, *in arbitrio animi nostri situm, cui se amori, vel quo amori subdiderit.* Illos enim boni malique titillationis ac motus *breves impetus*, vocabat Iulianus, post quos deliberato animi appetitu surgente virtutis, vitijque libera electio emicaret. Audi Iulianum hoc disertè tradentem: *Cum vero desit facultas per quam in proximos vis secreta voluntatis erumpat, in ipsa tamen voluntate quæ aliquid vel boni vel mali, non impetu brevi sed cogitatione, appetituque patraverit, vel benignitatis est ratio imputata vel malignitatis.* Vbi impetus illos breves indeliberatorum motuum deliberatæ cogitationi atque appetitui opponit.

Ibid.

Lib. 1. oper. imperf. fol. 119. & 120.

Et sane quomodo de hac Pelagianorum B opinione, qua bonos animi motus ac desideria salva manente illa indifferentiæ libertate admitterent, ab ijs qui principia doctrinæ Pelagianæ penetrarunt, vel dubitari possit ignoro. Nam in primis quidquid ante liberum voluntatis nutum in animum incideret, non nisi provocationem quandam vel adjutorium vel occasionem datam ad bonum & malum, minimè verò coactionem, ut loquebantur, vel necessitatem alterius partis impositam esse censebant. *Motus animi* (scilicet, liber, ait Iulianus) *cum rapi est, qui per ætatem judicio rationis uti potest, cui cum pars a monstratur & gloria, aut contra commodum vel voluptas, adjutorium & velut occasio offertur, non necessitas imponitur parti alterius.* Quod de ipsis internis etiam cupiditatibus eum intelligere clarissime explicat in eodem libro inferius: *Hanc voluptatem & concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse, res illa declarat, quia ad delictum via per concupiscentiam fuit.* C *Quæ cum pomi decore oculos incitasset, spem etiam jucundi irritavit saporis: non ergo potuit hæc concupiscentia quæ cum intra limitem concessorum tenetur affectio naturalis & innocens est, fructus esse peccati, quia docetur non sua quidem vitio, sed voluntatis, occasio fuisse peccati.* Quod Augustinus mox exponit, provocationem fuisse peccati. Qui igitur malas cupiditates tantum occasiones peccatorum esse sentiebant quibus libertas provocata nutus suos exereret, quis ambigat eos etiam bonas cupiditates veluti adjutorium, & provocationem, occasionesque virtutis, utpote salvo illo libertatis nutu, non respuisse. Cum attestante omnium sanæ mentis hominum experientia longe facilius sit, bonos motus quibus animus erigitur & elevatur, solo libertatis nutu premere, ne sursum evolet, quam illos sævientium passionum impetus salvâ naturali possibilitate tranare atque comprimere, ne deorsum ruat. Quod clare Iulianus indicat D eodem libro cum negat gratiam operari ut

Lib. 1. oper. imperf. fol. 38.

Ibid. fo. 100

Fol. 102.

adjutorijs fabricetur quæ fuerat distincta libertas, ut aliquando ea exclusa, vel boni vel mali cuipiam necessitas credatur incumbere, verum ut arbitrio omne adjutorium cooperetur. Vult enim nullos gratiæ, quam Augustinus prædicabat, motus sic incidere in arbitrij libertatem ut ea quasi ante non esset suscitata fabricaretur, sed ita ut arbitrij libertas in suo vigore in perioque permanens, per eam provocata, si uti vellet cooperante, juvaretur, non necessitate aliqua in alteram partem flecteretur. Quam doctrinam & exprimendi modum hauserant ab Origene qui accuratissime hoc nativæ libertatis imperium eodem prorsus modo supra omnes animi incidentes motus, velut boni malique occasiones exponit. Nam cum late deduxisset, quosdam in humana natura insitos esse libidinis, tristitiæ, cupiditatis, iræ, motus, ab inimica virtute docet eos promoveri ac dilatari, nobis hominibus occasiones & initia præbentibus peccatorum. Quibus animi motibus ad bonum malumve nos concitantibus nutu rationis dicit nos adversari atque eos ad bona vel mala gubernari. Et omnium clarissime sub finem capitis secundi libri primi: *Nihil aliud putandum est accidere nobis ex ipsis quæ cordi nostro suggeruntur bonis vel malis nisi commotionem solam & incitamentum provocans nos ad bona vel mala. Possibile autem nobis est, cum in aliquo virtus nos cœperit ad malum incitare, abjicere a nobis pravas suggestiones, & resistere suasionibus, & nihil prorsus culpabiliter gerere.* Et rursum: *Possibile est ut cum nos divina virtus ad meliora provocaverit, non sequamur, liberi arbitrij potestate in utraque nobis servata.* Quo verisimile est respexisse Pelagium quando locum illum Apostolicum, caro concupiscit adversus spiritum, interpretatur, carnalis consuetudo adversus spirituale desiderium. Quæ quidem eo consilio ex Origene adduximus ut ex conformitate doctrinæ phrasium ac verborum eluceret, quo pacto juxta Pelagianos arbitrium non minus bonis quam malis motibus in animo suscitatis nativæ libertatis imperio dominaretur, atque resisteret. Quod sane principijs Pelagianis de animi quibuscumque passionibus ad amussim respondet. Nam sicut cibus & potus cæteræque res externæ omnes, de sese indifferentes arbitrij libertati subjacent ut ijs naturali sua potestate atque nutu modum tenendo utatur, vel excedendo abutatur, ita prorsus internos animi motus ejusdem imperio substratos manere decernebant. Quo profecto non raro allusisse Iulianum facile est scripta ejus volventi animadvertere, contra quem Augustinus: *Vt quod eam comparamus vino & cibo & aliquid nobis dicere videmur, quia dicimus, nec vinum ebrietas, nec cibum condemnat crapula, nec concupiscentiam infamat obscænitas:* videlicet quia ibidem Iulianus solum in omnibus istis excessum, qui voluntate fieret, in culpa esse dicebat.

Lib. 3. Periarchon c. 2.

Lib. 2. Periarch. c. 1. late.

Idem lib. 1. cap. 2.

Ibid.

Lib. 4. cont. Iul. c. 14.

Idem

igitized by Google

Idem uberius ex Principijs Pelagianorum declaratur de motibus bonis.

CAPVT QVINTVM.

Denique quid causæ excogitari posset cur Pelagiani potiùs motus animi ad bonum incitantes quàm ad malum exhorrescerent, planè non video an fortè quod illa naturalis libertas in discrimen vocaretur? At illa in malis victrix & illæsa persistebat. An quod naturalis illa boni possibilitas læderetur? At illa potiùs occasione bonorum motuum adjuta & provocata expeditius vires explicabit ingenitas. An quod ita divinæ gratiæ adjutorium bonis operibus interponerent? Qui ita censet, nondum usque ad fundum Pelagianorum principia penetravit. Pelagiani namque Philosophis non absimiles hominem naturaliter bonum conditum statuebant, qui sicuti naturæ possibilitate & viribus poterat indifferenter bonas actiones facere non minus ac malas, ita desideria ac motus, qui ad utramque partem cierentur ut ijs concitatus animus vel virtutem coleret, vel se blanditijs carnalibus dederet, itidem prorsus naturales esse naturæque consentaneos arbitrabantur: quorum ista ex ea parte qua brutis sociamur, illa ex ea qua Deo atque Angelis jungimur veluti ex suo quæque fonte scaturizat. Hæc enim sunt illa decantata virtutum semina, quæ omnes Semi-Pelagiani animo naturaliter insita fuisse tradebant. *Est enim* (ait Pelagius) *in animis nostris naturalis quædam ut ita dixerim sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens, exercet mali bonique judicium, & ut honestis, rectisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat.* Quæ de seminibus istis virtutum naturalibus, naturalique sanctitate doctrina omnibus Pelagianis communis fuit, ut infra videbimus, tamquam dogmatibus novis firmandis aptissima. Hæc tamen semina docebant vocatione aliqua externa vel interna suscitari & provocari, ut ex naturali illa possibilitate opus bonum sequeretur. Atque ita vocatio quidem & provocatio erat gratuita sed ipsæ boni et pietates ac desideria ex bono naturæ fundo prosilientia, sicut ipse voluntatis nutus, quo probaret ea vel improbaret, naturę ipsius erat & naturalis arbitrij fœtus. Neque enim ulla sinebat rerum ratio, ut sensitivus appetitus solo aspectu visibilibus provocatus illecebris incongenitos sibi impetus ex rerum cognatarum titillatione emicaret, & illa nobilior animi pars, naturalis institutionis beneficio, ut aiebant, ad omnem æquitatem propensa atque justitiam, ita esset sive sterilis sive maledicta, ut lege culta, minarum terrorumque commotionibus agitata, promissionum rore perfusa, nubibus Apostolicæ prædicationis compluta, rerum denique pulcherrimarum luce perstricta & calore fota, non vicissim posset per luculenta illa naturalium virtutum semina in aliquod hujusmodi exile germen *naturalis illius sanctitatis* erumpere. Quis enim non videt longe sublimioris esse potestatis argumentum plena voluntate judicioque in ipsum virtutis apicem involare, quam indeliberata, imperfectaque quadam voluntatis motitatione, & quasi suspirio, quemadmodum voluntatis inefficaciam, ita naturæ bonitatem, propensationem, sanctitatemque testari? Quò enim sive consuetudine sive naturali institutione propensus est animus, eò etjam vel sola cogitatione perstrictus nescio qua vi magnetica velut ad polum suum delectabili quodam nutu vergit, suasionibus verò & promissis accensus magno impetu rapitur, nisi fræno arbitrij violentiore reprimatur.

Quod quidem quemadmodum rerum probat experientia & naturalis ratiocinationis consequentia, non tamquam abstrusum erat, sed velut in promptu positum certissimumque intuetur, ita celerrima illa ingenia tanquam principijs doctrinæ suæ quam maxime consentaneum vidisse non est dubium, imo monumentis litterarum suarum sæpius insinuasse, quia ex professo nunquam in disputationem venerant, adeoque expressiùs satis dilucidè deprehenduntur. Quid enim aliud vult indicare Iulianus quando in gentilium excusationem clamat; *ut magis rei videantur qui fuerint præcepta trāsgressi, quam qui sine legis admonitu actionis ingenita dissimulatione deliquerint, nisi quod affectus quidam naturalis honestatis ingeniti sint, quos gentiles contemnendo deliquerint.* Continuo namque quasi se exponendo subjungit: *ut quibus lex data non est, intelligantur non esse præcepta transgressi, rei autem convincantur, quoniam negligentes rationem quam proprij in unoquoque protestantur affectus vel humanæ societatis vel pudoris jura temeraverint?* Quid aliud convenientius ab ipso Pelagio significatum judicabimus, quando dixit: *Caro concupiscit adversus spiritum, hoc est, carnalis consuetudo adversum spirituale desiderium. Quamdiu vero duplex in nobis est desiderium vel voluntas non perficimus quæcunque volumus uno ædificante in nobis & alio destruente.* Quid denique apertius hac de re intelligentibus dixeris, quam quod Pelagius quodam loco dixit: *Operatur in nobis* (Deus) *velle quod bonum est, velle quod Sanctum est, Dum nos &c. futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne quod bonum est.* Vbi quidem nullam Dei gratiam in animo operantem, nisi promissionis, revelationis, sapientiæ, & suasionis agnoscit, sed per hæc ipsum animum naturaliter bonum, & semina illa virtutum in desiderium Dei per seipsa videlicet suscitari. Quemadmodum hæc ex principijs Pelagij

Marginal notes: *Epist. ad Demetr.* — *Peleg. supra in cit. Epist. ad Demet.* — *Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. fol. 396.* — *Ibid. f. 397.* — *Lib. de grat. Christi c. 10.*

lagij necessario suscitari ante demonstravimus, satis liquido videtur profiteri. Sed luculentius hoc declaravit Cassianus seminum istarum virtutum naturalium peritissimus artifex: exponens Apostolicum locum, caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem: *In hoc loco carnem non hominem, id est, hominis substantiam sed voluntatem carnis & desideria debemus pessima accipere: sicut nec spiritum quidem aliquam rem substantialem, sed animæ desideria bona, & spiritualia designari.* Et latius depicta ista luctationis miseria: *inter utras igitur utrasque concupiscentias* (addit) *animæ voluntas* (hoc est liberum arbitrium) *in medullio quodam vituperabiliore consistens, nec vitiorum flagitijs oblectatur nec virtutum doloribus acquiescit.* Describit enim statum hominis quasi tepidi qui neutris vult ex toto, vi libertatis acquiescere. Sed omnium accuratissime Pelagianorum omniũ origo Origenes hæc mysteria propalavit: *frequenter in Scripturis invenimus & à nobis sæpe dissertum est, quod homo spiritus, & corpus, & anima esse dicatur, verùm cum dicitur quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, media procul dubio ponitur anima, quæ vel desiderijs spiritus atquiescat vel ad carnis concupiscentias inclinetur.* Quid manifestius? Spiritum enim vocat non more Catholico Spiritũ Sanctum, sed Pelagiano, legem naturæ, quam mentibus Spiritu Dei vivi ex institutione, ut ipse loqui solet, creatoris impressum gerimus. Vt tamen magis ista caperemus duos Angelos bonum ac malum hinc inde suum cuique parti colluctanti apponit, ut anima quasi in medio collocata cui velit adhæreat: *Non enim vi*, inquit, *res agitur, neque necessitate in alteram anima declinatur: alioquin nec culpa eius nec virtus posset ascribi, nec boni electio præmiũ nec declinatio supplicium mereretur: sed servatur & in omnibus libertas arbitrij ut in quodcumque voluerit ipsa declinet.* Quibus quam belle in omnibus concinat Cassianus, audite: *Dubitari ergò non potest inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creationis inserta, sed nisi hac opitulatione Dei fuerint excitata* (exhortatione scilicet angelica vel humana) *ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire. Adiacere autem homini in quamlibet partem arbitrij libertatem, etiam liber ille qui dicitur pastoris apertissime docet, in quo duo Angeli unicuique nostrum adhærere dicuntur, id est bonus ac malus, in hominis verò optione consistere ut eligat quem sequatur.* Quæ omnia ex Origenis periarchon esse derivata, qui librum ejus secundum legerit facilè deprehendet. Nequis verò benignior suspicaretur more Catholico, illum Spiritum qui istos bonos ac spiritales affectus suscitat esse Spiritum Sanctum per veram gratiam cordibus sui desideria inspirantem, ex

Collat. 4. c. 11.

Orig. in Ep. ad Rom. in illud c. 1. Tradidit eos Deus in desideria &c. fol. 302.

Ibid.

Cassian. Collat. 13. c. 12.

C. 2. vers. fin. & alibi passim in Orig.

A eodem Origene, quem Cassianus imitatus est, purissimum, putissimumq; Pelagianismum accipite: *Ideo namque in quo concupiscit caro adversus Spiritum, id est, adversus legem, quæ dicit non concupisces, etiam adversatur ei, & certamen quoddam erit.* Vbi non nisi legem naturalem vult esse, Spiritum, contra quem concupiscit caro. De quo paulò superius dixerat cur Spiritus vocaretur: *Illa lex*, nempe naturalis, *non concupisces, de qua frequenter diximus, quæ in hominum cordibus scripta est, non atramento, sed Spiritu Dei vivi, & docet quid agendum sit quid cavendum: ipsa est ergò per quam cognoscat homo peccatum suum.* Et rursum alibi: *hoc est quod sentire* (gentes) *naturaliter possunt, verbi gratia, ne homicidium, ne adulterium faciant* &c. Fortassis & quod Deus unus creator sit omnium scriptum est in cordibus gentium &c. *Hoc est ergo opus legis, quod etiam gentes*, dicit Apostolus, *implere*
B *naturaliter posse. Cum enim agunt quæ legis sunt, scripta videtur lex in cordibus eorum à Deo, non atramento sed Spiritu Dei vivi.* naturalis, scilicet, conditionis beneficio: quod sine ambiguitatis fuco, alio in loco dicit: *Magis ergo illud in hoc loco debet intelligi esse (ut sæpe iam diximus) legem naturæ, quæ scripta est non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, non atramento sed Spiritu Dei vivi.* Sed quid opus est pluribus? Origenes passim hujusmodi doctrina plenus est, ut non sit opus pluribus commemorandis immorari. Neque verò Pelagij tantùm, Cassiani atque Originis fuit ista de affectibus naturalibus bonis ac malis ex lege naturali atque carne prodeuntibus, ac de anima inter utrosque media istius Apostolici loci expositio, sed omnium omninò Pelagianorum quorum scripta videre potui, nam & Commentarius in Epistolas Pauli apud Ambrosium & autor quæstionum veteris ac novi Testamenti apud
C Augustinum Pelagianis fecibus omni ex parte sordidissimi eandem prorsus explanationem tradunt: ubi etjam suasiones diversas carnis & spiritus ante consensum, & gaudia horroresque post consensum prædicant, quibus nihil nisi affectus quosdam naturales provocantes, consequentesque consensum illum nativæ libertatis Pelagiano more indicant.

Orig. in c. 7. ad Rom lib. 6. ad illud, Quod ergò dicimus lex peccatum est fol. 361. 8.

Ibid.

In c. 2. ad Rom. lib. 2. fol. 309. C. D.

Lib. 5. in c. 5 Epist. ad Rom. in fine

In illũ locũ Epist. ad Galat. in 2. partem q. 61.

Ex quorum omnium consonantibus vocibus, quæ principijs Pelagianis omni ex parte concinunt, liquidissime ostenditur bonos haud secus ac malos animi motus, quæ rationem anteverterent, à Pelagianis agnitos: sic tamen ut naturalis illa possibilitas seu ingenitæ libertatis potestas utrosque frænaret & nutu suo veluti domina neutris serviendo, se quocumque vellet, inflecteret. Vnde nata sunt illa verba Prosperi de Pelagianorum reliquijs disserentis, & eorum sententiam explicantis:

Mens sponte movetur
Et pro more suo quantum se exercuit istis
Transit in affectum quem confirmaverit ex se
Illa volendo sequens, istis nolendo resistens &c.

Prosp. lib. de ingrat. c. 15

Ad

Digitized by Google

Ad quos effectus se extenderit illa liberi arbitrij possibilitas.

CAPVT SEXTVM.

RESTAT videndum ad quos effectus se extenderit ista primæva & libera facultas hominis in qua per creationem constitutus fuit. Neque enim necesse est ut in Pelagij opinione omnia omninò potuerit. Nam in primis non ita absurdus erat ut omnes omninò hominis actiones sola vi voluntatis fieri posse crederet sine cujusquam alterius vel potentiæ vel instrumenti subsidio: Neque enim hoc inter Catholicos Pelagianosque in quæstione vertebatur, utrum libero arbitrio hujusmodi naturales actiones, à primo homine vel ejus posteris fieri possent; sed istud, utrum actiones justæ ac bonæ. Etenim de non peccando ac bene vivendo, non de volendo currendoque agebatur.

Qua in re duo spectari possunt, voluntas, ac potestas, hoc est, velle & posse, quæ à se mutuo facilè possunt separari dum contingit nos velle aliquid quod non possumus, & contra nolle quod possumus, de quo fusius alibi disputandum est: Pelagius igitur utrumque homini per primam naturæ integritatem collatam esse statuebat, ita nempe, ut à voluntatis ejus nutu bene vivere seu non peccare penderet. Hæc enim erat definitiva sententia: A *Quod Deus tam bonus quàm iustus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset.* Vnde Augustinus Pelagij sensum alijs verbis repetens, *habet*, inquit, *posse per naturale subsidium, habet velle per liberum arbitrium*, quod eodem sensu mutatis verbis Pelagius ita expresserat, *voluntate non est, quod natura potest.* Hoc est, id quod naturali institutione homo potest, nempe esse justus seu esse sine peccato & justè vivere, si non fit, hoc solius liberæ voluntatis culpâ contingit, ex quibus liquet, ut uno verbo dicatur, tam firmam Pelagio autore conditam fuisse naturam hominis, ut omnia Dei mandata, quibus vel facere jubetur bonum vel à malo declinare, sive dilectionem ipsius Dei, sive proximi spectes, quibus impletis justè vivitur, & omnis lex impleatur, volendo dumtaxat implere potuisset: atque istam bonam seu bene vivendi voluntatem, perinde ac malam ab hominis arbitrio nutuque pependisse. Qua de re, quia nullum B in Pelagij sensu inter Adamum & posteros ejus discrimen facit, paulò uberius forsan, cùm ad hominis lapsi vires ponderandas ventum fuerit, disseremus.

Lib. de nat. & gratia c. 43.
Ibid. c. 55.
Ibid. c. 43.

Quo gratiæ adjutorio fultus fuerit Adam & primò de gratia habituali.

CAPVT SEPTIMVM.

CONSEQVENTER autem inquirendum est, utrum aliquod gratiæ adjutorium Pelagius ad benè vivendum primi hominis arbitrio necessarium existimaverit. Neque enim illa sibi aduersantur, ut à nutu liberi arbitrij justamque injustamque vitam pendere, & simul tamen gratiam omninò necessariam esse judicaret. Si enim gratiam illam necessariam semper voluntati præsto assistere fingeretur, rectè à nutu voluntatis gratiam adhibentis vel negligentis pendere justitiam, & tamen sine gratia justè vivi non posse diceremus. Quemadmodum sanis oculis in perpetuo sole versantibus rectè dicitur lumen ad videndum omninò esse necessarium, & tamen planè à libero pendere arbitrio voluntatis, ut videant. Cùm ergò duplex gratia sit, habitualis, & actualis, de utraque quæstio discutienda est.

Gratiam habitualem hic nihil nisi charitatem seu dilectionem Dei esse suppono qua voluntas ejus cæteraque facultates rectè fiunt. Et quamquam perparum Pelagius de homine A primo disseruerit, Ex ijs tamen quæ de posteris ejus ab eo fusius disputata sunt, mens ejus satis superque colligitur & à discipulis ejus luculentissime proditur. Nam imprimis inter sententias quas Pelagius ficto animo in Concilio Palæstino damnavit, hæc una capitalis fuit: *Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Quod si fecisset, ait Augustinus, *corde veraci, tam fortassis vestra hæresis interijsset.* Est enim veluti basis qua totus ille error nititur: & quam ita pervicaciter mente servavit, ut eodem Augustino teste diceret, ideò se sententiam illam in ista Sinodo condemnasse, quia *parvuli præceptum capere nondum possunt: ille autem potuit, nondumque utuntur rationalis voluntatis arbitrio, quo ille nisi uteretur, non ei præceptum daretur.* Parvulos autem neque bonos neque malos nasci, sed esse rude opus Dei, innocentiæ quidem dote locupletes, sed capaces dumtaxat virtutis & B vitij Pelagius atque Iulianus ut suo loco tradendum est, pertinacissime tenuerunt. Ex quo manifestè sequitur nullâ habitualem gratiam qua in

Lib. de gestis Pelag. c. 11. & 33.
Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 142.
Lib. de peccato orig. c. 13.

Digitized by Google

qua in primis & sola homo fit bonus, ut neque parvulis, ita nec primo homini cùm conderetur in eorum opinione collatam esse. Sed id quod evidenti illa & certa ratiocinatione tanquam consequens colligimus, hoc autor quæstionum veteris ac novi Testamenti, qui in tradenda Pelagianismi sinceritate etjam Pelagium plerumque superat, apertissime propalavit. Docet enim Adam terrenum esse conditum, sed sine Spiritu Sancto, sine adoptione in Filium Dei, sine justitia: hoc enim esse reservatum adventui Christi, per quem non tantùm restauramur in statum Adæ per peccati remissionem, sed insuper accipimus & melioribus donis ornamur. Sed ipsum delirantem audiamus: *Comperi quosdam ex fratribus nostris non plenè discussisse Scripturas sed simplicitate animi asseverare, quod Adam factus Sanctum acceperit Spiritum, quem peccans amisit, sicut nunc datur credentibus.* Et post longam disputationē adlato Scripturæ testimonio, factus est primus homo Adam in animam viventem, Secundus homo in spiritum vivificantem. Primus homo de terra terrenus &c. *Quid tam apertum*, inquit, *quam quod Adam non habuit Spiritum Sanctum? Factus est enim in animam viventem, per Christum autem in spiritum vivificantem, ut homo in alsquo fundus sit creatori quem credit. Quia enim mysterium fides quod ad salutem datum est, trinum est, trinus sit, corpore, anima, & Spiritu Sancto per quem dicimur filij Dei: quod minimè Adam probatur vocatus, & terrenus enim factus est: Filij autem Dei non carnaliter sed spiritualiter nati, cælestes dicuntur esse.* Et infra: *Adæ certè terrena & carnalis fuit factura non spiritualis. Non enim ex Deo sine carne & sanguine natus est, sed de terra a Deo factus est: ideoque non potuit Spiritum Sanctum accipere qui non erat spiritualis, & cui concessum non erat Patrem Deum vocare in oratione.* Hæc ille. Ex quibus absolutissime tradit sine ulla sententiarum caligine, nullam habitualem gratiam in cujus infusione Spiritus Sanctus, Spiritus adoptionis, Spiritus filiorum Dei, datur, Adamum in sua creatione accepisse. Hinc alibi per inspirationem illam in faciem Adæ, animam non Spiritum Sanctum vult esse traditum: *Tunc credentes accepto Spiritu Sancto* (post Christi adventum) *fiunt filij Dei; nam inspiratio quæ dicitur facta a Deo in Adam, animæ traditio est.* Neque aliud omnino arbitror Origenem voluisse significare quando docet: quod in initijs homo cum propositum fuisset ut ad imaginem & similitudinem Dei fieret, ad imaginem quidem factus est, similitudo autem dilata est, ob hoc, ut prius consideret in Deo, & ita fieret similis ei. Quam opinionem etjam alijs in locis subinde significat, & omnes Pelagiani ex eo hausisse secuti videntur. Hinc enim est quod Pelagius passim docet etjam imaginem Dei in actibus consistere, & sine virtute ac vitio hominem procreari, ut infrà dicetur.

Autor qq. vet. & nov. Testamenti 1. part q. 123.

Parte 2. qq. vet. test. q. 3.

Lib. 4 in Epist. ad Rom. in c. 4. fol. 334.

Ve 13. periarch. c. 6.

In c. 3. ad Coloss. num. 16. & in c. 5. Ephes. apud Hieron.

De scientia primi hominis.

CAPVT OCTAVVM.

NEQVE voluntas Adæ tantummodò secundùm Pelagianos omnis expers sanctificationis, per Spiritum Sanctum fuit, sed & intellectus omnis scientiæ. Nam ostendere nitens idem autor, Adam quamvis sine Spiritu Sancto fuerit conditus, tamen fuisse perfectum. *Omnia*, inquit, *genera animalium in suo genere perfecta sunt ut impleant id ad quod sunt facta: ita & homo in suo genere perfectus est, ut potens sit discernere mala à bonis, prava à rectis. Est enim animal intelligibile, perfectum ad id ad quod factum est. Capax est enim dicendi, excogitandi, & faciendi ut quæ virtute non potest, impleat sensu. Et quomodo ausi sunt dicere, hominem perfectum nasci debere & totum scire quum videant, nil ultra nosse quam hic discat? Quod enim discit, nescit. Denique quoniam qui hic non discit, qualis sit nescit. Qui se ergo nescit, qualis sit, quomodo omnia novit, cùm minus sit se nosse quam cætera? Nam si sic perfectus factus esset ut nullius egeret, non fuerat homo, sed Deus, neque circumventus prævaricasset.* Vbi satis apertè perfectionem Adæ, quam ex conditione suscepit, in eo collocat, quod esset potens discernere bona à malis, capax discendi, non in eo quod plenus scientia institutus sit: sic enim quod scire vellet, addiscendo ut cæteros, comparare debuisse. Cui prorsus consonat quod Pelagium de differentia primi hominis & cæterorum tradidisse diximus. Cùm enim maxima invidia laboraret, quod etjam post Synodum Palæstinam dānato à se dogmati adhæreret quo parvulos in eo statu esse dixerat in quo ante prævaricationem Adam fuit, quasi magnam attulit differentiam, non quod Adā plenus scientia fuisset conditus, sed quod præcepti capax: *Quid enim vobis prodest*, inquit Augustinus, *quod nescio quas ansas atque uncos, arte nescio cujus perplexitatis inseritis ne simplicia pateant & clara lateant?* &c. *Et tamen dicere potuistis infantes nuper natos non in eo statu esse in quo fuit Adam ante peccatum, quod ille præcepti capax fuerit, isti adhuc non sint.* Cui subterfugio cùm aliam differentiam non invenirent etjam illud addidisse de diversitate staturæ firmitatisque corporeæ, idem Augustinus indicat: *Cum hoc iste sic exponit, ideò non in eo statu esse in quo Adam fuit ante peccatum, quia nondum sunt in eadem firmitate mentis aut corporis, respondeatur ei* &c. Ex quibus clarè liquet, quantum ad scientiam infusam nullum eos inter Adamum & parvulos discrimen agnovisse.

q. 117. cit.

Lib. 1. cont. Iul. c. 5. & de peccato orig. c. 15.

Lib. de pec. orig. c. 16.

An

Digitized by Google

An Adamo aliquod actualis gratiæ adjutorium datum fuerit.

CAPVT NONVM.

A DE gratia actuali, qua Adam ad benè vivendum adjutus fuit, vix ullus cum Pelagio conflictus fuit. Sed ex ijs quæ de viribus hominis, post peccatum tradidit, nihil dubitationis de primi hominis adjutorio superest. Cùm enim ab Augustino fortissime ad agnoscendam gratiam adjuvantem premeretur, nihil aliud extorquere potuit nisi vel gratiam creationis vel legem atque doctrinam. Ideò dicebant Pelagiani, quidquid etjam bonæ voluntatis habet homo Deo tribuendum esse, quia & hæc in illo esse non posset si homo ipse non esset. Et hoc propter liberum eos arbitrium intellexisse, ibidem Augustinus exposuit. Hinc Innocentius Papa ad Concilium Carthaginense: *Nam quid tam mortiferum tam praeceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula si hoc solum nobis putantes posse sufficere quod liberum arbitrium cùm nasceremur accepimus, ultra iam à Domino nihil quæ-*

Lib. 1. de pec. meritis, & remiss. c. 18.

B *ramus.* Et pauló antè: *Et qui nos adjutorio negat indigere divino quasi ex nostra in totum possibilitate perfecti.* Vnde in Epistola ad Patres Milevitanos Pelagianis tribuit; *quod ad omnia vitæ perficienda mandata sola tantummodo libertate contenderemus.* Et Augustinus refutat illam gratiam creationis: *Non irritam facio gratiam Dei, sine dubio gratiam qua iustificamur ab iniquitate, & qua salvamur ab iniquitate. Non quia creati sumus cùm propria voluntate.* Et infrà: *Qui orat & dicit ne nos inferas in tentationem, non utique id orat ut homo sit, quod est natura, neque id orat ut habeat liberum arbitrium quod iam accepit cum crearetur ipsa natura.* Ipse Pelagius gratiam humanæ naturę communem explicans; *habemus autem possibilitatem utriusque partis à Deo insitam velut quandam, ut ita dicam, radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat, & quæ possit ad proprij cultoris arbitrium vel nitere flore*

Epist. 95.

De gratia Christi c. 18.

virtutum, vel sentibus horrere vitiorum. Et alibi rationem reddens cur primis hominibus per tot sæcula data non esset lex; *quia,* inquit, *se talem sciebat hominum fecisse naturam, ut illa pro lege ad exercendam iustitiam sufficeret.* Vbi etjam ipsum Adamum cum cæteris comprehendit.

Epist. ad Virg., Dem.

Et verò cùm possibilitatem istam vel naturalem, vel ut multa daret scientia legis, & rerum agendarum instructam etjam hominibus peccatoribus sufficere judicaret, quanto magis Adamo integro adhuc vitæ scelerisque puro, cui peccatorum remissio ab ipso Pelagio denique excogitata nondum fuerat necessaria? Sed autor quæstionum veteris ac novi Testamenti, retecto Pelagianæ versutiæ velo, primi hominis gratiam clarius videtur expressisse, dum eum indicat Dei mandato præter legem naturæ & liberum arbitrium fuisse munitum. Cùm enim tradidisset, ut sæpe solet, multos creatoris devotione & reverentia vitam suam naturæ lege frænasse, posteaque legem Moysi in adjutorium missam, ut Pelagiani delirare solent, ad Adam veniens; *Cùm diabolus,* inquit, *superbiret, homo factus à Deo positus est illi inimicus, ut auxilio Dei munitus (quia impar erat) resisteret ei, accepto mandato.* Quo Dei mandato sicut Adam instructum atque adjutum esse voluerunt, ita conformiter legem naturæ & Moysi veluti posterorum Adami adjutorium magnis præconijs extulerunt. Vtriusque autem hominis & stantis & lapsi auxilium complexus est idem autor, cùm de prima institutione rationalis creaturæ satagens, dicit: *Deus bonus, qui fecit existere quod non extiterat: iustus, quia quæcumque fecit ut proficerent propriæ libertatis arbitrio dimissa sunt: quia tamen non tam perfecta sunt ut labi non possint seminaria his legis inesse decrevit, naturaliter addens auxilium manifestata legis, ut autoritas eius perfecta esset hominibus.*

Quæst. 83. in novo Test. 1. parte

Aut. qq. vet. ac novi Test. q. 1.

De concupiscentijs animi.

CAPVT DECIMVM.

A PERTRACTATIS ijs quæ ad liberum arbitrium, ipsumque mentis apicem spectant deinceps de cupiditatibus atque passionibus, quibus ejus serenitas perturbari solet differendum est. Et quidem commune Pelagianorum dogma fuit, primum hominem eodem prorsus ut nunc fieri videmus modo, cum voluptatum cupiditatibus, omniumque sensuum libidinibus creatum fuisse. De videndi & gustandi libidine, sic Iulianus: *Hanc autem voluptatem & concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse res illa declarat, qua ad delictum via per concupiscentiam fuit, quæ cum pomi decore oculos incitasset spem etiam iucundi irritavit saporis.* Vbi & ad videndum & ad gustandum, mulierem quadam libidine sentiendi irritatam fuisse arbitratur. Sic enim & verba apertè sonant, & ea exponit Augustinus: *Ergone & in paradiso malesuadi venena serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem illiciti sibi libidi-*

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. fol. 100

iam

Digitized by Google

iam fuit? Et videbant illi homines fructum ligni prohibiti & concupiscebant? Neque per visum tantùm & gustum, sed per cæteros etjam sensus naturalem fuisse animo sentiendi libidinem, aperte profitetur: [*Ibid. f. 100.*] *Naturalem esse omnium sensuum voluptatem testimonio universitatis docemur.* Vbi per voluptatem more suo libidinem intelligit. Mox enim exponendo subjicit, *hanc autem voluptatem & concupiscentiam* &c. Quam etjam, continuò *affectionem naturalem* vocat. Nisi enim naturalis esset illa per omnes sensus concupiscentia & libido cùm ante peccatum à Deo collata diceretur, [*Lib. 4. cont. Iul. c. 14.*] *consequens esse* existimabat *ut sensum videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, atque tangendi non à Deo sed à diabolo nobis fateremur esse collatum*, [*Ibid.*] nimirum ut Augustinus observat, hic ignorabat vel ignorare se fingebat per quemlibet corporis sensum *aliud esse sentiendi vivacitatem qua verum à falso in rebus corporalibus magis minusque discernimus, aliud sentiendi libidinem, quæ nos ad sentiendum etiam repugnantes appetitu carnalis voluptatis impellit.* De cæteris animi cupiditatibus seu libidinibus, excellentiæ honoris & gloriæ; cæterarumque rerum sive corporalium sive spiritualium eadem sine dubio omnium apud eos ratio fuit. Omnes enim hujusmodi tanquam *naturales & innocentes* [*Lib. 1. operis imperf.*] affectiones, ut Iulianus hujusmodi motus vocat, ad objecti quasque sui præsentiam per seipsas ex bonita te naturæ pullulantes protopla- [A] stis tribuere cogebantur, nisi vellent notissimis suis principijs dissonare. Si enim sensus externi diabolum autorem habere censendi sunt, nisi libido sentiendi naturalis Deoque autore collata sit, voluntas etjam & intellectus eodem opprobrio aspergenda sunt. nisi cupiditates eorum quas diximus ab ipso creatore insertæ statuantur. Neque de hac re inter hominem stantem & lapsum posterosque ejus ulla differentia, sive libidines ut concupiscentias animi spectes sive reliquas animi passiones: Eodem enim prorsus modo tam ante quam post peccatum humanam naturam istis omnibus perturbationibus agitatam atque obnoxiam fuisse, docuerunt. Generale quippe inter Pelagianos principium, certissimumque fuit, illud esse hominibus naturale quod etjam post sublatam [*Vide lib. 2. operis imperf fol. 291. & seqq.*] baptismo culpam, collatamque Christi gratiam perseverat. *Alioquin*, inquit Iulianus, [B] *grande testimonium imbecillitatis nihilque profuturum, nec locum ægritudinis invenisse, & languentibus eversisque naturalibus inertia sementa voluntatis admovisse.* [*Ibid. f. 3[illegible]*] Et unus ex capitalibus eorum erroribus fuit: *infantes nuper natos in eo statu nasci, in quo Adam ante prævaricationem fuit:* [*Lib. de gestis Pelag. c. 11.*] quos tamen omnibus hujusmodi cupiditatibus obnoxios esse, & simul ac tantillum adoleverint & ratione uti cœperint perturbari solere compertissimum est.

De libidine membrorum & conjugio primorum hominum.

CAPVT XI.

NEQVE verò animi tantùm sed etjam corporis illam vulgatissimam primis hominibus ab ipso creatore insitam fuisse, & in paradiso viguisse docuerunt. Testis est multis in locis Augustinus: [*Lib. 4. cont. Iul. c. 10.*] *Et non erubescis istum morbum, vel quod tu quamvis pudibundus fateris, istam libidinem introducere in paradisum, & tribuere conjugibus ante peccatum.* Et iterum: [*Lib. 5. c. 7.*] *Naturalem esse libidinem & ego dico, quia cum illa nascitur omnis homo, & tu multo amplius, qui dicis, quod cum illa sit conditus primus homo.* Nec diffitetur suam sententiam Iulianus, sed fronte perfricta ne vel invitus pudore suffunderetur, his verbis expressit: [*Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 268.*] *Non enim dictum est erunt duo homines in homine uno, sed erunt duo in carne una, quo unitionis nomine voluptas illa coeuntium & libido quæ sensum afficiens membra consternat, ac sicut ille prudens intellexit, unam carnem gestit efficere, à Deo instituta & corporibus ante peccatum docetur inserta.* [B] Nihil enim in corporibus vel corporis libidine credebant per peccatum esse vitiatum. Vnde non tantùm imperiosam illam libidinem, sed etjam fœdissimam istam à spiritu dissensionem paradisi incolis tribuebant. Augustinus: [*Lib. 4. cont. Iul. c. 11.*] *Verum vos pro suscepta vestra tam fideliter laboratis ut vim patiamini, nisi eam qualis nunc est etiam in paradiso col-* [A] *locetis, non ibi de peccato dicentes talem factam, sed talem nullo peccante fuisse mansuram, cum qua in illa pace dimicaretur aut ne dimicaretur, quotiescumque surgeret expleretur.* In quam effrontem opinionem stomachando meritò exclamat, *O sanctas paradisi delitias, O frontem qualiumcumque Episcoporum! O fidem qualiumcumque castorum!* Sed sententiam istam ruinosam rationibus nonnullis ex Philosophia accersitis armabant & fulciebant. Primò, quod esset *membris inserta naturaliter.* [*Lib. 1. operis imperf f. 101*] Proinde affectio naturalis & innocens dummodo intra limitem concessorum teneretur. Secundò, quia *futurus erat concubitus etsi peccatum non præcessisset.* Itaque, inquit, [*Lib. 4. cont. Iul. c. 11.*] *si poterat virile membrum & antea moveri, nihil ergò novitatis invexit delictum.* [*Ibid. c. 13.*] Nam sine libidine membra moveri non posse tanquam ex Philosophia certissimum supponebant. *Motum* (inquit Iulianus) [*Lib. 2. ad Bonif. c. [illegible]*] *genitalium, id est, ipsam virilitatem, sine* [B] *qua non potest esse commixtio, à Deo dicimus institutam.* Hinc est ergò quod Augustini *inermem* & mollem diceret opinionem, qua creditur *in paradiso ad nutum voluntatis genitalia potuisse servire.* [*5. cont. Iul. c. 7.*] Tanto enim illi tamquam viro casto effeminatior videbatur esse animus, quanto plus habebat potestatis in corpus. Hinc eam vocabat Iulianus *membrorum potentiam.* [*Lib. 2. de nupt. & conc. c. 7.*] Apto sine

sine dubio, licet præter intentionem ejus vocabulo. Quid enim potentius membris hominis, quando non serviunt voluntati hominis? Hinc impacta Augustino calumnia quod persuaderet *Deum* in paradiso, quia sine libidine, *aërea constituisse conjugia*. Nam de nuptiis paradisi pervicacissimè sic statuebant: *Nec alia prorsus in paradiso fuit commixtionis conditio, quam quæ nunc in conjugiis agitur: quæ à se instituta Deus tam ipsorum cõditione sexuum & qualitate membrorum, quam frequentata benedictione perdocuit.* Quod eum etiam de pudenda illa membrorum motu dine intellexisse planius aperit libro sequente: *Ad quam* (nuptiarum) *conciliationem & ministerium & instrumentum pertinet a Deo instituta & benedicta sexuum cum voluptate commixtio.*

Lib. 4. cont. Iul. c. 9.
Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. fol. 97.
Lib. 2. f. 146

De confusione primorum hominum.

CAPVT XII.

NVNC dicendum de pudore. Hunc enim tanquam individuum concupiscentiæ carnalis comitem tanquam rosam in paradiso floruisse docuerunt. Augustinus: *Et tamen Iuliane tales nuptias in paradiso constituere non te pudet ubi coëuntium conspiceris pudorem.* Invictum enim putabat ille esse argumentum naturalis & concreati hominibus primis pudoris quod per baptismi gratiam à fidelibus *non recederet*. Docebant itaque ab ipso Deo *sic membra nostra fuisse formata ut alia verecundia, alia libertate gauderent.* Ad quod astruendum gentium citabant Magistrum qui ad Corinthios scribens diceret, Deum sic temperasse corpus, ut ea quæ verecunda sunt nostra majorem honestatem haberent. Vnde putabat confici, verecundiam illam seu pudorem quo tegumenti honestate quædam membra velantur ex Dei institutione promanasse. *Nihil sibi*, inquit Iulianus, *vel de iucunditate eius, vel de verecundia potest diabolus vendicare* quasi scilicet diaboli persuasione invecta esset. Sed quia historiam Genesis, de confusione post peccatum orta, secutoque exinde per perizomata tegumento, vehementer sibi obstare sentiebant, magna loquacitate contra sensus nitebantur omnium hominum, & eos multiloquij strepitu perstringere cupiebant. Nam in primis quia Scriptura dicit. *Aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos &c.* Putant eos oculos prius clausos habuisse, nempe ut *cæci creati fuerint sicut canes, & quod est absurdius non sicut catuli crescendo, sed quod peccando adepti sunt visum.* Deinde ita nihil inveniebat quod diceret ut aperte profiterentur, primos illos homines qui ante nudi erant & non confundebantur post peccatum, *nihil illic* (in membris) *indecens novumque sensisse, nec opus fuisse ut vestimentis tegeretur.* Ex quo sequebatur ante peccatum cum essent nudi, simul in eis amicas & socias habitasse innocentiam & impudentiam. Vnde *à pictoribus Augustinum did cisse* ridebat, *quod Adam & mulier eius pudenda contexerint, Horatianum illud decantatum audire iubens*

Lib. 2. operis imperf. f. 293
Ibid. f. 292. Ita Iul. apud Aug. lib. 4. cont. Iul. c. 16.
Genes. 3.
Refert Aug. lib. 2. de nupt. c. 5.
Lib. 5. cont. Iul. c. 2.
Lib. 2. de nupt. c. ult.
Ibid.

Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Horat. in arte Poet.

QVasi quisquam pictor aut poëta tale aliquid ridendum ausus fuisset fingere quale Iulianus credendum, ausus fuerat disputare ut scilicet tantæ innocentiæ, tanta impudentia jungeretur.

Itaque ut perizomata quibus se texerant post peccatum eluderet multa commemorabat quæ in nostro corpore naturaliter tecta sunt, ostendere nimirum volens non omnia quæ teguntur ex peccato erubescenda putari oportere. *Quia ipse*, inquiebat, *opifex noster nullum pudoris tamen agnovit, ut vitalia nostra tam diligenter occuleret.* Deinde ne sola genitalia perizomatibus tecta fateri cogeretur, scriptum esse dicebat: *& fecerunt sibi vestimenta, vestimenta vero totius corporis indumentum intelligi posse. Quod si illi*, inquit, *interpretationi qua perizomata, id est, præcinctoria posuit, favetur, latera magis dicam tecta fuisse quam femora.* En frontem hæreticam. Ita enim erat sui dogmatis amore cæcatus ut non videret, sive vestimentis totum corpus, sive perizomatibus lumbi post peccatum tegerentur, utrumque fuisse vel pudoris officium, si simul cum lateribus quam spatiosissime femora velarentur, vel singularis impudentiæ testimonium, si nuda relinquerentur. Conditos ergo volebat *homines primitus nudos, quia ad solertia humanæ operam ut se tegerent, pertinebat, quæ nondum in illis fuit*; tegumentumque perizomatum non pudore sed timore post delictum esse quæsitum. Hinc Iulianus: *Non igitur quia peccaverant, genitalia vel diabolica vel inhonesta fecerunt, sed quia pavitabant, in ea quæ primum fuerant honestate permanentia membra texerunt.* Nec deerat ficulneum ex scripturis folium, quod suspicioni isti prætexeretur. *Cur enim* (dicebat) *audita voce Dei deambulantis in paradiso absconderunt se Adam & mulier eius, cum perizomata sufficere potuissent si de genitalium nuditate erubuissent?* Vides arbitror non minus Pelagianos confusionis istius post peccatum, quam primos homines ipsius peccati confessionem horruisse. Videbant enim ab ea sola toti suo dogmati ut suo loco demonstrabitur interitum imminere.

Lib. 4. cont. Iul. c. 11.
Lib. 5. c. 2.
Lib. 4. cont. Iul. c. 16.
Ibid.
Ibid.

De corpore primi hominis.

CAPVT XIII.

NVNC de primi hominis corpore ejuſq; ſive bonis ſive malis quid ſenſerint Pelagiani, pauca dicenda ſunt. Qua in re dogma eorum capitale fuit & veluti cardo cæterorum. *Adam mortalem factum*: quod ut plenius exponeretur quomodo dictum eſſet, addebant declarante Auguſtino, *qui ſive peccaret ſive non peccaret moriturus eſſet.* Quam clauſulam ita interpretatur idem Auguſtinus & Concilium Carthaginenſe, quo dogmata eorum jugulata ſunt, ut mors Adamo obventura fuiſſe ſignificaretur, *non peccati merito ſed neceſſitate naturæ. Mortalitatem enim*, aiebat Iulianus, *caro animalium de natura inſtitutione ſuſcepit*, ut ſignificaret, eandem eſſe carnis humanæ brutorumque rationem. Vnde mors illa corporis *communis & naturalis* à Pelagio vocabatur. Quam ſuorum ſententiam (qua erat impudentia Iuliani) etjam Auguſtino impegit: *In libris*, inquit, *quos ad Marcellinum edidiſti, mortalem Adam factum fuiſſe profeſſus es.* Hanc calumniam Sanctiſſimus doctor ita acerbam ſenſit, ut exclamaret: *nuſquam ſic apparuit dolus tuus, & per ſcientiam damnata conſcientia.* Non enim diſtinguebat *poſſibilitatem moriendi à neceſſitate moriendi.* Mortalem enim Auguſtinus Adamum hactenus dixerat, *quia poterat mori, poterat namque peccare*; non autem quaſi nulla etjam iniquitate commiſſa eſſet naturæ neceſſitate ut cætera animantia moriturus. Hoc igitur pernicioſum dogma ut tutiori munitione defenderent, alia tria in ejus ſubſidium contra Catholicorum tela commenti ſunt: Primum, *quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit & non genus humanum.* Alterum, *quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Tertium, *quod neque per mortem vel prævaricationem omne genus hominum moriatur, neque per reſurrectionem omne genus hominum reſurgat.* In quibus dogmatibus Auguſtinus *totam hæreſim conſtitiſſe* teſtatur.[a] Ex ſingulis enim eorum non modo illud de Adæ mortalitate dogma, ſed cætera penè omnia certa quadam colligatione ſequebantur. Cæterum primus videtur palam hæc quatuor dogmata profeſſus eſſe, & quia acerrimo erat ingenio etjam excogitaſſe Celeſtius, ut eſſent quaſi baſis totius hæreſis Pelagianæ. Nam & illi ſolent ab Auguſtino peculiariter tribui: & quinquennio antequam Pelagius hæreſis accuſationem pertuliſſet Celeſtius ita mordicus ea tenuit ac profeſſus eſt, ut ipſemet Carthagine damnari, quam damnare illa maluerit. [a] *Cum vero eadem fuiſſent objecta Pelagio*, ut refert Auguſtinus, *quod ea cum Celeſtio etiam ipſe ſentiret*, [b] *ficto* licet *corde, ſine ulla tamen retractatione damnavit.*

Lib. de geſtis Pelag. c. 11.
Lib. de hæreſ. Hæreſ. 88.
Cõcil. Carth canone 1.
Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 82. & 89.
In comment. c. 5. ad Rom. num. 32.
Lib. 1. oper. imperf. f. 90
[a] Lib. de geſtis Pelag. c. ult.
Lib. de geſtis Pelag. c. 11. & ult. & lib. de pecc. orig. 3. & 4.
Lib. de pecc. orig. c. 4. & 10.
a Lib. de pec. orig. c. 10. & Epiſt. 106.
b Lib. 1. oper imperf. cont. Iul. f. 89.

De cæteris miſerijs humanæ naturæ.

CAPVT XIV.

VT mortem ita & cætera magno numero mala quibus natura humana atteritur in hac vita, non tantum nobis, ſed primo homini naturalia fuiſſe, fateri cogebantur. Fateri, inquam, nuſquam enim hoc in eorum doctrina expreſſum video, ſed ex doctrinæ Pelagianæ principijs neceſſario connexum religatumque ſequebatur. Omnium enim malorum corporalium terminus atque apex mors, ad quam cætera non niſi viam ancillando parant: quam ſi caro hominis ut cæterorum animalium *de natura inſtitutione ſuſcepit*, profecto & omnes carnis ægritudines atque miſerias, quarum ex mortalitatis conditione eſt capax. Vidit hoc & expreſſit acriter contra Iulianum Auguſtinus: *Mortem vos homini, etiamſi non peccaſſet, dicitis naturaliter fuiſſe venturam. Vnde ſequitur, ut non ſolum illam imperioſam libidinem qua nimium delectamini, verum etiam moleſtiſſimam febrem cæteroſque innumerabiles morbos quibus videmus afflictos parvulos, mors, in paradiſo futuros fuiſſe dicatis etiamſi nemo peccaſſet, quia nec ullius peccati merito hæc perpeti parvulos dicitis.* Ex quibus ſententiarum paradoxis, nova ſanè & mira naſcebatur paradiſi Pelagiani facies, ubi cum tantis malis etjam beatitudo conſiſteret. En eum graphicè depictum & deriſum ab Auguſtino: *Cogeris implere paradiſum etiamſi nemo peccaſſet dolore parturientium, labore naſcentium, gemitibus languentium, funeribus morientium, mœrore lugentium. Quid igitur mirum ſi & de ipſo paradiſo quod eſt Eccleſia, foras iſtis, qui paradiſi in illum, de quo foras ierunt, qui nos in iſtas miſerias peccando miſerunt, talem feciſtis, qualem non dico Chriſtianorum nullus, ſed nec hominum quiſquam ſuſpicari auderet ſi non ſit inſanus.* Quod de dolore parturientium aſſert Auguſtinus ingenue agnoſcit ille fidelis Pelagianiſmi interpres autor quæſtionum veteris ac novi Teſtamenti, vult enim *modicum doloris in partu mulierem fuiſſe habituram, amplificatum vero fuiſſe peccato.* Itemque Adamum non ad labores eſſe damnatum, *ſed ad id revocatum ad quod fuerat factus, & ad inſtitutum priſtinum cum laboris diſpendio, ut terra ei ſecundum laborem minime reſponderet.* Quæ temperamenta à poſterioribus Pelagianis vel abrepta vel excogitata ſunt.

Ita Iul. lib. 1 oper imperf. apud Aug. cõt. Iul. f. 82.
Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. in fine
Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 89.
Autor. qq. vet. ac novi Teſt. q. 127.

Digitized by Google

De alijs nonnullis dogmatibus. Redditur ratio ordinis ac propositi.

CAPVT XV.

POSSENT & aliæ nonnullæ quæstiones de statu primorum hominum disputari, ut quid de meritis ipsorum & præmijs Pelagiani senserint, de prædestinatione hominum in statu innocentiæ, de corporum propagatione alijsque non paucis. Sed quia nihil peculiare de hisce illis in Pelagianorum monumentis traditum invenio putavi esse supersedendum: ex alijs enim Pelagianæ doctrinæ fundamentis quæ de Adami posteritate dicturi sumus facile dissolvuntur. Vnum namque ex præcipuis eorum dogma fuit ut etjam superius diximus, *infantes nuper natos in eo esse statu in quo Adam ante prævaricationem fuit.* Ex quo manifestissime sequitur quod & palam profitebantur eandem Adami & posterorum esse rationem, nec dissimiliter de utrisque, maxime si naturam spectes esse statuendum. Vt facile quæcunque de statu naturæ & gratiæ posteritatis Adæ deinceps ex Pelagianorum sensu disserenda sunt, ijs quæ ante de primis hominibus dicta sunt conjungi una disputatione potuissent. Duabus tamen de causis, quædam separanda esse judicavi. Primò quod ipsa rerum distinctio per se maximè grata sit. Deinde quod omnia quæ separatim de primis hominibus asserta reperi atque dedixi, ea semper atque constanter de illis sine ulla fluctuatione, vel dogmatum mutatione tenuerunt. Et quamvis in primo istius hæreseos ortu paria quoque de illorum posteritate sentirent, ut tamen quæque dogmata paulatim Catholicorum argumentis pulsata atque concussa sunt, ita respectu lapsorum hominum multis ea modis immutando, mitigarunt, ac de nimia superbia erubescentes, suffocanti eos veritati magis magisque cesserunt. Quare ne quis mutationum vel statuum istius hæresis confusione turbaretur, arbitratus quascunque dogmatum commutationes ad omnem quoque statum humanæ naturæ pariter esse referendas, ea majoris lucis & commoditatis causa disiunxi. Separatim in hominis lapsi statu traditurus ac suppleturus, si quid quoquo modo mutatum vel diversum ab ijs quæ jam superius commemorata sunt, vel alioqui in homine ut nunc nascitur dignum consideratione protulerint. Nam in cæteris eandem utriusque status esse rationem atque huc esse recurrendum lectorem admonendo suggeremus. Deinde cum error addisci debeat non ut sciatur tantum, sed ut veritatis luce caveatur, ac robore conteratur: Non alio scopo Pelagianorum dogmata recensenda suscepi, nisi ut quid Catholica improbet fides ac doctrina, constaret. Cujus quidem vestigijs inhærendo, nonnulla Pelagianorum asserta si ad statum innocentiæ, primorumque hominum integritatem viresque referantur, tanquam recte dicta doctrinæque Catholicæ consentanea comprobanda sunt, sin vero ad status illius ruinas lapsorumque infirmitatem, erroribus plena. Quare cum necessario in Catholicæ veritatis assertione seorsim de innocentiæ statu disputandum sit, seorsim etjam malui præcipuas adversantium opiniones afferre, ut in quo consentiant, aut dissentiant accurate ipsa collisione erroris & veritatis appareat.

Lib. de gestis Pelag. c. 11. & ult. & lib. de pec. orig. c. 3. & 4. & Epist. 106. & alibi

FINIS.

Digitized by Google

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE HÆRESI PELAGIANA
LIBER TERTIVS.
Quo continentur dogmata Pelagianorum ad ſtatum naturæ lapſæ ſpectantia.

De peccato originali. Variæ Scripturarum corruptelæ.
CAPVT PRIMVM.

NVNC quid de hominis lapſi ſive ex Adam propagati ſtatu Pelagiani ſenſerint, deinceps conſiderandum eſt, & quidem primum hominem mandatum Dei tranſgrediendo peccaſſe, nulla inter ipſos fuit dubitatio, vel à Catholica veritate diſſenſio: de peccati illius effectu, propagatione, & pœnis maxima, de quibus ordine ſuo diſſeremus.

Itaque dogma Pelagianorum veluti cæterorum omnium baſis erat, *quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit & non genus humanum*; cui erat conſectaneum, *Quod infantes nuper nati in iſto ſtatu ſint in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Quæ quidem tanta docuerunt ab initio uſque ad finem præſumptione & pervicacia ut Pelagius diceret eos *inſanire, qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatum.* Nam quamvis apud Paleſtinos Epiſcopos accuſatus eos anathematizaſſet qui ita ſentirent, verſuta tamen expoſitione totum retinens quod abjeciſſe videbatur, diſcipulis ſuis dixit, ideo ſe illa quæ Celeſtius nunquam neque Carthagine neque Romæ ne ipſius damnationis metu damnare voluit, ſibi objecta damnaſſe, quia & ipſe diceret *etiam humano generi primum illud obfuiſſe peccatum, non propagine ſed exemplo*: hoc eſt, *non propagatione ſed imitatione.* Imitatio enim iſta erat *novitium Pelagianum errorum machinamentum*, quam, inquit Auguſt. *in magnis anguſtiis conſtituti & perſequente vos veritate, coarctati inveniſſe vos putatis, qua exire poſſetis*, à ſcripturarum videlicet maximeque Apoſtoli autoritate qua premebantur. Cùm enim antiquo illo peccato *ſicut nihil eſt ad prædicandum notius ita nihil ſit ad intelligendum ſecretius.* Parum etjam conſtituebat Auguſtinus in naturali ratione præſidij, ſed ſcripturis inhærens apertiſſimis, hoc ſaltem agebat apud eos qui ſcripturas quoquo modo venerabantur, ut ſi mens nondum eſſet idonea quæ poſſet illud vel demonſtratum cernere vel abſtruſum inveſtigare ſaltem ſine ulla hæſitatione crederetur.

Lib. de geſtis Pelag. c. 11. & ult. & de pecc. orig. c. 3. 4. & 13.

Inc. 7. ad Rom. no 18.

Aug. lib. de pec. orig. c. 15. lib. 1. cont. Iul. c. 5. Ibid. c. 7. Lib. 2 oper. imp. f. cont. Iul. f. 427.

Aug. lib. de morib. Ecc. c. 22.

A Contra vero Pelagiani totum argumentorum ſuorum robur in obſcurata tenebris originalibus corruptaque ratione collocantes, ſcripturas omnes ſibi adverſantes, quamvis divina luce clariſſimas in neſcio quos novos ſenſus pravoſque convertebant: eaſque ut Iulianus venditabat ex certiſſima rationis regula explanabant. Nam imprimis per illud Iob. *Nemo mundus à ſorde &c.* Pelagius probare conabatur *ſordes pannorum ſignificari in infantia non vitia peccatorum.* Expoſitio non minus ridicula, quam illa extorta tranſlatio quæ locum Apoſtoli ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς. *eramus natura filij iræ*, *novo more, ſed impudentiſſimo ore interpretati ſunt, eramus prorſus filij iræ*, ne humana nativitas iræ Dei ab ortu ſuo obnoxia crederetur. Prorſus autem iræ filios dici volebant propter contractam jam inde à teneris annis *peccandi conſuetudinem.*

B Sed præ cæteris ſcripturis operoſam illam Apoſtoli ad Romanos diſputationem verebantur; cujus nexibus ut quoquo modo elaberentur, omnia pœne verba ejus tam recta & tanta luce fulgentia tenebroſis ac tortuoſis interpretationibus obſcurare ac depravare nitebantur. Quo ut commodiorem ſternerent viam *luce clarius* eſſe clamitabant, illo loco Apoſtolum *de peccato voluntatis humanæ quæ in unoquoque peccante eſt, locutum fuiſſe*, non de illo peccato *quod ante voluntatis tempora, ante obedientium ſtudium, ante ſcientiæ & conſcientiæ ætatem ipſis ſupervolaſſe ſeminibus à Manichæis hoc eſt Catholicis fingeretur.* Cùm enim ibidem exhortetur Apoſtolus: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum &c.* inferebant *omni malo majus fore malum inſaniæ qua Apoſtolus teneretur, ſi devotionem in rebus naturalibus cavendis exigeret.*

C Hoc jacto fundamento totum Apoſtoli ſenſum pervertebant. Nam, aiebant, ob hoc mentionem facit *unius hominis*, non à quo peccatum ſeparat, conſtat enim, inquiunt, prius mulierem *Evam* deliquiſſe, ſed qui per privilegium ſexus magiſterium occupaſſet delicti. Per hunc ergo *intravit peccatum*, imitãdo non generando.

Lib. 1. & 2. contra Iul: oper. imperf. paſſim

Hieron. lib. 1. dial. adverſus Pelag.

Epheſ. 2.

Aug. lib. 2. cont. Iul. oper. imperf. f. 452.

Apud Hier. in Comment. 2. c. ad Epheſ & Aug. lib. 6 cont. Iul. c. 10 Pelag. in c. 2 ad Epheſ.

Cap. 5. propterea ſicut per unum hominem peccatum intravit &c.

Lib. 2. contra Iul. per. imper. f. 447. Cont. Iul. libello 2. citato f. 451

Rom. 6.

Ibid. lib. 2. fol. 448.

Pelag. in Comment. & Iul. lib. 2. & oper. imper. f. 384.

Generatio

Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 263.

Generatio enim non per unum sed per duos efficitur, imitationi verò vel unus sufficit. *Et per peccatum mors* non corporis quæ naturalis est, sed *sine dubio quæ peccatoribus*, id est, *æterna promittitur.* Quæ transivit forma vel exemplo, sive imitatione non generatione. Subdidit enim *in quo omnes peccaverunt*, hoc est, quia omnes peccaverunt secundùm illud Davidicum: *In quo corrigit Adolescentior viam suam*, omnes autem pro multis ponit quia paulò post multi vocantur, tamen in omnes mortem transire dicit *quia in multitudine peccatorum minime excipiuntur pauci justi, sicut ibi: Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quia ergò multi peccaverunt unum hominem Adamum imitando, ideò etjam in illos mors animæ transivit. Nam si generationem peccato aut infectam aut obnoxiam voluisset ostendere, non dixisset per unum hominem intrasse peccatum sed per duos, quibus constat generatio. *Usque ad legem enim* Moysis *peccatum erat in mundo*, non prævaricatio, quia contra legem naturæ non Moysi peccando homines, peccati, non prævaricationis erant rei. Usque ad legem autem peccatum regnasse dicens, ostendit regnum peccati lege lata cecidisse, unde cum peccatum non potuerit manere post legem, actionis illud non nativitatis esse convincit. *Sed regnavit mors* &c. æterna, quam Adæ si peccasset, se adscripturum Deus spoponderat igitur illa mors peccato debita, pœnalis, non naturalis regnavit non solum post legem, sed etjam ante legem: *Ab Adam usque ad Moysen; etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, quia videlicet nullam legem sibi datam prævaricando transgressi sunt sicut Adam Dei mandatum, sed sola naturali lege redarguente & convincente deliquerunt. *Qui est forma futuri*, id est, Christi: verum forma à contrario, ut sicut ille peccati ita & hic justitiæ forma, hoc est, exemplum imitantibus propositum esse credatur. Sed sicut incarnatio Christi justitiæ fuit forma non prima sed maxima; quia & antequam caro fieret, in multis sanctis fulsere virtutes, ita etjam Adam dicitur forma peccati non prima sed maxima. *Sed non sicut delictum ita & donum*, ne in forma æqualitas putaretur. *Si enim unius delicto multi mortui sunt multo magis gratia in plures abundavit.* Superari dicit malum delicti copia gratiæ, & eorum qui salvantur numerum, illis quos prævaricatione sicut Adam periisse asserit qui soli Iudæi sunt, anteponit. Per quod ostenditur, nec mortem illam communem & naturalem intelligi quæ non multos tantum, sed omnes etiam justos capit: nec Apostolum de peccato naturali loqui. Si enim illo peccato omnes mortui, & inde in extrema ætate mundi, aliqui per Christum liberati putantur, quæ veritas est, aut quæ autoritas ejus magistri qui contra tam clarum testimonium totius mundi, dicit in plures justitiam abundasse quàm culpam? *Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum*, Adam, qui fuit exemplum peccati, & in cujus similitudinem prævaricantur sub lege peccantes, *multo magis, qui abundantiam gratiæ accipiunt* quæ gratia virtutem Christi imitantibus prodest, *in vita regnabunt*, vita in qua regnabunt Sancti, æterna monstratur, ergò & mors quæ iniquitatem voluntariam sequitur æterna credatur. *Itaque sicut per unius delictum in omnes homines* &c. *sic* &c. *sicut enim per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi ita & justi constituentur multi.* Omnis hic est soluta perplexitas: impudenter de universitate calumnia concitatur, ineptissime in scirpo nodus quæritur. Pronuntiat Apostolus non omnes esse sed multos qui per inobedientiam primi hominis peccata didicissent & multos esse non omnes qui per alterius obedientiam justitiam essent adepti. Nihil hic de exortu humanitatis agitur, mores in diversis studijs publicantur, inobedientia & obedientia studiorum operam non generationis ostendunt. Ac per hoc destruit opinionem peccati naturalis & docet alias esse causas substantiæ, alias voluntatis. Atque istis quidem perversissimarum interpretationum ludificationibus veluti scuto contra præcipuas Scripturas quibus eos Ecclesia suffocabat utebantur quibus velut tecti confidentissime asserebant nemini esse credendum *tam stultam, tam insanam, tam impiam sententiam Apostoli volumine contineri, ut asserat amorem & necessitatem criminum substantia sua causis, id est, ipsis adhæsisse seminibus.*

Ibid.

Ibid. lib. 2. fol. 385. & lib. 6. ont. Iul. c. 24.

Pelag. in Comment.

Lib. 2. operis imperf. f. 394. Pelag. in Comment. Et Iul. loco cit. f. 398. Iul. ibid. fol. 407. & 438.

Iul. ibid.

Pelag. ibid. & Iul. fol. 399. & 400.

Iul. lib. 2. operis imperf. fol. 401. & 402. Et Pelag. in Comment.

Pelag. in Comment.

Iul. f. 413. & 418.

Pelag. in Comment.

Iul. lib. 2. operis imperf. fol. 417.

Iul. ibid. fol. 413. & 14.

Iul. ibid. fol. 426.

Iul. lib. 1. apud. Aug. contra Iul. operis imperf. fol. 349.

Rationes quibus peccatum Originale oppugnant.

CAPVT SECVNDVM.

Ad expugnandam verò Catholicam de peccato originali fidem mirum, quot humanis ratiunculis, velut parricidalibus pugiunculis armati prosilierint: ex quibus potiores ut accuratius res tota percipiatur, ad duo capita revocari possunt. Aliæ namque quandam speciem præferebant ostensivæ probationis, aliæ ad absurditatis impietatisque prærupta ducebant.

Et prima quidem capitalis ratio, qua penitus rem confici non dubitabant, ex peccati definitione petebatur. Nullum enim peccatum esse vel esse posse statuebant nisi esset *voluntas adipiscendi vel retinendi id quod justitia vetat & unde liberum est abstinere.* Voluntas autem cum sit motus animi liber, ejus est qui jam per ætatem judicio rationis uti potest: qui sicut habuit voluntatem malam ita potuit non habere, qui autem nascuntur, usum rationis non habent

Ita definit Iul. ex Aug. lib. 1. operis imperf. f. 37. & 38. Ibid. fol. 43.

habent, igitur nec eligendi facultatem, ac per A hoc nec voluntatem, atque his irrefutabiliter concessis nec aliquod omnino peccatum. Nam, inquit Iulianus, *nihil esse peccati in homine si nihil est propriæ voluntatis, vel assensionis, hoc mihi omnium genus quod vel leviter sapit sine dubitatione consentit.* Quod argumentum multis in locis ad fastidium repetit. Invidiosissime enim passim inculcabant *peccatum non posse nasci cum homine, quod postmodum exerceretur ab homine; quia non naturæ delictum sed voluntatis esse demonstratur. Atque ante actionem propriæ voluntatis id solum in homine est quod Deus condidit. Nemo enim naturaliter malus est, sed quicumque reus est, moribus, non exordiis accusatur. Nam ante voluntatis propriæ usum, innoxia in unoquoque natura laudem aut reprehensionem ex proposito accedente meretur.* Ex quo fit ut desipiens sit & vana sententia quæ conscientiam sine scientia parvulis conatur ascribere. *Absolute enim vindicatur a crimine qui ipsa rei impossibilitate de-* B *fenditur.* Ex hoc itaque principio acerbas illas calumnias connectebant, & impingebant Catholicis, quod fingerent *malum*, sive *peccatum* esse *naturale*, & impietate Manichæa naturalem malitiam imo naturam malam assererent. Quod & sexcenties calumniosissime repetunt. Ita Iulianus quasi unicam affert notam qua Catholici à Pelagianis discernendi sunt. *Hæc semper fuit maximum inter Manichæos* (seu Catholicos) *Catholicosque* (id est Pelagianos) *discrimen, & limes quidam latissimus quo à se mutuo piorum & impiorum dogmata separantur; imo magna moles, quasi cœli à terra profunditate disjungens, quod nos omne peccatum voluntati malæ, illi vero malæ eorum naturæ* (tribuunt.) *Qui cum diversos sequuntur errores, sed veluti de capite fontis istius effluentes consequenter ad sacrilegia flagitiaque perveniunt.*

Isti primæ rationi cohærent aliæ: una, quia *quod admoneri non potest ut caveatur, imputari non* C *potest ut puniatur. Nunquam autem legislator ad hanc venit amentiam, ut præceperit cuiquam, noli ita, vel ita nasci.* Altera etiamsi præciperetur ut tamen præceptum obliget, debet esse possibile. *Amittit enim autoritatem iudicandi qui modum non tenuit in peccandi.* A parvulis autem nullum præceptum impleri potest. Tertia, non potest jure imputari quod non potest caveri: *Nemo autem potest cavere naturalia; igitur nullus prorsus habere potest de natura necessitate peccatum.*

Quinta ratio est, fieri non potest, *ut res arbitrij, studiorum & voluntatis conditioni hominum miscea͞tur.* Peccatum autem est res arbitrij, studij, voluntatis; non potest igitur seminatione transfundi.

Sexta. *Res quæ in subiecto est, sine illa re esse non potest, in qua subiecta est*; malum autem est in parente utique in subjecto, igitur *alij rei, id est proli, ad quam non pervenit, reatum non potest transmittere.*

Septima. *Naturalia per accidens converti non possunt*, id est, id quod in parente est, accidens voluntatis vitium, non potest fieri filio naturale. Sed peccatum Adæ fuit ejus ex accidente vitium, non igitur potuit innasci naturaliter filio.

Octava, tametsi peccatum posset generatione propagari, à duobus tamen conjugibus baptizatis non potest. *Per rerum enim naturam fieri non potest ut illud probentur tradere parentes quo caruisse creduntur, in conjugibus autem baptizatis nullum remanet malum ex quo generentur mali*, quia quidquid in eis mali erat baptismo dimissum est. Hoc sane argumentum Pelagiani *acutissimum* esse censebant. Cui accedit quod *corpus mulieris baptizatæ sit templum Dei.* Incredibile est autem in *utero eius hominem sub diabolo futurum, nisi renascatur ex Deo, posse formari.*

Nona, si dicatur superesse in baptizatis concupiscentiam seu libidinem cujus motu in prolem culpa transfunditur, è contrario, illa est [a] *naturalis & bona probabilis in genere suo* [b], *affectio naturalis & innocens*; [c] *nec ulla mali necessitas in carne*, ergo per illam non potest peccatum tradi. Quam rationem tanti fecere Pelagiani ut ad eam destruendam nati sint omnes libri, quos Augustinus contra Iulianum scripsit.

Decima, *Si nec parenti post conversionem obsunt peccata propria, quanto magis filio eum obesse non possunt? nullâ enim ratione conceditur ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena.*

Vndecima, *Hæc forma etiam in homine malo observari debuit, quæ servatur in diabolo*: sed diabolus *non damnatur nisi ex vitijs propriæ voluntatis*, ergo &c.

Denique ne scripturarum autoritate destitui viderentur causæ suæ quasi fortissimum firmamentum Iulianus esse voluit propheticum testimonium, quo per Ezechielem dictum legimus, *quod non erit parabola quæ dicebant, parentes uvas acerbas edisse & dentes obstupuisse filiorum, nec morietur filius in peccato patris, nec pater in peccato filij, sed anima quæ peccat ipsa morietur.*

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 70.
Lib. 3. cont. Iul. c. 1. & 5 & lib. 6. c. 9 & 10.
Lib. 4. ad Bonif. c. 2.
Celest. lib. de pec. orig. c. 6.
Pelag. lib. de pec. orig. c. 13.
Iul. lib. 1. operis imperf. fol. 176.
Lib. 2. f. 225
Lib. 5. cont. Iul. c. 1.
Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 44.
Vide lib. 1. cont. Iul. c. 1 lib. 2. de nup. c. 3. & 24. & alibi sæpissime.
Apud Aug. lib. 1. operis imperf. f. 23.
Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. fol. 284.
Lib. 3. cont. Iul. c. 18.
Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 85.
Lib. 6. cont. Iul. c. 9. & lib. 2. cont. Iul. operis imperf. folio 285. & fol. 230.
Lib. 5. cont. Iul. c. 24.
Lib. 6. cont. Iul. c. 6.
Lib. 6. cont. Iul. c. 7. & lib. 3. de pec. merit. c. 3.
Lib. 2. cont. Iul. c. 1. & 9
Aug. Epist. 105. vers. fin.
Lib. 6 cont. Iul. c. 24.
a Lib. 4. cont. Iul. c. 2.
b Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 100. & alibi sæpè
c Lib. 3. cont. Iul. c. ult.
Lib. 2. de pec. merit. & remiss. c. 27.
Lib. 3. de pec. merit. c. 8. & lib. 1 oper. imperf. cont. Iul. f. 65.
Lib. 6. cont. Iul. c. 20
Lib. 6. cont. Iul. c. 25.
Ezech. 18.

Absurda quæ ex Originalis peccati fide à Pelagianis inferuntur.

CAPVT TERTIVM.

Absurditates vero quas ex originali A peccato consequi putabant erant istæ. Primò, *Si peccator genuit peccatorem, justum quoque justum gignere debuisse*; sed hoc absurdum, ergo & illud. Cui simile & istud, *quod natus de baptizato habendus esset veluti baptizatus.*

Secundò, sequeretur *peccata omnium parentum omnibus filijs imputari.* Tertiò, *peccatum esse substantiam.* Quartò, *parvulis melius esse non nasci.* Quintò,

Lib. 2. de pec. merit. & remiss. c. 9. & 25.
Ibid. c. 25.
3. Contra Iul. c. 23.
Indicatur lib. 5. contra Iul. c. 1.
Lib. 5. c. 11.

by Google

Lib. 1. cont. Iul. oper. imperf. f. 70. & lib. 2. f. 283. Lib. 2. cont. Iul. c. 1. & 9.

Quintò, *à parvulis auferri non posse; quoniam quod naturale est & innascitur usque ad finem eius, cui à principiorum causis inhaserit perseverat*. Sextò, desperationem perfectionis seu perficiendæ virtutis ingeri; *quia ingenerata vitia incredibile est posse consumi, quæ iam nec vitia deputanda sunt; non enim peccat qui non potest aliud esse quam creatus est*. Septimò, imo numquam hominem fieri posse bonum, unde Iulianus: *Si aliquis malus condi posset nunquam in bonum ablutione transiret*. Octavò, *Parentes esse iure damnabiles, imo comparari parricidis, in quibus sit causa ut filij cum damnatione nascantur; & ut ita dominatum exercendum in homines diabolus perveniret*. Nono, tanquam certissimum inferebant nuptias vel etiam nuptialem concubitum damnari & à diabolo esse institutum, *si aliquid unde damnabiles generentur habere creduntur. Si statuitur de nuptijs origine malum*, inquit Iulianus, *causa mali est conventio nuptiarum. Omnis autem causa mali est expers boni. Accusari ergo possunt excusari non possunt*. Et alibi: *nusquam sine commixtione nuptiæ corporales, tu dicis, quicunque ex illa commixtione nascuntur, ad diabolum pertinere; dubio procul pronuncias nuptias ad ius damonis pertinere*. Huc trahebant & illud Christi, *ex fructibus suis arbor cognoscitur: necesse est enim malum esse per quod & ex quo malus fructus apparuit. Quomodo ergo, tu audiendus putaris, qui dicis bonum esse coniugium, de quo nihil aliud quam malum prodire definis? Constat igitur mala esse coniugia si peccatum inde originale deducitur nec posse defendi nisi fructus eorum innocens approbetur*.

Lib. 4. contra Iul. c. 7.

Lib. 5 cont. Iul. c. 10. & lib. 3. c. 24.

Lib. 2. cont. Iul. c. 4. Lib. 3. cont. Iul. c. 14. & 23. & lib. 2. de nupt. c. 26 & 27. & alibi passim: Lib. 1. oper. Imperf. contra Iul. f. 71 Lib. 2. de nupt. & concup. c. 26

Lib. 2. de nupt. & concup. c. 28.

Decimò simili modo arguebant; *peccatum originale est vel ex voluntate vel ex natura: Si ex voluntate, mala est voluntas qua peccatum facit, si ex natura, mala natura*. Supponebant autem non esse ex voluntate, qua parvuli carent, ergo ex natura. Nec dissimiliter inferebant malam esse commixtionem, sexus corpora, fœcunditatem ut libro secundo de nuptijs passim videre licet; vel si illa bona sunt parvulos omnes esse iniquitatis immunes. Quo ut pertingerent, insinuare se nitebantur cordibus parum intelligentium laude operum divinorum, hoc est *laude naturæ humanæ, laude seminis, laude nuptiarum, laude utriusque sexus commixtionis, laude fœcunditatis, quæ omnia bona sunt*. Quin etiam laude libidinis, per quam diceBatur culpa propagari: ut inter tot præsidia innocentiæ nulla pateret rima qua peccatum fingi posset ingressum. Nam hinc illæ eorum voces [a]: *de hoc opere quod non habet culpam nasci culpa non potest, de carne quæ à peccato libera est non nascuntur peccata*. [b] *Mala ex bonis esse non possunt. Per opus Dei opus diaboli transire non sinitur. Non potest mali radix in eo locari quod donum Dei est. Ratione non sinit, ut de bono malum & de iusto iniquum aliquid proferatur*.

Ita passim Iul. toto lib. 2. de nupt. & lib. 2. oper. imperf. Aug. lib. 2. de nupt. & concup. c. 26.

a Lib. 4. cont Iul. c. 16.

b Lib. 1. cont. Iul. c. 8. & lib. 6. contra Iul. 21.

Vndecimò [a], *hominem non esse opus Dei* [b], sed à diabolo dici originem nascentium [c]: erit enim creator & auctor hominum, *si ex hoc vulnere creantur, quod naturæ, quæ primum condita est inflixit humanæ*. Qua calumniosa ratiocinatione passim inculcabant naturā esse malam, diabolicam, nec imaginem Dei. Vnde Iulianus quodā loco: *Sapientiæ ratiocinanti credo, quod naturā videlicet diabolicam sine ambiguitate definias. Nam si in ea, vel per eam est, propter quod homo à diabolo possidetur, irrefutabiliter diaboli est, per quod Dei imaginem sibi potuit vendicare. Imo nec imago Dei est, quæ per exortu suum in regno diaboli est*. Quare cum constet creationem hominum Deo esse tribuendam etiamsi nascentes mali aliquid ex parentibus trahere possent, addit Iulianus: *experirentur manibus Dei, & opificis maiestate*.

a Lib. de pec. orig. c. 33. b Lib. 3 cont Iul. c Lib. 2. cont Iul. c. 1

Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 72.

Duodecimò, Deum iniustissimum fore & crudelissimum: *quemadmodum autem*, inquit Iulianus, *non est iniquus Deus cum baptizatis dimittat peccata propria, parvulum damnat, quia cum ab illo crearetur, nec ciens nec volens etiam ex illis parentibus quibus remissa fuerant, traxit aliena?* Vnde alibi exaggerat iniustitiæ illius immanitatem: *apud quem igitur impolluta innocentiam scelus gravat exterarum? Quis sic fuit qui hos (parvulos) addiceret reos? tam exlex, tam trux, tam oblitus Dei, & æquitati barbarus perduellis? Laudamus prorsus ingenium tuum: apparet eruditio. Non potuisti aliter dignam odio generis humani iudicas nescio cuius, imo tyranni allegare personam, quam iurando non solum cum pepercisse his qui nihil peccaverunt, verum etiam iis qui nec peccare potuissent*. Hæc & plura Iulianus. Reum denique, non Deum vocat, sententiamque Catholicorum *immanem, sacrilegam, funestam*.

Lib. 5. cont Iul. c. 15 Lib. 2. contra Iul. c. 11. & alibi passim

Lib. 1. oper imperf. cont. Iul. f. 43.

f. 11

f. 45

Decimotertiò, *Deum homines fecisse diabolo*. Hoc est, ut exponit Augustinus *Deum hoc creando intendere hoc curare, hoc sui operis ratione providere, ut habeat diabolus servos quos ipse sibi diabolus facere non potest*. Nullum enim videbat fructum aut finem *cur hoc crearet bonitas Dei, quod malignitas diaboli possideret*. Vnde Deum vocat Iulianus: *Ad inimici sui lucrum semper industrium*. Itemque, *hoc inter se fœdus iniisse diabolum & Deum, ut quidquid perfunditur Dei, quicquid nascitur diabolus sibi vendicet; ea tamen lege, ut ipsam commixtionem quam diabolus iniecisset, Deus virtute fœcundet*.

Lib. 2. de nupt. & concup. c. 16.

Lib de pec. orig. c. 40. Lib. 6. cont. Iul. c. 9. ibid.

Decimoquartò, magnis argumentationibus nitebatur Iulianus ad illud impietatis abruptum perducere, *ut Christi caro nihil differret à carne peccati*, hoc est, similiter esset peccati originalis reus, nempe, *quia de Maria natum est, cuius virginis caro sicut cæterorum omnium ex Adam fuerat propagata*. Sic enim putabant Christi, qui veniebat *in similitudine carnis peccati*, & cæterorum hominum nullam statui debere differentiam.

Lib. 5. cont. Iul. c. 15

Denique, *Ita esse animarum traducem in Tertullianistas & Manichæos profanitate damnatam, sicut etiam corporum*. *Quod tam nefarium est*, inquit Augustino Iulianus, *ut cum à nobis in epistola quam ad urbem* [...] *fuisset obiectum, in tuis libris quos nuper ad Bonifacium misisti, negando à te propulsare conaris*. Novam enim singularium animarum creationem acerrime Pelagiani ex naturæ & sacris dogmatibus ecclesiæ quæ Catholica, ut venditabant, *auctoritate* tuebantur: ut ita si constaret

L. 2. oper. imperf. contra Iul. f. 390

Lib. 3. ad Bonif. c. [...]

Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 131

 nihil

Ibid. f. 229. *nihil eam debere ſemini corporali* nihil etjam culpę in eam poſſet corporali propagatione transfundi. Quamquam illam de origine animæ *non neceſſariam quæſtionem* eos moviſſe dicit Auguſtinus, non tam ut peccatum originale deſtruerent quam, *ut re manifeſtæ aliarum rerum obſcuritate turbando moliरentur latendi locum.* *Lib. 3 ad Bonif. c. 10.*

A Vnde odioſo nomine Catholicos paſſim vocitabant ſicuti *Manichæos* ita etjam *Traducianos*, & Auguſtinum, *Traduciana nationis primatem*: Nonſolum propter traducem animarum quam eis calumniando tribuebant ſed maximè peccati originalis de quo hactenus. *Paſſim lib. 1 & 2. operis imperf. cont. Iul.*

Pelagiani præcones & patroni libidinis.

CAPVT QVARTVM.

NVNC de pœnis ejus, quas partim *in hac vita partim in futura* luimus, deinceps videndum quid ſentirent. Sunt verò vel animi vel corporis. In animo concupiſcentia & ignorantia: in corpore miſeriæ mortalitatis ac denique mors.

Concupiſcentiam, quæ alio nomine libido dicitur hic intelligimus non tantum illam quę in carne ſentitur, ſed omnes omnino cupiditates quibus etjam animus in vita ſæpius voluntati turbatur, quas omnes in Pelagianorum opinione ſicut cæteras animi paſſiones naturaliter homini tam ante quàm poſt peccatum pari planè ratione, ut nunc in hac mortalitate experimur à Deo inſeri jam ſupra ſufficienter dictum eſt.

De illa vero corporis quaſi concupiſcentia, quæ uſitatius libido dicitur, *& corpus*, ut Auguſtinus loquitur, *non ſolum extrinſecus verum etiam intrinſecus vexat, totumque commovet hominem, animi ſimul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto*, idem omnino judicandum. *Lib. 14 de civit. Dei c. 16.* Quod etſi ſupra utcunque ſignificatum fuit, tamen in illa depingenda magnopere linguam ſuam Iulianus exercuit multaque dixit quę veritas improbat, attexenda nonnulla ſunt ut Pelagianorum hac de re ſententia clarius eluceſcat. Solemne Pelagianis fuit magnis præconijs in hujus affectionis prædicationē effundi. Teſtatur hoc ſexcenties & ſtomachando exprobrat Auguſtinus: *Non uſque adeo putandum eſt perijſſe frontem de rebus ut hoc dedecus* (laudandi libidinem) *niſi in tali forte auditorio fieret, ubi te recitaturo* (laudes ejus) *conſidentibus diſcipulis ſuis magiſter Celeſtius aut Pelagius præſideret.* *Lib. 2 cont. Iul. c. 6.* Et alibi: *Iſte autem audet in Eccleſia Chriſti ante magiſtrum in cœlo ſedentem recitare libidinis laudes.* *Lib. 6. c. 11.* Nec vero id Iulianus inficiatus eſt. Hæc enim ſunt verba ejus quodam loco: *Meritoitaque & in bene utentibus genus concupiſcentiæ modusque laudatur, & in turpibus exceſſus ejus punitur.* *Lib. 2 de nupt. c. 19.* Hinc eſt quod eos paſſim vocet [a] *patronos, defenſores*, [b] *fautores*, [c] *impudentiſſimos laudatores* libidinis, de qua *Pelagiani etiam litibus glorientur tanquam de aliquo bono*, & [d] *vehementer arguentibus iraſcantur.* Hinc ipſam libidinem [e] *ſuſceptam* Pelagianorum vocare ſolet à judicijs forenſibus petita metaphora, ubi ſuſceptos dicunt, quibus advocati patrocinantur. Quod patrocinium eos concupiſcentiæ carnis non tam veritatis

a Lib. 4 cont. Iul. c. 15. b Lib. 4 c. 14. c Lib. 2 c. 3. d Lib. 4 c. 14. e Lib. 4 cont. Iul. c. 2. 11. 12. 15. & lib. 5 c. 8. & lib. 6 c. 19. & alibi ſæpiſſimè.

A quam voluptatis cauſa præſtitiſſe ſuſpicari pronum eſt, *ut eius ſi non uſibus ſaltem laudibus oblectarentur quicunque eorum propoſito continentiæ carnali conjugio non fruebantur.* *Aug. lib. 2 de nupt. & concup. c. 7.* Hinc enim eſt quod eos frequenter in ſuſpicionem colluſionis vocat; *Itane habere tecum libido & amicitiam meretur & bellum, ut abs te & expugnetur in te & defendatur adverſum me? bellum ve, non latet, amicitia patet. Ex hoc quod patet ſit pellum ſuus eſſe quod latet &c. Quomodo tu ut arbitremur adverſum aculeum te dimicare libidinis, cum libros impleas laude libidinis?* *Lib. 3 cont. Iul. c. ult.* Et rurſum preſſius alibi: *Cui non alio tantum licere poſſe quis crederet, ut ſibi Laudatorem etiam de ſuis expugnatoribus provideret? Abſit quidem ut antiquorum aliquem vel Apoſtolorum vel quorumcunque ſanctorum, mirabiliter tamen, ſi vel quemquam hæreticorum noverim qui ſimul utrumque ſe eſſe profiteatur inexplicabilibus modis, expugnatorem ſcilicet defenſoremque libidinis.* *Lib. 4 cont. Iul. c. 2.*

B Sed quantumvis libidinem Iulianus ſine pudore diligeret & ejus laudes impudenter ſpargeret ſuccincte tamen ipſis naturæ legibus victus *pudendam* eam eſſe fatebatur, & quadam inverecunda verecundiæ præfatione ignoſci *neceſſitati ſuæ libertatique* poſtulabat. *Lib. 3 operis imperf. cont. Iul. f. 160. Lib. 5 cont. Iul. c. 5. & Lib. 4 c. 9. & 12.* Ex quo profectum eſt, ut quantumvis eam ſpecioſis noviſque titulis extolleret, quadam tamen ejus nomina quæ naturæ humana neſcio quid pudoris incutiunt, velut ſcopulos exhorreſceret. Vocavit enim eam in ſuis ſcriptis ſæpius [a] *voluptatem* [b], *voluptatem carnis* [c], *ſenſum* [d], *commixtricem ſeminum & confectricem* [e], *appetitum mutuum* [f], *appetitum naturalem* [g], *calorem genitalem* [h], *membrorum potentiam* [i], *virilitatem* [l], *generationum potentiam* [m], *membrorum vigorem* [n], *concupiſcentiam* [o], *ignem vitalem* [p], *concupiſcentiam naturalem*: ſed ut obſervat [q] Auguſtinus, [r] *debat eam appellare libidinem, ſive ſicut eam divinus ſermo appellare conſuevit, concupiſcentiam carnis.* C Et cur obſecro? nempe [r], *ut aliquid aliud, non ipſam laudare videretur.* Quem enim non pudeat id laudare, quod pudet & putet? Pudet enim ex ipſo rationalis naturæ ſenſu *carnem* contra ſpiritum *concupiſcere* neglectoque naturali mentis imperio membra incentivo *libidinis* commoveri. Quod genus infirmitatis atque rebellionis quoniam ipſis vocabulis *libidinis* & *concupiſcentiæ carnis* exprimitur, alijs vocabulis libentius utebatur, quibus naturalis quædam vel bonitas vel perfectio deſignari videretur.

a Lib. 2 de nupt. c. 9. & lib. 6 cont. Iul. c. 24. b Lib. 5 cont. Iul. c. 8. c Lib. 4 cont. Iul. c. 14 & lib. 6 c. 18. d Lib. 2 de nupt. c. 13. e Lib. 5 cont. Iul. c. 16. f Lib. 2 de nupt. c. 7. g Lib. 4 cont. Iul. c. 3. h Lib. 2 de nupt. c. 7. i Lib. 5 cont. Iul. c. 15. l Lib. 2 de nupt. c. 13. m Lib. 2 de nupt. c. 19. n Lib. 2 de nupt. c. 10. o Lib. 3 cont. Iul. c. 13. p Lib. 6 cont. Iul. c. 21 q Lib. 4 cont. Iul. c. 20 r Lib. 2 de nupt. c. 16

Libidi-

Libidinem non esse malam varijs argumentis astruunt & Scripturas solvunt.

CAPVT QVINTVM.

VT igitur morbidam istam humani animi simul & carnis affectionem quę permixto utriusque appetitu concitatur, in tuto ab omni argumentorum impugnatione collocarent, ante omnia pervicacissimè negabant eam malam vel quoquo modo vitiatam. a *Concupiscentia*, inquit Iulianus, *mala qualitas non est:* Et alibi: b *Non esse in natura malam defendimus*, & rursum: c *Non est in carne mali necessitas.* Malitiam verò ab ea omnem removebant multis argumentis. Primò quidem, quod ille esset error Manichæi, qui duas statuens in uno homine permixtas esse naturas bonam & malam, carnis concupiscentiam non tanquam accidens vitium, sed tanquam malum naturale culpabat, hinc gravem invidiam concitabat Augustino Iulianus, quod *naturale* sive *originale* defenderet. *Perfectè*, inquit, *Manichæum est qui malum Originale defendit.* Quæ criminatio non tantùm ex peccati originalis defensione sed etiam libidinis vituperatione nascebatur. Vnde alibi Augustinus: *Non sicut insimulas cum Manichæis dicunt, Catholici, inesse carni sua mali necessitatem quod malum illi substantiale & Deo coæternum esse mentiuntur; sed dicunt sane cum Apostolo: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

a Lib. 6. cont. Iul. c. 18.
b Lib. 3. cont. Iul. c. ult.
c Ibidem
Vide lib. 6. cont. Iul. c. 6 & alibi passim
Lib. 2. de nupt. c. 29.
Lib. 5. cont. Iul. c. 6.

Secundò, quod Deus eam ut magnum donum Abrahæ & Saræ contulisset: *Certè* (ait Iulianus) *hanc concupiscentiam, sine qua nulla fœcunditas, malum* naturale *definisti, unde ergò per donum cœleste in senibus excitatur? Astrue jam hoc si potes ad opus diaboli pertinere, quod Deum vides conferre pro munere.* Et rursum quod eam supplicio subtraxisset Abimelech, placatusque reddidisset: *Vide ergò, utrum* naturale *malum dici debet quod interdum aufert exasperatus Deus, redditque placatus.*

Lib. 2. de nupt. c. 10. & 12.
Ibid. c. 13.

Tertiò, *quia carnem suam nullus odit*, nihil igitur in ea mali quod odium mereatur.

Lib. 6. cont. Iul. c. 15.

Quartò, *si posset calor genitalis*, hoc est, *concupiscentia carnis malum esse* naturale *exstirpandus erat non comprimendus*, hoc est, non frænandus tantùm & ad modum adigendus, sed penitus vi mentis è corpore auferendus erat. Quia, inquit, *nihil ad innocentiam promovet modestia* (hoc est, moderatio) *rei per ipsum genus nocentis.*

Quintò, *si malum esset concupiscentia, carerent ea qui baptizantur*, ita Iulianus. Baptizati enim, inquiebant, sunt *templum Dei*, in quo non tantum nihil potest esse mali, sed *nec aliquid quod mortificetur*: vel si aliquid in baptizatis superest mali, sequitur sane, quod absurdissimum est, *non innovari homines per baptismum, sed quasi innovari; non liberari, sed quasi liberari; non salvari, sed quasi salvari*: juxta Epicurum qui negavit esse corpus Deorum, *sed tanquam corpus*, A *nec sanguinem, sed tanquam sanguinem.* Imò *Baptisma non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata.* Præter quam absurditatem, alia gravissima incommoda si mala esset libido sequi conqueruntur, videlicet

Ibid. c. 16.
Ibid. c. 14.
Ibid. c. 14.
Ibid.
Lib. 1. ad Bonif. c. 12.

Sextò, *per Deum creatum esse unde homines nascerentur, per diabolum autem unde parentes commoverentur* ad concubitum scilicet. Hoc est quod alibi dicit *motum genitalium à diabolo esse repertum.*

Lib. 3. cont. Iul. c. 26 & lib. 2 de nup. c. 34.

Septimo, *commixtionem conjugum à diabolo fuisse repertam.* Ideoque *ante peccatum nullum futurum fuisse concubitum.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 5. & 2. cont. Iul. operis imperf. fol. 432.

Octavò, *aliunde quam unde totum est, esse genitalem corporis partem*, hoc est, non ex Deo sed ex diabolo.

Lib. 1. ad Bonif. c. 9. & 5. cont. Iul. c. 9.

B Denique irrefragabili vinculo putabant sequi nuptias esse damnandas ac diabolo autore institutas. Iulianus, *si non sunt nuptiæ sine libidine, & generaliter à vobis libido damnatur, damnatis & nuptias.* Quas posteriores absurditates maximeque postremam ita inferebant sequi ut eas etiam ab Augustino & Catholicis asseri confirmarent. Hinc enim illæ natæ in Augustinum calumniæ: *Baptisma non verè homines novos facere asserunt*, id est, *non plenam dare remissionem peccatorum, sed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios sæculi, id est diaboli remanere contendunt.* Et alibi: *Illæ nuptiæ quæ sine concupiscentia sine motu corporum, sine necessitate sexuum ut dicis esse potuerunt, à te pronuntiantur laudabiles. Ista verò conjugia quæ nunc aguntur à diabolo definis inventa & proinde mala diabolica, morbum pro remio debere non conjugium nuncupari.* Hinc item illa *quod diabolo conjugia transscriberet*, quod eum *genitalium commendaretur artificem* quod *excitatorem virorum assereret.* Contra quæ opinionum quasi portenta Catholicarum sic Iulianus definiebat: *Fugienda opinio est quæ putat vel in membris hominum vel in sensibus membrorum aliquid diabolum condidisse.* Quod verò Augustino exprobrat nuptias ab eo morbum non conjugiũ esse nuncupatas, inde natum est, quod Augustinus illo loco Apostolico *non in morbo*, ut ipse legit, *desiderij*, contra libidinem uteretur. Concupiscentiam enim sive libidinem non esse humani animi morbum neque pœnam, omnibus disputandi viribus contendebat, cum tamen *nuptiarum remedium*, ei provisum esse fateretur: *laudas*, pudicitia conjugalis, *tali remedio non egentes.* Per morbum itaque apud Apostolum, peccatum fornicationis intelligebat: Non libidinem, quia, inquit, *non potest dici morbus, sine quo non est connubium, quia potest esse*

Indicat lib. 4 cont. Iul. c. 10. & 11.
Lib. 6. cont. Iul. c. 11.
Lib. 4. cont. Iul. c. 10.
Lib. 1. ad Bonif. c. 3. & lib. 1. c. 13
Iul. lib. 2. de nupt. c. 31.
Iul. lib. 6. apud Aug. cont. Iul. 8.
Lib. 4. cont. Iul. c. ult.
1. Thess. 4. Lib. de nup. c. 8.
Lib. 3. cont. Iul. c. 15. & 21.
Lib. 4. cont. Iul. c. 10. & lib. 5. c. 9.

Digitized by Google

Iul. lib. 1. operis imperf. apud Aug. cont. Iul. fol. 90.

esse connubium præter peccatum, morbus autem peccatum dicitur. Et alibi: *In Sacerdotum connubio & in omnium honesto omni nullus omnino morbus est, quia nec Apostolus morbum pro remedio commendasset, cum per reverentiam nuptiarum à morbo fornicationis Ecclesia homines muniebat* humiliter ab alio Ioannis Apostoli loco, quo *concupiscentia carnis non esse à Patre* dicitur, se Iulianus expediebat. Luxuriam enim significatam voluit non libidinem.

1. Ioann. 2. Lib. 4. cont. Iul. c. 13.

Admittunt malas consuetudines: eas esse legem in membris; & caput septimum ad Romanos pervertunt. Multasque calumnias in Catholicos comminiscuntur.

CAPUT SEXTUM.

Sed quia præ cæteris scripturis eos stringebat & urebat operosa illa disputatio qua conflictum hominis contra internos sive animi sive corporis concupiscentiæ luctantis motus depingit Apostolus: ut eam evaderent dogmatum suorum vestigiis inhærendo unanimi consensu hoc fundamentum jecere Pelagiani aliis quoque erroribus suis tuendis necessarium, nihil quidem mali sive peccati sive vitiosæ concupiscentiæ ex parentibus trahi à nobis; veruntamen peccandi frequentatione malas consuetudines contrahi quibus etiam renitente quodammodo voluntate præcipitemur in malum: has solas esse, quæ bene vivendi resistant voluntati, *neque verò*, ait Pelagius, *alia nobis causa difficultatem bene faciendi facit quam longa consuetudo vitiorum.* Item: *omne illud tempus quo negligenter edocti, id est, ad vitia eruditi sumus, nunc nobis resistit, contraque nos venit & novam voluntatem impugnat usus vetus.* Et infra dicit, *vago peccandi usu homines quodammodo bonum naturæ obruere.* Et rursum alibi: *Est voluntas sed non est effectus, quia carnalis consuetudo voluntati resistit.*

Ad Rom. c. 7. *Epist. ad Demet.* *Ibid.* *Ibid.* *In Comment. c. 7 ad Rom.*

Hanc verò consuetudinem non solum benè vivendo dicebant posse superari, sed etiam credi volebant, baptismi Sacramento penitus tolli, ita ut post baptismum nihil in carne superesset quod contra spiritum niteretur. Vnde Pelagius cum sibi objecisset: *Sed caro secundum Apostolum contraria est inquies,* ita respondet: *quî fieri potest ut cuicumque baptisato sit caro contraria, cum secundum eundem Apostolum in carne non esse intelligatur? Ita enim ait: Vos autem in carne non estis.* Vbi omnem carnis resistentiam quam Pelagiani in consuetudine solent agnoscere vult per baptismum esse sublatam. Hinc enim nata est & illa calumnia quam supra vidimus, quod Catholici dicerent, *baptismate non plene homines innovari.* Quo sensu & Iulianus dixit: *Ille (Apostolus) in membris legem per flagitiorum usum Sanctis consiliis inter principia tamen emendationis rebellem consuetudinem malam vocabat, quæ ab eruditis etiam sæculi dici solet esse secunda natura.* Rebellionem enim consuetudinis non agnoscit Iulianus nisi inter principia emendationis ante baptismum, quæ ut consuetudinis malo liberetur, divinam gratiam implorari decet. Et clarius exprimens quid sibi vellent, Augustinus: *Sed ne fortè*, inquit, *iisdem carceribus teneri existimes eos in lavacro regenerationis adhuc exspectantis, post quod lavacrum nullam legem peccati resistentem legi mentis habitare asseris, recole &c.* Et alibi: *Responde ergo cur sic ipsa faciat, qui omni malo in baptismate caruit?* (scilicet secundum te) *Cur autem lividum facere templum Dei?* Quod ut clarius caperemus quam vocem, inquit, *Scio quia non habitat in carne mea bonum, baptizatis esse cur negas?* Apertè enim Iulianus dicebat: *Baptizatus non habet aliquid quod mortificet.* Ex his igitur persuasissimis sibi principiis totum illud caput septimum ad Romanos, ubi Apostolus mortalitatis hujus ærumnas quas ex conflictu carnalium desideriorum, quibuscum nascimur, Sanctissimi quique patiuntur & gemunt, in hæreticum suum sensum torquendo pervertebant. Cùm enim viderent, ut Augustinus notat, totam ibi hæresim suam qua nullum in homine peccatum aut malum nasci statuebant *funditus subrui, non aliter ex Apostoli vocibus exire conabantur nisi quanta possent contentione asseverarent, non illic ipsius Apostoli accipiendam esse personam sed adhuc sub lege nondum sub gratia positi cuiuspiam Iudæi, contra quem sua mala conversatione consuetudo pugnaret.* Sensum Pelagianorum omnium luculentissime ipse Dux gregis Pelagius expressit: *Hoc quod inde Apostolo intelligere cupiunt omnes Ecclesiastici viri in peccatoris & sub lege adhuc positi asserunt eum dixisse persona, qui nimia vitiorum consuetudine velut quadam teneretur necessitate peccandi, & quamvis bonum appeteret voluntate, usu tamen præcipitaretur in malum. In persona autem unius hominis designat populum sub vetere adhuc lege peccantem, quem ab hac consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi primo omnia per baptismum peccata dimittit, deinde imitatione sui ad perfectam incitat Sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo.* Succinit præceptori discipulus Iulianus: *Iudæum sub lege positum describebat Apostolus.* Et alibi: *Exasperat Apostolus vim consuetudinis.* Itaque omnes illas Apostoli voces: *Ego carnalis sum venundatus sub peccato: non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Video aliam legem in membris meis resistentem legi mentis meæ:* Et similes, sic accipiebant non quasi aliqua peccandi concupiscentia ex parentibus tracta signifi-

Lib. de nat. & grat. c. 22 *Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 34.* *Lib. 3. cont. Iul. c. 26.* *Aug. lib. 6. cont. Iul. c. 16* *Ibid.* *Lib. 6. cont. Iul. c. 24.* *Lib. 1. cont. Iul. c. 2. & c. 5. & lib. 1 ad Bonif. c. 8* *Lib. de grat. Christi c. 39.* *Iul. lib. 3. cont. Iul. c. 26.* *Lib. 6. c. 23.*

significaretur in Apostoli jam baptizati & Sancti corpore vel animo superesse, motusque libidinis suscitare, sed sola peccandi consuetudo, quam usu sibi Iudæus & quilque peperisset. In cujus persona mox Apostolus ingemiscendo & baptismum postulando subjecerit, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus*, hoc est, *à consuetudine videlicet mortifera corporali*, inquit Pelagius: Iudæorum enim superbia quos *in se transfigurabat* Apostolus *contemnebat*, inquit Iulianus, *dona Christi velut sibi non necessaria, quod veniam daret ille peccatis per baptismum quæ ipsi legis admonitione vitagent*. Quē sensum latius prosequitur & inculcat commendatque alibi idem Iulianus, corpus mortis exponens peccatorum reatum, quæ consuetudine, hoc est, *improborum imitatione* collecta sunt, quibus per baptismum liberamur. Legem in membris *consuetudinem malam*. Hæc enim capitis illius commemorata interpretatio non solum est a *Iuliani* carptim multis locis, sed etjam continuata ipsius[b] *Pelagii*. Cum ergò velut interitum erroris sui exhorrescerent aliquid mali istis Apostoli verbis intelligere quod ex parentibus propagaretur in proiem & in peccandi libidines æstuaret, consequenter Augustini interpretationem qua totum

In Comment. Luci.
Iul. lib. 6. apud Aug. cont. Iul. c. 23.
Iul. lib. 1. operis imperf. f. 82. 83. 84. & seqq.
Fol. 54.
a Lib. 6. cont. Iul. c. 23. lib. 3. c. 26. lib. 1. operis imperf. fol. 82. & 94. & alibi
b In Comment. c. 7. ad Rom. late

A illum locum de ipso Paulo cunctisque Sanctis, cum interno vitiorum innatorum exercitu, in hac mortalitate luctantibus exponeret, gravissimis calumnijs infamarunt: ut quod doceret *Apostolum hæc ista dixisse (non habitat in carne mea bonum) non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum, quasi qui se vellet intelligi renitentem in scorta aliqua manu pestifera voluptatis abduci*: atque hac de causa *Apostolum etiam Paulum vel omnes Apostolos semper immoderata libidine fuisse pollutos*. Item *nec in castioso quidem corpore libidinem posse frenari*. Quin etjam *institutionem corporis abesse & naturam carnis accusari*. Hanc esse Manichæorum opinionem, quam Augustinus à Fausto præceptore didicisset: qui per *legem membrorum resistentem legi mentis, naturam malam significatam fuisse voluit*. Denique *non esse dubium*, dicebat jactando Iulianus, *eversionem sanctitatis contaminationem pudicitiæ, morum labem Augustini convenire*, B *imo inesse dogmatibus: qui ideò in natura invidiam malæ conversationis sordes refunderet ut peccantibus metum demeret, quorum obscœnitates Apostolorum & Sanctorum omnium consolaretur injurijs eo quod vas electum Apostolum Paulum sæpe dixisse commemoraret, non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio*.

Ita Iul. lib. 6. apud Aug. cont. Iul. c. 23
Lib. 1. ad Bonif. c. 8.
Lib. 6. cont. Iul. c. 11.
Indicatur lib. 6. cont. Iul. c. 23. in fine
Iul. lib. 1. operis imperf f. 95.
Lib. 3. cont. Iul. c. ult.

Bonam esse libidinem multis probant.

CAPVT SEPTIMVM.

SED non contenti Pelagiani ab omni malitia sive culpæ sive pœnæ purgasse concupiscentiam, etjam bonitatem atque innocentiam ejus magno studio Philosophicis fucatisque armati rationibus defenderunt, ut etjam solidis more suo fundamentis assereret Iulianus, definiendo, dividendo, ac differendo, originem, speciem, modum, qualitatemque ejus quasi medicinaliter indagavit.

Et primò quidem esse voluit nihil aliud eam quam sensum. Vt enim id quod Augustinus dixerat, augeri concupiscentiam minuique convelleret, *sensus est*, inquit, *concupiscentia & mala qualitas non est, ergò quando minuitur concupiscentia, sensus minuitur*. Vbi tam ipse quam Augustinus de habitualiter illa manente concupiscentia loquuntur, quæ cum omni homine nascitur, atque unde animi carnisque actuales motus ac desideria pullulant. Hanc statuit esse sensum, hoc est potentiam quandam hominis illam, ut videtur, quam Philosophi appetitum sensitivum nuncupant, vel aliquem certè sensum externum. Clarius hæc indicat alio loco, *Caro concupiscit*, scilicet motibus actualibus inhiando rebus desideratis, *Quia carnaliter anima concupiscit. Siquidem sine anima caro nec sentiat. Concupiscere autem viventis sentientisque natura est, sine quo sensu membra moveri non possunt, id est per semetipsa concupiscere nequeunt, qui sensus concupiscit etiam sine membris ut in spadonibus*. Quod Augustinus tanquam verum exponit de irritis concumbendi conatibus & concupiscentiæ carnalis affectibus quibus & spadones moventur etsi destituti carnis effectibus. Vnde etjam supra sensum esse dixit idem August. non ipsam habitualem concupiscentiam sive vinolentiæ sive incōtinentiæ, seu illū, *quo nos eam majorem minoremve habere sentimus*. Quem sanè non alium quam ipsam partem animæ sensitivam esse manifestum est, quæ quatenus ex apprehendendi & concupiscendi sensu conflatur, proprios suos etiam in bestijs non solum externos sed etjam interiores percipit motus. Et alibi: consequens esse putat *ipsum sensum videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, atque tangendi non à Deo sed a diabolo nobis fateamur esse collatum, si concesserimus eam concupiscentiam carnis, cui per continentiam repugnamus ex illo accidisse peccato quod primum primo homini diabolus persuasit*. B Nempe ex actuum malitia malitiam potentiæ colligit, sed quia non semper sive caro sive animus istiusmodi concupiscentiæ motibus quatitur, causam eorum indagans Iulianus, *genus*, inquit, *concupiscentiæ est in igne vitali, species in motu genitali, modus in opere conjugali, excessus in intemperantia fornicandi*. Vbi per genus Porphyriana phrasi originem concupiscentiæ intelligit, sic enim alio libro justitiæ genus inquirens, *quo nomine*, ait, *nihil aliud quam originem*

Lib. 6. cont. Iul. c. 28.
Ibid. c. 14.
C. 18. lib. 6.
Lib. 4. cont. Iul. c. 14.
Lib. 3. cont. Iul. c. 13.
Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 31.

Digitized by Google

originem intelligi volo: Et sic subjungit: *meritò igitur concupiscentiæ origo definitur in igne vitali, quo collecto necesse est ut & reputetur concupiscentia carnalis per quam constituta est vita carnalis.* Vnde

Lib. 4. cont. Iul. c. 2. alibi: *calorem genitalem* vocat.

Ex hac igitur carnalis libidinis descriptione bonitatem ejus quasi certissimo consequentem asserens, subnectit ac dicit: *Hujus itaque appetitus non in genere suo, non in specie, non in modo culpa est, sed in excessu quia genus ejus & species ad conditoris operam pertinent.* Vbi libidinem concreatam homini & insitam esse definit, atque ideirco bonam. Cujus argumenti vim studiosissime multis in locis inculcat: *Voluptas*

Lib. 2. de nupt. c. 9. *ergo ista*, ait Iulianus, *quam tu diabolicam vis videri, tam in supradictis etiam conjugibus habebatur quæ ut institutione bona, ita etiam benedictione permansit.* Et alia Pelagiana phrasi idem tamen

Lib. 1. ad Bonif. c. 15 significante *motum genitalem, id est ipsam virilitatem sine qua non potest esse commixtio, à Deo dicimus institutam.* Vnde quasi impietatem hac

Lib. 2. de nupt. c. 34. de re docentes Augustinum, *vere* inquit, *credito quia per* IESVM *Christum facta sunt omnia & sine ipso factum est nihil.* Quæ sane causa fuit, vt passim eam vocarent *concupiscentiam naturalem*, pro suo modo *bonam* atque *laudabilem. Con-*

Lib. 3. cont. Iul. c. 21. *cupiscentia naturalis*, inquit Iulianus, *qui modum tenet bono bene utitur, qui modum non tenet bono male utitur.* Et rursum: *bona igitur concupiscentia, naturalis.* Iterumque: *Probabilis est in genere*

Ibid. c. 2. *suo.* Et hoc est quod Augustinus lapeteftatur concupiscentiam illam à Pelagianis veluti

a Lib. 5. c. 7. b Lib. 6. c. 37. [a] *bonum naturaliter*, ac [b] *bonum naturale* esse laudatam, atque ideò eos hortando castitatem

Lib. 5. cont. Iul. c. 7. docuisse *noli vinci à bono sed vince in bono bonum.*

Multis porrò rationibus præter illam quam ex Dei institutione petitam diximus, suam sententiam astruebant. Imprimis igitur veluti acutissimo utebantur argumento bestiarum libidine quam sine dubitatione à Creatore Deo illis insitam esse constabat, unde quasi in re manifestissima deridet Augustinum Iulia-

Lib. 2. cont Iul operis imperf. 329 nus: *Quo enim es deceptus intuitu ut commixtionem corporum, quæ Deus instituit, & conciliatricem commixtionis voluptatem quæ tam in hominibus quam in pecoribus vigent, diaboli opus & fruticem vo-*

Lib. 4. cont. Iul. c. 5. & 14. in fin. & de peccat. orig. c. 40. *cares?* Sed telum illud brutum multis in locis ab Augustino retunditur. Vt tamen hanc rationem quam ex Philosophia didicerant majore colore probabilitatis perfunderent statuebant hominem ex duplici bonorum genere conflatum esse, naturæ videlicet rationalis & irrationalis. Huic subjectionem, illi imperium ita convenire, ut blanditijs inferioris illius boni non deberet ratio subjugari. Ape-

Lib. 4. cont. Iul. c. 15. ruit mentem eorum Augustin. *Hene, ate quidem mentis inferius, tamen bonum hominis esse censes cor-*

Ibid. c. 12. *poris voluptatem.* Et eodem libro: *Si hæc* (libidines, in quas animus pronus est) *tanquam minora bona defendis in quæ non debet à superiis animus inclinari, non quasi libido vitium est, sed quia infimum bonum*, audi &c. Quam suam sententiam satis dilucidis expressit verbis Iulianus,

c. 5. unde Augustin. eam perceperat: *Quoniam*, ait,

A *ex imparibus bonis compositi sumus, animum corpori debere dominari. Quorum alterum cum Deo, alterum communibus est commune. Et ideò id quod est melius, id est animum virtute præditum & membris corporis bene, & cupiditatibus imperare.* Vbi libidines per cupiditates indicat quibus velut imparibus menti bonis animus virtute præditus imperet. Quod sanè dogma utrumque Pelagianismum sicut Ethnicis Philosophis debet, ita citata ver-

ba Sallustio. In prologo Catilin.

Vt verò magis libidinis bonitatem aperiret nullam inter eam cæterasque creaturas differentiam in bonitate statuebat, sed sicut panis & vinum à Deo creata sunt ideoque bona, ita & carnis libidinem; utriusque verò abusum pariter culpandum esse. Ita diserte testatur

Augustinus; sed accipe ipsa verba Iuliani: Lib. 3. cont. Iul. c. 20.

Si putas accusandum membrorum vigorem (hoc est Lib. 2. de nupt. c. 19.

libidinem) *quoniam per ipsum Sodomitæ flagitijs*

B *obliti sunt, accusabis etiam creaturam panis & vini,* & lib.

quoniam hinc quoque eos peccasse Scriptura divina 4. cont. Iul. c. 14. in fine

significat. Et ista quidem sunt veluti capita rationum unde totum libidinis patrocinium, causamque suspendunt: Quibus alia nonnulla veluti levioris armaturæ argumenta connectunt. Putabat enim Augustino teste Iulianus

commendatiorem fieri pulcherrimam istam Lib. 5. cont. Iul. c. 5.

concupiscentiam, *quod ei*, tanquam dominæ scilicet, serviunt & ardentius excitentur etjam cæteræ corporis partes sive oculi videntes ad concupiscendum sive alia membra in osculis &

amplexibus. Quin etjam quia & alijs concitatur stimulis, & quod narrat Cicero: furens Ibid.

olim adolescentum petulantia, gravitate cantus, modorumque tarditate resederit, bonum aliquod concupiscentiam esse concludit.

Deinde *fieri non potest*, inquit, *ut quod bonum* Lib. 5. cont.

est non habeat commune cum eo laudem sine quo esse Iul. c. 8.

non potest. Ex quo confici vult ita libidinem &

C nuptias esse bonas, ut quæ sine libidine esse non possunt.

Denique argumento ex adversarij dictis Lib. 4. cont.

sumpto, *si in fructu ligni* (ait idem Iulianus) Iul. c. 12.

hac fuit libido, à Deo facta esse monstratur, & per hoc bona quoque ipsa defenditur. Et hæc quidem de bonitate libidinis Pelagiani. Quæ causa fuit ut etjam Christo Domino in carne versanti ne à principiorum suorum filo aberrarent laudabilem concupiscentiam illam ascribere

non erubuerint. Sed quid mirum, *si naturalem & innocentem affectionem*, ut eam Iulianus Lib. 2 operis imperf. cont. Iul. fol. 101.

vocat, naturæ autori & innocentiæ restauratori tribuant? Duabus tamen ex causis aliunde ad illam impietatem impulsi sunt. Vna, quod vererentur ne si illa Christo defuisset, Apollinaris errore tenerentur, qui sensum & carnem

eripuerat: *Comparas me*, ait Augustinus, *& coæquas Apollinaris errori, qui carnis sensum negavit in* Lib. 5. cont. Iul. c. 15.

Christo. Nam ut undecumq; nebulas imperitis

D offunderent, libidinem & sensum, unum idemq; esse persuadere nitebantur ut jam supra fusius

declaratum est. Altera, quod *non potuisset exemplum dare natura dissimilis* nobis: Quasi si concupiscentijs nostris dissimilis fuisset Christus, fuisset etjam natura dissimilis. Nova sanè im- Iul. apud Aug. lib. 5. cont. Iul. c. 15.

puden-

pudentium istorum Cynicorum exorbitatio: quam eò usque progressuram subverebatur Augustinus, ut libidinem etjam corporibus à resurrectione gloriosis ascriberent, sicut hoc eorum principia postulare videbantur. *An istam,* A *interrogat quasi asserendo, libidinem sic amatis ut quomodo eam prius ante peccatum in paradiso posuistis, ita etiam resuscitatis corporibus ingeras?* De quo & supra nonnihil diximus. Lib. 4. cont. Iul. c. 9.

De bonitate aliarum cupiditatum.

CAPVT OCTAVVM.

NEQVE vero isti carnis libidini tantum, A quam isto nomine usitatius vocant, sed omnibus omnino humanis affectibus, quibus animus bonis à Deo creatis ac delectationibus inhiat parem laudem bonitatemq; tribuebant. Nam ut probaret Iulianus illam de qua egimus hactenus libidinem esse bonam, generaliter omnium sensuum voluptatem testem advocavit. *Naturalem*, inquit, *esse omnium sensuum voluptatem testimonio universitatis docemur.* Et mox etjam *in paradiso* ante corruptum sermone sacrilego voluntatem *illiciti cibi libidinem* ut Augustinus eum exponit, seu ut ipse Iulianus loquitur *concupiscentiam fuisse* sine ullis ambagibus vel ambiguitate confirmat *quæ cum pomi*, inquit, *decore oculos incitasset spem etiam iucundi irritavit saporis.* Hanc ipsam quod & supra attulimus *affectionem naturalem & innocentem* nuncupat, nec *suo vitio*, *sed voluntatis occasionem*, non causam, *fuisse peccatum.* Quam doctrinam & Cassianus in libris institutionum tradit. Quod si argumenta Pelagiana quæ supra de libidinis laude & bonitate recensuimus ponderentur, omnia de quacunq; alia concupiscentia eandem prorsus obtinent vim, etsi de unica illa laudanda propter peccatum originale potissimum satagant: ut in re manifesta comprobanda non sit operosior à nobis adhibendus labor.

Iul. lib. 1. oper. imperf. apud Aug. cont. Iul. f. 100. Fol. 102.

Lib. 7. c. 3. 4. & 5. Cassianus.

Indagantur causæ cur libidines velut naturaliter bonas commendarent.

CAPVT NONVM.

QVID vero Pelagianos moverit ut A libidinem seu concupiscentias tanta nervorum contentione, verborumq; garrulitate laudarent operæ pretium est considerare.

Prima quidem eaque capitalis causa fuit, ut peccati originalis traductionem à parente in prolem funditus tollerent, ipsam traductionis succidendo radicem. Videbant enim non posse fieri ut tantum malum generatione trajiceretur in prolem quin aliquid in causa generationis superesset mali. Quam suspicionem ut ab hominum animis removerent, omnia quæ in homine nascente & maxime baptizato sunt, bona esse & laude digna persuadere conati sunt. Augustinus: *Quam* (carnis concupiscentiam) *curavimus à nuptialibus bonis tam prolixa disputatione distinguere propter novos hæreticos, qui, cum hæc reprehenditur, calumniantur, quasi nuptias reprehendamus: ut scilicet eam tanquam bonum* B *naturale laudando, suum pestiferum dogma confirment quo asserunt prolem quæ per eam nascitur nullum trahere originale peccatum.* Quæ disputatio tanquam de summa rei tanta utrimque virium contentione incaluit ut duodecim illa libros Iuliani adversus Augustinum totidem vel plures Augustini in Iulianum quibus ejus proterit argumenta pepererit. Vnde idem Augustin. cum convicisset aliquid in Apostolo Paulo iam baptizato remansisse mali, quod pugnando comprimeretur, *En*, inquit, *tota vestra causa impulsa, prostrata, contrita, & sicut pulvis quem projicit ventus à facie terræ, sic à cordibus eorum quos decipere cœperatis, si hæc voluerint deposito studio contentionis cogitare, proiecta est.* Et infra luculentius: *Manet lex in membris, quia operatur desideria contra quæ dimicant & fideles. Hoc est quod funditus subvertit hæresim vestram. Quod usque adeo videtis & timetis, ut non aliter ex his Apostoli vocibus exire conemini, nisi quanta potestis contentione asseveretis &c.*

Lib. 1. de nupt. & concup. c. 35.

Lib. 2. cont. Iul. c. 3.

Ibid.

Secunda causa quam libidinis patrocinio prætexebant hæc est, ut ab Apostolis & sanctis viris injuriam propulsarent qua dicerentur, ut ipse calumniabatur, *semper immoderata libidine fuisse polluti*, quasi impetum concupiscentiarum ferre & libidine pollui unum idemque esse credendum sit. Hinc enim illa improba criminatio quod Augustinus *Peccantium obscœnitates, Apostolorum & Sanctorum omnium consolaretur muris*, ac mentiretur *tantas obscœnæ libidinis vires esse ut eam ratio regere ac frænare non possit, cui nec Apostolorum legio repugnaverit.*

Lib. 1. ad Bonif.

Iul. apud Aug. lib. 3. cont. Iul. c. ult.

Tertia, ne Augustino *credentes homines emendationis desperatione frangerentur, & recederent ab eruditione Christi, quasi ea præcipientis quæ capere mortalium natura non possit, quippe malo aggravata congenito.* Nam ut supra observatum est eorum vox erat, *ingenerata vitia incredibile est posse consumi*; itemque illa, *si lex peccati in membris est inserta naturaliter, sane lex & cogens & naturalis & nunquam recedens superari utique à voluntate non potest.* Hinc & illud: Non esse aliam Augustini intentionem quam *ad inferendum virtutibus bellum in vitiorum sacramenta iurare, & ad excidium civitatis Dei, omni astu, omni furore conniti, adspiscendo castitatis desperatione, repugnantes turpitudini territare.* De quo late videndus est liber secundus contra Iulianum operis imperfecti.

Iul. apud Aug. lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 166.

Lib. 2. cont. Iul. c. 1. Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 101.

Lib. 3. cont. Iul. c. ult. Lib. oper. imperf. f. 214. 215. 216. 218. &c.

Digitized by Google

Quarta, quæ ex præcedente nascitur, ut virtutum omnium facilitatem afferrent: *Eo proposito non esse in natura malum defendimus*, inquit Iulianus, *ut ad virtutum studia homines incitemus &c. atque ab hoc dicimus non esse in carne mali necessitatem, ut erubescat unusquisque laudabiliter conditus deformiter vivere, ac sic pudor turpi occurrat ignaviæ de commendatione nobilitatis ingenitæ.* Quam cantilenam sexcentis locis repetit.

Sexta denique eaque non infima, ut omnibus concupiscentiæ bonæ motibus obsequendum esse statuerent, *obsequendo* videlicet *natura cum sine magistro*, ut ait Cicero, *sentit quid natura desideret.* Notavit hoc acute Augustinus: *Quam tu* (libidinem) *cum bonam naturaliter dicis, astute illi semper consentiendum esse decernis, ne consensu improbo repugnetur naturali bono. Ita quippe potest facillime vera esse etiam illa vestra sententia qua dicitis hominem sine peccato esse, si velit quando licet quidquid libet quia bonum est quod naturaliter libet.* Quæ sane spectasse Iulianum ex eo non obscure colligas quod contra Augustinum, qui malos esse libidinis motus asserebat apte acuteque intulisse sibi videbatur; *nec peccare eos omnino qui peccare dicuntur: siquidem a quocumque creati sunt necesse habent vivere, nec sua repugnare naturæ.* Si enim vera est ista consequentia adversus eos qui illos naturæ motus velut malos improbant, quanto erit in eorum opinione firmior, qui eos naturaliter bonos & laudabiles putant.

In Hortensio.
Lib. 5. cont. Iul. c. 7.
Lib. 2. cont. Iul. c. 2.

De usu vel fruitione libidinis, & quid nuptiæ.

CAPUT DECIMUM.

VT vero accuratius Pelagianorum mens de libidinum & cupiditatum usu intelligatur, sciendum est frequenter eos docuisse, concupiscentias illas de quibus egimus non tantum esse naturales & bonas, sed etiam usum earum per se laudabilem, solum excessum in eis utendis esse vitiosum atque culpandum. Iulianus: *Merito itaque & in bene utentibus genus concupiscentiæ modusque laudatur, & in turpibus excessus ejus punitur.* Illius *voluptatis excessus a lasciviantibus perpetratus*, inquit alibi, *& quia de insolentia non de natura contingit vere damnatur.* Quod similitudine panis & vini eum explicuisse supra diximus, in quorum usu excedendo peccatur. Hinc illud crebro ab eorum antesignano repetitum: *Concupiscentia naturalis qui modum tenet bono bene utitur, qui modum non tenet bono male utitur:* Et illud: *Bona igitur concupiscentia naturalis, quæ cum intra modum suum tenetur nulla mali aspersione turbatur.* Itemque *excessus ejus in culpa est.*

Lib. 2. de nupt. c. 19.
Lib. 3. cont. Iul. c. 14.
Ibid. c. 20.
Apud lib. 2. de nupt. c. 19.
& lib. 3. cont Iul. c. 21.
Lib. 4. cont. Iul. c. 8.
Ibid. c. 14.

In figendis vero limitibus, intra quos modus ille teneretur vel committeretur excessus, laxissimus erat Iulianus. Docebat enim quod ad illius libidinis carnalis usum spectat, de qua propter peccatum originale maxime augebatur, modum ejus servari quamdiu intra thori conjugalis limites teneretur: excessum vero committi siquis illum adulterio vel fornicatione transiliret. *Modus bonus est in opere conjugali*, inquit, *excessus in intemperantia fornicandi.* Et iterum: *In conjugibus cum honestate exercetur.* Hoc est, interprete Augustino, honestus est iste appetitus semper in conjuge. Vnde clarius ejus sententiam exponens Augustinus sic loquitur: *Tibi autem libido non nisi præter uxorem videtur esse culpabilis.* Et infra: *In quibus* (nuptiis) *libidini licentiosissimum spatium tribuisti ne fortasse offensa defensorem sibi alium provideret.* Per illud igitur quod Apostolus monuit, ne in morbo desiderii suum vas quisque possideat, non usum immoderatum conjugis, sed fornicationem vetitam arbitratus est. *Atque ita*, inquit August. *temperantiæ totam honestatem de concubitu conjugum abstulit ut nemo sibi videretur in morbo desiderii suum vas possidere, quantacumque libidine in uxoris genitalibus potuisset insanire.* Sentiebat videlicet *numquam eis esse frænari concupiscentiam, sed quotiescumque se commoverit satiari avidam, regnare securam.* Quam suam sententiam inde fucabat quod prolixa disputatione probaret *mulierem non nisi generandi causa esse institutam*; & quod Apostolus vocasset *naturalem usum feminæ.* Itaque conventus conjugalis voluptas necessario *pudicitia* deberet nominari, quandoquidem impudicitia non posset dici.

Lib. 3. cont. Iul. c. 13.
Ibid. c. 14.
Lib. 2. cont. Iul. c. 7.
Lib. 5. cont. Iul. c. 9.
Ibid.
Test. Aug. 2. cont. Iul. c. 7
Lib. 2. de nupt. c. 19.
& 3. cont. Iul. c. 20.

Ex qua sua sententia trahebat aliud tanquam cōsectaneum Iulianus, nuptiarum essentiam in sola carnali conjugum commixtione consistere. *Quam commixtionem*, inquit, *de nuptiarum conditione & natura venire perspicuum est, imo in qua sola quantum ad conflictum nostrum respicit, nuptiarum veritas est.* Augustinus: *Nihil aliud dicis esse nuptias quam corporum commixtionem.* Et alibi: *Non enim nuptialis, sicut putas, propter carnis concupiscentiam instituta est.* Vnde veluti Synonimis utebatur nuptiis & corporum commixtione: *ne nuptias, id est commixtionem corporum diaboli opus vocares.* Imò eo usque progrediebatur impietatis vel impudentiæ ut cōtra Augustini sententiam probare conaretur inter Sanctissimam Virginem MARIAM & Ioseph *quia concubitus defuit, nullo modo fuisse conjugium.* Neque Sacræ Scripturæ testimoniū veritus, *quasi maritus*, inquit, *Ioseph in opinione omnium erat.* Et, *secundum hanc opinionem* volebat intelligi, *non secundum veritatem locutam fuisse Scripturam, ut Virginem MARIAM ejus conjugem diceret.*

Indicat lib. 4. cont. Iul. c. 8.
Lib. 1. cont. Iul. f. 78.
Lib. 5. cont. Iul. c. 16.
Lib. 3. cont. Iul. c. 23.
Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 134.
Lib. 5. cont. Iul. c. 12.
Ibid.

De cæte-

De cæterarum carnalium voluptatum fruitione, & cujus Philosophicæ sectæ Iulianus.

CAPVT XI.

EX ijs quæ de carnalis libidinis fruitione inter conjuges diximus facile intelligi potest, quid de cæterarum voluptatum fruitione quibus terrenæ cupiditates inhiant, Pelagiani senserint. Nam quamvis de illis vix ulla cum eis intercesserit disputatio, manifeste tamen sequitur, nisi à suis notissimis certissimisque principijs discrepare velint, omnes omnino carnalium desideriorum motus, quibus in ciborum delicias atque potuum, odorum suavitates, sonorum concentus, oculorum blanditias aut spectacula, in divitiarum splendorem atque abundantiam, in honorum pompas cæteraque terrena bona concitamur & exardescimus, in eorum opinione fuisse bonos atque laudabiles: eorumque motuum voluptatibus, quæ in bonorum istorum adeptione percipiuntur, secundum se spectatæ, veluti naturalibus bonis ad satietatem usque nos posse frui. Neque enim est ratio cur conjugis corpore & voluptate commixtionis, etiam sine ulla spe prolis, securissime liceret frui, & cæteris nemini noxijs voluptatibus non liceret. Nimirum ut illic, ita & hic dicerent solum excessum esse culpandum. Quem quibus limitibus terminarent, nullis expressis verbis eorum liquet. Credo nullum excessum committi dicerent cum illis per se delectandi dumtaxat causa quemadmodum corporibus mutuis conjugis, fruuntur homines, sed cum alijs per injuriam auferuntur. Sic enim & adulteria, fornicationes, & stupra prohibebant. Fatebatur enim teste Augustino *aliam illicitam, aliam licitam esse voluptatem*. Ex quibus conficitur Pelagianorum doctrinam, partim Epicuream partim Stoicam fuisse. Humanum enim bonum non in sola voluptate sed aliquam ejus portionem in virtute collocabant. *Quid si ego*, inquit August. *Lauda iam corporis voluptatem? Hoc enim tu facis eloquenter facis quod ineruditè atque impolitè faciebat Epicurus, quasi propterea sis eius adversarius quia diserte dicere non noverat ille quæ tu dicis.* Et ostendens in quo ab invicem utriusque secta discreparet, *Verum*, ait, *ut sentio laboraturus es, ut ostendas te & laudatorem voluptatis esse, & Epicureum non esse. Non es Epicureus, quia ille totum bonum hominis in corporis posuit voluptate, tu autem magnam partem humani boni ponere in virtute contendis.* Nam quantum ad virtutem ac voluptatem attinet tres fuerunt sectæ Philosophorum quarum una virtuti voluptatem subdidit, et nunquam voluptas posset, nisi in usum virtutis assumi. Secunda prætulit ut voluptas appeteretur propter se: virtus autem nihil ageret, nisi ad illam aut consequendam aut retinendam. Postrema duo ista conjunxit, ita scilicet ut neutra earum propter alteram, sed propter se ipsas ambæ quærerentur. Hæc Divomachum patronum & Calliphontem habuit. De quo Tullius, *Vemine. n inquit cum bellua, ut Calliphon qui voluptatem cum honestate coniungit.* Et Augustinus: *Etenim cum ille (Calliphon) putaverit in virtute animi & voluptate corporis esse bonum hominum, tu eum dicis virtutis & voluptatis coniungere.* Hanc porro Calliphontis & Divomachi sectam defendisse Pelagianos aliquoties idem Augustinus est testis: *Si autem, ut alio quo loco significasti placet tibi secta Divomachi, honestatem voluptatemque coniungens quod Philosophi quoque ipsius mundi qui honestiores vocantur, Scyllam hominem esse dixerunt, ex humana scilicet natura, belluaque compactum; si ergo hoc monstrum tuâ opinione sectaris satis est nobis quod confiteris aliam esse illicitam aliam licitam voluptatem.* Et luculentius Divomachi illius adeoque Iuliani sententiam explicans: *Non enim*, inquit, *te adversus istos* (Philosophos honestiores) *defenderet, non dico Epicurus qui totum bonum hominis in voluptate corporis posuit quia non quod ille tu sentis; sed Divomachus, huius quippe dogma tibi placuit. Nam ipse conciliandam voluptatem arbitratus est honestati ut quemadmodum honestas ita voluptas per seipsam appetenda videatur.* Cum ergo consensu illorum Philosophorum duo ista Pelagiani conjungerent existimarunt voluptatis per se spectatæ appetitum tanquam naturalis cujuspiam boni fuisse licitum atque laudabilem, nempe quoad alicujus alterius virtutis præcepto concurrente vetaretur. Hoc est enim quod Augustinus dicit, ut quemadmodum honestas ita voluptas per seipsam appetenda videretur, eo scilicet modo quo hoc de carnalibus voluptatibus in conjugio solo delectationis intuitu præcisa etiam spe prolis, appetendis Iulianum sensisse declaravimus.

Lib. 8. cont. Iul. c. 16.

Lib. 3. cont. Iul. c. 21.

Lib. 4. acad. qq.

Lib. 1. cont. Iul. oper. imperf. c. 77.

Lib. 6. cont. Iul. c. 16.

Lib. 4. cont. Iul. c. 15.

De ignorantia parvulorum quid senserint.

CAPVT XII.

COMMVNE omnium Pelagianorum dogma fuit, ignorantiam sicuti & difficultates, quas patitur omnis homo ab initio nativitatis suæ nullo modo ad miseriam justæ damnationis, sed ad naturæ institutionem pertinere. Testis est Augustinus multis locis: *Quam miseriam difficultatis & ignorantiæ, nolunt Pelagiani ex iusta damnatione descendere negantes originale peccatum.* Et plenius alibi: *Etiamsi verum esset quod aiunt Pela...* ignoran-

Lib. 1. Retract. c. 9.

Lib. de bono persev. c. 11.

Digitized by Google

ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia non supplicia esse naturæ, vincerentur tamen Manichæi. Neque verò qui tot laudibus carnis concupiscentiam in cælum tulerant, ab ignorantiæ quoque encomijs abstinendum putarunt. Eo quippe dementiæ prorupit Iulianus, *ut perfectam ignorantiam etiam* justitiam nominari diceret: Alij, *nullam esse ignorantiam malam & ideo nec purgandam, eo quod natura sit hominis sic incipere*: Alij, alio stultitiæ genere delirantes *parvulos cum in utero matrum prudentes vixerint, nunc negligentia in hac vita in alias tenebras esse submersos.* Sed hæc postrema opinio non videtur passim vel diu inter Pelagianos viguisse, sed potius illa altera, quæ ignorantiam illam parvulorum non esse malam asserebat. Vnde Iulianus vocabat eam *simplicitatem* quam instituta à Deo natura susciperet: *Qui* (parvulus, inquit,) *in æatate primævitatæ felicior bonum simplicitatis suæ vitare non potuit, hoc solum retinens quod tanti operis eum dignatione possedit.* Explicuit hanc parvulorum ignorantiam, seu

Lib. 3. contra Iul. c. 19.
Lib. de pecc. merit. & remiss. c. 36.
Ibid.
Lib. 1 oper. imp. In c ne. Iul. f. 61.

A ut loquebantur *simplicitatem* accuratiùs fidelissimus ille Pelagianorum interpres author quæstionum veteris ac novi Testamenti docens esse ignorantiam sine malitia. Nam cum quasi Scripturæ testimonium adduxisset quod parvuli Israëlitarum intraturi essent in terram Chanaam *eo quod nescirent bonum aut malum. Nescire autem bonum vel malum*, adjicit, *simplicitas quædam est naturalis quæ neque ad bonum neque ad malum credita est: hoc est, ignorantia sine malitia sine sensu enim nascimur, sed natura capax est discere veritatem.* Et inferiùs: *Sic enim est institutum genus nostrum, ut sine sensu nascamur, tamen creduli ad utrumque.* Itaque ignorantiam hanc parvulorum negasse videntur esse privativam vel culpabilem, sed esse tantummodo innocentem quandam nescientiam, qualis fortè est etiam bestiarum in quibus cum ætatis provectu etiam sagacitas illa naturalis adolescit. Atque hæc est ignorantia cum qua nascimur.

Autor qq. vet. & novi test. p. 1. q. 8. & p. 2. q. 41.

De ignorantia adultorum, invincibili, vincibili.

CAPVT XIII.

DE adultorum verò ignorantia celebris fuit Pelagianorum sententia, *ignorantiam non esse culpabilem.* Docuit eam in libro quodam suo Celestius, unde & magistro ejus in Synodo Palæstina reo his verbis objecta est: *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato.* Hoc autem eos intellexisse de ignorantia quam invincibilem vulgo nuncupant ex eo manifestè liquet quod continuo rationem ex necessitate petitam subjicit: *Quoniam non secundum voluntatem eveniunt sed secundum necessitatem.* Sed longè clarius hoc patefecit Critobuli tanquam Pelagiani cum Attico apud S. Hieronymum disputatio. Etenim probare volens ignorantiam non habere peccatum: *Rogo*, inquit, *quæ est ista justitia ut in peccato teneat errorem, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei quam nescio pœnas luo? Et quo plus faciam si sponte peccavero?* Quæ sanè locum non habent ubi spon- B taneæ voluntatis negligentia peccato locum dedit. Et libro secundo idem Critobulus: *videris hominum*, ait, *accusare naturam ac per hoc invidiam referre in Deum, si tales homines condidit, ut oblivione & ignorantia peccato carere non possint* &c. *ubi autem aufertur possibilitas, aufertur & vitium.* Et paulò post: *Nunquid & de Evangelio poteris hoc approbare, ut puniatur quispiam pro eo quod nesciat & ante pœnas luat, quam reum se conscientia?* Et adhuc inferiùs: *Da testimonium non instrumenti* (veteris) *ubi error & ignorantia & impossibilitas mandati teneatur in crimine.*

Aug. lib. de gest. Pelag. c. 18. & 35.
Apud Hier. advers. Pelag. lib. 1. vers. finem.
Apud eundē lib. 2. advers. Pelag. initio.
Ibid.
Ibid.

Quod autem ista omnia de invincibili quam dicunt ignorantia & errore intelligant, omnem tergiversationem ac scrupulum tollit alia Pelagianorum sententia, qua vincibilem ignorantiam culpæ obnoxiam esse sine ullis ambagibus constanterque docuerunt. Nam imprimis Iulianus graviter culpabat non minus sciendi negligentiam, quam culpandi ignoratā veritatem. *Ecce*, ait August. *meritò reprehendisti eos qui super ederunt scienda cognoscere vel non formidant ignorata culpare.* Ex professo autem scientiæ studio esse vacandum, ac vincibilem illam seu contractam negligentiā voluntatis ignorantiam non esse sine culpa in Epistola ad Demetriadem Pelagius probat. *Prima igitur*, inquit, *virginis cura primumque studium sit scire voluntatem domini sui, & quid ei placeat quidve displiceat diligenter inquirere &c. impossibile est enim ei quemquam placere, cui quid placeat ignorat, fierique potest ut etiam obsequendi voto offendat, cui quomodo obsequi debeat, ante non didicit.* Et infra: *Vnde Propheta dicit; Tu Israel noli ignorare. Et Beatus Paulus: Qui autem ignorat ignorabitur. Idemque alibi: Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Initium obedientiæ est quod præcipiatur velle cognoscere, & pars est obsequij didicisse quod facias.* Nempe ubi præcipi dicitur ut velimus cognoscere, & nolimus ignorare, negligentiam voluntatis, secutamque ex negligentia ignorantiam culpabilem asseri, dubitari nullā ratione potest. Nam obsequendi voto offendere contra præceptum; obedientiam nolle cognoscere; imprudentem esse; ignorando efficere ut ignoremur à Deo, culpa vacare nemo dixerit. Et ne quis de sensu Pelagij remaneret scrupulus, eum ipse expressis verbis alio in libro promit: Nam tractans de peccatis ignorantiæ dicit: *hominem prævigilare debere ne ignoret, ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentia, quod adhibita diligentia scire debuisset.* Nec mirum, cum peccata quæ ex tali ignorantia proficiscuntur potius negligentiæ quam ignorantiæ peccata nominanda sint.

Lib. 6 cont. Iul. c. 1.
Lib. de nat. & gratia c. 17.

De

Digitized by Google

De morte quid sentiant.

CAPVT XIV.

MORTEM corporis esse naturalem jam supra diximus sentire Pelagianos. Et quia facilè videbant naturalia non posse esse peccati supplicia, hinc mortem velut pœnam inflictam esse pernegant. Vnde aliud eorum dogma: *quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat.*

Lib. de gestis Pelag. c. 11.

Ad negandum autem, cogebantur ex dogmatum suorum cohærentia, ne si mors velut peccati pœna transiret, & peccatum transisse sequeretur. Notavit hoc Augustinus: *Mortem qua morimur, non vis ex peccato in omnes fecisse originaliter transitum, ne cogaris fateri, sine ut etiam originaliter transisse peccatum: sentis quippe quam iniquum sit sine merito transisse supplicium.* Hinc Pelagius: *Dominum*, dicebat, *sine peccato mori potuisse.* Vt etjam Adam & posteros ejus sine peccato mori potuisse verisimile videretur. Cæterum ne ex ipso acerbo mortis sensu pœnalis esse putaretur, mortem statuerunt non esse malam. *Mors*, inquiunt apud Augustinum, *non semper est malum cum & Martyribus sit causa præmiorum, & vel bonam vel malam mortem dicifaciat, non resolutio corporum, quæ celebratur in omni genere hominum sed meritorum diversitas quæ de humana libertate contingit.* In qua opinione peripateticos duces deserunt, quos in plerisque suis dogmatibus alioquin sequi solent. Stoicorum enim proprium fuit, morbos, imbecillitatem, ac mortem per se neque bona neque mala deputare, sed ea vocare neutra, media, interjecta adiaphora seu indifferentia, ita ut nonnulli cum Pyrrhone atque Aristone Chio *inter optime valere & gravissime ægrotare, vivere atque mori nihil dicerent interesse.* Quæ peripatetici omnia mala esse confirmant. Distinguunt itaque inter [a] mortem æternam & temporalem, illam mortem animæ vocant [b] *pœnalem* & [c] *judicialem*; quòd justo Dei judicio tam Adamo quam omnibus ejus peccatum imitantibus infligatur; hanc *communem & naturalem, qua non solum peccantes sed & justi moriuntur*, illã volunt intelligendam in eo quod dicit: *Et per peccatum mors, quia morte animæ in peccato fit, &* quoniam Adamum reum & damnationi *mortis perpetuæ* destinatum mundus aspexit. *Et ita in* A *omnes homines pertransijt*, quia *una forma judicij*, inquit Iulianus, *prævaricatores quosque etiam reliqua comprehendit ætatis.* Hanc in illo ad Corinthios loco, *per hominem mors*, non quidem peccati ipsius merito, sed *quia primus ipse est mortuus*, sicut, *per hominem* Christum, *resurrectio mortuorum, quia primus resurrexit.* Pari modo cæteras quoque corrumpebant Scripturas quibus premebantur. Nam illud *in quocumque die comederis ex eo morte morieris*, non ad mortẽ corporis sed ad mortem animæ quæ in peccato fit retulere. Illud verò *corpus quidem mortuum est propter peccatum*, eo modo dictum esse voluere quo dicit Apostolus, mortificate membra vestra quæ sunt super terram propter peccatum, hoc est, *ut peccatum non fiat.* Nonnulli tamen Episcopi Pelagiani post damnationem istius erroris, illam sententiam mitigarunt. Docuerunt enim Augustino teste, B *ex Adam nihil mali transisse per cæteros nisi mortem.* Portam aperuit isti opinioni, ut alijs multis Origenes; qui libro quinto Commentarij in Epistolam ad Romanos, ita de transitu peccati in omnes disputat ut cum Pelagio totũ imitationi tribuat, mortem tamen communem qua omnes morimur in posteros trãsisse arbitretur. Imitatus est eum autor quæstionum veteris ac novi Testamenti: *Quod quidem*, peccatum Adæ, *nihil obest homini, si tamen legi Dei obediat, nisi quod moritur.* Accessit eidem opinioni propius Ambrosiaster ille commentator in Epistolas Pauli: sed in quo differat fusius alibi declaratum est.

Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 275.

Lib. de nat. & grat. c. 24.

Lib. 4. ad Bonif. c. 2.

Cicero 3. de finibus

a Lib. de pec. merit. c. 8. & 9.
b Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. f. 398.
c Lib. 2. f. 276.
Pelag. in Comment. c. 5. ad Rom. num. 32.
Lib. 1. de pec. merit. c. 8. & 9.
Iul. lib. 2. operis imperf. f. 274.
Ibid.

Pelag. in Comment. 1. ad Cor. 15. num. 35.

Genes. 2.

Lib. 1. de pec. merit. et remiss. c. 2.

Ibid. c. 6.

Lib. 4. ad Bonif. c. 2. & 4.

q. 117.

Sed præter istas quas recensuimus alia mirabilis quorundam tempore Augustini fuit novitas. Docuerunt enim *omnem hominem etiam nunc immortalem creari à Deo*; quod autem moriuntur etjam parvuli in uteris constituti, non ex peccato Adæ, sed ex proprio, quod ab eis C vel in uteris matrum perpetratur accidere: quæ sententia tametsi in originalis peccati negatione, & actualis in utero affirmatione, Pelagiana sit, à principijs tamen Pelagianis penitus in astruenda nascentium immortalitate dissentit. Et quia nullam ejus præterea inter antiquos mentionem reperi, videtur eodem tempore nata simul & mortua.

Refert Aug. serm. 7. de verb. Apost. c. 6.

De cæteris miserijs humanæ naturæ.

CAPVT XV.

DE cæteris humanæ vitæ ærumnis idem prorsus quod de morte senserunt, nempe non esse illas ullius peccati pœnam. August. *Iudicia Dei vel terroris, quæ generis humani miseriam incipientis à* A *parvulis sine ullo peccati merito fieri dicitis.* Et alibi: *Nec ullius peccati merito hæc perpeti parvulos dicitis.* His autem tam evidentibus calamitatibus cùm istam mortalitatem affligi & conteri cernerent, malas tamen esse contentiosissime perne-

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 109.

Lib. 2. in fin.

 nega-

Digitized by Google

negabant, quasi naturæ ipsius sub earum pondere gementis, voces velut maris fremitum possint vel negando tollere vel clamando superare? Constans enim eorum vox fuit: *Parvulus nec in anima nec in carne ullum habet malum*: unde pervicaciæ eorum obsistens Augustinus: *Profecto istas omnibus apertas a parvulis incipientes humanæ vitæ miserias, cum tuis deceptoribus non negares, sed unde in eas collapsa sit nostra natura cum Catholicis doctoribus diceres.* Et irridens stultam illam negandi res apertissimas pervicaciam, *hæc autem mala parvulorum*, inquit, *non ea quæ habere negantur à vobis, sed quæ perpeti cernuntur ab omnibus nobis, tu prætermittis omnino nec respicis: ex, patiaris ibi vir disertissimus & exerces ingenium ac linguam tuam in laude naturæ.* Negabant igitur miserias illas parvulorum, non quasi nullo earum sensu eos tangi dicerent, quod ipsa experientia convincente fateri cogebantur, sed quod eas perinde ut mortem omnium miseriarum terribilissimam, non esse mala ut supra diximus, sed neutra vel adiaphora, cum Stoicis sentirent. Quo sensu Augustinus dixit humanam naturam habere Pelagianos *malorum suorum negatores*.

Lib. 1. oper. imp. cf. cont. Iul. f. 28.
Ibid. f. 96.
Lib. 3. cont. Iul. c. 3.
Lib. 4. ad Bonif. c. 4.

Synopsis de prædictis defectibus.

CAPVT XVI.

PORRO de omnibus illis quos recensuimus humanæ naturæ defectibus ac vulneribus definitiva eorum sententia fuit: *quod peccatum Adæ ipsum solum læserit & non genus humanum.* Nam quamquam post Pelagii in Palæstina Synodo damnationem aliquam generis humani læsionem Adæ peccato factam esse faterentur, ea tamen *imitatione* duntaxat, non *propagatione* in sensu eorum fuit. Quam pestilentissimam opinionem inde potissimum vel hauserant vel persuadere nitebantur, quod nulli illorum vulnerum Christi baptismus & gratia in ista vita mederetur. Audi eorum de morte ratiocinationem: *Si primo hominis peccato factum est ut moreremur: Christi adventu fieret ut credentes in eum non moreremur.* Et addunt quasi rationem: *Neque enim prævaricatoris transgressio plus nobis nocuit, quam incarnatio vel redemptio profuit salvatoris.* Sed exertis viribus hoc agit instantissime Iulianus: *Si Adam præter voluntatis opera ipsius naturæ instituta subvertit, nihil debuit magis Christus, in quantum ea quæ ab illo fuerant elisa reparare huius videlicet vestigiis, quibus ille subruerat, id est, & in nuptiis baptizatorum nequaquam sentiretur libido, nec eodem modo quo etiam cæterarum gentium genitalia moverentur, recederet postremo post donum gratiæ coëuntium pudor nec irent per membra quietis imitatio nec alteratur sensu severa de lenibus, liberi in postremo baptizatis redderentur absque ærumna; imo penitus nec mortales quisque parentis imbuerentur esse deberent. Si enim pugnat medicinam cum vulnere, & mors peccato dicitur accidisse ablationem mortis ab ortu peccati debet operari &c.* Et infra perficiens argumenti cursum: *Ex his nihil horum quæ diximus, baptizatorum constat eveniri corporibus. Non potuisse autem aliter, id est, non debuisse quam luminis educta non, tanti est consentaneum tibi est, aut illa quæ primo enumeravimus accidisse peccato, & ideo nec vulnera fuisse naturæ nec consistit ratio gratia, per quam manifestum est illa de suis ordinibus mota non esse: aut certe negandum in mysteriis Christi quicquam esse medicinæ quid de tot seculum dum tem morbis, ne unum quidem tanta potuerit.* Et breviter glomeratimque alibi: *Si aliquid in motibus genitalium, in sensibus corporum, in obscenitate membrorum, in usibus carnalitate naturæ etiam antiquum crimen effecerat, immutationem horum quæ diximus, remedia contulissent, aliquin grande testimonium imbecillitatis, nihil ut profuturæ, nec locum ægritudinis invenisse, & languentibus, eversisque naturalibus, inecta fomenta voluntatibus admovisse.* Vbi sub *infelicitate nascentium*, quam ita in sensu Augustini non suo nuncupat, omnes reliquas sive mortis sive corporalium ægritudinum atque afflictionum, sive animi perturbationum miserias, cum quibus omnes obnoxii nascimur, comprehendit. Et hæc de vulneribus quæ naturæ humanæ negant per peccatum Adami esse inflicta sufficiant.

Lib. de gestis Pelag. c. 11. & alii.
Lib. 1. contra Iul. c. 5.
Lib. 1. de pec. merit. & remiss. 30. & 33.
Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 292. & seqq.
f. 346.

De statu nascentium. Omne malum ab eo removent.

CAPVT XVII.

NUNC paucis tangendum in quo statu parvulos ex Adamo nasci putent. Solemnis Pelagianis consuetudo fuit, parvulorum integritatem magnificis elogiis prædicare, quibus vel *mala* ab eis tollerent, vel *bona* tribuerent; eaque sive *naturæ*, sive *morum*. De singulis aliquid delibandum est.

Ex eadem massa omnes creatos esse parvulos libentissime confitentur, hoc enim veluti scuto se protegunt, contra illam divinæ prædestinationis discretionem, ex qua necessario duas hominum massas sive naturas unam bonam alteram malam in Catholicorum opinione sequi credunt, quarum alteri salus, alteri damnatio ex necessitate deberetur. Hinc illa eorum apud Augustinum objectio, *numquid ergo hominum naturæ duæ sunt?* contra quos alibi idem

Lib. de dono persev. c. 8.
Lib. 1. cont. Iul. oper. imperf. f. 195

idem: *quorum certe omnium* (parvulorum) *A* *unam esse malam non potestis negare qualemlibet eam putetis.*

Primo igitur ab hac massa parvulorum removent omne omnino malum sive corpus sive animum spectes, sive culpam quæ in alicujus peccati traductione consisteret sive pœnam. De peccati malo quæ mors est animæ, quo eos in Adamo periisse negant jam supra satis diximus. Vnde Augustinus: *Sed vos egregii Christiani respondete Christo: si quod perierat quærere, & salvare venisti, ad parvulos non venisti.* De ægritudine quæ ad operandum debiles facit sic idem Augustinus: *Cernitisne quo tendat & quo manum porrigat hac disputatio, ut omnino frustra dictum putetur, vocabis nomen ejus Iesum ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Quomodo enim salvum faciet ubi nulla est ægritudo. Peccata quippe secundum istum vitari non possunt.*

Lib. 2. de nup.

Lib. de natura & gratia c. 20.

Quamquam sub ægritudinis nomine aliquando etjam simul ipsum peccatum ægritudinis causa intelligatur juxta illud ejusdem: *Si nulla originalis peccati ægritudine saucian sunt, quomodo ad medicum Christum, hoc est, ad percipiendum sacramentum salutis æternæ suorum currentium pio timore portantur.* Vnde breviter eorum sententiam de malorum omnium immunitate comprehendens: *Vos petis*, inquit, *quam Manichæi facitis in parvulos, quia cum nec in anima nec in carne ullum malum habere dicitis, per Christum sanari nulla ex parte permittitis.* Et hæc est causa cur toties August. illam ingeminet querimoniam quod parvulis Christum negarent esse *Iesum*, quia nihil in eis vel in corpore vel in anima salvandum sanandumque reperiret: *Et præclari prædicatores sic eum prædicatis Christum, ut eum negetis parvulorum esse Iesum*, quia, ut alio in loco, *Iesus salvator interpretatur. Quod enim parvulis esse non vultis, quia nihil eos habere unde illos salvos faciat, prædicatis.*

Lib. 1 de pec. merit. & remiss. c. 18.

Lib. 1. cont. Iul. oper. imper. f. 27.

Ibid. f. 28.

Lib. 1. cont. Iul. c. 4.

Sed inter elogia quibus parvulorum à malis omnibus puritatem extollunt maximè prædicant innocentiam quasi contra omnes eorum accusationes sola sufficeret. August. *Naturam dicis humanam in exordiis nascentium innocentiæ dote locupletem.* Et ipse Iulianus apud quem igitur *impollutam innocentiam scelus gravavit externum? Pande igitur quis est iste innocentium addictor?* & rationem illius innocentiæ reddit alibi: *Ex quibus necessario conficitur nos rectissime defendere nominem cum peccato nasci, & Deum reos non posse judicare nascentes & ante voluntatis propriæ usum, innocentiam* (id est innocentem) *in unoquoque naturam.* In cujus commendationem *naturalis innocentiæ*, ut ipse loquitur parvulos prædicare solet, & vocare *novos homines, & rude opus Dei*, quod tantæ puritatis esse statuit ut nec in corpore nec in anima ipsi Christo cedat. *Iniquus*, inquit August. *ut nulla sit caro peccati ne hoc sit & Christi.* Clarius mens eorum promitur in libris Augustini ad Bonifacium, ubi cum dicerent Christum *Dominum nulla macula peccati fuisse respersum quantum attinet ad eius infantiam:* interpretem impietatis illius agens Augustinus, subjicit: *quia ut eius carnem ab omni peccati contagione purissimam non excellentia propria & gratia singulari sed communione naturæ quæ omnibus inest infantibus asseverant.* Et alibi: *Iste Pelagius carnem omnis infantis carni Christi conatur æquare.* Eò spectat quoque quod de animæ origine plerumque quæstionem ingerunt, *sic anima Christi coæquatur molientes omnes animas parvulorum.* Contra quas impias comparationes Pelagianis proprias sic Augustinus intonat: *Quisquis carnem Christi ita carni comparat nascentium hominum ceterorum, ut asserat utramque esse puritatis æqualis detestandus hæreticus invenitur.* Ex his ergo intelligi potest alterius cujusdam dogmatis Pelagiani sensus quo Celestius dicere solitus erat: *Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ, omne genus hominum moriatur: neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat.* Resurrectio enim illa intelligitur quæ non mortem tantum corporis sed etjam animæ quod est peccatum absorbet. Illa quippe respondet morti & prævaricationi Adæ quæ præcesserat. Cujus dogmatis Pelagiani ratio est, quia sicut neminem Adæ peccato putabant morte corporis mori, ita nec opus esse Christi gratia vel resurrectione resurgere, sed utrumque accidere per naturam. Anima verò non nisi peccato moritur, quo quandoquidem omnes parvuli carent, & adulti per naturam aut legem possunt carere si velint, perspicuum est *neque per resurrectionem Christi quantum ad animam omne genus hominum resurgere.*

Lib. 3. cont. Iul. c. 4.

Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 43.

Lib. 2. f. 129.

Ibid. f. 134.

Ibid. f. 140. & 413.

Lib. 5. cont. Iul. c. 15.

Lib. 4. ad Bonif. c. 2.

Ibid. ut supra.

Serm. 31. de ver. Apostol. c. 8.

Aug. ibid. c. 6.

Lib. 5. cont. Iul. c. 15.

Lib. de gestis Pelag. c. 11.

Multis titulis naturam parvulorum ornant, imò felicitatem tribuunt.

CAPVT XVIII.

Sed parum est Pelagianis à parvulorum carne atque anima sordes omnes, atque omnia sustulisse mala, nisi etjam in eos cornu copiæ bonorum ac felicitatis effunderent. Nam quamvis quantum ad intelligentiam spectat, neque a *scientiam eis neque conscientiam* tribuant, illam tamen esse [b] *ignorantiam sine malitia*, & proinde neque c *purgandum* quasi esset *malum*, sed etjam [d] *simplicitatis naturalis bonum* imo e *justitiam* esse delirant. Quantum ad voluntatem seu illam rationalis animæ partem qua boni vel mali etjam parvulos dicimus, ipsi eos quasi in medio perfecte collocant, ut neque [f] *justi sint neque injusti sint pec-*

a Lib. 5. cont. Iul. c. 1. & 2. & 5. Iul. oper. imper. f. 45.
b Aut. qq. vet. & novi Test. q. 1. 98.
c Lib. 1. de pec. merit. c. 36.
d Aut. qq. vet. & novi Test. loco cit. & Aug. lib. 5. op. imper. f. 51.
e Lib. 3. cont. Iul. c. 19.
f Lib. 1. de pec. merit. c. 19. & 3. cont. Iul. c. 19.

Digitized by Google

seu peccatores, neque *g credentes neque incredulos fiunt*, *h nihil de proprio boni merentes aut mali* [i] *capaces tamen ad utrumque creduntur.* Audite Pelagium discipulis suis præcinentem. [k] *Omne bonum ac malum quo vel laudabiles, vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur à nobis: capaces enim utriusque rei non pleni nascimur, & ut sine virtute ita & sine vitio procreamur.* Atque *ante actionem propriæ voluntatis id solum in homine est, quod Deus condidit.* Quid sit autem hoc, quod Deus condidit, clarius & fusius edisserit alio in loco, nempe, [l] *possibilitas utriusque partis à Deo insita, velut quædam radix fructifera atque fœcunda quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat.* Accipite jam discipulum fidelissime præceptori succinentem: [m] *Homo igitur innocentia quidem plenus sed virtutis capax nascitur aut laudis aut reprehensionem ex proposito accidente meriturus.* Et luculentius alibi: [n] *ille enim (adultus) innocentiam quam exortus acceperat, prava actione corrupit: hic vero (parvulus) sine laude sine crimine voluntatis hoc solum habet, quod a Deo conditione suscepit; quem infucata primævitate feliciter, bonum simplicitatis sua vitare non potest, nullum habens de actibus meritum, sed boni solum retinens, quod tanti opificis dignatione possedit.* Ex quibus sanè manifestè liquet ita Pelagianos naturam hominis recenter nati capere, quemadmodum eam Ethnici capiunt, ut nihil prorsus in eo sit quod vel vitij vel peccati nomine vel ulla reprehensione majorique naturæ exaltatione dignum sit sicut hoc Catholici de nascentibus ac baptizatis credunt; sed tantum pura quædam mali alicujus moralis bonique capacitas ac possibilitas, quorum utrumvis à voluntate atque actione secutura sortiatur, nempe ut integra cum suis omnibus membris ac potentijs nascentur bruta ita & hominem cum naturalibus suis facultatibus omni bono ac malo, laudabili ac vituperabili vacuus procreare arbitrantur: quæ quidem omnia illo duntaxat sensu bona sint sicut omnis creatura secundum id quod habet à Deo condita atque instituta est, bona dici solet. Hoc est ergò illud quod Julianus dicit: [a] *Deum imaginem suam id est omnes homines bonos condere:* [b] *filios ex conjugio suscipi eos esse naturaliter bonos.* Hoc illud quod Pelagius: [c] *Sani sunt propter quos medicum quæritis.* Hoc illud, quod [d] *salvos* dicerent. Itemque quod vivos sanosque laudando vivificari, sanarique non vellent. Hoc illud quod tantopere prædicabant [e] *bonum inviolata inculpataque natura.* Hæc illa eorum argumenta [f] *de laudabili sanitate & puritate naturæ argumentatio*, quā Augustin. *responsionem confirmatione disputare* confirmat. Hæc denique illa [g] *sanctitas*, quam *naturæ tribuere adscribendam* censet. Ubi ne quis veram sanctitatem accipiat qualem primo homini in sua conditione datam credimus occurrit alia doctrina sæpius repetita Juliani qua tradit postmodum per lib. primum [h] *bono insantium naturali bonum sanctificationis accedere*; nempe ut ita [i] *eos Deus fecerat* sic enim loquitor, *condendo bonos faciat innovando adoptandoque meliores.* Quam bonitatis naturalis atque gratuitæ distinctionem ne quis in Pelagianorum opinione continens putaret dilucidis verbis tollit hanc suspicionem cum dicit: [k] *ad Ecclesiam deferantur* (parvuli baptizandi) *ut laudent Deum quem & bonorum naturalium & donorum spiritualium protestantur auctorem.*

Quod ergo inter quosdam Pelagianos jactatum legimus, *parvulos propria per liberum arbitrium habere peccata*, idque inde confici quod Jacob & Esau intra viscera materna luctati sint: inter alios vero, *Dum ætatis meritum à Domino esse laudatum*, ubi ait, *sinite parvulos venire ad me* &c. inter alios denique, *parvulos mox natos illuminari*, ab eo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; vituperationis quidam fuit & laudis excessus, ad quem non tam dogmatis sui electione, quam connexione quadam, & alterius hæreseos tuendæ necessitate cogebantur, ut propria liberi arbitrij merita etiam in parvulis gratia & pœna sequerentur, nam perpetua eorum sententia & constans & ex professo suscepta defensaque fuit quam hactenus de naturali parvulorum innocentia puritate, bonitate, & sanctitate explicuimus. In quibus prædicandis ita facundiam suam exercuit Julianus, ut etiam, quod bonitatis fastigium est, eis *felicitatem* in hac mortali vita tribueret. *Qui parvulus* (ut ille) *infucata primævitate felicior bonum simplicitatis sua vitare non potuit.* Et expressius alio in libro vocat parvulos *Innocentes infucata primævitate felices*, eorum statum, *statum innocentium.* Nec mirum. Cum enim omnium consensu etiam Pelagianorum primus homo ante omne peccatum in statu felicitatis cujusdam & innocentiæ conditus fuerit, & *infantes nuper nati* juxta aliud eorum dogma capitale, *in illo statu sint in quo Adam ante prævaricationem fuit*, quid aliud sequi potest, nisi eos esse in statu primæ felicitatis & innocentiæ.

g Ibid. c. 20.
h Lib. 6. cont. Jul. c. 10. & lib. 1. oper. imperf. cont. Jul. f. 303.
i Aug. 99. ver. ac novi t. q. 8.
k Pelag. lib. 1. de lib. arb. ap. Aug. ... c. 13.
l ... lib.
m Jul. apud Aug. ... cont. Jul. c. 17.
n Lib. 3. oper. imperf. cont. Jul. f. 64.
a Lib. 1. oper. imperf. cont. Jul. f. 181.
b Lib. 2. de nupt. c. 19.
c Lib. de nat. & grat. c. 21 & serm. 8. de verb. Apost. c. 6.
d Lib. 2. oper. Jul. oper. imperf. f. 379
e Lib. 6. cont. Jul. c. 1.
f Lib. de pec. orig. c. 4.
g Lib. 3. cont. Jul. c. 26.
h Lib. 6. cont. Jul. c. 16. & lib. 3. c. 3.
k Lib. 1. cont. Jul. oper. imperf. f. 70.
Aug. Epist. 106. & serm. 7. de verb. Apost. c. 5.
Jul. lib. 2. apud Aug. cont. Jul. f. 28. oper. imp. Lib. 2. cont. Jul. oper. imperf. f. 323. f. 324.

Parvulis sine baptismo morientibus Pelagiani tribuunt vitam æternam. Quid illa; an beatitudo naturalis? Quid regnum cœlorum.

CAPUT XIX.

Et quidem mirum esset, si felicitas manente eadem parvulorum innocentia in illa ætate morientibus post hanc vitam tolleretur. Neque enim Deus infelicitatis sive miseriæ author esse potest, nisi peccato perpetrato hujusmodi pœna debeatur, viderunt hoc expres-

Lib. 2. operis imperf. f. 344.

A expresseruntque sæpius Pelagiani: *punire non peccantes*, inquit Iulianus, *non potest Deus sine exceptione injustus.* Quapropter celeberrima est eorum sententia; *Infantes etsi non baptizentur habere vitam æternam.*

Lib. de gestis Pelag. c. 11. & ult. & alibi.

Quod in Epistolis Augustini sic exprimitur: *Infantem non baptizatum morte præventum perire non posse merito, quoniam sine peccato nascitur.*

Epist. 88. Hilarij ad Aug. & Epist. 89.

Et in libris de peccat. merit. & remissione, *salutem vitamque æternam habituri sunt quoniam nullius peccati vinculo obstricti sunt.*

Lib. 1. c. 30.

Quid autem per vitam æternam, & salutem æternam Pelagiani intelligant magna & difficilis disputatio est. Quædam certa sunt, quædam incerta. Certum est vitam æternam non esse regnum cœlorum quod Sanctis cum Christo regnantibus in resurrectione tribuetur. Constanter enim adhærent divinæ sententiæ qua pronuntiavit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.*

Joan. 3.

B Certum deinde vitam æternam æternæ morti esse contrariam, quid enim privatio vitæ nisi mors? per quam tam ipsi quam Catholici æternam illam damnationem quæ peccatoribus in inferno infligetur intelligunt, hanc à parvulis non baptizatis asseverantissime removerant. Hinc contra Iulianum Augustinus; *Etiam vos quoque qui eos velut liberos ab omni damnatione defenditis* &c.

Lib. 5. cont. Iul. c. 11.

Nam hoc est illud quod supra dixerunt, *eos perire non posse* qui sine peccato sunt & quia perire sine peccato injustum est.

Epist. 88. apud Aug.

Vnde Augustinus: *Nam & his quibus videtur injustum, ut parvuli sine gratia Christi de corpore exeuntes non solum regno Dei, quo & ipsi fatentur nisi per baptismum renatos intrare non posse*, verum etjam vita æterna & salute priventur, *qua negata*, *quid*, inquit idem, *nisi mors æterna remanebit?*

Lib. 1. de pec. merit. c. 21.

Epist. 106. ad Paulin.

Et pressius alio loco: *Non accipientes vitam, utique consequenter æterna morte damnantur. Quis enim negabit id esse consequens ut mortem habeant qui non habent vitam?*

Lib. 2. ad Bonif. c. 4.

C Itaque vita illa æterna & salus aliquod erat tertium inter regnum Dei in cœlo seu regnum cœlorum & damnationem æternam. Quod Augustinus significavit cum dixit [a] *lege nobis ubi præter regnum bonis & supplicium malis tertium locum præparaverit, & promiserit non regeneratis innocentibus tuis.* Et in libris de [b] anima & ejus origine vocat eum *inter damnationem regnumque cælorum quasi medium locum* quem parvulis *hæresis Pelagiana promisit.* Et alibi, *nescio quam medietatem.*

a Lib. 1 cont. Iul. operis imperf. f. 52.

b Lib. 1. c. 9. vid. & 4. cont. Iul. c. 2. & 4 & lib. 1 operis imperf. fol. 296.

Lib. 1. de pec. merit. c. 28.

Eos verò qui locum illum medium occuparent merito innocentiæ suæ, vocat *Tertium genus vasorum quod nec in honorem nec in contumeliam fiat.*

Lib. 2. operis imperf. f. 325 & f. 196.

Certum denique est Pelagianos per illam vitam æternam aliquod genus non tantum *vitæ*, & quoquo modo *perpetuæ* sed semper *felicitatis* ac *beatitudinis sempiternæ* intelligere. Nam & hoc testatur Augustinus multis in locis, quæ in decursu hujus citationis citabuntur.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3. lib. 1. de anima c. 9.

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. fol. 182. & 319. & alibi.

Sed utrum hæc beatitudo sive felicitas sit purè naturalis in eorum sensu, an verò visio beatifica seu contemplatio clara Dei quæ extra regnum cælorum illis innocentibus detur non ita manifestum est. Quibusdam enim visum est, Pelagianos per illam vitam æternam beatitudinem quandam naturalem, extra regnum cælorum parvulis tribuisse. Hi moti sunt hoc argumento, quod Augustinus de Pelagianis dicat: *promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam.*

Lib. de hæres. Hæresi 88.

Itaque, inquit quidam, Pelagiani non vitam æternam simpliciter, quæ supernaturalem illam in visione Dei sitam indicat, sed *quandam suam vitam æternam* non baptizatis parvulis promittebant. Nam ut idem Augustinus dicit, Pelagiani alienabant parvulos non baptizatos à vita Dei cum alienarent à regno Dei: Quid est autem vita Dei nisi visio Dei?

Lib. 5. cont. Iul. c. 11.

Sed firmioribus argumentis ac testimonijs res ista facilè probari potest. Nam imprimis constanter Pelagiani docuerunt idcirco parvulos baptizari ut adoptarentur in filios Dei, *Regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis, imo etiam prædicatis*, inquit Augustinus.

Lib. 1. ad Bonif. c. 6.

Quod multis in locis fatetur gloriaturque Iulianus. Item consequenter idcirco, *ut baptizati ipsius regni cælorum participes fiant, eo modo filij & hæredes Dei, cohæredes autem Christi.*

Lib. 1. de pec. merit. c. 18.

Si ergò tantummodo baptismo fiant parvuli filij Dei & hæredes Dei, non baptizati autem non nisi hominum filij remanent, quomodo poterunt beatifica visione in illa vita æterna frui, cum illa visio intrinsecè perfectam adoptionem & filiationem, & hæredem Dei, esse vel implicet vel supponat? Quid enim est esse hæredem Dei, nisi beatissima illa visione Deum ipsum totamque hæreditatem ejus fruendo possidere vel ijs possidendo frui? Hoc autem esse magnæ & excellentis gloriæ, longeque naturæ vires superare nemo dubitaverit. Et tamen Pelagiani utrumque ab illa sua vita æterna removent, hoc est neque quicquam eam continere statuunt quod naturæ parvulorum gloriam afferat,

C contenti eos esse ab omni damnatione liberos, neque etjam quicquam quod naturæ vires exsuperet. Primum constat ex Augustino contra Iulianum ubi dicit Pelagianos statuisse parvulos *vasa nec in honorem nec in contumeliam*, idque non solum in hac vita sed etjam in futura. *Ex eadem*, inquit, *massa me dium hic cum vasis, ubi nec in honorem fiant nec in contumeliam quem non dedit Apostolus non damnus, quod vos faciendo* &c.

Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 96. Ibid. f. 109.

Et clarissime ipse Iulianus distinguit salutem futuri seculi, hoc est, vitam æternam, *a sempiternis gaudijs & gloria*, quæ per reconciliationem, id est, baptismum mediatoris afferuntur. *Post reconciliationem*, scilicet baptismi, *quam cum Deo habere promeruimus per operam videlicet mediatoris debemus percipere animo sempiterna gaudia, & non solum salutem sperare, sed etiam gloriam.*

Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. f. 381.

Vbi quamvis de adultis loquatur, satis tamen ex ejus verbis apparet quomodo in parvulis, salutem æternam hoc est vitam æternam à gloria & gaudijs æternis, quæ

D scilicet ex Dei percipiantur contemplatione, distinguerent. Alterum Celestius apertissimè profitetur: *Dominus*, inquit *statuit regnum cælorum non nisi baptizatis posse conferri, quod quia vires natura non habent, conferri necesse est per gratiæ*

largitatem. Quid clariùs dici potest? ad regni enim collationem, ideò gratiam baptismi putat necessariam quia naturæ vires hoc non habent. Et cur non etiam ad vitam æternam, ex Pelagianorum sententia impertiendam, nempe quia hoc naturæ vires habent. Quod nihil est aliud dicere nisi quod vita illa æterna, sit naturalis. Neque enim putandum est naturæ vires regnum cœlorum propter locum superare, vel Christi Sanctorumque consortium. Nam neque illi loco Sanctorum beatitudo astricta est neque propter materialem locum gratia necessaria. neque ita eos credendum est delirasse, ut naturæ viribus Dei ipsius consortium, beatissimam illam visionem & fastigium humanæ felicitatis afferri crederent, consortium hominum eas contenderent superare. Nam magnifica illa baptismi elogia quibus eum, ut infra dicemus, extollere nitebantur, tanquam viam ad assequendum regnum cœlorum, non externum locum Sanctorumque consortium sed interna baptizatorum dona celebrabant. Unde Augustinus, ut & externi loci & ipsius beatitudinis Pelagianæ internam differentiam à notissima illa beatitudine quæ Sanctis in regno cœlorum per claram visionem Dei conferenda est indicaret, libratissimis verbis dicit: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cælorum quietem vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum, hoc enim eis hæresis etiam Pelagiana promisit.* Accedit quod regnum cœlorum seu *regnum Dei* ut illud Christus de baptismo loquens vocat non sit aliud quam ubi in hominibus regnat Deus. Accipite hac de re disputantem contra Pelagianos Augustinum: *Vos respondete qui finxistis, quibus tot imagines Dei, sine ullo peccati merito separatis à regno Dei, & facitis duas esse eas felicitates: unam quæ sit in regno Dei, alteram quæ sit extra regnum Dei. Dicite obsecro, in ea felicitate quæ extra Dei regnum erit ullusne regnabit an nullus? Si nullus, liberior erit procul dubio sine ullo rege illa felicitas. Si vero ulus in ea regnabit quis erit rex in regnum Dei qui non erit Deus?* Ubi nihil aliud ad regnum Dei requirit nisi ut in aliquibus regnet Deus, in quocumque hoc fiat materiali loco. Nam statim adhuc annectit: *quod si Deus ipse ibi regnabit* (scilicet in illa vita æterna parvulorum) *cujus illæ imagines sunt, etiam ipsæ imagines ejus, in Dei sui regno felices erunt* (sic enim *in* non *sine* legendum, ut ex Scriptura subjecta patet) *Et ubi erit Evangelica vox: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei? Ac [illegible] dem aliquando*, scilicet compulsi absurditate, *extra regnum Dei eos felices futuros fatemini* (id est fateamini) *parvulos non renatos.* Nonne apertissimè concludit Augustinus Si Deus in illa parvulorum felicitate regnet etiam ibi futurum regnum Dei? Deus autem tunc obtinet in Sanctis regnum suum, quando æternæ suæ veritatis & sapientiæ contemplatione animo sibi subjecto ubicumque locorum constitutus fuerit perfectè sine rebellione dominatur. Docet hoc idem alibi: *Pacifici in semetipsis sunt qui*

A *omnes animi sui motus componentes & subjicientes rationi, id est, menti & spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum Dei.* Quod regnum quomodo fiat exponens *in quo*, inquit, *ita sunt ordinata omnia ut mens & ratio* (cui cætera subjecta dixerat) *subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas, unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subjiciat.* Et paulò post: *in primo sicut oportebat positum est regnum cælorum, quod est perfecta summaque sapientia animæ rationalis.* Et sine ullo ambiguitatis obscuro: *Regnum tradet Patri cum per id regnabit in contemplantibus veritatem quo æqualis est Patri, & per se unigenitum per speciem faciet videri Patrem.* Et mox: *Per ipsum qua æqualis est Patri cum Patre regnat in contemplantibus veritatem.* Si ergò per claram sui contemplationem Deus in æterna vita in hominibus obtinet regnum suum, qui fieri potest ut Pelagiani

B vitam illam æternam divinæ visionis parvulis dederint, & eos Dei regno, hoc est, à Deo illis regnante separaverint? Quæ sanè absurditas eo elucet manifestior, quod dilucidissimis plusque repetitis verbis Augustinus docebat, non aliud esse regnum Dei regnumque cœlorum quam ipsos homines in quorum scilicet animo Deus hic ut creditus, ibi clara veritas regnat. Quid enim sibi vult aliud quod dicit: *Regnum cum dicit quod multis locis appellat regnum cælorum, regnum autem cælorum est regnum Sanctorum. Cæli enim* (hoc est ut explicat, Apostoli aliique Sancti prædicatores) *enarrant gloriam Dei.* Quid sibi vult aliud quod dicit: *Quod est enim eorum regnum nisi credentes eum?* Nec mirum sanè cum regnum Dei non sit aliud eodem Augustino doctore nisi domus Dei, templum Dei, civitas Dei. Audi eundem: *Cum dixerit in domo Patris mei mansiones multæ sunt quid putaremus esse domum Dei nisi templum Dei. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Hoc est*

C *etiam regnum Dei quod Filius traditurus est Patri &c. Hoc est regnum cælorum.* Totamque doctrinam suam in summam colligens. *Hæc ergò domus Dei, hoc templum Dei, hoc regnum Dei, regnumque cælorum adhuc ædificatur.* Et in Enchiridio: *Ordo poscebat* (inquit Augustinus) *ut Trinitati in Symbolo subjungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus sua & Deo templum suum, & conditori civitas sua.* Et sermone quadragesimo nono de tempore: *Domus dicitur habitatoris domus.* Et libro secundo de Symbolo: *possumus explicare quomodo ipse Filius cum tradiderit regnum Deo & Patri, id est Sanctam congregationem fidelium, claritatem quam habet ipsis fidelibus demonstrare non differat.* Sicut ergò ut idem loquitur, *civitas in civibus est non in parietibus: Et Roma non perit, si Romani non pereant; Roma enim quid est nisi Romani?* Ita regnum cælorum non in expansis illorum voluminibus deputandum est sed in

D ipsis hominibus sub Deo regnantibus, & in quibus regnat Deus. Ut verò etiam ipsam rationem formalem regni cœlorum non esse aliud quam contēplationem illam æternę veritatis, seu visionem claram Dei intelligeremus, *nondum*, inquit, *regnat hoc regnum. Proinde sic*

jam

Lib. 3. de anima & de eius orig. c. 9.

Joan. 3.

Lib. 3. cont. Jul. operis imperf. c. 3. 9

Serm. Domini in monte.

Lib. 1. de serm. Domini in monte c. 2.

Ibid. c. 4.

Lib. 83 qq. q. 69.

Serm. 69. de divers. modis

Tract. 115. in Joan.

Tract. 69. in Joan.

Enchirid. c. 56.

Cap. 4.

Cap. 2.

Tract. de urb. excidio c. 6.

Serm. de scand. apud August.

iam est regnum, ut cum de illo collecta fuerint omnia scandala tunc perveniat ad regnum, ut non solum regni nomen sed etiam regnandi habeat potestatem. Huic quippe regno ad dexteram stanti in fine dicetur: venite benedicti Patris mei percipite regnum. Quibus verbis nihil aliud nisi ipsa æterna beatitudo traditur, hoc est clara divinitatis contemplatio. Nam clarius hoc in Psalmis explicans; *quid sequitur*, inquit, *quod dixerat, percipite regnum? Tunc ibunt impij in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Quod dixerat, regnum, hoc dixit, vitam æternam, quo non ibunt impij. Videte si quædam visio est vita æterna. Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te* &c. Vide quam apertè visionem ipsam vocat vitam æternam, vocat ipsum regnum, regnum inquam quia visio æternæ veritatis est ratio qua Sanctorum animis & sibi & corpori suo universa quæ creaturæ in æternum imperturbabili imperio & potestate regnabit. Cùm ergò regnandi ratio sit ipsa Dei clara contemplatio, & vita æterna, regnum verò non sit aliud quàm ipse Sanctorum per eam regnantium cœtus, fieri nulla ratione potest ut Pelagiani regnum cœlorum regnumque Dei parvulis sine baptismo decedentibus denegaverint, & tamen beatitudinem illam supernaturalem dederint, quæ in eadem clara Dei contemplatione consistit. Naturalis est ergò illa beatitudo longèque inferior clara visione Dei, quam parvulis sine baptismo abreptis pollicentur. Quod alio clarissimo testimonio videtur Divus Augustinus astruxisse cum dixit: *Hoc si adverterent Pelagiani, non tam laborarent: ne quando originale peccatum, quærere parvulis extra regnum Dei nescio cuius suæ felicitatis locum, maximè quando convincuntur non eos habere posse vitam æternam, quia non manducaverunt carnem nec biberunt sanguinem Christi*: (Lib. de prædest. SS. c. 13) ubi per *suam*, id est, Pelagianorum propriam *felicitatem* indicat eam planè distinctam fuisse ab ea quam Catholici credunt & per vitam æternam in Scripturis significatam volunt. Hoc autem discrimen in eo situm fuisse quod esset clara Dei contemplatione vilior atque dilutior, contra Iulianum satis luculentè his verbis profitetur: *Aut & suggere si videtur, ut tot millia parvulorum* &c. *rapiat ex hac vita dum sunt innocentes & boni, ut si non in regno eius certe in loco aliquo secundæ felicitatis, quem talibus ædificavit hæresis vestra teneat sempiternum.* Hoc est in sempiternum vel potius teneant sempiternam, ut sit sensus, ut ex hac vita rapti teneant alibi vitam sempiternam. Quid est secunda felicitas nisi inferioris notæ ac naturalis? Quæ quidem aptissime parvulorum statui respondet in quo Pelagiani eos in hanc vitam prodire confingunt. Ille enim ut supra vidimus, ita est naturalis ut ei nihil gratiæ vel supernaturalis muneris adjungatur, nec ulla in eis ratio vel operis vel naturæ suppetat, cur sublimia illa dona, *adoptio filiorum Dei, illum natio spiritalis, municipatus Ierusalem, possessio denique regni Dei*, (Lib. 1. operis imperf. c. Iul. f. 58. & 59.) quæ non nisi baptismo tribuunt, post hanc vitam non baptizatis parvulis conferrentur. Ut merito contra omnia Pelagianorum principia videri debeat. aliam quam naturalem eis beatitudinem polliceri.

Argumenta, quod per vitam æternam Pelagiani intelligant beatitudinem claræ visionis Dei.

CAPUT XX.

QUINN quamquam allegatis rationibus clarè confici videatur, non desunt tamen argumenta non levia, quibus alicui persuaderi posset beatitudinem illam claræ visionis Dei Pelagianos parvulis non baptizatis vitam æternam tribuendo post hanc vitam ascribere. Nam Divus Augustinus ubicumque totis ingenij sui nervis nititur ex Scripturis Sacris Pelagianorum sensum evertere, Scripturas illas & ratiocinationes adhibet, quas certò constat nil nisi de supernaturali vita æterna Catholicæ Ecclesiæ nota concludere. Nam imprimis illa ex Ioanne Euangelista ratio: (Lib. 1. de pec. merit. c. 27.) *Qui de ovibus meis sunt, vocem meam audiunt, & ego novi illos, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Quoniam ergò de ovibus eius esse non incipiunt parvuli nisi per baptismum, profectò si hoc non accipiunt peribunt. Vitam enim æternam quam suis dat ovibus non habebunt.* Quid probat aliud nisi parvulos illa æterna vita supernaturali quam Christianis velut ovibus suis Christus impertit carituros? Et illa ex Apostolo Petro: (Ibid.) *qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen* &c. *Et sic & vos simili forma baptisma salvos facit. Ab hac ergò salute & lumine alieni sunt parvuli, nisi per adoptionem populo Dei fuerint sociati.* Quid aliud probat nisi parvulos illa salute & lumine supernaturali, quæ per adoptionem datur esse carituros. Et illa ex Apostolo Ioanne, (Ibid.) *& hoc est testimonium quia vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est, qui habet Filium habet vitam qui non habet Filium non habet vitam. Non solum igitur regnum cælorum sed nec vitam parvuli habebunt, si Filium non habent quem nisi per per baptismum eius habere non possunt*: Quid probat aliud nisi vita æterna supernaturali ad quam obtinendam baptismus necessarius est, esse carituros? Et illa ex ejusdem Euangelio qua & Pontifex Innocentius utitur; (Lib. 1. de pecc. merit. c. 23. & Innocent. Papa apud Aug. Ep. 93.) *nemo præter regnum Dei salutem ac vitam possidebit æternam, quoniam qui non manducaverit carnem eius & qui incredulus fuerit Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Quid probat aliud nisi parvulos

vulos illa salute & æterna vita supernaturali A propter quam mysterium corporis & sanguinis Domini institutum est, esse carituros? Cui similis est & illa ex eodem argumentatio; *Panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita. Ac per hoc etiam pro parvulorum vita caro data est.* Et sanè pleræque Scripturæ quibus in eodem libro & alijs passim, hæresim illam Augustinus oppugnat, nihil aliud probant, quam illam æternam vitam quam Catholica fides in clara Dei visione constituit parvulis esse denegandam. Vnde de hujusmodi Scripturis generaliter ipse Augustinus concludens: *si ergo*, inquit, *ut tot & tanta divina testimonia concinunt, nec salus nec vita æterna sine baptismo & corpore & sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur parvulis.* Illa ergò promittebatur à Pelagianis parvulis quæ per baptismum, corpus & sanguinem Domini ex Catholicæ fidei institutione speratur. Et quæ illa nisi vita B æterna claræ visionis Dei? Nec verò amplius etjam cæteræ Divi Augustini rationes efficiunt. Nam quod tantis viribus sermone decimo quarto de verbis Apostoli premit, vitam æternam nemini esse tribuendam nisi qui intraverit in regnum cœlorum, imò regnum cælorum esse ipsam vitam æternam, ac proinde si parvuli sine baptismo regnum cœlorum intrare non possint, ut fatentur Pelagiani, etjam vitam æternam eos sine baptismo habere non posse; nihil aliud conficit nisi vitam claræ visionis Dei non esse parvulis tribuendam. Quid item illud quod in libris de peccatorum meritis profert? *Optimè Penici Christiani baptismum ipsum, nihil aliud quam salutem & Sacramentum corporis Christi, nihil aliud quam vitam vocant.* Vndè nisi ex antiqua, ut existimo, & Apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent præter baptismum & participationem mensę dominicę non solum ad regnum C Dei sed nec ad salutem & vitam æternam quemquam hominem pervenire? Nonne clarissimè hoc tantùm efficiunt, quod & Scripturæ superius allegatæ probant, ad vitam illam & salutem supernaturalis visionis Dei neminem sine illis mysterijs pervenire. Quid item illud quod multis in locis contra Pelagianos objicit, ad vitam illam æternam quâ parvulis promittebant sine fide Christi non posse pertingi, per illam posse: atque ideò nisi parvuli in Christum quoquo modo credant, nullam spem eis assequendæ vitæ æternæ superesse? Hinc enim illud: *qui credit*, inquit, *in Filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio non habebit vitam. In quo igitur horum genere ponemus infantes?* &c. *Profecto illi quibus Sacramentum defuerit* (quo credentes fiunt) *in eis habendi sunt qui non credunt Filio: atque ideò si hujus inanes gratiæ de corpore exierint, sequetur eos quod dictum est, non habebunt vitam.* Quid, inquam, D illud argumentum cæteraque jam dicta omnia ad rem faciunt, si noverat Augustinus nil nisi felicitatem quandam naturalem Pelagianos parvulis polliceri? Neqne enim Christus in hunc mundum venit, vel nos credimus

Ibid. c. 20.

Lib. 1. de pec. merit. c. 24.

Lib. 1. c. 24.

Lib. 1. de pec. merit. c. 20

A Christiana fide, baptizamur, & Christiani efficimur, ut naturali aliqua felicitate sine dolore sine molestia, in loco aliquo corporei paradisi causas rerum naturalium contemplandi perfruamur. Denique quid illud efficit quod Innocentius Papa contra Pelagianos invictum putat, baptismum scilicet cassari atque esse superfluum, siqua præter illum vita æterna possit obtineri. Nonne hoc tantummodo illam vitam æternam non posse à parvulis sine baptismo obtineri quam hominibus per baptismum tribui Catholica Ecclesia profitetur? Nam si eis naturalis dumtaxat sine baptismo juxta Pelagianos competat, supernaturalis vero juxta Catholicos per baptisma tribuatur, nullo pacto esse poterit etjam in Pelagianorum opinione superfluum cujus ope tam singulare beneficium conferetur. Sed accipe ipsum Innocentij Pontificis testimonium: *Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare* B *parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari perfatuū est, nisi enim manducaverint carnem filij hominis & biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis, qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci, fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse.* Quomodo *Baptismum videntur velle cassari* si parvulis naturalem dumtaxat beatitudinem sine baptismo tribuunt? Quomodo *prædicant eos habere quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum*, si nihil eos habere nisi naturalem beatitudinem sine baptismo prædicant? Quomodo *nihil volunt officere non renasci*, si non renascendo parvulos supernaturali illa beatitudine carituros dicunt? Quomodo *necesse est fateantur; nihil regenerationis sacra fluenta prodesse*, C si per claram illam visionem Dei tribui, sine ijs non nisi naturalem beatitudinem volunt. Illud ipsum vero, quod baptismi necessitatem tollerent, Pelagianis Augustinus sæpius exprobrat: *Vbi est libertas & fortitudo animi vestri? quare timetis dicere quod credere non timetis, parvulos in Christo baptizari non oportere, quos peccatum, cùm moriantur dicitis non habere?* Et rursum: *Cur non aperte dicitis baptizari in Christo parvulos non debere?* Cur enim propterea parvulos baptisari non oportere sentirent quod eos peccato carere dicerent, si per baptismum vitam æternam claræ visionis Dei eis conferendam esse decernerent, alioqui nil nisi naturali quadam felicitate fruituri?

Innocent. Papa ad Concil. Milevit. Epist. 93. apud Aug.

Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 383. & 384. & alibi.

Ex quibus omnibus alijsque pluribus, quæ proferri poterant, necessario alterutrum videtur confici vel Pelagianos parvulis non baptisatis, vitam salutemque æternam tribuendo, vitam illam æternam supernaturalem quæ in D clara Dei contemplatione sita est intellexisse ac tribuisse, propter quam solam fides Christi, baptismus, Eucharistia, ipsaque per illa mysteria in Christum incorporatio non propter naturalem alicujus corporei paradisi felicitatem necessaria sunt; vel certe si non nisi naturalem

naturalem intellexerint, Innocentium Papam maximeque Augustinum tot laboriosas disputationes in arena fundasse, atque adeo in re tam seria esse nugatum, ut qui de bobus interrogatus, de asinis responderit, & per viginti circiter annos quibus cum isto Pelagiano errore luctatus est, in manifesta æquivocatione persistendo aërem verberasse, quod asserere quia absurdum, & sanctissimo doctissimoque viro ipsique Sedi Apostolicæ injuriosum est, restat ut Pelagiani per vitam æternam quam parvulis sine baptismo morientibus tribuunt, nihil aliud intellexerint quam vitam illam æternam quam supra omnes naturæ vires Deus electis suis in mortuorum resurrectione largietur.

Vtrum Pelagiani sententiam suam de vita æterna parvulis non baptizatis danda tandem mutaverint?

CAPVT XXI.

Vir quidam illustris & magnopere in Augustini lectione versatus nonnulla ex istis argumentis vidit: quibus fractus existimavit sine S. Augustini injuria negari nullo modo posse quin id quod conficere videntur prorsus verũ sit, nempe Pelagianos vitam illam æternam supernaturalem seu claram visionem Dei parvulis sine baptismo ex hac vita raptis promisisse. At verò cum non minus manifestum esse videatur, eos per vitam illam æternam non nisi quandam felicitatẽ ordinis naturalis intellexisse, utramque sententiam eos diversis temporibus tenuisse arbitratur. Nunquam enim Augustinus, ait ille, ad convincendos Pelagianos eis objiceret ex Scripturis vitam æternam quam parvulis promittebant, non dari neque à Deo promitti in prædictis Scripturis nisi baptizatis & Christi membris, si Pelagiani de beatitudine tantum naturali loquerentur aut per vitam æternam, illam solam naturalem felicitatem intelligerent. Vult itaque Pelagium ejusque discipulos initio suæ hæresis docuisse, parvulis sine baptismo decedentibus, quia sine peccato nascerentur dari extra regnum cœlorum gaudia vitæ æternæ, qua in societate Christi & Sanctorum beati perfruuntur *ut constat*, inquit, *ex Innocentio Pontifice in Epistola ad Patres Concilij Milevitani*, quam supra de manducatione corporis & sanguinis Domini ad vitam æternam necessaria allegavimus & Augustino etjam visum paulò ante ostendimus. Contra hunc igitur Pelagianorum errorem vult omnia Augustini argumenta quæ proximè recensuimus militare: quibus convictos & à primo illo sensu depulsos, aliam beatitudinem naturalem dari parvulis prædicare cœpisse. Probat hanc eorum mutationem ex illo de prædestinatione Sanctorum loco quem supra vidimus: *Hæc si audirent Pelagiani non multum laborarent, quærere parvulis extra regnum Dei, nescio cujus suæ felicitatis locum maxime quando convincuntur non eos habere posse vitam æternam qui non mãducaverunt carnem nec biberunt sanguinem Christi.* Vbi apertè jam convictos de falsitate dogmatis, quo beatitudinem supernaturalem quæ per manducationem illam obtinetur, parvulis promittebant; recurrere Pelagianos putat ad aliam naturalem, quę per illud, *nescio cujus felicitatis locum*, significetur. Si autem ab illo doctissimo viro quæreremus quo tempore inducta fuerit illa mutatio, responderet, arbitror, vel statim atque hæresis Pelagiana damnata est, vel certè paulò ante, cùm Pelagius in Concilio Palestino retractavit hanc propositionem, *Infantes etsi non baptizentur habent vitam æternam*. Dilucidis enim verbis dicit jam eo tempore quo Augustinus contra Iulianum scriberet, quod contigit paulò post, Pelagianos illam sententiam de supernaturali quę parvulis extra regnum cœlorum daretur felicitate mutasse. Sed pace illius dixerim non rectè mutationem illam ex Augustino colligit imò sine dubio in illa asserenda hallucinatur. Eandem enim vitam æternam eandemq; felicitatem sive naturalis ea fuerit sive supernaturalis, ab initio usque in finem Pelagiani parvulis tribuerunt.

Cap. 23. sui lib.

Nam si authores illius mutationis investigemus qui convicti argumentis Augustini naturalem illam felicitatem induxerint, illi fuerint necesse est qui cum Sancto illo Doctore de ista difficultate congressi sunt: quos alios nullos inveniemus nisi Pelagium aut Iulianum: sive mutationem illam propria ingenij dexteritate commenti sint, sive Celestium aliumve comminiscendi artificem subsecuti. At verò Pelagius itemque Iulianus, in eadem prorsus sententia quam ante Concilium etjam Palestinum, hoc est hæresi emergente, tenuerant, sine mutatione perstiterunt etiam tum, cùm illam jam invectam fuisse contendunt, hoc est, luctante cum Augustino Iuliano. Testatur hoc expressis verbis Augustinus in illis ipsis contra Iulianum libris, qui hæresi jam proscripta damnataq; conscripti sunt. *Sed nunquid infantes etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam, ulla calliditate in aliud detorquere vel ullis folijs ficulneis operire potuistis?* Exponendo scilicet aliter quam à judicibus capiebatur. Nonne apertè indicat, eos ne quidem distinctionis illius calliditatem de duplici vita æterna seu felicitate extra regnum cœlorum reperire potuisse, per quã sententiam suam in aliud detorquendo palliarent? Nam subdit: *Vos enim qui hæc dicunt, non potuit apud Catholicos judices nisi dãnare Pelagius, & quod sentiebat damnavit coram hominibus, damnari metuens ab hominibus.* Ecce habes apertissime, non solum id quod dicebat *infantes etiamsi non bapti-*

Cap. 13.

Lib. 2. cont. Iul. c. 5.

zentur habere vitam æternam, sed etiam quod sub illis verbis sentiebat, coram judicibus Palestinis damnasse Pelagium, ubi mutatio illa emersisse existimari possit. Sed jam audi reliqua: *Nam si hoc non sentitis, nobis utique consentitis, Sed quia nobis non consentitis, illud sine dubitatione sentitis.* Et quomodo istud quæso sequitur cum detur medium beatitudo scilicet illa recenter excogitata naturalis, quam parvulis nunc mutata priore sententia tribuendo, neque cum Catholica fide consentient quæ damnandos asserit, neque cum eo quod ante senserant, & in Synodo Palæstina damnarant? sed pergit Augustinus, *Ac per hoc orientales vos judices damnent, à quibus Pelagius damnatus est, eos qui sentiunt quæ damnavit, cum eis quos damnavit profecto damnandus, quia illud quod negavit ore, corde servavit.* Viden illud ipsum quod ante sentiebat & ore negatum fuerat, corde esse servatum, ac propterea etiam secundo ab iisdem judicibus posse damnari? quod non ex conjecturis incertis Augustinus suspicatur. *Nam*, addit, *quod verbis ejus anathematizatur, in litteris ejus invenitur.* Et statim etiam ipsum Julianum strinxit cilemmate, quo conficiat, quod si post Pelagii damnationem adhuc dicat, *infantes non baptizatos habere vitam æternam*, à Palestinis judicibus etiam ipse damnatus sit; sin autem neget; pœnam sine culpa parvulis infligere convincatur. Nonne futilis est ista Augustini ratio & stramineum in Julianum vinculum, si aliam jam vitam æternam quam tempore Palestinæ Synodi parvulis fabricaverint? Nonne una distinctiuncula, qua se non nisi vitam felicitatis cujusdam naturalis nunc parvulis polliceri diceret ex judicum illorum sententia & manibus laberetur?

Sed jam fundamentum illud inspiciamus, quo nunquam Augustinus putatur usurus fuisse illis rationibus ac scripturis, quibus fides, baptismus, manducatio corporis ac sanguinis Domini ad vitam æternam obtinendam necessaria esse dicuntur, si Pelagiani parvulis naturalem tantum felicitatem asscriberent. Ut plane necesse sit eos aliquando saltem initio sui erroris, supernaturalem illam claræ visionis Dei beatitudinem parvulis promisisse. At ego vicissim refero; si recta illa firmaque consequentia, necesse est igitur, ut etiam in medio & in fine sui erroris, hoc est ab initio usque ad finem, eandem illis supernaturalem felicitatem attribuerint. Nam Augustinus iisdem semper armis in illud monstrum usus est, iisdem scripturis iisdemque rationibus errorem illum à primo ejus ortu in Pelagio usque ad ejus occasum in Juliano oppugnavit, stravit, & interemit. Nam in Epistola ad Paulinum quæ statim à Pelagii damnatione conscripta est, sic eodem argumento utitur: *Coguntur itaque respondere quod Pelagius in Ecclesiastico judicio ut aliquo modo Catholicus pronunciaretur, anathematizare compulsus est, infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam &c. Ac per hoc contra sententiam Domini disputabit dicentis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; illam utique quæ post hanc vitam futura est, & contra Apostolicæ Sedis authoritatem*, scilicet Innocentii qui illa scriptura usus est. *Et contra ipsius Pelagii verba apud Episcopos, à quibus audiebatur expressa, ubi anathematizavit eos qui dicerent infantes, &c.* (Epist. 106. ad Paulin.) Et in libris ad Bonifacium quæ post Epistolam illam paulo ante libros contra Julianum exarati sunt, sic eodem argumento utitur: (Lib. 1. c. 22.) *Datis eis extra regnum Dei locum salutis & vitæ æternæ etiamsi non fuerint baptizati. Nec attendentes quod scriptum est: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur &c. Nec illud contradicentes vitam habere non posse qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso: Nisi manducaveritis &c.* Aut. *Si Evangelium vocibus cogimur confiteri, nec vitam alteram posse habere parvulos de corpore exeuntes nisi fuerint baptizati &c.* Quod idem argumentum contra Celestium repetit libro secundo ad eundem Bonifacium capite quarto, etiam Innocentii Pontificis nomine interposito qui eodem telo Pelagium jugulaverit. Et in ipsis libris adversus Julianum, ubi jam convictos Pelagianos ad aliam beatitudinem naturalem confugisse dicitur, sic eodem argumento utitur: (Lib. 1 cont. Jul. c. 4.) (Joan. 6.) *Sancto Innocentio vide quid respondeas qui nihil aliud de hac re sapit, quam &c. Qui denique parvulos definiunt, nisi manducaverint carnem filii hominis vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imo ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est testimonio & dic unde imago Dei tam capitali supplicio punitur, si peccatum a nascentibus originale non trahitur?* Denique in ultimis & imperfectis adversus eundem Julianum libris quos vicinissimus morti scripsit, sic eodem usus est argumento: (Lib. 4. cont. Jul. oper. imperf. f. 237.) *Cur ministratur Sanguis qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum quem bibat parvulus ut habere possit vitam, si de nulla peccati origine venit in mortem? &c. Jam dic evidenter quod latenter sentis, quoniam satis prodis tua disputatione quid sentis, dic, inquam, parvulos frustra fieri Christianos* (per baptismum) *sed vide utrum teipsum debeas dicere Christianum.* Nec vero, si omnia Divi Augustini scripta revolverimus, quibus errorem illum etiam in fine vitæ prostravit, nullum facile inveniemus argumentum quo non ante sæpius usus fuerit, quando adhuc supernaturalem illam putantur felicitatem parvulis promisisse, neque ullum antea, quod non postmodum etiam adhibuerit, ut merito dici debeat, si in initio Pelagiani non mendaciter Augustino opponere potuissent, ut ille author putat, eum in sua disputatione nugari, nisi beatitudinem illam claræ visionis Dei quam baptismus & scripturæ illæ respiciunt, parvulis tribuissent; etiam in fine nugationem illam & exprobrare potuisse ut qui contra homines jam naturalem duntaxat felicitatem parvulis pollicentes, tanquam quid ulterius diceret non inveniens, iisdē adhuc scripturis & argumentis nihil ad Rhombum concludentibus uteretur.

Quid igitur, inquies, his angustiis undique coarctantibus pro dissolvendo hoc nodo dici debet. Antequam eum tentem solvere, adhuc paulo arctius interposita aliquanto latiori de parvulorum statu disputatione stringendus est.

Iisdem

Iisdem argumentis probari poteſt, Pelagianos parvulis naſcentibus ſupernaturalem innocentiam dare, quibus aliqui probari putant eos morientibus ſine baptiſmo vitam æternam ſupernaturalem promiſiſſe.

CAPVT XXII.

NAM quod de vita æterna futuri ſeculi, quam parvulis promittunt Pelagiani diſquiſivimus, eodem pænè modo, de vita & ſtatu quem eis in præſenti ſeculo tribuunt, diſputari poteſt, utrum eos in naturali duntaxat integritate, ſanctitate, & ſtatu naſci velint an in ſupernaturali quæ per ſolam divinam gratiam confertur.

Et quidem ſi illa reſpicimus, quæ hactenus de parvulorum conditione in hac præſenti vita diſputata & ſtabilita ſunt, non videtur eſſe poſſe dubium, quin ſecundùm Pelagianos in quodam puro putoque naturali ſtatu & integritate ſine omni vitio, omniqùe ſupernaturali gratia naſcerentur. Quod uſq; adeò verum eſt ut ipſimet ſæpius expreſſis verbis vocent parvulorum [a] *Innocentiam naturalem*, quam dicunt [b] *creari bonam ſimplicitatem* item prædicent [c] *naturalem*, parvulos [d] *naturaliter* ſtatuant eſſe *bonos*, B bona eorum [e] *naturalia* ita diſtinguant à *ſpiritualibus*, ut [f] *bono naturali* cum quo naſcuntur *bonum ſanctificationis* per baptiſmum velint accedere: denique ſine ullis ambagibus clarè definiant, [g] *ante actionem propriæ voluntatis, id ſolum in homine eſſe quod Deus condidit.* De quibus latius paulò ante diſſeruimus.

a Iul. lib. 1. oper. imperf. apud Aug. cont. Iul. f. 254. & alibi ſæpius.
b Ibid. f. 166
c Aut. qq. vet. & novi Teſt. p. 1. q. 8. & Iul. lib. 1. operis imperf. f. 33.
d Lib. 2. de nupt. c. 19.
e Iul. lib. 1. oper. imperf. f. 70.
f Lib. 6. cont. Iul. c. 17.
g Lib. de pec. orig. c. 13.

E contrario verò ſi S. Auguſtini rationes trutinemus, quibus eorum ſententiam impugnat atque ſuffocat, nihil profectò minus judicabimus, quam eos naſcentibus parvulis ſupernaturalem quandam vitam, innocentiam, ſanitatem, bonitatemq; tribuiſſe, quæ non niſi per divinam ac gratuitam gratiam dari poteſt. Nam imprimis ex hoc ſolo quod parvuli naſcuntur cum iſta innocentia naturali, ſicut hoc ſentit Pelagius, hoc eſt ut Auguſtinus exponit, cum *immunitate ab omni delicto* tam proprio quā originali ſæpiſſimè concludit Auguſtinus, prorſus injuſtum eſſe non tantùm ut parvulus vita C æterna privetur ſive æterna morte mulctetur, quod ſine damnatione quæ ſoli peccato debita eſt, fieri nullo modo poſſe manifeſtum eſt, ſed etiam, ut ei regnum cœlorum auferatur eo quod illud naturali ejuſmodi innocentiæ parvulorum per juſtitiam Dei omninò debeatur. Per iſtud autem regnum cœlorum ſeu regnum Dei ſupernaturalem Chriſtianorum beatitudinem in ſcripturis intelligi nullus ne quidem Pelagianus, nedum Catholicus negat. Accipe pauca, ex ſexcentis quæ paſſim occurrunt, loca: *Nunquam dicturus es unde ſit iuſtum ut parvuli nulla ſua, nulla plerumque etiam ſuorum culpa ſine baptiſmate mortui à parentibus & propinquis fidelibus ſeparentur & ad Dei regnum non admittantur.* Et ex profeſſo expanſis velis hoc agit Sermone de-

Serm. 14. de verb. Apoſt. c. 5.

Lib. 2. operis imperf. adverſ. Iul. f. 325.

A cimo quarto de verbis Apoſtoli: *Quoniam vos aliquando contra evidentiſſimam auctoritatem ratiocinatio humana delectat profecto ipſam regulam rationis vestræ, & aſſerite quantis viribus valueritis, unde damnatur iſte qui parvulus propter merita innocentiæ, propter nullam ſuæ dictæ culpam, hoc eſt originale peccatum dare voluerit etiam non baptizatis non ſolum vitam æternam verùm etiam regnū cœlorū.* Et infra: *Quare enim patrimonii regni cœlorū à corpis innocenti &c. quæ eſt iſta iniuſtitia, hic defende iuſtitiam Dei. Reſponde ſi potes. Sed rationem affer, hæc enim te gloriari delectat.* Vide quam hoc invictum argumentum putet, ut nec ex ratione quicquam ei reſponderi poſſe arbitretur. Et paulò inferius: *Hinc reſponde qui tibi dicis, propterea innocens parvulus & immunis ab omni peccato & proprio & originali, non ſolum vitam æternā habebit ſed etiam regnum cœlorum. Hoc eſt iuſtum qui nihil mali habet quare aliquid boni non habeat?* Quæ argumentandi ratio B quomodo non frivola & abſurda eſt, ſi Pelagiani illam à peccatis immunitatem non per gratiam veramq; juſtitiam ſed per ſolam naturalē innocentiam afferri putant? Nam ipſemet Auguſtinus idem iſtud de parvulis argumentum verſando ſententiam definitivam tulit, non poſſe de parvulis niſi juſti fuerint, dici: *Talium eſt enim regnum cœlorum, cum eſſe non poſſit niſi iuſtorum.* Et in libris contra Iulianum provocans eum ut vel uni reſpondeat indocto ex vulgi fæce dicenti: *Iuſtus eſt Deus, quid mali eſt, quod innocentem hanc eius imaginem prohibet intrare in regnū eius, ſi non eſt peccatum quod per unum hominem intravit in mundum? Puto*, inquit Auguſtinus, *quod nulla tibi aderit ſapientia, qua tibi videaris illo indocto homine doctior; ſed ſi a te receſſerit impudentia illo infante remanebis infantior.* An ita ſubitò oblitus erat Auguſtinus Pelagianos non niſi naturalem quandam innocentiam, non illam quæ per iuſtitiam caritatemque infuſam datur, parvulis C polliceri? Quo ſanè poſito cur Iulianus infante remaneret infantior in tuenda juſtitia Dei, cum conſequenter veraciterq; reſpondere poſſe videatur, regnum illud cœlorum hoc eſt felicitatem claræ viſionis Dei, non naturæ ſed infuſæ cœlitus gratiæ ideoq; baptiſmo eſſe repoſitum, quibus cùm parvuli prorſus careant ſine ullo divinæ juſtitiæ præjudicio poſſe denegari. Nonne hanc reſpōſionem pænè conceptis verbis à Celeſtio magno Pelagianorum Doctore præformatam acceperat: *Dominus ſtatuit regnum cœlorum non niſi baptizatis poſſe conferri, quod quia vires naturæ non habent conferri neceſſe eſt per gratiæ libertatem.* Ecce quam clarè gratiam agnoſcit, quia naturæ vires ſuperat regnum cœlorum, atque ideò naturæ per juſtitiam nullo modo deberi poteſt. Ex quo proinde manifeſte

Cap. 5.

Ibid. c. 7.

Lib. 5. cont. Iul. c. 1.

Lib. de pecc. orig. c. 5.

Digitized by Google

manifestè videtur consequi, vel delirare Augustinum qui de hujusmodi ratiocinatione tanquam invicta gloriatur: vel si ejus autoritas istud suspicari non sinit, supernaturalem esse illum statum quem Pelagiani parvulis tribuunt, & cui soli per justitiam debitum est regnum Dei. Talibus enim tanquam filiis debetur *patrimonium* regni Dei, quia talium tantummodò veluti adoptatorum filiorum est pater Deus. Quid quod eodem modo, ut supra de vita æterna diximus, etjam superfluum esse baptismum ipsis Pelagianis judicibus putet, si parvuli in illa naturali innocentia, bonitateque sine ulla peccati originalis vel actualis labe nascuntur. *Id enim agit illa disputatio*, ait Sanctus Doctor, *contra cujus novitatem antiqua veritate nitendum est, ut infantes omnino superflue baptizari videantur. Sed apertè hoc non dicitur, ne tam firmata salubriter Ecclesiæ consuetudo violatores suos ferre non possit.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *quid necessariam ergo habet infans Christum si non ægrotat?* Et in operibus contra Iulianum: *qui est forma futuri, quia ita Christus trajicit in eos* (parvulos) *justitiam, sicut Adam peccatum; ita Christus vitam sicut Adam mortem: alioquin a forma Christi alieni erunt, & Christiani non erunt. Quod quidem sentitis sed apertè dicere formidatis.* Vbi apertè docet Augustinus ex hoc ipso, quod parvulis nihil peccati in baptismo dimitteretur, consequi, neque vitam neque justitiam ab eis in baptismo accipi, nec eos fieri Christianos, atque hoc ipsum tacitè sentire Pelagianos tanquam qui id consectaneum esse ex illa sua opinione perspicerent. Cujusmodi ratiocinationes quas tandem contra Pelagianos vires habent, si non nisi naturalem quandam à peccatis immunitatem qualem in brutis cernimus parvulis tribuunt, vitam verò atque justitiam Sancti Spiritus, cui regnum cœlorum & supernaturalis felicitas debeatur, tantummodò per baptismum afferri volunt? Nam istos multoque splendidiores effectus tribuisse baptismo Pelagianos, postea fusius demonstrandum est. Hac ergò unica distinctione facilè est eis omnia hujusmodi Augustini tela retundere, & ejus conatus insignes vanitatis arguere atque convincere; vel certè necessario fatendum est Augustinum nullo modo latuisse quod supernaturalem quandam vitam, sanctitatem atque justitiam in illa naturali parvulorum innocentia includerent.

Lib. 3. de pecc. merit. c. 13.

Serm. 10. c. 2.

Lib. 2. operis imperf. f. 113.

Quod quidem ex alio capite magis adhuc evidenter videtur sequi. Nam etjam vitam illam supernaturalem animique sanitatem, quæ baptismo infunditur parvulis, frustra eis impertiri docet, si parvuli juxta Pelagium per illam à peccatis innocentiam sine morte peccati vivi, sine peccati ægritudine sani sunt. Et qui hoc sequitur, si non nisi vitam sanitatemque naturalem intelligunt, cui per baptismum vita gratiæ & sanitas spiritus afferatur? Audi cum stomacho ferientem Pelagianos: *Vt quid cum eis ad baptismum vivificatoris & salvatoris simulatione damnabili curritis, quos vivos sanosque laudando vivificari sanarique non vultis?* Nonne vitam parvulos sanitatemque illam quæ in baptismo datur, jam antequam baptizentur eos habere contendit? Ex quo fit ut de iisdem parvulis dici posse arbitretur: *Auferte hinc innocentes istos, non est opus sanis medicus, sed male habentibus: Non enim venit Christus vocare justos sed peccatores.* Nonne apertè in Pelagianorum sententia constitutum putat, etjam sanos justosque esse parvulos, ea justitia atque sanctitate quæ baptismate conferuntur? Nam si aliam intelligunt quid ad rem argumentum Augustini facit?

Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. f. 386.

Serm. 10. de verb. Apost. c. 2.

Quin etjam quod toties Augustinus & Innocentius premunt sine participatione corporis & sanguinis Domini vitam æternam parvulis obtineri non posse, non tantum supernaturalem felicitatē in futuro seculo, sed etjam supernaturalem vitam atque justitiam in præsenti eos parvulis adscripsisse convincit. Locus enim, nisi manducaveritis & non habebitis vitam in vobis, de utriusque seculi vita supernaturali apertè intelligendus est. Ideò enim ille qui non manducaverit carnem & sanguinem Domini non habebit vitam æternam in futuro seculo quia sine illa manducatione non habebit vitam justitiæ in præsenti seculo. Atque ita de utraque promiscuè cum contra Pelagianos Augustinus intorquet. *Cur*, inquit, *ministratur sanguis qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum, ut habere possit vitam si de nulla peccati origine venit in mortem* &c. *Iam dic evidenter quod latenter sentis, quoniam satis prodis tua disputatione quid sentis: dic, inquam parvulos frustra fieri Christianos.* Quomodo in Pelagiana opinione sequitur, *parvulos frustra fieri Christianos*, nisi id totum eos habere statuant, quod Christiano baptismo datur? Quid hoc autem, nisi adoptio filiorum & justitia quam infundit spiritus Dei.

Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 237.

Ex quibus profectò, aliisque pluribus quæ afferri poterant, manifestè liquet pleraque Augustini argumenta supponere pari passu Pelagianos vitam supernaturalis justitiæ parvulis in hoc seculo tribuisse, & vitam æternam supernaturalis visionis Dei in futuro promisisse. Vel certè si neutrum eorum verum est atque utrobique non nisi naturalis innocentiæ vitam paremque æternæ vitæ felicitatem intelligunt, utrobique Augustinum ineptissime disputasse: & adversariam sententiam atque distinctionem dissimulando, tenebrasque offundendo fraudibus potius luctatum esse quàm viribus. An & sic dicemus Pelagianos interpretasse suam sententiam? Sed nullum talis mutationis extat vestigium. Vna quoque in ista opinione refutanda apud Augustinum apparet facies, non minus in fine vitæ quo pleraque quæ adduximus argumenta conscripta sunt, quam cum primum hæresis ista oriri cœpit.

Solvun-

Digitized by Google

Solvuntur difficultates ab Augustino motæ.

CAPVT XXIII.

QVIS igitur ex isto labyrintho evadendi modus? Breviter si possum, dicam, quia profundior veritatis illius usque ad radices investigatio multa præmitti postulat, quæ hic inseri ordo doctrinæ vetat, & opportunius in libris de statu puræ naturæ deducenda sunt. A

Fixum firmumque esse debere arbitror, Pelagianos non nisi naturalem quandam innocentiam ac vitam ac sanitatem in hac vita nascentibus ascripsisse, nec vitam æternam aliam quam naturalis cujusdam felicitatis sine baptismo decedentibus promisisse. Quorum unum expressis verbis in terminis sæpius dicunt, alterum ita indicant, ut res ipsa sententiam eorum clamare videatur. Et sane hoc ita postulat universa doctrinæ Pelagianæ facies atque connexio, ut eos qui Pelagianos vitam felicitatemque supernaturalem parvulis unquam promisisse contendunt, non satis Pelagiana principia penetrasse sine injuria dixeris. B Quod quamquam utcumque supra declaratum est, infra uberius demonstrandum est. Quæ vero pro supernaturali vita felicitate, que ex Augustino proferuntur, non nisi nuda consequentiarum est observatio atque collectio, quæ si autorum principia lateant, fallere minus perspicacem solent. Neque enim ullibi Augustinus expresse dicit eos vel in futura vita beatitudinem supernaturalem claræ illius visionis Dei sine baptismo parvulis esse pollicitos, vel in præsenti justitiam veram atque adoptionem filiorum Dei: hanc enim sexcentis locis non nisi baptismo paruulis conferri docent, ut suo loco de effectibus baptismi juxta Pelagianos dicturi sumus.

Vt igitur quid sibi Augustinus velit intelligatur, sciendum est, statum illum quem possidere parvuli sive in præsenti sive post hanc vitam in quadam æternæ vitæ felicitate finguntur, ex Pelagianorum quidem sententia ut diximus non esse nisi puri putique ordinis naturalis, ad quem natura humana solis suis viribus assurgere possit: duplicis tamen generis complecti conditiones. C Aliæ prærogativę tam singulares sunt, ut ab homine obtineri nullo modo queant; nisi eas Deus gratuita sua & supernaturali gratia largiatur: aliæ tam enormes humanæ naturæ contumeliæ, ut peccatum aliquod propter quod infligantur præcessisse convincant.

Prioris generis sunt, esse innocentem ac sine peccato, non esse mortuum animo, esse salvum ac sanum, ac sine ulla peccati ægritudine, denique naturaliter sive in præsenti sive in æterna vita sine animæ damnatione & perditione esse felicem. Posterioris sunt ignorantiæ, libidinibus, morbis, omnibus hujus vitæ calamitatibus, diaboli vexationibus, morti ipsi esse obnoxium; ac denique post hanc vitam separari à regno Dei. Monstrum igitur fuit ille commentitius Pelagianorum status ex humano corpore belluinoque compositum, hoc est ex disparibus & repugnantibus membris, natura & gratia peccato atque natura conflatum. Quod quam verum sit de singulis suo loco fusiori disputatione declarandum est. Cum ergo Divus Augustinus cęlestis ingenij profunditate cerneret statum illum sive æternæ vitæ post mortem corporis, sive temporalis illius quem in hoc mundo parvuli obtinere fingerentur propter prioris generis prærogativas non posse cuiquam sine divina gratia & consequenter sine fide Christi, sine baptismo, sine manducatione corporis & sanguinis Domini, hoc est, sine incorporatione in Christi corpus obtingere, hinc est quod illis usus sit argumentis quæ supernaturalem statum atque beatitudinem parvulis à Pelagianis tribui, supponere ac persuadere videantur, cum ipsi ex semetipsis & de proposito nil hujusmodi unquam senserint, sed tantummodo istud ex eorum opinione præter intentionem consequatur. Nam simili planè modo propter posterioris generis conditiones illius status sexcenties Augustinus consequi docet aliquod omnino peccatum in paruulis, sive originale præcessisse cujus merito eorum innocentia gravi isto jugo temporalis vitæ puniatur, nec tamen rectè inde sequi dixeris Pelagianos hanc totam vitam hominibus pœnalem & supplicij loco impositam docuisse. Hoc enim in eorum opinione non explicite juxta eorum mentem continetur, sed implicite contra mentem invenitur; neque tam verbis exprimitur, quam argumentis extorquetur.

Quæ si vera sunt sicut vera esse tantisper hic supponimus donec alibi, ubi proprius locus est, ita esse demonstremus, manifestum erit non esse necessarium vt vel Pelagiani supernaturalem parvulis beatitudinem ac statum sive in præsenti sive in futuro seculo, sive oriente sive occumbente hæresi parvulis tribuant, vel si naturalem dumtaxat tribuerint, ut Augustinus in arguendis Pelagianis intolerabili absurditate nugetur. Non enim quid dicant aut sentiant, sed quid eorum dicta atque sensa contineant respicit & examinat: atque ex uno capite impossibilem esse videt hujusmodi felicitatem ac statum quem illi naturalem statuunt nisi eum per supernaturalem gratiam divina bonitas largiatur; ex alio capite itidem impossibilem, nisi per divinam justitiam peccantibus tanquam supplicium imponatur. Quam suam absurditatem cum Pelagiani argumentis fracti animadverterent in miris angustijs

gustijs constituti æstuabant ut suam sententiam quoquo modo sive status supernaturalis in naturalem mutatione tuerentur; quod cum difficillime fieri posse cernerent, hinc est quod Augustinus dixit eos *laborasse ut quærerent parvulis extra regnum Dei nescio cujus suæ felicitatis locum, maxime quando convincuntur non eos habere posse vitam æternam quia non manducaverunt carnem nec biberunt sanguinem Christi.* Non enim indicat ullam in eis beatitudinis supernaturalis in naturalem mutandæ cogitationem, sed ejusdem sententiæ tuendæ sollicitudinem & angustias cum etjam illam ipsam æternam vitam, quam eis quasi naturalem assciberent eos habere non posse sine Christi gratia & extra corporis ejus unitatem convincerentur. Si enim, cum hoc diceret Augustinus, indicare vellet jam eos opinionem suam abjecta vitæ illius supernaturalis defensione mutasse, stultè sanè post illum etjam librum in ipso vitæ suæ fine, iisdem rationibus, scripturisque ad eos debellandos uteretur. Difficultates igitur quas in tuenda illa naturali, quam putabant, beatitudine paterentur, non mutationem ullam ex supernaturali in naturalem indicare Augustinus voluit: Quos æstus eorum etjam alijs non paucis locis exprobrando commemorat.

Lib. de prædest. SS. c. 13.

Hinc in libris contra Iulianum: *Et quid vobis est de quæstione baptismatis laborare, utrum sit vita æterna præter regnum Dei, an vita æterna privandæ sint innocentes tot imagines Dei, ac per hoc æterna morte plectendæ?* Vbi simul utrumque difficultatis caput tangitur tam ex parte gratiæ quam peccati, sine quibus ille status constitui nequit. Et in libris de peccatorum meritis, qui tamen in ipso hæresis illius ortu scripti sunt cum adhuc beatitudinem vitæ æternæ supernaturalem parvulis promisisse creduntur, *a quibus tamen cum quæritur utrum non baptizati & non effecti cohæredes Christi regnique cælorum participes habeant saltem beneficium salutis æternæ in resurrectione mortuorum, laborant vehementer nec exitum inveniunt.* Et omnium apertissimè in libro de peccato originali perhibetur, Pelagius ita solitus respondere quærentibus, ut diceret: *Sine baptismo parvuli morientes quo non eant, scio, quo eant, nescio.* Hoc est interprete Augustino: *Non ire in regnum cælorum scio; quo verò eant se nescire dicebat, quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam, quos & sic nihil mali commisisse sentiebat, & originale traxisse peccatum non consentiebat.* Vides Pelagium aperte profiteri solitum suas angustias atque ignorantiam de statu ac felicitate parvulorum: quia mortem perpetuam innocentibus suis infligere vetabat justitia, vitam æternam hoc est qualemcumque fingeret naturalem beatitudinem eis polliceri Augustini argumenta prohibebant, talis enim qualiscunque vita, atq; beatitudo obtineri non potest nisi anima vivat, mors enim animæ beatitudo esse non potest: vivere autem non potest anima, nisi vivat ex Deo. Nam ut anima corporis, sic animæ vita Deus est. *Vivit* autem *anima ex Deo*, ut Augustinus, *cum vivit bene: non enim potest bene vivere, nisi Deo in se operante quod bonū est.*

Lib. 6. c. 4.

Lib. de pecc. orig. c. 21.

Lib. 13. de civit. Dei c. 2

A Ex quo manifestum est veram vitam animæ qualemcumque sive temporaneam in hoc seculo sive æternam in regno vel extra regnum Dei, gratiam omnino, ideoque baptismum omnis gratiæ januam & incorporationem in Christo, in Divi Augustini sententia postulare. Nam ut alibi dicit, *vitam æternam, id est, sine ullo fine felicem* (neque enim aliud æterna vita supra vitam ex Deo nisi perpetuitatem dicit) *solus ille dat qui dat veram felicitatem.* Sed uberior sententiæ Divi Augustini indagatio & veritatis ejus demonstratio non est hujus loci. Hoc tamen in verbis Pelagij citatis QUO EANT NESCIO, observandum puto, quod cum illis etjam ante condemnationem hæresis suæ soleret uti, (nam statim à condemnatione liber ille Augustini scriptus est) jam tum initio eum de natura felicitatis illius quam parvulis promittebat, æternæque illius vitæ conditione fluctuasse & apertè suam ignorantiam confessum esse. Quid mirum igitur si neque nos, quid ipse senserit, liquido demonstrare nequeamus? Nam & Augustinus quamvis naturalem ab illis prædicari statum non ambigeret & reipsa tamen propter conditiones quas involverat, sine supernaturali gratia obtineri nullo modo posse sentiret, utrum tamen secundum eorum sententiam in clara vel obscura vel etjam nulla Dei visione consisteret semper hæsitans incertusque fluctuavit, hinc enim illæ locutiones hæsitationis indices, quibus illum statum vocat, [a] *nescio cujus felicitatis locum:* & [b] *beatam quandam vitam suam*; item: [c] *quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet, quasi medium locum.* Vsque adeò ut etjam dubitet utrum Pelagiani Deum in illo felicitatis loco parvulis regnare constituant. [d] *Dicite obsecro*, inquit, *in ea felicitate quæ extra Dei regnum erit, ullusne regnabit an nullus?* Et cetera quæ supra commemoravimus. Nec mirum cum nunquam suam sententiam plenè legantur clarisque verbis explicuisse. Hoc solum videtur certum de Pelagianorum sensu tenuisse, quod illa felicitas quam extra regnum cælorum parvulis tribuunt, inferioris notæ sit. Nam istud clarè voluit quando dixit: [e] *in loco aliquo secundæ felicitatis, quam talibus ædificavit hæresis vestra.* Et quando dixit *promittunt eis æternam & beatam quandam vitam suam.* Sed utrum ideò *secunda*, quia tantummodò extra regnum cœlorum, hoc est, extra societatem Christi atque Sanctorum eadem Dei clara contemplatione naturaliter fruerentur, an quod ipsa Dei contemplatio adeoque tota illa felicitas in seipsa longè esset inferior nullibi apertè profitetur. Nec verò moveat quod clara Dei visio multum naturæ vires superet cum tamen beatitudinem non nisi naturalem eos fabricasse docuerimus. Reipsa siquidem naturam superat non ita tamen necesse est in istorum hæreticorum sententia. Nam & illa quam naturalem dicuntur tribuisse postea felicitatem tales conditiones implicat ut etjam naturæ vires juxta Divum Augustinum excedat. Nec tamen ideò rectè dixeris tunc Pelagianos supernaturalem

Lib. 6. de civit. c. ult.

Lib. de pecc. orig. c. 21.

Lib. 2. de tract. c. 59.

a Lib. de præd. SS. c. 13
b Lib. de Hæresibus Hæresi 88.
c Lib. 1. de anima & de eius orig. c. 9.
d Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. f. 319

e Lib. 1. oper. imperf. f. 182

Lib. de Hæresibus ad Quodvult Deum Hæresi 88.

turalem parvulis beatitudinem promisisse. Quid enim magis naturam superat quam divina illa charitas Dei, hanc tamen etjam solis naturæ viribus asscripserunt. Non ergò insolitum, sed solemne atque perpetuum Pelagianis fuit ut dona Dei reipsa naturam longè lateque superantia nudis viribus humanæ libertatis asscriberent. In hoc enim errore propriè hæresis Pelagiana sita est. Atque hæc sufficiant ut Augustinus rectè errores istos confutasse videatur.

De statu adultorum sine fide moraliter bene viventium, post hanc vitam.

CAPVT XXIV.

QVID de adultis sine fide Christi in morali quadam bonitate morientibus senserint Pelagiani, non ita liquidè ex eorum scriptis colligi potest. Vt ab incertis certa discernamus. Duplex hujusmodi adultorum ordo statui potest, unus eorum qui Deum verum ex creaturis agnitum & sicut Deum glorificando coluerunt: hoc enim adultos quoslibet sive fide Christi, sive gratia potuisse, dogma fixum & veluti aliorum cardo est inter Pelagianos. Alter eorum qui nec Deum quidem verum agnoscendo, morum civiliter bonorum opera temporalis commodi fine metiuntur. Satis itaque certo videtur colligi primis illis vitam æternam, regnumque cœlorum propter meritum justitiæ quam naturæ lege fecerant, à Pelagianis promissam esse. Sic enim contra Pelagium loquitur Augustinus: *Evacuatur autem crux Christi, si aliquo modo præter illius Sacramentum ad justitiam, vitamque æternam perveniri posse dicatur quod in libro isto agitur*, nempe Pelagij, qui ut ex capite secundo colligitur, statuebat posse homines *credendo in Deum qui fecit cœlum & terram & rectè vivendo ejus implere voluntatem, nulla fide passionis Christi & resurrectionis imbutos*. Et Iulianus: *Sicut nemo præmia virtutis meretur nisi qui ad ea, post incarnationem tamen Christi sanctitatis ejus imitatione contenderit*. Vbi significat etjam ante incarnationem Christi per eos qui Christum non agnoverunt præmia virtutis esse promerita. Quæ vero ista præmia nisi vita æterna & regnum Dei? Nam inter eos qui sola natura duce Deum juste colerent, & qui Christi gratia, hoc est solo ejus exemplo justitiam pietatemque sequerentur, nullam Pelagiani statuunt differentiam. Ex quo Augustinus ibidem tanquam connexum colligit, etjam post incarnationem Christi, siquis aliorum exempla justorum intuendo rectè viveret, eadem illa præmia virtutis debere promereri, *Itane vero isti virtutis præmia non merentur?* Quod in eodem libro Iulianus clare docens: *Antequam*, inquit, *Verbum caro fieret, ex ea fide quæ in Deum erat, in Prophetis & in multis alijs sanctis fulsere virtutes: veniente autem temporum plenitudine exacta in Christo justitiæ norma resplenduit, & qui prædictus fuerat pater futuri seculi tam præcedentium Sanctorum quam etjam sequentium remunerator emicuit*. Quænam autem ista sit per Christum allata vel afferenda remuneratio pauló superius dicit: *Sui imitatione, qui erat virtutum forma & norma, correctis gloriam beatæ æternitatis indulsit*. Imò & ex lege sola fieri homines *benedictionis Abraham hæredes*, apertissime tradit, *nec ante legem, justitiam & fidem* (in verum Deum) *remunerationis suæ fructibus esse privatam; nec ad truncatas ferro carnes, sed ad illustres probitate mentes promissionis illius gloriam pertinere*. Quæ manifestè indicant eandem regni cœlorum remunerationem tam Ethnicis ex fide unius Dei rectè viventibus quam Christianis Pelagianos tribuisse. Major perplexitas est, quem locum secundi generis hominibus post hanc vitam struxerint. Vbi istud in primis certum est, si virtute civili sine cognitione Dei rectè viverent æternum ab eis supplicium damnationemque removisse. Indicat hoc non obscurè disputatio illa cum Iuliano, ubi cum Augustinus interrogando instaret: *An fortè isti qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babilonicam dilectionem, & virtute civili non vera sed verisimili dæmonibus vel humanæ gloriæ servierunt, Fabricijs videlicet & Regulis, & Scipionibus, & Camillis cæterisque talibus sicut infantibus qui sine baptismate moriuntur provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumque cœlorum; ubi non sint in miseria sed in beatitudine sempiterna?* Respondet Iulianus: *Erunt ergò in damnatione sempiterna in quibus erat vera justitia?* Quod quid est aliud, quam tanquam verum admittere quod Augustinus velut absurdum inferebat? Ideoque Augustinus admirans Pelagianæ vocis impudentiam; O vocem, inquit, impudentia majore præcipitem. Nec sanè mirum videri debet, eo absurditatis prorupisse Iulianum. Qui enim veram in istis hominibus justitiam fuisse putat, quid ni etjam justitiæ comitem felicitatem adjungat? Nam ut contra eosdem rectissimè dicit: *Natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est de vita æterna &c. Non enim injustus Deus, qui justos fraudat mercede justitiæ*. Vnde radices præcipitis illius erroris amputans, *non erat*, inquam, *in eis vera justitia*. Nec solum extra damnationem sed etjam in sempiterna quadam beatitudine tales adultos ab eis fuisse collocatos ex eadem Iuliani confessione videtur consequi. Quid enim potest aliud extra damnationem regnumque cœlorum superesse. Hoc enim & nihil aliud, est locus ille medius quietis atque felici-

Lib. de natura & gra. c. 7.
C. 2. ibid.
Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. fol. 350.
Ibid. f. 401.
Fol. 360.
Fol. 369. & 370.
Lib. 4. cont. Iul. c. 3.
Lib. de nat. & gratia c. 2.
Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Digitized by Google

felicitatis quem parvulis fabricarunt. Vbi enim nihil miseriæ sive damnationis est quid præter felicitatem fingi potest? Et quid felicitas nisi vita æterna? *Eam quippe vitam æternam dicimus ubi est sine fine felicitas.* Ita igitur non minus adultis sine fide veri Dei moralem justitiam ex naturæ lege servantibus, quam parvulis non baptizatis beatitudinem quandam extra damnationem ac regnum Dei, hoc est, vitam æternam tribuunt. Vbi enim non est æternæ mortis damnatio, quid nisi æternam vitam esse statuemus?

Lib. 6. de civit. Dei c. 12.

Sed una gravis hic difficultas nascitur, nam Iulianus paulò post ex alio pulsatus latere: *Ego*, inquit, *steriliter bonos dixi homines qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt non ab eo vitam consequuntur æternam.* Vbi apertè negat eos vitam æternam à Deo suis operibus promereri: eo quod steriliter bona sunt, atque ideò ut supra dixerat, *quæ ad temporalia diriguntur, præmij exilitate frustantur.* Duo sunt quæ ad hanc difficultatem responderi possunt. Primum quidem sui ipsius, doctrinæque suæ oblitum esse Iulianum. Hæreticis enim omnibus maximeque Iuliano frequens est, dum unum dogma tueri studet, in alio sectam suam lethaliter vulnerare. Vt ij qui latus unum conantur pugnando tegere, ictui in alio latere præbent locum. Non ergò consentaneè hoc dicendo Pelagianis principijs loquebatur. Quod vigilanter advertens statim etjam exprobrando in frontem ejus Augustinus illusit: *Iustus ergò Deus & bonus, bonos est in mortem missurus æternam? Piget iam dicere quam multa te sequantur insana talia sentientem, talia dicentem, talia scribentem* &c. Alterum fortasse melius dici potest notanter dixisse Iulianum, *non ab eo vitam consequuntur æternam,* velut præmium videlicet bonorum operum. Vita enim æterna quam Deus velut præmium bene operantibus reddit, nihil est aliud quam *regnum cœlorum* seu *regnum Dei*, quod nemini datur in præmium nisi qui propter Deum ipsum bene fuerit operatus. Vnde Augustinus quasi expenens quid per illam vitam æternam à Deo dandam intelligeret Iulianus, statim subijcit: *Quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere*, veluti merces scilicet talibus meritis reponenda. Nam vita æterna qualem parvulis adultisque moraliter bene viventibus pollicentur, non est præmium bonorum operum quæ fecerunt, sed dos quodammodo naturam consequens innocentium. Nulla enim æquitas videtur pati, ut innocentia naturalis morte damnetur. Hanc autem innocentiam cum Gentiles hujusmodi bene moraliter ex naturæ lege vivendo servasse statuantur, quid mirum si illis etjam in ista bona vita decedentibus æterna vita, sive æterna quædam felicitas non veluti præmium operum rependatur, quod non nisi in temporalium bonorum affluentia Iulianus collocat, sed velut donum innocenti bonæque naturæ consonum tribuatur.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3. versus finem.

Ibid. supra.

Quam sententiam videtur ab Origene paululum interpolando suxisse Iulianus. Nam ille ex professo docet, vitam æternam quam & regnum cœlorum vocat, *nullius esse, nisi qui credat in Christum renatusque fuerit ex aqua & spiritu.* Quod siquis tamē sive Iudæus, sive Græcus legem naturæ servando *justitiam teneat, misericordiam diligat, castitatem & continentiam servet, modestiam lenitatemque custodiat*, quas eadem serie virtutes tangit Iulianus, *atque omne bonum operetur bonorum operum gloriam, & honorem & pacem perire non posse.* Hoc tantum inter illos discrimen video, quod Origenes fidem saltem unius Dei postulet, Iulianus etjam sine fide Dei felicitatem illam suam pro Pelagiana liberalitate largiatur. Illis enim qui cum fide unius Dei propter ipsum, bona quæ fecerint operantur, etjam *vitam à Deo æternam consequi*, hoc est, intrare in regnum Dei seu regnum cœlorum ut supra dictum est fusius, arbitratur.

Lib. 2. in c. 2. ad Rom.

FINIS.

CORNELII

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE HÆRESI PELAGIANA
LIBER QVARTVS.
Quo continentur dogmata ad vires naturales benè vivendi ſpectantia.

PRÆFATIO.

HACTENVS eas qualitates & conditiones hominis lapſi conſideravimus, cum quibus naſcitur in hoc ſeculo, & quæ ad naturam ejus videntur quodammodò pertinere. Nunc ad ea tranſeundum eſt, quæ operationes ejus ſpectant ſive bonas ſive malas.

Vbi primò quidem diſquirendum occurrit, quid Pelagiani de libero arbitrio ſentiant, ſine quo nec benè nec malè vivi poteſt: ſed quia latè ſententiam eorum ſuperius expoſuimus, cùm de primi hominis libertate tractaremus, nihil addi opus fuerit, cùm idem omninò de poſterorum quoque viribus ac libertate ſit judicium, utpote quam inſeparabilem eſſe ab humana natura nulloque peccato amitti poſſe decernunt. Hoc autem eos de illa intelligere libertate contrarietatis, hoc eſt, de indifferentia ad bonum & malum, ſive de poteſtate peccandi & bene vivendi, vitij virtutiſq; ſectandæ. Et quantopere neceſſitatem omnem ſeu determinationem ad unam dumtaxat iſtius contrarietatis partem quam coactionem dicunt horreant: quas liberi arbitrij vires ſupra omnes animi motus ſtatuant generaliter demonſtravimus. Nunc alia nonnulla magis particulatim de peccato & bonis operibus & utrorumque principijs adjuvantibus tam internis quam externis indaganda ſunt, in his enim propriè hæreſis Pelagiana conſiſtit.

Quid peccatum.

CAPVT PRIMVM.

MAGNVS Auguſtino cum Iuliano omnibuſque Pelagianis atque acerrimus fuit de natura peccati ac definitione conflictus. Definiuerat illud olim Auguſtinus, cùm ante ortam hæreſim Pelagianam contra Manichæos primam originem inveſtigaret mali, *eſſe, voluntatem retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat & unde liberum eſt abſtinere.* Arripuit hanc peccati deſcri- A ptionem avidiſſime Iulianus, ac velut machinam invictam tuitus eſt, qua peccatum omne, ut ab Auguſtino aſſerebatur, everteret. *O lucens aurum in ſtercore!* inquit ille impudens, *quid verius, quid plenius dici à quoquam vel orthodoxo potuiſſet?*

Lib de duabus animab. c. 11.

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. ſ. 37.

Porrò tota hæc definitio, ſicut eam Pelagiani intelligunt, in illa pleniſſima humani arbitrij indifferentia ad bonum & malum quam

Digitized by Google

quam ipsi libertatem vocant, inculcanda versatur: usque adeo ut nisi ipso illo momento, quo movetur animus ad retinendum aliquid quod jam habet, aut consequendum quod non habet, sit liber, hoc est, indifferens ut abstineat ab illo animi motu, nullo modo peccatum imo nec voluntas, hoc est volitio esse possit. Voluntas enim, hoc est volitio secundum Iulianum, nihil est aliud nisi *motus animi in iure suo habentis utrum sinisterior ad prava decurrat, an dexterior ad celsa contendat.* Quod ita essentialiter volitioni vult competere ut subdat postea: nec est prorsus voluntas, antequam velit, nec potest velle antequam potuerit & nolle. Ex quo fit ut per illam solam particulam *voluntas*, idem plane significari velit quod per illam ultimam, *unde liberum est abstinere.* Itaque reddens eandem definitionem proprijs verbis, *peccatum*, inquit, *nihil est aliud praeter voluntatem excedentem ab eo calle cui debet insistere, & unde liberum est non deficere.* Quam ultimam partem exponendo subiungit: *Et nusquam est, nisi in eo homine qui & habuit voluntatem malam, & potuit non habere.* Plus tamen intelligit, quam dicit. Vult enim non tantum posse non habere illam voluntatem malam, sed etjam eodem momento haberi posse bonam. Nec mirum, cum ille qui voluntariè abstinet à voluntate mala jam illo ipso habeat voluntatem bonam. Hoc enim est quod supra dixerat, in jure voluntatis esse positum, *utrum sinisterior ad prava decurrat, an dexterior ad celsa contendat.* Itemque quod adjunxerat, *nec potest velle, antequam potuerit & nolle.* Vnde alio in loco definitivam edens sententiam docet *non esse libertatem, si non suppetit facultas eligendi boni & cavendi mali.* Et sine ullis ambagibus aut ambiguitatis cujusquam fuco: *Nos dicimus quod ab initio usque in finem sine aliquo naturalium coactu voluntas & ante baptisma in unoquoque delinquit, qua illo ipso tempore quo peccat, potestatem habet recedere a malo & facere bonum* VT CONSTET RATIO LIBERTATIS. De qua indifferentia essentialiter ad libertatem in Pelagianorum opinione requisita plura diximus cum de primi hominis libertate tractaremus. Hoc enim Philosophicum dogma basis est totius doctrinæ Pelagianæ. Vnde in summam colligens quæ de peccati definitione dixerat: *Si nullum est sine voluntate peccatum, si nulla voluntas, ubi non est explicata libertas, si non est libertas ubi non est facultas per rationem electionis* &c. Vtriusvis scilicet partis sive boni sive mali.

Ibid. f. 38. — *Fol. 39.* — *Lib. 2. operis imperf. f. 428.* — *Lib 1. operis imperf. f. 146* — *Lib. 1. operis imperf. f. 43.*

Ex ista peccati descriptione duo consectanea tamquam certissima colligit Iulianus. Primum, nullam prorsus esse vel esse posse peccandi necessitatem seu arbitrij captivitatem ad unam partem utpote quæ ex diametro libertati arbitrij, atque isti ad bonum & malum indifferentiæ adversetur. *Cum apud iustitiam*, inquit, *causa agitur voluntatis, non pronunciatur rea quæ aliud velle non potuit*, nempe bonum. Et iterum: *In necessitatis asylo collocatos non potest male convincere voluntatis*: quod per oppositum magis illustrando, subjungit: *Rea voluntas convincitur peccatoris, quæ potuit utique tam bonum velle, quam malum voluit.* Et alio in loco: *Sin autem* (arbitrium) *liberum ante ad bonum non fuit, & factum est post lapsum ita liberum ut malum facere non possit, nunquam quidem ei adfuit arbitrij libertas, & probatur sine reatu antea peccasse, & postea sine cura sanctitatis gloriam possidere. Quo collecto convinceris infirmasse dogmata tua, ut promittas te liberum arbitrium non negare, quod ante mali postea boni necessitate subvertis.* Ex quibus satiatissime, ut arbitror, liquet, & pluribus si opus esset liquere posset Pelagianos essentialem omni peccato statuere illam indifferentiam arbitrij ad malum & bonum, idque ideò quia essentialis est libertati, sine qua neque peccatum neque ipsa voluntas sive volitio esse aut cogitari potest: Atque hoc esse quod in peccati definitione dicunt, *unde liberum est abstinere.*

Ibid. f. 158. — *Ibid. f. 53.*

Alterum quod ex illa peccati ratione colligunt ex priore sequitur non posse per justitiam peccatum homini imputari nisi illo quo dictum est modo sit liberum. *Quæ definitio*, ait Iulianus *ad intelligendam quoque iustitiam Dei aperuit viam, ut cognoscerem æquitatem divinam nentiquam stare si diceretur, nisi illud imputasset unde liberum fuisset ei qui propter hoc arguitur, abstinere*: quod sæpissime in ijsdem libris replicatur. Vnde utrumque definitionis suæ corollarium una sententiæ complexione conjungit: *Nam si non imputat iustitia, nisi unde liberum est abstinere, & ante baptisma necessitas mali est, quoniam voluntas sicut dixisti ad faciendum bonum non est libera per quæ hoc aliud agere non potest, nisi malum ab infamia mali ipsa quam patitur necessitate defenditur, quoniam apud eam iustitiam gravari operibus suis non potest, quæ non imputat malum nisi unde liberum est abstinere.* Et quibus verbis etjam luculentius id elucet quod supra monstravimus, per *mali necessitatem* apud Pelagianos nihil aliud intelligi nisi talem arbitrij determinationem ad malum, ut non adsit ei potestas faciendi boni: per quam uti putant, libertatem opprimi atque tolli, ita & peccatum penitus evanescere.

Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 285. — *Lib. 1. f. 154*

Hinc est quod *fractam esse libertatem* clament, si illa bicornis auferatur indifferentia ad bonum & malum. Hinc *eversam* adeoque *mancam* esse libertatem quasi altero pede claudicantem, si *non sit ei possibile tantummodo malum facere; non hoc habeat in facultate, electionem partis alterius, id est recedere à malo & facere bonum, sed iniquitatis necessitate depressa appetentia criminum parere compellatur.* Hinc est quod si talis ingruat peccandi necessitas, *naturalia* conquerantur *fieri quæ fuerant voluntaria.*

Lib. 1. operis imperf. f. 310 — *Ibid. & lib. 1. f. 147.* — *Lib. 1. f. 309* — *Ibid.*

Ex quibus facilè est intelligere, eandem indifferentiæ libertatem ad voluntatem etjam bonam & opus bonum, esse prorsus necessariam. Cùm enim & illa omninò voluntas sit, necesse est etjam *ut sit motus animi in iure suo habentis, utrum sinisterior ad prava decurrat an dexterior ad celsa contendat*, quam voluntatis esse apud Pelagianos definitionem supra dictum est. Necesse est ut in illa quoque locum habeat quod Iulianus dicit: *Non potest velle antequam potue-*

Vide supra.

potuerit & nolle. Vnde ne quid de illa ſcrupuli remaneret ſine ullo diſcrimine de utraque voluntate pronunciat: *Quod, arbitrium liberum, ante mali, poſtea boni neceſſitate ſubvertis.* Indicans eadem penitus ratione uti mali neceſſitate rationem peccati, ita boni neceſſitate boni operis rationem extingui. Nam iſti indifferentiæ ad bonum ſimul & malū æquè capitaliter alterutrius partis neceſſitas inimica eſt; quod ſignificat Iulian. quando dicit non ita *gratiam operari ut fabricetur quæ fuerat adjutorij diſtincta libertas ut aliquando ea excluſa vel boni vel mali cuiquam neceſſitas credatur incumbere, verum ut arbitrio libero omne adiutorium cooperetur.* Et quādo alio in loco clamat: *Poſſibilitas eſt ad hoc ſolum excubans ne homo vel in peccatum a quoquam impellatur, vel a peccato abſtrahatur voluntate captiva, quam non poſſe capi ſi dedi ipſa noluerit, teſtatur fortitudo* &c. Quod alibi efficaciſſimè breviſſimeque expreſſit: *Quod captivum eſt liberum non eſt, quod liberum eſt, captivum non eſt.* Nam *captivum*, hoc eſt ad unam partem boni vel mali eſſe neceſſitatum ſive determinatum, ita ut non poſſit contrarium, vult eſſe contradictorium liberi: *duo, quæ iungis,* inquit idem Iulianus, *liberum & non liberum, id eſt liberum & captivum, illi quidem rei de qua agimus* (id eſt libero arbitrio) *convenire non poſſunt. Tibi vero ſtultitiam ſingularem impudentiam novam, imperat. in veterem adeſſe teſtantur.*

Lib. 1. oper. imperf. f. 53.
Lib. 1. oper. imperf. circa Init. f. 140.
Ibid. f. 121.
Fol. 123.
Fol. 124.

Ex quibus jam facilè eſt intelligere cur tantopere Pelagiani divinæ gratiæ neceſſitatem horruerint, ad volendum atque operandum bonum. Duas namque iſtius rei cauſas invenio, de quibus latius alibi diſſerendum erit. Vna eſt gratiæ illius *abſentia*, nam cum illa gratia Dei à liberrima donantis voluntate pendere doceretur, paucisque concedi, atque ita tamen eſſe neceſſaria ut ſine illa nihil penitus appeti vel agi poſſet boni neceſſario conſequi videretur, altera illius bicornis indifferentiæ parte ſublata, ſolam ſupereſſe in homine qui caret gratia neceſſitatem mali. Quem Pelagianorum ſenſum nonnulla loca quæ jam jam allegavimus, ſine ulla ambiguitate declarant & ſæpius Iulianus in libro primo operis imperfecti adverſus Auguſtinum ſtomachatur. Altera eſt gratiæ illius *præſentia* præſertim ſi voluntatem nolentem obſtinatamque præveniat: hæc ſiquidem præ cæteris omnibus Pelagianam torquet ſuperbiam, videtur enim apertè ſequi, hominem invitum ad bonum cogi, hoc eſt, determinari, captivari, neceſſitari, ſi nolentem gratia voluntatem impellat ad bonum. Quid enim eſt aliud cogi, niſi ad aliquid faciendum ab alio inclinari reluctante voluntate? Vnde ex oppoſito capite libertas tollitur, quia ſi ſic ad bonum voluntas à Deo per gratiam cogitur & impellitur, jam nulla ſupereſt in illo momento indifferentia ad faciendum aut volendum malum, quia voluntas ponitur per gratiam determinata ad bonum. Sed de utroque capite infra fuſius, hic enim annotaſſe ſufficit.

Nulla peccandi infirmitas in homine.

CAPVT SECVNDVM.

QVÆ cùm ita generaliter ſtatuant Pelagiani de iſta indifferenti ad peccandum & non peccandum libertate, dubitari non immerito poteſt quid de peccandi facilitate atque pronitate, quam infirmitatem dicimus, ſeu benè agendi difficultatem ſentiant.

Iam ſuprà diximus cùm de ignorantia tractaremus, Pelagianos Auguſtino teſte docuiſſe *ignorantiam & difficultatem, ſine quibus nullus homo naſcitur primordia non ſupplicia eſſe naturæ.* Quod non ita intelligendum eſt quaſi ſignificare voluiſſent aliquam ex ipſa natura benevivendi difficultatem inſeri vel adnaſci ignorantiam, per quam in peccatum præcipitaremur, ſed tantummodò ipſas concupiſcentias atque paſſiones & ignorantias parvulorum, ex quibus ſecundum Catholicos benevivendi difficultas & peccandi pronitas oritur ſic eſſe naturales, ut tamen nullam bene vivendi difficultatem afferant. Verba namque quæ citavimus non Pelagij ſunt vel diſcipulorum ejus, ſed Auguſtini. Magno enim vaniloquio loquacitas Pelagiana contendit, laudabilem illam naturam hominis nihil in ſe prorſus continere, quo præcipitemur in malum, vel quod ſpiritui repugnando ab aſcendendo virtutum omnium culmine remoretur. Audi Pelagium invicta ut putat hoc ratiocinatione colligentem: *Quis fecit homini ſpiritum? ſine dubio Deus. Carnem quis creavit? Idem credo Deus. Bonum eſt quod utrumque creavit Deus? Nulli dubium eſt. Et utrumque quod bonus author creavit bonum eſt? Confitendum eſt. Si igitur & ſpiritus bonus & caro bona, ut a bono autore condita, qui fieri poteſt, ut duo bona poſſint ſibi eſſe contraria?* Ecce ſublatam radicem omnis difficultatis, contrarietatem carnis & ſpiritus, qua remota, quid homini arduum eſſe poſſit, cum quicquid agendum ſibi propoſuerit ſolo id voluntatis nutu fiat? Nihil enim ſpiritui bonum volenti contrarium eſt, quo reluctante ſeu in malum impellente non fiat. Vnde Pelagius in Epiſtola ad Demetriadem: *Ab hac eam* (naturam) *tantummodo iniuria vindicamus ne eius vitio ad malum videamur impelli.* Tātam enim ſtatuit ſubinde naturæ integritatem & ad bene vivendum facilitatem antequam conſuetudinum perverſarum pondere degravetur, ut eam *teſte Auguſtino* cum peccandi facilitate æqua lance perpenderet. Quo ſanè ſenſu illam ſecularis authoris vocem: *falſo queritur de natura ſua genus humanum,*

toto

Lib. de bono perſev. c. 11.
Apud Aug. lib. de anima & gratia c. 54.
Epiſt. 106. ad Paulin. verſus fin.
Saluſt. in prolog. Iugurtino.

Digitized by

Lib. de nat. & gratia. toto libro quem refellit Augustinus, quantis potuit disputandi viribus exaggeravit, hinc illæ cōmunissimæ contra Catholicos invectivę quod *in natura invidiam conversationis sordes refunderent.* *Lib 3. cont. Iul. c. ult.* *Quod delectaret eos causari imbecillitatem naturæ dicere carnem congenitis obnoxiam esse peccatis nec in voluntate hominis emendationis effectum locare.* *Lib. 2. cont. Iul. oper. imperf. f. 214* *Celest. lib. de perfect. Iust. c. 6.* Sola enim voluntate facilè hoc fieri posse dicunt, cum *perfacile voluntas possit voluntate mutari.* Nam si pœna cuipiam ostenderetur aut gloria, aut contra, incommodum, aut voluptas quorum acerbiore sensu animus inhorresceret, aut leviore mulceretur, hoc non tam vehementem impulsum, aut necessitatem partis alterius, quam *occasionem* dumtaxat esse volunt qua pro nutu suo in quamcumque placuerit partem voluntas utatur. *Iul. lib. 1. oper. imperf. f. 36.* Hoc enim vult illud *occasionis*, vocabulum, quod lubentissime usurpare Pelagiani solent. Vnde contra istam Pelagianam superbiam Augustinus: *Sed tu tam quam in cœlestiam inter Angelos immortaliter habitans verba infirmitatis & mortalitatis irrides.* *Lib. 6. cont. Iul. c. 13.*

Peccandi infirmitas non potest infligi à Deo in pœnam præcedentis peccati.

CAPVT TERTIVM.

NEQVE verò tantùm nullam peccandi infirmitatem homini insertam esse, sed neque veluti pœnam peccati præcedentis à Deo infligi posse, contendunt. *Lib. de nat. & grat. c. 26* Nam *medicus*, inquit Pelagius, *ad curandum iam vulneratum paratus esse debet; non debet autem ut sanus vulneretur optare.* Addit, *Ibid. c. 21.* *non debuisse hanc ægritudinem contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati, ut committerentur plura peccata.* Nam quod valde absurdū videtur, sequeretur, *Cap. 22.* *materiam peccati esse vindictam si ad hoc peccator infirmatus est ut plura peccaret.* Sed longius multo pergit discipulus ejus Iulianus. Nam de libidine differens, quæ inter concupiscentias peccandique ægritudines non postrema est, eam etjam laudabilem fore putat velut ultricem sceleris, ac ministram Dei, si iniquitatem veluti pœna consecuta crederetur. *Lib. 5. cont. Iul. c. 4.* *Iusta libido*, ait error ille, *& laudis præconio prædicanda, si eum qui Deo non obedivit, illi non obediendo* (hoc est sua contra voluntatem aut spiritum rebellione) *punivit.* Et paulò post: *Ibid.* *quia nihil ea potest laudabilius æstimari, si iniquitate ulta commissa est* (*iniquitatem ulta commissam*, legendum puto.) *Ibid. c. 3.* *Si vindicavit iniuriam Dei & quia ita consortium peccati non habuit ut officium vindicantis assumeret.* Et quia pudicitia contra istam infirmitatis plagam dimicat, sic arguendo inferebat: *Si libido pœna peccati est abjiciendam esse pudicitiam ne rebellionem in eum castitas illatam ab eo dicatur enervare sententiam.* Qua subtilitate, pistillo videlicet obtusiore, dicit alibi: *Lib. 6. cont. Iul. c. 20.* *Si res quæ decenter ordinata est, ad Deum pertinet, & res quæ ad Deum pertinet bona est, bonum est itaque subditum esse diabolo quoniam institutus à Deo per hoc ordo servatur; sequiturque ut malum sit rebellare diabolo quoniam per resultationem institutus à Deo ordo turbatur.* Quæ verba eo tendunt, ut probet neque diabolo neque libidini esse resistendum si Deo ordinante atque puniente peccatum, homo dæmoni atque libibini veluti pœnæ divinitus inflictæ subditus nascitur. Ne verò sine gravi causa negasse viderentur peccandi infirmitatem esse posse peccati pœnam fundamentum hujus opinionis Pelagius protulit: *Lib. de nat. & grat. c. 19.* *Primò*, inquit, *de eo disputandum est quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura. Vnde ante omnia quærendum puto, quid sit peccatum, substantia aliqua, an omninò substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur.* Deinde adjungit: *Credo ita est. Et si ita est quomodo potuit humanam debilitare vel immutare naturam, quod substantia caret?*

Malæ consuetudines difficultatem benè vivendi afferunt.

CAPVT QVARTVM.

QVÆ quamquam ita generaliter Pelagiani statuant, unanimi tamen consensu jam inde ab initio hæresis usque in finem docuerunt, malorum hominum imitatione & actuum frequentatione malas consuetudines contrahi, quæ animo ita firmiter inhærerent, ut etjam secunda natura vocarentur. Has esse solas quæ voluntati bonæ resisterent; *Epist. ad Demet.* *Neque verò*, ait Pelagius, *alia nobis causa difficultatem benefaciendi facit, quam longa consuetudo vitiorum, quæ nos infecit à parvo, paulatimque per multos corrupit annos, & ita postea obligatos sibi & addictos tenet ut vim quodammodo videatur habere naturæ. Omne illud tempus, quo negligenter edocti, id est, ad vitia eruditi sumus &c. Nunc nobis resistit, contraque nos venit & novam voluntatem impugnat usus vetus.* Et post ipsum Iulianus: *Ille enim in membris legem per flagitiorum usum Sanctis consilijs inter principia tamen emendationis rebellem consuetudinem malam vocabat, quam ab eruditis etiam seculi dici soles esse secundam naturam.* *Lib. 1. oper. imperf. f. 94.* Nempe propter inhærendi infirmitatem, propter

propter quam generaliter de omni affectionali qualitate, quo nomine & consuetudo comprehenditur, definit idem Iulianus, eam ex

Lib. 6. cont. Iul. c. 18.

materibus ortam caussis ita inhærescere, ut aut magnis molitionibus, aut nullis omnino separetur. Hinc maximas bene vivendi difficultates nasci, cum vel sobrij tantisper essent à Pelagiana vertigine, vel premerent acrius ingenue fatebantur. Nam Pelagius confitetur:

In Epist. ad Demet. cit.

Humana rationi vel- ut quandam caliginem longo usu peccandi obduci. Confitetur per eum

Ibid.

bonum naturæ quodammodo obrui. Confitetur hominem

Pelag. lib. de lib. arb. apud Aug. lib. de grat. Christi c. 39.

nimia vitiorum consuetudine velut quadam teneri necessitate peccandi, & quamvis bonum appeteret voluntate, usu tamen præcipitari in malum. Confitetur in plenitudine temporis

In Comment. c. 4. ad Gall. num. 3.

neminem potuisse legem per malam consuetudinem custodire. Confitetur hoc sensu nos esse *natura filios iræ*, quia, *ita nos fraterna traditionis consuetudo possederat, ut omnes ad damnationem nasci videremur.*

In Comment. c. 2. ad Ephes. num. 8.

Et sanè quid aliud sibi vult secunda natura, quod consuetudini nomen uterque Pelagius & Iulianus tribuunt nisi tam pertinacem esse consuetudinis contra voluntatis impetus resistentiam, quasi naturæ ipsius cardines convellere ac transferre niteretur? Quam doctrinam eorum intuebatur Augustinus, quando retorquens eorum tela dicit ipsos Pelagianos quandam peccandi infirmitatem imò necessitatem inducere, adeoque liberum bene vivendi arbitrium tollere.

Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 156.

Sed vos inquit, *ista peccata* (consuetudinis) *ex illis venire peccatis quæ nulla necessitate commissa sunt in illo saltem conceditis qui dicit, quod nolo malum hoc ago. Qui enim ut istam patiatur necessitatem non nisi peccandi consuetudine premitur, procul dubio priusquam peccaret nondum necessitate consuetudinis premebatur. Ac per hoc etiam secundum vos peccandi necessitas unde abstinere liberum non est illius peccati pœna est, à quo abstinere liberum fuit quando nullum pondus necessitatis urgebat.* Ex libro secundo operis imperfecti:

Fol. 222.

Sed & tu cum dicere soleas in his Apostolicis verbis violentiam malæ consuetudinis exprimi, quid est quod modo dicere voluisti &c. cum videas quam sit voluntas ei infirma qui dicit, non quod volo ago. Istum saltem quæso permittite divinum poscere auxilium in quo deficisse cernitur suæ voluntatis arbitrium. Ex quibus liquidò apparet, quam splendidè sibi ipsis contradixerint Pelagiani, in asserendis peccatis consuetudinis ejusque superandæ difficultate. Tria enim sua simul dogmata uno ictu subruunt, quibus docent, primò nullam esse peccandi infirmitatem multoque minus necessitatem; Deinde, eam præcedentis peccati esse non posse supplicium; Denique semper liberum remanere arbitrium quo quælibet peccata superentur. Notavit & alibi hanc dogmatum suorum suffocationem Augustinus:

Lib. 2. oper. imperf. f. 245

Nam ubi malæ consuetudinis voces esse contendis, atque ita voces vestri dogmatis suffocatis, dic, si audes, quemodo voluntati hominis liberum sit abstinere a malo ubi audis non quod volo ago. Aut nega malum, ubi audis, non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Et alio in loco:

Lib. 2 f. 2

Si propter malam consuetudinem, sicut sapitis, clamat homo, non quod volo bonum, facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: certè vel in isto fatemini humanam voluntatem vires bonorum operum perdidisse. Cui nisi divina gratia subveniat adjutorium quid ei prodest copiosum & ornatum cujuslibet exhortantis eloquium. Sed in istas angustias præcipitati sunt, dum clarissimæ veritatis lumen fugiendo fateri nolunt, in illo Apostoli loco, *scio quia non habitat in carne mea bonum*, totoque illo disputationis contextu significari concupiscentias aliquas malas, sive libidines, veluti pœnam à Parentibus tractam in membris delitescere quæ militent adversus animam, ac spiritui resistendo prælium suscitent, contra quos Christianus miles invocet Salvatoris auxilium ut liberetur à corpore mortis hujus. Totum enim errorem suum Pelagianum hac unica confessione jugulassent, ut Augustinum libro secundo contra Iulianum notasse jam supra diximus. c. 3.

Vnum peccatum non est pœna alterius, & quomodo Deus tradat hominem desiderijs suis.

CAPVT QVINTVM.

QVÆ sanè Antilogia Pelagianorum qua peccandi necessitatem ex consuetudine venientem illius peccati pœnam esse confitentur à quo abstinere liberum fuit quando nullum pondus necessitatis urgebat eo notabilior est, quod magno argumentorũ strepitu contendere soleant ad dirumpendos originalis peccati laqueos, falsissimam esse doctrinam Catholicorum, qua ex scripturis docent, unum peccatum divino judicio sæpè alterius esse supplicium sive damnandi prædestinati sint, in quibus ita vindicat Deus propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam superbiam judicandi & erudiendi, si filij sint misericordiæ. Sic enim contra Pelagianorum fastum dicimus, necessarium fuisse homini ad auferendum superbiæ vel gloriæ occasionem, ut absq; peccato esse non possit.

Lib. de nat. & grat. c. 27

Absurdissimum, inquit Augustinus, *& stultissimum putat peccatum fuisse necessarium, ne peccatum esset,* hoc enim perinde esset ac si diceretur, *necesse est peccare ne pecces.*

Ibid. c. 28.

Nam & ipsa superbia sine dubitatione peccatum est, imò verò, inquit Pelagius, *tam peccare superbire est quàm superbire peccare.*

c. 29.

Quod Pelagius ita probat: *Omne peccatum, nisi fallor, Dei contemptus est & omnis Dei contemptus superbia est. Quid enim tam superbum quam Deum contemnere? Omne ergo peccatum & superbia est, etiam Scriptura dicente, initium omnis peccati superbia est.* Adhibet & similitudinem ad demonstrandam absurditatis magnitudinem: *quid*

Digitized by Google

amplius dicam nisi quia potest credi, quod ignes ignibus extinguatur, si credi potest, quod peccatu peccata curentur.

Tribus vero potissimum argumentis nititur ut istam veritatem expugnet. Primum est, quia, *nullum malum boni alicuius est causa.* [Lib. de nat. & gratia c. 24.] Alterum, *quia Deus omnia potest sanare.* Tertium [Ibid. c. 27.] quia non potest humilis homo fieri propter peccatum quod ipse non facit. Quod Pelagius [Ibid. c. 30.] his verbis exequitur: *quomodo Deo pro illius peccati reatu subditus esse poterit, quod suum non esse cognoverit? suum enim non est, si necessarium est,* nempe per Dei vindictam illatum. Aut si suum est, voluntarium est, & si voluntarium, vitari potest.

Sed apertissimus ille Apostoli locus, quo toties dicit inculcatque vehementissime, [Rom. 1.] *propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam: propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Tradidit illos Deus in reprobum sensum;* magnopere oculos eorum feriebat, pertinaciamque terrebat. Quem propterea multis modis eludere ac detorquere studuerunt. Nam Iulianus primo ea voluit hyperbolice esse dicta; [Lib. 5. cont. Iul. c. 3.] *Cum invehiretur,* inquit, *in impiorum crimina, pœnarum ea nominibus aggravavit, quantumque pectori suo virtutum omnium domicilio turpitudo horreret ostendens, non tam reos quam damnatos sibi tales ait videri.* Probans autem nullam hic intelligi posse veram traditionem: [Ibid.] *Iam enim,* inquit, *flagitiorum desiderijs æstuabant. Qui non de ergo per potentiam tradentis Dei putandi sunt in tal a facta cecidisse.* Deinde verum etiam traditionis modum ex officina Pelagiana proferens subiungit postea: [Ibid.] *Cum desiderijs suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi.* Hoc est ut Augustinus infra videtur exponere, [Ibid. c. 4.] *Deum non tradit ut mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo cum fiunt.* Ad hoc enim afferebat illud Apostoli; [Ibid. c. 4. initio.] *Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit,* quasi diceret, hæc ipsa bonitas Dei & patientia qua tradit hominem desiderijs nolendo peccatorem huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtrahere, non modo non est peccati pœna, sed potius beneficium quo ad pœnitentiam adducatur. Quem esse Iuliani sensum clarius ex libris operis imperfecti colligas: ubi cum eundem Apostoli locum adduxisset per bonitatem Dei illam ipsam patientiam ac longanimitatem intelligit, [Lib. 1. oper. imperf. c. 83.] *quæ exercetur cum non exiguo,* inquit, *tempore expectatur humana conversio.*

Eundem traditionis modum, quo *per longanimitatem & patientiam non inducendo vindictam patitur eos Deus secundum cordis sui agere voluntatem.* [In Comment. c. 1. ad Rom. nu. 60. & 67] Iuliano præformavit Pelagius, & aliquoties in expositione illius Apostolici contextus inculcat. Quod *facit,* inquit, *volens eos ad pœnitentiam converti.* Quamquam & alium traditionis modum Pelagius in iisdem Commentarijs designaverit ac protulerit. [Ibid. n. 60.] *Tradere,* ait ille, *in Scripturis dicitur Deus, cum non retinet delinquentem propter arbitrij libertatem, sicut in Psalmo dicit: Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Quod alio in loco clarius exprimit, nam ut exponeret quo pacto det spiritum compunctionis Deus, Deum dicit ex usu Scripturarum *tradere aut dare, propterea quia ipse est qui dedit libertatem:* [In c. 11. ad Rom.] quam scilicet non à peccatis retinendo nec peccatorem vitæ successione sceleribus subtrahendo peccare permittit. Nullum ergo judicium Dei in hujusmodi traditione vel datione spiritus compunctionis agnoscunt: nec alio fere hoc modo fieri putant quam quo dat etjam spiritum fidei, libertatem videlicet ad utrumque largiendo. Nam Pelagius cum dixisset: *Dei ergo dare,* spiritum compunctionis, *permittere est,* mox subjungit, *nam si voluissent spiritum fidei accepissent.* [In c. 11. Rom. n. 17.] Et paulo post cum Deum tradere dixisset, *quia libertatem dedit,* quæ nempe suo se arbitrio flecteret in quamcumque partem videretur, adjicit etjam pro utraque: *Hæc non facit eius patientia quia non statim peccantibus infert vindictam, nec bonis præmium.*

Ex quibus jam facile intelligas quid sibi velit Iulianus quando Deum dicit *tradere deserendo.* [Lib. 5. cont. Iul. c. 3.] Non enim intelligit phrasim illam ut Catholici solent, quasi Deus gratiam suam subtrahendo, diabolum immittendo, alijsque occultis ac mirabilibus modis ex profundo judicio potentiaque venientibus peccatores ita suis desiderijs traderet ut fiant eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum; sed hoc dumtaxat quod eos trudat sinendo libertatem datam sine retinaculo, sine pœna perpetrare quidlibet quasi hominem deseruisset Deus: non bonitatem aliquam subtrahendo sed potius longanimitatem largiendo quâ delinquentes ad pœnitentiam præstolatur. Hęc enim omnino principia Pelagiana postulant: quæ sicut hominis arbitrio nihil à Deo veræ internæque gratiæ immittit statuunt ita nec deserendo subtrahi, sed irretentam solummodo impunitamque libertatem Deo longanimiter expectante pro sua indifferentia huc illuc volvi atque revolvi. Hoc est enim quod Pelagianam illam subtilitatem irridendo dicit Augustinus: [Lib. 5. cont. Iul. c. 4.] *Quis vero ita desipiat, ut cum audierit quod in Psalmo canitur; ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori:* [Psal. 139.] *hoc dicat orasse hominem ne Deus sit patiens erga illum, si Deus non tradit ut mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo cum fiunt?*

Sed quantalibet cæcitate & pervicacia Iulianus adversus veritatē niteretur, subinde tamen tenebris ejus, veluti fulgure intermicante, vel invitus vel imprudens ad ejus confessionem impulsus est. Nam quodam loco laudat altitudinem sapientiæ & scientiæ Dei, [Lib. 5. cont. Iul. c. 6.] *qui extra futuram operum retributionem ex multa parte liberum arbitrium formam voluit implere iudicij. Iustissime enim cum sibi bonus homo malusque committitur, ut & bonus se fruatur* utique in opere bono, *& malus seipse patiatur* utique in opere malo. *Quod profecto illi & peccatum est, quia malum facit, & pœna peccati quia malum se patitur,* [Ibid.] ut notat August. Quod clarius professus est ipse Iulianus alio in libro cum dicit: *Invidia protinus ipsū de quo oritur* [Lib. 6. c. 1.] *vexat*

Digitized by Google

vexat authorem. Et cum dissensionem populi Romani quæ libero arbitrio facta fuerat insultabundus vocat *ultionem Dei.* De quibus tam luculentis antilogiis Augustinus; *An tandem aliquando concedis quod existimatissima continentione negaveras, occulto Dei iudicio fieri ut in ipsis hominum voluntatibus inveniatur aliquid quod & peccatum sit, & pœna peccati? hoc enim nisi in ista tua sententia sapuisse, nullo modo factum hominum ultionem Dei esse dixisses.* Et alibi: *Meministi me quamdiu disputaverim contra lucidissimam quæ per Apostolum depromta est veritatem, affirmans nullo modo esse posse aliquid, quod & peccatum sit & pœna peccati? Quid est ergo nunc quod blatis tanta loquacitatis tuæ &c.* nempe Hæretici dum arma sua vana & obtusa jactanter ventilant, quà feriantur, nudare solent, & seipsos, dum alios territant, graviter vulnerare.

c. 12. Ibid. Lib. 5 c. 6.

De virtute & operibus bonis.

CAPUT SEXTUM.

SED sicut in peccati intelligentia, ita & in explicatione virtutis ac boni operis novam doctrinam secuti sunt Pelagiani. Quæ ut intelligatur observandum est in omnibus fere bonis operibus maxime externis duo posse distingui, officium & finem. Officium est id quod agitur, ut vestire nudum, pascere pauperem, concupiscentiam continere, & similia quæ esse videntur bona: Finis, id propter quod agitur. Pelagiani igitur bonum opus esse statuunt officium nudum per se consideratum, & ab omni finis intentione sejunctum, ex cujus appositione volunt fieri ut homo vel temporale præmium vel æternum in cœlo consequatur, prout in creaturam aliquam vel creatorem veluti finem opere suo collimaverit. Hoc dicebant esse *fructuose bonum,* illud *steriliter.* Quapropter Augustinus de Iuliano: *Quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellanda esse dixisti.* Sed ipsum audiamus diserte hoc explicantem Iulianum: *Cunctarum,* inquit, *origo virtutum in rationabili animo sita est & affectus omnes per quos aut fructuose aut steriliter boni sumus, in subiecto sunt mentis nostræ prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis cum insit omnibus naturaliter, non tamen ad unum finem in omnibus properat, sed pro iudicio voluntatis cuius nutui serviunt, aut ad æterna aut ad temporalia diriguntur. Quod cum fit, non in eo quod sunt* (nempe virtutes, seu affectus virtuosi ac boni) *non in eo quod agunt* (bonum scilicet opus) *sed in eo solo variant quod merentur. Nec nominis sui possunt nec generis sustinere dispendium* (quasi non essent veræ virtutes vel eo nomine non essent nuncupandæ) *sed solius quod appetiverunt præmij aut amplitudine ditantur aut exilitate frustrantur,* hoc est, ut exponit Augustinus, *terrenorum commodorum fructu non cælestium præmiorum.* Ex quibus clare videmus ad discernendum juxta Pelagianos utrum aliquid sit vera virtus & verum opus bonum, hoc tantummodo intuendum esse quod agitur, non causam quærendam esse cur agatur. Affectus enim illos quos homini vult esse naturaliter insitos, etiam tunc dicit esse bonos & per eos hominem bonum, quando ad temporalia commoda diriguntur; eosque etiam tunc vocari atque esse prudentiam, justitiam, temperantiam, ac fortitudinem. Vnde sane consequens est quod Augustinus observat, ut vera sit avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum: & avarorum iustitia, qua gravium damnorum metu facilius nonnunquam sua contemnunt quam usurpant aliquid alienum: & avarorum temperantia, qua luxuriæ quoniam sumptuosa est cohibent appetitum, soloque necessario victu tegumentoque contenti sunt: & avarorum fortitudo, qua ut ait Horatius: per mare pauperiem fugiunt, per saxa per ignes. Nec alia erit quam vera justitia Catilinæ comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat: & fortitudo vera erit ejus, quod frigus, famem, sitim terre poterat: & vera patientia quod patiens erat inediæ, algoris, vigiliæ supra quam cuiquam credibile est. Ex quibus principiis apud Pelagianos fixum atque indubitatum erat, inter Ethnicos veras esse posse & fuisse virtutes. Nam de Fabriciis, Camillis, Regulis ac Scipionibus agens Iulianus: *Eruntne ergo,* interrogat, *in damnatione sempiterna, in quibus erat vera iustitia?* quasi diceret, nequaquam. Ideoque tam absurdum esse negare illas esse veras virtutes ac si quis corpus Ethnici, corpus esse negaret. *Si dicatur,* inquit, *quia castitas infidelium castitas non est, eadem fronte dicetur, quia corpus Paganorum corpus non sit, & oculi Paganorum sensum non habeant videndi: & frumenta quæ in Paganorum nascuntur agris frumenta non sint: & multa alia quæ tantæ absurditatis sunt, ut risum possint intelligentibus commovere.*

Lib. 4. cont. Iul. c. 3. Lib. 4. cont. Iul. c. 3. Lib. 4 cont. Iul. c. 3.

Ex hac virtutum ac boni operis descriptione originem habet quod ad veram virtutem sive ad bonum opus nullo modo Christi fidem statuerent esse necessariam. Nam & Iulianus & omnes communiter Pelagiani impiorum exempla proferebant & Catholicis opponebant, quos dicebant *alienos a fide Christi abundare virtutibus, in quibus sine adiutorio gratiæ solum est natura bonum licet superstitionibus mancipatum, qui solo libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebro & modesti & casti inveniuntur & sobrij.*

Ibid. c. 3.

Multò verò magis vera peccata esse pernegabant, si quod talium operum moralium fine fide Christi Ethnici facerent. Hinc idem Iulianus: *Si gentilis nudum operuerit, periclitantem liberave-*

liberaverit, egri vulnera foverit, divitias honesta amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis potuerit impelli, nunquid quia non est ex fide peccatum est? Fatebantur tamen non esse opera perfectè bona sed sterilia imperfecta ac defectiva, quia temporalis dumtaxat præmij meritoria quod operans intendendo spectaverat. Hoc enim supra claris verbis Iuliani expressum est, & sese explicando inculcat quando dicit: *Ego steriliter bonos dixi homines qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt non ab eo vitam consequuntur æternam.* Cui prorsus consonat quod dicit Ambrosiaster Pelagij erroribus refertissimus, *Iustitiam naturaliter servans custos legis est. Si enim iusto non est lex posita sed iniustis, qui non peccat, amicus legis est, huic sola fides deest per quam fiat perfectus: Quia nihil illi proderit apud Deum abstinere à contrarijs, nisi fidem in Deum acceperit, quia illa temporis iustitia est hæc æternitatis.* Temporis justitiam vocat quia valet ad assequenda temporalia quorum intuitu facta fuerat, defectu cognitionis Dei; quem si fuisset fide intuita, æternitatem apud Deum promereri potuisset. Quod nihil aliud est nisi quod Iulianus dixit: *Iustitiam illam temporis esse sterilem* & imperfectam respectu æternitatis. Vnde hujus distinctionis insinuandæ causa videtur studiosè dixisse Pelagius: *Servitium propter Deum exhibitum cælesti remuneratione pensabitur.* Quibus omnibus lucidissime demonstratur ita Pelagianos voluisse officium aliquod morale sine ulla consideratione boni finis esse virtutis opus atque opus bonum, sicut officia nonnulla, in se mala atque peccata fiunt, ad quemcunque tandem finem operantis intentione referantur. Sicut autem peccata non ideò fiunt bona tametsi ad bonum dirigantur finem, si tamen ad malum, pœnam graviorem merentur; ita opus moraliter bonum intentione rei creatæ non per se malæ, non fieri malum, sed si ad Deum vel creaturam referatur, pro finis nobilitate vel ignobilitate præmio augustiore vel angustiore ditari.

Ibid. versus finem c. 3.

In c. 2. ad Rom. ad illa Quicunque enim sine lege pecc.

In Comment. c. 3. ad Coloss. n. 42.

De seminibus virtutum naturalibus.

CAPVT SEPTIMVM.

EX hoc fonte fluxit illa Pelagianorum maximeque Semi-Pelagianorum doctrina de virtutum seminibus. Docent enim omnium virtutum semina, etjam fidei ac dilectionis Dei, humanæ naturæ inserta esse naturaliter, quæ lege & voluntate provocata bonorum operum ac virtutum omnium fructum ferunt. Hoc est enim quod ex Iuliano suprà commemoravimus: *Cunctarum origo virtutum in rationabili animo sita est.* Virtutum enim origo nihil aliud est nisi virtutum semen, ex quo per voluntatis nutum & cultum originem sumendo pullulant. Hoc est illud quod Pelagius in ultimis suis libris dixit: *Habemus autem possibilitatem utriusq; partis à Deo insitam, velut quandam, ut ita dicam, radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat, & quæ possit ad proprij cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.* Nam istiusmodi fructifera & fœcunda radix, nihil aliud est quam semen imo plus quam semen, utpote jam in stirpem germinans. Hoc est quod idem ille ad Demetriadem scribit: *Est enim in animis nostris naturalis quædam ut ita dixerim sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens exercet mali boníque iudicium: & ut honestis rectisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat.* Neque enim sanctitas potest humanæ naturæ esse naturalis nisi in ea ut minimum aliqua semina reperiantur unde sanctitatis opera proferantur. Hoc est quod multo luculentius dicit Cassianus: *Dubitari ergo non potest inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta.* Et collatione vigesimâ quartâ: *Quarum* (cogitationum) *aculei naturalia virtutum semina præfocant.* Hoc est quod ille multarum hæresium seminator Ambrosiaster: *Quia ipsi naturæ quodammodo inserta sunt iustitiæ semina addita lex est, cuius authoritate & magisterio ingenium naturæ prosperet ad fructum iustitiæ faciendum.* Hoc est quod post utrumque Faustus Lirinensis: *Talem facit nos* (hominem) *cui bonitas in natura, malitia vero contra naturam sit, qui bonum in voluntate, malum habeat in potestate, qui bonum naturaliter velit, malum actualiter possit.* Et libro primo ejusdem operis: *Inter hæc sollicite nobis apud hæreticos* (hoc est Catholicos) *requirendum est, utrum homo bonum non possit, an nolit insita homini bona semina voluntatis.*

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Lib. 1. de lib. arb. apud Aug. lib. de grat. Christi c. 18.

Epist. ad Demet. paulò post initium.

Cap. 11.

In c. 5 ad Rom. ad illud. Lex subintravit.

Lib. 2. de grat. Dei & lib. arb. c. 10.

Lib. 1. c. 13.

Porrò hæc semina virtutum duo iuxta mentem hæreticorum comprehendunt, unum ex parte rationis alterum ex parte voluntatis. In ratione naturale quoddam Iudicium quo animus inter bonum discernit ac malum, hoc improbat, illud probat, hoc supplicio illud præmio dignum putat. Quod nihil est aliud quam illa omniũ Pelagianorũ vocibus decantata lex naturalis, quæ medullis intimis mentis impressa inter quævis flagitia & facinora perseverat. Hanc supra vocavit Pelagius, *naturalem quandam sanctitatem quæ velut in arce animi præsidens exercet mali boníque iudicium.* De hac dicit idem: *Quid illud obsecro est, quod ad omne peccatum erubescimus aut timemus &c. nisi quod testimonio sibi est ipsa natura quæ hoc ipso declarat bonum suum, quo ei malum displicet, & dum in bono opere confidit quid solam eam deceat ostendit?* De cujus laudibus propterea omnes Pelagianorum libri pleni sunt ut non sit opus pluribus lectorem testimonijs fatigare. Ex parte voluntatis semina illa virtutum dicunt quosdam affectus bonos seu voluntates operis boni qui naturaliter in affectiva rationalis mentis parte plan-

Epist. ad Demetriad.

Ibid. paulò superius.

te plantati sunt, ut ipsi putant. Voluit hoc significare Iulianus cum gentes dicit *actionis ingenita dissimulatione delinquere.* Ideoque reos convinci, *quoniam negligentes rationem, quam propriè in unoquoque profitentur affectus vel humanæ societatis vel pudoris iura violaverint.* Sed expressa eius doctrina est in primo contra Divum Augustinum opere: *Conclusarum origo virtutum in rationabili animo sita est, & affectus omnes per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus in subiecto sunt mentis nostræ, prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo.* Et adhuc luculentius: *Horum igitur affectuum vis est in ipsis omnibus naturaliter, non tamen ad unum finem in omnibus proferat.*

Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 392. Ibid. f. 397.

Apud Aug. lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Voluit hoc idem Semi-Pelagianorum antesignanus Faustus cum in primo libro de gratia & libero arbitrio inculcat: *Nisi ei (homini) bonum ad meliora contulisset affectum, non alienum interdiceret appetitum.* Et libro secundo: *Qui bonum in voluntate, malum habeat in potestate, qui bonum naturaliter velit.* Et apertissimè: *Numquid penitus interiit innocentia quia in primo suo gradu possessor eius stare neglexit?* Et infra: *Ita de genere bonorum* (sanctitatis videlicet innocentiæ justitiæ) *illorum quæ male securus paradisi incola à benigno autore susceperat non periit actio, etsi est amissa perfectio. Non, inquam, harum virtutum periit castitas, etsi est temerata virginalis integritas.*

Cap. 13.

Cap. ult.

Faustus lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 8.

Voluit hoc Ambrosiaster cum scribit: *Tam bona asserit quæ iubet lex, ut naturaliter sibi placere dicat & velle facere.* Et manifestissimè Pelagianorum Patriarcha Origenes: *Invenitur quidem Deus dedisse hominibus omnes affectus, omnesque motus quibus ad virtutem niti possit & progredi: insuper etiam vim rationis inseruisse, quæ agnosceret quid deberet agere quid cavere.* Vbi utrumque quod in illis seminibus includi diximus una sententia complectitur. Denique voluit hoc idem Divus Prosper dum sententiam Cassiani refutando explicans dicit: *Et ne possibus opinari, ideò dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic situs esset affectus paulò post ait* &c. Et ipse Cassianus: *Vt autem evidentius clareat etiam per naturæ bonum quod beneficio creatoris indultum est nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia.* Nam illa principia voluntatum non sunt aliud nisi semina virtutum, *quæ*, ut ibidem addit, *nisi à Deo dirigantur ad consummationem virtutum pervenire non possunt.* Hæc igitur semina in intellectu hominis & voluntate naturaliter sata nihil aliud erant nisi lex naturæ rectum de virtutis operibus judicium constanter proferens. & affectus quidam naturales ad ea sectanda. Quos quidem affectus atque judicium si homo voluntate sua sequeretur & excoleret, in veras virtutes illa semina formari atque adolescere. Cum enim nihil sit virtus nisi firmata quædam & efficax voluntas operis boni, meritò istius voluntatis perfectę inchoatio, semen & quasi germen virtutis nuncupari debet, quod solo voluntatis nutu & cultu verè boni alicujus operis nulla peccati fœditate maculati & consequenter veræ virtutis sive

In c. 8. ad Rom. ad illud, Velle adjacet mihi.

Lib. 3. in c. 3 ad Rom. fol. 321. m.

Lib. cont. Collat. c. 13.

Collat. 13. c. 9.

In c. 10. ad Rom. ad illud Propè est verbum.

A inchoatæ sive perfectæ fructum ferat, juxta illud Ambrosiastri: *In ipsa enim natura inserta sunt velut semina, quæ auditu & voluntate exculta fructificant testimonium creatoris.* Eo videlicet ferè modo quo Catholici statuunt homini post ruinam Adæ naturaliter esse insitos affectus malos quæ quasi vitiorum semina in diversa peccata atque opera verè mala pullulant, eo ipso quo cupiditatibus istis voluntas obsequitur, factumque perpetrat. Declarat hoc accuratè Origenes seminum istorum tot usque Pelagianismi architectus peritissimus: *Et sicut igitur ratio est*, inquit, *quod si tantum velis hominum propositum per seipsum imperfectum est, ad consummationem boni* (hoc est virtutis) *... ut divino ad perfecta quæque perducatur: ita etiam in contrarijs initia quædam & velut quædam semina peccatorum ab his rebus quæ in usu naturaliter habentur accipimus, nempe cupiditatis, iræ, tristitiæ, intemperantiæ.* B ... *... & non sibi ... adversus primos intemperantiæ motus, tunc primùm ... accipiens ... quæ ... & peccata, & quidem nobis ... occasione & initia præbentibus peccatorum, in immensum autem potestatibus latius & longius ... potest absque ullo fine propagantibus.* quod statim exemplis in medium adductis luculentè comprobat.

Lib. 3. Peri arch. c. 2.

Est tamen aliqua de his virtutum seminibus inter Semi Pelagianos, Pelagianosque differentia. Nam illi volunt esse quasdam primę integritatis per peccatum violatæ reliquias, ut in verbis Fausti supra citatis vidimus, & Cassianus ex professo docet: hi ipsam primæ conditionis integritatem. Ex quo ulterius conformiter suis quique principijs, illi docebant ea semina divinâ gratia debere excitari atque adjuvari, ut in virtutum perfectarum fruges possint maturescere; Hi contra solo voluntatis C arbitrio in perfectionis apicem provehi. Quæ tamen differentia non tam ipsa semina quam eorum originem & ad proferendos fructus efficaciam respicit.

Ex lib. 1 de grat. & lib. arb. c. 8

Collat. 13. c. 12.

Et ista quidem de seminibus virtutum paulo accuratius persecuti sumus juxta mentem Pelagianorum, ne quidam alij orthodoxi Patres eodem aspergendi errore putarentur [a], Athanasius [b], Basilius [c], Chrysostomus [d], Sanctus Hieronymus [e], Damascenus, quia naturalium subinde seminum meminerunt. Sed non aliud intelligere censendi sunt, nisi legem naturæ quæ bonum probat atque improbat malum ex qua licet quædam opera legis atque officia speciem honestatis præ se ferentia fieri queant, juxta illud Apostoli quod plerumque citant, *cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt* &c. nihil tamen operis boni ex illis seminibus veræque virtutis, sive perfectæ sive imperfectæ, nihil bonæ voluntatis aut boni affectus proferri volunt nisi per cœlestem gratiam divinitus inspirentur.

a *In vita S. Antoni.*
b *Hom. 9. in Hexam. & Regul. fusius disput. c. 2.*
c *Hom. 2. in Epist. ad Ephes.*
d *In c. 2. ad Galat.*
e *Lib. 3. Ortho. fid. c. 14 Ad Rom. 2.*

Digitized by Google

De laude naturæ & fructibus illorum seminum naturalium in infidelibus.

CAPVT OCTAVVM.

ISTA igitur semina divinis manibus in naturæ gremio plantata causam dedere Pelagianis cur tot laudibus passim naturā extollerent, utpote quæ virtutum omnium initia, sanctitatis etjam & sempiternæ felicitatis quasi compendium in seipsa complecteretur. *Quoties*, inquit Pelagius, *mihi de institutione morum & sanctæ vitæ conversatione dicendum est, soleo prius humanæ naturæ vim qualitatemque monstrare, & quid efficere possit ostendere* &c. Et infra: *Ne tanto remissior sit ad virtutem animus ac tardior, quanto minus se posse credat, & dum quod inesse sibi ignorat* (nempe virtutum omnium radicem & potestatem) *id se existimat non habere.* In quam sententiam plurima eadem Epistola videri possunt. Et Augustinus de Iuliano: *Exspatiaris ibi vir disertissimus, & exerces ingenium ac linguam tuam in laude naturæ.* In cujus commendationem à Pelagio liber scriptus fuit, quem Augustinus libro de natura & gratia confutavit. Et prima quidem naturalis illius fœcunditatis germina primosque quasi fœtus illorum seminum in infidelibus emicare & apparere decernunt. Solent enim Pelagiani negantes Dei dona esse virtutes quibus recte vivitur, & eas naturæ voluntatique humanæ tribuentes, hoc uti argumento quod eas nonnunquam habeant infideles. Nam ut Pelagius, naturæ bonum *ita generaliter cunctis institutum est, ut in gentilibus quoque hominibus qui sine ullo cultu Dei sunt, se nonnunquam ostendat ac proferat.* & ut intelligeremus ex fructibus quos natura profert quantis ad bene vivendum viribus polleat, adjungit Pelagius: *Quam multos enim Philosophorum & audivimus & legimus & ipsi vidimus castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, & honores mundi simul & delicias respuentes, & amatores iustitiæ non minus quam scientiæ? Vnde quæso hominibus* ALIENIS A DEO *ista quæ Deo placent?* Quibus pœne ad verbum consonant ea quæ supra ex Iuliano commemoravimus; quibus ille statuit, *alienos à fide Christi abundare virtutibus, in quibus sine adjutorio gratiæ solum est naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatum, qui solis libertatis ingenitæ viribus & misericordes crebro & modesti & casti inveniuntur & sobrij.* In cujus rei testimonium proferebat Fabricios, Fabios, Scipiones, Regulos, quorum nominibus tamquam in antiqua Romana curia loqueretur putavit Augustinum esse terrendum. Ne vero ad solos aliquos Romanæ reipublicæ principes vel philosophos hanc naturæ fœcunditatē restrictam esse suspicaremur, sic occurrit Pelagius: *Et cum ista quæ dixi vel omnia in uno vel singula in singulis haberi videamus, cum omnium natura una sit, exemplo suo invicem sibi ostendunt omnia in omnibus esse posse, quæ vel omnia in omnibus, vel singula in singulis inveniantur.* Hanc suam doctrinam in illo potissimum Apostoli loco fundant, quo dicit in Epistola ad Romanos: *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, &c. Nam & Iulianus per hunc locum probat etjam alienos à fide Christi veram posse habere justitiam, & Pelagius veluti fulcrum ac basim doctrinæ superius allegatæ supponit. Hinc legis naturæ quam Apostolus respicit profusissima inter Pelagianos commendatio; usque adeò ut Pelagius eam *naturalem quandam sanctitatem* vocaret, *quæ velut in arce animi præsideret.* Et Origenes totius erroris fons hanc legem in gentium cordibus scriptam asserit, *non atramento sed Spiritu Dei vivi.* Alijs elogijs passim scripta Pelagianorum aspersa sunt ut non opus sit pluribus commemorandis immorari. Quam sint autem ista dissonantia à doctrinæ Ecclesiasticæ veritate fusius suo loco declarandum est.

In Epist. ad Demet. paulò post initium.

Lib. 3. cont. Iul. c. 3.

Epist. ad Demetriad. non procul ab initio.

Ibid.

Ex lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Epist. ad Demet.

Rom. 2.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Epist. ad Demetriad.

Ibid.

Epist. ad Rom. lib. 2. inc. 2.

Vires naturæ ad cognoscendum, diligendum & colendum Deum.

CAPVT NONVM.

LEGIS hujusce naturalis adeoque naturæ vires maximas consequenter statuunt Pelagiani ad ea perficienda, quæ ad benè beateque vivendum pertinent.

Et primò quidem eam sufficere docent ad assequendam ipsam pietatis basim cognitionem sive fidem unius ac veri Dei. Hæc enim erant Pelagij ac discipulorum ejus teste Augustino verba atque sententia; *Tunc*, nempe ab Adam tam longa ætate qua lex nondum erat data, *duce ratione cognoscebatur creator, & quemadmodum esset vivendum scriptum gerebatur in cordibus.* Et Iulianus: *Quæ gentes per vim rationis ingenitæ etsi non ritum ceremoniarum Iudaicarum, tamen Deum innotescentem operibus, substantia verò profunditate secretum, potuerunt ex his quæ ab eo sunt facta cognoscere.* Et alibi contendisse Pela-

Lib. de pecc. orig. c. 26.

Lib. 2. oper. imperf. c. 3. 58

Digitized by Google

Lib. de grat. Christi c. 41.

Pelagium dicit idem Augustinus, *Et ipsam viam*, nempe Euangelicam, *quæ nobis prædicatur tanquam via demonstrata qua ambulare debeamus, solâ inveniri posse naturâ.* In qua sanè via præcipua est cognitio Dei, adeoque ipsius mediatoris Dei ac hominum Christi IESV. Quod multò luculentius deducit Ambrosiaster, & ad fidem etjam claris verbis extendit, qua Christiani in Deum & Christum credunt: *Gentes*, inquit, *Christianos dicit qui &c. duce natura credunt in Deum & Christum id est in Patrem & Filium.* Et infra: *Ipsa ergò natura proprio iudicio creatorem suum agnoscit, non per legem sed per rationem naturæ, opus enim opificem cernit in se.* Et paulò post: *Dum duce natura credunt, opus legis ostendunt, non per litteram sed per conscientiam. Opus autem legis est fides quam cum dictis exhibet Deo, naturali iudicio ostendit semetipsum legem sibi esse quia quod mandat lex, ultro facit ut credat in Christum.* Vnde & Origenes: *Fortaßis & quod Deus unius creator sit omnium scriptum est in cordibus gentium.*

In c. 2. ad Rom. ad illa Cum enim Gentes Ad illa verba Ipsi sibi sunt lex.

In c. 2. Ep. ad Rom. ad illa Cum enim Gentes.

Sub hac autem unius Dei & creatoris cognitione non nudam & sterilem illam notitiam Dei sed ejus simul dilectionem, cultum ac reverentiam complectuntur. Vtrumque enim pari ratione in cordibus gentium atque omnium omninò hominum scriptum volunt. Hoc est enim quod in superioribus verbis post stabilitam Dei creatoris notitiam Pelagius subjicit: *Et quemadmodum esset vivendum scriptum gerebatur in cordibus non lege litteræ sed natura.* Cùm enim omnis vitæ bonæ sit fundamentum amor & cultus unius ac veri Dei, necessario sequitur in cordibus gentium scriptum esse quemadmodum sit diligendus & colendus Deus, si ibi generaliter scriptum est quemadmodum sit vivendum. Et quamvis tergiversando si verba sola spectemus dici posset, nihil Pelagium velle nisi natura duce dumtaxat sciri, quemadmodum sit diligendus Deus & vita conformiter præceptis ejus instituenda, non tamen ita, ut eadem natura suis viribus possit in Dei creatoris dilectionem assurgere; qui tamen animadverterit verbis illis conatos esse Pelagianos *à gratia mediatoris iustos excludere antiquos tanquam Dei & illorum hominum non fuerit mediator homo Christus* IESVS ut Augustinus notat facilè videbit, eos etjam dilectionem ejusdem Dei creatoris naturæ generositati tribuisse. Hæc enim est, propter quam præcipuè gratia mediatoris est necessaria. Totam enim disputationem cum Pelagianis Augustinus in summam colligens: *Si caritas Dei & proximi*, inquit, *non ex Deo* (est in hominibus) *sed ex hominibus vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Et sensum eorum sine ambagibus in lucem proferens: *In Pelagianis*, ait, *tenebræ dicunt, dilectio nobis ex nobis est.* Et paulò inferius: *Pelagiani etiam ipsum Deum, non ex Deo sed ex semetipsis habere se dicunt: & cum scientiam legis ex Deo nobis esse fatentur, charitatem ex nobis ipsis volunt.* Quæ potissimum de amore illo Dei creatoris intelligunt, ut quem natura duce cognosci posse paulò ante audivimus.

Loco citato.

Lib. de pec. Orig. c. 26.

Lib. de grat. & lib. arbit. c. 18.

Ibid. c. 19.

Vires naturæ ad exercendas omnes virtutes cardinales.

CAPVT DECIMVM.

CVR ni tantam itaque naturæ potestatem tribuant ut suis viribus ad cognoscendum Deum, diligendum colendumque sufficeret ubi omnis veræ justitiæ est initium & finis, quid mirum si & virtutes reliquas quibus boni excoluntur & formantur mores eâdem præsumptionis liberalitatē concedant?

Cùm igitur duo omninò ad agendam vitam bonam sint necessaria, lumen quo facienda noverimus, & robur quo cognita faciamus; ad utrumque naturæ potestatem abundè instructam esse arbitrantur. Nam quod ad vitæ ex virtutis norma peragendæ scientiam hoc est prudentiam pertinet, apertè Augustinus Pelagium docuisse tradit *etiam ipsam viam qua ambulare debeamus*, quam doctrinam Euangelicam nominat, *sola inveniri posse natura sed facilius si adiuvat gratia.* De qua paulò ante dixerat secundum Pelagium, *scientiam revelari spiritu per doctrinam, quam vel non possumus vel difficile habere possumus per naturam.* Sed hæc difficultas tandem ad palliandam hæresis deformitatem excogitata fuit. Initio verò ad omnia scienda quæ justitiæ perficiendæ necessaria lex naturæ sola sufficiebat. Sic enim ad Demetriadem virginem cum adhuc sub Catholica pelle latitaret Pelagius; *Vt facile intelligas quantum sit naturæ bonum, cum eam legis vice* (nempe Moysaicę) *docuisse iustitiam probaveris* ab Adam videlicet usque ad Moysem. Quod etjam postea apud Augustinum idem cum suis discipulis dicit: *Quemadmodum esset vivendum scriptum gerebatur in cordibus.* Vnde definitiva Pelagij sententia: *Omnes voluntate propria regi.* Neque verò tantummodo ad sciendum quid agi debeat, sed etjam ad implenda singula virtutum præcepta solum naturalis arbitrij vigorum postulant. De temperantia sive continentia humanis viribus difficillima sic expressit Iuliani sensum Augustinus: *Tuum dogma non deseris inimicißimum gratiæ. Dicis enim quod Dominus continentiæ gloriam libertate electionis honoraverit, dicens, qui potest capere capiat, tanquam hoc capiatur non Dei munere sed arbitrij libertate.* Quo sensu gratiæ inimicus instat Augustino Iulianus: *Si fideliter invitas homines ad studium continentiæ, fateris ergò ita virtutem pudicitiæ à volentibus posse servari, ut sit quicun-*

Lib. de grat. Christi c. 41.

Ibid. c. 40.

Lib. de grat. Christi c. 26.

Lib. de gestis Pelag. c. 3.

Lib. 5. cont. Iul. c. 9.

Matth. 19.

Lib. 5. cont. Iul. c. 22.

quicumque voluerit, corpore sanctus & spiritu. Sed omni retecta larva Pelagius cum periculosam gulæ atque libidinis delectationem summasque in superandis illis vitijs molestias demonstrasset, *da tantam in caturis*, inquit, *magnitudinem animi & vide quid non possis efficere.* Et ne quis magnitudinem animi à Spiritu Sancto inspiratam suspicetur, statim subjicit: *Sed nos proh dolor! qua iam delectatione peccati cùm in quibusdam ostendimus quandam vim naturæ nostræ, in alijs omnino torpescimus.*

Epist. ad Demetriad.

De patientia hoc est fortitudine tertia virtute cardinali; ita perspicuè Iulianus: *Quam* (voluntatem) *non posse capi, si dedi ipsa noluerit, testatur fortitudo, cum lacerti in contemptu dolorum & per Gentiles & per Christianos assiduè claruerunt.* Et Augustinus Pelagianos digito indicans: *Sunt enim*, inquit, *qui eam* (patientiam) *tribuant viribus voluntatis humanæ non quas habent ex divino adiutorio, sed quas ex libero arbitrio. Error autem iste superbus est.* Fulciebant errorem suum hoc arundineo ratiocinationis fulcro: *Sicut voluntas hominis sine ullo Dei adiutorio viribus liberi arbitrij tam multa gravia & horrenda perfert, sive in animo sive in corpore ut mortalis vitæ huius & peccatorum delectatione perfruatur: cur non eadem audacidem ipsa voluntas hominis eisdem viribus liberi arbitrij non ad hoc expectãs se divinitus adiuvari, sed sibi naturali possibilitate sufficiens quidquid laboris vel doloris ingeritur, pro iustitia & vita æterna patientissime sustineat?* Quam Pelagiani erroris argumentationem latius Augustinus prosequitur.

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. c. 121.
Lib. de patientia c. 15.
Ibid. c. 16.

De Iustitia quarta virtute capitali, quam non in aliqua perturbationum moderatione sed in voluntate nuda Philosophi statuunt, res apud Pelagianos difficultate caret. Vnde de omnibus jam recensitis quatuor virtutibus Iulianus: *Affectus omnes, per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus, in subiecto sunt mentis nostræ, prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo.* Subjectum mentis intelligit potestatem voluntatis humanæ. Quam longè facilius ad cæteras minoris notæ virtutes extendunt. De veracitate Celestij sensum sic Augustinus exprimit: *Ipse autem quomodo sit accipiendum quod scriptum est, omnis homo mendax, omnino non soluit, nec soluere poterit nisi correcto errore, quo credit hominem sine adiutorio gratiæ Dei per solam propriam voluntatem posse esse veracem.* Et de quovis præcepto virtutis implendo, *Pelagiani dicunt etiam hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum.*

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.
Lib. de perfect. iust. c. 2.
Lib. 2. ad Bonif. c. 12.

Iusta vita, salus, vita æterna & regnum Dei per naturæ vires.

CAPVT XI.

EX hac superba virtutum cardinalium arrogatione fluxit ulterius illa Pelagianorum doctrina qua patres antiquos ante datam legem Moysi sola natura duce juste vixisse ac Deo placuisse deli[r]ant. *Hac lege* (naturæ, inquit Pelagius) *vixisse sunt omnes quos inter Adam atque Moysem sanctè vixisse atque placuisse Deo scriptura commemorat, quorum tibi exempli causa aliqui proponendi sunt, ut facile intelligas quantum sit naturæ bonum cum eam legis vice docuisse iustitiam probaveris.* Et statim magnum sanctorum accersit numerum qui sola naturæ lege instructi, propriæque viribus libertatis adjuti perfectæ sanctitatis exempla posteris prætulerunt, Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, Loth, Isaac, Iacob, Ioseph, Iob, de quo viro disserens, præclaro sui erroris concludit epiphonemate: *O virum ante Evangelia evangelicum! & Apostolicum ante Apostolica præcepta discipulum Apostolorum qui aperiens occultas divitias naturæ & in medium proferens, ex se quid omnes possimus ostendit docuitque quantus sit ille thesaurus animæ quem nos sine usu possidemus, & quoties proferre nolumus nec habere nos credimus.* Et in Commentarijs Epistolarum Pauli exponens illum ad Romanos locum, *Naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: De his dicit*, inquit, *qui naturaliter iusti fuerunt ante legem, sive qui etiam nunc boni aliquid operantur.* Vnde eosdem dicit in ijsdem Commentarijs, *Deo naturali lege placuisse similiter & Moysi.* Quam superbissimam naturæ prædicationem hoc fuco palliabant, & tanquam veritati maximè consentaneam fulciebant, quod lex Moysi tam serò patribus data sit: *Nec illud est parvum argumentum*, ait Pelagius, *ad comprobandum naturæ bonum, quod illi primi homines per tot annorum spatia absque ulla admonitione legis fuerunt, non utique quod Deo aliquando creaturæ suæ cura non fuerit, sed quia se talem scibat hominum fecisse naturam ut eis pro lege ad exercendam iustitiam sufficeret.*

Epist. ad Demetriad.
Ibid.
In Comment. c. 2. ad Rom.
Ibid. c. 3. n. 39.
In Epist. ad Demet.

Ex qua doctrina manifesta necessitate consequitur, etjam æternam salutem in regno Dei vitamque æternam per naturæ vires à primis hominibus obtineri potuisse. Si enim per naturam justitia, ergò & justitiæ præmium, vita, salus, & regnum Dei. *Non enim iniustus Deus qui iustos fraudet mercede iustitiæ* ut contra illos dicit Augustinus. Quod clarius liquet, si meminerimus quod supra diximus insinuasse vel docuisse Pelagianos, opus bonum Dei intuitu factum, cœlestia præmia vitamque æternam promereri. Naturæ autem viribus opus quodcunque bonum illis authoribus fieri potest. Vnde latentem in Pelagianis principijs impietatem explicans & evolvens Augustinus, etjamsi jam aliquid Christo tribuere compulsi clamoribus incœpissent: *Vestrum autem dogma*, inquit, *id persuadere conatur velut inculpata prædicatione naturæ & potentiæ liberi arbitrij, & legis sive naturæ*

Lib. de nat. & grat. c. 2.
Supra c. 6.
Lib. 6. cont. Iul. c. 24.

Digitized by Google

naturalis sive per Moysen data ut etsi opus sit (id est utile seu operę pretium) *necesse tamen non sit ad Christum pro æterna salute transire, eo quod per Sacramentum mortis & resurrectionis ejus, si tamen vel hoc putatis, commodior via sit, non quod alia via esse non possit.* Et paulo superius in eodem loco; *si enim aliter sunt aliquis sine Christo & justificentur aliqui sine Christo, ergo Christus gratis mortuus est. Erit enim & alius modus, sicut vultis, in natura, in libero arbitrio, in lege naturali sive conscripta, quo possent salvi & justi esse qui vellent. Iustos autem quis magines eos quos vissis non ijs prohiberet a regno Dei?* Quod etiam apertis verbis nonnunquam professi sunt. Nam Pelagius exponens illum Apostoli locum; *qui fecerit homo vivet in ea*, nempe legis justitia, *unde intelligimus*, inquit, *quod qui suo tempore legem servavit, vitam habuit æternam.* Suo tempore, inquit, nam hoc tempore propter consuetudinem non putat legem posse servari. Et quamquam ista quidem se ita haberent in doctrina Pelagiana, sibi ipsis tamen de nimia superbia ita erubescebant, ut sub finem hæresis palam non auderent tantam in populum proferre impietatem. Exprobrat hoc Iuliano Augustinus in postremo conflictu: *Iam, inquit, erumpite & aperite inimici crucis Christi. Quid timetis magnum populum & Christi magnum judicium non timetis? Aperte dicite, justificari natura, justificari lege possumus, gratis mortuus est Christus. Seu potius ante multitudinem Christianam Pelagianum verbum supponitis, & quærentibus a vobis quare mortuus sit Christus, si natura vel lex ergo justos, respondetis* &c. nempe quod facilius per Christum. Quam responsionem eorum alibi prosequemur. Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 407.

Vires ad pœnitendum & redeundum ad justitiam naturalem; & quid illa sit?

CAPVT XII.

NEQVE vero apud Pelagianos quicquam refert quod ille inchoatus justitiæ cursus, vel peccatis aliquibus ex humana fragilitate intercurrentibus possit intercipi vel etiam quod peccator vitæ præteritæ sceleribus, contractisque pravitatis usu consuetudinibus premi & impediri quo minus ad justitiam convertatur. Tantum enim naturę potestatem arrogant ut etjam pęnitentiam & peccati ejusq; remissionem in humano arbitrio collocent. Hæc est enim Celestij manifesta sententia quę & Pelagio in Palæstina Synodo objecta fuit: *Quoniam pœnitentibus venia non datur secundum gratiam & misericordiam Dei sed secundum merita & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerunt misericordia.* Lib. de gestis Pelag. c. 18. Quibus verbis utrumque statuit: Non esse peccati pœnitentiam expectandam ab inspiratione spiritus Dei, ut ad quam humana voluntas, humanusq; sufficiat labor, & per hunc laborem pœnitentię naturæ viribus partim hominem fieri dignum remissionis misericordia. Nam aliquo modo misericorditer dandam esse peccati remissionem, tum alijs in locis quæ postea citaturi sumus expresse Pelagiani docent, tum etjam his quæ diximus utcumque declaratur. Qui enim in peccati remissione Dei misericordiam fatetur eam aliquo modo misericorditer dandam esse, nec humanas vires usquequaque sufficere diffiteri nequit. Ipsa namque ab offenso Deo veniæ testificatio clarissima est misericordiæ divinæ in peccato remittendo testificatio, juxta illud Sanctissimi Augustini: *In peccando oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet a seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur.* Epist. 105. ad Sixtum. Verumtamen ut idem sanctus Doctor in eodem Epistola, *nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est si fides hanc impetrat.* Ibid. supra. Ex quo consequitur, ut qui fidem istam impetrantem, totumque laborem pœnitentiæ, ut Celestius, humanis viribus tribuit, ille totam peccati remissionem naturæ potestati cogatur ascribere, quantumvis dilutam aliquam Dei misericordiam ex alio capite intervenire fateatur. Quod ex Pelagianis principijs rursus sequi etsi Celestius non dixisset, optime in suis carminibus observat Prosper quando ita canit:

Nam si nunc etjam illæsis vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit; sua quemque voluntas Carm. de ingrat. c. 42.
Conciliare Deo, pœnâque absolvere posset:
Nequicquam Christus mortem moriendo piaret,
Nec genus humanum generari rursus egeret.

SEd sicut ante diximus eos non ausos fuisse palam dicere gratis Christum esse mortuum, ita nec illud, sua quemque voluntate conciliari Deo & pœnis absolvi: sed quasi peccati reatus in aliquo naturam labefecisset humanam, ita remissione impetrata à Deo, jam per seipsam laudabilem illam naturam in suas vires vigoremque, sublato scilicet impedimento, regredi. Sic enim eorum sententiam in initio libri Prosper exprimit.

Digitized by Google

Vt sponte attractam venia solvente reatum,
Sponte sua in vires proprias natura rediret.

Carm. de ingrat. c. 2.

ET hoc vocabant *Ad iustitiam regredi naturalem*, quæ peccati scilicet labe temerata fuerat. Hic *si resipiscat*, inquit autor qq. veteris ac noui testamenti, *ad naturalem regressus iustitiam recipiens fidem Christi erit Filius Dei.* Vbi per *iustitiam* illam *naturalem* nihil intelligit aliud, nisi naturalem illam innocentiam naturæque integritatem, in qua ipse sicut & primus Adam sine peccato natus fuerat. Exponit hunc sensum alibi luculentius, ubi dicit: *Solet asseverari à plurimis, quia per fidem instauratus est homo, ita ut ad pristinum redditus statum hoc omne acciperet quod inter initia Adam fuerat consecutus.* Quam sententiam plurimorum & ipse sequitur hoc addito corollario, quod fides integritati primi hominis aliquid adijciat prærogativæ: *Videamus*, inquit inferius, *si hac instauratio nihil ultra doni habeat divini, quam fuerat consecutus Adam.* Quæ quidem non eo sensu intelligenda sunt quasi solo peccati reatu aliquid vigoris aut virium ad operandam justitiam natura perdidisset, quas ejusdem remissione recuperaret: sed illo duntaxat quod sola peccati deletione, præsertim si nulla adhuc peccandi consuetudo hæsisset, natura quæ vires omnes etiam sub peccato retinuerat cum pristina sua emergeret integritate & puritate. Pelagianorum enim doctrina constans fuit quam & supra suis locis fusè prosecuti sumus, *peccatum non potuisse humanam debilitare vel mutare naturam*: Atque adeò ad operandam justitiam *liberum arbitrium & post peccata tam plenum esse quam fuit ante peccata.* Vt non sit existimandum remissionem aliquid pristini vigoris contulisse naturæ, sed tantum vindictæ reatum ac solicitudinem abstulisse.

Aut. qq. vet. Test. p. 2. q. 41.

p. 1. q. 123.

Ibid.

Pelag. lib. de nat. & gratiae. 19.

Iul. lib. 1. oper. imperf. fol. 131.

Vires ad superandas malas consuetudines & impetus passionum.

CAPVT XIII.

QVOD si quam peccandi consuetudinem longo usu natura contraxisset & illam putant quibuscumque radicibus quacumque vetustate roboratam præeunte instructione legis qua sciatur quid faciendum sit, sola voluntatis mutatione posse submoveri juxta sententiam, cujusdam eorum definitivam; *perfacile potest voluntas voluntate mutari.* Hinc Pelagius in Commentarium Epistolarum Divi Pauli: *Cum viderint eas* (uxores) *in melius commutatas, cognoscant omnes per Dei legem ita consuetudine inveterata potuisse mutari.* Sed multò arrogantius in Epistola ad Demetriadem: *Nam si etiam illi qui longo peccandi usu bonum quodammodo obruere naturæ instaurari per pœnitentiam possunt* (obtinendo videlicet peccati veniam) *& mutata voluntate vivendi consuetudinem consuetudine extinguere, quanto magis tu potes illa superare* &c. Ex quo fit ut consequenter omnes omninò passiones ac motus propter quos maximè violentia malæ consuetudinis molesta esse solet, solo liberi arbitrij nutu coërceri posse decernerent. *Cum* (fortitudinis) *lacertis*, ait Iulianus, *in contemptu dolorum & per Gentiles & per Christianos assiduè claruerunt.* Qua de causa motibus carnalis concupiscentiæ quæ omnium cupiditatum rapidissima est *viribus voluntatis* tradit *obsisti.* Et *voluptatis illius excessum intra concessos fines animi potestate posse retineri.* Ex hac superba præsumptione fluxit procax illa & mordax insultatio qua propter inculcatam gratiæ necessitatem contra cupiditatis illius impetus, *Augustinum mentiri* dicit, *tantas esse libidinis vires ut eam ratio regere ac frænare non possit.* Ipsius enim & omnium Pelagianorum brevis, fixa & generalis de toto hoc genere est sententia; *Sufficit homo ingenitis sibi motibus dare leges.*

Lib. de perf. iust. c. 6.

In c. 7. 1. ad Corinth. v. 17.

Circa mediũ

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 121.

Ibid. f. 105

Lib. 5. cont. Iul. c. 16.

Lib. 3. cont. Iul. c. ult.

Lib. 5. cont. Iul. c. ult.

Quod homo possit per naturam liberi arbitrij esse perfectus & non peccare si velit.

CAPVT XIV.

QVIBVS fundamentis nixi, ulterius docent, hominem in hac mortali vita ad perfectam justitiam posse pervenire si velit. Quæ Pelagianorum sententia diversis modis sed in eandem impietatem conspirantibus exprimi solet. Nam aliquando ut hoc significent clamant ut Augustinus ait; *Perfectio nobis virtutis à nobis est*, aliquando dicunt: *Non solum ad facienda verum etiam ad perficienda mandata divina per liberum arbitrium humanam sufficere naturam.* Aliquando simpliciter, *hominem hic perfici.* Aliquando

Lib. 2. cont. Iul. c. 8.

Aug. Epist. 95.

Lib. 2. cont. Iul. c. 8.

Digitized by Google

a *Epist.* 95. & *Serm.* 36. *de verb. Domini* c. 3. & *Serm.* 11. *de verb. Apost.* c. 2. & *de Spirit. & litt.* c. 8.
b *Hom.* 44. c. 9.
c *Lib.* 2. *oper. imperf. cont. Jul.* f. 450.
Lib. 4. *ad Bonif.* c. 11.
Lib. de gestis Pelag. c. 6.

quando cum Deo quodammodo disputantes: A *Tu*, inquiunt, a *nos fecisti homines justos autem ipsi nos fecimus*. Quod hac superba phrasi breviter dicunt: *Si volo justus sum*: b *In potestate habeo justum esse*. Quam exponens Augustinus quodam loco: c *Tu vestro more*, ait, *qui de vestro descendit errore non agnoscis gratiam nisi in dimissione peccatorum, ut iam de cætero homo seipsum fabricet justum*. Nam justum esse apud Pelagianos, idem est, quod sine omni peccato vivere. Augustinus: *Pelagiani dicunt justos in hac vita ideò esse vel fuisse quia sine ullo peccato vixerunt*. Atque hinc est quod usitatius hanc hæresim inferre satagentes dicere solent, sicut Pelagio in Synodo Palestina objectum fuit: *Posse hominem si velit, esse sine peccato*. Quod non ita intelligendum est quasi tantummodo vellent hominem aliquo tempore ita mundum fieri ut omni prorsus peccato careat. Hoc enim B sæpè contingere quando per baptismi vel pœnitentiæ gratiam omnia peccata remittuntur, non est dubium, sed hoc est quod persuadere moliuntur, ita hominem virtutum omnium exercitatione posse proficere ad justitiæ perfectionem ut omnia Dei mandata implendo *sine ullo peccato*, ut Augustinus exprimit, *vivat*: vel ut alibi: *vitam sine ullo peccato perfectam ducat*. Vnde Pelagius sententiam sibi objectam repetens, ait: *Posse quidem hominem sine peccato esse, & Dei mandata custodire, si velit diximus*. Pro ijsdem habens, *esse sine peccato*, &, *Dei mandata custodire*. Verissimè namque sine omni peccato vivere dicendus est, qui omnia Dei mandata custodit. Hinc Hilarius Augustino quæstiones Pelagianorum proponens velut unam dumtaxat profert: *Posse hominem esse sine peccato, & mandata Dei facile custodire si velit*; & velut unam dumtaxat eandemque persequitur Augustinus. Quod sane quia nemo præstare potest, nisi virtutum omnium perfectionem as- C secutus fuerit, hinc Pelagius accusatus quod hominem sine peccato esse posse diceret, sententiam suam veluti damnans coram hominibus: *Anathema*, inquit, *sit, qui dicit, absque adiutorio Dei posse hominem ad profectum omnium venire virtutum*. Satis quippe intelligebat, ad illam justitiæ perfectionem, quæ sine peccato agitur, omnium virtutum perfectionem esse necessariam. Quamobrem & Sanctus Hieronymus cum Pelagianis disputans perfectum esse, & omnes habere virtutes sine discrimine usurpat. Atque hac de causa illa quoque sententia Celestij damnabilis judicibus Palestinis visa est; *unumquemque hominem omnes virtutes posse habere & gratias*: non solùm quod auferrent, ut ibi dicitur, gratiarum diversitatem, sed maximè propter assertam unicuique justitiæ perfectionem. Quam similibus verbis Pelagius Demetriadem docuerat: *Exemplo suo invicem sibi ostendunt, omnia*, (id est, omnes vir- D tutes) *in omnibus esse posse, quæ vel omnia in omnibus, vel singula in singulis inveniantur*. Eadem ergò prorsus sunt, & pro ijsdem usurpantur. a *Omnes habere virtutes*; b *Ad perfectionem omnium venire virtutũ*; c *Esse, vel fabricare se justum*; e *Habere* *plenam perfectamque justitiam*; f *Implere justitiam*; g *Mandata Dei custodire*; h *Seipsum sanare*; i *Seipsum justificare*. Et quod omnium frequentissimum est; k *Esse, seu vivere sine peccato*. Et nihil aliud significant nisi hominem ad perfectionem venire justitiæ quæ tunc perficitur sine dubio, cum omnium divinorum mandatorum impletione ita vivitur, ut peccando nihil committatur injustum. Quod ne cui fortassis incredibile videretur, impiam sententiam quasi probaturus addebat Celestius: *Quoniam plus facimus quam in lege & Evangelio jussum est*. Hoc est exponente Augustino: *Quoniam perpetua servatur à plerisq; virginitas, quæ præcepta non est, cum ad non peccandum præcepta implere sufficiat*. Quasi ille qui virginitatem servaverit non præceptam, omnia etjam præcepta servaverit. Hinc & Pelagius: *Dum virgo amplius statum facere quam præceptum est, ostendit nimis sibi præceptum esse quam potuerit*.

Epist. 89. *ad Hilar.*
Lib. 2. *cont. Jul.* c. 8.
De gest. Pelag. c. 6.
Epist. Hilar. apud Aug. 88.
Epist. 89.
Lib. de gestis Pelag. c. 14. *in fine*.
Lib. 1. *adv. Pelag.* f. 832.
Ibid. initio.
Epist. ad Demet. non procul ab initio.
a *Lib. de gest. Pelag.* c. 14.
b *Ibid.*
c *Lib.* 4. *ad Bonif.* c. 11.
d *Lib.* 2. *op. imperf.*
e *Lib. de Spirit. & litt.* c. 1.
f *Lib. de gestis Pelag.* c. *ult.*
g *Ibid.* c. 6. & *passim alibi.*
h *Lib. de nat. & grat.* c. 23.
i *Ibid.* c. 31. & *Epist.* 1. *ad Valent.* & *passim.*
k *Lib. de gestis Pelag. de nat. & grat. de perf. just. passim.*
Lib. de gestis Pelag. c. 13.
Epist. ad Demet.

Arma porrò, quibus rem tantam impleti posse volunt, sunt illud unicum *si velit*, hoc est ut Augustinus, *si voluntas adsit*, non potentia, inquam, sed actus: hoc enim voluntas passim apud antiquos & maximè August. denotat. Et quãvis verissimũ sit tunc omnem omninò impleri justitiã cùm tanta voluntas adest, quanta sufficit ad implenda mandata, quod fit ut idem Augustinus docet, cùm *valdè perfecteque volumus*: interest tamen unde ista voluntas habeatur. Pelagiani enim, tantum præsumunt *de libero humanæ voluntatis arbitrio ut ad non peccandum*, sive ad habendam illam validam perfectamque mandata custodiendi voluntatem, *nec adiuvari os nos divinitus opinentur, semel ipsi naturæ nostræ concesso libera voluntatis arbitrio*. Vnde cùm dicerent hominem vivere posse sine peccato & mandata Dei custodire, studiosè omittebant gratiam qua voluntas illa datur C ac roboratur, sed tantummodo *si velit*, tanquam hoc in sola potestate esset hominis per liberum arbitrium: *Hoc quippe*, ut notat Augustinus, *arguebatur sensisse* Pelagius in Synodo Palestina, *dicendo si velit*, ut videlicet, *tacita, pro qua vehementissime pugnabatur divina gratia, nec nominato Deo iuvante, resisteret sola infelix, & seipsam decipiens humana superbia*.

Epist. 88. & 89. *lib. de gestis Pelag.* c. 6. & *alibi passim.*
Lib. de nat. & grat. c. 23.
Lib. de grat. & lib. arb. c. 15.
Aug. lib. 2. *de pecc. merit. & remiss.* c. 2.
Lib. de gestis Pelag. c. 35.
Ibid. c. 30.

Ex quo facilè est intelligere, quid per naturam Pelagius intellexerit quando *hominis naturam contra Dei gratiam qua justificatur impius quanta potuit argumentatione defendit*. Et passim diceret, *per naturam esse justitiam*. Itemque, *Non peccandi possibilitatem in natura necessitate esse positam*. Intelligebat enim ipsam liberi arbitrij potentiam naturalem, cujus subsidio fieret, ut homo semper non peccare posset, atque etjam reipsa non peccaret si tantum vellet: vellet autem quandocumque videretur: *Habet posse*, inquit Augustinus, *per naturale subsidium*, scilicet D potentiæ liberi arbitrij, *habet velle per liberum arbitrium, quid quærit baptismatis Sacramentum?* Quam doctrinam ex professo tradit Pelagius in opere suo postremo quod pro liberi arbitrij defensione conscripsit: *Nos*, inquit, *sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta*

Lib. 2. *retract.* c. 42.
Vt lib. de grat. & lib. arb. c. 13. & *alibi.*
Lib. de nat. & grat. c. 51.
Ibid. c. 55.
Pelag. lib. 3. *de lib. arb. apud Aug. lib. de gratia Christi* c. 4.

digesta partimur. Primo loco posse (scilicet esse sine peccato) *statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo vero reliqua, hoc est, velle & esse, ad hominem referenda sunt quia de arbitrij fonte descendunt.* Quid clarius? Et paulo inferius: *Potest itaque illud unum* (posse scilicet) *esse, etiamsi duo ista* (velle & esse) *non fuerint, ista vero sine illo esse non possunt. Itaque liberum mihi est, nec voluntatem bonam habere nec actionem, nullo autem modo possum non habere ipsam possibilitatem boni: inest mihi etiamsi noluero, nec otium sui aliquando in hoc natura recipit*, natura, inquam, hæc est enim illa à Deo accepta non peccandi possibilitas, de qua subjicit conformiter paulo post: *Cum dicimus hominem posse esse sine peccato, confessione possibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est* (largiendo scilicet naturam) *nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle, nec de esse*, (quæ videlicet hominis sunt) *sed tantummodo de eo quod potest esse disseritur.* In quibus Pelagianis mysterijs intelligendis ne quis adhuc fortasse caligaret, sic sensum eorum breviter Augustinus expressit: *Cum tria constituat* (Pelagius) *atque distinguat, quibus divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem & actionem; possibilitatem scilicet qua potest homo esse iustus*, (hoc est non peccare) *voluntatem qua vult esse iustus, actionem qua iustus est. Horum trium primum, id est, possibilitatem datã confitetur à creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere etiamsi nolumus, duo vero reliqua, id est, voluntatem & actionem nostra esse asserit atque ita nobis tribuit, ut non nisi à nobis esse contendat.* Unde ad varietatem locutionis pertinet, non ad aliquam sententiæ varietatem vel intelligentiæ subtilitatem quod aliquando naturæ adiungitur liberum arbitrium: *Non est hoc quidem parum adversus illam falsam defensionem tamquam sibi sufficientis naturæ, & potestatis liberi arbitrij.* Aliquando solum liberum arbitrium, sive libertas arbitrij exprimitur; *posse esse hominem mundo corde testatus est &c. sed gratia Dei non sola arbitrij libertate.* Aliquando sola voluntas: *Ita illi voluntas divinitus non adiuta non sufficit.* Aliquando sub disjunctione natura vel voluntas: *Non tamen diffunditur* (caritas) *in cordibus nostris, vel naturæ vel voluntatis opibus, quæ sunt in nobis.* His enim omnibus idem insinuatur; nisi fortè hac differentia, quod nomine *natura* significetur potestas bene vivendi seu non peccandi nullo modo communicari per gratiam Dei; nomine *liberi arbitrij* determinatum principium ratione cujus illa potestas competat; nomine *voluntatis* ipse actus potestatis. Unde alibi clarius indicare volens Augustinus, non habere naturam hominis juxta Pelagium hanc bene vivendi potestatem nisi propter liberum arbitrium naturaliter insitum, pressius & accuratius hoc modo loquitur: *Verumque iam habebat* (scilicet voluntatis arbitrium quod Pelagius afferebat) *in natura, aliud in doctrina.* Et clarius: *qua Dei gratia neque natura est cum libero arbitrio.* Item-

Ibid. — c. 62. — c. 63. — c. ult. — Lib. de gestis Pelag. — Ibid. c. 31.

que in Epistolis: *Non est igitur gratia Dei* (ut Pelagiani delirabant) *in natura liberi arbitrij.* Et paulo post: *Qui putant gratiam Dei esse naturam liberi arbitrij cum qua nascimur.* Sed omnium luculentissime sententiam inimicorum gratiæ Dei exprimit quando Pelagium dixisse dicit: *Quod possibilitatem non peccandi natura nostra cum conderetur accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio.* Quod sæpius repetitur Epistola ducentesima quinquagesima secunda ad Ioannem Episcopum. Et de Celestio: *dixit illud, quod videlicet per naturam tantum nos habere per naturam liberi arbitrij non peccandi possibilitatem, ut &c.* Imo claris verbis ipsemet Celestius *non peccandi possibilitatem* & arbitrij *libertatem* pro ipsorum se habere declarat. *Testimonia scripturarum inducit, quæ è diverso ponenda sunt his, qui arbitrij libertatem vel non peccandi possibilitatem imperite existimant se scripturarum autoritate posse destruere.* Quoniam igitur hæc liberi arbitrij naturalis potentia ad naturam hominis pertinet, dicente ad Iulianam viduam Augustino: *In eo demum libro* (Pelagij) *invenite aliquid, si potestis, ubi excepta natura excepto quod ad eandem naturam pertinet arbitrio voluntatis* &c. *tale Dei adiutorium confiteatur* (Pelagius) *quale confitetur ille qui dixit* &c. Hinc fluxit quod aliquando dicit Augustinus nihil aliud Pelagianos ad non peccandum requirere nisi quod homines nati sumus. Cùm enim ut supra diximus, Pelagianos putare retulisset, *gratiam Dei esse naturam liberi arbitrij cum qua nascimur*, continuò contradicendo subjicit: *Non enim hoc oramus pro infidelibus, ut fiat eorum natura, id est, ut homines sint.* Et lib. de gestis Pelagij ubi sæpius dixerat Pelagij gratiam esse *naturam cum libero arbitrio*, eandem vocat *gratiam qua homines creati sumus.* Quod plenius exponit alibi: *Tantùm enim dicunt valentem* (naturam humanam) *ut suis viribus in origine suæ creationis acceptis, possit per liberum arbitrium domare* &c. Et quia ad mentis rationalis naturam ac Dei imaginem liberi arbitrij dignitas pertinet, hinc eandem Pelagianorum sententiam referens: *Nam & hoc*, inquit, *Pelagiani ausi sunt dicere gratiam esse naturam in qua sic creati sumus, ut habeamus mentem rationalem qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei, ut dominemur piscibus maris & volucribus cœli, & omnibus pecoribus quæ repunt super terram.*

Epist. 107. ad Vital. — Lib. de gestis Pelag. c. 10. — Ibid. c. 13. — Lib. de perf. iust. c. 11. — Epist. 143. — Epist. 107. ad Vitalem. — c. 10. — Epist. 95. ad Innocent. initio. — Lib. de grat. & lib. arb. c. 13.

Hæc igitur causa est cur illam benè vivendi & non peccandi potestatem nullis peccatis amitti posse statuant, cum neque liberum voluntatis arbitrium atque imago Dei ex mente rationali deleri queat, neque potestas volendi, seu voluntatis, qua sola juxta Pelagianos negotium illud agitur & peragitur, ex libero voluntatis arbitrio possit amitti. Fortissimè hoc agit Pelagius apud Augustinum libro de natura & gratia per multa capita, ubi dicit *nulla admittere voluntas potest, quod inseparabiliter insitum probatur esse naturæ. Ipsa*, autem, *non peccandi possibilitas non tamen arbitrij potestate quam in natura necessitate est*, hoc est, ita necessario naturæ inest, ut nulla arbitrij potestate etiamsi velit amitti possit. Et in opere suo postremo quod

Lib. de nat. & grat. c. 45 & seqq. — c. 50. — c. 51.

Google

Pelag. lib. 3. de lib. arb. apud Aug. lib. de gratia Christi c. 4. quod supra adduximus: *Nullo modo possum non habere possibilitatem boni, inest mihi etiamsi noluero, nec otium sui aliquando in hoc natura recipit.* Audis naturam non recipere in hoc otium sui? Et quamvis tam aperta confessione hanc inamissibilem non peccandi potestatem non astrueret, ex principijs tamen Pelagianis jam superius declaratis apertissime sequitur. Nam & libeberum arbitrium pertinere docent ad naturam hominis ac rationem imaginis Dei; & potestatem utriusque partis hoc est eligendi boni & mali, ad naturam liberi arbitrij; & naturam hominis nullis peccatis posse vitiari atque debilitari: & siquid forte malæ consuetudinis inoleverit sola voluntate posse superari. Quæ omnia & in superioribus late deducta sunt & aperte conficiunt inseparabilem inamissibilemque bene perfecteque vivendi esse potestatem.

Tollunt orationem fidelium pro obtinenda tentationum victoria & peccatorum venia.

CAPVT XV.

IN hac igitur præsumptuosa superbaque Pelagianorum sententia tria dogmata à Christiana religione remotissima comprehenduntur. Primum est, omnes omninò tentationes quantumlibet vehementes sive carnis, sive mundi, sive dæmonis, sive ignorantiæ, sive concupiscentiæ, eadem liberi arbitrij potestate posse superari. Hoc enim ad vivendum sine omni peccato necessarium est. Quem sensum proferens Augustinus docere novam istam hæresim dicit; *Epist. 94.* *Cavendis futuris vincendisque peccatis, omnibusque peccatis virtute superandis sine ullo deinceps adiutorio gratiæ Dei naturali possibilitate humanam sufficere voluntatem.* Vbi per *cavenda* significat peccata ignorantiæ; per *vincenda*, concupiscentiæ. Vnde utrumque improbans: *Lib. de nat. & grat. c. 40* *Si enim*, inquit, *possibilitas naturalis per liberum arbitrium & ad cognoscendum quemodo vivere debeat, & ad bene vivendum sufficit sibi, ergò Christus gratis mortuus est.*

Alterum est ex priore consectaneum, non esse rogandum Deum *ne nos inducat in tentationem*: hoc enim esse humanæ potestatis. *Apud Aug. Epist. 90.* *Consideret ergò Sanctitas tua*, inquiunt Patres Concilij Carthaginensis ad Innocentium Papam, *& pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessariò sequitur ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem* &c. Rationem subjicit: *Si enim possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videt à Domino inaniter peti & fallaciter orari, cum orando poscuntur quæ natura nostra iam ita condita sufficientibus viribus obtinentur?* Quam cæcitatem vel stoliditatem eis exprobrat Augustinus: *Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 109.* *Nec donum Dei poscitis*, inquit, *ne intretis in tentationem, hoc est, ne peccetis: in vestra enim virtute confiditis & vos in Psalmo notatos esse atque damnatos, vel non videtis cæci, vel stolidi non doletis.* Deplorat hanc pestilentissimam eorum arrogantiam cum lachrymis in libro de bono viduitatis. *Cap. 17.* Nam eo usque progressa est impudentiæ ut dicerent ad corporales casus avertendos Dominicā orationem fundi. *Epist. 94.* Testis locuples est ipse idem: *Illud verò quod sequitur ne nos inferas in tentationem, non sic accipiunt, tanquam Deus orandus sit, quo nos ad superandas tentationes adiuvet peccatorum sed ne quisquam irruens corporaliter nos humanus casus affligat, quoniam peccatorum tentationes vincere ita sit iam in nostra positum potestate possibilitate naturæ, ut hoc inaniter impetrandum orationibus arbitremur.* Vnde cum Vrbanus Siccensis Episcopus Romæ cum quodam tali assentiente confligeret, eumque Dominicæ orationis pondere urgeret, quare, si in nostra esset positum potestate, omnes peccatorum tentationes solis voluntatis viribus superare, Deo diceretur, ne nos inferas in tentationem? *Refert Aug. in fragmento 1. post Serm. de tem p. Tom. 10. ex Augypij Ab. Tom. 1.* *Rogamus* inquit adversarius, *ne nos inferas in tentationem ne aliquid mali patiamur quod non habemus in potestate: ne ruam de equo & ne frangam pedem, ne latro me interficiat, & quid huiusmodi. Hæc enim, inquit, non habere in potestate: nam vincere tentationes peccatorum meorū, si volo, & possum, nec Dei adiutorio possum.* Videntur autem ad hunc arrogantiæ gradum non initio prosiluisse, sed paulatim profecisse. Idcirco enim Augustinus Epistola nonagesima citata dixit: *Hoc eorum sacrilegas disputationes necessariò sequi ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem.* Nempe quia nondum hoc tunc aperte profitebantur. Vnde ad Anastasium apertius hoc declarans *non quia audent*, inquit, *hoc aperte dicere, sed eorum sententiam velint nolint hoc utique sequitur.* *Epist. 144.* Postea tamen audaciores vel impudentiores facti etiam sermone professi sunt, quod corde sentiebant, & ex sententia sua religatum esse cernebant.

Tertium dogma, quod illa perfectionis doctrina consequitur, est, non esse itidem rogandum Deum pro peccatorum remissione, nam quamvis peccata, si qua voluntatis libertas commisisset, à Deo dimittenda fateantur, eo tamen perfectionis pervenire posse statuunt, ut hoc nihil opus sit amplius dici. *Quæ impietas*, ait Augustinus, *contradicit etiam orationibus nostris, concedens quidem ut dicamus, dimitte nobis debita nostra &c. & hoc ita concedens ut asserat hominem in hoc corruptibili corpore quod aggravat animam posse suis viribus ad tantam iustitiam pervenire ut neque hoc illi sit dicere necessarium, dimitte nobis debita nostra.* *Epist. 94.* Vnde insultabat Augustino Iulianus, *quod in populo, & cum populo Dei pectus tunderet.* *Lib. 3. cont. Iul. c. 11.* Cui Sanctus Doctor: *Nec insultetis hinc nobis, inde quippe estis hæretici quia hæc displicent vobis.* Ipsi verò, quia istam orationis formulam Apostolis à Christo traditam negare non poterant novis excogitatisque tergiversationibus superbiam suam palliabant. Dicebant

 enim

enim eam Apostolis cum adhuc infirmi erant fuisse præscriptam. Pelagiani enim sunt, quos insinuat Augustinus quando dicit: *Forte dicet hoc aliquis quando illos docuit Dominus* IESVS *orationem, adhuc parvuli erant, infirmi erant, carnales, nondum erant spiritales qui non habent peccatum.* Cùm verò convincerentur eandem omninò orationem ab Apostolis post resurrectionem Domini cùm jam perfecti essent frequentatam alio suffugio vim veritatis quidam eludentes: *Etsi orabant eam*, inquiunt, *sancti & perfecti jam Apostoli, nullum omnino habentes peccatum, non tamen pro seipsis, sed pro imperfectis adhuc peccatoribus dicebant, dimitte nobis debita nostra, sicut &c. ut per hoc quod dicerent nostra in uno esse corpore demonstrarent, & illos adhuc habentes peccata, & seipsos qui jam carebant omni ex parte peccato.* Alij ita volebant eam à *sanctis dici ut humiliter non veraciter diceretur.* Vtramque evasionem Carthaginenses Patres referunt & septimi octavique canonis authoritate condemnant.

Hom. 43. c. 7. — *Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 10.* — *Concil. Carthag. can. 8.* — *Ibid.*

Propter istas igitur duas causas sublatæ pro dimittendis peccatis, & pro vincendis tentationibus orationis, Augustinus cum Patribus Milevitanis queritur, quod nova hæresis & nimium perniciosa tentaret surgere inimicorum gratiæ Dei *qui nobis*, inquiunt, *etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre.* In cujus rei fidem utriusque dogmatis impietatem tangunt, quæ nec pro præteritis peccatis diluendis, nec pro futuris cavendis fideles deprecari sinit.

Epist. ad Innoc. Pap. 92. apud Aug.

Argumenta nonnulla quibus non peccandi possibilitatem asserunt.

CAPVT XVI.

Argumenta verò quibus perfectionis illius possibilitatem astruunt, ut homo sine peccato, si velit, vivat, non pauca ex medio Philosophiæ penu proferunt. Imprimis quod peccato non possit ullo modo natura debilitari atque vitiari. Instáter hoc agit Pelagius apud Augustin. magna parte libri de natura & gratia, ut supra suo loco fusius demonstravimus. Quod si ita est, manifestè sequitur sine peccato quemlibet si velit posse vivere. Voluntas enim primi hominis non natura ut à Deo primitus facta est, culpabilis fuit: Nam ita sine omni infirmitate fuerat condita, ut posset non peccare si vellet. Ejus verò posteros, dicit Pelagius, *non solum illo non esse infirmiores sed etiam plura implevisse præcepta cum ille unum implere neglexerit.* Atque istam naturæ integritatem seu non peccandi possibilitatem per Christi adventum demonstratum volunt *qui de peccato damnavit peccatum*, quia, inquit Pelagius, *de illius carnis substantia quæ ante serviebat peccato vicit, nunquam peccando peccatum & in eadem carne damnavit peccatum, ut ostenderet voluntatem esse in crimine non naturam, quæ talis à Deo facta est, ut possit non peccare si velit.*

Vide c. 29. — *Lib. de nat. & grat. c. 21.* — *Rom. 8.* — *In Comment. c. 8. Rom. n. 8.*

Deinde familiarissimum eorum argumentum est ac præcipuum ad asserendam justitiæ perfectionem quia præcipitur homini ut sit perfectus ac sine peccato: Dei autem præcepta sunt possibilia, *Dominus ait*, inquiunt Pelagiani, *estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est: quod non præciperet si sciret fieri non posse quod præcipit.* Nihil enim *præciperet Deus homini quod esset humanæ impossibile voluntati.* Cujus argumenti vis per modum dilemmatis proponitur apud Hieronymũ: *aut possibilia*, inquit Critobolus, hoc est Pelagianus, *Deus mandata dedit aut impossibilia.* Si possibilia in nostra potestate est ea facere si velimus. *Si impossibilia nec in hoc rei sumus si non facimus, quod implere non possumus, ac per hoc sive possibilia dedit Deus mandata sive impossibilia, potest homo sine peccato esse si velit.* Quod argumentũ & in Epist. ad Ctesiph. paulò brevius tangit. Vnde cum Catholici nonnulli dicerent levia quædam peccata ipsa multitudine quod sepe irruant non posse cuncta vitari, negabant Pelagiani *debere argui ne levi quidem correptione si vitari omnino non possent.* Nam si illi qui peccasse ponebantur, *idcirco*, inquiebant, *tales fuerunt quia aliud esse non potuerunt, culpa carent.* Ex quibus patet non tantum de singulis præceptis hoc argumentum ursisse Pelagianos, sed etjam de omnibus simul sumptis: atque ex eorum omnium possibilitate, possibilem homini perfectionem justitiæ conclusisse. Itaque Celestius cum scripturas tantum adduceret quibus homini præceptum est ut sit perfectus & sine peccato vivat, satis superq; se probasse putat, hominem in hac vita posse esse sine peccato. *Testimonia*, inquit, *quibus probatur præceptum esse homini ut absq; peccato sit.* Atque ita magnum catalogum earũ pertexit quæ præscribunt homini ut sit *immaculatus, Sanctus, irreprehensibilis, sine peccato atq; perfectus.* Et Pelagius ad illa scriptur e verba: *Exhibere vos Sanctos & immaculatos. Vide*, ait, *sciebat se impossibilia præcepisse.* Tractat hoc argumentũ sępius Iulianus non tantũ ut probet hominẽ sine peccato posse vivere sed etjam ut ipsum quoque peccatum originale, pręceptorum possibilitate subvertat.

Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 15. — *Ibid. c. 3.* — *Lib. 1. advers. Pelag. f. 833.* — *f. 812.* — *Lib. de nat. & grat. c. 12.* — *Ibid. c. 7.* — *Lib. de perf. just. c. 8. vide & c. 3. ratiocin. 6.*

Per hanc Apostolicam, ait ille, *sententiam demonstratur, propterea rectè judicari homines, quia præcepta possibilia non fecerunt, injuste autem judicarentur, si ea non fecissent quæ impossibilia juberentur.* Neque enim *ab homine jussum est aliquid amplius flagitare quam potest.* Instantissime hoc idem inculcat Pelagius, ut virgini Demetriadi possibilitatem perfectionis persuadeat. *Asscribimus*, inquit, *iniquitatem justo, pio crudelitatem dum eum primo impossibile aliquid præcepisse conquerimur.* Et post multa in eandem sententiam: *Nec impossibile aliquid voluit imperare qui justus est: nec damnaturus hominem fuit pro eo quod vitare*

Lib. 3. cont. Iul. c. 18. — *Ibid. c. 12.* — *In Epist. ad Demet.*

vitare non potuit qui pius est. Quæ verba graviter reprehendit refellitque Beda, tametsi perperam putet esse verba Iuliani. Vides, arbitror, quanti hoc argumentum facerent Pelagiani, quod & ex Augustini verbis manifestum est, quibus dicit: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri.* Neque enim existimant aliam esse posse præcepti rationem nisi ut eo audito homo faciat. Cùm enim his non obstantibus Catholici constanter tuerentur, neminem in hac vita sine peccato vivere, *Cur ergo jubet* inquiunt, *quod, cit nullum hominem esse facturũ?*

Lib. 1. Cant. Canticorum.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 16.

Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 16.

Tertium eorum non infimum argumentum ex ratione peccati petitur. *Ante omnia*, inquit Celestius, *interrogandus est, qui negat hominem sine peccato esse posse, quid sit quodcumque peccatum quod vitari potest, an quod vitari non potest? Si quod vitari non potest, peccatum non est; si quod vitari potest, potest homo sine peccato esse quod vitari potest. Nulla enim ratio vel justitia patitur saltem dici peccatum quod vitari nullo modo potest.* Ad quod conficiendum tres alias ibidem rationes ex natura peccati accersitas promit; quia *voluntatis est non necessitatis*, quia *accidens est non natura*, quia *actus est non res*. Multas alias rationes si videre lubet quibus armati prosiliebant ut sine peccato vitam transigi posse conficerent, consule librum de perfectione justitiæ qui ex professo in hunc errorem refellendum scriptus est. Nam pleraq; in eo conglobata sunt, quæ passim alibi sparsa reperiuntur. Inter quæ illud non postremum est, quod omnium Pelagianorum ore, scriptisq; inculcatur, ac veluti gigantæa moles assertorius Catholicæ veritatis opponitur, quod mandata Dei custodire seu non peccare sit voluntatis; Ergò, inquiunt, fit si volumus, non fit si nolumus: *Quod si nolumus*, aiunt apud Augustinum, *non peccamus*. Quod quidem innumeris scripturis voluntatem hominis commpellentibus, vel exigentibus, & accusantibus persuadere moliuntur, ut quod Apostolus dicit; *Quod vult faciat*. Quod Ecclesiasticus: *si volueris mandata servare conservabunt te*. Et, *apposuit tibi aquam & ignem ad quod volueris, porrige manum tuam*. Et similia. Sed omnium ore frequentatum est, illud Isaiæ: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis; quod si nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* His etenim & similibus multis quæ acervatim congerunt, sine ulla dubitatione confici putant, solo voluntatis nutu rem illam peragi, & hominem non peccare si velit: cum velle & nolle in nudo ipsius arbitrio collocet. Vnde Celestius urgens dilemmate: *Quærendum est*, inquit, *quomodo non potest homo sine peccato esse, voluntate, an natura? Si natura peccatum non est; si voluntate perfacile potest voluntas voluntate mutari.* Cum itaque Catholicus quærit, quando quidem homo sum instructus libertatis arbitrio, quomodo cum velim satisq; cupiam non peccare, delinquo? Respondent ut Hieronymus notat, *quia voluntas imperfecta est, si enim vere velles, vere utiq; non peccares*. Quod nihil est aliud, nisi, si efficaciter velles non peccares. Cum enim velle in solo hominis nutu collocatũ putent etiam quam efficacissime velle à solo ejus arbitrio pendere arbitrantur, atq; irrefragabiliter confici *hominem sine peccato esse posse, si velit*. Si enim velle non potest, jam eo ipso destruitur liberum voluntatis arbitrium: *Quod*, inquiunt Pelagiani, *aliter liberum non erit nisi fecero quod voluero.*

Lib. de perf. just. c. 2. ratiocin. 1.

Ratiocin. 2. 3. 4.

Toto c. 3. 4. 5. 6. 7.

Ibid de voluntario c. 1y

Lib. 2 de pecc. merit. & remiss. c. 3.

1. ad Cor. 7. Ecclesiast. 15

Vid. lib. de perf. just. c. 19 lib. 4. ad Bonif. c. 2. lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 133. lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 10. & Lib. de perf. just. c. 6.

Lib. 1. Dial. adv. Pelag. f. 814.

Apud Hier. Epist. ad Ctesiph. fol. 810.

Discrimen statuunt inter esse, & posse esse sine peccato.

CAPVT XVII.

PORRO observatione dignum est Pelagianos ut scripturas evadant quæ neminem in hac vita sine peccato esse convincunt, sæpe magis potestatem non peccandi quam effectum illius potestatis asserere. Nam quamvis magnum eorum quos sine peccato vixisse putant, subinde prætexant numerum; ut inter viros *Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Iesum Nave, Phinees, Samuel, Nathan, Heliam, Helizæum, Michæam, Daniel, Ananiam, Azariam, Misael, Ezechiel, Mardochæum, Simeon, Ioseph cui desponsata erat Virgo* MARIA, *Ioannem*; interque fœminas, *Delboram, Annam, Samuelis matrem, Iudith, Esther, alteram Annam filiam Phanuel, Elisabeth, ipsam etiam Domini ac Salvatoris nostri Matrem, quam sine peccato confiteri necesse esset pietati*: maximeque a *Abel*, b *Iob*, quia dicitur *verax, sine crimine, justus, Dei cultor abstinens se ab omni re mala*. & c *Zachariam cum Elisabeth*, quia dicuntur *justi ambo in conspectu Domini, & in omnibus mandatis incedentes & justificationibus Domini sine querela*: Non tamen illos veluti partem aut cardinem sui dogmatis sed veluti exempla dumtaxat proferunt de quorum tamen non sunt multum veritate solliciti. Aperte quippe non raro profitentur, non se defendere, quod quisquam sine peccato sit vel fuerit, sed tantum esse posse si velit. Audi ipsum Hæresiarcham dogmatis sui ac distinctionis interpretem: *Aliud est quærere an possit aliquid esse, quod ad solam possibilitatem pertinet, aliud utrumne sit. Neque ego dico hominem esse sine peccato; neque tu dicis, non esse hominem sine peccato. De posse & non posse, non de esse & non esse contendimus.* Ex quo capite ad omnes illas scripturas, quibus dicitur *nemo mundus à sorde, nõ esse qui non peccet. si dixerimus quia peccatũ non habemus*; & similes, uno verbo respõdent, *hujusmodi exemplis ostendi quales homines quodã tempore aliquo fuerint, non quod aliud esse non potuerunt, unde & vere inveniuntur esse culpabiles. Nam*, inquit, *si ideirco tales fuerunt, quia aliud esse non potuerunt, culpa carent*. Et inferius cùm ad illum Apostoli locũ, *omnes peccaverunt*, Respondisset hoc de illis intelligi qui tunc

Lib. de nat. & grat. c. 36 vide & Hieron. lib. 2. Dial. adv. Pelag. plane in fine. a Ibid c. 37. b Lib. 2. de pec. merit. c. 12. & lib. de perf. just. c. 11 & 12. c Lib. de perf. just. c. 17. & lib. de grat. Christi c. 48.

Lib. de nat. & grat. c. 7.

Iob. 14. Iux. 70. 1. Reg. 8. 1. Ioan. 1. Lib. de nat. & grat. c. 7.

Rom. 3

Digitized by Google

tunc erant Iudæis & Gentibus, hoc est, non de omnibus omninò, subjungit: *Sed esto consentiam, quia omnes peccatores fuisse testatur. Dicit enim quod fuerint, non quod aliud esse non potuerint. Quamobrem etsi omnes homines peccatores possent probari, definitioni tamen nostræ nequaquam id obesset, qui non tam quid homines sint, quam quid possint esse defendimus.* Quam potestatem tam pertinaciter in illo toto libro asserit, ut apertissimam illam scripturam, *linguam autem nullus hominum domare potest*, addita interrogationis nota corrumpat, quasi per exprobrationem diceretur, *ergone linguam nullus hominum domare potest? Tanquam objurgans*, inquit Augustinus, *& dicens domare feras potestis, linguam non potestis? Quasi facilius sit linguam domare quam feras.* Nec dissimiliter Celestius libro de perfectione justitiæ multis rationibus hoc tantùm astruit, hominem sine peccato esse posse. *Da mihi* (inquit, ex persona adversarij sui) *hominem sine peccato.* Et respondet: *Do tibi qui esse possit.* Et rursum interroganti: *Quis est?* Respondet: *Ipse tu. Quod si dixeris*, inquit, *ego esse non possum, respondendum est: Cujus culpa est? Quod si dixeris mea; dicendum est: & quomodo tua est si ipse sine peccato esse non potes?* Notavit & Divus Hieronymus hanc eorum versutiam. *Illud quoque argumentum vestrum*, inquit, *ferre quis possit? Dicitis in verbis: aliud est esse, aliud esse posse. Esse non est in nostra positum potestate, esse autem posse, generaliter dici: quod licet alius non fuerit, tamen possit esse qui esse voluerit.* Vbi tamen cum eos docere dicit, esse non est in nostra positum potestate, non rectè sensum eorum cœpisse vel explicuisse videri potest, quod & in alijs nonnullis ipsi contigit. Nam hoc ipso quo docebant nos sine peccato esse posse, si volumus, sentiebant, ipsum esse sine peccato, in nostra esse positum potestate. Vt enim rectissime docet Augustinus: *Hoc quisque in potestate habere dicitur quod si vult facit, si non vult non facit.*

Lib. de nat. & grat. c. 42.
Iacobi 3.
Lib. de nat. & grat. c. 15.
Lib. de perf. iust. c. 7.
Epist. ad Ctesiph. vers. finem.
Lib. de spir. & litt. c. 31.

Plerumque tamen non contenti solam non peccandi possibilitatem humanæ vendicasse voluntati, acerrimè solent pro ipsa adepta perfectione dimicare. Hinc enim scripturas omnes quibus omnes homines peccatores esse referuntur, studiosissimè conantur solvere quemadmodum paulò ante aliqua ex parte diximus, ut multos perfectionem justitiæ adeptos esse, se sentire declarant. Vnde de Apostolo Paulo imperfectum se profitente dicit Pelagius: *Quomodo negat se esse perfectum, si alij sunt, nisi humilitatis gratia, hoc dicto magis accipias?* Oblitus nempe sui est, qui de eadem alibi quæstione disputans acutissimè dixit atque verissimè: *In qua magis parte humilitas collocanda est? sine dubio falsitatis, si in ea quæ veritatis probatur esse superbia est.* Et alio in loco ejusdem Apostoli perfectionem asserens & probans: *Apostolus dicit*, inquit, *bonum certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi, superest mihi corona justitiæ: quod non diceret si haberet ullum peccatum.* De Sanctorum verò orationibus, quibus passim sua peccata deprecantur, & illa Danielis apertissima, *peccavimus, inique egimus, injuste gessimus, & recessimus a mandatis & justitijs tuis*, & cæteris hujusmodi solent (quod Hieronymus observat) dicere; *Quod & David & Daniel & omnes Prophetæ non pro se, qui Sancti erant, sed ex persona populi sunt locuti.* Quam eorum perversam sententiam & Augustinus insinuat: Et eodem fere modo illam Dominicæ orationis partem *dimitte nobis debita nostra*, eos pervertisse jam supra diximus. Hinc illa fluxit calumnia qua Catholicos insectantur quasi dicerent Apostolos ac Prophetas quos peccasse asserunt, *non plene Sanctos definiri, sed in comparatione pejorum minus eos malos fuisse: & hanc esse justitiam cui Deus testimonium perhibet, ut quomodo dicit Propheta, justificatam Sodomam comparatione Iudæorum; sic etiam criminosorum comparatione dicerent aliquos Sanctos exercuisse virtutem.* Ita Pelagiani religionis amatores & laudatores videntur sibi esse Sanctorum, si non audeant dicere imperfectæ illos fuisse virtutis.

In Comment. c. 3 ad Philipp. n. 30.
Lib. de nat. & grat. c. 34.
Daniel 9.
Lib. 2. dial. advers. Pelag. in fine.
Lib. 2. de pec. merit. & remiss. c. 10. supra c. 15.
Lib. 3. ad Bonif. c. 5.

Subinde tamen hanc moderationẽ videntur adhibere velle suæ sententiæ, quod nemo per totam vitam sine peccato fuerit, sed tantũ post longum perfectionis studium ac laborem, cum enim in Synodo Palestina Pelagio fuisset objectum quod in libro Capitulorum docuisset: *Posse hominem si velit esse sine peccato*, ita se defendendo respondit: *Non diximus, quod inveniatur aliquis ab infantia usque ad senectam qui nunquam peccaverit, sed quoniam à peccatis conversus proprio labore & Dei gratia possit esse sine peccato.* Vbi cùm dicit, *à peccatis conversus*, ostendit priorem vitam in peccatis agi, quo sensu hanc impeccantiam Divo Hieronymo teste, Origenes docet. Subinde verò nonnullos per totam vitam nihil omninò deliquisse confirmat. *De illis*, inquit Pelagius, *quorum justitiæ scriptura meminit, & peccatorum sine dubio meminisset, si qua eos peccasse sensisset.* De hominibus primis loquitur: ex quibus cum Adam, Euam, Cain Scriptura eadem teste peccasse commemorasset de Abel subijcit: *Quod si & Abel peccasset, & hoc sine dubio Scriptura dixisset, si non dixit ergò nec ille peccavit.* Et generalis est sententia Celestij: *Quoniam ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato.* Notavit hanc ejus Antilogiam Augustinus, uni ex judicibus Pelagij Palestinis scribens: *Fateatur ergo*, inquit, *quod peccaverit Abel &c. & respiciat librum suum ubi eum dixisse constat, quod ait in hac defensione* (in Synodo Palestina) *non diximus.*

Lib. de gestis Pelag. c. 6.
In proœmio dial. advers. Pelag.
Lib. de nat. & grat. c. 37.
Ibid.
Lib. de gestis Pelag. c. 11.
Epist. 252. ad Ioan. Episc. Hierosol.

Non

Non peccandi non modo possibilitatem, sed etjam facilitatem asserunt.

CAPVT XVIII.

SED parum Pelagianis fuit possibilitatem vivendi absque peccato omnibus hominibus tribuere, etjam magnam tantæ rei facilitatem asserunt. Hinc Heresiarcha ad Demetriadem: *Quod ideo à nobis faciendum fuit* (laudanda scilicet natura) *ut tibi planiorem viam ad perfectam justitiam sterneremus, quam eo facilius currere possis quo in ea nihil asperum, nihil inaccessibile esse cognoveris.* Quam sententiam infra latius ita prosequitur, ut eos qui de duritie præceptorum & humana fragilitate conqueruntur, Deum duplicis ignorantiæ accusare dicat, quasi nesciret quid faciendo hominem fecerit quid jubendo præceperit. Familiaris namque Pelagianorum consuetudo est, præceptorum facilitatem inculcare *Facilia,* inquit Hieronymus, *dicis Dei esse mandata & tamen nullum proferre potes qui universa compleverit.* Et cum in illo scripturæ loco, *quis gloriabitur castum se habere cor &c. Quis* pro *difficili* usurpari respondisset; *tolle ergo sententiam* infert Hieronymus, *& rade de libro tuo facilia Dei esse mandata.* Nam facilia esse mandata & facile vitam absque peccato transigi, eadem esse indicant Pelagiani vel unum ex altero consequi. Vnde Celestius justitiæ perfectionem cum se probasse sufficienter putat probando ex Apostolo Ioanne *quod mandata eius gravia non sunt.* Et quamvis in Synodo Palestina, nunquam Pelagio objectum fuerit, quod *facile* hominem sine peccato esse posse dixisset, sed tantummodo quod posset esse sine peccato & mandata Dei custodire si vellet, hoc tamen accusatorum putatur contigisse negligentiâ *qui nescio qua incuria*, inquit August. *minus posuerunt verbum de quo non parva est controversia.* Nam & in libro Capitulorum qui in ipso exordio hæresis nascentis exaratus est apertissime Pelagius asserit posse hominem sine peccato esse, & mandata Dei *facile* servare. Quomodo etjam quæstionem illam proposuit Augustino Hilarius, cum primum Syracusis inciperent illa zizania pullulare: & in quadam Epistola quam Pelagius post Palestinum judicium ad quemdam presbyterum amicum dedit, palam teste Augustino ita gloriari ausus est, *ut non solum possibilitatem non peccandi, sed etiam facilitatem sicut in libro Capitulorum eiusdem Pelagij positum est, indicantibus quatuordecim Episcopis se persuasisse iactaret.*

Epist. ad Demetriad. — *Epist. ad Ctesiph.* — *Proverb. 20.* — *Lib. 2. dial. advers. Pelag. non procul à fine.* — *Lib. de perf. iust. c. 1. apud Aug.* — *1. Ioan. 5.* — *Lib. de gestis Pelag. c. 30.* — *Epist. 88. apud Aug. vide & Ep. 95. vers. fin. & lib. de gest. Pelag. c. 35. ubi testatur illam Pelagij fuisse doctrinam.*

Neque ab hac facilitatis prædicatione etjam post Concilia Palestinum atque Africana quibus hæresis illa succisa est, discessit Iulianus, Nam in primo quod adversus Augustinum exaravit opere: *Perfacile,* inquit, *studio sanctitatis, quod Deus adiuvat, potest homo carere peccatis.* Et in postremo ad facilitatem justitiæ ostendendam, Pauli Apostoli verba pertractans: *ne quid arduum,* ait, *& inaccessum homini præcipere videretur, verbum de consuetudine usurpavit, ut humanum diceret, id est, facile, tractabile & quod tausarum comparatione mitescat.* Quod enim apposito Dei adjutorio impietatem tantillum temperat, mirum est astutiæ versipellis ludibrium, quo legem atque doctrinam pro divinæ gratiæ adjutorio minus cautis conatur obtrudere.

Lib. de gestis Pelag. c. 30. & 31. — *Aug. cont. Iul. c. 3.* — *Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. fol. 454.*

Ex hac igitur facilitatis justitiæ opinione quam tota illa hæresis contra Catholicos plenis buccis prædicat, gloriatio illa nascitur qua passim iactitare solent, quod cum se audiunt, *accenduntur homines ad virtutem;* cum autem Catholicos doctores audiunt, *desperatione franguntur ac remittunt studia perfectionis.* Itemque se *propter perfectionis prædicationem invidiam pati.*

Aug. lib. 2. cont. Iul. c. 8. vide & lib. 3. c. ult. & lib. 1. operis imp. f. 166. Ibid. lib. 2. c. 8.

Quæ quidem perfectionis facilitas duobus apud eos cardinibus vertitur. Primus est quod concupiscentiam quæ omnium tentationum nostrarum seminarium est ejusque motus quibus terrenis rebus inhiat, malos esse pernegarent. *Eo proposito,* ait Iulianus, *non esse in natura malum defendimus, ut ad virtutum studia homines incitemus; inculcantes nullum culmen ita arduum esse virtutis, ut non ad illud,* adjuvante Deo, *mens quæat fidelis evadere.* Et alibi: *homines convenimus, ne vobis credentes, emendationis desperatione frangantur, & recedant ab eruditione Christi, quasi ea præcipientis quæ capere mortalium natura non possit, quippe malo aggravata congenito.* Qua de re plura supra diximus. Videbant enim difficillimam esse perfectionem vivendi absque peccato si homini ab ipso ortu ingeniti sint motus mali, contra quos perpetua contentione dimicandum sit; facilem vero si motus hujusmodi statuantur naturaliter boni. Advertit hanc eorum versutiam scopumque, sugillatque Augustinus dicens: *Ita quippe potest facillime vera etiam esse vestra sententia qua dicitis hominem sine peccato esse si velit, non est enim quomodo faciat quod non licet, quando licet quidquid libet, quia bonum est quod naturaliter libet &c.*

Lib. 3. cont. Iul. c. ult. — *Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 166.*

Alter cardo quo facilitas illa nititur, est naturalis possibilitas & flexibilitas voluntatis. Non peccare enim fit voluntatis arbitrio; quidquid ex voluntatis pendet arbitrio, censent illi, hoc fit si velis, non fit si nolis. Vnde Celestius, *si voluntate* fit ut sine peccato non simus, *perfacile potest voluntas voluntate mutari.* Et usitata illa inter Pelagianos ratio & vox: *Si nolumus non peccamus,* quæ profecto si vera est, omnes omnino bene vivendi difficultates velut fulmen proterit. Sed de hac liberi arbitrij potestate plura superius consulenda sunt.

Lib. de perf. iust. c. 6.

Digitized by Google

Ἀπάθειαν inducunt quid illa sit, & unde hausta. Differentia inter impeccantiam & impeccabilitatem: inter sine peccato esse & ἀναμάρτητον.

CAPVT XIX.

EX hac non peccandi facilitate ad asserendam perfectam ἀπάθειαν progrediuntur. Quo nomine nihil aliud significatur, quàm perturbationum quibus animus humanus inquietari solet seu passionum impassibilitas: nimirum ut non tantum fracto impetu regantur ac temperentur, sed etjam funditus exstirpentur, vel ita certè domentur rationis fræno, ut nunquam homine commoveantur invito. Hunc fuisse Pelagianorum sensum luculentè declarat Augustinus. Nam cum Beati Ambrosij præclara verba ab omnibus Christianis audienda laudasset, quibus in libro de fuga seculi docet, *non esse in potestate nostra cor nostrum & nostras cogitationes quæ improviso effusæ mentem animumque confundunt, atque alio trahunt quam tu proposueris, ad secularia revocant, mundana inferunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore quo elevare mentem paramus insertis manibus cogitationibus ad terrena plerumque dejicimur*; de arrogantia sententiæ Pelagianæ subjicit: *Hæc si vos non patimini ignoscite, non vobis credimus:* &c. *Vobis autem etiamsi credamus & dicamus, orate pro nobis ut nec nos ista patiamur, ita vos invenimus elatos & alta sapientes, ut respondeatis nobis, non solum ista vos non pati, verum etiam in hominis esse potestate ne ista patiatur, nec esse causam cur ad hoc Dei poscatur auxilium.* Vera esse sensu Pelagianorum quo Augustinus hic ipsis tribuit, etjam Divi Hieronymi clarescit testimonio: *Pollicitus sum*, inquit, *me ad cunctas eorum qui ἀπάθειαν prædicant, quæstiunculas responsurum.* Et Pelagij orationem scriptis suis inserit; *Hæres*, inquit, *Ioviniani loquitur, sine omni peccato sum* &c. *Alij clausis cellulis & fœminas non videntes, quia miseri sunt & verba mea non audiunt torquentur desiderijs: ego etiamsi mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiscentiam. De me enim dictum est: Lapides sancti volvuntur super terram: & ideò non sentio quia liberi arbitrij potestate sum.* Insolentissimam magistri sui arrogantiam videtur imitatus fuisse inveteratus quidam dierum malorum Seneca qui tempore Gelasij Papæ tantam dicebat inesse homini potestatem liberę voluntatis, ut si vellet, inter adolescentulas posset versari, contrectare & tamen nullatenus inquinari ex hoc sensu ἀπαθείας illa opinor fluxit sententia, quæ Pelagio in Palestina Synodo objecta & in alium ab eo sensum detorta fuit, *malum nec in cogitationem venire*. Quamvis enim ut damnationem Episcopalem evaderet tantummodo significari diceret, *debere studere Christianum ne mala cogitet*, amplius tamen voluisse verisimillimum facit Origenes omnium Pelagia-

Lib. 2. cont. Iul. c. 8.

In proem. Dialog. advers. Pelag.

Lib. 2. Dial. advers. Pelag.

Gelas. in Epist. ad univers. Episc. per Picenum Ep. 5. Tom. 1. Epist. Rom. Pontif.

Aug. lib. de gestis Pelag. c. 4.

A norum fons, qui simili prorsus modo docet: *Virum Sanctum cum ad virtutum venerit summitatem ne in nocte quidem ea pati quæ hominum sunt, nec cogitatione vitiorum aliqua titillari.* Atque hujus Origeneanæ doctrinæ Pelagianum esse *ramusculum* Sanctus Hieronymus tradit. Quamquam nec Origenes hujus impassibilitatis primus author fuit. Nam ut nihil de Manichæo dicam *qui suos electos*, inquit idem Hieronymus, *quos inter animas Ieiæ nis in cœlestibus collocat, dicit omni tempore carere peccato, nec si velint posse peccare. Ad tanta enim eos virtutum culmina transcendisse ut carnis operibus illudant*, jam olim Stoici putantur fuisse illius ἀπαθείας sive imperturbationis authores. Illi enim passiones animi asserunt exstirpari posse de mentibus, & nullam fibram radicemque vitiorum in homine omninò residere meditatione & assidua exercitatione virtutum. Quamquam nonnulli pu-

B tent, atque inter eos Augustinus, aut nihil aut pœnè nihil distare inter Stoicorum aliorumque Philosophorum opinionem de passionibus & perturbationibus animorum. *Vtrisque enim*, inquit, *mentem rationemque sapientis ab earum dominatione defendunt; & ideo fortasse dicunt Stoici eas in sapientem non cadere, quia nequaquam eius sapientiam qua utique sapiens est ullo errore obnubilant aut labe subvertunt. Accidunt autem animo, salva serenitate sapientiæ, propter ea quæ commoda vel incommoda appellant.* Cui planè consentire videtur Seneca Stoicæ Philosophiæ peritissimus, multis in locis. Sed sive sapientum sive vulgi tantum opinione Stoici ἀπαθείας putentur amatores, Pyrrhonem tamen aliosque nonnullos Philosophiæ Principes eam ante Pelagium astruxisse testis est Plinius. *Exit*, inquit, *hic animi tenor* (æqualitas) *aliquando in rigorem quendam torvitatemque naturæ duram & inflexibilem affectusque humanos adimit: quales ἀπαθεῖς*

C *Græci vocant, multos eius generis experti: quodque mirum sit authores maximos sapientiæ Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclytum, Timonem.* De Pyrrhone etjam Cicero: *Aristoni summum bonum est in rebus medijs neutram in partem moveri: quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur: Pyrrho autem ea ne sentire quidem sapientem, quæ ἀπάθεια nominatur.* Quibus Stilponem addit Seneca & Pythagoram Sanctus Hieronymus.

Ex his ergò fontibus hausit ἀπάθειαν perfectorum virorum Origenes, & plerique Origenistæ, inter quos Evagrius Hyperborita teste eodem Hieronymo librum περὶ ἀπαθείας condidit. Accessit istis paulò ante Pelagium Iovinianus, *cuius*, inquit idem, *O Pelagi, à te nunc hæresis suscitatur.* Et alibi: *Iovinianus secunda quæstio*

Hieron. Ep. ad Ctesiph.

Ibid.

Lib. 9. de civit. c. 4.

Epist. 71. lib. de provid. c. 2. de ira lib. 2. c. 16.

Lib. 7. c. 19.

Lib. 4. Acad.

Epist. 9. Epist. ad Ctesiphontem & lib. 2. Dialog. advers. Pelag. fol. 862.

In proemio Dialog. advers. Pelag. Epist. ad Ctesiph.

Digitized by Google

quæstio tui ingenij disciplina est. Quod an ita se habeat merito dubitari potest. Nam secunda Ioviniani propositio eodem Hieronymo authore hæc est: *Eos qui fuerunt baptizati non posse tentari*, & consequenter non posse peccare, hanc enim Ioviniani esse sententiam, scripturæ quas allegat probant. Pelagius verò tametsi fieri posse dicat ut in perfectionis atque adeò *ἀπαθείας* culmine constitutus non tentetur neque peccet amplius nunquam tamen ei peccandi possibilitatem adimit, quasi si etjam vellet peccare non posset. Hoc enim capitalissimo totius doctrinæ Pelagianæ principio à diametro adversatur. Nihil enim diligentius commendant inculcantque Pelagiani quam dominatricem illam arbitrij libertatem, qua in utramvis sive boni sive mali partem homo flectitur, & quam humanæ naturæ essentialem & inamissibilem prædicant ut suo loco fusissimè demonstravimus. Quid quod disertis verbis hunc sui dogmatis esse sensum Pelagiani negant? Nam primus hæresis illius architectus cùm in Concilio Palestino premeretur quod hominem sine peccato esse posse dixisset, hoc ita se dixit intelligere, *quoniam a peccatis conversus proprio labore & Dei gratia* (natura) *possit esse sine peccato: nec per hoc tamen in posterum inconvertibilis*, quid est *inconvertibilis* nisi non carens potestate ad peccata se convertendi? Quem sui magistri, totiusque hæresis esse sensum totis ratiocinandi viribus agit demonstratque Iulianus, falsissimum esse clamans quod post baptismum hominibus boni necessitas imprimatur. Quamobrem, quod salvâ tanti viri reverentia ac pace dixerim, minus accuratè videtur Divus Hieronymus in ipsis initijs nascentis hæresis sensum eorum latebrasque penetrasse; verborumque vicinitate delusum, *posse non peccare*, &, *non posse peccare*, pro ijsdem usurpasse. Quod duobus indicijs liquido declarari potest. Vno, quod libro secundo Dialogorum dicit: *Successor Ioviniani audet loqui, eos qui plenum baptisma consecuti sunt, non posse tentari, imo alijs verbis posse hominem baptizatum, si voluerit, nequaquam ultra peccare.* Vbi posse non peccare, seu non peccare, & non posse tentari indifferenter pro ijsdem sumit. Altero, quod etjam Origenis sententiam esse dicit, *ad tantam fortitudinem hominem pervenire ut ultra peccare non possit.* Vbi nisi illud, *peccare non possit*, ita accipiamus, ut tantum significet fieri posse, ut homo perfectus, *non peccet amplius*, dogma traditur capitaliter ipsis cardinibus Origenicæ doctrinæ contrarium. Quid enim apud ipsum certius, stabilius, inculcatius, quam inamissibilem esse illam voluntatis indifferentiam qua semper in bonum ac malum flectere arbitrium potest? Vsque adeò ut ex hoc solo principio perpetuos illos salvandorum damnandorumque circuitus etjam in dæmonibus ac Sanctis Angelis fabricaverit, ut ex libro primo *περὶ ἀρχῶν* perspicuè patet. Addi potest & tertium; quod cum Hieronymus alicubi dicat Pelagium cum Ioviniano sentire, quod homo perfectus ultrà peccare non possit, in ipsa tamen cum illo dogmate velitatione atque congressu passim nihil impugnat aliud quam quod hominem *sine peccato esse posse deliret.*

Lib. 2. adverſ. Iovinian. — *Lib. de geſtis Pelag. c. 6.* — *Vide lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. ſ. 145. & ſeqq.* — *In proœmio Dialog. adverſ. Pelag.* — *c. 5. & 6. & alibi.*

Quam vocabulorum latinorum indifferentiam Hieronymus fortassis ex Græco mutuatus est. Nam quod nos *non peccare*, atque etjam *non posse peccare* dicimus, hoc Græci uno verbo *ἀναμάρτητον εἶναι*, vel *ἀναμαρτησίαν* vocant ut à Scapula & Henrico Stephano observatum est: pari ferè modo *impeccabilem esse* latius utrumque significare potest, & eum qui in eo perfectionis statu est ut ultra non peccet, & eum qui peccare non potest. Hæc ergò causa est, cur Pelagius quando pervicacissime nominem *sine peccato esse posse* confirmabat, & acerrimus erat *impeccantiæ prædicator* negaret tamen se *ἀναμαρτησίαν* aut impeccabilitatem inducere aut profiteri. Nam cum quidam paulò ante judicium Palestinum coram Ioanne Hierosolymorum Episcopo Pelagium accusaret quod hominem si voluerit sine peccato esse posse diceret, respondit ipse: *Non dixi, quoniam recipit natura hominis ut impeccabilis sit, sed dixi: quoniam qui voluerit pro propria salute laborare & agonisare ut non peccet, & ambulet in præceptis Dei, habet hanc possibilitatem à Deo.* Hoc est habet à Deo ut possit non peccare. Ecce quam apertum discrimen inter *possibilitatem non peccandi* seu etjam *impeccantiam* quam prædicabat, & *impeccabilitatem* Pelagius ponit. Nam impeccabilem esse non nudam impeccantiam sed peccare non posse significat, auferendo non solum peccatum ex vita hominis sed ipsam etjam peccandi potestatem. Quod ne quis ex ejus doctrina suspicaretur sequi, ideò superius dogmati suo præmuniendo addidisse diximus, *Non tamen imposterum inconvertibilis.* Simile quid & in Græco eum fecisse testatur Hieronymus. *Aiunt*, inquit, *posse hominem sine peccato esse si velit, quod Græci dicunt ἀναμάρτητον. Et quia hoc Ecclesiarum per orientem aures ferre non possunt, simulant se sine peccato quidem dicere, sed ἀναμάρτητον dicere non audere.* Nimirum, ut arbitror, quoniam etsi *sine peccato* & *ἀναμάρτητον* idem omninò esse videantur, ut sæpius Hieronymus docet, subinde tamen *ἀναμάρτητον εἶναι* & *ἀναμαρτησία*, non pro nuda *impeccantia*, sed pro ipsa *peccandi impotentia*, seu *impeccabilitate* sumuntur. Vidit hoc notavitque etjam Iustus Lipsius, dum Laertij in Zenone verba *ἀναμαρτήτους τοὺς σοφοὺς τῷ ἀπεριπτώτους εἶναι* Latinè reddit, *Impeccabiles sapientes esse quia labi non possunt*; & Cynicorũ effatum *τὸν σοφὸν ἀναμάρτητον* sapientẽ sine peccato, imò impeccabilẽ esse.

in verbo ἀναμάρτητον. — *Hieron. lib. 1. Dialog. adverſ. Pelag.* — *Lib. de geſtis Pelag. c. 30.* — *Lib. de geſtis Pelag. c. 6.* — *Epiſt. ad Cteſiph.* — *Ibid. & lib. 2. Dial. adverſ. Pelag.* — *In manuduc. ad Stoic. Philoſ. lib. 3 c. 15.*

Ecclesia tota ex solis justis & non peccantibus conflatur.

CAPVT XX.

NEQVE verò paucos aliquos hic illic sparsos inveniri perfectos viros volunt, sed eo prorumpunt superbiæ ut Ecclesiam totam in hoc mundo peregrinantem ex solis hujusmodi justis constare, hoc est sine ullo peccato viventibus constituant. Augustinus: *Etiam hoc audent Pelagiani dicere hominem justum in hac vita nullum habere omnino peccatum: & in talibus hominibus esse jam in præsenti tempore Ecclesiam non habentem maculam neque rugam aut aliquid hujusmodi, quæ una & sola sponsa sit Christi.* Et fastum eorum depingens alibi: *sunt quidam*, inquit, *inflati utres, spiritu elationis pleni, non magnitudine ingentes, sed superbia morbo tumentes, ut dicere audeant inveniri homines absque peccato. Dicunt ergo justos prorsus in hac vita nullum habere peccatum*, scilicet, nec *facto*, nec *verbo*, nec *cogitatione*, ut ibidem explicat. *Hæretici autem sunt Pelagiani itemque Celestiani qui hoc dicunt.* Et paulò post: *Et cum eis*

Lib. de dono persev. c. 5.

Serm. 29. de verb. Apost. c. 2.

B *dicitur, qui sunt isti justi qui sine peccato sunt? Respondent & dicunt; tota Ecclesia. Mirari potuissem, si invenirem unum, duos, tres, decem, quod quærebat Abraham: Abraham enim à quinquaginta ad decem descendit: Tu hæretice respondes & dicis mihi totam Ecclesiam. Vnde hoc probas? Probo, inquis* &c. Nempe illo Apostoli ad Ephesios loco, ad quem alludendo, *objectum est Pelagio* in Synodo Palæstina, *quod diceret: Ecclesiam hic esse sine macula & ruga.* A qua sententia non videntur procul abfuisse Donatistæ: quamquam aliquod discrimen agnoscat Augustinus quando dicit: *Vnde etiam Donatistæ diuturnum nobiscum habuerunt in nostra collatione conflictum, sed illos*

Lib. de gestis Pelag. c. 12.

Ibid. c. 12.

A *de permixtione malorum hominum tanquam paleæ cum frumentis propter areæ similitudinem potius urgebamus: qua similitudine etiam istis respondere possumus, nisi Ecclesiam in solis bonis vellent fortasse intelligi, quos nullum omnino asserunt habere peccatum, ut possit Ecclesia hic esse sine macula & ruga.* Vbi hoc discrimen inter utrosque videtur statui, quod Donatistæ illam esse Christi Ecclesiam faterentur, quæ eadem areâ comprehenditur, eodem reti Sacramentorum concluditur; quorum ambitu sine dubio palea & triticum, mali pisces & boni continentur: Pelagiani verò dicerent quantumvis iisdem Sacramentis & verbo Dei boni & mali, justi injustique pasci viderentur & eadem areâ contineri, in solis tamen justis Ecclesiam perfectisque consistere. Ex hac ergò vena videtur fluere & illud Pelagij pronunciatum, quod Augustinus & Hieronymus vehementer carpunt: *In die judicij iniquis & peccatoribus non esse parcendum sed æternis eos ignibus exurendos.* Quod quamvis Pelagius à Synodo Palæstina pressus de peccatoribus illis exposuerit, quibus fulmen judicis Dei intorquebitur: *Ite maledicti in ignem æternum*: generalius tamen illa verba sonant; quæ propterea Sancti illi tanquam ex hæretico sensu quo Dei misericordia omnibus omninò peccatoribus in Iudicio interdiceretur, prolata confutant. Nimirum omnes ita perfectos esse debere statuunt, ut omnibus omninò peccatis careant, alioquin tanquam extra Ecclesiam constitutos cum Ethnicis & Paganis sententia damnationis esse feriendos.

Aug. lib. de gestis Pelag. c. 3. Hieron. lib. 1. dial. advers. Pelag. colum. 838.

Perfecti viri in hac vita æquales beatis & Angelis Dei.

CAPVT XXI.

QVAM quidem perfectionem eo usque decernunt in hac vita progredi ut nec in futuro quicquam adjici posse videatur. *Pelagiani dicunt*, ait Augustinus, *justos in hac vita ideò vel esse vel fuisse, quia sine ullo peccato vixerunt in tantum ut vita futura quæ in præmio speranda est provectior & perfectior esse non possit.* Ex quo fit ut inter hominem justum in hac vita & inter Angelos quantum ad justitiæ perfectionem attinet, nihil interesse arbitrentur, sed sola dumtaxat resurrectionis immortalitate distare. Testis illius insolentiæ Augustinus, qui allatis Apostoli verbis; *Non quia jam acceperim aut perfectus sim*, Pelagianam responsionem subjicit. *Adhuc contradicitur* (à

Lib. 4. ad Bonif. c. 11.

in Philipp. 3

A Pelagianis) *& dicitur: Dicebat ista Apostolus, quia nondum pervenerat ad immortalitatem non quia non pervenerat ad justitiæ perfectionem. Iam ergò tam justus erat quam sunt Angeli, sed nondum immortalis sicut Angeli.* Quam illorum verborum interpretationem etjam in Commentarijs suis Pelagius profert. Illum verò apertissimum locum: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ qui me colaphizet*, quo suam Apostolus cófitetur infirmitatem, ita pervertunt ut dicant: *Confitetur infirmitatem sed carnis non mentis: confitetur infirmitatem sed corporis non animi. In animo autem est perfecta justitia non in corpore.* Vnde Augustinus de Iuliano ambulante in mirabilibus supra se

Serm. 5. de verb. Apost. c. 3. vide & c. 5.

Comment. in c. 3. Philip. v. 24. & 25.

Serm. 5. de verb. Apost. c. 4.

Sed

Lib. 6. cont. Iul. c. 13. *Sed tu tanquam in cælo iam inter Angelos immortaliter habitans verba infirmitatis & mortalitatis irrides.* Atque ideò humilitatis causa volunt Apostolum dicere se non esse perfectum. Detestatur hanc eorum superbam arrogantiam humillimus Doctor in literis ad Bonifacium: Lib. 3. c. 7. *Quam verò est* (ait) *non dico imprudens sed insana superbia nondum esse æquales Angelis Dei & putare se iam posse habere iustitiam æqualem Angelis Dei.*

A Quod quia Augustinus atque Catholici manifestissimis scripturarum testimonijs edocti pernegant, hinc nata illa calumnia: *Quod post* Ibid. *resurrectionem tales processus futuros esse dicant, ut ibi incipiant homines quæ hic noluerint, Dei mandata complere*; nempe quia Catholici dicunt non in hac vita, sed in futura, nullum omninò futurum peccatum, neque cum aliqua peccati cupiditate conflictum.

Homo per liberum arbitrium fit in hac vita æqualis Deo. De superbia Pelagianorum.

CAPVT XXII.

VT verò nihil desit, quo minus omnium judicio præsumptionis atque superbiæ palmam ferant, eo usque extendunt indomitæ illius libertatis vires virtutumque profectum efferunt, ut mortalem hominem ipsi Deo tandem æqualem fieri dicant. Nam de Pelagianis loquitur quando cum stomacho Hieronymus dicit: Epist. ad Ctesiph. *Quæ enim potest alia maior esse temeritas, quam Dei sibi non dicam similitudinem sed æqualitatem vindicare & brevi sententia omnium hæreticorum venena complecti?* De Pelagianis loquitur quando fontes detegēs unde suas hauserunt blasphemias: *Quorum omnium* (hæreticorum) *ista sententia est,* inquit, In proem. dial. advers. Pelag. *posse ad perfectionem & ut dicam absolute ad similitudinem sed æqualitatem Dei humanam virtutem & scientiam pervenire ita ut asserant se ne cogitatione quidem & ignorantia, cum ad consummationis culmen ascenderint, posse peccare.* Quamquam istud de asserta Dei æqualitate (ut quod verum est fateamur) non tam doctrinam eorum proferendo quam ex doctrina eorum colligendo atque inferendo Hieronymus tradere videtur. Quod alius ipsius locus perspicuum facit, ubi sic loquitur: Lib. 1. dial. advers. Pelag. *Vestrum decretum huc usque perveniet, ut dum singula calumniantur, manum iniiciant Deo, cur solus Deus sit, cur inviderit creaturis ut non omnes eâdem polleant maiestate. Quod licet non dicatis* (neque enim tam insani estis ut aperte pugnetis Deo) *tamen alijs verbis loquimini, rem Dei, hominis copulantes ut sit absque peccato, quod & Deus est.* Nimirum inde colligit eos hominis cum Deo æqualitatem tradere, quod hominem haud secus ac Deum sine peccato esse constituant. Quod non ita ab illo Sancto Doctore intelligitur ut verba sonant, quasi hoc ipso quod quispiā sine peccato vivat sit confestim æqualis Deo, quod falsum esse & Sanctus Augustinus docet & Lib. de nat. & grat. c. 33. Angelorum in beata vita status testatur. Sed tunc tantum si istam perfectionem suapte natura (ut Pelagiani ponunt) proprijsque viribus consequatur. Hoc enim sine dubio est soli proprium Deo. Quem sensum suum ipse Hieronymus multis in locis indicat, ut quando Lib. 2. dial. advers. Pelag. dicit: *Ille* (Christus) *nihil potest ex se facere, ut hominis indicet veritatem. Tu potes omnia peccata vitare* (scilicet per te sine adjuvante Deo) *ut adhuc in corpore constitutus attribuas* (id est

A æqualem Deo) *esse te doceas.* Et clarius libro primo: *Non intelligis quæ proposueris. Neque enim homo potest esse sine peccato, quod tua habet sententia; sed potest, si voluerit, Deus hominem servare sine peccato & immaculatum sua misericordia custodire.* Vnde aliquoties repetit: *Tolle posse,* Lib. 3. dial. advers. Pelag. paulo post initium & lib. 2. nempe per suas vires, *& ego esse concedam. Quomodo enim potest, qui per se non potest.* Quod apertissime aliquanto post in fine libri tertij declarat, adductis verbis Domini, Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum.

Sed quod Pelagium adversus quem Hieronymus dimicat, non ausum fuisse dicit ut divinam sibi æqualitatem arrogando aperte pugnaret Deo, hoc discipulus ejus Celestius præstitit. Eo namque insaniæ progressus est, ut ex illo quod ait Petrus, divinæ nos esse consortes naturæ, consequens esse diceret, *ut ita* Lib. de gestis Pelag. c. 35. *possit esse anima quemadmodum Deus* Syllogismum B enim istum facere accusatur apud Iudices Palestinos: *Quoniam si anima non potest esse sine pec-* Ibid. c. 18. *cato ergò & Deus subiacet peccato, cuius pars hoc est anima, peccato obnoxia est.* Quod quidem in undecimo capitulo libri qui Celestij esse ferebatur, his verbis legisse se Sanctus Augustinus dicit: *Quomodo quispiam illius rei consortium su-* Ibid. c. 35. *scepit, a cuius statu & virtute extraneum esse definitur.* Vnde qui ista in Palestina Synodo Pelagio tanquam magistro Celestij objecere, sic acceperunt tanquam ejusdem naturæ Deum atque animam esse diceret. Hausit impietatem istam & stultitiam à Stoicis: quorum illud effatum fuit, *sapientem Deo parem.* Audi efferentes sese sapientiæ humanæ voces: *Sapiens* Seneca Epist. 59. *ille plenus gaudio, hilaris & placidus, inconcussus, cum Dijs ex pari vivit.* Et ineptius delirantis: *Solebat sæpius dicere Iovem plus non posse quam bonum* Epist. 73. *virum. Plura Iupiter habet quæ præstet hominibus, sed inter duos bonos non est ille melior qui locupletior.* C Quibus paria Cicero cum stoicizat & Epictetus habent. Et in apice stultitiæ insanientis: Cicero 2. de nat. Deorum Epict. diss. 1. c. 12. & diss. 2. c. 15. *Deus non vincit sapientem felicitate etiamsi vincat ætate.* Imò verò (horror est vel audire) *est aliquid quo sapiens antecedat Deum, ille natura bene-* Epist. 53. *ficio non suo sapiens est. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei.* Nonne istud est quod vertiginosa illa superbia eructavit, quando hominem si sine peccatis viveret, *Deo meliorem*

Digitized by Google

Author qq. vet. & novi Test. q. 109. *meliorem fieri arbitratur? Quia natura*, inquit, *quæ potest peccare, sicut & non peccare, si semper vinceret, illi naturæ præponenda erat quæ ideo non peccat, quia impossibilis est.* Et ne sine ratione delirasse videretur: *Non enim* (addit) *magnum videtur non peccare, quia non potest: magnificum autem si cum posset peccare, non peccaret.*

En tandem limitem insaniæ Pelagianæ & culmen gyganteæ superbiæ, esse natura, hoc est essentia, consortes, virtute pares, si non superiores Deo. Quid ipse Lucifer hæreseon omnium architectus, arrogantius & detestabilius comminisci & persuadere potuisset? Nonne istud ipsum telum fuit, quo primos homines in paradiso vulneravit, stravit atque interfecit? *Aperientur*, inquit, *oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* *Genes. 3* Quod tanto impetu in eorum viscera vibratum est, ut cuspis in ipsas intimas fibras nondum natæ posteritatis penetraverit. Hinc ille fastus perpetuus humani generis morbus quo ab initio instabilis illius ruinæ nonnulli suæ virtutis, suæ justitiæ, suæ felicitatis authores esse voluerunt; videlicet ut tantæ potestatis scientiæque testimonio posteri ostenderent id quod diabolus majoribus suis pollicitus fuerat non imprudenter eos aut temere credidisse. Quod malum quamvis in omnium hominum cordibus inquietissimos tumultus excitet mundumque perturbet, in Stoicis tamen, Iudæis, atque Pelagianis in fœdissimas erupit fœditates. *Rom. 3.* Omnes enim isti, *ignorantes Dei justitiam, &*

A *suam volentes constituere, justitiæ Dei* ejusque gratiæ adjutorio *subditi* esse noluerunt. Hinc illi Deum è libero arbitrio, isti Christum per crucem ex mundo, hi IESUM seu Salvatorem ex Ecclesia sustulerunt: Omnesque suum vel sapientem vel Pharisæum, vel perfectum ad omnem omninò virtutem atque impeccantiam sufficere arbitrantes, ipsi sibi tanquam primogeniti Satanæ persuasoris sui & apertis oculis scientes bonum & malum certatim se Deos esse non tantùm voluerunt sed etiam nonnulli blasphemando dixerunt. Quo meracissimo vino inebriati Pelagiani, superbiam istam alia superbia volentes tegere, eam turpius denudarunt. Cùm enim ab eis quæreretur utrum ipsi essent illi perfecti, angelici atque divini viri qui sine ulla peccati macula aut ruga viverent, se peccatores esse ficta humilitate respondebant cum tamen se *Sanctos* *Epist. ad Ctesip. vers. finem.* B *esse*, ut advertit Hieronymus, *& omni peccato carere* vellent intelligi. Unde Augustinus: *Propter humilitatem ergo mentiris?* Quam superbissimam hypocrisin eis nonnunquam exprobrat: *Dolus*, inquit, *abundat in ore vestro. Ubi enim virtus non est, & tanta jactantia est, hypocrisis est.* *Serm. 29. de verb. Apost. c. 3.* *Lib. 2. con. Iul. c. 8.* Et paulò superius loco citato contra Iulianum: *Dolus est in ore vestro sive peccatores vos esse dicatis & justos credi velitis, sive profiteamini perfectionem justitiæ quam profecto in vobis non esse sentitis.* Sed hæc de superbia Pelagianorum sufficiant.

FINIS.

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE HÆRESI PELAGIANA
LIBER QUINTUS.
Quo continentur tres primi status Pelagianismi.

PRÆFATIO.

NUNC ad cardines ipsos Pelagianismi propius accedendum est, & in medium proferenda lustrandaque dogmata de Dei gratia, propter cujus negationem potissimum innotuerunt Pelagiani & ab Ecclesia separati sunt. Quod ut majori luce fiat diversi status istius hæreseos distinguendi sunt, accurateq; annotandum, quomodo diversis coloribus eandem errorum suorum impietatem palliando, à seipsis paulatim in multis discrepare visi sint, ac tandem in nonnullis articulis semi-Pelagianismi vultum induerint.

Primus

Primus Pelagianismi status Ethnicismus: nudam naturam prædicat.

CAPVT PRIMVM.

PRIMVS itaque Pelagianismi status ille ipse est quem hactenus toto libro superiore depinximus. Hic sanè omnium pessimus fuit, nulla omninò gratiæ temperatione dilutus: quam tunc ne nomine quidem tenus in suis disputationibus agnoverunt. Quidquid enim de cavendis omnibus peccatis diximus, quidquid de superandis tentationibus, delendis consuetudinibus, frænandis exstirpandisque passionibus: quidquid tandem de operibus bonis exercendis, ac diligendo Deo, quidquid de justitiæ facilitate, & vita sine ullo ducenda peccato, quidquid denique de assequenda ἀπαθείᾳ ipsaque Angelorum ac Dei æqualitate recensuimus, hoc totum solis ingenitæ libertatis viribus, ac naturali lege ita obtineri posse statuerunt, ut nullam omninò gratiam ad tantum opus sive legis sive remissionis, sive exempli, sive cujuscumque alterius, quæ postea commenti sunt sibi non solùm postulandam sed neque nominandam esse censerent. Hunc statum hæresis ista in ipsis suis habet incunabulis quando primo à Pelagio proferri & prædicari cœpit. Tunc enim puram putamque naturam sicut à Deo conditur, & ex utero matris prodit, nullo externo sive scientiæ sive potentiæ munitam præsidio, sed solo liberæ voluntatis arbitrio & naturali illa possibilitate, ad omnia omninò quæ ad bonam beatamque vitam magna facilitate consequendam pertinent, abundè sufficere docuerunt. Luculentissime hoc testatur Innocentius Papa ad Patres Concilij Carthaginensis: *Et qui nos adjutorio negat indigere divino quasi ex nostra in totum possibilitate perfecti.* Et paulò post: *quid tam mortiferum tam praeceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula si hoc solum nobis putantes posse sufficere quod liberum arbitrium cum nasceremur accepimus, ultra iam à Domino nihil quæramus? Id est, authoris nostri obliti, eius potentiam ut nos ostendamus liberos abiuremus, quasi iam amplius quod possit dare non habeat qui te in tuo ortu liberum fecit.* Similia in litteris ad Patres Concilij Milevitani videre licet & passim in Divo Augustino occurrunt. Indicat primum istum fuisse Pelagianismi statum Sanctus Hieron: *Illud verò quod ad decipiendos homines quosque postea huic sententiæ coaptarunt non absq; Dei gratia, cum prima legentes fronte decipiat introspectum & diligentissime ventilatum decipere non potest. Ita enim Dei gratiam ponunt ut non per singula opera eius nitamur & regamur auxilio sed ad liberum referunt arbitrium &c.* Si postea suæ sententiæ coaptarunt (*non absque Dei gratia*) eamque gratiam ad liberum arbi-

Epist. 91. ad August.

Epist. ad Ctesiph.

A trium retulerunt, ergò initio ne quidem liberi arbitrij gratiam commendarunt aut meminerunt, sed solam naturam hominis ita conditam cum libertatis arbitrio. Indicat idem apertius Augustinus. Cùm enim Pelagianorum verba protulisset, quibus dicere soliti erãt; *justos nos libera voluntate facimus. Quando conditi sumus liberum arbitrium accepimus.* Atque ea prolixius disputando retulisset, tandem adjicit: *Hæc enim est disputatio eorum quando primo exterriti cœperunt, & contra gratiam disputare &c. Disputantes ergò contra gratiam pro libero arbitrio fecerunt auribus pijs & Catholicis offensionem &c. invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei disputo.* Et mox ostendit quomodo ipsum liberũ arbitrium Dei gratiam esse defenderent, ut sic gratiæ qualicumque nomine disputationum suarum invidiam frangerent. Ex quo constat B inventum illud quo *gratia libero arbitrio coaptata est*, non fuisse omninò primum, sed ad imperitos decipiendos tollendamque præcedentis impiæ prædicationis invidiam posterius excogitatum.

Serm. 11. de verb. Apost. c. 2.

Ibid. c. 7.

Porrò primus iste Pelagianismi status nihil est aliud nisi purum putumq; Ethnicę Philosophiæ somnium ut potius Paganismus quam hæresis nuncupari posse videatur. Quid enim egerunt tanto disputationum impetu Philosophi hujus mundi maximeque Stoici nisi ut hominem ipsum sibi repudiato omni sive Dei sive alterius adjutorio, ad omnem virtutem, sapientiam, felicitatemque sufficere persuaderent? Audi genuinum Philosophum Pelagio præcinentem. *Est aliquid quo sapiens antecedat Deum: ille naturæ beneficio, non suo sapiens est. Ecce res magna habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei.* Ecce suo beneficio non Dei hominem sapientem fieri putat. Et alibi: C *Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso & ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas Deo propior?* Quasi cæterorum bonorum vota Deo essent remittenda, ad parandas verò animi opes solus homo sibi ipse sufficeret. Vnde alibi luculentius: *Tunc beatum esse te iudica cum tibi ex te gaudium omne nascetur.* Nimirum quia ut ipse delirat *unum bonum est quod beatæ vitæ causa & firmamentum est* SIBI FIDERE. Quo fonte hausta credo illa Pelagij quæ tantopere Augustinus detestatur. *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergò iure laudanda es, in his merito cæteris præferenda es, quæ nisi ex te & in te esse non possunt.* Hinc celebris impietate Ciceronis vox in persona Cottæ quia sibi quisque virtutem acquirit, *neminem unquam acceptam Deo retulisse, propter virtutem enim iure lauda-*

Seneca Epist. 53.

Epist. 20.

Epist. 124.

Epist. 31.

In Epist. 143 ad Iul.

Pelag. Epist. ad Demet.

Lib. de nat. Deorum.

laudamur, inquit, *& de virtute nostra gloriamur, quod non contingeret, si id donum à Deo non à nobis haberemus.* Ac paulò post, *judicium hoc omnium mortalium est, fortunam à Deo petendam; à se ipso sumendam esse sapientiam.* Quam Pelagianorum cum Philosophis Ethnicis similitudinem Augustinus intuens non immerito dixit: *Quibus utique, quoniam Christiani appellantur magis observandum est quam Iudæis, de quibus hoc dicit Apostolus, ne offendant in lapidem offensionis vehementer argute defendendo naturam & liberum arbitrium; quemadmodum Philosophi huius mundi, qui vehementer egerunt ut putarentur vel putarent sibi beatam vitam virtute propriæ voluntatis efficere.*

Epist. 106. ad Paulin. in fine Rom. 9.

Vnicum fundamentum hujusce status comminiscendi & quo tota doctrina Pelagiana nititur est *naturalis* illa *possibilitas* sive *libertas arbitrij ad bonum & malum.* Quam quia secundum Philosophos hujus mundi erectam putant, propulsatricem necessitatum, indomitam, nullis vel amoribus, vel terroribus, vel erroribus superabilem, nec ullo modo *capi posse, si dedi ipsa noluerit*, hinc veluti inexpugnabili atque insolubili argumento persuasi nihil aliud ad quævis ardua vel aggredienda vel perficienda virtutum opera, superandasque tentationes requiri arbitrantur, nisi hoc unicum duntaxat, ut arbitrium adsit: juxta illam vulgatissimam eorum vocem: *Si volo justus sum, si nolo justus non sum. In potestate habeo justum esse & injustum non esse.* Hanc machinam, quam nulla vi rationum frangi Celestius & Pelagius crediderunt, nulla arte subverti, non magis atq; hominem ex homine tolli, hinc factū est ut quamcumq; tandem gratiæ nomenclaturam impietati suæ prætexuerant vel vires naturæ peccato ulla docuerunt esse debilitatas, nunquam tamen penitus ab illo primo doctrinæ suæ statu tacendo corde discesserint, sed eum semper per ambages occultosque circuitus repetiverint. Nec tamen diu in eo sine ullo impietatis velo palam nudeque prædicando perstiterunt: Sed statim post ipsa initia aliquam gratiæ larvam assumere Catholicorum offensione compulsi sunt, ita ut vix ullus Pelagij vel liber vel Epistola superstes sit ubi ille hunc aliquo gratiæ pallio in medium prodeat.

In Iul. lib. 1. oper. imperf.

Aug. Serm. [illegible]

Secundus Pelagianismi status, Semi-Ethnicismus: gratiam naturæ extollit.

CAPVT SECVNDVM

SECVNDVS itaque Pelagianismi status est, quo *naturam ipsam tanquam gratiam* agnoscere & prædicare cœperunt. Vt enim Augustinus notat, *ad eandem naturam pertinet arbitrium voluntatis*: nempe quia naturæ hominis naturaliter concreatum est. Quem quidem statum, & causam unde natus est Augustinum exponentem audiamus: *Disputantes ergò contra gratiam pro libero arbitrio* (secundum ea quæ jam de primo statu diximus) *fecerunt auribus piis & Catholicis offensionem: cœperunt horreri, cœperunt ut certa perniciem devitari, cœpit de illis dici quod contra gratiam disputarent: & invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei disputo. Vnde probes? Eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo. Videte acumen, sed vitreum, quasi lucet vanitate sed frangitur veritate.* Et intra commentum suum interpretantes Pelagiani dicunt: *Quia hominem Deus creavit, & liberum donavit arbitrium, quidquid homo potest de libero arbitrio, cuius gratia debetur, nisi eius qui eum condidit cum libero arbitrio?* Et in libro de gratia & libero arbitrio: *Et hoc Pelagiani ausi sunt dicere gratiam esse naturam in qua sic creati sumus, ut habeamus mentem rationalem, qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei ut dominemur piscibus maris.* Quam ideò gratiam appellabant ut exponunt Patres Concilij Carthaginensis; quia talem instituisset quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. Alibi hanc gratiam non aliter ad naturam referunt nisi quia à Deo est conditus homo: *Quidquid*, inquiunt, *etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum est, quia & hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset. Cum vero ut sit aliquid, atque ut homo sit, non habeat nisi à Deo, cur non tribuatur authori Deo etiam quidquid in illo est bonæ voluntatis, quod non esset nisi esset in quo esset, hoc est, nisi est bonæ voluntatis causa atque subiectum.* Eadem ergo omnino significatur gratia quam Deo acceptam ferunt, quia *hominem fecit*, quia *naturam dedit*, quia *liberum donavit arbitrium*, quia *fecit ut habeamus mentem rationalem*, quia *nos in ortu nostro liberos fecit*, quia *naturæ author est, cui possibilitatem non peccandi dedit*, quia *per propriam voluntatem legem Dei possit implere*, & si quo alio modo exprimatur. Nihil enim aliud volunt, nisi justitiam nostram Dei gratiæ esse tribuendam, quia naturæ humanæ Deus liberum inseruit arbitrium, quo naturaliter potest, si tantum velit omnia Dei mandata implere: quæ propterea *non peccandi possibilitas* eaque *naturalis* dicitur.

Epist. 143. ad Iulianum

Serm. 11. de verb. Apost. c. 7.

Cap. 13.

Epist. 90. apud Aug.

Ep. [illegible]

Lib. de grat. Christi sæpe ibidem c. 25. & 33.

Status iste ex professo à Pelagio defensus fuit in libro cui Augustinus suum de natura & gratia opposuit: *In hoc libro* ait Augustinus, *ille Dei gratiam non appellat nisi naturam, qua libero arbitrio conditi sumus*, quod in libro de gestis Pelagij repetit. Et initio Epistolæ ad Paulinum. Nam cum sibi ipse Pelagius illam, in qua intolerabilis videbatur cordibus Christianis, obiecisset his verbis quæstionem: *Sed hoc est quod multos movet, quod non per Dei gratiam hominis*

Epist. 95. ad Ioan. Hieros. & Epist. 95. ad Innoc. Papā Lib. de gestis Pelag. c. 25. Epist. 106. Apud Aug. lib. de nat. & gratia.

homines sine peccato esse posse defendis: Sic se ab illa objectione expedit: *O ignorantia cacitas! O imperita mentis ignavia, qua id sine Dei gratia defensari existimat, quod Deo tantum audeat debere reputari. Nam cum dicitur*, inquit, *ipsum posse* (hoc est illam naturalem *non peccandi possibilitatem*, ut infra eam nominat) *arbitrij humani omninò non esse, sed authoris naturæ, Dei scilicet, ecqui fieri potest ut absque Dei gratia intelligatur, quod ad Deum propriè pertinere monstratur?* Quod ut manifestius elucesceret, continuò cujusq; rei possibilitatẽ, uti loquendi, audiendi, videndi, ita & non peccandi, quam naturæ propter liberum arbitrium inseparabiliter insitam esse tradit, ad naturæ authorem Deum, adeoque ut declinaret Christianorum invidiam ad Dei gratiam pertinere declarat. Vnde Augustinus quasi vulpecula extra latibulum deprehensa exclamat: *Expressa est sententia qua latebat, non est quemadmodum possit abscondi, ideò Dei gratia tribuit non peccandi possibilitatem, quia eius natura Deus author est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit:* nempe *quoniam*, ut alibi exponit, *condita est cum libero arbitrio* quod auferri non potest.

Cap. 48. & 51.

Lib. de nat. & grat. c. 51

Lib. de gestis Pelag.

Porrò hæc gratia naturæ seu liberi arbitrij omnibus hominibus est communis, pijs & impijs, Gentilibus atque Christianis, ut sæpe Augustinus docet & Pelagius confitetur; *Quam liberi arbitrij potestatem dicimus in omnibus esse generaliter in Christianis Iudæis atq; Gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium aequaliter per naturam.* Atque ideò omnes impios merito judicandos damnandoq; censet, quia cum *habeant liberum arbitrium per quod* tanquã per gratiã primã Dei *ad fidem venire possent, male utuntur libertate cõcessa.*

Serm. 11. de verb. Apost. & Epist. 95 Pelag. in Epist. ad Innoc. Papã apud Aug. lib. de grat. Christi c. 31.

Ibid.

Secundus iste Pelagianismi status in rei veritate non nisi solo nomine distat à primo. Easdem enim omninò naturæ vires prædicat, hoc tantum discrimine quod secundus causam proferat quæ naturæ tantas vires gratis dedit, ne gratiam omninò neglexisse videretur. Quam siquis in ipso initio à Pelagio postulasset; mirũ si negare vel etjam reticere potuisset. Nam talis gratia etjam à Gentilibus nonnullis Philosophis prædicata fuit etiam tum cum liberi arbitrij potestatẽ superbissime ventilabant: ut meritò hic status *Semi-Ethnicismus* vocari posset. *Quis dubitare potest*, ait ille Stoicus, *quin Deorũ immortalium munus sit quod vivimus, Philosophia quod bene vivimus? Itaque tanto plus nos debere huic quam Dijs, quanto maius beneficiũ est bona vita quam vita.* Audin superbiam extollentem sese adversus ac supra Deum? Ne tamen divinę gratię omninò oblitus videretur quasi puduisset eum arrogantiæ, corrigendo subjicit: *pro certo deberetur, nisi ipsam Dij Philosophiam tribuissent.* Gratularer sapientiæ ô bone Stoice, nisi quod una manu Deo dederas, confestim quasi pœnitens ad te ipsum altera revocasses. *Cuius*, inquis (Philosophiæ) *scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus.* Nempe Philosophiæ hoc est sapientiæ, bonæ beatæq; vitæ facultas à Deo omnibus data est, ipsa verò sapientia, vel ut Stoica phrasi loquar, Philosophiæ beatæq; vitæ scientia quam nos virtutem dicimus, nemini. Nonne istud ipsum est quod Pelagius alijs verbis dicit; *Non peccare*, ubi est culmen omnis sapientiæ, *nostrum est, posse vero non peccare non nostrum?* Et iterum: *In voluntate & opere bono laus hominis est, imò & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quiq; ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio*, sed hoc adjutorium postea adjectum fuit. Neq; enim diu in ista sola naturali gratia profitenda perstitit, eo quod statim homines intelligerent sibi fucum fieri & & gratiæ nomine eandem iterum naturam obtrudi. Vnde in nullo Pelagij opere, quod vel etjam-num superest, vel à Sancto Augustino citatum legere potui, nuda illius gratiæ professio invenitur, nisi in illo libro quem in naturæ commendationem scriptum & ab Augustino refutatum diximus: quem fortassis ideò sibi vel *inemendatum* questus est *fuisse subreptum*, vel omninò *negavit suum*. Quanquam & in illo ipso libro cum ex professo naturam tanquam gratiam assereret, *aliquando idque tenuiter* (ita legendum puto) *nec aperte ei coniungi ret vel legis adiutorium vel remissionem etiam peccatorum.* Scriptus est autem ille Pelagij liber sub ipsum initium hęresis Pelagianę ut alibi declaratũ est.

Seneca Epist. 90.

Lib. de nat. & grat. c. 48

Lib. de grat. Christi c. 4.

Aug. lib. de grat. Christi c. 2.

Aug. lib. de gestis Pelag. c. 23.

Tertius Pelagianismi status Iudaismus: quando inductus.

CAPVT TERTIVM.

CVM igitur illa gratiæ confessio à Catholicis veluti prorsus fraudulenta damnaretur, aliam excogitarunt, quę communiter gratia *legis* atq; *doctrinæ* dici solet. Cui quoq; remissionem peccatorum addiderunt. Augustinus: *Eam esse Dei gratiam* (dicit hæresis Pelagiana) *quia sic conditi sumus ut hoc voluntate possimus: & quod adiutorium legis, mandatorumq; suorum dedit, & quod ad se conversis peccata præterita ignoscit. In his solis esse Dei gratiam deputandam, non in adiutorijs nostrorum actuum singulorum.* Quod tanquam pro tempore Concilij Palestini dictum intelligi debet. Hæc verò quoq; non tanquam dogmatis illius capitalis de naturali possibilitate non peccandi, mutatio, sed additio quædam & palliatio fuisse existimanda est. Idq; ex duobus capitibus, primo quod quamvis arbitrium per legem adjuvari dicant ad faciendam justitiam, tantum tamen valere putant ut etjam per se tametsi difficilius ad eandem implendam possit sufficere. *Quod qualecunque*, inquit Augustinus, *& quantulumcunque adiutorium eum credibile est in hoc constituere quod nobis additur scientia, revelante spiritu* per

Lib. de gestis Pelag. c. 35.

Lib. de grat. Christi c. 40.

ed by Google

A *per doctrinam, quam vel non possumus, vel difficile habere possumus per naturam.* Et apertius paulo post: *Ibid. c. 41.* *Quamvis & ipsam viam* (quæ per legem & Euangelium nobis revelatur) *contendat etiam sola inveniri posse natura, sed facilius si adjuvet gratia.* Secundo, quod etjam obtento jam legis adjutorio, id est habita præcepti, & justitiæ faciendæ cognitione, non ipsa lex, sed solum arbitrium sine ullo alio adjutorio, per se sufficiat sibi ad adipiscendam justitiæ perfectionem: *Ibid.* *Vt videlicet*, ait August. *tanquam via demonstrata*, doctrina, scilicet, Euangelica, *qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrij adjutorio nullo alterius indigentes sufficiamus nobis ne deficiamus in via.* Et alibi: *putant enim se arbitrij sui viribus implere legem jubentem.* Hæ namq; erant Pelagianorum voces: *Serm. 2. de verb. Apost. c. 3.* *Iam ambulo viam istam: opus erat ut discerem, opus erat ut per doctrinam legis scirem quid agerem, habeo liberum voluntatis arbitrium; quis me ab ista via separabit?* Vnde hæc est apud Pelagia- B nos differentia inter gratiam liberi arbitrij & legis, ut Augustinus insinuat, *Lib. de Hæresib. Hæres 88.* quod liberum arbitrium sit *illa gratia, sine qua nihil boni possumus facere:* *Ibid.* Lex verò atq; doctrina adjuvet quidem hominem, atque liberum arbitrium *ut discamus quæ facere & quæ sperare debeamus*, sic tamen ut sine illa per nos ipsos etjam multa vel omnia scire possimus atque agere ut supra dictum est. Hæc etjam gratia legis atque doctrinæ statim in exortu ipsius erroris inventa est. Quidquid enim librorum vel Pelagij, vel Celestij, vel Iuliani exstat, vel Augustinus contra illam pestem condidit, de illo genere gratiæ mentionem facit: argumento non dubio jam statim ab initio, quo saltem scriptis libris contra Pelagianos dissertatum est, istud commentum viguisse: atque in eo pervicacissime perstitisse. Nunquam enim eos plene ab illo dogmate recessisse legimus, quidquid tandem fuci ad deludendos imperitorum oculos Pelagius & Iulianus affricuerint.

Porrò ad utriusq; istius gratiæ confessionem naturæ inquam & legis seu præceptorum, non veritate persuadente, sed pudore superbiæ extorquente compulsi sunt, quia invidiam negatæ gratiæ non ferebant. August. *Sed cum urgeri cœperint, quomodo id præsumant asserere fieri sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent dimittere, quoniam vident quam sit impia & non ferenda. Sed aiunt, ideo ista sine ope divina non fieri, quia & hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta ipse docet quemadmodum homini sit vivendum.* *Lib. de Spirit. & litt. c. 2.* Et inferius: *Neque quisquam eum verecundatus fuerit dicere per nos ipsos fieri nos justos &c. Quia videt hoc à fidelibus & pijs credi non posse cum dicitur, ad hoc se convertat ut dicat, ideo sine operatione gratiæ Dei, nos justos esse non posse, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia bona præcepta mandavit.* *Ibid. c. 19.*

Iste status Pelagianismi omnium est celeberrimus, acerrimeq; defensus: quamquam non aliud nisi purus ac putus *Iudaismus* esse videatur. Iudæis enim proprium est *in lege gloriari*, & *Rom. 2.* Christi gratiam, ipsumq; gratiæ fontem tanquam sibi non necessarium tollere. *Ignorantes enim*, prorsus uti Pelagiani, *justitiam Dei, & suã quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subiecti.* *Rom. 10.* Notavit hanc similitudinem Pelagianorum ac Iudæorum Sanctus Augustinus: *Nam & illi Iudæi*, *quibus*, inquit, *sunt isti in hac causa omninò simillimi, de quibus hoc dixit Apostolus, quod ignorantes Dei justitiam &c. sua voluntatis vitio non credebant.* *Epist. 106. ad Paulin. in fine.* Et alio in loco: *His autem* (Iudæis) *similes sunt, qui cum profiteantur se esse Christianos, ipsi gratiæ Christi sic adversantur, ut se humanis viribus divina existiment implere præcepta &c. & non quidem nomine sed errore judaizant. Quisquis ab isto carnali & animali, atq; ideo non immerito reprehensibili atq; damnabili Iudaismo esse quærit alienus &c.* *Epist. 200.* Cujusmodi genus hominum errantium Pelagium atq; Celestium illius impietatis *assertores acerrimos* sibi capita invenisse declarat.

Legis laudes & vires, effectus, ejus justitia, vita æterna ad regnum cœlorum.

CAPVT QVARTVM.

NAM ut incautis hominibus facilius A legis atque doctrinæ gratiam pro vera gratia obtrudant, magnifica verborum pompa vires legis ad afferendam bene vivendi facilitatem efferunt, & effectus enumerant, usque adeò ut quidquid à sacris paginis illi intimæ charitatis inspirationi tribuitur, quidquid Spiritui Sancto in abditissimis cordis visceribus operanti assignatur, hoc totum per legis atque doctrinæ efficaciam fieri fraudulenter persuadeant. *Lib. 4. ad Bonif. c. 5.* Quam versutiam notans Augustinus: *Nusquam*, inquit, *isti inimici gratiæ ad eandem vehementius oppugnandam occultiores moliuntur insidias, quam ubi legem laudant, quæ sine dubitatione laudanda est.*

Hinc in laudibus legis illos nobilissimos gratiæ effectus ponunt, ut quod lex sit illa quæ nos *confortat* ut omnia possimus, dando, ut ait Pelagius, intelligentiam. Quod lex sit illa per quam Deus fit *potens nos confirmare*, signis scilicet atque *doctrinis*. *In c. 16. Rom. n. 17.* Quod lex faciat ut *nulla tentatione moveamur*. Idem Pelagius: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum: hoc est qui consolatione legis utuntur, moueri nulla tentatione non possunt.* *In Comment. 15. Rom. n. 7.* Quod lex *restinguat peccatum*. Iulianus: *Quod* (peccatum) *infregit censura legis, & infringendo ex multa parte restrinxit.* *In lib. 2. op. imperf. cont. Iul. f. 278.*

Quod

Quod lex facit ut *regnum peccati cadat*. Iterum A
Ibid. f. 407. Iulianus : *Post hoc autem intulit usque ad legem regnasse peccatum, ostendens regnum peccati lata lege cecidisse.* Quod lex tollat *peccatum mundi*. Idem
Ibid. f. 408. Iulianus: *Peccatum de quo Apostolus pronunciat quia usque ad legem fuerit, nec potuerit manere post lege à actionis non nativitatis esse convincitur.* Et alio in
Fol. 178. loco : *quod dicit usque ad legem fuisse*, peccatum videlicet, *ostendit non esse post legem.*

Neque magnam tantum liberandi à malis habet lex potestatem, sed etjam *operandi in nobis voluntatem atque opus bonum.* Dilucidis enim
Lib. de grat. Christi c. 10 verbis Pelagius dicit : *operatur in nobis* (Deus) *velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum &c. revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem; dum nobis &c. suadet omne quod bonum.* Et in Commentarijs in Epistolas Pauli,
In c. 5. n. 20. exponens illud ad Ephesios : *fructus lucis in omni bonitate & iustitia & veritate : Talem*, inquit, *habet scientia fructum.* Vnde Augustinus Pelagij B
& Orthodoxi viri sensum quantum ad bonum & malum in hac vita comparans docet, Catholicum sic legem bonam à Deo datam defen-
Lib. 4. ad Bonif. c. 3. dere, *ut eam dicat & peccatum ostendere, non tamen tollere, & iustitiam iubere, non tamen dare: quod contra Apostolum negat Pelagius.* Hinc illa Pelagianorum adversus Ecclesiam grauis accusatio, *quod legem veteris Testamenti* diceret *non ob hoc datam fuisse, ut iustificaret obedientes*, quo volebant ipsi significari *ex lege homines iustificari*.

Singularia sunt illa juxta sectarios illos legis atque doctrinæ in præsenti sæculo beneficia, sed quanto illa magnificentiora ad quæ fideles glorificatos perducit ? Nam secundum Pelagianos lex *vitam æternam tribuit*. Augusti-
Lib. 1. ad Bonif. c. 5. nus: *Pelagiani dicunt veterem legem secundum Apostolum iustam & sanctam & bonam custodientibus mandata sua, ac per fidem iustè viventibus, sicut Prophetis & Patriarchis; omnibusque Sanctis vitam potuisse conferre perpetuam.* Vbi verum falso per- C
miscendo callidissime verba sua posuerunt. Nam secundum illos eosdem Pelagianos lex non minus ac novi Testamenti gratia *perducit ad regnum Dei.* Vna enim Celestij quæ & Pelagio in Concilio Palestino objecta est, senten-
Lib. de gestis Pelag. c. 11. tia fuit : *Quoniam lex sic mittit ad regnum quemadmodum Euangelium.* Quo sensu & illud à Pe-
Ibid. c. 5. lagio in libro Capitulorum dictum arbitror: *Regnum cælorum etiam in veteri Testamento promissum*, ut significare voluerit promissiones spiritales ad regnum cœlorum pertinentes non minus veteri Testamento, ac legi quæ in Sina data est, esse proprias, quam novo: quamquam ipse tergiversando verba sua in alium sensum torqueat, quo spectat etjam quod contra Apostolicam veritatem satis indicat se sentire Iu-
lianus, etjam *promissionem & hæreditatem esse ex lege.* *Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 306.*
Hinc itaque tanta legis commendatio ut diceret *sine peccato esse non posse nisi qui scientiam legis habuerit.* *Lib. de gestis Pelag. c. 1.*
Quod quidem dogma cum ei tanquam capitale in Palestina Synodo fuisset objectum, tergiversando in aliam sententiam flexit, quasi nihil aliud significasset nisi *adiuvari hominem ad non peccandum per legis scientiam*, *Ibid.*
cum longe aliud verba ista postularent, prout animadvertit Augustinus, & ante illum Hie- *Ibid.*
ronymus. *Qui prædicator es impeccantiæ*, inquit, *omnes prope peccatores esse pronuncias. Quotus enim quisque Christianorum habet legis scientiam; quam in multis Doctoribus Ecclesiæ aut raro aut difficulter invenias.* *Lib. 1. Dial. adv. Pelag f. 830.*
Verum ille dogmatum suorum filum sequens magna liberalitate adjecit aliud: *Scientiam legis etiam feminas habere debere*, videlicet ut *favorem* sibi *apud Amasonas suas conciliaret*, *Ibid.*
inquit Hieronymus. Hinc ipsas orationes nostras quibus Dei gratiam supplicibus votis imploramus ad nihil aliud volunt esse adhibendas, ac necessarias, *nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur*, nempe ut ita *ostendatur homini quod concupiscat & diligat : non ut adiuvetur mens hominis, ut quod faciendum esse didicerit dilectione & actione perficiat.* *Lib. de grat. Christi c. 41. Ibid. c. 30. Cap. 41.*

Quid mirum igitur si tam profusi legis præcones magno id egerint studio, ut si quid Apostolus ad deprimendam quorundam gloriationem in lege dixisset, homines dumtaxat culpasse non legis infirmitatem demonstrasse videretur. Nam quod Apostolus de lege dicit; *in quo infirmatur per carnem*; *In illis*, inquit Pelagius, hominibus scilicet *infirmabatur non in se.* *In Com. c. 8. Rom. n. 5.*
Illud verò apertissimum : *Lex iram operatur*, sic exponunt ut nihil aliud significari putent, nisi quod lex peccatoribus pœnam statuat. Iulianus: *Talibus* (prævaricatoribus) *lex iram operatur: non vitio suo, sed eorum iniquitate qui peccata virtutibus anteponunt.* *Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 369. Fol. 370.*
Quasi iram non operetur etjam justis, nisi spiritu adjuventur. Vnde ut commodum hæresi suæ sensum ex illis verbis exsculperet : *Lex subintravit ut abundaret peccatum*; *Rom. 5.*
ad eas teste Augustino, blasphemias se impingit, ut dicat, *opinionem divini consilij, quo data lex fuerat, iniuriam pertulisse; tanquam aliud factum sit quam Deus fuerat opinatus; neque hoc provenerit data lege quod lator legis intenderat.* *Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 436.*
Nimirum quia Deus legem dando hoc spectaverat ut à peccatis suis illâ legis gratiâ sanarentur, sed ut Iulianus loquitur, *delinquentium pravitates è ferro quo curari debuit, vulneravit obstititque consilio Dei; ut inde periclitarentur ex lege scilicet, unde debuerat sanari.* *Fol. 435.*

Legis ſcopus. De tribus ſtatibus generis humani, ſub natura, ſub lege, & ſub gratia.

CAPVT QVINTVM.

HIc ergò ſecundùm Pelagianos eſt A legis datæ ſcopus, ut ſanitas morbis, & moribus delinquentium per legem afferatur. Expreſſit hoc improbante licet vehementer Auguſtino idem ille Iulianus cùm dixit: *ambigi non poteſt hanc fuiſſe cauſam maximam promulgandæ legis ut proderetur, & caveretur peccatum, quod prius latebat.* Non enim per legem prodi tantum peccatum juxta illud Apoſtolicum, *per legem cognitio peccati*: &, *peccatum non cognovi niſi per legem*: ſed etjam *caveri* volunt. Quod ſi non fiat non legis inſufficientia ſed hominum culpa contingere. Ipſi enim, ait Pelagius, *ad maiorem mercedem accipientes legem per ſuam negligentiam non cuſtodientes, in manus ceciderunt delicti.* Sic videlicet ipſo authore *Lex* ad ſalutem data *ſubintravit, ut abundaret delictum.* Quo autem ordine lex iſtud præſtet, & qua occaſione fuerit neceſſaria, operæ pretium eſt ex Pelagianę doctrinę fundamentis expendere. B

Lib. 2. cit. f. 281.

Rom. 3.

Rom. 7.

Cùm Pelagiani ab iſta nimia naturæ & liberi arbitrij defenſione repellerentur, per quam ſupra diximus eos omnem juſtitiam, juſtitiæq; perfectionem angelicam ac divinam, naturalibus humanæ naturæ ac liberi arbitrij viribus, (quas Deus videlicet gratis dederat) adſcripſiſſe, non facile invenire potuerunt, cur natura illa quæ ſine peccato, ſine vitio, ſine pœna integra & fortis naſcitur, aliud adjutorium, atque hoc ipſum non niſi legis doctrinæq; ie poſtularet. Cui neceſſitati naturæq; imbecillitati ut aliquod velum dogmate ſuo ſalvo prætenderent, tres in humano genere ſtatus commenti ſunt, unum ſub lege naturæ, alterum ſub lege Moyſi, tertium denique ſub gratia, illa nempe quæ propriè Chriſti dicatur. Nam alioquin & natura ſecundum ipſos, & lex ipſa Moyſis gratia vocatur, etſi non propria Chriſti. Sub lege naturæ vixiſſe docent homines primos uſque ad tempus datæ legis. Tunc enim propter illam primæ conditionis integritatem, nulla omninò gratia niſi naturæ indiguiſſe, ex qua propter vigorem naturalis legis naturalemque arbitrij libertatem, quam homini Deus creando contuliſſet juſtè ſanctéque vivere poſſent, *& omnia mandata Dei facilè cuſtodire ſi vellent.* Sic ergò quod ante generaliter per omnes hominum ætates, ubique locorum per ſolam illam primam naturæ, & liberi arbitrij gratiam fieri poſſe docuerant, ad ſolam illam primorum hominum vitam mitigando reſtrinxerunt. Audi ipſos differentes, atque ita dividentes tempora Pelagianos, ut dicerent: *Primum vixiſſe iuſtos homines ex natura, deinde ſub lege, tertio ſub gratia. Ex natura ſcilicet ab Adam tam longa ætate qua lex nondum erat data. Tunc enim, aiunt, duce ratione cognoſcebatur creator, & quemadmodum eſſet vivendum ſcriptum gerebatur in cordibus, non lege litteræ ſed naturæ.* Et luculentius ipſemet Pelagius: *Nec illud eſt parvum argumentum ad comprobandum naturæ bonum, quod illi primi homines per tot annorum ſpatia abſque ulla admonitione legis fuerunt, non utique quod Deo aliquando creatura ſua curæ non fuerit, sed quia ſe talem ſciebat hominum feciſſe naturam, ut eis pro lege ad exercendam iuſtitiam ſufficeret.* Quod non mirum eſſe ſentiunt, eo quod ſicut apud Proſperum dicunt.

Lib. de pecc. orig. c. 26.

In Epiſt. ad Demet.

Lex inſita cordibus, intus
Hoc moveat quod ſcripta foris.

Carm. de ingrat.

ADdunt verò, peccandi licentiam & conſuetudinem magis paulatim magiſq; invaluiſſe. Ex quo factum ſit, ut natura à teneris educatione depravata exemplíſq; corrupta, legis inſtructione poliri debuerit, & veluti limâ ignorantiæ rubigo deteri, ut naturali integritati reſtituta, vi legis juſtitiam implere ſufficeret. Hunc eſſe ſecundú hominis ſub lege Moyſi ſtatum. *Quando* ait Pelagius, *recentioris adhuc naturæ usus vigebat, nec humanæ rationi velut quandam caliginem, longus uſus peccandi obduxerat, ſine lege dimiſſa eſt natura, ad quam Dominum nimijs iam vitijs* A *obrutam, & quadam ignorantiæ rubigine infectam, limam legis admovit, ut eius frequenti admonitione expoliretur, & ad ſuum poſſet redire fulgorem.* Et in Commentarijs in Epiſtolas: *Pœne lex in oblivione erat naturalis, quæ ſuggerebat quod ſit peccatum, idcirco lex litteræ ſuperinducta eſt, ut commoneret oblitos.* Subſcribunt magiſtri ſui verbis diſcipuli: *Verum*, inquiunt, *vitiatis moribus ubi cœpit non ſufficere natura iam decolor, lex ei addita eſt, qua velut lima fulgori priſtino, detrita rubigine redderetur.* Vnde Proſper Pelagianorum jam proſtratorú voces Semi-Pelagianis præformans canit:

Epiſt. ad Demet.

In c. 7. Rom. v. 18.

Lib. de grat. Chriſti c. 26.

Dicite multos
Arte & ſponte ſua ſanctos ab origine mundi
Abſque Deo placuiſſe Deo.

Lib. de ingrat. c. 28.

ECce habes ſtatum legis naturæ.

Decretaque legis
Tunc data cum pejor mos & corruptior ætas,
Terrore inſtanti, & formidine legis egeret.

Dicite

Digitized by Google

Dicite plectentes apices mortisque ministros
Hoc expresse operis, quod gratia vivificatrix.

ECce habes statum sub lege. Ex quibus liquet ex duobus capitibus legem fuisse necessariam, uno, ut rubiginem ignorantiæ velut lima detereret; altero, ut contra contractam & invalescentem peccandi consuetudinem homo legis exhortatione pœnaque muniretur. Vtrumque breviter tangit Pelagius: *Lex*, inquit, *propterea data est ut nos non transgredi vel cogeret vel doceret, usque dum Christus veniret.* Sic enim exponit illud Apostoli; *Propter transgressionem posita est* (lex) *donec veniret semen cui promiserat.*

In c. 3. Galat. n. 3.

Adijciunt denique, cum propter nimiam humani generis corruptionem, quæ peccandi consuetudine inoleverat, lex non sufficeret amplius ad justificandum, ad implendam mandatorum justitiam, Christus tanquam tanti mali medicus venit qui homines adventus sui medicina sanaret: Pelagius: *Sed posteaquam nimia peccandi consuetudo prævaluit, cui sananda lex parum valeret, Christus advenit, & tanquam morbo desperatissimo, non per discipulos sed per seipsum medicus ipse subvenit.* Et in Commentarijs, Christum venisse docet ut justificatio legis impleretur in nobis, nempe: *ut quod in illis* (Iudæis) *repugnante carnali consuetudine implere non potuit, in nobis saltem impleatur, qui exemplo Christi mortificabimus carnem.* Et ideò qui hoc tempore ex operibus legis sunt, sub maledicto esse decernit, *quia iam prævaluit consuetudo peccandi, ut nemo iam perficiat legem.* Atq; isto sensu docet, in *plenitudine temporis* missum esse Filium Dei, *quia*, inquit, *iam impletum erat tempus quando legem per malam consuetudinem nemo poterat custodire.* Nam olim ipso delirante, hoc homines poterant: *sine fide autem Christi* ut alibi garrit, *sacræ litteræ*, legis & Scripturarum, *iam non sufficiunt ad salutem.* Hinc Pelagius apud Augustinum hominem sub lege positum, qui etsi bonum appeteret voluntate, usu tamen præcipitaretur in malum, vult ab A Apostolo induci clamantem, quis me liberabit à corpore mortis hujus? *Quem*, inquit, *ab hoc consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum qui credentibus sibi primo omnia per baptismum peccata dimittit: Deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo.* Hi sunt igitur tres illi diversi ac celebres status, sub quibus varijs temporibus homines justè vixisse contendunt; quos breviter omnes indicat & eorũ totam sententiam explicat quodam loco August: *Hoc vos non vultis intelligi gratia Christi ut eâdem gratiâ* IESV *Christi salvi facti credantur antiqui; sed distributis tempora secundum Pelagium, in cuius libris hoc legitur, & ante legem dicitis salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum, quasi hominibus duorum superiorum temporum ante legem scilicet & in lege sanguis Christi non fuerit necessarium.* Qua in re quamvis verbis aliam doctrinam ab illa prima proferre videantur, dum B tandem Christi gratiam videntur agnoscere, re tamen vera si bene eorum doctrina ponderetur, unum idemque per ambages docent. Eò quippe tendunt omnia, ut per naturam & liberum arbitrium, sine ullo veræ Christianæque gratiæ adjutorio justitia statuatur. Nam sive dicant per legem esse justitiam, quam velut viam demonstratam arbitrij sui viribus homo ambulet; sive dicant ad hoc hominem per Christi doctrinam magis exactæ viæ pericula, anfractus, ac diverticula declarantem, adiuvari, nihil aliud profecto dicunt quam si aperte profiterentur per naturam, hoc est naturales liberi arbitrij vires, quicquid faciendum, cavendumq; didicerit, facientis atq; caventis esse justitiam. Quod tunc constabit plenius, cum causas effectusq; adventus Christi totamq; naturam gratiæ quam hominibus per incarnationem suam attulit, ex doctrina Pelagiana protulerimus.

Lib. de grat. Christi c. 26. — In c. 8. Rom. n. 5. — In c. 3. Galat. n. 14. — In c. 4. n. 3. — c. 3. Epist. 2 ad Tim. n. 12. — Lib. de grat. Christi c. 39 — Lib. 1. ad Bonif. c. 11.

In tribus situm est adjutorium gratiæ Christi, & primò, de remissione peccatorum.

CAPVT SEXTVM.

TRIA sunt adjutoria propter quæ peccatoribus afferenda Christum venisse, perfectamque vitam ac mortem hominibus exhibuisse profitentur: *Remissionem peccatorum, Doctrinam Euangelicam, & virtutis exemplum.* Quod ad primum attinet, fatentur Pelagiani, *divinitus esse expianda peccata commissa, & pro eis Dominum exorandum esse, propter veniam scilicet promerendam: Quia id quod factum est, facere infectum, multum ab ipso* (Pelagio) *laudata potentia naturæ & voluntas hominis non potest*, inquit Augustinus. Et alibi: *Dicunt etiam gratiam Dei, quæ data est per fidem* IESV *Christi, quæ neque lex est neque natura, ad hoc tantum valere ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.* Hoc autem secundũ ea quæ diximus cum ista moderatio- A ne intelligunt, ut ista Christi gratia sit necessaria non omnibus, sed ijs tantum qui peccaverunt. Posse enim hominẽ ita perfectè vivere, ut nulla peccati cujusquã remissione indigeat. Ad hoc igitur Christum venisse docent, ut peccata quæ effręni legis trãsgressione cõmissa fuerant, non sicut lex comminando, ulciscendoque puniret, sed credentibus liberalissime condonaret, & male vivendi consuetudinem baptismi sui gratia tolleret. Luculente declarat hoc Iulianus cũ Augustino disputans, de illo Apostoli Pauli loco, *quis me liberabit de corpore mortis huius.* Hoc enim Apostolum retulisse docet; *ad consuetudinem delinquendi, à quo reatu post incarnationem Christi per Testamentum novum quisq; liberatur.* Quam Christi gratiã accuratius explicando subjicit. *Ostendit unicum esse in illa tempestate subsidium, si cre-*

Lib. de nat. & gr. c. 18. — Ibid. — Lib. de grat. & lib. arb. c. 13. — Lib. 1. imperf. contra Iul. f. 82.

ſi crederent Chriſto, qui ſic indicebat cautionem de futuris, ut veniam condonaret peractis, nec inſiſtebat legi in tentatione ſupplicij, ſed concurrentes liberaliſſimo gremio confovebat, non exanimans terrore depreſſos, ſed reparans benignitate correctos. Vbi per *veniæ condonationem* perque benignitatem qua gremio liberaliſſimo foverentur, nihil intelligit aliud, niſi remiſſionem quæ per fidem peractis peccatis datur. Quod multo clarius paulò poſt explanat ubi differentiam Chriſti & legis in Synopſim contrahit: (*Fol. 84.*) *Commendans ergo,* inquit, *hanc gratiam Iudæis, quia lex punit ſceleſtos, nec habet illam efficientiam miſericordiæ quam Baptiſma: in quo confeſſione brevi, actuum delicta purgantur, oſtendit debere illos currere ad Chriſtum, implorare opem huius indulgentiæ & advertere quod lex morum vulneribus comminetur, gratia vero efficaciter celeriterque medeatur.* Ecce diſcrimen legis & gratiæ Chriſti, quatenus remiſſionem peccatorum complectitur, quod ante ipſum eodem ferè modo Pelagius expreſſerat: (*In c. 4. ad Rom. n. 25.*) *Non ex lege hæreditas, ſed ex fide; lex enim non donat peccata ſed damnat.* De qua remiſſionis gratia in Pelagianorum ſcriptis ſæpiſſime fit mentio, ut non ſit operæ pretium pluribus teſtimonijs lectorem onerare.

Hanc itaq; gratiam illam *liberatricem* eſſe volunt, quam ſuppliciter implorat Apoſtolus & cum Apoſtolo tota Chriſti Eccleſia ut liberetur à corpore mortis hujus. Aperte enim dicit (*Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 82.*) Iulianus Apoſtolum illa verba referre *ad conſuetudinem delinquendi*, à quo reatu quiſque liberatur. Et alio in loco: (*Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 85.*) *Quis me liberabit à corpore mortis huius, id eſt*, inquit, *quis me liberabit à reatu peccatorum meorum quæ commiſi cum vitare potuiſſem, quæ legis ſeveritas non donat, ſed ulciſcitur.* Idemque inculcant omnes Pelagiani cum ſuo authore Pelagio ut ſupra fuſius declaravimus. Neque enim intelligunt

A hominem per aliquam gratiam à peccato illo quod in membris habitat, hoc eſt à concupiſcentia ſua liberari, ſicut in Catholica doctrina intelligitur, ne ſcilicet voluntati ſuæ peccatum iſtud & omnis injuſtitia dominetur: quia hoc volunt per liberum hominis arbitrium fieri, utpote qui *ſufficit ingenitis ſibi motibus dare leges* ut Iulianus loquitur, & initio libri primi demonſtratum eſt. (*Lib. 1. hoius operis c. 3. 4. 5.*)

Cùm ergò remiſſio non futura peccata, ſed præterita reſpiciat, à quorum ultione homo per veniam liberatur, nullum quoq; homini ad cavenda peccata ſuperandaſq; peccatorũ tentationes præbet auxiliũ, ſed relinquitur homo ſibi ut ſi quid mali non facit vel boni facit, ut juſtus ſit, hoc à ſolo arbitrio ejus exſpectandum ſit. Hoc indicat aperte Iulianus: *Peccatum,* inquit, *dominabatur vobis cum reatuum impendebat ultio, poſtea autem quam gratiæ beneficia conſecuti* (*Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 450.*) B *eſtis, & depoſitis reatuum ponderibus reſpiratis, ingenuo pudore commoniti debetis gratiam referre medicanti.* Nempe, per vos ipſos *naturamque*, ut Pelagius loquitur, *in melius per Chriſtum inſtauratam*, bonum in poſterum operando. (*Lib de grat. Chriſti c. 37*) Quod manifeſtiſſimis verbis interpretem agens Iuliani Auguſtinus oſtendit: *Tu veſtro more* (ſubijcit) *qui de veſtro deſcendit errore, non agnoſcis gratiam niſi in dimiſſione peccatorum, ut iam de cætero per liberum arbitrium ipſe homo ſeipſum fabricet iuſtum.* (*Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 450.*) Et in ſermonibus, cum bene operandi gratiam inculcaſſet, Pelagium, Pelagianumve quempiam reſpondentem introducit: *Sed ſufficit mihi quod in baptiſmo accepi remiſſionem omnium peccatorum*: (*Serm. 2. de verb. Apoſt. c. 6.*) Nempe ad operandum deinceps mea libertate ac poteſtate juſtitiam. Ex quibus profecto conſtat etſi remiſſio peccatorum vera Chriſti gratia ſit, ſi tamen alia nullo libero ſuperaddatur arbitrio perinde eſſe ac ſi per nudas naturæ vires perfectio juſtitiæ aſſereretur.

Remiſſio peccati propriè gratia per fidem Chriſti data: Et tribus modis juxta Pelagianos gratuita. Pauca de differentia juſtitiæ hominis, factorum ex lege, & juſtitiæ fidei ſeu ex fide.

CAPVT SEPTIMVM.

HÆc autem remiſſio fidei ſeu ex fide peccatorum, eſt propriæ illa gratia juxta Pelagianos, quam toties Apoſtolus prædicat gratis *per Ieſum Chriſtum*, hoc eſt, *per Chriſti fidem* dari. Declarant hoc allegata ſuperius divi Auguſtini verba: (*Lib. de grat. & lib. arb. c. 13.*) *Dicunt etiam gratiam Chriſti, quæ data eſt per fidem Ieſu Chriſti, quæ neque lex eſt, neque natura, ad hoc tantum valere ut peccata præterita dimittantur.* Quod autem gratuita ſit, ſepiſſime in ſuis commentarijs inculcat Pelagius. *Gratia*, inquit, (*In c. 2. ad Epheſ.*) *pluſquam abundavit, ut non ſolum à morte redemptis, gratis peccata dimitteret, ſed etiam &c.* Et in Epiſtolam ad Timotheum propoſitum Dei, vocat *quo propoſuit nos gratis ſalvare per Chriſtum*, (*In 2. 1. n. 20*)

A nempe per gratuitam veniam, quæ per fidem datur. Quam veniam ideo in Epiſtola prima *ſine meritis tribui* dicit. (*In c. 1. n. 38*) Vnde eandem remiſſionem etiam *Dei miſericordiam* vocant, quæ nobis neceſſaria ſit, *non ut non peccemus, ſed quia peccavimus.* (*Lib. de nat. & grat. c. 26*) Et ſic ubicumque Pelagiani gratuitam Dei commendant gratiam, quæ credentibus ſive per fidem Chriſti datur, non niſi illam remiſſionem vel certe ſimul doctrinam Euangelicam intelligunt. Ex quibus certiſſimum eſſe debet remiſſionem non tantum peccati, ſed etjàm ſub nomine & ratione gratiæ Pelagianos fuiſſe confeſſos. (*Lib. de grat. & lib. arb. c. 6. vide & c. 13. ſupra cit. vide & Epiſt. 105.*) Quod ex illo quoque Auguſtini loco perſpicuum eſt, ubi tradit *Pelagianos dicere, hanc eſſe ſolam, non ſecundum merita noſtra*

gratiam

gratiam qua homini peccata dimittuntur: illam vero qua datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi. Et sane tametsi nihil aliud dicerent nisi quod Pelagius dicit, *pro* (*De nat. & grat. c. 18.*) *peccatis Dominum esse exorandum*, satis eandem remissionem gratiam esse faterentur, juxta (*Epist. 95.*) illud Augustini: *Ipsa igitur oratio, clarissima est gratiæ iustificatio.*

Illam autem remissionem peccatorum non eo sensu gratuitam ac sine meritis, quo Catholici putant, nempe quod gratis homini spiritus pænitentiæ sine ullo operum bonorum merito inspiretur, sed alijs tribus de causis. Primo quod illa detur etiam gentibus illis qui nulla legis, hoc est ceremoniarum opera perfecerunt, sed tantummodo in Christum fide crediderunt. Audi luculente hoc tradentem (*In c. 3. Rom. n. 49.*) Pelagium: *Sine quibus operibus*, inquit, *Legis, Apostolus iustificari hominem per fidem dixisse credendus est, scilicet circumcisionis vel sabbathi & cæterorum huiusmodi, non absque iustitiæ operibus de quibus beatus Iacobus dicit: fides sine operibus mortua est: hic autem de illo dicit, qui ad Christum veniens sola, cum primum credit, fide salvatur.* Nam *opera legis* illo sensu vult distingui contra *opera gratiæ*, quæ scilicet homo facit implendo mandata iustitiæ. Et paulo superius exponens quo sensu dictum (*Ibid. n. 32.*) sit *ex operibus legis non iustificari omnem carnem: opera legis circumcisionem, dicit, sabbatum & cæteras ceremonias, quæ non tam ad iustitiam quam ad carnis lætitiam pertinebant.* Et hoc est quod mox dicit sine lege iustitiam Dei esse manifestatam, (*n. 34.*) quia *nobis gratis a Deo donata est, non nostro labore*, scilicet per ceremonias legis *quæsita*. Per istam enim fidei & legis oppositionem distingunt tempus Christi & legis: & significant olim fuisse datam peccati remissionem, vel per naturæ opera, vel per legis ceremonias, nunc autem singulari Christi liberalitate, per solam Christi (*In c. 4. Rom. n. 14.*) fidem sine ullis legalibus ceremonijs. *Vult*, inquit Pelagius, *istam beatitudinem* (scilicet remissionis peccatorum) *tribus temporibus assignare, naturæ, & circumcisionis, & Christianitatis.* Quam doctrinam & alibi aperte ac constanter tradit. Nam illud Pauli ad Petrum interpretans: (*In Epist. ad Galat. c. 2. num. 27.*) *Gentiliter vivis & non Iudaice. Non ex operibus*, inquit, *legis, sed sola fide iustas gentes, vitam in Christo invenisse te nosti.* Et confestim post opera illa legis ex quibus non justificatur (*n. 30.*) homo, *circumcisionem* esse dicit *& sabbathum, dies Festos &c. quæ non propter iustitiam sed ad edomandam populi duritiam sunt mandata.* Et isto (*Ibid. n. 4. & 31. & in c. 1. n. 6. 22.*) plane sensu sexcenties repetit, *sola fide hominem iustificari*: Et *Spiritum Sanctum sola fide accipi.* Vult enim excludi tantummodo legis ceremonialis opera, non moralis: nam etjam sine (*In c. 3. Galat. n. 9.*) fide Christi totam legis moralis justitiam à gentibus servari olim potuisse, & jam magna ex parte posse, supra juxta Pelagij dogmata commonstravimus.

Secunda itaque causa cur remissio peccatorum gratis detur, propriè tempus adventus Christi respicit. Putant enim Pelagiani olim tempore legis naturæ atque Moysi non fuisse illam peccatorum remissionem quæ sola fide

A credentibus in Christum datur, necessariam, propterea quod homines poterant propter naturæ & liberi arbitrij integritatem, totam legẽ custodiendo si vellent, omnem omninò implere justitiam. Nunc autem quia peccandi nimia consuetudo prævaluit, non amplius ut supra ex ipsorum verbis ostendimus totam posse servari legem, ideoque peccata, quæ per illam consuetudinis infirmitatem præcipitata voluntate perpetrata sunt, gratuita remissione per fidem Christi, quæ à cujuslibet nuda voluntate pendet, esse delenda. *Modo*, inquit (*In c. 3. ad Rom. n. 32.*) Pelagius, *ex operibus legis non iustificatur omnis caro*, significans olim fuisse justificatam. Et exponens quo pacto nunc sola fide justificemur, *quia*, inquit, *nemo illam* (legem) *servat, ideo dictum est, quod sola fide iustificandi essent credentes.* (*In c. 3. Galat. n. 16.*) Et disertis verbis ad illud Apostoli: *Qui fecerit homo vivet in ea: nemo enim*, inquit, (*In c. 10. Rom. n. 6.*) B *illorum vivit: quia in hoc tempore nemo perfecit legem sine Christo, quia & hoc legis est ut ipsi credatur.* Vnde mysterium gratiæ & fidei Christi præfinitum putat, *hoc tempore quando*, inquit, *iam homines aliter salvari non poterunt, nisi Christi fide salventur.* (*In c. 3. Ephes. n. 12*) Nam quod omnes homines dicantur mendaces & peccatores, hoc vel ad Iudæos tantùm vel ad tempus Christi pertinere contendunt, quibus propterea gratuita remissio erat necessaria. Neque sine magna discriminis ponderatione dixit Pelagius, *homines naturaliter fuisse iustos ante legem*, nunc (*In c. 2. ad Rom. n. 20.*) autem *boni aliquid operari*.

Ex quo facilè intelligitur, quo fundamento Pelagius & Iulianus conformiter docent, ideò Iudæos ab Apostolo reprehensos, quod *suam iustitiam vellent statuere*, & per Christum nollent *liberari a corpore mortis huius*; quia præ superbia remissionem peccati non putarent sibi esse necessariam quam Christus gentibus afferebat. C Nempe hoc volunt, omnes homines tempore Christi propter peccandi consuetudinem legem esse aliqua ex parte prævaricatos, & ideò fidem Christi eis fuisse necessariam ut ab eo veniam impetrarent. Quasi de cætero ad bene vivendum vel verę justitię opera facienda, Christi gratia intus operans nullo pacto requireretur. *Ignorantes*, inquit Pelagius, (*In c. 10. Rom. n. 3.*) *quod Deus ex sola fide iustificat, & iustos se ex legis operibus, quam non custodierunt, esse putantes, noluerunt se remissioni subjicere peccatorum, ne peccatores fuisse viderentur.* Et Iulianus in Iudæorum superbiam conatur illa verba transferre, *quis* (*Lib. 6. cont. Iul. c. 23.*) *me liberabit &c.* tanquam illos in se transfigurarit Apostolus, *qui*, inquit, *contemnebant dona Christi, velut sibi non necessaria; quod veniam daret ille peccatis, quæ ipsi legis admonitione vitassent.* (*Lib. 6. cont. Iul. c. 23.*)

Tertia causa cur remissionem peccatorum sine meritis esse statuunt est ista, quia à Gentibus ad fidem conversis, nulla laboriosa pæ- D nitentiæ opera in baptismo postulantur, *Magna beatitudo est* (ait Pelagius) *sine labore legis & pænitentiæ Domini gratiam promereri* nempe remissionis peccatorum. (*In c. 4. ad Galat. n. 18*) Et sic Apostolum dixisse docet *sine pænitentia esse dona Dei*; nempe quia *sine afflictione pænitentiæ, si crediderint salvabuntur.* (*In c. 11. Rom. n. 56.*)

Ex quibus facile intelligitur quid Pelagiani intelligant per *iustitiam ex fide*, quam tantopere contra *iustitiam hominis*, & *iustitiam ex lege* inculcat Apostolus, & quantopere in hoc à Catholica fide aberraverint. Nihil enim intelligunt aliud, nisi remissionem peccati, quæ ex fide Christi, sine operibus legis, ut supra explicuimus, credentibus datur: *Talis enim*, ait Pelagius, *est ille qui Christum credidit, de qua credidit, qualis ille qui universam legem implevit*. Cum vero totam homo legem per seipsum impleverit, quod olim quidem, non item hoc tempore fieri potest, illam esse, iustitiam ex lege, & justitiam hominis, & justitiam factorum: *Quia*, inquit, *iam non Dei est sed ipsorum*: quasi diceret, quia illam Deus non dedit per fidem remittendo peccata, sed ipsi eam sibi suis viribus & bonis operibus pepererunt.

In c. 10. ad Rom. n. 4. — *Vide c. 10. ad Rom. n. 3.*

De alia Christi gratia, doctrina, & exemplo Christi. Quæ vires, & effectus eius, & quamdiu à Pelagianis asserta.

CAPVT OCTAVVM.

Sed cum peccatorum remissio solis præteritis peccatis medeatur, tota vero Christi Ecclesia in suis precibus ipsaque Dominica oratione quoddam aliud bene vivendi adjutorium ad cavendas superandasque peccatorum futurorum tentationes imploret, ad aliam gratiam Christi adacti sunt confitendam. Adjecerunt enim gratuitæ remissioni, *doctrinam & virtutis exemplum*, quod mundo perfectissima conversatione sua exhibuit Christus, & in doctrina Euangelica continetur atque proponitur. Dilucide tradit hoc Augustinus his verbis: *Solent dicere nobis, ut eo Christum ad non peccandum præbuisse adiutorium quia iuste ipse vivendo, iusteque docendo reliquit exemplum*. Et allatis verbis Pelagij quibus dicit, *in omnibus est liberum arbitrium* (hoc est gratia illa creationis quam primo docuit) *æqualiter per naturam, sed in solis Christianis iuvatur à gratia*: mentem eius indagando, & proferendo subnectit: *Iterum quærimus, quæ gratia? Et adhuc poteris respondere lege atque doctrinâ Christianâ*. Cum vero & lex Pelagianis gratia sit eaque Iudæis in adiutorium data, quid sibi vult quod jam in solis Christianis liberum arbitrium à gratia juvari tradit? Audi nodi solutionem totumque gratiæ Pelagianæ mysterium ex Augustino: *Hoc adiutorium legis atque doctrinæ etiam Propheticis fuisse temporibus; adiutorium autem gratiæ quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. Quod*, inquit ulterius, *nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis quæ nobis Euangelica demonstratur*. Iudæis enim & peccatoribus secundum ea quæ paulo ante ex Pelagij mente tradidimus, *Non sufficit amplius sola lex propter nimiam peccandi consuetudinem nisi Christi accedat non inspiratio charitatis per Spiritum Sanctum, sed intuendum & imitandum in doctrina Euangelica virtutis eius exemplum*. Vnde Iulianus docet: *Incarnationem Christi iustitiæ normam* (hoc est exemplum) *fuisse non primam sed maximam. Quia & antequam Verbum caro fieret, ex ea fide quæ in Deum erat, & in Prophetis, & in multis alijs Sanctis fulsère virtutes. Veniente autem temporum plenitudine exacta in Christo iustitiæ norma resplenduit*. Hæc est ergo propriè gratia Christi, qua juvantur soli Christiani. Nam antiquorum justitiam defendebant *esse potuisse*, ut Augustinus dicit, *per naturam & legem*, tanquam per gratiam illius temporis propriam.

Lib. de grat. Christi c. 2. — *Cap. 31.* — *Aug. lib. de grat. Christi c. 39.* — *Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 401.* — *Ibid.*

Ex quibus & alijs Sancti Doctoris verbis etiam patet, exemplum Christi, atque doctrinam Euangelicam idem omnino gratiæ censeri genus, eo quod exemplum in ipsa doctrina Christi contineatur. Nam quamvis doctrina Christi quam tradebat cum ipse in hoc mundo viveret, & exemplum conversationis eius manifeste differrent, posteaquam tamen ex hoc mundo ad patriam ivit, exemplum virtutum ejus non amplius oculis hominum, actiones conversationis ejus intuentium, & imitantium objicitur, sed ex doctrina Euangelica per Apostolos, eorumque successores prædicata humano generi innotescit; quamquam & aliâ consideratione exemplum Christi ad doctrinam referunt, nempe quia exemplum cum doctrinæ sit testimonium, quod verbis doctrina præcipit, idem quodammodo vita & factis docet. Quod significat Augustinus in Epistola ad Iulianum: *Quod nobis*, inquit, *in gratia vel adiutorio Dei dicunt, Dominum Christum bene vivendi propositum exemplum, ad eandem doctrinam revocant: quia scilicet in eius exemplo discimus, quemadmodum vivere debeamus*.

Habentur ibid. c. 35. — *Epist. 143. vers. finem.*

Hanc ergò gratiam tanquam singularissimam supra legem plenis buccis passim Pelagiani inculcant & prædicant. Audi ipsum Hæresiarcham sui dogmatis agentem defensorem; *Nam si ante legem ut diximus* &c. *iustè quidam & sanctè vixisse referuntur, quanto magis post illustrationem adventus eius nos id posse credendum est, qui instaurati per Christi gratiam* (nempe remissionis peccatorum) *& in meliorem hominem renati sumus, qui sanguine eius expiati atque mundati ipsiusque exemplo ad perfectionem incitati iustitia, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuère: meliores etiam quam fuère sub lege, dicente Apostolo: Peccatum vobis non dominabitur: non enim estis sub lege sed sub gratia*. Quasi idcircò, ut observat Augustinus, peccatum alijs dominatum fuerit, qui sub lege fuerunt, vel etjamnum sunt, *quia exemplum Christi non habuerunt sive non credunt*. Ostendit hunc eundem sensum clarius in commentarijs in hunc Apostoli locum; *Non estis sub lege sed sub gratia*: ubi interpretando dicit: *gratiam vincendi & doctrina præbuit*

Lib. de grat. Christi c. 38. — *Rom. 6.* — *Rom. 6.* — *In Comment. ad c. 6. Rom. n. 22.*

prabuit exemplum. Et ne quis illam vincendi gratiam intelligeret, quæ à Spiritu Sancto cordibus inspiratur, paulo ante præmuniendo dixerat: *Qui participes sunt gratiæ Christi, didicerunt quemadmodum oportet vincere passiones & Deum diligere & proximum.* Quas passiones ad peccata concitantes alibi vocat *occasiones peccatorum.* Liberatos enim nos esse docet à peccato per Christum, hoc est, *In doctrina & exemplo Christi,*

Ibid. n. 28.

qui non solum peccata, sed etiam occasiones auferre docuit delictorum. Et paulo post: *Nunc autem gratia Spiritus Sancti docti passiones vincere, in carne non sumus: quia mortui sumus legi, quæ doctrinam gratiæ non continet;* scilicet quia lex peccata punit. Et sine ullo fuco alibi: *Lex iusto non est posita,*

In c. 1. Epist. 1. ad Tim. n. 15.

quia Christianis non opus est, qui sunt iustificati per Christum: qui didicerunt & occasiones fugere peccatorum. Nam ut quid dicitur, non occides, quibus irasci non permittitur? Ecce prærogativas doctrinæ Christi supra legem, ut quæ occasiones B peccatorum internas passiones ac desideria vitare non docuit, & ideo neque peccatorum insolitam consuetudinem vincere. Consonat sibi

Ibid. c. 39.

Pelagius in libris de libero arbitrio: *Quem* (populum sub veteri lege peccantem) *ab hoc consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi, primo omnia per baptismum peccata dimittit: deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo.* In qua loci Apostolici & liberatricis gratiæ expositione, ita sibi Pelagius

In c. 7. Rom. n. 48.

placuit, ut diceret in Commentarijs: *Admirabiliter intulit, dicens, gratia Dei per* IESVM *Christum, Dominum nostrum: quia quæ Moyses, & naturalis lex non docuit, hæc docuit Dominus noster* IESVS *Christus, contemnere mundum, & superare vitia.* Vnde definitiua Pelagij sententia: *Exemplum*

In c. 2. Coloss. n. 6.

Christi in vobis sufficit ad vitam etiamsi aliquid interim minus scientiæ habetis.

Tanti vero fecit hoc suum de exemplo C Christi doctrinâque commentum, ut pleraque quæ Scriptura singularissimæ Christi gratiæ tribuit, ad illa detorqueat. Quid enim illo

2. Cor. 5. n. 32.

loco clarius: *Qui nos reconciliavit sibi per Christum?* Hoc tamen illo authore non est factum nisi *per Christi doctrinam pariter & exemplum:* Sic enim & Christum *ab ira ventura nos eripuisse* tradit, *dimittendo* scilicet *peccata, doctrinâ suâ & exemplo.* Quid illo ad asserendam veram victricemque gratiam luculentius? *Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum &c.* Hanc tamen non dedit nisi voluntates nostras infirmas *cru-*

In c. 15. 1 ad Cor. n. 91.

ce & exemplo destruendo. Quid illo pro ista occulta Christi gratia efficacius: *Ministratur à nobis Spiritu Dei vivi in tabulis cordis carnalibus? Hoc tamen*

In c. 3. 2. Cor. n. 7.

illo delirante fit quia *non quasi absentes* (uti Iudæi) *tabulis scriptis, sed præsentes per auditum Domini verba corde suscepimus.* Quid illo ad comprobandum bonæ operationis gratiam notius: *Qui cœpit in vobis opus bonum perficiat?* At ille, *cœpit, inquit, doctrinam sive gratiam scientiæ largiendo:*

ad Philipp. 1. n. 11. & 12.

perficiet, perficiendo quod docti fuerint ut doceant. Quid denique illo loco pro gratia Christi cordibus dominante firmius, *qui Spiritu Dei agun-*

Rom. 8. n. ...

tur hi sunt filij Dei? Hoc tamen *ad doctrinam* spiritus juxta cuius præscriptum vivunt, & ad *gubernationem* ejus, quam scilicet confert scientia, ab illo detorquetur. Sic enim putat etiam dari ipsam fidem à Deo, *quia si non venisset*

In c. 1. Philipp. n. 57.

Christus, & docuisset, non utique crederemus. Adiuvare vero, confirmare, ipsumque velle in homine operari, *docendo sapientiam, & intellectum gratiarum tribuendo.* In hac gratiæ confessione, Pelagij quoque discipuli in finem usque mordicus perstitere. Nam Iulianus quia Christum ad hanc gratiam mundo impertiendam venisse sentiret, hinc probat Deum ejusdem atque illos naturæ debere esse participem: *Non potuit,* inquit, *exemplum dare natura dissimilis.* Et in ultimo

Lib. 5. cont. Iul. c. 15.

plane opere paulo ante mortem Divi Augustini exarato in eadem persistit sententia: *Nemo præmia virtutis meretur, nisi qui ad ea, post incarnationem tamen Christi, sanctitatis eius imitatione contenderit.*

Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 350.

Quod occultum virus hæreseos Pelagianæ Augustinus esse dicit, eo quod vellent, *gratiam Christi in exemplo eius esse non in dono eius.*

Fol. 351.

Vigilanter tamen addebant, *Post incarnationem Christi,* propter antiquos scilicet, *quos sine gratia Christi dicitis fuisse iustos,* dicit exponendo August. *eo quod non habuerint eius exemplum.* Hoc ergo est quod alibi Iulianus dicit, quod *incarnatio*

Fol. 401.

Christi iustitiæ fuit norma (hoc est exemplum) *non prima sed maxima:* quia tametsi & Prophetæ & Patriarchæ ex natura & lege juste vixerint, *exacta tamen in Christo iustitiæ forma resplenduit.*

Ex quibus arbitror manifestum est hac doctrinæ Christianæ atq; exempli cõmendatione Christianis auribus tantummodo ludificatos esse, nec aliam, efficacioremve revera gratiam attulisse quam *legem.* Neque enim idcirco ad bene vivendum insufficiens atque infirma lex; quia est lex; hoc est quia facienda cavendaque jubet ac vetat, sed quia docendo tantum non præstat, ut facienda cavendaque noverimus, non etiam ut cognita faciamus atque caveamus. Quo sane nihil amplius præstat doctrina illa Christi, & quod in ea continetur exemplum ejus. Forinsecus enim haud secus ac lex auribus insonat, non intrinsecus tangit aut immutat cor. Ex quo fit ut revera etiam hoc ad primum Pelagianismi statum, quo solus homo per liberum arbitrium naturaliter inditum omnia mandata perficere, & perfectionem assequi dicitur, per ambages tandem redeatur. Per prædicationem enim exempli

Lib. de gratia Christi c. 41.

Christi, doctrinæque Euangelicæ *tanquam via,* ut Augustinus notat, *demonstratur* nobis, *qua ambulare debeamus, ut iam viribus liberi arbitrij nullo alterius adiutorio indigentes, sufficiamus nobis, nec deficiamus in via.* Et Iulianam Demetriadis matrem instruens, Pelagium docet in natura, in doctrina, & revelatione scientiæ gratiam constituere; *ad habendam verò,* inquit, *voluntatem* D *bonam, ubi est hoc ipsum quod iustè vivimus* & ubi propriè vis potestatis operantis & mandata facientis exeritur & ostenditur, *nolunt nos divinitus adiuvari, sed nos ipsos dicunt ad ista sufficere.*

Epist. 143.

Varij

Varijs nominibus gratiam legis & doctrinæ prædicant. Vbi de revelatione sapientiæ, oculorum apertione, præmij promissione, insidiarum detectione, cœlesti illuminatione, suasione, scientia.

CAPVT NONVM.

QVAPROPTER ut hunc scopum fugere, neque solam *legis* nudæque doctrinæ gratiam prædicare videantur, doctrinæ generaliter acceptæ latitudine & nominum quibus eam efferunt varietate, tenebras imperitis offundere conantur; ut quoquo modo inimici gratiæ, sub larva gratiæ delitescant. *Gratiam*, ait Sanctus Doctor, *diversis locutionibus Pelagiani nolunt nisi legem videri ut videlicet non ad faciendum quod cognoverimus, sed ad agnoscendum quid faciamus nos Deus adjuvare credatur.* (Lib. 4. ad Bonif. c. 11.) Quanta hoc fecerint versutia, perspicacissimus ille omnium anfractuum Pelagianorum investigator prodit: *Nunquam isti inimici gratiæ, ad eandem gratiam vehementius oppugnandam occultiores moliuntur insidias, quam ubi legem laudant, quæ sine dubitatione laudanda est. Legem quippe diversis locutionibus & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiã.* (Lib. 4. ad Bonif. c. 5.) Quod nullis opportunius quam ipsius hæresiarchæ clarescet verbis quę in ultimo suo cõsignavit opere quod pro libero cõscripsit arbitrio. Ad hoc enim tanquam ad accuratissimũ gratię Patrocinium vult Pelagius esse recurrendũ; ex quo *agnoscent*, inquit, *quam inique nos negatores gratiæ infamare gestierint, qui per totum pene ipsius textum operis, perfectè atque integrè & liberum arbitrium confitemur & gratiam.* (Lib. de grat. Christi c. 41.) Itaque ut gratiam explicaret, quam in auxilium hominis subministrat Deus: *Quam*, inquit, *nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adjutorio confitemur.* Qua exspectatione suspensis quid addiderit intuemini, *adjuvat enim nos per doctrinam & revelationem suam dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis ne præsentibus occupemur futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* (Ibid.) Et quod in alio adjicit loco: *Dum nobis suadet, omne quod bonum est.* (Ibid. c. 10.) Hic multipliciter gratiæ adjutorium supra legem insinuat vocans eam *doctrinam & revelationem* Dei; oculorum cordis *apertionem*; *demonstrationem futurorum*; *apertionem diabolicarum insidiarum*; *gratiæ cœlestis illuminationem*, *suasionem* ut aliquid aliud quam legem commendare videretur.

Per doctrinam autem & revelationem intelligit non tantum eam qua veritas in auribus prædicatur foris, sed etjam intus animo Spiritu Sancto revelante manifestatur. Hoc enim significat illa verba quibus *nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminari* tradit. Hoc item illa: quibus *cordis nostri oculos aperiri* dicit, adeoque doctrinam Dei nobis *revelari*. Nam tanquam exemplum *revelationis sapientiæ*,

A sicut eam paulò inferius nuncupat, profert (Cap. 10.) statim Sanctus Augustinus illam altissimam revelationem quæ Sancto Paulo data fuit. (Ibid. c. 11.) Hæc autem sine dubio intus non foris facta est, Deo intrinsecus manifestante veritatem. Quod quia nequaquam ad bene vivendum sufficit, nisi intus simul etjam affectus ipsos voluntatis operetur, hinc infra Pelagianam illam opinionem refellendo dicit: *Intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes* (Lib. de grat. Christi c. 24.) (quemadmodum scilicet Pelagiani putabant fieri atque esse satis) *sed etiam bonas voluntates.* Denique idem istud sine ulla ambiguitatis nebula significat, quando Pelagium opinari dicit ipsas orationes, *ne intremus in tentationem*, esse adhibitas, *ut nobis aperiatur intelligentia veritatis ubi discamus quid* (Epist. 143.) B *facere debeamus.* Item, *ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur*; (Ibid. c. 41.) atque ita gratiam in lege atque doctrina constituere, ut eam fateatur *nobis etiam Sancto Spiritu revelari.* Dicendo namque, *etiam divina revelatione*; *etiam Sancto Spiritu*, manifestè revelationem illam tanquam internam, opponit externę quæ ab homine forinsecus fieri potest. Hinc Pelagius exponens in Commentarijs illud Apostoli: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*: (In c. 2. 1. ad Cor. n. 17.) *Nobis*, inquit, *qui fide meruimus Spiritum Dei accipere, qui nobis voluntatem eius ostendit.* Et paulò post, *sensum Domini qui est in viris spiritualibus sine Spiritu Dei neminem cognovisse* (n. 27.) dicit: Quæ internam spiritus manifestationem indicant: Sicut & illa, quod divitias gratiæ in omni sapientia superabundasse in nobis tradit, *quia tantam nobis sapientiam donaverit, ut voluntatis eius occulta mysteria nosceremus.* (In c. 1. Ephes. n. 19.) Et quod bonum opus in nobis Deum cœpisse confirmat, *doctrinam sive* (1. Philipp. n. 11.) C *gratiam scientiæ largiendo.* Hoc est ergò primum gratiæ Pelagianæ munus *oculorum cordis apertio*, hoc est *doctrinæ* non solum externa sed etjam interna revelatio.

Alterum est, quod Deus per gratiam *futura demonstrat*, quo verbo cœlestis præmij sive *beatitudinis promissionem* intelligendam cupit. Quod clarius in alio ejusdem operis loco significat, ubi velle hominis à Deo fieri dicit, dum nos terrenis cupiditatibus deditos *futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit.* (Lib. de grat. Christi c. 10.) Expressit hoc breviter Augustinus quando Pelagianos arbitrari asserit, Deum per suam legem atque doctrinam adjuvare *ut discamus quæ facere & quæ sperare debeamus.* (Lib. de Hæresibus, hæresi 88.)

Quorum

Quorum alterum præsentis vitæ laborem, alterum futuræ præmium respicit. Inculcat hanc *promissionis* gratiam circa quam versatur, creberrimè diligentissimeque Pelagius, non solùm futuræ gloriæ intuitu acerrimè excitando, sed etjam eam tamquam præcipuam Spiritus Sancti gratiam & adjutorium commendando. *Spiritus*, inquit, *in commentarys, secundum hanc spem adiuvat ut non terrena sed cœlestia postulemus; infirma enim est nostra possibilitas nisi doctrina spiritus adiuvetur*, præmium scilicet promittendo docentis. Quid quod ipsum *Spiritum Sanctum* hac gloriæ cœlestis ostensione secundum Apostolum *nobis dari* tradit, *& charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris? Quomodo nos*, inquit in illum locum, *Deus diligat, ex hoc cognoscimus quia non solum nobis per Filij sui mortem peccata dimisit. sed & Spiritum Sanctum nobis dedit, qui iam ostendat gloriam futurorum.* Vbi quod jam à Spiritu Sancto futurorum gloriam ostendi dicit, emphaticè dictum puto, ut etjam illam esse propriam Christi gratiam innuatur, sive quatenus cœlestem beatitudinem in Testamento novo, non terrenam carnalemque ut in veteri, suis dilectoribus pollicetur, sive quatenus eam Christus ipse omnibus omnium ætatum Sanctis reipsa in fine largietur. Huc enim respicere videtur Iulianus, cum Christi gratiam ac medicinam efferens, in eo illam eluxisse confirmat, quod *& crimina voluntatis ignovit; & sui imitatione, qui erat virtutum forma & norma correctus, gloriam beatæ æternitatis indulsit*. Quam suam opinionem apertius alibi tradit: *Veniente temporum plenitudine, exacta in Christo iustitiæ norma resplenduit; & qui prædictus fuerat Pater futuri seculi. tam præcedentium Sanctorum, quam etiam sequentium remunerator enituit.*

Epist. ad Demet. iam

In c. 8. Rom. n. 43.

In c. 5. Rom. n. 9.

Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 360.

Ibid. f. 401.

Tertium gratiæ munus ac nomen est, quod *diaboli pandit insidias*; quartum, quod *nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat*; quintum, quod *nobis suadet omne quod bonum est.* Quibus alia æquipollentia subinde occurrunt: sed non ferè nisi in libris qui vel à Iuliano vel à Pelagio post damnationem hæresis in Synodo Palæstina conscripti sunt. Eos namque qui gratiam Dei dicerent *in libero arbitrio esse vel in lege atque doctrina*, Pelagius in isto Concilio ne à Catholicis judicibus damnaretur propria voce damnaverat. Hac igitur excogitata nominum varietate significationem legis, ac doctrinæ versando latere volunt, & caliginem quandam intelligentiæ lectoris offundere, ne amplius solam legis atque doctrinæ gratiam attulisse videantur. Sed revera merus illusionis fucus est. Nam sive gratiam, voces revelationem, sive oculorum cordis apertionem, sive futurorum demonstrationem, sive gloriæ ostensionem, sive præmiorum pollicitationem, sive insidiarum detectionem, sive gratiæ cœlestis illuminationem, sive denique suasionem, non aliud sanè commendatur Dei adjutorium, quam quo adjuvet, ut divina præcepta facienda, & promissa appetenda & pericula fugienda discamus; non quo adjuvet ut ea quæ

Lib. de gestis Pelag. c. 14

Aug. lib. de grat. Christi c. 9.

A didicimus faciamus. Hoc est ergò Dei gratiam ponere in lege atque doctrina. Nam in lege atque doctrina Sanctarum Scripturarum præsertim Euangelicæ, cordis nostri oculi per mysteriorum cœlestium prædicationem aperiuntur, & diaboli multiplices panduntur insidiæ & cœlestis cognitionis dono illuminamur. In ea Dei lege atque doctrina ut rectè Augustinus observat, *Futura gloria & præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur; ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere & suadere vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrina generalitate concluditur, quæ quibuscumque sermonibus vel litteris continetur. Nam & Sancta Scriptura docent*, inquit, *& exhortantur, & potest esse in docendo, & exhortando etiam hominis operatio.* Neque quicquam refert ad gratiæ illius hoc est ad legis

Lib. de grat. Christi c. 10.

B doctrinæque diversitatem, sive foris in auribus sive intus in intellectu docendo operetur Deus. Vtrovis enim modo doctrina suggeratur veritatis orietur non dilectio sed cognitio. Cognitio autem sive scientia est proprius effectus doctrinæ ac legis. *Hoc est ergo*, ut Augustinus dicit, *gratiam Dei ponere in lege atque doctrina*; sive voce per aures, sive scripto per oculos, sive pictis per imaginationem phantasmatibus, sive denique ipsa intus lucescente sine imaginibus veritate illa doctrina ad intelligentiam transeat. Finis enim doctrinæ est non ut doceatur tantum, sed ut intelligendo scientia consequatur. Vnde gratia Pelagiana sæpe nomine scientiæ exprimitur. *Cœpit Deus in vobis opus bonum, doctrinam, sive gratiam scientiæ largiendo* inquit Pelagius. Et Augustinus: *Cum scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, Pelagiani, charitatem ex nobis ipsis volunt.* Nempe homine

Ibid. c. 7.

In Comment. c. 1. ad Philipp n. 11.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 13.

C seipsum in charitatis actum promovente, postquam, quod diligendum sit, Deo docente atque illuminante didicerit. Et alibi Pelagium docere tradit: *Quod nos ita condiderit Deus, ut ultra, præter quod nobis revelet scientiam nihil nos adiuvet, ut ea quæ facienda discendo novimus, etiam diligendo faciamus, naturam atque doctrinam definientes tantummodo esse gratiam Dei.* Vnde præclara illa gratiarum actio, quam Pelagius pro accepta charitate offert Deo: *Gratias ago Deo meo, qui*, inquit, *nos talem in alter utrum docuit charitatem.*

Epist. 143.

Comment. in c. 1. Epist. 2. ad Tim. n. 3.

Pro hac ergò gratia legis atque doctrinæ sic explicatæ, hoc est pro gratia sciendi, non pro viribus diligendi & faciendi Pelagiani Deum etjam orandum esse decernunt. De Celestio Augustinus dicit ex ejus scriptis diligenter inspectis adverti posse, *Non eum ponere Dei gratiam præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege atque doctrina, ita ut ipsas quoque orationes ad hoc afferat necessarias, ut ostendatur homini quid concupiscat & diligat.* Pelagium verò qui

Lib. de grat. Christi c. 30.

D diligentissimè sese explicare ac purgare nititur ita gratiam fateri dicit; *Vt nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis suis sic posset exponere ut nullum auxilium gratiæ credat, nisi in lege atque doctrina, ita ut ipsas quoque orationes ut in*

Ibid. c. 41.

ut in scriptis suis apertissimè affirmat ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur. Hoc enim sensu eos orasse ne *intremus in tentationem*, quatenus pulsantibus nobis *aperiatur intelligentia veritatis, ubi discamus quid facere debeamus*, idem testatur Augustinus. Atque ista quidem de gratia naturæ, liberi arbitrij, legis, atque doctrinæ, remissionis peccatorum & exempli Christi dicta sufficiant in quibus commendandis hæresis Pelagiana magnopere occupata est. Nunc ulterius quid de vera illa internaque gratia Christi senserint, quæ à Divo Augustino defenditur, & in Catholica Ecclesia concinentibus undique Scripturarum Sanctarum testimonijs prædicatur, paulò diligentius quantum gratiæ author dederit, indagandum est. Et primò quidem discutiendum est quid senserint de illa gratia quæ ad singulos actus juxta doctrinam orthodoxam datur, ac necessaria est.

Epist. 143.

Negant Pelagiani gratiam Dei, & adjutorium ad singulos actus dari: Quo tacitè duo Christianæ doctrinæ capita convellunt.

CAPVT DECIMVM.

ITAQVE isti dogmati, quo gratiam naturæ, legis, atque doctrinæ defendunt, aliud arctissime copulatum est: *Gratiam Dei non ad singulos actus dari.* Hoc istis verbis Pelagio coram judicibus Palestinis objectum est: *In tertio capitulo scripsisse Celestium gratiam Dei & adjutorium, non ad singulos actus dari sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina.* Qua oppositione seu adversandi particula significatur adjutorium liberi arbitrij legis atque doctrinæ nullo modo illam gratiam esse posse, quæ ad singulos actus datur. Negavit istam doctrinam suam esse Pelagius, planisque verbis anathematizavit *eos qui sic tenent.* Posteaquam verò Pelagiana hæresis cum suis authoribus à Papa Zozymo & Concilijs Africanis convicta esset atque damnata à Piniano atque à Melania, de sua fide interrogatus accuratius sic professus est: *Anathematizo qui vel sentit vel dicit, gratiam Dei qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum per singulas horas aut per singula momenta sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam: & qui hanc conantur auferre pœnas sortiantur æternas.* Quis non putaret ejus hac de re omnes tergiversationes esse conjunctas? Sed in libris quos edidit pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in Epistola quam ad Innocentium Romam misit, *nihil aliud sentire monstratur*, inquit Augustinus, *quam id quod* in Palestina Synodo *damnasse videbatur.* Ita enim ibi disputat ut debeamus habere etjam ista ejus verba suspecta. Etenim duo sunt quæ istis verbis tanquam Catholicæ veritati contraria simul damnasse videri voluit, eos damnando qui dicerent *gratiam Dei non ad singulos actus dari.* Vnum est, quod gratia Dei non daretur tunc, seu illo ipso tempore, cum singuli actus ab homine fiunt; alterum, quod gratia Dei non ad singulos ipsos actus, sed ad naturalem tantum possibilitatem adjuvandam detur: Quorum contraria Catholici illis paucis optimeque libratis verbis afferunt cum dicunt; *gratiam Dei ad singulos actus dari*: ut suo loco demonstrabitur.

Lib. de gestis Pelag. c. 14 & 35.

Ibid.

Lib. de grat. Christi c. 2.

Ibid. cap. 3.

Pelagius igitur neutrum sincerè, ut facere debebat anathematizando damnavit. Non primum: nam hoc ipso quo in sola legis atque doctrinæ gratia, vel etjam remissionis asserenda perstitit, reipsa negat tunc adjutorium Dei tribui cum singuli actus fiunt, quantumcumque gratiam ad singulas horas, momenta actusque necessariam esse fateatur. Nam remissio peccatorum semel in baptismo data est, nec ad singulos actus aut momenta repetitur. Lex etjam atque doctrina cum semel hominis animum imbuendo fugaverit ignorantiam non ad singulos actus iterari debet. Non igitur ista tria illud adjutorium esse possunt, quod secundùm Catholicam fidem in precibus Ecclesiæ manifestatam ad singulos actus datur, sed ad multos actus illa semel data sufficiunt. Neque satis est si dixerimus remissionem peccati semel datam: legem item, doctrinamque semel prædicatam animoque susceptam ad singulos actus posse roborando hominem dirigendove concurrere. Non enim ille Catholicæ doctrinæ sensus est, sed novam distinctamque gratiam quæ precibus impetrari solet, atque ante data nondum fuerat, ad singulos actus esse necessariam. Hunc enim illius doctrinæ sensum tanquam indubitatum cum Pelagius intelligeret, etjam remissionis ac doctrinæ gratiam eo detorquere nitebatur, ut novi aliquid homini ad actus singulos conferretur. Quod quo sensu fieret, vel fieri posset à Pelagio, de singulis ostendit Augustinus. De gratia remissionis quidem, dicendo; *Ideò eam per singulas horas, per singula momenta, & per actus singulos necessariam, ut semper in memoria retinentes & reminiscentes dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius, adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit* PER ACTVS SINGVLOS RECORDANTIS. De gratia verò legis doctrinæ Christianæ, qua & Christi exemplum comprehenditur: *Possunt*, inquit, *etiam ad hoc ista verba coaptare, ut dicant per singula momenta, per singulos actus necessariam nobis esse hujusmodi gratiam, id est,*

ut in

Lib. de grat. Christi. c. 2.

Ibid.

ut in omni conversatione nostra intueamur Dominicæ conversationis exemplum. A Et alio in loco cum Pelagius nos in omnibus bonis operibus *divino semper auxilio adjuvari* fateretur: *Si quæras,* inquit, *cur dixerit,* SEMPER, *poterit respondere, quia dictum est, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* (Cap. 31.) Vides, arbitror, singula Pelagij suffugia, quibus gratiam Dei ad singulos actus exponit dari, eo nimirum tendere, ut aliquid non habituale & permanens singulis operibus ostendatur influere, ut de habituali gratia à nonnullis dici solet; sed remissionis per singulos actus recordationē, exempli Dominici in omni conversatione nostra intuitum, Legis Domini meditationem die ac nocte. Novum scilicet aliquid inculcat & actuale, quod non nisi cùm singuli actus eliciuntur per illas gratias Pelagianas detur.

Neque minus sincerè etjam illud alterum de sola naturali possibilitate non ipsis actibus B singulis per gratiam adjuvandis ut Catholica doctrina tenet, anathematizando Pelagius reprobavit. Nam in postremo opere quod pro liberi arbitrij defensione scriptum diximus; solam possibilitatem non actus singulos Dei gratia adjuvari, aperte profitetur & accurate docet. Cùm enim tria ista, *Posse* justum esse seu recte vivere, *Velle* atq; *Esse* distinxisset; & *Posse* in natura quam Deus dedit, *Velle*, in arbitrio, *Esse* in effectu seu in opere ipso collocasset, ita videlicet ut primum ad solum Deum, duo vero reliqua ad ipsum hominem referrentur, tandem inferendo colligit: *Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est; imo & hominis & Dei qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio.* (Lib. de grat. Christi c. 4.) Et paulò inferius: *Ut generaliter universa complectar, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat, quod verò bene vel agimus vel loquimur vel cogitamus nostrum est.* (Ibid.) C Ecce adjutorium solius *possibilitatis* in officina Pelagiana fabricatum, non *voluntatis aut operis*, quod in Catholica Ecclesia commendari solet. Sic enim accepit ea Pelagij verba, sic explicuit sententiam ejus Augustinus: *Cùm tria Pelagius constituat atque distinguat quibus mandata divina dicit impleri, possibilitatem, voluntatem & actionem: possibilitatem scilicet qua potest homo esse justus, hoc est justū opus facere, Voluntatem qua vult esse justus, Actionem qua justus est; horum trium primum, id est possibilitatem datam confitetur à creatore naturæ nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere, etiamsi nolimus: Duo verò reliqua, id est, voluntatem & actionem nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit ut non nisi à nobis esse contendat. Denique gratia Dei non ista duo quæ nostra omnino vult esse, id est, voluntatem & actionem; sed illam quæ in potestate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est, possibilitatem perhibet adjuvari; tanquam ista quæ nostra sunt, id est, voluntas & actio tam sint valentia ad declinandum à malo & faciendum bonum ut divino adjutorio non indigeant: illud verò quod nobis ex Deo est, hoc est, possibilitas tam sit invalidum ut semper gratiæ adjuvetur auxilio.* (Lib. de grat. Christi c. 3.) Et iterum paulò post interposita Pelagij verba: *Possibilitatem,* inquit, *voluntatem, actionem, tanta subtilitate curavit distinguere, ut quandocunque legimus vel audimus divinæ gratiæ adjutorium confiteri, sive in lege atque doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus quid loquatur, nec hæremus, aliter eum intelligendo quam sentit. Scire quippe debemus quod nec voluntatem nostram nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquam hoc sit infirmum quod ipse Deus posuit in natura, cætera vero duo quæ nostra esse voluit ita sint firma & fortia & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio: & ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle & agere valeamus.* (Ibid. c. 5.) Ecce totum sensum Pelagij Augustini verbis diligenter expressum quem & paulò ante initio libri ac tandem in fine, ut omnis dubitationis nebula abstergatur ab eodem in eandem planè sententiam latè deductum videre licet. (Cap 5. & 41. & 47.)

Quid sit adjutorium possibilitatis, & adjutorium voluntatis & actionis: & quatuor utriusque differentiæ.

CAPUT XI.

QUID autem inter adjutorium possibilitatis & adjutorium voluntatis atque actionis sit discriminis operæ pretium est paulò diligentius discutere, ut Pelagianorum sententia accuratius intelligatur. A

Adjutorium Possibilitatis, sicut nomen ipsum præ se fert, non est aliud quam adjutorium quo possibilitas, ut Pelagius loqui solet, hoc est potentia adjuvatur & roboratur, ut vel omninò possit, vel facilius possit velle vel agere. Datur enim ut sit quoddam supplementum potentiæ non satis instructæ in actu primo ad agendum. Clarè designant hoc verba tum Pelagij tum Augustini superiori capite allegata.

Adjutorium voluntatis & actionis est illud, quo ipsa voluntas, hoc est volitio, & actio ita juvantur seu promoventur ut in actu secundo fiant. Nam Augustinus illud auxilium ita solet exprimere ut dicat esse auxilium quo fit, *ut velimus & agamus*: non quasi tantum eo fine adhiberetur, ut voluntas & actio consequantur, sed quia per illud fit ut reipsa consequantur. Ita videlicet ut ista particula (reipsa) non significet finem tantum sed effectum. Nam etjam adjutorium possibilitatis eo fine adhibetur ut velimus & agamus sicut & ipsa possibilitas

Digitized by Google

A bilitas eo fine homini data est. Vnde Sanctus Augustinus Pelagij sensum exponens: *Et ideo*, inquit, *non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle & agere valeamus.* *Lib. de grat. Christi c. 5.* Et statim explicans quid per adjutorium *ut velimus & agamus* intelligat, Apostolicum locum citat: *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere*, id est, inquit, *& velle & operari, Deum in nobis dixit operari.* *Ibid.* Et paulo post vocat illud, gratiam *qua Deus donat atque adjuvat ut agamus*, hoc est donat atque adjuvat ipsum agere. *Cap. 8.* Et paulo superius per illud nos *divinitus adjuvari* dicit, *non tantum in eo quod operari possimus, sed etiam in eo quod operamur*. *Cap. 5.* & sine ulla caliginis nebula in fine libri dicit per illud adjutorium, *ipsam quoque voluntatem seu volitionem & actionem, id est, ut bene velimus & agamus quæ non sunt in homine nisi quando bene vult & bene agit, divinitus adjuvari.* *Cap. 47.*

B Ex his nascitur & patescit multiplex utriusque adjutorij differentia. Prima est quod adjutorium possibilitatis, sit adjutorium *actus primi*, adjutorium voluntatis & actionis, sit adjutorium *actus secundi*. Illud enim facit ut potentia in actu primo potens fiat, & ad volendum agendumque habilis & præparata: hoc vero, ut in actu secundo velit atque agat.

Secunda differentia ex prima consequitur quod adjutorium possibilitatis indeterminatum est ad velle & non velle, ad agere & non agere: adjutorium voluntatis & actionis nunquam à voluntate atque actione separatum est. Tetigit hanc differentiam Augustinus: *Si consentit*, inquit, *nobis non solam possibilitatem in homine etiamsi nec velit nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem atque actionem, id est, ut bene velimus & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quando bene vult & bene agit, divinitus adjuvari &c.* C Vbi quod Augustinus possibilitatem adjuvari dicit, *etiamsi nec velit nec agat bene*, significat etjam fieri posse, ut etiamsi homo velit & agat bene, non tamen propterea voluntas & actio, sed sola possibilitas adjuvetur. Neque enim existimandum est adjutorium illud, quod possibilitatis, adeoque solius possibilitatis dicimus, ita ab omni voluntate & actione semper manere separatum, sicut adjutorium voluntatis & actionis semper cum voluntate & actione conjunctum est; ut quid enim possibilitatem adjuvaret, si nunquam possibilitas adjuta ad voluntatem actionemve pertineret atque in illas influeret? Sicut igitur ipsa possibilitas ad agendum & non agendum sese indifferenter habet, neque enim desinit esse nuda possibilitas, etiamsi per illam homo velit aut agat, ita & possibilitatis illius adjutorium utpote quod eandem prorsus rationem respectu voluntatis & actionis obtinet, quam ipsa possibilitas in cujus supplementum datur. D Hinc apertis verbis fatetur Pelagius & constanter docet, adjutorium illud possibilitatis etiam in voluntatem & actionem quando reipsa consequuntur influere, quia idcirco etjam in Deum possibilitatis & adjutorij illius largitorem referendæ sint. *Ergo*, inquit, *in voluntate & opere bono laus hominis est, imo & hominis & Dei qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio.* *Lib. de grat. Christi c. 4.* Ecce voluntatem & actionem etjam ad Deum refert, quia possibilitas eaque adjuta, quia scilicet voluntatis & actionis efficiens causa fuit, Deum authorem habet: tametsi simul etjam ad hominem qui voluit atque egit referatur. Sicut ergo nemo sanæ mentis sic aberravit unquam, ut putaret, possibilitates seu potentias operandi, sic esse potentias ut vel nunquam operari possent, vel quando operantur, potentiæ esse desinant, & actus fiant: ita nec Pelagiani tam stolide delirarunt, ut adjutorium possibilitatis nunquam ad agendum applicari posse sentirent: vel cum applicaretur ad agendum non jam esse solius possibilitatis adjutorium, sed voluntatis & actionis. Verum sive illo voluntas ad volendum agendumque uteretur, sive non uteretur pro libertate sua, perinde semper illud adjutorium solius possibilitatis permanere credebant, sicut ipsa possibilitas quam complebat, semper manet in agendo cessandoque possibilitas. Quo sane modo revera de natura adjutorij possibilitatis ratiocinandum est.

Discriminis illius ratio est, quod adjutorium possibilitatis, naturam ipsius possibilitatis consequatur. Possibilitas autem seu potentia rationalis est ad volendum & non volendum, ad agendum & non agendum indifferens, adeoque & illius possibilitatis adjutorium. Neque enim naturam possibilitatis mutat, aut cardinibus suis movet è possibilitate suâ ad actum pertrahendo, hoc enim adjutorio voluntatis & actionis proprium est, sed tantum roborat, ut si velit velle vel agere, nihil ex parte possibilitatis desit. Vnde etiamsi in infinitum illud adjutorium augeretur, nunquam propterea voluntas vel actio, sed sola volendi agendique possibilitas haberetur. Quod in adjutorio lucis corporeæ respectu oculorum cognitionis & habituum (omnium judicio) est apertissimum. Nam neque lux corporis, quantumvis cum acie videntis influat, ipsam visionem actualem affert, Augustino dicente: *Etiam ut convertamur actu, ipse Deus adjuvat*: QVOD CERTE OCVLIS LVX CORPORIS IPSA NON PRÆSTAT: *Lib. 2. de pec. merit. c. 5.* nec scientia agendi atque habitus voluntatem seu volitionem & actionem inferunt, sed facultatem præbent ut facile, si tamen velis, agas, habitibus enim, ut dici solet, multoque magis agendi scientiâ & oculorum luce utimur cum volumus: tametsi quando illis utimur, simul ad voluntatem actionemve cum ipsa possibilitate concurrant. Quod & Augustinus ex mente Pelagij significat, quando ita singula illa adjutoria quæ præferebat, exponit, ut aliquid actuale, quemadmodum superiori capite diximus, ad actus singulos conferre putarentur. Porro quemadmodum possibilitas voluntatis non desinit esse possibilitas etiam quando actu & reipsa operatur,

ita nec

ita nec adjutorium istius possibilitatis esse desinit adjutorium possibilitatis, etsi reipsa influat in opus voluntatis, quod in omnibus Pelagij adjutorijs lege, doctrinâ, sapientiæ revelatione, peccati remissione, exemplo Christi, indeliberatis voluntatis motibus qui juxta Pelagianos naturaliter ex concione & præmij cœlestis pollicitatione sequebantur, manifestum est. Ista quippe omnia Pelagiana adjutoria, manebant adjutoria possibilitatis naturalis, non minus operante voluntate quam cessante. Imò tunc propriè & genuinè possibilitatem ejus adjuvabant, quando reipsa illis adjutorijs uti sola sua libertate statuebat.

Tertia differentia est, quod adjutorium possibilitatis est simile adjutorio *sine quo non*; adjutorium verò voluntatis atque actionis, adjutorio *quo fit actio*. Exprimit hanc differentiam his nominibus Augustinus, exemplisque declarat. *Ipsa adjutoria* inquit, *distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est & sine quo non fit* &c. In eo verò consistit similitudo, quod sicuti de alimentis, quod est adjutorium SINE QUO NON, Augustinus dicit, quod *non, cum affuerint alimenta eis fit, ut vivat qui mori voluerit*; ita adjutorium possibilitatis non est illud quo velit aut agat is qui cessare voluerit, quantumcumque possibilitas adjuvetur ac roboretur: adjutorium verò voluntatis & actionis illud fit, quod qui habuerit, continuò vult atq; agit. Unde alia quoque emergit adjutorij *possibilitatis* & *sine quo non* similitudo, quod sicut cùm aliquis agit cum adjutorio sine quo non, ut cum aliquis volendo comedere alimentis utitur & utendo vivit, non propterea desinit esse adjutorium sine quo non, tametsi per illud actu fiat actio, ita quoq; tametsi adjutoriū possibilitatis vi voluntatis ad agendum applicetur, non propterea naturam suam exuet ut adjutorium possibilitatis esse desinat, atq; in adjutorium voluntatis actionisve mutetur. Nam quamvis tunc ad voluntatem atq; actionem influendo conferat, non tamen adjutoriū possibilitatis est id quod facit ut homo actu velit aut agat, sed nutus liberi arbitrij cujus imperio possibilitas adjuta ex non agente fit agens, & ab actu primo in secundum perducitur, ut in potentia, scientia, habitu, luce respectu actionum paulò ante declaratum est. In hoc igitur adjutorij illius *sine quo non* & adjutorij *possibilitatis* accurata similitudo est. In uno tamen videri possent differre, quod tamen ad explicandam naturam influxus utriusq; adjutorij nihil facit. Nimirū quod adjutorium *sine quo non* negationē includit, per quam significatur illud esse hujusmodi, ut sine illo nequaquā actio fieri possit: hoc est illud esse adæquate seu universaliter ei necessarium. Adjutorium verò possibilitatis illam necessitatem concurrendi ad actionem nomine suo non includit. Duplex enim dari potest possibilitatis adjutoriū; unum *sine quo non*, hoc est, sine quo illud ad quod adjuvat effici non potest: sicut sine navi navigat nemo, nemo sine pedibus graditur, nemo sine luce intuetur, & multa hujusmodi: aliud quo sic adjuvamur, ut etjamsi desit, possit alio modo fieri, propter quod illud requirimus, hoc est, non est adæquate seu non universaliter actioni necessarium, ut tribula ad fruges terendas, Pædagogus ad puerum docendum, medicamentum humana arte confectum ad recipiendam salutem; quę exempla utriusq; adjutorij à Divo Augustino proferuntur. Ex mente igitur Pelagij adjutoriū illud quo possibilitas bene vivendi adjuvatur respectu hominum sub lege naturæ viventium tale est, ut sine illo per solum liberum arbitrium ac naturam bene velle possent & agere: Nunc verò propter peccandi inolitam consuetudinem tale est, ut *sine illo non* amplius possent bene vivere, peccatorum enim remissio, lex atq; doctrina Christiana ita jam necessaria sunt ut nemo sine illis justitiam possit implere: quemadmodū illa superius fusè declarata sunt. Sed ut dixi, hęc ad naturā influxus utriusq; variandam nihil conferunt. Eodem enim modo, cum possibilitate in actum influunt sive actus sine illo fieri possit sive non, sive adæquatè necessaria sint sive non.

Lib. de Corr. & grat. c. 12

Lib. de gestis Pelag. c. 2.

Quarta eaque capitalis differentia est, quæ ex prioribus sequitur atque in illis comprehenditur, & quam maximè omnium Pelagiani urgent & postulant: quod adjutorium possibilitatis arbitrio volūtatis humanæ ita in agendo & non agendo subjectum & attemperatum maneat, ut in ejus nutu pendeat, & quodammodo exspectet voluntatis imperium, quo ad agendum una cum adjutorio illo propellatur vel ab agendo frenetur. Cum enim eadem sit adjutorij illius & possibilitatis ratio, cujus naturæ illud penitus accommodatum atque commentum est, hinc fit ut cum possibilitate sive potentiâ ad actionem vi voluntatis impulsa etiam adjutorium illud impellatur, cum revocata revocetur, nullo quippe modo audire vel ferre possunt Pelagiani ullum adjutorij genus, quod voluntati quodammodo dominetur, aut operetur in ea voluntatem aut actionem, hoc est, ut ex nolente, vel non volente fiat volens: hoc enim solius arbitrij seu possibilitatis illius sese ipsam impellentis, quocunque tandem modo adjutæ officium esse statuunt. Audi Iulianum: *Hac igitur voluntas* (id est volitio) *quæ alternatur, originem possibilitatis in libero accepit arbitrio, ipsius vero operis existentiam à se suscepit.* Audi & Celestium: *Nostra est victoria quoniam propriâ voluntate arma suscepimus*, (id est gratia velut armis usi sumus) *sicut è contrario nostrum est quando vincimur, quoniam armari propria voluntate contempsimus*: qua de re multa libro primo diximus, cum de libertatis Pelagianæ natura tractaremus. Audi & ipsum erroris authorem Pelagium

Lib. 1 oper. imperf. c. 38.

gium: *Quasi Deus gratia suæ aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit, etiam gratia suæ auxilium subministret. ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Audis clarè genus gratiæ quod majorem facilitatem afferat ac robur ut possit, ut cum possibilitate ipsa, scilicet cum homo voluerit quod jubetur facere, simul in actionem & voluntatem influendo concurrat. Hinc illæ passim apud Pelagianos phrases, quod Deus aut gratia *provocet* voluntatem, quod *alliciat*, quod *exspectet*, quod adjutorium libero arbitrio, hoc est naturali illi possibilitati, sive potentiæ *cooperetur*, & hujusmodi: illarum vero phrasium, quibus Deus dicitur *præparare*, hoc est facere voluntatem, *operari velle atque perficere*, hoc est adjuvare ad ipsam voluntatem & actionem (cujusmodi voces vim gratiæ prædominantis extollunt) vel magnum inter eos silentium, vel velut fatalem quandam necessitatem, captivitatem, & oppressionem afferentium detestatio. *Adhortationibus*, inquit Julianus, *exemplis, promissionibus vel munerum, vel pœnarum ad fidem voluntas sine conditione necessitatis* (sic Christianam gratiam passim indigetat) *allicitur: & per hæc instituta per dona, non oppressa, sed exspectata sed libera, sed provocata curatur.* Et reprehendens adjutoria quæ Augustinus asserebat, non talia esse debere invidiose contendit, *ut aliquando libertate exclusâ vel boni vel mali cuiquam necessitas credatur incumbere*: ut scilicet sentit Augustinus, secundum quem Deus operatur & velle: *verum ut arbitrio libero omne adjutorium cooperetur.* Hoc est ut supra Pelagianos sentire diximus, ut omne adjutorium cum naturali illa arbitrij possibilitate simul in opus influendo cooperetur. Cujusmodi loquendi formulis plenus est Cassianus, cæteriq; Semi-Pelagiani, de quibus aliquid fortassis alibi dicturi sumus.

Lib. 2. oper. imperf. cont. Aug. f. 343.

Vt Collat. 4. c. 5. & Coll. 3. c. 10 de provocatione per inspirationem.

Hinc omnis gratiæ blandientis motus non nisi *occasio* apud Pelagianos voluntatis esse decernitur, qua videlicet, naturalis illa possibilitas provocata pro naturali sua indifferentia utitur, vel non utitur, prout visum fuerit. Nam illum efficacissimum pro vera gratia locum: *Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis*; sic pervertendo exponit Pelagius: *Occasio fidei à Deo donata est, quia si non venisset Christus & docuisset, non utique crederemus.* Et timorem suum prodens ne alioqui illa possibilitatis indifferentia læderetur, *cæterum*, adjicit, *& fidem voluntariam in actibus legimus.* Et Julianus: *Cui cum pœna monstratur & gloria, aut contra commodum aut voluptas, adjutorium, & velut occasio offertur, non necessitas imponitur partis alterius.* Et Cassianus occasionum illarum diligentissimus præco: *Itaque sicut occasionem salutis diversis modis Deum cognoscimus operari: ita nostrum est occasionibus a divinitate concessis vel enixius vel remissius famulari.* Hæc autem occasio Cassiano est non solum externa exhortatio, sed etiam, ut infra explicat, *ipsum initium voluntatis boni, quod nobis Domino inspirante conceditur*, nempe per inspirationem bonorum motuum. *cum*, inquit, *aut per se, aut per exhortationem cujuslibet hominis, aut per necessitatem nos ad salutis attraxerit viam: nostrum vero esse & exhortationem auxiliumque Dei vel remissius vel enixius exequamur.* De quibus salutis occasionibus sexcenta exempla in Cassiano occurrunt. Hoc autem occasionis nomen propter plenissimam libertatis indifferentiam, ut ea velut possibilitatis adjutorio ad faciendum malum utatur, vel non utatur, passim etiam concupiscentiæ internis motibus tribuunt. Idem Julianus: *Quæ*, concupiscentia, *cum pomi decore oculos vicitasset* (id est ut Augustinus exponit *ad malum provocasset*) *spem etiam jucunditatis invitavit saporis. Non ergo potuit hæc concupiscentia fructus esse peccati, quæ docetur non suo quidem vitio sed voluntatis occasio fuisse peccati.* Et Cassianus, cum naturales quosdam iræ, libidinis, ac tristitiæ motus nobis insertos esse docuisset: *Dicimus tamen*, inquit, *quædam vitia sine ulla præcedenti naturali* OCCASIONE *concrescere, sed solius corruptæ ac malæ voluntatis arbitrio.* Plura phraseos illius exempla supra ex Pelagianorum sensu protulimus: quâ idcirco tam studiose uti solent, ut manifestius indicent hujusmodi sive bonis sive malis, sive gratiæ, sive concupiscentiæ, sive internis, sive externis motibus, non voluntatem aut actionem, ut Catholica veritas per Augustinum prædicata docet, sed possibilitatem solam sic affici atque adjuvari, ut illis omnibus plenissima indifferentia ac potestate tanquam nudis rei agendæ vel volendæ OCCASIONIBUS dominetur. Neque enim facile vocabulum aliud excogitari potest, quod magis internorum externorumq; motuum impetum ad infringendam illam indifferentem arbitrij possibilitatem vel ad adjuvandam inferendamque ei VOLUNTATEM & ACTIONEM extenuet.

Ad Philipp. 1.

In Comment ibid. n. 57.

ibid.

Lib. 1. oper. imperf. f. 38

Collat. 3. c. 12.

Collat. 3. c. 19.

ibid. f. 101. & col. 102.

Lib. 7. inst. c. 3. & 5.

Supra c. 8.

Indagantur causæ, cur adjutorium *voluntatis & actionis* abhorreant, solo auxilio *possibilitatis* contenti. Prima, quia tollitur liberum arbitrium, cum tale adjutorium homini non datur.

CAPUT XII.

DIVERSAS Pelagiani causas sibi confingunt & magnopere exaggerant, cur omnis gratia, sive adjutorium voluntatis & actionis pœnitus abjiciendum sit: quæ tamen omnes possunt ad tria ferè capita revocari.

PRIMA eaque capitalis est, quod dominatrix illa, atque indifferens potestas volendi & nolendi, hoc est libertas hominis per illud adjutorium voluntatis & actionis certissimum interitum pateretur: Per adjutorium possibilitatis non item. Cùm autem necesse sit, ut hujus-

hujusmodi gratia seu adjutorium vel adsit homini vel desit, ex utroque capite hanc libertatis cladem accidere putant tam ex *absentia* talis adjutorij quam *præsentia.* Pro cujus intelligentia opinionis, memoria repetendum est id quod initio libri secundi fusissime demonstravimus, libertatem hominis in Pelagianorum sensu; atq doctrina essentialiter esse bicipitem, seu bicornem, hoc est indifferentem ac potentem ad bonum ac malum. Certissima namque & indubitata Pelagio & Pelagianis regula est, eo ipso quo agere ac velle NOSTRVM est, hoc est, liberi arbitrij, nos posse velle & nolle agere & non agere. Hæc est enim Pelagij irrefragabilis definitio: *Quod loquor* MEVM *est, id est propria voluntatis; & quia quod loquor meum est, utrumque facere possum, id est loqui & non loqui.* Itemque & illa: *Quia non peccare* NOSTRVM EST. *possumus peccare & non peccare.* Et illa: *Quod bene vel agimus, vel loquimur vel cogitamus* NOSTRVM EST, *quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus.* De quibus in superioribus latè disseruimus. Iam verò adjutorium illud voluntatis, & actionis, quod Augustinus juxta Scripturarum Sanctarum fidem statuit, non est ejusmodi ut solam volendi agendique boni sufficientiam ac possibilitatem sive compleat, sive tribuat, quæ pro nutu hominis atque arbitrio ad volendum & agendum inclinetur. Talem quippe agendi boni possibilitatem, & possibilitatis adjutorium fatentur libentissime, atque ultro docent Pelagiani à Deo tribui, optimeque putant cum humana libertate consistere; utpote per quam ostenditur apertissime juxta doctrinam & verba Pelagij: *Scilus esse Dei quod homo potest velle bonum atque perficere: In voluntate* verò *& opere bono laudem esse hominis, imò & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio.* Laudem, inquam, esse hominis in voluntate atque opere bono, *quia* data semel, adeoque etjam adjuta per talis gratiæ adjutorium possibilitate, *liberum* adhuc *mihi est nec voluntatem bonam habere, nec actionem. Quod* enim etjam tunc *bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus nostrum est, quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus*, ut Pelagius ex professo tradit. Quod quidem ita perspicuum est, ut non videam quomodo sanæ mentis homini vel in suspicionem cadere possit, ut putet hujusmodi possibilitatis adjutorium, quod nutui hominis ad operandum vel cessandum omni ex parte semper subjacet, isti Pelagianæ indifferentiæ & libertati esse contrarium. Quis enim unquam vel sapiens dixit, vel insipiens cogitavit, vel vigilans suspicatus est, vel dormiens somniando deliravit, adjutorium lucis semper assistentis ad videndum, cognitionis, & habitus ad operandum, bacilli & scipionis ad ambulandum, itemque gratiæ nudam sufficientiam ad bene vivendum afferentis, & possibilitatem roborantis, libertati ad eadem illa præstanda repugnare? Sed hoc est quod male Pelagianos habet, tale in medium proferre adjutorium

Lib. de nat. & grat. c. 45.
Ibid. c. 49.
Lib. de grat. Christi c. 4.
Lib. de grat. Christi c. 4.
Ibid.

A adeoque ad singulos actus necessarium statui, quo non sola possibilitas seu potestas, sed ipsa voluntas, seu volitio & actio subjuventur ut [a] *præparet*, id est faciat *voluntatem:* ut [b] *auferat cor lapideum*, hoc est, Augustino interprete, [c] *durissimam voluntatem, & adversus Deum omnino inflexibilem;* ut [d] *det cor novum*, hoc est, voluntatem novam, & *spiritum novum ponat in medio* nostri: *Faciat ut in præceptis ambulemus, & judicia Dei custodiamus:* ut *nemo possit venire ad Christum nisi fuerit ei datum* (ipsum scilicet venire) *a Patre:* ut *det timorem in corde, ut non recedant* à Deo: ut *non ipsi sint qui loquantur, sed Spiritus Patris qui loquitur in eis:* Denique *ut operetur* in homine etjam nolente & repugnante *velle & perficere*, dum eum ex nolente volẽtem facit; & sexcenta hujusmodi, quę videntur nescio quod inseparabile dominium & imperium super humanas voluntates exprimere, nec illam relinquere indifferentiam quam arbitrium habere solet, cum sola possibilitas adjuvatur, sed illam ipsam possibilitatem potentissime in alteram partem flectere & inclinare. Tale igitur adjutorium (ut dicere cœperam) duplici ex capite libertati repugnare putant; *Primò*, ex parte *absentiæ sive defectus* talis adjutorij. Hoc enim adjutorium non omnibus hominibus dari à Deo, ita certum atque perspicuum est, ut nec Pelagiani illud unquã negare ausi fuerint, nec ullo pacto negari queat, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam compertæ veritatis intendat. Cum enim ad singulos actus necessarium esse statuatur, quis non videt omnibus illis deesse qui non faciunt quod jubetur, sive facere illud ipsum pro duritia cordis omninò nolint, sive non ita velint ut possint. Ideo enim ut profundissimus ille Doctor tradit, tribuitur istud adjutorium, ut *duritia cordis primitus auferatur:* ideo denique, *ut ipsa bona voluntas quæ jam esse cœpit augeatur; & tam magna fiat ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Iam verò, inquiunt Pelagiani, quicunque caret adjutorio ad cavendum malum, & volendum agendumque bonum necessario, ille libertate volendi & nolendi consequenter caret, hoc enim liberum est quod est in potestate: in potestate autem esse non potest, si deest adjutorium per quod potest; & quod sibi dare non potest, sed tanquam gratia pure gratuita ab alterius pendet arbitrio, qui [a] *ubi vult spirat;* & [b] *quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Hæc est summa primæ illius machinæ, quam Pelagiani ad destruendum illud adjutorium voluntatis & actionis erigunt. Hoc enim vult illud celebre Celestij Pelagianorum acutissimi pronunciatum quo dicit *Non esse liberum arbitrium si Dei indigeat auxilio; quoniam in propria voluntate habet unusquisque aut facere aliquid aut non* D *facere.* Quo significat hominem hoc ipso quod est cum libero arbitrio creatus, vi potestatis semel concessæ posse facere, vel non facere quod voluerit, alioquin hoc ipso quo alterius alicujus adjutorij indiget, quod per modum gratuitæ gratiæ detur, sine quo hoc ipsum velle

a Philipp. 2.
b Proverb. 8. juxta 70.
c Lib. de grat. & lib. arb. c. 14.
d Ezech. 36.
Ioan. 6.
Hierem. 32.
Matth. 10.
Philipp. 2.
Lib. de prædest. Sanct. c. 8.
a Ioan. 3.
b Ambr. lib. 7. in Luc. c. 9 sæpe citatus ab Aug. & lib. de perf. just. c. 19. & alibi.
Lib. de gestis Pelag. c. 18. & ult.

velle habere non potest, destrui libertatem. A Quod ex Sancto Hieronymo, disputationibus contra Pelagianos manifeste liquet. Hanc enim eorum velut acutam ratiocinationem profert: *Frustra dedis arbitrij potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas quæ alterius ope indiget, sed liberum dedit arbitrium Deus; quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero. Ac per hoc aio, aut utor semel potestate, quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium; aut si alterius ope indigeo libertas arbitrij in me destruetur.* Et rursum paulo post: *Quis destruit arbitrium? Ille qui semper Deo agit gratias, & quodcunque in suo rivulo fluit, ad fontem refert? An, qui dicit, Recede à me quia mundus sum, non habeo te necessarium? Dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem, ut faciam quod voluero; quid rursum te ingeris ut nihil possim facere nisi tu in me tua dona compleveris?* Et in tertio Dialogorum libro sic loquitur Pelagianus: *Quomodo servas liberum arbitrium qui dicis hominem nihil posse facere nisi Deus semper adjuverit?* semper, inquit, hoc est ut Hieronymus alibi exponit, *per singula opera suum præstando adminiculum*, pro quo scilicet impetrando *omnes Sanctorum voces nihil sunt nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio.* Ideo enim talis auxilij indigentiâ libertatem tolli putat, quia ut idem Sanctus Hieronymus loquitur: *Quidquid ex alterius pendet arbitrio, non eius est, quem posse contendis, sed illius sine quo eum non posse perspicuum est.*

Epist. ad Ctesiph.

Ibid.

Lib. 1. Dial. non pr col ab initio.

Lib. 3. Dial. initio.

Neque sane unius Celestij tantum fuit ista vel opinio, vel ratiocinatio, quod per absentiam talis adjutorij quo voluntas ipsa & actio adjuvantur, ac dantur, & pro quo impetrando intelligantur preces fundi, libertas arbitrij penitus subruatur, sed omnium Pelagianorum communis. Declarant hoc Patres Concilij Carthaginensis in Epistola ad Innocentium. *Si ergo voluerimus*, inquiunt, *benedicendo super populum dicere; da illis Domine virtute corroborari per spiritum tuum: istorum nobis disputatio contradicit, affirmans negari liberum arbitrium si hoc à Deo poscitur, quod in nostra est potestate, virtute enim corroborari si volumus*, inquiunt, *possumus ea possibilitate naturæ, quam NVNC non accipimus, sed cum* C *creati accepimus.* Per illa namque verba; *negari liberum arbitrium si hoc à Deo poscatur quod in nostra est potestate*; significant, fieri non posse ut libertas arbitrij salva maneat, si hoc ipsum quod libero arbitrio proprium est, nempe *virtute corroborari*, hoc est, *fortiter velle*, tanquam absens, & ab alio gratis tribuendum precibus imploretur. Oratio enim clarissima est protestatio, non esse rem quam petimus nostræ potestatis. *Nam quid stultius*, inquit Augustinus, *quam orare ut facias quod in potestate habeas?* Fortiter autem velle, seu virtute corroborari *si volumus*, inquiunt, *possumus*, non virtute aliqua quæ actum afferat, & *nunc* per preces impetretur, sed ipsa jam olim accepta arbitrij nostri libertate. Illa enim est, quæ ex seipsa pro suo nutu atque arbitrio fortiter aut languidè vult, aut non vult, nec tanquam ab alio extrinsecus inferendum exspectare debet ipsos B voluntatis actus, qui suæ sunt potestatis. Nec aliud quam istam Pelagianorum persuasionem Augustinus respicit, quando dicit: *Non autem ideo pro istis non orare debemus, quia si non corriguntur, eorum imputandum est voluntati, qui nolunt credere, etiam ad hoc ipsum sibi necessariam gratiam salvatoris, quod putant consistere in solis viribus voluntatis.*

Apud Aug. Epist. 90.

Lib. de nat. & Grat. c. 18

Epist. 106. ad Paulin.

Neque verò suspicandum est, Celestium atque Pelagianos hæc etiam de illo intellexisse adjutorio, quo sola arbitrij possibilitas non ipsi actus voluntatis adjuvantur. Nam præterquam quod tale auxilium, quocunque tandem illud appellent nomine, ex professo Pelagiani statuant, & necessarium esse fateantur; nulla profecto veri apparet similitudo, quod per auxilium possibilitati sufficientiam afferens ac semper præsens, & arbitrij libertati semper subditum, & ab ipsa liberi arbitrij possibilitate impulsum in actionem semper exspectans, libertatem sibi tolli, actionem & voluntatẽ sibi C eripi, ac soli Deo tribui debere eumque solum coronandum esse suspicentur. Hæc enim Pelagianos inde sequi existimasse & invidiosè inculcasse, idem Sanctus crebrò testatur & mox latius declarabitur.

Secunda causa, quia tollitur liberum arbitrium quando tale adjutorium homini datur.

CAPVT XIII.

SECVNDO itaque & maximè illud A adjutorium voluntatis & actionis abhorrent & libertati repugnare censent ex parte præsentiæ. Nihil enim certius, nihil evidentius esse putant, quam libertatis interitum sequi, imò necesse voluntatem, aut actionem hominis, sed alterius, si ab alio voluntas & actio per gratiam aut adjutorium fiant. Gravissimæ sunt hac de re Pelagianorum frequentesque querimoniæ, hoc enim sibi vult Pelagius quando stomachando dicit: *Hic nos imperitissimi hominum putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere Sanctitatem. Quasi Deus gratia sua aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit, etiam gratia sua auxilium subministret.* Ecce sine nostra voluntate fieri putat quod secundum Augustinum fit per gratiam. Hæc sibi vult Celestius quando dicit: *Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio.* Nempe, quia alioqui sine propria voluntate vinceremus. Quam ejus mentem mani-

Lib. de grat. Christi c. 7.

Lib. de gestis Pelag. c. 18. & ult. & Epist. 106.

Epist. 106. in fine. manifestè Augustinus refellendo prodit: *Fateatur*, inquit, *quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed adjutorio Dei nostram provenire victoriam.* Hoc sibi volunt illi, qui Augustino adjutoriū voluntatis & actionis prædicanti ex omnium Pelagianorum sensu dicunt: *Lib. de Corr. & grat. c. 2.* *Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis?* Hoc denique sibi vult Augustinus, quando Pelagianis illis cogitationibus occurrendo sexcenties docet, repetit & inculcat bonum opus tametsi in homine per gratiam illud operetur Deus, non esse propterea alienandum à propria voluntate. Nam proximè citatis Pelagianorum verbis sua brevissima & efficacissima opponens: *Ibid.* *Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Ser. 13. c. 1.* *Dicit mihi aliquis*, inquit, *ergo agimur non agimus. Respondeo, imo & agis & ageris.* &c. *adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur si ab illo nihil agatur.* Et in libro de gratia & libero arbitrio: *Cap. 2.* *Nemo cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate.* Et in Epistola centesima sexta: *Vers. fin.* *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: Non quia nullus est hominis atque voluntatis cursus, sed quia nihil potest nisi ille misereatur.* Et rursum: *Non ego autem sed gratia Dei mecum, id est non quia ipse nihil boni agebat, sed quia nihil agebat si illa non adjuvaret.* Et in Epistola centesima septima: *In medio.* *Non est volentis neque currentis* &c. *non quia velle non debemus & currere, sed quia ipse in nobis & velle operatur, & currere.* Et in libro de gratia Christi *Cap. 25.* ipsam Pelagianam possibilitatis gratiam excludens, aliamque contra suspiciones eorum defendens: *Non solum enim Deus posse nostrum donavit, atque adjuvat, sed etiam velle & operari, operatur in nobis. Non quia nos non volumus aut nos non agimus*, ut Pelagiani putant, *sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni nec agimus.* Et ut alia infinita loca prætercam, in libro de peccatorum meritis & remissione apertissimè: *Lib. 2. c. 5.* *Nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Quibus & similibus infinitis locis (de quibus *Vide infra lib. 8. de grat. Christi Salvatoris c. 5. usque ad 12.* alibi plura) Pelagianorum argutiones Augustinus interimit, existimantium voluntatem per adjutorium voluntatis extingui. Quia *Lib. de gestis Pelag. c. 29.* *optavi*, inquit idem, hoc est quia verbum optandi, quod ab alterius arbitrio, aut adjutorio rem pendere insinuat, usurpavi, *Dei quidem commendavi gratiam, non tamen arbitrium voluntatis extinxi.* Atque ista omnino causa est cur locum illum, *Rom. 8.* *spiritus interpellat pro nobis*, & *Spiritus Patris qui loquitur in vobis*: Exponens præmunire lectorem soleat, ne solus hoc spiritus agere sine nostra id voluntate credatur. *Epist. 105.* *Ita dictum est*, inquit, *interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi & gemendi inspirat affectum, sicut illud in Evangelio, Non enim vos estis qui loquimini* *Matth. 10.* *sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Neque

A *enim & hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis.*

Cum ergo Pelagiani per tale adjutorium voluntatis & actionis omnem omnino hominis voluntatem tolli & extingui putent, hinc fit, ut argumentum illud invertere soleant, & ex voluntatis concursu, talis adjutorij impossibilitatem arguere. Vnde frequentissima eorum ratiocinatio, nos volumus, nos facimus, tacite vel expresse inferendo, ergo non facit hoc Deus in nobis per tale voluntatis adjutorium, sive, ergo liberum arbitrium non est extinctum, ita ut voluntas per talem gratiam dari debeat. Nam Celestius cum sibi à Catholicis notissimus ille locus opponeretur: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* *Rom. 9.* Respondendum esse dicit id quod Apostolus de quodā ait: a *Quod vult faciat.* Item, b *elige vitam ut vivas.* Item, *ad quod vis porrige manum.* *Lib. de perf. just. c. 19. a 1. ad Cor. 7. b Deuter. 30 Eccles. 15. Isaia 1.* B Item, *si voles, præcepta servabunt te.* Et, *si volueritis & audieritis me.* Tamquam illa loca directè illi adjutorio voluntatis quo voluntas locis illis significata tolleretur, repugnarent. Quam suspicionem auferens Augustinus: *Non quia*, inquit, *hoc sine nostra voluntate agitur*, quando miseretur per tale adjutorium Deus, *sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur.* *Eodem lib. de perf. just. c. 19.* Et inculcatius adversus easdem Pelagianorum opiniones disputans; *Certum est*, inquit, *nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino,* &c. *certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum: certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus.* *Lib. de grat. & lib. arb. c. 16.* Ex eadem vena fluit illa non infrequens Pelagianorum argumentatio, & tacita illius adjutorij voluntatis criminatio, quod velle & agere præcipiatur nobis, ergo voluntas & actio nostra est, nec datur à Deo. Quod enim à nobis jubendo postulatur, hoc etiam à nobis exspe- C ctatur, & à volentibus & agentibus datur. Eademque prorsus de admonitionibus & exhortationibus ratio est. *Vt quid*, inquiunt Pelagiani, *nobis hoc præcipitur*, nempe ut diligamus invicem, *nisi quia ex nobis habemus, ut invicem diligamus?* *Lib. de grat. & lib. arb. c. 18.* Et rursum de illis ipsis Augustinus: *magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt; non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri.* *Ibid. c. 16.* Alibi: *acute autem sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc ullus ignoret: non præciperet Deus homini quod esset humanæ impossibile voluntati.* *Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 3.* Sic nempe, ut illud velle quasi non esset nostrum, ab alio exspectandum sit, & nihil nostra voluntas, ut supra dictum est, agat. Sic enim istam objectionem à Pelagianis intelligi, ex multis Augustini locis patet, ubi eam tacite refellendo ad sensum istum respicit. Cum enim varia præcepta contra hoc adjutorium objecisset Celestius, orationem ei Augustinus opponens: *Hoc utique orat*, inquit, *ut præ-* D *cepta Dei faciat. Quæ ut fierent, nec juberentur, si nihil ibi nostra voluntas ageret, nec oraretur, si sola sufficeret.* *Lib. de perf. just. c. 10.* Et in libris ad Valerium: *Vnde intelligimus, cum hæc præcipiuntur ut fiant, nihil aliud ostendi, quam inesse nobis oportere ad hæc accipienda & habenda etiam propriam voluntatem.* *Lib. de nupt. & concup. c. 3.* Cum vero

Dei dona esse monstrantur &c. nostras voluntates ad hæc petenda, sumenda, retinenda, parum valere, nisi divinitus adjuventur. Audis voluntates ipsas, hoc A est ipsas volitiones, quod molestissime ferunt, non possibilitatem volendi debere divinitus adjuvari.

De simili errore Monachorum Adrumetinorum, & à Pelagiano differentia.

CAPVT XIV.

PORRO quia perdifficile est hujusmodi voluntatis & actionis adjutorium cum humana voluntate conciliare, observatione dignum est, Monachos quosdam Adrumetinos, in eandem atque Pelagianos opinionem, qua per talem gratiam humanam voluntatem ac libertatem tam absente quam præsente illo adjutorio omninò extingui crederent, incidisse. Illud tamen inter utrosq; discrimen est, quod Pelagiani ne libertas tolleretur, talem gratiam sustulere; Adrumetini ut salva maneret talis gratia, libertatem. Nempe quia illi hæretici erant inimici crucis Christi; hi Catholici qui quidlibet sibi tolli mallent quam gratiam Dei. Contra quos instanter ipse Sanctus Doctor agit, ne per istud voluntatis adjutorium voluntatem suam neq; in bonis per præsentiam, & influxum ejus, neq; in malis per ejus absentiam atque defectum arbitrarentur extingui. Nam quod præsente talis gratiæ adjutorio voluntatem hominis prorsus tolli crederent, ex Augustini testificatione certissimum est. Sic enim in ipso libri exordio Valentinum alloquitur: *Sed quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem Valentine Frater &c. compellente charitate curavi.* Quod idem ex varijs istius libri locis, quibus error iste convellitur, manifestum est: *Rogamus*, inquit, verbis Apostoli, *ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis. Vt quid enim eos rogat, si gratiam Dei sic susciperunt ut propriam perderent voluntatem?* Sic enim hoc Adrumetini haud secus atque Pelagiani intelligebant. Et rursum: *Non enim quia dixit, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate, ideò liberum arbitrium abstulisse putandus est.* Et cum cor lapideum hoc est voluntatem durissimam per tale adjutorium homini auferri à Deo docuisset, subjicit: *Ne autem putetur nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideò in Psalmo dicitur, Nolite obdurare corda vestra.* Quod verò etjam per talis adjutorij absentiá liberá hominis voluntatem eripi existimarent, non minus perspicue claret. Nam cum dixisset August. Valentini *Monasterium nonnulla dissensione fuisse turbatum, eo quod quidam*, inquit, *in vobis sic gratiam prædicent ut negent hominis liberum arbitrium*; mox subjungit: *Et quod gravius est dicant quod in die judicij non sit redditurus Deus unicuique secundum opera ejus.* Et qui sic, obsecro, nisi quia se, siquid mali, deficiente tali gratia committerent, sine

[Lib. de grat. & lib. arb. c. 1.] [Ibid. c. 5.] [Ibid. c. 9.] [Cap. 15.] [Epist. 1. ad Valent.]

A qua non possent declinare à malo, aut facere bonum, extra omnem culpam esse censerent. Quem suum errorem in libro de Correptione & gratia hanc ob causam scripto clarius patefaciunt. Cùm enim Augustinus per tale voluntatis & actionis adjutorium ita Deum operari docuisset velle atque perficere, *non ut ipsi nihil agerent* quemadmodum arbitrati fuerant, sed ut *quod agendum est ipsi agerent*: convicti de manente hominis libera voluntate in operibus bonis, quando præsens fuerit hujusmodi adjutorium, libertatem quando deest, sibi tolli conqueruntur. *Ergò*, inquiunt, *præcipiant tantummodo nobis, quid facere debeamus, qui nobis præsunt, & ut faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant, & arguant, si non fecerimus.* Et quid ni corripiant si non fecerint? Nempe; quia ut infra Augustinus dicit, *extra culpam se videri volunt, in hoc quod non obediunt Deo; quia utique ipsa obedientia munus ejus est.* Hoc munus, B id est, ipsum obedire velle Deo, si ipse non dederit, quid homo, inquiunt, velut culpandus arguitur, cum sine illo nulla obediendi libertas habeatur, quia nec voluntatem potest ad obediendum flectere, neque quicquam ex se facere ut illud auxilium detur. Quem sensum eorum luculentissimè quæ consequuntur produnt: *Quomodo*, inquiunt, *meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo nisi detur non est omninò aliud, unde tale ac tantum munus habeatur.* Et paulo inferius: *Rectè corriperer si eam*, bonam faciendi præcepta voluntatem, *mea culpá non haberem; hoc est si eam possem mihi dare vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante illo accipere noluissem. Cum ergò & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle; & non potius ipsum rogas, ut in me operetur & velle?* Et rursum: *Hanc* (obediendi vel diligendi voluntatem) *non accepimus. Quid* C *itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, & nostro arbitrio dare nolumus?* Nonne satiatissime patet eos propter defectum talis adjutorij quo ipsa voluntas & actio obediendi juvatur ac datur, extra culpam se videri voluisse? Quod sane nihil est aliud quam ista peccata citra omnem culpam gratiá vitandi deficiente committi. Quæ excusatio nullo profectò alio fundamento niti potest, nisi perditæ libertatis. Nam ubi est obediendi, sive præcepta faciendi impossibilitas, ibi nulla transgrediendi, sive non obediendi videtur esse posse libertas. Quorundam quoque ex eis eadem prorsus fuit quæ Pelagianorum de natura præcepti hallucinatio; putabant enim eo ipso quo præcipitur, hoc

[Lib. de Corr. & grat. c. 2.] [Ibid. c. 3.] [Cap. 4.] [Ibid. c. 6.]

Digitized by Google

hoc est ab ipso homine actio & voluntas exigitur, fieri non posse ut per adjutorium voluntatis & actionis detur à Deo. Nam Monachorum illorum cum Pelagianis communis est illa superius allegata querimonia: *Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur &c. si hoc nos non agimus sed id velle & operari Deus operatur in nobis?* Et ad illos instruendos est illa Augustini expositio: *Eo ipso, quippe quo præceptum & imperatum est ut intelligamus atque sapiamus, obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. sed si posset hoc ipsum sine adiutorio Dei gratiæ fieri &c.* Et in libro ad eos exarato atque transmisso: *Nunquid tam multa quæ præcipiuntur in lege Dei ne fornicationes & adulteria committantur, indicant aliud quam liberum arbitrium? Neque enim præciperentur nisi homo haberet propriam voluntatem qua divinis præceptis obediret; & tamen Dei donum est &c.*

Lib. de cor. & grat. c. 2. — *Epist. 1. ad Valent. & Frat. &c.* — *Lib. de grat. & lib. arb. c. 4.*

Tertia, quarta & quinta causa repudiandi talis adjutorij est coactio, necessitas, fatum.

CAPVT XV.

TERTIA causa cur illud adjutoriũ voluntatis & actionis abominentur, pendet à præcedentibus, nempe, quia per illud homines inviti & coacti credunt & operantur siquid videntur operari boni. Coactio autem omninò repugnat voluntati. Indicant hanc suam de Christiana gratia opinionem quando dicunt: *Hominem opus Dei defendimus, nec ex illius potentia, vel in bonum, vel in malum invitum aliquem cogi, sed propria voluntate aut bonum facere aut malum.* Ita ex obliquo taxant sententiam Catholicorum. Hoc enim propter illam gratiam ab eis dici qua credendi voluntas & operandi, non credentibus, imò ante nolentibus inspiratur, declarat egregiè refellitque Augustinus. Per illam enim gratiam fit *non ut homines*, inquit, *quod fieri non potest, nolentes*, hoc est, coacti & inviti *credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Sed alibi clarius, quid in adjutorio gratiæ ab Augustino prædicatæ sibi displiceat, confitentur. Docere namque Catholicos calumniosè dicunt: *Quia nisi Deus invito & reluctanti homini inspiraverit boni & ipsius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum possit arripere.* Et paulò post suam promentes opinionem; *Gratiam*, asserunt, *adiuvare uniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere.* Quibus verbis hoc sese aversari indicant, quod invito & reluctanti homini studium virtutis immittatur, ita scilicet ut invitus reluctansque cupiat & sectetur bonum, sicuti inviti subinde homines cupiunt & operantur malum. Prodit hoc prolixa illa Iuliani adversus Augustinum disputatio. *Audi sanè*, inquit, *ubi vim humanæ libertatis ostendit; Ego vero &c. atque omnibus vehementius quod dicit intentionem suam humana voluntate impeditam fuisse, quoties volui congregare &c. & noluisti.* Post quod non sequitur, *sed te nolente* (hoc est ut scilicet Augustinum sentire putat, te invito & reluctante) *collegi*: & alibi sensum Augustini perstringens: *Interrogo ad quem modum liberatur* (voluntas) *ut bonum semper velle cogatur* (scilicet per gratiam) *& malum velle non possit; an utrunque possit appetere? Hic tu si responderis, ut bonum semper velle cogatur, quam sis Iovinianus, ita etiam ipse recognoscis. Si autem dixeris, & quomodo potest esse voluntas libera, si bonum semper velle cogatur? Respondeo, & quomodo dicebatur ante voluntas libera*, scilicet juxta te, *si malum tantummodo velle cogebatur*: antequam videlicet illam à Deo accepisset gratiam qua à peccato sibi dominante liberaretur. Quam Pelagianorum omnium de gratia opinionem sic tollit Augustinus: *Quomodo autem dicis eum, cuius voluntatem nos dicimus à Domino præparari ita fieri bona voluntatis ut bonum velle COGATVR (quod absit ut dicatur à nobis) viderit præclarè intelligentia tua. si enim COGITVR, non vult; & quod absurdius quam ut dicatur nolens velle quod bonum est. De natura etiam Dei vide quid sentias homo, qui dicis COGI hominem ut bonum velit, si malum velle non possit.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 18. — *Lib. 2. ad Bonif. c. 5.* — *Ibid.* — *Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 132.* — *Ibid. f. 151.* — *Ibid.*

Hæc ergò opinio, quam omnes Pelagiani de vi & efficacia Catholici illius adjutorij & voluntatem operantis, tenent, causa est cur passim etjam *captivitatem* ac *necessitatem* tam in malis quam bonis per illud homini afferri vociferentur. Nimirum quia per illud adjutorium uni parti voluntas affigitur, & ut loqui solent, determinatur, ad malum quidem quando justo Dei judicio subtrahitur: ad bonum verò quando per ejus misericordiam liberaliter datur. *Hic intellectus est* (liberi arbitrij) *qui cum illis quos enumeravimus*, ait Iulianus Augustino, *vos etiam à Christo monstrat alienos.* Et causam ex ratione libertatis afferens: *Libertas igitur arbitrij*, inquit, *possibilitas est vel admittendi vel vitandi peccati, expers cogentis necessitatis, quæ in suopte iure habet, utram suggerentium partium sequatur.* Et aliquanto post: *Cæterum duo ista quæ iungis, liberum & non liberum, id est, liberum & captivum illi quidem rei de qua agimus* (id est libero arbitrio) *convenire non possunt. Tibi verò stultitiam singularem, impudentiam novam, impietatem veterem adesse testantur.* Et inferius diserte contra Augustini, quam putat opinionem, negat, *Adiutorio sic destrui libertatem, ut aliquando eâ exclusâ vel boni vel mali cupiam necessitas credatur incumbere*: sed sic se habere docet, *ut arbitrio libero omne adiutorium cooperetur*; possibilitatem scilicet adjuvando, & cum ea influendo. Et sine ullo verborum fuco aut obscuritatis ambiguo: *Videamus nunc*, inquit, *quantum ab eo*

Ibid. f. 118. — *Fol. 124.* — *Fol. 140.* — *Fol. 143.*

(Mani-

Digitized by Google

(Manicheo) *raceßeris. Dicis esse liberam voluntatem, sed ut malum tantummodo faciat, non autem in hoc esse liberam, ut malum desistat operari, nisi ei fuerit imposita* NECESSITAS *volendi bonum, ab ea natura quæ, ut tuis utar sermonibus, malum non potest velle.* Et paulò inferius: [Ibid. 145.] *Tecum ergò putas* (Iovinianus) *tempore baptismatis* (quando scilicet gratia hominem possidere, & ad bonum agere incipit) *imponi hominibus necessitatem boni: quod æque falsum est, quam quod tu putas, ante baptisma inesse hominibus necessitatem faciendi mali.* Quando scilicet, ut plurimum illo gratiæ adjutorio carent. An opus pluribus? Ecce rem totam in summam colligit. [Fol. 453.] *Quo collecto*, ait Iulianus, *convinceris inficiari dogmata tua, ut promittas te liberum arbitrium non negare, quod ante mali, postea boni necessitate subvertis.* Vbi isti longissimæ disputationi se tantopere immoratum dicit, [Fol. 164.] *ut ostenderemus*, inquit, *certissimum esse quod dixeram, quia negarent liberum arbitrium homines, qui vestro fuissent sermone deterriti, & in verum exitium vana formidine truderentur* TEQVE ESSE PRÆCIPVVM ARBITRII LIBERI NEGATOREM.

Neque necessitatem tantum, sed etjam Fatum, per illam gratiam libertati afferri invidiosè clamant. *Sub nomine gratiæ*, inquiunt [Lib. 2. ad Bonif. c. 5.] Episcopi octodecim Pelagiani *ita Fatum asserunt, ut dicant, quia nisi Deus invito, & reluctanti homini inspiraverit boni & ipsius imperfecti cupiditatem, nec a malo declinare, nec bonum posit arripere.* Et Augustinus: [Lib. 4. cont. Iul. c. 8.] *Inter quæ dicis etiam illud vestrum contra Christi gratiam sæpe a vobis inaniter dictum, quod scilicet appellatione gratiæ bonos fieri homines fatali necessitate dicamus.* Quam opinionem Pelagiani ex modo operandi prævenientis illius gratiæ conceperant, quæ hominem invitum & reluctantem facit ut velit. Ideò enim dicunt: *Ita fatum asserunt, ut dicant, quia nisi Deus invito & reluctanti inspiraverit boni cupiditatem* &c. Nam præterquam quod efficacissimè suum effectum operetur, hoc etjam habet ut homini neque laboranti, neque cogitanti, sæpe etjam repugnanti & adversus ipsam gratiam bellum obstinatissimum gerenti inspiretur.

Sexta, septima & octava causa, quia securitatem ignavam affert, laudem, meritum & præmium tollit.

CAPVT XVI.

HINC enim nata est alia quæ sexta est istius adjutorij voluntatis & actionis accusatio ac detestatio, quod tale genus gratiæ *supinam quandam securitatem* afferat, inertemque negligentiam. Iulianus: [Lib. 1. oper. imperf. f. 153] *Nunquam quidem ei adfuit libertas, & probatur sine reatu ante peccasse* (ante acceptam scilicet gratiam) *& postea sine cura sanctitatis gloriam possidere.* Quam Pelagianorum itemque Catholicorum quorundam de ista gratia opinionem respicit Augustinus cum dicit: [Epist. 1. ad Valent. & Monachos eius.] *Sed varijs qui putant bonam vitam esse deserendam quando audiunt sic Dei gratiam prædicari, ut credatur & intelligatur, voluntates hominum ipsas ex malis bonas facere, ipsas etiam quas fecerit custodire, & propterea dicunt, faciamus mala ut veniant bona, in sinistram declinant* &c. Et infra: *Nec sic defendatis gratiam ut quasi de illa* SECVRI *mala opera diligatis.* Hanc autem ignavam securitatem duplici ex capite succrescere arbitrantur.

Primò, ex eo quod illud adjutorium non promiscue omnibus commune esse statuatur, sed ita ex puro Dei pendere beneplacito, ut illud cui velit ipse largiatur, secundum illa; [Ioan. 3.] *Spiritus ubi vult spirat.* Et *dividens singulis prout* [1. Cor. 12.] *vult.* Hinc enim sequi videtur, nihil penitus ab homine sollicitudinis esse postulandum, sed securè exspectandam cœlitus gratiam velut [Ioan. 5.] *aquæ motionem.* Hac enim consideratione potissimũ putabant aliqui id quod ex Epistola ad Valentinum jam jam adduximus, [Epist. 1. ad Valent.] *bonam vitã esse deserendam*, quando audiebant illam Dei gratiam prædicari quæ facit & custodit voluntates bonas. Nimirum *de illa quasi securi* ut veniret gratia quando Deo ita videretur, mala opera diligebant. Hoc item ex capite calumniatur Iulianus Augustinum dicere: [Lib. 4. cont. Iul. c. 8.] *Nihil studij exspectari ab humana voluntate debere contra illud Evangelium quo ait Dominus, Petite & accipietis.* Cùm enim illud adjutorium preces omnes, quas pro ipso impetrando fundimus prævenire debeat, ut det primitus fidem ex qua petamus, & *effundat super domum David spiritum gratiæ & precum*, [Zacharia 12] quibus petamus; profectò nihil studij videtur exspectandum ab humana voluntate sed totum Deo esse relinquendum. Hoc Augustinus vocat *in sinistram declinare*, [Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 35.] nempe, *per nescio quam perversam atque pravam securitatem* de ipsa gratia, *se tanquam impunè dare peccatis.*

Secundò, ex eo suboriri videtur Pelagianis ista ignava securitas, quod cum illud voluntatis & actionis adjutorium dare dicatur ipsã voluntatem & actionem, nihil opus esse videatur, ut nos conatibus nostris ad volendum agendumque annitamur. Hoc enim gratiæ opus est, & in illo cui precibus impetrata jam ac data fuerit, ab ipsa illa gratia fieri debet. Hanc gratiæ criminationem intuetur Augustinus dicens: [Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 5.] *Nec ideò tamen* (quia opus justitiæ à Deo deprecandum est) *de hac re solis votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis: Adiutor enim noster dicitur Deus. Nec adiuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur.* Et in fragmento cujusdam sermonis eleganter: [Fragmento 1. post Serm. de diversis ex Tom. 2. Eugyppij Abbatis.] *Quidquid nobis iubetur, orandum est ut impleatur: Sed non sic ut dimittamus nos, & quomodo ægri iaceamus supini, & dicamus, Pluat Deus*

Digitized by Google

Deus escas super facies nostras, ut prorsus nos nihil agere velimus, & cum esca compluta fuerit super os nostrum, dicamus, etiam Deus glutiat de nobis. Hæc enim Pelagianorum sensu dicuntur, qui quomodò tale voluntatis adjutorium cum conatu voluntatis imò cum ipsa voluntate consisteret, non poterant intelligere. Nam ex hoc quoque fonte fluxit illa quam supra deduximus gratiæ accusatio, quod omnis hominis voluntas penitus tolleretur. Quod si voluntas, ergò & meritum & præmium.

Nam & isto ex capite peracerbè illud adjutoriũ voluntatis & actionis culpant, quod nulla homini pro operibus bonis laus, nulla merces, nulla corona, sed soli Deo, qui operatur ea per gratiam, debeatur. *Quid ergò nos facimus,* inquiunt, *si nihil habemus in potestate nisi Deus det omnia; ergò non nos coronabit Deus, sed se coronabit.* (Ibid. in eodem fragmento.) Pelagianos autem hæreticos esse qui hæc dicerent statim indicat: *Iam videtis quia de illa vena venit. Vena est, sed venenum habet: percussa est enim à serpente, sana non est* &c. *Illum nemo dicat absolutum ab Episcopis,* in Concilio Palestino, *absoluta est sed confessio* &c. Porrò illam frequentissimam eorum fuisse cantilenam satis ex Divo Hieronymo patet: ubi Celestius ex discipulo Magister factus, & per Syllogismorum spineta decurrens ita disputat: *Si nihil ago absque Dei auxilio; & per singula opera eius est omne quod gessero: ergo non ego qui laboro sed Dei in me coronabitur auxilium.* (Epist. ad Ctesiph.) Et in primo Dialogorum libro: *Mihi nullus auferre poterit liberi arbitrij potestatem, ne si in operibus meis Deus adjutor exstiterit* (sed ipsa scilicet opera non ad solam possibilitatem operum adjuvando) *non mihi debeatur merces, sed ei qui in me operatus est.* (Lib. 1. Dial. advers. Pelag non procul ab initio.) Et in libro Dialogorum secundo: *Quid ergo iuvat atque coronat in nobis, & laudat quod ipse operatus est?*

Neque laudandum tantum & coronandum Deum pro operibus nostris bonis putant, si nos per tale voluntatis & actionis adjutorium adjuvet; sed si non adjuvet, etjam culpandum esse blasphemant. Nimirum, quia nos voluntate aut viribus faciendi, quas ipse largiri noluerit, destituimur. *Si absque Deo,* inquit Pelagianus aliquis apud Hieronymum, *& nisi per singula ille me iuverit nihil possum agere, nec pro bonis me iuste operibus coronabit, nec affliget pro malis; sed in utroque suum vel recipiet vel damnabit auxilium.* (Lib. 1. Dial. advers. Pelag. non procul ab initio.) Et rursum alibi: *Ergo si non fecimus quod præcepit, aut voluit nos adjuvare Deus, aut noluit. Si voluit & adjuvit, & tamen non facimus, quod volumus, non nos, sed ille superatus est. Si autem noluit adjuvare, non est culpa eius qui voluit facere, sed illius, qui adjuvare potuit & noluit facere.* (Lib. 3. Dial. ante medium.) Hanc argumentationem esse Celestij Pelagianorum omnium acutissimi testatur Sanctus Augustinus. Cùm enim ille in tertio libri sui capitulo docuisset gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari inter cætera attexuit: *Si per gratiam omnia faciamus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omni modo & non potuit.* (Lib. de gestis Pelag. c. 14.) Et iterum ait: *Si gratia Dei est, quando vincimus peccata, ergo ipsa est in culpa quando à peccato vincimur, quia omnino custodire nos, aut non potuit, aut noluit.*

Quale sit illud adjutorium, quod tot criminationibus Pelagiani accusant.

CAPVT XVII.

EX qua sanè Pelagianorum adversus Christianum illud adjutorium accusatione, & Monachorum excusatione atque defensione, meridiana luce clarius patet nunquam inter eos & Augustinum de tali adjutorio fuisse contentionem; quod vel semper præsens nutui voluntatis assisteret, vel ab humano penderet arbitrio ut ad voluntatem, actionemque actualiter concurreret aut non concurreret. De tali namque adjutorio, quodcunque tandem illud esse intelligat, Celestius dicit: *Propterea & ipsa gratia, in mea voluntate posita est, sive dignus fierem sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus, non nos vincimur* &c. Dilucidis etjam disertisque verbis Monachi Adrumetini profitentur, non esse tale illud adjutorium, ut per illud *voluntatem obediendi sibi dari possint & suo arbitrio dare nolint:* (De Corr. & grat. c. 6.) Non esse tale ut per illud *bonam* faciendi præcepta *voluntatem possint* sibi dare vel sumere ipsi, nec facerent. (Ibid. c. 4.) Tunc enim se sua culpa non habituros, & merito culpandos esse confitentur. Non est ergò adjutorium ullum quod solam possibilitatem volendi atque agendi adjuvat, ut eo pro solo nutu hominis concurrente voluntatem obediendi sibi sumat homo ipse, vel tribuat; sed quod ipsam voluntatem atque actionem invictissimè det & facit. Neque exspectat ut dura voluntas ad operandum cum ipso sese determinet, sed potius *ideo datur,* juxta Augustinum, *ut ipsa duritia cordis primitus auferatur.* (Lib de prædest. SS. c. 8.) Absurdum enim, ne dicam stultum est arbitrari, quod gratia illa, quæ sive in accipiendo, sive in influendo, hominis voluntati & potestati subditur, atque ab ejus pendet nutu, ut cum eo velit aut nolit, obediat aut non obediat, agat aut non agat; quæque per ipsum liberum volendi & agendi exercitium ad volendum, obediendum & agendum inclinatur, ipsam volendi, obediendi, agendique [a] *libertatem destruat:* [b] *sine voluntate nostra sanctitatem perficiat:* ita [c] *velle & operari operetur in nobis, ut nos non agamus:* [d] *invitos cogat ad bonum:* [e] *imponat necessitatem volendi bonum:* ipsamque [f] *libertatem boni necessitate subvertat:* homines [g] *fato,* [h] *fatalique necessitate bonos faciat:* [i] *sine*

[a] Celest. Ep. ad Ctesiph. apud Hier.
[b] Pelag. lib. de grat. Christi c. 7.
[c] Monach. Adrum. lib. de Corr. & grat. c. 2.
[d] Iul. lib. 1. oper. imperf.
[e] Ibid.
[f] Ibid.
[g] Lib. 2. ad Bonif. c. 5.
[h] Lib. 4. ad Bonif. c. 8.

i Lib. 1 oper. imperf. k Quarto cont. Iul. c. 8. l Epist. 2. ad Valent. m Fragmento 1. Serm apud Aug. n Epist. ad Ctesiph. o Hier. lib. 1. Dial. & lib. 3. & Aug. lib. de gestis Pelag. c. 14.

A i *sine cura Sanctitatis gloriam afferat*: efficiat denique ut k *nihil studij ab humana voluntate exspectet. r*: ideoque l *bona vita desperetur*: m *non nos qui laboravimus*, sed *Deus ipse vel* n *Dei in nobis coronetur auxilium*: *ipsum* o *laudetur*, *ipsum superetur*, *ipsum culpetur*, *ipsum damnetur*. Quam enim non superaret non dico fatuitatem, sed vel delirantis phrenesim, siquis per lumen quod oculis præsto est ad videndum, & voluntatis nutui ad intuendum sub jacet, videndi libertatem sibi & voluntatem eripi, se ad intuendum cogi, necessitari, fato fatalive necessitate adigi, nihil à se studij exspectari, adeoque ipsum lumen non sese qui per illud uti vult, videt aut non videt, laudari, coronari, culpari, damnarique debere quereretur? Et tamen in istam opinandi absurditatem, stultitiæque portentum Pelagianos præcipitatos volunt, qui ut suam quoquo modo sententiam de adjutorio quod commenti sunt, & seipsos à Pelagianismi suspicione tueantur, eo omnia obtorto collo rapiunt, ut existimari velint, de nescio qua possibilitatis gratia inter Augustinum & Pelagianos & Adrumetinos Monachos esse quæstionem, istamque cum tali possibilitatis adjutorio, libertatis humanę concordantiam, quæ sapientibus & insipientibus, doctis indoctisque facillima est, & ab ipsis propter nimiam facilitatem excogitata, nec unquam ab Augustino tot querimonijs, de destructa libertate vexato, tot criminationibus traducto, vel probata, vel tacta, vel judicata est; sed sæpe potius improbata atque damnata ut suo loco declarabitur; istam, inquam, concordantiam neque celerrima Pelagianorum ingenia vidisse unquam, nec Augustinum, nec Ecclesiam illius temporis, quæ per os ejus loquebatur, vel meminisse vel invenire potuisse quo periculosissimam sopirent contentionem; atque ita clausis oculis eos Andabatarum more pugnasse ut neutri ferirent vel intelligerent alteros, persuadere moliuntur. Et

A hoc de adjutorio voluntatis & actionis, quod ad singulos actus datur, & quid Pelagiani de illo senserint, disputata sufficiant. Abundè quippe ex dictis constare arbitror, id eos tanquam fatalem libertatis ruinam, voluntatis humanæ destructionem, stragem boni ac mali operis, meriti ac præmij interitum, ignaviæ & securitatis fomitem pernegasse: quarum gravissimarum difficultatum & criminationũ, nulla vel umbra in adjutorio possibilitatis apparet. Posse quippe non velle tribuit, hoc est, potestatem, non voluntatem: ut autem potestas illa volendi quantumcumque interius exteriusve adjuta velit aut agat, ipsa libera voluntas movetur, pulsetur, exigitur, ex quo fit ut quo majus est illud possibilitatis adjutorium, eo facilius indifferens illa libertas voluntatis percipiatur. Quo enim potestas volendi major est, eo liberius & indifferentius est velle vel nolle quod sequitur, cum ipsa voluntatis imbecillitas non sit exigua volendi difficultas, & nolendi facilitas. Sicut ergò in ipso creationis exortu fatentibus tam Catholicis quàm Pelagianis, indifferens illa libertas volendi, nolendive erat maxima, quia possibilitas ad utrumque plenissima, ita & nunc quo magis illa infirma possibilitas sive intrinsecus sive extrinsecus adjuvatur, & ad primum ac pristinum illum statum reducitur, eò facilius pristina ejus indifferentia intelligitur. Quis enim ita dementer insaniat, ut quia possibilitas volendi de novo adjuta vel data est, libertatem, hoc est indifferentiam volendi sibi sublatam putet, cum illa hoc ipso ex ejus arbitrio suspendatur? Sed quamvis hanc adjutorij possibilitatis cum libertate concordiam Pelagianos optime intellexisse certissimum sit, non tamen idcirco existimandum est, eos quodlibet possibilitatis adjutorium esse confessos. C Vnde quid de singulis illi senserint paulò diligentius disquirendum est.

De adjutorio possibilitatis interno.

CAPVT XVIII.

De adjutorio possibilitatis externo satis diximus, quando de lege, doctrina, atque exemplo Christi ad singulos etiam actus suo modo sive per eorum ad singula momenta recordationem, sive aliter concurrentibus, diximus. Nunc de interno auxilio possibilitatis pauca dicenda sunt. Illud generaliter duplex, statui, potest, unum in intellectu, alterum in voluntate: utrumque vel actuale vel habituale.

Lib de Hæresi ad quod vult Deum Hæresi 88.

Adjutorium illud intellectus non est aliud nisi cognitio seu scientia quam admittere Pelagianos satis in superioribus, ubi de revelationibus & illuminationibus à Deo homini datis disputavimus, probatum est. Vnde Augustinus generaliter dicit: *Ac per hoc divinitus*

A *nobis dari scientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur.* Esse autem adjutorium possibilitatis juxta Pelagij mentem ex ejusdem Augustini testificatione certum est: *sicut alijs in locis* inquit, *in quibus evidentius loquitur* Pelagius, *intelligi potest*, *non vult aliud accipi quam legem atque doctrinam, quâ naturalis possibilitas adjuvatur.* Legis enim ac doctrinæ omnisque omninò scientiæ eadem prorsus in adjuvanda naturali possibilitate ratio est. Efficiunt enim ut *facienda noverimus*, nullo modo ut *cognita faciamus*: per illa *nobis aperitur quidem intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere aut vitare debeamus*; nequaquam *ut quod faciendum cognovimus etiam facere diligamus.* Quod adjutorio voluntatis & actionis proprium est. At per hoc suo modo ad hoc

Lib. de grat. Christi c. 12.

Concil. Carthag. canon. 3

Digitized by Google

ad hoc adjuvant, ut possibilitas faciendi mandata homini tribuatur, quis enim poterit facere bonum aut vitare malum quod ignorat esse faciendum aut vitandum? Vt autem illa possibilitas determinetur ad hoc ut faciat aut non faciat bonū aut malū nullo modo facit intelligentia, sed vel ab ipso libero voluntatis arbitrio, vel certè, si imbecilla voluntas seu volitio est ab alio ipsius voluntatis adjutorio cōcurrente licet simul scientia, exspectandum est.

Etjam in voluntate potest dari auxilium possibilitatis. De concursu generali Dei ad omnes naturas.

CAPVT XIX.

De adjutorio possibilitatis quod potestati voluntatis adjuvandæ adhibetur, major dubitatio esse potest: idq; sive de concursu generali, sive de gratia habituali sive de actuali sermo fiat; de quibus ordine disputandum est.

Vbi imprimis certa illa veritas fundamenti loco supponenda est, etjam in potentia voluntatis posse dari adjutorium quod solam possibilitatem adjuvet non actionem aut voluntatem, quicquid enim ipsum posse voluntatis seu posse velle, seu potestatem volendi & consequenter agendi adjuvat, ita ut velle & agere nostrum sit, hoc est, quo ita velimus & agamus ut nobis liberum & indifferens sit non habere voluntatem & actionem, hoc ex mente Pelagij adjutorium possibilitatis dicitur, tametsi istud adjutorium simul ad volendum & agendum pro nutu hominis sese cum illo determinantis aliquid conferat: sicut hoc in cognitione respectu volitionis & actionis manifestum est & supra latius demonstratum est.

Iam vero etjam generalem concursum & habitus voluntatis & quasdam gratias actuales esse tales extra controversiam est. Nam præter eos qui physicas prædeterminationes omnibus motibus voluntatis adhibent, communis est Scholasticorum sententia generalem concursum ipsius voluntatis arbitrio ita contemperari, ut non ideo actu voluntas agat, quia concursus ille datur, sed ideo detur, quia voluntati ad agēdum sese cum illo determinare placet, concursu enim generali uti vel non uti prorsus in arbitrio voluntatis positum esse concedunt. Nec minus res ista de habitibus voluntatis certa est. Nam sicut *habere*, autore D. Thoma, *dicimur id, quo libere possumus uti vel frui ut volumus*; ita & habitus *quo quis agit cum voluerit*. Nec enim dat voluntatem vel actionem, sed potentiam dumtaxat voluntatis roborat & promptam facit, ut velle & agere tunc sequantur, cum nutus liberi arbitrij potentiam ad volendum & agendum una cum habitū concurrente determinaverit. Neque dubium esse potest, quin simile adjutorium actuale in voluntate poni possit, quod nutui eius ita contemperatum sit ut eam agere volentem adjuvet; agere nolentem non incitet aut proritet ad actionē, vel certe si quo modo incitaverit, fræno libertatis ita subjectum sit, ut non nisi ejus arbitrio potestas adjuta ad volendum agendumque prosiliat.

(1. part. q. 38 art. 1. Cōmentator in lib. 3. de anima & sp. D. Thoæ 1.2. q. 49. art. 3.)

Vt igitur de generali concursu incipiamus, extra controversiam statui debet, Pelagianos concursum illum generalem quo Deus omnes omnino naturas cum causis secundis efficit & conservat, libentissime professos esse & acerrime defendisse. Vbique Catholicæ illius doctrinæ semina per omnes pœnè libros eorum sparsa conspicias. Hoc enim agit Pelagius in Commentarijs: *Qui* (Dominus) *ubique semper videt & custodit omne quod factum est*. Hoc post Pelagium agit instantissime Iulianus, vt in Augustini libris de nuptijs ad Valerium, ad illum Apostoli locum; *Deus dat illi corpus sicut vult, & unicuique seminum proprium corpus*; corpus ipsum à Deo fieri docet; *Si ergo Deus humano semini quod nemo negat vel prudentū vel piorū, proprium sicut omnibus rebus corpus attribuit, unde quemquā reū probabis?* Et in lib. operis imperf. etiām à Deo formari sentit lineamenta corporis: *an-ne per prima culpam membrorum lineamenta traxisset?* parvulis nempe. Et respondet sibi: *Sed hæc à Deo informari & per hæc bona esse concesseras.* Et ibidem de forma corporis idem tradit, hoc est informatione, & ipsa etjam anima: *Per quid hoc peccatum invenitur in parvulo? Per formam corporis? Sed hanc Deus tribuit. Per ingressum animæ? Sed nihil debet semini corporali quæ nova à Deo conditur.* Quin & ipsum operationis divinæ, hoc est concursus illius generalis quo creaturas producit exponit modum: *Quatuor hic personarum causa vertitur, Dei opificis, duorum parentum de quibus materia præstatur operanti* (Deo) *& parvuli qui nascitur.* Et rursum: *Cumque ipsi itidem licet de seminibus à Deo institutis, tamen interveniente Dei potentia in visceribus fingantur maternis, obstipo studio affirmant, nequivisse carnem sine ministerio viri ex carne virginis fabricare.* Et quo nihil amplius desideres omnium apertissime: *Quem conditor promisit* (Isaac) *conditor dedit; non concubitus, sed Dei opus est qui nascitur. Qui enim primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricatur ex semine. Sicut ergo tunc limus qui assumptus est, materia, non author fuit hominis: ita nunc vis illa voluptatis confectrix, commixtrixque seminum, non explet operationis vicē, sed de thesauris naturæ offert Deo, unde ille hominem dignetur operari.* Quæ omnia August. recta & vera esse profitetur. Deniq; nil magis acerbum, invidiosum & impiū Catholicis & Augustino imponere & exprobrare solent, quam quod Deum nascentium hominū

(In Epist. ad Colos. c. 3. v. 40. — Lib. 2. c. 23. — 1. Cor. 15. — Lib. 2. de nupt. c. 15. — Lib. 2. f. 134 — Ibid. f. 129. — Fol. 136. — Ibid. f. 103. — Lib. 2. de nupt. & concup. c. 13 — Ibid.)

negarent

Lib. 1 oper. imperf. c. 79. negarent esse conditorem. Iulianus: *Quid est aliud virginis fœcundatorem* (id est Deum) *& egentissimum ostendere inopia portionis suæ & eundem negare eorum qui prodeunt de nuptijs hominum conditorem?* Quam calumniam sexcenties ad singulos pœne versus repetit. Nam ad evertendum peccatum originale fortissimus eorum erat aries, quod illud asserentes dicere viderentur *diabolum hominum nascentium conditorem.* Vnde Augustinus: *Hæretici novi, damnatores nos esse nuptiarum operisque divini, quo ex maribus & fœminis Deus homines creat, invidiosissime clamitant.* Quod est autem illud opus divinum, quo ex maribus & fœminis Deus homines creat, nisi concursus ille generalis quem quotidie promovendæ hominum generationi Deus impendit? Et amoliens à se ipsissimis Iuliani verbis hanc assertionis impietatem: *Nec puto*, inquit, *quod hominem Deus non fecerit, aut diabolo fecerit, aut diabolus fecerit.* Hæc enim tria Augustino imposuerat, quæ non de prima hominis institutione, sed illa conditione quæ quotidie agitur intelligenda sunt. Nam Iuliani verba repetens, ait: *Quis autem Christianus ignorat, quod ille qui primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricetur ex semine?* Et libro quinto: *Nam misericordiam & magnis & pusillis omnibus præstari ab illo, a quo salus est & hominum & pecorum &c. quis abnuat, nisi qui Deum esse aut terrena curare non credit? Quod tu quasi inde contenderemus, per testimonium Sancti Iob docere voluisti, quia dixit: Ossibus & nervis compegisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi.* Ecce quanto studio inculcat ex omnium Pelagianorum sententia Iulianus, Deum humano semine sicut omnibus rebus, corpus attribuere, hoc est, semen ipsum conformare, delineare, animare, ossibus denique nervisque compingere. Quod sane neque primâ hominis creatione, neque nouâ aliquâ miraculosâ productione, sed illo concursu facit, quem omnes generalem dicimus, quique omnibus substantijs producendis, conseruandis, administrandisque adhibetur. Nam ne quis forte suspicaretur de alio quodam divinæ operationis influxu inter Augustinum atque Iulianum esse sermonem, dubitationem omnem tollit ipse Augustinus. Cum enim de Iuliano dixisset, quod *testem voluit adhibere Apostolum, quo probaret Deum, quod & nos*, inquit, *dicimus de humanis seminibus hominem operari*, modum istius operationis explicando subnectit: *Ac deinde* (post jactum semen) *creator omnipotens incontaminabili ubique præsentia & creatrice potentia, de seminibus hominum prout vellet quod & nunc facit, operaretur in fœmina sicut de seminibus frumentorum, pro ut vult, operatur in terra.* Nam eandem humani seminis & aliorum esse rationem etjam clare Iulianus indicat, quando dicit: *Humano semini proprium sicut singulis rebus corpus attribuit.* Et hoc *neminem negare sive prudentium sive piorum.* Nempe quia Catholicæ fidei dogma est. Vnde cum alibi asseruisset *filios de corporum commixtione nascentes reputari divino operi*. Respondet & Augustinus, *quasi qui hoc negaverit possit esse Christianus.* Et plenissimum ea de re Catholicorum cum Pelagianis consensum indicans, mox subjungit: *Providentem*, inquit, *quam promptissime confitemur & libentissime prædicamus, velut habeat inter nos controversiam, ita per Scripturarum testimonia conaris ostendere.*

Lib. 2. cont. Iul. c. 1. — Lib. de nupt. & concup. c. 1. — Lib. 3. cont. Iul. c. 18. — Ibid. c. 18. — Lib. 5. c. 6. — Lib. 2. de nupt. & concup. c. 14. — Lib. 2. de nupt. c. 15. — Lib. 3. cont. Iul. c. 10. — Lib. 3. cont. Iul. c. 10.

De concursu generali Dei ad operationes etjam voluntatis.

CAPVT XX.

ET hæc quidem quamvis de concursu ad substantias sive ad effectus quos creaturæ operando producunt, manifeste intelligantur, consequenter tamen etjam de concursu ad ipsas operationes creatas, quibus creaturarum effectus producuntur, intelligi debent. Neque enim Deus & creatura illos effectus distinctis producunt actionibus, sed unâ prorsus eâdemque quæ à diversis principijs Deo simul & creaturâ fluit, sicut hoc communiter à Philosophis explicari solet. Hinc est quod in alijs locis eundem Dei concursum ad ipsas quoque creaturarum operationes evidenter extendunt. Nam in primis ex professo docet Iulianus cômixtionem corporum, quæ est quædam corporum operatio, à Deo fieri atque esse bonum, ideoque non posse per eam peccatum originale propagari. *Si mala commixtio*, inquit Iulianus, *deformis etiam conditio corporum, & ideo corpora quo jure malo à te deputantur autori*; cui mox contrariam suam sententiam subjicit: *Ab ipso* (Deo) *igitur commixtio corporum à quo est origo corporum.* Cujus argumentationis energia clarius ex alio loco intelligitur, ubi ex eo quod Deus omnium rerum creator est, etjam corporis nostri membra figuram commixtionemque ab eo factam esse concludit. Duo autem priora per generalem concursum ab eo formata sunt, ut ex mente Iuliani late demonstravimus, ergo & postrema commixtio. *Deus*, inquit, *bonus per quem facta sunt omnia ipse corporis nostri membra formavit. Qui autem corpora fecerat, divisit & sexum. Divisit in specie quod in operatione conjungeret, fecitque causam conjunctionum dissimilitudo membrorum. Ab ipso igitur commixtio corporum à quo est origo corporum. Quod cum ingratis concesseris, sequitur tot rerum bonarum, corporum, sexuum, commixtionum malos fructus esse non posse.* Vnde adstipulando sententiæ Iulianæ Augustinus: *Sic*, inquit, *ego tibi rectissime dico, malum cum quo nascitur homo, non esse fructum corporum, sexuum, conjunctionum, quorum bonorum autor est Deus.* Si ergo Deus bonæ conjunctionis secundum Augustini mentem

Lib. 2. de nupt. c. 6. — Lib. 3. cont. Iul. c. 9. — Ibid.

mentem, per concursum generalem autor esse dicendus est, non est ratio cur per eundem concursum autor commixtionis ex Juliani mente negetur. Cum nullum in omnibus Juliani & Augustini lucubrationibus exstet dissensionis hac in re, sed summæ potius consensionis indicium. Quod evidentius ex alia Juliani doctrina magno Augustini applausu comprobata innotescit: *Deus igitur*, inquit ille, (Lib. 2. de nup. & concup. c. 4.) *maru creato & femina concupiscentia generationi membra formavit, & gigni corpora de corporibus ordinavit.* Ecce primam hominum & corporum & sexuum & commixtionis institutionem. An igitur sic operetur, ut eorum non solum effectibus, seu & efficientiæ se Dei operatio non interponat? Pergit ergo Julianus: *Quorum tamen* EFFICIENTIÆ *potentia Dei operationis intervenit, omne quod est ea administrans virtute qua condidit.* Quid hic efficientia hominum nisi actio hominum, nisi operatio? Cui operatio Dei intervenire dicitur, ex eo capite, quod *omne quod est ea administrat virtute qua condidit:* administrationis autem illius, hoc est providentiæ omnium rerum prima pars est concursus ille generalis Dei ad omnium rerum creatarum operationes. Cum enim & ipsæ sub latitudine OMNIS *quod est* comprehendantur necesse est, ut ad eas quoque ex Juliani sensu Dei administratio protendatur. Unde sine illa distinctione vel explicatione rectissimam illam doctrinam Augustinus approbans dicit: (Ibid.) *Etiam hoc esse Catholicum cognoscimus.* Et paulo inferius; *Post hac qua veraciter & Catholice dicta sunt, imo in divinis libris veraciter scripta, non autem ab isto Catholice dicta sunt; quia non intentione Catholici pectoris dicta sunt, sed propter quod ea dixit, Pelagiana & Celestiana heresis* (de peccato originis) *incipit introduci.* quibus profecto indicat nullum hac in re inter Julianum & Catholicos, sed in aliis dogmatibus discrimen esse. Neque vero legitur unquam Julianu aut Pelagianos in hac generali Dei providentia & administratione, in qua concursus ille generalis includitur, vacillasse. Sic enim loquitur alio in loco Julianus: *Vigitur prima fidei fundamenta cognoscas, noster Deus* (Lib. 1. oper. imperf. f. 51.) *Ecclesia Catholica Deus, substantia nobis ignotus est*

A *&c. Factor omnium qua non erant: dispensator rerum qua sunt.* Sic loquuntur cum Juliano plures Episcopi Pelagiani: *Deum bonum nascentium esse* (Lib. 4 ad Bonif. c. 4.) *conditorem, per quem facta sunt omnia, quique opus esse filios hominum.* Si per eum facta sunt omnia, etiam filij hominum, certe & actiones eorum, quæ omnium quæ creata sunt amplitudine sine dubio comprehensa sunt. Fiunt autem filij hominum aliæque creaturæ à Deo per concursum generalem, quæ creaturarum *efficientiæ intervenit*, ut certissimis Pelagianorum testimonijs supra comprobavimus. Ergo etiam omnes earum operationes simili concursu dicendæ sunt fieri. Unde Pelagianus ille qui ex Juliani verbis Centonem quendam Comiti Valerio inscriptum concinnaverat, illo Catholico conclusit Epiphonemate: *Vere credito* (Lib. 2. de nupt. c. ult.) *quia per* JESUM *facta sunt omnia & sine ipso factum est nihil.* Ubi cum de parvulorum loquatur
B productione, qui non prima creatione sed quotidianâ in lucem proferuntur à Deo, nihil aliud professus videri debet, quam concursum illum Catholicum quo omnia quæ quoquo modo fiunt, sive substantiæ, sive substantiarum operationes, adeoque volitiones ad Dei efficientem potentiam referuntur. Cum enim nihil sine ipso factum esse profitetur, & omnis volitio atque operatio creaturæ aliquid sit, sane neque volitiones à Dei operatione atque concursu subtrahit. Quod enim nusquam expressa de voluntatibus fiat mentio, non alia sane causa est, nisi quia nunquam de illo concursu ad voluntates inter Pelagianos & Catholicos fuit disputatio aut controversia, sed solummodo de illa gratia propter quam juvandæ infirmitati hominum largiendam autor gratiæ in mundum veniens crucifixus &
C mortuus est. *Christus* autem JESUS *venit in hunc mundum*, non concursum generalem tribuere, sed *peccatores salvos facere.* Neque connaturalem integro homini cooperationem dare, sed *quarere & salvum facere quod perierat*, infundendo in vulnera ejus oleum & vinum, hoc est, misericordissimum divinæ gratiæ & charitatis adjutorium.

Solvitur objectio ex Epistola Divi Hieronymi ad Ctesiphontem petita.

CAPUT XXI.

VNA tantùm hic occurrit solvenda difficultas, quòd isti doctrinæ adversari videtur sanctus Hieronymus. Profert enim ejusmodi verba Pelagij vel Celestij, quibus multorum judicio omnem omninò concursum Dei etiam generalem ab actionibus humanis tollit. *Audite quaso,* inquit Sanctus Hieronymus, (Epist. ad Ctesiph.) *audite sacrilegum. Si*, inquit, *voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa jacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, relevare alvum, urinam digerere, semper mihi auxilium Dei*

A *necessarium erit?* Auxilium enim Dei quod ad hujusmodi proferendas actiones necessarium est, non nisi côcursus generalis intelligi potest. Ad hujus difficultatis solutionem sciêdum est inter Catholicos & Pelagianos non de quibusvis actionibus sive malis sive indifferentibus, sed de bonis dumtaxat fuisse controversiam. Hoc enim agebatur, *utrum homo sine Dei gratia posset vivere sine peccato & implere justitiam.* Quod ex tota illa Epistola Divi Hieronymi & tribus Dialogorum libris & omnibus operibus Divi Augustini contra Pelagianos exaratis,

aratis, ita perspicuum est ut super-vacuum sit accumulatis testimonijs id velle firmare: nimiumque imperitus, qui istud in dubium vocet. Hinc est quod frequenter Divus Augustinus negat ad peccandum hominem juvari à Deo; quia nulla ad roborandam peccandi voluntatem gratia Christi necessaria, quantumvis generalis Dei concursus requiratur. *Ad peccandum namque*, inquit, *non adiuvamur a Deo, justa autem agere vel justitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus nisi adiuvemur à Deo.* Hinc est quod & actiones illas indifferentes aut naturales afferri vetat quando de divinæ gratiæ auxilio disceptatur. Nam cum simili plane modo ut apud Hieronymum Celestius actionem nubendi protulisset quæ sine Dei auxilio sola hominis voluntate posset fieri, respondet Augustinus: *Videte tamen obsecro quale sit, ideo volentis & currentis misericordiam Dei non esse necessariam, quæ illum etiam prævenit ut curreret, quia de quodam ait Apostolus* QVOD VVLT FACIAT. *Ibi arbitror, ubi sequitur & dicit, non peccat si nubat. Quasi pro magno habendum sit velle nubere ubi de adiutorio divinæ misericordiæ operosius disputatur.*

Lib. 2. de pec. meritis & remiss. c. 5.

Lib. de perf. iust. c. 19.

Itaque tribus modis objectæ difficultati satisfieri potest. *Primo*, Pelagianos ut magnam illam declinarent invidiam, quam negando gratiam Dei ad singulos actus dari sibi pepererant, ab actibus bonis de quibus agebatur, ad actus illos minimos atque indifferentes esse delapsos, ut quia constaret eos sine gratia ab infidelibus ac paganis fieri, non proinde ad singulos omnino actus gratiam necessariam esse videretur. Ita simulando se nullum inter illos & alios actus discrimen intelligere, causam suam illa ineptia quoquo modo sustentare voluerunt. Et hoc est quod verbis Divus Augustinus citatis exprobrat, significando tale genus actionum naturalium nihil ad propositam controversiam pertinere. Quo modo & Divus Hieronymus eorum absurditatem verè ac solidè retundere potuisset, sed ille maluit secundum responsionis modum sequi, quem etiam Divus Augustinus eodem loco tetigit. Nam post commemorata illa verba, *quasi pro magno habendum sit velle nubere ubi de adiutorio divinæ misericordiæ operosius disputatur*, secundam solutionem adjiciens; *aut vero*, inquit, *etiam sibi prodesset aliquid velle, nisi Deus providentia qua gubernat omnia marem fæminamque coniungat.* Quibus verbis non concursum generalem commendat aut postulat, sed illam potius Dei providentiam qua multarum sive bonarum sive malarum, sive indifferentium voluntatum effectus impedit, ut non possint perficere quod voluerint. Posse namque quod volueris, non humanæ voluntatis, sed divinæ potestatis est. Nam ut rectissime notat Augustinus, non dixit Apostolus, *non est voluntas nisi à Deo*; sed dixit, *non est potestas nisi à Deo.* Hanc proficiendi potestatem cum Deus dat voluntati bonæ, non concursu illo generali, sed singulari misericordia facit, quam non omnibus tribuit: cum eam dat voluntati malæ, non itidem

Lib. de Spirit. & Litt. c. 31.

concursu generali, sed judicio facit, quod non in omnibus semper exercet. Hinc Augustinus: *Vnde intelligimus malos accipere potestatem ad damnationem malæ voluntatis suæ, bonos autem ad probationem voluntatis suæ.* Sic ergò & in illo genere actionum, tametsi nihil ad rem faciat, ostendit Augustinus etsi non propriè Christi gratiam, aliquod tamen genus divinæ misericordiæ esse necessarium, ut voluntas illa suum effectum consequatur. Hoc idem vult indicare D. Hieronymus quãdo Pelagianorum objectioni Divi Iacobi verbis respondens dicit: *Audi ingrate & illud Iacobi: Ecce nunc qui dicitis hodie aut cras proficiscemur in illam civitatem, & faciemus illic annum ut negotiemur & lucremur qui nescitis de crastino. Quæ enim est vita vestra?* &c. *pro eo quod debeatis dicere: si Dominus voluerit & vixerimus faciemus hoc aut illud.* Vult enim Apostolus & ex Apostolo Hieronymus eos redarguere, qui de humanæ vitæ actionibus ita disponunt, ac si à nemine qui eas possit impedire dependerent. Qui nempe (ut Glossa) *suæ potestatis æstimant ubi annum finiant.* Non ergò necessitas concursus generalis sed alterius providentiæ commendatur, qua fit ut proposita voluntatum humanarum sortiantur effectum. Quomodo & alibi Augustinus probat perseverantiam in justitia esse donum Dei, non quia concursu generali Deus humanæ vitæ functionibus præsto est, ut pote quem nulli prorsus creaturæ, nisi miraculo, negat; *sed quia vita huic quando voluerit ipse dat finem: quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.* Rectè igitur D. Hieronymus & Augustinus contra Pelagianos sui se prorsus arbitrij in actionibus illis naturalibus & civilibus esse gloriantes, docent etjam ad illas necessarium esse gratuitum quoddam auxilium Dei, quod ipse dat vel negat quibus voluerit, etjam quibus generalis ille concursus præparatus est.

Ibid.

Epist. cit. ad Ctesiph. Iacobi 4.

Gloss. in illum locum 4.

Lib. de dono persev. c. 17.

Tertius deniq; respondendi modus est negasse Pelagianos, auxilium Dei, ad istas naturales actiones, ut movere manum, sedere stare, ambulare esse necessariũ, non prçcisè quo fiunt, sed quo fiant ut bonæ sint; quia de bonis actionibus uti diximus vitâque hominis sine peccato peragendâ tota contentio est. Tales igitur actiones quia secundum speciem naturalem, quæ nihil vitij in se continet, manifestum est sine Dei gratia posse fieri, incredibile eis videbatur, quod ad singulas omninò actiones gratiâ Dei necessaria esse diceretur. Neq; enim videbant aut videre volebant, naturalem actionum illarum speciem & supernaturalem bonitatem à diversis principijs peti, quorum unum in homine situm est alterum à Deo extrinsecus inseri debet. Contra hanc eorum existimationem inculcat Hieronymus nos debere *ad Deum semper authorem recurrere & ex illius pendere voluntate*, dicentes: *Oculi mei semper ad Dominum quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Falsumq; esse quod Pelagius docuit, *unumquemq; arbitrio suo regi*, dicente Hieremia: *Non est in homine via eius, & à Domino gressus hominis diriguntur.* Contra hanc inducit Apostolum prædicantem,

sive

1. ad Cor. 10. *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite.* Quæ omnia commendant illam Dei gratiam qua omnia opera nostra in honorem *nominis Domini aguntur* & referuntur; qua *gressus hominis à Deo diriguntur ut viam eius velit*; qua arbitrium hominis à Deo regitur; qua *ex laqueis tentationum pedes hominis eruuntur.* Quæ sanè gratia non concursus generalis est, communis omnibus qui suo reguntur arbitrio, sed verissima proprijssimaque Christi gratia ad omnes omninò bonas actiones necessaria, etjamsi naturales aut civiles tantummodo esse videantur. Nam omnia ista citata Scripturæ loca frequenter ad illam Dei gratiam astruendam Divus Augustinus usurpat: *Vides*, inquit, *quia ubique Domini viribus studijs cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino. Et ideò juxta Apostolum: sive manducatis sive bibitis, omnia in Dei gloriam facite.* Verba ex Divo Ambrosio sumpta sunt: quibus generalissimè probat nullas omninò actiones, nempe bonas, videantur licet esse naturales, posse fieri *sine gratiæ beneficio*: & ideò eandem quam Hieronymus profert Scripturam *sive manducamus, sive bibimus, omnia in Dei gloriam esse facienda.* Et libro de gestis Pelagij declarat & probat illam ejus sententiam quam & Hieronymus protulit, qua *omnes suo arbitrio seu voluntate* Pelagius *regi* dixit, quasi Deus neminem regat; tanquam veræ Christi gratiæ contrariam ab Episcopis esse damnatam. Vnde & ipse Pelagius ut testis est Augustinus, *quod male sonare illa verba perspexit*, *responditque se hoc dixisse propter liberum arbitrium*. hoc est quod homo in omnibus actionibus suis haberet liberum arbitrium: & continuò subjecit ad frangendam in pietatis invidiam: *cui Deus adjutor est eligenti bona.* Ex quibus omnibus liquet, non tam auxilium concursus generalis, quam veræ gratiæ ab actionibus illis naturalibus *curvandi digitum*, *movendi manum*, *sedendi*, *standi* &c. Pelagianos removisse: Ab illis inquam, quatenus actiones bonæ sunt & gratæ Deo. Nam si de illis ut naturalibus tantum sermo est, tanquam quibus concursus Dei generalis non sit necessarius, neque Pelagius sanè, neque Hieronymus quicquam ad rem loquitur. Nam nec ille probat hominem in ullo actu rectè vivere posse sine gratia Dei: Nec iste probat male Pelagium concursum illum generalem ab actibus naturalibus sustulisse.

Lib. de grat. Christi c. 44. & ex Divo Ambr. lib. 2. in Lucam.

Cap. 3.

Ibid. c. 3.

De adjutorio justitiæ seu gratiæ habitualis. Pelagianorum sententia declaratur, ex virtutibus acquisitis & remissione peccatorum.

CAPVT XXII.

HABITVS voluntatis tám malos quam bonos, adeoque justitiam quandam habitualem quæ humanorum actuum exercitio paretur, Pelagianos admisisse, neque ullum libertatis præjudicium ex eo veritos esse certissimum est. Quid enim sunt aliud illæ quas afferunt bonæ & malæ consuetudines nisi virtutes & vitia? Et quid illa nisi habitus quidam boni & mali? De malis illis consuetudinibus satis superque libro quarto diximus. De bonis res perspicua est, passim obvia & ex professo tradita. Virtutes enim longo studio & consuetudine inseri posse docent atque formari. *Consuetudo est*, inquit Pelagius, *quæ aut vitia aut virtutes alit, quæque in his plurimum valet, cum quibus ab ineunte ætate simul creverit.* Et infra: *Dum adhuc mobilis est ætas, & animus docilis facilis, exercenda boni consuetudo, & jugi meditatione confirmanda est. Occupandum est optimis rebus ingenium & sanctæ conversationis usus altius inserendus est. Tunc verò ad perfectionis fastigium animus ascendit & longæ consuetudinis beneficio utitur ad benevivendi facultatem: & virtutes suas ipse etiam miratus, quodammodo in se putabit natum esse quod didicit.* Et in eadem Epistola: *Nam si illi etiam qui longo peccandi usu bonum quodammodo obruêre naturæ, instaurari per pœnitentiam possunt, & mutata voluntate vivendi consuetudinem consuetudine extinguere, & optimi quique de pessimis fieri* &c. Ecce quam perspicuè bonos habitus adeoq; virtutes inseri, & bonis habitibus malos extingui tradit; totumq; istud negotium non esse nisi usus & consuetudinis. Vnde aliquanto inferius: *Ieiunare, abstinere, psallere, vigilare, non tam studio opus habent quam voluntate* &c. *Mores verò mutare, singulasque virtutes animi formare in se, atque perficere, grandis studij est & longæ consuetudinis.* Sed quid opus pluribus? Vna Pelagianorum capitalis est sententia etjam Palæstina Synodo ex discipuli scriptis objecta Pelagio, qua dicunt: *Vnumquemque hominem omnes virtutes posse habere & gratias.* Iam verò quid virtutes nisi habitus quidam boni sunt, & quædam animi habitualis justitia? Sed hanc, ut ex allatis testimonijs manifestum est, non infundi divinitus, sed bene vivendi consuetudine parari volunt: Nullum igitur dubium esse potest, quin adjutoria ista habitualia, quæ sive in malum sive in bonum accedunt voluntati per habitus vitiorum virtutumque Pelagiani agnoverint, nec ullum ex eis præjudicium libertati veriti fuerint. Subsint enim perfectè nutui voluntatis ut cum illa in actum influant vel non influant, non minus atque ipsa voluntatis potentia. Sunt enim adjutorium *possibilitatis* nullo modo *voluntatis aut actionis.* Tribuunt enim potentiæ volun-

Supra lib. 4. c. 6.

Epist. ad Demet.

Ibid.

Ibid.

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

Digitized by Google

voluntatis posse si velit, non autem ut velit aut agat: quia habitibus utimur quando volumus.

Major itaque difficultas & controversia est, utrum unquam Pelagiani infusam illam justitiam & gratiam habitu permanentem qua homo justificatur & sanctificatur, agnoverint. Cujus quæstionis pars negativa à plerisque defenditur: quamvis in hanc opinionem non tam compertæ veritatis certitudine, atque securitate, quam præconceptæ sententiæ suæ tuendæ necessitate prolapsi sint. Neque enim aliter tueri se posse putant per solam habitualem gratiam nonnulla legis mandata servari posse & actus nonnullos bonos fieri, nisi Pelagius etjam illam negasse statuatur.

Sed si omnes doctrinæ Pelagianæ latebras excutiamus, argumenta plura eaque non contemnenda reperiemus, quibus persuasus, judices eos gratiam habitualem divinitus infusam & agnovisse & prædicasse. B

Primum est quia remissionem peccatorum delinquentibus esse necessariam & à Deo impetrandam ac dandam esse concedunt, constanterque profitentur. *Divinitus*, inquit Augustinus, *esse expianda peccata commissa & pro eis Dominum exorandum esse fatetur* (Pelagius) *propter veniam scilicet promerendam: quia id quod factum est, facere infectum multum ab illo laudata potentia naturæ, & voluntas hominis etjam ipso fatente, non potest.* Qua de re quia plura diximus, neque res ambigua est, pluribus testimonijs supersedeo. Atqui peccatorum remissio quæ divinitus impetratur omnium judicio gratiam habitualem includit. Illa quippe est quæ remittit peccatum; illa aversum peccatoris animum convertit ad Deum, illa emaculat & à sordibus contractis mundum facit.

Lib. de nat. & grat. c. 18

Supra c. 6.

Scio dici posse & à quibusdam etjam dici, remissionem peccati quidem à Pelagianis agnitam, sed quatenus pœnæ dumtaxat, aut offensæ relaxationem dicit, non autem quatenus per eam animus interius renovatur & sanctificatur per habitualia dona, infusasque virtutes. A quibus si quæras unde istud colligant, nullum omninò locum sive Pelagianorum, sive Augustini, sive cujusquam veterum proferre possunt. Tantum hoc eis videtur esse verisimile, quia inventio ista principijs suis optimè consonat: & quia nulla videtur fuisse Pelagianis ratio statuendi hujusmodi dona; cum actus omnes supernaturales sustulerint, quibus ablatis reliqua tolli necesse est. C

Sed si diligenter Pelagianorum monumenta perscrutemur, inveniemus ipsos non tantum peccatorum nudam remissionem, sed etjam Spiritus Sancti dona infusamque justitiam profiteri. Sic enim loquitur Pelagius in Commentarijs: *Quare multa peccata dimisit abundantia donationis Spiritus Sancti? Quia multa sunt dona. Ipsa enim justitia donatur per baptismum non ex merito possidetur.* Ecce cum peccatorum dimissione, abundantiam donationis, multaque dona Spiritus Sancti; ecce ipsam justitiam in baptismate donatam confitetur. Nec minus luculentè paulò inferius ad illa verba: *Gratia Dei, vita æterna. Non dixit*, inquit, *similiter, stipendia justitiæ, quia non est ante quam remuneratur in nobis. Non enim nostro labore quæsita est, sed Dei munere condonata.* Qua de re vide plura dicenda statim subsequenti capite. D

In Comment. in c. 5. Rom. n. 36.

Loc. 6. n. 34.

Duabus verò de causis ratio ipsorum nihil conficit. Quamvis enim supernaturales omnes actus repudiantur, non continuò etjam habitualia illa dona tollenda sunt, cum alius eorum usus esse possit, & soleat, etsi nullæ ex eis actiones in hac vita sequerentur, ut in parvulis multisque adultis manifestum est. Ipsa enim animi renovatio & sanctificatio, primus & præcipuus gratiæ habitualis effectus est. Deinde verò neque habitualis illa gratia est, quæ propter actus supernaturales eliciendos, juvandamque liberi arbitrij infirmitatem datur, ut opportuniore loco in refutatione Pelagianorum dogmatum demonstrabitur.

Itaque nos è contrario multis rationibus suadere possumus, eos internam illam animi renovationem quæ fit per habitualem gratiam in remissione peccatorum agnovisse. Nam in primis tametsi peccatorum remissione multa contineantur quæ mentis aliqua consideratione distingui possint, ut conversio animi ad Deum, maculæ sive fœditatis abstersio, reconciliatio seu divinæ offensæ remissio, pœnæ denique æternæ relaxatio, non tamen propterea statim existimandum est, illa etjam reipsa à se invicem posse divelli. Nam sicut fieri non potest, quin ille qui mortaliter peccat simul & avertatur à Deo & ista fœditate maculetur, eaque injuria offendat Deum, & pœnæ sive vindictæ reus efficiatur, ita quoque unum sine altero non aufertur, sed unica divinæ & habitualis gratiæ infusione anima convertitur ad Dominum Deum suum, & fœditas ex immunditiæ contactu nata tollitur, & offenso reconciliatur Domino, & æterna pœna removetur: & hæc omnia uno remissionis peccati nomine exprimuntur. Ex quo fit ut qui illam simpliciter sine ulla distinctione confitetur, omnia illa sine quibus remissio fieri nequit, consequenter confiteatur. Et sane nullum invenitur in omnibus (quod sciam) Augustini lucubrationibus, quibus hac de re cum Pelagianis contulit, hujus supra dictæ distinctionis indicium: sed ubicunque illam tanquam Christi gratiam proferunt, non ex eo capite reprehendit Pelagianos, quod illam dividerent, & præcipua dignitatis prærogativa, nempe divinæ gratiæ infusione, mutilarent, sed idcirco dumtaxat, quod solum pro præteritis peccatis auxilium, nullum pro futuris cavendis, vincendisque, hoc est, pro meritis æternæ vitæ comparandis faterentur. Hoc autem fit per adjutorium non habitualis remissionis, sed actuale divinæ inspirationis, qua juvamur ne concupiscentiâ post remissionem peccati superstite ac tumultuante superemur, propter illud Pelagiani dici sinunt; *dimitte nobis debita nostra*: propter hoc omninò dici vetant, *ne nos inducas in tentationem.* Quæ oratio

Digitized by Google

oratio in tempore tētationis per totam Christi Ecclesiam non propter habitualis gratiæ adjutorium impetrandum, sed propter actuale funditur. Vnde Augustinus: *Quæ* (impietas) *contradicit etiam orationibus nostris, concedens quidem ut dicamus: dimitte nobis debita nostra* &c. *Illud verò quod sequitur, ne nos inferas in tentationem, non sic accipiunt tanquam Deus orandus sit, quo nos ad superandas tentationes adjuvet peccatorum.* Et alibi: *Videtisne quemadmodum non dicat necessariam misericordiam Dei ut non peccemus, sed quia peccavimus?* Et paulò superius cum Pelagius dixisset voluntatem hominis *non posse id quod factum est infectum facere*, subjungit Sanctus Augustinus: *Quare hac necessitate restat ut oret ignosci. Vt autem adjuvet ne peccet, nusquam dixit, non hic legi, mirum de hac re omnimodo silentium: cum oratio Dominica utrumque petendum esse commoneat* &c. *illud ut præterita expientur, hoc ut futura vitentur* &c. Quæ quidem perpetua est Augustini contra Pelagianos querimonia, quod illud auxilium pro futuris peccatis tollerent, quod Dominica oratione assiduè postulatur, hoc est actuale non habituale, Spiritus Sancti inspiratione dandum, non peccati remissione iam datum. Nam in hoc remissionis adjutorio plenum fuisse Pelagianorum cum Augustino consensum ipsemet clarissimis verbis attestatur. Eandem quippe de præteritis peccatis & futuris vitandis, ex quorum victoria merita, hoc est actus boni oriuntur, doctrinam alijs verbis tradens: *Cum dicunt Pelagiani*, inquit, *hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: Illam vero quæ datur in fine, id est vitam æternam, meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent* (nempe per gratiæ illius adjutorium quod oratione Dominicâ postulamus) *non esset reprobanda ista sententia.* Ecce non esse reprobandam istam Pelagij sententiam dicit, dummodo merita seu actus bonos dona Dei esse fateatur, hoc est, dummodo non tantum statuat voluntatis potestatem, etiam per remissionem peccati roboratæ, ut sola, sine alio Dei adjutorio quod precibus invocamus, merita illa quæ cavendis superandisque peccatis comparantur, possit efficere. Hoc enim est quod cum loco ex libro de natura & gratia citato dixisset: *Illud, ut præterita expientur, hoc ut futura vitentur*, mox adjunxit: *quod licet non fiat, nisi voluntas adsit, tamen ut fiat voluntas sola*, etiam mundata per remissionem & jam justificata, *non sufficit*: idque non quia deest ei habitualis gratiæ adjutorium quod jam per remissionem peccati datum est, sed quia illud deest quod Catholici precibus dandum invocant; *Ideo*, subjungit Augustinus, *pro hac re nec superflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius quam orare ut facias, quod in potestate habeas?* Nonne apertissimè docet non esse Pelagij de remissione peccati reprobandam sententiam, dummodo adjutorium actualis gratiæ ad merita comparanda fateatur, quod Catholica

Epist. 94.

Lib. de nat. & grat. c. 26

Cap. 18.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 6.

Cap. 18.

A Ecclesia jam mundata, jam sanctificata, jam justificata, tanquam adhuc infirma & potestate cavendi peccata, & faciendi mandata carens, sibi post remissionem dandam esse precibus profitetur? Quem suum de remissione & gratiæ infusione cum Pelagianis consensum non minus perspicuè alibi tradit; cum enim hominem semi-vivum à latronibus relictum esse docuisset, & Pelagius diceret: *Sed sufficit mihi quod in baptismo accepi remissionem omnium peccatorum*, respondet Augustinus: *Nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Prorsus verum est, deleta sunt cuncta peccata in Sacramento Baptismatis; cuncta prorsus, dicta, facta, cogitata, cuncta deleta sunt. Sed hoc est quod infusum est in via oleum & vinum* &c. *Nam utique error eius indultum fuit, & tamen sanatur languor in stabulo.* Et inferius: *Adhuc post integritatem remissionis accepisti remedium orationis.* Vbi non ambiguis nec obscuris verbis asserit, hoc ipsum quod Pelagiani dicant, remissionem peccatorum dari à B Deo, non esse aliud quam quod Scriptura dicit, *vulneribus infusum in via oleum & vinum*: sed præter hoc aliud adjutorium, quo in stabulo curatur esse confitendum. Quid autem est *oleum & vinum* nisi gratia spiritualis & habitualis ungens vulnera & roborans peccatorem? Nam spiritus unctio pacificans hominem Deo, per oleum plerumque significari solet. *Oleum*, inquit Augustinus, *pacem significat, sive charitatem significat; sine charitate nulla pax est.* Et rursus exponens illud Psalmistæ, *Caro mea immutata est propter oleum: propter gratiam*, inquit, *spiritalem. Vnde & Christus appellatur a Chrismate, Chrisma autem unctio est. Sive autem*, addit inferius, *per aquam propter ablutionem vel irrigationem, sive per oleum propter exultationem & inflammationem charitatis significetur Spiritus Sanctus, non ideo est à se ipso diversus, quia diversa signa sunt.* C

Nec vero Augustini tantum sed etiam ipsius Pelagij verba satis manifesta sunt, si tantum fumus contentionis abscesserit. Nam qui dicit, quod *potentia naturæ & voluntas hominis non potest id quod factum est infectum facere*, nonne aperte profitetur quod voluntas hominis non tantum non potest reatum pœnæ, sed nec ipsam culpam, ipsam maculam, ipsam impietatis & profanitatis reatum, hoc est ipsum peccatum animæ medullis post actum perpetratum inhærens eradere atque delere? Hoc est enim illud ipsum quod peccator fecit, & hoc faciendo etiam pœnis obstrinxit. Hoc est, inquam, quod à se *factum non potest voluntas infectum facere*, sed solus Deus per gratiæ habitualis infusionem delet pœnitus & *infectum facit.* Nam quod Pelagiani non tantum reatum pœnæ, sed etiam ipsam delicti impietatem seu maculam post perpetratum peccatum in anima post D actum superesse putent, ex Iuliani testificatione perspicuum est. *Si semel*, inquit, *aliquis idolis sacrificaverit, potest donec consequatur veniam premi impietate commissi, & manet reatus actione finita. Nullo autem pacto fieri potest, ut maneat actio, & abscedat reatus: id est, ut dæmonibus sacrificare non desinat*

Serm. 2. de verb. Apost. cap. 6.

Cap. 8.

In Psalm. 127.

In Psal. 108

Lib. de nat. & grat. c. 18

Lib. 6. cont. Iul. c. 19.

Digitized by Google

desinat, & tamen liber à profanitate videatur. Impietas enim commissi & profanitas, quid aliud quam culpa & macula qua peccator premitur, dici potest?

Ostenditur eorum de gratia habituali sententia ex effectibus ejus quasi privativis.

CAPUT XXIII.

A ET quamquam ea quæ de remissione peccati dicta sunt gratiam habitualem à Pelagianis agnitam fuisse satis probent longè tamen evidentius id ostendi potest, ex effectibus quos Sacramento regenerationis assignant. Inter quos quidē peccatorū remissionem ubicunque illā reperiuntur, non tamen tanquam præcipuam aut velut semper conjunctam numerant, quia parvulis tanquam mundis & innocentibus eam nullo modo tribui arbitrantur. Sed alia dona atque effectus quos baptismo tribuunt tales ac tanti sunt, ut non possint sine infusione gratiæ habitualis intelligi. Nam ut invidiam illam frangerent, qua dicebantur parvulis negare baptismum esse necessarium, quia nulla in eis fieret peccatorum remissio, magnopere in celebrandis baptismi donis atque virtutibus occupati sunt. *Nos igitur*, ait Iulianus, *in tantum gratiam baptismatis omnibus utilem à ætibus confitemur, ut cunctos qui illam non necessariam etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate, sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus ac reverenda virtutibus, pro infirmitatum generibus & humanorum statuum diversitatibus una tam remediorum collatrice quam munerum virtute medicatur. Quæ cum admovetur, non est mutanda pro causis, tamen ipsa dona sua pro accedentiū capacitate dispensat.* Quod ideò dicit, quia adultis aliqua, parvulis nulla per baptismum eundem peccata remitti putat. Porrò illa *spiritualia dona ac munera & virtutes* quibus *baptismum locupletem* dicit, hoc est, illi effectus, quos produnt in baptizatis, duplices sunt; alij *privativi* vel quasi privativi, ut mundare, purgare animam si aliqua peccati sorde vel macula contaminata sit: alij *positivi*, qui rursum vel *absoluti* sunt solum subjectum respicientes, ut efficere justum, sanctum: vel *ad aliud ordinati*, ut filium facere, hæredem & hujusmodi, sub quibus omnes omninò comprehendimus ex quibus Catholici Doctores gratiam habitualem probant. Effectus enim illi omnes vel plerique formales sunt; quibus in subjecto positis, causam formalem seu ipsam formam etjam poni necesse est.

Lib. 1. oper. imperf. f. 58

Vt igitur ab effectibus baptismi *quasi privativis* incipiamus præter illum quem peccati remissionem dicimus, & facile ad pœnæ solius relaxationem transferri potest, Primus est, delere crimina & abstergere ubi illa reperit: atqui deletio ipsius criminis, seu impietatis, quam Iulianus actione finita manere statuit, amplius dicit quam pœnam tolli, sed ipsam peccati maculam & sordes tolli; quæ cum aliud nihil sint, nisi nitoris privatio, non etjam nisi per aliquid positivum deleri possunt. De quo effectu sic Iulianus: *Gratia Christi pro efficacissima potestate medicinæ, quæ criminibus, id est malæ voluntatis operibus admovetur, ita communiter subvenit, ut diversas species reatuum uno vi consecrationis abstergat.* Et rursum: *Gratia infusa semel, uno virtutis suæ impetu atque compendio diversa & plurima delet crimina.* Quibus locis præter criminum *deletionem* & *abstersionem* penè tot argumenta quot verba sunt, quibus probes Iulianum veram positivamque in animis gratiam confiteri. Quid enim vult aliud, *efficacissima potestas gratiæ*, & *virtus* & *impetus* & *infusio*, nisi veram positivamque qualitatem omnia peccata consumentem baptizatis infundi? Illum enim Apostoli locum tractat; *gratia vero ex multis delictis in justificationem*: quem etjamsi non de ipsa gratia sed de baptismo à

Lib. 2. oper. imperf. f. 318

Fol. 418

B Iuliano exponi dixeris, tamen urgentissima illa verba quibus ejus energiam celebrat, non nisi veram fieri operationem in animis baptisatorum intelligi sinunt. Nam & alibi eandem baptismi efficaciam extollit: *Commendans ergò hanc gratiam Iudæis quia lex potuit scelestis nec habet illam efficientiam quæ ipsa ferebat, quam baptisma.* Item quē: *Oportet debere illos advertere, quod lex, morum vulneribus criminesque; gratia vero efficaciter, celeriter pie medicatur.* Et rursum: *Pronunciavit certè Apostolus efficacius operari ad collationem salutis & copiosius gratiam Salvatoris quam peccatum Adæ.*

Lib. 1. oper. imperf. f. 84

Lib. 2. oper. imp. f. 289.

Porrò idem effectus abstergendi peccata etjam nomine *purgandi & mundandi & expiandi* à Pelagianis exprimitur. Quæ sanè mutationem aliquam in ipso animo fieri denotant, ita ut ex sordido & maculato mundus fiat, sicut hujusmodi loca à Catholicis Doctoribus contra

C hæreticos premi solent. Iulianus: *In quo* (baptismo) *confessione brevi actuum delicta purgantur.* Et ante Iulianum Pelagius: *Cùm per Christi justitiam non omnes, sed eos tantum qui illi obedire voluerint, & baptismi ablutione purgati sunt sanctificatos esse non dubium sit.* Et in Epistola ad Demetriadem, nos *Christi sanguine* dicit *expiatos atque mundatos.* Et Pelagianorum omnium communis confessio à Iuliano propalata sic se habet: *Scimus* PLENAM PVRGATIONEM *per ipsa mysteria* (baptismi) *conferri.*

Ibid. f. 84.

Lib. de nat. & grat. c. 42

In opere Hieron. & citatur ab Aug. lib. de gratia Christi c. 38

Secundus effectus quasi privativus est *salvare* seu *salutem afferre*. Salus enim seu sanitas animi, habitualis & positivus animi status est, cujus privatio sive defectus, est morbus & ægritudo. Sæpius expressit hunc effectum & efficaciter Iulianus: *Cùm peccata singula reos suos letha-*

Lib. 1. ad Bonif. c. 13.

Lib. 2. oper. imperf. f. 423.

lethaliter vulnerassent, innumerabiliter confessos homines hac gratia singulari & semel tradita virtute salvari. Et paulò ante eundem dicentem audivimus, *efficacius operari ad collationem* SALVTIS *& copiosius gratiam Salvatoris quam peccatum Adæ.*

Tertius est *renovare* vel *innovare*, quod sanè tam apertum & apud omnes confessum est per veram & positivam, inhærentemque qualitatem fieri, ut nec hæretici nostri temporis, habitualis & inhærentis justitiæ capitales inimici, hoc audeant diffiteri: sed ne convicti esse videantur remissionem potius vel non imputationem peccatorum, vel imputationem justitiæ Christi veram justitiam hominis esse docent, cujus effectus sit ista interior renovatio. Inculcat hunc effectum baptismi creberrime Iulianus: *Quos fecerat*, inquit, *condendo bonos, facit innovando, adoptandoque meliores.* Et Iulianus cum alijs octodecim Episcopis Pelagianis profitetur, *baptismo perfecte homines innovari.* Ad quod Apostoli adhibent testimonium, qui *per lavacrum aquæ Ecclesiam de gentibus sanctam fieri immaculatamque testatur.* Et in Commentarijs suis ipsemet Pelagius: *Lavacrum renovationis Spiritus Sancti* baptismum ab Apostolo vocatum dicit, *quia nos Spiritus Sanctus per baptismum renovavit.* Hinc magnam invidiam Augustino per calumniam Iulianus concitat, quasi sentiret, *quod gratia non perfecte hominem novum faciat*: adeoque diceret: *Non innovari homines per baptismum sed quasi innovari, non liberari sed quasi liberari, non salvari sed quasi salvari.* Et quamvis Augustinus dolosam istam innovationis professionem vocet, qua Iulianus de parvulis dixerat: *Aetas igitur illa sicut misericordiam Christi prædicat innovata, id est, innovantis mysterij virtute provecta*, ita &c. Non tamen idcirco hoc dicit, quasi nullam interiorem peccatoris mutationem Pelagiani fieri sentirent, sed quod in parvulis tanquam innocentibus nullam peccati cujusquam sive originalis sive alterius vetustatem agnoscerent: *Ex qua vetustate*, inquit Augustinus, *ætas illa dicitur innovata, cum sit tota nova? Labia dolosa sunt ista. Si vis agnoscere vetustatem, ex qua parvuli Christi gratia renovantur, audi fideliter* &c. Vides confessam à Iuliano innovationem accipere & approbare Augustinum, sed in innovationis termino dissentire. Hinc enim ille minorem tantummodo bonitatem in parvulis, hic etjã peccati vetustatem non secus atque in majoribus esse tradit. Nam in adultis nulla inter eos de ista renovatione dissensio.

Vide Bellar. lib. 2. de iustific. c. 3. & 6.

Lib. 3. cont. Iul. c. 3. & lib. 1. oper. imperf. f. 50

Lib. 4. ad Bonif. c. 2. & 7.

Inc. 3 ad Tit. n. 7.

Lib. 6. cont. Iul. c. 13.

Ibid. c. 14.

Lib. 2. oper. imperf. f. 62

Ibid.

A Hinc quartus effectus est *naturam instaurare*, siquidem eo usque protendi renovationem illam Pelagiani statuunt, ut non tantum à peccatorum vetustate per eorum remissionem renoventur homines, sed etjam ipsa natura instauretur. *Vide*, inquit Pelagius, *quid Christiani facere possunt quorum in melius per Christum instaurata natura est.* Et alio in loco: *Etiam illi qui longo peccandi usu quodammodo obduruere, instaurari per pœnitentiam possunt.* Itemque *instaurati per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus.* Quod non ea de causa Pelagium dixisse sentio, quod animus per renovationem internam à peccatorum dumtaxat sorde mundetur, sed partim quod natura in illam pristinam nativitatis innocentiam, in qua & Adam ipsis authoribus fuit, restituatur, de qua plura inferius; partim quod etjam per baptismi gratiam à peccandi liberetur consuetudine. B Itaque

In Epist. ad Demet. & apud Aug. lib. de grat. Christi c. 37. & 38.

Quintus effectus est *liberare à corpore mortis huius*, hoc est in Pelagianorum sententia *liberare peccatorem à contracta peccandi consuetudine.* Istud enim sentire Pelagianos libro tertio multis testimonijs comprobavimus. Quod fieri non posse sola peccatorum remissione, sed interna quadam per positivam qualitatem mutatione non est dubium. Et hæc est illa perfecta innovatio non tantum à peccatis omnibus, sed etjam à peccatorũ radicibus, seu consuetudinibus, quam per baptismum conferri volunt, & propter cujus negationem gravem invidiam Catholicis concitant. Nam idcirco in libris ad Bonifacium velut crimen eis objiciunt, quod decernerent: *Baptisma non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata.* C Itemque quod assererent: *Baptisma non vere homines novos facere, sed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios sæculi, id est, diaboli remanere.* Quæ calumnia non alio fundamento nititur, nisi quod remissis peccatis malas cupiditates remanere quibuscum bellum intestinum baptizati gerant, Catholici doceant: ipsi contra, *non eos habere aliquid quod mortificent*; sublata etjam quæ carni inerat consuetudine delinquendi. Nam siquos motus libidinis vel alterius cujuspiam cupiditatis ante contractas consuetudines natura concitaret, illos non esse malos, sed innocentes affectiones ac dumtaxat mali occasiones esse contendunt. Quæ omnia suis locis fusius declarata sunt.

Supra lib. 3. c. 6.

Lib. 1. c. 13.

Eadem

Eadem latiùs domonstratur ex effectibus gratiæ positivis.

CAPUT XXIV.

A

ET quamvis ista manifestè suadeant, gratiam aliquam habitualem Pelagianos agnovisse, per quam omnes illi quos diximus defectus sive privationes ex animo tollerentur, alia tamen positiva munera quæ per baptismum veluti causam conferri volunt merito id evidentius attestantur atque convincunt.

Inter illa primum meritò velut aliorum multorum causa, & fundamentum collocandum est *regeneratio* quam Apostolus Paulus cum renovatione conjunxit, *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti*. Nec verò intelligi potest, ut contra hæreticos nostri temporis agendo, inculcat Bellarminus, quemadmodum regeneretur aliquis, sine ulla sui mutatione ac dono inhærente per solam benevolentiam Dei. De illa igitur sic Iulianus: *Cum Deus parvulis nihil de proprio tam boni quam mali merentibus gloriam regenerationis attribuit, hoc ipso eos ad suam curam, ad suum jus, ad suum Dominium pertinere docet, quod eorum voluntatem ineffabilis prævenit beneficii largitate.* Regenerationi addi posset *consecratio*, quam frequenter per baptismum fieri tradunt, ut cum supra audivimus *diversas species reatuum unius vi consecrationis abstergi*. Et alibi: *Hac ergo gratia quæ in baptismate non solum peccata condonat, sed cum hoc indulgentiæ beneficio & provehit & adoptat & consecrat.* Consecratio enim non remissione, hoc est pœnæ relaxatione, sed per ipsam gratiam in baptismate datam qua homo dedicatur Deo ex ejus mente videtur fieri.

Ad Tit. c. 3.

Lib. 2. de iustif. c. 3.

Lib. 6. cont. Iul. c. 10.

Lib. 2. oper. imperf. f. 114.

Lib. 1. oper. imperf. f. 139.

Secundum est *Illuminatio*. Baptismus enim Sacramentum illuminationis ab antiquis vocari solet. Hanc Iulianum baptismo tribuisse satis Augustinus insinuat. Cùm enim ille multa gratiæ Dei munera commemorasset, solamque negaret peccatorum veniam ad parvulos pertinere, respondet ei Sanctissimus Doctor: *Cur ergo cætera*; nempe quæ recensuerat, *multis negat Deus parvulis qui sine hac gratia in illa ætate moriuntur?* Et exponens quænam sint illa cætera statim adjicit: *Cur, inquam, non eis datur illuminatio spiritualis* &c. Nam & istam inter cætera attribuisse Iulianum inde perspicuū est, quod alia omnia gratiæ munera, quæ ibidem Augustinus attexit, certò constet, sæpe Iulianum parvulis tribuisse. Iam verò quis intelligat illuminationem fieri sine aliquo reali & positivo dono quo anima illustretur? Hanc fidem esse, qua mens etjam parvuli illuminatur, Catholici sentiunt, nec Pelagiani dissentiunt. Constanter enim docent parvulos per baptismum fideles fieri, fide nempe Christiana. Hinc

Lib. 1. oper. imperf. f. 59.

Ibid.

A

Tertium munus est *Fides*, à qua *fideles* dicimur. de qua Augustinus: *Unde coguntur* (Pelagiani) *parvulos baptizatos in credentium numero deputare, & authoritati sanctæ ubique Ecclesiæ consentire quæ fidelium nomine eos non censet indignos, quibus justitia Christi, etiam secundum istos prodesse non nisi credentibus posset.* Et in eodem libro inferius: *Nam utique quia parvulos per Sacramentum fidelium fideles faciendos esse vindicatis, infideles natos ex parentibus fidelibus non negatis.* Et in libris contra Iulianum: *Velitis, nolitis, parvulos credere confitemini in Christum per corda & ora gestantium. Ergò & ad illos pertinet Dominica illa sententia, qui non crediderit condemnabitur.* Quomodo autem per corda & ora gestantium credant, Augustinus exponit, nempe non ore tantummodo alieno verba proferendo, sed intus gratiam ipsam quadam communicatione recipiendo, *gratia enim Christi*, inquit, *illuminationem, justificationemque nostram etiam intrinsecus operatur*, adeoque Christus *sui Spiritus occultissimam gratiam latenter infundit & parvulis.* Nec unquam ab eodem Augustino reprehenduntur quod aliter parvulos baptismo fideles fieri, quam ipse, sentirent. Hoc enim imprimis opus fuisset tangere & refellere, si tanto intervallo in ipsa, de qua tota disputatio est, gratiæ & fidei communicatione dissentirent.

Lib. 3. de pecc. merit. & remiss. cap. 2.

Cap. 19.

Lib. 6. c. 3.

B

Lib. 1 de pecc. merit. & remiss. cap. 9.

Quartum est *Iustitia & Iustificatio*. Hanc enim peccatoribus tribui qui baptismi gratiâ & peccatorum remissione donarentur, non rarò fatetur ac docet Iulianus. *Nempe*, inquit, *cum viventibus Apostolus loquebatur & his docebat justitiam per mysteria* (baptismi) *fuisse collatam.* Et paulò inferius in eodem opere: *Studerentque deinceps custodire justitiam quam compendio credulitatis* (hoc est fidei quæ ad baptismum præparat) *fuerant assecuti.* Et rursum alibi: *Ideò ait* (Apostolus) *ex multis delictis in justificationem; id est, ex multis delictis liberatos homines ad gloriam perduci justificationis indulto.* Quam phrasim ex Apostolica locutione ductam frequenter in iisdem libris Iulianus usurpat.

Lib. 2. oper. imp. f. 444.

Fol. 139.

C

Fol. 421.

Vide f. 308 & 309.

Et nequis fortè contentiosus diceret, solam peccatorum remissionem à Pelagianis justitiam & justificationem dici; eandem etiam extendunt ad parvulos, qui tamen secundum ipsos omni peccati labe carent. Insinuat enim Augustinus eos idcirco parvulos dixisse baptizandos, ut qui tantummodo essent innocentes, hoc est neque justi neque peccatores per baptismum justitiæ Christi justi fierent. *Veruntamen*, inquit Augustinus, Pelagianorum tangens effugium *forsitan hoc tenendum est, quod dixi propterea parvulos baptizari debere, quia sicut peccatores non sunt, ita nec justi sunt*; Nempe, ut ita justi fiant. Et in libris operis imperfecti Iulianum premit

Lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 19.

Digitized by Google

premit ut non minus per Adam parvulis peccatum communicari quam per Christum justitiam fateretur. *Si non trajicit peccatum in homines generatos Adam, non donat Christus parvulis regeneratis justitiam, quia nec generati parvuli usi sunt propria libertate*, quasi dicat, sed hoc est absurdum, ergò trajicit peccatum Adam. *Ite nunc, si vultis, & clamate, si audetis, justitiam parvulis non dari, nec eos habituros esse justitiam quando habitabunt in illo regno &c. aut ex vestro quo inebriati estis meracissimo dogmate, delirate in illo regno justitiam parvulos habituros quidem, sed propriæ voluntatis meritis non divina gratia largitate* (nempe quia majoribus etjam baptismum ex meritis bonæ voluntatis dari sentiebant & consequenter ipsam peccati remissionem atque justitiam) *quod si dicere non audetis, hic enim merita comparari, ibi autem præmia reddi fatemini, cur fateri dubitatis sive non vultis sic eos ex Adam potuisse habere peccatum sine meritis propriæ voluntatis malæ, quemadmodum à Christo percepturi sunt justitiā sine suis meritis præcedentibus voluntatis bonæ?* Quæ argumentandi ratio perabsurda est, si non minus justitiam per Christum parvulis tribui quàm peccatum per Adam, negavisset Iulianus. Sed sicut indubitatum est eum dedisse parvulis regnum cœlorum in vita æterna per Christum ita neque mirum videri debet, si & justitiam eis per eundem Christum in hac vita dederit, sine qua regnum cœlorum esse non potest.

Lib. 2. oper. imperf. c. 30.

Quintum est *Sanctificatio in Christo*. Quam in ipso etjam hæresis istius exorcio non tantum peccatoribus quibus peccata remittuntur sed etjam parvulis tribui docuerunt. Nam de Pelagiana hæresi exoriente loquitur August. cùm dicit: *Vnde nobis hoc malum repente emerserit nescio. Nam ante parvū tempus à quibusdā transitorie colloquentibus cursim nobis aures perstrictæ sunt, cum illic apud Carthaginem essemus: non ideò parvulos baptizari ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo.* De adultis peccatoribus sic Pelagius ipse suam sententiam promit: *Cùm per Christi justitiam non omnes tantum qui illi obedire voluerunt, & baptismi tive ablatione purgati sunt sanctificatos esse non dubium sit.* Et de adultis & parvulis promiscuè Iulianus: *Graviter quippe nos in fidem commisisse jactabas, qui dicimus, gratiam quidem Christi uniformiter esse tradendam, nec debere verbā ejus & instituta concuti; sed æqualiter cunctis à se imbutis adoptionis & sanctificationis promotionisque dona conferre &c.* Et paulò post: *Atque ad unum quidem collem omnes quos susceperit, sanctificationis evehere, sed non omnes in eadem vitiorum palude deprehendere, verum alios invenire in statu innocentium, alios in studijs connexiorum.* Quo autem istud pacto intelligerent Pelagiani, exponit adversus eundem Iulianum differendo de concupiscentia Augustinus: *Sed hoc tibi potius qui eam bonam prædicas, convenit dicere, ut bono ejus naturali, sicut de infantibus dicitis, bonum sanctificationis accedat, & fit carnis concupiscentia Sancta Dei Filia.* Nempe parvulos naturaliter innocentes, per baptismum Sanctos Dei Filios fieri decernebant.

Lib. 3. de pecc. merit. c. 6.

Lib. de nat. & grat. c. 43

Lib. 2. oper. imperf. f. 323

Fol. 324.

Lib. 6. cont. Iul. c. 17.

Hoc autem non fieri sola quadam existimatione vel Dei deputatione vel acceptatione, sed vera spiritali mutatione, ex eo perspicuè liquet, quod

Sextum baptismi munus afferant *spiritualem procreationem*, qua baptizati creantur in Christo. De hac ita Augustinus: *Sed illi movent, & aliquid consideratione ac discussione dignum videntur afferre, qui dicunt parvulos recenti vita editos visceribus matrum non propter remittendum peccatum percipere baptismum, sed ut spiritalem procreationem non habentes creentur in Christo.* Quid autem potest esse spiritualis illa procreatio, nisi illa spiritualis nativitas, qua per baptismatis Sacramentum in novum quendam & spiritualem animæ statum regeneratur, & quasi nova creatione perducitur? Quod sanè ut minimum novæ cujusdam & positivæ qualitatis productionem sonat, qua ex naturali atque carnali in spiritualem migrat, & supernaturalem statum qui solis Christianis peculiaris ac proprius est.

Lib. de pecc. merit. & remiss. c. 18.

Nam septimum baptismi munus est *Christo incorporari seu corpori ejus baptizatum velut membrum inserere.* Vnde Augustinus de Pelagianis: *Porrò si eos* (parvulos) *fatemini cum in corpus Christi transeunt, de mundo eligi necesse est ut ei nascantur, de quo eliguntur, ut renascantur.* Nec diffitetur hoc donum baptizatis omnibus tam parvulis quam majoribus conferri Iulianus: *Vt ambo quidem*, inquit, *in Christi membra transeant consecrati, sed unus deprehensus in mala vita alter in bona natura.* Consonat Iuliano Pelagius: *Ostendit*, inquit, *hominem baptizatum qui per communicationem corporis & sanguinis Christi in ipso manet, & ipse in illo quidquid vel facit vel loquitur in Christo eum loqui vel agere cujus est membrum.* Quod quia magnum & valde necessarium Dei donum est, instat alicubi interrogando Augustinum cur illud parvulis illis denegetur, quibus baptismus profundo Dei judicio subtrahitur? *Cur ergò*, inquit, *cætera multis negat Deus parvulis qui sine hac gratia in ista ætate moriuntur? Cur*, inquam, *non datur illis illuminatio spiritalis, adoptio filiorum Dei, municipatus Hierusalem cælestis, sanctificatio atque in Christi membra translatio & possessio regni cælorum?* Quibus verbis illa omnia baptizatis parvulis ex Pelagianorum sententia dari non obscurè declarat. Ex incorporatione verò duplici titulo confici potest, gratiam habitualem eis qui Christo incorporantur dari. Primo quidem quia hoc ipso quo Christus baptizatorum caput efficitur, in eos velut in membra gratiam influit, unde D. Thomas: *Ad hoc baptismus valet ut baptizati Christo incorporentur ut membra ejus. A capite autem Christo in omnia membra ejus, gratiæ & virtutis plenitudo derivatur; secundum illud Ioannis 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Vnde*, inquit, *manifestum est quod per baptismum aliquis consequitur gratiam & virtutes.* Deinde ipsa incorporatio sine peculiari Spiritus Sancti operatione & unctione per gratiam fieri nequit. Hinc est quod Pelagiani

Lib. 6. cont. Iul. c. 2.

Lib. 1. oper. imperf. f. 61.

In c. 9. Rom. v. 1.

Ibid. f. 59. oper. imperf.

In 3. p. q. 69. art. 4.

Octavum baptismi munus dicunt esse

unctio-

Digitize

unctionem Spiritus Sancti. Hoc est enim quod A Augustinus creberrimè docet, Pelagianos Christum IESVM dividere, ut majoribus Christus IESVS sit propter peccata à quibus salvantur, parvulis tantum Christus, propter unctionem donorum quæ ipsis per baptismа conferuntur. Ita libro primo contra Iulianum:

Lib. 1. c. 4.

Dividis et (Ecclesiæ) *nomen viri sui ut ad regenerandos parvulos tantummodo Christus sit: ad maiores autem Christus* IESVS, *quia* IESVS *Salvator interpretatur, quod eum parvulis esse non vultis: quia nihil in eos habere unde eos salvos faciat, prædicatis.* Et in lib. primo operis imperfecti adversus eundem Iulianum:

Pol. 28.

Et præclari prædicatores, sic prædicatis Christum (ita videtur legendum) *ut negetis parvulorum esse* IESVM. Hoc autem se dicere propter unctionem Spiritus Sancti donorumque collationem alio in loco ipse testatur:

Lib. 1. cont. Iul. c. 6.

Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum non ad Christum tantum, id est, ad unctum, sed ad B *Christum* IESVM, *id est, etiam Salvatorem cum parvulis currunt.* Nam unctionis illius quendam effectum alibi exprimit, qui parvulis in futura vita tribuitur; ex quo colligi possint illi qui parvulis in hac præsenti vita conferuntur:

Lib. 2. oper. imperf. f. 324

Ut scilicet vobis, inquit Augustinus, *ipsa vocabula pro vestro arbitrio dividentibus, Christus ad parvulos pertinere videatur, propter regnum Dei, quò non nisi baptizatos posse pervenire conceditis:* IESVS *autem sit ab eis prorsus alienus, quoniam non in illis operatur, unde hoc vocatur.* Nempe quia non eos *salvos facit a peccatis eorum.* Sanè dicendo IESVM ab eis esse alienum, *quia non in illis operatur unde hoc vocatur*; palam indicat ideò Christum ab eis non esse alienum, quia operatur in illis unde hoc vocatur. Et unde vocatur Christus, nisi, ut paulò ante indicavit Augustinus, ab unctione; quia *unxit eum Deus Spiritu Sancto & oleo lætitiæ præ consortibus suis.*

Act. 10. Psal. 44.

De qua Spiritus Sancti unctione etjam Pela- C gius:

Inc. 3 ad Galat. v. 3. Inc. 3. ad Tit. v. 7. & 8.

Spiritum Sanctum sola fide accepistis, qui nonnisi à iustis accipitur. Iustos autem sine legis oneribus esse vos constat. Et alibi: *Nos Spiritus Sanctus per baptismum renovavit; quem effudit in nos abundantius quam in veteri Testamento.*

Quæ autem & qualis sit ista Spiritus Sancti unctio omnium accuratissime, & principijs Pelagianis aptissime nobis exposuit Author quæstionum veteris ac novi Testamenti quæ Pelagianis dogmatibus à capite usque ad calcem scatent. Ex professo enim ille docet non minus Adamum olim, uti nunc parvulos, in quodam naturali statu fuisse procreatum, neque accepisse Spiritum Sanctum cujus unctione fieret Filius Dei. Hoc enim privilegium in adventum Christi credentibus in eum ac baptizatis esse reservatum. De Adamo quidem videnda quæ supra diximus cum de gratia ejus habituali dissereremus. De credentibus in adventum Christi ita loquitur:

Lib. 1. supra c. 7.

Author qq. vet. ac novi Test. q. 123.

Igitur quoniam putant perfectionem Adæ instaurari credentibus, ita videlicet ut in eundem omninò statum restituantur in quo Adam fuit, *videamus si hæc instauratio nihil ultra domini habeat divini, quam fuerat consecutus Adam.* Et allatis nonnullis credentium in Christum prærogativis quibus Adam caruit; *Quid tam apertum*, inquit, *quam quod Adam non habuit Spiritum Sanctum? Factus est enim in animam viventem; per Christum autem in Spiritum vivificantem ut homo in aliquo sit similis creatori quem credit, quia enim mysterium fidei quod ad salutem datum est trinum est, trinus sit corpore, anima, & Spiritu Sancto per quem dicimur filij Dei, quod minime Adam probatur vocatus* &c.

Ibid.

Et paulò post: *Ecce absolutum est donum Dei multo plus gratiæ concepisse homines tempore Salvatoris quam acceperat Adam, quia non solum est instauratus* (in eundem scilicet statum) *sed & melioratus: in eo instauratus, quia à peccatis ablutus & instauratus est* (ablato enim peccato redit homo ad naturalem illam innocentiam) *in cæteris melioratus.* Nempe propter justitiam & Spiritum Sanctum qui credentibus & baptizatis infunditur: statim enim adjungit:

Ibid.

Ibid.

Hoc enim & iustitia & ratio exigebat, ut tunc uberior esset clementia Dei in dandis beneficijs, quando mysterium divinitatis suæ innotescere voluit creaturæ, ut cognoscentes quod incognitum fuit a sæculis & generationibus Dei unius Sacramentum in trinitate consistere, pro ipsa novitatis quasi dedicatione peccatis abluti, Ecce instauratio in statum Adæ; *Insuper iustificentur & adoptati à Deo Spiritum Sanctum acciperent, per quem signum adoptionis habere viderentur.* Ecce melioratio. Et modum etjam accipiendi Spiritum Sanctum per charitatem siue dilectionem exponens:

Ibid.

qui enim, inquit, *accipit eum & manet in eius dilectione, transacta hac vita pergit in cœlos ad eum cuius Spiritum habet. Incongruum est enim ut qui hinc exit habens Spiritum Sanctum, apud inferos teneatur.* Ecce plenissimè expositum vides, credentes post adventum Christi habere spiritum Sanctum; vides & modum accipiendi, atque in eo permanendi per dilectionem, vides effectum ut adoptati Patrem, invocent Deum: & apud eum in cœlos recipiantur: Vides & rationem, ut sicut in Deo est vera trinitas, ita & homo trinus fiat corpore, anima & Spiritu Sancto: quæ sanè omnia perspicuè veram realemque Spiritus Sancti acceptionem præsentiamque declarant. Et ut nihil de cæteris capitalibus Pelagianorum dogmatibus dicam quibus totus ille liber aspersus est ex ipsa quam ponit inter Adamum & Christi fideles differentia, quod ille in naturali quadam integritate procreatus sit, quæ sola peccati abstersione restauretur; si verò Spiritu Sancto adoptentur in filios, quæ doctrina Pelagianis omnibus solemnis fuit, satis superque manifestum est authorem esse omninò Pelagianum. Quod alio loco uberius erit demonstrandum.

Digitized by Google

Eadem uberius astruitur ex effectibus gratiæ relativis.

CAPVT XXV.

A

VENIAMVS ad effectus baptismi & gratiæ relativos, inter quos

Primus est, *Reconciliare hominem Deo.* De quo sic Iulianus: *Post reconciliationem, quam cum Deo habere promeruimus per operam videlicet mediatoris, debemus percipere animo sempiterna gaudia, & non solum salutem sperare, sed etiam gloriam.* Et Augustinus: *De reconciliatione agebat* Apostolus, *quam tu quoque per mediatorem Christum ex inimicitijs quas cum Deo habuimus factam esse concedis.* Et Pelagius: *Gratia vobis & pax; quia sola fide estis salvati: & pax, quia remissis delictis omnibus reconciliati fuistis Deo.* Reconciliatio autem ex inimicitijs, hoc est amicitiæ & pacis redintegratio, sine dilectione, adeoque sine gratia habituali fieri nullo pacto potest. Amicitia enim dilectionem eamque mutuam includit.

Lib. 2. oper. imp. f. 381.

Ibid.

In c. 1. ad Galat. n. 6. & 7.

Secundus est *Adoptare & facere hominem filium Dei* quem effectum baptismi dilucide Pelagiani crebro constanterque confitentur. *Baptisma quo nunc adoptamur*, inquit Iulianus, *nondum fuerat institutum.* Et paulo ante dicentem eum audivimus: *Hac gratia quæ in baptismate non solum peccata condonat, sed cum hoc indulgentiæ beneficio & provehit & adoptat & consecrat, hac, inquam, gratia meritum mutat reorum, non liberum condit arbitrium.* Et alibi docere Pelagianos profitetur: *Gratiam Christi æqualiter cunctis à se imbutis adoptionis & sanctificationis promotionisque dona conferre.* Hinc illa sæpe ab eodem repetita sententia: *Quos fecerat Christus condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores*, quam alibi ita exprimit; *innocentiam quam creat bonam, facit innovando adoptandoque meliorem.* Quod autem non sola externa aliqua deputatione putarent hoc fieri, sed vera realique adoptione, satis declarant verba Pelagij, quibus Iuliano & Catholicis consentiens dicit: *Filium Dei induti (per baptismum) & toti membra eius effecti, filij Dei fieri necesse est.* Neque parvum hoc eos æstimasse bonum, satis Augustini verba significant quibus dicit: *Quare sit necessarium baptisma parvulis dicite; profecto quia eis boni aliquid confert, & idem aliquid nec parvum nec mediocre, sed magnum est. Nam si eos negatis attrahere quod in baptismo remittatur originale peccatum, tamen regenerationis lavacro adoptari ex filijs hominum in filios Dei non negatis imo etiam prædicatis.* Quod continuo vocat *excellens bonum, sublime donum.* Quid magnum, quid sublime, quid excellens continet, illud adoptionis bonum, si nulla hominis facta mutatione sola externa & putatitia deputatione filius haberetur, qui ante non fuit? Imo nec fieri hoc posse statuunt, qui contra hæreticos nostri temporis internam hominis renovationem justitiamque defendunt; *Certe regeneratus diligitur ut filius*, inquit Bellarminus, *cum antea odio haberetur, ut inimicus; igitur mutatio aliqua facta est. Ac per hoc regeneratio aliquid in ipso homine ponit ob quod filius Dei nominetur & fit.* Nec dissentiunt alij à quibus idem tractatur argumentum. Quæ sane si recte contra novos hæreticos ex ratione adoptionis & regenerationis in filium Dei inferuntur, recte etjam pro antiquis. Cur ergo internam gratiam, qua ex filijs hominum fierent filij Dei à Pelagianis agnitam esse diffitebimur? Quandoquidem in ijsdem filijs suis Deum etjam inhabitare fateantur? Siquidem

B

Lib. 5. cont. Iul. c. 11.

Lib. 1 oper. imp. f. 139.

Lib. 1. f. 323

Lib. 3. cont. Iul. c. 3.

C

In c. 2. ad Galat. n. 4.

Lib. 2. ad Bonif. c. 6.

Lib. 2. de Iustific. c. 3.

Tertium baptismi effectum ponunt, *Efficere hominem templum Dei.* Iulianus namque, *Incredibile* dicit *videri, quod in utero baptizatæ cuius corpus est templum Dei, formatur homo futurus sub diabolo, nisi Deo renascatur ex Deo*, Et Pelagius commentarios in Epistolas Pauli scribens templum istud judicat, *sive in singulis sive in universa Ecclesia* intelligi posse: quod violatur quando corpus suum quisque peccando contaminat. Neque vero illud tanquam destitutum habitatore suo vacuum esse putes. Nam præterquam quod omnibus omnino creaturis infinitate majestatis insit Deus, peculiarem etjam in sanctis veluti templis suis *inhabitationem* agnoscit Pelagius. *Tribus*, inquit, *modis inesse Deum legimus, secundum infinitatem omni creaturæ, sicut ipse dicit per Prophetam; nonne cælum & terram ego impleo? Secundum sanctificationem & peculiarem inhabitationem in sanctis, iuxta illud, & inhabitabo in illis. Secundum plenitudinem divinitatis in Christo &c.* Et alibi clarius illustrans quod ante dixerat: *Iusti*, inquit, *templum Dei sunt.* Et, *cum ubique sit Deus, tamen in illis proprie habitare se dicit qui eius gratia perfruuntur, & qui mundum ei præparant sui cordis hospitium.* Quid magis ex vero & Catholicum de Dei inhabitatione vel ab orthodoxo dici potuisset?

Lib. 6 cont. Iul. c. 14.

In c. 3. 1. ad Cor. n. 22. & 23.

In c. 5. 2. ad Cor. n. 34.

Ibid. in c. 6. n. 40. & 41.

Quartus est, *Facere hæredem Dei, cohæredem autem Christi.* Filio enim debetur *hæreditas*, eaque non alia nisi *regni Dei*, & *in regno Dei.* Nam apud Augustinum Pelagiani sine ambagibus dicunt ideo parvulos baptizari, *ut spiritalem procreationem non habentes, creentur in Christo, & ipsius regni cælorum participes fiant eo modo filij & hæredes Dei, cohæredes autem Christi.* Et Celestius in libello fidei suæ quam Romæ coram Zozymo Papa gestis Ecclesiasticis allegavit, palam infantes in remissionem peccatorum baptizandos esse profitetur: *Quia Dominus*, inquit, *statuit regnum cælorum non nisi baptizatis posse conferri, quod quia vires natura non habens conferre necesse est per gratiæ libertatem.* Vnde multas dotes ex Pelagianorum opinione recensens August. quę per baptismum conferuntur infantibus, inter cęteras non tantum ponit adoptionem filiorum Dei, verum etjam *municipatum Hierusalem cælestis*, &, *possessionem regni cælorum.* Capitale siquidem dogma inter eos fuit, *parvulos*

Lib. 1. de pecc. merit. & remiss. c. 18.

Lib. de pecc. orig. c. 5.

Lib. 1. oper. imperf. f. 59.

O

d by Google

Lib. de hæresib. Hæresi 88.

vulos propterea baptizari ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati non istâ renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Hanc autem adoptionem in regnum Dei & renovationem per gratiam in ipsis parvulis intus fieri satis insinuat Augustin. quando cum Iuliano disputans quærit: *Dic quæso quibus meritis parvulorum debeat regnum cælorum?* Et quæstioni ex Pelagianorum sensu respondens; *dicturus es forte*, inquit, *debere hoc cum gratia sua, qua opitulante renati sunt. Propter hanc enim acceptam tam venire in eius regnum merentur.* Quam probans responsionem, & adversarium inde subvertens, adiicit: *Sed ipsam gratiam quam regenerandis exhibet, nullis eorum omnino meritis debet.* Nonne aperte gratiam opitulantem à parvulis accipi, & eis exhiberi, & propterea eis deberi regnum Dei etjam ex Iuliani mente & allatâ responsione profitetur? Nam si perspectam habuit non esse illam de accepta gratia, sed prorsus contrariam Pelagianorum sententiam, non recte illam ad propositum suum proferre videretur. Et ne quis ipsum forte baptismum gratiam vocari diceret, occurrit alibi ipse Iulianus dicens: *Hæc gratia quæ in baptismate cum indulgentia beneficio provehit & adoptat & consecrat:* Vbi baptismum & baptismi gratiâ manifestâ distinctione sejungit.

Lib. 1. oper. imp. f. 190.

Lib. 1. oper. imper. c. 139

Expenditur locus Divi Chrysostomi, & Synopsis eorum quæ pro asserenda gratia habituali Pelagiani dicunt.

CAPVT XXVI.

Ex quibus omnibus tam baptismi effectibus quos recensuimus quàm ipsâ remissionis conditione, quam constanter Pelagiani profitentur satis luculente constare arbitror eos gratiam habitualem & agnovisse & in suis scriptis esse confessos. Nam si in sancti alicuius Patris monumentis, cuius nobis autoritas ad eam contra hæreticos asserendam esset necessaria, tot testimonia conglobata cernerentur, nemo nisi vel imprudentissimus vel impudentissimus de ejus auderet mente sententiaque fluctuare. Quod ex uno Divi Chrysostomi loco perspicuum esse potest. Nam quia ille de baptizatis in quadam ad Neophytos Homilia dixit: *Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti: non tantum sancti, sed & iusti: non solum iusti, sed & filij: non solum filij, sed & heredes: non solum heredes, sed & fratres Christi: non tantum fratres Christi, sed & cohæredes: non solum cohæredes, sed & membra: non tantum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organa spiritus. Vides quot sint baptismatis largitates? & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: Nos autem honores computavimus decem.* διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. *Hac de causa etiam infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes* (nempe propriâ actione commissa) *ut eis detur vel addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut eius membra sint.* Hoc, inquam, quia Diuus Chrysostomus dixit & scripsit, habitualem gratiam existimatur luculentissimi testimonij assertione comprobasse. Vnde meritò scriptor quidam Neotericus, qui tamen Pelagianos habitualem illam gratiam nunquam agnovisse sentit, de illo loco Chrysostomi in hunc modum: *Et ita evidentius loqui solent Patres de hac gratia* (permanente seu habituali) *cum agunt de effectu baptismi, præsertim in parvulis, estque egregium testimonium D. Chrysostomi Homilia ad Neophytos.* Et mox ea citat, quæ paulò ante produximus. Et alibi de eodem loco: *In quibus specialiter notare possunt verba illa Chrysostomi Homilia ad Neophytos ubi expressè docet, gratiam baptismi non in sola remissione peccatorum consistere, sed etiam in donorum infusione, quæ numerando ait; ut eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio. Numerando autem iustitiam evidenter docet, illam sanctificationem esse etiam in iustificatione per iustitiam inhærentem tanquam per formam.* Rectè quidem & meritò. Sed *cognoscere personam in iudicio non est bonum.* Si enim Divus Chrysostomus illis verbis donorum infusionem justitiamque inhærentem expressè & evidenter docet; quid ni etjam similibus verbis Celestius, Pelagius, & Iulianus? Nam eundem illum locum pro se suoque dogmate asserendo citat Iulianus. Vt quia Chrysostomus infantes *non habere peccata* dixerat, inde peccatum eorum originale destrueret. Qua sane illius testimonij allegatione quid aliud quam idem omnino quod Chrysostomum & D. Augustinum de baptismi muneribus se sentire confitetur? Alioqui enim ad sese jugulandum gladium adversario suo præbuisset. Nec sane dissimulasset S. Augustinus, qui tam libenter & frequenter maiorum suorum autoritate Pelagianos premit, Iuliani errorem si quem à Christiana disciplina diversum de re tanta docuisset, tam evidenti testimonio profligare. Sed tantum abest ut quicquam ab illa Chrysostomi doctrina alienum excepta peccati originalis remissione Iulianus senserit, ut potius ijsdem pœne verbis quæ in Chrysostomo evidentissima esse judicatur, ad opprimendas baptismi dotes utatur. Quod enim Chrysost. dicit; hac de causa infantes baptizari; *ut eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas &c.* Hoc Iulianus dicit: *Vt bono eorum naturali bonum sanctificationis accedat; ut sint infantes Sancti Dei filij.* Hoc Pelagius: *Vt spiritalem procreationem non habentes creentur in Christo & ipsius regni cælorum participes fiant, eo modo filij & hæredes Dei, cohæredes autem Christi.* Hoc de parvulis & majoribus idem ille Iulianus: *Fieri peccatorem* (vi baptismi) *ex malo perfecte bonum, innocentem autem qui nullum habet malum propriæ voluntatis ex bono fieri meliorem, id est optimum, ut ambo quidem in Christi membra transeant consecrati.* Idcirco enim peccatorem *perfectè bonum* & innocentem parvulum *optimum* fieri dicit, ne quis existimaret, quod Chrysostomus nonnullos

Chrysost. Hom. ad Neophytos.

Hæc græca reperiuntur apud August. lib. 1. cont. Iul. c. 6. cætera non extant.

Francisc. Suar. lib. 6. de grat. c. 1. n. 6. lib. 7. c. 7. n. 9.

Proverb. 24

Lib. 1. cont. Iul. c. 6. in initio.

Lib. 6. cont. Iul. c. 17.

Lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 19.

Lib. 1. oper. imperf. f. 61

nonnullos deputare dixerat, cælestem baptismi gratiam, in sola peccatorum remissione consistere, vel in sola illa restauratione qua natura hominis in primævū illum ac naturalem statum quem Adamo affinxere Pelagiani expiata revocatur, de quo aliquid supra diximus. Præter hæc enim novum quoddam munus divinitus per baptismum afferri volunt, quod Augustinus idcirco dicit esse, a *Nec parvum nec mediocre, sed magnum, sublime donum, excellens bonum.* Et Julianus vocat b *divitias mysterij*, & c *ineffabile beneficium*, cujus *largitate* Deus *parvulorum prævenit voluntatem.* Et ne quis etiam naturalis ordinis hoc donum esse suspicetur, aptissimâ distinctione Julianus dicit: *Deferuntur* (parvuli ad Ecclesiam baptizandi) *ut laudent Deum, quem & bonorum naturalium, & donorum spiritualium protestantur autorem.* Et Celestius profitetur hoc donum ad quod conferendum baptismus datur, *Naturæ vires non habere,* & ideo *conferri necesse est*, inquit, *per gratiæ largitatem.* Qui ista tanta verborum luce profitentur, & efficacia nonne præter remissionem peccatorum donum aliquod habituale cælitus baptizatis infusum censendi sunt cum Chrysostomo profiteri? Neque enim facile baptismi divinæque gratiæ munus aut beneficium in illis Divi Chrysostomi vel aliorum etiam antecedentium Sanctorum atque Conciliorum verbis inveneris, quod non fuerit à Pelagianis vel iisdem vel æquipollentibus verbis pœne expressum luculentius & splendidius decantatum. Dicunt enim per baptismi gratiam non solum remitti peccata, quod ad habitualem gratiam asserendam vel solum sufficit, sed abstergi reatus, deleri crimina, plenam conferri purgationem: hominem per Christi sanguinem expiari, mundari, perfectè innovari, in meliorem hominem renasci, ad naturam instaurari, adeoque liberari à peccandi consuetudine, ita ut evulsis peccandi radicibus non habeant baptizati aliquid quod mortificent. Dicunt hanc ineffabilis beneficij largitatem hominibus gloriam regenerationis & justificationis attribuere, eos provehere, consecrare, spiritualiter illuminare, fideles & justos justitiâ Christi facere, sanctificare in Christo, in Christi membra consecratos transmittere, ita ut spiritualem procreationem non habentes creentur in Christo. Dicunt homines per illam ungi, Spiritum Sanctum accipere, ex inimicitijs reconciliari, hoc est amicum fieri Deo, adoptari ex filijs hominum in filios Dei, atque ita regni cœlorum participes fieri tanquam hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Denique effici sanctos & justos, templa Dei, quibus proprie & secundum sanctificationem inhabitet. Quid postulatis amplius, quid expressius, quid inculcatius? An forte ipsum habitualis gratiæ nomen expectatis?

a Lib. 2 ad Bon. f. c. 6.
b Lib. 1. oper. imperf. f. 67.
c Lib. 3. cont. Jul. c. 10.
Lib. 1 oper. imp. ef. f. 70.
Lib. de pec. orig. c. 5.

Nimiæ profectò id esset pervicaciæ ab hominibus spiritu vaticinandi vacuis vocabulum quasi per Prophetiam exigere, quod non nisi sæculis aliquot post eorum occasum alienæ arbitrio voluntatis exortum est. Veruntamen ne quid expressius ab eis desiderari conqueraris, dicunt gratiam Christi infundi ac tradi. Et ne gratiam illam ipsum baptismum esse suspiceris, dicunt quod gratia in baptismate peccata condonat, & cum hoc indulgentiæ beneficio & provehit & adoptat & consecrat. Nec vero modum quo operatur in hominibus gratia tam sublimia beneficia siluerunt, ne forte morali quadam & inani, ut inter homines accidit, existimatione ac deputatione hoc fieri putes. Dicunt enim efficaciter celeriterque mederi gratiam Salvatoris; singularem ejus esse virtutem; uno virtutis impetu atque compendio deleri crimina; efficacissimam esse Medicinæ potestatem. Denique ut omnis omnino auferatur de Pelagianorum opinione tergiversatio, dicit Autor quæstionum veteris ac novi Testamenti, quo nemo accuratius mysteria Pelagiana explicuit: *Senatorum dignitas non habet apud Deum meritum. Neque ipsa natura, hoc est, substantia consequitur beneficium, sed in sola fama & sermone dignitas vertitur. Ac per hoc currit quidem sermo per traducem carnis* (hoc est, ita ut filius Senatoris vocetur Senator non minus ac pater) *sed nihil aliud præstat quam opinionem dignitatis, sicut & hi qui Consules sunt aut statu honestantur, gaudent in vano. Christiani autem cum fiunt, ipsi naturæ accedit dignitas, & essentia ipsa hominis æternum habet incorruptibilitatis beneficium, ut non opinio sola, sed & res sit in effectu apud Deum.* Nemo, opinor, Scholasticus, qui verborum proprietatibus & præcisis rerum expressionibus imprimis studet, posset luculentius & exactius gratiæ Christianæ veritatem, realitatem & effectum exprimere. An forte Autor illarum quæstionum Catholicus non Pelagianus habendus est? ætatem habet, ipse de se loquatur: ipsum interrogate. Tu quid dicis de peccato originali, idque non alibi, sed paucis versibus ante superiorem illam professionem? Ego, inquit, sentio, quod *neque filij Dei sunt qui nascuntur, neque filij diaboli.* Audis purum putumque Pelagianismum & omnis illius hæreseos basim ac fundamentum? Quid de operatione justitiæ? *Sic Deus instituit*, inquit, *genus nostrum ut sine sensu nascamur, possibilitatem tamen habeamus* (id est naturalem potestatem) *discendi sive bona sive mala; ut ipsi nobis aut mala acquiramus aut bona; ut lætemur in nobis, cum recte agentes remuneramur, aut ipsi nobis imputemus, si prava sequentes condemnemur.* Audis Pelagianismi culmen ut naturali illâ *possibilitate rectè agentes lætemur in nobis?* Quod alibi passim ad nauseam usque tradit ac repetit, & nos loco suo fusius demonstravimus.

Autor qq. veteris ac novi Testam. q. 81.
Ibid. q. 80.
Ibid.

Solvuntur nonnullæ difficultates ex Divo Augustino & Concilio Carthaginensi motæ.

CAPUT XXVII.

VNA superest solvenda difficultas & eximendus scrupulus qui quosdam recentiores premit. Mirantur enim, qui fieri possit ut Pelagiani gratiam habitualem agnoverint & confessi fuerint, cum omnem Christi gratiam operaque quæ ex ea profluunt naturæ vires superantia repudiaverint. *Nam*, inquit quidam ex recentioribus, *licet cognoverit Pelagius gratiam remissionis peccatorum, non tamen intellexit fieri per interioris gratiæ subministrationem, ut dixit Augustinus cum alijs Episcopis Epistola 95. & lib. de gratia Christi c. 2. ait sensisse Pelagium nos salvari adiutos non aliqua subministratione virtutis sed viribus propriæ voluntatis. Et ideo in Concilio Milevitano Canone 3. damnatur, qui gratiam ad solam peccatorum remissionem valere dicebat.* Addit & rationem: *Nam hæc dona habitualia propter actus supernaturales dantur, & ideo ablatis actibus reliqua tolli necesse est. Pelagius autem vel negavit vel omnino non agnovit fieri a nobis virtute divina gratiæ aliquos actus liberos vere supernaturales. Et hinc in Adamo ante peccatum nullum Dei donum agnovit præter naturalia: ideo cum dixit nos nunc generari in eodem statu in quo fuit Adam conditus.* Hæc illi. Sed pace illorum Autorum dixerim, non videntur satis Hæresis Pelagianæ naturam calluisse & arcana penetrasse. Id quod potissimum eis contigit, quia dogmatum Pelagianorum sensum & intelligentiam non tam ex Hæreticorum ipsorum scriptis & eorum qui ipsis restiterunt monumentis, quam ex proprijs suis principijs exsculpere voluerunt: quorum intuentes connectionem, & alio transferentes subinde de præcipuis doctrinæ Pelagianæ dogmatibus alienissime statuunt. Cujus hallucinationis uberior declaratio suo loco reservanda est, ubi Pelagiana dogmata ex ipsis Catholicæ doctrinæ fundamentis refellentur. Quod igitur dicunt Pelagium nullos actus vim naturæ superantes agnovisse, sed solius liberi arbitrij, verissime revera dicunt: sed qui sint apud Pelagianos atque Catholicos actus supernaturales & gratiæ, qui solius liberi arbitrij, & qua ratione sic vocentur, nec suspicione cogitare potuerunt. Putant enim suæ Philosophiæ principijs inhærentes omnes illos esse actus gratiæ, non naturæ aut liberi arbitrij, in quos quævis interior gratia voluntatis influxerit, sive habitualis illa fuerit, sive actualis inspiratio, nullo etiam [illegible] modi influendi habita ratione dummodo actus ipsos simul cum potentia voluntatis influendo producat. In quo longe sine dubio ab Augustini & Pelagij sensu discrepant, [illegible] doctrinam de gratia Dei & natura confundunt. Quod asserendo potius, quam probando nobis tantisper hoc loco vendicantes, dicimus, non repugnare quod nullos actus supernaturales sed solius naturæ aut liberi arbitrij agnoscant Pelagiani & tamen infusa Spiritus Sancti dona & habitualem gratiam, imo & actualem, si ita placet, quæ in voluntatis etiam actus influant, fateantur. Quod si ita est, ut verissimum esse demonstrabimus, non rectè ex negatis actibus supernaturalibus colligunt, *Non agnovisse Pelagium, imo supposuisse, nulla talia dona nobis communicari.*

Francis. Suar. lib. 7. de gratia c. 6 n. 1 & Prolegom. 5. n. 5.

Vide & Staplet. lib. 4. de gratia & lib. arbit. c. 1.

Prolegom. 5 n. 5.

Accedit nec illud rectè sequi, ut quia dona illa ad producendos actus dantur, ablatis actibus necessario simul auferantur. Posset enim & alius esse Pelagio gratiæ habitualis usus, tametsi nihil eam ad ipsos actus, sed solam voluntatem hominis conferre censeret. Neque enim frustra dari aut inutile esse donum illud judicandum est, quo homo regeneratus & reconciliatus Deo, & sanctificatus & justificatus, & interius renovatus & adoptatus in Filium Dei, cæteras sublimes illas prærogativas adipiscitur, de quibus ante juxta Pelagianam doctrinam satis superque disservimus. Nam quod in Adamo cæterisque qui ex eo gignuntur, nulla hujusmodi Spiritus Sancti munera in ipsa humanæ naturæ procreationem, vel nunc esse vel olim fuisse decernunt, nihil obstare manifestum est, quo minus illa postea per baptisma conferantur. *Fiunt enim, non nascuntur Christiani*, ut autor ille sæpe citatus docet: Et ut Iulianus: *Christus auget circa imaginem suam continua largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos* (naturaliter scilicet) *Facit* (per baptismi gratiam) *innovando, adoptandoque meliores.*

Auctor qq. vet. & novi Testam. q. 81

Lib. 3. cont. Iul. c. 3.

Iam vero quod dicunt, *Pelagium non intellexisse remissionem peccatorum fieri per interioris gratiæ subministrationem*, ex ijs quæ superioribus capitibus in medium adduximus, abunde constare arbitror, quanta veritate nitatur, si per gratiæ subministrationem illa habitualis intelligatur.

Nam quod Augustinum & Concilium, ut ipsi vocant, Milevitanum istius suæ sententiæ testem adhibent, non videntur illa testimonia vel penetrasse vel expendisse, quæ vel ab ijs adulterantur vel obtorto collo in suum propositum rapiuntur. In primis enim falsum est dixisse Augustinum cum alijs Episcopis Epistola 95. quod Pelagius non intellexerit fieri remissionem peccatorum per interioris gratiæ subministrationem, verba illorum Episcoporum ista sunt: *Sive enim gratiam dixerit esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum, nihil eorum dicit, quod per subministrationem Spiritus Sancti, pertinet ad concupiscentias tentationesque vincendas.* Quę sanè longè aliud

Epist. 95.

aliud significant atq; sonant quã autor ille persuadere conatur. Significatur quippe remissionem peccatorum quocumque modo illa intelligatur non esse illud adjutorium divinæ gratiæ quod per subministrationem sive inspirationem Spiritus Sancti datur ad superandas concupiscentiarum tentationes, quæ contra animum jam purgatum peccatorum remissione consurgunt. Illud enim in ipsa justificatione jam semel datum est; hoc quotidie ingruentibus tentationibus datur: illud præterita peccata respicit; hoc futura: pro illo impetrando dictum est ac dicitur quotidie à fidelibus; *Dimitte nobis debita nostra*; pro hoc, *& ne nos inducas in tentationem.* Itaque solam peccatorum remissionem tanquam gratiam contra futuras peccatorum tentationes asserendo, Pelagiani accendebant elationem, extinguebant orationem. Cum enim non circa præterita, sed futura peccata cavenda, vincendaque totius disputationis cardo versaretur, docebant hominem in suis viribus confidere sola remissione contentum, nec infirmitatem suam amplius oratione testari. Quo autem pacto secundum Pelagianos fieret ipsa remissio, nullam prorsus ibi mentionem facit. Sed cum nullibi legatur eorundem peccatorum dimissionis reprehendisse doctrinam, quid aliud quam approbasse sentiemus? Illum esse genuinum verissimumque Augustini sensum solum locum intuenti manifestissime patet. Nam clare dicit, remissionem peccatorum non esse illud *quod pertinet ad concupiscentias tentationesque vincendas.* Clare subjicit probaturus quod dixerat: *Hinc enim oramus, ut peccatorum tentationem superare possimus, ut spiritus Dei unde pignus accepimus adjuvet infirmitatem nostram.* Quasi diceret, jam etjam adepti remissionem peccatorum, adhuc oramus ut idem ille spiritus cuius pignus in C ipsa remissione accepimus, adjuvet infirmitatem nostram, ergo remissio non est illud adjutorium gratiæ, quod per subministrationem Spiritus Sancti datur ad concupiscentias tentationesque vincendas. Clarius adhuc adtexit, Pelagianas gratias refellendo: *Qui autem orat & dicit, ne nos inferas in tentationem, non utiq; id orat ut homo sit, quod est natura, neque id orat ut habeat liberum arbitrium quod iam accepit cum crearetur ipsa natura: neque orat remissionem peccatorum, quia hoc superius dicitur, dimitte nobis debita nostra. Orat ergo ut non peccet, hoc est ne quid faciat mali &c.* Nonne apertissime docet solam illam orationem, ne nos inferas in tentationem probare & omnino convincere, neque naturam neque liberum arbitrium, neque legem, neque remissionem peccatorum esse illam gratiam quæ per subministrationem Spiritus Sancti ad superandas tentationes postulatur, id quod ex aliqua alicuius perversa de remissione peccatorum aut gratia habituali intelligentiâ, sed ex D ipsa natura jam præterita atque obtenta, remissionis, etsi rectissime & Catholicissime illa intelligatur, probat? Vnde subjungit: *Ipsa igitur oratio clarissima est gratiæ testificatio*, oratio, inquam, qua Paulum rogasse dicit: *Oramus ad* A *Dominum ne quid faciatis mali*: & quæ ab omnibus fidelibus jam remissione mundatis & justificatis funditur: *Ne nos inducas in tentationem.* Hæc enim oratio gratiam actualem à Spiritu Sancto justificatis subministrandam, non ipsam remissionem manifestissime postulat. Cuius gratiæ confessione omnes controversias de Dei adjutorio inter Pelagium & Ecclesiam esse sopiendas disertis verbis profitetur. *Hanc ille confiteatur*, inquit, *& eum gaudebimus sive rectum sive correctum.* Vbi quid aliud dicit, nisi si solam illam actualem Spiritus Sancti administrationem fateatur, quæ ad futura peccata vitanda tentationesq; vincendas Dominicâ oratione petitur, rectam esse Pelagij de divinâ gratia adeoque de peccatorum remissione confessionem, quæ sane Divi Augustini doctrina ita manifesta est, ac tot locis alijs inculcata, ut mirum sit quemquam tantillum in eius lectione B versatum hallucinari potuisse, & huiusmodi de remissione loca in sensus alienissimos detorquere. Hoc est enim illud ipsum quod in Epistola 94. Pelagium docere dicit: *Necessariam nobis esse remissionem peccatorum &c. cavendis autem futuris, vincendisque peccatis omnibusque tentationibus virtute superandis sine ullo deinceps adjutorio gratiæ naturali possibilitate, humanam sufficere voluntatem.* Adjutorium gratiæ intelligit actualis quod orationibus impetratur. Explicando namque subjicit: *Quæ impietas contradicit etiam orationibus nostris, concedens quidem ut dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut &c. Illud vero quod sequitur, ne nos inferas in tentationem, non sic intelligunt, tanquam Deus orandus sit, quod nos ad superandas tentationes adiuvet peccatorum.* Hoc est denique, ne lectorem in re aperta locorum multitudine remoremur, quod illud ipsum allegatum ab eis Concilium Milevitanum in eodem ipso tertio Canone citatisque superius verbis districto anathemate damnationis ferit: *Placuit ut quicumque dixerit gratiam Dei in qua iustificamur per IESVM Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, qua iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, anathema sit.* Qui Canon adversus illam notissimam Pelagij doctrinam stringitur, quo docet ut ex Augustino identidem attestante audivimus, orandum quidem ut dimittantur nobis debita nostra indultâ peccatorum præteritorum remissione, non autem adeptâ remissione pro futuris vincendis esse dicendum, *Ne nos inducas in tentationem.* Vnde cum dicit, *gratiam ad solam remissionem peccatorum valere*, absurdissime trahitur ad excludendam internam animi renovationem; cum illud (solam) excludat dumtaxat aliud genus adjutorij actualis. quod tota Ecclesia etjam à peccatis iustificata & renovata & sanctificata, & in culmine justitiæ constituta precibus quotidianis implorat. Atque idem prorsus aliorum verborum Augustini sensus est, quibus, Pelagium in sola remissione peccatorum gratiam Christi constituentem, sensisse dicit, non ut ipsi perperam allegant: *Nos salvari adiutos non aliquâ subministratione Spiritus Sancti,*

Matth. 6.

Ibid. Epist. 95.

Ibid.

2. ad Cor. 13

Epist. 95.

Epist. 94.

Ibid.

Sancti, sed viribus propria voluntatis; quasi significasset Augustinus nec in ipsa peccatorum [*Lib. de grat. Christi c. 2.*] remissione veram & internam Christi gratiam infundi, sed *Nos adiuvari ut non peccemus ulterius, non aliqua subministratione Spiritus Sancti, sed viribus propria voluntatis, quid sibi peccatorum remissione præstitum fuerit per actus singulos recordantes.* Qua phrasi non illam gratiam habitualem Spiritus Sancti subministratione infusam denotat, quà peccata remittuntur, sed illam, quâ paulo post Pelagium refellendo dicit, Deum [*Ibid. c. 3.*] adjuvare *dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit faciat*: Quâ infra dicit, [*Ibid. c. 5.*] *Deum operari velle, atque operari* etjamsi ante gratiam acceptam homo nolit; pro qua Apostolum orare dicit, pro eis ad quos [*Ibid. c. 25.*] scribebat, *ne quid mali faciant*, & ut *quod bonum est faciant*. Qua denique dicit *Dominum re-* [*Lucæ 22.*] *spexisse Petrum*, non quia Petro vel liberum arbitrium vel loqui vel peccatorum remissionem dedit; Sed quia [*Eodem lib. de gratia Christi c. 45.*] *misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia sua visitavit Petrum interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit & produxit affectum. Ecce* inquit, *quemadmodum Deus adiuvando adest voluntatibus & actionibus nostris. Ecce quemadmodum velle & operari operatur in nobis.* Quæ omnia tanta manifestationis evidentia gratiam actualis subministrationis inculcant & illius inspirationis Spiritus Sancti quæ jam remissis etjam peccatis & in sanctitatis apice constitutis necessaria est, ut nihil absurdius nec à mente Augustini alienius fingi posset, quam dicere quod præter peccatorum remissionem etjam interior renovatio in justificatione infundi designetur. Quasi vero habitualis gratia sit illa gratia quæ injustis & remissione purgatis, *pertinet ad concupiscentias tentationesque vincendas*: [*Aug. Epist. 95.*] qua *Dominus respexit Petrum*; [*Luc. 22.*] qua *Deus operatur* in nolentibus *velle*, & in infirmis *perficere*: quam Paulus petijt quando dixit, *oramus ad Deum ut nihil mali faciatis*: [*2. ad Cor. 13.*] pro qua omnes justificati remissis peccatis & habituali gratia mundati magnis suspirijs clamant, *Deus in adjutorium meum intende*: [*Psalm. 69.*] Quam omnes fideles & filij Dei quotidie patrem suum interpellantes postulant: *Ne nos inducas in tentationem.* [*Matt. 6.*] Qua cor sive justi sive peccatoris *tangitur, memoria revocatur*, interius animus *visitatur*, usq; *ad lacrymas affectus movetur atque producitur.* [*Aug. lib. de grat. Christi c. 45.*] Actualis est illa sine dubio Spiritus Sancti subministratio & inspiratio, non habitualis. Nam actualis est illa sola gratia quam Pelagius disputationibus suis sustulit, & adversus illum tot elaboratis voluminibus Augustinus asseruit, nec enim unquam inter eos de habituali adjutorio disceptatio fuit. Quod ita in operibus ejus manifestum est, ut qui non adverterit, merito clavem amisisse & toto ostio aberrare videatur. In multis enim tenebris versetur & in periculosos impingat errores necesse est dum sibi de nomine habitualis gratiæ retentæ blandiens securus naturæ viribus patrocinabitur ac Dei causam præclare se egisse judicabit.

De adjutorio possibilitatis gratiarum actualium respectu voluntatis, ubi de motibus ejus indeliberatis.

CAPUT XXVIII.

Deinceps aliquid de adjutorio possibilitatis gratiarum actualium respectu voluntatis dicendum est. Sub quo genere omnes illas gratias actuales comprehendimus, quæ voluntati solam afferunt vel augent volendi possibilitatem, seu potestatem: ipsum autem velle aut nolle agere aut non agere, hoc est, unà cum illo adjutorio concurrente sese ad actum determinare, pure ex voluntatis arbitrio suspendi sinunt: non ut voluntas ad actum suum victrice illa gratiæ delectatione flectatur, sed potius ipsi gratiæ quantum ad agere spectat aut non agere invictè dominetur, ut pote quæ tali possibilitatis adjutorio capi nequeat, si dedere se ipsa noluerit. Hujusmodi genus gratiæ fere in actibus quibusdam indeliberatis voluntatis à recentioribus poni solet, per quos voluntas ad volendum incitatur & roboratur, non tamen determinatur aut invictè flectitur, sed hoc ab ipsius liberrimo nutu exspectandum esse decernunt. Itaque duo de isto genere gratiæ voluntatem adjuvantis, quæri possunt, unum an tale genus adjutorij Pelagiani putaverint libertati voluntatis seu indifferentiæ ejus quantum ad modum adiuvandi, esse contrarium. Alterum an illud quantum ad substantiam revera agnoverint & admiserint.

[*Sup. à capite 11. usque ad 20. vide maximè 17.*] Prima quæstio ex ijs quæ supra hoc eodem libro varijs locis diximus, itemque fusius libro secundo disseruimus, facile solui ac decidi potest. [*Lib. 2. c. 3. 4. & 5.*] Nam utrobique sæpe declaravimus nullum adjuvandæ vel provocandæ voluntatis modum horruisse Pelagianos, nisi qui supremam illam decernendi potestatem atque indifferentem arbitrij libertatem perimendo captivam redderet voluntatem. Nam illam indifferentem ac dominatricem arbitrij potestatem ac nutum, semper Pelagiani pupillis oculorum suorum habuere chariorem, quæ si salva manet, imò quia sẽper ut credunt salva manet, nullos voluntati vel passionũ vel indeliberatorum actuum, ad volendum nolendumve provocantiũ turbines aut blandimenta formidant. Occasiones enim hujusmodi motus, non causas aut necessitates volendi aut nolendi esse arbitrantur. Certissima namque & inflexibilis Pelagianis regula est, quod *Sufficit homo ingenuis sibi motibus dare leges.* [*Iul. lib. 5. apud Aug. cont. Iul. c. ult.*] Itemq; *non esse tantas libidinis vires, ut eam ratio regere ac frænare non possit.*

Quod

Digitized by Google

Quod si de vehementissima omniumque molestissima cupiditate vi voluntatis solius coërcẽda statuũt, quid de cęteris animi motibus & passionibus sive bonis sive malis dubitari potest? Cum generalis eorum sententia sit dominam illa libertatem voluntatis atque utriusque partis *possibilitatem* ut Iulianus pronunciat, *ad hoc solum excubare, ne homo vel in peccatum a quoquam impellatur vel à peccato abstrahatur voluntate captiva: quam non posse capi* (in neutram videlicet partem) *si dedi ipsa noluerit, testatur fortitudo, cuius laterti in contemptu dolorum & per gentiles & per Christianos assidue claruerunt.* Qua de re si plura videre lubet, caput tertium, quartum & quintum libri secundi consulendum est. Ex quibus perspicuum tibi fiet nullo modo Pelagianos impetus passionum & indeliberatorum motuum voluntatis libertati timuisse, utpote quam omnibus illis putant temperandis, coërcendis frenandisque superiorem.

Lib. 1. oper. imper. c. 121

Quod spectat ad alteram quæstionem, an revera Pelagiani motus illos indeliberatos bonos confessi fuerint, quibus ad amandũ Deum operaque bona facienda voluntas provocata cieretur, ex eadem libri secundi Disputatione liquet, quid sentiendum sit. Constat enim ex varijs eorum testimonijs eos nullo modo dubitasse quin hujusmodi boni motus non minus ac mali frequenter in animum inciderent; sed salva illa, quam mordicus tuebantur libertate arbitrij in utramvis partem, & indifferentiâ voluntatis. Hoc enim est quod dicit apud Augustinum Iulianus: *Hominem Dei opus defendimus: nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi.* Ecce indifferentia illa voluntatis ut velit aut nolit, quam coactioni & subinde necessitati opponere solent, ut alibi ex professo declaravimus. Tollere enim volunt per hujusmodi phrases illam gratiam quam Augustinus prædicabat, quæ nempe facit ut homo qui nolebat, velit & faciat. Hinc enim quasi contrarium asserendo Iulianus dicit: *Sed propriâ voluntate aut bonum facere aut malum.* Nam ut alibi diximus, quod homo facit ab alio sibi collata faciendi voluntate, quæ antea non fuit, hoc hominem invitum, coactum, nolentẽ facere, imo nec facere aut velle certissimo testimonio statuebant. Hoc enim respicit in sua quam subdit responsione Augustinus: *Ad hoc respondemus*, inquit, *nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi*, quasi ipse non velit, cum ab alio voluntas nolenti datur; *sed Deo deserente pro meritis ire in malum*; nempe, *quia de peccato in peccatum suâ voluntate præcipitatur*, ut paulò ante dixerat: *Et Deo adiuvante sine invitu converti ad bonum*, acceptâ scilicet conversionis voluntate quæ deerat. *Non enim est homo bonus si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adjuvatur ut velit, quoniam non inaniter scriptum est: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari &c. Et præparatur voluntas à Domino.*

c. 4. & 5. ibid.

Lib. ad Bonif. c. 18.

Ibid.

Eodem lib. c. 3.

Hanc ergo potentissimam gratiam negans Iulianus qua homo fieret ex nolente volens; *Deo præparante*, hoc est, dante *voluntatem & operante* in hominibus *velle & operari*, ut Augustinus docet, aliud genus adjutorij profert, quo retentâ sibi *propriâ* uti præmiserat *voluntate aut bonum faciendi aut malum*, hoc est, salva illa plenissima volendi aut nolendi indifferentia & arbitratu homo adjuvatur incitationibus quibusdam & proritationibus seu provocationibus in bonum aut malum; statim adijcit, asserendo hominem *In bono opere à Dei gratia semper adiuvari, in malum vero diaboli suggestionibus incitari.* Vbi cum apertissime sentiat diabolicas suggestiones quibus hominis voluntas quatitur & motibus quibusdam deliberationem antevertentibus provocatur, non repugnare indifferentiæ voluntatis neq; propterea *ad malũ invitum aliquem cogi*; consequenter judicat neque Spiritus Sancti suggestiones, sive ut Pelagius loquitur, *spiritualε desiderium* concupiscens adversus carnalem consuetudinem, quo homo in bono opere semper adjuvatur, eidem illi voluntatis indifferentiæ repugnare, neque propterea *in bonum invitum aliquem cogi*. Eadem enim prorsus libertatis ad utrosque motus coercendos ratio est, secundum illam Iuliani regulam, *sufficit homo ingenitis sibi motibus dare leges*. An vero Iulianus in eodem loco veram aliquam agnoscat gratiam qua voluntas sive volitio iam excitata saltem juvatur ad plenius volendum bonum etsi non excitetur ut illud velit, paulo inferius dicturi sumus.

Ibid. lib. 1. c. 18.

In Cõment. c. 5. ad Galat. v. 17.

Lib. 5. cont. Iul. c. ult.

Vtrum nullam veram, internam & actualem voluntatis gratiam admiserint Pelagiani ante condemnationem hæreseos sub Zozymo Papa.

CAPVT XXIX.

HACTENVS utcumque declaratum est omne genus adjutorij possibilitatis sive externum sive internum, sive respectu intellectus sive voluntatis Pelagianos agnovisse. Nam & leges & doctrinam & exemplum Christi & peccatorum remissionem quibus homo in singulis actibus adjuvetur; & illuminationes illustrationesque internas Dei, & concursum generalem, & gratiam habitualem, & motus bonos seu desideria quædam bona indeliberata salvâ tamen illâ indifferente arbitrij potestate confessi sunt. Nunc videndum an unquam veram aliquam internam & actualem gratiam admiserint quam Augustinus prædicavit.

Quod ut clarius ac distinctius à nobis fiat, duo tempora videntur esse consideranda, unum quod fluxit ab initio usque ad damnationem

igitized by Google

tionem quæ per Zozymum Papam cooperan- A tibus Conciliorum Africanorum litteris Hæresis Pelagiana toto orbe jugulata est. Alterum à damnatione deinceps usque ad obitum Divi Augustini quando in locum prostrati erroris Pelagiani Semi-Pelagianus exortus est. Hanc autem idcirco movemus quæstionem, quod quamvis constet Pelagianos ab initio usque in finem in prædicanda natura, lege, remissione, exemploque Christi perstitisse, cum eo tamen bene consistere nonnulli, ut audivimus, putent, ut simul aliquam actualem internamque gratiam admiserint, saltem qualem Adamus habuit; quæ nullo indifferentis illius libertatis præjudicio instar lucis, quæ semper cernere volentibus presto est ejus nutui accommodata serviret.

Et quidem ante damnationem illam sicuti nunquam leguntur, gratiam illam actualem quam juxta sacrarum Scripturarum fidem Augustinus prædicat, vere sincereque confessi B esse, sed non nisi in asserenda vel peccatorum remissione, vel lege, doctrinaque Christiana vel exemplo Christi incubuisse, ita non raro indicant nullam veram internamque gratiam ad bene vivendum necessariam, seu solis naturæ viribus ipsique humanæ potestati & voluntati bonum opus esse tribuendum. Nam in ipso exortu aperte Pelagius profitetur, *quod non peccare nostrum sit*: quod Augustinus ita intelligit quasi dixisset, *quod non peccare nostrum tantummodo sit*, ita videlicet, ut nec illud adsit Dei adjutorium, quo etiam integra sanaque hominis natura gaudebat, quod inter omnia actualis gratiæ adjutoria minime efficaciæ fuit. Nam etjamsi de illa natura *loqueretur*, inquit, *nec sic recte diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset: Nam & ibi esset adjutorium Dei & tanquam lumen sanis oculis quo adjuti videant se præbere volentibus.* Quæ C perspicue clamant ne tantillam quidem Dei gratiam adjuvantem qualem Adamus habuit agnovisse, sed ita viribus nostris arrogasse quod non peccamus, ut Deo excluso nostrum tantummodo esse videretur. Quod etsi non diceret, ex eo tamen aperte sequitur, quod non peccandi, seu bene vivendi possibilitatem sufficientem tunc temporis diceret *in natura necessitate consistere: Quia nulla adimere voluntas potest quod inseparabiliter insitum probatur esse natura*, pro ut ista Pelagij verba Sanctus Augustinus refert. Quam Pelagij sententiam intuens & improbans idem August. *Gratia Dei*, inquit, *non qua instituatur, sed qua restituatur* natura *quæratur; quæ ab isto sola clamatur non esse necessaria cum tacetur.* Et alibi in eodem libro: *de qua gratia omnino nihil dicit, quasi sola sua voluntate se possit sanare quia cum potuit sola vitare.* Et paulo post: *de qua gratia & adjutorio & misericordia sine qua bene non possumus vivere, nescio quare iste omnino nihil dicit, imo etiam velut sibi ad justitiam sufficientem si voluntas sua adsit defendendo naturam gratiæ Christi qua justificamur*, hoc est, juste vivimus, ut ante dixit, *apertissime contradicit.*

Lib. de nat. & gra. c. 48

Ibid. c. 45. 50. & 51.

Ibid. c. 53.

c. 23.

Ibid.

In progressu verò non minus aperte omnem D omnino veram gratiam sustulit; quod ex eis quæ tempore Concilij Palestini itemque mox subsecuti Carthaginensis ac Milevitani gesta & scripta sunt, luculentissime demonstrari potest. Nam quid aliud sibi volunt verba Patrum Concilij Carthaginensis de Pelagij dogmate ad Innocentium: *Si possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videt a Domino inaniter peti & fallaciter orari, cum orando poscuntur quæ naturæ nostræ tam ita condita sufficientibus viribus obtinentur?* Si enim naturæ vires sufficiunt nulla profectò interna gratia necessaria est. Quid sibi vult aliud quod subjiciunt; *virtute corroborari si volumus inquiunt* (Pelagiani) *possumus ea possibilitate naturæ quam nunc non accepimus sed cum crearemur accepimus?* Quid sibi vult aliud quod Carthaginensi Synodo respondet, iterat, iterandoque inculcat Innocentius: *Nam quid nos de his post hac rectum mentibus existimemus, qui sibi se putans debere quod boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidie gratiam consequuntur? Sed item isti qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt, quantum vix illi qui ab illo postulant, & accipiunt promerentur.* Et iterum: *Et qui nos adjutorio negat indigere divino, quasi ex nostra in totum possibilitate perfecti, quomodo vero adjutorium in nos, cum tales à nobis etiam esse possumus, provocamus?* Itemque paulo post: *Nam quod mortiferum tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere quod liberum arbitrium cum nasceremur accepimus, ultra jam à Domino nihil quæramus? Id est autoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus, quasi jam amplius quod possit dare non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit.* Et iterum Iterumque: *Vos nobis liberum arbitrium, ille Deum postulat adjutorem: quod non summus posse sufficere, nos dicimus ille Deum ne derelinquatur exorat.* Denique: *Quemadmodum Pelagius Celestiusq; seposita omni responsione Psalmorum taliqne abdicata doctrina, suasuros se aliquibus esse confidunt, nos adjutorium Dei nec debere quærere nec egere, cum omnes Sancti nihil se sine hoc agere posse testentur! &c. qui si tamen aliquod in se Dei adjutorium quod huc usque negaverunt, provocaverint, & opus sibi ejus auxilium esse cognoverint &c. damnent quæ huc usque senserunt.* Quid sibi vult aliud quod narrant testanturque Patres Concilij Milevitani: *Isti dicunt posse hominem in hac vita præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitiæ sine adjutorio gratiæ Salvatoris per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere, dimitte nobis debita nostra.* Quid sibi vult aliud quod Sedem Apostolicam consulentibus Milevitanis rescribit Innocentius: *Quid enim acerbius in Deum fingere potuerunt quam cum adjutoria divina cessarent, causamque divinæ id est quotidiana precationis auferrent, hoc est dicere quid mihi opus Deo?* Et infra luculentius: *Negantes ergo auxilium Dei, inquiunt hominem sibi posse sufficere nec gratia hunc egere divina, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, sola tantummodo libertate contendat.* Et omnia recapitulando concludens;

Concil. Cart ad Innocent. Epist. 90. apud Aug.

Ibid.

Innocent. in Epist. ad Concil. Cart apud Aug.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Concil. Milevit. ad Innocent. Epist 92. apud Aug.

Ibid. Epist. 93.

dens: *Quæ cum ita sint, cum in omnibus divinis paginis voluntati liberæ non nisi adjutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nihil posse cælestibus auxiliis destitutam, quo-nam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter ut asseritis defendentes, sibimet, imo quod est dignius dolore communi plurimus Pelagius Celestiusque persuadent?*

Neque vero ab ista superbissimæ opinionis arrogantia usque ad damnationem, quam eis inflixit Zozymus Papa recesserunt. Quod ne pluribus lectorem operem unico manifestissimo Divi Augustini clarescit testimonio, nam in epistola ad Paulum, qua post concilia illa Provincialia Carthaginense & Milevitanum imo post mortem Innocentij quem initio Epistolæ *Beatæ memoriæ Papam* vocat, disertis verbis dicit: *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret. Cum igitur sine Dei gratia salutem non posset custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia potest reparare quod perdidit?* Ecce etiam sine illa Dei gratia quæ naturæ integritate permanenti ad salutem custodiendam erat necessaria, palam significat eam juxta Pelagij opinionem reparare posse quod perdidit. Quod si ne tantillam gratiam homini lapso vulneratoque dedit, quantas stanti sanoque erat necessaria, sed omnem justitiæ operationem *solis* naturæ viribus, tamquam sufficientibus arrogavit, quid opus est de illa potentiore ac difficiliore gratia sollicitum esse, atque an illam admiserit ante damnationem operose disputare.

Epist. 106. ad Paulin. in fine

Vtrum Pelagius ante condemnationem sub Zozymo opinionem mutaverit, de gratia respectu voluntatis.

CAPVT XXX.

Sed quamvis ista perspicue ita se habere videantur, mutasse tamen Pelagium opinionem vir quidam eruditissimus putat postquam illæ litteræ fuissent ad Paulinum datæ. Movet eum celebris ille Pelagij locus, quem ex libris ejus de libero arbitrio Augustinus allegat: *Operatur* inquit Pelagius, *in nobis Deus velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis quod tu alibi negare non metuis suadet omne quod bonum est.* Audis succensionem, audis stupentis voluntatis suscitationem desiderium Dei, audis denique suasionem? Hæc autem sine voluntatis motu non videntur posse fieri vel intelligi. Mutavit ergo, inquiunt, eo tempore quo illa scripsit, opinionem illam priorem quam in litteris ad Paulinum datis Augustinus incessit, ita scilicet ut saltem motus illos indeliberatos immissos à Deo fateretur. Sed quod pace aliter sentientium dixerim non videntur satis vel tempora considerasse, vel ipsum inspexisse Pelagij locum. Nam quamvis liber de gratia Christi statim post Pelagij damnationem ab Augustino scriptus sit, Epistola vero ad Paulinum paulo ante, verba tamen illa citata Pelagij, quibus internam aliquam voluntatis gratiam asseri putant, ante illam Epistolam Augustini ad Paulinum qua omnem omnino ab eo negari gratiam supra significatum diximus exarata & ab Augustino lecta & intellecta sunt. Quod ex eo perspicue patet, quod multa eadem verba Pelagij ex libero ejus primo de libero arbitrio petita, ex quo etjam ille citatur de motibus indeliberatis locus excerptus est, tam in illis litteris ad Paulinum quam in libro de gratia Christi reperiuntur.

Lib. de gra. Christ. c. 10

Epist. 106. versus finem f. 186. col. 1. litt. 6. c. d. &c. Lib. 6. de gra. Chri. c. 28. & 29.

Ex quo perspicue sequitur libros illos Pelagij de libero arbitrio in quibus gratiam illorum motuum putatur agnovisse non minus ante litteras illas ad Paulinum datas, quam ante librum de gratia conscriptum esse. Si ergo Augustinus cùm ad Paulinum scriberet salutemque amissam, juxta Pelagium sine omni omnino gratia etjam Adami reparari posse testaretur, jam illos Pelagij libros de libero arbitrio legerat quibus putatur tam evidenter gratiam confessus esse, nequaquam profecto judicavit, citatis illis verbis veram confessionem divinæ gratiæ contineri.

Quid quod eodem illo libro de gratia Christi in quo Augustinus illum ipsum Pelagij locum citat, & omnes ejus lucubrationes anteriores excutit, ut ad intelligentiam gratiæ Pelagianæ perveniat, testetur sæpius, nullam se veram gratiam, in omnibus ejus libris aperte agnitam aut confessam invenire potuisse sed tantummodo naturam, remissionis legem atque doctrinam? Hoc indicat, quando dicit: *Istam quippe gratiam qua justificamur, id est quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris &c. in Pelagij & Celestij scriptis, quæcumque legere potui, nusquam eos inveni quemadmodum confitenda est confiteri.* Hoc indicat quando dicit: *Hæc ergo pro mea captu intelligere potui in Pelagij scriptis, quando nominat gratiam. Videtis autem quod qui ita sentiunt, ignorantes Dei justitiam suam volunt constituere.* Nempe asserendo, ut paulo ante præmiserat gratiam non esse nisi legem atque doctrinam, qua naturalis illa possibilitas adjuvetur. Nam cum illis ipsis libris, quos pro libero arbitrio scripserat & in quibus per illa supra citata verba gratiam confessus videbatur, sese Pelagius tueretur, *ut agnoscerent* homines *quam iniqui eum negatione gratiæ infamare gestirent*, respondet Augustinus: *Sed in his etiam quatuor libris quæcunque pro gratia videtur dicere quæ juvamur ut declinemus*

Lib. de gra. Chri. c. 3.

c. 41.

Verba Pelagij ex libris de lib. arbit. apud Aug. de gratia Christi c. 41

vilnemus à malo bonumque faciamus, ita dicit ut *nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, quo naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrina.* Sed ut omnis auferatur tergiversatio, cum illa ipsa Pelagij verba citasset Augustinus, quibus Pelagius dicit *nos à Deo futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendi, revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitari voluntatem ac suaderi omne quod bonum est*: statim illam gratiæ divinæ confessionem arguendo subtexit: *quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam?* Neque causam tacet: *In lege namque*, inquit, *atque doctrina sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est.* (Ibid. c. 10.)

Neque vero satis pro Pelagio feceris, si responderis, non tantum ab eo pollicitationem gloriæ, sapientiæ revelationem bonique suasionem, quæ ad doctrinam pertinent, sed etjam succensionem, stupentisque voluntatis suscitationem asserri. Hoc enim recte fortasse diceretur, si illam succensionem & suscitationem voluntatis ex quibus nonnunquam veram gratiam Augustinus colligit, ita sentiret fieri ut desiderium Deo in ipsis voluntatis visceribus operante, eamque succendente consurgeret. Neque enim video quid amplius ab eo postulare possemus. Sed non aliter sentit illam voluntatis suscitationem esse tribuendam Deo nisi quia nuda æternæ gloriæ pollicitatione, sapientiæ revelatione atque exhortatione, sive suasione quæ ut Augustinus, *etiam doctrinæ generalitate concluditur* socordiam voluntatis excuti, eamque succendi atque in desiderium Dei suscitari putat. Hoc autem totum suasionis, revelationis, & promissionis genus circa solum intellectum adhiberi, neque cognitionis limites egredi manifestum est, & externâ quoque hominis docentis atque suadentis operatione nonunquam fieri. *Sed nos*, inquit Augustinus, *eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur: nec solum revelatur sapientia, verum etiam amatur, nec suadetur solum omne quod bonum est, verum etiam persuadetur.* (Lib. de grat. Christi c. 10.) Hoc est per quam intus operante Deo non solâ cognitione, sed etjam delectatione voluntas ad amandum flectitur. Quæ gratia si doctrina dicenda est non sic dicatur, ut solâ intellectus illustratione *facienda noverimus, sed sic ut aliter & interius eam Deus incrementum dante cum ineffabili suavitate credatur infundere, ut cognita faciamus.* (Ibid. c. 12. & 13.) Nam quod Pelagius dicit, revelatione sapientiæ stupentem voluntatem suscitari in desiderium Dei, non satis est ad illam interiorem gratiam confitendam, sive per desiderium illud, intelligas deliberatam desiderandi amandique Dei voluntatem, sive indeliberatos hujus desiderij motus. Nam quicunque etjam exterius docendo suadendoque concionantur, ut ad temporalia quædam amplectenda vel agenda permoveant, stupentem suscitant, sed sola doctrina voluntatem, cujus deliberatum desiderium non ex docente vel suadente intus operante, sed ex hominis libertate pullulat; indeliberati vero desiderij motus, perspecta rerum propositarum bonitate & magnitudine ex naturali quadam vel acquisita affectuum cum rebus ipsis sympathia & quasi pondere impellente consequuntur. Sic ergo & Pelagius quantumvis Deum sentiret nos cælestium præmiorum pollicitatione succendere, & revelatione sapientiæ stupentem suscitare voluntatem, nihil aliud eum censebat operari quam cæleste objectum doctrinæ manifestatione proponere, ad ipsum vero voluntatis desiderium putabat hominem innatis viribus seipsum promovendo ac suscitando perducere. Nam sicut ad ipsas rerum divinarum perfectas voluntates existimabat solum hominis liberum arbitrium naturamque sufficere, ita etjam & multo magis ad earundem sanctarum voluntatum imperfectos atque indeliberatos motus; quorum ipsa insita naturæ bonitas non minus fœcundum esset seminarium, quam aliorum quibus res naturæ animali congruentes appetuntur. Neque enim cælestium divinorumque bonorum appetitus magis esse supernaturales quam terrestrium atque animalium, saltem ante condemnationem sub Zozymo Papa arbitrati sunt. Quamobrem sicut naturales isti & indeliberati motus ad nudam objecti, hoc est terrenorum bonorum propositionem, ex naturali quadam naturæ corruptæ propensione juxta Catholicorum, itemque Philosophorum opinionem oriri solent, eoque vehementius quo vel illa naturæ inclinatio vehementior est, vel objecti propositio cognitioque bonitatis luculentior, ita etjam juxta Pelagianos illa spiritualia & indeliberata rerum cælestium desideria; quod eadem prorsus secundum eorum opinionem utrorumque esset ratio. Qua de re plura ex Pelagianis principijs disputata, vide si lubet libro secundo. (C. 4. & maxime 5. toto.)

CORNE-

Digitized by Google

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE HÆRESI PELAGIANA
LIBER SEXTVS.

Quo continetur quartus status Pelagianismi; cæteraque dogmata, & mores Pelagianorum.

Quartus Pelagianismi status post damnationem hæresis Pelagianæ Semi-Christianismus, De gratia ad perfectionem necessaria.

CAPVT PRIMVM.

HACTENUS veræ gratiæ confessionem secundum statum quem ante generalem illam sub Zozymo Papa condemnationem hęresis Pelagiana obtinuit, indagavimus: Deinceps quid proscripti senserint, exquirendum est. Alium quippe vultum damnatæ vulpes induerunt, tantaque mutatio in dogmatum Pelagianorum professione consecuta est, ut meritò quartus ille Pelagianismi status dici queat. Nam ante proscriptionem illam meracissimo Pelagianismo inebriati simpliciter, planissime, generalissimeque professi sunt: *Humanam sibi ad vincenda peccata & Dei mandata facienda sufficere posse naturam*: ut loquitur Synodus Carthaginensis. Sive *non esse rogandum Deum ut contra peccati malum, atque ad operandam iustitiam sit noster adiutor*, ut loquitur Milevitana. Hoc est, ut verbo dicam, ad omnem omnino justitiam ab initio conversionis usque ad finem perfectionis, præceptis Dei cognitis humanæ naturæ sufficere potestatem, ita nempe, ut interpretante fidelissime mentem eorum Augustino: *omnia ad fidelem piamque vitam pertinentia tribuerent libero voluntatis arbitrio*, per quod *viribus in origine creationis acceptis posset, nihil ulterius adiuvante illius gratia qui creavit, domare & extinguere omnes cupiditates tentationesque superare*. Ex quo fiebat ut juxta Synodi Carthaginensis Patres *in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquerent locum gratiæ Dei qua Christiani sumus, eamque nollent omnino cognoscere*, quamvis *nec aperte oppugnare auderent*.

Concil. Cartha. in Epist. ad Innocent. Synodali.

In Epist. Synodali ad eundem.

Epist. 106. ad Vital. in fin. Epi. 95.

In Epist. ad Innocent. 90 apud August.

Hinc est enim quod Augustinus omnes omnino Pelagij ante damnationem scriptos perscrutans libros, ut ex eis veræ gratiæ actualis pro qua impetranda precibus supplicamus, confessionem exprimeret, etjam ultimos illos

A quatuor de libero arbitrio ad quos veluti sincerissimos suæ sententiæ testes provocaverat, ita testatur omnia à Pelagio dici *ut nullo modo à verborum ambiguitate discederet, quam discipulis sic posset exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, qua naturæ possibilitas adiuvetur, nisi in lege atque doctrina: ita ut ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis apertissime affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinaretur nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adiuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat*. Eandem prorsus esse Celestij sententiam paulo ante confirmat, unde apertissime patet eos omnia ut *habenda ex nobis, non à Domino poscenda* ex libero arbitrio expendisse.

Lib. de grat. Christi c. 41.

Ibid. c. 30.

Post condemnationem verò, Catholicorum clamoribus pressi, vel argumentis oppressi aliquantulum sive verbo, sive etjam sensu ab illa superbia recesserunt. Docuerunt enim
B hominem quidem sine gratia inchoare posse virtutem & vitam bonam, ad perfectionem tamen assequendam Dei adjutorium esse necessarium. Quam fuisse sententiam Iuliani, qui post hæresis damnationem scripsit, testis est Augustinus hisce verbis: *Cum ergo divinitus adiuvatur homo, non tantum ad capessendam perfectionem adiuvatur, quod ipse posuisti, utique volens intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia &c. In quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari* (inchoando scilicet bonum) *in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari*. Vnde Pelagiani posteriores per os ejusdem Iuliani Romam scribentis profitentur; *hominem in bono opere à Dei gratia semper adiuvari*. Quod Augustinus ita dictum esse declarat *tamquam suâ voluntate nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso iam opere divinitus adiuvetur, pro meritis scilicet voluntatis bonæ*. Hoc enim expressius decem & octo Episcopi Pelagiani in fidei suæ professione

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Lib. 1. ad Bonif. c. 18.

Ibid. c. 19.

fessione patefaciunt, ubi aperte se confiteri dicunt; *Gratiam adiuvare uniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere.* Quod ita intelligunt, inquit Augustinus, *velut homo à seipso sine adiutorio Dei habeat propositum bonum studiumque virtutis, quo merito præcedente dignus sit adiuvari Dei gratia subsequente.* Et rursum de eisdem alibi: *Isti volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut huius capti meritum etiam perficiendi gratia consequatur.* Quorum perversam improbans & refellens opinionem: *Spiritum Sanctum*, inquit, *fatendum est, etiam antiquis temporibus non solum mentes bonas adiuvisse, quod & isti volunt, sed etiam bonas eas fecisse, quod nolunt*, hoc est non solum adjuvisse fidem eorum & voluntatẽ bonam ut ad perfectionem bonitatis justitiæque pertingerent, sed etjam ipsam eis fidem ac voluntatem bonam inspirasse, qua primitùs boni fierent.

Lib. 2. ad Bonif. c. 5. & 6.

Ibid. c. 10.

Ibid. c. 8.

Lib. 4. ad Bonif. c. 7. vid. & lib. 3. c. 4. in fine.

Ex hac Pelagiani dogmatis mutatione perspicuum est tandem aliquando sententiâ damnationis perculsos Pelagianos illam esse confessos gratiam, quæ Dominica oratione sive fidelium precibus justitiam sibi vel conservari vel augeri postulantibus commendatur; in illius vero negatione perstitisse, qua cor convertitur à malo ad bonum ipsaque fides & orationis ac justitiæ spiritus primitus inspiratur. Atque hæc omnino ratio est, cur omnes Augustini lucubrationes, quibus ab initio hæresis Pelagianæ usque ad damnationem ejus insudavit, illam ubique spirent & astruant gratiam, quæ jam fidelibus adeoque justificatis ad cavendas vincendasque peccatorum tentationes, & implendam justitiam necessaria est. Nam ad ista omnia Pelagius humanam naturam sibi sufficientem statuens *eo modo*, inquit Concilium Carthaginense, *gratia Dei quæ sanctorum evidentius orationibus declaratur adversarius invenitur.* Neque enim sancti pro se fidem aut justitiam primam postulant quam postulare pro se nequeunt, nisi jam fidem acceperint. Statim vero post damnationem omissa fere gratiæ conatum nostrum consequentis mentione, totus in alia illa gratia quæ credentes prævenit, & ex nolentibus volentes facit, asserenda tuendaque versatur. Illud ex Epistola 88. & 95. & libris de natura & gratia, ex secundo de peccatorum meritis, de spiritu & littera, litterisque Synodalibus Concilij Carthaginensis & Milevitani ad Innocentium ejusdemque responsis demonstrari potest, hoc verò ex Epistola 105. ad Sixtum, ex libris ad Bonifacium & adversus Iulianum: in illis enim ex professo illa gratia inculcatur quæ fidelibus adeoque justis ad bene vivendum ex fide datur: in his ea qua fidem ipsam prævenit & ex nolentibus & repugnantibus volentes facit. Hoc enim non gratiæ cœlestis munus esse statuunt posteriores Pelagiani, sed humanæ libertatis officium; cujus proprium sit velle & nolle & sua se voluntate discernere, tametsi illa voluntas imbecillis & inchoata ad adipiscendam perfectionem se postulet adjuvari. Hanc Pelagiani erroris mutationem simul & causam ejus Augustinus aperit in exordio Epistolæ ad Sixtum quæ statim ab hæresis illius damnatione conscripta est. *Nolunt*, inquit, *ut sit ipsi gloria iustificandu impijs gratuita gratia, qui eius ignorantes iustitiam, suam volunt constituere*; nempe arrogando sibi sufficientes ad justitiam operandam vires; *vel tam conclamantium religiosorum & piorum vocibus pressi, ita se fatentur ad habendum seu faciendum iustitiam divinitus adiuvari, ut sui præcedat aliquid meriti*; ipsum scilicet, *propositum bonum*, quod, ut audivimus, *adiuvat gratia.*

In. Epist. Synodali ad Innocent. quæ est 90. apud Aug.

Epist. 105. ad Sixtum paulo post initium

Ex lib. 2. ad Bonif. c. 5. 8. & 10.

Porro iste quartus erroris Pelagiani status non absurde Semi-Christianismus vocari posset. Non enim in eo integram, quemadmodum genuinum Christianum decet, sed dimidiatam gratiam profitentur. Primas enim sibi tribuunt secundas Deo; unde fit ut ei utrasque præripiant & sicut Augustinus alicubi dicit *solo* sint *nomine Christiani.*

Veram, internam gratiam confitentur ad assequendam perfectionem necessariam.

CAPVT SECVNDVM.

Qvod ut constet accuratius, videndum superest, utrum veram illam internamque gratiam, quam Augustin. etjam hominibus sanctissimis docet esse necessariam saltem ad assequendam perfectionem in hoc statu fateantur. Fortassis enim per gratiam intelligũt etjam hic legem, doctrinamque Christianam: ut mens ad adipiscendam perfectionem non solum exterius humanæ vocis adjuta ministerio sed etjam interius Spiritus Sancti revelatione nitatur. Nam in postremo opere quod Pelagius de libero arbitrio ante damnationem suam scripsit, apertissime veram gratiam, vel certe effectum veræ gratiæ confessus esse videbatur cum diceret: *Qua arbitrij libertate qui bene utitur &c. ponit cor suum in manu Dei ut illud quo voluerit ipse declinet.* Ad quę verba divus Augustin. *Magnum profecto*, inquit, *adiutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum quo voluerit ipse declinet.* Et tamen cum omnes etjam illius operis latebras perlustrasset ut ex eo veræ gratiæ confessionem exprimeret nullum se divinæ gratiæ adjutorium invenisse testatur quod non discipulis suis de lege doctrinaque posset exponere.

Apud Aug. lib. de grat. Chri. c. 23.

Ibid. c. 41.

Sed quamquam iste ante profligatam hæresim Pelagij sensus fuit, post latam tamen Apostolicę sedis sententiam videntur discipuli ejus

ejus non tantum legem & doctrinam, sed etjam veræ gratiæ adjutorium ad perficiendum conatuum nostrorum imbecillitatem admisisse. Pro quo egregius est apud Divum Augustinum locus, qui ut mens eorum innotescat clarius, totus audiendus est. Sic ergò loquitur:

Lib. de grat. & lib. arb. c. 14.

Sed cum fuerint convicti non defensores sed inflatores & præcipitatores liberi arbitrij, quia neque scientia divina legis neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia quæ per IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, peccatum non dominetur.* Ecce perspicuè significat eos disputando depulsos à gratia naturæ, legis atque remissionis quas tantopere prędicaverant; convictosque quod vera gratia facit ut lex impleatur ac natura liberetur. Quò ergò jam convicti fugiunt ut vim veritatis evadant?

Ibid.

Audit Augustinus: *Cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt ut quocunque modo conentur ostendere, gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Nempe non gratiam naturæ, non gratiam legis, sed illam quam facere dixerat ut lex impleatur, ut natura liberetur. Quod subjecta Pelagianorum verba patefaciunt: *Dicunt enim*, inquit, *etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, tamen secundum merita bonæ voluntatis datur.* Quid est aliud, per ipsam bene operamur, nisi, per ipsam legem implemus, sive quod ante dixerat ipsa facit ut lex impleatur? Neque enim nisi legem implendo bene operamur. Hæc autem est vera illa gratia, quæ per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum datur & per Spiritum Sanctum inspiratur, & fidelium precibus petitur, quod Pelagiani quoq; subjiciendo indicant.

Ibid.

Quia bona voluntas, inquiunt, *præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundum hæc merita, gratia sequatur exaudientis Dei.* Vbi non potest ullo modo intelligi gratia legis atque doctrinæ, jam enim convicti illam non esse gratiam quæ per Christum datur, ad aliam illam per quam Deo nobis cooperante *bene operamur* implendo scilicet ipsam legem, corrigendo sese aliqua ex parte & ad veritatem accedendo confugiunt. Quod non minus clarè, quam præclare in alio loco Augustinus docet. Cum enim verum illud adjutorium Spiritus Sancti, & cooperationem Dei fusius inculcasset, & explicuisset cooperationis modum, Pelagianorum accessum ad veritatem quamvis imperfectum laudando & corrigendo subtexit:

Serm. 13. de verb. Apost. c. 11. & 12.

Non sicut quidam dicere cœperunt, qui coarctati sunt aliquando gratiam confiteri, & benedicimus Deum quia vel hoc aliquando dixerunt. Accedendo enim proficere potuerunt, & ad id quod vere rectum est pervenire. Iam verò dicunt adjutricem esse gratiam Dei ad facilius facienda &c. Velo facilius, remo difficilius, tamen & remo itur. Iumento facilius, pedibus difficilius, sed tamen & pedibus pervenitur. Non est sic &c. Vbi quamuis id quod dicunt de sola facilitate quam affert gratia, corrigat, veram tamen

A gratiam eos intellexisse significat. Illa est enim quæ instar venti animis illapsa vela pandit & amorem inspirando magna facilitate promovet iter nostrum & in patriæ cœlestis portum impellit. Quam venti similitudinem sensui Pelagianorum explicando & Iulianus adhibuit:

Iul. in lib. de amore apud Bedam lib. 1. in Cant. c. 2.

Ad eam, inquit, *magnitudinem atque pulchritudinem sapientis animus studijs procedit ac meretur, ut generosum eius ignem (hoc est amorem) gratia Sancti Spiritus incipiat ventilare. Tunc fit illa charitas, quæ non propinquos solum aut cives, sed ipsum genus humanum gremio suo conatur amplecti.* Vbi Beda significari dicit: Spiritus Sancti adventu non ita juvari animum, quomodo flamma vel fax, cum accenditur, caliginosam juvat domum, quam illustrat; sed ita potius, *quomodo ardentem sive lucentem ventus juvat ignem ut amplius clarescat qui quidem & sine flatu venti accendi atque ardere ac magnam consumere sylvam poterat;* B *sed tamen vento impellente magis magisque flammescit.* Perspicue namque illam prædicat Iulianus gratiam, quæ ad augendum perficiendumque charitatis amorem instar venti inflammantis adjuvat, etsi eodem vento ignem illum primitus accendi neget. Hoc enim libero voluntatis arbitrio tribuendum putat, cujus merito ille flatus Sancti Spiritus rependatur.

Quod si quis adhuc forsan alicui supersit scrupulus, ne veram agnovisse gratiam Pelagianos arbitretur, omnem fluctuationem tollat alia Divi Augustini apertissima disputatio. Nam de suavitate jugi differens, quod ad se venientibus, hoc est credentibus Christus imponit, veram Catholicamque sententiam quæ per inspirationem divini amoris hoc fieri docet his verbis astruit:

Serm. 13. de verb. Apost. c. 8.

Regit te sub jugo tuo & sub sarcina tua. Vt enim sarcina eius sit tabilevis & jugum eius suave, ille tibi amorem inspiravit. Amanti C *suave est, Non amanti durum est. Amanti suave est, Dominus dedit suavitatem.* Ecce verissimam, purissimam, Catholicamque divinæ gratiæ confessionem. Sed accipe quatenus & quemadmodum in eam consentiant Pelagiani:

Ibid. Matth. 11.

An forte, inquit consequenter, *quia vel venisti audiens; venite ad me; hoc ipsum tibi arrogare contendis, quia venisti? Ecce, inquis, veni ad illum arbitrio meo, voluntate mea. Quia veni, reficit me; quia veni, jugum suum imponit mihi suave, quia dat amorem, sarcinam suam levem imponit mihi amanti & diligenti. Hac omnia facit in me, sed quia veni ad eum;* Hoc est uti exponit, quia credidi. Quid clarius, quid pressius vel à Catholico desideremus? Ecce fatetur sine ambagibus, Deus *reficit me:* Deus *jugum suum imponit mihi suave*, hoc est, facit ut mihi sit jugum suave, idque non quia dat legem, quia dat doctrinam, sed *quia dat amorem.* Hoc est enim quod ipse paulò ante Catholicam gratiam profitendo dixerat, *quia* D *amorem inspirat*, sed quomodo purissimum illud vinum aquâ Pelagianâ diluant paucis adjiciendum est.

Digitized by Google

nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura: ad hoc tantum existimantes illum adjuvantem per suam legem atq; doctrinam ut discamus quæ facere & quæ sperare debeamus. De secunda vero non minus perspicue: *Denique Pelagius à fratribus increpatus quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Quæ verba ex libro Pelagij de libero arbitrio mutuata sunt. Apertissime vero profitentur non gratiam liberi arbitrij, non gratiam legis seu mandatorum, sed gratiam illam, quâ liberum arbitriū jam semel datum, ipsa mandata jam quoque data facilius possit implere. Sed jam ad alteram hujusce gratiæ corruptelam veniamus.

Ibid.

Secunda gratiæ corruptela *meritum humanum.* De quo magna contentio post proscriptos Pelagianos.

CAPVT QVARTVM.

ITAQVE secunda corruptela est quod nolint illam ipsam facilitatis gratiam esse gratuitam, hoc est, gratiam non esse gratiam. Quam impietatem, non illis quidem verbis profiteri solent, cum potius è contrario Pelagius dicat, *Donum non est ex nostro, sed ex donantis arbitrio pendet:* sed alijs, ex quibus velint nolint hoc sequitur: dum statuunt: *Dei gratiam secundum merita nostra dari.* Quæ sententia Pelagianorum ita pervulgata est, ac tot locis ab Augustino contestata, ut non sit opus eam testimonijs accersitis asserere. Idcirco autem illam excogitarunt, ut verbo tenus veram Dei gratiam fateri viderentur, reipsa tamen per ambages prorsus tollerent. *Hæc est quippe*, inquit Augustinus, *intentio qua gratiam destruere moliuntur, ut eam dari secundum merita nostra contendant.* Humanum namque seu liberi arbitrij meritum divinæ gratiæ tam capitaliter inimicum est, ut Apostolus dicat: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et, *si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.*

In comment. c. 12. ad Rom. n. 16.
Vide lib. de gestis Pelag. c. 14. lib. de hæresib. Hæresi 88. lib. 1 ad Bonif. c. 3. 4. & 19. & alibi sæpiss.
Lib. 1 ad Bonif. c. 3.
Rom. c. 4.
Ibid. c. 11.

Porro ista sententia jam statim in initio & quidem primum omnium quantum colligere licet, à Celestio istis ipsis verbis asserta fuit. Nam inter cætera capitula capitalia & sine dubitatione damnanda quæ Celestius in suo capitulorum libro posuerat, etjam illud Pelagio in Synodo Palestina objectum fuit: *Dei gratiam secundum merita nostra dari.* Quod ipse damnari timens, *negavit se dicere, & eos qui hoc dicerent anathematizando damnavit.* Sed in utroque judicibus Palestinis mentiendo vel sese obtegendo fraudem fecit. Nam & in Epistola ad Demetriadem jam ante conscripta dixerat: *Ejusque (Dei) faciendo voluntatem divinam mereamur gratiam, & facilius nequam Spiritum auxilio Sancti Spiritus resistamus.* Vbi utramque gratiæ adulterationem conjunctam vides. Et in libris quos postmodum scripsit, non aliud defendere invenitur, quam quod damnasse videbatur. Nam post Concilium istud Palestinum, idem in libris de libero arbitrio asseruit: imo post damnationem Pelagij ab Africanis concilijs procuratam & à Zozymo inflictam proprie cœpit de isto dogmate fervere disputatio: tum quod antea Pelagiani fere sine omni omnino gratia suam justitiam statuere niterentur: tum vero quod si quam gratiam in suis disputationibus meminissent, legem vellent doctrinamque Christianam intelligere. Sed postea tot clamoribus Christianorum per totum orbem consonantium & vocibus Conciliorum territi, gratiam quidem sed meritis datam magis urgere cœperunt. Vsque adeo ut totius disputationis moles de gratiæ adjutorio in istum cardinem tandem incubuerit: *Vtrum gratia*, nempe vera, *secundum merita nostra detur.* Constat hoc ex luculenta testificatione D. August. qui in plerisque libris, quos post damnatam illam hæresim scripsit totam cum Pelagianis controversiam ad tria capita revocat: De peccato originali: De gratia danda sine meritis: De vita Sanctorum sine peccatis ducenda. *Tria sunt*, inquit, *ut scitis, quæ maxime adversus eos Catholica defendit Ecclesia: quorum est unum gratiam Dei non secundum merita nostra dari quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia etiam conferuntur merita universa justorum. Alterum est: In quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, Obnoxium nasci hominem peccato primi hominis & vinculo damnationis obstrictum &c.* Et universam Pelagianæ fidei professionem, & argumentorum apparatum in summam colligens: *In his omnibus*, ait August. *quicquid dicunt de laude creaturæ atque nuptiarum, ad hoc referre conantur ut non sit originale peccatum. Quicquid de laude legis & liberi arbitrij, ad hoc ut gratia non adjuvet nisi meritum, ac sic gratia non sit gratia. Quicquid de laude Sāctorum, ad hoc ut vita mortalis in sanctis videatur non habere peccatum, nec sit eis necessarium pro dimittendis debitis suis precari Deum.* Vbi vides idcirco tandem post proscriptam hæresim liberum arbitrium ac legem à Pelagianis cœpisse laudari, non ut illa gratia esse censeretur, per quam Deus adjuvat nos ad perfectam justitiam obtinendam, sed ut saltem ad eam inchoandam sufficere videretur, cujus conatibus atque cœptis gratia rependeretur ut præmium. Quam eandem doctrinam ac Pelagianorum dogmatum partitionem etjam alijs locis videre licet, atque ex ea perspicere, proscriptis tandem damnatisq; Pelagianis, non tam de gratia naturæ, liberi arbitrij, legis doctrinæq; Christianæ, sed de vera gratia ex meritis videlicet liberi arbitrij tribuenda, viguisse contentionem.

Lib. de gestis Pelag. c. 14.
Lib. 1 ad Bonif. c. 4. & 19. vide late lib. de gratia & lib. arbitr. c. 5.
Lib. de dono persev. c. 2.
Lib. 4. ad Bonif. c. 2.
Lib. 3. ad Bonif. c. 8. lib. 4. c. 7. lib. 3. cont. Jul. c. 3.

Digitized by Google

esse mutationem. Quæ non videtur fuisse alia, nisi quod ante, totam justitiam humanis viribus asscriberent, deinde orationem dumtaxat ex fide quæ sine præcedente bona voluntate esse non potest.

Hanc Hæresis Pelagianæ mutationem respicit Augustinus, quando carnalis hominis & inflati, hoc est cujuspiam Pelagiani cogitationes aut voces notat, quibus gradatim dicunt: *Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me justitia mea.* Et ordinem ipsum tangens quo dogmata sua interpolarunt in Epistola ad Sixtum, quæ statim ab hæresi damnata scripta est, se Scripturarum testimonijs probasse dicit: *Et bona opera nostra, & pias orationes, & rectam fidem, nullo modo in nobis esse potuisse nisi hæc accepimus à Deo.* Et iterum eâdem rectâ serie: *Nec quisquam dicat*, inquit, *meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ sibi traditam Dei gratiam ut putetur verum esse quod illi hæretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod omnino falsissimum est.*

Epist. 1. ad Val. & Monach. Adrumetinos.

Ibid. in Epist. 1 ad Valent.

Ibid.

Ex ijs quæ diximus maximeque postremis Pelagianorum verbis, *Discernit me fides mea &c.* perspicuum esse puto totam cum Pelagianis descriptionem eo tandem fuisse conversam, ut constaret uter discerneret hominem, hoc est, uter inciperet in mutanda hominis voluntate de mala in bonam, homo an Deus. Etenim si obtinere potuissent aliquid quodcunque tandem, sive orationem, sive fidem, sive ipsam etiam bonam voluntatem prius ab homine dari Deo, ut retribuatur ei, profecto vicissent Pelagiani, totaque hæresis ista etjam in vindicanda sibi perfecta justitia triumphasset. Esset enim illa non gratiæ divinæ munus, sed effectus hominis, quem volendo, credendo, pulsandove meruisset. Quo collimasse Pelagianos satis declarat Augustinus, cum dicit: *Quid est ergo quod secundum modum vestrum effectum voluntatis humanæ, donum cæleste ante credideras nuncupasse, tanquam voluntas hominis sine Dei gratia moveretur ad bonum, ut ei debitus à Deo retribueretur effectus?* Hanc ergo extremam tabulam, qua tota illa impietas iterum esse salva potuisset, ut eis extorqueret Augustinus, omnes disputandi vires ut supra diximus in postremis suis operibus contrahit, non ut gratiam operandi justitiam quę jam fidelibus & justificatis datur, sed eam quæ omnes hominis conatus, orationes & voluntates prævenit, ex Ecclesiæ precibus & Scripturis asserendo stabiliat. Tunc enim præveniens non consequens; excitans non adjuvans; operans non cooperans à Pelagianis negabatur.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Cur autem illam primam gratiam tantopere abhorruerint, tunc dicetur oportunius, cum ad Semi-Pelagianos ventum fuerit. Nam ex ijs quæ proxime asseruimus facile constare potest, Pelagianos tandem in hoc quarto statu in errorem Massiliensium declinasse, vel potius Massilienses errorem suum, Catholicis quibusdam veritatibus intertextum ex illo quarto hæresis Pelagianæ statu esse mutuatos. Illud quippe inchoationis meritum, cui Deus tanquam præmium gratiæ suæ auxilium tribueret, ita Semi-Pelagianis seu Massiliensibus proprium fuit, ut tamen ex Pelagiano fonte derivaverint. Planissime siquidem Augustinus adversus Pelagianos instruens Valentinum dicit: *In quorum*, Pelagianorum, *errorem cadit, qui putat aliquo merito humano gratiam Dei dari.* Et Prosper Magistro succinens Pelagianam hæresim è sepulchro confitentem inducit.

Epist. ad Valent.

In Epitaph. Hæres. Nestor. & Pelag.

Nam si quæ Domini data munera sero fatemur
Hæc homini credis debita, noster eris.

Christum volunt ex meritis liberi arbitrij factum esse Deum. Haustus ille error ex Origene.

CAPVT SEXTVM.

NAM postquam Pelagiani gratiam Christi ad bene vivendum utilem clamoribus Catholicorum agnoscere compulsi sunt, tanti fuerunt prętiosi meritorum, quibus eam tollerent ac destruerent, ut etjam ipsi Christo Domino divinitatem ex meritis collatam esse contenderent. Testis est luculentus hujus impietatis Prosper, apud quem error Pelagianus ita loquitur.

In Epitaph. Hæres. Nestor. & Pelag.

Nam Christum pietate operum & mercede volentes
Esse Deum, in Capitis fœdere non stetimus.

 Testis

Digitized by Google

A TEſtis uberrimus Caſſianus, cujus eo nomine autoritas major eſt quod fuligine nonnulla Pelagiana aliquando tinctus, accuratius cognati erroris arcana penetraverit. Sic ergo Neſtorium compellat: *Hoc utique illa etiam quam ante dixi, Hæreſis aſſerebat* (Pelagiana ſcilicet) *Chriſtum non propter ſe colendum, videlicet, quia Deus eſſet, ſed quia bonis ac piis actibus Deum in ſe habere meruiſſet. Ergo vides*, inquit, *Pelagianum te virus vomere Pelagiano te ſpiritu ſibilare.* Nam Pelagianos Neſtorianiſmum qui Deum atque hominem in Chriſto dividit, tenuiſſe, adeoque peperiſſe, perſpicue etjam Proſper in eodem Epitaphio utriuſq; hæreſis prodit. Sed accuratius ac diſtinctius erroris illius ortú, progreſſum & ſcopú, & cum Neſtoriano cognationem explicat Caſſianus, quem proinde, etſi paulo prolixius diſſerentem audiamus: *Illud ſane unum prætereundum non arbitramur, quod peculiare ac propriuni ſupradictæ illius hæreſeos quæ ex Pelagiano errore deſcenderat, fuit: quod dicentes quidam ſolitarium hominem* IESVM *Chriſtum ſine ullo peccati contagione vixiſſe, eo progreſſi ſunt ut aſſererent, homines ſi velint ſine peccato* A *eſſe poſſe. Conſequens enim exiſtimabant, ut ſi homo ſolitarius* IESVS *Chriſtus ſine peccato fuiſſet, omnes quoque homines ſine Dei adjutorio eſſe poſſent, quicquid ille homo ſolitarius* IESVS *Chriſtus ſine conſortio Dei eſſe potuiſſet. Ac ſi nullam facerent inter omnem hominem ac Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum eſſe diſtantiam; cum idem utique homo, niſu atque induſtriâ mereri poſſet, quod Chriſtus ſtudio ac labore meruiſſet. Quo factum eſt ut in maiorem quoque ac monſtruoſiorem inſaniam prorumpentes dicerent, Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum hunc in mundum non ad præſtandam humano generi redemptionem, ſed ad præſtanda bonorum actuum exempla veniſſe. Videlicet ut diſciplinam ejus ſequentes homines dum per eandem viam virtutis incederent, ad eadem virtutum præmia pervenirent: evacuantes quantum in ipſis fuit omne ſacri adventus donum & omnem divinæ redemptionis gratiam, cum idem dicerent homines conſequi poſſe vivendo quod præſtitiſſet Deus* B *pro humana ſalute moriendo.* Ecce purum & putum hactenus Pelagianiſmum. Quem diffuſe hoc libro proſecuti ſumus. In qua narratione Caſſiani obſervandum eſt, verum eſſe quod Proſper dixerat.

Caſſian. lib. 5. de incarn. c. 2.

Caſſian. lib. de incar. c. 3.

Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,
De capite ad corpus ducere opus Volui,

In Epitaph. citat.

A NImirum quia Chriſtus homo ſolitarius, hoc eſt tantum homo non Deus, ſine peccato vixiſſet, ut hominibus exemplum fieret omnes homines idem quoque poſſe voluerunt, Sed accipe jam quâ ratione IESVS ad divinitatem pervenerit: *Addiderunt quoque*, inquit Caſſianus, *Dominum ſalvatoremque noſtrum poſt baptiſma factum eſſe Chriſtum, poſt reſurrectionem, Deum: alterum aſſignantes unctionis myſterio, alterum merito Paſſionis: Vnde advertit novus iam non novæ hæreſeos autor*, ſcilicet Neſtorius, *qui Dominum ſalvatoremque noſtrum ſolitarium hominem natum eſſe contendit, idem ſe omnino dicere, quod Pelagianiſtæ ante dixerunt.*

Ibid. lib. de incarnat. c. 3

Sed quamvis Pelagianiſtas hanc hæreſin ante Neſtorium docuiſſe tradat, non tamen ita planum eſt, quis ejus inter Pelagianiſtas primus autor fuerit. Nam Pelagium recte de Chriſto Domino ſenſiſſe, ſaltem in exortu ſui erroris teſtari videtur Auguſtinus, quando de B iſtis jam recenter emergentibus & gratiæ profunditate turbatis dicit, quod *continenter viverent, nec falſum Chriſtum ſicut Manichæi aliique plurimi hæretici, ſed eundem verû æqualem patri & coæternum, veraciterque hominem factum & veniſſe crederent & venturum exſpectarent.* Vnde & Caſſianus dicit eam hæreſin *ex Pelagiano errore deſcendiſſe.* Et paulo ſuperius: *Nuper quoque id eſt in diebus noſtris emerſiſſe hæreſim venenoſam & maxime in Belgarum urbe conſpeximus certi erroris incerti nominis. Quia cum recenti capite ex antiqua Ebionitarum ſtirpe ſurrexerit, dubium admodum eſt* A *antiqua magis dici, an recens debeat.* Itaque veriſimiliter videtur, quod Caſſianus Leporium quemdam Monachum illius erroris autorem eſſe tradit. Nam libro ſeptimo cum Neſtorianam hæreſim *Pelagianæ ſpinoſam ſobolem* dixiſſet, *& oſtendere in germine, quod pater ejus habuiſſet in radice* ſtatim pro ratione ſubjicit: *Leporius ille enim* (*ut Leporius diſcipulis ſuis dixit*) *Dominum noſtrum aſſerebat Chriſtum factum per baptiſmum.* Et libro primo: *Leporius enim tunc Monachus, modo presbyter, qui ex Pelagii ut ſupra diximus, inſtitutione, vel potius pravitate deſcendens apud Gallias aſſertor prædictæ hæreſeos, aut inter primos, aut inter maximos, fuit à nobis admonitus, à Deo emendatus.* Vbi tamen quia Leporium neque primum, neque maximum illius impietatis aſſertorem nuncupat, ſed inter primos aut maximos, ſatis inſinuat etjam alios præceſſiſſe. Et hoc eſt fortaſſe quod Auguſtinus B reſpicit quando in poſtremis operibus crebro illius arcanæ conjunctionis qua divinitas & humanitas in Chriſto copulatæ ſunt, mentionem faciens, ſemper ab ea meritum removet quod Pelagianos jam videbat eſſe commentos. *Iſtam nativitatem*, inquit, *bona opera ſecuta ſunt, non bona opera meruerunt.* Et alibi: *Reſpondeatur queſo: ille homo ut à verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecunque præceſſit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?* Quæ tanta inſtantia videtur eſſe alicujus exortæ

Epiſt. 120. c. 37. ad Honoratum.

Lib. 1. c. 3. citatis.

Ibid. c. 1.

Lib 7. de incarnat. c. 21.

Lib. 1. c. 4.

Lib. de corrept. & grat. c. 11.

De prædeſt. SS. c. 15. vid. & c. 12. & lib. de dono perſeverant. c. ult.

Digitized by Google

exorte super hac re contentionis argumentum: sed quia totus Pelagianorum conatus ad astruendam cæterorum hominum justitiam vertebatur, hinc factum est ut de Christo & merito divinitatis ejus non ita ferveret disputatio, quamvis esset fortasse prima totius hæresis basis. Nempe quod primum est in intentione in executione postremum est, etsi intentio sit executionis parens. Vnde apposite apud Prosperum Nestoriana hæresis canit.

In Epitaph. Hæresis Nestorianæ & Pelag.

Nestoriana lues successi Pelagianæ,
Quæ tamen est utero progenerata meo.
Infelix miseræ genitrix, & filia natæ
Prodivi ex ipso germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis
De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in summa armatur ab imis
Congrua bellandi tempora non habuit.

QVanquam si rem à capite accersere lubet, nemo expressius quod sciam hæresim illam tradidit quam totus Pelagianismi fons Origenes. Nam in libris περὶ ἀρχῶν Dominicæ incarnationis arcana tractans, ex generali suo principio quo totam rationalis creaturæ dispensationem ex libero suspendit arbitrio, atque unamquamque tantam ex verbo Dei participationem sumpsisse putat, quanto erga illud dilectionis inhæsisset affectu, tandem ad animam Christi delabendo dicit: cum liberi arbitrij facultate varietas unumquemque ac diversitas habuisset animorum, ut alius ardentiore, alius tenuiore & exiliore erga autorem suum amore teneretur, illa anima de qua dixit IESVS, *quia nemo auferet à me animam meam* ab initio creaturæ (nempe ante corpus) & deinceps inseparabiliter ei atque indissociabiliter inhærens, utpote sapientiæ & verbo Dei & veritati ac luci veræ, ac tota totum recipiens, atque in ejus lucem splendoremque ipsa cedens, facta est cum ipsa principaliter vnus spiritus. *Vnde*, inquit, *& merito pro eo, vel quod tota esset in filio Dei vel tota in se caperet filium Dei, etiam ipsa cum ea quam assumpserat carne Dei filius & Dei virtus Christus Dei sapientia appellatur.* Ecce in paucis verbis tam Nestorij quam Pelagij dogma conjunctum vides, quo Christi animam una cum carne quam assumpserat, pro merito indissolubilis dilectionis Dei filium ac Dei sapientiam appellatam esse delirat. Et nequid obscuritatis in superioribus verbis latere putes, accipe manifestiora: *Quod autem dilectionis perfectio & meriti affectus sinceritas ei hanc inseparabilem cum Deo fecerit unitatem, ita ut non fortuita fuerit, aut cum personæ acceptione animæ eius assumptio, sed virtutum suarum merito delata, audi ad eum Prophetam dicentem; dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Dilectionis ergo merito ungitur oleo lætitiæ, id est anima Christi cum verbo Dei unum efficitur.* An ista forte aliquo disputandi calore, & ut Augustinus loquitur, *non placito quodam fixo retenta, sed quasi undecumque rapta, & non considerata* profuderat? Quid quod & alibi eandem doctrinam in summam contrahit & constanter tradit? *Hæc vero anima*, inquit, *quæ fuit in IESV priusquam sciret malum, elegit bonum: & quia dilexit iustitiam & odit iniquitatem, propterea unxit eam Deus oleo lætitiæ præ participibus suis. Oleo ergo lætitiæ ungitur, cum verbo Dei immaculata fœderatione coniuncta: & per hoc sola omnium animarum peccati incapax fuit, quia filij Dei bene & plene capax fuit: Ideoque & unum cum ipso est, atque eius vocabulo nuncupatur, & IESVS Christus appellatur, per quem omnia facta esse dicuntur.* Et ne quid fermenti desideres ad doctrinam Pelagij condiendam, hac de causa vult Christum omnibus credentibus EXEMPLVM esse propositum, quia sicut ille semper & antequam sciret omnino malum, elegit bonum, & dilexit justitiam, *Et propterea unxit eum Deus oleo iustitiæ*, hoc est ut supra dixerat, *cum verbo Dei unum efficit: ita & unusquisque post lapsum vel post errorem expurget se maculis exemplo proposito, & habens itineris ducem arduam viam virtutis incedat, ut sic forte per hoc, in quantum fieri potest, per IMITATIONEM eius participes efficiamur divinæ naturæ.* Nam similibus pœne verbis, quibus Iulianus dixerat, quod nemo præmia virtutis meretur, *nisi qui ad ea sanctitatis Christi imitatione contenderit*; fulmen istud ei intorquet Augustinus: *Hoc est occultum virus hæresis vestræ, ut velitis gratiam Christi in exemplo eius esse, non in dono eius.* Quod donum utrum agnoscat uti agnosci debet Origenes, alibi forsan dabitur oportunior disputandi locus, sed de gratia secundum Pelagianos satis: nunc ad prædestinationem transeamus.

2. Peri Archon c. 6. — *14.* — *Lib. de gestis Pelag. c. 6.* — *Lib. 4. Peri Archon. ult.* — *Ibid. Lib. scilicet 2. c. 6.* — *Lib. 1. oper. imperf. f. 350.*

Transitus ad Prædestinationem. Præmittitur totius hæresis Pelagianæ scopus, & generalis ordo dogmatum.

CAPUT SEPTIMUM.

EX ijs quæ de gratiæ corruptelis & meriti prærogativis secundum Pelagianorum sententiam disseruimus, quid de prędestinatione senserint facile intelligi potest. Nam etsi hac de re nihil omnino loquerentur, perspicacior tamen quisque non difficulter colligit omnem gratuitam prædestinationē eos funditus sustulisse. Nam sive cœlestem gloriā ac regnū Dei illis tribui ac deberi sentiant, qui liberi arbitrij viribus peccatorum omniū tentationes superent omniaq; Dei mandata custodiant: siue illis Dei adjutorium, ad obtinendam justitiæ perfectionem dari velint, qui sine Dei adjutorio propria voluntate crediderint, petierint, quæsierint, pulsaverint, quicquid deinceps talibus à Deo propter istud vel inchoationis exordium, vel perfectionis culmen conferri dixeris, manifestum est eis non tam tribui quam retribui; ac per hoc neque meritum neque præmium eis gratiâ divinâ vel electione prædestinari; sed humanæ libertatis arbitrium offerre meritum, Dei justitiam referre mercedem. Atque ita totum prędestinationis negotium ad nudam humani meriti, sive fidei, sive etjam operum præscientiam juxta duplicem Pelagianismi statum de inchoanda vel etjam perficienda suis viribus justitia revocari. Quæ quamvis in genere ex antedictis perspicua sint, nec operiosioris disputationis indigeant, ne quid tamen anfractuum Pelagianorum curiosis lectoribus desideretur, quod ad eorum mysteria sigillatim penetranda faciat, eorum sensa de singulis ad prędestinationem concurrentibus percurrenda sunt, si primum totius hæresis Pelagianæ scopum ac dogmatum connexionem subjecerimus; quo fiet ut etjam ea quæ de prędestinatione dicenda sunt plenius intelligātur.

Sciendum igitur Pelagium, omnesque discipulos ejus, non tantum Celestium & Iulianum, sed etjam Semi-Pelagianos non alium habuisse scopum in errore suo condendo, quam ut humana salus quemadmodum & interitus ex humani arbitrij, quod omnibus per creationem datum est, libertate penderet: ita nimirum, ut si quod forte ad illam salutem assequendam præmium per gratiam suam operaretur Deus, ultima tamen discretio unius ab alio, operantis à cessante, credentis ab incredulo, volentis à nolente nequaquam à Deo, sed ex liberi arbitrij cardine flexuque peteretur. Cum enim certissimum & ipsis intimis rationis penetralibus tamquam solis radio inscriptum esse sentirent neminem rectè sine propria sua voluntate, hoc est nisi ipse velit, posse vivere, neque quidquam esse magis in potestate hominis quam voluntatem (*Quia* ut Augustinus, *non dicimus esse in potestate, nisi quod cum volumus fit, ubi prius & maxime est ipsum velle: sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas ipsa cum volumus*) Huic veritati consectaneum & vinculis adamantinis connexum esse putaverunt, sibi ipsis tantum tamquam suum & proprium bonum esse tribuendum, quod bene & laudabiliter viverent. Quam prę sumptionem eorum pręclare expressit Prosper carmine de ingratis; ubi Pelagiani omnia Massiliensium dogmata se confiteri paratos dicunt, commodo unicum sibi dumtaxat liberum arbitrium salvum esse patiantur, ut salutem suam possint ex volendi fonte suspendere: *Lib. 1. Retract. c. 22.*

Quæque placent vobis amplectimur, edita nobis
doctrinæ vestræ est pietas, nihil inficiando
Discutimus &c.
Dum nostri decus arbitrij lumenque creatum
Principio, quod sponte potest insistere rectis,
Manserit illæsum, nec viribus absit ab illis
Quas condente Deo generaliter omnis in Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat illi
De non accepta arbitrij virtute querela. &c.
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi *Prosper carm. de ingrat. c. 6.*

EX hoc principio omnia sua dogmata religata contexunt: quanquam ad eundem scopum Pelagiani & Massilienses diversis itineribus contenderunt: utrique quidem larva quadam pristinæ integritatis usi, sed hi gratiæ, illi naturæ. Verum de Massiliensibus infra latius.

Itaque Pelagius ut eo pertingeret, statim in ipso exordio meracissimum suum errorem protulit, nempe superbissimum illud dogma de asse-

Digitized by Google

de assequenda non solum justitiæ perfectione, A sed etjam ἀπάθεια, omniumque perturbationum vacuitate, ita ut instar angelorum ac Dei, facile absque omni peccato possemus vivere per solum humanæ voluntatis arbitrium. Cujus sententiæ arrogantiam cum doctrina sana respueret, lubricus instar colubri multis voluminibus errorem implicuit & hæreticis fraudis varietatibus coloravit. Sed in quæcumque diverticula clamoribus adversantium territus se proriperet, sive naturæ, sive legis, atque doctrinæ, sive etjam gratiam Christi commendando, semper ad eundem suum initio propositum collimat scopum, ut sive lex & exemplum Christi quid faciendum esset instrueret, sola naturæ facultas opus ipsum & justitiam sibi pareret: sive vera gratia nonnullam facilitatem aspiraret, nudæ tamen arbitrij vires perfacile inciperent, nudæ quoque universa mandata & justitię perfectionem, B etsi nonnulla cum difficultate perficerent. Quod si quid gratiæ adjiceretur, hoc conatibus nostris debitum, non gratis datum esse censuere. Hoc totius hæresis Pelagianæ caput & quasi cardo est, in quo tota vertitur illius erroris impietas. Nam quicquid ulterius de laudabili naturæ integritate, de primis hominibus, parvulis & adultis, de electione Dei & prædestinatione commenti sunt, hoc necessitate potius quam prima voluntate contigit, ut esset primi illius dogmatis vel appendix, vel fulcrum vel ornamentum. Nam quicquid de divinâ prædestinatione & electione, de qua inferius, perperam philosophati sunt, erroris illius capitalis tantummodo appendix est, quam ipsa series connexarum absurditatum postulat. Meritum quippe humanum est interitus gratuitæ prędestinationis & electionis. Quicquid vero de gratia sive C naturæ sive legis sive exempli Christi & remissionis, cæterisque eodem spectantibus garriunt, nudum impietatis velum est, mitigandæque invidiæ excogitatum, quo dogma nefarium imperitorum oculis poliendo, palliandoque colorarent. Nam in initio cum prima puri illius Pelagianismi ferveret prædicatio, nihil de toto illo variarum gratiarum apparatu in mentem venerat. *Illud vero*, inquit Hieronymus, *Quod ad decipiendos quosque postea huic sententiæ coaptarunt (non absque Dei gratia) cum prima legentes fronte decipiat, introspectum & diligentissime ventilatum, decipere non potest.* Denique quicquid de mortalitate primorum hominum, de natura parvulorum labis originalis experte, de illibata procreationis eorum integritate, de libertatis viribus, de bonitate concupiscentiarum naturalium statuunt, Decumani illius erroris fulcrum & fundamentū est, quo subtracto tota ruit Pelagianismi moles. D Vnde Augustinus cum dogmata ista recenseret, quæ potius à Celestio quam Pelagio tuendo primo errori de naturali justitiæ possibilitate excogitata sunt, *In hoc*, inquit, *potius totæ hæresis ista consistit*, nempe tamquam in radice & semine. Si enim natura ut primum condita est, expers peccati & inviolata in parvulis & majoribus permanet, sine dubio nulla Christi gratia ad bene vivendum & regnum cælorum assequendum necessaria est. Nam ubi nulla est ægrotantis infirmitas ibi nulla fingi potest medicinæ necessitas. *Sic enim laudando sanæ naturæ creatorem, cogimur*, inquit Augustinus, *dicere, imo verè convincimur dicere superfluum salvatorem.*

Hinc igitur accidit, quod tanto disputationis ardore & rationis viribus omnes Pelagiani satagunt, Pelagius, Celestius, Iulianus, ut natura sine peccato nasci & viribus libertatis prorsus illæsa esse credatur, non quod per se magna eis esset illorum dogmatum cura, sed quod perspicue animadverterent se sine illorum subsidio naturalem illam sine omni Mediatoris gratia, bene vivendi potestatem non posse defendere. Quod ex libris de natura & gratia & de perfectione justitiæ manifestissime liquet, ubi cum ex professo pansis velis, ad capitalem illum errorem & cæterorum omnium scopum tuendum tenderent, insitam & peccato inviolatam omnisque debilitatis expertem naturæ bonitatem & libertatem in subsidium vocant, omnesque causas removent, cur natura infirmata esse crederetur. Quo sane perspicue ostenditur, quis dogmatum Pelagianorum juxta mentem autorum ordo sit, quis cardo & scopus. Nec mirum, non enim perfecta quæque operatio est propter integritatem & sanitatem rei, sed rei cujusque integritas propter operationem perfecte exercendam instituitur. Vnde Celestius totum venenum suum in cœlum evomens & insinuans quo tota impietas Pelagiana tenderet manus, dicebat *quod ex illo quod ait Petrus, divinæ nos esse consortes naturæ, consequens sit, ut ita possit esse anima sine peccato quemadmodum Deus.* En quo collimat superbia Pelagiana & omnis dogmatum apparatus. Vnde Prosper tum alibi tum in Epistola ad Demetriadē: *In paradiso*, inquit, *Ecclesia constitutos, & virtutum delicijs abundantes ad confidentiam liberi incitavit arbitrij* (diabolus) *ut profectus suos in se constituerent, & ad arborem propriæ voluntatis manum præsumptionis extenderent.* Ecce primum lapidem offensionis & petram scandali, in quam fastus Pelagianus impegit. Sed jam ulterius vide in quæ dogmatum aliorum portenta & quousque illius elationis primæ tuendæ cupiditate pręcipitati sunt: *Hinc illa erat*, addit Prosper, *naturæ humanæ fraudulenta laudatio & illæsæ per omnes homines originalis defensio bonitatis. Hinc Adæ peccatum exemplo posteris asserebatur nocuisse, non transitu: & quàm illi fuerat non violare mandatum, tam liberum esse unicuique declinare delictum. Hinc evacuatio baptismatis parvulorum qui sola adoptione donari, nullo tamen reatu dicerentur absolvi. Hinc postremo divinæ gratiæ simulata & insincera confessio quæ secundum merita daretur, non ex qua merita nascerentur.* Nimirum omnia ista hinc esse nata & eo directa significat, ut illam quam dixerat, *confidentiam liberi arbitrij*, & insitam justitiæ perficiendæ potesta-

Lib. de natur. & grat. c. 34

Lib. de nat. & grat. c. 17. 19. 42. 43. & 50. &c. Lib. de per. iust. ratioc. 9. 10. 12. 14.

Lib. de gest. Pelag. c. 35.

In Epist. ad Demetrid.

[Epist]. ad [Ctesi]phon.

[De] gestis [Pelag. c.] ult.

potestatem tuerentur. Ex quo fonte consequenter omnibus Pelagianis, eorumque hæredibus medullitùs innatum fuit capitale odium omnis divini propositi, quo unus quo- A quo modo discerneretur ab alio: quod tanquam acceptionem personarum, coactionem, fatum, fatalemque necessitatem semper cane pejus & angue detestati sunt.

Oeconomia divinæ voluntatis & gratiæ erga salutem humanam. De gratuita vocatione & justificatione: & quo sensu vocatio vocatur secundum propositum.

CAPVT OCTAVVM.

QVAPROPTER suis quæ diximus principijs innitendo, longe aliam ipsi quam Catholici, divinæ bonitatis ac voluntatis œconomiam ergà salutem humanam fabricant. Dicunt etenim quandoquidem nemo peccati reus, vel judicio divino nascatur obnoxius, sed veluti tabula rasa, a *capax utriusque rei non plenus, & ut sine virtute, ita & sine vitio procreetur*, Deum generaliter b *velle omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire: c ut qui voluerint credant*; nemo quippe, inquiunt, d *ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitus cogitur*, hoc est, ex nolente fit volens. e *aut reluctantis studium virtutis immittitur, quia personarum acceptio non est apud Deum.* Hoc enim ex mera & sola hominis libertate pendet. Nam *ante hominem vita & mors, quod placuerit dabitur illi ne libertas scilicet tollatur arbitrij*: qua tamquam prima Dei creatoris gratia instructus & simul *per creaturarum contemplationem* adjutus, *duce ratione, cognoscebat creatorem & quemadmodum esset vivendum*, per legem naturalem *scriptum gerebat in cordibus.* Sed cum propter invalescentem A peccandi consuetudinem *non sufficeret vitiatis moribus natura tam decolor*, alia similiter generalis gratia, Lex Moysis adjecta est, *qua velut lima fulgori pristino, detersa rubigine natura redderetur.* Sed posteaquam etiam hic *nimia peccandi consuetudo prævaluit, cui sananda lex parum valet* tamquam generalis totius humani generis Medicus *Christus advenit & tamquam desperatissimo morbo, non per discipulos, sed per seipsum medicus ipse subvenit.* Cujus medicinæ gratia in hoc sita est, primò quod Deus illum pro pro nobis omnibus tradidit, *pro omnibus*, inquam, *non pro aliquantis* quos ipse peculiari putetur voluntate selegisse. Secundò, gratia Christi magis propinqua est *remissio peccatorum*, sive baptismus hominibus legis prævaricatione reis, quam propter invalescentem peccandi consuetudinem jam amplius implere non poterant præparatus. Sed & ista gratia B prorsus est generalis & omnibus omnino indifferenter proposita, sed quod uni præ alijs detur, hoc ex hominum voluntate contingere, quorum unus Christo credere velit, alius nolit.

a Pelag. lib. de pec. orig. c. 13. apud August.
b Iul. lib. 4. apud Aug. cont. Iul. c. 8.
c Prosper Epist. ad Rufin.
d Lib. 1. ad Bonif. c. 18.
e Lib. 2 ad Bonif. c. 10.
Pelag. in Comment. in c. 11. Rom. n. 17.
Prof. Epist. ad Rufin.
Pelag. lib. de pec. orig. c. 26.
Ibid.
Ibid.
Ibid.
Pelag. in c. 8. Rom. n. 34.

Cum sine delectu, inquit Prosper, *seu lex seu gratia Christi,*
Baptismus seu remissio peccatorum
Omnem hominem salvare velit: Dominique vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate suâ, proprioque vigore venire,
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.

Carm. de ingrat. c. 6.

DEo namque *circa omnes homines per universum mundum commune & generale esse studium, ut qui voluerint credant*, Christo scilicet salvatori, *& qui crediderint iustificationem merito fidei & bona voluntatis accipiant.*

Tertiò gratia Christi consistit in *doctrina* quam Christus attulit mundo & *exemplo* virtutis ejus quibus adjuti homines *studerent deinceps custodire iustitiam quam compendio credulitatis*, hoc est fidei in baptismo, *fuerant assecuti.* Itaque totum beneficium adventûs Christi in hoc videntur constituere, quod cum totus mundus non amplius ut olim legem implendo, esset reus Deo, *Verbum caro factum sit, ut quos præceptis*, hoc est lege, *non correxerat beneficiys obligaret, reposcens ab imagine amoris vicem, ut vel* A *serò redamaremus eum* qui nobis charitatem suam ostenderat. Nam cum ante, legis totius observatione justitia quæri deberet ab hominibus, nunc eam quantumcumque peccatores sine omni omnino *labore* impletæ legis aut difficilis *pœnitentia* sola fide per baptismum accepta peccatorum remissione gratis accipiant. Illos autem jam justificatos verbo & *exacta iustitia norma*, hoc est exēplo docuit, quo pacto jam esset vita instituenda, & ita *pollicetur* cæleste præmium, *quo unigeniti simus cohæredes*, ut simul tam *præcedentium quam sequentium Sanctorum remunerator emicaret.*

Cum igitur quatuor sint in quibus Dei benevolentia, & Christi gratia eluceat, *vocatio, iustificatio, glorificatio*, & quæ in Deo est æterna

Prof. Epist. ad Rufin.
Lib. 2. cont. Iul. imperf. f. 439.
Lib. 1. oper. imp f. 139. & 2. f. 439
In c. 4. ad Rom. n. 11.
Lib. 2. f. 401
Lib. 1. f. 139
Lib. 1. f. 401

Digitized by Google

æterna prædestinatio, sic de singulis Pelagiani statuunt.

Vocationem hominum peccatorum ad prædictam baptismi gratiam per fidem accipiendam dicunt esse gratuitam. *Gratis vocavit ad salutem*, inquit Pelagius. Et, *agnitio (veritatis) non ex merito est, sed ex Dominica veritate* scilicet gratis prædicata. Sed cum ab eis ratio extorquetur, cur his non illis Christi annuncietur Euangelium, & ita quædam inter homines discretio fiat mox totum ex humanarum voluntatum diversitate suspendunt. *Quos præscivit credituros*, inquit idem, *hos vocavit, aut certe discretio non in persona sed in tempore est*, quod scilicet certis quidem temporibus, sed non certa & singulari, at communi vocatione homines *vocantur per prædicationem ut credant*, hoc fit ideo quia tunc eos Deus præscivit esse credituros. Ex quo patet nullam eos agnoscere peculiarem benevolentiam, seu ut scripturæ vocant propositum Dei, secundum quod unum alio prætermisso vel integras etjam nationes neglectis alijs ad salutem advocet: sed hanc discretionem volunt ex alicujus diversitatis ab hominibus datæ & unum ab alijs secernentis prævisione contingere, sive hoc opus aliquod bonum, sive etjam minora peccata esse dicantur. Nam Pelagius non veretur *eos vasa misericordiæ* appellare, *qui digni erant misericordia, quia & minora commiserant & graviter fuerant afflicti*. Hinc est quod *vocationem secundum propositum*, cujus Apostolus meminit non illam esse volunt quæ fit secundum propositum vocantis & eligentis Dei: sed ut etjam ab Augustino observatum est, ita secundum propositum vocari putant quibus Deus omnia cooperetur in bonum, *ut propositum hominis intelligatur, quod propositum tamquam bonum meritum sequatur misericordia vocantis Dei.*

Pelag. in Comment. c. 8 ad Rom. n. 49. In c. 1. ad Tit. n. 3. In c. 8. ad Rom. n. 52. Ibid. In Comment c. 9. Rom. n. 31. Ad Rom. 8. Lib. 2. ad Bonif. c. 10.

Quamquam & alio modo Dei propositum exponere solent. Nam posteaquam Deus sua vocatione homines ad salutem per fidem accipiendam invitaverit, dicunt in cujusque esse libera voluntate velle vel nolle credere, quam credulæ vel incredulæ voluntatis ex hominis libertate prosilientis motum sua statim retributio consequatur. Credentibus enim gratis peccata sua per baptismi gratiam instituta justificatione remittuntur, incredulis retinentur. In hoc ergo consistere *propositum Dei*, quod cum totus mundus transgressione legis datæ deliquisset, Deus ex sua bonitate proposuerat iterum justos facere homines per baptismum & peccatorum remissionem, idque gratis, nullis operibus legis quam prævaricati fuerant vel laboriosa pœnitentia præcedentibus, sic tamen ut in filium deberent credere accipiendæ justificationis autorem. Nam illud Apostoli: *Quam promisit Deus ante tempora secularia*, sic exponit Pelagius: *Ante omnia tempora apud se proposuit per filium salvare credentes*. Et in illud ad Timotheum: *Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum: quo*, inquit Pelagius, *proposuit nos gratis salvare per Christum*. Et expressius ad Romanos *propositum* secundum quod *vocati sunt sancti*, ait esse, *secundum quod proposuit sola fide salvare quos præscierat esse credituros*. Hanc autem salvationem intelligit fieri per justificationem quam baptismus & remissio peccatorum tribuit. Nam sententiam suam de vocatione & justificatione in summam conferens: *Quos*, inquit, *præscivit credituros hos vocavit; vocatio autem volentes colligit non invitos, ergo vocantur per prædicationem ut credant, credentes justificentur per baptismum; glorificentur in virtutibus gratiarum.* Quod autem fides illa ex sola hominis libertate exspectari debeat, interpositis verbis significat: *Vocatio autem volentes colligit non invitos.* Phrasis enim illa Pelagianorum est, qua fidem ita volunt ex hominis solius voluntate suspendere, ut per Dei gratiam nullo modo fiat ex invito volens, ut supra suis locis declaratum est.

In Epist. ad Titum c. 1. n. 5. In c. 1. 2. ad Timoth. n. 10. In c. 8. ad Rom. n. 55. Ibid. n. 52.

Hoc autem propositum salvandi per fidem nolunt antiquis fuisse temporibus, sed tunc solummodo mundo esse revelatum, cum jam lex propter peccandi consuetudinem non amplius servaretur. *Tunc*, inquit Pelagius, *manifestavit consilium suum salvandi credentes per filium, quando præscierat falsum esse omnem scilicet mundum à justitia diversum.* Nam antea non erat opus illo justificandi proposito, cum homines perfecta legis observatione salvarentur.

In c. 1. ad Tit. n. 5. & 6.

De duplici electione gratiæ & meritorum: & quomodo illæ duæ simul consistant.

CAPVT NONVM.

Ex hoc ergò fonte fluit etjam duplex illa inter Pelagianos electio, una meritorum, alia gratiæ sive fidei. Electio meritorum est, qua quis ad salutem eligitur ex meritis operum quibus lex & mandata custodiuntur. Electio gratiæ, qua quis gratis per fidem eligitur ad salutem, ut supra explicatum est. Pelagius: *Electio gratiæ fides est, sicut opera electio legis.* Et eandem oppositionem duarum electionum ad salutem sive justitiam indicans: *Ideò*, inquit, *Israël non est consecutus justitiam, quia eam non ex fide quærebat*, (credendo scilicet ut justificaretur peccatorum remissione per Christum) *sed ex solis operibus legis se justificari putabat, cum maxime legis mandata contemneret.* Hoc est ut Iulianus magistrum explicans alicubi dicit, *Contemnebant dona Christi velut sibi non necessaria, quod veniam daret*

In c. 11. ad Rom. n. 11. n. 14. Lib. 6. cont. Iul. c. 23.

diceret illo peccatis, quæ ipsi legis admonitione vitassent, A putantes scilicet, se Christi remissione non indigere, quia totius legis præcepta compleverant. Nam hàc superbá persuasione delusi, In c. 11. Rom. n. 14. *tum Christus venit*, inquit Pelagius, *salvare eos à peccatis suis non credideruut, & ideò Israël non est consecutus justitiam.* Quem sensum luculentissimè tradit Pelagius in caput decimum ad Vide n. 3. Romanos. Sic ergò patet electionem meritorum propriam fuisse superioris temporis, sub Lege Moysis; electionem gratiæ posterioris, quo gentes ad salutem gratis accipiendam invitati sunt. Nequaquam tamen hanc electionem gratiæ ita gratis fieri apud Pelagianos putes, ut nihil omninò meriti antecedat. Nam hujusmodi gratuitæ electioni, quæ Catholicæ Ecclesiæ propria est, ita capitaliter inimici sunt, ut nec electionem quidem esse aut cogitari posse credant nisi eligendi aliqua diversitate ex se data discernantur. In c. 11. Rom. n. 11. *Cæterum quæ electio*, inquit Pelagius, *ubi nulla diversitas memoratur?* Et exponens propositum voluntatis In c. 1. Ephes. n. 25. Dei qua operatur omnia: *Omnium*, inquit, *bonorum causa voluntas Dei: quam rationabilem esse non dubium est.* Nempe quia non cœco scilicet modo discernit & eligit homines, sed rationem invenit, meritum scilicet saltem fidei cur unus alteri præferatur. Et in illud: *In* In c. 11. Rom. n. 37. *fide fiat*, idem dicit: *Non enim Deus personam tuam acciperet & illos sine causa projiceret.* Siquidem unum alteri eligendo anteferre nisi in ipsis qui eliguntur discretionis illius subsit ratio, personarum acceptionem esse non dubitant. Quod usque adeò inter Pelagianos constitutum est, ut Iulianus nihil aliud justitiam esse Lib. 1. oper. imperf. c. 29 definiat, nisi *virtutem quæ fungitur diligenter officio, ad restituendum sua unicuique sine fraude sine gratia.* Quà justitiæ lance declarant alibi Deum Vide 184. gentibus ac Iudæis justum fuisse: *Reddens*, C inquit, *cuique suum sine fraude, sine gratia, hoc est sine cujusquam acceptione personæ quod exprimit nomen gratiæ in definitione justitiæ.* Ecce expressam sine ambagibus, gratiam nihil omninò supponentem in hominibus diversitatis, & acceptionem personarum unum idemque esse Pelagianis. Ex quo fit ut ibidem magnis disputandi viribus asserat nihil à Deo erga Iudæos & gentes esse actum gratis, sed *utriusque populi voluntates* sive bonas sive malas fuisse trutinatas. Generalis quippe illorum ut supra diximus ac definita sententia est: Lib. 2. ad Bonif. c. 6. *Deum adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctantis studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum.*

Quod igitur tam pertinaciter asserunt meritum omnis electionis, & tamen electionem quandam gratiæ seu gratuitam prædicant, ita concilianda sunt: Quod gratis velint hominem eligi ad justitiam seu peccatorum remissionem, quia peccatori nulla legis, quam præ- A varicatus est, vel laboriosæ pœnitentiæ opera proferenti per baptismum datur, si tamen voluerit Christo Salvatori sua voluntate credere. Hæc enim opera, non fidem, propriè merita Pelagiani esse docuerunt. quæ distinctio ex Apostolo perperam intellecto sumpta est ubi dicit; *ei qui non operatur, credenti autem in eum* Rom. 4. *qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.* Et ubi electionem gratiæ explicat: *Si gratia jam non ex* Ibid. c. 11. *operibus. Non dicit*, inquit Augustinus, Pela- Lib. de prædest. SS. c. 7. gianam formando objectionem, *quod non sit ex fide.* Hæc enim loca sic intelligenda credunt, ut electio ad justificationem gratis fieri censeatur, quia sine apparatu operum legis veluti meritorum fiat, quantumcunque ex fide fiat: *Iustificati gratis*, ait Pelagius, quia, *sine ullâ* In c. 4. Rom. num. 39. *operum actione per baptismum, quod omnibus gratis peccata donavit.* Et alibi: *Ignorantes quod Deus* In c. 10. ad Rom. n. 3. B *ex sola fide justificat & justos se ex legis operibus quam non custodierunt esse putantes, voluerunt se remissionem si hoc petere ne peccatores fuisse viderentur.* De quo gratuitæ justificationis intellectu alibi latius Supra lib. 3. c. 7. dissertum est.

Quamvis igitur isto sensu gentes gratis ad justificationem electas velint, cum tamen illa ratio gratiæ, & gratuitæ justificationis ad amussim expenditur, inveniuntur alio merito tenuiore totam gratiæ electionem evertere. Nullam enim prorsus electionem ad justitiam fieri volunt, nisi, si non opera legis, saltem ipsa præcedat hominis fides: fides inquam non quam Deus occulta sua gratia operetur, sed quæ Pelagiano sensu ex sola hominis libertate prædicationem admittentis oriatur. Nam electos Dei explicans Pelagius: *quos Deus ele-* In c. 8. Rom. num. 56. *git credentes*, inquit. Et *fidem electorum Dei vo-* Cap. 1. ad Tit. n. 3. *cat, quos credentes electi sunt,*

Quam quidem electionem sicut in tempore propter fidem fieri volunt, ita in æternitate propter fidei præscientiam. *Iacob & Esau* Do- In c. 9. Rom. n. 14. ctore Pelagio *fidei sunt apud Deum merito separati, ut propositum Dei de eligendis bonis & refutandis malis etiam in præsenti maneret. Ita ergò & nunc*, inquit, *quos præscivit de gentibus credituros elegit, & ex Israël rejecit incredulos.* Item: *Præscien-* Num. 17. *tia Dei non præjudicat peccatores si converti voluerint*, nempe sua humana voluntate; quia *Deus*, ut Num. 20. 9. ibidem, *non facit alios bonos, alios malos*, hoc enim humani operis esse putat. Et alio in loco, *Elegit nos*, inquit, *Deus videns paratos ad* In c. 2. 2. ad Thess. n. 21. *credendum sicut & alibi recumbenti viro Macedoni revelatum est.* Et rursum: *Illam plebem non repulit, quam præscivit esse credituram.* Nullam In c. 11. Rom. n. 4. enim misericordiam homini à Deo decerni superbissimi isti volunt, nisi ex meriti alicujus præscientia. Nam illam Dei sententiam: *Miserebor cujus misereor*; recto sensu sic intelligi In c. 9. n. 21. docet; *Illius miserebor quem præscivi posse misericordiam promereri, ut jam tunc illius sim misertus.*

Quid

Digitized by Google

Quid prædestinatio Pelagianis. Omnis ex prævisione fidei vel meritorum, etiam respectu parvulorum. De vasis iræ & misericordiæ pauca.

CAPVT DECIMVM.

A HINC igitur fit ut istis principijs insistendo Pelagiani nullam omnino prædestinationem sciant, nisi quæ vel ex operibus, vel saltem ex fide fiat. Ex operibus quidem: *Quos prævidit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria*, inquit Pelagius. Et apud August. Pelagiani dilucidis verbis asserunt: *Præsciebat ergo* (Deus) *qui futuri essent Sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit elegit. Elegit ergo antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præscivit: Vtique ipse non fecit nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit.* Ex fide vero quam præscivit Deus: *Hos prædestinavit*, ait Pelagius, *ut haberent potestatem filij Dei fieri homines, qui credere voluissent.*

In c. 8. Rom. n. 50

Lib. de prædest. SS. c. 18

In c. 1. Eph. n. 13.

Imò verò prævisionem vel operum legis vel fidei tanti faciunt, ut prædestinationem nihil aliud decernant esse nisi præscientiam. Nam ad illa verba, *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes &c.* dogmatice Pelagius tradit: *Prædestinare idem est quod præscire.* Et prædestinationis rationem explicans, qua Paulus ad Ephesios secundum propositum nos prædestinatos dicit: *Prædestinati*, inquit, *per fidem sive præcogniti.* B

In c. 8. Rom. n. 50.

In c. 1. Eph. n. 23.

Ex quibus perspicuum est ita Pelagianos intelligere prædestinationem sicut reprobatio intelligi solet. Vtramque enim pari modo, boni vel mali alicujus ab humana libertate prosilientis præscientiam esse volunt, vel certe, si quid divinæ voluntatis aut propositi simul adjunctum fuerit, hoc totum ipsâ præscientiâ esse posterius, & sive operum sive fidei aut infidelitatis, sive bonę malęve voluntatis prævisione niti. Ex quo fit ut ubicunque Scriptura prædestinatos etjam præscitos vocat, non C aliter hoc intelligant, nisi quia Deus eos *præscivit, vel sanctos futuros per liberæ voluntatis arbitrium*, vel saltem, *esse credituros*: ut consequenter prædestinatus non minus quàm reprobus præscitus vocari possit ac debeat. Propositum enim divinæ voluntatis si quod interveniat, sive in hac vita justificandi per baptismi indulgentiam, sive in alia glorificandi, non magis afficit aut mutat hominis voluntaté, quam reprobandi atque damnandi. Nam sicut ista divinæ voluntatis effecta justificatio, glorificatio, damnatio humanorum operum aut voluntatum exercitium in tempore præsupponunt, ita justificandi, glorificandi damnandique propositum, humanorum motuum præscientiam consequuntur.

Lib. de prædest. SS. c. 18

In c. 8. Rom. n. 49. & 50. & in c. 11. n. 4.

Vsque adeo vero istius divinæ prævisionis A architecti, hac meritorum prærogatione & præscientiâ delectantur, ut neque in parvulis eam vacare putent. Vnde Augustinus, cum eos illo Apostoli loco, quo non ex operibus, sed ex vocante Iacob dilectus dicitur, Esau odio habitus confutasset: *Mirum*, inquit Augustinus, *cum his coarctantur angustijs in quanta se abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis.* Et quodnam illud præcipitium? *Ideo*, inquiunt, *nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera prævidebat.* Quæ impia & Apostolico scopo adversa responsio omnium Pelagianorum cõmunis fuit. Nam & Pelagius per Esau & Iacob eos prophetari docet, *qui futuri erant ex operibus boni & mali: Et ex ipsis operibus aut odium Dei habere aut misericordiã ejus consequi.* Et Iulianus ostendi putat: *Non in seminibus, sed in moribus esse distantiam: siquidem Iacob & Esau una seminis exceptione concepti & uno vi parientis effusi diversos nimium exitus pro meritorum diversitate pervenerunt.* B Vterque vero sub operibus etjam fidem se declarat comprehendere.

Epist. 105. ad Sixtum.

Ibid.

In c. 8. Rom. n. 18.

Lib. 1. oper. imp. f. 184. apud Aug.

Vide comm. Pelag. in c. 8 n. 14. 16 & 17.

Cùm verò explicare cogerentur quo pacto illa merita invenirentur in parvulis, ex quorum præscientia amor Dei aut odium nasceretur, in diversa deliramenta præcipitati sunt. Quidam enim ex illa Iacob & Esau in visceribus lucta, & inter nascendum supplantatione persuasi sunt, hæc esse opera libertatis. *Quomodo*, inquiunt, *in infantibus hæc agentibus nullum est ad bonum vel ad malum propria voluntatis arbitrium, unde præmia sive supplicia meritis præcedentibus subsequantur?* Alij voluerunt *aliquid eos proprij peccati*, & consequenter etiam boni operis in hac vita commisisse, quod Deus prævidendo oderit vel dilexerit. Alij cum utrumque absurdum esse cernerent propter opera futura, quæ majores vel facturi sunt vel facturi essent, si viverent, Deum præsciendo dilexisse parvulos aut odisse commenti sunt. C Nam *Deus*, inquiunt, *in eis quos hinc aufert, prævidet, quemadmodum victurus esset quisque si viveret: & ideo quem nequiter novit fuisse victurum, sine baptismo facit & mori, sic in eo puniens opera mala non quæ fecit, sed quæ facturus fuit.* Itaque vides etjam Pelagianos merita tandem conditionata confinxisse, in quæ parvulorum quoquo modo refertur perditio aut salus, ne vel hic discretionem unius ab alio, in divinam gratiam, & ulterius in gratuitam electionem & prædestinationem Dei referre cogerentur.

Epist. 106. ad Paulin.

Vide c. 17. & 36. lib. 1. de pec. merit. & remiss.

Epist. 105. ad Sixtum vers. finem

Ex qua prædestinationis & electionis intelligentia, & gratiæ merita liberi arbitrij subsequentis prædicatione perspicuum est quam rectè Divus Prosper illum totius Pelagiani erroris conatum & scopum designaverit, videlicet ut sit

Google

Lib. de ingrat. c. 6.

Salus dignis salvari ex FONTE VOLENDI.

Nam fundamentalis, radicalis atque ultima A discretio cardine tandem humanæ voluntatis nititur, quæ vel operando totam justitiam, ipsa sibi parit vel saltem volendo, credendo, pulsando gratiæ provocat adjutorium, quo adjuta possit ulterius, quod per se ipsa non potest. Atque ita *volentis* hominis conatus eligitur, non *miserentis* Dei prædestinatio commendatur. Nam isti prædestinantis Dei misericordiæ tam acerbi sunt inimici, ut illam apertissimam Pauli sententiam: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom. 9.*) Itemque, *ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Quibus nihil luculentius pro Dei discernentis misericordia & judicio dici potest in suam hæresin detorquentes asserant, ut Augustinus refert, *Non ex persona Pauli hoc dictum, sed eum voce interrogantis & redarguentis usum fuisse, cum hæc diceret, tamquam hæc dici utique non deberet:* B *vel certe Paulum assumere personam alicuius de contrario venientis ac dicentis non esse in nobis aut recte aut malum agere, sed in Dei arbitrio constitutum:* quem adversarium ex hoc loco convincat Apostolus falsum dicere, quia scilicet dum contradicendo queritur de voluntate Dei ostendit se esse liberi arbitrij qui audet de Dei judicio retractare. Vtraque Apostolici sensus adulteratio etjamnum extat in Pelagij commentarijs.

Lib. de gest. Pelag. c. 16. & Pelag. in comment. c. 9 Rom. n. 23. Pelag in comment. c 9 Rom. n. 23. & 25. & apud Aug. lib de prædest SS. c. 8. & Iul. lib. 1. oper imperf. f. 187.

Hinc est igitur quod vasa iræ atque misericordiæ de quibus consequenter Apostolus disputat nullo modo per figulum discerni & una præ alijs in gloriam præparari velint, sed hoc totum esse humanæ libertatis opus. *Hæc vasa,* inquit Iulianus, *studijs proprijs aut ad iram aut ad gloriam præparantur, Deus autem notam facit potentiam suam in utroque, vel severitatem in impijs exerendo, vel benedictionem fidelibus largiendo.* (*Lib. 1. oper. imp. f. 193. & 194.*) Et alibi: *Cum alij in honorem, alij in contumeliam fieri dicuntur, iuvatur sensus Catholicorum* (hoc est Pelagianorum, quos Catholicos Iulianus vocat) *quo secundum diversitatem voluntatis humanæ diversus etiam vasorum exitus prædicatur.* (*Ibid. 178.*) Quod ideo dicit, quia ex officina Pelagiana profert nobis Iulianus alium Deum, qui, ut loquitur contra Apostolum, *Neminem format in contumeliam* (*f. 181.*) Sed omnes qui vel in honore formantur aut contumelia, hoc habent *de proprio stipendio voluntatis:* (*f. 192.*) quemadmodum enim ira, ita & gloria datur his vasis *quæ ad hoc fuerint præparata.* A quo autem vasa hujusmodi præparentur ex Apostolo patefieri putat, qui non opus formantis Dei, sed *officium liberæ voluntatis* expressit. *Si quis,* inquit, *emundaverit se ab istis erit vas in honorem &c.* (*Ibid. f. 192. & 193.*) Nimirum ita arbitrantur Pelagiani emundationem istam vasorum & præparationem in gloriam ab ipsis vasis propriâ libertate fieri, ut nihil ibi agat divinum vel auxilium, vel judicium, nisi præcurrenti cujusque voluntati suam rependendo mercedem.

Statum puræ naturæ in Ecclesiam introduxerunt Pelagiani.

CAPVT XI.

EX illis quæ nos hactenus præcedentibus libris maxime secundo ac tertio A deduximus, perspicue colligi potest quem statum humanę naturę Pelagiani, sive in parvulis, sive in majoribus constituerint. Nam sive ipsam substantiæ conditionem spectes, sive facultatum naturalium integritatem ac vires, sive providentiam & concursum Dei, sive alia superaddita bona aut mala, statum illum quem *pura natura* vulgo vocant, eos accuratissime condidisse reperies. Duo quippe sunt quæ isto nomine significantur *natura humana* & *puritas eius.* Quatenus naturam dicit, ea comprehendit omnia quæ ad perfectionem hominis essentialem, ac naturales facultates ei debitas pertinent, corpus, animam, sensus externos, atque internos, omnia denique ad naturales operationes hominis necessaria. Puritas vero, ut communiter explicari solet, nihil est aliud nisi negatio sive boni sive B mali, quod naturæ superaddi præter debitum cogitari potest.

Pelagianos itaque nihil eorum subtraxisse homini quæ ad naturam ejus pertinere statuuntur, extra controversiam est. Potentias etjam omnes ei dederunt integras una cum illa naturali arbitrij indifferentiæ qua posset naturæ legem sibi insculptam vel observare vel transgredi, hoc est vel juxta præscriptum rationis sibi prælucentis moraliter bene vivere, Deumque naturæ suæ autorem venerari ac sequi, vel ab ejus norma recedendo in peccatorum culpas & pœnas labi. Concursum illum generalem Dei aliamve providentiam, quæ creaturæ rationali debita sit, ut juxta naturæ suæ conditionem possit operari. Quæ suis locis maxime libro secundo demonstrata sunt.

Iam vero nihil eos nascenti homini adjecisse vel mali vel boni, quod non status ejus naturalis postulet, etjam ex ijs quæ diximus manifestum est. Innocentes enim nasci parvulos, hoc est ab omni culpa pœnaque liberos, dogma certissimum inter Pelagianos fuit. Quidquid enim malorum in hac vita bonis malisque commune cernimus, quod vel animus ignorando, & concupiscendo, vel corpus patiendo toleret, naturalem hominis institutionem non peccati supplicium esse statuerunt. Nec ullam virtutem aut gratiam habitualem naturæ in ortu suo superadditam agnovere. Hinc illa totius hæresis Pelagianæ basis: *Omne bonum ac malum quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus,* (*Lib. de pecc. orig. c. 13.*)

non

Digitized by Google

non nobiscum oritur, sed agitur à nobis. Capaces enim utriusque rei non pleni nascimur, & ut sine virtute, ita & sine vitio procreamur. Atque ante actionem propria voluntatis id solum in homine est quod Deus condidit. Quibus verbis nihil aliud nisi naturæ puræ status quantum ad bonum ac malum morale exprimitur: sicut & in illis quibus Iulianus asserit: *Nec iustos nasci parvulos nec iniustos, quod futuri sunt actibus suis, sed tantummodo infantiam innocentiæ dote locupletem.* Et illis: *Homo igitur innocentia quidem plenus, sed virtutis capax nascitur: aut laudem aut reprehensionem ex proposito accedente meriturus.* Nam mortem cæteraq; corporis atque animi mala, nullius peccati merito etiam parvulos perpeti, tanquam quæ naturam hominis naturaliter consequantur nulla inter Pelagianos dubitatio.

Vide lib. 2. supra latissime de singulis.

Sed puram naturam induxisse Pelagianos ex alio capite manifestissimum est. Communis enim Doctorum Scholasticorum sententia est, statum hominis qualis nunc nascitur non aliter à puræ naturæ differre statu, quàm spoliatus à nudo discrepat; nimirum vestibus hic, quas nunquam habuit caret, ille quas habuit sed amisit. Nam si tantummodo peccatum detrahas quo integritas primæ & supernaturalis institutionis amissa est, non alterius conditionis hominem in pura natura nasciturum docent, quàm nunc reipsa nasci videmus. Neque enim, culpa excepta, naturam nunc esse deteriorem, sive morbos, ingruentesque corpori calamitates, sive mortem ipsam spectes, sive ignorantiam, sive concupiscentiam, carnisque rebellionem adversus spiritum, quàm fuisset homo, si in puræ naturæ statu in suæ creationis exordio fuisset institutus, integris quippe manentibus naturalibus solo supernaturali dono fuisse hominẽ peccando spoliatũ, cujus beneficio illi defectus à natura prohibebantur: quæ alioquin erant cõfestim ex ipsis naturæ sensitivæ & rationalis principijs velut sublato obice profluxura. Iam verò Pelagiani solemniter docẽt, hominẽ eodẽ prorsus modo quo nunc nascitur cum ignorantia, concupiscentia, mortalitate cæterisque defectibus fuisse primitus sine peccato prævio institutum. Hinc enim illi articuli, *in quibus tota hæresis ista consistit*, ut inquit Augustinus; *Adam mortalem factum, qui sive peccaret sive non peccaret moriturus esset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum.* Et in primis ille: *Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Si enim & mors & totus ille status quem in infantibus nunc videmus, ante omnem prævaricationem haud secus Adamo quã nobis, nullo peccato ejus læsis concreatus est, profecto in ipsissimo puræ naturæ statu & nos omnes condimur & ille jam olim conditus fuit. Nimis quippe manifestum est nullum supernaturalis gratiẹ donum quo natura quasi ornata elevataque nasceretur, Pelagianos in Adamo vel infantibus agnovisse. Hoc enim (Authoribus illis) non naturæ nascentis institutio, sed per baptismum renascentis renovatio, consecratio, provectio atq; adoptio, ut illi loquebantur, tribuebat. *Christus enim*, inquiunt, *auget circa imaginem suam continua largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos facit innovando adoptandoque meliores.* Vt latius in præcedentibus declaratum est.

Lib. de gestis Pelag. c. ult.

Ibid. & c. 11

Ita Iul lib. 3. apud Aug. cont. Iul. c. 3.

Supra c. 5. à c. 22. usque ad 27.

Præcursores Pelagij & Celestij, Ruffinus Præsbyter, Evagrius Monachus, Palladius, Iovinianus, Priscillianus, Manichæi, Euchitæ.

CAPVT XII.

SED explicatis hæresis Pelagianæ dogmatibus & omnibus eorum anfractibus, quantum Deus adjuvit diligenter perlustratis, exquirendum superest utrum primi Pelagius ac Celestius doctrinam illam commenti sint, an vero ex alijs antecedentium fontibus hauserint. Nam quamvis eos Augustinus sæpius [a] *hæresiarchas* & [b] *istius autores erroris* nuncupet: non semel tamen ea de re videtur fluctuasse: [c] *Cujus hæresis* inquit cum Patribus Milevitanis, *vel autores, vel certe acerrimi notissimique suasores cum Pelagius & Celestius extitissent.* Et in libro de peccato originali iisdem dicit: *Qui huiusmodi perversitatis autores vel perhibentur vel etiam probantur: vel certe si autores non sunt, sed hæc ab alijs didicerunt, assertores tamen atque Doctores per quos id latius reptaret & cresceret.* De peccati originalis inficiatione loquitur, totius perversitatis Pelagianæ fundamento, cui magna illa possibilitas humanæ libertatis ad adipiscendam perfectionem innititur. Et merito quidem an primi fontes illius erroris fuerint Augustinus dubitat. Duobus enim omnino capitibus tota doctrina Pelagiana continetur, & negatione peccati originalis, & assertione potestatis humanæ ad operandam justitiam. Vnde duo errorum cardines: *Peccatum Adæ ipsum solum læsit & non genus humanum.* Et: *Potest homo sine peccato esse si velit.* Illud totius impietatis basis est, istud scopus; atque ita implexa sunt inter se, ut utrumvis dederis, non solum alterum, sed universæ Pelagianæ doctrinæ molem certa quadam concatenatione sequi necesse sit: ut nihil mirum sit ex uno in alterum, atq; in tot cohẹrentia sententiarum portenta Pelagium consequenter esse præcipitatum. De qua dogmatum implexione, & paulo ante, & initio libri secundi plura diximus.

a Lib. 4. ad Bonif. c. 8 & lib. 2 op imperf. f. 117
b Epist. 92. quæ est Conc. Milevit. ad Innocent.
c. Epist. 157. ad Optatum De pecc. orig. c. 22.

In præfat.

Quapropter si sursum lubet pergere, fons utriusque dogmatis, adeoque totius hæresis facile

facile deprehendi potest. Nam ad negandum originale peccatum, atq; ita inducendam illæsam naturę integritatem Ruffinum Aquileensem Presbyterum præceptorem habuit. Constat hoc ex actis Concilij Carthaginensis, cui Celestius de erroribus à Paulino accusatus fidei suæ rationem reddidit. Nam de peccati traductione interrogatus; *Diversa*, inquit, *ab eis audivi, qui utique in Ecclesia Catholica constituti sunt Presbyteri.* Et Paulino dicenti, ut habent Acta: *Dic nobis nomina ipsorum.* Celestius dixit: *S. Presbyter Ruffinus Romæ qui mansit cum S. Pammachio. Ego audivi illum dicentem quia tradux peccati non sit.* Et mox adjungit: *Audivi & plures dicere*, Pelagium forte cum suis intelligens. Habes ergo Ruffinum ante Pelagium & Celestium negati peccati originalis autorem, & eorum in tradenda illa perversitate magistrum. Sed ab eodem eos quoque alteram hæreseos partem de naturali illa justitiæ perfectionis possibilitate suxisse, inde manifestum est, quod Hieron. testetur eum libros Evagrij Pontici, quos de impassibilitate scripserat & impeccãtia in latinum vertisse. Et librum Sixti Philosophi Pythagorei hominis gentilissimi sub nomine Sixti martyris urbis Romanæ Episcopi edidisse. *Hunc*, inquit, *librum solita temeritate & insania annulum nominavit: qui per multas provincias legitur, & maxime ab his qui ἀπάθειαν & impeccantiam prædicant.* Hoc enim idcirco eum fecisse existimandum est, ut illa hæresis etjam latinis auribus in Occidente pruritum faceret, & venenum aureo martyris poculo biberetur. Qua de causa liber iste quasi Sixti martyris ad stabiliendum errorem suum etiam Pelagio carus fuit. Ne vero suspicionem illam dumtaxat de Ruffino putes, testatur idem Hieronymus: *Hæresim impassibilitatis, & impeccantiæ in discipulo Origenis Grunnio fuisse jugulatam.* Grunnij vero nomine non alius nisi Ruffinus apud Hieron. designari solet. Hinc credo fluxit quod Gennadius *obtrectatorem* Ruffini Hieron. vocet, & *æmulationis stimulo incitatum ad obloquium stylum vertisse dicat.* Nimirum Semi-Pelagiani erroris propugnator Gennadius, hæresis illius proavum carpi dolet.

Apud Aug. lib. de pecc. orig. c. 3.

Hier. Epist. ad Ctesiph.

Hier. ibid. & in c. 23. Hierem. lib. 4. comment.

Vide Aug. lib. de nat. & grat. c. 64

Lib. 4. comment. in Hierem. in præfat.

Gennad. in Catal.

Sed nec Ruffinus ἀπαθείας & ἀναμαρτησίας primus autor fuit. Nam ut Hieron. *Evagrius Ponticus Hyperborita edidit librum & sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem vel imperturbationem possumus dicere quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur.* Huic autem impassibilitatis dogmati alterum de impeccantia seu de vivendo sine peccato arctissime copulatum est, quę duo vel sola in initio à Pelagio docebantur, & omnes (ut dictum est) ejus reliquos errores pepererunt. Conjungit Evagrio & Ruffino in Hieremiam scribens etjam *Iovinianum*: Et in Epistola ad Ctesiphontem adijcit *Priscillianum*, *Manichæum* & *Gnosticos*, qui impeccantiam illam tradiderunt. Sed istorum errores videntur à Pelagio aliquantum discrepasse. Porro Evagrius iste de quo diximus Monachus Ægipti fuit Origenis defensor & ejus doctrinæ sectator non postremus. Quem illum esse puto, qui à Gennadio quædam Cœnobitis & Anachoretis scripsisse dicitur, & magnis laudibus ab eo celebratur. Adhæsit ei velut socius & amicus Palladius Galata historiæ Lausiacæ scriptor discipulus Sancti Chrysostomi, de quo Hieronymus: *Palladius servilis nequitiæ eandem hæresim instaurare conatur*: nempe de justitiæ perfectione & impeccantia. His omnibus adjungit *totius* pęnè *Syriæ hæreticos* quos inquit sermone gentili Abin & Paanin, id est perversos & Massilianos Græcè 'Ευχότας vocant. Nam omnium illorum ea fuit Hieronymo teste sententia: *Posse ad perfectionem & non dicam ad similitudinem, sed æqualitatem Dei humanam virtutem & scientiam pervenire, ita ut assererent ne cogitatu quidem & ignorantia, cum ad consummationis culmen ascenderint posse peccare.* Quod stultitię Pelagianæ quasi culmen & scopus fuit.

Epist. ad Ctesiph.

Supra c. 37.

Præfat. in lib. 4 comment.

Prolog. in Dial. advers. Pelag.

In eodem Prolog.

Hæresis Pelagianæ fons Origenes. Proponitur sententia ejus de libero arbitrio & naturali ejus possibilitate.

CAPVT XIII.

SED inter omnes qui præcesserunt Pelagium, neminem peritiorem totius Pelagianæ hæresis architectum inveni quam Origenem; qui sicut propter ubertatem ingenij veteribus Scripturarum sacrarum interpretibus & fidei defensoribus multum profuit, ita propter effrænem ratiocinandi libertatem Ecclesiasticæ doctrinæ sinceritati vehementer nocuit. Nam plerisque hæresibus quę post obitum ejus aliquot seculis Ecclesiam infestarunt scriptis suis maxime περὶ ἀρχῶν Origenes originem dedit. Vt merito errorum diversorum lacuna vocari posset. Sed nullum exactius non modo delineavit, sed & formavit & omnibus pæne expressit lineamentis atque coloribus quam Pelagianum. Nec enim facile uno excepto ullum dogma reperies à Pelagio Iulianoque contra Ecclesiam propugnatum, ullamve Scripturæ interpretationem isti hæresi suffragantem, quam non Origenes eis præformavit: usque adeo ut ijsdem nonnunquam verbis ab eis in præjudicium veritatis usurpentur. Quod quia multis videbitur incredibile, & ad intelligenda illius erroris secreta magni momenti est, operæ pretium est paulo fusius demonstrare. Ne vero singulis Pelagianæ & Origenianæ doctrinæ dogmatibus collidẽdis nimium immoremur, ad quinq; capita omnia revocabimus, *liberum arbitrium, naturalem eius possibilitatem, legem naturæ ac Moysis, gratiam & meritum, & prædestinationem*, in quibus velut cardinibus hæresis Pelagiana tota vertitur.

Gravissi-

Gravissime fuisse reprehensos ab Augustino Pelagianos propter illam inamissibilem & quasi essentialem in omni statu liberi arbitrij indifferentiam ad bonum & malum exclusamque alterius partis necessitatem, ex ijs quæ libro secundo diximus intelligi potest. Hæc est enim totius Pelagianæ structuræ basis pæne præcipua. Sed illam Origenes omnibus numeris absolutam tradit. Usque adeo namque Philosophicæ istius libertatis admirator, & indifferentiæ ad bonum & malum, patronus fuit, ut illa sublata brutis, aut lapidibus hominem accensendum esse decerneret. Quod principium ita mordicus ubiq; tenuit, ut inde circulos illos perpetuos cadendi atque surgendi hoc est reparationis damnatorum, ac damnationis Beatorum in futuro seculo fabricaverit, ne alioquin illa liberi arbitrij indifferentia læderetur. Deliramentum istud abjecit quidem Pelagius, sed principium tenere perstitit unde necessario sequebatur. Audi ergò Origenem de ista libertate disserentem: *Ex quo, ut opinor, hoc consequentia ipsa videtur ostendere unamquamque rationabilem naturam posse ab uno in alterum ordinem transire* (hoc est ab ordine dæmonum in ordinem Angelorum Beatorum & contra) *& per singulos in omnes, & ab omnibus in singulos pervenire, dum accessum profectuum defectuumve varios pro motibus vel conatibus proprijs unusquisque pro liberi arbitrij facultate perpetitur.* Itemque supra: *Et per hoc consequens est in nobis esse atque in nostris motibus ut vel Beati vel Sancti simus vel per desidiam & negligentiam a beatitudine in malitiam & perditionem vergamus: in tantum ut nimia perfecta (ut ita dixerim) malitia si peccatum suum neglexerit usque ad eum statum deveniat ut ea quæ dicitur contraria virtus* (id est unus de dæmonibus) *efficiatur.* Et alibi: *Possibile enim videtur ut rationabiles naturæ & quibus nunquā aufertur liberi facultas arbitrij possint iterum aliquibus motibus subjacere, indulgente hoc ipsum Domino, ne forte si immobilem semper teneant statum, ignorent se Dei & non sua virtute in illo fine beatitudinis constitisse.* Quæ phantasia ejus ex natura libertatis hausta latius exponitur in ejus Commentarijs in Epistolam ad Romanos. Nam refutatio quæ subjicitur, non tam est Origenis quam translatoris Hieronymi. Ecce quò ingenium istud abreptum est, dum illud, filum indifferentiæ ad bonum & malum tanquam ab arbitrij libertate inseparabilis, incautè sequitur. Nec alia ex causa tam mordicus illam indifferentiam libertatis amplexus est, nisi quia cum Marcione & Manichæo duas putabat naturas introduci bonam ac malam, si qua natura sic à Deo firmaretur in bono vel obduraretur in malo, ut jam amplius vel rectè facere vel peccare non posset. Quæ est ipsissima Iuliani cæterorumque Pelagianorum varijs locis repetita querimonia. Nec alijs profectò Origenes atque Pelagiani ad illam indifferentiam astruendam utuntur Scripturarum testimonijs: *Si volueritis & audieritis me* &c. *Posui ante faciem tuam* &c. *Elige quod bonum* & similibus.

Lib. 3. Peri Arch. c. 6.

Ibid. c. 5.

Lib. 2. c. 3.

In fine lib. 5 in Epist. ad Rom.

Vide lib. 1. Peri-Arch & lib. 2. c. 1

Isaia 1.

Deuter. 30

Iam verò quibus viribus in utramvis partem indifferens ista libertas polleat nemo Pelagianos nisi Origenes docuit. Nam in primis tantam etjam nunc in hac damnata mortalium vita indifferentiam statuit, ut quemadmodum Iulianus dicere solitus erat; *Sufficere hominem ingenitis sibi motibus dare leges*, nec ulla vi esse posse *captivum*; Ita & hic quibuscunque animi perturbationibus sese commoventibus solo nutu voluntatis hominem dominari velit aut cadere. *Hoc est ergò*, inquit, *quod in hoc loco Apostolus docet: quia unusquisque in manu sua habet, & in arbitrij potestate ut aut peccati servus sit aut justitiæ.* Cujusmodi sæpius in eodem libro repetit. Et alibi rursum explicatius: *Cum rationis*, inquit, *judicio incidentibus extrinsecus concitamentis abutimur ad id quodcunque ipsa ratio probaverit, naturalibus motibus eius* (nempe desideriorum illecebris ac libidinibus) *vel ad bona vel ad mala gubernatis.* Et paulò post: *Consequentia ergò rationis ostendit, quod ea quidem quæ extrinsecus incidunt, in nostra potestate non sunt: bene verò vel male his uti quæ incidunt ea ratione quæ intrà nos est discernente ac dijudicante quomodo his uti oporteat, nostra est potestatis.*

Lib. 5. cont. Iul. c. ult.

Lib. 1. oper. imperf. 130 & seqq.

Orig. lib. 6. Comment. in Epist. ad Rō.

Lib 3. Peri-Arch. c. 1.

Et hæc quidem rectè atque Catholicè adversus Manichæos, Marcionem & similes pestes sideribus atque fatis vel diversis naturis opera humanæ voluntatis ascribentes, dicerentur, si divinæ gratiæ auxilium ut decet, libertatis operibus interponeret. Sed ita vires humanas prædicat ut quod Pelagianis sæpius Augustinus exprobrat, solo gratiæ vocabulo frangat invidiam; naturalem verò arbitrij *possibilitatem legem naturæ ac Moysis* velut gratiam afferre videatur. Nam de illo loco disputans: *Gratia Domini nostri* IESU *Christi vobiscum*, gratiam naturæ velut Christi gratiam obtrudit. *Sciendum sane est*, inquit, *quod omne quod habent homines à Deo gratia est. Nihil enim ex debito habent. Quis enim prior dedit illi & retribuetur ei? Gratia est ergò quidquid habet is, qui non fuit, & est accipiens ab eo qui semper fuit.* Et rursum alibi: *Vix mihi suadeo quod possit ullum opus esse, quod ex debito remunerationem Dei deposcat, cum etiam hoc ipsum quod agere aliquod possumus vel cogitare vel proloqui ipsius dono & largitione facimus, quod ergò erit debitum illius, cuius gratia nos præcepit?* Quæ fere sunt ipsissima verba Pelagij ab Augustino refutata. Sed longe evidentius & ex professo alibi solam possibilitatis gratiam ab Augustino reprobatam prorsus Pelagius prædicat: *A Deo datur*, inquit Origenes, *non ut sustineamus, alioquin nullum nunc videretur esse certamen: Sed ut sustinere possimus. Ea autem virtute quæ nobis data est ut vincere possimus, secundum liberi arbitrij facultatem aut industriæ utimur & vincimus, aut segniter & superamur. Si enim totum nobis hoc detur ut omni genere superemus & nullo modo vincamur, quæ jam superest causa certandi ei qui vinci non potest? Aut quod palmæ meritum ubi repugnandi adimitur vincendique facultas? Si verò æque quidem omnibus nobis vincendi possibilitas præbeatur, in nostra autem positum sit potestate, quomodo hac possibilitate uti debeamus, id est, vel industriè vel segniter, justa erit vel vici-*

In fine lib. 10. in Ep. ad Rom.

Lib. 4. Comment. in Ep. ad. Rom. ad illud. Et ... operatur merces &c.

Lib. de grat. Christi c. 4.

Lib. 3. Peri Arch. c. 6.

culpa, vel palma victoriæ. Quæ voces magis Pelagianæ & gratiæ Christi capitalius inimicæ dici queant? Est enim ipsissima Pelagianorum in primisque Massiliensium inculcata querimonia. De cujus sensu apud Origenem ne quis dubitet, accipe alia nullâ tergiversatione pallianda. Nam cum sibi objectionem Catholicorum quasi hæreticorum contra liberum arbitrium objecisset, quod à Deo sit velle & perficere, sic respondet: *Generaliter*, ait (Apostolus), *quia velle & perficere à Deo est. Sicut enim à Deo habemus hoc ipsum quod homines sumus, quod spiramus, quod movemur, ita & quod volumus à Deo habemus* &c. Nempe ratione datæ divinitus voluntatis. Sic enim subjicit: *Ita ergò est, quod dicit Apostolus, quia virtutem quidem voluntatis* accepimus, *nos autem abutimur voluntate vel in bonis vel in malis desiderijs.* Et in fine capitis juxta istam distinctionem auxilium Dei libertatemque concilians: *Neque*, inquit, *quæ in nostro arbitrio sunt, putemus sine adjutorio Dei effici posse: neque ea quæ in manu Dei sunt putemus absque nostris actibus & studijs & proposito consummari: scilicet, quo neque nos velle aliquid vel efficere ex nostro jam habeamus arbitrio, ut non scire debeamus hoc ipsum quod possumus velle vel efficere, à Deo nobis datum esse, secundum eam distinctionem quam supra diximus.* Non posset ipse Pelagius accuratius suam naturalis possibilitatis gratiam inculcare quam hic Origenes facit: à quo doctrinam istam ac pene verba à Pelagianis esse mutuata, perspicuum est.

Lib. 3. Peri Archon c. 1.

Sententia Origenis de lege naturæ & Moysis Pelagiana.

CAPUT XIV.

Quod si verò nos ad sententiam ejus de lege naturæ ac Moysis intelligendam vertimus, sparsim reperiemus Pelagianis laudibus celebrari. Nam legis naturæ sufficientiam ad recte vivendum passim inculcat & prædicat. *Potest fieri*, ait Origenes, *ut vel ex his qui in lege sunt, si qui persuasione quidem communium Christo non credit, operetur tamen quod bonum est, justitiam teneat, misericordiam diligat, castitatem & continentiam servet, modestiam lenitatemque custodiat, atque omne bonum operetur. Hic etiamsi vitam non habet æternam* (hoc est regnum cœlorum) *quia credens soli vero Deo, non credidit & filio ejus* IESV *Christo, quem misit; tamen gloria operum ejus & pax & honor poterit non perire.* Et infra cum omnia præcepta bonorum morum & cognitionem unius Dei Creatoris omnium per legem naturæ cordibus gentium inscripta docuisset: *Hoc est ergò*, subjicit, *opus legis quod etiam gentes Apostolus dicit implere naturaliter posse. Cum enim agunt quæ legis sunt, scripta videtur lex in cordibus eorum, à Deo, non atramento sed Spiritu Dei vivi.* Ecce gratiam Spiritus Dei vivi per naturalis legis inscriptionem in cordibus etjam non credentium. De quo delirio alibi plura diximus. Disertius explicat illam naturæ possibilitatem ad omne bonum alio in loco: *Invenitur quidem Deus dedisse homini omnes affectus, omnesque motus quibus ad virtutem niti possit & progredi: insuper etiam vim rationis inseruisse, quo agnosceret quid deberet agere, quid cavere. Hæc ergò invenitur Deus communiter omnibus hominibus præstitisse. Sed si his acceptis homo neglexerit iter virtutis incedere, cui ex Deo nihil defuit, invenitur ipse defuisse ijs quæ à Deo data sunt sibi.* Quæ sanè omnia, aliaque plura quæ facile afferri poterant, ad amussim consonant doctrinæ Juliani, quam Augustinus velut Euangelicæ repugnantem & evacuantem scandalum crucis, expugnat.

Lib. 2. in Epist. ad Rom. ad illa: Gloria & honor & pax &c.

Ib. inferius

Supra lib. 2. c. 5. in fine

Lib. 3. in Epist. ad Rom. f. 322

Lib. 4. cont. Jul. c. 3.

Sed videamus nunc utrum saniora de lege Moysis in tabulis conscripta sentiat. *Initium*, inquit quodam in loco, *justificari à Deo fides est quæ credit in justificationem* (data remissione peccatorum). *Et hæc fides cum justificata fuerit, tanquam radix imbre suscepto, hæret in animæ solo, ut cum per legem Dei excoli cœperit, surgant in ea rami, qui fructus operum ferant.* Ecce dogma Pelagij de operanda per legem justitia, dummodo remissio peccatorum per fidem data præcesserit. Item: *Mors*, scilicet peccati, *regnabat usque ad Moysen justum quem diximus ducem, qui missus à Deo omnium rege, regnum ejus cœpit infringere & sub legem justi Principis revocare.* Et infra: *Per legem enim purificatio peccatorum cœpit aperiri, & ex parte aliqua tyrannidi ejus obsisti per hostias, per expiationes varias, per Sacramenta, per præcepta. Sed quoniam tanta ejus erat dominatio quæ vires legis excederet, mittuntur in auxilium ejus Prophetæ* &c. Et tandem: *Affuit* IESVS *Christus Filius Dei* &c. Et ad illud: *Lex subintravit ut abundaret delictum*, dicit eos, *qui hæc de Moysis lege dicta suscipiunt, ne leviter quidem Apostolicum sensum potuisse contingere.* Nonne hæc ipsissima sunt quæ Pelagius, Iulianusque pro lege adversus gratiam dimicando profudère? [a] Quod *peccatum censura legis infregerit & ex multa parte restrinxerit.* [b] Quod *regnum peccati lata lege ceciderit*, [c] Quod cum lex naturæ & Moysis & Prophetæ non sufficerent, *tandem Christus advenerit*: lege Moysis non abundasse, sed [d] *cecidisse peccata.* Quæ si vera sint, mentiri Apostolum, & Christum gratis mortuum esse vociferatur [e] Augustinus.

Lib. 4. in Epist. ad Rom. paulò post initium.

Lib. 5. in Epist. ad Rom. ad illud: Regnavit mors &c.

Ibid.

a Iul. lib. 2. oper. imperf. fol. 270

b Ibid. lib. 2. oper. imperf. fol. 407.

c Pelag. lib. de pecc. orig. c. 26.

d Lib. 2. oper imperf. fol. 407.

e Loco cit.

Et sanè quo spectat illud, quod cum Origenes divinæ gratiæ auxilium inculcare solet vix aliud ei nisi *provocationes* libertatis ac *suasiones* tribuit, nisi ut vel sciendi commendet gratiam vel certe non nisi legis officium docentis, suadentis, provocantis, ab ea præstari velit? *Nihil aliud*, inquit, *putandum est accidere nobis ex ipsis quæ cordi nostro suggeruntur, bona vel mala*,

Lib. 3. Peri Archon c. 2.

malis, nisi commotionem solam & incitamentum A *provocans nos ad bona vel mala. Possibile autem nobis est, cum maligna virtus nos cœperit ad malum incitare, abjicere a nobis pravas suggestiones & resistere suasionibus pessimis, & nihil prorsus culpabile gerere. Et rursum possibile nobis est, ut cum divina virtus* (id est Angelus) *ad meliora provocaverit, non sequamur, liberi arbitrij potestate in utraque nobis servata.* En par utrimque ad bonum ac malum suasio & provocatio, & æqua ad utraque libertatis indifferentia. Hinc & alibi: *Per gratiam misericordiæ suæ omnibus providet, atque omnes quibuscumque curari possunt, remedijs hortatur, quæ provocat ad salutem.* [Lib. 2. Peri-Arch. c. 9.] Quæ *suasionis, hortationis*, ac *provocationis* vocabula ipsa illa sunt, quæ Pelagiani ad gratiam suam explicandam ex similibus locis Origenis transtulerunt.

De gratia & merito ejus ipsissimus error Pelagij & Massiliensium ab Origene traditus. De justitiæ perfectione & ἀπαθείας.

CAPVT XV.

SED nullus error interimendæ gratiæ A capitalior est, quam quod meritis humanis præcedentibus detur: in quem Pelagianos à gratia depulsos legis atq; naturæ, tandem declinasse demonstravimus. Hunc velut proprium sibi vindicavit Origenes tantaq; nervorum contentione passim docuit, ut & Pelagianos & Massilienses ipsos, quibus ille lapis offensionis fuit, superasse videatur, nihil enim perniciosum eorum scripta præferunt, quod non Origenes lutulentius præformaverit, audaciusque protulerit. Nam in primis illud initium fidei quod Massilienses viribus humanis tribuunt, & ejus perfectionem Deo, ex Origenis fonte haustum est. Vt enim illa duo conciliet quod gratia gratis detur & tamen *offerenda sit fides prius ab homine, & ita à Deo gratia promerenda*: Sic se expedit: *Invenis hoc designari & in Evangelijs, ubi Apostoli intelligentes quod ea quæ ex homine est fides, esse non potest* B *perfecta, nisi addita fuerit etiam ea quæ ex Deo est, dicunt ad Salvatorem: auge nobis fidem.* [Lib. 4. in Epist. ad Rō. ad illud: Ideò ex fide.] Et mox: *Fides ipsa quæ credere videmur Deo, dono in nobis gratiæ confirmatur.* [Lucæ 17.] Cujus doctrinę memor iterat & inculcat eam libro nono ut nihil superesset nobis ambigui, quam perperam de divina gratia sentiret. Sic enim loquitur: *Quod autem dixit* (Apostolus) *secundum rationem vel mensuram fidei, puto iam plene in superioribus expositum, quæ sit fides quæ à nobis requiritur & quæ sit quæ à Deo per gratiam datur, secundum hoc quod idem Apostolus dicit: Alij fides in eodem spiritu: & item ubi ad Dominum dicunt: Auge nobis fidem. Quod fides quidem quæ speret & credat, & absque ulla dubitatione confidat, in nobis est, ratio vero fidei ipsius & scientia & perfectus eorum intellectus, quæ credimus donatur a Deo.* [Lib. 9. in Ep. ad Rom. ad illud. Habentes donationes.] Vnde clarissimis verbis ibidē dicit: *Vt ergo in nobis tanta fides inveniatur, quantā possit sublimior gratia promereri, nostri operis videtur & studij.* [Ibid.] Alibi verò labo- C rem & sollicitudinem homini tribuit, Deo verò successum operis & laboris effectum: *Cum ergo per hæc doceatur*, inquit, *quod homo quidem laborem impendat & sollicitudinem, Deus autem successum operi tribuat & effectum.* [Lib. 7. in Ep. ad Rom. ad illa: Quid ergò dicemus.] Quod latius ibidem astruit. Sed pansis velis in libris Peri-Archon humani operis merita adversus gratiam ventilat, omniaque Dei dona ex libero suspendit arbitrio. *Cum spiritu oris sui*, inquit, *quæ digna sunt sanctificatione sanctificet.* [Lib. 1. Peri-Arch. c. 3.] Item: *Est & alia quoque* (præter naturam rationalem) *etiam Spiritus Sancti gratia quæ dignis præstatur, ministrata quidem per Christum, imperata autem à Patre secundum meritum eorum qui capaces efficiuntur.* Et in libro tertio exponens quomodo Deus auferat ab hominibus cor lapideum, hoc fieri dicit, si ante ut discipuli se offerant & doctrinæ suæ præcepta suscipiant: *sicut*, inquit, *in Evangelijs invenimus ægrotantes accedere ad Salvatorem, rogantes ut percipiant sanitatem, & ita demum curari. Et est quidem,* (*verbi gratia*) *ut curentur cæci & videant, in eo quidem quod precati sunt Salvatorem, & crediderunt ei posse ab eo curari, opus ipsorum quī curati sunt; in eo verò quod eis redditur visus, opus est Salvatoris. Ita etiam in hoc divinus sermo promittit se daturum eruditionem auferendo cor lapideum* &c. [Lib. 3. Peri-Arch. c. 1.] Quam doctrinam instantissime toto primo capite inculcat, ac tandem omnia quasi in summam colligens: *Ita & Apostolum*, inquit, *dixisse intelligendum est cum ait: non sufficit ad perficiendam salutem sola voluntas humana, nec idoneus est mortalis cursus ad consequenda cœlestia* &c. *nisi hæc ipsa voluntas nostra bona, promptumque propositum, & quæcunque illa in nobis esse potest industria divino vel juvetur vel muniatur auxilio. Et ideò valde convenienter dicit Apostolus, quia non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* [Rom. 11.] Et continuò, *laborem à nobis studiumque & industriam adhibendam tradit, sed laboris fructum ipsam salutem exspectandam à Deo:* Quæ quid sibi volunt aliud, quam quod Pelagiani & Massilienses ijsdem verbis asserunt gratiam ad assequendam perfectionem esse necessariam? Sed quid opus est pluribus? Totus Origenis in libris Peri-Archon scopus est, ut ostendat sicut loquitur, *Providentiam Dei justè omnia moderantem, & æquissimis dispensationibus pro singulorum meritis & causis regere immortales animas.* [Lib. 3. c. 5.] Vsque adeò quidem, ut nec præterita vita rationalium creaturarum ijs meritis vacet, *sed*, inquit, *futuri status causam præstet semper anterior meritorum status.*

Hinc igitur, nec Hieremiam in utero sine meritis præcedentibus sanctificatum putat:

Lib. 1. Periarchon. c. 7.

Ne forte, inquit, *non judicio nec pro meritis replere aliquos Deus videatur Spiritu Sancto & sanctificare merito.* Et quid obsecro ex ista gratuita significatione sequeretur mali? Audi Pelagianam ejus si unquam audisti vocem: *Et quomodo*, adjicit, *effugiemus illam vocem quæ ait: Nunquid injustitia est apud Deum? Absit.* Vel illud: *Nunquid personarum acceptio est apud Deum?* Hinc ut istam Dei injustitiam, si superis placet, & personarum acceptionem effugeret, animas ante corpora substitisse docuit, & superioris cujusdam vitæ merita machinatus est, ex quibus inæqualis illa quam in hac vita cernimus divinorum donorum suspenderetur dispensatio. Injustitia quippe & acceptio personarum *consequitur*, inquit, *eam defensionem qua animas subsistere simul cum corporibus asseveratur.* Ex quo fit ut nullo modo vas in honorem vel contumeliam ex eadem massa etiam in parvulis nisi ex meritis à Deo fingi arbitretur. *Itaque concludens* ex hoc, inquit, post longam disputationem, *quia prius gestorum uniuscujusque causa præcedit, & pro meritis suis unusquisque à Deo vel honoris vas efficitur, vel contumeliæ: Unumquodque igitur vas ut vel ad honorem à creatore formetur, vel ad contumeliam, ex seipso causas & occasiones præstitit conditori.* Quam doctrinam Apostolicæ adversam totidem pæne verbis repetit & inculcat Iulianus. Sed quia non est discipulus supra magistrum pergit splendidius delirare Origenes: *Quod si justa hæc videtur assertio, sicut est certe justa, & cum omni pietate concordans, uts ex præcedentibus causis unumquodque vas vel ad honorem à Deo vel ad contumeliam præparetur: Non videtur absurdum eodem ordine atque eadem consequentia discutientes nos antiquiores causas eadem etiam de animarum ratione sentire & hoc esse in causa quod Iacob dilectus est, etiam dum adhuc in ventre*

Ibid.

Ibid.

Idem alibi sæpissime repetit ut lib. 7 & 9. in Ep. ad Rom.

Lib. 1. oper. imperf. vers. finem.

Lib. 3. Periarch. c. 1. vers. finem.

A *matris haberetur.* Et universalem proferens de gratia & meritis definitivamque sententiam, cui disputationum ipsius universa incumbit moles: *Nunquam*, inquit, *concedendum est, ut sive in præsenti sive in præteritis, sive etiam in futuris sæculis non ita unumquemque dispenset divina providentia, ut uniuscujusque meritum arbitrij libertate collectam materiam præbeat dispensanti. Iustus est enim Deus, & injustitia non est apud Deum:* quo nihil sanè magis Pelagianum divinæque gratiæ capitalius pronunciatum excogitari potest.

Lib. 9. Comment. in Ep. ad Rom ad illud: Sicut enim in uno corpore.

Quid quod ipsam etjam corporum assumptionem sive in hominibus sive in Sole, Luna, ac Stellis, ex meritorum velit diversitate contigisse? Quid denique, quod totius impietatis Pelagianæ caput & cardinem luculentius expressit ac docuit, quam ipsi Pelagiani erubescentes, præ superbia proferre ausi sunt?

B Nam Christi animam non ex gratia Dei, sed ex *dilectionis merito & meriti affectus sinceritate* Deo unitam statuit. Alioquin enim illa tam sublimis *assumptio* vel *fortuitò* vel cum *personæ acceptione fieret*, nisi *virtutum merito* deferretur. Quid ad istam insaniam addi potest? Ex qua sane sequitur, nec obscurè indicat, alias etjam quaslibet rationales animas ad eandem dignitatem potuisse pertingere si ardentiore dilectionis affectu unigenito Dei Filio pro liberi arbitrij facultate cohæsisset. Iam verò quid mirum est si non minus Origenes quam discipuli Pelagiani ex istis principijs ad impeccantiam & ἀπαθείαν fabricandam prosilierint? Nam & illa, ut Hieronymus, Origeni propria est, & ex ejus fonte à Pelagianis hausta: ut supra latius perspicuis testimonijs declaravimus.

Lib. 2. Periarch. c. 6.

Ibid.

Hieron. Prolog. in Dial. advers. Pelag.

Electionem, prædestinationem & vocationem secundùm propositum prorsus evertit, sicut Pelagius & Massilienses.

CAPVT XVI.

De gratuita electione atque prædestinatione quid opus est satagere, quam eversa per meritum gratiæ sinceritate, necesse est funditus subrui? Hinc illas ubique ex alicujus meriti prævisione suspendit. *Nos dicimus*, inquit, *quod neque Paulus fortuito aut naturali differentia electus est, sed electionis suæ causas in semetipso dedit ei, qui scit omnia antequam fiant.* Et rursum paulò post: *Ergò & Paulus quod segregatus in Euangelium dicitur & segregatus à ventre matris suæ, causas in eo & merita quibus in hoc segregari debuerit, vidit ille quem non latet mens. Prævidit enim quod abundantius quam cæteri omnes laboraturus esset in Euangelio.* Et longe luculentius de natura vocationis secundum propositum disputans: *Videtur mihi*, ait, *esse quædam vocationis differentia quia omnes quidem vocati sunt, non tamen omnes secundum propositum,*

Lib. 1. Comment. in Ep. Pauli in initio.

Lib. 7. Comment. in Epist. ad Rom.

A *bonam & bonam voluntatem quam circa Dei cultum gerunt, vocantur. Ipsi sunt qui secundum propositum vocati dicuntur, & illi sunt qui vocati, iustificati sunt. Bono enim eorum proposito deerat sola vocatio* &c. *Quos ergò vocavit, id est, quos secundum propositum vocavit boni, illos & iustificavit.* En tibi vocationem secundum propositum hominis non Dei, quam in Pelagianis Augustinus expugnat. Nam illam ab Origene didicerunt. Ne verò nihil proposito ipsius Dei tribuisse videretur, accipe aliam sed æque Pelagianam de illa secundum propositum vocatione sententiam: *Quod si*, inquit, *secundum propositum, ad Deum referatur, hoc est, ut secundum Dei propositum qui sciens in eis religiosam mentem & salutis inesse desiderium, vocati dicantur, non videbitur his quæ exposuimus etiam hoc esse contrarium.* Et ut eandem salutis atque damnationis causam esse

Lib. 1. ad Bonif. c. 10.

Lib. 7. in Epist. ad Rom.

non-

monstraret: *Hoc ergò pacto* (subjicit) *neque in præscientia Dei vel salutis vel perditionis nostræ causa consistit, neque iustificatio ex sola vocatione pendebit, neque glorificari de nostra penitus potestate sublatum est.* Nempe quia religiosæ mentis desiderijs, salutis causas ex nobis ipsis offerimus. Nam illo suo solemni dogmate de offerendis Deo meritis ita inebriatus est, ut apertissimum Scripturæ locum, *posuit in corpore unumquodque membrum, prout voluit*; quo divinæ voluntatis efficacia ad id quod voluit quemque eligentis exprimitur, vel ad merita, vel ad humanam voluntatem depravando detorqueat. *Prout voluit*, inquit, *voluit autem Deus secundum fidei mensuram, quæ est in nobis: vel, voluit ad id quod expedit. Nisi forte & ita aliquis hoc velit intelligere; Deus posuit in corpore unumquodque membrum prout voluit, ut, (voluit) ad membrum magis referatur;* A *hoc est, prout voluit, prout elegit, prout operam dedit. Ne videatur de homine arbitrij potestas auferri.* Quibus ultimis verbis radicem tetigit, unde tanta seges perversorum dogmatum pullulavit: omnium enim deliriorum Origenis, quibus & veram gratiam, & electionem & prædestinationem sustulit, & merita finxit liberi arbitrij, in quæ refunderetur omnis diversitas quam in rationalibus creaturis, ipsisque corporibus earum cernimus, non alia prorsus causa est, ut ex sexcentis locis perspicuum est, nisi quod alias *fortunam*, vel *fatum*, vel duas naturas, vel *acceptionem personarum & iniustitiam Dei* in hujus mundi administratione vereretur. Nec aliunde sane quam ex Origene easdem Pelagiani & Massilienses proferunt querimonias, & spectra velut formidanda proponunt.

Lib. 9. in Epist. ad Rom. ad illud: Sicut enim in uno corp.

Vide libros Peri-Arch passim & in primis lib. 2. c. 9. & lib. 3. c. 1. &c.

Omnes pœnè corruptelas Scripturarum de peccato originali & gratia, quibus Pelagiani abutuntur, totumque errorem Pelagianum præformavit Origenes.

CAPVT XVII.

ET quamvis Origenes de peccato originali non videatur à Catholica doctrina dissidere, omnibus tamen Scripturarum depravationibus quibus Pelagiani caliginem offudere veritati, latissimam portam ipse primus aperuit. Nam si Commentarios ejus in caput quintum ad Romanos consulas, quod evidentissime originis peccatum asserit, nec aliter intelligendum esse, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubiq; diffusa semper intellexit, hoc est de peccato originali Synodus Tridentina docet, omnia ad peccatum actuale & ad imitationem non propagationem peccati Pelagiano more detorquentur. Nam & mundum in quem peccatum intravit terrenos seu carnales homines intelligit, & mortem non corporis sed animæ eamque non pertransisse in omnes sed multos qui scilicet actu peccaverunt. Nec in omnes regnasse mortem, sed in eos dumtaxat qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Hinc non omnes homines, sed multos unius delicto peccatores constitutos: & Christum plures ad vitam reduxisse quam Adam ad mortem. Adam esse formam futuri, quia inobedientiæ formam sequentes, hoc est, exemplum imitantes constituti sunt peccatores. Quas Scripturæ non tam interpretationes quam depravationes hausit ex Origene Pelagius, & ad amussim expressit defenditque mordicus adversus Augustinum Iulianus. Neque verò istæ tantum, sed etjam cæterarum pœne omnium Scripturarum expositiones, quibus alia sua dogmata inimici gratiæ sustentarunt, ex Origenis operibus ad ruentem hæresim fulciendam derivatæ sunt. Quod quidem ex supra dictis in multis patuit, & nisi nimiam vererer prolixitatem, de singulis facile A ostendi posset. Sed truncum sufficit præcipuosque ramos Pelagianæ hæresis ex ejus monumentis expressisse. Nam si sigillatim omnia liberet prosequi singulasque fibras erroris diducere, alio pœne opus esset volumine. In solis ejus Commentarijs in Epistolam ad Romanos & libris περὶ ἀρχῶν errores de divina gratia, prædestinatione & libero arbitrio cæterisque eodem spectantibus ita densè sparsi sunt, ut confusa quædam sylva videantur, ex qua postea Pelagius, Iulianus, & Massilienses ad extruenda dogmatum perversorum munimenta trabes exciderint. Quamquam & ipsissima eorum dogmata ita pleraque dedolata politaque proferuntur, ut nihil eis opus fuerit nisi in ordinem digesta proponere. Ingenium quippe Origenis ut fœcundissimum fuit, ita liberum & quaqua versum in speculationes novas ebulliens: quas cum non veluti B dogmata fixasque sententias, sed per modum dubitationum, variorum sensuum ad ostendendam Scripturarum ubertatem effunderet, inter multas bonas fruges, infinitam quoque zyzaniorum segetem protulit. Ex quo effectum est, ut quemadmodum plerisque Patribus in veritate fixis, propter eruditionem admirationi, & ad exponendas sacras litteras magno adjumento fuit, ita imbecillis ingenijs ac vacillantibus & novitatis avidis, innumeros errores affricuerit, inter quos non infimas partes Pelagiani & Massilienses ferunt. Nam cum plerique ipsorum religiosæ vitæ perfectionem velut Monachi sectarentur inter Origenistas Monachos in Ægypto & Palestina versati sunt, & eorum errores ex Evagrio, Palladio, Galata, & hujusmodi familiarius haustis duces ipsi cæteris ad præcipitium facti sunt. Ex quibus omnibus vides quam rectè Sanctus

Seff. 5. canon. 4.

Toto fere lib. 2. oper. imperf.

Sanctus Hieronymus, Origenem Pelagianorum [a] Amasium & [b] ἀρχαῖον, hoc est, librorum περὶ ἀρχῶν scriptorem, eorum magistrum; & [c] doctrinæ Pelagij ramusculum Origenis vocet.

a. In fine lib. 3. dial. advers. Pelag. b. Lib. 1. dial. c. Epist. ad Ctesiph.

Prima origo totius hæresis Pelagianæ & omnium gratiæ interpolatorum Philosophia.

CAPVT XVIII.

A QVAMQVAM si Pelagianum errorem proprijs momentis ponderare libet, & ad primum unde manat fontem reducere, non aliunde quam ex Philosophorũ gentilium placitis consutum deprehendes. Neque enim aliud quicquam est totius hæresis illius apparatus, nisi pura & puta Pythagorica, Stoica & Aristotelica Philosophia: ut quod olim universim de hæreticis dixit Tertullianus, de nullis verius quam de Pelagianis cum Hieronymo dici possit *hæreticorum Patriarchæ Philosophi*. Quod de singulis Pelagiani erroris cardinibus demonstrare non est difficile.

Tertull. lib. advers. Hermog. c. 8. Epist. ad Ctesiph.

Primum dogma cujus prædicatione Pelagius turbare cœpit Ecclesiam tuendique necessitate in cæteros errores videtur esse præcipitatus, fuit illud, ut alibi diximus, de assequenda perfectione justitiæ usque ad impeccantiam & apathiam, hoc enim velut præcipuum in primis suis lucubrationibus Hieronymus & Augustinus exagitant. Sed quid illud, nisi notissimum illud superoissimumque Pythagoricæ & Stoicæ Philosophiæ delirium à Pythagora & Zenone maximè propugnatum? Adversus quos & Peripatetici, qui de Aristotelis fonte descendunt fortissime disputant, & Academici novi, quorum sententias Tullius explicat in quæstionibus Tusculanis, umbras eorum & vota subvertunt. Illi enim perturbationes animi asserunt mentibus evelli posse, & nullam fibram radicemque vitiorum in homine residuam esse assidua exercitatione virtutum: hi contra frangi eas posse & regi, & quasi infrenes equos lupatis quibusdam coerceri. Vnde Hieronymus de isto Pelagij dogmate loquens dicit: *Quæ* (venena) *de Philosophorum & maxime Pythagoræ & Zenonis Principis Stoicorum fonte manarunt*. Hinc ergò & illas blasphemias mutuatus est, quod homo posset fieri similis adeoque æqualis Deo, de quibus vide quæ fusius alibi dicta sunt.

Epist. ad Ctesiph. & 3. lib. dial. Aug. lib. 2. de pecc. merit. de nat. & gra. de perfec. justi. &c.

Epist. ad Ctesiphõtem.

Lib. 4. c. 22.

Porrò quod solà illà liberi arbitrij possibilitate & indifferentia ad omnem virtutem assequendam niti volunt, à quibus impietatem istam nisi magistris Philosophis didicerunt? Eorùm quippe unanimis est sententia, cætera à Dijs, virtutem à se ipso peti oportere. Expressit eorum vocem ab omnibus sine dubitatione subscribendam Tullius: *Virtutem*, inquit, *nemo unquam Deo acceptam retulit, nimirum rectè. Propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur, quod non contingeret, si donum à Deo, non à nobis haberemus.* Et in eadem disputatione alio rursum in loco expressius: A *Num quis, quod bonus vir esset gratias Dijs egit unquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis Iovem optimum maximum ob eas res appellavit, non quod nos iustos, temperantes, sapientes efficiat, sed quod salvos, incolumes opulentos, copiosos.* Luculentissime moralium Philosophorum Princeps Seneca: *Vnum bonum est, quod beatæ vitæ causa & firmamentum est, sibi fidere.* Qua voce totum Pelagianæ impietatis venenum comprehenditur. Super hac enim Philosophica basi universa moles adversus Christi gratiam structa est. Quod animadvertens Augustinus Pelagianis observandum esse monet: *Ne offendant in lapidem offensionis, velut argute defendendo naturam & liberum arbitrium, quemadmodum Philosophi huius mundi qui vehementer egerunt ut putarentur vel putarent sibi beatam vitam virtute propriæ voluntatis efficere.*

Lib. de nat. Deor. in fine.

Epist. 31.

Epist. 106. ad Paulin.

Iam vero illa adversus originale peccatum B & ejus pœnas disputatio, unde nisi ex Ethnicorum Philosophia promanavit? Nam & illi non solum nihil de peccati ex parente in prolem traductione suspicati sunt, sed etjam ea quibus Pelagius errorem suum imponeret fundamenta præbuerunt. Cum enim nihil vituperabile esse scirent, nisi quod esset in ejus qui vituperatur potestate, nihil quoq; quod inesset à nativitate vel culpæ vel pœnæ appellatione dignum arbitrati sunt, ut Aristoteles omnium nomine clarè in Ethicorum libris docet. Hoc Pelagius & Iulianus omnesque Pelagiani velut irrefragabile principium posuerunt, ad innocentes parvulos ab omni culpa supplicioque liberandos. *Omne*, inquit, *bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus non nobiscum oritur, sed agitur à nobis* &c. Ad quæ verba Augustinus: *Nempe cernitis in his Pelagij verbis quod dogma contineatur amborum. De parvulis sine ullius vitij ab Adam contagione nascentibus.*

Lib. 3. Ethic. c. 5.

Lib. de pec. orig. c. 13. & similibus Aug. lib. 3. cont. Iul. c. 19.

C Sed quid multis? Nonne totus & puræ naturæ status quem primum in Ecclesia velut acutè Pelagius & Iulianus commenti sunt, & studiosissime tuiti Gentilium Philosophorum fœtus est? Neque enim aliud illi de natura humana suspicari potuerunt, nisi quod sine virtute & vitio, sine gratia & culpa, culpæque vitio per solum tamen liberum arbitrium utriusque capax: cum pudore, cum ignorantia, concupiscentia, libidinibus, cum morborum omnium atque calamitatum, ipsius denique mortis necessitate, naturaliter cæterorum animalium lege nasceretur; ad extremum in campis Elysijs velut quædam naturalis ordinis vita æterna collocanda. Vnde Augustinus: *Quid enim illi* (Gentiles Philosophi quos advocabat

Lib. 4. cont. Iul. c. 15.

Digitized by Google

vocabat Iulianus) *didicerant, vel quid locuti fuerant de primo homine Adam & eius coniuge, de prima eorum prævaricatione, de serpentis astutia, de nuditate corporis ante peccatum sine confusione, & confusione continuo post peccatum? Quid denique tale audierunt, quale illud est quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum* (originale) *intravit in mundum, & per peccatum mors* &c. *Harum litterarum illi atque huius veritatis expertes, quid de hac re sapere potuerunt?* Et tamen in hujusmodi puræ naturæ figmento tota hæresis Pelagiana comprehenditur. Hinc etjam fluxit eorum maximeque Iuliani de voluptatis seu concupiscentiæ velut naturali bono sententia, quam à Divomacho & Calliphonte didicerant, *qui*, ut idem ait, *coniungendam voluptatem arbitrati sunt honestati.*

Aug. lib. 4. cont. Iul. c. 15. & lib. 1. oper. imperf.

Neque vero dogmata Pelagiana tantum, sed & arma quibus à suis authoribus propugnata sunt, ex Philosophorum officina prodierunt. Quod usque adeo verum est, ut si Philosophiæ garrulitatem subtrahas, uno flatu tota hæresis dissipetur. Significavit hoc Augustinus cum Iuliano exprobrans defensionis inopiam tantò ineptius, quantò doctius de Dialecticis acuminibus præsumenti: *Quæ tu*, inquit, *si non didicisses, Pelagiani dogmatis machina sine architecto necessario remansisset.* Vnde damnati ab Ecclesia ad Philosophos fugiebant tanquam eorum judicio à damnatione solvendi. *Ad hoc redacta est*, ait idem Augustinus, *hæresis vestra ut gemant sectatores vestri non inveniri Dialecticos iudices in Ecclesia de scholis Peripateticorum sive Stoicorum à quibus possitis absolvi.*

Lib. 6. cont Iul. c. 11.

Ibid. c. 20.

Porrò sicut hæresim Pelagianam sola Philosophia peperit, ita quotquot postea inter Christianos divinæ gratiæ puritatem prædominanti libertatis humanę mixtione adulterarunt, Philosophiâ lenocinante seducti sunt. Quid enim olim tot Augustini lucubrationibus divinarum Scripturarum autoritate formatis, tot Pontificum decretis, quibus gratiæ sinceritas declarata fuerat, Massilienses obluctari fecit, & quasi novam conciliandæ cum ea libertatis viam quærere, nisi Philosophia? Hac enim persuasi sunt ex victrice gratia liberi arbitrij interitum sequi. Quid in nostro sæculo sopitas illas tot sæculis contentiones de gratiæ auxilijs suscitavit, nisi eadem Philosophia? Nam quidquid humanarum ratiuncularum jam olim destructum & Ecclesię judicio sepultum fuerat, quasi nova suborta luce denuò ab inferis revocatum est, & ad tuendam quasi dominam illam libertatem Philosophia animante conversum, ex quo tanta confusio in divinæ gratiæ doctrinam consecuta est, ut dum relictâ certæ traditionis Ecclesiasticæ viâ unusquisque ad rationis tramitem revocat quicquid in Scripturis vel obscurum, vel etjam planum est, labiryntho aliarum opinionum distractus nihil incertius esse judices quã quod olim extra controversiam esse putabatur, ex una quippe via recta *obliquos multos tramites*, ut ille de Philosophiæ simijs Christianis loquitur, *& inextricabiles sciderunt.* Nam quo traditæ explicatæque semel veritatis planior erat simplicitas, eò magis inquieta subtilitas invenit vel injecit scrupulos, & id quod invenerat certum incertis miscendo etjam fecit incertum. Semper enim interpolatrix veritatis Christianæ non integratrix nimia Philosophia fuit, dum neque satis credit divina & fixa esse quæ interpolantur, neque satis intelligit humana esse quæ verisimili novitate blandiuntur. Cui malo medendo *parum prodest reddere rationem nisi & addatur autoritas*, ut jam olim de Massiliensibus observavit Hylarius, *quam transgredi indefatigabiliter contentiosa corda non possint.* Nam quæ semel Pontificum decretis constituta sunt, Patrumque doctissimorum eruditione explicata atque defensa nullo promptius quam traditionis objectu contra Philosophicas argutias muniuntur: ex cujus deinceps immobili stabilitate & fide, humanæ ratiunculæ velut parricidales pugiunculæ confringendæ sunt. Nam quod olim Augustino adversus Aristotelicos Pelagianos dimicanti expeditissimum visum est, hoc adversus omnes gratiæ interpolatores Philosophiâ armatos tutissimum videri debet, ut ante omnia eorum *fragilis & quasi argута novitas sola Sanctorum Patrum autoritate*, hoc est traditionis compendio *conteratur.* Sed de Philosophicis Pelagianorum strophis, infra pluribus. Nunc alia quædam Pelagianorum placita, strictim attingenda sunt & mores depingendi.

Tertull. Apolog. c. 47.

In Epist. ad August.

Lib. 2. cont. Iul. c. 9.

Alia nonnulla dogmata Pelagij, in quibus elucet indoles ejus. Transitus ad mores ejus.

CAPVT XIX.

SVNT & alia quædam sive dogmata, sive dicta Pelagij, quæ quamvis non ita perspicuum cum natura vel gratia, sine erroribus hactenus explicatis conjunctionem præ se ferant, indolem tamen Pelagianam ita redolent, ut ex eodem spiritu præsumptionis proficisci videantur. Nam simulatque repudiata divini adjutorij necessitate excussisset Christianæ submissionis jugum in omnibus pœne cæteris dictis atque scriptis ambulare cœpit in mirabilibus super se; & amisso pondere humilitatis, quo humana infirmitas deorsum premitur, in altissima quæque præcipitia vento vanitatis abreptus est. Nam sive cætera ejus doctrinalia pronunciata ponderemus, sive moralium institutionum aculeos quibus lectores ad amplectendam virtutem stimulat, in omnibus ea passim occurrunt, quæ

Digitized by Google

quæ singularitatem, inanitatem, & superbiam spirant. Siquidem plerumque relicta mediocritatis via, quæ ab illius pestis afflatu tutissima esse solet, extrema sectatur.

Epist. 88. & 89.

Hinc illud primum, quod in doctrina Pelagij Augustinus sæpe reddidit: *Non debere iurare* (seu jurari) *omninò*. Nimirum quia jurando sæpius in peccatum labimur, præpostero studio perfectionis ipse in alterum extremum rapitur. Cujusmodi est & illud, quod in libro Capitulorum Pelagius posuit titulo 14. *Servum Dei nihil amarum de ore suo, sed semper quod dulce est & suave, debere proferre.* Quasi vero non subinde ut adversus eum ex Apostolo observat Hieronymus: *Per dulces sermones & benedictiones seducant* nonnulli *corda innocentium*. Veritas enim sæpe amara est, rugosæ frontis, ac tristis, inquit, offenditque correctos. Item aliud titulo 73. *Christianum unius debere esse patientiæ ut siquis sua auferre voluerit, gratanter amittat.* Quod à Divo Hieronymo reprehenditur, *non quod aliquid*, inquit, *sceleris in hac sententia sit, sed quod ubique mediocria ὑπερβολικῶς transeat & magna scelerіs.* Rem acu tetigit. Nam continuò & aliud non dissimile adjungit ab eodem Sancto pari ex

Apud Hier. lib. 1. Dial. advers. Pelag.

Apud Hier. ibid.

A causa reprehensum: *Gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrarium.* Quid illa duo, quæ titulo sexagesimo quarto & sexagesimo primo sui libri collocat, nonne utriusque extremi affectatione venatricem singularitatis indolem produnt? *Inimicos* dicit *ut proximos diligendos*. Et mox: *Inimico nunquam esse credendum.* Quæ quamvis perspicuum sit, ut Hieronymus notat, inter se repugnare, maluit tamen illis locutionum excessibus suæ doctrinæ perfectionem ostentare, quam Scripturarum, quæ simpliciter inimicos diligendos prædicant mediocritate esse contentum. Ex eadem vena & illud fluit quod Divus Augustinus magnopere reprehendit: *Divitem manentem in B divitijs suis regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit; nec prodesse eidem posse, si forte ex ipsis divitijs fecerit mandata.* Ita non sufficiebat communi Christianorum vitæ Euangelica, quæ ipsi sectari videbantur, proferre consilia, nisi universos in sæculo rem familiarem administrantes vana contumacia & superbia condemnarent. Et hæc de Pelagianorum dogmatibus ac doctrina sufficiant. Nunc pauca de moribus eorum dicenda sunt.

Ibid.

Apud Aug. Epist. 88. & 89.

Immanis superbia proprius Pelagij character & omnium discipulorum ejus.

CAPVT XX.

NAM si mores eorum & morales institutiones consulas, omnia eodem illo vanitatis & arrogantiæ colore tincta reperies. Superbia namque proprijssima Pelagianorum omnium labes est & quasi character, quo à diabolo insigniti sunt ut à cæteris hæreticis discernantur. Nam quamvis illud Augustini generaliter verum sit, *superbia mater omnium hæreticorum*, quia superbia generaliter dissensiones parit, charitas unionem: aliud est tamen quod singulæ hæreses quamvis non sine superbia genitæ retecta fronte in dogmatibus atque moribus profiteri solent. Aliæ namque rebellionem & anarchiam, aliæ luxum, aliæ luxuriam, aliæ crudelitatem, aliæ blasphemiam in divinitatem, aliæ aliud vitium aperte profitentur. Quod in omnium suorum sectatorum moribus pariunt. Superbiam sibi Pelagiana fastumque vendicavit, quem in omnibus suis dogmatibus à primo usque ad ultimum scopum habet, quemadmodum ex omnibus illis quę hactenus disseruimus, apertissime liquet. Vt non immerito ista hæresis diabolo primo genita vocari possit ac debeat. Nam sicut ipse affectando quod erat Dei per superbiam lapsus est, & persuadendo quod futuri essent sicut Dij, primos homines labi fecit, ita eundem illum affectum divinæ potestatis æmulum, unde in creaturam rationalem omnium calamitatum series velut fonte prodijt, Iudæis inspirando,

Lib. cont. Epist. fund. c. 6.

A & in Pelagio propagando, unicum lapsorum remedium divinam gratiam interimit, qua possent ex damnationis miserijs liberari. Quid enim ægris illis desperatius qui lethaliter ægrotantes & tantum non morti traditi, non solum se sanissimos & fortissimos putant, sed insuper medicum velut importunum cædunt? Hoc proprium est Pelagiani erroris malum. Omnes enim de parvulis dicunt: *Auferte hinc innocentes istos, non est opus sanis medicus, sed male habentibus: Nam sani sunt propter quos medicum quæritis:* omnes majoribus dicendum tradunt: *Si volo iustus sum, si nolo iustus non sum. In potestate habeo iustum esse & iustum non esse.* Et, *Nos ipsi nosipsos iustificamus.* Nam adepta remissione peccatorum, *per liberum arbitrium ipse homo seipsum fabricat iustum: atque ita potest esse sine peccato quemadmodum Deus.* Qua professione quid fastuosius, quid medici gratiæ & adventui B capitalius, quid insanius & apostaticis Luciferi vocibus congruentius dici potest? Illius enim superbientis vox est: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo:* illius prima in homines inspiratio: *Eritis sicut Dij.* Hunc ergò superbientis animi affectum, velut characterem sibi proprium Pelagiana hæresis hæreditavit, qui in omnibus eorum dictis & factis emicat. Hinc Augustinus [a] *impudentiam* Pelagianorum & *insanam superbiam* vocat, & [b] *superbissimam vanitatem.* Hinc Hieronymus: *Tu per superbiam ad astra sustolleris.* Et rursum:

Aug. lib. 1. de pecc. merit. & remiss. c. 18.

Aug. Hom. 44.

Lib. de nat. & grat. c. 31

Lib. 2. oper. imperf. Jul. 452.

Lib. de gestis Pelag. c. 35.

Isaia 14.

Genes. 3.

a Lib. 3. ad Bonif. c. 7.

b Lib. 4. c. 7

Epist. ad Ctesiph.

Tu ipse,

Lib. 1. Dial. advers. Pelag.

Tu ipse, qui Catoniana nobis inflatu superbia & Milonis humeris intumescis. Hinc Prosper Aquitanus istam diabolici affectus qui & primis hominibus inspiratus fuit, propagationem notans; *Ut quibus*, inquit, *non poterat diabolus persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem: & inde novissima instrueretur tentatio unde nocuit prima deceptio.* Nimirum Pelagius haud secus ac Adam atque Diabolus *non dignabatur dives esse nisi proprijs; tanquam hoc haberet simile Deo, ut bonorum suorum ipse sibi sit fons, ipse sibi sit copia. Quæ superbia*, inquit, *omni peccato nocentior, omni genere est elationis insanior.*

Epist. ad Demetriad. f. 866.

Ibid. f. 865.

Fol. 875.

Hunc ergo pestilentissimum Spiritum sicut Pelagiani medullitus imbiberant ita in omnes eorum discipulos qui quoquo modo hæredes dogmatum vel patroni sunt, plus minusve transfunditur. Omnium enim eo tendit sive prudentium sive imprudentium sensus, ut vel tantillum sibi quod Dei est vendicando bonorum suorum ipsi sibi sint fons ipsi sibi sint copia. Atque ita in semetipsis quoquo modo *non in Domino glorientur.* Quo qui pertractus fuerit plausibilium ratiocinationum consequentiis sive sciat sive nesciat, sive soli sibi hanc gloriam rapiat, sive cum Deo partiatur, vento aliquo Pelagianæ pestis afflatus est.

Hunc igitur Pelagiani discipulis suis omni conatu aspirare satagebant. Una Epistola quã ad Demetriadem Pelagius ex Oriente scripsit instar omnium esse potest. Ibi namque suarum omnium exhortationum exordium esse profitetur, *humanæ naturæ vim, qualitatemque monstrare, & quid efficere possit ostendere.* Ibi prima spiritualis vitæ fundamenta esse tradit, *ut vires suas virgo agnoscat*: hoc est ut in viribus suis spem omnem bene vivendi collocet non in Deo. *Spirituales enim divitias*, inquit, *nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo jure laudanda es, in his merito cæteris præferenda quæ nisi ex te & in te esse non possunt.* Quæ verba tanquam virulenta & perniciosa graviter Augustinus reprehendit. Ex hac ergo præclara exhortationis basi, magna istius Epistolę pars, in celebrandis naturæ viribus & extollenda liberi arbitrij integritate decurrit.

Initio Epist.

Epist. 143. ad Iulianam viduam matrem Demet.

Novitatis, admirationis, famæ, gloriæ aculeis ad virtutem stimulant. Eorum turpis adulatio.

CAPUT XXI.

A QUO superbiæ pede ut citatius curreret *singularitatis, novitatis, admirationis hominum, rumoris, famæ, opinionis, & exspectationis esse spectaculi totius mundi* aculeos subijcit. *Novum aliquid*, inquit Pelagius, *& inusitatum requirit Demetrias præcipuum & singulare quoddam flagitat, non minus conversationem suam quam conversionem cupit esse mirabilem.* Et inferius: *Multum famæ tuæ odore suspensi homines omnes mirum de te nescio quid audire desiderant. In te nunc puta cunctorum ora, oculosque conversos, & ad spectaculum vitæ tuæ totum consedisse mundum.* Itemque: *Mirentur omnes tuam te tacente verecundiam, te loquente prudentiam.* Digni Pelagio ad virtutem stimuli: qui ex eo videntur esse nati, quod in appetitu libidinoso terrenarum voluptatum non nisi excessum, ut supra suo loco demonstravimus, culpandum esse decernerent, ex quo fiebat, ut
B gloriæ, honoris, famæ, cæterarumque rerum indifferentiam appetitum ac delectationes, cum studio pietatis doctrinæ suæ principijs securissime conjungerent. Itaque cum ista vanissima exhortationis inanitate certabat in Pelagio adulatio, quæ sicut ad placendum hominibus non sine vanitate assumitur, ita pestis est ad corrumpendam omnium virtutum integritatem & ad inflandos infirmorum animos præsentissima. Nam cum blanditijs illis infatuati sibimet ipsis placent, mox etjam laudatoribus suis displicere timent; & pietatis potius larvam quam veritatem induentes, omnium virtutũ sinceritate fraudantur. Utrumque ab illa superbiæ nascitur ægritudine. Quæ quidem adulationis turpitudo etiam in Synodo Palæstina Pelagio veluti crimen objecta fuit: quia viduæ cuidam blandiendo scripserat: *Invenitur apud te pietas, quæ nusquam invenit locum: inveniat ubique peregrina in te sedem justitia; veritas quam jam nemo cognoscit domestica tibi & amica fiat: & lex Dei quæ ab omnibus prope hominibus contemnitur à te sola honoretur.* Et iterum ad ipsam: *O te felicem & beatam, si justitia quæ in cœlo tantum esse credenda est apud te solam inveniatur in terris!* Perstringit hanc fœditatem graviter Divus Hieronymus: *Docere est hoc*, inquit, *an occidere? levare de terra, an præcipitare de cœlo? Id mulierculæ tribuere quod Angeli non audent usurpare?* Et laudis istius cum Pelagiano dogmate contrarietatem notans: *Si autem*, inquit, *pietas, veritas, atque justitia non inveniuntur in terris nisi in una muliere, ubi erunt justi tui, qui absque peccato in terris esse jactantur?* Nam ex ista superbissima puritatis præsumptione prorupit & illa Pharisaica orandi formula quam ad eandem viduam scribens sanctis suis pronunciandam tradit: *Tu nosti Domine quam sanctæ quam innocentes, quam puræ sint ab omni fraude & injuria & rapina quas ad te expando manus: quam justa quam immaculata labia & ab omni mendacio libera.* Et post tantum tumorem orantisque jactantiam & confidentiam sanctitatis, quasi simili sibi stultus loquens in extremo adijcit: *Quibus (labijs) tibi, ut mihi miserearis preces fundo.* Erubuit Pelagius ipsemet de ista orandi adulandique turpitudine cum erupit in publicum, usque adeo ut Hieronymus dicat: *Hæc duo capitula orationis & laudis soles cum tuis jactare discipulis, non esse tua.*

Pelag. in Epist. ad Demet.

Aug. lib. de gestis Pelag. c. 6.

Ibid.

Lib. 3. Dial. advers. Pelag. circa finem.

Ibid.

Apud Hieron. lib. 3. Dial. vers. finem & apud Aug. lib. de gestis Pelag. c. 6.

Lib. 3. Dial. in fine.

Alia eorum vitia ex eodem fonte, affectatio ſanctitatis, jactantia, hypocriſis, venatio divitiarum ſub pallio paupertatis, pompa veſtium, & ſæcularis faſtus.

CAPVT XXII.

CÆTERVM totam reliquã Pelagianorũ vitam diverſis vitijs contaminatam ſorduiſſe certum eſt, ſed omnia ex eodem ſuperbiæ fonte promanaſſe facilè videt cui morbi illius ſymptomata utcumque perſpecta ſunt. Iſtius autem peſtilentiæ proprium eſt in omnibus dictis factiſque ruinoſam quandam ſpectare celſitudinem, ſive ut excellentia ſua omnibus pateat, ſive ut deformitas ac turpitudo lateat.

Hinc itaque ſumma fuit inter Pelagianos ſanctitatis affectatio, uſque adeo ut & oculatiſſimis virtutum diſcretoribus impoſuerint. Frequenter enim Auguſtinus antequam eos pernoviſſet penitus, laudabilem eorum vitam prædicat, ſiquidem de Pelagio loquitur, quando eum haberi dixit, a *bonum ac prædicandum virum*. Et ſe b *Romæ conſtitutum Pelagij nomen cum magna eius laude cognoviſſe*. De Pelagianis loquitur quãdo dicit: *Nec tales ſunt quos facile contemnas ſed continenter viventes atque in bonis operibus laudabiles*. Tales enim ſemper viſi ſunt, quos divinæ gratiæ quocunque tempore bellum indixiſſe novimus, Phariſæos, Pelagianos Maſſilienſes, alios. Quâ ſanctitatis & perfectionis affectatione etjam *Dei honorem* ſuis operibus prætexebant. Vnde Iulianus labores ſuorum ſcriptorum commendare ſatagens, *una eſt*, inquit, *optima cauſa ſtudiorum bonorum ut honoretur Deus*. Nec honorem tantum Dei ſpectare contenti, etjam *maiorem apud Deum* crepabant *gloriam*. *Non erubeſcens*, inquit Auguſtinus Iuliano, *dicere & ſcribere maioris tibi eſſe apud Deum gloriæ, deſtitutam veritatem tueri*. Sed quia ſuperbiæ ingenium eſt non ſolum aliorum oculis virtutem oſtentare, ſed etjam ſeipſum mirari & in ſuas laudes gloriabundum erumpere, hinc eorum *iactantia* ſæpe carpitur. De illis loquitur Auguſtinus quando dicit: *Vbi enim virtus non eſt, & tanta iactantia, hypocriſis eſt*. Cujus arrogantiæ fœdiſſimæque jactantiæ ſpecimen ex Hieronymo accipe: *Hæres*, inquit, *Ioviniani loquitur: ſine omni omnino peccato ſum: ſordida veſtimenta non habeo, proprio regor arbitrio: maior Apoſtolo ſum. Ille facit quod non vult, & quod vult non facit; ego facio, quod volo, & quod nolo, non facio: præparata ſunt mihi regna cœlorum; imò ipſe ea mihi meis virtutibus præparavi. In quo Adam tenetur obnoxius* &c. *ego ſolus cum mea catena non teneor. Alij clauſis cellulis & feminas non videntes quia miſeri ſunt, & verba mea non audiunt, torquentur deſiderijs: ego, etiamſi mulierum vallar agminibus nullam habeo concupiſcentiam. De me enim dictum eſt, lapides ſancti volvuntur ſuper terram: & ideo non ſentio, quia liberi arbitrij poteſtate Chriſti trophæum circumfero*. Quam putidiſſimam eorum gloriationem, etjam perſtringit Auguſtinus diſſerens adverſus Iulianum: *Ita vos invenimus elatos & alta ſapientes, ut reſpondeatis nobis, non ſolum iſta vos non pati* (infirmitates concupiſcentiarum) *verum etiam in hominis eſſe poteſtate ne iſta patiatur, nec eſſe cauſam cur ad hæc Dei poſcatur auxilium*. Sed fumum fucumque fuiſſe Pelagianorum jactantiam & ſanctitatem poſtea perſpectum fuit.

a Lib. 3. de pec. meris. c. 3.
b De geſtis Pelag. c. 22. Epiſt. 120. c. 37.
Lib. 5. cont. Iul. c. 1.
Lib. 2. c. ult.
Lib. 2. cont. Iul. c. 8.
Hieron. lib. 2. Dial. adverſ. Pelag.
Lib. 2. cont. Iul. c. 8.

Hinc eſt igitur quod Auguſt. in eorum moribus *hypocriſin* ſuperbiæ comitem notat. *Quiſquis enim ſe vult videri quod non eſt, hypocrita eſt*, inquit. Vnde nihil mirum ſi in iſtam fœditatem immanis illa Pelagianorum ſuperbia præcipitata fuerit. *Superbia enim & humanæ laudis aviditas hypocriſin ſæpe generat*. De hac eorum hypocriſi ſic idem Auguſtin. *Dolus eſt in ore veſtro ſive peccatores vos eſſe dicatis & iuſtos credi velitis, ſive profiteamini perfectionem iuſtitiæ quam profecto in vobis non eſſe ſentitis*. Et expreſſius acriuſque paulo poſt: *Dolus abundat in ore veſtro. Vbi enim virtus non eſt & tanta iactantia eſt, hypocriſis eſt: Et ubi hypocriſis, utique dolus. Prorſus quantum Sancti de miſericordia Dei quæ magna eſt, tantum vos de veſtra, quæ nulla eſt virtute præſumitis*. Vnde Divus Proſper etjam Semi-Pelagianos *hypocritas* propter eandem ſanctitatis ſimulationem vocat.

Lib. 2. de Serm. Domini in monte c. 2.
Epiſt. 64.
Lib. 2. cont. Iul. c. 8. initio
Ibid. inferius
Cont. Collat. c. ult. & c. 2.

In hac porro adulationis ac ſimulationis turpitudine eos cadere neceſſe eſt, quotquot bonorum temporalium commoditates, & æternorum honeſtatem, hoc eſt cœlum ac terram ſimul nituntur in hac vita conjungere. Quod maximè omnium locum habet cum temporalibus conquirendis ipſa virtutis ſpecies inſtrumentum adhibetur, & inhiantibus deſiderijs velum religionis obtenditur. Sic enim neceſſe duplicari cor, & in adulationes, hypocriſes, ſimileſque morum religioſorum corruptelas defluere.

Profitebantur itaque Pelagianæ hæreſis architecti tanquam Monachi religioſam paupertatem, & ut Aug. dicit: *A divitibus Chriſtianis, & pijs in ſuis neceſſitatibus ſuſtentabantur*. Cujus perfectionis tãtum præ ſe ferebant ſtudium ut infirmiores divites, qui iſta non facerent, velut accepta jam judiciaria cum Chriſto ſede damnarent. Nam tanquam Chriſtianæ diſciplinæ regulam obtrudebant: *Divitem manentem in divitijs ſuis regnum Dei non poſſe ingredi niſi omnia ſua vendiderit: nec ei prodeſſe, ſi forte ex ipſis divitijs mandata fecerit*. Sed quo ſpectabat iſta perfectionis prædicatio? nimirum ut divitibus opes excuterent in ſe velut Chriſti pauperes transferendas. Vnde Hieron. *Sciant quibus huiuſmodi hominibus opes ſuggerunt hæreticorum multitudinem congregare*. Nam ſub illo perfectionis

Epiſt. 89. ad Hilar. q. 4.
Ibid. Ep. 88.
Epiſt. ad Cteſiph. in fine.

& pauper-

& paupertatis pallio ingens auri & opum studium latuisse atque viguisse Sanctus ille non obscure tradit. *Hic*, inquit, *tacet, alibi criminatur; mittit per universum Orbem Epistolas Bibinas, prius auriferas, nunc maledicas.* De Pelagio sermo est: quem *auriferas*, hoc est aurum authori suo afferentes litteras scripsisse testatur. Quæ usque adeo flagravit in eis cupiditas, ut Regum instar vel mercatorum Indica commercia exercentium, opes Ophyr accerserent. De quo Hieronymus explicans magis superiorem locum: *Vos de crastino* scilicet *non cogitatu & instar avium, præsentibus contenti estis, quorum Epistola Biblina volitant trans Aethiopiã, ut inter Simias & Pavos nova de Ophyr Salomoni dona mittantur.* Divitias pompa comitari solet, hinc vestium splendor in Pelagianis & sæcularis fastus enituit. Argumento est illa Pelagianorum cum Sancto Germano in Britannia disceptatio, quam cum inire statuissent, *processerunt conspicui divitijs, veste fulgenti circumdati assentatione multorum*, ut tradit Constantius vitæ Sancti Germani Scriptor.

Hieron. præfat. in 3. comment. Hierem.

Lib. 2. Dial. adverf. Pela.

Constant. lib. 1. vitæ S. Germ. c. 19. apud Suriũ Tom. 4.

Tument scientiá sæculari & argutijs Dialecticis; Simiæ Aristotelis, rationem Scripturarum regulam figunt. Syllogismorum jactant acumina; ab Ecclesiasticis judicibus provocant ad Peripateticorum Scholam. Pruritus scribendi multa volumina, & aliorum velut indoctorum contemptus.

CAPVT XXIII.

SCIENTIARVM quoque sæcularium magna inter Pelagianos æstimatio, & quia contentionis erant filij maximè Dialecticæ, qua quidlibet contra veritatem à pertinacibus per argutias Philosophicas defendi solet. Vnde Prosper: *Manifestum est hunc non Dei spiritum habere sed mundi, & de illa sæcularis sapientiæ tumere doctrina.* Et Hieronymus Pelagium notans: *Nos Pythagoricæ Philosophiæ ructamus superbiam.* Hinc omnibus modis videri volebant Dialectici & Aristotelici, ut syllogismis nebulas imperitorum oculis offunderent. *Quæ tibi argumenta succurrent?* inquit Augustinus, *quæ Aristotelis Cathegeria, quibus ut in nos velut artifex disputator insilias videri appetis elimatus?* Et alio in loco: *Vbi est acumen tuum quo tibi videris & Cathegorias Aristotelicas assecutus, & etiam Dialecticæ artis astutiam?* Et rursum *Vides nempe quam Dialecticè nihil dixeris* &c. *Videris illius artis verbis ad hoc uti, ut eis inflatus attonitos facias imperitos, volendo videri esse quod non es.* Quam vanitatem sæpissime Pelagianis exprobrat. Hinc omnia ambigua, humanis metiri ac decidi volebant rationibus, quas ubique crepabant ut Philosophi solent. *Cum igitur*, inquit Iulianus, *liquido clareat, hanc sanam & veram esse sententiam quam primo loco ratio, deinde scripturarum munivit autoritas.* Nempe primum locum apud Pelagianos tenet ratio cui scripturas omnes aptandas esse contendunt, tametsi eis contrarium dicere viderentur: Iulianus: *Vbi verborum communitas ingerit quæstionem, adhibeatur regula rationis, ad cuius æqualitatem quæ putabantur deflexisse tendantur.* Et regulam Pelagianam figens: *Quod ratio*, inquit, *arguit non potest autoritas vindicare.* Cui quidem usque adeo adhæret mordicus ut Apostolum *perturbatæ mentis* futurum dicat, si quidquam contra rationes apertissimas à se prolatas loqueretur.

In Epist. ad Demet.

Lib. 2. Dial. adverf. Pelag.

Aug. lib. 1. cont. Iul. c. 4.

Lib. 3. c. 2.

Cap. 7.

Lib. 1. cont. Iul. c. 7.

Lib. 1. oper. imperf. f. 94.

Li. 2. f. 223.

Ibid. f. 447.

Hinc illa Pelagianorum de suo acumine & argumentorum firmitate jactantia: *Quomodo*, inquit Hieronymus, *iactant discipuli tui nullum argumentationi tuæ posse & problematibus respondere?* Gloriabantur enim suos, *per syllogismorum spineta disputando ac philosophando decurrere.* Hinc illa de suorum dogmatum tanquam clarissima certissimaque veritate præsumptio, qua Catholici *invidendo sibi in quadam meridie comperta veritatis sine obumbramento ignorationis*, ut Iulianus jactitat, *insanire* videbantur. Hinc arrogantissima de doctrinæ Pelagianæ victoria, Iuliani gloriatio, qua triumphum hisce vocibus canit: *Non ambigentes hoc ipsum maximam esse præmij partem quod in eius dogmatis arce consistimus, quod cum tam multorum livor, sed plurimorum error oppugnet, tamen ita supra casus evasit ancipites ut invincibilis eluat possessione victoriæ.* Hinc ille Catholicæ Ecclesiæ contemptus tanquam stolidorum hominum, & è fęce plebis quibus nulla inesset eruditio. *Quia rerum est magna confusio*, inquit Iulianus, *& stolidorum maxima multitudo, eripiuntur Ecclesiæ gubernacula rationis, ut erecto cornu velificet dogma populare*: nempe Catholicorum de peccato originali. Et alibi Catholici dogmatis & sententiæ qua damnati Pelagiani fuerant autoritatem elevans, *Pro se sursum deorsum*, inquit, *plebecularum aut ruralium aut theatralium scita commendant, quæ quo sunt promulgata concilio, historia nulla commemorat.* Vnde totam Ecclesiam velut *multitudinem cæcorum* spernit, quæ ad *aliquid inveniendum* nihil prosit. Hinc Augustini, quo nullum Ecclesia Doctorem profundiorem habuit, velut hebetis & pistillo obtusioris & ad metam taciturnitatis redacti aspernatio. *Hoc dixerim*, ait Augustin. *ut ostenderem quam sis acutus, qui me obtusiorem dicis esse pistillo.* Vnde Augustino quasi victor insultat, *tanquam non inveniret quid faceret, quo confugeret si iudicum premeretur potestate si in medio eruditorum consisteret secum, si vera rationis tuba*, à se scilicet magno tubicine *inflata*, *si auditorum arma circumstantium & sibi faventium cõcreparent.* Ita suum cum Aug. certamen, vana insanaque

Lib. 3. Dial. adverf. Pela.

Epist. ad Ctesiph.

Apud Aug. lib. 6. cont. Iul. c. 1.

Lib. 2 operis imperf. f. 219

Lib. 2. operis imperf. f. 212.

Fol. 221.

Lib. 2. cont. Iul. c. 10.

Lib. 2. oper. imp. f. 369.

Lib. 2 adver. Iul. c. 10.

eo devolvantur, qui tam in carnalis illius voluptatis libidine, quam cæterarum rerum temporalium cupiditate nil nisi excessum culpandum esse arbitrantur: ipsam verò tanquam hominibus à Deo datam & naturaliter bonam esse laudandam? Hoc enim radicem esse Pelagianæ turpitudinis satis alibi Augustinus indicat, quando Iuliano exprobrans dicit: *Quam tu cum bonam naturaliter dicis, astute illi semper consentiendum esse decernis, ne remissu improbo repugnetur naturali bono.* Et rursum: *Sentiat*, inquit, *de ista libidine iste quod libet, prædicet ut libet, laudet quantum libet (sicut enim multis locis significat, multum libet) ut eius si non usibus, saltem laudibus Pelagiani oblectentur, quicunque eorum proposito continentiæ carnali contagio non fruguntur.*

Lib. 5. cont. Iul. c. 7.

Lib. 2. de nupt. & concup. c. ult.

Iam verò scriptis sive alienis sive suis quas fraudes adhibuerint, unum Pelagij exemplum demonstrando sufficit. Ei namque solemne fuit si quid in editis à se libris displiceret alijs, atque erroris culparetur, perfricare frontem & omninò negare esse suum, vel *inemendates liceret sibi exe ur... eptos*. Quæ potissimum propter librum illum Pelagij dicta sunt, in quo magna animi, stylique vehementia naturæ vires extulerat & vituperatores eius reprehenderat, quam Augustinus alio de natura & gratia inscripto confutavit. Hinc itaque Augustini illa cauta fluctuatio: *Si autem hunc esse suum librum neget, aut eadem in libro loca, non contendimus.* Nam loca libri quæ negabat esse sua, *scriptis suis ab inimicis immissa* querebatur, ut ibidem Augustinus insinuat. Quas Pelagianorum fraudes veriti vel experti etiam Carthaginensis Concilij Patres dicunt: *Vnde etiamsi Pelagius Cœlestiusque correcti sunt, vel se ista nunquam sensisse dicant, & quæcunque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negabunt nec est quemadmodum de mendacio convincantur.* Vnde ille Divi Hieronymi Sarcasmus adversus Pelagium: *O te felicem, cuius præter discipulos nemo conscribit libros, ut quidquid videris displicere, non tuum, sed alienum esse contendas.* Quo ingenio duo capitula superbissimæ orationis & adulatoriæ laudis, *soles*, inquit, *cum tuis iurare discipulis, non esse tua, cum perspicue in eis styli tui splendor eluceat.*

Aug. lib. de gest. Pelag. c. 19.

Ibid.

Epist. 95.

Epist. 90. apud Aug.

Lib. 3. Dial. adv. Pelag. vers. fin.

Ibid.

Eadem fide in scriptis alienis versabantur, cum enim Ruffinus librum Sexti Pythagorici hominis absque Christo atque Ethnici, immutato nomine, Sixti Martyris & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotasset, Pelagiani ex eo *plurima contra Ecclesiam usurparunt testimonia*: eò quòd hominem juxta Pythagoricos exæquans Deo, multa de perfectione dissereret. Quod quidem illa dexteritate ab illis factum est ut etiam Divo Augustino imposuerint: qui testimonium quod Pelagius ex eo de Dei similitudine per liberum arbitrium assequenda protulerat, tanquam Romani Pontificis venerans, in bonum sensum interpretatus est. Nec nisi multo post à Divo Hieronymo ut videtur monitus, fraudem agnovit.

Hieron. Ep. ad Ctesiph.

Lib. de nat. & grat. c. 64.

Lib. 2. Retract. c. 42.

Nec minus industrius in interpolandis & corrumpendis alienis verbis Iulianus fuit. *Tu autem vir honestus & verax*, inquit Augustinus, *abstulisti verba quæ dixi & dixisti quod ipse finxisti. Redde verba mea & evanescet calumnia tua.* Et inferius: *Quis non exspectet sapientiam disserentis, qui fidem cognoverit mentientis?* Mentientis, inquam.

Lib. 4. cont. Iul. c. 8.

Ibid.

Nam in comminiscendis verborum strophis palliandisque mendacijs ingeniosissimi fuerunt Pelagiani. Præbuit industriæ suæ specimen in Synodo Palæstina Pelagius, ubi ea usus est calliditate & successu, ut hoc etiam ævo tanquam peritissimus mentalium restrictionum architectus ab hujus artis candidatis & professoribus coli mereatur. Nam cum ei varia dogmata tanquam Catholicæ fidei contraria fuissent objecta, tanta versutia elusit accusantium & judicantium diligentiam sive declinando sive restringendo, sive aperte mentiendo, ut in errorum omnium defensione permanserit; & accusantes calumniatores, se verò Catholicum esse persuaserit. Notavit olim calliditatem istam Pontifex Innocentius: *Cum sint aliqua*, inquit, *in ipsis posita gestis, quæ objecta partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit; aliqua magis falsa quam vera ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit negando alia, alia falsa interpretatione vertendo.* Et mendaciorum quidem specimina in illa Synodo edita manifesta sunt, quorum unum exprobrat Iuliano Augustinus: *Sed nunquid infantes*, inquit, *etiamsi non baptizentur habere vitam æternam ulla calliditate in aliquod detorquere vel ullis folijs ficulneis operire potuisti? Eos enim qui hoc dicunt non potuit apud Catholicos iudices nisi damnare Pelagius* &c. Sed addit Augustinus, *quod negavit ore, corde servavit.* Nam postea scriptis libris damnatam sententiam propugnavit.

Innocent. Epist. ad quinque Episcopos quæ est 96 apud Aug.

Lib. 1. cont. Iul. c. 5.

Sed ut Augustinus etiam hic insinuat, in eo potissimum vulpina fallacia illius impostoris illuxit, quod usitatis apertissimisque verbis hæreticæ pravitatis dogmata coram judicibus damnando reprobaret, sed æquivocationibus, amphibolijs, cæterisque restrictionum versutijs in alienissimos sensus detorquendo, sub ijsdem verbis hæreses tegeret. Damnavit etenim: *quod peccatum Adæ ipsum solum læserit & non genus humanum*: ut peccatum originale traductum in posteros agnovisse videretur: sed mente subintellexit, læsisse *exemplo* non *propagine*. Damnavit etiam: *Infantes esse in eo statu in quo Adam ante prævaricationem fuit*; ut prævaricationis contagium putaretur esse confessus. Sed exposuit quod ille præcepti capax fuerit, isti adhuc non sint. His nebulis illud judicium se putabat illusisse Pelagius, discipuli verò ad hoc nefas toto capite annuentes tot ab illo Episcopos irrisos esse ridebant. De qua non tam expositione quam compositione Augustinus: *Nunquid hæc dicendo verba propter aliud objecta, aliter exponendo, id agit, ut se judices non fefellisse demonstret? Prorsus non id efficit. Tanto enim judices fefellit occultius quanto exposuit ista versutius.* quam restringendi calliditatem & aperta verba propter aliud objecta in sensus peregrinos

Lib. de pecc. orig. c. 16.

 detor-

detorquendi versutiam, etiam alibi detestatur: *Quid enim vobis pr. dest, quod nescio quas ansas atque uncos arte nescio cuius perplexitatis, inseritis ne simplicia pateant, & clara luceant? Quis enim non videat, quomodo ista illirudices accipere po-* Lib. 1 cont. Iul. c. 5. A *tuerunt; scilicet secundum Catholicam fidem, &c. non sicut exponuntur, vel potius componuntur à vobis?* Alibi tanquam mendaciorum officinam reprobat. Lib. de pec. orig. c. 15. in fine.

Ambiguis verbis dogmata exprimunt. Sub aliena persona disputant tanquam de quæstionibus præter fidem. Romanæ Ecclesiæ reverentiam & in omnibus submissionem simulant.

CAPVT XXV.

EODEM pertinet & illa fraudulentia, qua solebant sententias suas à Catholica fide remotissimas ambiguis verbis exprimere, & ita ambidextra subtilitate temperare, ut utrumlibet sensum admittendo, etiam oculatissimi fallerentur, cujusmodi dexteritatem sæpius Augustin. in Pelagio expertus est. Ibid. c. 18. *Videte*, inquit, *latebras ambiguitatis falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati, ita ut etiam nos, cum primum ea legimus recta vel correcta propemodum gauderemus.* Et alio in loco: Ibid. c. 21. *Et ista eius verba Romam pro magna eius purgatione transmissa tam sunt ambigua ut possint eorum dogmati præbere latibula, unde ad insidiandum prosiliat hæreticus sensus &c.* Itemque in Iuliano: Lib. 4. cont. Iul. c. 3. *Ita sententiam temperasti, ut & vestrâ & nostrâ posset voce defendi &c. sed qui scimus quod sentiatis, nescire non possumus quomodo ista dicatis.* Et hac quidem perplexitatis arte tantopere Pelagius & omnes posteri ejus valuére, ut nihil tam speciosum à Catholicis de gratia prædicari posset, quin iisdem phrasibus atque elogijs etiam ipsi uterentur, ut ex libris Fausti Regiensis, atque alijs facile animadverti potest. Ex quo nata est illa summa difficultas detegendi errores, quibus sive nunc, sive tunc divinæ gratiæ sinceritas adulterata est. Neque hoc ipsum Divum Augustinum latuit, qui in Pelagio adversariorum divinæ gratiæ principe versutiam illam detegendo posteros monuit, ne propterea statim Catholicam gratiæ confessionem esse crederent, quia verbis Catholicum sensum præferentibus ederetur. Lib. de grat. Christi c. 47. *Potest*, inquit, *Pelagius ita se latebris obscuritatis huius involvere, ut etiam ijs quæ à Sancto Ambrosio conscripta posuimus consentire se dicat, & ea se quoque sentire proclamet, simperque sensisse; atque ita singula conetur exponere, ut etiam eius sententia convenire credantur.*

Eandem indolem vulpinam redolet & ista subtilitas Pelagio familiaris, quâ ut securius hæresim propinaret sub aliena persona disputandas proferebat difficultates. Nimirum sic à persona sua removendo novitatis invidiam, sine periculo poterat limax in cochleam caput subducere, si quâ duriore censura prosequeretur. Observavit quidem istud artificium ejus Augustinus, sed quo spectaret, nondum animadverterat. Vnde tam perversa & Christia- A næ repugnantia veritati *virum illum tam egregie* scilicet *Christianum omnino non sentire*, sed tantum disputanda proposuisse credebat, ut adductis hinc inde rationibus, quid contra dici posset, elucesceret. Lib. 3 de pec. merit. c. 3.

Quâ disputandi libertate ut vel ipsos Christianæ religionis cardines sibi convellere liceret, eas de quibus ipsi disserent quæstiones non fixas atque determinatas, sed præter fidei periculum esse dictitabant, *ut videlicet, si in eis fuissent exorbitasse convicti, non criminaliter, sed quasi civiliter errasse viderentur.* Augus. lib. de pec. orig. c. 23. Sic enim Celestius Carthagine accusatus: Ibid. *De traduce*, inquit, *peccati dixi, quia intra Catholicam constitutos plures audivi destruere, nec non & alios astruere: licet quæstionis res sit ista, non hæresis.* Et in libello quem Pontifici Romano exhibuit: *Si quæ vero præter fidem quæstiones nata sunt, de quibus esset inter plerosque contentio, non ego quasi autor alicuius dogmatis definita hoc autoritate statui.* B Nempe perspicuum est, id eum egisse istâ præfatione, ut si quid in ipso appareret erroris non in fide, sed in difficili quæstione errasse putaretur, ut ita astute invidiam hæresis declinaret. Quo prætextu à recentioribus quoque postmodum non pauca quæ vel Divi Augustini disputationibus vel Côciliorum sanctionibus de gratia & prædestinatione definita sunt, tanquam essent non fidei dogmata, *sed profundiores difficilioresque partes intercurrentium quæstionum*, ut Celestius Papa nonnullas nominaverat, in dubium revocata sunt. Epist. ad Episc. Gal. c. 11.

Vt verò tutius venenum suum proderent & ab ignaris serpentinæ fraudis hominibus securius biberetur, magnam Sedis Apostolicæ præferebant reverentiam, omniaque Romani Pontificis judicio se submittere simulabant. Sic enim Celestius in libello seu fidei confessione quam Romæ Zozymo Papæ dedit: C *Ea*, inquit, *quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi vestri Apostolatûs offerimus probanda esse judicio: ut si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur.* Lib. de pec. orig. c. 23. Et cum ab eodem Zozymo hoc ageretur, ut Sedis Apostolicæ litteris quæ à suo prædecessore Innocentio scriptæ fuerant, præberet assensum; *Omnia*, inquit Augustinus, *quæ sedes illa damnaret, se damnaturum esse promisit.* Ibid. c. 7. Ita tunc quidem ad tempus Pontifici fucum fecit; sed cum

cum pòstea ejus præsentia posceretur, ut dilucidis responsionibus vel astutia hominis vel correctio dilucesceret, se subtraxit examini: damnatusque in errore consenuit.

Et ex istis quidem quæ huc usque dicta dissertaque sunt, abundè percipi potest quænam fuerit hæresis Pelagianæ facies in exortu & progressu, & cum jam sæpius mutato vultu consenesceret, quis dogmatum universorum scopus fuerit: nempe patet, superbiam adversus Deum, & gloriam in oculis aliorum hominum ac suis, fuisse proprijssimum eorum spiritum, ac notam, quâ (tam ipsa olim, quàm quotquot postea Dei dona ad humanum arbitrium quoquo modo revocando, læserunt gratiam Dei) à cæteris dignoscuntur. Nam hoc ipso, quo animus sibi ipse placere incipit, bonosque mores directè aut per ambages à suæ voluntatis nutu suspendere, necesse est, ut inde series illa vitiorum superbiam comitantium secundum diversitatem occasionum pullulet. Hinc enim novitatis, admirationis, famæ, gloriaque captatio, quibus animus jam sibi magnus, etjam magnus appareat. Hinc affectatio sanctitatis, jactantia hypocrisis. Quæ si non ita ex voto succedant, ut magnus habeatur, qualem se tacitè esse sentit, erumpit in crassioris superbiæ effectus & signa, vestium, divitiarumque pompas, aliaque sæcularis fastus probra. Hinc illæ scientiæ gentilibus propria consectatio, Philosophiæ & signorum, quæ amplius inflare solet, eloquentiæ, & multiloquentiæ. Hinc scriptitandi pruritus ingens, contemptusque cæterorum, quos tam evidenti mole librorum superant. Hinc tota illa fallaciarum, restrictionum & mendaciorum scena, quibus inanitatis suæ conscius, affectat etjam videri quod non est. Hinc tandem Deo superbiam persequente, vel si propitius est, etjam sanante, aperta flagitiorum turpitudo, quibus fastus ille deprimatur, & resipiscendo à præsumptione redeant humiliores, atque doctiores.

Cùm verò damnatio erroris manifesti plurimos à tanta naturæ & liberi arbitrij laude revocasset, temperamentum quoddam naturæ & gratiæ, à quibusdam Presbyteris Massiliensibus inventum est, quo se putabant utriusque partis incommoda declinare; ita ut neque cum Augustino cuncta ex Dei gratia, neque cum Pelagio ex libero arbitrio religarent. Cómentum istud à subtilibus ingenijs magnâ dexteritate concinnatum fuit multosque non minus nunc quam olim imprudentes delusit.

FINIS.

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE HÆRESI PELAGIANA
LIBER SEPTIMUS.
Qui de Semi-Pelagianis primus est.

De prædestinatione parcè scripsit Augustinus ante motas ab Adrumetinis Monachis & Massiliensibus, difficultates, & quare. Ortus Semi-Pelagianorum, & ratio nominis.

CAPUT PRIMUM.

DVo sunt in Christiano Doctore magnopere cōmendanda, scientia atque prudentia: quarum illa in percipienda, hæc in dispensanda veritatis cognitione versatur; magna quippe circumspectione opus esse in tradenda rerum obscurarum magnarumque doctrina, quarum etjam liquidissima nobis manifestatio Deo revelante facta est, satis ille generis humani Magister insinuavit quando Discipulis dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere sed non potestis portare modo.* Ioan. 16. Ex quo fit, ut si pondus veritatis vires discentis excedat, nonnunquam suspendendum sit ut extendat crescentes, non imponendum ut obterat parvulos: Nonnunquam verò etjam omninò occultandum sit; ne vel non

quod viribus sibi suis pepererant ad gratiam Dei quoquo modo se posse pertingere. Hinc Prosper de illo Massiliensium errore loquens: *quam partem*, inquit, *superba prædicationis* (Pelagianæ) *quidam sibi cum cætera abnuerent servaverunt.* Et Augustinus: *In quorum* (Pelagianorum) *errorem cadit qui putat aliquo merito humano gratiam Dei dari.* Et omnium apertissime cum Vitalis Carthaginensis diceret, posse hominem Dei suasione præcedente, consequente consensione, libertate naturali credere (in quo totus error Semi-Pelagianus cõprehenditur) respondet Aug: *Hæc est illa Pelagianorũ mala male diffamata meritoque reprobata & ab ipso etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Episcop. rum iudicio damnata sententia.* Sed quia cæteras Pelagij hæreses de peccato originali, de liberi arbitrij integritate & in primis de salute & iustitiæ perfectione suis viribus assequenda damnarent ipsumque illum errorem suum longe à Pelagiano discrepare crederent, hinc quasi à partita Pelagij hæreditate Semi-Pelagiani appellati sunt.

Epist. ad Demetriad. — *Epist. 2. ad Valent.* — *Epist. 107.*

Semi-Pelagiani in plures Sectas divisi etjam statim in initio. Sententia Fausti de viribus naturæ & gratiæ prorsus Pelagiana.

CAPUT SECUNDUM

VBI tamen observatum volumus quod quia illa partitio Pelagianorum dogmatum multifariam potest contingere, plura etjam genera Semi-Pelagianorum possint recenseri. Omnibus quippe commune fuit post proscriptos ab Ecclesia Pelagianos, originis labem & nonnullam naturæ corruptionem adeoque liberi arbitrij infirmitatem peccato partam agnoscere: sed non omnes æqualiter in ea infirmitate confitenda progressi sunt: quidam enim solo primo tenuissimoque auspicandæ vitæ initio sibi reservato, nihil prorsus ad salutem progredi hominem posse, sine vera Dei gratia constanter, libenterque fatebantur: alij per naturam gratuitò in creatione datam ad bonum ac malum prorsus indifferentem esse, & accedente prædicationis ac doctrinę adjutorio perfectam justitiam assequi posse cum Pelagio delirabant. Quę differentia Massiliensium, etjam in ipso videtur ortu contigisse & à Prospero in Epistola ad Augustinum observata: in qua cum quorumdam Semi-Pelagianorum sententiam retulisset, qui omnium minime exorbitaverant, alios deteriores notans, sic dicit: *Quidam vero horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant ut cum ad confitendam eam Christi gratiam quæ omnia præveniat merita humana cogantur &c. ad conditionem hanc velint uniuscuiusque hominis pertinere*: & infra: *Et quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere.* Quo sane deterius nihil unquam Pelagius dixit, neq; majores homini ad justitiam vires dedit, ut ex verbis Pelagij libro de gratia Christi consignatis, & ex Epistola ad Paulinum ab Augustino scripta clarum est. Acriter enim hæresiarcham illum reprehendit quod simili modo *paribus momentis potestatem voluntatis æqua lance perpenderet*, atq; ita *nullum locum adiutorio gratiæ reservaret.* Nam quamvis isti vitiũ originale faterentur, tantam tamen libertatis integritatem, tantasque ad bene vivendum vires istis verbis remansisse significant, quantã vix Pelagius hominibus sine ulla peccati labe nascentibus tribuebat. Vnde prorsus verisimile est, genus istud Massiliensium nihil penitus gratiæ præter legem doctrinamque Christianam perinde atque Pelagium cum tanto naturę vigore copulasse. Qui sane Semi-Pelagianæ hæresis gradus longe luculentius post obitum Divi Prosperi à Fausto ejus in Episcopatum successore patefactus atque defensus est. Hic enim in duobus illis libris quos de gratia & libero arbitrio scripsit, & peccatum originis, & mortem peccati supplicium, & inflictam arbitrij infirmitatem planissime confitetur: Baptismi divinæque gratiæ necessitatem ad operandam justitiam toto opere plenis buccis prædicat, damnatumque cum Ecclesia damnat Pelagium, sed cum ad rem ventum est ut sine fuco explicet quæ sint illæ naturæ vires, quæve illa gratia quam arbitrium peccato attenuatum postulat, ad progressum in justitia faciendum, quam sola credendi voluntate inchoatum cum cæteris Semi-Pelagianis constituerat, tota hæresis Pelagiana detractâ larvâ prodit in medium. Nam ut nihil de potestate credendi dicam quam cum Semi-Pelagianis cæteris sexcenties naturæ tribuit, tantas ad ipsam justitiæ perfectionem assequendam vires remansisse statuit, ut in ipso Pelagio nihil magis sacrilegum condemnatum sit. Audi de patrum antiquorum justitia disserentem: *Sed & Abel*, inquit, *divinis placere conspectibus, per insitum à Deo generaliter bonum, id est per propriæ meruit voluntatis affectum. Hic ergo, cui cognomen iusti immaculata vitæ perfectio dedit, quo erudiente iustitiæ sectator exsisteret, nisi eum lex visceribus inscripta docuisset?* Ecce per legem naturæ perfecta justitia. Sed audi de Enoch cætera paulo post: *Vnde Enoch cum Deo ambulare, vel Deo placere potuisset, nisi eum lex visceribus infusa secreto magisterio illuminasset, in tantum ut nihil terrenum sapiens mirabiliter à terra Deo adsumente raperetur?* Audi de Noë: *Qualem, quantamque homo à Deo legem* (naturę) *prima conditione susceperit perfecta etiam Noë iustitia declaravit, quia genera-*

In Epist. ad Aug. ante medium. — *Lib. de grat. Christi c. 4. apud Aug. Epist. 106.* — *Lib. 1. c. 1. & 2.* — *Faust. lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 6.* — *Ibid. c. 7.*

Google

generalia fidei dona speciali in se studio virtutum sectatur excoluit. Quæ sane non aliunde quam ex Pelagio Demetriadem virginem instituente derivavit. Et nequis tam perfectam justitiam sine Dei gratia eos assequi potuisse suspicetur, accipe decantatam illam Pelagianorum gratiam à Fausto iterum Christianis obtrusam: *Vides bonum credulitatis non novellum esse privilegium, sed vetustum: & inter ipsa mundi coalescentis exordia mentem hominis sicut intellectu atque ratione, ita etiam fide a Deo summo autore dotatam? Itaque jam tum dedit anima notitiam suam, quando ei committere dignatus est imaginem suam.* Et inferius: *Qui* (Enoch) *dum fidei merito in prima sæculi illius ætate cæteros antecessit, fidem ipsam cum lege naturæ sibi traditam fuisse perdocuit.* Quam doctrinam ne respectu fidei tantummodo intelligendam putes, eodem loco & cultum Dei, & salutem ipsam naturali legi acceptam ferri oportere tradit: *Inesse hominis intellectum Dei pariter & cultum ideo Propheta memoravit, quia legem naturæ indiscretè intra omnis hominis sensum vigere cognovit.* Et Ninivitarum gratiam celebrans: *Ostendit itaque gens illa,* inquit, *ex qua saluti hominis competunt ipsa ordinatione factura, Deum intra hominem collocasse, & ante munera Redemptoris* (hoc est gratiam Christi) *circa rationabilem creaturam semper autoris dona viguisse.* Vnde legem naturæ *Primam Dei gratiam* aliquoties vocat. Et ut genuinam Pelagij agnoscas prolem de lege Moysi subijcit: *Ideoque hæc lex Moysi quæ prima creditur jam secunda est.* Nempe non tantum secunda lex sed & secunda gratia.

Initio Epist. ad Demet. — *Lib. 2. c. 6.* — *Lib. 2. c. ult.* — *Lib. 2. c. 7.*

Iam vero de tertia illa gratia quam adventu suo Christus attulit, & sæpius Faustus magnificis elogijs prædicat necessariam, audi quam belle Pelagio præceptori suo discipulus concinat. Exponens enim celebrem illum Psalmistæ locum, *nisi Dominus ædificaverit domum*, ubi divinæ gratiæ necessitas quam maxime inculcatur: *Numquid aliter,* inquit, *ædificat & cognoscit Ecclesiam, quam per labores & officia Sacerdotum, per ministeria & exempla Sanctorum, per Apostolorum virtutes & Martyrum mortes?* En cum quali gratia *usque ad omnium malorum tolerantiam* ut ipse loquitur, *vitaque jacturam* laborandum esse decernit. Ne vero minus quam par sit religiose sensisse culparetur, palliando impietatem subijcit: *Ad Dominum tamen semper est referendus laboris effectus*, nimirum quia talis gratiæ adjutorium præbet. Et nequid scrupuli nobis de illa Fausti sententia superesset, luculentissimum illum tractans locum, quo Christus neminem ad se venire posse testatur, *nisi Pater traxerit eum: Quid est autem attrahere,* inquit Faustus, *nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium pollliceri?* Nonne apertissime tractum Dei nihil aliud esse sentit, nisi externam legem atque doctrinam, cujus latitudo omnia illa, quæ commemorat officia comprehendit? Ex quibus omnibus alijsque pluribus quæ afferri possent, manifestum est, quamvis originalis peccati labem à parentibus in prolem traijci Faustus contra Pelagium fateatur: de perficienda tamen tota justitia, non aliter Deo, quam per inscriptam visceribus naturalem legem vel per externum prædicationis, exempli doctrinæque ministerium adjuvante, cum nihil diversum à Pelagiano errore sentire.

Lib. 1. c. 11. — *Ibid.* — *Ioan. 6.* — *Lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 17.*

Non ex Fausto solo & Cassiano judicandum de statu erroris Semi-Pelagianorum, sed ex scriptis Prosperi & Hilarij.

CAPVT TERTIVM.

QVÆ quamvis ita sint, graviter tamen eos hallucinari fidenter dixerim, qui Prospero & Hilario ex parte persuasum esse putant, quod Semi-Pelagiani non aliter de gratia quam Pelagiani senserint, & quod una esset utrorumque sententia. Non enim ex doctrina unius Fausti qui facile quadraginta annos post Epistolas Prosperi & Hilarij ad Augustinum scriptas utroque jam defuncto libros suos edidit, vel etjam ex scriptis solius Cassiani de tota Semi-Pelagianorum omnium opinione judicandum est. Nam & ipse Cassianus Collatione duodecima novam planè & inusitatam cæteris Massiliensibus viam aperuit ut gratiam cum libertate conciliaret. Duo quippe statuit hominum genera quorum unum per gratiam fidem accipit, alterum per naturam: Illud invitum à Deo ad salutem trahitur, hoc voluntaria devotione sponte currit: & eorum nunc his, nunc illis alternantes Scripturarum voces applicat, quibus vel libertas hominis convenitur, vel Dei gratia prædicatur. Quam novam sententiam neque Cassianus fortasse semper tenuit, ut ex alijs libris utcumque sublucet. Nam vacillasse Massilienses, & subinde mutasse suas opiniones quod nihil invenirent in quo errabundus animus conquiesceret nonnullis locis Prosper & Hilarius profitentur. *Cumque ut ipsi ea exponunt* (Apostoli loca inquit Prosper) *secundum quorum velint sensa deposcimus, nihil se profitentur invenisse quod placeat, & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit.* Et luculentissime Hilarius: *Nec mireris quod aliter vel aliqua in hac Epistola addidi quantum puto, quæ in superiore non dixeram: talis est enim nunc eorum definitio.* Apertè significans jam tum in ipso exortu aliam eorum fuisse definitionem sive sententiam, ut nihil mirum videri debeat, si vel sub Sixto Cassianus quando adversus eum Prosper scripsit, vel post Prosperi & Hilarij obitum Faustus raucidas opiniones interpolaverint. Et sanè doctissimis illis solertissimisque viris, qui quotidie cum eis disputando lucta-

Prosper in Epist. ad August. — *Epist. ad Aug. in fine.*

luctabantur, & insurgentium importunitate coacti sunt tandem solum vertere, falsis persuasionibus fuisse impositum, ut eorum sententiam non intellexerint, nimis ineptum est suspicari. Eo quippe spectat ista existimatio ut & Augustinus & Celestinus Pontifex non dissimili ratione delusi tanquam cum umbris luctati aërem verberaverint: & siquid sententiarum hujus ævi nimia forsan Massiliensium vicinitate suspectum sit, à Semi-Pelagiani erroris nota facilius vindicetur. Nos igitur accuratissimas illas Prosperi & Hilarij relationes, tanquam ex ore Massiliensium exceptas, & veritati ab ipsis magna sollicitudine indagatæ examinatæque congruas acceptantes, quibus & Augustini & Celestini Pontificis nititur confutatio, Semi-Pelagiani erroris ortum & statum ex illis potissimum indagabimus; idque quanto fieri poterit veritatis & indifferentiæ studio ne cuiquam recentiorum de suspecta doctrina temerè creemus invidiam. Quod siquid subinde ex Cassiano, Fausto vel similibus accersamus, ad ea tantummodo declaranda serviet, in quibus isti ab illis non discreparunt, cætera namque quæ Pelagianum dogma redolent, satis ex illius erroris discretione quam fusè tradidimus percipi poterunt.

Sententiam Semi-Pelagianorum tenuit ante Massilienses Vitalis, & ipse Augustinus.

CAPVT QVARTVM.

ET meritò quidem dubitari potest, utrum nemo ante Massilienses errorem Semi-Pelagianum seorsim ab alijs Pelagij erroribus docuerit. Nam Pelagianos ipsos in eundem quidem errorem, sed alijs multis hæresibus involutum post damnationem declinasse jam supra diximus. Præcipuam dubitationis ansam prębet Vitalis ille Carthaginensis, ad quem corrigendum centesimam septimam Epistolam scripsit Augustinus. Nam quantum ex illa colligi potest, nihil aliud ille tenuit nisi *ut rectè credamus in Deum, & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est ex propria voluntate*, sive ut in fine illius Epistolæ apertè loquitur, *initium fidei non esse donum Dei, cætera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam iam ex fide petentibus elargiri*: quæ est ipsissima Semi-Pelagianorum sententia. Nam quod aliqui dicunt Augustinum in illa Epistola non referre uti de Massiliensibus refert, quod à Pelagio Vitalis iste discesserit, sine dubio parum Augustini dicta considerarunt. Quid enim illo expressius? *De orationibus autem fidelium, quas & pro se & pro alijs fidelibus faciunt* (pro gratia scilicet post credulitatem obtinenda) *confligendum esse tecum non puto. Contra Pelagianos est iste conflictus, tibi nobisque communis.* Quid item illo luculentius? *Ego enim hæreticum quidem Pelagianum te esse non credo: sed ita esse volo, ut nihil illius ad te transeat, vel in te relinquatur erroris.* Denique qui tantopere pro sanando Vitale satagit, ut etjam præcisionem comminetur, nisi ab illo errore discedat, quid facturum fuisse arbitremur si trabales illas sententias de originali & illæsa naturę ac libertatis integritate tenuisset? Scriptā vero esse Epistolam illā ante Massiliensium exortum ac librum de prædestinatione Sanctorum valde verisimile est. Neque enim ad ejus instructionem opus tam oportunum atque elaboratum allegare destitisset. Quo tempore tamen Vitalis in illum errorem inciderit, certo argumento asserere non est facile.

Ita Aug. Ep. 107. initio.

Suarez Proleg. 5. c. 5. n. 5.

Epist. 107. in fine.

Ibid. paulo ante.

Sed ut ut est, Augustinum ipsum Massiliensium errorem ante Episcopatum tenuisse & ad amussim expressisse, tum Presbyteri Massilienses agnoverunt, tum Augustinus ipse ingenue confitetur. Nam contra ipsum ex Divo Cypriano disputans; *Quo præcipuè testimonio*, inquit, *& ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona.* Et paulò inferius: *Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta.* Et adductis verbis suis quibus error iste, expressus fuerat: *In qua sententia*, adijcit, *istos fratres nostros esse nunc video: Quia nō sicut legere libros meos ita etiam in eis curaverunt proficere mecum.* Vnde Massilienses ex Augustini scriptis in Epistolam ad Romanos sententiam suam accuratè confirmabant, & ea quæ ibi de fide nostris viribus præstanda, & à Deo eligenda disseruerat, *se acceptare*, ut Hilarius refert, *& probare testabantur tanquam convenientia Evangelicæ veritati.* Ex quo perspicuum est, ex illis Divi Augustini operibus, quæ ante Episcopatum condidit, non parum lucis posse peti, ut ad accuratam Semi-Pelagianæ opinionis intelligentiam perducamur. Simul autem & salubriter illo exemplo admonemur, quam proclive sit corruptæ naturæ (quæ velut mortem ipsam horret, omni fiducia suæ libertatis funditus exui) in sententiam Semi-Pelagianam labi, tenuissimasque fibras illius erroris retinere. Si enim tantus ab ipso conversionis exordio divinæ gratiæ propugnator, ad quam agnoscendam & profitendam mirabili illa ad fidem veram & pœnitentiam revocatione eruditus fuerat, non potuit inde nisi *Deo revelante*, ut ipse loquitur, extricari; quid mirum si præcedentibus nonnullis Patribus, maximè Græcis, qui studiosissime Origenis Pelagianorum antesignani lucubrationes triverant, aliquid ex pulvere subtilissimi illius erroris adhæsisset? Neque enim pauca passim in scriptis eorum occurrunt loca quæ

Lib. de prædest. SS. c. 3.

Ibid. c. 4.

De prædest. SS. c. 4.

Digitized by Google

quæ Massiliensium sententiam in exteriori cortice præ se ferunt. Ex quo profectum est ut eos Divi Augustini doctrina velut nova non parum offenderet, quod & præcedentium Patrum autoritas & sensus Ecclesiasticus repugnare viderentur. Proinde non abs re fuerit paulò diligentius indagare, quinam antiquorum ante Massilienses & Augustinum in opinionem illam lapsi sint.

Prosp. in Epist. ad August.

Occurrit hic inter primos Divus Hieronymus qui sententiam illam ita clare disertequc profitetur ut non videam quo pacto excusari possit. *Iustitia* inquit, *labore & industria ac diligentia & semper super omnia Dei clementia custoditur: ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus.* Quid manifestius ex Massiliensium opinione dici potest quam *nostrum esse incipere, illius perficere*? Hoc est enim ipsissimum illud quod profiteri solent. Unde cum Augustinus simili locutione dixisset. *Quod ergo credimus nostrum est, quod autem bonum operamur illius est qui &c.* retractando sententiam illam subjicit: *Quod profecto non dicerem, si tam se rem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri.* Illa quippe antithesis *nostrum* & *illius* non ita permittit utrumque divinæ gratiæ vendicare. Quem sensum ut idem Sanctus Hieronymus luculentius suis lectoribus patefaceret, alio loco in eodem libro dicit: *Ubi misericordia & gratia est liberum ex parte cessat arbitrium, quod in eo tantum est, ut velimus atque cupiamus & placitis tribuamus assensum. Iam in Domini potestate est ut id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.* Ita D. Hieronymus etjam adversus Pelagianos dimicans nihil divinæ gratiæ derogari putat, si sibi primas partes liberum arbitrium vendicaret. Sed ante Hieronymum Tyconius Donatista qui septem illas regulas à Sancto Augustino laudatas tradidit, eundem errorem imprudens docuit, quamvis de gratia Dei commendanda satageret. De hac Tyconij hallucinatione sic Augustinus: *Laboravit in ea* (quæstione de gratia & mandato) *dissolvenda Tyconius bene, sed non plene. Disputans enim de fide & operibus opera nobis dixit à Deo dari merito fidei; ipsam vero fidem sic esse à nobis ut nobis non sit à Deo.*

Lib. 3. Dial. advers. Pelag. initio Coll. 880.

Lib. 1. retract. c. 23.

Ibid. Coll. 886.

Lib. 3. de doctrina Christiana c. 33.

Apertissimè eodem circiter tempore docuit illam sententiam vel multò deteriorem Ambrosiaster, sive Autor illius Commentarij in Epistolas Pauli, qui in operibus Divi Ambrosij circumfertur. Nam in primis fidem constantissime docet per naturam ab homine comparari: *Vobis dico gentibus*, inquit, *qui incircumcisi neque neomenias, neque sabbathum, neque escarum legem servant, & duce natura credunt in Christum.* Quod mox explicando subnectit; *ipsa ergo natura proprio iudicio creatorem suum agnoscit non per legem, sed per rationem naturæ.* Quod sæpius ibidem repetit. Et iterum aliquanto post: *Credens gentilis duce natura in Christum, condemnat Iudæum, cui lex promiserat Christum & advenienti ei credere noluit. Quanto ergo gentilis majori dignus est gloria qui per solam naturam intellexit autorem &c. tanto magis Iudæus puniendus qui neque per naturam neque per legem Christum agnovit autorem.* Et rursum alio in loco: *Per naturam enim inducti sumus ad fidem non per legem, in qua forma doctrinæ Dei imperio facti sumus qui finxit naturam. In natura enim habemus ut cognoscamus à quo & per quem & in quo sumus creati. Forma ergò doctrinæ est, in qua tradidit nos creator naturaliter, hoc est quod supra dixit: Ipsi sibi sunt lex, dum vident natura sua esse quod credunt.* Et paulò post: *Obedivimus ex corde credentes in Christum ut serviremus Deo, non per legem Moysi sed per legem naturæ.*

In c. 3. ad Rō. ad illud, Cum enim gentes &c.

In illud: Si igitur præputium.

In c. 6. Rom circa finem.

Neque fidem solum in naturali potestate constituit, sed etjam ut Massilienses ipsam boni complacentiam, hoc est, ut illi loqui solent, velle bonum, etsi illud implere præ infirmitate non possint. *Iam bona*, inquit, *asserit quæ iubet lex, ut naturaliter sibi placere dicat & velit facere: perficere autem bonum non invenio. Et placet ergò quod lege iubetur, & voluntas est faciendi sed ut impleatur, potestas & virtus deest.* Hinc est quod consequenter nobis bonos conatus tribuit, Deo conatuum adjutorium. *Deum*, inquit, *bonos conatus adiuvare testatur. Omnem enim gratiam semper reportat ad Deum, ut nostrum sit velle, perficere vero Dei.* Quæ prorsus consonant ijs quæ à Ioanne Cassiano Collatione decimatertia disputantur. Hinc est ulterius quod nullam gratiam homini dari putet, nisi interveniente justitia, quo nihil hostilius adversus gratuitam gratiam dici potest. *Ex hoc utique dantis Dei & non dantis iudicium sequendum est: quia non iniuste iudicat qui omnes salvos vult manente iustitia.* Et inferius exponens illud Apostoli: *Igitur cuius vult miseretur*, Commentarium Pelagij à Sancto Augustino sæpius reprobatum adhibet: *Ex persona*, inquit, *contradicentis loquitur, qui quasi putat Deum neglectâ iustitia alicui gratiosum; ut unum è duobus paribus accipiat alterum respuat* Et adhuc manifestius paulò post: *Alij miseretur & alterum despicit, non sine iustitia. In figulo enim sola voluntas est. In Deo autem voluntas cum iustitia. Scit enim cui debeat misereri, sicut supra memoravi.* Quam verborum illorum expositionem adeoque verba cum protulisset hæreticus Iulianus, sic ei reponit Augustinus: *Quomodolibet dicas Deum facere quod debet, gratiam nemini debet*; & impietatem illam latius persequens *humana merita* illis verbis Pelagianis *alta cervice ventilata* esse testatur.

In c. 8. Rom. ad illud: Velle adjacet.

In Epist. ad Philipp. c. 2.

In c. 9. Rom. Igitur non volentis.

Vide lib. de Prædest. SS. c. 8. lib. de gestis Pelag. c. 16.

Lib. 1. oper. imperf. advers. Iul. fol. 188.

Ex hâc ergò venâ fluit illa ejusdem autoris sexcenties repetita sententia, qua omnem electionem & prædestinationem Dei ex præscientia sive ex prævisa hominis fide ac dignitate suspendit, usque adeo ut etjam discretionem Esau & Iacob quam ex professo ad commendandam gratuitam gratiam Apostolus profert, ex prævisione alicujus dignitatis ex parte utriusque se tenentis factam esse deliret. *Præscientiam*, inquit, *Dei flagitat in his causis, quia non aliud potest evenire, quam quod novit Deus futurum; sciendo enim quid unusquisque illorum futurus esset, dixit, hic erit dignus, qui erit minor, & qui maior*

erit

rit indigum. Vnum elegit præscientiâ & alterum sprevit &c. *hoc quasi præsciens, non personarum acceptor, nam neminem damnat antequam peccet, & nullum coronat antequam vincat.* Quam sententiam de illis parvulis à Iuliano quoq; propugnatam, sæpius Augustinus tanquam Pelagianam expugnat.

Vide lib. 1. oper. imperf. fol. 184. & seqq.

Tantopere verò illam præscientiam sive fidei sive alterius cujuspiam bonæ voluntatis passim prædicat, ut etiam ipsam vocationem ad fidem, perinde ut Massilienses, secundum eandem præscientiam dispensari putet: *Ita & Apostolum Paulum*, inquit, *sciens quod esset futurus pravus, cum in antequam converteretur vocavit eum, quærat necessarium.* Et clarius alibi sententiam suam prodens: *Prohibitum se dicit usque ad tempus datæ Epistolæ, à Deo utique qui sciens adhuc imparatos illos ad alias urbes direxerit Apostolum, quæ jam ad recipiendam veritatem essent capaces.* Et inferius: *Volentes aliquando in Bithyniam ire, prohibiti sunt à Spiritu Sancto Paulus & Silas. Cur? nisi sciret adhuc affectum deesse.* Ecce Euangelicam prædicationem sive vocationem juxta *præparationem affectum que* singulorum Dei prævisione cognitum dari aut subtrahi putat. Firmissime quippe cum Semi-Pelagianis autor iste tenet, nullum donum Dei hominibus dari nisi præeunte cujusque bona voluntate: quod ad illa Pauli verba, *unusquisque proprium donũ habet ex Deo*, quibus vera gratuitaque Dei gratia commendatur evidenter expressit: *Hoc est*, inquit, *unusquisque juxta votum suum donum Dei habet, ut si velit ipsius votum, Dei possibilitatem*, hoc est, à Deo possibilitatem *consequatur.* Et paulò post: *Ostendit in qua re melius est esse propositorem quia in eo adjuvatur quis quod videtur aviditate mentis appetere* &c. *Illum enim Deus juvat quem videt tota virtute contendere.* Quasi verò non & ipsa bona voluntas, & votum & aviditas mentis & totius virtutis contentio inter maxima Dei dona collocanda sint vel ad habenda ista nullo gratiæ adjutorio mens hominis adjuvetur. Quemadmodum adversus Pelagianos post condemnationem similiter delirantes invicte Divus Augustinus ostendit.

Prosp. & Hilar. in Epist. ad August.

In c. 1. ad Galat.

In c. 1. ad Rom.

Lib. 2. ad Bonif. c. 5. 6. 10. & lib. 1. c. 19.

Ex illis, aliisque multis quæ ad illos errores hujus autoris convincendos proferri poterant, facile jam intelligitur, quid illi Commentario tantopere à recentioribus nonnullis prædicato tribui debeat, quo Deum velle dicit omnes homines salvos fieri, *si & ipsi velint.* Sic enim loquitur; *Cur non impletur ejus voluntas? sed in omni locutione sensus est, conditio latet. Vult enim Deus omnes homines salvos fieri, sed si accedant ad eum, non enim sic vult ut nolentes salventur, sed vult ipsos salvari si & ipsi velint. Nam utique qui legem omnibus dedit nullum excepit à salute.* Nam ex illo explorato errore Semi-Pelagiano disputat quo supra sæpius fidem assignavit naturæ, fidem quippe Massilienses & salutis seu sanitatis per medicum assequendæ desiderium in homine præcedere volunt, cujus intuitu Deus volenti sanitatem tribuat, nolenti neget: ut postea propriis eorum verbis demonstrabimus. Quam Semi-Pelagianorum sententiam nemo accuratius illo autore in eodem illo ipso loco tradidit: *Numquid medicus*, inquit, *non ideo se proponit in publico, ut omnes se ostendat velle salvare si tamen ab ægris requiratur? non est vera salus, si nolenti tribuatur, nec gaudere potest in percepta salute, qui invitus, si tamen potest, accipit medicinam: Vt non dicam, quia medicina effectum habere non potest, nisi ad eum æger animum commodaverit; quia hæc medicina non est corporalis sed spiritualis, quæ neque dubiis proficit neque invitis. Fides est enim quæ dat salutem: quam nisi mens tota susceperit voluntate, non solum nihil proderit: sed & oberit.* Quæ omnia nihil aliud spirant, quam id quod omnes Massilienses de credendo & inquirendo medico, ut declarabimus infra, uno ore tradiderunt. Quam procul igitur sunt à vera intelligentia divinæ gratiæ, qui in tam perspicuis hærentem erroribus *gravem & Catholicum autorem censeri* volunt; videant ii qui tantum subsidii pro sua quam docent gratia possibilitatis, & voluntate salutis omnium quam Deus habeat, *si tamen homines velint*, in hujus & similium autorum verbis situm esse putant, ne imprudentes Semi-Pelagianam sententiam tenere, tradere ac defendere convincantur. Neque enim mirum cuiquam videri debet si eorum placita ipsis placeant, qui de eorum præsidio & antiquitate sibi tantopere gratulantur. Longe enim subtilior & latentior ista pestis est quam quisquam pœne recentiorum putet: à qua neque Corypheus omnium Doctorum Ecclesiæ & gratiæ patronus & penetrator profundissimus nisi *Deo revelante* liberari potuit. Neque enim satis est de inani quodam gratiæ nomine & effigie sibi blandiri, quod simul cum voluntate si tamen homo voluerit operetur. Profundius est vulnus, quam ut curatrix ejus medicina suum effectum à libertate voluntatis expectet. Sed de his alibi opportunius.

In c. 2. 1. ad Tim.

Vide infra c. 30. & 33.

Suarez lib. de grat. c. 28 n. 16.

Nec tamen Ambrosiaster ille, primus opinionem illam Semi-Pelagianam excogitavit aut docuit. Prævivit istis omnibus Origenes & ita viam stravit ut non opus esset adjicere quicquam novi. Nam totum illum errorem ita perpolivit, ut pœne quotquot post ejus ætatem eandem amplexi sunt, Doctoris illius autoritate & doctrinæ verisimilitudine & eloquentiæ splendore, seducti esse & quæcunque palliando instruendoque dixerunt, ex ejus monumentis hausisse videantur. Hoc tantum discrimen est, quod ille, quemadmodum hæc omnia supra fusius ostensa sunt, longius in pleraque Pelagianismi dogmata, nimia ingenii libertate progressus sit, in quo & ante Pelagium nonnullos imitatores habuit; alii gratiæ liberatricis magis memores, se intra Semi-Pelagianæ opinionis limites tenuerunt. Ex quo facile videas quam verè cecinerit Divus Prosper.

Supra lib. 6. in fine.

Lib. de ingrat. c. 38.

Nam si argumenti primordia non oncrasset (Pelagius)
His, quæ discipuli dempserunt callidiores (Semi-Pelagiani)
Innumeras dubio cœpisset plasmate mentes.
Qui dum multa vident informia lumen in ipso,
Horrida terrificæ declinant atria mortes.

Tota causa erroris Semi-Pelagiani fuit illud propositum divinæ vocationis & prædestinationis, quo salvandi à perituris discernuntur secundum Augustinum.

CAPVT QVINTVM.

VT error Massiliensium radicitus intelligatur, operæ pretium est indagare quid illud tam insolens fuerit in doctrina Divi Augustini, ut illius declinandi studio Catholici & *egregij in omni virtutum studio viri*, per novi erroris commentum tantas tragœdias excitaverint. Aliud enim alij Massiliensibus displicuisse putant. Ex quo fit ut nostro sæculo, quotquot inter se de gratia & prædestinatione disceptant, quam quisque animo rerum illarum notionem conceperit ut veritati consentaneam, hanc Massiliensibus capitaliter inimicam esse persuadere moliatur. Nimirum ut ab illorum errore quam longissime discessisse videatur. Vt igitur breviter id quod res est dicam, nihil aliud eos in scriptis Augustini offendit, quam illud propositum voluntatis Dei, quo certus numerus salvandorum reliquis pereuntibus à perditionis massa discernitur. Ex quo proinde juxta doctrinam ejus fit, ut quotquot ita divinæ gratiæ largitate discreti & secundum propositum illud vocati sunt, infallibilis gubernationis lege *procuretur eis audiendum Evangelium & cum audiunt credant, & in fide, quæ per dilectionem operatur usque in finem perseverent, & si quando exorbitant, correpti emendentur: & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis hujus vitæ, mortis celeritate subtrahantur.* Quotquot non ita discreti atque vocati sunt, certissimè pereant: Tota denique salvandorum à perituris differentia, quam vel in hoc vel in futuro sæculo cernimus vel non cernimus, in *constitutionem Dei priorem ante voluntates hominum*, hoc est, in summum divinæ voluntatis cardinem refunditur: ex isto enim peculiari durissimoque ut ipsis videbatur discretionis sive prædestinationis, sive electionis, sive vocationis proposito, quod omnia in Divi Augustini doctrina eadem repræsentant, innumerabilia absurda, nullaque ratione toleranda videbantur sequi. Vnde ad illud propositum cum suis consectaneis absurditatibus funditus evertendum tota series illius erroris à capite usque ad calcem aptata atque digesta est.

Prosp. in Epist. ad Aug.

Aug. lib. de corrip. & gra. c. 7.

Ita loquuntur Massil. In Epist. Prosp. ad Aug.

Hunc unicum fuisse lapidem offensionis ex omnibus Semi-Pelagianis, ex litteris Prosperi & Hilarij, atque adeo proprijs eorum scriptis ad oculum demonstrare non est difficile. Nam in primis quod ad Prosperum spectat tota ejus ad Augustinum Epistola non aliud clamat. In ipso quippe exordio, totam causæ controversiam breviter ob oculos ponens: *Multi*, inquit, *servorum Christi qui in Massiliensi urbe consistunt in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.* Et ne quis ignoraret quid sibi vellet in August. scriptis illud propositum, quousque sese protenderet, quibus de causis tantopere Massiliensibus displiceret; apertissimis verbis rem totam diducendo subjungit: *Hoc autem* PROPOSITVM VOCATIONIS *Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum dicitur facta* DISCRETIO *ut secundum quod* PLACVIT CREATORI, *alij vasa honoris alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre.* Et qui sic obsecro? An ex vi gratiæ; an ex immobilitate illius duritiæque propositi? *Eo quod* (pergit Prosper) *utraque parte superfluus labor fit, si neque* EIECTVS *ulla industria possit intrare, neque* ELECTVS *ulla negligentia possit excidere.* Dic apertius, explicatius, inculcatius, cur tanto illius propositi, definitionis, prædestinationis, electionis horrore trepidetur? *Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quam,* DEVS DEFINIVIT *accidere, & sub incerta spe* (scilicet pertingendi ad optatum terminum jam ante definitum) *cursum non posse esse constantem.* Quare hoc? *Cum si aliud habeat* PRÆDESTINANTIS ELECTIO, *cassa sit annitentis intentio.* Denique capitalis odij causam adversus Augustinianam doctrinam quasi in summa complexus: *Removeri itaque omnem industriam*, inquit, *tollique virtutes, si* DEI CONSTITVTIO HVMANAS PRÆVENIAT VOLVNTATES, & sub hoc PRÆDESTINATIONIS *nomine* fatalem *quandam induci necessitatem.* Ecce uno verbo expressum quod in ista cum Augustino contentione displiceat, nempe AVGVSTINIANA ILLA PRÆDESTINATIO. Quam ut longissime fugerent velut omnium absurditatum absurdissimam, fecundissimamque scaturiginem negata præveniente & prędestinationis executrice gratia, fabulas illas omnes de universali Dei gratia, de merito, de voluntatum prævisione, hoc

Epist. Prosperi ad Aug.

hoc est prædestinatione secundum præscientiam texuerunt. Audi hac de re disserentem Prosperum disertisque verbis causam interpolatæ Christi gratiæ in detestationem illius propositi detorquentem: *In istam vero talis gratiæ prædicationem, si qui eam in contradictione offenduntur, cum prius meliora sentirent, ideo se vel maxime contulerunt, quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, & ab ipsa ut possint esse donari; necessitate conciderent 1 cum secundum propositum & consilium voluntatis suæ occulto judicio & opere manifesto aliud vas condere in honorem aliud in contumeliam &c.* De quo velut omnium absurdorum extremo, continuo subjicit: *Sed refugiunt illud fateri, divinoque asscribere operi Sanctorum merita reformidant*, nempe quasi ex illo peculiari Dei certum electorum numerum prædestinantis proposito damnarent. De hoc enim continuo supra commemoratam iterat Massiliensium querimoniam: *Nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui*, nempe per illam divinæ CONSTITUTIONIS immobilitatem, quæ, ut supra dixerat, *humanas præveniat voluntates*. Neque causam tacet: ne scilicet, *superflua sit industriæ ac laboris indictio, cujus studium CESSANTE ELECTIONE frustrandum sit.* Sed audi & aliud ejusdem Prosperi ex alia Epistola luculentissimum testimonium, quam ad Ruffinum scripsit: *Ab hac autem*, inquit, *confessione gratiæ* DEI, IDEO *quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint qualis divino eloquio prædicatur & qualis opere suæ potestatis agnoscitur*, ETIAM *hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum certus apud Deum* DEFINITUSQUE *sit numerus* PRÆDESTINATI *in vitam æternam populi, &* SECUNDUM PROPOSITUM DEI VOCANTIS ELECTI. *Quod quidem tam impium est negare quam ipsi gratiæ contraire.* Ecce quomodo gratiam fugiunt, ne in illud prædestinantis propositum incidant; non vero propositum vitant ne gratiam fateantur. Ex quibus omnibus solius Prosperi disertissimis testimonijs luce meridianâ clarius factum puto, solum illud discretivum hominum divinæ voluntatis propositum Massilienses exhorruisse: quod cum ex illa gratiæ & vocationis efficacia quam prædicabat Augustinus necessario viderent sequi, consequenter gratiam illam & vocationem propositi executricem aliâ indifferente substitutâ adulterare compulsi sunt.

Epist. cit. ad Aug.

Prosp. Epist. ad Ruff. de lib. arbit.

Idem uberius ostenditur ex Epistola Hilarij.

CAPUT SEXTUM.

SED jam uberius ostendamus ex Epistola Hilarij non alia de causa Massilienses in illum errorem suum de gratia & merito fidei incidisse, quam quod non ferrent illud quasi fatale propositum Dei ex quo juxta Divi Augustini sententiam unus præ alio credendi & perseverandi voluntatem accipit, ut hic non ille à perditionis massa discernatur. Ecce in ipso item exordio lapidem offensionis dilucidis verbis expositum: *Hæc sunt quæ Massiliæ, vel alijs etiam locis in Gallia ventilantur. Novum & inutile esse prædicationi quod quidam* SECUNDUM PROPOSITUM ELIGENDI *dicantur, ut id nec arripere valeant nec tenere* (perseverando scilicet) *nisi credendi voluntate donatâ.* Et iterum paulo inferius, quid potissimum fugerent & horrerent indicat; *Nec ad* INCERTUM VOLUNTATIS DEI *deduci se patiuntur, ubi eis quantum putant ad obtinendum vel amittendum evidens est qualecunque initium voluntatis*: propter quod videlicet (ut paucis interjectis explicant) ad exhortationem corripientis exortum tanquam *propter causam, vel rejiciatur alius vel alius assumatur.* Hoc enim qualecunque initium humanæ voluntatis idcirco à Massiliensibus excogitatum fuit, ut per illud ratio daretur aliqua ex parte hominis, electorum & rejectorum à Deo: atque ita horrorem illum tollerent quo genus humanum illo occulto prædestinationis judicio quasi in duas partes electorum & rejectorum divisum esse videbatur, nullo casu in æternum sibi invicem permiscendas. Hoc est enim quod subnectendo dicunt: *atque ita non opus esse* PARTES CONSTITUI, *quibus nec adjiciendum sit aliquid nec detrahendum.* Et manifestius in initio Epistolæ: *Si autem, aiunt, dicatur vel talem voluntatem omnium remansisse, qua vel contemnere quis valeat vel obedire, de compendio putant rationem reddi electorum vel rejectorum, in eo quod unicuique meritum propriæ voluntatis adjungitur.* Ecce non alia de causa excogitatum est meritum fidei nisi ut austeritatem illius propositi fugiant, quo ut Prosper exprimit *eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio.* Hinc & illa Massiliensium verba adversus illam immutabilem certorum hominum discretionem obluctantium: *Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accidere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?* Cum videlicet ut eorum sententiam Prosper clarius exprimit, *quoquo modo se egerint* sive non consenserint correptioni sive consenserint, *non possit aliud erga eos, quam Deus* DEFINIVIT *accidere.* Hinc & ista solemnis contra definitum divinitus prædestinatorum numerum obtrectatio quam & Hilarius ibidem refert: *Inde est*, inquit, *quod & illud pariter non accipiunt, quod eligendorum rejiciendorumque esse definitum numerum velint.* Quem electorum seu eligendorum definitum numerum cum Augustinus frequenter docuisset eos omnes esse ac solos quos Deus vellet salvos fieri, ipsi ex adverso ut illam erga certos tantum conferendæ salutis volun-

Hilar. in Epist. ad Augúst.

Prosp. in Epist. ad Augúst.

In eadem Epist. ad Augúst.

voluntatem everterent pervicacissime contenderunt, falsam esse Augustini Sententiam, eo quod Deus *non nisi omnes homines salvos fieri velit, & non eos tantum qui ad sanctorum numerum pertinebant; sed omnes omnino ut nullus habeatur exceptus*. Sed nullo fortassis judicio elucet manifestius, quantopere illam hominum discretionem ad occultum illud divinæ constitutionis propositum revocare trepidaverint, quam ex illa absurditate, in quam cæcâ prædestinationis fugâ præcipitati sunt, dum causam salutis atque discretionis parvulorum in illa ætate morientium invenire moliuntur. Cum enim illud propositum Dei per quatemcunque bonæ voluntatis motum ab homine prosilientem, in adultis facile euerterent, maluerunt etjam in parvulis qualiacunque merita sub conditione futura *quæ*, ut Prosper ait, *non sint futura confingere, ut novo absurditatis genere & non agenda essent præscita, & præscita non acta*; quam Dei discernentis propositum atque vnum pro suo beneplacito assumentis, alterum relinquentis admittere. *Parvulorum autem causam*, ait Hilarius, *ad exemplum majorum non patiuntur adferri*. Quod vero in exemplo parvulorum nihil nisi illud occultum Dei judicium horruerint, tradit Prosper clarius: *Cumque inter hæc innumerabilium illius multitudo objicitur parvulorum qui* &c. *non sine* DEI IVDICIO *secernuntur*. Nimirum Augustinus discretionis atque electionis causam statuebat judicium Dei, illi ut istud fugerent, *quibuscunque commentitiis meritis* ELECTIONEM DEI *subjiciebant*. Quæ sententia cum ita esset absurda, ut eam omnis sensus humanus, inquit Augustinus, *quantulacunque ratione subnixus, maximeque Christianus exhorreret*, Faustus Episcopus Regiensis Semi-Pelagianorum, & prædestinationis hostium non postremus, fuco quodam eloquentiæ maluit quæstionis obscuritatem exaggerare, quam in parvulorum discretione ullum Dei propositum confiteri. Nam cum sibi quæstionem Catholicorum objecisset: *Si non est prædestinatio, cur in parvulis alij baptizantur, alij sine baptismi sanctificatione rapiuntur?* Vnde quam præclare sese à persequentium laqueo expediat: *Serpentinæ*, inquit, *fraudis est ad tenebrosas cavernas relictâ luce transfugere*. Item: *Quid rationis est ut interrogare velis occulta, cum sollicitudini tua plenissime videas respondere manifesta. Quid utilitatis est certa omittere & incerta consulere, de quibus nihil invenis Catholicâ lectione conscriptum? Non intelligas quod in veritatis injuriam perscrutaris, quidquid veritas scire te noluit*. Nempe inimicus divini propositi, cui veritas orthodoxa discretionem illam tribuit, satius putavit ignorantiam, & nescio quas quæstionis tenebras fingere, quam cum Catholicis rei apertissimæ certissimæque subscribere.

Hilar. ibid. — In Epist. ad Aug. — Prosp. ibid. — Lib. de dono persev. c. 13. — Lib. 1. de grat. & lib. arbit. c. 14.

Idem ostenditur ex scriptis Fausti.

CAPVT SEPTIMVM.

ET quia in hujus Fausti mentionem incidimus, omnium quos quidem sciam Semi-Pelagianorum strenuissimi calidissimique, operæ pretium est ex ejus opere, quod de gratia & libero arbitrio scripsit eundem prorsus fuisse scopum ejus & scopulum demonstrare. Nam quamvis tota illa lucubratio eò tendere videatur, ne sola gratia, sed simul humanus labor atque devotio salutem hominum credatur operari; hoc ipsum tamen non alia de causa demonstratum voluit nisi ut Catholicũ dogma de prædestinatione ex qua gratia illa fluit, & de reprobatione subverteret. Sic enim totum illud discretionis mysterium quod Catholica Ecclesia veneratur, non ab occulta Dei discernentis, prædestinantis, eligentis voluntate atque proposito, qui per gratiam suam discretos facit, sed ab humana fide, devotione ac labore suspenditur. Illum esse ipsissimum Fausti scopum sexcentis ex locis perspicue patet. Et ne procul probatio petatur, ecce locus quem produximus, hoc evidenter probat. Nam cum fuse ostendisset, ne de sola gratia otiose speraremus, & ne quem lateret, cui dogmati subruendo illam adhibuisset machinam, sic adversantis quasi hæretici revera tamen Catholici objectionem sibi opponit: *Sed dicis; Si prædestinatio non est, cur in parvulis alij baptizantur, alij sine baptismi sanctificatione moriuntur?* Quid aliud indicat nisi illam se prædestinationem, cui ista parvulorum discretio ab Augustino & Ecclesia tribui solet, præcedenti disputatione quassasse? Neque enim de mala aliqua perversaque prædestinationis intelligentia queritur, sed quanto potest disputandi conatu, hoc agit ut prædestinationem nullam penitus esse ex Deo, sed totam discretionem ex humana pendere voluntate persuadeat. Vis aliud evidentius? In operis illius exordio postquam verbotenus Pelagij dogmatibus renunciasset, statim illud aggreditur quod quidam ad vitam præordinati sunt alijs ad mortem deputatis: *Qui unum*, inquit, *in origine perditum, alterum in prædestinatione affirmat electum, vide quo improbâ persuasione declinet*. Quasi vero non esset illud certissimum Augustinianæ & Apostolicæ doctrinæ caput. Quod ut eradat penitus, generalem gratiam naturæ atque doctrinæ omnibus communem toto libro statuit, ut videlicet sicut passim loquitur, *Gentilitatis malum & absconditum decretum fatale* deleatur. Vnde paulo post cum pluribus, (quasi hoc esset controversum) libertatem arbitrij non perijsse docuisset, ad scopum quo per astructam illam libertatẽ collimabat rediẽs: *Vides*, inquit, *quod*

Lib. 1. cit. c. 14. — Lib. 1. c. 4. — Ibid.

Ibid. c. 9. *quod neminem sic premit fati vel imposita perditionis necessitas, ubi competit eligendi potestas?* Et ut intelligas quid sit illud fatum quo Catholicam doctrinam passim ut Pelagius infamare solet; *Neque enim*, adjicit, *in unam partem trahit prædestinatio, ubi utriusque partis defertur electio.* Nimirum, ut hæreticus delirat, vbi est libertatis actio nullum locum potest habere prædestinatio. Hoc est enim quod & inferius ex astructa standi cadendique libertate consectaneum esse & aperte ostendi dicit: *Statum hominis in diversa, non pro constitutione Dei, sed pro arbitrij libertate versari.* Itemque rursum: *Si quando ergo homo ex bono malus, vel ex malo bonus effici arbitrio mentis advertitur, voluntas quæ libera est à Deo data corrigitur, non vis prædestinationis operatur.* Quid quod illos qui sententiam illam Apostolicam, *Miserebor cujus voluero &c.* quâ miserendi prædestinandique libertas apertissimè divinę voluntati asscribitur, *ad prædestinationem Dei vel præfinitionem* trahunt, *hæreticos* esse definit? Ipse vero præclarissimus & Catholicus scilicet defensor libertatis, eodem modo ut magistri ejus Pelagius atque Iulianus ita locutionem illam intelligendam docet, *Miserebor cui voluero, id est*, inquit, *quem justum esse cognovero, cujus promptam voluntatem videro, quem præceptis meis obedire perspexero, quem meam facere probavero voluntatem.* Quid item illud quod ab eisdem hæreticis, & illum evidentissimum locum: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat &c.* perperam ad *Prædefinitionem Dei*, hoc est prædestinationem trahi putat? Et ut agnoscas quid destruere moliatur, cōmentarium illum Pelagij ab Augustino pluribus rejectum ac destructum locis, ab inferis quasi verum revocat, nempe *sub interrogantis vel objicientis persona contrarium sensum Apostolum intromittere, quem ex adverso propositum sequenti increpatione castiget dicens: O homo tu quis es qui respondeas Deo.* Quem sensum ut omnibus coloribus Pelagianis instrueret, Iuliani fucos ab Augustino quoque detersos & improbatos iterum affricare non erubescit. Sed quid opus pluribus perspicuis verbis in secundo libro asserit, *Præscientiam & prædestinationem Dei male intelligi* ab astruentibus *quod inde humanorum actuum causa nascatur.* Ad quod expugnandum cum omnes ingenij nervos toto primo libro adhibuisset, totamque humanorum actuum diversitatem, à solo liberi arbitrij diverso nutu pendere docuisset, Dei voluntate atq; proposito nequaquã voluntatem hominis per gratiam in salutis viam revocante atque flectente, tandem ipse egregius Doctor, omnem omnino prędestinationē quasi fatalem necessitatem ab humanis actibus removet, sola relicta cum Pelagio rerum gerendarum pręscientia. *Aliud est*, inquit, *præscire, aliud prædestinare. Præscientia itaque gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda describit. Illa prævidet merita* (in hac vita) *hæc præordinat præmia* (in alterâ) *Præscientia de alieno subsistit actu, prædestinatio autem de judicio suo &c. ac sic nisi præscientia exploraverit prædestinatio nihil decernit.* Iam vides arbitror quàm prædestinationem toties velut fatum ac gentilitiũ decretũ aversatus sit: nempe illam quæ non solius *præscientiæ* vice respectu humanorum actuum, sed etjam *præparationis* fungitur, quæ scilicet secundum Catholicam Augustini doctrinam liberi arbitrij actiones parat ac tribuit. Tali quippe prædestinatione tota meritorum humanorum qualiumcunq; machina à Pelagianis & Semi-Pelagianis omnibus instructa subvertitur. Hunc ergo unicum fuisse sibi in elaborandis istis libris propositum scopum in ipsa librorum præfatione, quam ad Leontium scripsit apertissime profitetur. Sic enim libros suos inscribit: *Professio fidei contra eos qui dum per solam Dei voluntatem alios dicunt ad vitam attrahi, alios in mortem detrahi, hinc fatum cum Gentilibus asserunt, inde liberum arbitrium cum Manichæis negant.* Quasi vero non esset unum inter dogmata Christiana præcipuum, quod per solam Dei voluntatem homo ad vitam attrahatur, etsi nemo sine sua voluntate sequatur & veniat. Nam quod etjam Catholicos dicere innuat per solam Dei voluntatem alios in mortem deprimi; ex malevolentia profecta est mala intelligentia vel potius Catholicæ locutionis invidiosa perversio: quam alibi Catholicis & Euangelicis vocibus exprimit: *Quomodo*, inquit, *dicis quod assumatur unus, & alius relinquatur.* Et nihilo tamen minus omnem hominum discretionem, quæ divino judicio aut *speciali*, ut loquitur, *decreto* fit, eodem in loco totis viribus velut impietatem *fatalis* cujusdam *constitutionis* oppugnat.

Marginal notes: *cap. 12.* — *Ibid. superius.* — *Lib. 1. c. 13.* — *Iul. Lib. 2. oper. imperf. n. 131. & 132.* — *Pelag. in Comment. c. 11. ad Rom.* — *Lib. de præd. SS. c. 8. de gestis Pelag. c. 16.* — *Lib. 1. oper. imperf. advers. Iul. vers. finem n. 131. 132. & 133.* — *Lib. 2. c. 2.* — *Lib. 2. c. 3.* — *Lib. 1. de gra. & lib. arbit. c. 7. in fine. Matt. 24. Lib. 1. c. 7. cit.*

Prima ratio abhorrendi propositum prædestinationis, quia est Gentilium fatum. Illud duplex, Astrologorum & Stoicorum.

CAPVT OCTAVVM.

SATIS superque vidimus quanto horrore Massilienses adeoque infaustus ille Faustus detestati sint illud discretivum propositum Dei: sive ut ipsi vocant, illud *propositum vocationis*, hoc est vocandi, *quo eligendorum & rejiciendorum ante mundi initium discitur facta discretio*; illam [a] *prædestinantis electionem*; illam [b] *Dei constitutionem quæ humanas prævenit voluntates*; illud [c] *propositum & consilium voluntatis Dei*; illud [d] *Dei judicium quo homines secernuntur*; illum [e] *prædestinatum* ac [f] *definitum electorum numerum*: illud [g] *incertum voluntatis* Dei; &

Prosper in Ep. ad Aug. — a *Ibid.* b *Ibid.* c *Ibid.* d *Ibid.* e *Ibid.* f *In Epist. Hilar. ad Aug.* g *Ibid.*

Digitized by Google

Dei; & ut Faustus sine fuco loquitur, illam [h] *prædestinationem* ac [i] *prædefinitionem*; illud [k] *decretum speciale*: ex quo videlicet fluit peculiaris illa & alta electorum vocatio, quam [l] Augustinus & ex illo [m] Massilienses, ita *secundum propositum* Dei fieri dicunt, ut [n] *ipsa credendi voluntas* donetur à Deo: nimirum quia [o] *ipsâ vocatione* ex non credente fit credens, ex non diligente [p] *diligens*, *& in eo quod diligit Deum, permanet usque in finem*: quia scilicet illâ vocatione secundum propositum *id prorsus agitur & peragitur* ad quod datur. Nunc videndum superest quibus ex causis tantum horrorem hauserint, ut immutata facie Christiana gratiæ *inde ad aliam gratiæ prædicationem, se vel maximè*, Prospero teste, *contulerint*.

h Faustus lib. 1. c. 13. & 14.
i Ibid. c. 13.
k Lib. 2. c. 7.
l Lib. de prædest. SS. c. 1.
m Initio Epist. Prosperi.
n Initio Ep. Hilar. cit.
o Lib. de prædest. SS. c. 16.
p Lib. de corrept. & grat. c. 9.
Lib. de prædest. SS. c. 19.
In Epist. ad Aug.

Graves admodum & magno numero sunt querimoniæ quibus illud propositum prædestinationis & electionis certorum hominum relictis aliis sicut ab Augustino traditur, Massilienses & omnes omnino Pelagiani vellicant, & accusando traducunt. Nos præcipuas quantum Deus dederit ad certa capita revocando recensebimus, ut intellectis querelarum radicibus accuratius eorum sententia de initio fidei & gratiæ adjutorio possit intelligi.

Prima igitur eaque capitalis illius propositi accusatio est, quod nihil aliud quam *fatum* illud gentilium ab Ecclesia explosum esse videatur. Quam querimoniam sexcenties inculcat Faustus duobus illis libris quos de gratia & libero arbitrio inscriptos ad removendam omnem prædestinationem actuum humanorum exaravit. Hinc & Prosper: *Ea autem quæ de fato &c. jactitant, neque ipsum quidem intrant* (Augustinum) *in cujus libris copiosissimè hujusmodi destruuntur errores.* Dupliciter porro à gentilibus fatum assertum fuit. Alij namque *vim positionis siderum, qualis est quando quis nascitur sive concipitur* fatum vocaverunt; cujusmodi fatum, ut Augustinus, homines, quando audiunt illud nomen usitata loquendi consuetudine intelligere solent. Finxerant illud Chaldæi siderum inspectione & observatione celeberrimi, & Astrologi, quos Genethliacos vocant, magnopere coluerunt; à quo, ut Augustinus, *Non solum actus & eventa verum etiam ipsas nostras voluntates pendere contendunt.* Hoc & hæretici nonnulli ut Bardesanes & Priscillianus in Ecclesiam conati sunt introducere. Alij *omnium connexionem seriemque causarum* dixerunt fatum. Hi sunt Stoici, quorum nomine Chrysippus apud Agellium fatum esse dicit *naturalem compositionem universorum ab æterno, mutuo se consequentium, immutabili & inviolabili hâc complicatione.* Hæc series causarum immutabilis ex quorundam saltem Stoicorum sententia secum trahebat *necessitatem*; de qua Trismegistus: *omnia natura & fato fiunt, nec est locus vacuus à providentia. Est autem providentia in se perfecta ratio cælestis Dei. Cui duæ sunt cognatæ facultates, necessitas & fatum.* Nec Deum ipsum ab illa necessitate subtrahebant. *Eadem necessitas*, inquit Seneca, *& Deos alligat. Irrevocabilis divina pariter atque humana cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur, semper paret, semel jussit.* Semi-Pelagiani igitur invidiosissimis vocibus contra prædestinationem illam à Divo Augustino prædicatam velut adversum fatum Gentilitium conclamabant: Non quod revera vel siderum constitutionem vel ipsam causarum connexionem, velut causam salutis aut perditionis hominum ab Augustino asseri crederent, sed quod decretum illud Dei conditiones quasdam fati participare videretur, unde sicut Pelagiani qui eandem iisdem de causis calumniam Augustino impegerant, dicere solebant *hanc ipsam Dei benevolentiam fatum esse dicendam*; ita Semi-Pelagiani illud benevolum decretum Dei, fati nomine infamabant, vocantes illud *fatale decretum, fatalem legem, præfixam legem originis. Sub pietatis fronte*, inquit Faustus, *gentilitatis fatum & inter gratiæ vocabulum absconditum erit fatale decretum.*

Vid. lib. 1. c. 4. & lib. 2. c. 6.
Epist. ad Ruff. in fine.
Lib. 5. de civit. Dei c. 1.
Lib. 2. ad Bonif. c. 6.
Aug. lib. de Hæresib. Hæresi 35. & 70.
Lib. 7. c. 2.
Ad Ammon.
De providentia c. 5.
Lib. 2. ad Bonif. c. 6.
Faustus libr. 2. c. 6.
Lib. 1. c. 4.

Causa triplex, antegressio propositi ante omnem hominis voluntatem, immutabilitas, & efficacia.

CAPVT NONVM.

TRIBUS autem de causis videntur illud Dei decretum horruisse, primò quod sicut fatum gentilium hominis originem & omnem voluntatis humanæ considerationem præcessisse diceretur. Tangunt illam causam Pelagiani primi, ut diximus suis locis, calumniæ istius autores: hanc ipsam, inquiunt apud Augustinum, *Dei benevolentiam, quæ non merita sequitur, sed bona indebita, gratuita bonitate largitur fatum potius esse dicendum.* Et paulò ante, idcirco Pelagianos fatum nobis ascripsisse dicit, quod gratiam Dei non secundum aliqua voluntatis merita, sed *secundum ipsius misericordissimam voluntatem*, quod nihil aliud est, nisi *secundum Dei propositum* tribui diceremus. Tangunt & illam apud Prosperum Massilienses: *Si projicerentur ab ea* (gratiâ quæ ex proposito manat) *omnia bona merita prævenientis necessitate, concederent Deum secundum propositum, & consilium voluntatis suæ, occulto judicio & opere manifesto facere aliud vas in honorem &c.* Et paulò ante: *Tales virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.* Unde Faustus illam Dei constitutionem vocat *præfixam legem originis, naturalem nexum*, & similia, tacitè indicans atque carpens, quod sicut Genethliaci actus hominum constellationibus tempore nativitatis observatis velut fato tribuunt,

Lib. 2. ad Bonif. c. 6.
Ibid. c. 5.
Epist. ad Aug.
Lib. 2. c. 6.

A buunt, ita Catholici vitam hominis ex decreto Dei, quod ortui uniuscujusque quasi præformatum est, non dissimili impietate suspenderent. Atque istud est quod notanter apud Prosperum, *propositum vocationis* reprehendunt, *quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio.* Neque enim nova decreta Deus in hominum conditione formavit; sed allusione ad constellationes Genethliacas, quæ in cujusque nativitate respici solent divinæ prædestinationis proposito invidiam creant. Vnde & Faustus: *Recedat hinc originalis definitio vel fatalis.* Quod telum ut intelligeremus contra veram prædestinationem esse vibratum, statim adjicit: *Voluntas quæ libera est à Deo data, constringitur, non vi prædestinationis operatur.*

Lib. 1. c. 11. — *Ibid.*

Altera causa est, absoluta propositi illius immutabilitas talis ac tanta instar cujusdam fati, ut nullo conditionis alicujus ex parte hominis involutæ defectu frustrari, nulla hominis B industria in alteram partem posset inflecti. Talis quippe absoluta constantia & quasi durities omninò intolerabilis esse videbatur. Ipsi enim omnes omnino præfinitiones sive decreta Dei ita volebant ab humana pendere voluntate, ut pro ejus possent diversitate mutari. *Oratio*, inquit Faustus, *intercedit oraculo, resolvit deprecatio definitionem.* Et paulò post: *Elige utrum velis: aut necessitatem* (nempe prædestinationis atque propositi Dei) *confitere mutatam, aut veritatem convince mentitam.* Et alibi, quid in Catholica prædestinatione quam oppugnandam proposuerat sibi displiceret, & cur tanquam *gentilitatis malum & fatale decretum* abjiciendam putaret, luculente exprimit: *Nam etsi ad quam partem fuerit deputatus ignoret, utramque tamen partem defixam esse & immutabilem non ignorat.* Quæ sane immutabilitas pessime quoque Massilienses habuit. Hinc est enim quod tam ægrè tulerint, *Prædestinatum* sive *definitum electorum numerum nec augeri posse nec minui*: Hinc quod detestati fuerint, *non posse aliud erga homines quoquo modo se egerint quam Deum definivit accidere.* Hinc quod omnis correptionis excidium appellaverint, quod *sic prædestinati* dicerentur, *ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus posset accedere.* Ex quibus patet non tulisse Semi-Pelagianos nexum illum, quo intra cancellos alieni cujusdam decreti omnem voluntatis considerationem præcurrentis, nulla voluntatis operatione vel variatione mutabilis ita libertas arbitrij quasi conclusa stringebatur, ut nullis precibus ab eo se posset vel conatibus expedire, vel impedire divinæ constitutionis effectum, quin ab ipsa ad præstitutum terminum sive volens sive invita raperetur.

Lib. 2. c. 2. — *Lib. 1. c. 4.* — *Prosp. in Ep. ad Aug. & Hilar.* — *Ibid.* — *Hilar. in Epist ad August.*

Hinc tertia potissimaque detestandi illius quasi fatalis propositi causa fuit, ejus EFFICACIA in voluntatem quæ præcedentibus adjecta causis necessitatem quandam fatalem afferre videbatur. Vnde Massilienses conqueruntur: *Sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Et Faustus frequenter adversus illam necessitatem stomachatur, de qua supra dicentem audivimus: *Aut præfixam necessitatem confitere mutatam, aut veritatem convince mentitam.* Sed hæc necessitas melius ex alio accusationis capite elucebit.

Prosp. in Ep. ad August. — *Lib. 2. c. 2.*

Secunda ratio abhorrendi illud propositum Dei, quia discretionem afferendo interimit liberum arbitrium tam ad bonum quàm ad malum.

CAPVT DECIMVM.

A SECVNDA igitur accusatio propositi sive prædestinationis fuit, quod liberum extinguat arbitrium. Vnde apud Prosperum hanc esse Divi Augustini doctrinam Galli asserunt: *Quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum sive ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur.* Quod intelligunt fieri non ratione propositi nude considerati, ut in Deo latet, sed propter effectus quos per gratiam efficacissimam, quam Augustinus prædicabat, homines discernendo operatur; sive gratiam illam electis tribuendo, ut quod prædestinatum est, perruptis impedimentis omnibus possit impleri; sive gratiam illam negando; qua negata reprobi sibi dimissi deserant Deum & in exitium nullo retinente præcipites ruant. Itaque duo hic displicebant. Primum, quod uni gratia illa daretur, alteri negaretur: atque ita quos per propositum suum ab æterno à perditionis massa discreverat à cæteris in tempore, ipsa gratiæ collatione discerneret. Alterum, quod sive daretur sive negaretur, liberum subverteretur arbitrium.

Cap. 6. Gall.

Quod ad primum attinet, male admodum Semi-Pelagianos omnes habet quod illa discretio credentium & non credentium, orantium & non orantium, quam videmus in hominibus eandem prædicationem audientibus fieri, per ipsam gratiam fieri diceretur; ita scilicet, ut per eam uni credendi & orandi voluntas donaretur, alteri subtractâ gratiâ negaretur. Adversus quam gratiæ & consequenter effectuum ejus distributionem multis in locis Faustus vehementer insurgit. *Non specialem*, inquit, *esse circa credentes Dei munificentiam docet, quando & eos quos incredulitas arguit de gratia credere potuisse demonstrat.* Et non multo post objecto sibi loco, *nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum*; sic respondet: Quis

Fausti lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 15. — *Ioan. 6.*

Digitized by Google

Ibid. c. 27. tam immemor *salutis suæ sit qui attrahentis misericordiam negare præsumat, sed ille vere impius est, qui eam non omnibus ingeri non omnibus testatur impendi.* Et ut sciremus quantopere distributionis illius inæqualitate, & ea quam per illam Deus facit hominum discretione torquerentur, post proscriptos Pelagij errores, istud Catholicæ doctrinæ caput, primum invadit. Lib. 1. c. 3. *Nunc*, inquit, *veniendum est ad illos qui dum gratiam alijs dari, alijs negari asserunt, gratiæ munus cum Pelagio perdiderunt.* Nec vero minus moleste eandem doctrinam istam Augustini Massilienses ferunt. Nam apertissima illa Scripturæ loca & creberrime ab Augustino usurpata: Rom. 12. *Sicut unicuique partitus est mensuram fidei*, & similia, (quibus inæqualis gratiæ dispensatio & hominum ex donata credendi voluntate discretio significatur) nolunt Hilario teste ad hoc valere, ut uni *etiam daretur, ut velut retectis ab* In Epist. ad Aug. *hoc dono alijs pariter reis, & qui possent similiter liberari, si ea quæ pariter indignis præstatur credendi voluntas etiam ipsis similiter præstaretur.* Ex quo consequenter fit ut & ipsam prædicationis inæqualitatem, qua *Evangelium alijs vel alicubi vel nunc prædicatur vel non prædicatur*, nolint juxta doctrinam Apostolicam ex divina voluntate Hilar. ibid. discretionem hominum afferente contingere. Sed *id dicunt præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore & ibi & istis veritas annuntietur, quando & ubi prævidebatur esse credenda.* Jam verò ex tali hominum per gratiam discretione altera non minor absurditas, ipsa scilicet eversio libertatis, ipsorum judicio videtur sequi. Nam si daretur à Deo divinæ constitutionis executrix gratia, jam violentè videbatur voluntatem in alteram partem cogendo rapere, adeoque sola quidquid prædestinatum est operari. Audi Prosperum: Epist. ad Ruff. *Scripta ejus* (Augustini) *quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant: dicentes, eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem.* Et quod hoc intelligerent idcirco fieri, quod vel necessitate raperetur vel sola gratiá effectum inferente nihil faceret, ex alio loco clarius liquet: Ibid. vers. finem. *Nimium vero inepte nimiumque inconsiderate ab adversantibus dicitur quod per hanc Dei gratiam libero NIHIL relinquatur arbitrio.* Nam quod coactionem & violentiam per gratiam afferri putarent homini, sæpissime indicat Faustus: *Cum ergo* Faust. lib. 2. c. 9. *auris*, inquit, *ex vocante dictum est, invitantem intellige, non cogentem.* De Iacob & Esau discretione loquitur. Sed apertius in eodem loco: Idem Faust. *Si magister gentium de genesi hominum tractare cœpisset, & diceret homini totius vitæ cursum origine præsignatum, & magis necessitati subditum, quam libero arbitrio fuisse commissum, eo quod Dominus omnium per potestatis nutum, violento pro decreto alios relinqueret ad perditionem, alios eligeret ad salutem; tunc forsitan velut per lineas decurrentes colorem hunc iniqua persuasio posset asserere.* Contra quam gratiæ & prædestinationis violentiam sæpe disserit: Lib. 1. c. 17. *Potestes, redimit* inquit, *voluntatum remunerator. Ius enim arbiter Deus voluntarium cupit reddere quem non invitum meminit contraxisse.* Vnde paulò ante: *Fatalis persuasio quæ vim præscientiæ cogentis inducit omnino respuenda est.* Imo quod pejus est, solam gratiam putat effectum operari. Nam objecto Scripturæ loco, *nisi Dominus ædificaverit domum* &c. respondet: *Nunquid Dominus per se tantum velut solitaria procuratione salutem humani generis administrat? Non utique.* Lib. 1. c. 11. Sed totam Semi-Pelagianorum intelligentiam Lib. 1. c. 8. de Catholica gratia & stomachum profundit capite octavo libri primi: *huius improbæ persuasionis assertor hominem &c. brutis animantibus & iumentis insipientibus assimilat comparandum, ut ad vitam rectam nullo suo ductu sed violento tantum auctoris imperio pertrahatur.* Et infra: *Ita ex homine* (ut ex elementis) *ab omni exercitio virtutis otioso, iustitiæ fructus, ac bonarum rerum appetitus, atque profectus, & quasi in nullo vel sentiat vel consentiat, ita cum appetierit, gesserit ve, in nullo ad conatum eius ac studium pertinere indicentur. Et sicut* ibid. *mare magnum, quod huc atque illuc ventis agitantibus volutatur, ita ad quodcunque bonum vel factum sine ullo affectu suo, solo divinæ potestatis impulsu mens humana versetur. Ecce haeticum sub prætextu gratiæ qualem velit hominem esse post gratiam.* Ecce qualem Faustus de gratiæ operatione sensum habet, ob quam causam omnem omninò Dei gratiam, etjam perfectionis assequendæ causa juvantem & roborantem voluntatis inchoatæ vires contra Massiliensium opinionem eam admittentium abjecit. Quod vero hic liberi arbitrij interitus ultimo tandem in illud quasi fatale decretum refunderetur, ex qua gratia ista fluit, audi non obscurè significantem: *Aperte*, inquit; *ostendit* (Paulus) *statum hominis in diversa non pro constitutione Dei, sed pro arbitrij libertate posse versari.* Lib. 1. c. 12. Et paulo superjus: *Voluntas quæ libera est à Deo data corrigitur, non vi prædestinationis operatur.* Quasi libertas, & mutans voluntatem prædestinatio repugnarent. Hinc orta est ergo illa Prosperi secunda quæstio ad Augustinum: *Quomodo per istam operantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium*; ut Massiliensibus hac de re maximam commoventibus difficultatem satisfaceret. In Epist. ad August.

Quod si verò eadem illa gratia subtrahi statuatur ijs, quos ex eadem massa formatos alio decreto Deus abjecerit & vasa in contumeliam factos æternæ perditioni destinaverit, etjam sic eos inevitabili necessitati subditos esse, destructáque libertate peccare querebantur. Cùm enim in Augustini sententia vires omnes ad credendum, sperandum, ac diligendum Deum per peccatum originale ita perijsse doceantur, ut nemo vel credere possit, aut in fide data perseverare, nisi cui Deus per illam gratiam credendi perseverandíque voluntatem dederit & consequenter dare proposuerit, quid ille faciet cui Deus gratiam illam ex isto reprobationis proposito denegaverit nisi ut inevitabili necessitate justitiam nolit? Nam & hoc decretum abjectionis omnem hominis voluntatem prævenit, nec ex sorte prædicationis ad alteram partem accedere eadem immutabilitas decreti finit. Hoc est ergo quod

Faustus

Faust. lib. 1. c. 4. Faustus ingerit: *Quid iam ultra speret quem iam gratia suum fecit? In quo è contrario non desperet quem præfinitio violenta damnavit? In hoc culpa, in illo gratia locum non habet.* Et alibi: *Ibid. c. 11.* *Cum autem Apostolus dicat: Peccantem coram omnibus argue, nulla ratio est qua vel arguendus sit vel condemnandus, qui delinquit invitus.* Quod latius in eodem capite paulò ante exequitur: *Dum liberi interemptor arbitrij & alterutram partem omnia ex prædestinatione statuta & defuncta esse pronunciat, etiam suprema remedia pœnitentiæ, sensu abrupto pietatis evacuat. Et quomodo prædicat gratiam qui misericordiam negat? Quomodo videtur asserere Dei donum cum tollit auxilium &c. Quomodo mihi dicitur declina à malo & fac bonum, si iam malum declinare non possum.* Eandem querimoniam afferunt Massilienses in Epistola Hilarij ad Augustinum ubi ægerrime ferunt talē post lapsum hominis *Epist. Hilar. ad Aug.* infirmitatem asseri, *Vt ei nolle iustitiam inevitabili necessitate coniunctum sit, præter illos qui sic concreati sunt his qui cum universa massa damnati sunt ut exciperentur per gratiam liberandi*, hoc est, præter eos quos Deus per gratiam liberare proposuerit. Et ibidem clarius dicunt, omnia peccata esse tantum in causa culpabilia propter distinctum scilicet libertatis arbitrium cui gratia denegatur. *Nam si non potest*, inquiunt, *timere quis (id) unde terretur nisi ea voluntate qua sumitur*, scilicet à Deo dante voluntatem istam prædestinatis suis & negante reprobis NON EX EO CVLPANDVS, *quod nunc non vult, sed in eo & cum eo qui sic aliquando noluit ut eam damnationem cum suis posteris mereretur incurrere, ut nunquam recta semper autem parva vellet appetere.* Sed omnium luculentissimè radix istius querelæ intelligitur ex illis objectionibus quas libro de correptione & gratia retundit Augustinus, *Lib. de corrept. & grat. c. 6. vide & c. 4.* ubi *extra culpam se videri volunt qui non obediunt Deo*, quia non sunt *discreti*, hoc est prædestinati à Deo, nec obediendi gratiam ab illo acceperunt. Nam omnes easdem in illo libro refutatas querimonias à Massiliensibus fuisse frequentatas testatur in Epistola sua Prosper: *Atque ut brevius*, inquit, *ac planius quod opinantur exponam, quidquid in libro hoc* (de correptione & gratia) *ex contradicentium sensu Sanctitas tua sibi opposuit, quidquid etiam in libris contra Iulianum ab ipso sub hac quæstione obiectum potentissime debellasti, hoc totum ab istis Sanctis intentiosissime conclamatur.* *Prosp. Epist. ad. Aug.* Ex quo etiam patet non minus illas querelas de fato, destructoque libero arbitrio, cæterisque de quibus dicturi sumus, quam ipsum errorem de initio fidei, à Pelagianis Massilienses didicisse & esse mutatos: Vnde fit ut eodem quoque modo Catholicis Manichæi hæresim, propter liberi arbitrij destructionem impegerint. *Dum Pelagij impietatem*, inquit Faustus, *nescius refugere, ad Manichæorum dogma pestiferum, qui liberum arbitrium totum denegant se intellige declinare.* *Faust. lib. 1. c. 6.* Et utramque quam huc usque retulimus complexus calumniam, sic libros suos inscribit: *Professio fidei adversus eos qui dum per solam voluntatem Dei alios dicunt ad vitam attrahi, alios in mortem deprimi; hinc fatum cum gentilibus asserunt; unde liberum arbitrium cum Manichæis negant.* Nihil enim taxat aliud refutandumque suscipit totis illis libris nisi sententiam Augustini: quamvis calumniosis locutionibus ei sæpissime invidiam & odium apud imperitos creet, quasi vi prædestinationis vel reprobationis homo in mortem peccatumve premeretur. Nimirum ut aliquid aliud oppugnasse videretur, quam Catholicam de prædestinatione & reprobatione sententiam. Videri possunt ea quæ de Pelagianorum querelis contra prævenientem gratiam Augustini fuse diximus. *Supra lib. 4. c. 12. 13. 14. 15.* Nam ut error iste Massiliensium, quo fidei & orationis initium sibi tribuunt, à Pelagianis jam declinantibus mutuò sumptus est, ita & querelæ adversus assertam ab Augustino veritatem.

Tertia ratio horroris quia desperationem affert & ignaviam. Causa desperationis triplex; Ignaviæ duplex. Pauca de modo, quo sentiebant solam gratiam operari.

CAPVT XI.

ET istæ quidem duæ jam tactæ rationes aversandi illius propositi capitales sunt, ac veluti fontes unde omnes reliquæ querelæ manant. Itaque duplex aliud malum ex eo conqueruntur sequi. *Desperationem* in peccatoribus, *otium & ignaviam* in Sanctis. Vtriusque ratio est, quod necesse sit utrumque accidere id quod divinitus præveniendo voluntatem humanam absoluto proposito constitutum est: Frustra itaque laborari adversus id quod nullo conatu sive bene sive male agendo mutari potest. Luculentissime utrumque malum & ejus causæ deducuntur in Epistola Prosperi ad Augustinum: ubi dicunt: *Hoc propositum vocationis & lapsis curam resurgendi adimere & Sanctis occasionem temporis afferre.* Causam addunt: *eo quod utraque parte superfluus labor sit, si neque reiectus ulla industria possit intrare, neque electus nulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quam Deus definivit accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio.* Et idem inculcantes adjungunt: *Removeri itaque industriam tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.*

Porrò quod ad primum illud desperationis malum spectat aliam eamque non minimam causam in illa divinæ voluntatis seu propositi INCERTITVDINE collocant. Neque enim vide-

videtur eis fortiter constanterque posse quempiam spem concipere & laborare, si dubium & incertum est utrum subsit causa sperandi & laborandi; dum ignoratur quid de te Deus immutabiliter constituerit. Vnde in eadem Epistola dicit Prosper, eos idcirco non acquiescere quod prædestinatus electorum numerus nec augeri posset nec minui: NE SVPERFLVA *sit industria ac laboris indictio cuius studium* CESSANTE ELECTIONE *frustrandum sit.* Hoc est ne frustra laboret si forte extra sortem electorum fuerit. Sed clarius inter refutandum exponit causam illam Augustinus: *Hæc dicentes*, inquit, *nolunt hominibus prædicari dona Dei esse, ut vematur ad fidem & permaneat in fide, ne plus* DESPERATIO *quam exhortatio videatur afferri*, dum cogitant *qui audiunt* INCERTVM *esse humanæ ignorantiæ, cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.* Et interius in eodem libro: *Cur ergò corripimus impudicos & contentiosos &c. nec timemus ne permoti divinæ voluntatis* INCERTO, *plus in hac prædicatione desperationis quam exhortationis inveniant.* Et in libro de prædestinatione Sanctorum propria Massiliensium verba [illegible] premens: *Miror*, inquit, *homines infirmitati suæ se malle committere quam firmitati* PROMISSIONIS *Dei*, hoc est divini propositi ac voluntatis. *Sed* INCERTA *est mihi, inquiunt, de me ipso* VOLVNTAS (hoc est propositum illud) DEI. *Quid ergo? Tuane tibi voluntas de te ipso certa est?* Hoc est ergò quod de illis Hilarius dicit: *Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt*, ne videlicet desperatio illa incertitudine concitetur. Vt quod efficaciter superius adductis verbis Prosper exprimit: *Et sub* INCERTA SPE *cursum non posse esse constantem.*

Lib. de dono persev. c. 17.

Cap. 17. cit.

Cap. 11.

In Epist. ad August.

A

B

Sed & tertiam videntur causam desperationis attulisse: quod videlicet post lapsum Adæ tanta hominis infirmitas esse diceretur ut non posset velle justitiam, nisi eadem illi voluntas ista donaretur à Deo. Nulla enim vel conandi videbatur eis superesse spes, si nullum ex se homo proferre posset voluntatis motum. Hanc Hilarius videtur in Epistola tetigisse cum dicit: *His Sanctitatis tuæ verbis ita moventur ut dicant, quandam* DESPERATIONEM *hominibus exhiberi.* Causam desperationis videtur illis verbis comprehendere: *Si enim sic quidam adjuvantur, ut aut nec accedant, aut si accesserint & recedant, ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis vel comminationis utilitatem, quæ & perficiendi & desistendi obtinebat liberam voluntatem, non ad hanc quæ nolle justitiam inevitabili necessitate continuatur.* Quasi talis voluntas loco exhortationis, desperationem deberet ex virium suarum imbecillitate concipere, quia videlicet nescit utrum sibi Deus daturus sit perseverantem justitiæ diligendæ voluntatem, quam ex se proferre non potest. Et sic ista tertia causa ex duabus præcedentibus divinę scil. volũtatis seu propositi incertitudine & immutabilitate dependet.

C

D

Iam verò quod electis & Sanctis hæc propositi divini prædicatio afferret ignaviam sæpissime stomachatur Faustus & queritur: duas autem illius absurditatis causas indicare videtur, unam quod electus securè possit effectum illius propositi, gratiam scilicet qua bene vivendi voluntas datur, cœlitus exspectare: alteram quod illa gratia quæ facit hominem facere, jam ex proposito illo collata, sola totum effectum, non concurrente liberæ voluntatis devotione perficeret. Primam insinuat quando virtutibus quarundam operibus in medium adductis Faustus dicit: *Quis hæc sine labore cordis, sine afflictione carnis, sine magno hominis utriusque luctamine dormienti sibi per solam gratiam assumet conferenda?* Et Massilienses apud Augustinum eodem sensu & intentione in ejus sententia prædestinatis dici posse contendunt: *Si qui ex his necdum vocati, quos gratia sua prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam qua velitis & sitis electi.* Nimirum volunt prædestinatos de ventura gratia quæ quamvis incredulis tandem ipsam credendi voluntatem dabit, vivere posse securos. Lib. 1. c. 9. Lib. de dono persev. c. 15.

Alteram verò causam quæ ex ipsa executione prædestinationis per gratiam oritur multis item locis quasi Catholicorum sententiam confutando Faustus exaggerat. *Nunquid Dominus*, inquit, *per se tantum velut solitaria provisione salutem humani generis administrat?* Et rursum: *Audi & alio loco Apostolum non otia prædicantem.* Nempe quia Apostolus laborandum pugnandumque præcipit quasi gratia afferret otium, & sola totum operaretur. Vnde ex eorum quos refellit sententia procurationem salutis OTIOSVM NEGOTIVM vocat; illustresque viros dicit *per* QVIETEM *&* DESIDIAM *coronari.* Adversus quam quasi orthodoxorum opinionem opera bona à sua voluntate removentium, dum ea gratiæ & prædestinationi tribuunt, verba Salvatoris opponit qui unicuique secundum OPERA SVA reddendum prædicat: *Advertite*, inquit, *quia dum dicit, Opera sua salutem hominis non in prædestinatione factoris, sed in operatione famulantis largitor gratiæ collocavit.* Et quasi à gratię defensoribus putaretur actus boni in homine sine voluntate per solam gratiam poni: *Si ergo*, inquit, *actus hominis non est etiam voluntatis, quomodo dicit, si volueritis?* Hæc ergo est causa desidiæ quam ex prædicatione gratiæ illius Augustinianæ (quæ scilicet prædestinatos etiamsi antea nolint, & velle facit & facere) exoriri putat: nempe quod dicerent ut alibi exprimit: *Solam per se gratiam effectum humanæ salutis operari. Et totum solum esse gratiæ.* Videtur enim ad Divi Cypriani verba ab Augustino identidem inculcata respicere quibus dicit gratiam commendando: *Vt dum datur totum Deo &c.* Itemque *Quoniam nostrum nihil est.* Et ad illa ipsiusmet Augustini: *Tutiores igitur vivimus si* TOTVM *Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Hæc enim & similia verba Faustus & Semi-Pelagiani passim ita vel intelligebant vel ab alijs volebant intelligi ut homine in segnitiem verso omnis per gratiam extingueretur humanus motus, quasi homo ad fidem & opera bona invitus & repugnante voluntate cogeretur; atque ita conse-

Lib. 1. c. 11.

Cap. 10.

Cap. 11.

Lib. 1. c. 10.

Lib. 1. c. 3.

Cyprian. in explicatione Orat. Dom. Lib. 3. ad Quirin. c. 4.

Lib. de dono persev. c. 6.

Digitized by Google

consequenter omnis omninò suffocaretur vigilantia & labor, sive in omnibus operibus gratiæ ut Faustus & alij nonnulli cum Pelagianis persuasum volunt, sive in sola illa prima credendi voluntate, ut illi Massiliensium quorum sententiam Augustinus ex Prosperi & Hilarij relatione confutat. Longè quippe difficilius intelligitur, quod spiritu ubi & quando vult spirante, gratia hominem ex invito, nolente, & acerbissime repugnante ita volentem facit ut sine illa velle non possit; quam quod hominis jam volentis atque credentis voluntatem roborat, currentem incitat, desiderantem inflammat magis ac magis: illud enim præ se ferre videtur, nescio cujus coactionis & violentiæ speciem, quæ ex diametro repugnat voluntario; hoc verò duntaxat cooperationem operanti jam voluntati dantem, & infirmitatis cujusdam sonat adjutorium: nemo enim proprie adjuvatur *nisi qui etiam*, ut Augustinus loquitur, *aliquid sponte conatur*: Vnde contigit, ut propter eandem illam intelligendi difficultatem in fine Pelagiani sua damnatione perculsi posterioris generis adjutorium quod jam volenti atque operanti voluntati, ad cooperandum & adjuvandum datur admiserint, priore illo, quod ipsam voluntatem tribuit penitus repudiato. *Fatendum est*, inquit Augustinus, *Spiritum Sanctum mentes bonas non solum adjuvisse quod & isti volunt, sed etiam bonas fecisse*, bonam scilicet voluntatem primitus dando *quod nolunt*. Et in ultima adversus Iulianum lucubratione: *Si non prævenit* (gratia voluntatem) *ut operetur eam, sed prius existenti voluntati cooperatur*, (uti dixerat Iulianus) *quomodo verum est Deus in nobis operatur & velle?* &c. Ecce facile intelligunt etjam ipsi Pelagiani quomodo gratia voluntatem, id est volitionem jam existentem & operantem cooperando adjuvat; quomodo verò non existentem cooperando faciat, nunquam capere potuerunt. Vnde illæ calumniosæ Pelagianorum adversus primam illam prævenientem & efficacissimam gratiam phrases, quod gratia *homini invito & reluctanti studium virtutis immittat*, quod *hominem cogat*, & similia quæ in Massilienses una cum illo errore transfusa sunt. De quo latius ea consule quæ de Pelagianis diximus. Eadem enim omninò Massiliensium istorum est de prima gratia voluntatem omnem præveniente & operante sententia. Nam de illa quæ voluntati hominis adjuvando cooperatur, nulla cum ipsis difficultas, juxta Prosperum, Hilarium & Augustinum fuit. Vnde quod omnem omninò gratiam quæ etjam post habitam voluntatem opus bonum operari facit ac tribuit, Faustus & subinde Cassianus sibi non constans videntur carpere, tanquam bonæ operationis merito & laudi hominis libertatique contrarium, non illum Massiliensium errorem de quo tractamus, sed purum putumque Pelagianismum sapit: Quem hac in re Faustum tenuisse & Cassianum vacillasse jam supra meminimus: nonnullaque ex Fausto testimonia tum isto capite tum plura decimo attulimus. Nam omnem gratiæ tractum quem Catholici ex verbis Christi asserebant, *duris nexibus & violento potestatis nutu* ille putabat fieri.

Lib. 1. de pec. merit. & remiss. c. 5

Lib. 4. ad Bonif. c. 7.

Lib. 1. oper. imperf. advers. Iul. fol. 140.

Supra lib. 5. c. 15.

Supra c. 2. & 3.

Lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 17. & lib. 2. c. 6.

Quarta abhorrendi ratio, eaque quintuplex, quia præceptum, exhortationem & correptionem interimit.

CAPVT XII.

SED quarta & omnium invidiosissime jactata divini propositi accusatio est, quod ædificationi audientium, hoc est prædicationi, exhortationi, correptioni hujusmodi decretum divinæ prædestinationis esset adversum, quæ Massiliensibus tam enormis & aperta videbatur absurditas, ut isto veluti clypeo omnium argumentorum tela in se conjecta repellerent. Hinc Hilarius sic relationem suam exorditur. Hæc sunt quæ Massiliæ vel alijs etjam locis in Gallia ventilantur. NOVUM & INUTILE ESSE PRÆDICATIONI, *quod quidam secundum propositum eligendi dicantur, ut id nec arripere valeant nec tenere nisi credendi voluntate donata.* Et Prosper: *Nec acquiescunt, prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant.* Quam verò vel sola ista larva Massiliensibus terribilis esse videretur, ex ejusdem Prosperi verbis collige quibus dicit: *Eò postremo pervicacia tota descendit ut fidem nostram* (de illa quam dixerat Dei constitutione quæ humanas prævenit voluntates) *ædificationi audientium contrariam esse definiant ac sic etiamsi vera sit non promendam: quia & perniciose non recipienda traderentur, et & nullo periculo, quæ intelligi nequeant reticeantur.* Nimirum duas causas exprimit cur doctrina etjam vera de isto electionis proposito supprimenda esset: quod scilicet nec proposita esset intelligi, nec intellecta recipi; nimis enim obscura difficilisque videbatur propositi illius cum exhortatione conciliatio, nimis adversa infirmitatibus hominum ejus prædicatio.

Hilar. in Epist. ad August.

Prosp. in Ep. ad Aug.

Porrò quinque videntur fuisse in illo proposito cum exhortatione & correptione conciliando difficultates. Prima est quod homo nihil penitus ad salutem suam vel inchoandam vel promovendam posse diceretur, nisi ei per gratiam ex illo proposito dimanantem

daretur

daretur à Deo usque ad ipsam etiam credendi primam voluntatem. Nam illud prædestinationis, electionis, discretionis, & liberationis propositum, non alio ex capite ab Augustino asseritur, nisi quod tota generis humani massa in justissimam damnationem per peccatum originale collapsa vires omnes amiserit resurgendi. Ex quo fit ut nemo ab alio discerni possit, nemo resurgere, nemo liberari, nisi cui Deus per gratiam prorsus gratis bonam credendi, sperandi, diligendique voluntatem inspirare & conservare voluerit. Hinc igitur primæ difficultatis nodus, nam si nihil in homine superesse credimus per quod ad accipiendam prædicationis fidem se posset extendere, nisi ipsa voluntas per Dei propositum sive voluntatem detur, cui bono tanta exhortationis instantia? Nodum istum nodunt Massilienses apud Hilarium: *Excludi putant*, inquit, *omnem prædicationis vigorem, si nihil quod per* EUM EXCITETUR, *remansisse dicatur.* Et inferius: *Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio valet excitare.* Et rursum accuratius: *Ad illam voluntatem pertinuisse dicunt, exhortationis vel comminationis utilitatem, quæ & persistendi, & desistendi obtinebat liberam potestatem* (scilicet ad voluntatem Adami pollentis viribus per quas exhortationibus obediret) *non ad hanc cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est.*

Hilar. Ep. ad August.

Secunda difficultas quæ in cardine præcedentis vertitur, hæc est: Quod absurdum videatur Deum id ab hominibus infirmis per præceptum & exhortationes petere quod ipse daturus est; & hominem propter bonæ voluntatis defectum culpare, corripere, redarguere, quam ipse qui dona sua distribuit singulis prout vult donare noluit. Multum inculcatur ista difficultas ab Adrumetinis Monachis quorum querelas omnes, ut supra Prospero attestante diximus, Massilienses fecerunt suas. Sed eas quia præcedenti libro recensuimus non opus est hic repetere.

Tertia difficultas est quia hoc ipsum quod bona voluntas homini infideli danda, vel peccatori restituenda prædicatur ex proposito voluntatis Dei, omnem conatum hominis reprimit quo ad eliciendos illos bonæ voluntatis motus anniti posset: quid enim conabitur, inquiebant, ille qui voluntatem ipsam sibi audit non nisi ex divino proposito largiendam? Hoc illis verbis exprimunt in Epistola Hilarii quæ non extat, sed fragmentum ejus aliquod suis libris Augustinus inseruit: *Neminem*, inquiunt, *posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis: ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei*, &c. *Cæteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit* &c. Et ad illa verba alludens alibi de Massiliensibus dicit, *quod nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent ut retribuatur eis, ab omni studio pietatis se reprimi putant*, quia scil. qui ab alio sibi dandum audit ipsum studium pietatis, eo ipso videtur à proprio conatu reprimi, & ab alio totum expectando in segnitiem verti. Nam illum istius querimoniæ esse sensum ex alio Augustini loco patet: ubi post illa citata de prædestinatione verba notat, si similia dicantur de præscientia, *tales eritis quales vos Deus esse præscivit*, fieri posse ut *hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant*: nec tamen propterea de præscientia Dei falsum putari debere, quod dictum est.

Lib. de dono persev. c. 15.

Lib. de præd. SS. c. 1.

Lib. de dono persev. c. 15. citato.

Quarta difficultas oritur ex illa quam supra diximus *incertitudine* propositi ac voluntatis Dei. Nemo enim audita exhortatione, qua ad credendum & bene vivendum incitatur, videtur posse serio & sedulo ad conandum assurgere: quia utrum Deus sibi ab æterno fidem & vitam bonam ad quam impellitur, dare proposuerit, prorsus ignorat. Ista consideratione motos fuisse Massilienses, indicat Augustinus, dum eorum verba, quibus dixerant, quod *hac prædestinationis definitione dicta, nemo possit correptionis stimulis excitari*, ita quasi commentando explicat; *Hæc dicentes nolunt hominibus prædicari dona Dei esse ut veniatur ad fidem & permaneatur in fide, ne plus desperatio quam exhortatio videatur afferri, dum cogitant qui audiunt incertum esse humanæ ignorantiæ cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.* Ex quarum quatuor difficultatum explicatione perspicuè liquet, in hoc scopulo Massilienses præcipuè passos esse naufragium quod nullo modo ista duo vel conciliare vel capere poterant, posse nos totis viribus jubere, monere, hortari, blandiri, corripere, increpare, minari, Et illum quem tanto verborum strepitu ad faciendum impellimus, non posse pro suo arbitratu illas operationes proferre, quæ ab illo flagitantur: sed poscendas esse à Deo, & ex libero divinæ prædestinationis proposito expectandas & largiendas. Quæ sane apparens absurditatis & repugnantiæ species etiam Adrumetinos Monachos torserat, ut ex libro de correptione & gratia declaravimus. Præviderat eam & ad eosdem scribens breviter nervoseque Augustinus expresserat: *Quomodo*, inquit, *quod dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? Quare jubet si ipse daturus est? Quare dat si homo facturus est?*

Ibid. c. 17.

Lib. superiore c. 14.

Lib. de grat. & lib. arb. ad Monach. Adrume. c. 16

Quinta difficultas quæ inutilem exhortationem facit, est illa divini propositi *immutabilitas* quam & supra tetigimus. Quid enim conabitur ille quem exhortamur, cum sciat immutabile esse quidquid divinitus constitutum est, nec in aliam sortem se suo nisu posse transferri. Hilarius illam his verbis tetigit: *Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?* Hinc igitur merito inter cæteras illam proponit Augustino Prosper quæstionem: *Quemadmodum per hanc prædicationem* PROPOSITI DEI *quo fideles fiunt qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum qui* COHORTANDI *sunt*, IMPEDIATUR, *nec occasionem negligentiæ habeat, si se prædestinatos esse desperent.* Ex qua quæstione per-

In Epist. ad August.

perspicuum est non esse sic distinctas de gratia & proposito seu prædestinatione difficultates, etsi voluntas & fides per gratiam immediatius quam per propositum fiat. Nam cum gratia sit infallibilis & efficacissimus illius propositi effectus, tota difficultas ex gratiæ operatione fluens, in propositum Dei actionem illam prædestinantis & per gratiam dantis tanquam in originem suam & cardinem retorquetur. Patet & illud gravem admodum fuisse Massiliensibus visam illam de exhortatione difficultatem: usque adeò ut cum Augustinus exemplum de Saule ac David adduxisset, quos Deus ad regnum terrenum perducturus, quorum voluerat voluntates potentissime ad favendum inclinaverat, respondendum judicarunt illa exempla *non pertinere ad quæstionem, quæ de exhortatione versatur.* Quasi tota difficultatis moles in concilianda cum Dei proposito exhortatione versaretur. Vnde creberrime Prosper & maxime Hilarius in suis Epistolis illam difficultatem refricant.

Lib. 1. de correp. & grat. c. 14.

Hilar. in Epist. ad August.

Quinta ratio, quia extinguit orationem.

CAPVT XIII.

QVINTO aversantur illud Dei prædestinantis propositum, quia videtur omnem orandi necessitatem extinguere. sive enim divinæ voluntatis proposito homines à perditionis massa discreti sint, sive non discreti, pariter nihil opus est oratione. Quidquid enim in electis ut fiat, Dei voluntate prædestinatum est, etjam nemine orante complebitur; quicquid in reprobis prædestinatum est ut non fiat, nullius oratione impetrabitur quia rigor illius propositi flecti nequit. Hæc prima est, ideoque pœne præcipua Fausti Regiensis querimonia. *In alterutram*, inquit, *partem subsidia orationis excludunt. Quid enim ultra speret, quem jam gratia suum fecit? In quo è contrario non desperet, quem præfinitio violenta damnavit?* Vt verò adversus illam ex originis damnatæ massa discretionem quam libero suæ voluntatis decreto Deus facit, se disputare declaret, sensum suum haud multo post his verbis luculentius prodit: *Qui unum ex origine perditum, alterum in prædestinatione affirmat electum, vide quò improba persuasione declines. Quid enim aliud dicit nisi quod adjutorio orationis neuter indigeat. Nam jam praeordinatis ad vitam necessaria non erit; deputatis ad mortem prodesse non poterit. In isto supervacua, in illo infirma indicabitur. Beneficia supplicationis qui in acquisitione prædestinationis est, non requirit: qui vero in perditionis parte, non recipit. Quod si curam impendendam æstimat orationi, indubitanter intelligat ea quæ imminent posse mutari.* Hæc ille. Quibus ultimis verbis clarius indicat illa potissimum divini propositi immutabilitate supplicandi & orandi subsidia suffocari.

Faust. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 4.

Ibid.

Sexta & septima ratio, quia introducuntur duæ partes humani generis, duæ naturæ, duæ massæ cum Manichæis.

CAPVT XIV.

CVM verò verbis citatis *perditionis partem* nominat, sextam abhorrendi propositi causam insinuat, quæ apertius à Massiliensibus tangitur. Molestissimè siquidem ferunt, illo prædestinationis decreto totum genus humanum in *duas partes* dividi, quarum una vitæ, morti altera destinata sit, tantumque chaos inter illas firmatum, ut neque in hac neque in altera vita, una ad alteram transire non possit. Hinc in Epistola Hilarij dicunt: *Nam si sic prædesti nati sunt ad* VTRAMQVE PARTEM, *ut de alijs ad alios nullus possit accidere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?* Cui ut illis videbatur absurditati cum remedium adhibuissent discretionem unius ab alio, totamque divinorum decretorum diversitatem ab humani arbitrij motibus suspendendo, commenti istius magnum quasi fructum inferentes; *atque ita*, inquiunt, *non opus esse partes constitui, quibus nec adjiciendum sit aliquid nec detrahendum.* De ijsdem partibus & Faustus clarè loquitur, ubi superfluam ex illo capite esse orationē inculcare satagit: *Sed quid orare*, inquit, *homini proderit in una* HARVM PARTIVM *constituto? Nam etsi ad quam partem fuerit deputatus ignorat, utramque tamen definitam esse & immutabilem non ignorat.*

Hilar. in Epist. ad August.

Ibid.

Lib. 1. c. 4.

Affinis isti querelæ est & alia, quæ septima esse potest; quod sub illo divini propositi sive prædestinationis pallio cum Manichæis *duæ naturæ, duæque massæ* fingerentur, quarum una sit bona, utpote quæ nullo arbitrij motu salute excidere potest, altera mala, quia nullo studio possit à perditione liberari. Hoc est, uno verbo, quod unaquæque suę qualitatis tenax sit, ut aliud quam facta est, esse non possit: de qua querela Prosper ad Ruffinum scribit: *Adjiciunt etiam* (accusatores Augustini) *duas illum*

In Epist. ad Ruff.

humani generis massas & duas credi velle naturas, *ut* A *scilicet tanta pietatis viro Paganorum & Manichæorum adscribatur impietas.* Et in Epistola ad Augustinum Massilienses dicunt: *Sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem, aut* DIVERSARUM NATURARUM *dici Dominum conditorem*, SI NEMO ALIUD POSSIT ESSE QUAM FACTUS EST. Hinc & Faustus cum Apostoli ad Romanos de figulo & una massa differentis citasset locum: *Quicunque*, inquit, DUAS *humani generis* MASSAS *esse arbitraberis, unam sacrâ ex lectione cognosce. Duas autem facit pravitas studiorum & diversitas voluntatum.* Qua voluntatum humanarum commendatione Semi-Pelagianorum solemni consuetudine omnem ab humanis actibus vult submovere prædestinationem. *Lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 13.*

Octava propositi divini aversandi ratio, quia Deus non haberet seriam voluntatem ut omnes credant & salvi fiant.

CAPUT XV.

OCTAVO propositum illud quo ante A mundi initium eligendorum & reijciendorum dicitur facta discretio, idcirco etjam vel maxime exhorrent, quia ex eo sequitur *Deum non omnes homines velle salvos fieri*; sed solum certos illos quos sibi ad vitam æternam eligendo prædestinaverit, hoc autem tanquam Apostolicæ doctrinæ sine ulla dubitatione contrarium vehementissime detestantur. Hinc Galli inter damnabilia ex Augustini libris decerpta capitula & istud ponunt: *Quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.* Quod ut magis invidiosum sit, in objectionibus Vincentianis additur: *Quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint*, quasi haberi possit ab homine voluntas se salvandi sine volente & inspirante Deo. Eadem difficultas & in Epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum tangitur. *Cap. 8. Gall.* *Obiect. 1. Vincent.*

Huic absurditati & illam similem esse volunt, quæ in Gallorum capitulis nona est: *Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.* Et illam: *Quod non omnes vocentur ad gratiam.* Item, *quod qui vocati sunt non omnes æqualiter sint vocati, sed alij ut credant, alij ut non credant.* Nam Salvatorem etjam pro illis esse revera crucifixum, eos velle seriò salvos fieri, illos ad fidem & gratiam suam sincere & citra simulationem vocare, quos illo electionis proposito ab æterno noluerit perditionis massâ discernere, tanquam certissimum statuunt, & tamen nullo pacto in Catholicorum sensu intelligi posse arbitrantur. Easdem difficultates crebiò invidiosissimeque Faustus explicat. Unde cum quodam loco *pro universis Christum venisse* docuisset, tandem adversus illud propositum Dei ab Augustino traditum & invidiosis vocibus expressum dicit: *Quod si quemadmodum abrupta blasphemat impietas, alij ad mortem præordinati, alij prædestinati videntur ad vitam; nullam Christus veniendi causam, nullam moriendi (quam pietas eius invenit) habuit necessitatem. Novum ergò remedium nihil agere potuit si ante sæcula res humanas definitio vetusta præfixit.* B Cernis, arbitror, quam difficile omnes existimaverint sinceram erga salutem hominum voluntatem Dei quam eum habere supponunt, cum illo divino proposito conciliare, quo certum dumtaxat numerum ad salutem eligi Augustinus prædicabat. *Cap. 9. Gall. & Obiect. 9. Vincent.* *Cap. 4. & 5. Gall.* *Faust. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 16.*

Nona ratio aversionis, quod in hujusmodi propositi assertione omnia rejectorum peccata asscribantur Deo.

CAPUT XVI.

SED quia definitus ille prædestinatusque A electorum & salvandorum numerus, qui nec augeri potest nec minui, reliquos omnes, quotquot non pertinent ad istum certissimum & felicissimũ numerum, abiectos & ad interitum destinatos esse supponit. Hinc alia difficultas oritur, quod Deus non tantum eos non velit salvos fieri ut capite præcedenti dictum est, sed etjam in ipsa peccata præcipitare videatur, ut scilicet ad perditionem jam sibi preordinatam infallibili gubernatione perveniant. Cujus quidem difficultatis in Epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum scriptis nulla mentio est quia probabili colore caret sed post mortem Sancti Doctoris invidiosissimis importunissimisque vocibus ventilata, & sectatoribus ejus ad infamandam doctrinam ejus objecta est. Quidquid enim in reprobatis illis accidit, ab ipsa eorum creatione, usque ad condemnationem, divinæ voluntatis constitutioni tribuebant. Hinc inter objectiones Vincentianas illa de creatione ad malum fluunt: *Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet ut illam perdat in æternum.*

Item:

Digitized by Google

[*Obiect. 4.*] Item: *quod maior pars generis humani ad hoc creatur à Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem.* Cui ſimile eſt etjam decimum tertium Gallorum Capitulum. Vt vero etjam Deum conſtitutionem iſtam ſuam per ſe exequi crederetur adjungunt alia: [*Obiect. 5.*] *Quod peccatorum noſtrorum autor ſit Deus, eo quod malam faciat voluntatem hominum, plaſmet ſubſtantiam quæ naturali motu non poßit niſi peccare.* Et rurſum: [*Obiect. 6.*] *Quod Deus tale in hominibus plaſmet arbitrium quale eſt dæmonum; & quod proprio motu nihil aliud poßit vel velit niſi peccare.* Omnium denique ſcelerum quę ab infidelibus perpetrantur, Dei prædeſtinationem cauſam eſſe vociferantur. Vſque adeo ut hoc ipſum quod non credant, ſecundum hanc doctrinam ex Dei dicant voluntate contingere. [*Cap 5. Gall.*] *Quod qui vocati ſunt*, inquiunt Galli, apud Proſperum, *non æqualiter ſint vocati: ſed alij ut crederent alij ut non crederent.* Et clarius: [*Cap. 14.*] *Quod qui Euangelicæ prædicationi non credunt ex Dei prædeſtinatione non credunt, & quod Deus ita definierit, ut quicunque non credunt, ex ipſius conſtitutione non credant.*

Nec infidelium tantum, ſed omnia quoque Chriſtianorum flagitia & facinora, quibus à ſuſcepta fide, & charitate deſciſcentes ſibi viam ad perditionem ſtruunt, Deo decernente perpetrari volunt. Subtrahi namque perſeverandi vires, ut cadant, atque in diverſis peccatorum generibus volutati finem ſibi divinitus deſtinatum aſſequantur. Hinc Maſſilienſes apud Auguſtinum hoc modo juxta doctrinam ejus populis prædicandum [*Lib. de dono perſev. c. 15.*] aſſerunt: *Si qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires ut obedire ceſſetis.* Quod totidem pene verbis duodecimâ [*Cap. 12. Gall.*] Gallorum objectione repetitur: Nec multum diſſonat objectio ſeptima, octava, nona Vincentiana [*Obiect. Vincent. 7. 8. 9.*] quibus dicitur; *quod hæc ſit voluntas Dei ut magna pars Chriſtianorum ſalva eſſe nec velit nec poßit: à ſanctitatis propoſito ruat; & apoſtatet à Catholica fide.* Quod pluribus verbis magis explicant Objectione duodecimâ Vincentianâ, [*Obiect. Vincent. 12. 13. 14.*] decimâ tertiâ, decimâ quartâ, & decimâ ſextâ; ita nempe ut & in ipſa oratione Dominica, dum dicitur *Fiat voluntas tua*, nihil aliud à rejectis *quam contra ſe peti* dicant, id eſt, [*Obiect. Vincent. 16.*] *ut cadant & ruant, quia voluntas* Dei *hæc eſt ut æternâ morte pereant.* Hinc ulterius: [*Obiect. Vincent. 10.*] *Et ſacrarum Virginum corruptelas, Parentum inceſtus, dominorum à ſervis perpetratas cædes*; [*Obiect. 11.*] ipſamque lapſorum *impœnitentiam* accidere putant ex diſpenſatione Dei, [*Obiect. Vincent. 15.*] ſic eos gubernantis, *ut*, inquiunt, *nec poßint vel velint per pœnitentiam liberari.* Hæc vero & ſimilia ſunt illa forſitan *interminabiliter plura*, quæ Hilarius litteris ſuis [*In Epiſt. ad Auguſt.*] ſe non expreſſiſſe, ſed per ſe ad Auguſtin. deferre maluiſſe teſtatur: Et poſtea à Proſpero duobus libellis comprehenſa ſunt. Ex quibus admodum ſane perſpicuum eſt, quomodo contra illud quod diximus propoſitum prædeſtinationis omnia Maſſilienſium tela torqueantur. Nam omnes pene adverſus Auguſtini doctrinam objectiones quas hoc capite vel aperte citavimus, vel perſtringendo tetigimus, prædeſtinationis aut propoſiti aut voluntatis Dei faciunt mentionem.

Decima horroris ratio, quia ſententia nova eſt, & opinioni Patrum contraria.

CAPVT XVII.

[*In Epiſt. Proſp.*] DECIMA denique ratio cur tantopere illam divinæ prædeſtinationis *conſtitutionem* quæ humanas prævenit voluntates abhorruerint, ex antiquorum Patrum doctrina & Eccleſiæ ſenſu petitur. Quotquot enim Auguſtini ætatem antegreſſi ſunt, videntur prædeſtinationem hominum, non ſecundum illud beneplacitum voluntatis Dei, ſed ſecundum præſcientiam alicujus operis aut voluntatis ex parte hominis antecedentis unanimi pœne conſenſione docuiſſe. Quod quidem multipliciter Maſſilienſes graviterque in Epiſtolis Proſperi & Hilarij conqueruntur, ut facile pateat, tanto juſtiorem iſtam eis viſam fuiſſe querimoniam, quanto in hujuſmodi rebus ad fidem pertinentibus humanæ rationi autoritas antecellit. [*Initio Epiſt. ad Auguſt.*] *Contrarium putant*, inquit Proſper, *Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui quicquid in eis de vocatione electorum ſecundum Dei propoſitum diſputaſti.* Ecce primum quod Maſſilienſes in Auguſtini doctrina perturbavit, novitas fuit, & ab antiquorum ſenſu diſſonantia: quam primo quoque verbo ſuæ relationis Hilarius notat: [*Hilar. in Epiſt. ad Auguſt.*] NOVVM, inquit, *& inutile eſſe prædicationi quod quidam ſecundum* PROPOSITVM *eligendi dicantur.* Nec ſemel in hunc ſcopulum detexiſſe ſufficit: niſi identidem eandem tangerent & Auguſtino inculcarent: hoc eſt enim quod iterum Proſper repetit: [*In Epiſt. ad Auguſt.*] *Obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt, & ea quæ de Epiſtola Apoſtoli Pauli Romanis ſcribentis ad manifeſtationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, ut nunc ſentiuntur affirmant.* Hoc eſt item quod Auguſtino dicit Hilarius: [*Hilar. in Epiſt. ad Auguſt.*] *Hoc enim & illis locis tuorum opuſculorum, & aliorum quæ proſequi longum eſt ſe demonſtrare teſtantur.* Hoc iterum, quod paulò poſt: [*Ibid.*] *Hoc etiam de aliorum libris, quorum eſt in Eccleſia autoritas, faciunt; quod perſpiciat Sanctitas tua non parum poſſe turbare contradictores, niſi maiora aut certe paria proferantur à nobis.* Quid quod nō modo Maſſilienſes quorum in

hac re potest esse suspecta fides istam exaggerant querimoniam, sed etiam in se Prosper idem sensisse videatur? Sic enim in fine litterarum suarum Augustino ex propria sententia videtur loqui: *Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres quod retractatis priorum de hac re opinionibus* POENE OMNIVM PAR INVENITVR ET VNA SENTENTIA, *qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt*: quod quid sit explicando subnectit: *ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios vasa contumeliæ fecerit, quia finem uniuscuiusque praviderit & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Quæ quidem Prosperi verba totaque Massiliensium de novitate querimonia, quanta veritate nitantur, ex ijs utcunque æstimari potest quæ de Origenis Epistolam ad Romanos commentantis adeoque ipsius Augustini sententia ante susceptum Episcopatum supra suis locis diximus. Vtraque quippe quantum ad hunc articulum perfecte Semi-Pelagiana fuit, ut non mirum sit alios inferioris notæ & perspicaciæ Scriptores inter utriusque ætatem interjectos in eundem scopulum impegisse. Nam ut Augustini doctrinam inter Latinos in Occidente, ita inter Græcos in Oriente Origenem plerique in Scripturarum explicatione sectati sunt. Etenim quia incredibili conceptuum ubertate, & commentandi scribendique facilitate inter primos glaciem fregerat & aditum ad Scripturarum secreta penetranda reseraverat, hinc maxima ipsius fuit in Scripturis interpretandis apud posteros ejus Græcos æstimatio: qua fieri plerumque solet, ut error non ita perspectu facilis nullo Ecclesiæ adhuc damnatus anathemate, corruptæ naturæ conceptibus valde consentaneus, scripturis instructus, multisque veritatibus intertextus, ab avidis incautisque lectoribus hauriatur.

Prosp.

Inferuntur tria corollaria, quibus natura illius propositi & gratiæ quam Massilienses horrent, aliqua ex parte declaratur.

CAPVT XVIII.

PORRO ex ijs quæ hactenus de illo divinę voluntatis proposito juxta Massiliensium intelligentiam & querelas locuti sumus, tria evidenter inferri posse & consequi sentio: quorum unum decreti illius originem respicit, alterum eius latitudinem, tertium executionem.

Primum igitur infero, toto illos ostio aberrare, ne quicquam in Augustini doctrina capiant qui propositum istud tam constanter ab eo prædicatum ut à divina voluntate possit formari, prævisionem aliquam humani motus, sive voluntatis, sive determinationis, sive absolutam, sive hypotheticam includere vel supponere credunt, & persuadere moliuntur. Massilienses enim ipsi perspicuis expressisque verbis subinde contrarium apud Prosperum dicunt: *Removeri omnem industriam tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.* Ecce propositum, *quo*, ut ibidem aiunt, *ante mundi initium vel in ipsa conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum* ab Augustino *dicitur facta discretio secundum quod placuit creatori*, humanas prævenit voluntates. Nam si ante divinæ voluntatis propositum humanæ cujuspiam determinationis nutus sive cum gratia sive sine gratia in Dei prævisione præcedat, profecto jam propositum eligendi humanam voluntatem non præveniret, sed sequetur: sicut in eadem Epistola Prosper dicit Massilienses: *Electionem Dei sive* propositum eligendi parvulos *quibuscunque Commentitijs meritis subjicere*, hoc est posteriorem facere, tametsi non nisi sub conditione si viverent illa merita prævirentur. Et quid est aliud discretionem hominum fieri *secundum quod placuit creatori*, nisi pro liberrimo divinæ voluntatis beneplacito ac proposito quod nihil penitus ex parte hominum datum prævisumque respiciat, per quod unus ab alio sive sine omni gratia, sive cum gratia quoquo modo jam distare aut discretus esse ante conceptum conclusumq; Dei propositum cogitetur? Hoc enim si vel in prævisione supponatur, jam palam discretionem habes *secundum præscientiam*, non *secundum quod placuit creatori*. Ante propositum enim absolutum atque completum jam præscietur discretio, non per ipsum Dei propositum fiet.

Sed hoc propositum Dei omnem prævisum humanæ voluntatis nutum sive absolute sive sub conditione præcedere tota Massiliensium oppugnatio longe luculentius omnibus verbis indicat & quodammodo clamat. Nam si propositum istud ut à Deo possit concipi ab aliqua pręvisa humanæ libertatis inclinatione suspenditur, quænam obsecro ab homine non fatuo vel tenuissima formidari potest umbra fati? quænam stabilitatis ejus immutabilis, quæ efficaciæ timendæ ratio? Nonne tota si qua vel fingi posset fatalitas, immutabilitas, efficacia, à propria ipsorum voluntate penderet? Nonne prævisus voluntatis nutus suum potius unicuique fatum conderet & fatum ipsum regeret, quam huc illuc pro alterius beneplacito fatali aliqua constitutione regeretur, aut raperetur? Quis vero hic esse potest interimendæ libertatis metus, ubi studiosissime Deus cavet & vigilat, ne quasi

ne quaſi fatali aliqua ſanctione ladatur? Vbi A nihil proponitur aut decernitur, niſi libertas voluntatis jam ante à Deo extra periculum omne poſita & incolumis eſſe videatur? Iam verò quam non ineptiam ſapit ſuperfluum eſſe laborem voluntatis propter decreti illius conſtantiam conqueri, quod non niſi præviſo voluntatis labore ſancitum eſt? Vereri divinæ voluntatis incertitudinem quam à propriæ voluntatis flexu ſuſpendi ſciunt? Sub illo incerto deſperabundum gemere, quod unicuiq; fieri poteſt propria voluntate certiſſimum? Et quis non rideat acutiſſimos homines de duabus maſſis duabuſque naturis conquerentes eo quod *duas maſſas* non niſi *pravitate ſtudiorum, & diverſitate voluntatum fieri* velint. Vbi audiunt voluntatum ſuarum præviſam diverſitatem ac ſtudium ipſas maſſas facere? Parteſque ipſas duas quibus nihil adijci poſſe ſtomachantur, propriæ libertatis in utram libuerit ſuo nutu vergentis præcognita inclinatione conſtitui? Sed omnem delirantium excedit abſurditatem quod correptionum & exhortationum interitum per illud propoſitum afferri quererentur, ſi voluntatis conſenſus aut diſſenſus quibus excitandis aut avertendis exhortatio & correptio adhiberi ſolent ante ipſum Dei propoſitum præviſus eſſe ab Auguſtino doceretur. Nam humanorum nutuum præſcientiam, atque inde pendentes conſtitutiones Dei non modo non abhorrebant, ſed veluti libertati maximè conſentaneas libentiſſime prædicabant. Nec mirum ſanè: ſic enim, dum omnis divini decreti vis in cardine voluntatis humanæ vertitur, totus ille rigor & horror tollitur, quo indifferens flexibilitas intra cancellos immutabiles alienæ conſtitutionis independenter à ſe conceptæ & *humanas prævenientes voluntates* coercetur & clauditur, quos egredi nulla lucta, nullo conatu poteſt. Hoc eſt enim quod conquerentes dicunt: *Vt neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare, neque electus ulla negligentia poſſit excidere.*

Fauſt. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 13. Vide ſupra.

Ita loquuntur Maſsilien. Epiſt. Proſ. ad Aug. Ibid.

Alterum ex Maſſilienſium querelis conſectaneum eſt propoſitum illud quod omnes humanas voluntates prævenit, non modo ad primas credendi, ſperandi, diligendique voluntates, quæ ex illo propoſito conferuntur, ſed ad ipſam quoque perſeverantiam bonæ voluntatis extendi: uſque adeò ut etiam gloriam electis diſcretiſve ſola Dei benignitate largiendam ſua latitudine velut cauſa complectatur. Nam inprimis paſſim iſtud propoſitum cum electione, diſcretione à maſſa perditionis, & prædeſtinatione confundunt, quibus perſeverantiam includi nemo dubitat. Hinc *prædeſtinatos ad utramque partem, prædeſtinatum electorum numerum nec augeri poſſe nec minui, prædeſtinantis electione* humanas prævenire voluntates carpunt. Hinc dicunt propoſitum iſtud *Sanctis*, hoc eſt jam credentibus, adeoque D fide, ſpe, & charitate ſanctificatis *occaſionem teporis afferri*, nempe quia à fine ad quem electi ſunt non poſſunt cadere. Hæc eſt enim quod velut cauſa ſubnectitur: *ſi neque rejectus,*

In Epiſt. Hilar. In Epiſt. Proſp.

à gloria ſcilicet, *ulla induſtria poſſit intrare, neque electus ulla negligentia poſſit excidere.* Hinc enim & *ſpei & curſus*, quibus ad bravium in ſtadio tenditur, mentionem faciunt: *ſub incerta ſpe curſum non eſſe conſtantem:* videlicet, *cum ſi aliud habeat prædeſtinantis electio*, ad gloriam ſcilicet ſeu ad illud, ad quod Sancti ſperando currendoque contendunt, *caſſa ſit annitentis intentio.* Hinc eſt quod Proſper ſibi exponi flagitat quomodo per *illud propoſitum quo præordinati ſive electi ad vitam æternam fideles fiunt*, non oriatur negligentia *ſi ſe prædeſtinatos eſſe deſperent.* Hinc eſt quod ſtatim oppoſitam Maſſilienſium opinionem explicans tanquam Patribus antiquioribus conſectaneam: *Propoſitum*, inquit, *& prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt.* Quo propoſito ne gloriam æternam reſpici ac dari dubites: *Vt ob hoc*, inquit, *Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia* FINEM *uniuſcuiuſque praviderit* B *& ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus eſſet voluntate praviderit*, ſcilicet vel bona vel mala, cui gloria fidem conſequens deberetur aut negaretur. Et verò quid aliud clamat Fauſti de ſublata orationum neceſſitate querimonia, niſi quod perſeverantia ipſeque finis, hoc eſt, gloria, jam illo propoſito immutabili ſtabilitate decreta ſunt? Nam pro perſeverantia & & gloria preces omnes quibus pro ſe Sancti Deo ſupplicant ſine ulla dubitatione funduntur. Et hoc ex totius capitis quarti ſerie manifeſtius patet quam ut uberioris probationis indigeat. Vnde perſpicuis verbis dicit Fauſtus: *Iam præordinatis ad vitam neceſſaria non erit* (oratio) *deputatis ad mortem prodeſſe non poterit.* Vides *præordinatis ad vitam æternam* (nam Euangeliſtæ verbis utitur) orationem fore ſuperfluam, Ex quo Semi-Pelagiana ratiocinatione ſtatim conficit LA QVÆ IMMINENT *poſſe mutari.* Et apertius: *Si unus ad vitam alter ad perditionem deputatus eſt, non* IVDICANDI *naſcimur, ſed* IVDICATIO Quod autem hæc ad vitam æternam præordinatio ſeu propoſitum glorificandi Sanctos ſuos pari modo nullam humanæ voluntatis præſcientiam præſupponat, eædem omnes querelæ probant, quas paulò ante ex Maſſilienſibus recenſuimus. C

Fauſt. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 4.

Luca act. 13 verſ. 48.

Tertium quod ex ſuperiori deductione conſectaneum eſt ad propoſiti divini executionem pertinet, nimirum *vocationem illam electorum ſecundum Dei propoſitum*, quam tot querelis Maſſilienſes impetunt nullo modo eſſe poſſe talem, ut poſitis omnibus externis interniſque gratijs ad cõſentiendum neceſſarijs, ultimus ad diſcernendum nutus ab illa indifferentiæ libertate, in utramvis libeat partem ſeſe inclinante petatur. Abſurdum quippe ſi non ſtultum, hominibus non ſtultis videri debet, illam gratiam à Maſſilienſibus fuiſſe tot clamoribus impugnatam quaſi liberum auferret arbitrium, quæ poſtquam data eſt inſtar habitus ad volendum, inſtar luminis ad videndum, inſtar ſcipionis ad ambulandum, prorſus ad nutum ſubdita eſt voluntati. Quid quod ipſi Maſſilienſes ultro hujuſmodi indifferentiæ

ferentis gratiæ genus admiserint, prædicaverint, inculcaverint, quod alio loco indubitatis argumentis uberius astruendum est. Nunc siquis de Massiliensium sensu quo gratiam ab Augustino prædicatam acceperunt plura desideret, ea consulat, quæ in re prorsus simili de Monachorum Adrumetensium & Pelagianorum sensu disseruimus. Nam ut ex Prospero supra dictum est, *Quicquid in libro de correptione & gratia ex contradicentium sensu sibi Augustinus opposuit, quicquid etiam in libris contra Julianum ab ipso sub hac quæstione objectum debellaverat, hoc totum ab istis Sanctis contentiosissime conclamatur*: quo significat, iisdem difficultatibus Massilienses in intelligenda gratiæ operatione laborasse, quibus illi Monachi & Iulianus laboraverant.

Vide supra lib. 4. de dogmat. Pelag. toto c. 17.

Epist. ad August.

Vnum hic tantum ab omni non pervicaci suæ sententiæ defensore pro tribus illis corollarijs etiam atque etiam consideratum velim, quam sit absurdum, & à dignitate Augustini tanti Doctoris alienum, quod cum videret se tot obloquijs & obtrectationibus ab errantibus & male doctrinam suam accipientibus appeti, tot calumnijs assertam à se veritatem traduci, tantum salutis periculum infirmis dari, tot scandala adversus fidem Ecclesiæ suscitari, nunquam tamen in omnibus libris, quos adversus illos condidit, vel verbulo dictum aut insinuatum esse voluerit, male Massilienses doctrinam suam de illo proposito & gratia intelligere: nihil esse de voluntatibus hominum, multo minus de gloria conferenda prædestinatum sive propositum, nisi præviso sub ipso gratiæ adjutorio voluntatis assensu. Itaque nihil esse in illo proposito fatale vel formidabile quia nihil à Deo inconsulta voluntate decernitur: salvum esse sub gratia liberum arbitrium, & maxime salvum, quia ab ejus liberrimo nutu, etsi non sine gratia, credere & non credere, velle & nolle suspenditur, haud secus ac si nulla gratia inveniretur. Ita quippe facillimo, expeditissimo, brevissimoque explicandi modo, hominibus gratiæ non infestis, sed umbris difficultatum territis, omnes contentionum fibras radicitus amputasset. Cur ergò tam periculosas, scandalosasque difficultates viris gravibus & amicis, flagitantibus tot Presbyteris de salute periclitantibus, non unius saltem sententiolæ declaratione sopivit? Si forte non potuit, certè ignarissimus & stupidissimus fuit; si autem noluit impiissimus. Illud ab ejus divina profundissimaque sapientia remotissimum, hoc ab ejus pietate alienissimum. Quid quod illud propositi & gratiæ genus, quo cunctos Massiliensium scrupulos facillimè dissipatum iri diximus, & agnovit Augustinus & docuit, & cum res ita postularet luculentius explicavit quam ullus Philosophus aut Scholasticus indifferentis libertatis Patronus, eam immunem à vinculis fati & necessitatis asseruit? Cur ergò tantas suæ doctrinæ criminationes surdis auribus præterivit? Nimirum vidit veritatis Doctor profundissimus & religionis Antistes sacratissimus, isto propositi & gratiæ explicandæ modo Massiliensibus quidem abunde fieri satis, sed Catholicæ fidei forsan veritatem prodi, Christianæ religionis jugulum peti. At hoc ex proprijs fundamentis hic ostendere, & operosum & importunum est, sed uberius præstabitur suo loco. Nunc ad aperienda Massiliensium sensa, quibus tot difficultates in Augustini doctrina sibi occurrentes conati sunt fugere ac fugare, pergamus.

FINIS.

CORNE-

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE HÆRESI PELAGIANA
LIBER OCTAVVS.
De Semi-Pelagianis ſecundus.

Alius Pelagianorum, alius Maſſilienſium ſcopus. Et generatim in quibus articulis cum Catholicis convenirent.

CAPVT PRIMVM.

EX ijs quæ hactenùs diſſeruimus facilè intelligere quilibet poteſt longe aliam fuiſſe Maſſilienſibus quam Pelagio & Iuliano cæteriſque Pelagianis intentionem; ſiquidem nihil aliud ex profeſſo Pelagiani ſtuduerunt quam ſublatâ funditus Chriſti Salvatoris fide, puram putamque Philoſophiam in Eccleſiam cum gentilibus introducere, ut cum Philoſophis hujus mundi natura hominis illæſa putaretur, *beatamque vitam virtute propria voluntatis efficere.* Maſſilienſes contra tanquam Catholicæ fidei Sectatores Chriſtum naturæ perditæ Salvatorem omnibus modis ſibi retinendum eſſe duxerunt tuendamque gratiam ejus, *ut*, quemadmodum Auguſtinus dicit, *nobiſcum pro Catholica fide perniciem Pelagiani erroris impugnarent.* Sed cum iſtud prædeſtinationis & electionis propoſitum, quo quidam pro ſolo Dei beneplacito nulla prorſus habita conſideratione voluntatis, à perditionis maſſa quam peccatum fecerat alijs in eadem cauſa prætermiſſis diſcerni debere dicebantur, & conſequenter omnes voluntatis actus quibus ex illa maſſa perditionis eripiuntur, à prima credendi voluntate uſque ad ipſam gloriæ coronam accipere duriſſimum ipſis eſſe ac deſperationis cauſa videretur, adeoque Catholicæ veritati & antiquiori Patrum ſenſui repugnare, aliam viam ſalva Dei gratia & prædeſtinatione ſibi aperiendam eſſe duxerunt, qua mitigata illa divini propoſiti fatalitate, unuſquiſque ſi vellet, per gratiam ab illa perditione poſſet liberari. Itaque ſcalas quaſdam ſibi machinati ſunt, quibus à naturæ bonitate, quæ non prorſus peccato deleta fuerat, tanquam prima & initiali quadam Dei gratia ad ſalvatricem Chriſti gratiam, quiſquis vellet ſine ullo Pelagij errore vel gratuitæ gratiæ læſione conſcenderet.

Aug. Epiſt. 106. ad Paulin.

Lib. de prædeſt. SS c. 14.

A

Primum igitur omnium ut Pelagium quam longiſſime fugiant, peccatum originale quod adventus Chriſti liberatricis gratiæ Pelagianis inviſæ, totiuſque prædeſtinationis & propoſiti, quod Auguſtinus aſſerebat radix eſt, integre quemadmodum religio poſtulat Chriſtiana profitentur. *Hæc enim ipſorum definitio ac profeſſio eſt*, inquit Proſper: *Omnem quidem hominem Adam peccante peccaſſe.* Et expreſſius: *Sub quo* (peccato originali) *omnes homines ſimiliter in primi hominis damnatione naſcuntur.* Qua de re nulla prorſus cum ipſis quæſtio eſt. Siquidē iſta Maſſilienſium à Pelagianis deviatio proprie *Semi-Pelagianorum* ipſis nomenclaturam dedit.

In Epiſt. ad Auguſt.

Ibid.

Secundo per iſtud peccatum fatentur naturam humanam in ægritudinem incidiſſe qua vires ſurgendi ex illa perditione recteque vivendi poteſtas perijt. Vnde Hilarius: *Nec inde quemquam proprio arbitrio liberari poſſe conſentiunt, ſed id conveniens aſſerunt veritati, vel congruum prædicationi ut cum proſtratis, & nunquam ſuis viribus ſurrecturis annuntiatur &c.* Et infra: primi hominis poſteros *amiſſis & perditis viribus* juvandos eſſe volunt.

In Epiſt. ad Auguſt.

B

Hinc tertio, ſola Chriſti gratia & baptiſmo ſentiunt hominem à perditione poſſe liberari: Vnde apud Proſperum profitentur palam: *Neminem per opera ſua ſed per Dei gratiam regenerationis ſalvari.*

In Epiſt. ad Auguſt.

Quarto fatentur hanc Dei gratiam non ſolum propter peccati remiſſionem quæ in baptiſmo datur eſſe neceſſariam, ſed in primis ut ad incipiendum vel perficiendum quodcunque opus bonum hominis lapſi infirmitas adjuvetur. *Cæterum*, ait Hilarius, *ad nullum opus vel incipiendum nedum perficiendum quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt.* Et multo inferius: *abominari ſe & damnare teſtantur, ſi quis quicquam virium in aliquo remanſiſſe, quo ad ſanitatem progredi poſſit exiſtimet.* Progreſſus enim ille ad ſanitatem per bonorum operum frequentationē fieri ſolet, quibus homo acceptâ peccatorum remiſſio-

Ad Auguſt.

remissione, magis magisque justificatur. Vnde in Epistola Prosperi dicunt: *Neminem nisi per gratiam justificari.*

Et istam quidem eorum confessionem ita intelligere videtur Augustinus ut etiam voluntatem hominis gratia *prævenire debere fateantur*: Quod verbum utrum ex illis Hilarij literis, quæ perierunt, ab Augustino sumptum sit, mihi non satis constat. *Lib. de præd. SS. c. 2.* *Pervenerant etiam*, inquit, libro de prædestinatione Sanctorum, *ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* *Lib. de dono persev. c. 16.* Et rursum alibi: *A Pelagianorum porrò hæretica perversitate tantum isti remoti sunt, ut fa-* A *teantur quod eorum præveniat voluntatem quibus datur hæc gratia.* Hæc est generalis Massiliensium de peccato originali, de naturæ lapsæ corruptione, de gratiæ necessitate confessio: cujus integritatem, si firmiter intelligenterque tenuissent nulla cum eis de istis articulis reliqua esset controversia. Nam in ea tota Augustini doctrina de gratia & prædestinatione velut in radice comprehenditur, quemadmodum hoc Augustinus ipse subinde ratiocinando demonstrat. *Loco citato.* Sed jam quomodo his fundamentis Catholicis nixi novam doctrinam ad auferendam hominibus desperationem struxerint proferamus.

Incipit declarari quibus modis difficultates dissipaverint. Ac primo unum propositum Dei in duo dividunt: quorum altero generali Deus vult omnes homines salvos fieri, altero non omnes. Illud conditionatum, hoc absolutum.

CAPVT SECVNDVM

Cap. 9. 10. & initio 11. lib. præced.

EX ijs quæ superius diximus, duos esse patet cardines querelarum quæ contra propositum prædestinationis ab Augustino prædicatum suscitatæ sunt. A *Naturam* illius decreti, & *effectum seu efficaciam* ejus. In quibus omnes reliquæ de desperatione, ignavia, exhortationum & orationum excidio, cæterisque malis quæ fusius à nobis commemorata sunt, vertuntur. In natura propositi, displicet eis quod illa Dei constitutio *humanas præveniendo voluntates* unum ab alio & præ alio immutabiliter ante mundi constitutionem discerneret, ut secundum quod placuit creatori alter fieret vas in honorem, alter in contumeliam. *Vide c. 9. supra fuse lib. præced.* In effectu, displicet ijsdem quod unum ab altero gratia in hac vita discerneret: & efficacissime id quod divinitus constitutum fuerat, exequendo perficeret. Vtrique nodo suum, ut putant, cuneum sine Pelagiani erroris periculo aut nota, sine gratiæ aut propositi divini læsione commenti sunt. Talem quippe prædestinationis ordinem & gratiæ dispensationem ac vim, tantillum ab asserta per Augustinum veritate deflectendo moliti sunt, ut tota illa numerosa series trabalium absurdarumque difficultatum penitus evanesceret.

Primum itaque, quia omne Dei propositum erga salutem hominum perditorum, quod eorum præcurrat voluntatem, negare nefas esse vident, ipsi unicum illud, quod absolutum & particulare certorum duntaxat hominum præveniens voluntates, Augustinus tradidit, in duo partiuntur; quorum alterum sit universale quidem omnesque præcedat creatæ voluntatis motus, alterum particulare, sed voluntatis arbitrium consequatur. Illud quasi conditionatum, hoc absolutum statuunt. De particulari inferius, hic de universali pauca dicenda sunt. Itaque universale istud propositum nihil est aliud nisi generalis quædam voluntas Dei, qua, quantum in se est, vult omnibus omninò hominibus, excluso nemine, vitam æternam. Hoc propositum solent Apostolicis verbis exprimere, quod *Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*: *1. ad Tim. 2.* Et in alio sensu quam ea Augustinus explicat firmissimam totius erroris sui basim constituere. *Inde est quod illius sententiæ expositionem*, inquiunt Massilienses apud Hilarium, *In Epist. ad August.* *non eam quæ à te est deprompta suscipiant, id est ut non nisi omnes homines salvos fieri velit & non eos tantum, qui ad Sanctorum numerum pertinebant, sed omnes omninò ut nullus habeatur exceptus.* Et apud Prosperum timentes ne istud fundamentum eriperetur sibi, propterea quod non omnibus Evangelium prædicetur: *Nec vacil-* *Prosp. ad August.* B *lare illud*, inquiunt, *quod Deus omnes homines velit salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Et aliquanto superius generalis vocationis omnium radicem tangunt. *Vt bonitas in eo appareat* SI NEMINEM *repellas à vita, sed* *Ibid.* INDIFFERENTER VNIVERSOS *velit fieri salvos & ad agnitionem veritatis venire.* Hoc & Faustus & Cassianus adeoque Pelagiani omnes & quotquot quoquo modo salutem hominis ex humana volunt voluntate religare studiosissime inculcare solent, ut passim ex eorum scriptis ipsoque Augustino manifestissime liquet. *Vide Aug. lib. 4. cont. Iul. c. 8. & c. In Epist. ad Ruff.* Vnde Prosper: *Et ubi est illud quod nobis quasi contrarium à non intelligentibus semper opponitur quod Deus omnes homines velit salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

Sed quia non omnes reipsa salvos fieri certum est, hinc illud propositum generale non absolutum, sed inefficax & quasi cõditonatum statuunt,

ſtatuunt, videlicet *ſi homines ipſi voluntatque conſentiant.* Dilucidis verbis eorum ſenſum Proſper ad Auguſtinum promit: *Itaque quantum ad Deum pertinet omnibus paratam vitam æternam, quantum autem ad arbitrij libertatem ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderunt & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Et Hilarius: *Nec hoc timendum, quod* (id eſt ne) *quidam eo invito perire dicantur, ſed quomodo, aiunt, non vult à quoquam peccari vel deſeri iuſtitiam, & tamen iugiter illa deſeritur contra eius voluntatem committunturq; peccata; ita eum ſalvare velle omnes homines, nec tamen omnes homines velle ſalvari?*

Ad Auguſt.

Et Fauſtus: *quod dixit* (Apoſtolus) *qui eſt ſalvator omnium hominum, ad propoſitum divinæ bonitatis aſpexit: quod autem dixit, maxime fidelium, illos hoc loco pronuntiavit atque definivit qui per fidem, per obedientiam, per ſubditam voluntatem redemptoris munera ſuſceperunt.* Ex quo perſpicuum eſt illud generale propoſitum Dei nihil eſſe aliud niſi voluntatem illam quæ etjam aliquot ſæculis poſt, velut cauſa gratiæ ſufficientis omnium recepta fuit. Nam ſi ex illa generali Dei voluntate cum reſpectu ad humanam poſita, media quoque ſufficientia ſalutis omnibus fluant, omnis deſperationis umbra prorſus tollitur, & quicquid aliquis formidabile ex divinæ conſtitutionis fatalitate ex duabus maſſis aut partibus de extincta oratione & ſimilibus ſibi communiſci queat: per hoc enim decretum nulli cuiquam præficiuntur termini, nullis cancellis immutabilibus libertas clauditur, nulla diviſio vel partes hominum electorum aut rejectorum fiunt, ſed Rex Iuppiter omnibus æquus & idem introducitur cum parato omnibus auxilio ad manum: neque quicquam determinate vel abſolute de cujuſquam ſorte ſtatuit, niſi poſtquam præſcientia ſua perluſtraverit, quo quiſque modo medicinam oblatam admiſſurus aut repulſurus paratoque omnibus ſit uſurus auxilio. Et tunc tandem illud alterum particulare & abſolutum decretum ex mente Maſſilienſium de uniuſcujuſque ſalute aut perditione ſancit de quo poſtea dicturi ſumus.

Lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 16.

Beneficia quoque ex illo propoſito generali ſtatuunt generalia; & gratiam ſufficientem omnibus hominibus communem.

CAPVT TERTIVM.

Cvm ergò iſta divini propoſiti generalitate facilè adhibuiſſent remedium fato, reliquas quoque omnes conquerendi occaſiones per gratiam illi propoſito congruentem radicitus ſucciderunt: Duo quippe eſſe diximus, quæ in prædicatiſſima illa Divi Auguſtini gratia Maſſilienſibus diſplicent, quod ex parte Dei nimia diſcretione atque delectu detur: Et quod ex parte hominum ipſam unius ab alio diſcretionem temporalem afferens nimis efficaciter operetur. Primam difficultatem, largiori quadam gratiæ diffuſione diſſipant; ſecundam, ſuaviori gratiæ & libertatis contemperatione.

Cùm igitur duplices gratiæ ſint, hoc eſt duplicia divinæ largitatis beneficia, remota & proxima, quibus homo ad propoſiti divini ſcopum ſalutem æternam provehatur, neutra ipſi cuiquam ex judicio divino ſubtrahi volunt, ſed omnibus eſſe promiſcuè præparata. Remota voco quæ gratia quadam propinquiore & actuali indigent ut ad ſalutem homini proſint; ut incarnatio, in cruce redemptio, baptiſmus, & hujuſmodi. Proxima, ipſas gratias ſive internas ſive externas quas dicimus actuales quæ in ipſum voluntatis modum influunt.

De primis illis Dei beneficijs, hæc eorum dilucida eſt & ſæpiſſime inculcata ſententia: *Univerſis hominibus* (Proſperi verba ſunt) *propitiationem quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti ſine exceptione eſſe propoſitam, ut quicumque ad fidem & ad baptiſmum accedere voluerint ſalvi eſſe poſſint.* Et rurſum: *Pro univerſo autem,* inquiunt Maſſilienſes, *humano genere mortuum eſſe Dominum noſtrum* Iesvm *Chriſtum & neminem prorſus a redemptione ſanguinis eius exceptum, etiamſi omnem hanc vitam alieniſſima ab eo mente pertranſeat; quia ad omnes homines pertineat divinæ miſericordiæ Sacramentum* &c. (baptiſmus videlicet) *Itaque quantum ad Deum pertinet omnibus paratam vitam æternam* &c. ut ſupra. Et Fauſtus inſtanter eandem doctrinam tradit: *Dominum noſtrum,* inquit, Iesvm *Chriſtum aiunt humanam carnem non pro omnium ſalute ſumpſiſſe nec pro omnibus mortuum eſſe. Hoc omnimodis Catholica deteſtatur Eccleſia. Nam ſi ita eſſet, quomodò Apoſtolus diceret: Sicut in Adam omnes moriuntur ita in Chriſto omnes vivificabuntur. Hic dici non poteſt pro parte quum* &c. Ecce generaliſſime acceptum cupit: *In Chriſto omnes vivificabuntur.* Et infra: *Pro univerſitatem veniſſe Chriſtum idem Apoſtolus declarat* &c. Vnde idem ex generali omnium reſurrectione concludens: *Et ideò,* inquit, *ſicut omnes reſurgimus licet non omnes immutabimur, ita Dominum Redemptorem cum generali miſericordiæ beneficio veniſſe teſtamur etſi illud infidelitas, quæ noluit non recepit.* Quam doctrinam idcirco tanta ſollicitudine inculcare ſatagunt, ut ex ea velut inviolabili fundamento alteram illam generalem gratiam, & ſufficientem aſſequendæ ſalutis poteſtatem, omnibus indifferenter conceſſam eſſe perſuadeant.

In Epiſt. ad Auguſt. de Maſſilienſ.

Lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 16.

Ibid.

Ibid.

Itaque conſequenter dicunt, Deum non

modo

modo illa remotiora beneficia, sed etjam illa propinqua; quibus actu & efficienter redemptionis pretium semel oblatum per fidem atq; baptismum singulis applicatur omnibus omninò sine exceptione largiri. Hoc est omnibus omninò sufficientem actualem gratiam dare, A qua excitati atque adjuti si voluerint credant, & baptismo salutis æternæ Sacramento potiantur. Hanc eorum sententiam luculente sine ambagibus expressit Prosper carmine de ingratis.

Cap. 10.

Gratia, qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc asscribitis illi:
Vt cunctos vocet illa quidem invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem afferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.

Et paulò post:

Cap. 11.

Dic unde probes quod gratia Christi
Nullum omninò hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum, vitamque beatam
Impertire velit.

Faust. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 17

ET Faustus: *Quis tam immemor salutis suæ sit qui attrahentis misericordiam negare præsumat? Sed ille vere impius est, qui eam non omnibus ingeri, non omnibus testatur impendi.* Et Catholicam Divi Augustini doctrinam vellicans, qua *totum gratiæ* tribuere solet; *Cum respondermus*, inquit, *totum plane gratiæ est, sed omnibus eam offert atque ingerit ad salutem omnium conditor atque redemptor: ad hæc illi longe à putatis tramite recedentes, respondere præsumunt; non eam salvator omnibus dedit quia nec pro omnibus mortuus est.* Ecce quod supra diximus, omnibus gratiam dari volunt, eo quod pro omnibus Christus mortuus sit: cujus contrarium Faustus omnesque Semi-Pelagiani Augustino & Catholicis invidiose tribuerunt. Et rursum alibi:

Lib. 2. c. 3.

Illud melius à nobis poterit dici (totum scilicet esse A solius gratiæ) *qui non in partem, sed in totum genus humanum gratiæ beneficia fatemur extendi.* Et Massilienses apud Prosperum: *Ideoque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis institutionibus admoneri ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cũ voluntariæ devotioni remuneratio sit parata.* Ex quibus manifestum est omnibus omnino Semi-Pelagianis duo ista communia fuisse dogmata & veluti cardines totius erroris quod Deus generali quodam proposito, quantum in se est, vellet omnes omnino homines salvos fieri, & quod consequenter in omnes omnino gratiam suam indifferenti quadam bonitate profunderet, qua possent si vellent ad salutem salutisque remedia omnibus proposita pervenire.

In Epist. ad August.

Prima gratia generalis Massiliensium est doctrina & Euangelij prædicatio & cur quibusdam subtrahatur à Deo.

CAPVT QVARTVM.

SED quænam sint illæ gratiæ generales, quas omnibus dari statuunt, non perinde apud omnes extra controversiam est.

In primis igitur indubitatum esse debet, eos admisisse gratiam institutionis divinæ seu doctrinæ, qua fidem suam & salutem homines Deus docet ac suadet. Hoc est enim quod Massilienses paulò ante apud Prosperum dicentes audivimus: *Omnem hominem ad credendum & operandum divinis institutionibus admoneri.* Sub hac gratia omnem doctrinam & suasionem adeoque legem ipsam & inprimis prædicationem Euangelicam complectuntur, per quas Deus homines ad salutem gratis vocat. Hinc eos teste Prospero, *in regnum prædestinatos*

Epist. ad August.

A asserunt, *quos gratis vocatos dignos futuros electione previderit.* Et apud Hilarium multa scripturæ testimonia ab Augustino prolata ad id referunt, ut ex his eam gratiam accipiant commendari, *qua unusquisque post voluntatem juvatur, vel ad ipsam vocationem qua præstatur indignus.* Et Augustinus de se testatur eandem se gratiam gratuitæ vocationis sive prædicationis similiter admisisse, *cum similiter ut Massilienses erraret: Neque enim fidem*, inquit, *putabam Dei gratia præveniri ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis.* Ecce cum Semi-Pelagianis errans tam necessariam gratiam prædicationis esse putat ut sine illa *credere non possemus.* Nec mirum quia ut alibi tradit:

Ad Aug.

Lib. de prædest. SS. c. 3.

Anima

Lib. de Spir. & litt. c. 34

Anima rationalis non potest credere quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat. Hoc est, cui tanquam objecto sibi ad credendum proposito fidem adhibeat. Quod eodem modo in Massiliensium errore constitutus dixit,

Lib. expofit. in Epist. ad Rom. & lib. de prædest. SS. c. 3.

neque velle possimus nisi vocemur. Quam vocationem ut ex gratia adhiberi se sentire atq; etjam tum sensisse declaret: *Rectissime itaque alio in loco*, inquit, *in eodem libro dixi quoniam si non ex operibus sed misericordia Dei & vocamur ut credamus, & credentibus præstatur, ut bene operemur, non est gentibus ista invidenda misericordia.*

Lib. 1. retract. c. 23. & de prædest. SS. c. 3.

Sed quia tunc, perinde ut postea Massilienses, illum vocationis modum non intelligebat, quam gratia intus in cordibus operatur, hinc est quod ibidem testatur se *minus ibi diligenter de illa quæ per Dei propositum fit vocatione tractasse.*

Porrò sub hoc gratiæ & vocationis modo Massilienses etjam generaliter legem esse complexos alijs non minus evidentibus testimonijs liquet:

In Epist. ad August.

Propositum autem vocantis gratiæ (sunt verba Prosperi) *in hoc omnino definiunt quod Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per Sacramentum regenerationis assumere, & ad hoc salutis donum omnes homines universaliter sive per naturalem sive per scriptam legem, sive per Euangelicam prædicationem vocari.* In quibus verbis animadvertere licet vocationem secundum propositum longe aliam à Massiliensibus fuisse constitutam, quam Augustinus asserre soleat: nimirum non illam, quæ ex Dei vocantis proposito fluens, conversionem hominis ac salutem immutando voluntatem hominis operatur, sed quæ fit per generalem quandam prædicationis gratiam ex illo Dei proposito profluentem, quo neminem constituit ad regnum suum nisi per Sacramentum baptismi seu regenerationis Sacramentum assumere, hoc est, quo vult quidem quantum in se est, omnes salvos fieri, sed per illud tamen remedium quod in Sacramento regenerationis instituit: quod ut liberâ voluntate amplectatur, omnes divinis institutionibus tanquam generali gratiâ provocantur. Et simili modo Faustus crebro generalem illam doctrinæ gratiam prædicat:

Lib. 2. c. 6.

Absit ut propone hic damnatio originalis æstimetur (in Esau) *ubi* VOCANTIS *benignitas & obtemperantis humilitas prædicatur: & ubi fidei divitias* DOCTRINA *generalis inculcat ac lumen credulitatis insinuat.* Vbi doctrinam generalem distinguit

Lib. 2. c. 8.

à gratijs specialibus ut ipse nominat, quæ post credendi voluntatem *ex accedenti largitate* tribuuntur.

Cap. 6.

Et sicut in uno loco *benignitatem vocantis* agnoscit,

Cap. 8.

ita in altero *Abram de Dei bonitate vocatum esse* profitetur. Sed hæc *divinæ admonitionis, prædicationis, vocationis* & ut à Vitale vocabatur SVASIONIS gratia, notior in Semi-Pelagianorum scriptis est quam ut pluribus res indigeat.

Epist. 107. Aug. ante medium.

Verum quia ista gratiæ generalitas excogitata est ad evitandam hominum discretionem, quæ divino judicio juxta Augustini sententiam, videtur fieri, quando Deus illam uni tribuit, alteri negat; hinc alia ex parte in magnas coarctantur angustias, ne eodem laqueo in sua sententia constringantur. Vident enim nec illam ipsam suam gratiam ita esse vel unquam fuisse generalem quin multis hominibus omnis ætatis atque ordinis subtracta defuerit, cujus defectu in æternum exitium corruerunt. Nam & parvuli qui ante discretionem boni ac mali ex hac vita rapiuntur, alij per regenerationem inter cœlestis regni assumuntur hæredes, alij sine baptismo inter mortis perpetuæ transeunt debitores; & adulti plurimi ita permittuntur ingredi vias suas, ut eis nulla unquam legis aut Euangelij prædicatio coruscaverit. Hujusmodi autem discretionem divinæ voluntati secretisque judicijs ejus non asscribere (cum fortuna nulla sit atque omnes pariter in originali massa damnati sint) non immerito videtur nefas. Quod si verum est jam iterum necessario reditur ad illud propositum Dei quo humanas prævenit voluntates, & ut visum fuerit de uniuscujusque liberatione & salute decernit.

Vtrique difficultati Massilienses per scientiæ conditionatæ subsidium satisfaciunt, nam quod ad parvulos attinet; *Tales aiunt perdi*, inquit Prosper, *talesque salvari quales futuros illos in annis majoribus si ad activam servarentur ætatem scientia divina præviderit.*

In Epist. ad August.

Ad illam vero divinæ dispensationis diversitatem, qua Euangelium adultis alijs vel alicubi prædicatur vel non prædicatur; vel nunc palam annunciatur, quod olim per tot sæcula pœne omnibus sicut & nunc nonnullis subtractum fuit, *Dicunt* (apud Hilarium) *id præscientia esse divina ut eo tempore & ibi & illis veritas annunciaretur, vel annuntietur quando & ubi pranoscebatur esse credenda.*

In Epist. ad August.

Et Prosper: *Prævisos, inquiunt, à Domino credituros & ad unamquamque gentem ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum.* Quam suam sententiam non solum *aliorum*, inquit Hilarius, *Catholicorum testimonijs* sed etjam Augustini disputatione confirmant. Nam simile quid alio licet sensu contra Porphyrium disputando docuerat: *Tunc videlicet, voluisse hominibus apparere Christum & apud eos prædicari doctrinam suam quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri.*

Epist. 49. q. 2.

Sed quinam illi scriptores Catholici, quibus testibus se sententiæ illius novitatem probare testantur? Non alium esse puto quam Origenem, qui hujusmodi dispensationis Euangelij in libris περὶ ἀρχῶν non obscura fundamenta jecit: totum enim errorem Semi-Pelagianorum ut supra de Pelagianis disputantes magna ex parte declaravimus, Origenes accuratissime tradidit.

Vide lib. 1. c. 1. f. 434. col. 1. & fol. 451. col. 1.

Secunda gratia generalis, reliquiæ quædam primæ integritatis seu naturalis possibilitas boni.

CAPVT QVINTVM.

EX ista igitur prædicationis Euangelicæ dispensatione quam præscientia fidei exorituræ moderaretur, perspicue patet, nihil peculiare in hac diversitate Massilienses divinæ misericordiæ vel judicio tribuere, sed illius gratiæ subtractionem ab humana quoque voluntate suspendere. Nam cum ab illis petitur, quomodo in hominibus sine Euangelij prædicatione pereuntibus, non vacillet illud, *Quod Deum omnes homines velit salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* (*1. Tim. 2.*) Quod veluti basim totius erroris collocaverãt, respõdere solent non solum id quod jam tetigimus, idcirco *esse inexcusabiles quod Euangelium ideo non audiverint quia nec fuerint recepturi*; & quod *ideò plurimi non renoventur divina misericordia, sive baptismi Sacramento, quia quod nec renovari velle habeant præcognoscantur*: (*Prosp. in Epist. ad August.*) Sed in primis illud, quod sine ulla Euangelij vel doctrinæ per homines vel Angelos traditæ prædicatione, *ad unum veri Dei cultum*, inquit Prosper, *potuerunt instrui intelligentia naturali.* Hoc est ergò alterum & quidem superiore principalius gratiæ genus, quod Massilienses lapsis hominibus adesse volunt, *quasdam* videlicet *primæ integritatis reliquias*, quas homines in natura rationali, sive in *intelligentia naturali* gerunt, quantumvis in originalis peccati corruptione nascantur. Quæ quidem integritas quandoquidem in Adamo Deum autorem habuit illius reliquiæ quoque ad conditoris & largitoris gratiam referendæ sunt. Hanc sententiam disertis verbis apud Hilarium tradunt. *Nec de hac fide posse dici: quid habes quod non accepisti cum in eadem natura remanserit licet vitiata, quæ prius sana ac perfecta donata sit.* (*Epist. ad August.*) Fidem in natura remansisse volunt non quod aliquid fidei reipsa, &, ut aiunt, formaliter in natura fuerit, sed quia potestas quædam credendi in naturali arbitrij rationalis libertate remanserit: Quod apertius in eadem Epistola superius dicitur: *Excludi putant*, in Augustini sententia, *omnem prædicandi vigorem si nihil quod per eum excitetur in hominibus remansisse dicatur.* Videlicet quia juxta illam homo non potest audita exhortatione ad credendum sua se libertate flectere & fidem *arripere vel tenere nisi credendi voluntate donata*, ut ibidem dicunt. Et non multo post: *Unde consequens putant exhibendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris concessum est, & nullam ita depravatam & extinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari.* Sed accuratissime sententiam istam apud Prosperum nonnulli Massiliensium tradunt: Qui tamen quatenus majores quam ad credendum vires homini ex lapsu reliquas esse sentiunt aut sentire videntur, magis ad Pelagianos eodem Prospero autore referendi sunt. Sic ergò illorum opinionem exprimit: *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitu non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam quæ omnia præveniat merita humana cogantur, ne si meritis redditur frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem liberi arbitrij & rationalem gratia creatoris instituat ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei & ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam qua in Christo renascimur pervenire, per naturalem scilicet, facultatem petendo, quærendo, pulsando* &c. (*In Epist. ad August.*) ubi si per illa verba (*ad obedientiam mandatorum suam dirigere voluntatem*) quorumlibet mandatorum obedientiam per illam gratiam naturæ exhiberi posse putant, non erit ista Massiliensium illorum sententia, de quibus hic nobis est disputatio, sed potius ut supra diximus Fausti & similium, qui omnium virtutum perfectionem cum Pelagio naturæ viribus tribuebant. Sin verò illam dumtaxat obedientiam intelligunt qua quis obedire volens credit jubenti Deo, & suæ infirmitatis conscius vires petit, quibus illa mandata possit implere, erit ipsissima illa sententia de qua disserimus, quod ita esse, fit inde utcunque verisimile, quia nullorum operum perfectiorum, sed petendi tantum, quærendi atque pulsandi mentionem faciunt.

Hæc ergò gratia naturæ, veluti tabula quædam ex Adami naufragio reliqua qui ad omnem omninò justitiæ operationem integerrimus, liberrimus & fortissimus conditus fuerat, nihil est aliud nisi pars illius possibilitatis naturalis quam Celestinus per peccatum penitus amissam docet, (*In Epist. ad Gall.*) seu illius libertatis naturalis qua primi hominis liberum arbitrium *ita liberum erat*, inquit Augustinus, *ut bene velle posset & male*, (*De corrept. & grat. c. 11*) nec erat necesse ut ei Deus per gratiam sicut nunc necesse est, ipsum velle vel agere largiretur, sed proper præstantiam indultæ libertatis & facultatis ex se poterat velle & agere, tametsi non sine gratia simul influente, quemadmodum hoc suo loco latè & solidè Deo juvante tradituri sumus. Hanc naturalem hominis libertatem per peccatum violatam & infirmatam eatenus Massilienses putant, ut quamvis per eam nullo modo possit sicut Adã olim potuit, omnia divina mandata perficere & in justitia perseverare si vellet, non tamen ita esse exstinctam aut depravatam, ut saltem id quod omnium infimum, tenuissimum, abjectissimumque justitiæ exordium est, per eam inchoare non possit. Hoc est enim quod supra dicentes audivimus; *Nullam ita depravatam vel extinctam putant ut non debeat vel possit se* (*Epist. Hilar.*) VELLE

sanari.

sanari: quippe velle sanari prima omnino est, A adeoque infima iustitiæ ratio. Hoc est quod paulo post: *Si autem*, aiunt, *dicatur vel talem* (supple voluntatem) *omnibus remansisse, qua vel contemnere quis valeat vel obedire* (credendo) *de compendio putant rationem reddi electorum vel rejectorum &c.* Nempe tantillum de naturali illa primi hominis libertate superesse volunt, ut saltem possit velle vel credere, etsi non possit amplius progredi. Hoc est quod *saltem qualemcunque dolorem ad exhortationem corripientis* oriri posse ex illa superstite libertate arbitrantur, quo saltem doleat quod mandatis obedire non possit. Hoc denique quod disertis verbis asserunt: *Proprium arbitrium ad hoc tantum esse* LIBERUM *ut velit vel nolit admittere medicinam.* Hoc enim in Adamo, teste Augustino, ita liberum fuit, ut universam justitiam posset implere si vellet. Nunc autem secundum Catholicam & Apostolicã ejusdem Augustini sententiam, ita infirmatum est, ut non solum per libertatem suam juste agere vel seipsum sanare non possit, quod Massilienses etjam libentissime confitentur, sed ne quidem possit credere aut velle admittere medicinam sive ut uno totum verbo Augustini complectar *nec accedere possit ad Deum nec manere cum Deo* Hoc est enim quod solidissime constantissimeque docet Augustinus, quando Massilienses corrigens dicit: *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij quales nunc sunt: fuit in homine antequam caderet.*

Ibid. 2 — *In Epist. Aug.* — *In Epist. Hilar.* — *Lib. de dono persev. c. 7.* — *Ibid.*

Tertia gratiæ generalis Massiliensium est actualis, interna, & sufficiens ad credendum, non ad operandum. Late ex principijs Augustini & Massiliensium astruitur, aliqua de natura ejus.

CAPUT SEXTUM.

MAGNA vero statim hic suboritur A dubitatio, quomodo recte istam credendi potestatem seu libertatem ex primæ conditionis integritate reliquam esse Massilienses arbitrari possunt, quandoquidem habitualem Adami gratiam sive justitiam ex qua libertas illa magna surgebat, in ipso & posteris prorsus amissam esse fateantur? Deinde quidquid poterat Adam sive credere sive operari, non sine interno gratiæ adjumento poterat; quod cum ipsi omnino repudient, & solâ naturali libertate credi posse statuant, sane non tam posteros Adami peccato ejus vulneratos videntur asserere, quam lapsos esse homine stante fortiores; utpote qui sine gratiæ interioris auxilio credere posse dicantur, quod homini primo non nisi qualiscunque gratia conferebat.

Sed unde magna illa primi hominis potestas & libertas oriretur, non est hic fusius disserendi locus. Hoc tantum hic dico, magnopere illos hallucinari qui ex habituali gratia eam pullulasse arbitrantur. Neque enim ullo modo restitutâ habituali illâ justitiâ quam Adamus habuit, adeoque majori & auctiori, magna illa libertas restituitur. Quod argumento est evidenti illam ex alia radice proficisci: quod quando de justitia primi hominis disputandum erit, ex professo ex Augustini principijs declarabitur. Hanc ergo qualemcunque radicem libertatis & potestatis eatenus integram post lapsum remansisse posteritati Adæ Massilienses putant, ut saltem velle sanari possit & credere, quamvis per eam non possit bonum operari.

Utrum autem præterea internam aliquam gratiam isti superstiti libertati ad credendum necessariam esse sentiant, perplexior difficultas est. Nam plerique recentiorum extra controversiam esse debere putant, quod omne actualis internæque gratiæ auxilium penitus pernegaverint. Ex quo fit ut in multis doctrinæ capitibus quam ipsi nunc de naturæ viribus de gratia & prædestinatione lapsorum hominum tradunt, se extra teli jactum & omne periculum erroris esse non dubitent. Unde operæ pretium est diligentius omnia Massiliensium principia, ne quâ forte in re tanti momenti obscuritate fallantur, inspicere.

Et primo quidem quod supra monui, hic iterum observatum velim; non omnes unum idemque sensisse Semi-Pelagianos: Unde nec omnium sensum nobis indagandum esse propositum, sed illorum dumtaxat, quorum opinionem ac dogmata Prosper & Hilarius Augustino censenda & refutanda prodiderunt. B Errantium quippe opiniones nosse, non ita multum prodest, nisi simul quid de singulis judicandum sit, quid fugiendum, quid tenendum, quid tolerandum, certa probataque alicujus Doctoris interposita autoritate noscatur. Hanc Augustinus Massiliensium opinionibus sibi perscriptis interposuit, & eam Ecclesia judicio suo tam luculente comprobavit, ut quid de cæteris Pelagiani erroris reliquijs sive Cassiano, sive Fausto, sive alijs post ejus obitum huc usque pullulantibus judicandum sit, ex ejus potissimum scriptis tanquam ex totius Ecclesiæ promptuario, unde & Canones Conciliorum hausti sunt, & indubitata sentiendi regula qua omnis imposterum ingeniorum regatur libertas, aut frænetur petulantia, debeat peti.

Itaque Massiliensium opinionibus, & Augustini

Digitized by Google

gustini doctrina quam diligentissime ponderata certum esse, & indubitatum esse debere sentio, quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, veram etjam & internam & actualem gratiam ac ipsam etjam fidem, quam humanæ libertatis & voluntatis asscribunt viribus, necessariam esse fateantur. Quod ut ostendam, unum dumtaxat, cujus non est hic uberius astruendi locus, tanquam Catholicum & immobile fundamentum supponendum est primum hominem haud secus atque angelos bonos, vera & actuali gratia ad perseverandum in justitia, sive ad vitam æternam per opera bona consequendam, juxta certissimam sæpiusque repetitam Divi Augustini doctrinam eguisse: quod ex ejus operibus suo loco latius comprobabimus. Nunc unicus locus ex Arausicano Concilio desumptus sufficit, quo ista Divi Augustini sententia tanquam Catholicæ fidei doctrina expresso Canone sancitur: *Natura humana*, inquit Concilium, *etiamsi in illa integritate in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Verba Canonis istius omnia ex Epistola Divi Augustini ad Paulinum sumpta sunt: quibus negat Concilium potuisse naturam humanam salutem acceptam, hoc est, justitiam habitualem, in qua condita fuerat, sine illa gratia conservare sine qua jam lapsa se reparare non potest. Hanc autem esse gratiam internam & actualem tum nemo Christianus negaverit, tum locus unde Canon ille petitus est manifestissime clamat. Nam verbotenus ex Epistola Augustini excerptus est: in qua totis viribus adversus Pelagianos recentissime damnatos disputat, qui ut homines crederent credendoque corrigerentur ac rectè viverent nullo modo actualis gratiæ cor convertentis auxilium necessarium esse statuebant, sed, ut Augustinus ait, *Hoc consistere* volebant *in solis viribus voluntatis*. Quos ut potentius debellaret, cavendum eos esse monet, *ne argute defendendo naturam*, quemadmodum Philosophi hujus mundi qui vehementer egerunt ut putarentur vel putarent sibi beatam vitam virtute propriæ voluntatis efficere, *offendant in lapidem offensionis, & per sapientiam verbi evacuent crucem Christi*: dum scilicet ad hoc actuali gratiâ Salvatoris opus esse non putant. Illam enim Philosophi Judæi atque Pelagiani, quos omnes ibidem opinionibus consociatos esse tradit unanimi consensione repulerunt; putantes sibi vel naturam solam, vel certe cum lege doctrinaque sufficere. Hos igitur omnes ut efficacius manifestiusque deceptos esse persuadeat, verbis illis supra citatis tradit, ne quidem naturam hominis, cum esset integra, tam potentem fuisse ut sine auxiliante gratia Dei stare posset in accepta justitia, quanto minus nunc tantarum virium esse credendam ut possit sine eadem gratia tot peccati vulneribus sauciata, tot libidinum vinculis captiva consurgere.

Canon. 19. Arausicani Concilij 2.

Epist. 106. vers. finem.

Ibid.

Nam gratiæ actualis auxilium Pelagianos ad surgendum necessarium negavisse lippis & tonsoribus notum est. Hinc alibi cum Pelagius *non peccare nostrum esse* dixisset, hoc est sine gratiæ auxilio nos peccata solis naturæ viribus posse vitare, subjicit hæc lucidissima verba pro asserenda primi hominis actuali gratiâ Augustinus: *Si de integra & sana hominis natura loqueretur quam modo non habemus, nec sic recte diceret quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset: Nam & ibi esset adjutorium & tanquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant se prabere volentibus*, id est, si vellent se ad videndum præbere. Ecce ut lumen oculis, non solum affectis, sed etjam sanissimis velut adjutorium actuale ab oculorum sanitate distinctum ad videndum penitus necessarium est, ita naturæ quantumvis sanæ, quantumvis integræ ad non peccandum, hoc est ad bene vivendum simili gratiæ adjutorio etjam sanissimis naturæ viribus superaddito fuisse necessarium constanter docet. Nam sanæ naturæ opus esse internâ sanitate ut in sanitate permanere queat, delirium est velle probare, stultum adducta luminis quod oculis externum est, similitudine persuadere.

Lib. de nat. & grat. c. 48.

Hæc autem integræ naturæ gratia quantum ad operandi modum talis fuit ut ejus usus in sua cuique voluntate relinqueretur: Hoc est ut ea uti velle aut nolle, cum ea credere vel non credere, operari vel non operari, perseverare vel non perseverare uniuscujusque relinqueretur arbitrio. Non enim illa gratia dabat homini velle vel agere; sed erat talis *sine qua non* posset quicquam velle vel agere. Nunc autem perdita illa felicissima integritate naturæ, homini varijs libidinibus captivo & suiipsius aliarumq; creaturarum amoribus excæcato talis gratia datur, quæ paulatim ipsius arbitrium sanando liberet ipsum velle & agere & perseverare largiendo. Est enim gratia non tantum *sine qua non* potest actio fieri, sed *qua* potentissime fiat; quæ nisi detur, nunquam poterit quicquam boni salutaris velle vel agere: quia rerum creatarum libidinosis delectationibus prægravatus non potest ullo modo captivam voluntatem in sincerissimam increatæ lucis puritatem attollere, etjamsi primi hominis gratia non tantum affulgens ac parata semper assisteret, sed etjam longe cumulatius auctiusque conferretur. Est enim ista gratia illius naturæ ut homini libero non captivo serviat, sano non ægro opituletur, integro non læso vulneratoque conveniat. Ex quo fit, ut neque captivum liberet, neque ægrotum sanet, neque membra fracta consolidet sed ejus usus integritatem, sanitatem, libertatemque supponat. Est enim instar baculi, instar cibi, instar lucis quæ nihil prorsus adjuvant ut vel vinculis compeditus ambulet, vel fastidiosus & ægrotus comedat, vel cæcus aut oculis læsus videat nisi ante compedes frangantur, fastidium detergatur, pupilla sanetur. Hoc autem non est aut scipionis, aut

aut alimenti aut lucis, ſed collyrij ac medicinæ, cujus ope paulatim integritas, ſanitas, libertaſque reſtituitur, quibus redditis jam illis adjutorijs utitur ſi voluerit; quia uti vel non uti, in arbitrio ſanati hominis conſtitutum eſt. Non enim ita adjuvant ut uſum ipſum voluntati inſerant, ſed impulſum potius voluntatis exſpectent.

Hæc eſt veriſſima, ſanctiſſima, conſtantiſſimaque Divi Auguſtini & Catholicæ Eccleſiæ de primi ſecundiq; hominis gratia, & utriuſque diverſitate doctrina: quam hic ſuis argumentis aſſerere, non minus eſſet facile, quam huic loco importunum. Tam multipliciter enim, tantaq; teſtimoniorũ evidentiâ, docendique conſtantiâ illam Auguſt. tradidit & Eccleſia amplexa eſt ut negari nullo modo poſſit niſi pertinacia pugnaces nervos adverſus perſpicuam lucem veritatis intendat. Vno loco ex libro de correptione & gratia deprompto B contentus ero, quo breviter quicquid diximus de illa auxilij diverſitate clareſcet: *Nec ipſum* (Adamum) *ergo Deus*, inquit, *eſſe voluit ſine ſua gratia quam reliquit in eius libero arbitrio &c. tale quippe erat adiutorium quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primo Adam, ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit ut habeat homo iuſtitiam ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit ut velit &c.* Vnde inferius illam vocat adjutorium *ſine quo aliquid non fit*, hoc vero, *quo aliquid fit*, quibus verbis breviter omnia quæ diximus comprehenſa ſunt, ſed hæc uberius alibi ex ſuis principijs demonſtranda ſunt. Hoc loco doctrinam iſtam Auguſtini ſuppoſitam volumus, ut genuinam ſententiam Maſſilienſium aſſequamur. Quod quidem, ut ad eos jam accedamus, eo juſtius videri debet à nobis fieri quod Maſſilienſes ipſi, quorum cauſa agitur, eo prorſus modo C Auguſtini doctrinam ceperint, & moleſte tulerint. Sic enim Hilarius eorum offenſiones refert: *Deinde*, inquit, *moleſte ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam*, NON QVA FIERET (verba ſunt Auguſtini ex libro de correptione & gratia) VT PERSEVERARET, SED SINE QVA PER LIBERVM ARBITRIVM PERSEVERARE NON POSSET: NVNC VERO SANCTIS IN REGNVM PER GRATIAM PRÆDESTINATIS, NON TALE ADIVTORIVM PERSEVERANTIÆ DETVR, SED TALE VT EIS PERSEVERANTIA IPSA DONETVR: NON SOLVM VT SINE ISTO DONO PERSEVERANTES ESSE NON POSSINT, VERVM ETIAM VT PER HOC DONVM NON NISI PERSEVERANTES SINT. Audis reprehendi diſtinctionem illam quam ſupra diximus, duplicis adjutorij, SINE QVO NON FIT aliquid, & PER QVOD FIT: quorum illud electionem relinquit libero arbitrio, ut quamvis ſine illo non fiat opus, tamen fiat SI VELIT; per hoc vero etiam fiat VT VELIT. Nunc vide cauſam ſtomachi; & cur iſtud poſtremum adjutorij genus quod lapſis hominibus Auguſt. tribuit deteſtantes ab-

Cap. 11.

Cap. 12.

Hilar. Epiſt ad Aug.

Cap. 12.

A jecerint: *His verbis*, pergit Hilarius, *ſanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi, ſi enim, aiunt, ita Adam adiutus eſt, ut & ſtare poſſet in iuſtitia & à iuſtitia declinare: & ita nunc Sancti iuvantur ut declinare non poſſint*, (*ſiquidem eam acceperunt volendi perſeverantiam ut aliud velle non poſſint*, quia ſcilicet ipſa gratia facit eos perſeveranter velle) *vel ſic quidam deſeruntur, ut aut nec accedant*, dum illa gratia non eos facit velle, *aut ſi acceſſerint, & recedant*, quia non facit eos perſeveranter velle: *ad illam*, hominis ſcilicet primi, *voluntatem pertinuiſſe dicunt exhortationis vel comminationis utilitatem, quæ & perſiſtendi & deſiſtendi obtinebat liberam poteſtatem* (utrumvis videlicet cum illo Adami adjutorio faciendo ſi vellet) *Non ad hanc*, hominis ſcilicet lapſi, *cui nolle iuſtitiam inevitabili neceſſitate coniunctum eſt*, nempe quia velle aut perſeveranter velle non poteſt, niſi per gratiam ipſum velle tribuatur: *Præter illos qui hic concreati ſunt his qui cum univerſa maſſa damnati ſunt, ut exciperentur per gratiam liberandi.* Hoc eſt præter electos ſive prædeſtinatos; quibus etſi ſimul cum reprobis in maſſa damnationis concreati ſunt, tamen juxta ſententiam Auguſtini datur hæc liberationis gratia qua fiat ut velint, & ut perſeveranter volendo liberentur. Ecce optime intelligunt & tanquam libertati, exhortationi, & comminationi conſentaneam illam gratiam probant, qua quis ita juvatur, *ut*, ſicut aiunt, *ſtare poſſit in iuſtitia & à iuſtitia declinare*: ut voluntas *perſiſtendi & deſiſtendi obtineat liberam poteſtatem.* Aliam verò *qua ipſum accedere & non recedere*, hoc eſt ipſum velle & perſeveranter velle voluntatibus à Deo per iſtam gratiam tribuendum eſt tanquã deſperationis cauſam averſantur. Et ne quis eos male fortaſſis Auguſtinum intellexiſſe ſuſpicetur, Ecce ipſa eorum verba *accedendi & diſcedendi*, ſeu *deſiſtendi* repetens Auguſtinus & conſtanter traditam à ſe veritatem ſuſtinens: *Non eſt hoc*, inquit, *omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc ſunt; fuerat in homine antequam caderet &c. Poſt caſum autem hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere ut homo* ACCEDAT *ad eum: neque niſi ad gratiam voluit pertinere, ut homo* NON RECEDAT *ab eo.* Quia ſcilicet ipſa gratia nunc dat velle & perſeveranter velle, quod olim ipſum arbitrium, quamvis non ſine gratia dabat. Hoc eſt enim quod continuo Sanctos Angelos *ſuæ voluntatis libertate* præſtitiſſe declarat.

Hilar. ibid

Eõ. de dono perſev. c. 7.

Ibid.

Cum ergo iſta Divi Auguſtini doctrina de duplici gratiæ adjutorio ex una parte placeret Maſſilienſibus, quia prima illa gratia libertatem ſalvam eſſe ſineret, deſperationem tolleret, exhortationis & cõminationis utilitatem relinqueret; ex altera vero parte illa lapſorum gratia propter incommoda quæ jam diximus, D & fuſius ante recenſuimus, graviſſime diſpliceret, ſic è contrario ſuam ipſi ſententiam diſertis verbis conſequenter tradunt: *Vnde in hoc ſolo volunt à primo homine omnium diſtare naturam; ut illum integris viribus voluntatis iuvaret gratia volentem, ſine qua perſeverare non poterat:*

Hilar. in Epiſt. ad Aug.

poterat : hos autem amissis & perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes. A Ecce totum discrimen gratiæ stantis & lapsi hominis paucis verbis expressum. Nimirum primam distinctionis traditæ partem ut rectam, ut veram, ut sanam probant : talem videlicet conditum fuisse primum hominem, ut esset integris viribus voluntatis, nulla concupiscentiæ resistentis, ac deprimentis rixa tentatus, atque turbatus, gratiâ sine qua perseverare non poterat, ita juvaretur, ut cum ea posset perseverare SI VELLET. Hoc est enim quod dicunt, *juvaret gratia volentem*, hoc est, juvaret eum gratia si vellet perseverare. Nam & Sanctus Prosper eadem phrasi eodem isto sensu in explicanda sententia Semi-Pelagianorum usus est, quando eos gratiam talem probare tradit:

Carm. de ingrat. c. 10.

Quæ se non subtrahat ulli
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.

HOc est quæ juvet homines illustretque si A velint. Quod sane non est aliud quam id quod Augustinus dixerat, sic illam gratiam primum hominem adjuvisse, ut in ejus libero relinqueretur arbitrio: Nec enim aliud ab ejus voluntate nisi velle petebatur. Alteram vero partem de gratia secundi hominis, quâ ita hominem lapsum Augustinus juvari dixerat, *ut parum esset non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si vellet, nisi etiam efficeretur ut vellet*, partim retinent, partim destruunt. Destruunt enim, quatenus primas illas integræ naturæ vires non ita prorsus amissas & perditas volunt, quin adhuc per easdem vires ut olim Adam *credere posset si vellet*, ita scilicet ut per secundi hominis gratiam effici non deberet, *ut vellet*, sed hoc etjam nunc cum illa prima gratia adhuc in ejus libero relinqueretur arbitrio. Hoc enim est quod supra sæpius dicentes audivimus *fidem in natura licet vitiata remansisse quæ prius sana & perfecta donata sit.* B Item *nullam naturam ita depravatam & exstinctam, ut non debeat vel possit se velle sanari.* Item, *proprium arbitrium ad hoc tantum esse liberum ut velit vel nolit admittere medicinam*, hoc enim fit per credendi voluntatem qua quisque, ut aiunt, *voluerit & crediderit a suo morbo se posse sanari.* Voluerit, inquam, & crediderit ex illa superstite propriæ & integræ voluntatis libertate, quam *talem omnibus remansisse* dicunt ; *qua sicut Adam, vel contemnere quis valeat fidem vel obedire : Nervum enim & inutile prædicationis* esse censebant sic voluntatem peccato læsam existimare, ut fidem *nec arripere valeat, nec tenere, nisi credendi voluntate donata*, per illam scilicet gratiam qua Sanctus Augustinus lapsum hominem adjuvandum esse prædicabat. Hactenus ergo alteram, ut dixi, distinctionis Augustinianæ partem de gratia lapsorum hominum destruunt, sed postquam homo per illam superstitem primævæ liber- C tatis scintillam gratiâ primi hominis adjutus voluerit & crediderit, jam vero etjam secundi hominis gratiam, per quam operationem bonam & ipsam operandi perseverantiam dari Augustinus tradidit, sine tergiversatione necessariam confitentur. Nam hoc est illud quod postquam homines *tantum crediderint*, illius gratiæ officinam esse statuunt, ut *non solum erigat prostratos, sed etiam suffulciat ambulantes.* Quibus verbis brevissimis omnis gratiæ Christianæ vis & operatio comprehenditur. Nam quod *prostratos* post fidem *erigi* per gratiam dicunt, voluntatis prostratæ liberationem à peccati & concupiscentiæ servitute designant: qua fit ut non solum depulsa per justificationem dominatione transferatur in regnum Filij Dei, sed etjam subactis inferioris partis libidinibus ac passionibus, quibus substrata premebatur, id quod antea inchoatæ voluntatis infirmitate implere non poterat, jam erecta ac tot vinculis utcunque liberata cum delectatione operetur. Quod vero per eandem gratiam *ambulantes suffulciri* dicunt, operationis justæ (quam ambulatio per justitiæ semitas denotat) perseverantiam gratiæ secundi hominis tribuunt. Neutrum etenim per illum quem superstitem esse putant, primæ libertatis vigorem quantumvis Adami gratia adjutum atque munitum lapso homini conferri posse recte & Catholice sentiunt. Nec enim illa gratia quamvis intensissima, cumulatissimaque ullo modo prostratos erigere vel ambulãtes ne iterum cadant suffulcire potest. Vtrumq; siquidem vim quandam agendi in voluntatẽ & immutandi ejus actũ denotat, dum scilicet voluntas vel pondere quodã oppressa liberatur & sursum trahitur; vel eodem pondere adhuc gravata & ad lapsum prona, ne cadat iterum firmiter retinetur. Hoc autem gratia illa primi hominis nequaquam facit; Nam ut *ægris oculis odiosa lux est, quæ puris amabilis est*; nec ullo modo vel intensissima conferre potest ut videant quia non ægritudinis instar collyrij, sed sanitatis adjutorium est, quo jam sanatus, si voluerit uti potest; ita ægrotæ libidinibus varijs voluntati prima illa gratia prorsus inepta est, nec eam prostratam erigere vel lapsantem ullo modo fulcire potest. Perfectarum quippe virium adminiculum est, non infirmæ medicina voluntatis. Vtitur eo sanitas si voluerit, non infirmitas vegetatur ut velit. In hoc ergò propriè Massiliensium error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltẽ credere posset si vellet: neuter tamen absq; interioris gratiæ adjutorio cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusq; arbitrio

Omnia in Epist. Hilar.

arbitrio & potestate. Non enim exclusisse Massilienses ab illa credendi voluntate gratiam, quæ interius adjuvaret, vel inde solum, etsi nihil ipsi expressius dicerent, perspicuum esse potest, quod frequenter non minus Prosper quam Augustinus eorum sententiam quâ hominem suâ naturali possibilitate seu libertate seu naturâ credere, & velle posse censebant, in Angelis & Adamo, non autem in lapsis hominibus veram esse fateantur. Audi istud Prosperum luculentis versibus canentem.

Lib. de ingra. c. 42.

Nam si nunc etjam illæsis vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit: sua quemque voluntas
Conciliare Deo, pœnaque absolvere posset &c.

Neque causam ex integritate naturæ petitam tacet:

Quoniam sapientia sana,
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo
Vitam agerent dignam summorum participatu.

Ad c. 8. Gall.

AVdi & oratione solutâ Semi-Pelagianis idem confitentem: *Neque hæc dona* (cogitare, dicere, agere bonum,) *ita ex Deo opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ autor est per conditionem jam hæc contulisse videatur.* Conferendo scilicet potestatem naturalem ea faciendi. *Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes eam in illo amisimus in quo omnes peccavimus.* Audi denique Augustinum qui disertis verbis præit Prospero. & ejusdem sententiæ veritatem velut magister docet: *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij quales nunc sunt: Fuerat in homine antequam caderet.* Nempe potestas permanendi cum Deo, hoc est constanter recte agendi suâ libertate si vellet. Cujus exemplum (Adam enim ceciderat illâ libertate) statim adjiciens; *Quæ tamen,* inquit, *libertas voluntatis in primæ illius conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis: Qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, post casum autem hominis, non nisi ad suam gratiam Deus voluit pertinere ut homo accedat ad eum, nec nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo.* Et iterum alio in loco: *Quis nescit eum* (hominem) *sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad juste vivendum potestate liberâ constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semi-vivum latrones reliquerunt.* Hoc est, non potest nunc suâ liberâ potestate quod ante potuit. Ecce quantâ luce veritatis & constantiâ doctrinæ duo præstantissimi gratiæ patroni asserunt naturam integram naturali suâ potestate credere potuisse si vellet, atque ultro totum quod Massilienses dicerent in illa felici integritate verum esse concedunt. Quod tamen non sine gratia illa de qua disputamus simul concurrente potuisse constanter identidem profitentur. Neque enim ista duo pugnant secum, sed potius unum involvit alterum quod Adam suâ libertate credere posset si vellet, & tamen ad hoc ipsum gratiæ adjutorium fuerit necessarium, quemadmodum sanus oculus in perpetua luce constitutus, si homo velit cernere potest, quod tamen sine luce simul influente non potest. Ex quo fit, ut cum Pelagius qui omne omnino gratiæ adjutorium perimebat, similes locutiones, ut Massilienses usurpare voluisset, quod scilicet nostrum esset, hoc est nostræ potestatis, non peccare seu recte vivere, statim eum reprehendat, & falsitatis arguat Augustinus, etjamsi illa sua verba de natura sana protulisset: *Si de integra,* inquit *& sana hominis natura loqueretur quam modo non habemus, nec sic recte diceret, quod non peccare nostrum tantummodo esset. Nam & ibi esset adjutorium Dei & tanquam lumen sanis oculis quo adjuti videant &c.* Ex quo relinquitur, quandocunque Massilienses naturalem illam libertatem & possibilitatem ex Adami integritate reliquam prædicant, & ei saltem fidem tribuunt, nunquam eos illam Adami gratiam excludere, sed ita locutiones illas accipere, quemadmodum Prosper & Augustinus eas probant, & ipsi in Epistola Hilarij satis aperte interpretantur, videlicet, ut quemadmodum *voluntas Adæ persistendi & desistendi habebat liberam potestatem,* & nihilominus *illum integris viribus juvaret* GRATIA VOLENTEM, sive, si vellet: ita voluntas lapsorum hominum credendi habeat liberam potestatem, sic tamen ut eos eadem gratia *juvet credentes tantum.*

Lib. de dono persev. c. 7.

Lib. de nat. & grat. c. 43

Lib. de nat. & grat. c. 48

Nec vero arbitrandum est Adamo sine omni gratia saltem illud *velle* suppetere potuisse, ut propterea eodem modo etjam sibi Massilienses illud sine omni gratia arrogare voluisse videantur. Nam in eodem loco ubi Augustinus de duplicis gratiæ distinctione satagit, & Adami gratiam *in eum libero relictam arbitrio* tradit, continuo ne quis illud arbitrium, saltem ad volendum bonum sine gratia sibi sufficere posse arbitraretur: *Liberum,* inquit, *arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est nisi* ADIVVETVR *ab omnipotenti bono: quod adjutorium, si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium semper esset bonus.* Ecce NIHIL potest liberum arbitrium etjam primi hominis ad bonum, sine illo adjutorio quod ipse deseruit: ergo nec velle poterat, cum velle bonum non sit exiguum bonum. Et ut omnis tergiversatio præcidatur, etjam ipsum *confidere de adjutorio Dei,* hoc est, velle juvari à Deo, negat Adamum habere potuisse sine auxilio Dei. *Meritum habens bonum,* inquit, de primo homine disserens, *in adjuta divinitus voluntate recta, malum vero in deserente voluntate perversa: quia & ipsum confidere de adjutorio Dei, non posset sine adjutorio. Dei* Neque vero hanc ipsam

Lib. de correp. & grat. c. 11.

Lib. 14. de civit. c. 27.

gratiæ necessitatem ad ipsum velle Massilienses diffitentur. Quid enim aliud significare eos voluisse judicabimus, quando dicunt quod *gratia juvaret volentem*, nisi quod conformiter ad Augustini doctrinam quam ibi se probare profitentur, nec ipse Adam (cum dicitur perseverare cum gratia potuisse si voluisset) absq; illo eodem gratiæ adjutorio velle potuerit? Cum ergò *in hoc solo* Massilienses naturam omnium lapsorum à primo homine distare volunt, quod illum gratia sine qua perseverare non poterat juvaret volentem, ut scilicet per eam posset si vellet, in tota accepta perseverare justitia, nos autem credere tantum possimus si velimus; profectò nec velle nec credere sine illa gratia primi hominis lapsis hominibus tribuunt: alioquin non *amissas & perditas* hominis lapsi vires sed contra propriam confessionem longe fortiores eas, quam illæsæ fuerant esse sentirent: quia ipsum credere quod Adamus integer & sanus non sine gratia poterat, hoc sine omni gratia fractam ægramque voluntatem posse statuerent: Et cum agnoscant sine ambagibus quod *gratia juvaret* etiam *volentem Adam*: lapsos homines etiam *credentes*, nulla omninò gratia adjuvandos esse delirarent.

Eadem internæ inspirationis gratia asseritur ex Gennadio & Cassiano. Volunt esse tantum occasionem voluntati ad fidem & conversionem.

CAPUT SEPTIMUM.

ET quamvis ista Massiliensium confessio manifesta sit, Gennadius tamen Massiliensis item Presbyter de Semi-Pelagianorum factione non minimus, accuratius nobis explicuit quo pacto Dei adjutorium ad ipsam fidem ac bonam voluntatem admitterent, & illam tamen libero arbitrio arrogarent. Porrò fuisse Semi-Pelagianum nemini dubium esse potest qui obrectationes ejus adversus omnes divinæ gratiæ defensores & encomia quibus adversarios ejus cumulat ponderaverit. Nam in primis libros Fausti (qui Semi-Pelagianorum erroribus à capite usque ad calcem scatent, & à divo Fulgentio septem libris confutati sunt, à [a] Petro Diacono alijsque Orientalibus anathematizati, [b] ab Africanorũ Episcoporum in Sardinia exulantium Synodo proscripti) tanquam [c] *opus egregium de gratia Dei* probat [d] Opuscula Cassiani contra censuram Gelasij *ab Ecclesia Dei probari salutaria* & à Prospero *infamari* ut *nociva* mentitur. Pelagij librum Eulogiarum sive Capitulorum, quem [e] Hieronymus & [f] Augustinus Hæresibus plenos asserunt, ipse ante hæresin scriptum nec erroribus favere insinuat. Hieronymo Ruffinum primum Pelagianæ hæresis architectum præfert. Denique quod unum est instar omnium Augustinum ex *multiloquio peccatum non effugisse* criminatur; ac dum errorem *illius sermone multo contractum, lucta hostium exaggeratum, necdum hæresis dedisse quæstionem* asserit, periculo hæresis Augustinum non carere manifestè significat. Vbi sine dubio Massiliensium criminationes respicit, qui multa doctrinæ ipsius de gratia & prædestinatione capita velut erronea diffamarunt.

Hic ergò Gennadius in libro de dogmatibus Ecclesiasticis quem & Platina & D. Thomas sæpius, & Magister Sententiarum, & omnibus longe antiquior Walafridus Strabo illi tanquam autori tribuunt, sic de gratia & libertate lapsi hominis loquitur: *Postquam seductione serpentis per Evam cecidit* (homo) *naturæ bonum perdidit pariter & vigorem arbitrij*, amissum vult esse illius primæ vigorem libertatis, qua poterat, si tantummodo voluisset, in accepta justitia præceptique custodia permanere; Nam tametsi juxta supra traditam Augustini doctrinam non permansisset *sine gratia*, non tamen opus fuit ut ei permanendi voluntas per gratiam donaretur. Et rectè hactenus: Iam verò de viribus quæ manserunt reliquæ ex primæva illa libertate subtexit: *Non tamen* ELECTIONEM (perdidit) *ne non esset suum quod evitaret seu emendaret, nec merito indulgeretur quod non arbitrio diluisset.* Ecce claris verbis vult illud saltem homini mansisse reliquum, ut postquam vocante Deo cor ejus per inspirationem gratiæ tactum est, ut credendo pœniteat, electio pœnitendi vel non pœnitendi non per gratiam libertati seu voluntati detur, ut Augustinus & Catholica fides docet, sed ipsa libertas voluntatis pœnitentiam quamvis non sine ista gratia, ut visum fuerit, eligat aut non eligat. Hoc est enim quod æquipollentibus prorsus verbis Massilienses apud Hilarium dicunt, non ita invalidum esse liberum arbitrium ut fidem *nec arripere valeat nec tenere nisi credendi voluntate donata*, seu ut *etiam donetur ut velit*: Sed illud *ad hoc tantum esse liberum ut* VELIT VEL NOLIT ADMITTERE MEDICINAM. Nam tantum ad hoc liberum esse ut velit vel nolit admittere medicinam, non est aliud quàm quod Gennadius dicit, *Electionem non perdidisse*

Ne qua verò relinqueretur de Semi-Pelagiano verborũ illorũ sensu dubitatio, rationẽ suojunctã attende, *ne non esset suum quod emendaret*. Hęc enim illa decãtatissima Pelagianorũ omnium & Massiliensiũ querimonia propter quã illi omnem Christi gratiam sustulerunt, si saltem electionem reliquerunt ut *nostrum* esset, quod

a *In lib. de Incarnat. & grat. c. 8. apud Fulgent.*
b *In Epist. Syn. de grat. Dei & lib. arb.*
c *Lib. de vir. illust.*
d *Eodem lib.*
e *In Dial. adversf. Pelag.*
f *Lib. de gest. Pelag.*

Plat. in Symmacho. D. Thomas quodlib. 12. a. 11. in caten. in c. 1. Matt. Magister Sent. lib. 2. dist. 8. in Edit. Lovã. Strabo de reb. Eccl. c. 20. Gennad. lib. de Eccles. dogmat. c. 19.

In Epist. Hilar. ad Aug. initio. Paulò inferius. Circa mediũ.

quod humana voluntate fieri diceretur. Nunquam enim ista duo conciliare potuerunt quod gratia sive Deus operaretur in nobis velle dando ipsam plerumque etiam reluctantibus voluntatem, & tamen nostrum esset, quod volumus. Hinc & ipse Augustinus in eodem errore constitutus, ut illam primam credendi voluntatem à Dei gratia quæ donat velle removeret, ista cum omnibus Pelagianis uti solebat phrasi: *Quod ergo credimus nostrum est.* Item: *Nostrum est credere & velle* sicut ipse de se testatur, & Massilienses sibi gratulantes & libentissime acceptantes observaverant. Neque tantum trepidabant Semi-Pelagiani, ne velle non esset *suum*, si Deus & ipsum velle donaret, sed nullius etiam æstimationis aut pretij fore censebant, nisi quaquâ vel tenuissima consideratione ad se, hoc est ad illam electionis indifferentiam revocarent ut ex multis Cassiani & Fausti locis patet. Et hoc est illud quod statim adjicit; *nec merito indulgeretur quod non arbitrio diluisset*, hoc est ne irrationabilis esset indulgentia, nullam habens ex parte hominis occasionem, si non ipse sua libertate pœnitentiam elegisset, sed ab alio esset ei pœnitendi voluntas data.

In lib. Expos. in Epist. ad Rom. & lib. 1. retract. c. 23.

In Epist. Hilar. ad August.

Sed arbitraberis forsan Gennadium omnem omnino gratiam ab illa electione libertatis excludere, ut ita nuda natura solo externo præconio veritatis admonita salutem inchoet. Audi consequenter ipsum Gennadium fidelissimum Semi-Pelagianæ mentis interpretem: *Manet itaque ad quærendam salutem, arbitrij libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo & invitante ad salutem, ut vel eligat vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione.* Vides hic non admonitionem tantum, non invitationem, quibus duabus vocibus, sæpe & Augustinus externam vocationem exprimit, sed etiam *inspirationem*, quâ voce nullam Catholici Doctores & Concilia prægnantiorem veræ internæque gratiæ significationem protulerunt. Hanc enim Africani Episcopi usurparunt tanquam indubitatam gratiæ indicem, quando Zozymum Papam, qui in litteris suis *Dei instinctum* nominaverat veram internamque gratiam agnovisse probaverunt: *Ideo utique*, inquiunt, *quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant paternis* INSPIRATIONIBUS, *suorum ipse tangit corda fidelium.* Hanc Synodus Arausicana contra Semi-Pelagianos sæpius, hanc Tridentinum ad internum Dei tactum exprimendum adhibuit; ut nullo pacto ambiguum esse queat quin veram gratiam nomine *inspirationis* expresserit. Quid enim est *Inspiratio* nisi occulta illa divinæ operationis infusio qua Patres illi Africani *cor ipsum fidelium* tangi dicunt? *Paternis*, inquiunt, *inspirationibus, suorum ipse tangit corda fidelium*, quod ad externam aliquam invitationem vel admonitionem, vel alium alienum à vera gratia sensum, nulla potest subtilitate vel petulantiâ detorqueri.

In Epist. Celest. Pontif. ad Gall. c. 7.

Arausic. can. 6. 7. 25.

Trid. sess. 6. cap. 5.

Cùm ergò tam evidenter Gennadius internam illam inspirationis divinæ gratiam fatea- A tur, *quæsitionem tamen salutis*, hoc est, ut *eligat* id quod inspiratio suadet, ut *sequatur* quo inspiratio trahit, ut *agat* opus ad quod inspiratio provocat, quod nihil est aliud nisi ut inspirationi consentiendo credat, non Deo, non gratiæ, non inspirationi divinæ, sed *arbitrij libertati*, hoc est, *rationali voluntati*, quamvis non sine inspirationis gratia præcedente tribuendum esse decernit. Hoc est enim *manet ad quærendam salutem* sive ad petendum ex fide, quærendum pulsandum pro salute obtinenda, *arbitrij libertas* id est rationalis voluntas; quia illa scilicet pro naturali indifferentia suæ libertatis si vult, eligit inspirationem sequi; si non vult, rejicit; ita ut nullo modo inspiratio voluntatem ipsam, hoc est electionem donet. Horrebant enim ut sæpe diximus tantæ infirmitatis esse naturam, ut fidem *nec arripere valeat, nec tenere nisi credendi voluntate donata.*

Ita Hilar. in Epist. ad August. de Massiliens.

B Post credendi vero, petendi pulsandique voluntatem jam reliquum libenter divinæ gratiæ tribuebant, ut scilicet quemadmodum loquuntur, *adjuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velle rejectis ab hoc dono alijs pariter reis.* Quam eorum sententiam ad amussim consequenter Gennadius exprimit, ut nemini benignioris judicij dubium esse possit, quin ex professo Semi-Pelagianam sententiam doceat. Nam postquam primas partes libertati tribuisset, continuo id quod post electionem salutis homini jam quærenti & pulsanti datur Deo confidenter ascribit: *ut autem*, inquit, *consequatur, quod eligit vel quod sequitur, vel quod occasione agit* DEI *esse libere confitemur.* Nempe solemnes istæ Semi-Pelagianorum omnium phrases sunt: Nostrum esse quod eligimus, quod volumus, quod Deum vocantem sequimur: Dei esse, quod consequimur, quod quò tendimus pervenimus ut infra latius dicturi C sumus, & hoc ipso loco manifestissime Gennadius explicat. Nam nequis aliquid obscuritatis in superioribus ejus verbis vel fucì in interpretatione mea subjuncta latere suspicetur, ecce tanta evidentia recapitulando, verborum suorum sensum exponit, ut nihil aliud timuisse videatur, quam nequis dicta sua in orthodoxam sententiam præpostera benignitate torqueret. Audi summam sensuum ejus: *Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus*, nempe Deo prius (ut præcesserat) admonente, invitante, inspirante, hoc est ut Massilienses, Deo indignos vocante: *ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris.* Ecce totum Semi-Pelagianorum mysterium evidenter expressum, non est ubi lector hæreat, vel ubi sententiæ impietas possit abscondi, acquiescere salutiferæ inspirationi nostræ vult esse potestatis, nostræ vo- D luntatis, nostræ libertatis: Nempe quia non Deus, non gratia, non inspiratio ad acquiescendum emollit potestatem, flectit libertatem, inclinat ac tribuit voluntatem, sed nostra potestas, nostra libertas, nostra voluntas nos inspirationi ipsi & gratiæ acquiescere facit.

Ita ibid.

 Quam-

Quamvis enim hoc non sine gratia & inspiratione fiat, ipsa tamen libertas & voluntas Gennadio autore, primas sibi partes vendicat. Postquam autem inspirationi primæ qua cor ad eligendam viam salutis & credendum trahitur, acquieverit, jam in reliquis primas partes permittit Deo, tunc enim solus Deus, jam volentem ad cursum incitat, infirmam voluntatem roborat, languentem exardescere facit, quidquid denique bonorum operum facere cupiebat, quod infirmitate non poterat, hoc ipse solus, perficiendo primum istud velle largitur. Nam ut Gennadius cum Massiliensibus ait, *ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris.* Quamvis enim non sine voluntate fiat, quia ipsa voluntas accenditur ut fortius velit, Deus tamen per gratiam, non voluntas sua libertate robustius illud velle facit; sicut antea quamvis non sine gratia vellet, cum inspirationi divinæ primum acquiesceret, ipsa tamen libertas voluntatis ad acquiescendum, non Deus aut gratia aut inspiratio pertrahebat.

Excipiet forsan aliquis adversus ea quæ dicta sunt, immerito illi libro de Ecclesiasticis dogmatibus detrahi, quod nullus Theologorum suspicionem aut vestigium, ut quidam ait, talis erroris in eo opere invenerit, deinde quod à capite vigesimo primo expresse damnentur omnes errores Pelagij iisdem pœne verbis quibus illam Pontifices damnaverunt.

Suarez lib. 3 de auxil. c. 9. n. 6.

Sed facilè respondetur, jam olim etiam ante subortas illas de gratia controversias librum istum propter hanc ipsam causam in suspicioné & crimen vocatum esse. Nam Theologi Lovanienses viri doctissimi qui antequam in Belgiú ulla de gratia contentio penetrasset, utilissime in expurgandis dijudicandisq; Augustini operibus laborarunt hunc ejus errorem annotant. Et ante ipsos Ioannes Hesselius Vir Eximius & Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor Regius idem observaverat, ut ex præfatione Prosperi operibus præmissa patet. Nec sanè exiguum indicium est indolis Pelagianæ qua liber ille scriptus est, quod cum nulla pœne sit hæresis ad Gennadij usque tempora, cujus autorem non suo designet nomine, nulla tamen in toto libro fiat mentio Pelagij aut Semi-Pelagianorum, aut Catholici dogmatis adversus eum pronunciati; cum tamen illæ contentiones recentissime viguissent.

In cens. illi lib. præmissa Tom. 3. Aug.

Nec vero refert, quod à capite vigesimo primo usque ad quinquagesimum secundum confessio de divina gratia luculenta sit. Illa quippe non sunt verba Gennadij, sed ab aliquo Catholico tanquam antidotum præcedentis erroris adjuncta sunt. Cujus rei manifestissima indicia sunt. Primum quod ista omnia in manu scriptis codicibus desiderantur, sicut hoc testantur iidem illi Theologi Lovanienses qui plus quam ducentis exemplaribus in emédandis Augustini lucubrationibus usi sunt, cujus nomini & stylo & istud opus assignatum fuerat. Nec tantum in manu scriptis illa desunt sed etjam in nonnullis impressis ut in præ-

A fatione apud Prosperum videre licet. Deinde quod cum Gennadius in reliquis libri partibus suis verbis eisque succinctissimis, innumera Catholicæ fidei dogmata velut breviario quodam complectatur, hic contrario modo prolixissime Epistola Celestini Pontificis Canones Concilij Milevitani & pœne totum Concilium Arausicanum nulla facta immutatione contexitur, quo sane nihil difformius ac magis dissonum à reliquo operis contextu & scopo fieri potest. Nam illa sola facile dimidium totius libri complectuntur. Accedit quod pleraque ex Epistola Celestini & Concilijs Milevitano & Arausicano assuta capita repugnent ex diametro illi sententiæ quæ præcesserat: quemadmodum cum ad eruendum Augustini sententiam ventum erit demonstrabimus. Vt nihil verius sit atque manifestius quam id quod Lovanienses Correctores dicunt, ab erudito quodam & recentiore Scriptore, propter errores aliquot præcedentium capitum ea fuisse interjecta. B

Nec verò solus Gennadius, sed & Cassianus subinde internam illam gratiam ad primos fidei & conversionis actus agnoscit. sed sic ut similiter nostræ potestatis & libertatis sit non gratiâ idipsum juxta Catholicam doctrinam operante, acquiescere. Docet enim Collatione tertia ex qua integrum locum mox citabimus, *Inspirationes divinas in cor immitti, quibus tamen tanquam occasionibus nostrum sit enixius vel remissius famulari.* Et alibi ex libro Pastoris probat, *adjacere hominis in quamlibet partem arbitrij libertatem*, ut inter duos Angelos sibi adhærentes constitutus diversis suasionibus utrimque pulsetur. *In hominis vero optione consistere, ut eligat quem sequatur. Et idcirco*, inquit, *manet in homine liberum arbitrium quod gratiam Dei possit negligere vel amare.* Et quam quæso C gratiam? An tantum admonitionem externam & legem, de qua sæpe in illa collatione mentionem facit? Nimirum illam, qua homo inter contrarias boni malique Angeli suasiones collocatus non solú signis, sed etjam internis motibus non minus bonis ac malis se sentit quati: quâ homini divina *inspiratio in cor* IMMITTITVR quæ *dormientes ad desiderium salutis exsuscitat, quæ Deum sequi compunctione saluberrima cohortatur.* Neque enim usque adeò impius Cassianus fuit, ut qui *Sanctos Angelos* qui externis auxilijs juvari nequeunt, *domestico auxilio ad perseverantiam puritatis eguisse* confirmat, non tantillum saltem præsidij lapsum hominem à Deo sentiret habere, quantum & periculi per veros internos concupiscentiæ motus à diabolo concitatur. Nam hoc ipsum illis verbis fuisse à Cassiano significatum satis Prosper insinuat, quando Cassianum dicit asserere: *Inter boni & mali contrarias suasiones naturali iudicio & propria discretioni hominem esse commissum,* D *ut*, inquit, *ei non plus à Deo præsidij quam à diabolo sit periculi. Non plus*, dicendo, saltem tantum præsidij à Deo habere manifeste significat; neque enim Prosper illum impietatis excessum siluisset, si ne tantillum quidem præsidij

Collat. 3. c. 4. & 12.

Collat. 13.

Ita Coll 3.

Lib. 12. Institut. c. 4.

fidij à Deo præſtolandum eſſe cenſuiſſet.

Sed jam conſidera quam vehementer illum gratiæ modum & libertatis æqualitatem à Caſſiano aſſertam Proſper improbet : *Itane libera eſt*, inquit, *iſta libertas ut quantum ex ſe habeat faſtidij ut negligat gratiam Dei, tantum ex ſe habeat delectationis ut diligat?* Quin etjam inde conſectaneum eſſe probat, quod homo Deum poſſet ſola voluntate & arbitrij libertate diligere; quantumvis eum Caſſianus illa indifferenti gratia præventum eſſe docuiſſet. Nam poſtquam Deum per gratiam ſuam cor Lydiæ purpurariæ *ut crederet*, non ipſam ſcilicet Lydiam, aperuiſſe dixiſſet, de contraria Caſſiani mente, qua *gratiam Dei libero arbitrio hominis vel negligi vel amari poſſe* docuerat, ita ſubijcit : *Et tanta eſt ſecundū iſtū liberi arbitrij vel incolumitas vel facultas, ut charitatem quæ in omnium arce virtutum eſt, non ex Dei munere, ſed ex ſola habeat voluntate.* Sola namque voluntas eſt, non gratia juxta Caſſianum, quæ utriuſque & gratiæ & concupiſcentiæ ſuaſionibus agitata ex non credente credere, ex non diligente diligere facit. Etenim gratia Caſſiani dat homini poſſe, ſi velit, ut de Adami gratia Maſſilienſibus probata diximus, non velle quod poteſt; quod Chriſti gratiæ proprium eſſe atque eſſentiale tanquam certiſſimum Concilia & Auguſtinus docent.

Contra Collat. c. 30.

Ibid.

Ex iſta igitur vena fluit quod Maſſilienſes & omnes erroris Semi-Pelagiani vindices, ut illam indifferentiam gratiæ & inſpirationis inſinuent, illam plerumque nomine OCCASIONIS exprimere ſoleant. Quod ſane diligenter ad erroris illius intelligentiá obſervandum eſt. Neq; enim facile vocabulum invenies, quo aptius inefficacia gratiæ & efficacius indifferens ille tractus inſpirationis, qui ſuum influxum in opus à libertate volútatis exſpectet ſignificari queat. Hoc voluit Caſſianus, quando Abraham cum Dominica voce de natali ſolo vocaretur, itemque Sanctum Antonium *occaſionem ſuæ converſionis à ſola divinitate percepiſſe ſignificat.* Et ne forte de modo quodá externę vocationis intelligeres qua vocati ſint, ſic illam explicat. *Ex Deo quidem*, inquit, *eſt* (primus ille vocationis modus) *quoties inſpiratio quædam immiſſa in cor noſtrum nonnunquam etiam dormientes nos ad deſiderium æternæ vitæ ac ſalutis exſuſcitat, Deumque ſequi & eius inhærere præceptis compunctione ſaluberrima cohortatur ut in Scripturis Sanctis Abraham &c.* Hoc voluit quando illam noſtræ libertatis *electionem & acquieſcentiam* cum Gennadio paulò infra prædicat : *Itaque ſicut occaſionem ſalutis diverſis modis Deum cognoſcimus operari, ita noſtrum eſt occaſionibus à divinitate conceſſis, vel enixius vel remiſſius famulari. Nam ſicut Dei fuit vocantis oblatio, Exi de terra tua; Ita Abrahæ fuit exeuntis obedientia.* Audis inſpirationem in cor immiſſam ſalutis eſſe dumtaxat *occaſionem*, & vocantis *oblationem*: *Noſtrum* verò eſſe, non inſpirationem, non Dei hoc facientis, *occaſionem*, pro noſtra libertate *enixius vel remiſſius famulari*; *noſtrum* eſſe non inſpirationis *oblationi vocantis obedire.* Nonne eſt ipſiſſimum illud quod Proſper explodit; *manere* ſcilicet *in homine liberum arbitrium quod gratiam Dei poſſit negligere vel amare?* Hoc ſimiliter voluit & Gennadius quando *libertatis arbitrij* ſeu *noſtræ poteſtatis eſſe* dicit, *ut eligat homo, vel ſequatur vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt inſpiratione Dei.* Hoc voluerunt & Maſſilienſes quando, Hilario teſte, *credendi voluntatem* à Deo *donari* negant, ſed cum *proſtratis annunciatur obtinendæ ſalutis* OCCASIO *velle hominem & credere* poſſe contendunt.

Collat. 3. c. 4.

Ibid.

Cap. 11.

Cernis arbitror, Semi-Pelagianos omnes de gratia quę ad credendum & convertendum datur, eodem ſpiritu & ore loqui : efficaciam ejus in voluntatem vocabulo *occaſionis* quantum fieri poteſt reſtringere, ut ita ſublata deſperatione, aliquid, *quod per prædicandi vigorem excitaretur in hominibus remanſiſſe* crederetur : & exhortationis atque correptionis utilitas erga voluntatem ſuum habeat locum. Nam quemadmodum internus concupiſcentiæ titillantis motus ijſdem ipſis autoribus non eſt aliud niſi *occaſio* voluntati, cujus conſenſum exſpectare debet; ita gratia inſpirationis quam profitentur, non minus quam externa prædicatio tantummodo *occaſio* eſt, cujus uſus non ab ipſa gratia homini inſpiretur ut velit, ſed ab indifferenti illa voluntatis libertate exſpectetur & pendeat, ut ei vel nullo modo, prout viſum fuerit, vel enixius, vel ſegnius, vel remiſſius famuletur. Ab hac etenim contemptibili depreſſione & injuria Concilium Arauſicanum gratiam vindicare voluit, quando quartum illum Canonem Semi-Pelagianis intorſit : *Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum exſpectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à Domino: & Apoſtolo ſalubriter prædicanti, Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.*

Ita Hilar. de Maſſil. initio.

Caſſ. lib. 7. inſtit. c. 4. & initio 5. & Iul. Pelagianum lib. 1. operis imperf.

Eadem

Eadem asseritur ex Divi Augustini errore, quem ante Episcopatum cum Massiliensibus tenuit.

CAPVT OCTAVVM.

SED quod internam illam gratiam sine qua creatura rationalis nihil prorsus boni potest, Massilienses etjam ad credendum, petendum, & quærendum admiserint, ex ipso Augustino quoque non difficilè demonstrari potest. Nam fatetur aliquoties, se ante susceptum Episcopatum in eodem prorsus errore quo Massilienses esse versatum existimando fidem & orationem *non esse donum Dei* donatum scilicet per gratiam Dei nisi quia præcederet præconium veritatis. *Vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium & nobis ex nobis esse sentiebat.* Ex quo errore, cum ad Episcopum Simplicianum initio scilicet Episcopatus suscepti scriberet, sese Deo revelante revocatum & Scripturæ testimonio convictum esse testatur. Proinde cum istam suam opinionem *nonnullis opusculis ante Episcopatum suum scriptis satis indicari* fateatur, scripta profecto ante Episcopatum nobis consulenda sunt, ut liquidò, si fieri potest, ipsius testificatione sciamus utrum tunc omnem internam Dei gratiam non solum qua credere & orare homini datur à Deo, sed etjam qua ita dumtaxat Deus adjuvat ut homo credere possit & orare si velit, à fide & oratione secluserit.

(*Lib. de prædest. SS c. 3. & 4. & lib. 1. retra. c. 23* — *Ibid. c. 4.* — *Ibid. c. 3.*)

Et primo quidem occurrit liber quæstionum octoginta trium, quem à primo tempore suæ conversionis se dictasse, & cum Episcopus esset in unum volumen colligi jussisse testatur. In hujus libri à sexagesima octava quæstione eodem modo de fide disserit, ut in expositione quarundã propositionum Epist. ad Romanos, quam quia perperã in ea de fide & oratione locutus fuerat, ipsemet accurata oratione retractat. Nam quod in hoc libro ex illo errore dixerat *nostrum est credere & velle*, item: *vocantem sequi* (hoc est credere) esse jam in libero arbitrio gratiam Dei ad solam gratuitam vocationem revocando, *quia velle non possumus nisi vocemur*: quemadmodum & Massilienses loqui solent, hoc in illa citata quæstione dicit, *Illos qui venerunt venire non posse nisi vocarentur.* Et *ut vocati venirent*, hoc est crederent, *esse in libera voluntate.* Et tamen in eadem ipsa quæstione agnoscit, Deum non solum extrinsecus admonendo, sed etjam intrinsecus vocando ipsum velle operari. *Quoniam*, inquit, *nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, sive* INTRINSECVS VBI NVLLVS HOMINVM VIDET, *sive extrinsecus per sermonem sonantem aut per aliqua signa visibilia efficitur ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.* Ecce nec internam vocationem à fide Augustinus in illo errore constitutus excludit, ut ita Deus, per internam gratiam in ipso corde ubi nullus hominum videt, ipsum velle operetur in nobis: Non quidem ita ut nolentibus ipsum velle tribuat, hoc enim Christianæ gratiæ proprium est, sed ita ut si homo cor suum ad volendum & sequendum inclinaverit, non sine Deo vires voluntatis adjuvante velit & credendo sequatur.

(*Lib. 1. Retract. c. 26.* — *Lib. 1. Retract. c. 23.* — *Propos. 60. & 61.* — *Ibid.*)

Nec minus perspicuè istud adjutorium Dei asserit in libro de quantitate animæ, qui Romæ statim à baptismo scriptus est. *Hac autem*, inquit, *actione* (qua reformamur ad imaginem Dei) *nihil mihi videtur operosius & nihil est cessationi similius, neque tamen eam suscipere aut implere animus potest nisi eo ipso adjuvante cui redditur.* Ecce nec suscipere reformationem animi quisquam potest, quod prima credendi voluntate constat fieri, nisi adjuvante Deo non propter ignorantiam quæ scientiæ illustratione pellitur, sed proper difficultatem quæ conatibus animi pertinacissime reluctatur. Ignorantia quippe & difficultas semper Augustino sunt duo distincta naturæ impedimenta, quorum illud ad intellectum hoc ad voluntatem pertinet, illud Deo illuminante, istud gratiam infundente removetur. Vt ex libris de libero arbitrio ante Episcopatum scriptis & alijs nonnullis locis patet. Quamquam istam difficultatem non tantam esse Massilienses cum Augustino voluerint, ut non possit homo saltem velle seu credere, petere, quærere, pulsare, Deo non quidem dante voluntatem sed tantummodo adjuvante. Quid enim aliud significat id quod etjam constanter ante baptismum sensit ac docuit, quando in libro de vita beata dixit? *Admonitio autem quædam quæ nobiscum agit ut Deum recordemur ut eum quæramus, ut eum pulso omni fastidio sitiamus de ipso ad nos fonte veritatis emanat. Hoc interioribus luminibus nostris iubar sol ille secretus infundit.* Nonne perspicuè docet & ipsum *recordari* adeoque *quærere Deum*, quod nostrum esse ante Episcopatum credidit, fonte veritatis simul intus infundente, & ut supra loquitur, *iam Deo adiuvante* produci? Neque quisquam scrupulum moveat quod de luminibus jubare ac sole mentionem facit, quasi cum intellectu solo negotium istud ageretur. Frequentissimum enim adeoque familiare Augustino est charitatem ipsam appellare *luminosam* ac lumen animi. Neque enim aliunde sapientia quæ verum est lumen animi quam ex illa luminosa charitate consurgit. Vnde de Lucifero Calaritano: *In tenebras cecidit schismatis, amisso lumine charitatis.* Quod sexcentis exemplis facile declarari potest. Et revera nihil anima peccatrice tenebrosius. Vnde & Apostolus de justificatis per charitatem: *Fuistis aliquando tenebræ nunc autem lux in*

(*Lib. de quant. animæ c. 28.* — *Ex libris de lib. arb. lib. 2. c. 20. Lib. de dono persev. c. 11. & 12. & lib. 6. cont. Iul. c. 16.* — *In fine lib.* — *Epist. 50.*)

lux in Domino. Quid item illa, quæ recentissimo illo adjutorio provocatus quod in sua conversione senserat, ex intimis visceribus inclamat Deo: *Deus qui nos convertis.* Item: *si fide te inveniunt qui ad te refugiunt fidem da; si virtute, virtutem; si scientia, scientiam.* Item: *Omnis recte quæsivit quem tu recte quærere fecisti.* Nonne ut minimum hoc significat ipsum converti, credere, & quærere Deum non sine ipsius adjutorio fieri? Neque ita tantum ut aures tantum exteriori admonitione pulsentur, sed ita, ut sine hujusmodi adjutorio non sit in hominis potestate credere. Hoc enim in eodem opere expresse profitetur: *Credamus sanè Deum affuturum. Credamus sane, si vel hoc in potestate nostra est. Potestas nostra ipse est.* Quid manifestius? ipsum credere ita in hominis potestate ponit, hoc est ita *nostrum* esse testatur, ut tamen non à nobis nisi Deo simul potestatem nostram adjuvante proferatur. Cujus divini adjutorij necessitatem si ab Augustino non modo ante susceptas Infulas sed etjam catechumeno quæreres, confidenter tibi rationem illam redderet quam coram Deo orando profudit: *Deus Pater noster qui ut oremus hortaris, qui & hoc quod rogaris, præstas:* hoc est, qui & ipsum rogare seu orare in nobis efficis. *Siquidem cùm te rogamus melius vivimus melioresque sumus.* Nonne prorsus idipsum est quod de gratia etjam primo homini ad perseverandum necessaria, de cujusmodi gratia tota nostra quæstio est, jam senex dixit? *Nec ipsum ergò Deus esse voluit sine sua gratia quam reliquit in eius libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit; ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Quid enim est aliud Deum præstare debere, quod rogetur, quia *cum rogamus melius vivimus & meliores sumus*, nisi hoc ipsum, *quia liberum arbitrium ad bonum nihil est nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Cujus sententiæ immobili veritate cum necessitatem actualis interniqúe adjutorij, quo primus homo liberrimus & integerrimus esset adjuvandus astruxerit, eadem profecto multo magis idem auxilium homini peccatis debilitato etjam ad rogandum Deum asseruisse credendus est. Idqúe eo fidentius de Augustino æstimari convenit, quod non solum in isto libro de correptione & gratia Catholicam illam regulam fixerit, quod *ad bonum nihil sumus nisi adjuvemur ab omnipotenti bono*, sed quod nunquam in ista doctrina fluctuaverit, sed eam, ubi occasio postulat per suos libros passim sparserit. Vnus nobis qui instar omnium esse potest, sufficiet locus: *Ad peccandum*, inquit, *non adjuvamur à Deo, justa autem agere, vel justitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus nisi adjuvemur à Deo.* Et ne solum lapsis hominibus hoc adjutorium necessarium crederes, audi cætera: *Sicut enim corporis oculus non adjuvatur à luce ut ab eadem luce clausus aversusque discedat, ut autem videat, adjuvatur ab ea, neque hoc omninò nisi illa adjuverit potest: Ita Deus qui lux est hominis interioris adjuvat nostræ mentis obtutum ut non secundum nostram sed secundum eius justitiam boni aliquid operemur.* Et mox, ut in primis etjam conversionis actibus hoc intelligas fieri: *Cõversos ergo*, inquit, *Deus adjuvat, aversos deserit: sed etiam ut convertamur ipse adjuvat, quod certe oculis corporis lux ipsa non præstat.* Luce quippe sanos oculos adjuvante videmus, si volumus, non ipsa efficit, ut videre velimus, vel reipsa videamus.

Lib. 1. Soliloq. c. 1.

Lib. 2. Soliloq. c. 1.

Ibid. c. 6.

Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 5.

Ex quibus sanè detegitur prima infirmitatis illius radix, ex qua nihil prorsus ad bonum sine auxilio gratiæ liberum arbitrium potest quantacunque tandem virium integritate gaudeat & sanitate vegetetur, non enim in ulla vel ignorantia, vel concupiscentia, vel alio quorumcunque peccatorum vulnere sed in naturali creaturę rationalis conditione fundatur. Ex qua fit ut quemadmodum oculus quantumcunque sanus nihil penitus ad cernendum valet, si subtrahatur lucis auxilium, ita mens rationalis, quantumcunque integra & sana ad nullum omninò vel minimum opus bonum se protendere potest, nisi divina gratia roboretur. Hæc etenim causa est cur toties illam lucis comparationem adhibeat, sine qua neque sanissimos oculos quicquam ad cernendum valere confirmat. Hæc causa cur neque primos homines nullo peccati vulnere debilitatos, neque ipsos Angelos *bonam voluntatem*, hoc est ipsum bene velle, quod ad bene vivendum primum exordium est, *nisi operante adjutorio creatoris vel habere vel servare potuisse* testetur. Quod ut sciremus ex naturali creaturæ rationalis infirmitate proficisci, rationem reddit omnibus prorsus creaturis etiam integerrimis generalem, quia *non potuerunt* Angeli *seipsos facere meliores quam eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit.* Ex quo necessarium esse concludit ut bona voluntas Angelorum, qua scilicet non ad se, sed ad Deum ipsum converterentur in ipsis Dei adjutorio operante producta sit, quia constat Angelum si sine bona voluntate creatus sit, fieri ipsa bona meliorem. Nonne ipsissimũ istud est, quod, ut retulimus, catechumenus coram Deo professus fuerat, *& hoc quod rogaris præstas: siquidè cum te rogamus melius vivimus melioresq; sumus*, quam scilicet sumus quando necdũ rogamus te? Quæ sanè ratio ad omnem petitioné, orationem, pulsationem, ad omnem actum fidei bonæqúe voluntatis divinæ gratiæ adjutorio vindicandam easdem prorsus vires habet, quippe cum petimus, oramus, pulsamus; *melius vivimus melioresque sumus, ad bonum autem voluntas nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.*

Lib. de correp. & grat. c. 10. & 11 latè lib. 12 de civit. c. 9. & alibi.

Ibid. c. 9.

Ex qua sanè principiorum Augustini ac doctrinæ consonantia perspicuum esse puto, semper eum & bonæ voluntatis nutum, & in bona voluntate perseverantiam adjutorio divinæ gratiæ tribuisse non modo quando senex cum Pelagiana peste conflixit, sed etjam quando Presbyter & Catechumenus in eodem quo Massilienses errore versabatur. Absit enim ut unquam tantus Doctor lapsum hominem tot tantisqúe infirmitatibus circumdatum, tot vulneribus mortuum, stante homine ipsis-

que

que Angelis integerrima sanitate fruentibus fortiorem esse deliraverit, ut quod istos sine divino adjutorio nullo modo efficere potuisse profitetur, hoc suis solius viribus illum præstare posse judicaverit. Omnino semper ad omnem omninò bonam voluntatem qua Deo creditur, Deus rogatur, sanitas petitur, gratiam Dei & adjutorium fassus est, non modo Adamo & Angelis, sed maximè infirmis hominibus esse necessariam. Sed ut supra diximus & sæpius repetendum est, aliud sanorum aliud ægrorum adjutorium est. Illud *sine quo non* creditur, aut rogatur Deus; hoc est *quo* creditur & rogatur Deus, quia ipsam credendi rogandique voluntatem inspirat ac donat. In hoc ergò proprie Massiliensium & Augustini error situs fuit, quod Angelorum Sanctorum & stantis hominis adjutorium, in quo intelligendo & admittendo nulla penitus ipsis difficultas fuit, etjam lapsis hominibus hactenus sufficere voluerint, ut quia non penitus esset *depravata vel extincta natura*, cum illo eodem auxilio perdurante quo antea in Adamo cuncta poterant, possent etjam nunc lapsi, fracti & ægri saltem credere & à sua infirmitate velle sanari: Nec opus esse, ut per illam aliam gratiam ægrotis propriam quam Christus attulit ipsa *credendi voluntas donaretur*, seu ut etjam dicunt, *donaretur ut velit*, rejectis ab illo dono alijs pariter reis. Talem enim gratiam volunt non ad initium bonæ voluntatis seu ad credendum, sed tantum ad operandum esse necessariam, quia aliquid integritatis in natura remanserit, propter quam cum illo Adami & Angelorum adjutorio si vellet crederet, non autem, si vellet, posset operari. *Ita Massil. in Epist. Hilarij.* *Ibid.* *Ibid.*

Massilienses non fuisse ex professo hostes gratiæ; neque causam ullam habuisse cur talem gratiam reijcerent: Quod per eam omnes eorum difficultates facillimè solverentur. Expenditur arrogans vox cujusdam recentioris.

CAPVT NONVM.

DENIQVE si suis momentis res ista tota ponderetur, nulla idonea causa proferri poterit, cur istud indifferētis gratię genus Massiliēsibus displicere potuisset. Non enim hostiles gerebant animos adversus gratiam quando primum Augustino & ejus defensoribus Hilario & Prospero reluctati sunt, sed solis difficultatibus territi tot monstra ex Augustini opinione pullulantia salva gratia & Ecclesiæ pace suffocare voluerunt. Idem quippe Massiliensibus, quod Sancto Hieronymo alijsque antiquioribus & ipsi Augustino contigit, qui, quamvis Dei gratiam velut vitā suā cariorem adversus hostes gratiæ magno ardore defenderent, ut in Hieronymo perspicuè patet, in eundem tamen errorem fallente rei obscuritate prolapsi sunt. Nam & ipsum Hilarium ijsdem difficultatibus aliquando turbatum fuisse satis Prosper indicat quando de illo dicit: *Nam unus eorum, qui* scilicet caligine istius opinionis obscurabantur, *præcipua autoritatis, & spiritualium studiorum Virum Sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in alijs omnibus tuæ esse doctrinæ: & de hoc quod in querelam trahit, iam pridem apud Sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre.* Quamvis re postea attentius considerata in suis litteris August. se consentire fateatur. Hinc est quod idem Prosper sententiam illam Massiliensium non nisi a *caliginem opinionis* & b *persuasionis obscurum* vocat. Et sola uberiori gratiæ declaratione credit & sperat eos *defæcatissimum lumen gratiæ recepturos*. Hinc est, quod eos *claros & egregios in omni virtutum studio viros* nuncupat. Hinc est quod eos Augustinus deputat non ut alienos sed a *nostros*; non ut Hæreticos, sed b *Fratres*, & c *Pelagianum nobiscum demolientes errorem*; eosque non ut ejusdem inimicos gratiæ, sed ut d *caligantes* tantummodo *in Sanctorum prædestinatione* putat esse tractandos. Hinc est, quod quamvis adversus Augustini doctrinam luctarentur, eamque præcedentibus Patribus & Ecclesiastico sensui contrariam esse sentirent, sola tamen Pontificis Celestini declaratione compressi sint. Hinc est, quod postmodum illos Augustini libros non receperint quos non cum cæteris ab Apostolica Sede probatos esse credebant. Hinc est, quod quamvis Prosper *vulnus ad sectionem perventurum* minaretur, si *habuerit perseverantem tumorem*, Massilienses tamen per nullam Ecclesiæ sanctionem à fraterna societate divisi fuerint, cũ etjam teste Prospero adhuc sub Sixto Papa in Ecclesiastica communione persisterent. Hinc est quod eorum plerique, ut Severus atque Cassianus quos perperam olim sensisse certum est post Celestini declarationem emendati sunt; & ille ipse Massiliensium antesignanus ad hostes Ecclesiæ retundendos, quorum erroribus consanguineis ante propinquasse videbatur, Leonis autoritate adhibitus, cum magna Pelagianorum detestatione strenuè laboravit, & paulò post, ut multi volunt, non sine sanctitatis opinione defunctus est. Quæ sanè omnia manifesto argumento sunt, non eos ex professo, quamvis errarent, indixisse bellum vel gratiæ vel Ecclesiæ; sed salva omni-

In fine Ep. ad Aug.
a In fine Epist. *b Initio.*
a Lib. de dono persev. c. 24. *b Lib. de præd. SS c. 1. & 5. & alibi.* *c Lib. de dono persev. c. 17.* *d Lib. de præd. c. 1.* *In fin. Epist. ad Aug.* *In fine lib. cont. Coll.* *Cass. advers. Nestor. scripsit 7. libros.*

d by Google

omnibus modis utriusque pace, ingentes illas difficultates dissipare voluisse, quæ ex gratia Augustini primam credendi voluntatem dante & homines ab invicem discernente proficisci videbantur.

Enimvero, si res ista non ab *ingeniosis* hominibus ut sæpius Massilienses Augustinus vocat, sed vel à tardissimo quoque consideretur, omnes istæ larvæ per istam Adami gratiam, tantâ evidentiâ & facilitate difflantur, ut ad hoc ipsum de industria ab eis excogitata esse videatur. Quod sane non ab ipsis tantum Massiliensibus optime animadversum fuit, sed ab omnibus quotquot eos in hunc usque diem imitati sunt, & ad auferendam hominibus desperationem illam discernentis prædestinationis, & efficacis gratiæ duritiem emollire, & quasi scalas quasdam fabricare voluerunt, quibus unusquisque à natura in gratiam, à terra in cœlum si per naturam faceret quod in se est (hoc est si vellet) ascendere possit. Omnes enim illam integræ naturæ gratiam magno verborum fuco palliatam, & philosophicâ subtilitate munitam, tanquam congruentissimam humanæ libertati prædicant, & ab omni erroris suspicione se tutissimos arbitrantes omnibus fati, desperationis, necessitatis, alijsque supra commemoratis terriculis tanquam præsentissimam adhibent medicinam. Et vero talem istam Adami gratiam revera esse, vel tardissimis rusticanisque ingenijs ita manifestum est ut mirum sit, si quisquam Massiliensium qui Christianæ Religionis Theologiam vel à limine salutaverit, vel ita hebes fuerit, ut ex ea fati vel desperationis, vel necessitatis, vel subversæ correptionis & exhortationis umbras potuerit expavescere; vel ita perfrictæ frontis, ut eam tam absurdis ineptisque calumnijs ausus fuerit onerare.

Nam ut ab illo prædestinationis proposito incipiamus quod eos tanto horrore aversatos esse diximus; per illam universalem & sufficientem gratiam, quâ sine personarum discrimine omnis, qui voluerit, potest credere, & ex fide ad salutem æternam pergere, omne propositum discretivum tollitur, neque ulla *constitutio Dei* remanet humanas præveniens voluntates, nisi illa voluntas benignissima, qua vult omnes homines salvos fieri, & suam habere gratiam semper præsentem, qua re-ipsa suam salutem, si tamen cooperari voluerint, assequantur. Nonne esset stultitiæ singularis ex tali proposito & gratia horrorem aliquem simulare vel fingere? Et quid aliud ab ipsa natura sua exspectare queant? Imo vero quid Massiliensibus ipsis accommodatius ad particulare & absolutum illud propositum evadendum dixeris quam generale auxilium, quo generalis illa benevolentia, qua Deus omnium salutem cupit suum effectum, si velint homines, sortiatur? Nonne idipsum est, quod semper crepant, *Deus velle omnes homines salvos fieri:* Et, *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam?* Nonne hoc ipsum cum illo dogmate maxime esset consentaneũ, quo unanimi consensione universalitatem sufficientis gratiæ summis conatibus inculcarunt? *Apud Prosp. & Hilar. in Epist. Apud Prosp. in Epist. ad August.*

Vt cunctos, inquit Prosper, *vocet illa quidem, invitetq; nec ullum* *Lib. de ingrat. c. 10.*
Præteriens, studeat communem afferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Iudicioque suo mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahit ulli
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.

IAm vero quis nisi fatuus ex hac generali gratia fatum timeat? Nihil enim hic præcedit voluntatem hominis quo ad alterutram partem immutabili aliquâ constitutione flectatur, vel quasi cancellis quibusdam quos egredi nequeat, concludatur. Sola voluntas dandi gratiam, voluntatem hominis antegreditur, sed illa talis est ut in omnem se partem non solum sinat, sed etiam velit hominem se posse flectere; agere quippe & non agere, uti, non uti tali gratiâ; obedire, contemnere, eodem modo ut natura generalis, ut vocatio doctrinaque generalis, uniuscujusque permittit arbitrio: quo nihil sane potest esse capitalius contrarium fato. Nonne id ipsum est, quod ipsimet exterminantes fatum libentissime, ut vidimus, profitentur?

Apud Prosp. supra. *Proprio quemque arbitrio parere vocanti &c.*

QVid vero de læsa in utramvis partem libertate dicam? Quid de terribili illa discretione quam per gratiã in hominibus fieri querebantur? Nihil profecto ineptius vel à delirantibus adversus illam gratiam fingi potest: hinc nihil ad illas umbras fugandas illa ipsa gratia expeditius. Cum enim omnibus semper præsto sit, & magis quam ipsa generalis quam afferebant Euangelij prædicatio, nec ulli haud secus ac liberum arbitrium

X atque

Digitized by Google

atque natura, desit; qua quisque qui voluerit, ut voluerit, cum voluerit uti, vel non uti potest; quid sanè insanius vel phreneticus delirare queat, quam ex ea discretionem hominum vel libertatis interitum formidare? Nonne idipsum eis liberalissime datur, quod tantis querimonijs petunt, nimirum, ut *uni non donetur ut velit, rejectis ab hoc dono alijs pariter reis, & qui possent similiter liberari, si ea quæ pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstetur*. Item, ut *non sit specialis erga credentes munificentia*: ut omnes *etiam incredulis credere possint*: ut *gratia omnibus ingeratur*: ut non, *alijs detur, alijs non detur*: ut *invitetur liberum arbitrium non cogatur*: ut *non afferatur ei fatalis necessitas*: ut *per præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium*? Et quæcunque supra de læsa libertate diximus.

Apud Hilar. in Epist.

Cap. 10.

Porro desperationi & ignaviæ nullum efficacius ea gratia medicamentum juxta Massiliensium sententiam excogitari potest: quis enim esse potest desperationi locus, ubi nihil in alterutram partem pro sua voluntate vel constitutione Deus facit, sed omnia ad vitam æternam assequendam necessaria in hominis potestate & arbitrio collocantur? Quis potest sanctis esse tepôris & ignaviæ fomes, ubi nihil à Deo per gratiã fiet nisi homo sua voluntate consentiat diligenterque cooperetur? Vbi non rumpitur obstinatæ porta voluntatis à gratia, sed ab homine per gratiam admonito & invitato aperitur, & aperienti remuneratio præparatur: Nonne apertissime datur eis quicquid in remedium desperationis & ignaviæ confingere potuerunt? Nempe *ità posse unumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse*: recteque *omnem hominem* posita illa gratia *ad credendum & operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna, nemo desperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio sit parata.* Quomodo vero non dico timeri, sed vel fingi hic potest, *ne* quemadmodum conqueruntur, *utraque parte superfluus labor sit*: cum nihil per hanc gratiam fieri posse statuatur nisi labor accesserit? *Ne rejectus ulla industria possit intrare*; cum ab ea nemo rejiciatur, & cum ea intret qui voluerit? *Ne electus ulla negligentia possit excidere*, cum per solam negligentiam tota talis gratia quantumvis magna in vacuum recipiatur? Et quid hic obsecro ad desperandum facit illa desperata incertitudo voluntatis Dei, dum cogitant qui audiunt incertum esse humanæ ignorantiæ, cui Deus hæc dona largiatur ut veniatur ad fidem & permaneatur in fide, cùm concessâ illâ generali gratiâ Deus omnibus quantum in se est, fidem & perseverantiam largiatur, & ab illis donis nemo prorsus exclusus sit, nisi qui illa, gratiæ dissentiendo, acceptare noluerit?

Prosper in Epist. ad Aug.

Ibid.

Sed nihil absurdius fingi potest, quam per istiusmodi gratiam exhortationes, correptiones, & omnia rectè faciendi præcepta subverti, imo nihil magis appositum excogitari potest, quam ut homines omni institutione præcepti, exhortationibus & correptionibus excitentur. Nihil enim deesse statuitur nisi solus hominis jussi, admoniti correptique consensus, qui rectissime hujusmodi stimulis posita illa gratia provocatur. Nonne id ipsum est quod dilucidis verbis ipsimet profitentur, quando Augustino gratiam illam internam Adami prædicante, qua uti posset si vellet, gratulantes, nullamque ultra difficultatem in exhortationibus timentes dicunt: *Ad illam voluntatem* (Adami habentis talem gratiam cum qua stare posset si vellet) *pertinuisse exhortationis vel comminationis utilitatem; qua & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem: non ad hanc cui nolle justitiam inevitabili necessitate contunctum sit?* Ecce facillime intelligunt internum Adami adjutorium, & illud cum exhortatione conciliant, dummodo tale sit, *ut voluntas persistendi & desistendi obtineat liberam potestatem*. Dummodo, ut Augustinus de Adamo dixerat, *ita adjuvetur, ut homo stare posit in justitia, & à justitia declinare.* De cæteris querelis eorum, extinctæ scilicet orationis duarum partium & massarum, & reliquis quas adduximus, nihil opus est dicere; tum quod nulla verisimilitudine contra gratiam istam torqueri possunt, tum quod magis ad istud Dei propositum quam ad gratiam pertinent; de quibus infra pluribus dicturi sumus.

In Epist. Hilar. ad Aug.

Ex his quæ diximus perspicue, ut arbitror, patet, nullam Massilienses causam habere potuisse, cur talem gratiam abjicerent, cum omnibus eorum querelis accuratissime satisfaceret, & hoc ipsum se satis intelligere faterentur: multoque minus, cur ex ea homines ingeniosi & gratiæ defensores tam immanes difficultates cum aliquo colore vererentur; gratiam enim integri hominis cum qua scilicet homo indifferens ad utrumque permanens si velit operetur, non autem ipsa ex nolente volentem faceret, rectissime capiunt, intelligunt, laudant, probant, & ex ea nullum libertati vel exhortationibus præjudicium fieri gratulantur. Vt meritò non aliud nisi merum commentum videri debeat ad proprias opiniones colorandas excogitatum, quo Massiliensibus nonnulli illam impingunt absurditatem & hebetudinem, ut contra propriam scientiam & conscientiam immania illa portenta ex illo adjutorio *sine quo non*, omnibus præparato sequi formidaverint, & tantis clamoribus questi fuerint ut contra scientiam vel conscientiam hanc pravam eorum intelligentiam Sanctissimus Ecclesiæ Doctor uno verbulo emendare noluerit, vel eruditissimus Doctorum omnium corypheus non potuerit. Et eo tamē exorbitationis recentior quidam qui se gratiæ sic explicatæ vel inventorem vel præcipuum patronum videri cupit, erroris pervenit ... Cum enim tantam libertatis cum illa gratia conciliandæ facilitatem cerneret, omnesque scrupulos Massiliensium, fatum scilicet, desperationem, necessitatem, exhortationis inutilitatem, torporem &c. tanta prom-

promptitudine posse difflari, & cum illis pacem fieri, hanc injuriosam tanto Doctori, totique Ecclesiæ antiquæ non satis honorificam aut tolerabilem emisit vocem: *Quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia & prædestinatione cohærere non posse: neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi & Hilarij fit mentio, fuissent extinctæ ut patet ex ijs, in quibus homines illos cum Catholicis convenisse & ab eis dissensisse, eadem Epistolæ testantur: concertationes denique inter Catholicos facile fuissent sopitæ.* Hæc ille. Vbi quid aliud facit quam quod Augustino, Romanis Pontificibus, totique Ecclesiæ antiquæ illius temporis infamis ignorantiæ vel malitiæ inurit notam? & exortæ hæresis Pelagianæ & Lutheranæ invidiam creat & culpam affricat? Nonne Augustini, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ opinionem, quæ per Concilium Numidiæ Romanosque Pontifices ei suas scribendi adversus Pelagianos vices dedit, & magnis encomijs ejus scripta laudavit apostasiæ multorum fidelium, & Pelagianæ hæresis propagatæ tantarumque turbarum inter Catholicos & Massilienses & non oppressi in ipso exortu Semi-Pelagiani erroris causam facit? O nimis præcipitem arrogantiæ vocem! & cur quæso tantum de Augustini opinione suspicatur nefas? Nimirum quia vidit, & rectissime vidit, facillime Massilienses ipsosque adeò Pelagianos cum Catholicis potuisse coalescere, cunctarumque difficultatum umbras dissipari, si Augustinus talem explicandæ gratiæ modum cum qua indifferens maneret homini & in propria potestate positum, credere vel non credere ejus adversarijs tradere voluisset. Quasi verò fuisset vel ita imperitus Augustinus, vel ita ignara illius ætatis Ecclesia, ut non potuerit talem concordiam, rem omnibus in promptu positam invenire vel penetrare: & post mille ducentos annos à Philosophis hujus temporis ejus explicationem exspectare debuerit. Vidit ubique, protulit, docuit, explicuit, inculcavit: idque tanta verborum evidentia & pondere sententiarum, ut pœne nihil amplius possit ipsa cæcitas, absit modo pertinacia, postulare. Cur ergo non ingessit eam adversarijs? Cur non una gratiæ illius confessione oblatrantium ora compescuit? Nempe, non erat istic locus, veram Christi gratiam docere voluit, non prodere: Massiliensibus mederi non adulari: vulnera tollere non tegere. Sed hoc uberius alibi declarandum est.

Molina in Concor. q. 23 a 4. & 5. disput. 1. memb. ult.

Testatur Aug. Epist. 110. Bonif. & Celest. Pontif.

Redditur causa quadruplex, cur non sæpius mentionem illius gratiæ internæ faciant Semi-Pelagiani posteriores.

CAPVT DECIMVM.

HIC dubitet forsan aliquis, cur ista interna & actualis gratia non etjam sæpius à cæteris quoque Semi-Pelagianis commendetur, si nihil eorum scopo nocet. Facile respondeo, non modo Massilienses apud Hilarium, de quibus nobis in hoc tractatu præcipue sermo est, quidquid alij & ipsi aliàs tandem senserint, sed etjam Cassianum atque Gennadium, ut ante demonstratum est, satis perspicuam ejus fecisse mentionem. Quamquam si scripta eorum nunquã illius gratiæ meminissent, ne tum quidem ab eis fuisse repudiatam existimari debet, Quid enim interest quod nihil obsit eorum scopo, si nihil item prosit? Causæ quippe idoneæ esse possunt, & vero sunt, cur de illa commendanda judicent se non debere esse sollicitos. Quas quidem indagare ac digito tangere, non est difficile.

Prima est quod de illa gratia sibi cum Augustino quæstionem esse sentirent, quæ lapsis hominibus adversus peccati corruptionem datur. Nam ut Augustinus sexcenties contra Pelagianos refricat, illa gratia fidelibus confitenda est quæ Christianæ Religioni propria est, hoc est, propter quam lapsis hominibus largiendam *Christus* IESVS *venit in mundum*, quemadmodum ait Apostolus, *peccatores salvos facere.* Quam gratiam Patres Concilij Carthaginensis aliquoties vocant & inculcant, *gratiam qua Christiani sumus*: & Augustinus, *qua Christiani & filij Dei sumus*; itemque *gratiam quæ per incarnationem unigeniti revelata atque donata est*: & sæpissime uno vocabulo totum complectente, *gratiam Christi.* Videbant autem gratiam illam *sine qua non*, hoc est, sine qua quidem non creditur, sed tamen ipsa non facit credere, nullo modo esse gratiam lapsæ naturæ congruentem. Non enim ipsa, ut supra latius dictum est, pulsa concupiscentiæ infirmitate, robustum facit, sed robustum & à concupiscentia liberatum esse supponit, sicut lux quantumvis magna non sanat oculum, sed sanatum postulat, ut ejus aliquis possit esse usus, nam sine luce quidem non cernitur, non tamen ipsa facit cernere si quis noluerit intueri. Hanc ergo duplicis gratiæ distinctionem cum viri ingeniosi luculentissime ab Augustino demonstratam animadverterent, superfluũ esse, adeoq; nihil ad rem pertinere judicarunt de illa priori gratia quam sana natura postulabat, multum satagere. Hæc itaque causa est cur

1. Tim. 1.

Epist. 90. apud Aug. Epist. 95. Ibid.

Lib. de correp. & grat. fuse.

cur statim post fidem, veram illam Christi A gratiam, *qua fit actio*, hoc est, qua liberum arbitrium ex non faciente facit facere, sanando voluntatem, roborando fulciendoque sanatam, quam Augustinus & Ecclesia postulabant, sæpius in Epistolis Prosperi & Hilarij libenter clareque faterentur; ad fidei vero initium qua primitus creditur, propter difficultates illi primo libertatis flexui peculiares, illam alteram Adæ gratiam retinuerint quidem, sed tamen cùm illam non esse Christi gratiam cernerent, neque fideles, ab infidelibus illius operatione discerni, ad alias gratiæ notiones quærendas lapsi sint, quæ vel magis adventui Salvatoris Christi deberentur, vel voluntatem in actum inclinando discernerent. Hinc ergo toties ab eis inculcatur gratuita Euangelij prædicatio, sive vocatio: quia manifestum est, Euangelicæ veritatis annunciationem incarnationi Christi, passioni & re- B surrectioni ipsius esse tribuendam.

Sed neque in ista vocationis sive prædicationis gratia quæ Semi-Pelagianis omnibus familiarissima esse solet, potuerunt omni ex parte acquiescere. Viderunt enim illum, vel solum, vel præcipuum esse totius disputationis cardinem, quænam sit illa gratia Dei cui ipsa fides tribuenda sit; de qua & Apostolus loquitur quando dicit, *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hoc est quæ sit illa gratia, quæ *discernendo*, seu faciendo credere cum ante non crederet, affert primam differentiam credentium à non credentibus, cum ante fidem omnibus esset una damnationis massa communis. Neque enim tam impij erant ut hanc discretionem omnis boni initium, & causam omni Dei gratiæ subtrahendam esse censerent. Quod ille solus Apostoli locus tam evidenter docet, ut sicut C Sanctus Cyprianus eo permotus fuerat, ut *in nullo gloriandum* diceret, *quando nostrum nihil est*; ita & Augustinus eodem testimonio se convictum, & ab errore Semi-Pelagiano revocatum esse testetur. Hanc ergo *discretivam gratiam* cum liquidissime cernerent esse debere talem, ut non tantum tribuat *credere posse* si velis, sed etiam ipsum velle credere, hoc est ut ipsam inclinationem & flexum voluntatis operetur, qua ex non credente fit credens: & hoc nullo pacto vocationi seu Euangelicæ prædicationi competere, quam multi audiunt qui non credunt; multoque minus illi gratiæ Adami *sine qua non* creditur, quia discretio credentis à non credente, non fit ab illa gratia, sed à propria libertate, non enim esset amplius gratia primi membri, *sine qua non fit actio*, sed secundi, *qua fit actio*: cum hæc, inquam, tanquam rem certam atque perspicuam liquidissime cernerent, aliam Dei gratiam *discretivam* hominum D sibi asserendam esse crediderunt. Hanc ergo dixerunt esse *quasdam integræ naturæ reliquias*, quæ à Deo in primo parente sana & perfecta donata est. Hæc est enim iuxta Massilienses gratia, quæ quando multi eandem vocationem seu Euangelicam prædicationē audiunt, & eâdem internâ gratiâ muniti sunt, qua credere possint si velint, alijs non credentibus; alios liberâ voluntate credere facit, & credendo suâ se libertate discernere. Hoc totum tamen volunt esse tribuendum Deo, quia ista naturæ possibilitas qua sese ad credendum volendumque flectit & inclinat, ex illa prima naturæ quam Adæ perfectam gratis dederat, integritate remansit. Ecce alteram causam, cur libentius naturæ sese flectentis, quam gratiæ illius sine qua non potest sese ad credendum flectere Massilienses meminisse solent. Hoc est enim quod dicunt: *Nec de hac fide posse dici: quid habes quod non accepisti cum in eadem natura remanserit licet vitiata, quæ prius sana ac perfecta donata sit.* Hoc quod alibi: *consequens putant, exhibendam ab eo fidem cum natura id voluntate conditoris concessum est.* Hoc quod ægerrime ferunt, *nihil quod prædicatione excitetur in hominibus remansisse*: hoc denique quod Augustinum docere stomachantur, *ita Adam gratia adiutum esse, ut & stare posset & à iustitia declinare,* si vellet: lapsis autem hominibus non adesse illam saltem credendi libertatem, sed eis *nolle iustitiam inevitabili necessitate esse coniunctum,* hoc est non habere illam flexibilitatem ut cum eodem Adæ adjutorio posset saltem credendo velle justitiam, sed ita in unam partem esse depressam, ut auditâ prædicatione ne quidem *possit timere quis unde terretur, nisi ea voluntate qua sumitur* hoc est quæ aliunde quam ex libertate ut olim danda & inferenda accipitur, eo quod non solum posteri, sed etiam ipse Adam *illam damnationem incurreret, ut nunquam recta, semper autem prava vellet appetere.* Quibus & similibus locutionibus nihil aliud significatum volunt, nisi hominem, si non recte vivere propter inflictam concupiscentiæ reluctantis infirmitatem, saltem velle & credere posse suâ libertate, etsi non sine externo gratiæ simul concurrentis auxilio, sicut omnia ad juste vivendum pertinentia primus homo viribus à concupiscentia illæsis potuit, ut supra fusius declaravimus. Itaque quia de gratia discretiva credentis à non credente tota vertebatur controversia, quam constabat non esse illam Adami & Angelorum gratiam, quia alijs cum ea sua libertate stantibus, alij non minore præditi, eâdem illâ libertate ceciderunt, hinc est, quod superstitis illius primævæ libertatis reliquias tanquam veram gratiam primitus à Deo datam commendare satagunt, relictâ illâ interiore, quæ libertatis potius flexum exspectat & sequitur, quam ipsum voluntatis flexum facit.

Hoc vero spectasse in assignanda illa gratia naturæ seu superstitis illius libertatis Massilienses, vel inde manifestum est, quod cum in hoc ipso eos deceptos esse Augustinus ostendit, hoc summo conatu probare nititur, nec ipsam naturam sive integram, sive integræ quascunque reliquias, esse illam gratiam quæ credentem à non credente discernit: cum enim eadem sit natura omnium, sive credant sive non

1. Cor. 4.

Lib. 3. ad Quirin. c. 4.

Lib. de prædest. SS. c. 3. & 4.

In Epist. Hilar. ad Aug.

Ibid.

Cap. 4.

sive non credant; profecto non potest esse natura ut natura, quam Deus æqualiter omnibus dedit, qua inter se homines discernantur. Audi ipsum identidem hoc inculcantem; *In hac Apostoli evidentissima intentione qua contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine sed in Domino glorietur, dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vitiatæ naturæ qualescunque reliquias nimis quantum existimo absurdum est. Numquid enim per hæc dona quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* Et iterum, *Nihil autem huic sensui tam contrarium est, quam de suis meritis quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei, sed gratia quæ bonos* DISCERNIT *à malis, non quæ communis est bonis & malis.* Et adhuc uberius: *Vt enim sit naturæ posse habere fidem numquid & habere? Non enim omnium est fides, cum fidem posse habere sit omnium. Non autem ait Apostolus, quid autem potes habere, quod non accepisti ut posses habere? Sed ait, Quid autem habes quod non accepisti?* Et totam disputationem luculentissime sententiæ veritate concludens: *Illa itaque natura in qua nobis data est possibilitas habendi fidem non discernit ab homine hominem, ipsa vero fides* (hoc est ipsum credere) *discernit ab infideli fidelem.* Vides primo quanta contentione de gratia *discernente* cum Massiliensibus disputet: quam ipsi quia naturam putabant (quia illa videbatur esse quæ unum ab alio credendo discerneret) hinc illam ut veram Dei gratiam commendabant, in cujus possibilitate fides quoque ipsa donata censeretur. Sed recte ostendit Augustinus, non naturam quæ communis est omnibus, sed ipsam credendi voluntatem esse quæ discernat homines: quamvis non aliter Deus fecit, nisi quia cõmunem naturam dedit, non in Deo erit, sed in ipso homine volente gloriandum. Vides secundo causam arbitror cur interior illa gratia sine qua non creditur, multo minus Massiliensibus curanda & ad se tuendum proferenda videretur. Ipsa quippe cum omnibus eandem prædicationem audientibus communis esse, & à libertate suam ad agendum inclinationem atque determinationem exspectare statuatur, multo minus quàm natura etiam integerrima, vel libertas ejus, poterat credentem à non credente discernere. Neque juvat quicquam, quod cum voluntate consentiente dicatur influere: nam & natura, & libertas, & voluntas ipsa multo magis, & prius & intimius influit, nec tamen idcirco juxta discursum Augustini dici potest naturam esse quæ credentes discernat à non credentibus. Hoc enim unicum verissimum, certissimum, stabilissimumque Augustini principium, ut pupilla oculi retinendum est & iterum iterumque consideratione repetendum, aliam esse gratiam qua fit actio vel volitio, aliam sine qua non fit. Illa discernit agentem à non agente, hæc nequaquam. Vnde fieri nulla ratione potest, ut interior illa gratia prædicationis comes, quâ homo dicitur credere posse si velit, sit illa gratia discretiva, quam Augustinus à Massiliensibus postulat. Quod quia subtiliter ab ingeniosis hominibus animadversum est, hinc est quod in illa commendanda immorari, superfluum esse, & nihil ad solvendam propositam controversiam pertinere judicarunt.

Lib. de prædest. SS. c. 5.

Ex his quæ diximus etiam tertia causa à secunda pendens colligi potest, cur gratiam illam *discretivam* ad naturę seu libertatis potius reliquias, quam ad illam interiorem gratiam, *sine qua non* creditur, revocaverint. Cum enim cane pejus & angue odissent discretionem hominum solâ voluntate Dei per gratiam fieri ut supra diximus; duritiem illam sic mitigandam esse censuerunt, ut discretionem ex natura quam Deus gratis dederat religando, eam per ambages illas totam (etiamsi gratia illa interna cum libertate concurreret & influeret simul) ex propria voluntate suspenderent; quia scilicet omnibus positis, velle & credere ex semetipsis oriretur, quia velle & nolle credere, & non credere esset in propria potestate. Notat hoc Prosper cum dicit: *Aut ideo eam* (fidem) *se instituat ad Deum referre, quia ab ipso sit creata natura, cui rationabilem inseruit libertatem, per quam unusquisque & credere & non credere in sua habeat potestate.* Et carmine de ingratis:

Ad excerpta Genuens.

Carm. de ingratis.

Quos urit gratia, cujus
Omne opus arbitrio Vultis subsistere Vestro.
Et quod non cuncti mortales atria Vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis
Vt tam ex judicio constet cujusque quod intrat
Quam quod non intrat: seu par in utrumque facultas
Suppetat, ut tam sit proprium bona quam mala Velle.

Nimirum nihil aliud unice contendebant nisi ut illa discretio hominum quam palam cernimus, quando ex multis vocationis & prædicationis gratia præventis unus vult, alter non vult, unus credit, alter non credit, unus intrat, alter remanet foris, ex arbitrio seu judicio cujusque, seu naturali illa libertate contingeret, qua credere vel non credere, velle vel nolle in propria esset positum optione & potestate. Nam existimare quod illa impietas

per

per aliquam internam gratiam *sine qua non* evitari queat, absurditas manifesta est. Nunquid enim perinde cum lumen præsto est, in uniuscujusque qui sanis oculis est, optione situm est cernere vel non cernere sive concurrat, sive non concurrat influxus lucis? Nonne Adam atque Angeli cum illa gratia sibi præsente fruerentur, cum qua juxta Divum Augustinum possent stare si vellent, perinde per liberum arbitrium, ut ipse loquitur, stetere vel cecidere ac si idipsum sola libertate præstitissent? Cujus rei vel sexcenta exempla proferri possent, nisi vel tardioribus ista sufficerent, & unicuique sua sagacitate plura suggererentur. Hinc orta est illa toties ingeminata Sanctorum Patrum querimonia, non quod actus illi boni Massiliensium, defectu gratiæ simul cum arbitrio influĕtis non essent vel *vitæ æternæ digni*, vel *meritorij*, vel *supernaturales* ut nunc aliqui comminisci solent, sed quod obscuritatem divinorum judiciorum super salute & perditione hominum per illam gratiam *naturalis libertatis* hoc est *per velle & nolle* uniuscujusque reserarent. Nonne Petrus Diaconus cum Orientalibus istud stomachatur quando

A dicit: *Hæc si ita sunt; ut Hæretici loquuntur, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia & incomprehensibilia Dei judicia. Si enim ut ipsi volunt, nolentes damnat, salvat autem volentes, nihil est omnino quod quæratur ulterius. Et quantum ad ipsos, fallit Scriptura divina quæ incomprehensibilia Dei testatur judicia.*

Lib. de Incarnat. & grat. ad Fulg. c. 7.

Nonne & Prosper cum dicit? *Qui dispensationes Dei ex liberi arbitrij vult mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia judicia Dei & vestigabiles vias eius. Et quod Doctor gentium Paulus non audebat attingere, hic se existimat reseratum posse vulgare.*

Ad capit. 9. Gall.

Et rursum alibi: *Frustra profunditatem inscrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire.*

Lib. 1. de Vocat. gent. c. 22.

Et omnium apertissime cum causam discretionis hominum Apostoli verbis, *quis enim te discernit?* quæsisset: *Igitur profunditas*, inquit, *illius quæstionis quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle & nolle non solvitur.* Quid B hic vel Massilienses vel quoslibet alios juverit, si responderint, se gratiam interiorem agnoscere sine qua velle non possint, si perinde velle & nolle cum illa gratia à propria sua libertate suspendant? vel ut Prosper de Semi-Pelagianis loquitur:

Carm. de ingrat. c. 6.

Sitque salus dignis salvari ex FONTE VOLENDI.

NOnne prorsus eodem modo inscrutabilitas illa cur unus intret, non alius, hic credat ille non credat, positâ illâ gratiâ quæ nemini deest, per velle dissolvitur? Hoc quia Massiliensibus notissimum fuit & neminem cui pertinacia non claudat oculos latere potest, hæc eis justissima causa fuit, cur ubi de discretionis gratia quæstio vertebatur, non ita fuerint de illa interiori gratia inculcanda solliciti.

Cujus tamen & quarta causa eaque verissima reddi potest, quod illa gratia plerumque sub integra natura comprehendi solet: cujus integritatis reliquias cum ipsi superesse post lapsum traderent etjam gratiam ei debitam sub eadem superstite integritate complexi sunt. Hoc enim non modo Massiliensibus sed etjam Prospero & Augustino familiare fuisse ex eis locis perspicuè constat, quæ supra hoc libro non pauca dedimus, cùm Angelos & Adamum sua naturali possibilitate rectè vivere potuisse demonstravimus: Sub naturali quippe possibilitate sive natura, semper & gratiam intelligebant: Quæ si cui forte adhuc non videantur facere satis, Ecce alia, quibus omnes scrupulos cessuros esse spero.

Cap. 6.

Nam cum Pelagius easdem quas Augustinus usurpare vellet phrases, quod homo suâ possibilitate posset non peccare si vellet, statim ab Augustino reprehenditur, etjamsi de homine integro loqueretur: Nempe quia ipse ab illa possibilitate omnem actualem gratiam excludebat, quæ ut ait, naturæ etjam sanæ ad rectè vivendum fuerat necessaria, sicut lumen sanis oculis ad cernendum. Locum ex capite quadragesimo-octavo de natura & gratia decerptum supra protulimus. Hinc est quod ali-

Cap. 6.

A quoties in eodem libro phrases illas Pelagij temperat; *De homine*, inquit, *sanis pedibus tolerabiliter dici potest. velit nolit habet ambulandi possibilitatem; confractis vero, si velit, non habet. Vitiata est natura de qua loquitur, quid superbit terra & cinis?*

Lib. de nat. & grat. c. 49.

Et inferiùs: *Si iste qui hunc librum scripsit de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata & salva condita est, utcunque acceptaretur hoc dictum* scilicet, quod possibilitas non peccandi in natura consisteret.

Cap. 51.

Ubi quod ait, TOLERABILITER, & UTCUMQ; illa posse dici, Pelagium respicit, qui ab illa possibilitate naturali omnem internam gratiam submovebat. In quo sensu nullo pacto locutiones istę poterant esse veræ, nec sine particula diminuente concedi. Sed quando sub illis gratia comprehenditur frequenter ab ipso Augustino cæterisque illius ævi Patribus & Synodis pro natura integra usurpantur. Hinc illa creberrima Au-B gustini doctrina quam alibi latius traditori sumus, quod Adam atque Angeli *per liberum arbitrium*, suæque *libertate* voluntatis stare poterant, quod nunc homo non potest. Hoc enim nihil est aliud, quam quod illud natura potuere. Nimirum illa primi status gratia sub natura comprehenditur. Quod ne quem forte minus attentum falleret, cum illud aliquoties repetisset, suspicionibus occurrens objicit sibi: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero*, respondet, *habuit magnam sed disparem.*

Lib. de Corrept. & grat. c. 11.

Hinc illud Celestini Pontificis: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem perdidisse.*

In Epist. ad Gall. c. 3.

Hinc illud Arausicanæ Synodi: *Quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum possit &c.* Cum dicunt nunc amissam possibilitatem na-

Canon ult.

Digitized by Google

tem naturalem, & nullum post peccatum primi hominis posse credere per liberum arbitrium, aperte indicant, ante nos habuisse, ante potuisse: quia scilicet sub illa naturæ integritate continebatur gratiæ adjutorium, ex quo simul & naturæ possibilitas illa surgebat. Itaque quia Massilienses juxta usum constantem Divi Augustini, & Prosperi, & Patrum illius ævi, quibuscum erat eis controversia loquebantur, & veritas quoque recte intellecta nos ita loqui sinit, hinc est quod rarius de illo interno gratiæ adjutorio meminerint. Cum enim aliquid primævæ possibilitatis & integritatis reliquum esse dicerent, quo posset homo naturaliter quemadmodum Adam credere, non aliter se de illa naturali possibilitate intelligi putabant, quam ipsimet, quibuscum disceptabant, propria sua verba intellecta cupiebant. Ex quo etjam vera ratio intelligitur, cur quando Prosper & Augustinus Massilienses expugnant, nunquam dicant, idcirco non posse nunc naturali libertate credi, quia gratia amissa est; sed frequentissime quia amissa est illa primæva possibilitas, ille naturæ vigor, illa libertas primi status. Itemque cur nunquam urgeant reddi debere gratiam quâ subtracta homo juste non possit vivere, sed instantissime repetant, vulneratam esse naturæ possibilitatem & libertatem, ut ea sanata, natura iterum recte vivere queat. Nimirum sciunt illam nostram recte vivendi infirmitatem non ex aliqua gratiæ actualis subtractione contingere, sed ex interna ipsius naturæ seu libertatis læsione: Quæ talis ac tanta est, ut etsi gratia illius generis qualem Adam habuit, centuplo, imo millecuplo lapsis hominibus daretur major, nunquam hominem vulneratum vel ad solum unius bonæ voluntatis actum posset adducere: quemadmodum lux ipsa solis intensissima vulneratis seu extinctis oculis ad cernendum nihil opitulatur, sed gravius nocet: Sanis autem etjam perparva sufficit. Hanc ergo gratiam sanationis adversus Massilienses inculcant, quam suâ incarnatione & passione Christus attulit; alio status innocentiæ adjutorio penitus prætermisso: quia istud naturæ sive integræ sive restitutæ atque sanatæ semper adhæret, & tanquam connaturale semper sequitur. Quæ sane ipsissima causa est cur etjam sub natura integra vel sanata pœne semper intelligatur.

Neque vero cuiquam istud mirum videri debet. Si enim Scholasticis hujus temporis licuit post humanæ naturę damnationem, quam primi hominis ruina fecit, sufficientem gratiam ad peccatum evitandum nobis perpetuo cohærentem, & naturæ quasi debitam fingere; ne alioquin, ut ipsi loquuntur, merito injustus esse censeretur Deus; quanto justius naturæ innocenti talis gratiæ adjutorium perpetuo astitisse credendum est. Neque enim istud auxilium propter nullam peccati infirmitatem sublevandam necessarium integrę naturę fuit, sed propter innatam ipsisque creatæ cujuslibet rationalis naturæ visceribus intimam & quasi essentialem infirmitatem; ex qua fit, ut quemadmodum Augustinus dicit, *Liberum arbitrium ad malum sufficiat, ad bonum autem nihil sit nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Vnde merito naturæ ad Deum amandum videndumque elevatæ connaturale, semperque animo, ut lux oculis, necessarium, sub ipsa natura comprehendendum & intelligendum fuit. Et quamquam nobis non sit propositum de alia vel aliorum, quam illa prima quam initio diximus Massiliensium sententia Prosperi & Hilarij litteris expressa disputare; fortassis tamen ex his quæ diximus vera genuinaque radix detegitur, cur Prosper multis annis post exortos Massilienses cum Semi-Pelagianis disputans subinde dicat eos nullam gratiam, nisi legem & prædicationem foris pulsantem agnoscere. Sciebat enim, PRIMO, illam interiorem Adami gratiam *sine qua non*, sub naturæ vigore, quem aliqua ex parte illæsum superesse volunt ab eis esse comprehensam. Hinc cum carmine de ingratis cecinisset;

Cap. 10. *Dumque aliud non est vobiscum gratia, quam lex*
Quamque Propheta monens, & quam doctrina ministri,

Statim adjungit quasi rationem

Scilicet ut tale arbitrium generaliter insit
Semine damnato genitis in corpore mortis
Quale habuit nondum peccati lege subactus
Primus homo &c.

VBi manifestè significat eos velle quod idcirco non indigeamus gratiâ nisi legis atque doctrinæ seu prædicationis Christi, quia arbitrium nostrum quantum ad credendum, ita constitutum est sicut hominis primi, qui hoc naturali sua possibilitate nondum vitiatâ poterat. Nimirum quia natura illa seu possibilitas gratiam *sine qua non*, non modo non excludebat, sed potius habebat infallibili lege conjunctam. Neque enim unquam redarguti sunt Semi-Pelagiani illi, quod amplius ad credendum lapsorum arbitrium posse quam stantium arbitrati sint, sed tantummodo quod tantundem valere contenderent. Hoc igitur est quod etjam isti videntur voluisse, ut quemadmodum ex libero arbitrio mali motus iræ aut odij

aut odij, aut amoris rerum terrenarum sponte sua nemine adjuvante prodeunt, ita & boni ex illo, naturali possibilitate & vigore, Deo per auxilium illi primævæ integritati consentaneum adjuvante, sponte prosilirent: Quos deinde posset si vellet, abijcere, vel eadem sic adjuta libertate sequi. Totum quippe, sive motivum ad istorum bonorum productionem spectes, sive judicium, sive consensum atque dissensum, isti naturæ vigori (ut Arausicanum loquitur) seu isti naturali possibilitati videntur tribuisse: per quam omnia, ut in Adamo sponte fierent, illo Dei adjutorio *quod* (ut Augustinus exprimit) *desereret homo cum vellet & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret ut vellet*. nunquam cum aliquid boni agere vellet, deserente. Quod præclarè expressit Prosper ubi dixit Deum fores carnis pulsare per prædicationem, ut per sensus externos,

Lib. de corrept. & grat. c. 11.

Carm. de ingrat. c. 15.

Sumpta foris animus dijudicet intus,
Séque ferat, quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrij;

Hoc est, quocumque homo se sua naturali potestate commovere & flectere voluerit. Vnde fusius hoc declarando subnectit:

Ibid.

Veluti cum voce loquentis
Aut rerum actarum species quas vidimus, aut quæ
Legimus, exoritur secreta cordis in aula
Nunc amor aut odium, nunc spes, metus, ira, dolórque:
Nec tamen hos motus scriptor, narrator, & autor
Insevêre animo (quamvis fortè hoc quoque vellent)
Sed de præceptis mens judex sponte movetur,
Et pro more suo quantum se exercuit istis,
Transit in affectum, quem confirmaverit ex se,
Illa volendo sequens, istis nolendo resistens.

Manifestissimè vides, non horruisse ne quidem illos cum quibus ibi disputat, istas affectuum internorum proritationes, & motus bonos, sed ita illos admisisse, ut sponte ex reliqua naturæ integritate prodirent, quibus deinde sponte illa libertas tanquam domina ut vellet uteretur; non desistente scilicet illo auxilio Dei, sine quo illa non poterant etiam ex primæva Adami libertate fieri.

Longè verò diversum esse modum illum quo nunc illa omnia per divinæ gratiæ auxilium efficacissimum potentissimumque peraguntur statim explicat:

Ibid.

At verò omnipotens hominem cum gratia salvat

Per auxilium scilicet salvationis, seu *sanationis*, seu *liberationis* à malo, seu à concupiscentia resistente in qua per peccatum lapsi sumus,

Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta velit: non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis
Nec quod sola potest, cura officióque ministri
Exequitur &c.

Et modum divinæ executionis longe diversum tangens ab eo, quo solam *possibilitatem* ita adjuvat, ut motus & consensus bonos sponte proferat si voluerit:

Ille, inquit, *obscuratis dat cordibus intellectum:*
Ille ex injustis justos facit, indit amorem,
Quo redametur amans & amor quem conferit, ipse est.
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægríque valescunt:

Nemo

Digitized by Google

Nemo alij dat, nemo sibi, non littera legis
Nec naturalis sapientia (hoc est libertas & possibilitas)
quæ semel acta
In præceps labi novit, consurgere nequit.

VBi iterum vides quod sexcenties Augustinus & Prosper inculcare solent totam illius negotij difficultatem & tantæ gratiæ salvatricis necessitatem, ex corruptione illius naturalis sapientiæ seu possibilitatis vigorisque naturalis peti; quæ si non esset, nihil opus esse isto magno perditæ possibilitatis adjutorio, Sed natura sibi ad omnia ista cum illo sæpius dicto primævæ integritatis auxilio sufficeret.

Hæc est ergò vera ratio cur tanta ac toties iterata concertatio Prospero cum Semi-Pelagianis fuerit; An arbitrium hominis peccato læsum sit, an medicina indigeat, hoc est gratia Christi, an amissa sit possibilitas, & similia, de quibus ante diximus, quasi controversia ex hujusmodi tota penderet. Sciebant enim Semi-Pelagiani, non à se peti illam integræ naturæ gratiam: eo quod istam agnoscere, prorsus perinde sit, ac si nullam penitus faterentur. Nam quemadmodum quando de læsis oculis vel homine ægrotante disputatur, utrum sine auxilio possint cernere & convalescere, nemo tam absurdus est ut hoc existimet sine luce, vel cibo posse fieri, sine quibus nec sani quicquam poterant, neque quisquam tam ineptè delirus est ut se quicquam ad rem propositã dicere putet, si necessitatem lucis & cibi ad recuperandã sanitatẽ exaggeret, cum tota disputatio vertatur de collyrio, & medicinis, supposita tanquam indubitata & naturali sanis ægrisque ciborum & luminis necessitate: Ita & Semi-Pelagiani satis intelligebant, ubi de sanandis naturis agebatur non illud gratiæ auxilium à se peti sine quo etjam sanissimi hominis liberum arbitrium nihil est, ut Augustinus de Adamo dicit, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono: sed illud quo læsum, infirmatum, attenuatumque arbitrium velut Christi Medici adjutorio ac medicina sanandum est, ut iterum sicut olim sua possit libertate velle seu credere; quod sibi per ægritudinem concupiscentiæ tumultuantis ac resistentis ademptum est. Hic sollicite auxilium naturæ sanæ velle commendare & absurdissimum esse sentiebant & nihil ad rem, & hoc ipso quo aliquid sanitatis reliquum esse dicebatur satis expressum. Hinc est quod alia Christi auxilia quasi medicinalia exaggerant, doctrinam ejus, gratuitam vocationem, & Euangelicam prædicationem. Qua in re profecto longe subtilius & liberalius à Semi-Pelagianis actum fuit, quam à nonnullis recentioribus: Subtilius quidem, quia cum de gratia medicinali Salvatoris propter quam IESVS dictus est, disceptatur, hi non intelligentes duorum statuum, duarumque gratiarum differentiam quasi rem magnam inculcant illud adjutorium SINE QVO NON, quod primæ conditionis & integerrimæ sanitatis esse & nihil ad rombum spectare noverant, & nos jam sæpe monstravimus. Liberalius verò: quia quod illi omnibus volentibus sufficienter præstò esse statuebant hi recentiores plerumq; non nisi per intervalla concedunt. Quando igitur vel his vel illis dicitur: quare sine adjutorio gratiæ Dei dicitis hominem velle bonum vel credere, vel esse sine peccato? *Non tunc*, ut rectissimè notavit Augustinus, *de illa gratia quæstio est, qua est homo conditus, sed de ista qua fit salvus per* IESVM *Christum Dominum nostrum*. Quod ne de sola natura, sed etjam de illa gratia quæ omni naturæ rationali adhæret velut adjutorium essentialiter necessarium intelligeres, vide quid consequenter adjungit: *Fideles enim orantes dicunt, ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Si adest possibilitas, ut quid orant?* Ecce ne quidem orationem pro obtinenda gratia vult esse necessariam si adesset illa naturæ possibilitas. Nempe quia talis gratia sub naturæ integritate comprehensa censetur; nec enim illa gratia vel facit credere vel facit facere, vel quemquam à malo liberat, qualis adversus concupiscentiam necessaria est, sed unumquemque relinquit suæ possibilitati & libertati, ut suopte arbitrio (quamvis non sine illa) si velit credat, si velit faciat, si velit liberet semetipsum à tentationis malo: qui quantum ad credendi primumque se discernendi voluntatem, erat unicus Massiliensium scopus. Atque hæc de gratia illorum satis sunt. Nunc ad quos actus illas integræ libertatis reliquias valere dixerint, ulterius indagandum est.

Lib. de corrp. & grat. c. 11.

Lib. de nat. & grat. c. 53

Massilienses per illam naturalem possibilitatem principium salutis ad se revocant & initium discretionis à se proficisci volunt.

CAPVT XI.

MASSILIENSES non fuisse hostes gratiæ sed illorum gravium duntaxat incommodorum, quæ ex illa absoluta hominum prædestinatione & reprobatione, & quæ cohæret illis efficacissima discretione per gratiam, sequi viderentur, supra latius demonstravimus. Ex quo profectum est ut Pelagianos velut pestes Christianæ Religionis horrerent; atque omnia quæ sub latis illis difficultatibus in humana

humana natura quam per peccatum prorsus perditam esse fatebantur, reparanda, sanandaque, quoquo modo videbantur tribui posse Deo, libenter ad ejus gratiam revocarent. Itaque à fastigio reparatæ domus incipientes, non modo secundum Apostolicam doctrinam, gratiam Dei, vitam æternam esse dixerunt, sed etjam virtutes omnes ipsamque in virtutibus omnibus perseverantiam, atque adeò primam etjam peccatorum remissionem quam baptisma tribuit divinæ largitatis dona esse confessi sunt. Sed cùm ad extremas fibras ventum est, unde incipit primo germinare salus, hic substiterunt, & velut mortem certissimamque desperationis ansam horruerunt eas ab incerto divini beneplaciti, & secretissimâ ejus voluntate cui vult, quando vult, & ubi vult sua munera largiente, suspendere. Isto quippe constituto, omnes omninò quas tetigimus difficultatum larvæ superbulas animas acerrime premunt, & propter libertatis jacturam quasi imminentem timidas, velut spectra exagitant. Vt igitur se ab illis quasi fatalibus expedirent nexibus, extremam illius cœlestis catenæ ansulam, unde primum, imperfectissimumque humanæ salutis exordium est, à sua libertate religarunt, videlicet ut sic, non quos Deus certa determinataque voluntate ex toto numero seligens velit, sed qui propria libertate voluerint salutem inchoët, & ad baptismum justitiamque gradatim procedendo salvi fiant. Vnde totius controversiæ cum Massiliensibus disputatæ cardo fuit, uter salutem inchoet homo an Deus. Notavit hoc exactè Prosper qui sensa Massiliensium in summam colligens: *Ac sic*, inquit, *cùm in his qui tempus acceperunt libera voluntatis, duo sint, quæ humanam operentur salutem Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse quam gratiam ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat. Et voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Et paulò post in eo latere dicit virulentiam illius erroris, quod *principium salutis in homine collocatur, quod divinæ voluntati voluntas humana præfertur.* Neque verò sic ista intelligas, quasi nullam omninò gratiam præcedere vellent ante humanæ obedientiam voluntatis. Certum est enim eos omnem omninò gratiam quasi *potentialem*, hoc est, qua libertati humanæ datur credere *posse* si velit, tanquam scopo suo minime contrariam sine difficultate confessos dummodo libertas illa sibi servaretur qua in utramvis partem se possent eligendo flectere, & cum quacunque gratia seipsos volendo ab alio nolente discernere. Sic enim omnes illæ perplexitates velut umbræ exorto Sole diffugiunt. Hinc est quod ante hominis voluntatem, gratuitam vocationem, & Euangelicam prædicationem libenter admittunt. Hinc est quod reliquias libertatis pristinæ tanquam gratiam à Deo datam postulant: Hinc est quod gratiam viribus Adami integris datam, fractis, tantummodo ad credendum sufficere, reliquis verò

In litt. ad August.

actibus multo potentiorem, necessariam esse statuant. Quæ omnia manifesta sunt indicia non eos ullam gratiam Dei, nisi quæ flexum voluntatis efficaciter secum trahit, nec eum expectat ab hominis voluntate, timuisse, hoc est, ut acutissime Prosper notat & efficaciter exprimit *quæ humanam sibi subjiciat voluntatem.* Toto enim ostio inveniendæ veritatis aberrant, qui putant gratiam quamcumque potentialem, hoc est qua tantum sufficienter potens arbitrium redditur, humanam subjicere voluntatem; hoc enim de quacumque actuali gratia non minus quam de habitibus ipsis falsum est, omnibus enim utimur, si voluntas velit, omnes ipsa sibi voluntas volendo, hoc est ad actum determinando subjicit, quantumvis ea volente simul operentur. Hoc ergò volunt Massilienses primum actum voluntatis esse suum, eo quod positâ quacunque tali gratiâ, actum illum ipsi sibi tribuant, non actus à gratia secum rapiente voluntatem, ac discernente hominem, tribuatur. Quod iterum optime à Prospero observatum est, quando dicit, quod in eorum sententia, *divinæ voluntati impiè humana præfertur*; quod *non ideo quia adjuvatur homo velit*; quod *receptionem boni à semetipso inchoare creditur*: Quod *aliunde Deo placetur nisi ex eo quod ipse donaverit.* Et ab Hilario quando Massilienses molestè ferre docet quod non aliter homo possit arripere fidem *nisi credendi voluntate donata*: Item eos nolle, *quod homini donetur ut velit, rejectis ab hoc dono aliter pariter reis.* Nam homo tali potentiali gratiâ, sive sufficiens sive efficax sive alio quocunque nomine vocetur, præventus ponitur, ac talis gratiæ proritatione delinitus, quasi in bivio collocatur. & in quamcunque se velit partem vel cum, vel sine gratia, ea pro libitu ejus sive cooperante sive cessante inclinet & flectat, verissimum certissimumque est, quod divinæ voluntati impiè humana præfertur, quod non ideo quia adjuvatur homo vult; quod receptionem boni à semetipso inchoet, quod Deus non donat illam voluntatem, nec illa voluntas donetur ut velit rejectis aliis. Longe quippe diversa sunt dare sufficientissimam volendi potestatem & ipsam donare voluntatem. Nam ut vigilantissime observavit Augustinus gratiam possibilitatis à gratia voluntatis distinguens; *Non est consequens ut qui potest venire*, ad Christum, audita vocatione, *etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit.* Quod nisi fiat gratia illa potentialis sine effectu ullo & volitione remanebit. Et rursum: *Non ait*, inquit, *Apostolus: quid autem potes habere quod non accepisti ut posses habere, sed ait, quid habes quod non accepisti.* Quæ quidem cujuslibet potentialis gratiæ ab actu separatio ita in Adamo manifesta est, ita quotidianis exemplis omnium intelligentiæ exposita, ut mirum sit hanc ob causam tragœdias excitari potuisse. Quis enim non quotidie videt & humanis actibus testibus comprobat, multos in rebus civilibus habere volendi potestatem, etjam per ardentissimorum affectuum concitationem, ad volendum multo

Lib. de grat. Christi c. 14.

Lib. de prædest. SS. c. 5.

multo efficacius ipsâ gratiâ proritantium) qui tamen non idcircò habeant voluntatem; sed vel resistendo, vel tandem ultro cedendo illam sibi-metipsis sua libertate tribuunt? Quis non videt innumeros habere præsentissimam oculis suis lucem, sive cernendi potestatem, qui à semetipsis sumunt ipsam cernendi vel non cernendi voluntatem? Quis denique non videt in hâc ipsâ causâ quam tractamus, & juxta recentiorum sententiam cum quibus agimus, ex multis bonorum affectuum irritatione provocatis, alios sua voluntate cedere, alios eadem voluntate resistere, atque ita resistendi cedendique voluntatem non aliunde quam à sua libertate huc illuc se flectente, etsi non sine gratia, prosilire? Ac talem voluntatem sua libertate gratiæ provocanti adjungere, nonne hoc ipsum est *receptionem boni à semetipso inchoare*? Nonne hoc est *aliunde Deo placere nisi ex eo quod ipse donaverit*? Donavit enim ipsam quidem habendæ voluntatis potestatem, sed ex ipsa non placetur Deo, cum eam habeant multi qui non placent Deo, sed suam non adjungendo voluntatem displicent Deo. Nec per illam inchoatur receptio boni, sed per ipsam consentiendi voluntatem; bonum enim quod in hominis restauratione recipitur non est aliud quam magna voluntas bene vivendi: cujus non talis gratia, sed ipsa prima voluntas est inchoatio. Quæ voluntas per nullam omninò gratiam potentialem, per nullam omninò gratiam, quæ non subjiciat voluntatem, per nullam omninò gratiam quæ communis sit bonis & malis, ut sæpius Augustinus docet, donatur à Deo; sed siquidem talis voluntas gratiâ etiam simul influente & cooperante sequitur, ea naturalis illius possibilitatis etsi aliquanto nobilior fœtus est, nullo modo peculiare ipsius Dei vel ipsius gratiæ donum. Sed hac de re alibi ex professo disputandum est. Nunc ista duo hic scire sufficit: Primū in eo puncto totā cum Gallicanis illis Presbyteris constitisse controversiam, uter primùm discerneret hominem ab homine, qui ex simili massa procreatus, in simili damnationis causa constitutus est, an homo volendo, an Deus ipsam voluntatem, hoc est volitionis actum largiendo: Alterum, hoc primum salutis initium idcirco Massilienses ex sua libertate religasse, ut fatales illas tabulas, & necessitates atque inde nascentes desperationes sua voluntate frangerent. Quod apertissime solum & unicum illum voluntatis internâ gratiâ pulsatæ flexum nutumque sibi servando, tanta facilitate consequuntur, ac si nudâ illâ naturali possibilitate & libertate uterentur.

Tres actus comprehendit illud principium salutis, fidem, desiderium sanitatis, & orationem.

CAPUT XII.

CÆTERUM istud salutis initium suam nonnullam habet latitudinem. Quod ut melius ex mente Massiliensium intelligatur observari debet, esse duo in hominis sanatione distinguenda. Ipsa curationis opera, quibus reipsa ægritudo pellitur, & ea quæ curationem quadam necessitate præcedunt. Curationis opera sunt, exercitium, diæta, medicinarum appositio, & hujusmodi quibus morbus paulatim cedit & sanitas procuratur. Præcedunt in ægroto, Medici desiderium, advocatio, & recta de ipsius arte credulitas: quamvis ad ipsam sanitatem inducendam nihil per se ipsa laboranti conferant. Neque enim propterea quisquam sanus hoc ipso redditur, quia sanitatis incensus desiderio Medicum vocat, cujus peritiæ plurimum fidit.

Sic ergò in spirituali hominis sanatione statuendum est, aliud esse ipsa curationis opera, aliud præambula ad inchoandam curationem. Curationis opera sunt quibus reipsa in animo procreatur salus, ut sunt baptismatis aliorumque Sacramentorum applicatio, & in primis exercitiū ac diæta spiritalis, per quæ singulorū vitiorum ægritudines pedetentim fugantur animo, & sanitas convalescit. Nam singularum virtutum opera, quibus exercendi sunt qui sanitatem assequi cupiunt, ita sunt jam obtentæ alicujus sanitatis officia, ut simul sint restantis ægritudinis remedia. Præcedunt verò animorum curationem, Medicum quærere, Medico fidere & à Medico velle sanari.

Hac observata distinctione Massilienses ingenue confitentur tantam ex peccato primi hominis consecutam esse animorum ægritudinem, & virium humanarum stragem, ut non solum sanitatem suam nullo opere consummare non possint, sed nec incipere nec promovere. Nam hoc est illud quod eos ante capite primo præsentis libri ex testimonijs Prosperi & Hilarij dixisse demonstravimus, propter nimiam ægritudinem & labefactatas peccato vires *ad nullum opus bonum incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi posse sufficere*. Hoc enim inchoatam saltem sanitatis effectum vel aliquam ipsius curationis partem esse volunt: atque eorum utrumvis per solam Dei gratiam esse tribuendum. Quemadmodum qui fractis cruribus omnibusque progressionis ac motus organis dissolutis jacet, nullum omninò ambulationis motum vel incipere vel perficere potest nisi aliquod saltem robur ope medicinalis curationis accesserit.

In Epist. Hilar.

Sed

Sed quemadmodum iste tantopere debilitatus, atque adeò omni omninò ambulandi potestate privatus, potest tamen auditâ Medici præstantiâ & benignitate desiderare sanitatem, & parati Medici opem poscere, cùm istud nullius sit potestatis indicium, neque ulla uel sanitatis vel curationis pars: Ita congruum esse putant ut quando hominibus salus animæ, hoc est benevivendi potestas à Christo Medico & Salvatore restauranda prædicatur, saltem possent audita ejus vocatione per illam naturalem libertatem *credere quæ de Medico prædicantur, desiderare sanitatem, & eius auxilium flagitare*: *Nam hæc* non sunt ulla sanitatis portio sed præambula. Nec *enim*, ut quidam eorum dicit, *cùm voluerit quis sanitate perfruitur; aut de ægritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur.* Ex illis igitur tribus, quæ à Massiliensibus superstiti illi libertati tribuuntur, & quæ alia nonnulla sub se continent,

Cass. coll. 13

Primum est *credere Medico*, hoc est, fides in Christum, de qua sic Hilarius: *Consequens putant exhibendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris concessum est.* Et Prosper: *Vniversis hominibus propitiationem quæ est in Sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam ut quicunque ad fidem & ad Baptismum accedere voluerint salvi esse possint.* Et rursum: *Ab his eam* (vitam æternam) *apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Et hoc est quod, ut Hilarius refert, nolunt *credendi voluntatem donari.* Itemq; quod dicunt *talem omnibus remansisse voluntatem*, sive volendi potestatem, *quæ vel contemnere quis valeat vel obedire.* Intelligunt enim illam primam voluntatem, qua fit ut illi primo mandato, quo credere jubemur, vel obeditur vel resistitur. Illa quippe phrasis ex Apostolo derivata est qui ipsum credere vocat, *obedire fidei & Evangelio.* Istam credendi potestatem sæpissime Semi-Pelagiani omnes prædicant, ut non opus sit immorari in re manifesta pluribus.

Ad Rom. 1. & 10.

Neque verò hic illam solam fidem intelligunt, qua quis communes articulos Christianæ Religionis veros esse consentit; sed potissimum illam, qua quis secundum Apostolum credit in eum qui justificat impium, hoc est in Christum IESVM generis humani Medicum & Salvatorem. Hoc enim magis ex professo sanationem ægroti hominis respicit. Vnde illi fidei conjungere solent *desiderium sanitatis.* Vtrumque breviter exprimit Hilarius, cum eos sentire dicit: *congruum esse prædicationi, ut cum prostratis & nunquam suis viribus surrecturis annunciatur obtinendæ salutis occasio; eo merito quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & totum sanitatis consequantur effectum.* Vides requiri fidem qua illi qui habent *velle sanari*, credant etiam se à Christo Medico *posse sanari.* De qua sanitatis assequendæ voluntate paulò inferius idem dicit: *Nullam ita depravatam vel extinctam*, naturam; *putant ut non debeat, vel possit se velle sanari.* Quo sensu in eadem Epistola profitentur *arbitrium lapsi hominis ad hoc tantum esse liberum, ut velit vel nolit admittere medicinam*, hoc est ut velit vel nolit per Salvatoris medicamenta & Sacramenta sanari. Et in Epistola Prosperi, *ut quicunque ad fidem & ab Baptismum, accedere voluerint, salvi esse possint.* Siquidem velle baptizari non est aliud quam tali regenerationis remedio omnibus proposito sine quo ex Medici præscripto non potest esse salus velle sanari. Ipsi quippe constantissimè tueri solent, *Neminem* ut Prosper eorum sensum exprimit, *per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari; nullumque in regnum suum constituisse Deum nisi per Sacramentum regenerationis assumere.* Vnde eadem sunt, velle baptizari & tali Christi medicamine velle sanari. Quod sanitatis desiderium nullam sanitatis partem esse volunt, ideoque facile per illas libertatis reliquias posse præstari. *Neque enim*, ut ait Hilarius, *alicui operi curationis eorum annumerandum putant exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.* Nam velle sanari, est nondum habitam *accipere velle* sanitatem. Vnde Augustinus in illo errore constitutus, vocabat hoc *accipiendi voluntatem, nisi*, inquit, *quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit Spiritum Sanctum ad operandum, gratiam* scilicet ad operandum necessariam.

Initio Epist. ad August.

In Epist. ad August.

Ibid.

Epist. ad August.

In expos. quarumdam propos. e p. ad Rom. & cit. à Massil.

Porrò hanc sanitatis voluntatem non intelligunt Massilienses esse nudum sanitatis desiderium, sed simul *precibus & gemitibus expositum* ut Deus ægrotantibus sanitatem impertiri velit. Hoc uno brevi & efficaci verbo Hilarius notat cum illam voluntatem *supplicem* vocat: *supplici voluntate velle sanari.* Volunt igitur hominem posse ac debere Deo pro obtinenda sanitate supplicare. Sic intellexit eorum sententiam Augustinus. *Attendant ergò*, inquit, *quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus.* Et paucis interjectis: *Nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut* ORE MVS, *hoc est petamus, quæramus atq; pulsemus.* Et hoc eodem sensu ipsemet olim Semi-Pelagianam opinionem tradiderat. Putabat enim, si ipsi testanti credimus *fidem non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis & per illam nos impetrare Dei dona.* Impetrare namque proprium orationis est. Vnde paulò inferius: *Neque enim putabam fidem Dei gratia præveniri ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter* &c. Et hoc est quod Prosper Massilienses sentire dicit, *posse hominem ad hanc gratiam qua in Christo* (per baptisma) *renascimur pervenire, per naturalem scilicet facultatem petēdo, pulsando* &c.

Lib. de dono persev. c. 23.

Lib. de præd. SS. c. 3.

Epist. ad August.

Hæc sunt illa tria quibus præstandis Massilienses reliquias pristinæ libertatis sufficere posse voluerunt. Quæ sæpe sola fidei expressione indicantur. Fides enim in primis propter impetrandas vires & robur animi necessaria est. Vnde illud toties ab Augustino inculcatum: *Fides impetrat quod lex imperat* Impetrat enim petendo, quærendo, pulsando, quicquid ad ægritudinem pellendam obtinendamque sanitatem opus fuerit. Atque ista causa est cur fere non nisi fidei reminisci solent; quia sub fide, orationem ejus comitem,

quæ

quæ pro pellenda ægritudine, & impetranda quam desiderant sanitate ex fide funditur, complectuntur. Unde de Massiliensibus Augustinus: *Sed hæc*, inquiunt, *ut à Deo dentur nobis fides impetrat, quæ incipit à nobis.* Ecce fides impetrare dicitur: quod oratio ex fide fusa impetrat.

Lib. de dono persev. c. 17.

Alij quadruplices actus ad quos hominem sufficere volunt, *Timor, dolor, diligentia, voluntas bene vivendi.* De sententia Cassiani; & quid ei semina virtutum inserta naturaliter.

CAPUT XIII.

CÆTERUM tametsi ista tria præcipua sint, quibus ab homine salutem inchoari posse Massilienses tradunt, sub illis tamen & alia nonnulla videntur velle comprehendere. Nam quod apud Hilarium dicant *exterrita* voluntate ægrotum velle sanari, mysterio nequaquam caret. Volunt enim & alia nonnullorum actuum genera inter initium fidei & orationem plerumque interposita eadem superstite libertate posse prosilire, inter illos primi sunt *timor mortis* atque *suppliciorum* post mortem impendentium quo peccatoribus comminatur Deus. Nam apud Hilarium dicunt posse saltem *periculum demonstratæ mortis horreri.* Periculum vocant propter imminentes à morte pœnas. Et paulò post: *Nam si non potest timere quis, unde terretur nisi ea voluntate quæ sumitur*, ab alio scilicet dante, *non ex eo culpandus est quod nunc non vult.*

Secundi generis actus sunt *dolor*, si non pœnitentiæ saltem de tanta sua infirmitate qua rectè vivere & pœnitere non potest. *Quò pertinet*, inquiunt, *tanta extrinsecus correptionis instantia, si non ab homine et si non fides integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis excitatur?* Et iterum: *Si autem est vel qualiscumque dolor qui ad exhortationem corripientis oritur, hanc ipsam dicunt causam* &c.

Tertij generis est aliqua voluntatis *diligentia* seu sollicitudo seu devotio, nempe ad assequenda Dei dona quibus procuratur sanitas. *Ita demum*, inquit de illis Prosper, *posse unumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari, si se sciat* SUA DILIGENTIA *bonum esse posse*, mediate scilicet quia diligentia, Dei impetrat adjutorium. Et superius: *Ut de vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio sit parata.* Quam devotionem sæpissimè Faustus & Cassianus inculcant, nihil est autem eis aliud quam quædam sollicitæ voluntatis in credendo petendisque remedijs promptitudo. Unde sub actibus præcedentibus fere comprehenditur.

In Epist. ad August.

Quarti generis actus æquè imperfecti sunt ut præcedentes *nolle peccare*, seu *velle rectè vivere*, non illa plena voluntate quam efficacem vocant, illa siquidem provectæ sanitatis fructus est, sed inefficaci quadam velleitate, quæ propter infirmitatem nullum effectum nisi fortè supplices preces parit. Hanc videtur Augustinus in errore Massiliensium constitutus expressisse cùm dixit: *Nostrum est credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi.* Ubi illud *velle* quod post fidem ponitur nihil aliud videtur esse nisi voluntas operandi seu bene vivendi sed infirma: quod & antithesis subjuncta postulat; *illius est volentibus dare facultatem bene operandi*, quam scilicet etsi jam volentes, non habebant; sed apertissime sententiam illam suam in eodem libro exprimit: *Liberum*, inquit, *arbitrium perfectè fuit in primo homine: in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium ut non peccemus, sed tantum ut peccare nolimus.* Ecce in Massiliensium errore constitutus (quem in isto libro se professum esse confitetur) apertissime reliquijs pristinæ libertatis tribuit *nolle peccare*, etsi præ voluntatis illius infirmitate adhuc à peccatis abstinere non possit, sed per gratiam conferri debeat. Unde sese explicando subjungit: *gratia verò efficit ut non tantum velimus rectè facere, sed etiam possimus, non viribus nostris, sed liberatoris auxilio.*

In expo. quarundam proposit. è pr. ad Rõ prop 61 quod retract. lib. 1. retract. c. 23. & lib. de prædest. SS c. 3.

Lib. Expos. quarund. prop. Epist. ad Rom. propos. 18.

Lib. de prædest. SS. c. 3.

Eadem prop. 18. citata.

Porrò sub isto genere non solum illud generale votum bene vivendi comprehenditur sed etiam omnium virtutum similes inefficaces actus ac desideria; ut quibus desiderat aliquis esse castus, continens, justus, temperans, patiens, humilis, cæterarumq; virtutum actus exercere, sed oppressus vitijs præ virium infirmitate non potest. Hujusmodi quippe imperfectę voluntatis actus, ipsa oratio quam ab homine fundi posse volunt pro impetranda sanitate seu operandi facilitate complectitur. Nam sicut nemo Medicum pro restituenda sibi videndi vel ambulandi facultate rogare potest, nisi haberet videndi ambulandique voluntatem, ita nemo videtur posse pro castitatis, temperantię, justitiæ, cæterarumq; virtutum sanitate preces fundere, nisi habeat imperfectum saltem castè, temperanter, justeque vivendi desiderium. Quam sententiam videtur expressius docuisse Cassianus quando decima tertia Collatione dicit: *Ut autem evidentius clare & etiam per naturam bonum quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Deo dirigantur ad consummationem virtutum pervenire non possunt Apostolus testatur dicens: Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Apostolus enim de cujusvis vitij repugnantia loquitur; per quam voluntas boni quam in se esse sentiebat

Cass. Coll. 13.

non poterat pertingere ad perfectionem boni. A Vnde ista bonarum voluntatum principia Prosper sæpius *principia virtutum* vocat, & intelligit, ipseque contextus Cassiani postulat, eum promiscue de quacunque virtute locutum esse.

Vide Prosp. cont. Collat. c. 27. 28. & seqq.

Sed duo sunt in quibus præcipue à Presbyteris Massiliensibus discrepat Cassianus. Primum, quod iste non nisi in quibusdam illa bonarum voluntatum principia prosilire putat: siquidem alijs ea vult à Deo per gratiam inspirari ac dari, quod Massilienses generaliter summopere sunt detestati, ne illis quas supra diximus difficultatibus stringerentur. Alterum quod quamvis initio sola bonarum voluntatum principia nos à nobis habere statuisset, tandem tamen eo usque provehitur, ut etjam illam *admirabilem*, sicut Synodus Arausicana loquitur, Zachæi, Centurionis, & *Latronis fidem*, perfectissimamque patientiam Iob naturæ viribus obtinere posse deliret. Idque non solum adversus constantem doctrinam Massiliensium quam supra vidimus, sed etjam suam, qua sicuti refert Prosper, & ejus contradictionem notat, antea definierat, *bonorum desideriorum voluntarios motus, sine auxilio Dei nec provehi posse nec perfici.*

Cap. 33. & 34. advers. Collatorum.

Ex his perspicue intelligitur, quid sint *illa virtutum semina* quæ Cassianus docet omni animæ inesse naturaliter, beneficio Creatoris inserta. Non sunt enim aliud, quam illa sæpius dicta naturalis possibilitas, sive libertas voluntatis, quatenus post primi hominis prævaricationem tantillum pristinæ integritatis illæsum retinet, ut in sua potestate habeat credere, orare, & singularium virtutum inefficacia desideria seu voluntarios motus germinare, cum Adam eàdem illâ illæsâ libertate posset cuncta per se opera facere si vellet. Vnde Prosper vocat *Naturalem affectum*, & Cassianus, *Possibilitatem boni & scientiam boni*: quam negat *genus humanum*, vel ipsum Adam post *prævaricationem amisisse*: *cavendumque* docet ne *ita ad Dominum omnia Sanctorum merita referamus, ut nihil nisi id quod malum atque perversum est, humanæ ascribamus naturæ.* Sed ut jam ante monui Cassianus in fine Collationis putat non tantum illa quæ dixerat virtutum semina, sed ipsas etjam virtutes perfectissimas in eadem illa naturali libertate mansisse. Ex quo fit ut illum excessum reprehendendo Prosper dicat: B *Iam non solum voluntatem boni* (sicut ante juxta Massiliensium opinionem fecerat) *sed etiam possibilitatem libero ascribit arbitrio.* Et infert sæpius: *tam incolumes ab eo dici esse omnium hominum animas naturaliter, quam fuit primi hominis ante peccatum.* Quam Cassiani opinionem etjam Faustus docet: nam quamvis etjam sæpissime tantum fidem & orationem & quosdam bonos voluntatis affectus naturali libertati tribuit, aliquando tamen etjam integras virtutes, perfectamque justitiam à naturali arbitrio proficisci posse decernit. De quo vide quæ latius alibi diximus.

Cap. 39. cont. Collat. Eadem Coll. 13.

Cont. Coll. c. 23.

Ibid. c. 33. in fine. Vide idem c. 39. & maximè c. 40. initio & in fine.

Sup. c. 2.

Massilienses non totam fidem, sed ejus solum initium & perseverantiam in hominis potestate constituunt: Et quid sit fidei initium. Nonnulla de perseverantia.

CAPVT XIV.

Cæterum de fide quam præcipue A viribus humanis Massilienses assignare diximus, duo consideratione digna sunt. Primum est, quod non quamlibet fidem, sed solum initium ejus homini tribuant. Nam *fidei augmentum*, sicut & omnium virtutum *sanitatem*, quæ postmodum à Deo impetrata conceditur divinæ gratiæ munus esse confitentur. Designat hoc Divus Prosper illis verbis: *Qui autem credituri sint, quave in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit iuvanda mansuri sint, præscisse ante mundi constitutionem Deum.* Fidem enim jam existentem per gratiam juvari, nihil est aliud, quam eius augmentum gratiæ reputari. Quod expressius Hilarius tradit: *Convenienis asserunt veritati, ut & eo merito quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Vnde loca Scripturæ quibus fides ascribitur Deo, *ad id*, inquit, *volunt valere ut adiuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit reiectis alijs &c.*

Epist. ad August.

Ibid

Ibid.

Ex quo colligitur Massilienses non nisi primam fidei inchoationem, quâ videlicet, ut Augustinus exponit, *in Christum credere cœpimus*, seu *primitus creditur*, reservare sibi: omne vero augmentum seu *incrementum*, seu *supplementum* ejus, ut Augustinus nominat, quo scilicet voluntas illa credendi crescendo roboratur, tribuere Deo. Neq; enim solliciti erant de magnitudine virium libertatis, quas peccatum superstites reliquisset, sed hoc unum dumtaxat ut primum illud volendi nolendique momentum & simplicissimus ille voluntatis flexus esset suus, non ab illa potenti ac discernente gratia tribuendus. Omnium enim postremis & imperfectissimis volendi actibus contenti erant, ut quoquo modo constitutiones illas alienas & quasi fatales de sua propria voluntate, gratiæque vim potentissimam discernentis evaderent. Vnde clare apud Hilarium

Aug. lib. de prædest. SS. sæpius. Vide c. 2. & 4. & 21. Ibid.

In Epist. cit. Hilarium dicunt se *talem praecedere velle voluntatem, qua tantum medicum quaerat, non autem quicquam ipsa iam valeat*, imo nonnullis interpositis, *qualecunque initium voluntatis vocant*. Molestissime quippe ferunt id quod Catholici dicunt: *Nihil in hominibus remansisse*, scilicet ex pristina integritate, *quod praedicationis vigor vel correptio valet excitare*. Item talem damnationem Adamum cum suis posteris incurrere meruisse, *ut numquam recta, semper autem prava vellet appetere*: nostræque voluntati *nolle iustitiam inevitabili necessitate esse coniunctum*. Minimum quippe quod excogitari potest à nostra dependens voluntate, quo illud absolutum decretum Dei de nostra discretione frangatur, Massiliensium scopo abunde sufficit: quantumvis ad hoc ipsum quælibet gratia potentialis sive vocatio, sive prædicatio, sive accidens, sive substantia, sive libertas, sive natura, sive internum, sive externum adjutorium quod à voluntatis libertate pendeat requiratur.

In Epist. Hilar. init. & circa med.

Ibid. inf.

Ibid.

Et quamvis nonnulli dubitare videantur an illud initium fidei sit totus credendi actus, quatenus ex affectu voluntatis & intellectus assensione constituitur, an vero solus affectus voluntatis, qui assensum rationis imperat, certissimum tamen est, eos integrum credendi actum ex utriusque facultatis concursu completum intelligere. Hoc enim ex tota Augustini confutatione manifestissimum est. Nam non solum scripturæ testimonia, quibus fidei initium extorquet homini, & asserit Deo, de vera plenaque fidei assensione loquuntur, sed etjam statim in ingressu *ipsum credere nihil aliud esse* definit, *quam cum assensione cogitare*. Quamquam profecto Massilienses ipsi quando illam credendi voluntatem *supplicem* vocant, & petere, quærere, pulsare, pro impetranda sanitate tradunt, plenum credentis assensum, & non solummodo sterilem affectum se intelligere, manifesto significent. Nam illud Apostoli, *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt*, veram non modo voluntatis credulitatem & promptitudinem, sed etjam intellectus persuasionem de invocati providentia & potestate probat esse necessariam.

Lib. de praedest. SS. c. 2.

Rom. 10.

Alterum quod hic observatum volumus est, Massilienses etjam fidei perseverantiam in nostra potestate constituere, hoc est ita nos posse in illa inchoata credendi voluntate permanere ut quandocumque volumus credendi actum eliciamus, sicut primitus auditâ vocatione credidimus. Nec tamen per hoc, incrementum fidei ad suas vires trahunt; sed solum volunt ut libertas illa naturalis possit volūtatem ad actum credendi pro suo nutu flectere, non solum quando primum prædicatione prævenitur, sed etjam quando per Dei gratiam jam impetratam auctior, ardentior, & robustior facta est. Hoc enim si per se potest, in fide jam semel inchoata per se perseverare posse perspicuum est.

A Hoc vero Massilienses velle, Prosperi verba satis manifeste declarant: *Qui autem credituri sunt*, inquit, *quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit iuvanda mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum & eos prædestinasse &c.* Ecce similiter fidem & permansionem in eadem fide ad præscientiam, non prædestinationem revocant, videlicet quia Deus nos libertate voluntatis nostræ perseveranter credituros esse præviderit solum, non etjam perseverandi voluntatem nobis dandam prædestinaverit. Hoc enim apud Massilienses phrasis ista significat, & ita intelligendam esse sæpissime Augustinus insinuat, & nonnumquam aperte docet; ut quando dicit: *Neque isti ad sola illa exhortantur dona quæ non à Deo dari, sed à nobis esse contendunt, sicut sunt initium fidei, & in ea usque in finem perseverantia.* Et iterum: *Sed ij qui solum initium fidei, & usque* B *in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates.* Et rursum nonnullis interjectis: *Sed hæc*, (inquiunt Massilienses) *ut à Deo dentur nobis fides impetrat quæ incipit à nobis. Quam fidem & incipere habere, & in ea usque in finem permanere, tanquam id non à Domino accipiamus nostrum esse contendunt.* Et mox: *Hæc dicentes nolunt hominibus prædicari dona Dei esse ut veniatur ad fidem & permaneatur in fide.* Quam doctrinam in unius illius capitis contextu octies aut decies repetit, unde in præcedentibus graviter ferunt istam Catholicorum prædicationem: *Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alij ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate veneratis ad fidem, vel accepta perseverantia maneatis in fide.*

Epist. ad Aug.

Lib. de dono persev. c. 17.

Ibid.

Ibid.

Cap. 5.

C Ex quibus liquidò patet Massilienses solam fidem, & in ea perseverantiam humanæ potestati arrogasse, cætera omnia quibus recte vivitur, ut continentiam, justitiam, sapientiam & hujusmodi ac in ijsdem virtutibus perseverantiam Dei dona esse confessos, atque idcirco à Deo precibus esse postulanda. Vnde cum eos dixisset fidem & perseverantiam in fide subtrahere Deo: *Cætera vero*, inquit, *ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide.* Et hoc est quod Massilienses dicunt: *Perseverantiam suppliciter emereri, vel amitti contumaciter posse.* Nimirum perseverantiam in cæteris Dei donis intelligunt, pro qua tanquam pro peculiari Dei munere preces immolandas esse concedunt. Quo sensu intelligendum illud Hilarij Massiliensium opinionem exponentis: *Quod autem dicit Sanctitas tua neminem perseverare nisi perseverandi virtute percepta, hactenus accipiunt, ut quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur*, D videlicet oranti pro virtute perseverandi. Nulla quippe ratione patiuntur ut perseverantia in virtutibus aut bonis operibus *ad incertum voluntatis Dei dedicetur*: atque inde factum est ut illam scripturam apertissimam: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum*

Lib. de dono persev. c. 17.

Hilar. in Epi. ad Aug.

Digitized by Google

intellectum ejus, tanquam non canonicam omittendam esse desiderent. Totam eorum sententiam perspicue & efficaciter expressit Augustinus cum adhuc in eodem quo Massilienses errore versaretur: *Non quidem*, inquit, *Deus elegit opera quæ ipse largitur cum dat Spiritum sanctum, ut per charitatem bona operemur; sed tamen elegit fidem; quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum sanctum, per quem infusa charitate bonum possit operari.* Quæ Augustini verba, quia clare Massiliensium opinionem exprimunt, *Acceptare se*, inquit Hilarius, *& probare testabantur tanquam convenientia Evangelicæ veritati.* Unum hic tamen observandum est, non recte Massilienses perseverantiam illam intelligere quam Dei donum esse concedunt, putant enim esse donum aliquod permanens, quod semel acceptum accipientis voluntate possit amitti. *Nec cuiquam*, inquiunt apud Hilarium, *talem dari perseverantiam, à qua non permittatur prævaricari, sed à qua possit suâ voluntate deficere & infirmari.* Et ad illam perseverantiam respicit id quod infra dicunt: *Cæterum quicquid libet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propriâ voluntate contendunt.* Addunt enim: *quod tunc falsum esset, si verum putarent, eam quosdam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint.* Quæ perseverantiæ intelligentia à Divo Augustino reprehenditur.

In expos. quarund. prop. Epist. ad Rom. prop. 60.

Ibid.

De dono persev. c. 6.

Inferuntur quatuor corollaria, & declaratur, quomodo non sine gratia Dei, perseverantiam in fide & justitia ad se revocarent. De loco Apostoli, quod Deus vult omnes homines salvos fieri.

CAPUT XV.

Cæterum ex allegatis istis testimonijs tria manifesta fiunt. Primum, sub illa perseverantia in fide quam sibi Massilienses tribuunt, etjam perseverantiam in oratione cæterisque actibus, quos tanquam præambulos ad sanitatem recensuimus, intelligere. Hoc est enim quod Augustinus dicit, *in accipiendi voluntate*, hoc est, in sanationis accipiendæ desiderio & precibus *esse permanendum*: hoc quod ipsimet Massilienses, *perseverantiam* scilicet in bonis operibus *suppliciter emereri posse*, ille quippe supplex emerendi modus non est aliud quam pro impetranda perseverantia continua supplicatio sive oratio, sic enim volunt Dei dona ab initio usque in finem, ut supra Augustinus dixit, *Impetrari credentis fide.* Quod enim lex imperat, fides impetrat quidem, sed orando. Fides est enim quæ orat & invocat Deum.

Patefit secundo Massilienses etjam perseverantiam in Dei donis, hoc est, in virtutibus, & earum operibus bonis, per ambages ad suam traxisse potestatem, & in sua libera potestate collocasse: quatenus videlicet suâ libertate in fide & oratione seu accipiendi voluntate perseverando, quodlibet Dei donum ejusque perseverantiam sibi impetrare poterant & *suppliciter emereri.* Immediate igitur omnium virtutum opera, & in ijsdem perseverantiam, Dei dona esse concedunt, neque enim alioquin oratione peterentur à Deo. Nam ut Augustinus rectissime docet: *Impetrando oratio quidquid impetrat evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur.* Sed mediate, quatenus hominem ex fide orare suâ libertate posse, & ita orando quidlibet impetrare contendunt, ad se ipsos per ambages non solum opera bona, sed & ipsam perseverantiam, totamque consequenter salutem revocant. Quo sensu apud Hilarium dicunt: *Cæterum quicquid libet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propriâ voluntate*, nempe mediate, hoc est, *suppliciter* illam donorum *retentionem* seu perseverantiam *emerendo.*

Epist. 106. ad Sixtum.

Epist. ad August.

Patefit hinc tertio causa cur perseverantiam in fide & oratione sicut ipsum initium fidei & orationis ad suam potestatem & libertatis arbitrium Massilienses revocent. Nempe ne in easdem omnes difficultates quas volunt fugere relabantur. Quid enim ad evadendum fatum salutisque desperationem juvet suâ libertate posse credere, si eâdem illâ libertate perseverare non potest? Non enim omnis qui crediderit, & justitiam cæteraque Dei dona impetraverit, sed *qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* Nam si constituas omnes homines non solum suâ potestate posse credere, & preces pro salute fundere, sed etjam omnes, nemine excepto, non modo credendi voluntatem, sed etjam ipsam justitiam & opera bona à Deo accipere, si tamen, non dico totam in justitia perseverantiam, sed vel extremum momentum perseverantiæ ex divina voluntate suspendas, ut *constitutione sua humanas præveniens voluntates*, illudque cui voluerit suo beneplacito largiatur, omnes prorsus eædemque difficultates ingruent, quas Massilienses initium fidei & orationis sibi arrogando declinare voluerunt. Non enim ab accepta justitia sive per naturam sive per gratiam, sed à retenta usque

usque ad finem pendet salus; de qua tota Massiliensium sollicitudo est, ne si non à suo, sed ab alieno arbitrio prout visū fuerit decernente pendere crederetur, torpor hominibus, necessitas, desperatio, ex illo quasi fatali & immutabili prædestinatæ salutis constitutione nascerentur. Quod cum ingeniosi viri cernerent, ipsam postremam salutis consecutionem perinde ut inchoationem sic à suæ libertatis nutu suspendendam esse judicarunt, ut Deo sive divinæ gratiæ quicquid ad salutis adipiscendæ potestatem pertinet, libenter ascriberent. Neque enim unquam quæstio cum Massiliensibus fuit, utrum *posse credere*, *posse perseverare*, *posse salvari* à nuda illa interna arbitrij potestate, nullo Dei auxilio munita penderet, sed utrum ipsa credendi voluntas, hoc est, ipsum velle credere & perseverare usque in finem non ita esset in hominis potestate, ut positis quibuscunque sive naturalibus sive gratuitis Dei donis ad actus illos necessarijs pro sua naturali flexibilitate ac nutu posset credere, nec ab alieno beneplacito exspectare, ut etjam, sicut loquuntur, ipsa *credendi voluntas donaretur*, hoc est, prout clarius explicant, *donetur ut velit, relictis alijs ab hoc dono pariter reis, qui possent similiter liberari, si ea, qua pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstaretur.*

Initio Epist. Hilar.

Quid enim ad torpescendum, desperandum, exhortationes abjiciendas & fatum imaginandum facit, si potestas quidem perseverandi à Deo, sive per naturam sive per vocationem, sive per internam gratiam, quæ nemini volenti desit, & in influendo actualiter ab ejus voluntate pendeat, donanda esse prædicetur, sed tamen quemadmodum Adamo contigit *perseverare vel non perseverare; in eius relinquatur arbitrio*, quantumvis *sine Dei adjutorio per liberum arbitrium perseverare non posset*? Nonne insaniæ simile esse videretur talis gratiæ adjutorium veluti nocturnum spectrum expavescere? quanta igitur absurditas eorum, vel sententiæ tuendæ pertinacia censeri debet, qui cum sciant tale adjutorium fuisse operosissime ab Augustino explicatum, & à Massiliensibus intellectum & probatum: cum legant illos aperte confitentes, *quod gratia iuvaret illum* primum hominem volentem, *sine qua perseverare non poterat*; cum videant illos agnoscentes & protestantes, quod *ad illam voluntatem*, Adami scilicet, tali gratiâ adjutam *pertineret exhortationis & comminationis utilitas*, & consequenter nullum ibi torporem, nullam desperationem, nullam necessitatem, nullum fatum esse metuendum, adhuc hominibus tenebras offundendo persuadere volunt, Massilienses hoc genus gratiæ ad perseverandum necessariæ quod sibi & ipsis tantopere placet horruisse, tantisque calumnijs onerasse? Quid quod Massilienses suam opinionem *vetustate defenderent*, & sæpissime teste Prospero & Hilario inculcarent, eam à præcedentibus Patribus fuisse defensam? An eos omnes ita impios fuisse

Lib. de corr. & gra. c. 12

Lib. de corr. & grat. c. 10 11. 12.

Epist. Hil. in medio.

dicturi sumus, ut quod Plato naturæ lumine convictus sine gratia Dei fieri non posse sensit ac docuit, hoc Patres illos solâ nudâque hominis voluntate fieri voluisse credamus? Vere namque Massiliensium opinionem ab antiquioribus Origene, Hieronymo, Tichonio, Ambrosiastro, ipso Augustino fuisse defensam supra ostendimus, & ipse Prosper satis aperte confitetur, sed non minus manifestè protestatur eos non sine gratiæ adjutorio perseverantiam voluntatis viribus vendicasse. *Retractatis*, inquit, *priorum de hac re opinionibus pene omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt*, scilicet alicujus voluntatis humanæ, ut Massilienses volunt, sed an nudæ omnique gratia destitutæ? Audi: *ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscuiusque praviderit, & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset, voluntate prævideris.* Et iterum: *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum.* Ecce quam perspicue ipsam perseverandi voluntatem, non tantum in operibus justitiæ, sed etjam in fide, *non sine gratiæ adiutorio* ab homine proferri, à Deo præsciri, ideoque prædestinationis propositum absolutum concipi profitentur. Voluntatem enim credendi jam semel habitam augeri per gratiam Massilienses volunt, non tamen per eandem gratiam perseverandi voluntatem dari, sed hominem in ea persistere si voluerit, Dei gratia non donante ipsum velle, sed magis ac magis inflammante, si velit. Quemadmodum cum tenui luce cernit homo, si velit: sed si affulgeat luculentior, clarior quidem sequetur ex illa clariori luce visio, non tamen etjam nisi velit. Quæ cum ita sint, quomodo dici possunt Massilienses gratiam illam *sine qua* voluntas non habet velle seu quæ juvat non quæ donat, ipsum velle, non agnovisse, vel ex illa desperationis carnificinas, fati necessitates aliaque tot portenta formidasse?

Aug. lib. 11. de Civit. c. 25. Cui, *Platoni*, neque naturarum omnium autor nisi Deus visus est, neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo bene beateque vivatur, inspirator.

In Epist. ad Aug. in fine.

Hinc denique *quarto* perspicue patet vera causa, cur tantopere illam generalem voluntatem Dei urserint, qua velit omnes homines salvos fieri. Nimirum quia ex illa debent necessario media illa fluere, quæ non solum ad operandum, sed etjam ad credendum & in fide permanendum infirmitas naturæ concreata postulat, prædicatio, vocatio, gratia, baptismus, aliaque sine quibus aperte negant *quemquam posse proprio arbitrio liberari*. Cur ergo non omnibus ex illa generali Dei voluntate respectu salutis omnium, obtingat salus, nempe quia deest ex parte hominum postulata conditio, videlicet, ut etjam *homines velint*, sive suadenti consentire, sive vocantem sequi. Hinc ergo fit quod omnes illi qui quoquo modo quovis tempore discretionem hominum, sive per gratiam sive sine gratia ad seipsos revocare, & fatum, desperationem, cæterasque difficultates illâ dominatrice arbitrij liberta-

Hilar. in Epist. ad Aug. initio.

libertate fugere voluerunt unanimiter Massiliensium interpretationem avidè arripuerint, ut nempe *Deus velit omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, si tamen homines velint. In qua expositione tradenda Pelagium ipsum & omnes qui isti errori sive prudenter sive imprudenter favent patronos habent. Pelagius enim in Commentario: *Vult*, inquit, *omnes ad agnitionem veritatis venire, si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint.* Quem Julianus postea, Massilienses, omnesque recentiores similis gratiæ defensores & eandem ob causam ut desperationem fatumque fugerent, imitati sunt. Quem sensum è contrario Augustinus, simul atque Deus eum ab illo errore revocasset sæpius constanterque detestatus est, ut ex hoc solo satis prudentibus patere possit, longè ab Augustini doctrina recessisse, qui sensum ab omnibus gratiæ & prædestinationis inimicis animosissime defensum & ab unico gratiæ defensore sæpe rejectum ac reprobatum, adhuc sibi tantis conatibus præferendum, tuendumque; varias verò Augustini interpretationes, quibus ad efficacissimam Dei, particularemque voluntatem semper salutem revocat, vix audiendas esse arbitrantur.

In c. 2. 1. Timot.

Lib. 4. cont. Jul. c. 8.

Sed unus est apud Augustinum in libro de Spiritu & littera locus, quo se egregiè tutos à suspicione Semi-Pelagianæ illius interpretationis recentiores putant, & præcipui defensores illius gratiæ, quæ ut simul in opus influat non humanam sibi subjicit voluntatem, sed nutum voluntatis exspectat, gloriari solent, quasi tandem Augustinus illam interpretationem sequens suo calculo comprobasset.

Molina in concord. q. 23 art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. Lessius de præd. Sec. 6. Suarez lib. 4. de præd. c. 1. A Lapide in illum locum 1. Tim. 2. Bellarminus lib. 2. de lib. arb. c. 5.

Sed profectò non poterant evidentius illi recentiores ostendere, se repudiatam ab Augustino sententiam sequi, quam dum illum ex illo loco in suas partes trahunt. Nam in primis non animadvertunt librum illum de Spiritu & littera sub initium hæresis Pelagianæ conscriptum esse; post quem, cùm in alijs omnibus adversus hostes gratiæ lucubrationibus oppositam sententiam amplexus fuerit, & constantissime defenderit, nonne tacitè priorem illam negligendo reprobavit? Deinde quod magis ad rem præsentem facit non animadvertunt illi recentiores, non ibi tradere Augustinum suam de Apostolico loco sententiam, multo minus illam calculo suo probare vel sequi, sed esse ipsissimam Semi-Pelagianam opinionem, quam ante suum Episcopatum docuerat, & ibi disputandam, refellendamque proponit. Cùm enim causam voluntatis credendi vellet quærere, quam putabat antea sicut Massilienses postea, ex illa naturali arbitrij libertate procedere; *De hac*, inquit, *quæritur unde sit nobis. Si naturâ, quare* D *non omnibus, cum sit idem Deus creator omnium? Si dono Dei etiam hoc quare non omnibus, cum omnes homines vult salvos fieri?* Audisti quæstionem: audi jam non resolutionem, sed disputationem ejus. *Primo igitur*, inquit, *illud dicamus, & vi-*

Lib. de Spirit. & litt. c. 35.

Ibid.

A *deamus utrum huic satisfaciat quod liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem vel inclinari ad infidelitatem potest; & ideò nec istam voluntatem qua credit Deo, dici potest homo habere quam non acceperit: quandoquidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit.* Perspicis, credo, cum dicit, *videamus utrum huic satisfaciat quæstioni*, nihil hic resolutum statui, sed resolutionem veritatis inquiri. Cernis etiam, ipsissimam asserri Semi-Pelagianam sententiam, qua fidem idcirco tam Augustinus, quam postea Massilienses Deo tribuebant, quia talis naturæ esset conditor, quæ audita ejus vocatione, ut & visum fuerit, sua libertate consentiat vel dissentiat. Quam Semi-Pelagianam opinionem prosequens, & ex ea motam solvens difficultatem de salute omnium statim subjicit: *Vult autem*
B *Deus omnes homines salvos fieri & in agnitionem veritatis venire: Non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium quo vel bene vel male utentes justissime judicentur*, nempe secundum ea quæ periodo superiore dixerat. In quam sententiam cum prolixus multa disputasset ut illius opinionis invidiam à sese removeret tandem ad resolutionem accedens: *Hæc disputatio*, inquit, *si quæstioni illi solvendæ sufficit, sufficiat.* Vides totius illius capitis deductionem ipso Augustino teste non esse, nisi *disputationem*. Adversus quam cum difficultatem objecisset illis verbis: *Si autem respondetur*, scilicet ad præcedentem disputationem, *cavendum esse* &c. mox veram resolutionem tradit, non esse scilicet à naturali libertate credendi voluntatem exspectandam, sed eam à Deo per gratiam non solum suadente, sed etiam cui voluerit persuadente donari. *Attendat*, inquit, *& videat non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam,*
C *quia ex libero arbitrio est* &c. sicut hoc capite trigesimo tertio proposuerat, & illa libertate salva, Deum salutem omnium velle subjecerat. Ex quibus meridiana luce clarius liquet ex Augustini mente erroneam esse, & ab ipso Augustino repudiatam refutatamque sententiam ac sensum, quem tanquam illi scripturæ Apostolicæ congruentissimum recentiores tantopere sibi placere testantur. Ut ex eo solo consequenter satis eluceat, quam doctrinam tanquam fati, desperationis, necessitatis, cæterarumque difficultatum medicinam sibi tuendam sumpserint. Nam quod eandem interpretationem Prospero in libris de vocatione gentium & ad objectiones Vincentianas tribuunt, quasi perinde, ut sibi putant, sic Deus omnium salutem velit ut sufficientem omnibus gratiam largiatur, qua plene possint credere si velint, falsissimum esse manifestum est. Nam ad objectionem secundam Vincentianā expresse dicit, *sincerissime credendum Deum velle ut omnes homines salvi fiant, remota discretione quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet*, hoc est excepta illa prædestinationis discretione, qua propter *aliquas causas* ut ibidem nominat, Deus non vult nonnullos salvos fieri.

Initio c. 34.

Digitized

fieri. Et in libro secundo de vocatione gentium docet quidem Deum omnes homines velle salvos fieri, non tamen ita quasi tantam omnibus internam gratiam impertiretur, ut solus ille libertatis propriæ nutus desit quo minus salvi fiant: sed quia beneficia quædam & eruditionem generalem omnibus tribuit, sic tamen ut propter acerbitatem vulneris quo natura sauciata est, *neminem ad cognitionem Dei*, ut ipsemet sese expresse explicat, *contemplatio spontanea* PLENE VALEAT *erudire, nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit.* Hanc autem lucis infusionem qua plene valeant erudiri ad cognoscendum Deum, ut impenetrabili Dei judicio dispensari intelligeres, statim subjicit: *Quam inscrutabili judicio Deus iustus & bonus non ita præteritis sæculis, quemadmodum in novissimis diebus effudit.* Verissime igitur secundum Divum Prosperum dici potest Deum omnes homines velle salvos fieri si homines velint, sed ita ut illud velle secretissima gratiæ infusione largiendum sit, quod quibus voluerit inscrutabilis judicii altitudine ipse largiatur. Qui modus volendi omnes homines salvos fieri longe alius est, atque ille quem recentiores explicant & Augustini doctrinæ maxime consentaneus. Superest ut quod de merito istorum actuum senserint Massilienses inquiramus.

Lib. 2. c. 17.

An Massilienses velint fidem, orationem, & cæteros actus esse merita gratiæ.

CAPVT XVI.

NONNVLLI recentiores Massiliensium opinionem non satis intelligentes confidenter docent, posse hominem naturaliter divina mysteria sibi prædicata perpendere & fide credere, beatitudinem illam cælestem in clara Dei visione constitutam optare, ingens tanti boni desiderium concipere, & petere à Deo perduci ad illud, sed actibus non supernaturalibus, quales ad meritum requiruntur, sed imperfectis & omnino insufficientibus, in quibus nullum gratiæ meritum collocari possit. Neque in hoc ullum Semi-Pelagiani erroris esse discrimen, eo quod Semi-Pelagiani tales actus homini tribuerent, qui ad ordinem supernaturalem pertineren,t essent tales *ut oportet* quibus possent gratiam promereri. Itaque quis hac in re fuerit Massiliensium sensus accuratius indagandum est.

Lessius de auxiliis c. 10 n. 4. Molin. in concord q. 14 a. 13. disp. 7. Suar. lib. 2. de grat. c. 10. & seqq.

In primis itaque certum statui debet Massilienses aliquam rationem meriti in actibus illis fidei & orationis agnovisse ut per eos ad gratiam obtinendam possent pertingere. Hilarius enim id conveniens eos asserere veritati dicit: ut cum prostratis *annunciatur obtinendæ salutis occasio* EO MERITO *quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Et infra: rationem electorum & rejectorum à Massiliensibus in eo dari *quod unicuique meritum propriæ voluntatis adiungitur.* Et Prosper eorum sensum fuisse testatur: *Omnem hominem ad credendum divinitus admoneri, ut de vita æterna nemo desperet cùm voluntariæ devotioni* REMVNERATIO *sit parata.* Remuneratio quippe meritum respicit. Itemque *ab his vitam æternam apprehendi qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Rursum sic hominem esse institutum, ut per naturalem facultatem possit petere, quærere, pulsare; *ut ideo*, inquiunt, *accipiat, ideo introeat, quia bono naturali bene usus, ad istam salvantem gratiam* (baptismi) *initialis gratiæ ope* MERVERIT PERVENIRE. Quibus consentanea multis in locis Cassianus docet.

Hilar. in Epist. ad Aug.

Ibid.

Et ista quidem confessio quamvis valde manifesta esse videatur, ut tamen illius erroris radices clarius pateant inquirendum superest, quæ ratio Massiliensibus confessionem illam meriti expresserit, utrum illa quod cernentes meritum gratiæ scopo suo esse necessarium ex proposito illud in prædictis actibus constituerint, quamvis satis animadverterent in eis meritum esse non posse; eo quod naturæ viribus essent facti, & nequaquam ad gratiam promerendam idonei. An vero è contrario illa sit ratio quod istos actus tales esse cernerent, ut in eis necessario agnoscendum esset meritum quamvis hoc ipsi forsan quam maxime nollent ac fugerent. Nam quamvis error utrobique interveniat, multum tamen interest utrum actibus illis fidei & orationis nimium arrogando, an nimium derogando fallaris. Si enim prior illa meriti confitendi radix est, errant meritum gratiæ illis actibus asserendo, in quibus nullum gratiæ potest esse meritum, etsi forsan eos humanæ potestati tribuendo non errent. Sin autem ista posterior, errant dupliciter & actus illos naturæ viribus arrogando, & meritum gratiæ fugiendo, ubi verum est meritum.

In primis itaque mihi certum videtur debere statui Massilienses, quamvis meritum gratiæ agnoscerent, nullam vim in ratione aut nomine meriti posuisse quasi hoc eorum peculiare dogma fuerit, quod gratiam promereri possumus, sed potius è contrario totis viribus declinasse, ne gratia secundum humana merita putaretur dari. Audi Divum Augustinum hoc satis aperte significantem: *A Pelagianorum porro heretica perversitate tantum isti remoti sunt, propter quos hæc agimus ut &c. iam tamen fatentur quod eorum præveniat voluntatem quibus datur hæc gratia. Ideo utique ne non gratis*

Lib. de dono persev. c. 16.

dari

A *dari credatur gratia, sicut veritas Ø.putior: sed potius secundum præcedentia merita voluntatis, sicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur.* Ecce quam clarè dicit, fugere illos ne gratia meritis dicatur & non gratis dari, atque idcirco ipsam etjam voluntatem gratia præveniri non tamen sic ut voluntas ipsa credendi à Deo donanda prædestinetur. Idem significat Hilarius quando eorum sensum esse dicit: *Non negari gratiam si præcedere dicatur talis voluntas quæ tantum Medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam valeat.*

In Epist. ad August.

Deinde sæpe Augustinus & Prosper adversus illos disputantes, nituntur illos ex illo solo, quod fidem ante gratiam nostris viribus emicare dicerent, ad illam absurditatem cogere ut gratiam secundum merita dari, ex eorum sententia sequi fateantur: Quæ arguendi ratio perabsurda est, nisi Massilienses illam impietatem studiosè fugerent. Quid enim aliquem fateri cogas quod ex professo docet ac profitetur? B Augustinus igitur, cum eorum sententiam de initio fidei ex nobis emergente protulisset: *Quis autem dicat*, inquit, *eum qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? Unde fit ut iam merenti cætera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita dari.* Et iterum: *Videte si aliud agatur isto modo nisi ut gratia Dei secundum merita nostra detur* &c. Nempe per solam præcessionem fidei ante gratiam: *debetur enim credenti, ut à Domino ipsa fides augeatur: & sit merces fidei cœpta fides aucta.* Quod ut non ex professo Massilienses voluisse significet: *Nec attenditur*, addit, *cum hoc dicitur non secundum gratiam, sed secundum debitam istam mercedem credentibus imputari.*

Lib. de præd. SS. c. 2.

Similiter Divus Prosper cum vellet eos refellere qui fidem non à Deo dari dicerent, infert ex illa opinione sequi quod fides sit gratiæ meritum. *Nam si aliquid*, inquit, *conferri hominis per gratiam confitentur & id non accipit nisi fi-* C *des quæ accepta non est, in ipsa est meritum cui non donum datur, sed debitum redditur.* Et apertius contra Collatorem qui nos credere quidem posse statuebat, sed non idcirco meritis dari gratiam: *Quoquoversum ergò te conferas, à temetipso & vinceris & vinceris, si enim gratiam merita non præcedunt, & fides non potest esse sine meritis, fides gratiam non præcedit, & omni modo ex gratia habetur, quicquid illud est ex quo meritum nascitur.* Et apertissime: *Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur affirmas?* Et mox reddit rationem non ex proposito Cassiani urgentis meritum, sed ex hoc ipso quod ante gratiam vellet fidem illam qualemcunque petentem pulsantemque præcedere: *Non enim nullius*, inquit, *meriti haber. potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia,* D *præcipue cum omnes eiusmodi & accipere, & venire, & intrare dicantur.* Nec minus manifeste aliquanto post cum hoc dumtaxat dixisset Cassianus, quod *cum videret nos Deus ad bonum velle deficere occurreret, dirigeret, atque confortaret*, ex hoc solo quod ista voluntas præcederet operantem Deum infert Prosper: *Quis non videat quod hæc doctrina meritum libero assignet arbitrio quo prævematur gratia quæ & famuletur reddens deb.tum non conferens donum.* Vides, arbitror, quam sæpe quam instanter ex illis actibus quos Massilienses nos habere posse per naturam dicerent Sanctissimi illi Doctores inferant, non posse ab eis divelli meriti rationem & tergiversantes adversarios in illam voraginem argumentando præcipitent; quod certissimum indicium est eos declinasse omnibus modis meritum gratiæ, nec nisi ex ipsa ratione actuum gratiam præcedentium compulsos subinde meriti meminisse. Et ne conjecturis dumtaxat agere videamur, accipe clarissima verba profitentis Cassiani: *Nemo autem existimet hæc à nobis ob hoc fuisse prolata ut nitamur astruere humanam salutem in nostra fidei ditione consistere secundum* B *quorumdam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari, secundum meritum uniuscuiusque definiunt.* Ad quæ verba Prosper inanem esse hanc meritorum fugam notans, quod velit nolit meritum gratiæ ex ejus doctrina sequeretur: *Considerandum sane est*, inquit, *in hac sententia tua, quantum adiuves eos qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari: quos ut Catholicæ fidei defenderis umbraculo, profanæ opinionis esse profitens.* Et aliquanto post: *Frustra ergo ut invidiam damnati erroris evadas, humanam salutem negas in fidei nostræ conditione consistere.*

Cont. Coll. c. 3.

In resp. ad 8. dub. Genuens.

Cap. 37.

Collat. 13. c. 16.

Quod si verò Massilienses ipsos eorumque scopum in asserendis fidei & orationis actibus intuemur, nulla ratio inveniri potest cur vel ipsi ex proposito meritũ gratiæ comminisci & urgere velint, vel nos istud eis affingere debeamus. Catholicos enim eos fuisse supra latius declaravimus, inimicos erroris Pelagiani, C usque adeò ut etjam *voluntatem hominum præveniri dicerent: Ideo utique*, ut testatur Augustinus, *ne non gratis dari credatur gratia sed potius secundum indulta voluntatis sicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur.* Cur ergo ex proposito meritum gratiæ in nostris actibus fingerent, si sine merito & fidei Catholicæ læsione suum assequi possent scopum? Hoc est, si fatum, necessitatem, desperationem, cæterasque difficultates removere possent, & omnem *constitutionem Dei* de salute hominum, *quæ humanas præveniat voluntates* ita tollere ut bene utendo naturalibus bonis unusquisq; sine merito gratiæ ad gratiam pertingere posset & salvus esse si vellet? hoc autem facile posse fieri, vel ex sola Recentiorum doctrina videtur esse manifestum, quia gradus tam concinnos quibus à natura ad gratiam scanditur machinati sunt, ut per vires naturæ quod in se est faciendo quisquis voluerit paulatim gratiam sine merito assequi posset, & ita ulterius per gratiam ad salutem sublatis fatalibus illis decretis Dei, necessitate ac desperatione, pervenire. Ita quippe, ut putant, & Pelagium fugiunt & Catholici permanent, & quicquid Massilienses terruit, uno flatu dissipant, & sine ullo

Lib. de præd. SS. c. 16.

merito

merito gratiæ salutem in uniuscujusque potestate constituunt. Quod si Massiliensibus concesserimus, nescio equidem quid amplius ipsi postulare potuissent, vel cur meriti rationem urgere & Augustino extorquere voluissent. Vnde Recentioribus magnopere verendum est, ne quorum scopus & rationes, & argumenta omnia à primo usque ad ultimum (ut suo loco fortasse demonstrabimus) ipsis tantopere placent, eorum quoque doctrinam Philosophicâ palliatam subtilitate tueantur.

Nam in primis, ut jam superius dicere cœperamus, non de merito gratiæ fervebat inter Massilienses & Augustinum disputatio, sed uter præcederet, homo naturaliter aliquid boni suis viribus operando, an Deus illud ipsum per gratiam largiendo. Vtrumvis enim constiterit tota finita est controversia. Nam si Deus quamcunq; bonam donando voluntatem debet præcedere, omne meritum gratiæ funditus ruit: sin homo vel solam credendi voluntatem ex suis viribus proferre potest, impossibile est juxta constantissimam ejusdem Augustini & Prosperi & Fulgentij doctrinam, *ut nullu sit meritũ fidei: ut is qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereatur: ut non debeatur credenti, ut à Domino fides ipsa augeatur.* Hinc est quod Massilienses solliciti sunt, ut solummodo aliquid sui operis vel tenuissimum possit præcedere gratiam Dei: *Hactenus*, inquit Prosper, *accipimus neminem perseverare nisi perseverandi virtute perceptá, scilicet a Deo, ut quibus datur meriti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur.* Et paucis post: *Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, ubi eis quantum putant ad obtinendum vel amittendum evidens est qualecunque initium voluntatis.* Et clarissime in eadem Epistola: *Nec negari gratia si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam valeat.* Hinc est quod toties inculcat Augustinus illud Apostolicum, *quis prior dedit ei & retribuetur ei*, ut hoc tantum extorqueat neminem posse priorem aliquid dare Deo. Ex hoc ipso enim necesse est ut ei à justo Deo fiat retributio. Quam doctrinam ita constanter tradit non solum adversus Massilienses, sed etjam Pelagianos initium fidei quoque naturæ viribus vendicantes, ut in hoc firmissimum tuendæ gratiæ fundamentum collocasse videatur. Sic enim expugnat in libris ad Bonifacium illam primam cupiditatem boni, qua nos per naturam incipere Pelagiani tandem statuebant: *Si sine gratia Dei*, inquit, *per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium: ac sic gratia Dei non gratis donabitur sed secundum meritum nostrum dabitur.* Et iterum in eodem libro: *Si autem gratia iam non ex operibus &c. gratia utique ut per illam fiant bona opera, ne si præcesserint bona opera, tanquam operibus reddatur gratia ac sic gratia iam non sit gratia.* Et adversus Iulianum, qui hominem sterilia quædam solius naturæ opera inchoare posse judicabat: *In quo vis hominem sicut loqueris ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc cum non vis in Domino sed in libero arbitrio gloriari, ac sic priorem dare, ut retribuatur ei, eoque modo gratia iam non sit gratia, quia non est gratuita.* Et continuò post: *Quia imago Dei est* (natura hominum) *meretur hanc gratiam, non tamen ut eius bona voluntas possit præcedere præter gratiam, ne vel ipsam prior det, ut retribuatur illi, ac sic gratia iam non sit gratia.* Et in libris retractationum: *Et hoc divinum beneficium quo liberatur* (voluntas ad bene volendum) *nisi eam præveniret, iam meritis eius daretur & non esset gratia quæ utique gratis datur.* Vides quanta asseverantia Augustinus urgeat ne ullus quantumvis naturalis sive fidei sive bonæ voluntatis motus gratiam putetur præcedere: nam hoc ipso nulla ratione gratiam defendi posse putat quin meritis tribuatur. *Nisi voluntatem præveniret*, inquit, *iam meritis datur.* Quæ doctrina tantopere Concilio Arausicano placuit ut eam expresso Canone contra Semi-Pelagianos definiverit. *Debetur*, inquit, *merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ nõ debetur præcedit ut fiant.* Ecce si præcedit ullum bonum opus sive fidei sive orationis sive voluntatis, hoc ipso ei merces debita est & omnis gratia funditus tollitur. Hoc quia certissimum videbant esse Massilienses, & in Catholica doctrina constantissimum, ideò sæpius claris verbis se meritum gratiæ ponere confitentur, etsi hoc quam maximè fugerent. An verò ad istam perspicuam Augustini doctrinam respondebitur, Massilienses atque Pelagianos opera supernaturalia posuisse, quibus ipsi concludant necessario mercedem gratiæ esse tribuendam? Nihil sane ineptius atque absurdius dici potest Quomodo enim supernaturalia posuerunt, cum naturæ viribus ea fieri posse censuerint & acerrime confirmaverint? Quid quod Iulianus lucidissimis verbis diceret, talia esse opera humanæ potestatis quæ fierent sine gratia, ut bona quidem essent & laude digna, sed apud Deum sterilia nec vitam æternam posse promereri? Quorum tamen operum vel solam voluntatem bonam negat Augustinus posse præcedere ante gratiam, ne vel sic gratiam Deus meritis tribuere convincatur.

Aug. Epist. 105 ad Sixtum.

Lib. 2. ad Bonif. c. 8.

Cap. 7.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Ibid.

Lib. 1. retract. c. 9.

Ex professo sic Iul. docet lib. 4. advers. Iul. c. 3.

Massilien-

Digitized by Google

Massilienses multum diminuunt illud meritum gratiæ : nec aliud volunt nisi bonum usum liberi arbitrij præcedere gratiam occasione cujus Deus liberaliter & misericorditer gratiam daret.

CAPUT XVII.

CVM igitur utrique, non minus Massilienses quam Augustinus veluti certo atque indubitato principio niterentur, quemcumque bonum voluntatis humanæ motum non posse non esse meritum gratiæ si præcederet gratiam ; ut illum Catholicæ fidei (cujus cultores erant) scopulum fugerent, omnibus modis meritum fidei & orationis, cæterorumque actuum gratiam Christi præcedentium extenuando elevandoque depresserunt : ut in hoc quoque recentioribus quibusdam qui facienti quod in se est per naturæ vires gratiam largiendam esse contendunt, exemplum præbuisse videantur. Neque enim facile repiriri poterit inter istos phrasis, quæ ita meriti rationem elevet, & actibus illis naturalibus detrahat, ut eam non similibus loquendi modis Massilienses æquaverint. Nam plerique recentiorum qui sententiam illam tradunt sine ullis ambagibus dicunt, hominem naturæ viribus proximè ad gratiam se posse disponere. Alij remotè & indirectè posse; alij, actus illos omni carere proportione ad assequendam gratiam volunt, eamque Deum sua liberalitate concedere : alij, qui minimum eis tribuunt, non esse actus illos salutis initium, sed tantummodo *occasionem* ; quod proprium fuit Massiliensium & cæterorum errantium verbum, ut vim istorum actuum deprimerent excogitatum. Omnes tamen unanimiter illum scopum in ista doctrina tradenda sibi propositum habent, ut, sicut unus eorum asserit, *dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrij nostri posita esset salus nostra.* Qui cum ipsissimus ille sit, in quem Massilienses totius doctrinæ suæ mole collimant ; sicut recentiores, ut eum salvâ fide Catholicâ assequantur, meritum quam fieri potest longissime fugiunt, ita & Massilienses, quantum fieri poterat tergiversando declinarunt.

Lessius de auxilijs c. 10. n. 2. f. 95.

Molina in Concord. q. 14. art. 13. disp. 10.

Nam in primis apertè profitentur, fidem illam quam ipsi statuunt, & assequendæ salutis desiderium, nullo modo esse salutis partem. *Neque enim*, inquiunt apud Hilarium, *aliem operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.* Cum enim totam salutem per peccati ægritudinem perditam esse faterentur, eo ipso quo fidem salutisque desiderium inter curationis opera numerandum negant, nullam etjam esse salutis partem, ne quidem initium videntur aperte profiteri. Vnde volunt ut homo per fidem *totius sanitatis suæ consequatur effectum.* Si totius, ergò fides ipsa nulla Massiliensibus est salutis pars. Itemque : *Abominari se & damnare testantur, si quis quicquam virium in aliquo remansisse, quo ad sanitatem progredi possit, existimet.* Iam verò vide & attende diligentius quomodo non obstantibus illis actibus gratis & omninò misericorditer gratiam tribui velint. *Petitionem*, inquit Cassianus, *& inquisitionem & pulsationem nostram non esse condignam nisi misericordia Dei ad quod petimus dederit, vel aperuerit quod pulsamus, vel illud quod quærimus, fecerit inveniri.* Et paulò ante clarius : *Pronuntiamus laborantibus tantum ac desudantibus misericordiam Dei gratiamque conferri.* Et ut meriti vim in illis exiguis actibus naturalibus constitutam enervet penitus, sæpe non nisi occasionem adipiscendæ gratiæ esse tradit. *Præsto est namque* (Deus) *occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda.* Ecce quam exiguam vim ad extorquendam gratiam illos actus hominis habere volunt, nam esse dumtaxat *occasionem* Deo, ut gratiam dare possit, multo profecto minus est quam esse dispositionem sive propinquam sive remotam. Neque quicquam aliud eum sentire indicat, quam gratiam omninò manere gratuitam eo quod Deus talibus actibus inventis, ut modestissimi loquuntur Recentiores, vel ob Christi merita, vel ob infinitam clementiam se velit inserere & *eos iuvare qui viribus naturæ rectè uti conantur* : Eo quod *maximè illum deceat misericordiam suam in eos in primis effundere, qui ei impedimenta non objiciunt*: *Cum in his non solum non inveniat repugnantiam, sed etiam quandam ad gratiam subordinationem etsi non dispositionem.* Hæc & similia illi ut ab illis actibus meritum tollant. Sed audi eadem omninò contendentes & accuratius explicantes Massilienses. Nam Cassianus rationem reddens cur Deus ab homine conatus quosdam bonæ voluntatis exigeret & exspectaret : *Ne*, inquit, *penitus dormienti aut inerti otio dissoluto sua dona conferre videatur.* Vis adhuc amplius ? *Occasiones quodammodo quærens, quibus humana segnitiei torpore discusso, non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur.* Adhuc vis clarius meritum deprimi ? *Dum eam sub colore cujusdam desiderij ac laboris impertit.* Qui ista dicit, ac tanta sollicitudine inculcat scribens, videturne gratiam gratuitam negare vel vim atque rationem meriti, quasi dogmatis sui cardinem premere voluisse ? Vnde ne quid forsan ambiguum scrupuloso lectori superesset, clare subijcit : *Et nihilominus gratia Dei semper gratuita perseveret, dum exiguis quibusdam parvisque conatibus tantam immor-*

In Epist. ad Aug.

Ibid.

Cass. lib. 12. instit. c. 14.

Lessius lib. de auxilijs gratiæ c. 10. n. 3. ibid. n. 3. & 4.

Cass. Collat. 13. c. 13.

immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate. Et apud Hilarium in Epistola ad Augustinum: *Nec negari gratiam si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum Medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam valeat.* Nam, *non negari gratiam* nihil aliud apud illos significat quam tales actus, non tollere rationem gratuitæ gratiæ, quòd nempe non tam gratiæ accipiendæ meritum quam gratiæ liberaliter dandæ *occasio* esse viderentur, propter quam *infallibili lege*, (ut etjam Recentiores volunt) cœlestis gratia donaretur. Et certè quid est majus naturales actus esse *occasionem* tantum dandæ gratiæ & *colorem*, an verò quod illi dicunt, *decere* ut Deus det gratiam? (*Lessius sup.*) Quid enim est hoc *decere Deum*, nisi hoc *congruere* misericordiæ Dei? Et quid est aliud congruere ut illis actibus detur à Deo gratia, quam esse *meritum de congruo*, quod Recentiores illi tantopere horrere se simulant. Quasi verò hic de verbis & non de rebus ageretur, vel quicquam intersit, utrum meritum *de congruo* an *de decenti* dixeris: cum è contrario decentia magis ad donandum urgeat quam congruitas, quia magis respicit honestatem. Si iltis viris occurrissent illa nomina remotæ vel proximæ dispositionis, quæ postea ex Philosophia Aristotelis ad Theologiam translata sunt, multo magis ea ab illis naturalibus operibus abstulissent. Nam conatus nostros Deo tantummodo esse dandæ gratiæ *occasionem*, esse *colorem*, ne scilicet munificentia, hoc est gratia videatur alicui *irrationabilis*, multo minus sunt, quam non esse *dispositionem*; si enim Recentiores illis verbis Cassiani uterentur, rationem gratuitæ gratiæ se optime salvasse judicarent, quandoquidem nullam gratiæ injuriam fieri putent, quando naturales actus *quamdam ad gratiam subordinationem* imò multi, *dispositionem remotam*, adeoque *propinquam congruitatem* vel *decentiam* accipiendæ misericordiæ vocant.

Ex hac ergò Massiliensium vena fluit, quod quemadmodum recentiores per ista bonorum actuum initia nihil aliud sibi volunt, nisi ut *semper in manu liberi arbitrij posita sit salus nostra*, (*Ita Molin. supra.*) nullam curantes meriti rationem, dummodo ille bonus naturæ usus sit aliqua ratio propter quam ei gratia, divina largitate donetur; ita & Massilienses nihil aliud voluerint, nisi ut *de vita æterna nemo desperet, nec aliqua Dei constitutione*, ut aiunt, *quæ humanas præveniat voluntates cura resurgendi lapsis auferatur, nec sanctis occasio teporis asseratur*: sed *quicumque credere voluerint salvi esse possint.* (*In Epist. Prosp. ad August.*) Nihil prorsus de meriti ratione sollicit dummodo idcirco consequerentur *salvantem illam* Christi gratiam, quia quocumque modo ipsi aliquid boni naturalis ante voluissent. Quam boni operis naturalis & gratiæ connexionem ex quocumque capite illa proveniat sæpe simplicissimis verbis expriment quæ nullam omninò meriti necessitatem involvunt. *Libertatem*, inquiunt, *ab hoc Dei auxilio iuvandam, si quod Deus mandat, elegerit.* Item, *ideò quis adiuvetur quia volunt, non ideò quia adiuvatur velit.* Item hominem *posse velle sanari, propter quod vel sanetur quis, vel si noluerit cum sua ægritudine puniatur.* (*In Epist. Prosp. & Hilar.*) Nihil enim volunt aliud quam suam voluntatem præcedere; gratiam quocunque modo sequi, ita scilicet *ut non ideo*, (*Ibid.*) sicut Prosper loquitur, *quia adiuvatur velit*, sed sicut ipsimet loquuntur, *gratia post voluntatem invenitur*: putant enim, non *negari gratiam, si præcedat talis voluntas* &c. (*In Epist. Hilar.*) Unde Prosper eis & Augustinus istud exprobravit quod

> *Audeat amens*
> *Impietas tumido arbitrio subnectere causas*
> *Divinorum operum,*

(*Lib. de ingrat. c. 36.*)

Hoc est posteriores facere. Cùm Catholicæ fidei fundamentum sit, Deum, ut ibidem ait,

> *Autorem cunctorum nosce bonorum,*
> *Quo sine nil rectum mens inchoat.*

Nihil rectum, inquit, videlicet, neque fidem, neque salutis desiderium, neque petitionem, neque pulsationem, neque, ut ipsi loquebantur *qualemcumque dolorem*, neque *qualecumque motum voluntatis* bonæ. (*In Epist. Hilar.*)

Cum igitur ex hoc ipso, quod Massilienses quemcunque tandem bonæ voluntatis motum ante gratiam ex natura prosilire statuebant, omnes antiqui gratiæ defensores invictè concludant, eos asserere meritum gratiæ; quia fieri nullo modo posset, ut nullum sit meritum fidei. *Quis enim dicat*, inquit Augustinus, *eum qui iam cœpit credere, ab eo in quem credidit nihil mereri?* Alterutrum profectò si non utrumque forsan, necessarium est, ut vel nullus actus verè bonus ab homine prodire possit quin gratiam mereatur; vel certe id quod supra fusè commonstratum est, esse verissimum, nimirum ita Massilienses fidem, sanitatis desiderium cæterosque recensitos actus humanæ tribuisse potestati, ut tamen veram illam Adami gratiam non excluderent. Sic enim, sive Augustini, sive Prosperi, sive Massiliensium ipsorum sensa consideres, omnia à capite ad calcem usque aptissime cohærebunt. Nam & actus illi Massiliensium erunt verè boni & ideo gratiæ meritorij, nec tamen per gratiam dati, sed per naturā, libero arbitrio cum illa gratia operante si velit. Et verū erit hoc vidisse Massilienses & rei evidentia sensum feriente, sæpe meritum in illis actibus esse confessos, quemadmodum revera confitendum fuit: & hoc

funda-

fundamento nixos Augustinum & Prosperum ex sola præcessione actuum per *initialem illam gratiam* factorum, sive ut etjam loqui solent, *(Sic vocant Massil.)* A *ex bono naturæ usu* invicta conclusione *salvantis gratiæ meritum* intulisse.

An agnoverint meritum de condigno an de congruo.

CAPVT XVIII.

EX præcedentibus facilè est intelligere cujusmodi meritũ in fide & oratione cæterisque motibus bonis agnoverint. Nempe illud quod minimè omniũ repugnat gratiæ, quam omni modo salvã esse cupiebant, dummodo salus hominis non ab aliqua constitutione Dei preveniente voluntates, sed ab ipsa hominis manu & voluntate pendere crederetur. Hoc probant ea quæ duobus capitibus superioribus diximus: quantum enim fieri poterat, extenuabant meritum, hoc solummodo contendentes ne prorsus natura ita extincta putaretur, ut ne quidem *qualiscunque dolor* saltem *compunctæ infirmitatis* exoriri possit, vel *velle ac nolle admittere medicinam*; unde possit ratio reddi electorum vel rejectorum, sive cur unus præ alio assumatur, Deo videlicet sic habente aliquam *occasionem*, sive *colorem* cur non *irrationabiliter*, ut Cassianus loquitur, *(Collat. 13. cit.)* sive cæco quasi modo, irrefragabili aliqua constitutione, inconsulta hominis voluntate, gratiam salvantem uni præ alijs largiretur. Quæ sanè manifestè clamant non illam rigorosam condignitatem in actibus illis gratiam præcedentibus Massilienses posuisse, talis enim tollit prorsus gratiam: cum contra illi dicerent, *non negari gratiam si præcedere dicatur talis voluntas*, *(Epist. Hilar.)* seu tam exigua & infirma *quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa jam valeat.*

Neque verò hic postulandum est ut istis nominibus *congrui* vel *condigni* istud meritum vocent. Illa quippe distinctio sub istis nominibus multis post sæculis à Scholasticis Doctoribus excogitata est, neque inter Augustinum & Massilienses controversa, cum ipse omne omninò meritum ante gratiam prorsus extinguendum esse contenderet. Itaque res ipsa non ista nomina consideranda sunt.

Potissimum igitur meritum quod in illis C actibus Massiliensium inveniri potest, in illa oratione qua ex fide petitur, quæritur, & pulsatur, situm est. Iste quippe est actus omnium quos ante gratiam ad obtinendam gratiam posuerunt perfectissimus, & aptissimus. Quo proinde dicunt hominem *ad hanc gratiam quæ in Christo renascimur pervenire posse, per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando; ut ideò accipiat, ideò inveniat, ideò introeat, quia bono naturæ bene usus ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Item hominem posse *exterrita & supplici voluntate velle sanari*, supplex enim illa voluntas nihil est aliud quam voluntas ex fide pro sanitate supplicans Deo.

A Atqui oratio ante justificationem fusa tametsi sine aliquo merito esse non possit, nullo tamen modo condignũ est meritum, quod enim potest meritum peccatoris condignum esse nisi supplicij? Nam ut Augustinus: *meritis impij non gratia sed pœna debetur. Quid enim habere boni meriti peccatores?* *(Epist. 105. ad Sixtum.)* Et si quid ipsa fides eorum petendo mereatur, impetrationis potius quam meriti rationem habet. Vnde cum in errore Massiliensium hæreret Augustinus, frequenter meriti rationem quam in fide & oratione collocabat, per impetrationem exponit: *Putans*, inquit, *fidem non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis & per illam nos impetrare Dei dona.* *(Lib. de præd. SS. c. 3.)* Item: *Vt per illam nobis daretur quod posceremus utiliter.* Nam fides propter orationem qua gratia diligendi & operandi, tentationesque superandi impetratur, potissimum necessaria est: juxta illud perpetuum verissimumque documentum B Augustini *fides impetrat quod lex imperat.* Ex quo consequitur meritum quoddam impetrationis ante justificationem, non condignum aut rigorosum perfectæ justitiæ Massilienses in fide & oratione collocasse. Cujusmodi meritum Augustinus cum eodem errore teneretur, in simili fide collocaverat. Nam quamvis utrique in hoc erraverint quod fidem & orationem non per gratiam Christi infundi senserint, nusquam tamen ullum vestigium reperiri potest, quod majus meritum in eis constituerint, quam si per gratiam hominibus conferrentur. Quid enim hoc ad scopum vel Massiliensium vel Augustini similiter hallucinantis & eadem ex causa salutem ad suam potestatem revocare molientis conferre potuisset? Vnde qui talem errorem vel Massiliensibus vel Augustino idem omninò ante Episcopatum sentienti tribuunt, id potius videntur spectare, quod præceptis opinionibus suis tuendis congruat, quam quod indagata ponderataque veritas postulat, ut Massiliensium & Augustini errores exaggerando ab illis quoquo modo differre & longius distare videantur.

Quod si ipsa quoque nomina velimus ponderare nihil Cassiano familiarius est quam bonorum motuum voluntatis *condignitatem* elevare respectu præmij gratuiti quod eis datur, hoc est respectu virtutum, sive sanitatis perfectæ, quam illis desiderijs & conatibus humanis tribui sentit. *Ad capescenda*, inquit, *tam magnifica tamque præcelsa puritatis & integritatis præmia, quantuslibet ieiuniorum, vigiliarum, lectionis & solitudinis ac remotionis labor fuerit impensus,* *(Lib. 12. Inst. c. 13.)*

impensus, condignus esse non poterit, qui hæc industria sua merito vel laboris obtineat. Nunquam enim divinum munus, labor proprius, humanave compensabit industria, nisi desideranti divina fuerit miseratione concessum. Ecce nec tanti labores juxta Cassianum *condigni* sunt puritatis præmio, hoc est, ut ibidem exponit, ut quis *carnalibus vitijs emundetur*: quod nihil est aliud quam id quod Massilienses apud Hilarium dicunt, *ut a suo morbo sanetur, & totius sanitatis consequatur effectum.* Quam doctrinam iterum iterumq; in eodem libro Cassianus repetens, nec in Davide vult *laboris æquiparasse merita ad indulgentiam tanti criminis obtinendam*: neque nos *æquiparante nostra voluntatis industria tam arduum integritatis* (hoc est castitatis) *culmen subjugata carne conscendere*: Nec *ullam cordis cõtritionem ad capessendam castitatem esse condignam.* Item rursum: *Petitionem & inquisitionem & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id quod petimus dederit.* Vides quanto studio condignitatem Cassianus orationibus nostris & meritis auferat. Nempe quod nimis infirmæ sint vires hominis ad animæ sanitatem sive virtutes sibi comparandas, & conatus nimis exigui ad ista tam alta præmia ex *condignitate* promerenda. Vnde restat, ut, sicut ipse loqui solet per Dei gratiam, clementiam, misericordiamq; tribuantur. Quod si vero forsan alicubi etjam ejusmodi phrasis occurreret qua homo Dei gratia dignus fieri diceretur, non aliter id accipiendum foret, quam si gratiam nos mereri posse dixissent. Neque enim apud antiquos Scriptores dignitas illam rigorosam Scholasticorum condignitatem semper denotat. Nam Celestius dignitatem & meritum pro ijsdem accipit, cum dicit, *gratiam secundum merita nostra dari*, quod statim exponit, *ut ea fiamus digni vel indigni.* Et Augustinus videtur insinuare quod dignum esse gratia minus aliquid sit, vel certe non majus, quam meritum gratiæ. *An*, inquit, *aliud est dignum esse accipere, aliud secundum meritum accipere? Et potest aliqua subtilitate disputationis ostendere dignum esse aliquem, sed non mereri?* Et infra: *quantum ad me attinet ab hoc verbo* (dignus accipere gratiam) *facile transirem &c.* Quod sane non fecisset Augustinus si Pelagius meriti gratiæ fecisset mentionem. Ita satis indicat minorem, vel certe ut dixi non majorem esse faciendam difficultatem, si quis dignus accipere gratiam, quam si quis eam mereri diceretur. Sed usus vocabulorum istorum rigorosus & scholis proprius, nunc est alius secundum quem absurdum est antiquorum locutiones velle metiri.

Epist. ad Aug. initio. — *Lib. 12. inst. c. 11.* — *Cap. 14.* — *Lib. de gest. Pelag. c. 14.* — *Cap. 17.*

Veram esse gratiam quam post fidem dari volunt ex Cassiano, & præsertim ex Prospero, Hilario & Augustino late demonstratur.

CAPVT XIX.

POSTQVAM de actibus meritorijs, quos Massilienses in humana potestate posuerunt satis disputatum est, nunc de præmio pauca dicenda sunt, hoc est de illa gratia, quam suis operibus à Deo retribui docuerunt. Videntur enim nonnulli dubitare an veram illam Christi gratiam intellexerint, quam passim adversus Pelagianos Augustinus inculcat. Putabat enim Cassianus nullius esse meriti & laudis opus, quod Deus in homine per gratiam operatur. *Nullius enim*, inquit, *laudis esset ac meriti si id in eo Christus quod ipse donaverat prætulisset.* De Centurione loquitur de quo Christus dixerat: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Et similiter de Abraham in eodem loco dicit: *Non illam fidem, quam ei Dominus inspirabat, sed illam quam vocatus semel atque illuminatus à Domino per arbitrij libertatem poterat exhibere, experiri voluit divina justitia.* Vnde, inquiunt nonnulli, videtur omnibus commune fuisse erroris principium, scilicet, quod si vera gratia interna qua voluntas interius roboratur, & quam Divus Augustinus cum alijs Catholicis asserebat, ad opera meritoria esset necessaria, everteret libertatem.

Et illud quidem sensisse Faustum nullum est dubium, ut fuse supra ex proprijs ejus verbis ostendimus. Non sensisse vero Cassianum satis perspicuum est. Nam in eadem illa Collatione in qua fidei quam Deus dederit omnem laudem tollit, ac meritum asseveranter tradit, ac sæpius repetit nonnullis etsi non omnibus, bonę voluntatis principia inspirari. *Quibus*, inquit, *manifeste colligitur non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sancta voluntatis inspirat & virtutem atque opportunitatem, eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi.* Quam Cassiani *definitionem Catholicissimam* Prosper vocat: quamvis postea quod generaliter asseruerat, non in omnibus omnino, sed in quibusdam tantum verum esse velit. Nam sæpe in ista Collatione docet, nonnunquam Deum bonas voluntates *de dura cordis nostri silice excitare*: in corde *plantare*: *desideria inspirare*, nonnunquam vero *nostro conatu emergere, scintillamque bonæ voluntatis emicare.* Sed illa ipsa exceptio manifestissime probat, Cassianum veram gratiam donatricem, plantatricem, inspiratricem bonæ voluntatis agnovisse, & facile cum libertate conciliasse. Sic accepit Cassiani doctrinam Divus Prosper & liberi arbitrij gratiæq; concordiam eum expressisse sine ulla ambiguitate testatur. Cum enim illa superius citata verba protulisset, ita statim subjicit: *Hic ne quis putaret nihil superesse, quod per liberum ageretur arbitriũ non irrationa-*

Cassian. Col. 13. c. 14. — *Matth. 8.* — *Coninck. disp. 4. de act. supern. dub. 5. n. 92.* — *Aug. c. 10. Lib. 7 de Hæres. Pelag.* — *Cassian. Col. 13.* — *Lib. cont. Collat.* — *Collat. 13. c. 7. & 8. &c.* — *Ibid.*

irrationabiliter adiecit, quo probaret, non auferri A *illud his donis, sed potius roborari, nisi revolutum ad iniquitates suas ab auxilio Dei se malit avertere.* Et continuo Cassiani verba subnectit: *Nostrum est ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur, ne dura cervice & incircumcisis auribus resistentes &c.* ut sane nesciam quid hominibus in mentem veniat, qui in tanta verborum luce contra clarissimam Prosperi autoritatem qui quotidie cum eis luctabatur, adhuc negare audent Cassianũ nullam veram gratiam in operibus bonis agnovisse, & profundius ipso, se Semi-Pelagianorum secreta penetralia præsumunt. Sed hæc eo spectant ut Semi-Pelagianos quam maxime denigrando, opiniones propriæ ab eorum placitis longissime disparare videantur.

Quod ergo nullius laudis ac meriti putat esse Cassianus fidem quam Deus inspiraverit, non libertatis interitum juxta sensum ejus à B vera Christi gratia asserri probat, sed hoc tantum propter hujusmodi fidem bonamque voluntatem, non hominem, qui nihil de suo contulerit, sed Deum qui & ipsam credendi voluntatem & conatum dederit esse laudandum. Putat enim laudis ac meriti fontem esse conatum hominis, non quem ei inspirat gratia, sed quem homo pro sua se libertate flectendo addit aut subtrahit. Hoc & Prosper videtur observasse quando Cassiani sensum conjectans, dicit; *An dicendum est omnes quidem virtutes inter Dei dona numerandas, sed in illis hominem quas de proprio habuerit esse laudabilem? & ibi esse merita ubi Dei dona non fuerunt?* Nam per illam quorumdam laudem Cassianus probare nititur alteram illam suæ doctrinæ partem qua docet, multos sponte credere, proprioque conatu bonas voluntates è corde prosilire. Vnde ibidem Prosper: *Sic autem putasti de testimonio laudatæ fidei præjudicium donis gratiæ posse generari: quasi fides ubi ostenderetur laudata, non doceretur esse donata.* Non ergo per hujusmodi donatam & inspiratam fidem liberum arbitrium tolli, putat C Cassianus; sed laudem dumtaxat hominis, qui fide donata non proprio conatu expressa credit: eo quod non videatur in hominis commendationem posse redundare quod alius eum faciat credere. Quod existimasse Cassianum nihil mirum videri debet, cum in hodiernum usque diem illi qui discretionem credentis à non credente ad cardinem libertatis revocant, quæ gratia possibilitatis utatur aut non utatur, eandem querimoniam refricare non desinant.

Cont. Collat. 2. c. 36.

Ibid.

Sed quicquid sit de opinione quam Cassianus in illa decima tertia Collatione tradidit, Massilienses istos, de quibus Prosper & Hilarius in Epistolis ad Augustinum, veram gratiam post initium fidei agnovisse dubitari nequit, si quicquam Prospero & Hilario cum illis quotidie disputantibus tribuendum est. D Quod multis profecto modis probari potest.

Nam in primis dilucida Prosperi verba sunt, quibus testatur eos dixisse, quod *fides deinceps per Dei gratiam sit juvanda*: quod *bona ap-*

Prosp. in Ep. ad Aug.

petentem gratia Dei foveat: Quod *ab his vita æterna apprehenditur, qui auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint*; quod *libertas sua ob hoc Dei auxilio juvanda sit, si quod Deus mandat, elegerit*: quod *prior sit obedientia quam gratia*; quod *voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia subjiciat voluntatem*: quod ideo *quis adjuvatur quia volunt.* Nec minus perspicuè Hilarius eos docuisse tradidit: *Non negari gratiam, si præcedere dicatur voluntas; adjuvari qui cœperit velle, non donari ut velit*: & ita quidem adjuvari ut *gratia non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes*: In Scripturis sacris *eam commendari gratiam qua unusquisque post voluntatem juvatur.* Quæ omnia tam manifeste veram gratiam eos post fidem esse confessos cõvincunt, quam illam eandem ante fidem negaverunt. Eadem quippe gratia est, quam voluntati præponi nolunt, & quam voluntati postponi volunt: sive ut Prosperi verbis loquar, de qua dicunt, quod *voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non autem gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Hæc autem non est gratia sive legis sive doctrinæ, sive prædicationis, sive liberi arbitrij, sive etjam gratia illa interna possibilitatis sine qua non, quam Adam habuit. Omnes enim istas gratias etjam ante credendi voluntatem tribui statuunt, & libenter docent. Sed est illa quæ sola superest, gratia qua fit actio, seu gratia qua Deus operatur velle atque perficere: gratia per quam, ut ipsi dicunt, *ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequuntur effectum*: per quã deniq; *accipitur perseverandi virtus.*

In Epist. ad Aug.

In Epist. Hilar.

Deinde non solum Augustinus Massiliensium errorem se tenuisse testatur, sed etiam ipsi Massilienses doctrinam illam quam in illa opinione constitutus tradidit etjam suam esse, & ut Hilarius dicit, *se acceptare & probare testantur.* Tunc autem certissimum est eandem prorsus gratiam asseruisse Augustinum quam postea tota vita tradidit, sed hoc discrimine, ut eam Deus non nisi præcedenti voluntati credendi daret. Vnde Augustinus: *Videtis certe, quid tunc de fide atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborabam, in qua sententia istos fratres nostros esse nunc video.* Et ut omnis tergiversandi auferatur occasio ipsimet Massilienses sententiam suam, *Sanctitatis tuæ*, inquit Hilarius, *disputatione antiquiore se probare testantur.* Vbi eandem gratiam non minore veritatis perspicuitate docuerit. In illa vero antiquiore disputatione, quam Hilarius ad verbum citat, & Massilienses probant, & Augustinus eorum sententiam contineri testatur apertissime dicitur: Quod *Deus fidei præstat, ut bene operentur*: quod *Spiritus Sanctus non datur nisi credentibus*: quod Deus, *non eligit opera quæ ipse largitur cum dat Spiritum Sanctum, ut per charitatem bona operentur.* Sed quod *eligit fidem, quia videlicet, nisi quis credat & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est Spiritum Sanctum per quem infusa charitate bonum possit operari.* Quod *Deus opera donaturus est.* Quod, *quem crediturum esse præscivit, ipsum elegerit cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operãdo etiam vitam æternam consequeretur.*

Lib. de prædest. SS. c. 4.

Lib. de prædest. SS. c. 3. & 4.
In Ep. Hil. ad Aug. & lib. expos. quarumd. propos. Epist. ad Rom.

Denique

Denique *nostrum esse quod credimus, Dei quod operantur*. Quibus tam perspicuè vera gratia operationis, charitatis, infusionis Spiritus Sancti, qua secundum perpetuam Augustini doctrinam, & sæpius tum hic tum postea contra Pelagianos repetitam, *Deus largitur opera*, dando videlicet ipsa *infusione Spiritus Sancti suavitatem in consentiendo*, sicut Concilium Arausicanum loquitur, ut sine impudentia negari non posse videatur. Hinc est quod de Massiliensibus consequenter Augustinus hanc eorum sententiam esse, adeoque verba referat: *Nos dicimus nostram Deum non præscisse nisi fidem qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem ac prædestinasse, ut etiam sancti & immaculati gratiâ atque opere eius essemus.* Et quis est iste modus gratiæ & operis Dei quo immaculati fiunt? Nempe ut fide suppositâ, Deus bene operandi gratiam daret, per quam animus paulatim magis magisque sanctus sit, & virtutum infusione immaculatus. Hoc enim de operibus ita profitentur apud Augustinum: *Fides est à nobis, cætera à Domino ad opera justitiæ pertinentia.* De virtutum vero infusione alibi: *Hæc dona* (virtutum) *ut à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis.* Quibus attestatur Augustinus: *Hæc Dei dona sunt*, inquit, *id est, ut de alijs taceam sapientia & continentia. Acquiescunt & isti, neque enim Pelagiani sunt, ut adversus istam perspicuam veritatem dura & Heretica perversitate contendant.* Quamvis per istarum virtutum donationem, nihil aliud nec Augustinus nec Massilienses velint, nisi gratiā operandi virtutum istarū opera, Deo donante concedi, sic enim virtutes illas à Deo dari asserunt, sicut fidem haberi à nobis: nempe quia voluntas operis inspiratur à Deo sicut voluntas credendi à nostra libertate proficiscitur. Vnde Augustinus cum de Massiliensibus dixisset, quod *initium fidei & usque in finem perseverantiam* (in fide) *sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent*: modum explicando subijcit, *neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates: cætera vero*, inquit, *ipsum dare concedunt cum impetrantur credentis fide.* Nempe operando nostras cogitationes & voluntates quibus rectè secundum virtutem quamque operamur, sicut nos ipsos cogitationes voluntatesque credendi proferre arbitrantur.

Canon 7.

Lib. de prædest. SS. c. 19.

Ibid. c. 7.

Lib. de dono persev. c. 17.

Lib. de dono persev. c. 17.

Ibid.

Non repugnat libertati talis gratia juxta Massilienses: & quare Recentiores cardinem difficultatum non videntes, multum in multis hallucinantur.

CAPVT XX.

ET ista quidem quamvis manifesta & extra omnem ambiguitatem posita sint, tam operosa probatione confirmanda duxi ut nebulæ dispellantur, quas quidam perspicuæ veritati offundere conantur, ut Massilienses nullam veram & internam gratiam post fidem agnovisse persuadeant doctrinamque suam ab eorum placitis latissimo limite esse separatam. Ita vel falsissima de alijs credi malunt, & Prosperum, Hilarium, & Augustinum vel mendaces esse vel falsos quam suas præoccupatas opiniones vel in minimo suspectas esse vel corrigendas. Nam ex Fausto omnium versutissimo atque deterrimo, & magis adhuc ex Cassiano qui singularem prorsus opinionem tenuit, non rectè de cæteris Massiliensibus statui potest, præsertim cum indubitatas Prosperi, Hilarij & Augustini depositiones habeamus. Nam sicut singularis Cassiani opinio Fausto nihil detrahit, nec Fausti doctrina Cassiano, ita nec utriusque sententiæ primis Massiliensium placitis magnâ sollicitudine, doctissimorum virorum autoritate digestis ullum afferunt præjudicium.

Ex quibus etjam intelligi potest quam longe dissideat à veritate id quod quidam existimant, omnem gratiam ex opinione Massiliensium repugnasse libertati: nec eos intelligere potuisse *eundem actum esse posse à voluntate libera, & à gratia adjutorio necessario ad illum efficiendum.* Quæ quidem persuasio eo absurdior est, quod ipsi recentiores de illa loquantur gratia, cum qua operari potest homo si velit, quam agnovisse laudasseque Massilienses etjam in ipso initio fidei supra demonstravimus; sed non illā tantum, verum etjam veram illam gratiam ab Augustino prædicatam, quam Christus ad roborandam sanandamq; peccatoris infirmitatem suâ passione promeruit, eos post fidei initium agnovisse clarissimis testimonijs cōprobavimus. Nec ulla inter Massilienses istos de libertatis eversione querimonia est, cum è contrario expresse dicant *libertatem suam ab hoc Dei auxilio iuvandam. si quod Deus mandat elegerit*, hoc est, si tantū electio suæ voluntatis antecesserit. Quis enim dixerit juvari libertatē gratiâ, si gratia opprimit & extinguit libertatē?

Sed in hoc delusi sunt isti recentiores, quod verum cardinem difficultatum omnium quibus Massilienses in errorem abrepti sunt minus quam par esset, attenderint vel penetraverint. Nihil enim, ut supra fusius diximus, ita Massilienses in Augustini doctrina horruerunt quam quod suâ constitutione Deus humanas præveniret voluntates, ut quem ipse vellet vas in honorem conderet, neque quisquam omnino posset auditâ prædicatione vel credere, vel de tanta infirmitate dolere, nisi cui à Deo *etiam daretur ut velit rejectū ab hoc dono alijs pariter reis, qui possent similiter liberari, si ea quæ pariter*

Conink de act. sib. supern. disput. 4. dub. 5. n. 92. & 101.

Suar. Proleg. 5. c. 6. dub. 3. 11. 21

Prosp. in Epist. ad August.

pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstaretur. Hoc enim certissimam extinctionem libertatis ac desperationis ansam præsentissimam esse credebant. Quod si vero ponatur hominem auditâ vocatione salutem posse pro sua libertate credere, & bonam inchoare voluntatem, statim omnium illarum difficultatum spectra diffugiunt, nam & durities divinæ sanctionis frangitur, nec alieno amplius arbitrio libertas rapitur, nec desperationis causa superest; cum jam tota salus in propria sit posita potestate. Nam quod juvanda dicitur voluntatis infirmitas, longe aliud est, quam si voluntas ipsa donanda diceretur. Hoc enim videtur ipsam libertatem seu indifferentiam volendi nolendique tollere, & invitum hominem alienâ voluntate rapere: istud vero jam volentem, hoc est, utentem propria libertate roborare ut fortius velit, id quod volendum esse judicaverit. Nam B idcirco omnium virtutum inchoatas quasdam voluntates homini tribuunt, ut nulla voluntas seu volitio nova per gratiam donari debeat, sed tantum ea quæ propriâ libertate orta fuerit, adjuvari. Et hoc est, quod de Massiliensibus istis Augustinus dicit, quod ad *ipsa cætera* (præter initium & perseverantiam fidei) *exhortationem eorum cæterorumque prædicationem definitione prædestinationis non metuunt impediri.* Et quod *ipsi hortantur quoque ad castitatem, charitatem, pietatem & cætera quæ Dei dona esse confitentur, nec dicunt exhortationes suas impediri prædicatione prædestinationis Dei.* Nam ubicumque Massilienses exhortationem locum habere putant, ibi libertatem arbitrij suas partes agere & salvam esse non dubitant. Quod clarissimis verbis ipsimet profitentur: *Ad illam voluntatem*, inquit Hilarius, *pertinuisse dicunt Exhortationis vel Comminationis utilitatem, quæ &* C *persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem.* Quid accuratius, quid manifestius dici potest? Cum ergo ad singularum virtutum opera gratiam dandam esse fateantur, & tamen exhortationes & correptiones adhibendas esse decernant, profecto libertatem arbitrij nullo modo per gratiam illam lædi aut interimi profitentur. Nimirum quia virtutum illarum opera non ita donari volunt; quasi homini prius volenti voluntas ipsa quæ non aderat donaretur, sed ut illa quæ per modum cujusdam infirmæ velleitatis emicuerat juvaretur. Idcirco enim apud Hilarium illam gratiam in Scripturis commendari volunt, *qua unusquisque post voluntatem iuvatur.* Idcirco *præcedere talem voluntatem* volunt, *quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa jam valeat*, hoc est, quæ id quod vult, præ infirmitate non possit efficere. Idcirco ante cu- A rationem volunt, *exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.* Idcirco denique Scripturas gratiam prædicantes *ad id valere volunt, ut adjuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit.* Nempe facillime intelligunt voluntatem sanitatis, quæ in unoquoque virtutum genere præcesserit ex infirma robustam fieri, & per gratiam adjuvari: non autem intelligunt voluntatem ipsam operante gratiâ, ita suscitari ut ex invito volens fiat. Hoc enim putabant non esse gratiæ, vel divini operis, sed propriæ libertatis. Hanc Massiliensium difficultatem qui vel advertere vel penetrare non possunt, non est mirum si in reliquis eorum placitis toto cœlo fallantur, & vera falsis permiscendo, non videant quid in Massiliensibus fugere debeant vel tenere. Non est mirum, si nescio quam sufficientem gratiam doctis indoctisque intellectu facillimam quam ipsi velut profundum mysterium B agnoscunt & prædicant, Massilienses tanquam irreconciliabilem libertatis inimicam horruisse persuadent, quantumvis eos aperte profiteri videamus, se recte intelligere quod *gratia iuvet voluntatem sine qua perseverare non potest:* talemque voluntatem illâ scilicet adjutam gratiâ qualis Adami fuit, *persistendi & desistendi obtinere liberam potestatem.* Nam nec ipsi Pelagiani ullos in ipsa mtus voluntate bonos vel malos timuerunt motus, dummodo *in suopte iure haberet utram partem sequeretur, nec a peccato abstraheretur voluntate captivâ.* Quod alibi latius demonstratum est.

Deniq; ex his quæ diximus non difficulter intelligitur superfluas esse quæstiones, quas de illa gratia, per & post fidei initium impetratâ nonnulli recentiores instituunt, ut, an illa gratia fiat à solo Deo in homine, sine nova C cooperatione ejusdem hominis vitali: An vero sit aliquis actus perfectior quam fuerit prior qui à nobis fit: an actus ille sit liber novâ libertate. An illud adjutorium sit efficax an sufficiens? An sit remissio peccatorum & similia, quæ sine fine multiplicari possunt. Talis quippe est illa gratia, qualem Augustinus in eodem errore constitutus asseruit, & postea secundum Scripturas sacras semper docuit. Neque enim unquam in illius gratiæ intelligentia nutavit, vel quicquam sive in seipso sive in Massiliensibus emendandum esse judicavit, præter ea quæ supra de fide cæterisque imperfectis voluntatis actibus juxta Massiliensium sententiam disputata sunt. Vnde qui doctrinam Sancti Augustini, *quam se acceptare*, ut ait Hilarius, *& probare testantur*, penetraverit, nihil penitus de similibus quæstionibus laborabit.

Lib. de dono persev. c. 17.

In Epist. ad August.

Ibid.

Ita Iul. lib. 1 oper. imperf. Vide sup. lib. 2. c. 3. & 4.

Qualis

Qualis Massiliensium electio & prædestinatio ad vitam æternam.

CAPVT XXI.

DE scopo, gratia, meritis Massiliensium satis diximus, nunc pauca de prædestinatione subjungenda sunt. Vbi in primis memoria repetendum est quod supra declaravimus, Massilienses unicum illud divinæ prædestinationis propositum, quod Augustinus prædicat, in duo esse partitos, unum quo vult omnes homines salvos fieri, si tamen ipsi velint, alterum quo hunc vel illum absolute eligit aut prædestinat ad salutem.

Hoc ergo secundum prædestinationis sive electionis propositum quod absolute prędestinationem aut electionem vocant, omnes unanimiter ex prævisione alicujus quod se tenet ex parte hominis concipi statuunt: ut scilicet illos Deus elegerit aut prædestinaverit, quos præviderit ut ante explicuimus sua libertate credituros. Hilarius: *Cæterum præscientiam & prædestinationem vel propositum ad id valere contendunt ut eos præscierit vel prædestinaverit, vel proposuerit eligere qui fuerant credituri.* Et D. Prosper: *In hac sententia positi consequenter sapiunt eos esse prædestinatos in vitam æternam, quos per liberæ voluntatis arbitrium fideles futuros præscierit Deus.* Porro non sic ista intelligenda sunt, quasi illos omnes Deus elegerit ad salutem quos quoquo modo præsciverit esse credituros: sed illos tantum quos perseveranter usq; in finem credituros, & in orandi accipiendique voluntate sub ipso gratiæ adjutorio permansuros esse præviderit. Nam si quis acceptam semel fidem suâ voluntate desereret, non est dubium quin eum decernerent in impietate periturum. Sic sententiam illam explicat suis verbis August. cum similiter erraret: *Non ergo*, inquit, *elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse donaturus est, sed fidem elegit in præscientia. ut quem crediturum esse præscivit ipsum elegerit cui Spiritũ Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Et paulo ante fidem illam explicans dixerat: *quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat*, hoc est in fide & oratione perseveret, *non accipit donum Dei.* Quæ omnia Massilienses ibidem *se acceptare testãtur.* Ex quibus Augustini verbis elucet manifeste quod neminem ad vitam æternam eligi vel prædestinari vellent, nisi qui non solum in fide, sed etjam sub ipsa Spiritus Sancti gratia, quam eis ad bene operandum Deus dederat, in finē vitæ usque persisterent. Quod citra ullam obscuritatis vel ambiguitatis nebulam Prosper exprimit: *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda mansuri sunt præscisse ante mundi constitutionem Deum: & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Ecce requirunt ad prædestinationem, ut *in fide per gratiam juvanda mansuri sint*, & ex hac vita *bono fine*, hoc est in bona voluntate & bonis operibus per Spiritũ Sanctum scilicet proferendis excessuri. Sic enim gratiam illam paulo ante ex Augustino expressam vidimus. Vnde rursum Prosper adversus Massiliensium opinionem, & argumentum ex autoritate petitum instrui cupiens, hoc sibi dilui postulat: *Quod pene omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam recipiunt.* Nempe sicut hoc Massilienses asserebant, *ut ob hoc*, inquit, *Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Vides manifestissime non aliter velle Massilienses prædestinationis propositum decerni à Deo nisi præviderit hominem non solum esse crediturum, sed etjam in *fide* & sub *ipso gratiæ adjutorio*, quod, ut supra latè diximus, ad bene operandum & perseverandum prorsus necessarium statuunt, permansurum. Neque enim in eo inveniuntur errorem aliquem tenuisse Massilienses, quod sine perseverantia in accepta gratia & justitia quemquam salvari posse contenderent. Ex quo fit necessario, ut in illorum opinione nemo ad salutem æternæ vitæ prædestinari posset, nisi quem Deus in fine vitæ *sub ipso gratiæ adjutorio in bona voluntate & actione futurum esse præsciret.*

In Epist. ad Aug.

In resp. ad 8 dub. Genuens.

In Epist. Hilar. ex lib. Exposit. quarumd. propos. ad Rom.

In Epist. ad Aug.

Ibid.

Ex his itaque primo intelligitur, quo sensu accipienda sit illa usitatissima Semi-Pelagianorum & Augustini cum eis errantis phrasis quod Deus *eligat fidem.* Nempe quod eligat hominem *propter fidem.* Significatur enim ipsa ratio electionis, quam homo offert eligenti Deo. Et sic eodem sensu negant *opera eligi*, quia videlicet, ut Augustinus explicat, opera non ab humana libertate sicut fides proficiscitur, sed Deus ea *per Spiritum Sanctum ipse largitur.* Vnde supponunt jam fidē propter quam unus præ alio ad accipiendum Spiritum Sanctum eligitur, præcessiue. Nam ut in eodem errore constitutus docuit, *æquales sunt omnes ante meritum*, fidei scilicet, *nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari: quoniam Spiritus Sanctus non datur nisi credentibus.* Hæc ergo electio hominis ad accipiendam Spiritus Sancti gratiam propter fidem, est quædam tantum electionis pars quæ non sortitur completam & absolutam prædestinationis rationem, nisi postquam in illa fide & gratia & bonis operibus per gratiã faciendis ad finem vitæ usq; permansurus, & vita æterna dignus futurus esse præscitur.

In Epist. Hilar.

Ibid.

Intelligitur secundò prædestinationem istã habere quandam rationem retributionis atque mercedis, si non in executione, saltem in præscientia Dei, de nemine quippe propositum præde-

prædestinationis absolvitur, nisi fides ejus & A perseverantia in eadem fide & gratia, ex libera hominis voluntate futura videatur. Vnde Prosper explicatâ Genuensibus hujusmodi prædestinatione subjungit: *Vt ipsa electorum prædestinatio non sit nisi retributio.* Et res ipsa per se manifesta est. Nam sicut ipsa vita æterna non nisi merito fidei & perseverantiæ in bona voluntate per gratiam adjuta retribuitur, ita & voluntas dandi vitam æternam ad idem meritum revocanda est, si non nisi præeunte talis perseverantiæ prævisione concipitur. Electio quippe sive prædestinatio ad vitam æternam quæ Massiliensibus eadem sunt, in hujusmodi voluntate præcipue constituta est. Quidquid enim præcedit hujusmodi voluntatem Dei, sive tota perfectaque natura, qualis per Dei gratiam in prima conditione donata est; sive vitiatæ naturæ qualescumque reliquiæ; sive gratia illa interna *sine qua non potest* vel integerrima Adami natura credere; sive fides ipsa; B sive gratia Christi sanans hominem; sive denique adjutorium Dei, sine quo in illa fide bonaque voluntate & actione perseverari non potest, electis & reprobis possunt esse communia: nec ullo modo voluntas profundendi in homines tanta beneficia prædestinationis ad vitam æternam vel electionis rationem habere potest: cum in multis tandem illo ultimo, quo tendunt omnia, vitæ æternæ fine frustrentur. Ex quo relinquitur ut juxta Massilienses nihil *prædestinationis ad regnum*, sive *electionis ad vitam æternam* rationem habere queat, nisi illud ultimum propositum Dei quo illos prædestinavit ad regnum suum quos in fide, bona voluntate & actione & gratiæ adjutorijs in finem usque suâ liberâ voluntate permansuros esse præscivérit: sive ut ipsi loquuntur, *Quos in fide quæ deinceps per gratiam sit iuvanda permansuri sunt:* Vel, *quos de hac vita bono fine excessuros* C *esse praviderit*; vel, *cuius finem praviderit & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset voluntate & actione præscierit*: vel ut Augustinus similiter errans loquebatur, *qui in Spiritu Sancto per quem bona possit operari, libero arbitrio permansurus est.*

In resp. ad 8. dub. Genuens.

In Epist. Prosp. ad Aug.

In Expos. quarund. propos. Epist. ad Rom propos. 60. & in Epist. Hilar ad Aug. citantur similia à Massiliensib.

Ex his denique manifestum est Semi-Pelagianos non minus atque Pelagianos *propositum & prædestinationem Dei*, ut Prosper loquitur, *secundum præscientiã recepisse*, prædestinationem, inquam, *qua*, ut idem loquitur, & Massilienses semper intelligunt, aliquem *prædestinat in regnum suum*, sive *in vitam æternam*. Sed hoc inter eos discrimen est, quod Pelagiani nihil gratiæ non solum ad credendum, sed ne quidem ad operandum necessarium agnoscentes, illos prædestinari & eligi vellent à Deo, quos non modo credituros, sed etiam sanctos futuros immaculatosque præsciret, hoc est, quos eâdam illâ naturali libertate bene operaturos sicut & credituros esse præcognosceret, ita videlicet, ut non opus esset ullâ prædestinatione Dei ad hoc ut aliquis sanctus & immaculatus operatione Dei fieret. Semi-Pelagiani è contrario, credere quidem nos posse sine Deo fidem nobis prædestinante atque donante censebant, non tamen posse vel unum opus bonum facere, nisi Deus illud credentibus dandum prædestinaret atque donaret, atque ita sanctos & immaculatos faceret. Quæ quidem prædestinatio & electio respectu illius particularis effectus, nempe sanctitatis & bonorum operum plena atque perfecta est, non tamen ejusmodi ut ab ea sola possit aliquis simpliciter electus aut prædestinatus esse vel dici. Hoc enim nemini competit nisi, postquam non solum sanctus esse & bene vivere & operari per gratiam Dei, sed etiam *sub ipso gratiæ adiutorio*, ut Prosper pro Massiliensibus loquitur, in eadem sanctitate & bona actione permansurus esse præscitur. Hoc quia Deum non per gratiæ adjutorium facere, sed humanâ libertate (etsi non sine illo gratiæ adjutorio) putant fieri, hinc est, quod etiam ipsorum tota prædestinatio & electio non alia sit nisi secundum præscientiam. Nam sive totam sanctitatem atque justitiam, sive solam fidem, vel denique solam in sanctitate & bonâ operatione perseverantiam sub ipso gratiæ adjutorio humanæ libertati tribuas, omnis gratuita veraque prædestinatio & electio funditus tollitur, & ut Prosper dixit, *ipsa electorum prædestinatio non est nisi retributio.* Et hoc est quod in Epistola ad Augustinum juxta Massiliensium opinionem dicit Deum *eos prædestinasse in regnum suum quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse praviderit.* Nam electione dignum esse nihil est aliud nisi electionem alicui pro illa dignitate retribui.

In Epist. cit. ad Aug.

Ibid.

In Epist. ad Aug.

In resp. ad 8 dub. Genuens.

Quomodo nolint definitum esse electorum numerum.

CAPVT XXII.

EX doctrina superiore intelligi potest A quo sensu Massilienses uno animo & uno ore negent, *Prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui*, seu ut Hilarius dicit, *quod & illud pariter non accipiant, ut eligendorum reiiciendorumque esse definitum numerum velint.* Cum enim crebro & apertissime fateantur ut ex allegatis ante testimonijs manifestum est. *Deum præscisse ante mundi constitutionem eos qui credituri sunt, qui vel in ea fide quæ deinceps per gratiam sit iuvanda mansuri sunt: & eos prædestinasse in regnum suum*; fieri non potest quin simul etiam fateantur, jam ante mundi constitutionem eâdem præscientiâ certum

Ita Prosp in Epi. ad Aug.

In Epist. ad Aug.

Ita Prosp. ibid.

Digitized by Google

certum esse Deo illorum numerum quos illa præscientia fidei perseverantis posita prædestinaverit & elegerit; & rursum quos præsciens esse casuros abjecerit; quod enim præscit esse futurum, sine ulla dubitatione certum est Deo: neque ulla potestate fieri potest ut vel mutetur illa præscientia, vel eâ positâ non eveniat, aut non faciat Deus quod eventurum, & se facturum esse præscivit. In cujus præscientiæ divinæ confessione & certitudine Massilienses ita integri & fixi sunt, ut eam ad conditionatas quasque propositiones rerum etjam nunquam futurarum extendant. Nam & *præscientia divina esse volunt, ut eo tempore & ibi & illis veritas annunciatur, quando & ubi prænoscatur esse credenda*; & parvulos in tenera ætate sine baptismo morientes, *tales, aiunt, perdi talesque salvari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad activam servarentur ætatem scientia divina præviderit.* Ecce quam perspicue assignant Deo certitudinem, etjam eorum, quos per præscientiam tantum conditionatam virtutis aut vitij, vitæ bonæ vel malæ, si ad activam servarentur ætatem elegerit aut abjecerit. Quæ præscientia cum ab æterno, sive ut ipsi loquuntur *ante mundi constitutionem* Deo affuerit, ac tandem de fine hominis, seu de extremo vitæ statu post quascunque voluntatis humanæ prævisas mutationes fixa stabilis & immutabilis maneat, fieri nulla ratione potest, ut non sit etjam in eorum sententia *eligendorum & rejiciendorum definitus numerus*, vel ut *electorum numerus augeatur aut minuatur.*

Ita Hilar. ibid.

Prosp. ibid.

Loco supra cit. ex Prosp. Epist.

Quid igitur sibi vult illa pervicax eorum obtrectatio & reluctatio adversus definitum electorum & prædestinatorum numerum? Nimirum istud Massilienses volunt, etsi numerus ille præscitus sit, quia præscita est omnis humanæ voluntatis mutatio; non tamen esse eum alienâ voluntate, decreto, & constitutione (inconsultâ scilicet humanâ voluntate) *definitum*, ut videlicet quocumque sese homo verterit tandem illud alienæ voluntatis consilium compleatur. Hoc est enim quod *virtutes tolli* dicunt, si *Dei constitutio humanas præveniat voluntates.* Hoc est quod *superfluum laborem* jactitant, *si neque rejectus à tali definito numero ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere.* Hoc est quod ægerrime ferunt quod *quoquo modo se egerint non possit aliud erga eos quam Deus definiverit accidere.* Hoc est quod *partes constitui* nolunt, *quibus nec adjiciendum sit aliquid, nec detrahendum*, vel, *ut de alijs ad alios nullus possit accedere.* Tantummodo enim fixos illos alienæ voluntatis cancellos velut laqueũ inextricabilẽ timent, quos nulla propriæ voluntatis mutabilitate, industria aut labore possint egredi: sic enim omninò putant omnem extingui conatum hominis, omnem exhortationem intercipi, omne studium suffocari. Nihil denique sic definito prædestinatorum numero nisi segnitiem reproborum, nisi desperationem superesse, sicut latius in superioribus omnia ista declarata sunt.

In Epist. Prosp. ad August.

In Epist. Hilar.

A

Vnde causam afferentes cur nolint esse definitum electorum numerum; *ne*, inquiunt, *locum apud infideles & negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac superflua sit industria ac laboris indictio, cuius studium cessante electione frustrandum sit.* Nam cum proposito electionis ex fidei vel bonæ voluntatis vel alicujus alterius prævisione concepto, cohortationes, correptiones, laboris indictionem, studium ac diligentiam rectè consistere Massilienses ex professo docent. Proprissime igitur & libratissima consideratione loquuntur, quando *definiri* vel *prædestinari electorum numerum*, vel *constitui* partes negant. Istæ enim phrases significant numerum illum utriusque partis, non aliunde quam ex aliena voluntate & constitutione consurgere: Sed quando illa numeri certitudo ex præviso finaliter humanarum voluntatum statu oritur, non tam definitur aut prædestinatur aut constituitur ille numerus aliena voluntate, quam ex ipsius humani arbitrij flexibilitate (non sine gratia tamen) nasciturus esse præscitur. Ex quo fit, ut illa indifferens flexibilitas in omnem sese partem liberrimè possit, sive gratiæ cooperando, sive non cooperando vertere, utpote nulla definitione vel constitutione voluntatem suâ præveniente ad alteram partem religata. Hanc Massilienses libertatem omnibus suis conatibus, contradictionibus, tumultuosisque disputationibus affectarunt: & hujus jacturam velut certissimum fati & desperationis laqueũ formidarunt. Hanc primo homini in statu innocentiæ affuisse gratulati sunt, utpote qui *ita aditus est*, inquiunt, *ut & stare posset in iustitia & a iustitia declinare.* Cum hac Adami libertate, quantumvis ut ipsi loquuntur, *gratia iuvaretur, sine qua perseverare non poterat* optime intelligunt laboris indictiones, prædicationes, exhortationes, correptionesque consistere. *Ad illam enim voluntatem* (Adami) *pertinuisse dicunt exhortationis vel communionis utilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem.* Nimis enim ridiculum & ineptum est arbitrari non dico ingeniosis hominibus sed vel rusticanis ingenijs quod cum illa gratia, sine qua quis vel agere vel perseverare non potest & cujus usus vel non usus ab ipsa libertate pendeat, indifferens illa libertas voluntatis intereat. Sed audeo dicere magis adhuc absurdum est, quod ingeniosis hominibus libertatem illam cum tali gratia salvam esse tam aperte cernentibus, tam ingenue profitentibus nihilominus adhuc ista intelligentiæ tarditas & sententiæ falsitas imponatur. Sed non alia de causa ista fiunt nisi ut Massiliensibus quasi enormis erroris autoribus abjectis ac detestatis, ipsi aliquid rectius sapere & proferre videantur. Sed hæc de Massiliensibus sufficiant, nunc pauca de contraria prædestinatorum hallucinatione dicamus.

In Epist. Prosp. ad August.

B

C

Ibid.

Ibid.

D

Digitized by Google

De Prædestinatianis, & eorum hæresi. Non esse hæresin, sed calumniam, qua Massilienses S. Augustini doctrinam infamarunt.

CAPVT XXIII.

a *Genebr. in Chronico sub Zozymo.* b *Baron ad an. 490.* c *Suar. Tom de gratia proleg. 5. c. 5. n. 1.* d *Alph. à Castro Hæres. 1. prædestinat.* *Sigebert ad an. Christi 415.*

PLERIQVE Recentiores ut a Genebrardus, b Baronius, c Suarez, d A Castro & alij passim, aliud genus errantium Pelagianis oppositum asserunt, quos hæreticos *Prædestinatos* vel *Prædestinatianos* vocant. *Hi dicebant, quod nec pie viventibus prodesset bonorum operum labor si a Deo ad mortem prædestinati fuerint: Nec impijs obsit quod improbè vivant si à Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio & bonos à bonis avocabat & malos ad mala provocabat. Hæc hæresis ex libris Augustini male intellectis initium sumpsisse dicitur.* Quibus verbis istius hæresis sententiam & originem expressit Sigebertus in Chronico, quem ferè Recentiores primum citant qui mentionem ejus fecerit, atque ejus memoriam posteris commendaverit. Verumtamen invenio *hæresin Prædestinatianam* & *hæreticos Prædestinatianos* commemoratos ab Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi apud Flodoardum in Epistola ad Nicolaum Papam; ubi quendam Gothescalcum Prædestinatiana hæresi contaminatum, eamque ob causam damnatum fuisse testatur. Articulos autem istius hæresis alios numerat quam Sigebertus videlicet primo quod *sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinaverit ad mortem æternam.* Secundo: *Quoniam non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur.* Tertio: *Quod non pro totius mundi redemptione, id est pro omnium hominum salute & redemptione Dominus & Salvator noster IESVS Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantum pro his qui salvantur.* Quarto: Quod exponendo locum Sancti Petri, *eum qui emit eos Dominum negantes*, hoc intelligant quod *baptismi Sacramento eos emerit, non tamen pro eis crucem subierit, neque mortem pertulerit, neque sanguinem fuderit.* Hæc ille de ista hæresi quam Sigebertus anno 415. exortam tradit, à quo non multum abest Hincmarus, dum dicit eam *primum in Africa, postea in Gallijs quando & hæresis Nestoriana nascebatur* exortam, *atque Celestini Pontificis autoritate & Prosperi instantia revictam esse.* Nam Celestinus anno circiter 432. paulò post peractum Concilium Ephesinum extremum diem clausit.

Apud Flodoard. lib. 3. Hist. Rhem. c. 14.

Apud Flodoard. ibid.

Cùm igitur uterque tempore Sancti Augustini illam hæresin exortam esse tradat, vehementer mirum est, cur nec Augustinus nec Prosper ullam istius hæresis mentionem in omnibus suis scriptis fecerint; nedum illam revicerint aut refutaverint: mirum itidem cur nemo Catholicorum scriptorum ante Sigebertum & Hincmarum certum aliquid de Prædestinatianis posteritatis memoriæ commendaverit.

Quamobrem ut suspicionem meam liberè dicam & lectoribus dijudicandam offeram, existimo equidem nunquam in rerum natura fuisse hæresin Prædestinatianam vel hæreticos Prædestinatianos: sed è contrario, doctrinam Catholicam, quam Sanctus Augustinus & Prosper docuerunt, sub nomine istius hæresis calumniosè à Massiliensibus traductam esse. Itaq; hæretici illi Prædestinatiani non fuerunt alij quam S. Augustinus, Prosper, Hilarius, & quotquot eorum doctrinam sequebantur, quos eo nomine indigetarunt Semi-Pelagiani, atque inter hæreticos nominibus eorum non expressis collocarunt, quibus credula posteritas, quosdam tanquam hæreticos Prædestinatos aversata est. Argumenta existimationis istius non contemnenda sese offerunt. Primum, quod jam dixi, quia nullum hæreseos istius indicium extat apud August. cum tamen mox sub initium hæreseos Pelagianæ, anno videlicet 415. ut Sigebertus ait, quo needum hæresis Pelagiana proscripta fuerat, exorta memoretur. Deinde quia Hincmarus ait, eam *primum in Africa, postea in Gallijs per idem tempus quãdo & Nestoriana hæresis nascebatur*, exortã esse, hoc est, in Africa vivente Augustino, in Gallijs sub mortem ejus, utpote qui Ephesum ad condemnationem hæresis Nestorianæ vocatus, jam obierat. Tunc autem cœperunt contentiones adversus Augustini libros de correptione & gratia, & de natura & libero arbitrio fervere, tunc etjam prædestinatio gratiæ vehementissime oppugnari cœpit, quemadmodum ex libro de dono perseverantiæ perspicuum est. Tertiò quia Hincmarus addit *eam tempore Celestini Papæ ipsius autoritate & instantia Sancti Prosperi revictam esse.* Est autem certum, acerrime Prosperum adversus calumniatores doctrinæ Sancti Augustini de prædestinatione depugnasse, quemadmodum ex duobus ejus libris Responsione videlicet ad Capitula Gallorum & ad objectiones Vincentianas liquet. Nam uterque liber in eo tota nervorum contentione versatur, ut ostendat falsa esse vel non intellecta vel in perversum sensum rapta quæ de prædestinatione, & non omniũ redemptione & similibus capitibus sibi & Augustino imponebantur. Nam in præfatione responsiones ad Capitula Gallorum sic ait: *Doctrinam quam Sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrij deceptores per multos annos Apostolicè asseruit litterisque mandavit, quibusdam visum est, aut intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere. Et hoc quasi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre: ut quæ in libris prædicti viri damna-*

Præfat. in Resp. ad Cap. Gall.

damnabilia reperisse iactabant, brevium capitulorum indiculis prænotarent, talique commento & detestationem eius quem impeterent, obtinerent; & ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent. Nec dissimiliter præfatione in responsionem ad objectiones Vincentianas: *Contexunt & quibusdam possunt sententijs comprehendunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda & ingerenda multis publice privatimque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu qualia diabolico continentur indiculo.* Adversus istos igitur pugnavit quidem acriter Sanctus Prosper, eosque compressit autoritate sua Celestinus, non tamen tanquam qui essent hæretici Prædestinatiani, sed è contrario, tanquam qui tales errores de prædestinatione, ab Augustino & Prospero doceri asserebant. Nam idcirco Prosper ut hoc indicaret utrobique subtexit: *Ne ergo hanc persuasionem temerè quis recipiat & talem putet sensum scriptis Catholici inesse Doctoris Augustini, qualem eum qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis, brevi & absoluta professione respondeo, in nullo recedens à tramite earum definitionum quæ in sancti viri disputationibus continentur.* Et ad objectiones Vincentianas dicit, se sensum suum & verba singulis objectis capitulis subjecturum, ut lectores *evidenter agnoscant, impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus nostris inhærere vestigium: & blasphemias quas perspexerint nostra professione damnari, in earum repertoribus*, qui videlicet ea tanquam à Prospero docta commenti fuerant, *censeant debere puniri.* Celestinus etjam annitente Prospero & Hilario non Prædestinatianos hæreticos compressit, sed illos Presbyteros *qui nitebantur etiam quiescentium fratrum*, hoc est Augustini, *memoriam dissipare*, quique Augustino *tanquam necessarium modum excessisset* de prædestinatione *obloquebantur.* Ex quibus clarè ostenditur non Prosperũ aut Celestinũ hæreticos Prædestinatianos instantia aut autoritate sua revicisse, ut Hincmarus ait, sed Massilienses Presbyteros qui prava dogmata de prædestinatione ex Augustini & Prosperi scriptis inferebant & tanquam ab eis tradita fuissent acriter incusabant.

Præfat. in Resp. ad obiect. Vincent.

Ad cap. Gal.

Præfat. ad obiect. Vincent.

Epist. ad Gall.

Quarto, quia primus omnium qui dogmata Prædestinatianorum recensuit, fuit Gennadius Massiliensis Presbyter, non mediocriter de Semi-Pelagiana hæresi suspectus vel infectus, & Augustino ac Prospero gratiæ patronis integerrimis periniquus, quorum unum tanquam ex *multiloquio peccantem*, & *errantem* taxat, alterum tanquam qui Cassiani *salutaria opuscula*, hoc est errores de gratia *ut nociva infamaverit.* Argumento est quod in libello quodam de Hæresibus qui Sancto Hieronymo attribuitur cum catalogus hæreticorum ad Photinum & Eunomium usque perductus esset, qui circa ætatem S. Hieronymi vixerunt, sic de Gennadio subjungitur: *Hæc usque Sanctus Hieronymus. Hæc verò quæ sequuntur à Sancto Gennadio Massiliensi Presbytero sunt posita.* Prima verò hæresis quam Gẽnadius ibi ponit, est *Prædestinatianorum.* Nam de Pelagianis & Semi-Pelagianis nulla mentio. Gennadium verò de Hæresibus scripsisse, testatur ipsemet non uno loco in libro de viris illustribus: ut in Vigilantio: *Alia locutus est frivola, quæ in Catalogo Hæreticorum necessario exponentur.* Et in Nestorio: *in quo quid asseveraverit in Catalogo Hæreticorum monstrabitur.* Hujus igitur scriptoris Gennadij, aliorumque quorumdam Massiliensium autoritatem qui nunquam leguntur ab Ecclesiastica communione separati, secuti videntur qui Prædestinatianos in Catalogum hæreticorum retulerunt. Ex quo factum est ut qui cautius inter antiquos de Prædestinatianis loqui voluerunt, non asserant illam hæresim ex Augustini libris male intellectis ortam esse, sed *dici.* Nam Sigebertus ait: *Hæc hæresis ex libris Augustini male intellectis initium sumpsisse dicitur.* Et Prosper ille qui Tyro dicitur quamvis erroribus pudendis scateat, meritoque propterea à graviori autoritate submovendus sit, ad annum vigesimum tertium Honorij ijsdem verbis, quæ Sigebertus videtur imitatus: *Prædestinatorum hæresis quæ ab Augustini libris male intellectis accepisse dicitur initium, serpere exorsa.*

Gennad. in lib. de viris Illust. in August. & Prosp.

Editus est à C. v. Menardo Andium prætore & Subiunctus duobus lib. op. imperf. Aug. cont. Iul.

Lib. de viris Illust.

Sigebert. ad an. 415.

Prosp. Tyro.

Quinto, quia omnia quæ Sigebertus & Hincmarus maximeque Gennadius Prædestinatianis ascribunt sunt ipsissima illa dogmata quæ Semi-Pelagiani tanquam ab Augustino tradita atque in ejus libris expressa carpebant, quod usque adeò verum est ut Gennadius plerumque ijsdem utatur verbis alio detortis, quibus Augustinus usus est, vel quæ sancto viro ab ejus obtrectatoribus objecta sunt. Nam primus articulus Prædestinatianorum apud Gennadium est: *Quod Deus non omnes homines ad hoc crearit ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus* qui ijsdem pœne verbis à Massiliensibus objectus est Augustino: *Quod quidam homines non ad hoc à Deo creati sunt ut vitam adipiscerentur æternam, sed ut habitum tantummodo sæculi præsentis ornarent.* Et inde objectio suum ortum habet, quod Augustinus non semel doceat, multitudinem reproborum esse sæculi præsentis ornatum.

Apud Prosp. c. 13. Gall.

Vide lib. 9. de Genes. c. 9. & alijs locis.

Secundus articulus Prædestinatianorum apud Gennadium est; *Quod etsi generali prædicatione dicat, venite ad me omnes qui laboratis &c. non tamen omnes ea voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem.* Qui alijs verbis eodem sensu impingitur à Massiliẽsibus Augustino apud Prosperum: *Quod qui vocati sunt non æqualiter sint vocati sed alij ut crederent, alij ut non crederent.* Sequi enim vocationem & credere vocationi reipsa prorsus idem sunt.

Cap. 5. Gall.

Tertius articulus Prædestinatianorum apud Gennadium est; *Sed nec omnes qui ipso inspirante obediunt vocationi dicuntur accipere exequendi in bono opere perseverantiam: sed post multos labores & iustitiæ fructus, si non sunt de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi ne perdurent in bono.* Articulus iste quantum ad primam ejus partem, Catholica doctrina est; quam Augustinus ex professo tradidit, nec à quoquam negari potest, nisi qui perseverantiam donum

Dei

articulus iste idem ferè continet quod tertius & quartus apud Gennadium, & quamvis falsus sit, satis tamen apparet ad insimulandum calumniandamque doctrinam Augustini esse formatum. Verum est enim quod ipse imò quod fides nostra docet, quod si quis à Deo ad mortem æternæ damnationis propter peccata prædestinatus fuerit, nihil ei prosit bonorum operum labor, ad damnationem totam reipsa evadendam; & è contrario si quis ad vitam prædestinatus fuerit nulla peccata præcedentia poterunt irritare prædestinationem Dei, quominus effectum ejus assequatur; sed non omne verum quolibet modo apud imperitos efferendum est. Nam cum similis omninò propositio Augustino tamquam ab eo tradita objiceretur, opposuit illam similem veram quidem, nullo modo tamen imperitis prædicandam: *Si qui obeditis, si præsciti estis rejiciendi, obedire cessabitis:* De qua dicit; *nempe hoc verissimum est, ita sane sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito.* Nam ut paulò ante præmiserat adversus quorumdam imprudentiam qui dum vera prædicent, se excusatos putant: *Dolosi vel imperiti medici est etiam utile medicamentum sic alligare ut aut non prosit aut obsit.*

Lib. de dono persev. c. 22.

Iam verò dogmata quæ Hincmarus Prædestinatianis imponit, sunt ipsissimæ calumniæ quas Augustino & Prospero Massilienses impegerunt. Primum est: *Quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem:* Vbi tota vis in eo sita est, quod aliqui ad mortem prædestinati esse dicantur. Hoc Massilienses involutè proponebant, ut vel peccatum quod mors est animæ vel ipsa damnatio intelligi possit. Vnde in objectione 13. 15. & 16. Vincentiana dicuntur aliqui *fideles & Sancti ad æternam mortem prædestinati*; in 14. verò *ad ruinam & perditionem* prædestinati: ut plausibilius Catholicę doctrinæ Sancti Augustini quæ quosdam à Deo non ad ruinam vel peccata, sed ad æternam damnationem propter peccata destinatos, ideòque Prædestinatos tradit, invidiam concitarent.

Apud Flodoard. lib. 3. c. 14. in Ep. ad Nicol.

Secundum Prædestinatianorũ dogma apud Hincmarum est; *Quoniam non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur.* Quod eodem plane sensu Massilienses objecerunt Augustino his verbis: *Quod non omnes homines velit Deus salvos fieri sed certum numerum Prædestinatorum.* Et quis est certus numerus Prædestinatorum *nisi tantum ij qui salvantur*, ut Hincmarus dicit? Neque enim quisquis extra Prædestinatorum numerum, salvandus est.

Cap. 8. Gall.

Tertium est apud Hincmarum: *Quod non pro totius mundi redemptione, id est pro omnium hominum salute & redemptione Dominus & Salvator noster* IESVS *Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantum pro ijs qui salvantur.* Quod ipsissimis verbis etjam Augustino à Massiliensibus exprobratum est: *Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus*, nam quod additur apud Hincmarum: *Sed tantum pro ijs qui salvantur,* non est nisi partis præcedentis explicatio quam subintelligi volebant Massilienses.

Nihil arbitror evidentius postulari potest ut intelligat lector etjam ex articulis Hincmari demonstrari, quod non aliud sit Prædestinatianorum hæresis, quam calumniæ Massiliensium adversus Augustinum ac doctrinam Ecclesiæ, quam nomine hæresis traducebant. Quod & ipsum Hincmarum tacitè confessum satis ex eo intelligitur quod illam hæresim *primum in Africa exortam* esse profitetur; nam initium obtrectandi à Monachis Adrumetinis cœpit: *& postea in Gallijs per idem tempus quando & hæresis Nestoriana*, hoc est sub finem vitæ Sancti Augustini; ac denique *tempore Cœlestini Papæ ipsius autoritate & instantia Sancti Prosperi revictam:* quod non de Prædestinatianæ hæresis, sed de calumniarum istarum revictione atque compressione ad amussim verum esse jam supra diximus. Qua de causa S. Isidorus Hispalensis Episcopus Hincmaro antiquior atque doctior cum librum istum Gennadij vidisset atq; inde plures hereses ijsdem omninò verbis descripsisset, Pelagianos à Gennadio prætermissos addidit & Prædestinatianos à Gennadio positos prætermisit. Quamvis igitur Hincmarus aliquo modo excusari possit, quod pręcedentium quorumdam autoritate motus Prædestinatianos, hoc est Catholicos invidioso nomine traductos inter hæreticos numeraverit, in eo tamen non videtur excusari posse, quod nonnullos articulos supra positos hæresibus accensuerit, ijsque Godscalcum quamvis alijs ex capitibus culpabilem, oneraverit. Nam Godscalcus primum articulum quo quosdam *ad æternam mortem prædestinatos* asserebat de morte damnationis intelligebat, quemadmodum apertissime liquet ex doctissimis illis libris quos Remigius Archiepiscopus Lugdunensis & ejus Ecclesia ea de re cæterisque Godscalci articulis supra commemoratis exararit. Sic autem intellecta ejus assertio non est hæresis, sed doctrina Sancti Augustini ac Fulgentij, imo Ecclesiæ Catholicæ fides, quæ quemadmodum quosdam gratis ad vitam æternam prædestinari, ita quosdam ex prævisis peccatis ad mortem æternam prædestinari, seu ordinari tradit. Qua de re alibi disserendum erit. Rursum secundus articulus *quod non omnes homines Deus velit salvos fieri, sed tantum certum numerum Prædestinatorum* ab Augustino, Prospero, Fulgentio, non uno loco traditur. Quapropter Ecclesia Lugdunensis in illis eruditis libris quos paulò ante memoravi clarissime tradit, fidem Catholicam ab Episcopis nonnullis Gallicanis in illo Monacho Godscalco damnando esse damnatam, quantum ad illum articulum primum: quantum ad secundum verò doctrinam antiquorum Patrum. Nam de primo articulo dicit: *Videtur*, inquit, *nobis sine dubio quod illa quæ de divina prædestinatione dixit, juxta regulam Catholicæ fidei vera sint, & à veridicis Patribus manifestissime confirmatum, nec ab ullo penitus nostrum qui Catholicus haberi vult, respuenda sive damnanda. Et ideo de hac re dolemus, non hunc misera-*

S. Isidor. in Catalogo Hæreticorũ lib. 8. Orig. c. 5.

Habentur in auctuario Bibliot. SS. Patrum Tom. 2.

Vide Prosp. in Epist. ad Rufin. & resp. ad c. 8. Gall.

Ecclesia Lugdun. lib. de 3. Epist.

TOMI PRIMI ELENCHVS LIBRORVM ET CAPITVM.

Liber Primus.

HISTORIA de Hæresi Pelagiana.

Liber Secundus.

CAP. 1. De libero arbitrio.
2. In libertate arbitrij imago Dei, ideo inamissibilis. Quadam de naturali possibilitate boni.
3. De viribus liberi arbitrij quibus omnes motus animi bonos ac malos compescerct suo nutu & moderaretur.
4. Indeliberatos animi motus bonos ac malos, salva manente libertate admittunt Pelagiani.
5. Idem uberius ex principijs Pelagianorum declaratur de motibus bonis.
6. Ad quos effectus se extenderit illa liberi arbitrij possibilitas.
7. Quo gratiæ adjutorio fultus fuerit Adā. Et primo de gratia habituali.
8. De scientia primi hominis.
9. An Adamo aliquod actualis gratiæ adjutorium datum fuerit.
10. De concupiscentijs animi.
11. De libidine membrorum, & conjugio primorum hominum.
12. De confusione primorum hominum.
13. De corpore primi hominis.
14. De cæteris miserijs humanæ naturæ.
15. De alijs nonnullis dogmatibus. Redditur ratio ordinis.

Liber Tertius.

CAP. 1. De peccato originali. Variæ Scripturarum corruptelæ.
2. Rationes quibus peccatum originale oppugnant.
3. Absurda quæ ex Originalis peccati fide à Pelagianis inferuntur.
4. Pelagiani præcones & patroni libidinis.
5. Libidinem non esse malam varijs argumentis astruunt & Scripturas solvunt.
6. Admittunt malas consuetudines; eas esse legem in membris. Caput septimum ad Romanos pervertunt. Multasque calumnias in Catholicos cōminiscuntur.
7 Bonam esse libidinem multis argumentis probant.
8. De bonitate aliarum cupiditatum.
9. Indagantur causæ cur libidines velut naturaliter bonas commendarent.
10. De usu vel fruitione libidinis. Et quid nuptiæ.
11. De cæterarum carnalium voluptatum fruitione. Et cujus Philosophicæ sectæ Iulianus.
12. De ignorantia parvulorū quid senserint?
13. De ignorantiâ adultorum, invincibili, vincibili.
14. De morte quid senserint?
15. De cæteris miserijs humanæ naturæ.
16. Synopsis de prædictis defectibus.
17. De statu nascentium. Omne malum ab eo removent.
18. Multis titulis naturam parvulorum ornant; imo felicitatem tribuunt.
19. Parvulis sine baptismo morientibus Pelagiani tribuunt vitam ęternam. Quid illa; an beatitudo naturalis? Quid regnum cœlorum?
20. Argumenta, quod per vitam æternam, Pelagiani intelligant beatitudinē claræ visionis Dei.
21. Vtrum Pelagiani sententiam suam de vitâ æternâ parvulis non baptizatis danda, tandem mutaverint.
22. Iisdem argumentis probari potest, Pelagianos parvulis nascentibus supernaturalem innocentiam dare, quibus aliqui probari putant, eos morientibus sine baptismo vitam æternam supernaturalem promisisse.
23. Solvuntur difficultates ex Augustinó motæ.
24. De statu adultorum sine fide moraliter bene viventium, post hanc vitam.

Liber Quartus.

CAP. 1. Quid peccatum.
2. Nulla peccādi infirmitas in homine.
3. Peccandi infirmitas non potest infligi à Deo in pœnam præcedentis peccati.
4. Malæ consuetudines difficultatem benè vivendi afferunt.
5. Vnum peccatum non est pœna alterius, & quomodo Deus tradat hominem desiderijs suis.
6. De virtute & operibus ejus.
7. De seminibus virtutum naturalibus.
8. De laude naturæ & fructibus illorum seminum naturalium in infidelibus.
9. Vires naturæ ad cognoscendum, diligendum, & colendum Deum.
10. Vires naturæ ad exercendas omnes virtutes cardinales.
11. Iusta vita, salus, vita æterna, & regnum Dei per naturæ vires.
12. Vires ad pœnitendum & redeundum ad justitiam naturalem, & quid illa sit.
13. Vires ad superandas malas consuetudines &

nes & impetus passionum.
14. Quod homo possit per naturam liberi arbitrij esse perfectus, & non peccare si velit.
15. Tollunt orationem fidelium pro obtinenda tentationum victoria, & peccatorum venia.
16. Argumenta nonnulla quibus non peccandi possibilitatem asserunt.
17. Discrimen statuunt inter esse, & posse esse sine peccato.
18. Non peccandi non modo possibilitatem, sed etiam facilitatem asserunt.
19. Ἀπάθειαν inducunt. Quid illa sit; & unde hausta. Differentia inter impeccantiã & impeccabilitatem: inter sine peccato esse & ἀναμάρτητον.
20. Ecclesia tota ex solis justis & non peccantibus conflatur.
21. Perfecti viri in hac vita æquales beatis & Angelis Dei.
22. Homo per liberum arbitrium fit in hac vita æqualis Deo. De superbia Pelagianorum.

Liber Quintus.

CAP. 1. Primus Pelagianismi status Ethnicismus: nudam naturam prædicat.
2. Secundus Pelagianismi status Semi-Ethnicismus: gratiam naturæ extollit.
3. Tertius Pelagianismi status Iudaismus: quando inductus.
4. Legis laudes & vires. Effectus ejus justitia, vita æterna & regnum cœlorum.
5. Legis scopus. De tribus statibus generis humani sub natura, sub lege, & sub gratia.
6. In tribus situm est adjutorium gratiæ Christi, & primo de remissione peccatorum.
7. Remissio peccati propriè gratia per fidem Christi data: & tribus modis juxta Pelagianos gratuita. Pauca de differentia justitiæ hominis, factorum, ex lege & justitia fidei seu ex fide.
8. De alia Christi gratia, doctrina & exemplo Christi. Quæ vires & effectus ejus, & quamdiu à Pelagianis asserta.
9. Varijs nominibus gratiam legis & doctrinæ prædicant. Vbi de revelatione sapientiæ, oculorum apertione, præmij promissione, insidiarum detectione, cælesti illuminatione, suasione, scientia.
10. Negant Pelagiani gratiam Dei & adjutorium ad singulos actus dari: quo tacitè duo Christianæ doctrinæ capita convellunt.
11. Quid sit adjutorium possibilitatis, & adjutorium voluntatis & actionis: & quatuor utriusque differentiæ.
12. Indagantur causæ cur adjutorium voluntatis & actionis abhorreant, solo auxilio possibilitatis contenti. Prima, quia tollitur liberum arbitrium cum tale adjutorium homini non datur.
13. Secunda causa, quia tollitur liberum arbitrium, quando tale adjutorium homini datur.
14. De simili errore Monachorum Adrumetinorum & à Pelagiano differentia.
15. Tertia, quarta & quinta causa repudiandi talis adjutorij est coactio, necessitas, fatum.
16. Sexta, septima & octava causa, quia securitatem ignavam adfert, laudem, meritum & præmium tollit.
17. Quale sit illud adjutorium quod tot criminationibus Pelagiani accusant.
18. De adjutorio possibilitatis interno.
19. Etiam in voluntate potest dari auxilium possibilitatis. De concursu generali Dei ad omnes naturas.
20. De concursu generali Dei ad operationes etjam voluntatis.
21. Solvitur objectio ex Epistola Divi Hieronymi ad Ctesiphontem petita.
22. De adjutorio justitiæ seu gratiæ habitualis Pelagianorum. Sententia declaratur ex virtutibus acquisitis, & remissionè peccatorum.
23. Ostenditur eorum de gratia habituali sententia ex effectibus ejus quasi privativis.
24. Eadem latius demonstratur ex effectibus gratiæ positivis.
25. Eadem uberius astruitur ex effectibus gratiæ relativis.
26. Expenditur locus Divi Chrysostomi, & Synopsis eorum quæ pro asserenda gratia habituali Pelagiani dicunt.
27. Solvuntur nonnullę difficultates ex Divò Augustino & Concilio Cathaginensi motæ.
28. De adjutorio possibilitatis gratiarum actualium respectu voluntatis: ubi de motibus ejus indeliberatis.
29 Vtrum ullam veram internam & actualẽ voluntatis gratiam admiserint Pelagiani ante condemnationem hæresios sub Zozymo Papa.
30. Vtrum Pelagius ante condemnationem sub Zozymo opinionem mutaverit, de gratia respectu voluntatis.

Liber Sextus.

CAP. 1. Quartus Pelagianismi status post condemnationem hæresis Pelagianæ Semi-Christianismus. De gratia ad perfectionem necessaria.
2. Veram internam gratiam confitentur ad assequendam perfectionem necessariam.
3. Prima gratiæ corruptela quod eam tantum necessariam statuunt, ut facilius obtineatur perfectio & salus.
4. Secunda gratiæ corruptela meritum humanum. De quo magna contentio post proscriptos Pelagianos.

5. Quæ-

5. Quænam sint illa merita gratiæ: nempe prima boni cupiditas, seu conversio, fides, oratio.
6. Christum volunt ex meritis liberi arbitrij factum esse Deum. Haustus ille error ex Origene.
7. Transitus ad Prædestinationem. Præmittitur totius hæresis Pelagianæ scopus, & generalis ordo dogmatum.
8. Oeconomia divinæ voluntatis & gratiæ erga salutem humanam. De gratuita vocatione & justificatione: & quo sensu vocatio dicatur secundum propositum.
9. De duplici electione gratiæ & meritorũ: Et quomodo illæ duæ simul consistãt.
10. Quid prædestinatio Pelagianis. Omnis ex prævisione fidei vel meritorum etjã respectu parvulorum. De vasis iræ & misericordiæ pauca.
11. Statum puræ naturæ in Ecclesiam introduxerunt Pelagiani.
12. Præcursores Pelagij & Celestij Rufinus Presbyter, Evagrius Monachus, Palladius, Iovinianus, Priscilianus, Manichæi, Euchitæ.
13. Hæresis Pelagianæ fons Origenes. Proponitur sententia ejus de libero arbitrio & naturali ejus possibilitate.
14. Sententia Origenis de lege naturæ & Moysis Pelagiana.
15. De gratia & merito ejus ipsissimus error Pelagij & Massiliensium ab Origene traditus. De justitiæ perfectione, & ἀπαθείας.
16. Electionem, prædestinationem & vocationem secundum propositum prorsus evertit, sicut Pelagiani & Massilienses.
17. Omnes pœne corruptelas Scripturarum de peccato originali & gratia, quibus Pelagiani abutuntur, totumque errorem Pelagianũ præformavit Origenes.
18. Prima origo totius hæresis Pelagianæ, & omnium gratiæ interpolatorum, Philosophia.
19. Alia nonnulla dogmata Pelagij in quibus elucet indoles ejus. Transitus ad mores ejus.
20. Immanis superbia proprius Pelagij character & omnium discipulorum ejus.
21. Novitatis, admirationis, famæ, gloriæ aculeis ad virtutem stimulant. Eorum turpis adulatio.
22. Alia eorum vitia ex eodem fonte, affectatio sanctitatis, jactantia, hypocrisis, venatio divitiarum sub pallio paupertatis, pompa vestiũ & sæcularis fastus.
23. Tument scientia sæculari & argutijs dialecticis. Simiæ Aristotelis, rationem Scripturarum regulam fingunt. Sillogismorum jactant acumina. Ab Ecclesiasticis judicibus provocant ad Peripateticorum scholam. Pruritus scribendi multa volumina, & aliorum velut indoctorum contemptus.
24. Ante simulate Sancti, tandem aperte flagitiosi, fallaces in obtrudendo fictos libros, in negando suos, in corrumpendo alienos. Mendaciorum & restrictionum mentalium, Architecti peritissimi.
25. Ambiguis verbis dogmata exprimunt. Sub aliena persona disputant tanquã de quæstionibus præter fidem. Romanæ Ecclesiæ reverentiam & in omnibus submissionem simulant.

Liber Septimus.

CAP. 1. De prædestinatione parcè scripsit Augustinus ante motas ab Adrumetinis Monachis & Massiliensibus difficultates, & quare. Ortus Semi-Pelagianorum & ratio nominis.
2. Semi-Pelagiani in plures sectas divisi, etjam statim in initio. Sententia Fausti de viribus naturæ & gratia prorsus Pelagiana.
3. Non ex Fausto solo & Cassiano judicandum de statu erroris Semi-Pelagiani, sed ex scriptis Prosperi & Hilarij.
4. Sententiam Semi-Pelagianorum tenuit ante Massilienses Vitalis, & ipse Augustinus.
5. Tota causa erroris Semi-Pelagiani fuit illud propositum divinæ vocationis & prædestinationis, quo salvandi à perituris discernuntur secundum Augustinum.
6. Idem uberius ostenditur ex Epistolà Hilarij.
7. Idem ostenditur ex scriptis Fausti.
8. Prima ratio abhorrendi propositum prædestinationis; quia est gentilium fatum. Illud duplex, Astrologorum & Stoicorum.
9. Causa triplex, antegressio propositi ante omnem hominis voluntatem, immutabilitas & efficacia.
10. Secunda ratio abhorrendi illud propositum Dei, quia discretionem asserendo interimit liberum arbitrium tam ad bonum quam ad malum.
11. Tertia ratio horroris, quia disputationem affert & ignaviam. Causa desperationis triplex; ignaviæ duplex. Pauca de modo quo sentiebant solam gratiam operari.
12. Quarta abhorrendi ratio, eaque quintuplex, quia præceptum, exhortationem & correptionem interimit.
13. Quinta ratio, quia extinguit orationem.
14. Sexta & septima ratio, quia introducuntur duæ partes humani generis, duæ naturæ, duæ massæ cum Manichæis.
15. Octava propositi divini aversandi ratio, quia Deus non haberet seriam voluntatem ut omnes credant & salvi fiant.
16. Nona ratio aversionis, quod in hujusmodi propositi assertione omnia rejecto-

Digitized by Google

rum peccata asscribantur Deo.
17. Decima horroris ratio, quia sententia nova est & opinioni Patrum cōtraria.
18. Inferuntur tria corollaria, quibus natura illius propositi & gratiæ, quam Massilienses horreant, aliqua ex parte declaratur.

Liber Octavus.

CAP. 1. Alius Pelagianorum, alius Massiliensium scopus. Et generatim in quibus articulis cum Catholicis convenirent.
2. Incipit declarari quibus modis difficultates dissipaverint. Ac primo unum propositum Dei in duo dividunt, quorum altero generali Deus vult omnes homines salvos fieri, altero non omnes. Illud conditionatum, hoc absolutum.
3. Beneficia quoque ex illo proposito generali statuunt generalia; & gratiam sufficientem omnibus hominibus communem.
4. Prima gratia generalis Massiliensium, est doctrina & Euangelij prædicatio: & cur quibusdam subtrahatur à Deo.
5. Secunda gratia generalis, reliquiæ quædam primæ integritatis, seu naturalis possibilitas boni.
6. Tertia gratia generalis Massiliensium est actualis interna sufficiens ad credendū non ad operandum. Latè ex principijs Augustini & Massiliensium astruitur: aliqua de natura ejus.
7. Eadem internæ inspirationis gratia asseritur ex Gennadio & Cassiano. Volunt esse tantum occasionem voluntati ad fidem & conversionem.
8. Eadem asseritur ex Divi Augustini errore quem ante Episcopatum cum Massiliensibus tenuit.
9. Massilienses non fuisse ex professo hostes gratiæ, neque causam ullam habuisse cur talem gratiam reijcerent: quod per eam omnes eorum difficultates facillimè solverentur. Expenditur arrogans vox cujusdam Recentioris.
10. Redditur causa quadruplex cur non sæpius mentionem illius gratiæ internæ faciant Semi-Pelagiani posteriores.
11. Massilienses per illam naturalem possibilitatem, principium salutis ad se revocant, & initium discretionis à se proficisci volunt.
12. Tres actus comprehendit illud principiū salutis, fidem, desiderium sanitatis & orationem.
13. Alij quadruplices actus ad quos hominem sufficere volunt, timor, dolor, diligentia, voluntas bene vivendi. De sententia Cassiani & quid ei semina virtutum inserta naturaliter.
14. Massilienses non totam fidem, sed ejus solum initium & perseverantiam in hominis potestate constituunt: & quid sit fidei initium. Nonnulla de perseverantia.
15. Inferuntur quatuor corollaria, & declaratur quomodo non sine gratia Dei perseverantiam in fide & justitia ad se revocarent. De loco Apostoli, quód Deus vult omnes homines salvos fieri.
16. An Massilienses velint fidem, orationem, & cæteros actus esse merita gratiæ.
17. Massilienses multum diminuunt illud meritum gratiæ, nec aliud volunt nisi bonum usum liberi arbitrij præcedere gratiam, occasione cujus Deus liberaliter & misericorditer gratiā daret.
18. An agnoverint meritum de condigno an de congruo.
19. Veram esse gratiam quam post fidem dari volunt ex Cassiano & præsertim ex Prospero, Hilario, & Augustino latè demonstratur.
20. Non repugnat libertati talis gratia juxta Massilienses. Et quare Recentiores cardinem difficultatum non videntes, multum in multis hallucinantur.
21. Qualis Massiliensium electio & prædestinatio ad vitam æternam.
22. Quomodo nolint definitum esse electorum numerum.
23. De Prædestinatianis & eorum hæresi. Non esse hæresin, sed calumniam, quā Massilienses S. Augustini doctrinam infamarunt.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM
TOMI PRIMI.

ABEL.

ABEL & reliqui legis naturæ patriarchæ justitiam adepti sunt per vires naturales absque gratia, juxta Pelagianos, 205. 206. 207.

ADAM.

Adam & Eva creati cæci instar catulorum, peccando illuminati sunt, juxta Iulianum. 120.
Adam in puris naturalibus à Deo conditus, juxta Pelagianos. 112. 113. 118. 122. 125. 158. 171. 209. 235. 253. 261.
Adam cum fomite concupiscentiæ conditus, juxta eosdem. 115. 116. 117.
Adam miseriis, morbis, & morti obnoxius ante peccatum, juxta eosdem. 121. 153.
Adæ prævaricatio non propagine, sed imitatione & exemplo in posteros transfusa, juxta eosdem. 125. 126. 137. 153. 156. 183. 352. 392.
Adam in statu innocentiæ ad merendum & perseverandum eguit gratia actuali, sicut & Angeli. 457. 458. 463. 464. 470. 475. 476.
Gratia illa, an & qualiter differat à gratia, quæ per Christum confertur homini lapso. 458. 459. 462. 471. 472. 474. 489. 490. 498.
Adam sua voluntate stare poterat, sicut & Angeli continuo auxilio instructi steterunt. 460. 490.

ADRVMETINVM.

Adrumetinum Monasterium in Africa sub Valentino Abbate floret. 65.
Adrumetanus Monachus Florus confratribus legit Epistolam Augustini ad Sixtum. 65.
Monachi ex doctrina ibi tradita perturbantur, ibid.
In Semi Pelagianismum labuntur. 65. 398. 430. 441.
Vt gratiam salvarent, libertatem destruebant. 277. 278. 283.
Ipsis & eorum Abbati Valentino mittit Augustinus pro antidoto duos libros, unum de correptione & gratia, alterum de gratia & libero arbitrio. 65. 277. 278. 290.
Resipiscunt. 65. 398.

AFRICANI.

Africani Antistites scribunt ad Papam Zozymum. 42. 467.
Vide Pelagius.

AGRICOLA.

Agricola Pelagianus Britanniam Pelagianismo inficit. 66.

ALBINVS.

Albinus & Melania Pelagium sollicitant ad revocationem suorum dogmatum. 57.
Id ipse tam subdolè præstat, ut ijs visus fuerit omninò orthodoxus. 57. 89.

ALIPIVS.

Alipius mittit Augustino refutandos quinque libros Iuliani. 63.

AMBROSIVS.

Ambrosius de necessitate gratiæ ad actus naturaliter honestos, quid senserit? 295. 296.

AMBROSIASTER.

Ambrosiaster in Epistolas Pauli adhæsit dogmati Semi-Pelagianorum. 405. 406. 512.
Imo fuit perfectus Pelagianus. 110. 152. 197. 198. 199. 203. 406.
A modernis temerè laudatur. 407. 408.
Prædestinationem in præscientia fundat. 406. 407.

ANDABATARVM MOS

Andabatarum mos pugnandi clausis oculis. 285.

ANIANVS.

Anianus Pseudodiaconus impugnat Epistolam Heronymi ad Ctesiphontem. 19. 20.
An fuerit diversus à Pelagio Hæresiarcha? 20.

ANIMA.

Animas humanas ante corpora creari, sensit Origenes. 347. 373.
Apatheia ab Hæreticis & Ethnicis Philosophis asseritur. 8. 19. 225. 226. 228. 232. 251. 366. 377.

ARAVSICANVM CONCILIVM.

Arausicanum Concilium adversus Semi Pelagianos. 457. 467. 470. 472. 490. 493. 505. 520.

ARISTO & PYRRHO

Aristo & Pyrrho Philosophi, de morbis & mortalitate hominum quid senserint? 151. 226.

ARISTOTELES.

Aristotelis dogma peccato originali adversum. 378.

ATTICVS & CRITOBOLVS.

Atticus & Critobolus in dialogis Hieronymi adversus Pelagianos, suppositiciæ personæ. 19. 149. 217.

ATTICVS PATRIARCHA.

Atticus Patriarcha Constantinopolitanus Pelagianos condemnat. 56. 73.
Eam condemnationem mittit Romam ad Pontificem. 57.

AVGVSTINVS

Augustinus Doctorum omnium Coryphæus. 482.
Ecclesia per os ipsius loquitur de gratia efficaci. 285.
In scribendo discretus & prudens. 307.
De gratia ex proposito, & de prædestinatione parcè tractat contra Pelagianos, & cur? 397.
Ejus Epistola ad Hilarium quando & quâ occasione scripta? 12.
Ab hoste Iuliano appellatur præcipuus Catholicæ religionis propugnator. 59.
Iuliani calumnias refellit. 59. 60.
Informat Papam Innocentium de Pelagio. 18. 27.
A Pelagianis arguitur stupiditatis. 388.
Eum periculo Hæreseos non carere calumniatur Gennadius. 465.
Pelagiani eum vocant Manichæi & Fausti discipulum 134. 140. 28 .
Item liberi arbitrij negatorem & cur? 281.
Ab Africanis eligitur ad refutanda dogmata Pelagij. 34.
Pelagianorum anfractuum perspicacissimus fuit investigator. 257.
Ex ejus scriptis hausti sibi sequentium Synodorum Canones 456.
Ex ijsdem de Semi Pelagianorum dogmatibus judicandum 456. 531.
Negat hominem lapsum gratiâ destitutum, posse quærere Salvatorem aut desiderare salutem. 456.
Negat hominem à Deo adjuvari ad peccandum. 293. 475.
Primus ex Patribus prædestinationem à prævisione meritorum absolutam adstruit. 435. 437.
Ei advertiantur quotquot præscientiam, etiam conditionatam, prædestinationi præviam statuunt 437.
Fuit acerrimus gratiæ propugnator. 79.
Ante Episcopatum adhæsit dogmati quod postmodum amplexi sunt Semi-Pelagiani. 404. 437. 450. 451. 452. 467. 473. 476. 477. 503. 504. 512. 513. 526. 535. 536. 537.
Ejus commentaria in Epistolam ad Romanos Semi-Pelagianismo respersa 404. 467. 473.
Item liber octoginta trium quæstionum; cum libris de quantitate animæ, de vita beata, de Spiritu & littera. 473. 474. 513.
Errorem suum agnoscit & retractat. 404. 405. 485. 513. 514.
Coadjutorem Episcopatus assumit Eradium. 64.
Interest Synodo Milevitanæ. 37.
Nestorianam hæresim nondum natam præfocat. 72.
Scribit librum de peccatorum meritis & remissione & qua occasione? 12. 13. 15. 177.
Item de natura & gratia. 12. 15. 18. 30. 201. 238.
Item de Spiritu & littera. 14. 15. 513.
Item librum quæstionum ad Simplicianum. 473.
Item de gratia Christi, & peccato originali 57.
Eum sibi conciliare studet Hæresiarcha Pelagius, missis ei litteris. 14. 27.
Rescribit Pelagio, præsentiam & colloquium ejus desiderans. 14.
Scribit ad Sixtum Romanum. 55.
Scribit librum de gestis Pelagij nuper repertum 30.
Scribit de gratia & libero arbitrio. 57. 64. 65. 277.
Item de Correptione & gratia. 58. 65. 277. 298. 423.
Item de nuptijs & concupiscentia & quâ occasione. 58. 61.
In eum mox insurgit Iulianus Pelagianus. 58.
Scribit libros quatuor contra Epistolas Iuliani 61.
Item sex libros contra Iulianum. 62. 63.
Eos dedicat Claudio Episcopo qui Iuliani libros ei refutandos miserat 62.
Tres eorum perierunt, vel adhuc latent. 63.
Refutat Epistolam Pelagianorum ad Episcopum Thessalonicensem. 57.
Scribit de prædestinatione SS. & de dono perseverantiæ contra Semi Pelagianos. 71.
Vocatur ab Imperatore ad Concilium Ephesinum. 72.
Morte præventus adesse non potuit. 72.
Quamdiu post damnatum à Zozymo Pelagianismum supervixit? 58.
Quæ ejus postrema scripta, & quando mortuus? 71. 701.
Laudatur à Papa Celestino. 77.
Ejus Elogium ex Prospero. 75.
Quot annis contra Pelagianos dimicavit. 35. 71. 1.

AVRELIVS.

Aurelius Episcopus Carthaginensis præsidet Synodo Carthaginensi, 37. 40.
Ei in Episcopatu succedit Capreolus. 72. 1.

TOMI PRIMI.

B

BAPTISMVS

BAPTISMVS appellatur Sacramentum fidei, regenerationis, innovationis, illuminationis, & cur? 305. 306.
Non aufert fomitem concupiscentiæ. 135. 304.
In renatis quid deleat juxta Pelagianos. 138. 139. 175. 301.
Ejus effectus alij sunt positivi alij privativi. 301. 302. 303. 304.
Recensentur singulatim & indagatur; utrum Pelagiani eos omnes agnoverint. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307 308. 309. 310. 311.
Baptismus parvulorum & adultorum non habent eundem per omnia effectum, juxta Pelagianos. 301. 303. 305. 306. 352.
An Baptismus internam & spiritualem sanctitatem conferat baptizatis juxta Pelagianos. 158. 16. 173. 3. 1. 310. 311.
Vitam æternam parvulis absque baptismo decedentibus promittunt Pelagiani. 159. 160.
Ejus analogia cum campis Elysijs poetarũ & philosophorum gentilium, quorum occasione est conficta. 378.
An & qualiter differat à regno cælorum? 159. 160. 164. 165. 166. 175 178.
Baptizatos non posse tentari, nedum peccare: delirat Iovinianus. 227. 281. 385.

BARDESANES

Bardesanes hæreticus fati assertor. 418.

BARONIVS

Baronius Ecclesiasticorum Annalium scriptor de Synodo Carthaginensi hallucinatur. 32.
Item de Canonibus Concilio Milevitano affictis, qui veriùs adscribendi sunt Concilio Carthaginensi. 35. 36. 51. 52. 118.
Item de actis Synodi Diospolitanæ. 26.
Item de libro Augustini, qui de gratia & libero arbitrio inscribitur. 57.
Item de libris Iuliani adversus Augustinum. 63.

BEDA

Beda refutat commentaria in cantica Pelagianismo respersa. 90.
Ea adscribit Iuliano Pelagiano. 90.

BELLARMINVS

Bellarminus gratiam Christi humanæ voluntatis dominio ac determinationi subjicit contra mentem Augustini. 513.
Vt tamen Semi-Pelagianismi notam evitet, Augustinum in suas partes adducere tentat, sed irrito conatu. 513.

BETHLEEMITICVM

Bethleemiticum Paulæ & Eustochij Monasterium à Pelagianis propter Hieronymũ ibi commorantem crudeliter infestatur. 29.
Ioannes Episcopus Hierosolymitanus infestationi connivens ab Innocentio Papa increpatur & officij sui commonetur. 29. 30.

BONIFACIVS PAPA

Bonifacius Papa mittit Aug. refutandas Iuliani Epistolas. 61. 171.
Eas refutat August. quatuor libris eidem Bonifacio dedicatis. 61.
Bonifacio in pontificatu succedit Sixtus. 53.
Sed non nisi mediante Celestino 67. 70.

BRITANNIA.

Britannia natale solum Pelagij, Pelagianismo inficitur ab Agricola Pelagiano. 66.
Pelagius & Celestius ex Italia proscripti eò transnavigant, multosque pervertunt 66.
Celestinus Papa ad ijs obviandum destinat in Britanniam S. Germanum Altisiodorensem. 66.
Is socium assumit S. Lupum Trecensem. 66.
Cum Pelagio & Celestio publicè disputant, eosque edito miraculo confundunt. 67.
Post reditum Germani in Galliam Pelagianismus in Britannia reviviscit. 67.
Germanus denuò illuc revertitur assumpto in socium S. Severo Episcopo Trevirensi 67.

C

CAMILLVS.

CAMILLVS & Theodorus Genuenses Presbyteri. 76.
Excerpta ex libris Augustini mittunt ad Prosperum. 77.
Non tam obtrectandi quam discendi studio. 77.
Eis respondet Prosper præmissâ humili præfatione, qua eos non ut calumniatores sed ut fratres tractat. 77.

CAMPI

Campi Elysij à poëtis & ethnicis philosophicis conficti Pelagianis præbuerunt ansam comminiscendi vitam æternam ordinis naturalis extra regnum cælorum. 378.

CAPITVLA GALLORVM.

Capitula Gallorum à Prospero refelluntur. 76.
Quinam fuerint illi Galli. 76.
Ex Augustini scriptis se ea capitula excerpsisse jactabant 76.
In Prosperum ob susceptum Augustinianæ doctrinæ patrocinium debacchantur. 76.
Vnus eorum Vincentius novas objectiones in Prosperum committit, quæ Vincentianæ appellantur 76.
Quibus omnibus Prosper ex Augustini doctrina plenè & solidè satis fecit. 76.
Id contigisse videtur post reditum Prosperi à sede Apostolica. 76.

CAPREOLVS.

Capreolus Carthaginensis Episcopus Aurelij successor. 72.
Ebagnio Magistriano Cæsaris legato Augustini mortē nuntiat. 72.

CARTHAGINENSIS COLLATIO

Carthaginensis collatio Catholicorum cum Donatistis quando habita? 8.
Augustinus ei interest. 8.
Pelagius hæresiarcha eo tempore extitit Carthagine, ibique ab Augustino bis visus. 8.
Celestius Pelagij socius ibi adspirat ad ordines 9.
Defertur ad Antistites tamquam zyzaniorum seminator. 9. 10.
Varij articuli ei proponuntur à Patribus, ejusque ad eos responsio. 10. 11.
Rufini authoritatem pro se allegat. 10.
Repellitur ob ordinibus & proscribitur. 9. 10. 11. 12.

CARTHAGINENSE CONCILIVM.

Carthaginense Concilium tempore Innocentij celebratum. 30. 125. 273. 334. 391.
Ei præsidet Aurelius. 37. 40.
Quot ei interfuerint Episcopi? 32.
Baronius de Episcoporum numero refellitur. 32.
Damnantur ibi Pelagianorum dogmata. 31. 39.
Damnantur & dogmatum authores, sed conditionate & cum remissione ad Papam Innocentium. 31. 39. 121.
Antistites ob id arguuntur levitatis à Zozymo Papa male informato. 47.
Quo anno, & quibus Consulibus Concilium illud celebratum? 30.
Alterum Concilium Carthaginense plenarium totius Africæ sub Zozymo. 51. 52.
In ea præsidet Valerius Carthaginensis Antistes. 52.
Quot ei Episcopi interfuerint? 52.
Quoto anno, & quibus Consulibus congregatum? 52.
Cuinam ex his duobus Concilijs interfuit Augustinus? 52.
Veri adscribendi Canones Synodo Milevitanæ affictì? 51. 52.
Aliud rursus Africanum Concilium Carthagine celebratum post consulatum Honorij. 52
In eo agitatur quæstio de appellationibus ad Sedē Apostolicā. 52.
De numero Episcoporum Concilij Africani mendosus Prosperi textus emendatur. 53.
Africanorum antistitum sedulitas in obviando Pelagianis. 37. 51. 52.

CASSIANVS.

Cassianus Monachus natione Scytha Semi-Pelagianismi propagator 69. 70. 77. 80. 269. 270 446. 483.
A Prospero appellatur collator propter librum collationum ab eo conscriptum. 79.
Ejus dogma de naturalibus virtutum seminibus. 109. 197. 505. 506.
Fuligine Pelagianâ aspersus. 345. 470.
Novam excogitat viam conciliandi gratiam Christi cum libertate. 401.
Ejus opuscula à Gelasio Papa reprobata, Faustus Lyrinensis approbat & extollit. 465.
Sicut & Gennadius eadem fuligine tinctus. 80. 465. 543.
Ejus dogmata nonnulli Catholici etiamnum excusare & palliare contendunt. 80. 477.
Id vero tentare, est Prosperum improbare & accusare. 80.
Adversus eũ sub nomine Collatoris dimicat Prosper. 79. 80 199. 517.
Gratiam internæ inspirationis agnoscit. 470.
Libero tamen arbitrio primas in bene operando adscribit partes. 470. 471. 503. 504.
Minus turpiter errat de gratia, quam Faustus ejus laudator. 527. 528. 531.
Meritum naturale adstruit, sed adeò tenue, ut potius dicendum sit occasio quam meritum. 522.
Sibi non constat. 428. 505.
A presbyteris Massiliensibus in duobus potissimum discordat. 505.
Initium salutis libero arbitrio arrogat. 504. 505.

Zachæi

uchri, Centurionis, & boni latronis credulitatem, naturæ ascribit non gratiæ, uti & patientiam Job. 505.
Non fuit tamen ex proposito inimicus gratiæ, aut Ecclesiæ. 477. 478.495 529.
Celestini Papæ declarationi acquiescit: & recipiscit. 478.
Scribit septem libros contra Nestorianos. 478.
Mortuur cum opinione sanctitatis. 478.
Quidam Neoterici falsò ei impingunt quod nullam gratiam internam ad inchoandum aut perficiendum opus bonum necessariam agnoverit. 529.530. 531.
Ex Augustino, Prospero & Hilario satis constat, Eum & reliquos Massilienses, agnovisse gratiam sine qua non, solumque negasse gratiam cum qua fit actio, qualem scilicet prædicavit Augustinus. 529 530. 531.
Quicumque discretionem credentium à non credentibus in cardinem libertatis (etiam gratia instructæ) refundunt, Cassiani dogma reipsa propagant, quantumvis detestentur ipsum ore 529. 513 530. 531.
Ex scriptis Cassiani nequit haberi plena notitia Semi-Pelagianismi. 531.
Vti nec ex scriptis Fausti Rhegiensis. 531.
Cassianus librum Pastoris citat in sui dogmatis confirmationem. 470.

CATHOLICI

Catholici à Pelagianis calumniosè agnominantur Manichæi, & cur? 99. 140. 281.
Item, concursus universalis causæ primæ negatores. 288. 289.

CELESTINVS PAPA

Celestinus Papa Pelagianos ex Italia proscribit. 66.
Ephesinam synodum contra Nestorium convocat. 71.
Nestorium per litteras reprehendit ob favorem Pelagianis impensum. 71. 75.
Mittit in Britanniam S. Germanum ad obviandum Pelagio solum suæ originis contaminanti. 66.
Mittit in Scotiam Palladium. 166.
Scribit ad Gallicanos Episcopos de Semi-Pelagianis recenter exortis 77. 78. 454. 470.
Possibilitatem naturalem bene agendi per peccatum penitus amissam asseverat. 454. 470.
Scribit ad Theodosium Episcopum. 77.
Epistola ad Gallicanos à quibusdam negatur esse integrè ipsius, sed contrarium ostenditur. 78.
Scribit ad Maximianum Constantinopolitanum Nestorij depositi successorem. & quoto anno; quibusque Consulibus? 78. 79.
Eius de Augustino, ejusque scriptis testimonium. 77.
Mortuus successorem habuit Sixtum, & quo anno? 79.
Prosper Rhegiensis & Hilarius Arelatensis ad eum proficiscuntur Romam. 79.
In quem annum ea profectio inciderit. 79.

CELESTIVS

Celestius Pelagianus professione Monachus, ingenio acutus, indole audax & pertinax. 1.6.9.54.89.
Adspirat ad Presbyterium Carthagine in Africa, quò cum Pelagio Romam transfugerat. 9.
Seminat ibi Pelagianismum, & idcirco ab Episcopis in collatione cum Donatistis congregatis, à Presbyteratu repellitur, & proscribitur. 9.
Articuli propositi ei ab antistitibus recensentur, cum ipsius ad eos responsis. 10.11.12.374.
Ex Africa proscriptus fugit in Siciliam. 13.89.
A sententia Africanorum appellat ad Sedem Apostolicam. 30.
Inde repulsus fugit in Asiam. 30.
Ibi in Presbyterum surrepticiè ordinatur. 30.40.
Romæ damnatur à Papa Innocentio. 33. 37.
Sinit suam causam denuo examinari per Zozymum Innocentij successorem, sed ibi diffidens subtrahit se calculum examini. 17. 43. 54. 374. 375.
Condemnatur à Zozymo, & quo anno? 43.
Condemnatus à Zozymo fugit Constantinopolim. 56.
Ibi denuo condemnatur ab Attico Patriarcha. 56.
Ruffini authoritate conatur sua dogmata munire. 10.365.
Fugit demum cum Pelagio in Britanniam. 66.
Ejus scripta singularia recensentur. 89. 90.
Damnatur in Synodo Ephesina. 73.

CHALDÆI

Chaldæi siderum inspectione percelebres. 417.
Sua Astrologia abutuntur inducendo fatum. 417. 418.
[illegible] istud à fato Philosophorum naturalium, & hæreticorum quorundam, qui differat? 417. 418.

CHARITAS.

Charitas juxta Pelagianos non excedit vires naturæ. 179.197.

CHRISTVS

Christus à Chrismate dictus. 300. 309.
Christus ad quid venit in mundum juxta Pelagianos, & quam utilitatem hominibus adduxit? 24. 298. 253. 259. 260.
Eum esse IESVM parvulorum, negant Pelagiani. 155.
Gratis mortuus est ex dogmate eorundem. 215. 238.
Non nisi post resurrectionem cœpit esse Deus juxta eosdem. 345.
Per merita liberi arbitrij, meruit fieri Deus juxta eosdem. 344. 345.
Ex hoc dogmate orta hæresis Nestorij. 72. 344. 345. 346. 347. 348.
Christi jugum suave. 336.

CHRYSIPPVS

Chrysippus Stoicus Philosophus fati assertor. 418.
Quid nomine fati intelligat, & quomodo distinguatur à fato siderco Chaldæorum & aliorum astrologorum. 415.

CHRYSOSTOMVS

Chrysostomi locus memorabilis de baptismi effectibus expenditur. 313. 314.
Eosdé pœnè effectus Baptismo adscribunt Pelagiani. 313. 314. 315
Suarez id non advertens reprehenditur. 313. 314.
Chrysostomus non negat peccatum originale. 313. 314.

CICERO

Cicero stoicizans bonos viros æquat Deo, imo præfert. 232.
Impia & insana ejus vox. 232 236. 237. 377.
Negat humanam virtutem Deo adscribendam ut authori. 236. 237
Negat Deo gratias esse agendas pro bonis animæ, corporis, aut fortunæ 377. 378.

CLAVDIVS EPISCOPVS

Claudius Episcopus transmittit ad Augustinum libros Iuliani refutandos. 62.
Eidem inscribit Augustinus libros suos contra Iulianum. 62.

CLAVDIVS MENARDVS.

Claudius Menardus Andegavensium propretor duos primos libros Iuliani adversus Augustinum invenit. 63. 543.
Eosdem cum refutatione eorum ab Augustino conscripta evulgavit. 67.
Contra quos Augustini libros conscripti sint isti libri Iuliani? 63.
Baronij opinio super ea re improbatur, uti & Claudij Menardi. 63.

CONCVPISCETIA

Concupiscentia libidinosa à Pelagianis non improbatur, sed laudatur 133. 134. 189. 224. 304. 383.
Eam idcirco August. appellat susceptam Pelagianorum. 133.
Varijs nominibus à Iuliano exprimitur, ut eius turpitudinem occultet. 134.
Argumenta Pelagianorum pro ejus patrocinio referuntur. 135. 136. 137. 138. 139 140. 141. 142. 143.
Eam Christo in via attribuunt, imo in statu gloriæ, uti & reliquis corporibus beatorum. 142. 143.
Nec solum tactus, sed & reliquorum omnium sensuum concupiscentiam laudant. 140. 144.
Omnes concupiscentiæ motus quantumvis graves per vires liberi arbitrij domabiles esse delirant. 210. 322.

CONCVRSVS

Concursus generalis causæ primæ subjacet determinationi causæ secundæ liberæ. 287.
Eum Pelagiani non negant, sed adstruunt. 287. 288. 291.
Hieronymus contrarium ijs impingere videtur, sed ejus verba commodè explicantur. 291. 292. 293. 294 295. 296.
Catholicos concursum generalem negare, mentiuntur Pelagiani. 288. 289.
Præbetur creaturæ ad actus non solum honestos, sed & vitiosos. 293.
Est eadem actio cum concursu causæ secundæ. 289.
Quo sensu Augustinus negat hominem à Deo adiuvari ad peccandum? 293. 475.
Similitudo concursus generalis cum adiutorio possibilitatis. 287. 321. 322. 323 324.

CONFVSIO

Confusio comes individua concupiscentiæ carnalis. 119.
Vtramque in paradisum invehunt Pelagiani. 119. 120.

CONGRVVM. CONDIGNVM.

Congrui & condigni nomina à Scholasticis in materia de merito primum excogitata. 526.
Congruum non plus importat, quam decens. 523.
Condignitatem nostris meritis auferre, studiosissime conatur Cassianus. 527.
Dignum esse gratiâ, minus est quam mereri gratiam, juxta Aug. 528
Dignitatem & meritum confundit Celestius. 528.

 Congrui

CONINX.

Coninx non rectè intellexit dogmata Semi-Pelagianorum. 527.
Falsò æstimat eos nullam gratiam internam agnovisse necessariam, ad inchoandam justitiam. 531.
Dum eos ab suam opinionem a Semi-Pelagianismi nota purget, [illegible], mendaces facit, aut falsos. 531.
Difficultatem in quibus Massilienses in errorem abrepti sunt cardinē non attendit, vel saltē non penetravit, uti nec alij Neoterici. 532

CONSTANTIVS PRESBYTER.

Constantius Presbyter vitæ S.Germani author, postea Episcopus. 66.
A Concilio Gallicano S. Germanum in Britanniam missum asserit. 67.
Conciliatur cum Prospero asserente eum missum à Celestino. 67.

CONSTANTIVS IMPERATOR.

Constantius Imperator Pelagianos damnat, & ex Italia proscribit. 64.
Quo anno id contigerit? 64.
Ab Honorio Imperatore antea proscripti fuerant 56. 62.
Item à Theodosio, & quo anno? 56. 62.
In Constantium urbis præfecturâ fungentem furunt ob promulgatum edictum. 55.
Edictum nihilominus pro seipsis malitiosè interpretantur 56.
Augustini verba id importantia perperam à Baronio adscribuntur Iuliano. 56.

CONSVETVDO.

Consuetudo inveterata, altera natura. 189. 191. 208.
Malâ consuetudine induci quandam peccandi necessitatem fatentur Pelagiani, suis principijs non insistentes. 191. 192.
Tria sua dogmata uno isto ictu jugulant. 192.
Ratione vitiosæ consuetudinis, homines esse naturâ filios iræ, delirant. 191.
Eâ sepositâ totam legem absque ulla gratia impleri posse, sentiunt. 208. 218. 221, 223, 224, 225. 227, 228.

CYPRIANVS

Cyprianus ab Augustino magni æstimatur. 14. 485.
Ejus memorabile dictum de gratia discretiva credentium ab incredulis Augustinum à pristino errore retraxit. 485.
Scripsit librum testimoniorum ad Quirinum, ad cujus imitationem Pelagius scripsit librum Eulogiarum. 82.

D

DEMETRIAS VIRGO

Demetrias virgo Iulianæ Romanæ filia ex Aniciorum familia. 15.
Gothicam vastationem subterfugiens in Africam secedit. 15.
Hortatu Augustini virginitatem vovet. 15.
Miris elogijs & Epithalamijs à Patribus exornata. 15.
Pelagius Hæresiarcha ad eam scribit Epistolam multis hæresibus respersam. 15. 16. 46. 90. 150. 201. 205. 223. 235 384.
Ea Epistola Iuliano adscribitur à Beda, sed falsò. 16. 46. 90.
Baronij super hoc censura retunditur. 16.
Ob styli similitudinem Ambrosio, Hieronymo & ipsi Augustino olim afficta. 3. 15.
Refutatur ab Augustino in Epistola ad Iulianam Demetriadis matrem. 16.

DEVS.

Deus humanæ libertati insuperabiliter dominatur. 272. 284.
Quibus modis inde creaturis 312.
In ejus propositum refundenda discretio salvandorum à reprobis, & credentium ab incredulis 409. 410. 412. 416.
Quo sensu velit omnes homines salvos fieri. 515
Quo modo id interpretentur Semi Pelagiani? 446. 447. 480. 512.
Eum præcipitare reprobos in peccata, perperam ex Augustini doctrina deducunt ijdem. 433. 434. 435.
Ejus proposito præscientiam non supponente induci fatalem necessitatem delirant ijdem. 410, 411. 415. 416. 445.
Propositum Dei simplex duplicant ijdem. 415 449. 480. 512. 524.
Dei propositum humanâ libertate mutarj posse, sentiunt. 419. 420.
Deum prædefinire numerum electorum negant ijdem. 425. 438. 539. 540.
Deum adjuvare ad peccandum negat Augustinus. 293. 475.
Deum nihil præcipere impossibile sentiunt Pelagiani, sed cum ab. sa. 217. 218.

DIALECTICA.

Dialectica Pelagianis plurimum arridet. 387.
Catholicis ejus ignorantiam improperant. 388. 389.
Dialecticos Iudices sibi assignari postulant, & ab Ecclesiasticis ad Aristotelicos appellant. 379. 389. Vide Philosophia, Pelagiani.

DIOGENES.

Diogenes Cynicus Apatheiâ adstruendo delirat cum alijs. 226. 228
Ejus & reliquorum Cynicorum super eo dogmate effatum. 228.

DIOSPOLIS

Diospolis Palestinæ Cæsariensis oppidum, quod & Lydda. 21.
Ibi celebrata est Synodus contra Pelagium, quæ Diospolitana appellatur. 11. 21. 392.
Quo anno ea Synodus celebrata? 21.
Quot ei interfuerint Episcopi? eorumque nomina. 21. 223.
Ei præest Eulogius Palestinæ Cæsariensis primas. 21.
Pelagius personaliter se sistit Episcopis, auditurque à Græcis per interpretem 29.
Absentibus Gallicanis Episcopis Heroте & Lazaro, qui eum accusaverant, judices latinæ linguæ ignaros vaferrimè eludit. 21, 25 26.
Eam Synodum Hieronymus miserrimam appellat. 27.
Ejus acta perstringuntur. 21. 22. 23. 24. 25.
Ea sibi transmitti petit Augustinus. 30.
Transmittuntur, & de ijs librum ipse edit. 30.
Liber ille diu latuit, sed nuper in Abbatia Fesulana repertus, lucē publicæ datus est. 30.
De actis illius Synodi hallucinatur Baronius, & Vasquez. 26.
Pelagius ab Episcopis absolutionem obrepticiè obtinet. 25.

DISPOSITIO.

Dispositio ad gratiam per vires naturæ haberi potest ex falso quorundam Neotericorum dogmate. 521.
Dispositionis proximæ & remotæ vocabula ex profana Philosophiâ in sacram Theologiam invecta à Neotericis. 503.

DIVOMACHVS.

Divomachus & Calliphon Ethnici Philosophi voluptatem cum honestate conjungunt. 148. 379.
Scyllæum bonum monstrosè introducunt. 148.
Libidini & omni sensuali delectationi patrocinantur. 149.
Stoicam Philosophiam Epicureæ permiscent. 148.
Pelagianismi fundamenta jaciunt. 148.

DOCTOR.

Doctor non solum sapientiâ, sed & prudentiâ pollere debet. 395. 396. 397.
Ostenditur fusè quam affluenter Augustinus utrâque istâ dote exornatus fuerit. 397.

DONATISTÆ.

Donatistæ cum Catholicis Carthagine disputant, & quo anno 7. 8.
Christi Ecclesiam ex solis justis constant. 230.
Pelagiani eos quoad hoc non modo imitantur, sed & supergrediuntur. 230.

E

EBAGNIVS MAGISTRIANVS.

Ebagnius Magistrianus à Theodosio Imperatore mittitur in Africam ut Africanos antistites invitet ad Concilium Ephesinum. 71. 72.
Privatas Imperatoris litteras ad Augustinum confert. 72.
Appellit Carthaginem ubi à Capreolo Episcopo intelligit Augustinum jam in Cœlum migrasse. 72.

ECCLESIA.

Ecclesia ex solis justis & perfectis conflatur secundum Pelagianos. 229. 230.
Eorum quoad hoc dogma discrimen à Donatistis 230.
Ecclesia potest hæreses damnare absque congregatione Synodali. 60.

ELECTIO.

Electio in rebus per omnia paribus nominari nequit juxta Augustinum olim errantem. 536.
Eidem dogmati adhærent Semi-Pelagiani, & quotquot errorem de prædestinatione prævisioni meritorum innixâ amplectuntur. 535. 536. 537.
Electio fundata in prævisione meritorum non est purè gratuita, sed retributionalis. 537.
Semi-Pelagiani quoad merita ob quæ prævisa eliguntur ad gloriam perseveraturi, discrepant à Pelagianis. 538.
Electio à Pelagianis duplex statuitur: una gratiæ, altera meritorum, & quid utraque. 355. 356. 357. 358.
Neutra tamen ex eorum principijs est omnino gratuita. 358.
Fides in quam refundunt electionem gratiæ, non excedit vires naturæ. 358.

Digitized by Google

Electorum numerum à Deo prædefiniri negant Semi-Pelagiani. 425. 538. 539. 540.
Electionem præviliorum meritorum anteriorem summopere detestantur iidem. 415. 416. 417. 419.
Incommoda quæ ex opposita Augustini sententia colligunt fusè recensentur. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435.
Discretionem electorum à reprobis in cardinem humanæ libertatis ultimatè resolvunt. 497. 510.
Non solum in meritorum, sed & in finalis perseverantiæ prævisione fundant electionem. 535. 536. 537. 538.
Quicunque scientiam conditionatam aut absolutam divinæ electioni præviam statuunt, Augustino adversantur. 437.

EPHESINA SYNODUS.

Ephesina Synodus generalis adversus Nestorianos indicitur. 71. 72.
Ad eam proficiscitur Nestorius, Pelagianorum quos fovebat agmine stipatus. 72. 2.
Nestorius ibi damnatur. 72. 2. 73. 74.
Pelagiani iisdem eodem anathematis mucrone feriuntur. 73. 74.
Ioannes Antiochenus Patriarcha sententiam excommunicationis in Antistites Ephesinos ob damnatum Nestorium ausus est proferre. 72. 2.
Eadem Synodus à Nestorianis falsata est novi Canonis suppositione. 72. 2.
Quo anno celebrata. 72. 2.

EPICTETUS.

Epictetus Philosophus sapientem hominem Deo adæquat. 232.

EPITAPHIUM.

Epitaphium Pelagianismi, & Nestorianismi ex Prospero. 73. 74.

ERADIUS.

Eradius ab Augustino in coadjutorem Episcopatus assumitur, & quo anno. 64. 65.

ETHNICISMUS.

Ethnicismus, primus status Pelagianismi. 225. 236.
Ethnica Philosophia genuit Pelagianismum. 107. 118. 139. 141. 148. 151. 185. 217. 226. 232. 236. 237.
Ethnici possunt absque fide salvari juxta Pelagianos. 179. 180. 181. 182. 183.
Item opera virtutum exercere per liberum arbitrium absque gratia 201. 202.
Item ipsas virtutes acquirere. 201. 202. 203. 204. 211. 296.

EVA.

Eva prius peccavit quàm Adam. 126.
Cur per Adam & non potius per Evam intrasse dicitur peccatum in mundum, juxta Pelagianos. 126.

EVAGRIUS.

Evag. Hyperborita Ponticus Origenis discipulus 226. 365. 366. 376
Apatheiæ assertor, & Pelagianorum prodromus 226. 365. 366. 376.

EUCHITÆ.

Euchitæ hæretici Syri Abni & Paanin dicti. 366.
Impeccantiæ & Apatheiæ assertores. 366.
Hominem ad Dei æqualitatem pertingere posse delirant. 366.
Pelagianorum præcursores. 366.

EULOGIÆ.

Eulogiæ à Pelagio ad imitationem Cypriani eduntur. 82. 465.
Multis hæresibus respersæ sunt 82. 465.
Imo omnium hæresum Pelagianarum seminarium. 82.
Ante publicationem & damnationem Pelagianismi conscriptæ. 82.
A Gennadio laudantur. 82. 465.

EULOGIUS.

Eulogius Palestinæ Cæsariensis Primas. 21.
Accipit libellum Herotis & Lazari accusatorium Pelagij. 21.
Præest Synodo Diospolitanæ. 21.

EUSTOCHIUM.

Eustochium & Paula Romanæ resident in Palestina. 29.
Earum Monasterium Bethleemiticum à Pelagianis, connivente Episcopo Hierosolymitano, incenditur. 29.
Idque in odium Hieronymi ibi commorantis. 28. 29.
Hierosolymitanus Episcopus ab Innocentio Papa ob id graviter increpatur. 29.
Eidem scribit Augustinus, plenius eum de Pelagio informans. 30.

F

FACIENS

FAciens quod in se est, etiam per vires naturæ, ad gratiam se præparat, ex quorundam Neotericorum dogmate. 521.
Nonnulli horum absque ullis ambagibus admittunt naturalem illam præparationem esse proximam dispositionem ad gratiam: alij cautiores & modestiores, esse tantum remotam & indirectam. 521.
Alij dispositionis vocabulum refugiunt, maluntque uti nomine occasionis. 521.
Nihilo tamen minus quam Semi-Pelagiani initium salutis in naturam refundunt. 521.
Æternam salutem semper esse in manu liberi arbitrij omnium adultorum viatorum, volunt. 521.
Alij pro nomine occasionis utuntur nomine subordinationis. 522.
Admittunt occasionem aut subordinationem illam esse infallibilem gratiæ obtinendæ tesseram. 523.
Item esse propinquam congruitatem & decentiam ob quam Deus uni potius quàm alteri gratiam suppeditet. 524.
Verentur ne alioquin Deus irrationabiliter suam gratiam prodigeret, sed panicus est timor iste. 522. 523.
Argumenta Augustini & Prosperi contra initialem gratiam Semi-Pelag. veterû, æquè contra hos Neoter. militât. 522. 523. 524. 525

FATUM.

Fatum quid & quotuplex. 417. 418.
Fatum sydereum à Chaldæis & Genethliacis introductum. 418.
Iis suffragantur Bardesanes & Priscillianus hæretici. 418.
Aliud genus fati à Trismegisto excogitatum. 418.
Ethnici Philosophi præsertim Stoici fatum adstruunt & quale. 418.
Nonnulli eorum Deum fatali necessitati subjiciunt. 416.
Quale fatum Catholicis affingunt Pelagiani & Semi-Pelagiani 282. 283. 284. 417. 418. 419. 420. 453. 511.

FAUSTUS.

Faustus Lirinensis Monachus. 298.
Succedit Prospero in Episcopatu Rhegiensi. 393. 400. 414.
Semi-Pelagiana fuligine tinctus. 198. 199. 393. 400. 413. 414. 446.
Pessimum Semi-Pelagianismi gradum amplectitur. 400. 414. 422. 454. 531.
Pelagi. nominum damnat, sed non veraciter 400. 414. 415. 454.
Originale peccatum agnoscit cum Ecclesia. 400. 402. 444.
Semi-Pelagianorum omnium astutissimus. 413. 531.
Scribit de Gratia & libero arbitrio libros duos Pelagianismo, & Semi-Pelagianismo fœtentes. 400. 401. 413. 465. 414. 415. 416.
Eos inscribit Leontio. 416.
Initium & progressum justitiæ in naturalem libertatem arbitrij refundit. 400. 401. 403.
Legem naturæ vocat primam Dei gratiam. 401.
Externam legem appellat auxilium divinæ tractionis. 402.
Abaliis Semi-Pelagianis discordat, sed in sinistrum deviando. 422. 527. 531.
Reliquias quasdam primævæ integritatis in hominibus lapsis remanere asserit. 454. 506.
Eas appellat semina virtutum, sicut & Cassianus. 505. 506.
Discretionem credentium ab incredulis arbitrij humani laboribus adscribit. 413. 414. 415.
Dei propositum salvandi ante prævisa hominum merita, fato æquiparat. 414. 415. 416. 418. 419.
Catholicos contrarium cum Augustino adstruentes, hæreticis annumerat. 415
Eosdem Ethnicis & Manichæis æquiparat. 416. 417. 424.
Reprobos ex necessitate & absque sua culpa damnari, ex Augustini doctrina de electione ante prævisa merita conatur deducere. 422. 423.
Gratiam ex Dei proposito efficacem cum humana libertate consistere negat 421. 422. 426. 527. 528.
Divinum propositum humano arbitrio mutari posse affirmat. 419. 420.
Augustinianæ gratiæ prædicationem, socordiam & desperationem afferre hominibus, calumniatur. 425. 426.
Item orationis necessitatem & utilitatem tollere. 431. 432.
Item ex ea sequi, Christum non pro omnibus mortem subijsse. 435. 449.
Cassiani libros à Gelasio proscriptos, laudat. 465.
Ejus opuscula refutantur à beato Fulgentio. 465.
Damnantur ab Episcopis Africanis in Sardinia exulantibus. 465.

FIDES.

Fides divina non est necessaria ad honeste operandum juxta Pelagianos. 182. 196.
Opera tamen infidelium non nisi steriliter bona esse, fatentur. 181. 182. 195. 197. 520.
Sola fide hominem iustificari dogmatizant. 251. 252.
Fides non excedit vires naturæ, juxta eosdem. 203.
Fidei initium naturali libertati arbitrio adscribunt Semi-Pelagiani, sed divinæ gratiæ augmentum ejus attribuunt. 505. 506.
Perseverantiam in fide semel concepta adscribunt naturali arbitrio. 507. 508.

Digitized by Google

Fides actualis comprehendit duos actus, unum voluntatis, alterum intellectus 507.
Quem horum intellexerunt Massilienses per initium fidei? 507.
Verius est intellexisse utrumque 507.
Fides in Christum ut medicum & Salvatorem, naturæ viribus adscribunt 501.

FLODOARDVS.

Flodoardus historiæ Rhemensis scriptor 541.
Articulos Goteschalci Monachi prædestinatiani refert 541.
In eorum numeratione discordat à Sigeberto. 541.

FLORVS MONACHVS.

Florus Monachus Adrumetinus legit Confratribus Epistolam Augustini ad Sixtum 65.
Eâ lectione inquietantur & scandalizantur. 65.

FLORVS EPISCOPVS.

Florus Episcopus Pelagianus, cui suos libros adversus Augustinum inscripsit Iulianus. 64. 72. 81. 92.
Cum Iuliano, Orontio, & Fabio fugit Constantinopolim ad Nestorium, cognati erroris patronum. 72. 1. 71. 2.
Cum eodem proficiscuntur ad Synodum Ephesinam, 72. 2.
Eandem damnationis sententiam cum eo ibi accipiunt. 73. 81.

FVLGENTIVS EPISCOPVS.

Fulgentius Episcopus Africanus. 78.
Libros Fausti Rhegiensis à Gennadio laudatos confutat. 465.
Eosdem reprobat Petrus Diaconus, alijque orientales 565.
Africani Antistites in Synodo Sardiniæ eosdem proscribunt. 465.
Quot libros adversus eos ediderit Fulgentius? 465.
Celestini Papæ ad Episcopos Gallicanos Epistolam integrè recipit. 78.

G

GENETHLIACI

Genethliaci fatum adstruunt, & quale? 417. 418.
In quo discrepent à Stoicis, & alijs fati assertoribus. 418

GENNADIVS

Gennadius Presbyter Massiliensis Semi-Pelagianorum non postremus. 465. 467. 468. 543.
Pelagianâ etiam fuligine tinctus. 8.
Laudat opera Celestij Pelagiani 89.
Pelagij Eulogias varijs hæresibus respersas commendat. 82. 465.
Libros Fausti Rhegiensis Semi-Pelagianismo scatentes extollit, egregiumque opus appellat. 465.
Cassiani opuscula, contra Gelasij censuram, approbat tamquam salutaria. 80. 465.
Prosperum tamquam injustum eorum opusculorum infamatorem reprehendit 80. 465. 543.
Augustinum tamquam multiloquio peccantem taxat. 465. 543.
Ruffinum Pelagianismi Architectum Hieronymo præfert. 465.
Pelagianos & Semi-Pelagianos in suo Catalogo hæreticorum studiosè prætermittit. 469. 543. 544.
Prædestinatianos primo loco inter hæreticos recenset. 543.
Qui tamen sunt Catholicissimi, Augustinus videlicet, Hilarius, & Prosper. 542.
Gennadij liber de dogmatibus Ecclesiasticis Semi-Pelagianismo scatet. 465. 466. 469.
Operibus Augustini perperam immixtus. 469.
A Doctoribus Lovaniensibus authori suo Gennadio restitutus. 469. 470.
Habet admixta quædam capita Catholici authoris pro antidoto contra venenum reliqui operis, inserta. 469. 470.
Opera bona etiam ex gratia proficiscentia libero arbitrio Gennadius adscribit. 466. 467. 468.
Gratiam internæ inspirationis cum alijs Massiliensibus agnoscit. 467. 468.
Eam tamen negat dare voluntatem, aut opus, sed potestatem. 468.
Primas proinde partes operis, libertati naturali tribuit. 468. 469.

GENVENSES.

Genuensium excerpta ad Prosperum confutanda mittuntur. 66. Vide Camillus, Theodorus, Prosper.

GERMANVS.

Germanus Altisiodorensis in Britanniam à Celestino mittitur. 66.
Cum Pelagianis ibi publicè disputat. 67.
Primæ profectionis socium habuit S. Lupum Trecensem. 66.
Secundæ S. Severum Trevirensem. 67.
Decennem tribuni filiam cæcam illuminat. 67. Vide, Britannia, Celestinus, Pelagius.

GOTESCHALCVS.

Goteschalcus Monachus de heresi prædestinatiana infamatus. 541.
Quæ dogmata ei imposita? 541.
Gennadius à Sigeberto super hac re discordat, uti & Flodoardus. 541. 543. 544. 545. 546.
Goteschalcus non fuit hæreticus, sed Augustinianæ doctrinæ propagator. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548.
Fides Catholica in Goteschalco condemnata. 547. 548.
A Semi-Pelagianis procurata aut conficta Prædestinatianorum cōdemnatio 543. Vide Prædestinatiani, Flodoardus, Hincmarus.

GRATIA.

Gratia Dei à Pelagianis admittitur, sed non ad sensum Catholicorum 238. 241. 251. 252. 253. 254. 255. 257.
Gratia externa, legis, doctrinæ, & exemplorum, à Pelagianis prædicatur 241. 255. 256. 260. 351.
Internam etiam admittunt, sed per eam intelligunt ipsam naturam, aut liberum arbitrium. 214. 236. 237. 238. 241. 238. 259.
Discrimen inter gratiam liberi arbitrij, & gratiam legis. 241.
Veram gratiam internè auxiliantem negant. 215. 248. 255. 261. 457. 463.
Scripturas gratiæ necessitatem adstruentes distorquent. 255. 256.
Sub larva gratiæ delitescentes veræ gratiæ insidiantur. 257. 258. 259. 337. 351.
Ut libertatis indifferentiam salvent, voluntatis & operis adjutorium negant. 271.
Gratia habitualis an ab ijs agnita? 113. 297. 301. 302. 303. 304. 305. 313. 315.
Quos effectus habituali gratiæ attribuant? 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314.
Gratiam actualem convicti admittunt ad facilius operandum, non vero ut necessariam simpliciter ad operandum. 337. 338.
Ad tollenda præterita peccata necessitatem gratiæ admittunt, ad cavenda futura negant. 299. 300.
Gratiæ proprietatem destruunt, quia eam meritis nostris retribui asserunt. 337. 338. 339. 398.
Quibusnam liberi arbitrij operibus gratiam retribui senserint? 341. 342. 343. 344.
Gratia sine qua non, & gratia cum qua fit actio, qui differant? 484. 485.
Eas Augustinus studiosissimè distinguit. 524.
Priorem agnoscunt Semi-Pelagiani tamquam necessariam ad inchoandum opus quodcumque bonum, sed posteriorem mordicus negant. 459. 460. 461. 462. 463. 466. 492. 512. 524. 532.
Gratia Christi efficax humanæ voluntati dominatur. 498. 499. 500.
Non tollit libertatem, sed magis ad primitivum statum reducit. 271. 279. 286.
Non infert fatalem necessitatem, aut coactionem. 280. 284.
Non extinguit meritum, aut laudem operis ex ea secuti. 281. 282.
Ejus prædicatio non inducit ignavam securitatem, aut torporem. 281. 282.
Eam cum libertate malè conciliant quidam Neoterici, aliàs Catholici. 285.
Ejus efficacia unde pendeat, & in quo sita? 284. 321.
Gratiam ex proposito admittunt Pelagiani, sed perverso sensu. 355. 356.
Gratia habitualis non fuit radix libertatis plenissimæ in statu innocentiæ 455.
Gratia efficax an ad nutum subsit dominio voluntatis hominis lapsi? 440. 458.
Ejus necessitas ad bene operandū. 200. 262. 284. 295. 299. 520. 523.
Credentium ab incredulis discretio, non libero arbitrio, sed gratiæ adscribenda. 343. 409.
Pelagiani contrarium contendunt. 343. 350. 353. 354. 355. 361.
Gratiæ necessitas ad cavenda peccata. 337. 458.
Habitualis gratia sine actuali non sufficit ad bonum faciendum, aut malum vitandum. 299.
Gratiæ necessitas assimilatur necessitati luminis ad videndum. 458. 463. 475. 476.
Nullus bonus motus quantumvis naturalis gratiam antecedit. 520.
Gratiæ necessitas ab Ethnicis sapientibus agnita. 512.
Gratia sufficiens ad cavenda peccata confingitur à Neotericis tamquam naturæ quodammodo debita. 493.
Gratia collata Adamo in statu innocentiæ in ipsius relicta fuit arbitrio. 464. 459. 471. 486. 487. 488.
Gratia homini integro conferebat merum posse: homini lapso cōfert insuper velle, & operari. 455. 458. 459. 465. 471. 485. 487. 488.
Dispositio ad gratiam per vires naturæ obtineri potest, juxta quosdam Neotericos errantes. 521. 522. 523.
Dignum esse gratiâ minus est quàm mereri gratiam, juxta Augustinum. 528.
Gratia in statu etiam innocentiæ necessaria fuit ad bene operandum. 458. 463. 476.

H

HABITVS

HABITVS sive naturalis sive infusus non dat voluntatem aut actionem, sed possibilitatem, aut possibilitatis promptitudinem 287. 296.
Potest dari actuale gratiæ auxilium subditum determinationi voluntatis instar habitus. 287.
De facto datum fuit tale auxilium angelis, & primis parentibus. 458. 459. 465. 471. 490.
Habitus virtuosi perinde ac vitiosi à Pelagianis admittuntur. 296.
Habitus supernaturales an ab ijs admissi? 298. 299. 300. 301. 303. 305. 308. 311. 313. 315.
Habitibus utimur, cum volumus. 287.

HERACLYTVS.

Heraclytus Philosophus Apatheiæ, & impeccantiæ assertor. 226.

HÆRESIS.

Hæresis Pelagiana dicta etiam Celestiana, & Pelagiani Celestiani. 6. 9. 54. 74. 229.
Ex quibus fontibus hausta? 9. 106. 107. 118. 139. 141. 148. 151. 157. 189. 217. 222. 226. 232. 364. 365. 366. 377. 378. 380. 457.
Contra eam primus insurrexit Hieronymus. 8.
Siculos & Rhodios inficit. 13.
Britannos infestat. 66. 67.
Diaboli primogenita, & cur? 381.
Damnatur in Africa. 31. 39. 261.
Dãnatur Romæ ab Innocent. & Zozimo successivè. 49. 50. 51. 54. 261.
Damnatur Constantinopoli. 56. 57.
Damnatur per orbem universum. 52. 54. 55. 56.
Ejus condemnatio Romæ publicatur per Sixtum presbyterum, postea Papam. 53.
Damnatur ab Imperatore cum proscriptione Authorum. 56. 62.
Imperatoris edictum promulgatur, & in promulgantem furunt Pelagiani. 55.
Hæresis Pelagiana genuit Nestorianam 1. 72. 74. 345.
Ambæ à Synodo Ephesina damnantur. 2. 72. 73. 74. 81.
Hæreses damnari possunt ab Ecclesia absq; cõvocatione concilij. 60.
Hæreticorum conti eta querimonia de sua damnatione. 60.
Hæretici omnes falsarum rationum dolis armati. 377. 380. 388. 390.
Omne suum præsidium è Philosophicis captiunculis depromunt. 377. 378. 379. 380. 390. 457.
Hæreticorum Neotericorum dogma de Iustitia imputaricia. 303. Vide, Pelagianismus.

HEROS.

Heros & Lazarus Gallicani Antistites Pelagium de hæresi accusant 21.
Eorum libellus accusatorius traditur Eulogio Cæsariensis Palestinæ primati. 21.
Proficiscuntur in Palestinam ad accusandum Pelagium in Synodo Diospolitana. 21. 26.
Sed propter morbum, in quem unus eorum inciderat, nequesit adesse. 21.
Eorum absentia profuit Pelagio ad decipiendum Episcopos synodales. 25. 26. 27.
A Zozymo malè informato graviter ob delatum Pelagium increpantur. 47. Vide, Pelagius, Zozimus.

HIERONYMVS.

Hieronymus scribit Dialogos contra Pelagianos, ubi Atticum & Critobulum colloquentes introducit. 19. 217. 273.
Pelagium quasi Scotum insectatur, & cur? 1. 7.
Pelagianos tamquam barbaros & elingues ridet. 2. 3.
Ruffino Aquileiensi odiosus. 7.
Pelagij dogmata recenter sparsa non satis penetravit. 227.
Primus omnium adversus ea scripsit. 8.
Odium in Hieronymum à Ruffino hæreditarunt Pelagiani. 7.
Bethleemiticum Paulæ & Eustochij Monasterium, Pelagiani Hieronymum persequentes diripiunt & incendunt. 28. 29.
Hieronymus Semi-Pelagianorum errori olim adhæsit, uti & multi alij veteres Patres. 405. 477. 512.
Ejus verba de negato à Pelagianis concursu generali causæ primæ expenduntur. 291. 292. 293.
Ejus Epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianam hæresim exarata. 19. 273. 291.
Impugnatur à Pelagio menciente nomen Aniani Diaconi. 19. 20.
Hieronymo falsò affictus libellus de hæresibus. 543.
Item Epistola ad Demetriadem. 15.
Item commentarius Pelagij in Epistolas Paulinas. 83.
Hieronymus fuit illustris Catholicæ fidei propugnator. 83.

HILARIVS.

Hilarius Episcopus Arelatensis, Augustini doctrinâ, & disciplinâ imbutus. 70. 477.
Opponit se Semi-Pelagianis in Gallia exorientibus. 70. 75. 403.
Augustinum informat de eorum dogmatibus, binis ad eum transmissis Epistolis. 70. 223. 436. 445
Earum Epistolarum una perijt, vel adhuc latet. 70. 445.
Hilarius cum Prospero Romam proficiscitur ad informandum Papam Celestinum de dogmatibus Massiliensium 77.

HINCMARVS.

Hincmarus Rhemensis Episcopus Prædestinatianos hæreticis accenset. 541. Quænam dogmata ijs impingit? 541.
Gennadij testimonio deceptus fuerat, uti & Sigebertus. 546. 549.
Adversus eum & reliquos Prædestinatianorum calumniatores celebratur Synodus Valentina. 548.
Prædestinatianorũ doctrina ibi approbatur, & obtrectatores damnantur 598. 549.
Quo anno id contigit? 549.

HYPOCRISIS.

Hypocrisis Pelagianis familiaris. 234. 385. 386. 387.
Hypocrita quis dicendus? 386. Vide Pelagius, Celestius.

I

IACOBVS

IACOBVS & Timasius Religiosi adolescentes à Pelagio pervertuntur, & quo anno? 16.
Augustini prædicatione resipiscunt. 16.
Mittunt Augustino librum Pelagij hæresi refertum. 16. 17.
Adversus eum scribit Augustinus librum de natura & gratia, prædictis adolescentibus dedicatum. 18.
Rescribunt Augustino rescriptumque refertur ad longum. 17. 18.

IESVS.

IESVS interpretatur Salvator. 155.
Vsque ad baptismum non fuit Christus, nec usque ad resurrectionem Deus, ex dogmate Pelagianorum 345.
Vnde hauserint illud dogma 346. 347.
Ex isto dogmate natus Nestorianismus 72. 81. 344. 345. 446.
Negantes peccatum originale, negant Christum esse Iesum parvulorum 155.
IESVS cùm esset purus homo per merita naturalis arbitrij meruit divinitatem, ex dogmate Pelagianorum, Nestorianorum & Origenistarum. 343. 344. 345 346. 347. 348.

IGNORANTIA.

Ignorantia tam adultorum, quàm parvulorum non est pœnalis, ex dogmate Pelagianorum. 148 149. 156.
Parvulorum stupiditatem nolunt appellare ignorantiam sed naturalem simplicitatem. 150. 158.
Adultorum ignorantiam excusant, sed negligentiam culpant. 149. 150. 187.
Parvulos in uteris maternis usum rationis habere, delirant. 149. 158. 360. Vide Pelagius, Pelagiani.

IMAGO.

Imago Dei in homine quid? & an amitti possit per peccatũ. 97. 98.

IMPECCANTIA.

Impeccantia à Pelagianis asseritur 226. 228. 244.
Quomodo differat ab impeccabilitate. 228.

INDIFFERENTIA.

Indifferentia voluntatis ad bonum æquè ac malum à Pelagianis adstruitur 93. 94 99. 101. 185. 237. 322. 399.
Eam faciunt libero arbitrio essentialem. 93. 94. 99. 101. 183. 185. 186. 269. 367
Vt eam salvent, adjutorij voluntatis & actionis necessitatem tollunt. 271. 286.
Error iste ex Ethnica Philosophia haustus. 377. 378. 379. 380.
Eundẽ errorẽ amplectuntur Semi-Pelagiani. 419. 420. 421. 422. 423.

INITIVM.

Initium salutis an ex nobis? Vide, Semi-pelagiani.

INNOCENTIVS PAPA.

Innocentius Papa ab Augustino informatur de dogmatibus Pelagianorum. 18. 27.
Ejus de Pelagij censura. 18. 27. 83. 235.
Sinistra fama apud Africanos laborat. 33.
Reprehendit Episcopum Hierosolymitanum Pelagio nimis faventem & conniventem. 29.
Damnat Pelagium & Celestium. 33. 34. 35. 107.
Mortuo succedit Zozimus in pontificatu. 40. 44.
Pelagij litteræ ad ipsum traduntur Zozimo successori. 44.

INSPIRATIO.

Inspiratio apud Patres & concilia, internam gratiam importat. 467.

IOANNES

Ioannes Hierosolymitanus antistes interest Synodo Diospolitanæ. 21. 25. 29.

Digitized by Google

Pelagio & affectis nimis indulget. 25. 29. 228.
In accusatores Pelagij stomachatur. 29. 30.
[illegible] connivente Pelagiani infestant Hieronymum & sanctimoniales Bethleemiticas. 29.
Deponuntur querelæ de ipso apud Innocentium. 29.
Ab Innocentio acriter increpatur per litteras. 29. 30.
Ab Augustino plenius informatur de Pelagio. 30.

IOANNES ANTIOCHENVS.

Ioannes Antiochenus Patriarcha ad Ephesinam Synodum proficiscitur. 72. 2.
Non nisi post damnatum Nestorium appellit. ibid.
Ipsam Synodum ausu temerario condemnat ob condemnatum Nestorium. ibid.
Pelagiani Episcopi ei se associant. ibid.
Acta Concilij Ephesini suppositione falsi canonis falsificat. 72. 73.

IOANNES CASSIANVS.

Ioannes Cassianus. Vide Cassianus.

IOANNES HESSELIVS.

Ioannes Hesselius Lovaniensis Theologus. 469.

IOB.

Iob à Pelagio mirè extollitur 205.
Ejus patientiam viribus liberi arbitrij naturalis adscribit idē. 205.
Sanctitatem [illegible] per easdem vires adeptus, juxta eundem. 205. 2[illegible]6.
Cassiani de ejus patientia error. 505.

IOVINIANVS.

Iovinianus hæreticus Pelagianorum prodromus. 225. 226. 227. 366. 385.
Ejus à Pelagio discordia quoad impeccantiam. 227.
Baptizatos facit intentabiles. 227.

IVDÆI.

Iudæorum errores Pelagianis communes. 242.
Solos Iudæos periisse in Adam ù peccantē sensit Pelag. 128.
Iudaismus, Pelagianismi tertius & celeberrimus status. 240. 242.

IVLIANA.

Iuliana matrona Romana, Demetriadis mater. Vide Demetrias.

IVLIANVS.

Iulianus Memorij Episcopi filius. 58.
Animosus, ingeniosus & eloquens. 58.
A Memorio parente commendatur Augustino. 58.
Ejus videndi desiderio ardet Augustinus. 58. Fit Diaconus 58.
Fit Episcopus, & cujus loci 58. 59. Fuerat olim conjugatus. 58.
Pelagij hæresim amplectitur 59.
Libros Augustini de nuptijs & concupiscentia impugnat 59. 63.
Seipsum Davidi, Augustinum Goliæ comparat 59.
Augustinum appellat præcipuũ Catholicæ relig. propugnatorē. 59.
Ejus doctrina à Prospero appellatur gramen campanum. 59.
Libros suos octo inscribit Floro Episcopo Pelagiano. 64.
Eorum qui jam nuper inventi & editi. 63.
Scripsit duas Epistolas, & ad quos? 61.
Eas ad Augustinum transmittit Bonifacius Papa. 61.
Refutantur ab August. quatuor libris Bonifacio inscriptis. 61. 519.
Augustinum tamquam falsatorem suorum Scriptorum calumniatur. 63.
Augustinum & cæteros Catholicos contumeliosissimè dilacerat. 59. 63. 64. 129. 131. 132. 135. 210.
Ejus querelæ de edicto Imperatoris adversus Pelagianos, reliquis hæreticis similiter proscriptis. familiaries. 60.
Ejus insanum dogma de cæcitate protoplastorum ante lapsum. 120.
De eorundem perizomatibus quid senserit? 119.
Opera sterilliter bona adstruit. 530.
Conatur Episcopatum ob hæresim amissum recuperare. 81.
Eleemosynarum largitione multos in suam hæresim illicit. 81.
A[illegible] cum Pelagio & Celestio Romæ damnatus? 54.
Damnatur cum alijs in Concilio Ephesino. 73.
Quos libros conscripsit? 59. 63. 90. 91.
Quo tempore obierit? 81.

IVSTITIA

Iustitia à Iuliano perperam definita. 357.
Iustitia imputatitia modernorum hæreticorum. 303. 311. 312.
Iusti sunt templum Dei. 312.
Iustificationis effectus recensentur. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316.

L

LAZARVS.

LAZARVS Episcopus Gallicanus Pelagium accusat. 21. vide Heros.

LEPORIVS

Leporius Monachus Pelagiana hæresi infectus Augustini industriâ emendatur. 68. 72. 1. 346.
Nestorianismo prælusit. 68. 72. 1. 346.
Ejus de Christo dogma. 68. 346.

LESSIVS.

Lessius Semi Pelagianorum dogma vel non satis attendit, vel non penetravit. 515.
Posse hominem per vires naturæ credere Mysterijs fidei propositis censet. 515.
Item posse absque gratia optare supernaturalem beatitudinem. 515.
De naturali præparatione hominis ad gratiam nihil minus dicit quàm Massilienses dixerint. 521. 522. 523.
Divinam gratiam determinationi creati arbitrij subjicit. 513.
Augustinum in suas partes violentè trahere contendit. 513.

LEX.

Lex à pelagianis appellatur gratia. 240. 241. 242. 260.
Omnes gratiæ effectus & prærogativas legi accommodare contendunt. 242. 242. 245.

LIBERVM ARBITRIVM.

Liberum arbitrium à Pelagianis appellatur gratia. 224. 236. 237. 238. 241. 338. 339.
Ejus vires plus quo extolluntur ab iisdem. 91. 95 351. 352.
Ejus definitio à Iuliano conficta exponitur. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 980. 280.
Liberum arbitrium, natura & voluntas, qui differant? 213.
Liberum arbitrium gratiâ destitutum non nisi ad peccandum valet. 337. 4[illegible] 2. 507.
Cum gratia concurrit ut instrumentum, sed vivum. 275. 284.
In ipso constituunt Pelagiani rationem imaginis Dei. 97. 98.
Nullum ei inflictum fuisse vulnus per peccat. mi sustinent. 21[illegible]. 216.
Libertas arbitrij supponitur quoties quidpiam præcipitur aut prohibetur. 280.
Libertas est essentialiter bicornis, juxta Pelagianos. 271. 322. 367.
Indifferentiam contradictionis & contrarietatis necessariò includit, juxta eosdem. 93. 94. 95 96. 183 186. 237. 238.
Libertas transgrediendi non stat cũ impossibilitate obediendi. 27[illegible]
Libertas tollitur coactione & fato 279. 28[illegible]. 421.
Libertas naturalis per peccatum omissa, & qualiter? 454.
Libertas plena status innocentiæ non fundabatur in gratia habituali. 455.
Libertas arbitrij cum gratia efficaci malè conciliatur à recentioribus. 285.
Gratiam ex proposito abhorrent Semi Pelagiani tanquam libertati præjudiciosam. 419. 420. 421. 422. 423. 424.
Vide Adrumetini, Cassianus Faustus, gratia, Pelagiani Semi-Pelag.

LIBIDO.

Libido à Pelagianis non improbatur, sed laudatur. 133. 134. 189. 224. 304 383.
Varijs nominibus à Iuliano exprimitur. 134.
Ab Augustino vocatur Pelagianorum *suscepta*, & cur? 133.
Eorum argumenta pro libidinis patrocinio. 135. 136. 137. 140. 141. 142. 143.
Eam Christo viatori attribuunt. 142.
Imo & jam glorioso, uti & reliquis gloriosis corporibus. 143.
Libidinis comes individua, confusio. 119. 120. Vide Cõcupiscentia.

LIPSIVS.

Lipsius advertit discrimen impeccantiæ & impeccabilitatis. 228.

LOVANIENSES

Lovanienses Theologi opera Augustini expurgarent. 469. 470.
Librum de dogmatibus Ecclesiasticis Augustino affictum, authori suo Gennadio restituerunt. 469. 470.
Id contigit priusquam controversia recentiorum de efficacia gratiæ in Belgium penetrasset. 469.
Vix sunt in ea correctione plusquam ducentis exemplaribus Augustini. 469.

LVCIANVS

Lucianus Presbyter Epistolam scripsit quæ in appendice operum Augustini habetur. 21.
Ex ea Epistola colligitur annus & mensis quibus Synodus Diospolitana est celebrata. 21.

LVCIFER CALARITANVS.

Lucifer Calaritanus Schismaticus. 474.

LVCIFER ARCHIDÆMON

Lucifer Protoplastos prostravit telo Pelagiano. 235.
Pelagiana hæresis Luciferi primogenita, & cur? 381.
Pelagiani assimilantur Lucifero. 233. 381.

LVMEN.

Lumen oculis etiam integris necessarium ad videndum. 458. 463. 475. 476.
Ea necessitas assimilatur necessitati gratiæ ad bene operandum. 458. 463. 470. 458. 463. 475. 476.

LVPVS.

Lupus Trecensis Antistes cum Germano in Britanniam proficiscitur. 66. Vide Germanus, Pelagius, Britannia.

MACVLA

M

MACULA

Macula peccati differt à reatu pœnæ, etiam juxta Pelagianos 300.
Consistit formaliter in privatione nitoris debiti inesse. 301. 302.

MANICHÆI

Manichæi liberum arbitrium tollunt. 416.
Pelagianorum prodromi. 366.
Horum dogma de duabus naturis à Semi-Pelagianis falsò affictum Catholicis. 432.
Pelagiani Manichæis pejores. 155.
Manichæorum dogma de animarum traductione, à Pelagianis calumniosè affictum Catholicis. 132. 133. 134.
Catholicos idcirco appellant Traducianos, quod peccatum originale astruant. 133. 134.
Augustinum agnominant Traducianæ nationis primatem. 134.
Catholicos agnominant Manichæos. 56. 126. 129.
Manichæorum hæresis de duabus naturis. 135.154.367.

MARCELLINUS.

Marcellinus Pelagianus in Synodo Ephesina cum socijs damnatus. 73.

MARCION HÆRETICUS

Marcion hæreticus duas naturas cum Manichæis adstruit. 367.

MASSILIENSES.

Massilienses Semi-Christianismum Pelagianorum amplectuntur. 344. 398.
Eorum error Ipsis vetustior. 403. 404. 405. 512.
Cur dicti Semi-Pelagiani? 398. 399. 400. 444. Vide Semi-Pelag.

MATRIMONIUM

Matrimonium includit essentialiter carnalem copulam, juxta Pelagianos. 146.
Negant proinde matrimonium Iosephi cum B. Maria fuisse essentialiter perfectum. 146.
Nuptias & carnalem commixtionem sexuum, pro synonimis habent. 146.
Ex doctrina Catholicorum de turpitudine libidinis, inferebant matrimonium esse illicitum. 136. Vide Pelagiani.

MAXIMINIANUS CONSTANTINOPOL.

Maximinianus Constantinopolitanus antistes, in locum Nestorij ob hæresim depositi suffectus. 78.
Admonetur à Celestino Papa ut Pelagianis resistat. 78.
Quo tempore id factum? 78. 79.

MELANIA.

Melania, Vide Albinus.

MEMORIUS EPISCOPUS

Memorius Episc. Iuliani hæretici pater, Augustino charus. 58. 59.
Filium suum Iulianum Augustino commendat. 58.
Petit instanter sibi mitti librū Augustini de Rythmo & musica. 58.
Mittit ei Augustinus librum illum cum Epistola. 58. Vide Iulianus

MILEVUM.

Milevum Numidiæ in Africa oppidum. 31.
Milevitana Synodus duplex ibi celebrata? una provincialis Numidiæ, altera plenaria totius Africæ. 30. 31. 32. 33. 40. 470.
Hæc posterior celebrata est ante Concilium Carthaginense: illa prior, post. 30. 31. 32.
Canones Concilio Milevitano à Baronio affixi, rectius attribuuntur Concilio Carthaginensi. 32.35.36.51.52 218.
Quo anno quibusq; consulibus celebrata prima Synodus Milevitana? 30.
Posteriori interfuit Augustinus cum sexaginta alijs Episc. 32. 37.
Patres Concilij Milevitani scribunt ad Papā Innocent. 33.218.334.

MOLINA.

Molina Semi-Pelagianorum dogma non satis penetravit. 515.
Augustinum in suas partes adducere frustrà contendit. 514.
Cupit haberi inventor aut saltem præcipuus patronus dogmatis de efficacia gratiæ fundata in præscientia conditionalī. 482. 483
In Augustinum, veteres Pontifices, & antiquam Ecclesiam injuriosus. 483. 484.
Ejus exorbitatio retunditur. 484.
Vt opiniones suas à Semi-Pelagianismi nota purgaret, Massiliensiū errores aliò distorquet. 482.
Ejus uti & Massiliensium dogma non est gratiæ prædicatio, sed proditio. 484.

MORS.

Mors non est pœnalis sed naturalis hominibus juxta Pelagianos. 121. 151. 152.
A Peripateticis quoad hoc dogma recedunt Pelagiani. 152.
Morbum, miserias, & ipsam mortem in paradisum invehunt ijdem. 121. 122. 153.
Moriendi possibilitatem cum moriendi necessitate confundunt ijdem. 121.
Homines etiamnum creari immortales, quidam censent. 152.

N

NATURA.

Natura à Pelagianis appellatur gratia. 237.
Ejus vires nimis extolluntur ab ijsdem. 201. 207.211. 212. 213.
Natura pura & natura lapsa, qui differant? 363. 364.
Assimilantur homini nudo & homini nudato. 363.
Natura per peccatum vitiata, vulnerata, & debilitata. 454. 458.
Vide, gratia, liberum arbitrium, Pelagiani, Semi-Pelagiani.

NESTORIUS.

Nestorius Constantinopolitanus antistes Pelagianos fovet. 72. 1.
Scribit pro ijs ad Celestinum Papam. 72. 1. 71. 2.
Rescribit ei Celestinus Pelagianismi patrocinium in eo sugillans. 71. 2. Contra eum inducitur Conc. œcumenicū Ephes. 71. 1. 72. 1.
Proficiscitur ad Concilium stipatus Pelagianorum profugorum agmine. 72. 2. Damnatur & deponitur. 72. 2. 73. 74.
Maximinianus ei in Cathedra Constantinopolitana sufficitur. 78.
Humanam personam à divina in Christo separat. 72. 1. 345. 346. 347. 348.
Ejus hæresi prælusit Leporius Monachus, sed per August. emendatus est. 68. 72. 1. 346.
Nestorij hæresis Pelagianismi filia & ramusculus. 72. 1. 74. 345. 346
Pelagiani cum Nestorianis Ephesi damnantur. 73. 74.
Nestorij damnationem ægrè fert Ioannes Patriar. Antioch. 72. 2.
Synodum Ephesinam ob damnatum Nestorium communione privare præsumit. 72. 2.
Vt Pelagianis vicem redderet, acta Concilij falsificavit, hæretici canonis insertione. 72. 2. 73.

NUPTIÆ.

Nuptiæ, vide, Matrimonium.

O

OCCASIONIS NOMEN.

Occasionis nomen apud Semi-Pelagianos usitatum in materia de merito & præparatione naturali ad gratiam. 471. 515. 521. 522. 523.
Eodem nomine passim utuntur Neoterici, qui tamen Semi-Pelagianismi notam evitare student. 521. 522. 523. Vide, faciens quod in se est, Cassianus, Semi-Pelagiani, Less. Molina.

OPERA STERILITER BONA.

Opera steriliter bona à Pelag. confinguntur. 181. 195. 196. 197. 520
Qualia sunt ista opera, & quam mercedem recipiant infideles qui ea exercent. 181. 182.
Nullum opus bonum quantumvis naturale exerceri potest absque gratia. 520. 523. Vide, gratia, liberum arbit. natura, Ethnici.

ORATIO.

Oratio testatur rem petitam non esse in potestate libera petentis. 274. 509.
Orationis Dominicæ necessitatem destruit, quisquis naturalem potestatem vincendi tentationes adstruit. 496.
Orationis necessitatē tollunt Pelagiani. 215. 216. 225. 274. 296. 509.
Iusti non ex sua propria, sed ex imperfectæ plebis persona orant, juxta eosdem. 222.
Orationum & gratiarum actionum quis usus, juxta Pelagianos? 258. 259. 260. 261.
Ex Augustinianæ gratiæ prædicatione inutilitatem orationis adstruere conantur Semi-Pelagiani. 431. 432.

ORIGENES.

Origenes Pelagianismi origo. 106. 109. 124. 152. 182. 200. 201. 202. 222. 226. 365.
Nestorianismi fons. 347.
Omnium subsequentium hæreticorum prodromus. 365. 366.
Ecclesiæ in multis proficuus, sed in pluribus perniciosus. 365. 375. 376.
Ingenio non minus liber quam fœcundus. 376. 438.
Semi-Pelagianismi fundamenta jecit. 408. 451. 512.
Ab orientalibus tanti æstimatus, quanti ab occidentalibus Aug. 438
Salvandorum & damnandorum vicissitudinarium circuitum confingit. 227. 367.
Animas humanas ante corpora creari & in eo statu mereri aut demereri delirat. 347. 373.
Corporum diversitatem meritorum præviorum diversitati adscribit. 374. [illegible] Christum

Digitized by Google

Christum ex humanis meritis divinitatem obtinuisse censet. 374.
Apatheiam & impeccantiam astruit. 374.
Nimia libertate Hieronymi laus eum in illas insanias præcipitavit. 376.
Gratiam Dei meritis naturæ tribui, autumat. 371.
Gratiam naturæ pro gratia Christi obtrudit. 368.
Voluntatem humanam posse suis viribus resistere tentationibus, asserit. 368.
Adjutorium possibilitatis agnoscit, voluntatis & operis negat. 368. 369.
Initium fidei & salutis in naturam refundit. 371.
Libertatis indifferentiam contrarietatis extollit. 367.
Vocationem ex proposito perversè explicat 374. 375.
Prædestinationem & electionem ad gloriam prævijs meritis adscribit. 373.
Hieremiam in utero ex præcedentibus meritis sanctificatum delirat. 372. 373.
Vitium acceptionis personarum perperam intelligit. 373. 374.
Vitam æternam extra regnum cœlorum infidelibus bene per naturam operantibus promittit. 282. 369
Viam eludendi Scripturas Pelagianis alijsque hæreticis præmonstravit. 375. 438.
Scripsit Commentaria perniciosa in Epistolam ad Rom. 376. 437.
Nec minus periculosi sunt libri quos inscripsit Peri archon. 376. 452
Origenistæ Monachi in Ægipto & Palæstina Pelagianismi & Semi-Pelagianismi rudimenta tradiderunt. 376.
Origenis dogma de naturalibus virtutum seminibus. 110.

ORIGINALE PECCATUM.

Originale peccatum à Pelagianis negatur. 125. 137. 156. 157. 235. 303. 352. 353. 364.
Nihil eo ad prædicandum notius, ad intelligendum secretius. 125.
Quibus argumentis ad ipsum negandum utantur Pelagiani 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134.
Scripturas ipsum adstruentes ridiculè exponunt. 126. 127. 128. 151. 152.
Catholicos ipsum adstruentes agnominant Manichæos, & Traducianos. 132. 133. 134.
Parvulos in eo statu nasci autumant, in quo fuit Adam ante lapsum. 158. 235. 352. (352.
Originalis peccati abnegatio est totius Pelagianismi origo. 351.
Ex Rufini doctrina eam didicerunt Pelagiani 364. 365.
Ex Philosophia Ethnica primordialiter descendit. 378.

ORONTIUS.

Orontius Pelagianus in Synodo Ephesina damnatur cum socijs. 73

OROSIUS PRESBYTER

Orosius Presbyter hortatu Augustini proficiscitur ex Africa in Palestinam 26.
Ea profectio contigit paulò ante celebratam Synodum Diospolitanam. 19. 26.
Non interfuit tamen Orosius Synodo 26. 29.
Post celebratam Synodum redit è Palestina in Africam deferens litteras Hieronymi ad Augustinum 19.
Ioannes Hierosolymitanus & Pelagius in eum stomachantur, uti & in alios Pelagij accusatores. 29.
Appellit Carthag. idem tempore Concilij Carthaginensis. 31.
Porrigit Concilij proceribus litteras Herotis & Lazari qui è Gallia in Palestinam persecuti fuerant Pelagium. 31.
Falsò ei affingitur quædam oratio operibus ejus annexa. 26.

P

PALADIUS

PALADIUS à Celestino mittitur in Scotiam 1. 66. Vide Celestinus.

PALADIUS GALATA

Paladius Galata Historiæ Lausiacæ Scriptor. 366.
Discipulus Chrysostomi & socius Evagrij hyperboritæ Origenistæ. Pelagianorum in Ægipto Magister. 366. (366.

PAULINUS

Paulinus Diaconus interest Collationi Carthaginensi. 10. 11.
Celestium hæresiarcham ibidem examinat. 10. 11. 365.
A Zozymo Papa citatur peremptoriè ob accusatos Pelagianos. 42.
Mittit ad Zozymum anno sequenti libellum. 42.

PAULUS OROSIUS.

Paulus Orosius, vide Orosius.

PELAGIUS.

Pelagius Monachus natione Britannus, nullâ Ecclesiastici ordinis prærogativa spectabilis. 1. 2. 3. 386.
Peragratis Ægypti Monasterijs Romã venit, ibiq; cõmoratur. 6. 376
Ruffini familiaritate usus in pejus proficit. 7. 10. 57.
Odium in Hieronymum à Ruffino hæreditat. 7. 10. 57.
Doctrinâ & pietate olim spectabilis, in hæresim grandævus labitur. 2. 3. 4. 365.
In disseminanda hæresi astutus & subdolus. 4. 5. 15. 17. 84. 225. 234. 251. 262. 351. 292. 302.
Româ à Barbaris captâ fugit in Africam. 7. 8.
Appellit in littore Hipponensi. 8.
Ab Augustino bis visus Carthagine tempore Collationis habitæ cum Donatistis. 8. 9.
Ex Africa transmigrat in Palestinam, 8.
Inde scribit ad Augustinum. 14. 27.
Rescribit ei Augustinus, præsentiâ & colloquiũ ejus desiderans. 14.
Accusatur de hæresi, & adversus eum indicitur Synodus Diospol. 21
Sistit se Concil. & à Patribus articulatim examinatur. 21. 22. 23. 24.
Absentibus accusatoribus, antistites latini idiomatis ignaros vaferrimè eludit. 25. 26. 27.
Surreptitiè absolutionem impetrat. 25.
In accusatores suos tanquam calumniatores stomachatur. 29.
De sua victoria adversus æmulos gloriatur. 27.
In Hieronymum & Romanas sanctimoniales ipsius curæ commissas in Bethleem, debacchatur. 29.
Chartulam suæ defensionis in Africam ad August. transmittit. 27.
Ab Orosio de Palestina in Africam redeunte defertur apud Africanos antistites Carthagine synodaliter congregatos. 31.
Damnatur ab ijs cum remissione ad Innocent. Papam. 31. 39. 265.
Damnatur rursus à Synodo Milevitana provinciali Numidiæ. 32. 33
Carthaginensis & Milevitanæ Synodorum proceres de ejus dogmatibus & damnatione scribunt ad Innocentium. 31. 32. 33.
Eorum litteræ porriguntur Pontifici per Iulium Episcopum ab ijs missum. 32.
Africani communi suffragio Augustinum eligunt ad refutanda dogmata Pelagij. 34.
Innocentius apud eos sinistrâ famâ laborat ob favorem Pelagianis impensum. 33.
Innocentius eorum zelum approbat, & Pelagium cum complicibus damnat, nisi tempestivè resipiscant. 33. 34.
Quo anno id factum? 33
Pelagius conatur se apud Innocentium purgare, in quem finem mittit ei libellum suæ fidei cum litteris. 43. 44.
Innocentio interea defuncto libellus Pelagij cum litteris traditur Zozymo successori. 44.
Harum litterarum fragmenta recensentur. 44. 45.
Zozymus eius libellum artificiosè conceptum, existimat Catholicum. 41. 42.
In accusatores Pelagij, quem calumnijs appetitum putabat, acriter invehitur. 41. 42. 47.
Africanos antistites propter fidem accusatoribus Pelagij adhibitam, arguit levitatis. 47. 50.
Libellum cum litteris Pelagij mittit ad Africanos adjunctis etiam suis litteris reprehensorijs. 42. 43.
Quo anno id factum? 42.
Accusatores Pelagij citat peremptoriè. 42. 47.
Africani receptis Zozymi litteris cum litteris & libello Pelagij, Carthaginem confluunt, binisque litteris ad Zozymum successivè missis, eum de Pelagio & Celestio plenius informant. 50. 51.
Rescribit eis Zozymus se purgans. 42. 43. 50.
Zozymus præmisso examine (cui clanculum Celestius se substraxit) & habita plena informatione ab Africanis, condemnat Pelagianos. 53 54.
Quo anno id factum? 57.
Et quo mense? 51.
Zozymus scribit ad universi orbis Episcopos de damnatis à se Pelagianis. 51. 53.
Ejus litteras miris laudibus extollunt Africani. 53
Conqueritur Pelagius absentem se & inauditum fuisse condemnatum. 57. 58.
Absolutionem Synodi Diospolitanæ condemnationi per Zozymum factæ opponit. 57.
Censura Zozymi adversus pelagianos publicatur Romæ per Sixtum Presbyterum postmodum Papam. 53.
Imperator Honorius eosdem cum asseclis mulctat exilio, & quo anno ac die edictum prodiit? 55. 56.
Pelagiani istud edictum pro seipsis interpretari conantur. 56.
In Constantium edicti promulgatorem furunt. 55. 55.
Mittunt Legatos Constantinopolim ad Atticum Patriarcham, pro auxilio. 55. 56.
Hujus legationis Dux fuit Celestius. 55.
Damnantur Constantinopoli ab Attico, & acta Romam transmittuntur. 57.
Thessalonicensis Episcopi opem implorant. 55. 56. 61.

ed by Google

ersus eorum Epistolas scribit Augustinus ad Bonifacium. 61.
bunt ad Comitem Valerium, Catholicos tanquam nuptiarum mnatores accusando. 58.
ersus illud scriptum Augustinus expedit primum librum de ptijs & concupiscentia, eidem Valerio inscriptum. 58.
c occasionem nactus Iulianus contra Augustinum in arenam scendit. 58.59.
tugiunt Constantinopolim ad Nestoriũ tum Patriarchã. 72. 2.
eo damnantur in Concilio œcumenico Ephesino. 72. 2. 73.74.
nsfretant in Britanniam. 66.
etum suam ibi disseminant. 66.
lestinus Papa ad eis obviandum mittit in Britanniam S. Germanum. 66.
m eo publicè disputant & miraculo confunduntur. 67.
l Germani abitum reviviscunt, sed per eundem denuò reprimuntur. 67.
amdiu postmodum vixerit hæresiarcha Pelagius, incertũ est. 67
t restrictionum mentalium eximius architectus & patronus. 392.
ntus in edendis libris sub alieno nomine. 393.
s superba quædam effata expenduntur. 381. 382.
. & Celestij contumacia. 57.
ani imitationem affectat. 82.
is in scribendo facundia. 3.
ptor Commentaria in Epistolas Pauli, SS. Patribus dudùm afficta. 15.83.84.89.205.209.230.243.259.288.
modò extant inter opera Hieronymi. 83.84.
tubratim discutiuntur. 85.86.87.88.255.
ipsit de libero arbitrio libros quatuor. 20.28.215.257. 261.333.
ipsit ad viduam innominatam. 16. 384.
ipsit Eulogiarum librum ad imitationem Cypriani. 82. 465.
ipsit ad virginem Demetriadem. 15.16.46.90.150.201.205.223. 295.384.
iversa ipsius scripta singulatim enumerantur & expenduntur. 82.83.84.85.86 87.88.89.

PELAGIANI.

lagiani dicti etiam Celestiani. 6. 9. 54. 74. 229.
rum Hæresis diaboli primogenita. 233. 381. 382.383.
anichæis peiores sunt, & in quo? 155.
cifero comparantur. 233. 381. 382. 383.
orum proprius character, superbia. 381. 382.
orum pharisaicus orandi modus perstringitur. 384.
meritatis vani affectatores. 385
thnicorum Philosophorum imitatores & sectatores. 107. 118. 139. 141.148.151.157.185.217.226.232.
b Ecclesia condẽnati ad Philosophiæ tribunal appellant 379.389.
eripateticos judices pro Ecclesiasticis postulant. 389.
ialecticæ ignorantiam orthodoxis improperant. 388.389.
quivocationibus & amphibologijs addicti. 392.393.
n vestibus splendidi & pomposi. 388.
æcularibus disciplinis impensè addicti. 387.
cripturas ex Philosophiæ profanæ regulis metientes. 126.387.
ulierum conversatione delectantur. 5.389.390.
lienorum Scriptorum corruptores. 391.392.
agnam reverentiam erga Sedem Apostolicam simulant. 394.
Quæ Deo propria sunt, vendicant sibi. 383.519.
Terrenis opibus inhiant. 386.
Vt sub specie pauperum opes conservarent, divites negabant posse salvari, ni divitias abijcerent. 386.
Eorum mores recapitulantur. 395.396.
Eorum scopus, gentilismum in Ecclesiam invehere. 443.
Iudæis & Philosophis consociati. 457.
Catholicos agnominant Manichæos. 56. 126.129.
Eosdem appellant Traducianos, & Augustinum Traducianæ nationis principatem. 132. 133.134.
Tota eorum hæresis duobus capitalibus dogmatibus continetur: peccati originalis negatione, & potestatis humanæ ad operandum justitiam assertione. 364.
Primum dogma ex Ruffino, secundum ex Origene potissimùm hauserunt. 363.364.365.366.367.368.369.370.
Prima origo utriusque dogmatis, tertiusque Pelagianismi, Philosophia. 377.378.379.380.
Eorum Philosophia ex Stoicismo & Epicureismo mixta. 147.151. 154.377.
Vt originale peccatum impugnent concupiscentiam & libidinem laudant. 132.143.188.383.391.
Non solum habitualem concupiscentiam, sed & usum eius approbant. 145. 146.
Excessum tamen libidinis improbant, & in quo consistat iste excessus? 145. 146.
Quibus argumentis honestatem libidinis adstruere contendant. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144.
Omnium sensuum delectationes approbant. 147. 148.
Christo tam viatori quam glorioso comprehensori, uti & reliquis gloriosis corporibus libidinem & concupiscentiam attribuunt. 142. 143.
Protoplastis ante lapsum eandem attribuunt. 116. 117. 118. 119. 120
Innatas liberi arbitrij vires extollunt. 103. 104. 105.106. 107.385. 386. 519.
Mandata omnia absque gratia impleri posse dogmatizant. 211. 212.213.214.
Naturalia virtutum semina cunctis insita asserunt. 107. 197. 198. 199.200.201.202.
Virtutes cardinales posse per vires naturæ acquiri, sentiunt. 203. 204.205.206.
Inter Adamum ante lapsum & posteros nullum discrimen virium agnoscunt. 112.118.122.123.217.
Parvulos in puris naturalibus nasci, & Adamum similiter conditum fuisse asserunt. 112.113.114.125.158.171.209.235.353.361.
Nullam scientiam divinitus Adamo infusam concedunt. 113.114.
Adamum conditum fuisse mortalem morbisque ac miserijs obnoxium censent. 121 122.153.
Adamum peccasse admittunt, sed in posteros peccatum propagatione transfudisse negant. 125.137.183.352.392.
Innocentiæ statum admittunt, sed vide qualem. 158.171.172.
Naturalem possibilitatem voluntatis ad operandum bonum exaggerant. 92.99.100.186.187.268.169.270.271.
De perizomatibus protoplastorum quid sentiant? 119.
De spiritu concupiscente adversus carnem quid dicant? 109.133.188
Parvulis in utero matris inclusis usum rationis attribuunt. 149. 158.360.
Parvulos in utero conclusos peccare, & ob id mori antequam nascantur aut baptizentur, quidam delirant. 152.
Christum esse parvulorum Iesum negant. 155.
Carnem omnium parvulorum carni Christi æquiparant. 156.
Christum gratis mortuum implicitè docent. 215.
Christum per merita liberi arbitrij obtinuisse ut fieret Deus, dogmatizant. 344. 345.
Vsque ad baptismum non fuisse Christum, sed purum hominem, sentiunt. 345.
Nec nisi post resurrectionem cœpisse esse verum Deum. 345.
Omnes reliquos homines posse similiter divinitatem per merita liberi arbitrij promereri, autumant. 345. 346.
Resurrectionem hominũ docent esse naturalem, sicut & mortẽ. 158.
Non solum possibilitatem sed & facilitatem non peccandi, adstruunt. 217.221. 222.223.
Orationis necessitatem tollunt. 215.216.386.
Scyllæum bonum introducunt, & quidnam illud sit? 148.
Apatheiam & impeccantiam adstruunt. 225.226.227.351.385.
Viatores justos sanctis comprehensoribus, imo Deo ipsi non tantum æquant, sed antepounnt. 230.331.232. 233.352.
Ecclesiam ex solis justis constant. 229.
Vitam æternam parvulis absque baptismo decedentibus promittunt. 159.160.
An etiam regnum cælorum, & quomodo hoc ab illa differat? 159. 160.164.165.166.175.
Quid de adultis bene moraliter viventibus absque fide Christi? 179. 180.
Peccatum esse pœnam peccati abnegant. 192. 193.
Pœnitentiam peccatorum & reparationem justitiæ naturalis, viribus naturæ arrogant. 108. 209.251.
Cognitionem & dilectionem creatoris creatis viribus adscibunt. 202. 203. 204.
Naturam ob insita virtutum semina miris laudibus extollunt. 201. 202.
Adjutorium possibilitatis concedunt, voluntatis & operis negant. 263.264.265.
Rationes ob quas nolunt admittere adjutorium voluntatis aut operis, recensentur. 469.370.273.280.281.
Concursum generalem Dei cum creatura agnoscunt. 288.289.290. 291.292 293.294.
Hieronymi verba quibus contrarium ijs impingi videtur, expenduntur. 293.293.294.295.
Catholicos tanquam negatores concursus generalis calumniantur 288.289.290.
Naturales virtutum ac vitiorum habitus agnoscunt. 296.
Supernaturalem gratiæ habitum agnoscunt. 113.297.298.299.300. 301. 302.303.304 305.306.307. 308.309.310.311.312.313.314.315. 316.

Maculam

Digitized by Google

Augustinus & Concilium Carthaginense contrarium insinuare videntur, sed commodè exponuntur. 318.319.320.321.322.
Maculam peccati à reatu pœnæ distingui admittunt. 300.
Parvulos per baptismum justificari admittunt, à peccato autem mundari negant. 306.
Baptismum adultorum à baptismo parvulorum distinguunt quoad effectus. 300.301.302.303.305.306.352.
Liberum arbitrium appellant gratiam. 214.236.241.338.339.340.
Gratiam internam divinitùs infusam tandem agnoscunt, sed eam meritis liberi arbitrij retribui contendunt. 334.335.336.337.338.339.519.
Quibus operibus liberi arbitrij gratiam retribui sentiant? 341.
Discretionem credentium ab incredulis, & salvandorum à reprobis in liberi arbitrij determinationem refundunt. 343.350.519.
Gratiæ necessitatem ad tollenda peccata præterita agnoscunt, ad cavenda futura negant. 299.300.335.336.337.338.339.519.
Prædestinationem in præscientia meritorum fundant. 34[illegible].
Duas electiones statuunt, unam gratiæ, aliam meritorum 355.356.357.358.
Electionem gratiæ fundant in fide naturali, adeoque non est purè gratuita, sed retributionalis. 358.
Prædestinatos perinde ac reprobos appellant præscitos. 359.
Prædestinationem & prævisionem meritorum pro ijsdem usurpant. 359.360.
Non solum adultos sed & parvulos ex prævisione meritorum prædestinari censent. 360.
Merita conditionatè futura ad prædestinationem aut reprobationem sufficere contendunt 360.
Puræ naturæ statum inducunt, & quid ille? 361.362.
Catholicis fati assertionem falsò imponunt. 282.283.284.417.418.
De remissione peccati ab Augustino olim tradita abutuntur. 95.128.139.184.
Ab Augustino appellantur, malorum naturæ negatores. 154.
Adversus eos decertavit Augustinus per annos viginti. 35.71.1.
Pelagianorum hypocritica humilitas perstringitur. 234.385.
PELAGIANISMVS.
Pelagianismus Origenismi ramusculus. 377.378.
Nestorianismi mater. 72.1.74.345.346.
Pelagianismi & Semi-Pelagianismi quis scopus? 349.350.
Pelagianismi primus status, Ethnicismus. 235.236.237.238.
Secundus status, Semi-Ethnicismus, & quid ille? 237.238.239.240.
Tertius status, Iudaismus. 239.240.241.242.
Quartus status, Semi-Christianismus. 331.332.333.334.
Hunc postremum statum amplexi sunt Massilienses, dicti Semi-Pelagiani. 344.398. Vide, gratia, hæresis, Semi-Pelagiani, Faustus, Cassianus, Gennadius, Celestius, Iulianus.
PHILOSOPHIA.
Philosophia hæresum pænè omnium, Pelagianæ potissimum mater. 377.378.379.380.457.
Antiquus ejus abusus nondum antiquatus. 380.
Ejus diuturnum studium Theologis periculosum. 390.457.
Philosophi hæreticorum Patriarchæ. 377.378.379.380.457.
Philosophicæ ratiunculæ sunt pugiunculi parricidiales. 390.
Vide, Aristoteles, Diomachus, Pythagoras, Zeno, Epictetus, Cicero, Seneca, Ethnicismus, fatum, Chaldæi, Diogenes, Apatheia, Campi Elysij.
PLATO.
Plato lumine naturæ convictus necessitatem superni auxilij agnovit. 512.
PRISCILLIANVS
Priscillianus hæreticus fati assertor. 418.
Pelagii prodromus. 366.390.
PRÆDESTINATIANI.
Prædestinatiani perperam pro hæreticis reputantur. 541.542.543.544.545.546.547.548.
Non fuerunt alij quam Augustinus ejusq; sententiæ sectatores. ibid.
Adversus eorum calumniatores convocatur Synodus Valentina. 548.549.
Eorum doctrina ibi approbatur, condemnatis æmulis. 548. 549.
Vide, Gothescalcus, Gennadius, Hincmarus, Flodoardus.
PRÆDESTINATIO
Prædestinatio nullam præscientiam sive absolutam sive conditionatam præsupponit, juxta Augustinum. 437.
Prædestinationem prævisioni meritorum innixam statuerunt veteres communiter ante Augustinum. 435.436.437.
Eidem dogmati adhæsit olim ipse Augustinus cum alijs errans. 535.536.537.
Prædestinatio præscientiam non præsupponens à Semi-Pelagianis æquiparatur fato. 410.411.415.416.425.445.538.539.540.
A Pelagianis mordicus rejecta. 359.360.361.362.
Incommoda quæ ex ea inferebant Massilienses recensentur. 415.416.417.418.419.420.421.422.423.424.425.426.427.428.429.430.431.432.433.434.435.436.
Deum velle omnes homines salvos fieri, quomodo interpretetur Pelagius? 513.
Ejus interpretationem avidè arripuerunt Massilienses, uti & recentiores omnes Præscientiarij. 513.
Augustinum in suas partes trahere conantur, sed frustra. 513.514.
Prosperum pro se allegant, sed falsò. 514.515.516.
Vide, Deus, electio, fatum, gratia, Pelagiani, Semi-Pelagiani, Lessius, Molina, Gothescalcus.
PRÆDETERMINATIO
Prædeterminatio physica à quibusdam asseritur. 287.
PROSPER
Prosper Aquitanicus Rhegiensis antistes, Augustinianæ doctrinæ strenuissimus sectator. 7.3.13.
Opponit se Massiliensium erroribus. 70.75.246.350.403.
De ijs informat Augustinum. 70.402.410.411.416.427.437.
Eadem scribit ad Ruffinum. 75.
Romam cum Hilario proficiscitur, querelas apud Celestinum deponturus. 77.
Ejus opera utitur Celestinus in conscribenda Epistola ad Episcopos Gallicanos. 78.
Respondet ad excerpta Genuensium. 76.77.
Diluit objectiones Vincentianas. 76.
Respondet ad capitula Gallorum 76.435.436.490.
Scribit adversus Cassianum sub nomine Collatoris. 8.79.199.517.
Ejus mendosus textus emendatur. 53.
Quomodo interpretetur illud, Deus vult omnes homines salvos fieri? 515.516.
Mortuo succedit in Rhegiensi Episcopatu Faustus. 393.400.414.
Prædestinationem in meritorum præscientia fundavit olim errans. 437.
PROSPER TYRO
Prosper Tyro de Prædestinatiana hæresi ex Augustini scriptis hausta, qualiter loquatur. 544.
A graviori authoritate meritò submovendus. 544.
Pudendis erroribus scatent ejus scripta. 544.
PYTHAGORAS PHILOSOPHVS
Pythagoras Philosophus, Apatheiæ & impeccantiæ assertor. 377.
Ex ipso & alijs Philosophis haustum dogma de æqualitate hominis cum Deo. 377.

Q

QVÆSTIONES
QVÆSTIONES veteris & novi Testamenti operibus Augustini perperam immixtæ, Pelagianismo scatent. 110.122.150.151.152.209.233.309.316.
Earum author non solum Pelagianus, sed & ipso Pelagio in multis deterior. 113.
Negat Adamum habuisse Spiritum sanctum. 113.114.
Naturalia virtutum semina cunctis insita asserit. 116.
Miserias & dolores in paradysum invehit. 122.
Negat parvulorum ignorantiam esse pœnalem aut culpabilem. 150. 156.
Pœnitentiam & reparationem innocentiæ naturalis, viribus naturæ adscribit. 209.
Hominem qui per naturam à peccatis abstinet, Deo æquat, sed & anteponit. 233.

R

REATVS.
REATVS pœnæ à macula culpæ differt, etiam in sententia Pelagianorum. 300. Vide, macula, Pelagiani.
REGNVM
Regnum cælorum à vita æterna distinguitur juxta Pelagianos. 159.182.
REMIGIVS
Remigius Lugdunensis antistes scripsit de articulis Gothescalci. 547. 548.
REMISSIO.
Remissio peccati multa includit, saltem ratione distincta. 298.
An possit fieri absque habitualis gratiæ infusione. 298.
Quomodo à Pelagianis dicatur gratuita? 250.251.252.
ROMA.
Roma per Gothos intercipitur & vastatur. 7.
Eam vastationem fugiens Demetrias transmigrat in Africam ubi Augustini suasu vovet virginitatem. 15.

Digitized by Google

...em occasione Pelagius Hæresiarcha fugit in Africam cum Celestio. 7. 8.

RVFFINVS.

...finus Aquileiensis Hieronymo infensus. 7.
...agio Hæresiarchæ familiaris. 6.
...agianismi fundamenta jecit, 6. 19. 11. 365. 465.
...catum originale negavit. 365.
...is authoritatem pro se allegat Celestius Carthagine. 10. 365.
...orum Sixti Philosophi affingit Sixto Papæ. 365. 391.
...i & quando mortuus? 7.

S

SANATIO CORPORALIS.

SANATIO corporalis & spiritualis in quo similes? 499. 500.
Sanitas non sufficit oculo ad videndum nisi insuper sit illustratus lumine. 458. 463. 475. 476.
Hinc Augustinus ostendit necessitatem gratiæ ad bene operandum etiam in statu naturæ integræ. ibid.

SAPIENTIA SALOMONIS.

Sapientia Salomonis è canone Bibliorum rejicitur à Semi-Pelagianis, & cur? 508. 509.

SCYLLEVM.

Scylleum bonum à Pelagianis introductum, & quid illud? 148.

SCRIPTVRA.

Scripturæ adstruentes necessitatem gratiæ à Pelagianis distorquentur. 255. 256.
Sicut & Scripturæ adstruentes peccatum originale. 126. 127. 151. 152. Vide Pelagiani.

SEMI-ETHNICISMVS.

Semi-Ethnicismus, Semi-Christianismus, vide, Pelagianismus.

SEMEN.

Semina virtutum. Vide, Origenes, Pelagiani, Semi-Pelagiani.

SEMI-PELAGIANI.

Semi-Pelagiani unde sic appellati? 398. 399. 400. 444.
Circa extrema tempora Augustini exurgunt. 58. 75. 76. 77. 397. 398.
Negant postrema scripta Augustini fuisse à Celestino approbata. 58. 478.
Semi-Christianismum Pelagianorum amplectuntur. 344. 398.
Doctrina ab Augustino tradita in libro de correptione & gratia, fuit illis lapis offensionis. 58.
Eorum dogma longè ipsis vetustius. 403. 404. 405. 413.
Eorum hæresis perstringitur. 69.
Adversus eos insurgunt Hilarius & Prosper. 70. 75.
Massiliæ in Gallia primum exorti, unde & Massilienses dicti. 69. 70.
Prosper de ipsis scribit ad Ruffinum. 75.
Prosper & Hilarius de iisdem informant Augustinum. 70.
Romam proficiscuntur ad informandum Celestinum de iisdem. 77.
Eorum præcipui Cassianus & Vincentius. 76. 77.
A Prospero appellantur hypocritæ, & cur? 386.
In varias sectas dividuntur. 399. 456.
Fuerunt ingeniosi, subtiles, in Scripturis sanctis & veterum scriptis exercitati. 76. 77. 479. 511.
Doctrinam Augustini de gratia & prædestinatione velut erroneam diffamant. 465. 541.
Prædestinatianos de hæresi infamant. 542. 543. 544.
Quid potissimum in Augustini scriptis reprehenderint? 409. 410. 421. 445. 482. 485. 486. 511.
Eorum dogmata à Neotericis in omnem partem violentè distorquentur. 409. 512.
Pelagianos quam longissimè fugere conantur. 444. 406.
Originale peccatum cum Catholicis agnoscunt. 69. 444. 455.
Baptismi necessitatem fatentur. 444. 512.
Neminem sibi sufficere ad rectè vivendum aut operandum concedunt. 444. 454. 457. 500. 512. 524.
Liberum arbitrium peccato Adæ attenuatum & infirmatum confitentur. 444. 454.
Prædestinationem in præscientia meritorum & finalis perseverantiæ fundant. 410. 411. 412. 535. 536. 537. 538.
Electionem Salvandorum prævisione meritorum anteriorem summopere detestantur. 415. 416. 417. 418. 419.
Parvulos ob merita conditionalè prævisa salvari autumant. 413. 414. 539.
Gratiam et Dei proposito efficacem, velut fatalem & libertati præjudicialem repudiant. 410. 421. 415. 416. 420. 421. 445.
Ejus prædicationem velut socordiæ, torporis, & ignaviæ inductivam horrent. 422. 423. 460. 511.
Electorum numerum à Deo certò prædefinitum negant. 415. 538. 539. 540.
Correptiones & exhortationes frustra fieri, admissâ gratiâ Augustinianâ, contendunt. 427. 428. 511.
Orationes esse frustraneas eâdem gratiâ admissâ, contendunt. 431. 432. 433.
Catholicis Manichæorum dogma de duabus naturis affingunt. 432. 433.
Fatalem necessitatem à Catholicis adstrui mentiuntur. 433. 511.
Deum non velle omnes homines salvos fieri in sententia Augustini, contendunt. 433. 434.
Nec Christum pro omnibus fuisse crucifixum. 433. 434. 449.
Item reprobos à Deo in peccata præcipitari. 433. 434. 435.
Reliquæ eorum querimoniæ de doctrina Catholica Augustini recapitulantur. 429. 430. 431. 438. 439. 440. 445. 479. 480. 481. 482. 511.
Eorum argumentis potissimum utuntur præscientiarij moderni. 519
Verendum ne & eorundem proscriptum dogma obtrudant, Philosophicâ subtilitate quasi ficulneo perizomate obvelatum. 519.
A Pelagianis mutuati sunt pleraque sua dogmata, à quibus tamen procul fugere volunt. 424. 428.
Infirmitati suæ malunt se committere quam divini propositi firmitati. 425. 426.
Iisdem difficultatibus circa gratiam laborarunt, quibus pridem laboraverant Adrumetini Monachi. 441.
Doctrinam Augustini de gratia & prædestinatione veraciter intellexerunt, sed amplecti noluerunt. 441. 442. 459. 460.
Ex scriptis Cassiani & Fausti absque adminiculo Scriptorum Augustini, Prosperi, & Hilarij, nequit haberi plena notitia Semi-Pelagianismi. 401. 402. 403. 404. 529. 530. 531.
Scalas è natura ad salvatricem gratiam machinantur Semi-Pelagiani. 443. 454. 479. 497. 518.
Eorum contentio cum Augustino potissimùm versabatur circa gratiam discretivam credentium ab incredulis, ejusque efficaciam. 486. 487. 497.
Item: uter discerneret hominem, an ipse homo suo libero arbitrio, an Deus suo proposito & gratia? 485. 487. 497. 500. 519.
Gratiam internam sine qua non, agnoverunt: non solum in statu naturæ lapsæ sed etiam integræ. 428. 455. 456. 457. 459. 460. 461. 462. 463. 476. 477. 478. 492. 512. 531. 532.
Lapsos esse infirmiores homine integro confitentur, adeoque gratiam possibilitatis quam integro concedebant, lapso quomodo denegarent? 459. 460. 463. 492. 512.
Contrarium eis affingunt quidam recentiores: ut suas sententias à Semi-Pelagianismi nota purgent: sed in vanum laborant. 531. 532. 533. 534.
Quo sensu Prosper negat eos aliam gratiam agnovisse præter legem & prædicationem foris pulsantem? 492.
In admissione gratiæ internæ inspirationis liberaliores & subtiliores fuerunt quàm multi Neoterici. 496.
In eo maxime hallucinati sunt, quod homini lapso eam gratiam sufficere existimaverint, quæ suffecit integro, aut bonis Angelis. 478.
Tota eorum controversia cum Augustino cessasset, si Augustinus gratiam hominis lapsi à gratia hominis integri aut Angelorum non differre quoad modum efficaciæ, admittere voluisset. 478. 479. 480. 481. 482. 486.
Efficaciam gratiæ hominis lapsi perinde ac integri in cardinem liberi arbitrij refundere contendebant. 459. 465. 471.
Discretionem credentium ab incredulis & electorum à reprobis divino proposito adscribere summopere cavebant. 452. 488. 497. 508. 512.
Adamum sibi & posteris gratiam habitualē amisisse fatentur. 456.
Primæ tamen integritatis reliquias in homine lapso remanere contendunt. 453. 454. 460. 461. 462. 478.
Eas reliquias appellant gratiam. 200. 453. 454. 455. 485. 486. 497.
Easdem appellant semina virtutum: & quomodo quoad hoc discrepent à Pelagianis? 200. 453. 454.
Reliquiæ istæ comprehendunt possibilitatem credendi in Salvatorem, desiderandi salutem, & pro ea impetranda orandi. 500. 501. 502. 503.
Hinc in nostra potestate constituunt, velle sanari: sed contrarium asseverat Augustinus. 455. 456. 460. 461. 507. 520.
Initium salutis in homine non in Deo constituunt. 497. 500. 501. 502.
Quale sit illud initium, & quos actus comprehendat? 500. 501. 502. 503. 504. 507.
Non censent initium illud esse intrinsecam partem, sed extrinsecam occasionem salutis. 520. 521. 522. 523.
Ipsam gratiæ inspirationem nomine occasionis frequenter exprimunt, & cur? 471. 472. 515. 521. 522.
Triplicem gratiam distinguunt, primam doctrinæ & prædicationis,

nis,

nis, secundam reliquiarum primævæ integritatis, tertiam divinitus inspiratam cordibus. 450.451.452.453.454.455.456.457.458.459.460.461.462.
Gratiæ efficaciam in acquiescentia & electione arbitrij constituunt. 471.
Perseverantiam in bono inchoato, libertati arbitrij adscribunt. 509.510.
Augmentum fidei per naturam inchoatæ, non naturæ sed gratiæ adscribunt. 505.506.507.508.
Pios voluntatis motus in naturam refundunt. 467.485.486.487.
Totam salutem per ambages ad naturam revocant. 510.511.
Perseverantiæ donum inalitè intelligunt. 509.510.
Librum sapientiæ à canone reijciunt, & cur? 508.509.
Eorum doctrina de gratia, non est gratiæ prædicatio sed proditio uti & recentiorum eam amplectentium. 484.
Dei propositum salvandi dividunt in generale & speciale. 445.446.447.480.512.524.
Generalia Dei beneficia reprobis cum electis communia in generale illud propositum refundunt. 447.448.512.
Quænam sint illa generalia beneficia? 449.450.512.
Deum velle omnes homines salvos fieri, quomodo interpretentur & restringant? 446.447.480.512.
Vocationem ex proposito admittunt, sed alio sensu quam Augustinus & Catholici. 451.512.513.
Præscientiæ conditionatæ præsidio se muniunt. 452.453.539.
Nō fuerunt ex proposito hostes gratiæ aut Ecclesiæ. 477.478.495.529
Ab Augustino non reputantur hæretici aut alieni, sed fratres. 478.
Celestini Papæ declarationi acquiescunt. 478.
Per nullam Ecclesiæ sanctionem à fraterna societate divisi. 478.518.544.
Eorum nonnulli cum opinione sanctitatis defuncti. 478.
Adversus eorum dogmata indictum Concilium secundum Arausicanum. 457.467.470.472.490.493.505.520. Vide, Augustinus, Cassianus, Gennadius, Faustus, gratia, faciens quod in se est, electio, prædestinatio, Prosper, Hilarius, Molina, Lessius, Coninx.

SENECA.

Seneca fatum adstruit, eique non solum creaturas sed & Creatorem ipsum subjicit. 418.
Apatheiam nimis exaggerat. 225.
Sapientes Deo æquat, imo præfert. 232.236.
Sapientem plus Philosophiæ quam Deo debere, ait. 240.

SEVERVS SEMI-PELAGIANVS.

Severus Semi-Pelagianus Celestini declaratione resipiscit. 478.

SEVERVS TREVIRENSIS

Severus Trevirensis antistes in Angliam navigat. Vide, Germanus.

SIGEBERTVS.

Sigebertus Prædestinatianos hæreticis annumerat. 541.
Articuli ab eo impositi ipsis recensentur. 546.
In articulorum illorum enumeratione discrepat ab Hincmaro & Flodoardo 541.
Excusatur eò quod scripserit juxta fidem humanæ historiæ. 546.

SIXTVS

Sixtus Presbyter Romanus damnationem Pelagianismi publicat Romæ. 53.
Succedit Bonifacio in Pontificatu, sed intermediante Celestino. 53.67.79.
Strenuè resistit Pelagianis eorumque reliquijs 81.
Scribit ad Aurelium Carthaginensem antistitem purgans se à nota Pelagianismi, quam per calumniam incurrerat. 53. 54. 55.
Ejus Epistolam certatim describunt Africani Episcopi. 55.
De Pelagiana hæresi postmodum fusiùs scribit. 55.79.
Ad eum rescribit Augustinus 55.234.
Ei falsò affingit Ruffinus librum Sixti Philosophi. 365. Vide, Pelagius, Ruffinus.

STATVS

Status naturæ puræ à Pelagianis in Ecclesiam invectus, & quid ille? 235.236.361.362.378.
Status iste à statu naturæ per peccatum corruptæ, qui differat? 363.364.
Status tres generis humani, sub lege naturæ, sub lege Moysaica, sub gratia Evangelica. 245.246.247.248.
Status quatuor Pelagianismi. Vide, Pelagianismus.

STILPO.

Stilpo philosophus Apatheiæ assertor. 226.

STOICI

Stoici Philosophi fatum adstruunt. 418.
Quomodo illud fatum differat à fato Chaldæorum & Genethliacorum? 418.

Apatheiæ & impeccantiæ assertores. 226.232.233.
Stoicismus genuit Pelagianismum. 236.

SVAREZ

Suarez laudat Ambrosiastrum in Epistolas Pauli tanquam gravem & Catholicum authorem, sed temerè. 468.
Librum Gennadij de dogmatibus Ecclesiasticis Semi-Pelagianismo scatentem, conatur excusare. 469.
Negat Semi-Pelagianos vllam internam gratiam agnovisse, sed refellitur. 531.
Falsò existimat Semi Pelagianos existimasse omnem gratiam internæ inspirationis repugnare libertati. 531.
Gratiam Dei humanæ voluntatis nutum expectare contendit, contra Augustinum. 513.514.
Ex Augustini libro de Spiritu & littera fulcimentum sui dogmatis quærit, sed nimis illud est fragile. 513.514.
Massiliensium dogma non satis intellexit, uti nec alij Neoterici. 515.531.
Docet hominem posse viribus naturæ cœlestem beatitudinem appetere, & mysterijs fidei propositis assentiri 515.
Vt opiniones suas à Semi Pelagianismi infamia vindicet, nova dogmata Massiliensibus falsò affingit. 515.531.
De Pelagianorum hæresi graviter hallucinatur, dum putat eos habitualem gratiam non agnovisse. 313.314.317.
Ex verbis Chrysostomi quæ ipse extollit, contrarium adversus ipsum evincitur. 313.314.
Solvuntur rationes quas pro se allegat. 317.318.319.

SVPERBIA.

Superbia omnium hæresum mater. 381.
Pelagianorum specialis character. 381.382.385.395.
Superbiæ comes, hypocrisis. 389.
Superborum proprietas, divinæ gratiæ bellum indicere. 385.

SVSCEPTI

Suscepti qui dicantur? 133.
Libido ab Augustino appellatur suscepta Pelagianorum, & cur. 133

SYLVANVS

Sylvanus Numidiæ primas præest Synodo Milevitanæ. 40.

T

TENTATIONES.

TENTATIONES quævis per naturam domabiles sunt, juxta Pelag. 210.215.

THEODORVS

Theodorus Presbyter Genuensis. Vide, Camil. Prosper.

THEOLOGI

Theologi Philosophiæ nimis insistentes reprehenduntur. 379.380.

THESSALONICENSIS

Thessalonicensis antistes in auxilium à Pelagianis invocatur. 55.56.61.

THVENTIVS

Thuentius Episcopus Gallicanus. 77.

TIMASIVS

Timasius adolescens à Pelagio pervertitur. Vide Iacobus.

TIMON

Timon Philosophus Apatheiæ & impeccantiæ assertor. 226.

TRISMEGISTVS

Trismegistus fatum astruit, & quale illud? 418.

TVRBANTIVS

Turbantius Episcopus à Pelagianismo convertitur. 81.91.

TYCONIVS

Tyconius Donatista Semi Pelagianismo infectus. 405.512.
Ejus regulæ interpretandi Scripturas, ab Augustino laudantur. 405.

V

VALENTINA SYNODVS.

VALENTINA Synodus adversus calumniatores Prædestinatianorum congregata. 548.
Ad eam confluunt trium provinciarum antistites. 548.
Damnat Hincmarum Remensem Archiepiscopum cum complicibus Prædestinatianismi infamatoribus. 548.
Capitula Synodalia ab ea edita, ubi extent? 548.
Quo anno celebrata. 549. Vide, Gothescalcus, Hincmarus, Prædestinatiani,

VALENTINVS

Valentinus Abbas Adrumetensis in Africa. 65.277.
Ejus Monachi in Semi Pelagianismum lapsi ex lectione Epistolæ Augustini ad Sixtum. 65.277.
Eidem & Monachis mittit Augustinus librum de correptione & gratia, & librum de gratia & libero arbitrio. 65. 277. 278. 290. Vide, Adrumetini.

VALERIUS
Valerius comes à Pelagianis sollicitatur. 58. 61.
Apud eum infamantur Catholici tanquã nuptiarũ damnatores. 58.
Ei inscribit August. libros suos de nuptijs & concupiscentia. 58. 61.
Adversus hoc opus Augustini insurgit Iulianus. 58. 59.
VASQUES
Vasques gloriatur se invenisse acta Synodi Diospol. sed vanè. 25.
VINCENTIUS.
Vincentius Presbyter Gallicanus oppugnat responsiones Prosperi ad capitula Gallorum. 76.
Eloquio politus fuit, in Scripturis & antiquitatibus exercitatus 76.
Ejus sedecim objectiones à Prospero diluuntur. 76. 434. 435. 436.
VIRTUS
Virtus quid? 199. 296.
Virtutes omnes cardinales viribus naturæ acquisibiles faciunt Pelagiani. 204. 211. 296.
Veras virtutes in infidelibus reperiri contendunt ijdem. 196.
Virtutum semina cunctis connaturaliter inesse autumant, & quid ea semina sint. 197. 198. 199. 200. 505. 506.
Semi-Pelagiani eadem semina astruunt, sed in eorum explicatione à Pelagianis discordant. 200. 453. 454.
Eadem ante utrosque asserùerat Origenes. 110.
Quo sensu orthodoxi quidam Patres semina virtutum asseruerunt? 200.
VITA ÆTERNA.
Vita æterna à Pelagianis promissa parvulis absque baptismo decedentibus 159. 160. 161. 162. 163.
Eandem promittunt Ethnicis adultis naturali suo arbitrio bene utentibus. 196.
Quid illa, & quomodo differat à regno cælorum? 159. 164. 165. 166. 167. 168. 171. 174. 175. 178. 181.
An unquam Pelagiani mutaverint sententiam de hujusmodi vita æterna? 167. 174.
VITALIS.
Vitalis Hæreticus Carthaginensis, Pelagianismi & Semi-Pelagianismi fuligine tinctus. 68. 69. 399. 403.
Naturalẽ possibilitatem credendi mysterijs fidei propositis, astruit. 68. 399. 403.
Ad eum scribit Augustinus Epistolam centesimam decimam septimam. 68. 403.
Eius dogma malè à Baronio & alijs quibusdam recentioribus intellectum. 68. 69. 399. 403.
VOCATIO.
Vocatio ex proposito ab Augustino resipiscente constanter propugnata. 435. 436. 437.
Ab omni præscientia tam absoluta quam conditionata abstrahit. 437.
A Pelagianis malè intellecta. 355. 356. Vide, Augustinus, electio, gratia, Deus, Pelagiani, Semi-Pelagiani, prædestinatio.
VOLUNTAS.
Voluntas in suis actibus cogi nequit. 280.
Non potest factum reddere infectum. 299. 300.
Qualiter à Pelagianis definiatur? 93. 94. 95.
Ejus captivitatem sub peccato à Catholicis assertam, libertati derogare contendunt Pelagiani. 97.
Ejus indifferentiam ad bonum & malum extollunt. 93. 94. 99. 101. 185. 237. 322. 329.
Voluntate propria unumquemque regi asseverant. 204. 219. 224. 294.
Voluntas, possibilitas, opus: qui differant? 213. 219. 220. 221. 263. 498.
Voluntatis & operis adjutorium negant Pelagiani, possibilitatis admittunt. 263. 264. 265. 285. 321.
Eidẽ Errori adhæserunt Semi Pelagiani 428. 455. 456. 457. 459. 460. 463. 476. 477. 478. 492. 512. 531. 532.
Voluntas humana adjutorio gratiæ destituta non nisi ad peccandum valet 337.
Voluntas humana concurrit efficienter cum gratia ad actus honestos, alioqui non posset dici adjuvari. 275. 282. 283. 427.
Concurrit ut instrumentum gratiæ, sed vivum. 275. 284.
Voluntati humanæ assignare primas partes in discretione credentium ab incredulis aut salvandorum à reprobis, impium est. 498.
Dare potestatem volendi, & dare ipsam voluntatem longè differunt. 498. 499.
Voluntas apud priscos passim usurpatur pro voluntatis actu. 212.
Vide, Augustinus, gratia, liberum arbitrium, Pelagiani, Semi-Pelagiani.
VOLUPTAS.
Voluptas Carnalis. Vide, concupiscentia, libido, Pelagiani.
VOLUSIANUS.
Volusianus urbis præfectus proscriptionem Pelagianorum promulgat 64.
URBANUS.
Urbanus Siccensis antistes Romæ cum Pelagianis disputat de impotentia liberi arbitrij ad superandas tentationes. 216.
Urget potissimum argumentum desumptum ex oratione Dominica. 216.
WANDALI
Wandali Hipponem obsident. 71. 1.
Augustinus tertio obsidionis mense in cælum gloriosus transmigrat. 71. 1.
ZACHÆUS.
ZACHÆI fidem & conversionem viribus naturæ adscribit Cassianus. 505. Vide, Cassianus.
ZENO
Zeno Philosophus Apatheiæ & impeccantiæ propugnator. 377.
ZOZYMUS
Zozymus defuncto Innocentio succedit in pontificatu. 17.
Recipit libellũ Pelagij cum litteris ad Innocentium destinatis. 44.
Eas communicat Episcopis Africanis. 47.
Pelagij accusatores deceptus reprehendit. 47. Vide, Pelagius, Celestius.

FINIS TOMI PRIMI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS

AVGVSTINVS.

SEV DOCTRINA S. AVGVSTINI

DE

Humanæ naturæ ſanitate, ægritudine, medicinâ adverſus Pelagianos & Maſsilienſes.

TOMVS II.

IN QVO

Genuina ſententia S. AVGVSTINI de humana natura ſtantis, lapſæ, puræ *ſtatu & viribus eruitur & explicatur.*

LOVANII,

Typis IACOBI ZEGERI, Anno M. DC. XL.

Cum gratia & Privilegio S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Catholici.

DE RATIONE ET AVCTORITATE IN REBVS THEOLOGICIS
LIBER PROŒMIALIS.

In quo limites humanæ rationis in rebus Theologicis indagantur; & auctoritas S. Augustini in tradendo mysterio Prædestinationis & gratiæ declaratur.

CAPVT PRIMVM.

Gratiæ Christi veritas omnibus Christianis, ut vita & salus, cordi esse debet.

INTER divinæ mirabilia sapientiæ, quibus theatrum hoc magnum pulcherrimumque hujus orbis instruxit, non illud infimâ admiratione dignum, quòd cùm cuncta animantium genera diverso instinctu atque indole dotaverit, hoc mansuetissimo, illud ferocissimo; unum promptissimo ad invadendum, alterum acerrimo ad defendendum; omnibus tamen medullitùs insertum sit, ut quandocumque in discrimine versatur eorum vita & salus, quibuscumque possunt modis, sive cursu per saxa, per ignes; sive unguibus, rostro, calcibus; sive denique oppressa majore vi, voce saltem seipsa ac lamentatione tueantur. Non hic catellus leoni parcit; non cervus aut lepusculus coram ferocibus canibus vitæ periclitantis obliviscitur. Quod si B istæ degeneres animulæ tanto impetu feruntur ac dimicant, ne qua vis extrinsecùs irruens hoc vinculum abrumpat, quo mortalibus membris consertæ colligantur; quâ tandem curâ, impetu, animi nervorumque contentione, quâ gemituum, quâ querelarum, lachrymarumque profusione satagendum erit homini germanitùs Christiano, quando non illa vita periclitatur, quâ cum cæteris animantibus in hoc fœculento carcere miserè ac mortaliter vivit, sed illa per quam ab omnibus miserijs hujus vitæ, ipsaque morte liberandus est, ac postmodum feliciter in beatissima æternitate victurus? Hanc vitam novit quisquis Catholicam doctrinam novit, qua saluberrimè nobis traditur, quemadmodum vita corporis anima est, ita, *vitam animæ esse Deum*; istumque Deum, ut hujus vitæ suæ per gratiam Testamenti novi in æternum nos partiA cipes efficeret, nomine & reipsâ *Iesum*, hoc est, Salvatorem in hunc mundum venisse, & pro peccatoribus esse crucifixum. Ex qua fide Apostolus exsertè pro se ipso dicit: *Gratia Dei sum id quod sum*: & pro alijs: *Gratiâ estis salvati per fidem*: & pro omnibus: *Gratia Dei vita æterna in Christo* I E S V *Domino nostro.* Hæc ergò vita quâ Christus I E S V S Dominus noster per magnam gratiam suam *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*; quâque vivit in animis nostris, & in æterna beatitudine victurus est, quando periclitatur ne à fide credentium, per quam in hoc mundo salvi fiunt, auferatur; quid institutioni naturali rerum omnium, sanctique amoris legibus congruentius, quàm ut quicquid animi ac virium hominibus in hujus gratuitæ vitæ participationem redemptis Christiana pietas dedit, id universum, tanquam contra præsentissimi interitus impendentis minas, periculo ipso segnitiem excutiente, & infirmitatem roborante, conspiret?

Aug. divers. locis Ser. 18. de verb. Apost. c. 7. in Psal. 70. conc. 2. &c.

1. Cor. 15.
Ephes. 2.
Rom. 6.
1. Cor. 1.

Hanc porrò vitam jam olim pro suo quisque marte à Christianis tollere & exstinguere conati sunt, quotquot eis pro Redemptore, vel phantasma, vel purum hominem, vel confusam quandam hominis ac Dei temperaturam obtrudere voluerunt: per cujus opem natura hominum perdita salute ex morte, & redemptione ex damnatione potiretur. Sed nulli unquam acerbiùs in ejus perniciem conjurarunt, quàm qui tantas homini perdito damnatoque vires tribuerunt, ut liberi arbitrij sui viribus vel Deo credere posset, vel declinare à malo ac facere bonum, non Deo per gratiam ut velit & faciat operante. Causam enim ipsam propter quam Filius Dei de cœlo descendit, ex Christianorum fide & corde eradicare, ipsumque nomen

Digitized by Google

IESV, hoc est, Salvatoris abrogare; atque ita divinæ gratiæ, per quam æternitati vivemus & vivimus, ultimas fibras radicitùs excidere studuerunt. Sublatâ quippe cœlestis adjutorij necessitate aut veritate, per illas magnas naturæ humanæ vires, quibus ad volendum operandumque bonum sibi sufficiat, Deo non operante ut possit & velit, profectò gratis Christus mortuus est, gratis IESVS & Salvator vocatur, gratis auxilium suum nobis gratiamque venditat: eversoque fidei Christianæ fundamento, frustra in hunc mundum venit peccatores salvos facere, aut mortuis vitam dare: nec ulla profectò causa est, cur ipsius nomini subdendi simus, aut Christianos nos esse debere gloriemur. Pelagiani sunt, & quotquot eorum dogmatibus vel nunc vel olim implicati fuerunt, qui dum nimium libertatis viribus favent, ad hujusmodi acerba in Christianam fidem sensa aut prudentes delabuntur, aut imprudentes adiguntur. *In superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium* (Carthaginensium Patrum verba sunt) *nullum relinquunt locum gratiæ Dei, quâ Christiani sumus.* Et paulò post: *Hæc mala vocant, quibus fundamenta Christianæ fidei conantur evertere.* Et Patres Concilij Milevitani simili phrasi dicunt, quod *omnino totum quod Christiani sumus; nituntur evertere.* Et Augustinus: *Quòd totius fidei Christianæ fundamenta evertere moliuntur.* Nam fides Christiana à Christo IESV dicta est; qui si sublatâ gratiæ necessitate, per quam nobis Christus & IESVS factus est, non est hominibus necessarius, superfluò ipse venit, superfluò fiunt homines Christiani, juxta illud Augustini de similium dogmatum auctoribus: *Qui naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quærant liberatorem; ideo salvam, ut superfluum judicent salvatorem.* Quam ob causam huiusmodi homines *solo nomine Christianos vocat.* Quæ sanè quantò atrociora sunt, & vitæ quæ in Christo est, divinæque gratiæ jugulum capitaliùs petunt, tantò fidelius atque animosiùs omnibus verè Christianis pro istius ejusdem vivificantis ac salvantis gratiæ veritate certandum est: ne dum solâ nominis IESV appellatione contenti, per naturalium virium prædicationem, salvantis gratiæ, atque adeo Salvatoris ipsius IESV necessitatem extingui taciti sinimus, minori sollicitudine æternæ vitæ nostræ discrimina feramus, quam pro tuenda illa fluxa & caduca, rationis expertes belluæ ac bestiolæ præliantur.

Patres Conc. Carthag. ad Innoc. Pap.

Patres Conc. Milevit. ad Innoc.

Epist. 95.

CAPVT SECVNDVM.

Ratio Scriptionis hujus labyrinthus quæstionum, quæ de gratia agitantur.

QVÆ quidem eo consilio à nobis dicta sunt, ne quis miretur, aut etjam vitio vertat mihi, quod ego post tot tantorumque virorum tam diuturnas ac pertinaces de gratia medicinali Salvatoris nostri altercationes, ulteriùs hac de re satagendum, aut aliquid etjam scribendum duxerim. Nimirum duplex me ratio in hunc laborem, veritatis videlicet, publicæque charitatis compulit. Cùm enim hoc ipso quo Christiano nomini subditus, & Salvatoris IESV mysterijs initiatus, gratiæ salvatricis nomen atque necessitatem in fide mea & Ecclesiæ precibus agnoscerem, & medullitus cordi insculptum gererem, in tot controversijs capitaliter inter se repugnantibus, nihil mihi charius esse debere judicavi, quam gratiæ illius, quâ ex fide vivimus, sincerissimam veritatem, si fieri posset, etjam intelligendo penetrare; & quod, Deo illuminante, cœpissem, etjam animo, stylo, voce propalare; ne fortè opinionibus non satis fidei nostræ congruentibus abrepti, perperam sentiendo ac disserendo vitam illam interficiamus, quam videmur credendo profiteri. Quod qui, Deo juvante assequi potuerit, nemo non videt, quantum Christianæ Reipublicæ fructum contulerit ejus labor: qui non potuerit, quàm excusabilis sit conatus ejus, de vita gratiæ, de humilitatis fundamento, de salutis principio, de Christiani hominis veritate, de nominis Christi ac IESV medullâ, de vera Crucifixi gloria satagentis.

Nec verò ab indaganda divinæ gratiæ sinceritate me deterruit illa inextricabilis doctissimorum virorum pugna dimicantium; sed acriores mihi stimulos, auctore ejusdem gratiæ, spero, incitante, subjecit. Nam inde quoque animadvertere cœpi, quanti momenti esset illa controversia, quæ universas orbis Christiani scholas tantâ animositate committeret, ipsumque supremum Ecclesiæ Catholicæ tribunal sollicitum detineret: quanti emolumenti veritatis illius inventio, quæ tot tantarumque controversiarum tenebras suâ luce dispelleret, & contentiones animorum studijs acerbioribus distractorum optatissimæ conciliationis pace sopiret.

Sed, unum erat, quod me jam inde, cùm adolescentulus Lovanij in Collegio Adriani Sexti Pontificis Maximi, studijs Theologicis operam dabam, & cùm posteà studiorum causâ Gallias peritissimis antiquitatum viris locupletes peragrabam, non mediocriter suspensum perplexumque detinebat. Mirabar enim vehementissimè, qui fieri posset, ut mysteria illa gratiæ, quæ olim à sancto Augustino & discipu-

& discipulis ejus, ipsâque Ecclesiâ Romanâ omnium matre & magistrâ tantâ certitudine & securitate tradebantur, tantâque luce illorum calamo propalata esse, doctorum virorum judicio, censebátur; nunc tantis tenebris immersa & obruta delitescerent, ut innumerabilium piorum, & studiosissimorum, & acutissimorum virorum aciem inter se summâ contentione de veritate certantium, fugerent. Alterutrum profectò necessarium esse mihi persuasum fuit, aut rem istam inventu impossibilem, aut in modo investigandi esse peccatum. Impossibilem esse, difficile creditu omnino judicabam, eò quòd perinsulsum mihi videretur, ut vel illi antiquæ Ecclesiæ proceres, tantâ doctrinæ gloriâ celebrati, rebus impossibilibus indagandis ingenia sua macerassent, vel inventam semel veritatem, tanta profunditate in Democriti puteum iterum sepelissent, ut inde nullâ vi erui, & in lucem proferri posset. Neutrum, fateor, non sine insigni temeritate & absurditate, de tantis viris mihi dici aut cogitari posse videbatur: atque ita reliquum esse, ut fortè recentiores non illum tenerent inquirendæ veritatis istius modum, quo ad ejus latentis cubile ducerentur.

CAPUT TERTIUM.

Inventio veritatis de divina gratia, & concordia dissidentium Scholasticorum difficilis, propter Philosophiam. Mala inde pullulantia.

QUOCIRCA diligentiùs animo attendere cœpi, quâ viâ plerique ad istarum difficilium controversiarum decisionem assequendam, tradendamque niterentur. Deprehendi verò, nisi fallor, plerosque qui scholarum pulpitis ad enodandas Scholasticæ, hoc est, methodicæ Theologiæ difficultates admoventur, multos annos priùs in Philosophiæ palæstra versatos esse, nec ferè idoneos isti Theologiæ contentiosæ profitendæ judicari, nisi antè non exiguam ætatis partem in Dialecticis Metaphysicisque speculationibus triverint. Quod quamvis usum salubrem sanè habere possit, ut exerceantur istis difficultatibus & limentur ingenia: hinc tamen etjam, experientiâ teste, nascitur, ut cum in hujusmodi tricis junior eorum ætas valentiorque consumpta est, vix tempus eis idoneum reliquum esse possit, quod genuinis principijs veræ Theologiæ pervolvendis penetrandisque tribuatur. Itaque quotiescumque latet eos, quid in gravioribus aut arcanioribus nodis vel sentiendum vel dicendû sit, non eis cura est, quæ esse deberet, quid vel Scripturarum sacrarum auctoritas, vel veneranda Patrum canities consulta respondeat: sed statim ad Philosophiæ præsidium, velut ad omnium solutionum armamentarium, sese conferunt, atque ejus regulis tanquam sacrosanctis, mysteriorum altissimorum momenta metiuntur. Quid enim aliud obsecrò sententias illas peperit, quæ divinam gratiam imperioso nutui humanæ libertatis aptavit, nisi Philosophia? Quid eas tantâ animositate defendit, nisi Philosophia, quæ non videtur aliud libertatis genus admittere, nisi quod omnibus in voluntatem admissis aut irruentibus plenâ atque indifferenti potestate dominetur? Quid opera bona cum solis habitualibus donis elicienda fabricavit, nisi Philosophia, secundùm quam potentia voluntatis habitu virtutis instructa sufficiens principium perfectæ operationis existimatur? Quid statum puræ naturæ formavit, ornavit, instruxit, nisi Aristotelica Philosophia, quam etjam Gentiles quidam majori sentiendi sanitate damnarunt? Quid virtutes Gentilium ac damnatorum hominum veras protulit, unde opera etjam bona pullularent, nisi Gentium Philosophia? Quid fidem, spem, dilectionem Dei super omnia naturalem, in summo sacrarum litterarum, scriptorumque silentio, adinvenit; nisi pura puta Philosophia? Quid gratiæ divisiones ab antiquitatis mente alienissimas attulit; quid prædefinitiones Dei, verasq; gratuitas prædestinationes actionum creatarum abstulit, nisi Philosophia? Nempè de rebus istis Theologicis, plerisque valde arcanis, homines Aristotelicis disciplinis instructissimi, secure & magistraliter disputant; & quia quidlibet in scholis adversus quoslibet Dialecticæ præsidio sine magnâ difficultate defendunt, nonnunquam fit, ut quod initio vel timidè sibi tuendum susceperint (nisi expressè definitum sit) audaciâ victoriam, victoriâ fiduciam tribuente, mox etjam vel ipsi verum putent, vel tanquam compertam veritatem discipulis tradant. Longè videlicet hujusmodi ab illa sancta regula solidissimi Doctoris remoti sunt: *Nunc autē servatâ semper moderatione piæ gravitatis, nihil credere de re obscura temerè debemus, ne fortè quod posteà veritas patefecerit, propter amorem nostri amoris oderimus.* Lib. 2. de gen. c. ult.

Nam alia quoque non minùs perniciosa moribus labes, nisi mens magnoperè piâ humilitate fundata sit, ijs qui in isto contentiosæ Philosophiæ pulvere diu versati sunt, solet adhærescere; ut in disputandi calore, victoriæ cupidiores nonnunquam, quàm veritatis esse videantur. Ex quo contingit, ut semel examinatam, assertamque novam sententiam, quia jam sua facta est, mox etjam

etjam, tanquam à se inventam ac traditam, aliorum esse velint. Quod vitium tunc imprimis nascitur, cùm amantur propatula & fami-gerula in disputando certamina: quæ non cum desertis Philosophiæ classibus mori, sed unà cum innumerabili philosophicarum quæstionum farragine, ad sacratioris Theologiæ pluteos transferri, & ad enodanda Dei mysteria in tractatus Theologicos, quasi Philosophico acumine commendata, transfundi solent. Cujus ineptiæ monstrosa penè exempla in quibusdam Scholasticorum antiquorum scriptis videre licet: ut eos nihil magis formidasse putes, quam ne Theologi, facti, Isagogen Porphyrianam, aut Aristotelis Categorias, & Analytica de manibus deposuisse viderentur.

Hæc & similia cum ego paulò attentiore consideratione ponderassem, mirari desij, cur scholæ de divinæ gratiæ auxilijs, tanta contentione ac dissensione fervrent. Non amplius opus mihi fuit causas quærere, aut suspicari, propter quas alijs inventio veritatis, alijs dissentientium concordia desperata videretur. Nam illis principijs inhærendo, quæ jam utraque partium tanquam indubitata fundavit, difficilè aut nunquam veritas inveniri, aut concordia conciliari potest. Res enim illæ non Philosophicorum principiorum præsidio decidendæ sunt, quæ vel de concursu Dei, vel de liberæ voluntatis naturâ, vel de habituum cum voluntate confluxu, vel de libertatis indifferentiâ, vel de robustissimâ potestate libertatis adversus omnes passiones ac tentationes, quamdiu viget usus rationis, vel de similibus innumerabilibus, quisque juxta disciplinas Aristotelis aut Zenonis, amplexus est: sed Ecclesiasticæ auctoritatis ductu investigandæ, & pondere asserendæ videbantur. Semper enim Philosophia, quemadmodum mater hæreticorum fuit, ita rerum divinarum arcanis definiendis adhibita, mater errorum est.

CAPVT QVARTVM.

Discrimen inter Philosophiam ac Theologiam. Illi servit ratio, huic memoria: principium ejus traditio non scripta, per accidens etjam scripta. Quid Christus & Apostolus, in tradenda Theologia spectarint.

QVOD enim apud omnes veros Theologos receptum ac certum est, principijs revelatis Christianæ Theologiæ moles nititur. Illæ igitur viæ necessariò quçrendæ, diligenterque terendæ sunt, per quas vel revelatio illa primigenia, vel ipsa principia revelata ad posteros dimanarunt. Quis autem nesciat utrumvis istorum vel calamo scribentium, vel linguâ prædicantium, tanquam Ecclesiasticæ traditionis organis ad auditores delatum esse? Qui rursus acceptum doctrinæ depositum simili modo discipulis ac successoribus suis fideliter commendarunt. Sic igitur, quemadmodùm intellectus Philosophiæ suscipiendæ propria facultas est, ita memoria Theologiæ. Ille quippe intellecta principia penetrando Philosophum facit; hæc ea, quæ sibi scripto aut prædicatione tradita sunt, recordando, Theologum Christianum. Nec enim cuiquam absurdum aut mirum videri debet, quòd ex traditarum revelationum ac divinorum verborum memoriâ, Christiana nascatur sapientia, nisi qui nesciat, æternam illam sapientiam, quæ est Verbum Patris, ex quo tanquam fonte & exemplari omnis nostra propagatur sapientia, ex fœcunda Patris memoria prodijsse.

Hinc igitur etjam proficiscitur, quòd auditus, quo prædicata traditaque recipiuntur, quamvis ea nullo pacto intellectus penetret, magis proprius Ecclesiasticæ disciplinæ, quam Philosophiæ sensus est. Non enim Philosophus est, qui multa sensibus commendata meminit, sed qui tacitis cogitationibus ruminata percipit & intelligit. Itaque Sanctus Paulus, & Apostoli cæteri non inculcant in suis prædicationibus demonstrationes, quibus vel ipsi divina penetraverint, vel penetranda committant auditoribus suis; sed quod ea quæ audiverint ipsi, similiter discipulis audienda annuncient, & credenda: *Audivi*, inquit, *arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Et: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide*. Et rursum: *Quæ audisti à me per multos testes; hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Et Co-Apostolus Pauli Sanctus Ioannes: *Hæc est annunciatio, quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis*. Quæ sanè causa fuit, ut non tantùm Apostoli, sed & successores eorum Sancti Patres, non modò ea quæ audiverant & acceperant, eadem secundum veritatem rerum ipsarum immutata, sed etjam secundum ipsissima verba, quibus sibi commendata fuerant, libentissimè discipulis suis traderent. *Ne me ineptum putes*, inquit Augustinus Honorato, quem de rebus Theologicis instructiorem reddere nitebatur, *Græcis nominibus utentem. Primum, quia sic accepi, nec tibi hoc aliter audeo tradere, quàm accepi*. Et in alio opere de quantitate animæ: *Divinè ac singulariter in animæ Ecclesia*

2. Cor. 12. — *2. Timoth. 1.* — *Ibid. c. 2.* — *1. Ioan. 1.* — *Lib. ad Honorat. c. 3.* — *Lib. de quãt. animæ c. 34.*

Digitized by Google

Ecclesia Catholica traditur, nullam creaturam colendam esse anima: libentius enim loquor his verbis, quibus mihi hac insinuata sunt. Quod ideò dicit, quia (creaturæ) vocabulum non ita latinum esse videbatur. Nempe hoc unum Sancti Patres magnâ religione spectabant, ut quemadmodum Filius Patris *qua audivit ab eo, hac loquebatur in mundo*; eâque de causâ dicebat Iudæis: *sicut audio iudico*: Et quemadmodum Apostolis dicebat: *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*: deque ipso suo Spiritu Sancto pollicebatur: *Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Et quemadmodum Apostoli ea quæ ex ore Christi prædicantis acceperant, tanquam depositum inalterabile fideliter successoribus commendaverant: ita etjam ipsi doctrinam à majoribus transmissam, non ex Philosophorum principijs deductam, vel subtilitatis acuminibus adulteratam, etjam verbotenùs suis auditoribus transfunderent. Non enim curæ vel Christo Domino, vel Apostolis, vel majoribus nostris fuit, divina mysteria ex receptis Philosophorum placitis derivare, vel ad eorum principia reducere: sed nudè accepta tradere, & argumenta perduellium traditæ veritatis probabili aliquâ veritate dissolvere.

Ioan. c. 8.
Ibid. c. 5.
Ibid. c. 15.
Ioan. 16.

Cùm igitur tota doctrina Christiana cœlitùs, hoc est, ex divina revelatione per auditum acceptâ & creditâ derivetur; hinc etjam factum est, ut neque Christus Dominus quicquam ipse scripserit, neque scribendum quicquam Apostolis unà cum ipso in hac vita conversantibus imperaverit: sed nudâ mysteriorum suorum prædicatione contentus, cordibus potiùs ea ruminanda, quàm intellectu penetranda dereliquerit. Quod & Apostoli ad amussim imitati sunt. Nec enim & ipsi hoc tanquam officij sui scopum intuiti sunt, ut Euangelium aliquod tanquam corpus doctrinæ scriberent: sed è contrario, ut brevi symbolo rerum credendarum compilato, sive scripto cœlestis doctrina per auditum, nihil addendo vel detrahendo in discipulorum corda funderetur. Sed cùm & ipsi tanquam homines cum hominibus versantes, & humanis casibus obnoxij, diversis occasionibus rerum servire, & incommodis, quibus humana consilia etjam prudentissima turbari solent, occurrere cogerentur; diversis ex capitibus præcipua doctrinæ capita scripto committere compulsi sunt, non tanquam totius Christianæ eruditionis adipiscendæ methodum traditurì: sed ut vel absentes ad opera fidei exhortationum stimulis perpellerent, vel doctrinæ traditæ adversarios hæreticos, tanquam novatores Christianæ fidei revincerent, aut iterum ad normam desertæ veritatis adducerent. Hinc enim factum est, ut Sanctus Ioannes mysterium generationis Filij Dei, Cherinto traditam doctrinam perturbante, propalaverit; productionis verò Spiritus Sancti, quia nullâ necessitate cogebatur, suppresserit, opertumque præterierit. Hinc Sanctus Paulus, quia Iudaicus error Dei gratiam & benevolentiam ad humanas voluntates revocabat, magnum illud arcanum divinæ prædestinationis aperuit, quod Euangelistæ nullo urgente adhuc errore, vix quasi per transennam delibaverant. Hinc Sanctus Iacobus, erronibus quibusdam opera bona respuentibus, quasdam sententias Pauli, quæ magnificentiùs fidem prædicant, bonorum operum adjectione & commendatione patefecit.

Et verò ratio, cur istum ordinem doctrinæ cœlestis propagandæ Christus Dominus & Apostoli observaverint, factoque suo posteris observandum commendaverint, valde perspicua est. Lex enim nova de se naturâque suâ non postulat, ut in chartis, membranis, & lapidibus, sed tantummodò ut in tabulis cordis carnalibus conscribatur. Hæc est enim medulla totius discriminis, quod inter veterem novamque legem intercedit; quòd illa in lapidibus exarata forinsecus terreat, hæc juxta Prophetam, *in corde scripta* delectet intrinsecus. Ex quo fit, ut cùm Scriptura exterior veteri Testamento sit quasi essentialis ac propria, quæ propereà etjam proprio nomine lex scripta nuncupata est, non possit novo ex primaria ipsius consideratione convenire; sed solummodò ex quadam attemperatione ad subnascentes errores, aut infirmitates hominum: propter quas non solùm humana prudentia, sed etjam divina Providentia altiora perfectioraque consilia sua demittere, & mutare solet. Sic enim cùm Deus populo Iudaico breve tantùm compendium, Decalogo paucisque legibus comprehensum, tradere decrevisset, simul atque pudenda illa vituli adoratione deseruissent Creatorem suũ, ingenti illo ceremoniarum cumulo durissimam eorum cervicem fregit, & ad cultum qualemcumque suum severissimis minis, supplicijsque religavit. Hanc enim ingentis illius apparatus, legum, ceremoniarum, pœnarum, præmiorumque carnalium causam fuisse præter intentionem Dei, non ignobiles Patres docent: ut sanè absque temeritate dici queat, hunc morem allegandi veritates illas altissimas, quas lex gratiæ veneratur, conscriptis characteribus, ex humano agendi modo desumptum esse, quo rebus omnibus conficiendis firmandisque Scriptura adhibetur.

Ierem. c. 31.

CAPVT QVINTVM.

Antiqui Patres eos imitati sunt. Discrimen inter disputationes eorum de mysterijs fidei, & Scholasticorum. Lapsus Origenis.

HOc igitur Christi Domini & Apostolorum ejus consilium antiquiores Patres nascentis Ecclesiæ ad amussim imitati sunt. Omnes enim vel in exhortationibus ad opera bona, vel in Scripturis Sacris elucidandis, ubi nudus mysteriorum sacrorum sensus eruitur, versati sunt; vel, si quid de ipsis mysterijs altius exaraverint, hoc eis puræ violentia necessitatis extorsit, ut arcanorum divinorum integritas illibata contra suborientes hæreses servaretur. Quæ cùm novæ per singulas ætates ebullirent, & adversus eas novos Antagonistas gratiâ illustrandæ veritatis præditos divina Providentia suscitaret; hinc effectum est, ut major quædam scientia rerum divinarum ad posterorum secula derivata sit.

Veruntamen in illâ ipsâ scribendi ratione, quæ ab antiquis Patribus contra errores mysterijs revelatis adversarios observata est, duo magnoperè consideranda sunt, per quæ ab illa Philosophica disputandi libertate, quæ passim viget, lato limite discernuntur. Primùm, quòd ex principijs verbi Dei, præcipuèque sacrarum litterarum, sensus suos, & ferè verba promerent. Ex capitalibus enim scripturis, in quibus veritas oppugnata fundabatur, tanquam veris principijs elucidationes suas deductionesque derivabant; quibus in subsidium Scripturas alias minoris quidem ponderis, omnes tamen expressione diversorum sensuum capitalibus concinentes, adhibebant, ut illæ primariæ, quibus mysterium contineri putabant, inexpugnabili auctoritate & munitione A consisterent. Quod in omnibus pœnè ratiocinationibus, quibus Patres antiqui per trecentos annos in defendenda divinitate Filij Dei adversus Arianos usi sunt, accuratiùs videre licet. Secundum est, quòd religiosè intra terminos oppugnatæ ab errore veritatis, sine ulla superfluarum, multò minùs curiosarum, frivolarum, atque inutilium quæstionum intermixtione remanerent. Quod usque adeò verum est, ut cùm subinde ad invadendas alias quæstiones non controversas urgerentur, perspicuè declinaverint, donec ad loquendum eâ de re alio suborto errore cogerentur. Quo sanè manifestè declaratum est, eos de arcanis illis revelatisque mysterijs non disserere, nec tantoperè progredi, nisi inevitabili necessitate pertractos. Nimirum deterrebat multos illud magnum & evidens, quod in Origene præcesserat, humanæ temeritatis B ac divinæ castigationis exemplum. Hic enim cùm de mysterijs à Deo Ecclesiæ suæ revelatis, nullâ necessitate, solâ disserendi cupiditate, per Platonicæ & Aristotelicæ Philosophiæ principia, quibus elimatus erat, in libris illis περὶ ἀρχῶν latiùs disputare voluisset, omnes pœne errores, quibus Ecclesia per trecentos & amplius annos afflicta fuit, Arianos, Macedonianos, Photinianos, Pelagianos, Deo audaciam persequente, accuratè præformaverat: quemadmodum in illis libris, jam toties interpolatis & expurgatis, in hunc usque diem perspicuè patet, & nos alicubi quadam ex parte demonstravimus. *In lib. 6. de hæresi Peleg. c. 13. & sequentibus Tomo 1.*

CAPVT SEXTVM.

Quis limes in hac vita indagandi divina mysteria. Quæstionem *quomodo* quidque verum sit, ferè semper obscuram Deus esse voluit. Duplex *quomodo* articulorum revelatorum, essentiale, & accidentale.

LATVISSE quippe Origenem videtur, quòd etiam nunc nonnullos eorum, qui ad pertractandas revelatas veritates accinguntur, profundè latet, quis earum cognoscendarum, assequendæ salutis causa, in hac vitâ sit limes ac modus, quodque in nova lege hominibus impartiendâ consilium Christi fuerit. Cognitionem enim illam nobis intimè commendatam esse voluit, quæ ex humili firmâque obedientiâ A & Charitate pendet, voluntatemque nostram soli ac nudæ divinæ auctoritati, per quam nobis dictata cœli arcana & propalata sunt, subijcit & affigit. Cum enim sapientiam hujus mundi fide crucis prostravisset, juxta illud Isaiæ ab Apostolo quoque sanctificatum: *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo*: & illud ipsius Apostoli: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Nimia illa sciendi desideria, quibus Ecclesiæ filij agitan- *Isaie c. 29.* *1. Cor. 1.*

agitantur, ignorantiæ cujusdam sanctæ cancellis circumsepsit; ut humilitatem stultitiamque crucis animis nostris persuaderet. Quicquid in rebus fidei limitem illum excedit, curiosum ac vanum est, scopoque ac fructui, in quem collimat Euangelium Salvatoris, importunum. Qui fructus magis in efficacia sanctorum operum, quam in sublimi penetratione divinarum veritatum situs est. Puritas enim charitatis, fœlicitas hujus vitæ est: contemplatio veritatis, alterius.

Quòd si scopum, quem Christus in afferenda nobis nova lege propositum habuit, diligentiùs trutinemus; perspicuè deprehendemus, nequaquam eum spectasse, ut nos eruditos redderet; sed ut simplicem nobis dumtaxat cognitionem certarum veritatum divinarum traderet, quarum radices, seu rationes profundiores ab humana acie procul abstrusæ tegerentur. Ex quo profectum est, ut exempli gratiâ non dubitemus unum esse Deum, personis trinum, essentiâ immensum, contingentium futurorum præscium, omnipotentem, & hujusmodi: *quo* verò singula quæque *modo* ei conveniant, tanquam spissâ caligine involutum ignoramus, & latet. Et tamen in istis ipsis quæstionibus enodandis, quomodo videlicet singula quæque revelata vera sint, quas Deus nobis in hac vita abstrusas esse voluit, quia ad bene vivendum nullo pacto erant necessariæ, plerique recentiores magna ex parte torquent ingenium suum, atque otium auditorum terunt. Ad quæ sanè S. Augustinus respexisse videtur, quando dicit: *Multi multùm disputant de ijs rebus, quas majore prudentiâ nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus, & occupantes quod pejus est, multum pretiosa, & rebus salubribus impendenda temporum spatia.* Nam hinc illæ densæ quæstiones, quomodò Deus immensus sit; quomodò futura prævideat; quomodò trinus in personis; quomodò in spatijs imaginarijs; quomodò generet Filium; quomodò hoc vel illud per absolutam potentiam possit; quomodò peccatum originale seminando traducatur; & similes in singulis materijs revelatis sine fine multiplicatæ. Nam etiam in hac materia divinæ gratiæ, quam tractamus, quid præcipuas lites in Scholas invexit, nisi ista ipsa curiositas istius pernoscendæ quæstionis, quomodò gratia in voluntate operetur? Cùm enim ex divina revelatione constaret, cœlitùs nobis misericorditer Dei adjutorium dari, quo efficaciter velle & perficere in voluntatibus nostris operetur; quod meritò sobrietati nostræ sufficere debuisset, sicut sæculis multis majoribus nostris satis fuerat; quomodò hoc ipsum fieret, non tantùm curiosè noscere, sed etiam audacter ex propinatis Philosophiæ quisque suæ principijs definire voluerunt. Vbi multò satius esset Augustinum audire, adversus hujusmodi quæstiones ad sobriam & Ecclesiasticam simplicitatem homines revocantem: *Quid à me quæris, quo sit factum modo, cum videas factum esse quocumque modo, si Apostolo credis aliquo modo quomo-*

Lib. 2. de gen. ad lit. c. 9.

Lib. 6. cont. Iul. c. 9.

A *tiri potuit nullo modo?* Quibus verbis cùm aliquid in Scripturis definitum est, acquiescendum esse statuit, neque superfluè curioséque de modo esse satagendum. Non enim animadvertunt, istud *quomodo* in divinis Scripturis ferè semper modulum humanum superare; & vel rerum ipsarum profunditate, vel virium infirmitate vetitam esse perscrutationem ejus. Hæreticis enim proprium est, simplici revelationis veritate nunquam esse contentum: quorum audacia quemadmodùm erroribus à Deo plectitur; ita Catholicorum quoque temeritas immodicè cuncta rimantium & asserentium, plerumq; suâ pœnâ non caret. Quid enim aliud existimari potest in tam obnixa dissensione certantium, nisi alterutros in non exiguo errore versari? Errare autem in tantis rebus, quemadmodùm fructus est involuntariæ cœcitatis; ita pœna voluntariæ temeritatis. B Quanquam *& ipse*, ut Augustinus, *per seipsum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva semper est malum.*

In Enchirid. c. 18.

Quòd si quis dixerit, etiam quomodo aliquid factum sit, subinde à sacris Concilijs definitum esse, ut quomodo facta sit unio in Christo duarum naturarum? Attendat ille in rebus fidem attinentibus, duplicem esse modum: quorum unus essentiam rei revelatæ respicit; alter accidentalē conditionē ejus. Illum subinde Ecclesia, ab hæreticis articuli revelati substantiam convellentibus quassata definivit; alterum intactum tacita præterijt. Sic enim Nestorio & Eutychete Filij Dei incarnationem vellicante sanxit, unionem inter duas naturas in persona factam esse: nam utrumque ipsa revelatio, quæ Dei Filium verè hominem factum esse docet, manifestè complectitur. Sed quomodò illa unio utrumque suum extremum attingat, nec revelatio docuit; C nec Ecclesia sanxit, nec spinosissimas Recentiorum disputationes effugere potuit. Quisquis enim articulos fidei à Scriptura aut Concilijs determinatos percurrere volet, manifestè deprehendet, quicquid tandem quocumque modo, vel à Scripturis, vel ab Ecclesiæ Pastoribus definitum fuit, plerosque Recentiores nunquam sobriâ istâ sapientiæ nudæ cognitionis ab Ecclesia traditæ contentos fuisse: sed semper in omni argumento, Philosophiâ duce, novas excitasse, curiosasque quæstiones, quibus definiendis non rarò magis Aristotelis commentatio, quam Sancti Spiritus revelatio præsidet. Quod ut uno exemplo cunctis obvio ad oculum patefiat, quid magis absconditum Deus nobis esse voluit, quàm naturas Angelorum? Nec enim ulla via sensibus nostris patet, quibus eorum essentias, intelligentiasque penetremus. Perpauca & perquàm exilia sunt quæ de ipsis Sacra Scri- D ptura propalavit. Et, quantam interim, Deus bone, quantam segetem curiosissimarum quæstionum nova Theologia peperit nobis, quibus ad vivum & verum resecandis, universa totius mundi ingenia non sufficerent, de ipsorum principijs specificantibus, individuantibus; de in-

de intelligendi speciebus, modo, duratione, de loco eorum, motu, operationibus, instantibus, locutionibus; de gratiæ inæqualitate, magnitudine, de meriti statu, continuatione, intensione, tempore, & similibus infinitis, in quibus nihil plerumque nisi omnia incerta esse, certum est. Nam si Ecclesia in Concilium cogeretur, ut veram, & Christianam, & Ecclesiasticam ex revelatione cognitionem filijs suis de spiritibus Angelicis traderet, nec unum quidem ex omnibus articulis istis forsan definire posset, quos tantâ nonnulli animorum viriumque concertatione disputant, ac determinant.

Ex quo etjam perspicuum est, quàm parum hujusmodi ratiocinationes Philosopho-Scholasticæ ad inveniendas divinas veritates faciant. Nam in illis ipsis Concilijs quæ ad illustrandas eas congregantur, postquàm Theologorum dissertationibus super ambiguâ contestatâque veritate datus fuerit locus, non eam Ecclesia per modum conclusionis in humana ratiocinatione & consecutione fundatæ elicit ac determinat: sed per modum sententię, quam ipsa tanquam judex, auditis Theologis tanquam causidicis, divinâ inspiratione gubernata, ex alijs primitus revelatis, hoc est, ex Scripturis, aut traditionibus jam antè creditis, trahit. Ad quem sanè scientiæ uberioris hauriendæ tradendæque modum, Philosophia humana perparum facit.

Hoc est igitur, quod suprà diximus, non hoc Christum Dominum, in conferendo novæ legis beneficio spectasse, ut scientijs expoliret nos: sed potiùs, ut principijs quibusdam altissimarum rerum revelatis, & rationibus earum tectis, humilitate fundatos, & charitate fervidos redderet. Nimirum ad locum, unde per protoplasti iniquitatem in hoc exilium relegati sumus, contrariâ nos prorsus viâ studuit revocare. Ille scientiæ magnitudine præcelluit, majoremque intemperanter appetendo perijt. Medicus igitur attentâ ista ruinæ nostræ causâ, sanaturus ægrotum, luminosæ scientiæ cuncta rimanti & penetranti substituit in Ecclesia sua fidem; cujus obscuritate divina mysteria ita tegerentur, ut nos eorum cognitio sine cognitione salvaret. Ex eadem quippe medicinæ methodo, pro primęva abundantia nostra paupertatem; pro delicijs quibus abusi sumus, difficultates ac labores, veluti spinas ac tribulos præparando, seminavit. Nam *quia noluit homo*, inquit Augustinus, *inter delicias Paradisi servare justitiam, statuit Deus, ut post eius peccatum propagata caro peccati ad recipiendā justitiam laboribus & molestijs ntteretur.* [Lib. 1. de pecc. merit. c. 34.] Quam ob causam ipse Medicus Christus, ut ægroto suo semetipsum, quantum fieri posset, attemperaret, quemadmodum cum pauperibus & afflictis, *pauper fuit, & in laboribus à iuventute* sua; [Psal. 87.] ita & sæcularium scientiarum imperitus videri voluit. Non enim in illis earumque lumine præsentis vitæ felicitas posita est, sed in lumine purificatæ charitatis; quâ etjam voluit filios discipulosq; suos peritos effici: ut ita veluti *docibiles Dei*, seu docti à Deo, participes fierent mysteriorum ejus: & istâ luminosâ face in cordibus eorum accensâ, cœlestium principiorum quæ revelaverat, arcana penetrarent.

CAPVT SEPTIMVM.

Duplex modus penetrandi mysteria Dei, humanâ ratione, & charitate: ille periculosus est, proprius Philosophorum; iste tutus Christianorum.

Ex quo profectò aliud non parvi momenti arcanum sese aperit, quod à plerisque, qui de rebus divinis tam subtiliter, & logicè argutantur, abstrusum est. Duplex enim est modus penetrandi divina mysteria, quæ Dei revelatione credenda proponuntur: unus per humanas ratiocinationes, quem etjam Philosophi sectati sunt. Modus ille periculis multorum errorum obnoxius est; quemadmodum exemplis magnorum quorundam, sive Recentiorum, sive ætatis mediæ Scriptorum, sive etjam antiquorum Patrum, luculentè demonstratum est: qui intemperantiùs majestatem divinorum scrutantes mysteriorum, ab eorum gloriâ oppressi sunt. In hujusmodi enim inquisitione & assertione maximè oportet sapere ad sobrietatem: quæ non sinit animum veraciter humilem atque Christianum, in novas, quales dixi, prurire de revelatis mysterijs quæstiones, nisi errorum grassantium necessitas aliquid dicere cogat; multoque minùs eos ex humanâ Philosophiæ, sed tantùm ex revelatæ sapientiæ principijs definire. His enim ex causis Apostolus Paulus, & primi Patres tantoperè adversus humanam Philosophiam stomachati sunt.

Alter modus ex incensa charitate proficiscitur, quâ cor hominis purgatur, & illuminatur, ut secreta Dei penetret, quæ in sacrarum litterarum corticibus, ipsisque revelatis principijs continentur. Hic intelligendi modus veris Christianis maximè familiaris est: per quem in spiritualibus sive viris sive fœminis, magis magisque crescente charitate, crescit sapientia, donec perveniat ad perfectum diem. Nam quemadmodùm ex semine arbor nascitur, & vicissim ex arbore semen, atque ita reciproca utrumque productione in infinitum multiplicatur: ita quoque Christianæ fidei cognitio charitatis amorem suscitat; & per illam operatur: quæ charitas continuò lucem cognitionis excitat novam, lux flammam amoris, & iterum flamma lucem, atque ita iden-

identidem reciprocando vices animum Christianum ad fervoris, ac lucis, hoc est, ad charitatis, & veritatis seu sapientiæ plenitudinem ducunt. Sed quemadmodum isti duo adipiscendæ cognitionis modi valdè discrepant; ita quoque veritates, quæ per alterutrum innotescunt, valdè diversæ sunt. Illæ plerumque spinosæ atque aridæ sunt, in sola hærentes speculatione, atque ideò ferè frivolæ & inutiles: hæ verò sive ad Deum, sive ad homines, sive ad rerum agendarum regulas pertineant, sapidæ sunt, & medullitùs in affectū refluunt, unde prodierunt. Doctrina ista tanquam certissima solidissimaque sæpiùs ab Augustino traditur, & omnibus de rerum divinarum intelligentia satagentibus unicè commendanda est. Nam hinc illud in tractatibus in Joannem: *Non diligitur quod penitus ignoratur, sed cum diligit quod ex quantulacumque parte cognoscitur; ipsâ efficitur dilectione, ut melius & plenius cognoscatur.* Itaque statim adjicit, modum in scientia rerum divinarum proficiendi: *Si ergò in charitate proficiatis, quam diffundit in cordibus Spiritus Sanctus, docebit vos omnem veritatem.* Et inferius omnem profectum scientiæ inde sperandum esse profitetur: *Totum, quod usque ad illam perfectionem* (quæ post hanc vitam dabitur) *futurum est, nobis promisit Dominus per charitatem Spiritus, dicens: Docebit vos omnem veritatem.* In cujus veritatis assertionem etjam Apostolum citat, qui ad Ephesios dicit: *Ut in charitate radicati, & fundati, possitis comprehendere* videlicet sciendo, *cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo* &c. Et concludit id quod suprà diximus: ISTO ENIM MODO *vos docebit Spiritus Sanctus omnem veritatem, cùm magis magisque diffundet in cordibus vestris charitatem.* Quod ne quis ex Aristotelis regulis de veritatibus morum formandorum dumtaxat intelligendum esse contenderet, Augustinus ipse ad veritates maximè theoricas, quæ de Deo creduntur, etsi non intelligantur, extendit: *Sic*, per charitatem videlicet, *fiet, ut à Doctoribus exterioribus illa discatis, quæ noluit Dominus tunc dicere; sed sitis omnes docibiles Deo:* UT EA IPSA, QUÆ PER LECTIONES ATQUE SERMONES EXTRINSECUS ADHIBITOS DIDICISTIS, ET CREDIDISTIS DE NATURA DEI NON CORPOREA, NEC LOCO ALIQUO INCLUSA, NEC PER FINITA SPATIA LOCORUM QUASI MOLE DISTINCTA, SED UBIQUE TOTA ET PERFECTA ET INFINITA, SINE NITORIBUS COLORUM, SINE FIGURIS LINEAMENTORUM, SINE NOTIS LITTERARUM, SINE SERIE SYLLABARUM, IPSA MENTE CONSPICERE AC PERCIPERE VALEATIS. Quod aliis in locis ad alia quoque altissima mysteria, ipsumque arcanum Sanctissimæ Trinitatis extendit. Charitas enim hoc ipso quo Christiani animum à creaturis revocat, & attollit in Deum, oculum cordis à terrenarum cupiditatum fumis ac tenebris purgat, quibus cor hominis obscuratur & obbrutescit, ne revelata mysteria possit intelligere. *Quantò magis magisque cor dirigitur* (nempe retorquendo illud per charitatem in Deum) *tantò magis videt quod non videbat, & valet quod non valebat.* Et in sermonibus de diversis: *Videre vis? Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. Priùs ergo cogita de corde mundando. Hoc habeto negotium, ad hoc te advoca, insta huic operi. Quod vis videre mundum est; immundum est unde vis videre.* Quis autem dubitet charitatem veritatis, hoc est, Dei, esse quæ mundat cor? Nam ut idem Sanctus ait: *Veritas mundat, vanitas inquinat.* Et rursum: *Secundum præceptum est dilectio veritatis, cui contraria est dilectio vanitatis.* Nam quia omnes cupiditates terrenæ tenebrosæ sunt, charitas quæ cupiditati capitaliter contraria est, tenebras istas pellit, ut in ejus lumine lumen æternū, quo cuncta collustrātur, cernere possit: *Fugatis*, inquit, *tenebris fumosarum cupiditatum videbitis lumen.* Et in libro secundo de sermone Domini in monte, clariùs modum, quo hoc efficitur, explanans, obtenebrationem cordis, & illustrationem cordis præclarissimè tangit, primumque dicit, Deum semper *paratum esse dare suam lucem nobis non visibilem sed intelligibilem & spiritalem:* sed nos non semper paratos esse accipere, *cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur.* Hinc docet ex opposito tenebras illas fugari ipsâ conversione mentis in Deum; *Qua fit*, inquit, *purgatio interioris oculi, cùm excluduntur ea, quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem divinitùs sine ullo occasu aut immutatione fulgentem; nec solum ferre, sed etiam manere in illa; non tantum sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio.* Itaque magnoperè præposterum est, quòd homines, qui adhuc terrenis cupiditatibus tenebrosi, oculos ad mysteria divina cœcos afferunt, scrutari, intelligere, penetrare, definire conantur, antequàm illa lux arcana, quam vitæ sanctitas parit, in eorum cordibus oriatur; non minore profectò superbæ præsumptionis, quàm temeritatis exemplo. *Nonne iniquitas*, inquit Augustinus, *ne istam lucem videre posses, premebat? Quid ergò? Cor saucium levabis ad Dominum? Nonne prius sanandum est, ut videas? Nonne superbus invenitis, cum dicis primò videam, & sic credam?* Sub (*credere*) autem in eodem loco vitæ bonæ seu charitatis præcepta comprehendit, *quia justus ex fide vivit.* Unde alibi definit generaliter, quòd *tempus fidei* (hoc est hujus vitæ) *cum æquitate vita actum, impetrat intellectum stabilis sapientiæ, ut non solum credendo, sed etiam intelligendo disciplina firmetur.* Nulla verò æquitas vitæ habetur, aut haberi à quoquam potest juxta solidissimam præceptoris hujus doctrinam, nisi eam charitas impetraverit ac donaverit. Idcòque nihil etjam in scriptis ejus familiarius & pervagatius, quam intellectum earum rerum, quæ per fidem credendæ proponuntur, etjam in hac vita esse *præmium fidei*; juxta id quod ex Isaia, juxta Septuaginta Interpretes allegare solet: [a] *Nisi credideritis, non intelligetis.* Sub qua fide semper vitæ sanctitatem complectitur, quæ ex charitate proficiscitur, & cordis tenebras fugat.

Marginalia: Tract. 97. in Joan. — Ephes. 3. — Ibid. — In Psal. 77. — Serm. 12 de divers. c. 4. — Fragm. 2. c. 2. — Serm. 8. de divers. — Lib. 2. de Serm. Dom. in monte c. 3 — In Psal. 33. — Lib. 83. qq. q. 81. — Vide Serm. 51. de verb. Dom. & 27 de verb. Apost. & alibi sæpe. — a Isaia 7.

Ex istius igitur immobilis doctrinæ fundamentis, expressæ sunt illæ sententiæ, quibus identidem charitatis vim, ad mysteria quæ fides credit intelligenda & penetranda, cõsignat. Vt quando dicit Spiritum sanctum hominibus dari, *ut ad divina & æterna contuenda quodam amoris & charitatis spiramento & incendio rapiantur*: Vt quando ad hæreticos Manichæos revelata fidei principia cum tanta cordis immunditia penetrare conantes dicit: *Per charitatem pervenitur ad plenitudinem scientiæ*: Et ad Faustum eorum Episcopum: *Non intratur in veritatem, nisi per charitatem*: Vt quando ad quoslibet Catholicos dicit: *Mores perducunt ad intelligentiam*. Mores verò ex amoribus fluunt. *Nec enim faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores*; bonus autem amor, nemine dubitante Christiano, charitas est: Vt quando in libris de Trinitate dicit, fide *flagrantiorem excitari charitatem: ut quanto flagrantius diligimus Deum, tantò certius serenitisque videamus*. Quam ob causam subinde *illustrationem pia charitatis*, subinde *luminosissimam charitatem* appellare solet.

Lib. 1. de Gñ. contra Manich. c. 23. *Lib. 32. cont Faust. c. 18.* *Tract. 18. in Ioan.* *Epist. 52. ad Macedon.* *Lib. de Trin. 9.* *Epist. 29. ad Hieron.* *Epist. 144. ad Anastas.*

CAPVT OCTAVVM.

Quæstiones & veritates purè Scholasticæ nihil cum cognitione charitatis commune habent, propter diversas causas. Præcipitia in quæ prorumpunt.

IAM ex Scholasticis quæro, utrum veritates illæ purè Scholasticæ, seu quæstiones illæ strigosæ, quibus universa Scholastica nunc ab omni parte plena est, primi generis earum quas ante diximus, an secundi sint? Et sanè eas esse cogitationis prorsus humanæ fœtus, evidentissimo argumento est; quòd nulla quæstio purè Scholastica tam stabiliter firmata sit, quin per adversarios novis opinionibus discrepantes labefactetur. Cur enim plerumque dissentiunt, & à magistris discipuli, & inter se condiscipuli, nisi quia ut homines humanis sensibus & humanis ratiocinationibus, ex Philosophorum principijs, ista quærunt? ubi non rarò adest & studium gloriandi, quo quisque alio sapientior & acutior videri cupit; nec sententiæ quodammodò addictus alienæ, sed sui dogmatis & opinionis inventor. Vt sanè tot altercationibus atque dissensionibus, Philosophorum antiquorum sæculum, quorum principia sibi à teneris propinata imbiberunt, & vestigia terunt, revixisse videatur. Scholas enim habebant Philosophi penè innumerabilibus opinionibus dissentientes, ut Augustinus ait, & templa communia. Quæ fluctuatio atque incertitudo inventæ veritatis manifestè testatur, nihil hujusmodi speculationes commune habere cum illa directrice charitatis Euangelica cognitione; quæ quamvis aliquid obscuritatis adjunctum habere possit, animos tamen suâ infallibili certitudine tranquillos facit.

Lib. de vera Relig. c 1. & lib. 18. de Civit. c. 41.

Enimverò quis sano judicio dubitare possit, plerasque notitias genuinè Scholasticas, non nisi puras abstractiones esse, depuratasque Aristotelicæ Metaphysicæ eliquationes, quandoquidem de rebus supernaturalibus agatur? Nam in hujusmodi rebus neque ingenium suiipsius dux suopte lumine esse potest, si verè supernaturales sunt: neque etjam Deum ductorem habet, si sola mentis imaginatione hujusmodi sint, atq; humana cogitatione satagẽte eudantur. Quid vero incongruentius, quàm res humanâ dumtaxat opinione supernaturales ex principijs Aristotelis purè naturalibus suspendere ac declarare velle, à quibus veritates fidei nostræ, quæ verè supernaturales sunt, vel notorias exceptiones, vel certè novas inauditasque explicationes protulerunt? Nam ista principia naturalia: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se*: &: *Vna subsistentia non potest duas perfectas naturas terminare*: &: *Sine voluntate non potest esse peccatum*, Trinitatis & Incarnationis, & peccati originalis mysteria, vel falsa esse, vel prorsus incognito Philosophis modo explicanda, monstrarunt. Quæ profectò ratio est, ut hujusmodi cognitiones abstractivæ, quas iste Philosophicus conatus parit ferè sursum hæreant, ad inflandũ; nec in cor hominis Christiani ad exstruendum charitatis ædificium delabantur.

Hoc enim veritatibus illis proprium & perpetuum est, quæ per secundum, quem suprà diximus modũ intelligẽdi mysteria accipiuntur. Principium quippe suæ cognitionis non tam in cerebri subtilitate, quàm cordis puritate defixum habent; ideoque non nisi in Sanctis atque simplicibus animabus inveniuntur. Vnde omnes verè docti atque religiosi sciunt plurimas hujusmodi arcanas mysteriorum cœlestium veritates à fæmellis, idiotisque penetrari, ad quas nullâ se Theologiæ suæ subtilitate attingere posse, cum admiratione profitentur. Nempe quia divinæ illius ac luminosæ charitatis fœtus sunt; quæ excessus, extases, liquefactiones, heroicos impetus parit. Hæc est illa scientia Theologica, quam nobis Apostolus commendat ad Corinthios: *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia*. Et iterum: *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei*. Et ad Ephesios: *In charitate radicati & fundati*, quo fructu? *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ*

1. Cor. 1. *2. Cor. 4.* *Ephes. 3.*

scientia charitatem Christi. Et ad Romanos hujusmodi scientiam indicat ex dilectione velut fonte scaturire: *Et ipsi pleni estis dilectione; repleti omni scientia*: Et beatus Petrus ex gratia: *Crescite vero in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris* Iesu *Christi.* Gratiam nempè statuit istius fontem cognitionis.

Rom. 15.

2. Pet. 3.

Consideret jam quisquis volet, utrum illæ purè Scholasticæ speculationes, quibus recentior multorum Theologia plena est, dilectionis istius heroicæ & ecstaticæ effectus aut causa sint. Arbitror enim difficilè quemquam eorum, qui in ea versati fuerint, si sciant quid loquantur, aut de quibus affirment, aliud sentire aut dicere posse, nisi sub illa scientia, de qua dicit Apostolus, *Scientia inflat*, hanc disciplinam, prout à multis tractatur, comprehensam esse, in qua eis quidlibet, quod non sit expresse definitum, sustinere fas est, & multa jam olim definita, per ignorantiam antiquitatis, disputandiq; nimiam libertatem sustinentur, in qua quotidiè aliquod novæ quæstionis & opinionis monstrum nascitur, tantâque animositate defenditur, ut in calore disputationis, ad qualibet potius absurda, quàm ad ignorantiam aliquam, vel solutionis alicujus dandæ imperitiam confitendam adigantur, in qua unus alterum ejusdem sodalitij socium in eodem Gymnasio vellicat, censet, ac damnat. Quæ omnia disciplinæ charitatis & Christianæ, quæ suavis ac modesta est, adversantur.

Quòd verò ex immoderata cupiditate mysteria divina penetrandi, & sine ullo limite perscrutandi, ista nascantur, manifesto indicio est, quòd quotidie sine fine, non minus in praxi, quàm theoriâ, quæstiones Theologicæ, & opinionum dissensiones crescant. Vnde factum est, ut quemadmodum in theoricis, limites rerum verè divinarum transeundo, non semel in chimericas abstractiones inciderunt; ita in practicis, morales regulas agendorum simplices relinquendo, quas simplex & genuina ratio & antiqui Patres præscripserunt, tam laxas effecère conscientias, sub prætextu accommodandi sese infirmitatibus hominum, ut nihil opus sit, nisi sceleratiores fieri homines, ut nova aliqua & licentiosa regula fabricetur. Nam in sæculo corruptissimo quamvis nonnulla peccata universa hominum commercia fœdaverint, ad eas tamen angustias disputandi libidine redacta sunt, ut non nisi in Metaphysica quadam abstractione salva esse videantur. Quis enim hoc tempore sit usurarius, si omnes abstractiones, & intentiones à Scholasticis aliquibus excogitatas noverit, & adhibere voluerit? Foro pulsa, vix in palestris disputantium adhuc vivit. Dies me deficeret, si luculentissimos campos aperirem, quos contractibus, matrimonijs, libidinibus, ambitioni, singularibus certaminibus, alijsque non paucis flagitijs & facinoribus quidam aperuerunt. In quæ præcipitia non abripiat mentes terrenarum rerum cupiditate stimulatas illa cujusdam Recentioris regula, quâ decernit, quòd si cui ratio erronea dictet aliquid esse peccatum, ex alia tamen parte vellet facere, licitè deponit istam conscientiam absque ulla alia ratione, etjamsi ex impetu vel libito fiat? Iam pœnè quidlibet fecit licitum regula de opinione minùs probabili sequenda etjam contra propriam opinionem, quam veram putes? Iam enim in tanta opinionum varietate, vix aliquid in moribus tam absurdum est, nisi decalogum apertè feriat, imò etsi feriat, quod non factum sit probabile. Vt reverà plerisque Christianis scientia recentioris Theologiæ ad nihil penè serviat, nisi ut sensa diversa diversorum suis apta cupiditatibus noscendo & sequendo, depositâ Christianâ simplicitate versutiores, & probitate nequiores fiant. Nam & eò impudentiæ ex illa eadem norma quidam prosilierunt, ut cùm religione quidam ductus, non auderet aliquid in alterius gratiam facere, quod sciebat in principia morum impingere, & à nullis auctoribus tanquam probabile assertum esse, responderit ei magister recenti Theologia expolitus: Aude tantùm, nos efficiemus probabile. Ecce excessus, in quos illa licentia indulgendi ratiocinationibus humanis, & Philosophiæ suæ prorumpit, quando divinissima mysteria imbecillium opinionum libidine & proprij sensus aleâ ventilantur. Quæ quidem non eò à me animo dicuntur, quasi propter quorundam abusum Theologiam Scholasticam sugillatam velim, quam ad pellendam tyronum ignorantiam methodi suæ luce & brevitate saluberrimè tradi scio. Non propter bonarum rerum abusum usui legitimo calumniandum est: nec industria humana in tradendis utiliter scientijs suffocanda est, quia limitem subinde prætergreditur; sed intra cancellos à veritate præscriptos potiùs revocanda.

CAPVT NONVM.

Cancelli Theologiæ Christianæ in Scripturis, Concilijs, & Patribus primorum sæculorum, per quos Deus Ecclesiam docuit, positi sunt.

Qvis igitur limes, inquies, in Theologia Christiana, seu in rebus divinis more Scholastico pertractandis observandus est? Difficilè terminum figi, non diffiteor. Et primò quidem non eò vecordiæ veniendum, ut cum hæreticis blateronibus Scholasticam doctrinam, ut jam dixi, universam respuamus. Ignorant nempè tenebriones illi, non aliud Scholasticâ nisi methodicam divinarum rerū tractandarum viam esse;

dicitur. Nam in altera earum perpetuis Metaphysicæ abstractionibus uti oportet; in altera judicio tantum sano, animoque docili, ut divinas institutiones, quæ non nisi verbo A Dei, & instructioni divinitus datæ tanquam principijs nituntur, fideliter capiat, ac debita cum submissione veneretur.

CAPUT DECIMUM.

Quid moverit auctorem, ad indagandam veritatem de gratia & prædestinatione, ex Concilijs & Augustino.

QUAPROPTER, ut ad intermissum capite quarto orationis meæ filum, ex illa longa quidem, sed huic argumento non importunâ digressione redeam, cùm ego jam olim paulò attentiùs considerassem, in ista controversia de gratia Dei, qua totius pœnè orbis Christiani Doctores tanto disceptandi fervore confligunt, non aliud quæri, quàm quid sacra oracula de divinæ gratiæ adjutorijs revelaverint, quid Concilia de talium oraculorum sensu definiverint, atque imprimis quid celeberrimi gratiæ expositores ac defensores, ex quorum ipsissimis verbis oraculorum Dei atque Ecclesiæ sensum complectentibus ipsa Concilia suas definitiones formaverunt, in operibus suis de eadem illa Dei gratia scripserint, prædicaverint, inculcaverint: valdè præposterum mihi visum est, ex Aristotelis vel Commentatorum ejus principijs, quæ de concursu primæ causæ, de indifferentia voluntatis liberæ, & ejus in actum secundum extractione ac determinatione, de habituum naturis, de potestate voluntatis in affectus animorum, & similibus, vel insinuarunt vel tradiderunt, ad istam litem dirimendam tantâ pugnacitate contendere. Nam arcanus ille concursus divinæ gratiæ, & à concursu naturali, & à connaturali operandi modo humanæ voluntatis à Philosophis agnito, multùm discrepat; & violenti impetus concupiscentialis rixæ diversarum passionum longè potentius imperium exercent in liberum voluntatis arbitrium, quàm gentium Philosophi putent. Nam ex puris Philosophiæ Aristotelicæ principijs, tota hæresis Pelagiana & Semi-Pelagiana fabricata est, prout etiam tunc subodoratus fueram. Quibus non mediocri animadversione & sollicitudine trutinatis, & quantoperè Scholastici plerique limites Christianæ Theologiæ fixos, prætextu subtilitatis excederent, omninò judicavi in modo inquirendæ veritatis istius difficilis & arcanæ esse peccatum.

Cùm igitur desperarem ad liquidam istius quæstionis difficillimæ intelligentiam istâ me viâ pertingere posse, in quâ non minimam ætatis partem triveram, multaque Scholasticorum scripta lustrando pererraveram, ipsos Ecclesiasticæ veræque Theologiæ fontes adeundos mihi, consulendosque censui, Scripturam, Concilia, sanctos Patres, quos hac de re totius Ecclesiæ testimonio castè sensisse & scripsisse retinebam. Inter quos Augustinus longè primas in hoc argumento ferre, non semel in illa Academia intellexeram, quæ ab incunabulis suis eruditissimum sanctissimumque Doctorem istum sibi præcipuè sacræ Theologiæ ducem non immeritò delegisse sibi videtur. Quod quamvis tunc potiùs Magistrorum meorum auctoritate ductus crederem, quàm experientiâ comperissem, fides tamen illa & reverentia, quâ Doctorem istum venerabar, apud me satis erat, ut ad laboriosissimam istam provinciam subeundam me accingerem. Itaque venerabilem stylum ejus arripui, nullisque tædijs aut laboribus territus, volutationi & lectioni assiduæ universorum librorum ejus, iterum iterumque sæpius repetitæ, per viginti duorum annorum spatium immersus fui, hoc unicum spectans, ut ultima primis diligentissimè conferendo, dispersasque sententias, quas hîc illîc in Scholasticorum scriptis legeram, corpori unde avulsa erant restituendo, genuinam doctrinam ejus, quantùm luminis mihi Deus daret, radicitus intelligerem, & medullitus imbiberem. Subinde expavi, fateor, plus quàm dici potest, cùm liquidissimè cernerem, quanta absurditate gravissima doctrinæ capita in sensus alienissimos à Recentioribus quibusdam obtorto collo traherentur; quanta cæcitate nonnunquam disputationes ejus pro assertionibus, errores quidam Pelagianorum ab illo plus quàm decies proscripti, pro Augustiniana veritate; imò objectiones hallucinantium pro solutionibus respondentis acciperentur: quas tamen velut imas, & primas, & immobiles bases doctrinæ suæ de gratia Dei discipulis propinatæ collocarunt, ut nemini dubium esse possit, quàm enormium conclusionum exorbitatio ex istiusmodi principijs nasci deberet. Incredibile hoc modestus quisque lector arbitrabitur, sicut & ego ipse primo obtutu olim arbitrabar: sed res ipsas inferiùs diversis locis de se loquentes patienter exspectet. Ego interim prodigiosi istius ingenij sublimitatem, eruditionis altitudinem, doctrinæ castitatem nunquam satis mirari poteram. Quo fiebat, ut pondus auctoritatis ejus in animo meo multùm cresceret, & non sine causa in Ecclesia Catholica, maximum gravissimumque semper fuisse, atque esse debere judicarem. Et quia causæ ejus non omnibus perspectæ sunt, & ad causæ momentum, quam suscepimus, non mediocriter faciunt, veniam spero mihi pius Lector dabit, si aliquid paulò latius de sanctissimi atque eruditissimi Doctoris hujus laudibus balbutiendo disseruero.

CAPVT XII.

Augustinus quatuor Capitales Christianismi veritates contra quatuor potentissimos errores fundavit; unitatem Capitis Ecclesiæ, vnitatem corporis, unitatem Sacramenti incorporationis, unitatem gratiæ; ostenditur de tribus primis.

HIC est enim ille, qui quatuor præcipua veritatis dogmata, tanquam quatuor generalia Christianæ doctrinæ capita & principia, totidemque fluvios paradisi fundavit ac stabilivit. Quæ cùm ante ipsum humili potius fidei simplicitate, quàm intelligendi perspicaciâ tenerentur, quatuor potentissimis erroribus occasionem obscuritate suâ præbuerunt, ut quadruplex Religionis nostræ fundamentum ingenti ausu & molimine concuterent; unitatem Capitis, Filij Dei; unitatem corporis ejus, Ecclesiæ; unitatem Sacramenti incorporationis, quod est baptismus; unitatem ac veritatem vitæ, hoc est, gratiæ per Christi crucem datæ, qua corpus hoc ab illo capite vegetatur, & sine qua lex nova nihil veteri antecelleret.

Hic mihi latissimus aperitur campus, quo frenis liberioribus in hujusce Doctoris prædicationem vagari posset oratio. Sed ut eam cancellis arctioribus circumscribam, de primo, videlicet unitate Capitis, ita habendum censeo; Augustinum esse, qui primus Patrum, salvo judicio saniore, divinitatem Filij Dei adversus Arij machinas ita stabilivit, ut primus mirabili quodam ratiocinationis acumine primarium subverterit fundamentum, quo totus Arianismus natus creverat, adultusque nitebatur. Quamvis enim Nicænæ Synodi auctoritate prostratus, multorumque Patrum vulneribus confossus, Augustini ætate semimortuus palpitaret; nemo tamen radicem erroris exciderat, nec sentinam illius exhauserat objectionis, quæ totius istius hæreseos virus exhalabat. Nihil enim perinde hæresiarcham Arium, doctissimosque qui eum sectabantur Antistites fefellit, quàm quòd in Ecclesiæ nascentis exordijs Patres trium sæculorum antegressi [a] Iustinus, [b] Irenæus, [c] Clemens Alexandrinus, [d] Tertullianus, [e] Cyprianus, & posteà passim alij, [f] Athanasius, [g] Eusebius, [h] Hilarius, [i] Basilius, [k] Chrysostomus, [l] Epiphanius, [m] Ambrosius, [n] Theodoretus, vnanimiter docerent, apparitiones illas Dei crebras, quæ in veteri narrantur Testamento, non de Patre, quòd esset invisibilis, sed de Dei Filio intelligendas esse. Itaque Concilium quoddã Orientalium Episcoporum Sirmiense, quod adversus Photini errores congregatum fuit, anathema dixit ijs qui dicerent, [o] *Non Filium Abrahæ visum*, vel *cum Iacob luctatum esse, sed Deum innascibilem, sive Patrem* quemadmodum apud sanctum Hilarium videre licet. Hinc ergo continuò sectarij inferebant, ex istorum Patrum auctoritate, Filium Patre minorem esse, quod visibilis factus, internuncij vice ad homines pro Patre per tot sæcula functus esset. *Hæc*, inquit sanctus Ambrosius, *est causa erroris, hæc origo hæresis Arianæ.* Quod & Athanasio, & Gregorio Nazianzeno, vel ijs certè, qui librorum ad Theophilum & orationis quadragesimæ nonæ apud Nazianzenum auctores sunt, tantoperè placuit, ut hæc eadem verba vel Ambrosio præformaverint, vel ex Ambrosio in sua scripta transtulerint. Cum igitur istud ex Ambrosio præceptore suo didicisset Augustinus, adversus constantem præcedentium sententiam, magno ausu, majore constantiâ subnixus, scripturarum pondere, & rationum gravissimarum acumine ac texturâ, primus pansis velis in libris de Trinitate demonstravit, omnes apparitiones illas veteris Testamenti non Deo, sed Angelo esse tribuendas. Quæ causa fortassis fuit, cur libros illos tot annis suppresserit, ne fortè nimis præcipiti audaciâ illam tot Patrum antiquorum sententiam, atque unà præcipuum Arianorum præsidium subvertisse videretur.

Quod ad secundum attinet, unum illud brevitatis causâ suffecerit; Augustinum esse, qui veritatem de Ecclesia Catholica, qui notas ejus, quibus tanquam vivis coloribus insignita dignoscitur, qui officia, potestatem, prærogativas, omnesque dotes ejus tantâ ubertate diduxit, tantâ luce declaravit, tot Scripturarum rationumque vinculis, veluti Dei tabernaculum contra omnium tempestatum impetus munivit, ut & præcedentes Optatum ac Cyprianum tanto intervallo post se reliquerit, quanto prima embrionis lineamenta, jam editus in lucem fœtus; & posterorum nemo, sive Patrum, sive Doctorum, quicquam alicujus ponderis protulerit, quod non eis Augustinus præformaverit. Ille quippe nunc omnium in Ecclesia tuenda solertissimus est, qui Augustini nervos intendere, & Augustini arma tanquam Herculis, Christiani clavam, in adversarios intorquere didicerit.

De tertio, videlicet baptismo, quo incorporamur Ecclesiæ, hoc unum aio; Augustinum esse, qui primus inter omnes Patres veritatem, unitatem, necessitatem, & energiam baptisma-

[a] In Apol. 2. & Dialog. Tryphon.
[b] Lib. 3. c. 6. & lib. 4. c. 13.
[c] Lib. 1. Pædag. c. 7.
[d] Lib. 2. cont. Marc. c. 27. & lib. 3. c. 9.
[e] Lib. 2. ad Quirin. c. 5. & 19.
[f] Lib. 4. cont. Arian. & apud eundem lib. 4. ad Theoph.
[g] Lib. 1. Hist. c. 2.
[h] Hilar. lib. 4. & 5. de Trinit.
[i] Lib. 4. & 5. cont. Eunom.
[k] Homil. 16 in actus Apost.
[l] In Anchorat. n. 29. & 39.
[m] Lib. de Filij divin. c. 8.
[n] Quæst. 5. in Exod. ex professo.
[o] Conc. Sirm. Can. 15. & 16. apud Hilar. lib. de Synodis.

Amb. lib. de Filij divinit. c. 8.

Vide ista verba apud Athanas. lib. 4. ad Theophil. & apud Nazian. orat. 49.

baptisma-

baptismatis viâ omnibus antegressis inusitatâ A & ignotâ stabilivit, non ista omnia pondere Scripturarum astruendo, quod ante ipsum Optatus Milevitanus infeliciter tentaverat; sed solâ Ecclesiæ autoritate, atque traditione. Quod ita luculentè præstitit, ut quicumque eum tempore subsecuti sunt, nihil magni contra sui temporis hæreses opponere potuerint, quod non ex Augustino compilassent. Neque mirum sanè, cùm illi, qui doctrinam ejus medullitus imbiberunt, profundiùs hoc Sacramentum penetrasse videantur.

CAPVT XIII.

Item de quarto. Primus Augustinus intelligentiam divinæ gratiæ & novi Testamenti fide crediti aperuit fidelibus, & Ecclesiæ.

DE quarto divinâ gratiâ, quid dixero? A Imò verò quid non dixero? Augustinum esse, qui Christi gratiam fundamentum Religionis Christianæ, quemadmodùm eam ipse non semel vocat, sine quâ vita, passio, mors, & resurrectio Salvatoris evanesceret, primus in Christianorum intelligentia fundavit. Cujus veritas ante ipsum tantis tenebris involuta, tot sinuosis anfractibus latebrosa, tot inexplicabilibus laqueis impedita fuit, ut illi uni debeamus, si quid recti de isto ligno vitæ, de isto manna absconditо, de ista vita nostra ex mortuis, de secretis vitæ æternæ, quam gratiam Apostolus dixit, intelligendo assequimur. Vt non immeritò dici queat, id in explicatæ divinæ gratiæ publicatione præstitisse sanctum Augustinum, quod in propalatione divinitatis verbi Dei Ioanni Euangelistæ tribui solet. Vt enim B iste in scriptis suis, inter Apostolos & Euangelistas primus, clarâ prædicatione divinitatem Verbi Dei intonuit: *In principio erat verbum*, quantumvis alijs Apostolis ante ipsum ea fuisset revelata: ita licet Patribus antiquioribus divina gratia in fide, & oratione, & actione, agnita fuerit, primus tamen Augustinus id, quod in eorum fide ac disciplinâ latebat, aperuit, thesaurosque gratiæ ac charitatis absconditos fidelium intelligentiæ patefecit.

Ioan. 1.

Iam verò cùm gratia Christi ipsum novum Testamentum sit: *Hoc est* enim, inquit Propheta, *pactum*, seu ut Augustinus legit, *Testamentum quod feriam cum domo Israël, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Et: *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per IESVM Christum facta est*: nonne jure merito dixerimus, primum esse inter sanctos Patres Augustinum, qui novum C Testamentum Christianorum intelligentiæ divulgaverit? primum qui Dei benignitatem erga peccatores ineffabilem, qui gratiæ efficaciam in solatium amoris, & in exitium erroris, toti mundo insinuaverit? Nec verò nudis tantùm ac simplicibus enuntiatis usus, quemadmodum auctoritate suâ Apostolus fecit, ut fidei de Christi gratia fundamenta collocaret: sed innumeris discursibus, quicquid clausum tegebatur, ingenio certè non humano, sed per illud: *Tolle, lege*, divinitus illustrato, posteritati tantâ ubertate reclusit, ut sicut Augustini documentis de Ecclesia nihil omnino lucis posterorum labor adjicere potuit; ita tota latitudo veritatis de gratia & quicquid ex Scripturis per humanam industriam divinitus in terris accensam educi potuit, hujusce profundi Doctoris monumentis comprehensum sit. Nihil enim tanta posterorum conflictatio tam uberi fonti hactenus adjecit, nisi multarum repugnantium opinionum farraginem, ex quibus non nisi vnam, vel fortasse nullam veritas probet.

Ierem. 31. Aug. lib. de Spirit. & lit. c. 19. Ioan. 1.

Lib. 8. Confess.

Quæ quidem si ita sese habeant, quemadmodum se habere veritas clamat, duo profectò consectanea sunt, quæ magnitudinem sancti Augustini pœnè supra fidem efferunt. Vnum est, quod cùm Ecclesiæ sit, articulos fidei ab hæreticis impetitos, vel per hominum negligentiam obscuratos, Christianis proponere & exponere, hoc ipsum vice versâ (Deo vas illud electionis in hoc opus à matris utero segregante) in difficultatibus Dei gratiam attinentibus toti Ecclesiæ præstitit Augustinus. Alterum ex priore nascitur; quòd cùm in omnibus Capitibus Christianæ Religionis, dum ab hostibus impugnantur, omnes Doctores quaquaversum diffusi scientiam suam, ultimumque veritatis decretum ab Ecclesia derivare consueverint; hic è contrario Ecclesia non eam ex omnibus Patribus ac Doctoribus, quos in definiendis controversiis consulere solet, sed ex uno solo hauserit Augustino. Quod profectò vererer dicere, nisi inter peritos constaret, omnia Synodorum decreta, quibus & olim veteres Tenebriones hostes gratiæ in Carthaginensi & Arausicanâ, & hoc sæculo novos in Tridentina prostravit, verbotenus ex Augustini sententijs esse formata: quas dogmaticas & canonicas habendas esse, tota Ecclesia judicavit. Quæ quidem eâdem auctoritate suâ reliqua ferè universæ doctrinæ capita, quæ de Dei gratia tot voluminibus tradidit, si fuisset opus, definire potuisset. Nam ex illis quę definivit, cætera tam arcto nexu religata sunt, ut una sine alteris salva esse nequeant, quemadmodum suo nos loco dicturi

dicturi sumus, atq; ostensuri plerasq; controversias de quibus hoc sæculo animosissimè contéditur, ab Augustino & Ecclesia tanquã fidem Catholicam fuisse definitas. Nec enim Augustinus doctrinam de gratia Dei, tanquam ab alijs aut à se inventam opinionem tradidit; ut A hoc tempore in præcipuis quæ de illa ventilantur difficultatibus putant; sed tanquam doctrinam Euangelicam & Apostolicam, cui nemo posset sine fidei Catholicæ læsione refragari.

CAPVT XIV.

Augustini doctrina de gratia Dei, Euangelica, Apostolica, Catholica, & irrefragabilis auctoritatis; totius Ecclesiæ nomine scripta, silentibus Scriptoribus universis.

HÆc igitur causa est, cur Prosper A doctrina non minùs quam sanctitate celeberrimus, doctrinam Augustini, de gratia Dei tanquam Euangelicam, Apostolicam, Catholicam, cœlestis & irrefragibilis auctoritatis passim prædicet. Nam in Epistola ad Rufinum, vocat Augustinum *summum illo tempore in Ecclesia virum*; *excellentissimæ auctoritatis virum*; *præstantissimum ministrum gratiæ*. Ad cujus librorum lectionem hortatur Rufinum, *ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam Euangelicæ, Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequatur*. Et ad ipsum Augustinum de gratia scribens, dicit sectatores Augustini *sanctam atque Apostolicam doctrinæ ipsius auctoritatem sequi*. Et alibi tanquam rem vulgò notam profitetur: *Romanam, Africanamque Ecclesiam, & per omnes mundi partes universos promissionis filios cum* DOCTRINA HVIVS VIRI, *sicut in tota fide, ita in* GRATIÆ CONFESSIONE CONGRVERE. B

Prosp. Epist. ad Rufinum In fine.

Epist. Prosp. ad Aug.

Epist. ad Rufin.

Hæc etjam causa est, cur ante mille annos doctrinam Augustini de gratia Dei, tanquam verè cœlestem sancti doctissimique Pontificis, miris encomijs, & quæ nunquam de cujusquam scriptis hominis post scriptores Canonicos audita sunt, laudibus extulerint. Nam in primis tota provincia scribendi de gratia Dei à duobus ei Concilijs Africæ Carthaginensi & Milevitano imposita fuit, prout ipse testatur ad populum Hipponensem disserens: *Curam Scripturarum mihi, fratres & patres mei Co-Episcopi, duobus Concilijs Numidiæ & Carthaginis, imponere dignati sunt*. Quod ab orbe Christiano universo rebus ipsis magis quàm verbis approbatum fuit. Nam ipso scribente contra Pelagianos, usque ad mortem siluerunt universi. Ipse sanctus Hieronymus cùm primum dialogos adversus Pelagium emergentem texere cœpisset, simul atque profunda & sublimia Augustini scripta vidit, usque ad mortem silentio se damnavit, hâc usus modestiâ sane & verâ excusatione: *Supersedendum esse huic labori, quia si nova*, inquit, *voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora*. Quod omnibus illâ ætate in illa materia scriptoribus usque ad Augustini mortem accidit. Vnde & ipse summus Pontifex Bonifacius, hanc impositam Augustino provinciam suo calculo comprobavit, quando ipsemet, Augustino teste, Pelagianorum scripta ad se delata Româ in Africam ipsi refellenda transmisit. *Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius*, inquit Prosper, *cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum beati Augustini Episcopi responsa poscebat*.

Epist. 110.

Dial. 3. cont. Pelag.

Testatur August. lib. 1 ad Bonif. c. 1 Prosp lib cont. Collat. fine.

CAPVT XV.

A Romanis Pontificibus Innocentio, Zozymo, Celestino, Leone, Hormisdâ, Felice secundo, & Ioanne secundo magnificentissimè approbata, & consecrata.

HÆc etjam causa est, cur cæteri quoque summi Præsules Catholicæ Ecclesiæ, Romani, inquam, Pontifices sublimem doctrinam ejus de gratia Dei arctissimè amplexi sint, & mirificè commendarint. Nam sanctus Innocentius primus utramque Synodum Carthaginensem atque Milevitanam, & synodicas utriusq; litteras, & prolixam epistolam nonagesimam quintam, quarum omnium Augustinus auctor, & duarum scriptor fuit, & librum ejus de natura & gratia, in quibus omnia, aut pœnè omnia Ca- A pita doctrinæ ipsius de gratia Dei, aut breviter perstringuntur, aut latiùs pertractantur, peculiaribus ad omnes respondens litteris, & approbavit, & Catholicæ fidei plena censuit, & magnoperè celebravit. Vnde sæpius dicit se à scribendo temperare, eò quòd *constet eos cuncta dixisse: nihil ab eis esse prætermissum, nihil suppressum: Eorum relationem* Scripturarum *testimonijs esse plenam, & satis constare, ut doctissimos Sacerdotes cuncta dixisse. Nec decet*, inquit, *credere, vos aliquid, quod ad causam possit proficere, præterijsse*. Et peculiaribus Augustini respondens

Innocent. ad Synod. Carthag.

Digitized by Google

respondens literis, quibus librum de natura & gratia adjunxerat, ut à Romano Pontifice *probaretur, utrum*, inquit, *etiam noster fons ex eodem quo tuus abundans emanet capite fluentorum*, magnificè laudat literas à Concilijs missas, & ab Augustino scriptas, tanquam *lineas plenas fidei, totoque religionis Catholicæ vigore firmatas: earumque contextionem esse in consideratione quotidianæ gratiæ Dei, & in eorum correctione, qui contra sentiunt*, INTEGRA RATIONE CONSISTERE, ita ut *integrum possint præbere Doctorem.*

Epist. 96. apud Aug.

Hæc etjam causa est, cur Zozymus Papa Carthaginensem Synodum ipsius tempore celebratam, omnesque doctrinales Canones ejus, quos ex Augustini libris Antistites Afri ad Pelagianam hæresin jugulandam prompserant, suo calculo probaverit, & auctoritate roboraverit. *Africanorum*, ait Prosper, *Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zozymus sententiæ suæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum.* Quod & sanctus Leo fecit, dum servari præcepit *omnia decreta Synodalia, quæ ad excisionem huius hæreseos* Pelagianæ, *Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas.*

Lib. contra Collat. à fin.

Leo Epist. 86. ad Nicetam aquil. Episc.

Hæc etjam causa est, cur Celestinus Pontifex, omnes præcedentium Synodorum Canones ex Augustini scriptis excerptos, & auctoritate conditos approbaverit: *Africanorum Conciliorum quasdam sententias utique suas fecerunt Apostolici Antistites, dum illas comprobarunt*, inquit ipse Celestinus: & de decretis contra Pelagianos exaratis Prosper: *Prædecessorum suorum statuta & decreta Synodalia inviolabiliter servanda censebat.* Sed & universa sancti Augustini scripta de gratia Dei magnificentissimo laudavit encomio, gravissimaque auctoritate comprobavit, ut nunquam vel rumore sinistræ suspicionis alicujus, quasi vel errasset, vel excessisset in tuenda Dei gratia vel deprimenda voluntatis libertate modum, aspersum esse declaret. *Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse semper meminimus, ut inter magistros optimos, etiam à meis decessoribus haberetur. Benè ergò de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori.* Quod elogium sanctus Prosper in sanctum Augustinum à Celestino collatum tradit, eò quòd quidam calumniatores, ut novas doctrinas suas ab Augustini auctoritate ac censurâ subtraherent, scripta ejus reprehenderent. Itaque *librorum*, inquit, *qui errantibus displicebant, pietate laudatâ, quid oporteret de eorum auctoritate sentiri, sanctè manifestavit*

Celestin. in Epist. ad Episc. Gall.

Prosp. lib. cont. Collat. in fine.

Celest. Papa in Epist. ad Episc. Gall.

Prosp. lib. cont. Collat. in fine.

A *eloquio*; multùmque miratur, quòd *contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonij dignitatem*, quo scripta sancti Augustini contra Pelagianos omnia ab Apostolica Sede probata sunt, *audeat quisquam malignæ interpretationis murmur emittere.*

Hæc etjam causa est, cur Hormisda Pontifex, cum Possessorem Episcopum Africanum docere vellet, quid Catholica Ecclesia de Dei gratia & arbitrij libertate sentiret, remittat ipsum ad Augustini monumenta contra Pelagianos exarata, tanquam ad Catholicæ fidei armamentarium: *De arbitrio tamen libero*, inquit, *& gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur & asseveret Ecclesia, licet in varijs libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum possit cognosci; tamen in scrinijs Ecclesiasticis expressa capitula continentur.* Quæ capitula non sunt etjam alia, quàm quæ ex libris Augustini excerpta fuerunt, & Synodorum Africanarum & Apostolicæ Sedis auctoritate stabilita.

Hormisda Epist. 76. ad Possessorē Episc.

B

Hæc etjam causa est, cur Felix Secundus Pontifex ut quibusdam placet, cùm Episcopos Galliæ de Catholica fide instructiores, & adversus Pelagianam hæresin munitos reddere niteretur, ad secundam Arausicanam Synodum, ipsissimas sententias, ex Augustini libris à sancto Prospero jam olim excerptas, eodem ordine & verbis Augustini, quibus excerptæ fuerant, destinaverit, easque tanquam fidei Catholicæ regulam sanxerit. Continent autem medullam totius doctrinæ, quam sanctus Augustinus contra Pelagianam hæresin scripsit, quemadmodum semen totius arboris molem, quæ ex ipso prodit virtute mirabili complectitur.

Felix II. vel alius Papa ad Synod. Arausic.

Hæc etjam causa est, cur Ioannes Secundus Romanus Pontifex sancti Augustini auctoritatem insusitato elogio posteris consecrans, & à præcedentibus Pontificibus jam sæpius consecratam ille fideliter testans: *Sanctus*, inquit, *Augustinus, cuius doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta*, ROMANA SEQVITVR, ET SERVAT ECCLESIA. Quis unquam auctoris ullius scripta tot laudibus à summis Ecclesiæ Præsulibus cumulari vidit, tantâque auctoritate toties confirmari? Vt sanè post Canonicos scriptores nihil sanctius, nihil rectius, nihil Catholicæ fidei congruentius esse in Ecclesia ab ullo scriptore exaratum, quàm ea quæ contra Pelagianos ab Augustino scripta sunt, jure merito asseverare possimus; summusque Pontifex Clemens Octavus, non sine magna causa, *doctrinam Augustini Ecclesiæ quasi dotem relictam esse asseruerit.*

Ioannes II. in Epist. 3. ad quosdam Senatores.

C

Quanto

CAPVT XVI.

Quanta libertas & procacia quorundam recentiorum, in cenſenda damnandaque Auguſtini doctrina, quam tantoperè Romana Eccleſia admirata eſt.

QVÆ quidem paulò latiùs huc adduximus, ut illa immoderatio quorundam recentiorum reprimeretur, qui cùm fortè animadverterent, non pauca doctrinæ capita, quæ magis ex ingenij ſubtilitate, quàm ex antiquorum auctoritate pepererunt, Auguſtino capitaliter adverſari, non ſolùm cum priſcis Auguſtini contradictoribus à Celeſtino compreſſis, *pyſſimo diſputatori obviare præſumunt, & tanquam neceſſarium modum exceſſerit* in his ipſis materijs contra Pelagianos ventilatis *obloqui* non verentur, ſed etjam auſi ſunt nonnunquam inter ſuos dicere, multis erroribus involutum iri, qui Theologiam ſancti Auguſtini vellet ſequi, & ſcripto quoque ſubinde hanc immodeſtiam in graviſſimis capitibus, quæ ſanctus Auguſtinus contra Pelagianos aſſeruit, effuderunt. Aliquando enim doctrinam ejus de gratia ſufficiente, quæ eſt una ex potiſſimis contra Pelagianos diſputatis, philoſophicâ libertate audacter abijciunt: *Mihi in hac parte non probatur doctrina beati Auguſtini: ſed exiſtimo aliter philoſophandum.* Aliquando *temeritatem* aſſcribunt ijs, qui Auguſtinum in hac eadem doctrina ſequerentur: *Vnde temerè affirmabimus illud auxilium aliquibus negari.* Et ibidem confidenter: *Ab Auguſtino*, inquit, *& alijs* (Patribus) *qui id docuerunt, petere poſſumus, undenam huius voluntatis Dei certiores fuerint effecti? Loca enim Scripturæ non facilè declarabimus.* Quaſi verò non & hæretici, adverſus quos iſtud aſſeruit Auguſtinus, Scripturas eâdem facilitate declarent. Itaque ſatis ibidem indicat Concilium Tridentinum ex modeſtia iſtam Auguſtini ſententiam non damnaſſe. Aliquando ipſam Pelagianam hæreſin quam damnavit Auguſtinus ex ejus doctrina de peccato originali ſequi, & ad eam cogi ſectatores Auguſtini profitentur: *Ex ea opinione Auguſtini cogimur incidere in ſententiam Pelagij.* Aliquando ſententiam ejus de prædeſtinatione arguunt *crudelitatis ac truculentiæ*, ideoque tanquam *deſperationis* occaſionem & incentivum deſpuunt. Aliquando apertè clamant ſe *in eo Auguſtino adverſari, eius ſententiam eſſe ſeveram, & difficilem, & ſe conſentire ſententiæ Græcorum, Gallorum, & Maſſilienſium.* Aliquando Auguſtinum *ſub caligine quaſi* conſtitutum non advertiſſe veritatem à recentioribus adinventam (quam tamen ipſe multis in locis, ut videbitur, fortiſſimè refutavit) ideoque tam duras dediſſe ſcripturarum expoſitiones. Aliquando novæ doctrinæ ſpiritu pleni, audent ac dicunt de ſuis ſententijs divo Auguſtino in graviſſimo dogmate capitaliter repugnantibus: *Quæ ſi data explanataque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, obtendentes cum divina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione cohærere non poſſe; neque ex Auguſtini opinione, concertationibuſque cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent; facileq; reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epiſtolis Proſperi & Hilarij fit mentio, fuiſſent extinctæ.* Hæc eſt libertas ſpiritus recentiorum quorundam Scholaſticorum, quidquid in Auguſtini doctrina contra Pelagianos exarata eorum palato non ſapit, liberrimè reſpuentium; hæc modeſtia cenſorum ſublimiſſimi Doctoris: quem ut omnis antiquitas admirata eſt; ita ipſi tantâ facilitate proterunt aut contemnunt, ut ſi ratiuncula ſuffragari videatur, faciliùs Auguſtinum everterent, quam ſua ſenſa deſererent; quamvis in alijs omnibus eum ſe revereri fateantur. Sic & olim illi, de quibus dicebat Hilarius ad Auguſtinum: *Planè illud tacere non debeo, quòd ſe dicant tuam Sanctitatem, hoc excepto, in factu & dictu omnibus admirari.* Sed quàm bellè concinat iſta cenſurarum acrimonia, quâ potiſſima doctrinæ capita, quæ adverſus Pelagianos aſſeruit, de peccato originali, de gratia ſufficiente, de tota natura prædeſtinationis, erroris arguuntur, cum tot elogijs antiquorum, quibus doctrinam ejus de gratia tanquam Euangelicam & Apoſtolicam celebrarunt; cum illis oraculis Pontificum Romanorum, quibus aſſerunt, quòd ejus doctrinam de gratia & libero arbitrio ſuam fecerint; quòd eam Romana ſequitur & ſervat Eccleſia; quod ex ejus libris cognoſci poſſit, quid Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia; quòd inter magiſtros optimos ſemper à Pontificibus Romanis habitus ſit, propter ſcientiæ magnitudinem ac puritatem; quòd eum nunquam ſiniſtræ ſuſpicionis vel ſaltem rumor aſperſerit. Non enim animadvertunt recentiores iſti, quia Auguſtini principia non ſatis penetrarunt, ſe in illis ipſis capitibus quæ impugnant, non opiniones Auguſtini, ſed Catholicæ doctrinæ fundamenta, quæ Romani Pontifices ex Auguſtini libris hauſta conſecrarunt, vellicare atque concutere. Quod ſuo loco uberiùs demonſtrandum eſt. Vt non injuriâ dicere poſſimus, eos verè graviſſimam Apoſtolicæ Sedi injuriam facere, qui ullum articulum doctrinæ ab eo contra Pelagianos traditæ erroris inſimulant, vel ab antiquorum Romanorum Pontificum ſucceſſoribus, Pio V. aut Gregorio XIII. etjam damna-

In Epiſt. Celeſtin. ad Epiſc. Gall.

Vaſquez 1. 2. diſp. 193. c. 4.

Idem 1. part. Diſp. 97. c. 3

Ibid.

Vaſquez 1. 2. Diſp. 132 c. 3.

Catharinus.

Lizarius de Rubic. & alij apud Vaſq. 1. p. diſp. 91. c. 3 Molina in concord. ad quæſt. 23. art 4. & 5. diſput. 1. memb. 6.

Idem ibidem membro ult.

Hilar. in Epiſt. ad Auguſt.

by Google

damnatum putant. Quasi verò veritas esse posset adversa veritati; vel propter subintroductas opiniones novas Augustino capitaliter dissonantes, id quod verè Augustinus docuit, A ab ejus auctoritate removeri deberet, vel Augustinus Romanæ Sedi semper probatissimus, cum Romana Sede committi.

CAPUT XVII.

Naturalis & gratuiti luminis abundantiâ Augustinus omnes Scriptores Græcos & Latinos superavit.

QUAPROPTER si quis pro dignitate divinum istud ingenium Augustini celebrare vellet, meritò mihi duo dicere posse videtur; quorum alterum naturam, alterum Dei gratiam spectat. Et primùm quidem verissimè meo judicio statueret, nemini mortalium, qui ab Apostolorum, addo ab omnium Scriptorum Græcorum aut Latinorum temporibus, huc usque scriptis claruerunt, tam sublime, acutum, vastum, prodigiosumque ingenium divinitus obtigisse, quàm sancto Augustino datum fuit. Non hoc incertis conjecturis, non ex laudibus amantium favori ejus decantatis, sed ex propria viri modestissimi & humillimi confessione coram Deo teste veritatis fusâ deprehêdimus. Quis enim nostrùm vidit unquam aut expertus est, quis legit, quis famâ audivit hujusmodi naturalis ingenij portentum, quo viginti fermè annorum adolescentulus Categorias B Aristotelis, quibus eruditi etjam nunc, tanquam in nescio quid magnum ac divinum suspensi inhiantes, Commentarijs diversis obscuritates earum ac difficultates auditoribus discutiunt, legit solus & intellexit; & ita intellexit, ut ei apertè loqui viderentur, & ij, qui eas magistris eruditissimis multa in pulvere depingentibus penetraverāt, nihil aliud ei dicere potuerint, quàm ipse solus apud seipsū legēs assecutus erat? Quo libros omnes artiū, quas liberales vocant, per seipsum legit & intellexit, quoscumque legere potuit. Quo quicquid de arte loquendi & disserendi, quicquid de dimensionibus figurarum, & de musicis, & de numeris, sine magna difficultate, nullo hominum tradente, penetravit. Et mirabatur istas disciplinas tam tardè ab alijs capi, quarum *tot nodosissimos libros nullo adminiculo humani magisterij ingenij agilitate enodaverat. Non enim sentiebam*, inquit, *illas artes etiam à studiosis & ingeniosis difficillimè intelligi, nisi cum eis easdem conabar exponere.* ET ERAT ILLE EXCELLENTISSIMUS IN EIS, QUI ME EXPONENTEM NON TARDIUS SEQUERETUR. Intret hîc quisquis ingeniosissimorum & acutissimorum volet, in secretarium conscientiæ suæ, & propriâ experientiâ, quam ex laboriosa disciplinarum liberalium exercitatione cepit, luculentè deprehendet nisi fallor, quanto intervallo sua ab illa Augustini celeritate tarditas distet. Intret etjam in recessus absconditos memoriæ suæ, & videat, utrum quisquam antiquorum aut novorum, qui se scriptis po-

Lib. 4. Confess. c. 16.

Ibid.

A steritati commendarunt, sine omni humano magisterio liberales artes omnes tantâ celeritate, tantâ facilitate, tantâ sublimitate se didicisse, veraciter glorietur. Sed crepundia ista puerilia censueris, si cum illa prodigiosa celeritate capiendæ sacræ Theologiæ, & profunditate penetrandæ conferantur. Nam quēadmodum nemo mortaliū Augustino in Dialecticis, Physicis, Arithmeticis, Musicis, Geometricis, artibusque cæteris liberalibus percipiendis dux & magister fuit; ita nemo ei profundissimam illam sacræ Theologiæ scientiam tradidit: sed usque ad conversionem omnis Doctoris Catholici inexpertus, à baptismo repentè profundissimos illos libros exaravit de libero arbitrio, de vera religione, & similes, in quibus pleraque veræ Theologiæ profunda principia, quibus per totam vitam postea usus est, continentur, quibusque penetrandis eruditissimi sudant. Sed quod omnem admirationem superat, ita statim à baptismo, ab omni humano magisterio separatus, Theologiam explicuit, ut si errorem illum Semi-Pelagianum excipias, quem ipse uti Deo illustrante deposuit, ita post tot ejus disputationes, quidam Catholicorum, qui doctissimi censentur, in hunc usque diem deponere vix aut nullo modo possunt, nihil ad mortem usque alicujus momenti quod veram Theologiam spectet, retractaverit. Nam illi duo libri Retractationum magnâ ex parte potiùs in explicanda doctrina ejus, & in præcavendis alienis erroribus, quàm in corrigendis proprijs versantur.

Alterum itaque quod ad gratiam spectat, verissimum de Augustino dici potest, nemini antiquorum Patrum tantam vim cœlestis lucis divinitus illapsam esse ad abstrusa quæque Christianæ fidei sacramenta penetranda. Cum C enim divina gratia sit hujus terræ gloria, quâ solâ novum Testamentum ab antiquo distinguitur, quemadmodum ab hoc novæ legis fœdere, connubium, quod in cœlo nobiscum inibit Deus, torrente voluptatis & gloriæ tanquam gratiæ plenitudine discernitur: necessarium profectò fuit, ut quodam radio luminis gloriæ perstrictus fuerit, quo ista mysteria in hac ignorantiæ caligine & scandalorum multitudine tam liquidò penetravit. Fieri enim nullo pacto potest, ut tam implexum & caliginosum argumentum, tantoperè à sensibus & intelligentiâ naturali Spirituum Angelicorum remotum, quod nemo, nemo, inquam,

inquam, unus Patrum præcedentium vel tantillùm explicare tentaverat, nec nisi imperfectis phrasibus, quas ipsa fides & preces fidelium secum afferunt, expresserat; quod unicum est Theologiæ nostræ compendium; quod omnium Christianarum actionum & passionum & contemplationum est scaturigo, tantâ luce soliditateque dispescuerit, ut ab Ecclesia nihil ei detractum sit; tantâ simul ubertate diduxerit ac diffuderit, ut ei postea nihil adjectum sit, sed ipsissima tanti Doctoris verba in decreta fidei tansiverint, nisi lumine tantò excellentiore in gratiarum ordine cæteris præstitisset, quantò acies naturalis ejus ingenij vim intelligentiæ cæterorum subtilitate superavit. Non enim per fidem tantùm, sed per fidei intellectum abstrusarumq; rationum pondera de rebus hisce disseruit: ad quod duorum luminum, quibus Theologicæ consecutiones extrahuntur, naturæ, inquam, & gratiæ conjunctio, singularisque prærogativa necessaria est. Quo factum est, (si de me ipso ingenuè loqui licet) ut non sine sacra quadā admiratione & pavore non semel libros quosdam profundiores legerim, animoq; recoluerim: in quibus tanta soliditate & profunditate, arcanissima totius gratiæ fundamenta primus inter omnes Patres, (in quorum scriptis nec vestigium eorum videre licet) eruit, tantaque luce & securitate de secretissimis mysterijs disputat, quasi de rebus in Ecclesia tritissimis, ac de ipsis Christianæ fidei rudimentis loqueretur.

Sed ad efferendam divini luminis magnitudinem, quo iste Doctor antecelluit, nihil evidentius afferri posse videtur, quàm quòd inter peritos Ecclesiasticæ antiquitatis constat, nullam hæresin à Christo passo tot rationum naturaliū præsidijs munitam fuisse; nullā plausibilius atque animosius adversus Catholicorum arma restitisse; nullam tot effugijs elusisse conatus oppugnantium; nullam toties confracto concisoque toto corpore, instar serpentium, in una corporis particula totum virus viresque reservasse; nullam toties profligatam & protritam, integerrimam aciem tantò majore, quantò occultiore periculo usque in nostra sæcula restaurasse, quàm eam hæresin divinæ gratiæ perduellem, quæ ab Augustini ingenio & calamo profligata est. Promptum esset hæc omnia luculentiùs demonstrare, nisi in hac procemiali dissertatione potiùs rerum capita quodam quasi saltu tangendo trāsilire cogerer, quam uberiori sermone dilatare.

Vnum tamen observatione magnoperè dignum est, quod quemadmodum divinæ sapientiæ profunditas in eo eluxit mirabilior, quòd ex contrarijs elementis mundi spectabilis compaginem coalescere fecit: ita non mediocriter prodigiosum illud ingenium ex eo inclaruit, quòd inter quatuor errores velut inter quatuor ventos tunc tēporis in hoc Oceano colluctantes, quorum hic gratiam Dei, ille liberum hominis arbitrium destrueret; unus homines omnes naturâ bonos, alter omnes naturâ malos astrueret, viam regiam, inter omnes intactus gradiendo, sine vulnere, sine errore omnibus se sectari volentibus aperuerit.

CAPVT XVIII.

Miris elogijs Augustini facundia, eruditio, sapientia à Scriptoribus sui temporis, & posteris celebrata est.

HINC igitur profecta est illa incomparabilis opinio, quam de ipsius jam defuncti eruditione & sapientia tota Christi Ecclesia semper habuit, & usque ad novissimi judicij diem magis magisque florescentem habitura est. Hinc expressa illa elogia multiplicia, & homini mortali inusitata, quibus etjam tum vivens à viventibus viris magnis atque eruditis, præ admirationis magnitudine, prædicatus est. Nam inde natæ sunt illæ voces, quibus propter nervosissimam facundiam libri ipsius dicebantur [a] *eruditissimi, & omni eloquentiæ splendore fulgentes*, ita ut [b] *non tantâ industria Anciana domus micarent marmora, quantâ eius scripta perlucerent eloquentiâ*: ipse verò [c] *summus ubique Orator, & Deus penè totius eloquentiæ*. Propter doctrinæ sapientiæque incomparabilem profunditatem, [d] *Benedictus Doctor Israel*; [e] *sal terræ, fistula aquæ vivæ, vena fontis æterni*, [f] *Tuba Domini*, [g] *Divini fontis ubertas*, [h] *Fons orbis, oraculum legis*, [i] *Præsidium legis*; [k] *Homo cælestis*; [l] *Vir cælestis sapientiæ*; [m] *Spiritus igneus*, [n] *Excellentissimæ auctoritatis*; *præstantissimus magister gratiæ*, [o] *Specula pastoralis turris validissima*, [p] *Conditor antiquæ fidei*, [q] *Doctrinæ Christianæ culmen*; [r] *Admirabilis*, ita ut [s] *Legi deesset quicquid eum contingeret ignorare*, [t] *Pater Patrum, Doctor Doctorum*; [u] *Spiritu revelationis ab ipso duce & fonte sapientium illuminatus*, [x] *Sublimius omnibus volans, omnium reserator*, [y] *Par Angelis in fervore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum revelatione, par Apostolis in prædicatione, imago divinitatis, abyssus sapientiæ*, [z] *incomparabiliter honorandus, ineffabiliter mirabilis*. Qui tantâ scripsit eruditionis profunditate, [a] *Vt dictata divinitus verba crederentur*, ut [b] *quicquid dici posset, & sublimi ingenio de sanctarum Scripturarum hauriri fontibus, poneret atque dissereret*. Tanta loquebatur doctrinæ affluentia, ut [c] *millies, & omni numero se plus beatos crederent, si præsentibus daretur esset intueri verè sidereos vultus eius, vocemque divinam, ac divina concione haurire licuisset*.

Tantâ

[a] Hieron. Epist. 30. apud Aug.
[b] Secund. in Ep. ad Aug. Tom. 6.
[c] Idem ibid.
[d] Paulin. Epist. 58. apud Aug.
[e] Idem Ep. 31. ibidem.
[f] Idem ibid. Epist. 36.
[g] Quod vult Deus Ep. ad Aug. tom. 6
[h] Audax Epist. 139. apud Aug.
[i] Nectar. Epist. 253. ibid.
[k] Possid. Ep. ad Maced.
[l] Darius Epist. 263. apud Aug.
[m] Orosius in Commonit.
[n] Prosp. Ep. ad Rufin.
[o] Idem cont. Collat.
[p] Hier. Ep. 25. apud Aug.
[q] Consent. Epist. 221. ibid.
[r] Idem ibid. & Paulin. Epist. 31. apud Aug.
[s] Volus. Ep. 2. ad Aug.
[t] Possid. ad Macedon.
[u] Paulin. Epist. 249. apud Aug.
[x] Idem Ep. ad Valer.
[y] Possid. ad Maced.
[z] Prosp. Epist. ad Aug.
[a] Paulin. Epist. 35. ad Aug.
[b] Hier. Ep. 30. ad Aug.
[c] Darius Comes Epist. 263. ad Aug.

Tantâ docebat auctoritate, & sapientiâ, ut homines *d putarent se quasdam immortalitatis leges non modò de cælo, sed in ipso constitutos cælo suscipere; & quasdam Dei voces non longè de templo, sed propè ipsum Dei astantes tribunal audire.* Hæc profectò & similia, quibus antiquorum cum ipso viventium scripta plena sunt, manifestissimè demonstrant, quàm sublimis eruditionis, & sapientiæ, & auctoritatis Doctor ille Doctorum in eruditissimo sæculo, ab eruditissimis viris habitus fuerit; ut supra modum admiranda sit illa quorundam Philosophorum recentiorum immodestia, qui instar leporum leoni mortuo insultantium, simul atque ratiunculâ quâpiam se armatos putant, capitales doctrinas eius adversus Pelagianos constantissime traditas, & à summis Ecclesiæ Præsulibus toties comprobatas, quas neque cum illa sedulitate, qua oportebat, librorum videlicet omnium excussione diligenti scire studuerunt, nec ullo modo earum fundamenta penetrarunt, tam insolenter invadunt, eumque caliginis, ignorantiæ, temeritatis, erroris, ac tantùm non hæreseos Pelagianæ redarguere non verentur. Quorum novi plurimbeique pugiunculi si immobili isti rupi, detecta aliquando genuina veritate, quam ipse docuit, illiderentur, fortassis arma omnia repercussa obtusaque manibus exciderent, nec aliud exarmatis præsidium, nisi pervicacia, aut palinodia superesset. Quod magnum beneficium, præsentique perturbationi Scholasticæ Theologiæ magnoperè necessarium ut Deus præstet, spiritu suo tam docentium, quàm discentium animos illustrando, magnis precibus interpellandus est; & Augustini scripta, quod unicum tanto malo remedium est, diligentius & reverentius, quàm hactenus à quibusdam factum est, consulenda. Longè quippe integrius profundiusque veritas in ipsis latet, & longius ab ea plerique recesserunt, quàm vulgus Doctorum recentiorum suspicatur. Nos interim in tanti Doctoris mirabilibus pro nostro modulo referandis pergamus, eòque porrò stylum nostrum convertamus, quòd divinæ gratiæ efficaciam adhuc luculentius totius vitæ praxi, quam sermonibus, lucubrationumque monumentis expresserit.

d Ibid.

CAPVT XIX.

Vis gratiæ magis vitæ praxi in Augustino, quàm stylo ab eo expressa est, conversione mirabili, quâ Magdalenæ, Petro, & præcipuè Paulo similis fuit; institutione Religiosorum, qui in quinquaginta quatuor Ordines diffusi sunt, alijsque multis.

VBI nobis occurrit primo loco mirabilis illa & extra naturalem rerum ordinem divinitus perpetrata conversio; quæ tanquam divinæ gratiæ speculum & compendium clariùs vires ejus ac naturam oculis opinionum pravitate non lippientibus exponit, quàm quicquid in scriptis voluminibus de ejus efficacia consignavit. Cùm enim totius vitæ stadio usque ad annum circiter tertium supra trigesimum & amorum & morum fœditate diffluxisset, pravarumque consuetudinum ferreis vinculis innexus, longo irritoque conatu durissimam concupiscentiarum suarum servitutem non potuisset excutere, uno impetu suborta est ingens procella, ferens ingentem imbrem lachrymarum: quâ tempestate Spiritu Domini flante suscitatâ, omnes catenæ quibus tenebatur repente diruptæ sunt, & velut impellente turbine ab uno extremo in alterum, à vita turbulentissima & fœdissima in pacatissimam, castissimamque translatus est. Quibus profectò tot annorum suspirijs, per quæ in placitum vitamq; sanctiorem, stimulis timoris, pudoris, ac amoris agitatus totis anhelabat visceribus, quid docemur, nisi animam tot impedimentis implicatam, tot vinculis carnis & sanguinis sub diaboli potestate captivam, nulla arte, nulla vi, nisi inusitato Spiritus omnipotentis miraculo, in felicem illam arbitrij libertatem respirare potuisse? De qua ipse admirabundus quodã loco clamat: *Vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo altoque secreto evocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem cervicem levi iugo tuo, & humeros levi sarcina tua, Christe* IESV, *adiutor meus, & redemptor meus?*

Lib. 9. Confess. c. 1.

Quare cùm nihil præcesserit, cui potentissimus ille repentinæ commotionis impetus ascribi possit, sine temeritate dixero, Augustinum in conversione sua similem fuisse Magdalenæ, quæ divini amoris illapsu inflammata, torrenteque lachrymarum inundata, omnes vitæ pristinæ fœditates, omnes mundi & carnis imagines repẽte delevit. Similem esse Apostolis veritatis, quorum anteà viles animas, & in terra repentes, uno igne Pentecostes, quicquid ligni, fœni, ac stipulæ supererat exurente, factus etjam repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, ad virtutum omnium culmen abripuit. Similem fuisse sancto Petro, qui post promissa toties violata, quibus se Deo animamque devoverat suam, uno respectu interiore subitò commutatus est. Similem deniq; fuisse

fuisse sancto Paulo, quia pariter vnâ voce cœlitus personante: *Tolle lege*, uno ictu oculorum ad eam animi pacem ac promptitudinem conversus est, ut cum Paulo divino tonitru prostrato, toto corde ingeminaret: *Domine, quid me vis facere? Quam*, inquit, *suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat.* Hinc uti Paulo squamæ ab oculis illuminatis deciderunt, ita Augustino statim cum fine illius sententiæ, *quasi luce securitatis infusâ, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt.*

Lib. 8. Confess. c. ult.

Lib. 9. Confess. c. 1.

A quorum quidem sanctorum similitudine, Magdalenæ, inquam, Apostolorum Petri, & Pauli, nec hoc abludit in Augustino, quòd semper deinceps iverit de virtute in virtutem, tam indissolubili gratiarum subsequentium catena, ut eum nulla secularis tempestas à severioris vitæ tramite distraxerit; tam uberi præclaroque progressu, ut ipse non minùs luculentum speculum & exemplar Religiosis, Presbyteris, atque Episcopis expresserit, quàm Apostoli ipsi Augustino, totique populo Christiano præbuerunt.

Primus enim ille fuit, qui Religiosos Monachorum ordines in Africam invexit, & in diversas ejus plagas sparsit. Vnde Eremitæ, cæterique Religiosi sub tanti ducis vexillo merentes prodierunt: qui tantâ multitudine ex illa Augustini Spiritus fœcunditate propagati sunt, ut à nonnullis quatuor supra quinquaginta ordines sub Imperatoris Augustini nomine & patrocinio inclyti numerentur; adeòque, ut verbo dicam, nec æmulationes concitem ejus laudibus, qui isto telo: *Non in contentione & æmulatione*, conversus est, tot Religiosorum examina sanctus iste profudit, ut proximè ad illas myriades Monachorum accesserint, qui sub magni Benedicti disciplina militarunt. Exaggerent hoc argumentum, quorum uberius est eloquium, & vis orandi in pulpitis trita: Vnum dico, non immeritò Apostolis in sua conversione fuisse comparatum, qui eorum vestigia in vita reliqua tam probè ac propè pressit, ut haud secùs atque illi, filiorum pater innumerabilium esse promeruerit, qui eum Apostolum suum indigetando, gratulabundi de Augustino canunt, quod de Paulo gentes: *Nam si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo* IESV *ego vos genui.* Sed ad alia porrò propero.

Rom. 13.

1. Cor.

Primus ille fuit, qui inter omnes Presbyteros Africæ multitudine Ecclesiarum celeberrimæ, dignus habitus fuit, qui Episcopalem Cathedram ad Euangelium prædicandum Antistite suo præsente conscenderet. Quo honore nemo ante ipsum ex Africanis Presbyteris affectus fuerat.

Primus ille fuit, qui temporibus illis in Africa vitam cum Clero suo communem instituerit: cum etjam circa Cypriani tempora portionem Episcopalem separatam fuisse, Cypriani ipsius testimonio dilucescat. At proprietatem semper Augustinus tantoperè aversatus est, ut non sacrorum Canonum interdicto, quorum cancellis nostrorum temporum avaritia coerceri debuit, sed præ paupertate Testamentum nullum fecerit.

Primus ille fuit, qui Canonicos Religiososque contuberino sibi convictuque sociavit, ex quo fluxit, ut ambo pariter nomen ejus, memoriamque venerentur.

Primus ille ipse atque ultimus huc usque fuit, qui post Apostolos duo extrema pœnè ex diametro dissidétia tam vitâ quàm doctrinâ accuratissimè copulavit, eruditionem altissimam, quâ omnibus vel antè vel pòst in Ecclesia Christi celebratis antecelluit, cum humilitate profundissima: per quam rarò vel nullo fortassis alio exemplo factum est, ut illa vitæ ipsius in stultissima spurcissimaque hæresi transactæ turpitudo, & miranda lubricitas, cum vix paucis domesticis, quorum etjam fidem superabat, innotuisset, toti deinde orbi, quàm latè ab Occidente in Orientem usque patet, & usque ad suum excidium patebit, confessione omnium publicarum celeberrima divulgata sit.

CAPVT XX.

Similitudo Pauli & Augustini mira, in indicijs divinæ electionis, quæ in vita utriusque etjam dissoluta micuerunt.

SED sicut hac in re mira similitudo cum illo Apostolo adumbrata fuit, qui scientiæ sublimitate in tertium cœlum raptus, & humilitatis profunditate Apostolorum minimus persecutor Ecclesiæ, & abortivus à seipso nominatus est; ita in eo magna utriusque paritas elucescit, quòd in amborum vita ac moribus, quando etjam vitijs quàm maximè & fœditate diffluebat, vestigia quædam electionis occultæ, futuræque frugis divinis manibus impressa atque oculis manifestè claruerunt, perinde atque aurum licet in terra occultantium, rei metallicæ peritis, nescio quibus indicijs sese prodit.

Sed ut occultiores illas electionis lineas, quas in ardore persequentis ac furentis Pauli mystici mirantur, ipsis quoque colligendas relinquâ, brevibus dicam eas, quæ in Augustino quantumvis vitijs prostituto niruerunt.

Et quidem non obscurum Indolis magnæ futu-

futuræque spei vestigium in eo emicuit, quòd ab octavo decimo circiter anno, quo Hortensij lectione ad sapientiam indagandam incitatus est, incredibili mentis ardore, per omne sectarum genus fugitantem veritatem, ut ardentius amaretur, insecutus est. Hanc enim ut inveniret, ex Catholica stabilitate, in Manichæa deliria præcipitatus est; ubi deceptum se gemendo, per fœditates Epicuri in Academicorum fluctuationes delatus est: ex quibus per ambages, ad eum unde exiverat portum Catholicum remearet. *Immortalitatem*, inquit ipse, *sapientia concupiscebam æstu cordis incredibili. Quomodo ardebam, Deus meus, quomodo ardebam evolare à terrenis ad te, & nesciebam, quid ageres mecum!* Non exiguum sanè secretioris illius electionis vestigium est ardor ille veritatis, quæ Deus noster est, assequendæ. Sic enim & sanctus Iustinianus Martyr paribus per omnes Philosophorum sectas, gyris venando veritatem, eam prælucentem in Catholica tandem Ecclesia, ut ipse testatur in dialogo cum Triphone, consecutus est.

Lib. 3. Confess. c. 4.

Nec inferius ejusdem rei argumentum est, illud omnium sectarum, librorumque fastidium, unde Salvatoris IESV nomen exulabat. Hoc enim nomen, *quia in ipso adhuc lacte matris tenerum cor eius piè biberat, & altè retinebat, quicquid sine hoc nomine fuisset, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum, non eum totum rapiebat.* Adde insignem illam fidem, quâ licet Manichæus in obeundo docendi munere, sine dolo docendo dolos, erga discipulos excellebat: *Vidisti*, inquit, *me de longè lapsantem in lubrico, & in multo fumo scintillantem fidem meam, quam exhibebam in illo magisterio diligentibus vanitatem, & quærentibus mendacium socius eorum.*

Ibid.

Lib. 4. Conf. c. 2.

Quantæ porrò & quàm præstantis animæ characterem exprimit illud odium magorum, & illa adolescentis integritas, sub vanitate ad fortunæ splendores anhelantis, quâ victoriam Aruspici in agone poetico pollicenti respondit: *Nec si corona illa esset immortaliter aurea, muscam pro victoria mea sinerem necari.*

Ibid.

Iam verò si dici solet, eos qui longiùs à Deo insanis amoribus recesserunt, postquam ad sanitatem redeunt, flammis pudici ac veri amoris acrioribus inardescere, ut Magdalena fidem facit: cùm præteritorum sæculorum nemo tantâ profunditate divini amoris arcana perscrutatus aperuerit, quàm Augustinus, nemini dubium videtur esse posse, quin illa ipsius indoles, quâ suos amicos vanus vanos tam arctè diligebat, ut pœnè ipsa mors eorum interitu jucundior videretur, oculis Dei talis naturæ conditoris indicium & effectus fuerit arcanæ suæ electionis, qua illum casti amoris amplexibus dedicabat. Quem etjam tantâ sinceritate erga carnalem matrem jam tum vitijs deformis exhibebat, ut testimonio & quasi testamento morientis matris hoc elogium ei adhæserit, quòd *pius* fuerit, *nec unquam ex eius ore audiverit in se iaculatum durum aut contumeliosum sermonem.* Parva hæc forsan alicui videantur, sed non parvæ secuturæ frugis divinæque in eum benignitatis argumenta; quâ talem indolem ad opus suum ante mundi constitutionem destinaverat. Ex qua etjam arcana vena fluxit, ut semper sapientium consilijs & conversatione delectatus, eorum ipse sermonibus fixus inhæreret. Ille verò magnus moriendi metus, futurique judicij, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen de ejus pectore recesserat, eumque à profundiore voluptatum gurgite revocabat, quid, quæso, intelligentibus aliud suggerit, nisi istum velut severum Pædagogum ei à Deo datum fuisse, qui vas illud electionis ad amorem, felicemque æternitatem, cui destinatus erat, adduceret?

Ibid. c. 4. & seqq.

Lib. 9. Confess. c. 12.

Lib. 6. Confess. c. ult.

His & alijs obscuris electionis quasi lineamentis hoc effectum est, ut amicis *bonus ac doctus* in profligatissima morum dissolutione videretur: à quibus propterea diligebatur mirificè, & nonnullos vicissim propter *magnam virtutis indolem* diligebat; qui *relictâ patriâ, relicto iure paterno optimo, relictâ domo, & non secutura matre, nullam aliam ob causam ad ipsum* tametsi Manichæum commigraverant, nisi ut cum ipso viverent, in flagrantissimo studio veritatis & sapientiæ, cui ex occulto electionis afflatu in medijs erroribus suspirabat. Enimverò cum naturæ non parva pars, dotesque plurimæ tam corporis quàm animi ex occulta illa prædestinationis abysso in hominem scaturiant, quid mirum si qua lineamenta divinis oculis conspicua illius æterni amoris præ se ferat, quo misericordiæ suæ vasa complectitur?

Lib. 6. Conf. c. 7.

Ibid.

Ibid. c. 10.

CAPVT XXI.

In Paulo & Augustino profundus gratiæ Christianæ sensus, intelligentia, & prædicatio: quorum fons fuit amor Dei, primus gratiæ effectus.

SED ut alia non pauca præteream, quibus Pauli & Augustini mirabilis in vita & moribus cõformitas apparere posset, unum tamen istud non possum non adjicere, quod velut eadem & fœcunda in utroque radix, easdem etjam actiones in reliqua vita parturivit. Hæc est autem illa admirabilis in utroque Christianæ gratiæ sensus & intelligentia, & prædicatio. Nemo quippe ambigit, quin sanctus Paulus ipsa divinæ

Digitized by Google

divinæ gratiæ principia nobis revelaverit, atque de illa cunctis Apostolis accuratiùs disseruerit. Cui ita succenturiavit Augustinus, ut primus antiquorum Patrum omnes gratiæ conclusiones, quæ usque ad ejus tempora in Christianorum fide delituerant, ex Pauli principijs in lucem incredibili profunditate & penetratione deduxerit. Nec verò incongruum, si ista duo lumina pleniorẽ gratiæ sensum hauserint, qui amplioribus infirmitatibus, in quibus virtus perficitur, fuerant agitati. Quemadmodum enim nihil magis gratiam gratuitam ac victricem esse declarat, quàm enormitas peccatorum; nec medicinæ vim magis arguit, quàm desperatæ gravitas ægritudinis: ita nemo divinæ gratiæ mirabilibus, occultisque mysterijs intelligendis, atque effandis aptior reperitur, quàm qui longâ miseriarum suarum experientiâ profundiùs insculpsit animo, quid sit sub criminum & concupiscentiæ servitute captivum esse; quid sit cum cupiditatibus suis luctari; quid sit ad adipiscendam victoriam divino adjutorio indigere; quid sit denique ex infirmitatum suarum vinculis, quibus ligabatur, in libertatem gratiæ respirare. Cùm enim, teste Salvatore, ille plus diligat, cui plus donavit; quibus amoris flammis putamus illos arsisse, quorũ oculis profundus malorum præteritorum sensus assiduè beneficij accepti magnitudinem offerebat? Exclamat ipse: *Quomodo ardebam, Deus meus, quomodo ardebam?* Et in alio loco. *Non dubiâ sed certâ conscientiâ, Domine, amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te.* Et alibi deficiunt eũ verba, quibus exprimat cœlestis ardoris magnitudinem: *Ubi illi flammula instillarunt pretiosissimi unguenti guttas paucissimas, incredibile, Romaniane, incredibile, & ultra quàm de me forsitan & tu credis (quid amplius dicam?) etiam mihi ipsi de me ipso incredibile incendium concitarunt.* Ah aliquid adhuc amplius? Cùm nihil amaret Augustinus vehementiùs, quàm certas rerum scientias, ita tamen præ Dei amore æstuabat, ut de seipso dicat: *Nisi præ illius amore vix mihi veniunt in mentem.* Quantum ardorem fuisse necessarium est, qui omnium dilectissimarum rerum tantam afferat oblivionem, ut vix amplius in mentem inciderent? Amore verò ardenti nihil est luminosius; charitate fervidâ nihil sapientius.

Lib. 3. Confess. c. 4. Lib. 10. Confess. c. 6. Lib. 2. cont. Acad. c. 2. L. b. 1. Soliloq. c. 3.

Ex quo sapienter à viris magnis animadversum est, documenta illa sublimia de gratia Dei quæ ab Augustino posteritati mandata sunt, magis ex ipso divini amoris incendio quo ardebat, quàm humano studio enituisse. De quo præclarè discipulus & contubernalis ejus Prosper: *Inter multa Dei dona, quibus illum ex abundantissimâ Spiritus veritatis implevit, habens etiam* HANC SCIENTIÆ ET SAPIENTIÆ EX DEI CHARITATE VIRTUTEM, *ut non solùm istam* (hæresin Pelagianam) *in suis detruncatio[illegible] palpitantem, sed etiam multas prius hæreses invicti Dei verbo debellaret.* Nempe, ut qui priùs ipso altissimo divinæ gratiæ, hoc est, charitatis sensu, *cujus inspiratio,* ipso teste, *propriè gratia est,* divinitus imbutus fuerat, ejus secreta luculentiùs in aliorum animos docendo transfunderet. Meritò igitur magnum illud elogium ei ab Ecclesia aptatum est: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Mat. 5.

CAPUT XXII.

Gratiam ac Theologiam posteri ab Augustino didicerunt, etjam S. Thomas.

Quis enim Doctorum omnium, quos Ecclesia veneratur, ita officia divini amoris seu gratiæ, quæ propriè amorem in nova lege operatur, facto exercuit, & pariter in aliorum emolumentum verbo & scripto, ejus arcana reseravit, atque Augustinus? Nam inter Græcos quidem Theologicæ doctrinæ princeps olim Origenes, post illum S. Chrysostomus fuit: ex quo quotquot eum alicujus nominis secuti sunt, velut ex quodam communi fonte omnia sua præclara in Scripturam documenta derivarunt, ut abundè Theodoreti, Oecumenij, Theophylacti, ac Damasceni scripta testantur. Sed ita in explicando illo divino amore seu gratia, eorum plerique discipuli infelices fuerunt, ut à nonnullis non segniter ab erroribus saltem in loquendi modo commissis vendicentur. Quicquid enim solidi ac præclari à Græcis posterioribus de divina gratia proditum est, quod perquàm exiguum est, totum ex Augustini fonte scaturivit.

De Latinis verò hoc ipsum operosiùs astruere velle, non esset aliud, nisi Soli meridiano lumen accendere: cùm ipsâ Ecclesia teste constet, Augustini vestigijs institisse quotquot posteà Theologicam disciplinam via ac ratione tradiderunt. Quicquid enim veræ Theologiæ in Scholastica sancti Thomæ continetur, usque ad ipsorum articulorum fundamenta, ex Augustino ita mutuatum est, ut quemadmodum novum Testamentum nihil est aliud nisi vetus revelatum, & Augustini doctrina de gratia Dei nihil præter fidei principia in suas deducta conclusiones; ita S. Thomæ summa, ubi Theologiam tradit, pro magna parte nihil sit aliud, nisi Augustinus contractus, certâque proportione naturalibus principijs alligatus, *secundùm quod congruit,* ut ipse Thomas loquitur, *ad eruditionem incipientium.*

In [illegible] Aug. [illegible]

I. [illegible]

Ex quo

Ex quo profectò magnitudo sancti Augustini multò splendidiùs enitescit. Si enim à nonnullis de sancto Thoma rectè dictum est, quot articulos, tot ejus esse miracula; quot miraculis ille tandem claruisse dicendus est, qui sanctum Thomam tot miraculorum patratorem fecerit? Nihil hîc invidiam cujusquam, vel ne sanctus Thomas succenseat mihi, pertimescendum puto, qui quantùm sanctissimo Augustino antecessori ac magistro suo debeat, faciliùs ipsemet forsan pro humilitate sua, quàm quispiam alius amator ejus ardentior, quàm prudentior, fateretur. Quasi verò in Ecclesia Catholica, quæ antiquorum Patrum authoritate nutrita, fidem concipit, multitudinem contrahit, obtinet vetustatem, & roborat Religionem, non hoc in primis magistros ejus, Doctoresque commendaret, quod antecessorum vestigijs insistentes, A illud ipsum in expositione fidei imitentur, quod in ipsa fide sacratum est: ubi omnis innovatio suspecta, periculosa, perniciosa est. Hoc verò sibi laudi ducere præclarum; non si supra ruinosam opinionum fluctuantium arenam, novas doctrinæ quasi subtilioris & accuratioris macerias exstruas: sed si solidissimis antiquorum fundamentis, quos toties probavit columna veritatis Romana Ecclesia, altiorem molem imponas; illa ruderibus Philosophiæ, novarumque opinionum obruta denudes, magis publicæ discipulorum securitati, quàm privatæ gloriæ consulendo. Hanc laudem qui sancto Thomæ surripere volunt, potissimam ex ejus doctrina margaritam avellunt, alterumque fulcrum longè firmissimum subtrahunt, cui præcipua doctrinæ ipsius moles incumbit.

CAPVT XXIII.

Notitiæ verè Theologicæ limites in se fixit Augustinus.

NEC verò immeritò tantum à posteris excellentissimo Doctori Augustino tributum est. Cùm enim fides nostra, seu principia Theologiæ Christianæ, quamvis obscuritate eorum permanente, in aliquam intelligentiam rationis interventu transeant, nemo limites illius notitię & ratiocinationum Theologicarum propiùs invenisse videtur ac fixisse, quàm Augustinus: quos terminos ab illo fixos, qui accuratioris alicujus doctrinæ prætextu, prætergredi nituntur, nimiùm felices habendi sunt, si non in humanarum opinionum labyrinthis sine tali duce aberrantes, proprias imaginationes pro scientia ex fide derivata mirentur.

Ex quibus nobis fortassis arbitrandum superest, si ea dempseris, quæ Ecclesiæ auctoritas post Augustini tempora definivit, quicquid scientiæ ex fidei fundamentis per ratio- B nem eliciendæ sanctum istum latuit etiam posteros latuisse. Quod ita pœnè totius posteritatis arbitrio verum est, ut in omnibus disceptationibus rerum dogmaticarum, quas quoquo modo in scriptis suis attigit, omnes quaquaversùm per orbem totum Doctores summo studio ostendere conentur, nihil in medium à se proferri, quod non ex Augustini lu- A cubrationibus prompserint. Ita in illa disputatione factum cernimus, quæ de Conceptione immaculatâ turbavit Hispaniam; quæ de primatu Apostolicæ Sedis præcipuam Galliæ Facultatem in duas factiones distraxit; quæ ante paucos annos de limitibus regię potestatis in Regni cujusdam Comitijs ipsos pœnè proceres commisit; quæ tot annos, tantâ animorum, nervorumque contentione de divina gratia inter Catholicos viguit; quæ denique Calvinistas omnis Ecclesiasticæ auctoritatis hostes, Patrumque perduelles, in Armenianos & Gommaristas laceravit. Nimirum omnes & in Christi Ecclesiâ, & in Satanæ Synagogâ, & in Regum palatijs, & in Doctorum subsellijs Augustinum arbitrum deposcunt, Augustini armis atque auctoritate sese muniunt, ac tuentur. De quo meliori sanè jure dixeris, id quod olim de Socrate Philosophi, doctrinę Theologicę diversitatem ex diversa sancti Augustini interpretatione fluxisse, quemadmodum Philosophorum sectæ ex varia Socraticæ doctrinæ intelligentia, teste Cicerone, dimanarunt; qui cùm de Peripateticis Academicus loqueretur; *Vtrique*, inquit, *Socratici esse volumus.* Nempe omnes nunc Augustiniani esse aut videri volumus. *Lib. 1. Offic.*

CAPVT.

Digitized by Google

CAPVT XXIV.

Auguſtinus Pater Patrum, Doctor Doctorum; primus poſt Scriptores Canonicos; inter omnes verè ſolidus, ſubtilis, irrefragabilis, Angelicus, Seraphicus, excellentiſſimus, & ineffabiliter mirabilis.

QVAMOBREM cùm nemo dubitet, quin inter illos quatuor, qui vulgò nomen Doctorum Eccleſiæ ferunt, Auguſtinus longè palmam ferat, nemo, arbitror, ſuccenſebit mihi, ſi ipſe primus Doctorum, primus Patrum, primus Eccleſiaſticorum Scriptorum poſt auctores Canonicos appelletur; cujus luce tanquam primi Angeli (quo nomine Epiſcopos tanquam veros Eccleſiæ Doctores Apocalypſis vocat) omnes quodammodò Deus irradiando perfundat, qui quaquà ratione ad alios erudiendos deſtinati ſunt. Ipſe inter omnes Doctores Eccleſiæ verè *ſolidus* eſt, qui doctrinas de capite & corpore Eccleſiæ, de Trinitate, de baptiſmo, de gratia Dei, tam immobilibus principijs primus fundavit, & explicuit, ut quicquid illi conſonat, ſecuriſſimè amplectendum ſit, quicquid diſſonat, reſpuendum. Ipſe inter omnes vere *ſubtilis*, qui tot ſecreta & mirabilia doctrinæ capita in ſuis lucubrationibus quâdam obſcuritate tecta ſparſit, ut in eis eliciendis diligentes lectores earum perpetuam diſcendi materiam, uſque ad mundi finem, acceperint. Non enim ea ſemper promiſcui lectoris firm[illegible]s, & capacitas eſt, ut ea paſſim nudare conveniret; ſed multa diligentioribus lumen à Deo poſtulantibus dereliquit, quibus ea nudentur, ſi quæ fortè quæſtio ad illa aperienda compellat, ne infirmiores aliquâ falſitate capiantur. Sic enim profundiſſima illa fundamenta, quibus tota gratiæ cœleſtis œconomia nititur, per totam vitam in omnibus libris obſcurè & diſſimulanter expreſſerat, ne majorum fortè quæſtionum anſas infirmis daret. Quæ quidem arcana fundamenta nemo poſterorum vel ſuſpicione cogitaſſet, niſi ipſe illa ſub finem vitæ quorundam quæſtionibus pulſatus coactuſque detexiſſet. Ex qua profundiore declaratione poſteà, teſte Proſpero, Semi-Pelagiana hæreſis, hominum non ferentium illam ſeveram profundamque veritatem, orta eſt, altioreſque radices egit. Ipſe inter omnes Doctores verè *irrefragabilis* eſt, qui in myſterijs divinæ gratiæ & prædeſtinationis eruendis & fundandis, irrefragabilem ex tot Pontificum ſacratis vocibus, tot Canonum Synodalium præformationibus, toto antiquioris Eccleſiæ conſenſu, auctoritatem conſecutus eſt. Cum quo neq; vivente neque defuncto ex profeſſo aliquid propugnante hactenus quiſquam luctatus eſt, qui non ſuccubuerit. Qui non ſolùm hæreticos omnes, & Catholicos ipſi in ſcribendo repugnantes, mole ſcripturarum & rationum oppreſſit; ſed ipſum ſanctum Hieronymum, qui culmen auctoritatis inter Doctores illius temporis obtinebat, eique fortiſſimè in diverſis capitibus reſiſtebat, ita humi ſtravit, ut in omnibus articulis ventilatis, quorum quidam toto penè Græcorum ſcriptorum exercitu muniebantur, ei calamum è manu extorſerit, ad palinodiam adegerit, ſententiamque ſuam in Catholicæ doctrinæ dogma tranſmiſerit. Ipſe inter omnes Doctores verè *Angelicus* eſt, qui jam olim cum viveret, *Angelus non naturâ, ſed gratiâ* nuncupatus eſt: qui ſine humano magiſterio inſtar Angelorum à Deo illuminatus, ingenio verè angelico, profunda prædeſtinationis & gratiæ ac divinitatis ita penetravit, ut multùm per omnem modum ille poſterorum aſſecutus ſit, Deoque debeat, qui ea quæ docuit, intellexerit. Quod utrum ſeverâ veritate, an hyperbolicâ facilitate dixerim, in operis hujus decurſu patefiet. Ipſe inter omnes verè *Seraphicus*, quem *parem Angelis in fervore* jam tum viventes, & ideo plerumque invidentes appellarunt. Quo nemo poſt Apoſtolos altiùs amoris ſeraphici fibras rimatus eſt, & ſecreta propalavit: quem nemo, caſtiùs atque fortiùs, nemo, à terrenis cupiditatibus defœcatius incommutabili adhærendo veritati, ſuperavit; cujus omnia verba, vita, diſciplina tanquam faculæ ardentes ex ſe flammas divini amoris effundunt: cujus doctrina inter omnes delirantes hæreticos, & errantes Catholicos victorioſa, divinam gratiam, quâ ſeraphica illa charitas diffunditur in cordibus noſtris, adverſus omnes ratiunculas philoſophantium, & omnes nebulas hallucinantium, & omnes arietes oppugnantium robuſtiſſimè invictiſſimèq; defendit. Ipſe inter omnes vere *excellentiſſimus & ineffabiliter mirabilis* Doctor gratiæ Dei: qui inter omnes, poſt Scriptores Canonicos, eam clariùs, pleniùs, profundiùs penetravit, hauſit, explicuit; qui in omnibus paginis id indefatigabiliter, inſtanter, & ſemper agit, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur*; ut in omnibus habentes ſurſum corda, gratias inceſſabiles agamus Domino Deo noſtro; in quo totius Chriſtianæ vitæ ſumma conſtituta eſt.

In Diſſert. de [illegible] ac de [illegible] cio. Epiſt. 15. 19.

Orig. Chryſoſt. & cæteri fere Græci citati à Hieron. Epiſt. 11. apud Aug. Mutavit enim Hieron. ſententiam ut patet apud Aug. Epiſt. 260.

S. Paulin. Epiſt. ad Valer.

Poſſid. ad Macedon.

Hilar. ad Amatum Proſp. ad Aug.

CAPVT XXV.

Quo animo auctor ad lectionem operum sancti Augustini accesserit; quid spectaverit; quid spectandum sit; & Augustino tribuendum.

ET ista quidem balbutienti mihi de tanto Doctore exciderunt: quæ quamvis tunc, quando in illis controversijs, quæ de divina gratia ventilantur, incertus fluctuabam, nullo pacto mihi tantoperè persuasa essent, quantum nunc experientia longi temporis, & nonnulla cum principijs ejus profundis familiaritas, vera esse persuasit: maxima me tamen opinio de Doctoris illius eruditione captivum retinebat. Quo sanè fiebat, ut, cùm animo recolerem, illas materias, quas Augustinus adversus hæreses asseruerat, tantâ luce ab eo tractatas esse, ut nihil à posteris adjici potuerit, nisi Metaphysicarum quarundam formalitatum & quæstionum spinæ, quibus ingenia tractandis urticis inassueta terrerentur, impossibile mihi videretur, istam solam, quæ omnium ab ipso latissimè, uberrimè, profundissimè, sufficientissimè discussa fuit, usque ad ipsam generis humani confessionem, quâ seipsum in hoc divinæ gratiæ argumento superasse prædicatur, ita incertam obscuramque mansisse, ut tot tantæque controversiæ, quibus agitantur scholæ, non solùm resolvi ex ejus doctrina non possent, sed nec ullo modo intelligi, quid ille ipse sanctus Doctor sibi voluerit, aut quid senserit. Ad hunc igitur accessi, sperans in Deum meum, non esse me fructu laboris mei, hoc est, vel cognitione veritatis, vel certè sententiæ illius, quæ Pelagianos debellavit, tantamque laudem ab Ecclesia meruit, frustrandum, si eâ quâ decet animi simplicitate, ad fontem illum, & aviditate veritatis accederem; si depositis variarum sententiarum præjudicijs, quibus adolescens in scholis Theologicis imbutus fuerã, non me scriptorum ejus judicem, sed cum omni humilitate discipulum exhiberem: si non attenderem, utrum præoccupatæ opiniones meæ, quas ipso non lecto biberam, ipsius alis supponi possent, tutelâque defendi, quemadmodum aliquos hoc tempore fecisse mihi innotuerat; si non ad ostentationem & plausum discipulorum, quasdam sententias ex Augustino corraderem, ad ea magis confirmanda quàm corrigenda quæ senseram: sed animo persuasissimo, præ cæteris omnibus, ipsum in hoc argumento sequendum esse; ad ipsius sensa dictaque sententias omnes alias esse corrigendas; ipsum se sufficienter aperuisse; ipsum *necessarium modum non excessisse*, quemadmodum adversus obsoletas Massiliensium, & resuscitatas recentiorum querimonias jam olim Celestinus Pontifex declaravit: animo denique paratissimo, quicquid ipse tenendum in hac materia præscripsisset, tanquam indubitatum, & Romanum, & Catholicum, deposito omni studio contentionis, accipere: utpote quem saluberrimè Romanorum Pontificum voces præmuniverant & securissimum fecerant, quòd *eum nunquam sinistræ suspicionis rumor asperserit*: quòd *in eius libris cognosci posset, quid de arbitrio libero & gratia Dei, Romana sequeretur, & asseveraret Ecclesia*: denique quòd, uno verbo, *eius doctrinam secundùm prædecessorum* Pontificum *statuta, Romana sequeretur & servaret Ecclesia.* Ad postremum, si post susceptos labores, & non mediocrem scriptorum ejus volutationem aliquid superesset, ad quod acies mea pertingere nondum posset, iniquum esse credidi, ut ea, quæ mihi constitisset Augustinum tanquam ex Apostolis hausisse, tenuisse, docuisse, propter aliqua, quæ superessent vel difficiliora vel obscuriora, dimitterem, adversus illud effatum Apostolicum, quod auditoribus suis in hujus vitæ caligine ad cognitionis lucem aspirantibus, tantoperè ipse Augustinus inculcare solet: *Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.* Nam, ut adijcit: *ambulando in quod pervenimus, & quò nondum pervenimus, pervenire poterimus; Deo nobis revelante, si quid aliter sapimus, si ea, q*[illegible]*am revelavit non relinquamus.* Quid enim? An [illegible]o relinquendum, vel offusis tenebris perturbandum est quod apertum est, quia intelligere non possumus, quod obscurum est? salubriter nos monuit S. Prosper in eodem argumento de gratia Dei, ut *ea quæ clara sunt, non de his quæ occulta sunt, obscuremus; ne dum procaciter insistimus clausis, excludamur ab apertis: cùm sufficere debeat, ut in eo, quò pervenimus, ambulemus.* Nam quid mirum videri debet animo Christianâ humilitate fundato, si parvula proles non possit ubique matrem sequi; discipulusq; non possit in omnibus tantum Doctorem assequi? Qui antequam cujusquã subijsset in Philosophia vel Theologia magisteriũ, apicem illum altissimæ eruditionis attigerat, quemadmodum ex ijs quæ etjamnũ supersunt voluminibus patet, ut non facilè quisquam eorum qui se eruditissimos haberi volunt, aut putant, post totius vitæ labores & vigilias, tantum sibi asscribere audeat sine temeritate fastigium. Tribuamus, obsecro, venerabilibus canis ejus, ut post annorum triginta sudores ac studia, post tot pro rerum divinarum intelligentia fusas ad Deum cum lachrymis preces, quem viventẽ totus orbis Christianus veluti Doctorem ineffabiliter mirabilem suspexit, docentemque velut Angelum Dei in terris audivit, paulò saniùs quàm nos sapuerit, paulò

Celest. Pont. *Hormisda Pontifex.* *Ioan 2. Pontifex.* *Lib. de grat. & lib. arbit. c. 8.* *Prosp. lib. 1. de vocat. Gent. c. 8.*

paulò profundiùs quàm nos arcana penetraverit; paulò solidiùs quàm nos ex Philosophiæ rationibus, concordiam gratiæ cum libertate fundaverit, doctrinamque contra omnes Pelagianas versutias victoriosam divinarum Scripturarum auctoritate communiverit. Sic illi doctrinæ gloriam dando, quæ gloriam Ecclesiæ de devictis Pelagianis non scenicam larvatamque peperit, si quid adhuc aciem nostram superaverit, humilitate nobis Dei auxilium conciliante, revelabitur. Absit à nobis illa, ut mitiùs dicam, quid nisi humana quædam animositas, & sui sensus philantia? ut dicamus aut sentiamus, nos tandem hoc miserabili sæculo, quo in quibusdam Theologorum gymnasijs Philosophia Theologiam Cathedris pœnè deturbavit, novam invenisse veramq; rationem conciliandi liberū arbitrium cum divina gratia & prædestinatione, à nemine huc usque traditam: quæ si data explanataque semper fuisset, fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent. Magnoperè quippe talibus verendum est, ne facilitate definitos, homines à Pelagio per ambages ad Pelagium ducant, dumque Semi-Pelagianos cineres, extinguere volunt, Pelagianum incendium revivisicat. Fortassis enim (quod suo loco videndum erit) contingeret eis id, quod sanctus Prosper olim verebatur, ut *non tam illi Catholici, quam nos, quod absit, simus Pelagiani. Contrariorum enim permixtio, meliorum defectio est. Quia, cum virtus vitium recipit, non à vitio, sed à virtute disceditur.* Nam istud de divina gratia argumentum, plus quam credi à quoquam istiusmodi recentiorum potest, delicatum est; in quo istud à sancto Ambrosio, vel potiùs ab eodem Prospero verissimè præclarissimeque dictum est: *Gratia tota repellitur, nisi tota suscipiatur. Sicut enim alienus est à numero fidelium, & à sorte sanctorum, qui in aliquo à Catholica veritate dissentit; ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de eius plenitudine diffitetur.*

Prosp. resp. Collat. c. 38.

Prosp. Epist. ad Demetr. quæ habetur & apud Ambr.

CAPVT XXVI.

Periculosum est novas semitas in materia de gratia invenire velle, prætextu vel difficultatum ab Augustino relictarum, vel majoris lucis, quæ recentioribus accesserit.

QVAPROPTER nec illos quidem sine magnis periculis divinæ gratiæ indagationem vel explicationem instituere semper existimavi, qui de rebus istis arcanis ita disputant, quasi hic magnus esset campus relictus isti vagæ opinandi libertati, quâ quicquid cum aliqua specie probabilitatis arridet, mox etjam in pulpitis, vel scriptis etjam voluminibus, defenditur. Putant enim multa relicta esse ab Augustino indecisa, multa solùm probabiliter asserta, quemadmodum in scholis hodiernis fieri solet, in quibus fas sit liberè ab Augustino discedere. Quò etjam illa S. Celestini verba torquent: *Profundiores verò difficilioresq; partes incurrētium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* Et hoc obtentu, pro suo quisque gustu, quod in Augustini doctrina de gratia non sapit, vel paulò accuratius ab ipsis inventum videtur, ab Augustini auctoritate sejungit. Multis de causis ista libertas magnoperè periculosa, imo perniciosa mihi visa est. Nam in primis eò tendit, ut nihil penè certi ex Augustini doctrina probari posset. Nam quidquid novi quisque commentus esset, hoc statim ad difficiliores illas referret quæstiones; ut earum umbrâ tegeretur. Deinde non intellexit hoc Celestinus de quæstionibus illis, quas Augustinus constanter asseruit, vel velut bases doctrinæ Catholicæ contra Pelagianos defendendo tradidit aut ex ijs perspicuè derivantur. Nam ex illis ipsa, quam Ecclesia obtinuit, victoria, de hostibus gratiæ, reportata est. Qualis est illa inter cæteras: utrum electio ad gloriam absoluta ex prævisis meritis decernatur. Hæc enim à gratiæ intelligentia sive Adami, sive Christi, divelli nullo pacto potest; ut suo tempore & ordine declarandum est. Sed de illis hoc intellexit Celestinus, quas Augustinus disputando, & in omnem partem se pro assequenda veritate vertendo, in medio indecisas præterivit. Talis est illa latebrosa, de animæ origine, quam multis locis propter Pelagianos latè pertractavit. Talis & illa, quo pacto anima, sive ex traduce sive ex carne maculetur? Cur hic, non alius, hic isto, alter alio modo, vocetur ad gratiam? Cur iste rapiatur, ne malitia mutet intellectum; alter melior in hac vita periturus relinquatur? Cur justior cadat, minùs justus perseveret? Quomodò unum peccatum per alterum puniatur? Cur Deus non tollat primitus ex homine superbiam, ad quam domandam tot peccata permittit? Cur perseveraturis non perseveraturi misceantur? Et hujusmodi multæ, quæ in Augustini operibus multis locis videre licet. Quare verba Celestini Pontificis ad quæstiones ab Augustino definitas, vel ex definitis palàm consectaneas velle trahere, non est aliud quàm Augustini doctrinam de divina gratia quantumcumque solidè fundatam, novis exponere disputationibus, & incertam reddere de Pelagiano errore victoriam. Accedit, quòd argumenti istius de divina gratia illa natura est,

Celest. Epist. ad Episc. Gall.

est, quod haud scio an in ullo argumento ab hæresibus oppugnato locum habet, ut omnia dogmata divinæ gratiæ contraria serpentinis voluminibus ita sint implicata, ut ne latum quidem unguem à semita per Divum Augustinum strata & stabilita deflecti queat, quin omnium errorum contra gratiam, quorum Pelagius insimulatus fuit, reus agi & peragi possit. Quod à sancto Prospero & Leone traditum, fusiùs alibi declarandum est. Ex quo etjam fit, ut nemo in hoc argumento Semi-Pelagianus reipsa, sed solo nomine, esse possit.

Itaque res hîc periculi plenissima est, vel minimum quid asserere, quod ab illo perspicacissimo duce non sit præformatum. Lepidiùs enim in re præsenti, quàm veriùs dicitur, pygmæum in humeris gigantis ipso gigante plus aut longiùs cernere. Animosa, ne dicam, superba uno verbo comparatio, quâ significant, se videre, quidquid gigas ille viderit, & adhuc videre, quod ipse non viderit. Quasi verò quicquid viderit, ille dixerit: & quod videre nos præter ipsum putamus, ille non viderit. Multò nobis magis verendum est, ne acies nostra quasi puerulorum imbecillis, non videat, quod mater, cujus humeris insidet, videt; nec liquidò discernat id quod jam videt. Verendum etjam ne nobis idem accidat, quod videndi, discernendique imbecillitate laborantibus pueris ac pygmæis, etjam in humero gigantis ac turri stantibus, contingere solet, ut omnes viros, quod Aristoteles dixit, Arist. lib. 1 Physic. tex.
patres appellent, & omnes mulieres matres, quamvis neq; patres neq; matres, sed hostiliter inimici sint. Ita profectò istiusmodi nano-gigantibus timendũ est, ne assertiones novas asserendo, quas præter sancti Augustini regulas cudi posse putant, fucum pro veritate, novos errores pro sana doctrina amplectantur ac venditent. Valde pedetentim suspensoque gradu in lubrico incedendum est. Non statim est veritas quicquid lineamenta quædam veritatis ostendit. Etjam stellæ sublustri nocte per intercurrentes nubes currere imperitis videntur, quæ fixæ manent. Multæ quippe conclusiones de quibus tantoperè hâc tempestate disputatur, solidissimè fortassis ex Augustini principijs religatæ sunt; quarum vincula, propter nebulas novorum principiorum intercurrentes, non sinantur advertere. An idcircò à tanti Doctoris tramite tam leviter deflectendum, vel inusitatus novorum ducum & comitum periculo aperiendus est?

CAPVT XXVII.

Paulus & Augustinus matrix & fons omnium conclusionum, quæ de gratia educi possunt.

NAM in providentiæ divinæ semitis non mediocri animadversione dignũ est, quòd quicquid per mensuras locorum & temporum in corporalibus evolvitur & explicatur, quicquid in spiritualibus argumentando colligitur, totum in quibusdam principijs conglobatum collectúmque continetur. Ita semen universam arborem complectitur, quæ tanta in ramorum foliorumq; diffusione prodit. Sic Christus Dominus, quicquid gratiarum spiritualium in corpus Ecclesiæ universum redundavit, eminentissimâ quâdam unitate complexus est. Sic Apostolus Paulus in tertium cœlum raptus, quicquid de divina gratia & prædestinatione, per omnium Doctorum disputationes, concertationes, meditationes, contemplationes hauritur, velut abyssus & matrix fontium & in se continuit, & brevissimis quibusdam principijs in Epistolarũ suarũ cõtextu illigavit. Sed quia non parvi ingenij, laboris, & lucis est, illa arcana cœlestia, paucis characteribus implicata diducere, & intelligenda proponere, quid aliud existimabimus, nisi divinum ac stupendum istud Augustini ingenium, quantâ perspicaciâ excelsum, tantâ humilitate depressum divinitus electum esse, quod instar novi principij, perennisq; fontis intelligentiam tam profundi arcani tantâ ubertate profunderet, ut quicquid de humanæ naturæ corruptione, de divina gratia, de prædestinatione per modum primorum principiorum in Apostolo Paulo clausum erat, educeret; quicquid nobis impervium penetraret: atque ita quâdam eminenti perfectione doctrinæ suæ, quicquid posterorum sciendi sitim extinguere, quicquid omnes eorum dubitationes solvere, quicquid eorum quæstiones enodare, & adversantium argumenta retundere posset, comprehenderet?

Hæc igitur mihi fiducia medullitus inhærebat, quando sancti Augustini scripta ad mysteriorum istorum intelligentiam volvere cœpi. Nec sanè, quantùm arbitrari mihi post multas vigilias licet, opinio mea me frustrata est. Ausim dicere, nullum esse reliquum argumentum tot acerrimis litigantium conatibus excogitatum, quod non ille vel tanquam ad rem non pertinens præteriverit, vel in principijs jactis abundè solverit, contriverit, dissipaverit: nullum dubium quod à Theologis moveri mereatur, cui non satisfecerit. Sed hoc advertere, vel ad intellectum principiorum ejus tanquam venarum latentis auri pertingere, hoc opus, hic labor est. Cum enim esset scientiæ & sapientiæ admirabilis, ac Dialecticæ scientissimus, mirabilior artis dissimulator fuit. Ex quo contingit, ut non ita cuivis obvium, planumque sit, quid ex quo educat, advertere, vel insurgentium quæstionum nodos ad sua principia per Augustini libros multùm dispersa revocare. Non enim occurrunt pauca, quæ à principijs immutabilibus quibus pendent avulsa, speciem absur-

absur-

absurditatis non minimam præ se ferunt: sed ad occultos unde manant fontes revocata, veritate in ipsis supernè radiante, certissima & omni acceptione digna deprehendas. Verum quia res ista non est unius mensis aut anni, vel unius tumultuariæ lectionis operum ejus, quâ A quemadmodum canis ex Nilo bibit, auctorum scripta consuluntur; sed pertinacis laboris, totiusq; pœnè vitæ occupatio, hinc fit, ut paucis vacet aut lubeat molestias istas tædiaq; devorare, ut veram profundissimi Doctoris intelligentiam consequantur.

CAPUT XXVIII.

Qualis esse debeat Lector sancti Augustini. Quantùm ab Augustini doctrina recentior Theologia distet, tum rebus ipsis, tum docendi modo.

NAM & illud inter cætera post aliquam non perfunctoriam istius Doctoris experientiam, verissimum esse judico, neminem nisi miraculo omnipotentis Dei, genuinum sensum ejus assecuturum, qui semel eum percurrendo, satis trivisse se arbitrabitur; multòque minus, qui quemadmodum à quibusdam hoc tempore fieri solet, lacinias hinc inde citatas abreptasq; in fonte consulat, aut sententias in eo quærat, quibus concepta sua, pronuntiataque muniantur: maxime verò ab omni spe profectûs remotos esse, qui animo Philosophiæ Aristotelicæ, vel Scholasticæ recentioris opinionibus præoccupato, pelagus istud ingressi fuerint. Quod enim olim Augustino cum veternosis opinionibus luctanti accidit, & ipsis quoque usu veniet; ut cum aliquid veritatis, quam ponderatis omnibus Augustinus docuisse videatur, sublucere cœperit, statim circumvolitans mentis aciem turba præconceptorũ phantasmatũ irruat in aspectum eorum, & obnubilet eum: quasi diceret: quò itis immundi, quò itis? Hoc enim unum ex molestissimis mihi fuisse non diffiteor, qui recentiorum quorundam altercationibus & sententijs gravidus, secundùm eas conabar de sensis ejus doctrinâque judicare. Habet enim sacratissimus iste Doctor nescio quid cũ sacris litteris quas medullitus hauserat propriũ, quòd cum discipuli humilitate, nõ cum Censoris supercilio legi velit. Nã inde, & non alio ex capite profectũ est, quòd nonnulli Scholastici, qui se multũ sapere crediderunt, in tã animosas insulsasq; cẽsuras Augustinianę doctrinæ proruperunt: à cujus vero intellectu tam procul absunt ut sanctum Scriptorem clausis aut extinctis oculis legisse videantur. Cùm enim Theologiam suam recentem, quæ magnoperè ad humanæ rationis modulum, & Philosophiæ gentilis regulas concinnata est, tanquam normam judicandi de omnibus Augustini pronuntiatis adhibent, & omninò sequendam putant, penè ad singulos offendunt passus, & Augustini doctrinam, quod quidam etiam palàm conquesti referuntur, mille errorum occasionem sectatoribus ejus futuram ominantur. quod quidem, si Theologia recentior quam ipsi tradunt, incorruptæ censuræ norma est, verissimum puto. Tanto enim intervallo A ab Augustini Theologia discrepat, ut vel ipse Augustinus, quantum hallucinari in gravissimis rebus potest, multipliciter hallucinatus sit: vel si Augustinus divinarum rerum veritatem cùm de alijs multis capitibus, tum præcipuè de gratia & prædestinatione contra Pelagianos juxta Catholicæ Ecclesiæ sensum docuit, recentiores isti profectò tantùm ab ostio veræ Theologiæ, fide salvâ aberraverint, ut neque fidem Christianam, quam animo ut Catholici tenent, neque spem, neque cupiditatem, neque charitatem, neque naturam, neque gratiam; eamque neque Angelorum, neque hominum, neque stantium, neque lapsorum, neque sufficientem, neque efficacem, neque operantem, neque cooperantem, neque prævenientem, neque subsequentem, neque excitantem, neque adjuvantem, neque vitium, neque virtutem, neque opus bonum, neque B peccatum, neque originale, neque actuale, neque meritum, neque mercedem ejus, neque præmium, neque supplicium creaturæ rationalis; neque beatitudinem, neque miseriam ejus, neque liberum, neque servum arbitrium, neque prædestinationem, neque effectum ejus, neque timorem, neque amorem Dei, neque justitiam, neque misericordiam ejus, denique neque vetus, neque novum Testamentum intelligere videantur: sed Babylonicam quandam confusionem, Cimmeriasque quasi tenebras in Theologiæ moralis faciem, nimium ratiocinationibus indulgendo intulisse. Hyperbolicè vel temerè me ista fundere citra dubium lector quisque modestior arbitrabitur, sed singula suis locis, multòque fortassis plura quàm dixi, juxta sancti Augustini principia, Deo juvante, patefient. In quibus penetrandis, quamvis fortè multorum annorum assiduo labore, & iteratâ C decies, imò vicies ac tricies lectione librorum ejus, multisque precibus ad Deum fusis, non multum profecerim; hoc saltem unum assecutus sum, ut non obscurè mihi cernere videar, quàm procul hujusmodi recentiores in multis mysterijs percipiendis ab Augustini mente deviaverint. Cujus quidem aberrationis causa præcipua, & pœnè dixerim sola est, meo judicio, ea quam dixi, nimia Philosophia, cujus amore quasi ebrij, neglectis Augustini monumentis,

mentis, qui primus profunda de tenebris A evocaverat, arcana illa mysteria iterum quasi sepulta deletaque, secundum humanæ rationis regulas eruere, penetrare, formare, & judicare voluerunt. Hinc ille ardor de quolibet disputandi, quidlibet eorum in dubium revocandi, quæ jam semel definita esse nesciebant. Hinc eorum Theologia innumerabilium opinionum farragine referta est, per quas pœnè omnia quantumcumque contraria, facta sunt probabilia, quæ secundùm eorum pronuntiata cuilibet tueri licet; Ita vix quicquam certi, præter fidem firmam assertarum novarum sententiarum promptitudo reliquum fecit. Præcipitij enim pœna suspendium; hoc est, temeritatis comes hæsitantia, & incertitudo. Nihil enim naturalius & vicinius, quàm ut homines ex Peripateticis fiant Academici: quorum illi subluceente ratiunculâ sententiam extemplò B præcipitant: hi temeritatis ducti pœnitentiâ, semper hæsitant & nunc hoc nunc illud animo fluctuante displicet, placet, improbant, probant. Vnde fit ut quod eis hodie probabile est, cras falsum judicetur: quod heri verum, hodie improbabile & paradoxum. Instar Euripi reciprocantis æstus suos talium Theologia vadit & redit, volvitur & revolvitur, ex incertis continuò certa, & ex certis incerta fabricando, prout sectatorū audacia & multitudo suffragatur & refragatur. Non enim immobilibus fundamentis fidei pleræq; sententiæ suffultæ sunt; sed arenis humanarum suspicionum, quæ phantasmatum ludibrijs nunc hoc nunc aliud arripientibus agitantur, ut quemadmodum Augustinus dixit: *Dum in his est cogitatio, intelligentia esse cernere arbitretur.* Nam hanc esse falsarum omnium sententiarum ori-

Lib. 6. de Musica c. 11.

A ginem, idem Augustinus præclarè significavit, quando dixit: *Sequuntur nonnulli phantasmata sua tam præcipites,* VT NVLLA SIT ALIA MATERIES OMNIVM FALSARVM OPINIONVM, QVAM HABERE PHANTASIAS VEL PHANTASMATA PRO COGNITIS. Ibid.

Non ita Doctor ille solidissimus; sed ubi veritas eum in rebus magnis quoquo modo latet, suspenso pede ingreditur, disputando potius, quàm alterutrum resolvẽdo, ne notam temeritatis incurrat: *In multò pluribus quærimus potius, quid sentiendum sit, quàm definitum aliquid, fixumque sentimus: & ea cautio cùm sollicitudinis plena sit, multò melior est tamen, quam temeritas affirmandi.* Epist. 250. Ex qua cautionis observatæ norma certi in Augustino sumus, quòd ubi aliquid tanquam verum, sive hæreticos refellendo, sive Catholicos instruendo incunctanter B affirmat, de perspecta ei veritate, quamvis nobis fortè ignotâ, nec satis intellectâ, securi esse debeamus. *Rectè est autem*, inquit, *veraciter atque congruenter loqui, nihil audaciter resciendo, nihil temerè affirmando, dum adhuc dubium est verum falsumne sit, sive fidei, sive scientiæ Christianæ: quod autem doceri potest, vel rerum ratione apertissima, vel Scripturarum auctoritate certissimâ, jam cunctanter asserendo.* Lib. 7. de gen. ad lit. c. 1. Hoc enim apud Augustinum *errare est, aliud pro alio putare*: quod Enchir. c. 19 non solùm contingit, *quando approbantur falsa pro veris, vel improbantur vera pro falsis*: sed etiam quando habentur *incerta pro certis, vel certa pro incertis.* Quo sanè malo nihil hoc tempore familiarius in scholis quibusdam dominatur, ubi certatim novam quisque suspicionem, si sectatores corrogaverit, tanquam certam veritatem, exploratamque defendit.

CAPVT XXIX.

Scopus auctoris mentem Augustini de naturæ humanæ statu, de gratia, de prædestinatione sincerè patefacere. Quid spectandum sit ijs qui aliud fortè senserint.

QVOD si fortassis me quoque in rebus A istis magnis & multis, quas ex Augustino asserimus, aberrasse putet, fieri potuisse non diffiteor. Veruntamen ubicumque mihi non certis ex testimonijs Augustini liquet, quid de rebus obscuris ipse senserit, quantùm Deo juvante potui, ab asserendi præcipitatione temperavi: ubi verò traditæ ab eo sententiæ certitudo perspicuis & consonantibus undique principijs ac documentis aperitur, nefas putavi, id quod eliquata veritas ipsius esse demonstrallet, non incunctanter tanquam ipsius, quamvis refragantibus Scholasticis universis, asserere. Hoc enim ipse me proximè citatis verbis docuit, & ita faciendum esse, ratio perspicua, & reverentia, quam debemus perspectæ veritati, consulta respondet.

Nec verò mihi formidandum putavi, ne dicar plus quàm cæteros in rebus periculosis velle sapere. Sententiam enim non tam attuli meam, quam speculando commentus sim; sed id, quod Augustinus de gravissimis rebus, ac discipuli ejus, vel ipsa subinde vetus Ecclesia sensit ac docuit, fideliter indagavi, sincerè patefeci, & eorum sententiam esse constanter asserui. Rationes adjeci, quibus illa ipsa sua sensa vel in scriptis suis fulserint, vel fulcire voluisse videbantur. Denique quæ diversis in locis simpliciter de rebus jam controversis asseruerant, ad principia unde fluunt revocavi, ut totius doctrinæ quam tradiderunt, firmitas, vel infirmitas uni obtutui lectoris objiceretur. In quo si fortè hallucinatus sum, Augustini existimando, quod ipse fortè diligentiùs excussus improbaverit, quàm venialis error

error sit, prudentior quisque facilè videt. Non enim in rebus ipsis, sed in sensu tanti auctoris, post non exiguos multorum annorum sudores quos ardor sciendæ sententiæ ejus expressit, aberraverim. Hoc saltem confido non mihi socordiam illam supinam pro addiscenda veritate, quam in quibusdam disputatoribus deprehendi, ignorantiæ culpam affricuisse. Quapropter si quis in sensibus ejus investigandis me viam regiam reliquisse arbitretur, magni beneficij gratiam, & multi laboris compendium mihi præstabit, si & mihi aperuerit, quod sibi, Deo fortè inspirante vel revelante, certius liquidiúsque claruerit. Sin verò etjam refellendum me esse putet, nec hoc defugio beneficium: ut si errore carere non potui, saltem comitibus erroris caream. *Nam nimis perversè seipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat.* Veruntamen memor ille sit instituti mei, ne multùm lacertos fatigando umbram feriat. Non ego hic de aliqua nova reperienda sententia discepto, quam privatâ speculatione fabricaverim: sed de antiqua Augustini ex Augustini voluminibus eruenda. Hoc enim à me ex professo agitur, atque quæritur, non quid de naturę humanę statibus & viribus, vel de Dei gratia & prędestinatione sentiendum sit: sed quid Augustinus olim Ecclesię nomine & applausu, quæ sententias ejus capitales tanquam totius doctrinæ fulcra consecravit, & suas fecit, discipulis Augustini ad Scholasticorum ætatem usque plerumque concinentibus, tradiderit, prædicaverit, scriptoq; multipliciter consignaverit. Itaque non rationibus Philosophicis, sed ex ipso Augustino, Prospero, Fulgentio, ex Canonibus Romanæ Ecclesiæ, quos ipsa ex Augustino sanxit, de Augustini adulteratâ vel non intellectâ mente revincendus sum. Hominem enim ex Augustino, & Ecclesiæ veteris monumentis, hac de re satagentem, per naturales rationes, vel Philosophiæ principia revincere velle, imprudentiæ singularis est. Hujusmodi adversarium, si quis fortè tam stolidus in arenam descenderit, tanquam theseos nostræ, vel hypotheseos, quæ disputatur ignarum, silentiò prætereo, contemptu quàm responsione digniorem.

August. Epist. 7.

Nec iterum in hac nostra disputatione quæritur, utrum vera an falsa sint, quæ tanquam Augustini sensa proferuntur, sed utrum Augustini sint. Quod profectò non aliundè quàm ex Augustino, non infacundo sensuum suorum interprete, requirendum esse, vel cœci vident. Quod si ea Doctorem istum sensisse certum fuerit, verè an falsa sint, ipse viderit; ipse an Scholastici hallucinando fallantur, prudentes judicent, & Ecclesia toties oppigneratæ pro doctrina ejus auctoritatis mole discernat. Mihi enim constitutum est, eandem quam ab infantia secutus sum, sensuum meorum ad extremum spiritum usque ducem sequi, Romanam Ecclesiam & beatissimi Petri in Romana Sede successorem. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque cum ipso non colligit, spargit; apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quicquid ab ista Petri Cathedra, in cujus communione à teneris vixi, & porrò vivere & mori fixum est, ab isto Principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri vicario, ab isto Ecclesiæ Christianæ universæ Capite, Moderatore, Pontifice, præscriptum fuerit, hoc teneo, quicquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.

CAPUT XXX.

Utrum vetustas opinionum Scholasticarum, vel multitudo sectatorum Ecclesiam ab earum examine vel censurâ deterrere debeat, si antiquiori doctrinæ sancti Augustini adversentur.

AN fortè respondebunt mihi, Scholasticorum sententias, quæ hîc ab Augustino videntur esse reprobatæ, jam à quingentis ferè annis per universam pœnè Ecclesiam fuisse familiares, ideóque sequi, Ecclesiam pœnè totam errorum esse ream? Populus enim Christianus ubique terrarum tenet, quod Parochi & Antistites docent: hi verò quod in scholis à Doctoribus, vel in scriptis eorum traditum perceperunt: qui si per tot annos plerasque sententias docuerunt, quas ab Augustino reprobatas esse dicitur, Ecclesia profectò ferè universa erroribus maculata fuit. Ita quidam pro tuendis opinionibus recentiorum argumentantur.

Lessius lib. de grat. effic. append. ad cap. 20. n. 24.

Sed respondeo, si de temporis mora quæstio est, multis centenis annis ante natas illas Recentiorum opiniones aliter ab Augustino ac discipulis ejus per totam Ecclesiam resonantibus, & communi Christianorum astipulatione probatis, usque ad adventum eorum, qui nova veteribus superinduxère, traditum fuit. Si ergò Ecclesia propter improbatas opiniones, quas diu receperat, nunc errasse timeretur, quantò perniciosiùs tunc verè errasse diceretur, si Augustini doctrinâ tot sæculis ante receptam, probatamque, per susceptionem contrariarum opinionum aboleverit? Sed absit, ut alterutro modo Ecclesia, sive filij ejus doctrinam Augustini minùs intellectam è scholis exturbaverint, sive novam introduxerint, sive introductam iterum abolendo proscri-

proscripserint, ullum de suscepto errore discrimen subeat. Aliud est, fide Catholicâ aliquid credere, aliud humanâ opinatione sentire. Certum est Scholasticos, qui sententias plurimas ab Augustino reprobatas tenuerunt, vel paucos vel nullos eas tanquam Catholicam fidem tradidisse, vel etjamnum tradere: sed tanquam opinionem suam, animo ad eam relinquendam corrigendamque præparato, si fortè Scripturis, aut Concilijs, aut Pontificibus Romanis adversa declaretur. Ex quo fit, ut non solum Ecclesia universalis nullo fidei errore fœdata sit, sed nec ulla pars ejus alicujus momenti à fide aberraverit. Nam ut Augustinus: *Quia in hac areâ (Ecclesiæ) pro voluntate quisque vel palea vel frumentum est, tamdiu sustinetur peccatum aut error cujuslibet, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat.* Non enim hæreticum error facit, sed erroris pertinacia. Itaque cum undecim errores fidei capitales Augustinus quodam libro attulisset: *Hæc*, inquit, *si pertinaciter singula defendantur, tot hæreses facere possunt, quot opiniones istæ numerantur.* Sed quia animus opinantium in dictis per ignorantiam non Catholicis, est ipsâ correctionis præmeditatione ac præparatione Catholicus, hinc de talis animi viro falsis opinionibus gravido sanctus idem Doctor adjecit: *Absit ut te arbitrer ut hæc opinando à fide Catholica recessisse, quamvis ea fidei sint adversa Catholicæ.*

Lib. de vera Relig. c. 6.

Lib. 3. de anima & ejus orig. c. 15

Ibid.

Quòd si etjam non exigua, sed maxima Ecclesiæ pars in obscuris quæstionibus, in quibus, fide salvâ, quâ Christiani sumus, quænam opinio vera sit ignoratur, aut hæsitaret, aut aliter quàm se res habeat, opinando conjiceret, opinionemque suam posteà detecta veritate mutaret, nullo erroris in fide aut hæreseos crimine fœdaretur. *De quibusdam enim rebus*, ut Augustinus docet, *quas neque sensu neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam pervenerunt,* SINE IVSTA REPREHENSIONE *dubitamus.* Sic enim olim, Hieronymo teste, *propaginem animarum sentiebat occidentalis Ecclesia*; quas nunc novas à Deo creari, sine ulla erroris hæretici reprehensione, defendit.

Lib. 19. de Civit. c. 18.

Hier. apud Aug. Epist. ad optat. 157

Addo denique, si etjam Ecclesia universa rectè crederet, fidemque suam palàm in precibus & orthodoxis loquendi formulis fateretur, sed tamen quomodo verum sit id quod credit, non satis intelligeret, sed aliud atque aliud filij ejus humanâ suspicione, veracique submissione sentirent, nihil Ecclesia tota vel pars ejus in ipsa fide pateretur præjudicij. Arcanorum quippe mysteriorum integram fidem, non intelligentiam in hac vita Deus promisit Ecclesiæ. Vnde si rectissimam fidem Ecclesia de trium personarum distinctione in una divinitate credat & prædicet: sed nemo filiorum ejus modum assequatur, & propterea diversis opinationibus confligantur, & quædam dicant, quibus occultè fides ipsa quam tuentur, evertitur, nulla hæresis invidia in

A Ecclesiam cadit. Ita verò in plerisque capitibus doctrinæ accidit, in quibus ab Augustino Scholastici recessere. Nam & ipsi, & universa Ecclesia rectissimam fidem in Canonibus suis, & in precibus suis, ipsâque oratione Dominicâ quotidianâ protestatur, in quibus quicquid Augustinus de gratia & prædestinatione docuit, comprehenditur: sed quia vim eorum non attendunt, aut non intelligunt, hinc diversis opinionibus à se divulsi sunt, quibus inadvertenter fidem aliqui, quam Catholicè profitentur, interimunt. Sed quemadmodum in Sacramentorum administratione dici solet, quòd voluntas illa generalis faciendi quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia, corrigit latenter opiniones, quibus falsa, imò & hæretica de Sacramentorum formis opinantur: ita & hic fides immobilis, quâ credunt verum esse, quod in B Canonibus vel oratione ad Deum fusâ profitentur, corrigit falsas opiniones, juxta quas cum animi submissione sub tribunal Ecclesiæ, fidem explicant; ita ut inde nulla in animum credentem hæreseos labes cadat.

Quapropter nulla Scholasticarum opinationum vetustas quantocumque patrocinantium numero roborata, quibuscumque locis diffusa, quotcumque ætatibus propagata, fidem Ecclesiæ labefactat aut maculat; quæ quéadmodum hujusmodi filios suos cum animi simplicitate in rebus obscuris opinantes aut errantes tolerare solet, donec eruditorum disputationibus, aut Conciliorum decisionibus veritas eliquetur: ita nulla opinionum vetustate terreri debet, aut impediri potest, quin istas eorum opiniones ad incudem revocet, & de novo examinet, utrum à veritate sibi à Deo tradita, & antiquitus à suis veracibus & probatissimis magistris doctâ deviaC verint. Si enim rectissimè ab Augustino dictum est: *Episcoporum literas* quæ post Scripturarum Canonem *vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est:* quantò magis Doctorum Scholasticorum opiniones, quæ salvâ non solum Ecclesiæ, sed etjam ipsorum-met fide, fortè à veritate deflectunt, ad illam eandem licebit fidem, quam in precibus suis, & in Synodalibus decretis, ore proprio sinceroque corde profitentur, reprehendendo revocare, & revocando reprehendere, ut quod animo & verbis cum tota Ecclesia ab eis creditur, etjam ab eis intelligentiæ sinceritate capiatur? Nemo igitur ab improbandis hujusmodi inveteratis opinionibus Ecclesiam vetustate terreat, quasi propter temporis diuturnitatem, quâ in scholarum pulpitis familiares factæ sunt, irreprehensibiles esse debeant, si fortè liquidò constet, eas toties probatis ab Ecclesia sanctissimi Doctoris placitis refragari. Nam quemadmodum juxta Tertullianum, *Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit:*

Lib. 2. de bapt. cont. Donat. c. 3.

Tertull. lib. de veland. virg. c. 1.

ita non opiniones hominum diversorum diversas pro temporum vel rationum occurrentium varietate variantes; sed semel traditam à Patribus veritatem sequendam imperavit. Quam in hac materia de gratia & prædestinatione Patrem Patrum Augustinum tenuisse, ac docuisse, certi & securi sumus. *Viderint ergò quibus novum est, quod sibi vetus est*: & quibus vetus esse videtur, quod reverà sibi novum est, ac semel traditâ pridem veritate posterius. Ille igitur etjam atque etjam volvendus ac revolvendus est, ut ex collatione cum antiqua veritate contrariarum opinionum novitas clareat, quibus dos Ecclesiæ antiquioris doctrinæ sinceritas, quam Augustinus asseruit, per humanarum ratiocinationum fucos obsoleta est.

Idem ibid.

Quòd si in istis controversijs me quispiam Doctorum recentiorum numerositate vel auctoritate premat, moveor quidem vehementer, sed mirum, si etjam sapienter. Si enim eruditioni eruditio comparanda est, non molestè ferant recentiores, si plus uni Augustino tribuatur, in purissimis literarum sacrarum fontibus, & abditissimis arcanorum divinorum recessibus, ingenio illo prodigioso, quod descripsimus, divinitus illustrato indaganti & asserenti, cui nemo non huc usque, nisi insigniter delirus aut superbus, fasces submisit, quàm Theologorum ipsius doctrinæ repugnantium, quantumlibet numerosæ multitudini: qui si omnes in facies sese verterent, junctisque viribus contraherent, quicquid arte, animis, eruditione valent, vehementer mirarer, si vel unum ex illis, non dico sublimioribus, quos Episcopus scripsit, sed ex illis, quos Laicus à baptismo recens de libero arbitrio, de vera Religione, de moribus Ecclesiæ, aut alios paris profunditatis atque eruditionis arcanis principijs plenos exaravit, se scripturos pollicerentur. Non enim eruditionis profunditas ad arcana penetranda in multitudine astipulantium sita est: qui non, sicut suffragiorum numero, ita mentis acumine, unum semper superant. Nam quemadmodùm Sol unus omnibus cœlestibus luminaribus præstat, unaque inter omnes ignes Luna minores emicat: ita gradus ingenij sublimioris ordinis, & illustratio divina exuberantior millenis millibus depressiorum ingeniorum, & radiorum decoloratiorum antecellit. Quòd si verò auctoritati auctoritas componenda est, unus est Augustinus instar omnium, loco omnium, suprà omnes: à quo profectò solo in hoc argumento ipsi habent quicquid boni habent: & quicquid ibi ab ipso non habent, defœcatior esset fortè & felicior Theologia, si careret. Ad ipsum igitur confugiat quisquis in hisce quæstionibus errare nolit, ad ipsum ab omnibus quantumlibet numerosis provocet, ipsius vestigijs tanquam probatissimi Christianæ militiæ ducis individuus insistat: qui multis rebellantium hæreticorum trophæis inclytus tandem & Massilienses subegit, Pelagianos prostravit, de humana Philosophia eis suffragante triumphavit. Dabunt veniam adversarij, si in illa controversia incomparabiliter magis uni credendum putetur, qui totius Ecclesiæ gratulationes & plausus de victoria parta meruit, quàm ijs, qui sibi de benigniore Ecclesiæ censurâ gratulantur.

FINIS.

CORNE-

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE STATV NATVRÆ INNOCENTIS,
SEV
DE GRATIA PRIMI HOMINIS,
ET ANGELORVM
LIBER SINGVLARIS

PRÆFATIO.

DE natura hæresis Pelagianæ & Semi-Pelagianæ; de utriusque dogmatibus, diversisque statibus quos habuerunt, & vultibus quos ad fallendum incautos induerunt, multa in opere præcedente diximus: ut colubri isti tortuosi omnium oculis exponerentur. Deinceps ea, quantâ potuerit à nobis fieri curâ, pertractanda sunt, quæ Catholica doctrina, quatenus à S. Augustino, Prospero, & Fulgentio explicata fuit, & in ipsorum, Romanæque Ecclesiæ monumentis continetur, ad vitandos illos errores destruendosque tradit. Parum quippe prodest scire dumtaxat quid hæretici sentiant, nisi simul scias, quid in eorum sensu probandum aut improbandum sit. Et quia diversos humanæ naturæ status percurrimus, innocentis, lapsæ, reparatæ, & vires ejus in unoquoque ad benè operandum exploravimus, ut Pelagij sensum ac dogmata de singulis pernoscere possemus; iisdem quoque vestigijs in ijs refellendis insistendum puto, ut probabilior sit ipsâ ejusdem ordinis generalis luce disputatio. Generalis dico, quia pari ferè modo statum naturæ innocentis, hoc est, primi hominis & Angelorum, statum lapsæ, statum puræ quem vocant, statum reparatæ per Christum, & vires quibus in unoquoque pollet, lustraturi sumus, & gratias quibus indiget ex Augustino tradituri. Hanc tamen adhibebimus prolixitati moderationem, ut magis rerum ipsarum connexionem atque ordinem spectaturi simus, quàm dogmatum ac dictorum Pelagij. Rerum enim naturâ perceptâ, quidquid multipliciter veritati contradicitur, uno intuitu quàm falsum sit, intelligitur. Ita nec dicemus superflua, nec eadem ad singula Pelagij dogmata cum tœdio legentium repetemus. Accedit, quod multa in Pelagianorum doctrina ita clarè repugnant Catholicæ doctrinæ, ut ab omnibus etjam Scholasticis uno ore damnen-

Digitized by

damnentur: quibus refutandis immorari supervacaneus hac tempestate esset labor.

Itaque mihi constitutum est non cum larvis mortuis vel profligatis luctari, ex quo forsan major eruditionis existimatio, quàm fructus nasceretur: sed illa potissimùm Pelagij sensa & pronunciata ponderare, quæ à Recentioribus non satis videntur esse penetrata: quorum alia non intelliguntur, alia non putantur esse noxia, alia etjam sana judicantur: Quapropter quicquid in Augustini doctrina contra Pelagianos & Massilienses tradita à Recentioribus rectè intelligitur, eosque consentientes habet, intactum prætermittam: ut diutiùs in controversis, & præcipuè in enodando gratiæ actualis adjutorio hærere liceat.

CAPUT PRIMUM.

De creatione Adami in gratia & sanctitate.

VT igitur à gratia status innocentiæ tam hominum, quàm Angelorum ordiamur, multa hîc silentio prætermittimus, quæ Scholastici studiosissimè disputant. Pauca solummodò capita tangemus, quæ magis ad intelligendum auxilium gratiæ, quo munitus fuit, spectare videbuntur. Vbi primò occurrit, utrum Adamus in statu gratiæ creatus fuerit? Quæ quidem quæstio à festinantibus ad actualis gratiæ adjutorium, de quo tota cum Pelagianis controversia fuit, præteriri quoque potuisset; nisi nonnulli Scholastici tum recentiores tum vetustiores, rem istam potius ex ratione, quàm traditione metientes, in dubium revocassent id de quo anteà Ecclesia non dubitavit. Nonnulli enim apertè asseruerunt, primum hominē sine gratia sanctificante cōditum fuisse, quam posteà tamen ante lapsum acceperit: alij quamvis veritatem ipsam fateantur, non tamen omnino certam putant: sed sine fidei periculo, imo sine temeritate posse contrarium asseri.

Sed principijs D. Augustini inhærendo, cujus doctrinam in hoc opere proponendam & explicandam suscepimus, & cui præcipuè de ijs, quæ gratiam primi & secundi Adam spectant, credi debet, utpote à quo pœnè omnia, quę de rebus eò spectantibus in Concilijs & Ecclesiastica doctrina certa sunt, promanarunt, existimamus non posse in controversiam rem istā revocari; sed tanquam in Ecclesia definitam & fide certam debere supponi. Ille igitur ubique constanter sine ulla fluctuatione rem istam multis modis tradit.

Nam primò docet, naturam humanam sine vitio, sine culpa, salvam & incolumem esse à Deo conditam. *Creatus est* inquit *primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio.* Et sermone

Aug. serm. 11. de verb. Apost. c. 2.

A decimo tertio: *Dominus Deus creato homini sine vitio temperantiam præcipere dignatus est.* Et in libro de natura & gratia: *Natura quippe hominis primitus inculpata, & sine ullo vitio creata est.* Et in eodem libro: *Si ille, qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primò inculpata & salva condita est.* Et aliquanto antè: *Quis nescit* (hominem) *sanum & inculpabilem factum?* Quam doctrinā Catholicæ fidei esse, non est dubium.

Serm. 13. 1. 2. *Lib. de nat. & grat. c. 3.* *Ibid. c. 25.* *Cap. 43.*

Iam verò culpa & vitium, quod ab illo primę conditionis statu prolabendo contraxit, & propter quod jam nullo modo sanus & salvus est, in eo maximè situm est, quòd gratiam illā sanctificantē amisit. Hoc est enim præcipuum vitium, & culpa ejus. Porrò salvum, sanum, sine vitio & culpa esse conditum juxta doctrinam sancti Augustini nihil est aliud, quàm Deo ita mente & voluntate esse conjunctum, ut non possit à Deo, à salute, à vita æterna separari.

B Nam, ut ait contra Pelagianos, quod alibi sæpè repetit: *A salute & vita æterna hominem nisi peccata non separant.* quod usque adeò verum est apud Augustinum, ut etjam infantes, si juxta Pelagij dogma, *sine vitio procreantur, hoc solum in se habentes, quod Deus condidit*, judicet illos non tantùm futuros in eo statu, *in quo Adam fuit ante prævaricationem*, utpote cui tunc *nullum malum vitiumque inerat, atque id solum in illo erat, quod Deus condiderat*; sed etjam frustra baptizari, & fieri Christianos. Nimirum quia jam sani sunt, salvi sunt, sine culpa & peccato sunt, gratiam Dei habent: quia nulla Augustino salus, nisi per gratiam. De quibus in recensione dogmatum Pelagij latiùs dictum est, & infrà uberiùs dicturi sumus.

Lib. 1 de pecc. merit. c. 24. *Lib. de pecc. orig. c. 14.* *Vide lib. 3. de Hæres. Pelag. c. 19. usque ad 23. Vide & late in libro de pura natura.*

Secundò docet Augustinus, hominem sapientem esse à Deo conditum: non enim sine vitio conderetur, si cum stultitia conderetur, ut ipse dicit, *fit stultitia magnum vitium.* Itaq; generaliter dicit Augustinus: *Nemini dubium est, omnes homines aut stultos, aut sapientes esse.*

Lib. 1 retract. c. 14. Lib. de util. credendi cap. 12.

 Cui

Cui sententiæ, cùm de Adamo suprà disputans A contrarium asseruisse videretur, statuendo *mediam aliquam affectionem* esse posse inter stultitiã atque sapientiam ipsemet hoc explicat propter parvulos esse dictum, non propter eos, qui jam utuntur voluntatis arbitrio, qualis Adam fuit: atque ideo sine præjudicio istius generalis sententiæ, cõpendij potius causâ, hoc est, ne quæstionem illam præter propositum suum, & extra locum suum disputare cogeretur, quàm veritatis definiendę causâ à se esse prolatam. Iam verò sapientiam ipse intelligit & exponit eam, quâ quis in arce omnium virtutum constituitur, & à Dei charitate separari nullo pacto potest. Nam in eodem libro & loco de utilitate credendi, explicans quid sit illa sapientia, *Nunc autem*, inquit, *sapientes voco non cordatos & ingeniosos homines, sed eos quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deique firmissima percepta cognitio, atq; huic cognitioni vita moresq; congruentes.* Vnde mox: *Cui hominum virtus nisi sapientia animo præsto est?* Et aliquantò inferiùs: *Cum enim sapiens sit Deo ita mente coniunctus, ut nihil interponatur quod separet: Deus enim est veritas; nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat; negare non possumus, inter stultitiam hominis, & sincerissimam Dei veritatem medii quiddam interpositam esse hominis sapientiam.* Et ne quis adhuc Augustinum existimet intelligere humanam quandam & Philosophicam sapientiam, in libris de libero arbitrio se aperuit: *Cui non appareat, hunc esse* (stultum) *in quo mens summam potestatem non habet.* Et mox de sapientibus: *hos sapientes voco, quos veritas vocare iubet, id est, qui regno mentis omni libidinis subiugatione pacati sunt*: scilicet propter conjunctionem cum æterna Dei veritate, quam facit amor. Vnde in eisdem libris alibi: *sapientia non est ab illo qui illuminatur, sed ab illo qui illuminat, videlicet æterno lumine sapientiæ* Deo. Nam hoc exponens: *His omnibus melius* (est homo) *cum æterno lumine sapientiæ beatur est.* Et continuò adhuc clariùs exponens, qualem intelligat sapientiam, cùm qua primum hominem esse conditum sentit (etsi illo loco non asserat, sed disputet) superbiam docet avertere à sapientia; stultitiam verò & obscuritatem sequi ex aversione à lumine sapientiæ: *Dum ille, cui bonus est Deus, sibi ipse vult esse bonum suum, sicuti sibi est Deus* Et in libro sequenti definitivè sæpiùs repetit, sapientiam nihil esse aliud, nisi *veritatem, in qua cernitur & tenetur summum bonum*; summo autem bono *assecuto & adepto, beatus fit quisque.* Quæ certissimum est, sine gratia habituali non posse perfici. Quod alibi declarans. *Postremo est*, inquit, *septima ipsa sapientia pacificans totum hominem & suscipiens similitudinem Dei*

Lib. 3. de lib. arbit. c. 24. Lib. 1. Retra. c. 24.

Lib. de util. cred. c. 12.

Cap. 15.

Lib. 1. de lib. arbit. c. 9.

Lib. 3. c. 24.

Ibid.

Lib. 2. de lib. arbit. c. 9.

Lib. 1. de ser. Domin. mont. c. 3.

B

C

Tertiò, frequenter docet Augustinus Adamum à Deo conditum esse justum & bonum: *Adam factus est homo, potuit esse aliud quam factus est; factus est enim iustus & potuit esse iniustus.* Et alibi: *Ecce bonus factus est homo, & per liberum arbitrium factus est malus.* Et sermone decimo quarto: *A Deo bona est instituta natura.* Nulla verò apud Augustinum est justitia, nisi quam D Deus per gratiam tribuit, ita ut sexcenties repetat, justitiam Dei, seu quæ homini ex Deo est, veram esse justitiam: Iustitiam verò hominis aliam nomine justitiæ esse superbiam. De quibus alibi erit dicendi locus.

Serm. cont. dictum Adversarii in append. Serm. 11. de verb. Apost. c. 2. c. 14.

Quartò, sæpissimè docet Augustinus, primum hominem conditum esse rectum à Deo: *Adam*, inquit, *Deo suo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus astabat.* Et in libris de Civitate Dei: *Quæ* (prælia) *nusquam & nunquam essent, si natura nostra, sicut recta creata est, permaneret.* Quam doctrinam creberrimè alijs in locis repetit, & ex Scripturis hausit, quæ disertis verbis dicunt: *Solummodò hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* Rectitudo autem creaturæ rationalis Augustino nihil est aliud, nec verò secundùm ipsius principia aliud esse potest, nisi voluntas bona seu recta: nec ista aliud, nisi amor æternæ rectitudinis, hoc est amor Dei, sive charitas. Quod ipse tradit multis locis: *Fecit Deus* inquit, *sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus est Dei: cum ea quippe ab illo factus est homo.* Et intrà: *Cur non permitteret, ut ab illo primus homo, qui rectus, id est, bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur?* Bonam autem voluntatem non esse aliud, quàm charitatem Dei, sæpissimè expressis verbis docet. Nam paulò ante quàm rectum Adamum, id est, bonæ voluntatis conditum esse tradidisset, ita dixerat: *Cuius propositum est amare Deum, & non secundum hominem, sed secundùm Deum amare proximum, sicut etiam seipsum, procul dubio propter hunc amorem dicitur voluntatis bonæ, quæ usitatius in Scripturis sacris charitas appellatur.* Et contra Pelagianos: *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo.* Ex quo manifestum est, Augustinum tenere tanquam Scripturæ attestatione certissimum, quòd homo primus in gratia, hoc est, charitate Dei conditus fuerit. Et hinc est quod alibi dicit: *Hoc agit spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia.* Et mox: *Quâ gratiâ in interiore homine renovato iustitia scribitur, quam culpa deleverat* Et hanc inscriptionem ejus quod ibi *per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est*, vocat justificationem.

Lib. 1. oper. Iul. imperf. n. 46. 22. de Civit. c. 23.

Eccles. 7.

Lib. 14. de Civit. c. 11.

c. 27.

Lib. 14. de Civit. c. 7.

Lib. de grat. Christi c. 21.

Lib. de spirit. & litt. c. 27.

Ibid.

Ex hoc porrò principio, quòd Adam rectus, seu bonæ voluntatis, creatus fuit, & abesset omnis miseria, quæ malæ voluntatis est pœna, consequenter sequitur, primum hominem beatum esse conditum. Quod ipsum Augustinus velut consectaneum isti doctrinæ tradit. Nam cùm ipse bonam voluntatem alibi definivisset esse voluntatem, qua appetimus rectè honesteq; vivere, & ad summam sapientiam pervenire, mox infert, eum qui tali voluntate fruitur, atque gaudet, eamque magni facit, omnes possidere virtutes; *planèque beatum esse hominem dilectorem bonæ voluntatis suæ.* Nam, inquit, *hoc gaudium, quod huius boni adeptione gignitur, cùm tranquillè, & quietè, & constanter erigit animum, beata vita dicitur: nisi tu putes aliud esse beate vivere, nisi*

Lib. 1. de lib. arbit. c. 12.

Ibid. c. 13.

re, nisi veris bonis certisque gaudere. Et hinc est quod toties Augustinus inculcat, primum hominem in beata vita fuisse constitutum; nempe ipsâ conditione, & creatione suâ. Hanc porro doctrinam suam de bona voluntate, sive charitate, unde cuncta præcellentia dependent, ita constanter tenuit Augustinus, ut non vereatur eam certissimæ fidei dogma nominare; utpote quod ex Scripturis, & Ecclesiæ sensu manifestissimè hauriatur: *Quamquam*, inquit, *credamus hominem tam perfectè*, id est, in sublimitate sapientiæ, ut præcesserat, *conditum à Deo, & in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propriâ voluntate delapsus sit; tamen hoc cùm firmissima fide teneam, intelligentiâ nondum assecutus sum.* Et hoc quidem tantâ alleverantiâ asseruit jam statim initio conversionis suæ, utpote ex Ecclesiæ doctrina haustum, quod & senex retractando librum illum suum intactum reliquit, & in alijs libris perseverantissimè docuit. Nam hinc & illud est in Epistola 106. adversus Pelagianos edita, cum quibus ibi vehementissimè disputabat, utrum homo suis viribus posset sibi justitiam, Deo non adjuvante, parere: *natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret.* Vbi per *integritatem*, in qua natura humana condita est, maximè omnium intelligit, illam humanæ mentis integritatem, hoc est, illam justitiam, seu sanctitatem, quâ casto amore adhærebat Deo; quam ipse sæpenumerò testatur Adamo in sua conditione esse collatam, ut jam ex ipso multis modis audivimus. Nam ab ipsa integritate, juxta Augustini doctrinam, tota reliqua naturæ integritas fluxit, & citra illam omnis alia parvi momenti est, & juxta ordinatissimam justissimamque Dei legem neq; esse neq; permanere potest. Vnde de hac ipsa mentis integritate intelligitur id quod adjicit; *nullo modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret*; nempe in illa ipsa mentis integritate, hoc est, justitia. Nam adjutorium Dei quod ad conservationem primi hominis sæpè Augustinus tanquam necessarium postulat, semper intelligitur adjutorium gratiæ ad perseverandum in bona voluntate, seu justitia, prout fusè ex ipso mox tradituri sumus. Vnde de eadem illa integritate justitiæ, in qua vera salus hominis constituta fuit, intelligitur & id quod statim sequitur: *Cum igitur sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit*, hoc est, integritatem, in qua condita est; quid enim aliud salus hominis, quàm ejus integritas? Quam salutem non solum acceptam, sed in conditione acceptam, disertis verbis ad Laurentium scribit: *Etiam primum hominem Deus in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset &c.* De eadem intelligitur & id quod sequitur: *Quo modo sine Dei gratia potest reparare quam perdidit?* Nam hoc in Pelagianam hæresin, quam ibi impugnabat, intortum est, quæ sine adjutorio gratiæ Dei sentiebat hominem posse justificari, & ita salutem raparare, quam perdidit. Nam salutem partis inferioris tantùm abest ut Pelagiani vellēt ab homine sine gratia reparari, ut potius nunquam homini primo collatam esse sentirent; imò concupiscentiam & in cœlum resuscitatis corporibus ingerere velle viderentur, ut alibi latiùs demonstravimus. Et ista quidem Augustini doctrina tantoperè placuit Ecclesiæ, ut illam ijsdem omninò verbis ex Augustino sumptis in Concilio Arausicano Canone expresso sanxerit, & velut Catholicæ fidei dogma muniverit: ut multùm mirandum sit, quo pacto Scholastici rem istam in dubium revocaverint. Sic enim loquitur Concilium Arausicanum: *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret. Vnde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Qui Canon contra Pelagianos, integritatem salutemque justitiæ conservari sine gratia Dei, imò reparari posse statuentes, conditus est. Vnde conformiter isti doctrinæ Synodus Tridentina, Scripturarum, & sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorũ testimonia, & ipsius Ecclesiæ judicium & consensum secuta dicit: *Siquis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatũ Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse.* Nam Concilia, & Scripturæ, quas Concilium Tridentinũ se dicit sequi, non aliter indicant constitutum in sanctitate, quã quando factus & creatus est. Illud enim, quod afferunt Scholastici, de rectitudine quadam naturali per virtutes morales, & hujusmodi, in quibus Adamus cogitari posset cõditus, non Ecclesiæ, sed quorundã Philosophis magis, quàm Scripturis, & Ecclesiasticæ doctrinæ inhærentium sententia est; qualis homo jam olim à Philosophis, & posteà à Pelagianis inter Christianos introductus est. Sed ab Ecclesiastica doctrina tale commentum remotissimum est, & in Augustini scriptis inauditum: qui usq; adeò in veri Dei lumine & sanctitate primum hominem creatum esse sentit, ut illum Apostoli locũ tractans: *Renovamini Spiritu mentis vestra, & induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creavit eum*, confidenter dicat, Apostolum *satis ostendere, ubi sit homo creatus ad imaginem Dei, quia non corporis lineamentis, sed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ.* Ita videlicet, ut hoc ipsum esset Adamo fieri, quod à Deo illuminari: *Fecit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei, quia & ipsa natura scilicet intellectualis est, sicut & illa lux* (scilicet Angelica) *& propterea, hoc est ei fieri, quod est agnoscere verbum Dei.* Et paulò pòst: *Quia verò & ipsa creatura rationalis est, & ipsa eadem cognitione perfecta est. Sicut enim post lapsum peccati homo in agnitione Dei renovatur, secundum imaginẽ eius, qui creavit eum: ita in ipsa agnitione creatus est, antequam delicto veterasceret, unde rursus in eadem agnitione renovaretur.* Vbi agnitionem suo more vocat illam agnitionem Dei, quæ fit per verã cœlestemq; sapientiam, hoc est, per luminosissimam charitatem: Et hoc est Augustino in Dei agnitione renovari, per inscriptionem scilicet

Vide lib. 14. de Civit. c. 10. lib. 2. de nupt. c. 14. & ult. & alibi.

Lib. 1. de lib. arb. c. 11. in fine.

In Enchyrid. c. 104.

Concil. Arausic. c. 19.

Sess. 5.

Coloss. 3.

Lib. 3. de Genes. ad litt. c. 20.

Ibid.

Vide c. 27. & 28 lib. de Spir. & litt. scilicet legis Dei in corde credentium, ut suprà A ex libro de Spiritu & littera attigimus.

Vnus tantùm est difficilis locus, qui huic Ecclesiæ & Augustini doctrinæ, quamvis constanter ab eo assertæ, opponi posse videatur. *Genes. 2.* Nam tractans illum Scripturæ locum; *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ*; docet eo significari, quòd flatus Dei animum operatus sit: & *Lib. 2. de Genes. cont. Manich. c. 8.* mox adjungit: *Nondum tamen spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritalis effectus est, cùm in paradiso, hoc est, in beata vita constitutus præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur.* Vbi significare videtur, hominem ante esse conditum; posteà verò cùm in paradiso collocatus fuit, gratiâ spiritus esse perfectum.

Sed qui benè loci circumstantias ponderaverit, facilè videbit illis verbis: *Nondum*; & : *Tunc enim spiritalis effectus est &c.* non significari B ordinem rerum gestarum, quasi illæ tempore se consecutæ fuerint; sed ordinem narrationis, & quibus quidque verbis insinuatum fuerit: Hoc vult igitur Augustinus illis verbis, *Insufflavit &c.* nondum significari quod homo spiritualis fuerit; sed hoc potiùs indicari nomine paradisi, quo, ut statim dicit, ipsa beatitudo *Ibid. c. 9.* hominis figuratè significata est. Nam sicut diversis Dei operationibus se mutuo saltem naturæ ordine consequentibus natura condita, & gratia infusa fuit: ita nihil mirum, si separatim illa quoque narrentur, & diversis rebus figuratè significentur. Et hæc de Adami sanctificatione dicta sint: quorum veritas longè luculentiùs & immobiliùs constabit ex ijs, quæ juxta S. Augustinum inferiùs de statu puræ naturæ tribus libris dicturi sumus.

Tametsi verò non sit hîc nobis de Angelis disputatio, de quibus nihil contra doctrinam Ecclesiasticam à Pelagianis motum fuit: quia tamen de bene agendi adjutorio, de quo infrà, necessariò multa dicenda sunt, eademque est omnino in Angelis & homine innocente ratio; breviter hoc addendum est, idem juxta D. Augustini doctrinam de Angelorum, quod de hominis creatione esse sentiendum. Videlicet, etjam Angelos sive bonos sive malos, in sanctitate & justitiâ, hoc est, in divinæ charitatis gratiâ esse conditos. Vnde post nonnullam disputationem definitivam fert sententiam: *Et istam* (bonam voluntatem) *quis fecerat, nisi ille* *Lib. 12. de Civit. c. 9.* *qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent creavit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam. Vnde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est.* Et statim docet, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etjam *de sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis.* *Ibid.*

CAPVT SECVNDVM.

Quis status inferioris partis respectu superioris.

CVM igitur iste esset status mentis ho- A minis respectu Dei, ut Deo Creatori suo, ultimoque suo & omnium creaturarum fini castissimo amore cohæreret, ex quo fiebat, ut divinæ sapientiæ omniumque virtutum, quæ in animo rationali sedem suam habent, particeps fieret, rectus ordo videbatur postulare, ut huic tam connaturali hominis bono, propter cujus possessionem creatus, & in cujus conservatione salus ejus constituta est, nihil in ipso homine à Deo creante fieret, sive in animo, sive in corpore, quod eum ab illa sui creatoris & salutis, & veri totius sui boni possessione, & fruitione retorqueret, ac divelleret. Hinc corpus pariter & animum suâ quemq; integritate vestivit, ut sine pacis illius supernæ interpellatione, animus menti, corpus animo summâ facilitate, profundâ tranquillitate servirent. Primùm igitur de reliquo animi statu, posteà de corpo- B re pauca dicturi sumus.

Animum igitur primi hominis sine omni concupiscentiali motu creatum esse, certissima Augustini & veræ Catholicæ Ecclesiæ doctrina est, adversus illum errorem Pelagianorum, quo docebant, libidines illas, sive concupiscentias, sive cupiditates, quibus in hac vita jugiter perturbamur ac tentamur, & ad vitia quælibet sectanda propellimur, humanæ naturæ concreatas esse: de quo multa in recensendis Pelagianorum erroribus diximus. Inter illas libidines turpissima quidem illa est, quæ ad lasciviam carnis incitat, sive animum, sive simul & corpus; sed non est sola: in omnibus enim bonorum creatorum cupiditate, & peccatorum generibus, locū habent. Nam quemadmodū ad concubitū, ad odoranda, ad gustanda, ad audienda, ad videnda voluptuosa impetu quodā concupiscentiali & voluptuario provocamur; ita & ad invidendum, superbiendum, blasphemandum: nec est ullum omninò boni creati genus, ad quod non similis concupiscentialis instinctus possit & soleat aliquando exardescere, & ad consensum peccati impellendo, antecedere. Adversus istum igitur Pelagianorum errorem asseverantissimè semper August. docuit, naturam humanam in suæ procreationis exordio immunem & liberam ab hujusmodi concupiscentijs productam esse, easque Deo vindicante, peccati primi merito emersisse. Hinc illud in libris de Civitate Dei: *Hoc itaq; tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoriâ retinendum, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis posteà subsecutum est &c.* *Lib. 14. de Civit. c. 12.* Et in eodem libro inferiùs: *Hæ igitur partes* (ira atque libido)

in para-

Ibid. c. 19. *in paradiso ante peccatum vitiose non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid movebantur, unde necesse esset eas ratione tanquam frenis regenti us abstinere. Vnde quòd nunc ita moventur, & ab eis qui temperanter & juste & piè vivunt, alias facilius, alias difficilius, tamen cohibendo & refrenando modificantur, non est utique sanitas ex natura, sed languor ex culpa.* Hinc illud in ultimo adversus Iulianum opere: *Hac dicebat B. Gregorius &c. volens exponere, vel potiùs quæ nota sunt admonere, in quali quantoque certamine cum vitijs interioribus propter corpus quod aggravat animã, cõstituti sint sancti. Quod certamen utiq; non fuisset in illo beata pacis loco, id est, in paradiso deliciarum, si nemo peccasset.* Et aliquanto pòst: *Actio pia est in hac vita Deum colere, & eius gratiâ contra vitia interna pugnare, eisque ad illicita instigantibus, cogentibusque non cedere &c. In paradiso autem, si nemo peccasset, non esset actio pietatis expugnare vitia; quoniam permansio felicitatis esset, vitia non habere.* Hinc illud in libro de correptione & gratia: *Ille vero* (primus homo) *nulla tali rixa à seipso adversus seipsum tentatus atq; turbatus, in illo beatitudinis loco suâ secum pace fruebatur.* Et inferiùs: *Tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat.* Quam doctrinam tanquam Catholicã sexcenties in suis operibus adversus Pelagianos editis repetit, & adversam velut Pelagianæ surculum damnat. Hauserat suam ex Scripturis sacris, quæ manifestè vitia ista ex peccato processisse declarãt. Nam cùm dixisset primos homines ante peccatum fuisse nudos, & non erubuisse, postquam peccassent, narrat oculos eorum apertos: *cumq; cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata,* quibus pudenda velantur. Qua narratione significatur, primos parentes nullos pudendos concupiscẽtiæ motus in sua nuditate sensisse: post peccatũ vero eosdem illos sentiendo erubuisse: quemadmodum communis Patrum, adeoque omnium Christianorum fidelium sensus est. Vnde Augustinus adversus Iulianum, qui per peccatum nihil pudendæ novitatis in partibus illis corporis ortum esse sentiebat: *Ego verò non à pictore inanium figurarum, sed à scriptore divinarũ litterarum, quia illi primi homines nudi erant, & non confundebantur. In quibus absit ut tanta innocentia tam impudens esset: sed nondum inerat, quod puderet. Peccaverunt, attenderunt, erubuerunt, operuerunt; & adhuc clamas: Nihil illic indecens nonnunquam senserunt. Hanc planè impudentiam tuam nimis incredibilem, absit ut dicam, nullus te Apostolus aut Propheta, sed nec pictor docuit aut Poëta.* Et paulò pòst: *Adam & mulier eius, qui nudi erant ante peccatum, & non confundebantur, mox ut peccaverunt, quas partes corporis amicierunt, perizomatum nomine satis expressum est. Videmus quid texerint, nimia insipientia est adhuc quærere, nimia impudentia adhuc negare, quid senserint. Nam tu quoq; cùm obstinatissime contradicas, usque adeo indicasti, nihil aliud humanis occurrere sensibus, nisi concupiscentialẽ motum erubescentes illos homines in genitalibus tegere voluisse, ut perizomata erigere ad latera conaveris:* Quo Scripturæ loco frequenter Pelagianos libidinem in paradisum inducere molientes expugnat. Eadem verò prorsus est & cæterarum cupiditatũ ratio. Vnde & illas generatim non nisi ex peccato promanasse, ex alio Apostoli loco docet, ubi concupiscentiam sæpiùs *peccatum,* & *peccati legem* vocat. Nimirum ea de causa, inquit Augustinus, *quòd & peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit.* Vel ut alibi dicit: *Eam* (Apostolus) *peccati nomine appellat, quia & de primo peccato originem ducit, & quisquis eius motibus ad illicita consenserit, peccat.* Vbi sub cõcupiscentia, sicut & Apostolus Iacobus, omnem omnino libidinem comprehendit, *quæ cum conceperit parit peccatum,* seu, cui consensum adhibendo peccamus: quam idcircò juxta mentem Apostoli, quem allegat, nihil aliud esse dicit, quàm *desiderium peccati.* Vnde istam de concupiscentiæ origine doctrinã Augustini Synodus Tridentina faciens suam: *Hanc,* inquit, *concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrariũ senserit, anathema sit.* Si ex peccato est, ante peccatum igitur nusquam fuit.

Margin notes: Lib. 2. cont. Iul. op. imp. f. 96. — Ibid. f. 97. — c. 11. — c. 12. — Genes. 2. & 3. — Lib. 5. cont. Iul. c. 2. — Ibid. — Ad Rom. 7. — Lib. 1. de nup. c. 23. — Lib. 2. cont. Iul. op. imp. f. 449. — Lib. de perf. iust. c. 6. — Sess. 5. can. 5.

CAPVT TERTIVM.

Vtrùm fuerint in homine primo innati & intensi appetitus excellentiæ & laudis, & superbiæ tentationes, ut quidam volunt.

QVÆ doctrina cùm tam sancta, tam primæ conditionis decens integritatem, tam in Scripturis, Concilio, & Augustino fundata sit, ut ejus veritate Pelagiana hæresis debellata, & mole oppressa sit, mirum profectò est, quòd quidam recentiores minùs perspectam habendo erroris Pelagiani virulentiam & latitudinem, ab istius doctrinæ norma discesserunt. Nam quidam eorum dicit, hominem Deo juvante potuisse se continere ab omni peccato, cùm *nullas alias tentationes haberet, præter eas, quæ extrinsecùs inferrentur, & præter innatum appetitum excellentiæ & laudis, quo ad voluntatem & intellectum; quæ omnia in tanta tranquillitate passionum, tanquam præclaris donis præditus facile poterat superare.* Vbi significat innatis superbiæ motibus hominem potuisse tentari; illa est enim, quæ excellentiæ & laudi inhiat; sed eos facile superare potuisse. Nihil enim superatur, nisi quod pugnando resistit. Alius Molinæ vestigia secutus audet & dicit: *Amorem excellentiæ in natura integra & perfecta intensissimum fuisse:* & hoc imponit Augustino, tanquam

Margin notes: Molina in Concord. disp. 4. — Cor. à Lapid. in Genes. f. 46. Col. 2.

tanquam doctrinam illam libro undecimo de Genesi ad litteram capite quinto, & libro decimo quarto de civitate Dei, capite decimo tertio tradidisset, cujus in ijs locis nullũ prorsus vestigium est. Hinc alij ulteriùs progressi, & conclusiones ex isto principio deducentes dicunt: In statu innocentiæ ex objectis spiritualibus esse potuisse gravissimam tentationem superbiæ, quæ sola superaret omnes quæ nunc sunt; & ideo plures homines fuisse damnandos, quàm salvandos. Alius paulò timidior fatetur quidem nec majorem tunc, neque æqualem superbiæ tentationem futuram, atque ea est quam nunc patimur; aliquam tamen futuram fuisse judicat, dum dicit: *Hæc ergo tentatio superbiæ non multum impediret tunc possibilitatem non peccandi contra legem naturæ*: significans aliquantulùm fuisse impedituram. Et alibi de Angelis loquens, in quibus eadem vel major est ratio: *Fortasse etiam illis*, inquit, *fuit necessarium, gravem aliquam tentationem contra supernaturalia opera & præcepta tunc vincere. Inferiores enim omnes à supremo contra Dei honorem & obedientiam sollicitati sunt: ipse verò supremus Angelus à propria excellentia & pulchritudine abstractus fuit & illectus*; ubi gravitas tentationis per excellentiam, & per eam abstrahi & illici (quibus Apostolus verbis utitur ad exprimendum concupiscentialis tentationis modum) indicare videntur id quod Molina & alius dixit, primum hominem naturali & intensissimo illo excellentiæ appetitu graviter fuisse tentatum. Idcirco enim distinguit exteriorem supremi Angeli sollicitationem ab abstractione ipsius per propriam excellentiam: ut videlicet ita duplex tentationis modus, quem Molina protulit, distingueretur, unus per ea, *quæ extrinsecus inferrentur*; alter per *innatum appetitum excellentiæ & laudis*.

Ioan. Vincẽt in relect. de gratia Christi.

Franc. Suar. lib. 1. de grat. c. 25. n. 9.

Lib. 10. de grat. c. 9. n. 8.

C Fundamentum hujusce doctrinæ non est aliud, nisi Philosophia, & miseriarum nostrarum experientia, ex quibus omnes pœnè hallucinationes recentiorum in materia de gratia & prædestinatione fluxerunt. Sicut enim nunc experiuntur homines motus quosdam indeliberatos omnibus peccatis & voluntatis motibus prævolare, ita etiam in statu innocentiæ factum esse, Philosophiâ suffragante, concludunt: *Ex contemplatione rei valdè amabilis*, inquit Molina, *& quam multum refert adipisci, naturaliter consurgit in voluntate motus quidam, quo voluntas ad illam afficitur: qui motus non est volitio, sed affectio voluntatis ad illam rem, à cujus bonitate quasi tangitur, & allicitur ad volendum eam. Neque hic motus solùm in hominibus solet antecedere volitionem, sed etiam in Angelis. Priùs namque tempore vel naturâ fuit, Luciferum ad id affici voluntate, quod per superbiam obtinere voluit, quam per voluntatem illud vellet, contra legem Dei. Sicut prius etiam fuit, Evam affici ad pomum vetitum, id quod Scriptura Geneseos 3. solis innuit illis verbis: Vidit mulier quod bonum esset &c.* Eodem argumento jam olim utebatur Iulianus adversus Augustinum, cum concupiscentiam istam eandem pomi vetiti, totumque cæterarum agmen in paradisum

Molina in conc. q. 14. a. 13. disput. 45.

A introducere conabatur, ut peccati originalis labem tolleret. *Hanc autem voluptatem & concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse, res illa declarat, quia ad delictum via per concupiscentiam fuit, quæ cum pomi decore oculos incitasset, spem etiam iucundi irritavit saporis &c.*

Iulian. apud Aug. lib. 1. oper. imperf. f. 100.

Sed juxta castissimam illam Augustini & Tridentinæ Synodi doctrinam omnino dicendum est, nullos omnino neque parvos neque magnos excellentiæ aut laudis, aut superbiæ motus atque tentationes præter externas ante omne peccatum esse potuisse. Si enim aliqua quantulacunque tentatio superbiæ ex innato appetitu excellentiæ & laudis, quæ etsi non multùm impediret, impediret tamen, esset, ut ille dicit *superanda*, vel ut iste, *vincenda*, nulla omnino causa est, cur non totum concupiscentiarum cæterarum exercitum in eis ante peccatum militasse fateamur, quem illi primi homines pugnantem resistentemque vicerint atque superaverint. Superbiæ enim tentatio ex illo innato excellentiæ appetitu promicans, omnium est gravissima, subtilissima, virulentissima; cujus comparatione cæteræ vix calones respectu Triariorum dici debent, pro ut viri spirituales confitentur. Quod si illa non repugnet illius perfectioni status, aliæ profectò multò minùs repugnabunt: & si innatus & intensissimus excellentiæ appetitus ibi esse potuit, cur non & voluptatis, & scientiæ, & cæterorum bonorum, ad quæ jam, naturâ nos similiter instigante, propendemus? Quod quidem Molina non magnopere videtur abhorrere, sed palàm nos principijs suis eò ducere. Verum hoc nullo pacto admitti posse, ex ijs, quæ suprà diximus, utcunque manifestum est. Et sanè si doctrina ista recentiorum vera est, omnino necessarium est, plura quam duodecim principia, quibus Augustinus utitur ad tuendam primi status libertatem, & justitiam Dei, & Adami gratiam, & Angelorum perseverantiam, & peccatum originale, & gratiam Christi, & Salvatoris necessitatem, & concupiscentiæ malitiam, & bene vivendi ex illa difficultatem, &, ut uno verbo dicam, universos labores ejus adversus Pelagianos, totamque gratiam crucis Christi funditus corruere: ut contra contentiosos facilè esset ostendere. Sed quia operosum esset, & importunum, & præposterum, ista omnia hîc intrudere, de quibus in sequentibus ex professo disputandum est, præsenti loco ex proposito satis fuerit, Augustini doctrinam, quâ generaliter omnia interna incentiva vitiorum in primis hominibus perimuntur, & præcipua Pelagiani erroris fundamenta subversa sunt, ex ijs quæ diximus, percepisse. Quòd si cui scrupulus aliquis de Augustini mente relictus fuerit, ex alijs apertissimis ejus locis poterit esse liquidissima.

B

Vide fundamenta hujus doctrinæ fusè tractata infra totis tribus libris de statu puræ naturæ.

D

Cùm enim Iulianus asseruisset, eo ferè modo, & fundamento, quo recentiores isti, naturalem fuisse etjam in paradiso omnium sensuum voluptatem, hoc est, naturalem ibi fuisse appetitum, non tantùm excellentiæ & laudis,

sed

sed etjam cæterorum bonorum, quibus naturaliter sensus afficitur (ut satis apertè etjam Molina profitetur) atq; ideò per illum naturalem appetitum seu concupiscentiam Adamum fuisse tentatum, ita ut pomi decore oculos incitando, & spem jucundi irritando saporis via ad delictum per concupiscentiam illam naturalem fuerit, vide quantâ acrimoniâ adversùs eum, & adversùs commentum istud Pelagianum Augustinus invehatur: *Quid est ergò quod loqueris, nesciens quid loquaris? Ergone & in paradiso ante malesuada venena serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem, illicita tibi libido jam fuit? Et quod intolerabilius dicitur, ad malum provocabat, & mala non fuit? Et videbant illi homines fructum ligni prohibiti, & concupiscebant: sed ut non manducarent, concupiscentia spiritus carnis concupiscentiæ repugnabat? Et vivebant in loco illo tantæ beatitudinis non habentes in se ipsis pacem mentis & corporis? Non usque adeo dementes estis, ut ista credatis: non usque adeo impudentes ut ista dicatis.* Ecce hujusmodi affectus voluntatis in hominibus innocentibus antequã pomum vetitum comedere vellent, credere, dementiam Augustinus vocat; hoc ipsum verò dicere, impudentiam. Quanto fremitu insurgeret, si audivisset Iulianum intensissimos & innatos appetitus excellentiæ & laudis, gravissimasque superbiæ tentationes à propria excellentia & pulchritudine pullulantes, quæ mentem & abstraherent & illicerent, quæ possibilitatem non peccandi impedirent, essentque vincendæ atque superandæ, in illum locum humanæ vel Angelicæ felicitatis inducere! Non enim quia boni corporalis ille appetitus seu libido fuit, eam tantoperè exhorret Augustinus; sed quia boni cujuscumque creati appetitus fuit, quo non peccandi possibilitas quoquo modo resistendo impediebatur, cujus tentationis gravitas esset qualicunque pugnâ superanda. Hinc est enim quod constantissimè semper omnem omninò appetitus cujuscunque motum, qui quovis modo resisteret rectæ voluntati, ab illo statu tollit: *Nihil*, inquit, *illi concupiscentialiter resistebat. Permansio felicitatis esset, vitia non habere*; hoc est, non habere motus qualescunque, sive excellentiæ, sive laudis, sive alterius boni, qui deberent voluntate adversus eos pugnante frenari. Et alibi: *Nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur; nec inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet.* Hinc est quod passim tradit, summam illius felicitatis fuisse tranquillitatem & pacem: *In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum.* Et alio in loco: *In tota anima & toto corpore conditorem habeo pacis Deum: quis in me seminavit hoc bellum?* Et rursum: *Absit ut illa pax animi & corporis haberet aliquid, propter quod adversùs seipsam prima hominis natura pugnaret.* Et in libris de Civitate Dei: *Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas.* Hinc summam ibi futuram fuisse benè vivendi facilitatem ubique asserit: quod nullo modo verum esse potest, si intensissimus ibi fuisset excellentiæ & laudis appetitus, vel tanta gravitas tentationum inde surgentium: *Non stetit*, inquit, *in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate.* Et rursum: *Vt dignè tanta bonitati & bene vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium.* Et alio in loco: *Concors* (erat in paradiso) *mentis corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia.* Tantum abest, ut gravissimas ibi superbiæ tentationes vel suspicari auderet. Hinc nullam omninò fuisse tentationis cujuscunque gravitatem, ex qua vel pugnandi necessitas oriretur, passim astruit: *In paradiso, si nemo peccasset, non esset actio pietatis expugnare vitia*, hoc est, surgentes undecunque animi aut corporis motus. Et in libris de Civitate Dei: *Hoc autem bellum nunquam ullum esset, si natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta est, perstitisset.* Et alibi rursum: *Sicut in paradiso nullus æstus, aut frigus, sic in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore bonæ voluntatis offensio.* Si nulla offensio multo profectò minùs pugna cum innatis illis, vel intẽsissimis laudis aut superbiæ appetitibus, qui surgere ac tẽtare hominem sine bonæ voluntatis offensione non possunt. Hoc enim offendit bonam voluntatem, quod ei resistit, & inde pugna nascitur. *Non in cupiditatibus frenandis continentia laboraret, si nihil nos, contra quod contenderet, detineret, si nihil bonæ voluntati ex mala concupiscentia repugnaret.* Itaque de uno notissimo corporalis voluptatis appetitu, quæ etjam in uxore licita est, loquens: *Quæ pugna boni & mali nulla esset, si nemo peccasset. Sicut autem ante hominis iniquitatem nulla erat, ita post infirmitatem nulla erit.* Quibus in verbis etjam radix tangitur, cur in illo pacis loco nec bellum, nec ulla quidem pugna, esse potuerit; quia omnis ab eo exulabat infirmitas. Nam ut idem sanctus Doctor alicubi dicit: *Et pugnare infirmitatis est. Quanto enim quisque vincit facilius, tanto pugnat minus. In semetipso autem quis pugnaret, si nihil ex semetipso eidem repugnaret? Et quid nobis repugnat ex nobis, nisi quod adhuc curatur, ut sanetur in nobis? Ergò in nobismetipsis sola est infirmitas causa pugnãdi.* Hæc autem infirmitas gravissima primi peccati pœna fuit: quod antequam præcessisset, nulla prorsus infirmitas pugnandiq; necessitas incumbebat: Vnde idem sanctus: *In hac bona hominis & bene à bono condita institutaque natura nunc bellum est, quoniam salus nondum est. Languor sanetur, pax est. Languorem autem istum culpa meruit, natura non habuit.* Idcircò autem languorem istum, ex appetitibus hujusmodi innatis, aut intensissimis excellentiæ aut laudis, aut undecunque nascentem aut pugnandi vincendique necessitatem natura ante peccatum nullam habuit, quia grave admodum creaturæ rationalis malum sunt, quo sine peccati merito affligi non debuit. Quod Augustinus tetigit, quando dixit: *Adhuc non intelligis nostram naturam non esse* (hoc est non esse naturale, seu cum natura concreatum à Deo) *sed vitium, contra quod virtute pugnamus?* Quo significat, cum nullo vitio aut malo naturam nostram esse creatam; sed tantummodo peccati merito vitiatam. Hinc mox inferius: *Rogo te, oculos aperi,*

Margin notes: Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. c. 100. — De corrept. & grat. c. 12. — Lib. 1. cont. Iul. oper. imp. — 14. de Civit. c. 10. — 3. cont. Iul. c. 11. — Lib. 5. c. 7. — Ibid. c. 16. — Li. 14. de Civit. c. 26. — De corrept. & grat. c. 12. — Ibid. — 14. de Civit. c. 26. — Lib. 1. cont. Iul. op. imp. — Lib. 21. c. 15. — Lib. 14. c. 26. — Lib. de continent. c. 3. — Lib. 4. cont. Iul. c. 5. — Lib. 4. cont. Iul. c. 2. — Lib. de continent. c. 7. — Lib. 5. cont. Iul. c. 7.

aperi, & cerne, quæ aperta sunt. Nulla pugna est A *sine malo. Quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum, aut malum & malum: aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum.* Cujus doctrinæ immobilis basis in libris de pura natura ex professo latiùs traddituri sumus.

Ex hoc fonte oritur, quod idem ille divinissimus Doctor parentes nostros sine ulla omninò pugna prostratos esse fateatur, ac doceat. Quod quamvis Augustinus non disertis verbis traderet, per seipsa res perspicua est, ubi enim nihil prorsus resistit bonæ voluntati, quia nihil inest quod resistere queat, sed quidquid voluntas voluerit, hoc ipsâ illâ voluntate fiat, apertissimum est, nullam neque tentationis gravitatem, neque superandi difficultatem, neque pugnandi necessitatem, imò nec pugnam ipsam esse posse: vtpote quæ sine aliquo resistente esse non potest. Nullus autem cujuscunque appetitûs sive corporalis sive spiritualis B motus, cum quo resistente pugnare potuisset, voluntatem unquam surgendo præcedebat, vel quando voluntate jubente surrexerat, nutum ejus vel ad latum unguem nō excedebat, sed in omnibus eam obediendo sequebatur. Ex quo fiebat, ut quidquid in contrarium non pauci recentiores dicant, ne quidem voluntas sollicitè vigilare cogeretur, ne cupiditatis alicujus motus obreperet. Cujus rei perspicuū argumentū est, quod cùm oculis corpus eorum nudum quotidiè subijceretur, nullo inquieto stimulo vel ardore, sive in animo sive in corpore, concitati sint. Quæ namq; mentis vigilantia satis esse queat, ut animus in tali corpore constitutus quod hujusmodi motibus, non præeunte jubenteque voluntate, obnoxium esse potest, incursantibus in oculos ipsos rebus illecebrosis nullo unquam tumultuoso hujusmodi stimulo perturbetur? Nam ad hoc præcipuè vigilans C illa cura mentis incumbit, ut illæ illecebræ, per quas lascivus, aut alius quislibet concupiscentialis motus corpori aut animo potest citra imperium voluntatis obrepere, à conspectu, ipsisque cogitationibus longiùs arceantur. Quod quia nec in subtrahenda invicem corporis sui nuditate, nec in contemplanda pomi vetiti pulchritudine observatum fuit, perspicuè patet non opus fuisse, ut mens adversus obrepentes undecunque motus excubaret, quos sibi persistente sub Deo mentis obedientia, à qua tota firmitas partis inferioris, adeòque corporis immortalitas religata pendebat, nullo modo obrepere posse sentiebant. Hinc Augustinus de cupiditate cibi vetiti loquens, quam suspicabatur consideratione decoris pomi surrexisse Iulianus: *Non itaque*, inquit, *ibi quæscunque cupiditas qualiscunque reluctata est voluntati, sed ei potiùs depravata servivit. Ac per hoc, quamvis tam utraque mala esset, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit: nec præcessit voluntatem nec restitit voluntati.* Et de cupiditate seu libidine quarumcunque voluptatum, quæ sensibus corporis percipiuntur, disserens, regulam figit, quæ in omnibus omninò appetitibus locum habet: *Nullâ ratione crediderim, in illa tanta felicitatis loco, aut carnem concupivisse adversus spiritum, & spiritum adversus carnem; atque in ista conflictatione sine interna pace vixisse aut spiritum desiderijs non repugnasse carnalibus; sed quidquid undecunque libido suggesserit, turpi servitio peregisse.* Quis ergò erat in ista pacis regione concupiscendi seu appetendi modus? *Remanet igitur, ut aut nulla ibi fuerit carnalis concupiscentia, sed ille fuerit vivendi modus, ut omnia necessaria congruis membrorum officijs, sine ullius motu libidinis, implerentur: aut (ne nimium videamur offendere homines, qui voluptatem corporis quomodocunque defendunt) ita ibi credatur carnalium sensuum fuisse libidinem, ut* OMNINO RATIONALI SVBDITA VOLVNTATI *non aliàs adesset nisi cùm per illam vel saluti esset corporis vel stirpis propagine consulendum: & tanta adesset, ut nulla ex parte mentem de supernarum cogitationum delectatione deponeret.* Quod alibi brevius dicit, ita fuisse, si ibi fuerint, libidinis aut cupiditatis motus, *ut voluntatis nutum nec præcederent, nec excederent.* Quod quamvis ipse de illa notissima fœdissimaque dixerit libidine, quæ & animum perturbat, & corpus, dum ille voluptati inhiat, istud æstuat; de omnibus tamen appetitus cujusvis motibus eadem prorsus ratio est. Vnde alibi de ijsdem motibus in illo beatitudinis loco disputans: *Absit*, inquit, *ut beatitudo illa posset aut in illo loco non habere quod vellet, aut in suo corpore vel animo sentire quod nollet.*

Hæc si viri illi docti atque Catholici paulò attentiùs ponderassent, quæ duobus istis capitibus dicta nequaquā in paradisū innatos illos & intensissimos excellentiæ & laudis (hoc est vanitatis) appetitus, *contra quos*, Augustino teste, *luctatur animus* & ad orationis præsidium convolat, induxissent: nequaquam gravissimis superbiæ tentationibus, quâ recta voluntas impediretur sive multum, sive parum, statum illius beatitudinis perturbassent. Sed quid? Humanæ potiùs paganæq; Philosophiæ filum, quę de innocentiæ illius quiete & perturbationum nostrarū origine nihil unquam suspicata est, quàm castissimam tanti Doctoris doctrinam in isto labyrintho sequi maluerunt. Vnde nihil mirum, si quemadmodum olim Philosophi fuerunt Patriarchæ Hæreticorum; ita nunc Philosophia intemperantiùs usurpata fiat mater errorum.

Lib. 1. cont. Iul. op. imp. fol. 103.

Lib. 4. cont. Iul. c. 14.

Ibid.

Lib. 2. cont. Iul. f. 330.

Lib. 2. nupt. c. ult.

Serm. 22. de divers. c. ult.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Vtrum Adam corpore esset moriturus, si non peccasset. Duplex mortalitas, & immortalitas.

Franciscus Garasius in summa Theolog. lib. 3 p. 700. Nous eussions en cest estat d'innocence esté munis par l'impassibilité contre toutes les injures & invasions des elemens, en toutes les commoditez imaginables, excepté celle de l'immortalité. Car enfin estant composez des mesmes elemés, que nous sommes composez maintenant, il eust fallu voir la fin de l'ouvrage, nous fussions morts sans douleur, mais enfin nous fussiös morts.

NAM ex eodē fonte fluxit & illa cujusdā recētioris exorbitatio, quâ mortē corporis Adamo, etjam sine peccati merito, venturam esse sensit & scripsit. Verba quibus expressit sensum suum ista sunt: *In hoc innocentia statu fuissemus adversus omnes iniurias & invasiones elementorum impaßibilitatis dote muniti; in omnibus imaginabilibus commoditatibus praterquam immortalitatis. Tandem namque, utpote qui ex ijsdem eramus conflati elementis, quibus nunc compositi sumus, necesse fuisset videre finem istius opificij. Mortui fuissemus sine dolore: ut verbo dicam, fuissemus mortui.* Vides & hunc dum Philosophiam sequitur, cùm Theologiam debuisset, esse deceptum. Nam compositio corporis ex elementis eum in exorbitantem illam traxit sententiam, quam Catholica Ecclesia tanquam hæresin proscripsit. Eodem rationis humanæ fuco jam olim Augustinus quosdam narrat esse deceptos. Credebant enim Adamum *propter corpus animale exiturum fuisse de hoc corpore, ut videlicet mors corporis non de peccato accidisse videatur, sed naturaliter, ut animalium caeterorum.* Pelagiani verò hoc ipsum in dogma verterunt, similiter existimantes mortem corporalem Adamo & nobis, non peccati merito, sed *necessitate natura* venturam esse, utpote quam *caro animalium*, ut Iulianus loquitur, *de natura institutione suscepisset.*

Sed certa & Catholica veritas est, hominem, nisi peccasset, non fuisse corpore moriturum. Docet eam Augustinus plurimis locis: *Quapropter*, inquit, *fatendum est primos quidem homines ita fuisse institutos, ut si non peccassent, nullum mortis experirentur genus: sed eosdem primos peccatores ita fuisse morte mulctatos, ut etiam quicquid eorum stirpe esset exortum, eâdem pœnâ teneretur obnoxium.* Et alibi: *Proinde si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate.* Et quia sexcentis locis eandem doctrinam tradit, sufficiet unus pro omnibus ex libris de Civitate Dei: *Constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege natura, quâ nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es, & in terram ibis.*

Lib. 6. de Genes. ad litt. c. 22. Concil. Carthag. can. 1. Iul. apud Aug lib. 1. oper. imperf. 13. de Civit. c. 3. Lib. 1 de pecc. merit. c. 2. Lib. 13. de Civit. c. 15. Genes. 3.

Quo ipso in loco doctrinam istam in Scriptura illa fundat: *Terra es, & in terram ibis.* Nam per illam, *mors corporis*, inquit, *prenunciata est; quia nec ipsam fuerat experturus, si permansisset, ut factus est rectus. Quod verò viventi ait: Terra es, ostendit totum hominem in deterius commutatum.* Quem Scripturæ locum etjam alibi allegat; & ita manifestum esse putat, ut dicat: *Quomodo nisi de morte corporis intelligi posset ignoro;*

Lib. 13. de Trinit. c. 12. Lib. 1. de pecc. merit. c. 2. & 4.

A præsertim cum Deus illud *primo homini post peccatum increpando, damnandoque* dixerit. Est enim velut executio illius sententiæ, quam Deus ei minatus fuerat: *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Nam quamvis *annos multos* primi homines *postea vixerint*, ut Augustinus ait, *illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt.* Hinc Apostolus apertissimè dicit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Et alibi: *Corpus mortuum est propter peccatum.* In quem locum Augustinus; *Corpus*, inquit, *mortuum est, non propter fragilitatem terrenam, quia de terra pulvere factum est; sed propter peccatum. Quid amplius quærimus? Et vigilantißime non ait, mortale, sed mortuum,* nempe quia corpus illud, quod mori poterat, quia ab homine peccari poterat, per peccatum necessitati mortis obstructum est. Alibi verò scriptura B primâ originem mortis esse indicat non naturam, vel naturæ autorem: sed culpam, & culpæ progenitorem: *Deus*, inquit, *mortem non fecit: invidiâ autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.*

Genes. 2. Lib. 1. de pecc. merit. c. 16. Rom. 5. Rom. 8. Lib. 1. de pecc. merit. c. 4. Sap. 1. & 2.

Scripturarum istarum doctrinæ inhæserunt Concilia, tum antiqua, tum recentia in diversis orbis terræ regionibus celebrata, & istam Pelagij hæresin unanimiter condemnarunt. Hinc Synodus Palestina, cùm Pelagio fuisset objectum, quod ipse, quemadmodum & discipulus ejus Celestius docuisset, *Adam mortalem factum; qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset*; propositionem illam anathemate condemnavit, & Pelagium idem dogma damnantem absolvit. De quo Concilij Palestini judicio sic Augustinus: *Vnde fit consequens, ut quisquis sequitur illius Episcopalis autoritatem iudicij, & ipsius Pelagij confeßionem, hac tenere debeat, qua semper tenuit Catholica Ecclesia: Adam, nisi peccasset, non fuisse moriturum.*

Apud Aug. lib. de gestis Pelag. c. 3.

C Hinc Concilium Carthaginense: *Placeat omnibus Episcopis, qui fuerunt in hac sancta Synodo, ut quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed neceßitate natura, anathema sit.* Et Concilium Arausicanum: *Siquis mortem tantùm corporis, qua pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est anima, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti &c. & per peccatum mors.* Hinc Concilium Tridentinum: *Siquis non confitetur, primum hominem Adam &c. incurrisse per offensam prævaricationis huiusmodi iram atque indignationem Dei, atque adeò mortem, quam antea illi comminatus fuerat, &c. anathema sit.*

Canone 1. Canone 2. Sess. 5. can. 1.

Mirum

Mirum profectò, quo pacto scriptor ille Catholicus, de quo suprà, in tantam Catholicæ veritatis lucem impingere voluerit, vel potuerit: sed majori admiratione dignum, quòd quisquam sobrius eam suo calculo comprobaverit. Nisi quod hinc fortasse testimonium sumi possit, quàm verè adversus eos, qui omnia Philosophicis rationibus metiri volunt, dixerit Augustinus: *Auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor.* Nam imperitiores, *si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facillimè decipiuntur, & in varias novasque opiniones ita labuntur, ut emergere inde ac liberari aut nunquam, aut ægerrimè queant.*

Lib. de quant. animæ c. 7.

Cùm igitur ex his constet, Adam immortalem esse factum, & nunquam nisi peccasset fuisse moriturum, scrupulum meritò movet id quod Augustinus alicubi dicit, Adam ante peccatum fuisse mortalem. Objecit Augustino hunc locum jam olim ipse Iulianus: cui respondet: Adamum se hactenus dixisse esse mortalem, *quia poterat mori: poterat namque peccare.* Pro quo sciendum est, dupliciter intelligi, vocarique posse mortalitatem, sicut & immortalitatem. Vna mortalitas est, qua quis mori potest: altera, qua mori debet. Illâ primus homo mortalis ante peccatum fuit: hâc verò post peccatum tam ipse, quàm posteri ejus. Nam ante peccatum mori potuit, quia peccare potuit: peccato verò jam perpetrato, necessitas moriendi consecuta est. Simili ratione duplex immortalitas statui potest, una, qua quis potest non mori; alia, qua quis non potest mori. Illa fuit Adami ante peccatum: hæc verò ad æternam beatitudinem resurgentium. Adam namque ante peccatum poterat non mori, quia poterat non peccare: solius enim peccati merito necessitas moriendi, Deo vindicante subsecuta est. Beatorum verò tanta erit immortalitas, ut in æternum, neq; peccati alicujus merito, neq; naturæ infirmitate, vel necessitate, morituri sint, aut mori possint. Tradit hæc omnia accuratè diversis locis. Nam de duplici mortalitate ita loquitur: *Antequam mutaretur* (corpus Adæ) *in illam incorruptionem, quæ in sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum; sicut vos nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum: cujus enim caro est, quæ non ægrotare possit, etiamsi aliquo casu, priusquam ægrotet, occumbat? sic & illud corpus iam erat mortale.* Et paulò antè, rem similitudine declarans: *Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus, non ideò non est vulnerabilis, quia non est necesse, ut vulneretur: sic illa non ideò non fuit mortalis, quia non erat necesse, ut moreretur.* Quibus ultimis verbis mortalitatem nostram explicat, quâ non solùm potestate, sed necessitate morimur. Duplicem verò immortalitatem declarat his verbis: *Prima immortalitas* (Adami) *erat, posse non mori; novissima* (beatorum) *erit multo maior, non posse mori.* Et in libris de Civitate Dei: *Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori; novissima erit non posse mori:* ita &c. Vtramque verò simul tam duplicem mortalitatem, quàm immortalitatem oculis disertè subjicit, de corpore primi hominis disputans: *Illud* (corpus) *ante peccatum & mortale secundùm aliam, & immortale secundùm aliam causam dici poterat: id est, mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis.* Et paulò post: *Si enim corpus animale, utique mortale; quia & mori poterat: quamvis & immortale ideò, quia & non mori poterat. Neq; enim immortale quod mori omnino non possit, erit nisi spirituale; quod nobis futurum in resurrectione promittitur: ac per hoc illud animale, & ob hoc mortale &c. factum est propter peccatū non mortale, quod & antea erat, sed mortuum.* Quod paulò inferiùs exponit per *necessitatem moriendi, quam illud non habuit.* Nam quamvis ante peccatum hactenus mortalis esset, quia peccando mori poterat, eo tamen die, quo peccavit, in ipso mortalitatis genere longè pejor factus est. Mutata quippe in deterius est vitiataque natura, atque à ligno vitæ separatione justissimâ, mortis in eis etjam corporalis necessitas facta est: cum qua nos necessitate nati sumus. Eaque de causa Apostolus vocavit corpus nostrum propter peccatum non jam mortale, sed *mortuum*; quia jam moriēdi necessitate constrictum. Tunc enim ita erat in animam viventem, ut mortuum rectè dici non posset: quia nisi perpetratione peccati necessitatem moriendi habere non poterat. Ex quibus etjam colligas, hoc ipsum, quod animale & mortale corpus Adam non esset tamen moriturum, non ex natura corporis istius pullulasse, sed divino munere hoc non peccantibus fuisse collatum. Nam si internam corporis compositionem spectes, nihil in se habebat, quo ejus interitus arceretur. Indicat hoc idem Augustinus, cùm postquam dixisset, Adamum secundùm quemdam modum creatum fuisse immortalem, adjicit: *Quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori: qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergò erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio conditoris.*

Lib. 1. de pecc. meritis, c. 3.

Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. c. 91

Lib. 1. de pecc. meritis, c. 5.

Ibid. c. 3.

Lib. de corrept. & grat. cap. 12.

Lib. 22. c. ult.

Lib. 6. de Genes. ad litt. c. 25.

Cap. 26.

Cap. 25.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De cæteris miserijs mortalitatis assectis; & de quiete omnium sensuum.

EX ijs, quæ de immortalitate Adami, A mortisque per peccatum consequentis necessitate diximus, facilè conijci potest, quid de cæterarum miseriarum, quibus affligimur, absentia præsentiaq; sentiẽdum sit. Eadem enim ferè est & cæterarum ratio. Non enim idcircò moriendi necessitas ab illo statu aberat, quia mors erat, sed quia miseria; quâ non decebat affligi hominem ante peccatum. Ex quo effectum est, ut quemadmodum lucta carnis & spiritus, & mors ipsa corporalis ab illa felicitatis patria exulabant; ita omnis omninò abesset miseria, qua undecunque, sive ex animo, sive ex sensibus, sive ex corpore, sive ex rebus externis irruente, cruciaretur invitus. Invitum enim quocunque sive magno, sive exiguo affligi malo, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Sic enim condita est creatura rationalis, ut malum ejus non ex institutione Dei, sed ex B sola ejus voluntate penderet, ita videlicet, ut malum ejus quodcunque atque miseria solius perversitatis esset supplicium; quatenus ita per justitiam perturbatus ordo, quem Deus primitus constituerat, sarciretũr. *Creaturu præstantissimis*, inquit Augustinus, *hoc est, rationabilibus spiritibus hoc præstitit Deus, ut si nolint corrumpi, non possint, id est, si obedientiam conservaverint sub Domino Deo suo, ac sic incorruptibili pulchritudini eius inhæserint: si autem obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis.* (L3. de nat. boni, c. 7.)

Ex ista igitur divini ordinis rectitudine factũ est, ut nihil mali expellendum esset ex isto beatitudinis loco; sed solummodo arcendum, ne status illius integritatem & felicitatem irruendo violaret. Nec verò alia arcendis malis cura erat necessaria, quàm ut in bona voluntate, hoc est, creatoris sui charitate persisteret. Si enim ad arcenda animi & corporis mala, C quibus animale corpus potuisset affici, noluisset uti medijs quæ Deus instituerat, hoc ipsum non sine inordinata, & per hoc mala voluntate noluisset: atque ita justè sequentem ex illa inordinatione miseriam pateretur. Hinc est quòd famem, sitim, senectutem, cæteraque corporis animalis incommoda nunquam ipse cibo, potu, lignoque vitæ tanquam cruciantia sensum suum mitigare fugareve debuisset: sed tantummodo, antequam cruciarent sensus suos, avertere. Quod Augustinus sæpissimè significatum voluit, quando dixit in libris de Civitate Dei: *Alebantur ergò alijs quæ sumebant, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo, ac sitiendo sentirent: De ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecunque subreperet, vel senectute consecti decursis temporum spatijs interirent.* (Lib. 13. de Civit. Dei c. 20.) Et in eodem libro: *Corpus eius cibo ac potu egebat, ne fame afficeretur ac siti; & non immortalitate illâ absoluta atque indissolubili, sed ligno vitæ à mortis necessitate prohibebatur, atque in iuventutis flore tenebatur.* Et in libris de peccatorum merito & remissione: *Habebat & de lignorum fructibus refectionem cõtra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.* (Lib. 1. de pec. merit. c. 3.) Et contra Iulianum: *Habebat sustentaculum animali corpori necessarium, ne indigẽtiâ læderetur: De ligno autẽ vitæ, ne senectute perduceretur ad mortem.* (Lib. 4. cont. Iul. c. 14.) Studiosè semper negativis illis phrasibus istud agens, ne quis unquam eum fame, aut siti, aut senectute affligi potuisse judicaret.

Quæ verò de morte, senectute, fame, ac siti, eadem omninò de cæteris corporis ægritudinibus ac molestijs ratio est. Hoc enim idem divinitus institutus ordo, eadem justitiæ norma postulat, ut non solùm illis magnis, sed nec levissimis ullis incommodis invitus, nisi peccato præcedente, & commerente, læderetur. De quibus corporis ægritudinibus Augustinus: *Aegritudinem ita nullam corpora illa patientur* (post resurrectionem) *sicut nec ista pati possent, ante peccatum.* (Lib. 1. Retract. c. 11.) De alijs corporis corruptionibus atque molestijs: *Quid mirum, si corpus potuit ab omnipotente artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, & nullâ corruptione tabesceret?* (Lib. 2. de Genes. cont. Manich. c. 7.) De laboribus: *Nondum erat labor, ut adiumento indigeret.* (Lib. 9. de Genes. ad litt. c. 5.) De cæteris sive intrinsecus orientibus, sive extrinsecus irruentibus quibuscunque corporis malis: *Et ante lapsum quidem non utebatur* (homo rebus) *tolerandis, nec post lapsum utitur, nisi conversus.* (Lib. 83 qq. q. 30.) Et alibi generalius: *Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omninò aliunde malum, quod contristaret, irruebat.* (Lib. 14. de Civit. c. 10.) Et adhuc generalius alio in loco: *In quibus* (bonis) *prorsus nullum patiebatur malum.* (Lib. de corrept. & grat. c. 11.) Quam summam ab omnibus incommodis corporalibus immunitatem, quæ nullos externos sensus intrinsecus aut extrinsecus ulla ratione offendi aut perturbari sineret, strictim explicat adversus Iulianum: *Vbi absit, ut credamus aliquid fuisse, unde sensum nostrum sive intrinsecus, sive extrinsecus, aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut horror offenderet.* (5. cont. Iul. c. 5.)

Ex quibus omnibus, quæ hactenus diximus, manifestè liquet, admirabilem quandam fuisse in ista primæ felicitatis regione tranquillitatem hominis, & pacem. Vivebat enim in ea sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod præceperat Deus. Vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus. Vivebat sine ulla egestate, ita semper sine mortis metu vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret, potus,

potus, ne sitiret, lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in sanitate juventutis amœnitas, in omnibus sensibus quies, in anima tota trāquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus aut frigus, sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio, nulla retardatio, nullum impedimentum. Nihil omninò triste, nihil erat inaniter lætum: nihil boni, quod bona voluntas adesse optaret, aberat; nihil mali quod abesse desideraret, aderat. Gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Inter se conjugum fida ex honesto amore societas; nullus inhians voluptatis ardor in animo, nullus concupiscentialis æstus in corpore, nullus pudor in fronte; ubi nec virum stimulabat sua, nec alterius eum libido tentabat: concors mentis corporisque vigilia, mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. In tanta bonorum abundantia summa securitas, eam sine ulla omninò interpellatione duraturam, nisi eam ipse propriæ petulantiâ voluntatis abrumperet. Quidquid enim illi divinitus collatum fuerat, ab unico fortissimoque proprij arbitrij motu suspensum esse Deus voluit: ut quemadmodū ei ipse bonorum omnium autor fuerat, ita de divina benignitate & diaboli hostilitate securus, neminem malorum suorum autorem, nisi seipsum, timere vel potiùs accusare cogeretur. Nam neque sui ipsius timor ibi esse poterat, ubi nihil ei vel ex seipso mali, pręter ipsam liberrimā voluntatē, posset accidere. Quòd siquis penitiùs fundamenta pernoscere desideret, quibus tota ista doctrina nititur, quam quinque præcedentibus capitibus tradidimus de creatione primi hominis in charitate, in corporis & animi tranquillitate, sine molestia quorumcumque appetituum, sive laudis & excellentiæ, sive quarumlibet voluptatum; sine mortis aut mortalitatis miseria, sive laboris aut doloris afflictione: & cur istiusmodi commodis privari vel incommodis affligi, sub Dei omnipotentis justissima providentia, non potuerit ante peccatum; legat illos tres libros, quos de statu purę naturę ex D. Augustini mente contra gentilium Pelagianorum, & multorum recentiorum Philosophiam scripsimus. Sed jam de arbitrij libertate, an & qualis in Adamo fuerit, & quo divinę gratię adjutorio indiguerit, paulò accuratiùs dicendum est. Nam præcipuè istius ergò à nobis dicta sunt, quæcunque hactenus de interna hominis externaque tranquillitate, malorumque omnium vacuitate disseruimus.

CAPVT SEXTVM.

Adamus liberum habuit arbitrium. Quid liberum sibi velit.

ARBITRIVM igitur Adamo liberum fuisse datum, nulla omninò in Catholica doctrina dubitatio est.

Tradit hoc sæpissimè disertis verbis Augustinus: *Fecisti hominem, dedisti ei liberum arbitrium, in paradiso collocasti* &c. Et rursum: *Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium, ut non servili necessitate, sed ingenuâ voluntate Deum colerent, dedit etiam Angelis.* Et in Enchiridio: *Sic eum muneravit libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio.* Quam doctrinam multis alijs in locis tam de Angelis, quàm homine primo repetit, & Concilium Arausicanum in diversis Canonibus tanquam indubitatum tangit atque supponit.

Concione 1. in Psal. 70.
Lib. de catechiz. rudibus c. 18.
Cap. 25. Enchyr.
Can. 1. 8. 13. 25.

Porrò duo sunt, quę tam Augustinus, quàm Canones isti ex Augustini doctrina sumpti significata voluerunt. Vnum est, datam fuisse homini primo potentiam, seu facultatem illam, quam vulgò liberum arbitrium appellamus: sine cujus motu, hoc est, voluntate sive volitione nihil rectè aut perperam, ab homine aut Angelo, sive stante, sive jam lapso, fieri potest: quodque, tam ante, quàm post lapsum, tam in cœlo, quàm in inferis, cum creaturis rationabilibus perseverat. Quo sensu dixit Augustinus: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona.* Et hoc sensu Catholici adversus Manichæos asserere ac tueri solent, datum esse homini liberum arbitrium, ex quo peccata promanarunt. Sed adversus Pelagianos longè alius istarum phrasium sensus est. Alterum igitur est, datum fuisse homini primo in sua conditione certum quendam & laudabilem istius potentiæ statum, quæ magis propriè & quasi antonomasticè ab Augustino, & ipsâ Ecclesiâ Catholicâ, *Libertas* dici solet: & ab eodem plerumque *vera libertas* nuncupatur, juxta illud Christi: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* De ista enim libertate loquitur Augustinus, cùm dicit: *Quis enim (primum hominem) nescit sanum, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate libera constitutum?* Vbi non urget generalem illam naturam liberi arbitrij, qualis & dæmonibus & hominibus perversis competit: sed illam specialem conditionem, de qua diximus. Quod maximè ex eo patet, quia libertatem illam jam peccato tum ibi tum alibi perditam docet: cùm tamen facultas liberi arbitrij non sit perdita. Vnde mox adjungit: *Sed nunc de illo agitur, quem semi-vivum latrones reliquerunt* &c. Et luculentiùs alibi: *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cùm vitijs peccatisq; non ser-*

Lib. de grat. & lib. arb. c. 15.
Ioan. 8.
De nat. & grat. c. 43.
Ibid.
Lib. 14. de Civit. c. 11.

non servit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. A *Vnde veritas dicit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et in libro de correptione & gratia: *Illi ergo sine peccato ullo data est, cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit servire peccato: horum verò cùm fuisset voluntas serva peccati liberata est &c.* Quæ doctrina Augustino familiarissima est, & posteà ex scriptis, & ipsissimis verbis ejus, canone per Ecclesiam sancita. Locus enim quem ex decimo quarto de Civitate Dei citavimus, est Canon Concilij Arausicani decimus tertius. Prima itaque appellatio ista liberi arbitrij generalis est: secunda valdè specialis: quæ tamen inter se magnam affinitatem habent. Quotquot enim libertatem concipere volunt, apprehendunt aliquid quod non est captivum, non servum alteri, expeditum ab alio, non alligatum illi. Vnde Iudæi Domino libertatem promittenti dixerunt: *Nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?* B Exprimentes libertatem per negationem serviendi, sicut & Augustinus loco citato, & alibi sæpiùs: sive negativis illis expressionibus aliqua proprietas negativa, sive etjam positiva significata sit: quæ magis in ultimo modi verbis elucet, quibus liberum dicitur esse, *quod est sui juris, & suæ potestatis*, ut vocavit Tertullianus, vel quod est *sui causa*, ut Aristoteles. Ista quippe positivam quandam conditionem videntur tangere, quam tamen vix explicare possumus, nisi dicendo, id esse suæ potestatis & juris, quod non servit alteri; sed potiùs illi alia: id *sui causa* esse, quod non refertur aliò, sicut mediũ ad finem, quemadmodum ibidem indicat Aristoteles. Hinc ergò fit, ut libertas naturâ suâ dominetur, & aliud in sui obsequium trahat: servitus verò dominatum illum alterius respiciat, ut cui jure submissionis obstricta est. Atq; ita libertas est ipsius finis; servitus verò C eorum, quæ sunt ad finem. Hinc ultimi finis summa libertas est. Quia summo modo est propter se, nullam umbram servitutis admittens. Sic enim & ipse Deus summus, & verus, & perfectus est Dominus, cui omnia serviunt, juxta Psalmum. *Quia omnia serviunt tibi*; ipse nemini: idq; sive naturam ejus spectes, sive amorem. Nam ut omnium finis est; ita & seipsum non tanquam sui ipsius, sed tanquam omnium rerum à se dilectarum finem intuetur; ut ita nemini affectu, sed sibi soli, si dici fas est, serviat, hoc est, ut ipse sit ipsissima libertas, cujus comparatione, quidquid universum continet, serviat. Quo autem aliquid ultimo illi fini, summoque Domino propinquiùs jungitur, sive substantiæ suæ, sive amoris conditione; eo propinquiùs quoque ad ipsam essentialiter libertatem, quæ Deus est, & ad apicem omnis suæ veræ libertatis accedit. Ad quam quia nulla creatura ita accedere potest, ut Deus fiat, D nulla etjam potest esse essentialiter libera; sed libertatis, sive in Dei natura, sive in ejus voluntate relucentis, magis magisque particeps. Hoc autem habet creatura rationalis, ut sicut

Lib. de corrept. & grat. c. 11.

Serm. 48. de verbis Domini. c. 2. 3. & 4. de Civit. c. 3.
Tert. 2. cont. Marc. c. 5. & 6.
Arist. 1. Metaph.

Psalm. 118.

naturę suę conditione omnibus creatis rebus eminet, atque dominatur, omniaque ad ipsam veluti finem ac dominam, adeoque ab eis liberam referuntur; ipsa vero ad solum Deum: ita quoque affectu & arbitrio libera fiat, si illi soli veluti fini ultimo, ideoque essentialiter libertati subjiciatur, cui naturæ cõditione subjuncta est. Per hoc enim fit, ut ab omnibus omnino rebus, quibus naturâ antecellit, etjam arbitrij qualitate liberrima fiat. Finis enim ultimus amplissimam quandam immensitatem possidet respectu omnium omninò mediorum, hoc est, universæ ab eo conditæ creaturæ, & ab omni illa, inalligatissimâ libertatem. Vnde, & amor illius finis illam eandem libertatem amantis facit: ut sicut finis ille ultimus omnibus omninò ad se ordinatis, sive naturæ statu, sive voluntatis suæ dilectione ad se ordinatis, tanquam servientibus imperat atque dominatur, legem ac normam tribuit, ut prout ipse postulaverit, ita stent aut cadant, oriantur atque moriantur, mutentur aut stabiles maneant: ita amor ille creatæ voluntatis, qua illi ultimo fini subditur, immensitatem illam affectus & libertatem induit, ut & ipsa ab omnibus ad finem illum ordinatis, adeoque in primis à sui ipsius quoque subjectione, & servitute expedita omnibus dominetur, nulli serviat: ut hoc pacto ipse amor finis istius fiat libertas ejus, seu id, quo tanquam forma statum istius laudabilis ac beatissimæ libertatis possidet. Sublimem enim quandam independentiam ab omnibus se inferioribus ex isto sublimi & independenti ente, cui amore subditur & ab ejus libertate servitutis omnis incapaci participat: quæ posteà in creaturarum omnium usu, hoc est, assumptione neglectuque demonstratur.

Hinc fit igitur, ut sicut creatura rationalis si naturam spectes, essentialiter à conditoris sui natura dependet, cui naturaliter serva est, sicut medium quodlibet respectu finis; ita quoque libertas arbitrij, seu voluntatis ejus sit etjam essentialiter quoddam servitutis genus. Deum enim uti finem suum, ex quo beata fiat, amando, necessariò etjam servit Deo. Vnde Augustinus: *An ita sint liberi, ut nec illum* (Deum) *velint habere dominum?* Nam ut alibi dicit: *Sic datum est liberum arbitrium* (humanæ naturæ) *ut eam tamen necesse sit vivere sub potestate melioris.* Idque non tantum naturæ gradu, sed & ordine voluntatum. Ab illo enim habet creatura rationalis, ut tanquam ultimi finis adeptione atque possessione beata fit, à quo habet, ut sit. Quicquid autem amatur veluti finis, quo quis frui, & beatus fieri velit, hoc amanti dominatur. Hæc enim utendi re quapiam & fruendi differentia est, quod voluntas fruens se sub amatum deprimat, utens elevet: quo fit, ut illa servum amati faciat, hæc demõstret liberum. Amor enim fruendi amantem ad amatũ ordinat: utpote quem respiciat, tanquã principium & causam ex qua fruendo beatitudinẽ suã adipisci cupit; cũ hoc sit frui, in altero

Lib. de Spir. & lit. c. 30.
Lib. 1 cont. advers. legis & proph. c. 14.

ized by Google

in altero velut principio causaque suæ beatitudinis acquiescere. Omne verò, quod ad alterum ordinatur, eo inferius esse, necesse est. Qui verò amat, non ut fruatur, sed ut utatur, rem amatam ad seipsum ordinat. Quo fit, ut ipse sit principium; res verò, quâ utitur, ad principium: ipse velut superior utendo dominetur; hæc serviat subjacendo. Sic ergo creatura rationalis, hoc ipso quo Deo velut ultimo fini suo, velut independenti liberrimoque creaturarum omnium Domino, velut ipsi essentialiter libertati subditur, fit quidem summè libera, creaturarum sibi subjectarum domina, ab omni captivitatis nexu & servitutis vinculo expedita, ab omnibus independens; sed serviendo fit libera. Vnde Augustinus servitutem illam, *salubrem* rationalis creaturæ *servitutem* vocat, quam *malè libero abrupit arbitrio*. Et alibi, *arbitrium* vocat *laudabiliter liberum*. Est enim servitus amoris. Nam ipse amor, per quem principio suo serviendo subditur, hoc est, ipsa servitus ejus, est libertas ejus: quam eleganter Augustinus *liberam servitutem* vocat. *Deo enim servire regnare est*: quia servitus creatoris seipsâ servientem creaturarum Regem ac Dominum facit, ut, parto per ipsam illam servitutem verissimæ libertatis statu, creaturis omnibus affectu suo dominetur, utaturque liberè, prout dilectio creatoris imperaverit.

In Enchirid. c. 27.
Cont. Iul. oper. imper. l. 119.
Lib. 19. de Civit. c. 15.

Nec sanè mirum videri debeat, quòd vera plenissimaque libertas creaturæ cum hujusmodi servitute consistere queat, cùm hujus rei effigies in civili quoque illa notissimaque libertate cernatur. Nam corpora ubi nata sunt, ibi in patria esse dicimus; & si vero suo Principi, veroque Domino legitimè imperanti serviant, esse libera: si inde per vim abripias, exulant, captiva sunt, serva sunt. Ingenua quippe & libera servitus est, qua legitimo Domino servitur liberaliter. Vnde à tali servitute etiam liberi appellantur. Contingit in animis aliquid simile. Nam vera regio, & patria ubi nascitur anima, veritas est, hoc est, Deus: hæc patria, hæc pater, hæc dominus ejus est, exilium oppressor, ac tyrannus ejus, creatura. Ex quo fit, ut si anima æternæ veritati hæreat, illam diligat, illâ fruatur, ex ejus spiritu vivat, in vera sua patria vivat, & tanquam vero suo Domino subdita in summa libertate versetur. Nam *ubi spiritus Domini, ibi libertas*. Inde si exeat, in exilium rapitur, captiva fit, serva efficitur. Nam extra patriam qui esse possit, nisi exul, serva, captiva, tyrannidi alterius subdita; ut quæ verum Dominum suum dereliquerit? Omnia ista amore peraguntur: *Pedes enim nostri in hoc itinere, affectus nostri sunt, prout quisque affectum habuerit, prout quisque amorem habuerit, ita accedit, vel recedit à Deo*; his propinquamus, his distamus; his similes, his dissimiles; his *hospites & advenæ* velut patriæ extorres, *hi cives sanctorum & domestici Dei*; His denique liberi, velut ab ipsa veritate liberati, his *servi corruptionis*, & peccato captivi sumus. Quid ergo mirum, si Augustinus & Ecclesia illam ubique libertatem prædicent, quâ creatura rationalis Deo per amorem subdita, ab omni creaturæ servitute & captivantis dilectionis visco vacua, in æternæ amplissimæque regione veritatis velut patria sua super omnes omnino creaturas, non solùm naturæ ordine, sed affectuum quoque absolutione, liberrimis pennis volitet? Hæc est ergo libertas illa, quam Augustinus & Ecclesia arbitrio primi Adami tribuunt, & ejus peccato perditam gemunt.

Aug. Psalm. 94.

Nam felicissima libertas illa, ut amore creatoris incipit; ita eodem crescente, & adulto, incrementum & perfectionem sumit. Quo enim arctiùs creatura creatori suo, hoc est, ipsissimæ libertati suæ subditur, eo fit liberior. Ipse enim amor creatoris sive veritatis, est formalis libertas ejus. Ex quo efficitur, ut si immobiliter hæreat liberanti se veritati, immobilis etiam fiat libertas ejus: sin mobiliter, ab illa quoque possit excidere. Mobilis igitur libertas Adamo data est, ut aptissimus esset ejus merito locus: immobilis in præmium reservata; nisi mobilem illam libertatem peccando, hoc est, petulantiâ flexibilis in malum voluntatis abrumperet. *Servandi enim erant gradus divini muneris*, hoc est, concessæ divinitus libertatis, *ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo: novissimum quo peccare non posset; atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.*

Lib. 22. de civit. c. 30.

Itaque mobiliter Adam per illum amorem creatoris liber fuit, ut excidere posset; & in eo permanere, si vellet: atque ita in quodam confinio vitæ & mortis constitutus, ut utramlibet, vitam aut mortem elegisset, utralibet ipsi æterna, & per hoc, æterna quoque libertas, vel servitus redderetur: cùm nihil justius esse queat, quàm ut id quisque inamissibiliter ad fruendum teneat, quod sibi ad amandum liberâ voluntate delegit. In hoc enim justissima meriti præmiique ratio constituta est. Ad utrumlibet igitur, hoc est, ad bonum & malum, ad vitam & mortem, ad amorem Creatoris & creaturæ, ut sæpissimè Augustinus docet, illa prima libertas indifferens fuit. *Quibus*, inquit, (primis hominibus) *potestatem utrum vellent dedit*. Et in libro de correptione & gratia: *Quod* (arbitrium) *tunc ita liberum erat, ut bene velle posset, & malè*. Et in Enchiridio ad Laurentium: *Sic enim oportebat prius hominem fieri, ut & benè velle posset, & malè; nec gratis, si benè, nec impunè, si malè: postea vero sic erit, ut malè velle non possit &c.* Cur ergo non condidit hominem ita plenè liberum, ut peccare non posset? quia *ordo prætermittendus non fuit: in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale, quod etiam peccare possit; quamvis sit melius, quod peccare non possit.*

Lib. 3. de lib. arbit. c. 5.
Cap. 11.
Cap. 105. Enchirid.
Ibid.

in isto

In isto ergo stadio constitutus Adam, cùm A ad utrumlibet contrariorum esset indifferens; atque ita per amorem creatoris liber ab amore creaturæ, ut felicem illam libertatem, alia libertate posset abjicere; non ei placuit in illa creatoris servitute & subjectione persistere; sed ad se conversus, qui ad creatorem debuit, se velut principium suæ libertatis & voluntatis intuendo, per superbiam se Deo prætulit; & dum nescio qua imagine libertatis illi servire noluit, cui naturaliter servit ac subjacet, in veram servitutem, amissâ libertate, præcipitatus est. Nam quamvis liberior esse videretur, nemini omnino alteri serviendo, nec ipsi quidem Deo; hoc ipso tamen quo istud non nisi amore finis alterius fieri potuit, qui, ut suprà diximus, naturaliter amanti fruentique dominatur, in pessimæ servitutis genus incidit; quâ creatura illa, cujus amore, velut finis sui adhæsione, la- B psus est, voluntati ejus dominatur, & velut servum bello partum firmissimè possidet, & captum tenet. Nam à quo quis devictus est, huic & servus addictus est. Hæc autem alia non potuit esse creatura, quàm ipsametilla, quæ inter Deum, cæterasque creaturas quasi in medio constituta, Deo inferior, cæteris superior, excusso superiori jugo, ipsa sibi dominari voluit. Quid enim poterat post Deum amare tam sublimis mens, nisi id quod post Deum sublimissimum occurreret? In quid primò poterat cadere, nisi in id quod Deo, unde labebatur, & sibi qui labebatur, proximum fuit? Hoc est autem mens ipsa sibi. Nec enim quicquam externum primo illo creaturæ amore appeti potuit; cùm omne rei alterius desiderium, præexistentis sui ipsius amoris indicium & proles sit. Amor enim indigus, quo quis aliquid aliud appetit, non C rei quam appetit, sed indigenti appetit. Sibi ergo appetisset, si quid appetisset; se ergo amasset, antequam aliud appetisset. Necessariò quippe aut corporis aut animi sui bonum, aut utriusque sectatus esset, quod deficiendo adipisci voluisset. Hoc autem nemini adeptum voluit, nisi sibi ipsi; atq; ita quidquid tandem veluti finem suæ rebellionis intueri videretur, in semetipsum veluti finem ultimum *cui* suę defectionis atque dilectionis retulit, quem multò arctiùs, & intimiùs, & universaliùs in cujuscunque concupiti boni dilectione diligebat. Vnde optimè Augustinus: *Hom. 37. c. 4.* *Amores omnes & dilectiones priùs sunt in hominibus de se, & sic de alia re, quam diligunt. Si diligis aurum, priùs te diligis, & sic aurum.* Sic igitur jam tum non modò *civitates duas*; sed etjam libertates duas, ac servitutes duas facere ac distinguere cœperunt, *amor Dei usque ad con-* D *Lib. 14. de Civit. c. ult.* *temptum sui, & amor sui usque ad contemptum Dei.* Nam quemadmodum ille castus amor Dei, quem ei condendo creator inseruerat, liberrimum ab omnium creaturarum vinculis, tamen servum justitiæ, hoc est, Dei veri Domini sui fecerat; ita vicissim perversus ille, in quem cecidit, amor sui, liberum eum à justitia ac Deo; servum verò suiipsius fecit, omniumque omnino creaturarum, in quas posteà amor sui jam recens natus exardesceret. Nam amor ille sui, quo seipso quodammodo, deficiendo à Deo, frui velle videbatur, non stetit in se; sed continuò suam expertus est indigentiam, & à seipso sensit se beatum esse non posse. Hinc igitur, cùm sursum esset præclusum iter in Deum, quem veræ beatitudinis fontem homo deseruerat, deorsum ulteriùs in creaturas alias pergere compulsus fuit, ut in illis id, quod sibi deesse sentiebat, adipisceretur. Hic igitur infinitarum cupiditatum exercitus ebullijt, quarum vinculo creaturis amatis arctissimè colligatus, non suiipsius tantummodo, sed & cæterarum rerũ omniũ, quibus propter seipsum amore copulatur miserrimus servus effectus est. Seipsum enim in omniũ aliarũ rerũ dilectione maximè diligit; seipsũ in earũ omniũ fruitione ampliùs & nobiliùs fruitur, ut cui per omnia maximè consultũ cupit.

Sed quia ars naturam, & creatura creatorem etjam peccando imitatur, dum quandam defectivam speciem, vitio fallente, appetit, quæ non nisi in creatore vera reperitur; hinc in illa creaturarum servitute umbratica quædam species libertatis ab homine appetita est. Cùm enim Deus non tantùm ab omnibus creaturis liber, sed ipsa libertas sit, seipso tamen solo velut liberrimus fruitur, in quem cuncta ei serviendo referuntur; fallacem libertatis umbram intuendo, etjam ab ipso vero Domino suo liberari voluit; ut quemadmodũ Deus, nemini omninò serviendo nisi sibi, seq; ipso fruendo, sui penitus juris, suæ potestatis, ab omnibus omninò liberrimus viveret. *Quid illi deerat*, ut tangeret lignum vetitum, inquit *In Psal. 17.* Augustinus, *nisi quia sua potestate uti voluit, præceptum rumpere delectavit? Vt nullo sibi dominante fieret sicut Deus, quia Deo nullus utique dominatur.* Sed hæc ipsa libertas, umbratica tantùm libertatis est species, verissima verò servitus; quia à vero justoque Domino avulsa, in fœdissimi & tyrannici amoris sui ipsius, cæterarumq; subservientium cupiditatum jugum & captivitatem incidit: à quibus nullâ humanâ vel Angelicâ potestate, sed solâ Dei potentis gratiâ liberari potest. Sed quia servitus etjam ista quandam libertatem à justitia, hoc est, à Deo cõjunctam habet, quì non amplius fugitivę suę creaturæ voluntatibus dominatur, & hoc ipso, quòd seipsam creatura velut finem omnium suarum actionum colit, amplitudinem quandam videtur adipisci, quâ omnibus omninò rebus uti potest, prout amatus ille finis postulaverit: hinc est, quod illa servitus quoq; quædã libertas, etsi defectiva, esse videatur, & ab illa quoq; dicatur *Liberum arbitrium.* Prima quippe vocis *liberi* significatio videtur esse abstractior, & quid commune ad libertatem veram, & mancam, genuinam & servilem, solidam & umbraticam; ita ut quodammodo in illas duas libertatis differentias dividatur.

Sed ex illis, quæ hactenus diximus, facile est utriusque libertatis similitudinem & dis-

crimen agnoscere. In hoc enim una alteri similis est, quod utraque ipso vocabulo respectum quemdam ad terminum quasi *à quo* arbitrium liberatur, involvat: dum illa à peccato, hoc est, à creaturis dilectis arbitrium captivantibus; hæc à justitia, hoc est, à Deo vero Domino immunem & absolutam facit. Vtraque non in naturis ipsis, sed in affectu sita est; utraque per primum præcipuumque arbitrij motum, & cardinem omnium motuum cæterorum, hoc est, amorem confertur; utraque per amorem, non quemlibet, sed ipsius ultimi finis; illa Dei, ista creaturæ. Et quia illius, quod ut finis ultimus diligitur, maxima quædam competit universalitas, & amplitudo, & independentia; utpote ad quem cuncta referri, cui cuncta servire, à quo cuncta pendere debent: hinc est quod utraque libertas independentiam quandam sonet, & conferat, respectû eorum, quæ comparatione finis illius assumi vel respui debent, pro ut finis amati rationes postulaverint. Hinc consequenter utraque *sui iuris*, *suæ potestatis* esse facit; utpote nulli ex ijs, quæ ad finem amatum referenda sunt, adstrictam; ut in ijs assumendis & aversandis, facere possit quod velit, quæ ad libertatis rationem pertinere suprà diximus. Vtraque ita libertatis rationem obtinet, ut tamen aliquid servitutis conjunctum habeat: sed illa respectu veri Domini æternæ veritatis ac Dei; ex quo fit, ut potiùs vera libertas, quàm servitus nominanda sit; hæc respectu tyranni, ipsius videlicet creaturæ, seu, quod in idem redit, amoris & cupiditatis ejus: quæ propterea potiùs vera servitus, quàm libertas dici debet. Et propter istas multiplices utriusque libertatis similitudines factum est, ut abstractâ ab utraque & utrisque communi significatione, communiter *liberum arbitrium* vocetur, prout Deo, beatis, & damnatis Angelis, & homini viatori communiter convenit, prout ad utramque istam libertatem est indifferens.

De gratia & lib. arbit. c. 15. Ex ista enim vocis istius usurpatione Augustinus dicit: *Semper est autem voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando servit peccato; & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando servit iustitiæ; & tunc est bona.* Vbi breviter pleraque eorum, quæ diximus, tetigit. Ostendit enim unde utraque libertas dicatur, respectu termini scilicet à quo: ostendit utramque quandam servitutem habere conjunctam: ex quibus duobus cætera quę diximus facilè colligi & inferri possunt. Et alibi, cùm citasset illum Scripturæ locum: *Rom. 6.* *Cùm essetis servi peccati, liberi fuistis iustitiæ;* statim

A adijcit: *Ecce ostenditur, etiam peccato minime potuisse, nisi aliâ libertate, servire. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non sunt, nisi gratiâ Salvatoris.* *Lib. ad Bonif. c. 2.* Quæ doctrina sexcenties ab Augustino diversis locis iteratur. Hæc est ergo vera ratio libertatis & liberi arbitrij, prout ab Augustino in hac materia, & post ipsum ab Ecclesia spectata fuit. In qua Augustinus ac discipuli ejus magis ipsam liberationem à servitute, hoc est *termini à quo*, quem nomen ipsum indicat, quàm illam à medijs independentiam, & utendi vel non utendi amplitudinem, spectaverunt; posteriores Doctores è contrario potiùs illam independentiam & amplitudinem, quæ ex amore ultimi finis, sive veri, sive opinati, respectu mediorum consequi solet. Nam inde proficiscitur, quòd semper ad rationem libertatis illam indifferentiam, & quasi ab utroque extremo independentiam postulant, ut videlicet

B semper agere possit, *& bene, & male*; vel certè *agere & non agere*. Sed qui secundum istud ad rationem libertatis postulant, fortasse tolerandi sunt: qui primum, in ipsam impingunt Catholicam fidem. Nam Adam quamvis, ut suprà ex Augustino demonstravimus, ita liber fuerit, *ut & benè velle posset & malè*: atque ita istam *contrarietatis* indifferentiam obtinuerit; nullo tamen pacto istud ad libertatis sive rationem sive exercitium pertinere judicandum est. *Lib. de corrept. & grat. c. 11. & in Enchirid. c. 105.* Cùm enim libertas Augustino nota per amorem alicujus ultimi finis, sive Dei sive creaturæ conferatur; perabsurdum est ad eius rationem pertinere, ut arbitrium in isto amore dilecti finis ita mobile & instabile maneat, ut illum semper possit abrumpere, vel amorem alterius oppositi finis assumere. Hoc enim commentum fides destruit, quæ docet, tam beatos quàm damnatos immobiliter in semel

C electi ac dilecti finis amore permanere. Sed ista liberi arbitrij mutabilitas solis Angelis & homini primo viatori, propter rationes aliquas supra tactas, peculiaris fuit. Nam etiam lapsus homo in amore dilectæ semel creaturæ persisteret immutabilis, nisi mutatio per dexteram Excelsi fieret, qui potentissimâ gratiâ, lapsi hominis voluntatem à rebus creatis in se retorquet, eamque ab amatæ creaturæ, hoc est, à cupiditatum terrenarum vinculis liberando, se denuo verum ejus ultimum finem ac Dominum diligi facit. Sed de natura liberi arbitrij secundum profundissimi Doctoris nostri mentem, & de indifferentijs istis *contrarietatis & contradictionis*, quæ strictim hic attigimus, erit alibi fusiùs disserendi locus. *Vide duos lib. de nat. lib. arbit. inf. qui sunt 6. & 7. de gratia Christi salvatoris.*

CAPVT

CAPUT SEPTIMUM.

An Adam per vires liberi arbitrij in creatione datas potuerit justè vivere.

A HACTENUS de libertate disseruimus secundùm respectum quasi termini, *à quo* per illam homo liberatur: nunc dicendum de respectu quasi termini *ad quem*, sive de usu libertatis, & operibus, quæ illius virtute fieri possunt. Primus respectus est libertatis quasi secundum essentiam, & naturam, & statum ejus; posterior secundùm exercitium ejus. Differentiam istam agnovit Augustinus. Nam quamvis sæpissimè, & ferè semper primam illam rationem inculcet, nonnunquam tamen etjam tangit alteram; ut quando dicit: *Ad bonum opus liberum Adam condidit.* Et in Epistola ad Vitalem: *Quo* (gratia) *nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberatur arbitrium.* Et aliquantò pòst de diaboli arbitrio loquens: *Quod nec ipse habet liberum ad bene faciendum.* Et adhuc interiùs: *Cùm potiùs illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda & agenda fit liberum.* Et libro primo ad Bonifacium: *Tunc vere liberi eritis: atque liberi ad benè justèque vivendum.* Quod eodem loco, sicut & alibi, vocat, esse liberum *in bono*, & liberum *in malo*: *Sed hæc voluntas, quæ libera est in malo, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* Et rursum: *Nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit: sed in malo liberum habet arbitrium.*

Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 216. Epist. 107. Cap. 2. Cap. 3.

Quæritur ergo, quas vires habuerit liberum illud arbitrium primi hominis ad benè justèque vivendum? Scholastici enim Doctores non ita cæci fuerunt in volvendis monumentis Augustini, quin facilè viderint, aliquid ab eo libertati primi hominis adhuc integri respectu bonorum operum tribui, quod lapsi hominis libertati nullo modo concedi potest. Itaque operosè hîc distinxerunt opera naturalia, seu moralia à supernaturalibus; observationem præcepti secundùm substantiam operis, & secundùm modum; observationem totius legis naturalis, & observationem unius vel alterius præcepti; perpetuam, seu longi temporis, & transitoriam unius horæ, vel diei, vel occasionis &c. idque urgente aliquâ tentatione, vel non urgente. Omnes enim judicarunt, opera supernaturalia, ut fidei, vel dilectionis Dei, non posse ejus libertati sine injuria divinæ gratiæ tribui. Sed sive distinctiones illæ admittendæ sint, sive non, quæ disputatio alibi opportuniùs nos occupabit, hîc certè ad propositum nostrum nihil facit. Nos enim quærimus, utrum illa opera, quæ lapsi hominis arbitrio per Christi gratiam conferri debent, Adam libertate arbitrij sui naturali, hoc est, quæ in prima conditione naturæ concessa fuerat, perficere potuerit. Nam si constiterit, illa opera per liberum ejus arbitrium potuisse fieri, non donante gratiâ Dei; quid de cæteris sentiendum sit, perspicuum erit.

Nos igitur hîc asserimus, tanquam sine dubitatione verissimum, juxta doctrinam sancti Augustini, & Ecclesiæ, omnia hujusmodi opera, adeoque & ipsam fidem, & dilectionem Dei ab eo potuisse per arbitrij libertatem fieri, sic ut ea non donaret ei gratia Dei. Quod quamvis alicui paradoxum fortasse videatur, non poterit tamen non admittere, si Augustini & Conciliorum doctrinam admittere velit. Multis igitur modis istud facilè probari potest.

Primò, quia non raró plenam perfectamq; bene vivendi potestatem Adamo collatam esse dicit. Nam de primo homine loquens ac disputans, an debuerit rectè vivere, sic loquitur: *Ex eo, quod non accepit, nullus reus est: ex eo verò, quod non facit quod debet, justè reus est. Debet autem, si accepit & voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem.* Nam ex eo quod B debet justè vivere, primum hominem colligit habere debuisse sufficientissimam facultatem. Et in libris de Genesi ad litteram: *Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset benè vivere, quia nemo malè vivere suaderet: cum in natura posse, & in potestate haberet velle, & non consentire suadenti.* Ecce in natura habebat posse benè vivere. Et quid est, *in natura*, nisi in natura liberi arbitrij? Et clariùs cum Pelagio disputans, qui naturæ, non gratiæ, bene vivendi potestatem tribuebat: *Verum est autem, quod ait* (Pelagius) *quod Deus tam bonus quàm justus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret; sed si voluisset.* Et rationem ex natura liberi arbitrij petens: *Quis enim nescit*, inquit, *eum sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate liberâ constitutum?* Et alibi: *Agitur de illius mentis quadam* C *valentia* (id est robore) *usuque rationis, quo præceptum Dei, legemque mandati & docilis Adam caperet, & facilè posset custodire, si vellet.* Et apertissimè sanctus Fulgentius Augustini discipulus: *Nam utique naturaliter homini, cùm caperit in Dei Filium credere, si posse credere in conditione primi hominis datum non esset, nunquam peccatum de infidelitate contraheret.* Quibus in locis disertis verbis indicant, datam esse in prima naturæ conditione, hoc enim vocant, naturaliter posse credere, *mentis valentiam, potestatem liberam, posse, sufficientiam, sufficientissimam facultatem* ad credendum, ad carendum peccati malo, justèque vivendum. Ne quis autem existimet, hæc ita fortassis esse intelligenda, sicut quælibet

Lib. 3. de lib. arb. c. 16. Lib. 11. c. 4. Lib. de nat. & grat. c. 43. Lib. 1 de pecc. merit. c. 37. Lib. de incar. & grat. c. 22.

libet creatura rationalis propter mentem dicitur remotè posse benè vivere; multis alijs modis semetipsos declarant.

Secundò namque sæpè dicunt, facultatem credendi ac diligendi Deum, adeòque benè vivendi, quam ante peccatum habebamus, jam amissam esse peccato, & non nisi gratia posse reparari: quod nullo pacto de mente rationali intelligi potest. Nam de potestate diligendi Dei sic Augustinus: (Epist. 107.) *Non est igitur gratia Dei in natura liberi arbitrij &c. quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* De facultate credendi Fulgentius: (Lib. de incarn. & grat. c. 2.) *Hoc igitur in homine divinitus agitur, cui fidem Deus infundit, ut gratiæ dono virtutem credendi natura recipiat, quam amisit.* Et alibi de potestate cogitandi recta & sancta: (Ibid. c. 12.) *Humano generi gratuitam gratiam divina bonitas contulit &c. per quam cogitationis sanctæ amissa jam pridem in homine primo per hominem secundum reciperetur facultas.* Et rursum: *Peccans ille, qui sine peccati necessitate creatus est, in eo quòd animæ sanctitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisit protinus facultatem.* (Ibid. c. 13.) Si potestatem sancta cogitandi, credendi, diligendi, sub quibus omnibus justè vivendi officia comprehenduntur, amisimus per peccatum, ante peccatum nos eam habuisse, necessarium est: neque enim amittitur, quod non habetur.

Tertiò, quia Augustinus disputans contra Pelagium, qui potestatem benè vivendi tribuebat naturæ, sæpè indicat sententiam ejus fore veram, si natura adhuc esset in illa integritate, in qua primùm condita fuit; nunc autèm, quia peccato vitiata est, veram esse non posse. Cùm enim dixisset Pelagius: *Ipsam non peccandi possibilitatem non tam in arbitrij potestate, quàm in naturæ necessitate esse*, Respondet Augustinus: (Lib. de nat. & grat. c. 51) *Si iste, qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primò inculpata & salva condita est, utcumque acciperetur hoc dictum:* hoc est, tolerari posset ista sententia, tanquam vera: quod paulò antè etjam similitudine declaraverat. cùm enim dixisset Pelagius, *Non peccandi possibilitatem, velimus, nolimus* (hoc est inamissibiliter) *insitam esse naturæ*, respondet ei similitudine: (Cap. 49.) *De homine sanis pedibus talis aliter dici potest, velit, nolit, habet ambulandi possibilitatem: confractis verò, si velit non habet: vitiata est natura, de qua loquitur &c.* quasi diceret, propter contractum vitium jam claudicat natura; & non peccandi possibilitate, quam habuit, caret. Nam in istis locis nihil aliud in sententia Pelagij displicet Augustino, quàm quod illam possibilitatem naturam *inamissibiliter & inseparabiliter* habuisse, contenderet. Illa enim causa est, cur non absolutè ejus verba admitteret; sed cum quadam diminutione, *utcunque; tolerabiliter.* Vnde illam inamissibilitatem utroque loco reprehendit.

Quartò, quia frequenter Augustinus adversus Pelagium docet; si natura esset sana, quemadmodum primùm condita est, & mordicus Pelagius tuebatur, non opus esse, ut per Christi gratiam vires ad benè vivendum naturæ donarentur. Nempe, quia per seipsam ad hoc sufficeret. Solum enim vitium peccato contractum causam esse, cur ad benè vivendum gratiæ Christi medicina requiratur. Nam ille erat scopus Pelagij in omnibus disputationibus suis, ostendere naturam à primæva integritate non esse vitiatam: & ideò hominem nunc per seipsum posse justè vivere, sicut hoc Adam potuit. Declarat hunc scopum & argumentationem ejus Prosper:

(Carm. de ingrat. c. 8.)

Ait, naturam, quæ bona facta est,
Nullis cum vitijs in quoquam omninò creari;
Nec cuiquam primi culpam nocuisse parentis:
Et quoniam tales nascantur nunc quoque, qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum:
Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velit: ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua.

CVm ergò hunc scopum intuens Pelagius in libro de natura & gratia mordicus contenderet, naturam nunc similiter per seipsam posse justè vivere, seu legem implere, & non peccare si vellet, respondet Augustinus: (Lib. de nat. & grat. c. 3.) *Natura hominis primitus inculpata & sine ullo vitio creata est: Natura verò ista hominis, quâ unusquisque ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est.* (Cap. 6.) Et paulò inferiùs *Hoc si secundùm Scripturas sapiamus*, nempe naturam non esse integram, sed peccato vitiatam, *non cogimur contra Christianam gratiam disputare, & ea dicere, quibus demonstrare conemur, naturam humanam neque in parvulis medico indigere, quia sana est, & in majoribus sibi ipsam ad justitiam, si velit, posse sufficere.* Apertissimè indicans eum, qui sanam & integram tuetur naturam, omninò cogi tollere Christi gratiam, tamquam nullo modo non solùm ad peccati remissionem, sed nec ad justitiæ impletionem necessariam. Et adhuc aliquanto pòst: (Ibid. c. 20.) *Cernimusne quò tendat, & quò manus porrigat hæc disputatio?* (Nempe de ista sanitate naturæ) *ut omnino frustra dictum putetur: Vocabis nomen eius IESVM; ipse enim salvum faciet &c.* Et adhuc multis interjectis: *Meliùs Dei causa agitur, quam se iste agendo dicit defensare naturam, cùm & creator & salvator agnoscitur; quàm cùm defensa velut sana, viribusque integris*

creatura, opitulatio Salvatoris manitur. Vbi clarè A intelligendum offert, opitulationem sive gratiam Christi Salvatoris ex ista virium integritate convinci esse superfluam, utpotè quæ per vires illas primæ conditionis integras ad justitiam sibi sufficeret. Et hinc est, quòd statim apertissimè sensum suum explicans, disertis verbis dicit: *Verum est quod ait* (Pelagius) *quòd Deus tam bonus quam justus, talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret*, hoc est, ad implendam legem justeque vivendum, ut Pelagius contendebat; neque enim aliter peccati malo carere potest. Rationem adjicit: *Quis enim eum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate libera constitutum?* Et quasi quæreretur; quid ergò causæ est, cur nunc non similiter sibi ad justè vivendum natura sufficiat? Respondet esse vitium: *Sed nunc de illo agitur, qui gravibus saucius confossusque vulneribus* &c. Et rursum clariùs id ipsum explicans, cùm Pelagius dixisset: *Voluntate non est, quod natura potest*, hoc est, ex sola voluntate contingit, quòd homo non careat peccatis, aut justè vivat; respondet ei Augustinus: *Ego dico, voluntate quidem non est homo justus, si natura potest; sed medicinâ* (id est gratiâ) *poterit, quod vitio non potest.* Ex quo conflictu Pelagij & Augustini manifestum est, Augustinum sæpiùs admittere, quòd vera esset sententia Pelagij, nec opus esset Christi gratiâ, quæ liberum roboraret & sanaret arbitrium, si vires primævas in conditione datas natura non perdidisset: quo sensu dicit idem Augustinus eandem sententiam Pelagianorum persequens: *Sunt homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi sauciæque naturæ*, nempè quòd per vires suas justè posset vivere: *Verum est, magnas arbitrij liberi vires homo cum conderetur accepit: sed peccando amisit.* Hinc Prosper simili planè modo, etjam peccati remissionem per liberi arbitrij vires obtineri potuisse docet, si natura ut facta est post peccatum illæsa perstitisset.

Cap. 43.

Ibid.

Serm. 8. de verb. Apost.

Carm. de ingratis c. 42.

Nam si nunc etiam illæsus vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit; sua quemque voluntas
Conciliare Deo, pœnáque absolvere posset:
Nequicquam Christus mortem moriendo piaret:
Peccatum & mundi sanguis non tolleret agni:
Nec genus humanum generari rursus egeret
Conditione novâ, quoniam sapientia sana,
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,
Vitam agerent dignam summorum participatu.

Nimirum, quia per illæsas arbitrij vires, A tametsi peccasset, potuisset sicut ante sapere, credere, dolere de peccato, & ita remissionem adipisci, sine ulla medicina gratiæ Christi, quæ liberum arbitrium gemere, & dolere, & credere faceret. Rem verò totam, ipsumque adeo Augustini Magistri sui sensum, sicut eum ex iterata toties in libris ejus hac doctrina hauserat, brevissimè apertissiméque sine ulla ambiguitatis aut obscuritatis latebra complexus est idem Prosper, quando dixit: *Neque hæc dona* (ea videlicet, quæ sunt veræ sanctæque pietatis, habere, cogitare, dicere, agere) *ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ autor est, per conditionem jam hæc contulisse videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc hominis facultatem: sed omnes jam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus.*

Ad capitula Gall. Resp. 8

Hanc igitur doctrinam secutus autor librorum ὑπογνωστικῶν, qui pœnè toti ex sensibus Augustini, aut discipulorum ejus Prosperi & Fulgentij pertexti sunt, omnia quæ paulò antè ex eorum scriptis deduximus, luculentissimè calculo suo confirmat & illustriùs explicat: Hinc est enim quòd possibilitatem benè vivendi sæpè libertati naturali primi hominis tribuit. Nam statim initio libri tertij proponens hæreticorum sententiam, quòd homo per liberum arbitrium, & per se sibi sufficeret implere, quod vellet, respondet: *Neminem posse per se sibi*, id est, per liberum arbitrium, *implere quod velit, rectè dicimus, nisi Protoplasto solùm potuisse; cùm voluntas liberi arbitrij fuisset sana eidem ante culpam.* Et capite secundo: *Vt liberum arbitrium cum possibilitatis bono, quo valeret implere, quod voluisset Adam, factum intelligas, audi quid dicat Scriptura: Reliquit eum in manu consilij sui. Quid est autem, reliquit &c. nisi dimisit eum in possibilitate liberi arbitrij sui? In manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, qua primus homo stare potuisset, si servare mandata Domini voluisset.* Et capite quarto: *Arbitrium ideo liberum dictum, quòd in sua positum sit potestate, habens agendi quod velit possibilitatem. Sed hujusmodi, ut antè jamdictum fuit, fuit in homine protoplasto, cùm ante peccatum maneret illæsum, qui semper, si Deo fuisset obediens, sufficere posset ad omne bonum, quod voluisset.* Hinc B est, quòd eandem illam possibilitatem peccato ejus perditam, sæpius iterat: [a] *Domini præterijt præceptum, amisso possibilitatis bono; solum arbitrium ad velle potius est vulneratum.* [b] *Per velle ergo malum, rectè perdidit posse bonum, qui per posse bonum, potuit vincere velle malum. Per peccatum ergo liberum arbitrium hominis possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationem. Diabolus humanum genus spoliavit & vulneravit, motum scilicet ornamentis, &* bono

Autor librorum ὑπογνωστ. lib. 3. c. 1.

cap. 2.

cap. 4.

a Lib. 3. cap. 5.

b Cap. 4.

Cap. 9. *bono possibilitatis liberi arbitrij perdito.* c *Quid etiam aliud ostenditur & in ove illa perdita ex centum omnibus, nisi liberum arbitrium, possibilitatis bono, vitio primi hominis perdito, à justorum errasse consortio?* Hinc docet, nos jam non posse implere quod volumus, quia libertas vitiata est. Lib. 3. c. 1. *Hoc ergò volumus cuncti libero claudicantes arbitrio, nec implere nobis naturaliter sufficere posse bonum, quia jam, ut superius disputavi, de natura vitiata peccato, id est, de protoplastis hominibus, quorum sumus & ipsi natura, in quibus vitiata est libertas, homo voluntatis sana, perfecto videlicet libertatis arbitrio, quo sibi sufficiat, non potest exoriri.* Hinc similiter sæpiùs tradit, Pelagij sententiã futuram veram, & inaniter Christi gratiã prædicari necessariã si natura illæsa perstitisset: Lib. 3. c. 3. *Et conaris*, inquit, *astruere, cùm prædicas hominem naturaliter posse quod velit, Christum nullum in eo vitium, quod curaret, nullam infirmitatem invenisse, quam gratiæ suæ gratuita medicamento sanaret?* &c. B *Quid enim opus erat Deo, si status integer naturæ maneret, humanam carnem suscipere nostram?* Cap. 4. *Perge adhuc, hæretice, dic liberum arbitrium sic ex Adam susceptum, ut medicinâ Christi non indigens per se sibi sufficiat implere quod velit* &c. *Et gratiæ ingratus existens sanum te naturaliter putas liberum arbitrium possidere? Si sanus est homo ut Adam a Deo primum fuerat institutus* &c. Quæ omnia magis perspicua sunt, quàm ut aliquo indigeant commentario: quin potiùs, si quid obscuriùs Augustinus dixerit, luculentissimi Commentarij loco explicant.

Quamobrem cùm Celestinus Pontifex, & Concilium Arausicanum intelligerent istam, quam ex Augustino tradidimus, etjam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam esse, eandem sacrorũ Canonum auctoritate firmarunt. Nam Celestinus Gallos instruens, cum Catholicis credi ac dici jubet: Epist. ad Episc. Gall. c. 3. *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem* (nempe volendi, cogitandi, agendique recta &c.) C *& innocentiam perdidisse:* & hoc ipsum sancti Papæ Innocentij auctoritate confirmat. Concilium verò Arausicanum ejusdem doctrinæ filum sequens, utpote quam plerumque verbo tenus ex Augustino sumpsit, paucis verbis universæ hæreseos Pelagianæ atque Semi-Pelagianæ fibras excidit. Nam quemadmodum Pelagiani universa salutis opera per illam naturalem arbitrij potestatem, quæ integerrima per creationem data fuerat, fieri posse contendebant, & ita non opus esse Christi gratia, cujus virtute fierent; sic Semi-Pelagiani sola bonorum operum initia, fidem, orationem, & similia per eandem illam naturæ potestatem effici posse credebant. Et isto sensu dicunt Canone quintò: *Initium fidei naturaliter nobis inesse;* & *Fidem, qua in Deum credimus, esse naturalem.* Et Canone septimo: *Nos per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere posse.* D Et Canone octavo: *Aliquos per liberum arbitrium ad gratiam baptismi posse venire.* Nam ista omnia eundẽ sensum habent. Quam suam sententiam ut hæretici firmiter stabilirent, veluti basin substernebant id, quod habetur Canone primo; *Animi libertatem illæsam durasse*, A per quam scilicet, saltem operum bonorum initia fieri possent: quemadmodum olim, cùm natura esset integra, prorsus omnia per illam effici poterant. Hæc ergò perspicaciter intelligens Concilium Arausicanum, & rem istam sciens esse impossibilem, non petit ullibi impossibilitatis istius rationem, ex natura operum hujusmodi, quòd supernaturalia sint; sed ex infirmitate, quæ per peccatum in liberum arbitrium inducta est. Vnde Canone octavo infert ex ea sententia Semi-Pelagianorum sequi, *Non omnium liberum arbitrium esse per peccatum primi hominis infirmatum.* Nimirum, quia id quod ille poterat robustus & sanus, hoc etjam infirmis tribuebant. Quam sententiam & totius hæresis istius basin ut everteret, toties, tamque studiosè, contractam illam liberi arbitrij infirmitatem prædicat & inculcat. Hinc est enim, quòd Canone decimo tertio definit, *Arbitrium voluntatis in primo homine esse infirmatum, & esse amissum.* Et Canone vigesimo primo, *Naturam per Adam esse perditam.* Et Canone vigesimo quinto, ut plurium definitionum præcedentium rationem & fundamentum patefaceret, addunt: *Secundum antiquorum Patrum definitiones* (ubi certum est Augustinum & Prosperum respici, utpotè cùm omnes pœnè Canones ipsissimis Augustini verbis, & ipsissimo ordine, quo à Prospero collecta fuerant, concepti & conditi sunt) nos prædicare debere & credere, *quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* Et idcircò illam præclaram antiquorum Patrum fidem, *non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat; sed per gratiam Dei fuisse collatam.* Itemq; latronis, Cornelij Centurionis, & Zachæi admirabilem fidem *non fuisse de natura; sed divinæ largitatis donum.* Quo Canone, cùm Concilium dicit, arbitrium ita fuisse inclinatum, & attenuatum, ut nullus *postea* possit diligere Deum, sicut oportuit, aut credere, aut operari &c. manifestissimè significat, antequam esset attenuatum, potuisse ista per liberum arbitrium fieri, quæ non poterant posteà: Quæ omnia doctrinæ Augustini & Prosperi, ex qua sumpta sunt, ad unguem consonant: & sicut ex ea lucem accipiunt, ita illam immobili sua autoritate confirmant.

Ex his igitur, quæ hactenus diximus, perspicuum est, superfluas esse hoc loco tot Scholasticorũ distinctiones, quas doctrinam illam, quam non satis videntur penetrasse, subodorati & difficultatem ejus veriti, ad molliendam eam, sanoque sensu aptandam protulerunt. Nimis enim apertum est, non solùm ex Augustini, & Concilij, & Pelagianorum, & Semi-Pelagianorum scopo, sed etjam ex ipsissimis eorum verbis, de fide, dilectione, cæterisque operibus agi supernaturalibus, adeoque salutis æternæ meritorijs: ut non sit opus laborem in ijs refutandis impendere, præsertim cùm nullum ea-

lum earum distinctionum vestigiũ in Concilio, A aut Augustino reperire liceat. Sunt enim partus cogitationis humanæ de tuendis suis sententijs satagentis, quas doctrinæ sancti Augustini non satis intellectæ facilè accommodare non poterant. Vnde detecto solo filo veritatis per se corruunt & evanescunt. Quo verò pacto doctrina ista intelligi debeat, ne in divinæ gratiæ injuriam cedat, ex Augustini mente infrà fusiùs explicabimus.

Vnum tantummodò hîc observandum est, illud *naturalis possibilitatis* nomen ex doctrina Pelagij in hanc materiam promanasse. Ipse enim inter primos, vel primus ista voce uti cœpit: Nec aliud per eam significare voluit, quàm naturalem *potestatem seu facultatem liberi arbitrij*. Quod alibi in explicandis Pelagij dogmatibus declaravimus, & ex libro de natura & gratia cap. 7. 10. 45. 47. 48. 52. Itemq; ex libro de gratia Christi cap. 4. & 6. 14. & 16. manifestum est; quibus vox ista in eo sensu, & ipsis Pelagij verbis sæpissimè repetitur. *Vide lib. 4. & 5. de Hæresi Pelag. diversa Pelagij loca, & alibi.* Vnde & Augustinus, qui antea nomen potestatis & facultatis tanquam latinius usurpare solitus fuit, etjam hac voce in illo sensu, sicut & Prosper, & Concilium Arausicanum, uti cœpit, ut hæresis eadem veste, qua mundum intraverat, mundo excederet; & eodem sensu, quo veritatem conabatur adulterare, damnaretur.

CAPVT OCTAVVM.

Vtrum per vires liberi arbitrij in justitia creationis potuerit perseverare.

QVID in hac quæstione sentiendum A sit, ex ijs quæ superiori capite dicta sunt, satis superque liquet. Si enim per liberum arbitriũ potuit in Deum credere, Deum diligere ut oportet, justè vivere, non peccare, si vellet: potuit profectò & in justitia perseverare. Qui enim justè vivit, & non peccat, sine dubio perseverat. Vt tamen doctrina ista plenior sit, & apertiùs Augustini sensus de omnibus illis, quæ supra diximus, intelligatur & confirmetur, pauca de potestate perseverandi, & perseverantiâ in justitia per liberum arbitrium adjicienda sunt. Hoc enim si ex scriptis ejus astrui potest, omnis scrupulus de superioribus evanescet; eò quòd perseverantia sine fide, dilectione, cæterisque justitiæ supernaturalis operationibus obtineri nullo pacto queat.

Nonnulli igitur, quibus doctrina sancti Augustini minùs perspecta fuerit, verebuntur potestatem perseverandi in justitia libertati arbitrij primi hominis & Angelorum attribuere, & tanquam capitalem divinæ gratiæ injuriam exhorrescent. Sed si principijs non modò supra jactis, sed etjam vestigijs, quæ scriptis suis hac ipsa de re passim Augustinus impressit, & luculentissimè expressit, velimus insistere, fateri cogimur, per liberi sui arbitrij vires hominem primum permanere seu perseverare potuisse, & sanctos Angelos reipsa permansisse. Toties enim tantâque constantiâ doctrinam istam inculcavit; quasi in hoc unum contra adversarios hujus temporis collimasset. Quid enim aliud sibi volunt ista perspicua verba ejus, quæ de diabolo & angelis ejus effatus est: *Erat tamen quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent.* *Lib. de corrept. & grat. c. 10.* Quid aliud illa de homine primo? *Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideò beatum, quia & non mori, & non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat.* Quid aliud item illa? *Ibid. c. 10.* *In quo statu recto, ac sine vitio si per liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine ullo mortis & infelicitatis experimento acciperet illam merito hujusmodi permansionis, beatitudinis plenitudinem.* Quid item sibi volunt illa? *Vt autem vellet (permanere) in ejus libero reliquit arbitrio.* *Cap. 11.* Quid ista verò; *Quæ quidem (merita sua) potuit habere, sed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium.* *Cap. 10.* Nam per merita, & non aliter, perseverantia ejus erat complenda. Quid aliud etjam illa non minùs luculenta? *Non autem ita esset, si natura humana per liberum arbitrium in quo statu primum condita est, perstitisset.* *Lib. 6. cont. Iul. c. 21.* Nequis autem suspicaretur, sic eum potuisse perseverare per liberum arbitrium, quia etjam concursus ejus adesse debet; quemadmodum etjam de hominibus jam lapsis dicimus, quòd per liberũ arbitrium, hoc est, eo concurrente perseverant, excludit hunc sensum expressis verbis B Augustinus, quando dicit: *Qui non infertur in tentationem, non discedit à Deo: non est hoc omninò in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuerat in homine, antequam caderet.* *Lib. de dono persev. c. 7.* Ecce antithesin apertissimam inter vires hominis antequam caderet, & postquam cecidisset: quòd antè, per liberi arbitrij vires poterat non discedere à Deo, hoc est, permanere cum Deo; post lapsum verò non potest. Quam partem declarans luculentiùs, & per hoc vires hominis stantis, & tali auxilio non indigentis, insinuans: *Post casum autem hominis*, inquit, *non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo.* *Ibid.* Quæ quamvis per seipsa satis manifesta sunt, non parum tamen eis lucis accedit ex alijs ejus testimonijs, quibus docet, sicut nos etjam suprà ex varijs locis ejus confirmavimus, Adamum tale accepisse liberum arbitrium, ut *benè velle posset, & malè*. Et rursum, tale liberũ arbitrium *ut posset non peccare, si vellet*: quæ doctrina ipsi passim familiaris est. *Lib. de corrept. & grat. c. 11.* Vnde signifi-

ficare

ficare volens, hoc privilegium ei præ lapsis hominibus ex liberi arbitrij viribus convenisse, si ait quodam loco: *Potuit non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere*, id est, perseverare in bono. *Numquid dicturi sumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium?* Et paulò pòst clarissimè istud voluntati & potestati tribuens: *Prima ergò libertas voluntatis erat posse non peccare; novissima, non posse peccare.* Et alibi: *Primum liberum arbitrium quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare; sed potuit & peccare.* Vbi utrumque similiter potestati liberi arbitrij tribuit. Et paulò pòst: *Servandi gradus erant divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset; novissimum, quo peccare non posset.* Cujus doctrinæ sensus ex antithesi, quam sæpè tradit, fit illustrior: quòd jam videlicet non sit in homine tale liberum arbitrium, quod non peccare possit; sed istud jam peccato pressum per gratiam liberandum sit; sicut in eodem loco subjicit: *Sed quia peccavit ista natura, cùm peccare potuit, largiori gratiâ liberatur*, id est, *fit libera*. De quo alibi plura dicturi sumus.

Cap. 12.

Ibid.

Lib. 22. de Civit. c. ult.

Ibid.

Ibid.

Doctrinam istam discipuli Augustini ad amussim quoque sectati sunt, & scriptis expresserunt suis. Inter quos fuit in primis sanctus Prosper: qui cùm adversus Gallos traderet, nunc post lapsum hominis esse donum *gratiæ Dei per actus singulos adjuvantis*, quòd rectè vivimus, in primo homine per naturam hoc haberi potuisse docet: *Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ auctor est, per conditionem jam hæc contulisse videatur*: QUIA DEDIT QUIDEM AB INITIO HANC HOMINI FACULTATEM, SED OMNES IN ILLO AMISIMUS, IN QUO OMNES PECCAVIMUS. Ecce data est homini ab initio hæc facultas benè vivendi per bonum creationis naturæ, sive per liberum arbitrium, cum quo conditus fuit; sed illa nunc peccato perijt. Nunc enim non possumus per facultatem naturalem, sive per liberum arbitrium benè vivere, quod ex primæ institutionis felicitate poteramus. Et in libro adversus Collatorem, cùm Cassianus diceret, credendum non esse, quòd ita sit conditus homo, *ut nec velit unquam nec possit bonum: alioqui nec liberum permisit arbitrium*; hoc est, alioqui non dedisset ei Deus liberû arbitrium: Respondet Prosper, hominem olim potuisse per liberum arbitrium perseverare, si vellet; nunc non posse: *Rectum atque omni vitio carentem creatum esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est: eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Dominum non desereret, posset in bonis, quæ naturaliter acceperat, perseverare quia vellet; & merito voluntariæ perseverantiæ in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset*: SED IPSO LIBERO ARBITRIO, QUO QUAMDIU VOLUIT BONUS MANSIT, *à proposita sibi lege defecit.* Hoc est, antea poterat per liberum arbitrium perseverare, si vellet, vel quia vellet, & per ipsum, quamdiu voluit, bonus mansit: nunc postquam defecit, id ipsum nequaquam potest. *Quid enim* (ut adjicit) *peccato læsum est, si id læsum non est, unde peccatum est?* Illa itaque causa est, quòd *nullo modo idoneus est ad illud bonum eligendum, & concupiscendum, quo se sponte privavit.* In quibus omnibus ad amussim exprimit præceptoris sui Augustini doctrinam, qua sub finem vitæ suæ dixit: *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt. Fuit in homine, antequam caderet.* Itaque alio in loco sancti Augustini sensibus hærens, ille ipse sanctus Prosper de primis hominibus dicit: *Vt qui posse non mori acceperant in natura, non posse mori consequerentur in gloria.* Nempe quia in natura, seu in viribus liberi arbitrij naturalibus, acceperant posse non peccare, ideoq; posse non mori. Et de sanctis Angelis in libro præcedente: *E contrario voluntatis sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt.*

Respons. ad cap. 8. Gall.

Prosp. lib. cont. Collat. cap. 18.

Ibid. c. 20.

Ibid.

Lib. de dono persev. c. 7.

Lib. 2. de vita contempl. c. 19

Lib. 1. c. 3.

A B

Petrus Diaconus ejusdem doctrinæ filum tenuit quando suam profitendo fidem dicit: *Credimus bonum, & sine ulla carnis impugnatione à Deo creatore omnium factum Adam, ita ut & bonum facere in propria facultate haberet, & malum, si vellet, posset admittere.* Hoc est enim ipsissimum illud quod Augustinus tradidit, hominem primum ita liberum fuisse, ut & bene velle posset & male, & per liberum arbitrium potuisse stare sicut & cadere. Quam libertatem nunc amissam esse ibidem tradit.

Petrus Diaconus lib. de incarn. & grat. c. 6.

Sanctus Fulgentius Augustini itidem discipulus ejusdem doctrinæ semitam trivit, quando dicit Deum homini *ad habendã custodiẽdamq; justitiam integrum sanumque creasse libertatis arbitrium.* Nam hoc nihil est aliud, quàm ei dedisse tam integrum, sanum, robustumque liberum arbitrium, ut per illud, seu per concreatas ei vires posset justitiam custodire, si vellet. Nam ideò in eodem libro dicit: *posse credere in conditione primi hominis datum esse* quâ vitiatâ *credendi possibilitatem*, nunc à Deo *sperandam esse, poscendamque.*

Fulgent. lib. de incarn. & grat. c. 12.

Ibid. cap. 21

C

Sanctus Gregorius diversis in locis eundem Augustini sensum luculentis verbis expressit, ut in libro quinto Moralium: *Miro autem omnipotens Deus naturam summorum Spirituum bonam, sed mutabilem condidit, ut & qui permanere nollent, ruerent, & qui in conditione persisterent, tanto in eâ jam dignius, quanto ex* ARBITRIO *starent, & eo majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.* Et ejusdem operis libro vigesimo quinto: *Ipsi quoque Angelici Spiritus mutabiles ex natura sunt conditi, quatenus aut sua sponte caderent,* AUT EX ARBITRIO STARENT. Et homilia septima in Ezechielem: *Et natura Angelica, quando creata est, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate persistere, & in omnipotentis Dei conspectu permanere; an ad superbiam laberetur: & à beatitudine caderet* &c. Quod Augustinus dixerat, ita liberum fuisse, ut & benè velle posset, & malè: quòd verò Gregorius bis terve dicit, Angelos mutabiles fuisse, ut aut sponte caderent, aut EX ARBITRIO STARENT; hoc Augu-

Greg. lib. 5. moral. c. 18. alias 27.

Lib. 25. c. 4.

D

Augustinus dicit *per liberum arbitrium* fieri potuisse.

Quidam igitur testimoniorum hujusmodi claritate convicti ad distinctiones fugiunt, existimantes juxta doctrinam Augustini, hominem primum, vel Angelos per liberum arbitrium quidem perseverare potuisse; non tamen actu perseverasse. Distinguunt enim auxilia necessaria ad potestatem perseverandi, & ad actum perseverandi. Sed hujusmodi non tam distinctionem, quàm illusionem doctrinæ suæ perspicuis verbis prævenit Augustinus. De actu enim, non de potestate loquitur, quando dicit, non solùm de Angelis reprobis, quòd *per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt*: sed simili planè modo de bonis: *Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt.* De actu, non de potestate loquitur, quando dicit: *Sicut fecerunt Angeli sancti* (sic videlicet etjam homo facere potuit) *qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitriũ steterunt ipsi.* Quo utroq; in loco ne quis nodos in scirpo quæreret cùm dixisset Angelos quosdã per liberum arbitriũ cecidisse, non sine magna Emphasi adjecit: *per ipsum, per idem* liberum arbitriũ alios perstitisse. Nec verò iterum de potestate perseverandi tantum, sed de actu loquitur, quando de Angelis dicit: *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt.* Nempe per illam libertatem voluntatis. Quo loco videtur Augustinus de industria fuisse sollicitus, ut hujusmodi distinctiones post tot sæcula emersuras excluderet. Nam cùm dixisset, quòd non discedere à Deo, hoc est, perseverare cum Deo, *fuisset in homine* (id est in hominis potestate, & libero arbitrio) *antequam caderet*: ne quis sensum ejus pervertendo diceret, hoc fortassis de potestate verum esse, non de actu, statim explicat, & experimento probat istius efficaciam potestatis, quòd per eã non potestate solã, sed re ipsa, & actu *in veritate steterunt*: per quam liberi arbitrij potestatem, hominem lapsum jam stare non posse tradiderat. Itaque exsertis verbis Prosper ad amussim Augustino concinens, de malis & bonis Angelis omninò pariter dicit: *Siquidem prævaricationis eorum fuit, quòd irrevocabiliter judicij animadversione percussi sunt* &c. *sicut è contrario* VOLVNTATIS *sanctorum Angelorum fuit, quòd malis sponte cadentibus ipsi in sua dignitate manserunt.* Nempe pariter æquabili lege utrumque ad cardinem voluntatis discretionem illã efficientis refert. Quid ad hæc responderi potest, nisi anticipatæ opinionis amor pugnaces nervos adversus constantiam perspicuæ doctrinæ Augustini, & sensus ejus intendat? Nam si rationem indagare velimus, cur Deus

Lib. de correp. & grat. c. 10.

Cap. 11.

Lib. de dono persev. c. 7.

Lib. 3. de vita contemp. c. 3.

A tale liberum arbitrium condidisset; hæc ipsa maximè postulat, ut per vires inditæ illius felicisque libertatis posset non peccare, posset bonum non deserere, posset perseverare, sicut & non perseverare, si vellet. Testis est enim Augustinus, Deum Angelicam humanamque creaturam condendo illum habuisse peculiarem scopum, ut antequam coronaret, vel damnaret; vel à damnatione per gratiam liberaret, experiretur quibus viribus liberum arbitrium adhuc sanum integrumque polleret. Quod sanè nullo modo experiri potuit, vel experimento alijs demonstrari, si perseverantia in bono, jam tum illi, per gratiam dari debuit; aut si non aliud liberũ arbitriũ etjam integrũ potuit quã ex bono cadere, & à veritate deficere. Sic enim potiùs non tam potestatem ejus, quàm imbecillitatem declarasset, sicut post lapsum istud manifestè liquet. Sic ergò loquitur

B Augustin. *Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum Dominumque rerum omnium sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium*: nempe sive stando in veritate, sive cadendo: *Deinde quid posset suæ gratiæ beneficium* liberando, *justitiæque judicium* damnando, vel coronando. Vnde & paulò pòst per illam primæ conditionis gratiam dicit conformiter *demonstratam esse etiam potentiam liberi arbitrij*: hæc autem potentiæ demonstratio, hoc est, quàm robusta & valida fuerit illa primævæ potestas libertatis ad permanendum cum Deo, quamvis in Adamo perseverantiam abrumpente non eluxerit, in Angelis tamen per experimentum consecuta est, sicut ex ipso jam antè demonstratum est, quando dixit: *Quæ libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia, quantum valuerit*, id est, quàm valida, seu quanti roboris fuerit, *apparuit in Angelis*; *qui diabolo*

C *cum suis cadente in veritate steterunt.* Observatione verò dignissima est illa asseverandi constantia, quã Augustinus usus est, cùm illam doctrinam traderet, quam ex ipso paulò antè de illa liberi arbitrij magna potestate protulimus. Nam dicendo: *saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus*, ad Apostolicam phrasim allusum voluit, qua dixit ad Romanos: *Corde creditur ad justitiam; ore autem fit confessio ad salutem*: nobisque significare verbis Apostolicis, se non Chrysippæas aliquas Chimeras, vel incerta speculationis humanæ somnia, sed Catholicam doctrinam tradere, in cujus fide esset constituta justitia, & in confessione salus. Quod quamvis nobis meritò sufficere deberet, nihil tamen oberit veritati, si etjam rationes, cur arbitrium in illa prima conditionis integritate tanta polleret fortitudine, quantùm Deus adjuverit, indagemus.

Lib. de correp. & grat. c. 10.

Cap. 11.

Lib. de dono persev. c. 7.

CAPVT

concupiscentialiter resisteret, quemadmodum suprà latè demonstravimus. Nam ista duo *ignorantia* & *concupiscentia* gravissima primi peccati pœna sunt, & cum statu illius integritate nulla possunt ratione consistere. De quibus infrà fusè disserendum est. Hic ergo beatissimus erat liberi arbitrij status, quòd in anima esset cum summa lucis serenitate magna tranquillitas, & in voluntate consequenter summa potestas, & bene vivendi facilitas. Omnia enim erant serena pacataque intus & foris. Appetitus arbitrio voluntatis, corpus appetitui, ad nutum arbitrij subdebatur; cùm nihil in corpore, nihil in appetitu, nihil voluntati in ipsa voluntate repugnaret. Ita sciebat, quidquid ad rectè vivendum scire oportebat; carebat omnibus quæ nolebat; habebat, & *poterat omnia quæ volebat*; quia nihil indecenter placebat, aut displicebat. Tanta autem facilitate valebat, ut hoc ei esset per arbitrium posse, quod velle. Quod enim nunc multa non solùm in corpore & extra corpus posita, sed maximè in ipso animo (de quo nos loquimur) per liberum arbitrium volumus, quæ non possumus, hoc inde nascitur, quod vel appetitus voluntati, vel ipsa voluntas resistat sibi. Legem enim peccati habet non solùm in carne, sed in ipsa quoque voluntate, quæ ipsi volenti ita reluctatur, ut nisi magno conatu velit, non plenè velit, ideoque nec possit. Vnde Augustinus de ista nostri arbitrij miseria: *Nec mirandum est*, inquit, *quod vel ignorando non habeat* (homo jam lapsus) *arbitrium liberum voluntatis ad eligendum, quid rectè faciat: vel resistente carnali consuetudine videat, quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere.* Et hanc miseriam docet per magnam gratiam Christi nunc debere superari; quæ antea non erat integris viribus necessaria: hinc alibi: *Tantùm quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum* (qui jam lapsi sunt) *ut ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint.* Nam si eorum arbitrium suis viribus relinqueretur, nec Deus jam operaretur, non solùm ut vellent, sicut in multis facit, sed etjam ut fortiter vellent, *inter tot & tantas* internas resistentium cupiditatum *tentationes*, *voluntas ipsa*, ut idem ait, *succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.* Affectus enim in eis affectum impedit, & ipsa divisione voluntatis eam infirmam facit. Sed hæc primi peccati pœna fuit, quâ detractâ tanta volendi fuit facilitas, quanta nunc movendi pedem, vel manum, quanta optandi, quanta nunc vel solâ velleitate appetendi, quanta cogitandi: quandoquidem nihil intus aut foris in anima aut corpore reliquum esset, quo ille retardaretur motus. Hæc ergo summa arbitrij seu voluntatis libertas fuit; quæ ab omni omnino captivante, sibique dominante, aut ullo modo concupiscentialiter resistente affectu liberum, sui erat penitus juris, sui arbitratus, suæ potestatis, nulli omnino vel levissimæ cupiditati seu rei creatæ desiderio serviens

Lib. de corrupt. & grat. c. 11.

Lib. 4. de Civ. c. 25.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 18.

Lib. de corrupt. & grat. c. 12.

Ibid.

A præterquam soli Deo. Ex quo necessariò oriebatur, ut cùm jam haberet habitualem voluntatem amoris Dei, hoc est, habituale propositum amandi Dei, quod ei in creatione datum fuerat, etjam actu tanta facilitate vellet, ut hoc ei esset velle, quod posse; hoc non peccare, quod nolle; hoc re ipsâ cum Deo persistere, quod velle persistere. Nihil enim aliud ei vel superandum, vel impellendum erat, ad hoc ut vellet, quàm ille supremus voluntatis apex, cui velle vel nolle, consentire vel non consentire ipso nutu datum est: usque adeo ut ipse levissimus voluntatis nutus, quo in hanc vel in illam partem flectitur, hoc ei esset velle; & hoc ipsum velle jam erat posse; ut cui nihil reluctaretur intus concupiscentialiter, quo voluntas ista sursum ac deorsum in diversa raperetur: sed hoc ipso quo volebat, integra erat atque tota, quam propterea volentem mox effectus re ipsa sequebatur.

B Docuit hoc præclarè perspicacissimus discipulus Augustini Prosper: *Non eo*, inquit, *modo jam possumus peccato resistere, sicut ille* (Adamus) *potuit*, CVI NIHIL FVIT NON PECCARE, QVAM NOLLE. *Nobis autem irreprehensibiliter vivere velle non sufficit, nisi ipsum velle nostrum, quod languida possibilitate deficit, divina virtus adjuverit: quia illum ad non peccandum etiam juvare poterat adhuc sana natura; nos jam impedit vitiata: & illum peccare fecit sola peccandi voluntas; nos etiam cogit plerumque peccati jam facta necessitas.* Vbi per necessitatem intelligit Scripturæ & Augustini phrasi *concupiscentiam illam vitiosam*, quæ, ut infrà dicit, *peccato facta est, & resistit conatibus nostris bonis.*

Lib. 3. de vita contemp. c. 2.

Ex hac igitur miseria nostra, & peccati pœnâ, quam intus patimur, contingit nobis, ut animus etjam justus imperet sibi ut opus justum velit, nec imperaret nisi vellet,

C nec tamen id quod imperat, fiat: nimirum, quia resistente carnali desiderio non ex toto vult, ideoque nec ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult; & in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult: quoniam voluntas imperat, ut fit voluntas, nec alia, sed ipsa: sed non utique plena imperat; ideoque non fit etjam id quod imperat. Nam si plena esset, nec imperaret quidem ut esset, quia jam esset. Tunc autem hoc ipso quo imperabat, ut justitiam vellet, jam plena imperabat; quia nihil imperantem à seipsa discerpebat, ut, quemadmodum nunc fieri ingemiscimus, ex parte justitiam vellet, & ex parte nollet. Monstrositas enim illa, qua nunc superbia nostra contunditur, non est natura, sed ut Augustinus ait, & ex illo Prosper, *ægritudo animi; quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideo sunt duæ voluntates; quia una earum tota non est: & hoc*

D *adest alteri, quod deest alteri.* Quæ voluntatis ægritudo & laceratio si sanitate tolleretur, ut totus voluntatis impetus in unum correret, sicut in Adamo factum fuerat, jam hoc ipso quo voluntas imperat, tota imperaret, & integrè

Lib. 8. confes. c. 8. Prosp. sent. 178.

& integrè & fortiter imperaret, nec amplius arbitrium semisaucium hàc atque illàc versaret jactaretque voluntatem, nec pateretur partem ejus assurgentem cum alia parte cadente luctantem. Vnde quemadmodum nunc animus imperat, ut moveatur manus, & tanta facilitas est, ut vix à servitio discernatur imperium: ita longè majore facilitate liberum arbitrium hominis & Angelorum sibi, ut non peccare, hoc est, cum Deo permanere vellet, imperabat, & cum ipso nutu motus voluntatis, ipsaque cum Deo perseverantia sequebatur. Et ista præcipua radix est, cur Augustinus toties extremam illam benè vivendi facilitatem in illa primæ conditionis præstantia commendare solet ut suprà vidimus, quia nihil sanæ voluntati, ne vellet, aut ne plenè vellet obsistebat. Ex qua mirabili, nobisque inexperta felicissimæ sanitatis facilitate, etiam gravitatem primi peccati plerumque petit, ut suo loco demonstrandum est.

Hanc igitur utramque, quam tetigimus, radicem tantæ fortitudinis primævę libertatis, habitualem videlicet voluntatis gratiam, & omnis infirmitatis concupiscentialis absentiam simul eodem loco tangit, & insinuatam voluit Augustinus. Cùm enim dixisset: *Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo; sed perseverare vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio*, statim divina illa verba subijcit, quæ superioris doctrinæ, quam ex ipso dedimus, rationem continent: *Tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* Clarissimè namque, & præclarissimè quicquid superioribus tribus capitibus de facilitate benè vivendi, de potestate perseverandi, per voluntatis, seu liberi arbitrij vires, deque causis ejus habituali voluntatis bonitate & cupiditatum vacuitate resistentium, ex ipso diximus, admirabili brevitate & gravitate complexus est. Perspicuè quippe duabus illis sententijs dicit, primum

Lib. de corrept. & grat. c. 12.

hominem *non accepisse* hoc perseverantiæ *donum*, sed in ejus *arbitrio esse relictum*: perspicuè dicit, *voluntati eius*, non gratiæ, *perseverandi*, hoc est, semper constanterque justè vivendi *arbitrium esse commissum*: perspicuè dicit, *dignè*, id est, jure & meritò rem tantam ex arbitrio voluntatis suspensam fuisse: perspicuè dicit, causam istius tanti privilegij esse *tales vires voluntatis*. Nec minùs perspicuè causas exprimit: primam, quòd *sine ullo fuerat instituta peccato*; ecce habitualem voluntatis amorem, & justitiam: alteram, quòd *nihil ipsi ex seipsa concupiscentialiter resistebat*; ecce concupiscentialis infirmitatis absentiam. Et ne quis somnolentior brevissima verba amplissimo sensu gravida minùs expenderet, easdem causas repetit manifestiùs, dum eas vocat, *tantam bonitatem, & bene vivendi facilitatem*, bonitatem ad habitualis gratiam sanctitatis referens; benè vivendi facilitatem ad concupiscentiæ resistentis vacuitatem. Quorum utrumque, quia, lapsu hominis primæva illa dona corrumpente, sublatum est, hinc etiam à viribus arbitrij nostri tanta illa benè vivendi & perseverandi potestas avolavit. Quod non minus luculenta verborum perspicuitate & autoritate subjungit, ne quis forte illa superiora ejus verba sic intelligeret, quasi eo sensu tantum perseverantiam stantis hominis arbitrio commisisset, quòd sine libero arbitrio concurrente haberi non posset: *Nunc vero*, inquit, *posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas*, cui videlicet, quemadmodum dixerat, propter tales vires perseverandi committeretur arbitrium, *etiam maioribus donis adiuvanda remansit infirmitas.* Manifestè significans dona illa adjuvantis gratiæ Christi in locum istius libertatis magnæ successisse; ut quod stante homine per libertatis istius magnitudinem præstari potuit, id infirmitati lapsi fractique hominis per gratiæ adjutorium, amissâ jam illâ libertate, donaretur. Et hæc de libertatis illius congenitæ viribus satis: nunc tempus est, ut ad gratiam Dei asserendam accingamur.

Lib. de corrept. & grat. c. 12.

CAPVT DECIMVM.

An indiguerint Adam & Angeli adjutorio gratiæ ad justè vivendum, & perseverandum in justitia.

IAM dudum enim lectorem mihi videre videor demirantem, quòd ille celeberrimus gratiæ prædicator, & humanæ superbiæ debellator, tantæ doctrinæ luce, & rerum rationumque inter se cohærentium nexu, vires innocentis istius libertatis asseruerit, ut hoc unicum anxiè timuisse videatur, ne quis adjuvanti gratiæ relinqueretur locus: quod cum sit nefas de illo credere, me forsan suspicabuntur ita doctrinam ejus aliquâ industriæ subtilitate concinnasse, ut totum pœnè negotium perseverantiæ salutisque consequendæ naturalis libertatis viribus commisisse videatur. Sed si paulisper, quemadmodum veritas cum veritate pacem tenet, ita ipsi in pertractanda innocentis naturæ & adjuvantis gratiæ conciliatione patientiam teneat, perspicuè, ipsâ Dei gratiâ me adjuvante, patefa-

patefaciam, quòd neque vires istæ liberi arbi- A trij, quas sine ullo verborum aut industriæ fuco ex ejus scriptis ac mente, quantâ potuimus sinceritate declaravimus, obnubilant gratiam; neque gratiæ necessitas imbecillitatem istius libertatis arguat, aut quicquam eorum, quæ hactenus sunt declarata, subvertat. Absit enim, absit, ut divinæ gratiæ amator sincerissimus, & necessitatis ejus assertor fidelissimus, ita sibi sumpserit ancillæ patrocinium, ut dominæ læserit adjutorium.

Quapropter quemadmodum in præcedentibus Augustinum fidentissimè confirmantem audivimus, Sanctos Angelos per liberum arbitrium in veritate stetisse, & primum hominem per idem liberum arbitrium in ea stare potuisse, quod post lapsum hominibus non nisi per gratiam conferendum est: ita nunc vice versa, juxta doctrinam ab eo traditam, & juxta fidem Catholicam ab eo explicatam B dicimus, neque Angelos, neque primum hominem ullo modo sine gratiæ juvantis adjutorio in veritate stare, hoc est, in accepta justitia perseverare potuisse. Veritatem istam tot modis, sive naturam & nomen gratiæ, sive effectus, & operandi modos spectes asseruit, tantaque contentione inculcavit Augustinus, ut non minùs pro salvanda divinæ gratiæ necessitate ad tuendam justitiam status innocentiæ, quàm ad illam perditam reparandam pro tuendo IESV Salvatoris auxilio sollicitus fuisse, ac decertasse videatur. Nam in primis, si rationem gratiæ desideramus, expressit illam, cùm, postquam Adamo per meritum conferendam esse docuisset immortalitatem, quo meriti nomine gratiam exclusisse videbatur; statim quasi corrigendo adjicit: *Quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset*; quod ex liberi arbitrij insufficientia ad bonum provenire declarat. Et cùm ex pro- C fesso illam sibi proposuisset quæstionem occasione meriti, cujus similiter mentionem fecerat; *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam?* perspicuè, & sine ulla ambiguitate respondet: *Imo verò habuit magnam, sed disparem.* Quod cùm generaliùs dictum de quavis gratia etjam sanctificationis accipi potuisset, declarat posteà se etjam de gratia ad operandum necessaria intelligere: *Sane habuit*, inquit, *gratiam, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua, etiam cum libero arbitrio, bonus esse non posset.* Et paulò pòst: *Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine gratia.* Et iterum: *Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam; sed hac potentior est in secundo Adam &c. nec illa quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij.*

In Enchir. c. 106.

Lib. de corrept. & grat. c. 11.

Quod si verò effectus divinæ gratiæ, sive Dei per gratiam auxiliantis creaturæ suæ, velimus attendere, & expendere, plerosque deprehendemus non minùs Angelis & homini quamdiu stetit, quàm posteris ejus jam lapsis, Deum, juxta Augustini doctrinam, opitulatione gratiæ suæ contulisse. Nam in primis non minimus est effectus gratiæ, quòd per illam creaturam operantem regit: de quo sic loquitur Augustinus: *Creatus est rectus, non se fecit rectum: Quid se autem ipse fecerit, notum est; cadens a manu figuli, fractus est. Regebat enim eum ipse qui fecerat; voluit deserere à quo factus erat: permisit Deus, tanquam dicens: Deserat me, & inveniat se, & miseriâ suâ probet, quia nihil potest sine me.* Et quamvis regimen generaliter etjam de præcepto possit intelligi, juxta illud Augustini: *Sic enim munerans libero arbitrio, ut tamen eum regeret imperio, terreret exitio*: hic tamen internum illud regimen, quod gratiæ proprium est intelligi debet, duabus de causis: primò quidem, quia Deus illud regimen homini eum deserere volenti subtraxisse indicatur, ut experientiâ probaret homo, se nihil posse sine Deo. Regimen autem imperij tantùm abest, ut homini deserenti subtrahat Deus, ut potius propter imperium illud, hoc est, legem non subtractam prævaricando reus fiat. Sed aliud internum divinæ gratiæ regimen superbientibus subduci solet, & ita permitti, ut creatura creatorem deserat. Secundò, quia cum de regimine Augustinus loquitur, quod hominibus Deus tribuit, ne se deserant, vel subtrahit, ut ab eis superbiendo deseratur, veram internamque gratiam intelligere solet. Nam cum de solo hominum regimine scripsisset Pelagius; *Omnes voluntate propria regi, & suo desiderio unumquemque dimitti*, vehementer adversus illam exarsit sententiam Augustinus, & veræ gratiæ adjuvantis necessitatem negatam esse conclusit. Hinc cum magnificos effectus rectricis gratiæ recensuisset, adjicit: *Præstat hoc Deus illis, quos subditos regit; non autem illis qui se idoneos ad seipsos regendos putant, & præsidenti cervice propria voluntatis ipsum dedignantur haberi rectorem.* Et aliquanto superius: *Hæc enim spiritu*, nempe sapientiæ, quæ maximè voluntatem afficit, *non viribus propriæ voluntatis reguntur, & aguntur filij Dei.* Et inferius: *Filij Dei, qui hoc noverunt, & se Dei Spiritu regi & agi gratulantur, quo modo moveri potuerunt, cum audirent, vel legerent à Pelagio scriptum, omnes voluntate propria regi*, nempe sicut etjam Adam à se regi voluisse, nonnunquam Augustinus docet, *& suo desiderio unumquemque dimitti?* Quapropter id quod suprà Adamo Dei regimen deserenti contigisse scripserat, hoc idem talibus Dei regimen detrectantibus, ijsdem pœnè verbis asserit, videlicet, *ut sibi regendi dimittantur, ut sine rectore Deo præcipitati, non se à seipso regi potuisse, pœnis experiantur.* & alibi per illud regimen effici scribit, ne in peccata proruamus: *Protegit nos, quia Deus est, ne moriamur; regit nos, quia rex est, ne cadamus. Regendo autem non frangit nos; nam quos non regit, frangit.*

Serm. 11 de verb. Apost. c. 2.

Lib. de gest. Pelag. c. 3.

Ibid.

In finem Psalm. 44.

D Sed præter regimen illud, quod gratiæ proprium est, alios non paulò expressiores effectus gratiam Adamo contulisse declarat. Quid enim apertius, quàm *operari* hominem, eumque *custodire*, ne peccando injustus fiat. De quo effectu sic Augustinus: *Deus idem qui creat*

Lib. 8. de Genes. ad litt. c. 10.

A *creat hominem, ut homo sit, ipse operatur hominem, atque custodit, ut etiam bonus beatusque fit.* De homine primo loquitur ut verborum illorum sensum exsculpat: *Vt operaretur & custodiret illum,* videlicet Deus Adamum, sicut hoc Augustinus explicat. Vnde in eundem sensum adjicit: *Quâ locutione dicitur homo operari terram, quæ iam terra erat, ut ornata atque fœcunda sit: Eâ locutione dicitur Deus operari hominem, qui iam homo erat, ut pius sapiensque sit, eumque custodire: quod homo suâ potestate in se (potiùs) quam illius supra se delectatus, dominationemque eius contemnens, tutus esse non possit.* De ista custodia sæpiùs etjam alibi mentionem facit: *Quapropter,* inquit, *etiam primum hominem Deus in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset, si ad permanendum &c.* Cujus divinæ custodiæ effectus declarans, alio in loco Augustinus, ad omnes tentationum victorias obtinendas valere demonstrat. B Sed sensum magistri sui luculentissimis verbis Fulgentius nobis aperuit. Cùm enim docuisset, naturam Angelicam *suæ non sufecisse stabilitati,* experimento rem declarans: *Sua autem,* inquit, *ad custodiam sibi sat esse viribus non incongruè crederetur, si nulla pars eius* (in dæmonibus) *in deterius laberetur.* Ex quo dæmonum infelici casu, ut adjicit paulò pòst, *profectò cognoscitur, universi cunctos opprimi potuisse vitiina consortio, nisi quos vellet à casu pravitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari depravarique non posset.* Et continuò adhuc apertiùs Dei operantis virtutem inculcans: *Non alia stantem,* ait, *Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna est in utroque gratia operata; in hoc ut surgeret, in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sivit; illius esca, istius medicina.*

Gen. 2.

Lib. 8. de Genes. ad lit. c. 10.

In Enchir. c. 104.

In vers. ult. Psal. 120. Custodiat animam tuam Dominus.

Lib. 2. ad Thrasimund.

Sed nullus evidentior divinæ gratiæ effectus est, quàm quòd, velut auxilium ad opera bona tanquam fructus justitiæ proferendos destinatum, operantem juvet ac roboret. De quo sæpissimè & instantissimè sanctissimus ille Vindex gratiæ locutus est. Quid enim isto loco clarius? *Sic factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset, non sine adiutorio divino.* Quid isto evidentius? *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum; non tamen iustitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adiutorium præberetur.* Et rursum: *Vt ab eo teneretur vita instituta, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adiuvaret.* Quid isto luculentius? *Dederat & adiutorium, sine quo in ea* (bonâ voluntate) *non posset permanere, si vellet.* Quid isto accuratius? *Sic erat institutus* (homo) *ut si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret: si autem creatorem atque adiutorem Deum superbè sibi placendo desereret, vinceretur: meritum bonum habens in adiuta divinitus voluntate recta.* Ex quo factum est, ut tanquam proprio & solemni titulo Deum *voluntatum bonarum adiutorem* appellaverit. Sed quid pluribus? Hujusmodi pro gratiæ veritate, & in statu etjam innocentiæ necessitate, testimonia ita in operibus Augustini crebra sunt, ut quicumque illam sibi vel labefactandam, vel negandam, vel etiam in dubium revocandam existimaret, ut à quibusdam factum fuit, eorum pondere & multitudine non minùs quàm Ecclesiæ auctoritate obrui posset. Hoc enim tanquam Catholicæ fidei dogma credidit, & expresso canone credendum sanxit antiquitas, ut paulò pòst dicturi sumus.

In Enchir. c. 107.

Ibid. c. 106.

De corrept. & grat. c. 11

Lib. 14. de Civit. c. 27.

Ibid. c. 26.

CAPVT XI.

Vtrùm ad singulos actus bonos gratia necessaria fuerit: & quæ radix tantæ necessitatis.

A NEC verò ad perseverandum tantummodo in justitia, ut quidam arbitrantur, sed ad singulas etjam voluntates bonas, seu opera bona, seu tentationum victorias, per quas fit ut quis in justitia perseveret, Angelis & hominibus istam gratiam necessariam esse, eâdem prorsus asseverantiâ Augustinus docuit. Quod ipsum non uno certè loco in scriptis ejus videre licet.

Nam quod istud mirum fortasse cuipiam recentiorum scriptorum videatur, hoc inde fit, quia sicut in alijs partim jam ostendimus, partim in multis adhuc ostensuri sumus, doctrinas Augustini certissimas, & usitatissimas ejus phrases longè alio plerumque sensu accipiunt, quam eas Augustinus usurpaverit. Ex quo fieri necesse est, ut nisi quis, ex diligenti, & assidua librorum omnium lectione, spiritui, doctrinæ, & phrasibus ejus non rarò ex litterarum sacrarum textu haustis familiaris fuerit, in alienissimas ab ejus mente sententias præcipitetur: quas tamen ipsius esse vel dubitare nefas esse putet. Idem recentioribus plerisque & hoc loco contigit. Cum enim audiunt gratiæ necessitatem ad perseverandum ab ipso prædicari, hoc ita accipiunt, quemadmodum videntur ista verba resonare, nimirum fieri non posse, ut quis justam vitam perducat ad finem, nisi gratiâ suâ Deus subinde opituletur, mutabilitatem arbitrij adversus graviores tentationes confirmando in bono. Itaque putant isti gratiæ nullum fieri præjudicium, etjamsi aliquamdiu sine eius vivatur adjutorio, & aliquos actus ex arbitrij jam semel sanctificati libertate operetur. Sed longè alius Augustini sensus est: per hoc enim ipse significare vult, post fidem jam ex Dei gratia susceptam, non posse hominem in bono progredi, neque tantillum in eo persistere, boni

boni aliquid agendo, vel tentationem superando, quin ab eadem gratia foveatur, & adjuvetur. Quod quidem statum lapsi hominis respiciendo suo loco fusè declarabitur. Hic unus aut alter sufficiet locus. Nam in libro de dono perseverantiæ istud ex professo agens: *Tutiores igitur vivimus*, inquit, *si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Et mox: *Nihil nobis relinquit, ut quo tanquam in nostro glorietur. Siquidem & ut non deficiamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo.* Cujusmodi testimoniis totus pœnè liber plenus est.

Cap. 6.
Cap. 7.

Idem verò etiam, cùm de stantis hominis perseverãtia in bono loquitur, August. sensus est: non enim hoc tantum vult indicatum, adjutorio gratiæ ad complendam totam perseverantiam opus esse, ne scilicet aliquando graviore quapiam tentatione filum abrumpatur: sed ad singula opera quibus in bono persistitur, singulasque tentationes vincendas, gratiam fuisse necessariam. Quod sane ex multis Augustini locis & attestationibus manifestum est, ubi non ad totam Adami perseverantiam, sed ad singularia ejus opera requirit divinæ gratiæ adjutorium, tanquam omnino necessarium. Nam inprimis in libris de Civitate Dei, victoriam hominis cum diabolo in paradiso luctantis similiter gratiæ tribuendam fuisse docet: quæ tamen victoria tentationis non tota Adami perseverantia, sed unicum tantùm brevissimi temporis fuisset opus: *Sic erat institutus*, inquit, *ut si de adjutorio Dei fideret bonus homo malum angelum vinceret.* Et de singulari illa diaboli suasione: *Cùm in natura haberet posse, & in potestate haberet velle, & non consentire suadenti, adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Idcircò enim in illo primo testimonio illi singulari operi bono, etiam meriti rationem tribuit; quod non in tota perseverantia, sed in singulis operibus spectandum est: sicut & malum meritum deserti Dei, singulare opus perversæ voluntatis fuit. Vide etiam in Enchiridio ad Laurentium cùm dixisset hominem *in illa rectitudine, non sine adjutorio Dei, manere* potuisse; permansionem illam non pro tota perseverantia explicat, sed pro electione tantummodo permanendi cum Deo: *ut utrumlibet*, inquit, *horum* (rectum manere vel perversum fieri) *elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certe de illo.* Cùm enim Angeli brevissimo tempore, & unico forsan actu tantùm in donata sibi divinitus rectitudine vix steterint: quis audeat dicere, eos ad unicum istud opus adjutorio non eguisse divino? Quod si illi indiguerint, nulla profectò ratio est; cur homo, tantundem in justitia permanens, sine Dei auxilio permansisse diceretur. Nonne hoc esset non habere in illis actibus rectorem Deum, sed suo committi arbitrio, quod tantopere suprà Augustinum detestantem audivimus? Nonne hoc ipsum esset non fidere de adjutorio Dei &, sine adjutorio Dei tentantem vincere? Et tamen non aliter ei Augustinus victoriam tribuit, quàm si *de adjutorio Dei fideret.*

Lib. 14. de Civit. c. 27.
Lib. 11. de Genes. c. 4.
Cap. 107. Enchirid.

Quamvis ex alio quoque capite manifestum sit, nec unius quidem tentationis victoriam, vel unius bonæ voluntatis motum sine illo gratiæ adjutorio fieri potuisse. Nam juxta doctrinam sancti Doctoris hujus, omniumque quantum arbitror, confessionem, indubitatum est, nullum meritum Adamum habere potuisse sine gratiæ adjutorio. Nam & illi, quos supra tantopere exorbitasse diximus, ut sine gratia non peccari potuisse dicerent, meritum tamen nequaquam ei sine gratia ausi sunt attribuere. De quo Augustinus ita præmittit: *Hanc* (immortalitatem) *est accepturus per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, accepturus per meritum.* Sed cùm vereretur, ne ex illa antithesi gratiæ & meriti, suspicaretur aliquis merita tunc sine gratia haberi potuisse, attexit illico: *Quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Quid evidentius ab Augustino postulari potest? Meritum enim, ut omnibus in confesso est, individuum & singulare est opus: quod non tantùm simpliciter sine gratia; sed *nec ullum* quidem sine gratia esse potuisse testatur. Quam doctrinam adhuc expressius tradit alibi: Cùm enim dixisset, *ut si de adjutorio Dei fideret*, nempe ad vincendum Angelum malum, à quo tentatus & oppugnatus fuit, *bonus homo malum Angelum vinceret*; quorum utrumque & *fidere*, & *Angelum vincere*, singulare & individuum opus fuit, mox subjungit: *Meritum bonum habens in adjutâ divinitus voluntate recta.* Ecce ipsam fidendi vincendique voluntatem *meritum* vocat, ipsam etiam divinitus adjutam, de quo tota nostra disceptatio est, expressis verbis confitetur. Et ne quis adhuc contentiosior aliò perspicua ejus verba torqueret, hoc ipsum cautissime præmunivit: *Quia & ipsum confidere de adjutorio Dei non quidem posset sine adjutorio Dei.* Ecce expressa sententia est, non est ubi lector hæreat, non est ulla ambiguitatis latebra, qua sanctissimi Doctoris sensus possit abscondi.

In Enchirid. c. 106.
Lib. 14. de Civit. c. 27.

Nec tamen unico illo loco quamvis apertissimo mentem suam declarasse contentus fuit. Nam quandocunque bonas voluntates adjuvari dicit, non aliud significatum voluit. Augustino quippe peculiaris illa phrasis est, ut id, quod nos volitionem dicimus, ex latinissimorum autorum usu voluntatem vocet, ut alibi nobis ostendendum est. Hinc est enim, quòd *voluntatem bonam* hominis & Angelorum suprà sæpius non aliud, quàm Dei amorem esse, exposuit. Hinc est, quòd mox audivimus, meritum *in adjuta divinitus voluntate recta.* Hinc est, quòd Deum *bonarum voluntatum*, id est, volitionum *adjutorem & remuneratorem* dicit. Hinc est, quòd alibi, loco voluntatis, *ipsum velle & non consentire* suadenti, adjuvari dicit: *Non mihi videtur*, inquit, *magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset benè vivere, quia nemo male vivere suaderet: cum in natura posse, & in potestate haberet velle, & non consentire suadenti; adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Ecce qui toties voluntates adjuvari docuit,

12 de Civit. c. 9.
14. de Civit. c. 7.
Ibid. c. 26.
Lib. 11. de Genes. ad litt. c. 4.

I 3

A docuit, nunc ipsum velle, neque quodlibet velle, sed velle & non consentire suadenti, adjuvandum per gratiam scribit: quam Adamo humiliter fidenti de divino adjutorio indicat fuisse largiendam: qui sanè singularis & individuus voluntatis hìc & nunc tentatæ actus fuit.

Ex quo sanè principio ejus etjam ista celeberrima fluxit sententia, quam non minùs de Angelorum, quàm hominum innocentium scripsit adjutorio: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cùm primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* (De corrept. & grat. c. 12.) Nam si sine illo Dei adjutorio casus fuisset inculpabilis, ergò sine illo Dei adjutorio, ne momento quidem uno, quo voluntatis nutus tẽtationi tribuendus erat vel negandus, persistere poterant. Quod inde B manifestum est, quia si sine illo non solùm totâ vitâ perseverare, sed vel ipso oblatæ tentationis aut suasionis momento manere potuissent, profectò non sine sua culpa cecidissent. Robur enim naturæ velut adjutorium quoddam naturaliter inditum affuisset voluntati, quo adjuti sine ullo alio gratiæ adjutorio manere potuissent. Qui autem vel ad unum momentum cum Deo manere tentatus potest, sive illa potestas ei ex naturæ robore, sive ex gratiæ adjutorio præsto sit, indubitatum est, si tentationi vel suasioni cedit, non sine culpa cedere. Sicut enim Augustinus culpam cadentium meritò excusat, quia *adjutorium Dei defuisset, sine quo manere non possent:* ita ratio & immutabilis veritas culpam cadentium meritò accusat; quia *adjutorium per naturam affuisset, cum quo manere potuissent.* Quanto enim adjutorium istud naturale permanendi magis esset suum, & à nemine extra se penderet, tanto & C culpa cadendi magis esset sua. Istâ porrò divini adjutorij ad singulos bonos actus & motus necessitatem etjam in statu innocentiæ multo evidentiùs pernoscemus, si causam ejus inspexerimus. Non enim illam ex peculiari perseverantiæ difficultate Augustinus & sectatores ejus petunt, ut Recentiores nonnulli solent, sed ex altiori ratione ipsius actus boni, ad quem creata natura sine gratiæ auxilio nihil potest. Quam istius impotentiæ radicem nonnunquam Augustinus tetigit. Nam ex professo de generali illa adjuvantis gratiæ necessitate, etjam in innocentiæ statu disputans, cùm dixisset: *Nec ipsum ergò Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio*; (Lib. de corrept. & grat. c. 11) tacitam lectoris admirationem & interrogationem, cur per integerrimas illas arbitrij vires permanere non posset bonus, præoccupando ita respondet: *Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* (Ibid.) Nimirum ratio datur, cur D permanere non possit bonus, hoc est, cur perseveranter benè operari non possit sine divino adjutorio; quia nihil ad bonum potest sine adjutorio omnipotentis boni: quod sicut est immutabile bonum; ita nulla potest infirmitate à sua bonitate deficere. Quæ sanè ratio non perseverandi tantùm, sed ipsam benè quomodolibet operandi basim attingit, & omnis omninò naturalis arbitrij nervos ad opera bona, sive omnia, sive singula, funditus à radice succidit. Quod etjam ex ipsa antithesi mali & boni illustriùs patet. Nam quasi quæreretur, ad quid ergò sufficit liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio, si ad bonum nihil est nisi divinitus adjuvetur? non respondet, Ad aliquos actus bonos valet; sed; *Ad malum sufficit*: quasi dicat, ad solum malum suis viribus sufficit; ad bonum nihil omninò, nisi alienis viribus adjutum, potest. Qui sensus ejus, quamvis sua se claritate satis superóque manifestet, ex alijs tamen locis ejus ipsaque doctrinæ constantia multum ei lucis accedit. Nam quasi locum istum sibi clariùs exponendum suscepisset, ita de ijsdem primi hominis viribus loquitur, Pelagianos impetens de suis viribus ad bona opera gloriantes: *Odit Deus præsumptores de viribus suis.* (Tract. de Cant. novo cap. 8.) Odit ergò & in singulis actibus præsumentes de viribus suis: præsumptio enim in singulis actibus erumpere solet, & in singulari tentationis actu superando, tam in Angelis, quàm homine primo re ipsa sese exeruit. Hoc ergò jacto humilitatis fundamento subjicit: *Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est*, cùm scilicet peccando deficeret. Et quasi quæreretur, quid est ergò ad quod liberum arbitrium non adjutum valet, & ad quod non valet? *Ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi adjuvetur à Deo. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, & posuit Deus ante eum, sicut Scriptura dicit, ignem & aquam; ad quod volueris, porrige manum. Elegit ignem* &c. Quam doctrinam sibi familiarissimam, & aptissimam ad frangendam Pelagij præsumptionem de viribus suis in singulis actibus præsumentem, etjam alibi crebriùs profert: *Quæris*, inquit, *quid valeat ad malum liberum arbitrium? Recole hominem peccantem. Quæris, quid valeat ad auxilium Deus, & homo? Attende in eo gratiam liberantem. Nusquam potuit sic ostendi, quantùm valeat voluntas hominis usurpata per superbiam ad vitandum sine adjutorio Dei malum* (Sic lego atque distinguo, quia alioquin, ut nunc legitur, nullus est sensus) *non potuit plùs & manifestiùs exprimi, quàm in homine primo.* (Serm. 8. de verb. Apost. cap. 2.) Ecce quid valeat ad vitandum malum: videlicet unicam illam extrinsecus solo verbo pulsantem hìc & nunc tentationem, sine adjutorio Dei vitare non potuit: quanto minùs in sempiternæ & spiritualissimæ istius lucis dilectionem ex toto corde consurgere, de quo nobis præcipuè disputatio. Non enim ibi, & in similibus jam citatis locis de tota perseverantia primi hominis Augustino sermo est, sed de unica illa electione, qua inter Deum ac diabolum constitutus serpenti credidit, Deumque contempsit. Quod ipse Augustinus de eodem omninò argumento disputando declarat: *Ut subderetur diabolo seductori, fuit in eius libero arbitrio, quo ad inferiora diversis declinan-* (Serm. 34.)

declinando, superiora deseruit, & aurem præbuit serpenti, aurem clausit ad Deum: atque constitutus inter præceptorem & seductorem, magis seductori, quàm præceptori obtemperare elegit. De auxilio verò ad præceptum Dei & sanitatem suam custodiendam necessario, statim adjicit: *Deus medicus opus etiam sanis, ut sanitas ipsa teneatur;* (Ibid. c. 3.) videlicet, ne cujuslibet præcepti transgressione perdatur.

Hinc est igitur, quod plerumq; generalē regulā illā in bonis & malis, tam de homine primo, quàm cæteris omnibus tradit: quòd ad peccandum Dei auxilio non sit opus; ad bene faciendum nemo sufficiat sibi: *Homo*, inquit, *in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem: ut autem ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adjuvaret.* (In Enchirid. c. 105.) Et doctrinalem alibi generalemque regulam figit: *Ad peccandum non adjuvamur à Deo: justa autem agere, vel justitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur à Deo.* (Lib. 2 de pec. merit. c. 5.) Et ut intelligeremus istam creatæ voluntatis impotentiam non ex aliqua boni operis difficultate, cujus peccatum causa fuerit; sed potiùs ex naturali ad bonum fragilitate procedere, rem perpulchra explicat similitudine: *Sicut enim corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab eadem luce clausus aversusque discedat; ut autem videat, adjuvatur ab ea, neque hoc omnino nisi illa adjuverit, potest; ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundùm nostram, sed secundùm ejus justitiam boni aliquid operemur.* Vbi revera nihil aliud inculcat illa similitudine, quàm id quod de Adamo disputans generaliter dixerat: *Liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*, hoc est, ab æterna luce bonitatis atque justitiæ. Quam lucis similitudinem, quamvis per se manifestum sit, in omni humanæ naturæ statu habere locum, ne quis somnolentior de sola lapsa natura jam peccato vulnerata intelligendam esse putet, sic eam alibi perficit: *Sicut enim oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.* (Lib. de nat. & grat. c. 26) Vbi homo plenissimè sanus intelligitur ille, qui nullam peccati contraxit ægritudinem. Quod de homine primo se potissimùm intelligere, paulò post declarat in eodem opere, ubi dicit: *Si de integra & sana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus, nec sic rectè diceret, quod non peccare* (quod Augustino ibidem & Pelagio prorsus est idem, quod justè vivere, rectèque operari, ut ante cap. 26. dixerat) *nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset: Nam & ibi esset adjutorium Dei, & tanquam lumen oculis sanis, quo adjuti videant, se præberet volentibus.* (Cap. 48.) Tractat eandem similitudinem multis alijs locis, constanter semper asserens, nihil omnino posse humanam animam quod ad justitiam attinet, nisi divinæ luce justitiæ adjuvetur. Quæ sanè omnia manifestè convincunt, nec ullum quidem opus veræ justitiæ per solum liberum arbitrium sine gratiæ auxilio posse perfici. Lumen enim cujus comparatione Pelagianos liberi arbitrij inflatores refutare nititur, ita oculis sanis necessarium est, ut nec unus quidem oculorum intuitus sine ejus auxilio fieri queat: sed illo extrinsecus non adjuvante, non solùm in videndo perseverare nequeamus, sed nihil omnino vel ullo actu cernere, verùm tantummodo in tenebris remanere. Quæ sane causa est ut etjam in cælo, ubi Deus ipse in claritate videndus est, auxilium istud, si rogaretur Augustinus, necessarium esse fateretur. Hoc enim locus iste, quem paulò antè ex capite vigesimo sexto libri de natura & gratia allegavimus ex Augustini mente convincit. Plenissimè quippe sani nunquam erimus, nisi in beata illa visione constituti. Quod si cui fortassis ista doctrina mira videatur, sciat iste, cùm de justa vita deque perseverantia in justitia, Augustino sermo est, nihil esse, juxta doctrinam ejus bonum, ad quod liberum arbitrium per seipsum nihil possit, nisi illud bonum, quod suprà sæpiùs, & in scriptis suis passim vocat *voluntatem bonam*, hoc est, veram sinceramque dilectionem seu charitatem Dei: cujus actus ita rationalis creaturæ potestatem superat, ut sine æternæ lucis auxilio juxta doctrinam ejus, non possit fieri. Quicquid præterea alij bonum nominant, humanum, non divinum, philosophicum, non Christianum Augustino bonum est: cujus propterea nullam putat in materia de virtutibus & justitia habendam esse rationem. Qua de re fusiùs & ex professo suis locis disserendum erit.

CAPVT XII.

Proponitur, & differtur difficultas, de concilianda tanta liberi arbitrij potestate cum tanta gratiæ necessitate. Quale fuerit illud Adæ & Angelorum adjutorium, quantum ad substantiam, an gratia habitualis, concursus communis &c.

CVm igitur, juxta doctrinam Augustini in superioribus duobus capitibus traditam, perspicuum sit, non modo non perseverantiam in bono, sed nec ullum omnino meritum, aut opus bonum, quo in justitia & innocentiæ sanctitate persistitur, sine Dei adjutorio ab hominibus aut Angelis haberi potuisse, meritò fortassis jam dudum suspensus lector hæret, quid sibi velit ista traditæ ex Augustino doctrinæ inconstantia, ut nunc

nunc ita extollat naturales integræ libertatis vires, ut non modò perseverandi potestatem, sed & ipsam in bono perseverantiam eis, non gratiæ adjutorio incunctanter tribuat: Nunc ita vicissim eas deprimat, ut nihil omninò sine gratiæ adjutorio, nisi peccare posse, fateatur. Rursum nunc dicat, fuisse constitutum in libero arbitrio primi hominis, *non discedere à Deo*, quod jam post lapsum fieri debet per gratiam Dei: Nunc vice versa primum hominem dicat non potuisse nisi discedere à Deo sine gratia Dei. Difficultas ista ita fatigavit omnes Recentiores torsitque scriptores, qui Augustini doctrinam se in scriptis suis vel sequi, vel quoquo modo, eam sibi non adversari, declarare voluerunt, ut eos rei mole superatos & oppressos esse, sine temeritate dicere posse videar. Non defuerunt eis vel acutissima ingenia vel disputandi solertia, vel accurata Philosophiæ, vel Scholasticæ Theologiæ disciplina; sed avidum assiduumque pernoscendæ Augustinianæ doctrinæ studium: quod humanæ vitæ angustia non ad omnia sufficiente, alijs potiùs disciplinis, ut putabant, utilioribus, & alijs autoribus brevitate & methodi solertia se commendantibus, quàm uni vastissimorum operum scriptori tota pœnè vitâ volutando impendere maluerunt. Nec enim unius diei aut anni est ista perscrutatio, vel semel aut iterum repetitæ lectionis omnium librorum ejus; sed vitæ pœnè totius opus, ut singula loca hic illic sparsa ponderentur, prima cum medijs, media cum extremis conferantur, & ex omnium tandem collisione, scriptoris omnium rectè arbitrantium judicio doctissimi profundissimique sensus eruatur. Qua in re utrum aliquid profecerim, nihil ausim hic asserere: aliorum istud judicium fuerit. Unum dūtaxat non temere mihi dicere posse videor, si fortè in indaganda sanctissimi Doctoris mente in ista difficultate & alijs aberraverim, diligentiam certè mihi diuturnam, crebramque lectionem non defuisse, quam in plerisque scriptoribus nostri temporis magnopere desidero: dum eos tam graviter in rebus capitalibus ex hoc auctore indagandis, asserendis, vel negandis, hallucinari video, ut pro Augustini assertionibus, nonnunquam Pelagij pronuntiata capiant; pro decisionibus disputationes Augustini; pro placitis dubitationes ejus; denique certissima doctrinæ ejus capita, quibus hæresis Pelagij olim universa prostrata fuit, rursum in dubium revocando, in tenebris palpare & Andabatarum more obvolutis oculis de ejus mente dimicare videantur. A quo malo, in rebus tanti ponderis, nos ille liberet, in cujus manu sunt, & nos & sermones nostri, sine cujus adjutorio nihil possumus. Sed ut ad propositum à digressione revertamur, difficultatem illam, quæ ad multas alias aperiendas quasi clavis est, & doctrinæ de gratia ab Augustino traditæ basis, alij aliter sibi explicandam censuerunt, prout unicuique magis apposite ad doctrinam suam, quam de Dei gratia vel excogitaverat, vel tuendam sumpserat, accōmodari posse videbatur. Ex quo factum est, ut res illa tenebris magis implicata, quàm explicata manserit. Quapropter, ut quantum Deus conatus nostros adjuverit, id quod res est, & genuinam Augustini mentem ex diligenti scriptorum ejus collisione promam, nullo sententiæ anticipatæ præjudicio corruptus, utpote quam in hac re per annos aliquot vel nullam, vel contrariam Augustino tenui; nonnulla adhuc necessariò de istius jam sæpè dicti adjutorij qualitate atque cooperatione ex Augustino præmittenda sunt, ut ita quid sibi in istis duobus doctrinæ supra dictæ capitibus, &c, ut videtur, hostiliter interimentibus velit, aptiùs, quasi re ipsa ultro sese pandente, faciliusque capiatur.

Lib. de dono persev. c. 7

Itaque cùm nonnulli Recentiores animadvertissent, gratiæ adjutorium ex Augustini mente fuisse omninò etiam Adamo stanti, & Angelis necessarium, tot testimoniorum passim occurrentium grandine excitati, utpotè minùs altè dormientes, quàm illi, quos diximus solas liberi arbitrij vires prædicasse, illud adjutorium, vel in sola *habituali gratia* collocarunt, vel certè partim in ipsa gratia habituali, partim in illo communi concursu cooperantis Dei: quem concursum, seu cooperationem Dei, alij simpliciter communem influxum, seu motionem Dei, videlicet operi supernaturali proportionatum; alij auxilium, seu gratiam concomitantem vocant: ut isto usitato gratiæ concomitantis nomine aliquid amplius ei tribuisse videantur. Sed quemadmodum certum est, veræ gratiæ adjutorium Adamo & Angelis fuisse necessarium, juxta Augustini & Ecclesiæ doctrinam; ita similiter certum est, illud adjutorium ab habituali gratia & cooperatione illa communi, seu gratia concomitante sic exposita, distinctum esse.

Ita videtur Bellarminus Lib. 2 de grat. & lib. arb. c. 17 Idem lib. de gratia primi hominis c. 4. & Molina in Concord. disp. 4. Item ibid. Lessius lib. de grat. eff. c. 2. fol. 7.

Hoc autem primò perspicuum est ex Augustini scopo adversus Pelagianos disputantis, propter quos distinctionem illam inter gratiam hominis stantis & lapsi, sani & vulnerati, tradere coactus fuit, ut quid Salvator nobis contulisset prælidij, quo Adamus & integra natura caret, intelligerent. Cum illis autem nunquam ulla de gratia habituali vel cooperatione Dei, libertatis sive naturalis sive supernaturalis influxui accommodatâ; sed tantùm de actualibus auxilijs causæ vires per modum principij roborantibus disceptatio fuit.

Videndus latè noster liber 2. de grat. Christi Salvatoris tom. 2.

Secundò, quia Pelagiani gratiam habitualem admiserunt, ut ex eorum scriptis fusissimè declaratum est.

Vide lib. 5. de hæresi Pelag. à c. 22. usque ad 28.

Tertiò, quia plerumque tum alibi, tum hîc præcipue, ubi de perseverandi adjutorio tractatur, de auxilio jam habentium habitualem gratiam sermo est. Nemo autem vel intra vel extra Ecclesiam ita unquam, quod sciam, vel hebes, vel contentiosus fuit, ut justorum actiones per ipsam justitiam, qualemcumque tandem illam crederet, juvari, & majori facilitate perfici negaret. Pelagiani enim tantam statuebant vim & efficaciam malorum habi-

habituum, seu consuetudinum, ut per eas quandam *peccandi necessitatem*, fieri dicerent, propter quam superandam Christus venerit; ut nos alibi fusè diximus. Quomodo ergò ita sibi dissonare potuissent, ut justitiam, hoc est, habitus bonos nihil ad actiones justas perficiendas conferre somniarent? Cujus profectò absurditatis consideratio, præter duas jam jam dictas rationes, causa est, ut in universis operibus Augustini adversus Pelagianos exaratis, nec locus ullus, nec vestigium exstet ullum, ex quo conijci posset, de istis auxilijs, sive habitualis gratiæ, sive concursus talis Dei Augustinum, cum Pelagianis de adjutorijs gratiæ dimicando, fecisse mentionem. Vt sanè quotquot hujusmodi responsiones proferunt, non solùm à vero, sed etjam ab Augustini & Pelagianorum sententia abludentes, ne quidem Augustini scripta à limine salutasse, sed suarum opinionum tuendarum necessitate constrictos eas procudisse videantur.

Lib. de grat. Christi c. 39. *Vide lib. nost. 4. de Hæresi Pelag. c. 4. & lib. 5. c. 8.*

Sed ne generalibus tantùm eos urgeam præjudicijs, ad ipsa Augustini loca accedamus: quibus tot modis, tantaque varietate veritatem istam perspicuam ac testatam fecit, ut mirum sanè sit, quo pacto fieri potuerit, ut homines perspicaces, & qui Augustinum legisse videri volunt, ad hujusmodi languidas, &, ut verum dicatur, absurdas responsiones declinaverint. Nam si velimus effectus illos divini adjutorij primi status Angelici humanique percurrere, omnes omninò clamant, in aliam prorsus Augustinum, quàm in habitualem gratiam, divinamque cooperationem collimasse.

Nam primò, Deus per illam gratiam *regebat* hominem, ne videlicet caderet. Perspicuum est autem, regimen non per habitus vel concursus operandi; sed per actuales sive illustrationes, sive motiones creaturæ suæ, voluntatisque succensiones, Deo convenire: quæ sanè prævenientes quosdam Dei influxus ipsa afficientes potentiam sonant. Quos divinæ gratiæ effectus respectu primi hominis clarissimè expressit Augustinus, quando de illo dixit: *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibiplacendum averteretur, & ex hoc intenebresceret & frigesceret.* Quæ *illustratio* mentis ut videret, & *accensio* voluntatis ut amaret, ita efficaciter verissimũ & proprijssimum divinæ gratiæ adjutorium secum ferunt, ut pro vera gratia lapsi hominis evidentius & efficacius testimonium ex Augustino vel Concilijs proferre nequeamus. Quidquid enim aliud afferas, sive mentis instructionem, illuminationem, doctrinam; sive voluntatis inspirationem & afflatum; totum illud tantò aptiùs & clariùs sub *illustratione & accensione* comprehenditur & exprimitur, quantò lumen & visio magis propriè intellectui, ardor & amor voluntati competit, quàm quicquid aliud alijs figuris ac metaphoris insinuari potest.

Vide c. 10. sup.

Lib. 14. de Civit. c. 13.

Nec minùs evidenter alter effectus *custodiendi* hominem id ipsum probat. Quis enim unquam somniavit Deum custodire gratiam habitualem per ipsam gratiam habitualem? Cùm hoc revera non esset aliud, quàm hominem justum custodire semetipsum; quod tam disertis verbis Augustinus sæpiùs, & Concilium Arausicanum negat. Hujusmodi loca etjam capite decimo nõ pauca citavimus, quibus asserebat Augustinus, hominem sine Dei adjutorio non potuisse in justitia, & in bona voluntate manere, si vellet: nisi fortè ita delirasse Augustinum & Concilia sentiamus, ut tanquam arcanam quandam veritatem adversus hæreticos definiant, hominem sine gratia habituali & sine bona voluntate non posse in gratia habituali & in bona voluntate persistere; de quo nemo unquam cujuscumque stuporis aut vecordiæ dubitavit. Hinc Augustinus, ut probaret, hominibus lapsis opus esse actuali & præveniente liberum arbitrium adjutorio, quo possit credere Deo, eumque diligere: *Bonum est*, inquit, *homini, ut cum totis viribus liberi arbitrij sui veraciter dicat: Fortitudinem meam ad te custodiam: quia ille qui putavit* (primus homo) *sine ipsius adjutorio se posse custodire, quod dedit, profectus in regionem longinquam cuncta consumpsit.* Vbi sanè cum urgeat instantissimè, sine actuali & prævolante ac roborante liberũ arbitrium adjutorio, non posse quicquam justitiæ aut pietatis agi, & hoc ex Adami lapsu probet, qui se id quod acceperat sine Dei adjutorio custodire posse crediderat, apertissimum est, actuale & prævolans actum Dei adjutorium fuisse Adamo ad custodiendam justitiam necessarium. Perfatuus enim fuisset Adam, si sine habituali justitia, habitualem justitiam se custodire posse credidisset. Multò verò ineptius fuerit, hujusmodi Augustini locutiones ad Dei cooperationem cum actibus creaturæ detorquere: cùm illa stabilitatem habitus non conferat, sed supponat. Quid? Quod Fulgentius illius divinæ custodiæ vim explicans dicit: *Vires creaturæ non fuisse satis; virtutem Dei quos vellet ab illo casu defendisse gratiam operatam esse, ne Angelus caderet;* & similia, quæ ad habitualem gratiam vel cooperationem Dei nulla possunt verisimilitudine detorqueri.

Epist. 106. initio.

Loca suprà citata sunt

Iam verò tertius ille effectus ADIVVANDI, de quo suprà diximus, perspicuè etjam actuale aliquod adjutorium sonat, quo Deus justos adjuvat, ut justitiæ habitus perseveret. Si enim nihil aliud vellet Augustinus, nisi adjutorium, quod confert ipse habitus, vel quod confert Deus, ipsum habitum conservando, designare, jam certè similiter verum esset, nec hominem injustum sine tali adjutorio Dei habitum injustitiæ posse servare: quod sanè ab Augustini doctrina remotissimum est. Actuale igitur aliquid sonat hujusmodi justitiæ retinendæ adjutorium. Ex cujus rei evidentia factum est, ut ipsi Recentiores, cum aliquam peculiarem gratiam actualem uni Angelo præ alio datam fuisse, qua unus præ altero divinitus ad assequendam beatitudinem juvaretur, probare

probare volunt, semper illum Augustini urgeant & meritò urgeant locum: *Illis malâ voluntate cadentibus, illi ampliùs adjuti* &c. Sed quod fuerit illud amplius adjutorium, & quando datum, non satis intelligunt: ut nihil mirum sit, si in hoc ipso quoque ampliori, & actuali, & veri nominis adjutorio ad suum propositum asserendo hallucinentur, & nihil probent. Quapropter phrasis ista, qua primus homo jam jam istus dicitur sine adjutorio Dei non potuisse datam conservare justitiam, illi omninò similis est, qua dicimus, hominem sine alimenti aut medicinæ adjutorio non posse tueri sanitatem suam: quod nemo nisi fatuus aliter intelligeret, nisi de novis assumendis adjutorijs, quibus naturæ roborari posset infirmitas. Nam & istâ de sanitate & medico sumptâ phrasi & similitudine, Augustinus ad gratiæ necessitatem in Adamo explicandam usus est: *Semper*, inquit, de primo homine loquens, *Deus medicus opus est, etiam sanis, ut sanitas ipsa teneatur.* Vbi ridiculum fuerit sic istud intelligere, ut ratione illius jam collatæ sanitatis, vel ratione cooperationis Dei cum sani hominis actionibus, quæ sanitatem sequitur, etjam sanis Deus opus esse dicatur. Sed quicunque sani aliquid sapit, illud servandæ sanitatis, sive animi sive corporis adjutorium sic intelligit, ut per illud instabilitas & naturalis quædam infirmitas sanitatis, quæ corpori & animo beatâ immortalitate tollenda est, ita fulciatur, ut nec ægritudine intrinsecus subnascente, nec vulnere extrinsecus irruente violetur; sed ab omni incommodo illæsa perduret. Cùm autem sanitas mentis Adami in eo sita fuerit, ut Deum fide creditum bona voluntate, ut Augustinus loquitur, hoc est, vera charitate diligeret; sanitatis adjutorium non erat aliud, quàm quo poterat perseveranter credere atque diligere; vel ut efficaciùs, & ad adjutorij istius vim aptiùs exprimendam dixit Augustinus, quo *à superiori bono illustrabatur, ut videret*, id est crederet, *& accendebatur, ut amaret*, hoc est, eo fine, ut perseveranter credere ac amare posset, adeoque crederet, amaretque reipsa, si vellet: ne naturali creaturæ instabilitate, quæ ei ex nihilo adhæsit unde extracta est, ab illo aversa bono *intenebresceret & frigesceret*.

12. de Civit. c. 9.

Serm. 34. de divers. c. 3.

14. de Civit. c. 13.

Ibid.

Quod si verò exempla ponderemus, quibus Augustinus semper utitur, ut necessitatem divinæ gratiæ adjuvantis exprimat, evidentissimum est, non posse de habitu justitiæ, vel influxu divinæ cooperationis intelligi. Nam adjutorium illud plerumque alimentis comparat, sine quibus non potest homo vel sanus manere vel vivere. Nemo autem dubitat alimenti adjutorium esse ab ipsa vita & sanitate, & Dei quoque in isto genere cooperatione diversum. *Sicut mori*, inquit, *est in hominis potestate cùm velit: nemo est enim, qui non seipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo posset occidere; ad vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adjutoria sive alimentorum, sive quorumcumque tutaminum desint: sic homo in paradiso ad se occidendum, relinquendo justitiam, idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur vita justitiæ parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adjuvaret.* Et in libris de Civitate Dei: *Sicut in hac carne vivere sine adjumentis alimentorum, in potestate non est: non autem in ea vivere, in potestate est; quod faciunt qui seipsos necant: ita benè vivere sine adjutorio Dei, etiam in paradiso non erat in potestate; erat autem in potestate male vivere* &c. Vbi etjam dicit, meritum hominis fuisse *in adjuta divinitus voluntate* bona. Ecce utrobique dicit ipsum velle sicut ad vitam, ita & ad justitiam retinendam non sufficere, si adjutorium Dei tanquam alimenti deficit. Quid est autem ipsum *velle* voluntatis bonæ, nisi jam amare justitiam, & consequenter jam Deum cum illa voluntate concurrere? Et tamen vult Augustinus, neutrũ adhuc sufficere, nisi aliter illa voluntas divinitus adjuvetur, hoc est, nisi Dei adjutorio, non cooperante, cum actione, sed potentiam roborante, firmetur. Vnde discipulus Augustini Fulgentius clariùs Magistrum explicans: *Ab hoc infirmitatem repulit*; (homine jam lapso) *illum* (Angelum stantem) *infirmari non sivit: illius esca; istius medicina.* Vbi infirmari non sinere, & escam esse, nimis evidenter indicat adjutorium, quo Angelum in justitia stantem à ruina roborando tueatur: cùm paulò antè dixisset, naturam Angelicam *propriæ stabilitati sufficere nequivisse.*

In Enchir. c. 106.

Lib. 14. de Civit. c. 27.

Lib. 2. ad Thrasimun.

Ibid.

Altera comparatio, qua Augustinus crebrò utitur ad explicandum primi hominis & Angeli adjutorium, est *lucis*, sine qua oculus etjã *plenissimè sanus*, ut ipse loquitur, non potest quicquam cernere; sed in tenebris prorsùs manet. Certissimum autem est, lucis adjutorium prorsus ab ipsa oculi sanitate, & cujusvis sive hominis sive Dei cooperatione, esse distinctum. Loca nonnulla ex Augustino suprà dedimus. Vnde & libro de gestis Pelagij eandem lucis comparationem ad gratiam Christi post lapsum, hominibus necessariam extendit: *Sufficit enim*, inquit, *sibi oculus ad non videndum, hoc est, ad tenebras; ad videndum verò lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur.* Vbi nemo sanè dixerit, gratiæ Christi adjutorium, quod hominibus jam post ruinam tribuit, tantummodo esse habitum gratiæ, vel ipsum Dei cooperantis influxum: sed sicut etjam ipsa corporalis lux, respectu oculi, extrinsecus advenit, & potentiæ infirmitatem roborat, ut immutabile bonum arcano illo divinæ charitatis lumine possit cernere.

Vide lib. de nat. & grat. c. 27. Epist. 106. Lib. 2. de pec. merit. c. 8. Lib. de gestis Pelag. c. 3.

CAPVT.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Idem ostenditur uberiùs ex Augustino.

ET ista quidem quamvis ad intelligendam Augustini mentem abundè satis sint, solus tamen discursus ejus, quem de isto Adami adjutorio ex professo in libro de correptione & gratia texuit, ita ad omnia confirmanda manifestus est, ut nihil pœnè clarius dici potuisse videatur. Vnde totus locus paulò accuratiùs expendendus est. Adversus Pelagianos igitur, qui perseverantiam in justitia, hoc est, qui actus bonos quibus perseveratur in justitia, suis viribus tribuebant, statim in ipso disputationis exordio assumit Augustinus, quantumvis nunc per Dei gratiam à damnatione liberandi, hoc est, in justitia collocandi, & perseveranter conservandi esse dicamur, tamen etjam olim Adamum ad perseverandum in justitia, hoc est, ad justè operandum usque in finem, gratiæ adjuvantis adjutorio eguisse. Perspicuum est autem, cùm de conservandis in adepta justitia hominibus cum Pelagianis actum est, de actualis gratiæ adjutorio fuisse certamen: illis vires jam habitas hominis justi imbecilles esse negantibus, Catholicis affirmantibus. Vnde fit, ut quandocunq; Augustinus ibi nominat gratiam, vel adjutorium, *qua* vel *quo* liberum arbitriū juvabatur, ut *velle posset aut vellet*; semper illud (*quo*) vel (*qua*) designet relationem non simultaneæ cooperationis cum arbitrio, sed principij prævenientis actum, quod potestatem liberi arbitrij roborando, simul cum eo unum plenum principium in actum influens constitueret. Per liberum autem arbitrium in istis Augustini locutionibus, non ipsa naturalis potestas tantum, sed semper intelligitur, ut jam bona voluntate, hoc est, ipso habitu divinæ charitatis instructum: *In illa quippe eum fecerat*, ut ipse loquitur, *qui fecerat rectum*: illa quippe sub nomine liberi arbitrij, maximè cùm de Adamo sermo est, comprehenditur. Nam Augustini phrasi, de qua suprà fusè diximus, liberum arbitrium Adami non erat ullo pacto liberum, nisi per illam divini amoris gratiam: utpote quæ esset ipsissima libertas ejus ad bonum. Ex quo & illa phrasis ejus ibidem, & alijs locis sæpè repetita, quòd Adami *arbitrium tunc ita liberum erat, ut benè velle posset, & malè*, &, quòd *iam illa peccati merito sit amissa libertas*. Hæc enim Augustinus non nisi ratione infusi Adamo, dum crearetur, & post amissi habitus charitatis, seu bonæ voluntatis, intelligit: quâ præsente, arbitrium ejus erat liberum, perdita verò non liberum, sed liberandum. Hinc igitur fit ut consideratione tum scopi Augustini adversus hæresim Pelagianam, tum phrasis *liberi* arbitrij, quod juvandum esse dicit, tum perseverantiæ, quæ justorum est, quos tam in innocentiæ, quàm culpę statu Dei

Lib. de Corrept. & grat. c. 11.

Cap. 11.

Cap. 11.

Cap. 12.

A adjutorio indigere testatur, ipsum nomen adjutorij non possit accipi nisi de illa gratia, qua arbitrium jam per justitiam & habitum bonæ voluntatis aut charitatis liberum, adhuc tamen fulciendum est, ne tentationis alicujus irruentis impetu voluntas illa bona deficiat; sed in illa justitiæ libertate perduret. Quod, nisi communi sensui repugnare velimus, non de ipso charitatis libertatem afferentis habitu, utpote quod sub ipso arbitrio quatenus libero comprehenditur, sed de distincto & libertatem flexibilem adjuvante adjutorio intelligi debet.

Hoc ergò ut clariùs ac distinctiùs nobis Augustinus exprimeret & imprimeret, ita loquitur: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem*, id est, charitatem seu justitiam; *in illa quippe*, ut addit, *eum fecerat qui fecerat rectum*. Ecce gratiam habitualem, quam ei fuerat in ipsa conditione largitus. Mox verò subjungit:
B *Dederat & adiutorium*, hoc est, dederat ei quoque præter bonam voluntatem, ejusdem bonæ voluntatis adjutorium. Hoc enim sibi vult illud (*&*) hoc est, *etiam*, distinctum ergò fuit ab ipsa gratia bonæ voluntatis. Cujus naturam ut magis explicaret: *Sine quo*, inquit, *in ea non poterat permanere si vellet*, id est, etsi vellet. Quo significat, robur addidisse voluntati, ut in ea bona voluntate perseverare posset; ad quod non poterat nudum ejus velle sufficere: & proinde ab ipsa bona voluntate fuisse diversum. Nisi ridiculum omninò fuisse velimus Augustinum, qui dicere voluit, quod sine bona voluntate non potuerit in bona voluntate permanere, si vellet. Nam istam ineptiam ne forsan ei quispiam tribueret, antè dixerat: *Liberum arbitrium ad bonum nihil est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono*, hoc est, à Deo. Nemo quippe ita absurdus est, ut habitum
C illum omnipotens bonum vocet, vel dubitet, volitionem bonam ab ipsa habituali bona voluntate seu charitate fieri & juvari. Vnde paulò pòst, hoc adjutorium comparat alimento respectu vitæ: quod sanè à vita, quæ juvatur ut perdurare possit, planè diversum est. Hinc ut eandem ab habituali gratia seu bona voluntate distinctionem indicaret, infrà cùm bonam illam voluntatem vocasset *fortem & sanam*, nempe ratione justitiæ nulla cupiditate perturbatæ, statim adjicit: *Quamvis*, inquit, *non defuturo adiutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet*; clarè indicans, adjutorium illud non cum ipsa jam bona voluntate esse datum; sed postea dandum esse, nec defuturum, cùm hoc oportunitas exercendarum actionum postularet, quibus solis præcepta servantur, & justitia retinetur. Vnde similiter in Enchiridio ad Laurentium: *Etsi peccatum in solo libero*

Lib. de corrept. & grat. c. 11

Cap. 12.

In Enchir. c. 106.

libero arbitrio erat constitutum; non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.

Et omnia quidem ista non minùs perspicuè probant, non esse concursum illum simultaneum, quem Augustinus adjutorium vocet, & ipsi concomitantem, novâ prorsus istius vocabuli significatione nominant, ut aliquod singulare gratiæ genus Adamo tribuisse videantur. Fatentur enim ipsi concursum illum non afferre vires ullas agentibus; cùm sit influxus in effectum, non in causam, quæ nisi aliunde satis fortis fuerit ut aliquid agat, per illum concursum non fiet fortior. Quæ sanè Augustino magnopere adversa sunt. Ille namque sæpè repetit, sine illo adjutorio hominem primum *non potuisse permanere*; cum illo *potuisse, si vellet.* Quibus phrasibus indicat apertissimè, ipsam potentiam fuisse eo præsente non modo roboratam, sed tributâ, absente diminutâ atq; detractam. Hinc de Angelis & hominibus: *Si hoc adjutorium eis defuisset, non utique sua culpa cecidissent.* Et causam adjicit: *Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent*, perspicuè indicans, aliquid ipsi potentiæ illius adjutorij subtractione fuisse defuturum. Ad Dei quippe simultaneam cooperationem non possunt ista sine manifesta absurditate torqueri. Primò, quia sine illo concursu Dei non solum homo aut Angelus in justitia permanere non potest; sed nec ex justitia cadere potest. Sive enim actione, sive etjam sola voluntate, sine illa Dei cooperatione peccare non potest. Hoc autem Augustini doctrinæ non est dubium esse contrarium, ut qui in hoc ipso loco diversitatem creatæ potestatis ad bonum & malum, certissima distinctione discernens: *Ad malum*, inquit, *sufficit; ad bonum nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Quam differentiam alibi sæpè tradit.

Cap. 11.

Lib. 1. de pecc. merit. c. 5. & 19 & alibi passim.

Secundò, quia naturam adjutorij hominis lapsi ac stantis comparans Augustinus, sæpè indicat differentiam illam tantummodo attendendam esse secundùm majus & minus, efficacius & inefficacius ita nèpe, ut per unum fieret ut velimus, per alterum ut velle possimus: utrumque ergò robur afferebat, etsi majus aut minus. Concursus autem ille simultaneus nullas confert causis agentibus vires, sicut apud Recentiores in confesso est: sed sese viribus creatæ potestatis accommodat, ita ut, si fortè ante concursum infirmæ ad agendum fuerint, nunquam illa adjectione roborentur, ut firmæ fiant; si firmæ, nunquam illius subtractione debilitentur, ut infirmæ fiant. Nunquam enim illum libero arbitrio ad agendum præparato subtrahi, axioma Recentioribus receptissimum est.

Hinc tertiò manifestum est, non posse esse illam simultaneam cooperationem Dei. Augustinus enim docet, istud adjutorium Angelis & hominibus ante lapsum nullo modo deesse potuisse: quia si defuisset *non utique sua culpa cecidissent*: posteà verò, peccatum hominis esse illius subtractione punitum: *Nunc autem*, inquit, *quibus deest tale adjutorium*, (quale Adam habuit) *jam pœna peccati est.* Iuxta Recentiores autem certissimum est, cooperationem illam nemini in pœnam, sed solùm agere nolenti subtrahi, hoc ipso videlicet, quo non agunt. Cùm enim cooperatio sit, essentialiter simul, secum agentem involvit, quem nunquam destituit nisi ab illo destituatur. Neque verò etjam nunc illa cooperatio, seu illa gratia concomitans quibus subtrahitur à Deo, tanquam peccati pœna subtrahitur; sed propria libertate repudiatur, eodem prorsus modo, quo peccare nolentibus eadem illa cooperatio à Deo subtrahi solet. Non enim vel benè agendo velut præmium acquiritur, vel malè agendo subtrahitur; cùm neq; sit meriti præmium, nec pœna demeriti: sed ab arbitrij humani & Angelici libertate suspensum, ut naturalis defectus illâ cooperatione, semper in malum non minùs ac bonum præsentissimâ, paratissimaq; suppleatur. In ordine quippe supernaturali tam illa cooperatio supernaturalis est agenti supernaturali debita, quàm naturalis agentibus naturalibus: pertinet enim non minùs ad naturæ talis, quàm ad cujuslibet alterius institutionem. Vnde sequitur, ut quemadmodum quælibet natura quicquid faciat tali concursu adjuvante, viribus naturæ dicitur facere; ita & Adam viribus naturæ debeat dici potuisse bene facere, stare, perseverare, quantumvis sine tali concursu non potuerit; si nullo alio indiguerit gratiæ adjutorio.

Ex quo emergit aliud argumentum ex Augustino. Docet enim, Adamum istud adjutorium per impetrandi fiduciam accipere debuisse: *Quandoquidem*, inquit, *sic erat constitutus, ut si de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret.* Et continuò adhuc: *Quia & ipsum confidere de adjutorio Dei, non quidem posset sine adjutorio Dei.* Iam verò illa simultanea cooperatio Dei, seu concomitans illa gratia, quam ipsi vocant, nec fidendo impetratur, nec amittitur diffidendo: sed sive Deo quis fidat, sive diffidat, semper agere volenti præsto est.

Lib. 4. de Civit. c. 13.

Sed est aliud istius adjutorij, quod Adam habuit, & concomitantis istius cooperationis Dei capitale discrimen. Nam ex professo docet Augustinus, adjutorium Adami fuisse adjutorium *sine quo non*, non autem adjutorium *quo*, hoc est, fuisse tale adjutorium, ut sine illo quidem liberum arbitrium in justitia stare non posset; non tamen tale, ut illo dato jam hoc ipso in justitia staret seu perseveraret. *Quemadmodum*, inquit, *beatitudo cum data fuerit* homini beato, *continuò fit beatus.* De qua doctrina plura paulò pòst dicturi sumus: nunc satis est intelligere, concomitantem illam gratiam, seu cooperationem Dei ex diametro esse oppositam ei, quod de Adami adjutorio Augustinus docet. Est enim tale adjutorium, ut eo dato, jam hoc ipso detur id propter quod datur. Si enim Deus credenti vel diligenti cooperatur, jam hoc ipso, quo cooperatur, homo credit ac diligit. Ex quo fit, ut impossibile

sibile sit, cooperationem illam concomitantem Dei, esse illud adjutorium, quod Adamo & Angelis ex Augustini mente datum est. A

Ex his puto perspicuum esse omnibus, qui magis sincerissimæ veritatis agnitione, quàm præoccupatæ sententiæ defensatione delectantur, Augustini doctrinam ab eorum opinione remotissimam esse, qui adjutorium Adæ & Angelis datum vel gratiam habitualem, vel illum communem supernaturalis ordinis influxum esse putant, quo Deus cum homine justo ad agendum aliunde satis robusto, prosiliente, & concitato simul agit, nihil moturus, vel adjuturus, vel roboraturus hominem, vel acturus in homine, si ille ex seipso non agat. Nam per hujusmodi gratiæ adjutoria (quæ pro gratiæ adjutorijs, de quibus erat disceptatio, nunquam vel Pelagiani, vel Semi-Pelagiani, vel Augustinus agnovit) neq; Deus regit ambulantes, neq; custodit, aut servat periclitantes, neq; juvat infirmos, vel eos infirmari non sinit; neq; homines illustrat ut videant, neq; succendit ut ament: utpote quæ neq; lumen sint, quo oculi videant, neq; esca, qua vita fulciatur, neque auxilium, quo sanitas ipsa teneatur, neque quicquam eorum in se contineat, quæ Augustinum illi adjutorio tribuisse monstravimus. Quapropter non gratiam habitualem, non simultaneam illam cooperationem Dei ab ipsius hominis libertate suspensam, sed verissimæ gratiæ actualis roborantis & adjuvantis auxilium intuebatur, quando præclarissimam illam sententiam protulit, qua Pelagiana hæresis jugulata est: *Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret. Cum igitur sine Dei gratia salutem non posset custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia potest reparare quam perdidit?* Quorum verborum pondere cuncta quæ de illo adjutorio hactenus diximus, mira brevitate comprehendit & gravitate firmavit, & claritate explicuit. Nam & gratiam definit in illa integritate etjam justo, hoc est, jam ante habenti habitualis gratiæ adjutoriū, ad ipsam salutem seu habitualem justitiam custodiendā, ut scilicet declinet à malo, & faciat bonum, esse necessariam; & ita necessariam, ut illo gratiæ adjutorio in custodienda servandaq; salute, seu justitia, justi imbecillitas adjuvetur ac suppleatur; quia se servare non potest. Sine justitia enim habitualiter & formaliter inhærente eum non posse servare justitiam, ridiculum est adversus hæreses definire; cum sic nec sine injustitia habitualiter inhærente posset servari habitualis injustitia. Neque Dei cooperatio quicquam ad justitiam custodiendam valet: cùm illa cooperatio non sit justitia per eam custodiendā prior, quemadmodum esse deberet; sed ipsa jam eo usque custodita & jam prægnante atq; acturiente posterior. Nec illa prorsus est, quam ibi destruebat Pelagius, & astruebat tota illa Epistola summis viribus adversus Pelagium Augustinus: sine qua scilicet ille, & cum qua hic dicebat, hominem salutē reparare posse, quam perdidit. Quę verba divina luce fulgentia, cælesti circumspectione plena, sententiæ amplitudine miranda, sensus efficacia & ubertate prægnantia, tantopere Romanæ Sedi & Arausicanis Patribus placuerunt, ut ea adversus omnes Pelagianorum cavillationes canonicæ sanctionis auctoritate sacraverint; & consequenter ea capita, quæ suprà de illo primæ integritatis adjutorio ex ejus mente, qui illa cōcepit ac tradidit, declaravimus, in Christianæ fidei dogma converterint. Quo mirari satis nequeo illam cujusdam recentioris confidentiam, mentis Augustini, & Pelagij, & veritatis non satis peritam, qui ausus est dicere, Augustinum *procul dubio* in libro de Corrept. & gratia, ubi de illo jam dicto tractat adjutorio, *non aliud intellexisse*, quàm dona habitualia justitiæ originalis, gratiæ, & Theologalium virtutum, aliorumque habituum supernaturalium. Quo sanè commento, secundùm illa quæ fusè ex varijs Augustini locis commonstravimus, nihil alienius fingi potest.

B C

Epist. 106. ad Paulin.

Molin in Concord. disput. 4.

CAPVT XIV.

Quale fuerit istud adjutorium quantum ad operandi modum.

HACTENUS de natura istius adjutorij, quantum ad substantiam ejus disputavimus, ut sciremus quodnam illud sit, an habitus, an concomitans Dei operatio; an verò aliquid actuale actioni prævium: nunc dicendum de adjuvandi modo, qui potissimum ab Augustino in hac materia spectatur. Duplex est enim adjutorij genus, & consequenter duplex adjuvandi modus, unū est adjutorium *quo*; alterum *sine quo non*. Hoc est, unum est, *quo aliquid fit*; alterum, *sine quo non fit*. Exemplis res illustranda est. Visio est adjutorium, ut videas; sed ita adjuvat, ut eā positā, statim videas, quod in omnibus causis formalibus locum habet. In efficientibus autem A tale adjutorium est illa simultanea cooperatio Dei: illâ quippe datâ, contestim sine mora fit operatio; quæ nisi detur, nunquam fiet. Pedes verò sunt adjutorium ad ambulandum, navis ad navigandum, non tamen *quo*; sed *sine quo non*. Non enim si adsunt pedes, aut navis, continuò fit ambulatio aut navigatio; sine illis tamen fieri nequit. Tradit hanc divisionem expressis verbis Augustinus, ut naturam adjutorij primi hominis explicet. *Ipsa adjutoria*, inquit, *distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit; & aliud est adjutorium, quo aliquid fit.* Exemplum primi est: *Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen, cùm adfuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit.*

Lib. de corrept. & gra. c. 11.

voluerit. Ergo adiutorium alimētorum est sine quo non A *fit, non quo fit ut vivamus.* Exemplum secundi: *At verò beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutoriū & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit.* Divisio ista ex altiori capite nascitur. Quædam enim ita adjuvant potestatem, ut eam hoc ipso quo dantur, ex potentia in actum extrahant, ipsumq; effectum re ipsa ponant: alia vero sic adiuvant, ut potentiam quidem præparent, roborent, iuvent; aliunde tamen quàm ex ipsis extractio potentiæ in actum secundū, seu ipsius potestatis applicatio atq; determinatio ad agendum exspectari debeat: huiusmodi est adiutorium lucis ad videndum, specierum atque scientiæ ad intelligendum, habitus ad operandum, pedum ad ambulandum, navis ad B navigādum, suasionis externę ad operandum, & infinita similia. Omnia quippe hujusmodi, potentiam quidem operandi præparant, adjuvant, roborant; nisi tamen aliunde impulsus ad operandum veniat, nihil fiet. Cujus ratio manifesta est, quia ista adjutoria sunt ejusdem ordinis cum potentia, in cujus imbecillitatis subsidium dantur. Nam ex ipsis adjutoriis, & ex potentia una perfecta & completa operandi facultas constituitur, quæ voluntatis imperio, cuius est officium & seipsâ & omnibus potentiis uti, ita penitus subiecta manet, ac si potentia esset sola omnibus adiutoriis destituta. Ex quo efficitur, ut quamvis huiusmodi adiutoria in infinitum augerentur, nunquam tamen propterea fieret effectus; sed tantùm completius posset fieri: fit autem tunc, quando potestas illa ad agendum actu impellitur, non fit quādo non impellitur. Hinc est igitur quod Aug. alibi distinguit duplex adiutoriū, quorū C unum vocavit *Possibilitatis*, hoc est potentiæ; alterum *voluntatis & actionis*. Quæ divisio petita est ex duplici illo adiuvandi modo, quem tradidimus. De quo plura in sententijs Pelagianorum explicandis dicta sunt. Adiutorium igitur, quod ibi vocatur ab Augustino *voluntatis & actionis*, hic est idem quod adiutorium *quo* fit voluntas seu volitio & actio; ita videlicet ut eo posito continuò liberum arbitrium velit & agat, eo non posito, non velit nec agat. Adiutorium verò, quod ibi vocatur *possibilitatis*, seu potentiæ, complectitur sub se adiutoriū, quod hic vocat Augustinus *sine quo non*, quamvis non istud solum. Datur enim & aliud adiutorium possibilitatis; quo quidem adiuvatur possibilitas, sed sic ut sine illo aliis modis res possit fieri, sicut equus, & rheda, & lectica ad iter faciendum, & eruditio ad bene vivendum, & medicina ad cōvalescendum iuvant; quamvis ista & sine istis adiutoriis fieri queant: quæ D tamen diversitas maiorem quidem unius adiutorii, quàm alterius necessitatem arguit; non tamen diversum cooperandi seu adiuvandi modum. Vtrumq; enim solùm possibilitatem seu potentiam agendi adiuvat, non voluntatem & actionem: hoc est, adiuvant ut possis velle & agere, non efficiunt, ut velis & agas: sed illę impulsus potestatis, ut velit & agat, quantumcunque per adiutorium *sine quo non* adiutæ, aliunde prorsus exspectandus est. Nam ut Augustinus alicubi dicit: *Non est consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit.*

Vide lib. 5. de Hæresi Pelag. c. 21.

Lib. de grat. Christi c. 14.

Quibus ita constitutis, perspicuè docet Augustin. & iterum iterumq; diligenter inculcat, adiutorium Adami, cuius necessitatem tantopere multis locis commendaverat, non fuisse adiutorium *quo*, sed adiutorium *sine quo non*: hoc est, non fuisse tale adiutorium, quo fieret ut Adam perseveraret aut vellet sed quo posset perseverare si vellet, & sine quo perseverare non posset: ita videlicet, ut illud adiutorium plenam permanendi potentiam seu sufficientiam largiretur, sine qua permanere non poterat; non tamen tribueret usum illius adiutorij seu ipsam permanendi voluntatem, utpote quæ in ipsius libero relinqueretur arbitrio, à cujus liberrimo flexu & nutu Deus pendere voluit, ut illo adjutorio uti vellet aut nollet, atque ita actu permaneret aut caderet. Laboriosa hujusce rei probatione non est opus. Tot enim pro ista doctrina occurrunt testimonia, ut tædium lectori parerent, si omnia proferrentur. Nam toto capite undecimo & duodecimo libri de Corrept. & gratia, eam ex professo tradit. Nec enim alia de causa divisionem illam in adjutorium *quo*, & *sine quo non*, in medium adduxit, nisi ut discrimen agnosceremus adjutorij quod post lapsum datur, & ejus, quod ante lapsum datum fuit. *Primo itaque homini*, inquit, *qui in eo bono, quo factus fuerat, acceperat posse non peccare, & posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.* Et aliquanto inferiùs: *Quibus (lapsis) non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint; sed in eis etiam operatur & velle.* Et paulò post: *Habens (Adam) virtutem liberi arbitrij, quamvis non de futuro adiutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet.* Et superiore capite apertissimè: *Sane habuit (gratiam) in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset.* Et rursum: *Tale quippe erat adiutorium quod desereret, cum vellet & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet.* Et iterum instantiùs: *Sic adiuvabatur, ut sine hoc adiutorio in bono non maneret; sed hoc adiutorium, si vellet, desereret.* Et paulò inferiùs: *Posset ergo permanere, si vellet: quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est.* Ex quibus testimonijs & alijs in illa Augustini disputatione passim occurrentibus, duo perspicua ad rem nostrã pertinentia colliguntur.

Lib. de corrept. & grat. c. 11.

Ibid.

Ibid.

Ibid. c. 11.

Ibid.

Ibid.

Vnum est, gratiam illam Adami non fuisse adjutorium voluntatis seu *volitionis & actionis*, hoc

hoc est, quo fieret, ut vellet, & ageret, seu, quo daretur ei velle & agere, sive perseverare, sed tantummodo *possibilitatis*, hoc est, quo fieret ut posset perseverare, si vellet, seu quo sola possibilitas perseverandi juvaretur. Nam in eo consistit totum discrimen istius adiutorij ab adjutorio, quod Christus lapsis tribuit: quod per illud, ut jam sæpissimè audivimus, daretur posse, si vellet; per hoc verò etiam efficiatur, ut velit. Hoc est, ut per illud possibilitas seu potestas perseverandi, quæ citra istud adjutorium erat quasi semiplena, juvaretur, quatenus per adiunctionem istius adiutorii plena fieret: per hoc verò potestatis istius usus, seu ipsum velle donaretur: quia ipsâ potestate non utimur, nisi quando volumus.

Alterum, quod ex isto sequitur, est, usum istius adjutorij non ab ipso illo eodem adjutorio, sed à libero primi hominis arbitrio pependisse; usq; adeo ut in ejus arbitratu, nutu, ac voluntate non minùs esset situm uti illo adjutorio, quàm non uti; acceptare illud, quàm repellere; illi consentire, quàm dissentire; illud tenere, quàm deserere; stare, quàm cadere; perseverare, quàm non perseverare. Quod quâvis per se ex istis jam citatis Augustini testimonijs sequatur, imo manifestum sit; ipse tamen, ne quis cavillando nodum in scirpo quæreret disertis verbis iterum iterumq; August. asseruit: *Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio.* Et non multo post: *Dederat & adiutorium, sine quo in ea* (bona voluntate) *non posset permanere, si vellet: ut autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio.* Et apertissimè: *Posset enim perseverare etiam* (cum illo adjutorio) *si vellet; quod ut nollet, de libero descendit arbitrio: quod tunc ita liberum erat, ut benè velle posset, & male.* Et cap. sequenti adhuc uberiùs: *Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo: sed perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas &c. ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* Totam deniq; disputationem brevibus & ipsâ antithesi utriusque adjutorij clarissimis verbis finiens; *Fortissimo quippe dimisit atq; permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Quod nemini profectò mirum videri debet. Nam ex hoc ipso, quod adjutorium illud non erat nisi adjutorium *sine quo non*, respectu liberi arbitrij, necesse erat ab alia causa fieri flexum arbitrij, quàm ab isto adjutorio: hoc est, necesse erat ab alio quàm ab isto adjutorio fieri applicationem tam arbitrij quàm adjutorij, ad hoc ut actu vellet & permaneret: cùm anteà solummodo posset permanere, si vellet.

Lib. de corr. & grat. c. 11

Ibid.

Ibid.

Ibid. c. 12.

Tertium istis duobus addi potest, Non aliud fuisse istud gratiæ adjutoriũ, quod Adamo & Angelis datum fuit, quàm id quod schola passim sufficiens vocat. Nam hoc ipso, quod per illud justè vivere, & in justitia perseverare poterat, & sine illo non poterat, nec actum potestatis, sed potestatem actus afferebat, apertissimè sequitur, non aliud, quàm sufficiens dicendum esse. Illud enim non est aliud, quàm *quo ita iuvatur ad operandum, ut possit si velit, ita ut nihil illi ad volendum desit, quod non sit in eius potestate,* sicut Scholastici illud describere solent. Quod quia ex ipsa rei natura perspicuum est, etiam Scholastici hoc auxilium status innocentiæ sufficiens fuisse confitentur. Vnde hoc ipsum luculentè S. August. expressit, cùm toties dixit, Adam per hoc auxilium potuisse *perseverare si vellet*: vel ut alibi: *Quanto magis laudandus ille, qui & velle præcepit & posse præbuit, & non impunè nolle permisit.* Quam potestatem paulò ante vocaverat *sufficientissimam facultatem.*

[illegible] 3. ... de auxil. c. 4.

Idem ibid vitans c. 11. & 12 de corr. & grat.

Lib. 3 de lib. arbit. c. 16.

Ibid.

Quod igitur in illo felicitatis primæ statu velle & nolle non ab ipso gratiæ adjutorio, sed ab arbitrii libertate Deus peti voluit, ut quocunq; videretur sese flecteret, sive applicando ipsum adiutorium ad influendũ secum, si vellet, sive non applicando, si nollet, causa non alia fuit, nisi magnitudo libertatis, & consequenter potestatis, quâ primus homo in illa integritatis præstantia fruebatur. Cùm enim nihil inesset, ut August. loquitur, *Quod carnem animumq; hominis feliciter viventis offenderet*, hoc est, *cùm nihil ei ex seipso concupiscentialiter resisteret*, sequebatur inde in totam animam magna tranquillitas, & ex ista trãquillitate volendi quoq; & perseverandi summa facilitas. Erat quippe instar bilancis in æquilibrio constitutus, & instar globi rotũdissimi in planitie perfectissima versus omnem partem æquè mobilis, hinc adjutus per naturam, inde per gratiam: ut quemadmodum sine gratiæ adiutorio facillimè solo; nutu labi poterat; ita eadem facilitate solo nutu cum illo gratiæ adiutorio permanere. Ipsum quippe velle iustitiã, cùm nihil volenti resisteret, iam erat posse. Deus enim cum hominem beatum conderet, in hoc ipso quoque creaturam suam creatoris imaginem quandam exprimere & referre voluit, ut quemadmodum voluntas eius potestas est, ut ei hoc sit posse quod velle, (quo enim altius ascenditur, eo magis ad unitatem tenditur) ita quoq; voluntas hominis primi comparatione iustitiæ retinendæ tanta potestate gauderet, & non aliud esset ei posse retinere iustitiã, quàm velle retinere; posse non peccare, quàm nolle peccare. Vbi enim volenti nihil reluctatur intus, jam hoc ipsum velle justè vivere, est justè vivere; cùm justi vita non sit aliud quàm voluntas bona; quæ jam obtenta est hoc ipso quo voluit. Nunc autem postquam in illam miseriam peccato præcipitati sumus, ut voluntas resistat voluntati, & ipsa suâ propria divisione debilitata suâ secum cupiditate terrenâ quasi languore confligat, velle justitiam, aut velle justè vivere non est ei satis, ut possit: sed opus est magnis viribus voluntatis, hoc est, ut loquuntur Philosophi, opus est intentissimo conatu voluntatis, quo resistentes intus timor, cupiditas, atque dolor, seu ut Augustinus loquitur: *Cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superentur.* Ex quo efficitur, ut nunc summus nostræ voluntatis conatus, qui non nisi per ardentissimam Spiritus sancti inspira-

14. de Civit. c. 10. de corrept. & grat. c. 12.

De corrept. & grat. c. 12.

Digitized by Google

inspirationem dari potest, vix jam possit id quod in Adamo infirmus poterat, utpote cui hoc ipso quo volebat, nihil supererat superandũ. Propter istam igitur summam bene volendi vivendiq; facilitatem, non ei per gratiam dari voluit, ut perseveraret aut vellet; sed in ejus liberrimo, quamvis *non sine gratia*, posuit arbitratu. Quæ omnia, rem ipsam scilicet, & caussam ejus, mirabili penetratione atq; compendio significavit nobis August. cùm illa divina verba protulit: *Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo; sed perseverare vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo erat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.*

Li. de corr. & grat. c. 12

Nec verò moveat quemquam, quod etjam in illo statu innocentiæ adjutorium istud simul cum voluntate in actum influeret, ut propterea putet, antequam arbitrium vellet, fuisse adjutorium *sine quo non* posset velle vel facere; cùm autem reipsa adjutorio simul adjuvante & cõcurrente vellet & faceret, jam esse *adiutorium quo* vellet & faceret. Non enim actualis influxus & concursus illius adjutorij mutat naturam ejus, quasi ante actionem esset adjutorium *sine quo non*; sub actione verò *adiutorium quo*: sed etjam tum cùm concurrit & influit, non ipsum est, *quo* fit actio; sed tãtùm *sine quo non* fit. Nam, ut jam sæpius indicatũ est, non isto sensu vocatur adjutorium *quo*, quia est aliquod adjumentum quo simul adjuvante actus exoritur: sed quod ita adjuvat, ut illo præsente continuò fiat id propter quod datur, illo absente nunquam fiat. Iam verò etjamsi tale adjutorium Adamo & Angelis datum fuerit, non tamen propterea in omnibus quibus datum fuit continuò factum est id propter quod datum fuit. Imo etjam tunc, quando illo adjutorio simul influente in Angelis bonis actus fiebat, sicut per liberum arbitrium steterat, ut actum inciperet, ita etjam stabat, ut pergeret. Non enim adjutorium influendo faciebat, ut arbitrium vellet; sed arbitrium volendo, ut adjutorium influeret, idq; non minùs influxum prosequendo, quàm inchoando. Semper enim ejusdẽ rationis adjutorium est, & omnino subditum nutui ipsius libertatis manet. Quod in exemplis, quæ August. protulit, omni scrupulo ambiguitatis caret. Lux enim sive in visionem influat, sive non influat; & alimentum sive sumatur, sive respuatur, non aliud sunt quàm adjutoria, sine quibus non potest oculus cernere, vel vita subsistere. Non enim talia sunt, quibus fiat, ut videat, qui oculum claudere, aut ut *vivat* sicut Augustinus loquitur, *qui mori voluerit* etjam tum quando actu videt & vivit: sed solum talia, quibus videre & vivere possit, si velit. Nam ut antè poterat neq; alimentum neq; lumen admittere, ita admissa repudiare, vel alio quocũq; modo visionem, ipsamque vitam abrumpere. Hoc in navi, sine qua nemo navigat, in pedibus sine quibus nemo ambulat, quibus ipsis exemplis August. utitur, non minùs manifestum

De corrept. & grat. c. 12

est. Voluntas est enim, quæ cùm libuerit, & navi ad navigandum, & pedibus ad ambulandũ utitur, vel non utitur; & eâdem libertate usum inchoatum continuat aut abrumpit. Nec aliud omnia ista, quæ diximus, sunt aut esse possunt, quàm adjutoria sine quibus non fit opus, sive actu per voluntatis arbitriũ fiat, sive non fiat.

Ex omnibus, quæ jam diximus, ut istud hîc etjam obiter dicã, consectaneum est, omnia illa adjutoria, quorum usus vel non usus ab alio pendet, ut ad effectum, propter quem data fuerint, adjuvent, vel non adjuvent, influant, vel non influant, quibuscunq; tandem nominibus appellentur, sive habitus, sive species, sive lumen intelligentiæ, sive cognitio, sive illuminatio, sive lex, sive virtutis exemplum, sive natura, sive gratia, sive sufficiens, sive efficax, non aliud ex Augustini mente & ipsâ veritatis regula esse vel esse posse, quàm adjutoria, sine quibus non fiunt illa, quorum causâ conferuntur. Eodem enim prorsus modo, quo iam de suprà dictis exemplis declaravimus, inania & cassa fieri possunt & fiunt, nisi quis illa ad adjuvandum applicuerit. Ex quo fit, ut non hoc ipso quo præsto fuerint, fiat opus, propter quod dantur. Neque quicquam prorsus refert, quod sive humanam, sive divinam præscientiam non latuerit, effectum illo adjutorio concurrente esse secuturum, vel etiam, si ita libet, quòd homo vel Deus instituerit, procuretq; ut effectus fiat illo cooperante. Nihil enim istorum immutat adjuvandi modum. Si enim in libertatis arbitrio & flexu situm sit, ut adjutorium hujusmodi, quodcunq; tandem fuerit, applicet vel non applicet, & ita ejus usui vel non usui quodammodo nutu suo dominetur, impossibile est ut aliud juxta Augustini descriptionem sit, quàm adjutorium *sine quo non*. Nam quemadmodum, ut ipse dicit, naturâ eius declarando, *Cùm adfuerint alimenta, non eis fit ut vivat, qui mori voluerit*; ita cùm affuerint ista operationis adiumenta, non eis fit ut operetur qui cessare voluerit. Et quemadmodũ non ideo desinit alimentum esse adiutorium sine quo non, etiamsi Deus illo hominem propter dulcedinis pellicientis blanditias usurum esse præviderit; ita nec desinunt illa esse adiutoria, sine quibus non fit opus, quamvis alliciente adiutorii suavitate Deus influxum eius cum arbitrio secuturum esse præsciverit. Quid enim mirum, si non minus actio, quàm cessatio; usus, quàm non usus; adjutorij influxus, quàm non influxus; cooperatio adjutorij, quàm non cooperatio, Dei perspicaciâ omnia penetrante ac prævolante, præsciantur? An ideo ipsi adjutorio applicatio ad influendum tribui debet? Cur non potius illi, cujus nutus facit, ut istud adjutorium simul influat; cuius nutu plerumq; vice versâ fit, & semper fieri potest, ut non influat? Iste quippe fulgentissimus & indubitatus character fronti istius adiutorii ab Augustino infixus est, per quẽ ab adiutorio QVO fit opus, sine ulla ambiguitate discernitur, & ab imperitissimo quoque rerum iudice, facillimè certissimèque dignosci potest.

De corrept. & grat. c. 12

CAPVT

CAPVT XV.

Solvitur difficultas capite 12. proposita, & fusiùs declaratur adjutorium *quo*, & *sine quo non*.

EX his quæ diximus jam sublucere incipit illius dispunctio difficultatis, quam duodecimo capite proposuimus; quo, inquam, pacto fieri queat, ut Adam per liberi arbitrij vires in veritate stare potuerit, & re ipsa Angeli steterint, quod jam homo lapsus nequaquam, nisi per Dei gratiam, potest; & tamen nec Adam, nec Angeli ullo modo stare potuerint, quemadmodũ nec homo jam lapsus in ea constitutus stare potest, nisi divinitus per gratiam juvarentur, sicut utrumque constanter & iisdem locis Augustinus docet. Vtrumque enim sibi mira veritatis consonantia, neutro alterum interimente, cohærere facilè percipiet, qui utriusque status gratiam paulò attentiùs ponderaverit. Totam enim difficultatem dissipat, & scrupulos omnes tollit ille diversus adjuvãdi modus. Angelos enim & Adamum sic adjuvit gratia, B ut non per illam in veritate & justitia steterint, aut stare potuerint; sed sine illa non steterint, neque stare, hoc est, perseverare potuerint: lapsos verò homines ita gratia divina juvat, ut per illam in veritate & justitia constituti stent, & per illam invictissimè perseverent. Quod si cui adhuc obscurius dictum videatur, consideret ille, quòd, quando liberum arbitrium cum alterius causæ adjutorio actum facit, & oritur disceptatio, utri actus illius exercitium, sive quòd fiat actus ille, tribuendum sit, nunquam illi causę actum solere vel debere tribui, sine qua non potest fieri; sed quæ suo imperio, quamvis non sine alterius adjutorio, facit ut fiat. Quis enim dubitat, quando aliquis propria impulsus libertate oculos non sine luminis adjutorio prębet, ut videat; manus ferro adjuvante impellit ut vulneret, pedes movet ut gradiatur, navem assumit ut naviget, non lumine, ferro, pedibus, atq; navi; sed ipsi libero arbitrio tribuendum esse, quod actu C cernat, vulneret, incedat, & naviget, quamvis sine illorum adjutorio fieri non potuisse, perspicuum sit? Eodem enim prorsus modo, quo illis omnibus præsentibus adjutorijs manifestum est, eidem libero arbitrio tribuendũ esse, quòd illis neglectis non utatur; ita eadẽ constat certitudine, ipsius esse, quod illis utatur. Vsus enim adjutorii *sine quo non*, non ipsi adjutorio, sed causæ impellenti ad usum adjutorii, seu quæ utitur adjutorio asscribi debet. Adjutorium quippe *sine quo non* illius est naturæ, ut ex se non tribuat velle vel facere; sed ipsam dumtaxat volendi agendiq; potestatem compleat; cùm sit ejusdem rationis atque ipsa potentia, in cujus subsidium datur. Ex quo fit, ut tam potentia, quàm istud adjutorium rationem actus primi tantùm subeant; actus verò secundus ab eo peti debeat, quod potẽtiam unà cum ejus adjutorio ut operetur impellit.

A Cùm ergo in illo statu primi hominis nemo dubitet, liberi arbitrij seu voluntatis fuisse munus, ut seipsum ad volendum & operandũ applicaret & flecteret, ipsius quoque fuit, quæcunque voluntatis adjutoria, sine quibus velle non poterat, secum ad operandum rapere, & ad opus impellere. Res ista in habitibus voluntatis, in speciebus intellectus, in ipsis potentijs, in oculorum sive corporalium sive spiritualium luce manifesta est. Nam quamvis sine illis liberum arbitrium neque voluntate velit, neque mente intelligat, nec oculis videat; in confesso tamen est, omnes istas actiones ita esse libero voluntatis arbitrio tribuendas, ac si illas sine istis adjutorijs posset efficere: cùm notum sit, ipsius esse tam per ista velle, quàm nolle; tam agere, quàm ab agendo desistere; tam adjutoria utendo arripere, quàm non utendo respuere. Vnum tantummodo observatu dignũ est, actiones illas liberi arbitrij, quæ propter insitam dignitatem nudas naturæ vires longè superantem supernaturalis ordinis adjutorium postulant, ex illo cælestis habitus, vel actualis gratię adjutorio, supernaturalis ordinis dignitatem, & speciem imbibere: sed quod actu & reipsa fiant, aut factæ fuerint, etsi influente simul adjutorio, nemini asscribi debet, nisi voluntati: sicut voluntati, si cessasset, ipsa cessatio adscribi debuisset. Haud secus enim ex solo liberi arbitrij flexu ac nutu pendet, si scribere velit per calamum aptum, aureum, argenteum, ac si per ineptum, plumbeum, pennaceum; si videat per oculum sanum, atq; per lippientem; per lumen Solis, atq; candelæ; si intelligat per species humanas, ac per angelicas; per habitum scientiæ, ac erroris; si diligat per habitum luminosæ caritatis, ac vitiosæ cupiditatis. Nam sicut rectissimè Augustinus habitum esse dicit; *Quo aliquid agitur, cùm opus est: cùm autem non agitur, potest agi; sed non est opus*; & Philosophi, *quo quis agit, cùm voluerit:* ita de omnibus hujusmodi adjutorijs potentiam adjuvantibus, non tamen effectum per seipsa dantibus, dici potest, quòd illis voluntas utitur, cùm voluerit, & nõ utitur, cùm noluerit: & tam usus actualis, quàm non usus, seu ipsum non agendi agendique exercitium non ipsis hujusmodi adjutorijs, sive habituum, sive specierum, sive luminum, sive sufficientium gratiarum, sine quibus non fit opus: sed ipsi libertatis arbitrio, quamvis non sine adjutorijs, sese quaquaversum flectenti tribui debet. Sed si quod esset, vel esse posset voluntatis adjutorium talis naturæ, quod ita libero dominaretur arbitrio, ut illud secum in actum raperet, & in eo victrici quadam delectatione operaretur, ut vellet; jam influxus potentiæ seu actio non esset ipsi arbitrio, sed dominantis istius virtutis efficaciæ tribuenda. Non quasi ipsum voluntatis arbitriũ tunc non vellet

Lib. de bono coniug. c. 21.

vellet aut faceret: sed quia per imperiosam virtutem illam hoc ei præstaretur, ut vellet, ac faceret; non jam, ut antea, virtutem illam secum ad volendum faciendumque rapiendo, & applicando; sed impetum ejus suâ se dulcedine rapientem subsequendo. Nam quemadmodum illic arbitrium est id *quo* fit opus; adjutorium verò *sine quo non* fit: ita hîc vice versa efficacissimum illud adjutorium esset id *quo* fit opus; arbitrium verò *sine quo non* fieret. Supremum enim tribunal, cujus tunc arbitratu voluntas huc illuc volendo nolendoq; traheretur, penes illum esset, qui tali adjutorio voluntatem flecteret; cùm antè ipsi libertatis arbitrio supremus volendi nolendique nutus incumberet, ut adjutorijs illis, sine quibus non potest agere, pro suo beneplacito uteretur. Illîc enim adjutorium in suos usus voluntatem rapit; hîc voluntas adjutorium: illîc usus arbitrij voluntatis ab adjutorio inseritur; hîc usus adjutorij à voluntatis arbitrio.

Ex quibus ita declaratis perspicuum esse puto, quàm rectè, quàm perspicaciter, quàm profundè Augustinus docuerit, &, ut audivimus, constantissimè, & tanquam summi momenti rem iterum iterumque inculcaverit, Adamum non per gratiam, sed *per liberum* arbitrium, *per libertatem voluntatis* in veritate stare potuisse, & re ipsa Angelos perstitisse; *tales fuisse vires voluntatis*, ut ei *dignè perseverandi committeretur arbitrium: perseverare in eius relictum esse arbitrio: fortissimo dimisisse, atque permisisse facere quod vellet:* quæ omnia de lapsis hominibus tanquam capitale sinjurias Christi Salvatoris exhorret, & tamen quam rectè non minori constantia & autoritate simul doceat, non sine gratiæ adjutorio Adamum atq; Angelos permanere potuisse, vel permansisse. Ista quippe omnia, manente integerrimâ primarum virium potestate, salvâ divinæ gratiæ necessitate, mirâ utriusque pace atque concordiâ, præclarissimè & sibi & innocentium felicitati, & lapsorum calamitati consonant. Nimirum ut neque stantium integritas de aliqua sua perseverandi infirmitate conqueratur, neque lapsorum infirmitas de sua perseverandi potestate glorietur. Cùm enim ex una parte vires libertatis essent integerrimæ, omnis omninò concupiscentialis motûs interiùs sibi reluctantis expertes, & per hoc quasi in æquilibrio volendi nolendique constitutæ; ex alia verò parte gratiæ adjutorium non esset, *quo* voluntas & opus fierent; sed *sine quo non* fierent: id est, non tale ut per seipsum victrici efficaciâ quasi dominando ipsum velle operaretur & facere; sed ipsi arbitrio tanquam liberrimo ac *fortissimo dimitteret, ac permitteret*, non sine adjutorio gratiæ, *facere quod vellet:* quis non videt, non ipsi gratiæ adjutorio tribuendum esse, quòd in veritate permaneret; sed illi potiùs, qui adjutorium, quod de seipso semper mansisset otiosum, reipsa ad usum applicando in veritate permansit? Nam quemadmodum neque tentationi dæmonis, neque verbis uxoris, neque objecti cujusvis ad peccatum concurrentis cognitioni, sed libero arbitrio primi hominis ascribi debet, quod ex veritate cecidit, quamvis *sine illis* re ipsa non cecidisset, sine *hac* verò cognitione neque cadere potuisset: ita nec gratiæ adjutorio, sed libero arbitrio asscribi debuisset, quòd in veritate stetisset, quamvis sine illo stare non potuit: cùm tamen pariter stare, vel non stare; *perseverare, vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio.* Non ergò per gratiæ adjutorium bonus Angelus, sed per liberum arbitrium, non sine gratiæ adjutorio, in veritate permansit; sicut non per tentationem malus Angelus, & malus homo, sed per liberum arbitrium, non sine tentatione, ex veritate lapsus est. Hoc est enim ipsissimum illud quod Augustinus dicit: *Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberū arbitrium steterunt ipsi.* Nam sicut habitus, quamvis in ipsa voluntate vivâ sint, modo se habent mortuo, nec voluntatē ipsi, sed ipsos voluntas ad suos actus movet: ita tale adjutorium *sine quo non*, quantæcunque fuerit excellentiæ; non ad actus voluntatem concitavit, sed ab illa concitatum fuit: & nisi nutum ipsa suum volendo præbuisset, & adjutorium arripuisset, sive in bonū, sive in malum, utrovis modo adjutorium torpuisset otio, & sine omni effectu vacuum permansisset. Liberum enim arbitrium hac illac sese flectendo dominatum fuit, & ut jam sæpè diximus, illi non minùs asscribi debuit, quòd actus exercitium, etsi non sine adjutorio secutum fuit, quàm quòd neglecto adjutorio non secutum.

Lib. de corrept. & grat. c. 12.

Ibid. c. 11.

Hæc ergo genuina & vera ratio est, cur semper Augustinus, cùm de adjutorio primi hominis loquitur, comparatione lucis & alimenti utitur, quæ oculis & vitæ etiam perfectissimè sanis prorsus necessaria sunt: non tamen ejusmodi, *quibus* fiat, ut videat, aut vivat homo, si fortè clausis oculis esse, & mori voluerit; sed *sine quibus non* fiat. Non enim seipsis hoc efficiunt, ut, si adsint, continuò homo vivat, aut oculis videat; sed tantummodo, si voluerit; hoc est, si libero suo arbitrio præsentibus adjutorijs istis usus fuerit. Vbi sanè, nisi contra ipsam rerum naturam velut contra maris fremitum clamare voluerimus, quicunque sani cerebri fuerit prorsus perspicit, libero arbitrio, non luci aut alimentis esse tribuendum, quod cernat, aut vivat; quantumvis sine lucis & alimenti adjutorio & influxu cernere nullo modo possit, aut vivere. Longè aliter se res habet in illius gratiæ adjutorio, quod lapsis per peccatum fractisque viribus libertatis Christus attulit. Hoc enim non est amplius adjutorium, *sine quo non* possunt velle vel permanere; sed *quo* præsente, hoc ipso fit, ut velint, atque permaneant: & per hoc non libero voluntatis arbitrio, sed ipsi gratiæ tribui debet, quod volunt: nec iam per liberum arbitrium, sed per gratiæ adjutorium, non tamen sine libero arbitrio, volunt & permanent. Ipso enim gratiæ adjutorio *donante* fit, *ut invictissimè quod bonum est velint, & hoc deserere invictissimè nolint.*

Lib. de corrept. & grat. c. 12

nolint. Hinc est quod Augustinus, qui toties tanto studio inculcaverat, adjutorium gratiæ, quod Adamo & Angelis datum fuerat, fuisse *sine quo non* fieret opus, arbitrium verò voluntatis, *quo*, seu *per quod* fieret: cùm ad Christianæ gratiæ adjutorium explicandum venit, phrasibus è diametro repugnantibus utitur, quibus indicet, jam gratiam esse adjutorium *quo*, seu *per quod* fit opus; arbitrium verò voluntatis esse *sine quo non* fit, nec fieri potest. *Hoc ergo*, inquit, *frustra dici satis elucebit, cùm & ipsam humanam iustitiam* (id est, opus justitiæ) *operationi Dei* (id est, gratiæ adjutorio) *tribuendam esse claruerit, quamvis non fiat sine hominis voluntate*. Et rursum: *Non iustificati per legem. non iustificati per propriam voluntatem: sed iustificati gratis per gratiam ipsius: non quòd sine voluntate nostra fiat &c.* & non multo pòst: *Demonstrare nitimur, in eo nos adiuvari ad operandam iustitiam, quòd ipsa voluntas nostra, sine qua operari bonum non possumus, adiuvetur & erigatur, impertito spiritu gratiæ.*

Lib. de Spirit. & litt. c. 5. — Cap. 9. — Cap. 12.

Ex ijs, quæ hactenus declarata sunt, id quoque perspicuum est, quo pacto Adam & Angeli dicantur absolutè per vires liberi arbitrij justè vivere & perseverare potuisse; cùm tamen non potuerint sine gratiæ adjutorio, quod à naturali libertate distinctum est. Duplex enim potestas est, completa, & incompleta. Cōpleta est, quę ex insitis naturę viribus simul & adjutorio componitur: incompleta, quæ seorsim ab adjutorio gratiæ in solis liberi arbitrij viribus (habitum non excludimus) constituta est. Quando ergo toties Augustinus dicit, per liberum arbitrium Adamum & omnes Angelos permanere potuisse, & bonos Angelos in veritate stetisse, de potentia incompleta loquitur, nec tamen falsum loquitur. Nemo enim certissimā locutionem esse neget, qua dicimus, hominem per sanos oculos videre posse; quamvis id non possit sine lucis auxilio: & per intellectum res propositas percipere posse; quamvis id non possit, nisi phantasmata & species juvent. Quod in alijs plerisque potentijs, quando sanæ sunt, similiter locum habet. Plerumque enim aliquid extrinsecum præter internam potentiæ sanitatem, necessarium est, sine quo suas actiones exercere non possunt, sive medium rectè dispositum illud fuerit, sive species respectu sensuum, sive aliud quippiam, sine quo simul auxiliante naturalis illa & sana potentia non solet operari. Vidit hoc & notavit etiam Augustinus. Cùm enim Pelagius diceret, *Nos habere ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium*, quale videlicet in Adamo recenter condito fuit, satis animadvertit Augustinus, non inde gratiæ divinæ negationem rectè colligi, eo quòd phrasis ista possit esse vera, quamvis gratia esset ad

A non peccandum necessaria. Cùm ergo Augustinus gratiæ negationem Pelagio imposuisset, ita subjicit: *Quod ne existimemur de illo temere suspicari, & fortassis quis dicat, sic eum sentire forte ac firmum ad non peccandum liberum arbitrium (quamvis sine Dei gratia id efficere atque adimplere non possit) sicut sanos oculos firmos dicimus ad videndum, quod tamen nullo modo facere possunt, si desit lucis auxilium; alio loco quid diceret, vel quid putaret, ostendit.* Cui doctrinæ consonat, quod in libro de natura & gratia scribit: ubi cùm similiter Pelagius nos *natura insitam non peccandi possibilitatem*, hoc est, potestatem habere dixisset: *Si iste*, inquit, *qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primò inculpata & salva condita est, utcunque acceptaretur hoc dictum.* Quod paulo antè sanorum pedum similitudine declaraverat: *de homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit, nolit, habet ambulandi possibilitatem*, id est, potestatem; *confractis verò si velit, non habet.* Vbi quod (*tolerabiliter* & *utcunque*) dicit, eò respicit, quòd Pelagius illam possibilitatem *inseparabiliter insitam* esse statuisset. Locutiones igitur illæ verissimæ sunt; quia ipsa sanitas potentiarum est etjam potestas earum: quâ sublatâ, potestas tollitur, ut meritò id quod antea sanæ poterant, jam imbecilles ægritudine non amplius posse dicantur. Hinc est enim, quòd nemo rectè dixerit, cæcum si velit posse cernere, hominem fractis pedibus posse ambulare, præcisis digitis posse pingere; quod antea rectissimo loquendi modo posse dicebantur, quamvis sine luce, aut calamo, aut quovis alio subsidio, id efficere & adimplere non possent. Cùm ergò liberum arbitrium primi hominis & Angelorum in illa primæ felicitatis pręstātia summa integritate & sanitate frueretur, rectè & meritò posse Deum diligere, posse benè vivere, posse perseverare dicebatur; quamvis ea sine divinæ gratiæ velut lucis auxilio præstare non posset. Ipsa quippe integritas atque sanitas erat potestas ejus, quæ per peccatum secutamque concupiscentiæ infirmitatem læsa atque corrupta, nullo modo amplius id quod ante poterat posse dicendum est, nisi antè per potentissimam alterius gratiæ medicinam, omni omninò languore sanato, tota infirmitas auferatur, & ita ipsum posse reddatur. Tunc enim iterum verissimum erit id quod de primo, & *sano*, ideoque *fortissimo* homine Augustinus dixit: *In natura posse, & in potestate habebat velle, & non consentire suadenti.* Et ne quis in gratiæ præjudicium traheret id quod de incompleta illa potestate sine scrupulo dictum, & verissimè dictum fuerat, & tamen sine gratia Dei, velut sanorum oculorum luce, actu adimplere non poterat, mox attexuit: *Adiuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

B — C

Epi. 106. ad Paulin. — Lib. de nat. & grat. c. 51 — Ibid. c. 49. — De corrept. & grat. c. 12 — Lib. 11. de Genes. ad litt. c. 4. — Ibid.

CAPUT XVI.

Perseverantia, & merita in statu innocentiæ humanæ & Angelicæ non fuerunt specialia Dei dona.

DONUM speciale vocamus hîc, quod Deus per speciale gratiæ adjutorium donat, non solùm ita, ut sine illo libertatis arbitrium id non possit habere, si velit, vel illo adjuvante possit habere, si velit; sed etjam, ut per illud ipsum velit. Tunc enim Deus per istud adjutorium ipsum velle donando, donat & meritum, & hujusmodi donata merita continendo, ipsam etjam in bono perseverantiam donat. Ex qua specialis doni explicatione liquet, quid ad quæstionem istam juxta Augustini mentem respondeři debeat. Manifestè quippe patet, neque merita, neque perseverantiam Adamum aut Angelos à Deo speciali hujusmodi dono accipere debuisse, neque reipsa sanctos Angelos accepisse. Nec sanè opus est, doctrinam istam iterata laboriosaque argumentorum coacervatione stabilire. Nam quidquid de fortissimis illis primævæ libertatis viribus toto capite septimo, octavo & nono diximus, hanc ipsam veritatem ex Augustini sententia directè probat, propter quam etjam statuendam illa ab Augustino toties inculcata fuit. Si enim per liberi arbitrij vires Adam & Angelus justè vivere potuit, & in justitia, in qua collocatus fuerat, permanere, ut ibi multis Augustini auctoritatibus constituimus; profectò neque justa vita, neque perseverantia eis erant à Deo speciali donatione largienda. Hoc ipsum enim, & non aliud spectat Augustinus tantarum primæ libertatis virium commendatione, ut intelligamus non fuisse necessarium, ut Deus eis ipsum velle donaret, qui volendi sufficientissimam facultatem dederat; ut non ab alio, quàm ab ipsa integerrima, non impeditâ, fortissimâ volendi potestate peteretur: utpote *quæ tunc ita erat libera, ut bene velle posset & malè*, non de futuro Dei adjutorio, sine quo benè velle non poterat. *De corrept. & grat. c. 11*

Rursum igitur, cùm talis esset istius divini adjutorij conditio, ut non esset *quo* opus fieret, sed *sine quo non* fieret, ut suprà fusè ex sanctissimi Doctoris doctrina demonstravimus; quicquid de illius adjutorij natura c. 14. & super. diximus, hoc ipsum ex professo probat. Nec enim alia de causa duplicis istius adjutorij discrimen, *quo* & *sine quo non*, ab Augustino traditum & inculcatum fuit, nisi ut liquidò perciperemus, Deum neque donasse sanctis Angelis merita vel perseverantiam meritorum, neque Adamo donare debuisse per illud speciale auxilium, quo fit ut liberum arbitrium velit: sed ex ipsa ipsorum libertate suspendisse, ut si vellet, non tamen sine adjutorio suo, haberet meritum, si vellet itidem, non sine adjutorio suo, haberet perseverantiam meritorum. Hæc enim ipsissima est natura istius duplicis adjutorij, ut illo, quod eis datum fuit, adjuvante, haberent posse, si vellent; velle verò in ipsorum relinqueretur arbitrio: altero verò, quod lapsis datur, adjuvante, habeant simul & velle, quod possunt, & posse, quod volunt.

Quæ quidem quamvis ex ijs, quæ suprà constituimus, lectori memori satis superque perspecta sint; quia tamen in credendis rebus insolitis, & inveteratam opinionem ferientibus, certissimis & adamantinis ratiocinationibus homines diffidere solent, ipsum Augustinum in subsidium advocemus, ut hanc eum vidisse doctrinæ suæ connexionem, adeoque verbis apertissimis tradidisse, non solùm ratiocinando videamus oculis, sed quodammodo palpemus & manibus. Sic ergò de perseverantia liberi arbitrij in bono loquitur: *Habens virtutem liberi arbitrij* (ad perseverandum) *quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet.* Ecce apertissimè dicit, non habuisse tale adjutorium Adamum, quo Deus operaretur velle perseverantiam, hoc est, quo ei donaret perseverantiam, quæ non nisi volendo donari & haberi potest. Et cur non fuit ei illud perseverantiæ donum collatum à Deo? Nimirum, quia non erat opus, ut tanto Dei adjutorio ac dono voluntas illa sanissima, fortissima, liberrima muniretur: *Cùm in natura posse, &c*, illo adjuvante, *in potestate haberet velle.* Hoc enim ipse Augustinus statim quasi præoccupando subjicit: *Fortissimo quippe dimisit, atq; permisit, facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Et adhuc longè apertiùs paulò superiùs in eodem loco expressis verbis dicit, ideò non accepisse Adamum hoc donum Dei, hoc est, accipere non debuisse, quòd tales haberet vires voluntatis, ut meritò & perseverare & non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio: hoc est, ut alterutrum sua sibimet libertate donaret, vel solâ, si caderet, vel Dei adjutorio (sine quo stare non poterat) simul adjuvante, si staret. Sed ipsa ejus efficacia divinaque verba, quavis explicatione clariora audiamus: *Vt ergo non acciperet* (id est, ut non opus esset accipere per adjutorium *quo*) *hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo; sed perseverare vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se*

Lib. de corrept. & grat. c. 11.

11 de Genes. ad litt. c. 4.

Lib. de corrept. & grat. c. 12.

Ibid.

Digitized by Google

ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium. Quasi diceret, magnitudo libertatis & potestatis, ut non acciperet perseverantiam, in causa fuit: quæ non postulabat, ut ei tale donum Deus peculiari adjutorio largiretur: sed cùm dedisset ei adjutorium, sine quo non posset perseverare, si vellet;
Cap. 11. *ut vellet* (sicut paulò antè ipse Augustinus dicit) hoc est, ipsum velle perseverare, & per hoc, ipsam perseverantiam *in eius libero reliquit arbitrio.* Quod non aliud est, quã si diceret, dato ei adjutorio, sine quo velle & perseverare non poterat, non ei perseverantiam dedit, sed ejus libertati, volendi & nolendi, perseverandi & non perseverandi optionem dedit, ut utrum vellet, eligeret. Quod ijsdem pœnè verbis
In Enchir. c. 107. alibi etjam Augustinus expressit: *Sic ergo factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset non sine adiutorio divino, & suo fieri perversus* B *arbitrio: & utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certè de illo.*

Quod si perseverantiam peculiari dono non acceperunt Angeli à Deo, neque Adam accepisset, si in justitia permansisset, de singulis meritis idem longè potiori ratione sentiendum est. Nam nisi Augustinus omnia principia doctrinæ suæ superiùs tradita retractare velit, cogitur merita status innocentiæ non speciali dono Dei, sed arbitrio libertatis ascribere. Hoc enim similiter, & non aliud volunt illa quæ toties repetivit, per liberum arbitrium Angelos permansisse, & Adamum permanere potuisse. Nec enim aliud Angelorum aut Adæ meritum fuisset aut fuit, quàm in justitia, in qua conditi fuerant permanere, ut sæpissimè
Genes. 2. Augustinus docet. Vnde illud Geneseos: *Vt operaretur, & custodiret illum,* de Adamo ex-
Lib. 2. de Genes. cont. Manich. c. 11. plicans: *Ex eo autem quod additum est* (& custodiret) *significatum est, qualis illa operatio erat.* C *Namque in tranquillitate beatæ vitæ, ubi mors non est, omnis operatio est, custodire quod tenes.* Et
De corrept. & grat. c. 10 alibi: *Donec istam summam beatitudinis plenitudinem tanquam præmium istius permansionis acciperent.*

Sed nequis in sequendo principiorum ipsius filo nos fortè falli arbitretur, ipse potiùs Augustinus, juxta propria sua principia de meritis innocentiæ disserens, audiendus est. Cùm igitur omnia lapsi hominis merita divinæ gratiæ merita largienti tribuisset, ne glorietur omnis caro coram Deo, ita consequenter de
Ibid. c. 12. meritis primi hominis loquitur: *Vnde autem non glorietur caro, coram ipso, nisi de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis.* Ecce disertis verbis omnis doctrinæ suprà prolatæ consonis, & propter antithesis adjectæ lucem, omni expositione clarioribus dicit, Adamum per idem liberum arbitrium, per quod perdidit meritum illud habere potuisse; & idcirco idem illud meritum, quod antè per liberum arbitriũ habere potuit, nunc per gratiam liberantis esse largiendum.

A Nam quamvis & Adamo divinæ gratiæ non defuerit adjutorium, non tamen illa dedisset meritum, ut nunc facit: sed ita juvisset, ut sine illo, etsi voluisset, nihil boni meriti habere potuisset. Et illa ratio est, cur istud meritum Adami *suum* vocat: nimirum quia suâ sibi illud libertate ad habendum potiùs meritum (etsi non sine gratia) quàm demeritum sese flectente peperisset; quod nunc ipsa gratia in libero arbitrio parit. Qua de causa istud Adami meritum alibi *humanum* vocat; quia videlicet erat opus hominis per liberum arbitrium (quamvis non sine gratia) sibimetipsi tribuentis; non gratiæ largientis donum: *Hu-* De corrept. & grat. c. 12. *mana sic merita conticescant, quæ perierunt per Adam; & regnet, quæ regnat, Dei gratia per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Eandem doctrinæ suæ veritatem & consonantiam & alijs non paucis locis tradit. Nam quod paulò antè dicentem audivimus, per liberum arbitrium, per quod habere potuit, meritum perijsse, hoc in eodem libro paulò aliter eodem sensu dicit: *Nunc autem per peccatum perdito bono merito, factum est donum gratiæ.* Et in octoginta tribus De corrept. & grat. c. 11. quæstionibus: *Cum ergo meritum peccando amisermus &c. quid sibi vult homo de hac massa, ut Deo respondeat, ac dicat: Quare me sic fecisti?* Et in Quæst. 68. libris de Genesi ad litteram: *Hoc enim* (spiritale corpus) *præmium est illius meriti, quod amisit.* Idcirco autem amisisse dicitur meritum, Lib. 6. de Genes. ad litt. c. 25. quia fortissimam illam arbitrij libertatem & potestatem perdidit, per quam poterat sibi meritum non tamen sine gratia adjuvante parere: quod nunc non potest; sed ei meritum per ipsam gratiam dari, & ipsi arbitrio voluntatis inseri debet. Qua de causa dicit alibi: *Convenientissimum, & ordinatissimum apparet, ut* Lib. 3. de lib. arb. c. 20. *malum meritum prioris* (id est Adami) *natura sequentis sit* (quia nascimur naturâ filij iræ) *&* C *bonum meritum sequentis, natura prioris sit.* Vbi meritum Adæ naturam vocat, quia per naturam haberi poterat, seu per naturalem in creatione datam arbitrij libertatem, gratia non dante illud, ut fieret, sed tantummodo adjuvante, ut sine illa non fieret. Hinc eandem suam doctrinam evidentiùs, & radicem diversitatis illius tangens, expressit alibi: *Pri-* De corrept. & grat. c. 11. *ma gratia est, quâ fit ut habeat homo iustitiam, si velit. Secunda ergo* (post lapsum) *plus potest, quâ etiam fit, ut velit.* Vbi per justitiam intelligit opus justum, hoc est, meritum, phrasi Apostolicâ, quam Augustinus sexcenties in scriptis suis imitatus est, plerumque per justitiam opus justum intelligendo: Vnde illa creberrima: *Operari iustitiam:* &; *si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus*, & similia, de quibus suo loco tractandum erit. Quamvis res ipsa hoc loco per se clamet, justitiam hîc opus justum esse, seu meritum. Nam habitualem iustitiam D iam Adam antea cum dono suæ creationis acceperat. Itaque hoc est quod dicit, tale adjutorium gratiæ Adamo fuisse datum, ut justitiam præcepto sibi præstitutam, hoc est, opus iustum ac meritorium habere posset, si suâ libertate, gratiâ simul influente, vellet; post

lapsum

Digitized by Google

lapsum verò, gratiam, hoc ipso quo facit, ut homo operari velit, etiam donare justitiam. Quod etiam significavit illis præclaris verbis in Enchiridio : *Illam* (primam immortalitatem) *natura humana perdidit per liberum arbitrium, & hanc* (secundam immortalitatem) *est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullū meritum esse potuisset* &c. ubi per oppositionem gratiæ & meriti idipsum, quod hic tradimus, significatum voluit: nunc videlicet ipsa merita per gratiam libero arbitrio dari; cùm antea per ipsum liberum arbitrium non sine gratia proferrentur: & ideò primi status meritum esse propriè meritum; secundi status esse gratuitum donum. Cap. 106.

Hinc etiam oritur, quòd idem Augustinus docet, in statu innocentiæ sicut propriè ipsorum hominum fuisset meritum, ita cœlestem beatitudinem quoque ipsorum futuram fuisse mercedem: nunc verò non minùs futuræ vitæ mercedem, quàm hujus meritum esse gratiæ largientis donum. Nam inter meritum & mercedem est quidam respectus mutuus, & naturalis quædam dependentia; unde nascitur, ut id quod in uno reperitur, in alterum redundet. Vtrumque autem habet quandam oppositionem ad gratiam, seu gratuitum donum. Nam quo meritum majorem includit & supponit gratiam ejus, à quo merces ejus exspectanda est, tanto minùs rigorosæ justitiæ meritum est: & è contrario, quo aliquid magis gratis datur, eo mercedis ratio minùs est rigorosa. Merces enim id propriè est, quod operi, sive merito ex justitia debitum est, juxta illud Apostoli: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia non est gratia.* Hoc est, si aliquid gratis alicui datur, jam non datur ex operibus, sive meritis; quia meritum repugnat quodammodo gratiæ. Vnde & alibi idem Apostolus: *Et qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum:* quasi diceret, qui opus aliquod ex se facit non donatum sibi per gratiam alterius, illi merces datur, non ut gratuita, sed tanquam debita; quia merces est id quod debetur: unde ut tale, sub illa consideratione, repugnat gratiæ. Augustinus igitur hac mercedis & meriti consideratione perpensa juxta illam Apostoli cam definitionem docet, post lapsum hominis beatitudinem sic operū nostrorum mercedem esse, ut simul sit gratia, seu gratuitum donum, juxta illud Apostoli: *Gratia Dei vita æterna:* nempe, quia merita quibus illa redditur, gratuita Dei dona sunt: *Si vita bona nostra,* inquit, *nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est. Et ipsa enim gratis datur; quia gratis data est illa, cui datur.* Sed è contrario quando de præmio meritorum primi hominis & Angelorum mentionem facit, solummodo mercedem vocat, nunquam gratiam; sed potiùs gratiam esse negat: non quod prorsus nullam ad merita eorum agnoscat concurrisse gratiam, sed quia non fuerunt eis, sicuti nobis, gratuità Dei liberalitate donata; sed ex propria eorum libertate, quamvis non sine Dei gratia, promanarunt. Sic ergò loquitur: *Quæ futura erat hominis,* (scilicet confirmatio liberi arbitrij per gloriam) *sicut facta est, & Angelis sanctis, merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Hinc nomen meriti, præmij, & mercedis in Angelis & primo homine de industria & libenter usurpat: *Donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tanquam* PRÆMIVM *illius permansionis acciperent.* Et rursum: *Si per liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam* MERITO *hujusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem.* Et aliquanto pòst: *Profectò ejus culpa est, cujus* MERITVM *fuisset, si permanere voluisset.* Et iterum: *Sicut fecerunt Angeli sancti qui hujus mansionis debitam* MERCEDEM *accipere meruerunt.* Et alibi de ijsdem Angelis: *Quæ libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam pervenire* MERVERVNT. *Post casum autem hominis non nisi ad* GRATIAM *suam Deus voluit pertinere* &c. Quibus omnibus locis, nominibus meriti, præmij, & mercedis, quandam ad gratiam seu ad gratuitum donum antithesin seu oppositionem indicatam voluit, quam in ultimo illo loco tetigit, & clarissimè in Enchiridio explicuit: *Hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Quæ quid sibi velint, jam suprà, explicando diversum in utroque adjutorio concurrendi & adjuvandi modum, non semel diximus.

Phrases istas, occultamque doctrinam ijs comprehensam ad amussim sanctus Prosper imitatus est. Nam cùm dixisset Angelicæ fuisse voluntatis, quod staret, similiter adjicit: *At merito sua stabilitatis in æternum felices effecti, de sua permansione securi sunt.* Et in libro sequente luculentiùs: *Vt qui posse non mori acceperant in natura, non posse mori consequerentur in gloria: & ibi accepturi essent præmium non posse peccare, si hic eorum meritum fuisset peccare noluisse.* Et contra Collatorem: *Posset in bonis, quæ naturaliter acceperat, perseverare quia vellet, &* MERITO VOLVNTARIÆ *perseverantiæ in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset.* Quibus locutionibus idem omninò quod Augustinus lectori insinuare conatus est.

Marginal references: Rom. 11. — Rom. 4. — Rom. 6. — Lib. de grat. & lib. arb. c. 8. — Lib. de correp. & grat. c. 11. — Ibid. c. 10. — Ibid. — Cap. 11. Ibid. — Lib. de dono persev. c. 17. — Cap. 106. — Lib. 2. de vita contemp. c. 3. — Lib. 2. c. 19. — Lib. cont. Collat. c. 18.

CAPVT XVII.

Solvitur locus Augustini ex libro de Correptione & gratia.

SED quamvis ista juxta Divi Augustini mentem omninò vera sint, & omnibus principijs ejus suprà declaratis prorsus consentanea: nonnulla tamen non levis ponderis argumenta, quæ ex ipso petuntur Augustino, dissolvenda sunt; ne quis minùs peritus doctrinæ ipsius aliquâ verisimili verborum contrarietate turbetur, sicut quidam non infimæ eruditionis viri per illa perperam intellecta turbati, & in transversum acti sunt. *Franciscus Suarez lib. 10 de grat. c. 9. n. 6.* Præterea illa eorum argumenta ex Augustino, quæ primo homini gratiæ adjutorium necessarium fuisse probant, & à nobis superiùs magna ex parte producta sunt. Nam ista nihil ad scopum eorum & rem præsentem faciunt. Non enim hoc loco de gratiæ necessitate quæritur, quam ex Concilio Arausicano tanquam Catholicæ fidei dogma supponimus: sed de illa gratia quæritur, qua Deus meritum vel perseverantiam non hominis vel Angeli relinquit arbitrio, quamvis per gratiam adjuto, sed ipsi libertatis arbitrio speciali donatione largitur; non ei ut mereatur aut perseveret cum illa gratia committendo: sed ut mereatur & perseveret per ipsam gratiam invictissimè faciendo. Illis igitur & similibus argumentis quæ ad rem propositam nihil faciunt prætermissis,

Opponitur primò ex Augustino locus ex libro de correptione & gratia capite decimo, ubi Augustinus dicit de homine primo, ait scriptor quidam recentior: *Idem ibidem* *Non habuit perseverantiam, &, si non habuit, non utique accepit.* Supponens non potuisse illam habere, nisi acceptam per efficacis videlicet gratiæ donum. Ita ille. Putat enim Augustinum verbis istis significasse, quòd Adam ideò non habuerit perseverantiam, quia eam non acceperat à Deo; qui eam per efficacem gratiam in Adam, quemadmodum & in hominibus lapsis debuerit efficere operando in eo velle atq; perficere. Quod si Augustinus voluit, tollitur profectò funditus discrimen istud, quod nos hactenus ex eo tot testimonijs asseruimus. Mirarer sanè scriptoris illius, in re tanta, uel incuriam vel somnolentiam, nisi jam sæpiùs experientia comperissem, eam pluribus non infimæ notæ viris in Augustino volutando contigisse. Nam ita perfunctoriè doctrinam ejus nonnulli consulunt, vel percurrunt, ut in capitalibus doctrinæ articulis, ubi de summa rerum agitur, utrum videlicet Christiani, an Pelagiani simus, argumenta & pronunciata Pelagianorum tanquam Augustini doctrinam amplexi fuerint. Cujusmodi hallucinatio quantas in totam reliquam doctrinam eorum perturbationes necessariò secum inferat, nemo non

A videt. Idem scriptori isti hoc loco contigit. Nam objectionem, quam sibi Augustinus Pelagianorum vel errantium nomine proposuerat & summis postea disputandi viribus redarguit, tanquam traditam ab eo veritatem accepit: idque in re tanti momenti, ut si verum sit, quod scriptor ille putat, non solum discrimen supra traditum, sed universam Augustini doctrinam, quam illo libro & alijs plerisque de gratia divina tradidit, uno ictu succisam corruere necesse sit: in quo omnia etjam Christianæ gratiæ fundamenta subverti. Quod partim ex ijs quæ dicta sunt, partim ijs quæ postea latiùs tradituri sumus, per se facilè intelligetur.

Dico igitur, Augustinum illo in loco nequaquam asserere, vel supponere, quòd Adam non potuerit perseverantiam habere, nisi acceptam à Deo per speciale auxilium, quod ille scriptor *efficax* vocat: *n. 15. ibid.* Sed cum per aliquot
B capita præcedentia magno conatu demonstrasset, perseverantiam esse donum Dei, quod prædestinatis filijs suis ipse largitur, reliquis verò, qui non sunt à perditionis massa discreti justo judicio negat; tandem capite decimo objectionem eorum proponit, qui illi Catholicæ doctrinæ nolunt acquiescere in hunc modum: primus homo vel habuit perseverantiam, vel non habuit: si habuit, ergò perseveravit, & consequenter non peccavit: sed constat eum peccasse, & non perseverasse; ergò non habuit perseverantiam. Hæc est una pars dilemmatis: jam subjungit alteram: *si non habuit* primus homo *perseverantiam* in bono, *non utique accepit* à Deo; quia si accepisset, reipsa perseverasset. Quòd si non accepit à Deo perseverantiam, ergò non perseverando non peccavit: quia non potest hic dici, sicuti de hominibus lapsis; quod suâ culpâ non acceperit à Deo perseverantiam, eò quòd in massa dam-
C nationis constitutus, justè ab ea non fuerit gratiæ largitate discretus. Hoc est totum argumentum ex Augustino petitum: quod directè in illum collimat scopum, ut adducto hominis primi & innocentis exemplo, evertat illam sententiam Augustini, qua docuerat perseverantiam esse donum Dei, quod ideò tantummodo justè non omnibus detur, quia ab origine damnationis rei sint. Quod ipsa sancti Augustini verba satis per se, si cum attentione lecta fuerint, patefacient: Nam primò, ut nemo vel tardissimus falli posset, ita disertis verbis proponit generaliter quæstionem de primi hominis perseverantia: *Hinc exoritur alia quæstio non sane contemnenda, sed in adjutorio Domini, in cujus manu sunt & nos & sermones nostri, aggrediendi, atque solvenda. Quæritur enim a nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseve-* *Lib. de corr. & grat. cap. 10.*

piscentialiter resistebat, ut dignè tanta bonitati, & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Hæc est genuina sententia sanctissimi Præsulis, directè & capitaliter ei repugnans hallucinationi, quâ Scriptor iste, Pelagianam objectionem pro solutione Augustini arripiendo, existimavit ab eo suppositum fuisse, quod Adam non potuerit habere perseverantiam, nisi eam à Deo donante accepisset. Hic scopus Augustini genuinus in illa altissima doctissimaque disputatione trium capitũ, quæ veram & immobilem basim collocat, cui universa doctrina de Gratia Christi Salvatoris incumbit: quam qui non intelligit, ac disputationibus quibuscunq; loco suo movere nititur, in plurimarum hallucinationum confusionem incidat, necesse est: ut non sit ullo modo mirandum, si, subtracto illo fundamento, tot altercationibus doctrina de gratia lacerata sit, & omnia, quæ recentiores pro suo quisque genio excogitata procuderunt, velut humanis incertisq; suspicionibus nixa fluctuent neque ullum exitum in Augustini doctrina reperiant. Hæc est enim vera clavis, qua aditus in scripta ejus aperiendus est, & sine qua qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot tantisq; difficultatibus implicabitur, ut quasi monstris occurrentibus territus Augustinum tanquam perplexitatibus, imo, ut quidam ausi sunt dicere, mille erroribus refertũ aversetur. Qui verò, jacto isto fundamẽto, distinctionem illam velut filum in labyrintho scriptorum ejus secutus fuerit, mirabilis ei occurrit contextus rerum: respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. In geometria si prima dederis, danda sunt omnia: hic si duo illa adjutoria stantis & lapsi, sani & ægri, integri & fracti arbitrij amplexus fueris, omnia velut ex ipsa re nata ita se consequuntur, ut ipsa tanta rerum omnium cõcatenatio & consonantia altissimè clamet, ibi latere, vel potiùs evidentissimè patere veritatem: sin verò distinctionem istam velut basin omnium sustuleris, omnium ruina opprimeris. Quæ sanè ratio est, cur eam Augustinus insinuatam quidem sæpiùs, nunquam tamen apertè traditam tandem in fine vitæ suæ luculentissimè declaraverit, tantoque conatu & asseverantia præter morem suum asseruerit, ut eam verbis Apostolicis ordiretur: *Quapropter saluberrime confitemur, quod rectissime credimus* &c. ut significaret nobis, verissimam, certissimam, & maximi ponderis se doctrinam tradere, de qua nemini fas esset ulla ratione dubitare.

CAPVT XVIII.

Solvitur alius Augustini locus ex libro duodecimo de Civitate Dei.

Suar. lib. 10. de grat. c. 9. n. 6. Bellar. lib. 2. de grat. & lib. arbi. c. 17 & alij. Vasquez prima par. disp. 193. c. 4. Lib. 12 de Civit. c. 9.

SED alium opponit locum non solùm Scriptor iste, sed plerique Recentiores, ex libris de Civitate Dei, quo doctrinæ istius jugulum petitur, si hoc ibi docuerit Augustinus, quod ipsi putant. Sic enim de Angelis loquitur: *Aut minorem acceperunt* (Angeli mali) *amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt: aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Ex quibus verbis inferunt, non solùm gratis electos Angelos bonos præ malis, sed etiam accepisse majorem gratiam, auxilium videlicet efficax, ipsumque donum perseverantiæ, quod non acceperunt Angeli mali. Neque enim aliter videntur dici posse *magis adjuti*, nisi ut ex speciali Dei beneficio ac dono, alij præ aliis ad beatitudinis plenitudinem pervenirent. Quocirca cùm ista doctrinæ hactenus ex ipso traditæ tam perspicuè repugnent, ut capitalem ictum infligere videantur, neque ullibi legatur illum quem citavimus retractasse locum, non segniter explorandum est, num etiam in ista, quemadmodum in superiori, objectione perperam intelligenda, quæ plerosq; Recentiores abripuit, aliquâ hallucinatione fallantur. Dicimus igitur doctrinam, quâ istis verbis Augustinus tradit, à re proposita esse remotissimam, neq; ad præsentem disputationẽ posse sine absurditate torqueri. Quod ut à fundamentis intelligatur, sciendum est, August. se aliquando torsisse mirum in modum qui factum fuerit, ut cùm omnes Angeli non modo in bona voluntate, sive in Dei charitate, sed etiam sapientes & *beati* conditi sint, alij tamen de sua perpetua beatitudine certi sint, sicut sanctos Angelos esse certissimos, fides credit; alij fuerint illius perpetuitatis, imo & sui casus, & permansionis incerti. Causa difficultatis fuit, quod impossibile esse videretur, ut aliquis sit verè beatus, si beatitudinem illam aliquando defuturam esse sciat, vel non defuturam existimando fallatur, vel utrumque nesciendo suspensus sit: cùm & scientes timor, & ita nescientes error, & hæsitantes ipsa de tanta felicitate cunctatio benè beatos esse non sinat. Beatos esse sanctos Angelos cum præscientia suæ perpetuæ permansionis credimus: tales autem fuisse dæmones ante casum suum, credi non potest; & tamen aliquam eos habuisse beatitudinem sui casus & permansionis incertam, rectissimè creditur. Vnde igitur ista istius præscientiæ & ignorantiæ in utrisque diversitas? An ex diverso creationis aut justificationis beneficio? An ex merito? An fortè ut olim dæmones ita nunc Angeli sancti adhuc suæ permansionis ignari sunt? Quæstio ista ab Augustino scrupulosissimè & prolixissimè in libro undecimo de Genesi ad litteram propter Manichæos

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Solvitur locus Scripturæ; & difficultas ex Bulla sanctissimorum Pontificum Pij Quinti, & Gregorij Decimi-tertij mota: ubi ostenditur, non minùs merita status innocentiæ esse gratiam & dona Dei, quàm merita lapsorum juxta recentiores.

DENIQVE non parvi ponderis ratio in Scripturis fundata opponi potest videtur enim ex illa Augustini doctrina sequi, Angelorum & primi hominis adhuc integri merita non rectè vocari potuisse gratiam. Si enim non sunt libero arbitrio donata per gratiam, quomodo rectè gratiam vocaverimus? quia ipsa merita non sunt gratia. Hoc autem & Scripturis adversatur, quæ generaliter profitentur; *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* [Rom. 11.] Et: *Gratia Dei vita æterna*: [Rom. 6.] nec non duorum Pontificum Romanorum sanctioni, qui duas illas propositiones proscripserunt: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur gratia.* [Bulla Pij 5. & Greg. 13. a. 1. Art. 3.] Item: *Et bonis Angelis & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, non gratia.*

Ad ista, divi Augustini principijs inhærendo, respondemus, non ideo Angelorum & Adami merita non esse gratiam, quia non supremo modo sunt gratia. Quis enim etiam recentiorum dubitaverit, longè majori ratione, jure ac titulo lapsi hominis, quàm stantis merita gratiam nuncupandam esse, & verò esse? An ideo ista quoque non sunt gratia? illa quippe ei, qui ante injustus, inimicus, dãnationis reus erat, per admirabilem illam Dei benignitatem data sunt, quâ ipse Filius Dei incarnatus, & passus est: quam extollit Apostolus, quando dicit: *Commendat autem charitatem suam*, & hoc ipso gratiæ quoque Salvatoris magnitudinem, *Deus in nobis quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* [Rom. 5.] Et post Apostolum Augustinus: *Gratia Dei non potuit gratius commendari, quàm ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens indueret hominem & spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio.* [Lib 16. de Civit. c. 29.] Et in alio loco: *Quia peccavit ista natura, cùm peccare potuit, largiore gratiâ liberatur.* [12. De Civit. c. 30.] Et paulo inferiùs: *A quo refecti, & gratia majore perfecti.* [Ibid.] Per istã gratiã majorẽ, gratiã largiorẽ, gratiam incarnationis Filij Dei, cõmendatiorem gratiam facientem facere, quia non donabantur merita status innocentiæ, an ideo gratiæ donorumque nomine spolianda sunt? Quapropter omnino fatendum est merita status innocentiæ tam Angelicæ quàm humanæ fuisse gratias, ac dona Dei; sed non illo sublimi ac speciali modo, qui statui fractæ libertatis damnatæq; naturæ proprius, & suprà fusiùs explicatus est. Quantumvis igitur juxta doctrinã Augustini meritum status illius per liberũ arbitriũ haberetur, & gloria ipsi retributa merces ab August. dicatur, quæ nunc est gratia: ipse tamen non paucis locis utrumque etiam tunc gratiam ac Dei donum vocat. Quod sanè quatuor modis verum esse juxta principia cœlestis doctrinæ ipsius, intelligi potest.

Primus & quidem imperfectissimus modus est, quia ipsa tota natura & liberum arbitrium gratis omninò, sine ullius vel meriti, vel orationis, vel dignitatis consideratione concessa sunt. Arbor quippe tota si omnino gratis data fuit, omnes etjam fructus necesse est esse gratuitos. Vnde Augustinus: *Etsi quadam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati sumus, ut non nihil essemus &c. sed homines, qui & essemus, & viveremus, & sentiremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere debeamus: Vnde meritò & ista gratia dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.* [Epist. 95.] Hinc est quod juxta Augustini doctrinam quicquid fit à natura juxta leges, quibus per conditorem instituta est, ipsi conditoris gratuitæ benignitati ac dono tribui debet: *Nec mater mea*, inquit, *vel nutrices meæ sibi ubera implebant: sed tu mihi, Domine, per eas dabas alimentum infantiæ secundum institutionem tuam, & divitias usque ad fundum rerum dispositas, Tu etiam mihi dabas nolle amplius, quàm dabas, & nutrientibus me dare mihi velle, quod eis dabas. Dare enim mihi per ordinatum affectum volebant, quo ex te abundabant. Nam bonum erat eis bonum meum ex eis, quod ex eis non, sed per eas erat. Ex te quippe bona omnia, Deus, & ex Deo meo salus mihi universa.* [Lib. 1. confess. c. 6.] Quæ doctrina usque adeo apud Augustinum fixa est, ut nec opera illa moralia, quæ infideles faciunt, infidelibus, sed soli Deo asscribenda esse testetur: *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui benè utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona male faciunt.* [Lib. 4. cont. Jul. c. 3.] Quod ipse multo majori ratione docet, quando homines quamvis Ethnici, & à veri Dei cognitione prorsus alieni, à vita improba ad honestiores convertuntur mores, etiamsi in sua infidelitate permaneant. Hujusmodi quippe morum emendationes præsenti potius vitæ ornandæ, quàm futuræ comparandæ utiles non nisi divino muneri tribuendas putat. Nam de Polemone loquens, quem Xenocrates, de fruge temperantiæ disputando, non solùm ebriosum, sed

etiam tunc ebrium ad alios mores repente A
Epist. 130 convertit: *Quamquam*, inquit, *ille, sicut prudenter & veraciter intellexistis, non Deo fuerit acquisitus, sed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne idipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino.* Rationem quoq; suæ opinionis assignando subnectit: *Ipsius namque corporis, quod est infimum nostrum, si qua bona* Ibid. *sunt, sicut forma, & vires, & salus, & si quid ejusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore & perfectore naturæ: quanto magis animi bona donare nullus alius potest. Quid enim superbius vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putaverit, cum carne pulchrum faciat Deus, hominem animo castum ab homine fieri.* Intellige ab homine solo, Deo per nullum auxilium adjuvante.

Secundus modus est, quia etiam in illo statu Deus suadebat, jubebatque, ut justitiæ opus fieret, à peccato terrebat mortis supplicio, ad perseverantiam invitabat immortalitatis præ- B
mio: *Sic eum munerans*, inquit Augustinus, In Enchir. c. 25. *libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio; atque in paradisi felicitate tanquam in umbra vitæ, unde justitiâ custoditâ in meliora conscenderet, collocavit.* Et in libris de Civitate Dei: *Ubi* Lib. 14. c. 15. *magna est inobedientiæ pœna proposita, & res a creatore facilis imperata, quisnam satis explicet, quantum malum sit, non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio?*

Tertius est, quia bonam voluntatem, hoc est, divino amore succensam hominibus & Angelis dedit: *simul in eis & condens naturam, &* Lib. 12. de Civit. c. 9. *largiens gratiam.* Ex quo fit, ut Augustinus non minus Angelis, quàm hominibus charitatem & Spiritum sanctum initio creationis infusum esse fateatur. *Confitendum est*, inquit, *cum debita* Ibid. *laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum qui* C *datus est eis.* Hæc ergo voluntas bona, seu charitas Dei, hoc est, gratia habitualis & operatoria divinitus data necessariò simul cum libero arbitrio justum opus operante concurrebat, & influebat, sine cujus ope in justitiæ operatione per liberum arbitrium perseverare non poterat. Hoc autem solum jam etjam post lapsum hominis multi Scriptorum recentiorum sufficere volunt, ut meritum hominis & merces ejus ad Dei gratiam referantur.

Quartus est (ut nihil de concursu generali dicam, quem recentiores concomitantem gratiam vocant) quia gratiam non solùm habitualem, sed etjam actualem, & supernaturalis ordinis adjutorium ad operandam justitiã dedit: sine qua non solùm non perseverare, sed nec ullum opus bonum facere, aut velle, aut confidere de ipso adjutorio Dei poterat. Hæc autem gratia non solùm exterius, sed intus in ipso animo regebat liberum arbitrium, D custodiebat, adjuvabat, illustrabat ut videret, accendebat ut amaret: ut suprà fusè ex Augustino demonstravimus. Cùm igitur tot modis Adami merita, præmiumque meritorum ejus divinæ bonitati & gratiæ ascribenda veniant, perspicuum est, neque Scripturam illam: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*; neque illas sanctissimorum Pontificum sanctiones Augustini doctrinæ esse contrarias. Unde plerosque modos jam recensitos simul tangens, ubi potissimum de primo homine & creationis exordio disputabat: *Deus*, inquit, Lib. 3. de lib. arbit. c. 16. *nulli debet aliquid, quia omnia gratuito præstat. Et si quisquam dicet, ab illo aliquid deberi meritis suis, certè ut esset, non ei debebatur: non enim erat, cui debebatur.* Ecce primus gratuiti doni modus. *Omnia ergo illi debent, primo quicquid sunt, in quan-* Ibid. *tum naturæ sunt; deinde quidquid melius possunt esse, si velint, quæcunque acceperunt, ut velint; aut quidquid oportet eas esse.* Ecce & primus, & reliqui breviter insinuati. Nam illud (creaturas aliquid *melius posse si velint*) meritum earum respicit, quod ipse sine multiplicis gratiæ adjutorio nullo modo esse posse definivit: cujus intuitu mox dicit: *Creaturam debere Deo*, ut scilicet rectè vi- Ibid. vat, *si accepit, & liberam voluntatem, & sufficientissimam potestatem*: nempe per eam quam explicuimus gratiam. Nam creatura *ad bonum nihil* De corrept. & grat. c. 11 *est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.*

Hinc est igitur, quòd magna cum fiducia Augustinus, omnia non solùm merita, sed etjam præmia meritorum divinæ gratiæ in illo statu primæ tam humanæ quàm Angelicæ felicitatis ascribit. Nam de bono usu liberi arbitrij, qui non est aliud quàm meritum ejus, ita loquitur, quando cum Manichæis de origine boni & mali disputabat: *Meminisse te opor-* Lib. 2. de lib. arbit. c. 2. *tet, non solùm magna, sed etiam minima bona non esse posse nisi ab illo, à quo sunt omnia bona, hoc est, Deo.* Et paulò inferiùs, cùm ostendisset virtutes quibus benè vivitur, esse illa magna bona, quibus nemo malè utitur, quia opus virtutis est bonus usus aliorum bonorum, quibus etjam non benè uti possumus, sic subjungit: *Quare* Ibid. *abundantia & magnitudo bonitatis Dei non solùm magna, sed etiam media, & minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis, quàm in medijs, & magis in medijs, quàm in minimis bonis, sed magis in omnibus, quam si non omnia tribuisset.* Et ne quis existimaret, virtutes tantummodo Augustinum tribuisse Deo respectu hominis, cùm primùm conditus est, & non etjam actiones ejus; ipsemet Augustinus declarat, se virtutis nomine, virtutis usum, seu actũ intelligere: *bonus usus ejus*, (liberi arbitrij) Lib. 1. Retract. c. 9. *jam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè uti nullus potest.* Et quia omnia bona, sicut dictum est, & magna, & media, & minima ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit etjam bonus usus liberæ voluntatis, quę virtus est, & in magnis numeratur bonis. Et universam disputationem concludens de prima origine boni & mali, quod in creaturis exortum est: *Tu tantum,* Lib. 2 de lib. arbit. c. 20. inquit, *pietatem inconcussam tene, ut nullum tibi bonum vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo.* Hæc autem omnia ipsemet August. ad commendandã Dei gratiam ad actus bonos, contra Manichæos de prima origine boni & mali errantes, se dixisse testatur.

Mercedem

Mercedem verò status innocentiæ non minus manifestè divinæ gratiæ tribuit. Merces enim illa non est alia, quàm ardentissimus amor clarâ Dei contemplatione perfectus; per quem fit, ut stabilissimè divino adhærens bono iam amplius peccare non possit. Hoc autem non adscribit Augustinus nisi dono Dei, quicquid tandem præcesserit meritorum: *servandi gradus erant divini muneris, ut primùm daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo; novissimum, quo peccare non posset: atque illud ad comparandum meritum; hoc ad recipiendum præmium pertineret.* Ecce & præmium liberi arbitrii primùm dati divinum munus appellat. Sed manifestius adhuc haud ita multò superiùs: *verùm hoc quoque* (scilicet in beatitudine peccare non posse) *Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. Aliud est enim esse Deum, aliud participem Dei. Deus naturâ peccare non potest; particeps verò Dei ab illo accipit, ut peccare non possit.*

Lib. 22. de Civit. Dei c. 30.

In meritis verò simul & præmijs Angelorum non minùs luculentè Dei gratiam extollit, & eos omnia divinæ benignitatis dono debere profitetur. *In altis cælis sunt, in altis Angeli sunt &c. tibi debent quod sunt, tibi debent quod vivunt, tibi debent quod justè vivunt, tibi debent quòd beatè vivunt. Potentiam tuam & iustitiam tuam usquequo? Vsque in altissima, quæ fecisti magnalia. Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? Quid est Angelus, si deserat qui creavit?* His & similibus sententijs divinâ veritate fulgentibus castitas doctrinæ, quam sanctus ille Doctor de meritis & præmijs hominum & Angelorum innocentium tradidit, satis elucet; nec ea sic illum soli creaturæ libertate tribuisse, ut Dei gratiam excluderet. Quæ si recentiorum palato satis fuerint, ut omnem sinistram suspicionem de ejus mente, deponant; vehementer scire cuperem, quid ipsi, qui tantopere Dei gratiam crepant, liberalius, sublimius, gloriosius, de Dei gratia prædicent, non dico in operandis meritis hominum & Angelorum innocentium, sed etjam peccatorum: quorum & vires fractæ sunt, & sub miserrima cupiditatum omnium ipsiusque diaboli servitute captivæ? An fortè, idcirco lapsorum hominum merita esse Deo tribuenda, quia ipse naturam, & liberum arbitrium lapsis & sub concupiscentia laborantibus dedit? non diffitetur hoc etiam de stantibus Augustinus. An quia gratiam habitualem, & charitatem infudit? apertissimè profitetur Augustinus. An fortè, quòd illa sanctificationis gratia simul in opus influit, & ita Deus cooperatur operantibus? Ambabus ulnis amplectitur hoc de Adamo & Angelis Augustinus. An quia etiam actuale adjutorium supernaturalis ordinis præbet, sine quo nihil ad vitam æternam adipiscendam arbitrium liberum lapsorum operari potest? idem de status innocentiæ meritis docet, repetit, inculcat Augustinus. An quia sic præbet adjutorium, ut illa lapsi status merita sint munus Dei; & merces eorum etjam gratia vocari queat? Idem iterum iterumque

Conc. 2. in Psalm. 70.

A clamat Augustinus. An quia non solùm influit gratia cum libertatis arbitrio, sed sic influit, ut faciat ipsum facere, ita videlicet, ut illud ad opus inchoandum hic & nunc determinet; & ita merita eorum sint *specialia dona Dei*? Negat hoc Molina, negat Lessius, negat Vasquez, negat Suarez, & alij non pauci de infirmissimo voluntatis arbitrio, etiam in præsenti ruinæ statu: ut non sit mirum; si hoc negat & Augustinus de fortissimo arbitrio innocentium. Non indignentur, obsecro, si ante lapsum hoc gratiæ Augustinus neget, quod post lapsum recentiores diffitentur. Nam quicquid tandem dixerint de divinæ gratiæ officijs, quòd illuminet, suadeat, alliciat, blandiatur, ut arbitrium operetur; Augustinus & cum ipso veritas respondebit, non posse eos apertius hoc ipsum dicendo profiteri, quòd non gratia talis libero arbitrio, sed

B liberum arbitrium gratiæ dominatur; quòd non gratia faciat, ut liberum arbitrium secum, sed arbitrium potius, ut secum gratia operetur. Quid est enim allicere, blandiri, suadere, quàm quodammodo pulsare atque rogare, ut libertas illa suæ potestatis ac juris dominatrix omnium & habituum, & gratiarum titillantium, (quod ipsi non diffitentur, sed ex professo docent) dignetur in suum actum surgere, & ea cuncta ad actualem influxum in opus determinando efficere, ut ne pulsus ille suadentis, allicientis, blandientis gratiæ maneat otiosus? Si hoc est, quod illi volunt in statu perditæ justitiæ per magnificas gratiæ divinæ laudes, & per illam deprædicatam arbitrij libertatem, quam *eminenter dominativam sui actus vocant*, ut scilicet *positis omnibus*, sive gratijs, sive alijs adjutorijs, *ad agendum prærequisitū, possit agere & non agere, elicere & sustinere actum, sola sua potestate, & non ex* *Suar. prolog. 1. c. 2.*

C *defectu alicuius conditionis necessariæ*: hoc & non aliud de liberi arbitrij viribus primi hominis & Angelorum profitetur Augustinus: ita videlicet fuisse dominum sui, suique juris & potestatis, ut quicquid sive habitualis in eo charitas, sive actualis illuminatio & succensio operaretur intrinsecus velut ad agendum prærequisitum, hoc ipsum ita subditum libertatis viribus remaneret, ut non voluntatis nutum ad operandum raperet, sed patienter exspectaret; frustra quidem, si arbitrium nollet, non frustra si vellet: ita nempe, ut positis omnibus illis velut ad agendum prærequisitis, ipsum arbitrium suapte potestate posset agere & non agere, elicere vel sustinere actum suum, & in utramlibet sese partem flectere. Si igitur hoc est, sicuti est, quod de fractis hominis viribus philosophantur Recentiores; hoc & non amplius, sed potiùs minùs decernit de integerrimis viribus Augustinus. Quanto igitur superbiùs illi naturam & liberum arbitrium tuentur, qui quod Augustinus naturæ stanti & integerrimæ, hoc illi lapsæ, vulneratæ, ægrotæ, damnatæ tribuunt. Quanto castiùs & sublimiùs ille gratiam prædicat, qui quod alij prælianti & salvanti

gratiæ respectu fractæ libertatis asscribunt, hoc ipse civili ac togatæ gratiæ, respectu libertatis integerrimæ, quæ nullo interno hoste turbata suâ secum pace fruebatur.

Ex ijs patet, quàm immeritò isti sententiæ Divi Augustini, quâ merita prædicat liberi arbitrij, per quod sanctos Angelos (quamvis non sine gratia) in veritate stetisse, & Adamum stare potuisse profitetur, violatæ gratiæ crimen infertur: cùm nihil aliud de sanis & fortissimis eorũ viribus doceat, quàm quod Recentiores de ægerrimis, & infirmissimis, & vinculo servitutis abstractis mundo obtrudunt. Vna dumtaxat inter utrosque differentia est, quòd August. res notas notis verbis appellat: illi nova quærunt nomina, quibus idem dicant, nec tamen idem dicere videantur. Cùm enim ex illa excellenter dominativa sui actus potestate, qua quibuscunque tandem gratijs sive habitualibus sive actualibus afficiatur arbitrium; ad agendum vel suspendendum actum suum indifferens manet, & sese in quamcumque libuerit partem potest flectere, ut nutum suum atque concursum gratiæ adjutorijs dictatoriâ quadam auctoritate concedat aut neget, nexu insolubili videret sequi Augustinus, non gratiam, sed ipsum arbitrium primam afferre differentiam, ut vel cum gratia concurrente agat, vel eâ neglectâ atque otiante non agat; rem apertam apertis quoque verbis explicuit, palamque professus est, hujusmodi gratiæ adjutorium esse tantummodo, *sine quo non* fit actio, ipsum autem arbitrium esse id, *quo fit*, eo modo quo suprà explicuimus. Cujus perspicuæ veritatis inviolabilem connexionem sequens, ulteriùs sine ullo verborum fuco palàm docet, si cum tali gratiæ adjutorio Angeli in veritate steterint, eos *per liberum arbitrium*, non tamen sine gratia, in veritate stetisse; sicut per liberum alij ex veritate ceciderunt: talemque permansionem non sine gratia obtentam non esse speciale gratiæ adjuvantis donum, sed liberi arbitrij (gratiâ licet adjuti) meritum; & gloriam ei debitam justam esse mercedem. Non enim talis gratia facit liberam voluntatem velle vel facere, nec actum ipsum voluntati donat; sed tantummodo, si ex propriæ libertatis nutu (non sine gratia) velit aut faciat, cùm possit nolle nec facere, volentem & facientem juvat: ut ita quidem volitio & actio sit generale & magnum gratiæ adjuvantis & simul influentis beneficium; non tamen speciale gratiæ largientis, & actum conferentis donum. Hæc omnia sicut manifesta veritas altissimis vocibus clamat; ita & Augustinus veraci simplicitate profitetur. Recentiores verò cùm idem omninò, quantum ad gratiam, de illo adjuvandi & concurrendi modo, & quantùm ad liberum arbitrium, de ista perpetua indomitaque libertatis lapsæ indifferentia, atque eminenter dominativa super omnes suasiones ac titillationes potestate, prolixis disputationibus ex professo tradant; ne tamen Pelagianorum imitatione læsas per lapsum vires voluntatis superbiùs extollere, & Salvatoris nostri medicinam prorsus tollere videantur, quasi res abditissimas traderent, ita disputandi subtilitate, vel clamandi importunitate obtinere volunt, non esse illam eminenter dominativam sui actus potestatem (ut ipsorum vocibus utar) sed Dei adjutorium quod gratia pulsante & arbitrio de consensu deliberante facit facere, hoc est, quod facit primâ non agendi agendique sub gratia differentiam, vbi si alium adversarium nacti de detracta per talem gratiam versatili illa libertate voluntatis arguantur, statim versâ velificatione reclamant quasi sui prorsus obliti, liberum arbitrium esse, quod cum gratia operatur aut cessat; quod sese hic & nunc in alterutram partem flectit ac determinat, quod prout visum fuerit sub gratia stat aut cadit. Quæ dum dicunt, quicquid gratiæ suæ tanquam quæ velle operetur & facere, visi fuerant attribuere, directè interimunt, & funditus evertunt. Sed quicquid ipsi tandem vel sentire vel dicere videri velint, de quo alibi accuratiùs dicendum est, præsenti instituto satis est, non aliud Augustinum, Prosperum, Fulgentium, ipsumque Concilium Arausicanum voluisse, quando tantopere primævæ libertatis vires & indifferentiam prædicant, ut per eas Adam benè velle posset & malè, in veritate stare vel cadere; utque merita sibi posset & gloriæ mercedem parere, quæ nunc per gratiæ donum dari debent; quàm quòd liberum arbitrium primi hominis & Angelorum ita forte, ac liberum, & indifferens sit, ut gratiâ habituali præditum, & gratiâ actuali divinæ illustrationis, & accensionis adjutum, (*sine qua* non poterat in veritate stare, nec inimicum vincere, nec vel ipsi Deo fidere, nec quicquam boni facere, aut velle) posset ipsũ sese ad benè agendũ sub illa actuali gratia simul influente flectere & non flectere, determinare & suspendere, illo adjutorio perseverare & non perseverare, cum illo stare vel cadere. Idque non alia de causa, nisi quia Deus ita libertati primæ gratiam suam contemperaverat, ut non eriperet ei liberrimum nutum & flexum suum; sed sicuti *tanta bonitati & benè vivendi facilitati perseverandi committebatur arbitrium*; ita etiam ipsum [a] *perseverare vel non perseverare*, imò & ipsam [b] *gratiam in ejus libero arbitrio relinqueret*. Hoc si Recentiores plerique etjam ipsimet de gratia & libero nunc sentire se sentiunt, & velint, nolint, sentire convincuntur, quando jam vires hominis originalis culpa prostravit; desinant Augustino violatæ per illam doctrinam gratiæ crimen impingere: nec ægrè ferant si se Augustinus longè castiùs de divina gratia; illos longè superbiùs de humana natura sentire, glorietur: dum, quod ipsi de arbitrij potestate cum gratiæ adjutorio post lapsum sentiunt, id se de primæ dumtaxat libertatis integritate sensisse profitetur.

De corrept. & grat. c. 11
a ibid.
b Cap. 11.

CAPVT

CAPVT XX.

Declaratur adjutorium status innocentiæ non fuisse prædeterminationem physicam: nec merita per eam Adamo & Angelis esse donata.

A ET quia contraria juxta se collocata multò luculentiùs mutuâ se luce declarant, hoc ipsum ex altero illo prædeterminationis physicę extremo uberiùs constare potest. Nam quamvis methodus postulare videretur, ut ista quæstio superiùs, quando conditiones adjutorij divini tractabamus, expediretur: in hunc tamen locum differre malui, ut rebus sese paulatim aperientibus, ex principijs ante jactis quæstio quodammodo se ipsa solveret, qua quæri posset, utrum ergo adjutorium Dei Adamo datum, fuerit prædeterminatio quædam physica, quam multi recentiores ad omnes omnino actus bonos necessariam statuunt. Nam si principia Augustini jam superiùs tacta consulamus, ex omnibus manifestissimè conficitur, gratiam illam actualis adjutorij nullo modo in prædeterminatione illa physica sitam fuisse: sed potiùs hujusmodi prædeterminationem principia ejus B universa subvertere.

Nam primò, prædeterminatio illa prorsus destruit totam illam differentiam gratiæ Adami, & Christi seu adjutorij *sine quo non*, & *adjutorij quo* fit opus: quam tamen Augustinus firmissimè, ut suprà vidimus, stabilivit & velut immobilem basim totius doctrinæ suæ posuit. Patet hoc ex eo, quòd prædeterminatio illius naturæ sit, ut hoc ipso quo ponitur, ponatur actio, illâ non positâ nunquam fiat. Illa enim est ipsissima descriptio *adjutorij quo*; nullo autem modo adjutorij *sine quo non*, quod Adamo datum fuit.

Secundò, quia prædeterminatio physica facit, ut liberum arbitrium non solum velle & operari possit, sed etjam ut semper actu velit, & operetur, prout auctores ejus ex professo docent. Tale autem adjutorium stanti homini aut Angelo datum non fuit; sed lapsis posteris reservatum: *Primo homini*, inquit Augu- C stinus, *datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.* (Lib. de corr. & grat. c. 12.) Et inferiùs: *Habens virtutem liberi arbitrij, quamvis non de futuro adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet: non tamen tali quo in illo Deus operaretur, ut vellet.* (Ibid.) Quam doctrinam creberrimè in illo libro repetit, & nos suprà satis superque inculcavimus.

Tertiò, quia prædeterminatio physica talis naturæ est, ut non relinquatur in libertate voluntatis eam amplecti vel non amplecti, sed semper invictè facit, ut eam voluntas amplectendo consentiat. Tale autem non fuit adjutorium Adæ aut Angelorum, utpote quod (Ibid.) in libero eorum arbitrio relictum fuit: *Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio.* (Cap. 11.)

Quartò, quia prędeterminatio physica nunquam deseritur à voluntate, sed ipsa potius facit, ne à voluntate deseratur. Adjutorium autem Adami nullo modo istius conditionis fuit: *Quod adjutorium, si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonum: sed deseruit, & desertus est.* (Cap. 11.) Et exactiùs declarans naturam ejus: *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, si vellet, & in quo permaneret, si vellet: non quo fieret, ut vellet.* (Ibid.) Et paulo inferiùs non minus luculentè: *Sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret; sed hoc adjutorium, si vellet, desereret.*

Quintò, quia gratia prædeterminationis physicæ si non detur homini, non idcirco à culpa excusatur: alioquin enim peccatores omnes, qui justitiam deserunt & physica præ- B determinatione ad perseverandum, & justè vivendum carent, sine culpa caderent. Adjutorium verò Adami & Angelorum hujusmodi fuit, ut nisi eis datum fuisset, sine culpa cecidissent: *Si autem adjutorium hoc vel Angelo, vel homini, cùm primum facti sunt, defuisset, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* (Ibid.)

Sextò, quia prædeterminatio illa physica destruit prorsus magnam illam libertatem, & bene vivendi potestatem, quam Augustinus, Pontifices, & Concilia nos in Adamo amisisse testantur, ut etiam fusè declaravimus suprà. Nam illa libertas in eo sita erat, quod homo per liberum arbitrium sicut malè vivere poterat, ita etiam benè: sic videlicet, ut non esset necesse voluntatem illam benè vivendi per gratiam præparari, sicut nunc post lapsum est necessarium, quando Deus per gratiam in homine operari debet, ut velit, & faciat. Quod si etiam tunc debebat per physicam istam prædeterminationem fieri, utpote cujus iste proprius effectus est, quemadmodum autores ejus tradunt, jam funditus illa doctrina Augustini, & Conciliorum labefactata corruet.

Septimò, quia prædeterminatio illa physica libero arbitrio merita, & eorum mercedem invictè donat. Hoc autem adjutorium Adami & Angelorum nullo modo faciebat; ut etiam suprà ex Augustino comprobavimus. Quæ doctrina etiam solidissimè fundata, per istius physicæ prædeterminationis necessitatem in statu primæ illius integritatis evertitur. Ex quibus omnibus, alijsque argumentis, quæ adduci possent, perspicuè ostenditur, nihil capitalius principijs Augustini, nihil quod eius

Digitized by Google

doctrinæ magis ex diametro repugnet, effingi posse, quàm quod Adami adjutorium in physica illa prædeterminatione situm fuerit: ut sanè non temerè dici posse videatur, quòd auctores, qui prædeterminationem illam physicam ad statum etjam integrum Adami & Angelorum extendunt toto ostio ab Augustini principijs aberraverint. Quapropter si istud innocentiæ adjutorium nullo pacto liberum arbitrium ad agendum physicè prędeterminavit, nec donavit, ut *invictissimè quod bonum est vellet, & hoc deserere invictissimè nollet*; sed *in ipso arbitrio relictũ fuit*, ut in *eo permaneret si vellet*, &, *si vellet desereret*; utpote quod ita voluntatem afficiebat, ut manens *liberum benè velle posset, & malè*: & hoc rebus ipsis declaratum fuit, dum Angeli sancti tali adjutorio adjuti, *cadentibus alijs per liberum arbitrium*, & illud *adjutorium* re ipsa *deserentibus, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi*; sicut hæc omnia perspicuis verbis Augustinus identidem profitetur: nimiæ profectò contentionis fuerit, adhuc nodos in scirpo velle quærere, & præfractè negare velle, quòd aliud quippiam August. de modo concurrendi gratiæ cum integra innocentium libertate senserit, quàm plerique Recentiores de concursu ejus cum vulnerata natura se docere gloriantur. Ex quo & illi refelluntur, qui se primos hujusmodi concursûs inventores vel certè expositores esse putant: cùm tot seculis antè sanctus Augustinus illum agnoverit, protulerit, docuerit, & iterum iterumque inculcaverit, tantaque manifestationis luce declaraverit, ut præter nonnullas Aristotelicæ Philosophiæ tricas, aut ineptias è classibus Dialecticis in Theologiam immissas, quibus cœlestis medicinæ sinceritas magis adulterata est, nihil omninò novi protulerint, quod non Augustinus antè viderit, & solita sua in Theologicis rebus gravitate vel breviter indicaverit, vel contemnendo præterierit. Quod ex ijs, quæ de Angelorum & hominum in statu innocentiæ prædestinatione, & electione, & de lapsorum hominum adjutorijs dicturi sumus, longè pleniùs innotescet. Nunc tempus est ut aliquid de illa ineffabili ruina, seu peccato primi hominis, & de illius in posteros traductione dicamus: quo magnæ illæ liberæ voluntatis vires perierunt, ita ut novâ benignissimi Salvatoris medicinâ opus fuerit, qua liberum arbitrium sanaretur & roboraretur, ut posset bonum velle, & operari.

Lib. de corr. & grat. c. 11

FINIS.

DE

Digitized by Google

DE STATU NATURÆ LAPSÆ LIBER PRIMUS.

Qui est de peccato originali.

CAPUT PRIMUM.

Peccatum originale ex mente Augustini concupiscentia. Quid reatus ejus, utrum culpæ an pœnæ sit? Agnovit in eo iniquitatem, mortem animæ, immunditiam, aversionem &c.

PELAGIANA hæresis in eo magna ex parte sita fuit, quòd peccati illius ingentis transitum exsibilaret. Hæc enim fuit totius erroris istius firmissima velut basis, qua subtracta corruebat. Videbant enim tantas naturæ vires, quantas ad justitiam prædicabant, non posse ulla ratione defendi, si naturam peccato aliquo vitiatam esse concederent. Unde in hoc peccato astruendo & explicando potissimum Divi Augustini industria desudavit, & de Ecclesia Christiana benè meritus est. Nec mirum sanè; quandoquidem, sicut illius peccati eversio, unicum hæresis Pelagianæ fundamentum est; ita è contrario peccati illius transitus, Christi, & Christianæ fidei. Nam ut rectissimè Augustinus dicit; *In causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis*, &c. *propriè fides Christiana consistit.* (Lib. de pecc. orig. c. 24.) Hoc ergò peccatum quia quotquot Catholico nomine gloriantur, constanter credunt, non est laboriosè satagendum, ut astruamus. Sed quia non rarò usu venit, ut quod fide credimus, disputandi subtilitate è manibus elabatur; dum vel Glossa textum destruit, vel principijs conclusiones ita dissonant, ut quod in principio velut unâ manu dedimus, hoc in repugnante illi explicatione vel conclusione, velut alterâ auferamus, operæ pretium est hîc ex Divi Augustini scriptis ostendere, quid ipse senserit, & qua peccati illius explicatione & intelligentiâ Catholica Ecclesia per os ejus Pelagianam hæresim vicerit, de victaque triumpharit. Nec enim ostendi potest, fuisse quempiam in tota Ecclesia, sive tempore Augustini, sive multis seculis pòst, qui aliter peccati illius naturam aut transitus modum intellexerit, aut exposuerit, aut ex-

A ponendum judicaverit quàm Augustinus illud in scriptis suis declaravit: ut quisquis Regiam viam istam ab eruditissimis majoribus per secula multa tutam ingressus fuerit, meritò de veritate possit esse securus. Nam propter nonnullas, quæ in re ista obscurissima, quamcunque tandem sententiam secutus fueris, deesse non possunt, remoras ac difficultates, compendia itinerum velle sequi, non solùm novâ, sed etiam à traditis atque tritis majorum vestigijs discrepantia, periculo sanè non caret, quantumvis quadam specie facilitatis blandiri primâ fronte videantur.

Quid igitur sit peccatum illud, & qua ratione ab Adamo in posteros traducatur, obscura quæstio semper habita fuit. Unde de illo Augustinus: *Quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* (Lib. de moribus Eccles. cap. 22.) Naturam tamen ejus Augustinus, ab exortu Pelagianæ

B hæresis usque ad occasum ejus, constanter eodem modo, sine ulla variatione, tanquam sibi certissimam semper explicuit, etsi de quibusdam circumstantijs ejus semper ab initio usque ad finem vitæ fluctuaverit. Ut igitur à priore quæstione incipiamus, tanquam rem sibi exploratam semper Augustinus docuit, *peccatum originale esse concupiscentiam.* Testimonijs illius veritatis scripta, quæ adversus Pelagianos exaravit, plena sunt. Sic enim loquitur in libro secundo adversus Iulianum: *Non est hoc malum nuptiarum*, (de concupiscentia, cum qua pugnamus, multa locutus fuerat) *sed primorum hominum peccatum in posteros propagatione traiectum.* (Lib. 2. cont. Iul. c. 10.) Et libro tertio cùm dixisset, *Nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, accusari non posse*, id est, nuptias propter peccatum generatione propagatum non posse reprehendi, explicandoq; subjungit: *Malum originale dixi, cujus motibus mecum repugnas, & cujus contra me laudibus pugnas.* (Lib. 3. c. 21.) Et continuò: *Quod natus es, pertinet ad Dei conditionem, & parentum fœcunditatem: contra*

contra quod autem dimicas, quia renatus es, pertinet ad prævaricationem, quam diaboli astutia seminavit, unde te Christi gratia liberavit &c. *non jam reus ex illo, sicut eras natus.* Et libro quarto: *Si autem hoc malum, quod in seipsis parentes sentiunt, cui malo, ut tuis verbis utar, Apostolorum legio repugnavit, non pertineret ad filios; sine ullo utique nascerentur: nunc verò quandoquidem cùm hoc nascuntur, quid miraris, quia propter hoc renascuntur, ut ab eius obligatione solvantur?* Vbi tanquam rem manifestam, nulláque admiratione dignam hoc tradit. Et infrà: *Nec libidinis tabe polluuntur, qui libidine benè utuntur, quamvis generent libidinis tabe pollutos & ita regenerandos.* Et libro sexto adversus eundem Iulianum: *Tale porrò ac tam magnum malum* (concupiscentiæ) *tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi & eius vinculum, in illa, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur.* Et inferiùs: *Hoc ergò vitium* (quod suscitat desideria mala) *non potest nisi reatu tenere hominem, quamvis eiusdem mali bono usu de castis conjugibus procreatum.* Et in libris adversus eundem Iulianum operis imperfecti: *Vtrum peccatum, an mors, an utrumque per omnes homines pertransisse dictum sit, videtur ambiguum: sed quid horum sit, res ipsa tam apertè demonstrat. Nam si peccatum non pertransisset, non omnis homo cum lege peccati, quæ in membris est, nasceretur: si mors non pertransisset, non omnes homines* &c. *morerentur.* Sed quid opus pluribus? Pœnè volumen ex solis hac de re testimonijs posset confici, quorum nonnulla adhuc infrà proferre cogemur. Sed hæc præsenti loco satis sint: ex quibus constat, hoc eum velut rem sibi perspectissimam constanter docuisse.

[Lib. 4. c. 2.] [Ibid. c. 8.] [Lib. 6. c. 15.] [Cap. 19.] [Lib. 2 operis imperf. cont. Iul. c. 173.]

Sed quia principia doctrinæ S. Augustini non ita passim cognita sunt, vel penetrantur; hinc factum est, ut nonnulli doctrinam istam gravibus censuris satis immodestè perstrinxerint. Ausi enim sunt dicere: *Rationem huius peccati ita assignare Augustinum, ut qui eius sententiam sequeretur, ratione facilè convinci posset, ut concederet, nullum esse aliud peccatum, quod verè & propriè peccatum esset, præter peccatum primi parentis:* idque propter reatum, cujus Augustinus mentionem facit. Additque meritò illam sententiam Scholasticis non probari: *Ex ea enim,* inquit, *cogimur incidere in sententiam Pelagij.* In qua censura tam insolenti, utrum temeritas, an imperitia palmam ferat, planè nescio. Quid enim magis temerarium dici potest, quàm Augustinum, cui soli Pelagianæ hæresis extirpationem Ecclesia hactenus acceptam tulit, illam opinionem docuisse, ex qua necesse est in eandem hæresim incidamus? Imperitia verò doctrinæ S. Augustini tanta in eo passim apparet, ut alienis non suis oculis illius scripta legisse videatur. Ex quo factum arbitror, ut cum Acta Concilij Palestni contra Pelagium celebrati velut recenter à se inventa proferre vellet, nesciens laciniam quandam ex libro Augustini de peccato originali obtruserit. Ne verò sua careret verisimilitudine ea, quam ipse de sententia Augustini censuram tulerat, nonnulla loca profert, quibus Augustinus suã ignorantiam fateatur, tum in [a] libris de peccatorum meritis; tum in [b] Epistola ad Hieronymum; tum in [c] Sermone quodam de verbis Apostoli. Sed in omnibus istis locis Augustinus de alia difficultate intelligenda satagit, quæ à præsenti diversissima est.

[Vasquez in 1. 2. Disp. 132. c. 3.] [a Lib. 3. c. 4.] [b Epist. 28.] [c Serm. 14.]

Vt igitur Augustinus ab illo opprobrio Pelagianæ hæresis vindicetur, paulò latiùs declarandum est, quid August. hac in re senserit: ne sententia minùs penetrata, & à principijs suis avulsa displiceat. Itaque in primis Augustinus, quandocunque concupiscentiam vel libidinem, quæ eadem Augustino sunt, esse peccatum originale tradit, nomine concupiscentiæ non intelligit solam libidinem illam, qua vel obscœnę partes corporis excitãtur, vel intus ipse animus ad concubitum accensus inhiat: sed omninò omnes cupiditates animi, quibus homo ad peccata propellitur & provocatur, sive illa carne, sive solo animo peragantur. Phrasin enim Apostolicam sequi solet, qua dicit Iacobus: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua.* Et Paulus: *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Totoque illo capite generatim concupiscentiam usurpat, prout motus ejus ab Augustino describitur esse *desiderium peccati.* Vnde ad illum Apostoli locum: *Non concupisces: Apertissimum,* inquit, *saluberrimumque præceptum est, quod si quis impleverit nullum habebit omninò peccatum. Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam, quo cuncta complexus est* &c. *Neque enim ullum peccatum, nisi concupiscendo committitur.* Quam concupiscentiam ita latè sumptam ipse trifariam dividere solet, ut omne omninò cupiditatis genus complectatur. Quibus de rebus latiùs alibi dictu sumus. Eodẽ quoq; modo libido generatim ab ipso sumitur, prout nomen sonat: *Ea quæ in genitalibus,* inquit, *libido nominatur: cùm hoc sit generale vocabulum omnis cupiditatis.* Et mox ostendit, libidinem ulciscendi esse iram; habendi pecuniam esse avaritiam; quomodocunq; vincendi esse pervicaciam; gloriandi esse jactantiam; & sic de cæteris multarum rerum libidinibus, quarum pleræque nominibus carent. Hujus autem generalis libidinis pars quædam est illa notissima, qua in concubitum animus vel solus, vel cum ipsa etjam carne, stimulatur.

[Iacob. c. 1.] [Rom. 7.] [Lib. de perf. iust. c. 6. Lib. de Spir. & litt. c. 4.] [Lib. 14. de Civit. c. 15.]

Deinde quando Augustinus docet libidinem vel cõcupiscentiam esse peccatum originale, sic accipit illa, ut simul involvant reatum, quo anima coram Deo rea est: qui reatus per peccati remissionem tollitur, quamvis ipsa con- concupiscentia remaneat. Ex quo fit, ut reatum illum ipse consideret velut id quod formale est in peccato originali, concupiscentiam illam velut materiale. Itaque sæpiùs dicit, illo reatu ablato concupiscentiam expiari, non imputari, & similia. Hinc illa Augustini passim in ejus libris repetita: *Huius concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit.* Et inferius: *Respondemus,* inquit, *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo,*

[Lib. 1 de nupt. c. 19.] [Lib. 1 de nupt. c. 25.]

non ut

non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur: quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen, donec &c. Quod paulò pòst declarat comparatione peccatorum actualium, quæ quamvis prætereant actu, manent tamen reatu; & in æternum permanent, nisi remittantur: *Sic* Ibid. c. 27. *itaque*, inquit, *fieri è contrario potest, ut etiam illud maneat actu, prætereat reatu.* Quod paulò antè dixerat: *Illius concupiscentiæ, quando remittitur, reatus aufertur.* Et multis interjectis ad- Cap. 32. dit: *Hæc itaque remissio peccatorum quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui eam teneat æterni supplicij debitorem.* Et in Lib. 2. cont. Iul. c. 3. libris contra Iulianum: *Sciens ejus gratia nos sanari ab ipso concupiscentiali motu, qui nos ab ejus originali reatu, spiritali regeneratione sanavit.* Et Ibid. c. 5. paulò pòst: *Iam procul dubio certum, atque concessum, esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus qui ex illo contractus fuerat, aufertur in baptismo.* Cap. 4. Et paulò antè: *Reatus ejusdem mali, non quo reum malum est, sed quo reum facit, in quo est, sicut generatione contrahitur, ita nisi regeneratione non solvitur.* Similia videre licet libro sexto contra Iulianum, & alijs multis locis. Ex quibus sanè perspicuum est, Augustinum non existimare, nudam illam concupiscentiam, seu cupiditatem, seu libidinem esse originale peccatum: sed concupiscentiam cum illo reatu, qui baptismo tollitur, expiatur, non imputatur, solvitur, dimittitur: quibus phrasibus Augustinus uti solet.

Sed hic est Scriptoris illius Recentioris, de quo suprà mentionem fecimus, lapsis offensionis, & petra scandali. Opinatur enim nomine reatus obligationem ad pœnam semper intellexisse Augustinum, nec aliud, inquit, intelligere potuisse. Obligatio autem ad pœnam non est peccatum: sed effectus ejus. Et hæc est causa, cur putet Augustini sententiam in Pelagianismum incidere: quia veri peccati rationem tollit ex parvulis.

Sed si Augustini scripta potiùs diligenter perscrutari, quam censere maluisset, deprehendisset fortassis, nullam esse causam tantæ severitatis in tantum Doctorem. Augustinus enim nomine reatus, quando de originali peccato loquitur, id intelligere plerumque solet, quod Scholastici reatum culpæ vocant. Nec aliud est peccato jam præterito, quàm ipsa culpa, ipsa macula, ipsum peccatum habituale, quo anima culpabilis, maculata, & rea, non pœnæ tantum, sed peccati manet; sive reatus ille simul respectum implicet ad peccatum aliquod præteritum, sive non implicet. Ipsa enim culpa habitualis, seu peccatum habituale est ipse reatus animæ, quo coram Deo culpabilis tum peccati tum pœnæ manet. Hoc autem reatum vocare maluit, quia ille sonat quodammodo ipsam imputabilitatem ad culpam; sicut reatus pœnę imputabilitatem seu obligationem ad pœnam: Sed ipsum Augustinum sua sensa explicantem audiamus, qui satiatissimè, & luculentissimè se ab istius censuræ temeritate defendit. Nam in illo ipso loco, ubi

A de illo concupiscentiæ reatu ex professo tractat, simulatque remanentis concupiscentiæ reatum ablatum esse dixisset, perspicuis verbis adjicit: *Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati.* Quid clariùs postulari potest? Lib. 1. de nup. c. 26. De concupiscentia loquitur: de reatu ejus disputat, quem remitti, & auferri docet. Et ne reatum pœnæ quisquam intelligeret, occurrit ipse-met asserendo, per hujusmodi remissionem hominem non esse amplius reum peccati; & ideò non habere peccatum, hoc est, non esse amplius peccatorē. Quod ut familiari exemplo nobis exponeret, nec ullus relinqueretur cavillationi locus: *Nam*, inquit, *si quispiam,* Ibid. *verbi gratiâ, fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterij, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud quod admisit jam non sit, quia cum tempore quo factum est, præterijt. Nam si à peccando desistere* B *hoc esset non habere peccatum, sufficeret, ut hoc nos moneret Scriptura* &c. Non hic de reatu pœnæ, sed culpæ sermonem esse, verba ipsa lucculentiùs clamant, quàm ut alicujus illustrationis vel expositionis indigeant. Dicit enim, per hujusmodi reatus homines esse reos, non pœnę, sed peccati adulterij; eoque reatu sublato vel manente, tolli vel manere peccatum. Et adhuc tamen alibi manifestiùs reatum peccati originalis à reatu pœnæ distinguit: *Quasi vero*, Lib. 1. retract. c. 15. inquit, *peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu ejus implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, usquam esse potuerit, nisi in voluntate: qua voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio.* Ecce evidentissimè reatum culpæ à reatu pœnæ distinctum & ita distinctum, ut posterioris illius causa sit prior: *Reatu peccati implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios.* Et hinc est, quòd Iulianus, cum sensum Augustini de reatu culpæ & pœnæ intel- C ligeret, etiam utrumque distinguit: *Intravit* Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. c. 27. *per unum hominem peccatum in hunc mundum, & per peccatum mors; quoniam illum & reum, & damnationi mortis perpetuæ destinatum mundus aspexit.* Ecce reatum culpæ simul & pœnæ. Et eandem distinctionem observans Augustinus: *Hanc mortem, qua omnes morimur* &c. *non vis ex peccato in omnes fecisse originaliter transitum, ne cogaris fateri, simul etiam originaliter transisse peccatum: sentis quippe, quàm injustum sit sine merito transisse supplicium.* Et apertissimè in Psalmos, cùm dixisset: *Trahitur iniquitas ex Adam: Etiam,* In Psal. 50. inquit, *ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est. Nemo nascitur, nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ.* Ecce in his locis clarissimè peccatum ipsum parvulorum statuit esse meritum supplicij; & propter iniquitatem trahi meritum pœnæ: quam doctrinam sexcenties alijs locis repetit, sicut infrà suis locis dicturi sumus: ut nemo profectò, nisi prorsus pervi- D cax, aut gloriæ suæ de superato quoquo modo Augustino, quàm veritatis amantior dubitare queat, quin Augustinus culpam, seu reatum culpæ parvulorum à reatu pœnæ distinctum agnoverit, & unum alterius causam, reatumq; culpæ supplicij secuturi meritum constituerit.

Hinc

Hinc est igitur, quòd sæpissimè reatum illum concupiscentię, sive id, propter quod parvuli supplicio digni rei fiunt, talibus epithetis declaravit, qualia in reatum pœnæ non possunt ulla verisimilitudine transferri. Vocat eum *immunditiam* & *iniquitatem*: *Per hæc*, inquit, *Sacramenta peccati reatus in parvulis solvitur: de quo reatu scriptum est, neminem esse mundum, nec si unius diei fuerit vita eius. Vnde est & illud in Psalmis: Ego in iniquitatibus conceptus sum.* (Lib. 1. de pecc. merit. c. 24.) Et in alio ejusdem argumenti libro: *Per successionem transeunte in omnes proscriptione iniquitatis & mortis.* (Lib. 2. c. ult.) Et in Psalmos: *Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?* (In Psal. 50.) Quam statim non pœnam, sed *meritum pœnæ* nominat. Vocat eum sexcenties & amplius mortem, & inde mortuos esse parvulos: *Tale porrò ac tantum malum tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi eius* (mortis) *vinculum in illa, quæ fit in* B *baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur?* (6 cont. Iul. c. 15.) Ecce hoc est, quod toties alibi dicit, reatum peccati solvi, mortem scilicet animæ, seu vinculum mortis solvi. Et cujus, quæso, mortis, an corporalis, an alicujus reatus pœnæ? Ipse Augustinus dicat: *Propter hoc vinculum mortis mortui reperiuntur infantes, ea morte, qua tenebantur omnes, pro quibus mortuus est Christus. Vnus enim pro omnibus mortuus, ergò omnes mortui sunt.* Et in eisdem libris alibi: *Si fieri non posset*, (ut pecatum seminibus misceretur) *non esset unde parvulos nondum de corpore egressos mortuos diceremus: quia si Christus & pro ipsis mortuus est, ergò & ipsi mortui sunt.* (Lib. 6. c. 9.) Et inferiùs: Nequis ambigeret, quam mortem intelligeret: *Non habere parvulos vitam, nisi habeant Christum, Ioannes Evangelista testatur, dicens in Epistola sua: Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium, vitam non habet. Merito ergò intelliguntur mortui, qui non habent vitam, pro quibus est Christus mor-* C *tuus, ut habeant.* Nescio quid apertiùs de morte parvulorum dici queat. Mortuos enim esse docet, quia non habent in se vitam, id est, Filium Dei, hoc est, Deum; qui secundùm perpetuam Augustini doctrinam respectu animæ est vita ejus: *Dico tibi anima*, inquit, *quoniam Deus tuus etiam tibi vita est.* (10 confess. c. 6 & 20. & alibi.) Vnde & gene- A ralis ejus sententia est: *Peccatum mors est animæ.* (Tract. 49. in Ioannem.) Et alibi: *Quam* (mortem corporis) *nolunt Adam peccando meruisse; sed animæ, quæ in ipso peccato fit.* (Lib. 1 de pecc. merit. c. 9.) Vocat illum reatum etjam *pollutionem*: quo vocabulo nihil iste ipse recentior Scriptor efficacius invenire potuit, ut veram peccati maculam nobis exprimeret. Docet enim eam non esse aliud, quàm denominationem rationis, qua aliquis denominatur pollutus & peccator, ab actu præterito non retractato: Hoc est, esse figmentum quoddam mentis, quo tamen aliquis revera manet pollutus atque peccator. (In 1. 2. Disp. 139. c. 5.) Quid enim est denominatio rationis, nisi figmentum rationis? Cujusmodi præstigijs subtilitatis utrum non omne peccatum evanescat in fumos ipse viderit. Certè Augustinus veram peccati originalis pollutionem agnoscit; sed longè solidiùs, quàm in tali rationis denominatione fundatam: *Nec libidinis*, inquit, *tabe polluuntur, qui* B *libidine benè utuntur: quamvis generent libidinis tabe pollutos, & ideo regenerandos.* (Lib. 4. cont. Iul. c. 8.) Vbi libidini pollutionem in parvulis conjunctam esse non in parentibus baptisatis; & proper talem pollutionem regenerandos esse, perspicuè profitetur. Et in libris de Civitate Dei: *Propterea nobis per mediatorem præstita est gratia, ut polluti carne peccati carnis peccati similitudine mundaremur.* (Lib. 10. c. 23.) Denique non obscurè vocat reatum illum *aversionem à Deo*, quando parvulos à Deo aversos esse constituit: *Quomodo dicturus erat eum* (parvulum) *renuntiare diabolo, cuius in eo nihil esset? Quomodo converti ad Deum, à quo non esset aversus?* (Lib. 1 de pecc. merit. c. 34.) Cùm igitur Augustinus peccato parvulorum originali, hoc est, concupiscentiæ, quam semper eorum peccatum nuncupat, *aversionem, pollutionem, mortem animæ, iniquitatem, immunditiam* conjunctam esse fateatur: eaque omnia cum reatu, quem ipse prædicat, ablato C tollantur, eoque manente maneant: neque ullo modo debitum pœnæ, sed peccatum & culpam præ se ferant; perspicuum est, illum reatū concupiscentię esse aliquid à reatu pœnę longè diversum, eoque prius: propter quod debito pœnæ, seu æternæ damnationis obstricti sunt.

CAPVT SECVNDVM.

Solvitur locus difficilis Augustini ex libro sexto contra Iulianum.

SED unus est Augustini locus, qui contra doctrinam istam opponi potest, ut ostendatur, eum per reatum concupiscentiæ nihil aliud nisi reatum pœnæ intellexisse. Nam libro sexto contra Iulianum dicit, reatum illum respectu hominis, qui se peccasse non meminit, non esse in animo ipsius, sed *in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt, quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis media-* A *toris expiaverit: cuius signo crucis consecratur unda baptismatis, ut eâ diluatur reatus, tanquam in Chirographo scriptus in notitia spiritalium potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum.* (Lib. 6. cont. cap. 19.) Quibus verbis quia significat, reatum illum non esse in animo, sed in mentibus Angelorum, per quos pœna exigenda est peccatorum, videtur reatū pœnæ nomine reatus intelligere. Nam iste locus est, qui recentiorem illum Scriptorem in eam Augustini censuram præcipitavit.

Respon-

Respondeo igitur primò, aliquibus visum esse, quod Augustinus de reatu pœnæ loquatur: non quasi alium reatum non agnoverit, qui istius origo & veluti basis est, sed quia per reatum pœnæ tanquam vulgo notiorem, magisque intellectu facilem, rem obscuram illustrare maluerit. Perfacile enim intelligitur, peccato transacto dignitatem pœnæ esse reliquam: quo verò pacto peccati reatus ipso peccato jam præterito maneat, non ita cuivis obvium est: cùm etiamnum difficultas ista doctissimorum fatiget ingenia. Solutio facilis est, & fortassis vera.

Vt verum tamen fatear, difficulter mihi persuaserim, hanc divi Augustini sententiam esse. Nam in ipso isto capite, ex quo locus ille avulsus est, luculentissimè tam ipse, quàm Iulianus, de reatu peccati seu culpæ disserunt. Iulianus enim propter illa Augustini verba, quibus dixerat, concupiscentiam *manere actu, præterire reatu*, velut ea reprehendens dicit, contrarium in peccatis habere locum: nempe, ut prætereant actu, reatu verò maneant. Hoc autem eum de reatu culpæ non pœnæ intelligere, apertissimè declarat, quando dicit: *Potest, donec consequatur veniam, premi impietate commissi, & manet reatus, actione finita.* Quid est enim impietas commissi, nisi reatus culpæ, quæ commissa est? Vnde mox *reatum abscedere*, idem esse dicit, quod *liberum a profanitate videri.* Quod sanè nihil aliud est, quàm liberum ab ipsa profanitatis culpa videri. Nec Augustinus hoc reprehendit, sed potiùs probat, cùm dicit: *Hoc de sacrificio idolis oblato verissime dicis: actus est enim, qui opere ipso peragitur, & non erit; etsi iterum fit, alterum fit. IMPIETAS verò ipsa, qua hæc fiunt, tam diu manet, donec idolis renuncietur, & credatur in Deum.* Quid est enim, *impietatem manere*, nisi reatum culpæ manere? Vnde paulò inferiùs id quod dixerat, impietatē immolationis manere, alijs verbis dicit: *Manet tamen reatus eius, donec in lavacro &c.* Quæ cum apertè de reatu culpæ ab utroque intelligantur, etjam de reatu culpæ intelligi debet, id quod de reatu concupiscentiæ dicit: propter quem explicandum illa de peccati actualis reatu permanente similitudo prolata fuerat.

Apud Aug. libro 6. cont. Iul. c. 19.

Ibid.

Sed quia Iulianus dixerat, reatum illum, seu impietatem, qua premebatur is qui idolis immolaverat, *remanere in illius conscientia qui deliquit, donec dimittatur*; per transennam reprehendit Iulianum Augustinus, eo quod inde sequeretur, non superesse amplius illum reatum, si quis peccati oblitus, nulla amplius ejus conscientia vexaretur: cùm tamen eum permanere, certum sit, donec remittatur. Vnde concludit, non eum in corpore, non in conscientia, quia oblita est; sed permanere in legibus Dei scriptis in mentibus Angelorum. Quæ Augustini disputatio & resolutio ut rectè intelligatur, notandum est, Augustinum ita sæpe solitum esse loqui, ut *in conscientia*, & *in memoria* & *in animo* esse dicat,

A quod in ejus cognitione versatur. Quo loquendi modo nos dicere solemus, objecta esse in intellectu, vel in voluntate objectivè. Hinc est, quòd Augustinus in libris contra Faustum prorsus similiter dicit, sententiam seu rem veram esse in animo nostro; sed si obliviscamur ejus, esse in ipsa veritate: *Quid si quæras*, inquit, *ubi sit hæc vera sententia*, nempe, qua res aliqua quæ non est, dicitur fuisse, sive propositio aliqua objectiva de re præterita) *prius invenitur in animo nostro, cùm id verum* (tanquam objectum) *scimus & dicimus. Sed si & de animo nostro ablata fuerit, cùm id quod scimus obliti fuerimus, manebit in ipsa Veritate. Semper enim verum erit, fuisse illud, quod erat, & non est &c.* Vbi rem intellectam eodem modo dicit in animo esse, cùm scitur; in veritate verò, seu in legibus veritatis, quando ejus obliviscimur. Hinc est, quòd in libris de Trinitate docet, mentem & notitiam esse in

Lib. 16 cont. Faust. c. 5.

B amore quo quis amat mentem & notitiam; & amorem esse in notitia, qua quis novit amorem: nempe tanquam objecta in actibus, qui circa illa versantur: quomodo & amor in seipso est, cùm se amat: *Mens*, inquit, *quæ se novit & amat, in amore & notitia sua est: & amor amantis mentis, seseque scientis in mente notitiaque eius est: & notitia mentis se scientis & amantis in mente atque in amore eius est; quia scientem se amat, & amantem se novit.* Et rursum paulo inferiùs: *Mens quæ se novit & amat, cum sua notitia est in amore, & cum suo amore in notitia.* Quibus similia in eodem capite aliquoties repetita videre licet. Hunc ergo loquendi modum etjam hic observavit Augustinus, ut in animo id esse dicat, quod in ejus memoria est: idque eo congruentiùs, quod per Iuliani verba ita loqui coactus fuerit. Nam ipse dixerat, præteriti peccati *reatum manere in illius conscientia, qui deliquit.* In conscientia autem

Lib. 9. de Trinit. c. 5.

C manere non est aliud, maximè phrasi Augustini & Iuliani, quam hominem esse conscium delicti sui, eoque stimulari. Nam juxta illum sensum statim ex ejus verbis concludit Augustinus: *Ergo in subiecto est* reatus ille, *hoc est, in animo eius, qui deliquisse se meminit, & scrupulo angitur conscientia.* Quasi in conscientia, & in animo esse reatum, non sit aliud, quàm meminisse delicti sui. Ex quo eodem sensu fluit, quòd Iulianus dicit, Augustinum *parvulis conscientiam*, nempe peccati, *sine scientia asscribere*: Et Augustinus respondet; *In parvulis, nec scientiam esse, nec conscientiam.* Sed quid ista omnia magis ad reatum pœnæ, quàm culpæ faciunt? Nam subjectivè non minus reatus pœnæ, quàm culpæ in animo manet, etjamsi non amplius se deliquisse meminerit. Quapropter non aliud isto loco vult Augustinus, quàm reatum culpæ præteritæ manere

Lib. 6. cont. Iul. c. 9.

Lib. 5. cont. Iul. c. 1.

Ibid.

D quidem objectivè in conscientia delinquentis, ut Iulianus dixerat, quamdiu se deliquisse meminit; sed si oblitus fuerit, manere in occultis legibus Dei, seu in ipsa æterna incommutabili veritate scripta quodamodo in mentibus Angelorũ, id est, quam mentes Angelorũ intuendo cognoscunt:

voluit ex qua nascitur, ut anima parvulorum, quamvis à Deo bono condita, ab eodem tamen Deo suo aversa, & per hoc iniqua, injusta, mortua, & consequenter immunda, & polluta proferatur. Quam Augustini doctrinam ut aliquis intelligat, scire debet nihil aliud esse apud Augustinum, creaturæ rationalis bonitatem, sanctitatem, justitiam, ac rectitudinem, nisi *charitatem*, hoc est, ut ipse loquitur, *divino amore ardentissimam voluntatem*: quam alibi sæpissimè nihil aliud vocat, nisi *bonam voluntatem*, ut suprà declaravimus. Voluntas quippe phrasi Augustini & latinè loquentium illud ipsum est, quod nos in Scholis dicimus volitionem, seu propositum voluntatis, sive actuale cum actu volumus, sive habituale, quod etiam in dormientibus manet. Et hoc est charitas, seu dilectio, per quam fit, ut mens ab omnibus creaturis avulsa dilectione velut vinculo quodam alligetur soli Deo, & etiam dum non cogitat, ad eum habituali animi proposito conversa & ei affixa permanet, & per hujusmodi æterni luminis, & bonitatis, & justitiæ, & sanctitatis, & rectitudinis participationem, & inhabitationem luminosa, & bona, & justa, & sancta, & recta efficitur. Hoc vinculum inter animam ac Deum æternum & unicum bonum suum nunquam rumpitur, nisi anima voluntatem ab illo bono sponte sua propriæque arbitrio libertatis averterit: neque voluntatem ab eo avertere potest, nisi eam ad aliud convertendo. Quò autem à summo bono convertet eam, nisi ad id, quod minus est, hoc est, à creatore ad creaturam? Dilectio quippe creatoris nisi creaturæ dilectione nunquam pellitur. Sic ergo & Angelus & primus homo lapsi sunt, dum quibus illud supremum & unicum bonum cui voluntate jungebantur, placere debuerat, sibiipsis aliâ perversâ voluntate priori bonæ voluntati seu divino amori capitaliter inimicâ placuére. Sed non sicut sponte sua deorsum magna facilitate lapsi sunt, ita & sponte simili facilitate surgere, seu sursum ire potuerunt, & voluntatem à semetipsis in creatorem flectere & erigere. Voluntas enim illa mala quasi ex altissimo loco tanto impetu in semetipsam lapsa est, ut vestigium quoddam sibi simile animo sibi placenti impresserit, & impressum reliquerit: quo effectum est, ut id quod antea sibi amplectendùm, & amandum, fruendumque summâ arbitrij libertate delegerat, id postea perseveranter libeat, ac libendo placeat, atque ita libeat atque placeat, ut ei amplius displicere non possit. Hoc est ipsissimum istud malum decantatæ illius *libidinis*, seu *concupiscentiæ* generaliter sumptæ; illa pœna peccati; illa plaga vestigiumque peccati; illa illecebra fomesque peccati; illa inobedientia non tantùm corporis, sed & ipsius animi ex nobismetipsis adversus nosipsos inobedientia justissimo reciprocatu inobedientibus reddita. Per hanc libidinem seu concupiscentiam factum est, ut voluntas hominis firmissimè cum objecto, quod malè placuerat, hoc est, cum semetipsa velut vinculo quodam colligata sit, & ita sub illo perversi sui amore subjugata serviat, ut nulla possit vel sua vel cujusquam hominis vel Angelorum potestate, sed sola Dei gratia liberari. Nam loco delectationis libidinosæ, quæ voluntatem sub se captivam ac servam tenet, Deus aliam delectationem cælestem infundit, per quam fit, ut rupto illo libidinis seu concupiscentiæ vinculo apex ille voluntatis ab ejus captivitate erutus, rursum caput exserat, & affigatur Deo; ut ita per gratiam aliqua ex parte liberatus, cum ea libidine, quæ tunc perdito imperio velut mortua adhuc superest, eâdem gratiâ juvante prælietur. Hæc igitur liberatio voluntatis ab illo libidinis dominantis jugo, quam sibi ipsa suâ libertate peperit, nisi per gratiam fiat, in æternum libidini serviet; quia in æternum ita ad creaturam, hoc est, ad seipsam conversa per illam libidinem seu concupiscentiam detinebatur, sicut fuit, quando primùm eò sese sine libidine peccando convertebat. Nam stabiliter libêre, seu concupiscere id quod aliquis antè voluit, non est aliud, quàm stabiliter velle sed sine libertatis usu; id est, stabiliter & delectabiliter trahi & inclinari ut liberè velis; cujusmodi velle non liberum est quoddam pondus, seu gluten, & viscum, quo velle liberum voluntatis imperiosè allicitur, trahitur, capitur, possidetur; & ita possidetur, ut apex voluntatis, cujus est liberè velle & nolle, ex illo visco nullo pacto propria potestate erui possit. Hic fuit igitur status primi hominis, postquam à Deo in creaturam suâ libertate lapsus est: quæ suis locis ex Augustino fusè declaranda sunt: hic enim, ne multitudine autoritatum importuni simus, magis supponi, quàm probari debent. Quapropter qualis Adam fuit, postquam peccatum perpetraverat, hoc est, libidini seu concupiscentię peccandi mente subditus, talem & prolem necessariò genuit. Nam ut optimè Augustinus: *Vt meliores gigneret, quàm ipse esset, non erat æquitatis*: nec aliter gignere ullo pacto potuit, nisi Deus leges naturæ, quas animalium propagationi statuit, perturbaret. Nam in ea stabiliter fixeque constitutum esse, experientiâ deprehendimus, ut animal generet simile sibi, imo ut nulla causa effectum proferat, à quo perfectione superetur. Vnde necesse fuit, ut si Adam, cùm filium gigneret, concupiscentiam animo & membris ex peccato relictam & in naturam quodammodo versam gereret, filius eandem concupiscentiam traheret. Quod si concupiscentiam proles ex parente suscipit, ergo necessariò mentis apicem, cui velle & nolle, consentire ac dissentire datum est, eidem ponderi subjectam & captivam gerit. Si enim pondus illud concupiscentiæ deorsum ad creaturas trahens inest animo, alterum omnino necessarium est, ut vel mens libidini inferior & subiecta serviat, vel libidine superior ei subjectę dominetur. Postremum illud est ipsissimus effectus divinæ gratiæ, sive actuans

Lib. de grat. & lib. arbit. c. 17.

Lib. 2. c. 3. de nupt. *Non liberum negamus arbitrium*, ut intelligeremus videlicet ipsum de servitute & libertate arbitrij loqui, statim adjicit: *Sed si vos filius liberaverit, ait veritas, tunc vere liberi eritis. Hunc vos invidetis liberatorem, quibus captivis vanam tribuitis libertatem. A quo enim quis devictus est, sicut dicit Scriptura, huic servus addictus est. Nec quisquam, nisi per gratiam liberatoris, isto solvitur vinculo servitutis, a qua est hominum nullus immunis: per unum quippe hominem peccatum intravit in mundum &c.* Ecce perspicuis verbis dicit se de libertate arbitrij loqui: & tamen omnem hominem esse liberandum, vanam captivis, id est, non liberis tribui libertatem; omnem hominem tanquam devictum etiam servituti esse victoris addictum; ab eoque vinculo servitutis neminem nisi liberatoris gratia esse liberandum, cujusmodi phrasibus quotquot Augustinum intelligunt nihil aliud significatum esse intelligunt, quam omnem hominem etiam parvulos sub concupiscentia, quam ipse perpetuo peccatum vocat, esse mente captivos, usque adeo ut ab illo vinculo servitutis, qua voluntas sub concupiscentiæ pressa pondere, & captiva detinetur, ne postea in Deum evolet, solâ Dei gratiâ possit absolvi: qua gratia non subveniente quid sunt homines nisi quod ait

2. Petri 2. Apostolus Petrus, *Velut muta animalia procreata natur aliter in captivitate & interitu.* Hoc ergo est illud vinculum voluntatis humanæ, cum quo à Deo suo, hoc est à veritate aversa nascitur: quod Augustinus subinde vinculum mortis

Lib. 6. cont. Iul. c. 15. vocat, alicubi vinculum concupiscentiæ. *Tale porro ac tam magnum*, inquit, *malum tantùm quia inest* (mentem scilicet sub se captivam & consequenter aversam à Deo detinendo) *quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi & eius vinculum in illa, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur?* Et iterum idem inculcans:

Ibid. *Propter hoc etiam vinculum, quod connectitur ex primo Adam, nec solvi potest, nisi in secundo Adam, propter hoc enim vinculum mortis mortui reperiuntur infantes, non ista morte notissima*

Cap. 16. *&c.* Et aliquanto post: *Vt ab eo, quo erant vinculo eius* (concupiscentiæ) *obnexij, liberatos se esse cognoscerent.* Et in psalmos, cum illum tracta-

In Psal. 50. ret locum: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum;* ita loquitur: *David attendit omnium vincula, propaginem mortis consideravit, originem iniquitatis advertit.* Et mox: *Trahitur iniquitas ex Adam, etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est.* Vbi pulcherrimè vinculum mortis concupiscentiam, ipsam verò animæ mortem iniquitatem vocat, ut ita mortem animæ ab ejus vinculo, unde iniquitas nascitur, subtili consideratione distingueret. Et ne quis aliud vinculum mortis, quàm concupiscentiam suspicaretur, statim quasi exponendo subjungit, *Præter hoc vinculum concupiscentiæ carnalis natus est Christus, sine masculo, ex Virgine &c.* Hoc ergo vinculum concupiscentiæ, hoc vinculum mortis, hoc tantum malum, *tantùm quia inest*, ut paulo antè dixit. *tenet in morte.* Et quid est tenet in morte, nisi tenet aversam à Deo? Illa quippe & non alia est mors animæ. hoc autem

A facit, mentis seu voluntatis apicem aggravando, ac tenebrando. Vnde & alibi: *Obesset ista carnalis concupiscentia etiam tantummodo quod inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset &c. Manet quippe in prole, ita ut reatum faciat, originis vitium.* Et adversus Iulianum: *Numquid vel tibi, vel quibuslibet consectaneis tuis aliquid dicere videreris, si quantum sit (ut ex ea natum necesse sit renasci, non renatum sit necesse damnari) malum concupiscentiæ carnis sanctitate mentis cogitare posses?* Lib. de pecc. orig. c. 39. Lib. 6. c. 5.

Ex quo sanè sensu servitutis atque captivitatis, qua mens parvulorum sub concupiscentia captiva, & à Deo aversa habitualiter seu stabiliter detinetur, facilè percipi potest, eâdem quoque ratione sub diaboli potestate esse captivos. Non enim ista propter corpus, nec quoquo modo propter animam dicta sunt, sed propter id, quod in anima supremum est. Illud

B quippe supremum animæ per côcupiscentiam, quæ fœtus & fructus diaboli est, possidendo, animam possidet, & per illam simulatque adoleverint, *regit infideles*, ut Augustinus dixit, *ad arbitrium suum.* Hinc illa in libro de nuptijs: Epist. 107. *Non enim fides dubitat Christiana &c. etiam parvulos filios redemptorum sub eiusdem diaboli esse potestate captivos, nisi & ipsi eadem Christi gratia redimantur.* Lib. 1. c. 20. Cujusmodi doctrinâ ex Apostoli scriptis haustam, qui nos à potestate tenebrarum in regnum Dei transferri docet, sexcenties Augustinus repetit. Non autem aliter, nisi per concupiscentiam suo nos vinculo constringentem esse sub diaboli potestate captiuos, perspicuè docet: *Ipsa vero* (concupiscentia) *soluto reatus vinculo, quo per illam diabolus animam retinebat, interclusione destruitа, qua hominem a suo creatore separabat, manet in certamine.* Lib. 1 de pecc. merit. c. ult. Vbi manifestè dicit, per concupiscentiam diabolum animam retinere, & per hujusmodi interclusionem hominem

C à suo creatore separari, hoc est, separatum aversumq; detineri. Vnde & alibi de parvulis loquens: *Hoc enim* (quod exsufflantur & exorcizantur infantes) *procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcizantur & exsufflantur. Per quid dominatur, nisi per peccatum princeps utique peccatorum?* Epist. 105. in fine. Quid est, quæso, diabolum dominari per peccatum parvulis, nisi per concupiscentiam, quam ipse semper peccatũ originale vocat, utpote per quam mentem eorum sibi subditam habitualiter, seu stabiliter captivam tenet, donec per gratiam, hoc est, per infusam eis divinitus charitatem, ab ejus dominio & servitute liberetur, & à creaturis, ad quas quodam pondere conversa est, convertatur in Deum? Vnde hujusmodi captivitatis, & servitutis, & liberationis naturam explicatis præclarissimè, quando cum Vitale disputabat: *Responde*, inquit, *quomodo ad declinandum*

D *à malo & faciendum bonum liberum habeamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum, unde nos, si quemadmodum dicit Apostolus Deus eruit, ipse utique illud liberum fecit?* Epist. 107. Nimirum diffundendo charitatem Dei per Spiritum sanctum in cordibus nostris, qua fit ut à con-

ut à concupiscentiæ & creaturæ servitute liberemur, & ab aversione conversi in Deum gloriemur in libertate filiorum Dei. Cujusmodi arbitrij liberationem ne in solis adultis fieri censeremus, statim adjicit: *Huic igitur potestati tenebrarum per illius ruinam, cui prius a bonum ab ea potestate prævaricatio persuasa est, & in quo omnes cecidimus, subjectum est genus humanum: propter quod de hac potestate tenebrarum eruuntur & parvuli, cum regenerantur in Christo. Neque hoc apparet in eorum arbitrio liberato, nisi cum ad annos pervenerint ratione utentis ætatis, habentes consentientem doctrinæ salutari, in qua nutriti sunt, voluntatem.* Ecce perspicuis verbis dicit, id quod toties diximus, etiam parvulorum arbitrium liberari: sed quemadmodum supra dicentem audivimus, peccatum originale in parvulis apparere, cùm est insipientibus necessaria sapientia, & concupiscentibus continentia; ita & nunc è contrario dicit, liberationem ejus non apparere, nisi cùm ad annos pervenerint ratione utentis ætatis. Tunc enim illa libertas à concupiscentiæ vinculo, quæ per charitatem data est, apparere incipit, dum mente liberi, quamvis interiori carnis parte captivi, strenuissimè cum eadem concupiscentia dimicant, ne iterum ei consentiendo ejusdem servitutis vinculis constringantur. Hoc est enim ipsissimum, quod alibi de utrisque dicit; de adultis quidem: *dicunt enim* (libera nos à malo concupiscentiæ) *hac de re conjuges, ut interim mente liberi à malo, bene utantur malo, quod habent in carne.* De parvulis verò: *Nunc vero, quandoquidem cum hoc* (malo concupiscentiæ) *nascuntur, quid mirare, quia propter hoc et a cuntur; ut ab eius obligatione solvantur: & aut ex ista vita ab illo liberati rapiantur, aut in ista vita adversus illud liberè prælientur?* Ecce baptisati & quidem soli, ut dicetur alibi, ab illo malo, quod adhuc in carne gerunt, liberi fiunt, & liberi cum eo præliantur: sub quo cæteri captivi gemunt. Quomodo, qua ratione, nisi quia ab illo vinculo, quo voluntas captiva detinetur, ipsa eximitur, ut libera in Deum volans, cum concupiscentia sibi subjecta confligat? Ista quippe libertas arbitrij est effectus illius conversionis in Deum, quem aversione deleta parvulis per baptismum dari Augustinus prædicat. Quantumvis enim parvuli neque in malis neque in bonis arbitrij usu & ratione versentur, eos tamen & aversos esse, & converti in Deum, negari ullo modo potest: cùm & ratio istud ex peccati, & charitatis, & ceremoniarum baptismi consideratione convincat; & Augustinus, ut diximus, clamet: *Quomodo dicturus erat eum* (parvulum dum baptizatur) *converti ad Deum, à quo non erat aversus*, hoc est, si erat aversus? Et alibi generaliter de generis humani conversione aversioneque disserens: *Ex conversione ad Deum, ut vinceret quisque supplicium* (concupiscentiæ & ignorantiæ) *quod origo eius ex aversione* (primi hominis) *meruerat, non solum voluisse non prohiberi, sed iuvari oportebat.*

Ibid.

Lib. 1. cont. Iul. c. 2.

Ibid. c. 1.

Lib. 1 de pecc. merit. c. 34.

Lib. 3. de lib. arb. c. 20.

Ex his igitur satis manifestè, quantùm arbitror, liquet, quàm nulla sententiæ contrarietate, sed magna rerum concordia subinde vocet Augustinus peccatum originale *malitiam, iniquitatem, mortem, animæ tenebras*, & similia: subinde verò & frequentissimè *concupiscentiam cum reatu*. Nam aliquando id in illo peccato spectat, quod aversionem à Deo respicit, aut comitatur; aliquando verò magis id, quod conversionem ejus ad creaturas. Fieri enim nō potest, quin alterutro modo mēs rationalis constituta sit. Liquet etiam, cur Adami peccatum describendo, semper defectum, privationem, appetitum defectivum, & similia privativa nomina usurpet; in peccato verò originali plerumque concupiscentiam positivam. Illius quippe diversitatis ratio non est alia, nisi quod in utroque peccato explicando primas rerum radices indagaverit ac tetigerit. Nam in Adamo à supremo mentis apice Deum suum deserente peccatum cœpit, & usque ad extremas corporis partes, quæ quo remotiùs à principio sui motus, eo turbulentiùs concitantur, libidine penetravit: in parvulis è contrario, à corpore, hoc est, à cōcupiscentia ex parente in prolem trajecta incipit, & usque ad supremum voluntatis apicem pervenit. In illo quippe aversio voluntatis libidinem peperit, attestante Augustino: *Voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit*: in his è contrario libido, voluntatis aversionem. Nec enim ulla rima patet, per quam peccatum, hoc est, aversio parvulorum à Deo creatore suo, ex parentibus sive proximis sive primis in prolem serperet, si proles sine concupiscentia mentem rationalē polluente, depressamque retinente nasceretur. Nam quamvis neque actus neque habitus sit in parvulis, quendam tamen stabilem in eis esse statum vel malum vel bonum extra controversiam est: cujus quidem respectu boni causa est charitas, quæ per baptismum infunditur; respectu mali verò, si Augustino creditur, concupiscentia. Quòd si fortè ista quę præsenti capite diximus, obscuriuscula alicui in Augustino minus versato videantur, conjungat ea, quæ inferiùs adhuc paulò uberiùs dicturi sumus; & aliquid ei fortassis clarioris lucis accedet.

Lib. 1. cont. Iul. oper. impr. c. 163.

Vide infrà cap. 23.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Ratio voluntarij in originali peccato ex voluntate primi hominis fluit.

SED hic statim gravissima occurrit difficultas, cujus obscuritas & Pelagianis olim occasionem ridendi, & argumentum fœcundissimum oppugnandi originalis peccati dedit; & nunc etiam Catholicis, qui illud peccatum credunt, non minimum negotium facessit, ut illud adversus hæreticorum irrisiones, & Catholicorum admirationem, & humanæ rationis argumenta tueantur. Nihil enim efficacius, nihil magis peremptorium ad illud peccatum destruendum & nunc & olim semper visum est, nisi quod ratio voluntarij desiderari videretur: quæ tamen ad peccatum ita necessaria est, ut sine illo non possit intelligi, dicente ipso Augustino: *Vsque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem tam manifestum est, ut nulla indoctorum turba dissentiat.* Vnde ibidem concludit: *quare aut negandum est, peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi.* Hoc igitur tam evidenti fundamento nixi Pelagiani, tritissimam illam suam vocem semper adversus Augustinum ingeminabant: *In parvulis non est delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest.* Et alibi Iulianus: *Nihil esse peccati in homine, si nihil est propriæ voluntatis vel assensionis, hoc omne hominum genus, quod vel leviter sapit, sine dubitatione consentit.* Quod argumentum crebrò iterat; ut in sententijs Pelagianorum recensendis latiùs diximus.

Lib. de vera Relig. c. 14. — *Lib 3 cont. Iul. c. 5.* — *Lib. 1. cont. Iul. op. imp. f. 70.*

Hanc igitur objectionem ut solvat Augustinus, semper fatetur sicut omnino fatendum est, peccatum etiam originale esse voluntarium, non voluntate propria parvulorum, sed primi hominis, unde sumpsit exordium. Hinc adversus Iulianum: *Ea commemoras, quæ penè omnia prædicamus & nos, & de quibus nullo modo dubitandum esse censemus; usque adeo ut etiam illud quod dicis, sine opere liberi arbitrij nullum hominis esse posse peccatum, verum esse fateamur. Non enim & hoc esset peccatum, quod originaliter trahebatur, sine opere liberi arbitrij, quo primus homo peccavit.* Et libro quarto: *Hoc malum non ab ista prima institutione naturæ, sed à primi hominis mala voluntate sumpsit exordium.* Et libro tertio cùm dixisset Iulianus delictum sine voluntate esse non posse: *Hoc,* inquit, *rectè dicitur propter proprium cujusque peccatum, non propter primi peccati originalis contagium. Quod tamen & ipsum à mala voluntate priorum hominum sumpsit exordium. Sicut voluntas mala ipsa est origo peccati, id est, à voluntate mala peccatum exortum est, & peccati origo voluntas mala est: ita, nisi voluntas mala, non est cujusquam ulla origo peccati.* Et in opere adversus Iulianum imperfecto: *Potest autem & hoc rectè dici de eodem genere esse,* (scilicet propriæ voluntatis,) *si ad originem referatur: quia & ipsum ex primi hominis voluntate manavit.* Et alibi: *Sed nec ista delicta nisi ex voluntate exstiterunt unde originem trahunt.* Et libro primo Retractationum, ubi dixerat: *Nusquam nisi in voluntate esse peccatum;* statim adjicit *Quasi vero peccatum, quod eos* (parvulos) *ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu ejus implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, usquam esse potuerit, nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio.*

Lib. 6. cont. Iul. c. 10. — *Cap. 9.* — *Lib. 3. c. 5.* — *Lib. 1. op. imp. f. 116.* — *Ibid. f. 118.* — *Lib. 1. Retract. c. 15.*

Porro eadem ratione qua peccatum istud voluntarium fuit, etjam liberum fuit, & caveri potuit: Vnde cùm Iulianus Augustino exprobraret, quòd nunquam legislator usque ad hanc veniret amentiam, ut præciperet cuiquam: noli ita, vel ita nasci: quod autem admoneri non potest, ut caveatur, imputari non potest, ut puniatur: respondet Augustinus: *Non præcipitur homini quomodo nascatur; sed præceptum est quomodo ille viveret, præceptumque violavit, à quo parente peccatum originale deducitur.* Et cùm alibi præcepti observationem parvulis impossibilem Iulianus esse dixisset: *An vero,* inquit *nec sic tandem respicis, illud primitus in paradiso datum possibile ac facile fuisse præceptum; quo contempto atque violato, omnes ex uno homine tanquam in massa originis communiter illud habere peccatum?* Et iterum libro primo Retractationum, cùm dixisset in libro de duabus animabus: *Peccati reum tenere quempiam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis & insaniæ est:* objicit sibi de peccato parvulorum: *Cur ergo parvuli tenentur rei? respondetur,* inquit, *quia ex ejus origine tenentur, qui non fecit quod facere potuit, divinum scilicet servare mandatum.* Nec dissimili ratione etiam scientiam parvulis tribuit, sine qua peccatum esse non potest. Cùm enim objecisset Iulianus, Augustinum parvulis asscribere scientiam sine conscientia; respondet ei: *In quibus* (parvulis) *nec scientia est, nec conscientia; sed scivit ille, quid fecerit, in quo omnes peccaverunt, & singuli malum inde traxerunt.*

Lib. 2. op. imp. f. 184. — *Lib. 3. cont. Iul. c. 18.* — *Lib. 1 Retract. c. 15.* — *Lib. 4. c. 1. cont. Iul.*

Causa verò, cur illud peccatum semper Augustinus ad voluntatem aliquam referat, illa est, ut istâ ratione refellantur Manichæi. Nam illi nimis adversus Deum insani perversam illam animi & naturæ nostræ constitutionem ex prima hominis conditione manasse perhibebant; quasi aliqua natura mala bonæ naturæ præmixta hominem distortum faceret, & ad omnia mala desideranda, ad quæ naturæ instinctu proni sumus, & facienda cõpelleret. Vnde retundens Pelagianos: *Quid eis,* inquit, *prodest quod dicunt, omne peccatum non de natura, sed de voluntate descendere, & Manichæis malam naturam dicentibus causam esse peccati, hujus sententiæ veritate resistere: quando nolentes admittere originale peccatum,*

Lib. 4. ad Bonif. c. 4.

peccatum, cùm & ipsum sine dubio de primi hominis voluntate descendat. faciunt reos parvulos de corpore exire? Et alibi dicente Iuliano parvulos nec malos esse, quia esse quisquam nisi quod natus est non potest, nec ab eo justum est aliquid ampliùs flagitare, quàm potest: *Solemus*, inquit, *& nos adversus Manichæos ista dicere, qui non vitiatam bonam dicunt esse naturam, sed sine initio & immutabiliter malam, quam secundum suas fabulas opinantur malam. Natura verò humana secundum Catholicam fidem bona instituta, sed vitiata peccato, meritoque damnata est.* Et in libris Retractationum cùm dixisset: *Illa anima quidquid faciunt, si naturâ, non voluntate faciunt, id est, si libero & ad faciendum & non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus;* tandem propter parvulos & propter peccatum eorum à Manichæorum amentia vindicandum subjicit: *Propterea non perturbat de parvulis quæstio, quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccavit, quando libero & ad faciendū, & ad non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abstinendi summa potestas erat. Quod Manichæi de tenebrarū gente non dicunt, quam fabulosissime inducunt, eamq; naturam semper malam, nunquā bonam fuisse cōtendunt.* Hæc ergò vera causa est, cur & Augustinus ad aliquam voluntatem semper fugit, & omnes Catholici fugere debent, ut peccatum originale peccati rationem habeat; ne alioquin in Deum ipsum tanquam auctorem tanta naturæ perversitas cadat: quod Manichæi per illam naturæ malæ fabulam, quæ hominis esset conditrix naturalis, evitare voluerunt. Nam si mente fingeremus, Deum naturam humanam eo planè modo, quo in parvulis nascitur, condidisse, jam non esset neque peccatrix, neque vitiosa: quia *natura in tantum vitiosæ sunt, in quantum ab ejus, à quo factæ sunt, arte discedunt*; ut optimè dicit, & latissimè probat Augustinus. Si autem ita natura humana manet, sicut à Deo facta est, nullo modo ab ejus arte discedit; & per hoc neque peccatrix, neque vitiosa, neque mala ullo pacto esse potest. Ex quo consequenter fit, ut vitium, multoque magis peccatum in eam non possit irrepere, nisi aliquâ vitiosâ voluntate vitietur, cujus vitium simul cum ipsa natura in posteros transmittatur. Nam illa ratio voluntarij, quo peccatum in se ipso ita voluntarium est, *ut ab eo sit liberum abstinere*, sicut illud Augustinus definivit & Iulianus etiam in peccato originis necessarium esse contendit, ut Augustinus tradit, in illis solis peccatis est necessaria, quæ purè peccata sunt: non in illis, sive actualibus, sive originalibus, quæ ita sunt peccata, ut simul pœnæ sunt peccatorum. Pœna enim hoc ipso quo pœna est, rationem voluntarij excludit, & perimit. Itaque Iuliano definitionem Augustini approbante, quâ peccatum esse dixerat, unde liberum est abstinere: *Hic*, inquit Augustinus, *peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur; quale commissum est a primo homine ante omnes homines malum.* Et uberiùs idem explicans paulò pòst: *Scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam pœna peccati. Intellige quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi quod injustitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Et ad hoc tertium genus docet intrà etiam peccatum originale esse referendum: *Origo tamen*, inquit, *etiam hujus peccati descendit a voluntate peccantis.* Quam doctrinam & in libris Retractationum repetit, & tanquam ad naturam istius peccati intelligendam valdè necessariam esse tradit. Hoc autem omnibus in hac re negotium facessit, quòd audito peccati nomine, confestim actus aliquis, & ille in utramque partem liber occurrit. Sed istam potiùs imaginationem quàm rationem vera ratio peccati, quod simul peccati pœna est, falsam esse convincit: quemadmodum ex Augustino inferiùs non solùm de originali sed etiam de aliis nonnullis peccatis latiùs tradituri sumus. Hic satis est, ut sciamus, peccatum istud ita peccatum esse, ut non ex prima humanæ naturæ conditione, quæ omnem voluntarij, ac proinde peccati rationem funditus tolleret; sed ex libera ejus voluntate descenderit, qui naturam humanam rectè conditam, Deoque charitate adhærentem in ipsa prima, ex qua per propagationem fluere debebat, radice vitiavit.

Lib. 3. cont. Iul. c. 12. — Lib. 1. Retract. c. 15. — Lib. 3. de lib. arb. c. 15. — Lib. 1. operis imperf. §. 37. — Fol. 40. — Fol. 41. — Lib. 1. Retract. c. 13. 15. & 16.

CAPVT QVINTVM.

Proponitur difficultas de principio traducente peccatum primi hominis in posteros ejus.

QVAMOBREM videndum superest, quo pacto ista naturæ vitiatio, per quam anima injusta, mortua, & à Deo aversa, & peccatrix effecta fuit, ad posteros propagari possit. Nam plerique Recentiores, cùm toties ab Augustino inculcari audiunt, peccatum originale esse primi parentis voluntate voluntarium, utpote in quo omnes peccaverunt, occasionem inde sumpserunt excogitandi nescio cujus *pacti*, quo Deus omnes posterorum voluntates in primi parentis voluntate collocaverit; ita videlicet, ut quemadmodum voluntas ejus esset futura voluntas omnium in custodienda ac transfundenda justitia, ita quoque prævaricatio ejus omniū esse censeretur. Quapropter nihil aliud isti ad peccati transfusionem postulant, nisi ut natura humana ex Adam verâ generatione descen-

Vasquez de pecc. orig. & alij. — Bellarm. lib. 4. de statu pecc. c. 12.

Digitized by Google

descenderit. Nam hoc ipso quo homo ex primo homine viâ generationis effluit, reum putant: cùm ei transgressio hoc ipso fiat voluntaria. Nam sive aliqua corruptio concupiscentiæ seu libidinis in naturam humanam per peccatũ Adę inducta fuerit sive non fuerit, hoc ipsi nihil omninò ad peccati transfusionem interesse arbitrátur. Quod enim August. subinde dicit, idcircò peccatum in prolem propagari, quia per vetustatem carnis vel libidinem generatur, hoc ita ab eo intellectum esse volunt, ut vel significaverit *propagationem ex natura per peccatum corruptæ* esse causam transfusionis, *cujus argumentum sit libido*; cùm viâ generationis filium Adami esse sufficiat: vel certè secundùm alios, ut per carnis vetustatem non intellexerit *libidinis ardorem; sed obligationem carendi justitia originali.* Unde si quis Augustini sententiam acciperet de traductione peccati per libidinem, ut verba sonant, *non ferendam videri* dicunt. Idcirco verò præcipuè in hanc opinionem lapsi sunt, ut difficultates illas, quas Augustinus ex nova singularum animarum creatione metuebat, & quibus pressus pœnè succubuit, illa pacti istius facilitate, vel solius naturæ transfusione, vel utrâque simul junctâ expeditiùs dissiparent.

Bellarm sup.

Vasquez Disp. 133. c. 2. n. 6.

Sed pace eorum dixerim, neque difficultatem ipsi solvunt, quæ usque ad mortem torsit Augustinum, ut postea videbitur, neque quicquam ab ejus mente alienius, & in ejus doctrina absurdius, & principijs ejus repugnantius excogitare potuerunt. Usque adeò, ut si verum sit, quod ipsi juxta ea quæ recensuimus docent, universam doctrinam ejus de peccato originali necesse sit corruere. Quâ de re paulò latiùs tractandum est & propagationis modus, quem Augustinus ab initio conversionis usque in finem vitæ tanquam sibi exploratissimum & certissimum docuit, & ipsi mirà interpretãdi libertate pervertunt omnium oculis sincerè, & citra fucum & præstigias objiciatur.

CAPUT SEXTUM.

Carnalis concupiscentia, causa traductionis peccati originalis. Ostenditur hoc reverà sensisse Augustinum contra, quam Recentiores putant. Primò ex prima radice traductionis, magnitudine scilicet peccati totam naturam vitiantis.

DUo igitur nobis præstanda esse video: primum ut ostendamus Augustinum istam sententiam reverà tenuisse, quam ipsi *non ferendam* videri dicunt, & potiùs Bedę quam Augustino imputant: hoc est, peccatum originale per libidinem seu concupiscentiam, non tanquam argumentum corruptionis, sed tanquam veram causam transfusionis, atque ita ex ipsa natura rei propagari: ex quo consequenter positivum illud pactum cum homine primo evanescet. Alterum, ut quo modo hoc fieri queat, ex Augustini mente declaremus.

Ita Vasq. loco citato.

Quod igitur ad illud primum attinet, tot tantaque rei istius in Augustini scriptis argumenta sunt, ut supra modum admirer, quî fieri possit, ut quis Augustini libros legerit, nec istud animadverterit: nisi fortè, quòd ita ferè naturâ comparatum sit, ut animus opinione quadam præoccupatus, hoc magnum illum auctorem, quem legit, sentire putet vel etjam velit, quod ipse jam antè verum esse judicavit; ne alioquin se tanti Doctoris testimonio damnatum esse fateatur. Ex quo fit, ut quicquid eò alludat, obtorto collo in suæ opinionis suffragium rapiat, quicquid abludat, vix ea qua decet attentione & patientia ponderet, excutiat, cum alijs conferat: sed velut obscuriùs dictum prætereat. Itaque quia minùs recto voto legit veritatem quam quærere videtur sæpè non invenit, & fit sollicitudo laboris, dux erroris, dum loca ex Augustino quærit, quibus non se corrigat, sed anticipata sua sensa confirmet.

Quapropter explorata diligenter doctrina sancti Augustini, sententiam ejus indubitatam esse comperio, quod peccatum originale non aliter ex homine primo ad posteros propagatum sit, nec verò aliter propagari ullo possit modo, nisi per libidinem seu carnis concupiscentiam. Quod ut quemadmodum certissimum est, ita etjam cuilibet suarum opinionum studijs non perturbato evidentissimum faciam, in aliquot classes ejus rei argumenta distribuam.

Primùm igitur hoc inde patet, quia sæpissimè, ut rationem propagationis peccati illius afferat, dicit, magnitudine primi peccati naturam tantopere per concupiscentiam esse corruptam, ut vitio quodammodo in naturam verso, simul cum natura propagaretur & vitium: *Ex quo Adam ex olea tali, in qua nec semen erat hujusmodi, unde amaritudo nasceretur oleastri, in oleastrum peccando conversus est, quia tam magnum peccatum fuit, ubi magna in deterius fieret mutatio naturæ, totum genus humanum fecit oleastrum: ita (ut quemadmodum nunc in ipsis videmus arboribus) siquid inde in oleam gratia divina convertat, ibi vitium primæ nativitatis, quod erat originale peccatum, de carnali concupiscentia traductũ & attractum remuta-*

Lib. 1. de nup. c. 32.

remittatur, tegatur, non imputetur: inde tamen oleaster nascatur &c. A

Cap. penult.

Et in libro secundo: *Vulnus, quod peccatum vocatur, ipsam vitam vulnerat qua rectè vivebatur. Hoc autem tunc magis atque altiùs diabolus inflixit, quàm sunt ista hominibus nota peccata. Vnde illo magno primi hominis peccato natura ibi nostra in deterius commutata, non solum facta est peccatrix, sed etiam genuit peccatores.* Et paulò pòst: *Hoc autem peccatum, quod ipsum hominem in paradiso mutavit in peius, quia multo est grandius, quam iudicare non possumus, ab omni nascente trahitur.* Hanc autem vitiationem naturæ statim adijcit esse *concupiscentiam;*

Ibid.

per quam quia proles seminatur, velut ex illa oliva quidam nostri generis oleaster, sic inde reatum nascendo trahit, ut nisi renascendo liberari ab illa peste non possit. Et alibi de concupiscentia illa disputans:

Lib. 1. de nupt. c. 2.

Propter damnabile vitium, quo vitiata est, natura humana damnatur. Et inferiùs eandem doctrinam prosequens: *Hic est fructus eius ex antiqua immunditia stirpe, quam plantavit in homine* (diabolus) B Et in libris de Civitate Dei:

Lib. 13. de Civit. Dei cap. 3.

Non enim aliud ex eis, quàm quod ipsi fuerant, nasceretur: pro magnitudine quippe culpa illam naturam damnatio mutavit in peius, ut quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris. Et inferiùs declarat hoc se de morte dixisse & concupiscentia, qua fit, ut morti peccatoque proles obstricta nascatur,

Ibid.

Hactenus in eo natura humana vitiata atque mutata est, ut repugnantem pateretur in membris inobedientiam concupiscendi, & obstringeretur necessitate moriendi: atque ita quod vitio pœnaque factum est, id est, obnoxios peccato mortique generaret. Et inferiùs:

Cap. 15.

Iam natura erat seminalis ex qua propagaremur: quâ scilicet propter peccatum vitiatâ, & vinculo mortis obstrictâ iustèque damnatâ, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur. Ac per hoc à liberi arbitrij malo usu series huius calamitatis exorta est, quæ humanum genus origine depravatâ velut radice corruptâ, usque ad secunda mortis exitium miseriarum connexione perduceret. C Et in libro 14.

Lib. 14. de Civit. c. 20.

Quod in ea parte maximè oportuit apparere, qua generatur ipsa natura, quæ illo primo & magno in deterius est mutata peccato: à cuius nexu, nullus eruitur nisi &c. *in singulis expietur.* Et Iuliano obijcienti fœcunditatem, unde nascuntur parvuli, ante libidinem fuisse institutam, Respondet Augustinus:

Lib. 9 cont. Iul. c. 26.

Non attendis peccato illo magno universam in deterius mutatam fuisse naturam, unde fuerat propago ducenda. Sicut enim *ex peccato*, ut subijcit, *ita ex maledicto* (in Evam dato) *in peius tota est mutata natura.* Et in libris operis imperfecti adversus Iulianum:

Lib. 2. oper. impetf. fol. 376.

Sed quia in illo, qui hoc egit, (Adamo) *quando id egit, omnes eramus, tantumque fuit actuale delictum, ut eo natura universa vitiaretur humana, quod satis indicat etiam ipsa generis humani tam manifesta miseria, hoc delictum alienum, obnoxiâ successione fit nostrum.* Ex his alijsque pluribus locis, quæ proferre possem, si D res postularet, manifestissimè constat, Augustino non esse satis, ut peccatum primi hominis propagari possit, quod ab illo humani generis capite peccatum sit, & amissa gratia; sed quod ita peccatum sit, ut per peccati illius magnitudinem universa natura vitiaretur humana per concupiscentialem illam legem, quam in membris accepit. Per hoc enim fit, ut illa lege, seu illo naturæ vitio propagato, etjam simul peccatum originale propagetur. Quod alibi comparatione podagræ illustrat,

Ibid. f. 389.

quæ velut vitium parentis intemperantiâ contracta, cum ipsa natura subinde propagatur:

Lib. 2. oper. imperf. fol. 389.

Siquis intemperantiâ sibi podagram faciat, eamque transmittat in filios, quod sæpe contingit, nonne rectè dicitur in eos illud vitium de parente transisse? Ipsos quoque hoc in parente fecisse? quoniam quando ipse fecit in illo fuerunt, ac sic ipsi atq; ille adhuc unus fuerunt. Fecerunt ergo non actione hominum, sed ratione iam seminũ. Quod ergò aliquoties invenitur in corporis morbis, hoc in illo illius primi genitoris antiquo magnoque peccato, quo natura humana universa vitiata est, factum esse noverat &c. Quo sanè loco evidenter simul explicat, & magnitudinem peccati primi, causam esse corruptionis naturæ, & corruptionem transfusionis; & ita omnia nullo ex pacto, sed ex ipsa rerum natura contingere, quòd & filij in parente peccasse, & illi cum ipso unus fuisse dicantur. Nimirum, quia stirps sive radix ipsa vitiata est, ex qua fuerat propago ducenda: quâ semel vitiatâ, rerum natura postulat, aut patitur, ut hujusmodi radicis vitium in fructibus inde nascentibus ostendatur.

Hoc est igitur, quod etjam toties dicit, idcirco peccatum illud primi hominis transfundi in posteros, quia radix, ut etjam suprà audivimus, ipse scilicet primus homo, est vitiata; non illo vitio quod peccatum dicimus: hoc enim sanctificatione sæpè tollitur atque ante generationem fortassis ab Adamo sublatum fuit: sed illo, quod primi hominis peccati pœna fuit profundissimè impressa naturæ, quam velut umbra corpus etjam in propagatione consequitur:

Lib. 14. de Civit. c. 26. Serm. 47. de divers. c. 5. Serm. 14. de verb. Apost.

Vniversa massa tanquam in vitiata radice damnata est. Et alibi: *Totum mundum malum fecit, qui primo peccavit. Omnis massa in radice vitiata est.* Et rursum: *Quia secundum propaginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus, tanquam in parente, tanquam in radice ibi eramus: sic venenata est ista arbor; ubi eramus.* Et paulò antè explicans quo pacto illa radix vitiata fuerit: *A Deo*, inquit, *bona est instituta natura, sed per malam voluntatem à serpente vitiata est: ideo quod fuit in Adam culpa non natura, nobis propagatis factum est iam natura.* Quod alibi etjam comparatione fontis pulchrè declarat:

Serm. 38. de verb. D. m. cap. 4.

In ramo adhuc nihil commiserunt: sed in radice perierunt &c. (parvuli) *nihil mali habent nisi quod de fonte traxerunt.* Qua de causa genus humanum originaliter & radicaliter damnatum vocat;

In Enchir. cap. 48.

Illud tamen unum peccatum, quod tam magnum in loco & habitu tantæ felicitatis admissum est, ut in uno homine originaliter, atque (ut ita dixerim) radicaliter totum genus humanum damnaretur, non solvitur ac diluitur, nisi per unum mediatorem &c. Hæc autem omnia nihil aliud in Augustino spirant & volunt, quàm ita vitium originale in posteros esse propagatum, quemadmodum, si fons vel radix arboris vitietur, necesse est omnes

omnes aquas inde promanantes, & omnes fructus inde nascentes primævam illam originis redolere corruptionem; nisi vitium ab ipso fonte primitus, & à radice tollatur.

Quæ vitiorum ex fonte, ex radice, ex origine propagatio, quia valde naturalis, & communi cursu naturarum consentanea est, hinc est quod Augustinus sæpè dicat, nihil mirandum esse quod ita fiat peccati propagatio; cùm potiùs mirum foret, si contra accidere cerneremus: *Nec mirum autem, nec iniustum est, quod radix profert damnata damnatos.* Et in eodem libro alio in loco: *Si ergo hac est condatio in corpore mortis huius* (quod concupiscentia non extinguitur) *procul dubio satis evidenter apparet, unde trahant parvuli obligationem peccati, cum carnaliter nascuntur &c. Non enim hanc trahunt ex opere, quo humanam Deus naturam fecit; sed ex vulnere, quod*

Lib. 3. cont. Iul. c. 12.
Cap. 26.

A *natura humana hostis inflixit &c. unde genus humanum in his qui viam Dei ambulant, claudicaret.* Hoc est, trahunt eam ex concupiscentia, quâ tanquam vulnere, etiam dum benè vivimus, claudicamus. De qua propagationis evidentia, & quod nulla admiratione digna sit, plura inferiùs dicturi sumus. Hæc interim sola, quæ capite isto protulimus apertè probant, propter illam naturæ vitiationem, ei stabiliter inhærentem, ex Augustini mente peccatum originale propagari: quod quemadmodum affirmativis locutionibus toties pronunciantem audivimus, ita negativis, sine naturæ corruptione, quam voluntas fecit, non posse peccatum originale propagari non minùs perspicuè dicit, cùm Iuliano dicit: *Originale peccatum, quod nos dicimus, vos negatis, nullum esset utique, nisi natura ex primi hominis voluntate vitiata.*

Lib. 3. cont. Iul. c. 24.

CAPUT SEPTIMUM.

Ostenditur secundò ex locis, quæ speciatim concupiscentiam velut propinquam causam propagationis exprimunt.

SED non contentus Augustinus ipsam primam originem propagationis originalis peccati designasse, quòd videlicet natura in sua radice ita profundè vitiata est, ut servato naturali ordine non possit sine vitio tenacissimè sibi cohærente propagari, sæpè clarissimis verbis ipsum tangit vitium, nempe concupiscentiam carnis, cujus infectione & contagio peccatum in prolem generando traijcitur. Quid enim illis verbis evidentius? *Occultâ etiam tabe carnalis concupiscentiæ sua tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes.* Quid illis clariùs? *Illud, quod remissum, & tectum est, & non imputatur,* (id est, concupiscentia) *habet vim quandam occultam, unde fenescetur amarus oleaster, nisi & illic eadem Dei agricultura remittatur, tegatur, non imputetur.* Quid illis illustrius, ac tergiversationi minùs obnoxium? *Hæc, inquam, concupiscentia, quæ solo Sacramento regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum generatione traijcit in posteros.* Et paulò inferiùs: *Hoc generi humano inflictum vulnus à diabolo, quicquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo, tanquam de suo frutice fructum iure decerpat.* Et mox: *Hic est fructus eius ex antiqua immunditiæ stirpe, quàm plantavit in homine.* Nempe quia immundissimam illam concupiscentiam velut stirpem immunditiæ, quæ generando traijcitur, in homine primo, peccatum illud magnum ei persuadendo, plantavit.

Lib. 1. de pecc. merit. c. 9.
Lib. 1. de nupt. & concup. c. 33.
Ibid. c. 23.
Ibid.
Ibid.

Hinc est, quòd subinde concupiscentiam illam Apostolica phrasi *legem peccati* vocat, quia instar legis quodammodo peccatum jubet, ne quis ex ea propagari peccatum originale miretur. *Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati & mortis quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet.* Et in libro se-

Lib. 1 de pecc. merit. c. 26.

A cundo ejusdem operis: *De hac lege peccati nascitur caro peccati, expianda per illius Sacramentum, qui venit in similitudine carnis peccati &c. sic enim ab eo transitum fecit in posteros ista lex initium mortis, quemadmodum lab.r &c.* Et in libro secundo adversus Iulianum: *Attende paulisper, quomodo ex hac lege peccati omnem generari hominem, & ideo trahere originale peccatum, sanctus eloquatur Ambrosius.* Et ne quis hujusmodi locutiones ita intelligeret, quasi concupiscentia solum velut argumentum naturæ vitiatæ adesse putaretur, sæpè causalitatem concupiscentiæ ad propagandum originale vitium expressit: aliquando quidem illis utendo causandi particulis, quæ non possunt in alium sensum accipi, *unde, inde, per, ex, propter, quia,* & similibus: *Ecce unde illa confusio ecce unde contextio & succinctio foliorum, ecce unde in posteris originale peccatum.* Et in libris operis imperfecti adversus eundem B Iulianum: *Ecce de qua trahitur originale peccatum* (scilicet de pudenda libidine) *ecce per quam nasci noluit, qui venit non suum ferre, sed nostrum auferre peccatum.* Et iterum: *Eo malo benè utuntur intentione generandi; quamvis trahant unde, qui generantur, originale peccatum.* Et versus finem libri: *De hac concupiscentia suscepta tua, tibi quidem pulchra nimis, sed fœda omnibus sanctis, generatione trahitur originalis peccati vinculum, sola regeneratione solvendum.* Et in libro quinto prioris operis: *Quæ lex peccati si propterea reum parentem non tenet, quia regeneratus est, quid mirum si propterea reum tenet nascentem, quia inde generatus est?* Cujusmodi locutiones sexcenties ab Augustino repetuntur. Aliquando verò disertissimis verbis vitium ex vitio, sicut naturam ex natura propagari asserit. Quid enim sibi vult aliud id, quod in libro de peccato originali dicit?

Lib. 2. c. 23
Lib. 2. c. 6.
Ecce Lib. 2. cont. Iul. c. 6.
Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 250.
Ibid. f. 252
Ibid. f. 434
Lib. 5. c. 16

Lib. de pecc. orig. c. 37. dicit? *Hinc est* (ex pudenda concupiscentia carnali) *quod infantes etiam qui peccare non possunt, non tamen sine peccati contagione nascuntur, non ex hoc quod licet, sed ex eo quod dedecet. Nam ex hoc quod licet natura nascitur; ex illo quod dedecet vitium.* Quid sibi vult aliud quando disputat cum Iuliano: *Lib. 1. c. 8. cont. Iul.* *Cur non intelligis bonitati non tribui nuptiarum, quòd malum nascentes trahunt de vitio naturæ?* Quid sibi vult aliud quod adversus eundem alibi dicit? *Lib. 2. c. 8.* *Idem Doctor* (Hilarius) *non dubitat dicere, naturam nostram utique istam, quæ de morbo morbum trahit, ad peccandum servi.* Et alibi: *Malum de malo nascendo trahitur, quod renascendo purgatur.* *Lib. 4. c. 8.* Quid sibi vult aliud quod alio in loco apertissimè dicit: *De concubitu proles nascitur trahens originale peccatum, vitio propagante vitiũ, Deo creante naturam.* *Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 167.* Non indigent, ut mihi videtur, ista loca expositione, sed attentione: tam enim perspicua sunt, & autoris mentem ita planam faciunt, ut si quid eis explicationis loco addideris, eam potiùs obscurare, quàm illustrare videaris.

CAPVT OCTAVVM.

Declaratur tertiò ex modo, quo Augustinus tradit peccatum ex parentibus justis propagari in prolem.

QVod si cui tamen ista nondum satis fuerint, ut intelligat, nihil aliud sensisse August. quam id quod ista ejus perspicua verba sonant, aliis argumentis ex illo sumptis res ista liquidissimè constare potest. Nam in primis, cùm Pelagiani identidem illam objectionem ad interimendum originale peccatum iterarent, & velut acutissimum telum in ejus defensorem Augustinum intorquerent, *Epist. 105. Lib. 2. de pecc. merit. c. 25. & lib. 3. c. 3. & alibi.* *quomodo peccatum transit in filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus per baptismum esse dimissum?* Nunquam Augustinus ad pactum aliquod cum primo homine initum recurrit, sicut nunc Recentiores omni alio præsidio destituti solent facere: multo minùs ad illam eorum responsionem, qua dicunt, ad peccati primi reatum contrahendum satis esse, ut aliquis Adæ filius vera generatione nascatur, qualescunque tandem parentes fuerint: sed semper eò tanquam ad firmissimum illius Catholicæ veritatis firmamentum fugit, quòd quamvis in parentibus expiatum sit baptismi regeneratione peccatum, concupiscentiæ tamen infirmitas post baptismum in eorum membris non extinguitur: per cujus inobedientiam cùm filii generentur, necesse est, ut ex ea peccatum contrahant. Quid enim concupiscentia, quæ post baptismum remanet, ad istam difficultatem expediẽdam facit, si viâ generationis ex Adam profluxisse sufficiat. Nonne pactum eodem prorsus modo vim suam in eos exereret, quos comprehenderit? nonne perinde filius Adæ censeretur, etjamsi nullâ membrorum inobedientiâ, sed obedienti voluntatis pietate gigneretur? Cùm igitur illud, quod suprà dixi, sibi proposuisset Augustinus argumentum, ita respondet: *Epist. 105. in fine.* *Quasi verò in baptismo concupiscentia carnis infirmitas continuò sanetur, sicut continuò reatus eius abolet ur: sed gratiâ renascendi, non conditione nascendi. Vnde quisquis per hanc concupiscentiam etiam de renato nascitur, sine dubitatione oberit nato, nisi & ipse similiter renascatur.* Et in libro secundo de peccatorum meritis & remissione eandem objectionem ita retundit: *Lib. 2. de pecc. merit. c. 27.* *Quia renati parentes non ex primitys novitatis, sed ex reliquys vetustatis carnaliter gignunt, & filij ex parentum reliquia vetustate tota vetusti &c.* Et generalem regulam ad hujusmodi difficultates dissipandas figens: *Ibid.* *Illud namque præcipuè, propter quæstiones quæ de hac re motæ sunt, vel moveri adhuc possunt, attendere ac meminisse debemus; tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamque remissionem baptismo fieri, hominis verò ipsius qualitatem non totam continuò mutari.* Cujus effectum paulò inferiùs exprimens: *Quamdiu ergo*, inquit, *manet lex concupiscentialis in membris, manente ipsâ reatus eius solvitur &c. Ex ista autem manente concupiscentia vetustate qui nascitur, renasci indiget, ut sanetur.* *Cap. 28.* Ecce commendat nobis, velut rem maximè attendendam, & cujus præcipuè meminisse debemus, quòd qualitas hominis, hoc est, vetustas carnis, seu lex illa concupiscentiæ non continuò regeneratione sanetur: ut illius consideratione solvi possit argumentum, quo hæresis Pelagiana fidem peccati originalis impetebat. Et quid ad rem ista vetustatis, ista qualitatis, ista legis concupiscentialis in generatione præsentia, si ex Adam generando nasci satis est, dummodo pacto comprehensi simus? Nonne etsi Recentiores velut inevitabile telum adversus concupiscentiam intorquere solent, quòd quamvis omnis in generando libido divinâ potestate cessaret, non propterea transfusio peccati originalis intercideret?

Sed fortassis juvenis Augustinus ista docuit, crescente verò peritia sententiam suam in senectute mutavit. Videamus igitur, quid ætatis accessu, damnatâ jam hæresi Pelagianâ, ad Valerium Comitem scripsit: *Lib. 1. de nupt. c. 18.* *Propter hanc ergò* (concupiscentiam) *fit, ut etiam de iustis & legitimis nuptys filiorum Dei, non filij Dei, sed filij sæculi generentur: quia & ij qui generant, si iam regenerati sunt, non ex hoc generant quod filij Dei sunt, sed ex quo adhuc filij sæculi.* Et paulò inferiùs: *Cap. 19.* *Ex hac igitur concupiscentia carnis, quod nascitur, utique mundo non Deo nascitur.* Et mox

rei istius difficultatem agnoscit, quod parens sine peccato generet peccatorem: *Verum*, inquit, *quod dimissum est in parente, trahatur in prolem, miris quidem modis fit, sed tamen fit*; cujus rei, quamvis mirabilis, visibile tamen exemplum ostendit, in oleis oleastros proferentibus, quia in illis remanet aliquid, unde oleastrorum amaritudo nascatur. De qua comparatione inferius dicturi sumus. Nec verò jam senex cum Iuliano eandē difficultatē refricante dimicans, ullum in scriptis suis pacti cum Adamo initi vestigium reliquit, sed constanter semper eandem solutionem adhibendam esse judicavit: *Nec injustus est Deus*, inquit, *qui eum damnat lege justitiæ, qui peccati lege fit reus, etiamsi ex illa natus est, quæ parentem ejus propterea reum facere non potest, quia renatus est.* Et nonnihil superius generatim de justis & injustis generantibus disserens: Ex *hac lege peccati repugnante legi mentis eandem legem prima nativitate nemo non traxit, quia nisi ex illa mulier nulla concepit: & ideo venerandus Hilarius, ex peccato esse omnem carnem non cunctatus est dicere &c. Ergo & ex Deo, quia creat; & ex homine, quia generat; & ex peccato, quia vitiat.* Ecce quàm accuratè singulis causis suum effectum ascribit, *Deo creationem*, sub qua ipse plerumque Dei concursum cum causis generantibus comprehendere solet; *parentibus generationem*; *peccato*, hoc est, Apostoli phrasi concupiscentiæ *vitiationem*. Pacti oblitus est; cùm & facillimum esset intellectu, & ad rem præcipuè pertineret (nimirum, quia necdum ex posterorum schola prodierat) nudæ propagationis ex Adam, quam sufficere

Lib. 2. cont. Iul. c. 4.

Ibid.

volunt, multo magis: nec enim vel ante vel post Augustinum multis sæculis illa doctrina, ne quidem inter Semi-Pelagianos peccatum originale confitentes, lucem viderat.

Quid? quòd Augustinus non tantum in eo causam ponit, cur sanctificati parentes originale peccatum in filios transferant, quod eos per carnalem concupiscentiam generent, sed etjam subinde satis apertè doceat, si filij ex Adam sola spiritali voluntate gignerentur, nullum ex eis delictum esse tracturos. Deesset quippe causa, per quam ex parente in prolem trajici posset: *Prorsus dicant illi, quem forte invenerint infantem non ex illius unius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione esse liberandum.* Et in libro secundo de nuptijs & concupiscentia: *Proles verò eorum* (renatorum parentum) *quia non per spiritalem, sed per carnalem concupiscentiam seminatur, velut ex illa oliva quidam nostri generis oleaster, sic inde reatum nascendo trahit &c.* Clarè indicans, si spiritali tantùm voluntate seminaretur, omni reatu nascendo cariturum. Et in libro primo, cùm dixisset concupiscentiam renatorum habere instar seminis oleæ vim occultam, unde seminetur amarus oleaster, statim indicat à contrario, si hoc occultum tolleretur, non oleastrum, sed oleam esse procreandam: *Non erit autem omnino aliquid vitii carnalis, omne, vi nostrum, cùm eadem regeneratione, quæ nunc fit per sacrum lavacrum, cuncta mala hominis purgante atque sanante, eadem caro, per quam facta est anima carnalis, fiat etiam ipsa spiritalis.*

Epist. 8

Lib. 2. de nupt. c. 34.

Lib. 1. c. 33.

CAPVT NONVM.

Demonstratur quartò ex causa, cur Christi conceptio sine peccato fuerit.

SED longè evidentius ex alia Augustini doctrina sequitur, concupiscentiam carnis esse per quam culpa transit, & sine illa transire non posse; quia constanter semper docet, propter illius solius præsentiam Christum Dominum ex commixtione maris & feminæ noluisse procreari, ne illâ inordinatis & inobedientibus suis motibus in concubitu æstuans, etjam in Christum Dominum, sicut in cæteros Adæ filios, originis culpam cum natûra transfunderet. Nullum est pœnè opus adversus Pelagianam hæresim exaratum, in quo non istam doctrinam consignaverit. Nam libro primo de nuptijs: *Solus ibi* (in beata Virgine) *nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati; sed in similitudine carnis peccati: ut hinc etiam doceret, omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* Nihil clarius, expressius, inculcatius dici potuit. Et in eodem libro inferiùs: *Ex hac concupiscentia carnis tanquam filia peccati, & quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum, quæcunque nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia Virgo concepit: propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus.* Et in libro secundo ejusdem operis: *Quam enim* (diabolus concupiscentiam) *in Domino non invenit, quia Dominus homo, non per ipsam ad homines venit.* Quod ipsum ibidem docet significasse Ambrosium quando dicit: *Qui autem expers delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* Et libro secundo adversus Iulianum: *Ex hac lege carnis repugnante legi mentis nihil Christi corpus attraxit; quia non ex illa Virgo concepit. Ex hac lege carnis repugnante legi mentis eandem legem* (id est, Augustini phrasi, peccatum originale)

Lib. 1. de nupt. c. 12.

Cap. 24.

Lib. 2. de nupt. c. 5.

Lib. 2. c. 4. contra Iul.

Digitized by Google

primâ nativitate nemo non traxit, quia nisi ex illa mulier nulla concepit. Et iterum libro quinto: *Hinc apparet* (quia sola Christi caro non est caro peccati) *illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia MARIÆ corpus quamvis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit.* Quæ verba quamvis ita perspicua, expressa, diserta sint, ut nihil luculentius & minus ambiguum dici possit, tamen adhuc addit inferius: *Quod autem attinet ad peccati originalis in omnes homines transitum, quoniam per concupiscentiam carnis transit, transire in eam carnem non potuit quam non per illam Virgo concepit.* Et rursum: *Caro itaque Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, quia mortale corpus invenit: contagium verò peccati originale non traxit, quia concumbentis concupiscentiam non invenit.* Ecce perspicuis verbis, & sine ullis ambiguitatis ambagibus dicit: *Illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse propaginem mali*; propterea sine illa Christum concipi voluisse: imo peccatum transire in eam carnem non potuisse, quia sine concupiscentia Virgo concepit. Quæ omnia prorsus falsa sunt, si verum est, ut recentiores volunt, concupiscentiam nihil ad peccati transitum facere; adeoque sine illa posse transire, dummodo filius Adæ fuerit.

Lib. 5. cont. Iul. c. 15. — Ibid. — Ibid.

CAPVT DECIMVM.

Probatur quintò ex eo, quod istam Augustini mentem agnoverunt, & acerrimè oppugnarunt Pelagiani.

QVID? quòd ipsi Pelagiani nunquam dubitaverunt, quin Augustinus & Ecclesia, cujus doctrinâ premebantur, ita prorsus quemadmodum verba sonant, & nos eam hic probare nitimur; & eam superiùs proposuimus, intellexerunt? Hoc si probare potuerimus, & hoc ipsum semper Augustinus agnoverit, nulla arbitror tergiversandi ansa remanebit.

Porrò hoc in scriptis Augustini & Iuliani ita manifestum est, ut integer hac de re liber testimonijs utriusque plenus posset confici. Sed breviter, quantum satis est, rem attingam. Nam in primis vehementissimè Augustinum redarguit Iulianus, quòd aliquod in baptizatis malum remanere contenderet, unde filij peccato obnoxij gignerentur: & inde magna contra fidem Catholicam incommoda proficisci querebatur. Testis est ipse Augustinus, qui ab eo oppugnatus fuit. Nam verba Iuliani adversarij sui ita refert: *Diabolus enim creat*, dicitis, *si ex hoc vulnere creantur, quod diabolus naturæ, quæ primum condita est, inflixit humanæ: & damnantur nuptiæ, si aliquid, unde damnabiles generantur, habere credantur: nec omnia peccata dimittuntur in baptismo, si aliquod in baptizatis coniugibus remanet malum, ex quo generentur mali*, id est, si remanet concupiscentia, unde filij cum peccato generentur. Et rursum alibi idem Iulianus dicit Augustino: *Contumax cum cadentibus inclinaris, ut per argumentorum hactenus inaudita portenta, dicas libidinem diabolicam esse, eamque in sensu coëuntium positam, ad voluptatem parentum, ad reatum pertinere nascentium: tuam quidem amentiam & turpitudinem prodis &c.* Ex quibus Iuliani verbis manifestissimum est, Iulianum ita intellexisse doctrinam Augustini, sicut eam hactenus proposuimus: nec eum de minùs intellecta mente suâ redarguit Augustinus; sed potius eodem loco, totoque libro & opere ostendit summo conatu, hoc esse verissimum.

Lib. 2. cont. Iul. cap. 1. — Lib. 2. oper. imp. f. 238.

Hinc ortus acerrimus ille inter utrumque conflictus, qui non potuit multorum librorum disputationibus dirimi, utrum illa concupiscentia per peccatum Adami fuisset exorta: Iuliano eam pervicacissimè Dei creationi tribuente, ut ita peccati originalis traductionem interimeret; Augustino è contrario omnibus ingenij nervis hoc negante. *Certè hanc concupiscentiam* (inquit Iulianus) *sine qua nulla fœcunditas est, malum naturaliter definisti &c. Asirue eam, hoc si potes, ad opus diaboli pertinere, quod Deum vides conferre pro munere.* Et alibi: *Libido illa à Deo instituta, & corporibus ante peccatum docetur inserta.* Et paulo pòst: *Ac per hoc nihil sibi vel de iucunditate eius, vel de verecundia potest diabolus vindicare.* Sic enim putabat Iulianus omnem peccati originalis machinam funditus intercidere.

Lib. 2. de nupt. cap. 10. — Lib. 2 oper. imp. cit. Iul. f. 269.

Hinc nullo pacto vel hoc solum admittere volebat Iulianus, Concupiscentiam illam in paradiso fuisse vitiatam: sed talem prorsus fuisse contendebat, qualis nunc est: ne si vel vitium in eam irrepsisse diceret, etiam inde in posteros originale peccatum serpere potuisse fateretur: *Verum vos*, inquit Augustinus, *non pro religiosa ratione, sed pro animosa contentione, nec pro humano pudore, sed pro vestro furore, ne vel ipsa concupiscentia carnis vitiata credatur, & ex ea trahi originale peccatum; talem prorsus, qualis nunc est, in paradiso conabimini disputando revocare.* Et alibi: *Verum vos pro suscepta vestra* (concupiscentia) *tam fideliter laboratis, ut vim patiamini, nisi eam qualis nunc est, etiam in paradiso collocetis. Non ibi de peccato dicentes talem factam, sed talem nullo peccante fuisse*

Lib. 1. ad Bonif. c. 17. — Lib. 4. cont. Iul. c. 11.

Digitized by Google

fuisse mansuram. Augustinus enim judicabat, ad peccati traductionem asserendam abundè Catholicis esse satis, si ista concupiscentia per quam traducitur saltem peccato vitiata crederetur: *Hanc si placet vobis in paradiso collocare, & per talem concupiscentiam carnis, quæ nec præveniret, nec tardaret, nec excederet imperium voluntatis, vobis videtur in illa felicitate filios potuisse generare, non repugnamus. Ad hoc enim quod agimus sufficit nobis: quia nunc talis in hominibus non est, qualem in illius felicitatis loco esse concedistis.*

Lib. 2. ad Bonif. c. 17.

Hinc ulterius obstinatissimè contendebat Iulianus, celeberrimum illum Scripturæ locum: *Quia non habitat in carne mea bonum:* itemque istum: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* non de ipso Apostolo Paulo, sed de alio quopiam sub lege, hoc est, Iudæo adhuc in peccatis posito intelligendum esse, quem non innata carnis concupiscentia, sed tantùm mala vivendi consuetudo fatigaret: ne si fateretur in Apostoli, hoc est, in hominis baptizati & justi carne aliquid post baptismum remansisse mali, jam per hoc ipsum etiam originale peccatum à parentibus in prolem trajici posse concederet, totaque dogmatis Pelagiani scena collaberetur. Locupletissimè docet hoc Augustinus, qui Pelagianos hoc vidisse, & velut præsentissimum interitum suum horruisse testatur. Cùm enim ex Ambrosio probasset, Apostolum de se dixisse: *Quis me liberabit de corpore mortis*, videlicet propter legem illam peccati membris insitam; instando subjungit: *En tota vestra causa impulsa, prostrata, contrita, & sicut pulvis quem projicit ventus à facie terræ &c. Numquid enim Paulus Apostolus non erat baptizatus? aut aliquid ei vel originalium, vel propriorum, vel ignorantiæ, vel scientiæ remissum non fuerat peccatorum? Vnde ergo talia loquebatur, nisi id quod dixi in libro meo, cui te respondisse gloriaris, omnino verum est? Lex quippe ista peccati, quæ in membris est corporis mortis huius, & remissa est regeneratione spiritali, & manet in carne mortali &c.* Nec verò se tantum, sed & ipsos Pelagianos, si de ipso Apostolo ista dicta esse faterentur, ruinæ suæ conscios fuisse, propter apertum illum aditum, quo peccatum à parente licet sanctificato in prolem generatione transiret, pergit ostendere Augustinus: *Hoc est omnino, quod funditus subruit hæresim vestram. Quod usque adeo videtis, & timetis, ut non aliter ex his Apostoli vocibus exire conemini, nisi quanta potestis contentione asseveretis, non illic ipsius Apostoli accipiendam esse personam, sed adhuc sub lege nondum sub gratia positi cuiuspiam Iudæi, contra quem sua malæ conversationis consuetudo pugnaret.* Et ut Augustinus eum ex propria responsione ita convinceret, ut simul Catholicam suam doctrinam de concupiscentia stabiliret, proprio laqueo ex ista consuetudine mala, suffocat Iulianum: *quasi ipsa vis consuetudinis deponatur in baptismo, & non adversus eam confligant baptizati &c.* Et adhuc uberius: *Quod si attente sine pervicacia considerare voluisses, profectò in ipsa vi consuetudinis invenires, quomodo concupiscentia remittatur in reatu, & & maneat in actu.* Hoc enim docuerat Augustinus libro primo de nuptijs, ut peccati originalis transitum per manentem illam in actu concupiscentiam demonstraret. Hinc & alibi eandem vim urgens consuetudinis post baptismum remanentis: *Sed ne fortè dicas, contra hanc potius pugnare baptizatos, quod sibi ipsis prioris vitæ mala consuetudine fecerunt, non contra id, cum quo nati sunt. Quamquam*, inquit, *si hoc dicis, iam procul dubio cernis atque concedis, esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus qui ex illo contractus fuerat, auferatur in baptismo. tamen quia parum est ad huius quæstionis absolutionem, nisi nobis ex peccato primi hominis ingeneratum esse monstretur, audi &c.* Ex quibus omnibus luce meridianâ clarius est, Iulianum ita intellexisse sententiam Augustini de concupiscentia peccatum originale propagante, sicut verba sonant, & nos tam prolixè, quia res magna est, proposuimus: atque ita horruisse, ut ea salvâ, dogma suum salvum esse non posse, ipso timore & fugâ suâ fateretur.

Lib. 2. cont. Iul. c. 3.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Lib. 1 de nupt. cap 27.

Lib. 3 cont. Iul. c 5.

CAPVT XI.

Astruitur sextò ex eo, quod tredecim libri Augustini alioquin funditus evertantur.

QVOD sanè verissimum esse facilè quivis intellexerit, qui intellexerit, nullum alium conflictum inter Augustinum & Iulianum ex proposito utriusque fuisse susceptum, quàm de illa sola & unica quæstione, utrum peccatum originale per concupiscentiam carnis seu libidinem ex parentibus in prolem propagaretur: Augustino omnibus ingenij & eruditionis nervis incumbente, ut eam peccato in primorum hominum carne exortam esse, & peccatum in posteros propagare convinceret; Iuliano è contrario asserente, eam à Deo in paradiso esse plantatam, atque ita fieri nulla ratione posse, ut per eam in proles à parentibus culpa transiret. Ex quo efficitur, ut præcipui & eruditissimi libri Augustini, numero facilè tredecim, qui unicâ istâ intentione scripti sunt, adde & alios plures, qui hoc ipsum magna ex parte tractant, funditus corruāt, & velut inanes ac futiles abjiciendi sint, si Augustinus in eo falsus est, quod per solam concupiscentiam carnis peccatum originale traijci profitetur. Nam liber primus de nuptijs & concupiscentia, nullum penitus alium scopum habet, quàm in transfundenda originali culpa, meritò concupiscentiam illam

repre-

CAPVT XII.

Ecclesiæ de Pelagianis victoria esset vana, imo fallax, & falsa, nisi ista Augustini sententia fuerit vera.

NON enim solius Augustini, sed Ecclesiæ totius causa in ista cum Pelagianis contentione versatur. Ipse enim solus à Milevitano Concilio universo Pelagianæ factioni objectus est ut litem illam, qua prima Christianæ religionis fundamenta quatiuntur, suâ eruditione dirimeret, tota Ecclesia non solùm applaudente, sed etiam ita silente, ut quemadmodum lucente Sole sidera disparent, ita ab illo die usque ad mortem ejus nemo Catholicorum inventus fuerit, qui tanto viro cum Pelagianis luctante sibi in aciem procedendum, illo scribente sibi vel calamum stringendum duxerit. Ipse Hieronymus, qui paulo antè adversus Pelagianos A aliquid elaboraverat, illius operibus cõspectis usque ad mortem contra illos obmutuit. Sixtus Presbyter, qui aliquid scripsit, non tam Ecclesiæ doctrinam, quàm seipsum à calumnia tueri coactus fuit. Viderunt hoc, & acerbissimè conquerunt Pelagiani. Unde illa Iuliani adversus Augustinum dicteria, quibus nunc illum *unum* dicebat *egressum, qui in se summam prælij sitam*, quo scilicet inter eos de concupiscentia peccati traductrice certabatur, *optaret intelligi*: nunc illum esse, qui *causam istam contra illos, unum pro omnibus, agere permitteretur*: nunc eum sui *certaminis singularis oblitum*: nunc Virgilianis versibus usus; Lib. 3. cont. Iul. c. 1. Lib. 2. c. ult. Lib. 6. c. 8.

Oblato, inquit, *placuit componi fœdere bellum* Ibid.

ut pugnæ omnium contentio nostra dirimeret. Quæ A quamvis à se repelleret Augustini modestia, veri tamen aliquid continuisse, ex Actis illius temporis manifestum est. Hinc enim & Prosper dicit: *Excubasse pro universis membris corporis Christi vigilantissimam industriam ejus, & adversus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnasse: omnium denique fatigationem provincentem hoc præsenti sæculo Dei gratia, in charitatis ejus & scientiæ vigore spirasse.* Quòd si Augustinus Ecclesiæ causam sibi commissam agens, tam ineptè deliraverit, ut non leviter & per transennam indicando, sed tot tantisque scriptis voluminibus ex professo docendo, tam absurdam, & non ferendam, ut recentiores volunt, sententiam propugnaverit, non est Ecclesiæ magnopere de tali victoria gratulandum. Non enim sponsi sui veritate, sed adulteri falsitate dimicavit: longèque verius est victa, quàm vicit. Quidni igitur pugna cum Pelagianis in- B staturetur, cùm eis causa negati peccati originalis supersit integerrima? Omnia quippe argumenta Iuliani Pelagianę Heresis architecti, quibus impossibilem asserebat esse peccati originalis transitum, & verò impossibilem esse sine concupiscentiæ subsidio, satis apertè fatebatur Augustinus, insoluta manent, neq; à se solvi posse, per os pugilis ac defensoris à se delecti, Ecclesia confitetur. Quod, quamvis ex ijs quæ jam dicta sunt, utcunque colligi possit, non tamen erit abs re paulo accuratius ostendere. Epist. ad Aug.

Pelagiani cum intelligerent ruinam dogmatis sui, quo gratiam Christi ad bene vivendum negabant esse necessariam, ab originali peccati transitu pendere, omnes vires eò converterunt, ut peccatum istud, quo naturæ vires Catholici dicebant vitiatas & infirmatas esse, subverterent. Cùm verò certissimum il- A lud Philosophiæ principium esse scirent, nihil vitij in effectu esse posse, quod non in causa præcesserit, quemadmodum & omnium Theologorum Schola, S. Thoma præeunte, profitetur, contentiosissimè conclamarent, etiamsi peccasset Adam, ipso tamen peccato illo, sive in posteris baptizatis, sive in ipso jam olim Capite deleto, nihil omnino præteritum in sanctis conjugibus superesse, quo peccatum in prolem generando transfunderent. Adamantinis igitur vinculis asserebant sequi, conjuges naturali illa commixtione sexuum causam esse peccati; atque ita damnari nuptias seu conjugium, & consequenter Deum conjugij autorem; vel certè diabolum esse conjugij & commixtionis auctorem, ex qua peccata nascerentur. Hanc machinam Pelagianam ut Ecclesia vel pro Ecclesia Augustinus everteret, totam causam peccati originalis ab illo principio religavit, quod in commixtione conjugum duo consideranda sint, commixtionem & pudorem ejus, nuptias quibus legitimè junguntur conjuges, & concupiscentiam carnis, qua stimulante junguntur: illud esse bonum, hoc malum; illius Deum, hujus diabolum autorem; illo naturam, hoc peccata propagari. Nam cùm statim initio libri primi de nuptijs & concupiscentia scopum scriptionis illius, ut jam jam vidimus, prætulisset, post operosam nuptiarum atque libidinis discretionem, tandem ad rem veniens: *Iam nunc si quodammodo interrogemus bona illa nuptialia, unde ab eis potuerit peccatum in parvulos propagari: respondebit nobis operatio propaganda prolis: Ego in paradiso magis felix essem, si peccatum non fuisset admissum &c. Respondebit pudicitiæ fides: si peccatum non fuisset, quid me in paradiso securius esse potuisset ubi nec stimularet mea, nec aliena me libido tentaret? Respondebit etiam connubij sacramentum: de me ante peccatum dictum est in paradiso: Relinquet* Lib. 1. de nupt. c. 21. & 22.

homo

CAPVT XIII.

Omnium antiquorum idem sensus usque ad ætatem Scholasticorum.

NEc verò solus Augustinus istam sententiam contra Pelagianos docuit; sed plerique Patres, qui eum aliquot sæculis, nondum exortâ hæresi istâ, præcessêre, præsertim verò qui eâ extinctâ consecuti sunt, non aliam, cùm de traductione peccati sermo faciendus fuit, quàm illam de inobedientia carnalis concupiscentiæ rationem vel apertè proferendo, vel tacitè insinuando, tetigerunt. Hanc dedit Origenes, cùm explicaret, cur Christus venisset in similitudine carnis peccati, non in carne peccati: *Qui ex nulla viri contagione, sed solo Spiritu sancto super Virginem veniente, & virtute altissimi obumbrante, venit ad corpus immaculatum, naturam quidem corporis nostri habuit, pollutionem tamen peccati, quæ ex concupiscentiæ motu conceptis traditur, omnino non habuit.*

Orig. in c. 8. Epist. ad Rom.

Hanc insinuavit Olympius Hispanus Episcopus ab Augustino citatus, qui dicit: *Protoplasti mortifera transgressione vitium esse sparsum in germine, ut peccatum cum homine nasceretur.* Indicat enim germen, seu semen, unde nascitur homo, ita esse vitiatum, ut non sine peccato nascatur.

Apud Aug. lib. 1. cont. Iul. c. 3.

Hanc idem Hilarius tacitè expressit, quando de Christo in similitudine carnis peccati veniente dixit: *Non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato, scilicet Adam parente, deducta, in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine.* Quid enim est omnem carnem præterquam Christi esse ex peccato, nisi ex concupiscentia, quam Apostolus peccatum vocat. Nam propter concupiscentiam dici carnem peccati sæpissimè Augustinus docet: & ideo in Christi carne esse similitudinem carnis peccati, quia concupiscentiâ caruit: *Si Abel non habebat legem in membris repugnantem &c. Si caro eius non concupiscebat &c. nihil ei nocuerat peccatum parentum. Sed quisquis talem dicit fuisse Abel, dicat eum carnem non habuisse peccati: cùm procul dubio Dominus Christus non habuisset similitudinem carnis peccati, nisi aliorum omnium hominum esset caro peccati.*

Apud Aug. ibidem.

Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 393.

Hanc apertè significavit Ambrosius, per quem Augustinus doctrinam istam sæpè probat, quando Christi nativitatem cæteris comparando dixit: *Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers delicti expers est etiam huiusmodi conceptionis.* Et alibi apud eundem Augustinum, qui illum in suæ sententiæ adstipulationem accersit: *Male Eva parturivit, ut partus relinqueret mulieribus hæreditatem, atque unusquisque concupiscentiæ voluptate concretus, & genitalibus visceribus infusus, & coagulatus in sanguine, in pannis involutus, prius subiret delictorum contagium, quam vitalis spiritus munus hauriret.* In quem Ambrosij locum Augustinus: *Si te non deseruit qualiscumque saltem sensus humanus, vides quid de concupiscentiæ voluptate trac ipsâ, cui præbes impudentissimum patrocinium pronunciaverit Doctor Ambrosius &c. Ergone ex huius concupiscentiæ motu iam non erubescerent homines primi, quo & ipsi apparebant noxij, & eorum filij peccato parentum pronunciabantur obnoxij?*

Ambr. comment. in Isa. apud Aug. lib. 2. cont. Iul. c. 4. & lib. 1 de nupt. c. ult.

Lib. 2. cont. Iul. c. 6.

Ibid.

Post Augustinum unanimiter usq; ad Scholasticorum ætatem doctrinam tanti Doctoris secuti Patres, eodem modo libidini propagati peccati originalis causam ascribunt.

Hinc sanctus Leo Pontifex maximus, ac doctissimus: *Solus inter filios hominum Dominus* IESVS *innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.* Quibus verbis sancti Augustini doctrinam, quam suprà latè ex ipso dedimus, cur solus Christus sine peccato sit conceptus, expressit: ad quam allusit & istis phrasibus: Quamvis *conceptus spiritali (Christi) nulla sine terreni seminis mixta contagia.* Et rursum: *Vt humani seminis cessante contagio.* Et Petrus Chrysologus de Adami peccato loquens: *Numquid non in semine tota arbor? Vitium ergo seminis, vitium est totius arboris*; quæ posteà fusiùs declaranda sunt.

Serm. 5. de nativit. Domini.

Ibid.

Serm. 4. de nativit.

Serm. 111. Petrus Chrys.

Hinc Faustus quantumlibet Semi-Pelagianorum errore depravatus luculentissimè sancti Augustini sententiam explicuit: *Sed dicit Pelagius, ideo non esse originale peccatum, quia ipsa concupiscentia generationis ex Deo sit. Vnde autem veniat nexus iste, qui per posteros trahitur, si requiras; sine dubio per incentivum maledictæ generationis ardorem, & per illecebrosum utriusque parentis amplexum. Nam cum illum solum videas ab originali immunem esse contagione, qui non carne, sed spiritu, nec erubescenda passione, sed stupenda benedictione conceptus est, agnosce causam mali originalis de oblectamento natum conceptionis, & de vitio voluptatis.*

Lib. 1. de gra. & lib. arbit. c. 2.

Hinc sanctus Fulgentius non postremus Augustini discipulus: *Iniquitatem simul transfudit & mortem, ut omnis qui per legem peccati (quam certum est mortalibus usque ad mortem inesse corporibus) de peccatoris semine nascitur, in ipso conceptionis exordio excepisset peccati parentalis maculam, exinde sub iugo gravi &c.* Et in eodem libro immaculatæ Christi nativitatis causam explicans: *Vulvam quippe matris eius,* inquit, *non concupiscentia mariti concumbentis, sed omnipotentia filij nascentis aperuit. Ideo solus est, in quo princeps huius mundi veniens nihil invenit.*

Lib. de in car. & grat. c. 13

Hinc Gelasius Papa, cùm originalis peccati transfusionem declarandam suscepisset, accuratissi-

piscentiam in Virgine concipiente atque pariente, quæ totius peccati atque corruptionis radix est. Hoc enim intelligere Richardum perspicuè docet id quod statim adjicit: *Si tantum sola ejus conceptio valuit, ut concupiscentiæ fomitem, totiusque corruptionis radicem deleret, quid quæso* &c. Itaque docet ibidem fuisse puritatis, quòd *sine concupiscentia seminare potuit*. Alibi verò per hoc quod Spiritus sanctus obumbraturus Virgini dictus est, significatum esse voluit, quòd *omnis concupiscentia in ea esset extinguenda*: & hoc inde probari, quòd virgo conceperit & pepererit.

Lib. 2. de Emmanuele c. 27.

Hinc Innocentius III. summus Pontifex: *Quis nesciat, concubitum etiam conjugalem nunquam omninò committi sine pruritu carnis, ac sine fervore ac fœtore concupiscentiæ, unde semina concepta fœdantur, & corrumpuntur? Propter quod alibi legitur: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Ex seminibus ergò fœdatis atque corruptis concipitur corpus corruptum pariter & fœdatum; cui anima tandem infusa corrumpitur, & fœdatur, non ab integritate vel munditia quam habuit; sed ab integritate vel munditia, quam haberet si non uniretur fœdato corpori & corrupto: quoniam & creando infunditur, & infundendo creatur. Sicut enim ex vase corrupto liquor infusus corrumpitur; & pollutum contingens ex ipso contactu polluitur: sic ex contagio corporis anima corrumpitur, & fœdatur*. Et paulò inferiùs: *Ex concupiscentia procedit pruritus circa januam humanæ propagationis, per quam transfunditur originalis causa peccati.*

Innoc. III. in Psal. 50. in illud. Ecce in iniquitatibus.

Ibid.

Hinc Vrbanus quartus Pontifex maximus, accuratissimè Augustinianæ doctrinæ trāmitem tenens, ita exactè traductionem illius peccati per concupiscentiam tradit, & explicat, ut nihil per ipsum Augustinum addi potuisse videatur: *In illa lege nostra originis vitiosa, in qua omnes corrumpimur, & nascimur in utero & ex utero filij iræ tuæ, atque per traducem libidinosa carnis concupiscentia, etiam antequam peccemus actualiter, constituimur peccatores, & ad actualia proniores.* Et inferiùs: *Nam in eo* (Adamo) *seminaliter omnes erant, quando ipse naturam corrupit humanam, & ab illo uno homine, qui omnium nostrum fuit materia & origo, omnes concupiscentialiter descendunt, & per propagationis successionem, & carnis concupiscentiam occultè illa corruptio in posteros de*migravit. *Nec tamen hoc fecit propagatio, sed libido: non naturæ humanæ fœcunditas, seu libidinis fœditas* &c. Et cùm Christum dixisset sine opere concupiscentiali, ideoque sine peccato ex primo homine descendisse, ita nobis ita subtexit: *Sed quia concepti sumus illa vitiosa lege concipiendi, nobis ex peccato primi hominis occultè & miserabiliter accedenti, ideo originalis peccati ex tua justissima, Deus, sententia rei sumus.* Hinc adjicit, quòd sicut Christus occultissimam gratiam infundit & parvulis, *sic & homo ille* (primus) *in se omnes de stirpe sua venturos, occulta tabe, & fœditate sua libidinosa concupiscentia adeo tabificavit, quod anima ante, Deus, creando infusa corpori taliter tabefacto maculatur, polluitur, & fœdatur: sicut in vase non sincero vinum infusum licet optimum inficitur, & acescit: & in illa infusione ipsa anima damnationis sententiam in se justam excipiens culpam contrahit, & reatus pœna perpetua obligatur.* Quæ de Christi gratia & Adami tabificatione similitudo, & nonnulla verba, quibus eam exprimit, ex Augustini libro 1. de peccatorum meritis & remissione deprompta sunt: ut ejus doctrinæ se æmulatorem esse monstraret, cujus argumentis & verbis utebatur.

Metaphr. in Psal. 50 in Biblioth. Patrum.

Quid? quòd neque Scholastici priores sententiam illam absurdam judicarunt. Nam eam apertè docuerunt illi, qui Patribus proximè successerunt, Petrus Lombardus libro secundo sententiarum exertè & prolixè, & magno numero antiqui Commentatores ejus, sanctus Bonaventura, S. Thomas, Gregorius, & alij. Inter quos sanctus Thomas in prima secundæ, & in quæstione quarta de malo tradit non solùm concupiscentiam esse materiale in peccato originis, sed etjam esse id quo propagatur in prolem. Vnde quæstione quarta de malo, articulo secundo ad undecimum dicit: *Concupiscentia secundum quod est in patre, est causa originalis peccati quod est in filio.* Et articulo sexto ad septimum: *Ex pœnalitate, quæ remanet in baptizatis quantum ad inferiores vires, traducunt originale peccatum. Nec esse inconveniens quod pœna sit causa culpæ.* Et ad decimum sextum, docet libidinem habitualem, quæ remanet post baptismum, esse causam, quòd aliquis transmittat originale peccatum.

Lib. 2. sent. Dist. 30. & 31.

S. Thom. q. 4. de malo a. 2. ad 11.

CAPVT XIV.

Tanquam veritatem Catholicam, & sententiam Ecclesiæ docuit hoc Augustinus.

Et verò quid mirum est, quòd plerique Patres veteris Ecclesiæ usque ad annos mille & amplius, sententiam illam utramque Augustini, quod concupiscentia cum reatu sit originale peccatum, & quòd per eandem concupiscentiam vitio propagante vitium, traducatur in posteros, expresse docuerint, nemo verò, quod quidem sciam, vel contrariam, vel aliam; cùm Augustinus eas non tanquam opiniones suas, quas cuique liceat pro arbitrio vel repudiare vel sequi, sed tanquam Catholicas veritates nonnullis locis docere videatur? Nam cum Iuliano acerrimè de concupiscentia disputans, ut non solùm rationibus petulantiam & pervicaciam ejus, sed etjam auctoritate premeret & opprimeret, sic eum alloquitur: *Verum malum non sit* (concupiscentia) *cui repugnanti consentiendum non est, ne in suum pergat excessum: Et utrum non ex ipsa, & cum ipsa concupiscentia nascant*

Lib. 5. cont. Iul. c. 12.

tim adjicit: *Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs eius*, hoc est, desiderijs ac motibus, quos illud peccatum suscitat. Et quicquid usque ad finem sexti capitis attexit, non nisi de peccato, quod est concupiscentia, intelligitur. Quam Apostolici discursus deductionem genuinam & veram esse ipse summoperè sibi consonus à capite ad calcem usque contextus clamat, & jam olim Gregorius Ariminensis advertit.

CAPVT XV.

Opponitur tantæ certitudini fluctuatio Augustini usque ad mortem, & ex ipso Augustino solvitur.

SED mirum alicui non immeritò videri poterit, qui fieri possit, ut tanta asseverantia, & omnis omninò fluctuationis experte certitudine, duas istas sententias Augustinus tradiderit, cùm notum sit, eum de animæ productione, utrum ex parentibus propagetur, an de novo creetur à Deo, usque ad mortem dubitasse; nec alia de causa dubitasse, nisi quòd intelligere non posset, quomodo posset peccati originalis ratio cum animarum nova creatione consistere. Hinc in Epistola ad Hieronymum, cùm sententiam de animarum creatione sibi de cætero satis placere indicasset, causam tamen suæ trepidationis adjicit: *Sed cùm ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustijs, nec quid respondeam prorsus invenio.* Et in libris de peccatorum meritis cùm sibi Pelagianorum argumenta proposuisset: *Ego autem*, inquit, *etsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse ijs, quæ in scripturis sunt apertissima.* Et sermone 14. de verbis Apostoli ijsdem Pelagianorum argumentis territus dicit: *Ego istam quæstionem profundam sentio, & ad eius fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco.* Hinc tritum illud Augustini de peccato originali: *Quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Qui ergò fieri potest, ut cum tantæ obscuritatis & infirmitatis agnitione tam resoluta istarum quæstionum certitudo consistat? Hujusmodi igitur Augustini locis persuasus recentior quidā Scriptor, nihil mirum esse dicit, si vir alioquin doctissimus & sanctissimus difficultate rei oppressus nihil aliud invenerit, in quo essentiā originalis peccati constitueret, quàm reatum illum: præsertim cùm, ut idem Scriptor ait, ignorantiam suam fassus, cupierit ab Hieronymo edoceri. Et alius propter hujusmodi confessam Augustini fluctuationem dicit: *Eum nunquam planè in hac quæstione*, de modo traductionis, *sibi satisfecisse*; propter illud scilicet Pelagianorum argumentum, ut idem indicat, quòd peccatum originale sit in anima, non in carne; anima autem non trahatur ex Adamo.

Epist. 28.

Lib. 3. c. 4.

Cap. 7.

Lib. de moribus Eccles. c. 22.

Vasquez 1. 2. Disp. 132 c. 3.

Bellarm. lib. 4. de statu pec. c. 12.

Sed pace eorum dixerim, longissimè isti à sancti Augustini mente discedunt. Longè aliud est, quod Augustinum torsit, quàm vel natura peccati originalis, ut unus eorum; vel modus traductionis ejus, ut alter putat. De utroque semper usque ad mortem certissimus fuit, ut ex tanta testimoniorum & argumentorum grandine, quæ produximus, quibus omnes ejus libri sparsi sunt, satis superque intelligi potest. Vtralibet enim esset vera sententia, sive anima ex parentibus traheretur, sive Deo creante carni misceretur, semper hoc ei ratum fixumque permanebat, nihil aliud peccatum illud esse, nisi concupiscentiam cum reatu; itemque nullo alio traduci modo nisi vitio concupiscentiæ propagante vitium, quod animæ ex parentibus tractæ non minùs atque carni ex labe originis inditum inspersumque naturaliter inhæreret; vel certè, quod à Deo creatam animam, propter intimam illam cum carne conjunctionem ac mixtionem inficeret. De quo traductionis modo infrà latiùs. Sed cùm Augustinus facilè intelligeret, id ita fieri, imò aliter naturaliter non posse fieri, quocunque tandem modo animæ corpori jungerentur, hæc tamen insuperabilis ei semper difficultas visa est, quòd nunquam intelligere posset, quā justitiā Dei fieret id quod illā veritate creationis animæ admissā videbat fieri: Nimirum, quomodo justum esse posset, ut anima recenter à Deo creata, & ab omnibus peccatis innocens sine culpa sua mitteretur in carnem peccati; cujus concupiscentia & libidine inquinata gravaretur; cujus tot pœnis immanibus puniretur; cum qua tandem, quod erat gravissimum, ad æternas pœnas destinata damnaretur. Sub istius argumenti mole semper Augustinus succubuit: alterutrum enim ei videbatur necessarium, ut vel Deus esset istius auctor inquinationis; vel certè inquinari anima recens creata non posset. Hunc fuisse nodum Augustino insolubilem sexcentis testimonijs ejus ostendi potest. Nos ex multis pauca proferemus, quorum tamen pleraque eo tempore & eo loco protulit, quo easdem sententias illas de concupiscentia suprà declaratas constantissimè docuit.

Nam in primis in eadem illa Epistola ad Hieronymum, ubi suas angustias summa ingenuitate confessus est, cùm de cruciatibus ac damnatione parvulorum sine baptismo morientium multa dixisset, ita subjicit: *Huius igitur damnationis in parvulos causam requiro: quia neque animarum, si novæ fiunt singulis singulæ, video esse ullum in illa ætate peccatum; nec à Deo damnari aliquam*

Epist. 28.

fides credat, quod mens non capit: ut, quomodo res fiat, intelligamus; quâ verò justitiâ, nesciamus; Quàm multi intelligunt, quomodo peccatores floreant, justi calamitatibus atterantur: qua verò justitia Deus utrumque fieri aut velit aut sinat, quàm multi non intelligunt? Quæ sanæ ratio est, ut in iisdem locis, quibus maximè de ista animæ & divinæ justitiæ quæstione fluctuat, indubitanter tamen peccati traductionem per concupiscentiam fieri, & ab ejusdem concupiscentiæ reatu parvulum baptismo liberari debere profitetur; ut ex libro decimo de Genesi ad litteram, & libro quinto contra Iulianum apertissimum est. Ibi enim cùm evidenter inquinationem animæ, si creetur nova singulis, ex carne peccati concupiscentiâ vitiatæ fieri docuisset, dubitationem tamen suam statim adjicit: *Ubi occulta justitia divinæ legis includitur.* Idcirco enim occultam dicit, etsi justitiam esse firmissimè crederet, quia absconditam illius justitię profunditatem satis penetrare non poterat. Ita quippe arcanam, & ab ingenio humano vel certè suo abstrusam esse judicabat, ut in libris de Genesi ad litteram dicat, quòd quisquis istam de animæ creatione sententiam tenens, justitiâ condemnationis ejus *potuerit demonstrare, mirandus est.* Ita ei hoc saxum immobile, difficultas insuperabilis, quæstio insolubilis, ex perpensâ divinæ justitiæ puritate videbatur. Cui profectò enodando, nihil magnopere video Recentiores illa sua decantata facilitate cōtulisse, nisi quòd unius difficultatis loco, duas substituerint, & nodum explicando magis implicuerint. Quis enim intelligat hujusmodi pacta iniri posse, quibus volūtas prolis ita in parentis voluntate ponatur, ut quamvis nihil penitus inquinationis generando in prolem transeat, hoc solo quia voluntas unius ex pacto est alterius, patre peccante filius quoque peccator esse censeatur, ac sit? Sic enim nulla ratio est, cur non etiam parvuli qui jam nati sunt, simili pacto inito, ex patris peccantis iniquitate reatum contrahant: imò cur non parvuli, quolibet in Europa peccante, fiant in India, & in universo terrarum orbe peccatores; quandoquidem non minùs nati, quàm nascituri propria voluntate careant, aliena voluntate gubernentur: ac Deus in omnium voluntatem sive parvulorum, sive majorum, sive nati, sive nascituri sint, supremum dominium teneat, & quamlibet voluntatem possit in qualibet collocare. Nam esse vel non esse natum, esse filium alicujus, vel non filium, nihil ad hujusmodi peccati contractionem facit: cum longè magis rationi consentaneum esse videatur, ut de hominibus qui jam sunt, quàm de illis qui post tot secula nascituri sunt, Deus & parens ejus contrahendo disponant. Et vero quis Augustinus vel Augustino similis illius contractus justitiam penetret, ubi pater nullam gignendo inquinationem in filium naturaliter fundens, sola suâ voluntate filium æternæ damnationis reum facit? Ubi Deus nulla generationis immunditia naturaliter maculatum, solâ alienâ voluntate peccatorem fieri cupit, æternisque suppliciis pro tali iniquitate condemnat? Imo sanè, quis non videt, in ista recentiorum opinione, non parentem, non parvulum; sed solum Deum esse originalis iniquitatis auctorem, ut qui solâ suâ voluntate velit atque efficiat, ut parvulus ex parentis voluntate, cum qua alioquin nihil commune habet, & ex qua nihil iniquitatis ei per se communicari potest, peccati suppliciique reus fiat? In Augustini sententia longè aliter se res habet. In ea quippe, vi generationis naturaliter transfundentis immunditiam stirpis suæ, anima recens facta polluitur, neque aliter secundùm leges generationibus animalium præstitutas fieri potest: quamvis illa sola Augustini difficultas jam sæpiùs tacta semper maneat, quâ justitia Deus animam innocentem eo mittere velit, ubi ex carnis commixtione & inquinatione peccatrix fieri debeat. Sed non est mirum, Scholasticos illo Augustini scrupulo non multùm esse territos, cùm eorum quidam tam exorbitantes de divina justitia sententias teneant atque doceant, ut eum etiam justos vi supremi dominii sine ulla injustitia in æternū damnare posse non dubitent. Cujusmodi doctrina S. Augustino secundùm sublimia principia, quæ passim tradidit, tam enormis, & ausim dicere, tam execranda videretur, ut longè faciliùs hujusmodi Deum, Marcionis aut Manichæorum Deum, qui mala condidisset, quàm Catholicorum esse concederet. Sed de hoc infrà accuratiùs.

Quòd si quis ex me quærat, quo pacto illam difficultatem Augustini, quam nemo ei viventi solvere potuit, solvendam esse judicem, malim, fateor, & ego hic audire doctiores. Principia quippe Augustini de divina justitia de quibus multa inferiùs dicturi sumus, arctissimè premunt. An fortè dici potest, ita Deum conditorem omnium naturam rerum corporalium instituisse & condidisse, ut cùm nec sola esse corpora spiritu vacua, nec solos spiritus expertes corporis expediret, mirabili commixtionis artificio alterum altero ad absolutam completamque naturam concurrente temperandum esse æterna & immutabili suæ veritatis lege judicaverit? Qua semel tanquam justissimâ constitutâ, hoc sequi ex natura rei videbatur, ut neque hujusmodi incompleti spiritus, qui corpora vegetarent, sine corporibus & extra corpora crearentur, neque corpora spiritibus vegetanda, sine spiritus hujusmodi animatione interire sinerentur. Æquissimę hujusmodi sanctioni, quam universitas rerum postulat, iniquitas primæ animæ incorporatæ, seu corporis animati, ex quo erat cæterorum omnium propago ducenda, sese interposuit; atque ita corrupit naturam suam, ut naturali lege, quicquam aquarum ex ea velut fonte flueret, quicquid fructuum ex ea velut radice cresceret, ingenitam illam fontis amaritudinem radicisque redoleret. An hic justum esse judicabimus, ut justissimus universitatis moderator legem suam abroget, ne spiritus, quem

Lib. 10 de Genes. ad litt. c. 11.

Lib. 3. de pura nat.

Vide infrà lib. ult. de statu puræ naturæ.

quem

quem corpus in utero ex libidinis lege seminatum formatumque sibi in se creari naturæ voce flagitat, ex ejus commixtione peccato maculetur? Non arbitror. Neque enim æquum erat, ut peccato sapientissima rerum institutio tolleretur: præsertim cùm eam labefactatam prosequendo non minùs immensitate justitiæ, sapientiæ, ac bonitatis, quàm ante prævaricationem naturarum institutione conditor inclaresceret. Pergit igitur eosdem spiritus juxta primigeneam legem in corporibus jam corruptis condere, ut quibus melius sit vel ita esse, quàm omnino non esse, faciens bonum, permittens malum, ne nolendo sinere nonnulla mala fieri, bona ipsa, propter quæ reliqua universi corporei moles condita est; esse desisterent; & ipsa tota machina velut frustrata fine suo, prorsus frustra condita videretur. Hæc ratio si non sufficit ad vindicandam justitiam Dei, tædam alteri libenter tradam. Quid enim aliud probabilius dici possit, prorsus nescio.

Et hactenus de quæstione, an sit, hoc est, an per concupiscentiam carnis peccatum originale in posteros transfundatur, satis diximus. Nunc utrum ille transfusionis modus ex Augustini principijs intelligentiæ aliquâ rationi subjici possit, dispiciendum est.

CAPVT XVI.

Difficultas non debet terrere Theologos Catholicos à tuenda Augustini sententia. Declaratur traductionem peccati fieri juxta mentem ejus non ex pacto, sed ex natura rei.

NIHIL enim est, quod magis Theologos recentiores ab hac sententia tuenda deterreat, quam difficultas intelligendi, quo modo posset fieri. Sed immeritò sanè hoc argumentum Catholicos Theologos movet, qui nihil in Christiana Ecclesia & fide usitatius esse sciunt, quàm ut id quod ratio non assequitur, fides credat; ut rem teneamus, cujus modum nesciamus; ut unanimes majorum sententias tueamur, quarum difficultate turbamur. Sententiarum enim facilitas in Theologia sæpè suspecta atque periculosa est. Nec enim aliud in materia de divina gratia tot humanarum opinionum errores & monstra peperit, quàm quòd relicta semita, quia nonnihil scabrosa videbatur, quam Augustinus & antiquitas trivit, illecebrosam illam humanæ rationis facilitatem incircumspecta aviditate sectati sunt. Quod utinam non etjam in hoc argumento locum habeat. Hæreticorum proprium est, illud suum, quomodo? qui fieri potest? inclamare: sed Catholicum Theologum non perturbant, qui novit, à sententijs antiquitatis, per quas de hæresibus gloriosissime triumphatum est, etjamsi forte non essent fidei, non esse propter quædam humanæ rationis ac difficultatum terricula discedendum: ne dum illa improvidè fugimus, fugiendo in præcipitium compellamur. Quid in ipsis rebus humanis familiarius est, quàm ut ea, quæ in omnium oculos incurrunt, omniumque palpantur manibus, in profundissimas detrusa tenebras lateant? An ideo neganda sunt quæ fiunt, quia intelligi non potest, vel difficulter potest, quomodo fiant? Eisdem difficultatum larvis terruit Augustinum Iulianus: *Qui fieri potest*, inquit, *ut res arbitrij conditioni seminum misceatur?* Cui respondet Augustinus: *Quid à me quæris, quo sit factum modo, cùm videas factum esse quocumque modo, si Apostolo credis aliquo modo.* Nam ipsemet Augustinus diu antequã cum Iuliano de peccati istius transfusione luctaretur, difficultatem indagandi & explicandi agnoverat, & fassus fuerat, quando dixerat: *Quod dimissum est in parente ut trahatur in prolem, miris quidem modis, sed tamen fit. Et quia modus ipse non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur.* Cùm ergo Iulianus impotenter & petulanter passim rem impossibilem esse clamaret, & modum posceret quo peccata transfunderentur in proles, subinde nihil respondet aliud nisi res certas propter intelligentiæ nostræ tenebras non debere calumniam pati. *Quòd si contra vitium*, inquit, *curiositatis humanæ, cui solent, ut ipse commemoras, comprehensa vilescere, etiam hoc Deus, quemadmodum multa, sic occultare voluit, ut id investigare atque comprehendere humana coniectura non possit, ideóne contra Ecclesiam matrem vestram ratiunculis vestris quasi parricidalibus pugiunculis debetis armari?* Nec enim hujusmodi difficultas soli peccati originalis traductioni, vel solis divinis mysterijs propria est, sed totus mundus hujusmodi tricis plenus est: ubi rem ita esse, planissimè videas; quo verò fiat modo, ratione non videas. Vnde insolentiam adversarij de illa difficultate quasi impossibilitate insultantem reprimens Nisi, inquit, *sermonis longitudine nollem fatigare lectorem, iam te mille rerum generibus, quarum incomprehensibilis ratio contra usitatas naturæ vias quasi per deserta opaca repit, obruerem.* Nec sanè mihi admodum laboriosum esset plurimarum rerum catalogum texere, quarum ratio non minùs à subtilissimis ingenijs abstrusa latet, quàm res ipsæ in promptu positæ patent: ut nemini mirum esse deberet, si quid in hac antiqua, & antiquitus per Ecclesiam celeberrima Augustini sententia difficultatis esset reliquum, quod humana ratio non ita liquidò posset abstergere; præsertim cùm novum illud pacti mysterium, præterquam quòd nullâ Scripturarum, nullâ traditionis, nullâ solidæ

Lib. 6. cont. Iul. c. 9.

Lib. 1. de nupt. c. 19.

Lib. 6. cont. Iul. c. 7.

solidę rationis, sed solius humanę cogitationis auctoritate fundatum sit, atq; ita faciliùs subverti possit, ac strui, non etiam suis, & fortasse multo gravioribus perplexitatibus careat. Sed mihi propositum est in hoc opere obliteratas Augustini sententias exprimere, non alienas premere; illas ex obstructis per Philistæos puteis eruere, non has subruere, nisi quatenus videntur non posse cum indubitata Augustini doctrina consistere. Ne tamen eam solo difficultatis obscuritatisque presidio tueri velle videamur, conandum est, ut planiùs intelligatur, quo tandem modo illam peccati trāsfusionem Augustinus fieri & explicari posse arbitretur.

Quapropter consultis excussisque, quantùm per virium mearum imbecillitatem licuit, sanctissimi Doctoris monumentis ac principiis, non alio fieri modo transfusionem istam originalis peccati deprehendo, quàm quo quælibet vitia, sive solorum corporum, sive animorum simul & corporum, quatenus sibi invicem commixti atq; contemperati alter ab alterius defectu, profectuq; sentit commodum & incōmodum. Ex quo fit, ut Augustinus nunquam ad ulla pacta, vel ad ullas positivas Dei leges de conferenda vel adimenda posteris justitia recurrat, ut illud peccatum posteros posset inficere. Nam quamvis ipse sine dubitatione sentiat, eandem justitiam atq; felicitatem, quam Adam acceperat, posteris eo stante fuisse largiendam, non tamen ex ullo perseverantiæ pacto, sed ex eadem liberalitate ac libertate, qua eam parentibus eorum Deus, naturam cōdendo, & gratiam largiendo, concesserat. Quod ex iis, quæ de statu puræ naturæ postea dicturi sumus, planum fiet. Ex natura igitur rei, non ex ulla positiva Dei vel Adami voluntate, posterorum voluntates in sua positas continente, juxta Augustini doctrinam factum fuit, ut primum illud magnum delictum, unà cum natura in prolem transeunte, transiret, non secus ac subinde cæcitas, podagra, aliaq; parentum vitia cum affectuum tum corporum trāsfunduntur. Hoc sibi volunt pleraque, quæ jam suprà (*Sup. c. 6.*) diximus, quod primos parentes non solùm peccasse, sed naturam, quæ transfundi debuit, vitiasse perhibet, ut scilicet defectus cum natura traheretur. Hoc sibi vult, quod toties eum ursisse vidimus, *radicem* esse corruptam, *fontem* in (*Ibid.*) amaritudinem versum: *Omnes de uno fonte manavimus. Et quia ille unus in amaritudinem versus est, omnes ex oliva oleaster facti sumus.* Hoc sibi (*In Serm. de temp. filii regni in appen.* *Sup. c. 6.*) vult, quòd magnitudinem illius peccati tantā esse clamat, quæq; naturam tam profundè sauciavit, ut inquinare posset universos. Hoc sibi (*Cap. 8.*) vult, quod in baptizatis immundam prolē generantibus, tam sollicitè concupiscentiam in parentibus relictam esse commendat. Hoc sibi vult, quod Christi conceptionem non nisi ex libidinis absentia mundam putat. Hoc postulat tota illa moles argumentorum, quibus probavimus, non aliter Augustinum existimare illam peccati trāsfusionem, aut posse fieri, nisi per concupiscentiam, *morbum* videlicet juxta phrases ejus *trahendo de morbo: malum de*

A *malo; vitio propagante vitium. Deo creante naturam.* Illa quippe omnia nihil penitus ad rem faciunt, sicut & recentiores nihil ad peccati trāsfusionem facere putant, si hoc sufficiat, solā generatione sive libidinosâ, sive trāquillâ ex primis parentibus naturam trahere. Hoc denique sibi vult, quòd creberrimè inculcat, nihil hic novum aut mirum accidere: sed potius mirum futurum esse, & contra generationis leges, si ex immūditie proles munda nasceretur. [a] *Quid ergo mirum est, si renasci debet homo ex illo malo natus, contra quod pugnat homo renatus, quo & ipse reus teneretur, nisi renascendo liberaretur?* [b] *Nec mirum nec injustum est, quod radix profert damnata damnatos.* [c] *Si nuptiarum bonum non esset nisi bonus usus boni, tunc mirandum esset, quomodo inde traheretur malum.* [d] *Quid mirum, si de ipso malo trahitur originale peccatum?* [e] *Quandoquidem cum hoc malo* (quod in parentibus est) *nascuntur* (filii) *quid*

(*a Lib. 2. cont. Iul. c. 10.* *b Lib. 3. c. 12.* *c Ibid. c. 23.* *d Ibid.* *e Lib. 4. c. 1.*)

B *miraris, quia propter hoc renascuntur?* [f] *Quæ lex peccati si propterea reum parentem non tenet, quia regeneratus est, quid mirum, si propterea reum tenet nascentem, quia inde* (id est ex illa lege peccati seu concupiscentia) *generatus est.* [g] *Quid autem vellemus ut gignerent, non unde renati, sed unde nati sunt, nisi quod & ipsi nati sunt? Reos igitur &c.* [h] *Generantes inde unde nati sunt,* (id est ex concupiscentia) *non aliud potuerunt generare, quàm nati sunt.* Hæc omnia perspicuitate suâ clamant, non aliter sentire Augustinum hanc vitii propagationem fieri, quàm cætera naturæ generantis vitia in effectus ejus transeunt, nulla videlicet novâ Dei parentumq; pactione, nullâ exoticâ interveniente Dei lege, sed naturali *quodam*, ut ipse loquitur, *operante contagio*, quo res generatæ generantis naturæ aut seminis vitia in frontibus ferunt.

(*f Lib. 5. c. 16.* *g Lib. 3. c. ul.* *h Ibid.*)

Hinc est enim, quòd libentissimè Augustinus in hac peccati originalis explicanda transfu- C sione nomen *Contagii* usurpare solet. Hoc enim à tangendo dictum, quemdam inquinationis contactum, *vitii* scilicet *propagantis vitium*, denotat: quemadmodum corpora infecta contaminationem suam tangendo sanis affricant. Vnde libro tertio contra Iulianum: *Non vis quemquam ullam pœnam pro alienis subire peccatis, ne hinc fiat credibile, etiam contagia peccatorum in nascentes ex gignentibus posse transire.* Et paucis versibus interjectis: *Sicut peccati actione majores, ita minores majorum contagione sunt rei.* Et in libro quinto: *Peccato in primis hominibus deputat actum, in eorum vero posteritate contagium:* nempe, quemadmodum una qualitas corpus inficiens producit aliam in corpus proximum, *quodam*, ut ait, *operante contagio.* Itaque in libris ad Bonifacium vocatur *naturale contagium.* Sanctus enim Ambrosius, ut Christum quia immundæ conceptionis expertem, etiam delicti expertem esse commendaret; *Dignum fuit*, inquit, *ut qui non* D *erat habiturus corpore peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium.* Hujusmodi phrasibus passim Augustini scripta plena sunt, ut propagationem ex parentibus naturalem vitii originalis exprimeret.

(*Lib. 3. cont. Iul. c. 3.* *Ibid. c. 6.* *Lib. 5. c. 2.* *Lib. 6. cont. Iul. c. 18.* *Lib. 4. ad Bonif. c. 11.*)

CAPVT XVII.

Idem ostenditur uberiùs, & à radicibus.

SED ad evidentiora & propinquiora veniamus: ex quibus perspicuè intelligetur, non posse hanc peccati propagationem juxta Augustinum intelligi vel ex aliquo pacto, vel positivâ Dei lege aut voluntate fieri; sed eo modo, quo cuncta generantia similem sibi fœtum sive specie sive naturalibus qualitatibus proferunt. Quod ut pœnitiùs à radicibus suis pateat, memoriâ repetendum est, nihil aliud apud Augustinum esse peccatum originale, nisi concupiscentiam cum reatu, ut sexcenties ipse passim repetit, & nos jam ante fusiùs ex ipso demonstravimus. Itaque ubicunque concupiscentiam in proles ex parentibus propagatam reperit, ibi hoc ipso peccatum originale mox adesse non dubitat. Nam ut ipse loquitur: *Quod in membris corporis mortis huius inobedienter movetur, totumq; animum in se deiectum conatur attrahere, & neque cùm mens voluerit, exurgit, neque cùm mens voluerit, conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo.*

Lib. 1. de pec. merit. c. 29.

Vim autem, quâ ista concupiscentia pollet ad adducendum reatum prolis explicans: *Hoc vitium*, inquit, *non potest nisi reatu tenere hominem, quamvis eiusdem mali bono usu de castis coniugibus procreatum.*

Lib. 6. cont. Iul. c. 19.

Iam verò magnum illud concupiscentiæ malum, quicquid tandem illud sit, sive sensuum effrenitas, sive superaddita positiva & vitiosa qualitas, sive aliud quippiam, quod inesse mortalibus membris omnis sensus testatur humanus, eodem prorsus traduci modo, quo cætera corporis vitia, dotesve cum natura propagantur, perspicua & certa veritas est. Nullus enim unquã ita somniando deliravit, ut magnum istum defectum, quo natura humana ex primi hominis prævaricatione medullitus vitiata est, ex aliquo Dei pacto cum parentibus inito, vel ex positiva Dei lege aut voluntate propagari arbitretur. Hinc est, quod Augustinus, quando propagationem ejus tangit & modum explicat, ita hoc fieri docet, quemadmodum una vitiosa qualitas aliam sibi similem traijcit, quod sine dubio non minùs fit naturaliter, ac dum naturam natura in prolem ex parente transfundit. Nam in libris contra Iulianum, qui non minus tunc, quàm nunc Scholastici, dentes suos ex Aristotele adversus istam peccati traductionem acuebat, cùm dixisset, concupiscentiam non esse substantiam, sed *affectionalem qualitatem, & tanquam valetudinem malam ex origine vitiata ingenitum homini vitium*; traductionem ejus explicare volens, adjicit: *Qualitas affectionalis mali de substantia ad substantiam non emigrando transit, sed quodam operante contagio, id est, concupiscentiæ affectu; sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.* Et iterum ut idem repetendo fideliùs commendaret, & explicaret clariùs: *Qualitas*, inquit, *mali non in substantiam de substantia, tanquam de loco in locum migrat, ut deserat ubi erat, & quæ fuit ibi, ipsa sit alibi: sed aliã eiusdem generis, quodam operante cõtagio, quod etiam de morbidis parentum corporibus solet evenire nascentibus.*

Lib. 6. cont. Iul. c. 18.

Ibid.

Ibid.

Eandem doctrinam adhuc plenius in libro quinto tradiderat, ubi Iulianus ex categoriis Aristotelis, quæ docent rem quæ in subjecto est, sine illa re esse non posse in qua subjecta est, hoc conficere nitebatur, ut malum, quod in parente velut subjecto est, non posset reatum in prolem transmittere. Sed respondet argutiis ejus Augustinus: *Rectè hoc diceres, si malum concupiscentiæ de parente non perveniret ad prolem. Cum vero sicut sine illo nemo seminatur, ita sine illo nemo nascatur, quomodo dicis eò non pervenire, quò transit?* Hoc de transitu istius originalis mali: nunc de modo transeundi: *Nec sanè tibi Dialectica illa mentitur, sed tu non intelligis. Verum est enim quod ibi accepisti, ea quæ in subiecto sunt, sicut sunt qualitates, sine subiecto in quo sunt esse non posse, sicut est in subiecto corpore color, aut forma: sed afficiendo transeunt, non emigrando.* Et aptissimâ similitudine oculis rem subjiciens: *Quemadmodum Æthiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt; non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt.*

Lib. 5. c. 14.

Ibid.

Ecce philosophicè, & eruditè, solidèque declaratum, quomodo qualitates sive bonæ sive vitiosæ, ipsaq; concupiscentia, in filios ex parentibus transeant, non emigrando scilicet, sed afficiendo; hoc est, aliquid operando circa id quod gignitur, ratione cujus similis in eo qualitas oriatur. Neque ulla, quod sciam, hac in re Philosophorum est contentio. Omnes quippe non solùm naturam quæ gignitur, sed universas quoq; naturæ genitæ sive virtutes (naturales dotes inquam) sive vitia, ex aliqua virtute causæ generantis sive integra sive deficiente proficisci putant: quamvis illam sæpenumero humano ingenio abstrusissimam esse doceat interminabilis ille Philosophorũ ac Medicorum de admiranda seminum vi, ac phantasiæ potestate conflictus. Quòd si igitur non est aliud, juxta doctrinam Augustini, concupiscentia, nisi illa vaga effrenitas appetitus sensitivi, qui quasi excusso dominantis sibi voluntatis & gratiæ jugo, libero, inimpedito, cæco, furiosoq; impetu in obvia queq; terrena bona insilit, præsertim verò per libidinem illam notissimam in concubitum æstuat, & insanit, ac miseram infirmamq; voluntatem, nisi potenti gratiâ sursum erigatur, deorsum trahit, peracta causa est. Nemo quippe dubitat, talem omninò sensitivi appetitus statum, qualẽ in generantibus ex ipsis inobedientiæ suæ tam carnis quàm animi inhiantis motibus, se esse testatur, etiam in prolem generando transfundi. Nam quemadmodum ossa, carnes, sanguis, color,

Digitized by Google

color, figura, corporis totius decor & proportio, sensus interni externique mirabili absconditoque artificio in seminis sive materia, sive spiritu, sive aliâ quâcunque causa, latent, unde suo quæque tempore etiam annis multis interpositis prodeunt, ut de dentibus, uberibus feminarum, barba, & similibus manifestum est: ita planè & defectus corporis atque sensuum, quos proles hæreditario jure ex parentibus trahunt. Nam sive semen ex generantium quoque vitio vitietur, sive alia quapiam occulta causæ concurrentis vitiositate defectus illi proferantur, hoc certum est, vitia generantium, præsertim illa quæ profundissimè inolita quasi in naturam versa sunt, à parentibus in proles, non emigrando, sed, ut Augustinus loquitur, afficiendo, hoc est, operando, vel in operation quadantenus deficiendo traduci. Neque hic ulla peculiaris de concupiscentia sic intellecta quæstio est. Nam id quod positivum innuit, non est aliud nisi appetitus ipse sensitivus: id quod negativum, ille status ejus, quo freno gratiæ & voluntatis sibi pleno jure dominantis caret: quem vocabulo satis apto *effrenatam* dixeris: illud potentiam, hoc potentiæ defectum denotat. Vtrumque in parentibus esse, per se patet: utrumque in eorum semine tanquam principio traductionis latet. In prolem quippe etiam utrumq; propagatur. Quo verò pacto reatum sibi conjunctum habeat, jam suprà dictum est, & infra fusiùs dicturi sumus.

CAPVT XVIII.

Aliquid positivum esse concupiscentiam videtur sentire Augustinus.

SED utrum de concupiscentia illud sentiat Augustinus, quòd videlicet non sit aliud nisi effrenitas appetitûs sensitivi, multùm ambigo. Nam quæ illi passim tribuit hujusmodi sunt, ut appetitui sensitivo, quatenus freno suo destitutus est, difficulter aptari queant: sed ita sonant, ac si esset qualitas vitiosa quidem, sed tamen positiva, quæ actibus ex ea profluentibus augeatur, eo ferè modo, quo boni & mali habitus solet; oppositis verò minuatur. Vt enim nihil de ipso nomine dicam, quo concupiscentiam & cupiditatem plerumque vocat, quæ magis habitum aliquem, quàm potentiam sonant, nonnullis in locis expressè affectionalem qualitatem nuncupat: quàm ita explicat, ut non facilè possit ad appetitum accommodari. Nam in libris de nuptijs & concupiscentia: *Non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus aut spiritus; sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor.* Nec enim unquam in Augustino me legisse memini, sensus hominum, aut aliorum animalium quoscunque, esse affectiones bonas, aut malas: cùm è contrario affectus, multoque magis affectiones ei non sint aliud, quàm illæ quæ ex assensu vel dissensu voluntatis oriri solent, sive sint ipsi motus cupiendi, fugiendi, lætandi, atque tristandi, sive stabiles illi affectus, unde similes motus prodeunt: de quibus latissimè libro decimo-quarto de Civitate disputatur.

Lib. 1. c. 25.

Hinc est, quod cùm Augustinus latiùs de ista affectione malæ qualitatis disserere cogeretur, ita eam explicat, ut ea quæ dicit, interno sensui convenire non possint. Cùm enim Iulianus tertiam speciem qualitatis ita explicaret, ut partim affectiones animi, partim affectionales qualitates comprehenderet: & sub affectionibus transitorias animi & corporis passiones; sub affectionalibus verò qualitatibus affectus illos collocaret, qui stabiliter animo infixi hærent: approbat ea quæ dixerat Augustinus, & exemplis explicat, affectiones esse docens, animi quidem timere, irasci, ebrium esse; corporis, pallere, rubere: affectionales verò qualitates, timidum, iracundum, ebriosum esse; pallidum, rubicundum, & similia. Et mox etiam ipsam concupiscentiam *affectionalem qualitatem* mali vocat, quæ *non emigrando, sed quodam operante contagio, id est, concupiscentiæ affectu transeat, sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.* Hinc est quod sicut consuetudo actibus acquisita & stabiliter inolita est quædam quasi secunda natura; ita è contrario sanctus Augustinus concupiscentiam istam cum qua nati sumus, *consuetudinem carnalem, naturâ inolitam, naturalem, in naturam versam* vocat. Qua de re infra in libro qui præsentem sequitur, testimonia multa S. Augustini damus. Hinc est, quod eandem ingenitam concupiscentiam consuetudine augeri tradit, eodem planè modo, quo vinolentia, quam certum est esse vitiosum habitum, consuetudine intenditur. *Vnde,* inquit, *etiam contra istam genitalium concupiscentiam, quæ ingenita nobis per originale peccatum, vehementiùs vidua, quàm virgo; vehementiùs meretrix, quum casta esse voluerit, quàm quæ semper fuit casta, confligit: & tanto ampliùs in ea superanda voluntas laborabit, quanto maiores ei consuetudo vires dedit.* Et in Epistola ad Hilarium: *Quæ tamen* (lex in membris) *nisi malâ postea consuetudine roboretur, faciliùs vincitur; non tamen nisi gratiâ Dei.* Et in quæstionibus ad Simplicianum accuratiùs: *Vnde* (habitat peccatum, id est, concupiscentia, in carne) *nisi ex traduce mortalitatis & assiduitate voluptatis? Illud est ex pœna originalis peccati; hoc est, ex pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur; hoc vivendo addimus: quæ duo scilicet tanquam natura*

Lib. 6. cont. Iul. c. 18.

Ita lib. 1. de doctr. Christ. c. 24. lib. 1. ad Simplic. q. 1. lib. 83. q. ... q. 70. ... Vide lib. 2. de statu nat. lapsæ c. 7. infrà & ibid. c. 6. in medio. Ibid.

Epist. 89.

Lib. 1 q. 1. ad Simplic.

naturæ & consuetudo coniuncta, robustissimam fecerunt & invictissimam cupiditatem quam vocat peccatum. Et paulò pòst: *Ibid.* *Quod non vult malum hoc agit, superante concupiscentiâ non solum vinculo mortalitatis, sed mala consuetudinis roborata.* Per consuetudinem enim nihil aliud nisi habitum intelligit, quo concupiscentia ex peccandi frequentatione roboratur.

Hinc est, quòd non solùm concupiscentiam illam augeri, sed etiam contrariis actibus, seu consuetudine, non secus atque cæteros habitus, minui tradit: *Lib. 1. de nupt. c. 31.* *Vt quamvis adhuc maneat, & de die in diem magis magisque minuatur, in peccatum tamen non imputetur*, concupiscentia. Et in eodem libro iterum: *Cap. 25.* *Quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus.* Et in libris adversus Iulianum: *Lib. 2. cont. Iul. c. 3.* *Etsi nobis ad meliora proficientibus magis magisque minuantur*, (innatæ cupiditates) *tamen dum hic vivimus, esse non desinunt.*

B

Hoc autem decrementum incrementumque cupiditatis non aliter putat Augustinus fieri, quàm sicut consuetudo aut habitus oppositâ consuetudine aut habitu decrescente atque crescente, decrescit & crescit. Cupiditatem enim ipse generaliter, prout concupiscentiam naturatem omnium vitiorum denotat, charitati oppositam facit, cujus charitatis augmentum sit cupiditatis decrementum, cujus perfectio cupiditatis interitus. *Epist. 95.* *Quòd si res ita se habet, ut per gratiam Salvatoris proficiamus quidem in hac vita, deficiente cupiditate, crescente charitate, perficiamur autem in illa vita, cupiditate extincta, charitate completa.* Et adversus Iulianum: *Lib. 6. c. 16.* *Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente: concupiscentia minuitur charitate magis magisque fervente.* Quam doctrinam creberrimè diversis locis repetit. Nam hoc ipsum significat, quòd toties dicit, concupiscentiam in proficientibus minui. Nec enim alium interioris hominis profectum, quàm crescente per sanctitatem seu charitatem hominis renovatione, Augustinus agnoscit: *Lib. 6. c. 14.* *Neque enim ipsa* (anima) *in sanctitate non proficit, cùm magis magisque minuit eas, quibus non consentit*, carnales *cupiditates.* Et in eodem libro alio loco: *Cap. 18.* *Si provectu concupiscentiæ bonæ, quæ concupiscentias malas fornicandi potandique debellat, talis efficitur, qualis recenti conversione non fuit, ut illorum in eo desideria peccatorum minus minusque moveantur &c. dubitabis eum pronuntiare meliorem?* Ex quo perspicuum esse videtur, eodem modo Augustinum intelligere hujusmodi concupiscentiam crescere ac decrescere, quemadmodum cæteri habitus solent. Vnde Iuliano contendente, concupiscentiam esse sensum hominis, cùm præmisisset Augustinus: *Ibid.* *An non per concupiscentiam castitatis & continentiæ quotidie carnis concupiscentia magis magisque minuitur?* concludendo argumentationem adjicit: *Sensus est igitur non ipsa concupiscentia, sed ille potius, quo nos eam minorem majoremve habere sentimus; sicut in corporis passionibus non sensus est dolor, sed ille sensus quo sentitur dolor.* Vbi cùm Augustinus neget, concupiscentiam esse sensum, non de externo sensu cor-

A

poris, sed de interno videtur loqui: nam illum admittit sensum esse, quo nos eam minorem majoremve sentimus: hoc autem non est sensus corporis, sed internus, sive appetitus sensitivus, qui suos seipso percipiat motus; sive phantasia, sive sensus communis, qui omnibus motibus inferioris partis advigilent. Sed quisquis illius disceptationis fuerit sensus, videntur Augustini phrases eò semper tendere, ut concupiscentia sit quædam positiva & affectionalis qualitas, quæ ex majoribus orta causis, ita firmiter inhærescit, ut quamvis ex accidenti, quodammodo tamen (quemadmodum color Æthiopibus) in naturam versa sit; quæ proinde instar qualitatum vitiosarum quodam operante contagio propagetur. Nam si non esset aliud quàm effrenitas appetitus, sive gratiæ rectricis vacuitas, quorsum tandem operosissima illa disputatio cum Iuliano de modo, quo qualitas illa à parentibus non emigrando, sed operando traducitur? An est difficile intellectu, quòd appetitus sensitivus ad naturam hominis pertinens cum ipsa natura sine gratia eum frenante propagetur in prolem? An idcirco mirabiles illæ qualitatum propagationes, quæ per imaginationem fiunt, in testimonium, ut Augustinus facit, advocari debent? Aliud voluisse Augustinus videtur. Quòd si quis tamen aliud sentit, per me licet: ad illud enim, quod tenemus, primum istud forsan satis fuerit. Quòd si non satis, non erit difficilè istam aliam sententiam tueri, quam ejus verba sub cortice magis præ se ferunt, quòd concupiscentia sit, ut ipse loquitur, vera *affectionalis qualitas* ab appetitu sensitivo aliquo modo discrepans: quæ sicut aliæ qualitates naturaliter inhærentes verâ operatione, non emigrando, sed afficiendo, à parentibus interjecto semine traducuntur in

C

prolem.

Quid verò illa sit, vel esse possit, quamvis fortè ex Augustino perspicuè ostendi non posset, non propterea castissima probatissimaque tanti Præsulis doctrina calumniam deberet pati. Nonne in hodiernum usque diem non desunt, qui qualitatem illam, quam concupiscentiam cum Augustino & Apostolo vocamus, aliquid positivum esse sentiunt? divus Thomas clarè dicit in Summa Theologica, peccatum originale *non esse privationem puram, sed quendam habitum corruptum.* *S. Thom. 1. 2. q. 82. a. 1. ad 1.* Quod non aliter intelligit, nisi quia peccatum originale quamvis quantum ad formale sit aversio à Deo, quam & privationem justitiæ originalis dicimus, quantum ad materiale tamen est concupiscentia: quæ, ut idem S. Thomas dicit, *Non est habitus infusus aut acquisitus per actum, nisi primi parentis; in cæteris autem per vitiatam originem innatus.* *Vide art. 3. ibid.* Caietanus ibidem apertè do-

D

cet peccatum originale non esse puram privationem, sed habitum corruptum, seu in corruptione consistentem: & adducit in exemplum ægritudinem; quæ non sit *pura privatio sanitatis*, vel harmoniæ humorum, seu *negatio in corpore capaci sanitatis; sed dicit*, inquit, *humores corruptos per* *Caiet. in illum ar. & q. 82.*

Digitized b

ptos per contrarias dispositiones ad sanitatem; ac per hoc & dicit aliquid positivum, & est habitus corruptus, id est, in corruptione consistens. Et per hoc stat, quòd sit habitus. Et simile est de peccato originali, qui languor est naturæ. Et verò quis nesciat, non deesse Philosophos vel Scholasticos plures, qui ægritudinem seu morbum, cui tam libenter S. Augustinus ac Thomas originale peccatum comparant, positivam qualitatem esse velint? sive illa sit habitus quidã corruptus, ut Caietanus ac D. Thomas loquitur; sive modus aliquis positivus ex ipsis humoribus perturbatis fluens, ut alij sentiunt, sive tertium aliquid. Cùm igitur exertissimè S. Augustinus, ut suprà vidimus, etiam tradat, formale peccati originalis esse mortem animæ quæ est privatio vitæ, esse aversionem à Deo, quæ est privatio charitatis ejus, & hujusmodi: concupiscentiam verò non esse nisi materiale ipsius, quid absurdi fuerit, si intellexerit, Concupiscentiam ita positivam esse qualitatem, sicut ægritudinem corporalem? quæ si, licet innata fuerit, actibus sibi consonantibus vel dissonantibus fieri potest major ac minor; quidni, obsecro, & ista concupiscentia innata similibus actibus augeatur aut minuatur, dum vires inferiores ordinatiùs aut inordinatiùs suos exerunt motus?

Vt Vegetius in istum D. Th. locum.

Quid verò si Augustinus diceret, qualitatem illam esse affectionem aliquam totius temperamenti hominum ex quatuor qualitatibus primis & quibusdam alijs occultis, quas Medici in omnibus hominibus ac brutis statuunt? Nam cùm alij in libidines obscœnas, alij in iram, alij in tristitiam, alij in superbiam & similes affectiones proni efferent modo ferantur, idque à prædominantibus, & animum inordinatè cientibus temperamenti qualitatibus accidere videatur, dicente hac de re Augustino: *Vnde Medici audent ista tribuere temperationibus corporum*: nihil fortasse absurdi sentire se putaret si à parentibus in prolem temperamentum effrene, morbidum, brutum, & absolutum ab illo vinculo, quo Deus ipsum in primo homine cum suprema ejus parte religaverat, transfundi diceret: eamque temperamenti dissonam effrenitatem esse affectionalem illam qualitatem; ad illum ferè modum quo paulo antè de ægritudine tanquam positivâ qualitate, corruptoque habitu ex multorum sensu declaravimus. Nam simili modo etjam in corpore S. Augustinus morbum quemdam ortum esse sentit, per quem statim comesto pomo vetito, in senium veterasceret: *Tunc etiam morbo quodam ex repentinâ & pestifera corruptione concepto factum est in illis, ut illa in qua pec creati sunt stabilitate ætatis amissa, per mutabilitates ætatum irent in mortem.*

Aug. lib. 4. cont. Iulia. 3

Lib. 1. de merit. c. 16.

Quid si diceret Augustinus, esse qualitatem, quæ tanquam amor quidam sensitivus sui ipsius in ipso appetitu Adami sensitivo ex vehementiâ primæ voluntatis semetipsam amantis orta fuerit, quid afferret impossibile? quid non magnopere probabile? Quæ quomodo in prolem, per semen propagetur, non est mirabilius nec intellectu difficilius, quàm quo modo aliæ sensitivi appetitus affectiones insolitæ propagantur. De quo aliquid forsan inferiùs dicturi sumus.

Quid si denique occultam quandam qualitatem esse sentiret, ideòne statim explodendum est? Medicis nihil familiarius, quàm hujusmodi occultas inculcare qualitates, idque in notissimis vulgatissimisque rebus, ipsaque peste, quæ tot millenis annis eorum industriam exercuit, nec adhuc ad intelligentiam perduci potuit. Si Augustinus igitur unam ex istis sententiam forsan elegerit, ac tenuerit, atque eatenus Concupiscentiam esse qualitatem affectionalem asseruerit, ideóne tantos clamores adversus ejus sententiam excitari? Non quicquid præconceptis nostris opinionibus dissonat, statim ut erroneum exsibilandum est; quando à tantæ auctoritatis viris tam confidenter ac tot sæculis assertum fuit: quibus si liberet, aut libuisset rationem sententiæ suæ reddere, fortassis hujusmodi philosophulis reclamantibus, qui in sui Aristotelis trutinâ omnia ponderari volunt, os obturassent: quemadmodum non semel Augustinus fecit, quando in similium reprehensiones incurrerat.

Vnum igitur ex istis esse forsitan sensum Augustini tantisper supponamus, ut etiam sic traductionis ejus modus ex Doctoris profundissimi scriptis indagari, & liquidiùs ostendi possit. Nam ex varijs signis, quibus eum astruit & illustrare nititur, forsan clariùs ejus natura, quàm ex eis quæ diximus, elucebit.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Explicatur modus primus, quo intelligi posset, peccatum originis libidine propagari.

A AVGVSTINVS igitur sæpissimè docet, ut ex ijs quæ suprà diximus plenissimè intelligi potest, per libidinem illam rebellem voluntati, peccatum originale, hoc est, concupiscentiam quæ ei peccatum originale est, propagari. Hoc autem duplici sensu potest intelligi: Primus est, ut ille concupiscentialis affectus ardentissimus, qui non solùm in membris corporis, sed in ipso quoque appetitu sensitivo, voluptati corporis inobedienter, & citra, imò contra imperium voluntatis inhiante, percipitur, efficacissimam habeat potestatem, qua similis qualitas in fœtum à generantibus traducatur. Modus iste fortassis non est impossibilis, cùm satis constet, quantam habeat amor & metus efficaciam ad immutandum etjam ipsum tenerrimum corpus prolis. De cujusmodi fœtuum affectionibus, quas in eis affectiones generantium pariunt, à Medicis multa disputata atque conscripta sunt. Vnde Augustinus: *Voluntas si tam violenta est, ut possit vocari amor; aut cupiditas, aut libido, etiam cæterum corpus animantis vehementer afficit. Et ubi non resistit pigrior durriorque materies, in similem speciem coloremq; commutat.* Et paulò pòst: *Aliorum autem animalium, quia non est ad conversionem facilis corpulentia, sæpius plerumque produnt libidines matrum, quid cum magna delectatione conspexerint. Quam enim teneriora, atque ut ita dixerim, formabiliora sunt primordia seminum, tam efficaciter & capaciter sequuntur intentionem maternæ animæ, & quæ in ea facta est phantasiam, per corpus quod cupidè aspexit.* Quod statim exemplo ovium Laban ex Scripturis probat. Hinc est, quòd illud ipsum exemplum ovium suas affectiones ex corporibus adjacentibus haustas etjam in corpus prolis traducentium, Augustinus usurpat, ut concupiscentiæ traductionem, quæ afficiendo non emigrando, quodam contagio operante fieret, non incredibilem esse declaret. Cùm enim, ut hoc astrueret, Æthiopas dixisset nigros gignere, & sui corporis qualitate corpus quod de illis propagatur afficere, sic adjungit: *Quo modo de corpore ad spiritum afficiendo transeunt, eo modo transeunt de spiritu ad corpus,* rerum scilicet corporalium qualitates. *Nam colores virgarum, quas variavit Iacob, afficiendo transierunt in animas pecorum matrum, atque inde rursus eadem affectione transeundo* (forrè, trãseunte) *apparuerunt in corporibus filiorum.* Tale quid verò in fœtibus humanis etjam posse contingere, exemplo patuit. Rex enim Cyprius, ut Augustinus ex Forano narrat, uxori suæ in concubitu formosam picturam solebat obijcere, *cuius pulchritudinem concupiscendo quodammodo raperet, & in prolem quam concipiebat afficiendo transmitteret.* Ex quo pro concupiscentia simili modó in proles transeunte concludit: *Sic & vitia quamvis sint in subiecto, ex parentibus tamen in filios non quasi transmigratione de suo subiecto in subiectum alterum, quod fieri non posse categoriæ illæ, quas legisti, verissimum ostendunt; sed, quod non intelligis, affectione & contagione pertranseunt.*

Lib. 11. de Trinit. c. 2.

Ibid.

Lib. 5. cont. Iul. c. 14.

Ibid.

Ibid.

Ex quo colligi videtur ab ea sententia non alienum esse Augustinum, ut concupiscentia eo modo ex parentibus libidine tam corpore quam animo tempore concumbendi æstuantibus in prolem transeat, sicut color aut figura corporea, quæ per oculos hausta transit in spiritum seu phantasiam; & rursus propter vehementem objectæ rei imaginationem cum ardenti animi passione conjunctam, ex spiritu seu phantasia generantium, modó quidem admirabili, sed verissimo, transfertur in fœtum. Certissima quippe veritas est, & innumeris non solùm doctissimorum virorum testimonijs [a] Avicennæ, [b] Plinij, [c] Plutarchi, [d] Aristotelis, [e] Galeni, [f] Hyppocratis, [g] Augustini sæpiùs; sed etjam experimentis, ut videtur, irrefragabilibus confirmata, quæ magno numero proferre non est difficile, imaginationem hominum atque pecorum sive marium sive fæminarum stupenda quadam & occulta pollere potestate, ad immutandos non solùm colores fœtuum, sed & ipsa membra diversissimis figuris conformanda; non modo in ipso ardore coeundi, sed etjam multis mensibus pòst, si vehemens animum perturbatio concitaverit: quales perturbationes Augustinus ad duas revocat, *metum* atque *cupiditatem*. Passiones enim istæ vehementissimum habent impetum ad rapiendum intus, quod extra positum sensus hauriunt; & ad transferendum in fœtum id quod animo impressum est: *Metus,* inquit, *aut cupiditas quanto vehementior fuerit, tanto expressiùs formatur acies sive sentientis, ex corpore, quod in loco adiacet, sive cogitantis, ex imagine corporis quæ memoria continetur.* Cupiditas autem seu libido isto conceptus articulo, quo maximè fœtus signari & immutari solent, ita totum animum & maris & fæminæ absorptum tenet, ut nulla prorsus quantumvis inordinata mulierum desideria, quibus post conceptum infestari solent, ei possent ulla ratione comparari. Quid ergò mirum, si iste enormis concumbentium æstus, & inhians non tantùm corporis, sed & animæ desiderium, talem omninò qualitatem seu pronitatem in tenerrimum fœtum imprimat, qualis illa est in parentibus, unde ista actualis & enor-

a Avicen. fen. 2. lib. 1. c. 14.
b Plin. lib. 7. Hist. nat. c. 12.
c Plutarch. 5. de placit. c. 12.
d Arist. sect. 10. problem. 12.
e Galen. lib. de Theriaca ad Piso. c. 14.
f Hyppoc. lib. de superfœtat.
g Aug. 12. de Civit. c. 25. & 5. cont. Iul. c. 14. & locis suprà cit.

Lib. 11. de Trinit. c. 4.

& enormis concumbentium libido proficiscitur? Imò cur non potiùs mirum esset, si non sic fieret; quandoquidem longè mitiores animi cupiditates, longè maiores & insolentiores effectus in foetibus pariant?

Nec verò putandum est, desideria motusve animæ matris aut patris valere tantùm, ut lineamentorum aliquid colorumve aspergant teneris mollibusq; conceptibus: ut verò etjam animus prolium pravis inclinationibus atque vitijs afficiatur, nihil habere potestatis. Nam experimenta quotidiana satis liquido contrarium probant. Hinc enim sola impia nonnunquam prægnantis imaginatio vel cupiditas in causa est, quamobrem proles ad furta, ad lasciviam, ad timores, ad homicidia, ita prona nascatur, ut nullis nec honestatis retinaculis, nec supplicij minis ab illis vitijs coerceri queat. Hinc Heroina quædam, antipathiâ mirabili à felibus terrebatur: nec alia metus illius naturalis causa fuit, quàm quòd mater ejus gravida fele fuisset præter opinionem decidente perterrita. Hinc inter Medicos adeoque vulgum notum est, exemplisque celebratum, mulieres quæ gestando uterum, cibos aliquos ardenti cupiditate desiderarint, vel fastidio respuerint, proles ciborum eorum cupiditate aut fastidio laborantes subinde peperisse. Hinc est, quòd multo faciliùs & crebriùs videamus, stabilia maximeque innata prægnantium vitia non minùs pravitatem in sobolis animum imprimere, quàm imaginatio transitoria imprimit corpusculis tenellorum foetuum varias monstrositates.

Thomas Erast. lib. de occult. pharm. proprietat. c. 34.

Et quod multo majori admiratione dignum est, Plutarchus & alij nonnulli testes sunt, alumnos è nutricibus, quæ ubera dumtaxat præbent, non modò lactis vitia pro alimento corporum, sed & animi impuritatem pro alimento haurire vitiorum, ita ut earum indolem & mores accessu ætatis satis manifestè quandoque referant. Mores enim, ut Galenus, sequuntur temperamentum. Hoc autem ex parte maxima, ex semine, sanguine, lacte, unde homo concipitur nutriturque, coalescit. Cùm igitur *anima*, ut Aug. generatim loquitur, *sic vel sic affecta pragnantis, valeat aliquibus velut induere qualitatibus fœtum*: tantamque potestatem habeant libidinosa matris & ardentia etjam post conceptum desideria, & animi status, ad inserendos animis, adeoque corpusculis parvulorum fœtuum vitiosissimas animorum inclinationes, & corporum ægritudines, quæ longè difficiliùs curari solent, quàm si sibi eas actuum consuetudine vel corporis intemperantia peperissent, quid mirum fuerit, homini, qui magis veritatem quàm contentionem diligat, si fœdissimus ille & libidinosissimus æstuantis animi status, quo concubentes ardent, velint, nolint, conjuges, similem pronitatem, hoc est, similem rebellem animi & corporis concupiscentiam tenellis fœtibus affricent? Nec sanè video, quid peculiaris difficultatis in ista obscœnæ concupiscentiæ transfusione reperiri possit, quod non in similium vitiosarum qualitatum, de quibus jam diximus, transfusione locum habere videatur. Nisi fortè, quòd illæ ex fortuito casu prægnantibus supervenerint; hæc medullis eorum ab ipso exordio nativitatis inhæserint. Verum hoc ejus transfundendæ facilitatem non diminuit, sed auget majorem in modum. Insolitæ quippe à nativitate qualitates, hoc ipso quo quodammodo in naturam versæ sunt, cum ipsa natura quasi naturæ jure propagari solent; ut de colore corporum, crispitudine capillorum, figura nasi atque labiorum in Æthiopibus manifestum est: quæ verò fortuitò accedunt, non nisi rarissimè traducuntur. Ex quo perspicuum esse puto, extra calumniam Philosophorum esse Augustinum, si concupiscentiam illam, quæ inobedientibus & ardentibus suis desiderijs animum conjugum etjam invitum stimulat, & corpus accendit, quodam *contagio*, ut ipse loquitur, *id est, concupiscentia affectu* tempore coitus vehementissimè *operante* propagari arbitretur. Et hæc de primo sensu dicta sint.

Lib. 11. de Civit. c. 25.

Lib. 6. cont. Iul. c. 11.

CAPVT XX.

Declaratur secundus modus propagationis peccati originalis per libidinem.

QVÆ quamvis satis appositè ad explicandam Augustini mentem dicta videantur, existimo tamen alium secundum esse ejus doctrinæ sensum, quâ per libidinem dicitur peccatum originale propagari, qui magis ejus dictis & scopo fortasse congruat. Nam Augustinus adversus Pelagianos disputans, qui vel nuptias, hoc est, conjugium & actiones ejus, vel naturam humanam, vel Deum ipsum existimabant sine dubitatione damnari, si vitium aliquod generatione propagari diceretur, radicem primam demonstrare voluit, unde oriretur vitij propagatio, nimirum hanc non esse naturam, non conjugium, non Deum; sed naturæ vitium concupiscentiam: quæ ita intimis medullis ejus conspersa & innata est, ut non solum hominem primum seu personam illam peccantem, sed & naturam totam, adeoque ipsum carnale semen vitiaverit, quo natura in posteros traducenda est; cujus vitiationis evidens ac permanens etjamnum argumentum est, quod nemo hominum sine illa libidine seminetur. Sic ergò cùm dicit, ideò peccatum à filijs contrahi, quia ex libidinis malo nati sunt, non erit sensus, ideò contrahi, quia ex actuali libidine

libidine propagati sunt, sed quia ex illo libidinis habitualis malo concurrente nati sunt, quæ naturam & semen ipsum vitiavit, & etiamnum vitiat; utpote cujus effectus, & filia, & signum perspicuum est libido illa actualis, qua concubitus fervet. Concurrit autem illa libido eo modo ad peccati propagationem, quo mala quæque naturarum ad mali similis propagationem concurrere solent: nempe non necessariò actualis libidinis motibus operando; sed per vitium, quod semini impressum est, simile vitium propagando. Inter quos duos sensus ista differentia est, quòd juxta primum, concupiscentia actualis seu motus ejus vitium simile proli imprimit; sicut fœtibus teneris figuram, lineamenta, colores, vehemens imaginationis motus magno cum desiderio vel terrore vinctus aspergit: juxta secundum verò, concupiscentia habitualis cum reatu suo in semine humano vitiato virtute latens, simile vitium in ijs qui nascuntur operatur; cujus vitij signum est libido illa, cum qua carnale semen emittitur.

Hunc esse genuinum Augustini sensum hoc in primis probare videtur, quòd sæpissimè, cùm ei Iulianus objicit, Deum conditorem omnium non minus humanæ naturæ semina, unde natura propagatur, quam naturam ipsam condidisse, respondet Augustinus, etjam semina naturæ esse vitiata; ut nihil mirum esse debeat, si quemadmodum natura ex natura, ita vitium ex vitio, vulnus ex vulnere propagetur. Nam libro secundo de nuptijs cùm de semine fecisset mentionem Iulianus: *Neque nunc*, inquit Augustinus, *agitur de natura seminis humani, sed de vitio: illa quippe habet autorem Deum; ex isto autem trahitur originale peccatum. Nam si semen ipsum nullum haberet vitium, quid est quod scriptum est! &c.* Ecce manifestè dicit, ex vitio seminis trahi originale peccatum: quod alibi sexcenties *ex libidine* trahi dicit: nimirũ, quia libido semen vitiavit, libido in vitiato semine latet, libido in emissione seminis patet. Et libro tertio contra Iulianum, cùm adversarius iste diceret: *Ille qui primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricatur ex semine*; respondet Augustinus; *sed ex semine iam vitiato atque damnato.* Et in eodem libro paulò inferiùs: *Plane quod factum est, homo est; unde factum est, semen est hominis; utrumque bonum est nihil horum diabolus condidit; sed vitium seminis ipse seminavit.* Et lib. 4. ejusdem operis, cùm reprehenderet Iulianum, quòd libidinem seminum confectricem nominasset; *Nec confectricem*, inquit, *seminum libidinem dixeris. Ille quippe creat hominis semen qui hominem ex semine; sed, unde, interest; quia mali huius occulta sunt & dira contagia. Nec ex his hominibus, qui malo carent Deus vel semen vel homines creat.* Ecce & hîc idcircò malum illud trahi indicat, quia ipsum semen vitiatum est: ideò autem vitiatum, quia creatur à Deo ex homine, cui medullitus libido *innata* atque *conspersa est*, ut alibi loquitur. Meritò igitur toties repetit, hominem ex libidine peccatum trahere, quia libido radix est corruptionis tam naturæ quàm seminis; & ita radix, ut etjam actu concumbendo velut viridis ejus ramus appareat.

[Margin notes, left column: A (at "libidine propagati"); B (at "vitium in ijs"); C (at "seminis trahi"); D (at "indicat, quia ipsum"); Lib. 2. de nupt. c. 8.; Lib. 3. cont. Iul. c. 17.; Ibid. c. 22.; Lib. 4. cont. Iul. c. 2.; Lib. 1. de pec. merit. c. ult.]

Eandem doctrinam de seminis vitio vitium concupiscentiæ propagante multis alijs locis inculcat. *Totus mundus ex Adam reus, Deo non negante manum formationis operi suo, seminibus institutis, quamvis paterna prævaricatione vitiatis.* Et rursum: *Qui fieri*, inquit, *potest*, Iulianus, *ut res arbitrij conditioni seminum misceatur?* Cui Augustinus respondet: *Si fieri non posset, non esset, unde parvulos nondum de corpore egressos mortuos diceremus* Et modum explicans; *sicut enim hominibus malis, ita & seminibus ex origine vitiatis, in quibus bona est ab illo creata substantia, incrementum, formam, vitam, salutemque largitur.* Et alibi eandem objectionem cum stomacho repetente Iuliano: *Quæ, inquam, ratio est, rem studiorum seminibus miscere conari?* Luculentiùs ei reponit Augustinus: *Naturâ bona sunt semina, sed vitiantur & semina, eisque propagatis propagantur & vitia.* Vnde nonnunquam, cùm de baptizatis vitium originale traducentibus tractat, duplex in uno homine semen statuit, unum spiritale, scilicet gratiam Dei, alterum carnale, cujus vitiatione vitium propagetur. *Homo qui spiritaliter natus carnaliter gignit, utrumque habet semen, & immortale, unde se gaudeat vivum, & mortale, unde generet mortuum.* Et in eodem libro manifestiùs: *Traiecerunt ergò* (parentes fideles) *quod iam non erat in eis, propter semen spiritale, quo regenerati sunt; sed erat in eorum carnali semine, quo eum generaverunt.* Et in opere imperfecto contra Iulianum stoliditatem ejus retundens, quod non putaret vitia ex seminibus posse propagari: *Quòd tibi videtur*, inquit, *in collatione contrariarum partium, non debere ex una parte poni necessitatem seminis, & ex altera studium voluntatis, stolidum esse reperires, si videres &c. Si autem semen ex utraque parte* (tam Christi regenerantis, quàm Adami generantis) *deposcis, sicut per Adam semen carnale vitiatum est, sic viget spiritale per Christum.* Quæ sanè omnia luculentè probant, non aliter Augustinum concupiscentiæ transfusionem existimare per libidinem fieri, nisi quia libido naturæ ingenita semina vitiavit: sicut morbus ingenitus, & subinde acquisitus semen ita vitiat, ut quemadmodum naturam per semen natura propagat, ita eadem natura vitiata per semina vitiata propaget & vitium.

[Margin notes, right column: Lib. 6. cont. Iul. c. 2.; Ibid. c. 9.; Lib. 2. oper. imperf. fol. 331.; Lib. 6. cont. Iul. c. 5.; Ibid. c. 14.]

Qui sensus Augustini ex alio capite luculentè demonstrari potest. Nam ut plenissimè caperemus, quo pacto ista concupiscentiæ trãsfusio intelligi ex ejus mente debeat, tales adhibet similitudines, quæ si rectè intelligantur, non sinunt quemquam de ipsius opinione dubitare.

Prima similitudo à morbis corporis, eorumque propagatione petitur. Nam plerumq; docet, ita parentes prolem sua libidine afficere; & afficiendo, quasi quodam contagio operante, traducere concupiscentiam, sicut infirmitas eorum infirmitatem propagare solet. Certum est autem, hoc ita fieri, quia semen

semen ex insita eorum corporibus ægritudine vitium trahit, cujus contaminatione simile vitium in sobole procreatur: non autem quasi quædam actualis infirmitatis operatio in concumbendo sese exerere debeat, qua in fœtum eorum infirmitas transeat. *Qualitas*, inquit, *affectionalis mali de substantia ad substantiam non emigrando transit. sed quodam operante contagio, id est, concupiscentiæ affectu; sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.* Quod statim explicans clariùs: *Alia qualitas eiusdem generis, quodam operante contagio (transit) quod etiam de morbidis parentum corporibus solet evenire nascentibus.* Et in libris de nuptijs & concupiscentia: *Languor, quo benè vivendi virtus perijt*, (id est libido seu concupiscentia) *non est utique natura, sed vitium: sicut certè mala in corpore valetudo non est ulla substantia, vel natura; sed vitium: & licet non semper, tamen plerumque mala valetudines parentum ingenerantur quodammodo & apparent in corporibus filiorum.* Quod etjam alibi exemplo podagræ, quam subinde filij hæreditario jure ex parentibus trahunt, illustrando declarat. Nam sicut vitium in eos de parente transit; ita eos podagram in parente, qui intemperantia sibi eam fecerat, fecisse dicuntur, *non actione, sed ratione iam seminum.*

Lib. 6. cont. Iul. c. 18.

Lib. 2. de nupt. c. 34.

Lib. 2. oper. imp. f. 389.

Altera similitudo ex arboribus desumitur: in quibus videmus aliquas, degenerante semine dissimiles aliquo vitio soboles gignere. Nam quamvis arbor inserendo corrigatur, vitium tamen seminis non corrigitur. Id arboris jam per insitionem correctæ semen iterum germina degenerantia & vitiosa producit. Quo exemplo Augustinus demonstrare nititur, ad eundem modum posse fieri, ut vitium hominis, hoc est, peccatum regeneratione deleatur, quod tamen virtute in ejus semine permanens simile vitium in sobolem inde procreatam generando transmittat: *Vt quod dimissum est in parente, trahatur in prolem, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Hæc invisibilia, & infidelibus incredibilia, sed tamen vera, ut haberent aliquod visibile exemplum, hoc in quibusdam arbustis divina providentia procuravit. Cur enim non credimus, propter hoc esse institutum, ut ex oliva nascatur oleaster?* &c. Et applicans illam similitudinem ad propositum suum: *Mirum est ergò, quemadmodum à peccati vinculo per gratiam liberati gignant tamen eodem vinculo obstrictos; fatemur, mirum est: sed quod latent fœtus oleastrorum etiam in seminibus olearum, quando & hoc crederetur, nisi experientia probaretur?* Ecce ita peccatum & peccatorem in humano semine latere contendit, sicut amaritudo oleastri & oleaster ipse in semine olivæ latet. Quod luculentiùs infrà in eodem libro explicat: *Ex quo Adam ex olea tali, in qua nec semen erat huiusmodi, unde amaritudo nasceretur oleastri, in oleastrum peccando conversus est, quia iam magnum peccatum fuit, ubi magna in deterius fieret mutatio naturæ, totum genus humanum fecit oleastrum: ita ut (quemadmodum nunc in ipsis videmus arboribus) si quid unde in oleam gratia divina convertit, ibi vitium primæ nativitatis, quod erat originale peccatum de carnali concupiscen-*

Lib. 1. de nupt. c. 19.

Ibid. c. 32.

A *tia traductum & attractum, remittatur, tegatur, non imputetur; inde tamen oleaster nascatur* Et uberiùs adhuc paulò post: *Illud quod remissum est, & non imputatur*, (concupiscentia) *donec fit in æternam immortalitatem plena mutatio, habet vim quandam occultam, unde seminetur amaritudo oleastri.* Quam vim occultam ut intelligeremus non esse aliud, nisi vitium carnalis seminis, in quo virtute peccatum seu defectus ille libidinis, quæ prolem ream detinet, sicut & morbi & colores figuræque hominum degenerantes, aliaque vitia appetitus & ingenij, subinde latent, statim adjicit: *Non erit autem omnino aliquid vel in carnali semine vitiosum, cùm eadem regeneratione, quæ nunc fit per sacrum lavacrum, usque in finem cuncta mala hominis purgante atque sanante, eadem caro, per quam facta est anima carnalis, fiat etiam ipsa spiritualis, nullam legi mentis resistentem concupiscentiam carnis habitura, nihil carnalis seminis emissura.* Et cùm Iulianus pervicacissimè contenderet, non posse fieri, ut B parentes tradant quo caruisse creduntur, eandem refricat similitudinem, & quò tenderet perspicuè & sine ulla ambiguitate declarat: *Nisi sermonis longitudine nollem fatigare lectorem, iam te mille rerum generibus, quarum incomprehensibilis ratio contra usitatas naturæ vias, quasi per deserta opaca repit, obruerem: in quibus etiam degenerantia semina, non quidem in dissimillimum genus (quia nec oleaster fit est ab olea diseretus, ut vitis) sed in quandam, si dici potest, similem dissimilitudinem, sicut vitis est labrusca dissimilis, quæ tamen de semine vitis gignitur, multa monstrarem. Et cur non credamus, hoc ideo voluisse creatorem, VT CREDEREMVS, ETIAM SEMEN HOMINIS POSSE VITIVM DE GIGNENTIBVS TRAHERE, QVOD IN EIS A QVIBVS GIGNITVR IAM NON EST, ut ad eius gratiam etiam baptizati cum suis* C *parvulis currerent?* Et ne quam ex aliqua obscuritate tergiversationem de sua mente in lectorum animis Augustinus relinqueret, quid sibi velit, & quo pacto vim propagationis peccati originalis in baptizatis remanere judicet,

Ibid. c. 33.

Ibid. c. 6. cont. Iul.

Tertiâ similitudine *præputij* hoc ipsum planissimum facit: *Quid enim præputij recisi est circumcisus? De quo præputiatus tamen gignitur; & quod iam non est in homine, trahitur in hominis semine.* Et objectionem occupans adversarij sui, qui dissimilem esse similitudinem præputij & peccati causari potuisset: *Non enim*, inquit, *dici potest, præputium corpus est; hoc autem quod trahitur in origine, vitium: & illo quidem abscisso, vim eius tamen nequaquam tolli potuisse DE SEMINE: hoc vero vitium, quod non est corpus, sed accidens, cùm indulgentiâ sit remissum, in semine non potuisse residere.* Ecce apertissimè vim propagandi peccati seu libidinis, quæ suo reatu prolem ream teneat, adversus Iulianum terD giversantem, totisque viribus renitentem, in semine residere contendit. Itaque argumentum istud jam jam propositum ita solvit, ut hanc sententiam suam adhuc luculentiùs asserat: *Hoc, inquam, à quovis callidissimo dici non potest, cùm auctoritate divina superetur, quæ ipsa par-*

Ibid.

Ibid.

Ibid.

pars corporis ob hoc jussa est amputari, ut hoc vitium A *purgaretur.* QUOD NISI ESSET IN SEMINE, AD PARVULOS, QUIBUS CIRCUMCISIONE ILLA CORPORIS AUFERENDUM EST, NULLATENUS PERVENIRET.

Quæ profectò omnia tam prolixè ex Augustino producenda judicavi, ut plenè intelligeretur, hanc esse mentem ejus: quemadmodum in hominibus quædam parentum ægritudines, sive ingenitæ, sive etjam accidente contractæ, non solùm corpus parentum, sed etjam semen ipsum vitiant, ut similis in eorum sobolem ægritudo seminando gignendoque transferatur; & sicut in stirpibus plerumque usu venit, ut optimæ semen arboris amaritudinem quasi vitium quoddam servet, unde arbor aliâ amara prodeat, haud secus ac semen hominis vim præputij quamvis abscissi retinet, unde soboles præputiata nascatur: ita quoque fieri posse, ut semen hominis vitium de gignentibus trahat; & quamvis vitium seu peccatum in parentibus regeneratione deletum sit, aliud tamen simile occulta vi in filios propagetur. Qua explicatione admissa, consectaneum est, ut cùm Augustinus dicit, peccatum originale per libidinem propagari, non sola libido actualis, juxta primum sensum intelligi debeat. Neque enim aliud vult, quàm quòd peccatum non traducatur in prolem, quia natura seminatur, quia natura generatur, quia natura nascitur: sed quia etjam semen, unde natura nascitur, concupiscentia naturam totam medullitus vitiante, vitiatum est; ita ut semen libidine vitiatum, libidine emissum, similem defectum in se non actu, sed potestate contineat, cujus vi peccatum tale quale in parentibus fuit, hoc est, libido ream sobolem detinens, procreatur. Non enim Augustinus in actuali illa libidine, qua concumbentes æstuant, emphasim ponit; sed in eo, quod vitiosum aliquid cum bona natura, & bono semine, & bona conjugij commixtione misceatur. Ex illo enim capite nascitur, quòd ad intelligendam peccati originalis traductionem tam sollicitè commendat: *Illud præcipuè attendere ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamque remissionem baptismo fieri; hominis verò ipsius qualitatem non totam continuo commutari:* hoc est, habitualem libidinem permanere. Nimirum, quia sicut ipsa naturam hominis primi semenque vitiavit, ita omnium posterorum conjugum etjam regeneratorum naturam & semen stabiliter vitiat: ut ex rebellibus ejus motibus in generantibus patet; donec regeneratione novissima non supersit *omnino aliquid vel in carnali semine vitiosum.* Hoc enim virtute latet in semine, quod actu conjugibus concumbentibus appa-

Lib. 2. de pecc. merit. c. 27.

Lib. 1. de nupt. c. 33.

ret in opere. Nam si in opere libidinis rebellio non appareret, quando naturaliter illud exercetur, non posset etjam contagio libidinis in semine & cum semine propagari.

Ex quo facilè etjam intelligitur, peccatum originale filios esse contracturos, etsi Deus omnem actualem libidinem in conjugum commixtione compesceret, vel ipsa sexus utriusq; corrupta semina, sine congressu conjugum, omnipotentiæ suæ virtute misceret. Cùm enim nihil seminibus ablatum sit, omnes quoque naturæ perfectiones & defectus in eis latent, & foris cum prole in mundum prodeunte prodirent. Prorsus enim per accidens actualis illa libido defuisset, cùm tota rebellio adhuc habitualiter hæreret membris genitalibus, & pudor in concumbentibus. Nam quod Augustinus dicit: *Libido pudenda non moveat membra, nisi quando volumus, & non est morbus. Non de illa* B *erubescat etiam licitus & honestus conjugatorum concubitus, vitando conspectum, & appetendo secretum, & non est morbus*; nequaquam de actuali membrorum motu & pudore intelligenda sunt. Nec enim tunc tantùm pudet homines, & secretum quærunt, cùm actualibus motibus illa membra tumultuantur: sed etjam vel maximè, cùm vel ægra, vel frigida, vel quiescunt; ratione etjam castitate dominante tranquilla sunt. Altissimè quippe naturalis illa verecundia mortalium animis etjam puerorum insculpta manet, sive membra quiescant, sive moveantur: eò quòd ingenito quodam sensu libertas hominis vitiata sentiat, se in illa membra imperium perdidisse: ut proinde parum ad peccati propagationem faciat, quòd actualis illa libido membra concitet. Sufficit enim, quòd, sicut morbus iste libidinis seu concupiscentiæ, unde rebelles illi motus naturaliter prodeunt, visceribus infixus hæret; ita vis C ejus propagandi in seminibus maneat.

Lib. 2. de nupt. c. 33.

Quapropter sive primum illum, quem capite præcedenti dedimus, propagandæ libidinis modum intellexeris, sive istum, de quo hic hactenus disseruimus, sive utrumque conjungere malis, eo quòd incredibile cuipiam fortasse non immeritò videatur, tam horrendum animi & corporis æstum ac perturbationem nihil omninò in tenerrimum fœtum, aut in ipsum semen fœtus operari; rectissimè juxta Augustinum dici potest, peccatum originale per libidinem seu concupiscentiam propagari. Ipsa est enim, quæ primitus naturam vitiavit, & in posteris vitiat: ipsa est, quæ naturam vitiando & ipsum semen infecit, atque inficit; ipsa denique est, quæ velut permanens vitium stimulis inquietis & ardore turbulento conjuges in propagatione prolis exagitat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPVT XXI.

Excitantur quatuor difficultates; quid qualitatem illam produxerit in Adamo; quid illa in semine; quid semen in carne prolis, quid caro in spiritu ejus: & solvitur prima.

SED adversus hanc sententiam, si forte A est Augustini, de libidine, tanquam distinctâ ab appetitu sensitivo qualitate, quæ peccatum propagaverit; sive habitualem, sive actualem, sive, ut ita dicam, potentialem intelligamus, quæ in seminibus vitiatis lateat, montes difficultatum insuperabiles sibi Scholastici videntur opponere. Nam inter illos quidam olim simile quid in multis dissimile de Augustini mente suspicati sunt; quam quia non satis accuratè ex diligente librorum ejus diversorumque locorum collisione perspectam habuerunt, hinc eis aqua hæsit, & ipsâ pœnè mole difficultatis oppressi sunt. Sed etiam novos montes illos Deo viam aperiente & vires dante, fortasse superabimus.

Prima igitur & præcipua difficultas judicio adversantium est, quia non facilè apparet quid illam qualitatem in Adamo, atque B in ejus semine produxerit: multoque minùs, quid aliam propaget qualitatem in appetitum prolis; quâ similis denique, quæ peccati rationem habeat, in anima producatur. Accidens enim corporeum in spiritum operari nequit. Quatuor isto uno argumento tanguntur difficultates, productio concupiscentiæ tanquam qualitatis in Adamo; productio similis qualitatis in semine; propagatio ejus in appetitum prolis; operatio in animam tanquam spiritum, ut peccati ratio constare possit. Sub ultima Gregorius succubuisse videtur, dum dicit, hoc solum accidens corporeum in rerum natura esse, quod spiritualem producat. Ad singula eodem ordine ex Augustino respondebimus.

Ad primam igitur difficultatem dicimus, eam in aliorum sententia, qui nescio quas morbidas ex Augustino qualitates se hausisse C putant, aliquid forsan habere ponderis, in ista quam proposuimus, nihil. Hæc enim qualitas siquid appetitui superadditum fuerit, ex Augustini mente fortassis esset, juxta diversas illas sententias, quas capite decimo-octavo recensuimus, vel instar ægritudinis non corporalis, sed animi atque appetituum ejus, quam tanquam habitum corruptum sanctus Thomas per actum primi parentis in eo ortam esse sentit, sive modum quendam appetitibus inordinatis superadderet, sive aliud quippiam: vel instar ægritudinis seu corruptionis ipsius temperamenti, quod peccato illo magno primi parentis vitiatum, & effrene factum est: vel occulta qualitas ipsius appetitus, cujusmodi multas Medici in corporibus constituunt: vel instar malæ, sed altissimè impressæ consuetudinis seu inclinationis, quæ in ista mortali vita nullis conatibus penitus amoveri ac tolli potest. Quod in posteris Adæ nemini non contentioso mirum videri debet. Quid enim alicui mirum fuerit, si quemadmodum ingenitæ à parentibus ægritudines corporum longè curatu difficiliores sunt, quàm ex accidente contractæ, imo plerumque incurabiles, ita etiam innata inspersaque intimis visceribus concupiscentia pertinacissimè medullis hæreat? Nonne idem omnino in illis pravis inclinationibus usu venit, quas quædam proles, non vi istius ingenitæ libidinis, sed ex privata parentum suorum perversitate vel ardenti cupiditate traxerunt? Quo verò pacto in Adamo producta fuerit, quærat ille, qui nunquam in philosophorum Scholis audijt uno actu produci habitum. Instar consuetudinis enim seu habitus acquisiti, etsi non sit habitus, qualitas illa quæ nobis à natura inditur, in Adamo exorta est. Vnde Augustinus, ut suprà vidimus, eam consuetudine minorem, majoremve fieri, robustissimam, invictamque profitetur.

Hoc tamen meritò in illa sententia (si fortæ Augustini est) quæri potest, quo pacto una qualitas tam diversa desideria suscitet, ut ad omnia cujuscunque generis creata bona appetenda propellat? Respondeo, quæstionem istam in primis duabus sententijs capite decimo-octavo tactis non habere difficultatem: sed in tertia & quarta, quæ vel occultam qualitatem, vel instar malæ consuetudinis esse statuit, meritò movet, secundùm quas dici posset, si quis eas tueri vellet, quo concupiscentiæ objectum est generalius, eo diffusiores sunt & motus ejus. Hæc autem concupiscentia est qualitas appetitum, cui inhæret, sua adæquans latitudine. Nam sicut appetitus ille sensitivus pro objecto habet, quodlibet bonum sensibus humanis congruens, ita & concupiscentia qua imbuitur. Nec enim est difficilius generalitatem in habitibus quàm in potentijs intelligere, cùm nullus omnino habitus objectum individuum & singulare respicere videatur. Cùm ergo voluntas Adami effrenato robustissimoque impetu amaverit se, & privatum bonum suum, relicto

relicto Deo; similis impetus in appetitum sensitivum, velut vestigium voluntatis impressus est. Voluntas enim nihil omnino creatum etjam amore non sensitivo diligit, quin imaginatio aliquid sibi fingat simile, in quo appetitus ludat, suisque motibus quodammodo voluntatem adjuvans feratur, ut totus homo toto assequendi conatu illud appetat. Quod quidem avaritiæ, superbiæ, invidiæ, similesque spiritus vitiosi motus luculentè probant. Nec enim minori, imo sæpè majori appetitus sensitivi passione, & sensibili sanguinis spirituumque perturbatione excellentia & opes appetuntur & invidentur, quàm ea, quibus corporei sensus delectantur. Ex quo fit etjam, ut effrenes illi impetus arrogantiæ, superbiæ, invidiæ, avaritiæ, & cæterorum vitiorum, quæ vel maximè in spiritu sedem collocant, in filios ex parentibus haud secus ac luxuriæ, gulæque propagantur. Iam verò amor ille sui qui non est aliud quàm generalis amor mundi in Augustino celebris, velut omnium regina vitiorum, simul in appetitum impressus, ad omnia vitiorum objecta sibi appetenda quaquaversum patet, & in eorum affectus pro occasionum diversitate prorumpit. Omnia quippe, instar intentionis generalis, & terrenæ cujusdam charitatis, in se complectitur. Vt enim cælestis illa charitas omnium omnino virtutum actus una non solùm imperat, sed etiam juxta quorundam doctrinam elicit, vel certè secum connexas trahit; ita iste perversus amor sui respectu vitiorum. Hinc est etiam, quòd naturali consequentiâ qui se perversè amat, quorumcunque affectuum vultum induit, gaudet, cupit, metuit, dolet, irascitur, sperat, desperat: nec opus est ad illorum affectuum promptitudinem, ut distinctis habitibus impellatur. Nec verò affectibus tantùm, sed & peccatis pro re nata diversis perturbatur ille, in quo perversus amor sui principatum tenet etiamsi nulla peculiari propensione impellatur. Quidquid enim ille velut sibi commodum desiderârit, hoc statim appetitus inhiante cupiditate prosequetur. Si hoc de voluntate sui amore corrupta certum est, idem cum proportione de appetitu similis amoris vestigium retinente eo justiùs censeri debet, quòd ille ex natura sua nihil nisi quod privatim appetitui suave commodumque blanditur, appetere soleat.

Sed cur, inquies, in Adamo potiùs, quàm in nobis non dissimili ratione peccantibus vis hujusmodi qualitatis exoritur? Audi Augustinum: *Hoc autem tunc maius atque altius diabolus* (vulnus) *inflixit, quam sint ista hominibus nota peccata. Vnde illo magno primi hominis peccato natura ibi nostra in deterius commutata, non solum facta est peccatrix, verum etiam genuit peccatores.* Et paucis interpositis: *Hoc autem peccatum, quod ipsum hominem in paradiso in peius mutavit, quia multo est grandius, quàm iudicare nos possumus, ab omni nascente trahitur.* Audi iterum non paulò illustriùs hoc explicantem, postquam consuetudinem dixisset instar ponderis ad peccandum premere: *Cur ergò non creditis, tantum saltem valuisse illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, ut eo vitiaretur humana universa natura* (simile scilicet pondus inclinationis adipiscendo) *quantùm valet nunc in homine uno secunda natura? Sic enim à doctis appellari consuetudinem nos commemorandos putasti.* Audi denique tertio hujusce diversitatis rationem: *Si quem verò movet, cur alijs peccatis sic natura non mutetur humana, quemadmodum illâ duorum primorum hominum prævaricatione mutata est, ut tanta corruptioni* &c. *ac tot & tantis tamque inter se contrarijs perturbaretur & fluctuaret affectibus* &c. *Si quis hoc movetur, ut dixi, non ideo debet existimare leve ac parvum fuisse illud commissum, quia in esca factum est.* Quam doctrinam & alijs in locis tangit sæpiùs, quorum nos quoque superius nonnulla produximus. Causa igitur vera tantæ mutationis fuit, peccati illius primi magnitudo. Cùm enim summa esset permanendi in justitia & sanctitate facilitas, summa quoque libertas ejus nulla affectuum varietate in diversa traheretur, rupto vinculo quo colligabatur Deo, toto impetu collecto voluntatis, Deo ipsum non ampliùs retinente, sed in vindictam deserente, deorsum in sui ipsius, rerumque creatarum amorem præcipitatus est. Et ex illo dilectionis impetu pondus concupiscentiæ velut vestigium præcedentis voluntatis in appetitum sensitivum, quem secum rapiebat, impressum est: quo jam liberet ac delectaret creaturis concupitis frui, quas ante sine ullo libidinis motu, solâ summaque arbitrij libertate concupierat. Hinc Augustinus de prima prævaricatione loquens: *Nec fieri potest, ut voluntas propria non grandi ruina pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat.*

Lib. 2. de imp. c. 34.

Lib. 1. op. imperf. [illegible]

Lib. 14. de Civit. c. 12.

Lib. 8. de Genes. c. 14.

Itaque magnitudo illius ictus primi ex illa summa animi libertate proficiscens, causa tantæ mutationis fuit. Quo enim altiùs securis elevatur, eo profundiorem plagam facit, atque ita indelebilem illam vibicem concupiscentiæ impressit, quæ in posteros propter adhæsionis pertinaciam cum natura transfertur.

Hæc etiam vera radix esse videtur, cur solum istud primum peccatum non cætera in posteros transfundantur. Non enim ita naturam, ut istud primum, radicitus mutant: sed illa prima indelebili corruptione supposita, accidentalem quandam & exigui momenti mutationem afferre solent, quæ sicut actibus iteratis accidit, ita dissimilium actuum iteratione facilè removetur. Adhæsionis autem pertinacia & profunditas vera propagationum & stabilis causa est. Hinc fit enim, ut color Æthiopum quamvis accidente contractus, quia naturæ hominum illorum profundissimè impressus est, una cum natura in proles

Digitized by Google

proles transeat, quamvis eas extra Æthiopiam A generent: cæteræ vero qualitates ex accidente natæ, & separatu faciles, nullo modo. Illæ namque propter adhæsionis firmitatem quasi in naturam versæ sunt: hæ personam, eamque leviter tantùm afficiunt. Magnitudo ergò peccati causa tanti vulneris fuit: & profunditas vulneris in naturam versi causa traductionis ejus. Ex quo fit, ut si Adam concupiscentiam illam per gratiam bene vivendo in hac vita tollere potuisset, nullum quoque peccatum propagasset in posteros: sicut nec ille propagaret in filios, cui per inusitatum miraculum Deo operante tolleretur.

Quod quia fieri nullo pacto potest, cæteræ verò peccatorum consuetudines ab illa primigenia, & radicali, & per modum substratæ naturæ se habente concupiscentiâ facilè separantur; hinc primum peccatum cum ipsa natura per eam pertinacissimè vitiata quasi proprietas ejus transfunditur; cætera tanquam personæ, non totius naturæ accidentia, nequaquam. Illa enim concupiscentia totam speciem; hæc individuum mutant: specificæ verò, non individuæ conditiones transfundi solent. Cujusmodi hujusce rei causam etiam sanctus Thomas in Summa, & alibi tetigit.

CAPVT XXII.

Secunda ac tertia difficultas solvitur.

IAM verò quod ad secundum attinet, A quo pacto qualitas ista semen afficiat, Medici disputent: satis nobis est, experientijs quotidianis esse certissimum, ita fieri. Non enim corporis ægritudines tantùm, sed & acquisitas pravitates animi, seu propensiones ad malum, quas parentes sibi malè vivendo pepererant; & quod mirabilius est, stultitiam patris, quæ sæpè nulla corporei temperamenti, sed sola specierum turbatione nascitur, ipsosque transitorios æstus appetendi, terroresque fugiendi, quibus vel concumbentes vel prægnantes afficiuntur, similes affectiones & fatuitates, & perversas, robustissimasque inclinationes in proles propagare cernimus. Qui istud fiat, quod fieri notum est, si nobis explicuerint, qui hac de causa istam Augustini doctrinam molestè tulerunt; dicam & ipsis ego faciliùs secundùm unam ex istis quatuor supradictis sententijs, B vel fortè secundùm omnes, quo factum fuerit, ut magna illa & medullis insita naturæ mutatio, quam sibi parentes primi tanta peccati sui gravitate pepererunt, etiam carnale semen infecerit, ut afficiendo non migrando similis in posteris qualitas nasceretur. Et per hoc cessat etiam difficultas tertia: semen enim occultissimam contrahit ex vitio corpori vel appetitui inhærente vim, qua similis ei qualitas, à qua in semine producta fuit, procreetur in sobole. Sic enim color, & habitudo Æthiopum semen arcano modo afficit, ut in prole similem colorem, crassitudinem, totamque habitudinem, imò & inclinationes animorum sæpissimè proferat. Vnde quia una in omnibus istis difficultas est, una quoque omnium est solutio; quas ad ultimas fibras indagare & explanare non est nostri instituti. Hoc tamen addimus, ne quis spirituales nescio quas qualitates in prolem trajici suspicetur, in Augustini principijs esse certum, quod ista qualitas, quæ in prolem propagatur, carnem afficiat,

hoc est, non spiritum aut voluntatis apicem; sed aliquid animæ, quod carni mixtum est ipsaque inferius voluntate, possideat. Cujus doctrinæ non semel ipse, diversisque in locis testis est. Nam libro primo de nuptijs, cùm illum tractaret Apostoli locum: *Video aliam legem in membris meis*, hoc est, concupiscentiam, *captivantem me sub lege peccati*, duosque sensus istius captivationis attulisset, priores quasi corrigens, atque addens tertium: *Aut potiùs*, inquit, *quod non habet controversiam (captivantem me) secundum carnem; quam nisi teneret carnalis concupiscentia, quam legem peccati vocat, non utique in ea illum illicitum desiderium, cui mens obedire non debeat, commoveret.* Quam sententiam suam ex ipso Apostolo Paulo probat: *Cùm enim dixisset*, inquit Augustinus, *Scio enim quia non habitat in me; id ipsum exponens, adiunxit & ait, hoc est, in carne mea bonum. Hæc ergò captivatur sub lege peccati, in qua non habitat bonum, hoc est caro.* Et exponens quid sit illa caro, quæ sub concupiscentia captiva possidetur, adjunxit: *Carnem autem nunc appellavit, ubi est morbidus quidam carnis affectus, non ipsam corporis conformationem, cujus membra non adhibenda sunt arma peccato, id est, eidem ipsi concupiscentiæ, quæ hoc carnale nostrum captivum tenet.* Et paulò pòst: *Sub ista lege peccati, hoc est, sub concupiscentia sua, nisi aliquantùm teneretur caro nostra captiva, quomodo esset verum, quod ait idem Apostolus, Adoptionem exspectantes redemptionem corporis nostri. In tantum igitur adhuc exspectatur redemptio corporis nostri, in quantum adhuc ex aliqua parte captivum est sub lege peccati.* Hoc ipsũ iterũ per alia Pauli verba significatũ putat, quibus dicit: *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Vbi quid intellecturi sumus*, inquit, *nisi corpus quod corrumpitur aggravat animam? Ad corpus ergò mortis huius intelligitur pertinere, ut alia lex in membris repugnet legi mentis.* Eandem sententiam suam in eodem loco aliquoties repetit, & repetendo commendat. Ex quibus perspicuum est, non solũ August. sed & Aposto-

Rom. 7.

Lib. 1. de nupt. c. 30.

Ibid.

Apostolum Paulum illius esse sententiæ, quòd lex peccati, seu concupiscentia, de qua generatim in illo ad Romanos loco disputat, ad carnem, ad corpus mortis, ad membra pertineat, dum illam *legem in membris* vocat, & *habitare in carne*, & *corpus mortis* ab ea *redimendum* esse testatur. Quomodo ergo lex ista in carne est, nisi quia animam, quatenus per appetitum illum inferiorem carnis operatur, captivam tenet? Idem docet in libro de continentia: *Non enim, anima, sanatione indiguisset, nisi seipsa peccando vitiasset, ut* (Cap. 8.) *adversus eam caro sua concupisceret, id est, ipsa sibimetipsi ex ea parte qua in carne infirmata est, repugnaret.* Quam doctrinam & alijs pluribus locis repetit: ut liquidò sanè pateat, dum Augustinus concupiscentiam ex parente in prolem traijci docet, non aliud eum velle traijci, quàm id quod carni, seu ipsi animæ, quatenus carnem informat, & per illam ceu organum ejus desideria concupiscentiarum variarum seu libidinum suscitat, congruere potest.

CAPVT XXIII.

Solvitur quarta difficultas suprà proposita. Modus inquinationis animæ ex carne peccati.

QVARTA denique difficultas, quo pacto qualitas illa sensitivo appetitui prolis insita in spiritum ejus agat, ut ibi peccati reatus oriatur, nullo nos pacto aut Augustinum premit: qui nihil aliud secundùm ipsum in spiritu seu in voluntate prolis ponimus, quàm id quod Augustinus, ut suprà diximus, vocare solet, *iniquitatem, injustitiam, mortem animæ, aversionem à Deo*; quæ non aliud nisi privationem sonant: Nec alius concupiscentiæ reatus in carne vel anima quærendus est. Cùm enim reatus ex Augustini mente per baptismum auferatur, nec aliud auferri notum sit, nisi mortem animæ, injustitiam, & aversionem à Deo, illas quoque ipsas privationes esse reatum illum concupiscentiæ necessarium est, ratione cujus anima mortua, & à Deo aversa, & per hoc immunda, inquinata, peccati rea, & pœnæ damnationis obstricta est.

Sed quomodo, inquies, ex carne peccati, in qua anima mundo nascitur, seu ex concupiscentia carnem captivante, in ipsum apicem voluntatis ejus tanta pernicies, quæ animam peccati ream statuat, inferri potest? Difficilis est res ista, fateor, præsertim ijs, quibus Augustini principia doctrinam ejus immobiliter fulcientia minùs accuratè perspecta sunt. Quam tamen ut lectori credibilem, Deo juvante, expeditamque faciamus, duo declaranda sunt, primùm, revera sic ex Augustini mente fieri: alterum, quomodo possit fieri.

Quòd igitur ad primum spectat, id non difficilè ex Augustino demonstrari potest. Nam quamvis usque ad finem vitæ inter illas duas sententias fluctuaverit, utrum animæ ex parentibus cum carne propagentur, an creentur à Deo (cùm jam propinquus morti dixerit: *Nec tunc sciebam, nec adhuc scio*: (Lib. 1. Retract. c. 1.) & adhuc propinquior in opere quod abrupit mors tanquam in limine vitæ mortisque constitutus: *Quod nescire me confiteor, nec me pudet, ut vos, fateri nescire quod nescio*) (Lib. 2 op. imperf.) in ipsa tamen illa sententia novæ creationis declaravit non aliter hoc posse fieri, nisi quòd carnis peccatricis, cui anima inseritur, per libidinem propagatæ, commixtione maculetur. Cujus opinionis illud celebre testimonium est, quod libro quinto adversus Iulianum consignavit: *Vt ergo & anima & caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur renascendo emendetur; profectò aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur; ubi occulta justitia divinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco quàm dico, ne audeam docere quod nescio.* (Lib. 5. cont. Iul. c. 4.) In quibus verbis cùm esset tam propagationis animarum, quàm creationis incertus, utrique sententiæ suum inquinationis modum attribuit: ut si propagetur quidem, eodem modo ut caro ex vitio carnis, ita anima ex animæ vitio vitiata seminetur & procreetur: sin autem creatur à Deo, ipsâ carnis, cui mixta est, corruptione maculetur. Nec ullum videt esse tertium modum, quo peccati primi participatio possit intelligi. Hanc enim de utrovis illo modo certitudinem probat illa asseverandi fiducia, qua dicit: *profectò aut utrumque* &c. Hanc probat id quod statim adijcit: *Quid autem horum sit verum*, nempe duorum quæ præmiserat. Hanc denique probat id quod sequitur: *Hoc tamen scio*, *id horum*, hoc est, id ex istis duobus membris *esse verum, quod fides, vera, antiqua, Catholica, qua creditur & asseritur originale peccatum, non esse convicerit falsum.*

Declaravit optimè & præclarissimè hunc Augustini locum & sensum Vrbanus IV. Pontifex maximus, in ea paraphrasi, quam in Psalmum quinquagesimum eleganter scripsit: *Homo ille in se omnes de stirpe sua venturos, occultâ tabe & fœditate sua libidinosa concupiscentia,*

Digitized by Google

tia, adeo tabificavit, quòd anima à te, Deus, A *creando infusa corpori taliter tabefacto maculatur, polluitur, & fœdatur: sicut in vase non sincero vinum infusum, licet optimum, inficitur, & acescit; & in illa infusione ipsa anima damnationis sententiam in se iustam excipiens, culpam contrahit, & reatui perpetuæ pœnæ obligatur.*

Sed non alio quàm seipso Augustinus opus habet suorum verborum & mentis interprete. Nam in libris de anima & ejus origine apertè dicit, non aliter, nisi per carnis peccatricis consortium, potuisse animam, si eam de novo Deus creat, peccatum originale contrahere: *Neque enim potuit*, inquit, *originali peccato esse peccatrix, aut quoquo modo in originali peccato esse, nisi per carnem, si de parente non trahitur.* Has autem locutiones ab eo sic intelligi, ut ab ipsa carne per concupiscentiam inquinata etiam ipsa anima inquinetur, ex alijs locis manifestum est, ubi effectus illius commixtionis cum carne peccatrice declarat. B Hanc enim nonnunquam *pollutionem* vocat: *Propterea nobis per mediatorem præstita est gratia, ut polluti carne peccati, carnis peccati similitudine mundaremur.* Aliquando & sæpè *aggravationem animæ* ex carne: *Nec fuisset caro Christi in similitudine carnis peccati, nisi caro esset ista peccati, cuius pondere rationalis anima sic gravatur; sive & ipsa ex parentibus tracta sit, sive ibidem creata, sive desuper inspirata: quod nunc quærere differo.* Quam aggravationem animæ esse ex Augustini sententia inquinationem ejus, luculentiùs alibi planum facit: *De anima verò, utrùm & ipsa eodem modo propagata, reatu qui ei dimittatur, obstricta sit; neque enim possumus dicere, solam carnem parvuli, non etiam animam indigere salvatoris & redemptoris auxilio &c. An etiam non propagata eo ipso quo carni peccati aggravanda miscetur, iam ipsius peccati remissione, & sua redemptione opus habeat, &c. magna quæstio est.* C Qui sanè locus alteri, quem ex libro quinto adversus Iulianum allegavimus, est simillimus. Pari quippe modo duas de anima, unam propagationis, alteram creationis ejus tangit sententias: ut juxta primam anima vitiata non minùs atque caro ex parentibus transfundatur: juxta secundam verò, *eo ipso quo carni peccati aggravanda miscetur*, peccati rea fit, & remissionis ejus indigeat. Quod enim in uno dixit: *Tanquam in vitiato vase corrumpitur*; hoc in altero dicit: *Carni peccati aggravanda miscetur.* Neque enim caro aut corpus hominis alia ratione vas vitiatum est, nisi quia caro peccati est, hoc est, quia libidine seu concupiscentia, quod Augustino teste originale peccatum est, & ab Apostolo sæpissimè peccatum dicitur, vitiata atque polluta est. Hoc est enim, quod eodem loco securissimè Augustinus tradit: *Nec dubitandum est his qui divinas scripturas fideliter legunt, fideliter audiunt, fideliter tenent, quòd ab illa carne, quæ primùm voluptate* (id est concupiscentia) *peccati, facta est caro peccati, deinceps per successionem transeunte in omnes proscriptione iniquitatis & mortis, caro fit propagata peccati; exceptâ unâ similitudine carnis peccati.* Et

Lib. 1. de animæ orig. c. 8.
Lib. 10. de Civit. c. 22.
Lib. 1. de pecc. merit. c. 38.
Lib. 2. de pecc. meritis c. ult.
Ibid.

in opere imperfecto contra Iulianum, cùm de concupiscentia multa dixisset: *Per hanc* (concupiscentiam) *humana, quæ nascitur, caro peccati est: propter quod per illam nasci noluit ille, qui natus est in similitudine carnis peccati, ut per hoc, quamvis in carne vera, non tamen in carne peccati.* Et in eodem libro: *Quisquis talem dicit fuisse Abel,* (sine lege in membris) *dicat eum carnem non habuisse peccati.* Et libro secundo jam citato de peccatorum meritis: *Caro enim, quæ primò facta est, non erat caro peccati*; nimirum, quia concupiscentia, quæ contra spiritum concupiscit, nondum carni velut ejus peccatum inerat. Nam ut aptissimè ex Augustini magistri sui mente Fulgentius: *Si caro peccati non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa peccatum: si verò peccatum non habet, falsum portat carnis peccati vocabulum.* Quæ Augustinianam & Apostolicam phrasim sapiunt, qua concupiscentia peccatum dici solet. Cùm enim peccatum sit *voluntas eius, quod iustitia vetat*; hinc fit, ut sicut peccatum animæ est quædam voluntas, seu desiderium rei vetitæ liberum, ita & peccatum carnis est quædam voluntas ejus, seu desiderium rei vetitæ, sed non liberum. Nam delectatio seu libido, quæ appetitui carnis inhæret, non est aliud, nisi, ut Augustinus dicit, *desiderium mali.* Quod meritò peccatum carnis, seu peccatum in membris dicitur, eo modo, quo ibi peccatum esse potest.

Lib. 1. cont. Iul. op imp. c. 433.
Ibid. c. 393.
Lib. 2. de pecc. merit. c. 34.
De Incarn. & grat. c. 15.
Ita Aug. lib. de duabus animab. c. 11.

Cùm igitur Augustinus hoc ipso peccati remissione indigere dicit animam, *quo carni peccati aggravanda miscetur*, idem est omnino atque si diceret, hoc ipso ream esse, quo carni contra spiritum concupiscenti miscetur. Nam hoc ipso in carne per talem concupiscentiam vitiata velut *in vitiato vase corrumpitur.* Quæ sanè causa est, cur antiqui Patres, & in primis illi, quos in operibus adversus Iulianum Augustinus allegat, Apostoli Pauli vestigijs inhærentes, gemebundis ubique vocibus adversus carnem illam peccati & corpus mortis exclament.

Hanc suam sententiam de animæ inquinatione ex carne peccati, etiam illis locis, ubi de animæ creatione & propagatione, nunc in hanc, nunc in illam partem inclinando disputat, passim lectoribus indicat. Nam quamvis modum se nescire fateatur, quo Dei justitia in tuto collocanda sit, dum illas animas, quas ipse in carne peccati creat, veluti peccati reas pœna damnationis astringit; hunc tamen eis reatum juxta occultam creantis & creationis æquitatem, ex carne peccati inolescere, nunquam vel in dubium revocat. Sic enim pro ista sententia de causa baptizandi parvulos loquitur: *Ideo vivus oportet* D *etiam infans baptizetur, ne obsit animæ societas carnis peccati, quâ participatâ fit, ut nihil possit anima infantis secundum spiritum sapere. Ipsa quippe affectio gravat etiam corpore exutam, nisi cùm in corpore est, per unicum sacrificium mediatoris veri sacerdotis expietur.* Ecce planissimis

Lib. 10. de Genes. ad lit. c. 14.

planissimis

nissimis verbis modum explicat, quo sæpiùs animam ex carne peccati gravari docuit; nimirum, quia caro ei ex intima societate carnalem affectionem affricat, quâ eam ita gravat ac deorsum trahit, ut nihil possit secundùm spiritum, hoc est, secundùm Deum sapere. Et paulò inferiùs in eadem pergens dissertatione, ut animarum creationem defendentes tueatur: *Omnes autem animas*, ait, *etiam infantium, ideo habere necessarium baptismi Sacramentum, sine quo ex hac vita etiam in illa ætate migrare non expedit, quia contagio peccati ex carne peccati, quâ obruitur anima, cùm his inseritur membris oberit ei post mortem.* Quam paulò pòst vocat *participatam ex corpore peccati colluviem.* Quæ quamvis, ut jam dixi, disputantis in modum de animæ creatione dicantur, inquinationem tamen ejus ita ex carne peccati, & ex ejus aggravatione, & contagio fieri, non disputat, sed supponit; & quia illam ita supponit fieri, idcirco illa de animæ productione disceptatio instituitur. Hæc enim perspicua & certa animæ ex carne contagio, & inde secuta pœna, totius disputationis istius & difficultatis cardo est, in quo tota causa vertitur. Quapropter Auctor non indoctus libri de spiritu & anima, qui Augustino ascribitur, doctrinam istam, prout eam ex libris de Genesi ad litteram proposuimus, intelligentia assecutus est, & luculentiùs exponendo, in eamque sententiam concedendo, sectatus est. Hic enim cùm veluti basim suæ doctrinæ statuisset, *rationales animas fieri quotidie ex nihilo novas*, ita de peccati transfusione loquitur: *Certum tenemus, quia caro contracta de carne per legem concupiscentiæ, quàm citò vivificatur, originalis culpa vinculo premitur, ejusque affectionibus anima, quæ carnem vivificat, aggravatur. Sub hoc peccati vinculo demerguntur parvuli, qui sine remedio baptismi moriuntur. Habent enim originale peccatum, non per animam, sed per carnem utique contractum, animæque refusum. Carni namque ita unitur anima, ut cum carne sit una persona.* In qua sententia ipsissimis Augustini verbis utitur; ut perspicuum sit, eum etjam doctrinam ejus exprimere voluisse. Et rursum idem repetendo commendans lectoribus suis: *Exinde fit anima originali culpa obnoxia, quam caro contrahit & anima refundit, cum qua unita est in persona, licet divisa sit in natura.* Ecce clarissimis verbis dicit, carnem culpæ vinculo, id est, concupiscentiâ premi, & ejus affectionibus animam gravari; & hoc peccatum ex carne in animam refundi. Quod ne cui incredibile videretur, etjam modum explicat, quia ex utraque fit una persona, non natura: *Fit enim*, inquit luculentiùs, *auctore Deo caro & anima unum individuum, unus homo: unde salva natura utriusque proprietate adjicitur carni, quod animæ est, & animæ quod carnis est, pro unitate persona, non pro diversitate naturæ. Quod igitur itidem singulis est proprium, commune fit amborum: proprium pro natura, commune pro persona.* hæc auctor ille, quem nonnulli Augustinum putant: sed quisquis fuerit, Augustini saltem doctrinam ipsius verbis utendo, consignare voluisse, perspicuum est.

Ibid. c. 28.

Lib. de Spirit. & anima cap. 41.

Ibid.

Ibid.

A B C D

Quæ sanè sanctissimi Doctoris mens ex alio quoque capite cognosci potest. Nam Christi animam omnis peccati expertem fuisse & originalis & proprij, ex Christianæ fidei regulis extra controversiam est. Cujus rei rationem ut assignet Augustinus, non aliud afferre solet, nisi quia non est mixta carni peccati, & per hoc ipsum omnis inquinationis immunis: *Si animæ*, inquit Augustinus, *non ex illa una propagantur, & sola ex Adam caro trahit originale peccatum, ita sibi creavit animam Dei Filius, ut cæteris creat, quam non tamen carni peccati miscuit* (id est, carni, quæ suo vitio contra spiritum concupisceret) *sed similitudini carnis peccati. Sumpsit enim ex Virgine veram quidem carnis substantiam, non tamen peccati carnem: quia non ex carnali concupiscentia sive seminatam, sive conceptam.* Ecce tota ratio cur Christi anima sit mundissima; quia carne peccati, cui anima misceretur, caruit: quo manifestè indicat, quòd si carni peccati seu contra spiritum concupiscenti se miscuisset, peccati labe non caruisset. Hinc est, quòd cùm Arianorum Episcopus Maximinus diceret, Deum Patrem ad humanam carnem & humana contagia non venisse, respondet ei Augustinus: *Si fortè nescis, contagia ubi dicuntur, aliquam contaminationem significant. Voluisti ergo Christum intelligi venisse ad humana contagia* (id est, humani peccati contagium) *ergò humanâ carne inquinatum professus es Christum, Ego autem dico, imò Catholica fides, quam cum Ecclesia Christi teneo, dicit, Dominum nostrum* IESVM *Christum sic factum esse Verbum carnem, ut nulla de humano genere, & de humana carne contagia pateretur. Venit enim mundare non coinquinari. Suscepit ergò animam humanam, & carnem humanam, sine ulla peste contagij.* Ex contrario satis apertè significans, omnes alias animas ex humana carne contagium pati: fieri enim non potest, ut carni peccati misceatur anima, nec tamen ejus contagio vitietur.

Epist. 99.

Lib. 1. cont. Maxim.

Nec profectò aliud, quàm idem animæ vitium quasi digito ostendit Augustinus, quoties animam, quæ olim in paradiso fuisset, & finitâ mortalis vitæ hujus miseriâ iterum futura est spiritualis, ex carne peccati carnalem factam esse significat. Quid est enim aliud carnalem fieri, nisi sub carnem deprimi, ut spiritualium rerum jam ducta tædio, nihil nisi carnale concupiscat, nihil ei nisi terrenum libeat, nullâ nisi carnalium creaturumque rerum delectatione mulceatur? Quod ita magnum & perniciosum animæ rationalis vitium est, ut ex illo veluti fonte omnia omnino peccata proficiscantur. Non erit, ait Augustinus, *omnino aliquid vel in carnali semine vitiosum, cùm eâdem regeneratione cuncta mala hominis purgante atque sanante, eadem caro, per quam facta est anima carnalis, fiat etiam ipsa spiritalis.* Quam doctrinam alibi non semel repetit. Nec mirandum est fieri animam ex illa mixtione cum carne peccati, seu concupiscentijs terrenis infectâ, carnalem, cùm Augustinus alibi non vereatur dicere, quòd anima ex *defectivo appetitu* ad inferiora

Lib. 1. de nupt. c. 33.

Lib. contra Secundin. c. 11

quodam-

quodammodo corporascit. Nec enim aliud est istа carnis concupiscentia, quàm quidam ad terrena defectivus appetitus, cùm vel actuali suâ delectatione animam deorsum trahit, vel habituali suo pondere deorsum tenet: per hanc facta est anima in peccati carne carnalis; per hanc veluti defectivum appetitum aut pondere quodammodo suo corporascit. Et hæc de illa prima hujus capitis difficultate, an Augustinus ex carne contaminata animam inquinari sentiat, satis. Ex quibus profectò sicut ex omnibus quę à capite decimo sexto hucusque diximus, etjam illud evidentissimè constat, nihil alienius ab Augustini mente proferri posse, quàm quòd originalis labes & inquinatio ex aliquo pacto propagetur; quod à recentioribus Scholasticis multis post Augustini ætatem sæculis excogitatum est.

Hæc ipsa verò etiam istud secundum, quod initio capitis declarandum proposuimus, videlicet ipsum modum satis explicant, quo anima à polluta per concupiscentiam carne polluitur. Animam quippe per carnem peccati carnalem fieri; societatem carnis peccati obesse, ut nihil possit secundùm spiritum sapere; affectionibus carnis peccati & pondere sic gravari; carne peccati pollui; in carne peccati velut in vitiato vase corrumpi; &, ut exponit Vrbanus IV. in corpore per concupiscentiam tabefacto maculari, pollui, & fœdari; ab humana carne contagia pati; contagione peccati, quæ ex carne peccati est, animam obrui. profectò non sunt aliud, quàm id quod quærimus, animam seu spiritum ejus peccato ex carne peccati infici, seu, ut autor libri de spiritu & anima propriissimè doctissimèque loquitur, carnem peccati refundere culpam in animam. Oppositus enim traductionis ordo est, peccati originalis in animam prolis, & sanctificationis in carnem: peccatum enim ex carne sursum in spiritum serpit; sanctificatio deorsum ex spiritu in carnem. In ordine quippe subvectionis seu elevationis ejus quod cecidit, renovatio spiritalis à spiritu incipit, & ab ejus apice ad ipsius carnis extrema descendit: ubi velut in sentinam peccati rebellio collecta, & adhuc ulteriùs erumpere & se propagare gestiens, tumultuatur. E contrario verò in ordine depressionis, ab infimo carnis corruptio carnalis incipit, quia per illas partes carnis homo esse incipit, & ad ipsius spiritus apicem serpit. Elevando etenim remotissima ab erigente surgunt ultima; deprimendo verò à carne remotissima ultimò deprimuntur. Nam Spiritus Dei proximum sibi spiritum animæ rationalis suâ gratiâ primum arripit, & per illum jam sanctificatum erigit carnem: Diabolus proximas sibi carnis feces suâ plagâ primùm inficit; & inde animum in creaturas deprimendo capit, & possidet. Quem propagationis ordinem à carne in spiritum, ne mirus fortasse videatur, sanctus Thomas agnoscit, & probat. Nam quamvis Augustinus primum hominem voluntate præeunte, carne verò, seu libidine sequente, peccatum velut animo & corpore implevisse testetur, alius tamen commissionis primi peccati, alius propagationis ordo est. In propagando enim libido carnis antegreditur parvuli voluntatem; quamvis olim voluntas libidinem præcedendo, & peccatum committendo, pepererit. Peccato quippe factum est, ut novissima fierent prima, & prima novissima, hoc est, ut voluntas, quæ veluti naturaliter domina, in carnem ac libidines ejus tranquillissimum obtinebat imperium, magnum illud peccatum perpetrando carni subdita & vinculis mortiferæ delectationis innexa sit. Qua de re quamvis & antè dictum sit, quia tamen res magni momenti est, ad intelligendam penitus formalem peccati originalis propagationem & rationem, seu concupiscentiæ reatum, ut Augustinus loquitur, non est inutile adhuc paululum immorari.

Postquam homo in peccatorum libidines, quibus antè caruit, liberâ suâ voluntate delapsus est, non eâdem, quâ antè cecidit, facilitate surgere, aut eâdem promptitudine libertatis se sanare potest, qua sibi lætiferum illud vulnus inflixit. Nec enim mentiri Scriptura potest, quæ clarè dicit: *A quo quis devictus est, huic & servus addictus est.* Huic libidinum servituti Adam per peccatum ita subditus fuit, ut nisi eum Christi Salvatoris gratia sublevasset, perpetuis illius miseræ calamitatis vinculis mansisset obstrictus. Hæc enim vincula non sunt aliud, quàm quòd mens rationalis rei creatæ delectatione, quam diligendo peccaverat, ita stringitur & ligatur, ut ab illa pestifera dulcedine se extricare nequeat, nisi vinculum illud gratia divina ruperit, & pœnales tenebras, quas super illicitas concupiscentias pluit Deus, sua luce discusserit, ut ita appareat homini, in quo statu hæreat, & quàm procul à veritate recesserit. Hoc enim nisi Deus miserendo fecerit, ex una in aliam libidinem seu rei creatæ delectationem se mens huc illuc velut in vinculo suo volvere, & quandam servilem superbi animi libertatem ostentare potest: sed ab illis omninò surgere, rerumque creatarum delectatione depulsa, in solum Deum se pura sinceràque voluntate retorquere, sine gratia delectabile & lætiferum illud gluten abrumpente fieri nullo pacto potest. Ex quo consequens est, voluntatis ipsam, quem, vel consensum dicimus, vel cui consentire ac dissentire competit, sub rei creatæ delectabilis servitute esse captivum, ut nihil omninò velle, nihil amare, nihil suscipere possit, nisi quod creaturæ delectatione perfusum sit. Hic status animæ rationalis fuit, postquam peccando à cœlesti illa voluptate, quam capiebat ex Deo, in sui, rerumque creatarum dilectione & libidinem lapsus est. Cùm enim ad creaturam amando converteretur, & consequenter se à Deo averteret (nec enim studio avertendi se peccatum admissum est) in ista conversione & aversione voluntas obriguit: nec se iterum in statum pristinum suis viribus retorquere potuit; & in isto rigore persecutam concupiscentiam arctiùs alligata est.

Ita citat plerumq; Aug. locum S. Petri.

 Quid

Quid verò mirum, quòd voluntas compedi- A bus istis vincta, non possit seipsum, non secus atque corporis pondus, solo voluntatis nutu iterum sursum rapere? Imò qua non admiratione dignum esset, si se posset, Deo non adjuvante, sursum rapere? Pondus enim ipso corpore longè gravius eam vinctam tenet: & viribus caret, quibus illud possit excutere. Ipsa quippe libido est infirmitas voluntatis, ipsa est sanctæ libertatis, hoc est, potestatis diligendi Dei, interitus. Nec enim aliud illa libido est, ut infrà fusiùs juxta Augustinum explicandum est, quàm *rei creatæ*, imò *mali seu peccati desiderium*. cujus impetus delectabiles, ac mortiferos tractus anima ante gratiam libens patitur: post gratiam pati etjam invita & gemebunda compellitur.

Cùm igitur iste Adami status fuerit, perpetrato peccato, quia prolem sibi, quantum ad rerum creatarum libidines seu concupiscentias, B similem seminat, etjam similem metit. Semen enim infixà visceribus intimis concupiscentià infectum est; ex quo jure seminationis & germinationis proles ejus infecta nascitur: ut & ratio probat, & experientia clamat: videmus enim *in corpore infirmissimo*, ut Augustinus loquitur, *nulli usui congruis vel idoneis infantilibus membris animam rationalem miserabili ignorantia prægravari.* Videmus etjam *concupiscentiam* parvulorum, *cùm motibus irrationalibus perturbantur, nulla ratione, nullo imperio; sed dolore aliquando, vel doloris terrore cohiberi.* Quod evidentissimum signum esse, cujus ipsi filij sint, Augustinus admonuit, *ut omnino*, inquit, *videamus illius inobedientiæ filios, quæ movetur in membris repugnans legi mentis, nec cum vult ratio conquiescit.* Hæc ergò libido, seu rerum quarumlibet terrenarum quasi habitualis concupiscentia, ex Adamo propagata non minùs parvulos, quàm Adamum simulatque Deum peccando deseruerat, captivos tenet, & arbitrium ita ligatum sub se possidet, ut nisi gratia divina vires ejus fregerit, & mentem ab ejus vinculis erutam & à creaturis aversam in Deum creatorem ejus infusâ charitate converterit, nihil omninò evigilante per ætatem ratione facturi, dilecturi, cogitaturi sint, nisi, quòd rerum creatarum delectatio seu libido persuaserit. Nam illius omninò fructus sunt immanis illa vanitas & stultitia puerilis, qua tanquam carni subditi carnem diligunt, carnem sapiunt, & usque ad extremum vitæ spiritum longè detestabiliùs sapient, nisi Deus misericordiâ suâ istius ingenitæ & consuetudine roboratæ concupiscentiæ terrenæ vires ac tyrannidem abruperit. Hæc est illa igitur præclara animi libertas parvulorum, in qua mens eorum, hoc est voluntas statu non actu nascitur. Non enim in miserabili illo statu expergiscente per ætatem ratione anima constituitur, sed constituta agnoscitur. Nam qualis in illa profundissima ignorantiæ nocte, cum qua in mundum prodijt, fuit, talis omninò illucescentibus radijs rationis veluti solis, apparet. Nec enim cæcus minùs est cæcus noctu, quàm interdiu, etsi interdiu cæcitas manifesta ex effectibus pateat; noctu occulta lateat. Quem sanè potissimum esse rationalis animæ statum, quæ sive in majoribus, sive in parvulis, ad sapientiam eamque veram, hoc est, divinam condita est, quis Christianus, imò quis vel sobrius dubitet? Mens enim in profundissimis illis tenebris non solùm indocta, sed indocilis jacet: concupiscentia terrenarum rerum animæ voluntatique non actione, sed permanenti constitutione incumbit ac dominatur. ex qua nulli actus, simul ac ratio prælucere cœperit, nisi terrenæ dilectionis erumpent. Nam sicut charitas, quæ per baptismum infunditur parvulis, mentem eorum, hoc est, voluntatis apicem avertit à creaturis, & retorquet in Deum: ita è contrario concupiscentia illa medullis insita ante adventum gratiæ, conversos tenet ad creaturas, & aversos à Deo. Vtrumque in illis non propriè habitu fit, qui actum supponere & sequi solet, multò minùs actu, qui in parvulis nullus est (Vnde nec actu nec habitu ibi voluntarium est,) sed permanenti quâdam & quasi habituali constitutione utrumque latet, quamdiu parvulus neque in bono neque in malo, cogitatione versatur: quia in illo consopitum vacat, & bonum naturale rationis, & supernaturale charitatis. & malum originale peccati: sed cum crescente ætate ad usum rationis venerint, utrimque voluntas ita se motitare incipit prout ante non actu, sed statu, sive charitati sive cupiditati possidenti subjacebat. Quod enim de parvulis baptismo charitateque sanctificatis Augustinus dicit: *Neque hoc apparet in eorum arbitrio liberato, nisi cum ad annos pervenerint ratione utentis ætatis, habentes consentientem doctrinæ salutari, in qua nutriti sunt, voluntatem*: hoc etjam rectissimè de parvulis C non sanctificatis, & sub concupiscentia natis dicitur: neque hoc apparet in eorum arbitrio non liberato, nisi cùm ad annos pervenerunt ratione utentis ætatis, habentes consentientem concupiscentijs, in quibus nati & nutriti sunt, voluntatem. Terrenis enim cupiditatibus menti subditæ dominantibus pleni sunt: ex quibus statim in ipsa rationis evigilantis aurorâ *prudentia carnis* veluti primus ejus surculus nascitur; quam esse *mortem*, Apostolus docet.

Quæ si vera sint, ut juxta doctrinam Augustini vera sunt, non est difficilè intelligere, in quo formalis peccati originalis ratio constituta sit, & quomodo per concupiscentiam seu libidinem à carne in spiritum, nihil agendo sed spiritum servitute miserabili à creatore ad creaturas aversum detinendo, propagetur. Qua in re nihil interest, sive concupiscentia illa seu libido, de qua hactenus disseruimus, D sit qualitas positiva, sive potentiarum duntaxat effrenitas, & immanis pronitas in bona sensibilia, corruptoque statui congruentia. Eosdem quippe effectus distortus ille status parit. eodem pondere ac difficultate miseram torquet voluntatem. Nos utrimsq; defendendi viam

Lib. 1. de pecc. merit. cap. 35.

Epist. 105.

viam utcunque demonstravimus, ut lector illam eligat, quam vel Augustino, vel viribus suis aptiorem esse deprehenderit.

Dum enim illa, quæ in Augustino & Scriptoribus antiquis certa sunt, non propter quædam incerta convellantur, non ita multùm fortasse refert, quid de istis incertioribus lector arbitretur. Certum enim in Augustini & antiquorum tum precedentium tum sequentium Patrum sensu est; Peccatum originale esse concupiscentiam, quam ex Apostolo Paulo talem esse, ut ostendimus, dixicerunt: certum, per illam eandem concupiscentiam, sive reatus ejus baptismo expiatus fuerit, sive non fuerit, peccati reatum in posteros trajici: certum, hoc non fieri ex ullo positivo pacto Dei, sed ex inquinatione, qua jure talis seminationis & propagationis ex natura rei, anima sive de novo creata, sive per traducem tracta, maculatur. Iam verò sive hoc ita fiat, ut ista concupiscentia non sit aliud, quàm effrenitas & inordinatio potentiarum; sive potiùs, quò nos palàm ducit S. Augustinus, qualitas positiva, eaque sive ab appetitu sensitivo instar malæ consuetudinis distincta; sive tanquam habitus corruptus, ut S. Thomas loquitur; sive tanquam temperamenti quędam affectio, sive ut alia occulta quædam qualitas, secundùm ea, quæ superiùs disputata sunt non ita periculosè, puto, erratur: pluribusque modis ea, quam certam diximus, cœlestis ejus doctrina de peccato originali, olimque probatissima per totam Ecclesiam, sine magna difficultate sustineri potest.

Quo verò pacto, quidquid tandem fuerit in Augustino concupiscentia, aversio ista mentis à Deo parvulis sit culpabilis, & reatum faciat, ita ut etiam pœna digni sint, non est peculiaris isti sententiæ difficultas, sed ab omnibus devoranda est. Quidquid enim originis peccatum esse senseris, si actualem parvuli voluntatem respicis, inculpabile est. Ad fontem quippe totius torrentis humani generis, primi parentis voluntatem, unde amaritudo nascitur, ascendendum est. In illo namque, ut suprà fusè ex Augustino declaravimus, & non aliter, voluntaria esse potest. Ex quo etiam efficitur, ut ille distortus perversusque naturæ humanæ status, cujus ipsa in sua radice causa fuit, origini ejus jure imputetur, ac displiceat Deo, velut sapientiæ ejus bonitatique contrarius: quemadmodum vicissim parvulorum rectitudo à Christo restituta, velut conformis incommutabili sapientiæ & bonitati, Deo placet, quamvis neutrum suis actibus comparaverint.

Sunt & aliæ nonnullæ difficultates, quæ moveri possent: sed quia solutio earum ex dictis facilis est, non est operæ pretium earum prolixiori declaratione fatigare lectorem. De concupiscentia in statu puræ naturæ, an ibi esset culpabilis, imò an ibi esse posset, erit alibi differendi locus. *Vide infra libros de statu puræ nat.*

FINIS.

DE STATV NATVRÆ LAPSÆ
LIBER SECVNDVS.
Qui est de pœnis peccati originalis.

CAPVT PRIMVM.
Pœnæ peccati originalis generatim pertextæ.

De peccati originalis pœnis copiosè dicere non est difficilè. Tot enim tantæque sunt, ut eis describendis ac deplorandis faciliùs mens & calamus obrui, quàm charta impleri possit. Quòcunque oculos sive mentis sive corporis circumferimus, irruunt: & ita universæ hominum vitæ & actionibus sive bonis sive malis intertextæ implexæque sunt, ut omnes bonæ pœnali quadam difficultate laboriosæ; malæ verò quotquot post prævaricationem illam ingentem primi parentis ab improbis fiunt, ita sunt suppliciorum merita futurorum, ut sint etjam magni illius ac preteriti indubitata pœna peccati. Quod ergò ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa tota, quam dixi, humana vita,

Digitized by Google

vita, si vita dicenda est, tot ac tantis malis plena, testatur. Quod ut Augustini sensu & plerumque verbis breviter perstringamus, ut postea de singulis quæ difficultatem ingerunt disseramus latiùs, quid indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ; cum qua nunc mundum ingredimur? Nam in hisce tenebris profundissimis ab utero profusus in lucē quilibet infans jacet, nesciens ubi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus sit, jam reus delicti, nondum capax præcepti; tanta videlicet caligine involutus & pressus, ut neque tanquam de somno excitari possit, ut hæc saltem demonstrata cognoscat: sed exspectetur tempus, quo hanc nescio quam velut ebrietatem non per unam noctem, sicut quælibet gravissima solet, sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat. Quod donec fiat, tam multa, quæ in majoribus punimus, toleramus in parvulis, ut numerari omninò non possint. B Nec ideò tamen pœnalia ista mala esse desinunt, quia tolerantur in parvulis: sed ideò tolerantur, quia sine dubio mala sunt, licet ætatis accessu peritura. Nam si pater & mater parvulos suos tales præscirent mansuros esse, cùm creverint, nullo modo dubitarent miserabiliùs lugendos esse, quàm mortuos.

Ex ista densissima tenebrarum caligine omnis error humanæ vitæ proficiscitur, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit; ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore, non possit. Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia; superbia, ambitio, invidentia; homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia; nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impu- C dicitia, fornicationes, adulteria, incestus, & contra naturam utriusque sexus tot stupra atque immunditiæ, quas turpe est etjam dicere: sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, perjuria; oppressio innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita ista hominum non recedit? Quæ quamvis hominum sint malorum, eaque sua voluntate perpetrantium, ab illa tamen erroris & perversi amoris radice pullulant, ad quam natura prævaricatrix ab origine tractam ex illa primi parētis transgressione dānata est. Non enim solùm in malis suis contractis jacet, sed & volvitur, deque malis in mala præcipitatur totius generis humani massa; & adjuncta parti eorum, qui paulò antè peccaverant Angelorum, luit etjam istas flagitiorum atque facinorum impiam illam desertionem conse- D quentium atque punientium dignissimas pœnas. Ad iram quippe Dei pertinet justam, non minùs quicquid cæcâ & indomitâ concupiscentiâ faciunt libenter mali, quàm quicquid manifestis opertisque pœnis patiuntur inviti.

A Quis enim ignorat non solùm cum quanta ignorantiâ veritatis, quæ jam in infantibus manifesta est, sed etjam cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hac vitam; ita ut si dimittatur vivere ut velit, & facere quicquid velit, in hæc facinora & flagitia, quæ commemoravi, & quæ cōmemorare non potui, vel cuncta vel multa perveniat? Sed divina gubernatione non omni modo deserente damnatos, & ideo non continente in ira sua miserationes suas, in ipsis sensibus generis humani prohibitio & eruditio contra istas, cum quibus nascimur, tenebras vigilant, & contra hos impetus opponuntur; plenæ tamen et iam laborum, & dolorum. Quid enim sibi volunt multiplices formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? Quid pædagogi, quid magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, quâ Scriptura sancta dicit dilecti filij latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durus aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, & prava cupiditas refrenetur, cum quibus malis in hoc seculum venimus? Quid est enim, quòd cum labore meminimus, sine labore obliviscimur; cum labore discimus, sine labore nescimus; cum labore strenui, sine labore inertes sumus? Nonne hinc apparet in quid velut pondere suo proclivis & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? Desidia, segnities, pigritia, negligentia, vitia sunt utique, quibus labor fugitur, cùm tamen labor ipse etjam qui est utilis pœna sit.

Sed præter pueriles pœnas, sine quibus disci non potest quod majores volunt, qui vix aliquid utiliter volunt, nec ex tenebroso humani generis animo pelli ignorantia; quas ærumnas indomita pravarum rerum cupiditates etjam ijs afferant, qui illis ad flagitia quoque perpetranda libenter obtemperant, quis sine horrore recordetur? Ira rationi cùm veluti satelles ad exequenda jussa concessa sit, inconcessum sibi plerumque rapit imperium, & hominem in feram vertit, ut, canum rabiem, scorpionum truculentiam, serpentumque virulentiam superet. Quid illa fœdissimarum obscœnitatum libido furiosa, quas tragœdias non omni ætate suscitavit? quas corporum pestes ac putredines nostrâ ætate non intulit? quas insanias suis dilectoribus ac sectatoribus adolescentibus subinde non peperit?

Iam verò quot & quantis pœnis genus agitetur humanum, quæ non ad malitiam nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent miseriamque communem, quis ullo sermone digerat, quis ulla cogitatione comprehendat? Quantus est metus, quanta calamitas ab orbitatibus atque luctu; à damnis & damnationibus; à deceptionibus & mendacijs hominum; à suspicionibus falsis; ab omnibus violentis facinoribus, & sceleribus alienis; quandoquidem ab eis & deprædatio, & captivi-

Digitized by Google

captivitas, & vincula, & carceres, & exilia, & cruciatus, & amputatio membrorum, & privatio sensuum, & oppressio corporis ad obscœnam libidinem opprimentis explendam, & alia multa horrenda sæpè contingunt?

Quid ab innumeris casibus, qui forinsecus corpori formidantur, a æstibus, & frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluvionibus, coruscationibus, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum; ab offensione, & pavore, vel etjam malitia jumentorum; à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum; à bestiarum ferarum vel tantummodo molestis, vel etjam mortiferis morsibus; à rabie quæ contingit ex rabido cane, ut etjam blanda & amica suo domino bestia nonnunquam vehementiùs & amariùs, quàm leones draconesque metuatur, faciatque hominem, quem fortè contagione pestifera ita rabiosum, ut à parentibus, conjuge, filijs, pejùs omni bestia formidetur? Quæ mala patiuntur navigantes? quæ terrena itinera gradientes? Quis ambulat ubicunque non opinatis casibus subjacens? Quid videtur sedente securius? de sella, in qua sedebat, cecidit Heli Sacerdos, & mortuus est. Agricolæ, imò verò omnes homines quot & quantos à cœlo & terra, vel perniciosis animalibus casus metuunt agrorū fructibus? de quibus etjam collectis reconditisque nulla securitas. Contra mille formes dæmonum incursus quis innocentiâ suâ fidat, quandoquidem ne quis fideret, etjam parvulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius, aliquando sic vexant, ut in eis maximè, Deo sinente, ita monstretur hujus vitæ flenda calamitas, & alterius desideranda felicitas.

Iam verò de ipso corpore tot existunt morborum mala, ut nec libris Medicorum cuncta comprehensa sint. In quorum pluribus, ac pœnè omnibus, etjam ipsa adjumenta & medicamenta tormenta sunt: ut homines pœnarum exitio, vel pœnali eruantur auxilio, vel ad alia fortasse graviora, cruciatus corporum, membrorumque lanienam, ipsamque mortem terribilium omnium terribilissimam, paulò tardiùs subeunda servetur. Nonne ad hoc perduxit aliquando sitientes homines ardor immanis, ut urinam quoque humanam, vel etjam suam biberent? Nonne ad hoc fames, ut à carnibus hominum abstinere se non possent; nec inventos homines mortuos, sed propter hoc à se occisos; nec quoslibet alienos, verùm etjam filios matres incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent? Ipse postremò somnus, qui propriè quietis nomen accepit, quis verbis explicet, quàm sæpè somniorum visis inquietus sit, & quàm magnis licet falsarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, ut à veris eas discernere nequeamus, animam miseram sensusque perturbet? Qua fallitate visorum etjam vigilantes in quibusdam morbis & venenis miserabiliùs agitantur. Quamvis multimoda varietate fallaciæ homines etjam sanos maligni dæmones nonnunquam decipiant talibus visis, ut etjamsi eos per hæc ad sua traducere non potuerint; sensibus tamen eorum solo appetitu qualitercunque persuadendæ falsitatis illudant.

Præter hæc autem mala hujus vitæ bonis malisque communia, habent in ea justi etjam proprios quosdam labores suos, quibus adversus vitia militant, & in talium vitiorum tentationibus periculisq; versantur. Baptizatos parvulos prætereo; quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant, sileo; cùm nec istis malis in suis parvulis infidelitas careat. Sed jam grandes Deoque servientes videamus: tentat eos error, ut decipiat; tentat labor aut dolor, ut frangat; tentat libido, ut accendat; tentat mœror, ut sternat; tentat typhus, ut extollat. Et quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam? Aliquando enim concitatiùs, aliquando remissiùs, non tamen desinit caro concupiscere adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, ut non ea quæ volumus, faciamus: vigilijs cōtinuis excubantes, ne opinio verisimilis fallat; ne decipiat sermo versutus; ne se tenebræ alicujus erroris offundant; ne quod malum est, bonum; aut quod bonum est, malum esse credatur; ne ab his quæ agenda sunt metus revocet; ne super iracundiam Sol occidat; ne inimicitiæ provocent ad retributionem mali pro malo; ne absorbeat inhonesta vel immoderata tristitia; ne impartiendorum beneficiorum ingrata mens ingerat torporem; ne maledicis rumoribus bona conscientia fatigetur; ne temeraria de alio suspicio nostra decipiat; ne aliena de nobis falsa nos frangat; ne oculus sequatur concupiscentiam; ne vindicandi cupiditas vincat; ne in eo, quòd male delectat, vel visio vel cogitatio remoretur; ne improbum, aut indecens verbum libenter audiatur; ne fiat quod non licet etjamsi libet; ne in hoc bello laborum periculorumque plenissimo vel de viribus nostris speretur facienda victoria, vel viribus nostris facta tribuatur; sed ejus gratiæ, *qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum* IESVM *Christum*. Nam, ut Apostolus, *in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos*. Veruntamen quantalibet virtute præliandi vitijs repugnemus, vel etjam vitia superemus, & subjugemus, quamdiu sumus in hoc corpore, nobis deesse non potest, unde dicamus Deo: *Dimitte nobis debita nostra*. In illo autem regno, ubi semper cum corporibus immortalibus victuri sumus, nec prælia nobis erunt ulla, nec debita: quæ nusquam & nunquam essent, si natura nostra, sicut recta creata est, permaneret. At per hoc etjam noster ille conflictus, in quo assiduè periclitamur, & de quo nos victoriâ novissima cupimus liberari, ad hujus vitæ mala pertinet, quam tot tantorumque testimonio malorum probavimus esse damnatam. Harum miseriarum evidentia Philosophos gentium, nihil de peccato primi hominis sive scientes sive credentes, compulit dicere, ob aliqua

1. Cor. 15.
Rom. 8.

ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore, pœnarum luendarum causâ nos eſſe natos, & animos noſtros corruptibilibus corporibus, excogitato ab Hetruſcis prædonibus ſupplicio, eſſe conjunctos. Sic enim loquitur Tullius in Hortenſio, cùm multa, quæ videmus & gemimus, de hominum vanitate atque infidelitate dixiſſet: *Ex quibus humana vita erroribus & ærumnis fit, ut interdum veteres illi ſive vates, ſive in ſacris initijſque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum causâ natos eſſe dixerunt, aliquid vidiſſe videantur: verumque ſit illud, quod eſt apud Ariſtotelem, ſimili nos affectos eſſe ſupplicio, atque eos qui quondam, cùm in prædonum Hetruſcorum manus incidiſſent crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viva cum mortuis, adverſa adverſis accommodata, quàm aptiſſimè colligabantur: ſic noſtros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis eſſe conjunctos.* Atque hæc generatim de pœnis peccati originalis dicta ſint. Nunc paulò fuſiùs de præcipuis ejus pœnis, quibus animus affligitur, ignorantiâ & concupiſcentiâ, diſſerendum eſt.

Ex Horten. Dialog. Ciner. apud August. 4. cont. Iul. c. 15.

DE IGNORANTIA.

CAPVT SECVNDVM.

Ignorantia etjam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt, invincibilis non caret peccato: ut dogma fidei ab antiquis traditum.

PRÆTERMISSIS igitur multis ignorantiæ diviſionibus, quæ ad propoſitum noſtrum nihil faciunt, alijſque quæ de ignorantia ſubtiliter diſputantur, Duplicem ignorantiam eſſe, vincibilem & invincibilem, nemo qui vel à longè Theologiam ſalutavit, ignorat. Vincibilis dicitur, quæ ſtudio ſeu diligentiâ humanâ vinci poteſt: quæ ſi non adhibeatur, quando adhiberi poteſt ac debet, veriùs magiſque propriè peccata negligentiæ, quàm ignorantiæ, dici debent quæ inde naſcuntur. Tota quippe peccati aut culpæ ratio, in ſciendi incuriam cadit, quâ, quæ ſtudio ſcire potuit ac debuit, indagare neglexit. Invincibilis è contrario eſt, quam talis diligentia ſuperare non potuit. Hîc igitur primò quæri poteſt; Vtrum aliqua ſit ignorantia invincibilis juxta doctrinam Auguſtini, quæ tamen non excuſet actum, qui inde ſequitur, à peccato? Generale namque videtur Scholaſticorum pronunciatum eſſe, quòd quicquid ex invincibili fit ignorantia, hoc ipſo culpâ vacat. Quæ ſanè doctrina quamvis humanæ rationi, quâ nititur, valdè plauſibilis eſſe videatur, difficile tamen eſt eam cum Auguſtini doctrina conciliare, quam contra Pelagianos conſtanter aſſeruit. Solemne quippe Pelagianorum dogma fuit: *Oblivionem, & ignorantiam non ſubiacere peccato*: prout hoc ex libris Celeſtij Pelagio in Paleſtina Synodo objectum fuit. Hoc autem Pelagianos de invincibili ignorantia intellexiſſe, certiſſimum eſt; ut ex ijs, quæ de Pelagianorum erroribus diximus, manifeſtum eſt. Oſtendimus enim & Iulianum & Pelagium ex profeſſo docuiſſe, quòd illa ignorantia, quæ ex negligentia voluntatis naſcitur, ſit culpabilis. Vnde de Iuliano dicit Auguſtinus: *Ecce meritò reprehendiſti eos, qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere.* Et Pelagius expreſſiſſimis verbis docuit: *Hominem prævigilare debere, ne ignoret, idcoque eſſe culpandam*

Lib. de geſtis Pelag. c. 18.

Vide lib. noſtrum 3. de Hæreſi Pelag. c. 13.

Lib. 6. cont. Iul. c. 1.

Lib. de nat. & grat. c. 17

A *ignorantiam: quia id homo neſcit negligentiâ, quod adhibitâ diligentia ſcire debuiſſet.* Et quod omnem tollit de Pelagianorum ſententia controverſiam, in Paleſtinæ Synodi geſtis, ubi Pelagianorum doctrina ex eorum libris eruta proponitur, ſic eam ex libri Celeſtij capitulo ſeptimo Auguſtinus exprimit: *Oblivionem & ignorantiam non ſubiacere peccato, quoniam non ſecundùm eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem*: Vbi lacunam eſſe, non eſt dubium: nam legi debet (*ſecundùm voluntatem eveniunt*) tum quia nullus alioquin eſt ſenſus, tum quia illud (*ſecundùm*) caſum quem regit adjunctum habere debet; ſicut ex eo quod ſequitur patet: *ſecundùm neceſſitatem*; quod alteri parti (*ſecundùm voluntatem*) opponitur: tum denique quia ſic Auguſtinus poſtea totius hęreſis Pelagianę dogmata recapitulando pertexens, illud ipſum exprimit: *Quòd oblivio & ignorantia non ſubiacet*
B *peccato; quoniam non eveniunt ſecundùm voluntatem, ſed ſecundùm neceſſitatem.* Ex quo apertè ſequitur, ignorantiam illam, quæ non evenit ſecundùm neceſſitatem, ſed ſecundùm voluntatem, hoc eſt, eam, cujus non neceſſitas, ſed voluntas causa eſt, quâ videlicet vinci potuit, Pelagianorum judicio ſubjacere peccato. Hoc ergò ſolemne dogma, quo Pelagiani dicebant, ignorantiam quæ non ſecundùm voluntatem evenit, ſed ſecundùm neceſſitatem, non ſubjacere peccato, de ignorantia invincibili intelligebant; ut ipſa etjam verba evidenter præ ſe ferunt, & ſonant. Et quamvis non ſtatim quicquid à Pelagianis aſſertum fuit, etjam Pelagiano errore vitiatum ſit; hoc tamen eorum pronunciatum à Catholicis defenſoribus acriter oppugnatum, & à judicibus condemnatum fuit. Nam in Synodo Paleſtina, ubi Pelagius præſens adfuit, cùm illa ſententia, quòd *ignorantia, quæ evenit ſecundùm neceſſitatem, non voluntatem, non ſubiacet peccato*, cum nonnullis alijs ex doctrina Celeſtij fuiſſet objecta, tanto-

De geſtis Pelag. c. 18.

Ibid. c. ult.

tantopere suâ fœditate Catholicos commovit Episcopos, ut non exspectata ejus responsione dixerint: *Quid ad hac, qua lecta sunt, capitula dicit præsens Pelagius monachus? Hac enim reprobat sancta Synodus, & sancta Dei Catholica Ecclesia.* Et Pelagius ipse non audens Concilij judicio refragari, *qua dixi,* inquit, *non esse mea* (inter quæ istud unum fuit) *secundùm iudicium sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti sanctæ Ecclesiæ Catholicæ doctrinis.* Et ne quis forte illorum Antistitum judicium elevaret, quamvis à nemine antiquorum propter Pelagianorum errorum, qui Pelagio objecti sunt, condemnationem reprehensum fuerit, ipse Augustinus calculo suo totum multipliciter probat. Nam in illo libro, quem ex professo de Pelagij in illa Synodo gestis exaravit, cùm ad illud caput de experte peccati invincibili ignorantia pervenisset: *Iam,* inquit, *ea quæ re, aut novissima ita iudices commoverunt, ut ante responsionem Pelagij damnanda censerent.* Et paulo pòst addit, se iudicum non arguere *vel negligentiam vel conniventiam, vel, quod ab eis longè abhorrere certissimum est, impiorum dogmatum conscientiam; sed eorum iudicium pro merito approbare atque laudare.* Quid quòd Augustinus in eodem libro sæpius repetit, dogmata Pelagiana, quæ judices illo judicio proscripserunt, inter quæ istud unum fuit, etiam Pelagio coram hominibus absoluto, meritò tanquam hæreses esse damnata? Sic enim in eadem illa de gestis Pelagij lucubratione: *Illi enim* (judices) *tanquam de ignoto iudicantes, his præsertim absentibus, qui contra eum libellum dederant, hominem quidem diligentiùs examinare minimè potuerunt; hæresin tamen ipsam, si eorum sequantur iudicium, qui pro eius perversitate certabant, penitus peremerunt.* Et inferiùs: *At nunc si Pelagius Deum cogitat, si non est ingratus eius misericordiæ, qui eum ad Episcoporum iudicium propterea perduxit, ut hæc anathemata defendere postea non auderet, eaque detestanda & abjicienda cognosceret, gratius accipiet litteras nostras &c.* Ecce anathemata non defendenda in posterum, detestanda, & abjicienda vocat Augustinus ea, quæ judices proscripserunt. Quæ ne quis velut indefinite dicta minoris ea de causa facienda suspicaretur, vel aliquid à dogmatibus ibi proscriptis posse velut sanum excipi, generatim in sequentibus adjicit: *Quod habet gestorum fides, omnia scilicet illa dogmata, quibus eadem hæresis proserpebat, & contentiosa convalescebat audacia, Ecclesiastico iudicio, præsidentibus quatuordecim Episcopis esse damnata.* Quæ quidem eo vehementiùs premunt, quòd adversus eos ab Augustino proferantur, qui ex Pelagij quadam Epistola post Synodum scripta putare posse videbantur, *aliquid eorum* quæ ibi reprobata fuerant, *licite posse defendi, tanquam non fuerit iudicatum Catholicæ contrarium esse doctrinæ.* Vnde statim omnia, quæ ibi damnata sunt, scriptis ab ipso profligenda esse contendit: *Si ficut homines,* inquit, *suspicantur, ignoscat; dum tamen ea quæ gestis, in quibus auditus est, anathematizata & reprobata sunt, de cætero oppugnet; ne parcendo illis, non solùm hæc antea credidisse, sed credere videatur.* Et in fine libri, cùm Antistites judices duo quædam satis perspicua dixisset suæ sententiæ brevitate complexos, unum quidem, *pyj Pelagium consentire doctrinis,* quia multa dogmata sua in Catholicum sensum interpretandi subtilitate traxerat; alterum verò, *Ecclesiæ fidei reprobare & anathematizare contraria;* sub hoc ultimum divisionis membrum pestilentissimas doctrinæ Pelagianæ sententias revocat, & inter eas istam quoque, de qua nobis est sermo: quas ipse Pelagius, quia sine dubio damnanda videbantur, damnationis suæ timore damnaverat. Vnde propositum suum executurus Augustinus, ita præfatur: *Nunc similiter recapitulando illa paulò attentius videamus, quæ illum contraria reprobare & anathematizare dixerunt. In hoc enim potius tota hæresis ista consistit.* Et Catalogum eorum pertexere incipiens, in quo dogma de *ignorantia necessitatis non voluntatis,* non infimum locum tenet: *hæc sunt,* inquit, *quibus hæresis illius dum ea* (dumeta legendum videtur) *quotidie pullulare, imo iam silvescere dolebamus; Adam mortalem factum &c. quod oblivio & ignorantia non subiaces peccato: quoniam non evenit secundum voluntatem, sed secundum necessitatem.* Et quia istud unum è Celestij dogmatibus fuit, & Pelagius alia, ut dixi, nonnulla dogmata sano sensu exposuerat, hinc pertexto illo pestilentium dogmatum catalogo, quæ Pelagius anathemate condemnaverat, librum Catholicâ gratulatione concludens: *Quomodolibet,* inquit, *ea Celestius posuerit, aut non posuerit, vel Pelagius senserit, aut non senserit; tanta mala tam nova huius hæresis illo Ecclesiastico iudicio damnata gaudeamus, & Deo gratias agamus, laudesque dicamus.* Et quamvis nonnulla Pelagij dogmata in ista Synodo damnata scrupulosissimè excutiat, ne quid judices perperam probasse, vel damnasse viderentur; de ista tamen ignorantiæ sententia ne minimum quidem vel dubium vel scrupulum movet. Quæ sanè per quam evidenter ostendere videntur, sententiam illam, quòd ignorantia necessitatis non voluntatis, hoc est, invincibilis, peccato non subjaceat, Catholicorum Episcoporum judicio in Synodo præsidentium, & Augustini toties illud approbantis calculo, sine ulla tergiversatione esse damnatam.

Hinc illæ gravissimæ Pelagianorum querimoniæ apud Hieronymum, qui post illam Synodum dialogos Attici & Crytobuli scripsit: *Videris hominum accusare naturam, ac per hoc invidiam referre in Deum, qui tales homines condidit, ut oblivione & ignorantia peccato carere non possint &c. ubi autem aufertur possibilitas, aufertur & vitium.* Et quasi contra Scripturas ista à Catholicis docerentur: *Da,* inquit, *testimonium non instrumenti* (veteris) *ubi error & ignorantia & impossibilitas mandati teneatur in crimine.* Ecce audis talem naturam, ut oblivione & ignorantiâ carere *non possit:* ideoque culpam retorqueri in Deum: *audis impossibilitatem, seu ablatam*

Lib. de gestis Pelag. apud August. c.19. & 33. — *Ibid. c.29.* — *Ibid. c.17.* — *Cap.21.* — *Ibid. c. 21.* — *Cap.25.* — *Cap.33.* — *Ibid.* — *Cap. ult.* — *Ibid.* — *Hieron lib. 2. advers. Pelag.* — *Ibid.*

tam possibilitatem vitandi. Quod certissimum A est adversus ignorantiam invincibilem dirigi. Vnde & Dei justitiam, qui imputaret ea, quæ caveri non poterant, redarguendo clamabant: *Rogo quæ est ista justitia ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio, pœnas luo. Et qui plus faciam, si sponte peccavero?* Quæ sanè querelæ nullo possunt adversus Dei justitiam colore retorqueri, ubi voluntas negligentiæ reatum habet; ubi discendi inertia se peccasse novit; imo ubi voluntas discere nolens, sponte peccavit. Quapropter nunquam Hieronymus ad voluntatis inertiam, vel discendi negligentiam fugit, cui ignorantiæ reatum tribuat; sed potiùs ad profunditatem judiciorum Dei. Nam repetitis illis Pelagianæ superbiæ querimonijs ita reponit: *A me sententia & dispositionis Dei causas requiris? Respondet stultæ interrogationi tuæ liber Sapientiæ: Altiora te ne quæsieris.* Et B paulo inferiùs, quia repudiari à pervicacibus

Hieron. lib. 1. advers. Pelag.

Ibid. lib. 1.

ista scriptura potuisset, ut Pelagianis moris erat, ex Apostolo eandem prosequitur responsionem: *Ac ne fortè huic volumini contradicas audi Apostolum Euangelica clangentem tuba: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini?* Et mox ex libro Ecclesiastis: *De quo certè libro*, inquit, *nulla est ambiguitas: Dixi; Sapiens efficiar; & ipsa longè facta est a me. Profunda profunditas, quis eam inveniet?* Quis non videt & responsiones istas Doctoris Catholici ineptissimas esse, & stultissimas Pelagianorũ querimonias, si de ignorantia cujus voluntas causam & culpam dedit, controversia verteretur? Nam neque tyrones primis principijs Theologiæ tincti, neque mulierculæ de foro, neque de stiva rustici diffitentur, non minùs jure plecti discendi à peritis, quàm docendi imperitos negligentiam. Quis enim nesciat, omnem neglectum officij esse culpabilem?

Eccles. 7.

CAPVT TERTIVM.

Idem ostendunt varia Augustini loca.

QVÆ quamvis ita manifesta sint, ut A quicquid ad ea ulteriùs illustranda proferas, obscuritatem potiùs, quàm lucem allaturum esse videatur, operæ pretium tamen fuerit disquirere, num à seipso Augustinus librum de gestis Pelagij scribente non dissentiat alijs in operibus, quæ adversus Pelagianos condidit. Cùm enim liber iste paulo post exortum hæresis Pelagianę scriptus sit, ut judices Palæstinos de Pelagiana hæresi rectè judicasse defenderet, si aliud in alijs præsertim posterioribus, ideoq; maturioribus scriptis docuit, doctrinam istam supra traditam vel non satis expendisse, vel retractasse, vel certè aliquid judicibus illis Catholicis tribuisse videri potest, ne causam communem adversus hostes fidei defendens, importunâ illi tempori severitate deprimeret. Quòd si secunda primis, & prima vltimis consentanea sint, & quod semel cum judicibus Palæstinis, ipsoque B Pelagio damnante, damnavit, hoc postea constanter damnandum esse tradidit, doctrinamq; in illa Synodo sancitam, & à se probatam docuit, tum verò nemini dubium esse poterit, quænam fuerit Celestij mens, dum *ignorantiam, quæ secundùm necessitatem evenit, non secundum voluntatem*, peccato non subjacere contendit; quæque judicum condemnantium, quæ Augustini, sententiam eorũ suo calculo cõprobantis.

Quapropter ne quid scrupuli cuiquam de suprà dicta Palæstinæ Synodi, & Augustini mente remaneat, non est difficile ostendere, in hac doctrina constitisse sibi semper Augustinum; nec aliud quicquam adversus Pelagianos docuisse, quàm id quod eum docuisse tradidimus. Nam in libro de natura & gratia, ubi cum Pelagio adhuc velut amico disputat, & ejus dogmata scrupulosissimè trutinat, & ubicunque propinquat veritati, benevolentissimè notat, cùm Pelagius vincibilem ignorantiam peccati ream esse, evidentissimè hisce verbis admitteret: *Hominem pravigilare debere, ne ignoret: ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset*; distinguit Augustinus duplicem ignorantiam, aliam quæ oritur ex hominis negligentia, qua scire non curat quid faciendum sit; aliam ex impotentia, qua scire non potest, etiamsi velit; & ex utroque capite ait peccata contingere: adversus illam opus esse diligentiâ adversus hanc divinâ sapientiâ, quæ precibus impetrari debet: *Tractat*, inquit, *etiam iste de peccatis ignorantiæ, & dicit &c. dum tamen omnia potius disputet, quam ut oret & dicat: Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit.* Vbi quod Augustinus dicit hujusmodi facere contra legem, non est aliud quàm hujusmodi verè peccare, etsi quod lex jubeat, id est, quid faciendum sit, scire velint, nec possint intelligere quid lex fieri velit. Nam ea istic inter Augustinum & Pelagium fervet disputatio, utrum homo sine peccato posset vivere, si velit? Aiebat Pelagius, negabat Augustinus; eo quòd ignorantiæ peccata homo vitare non possit, etiamsi velit: hujusmodi enim ignorantia, cùm sit invincibilis, solâ Dei gratiâ magnis precibus impetrandâ fugari potest. Nam per gratiam omnes ignorantiæ tenebras

Lib. de nat. & grat. c. 17.

Ibid.

tenebras etiam invincibilis ab hominibus fide jam imbutis fugari posse, nemo Catholicus negat: qui autem & fide caret, etiam isto præsidio adversus invincibilem ignorantiam destituitur, quemadmodum in Augustini doctrina certum est: *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* [Rom. 10.]

Nec ibi tantùm, sed passim alibi eandem doctrinam tradit. Nam in initium Psalmi 35. [Aug. in Psal. 35.] ita loquitur: *Non unum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi adversantur, non intelligendo ut bene vivant: non quia non possunt, sed quia nolunt. Aliud est enim, quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest &c. aliud autem, quando perniciosius agit adversus seipsum cor humanum, ut quod possit intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat: non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est. Hoc autem fit, dum amant peccata sua, & oderunt præcepta Dei.* Quę postrema verba manifestant de rebus agibilibus intelligendis esse sermonem. Et interiùs in illa verba Psalmi: *Noluit intelligere, ut bene ageret*, sic Augustinus pergit: *Videtis, quia voluntati illud tribuit: quia sunt homines, qui volunt intelligere, & non possunt: sunt autem homines, qui nolunt intelligere, ideo non intelligunt.* Porro utrosque verè peccare ex eo patet, quod paulo antè generaliter dicit: *Non sciebam, quia peccatum est, quando dicit homo? Cum viderit, quia peccatum est, & destiterit facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat.* Et postea solito more duplicem illam ignorantiam, voluntariam & non voluntariam distinguit. Paulò verò antè dixerat, eos qui nolunt intelligere *perniciosiùs* adversus seipsos agere, quàm eos, qui non possunt; hoc ipso satis indicans, & eos qui non possunt intelligere perniciosè agere, etsi minùs. Sed adhuc apertiùs in Epistola cétesima quinta, quam post damnatam Pelagianam hæresin scripsit, postquam præmisisset: [Epist. 105. ad Sixtum.] *Humana superbia tanquam præsumens de viribus liberi arbitrij, excusatam se putat, quando ignorantia, non voluntatis est quod peccat;* tandem de ignorantia sive voluntaria, sive necessaria, hoc est, sive vincibili sive invincibili, sic concludit: *Ac per hoc inexcusabilis est* omnis peccator, *vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui iudicat, sive qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio.* Ecce inexcusabilem dicit omnem esse peccatorem, justamque damnationem ejus, sive peccaverit, quia scire quid lex jubeat, noluit; sive quia scire non potuit. Quod de gẽtilibus Dei lege atq; cognitione, ideoque & orationis subsidio destitutis præcipuè intelligit. Nam propterea locum Apostoli allegaverat: *Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* [Rom. 2.] Nam ex ista in primis consideratione celebris illa sententia ab Augustino pronunciata est: [Lib. de Spir. & Litt. c. 3.] *Neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via.* Hoc enim intelligit de peccatis ignorantiæ, qua quis ignorat quid lex Dei, seu

[A] quid veritas fieri velit. Illa quippe evitari viâ veritatis hominem latente non possunt. Et illa sunt quæ vocantur ab Augustino peccata necessitatis, non voluntatis quasi scientiam negligentis, ut ex ipso postea latiùs declarabitur. Hoc autem genus ignorantiæ, quia in infidelibus maximè viget, & non nisi valdè gratuitâ gratiâ quę naturæ viribus nullo pacto acquiri, & ad quam viribus naturæ nullatenus, juxta doctrinam Augustini & Apostolicam via sterni potest, sed gratuitâ omnino divini spiritus voluntate, non ubilibet, sed ubi vult spirante, dari debet, hinc alibi: *Vel hinc saltem confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit, quemadmodum debeat leonem domare, & nescit quemadmodum vivere. An & hoc ut sciat sufficit ei liberum arbitrium, lexque naturalis? Hæc est sapientia verbi, qua evacuatur crux Christi.* [Lib. de nat. & grat. c. 40.]

Nec verò istud invincibilis genus ignorantiæ quæ superari voluntate non potest, in infideli- [B] bus tantùm, sed etjam in profitentibus fidem Catholicam vitæq; sanctitatem, & ex illa tamẽ ignorantia verè peccantibus, secundùm eandem Augustini doctrinam locum habet. Nam libro secundo de peccatorum meritis & remissione, ubi ex professo disputat, unde cõtingat, ut nemo etjam fidelis in hac vita tanta justitiæ perfectione vivat, ut eam sine omni peccati labe pertranseat, ad duo omninò capita omnes causas revocat, ad ignorantiam agendorum, & ad infirmitatem implendorũ quæ jam agenda cognovimus. Neutram autem superare in hominis solius potestate est, sed in gratia Dei: quam quòd non tribuit alicui, occulto ejus judicio ascribi debet: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementiùs volumus, quanto certiùs quàm bonum sit novimus, eoq; delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur* [Lib. 2. de pecc. merit. c. 17.] [C] *ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est quæ hominum adiuvat voluntates.* Istud porrò ita esse gratiæ Dei, ut non eam homo quandocunq; voluerit in sua habeat potestate, sed tunc tantùm ei detur vel negetur, cùm propter occultas causas Deo visum fuerit, utpote qui ad superbiam sive deprimendam, sive cavendam, vel ad gratiæ beneficiũ luculentiùs demonstrãdum, eam sæpè subtrahit, statim in sequentibus perspicuè docet: *Ideò quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit; nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse vel quod scit, vel quod delectatur; & sic ab elationis vanitate sanetur.* [Ibid.] Et in libro de Spiritu & littera doctrinam istam summis disputandi viribus asserit, & asserendo declarat. Docet enim perfectam qui- [D] dem justitiam, qua sine omni peccato vivat homo, esse possibilem, si Deus hoc in homine operetur, gratiæ luce tollendo ignorantiam, & gratiæ fortitudine adjuvando infirmitatem: quod nisi fecerit, esse homini prorsus impossibilem. Cur autem Deus nolit

facere,

Lib. de Spir. & Litt. c. 35
facere, ipsius esse judicio relinquendum. *Hic*, inquit, *quemadmodum sine exemplo est in hominibus perfecta justitia, & tamen impossibilis non est. Fieret enim, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si & nihil eorum quæ pertinent ad justitiam nos lateret*, (id est, si nullâ eorum ignorantiâ, quæ secundùm justitiam sunt facienda, premeremur) *& ea sic delectarent animum &c. quod ut non fit, non ad impossibilitatem, sed ad judicium Dei pertinet.* Nempe, quia propter occultas causas lucem gratiæ, qua tollitur ignorantia, & gratiæ robur, quo juvatur infirmitas, non vult tribuere; quibus subtractis ignorantiam & infirmitatem homo superare nullo pacto potest. Ibid. *Quis enim nesciat*, adjicit Augustinus, *non esse in hominis potestate, quid sciat? Nec esse consequens, ut quod appetendum cognitum fuerit appetatur, nisi tantùm delectet, quantum diligendum est?* Vbi clarè docet, ignorantiam, nisi Deus gratiæ lucem infuderit, esse homini invincibilem, hoc est, nullâ hominis potestate posse superari: & tamen ex illo capite fieri, ne sine peccatis vita humana transigatur. Hinc paulo pòst, cùm sibi opponeret, quòd homo sciendo præceptum istud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde; omnia ad cognitionem justitiæ, id est, ad rectè vivendum necessaria scire videretur, respondendo subjicit: Ibid. c. 36. *Qui hoc attendit, etiam illud attendat, quàm in multis offendimus omnes, dum putamus Deo quem diligimus placere vel non displicere, quod facimus; & postea per scripturam ejus, sive certa & perspicua ratione commoniti, cum didicerimus quòd ei non placeat, pœnitendo deprecamur, ut ignoscat. Plena humana vita est documentis talibus. Vnde autem minùs novimus, quid ei placeat, nisi quia ipse minùs notus est nobis?* Ecce etjam justorum vitam, talibus ignorantiæ peccatis plenam esse testatur, de quibus postea veniam postulant, cùm eos vel scripturæ testimonium, vel oborta lux perspicuæ ratiocinationis erudierit. Nemo autem tanti studij tantæque eruditionis est, qui istud ignorantiæ ingenitæ malum funditus exstirpaverit, vel ita vicerit, aut vincere queat (nisi Deus eum miraculosæ quodammodo gratiæ luce præveniat) ut non hujusmodi lapsibus frequenter in hujus vitæ tenebris titubet. Quod quicunque veraciter pius est, in seipso fieri, experientia convincente, confitetur. Nam quantæcunque fuerit eruditionis atque diligentiæ, ut ignorantiam sive studendo, sive doctiores consulendo vincat, sæpe tamen in multis casibus aliquid se fecisse deprehendet, quod cum putaret bonum, malum fuisse, vel ratio diligentiùs ponderata, vel scriptura intellecta convincet. Hæc autem sunt illa peccata ignorantiæ, de quibus Augustinus testatur, justos pœnitendo deprecari. Hanc autem ignorantiam invincibilem fuisse, testis evidens est illa continua sciendi officij sui diligentia. Nulla enim diligentia hoc efficere potest, ut non in illis rebus, de quibus nulla vel cogitatio ei oborta fuerat, per talem subinde justitiæ ignorantiam prolabatur. Est enim ita profundè corruptæ naturæ medullis insita, ut non possit ab hominibus, non tantum infidelibus, sed nec fidelibus baptismo sanctificatis, continuò exstirpari. Paulatim enim animus gratia eum collustrante purgatur: interea verò, dum istud & eruditionis & justitiæ luce pedetentim crescente fit, multa ab ignorantibus etiam invitis perpetrantur mala, quæ Dei lege damnantur. Vnde Augustinus istius secreti, suæq; diligentiæ probè conscius: In Psalm. 97. *In multis*, inquit, *quantùm nobis innotescit voluntas Dei, etiam reatus noster innotescit nobis: & quanto ille nobis innotescit, tanto plùs imus in fletus, & lachrimas.* Ecce etiam in tanto viro, sive per Scripturæ studium, sive per lumen gratiæ, crescente scientiâ veritatis, crescebat notitia reatus ejus, quem antea latente veritate nesciebat. Nec dubium videtur, quin invincibilis in ipso fuerit, eo modo, quo invincibilis à nobis dici solet. Nam respectu gratiæ Dei nulla ignorantia est invincibilis. Et paulo pòst: Ibid. *Quantumlibet proficiamus, novit ipse peccata nostra; aliquando & nobis ostendit illa, & videmus & nos peccata nostra.* Si aliquando ostendit nobis, ergo plerumque etiam ignorantur à nobis, quantumcunque profecerimus. Et rursum de suis perplexitatibus disserens, in eligendo, quid agi debeat, cùm circumstantiæ suadentes & dissuadentes hinc inde premunt: Epist. 65. *Hic*, inquit, *non falli difficile est, hic omnino vox Prophetica prævalet: Delicta quis intelligit?* Si tantus vir in isto boni & mali discrimine dignoscendo, etiam veritatem indagando, sentit sibi difficile esse non falli; & hoc delictum esse profitetur, quis de ignorantia sua quantumvis probabili & invincibili sibi blandietur? Si enim in ullo est invincibilis, certè in viro tantæ eruditionis, & diligentiæ, & sollicitudinis, & sanctitatis, invincibilis fuit: & tamen sine peccato non fuit. Causa verò, cur tam pertinaciter ignorantia nobis adhæreat, non est alia, nisi quia pœna ista nobiscum nascitur: & ideo quasi in naturam versa difficillimè, sed paulatim vincitur, & interea velut à cœcis ambulantibus necessariò offenditur. Hinc Augustinus: Lib. 6. cont. Iul. c. 16. *Omni peccato caret*, (baptizatus) *non omni malo: quod planiùs ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis? Numquid caret ignorantia malo, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala?* Et quantum sit hoc malum, & quàm impediat, ut homo etiam volens non possit scire, quæ sunt spiritus Dei, statim ex Apostolo probat: Ibid. *An parvum malū est, per quod homo non percipit quæ sunt spiritus Dei? De baptizatis nempe dicebat Apostolus: Animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi; & non potest scire, quoniam spiritualiter dijudicatur.* Et aliquanto inferiùs: Ibid. *Non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo in lavacro regenerationis, ubi tamen caruerant omnibus sine dubitatione peccatis. Et per hoc ignorantiæ malum templo Dei, in quo habitat et spiritus Dei, stultitia erant quæ sunt spiritus Dei.* Quis verò dubitet, hujusmodi ignorantiam recenter baptizatis nullo modo esse voluntariam, sed prorsus invincibilem, utpote quæ nullâ diligentiâ confestim tolli, sed paulatim tantū proficiendo minui potest: cùm tamen eis interea spiritualia

stultitia, Apostolo teste, videantur, & inde plurima peccata ab ignorantibus perpetrentur. Vnde ibidem Augustinus: *De die in diem si proficerent* (isti Corinthij) *& in quod pervenerant, in eo ambularent, sanâ profectò accedente doctrinâ minueretur hoc malum. Credamus etiam non tantum minui, verùm etiam in hac vita posse consumi, tamen post baptismum.* Vbi quod dicit; Credamus in hac vita posse consumi; non asserens, sed indulgens adversario suo, per hypotheticam suppositionem loquitur: nam ut statim adjicit: *ignorantia minuitur veritate magis magisq; lucente. concupiscentia minuitur charitate magis magisq; crescente.* Vtraque verò, non minùs veritas agendæ justitiæ magis lucere, quàm charitas fervere, usque ad finem vitæ in baptizatis potest. Sed sive ignorantia ingenita in hac vita possit aut non possit auferri, proposito nostro satis, non statim istud per baptismum, ut Augustinus hîc docet, in baptizatis fieri; sed longâ quadam ac diligenti exercitatione justitiæ: cùm tamen interim, quamtumvis inviti atque diligentes, multa quæ ad justitiam spectant, animo adhuc carnales nesciant, & in istis animi tenebris constituti impingendo delinquant.

Hoc igitur sensu celebris illa divisio peccatorum intelligenda est, qua passim Augustinus docet, peccata omnia justorum, partim ex ignorantia, partim ex infirmitate contingere: ut tum ex supra dictis, tum ex alijs multis ejus testimonijs intelligi potest. Hinc enim illa in Augustini scriptis perquàm familiaria & usitata: *Vnde fit consequens* (ex Pelagij dogmate) *ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc est, ne tentatione vincamur, vel cùm fallit & praeoccupat nescientes, vel cum premit atque urget infirmos.* Et in ejusdem operis libro primo: *Fit ut, per ignorantiam vel infirmitatem, non exsertis adversus eam* (concupiscentiam) *totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus.* Et in libro de natura & gratia: *Licet mori sine peccato, dum subinde venia deletur, quod subinde ignorantiâ vel infirmitate committitur.* Et libro primo ad Bonifacium: *Neque enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo, & caecitatis & infirmitatis.* Quod in eodem libro inferiùs tunc fieri docet, *cùm ab eo quod libet* (id est, à libidine, seu concupiscentia) *vincitur quod placet,* id est, quod ratione velut verum bonum complacet; *sive cùm per ignorantiam malum quasi bonum placet.* Hæc enim & similia, quæ crebro in scriptis ejus obvia sunt, non loquuntur de illa ignorantia, quæ ex hominum negligentia, vel torpore, vel incuriâ, quocunque eam nomine appellare visum est, sed de illa, quæ cum omni homine profunda nascitur; & illius primi & ineffabilis pœna peccati est; nec pro libitu hominis, sed per gratiam Dei minuenda atq; tollenda est. Nam illa peccata, quæ ex torpida voluntate nascuntur, quâ negligit ea discere, quæ ad justitiam agendam pertinent, veriùs negligentiæ, quàm ignorantiæ peccata ab Augustino dici solent. Hinc Pelagio culpante

Lib. 2. de pec. merit. c. 2.

Lib. 1. c. ult.

Cap. 35.

Cap. 3.

Cap. 13.

A discendi negligentiam, & peccata, quæ inde proficiscuntur, ingenuè cum Catholicis consentiente, respondet Augustinus, ut suprà vidimus: *Aliud est, non curasse scire, quæ negligentia peccata etiam per sacramenta quadam legis videbantur expiari; aliud intelligere velle, nec posse &c.* quasi diceret, non propter peccata, quæ ex discendi proficiscuntur negligentia, dicimus hominum vitam sine peccatis esse non posse, sed propter illa, quæ ex alia nascuntur ignorantia innata homini, quâ vult, nec potest scire quod justum est. Vnde & alibi distinguit peccata, quæ ignorando fiunt, ab eis quæ negligendo, & obliviscendo, & non intelligendo, committuntur. *Si non fornicetur anima humana adhærendo Deo, nec adhærendo mundo, quæcunque alia peccata à concupiscentia carnali prorsus aliena potuerit pro ipsa fragilitate mortalitatis, vel ignorando, vel negligendo, vel obliviscendo, vel non intelligendo homo incurrere, hoc* B *fit quod dictum est &c.* Vbi peccata non intelligendo facta, illa videntur esse, in quibus homo peccat, non propriè ignorando, sed intelligentiâ non penetrando, quod intelligere potest ac debet; ut in eis qui alios docent contingere potest. Illa vero peccata, quæ non negligendo, vel obliviscendo, sed simpliciter ignorãdo perpetrantur, ex illa scilicet ignorantia, in quam pœnaliter ex peccato præcipitati sumus, simpliciter dicuntur peccata ignorantiæ, de quibus exponere solet illud: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Nam cùm alibi, causam adversus Pelagium agens, quæreret illius ignorantiæ profundissimæ, in qua parvulus ab utero prodiens, & per aliquot menses atque annos sepultus jacet, objicit sibi: *An nullum est ignorantia malum, & ideo nec purgandum?* Et continuò respondet sibi: *Et quid agit illa vox: Delicta juventutis meæ, & ignorantias meæ ne memineris? Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quæ ab* C *scientibus committuntur; tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hoc non legeremus, quod commemoravi.* Vnde statim probat, naturam, quæ cum tali ignorantia nascitur, esse vitiatam. Hinc alibi talem ignorantiam simplicem nescientiã vocat, ut ab ea distinguat, quæ voluntatem conjunctam habet. *Aliud est,* inquit, *nescisse, aliud nescire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, ut bene ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet: sed fortaßis, ut mitius ardeat. Non enim sine causa dictum est: Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Vbi sub simplici illa nescientia, illam omnem comprehendit ignorantiam, quæ voluntatis culpâ, sive negligentis, sive intelligere nolentis caret; tametsi alterum membrum solius affectatæ ignorãtiæ exemplo declaraverit. D Nam de simplici illa nescientia jam præcesserat, quòd gentes quædam sine lege peccassent, hoc est, idcirco peccassent, essentq; perituræ, quòd nunquam justitiã ex Dei lege didicissent. Hinc est, quòd consultus de ignorantia, qua quispiam, cùm de rei malitia bonitateq; dubitasset

In Fragmēt. 3. Serm. 1. Tom. 10.

Lib. de grat. & lib. arbit. c. 3.

 tasset

taſſet, & antea putaſſet malam, poſtea facit eam putans bonam, ſine ulla diſtinctione juxta principium de ignorantia jam ſæpè tactum generalem ſententiam deciſivamque pronuntiat: *Si quis bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit, hoc putando, utique peccat. Et ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque benè fieri putat, quod malè fit.* *Epiſt. 154.*

CAPVT QVARTVM.

Difficultas de libertate & voluntario ad omne peccatum neceſſarijs ex Auguſtino ſolvitur.

SED hîc gigantea occurrit moles, & ut videtur nodus inſolubilis, qui fieri poſſit, ut ex invincibili ignorantia peccatum poſſit proficiſci. Quis enim capiat, ut homo in eo peccet, quòd neque ſcit, neque ſcire potuit, nec voluntate ſua ſive volente ſive torpeſcente talis ignorantiæ cauſam dedit? Hujuſmodi enim peccata jam non erunt ne quidem voluntaria, quod ad peccati rationem omninò neceſſarium eſt; ſed neceſſaria. Et quis credat, tale portentum doctiſſimum ſanctiſſimumq; virum docere potuiſſe? Si te, benigne Lector, iſta difficultas fortè movet, profectò movet & me; non tamen ita, ut vel dubitem doctrinam iſtam Auguſtinum tradidiſſe, vel in ea tradenda fluctuaſſe, vel hallucinatum eſſe; ſed potiùs, ut obſtupeſcam & exhorreſcam profunditatem judiciorum Dei. Certiſſimum eſt enim, quantum excuſſis magno labore diligentiaque principijs Auguſtini, & anfractibus doctrinæ ipſius, mihi judicare licet, hoc Auguſtinum, hoc Hieronymum, hoc Concilium Palæſtinum ſine ulla fluctuatione, ut rem in Catholica Eccleſia extra omnem controverſiam, tamquam in Scripturis traditam docuiſſe: rectè an ſecus, pietas noſtra in dubium revocare non ſinit, ne eâdem operâ victoriæ quoque veritatem & æquitatem, qua de Pelagiana hæreſi triumphatum eſt, in dubium revocemus. Quæcunque nos hîc movent, rationis humanæ, ſed plerumque vanæ, terriculamenta ſunt; hæc munimenta divina ſunt. Catholica doctrina non Ariſtotelicis argumentis & argutijs nititur vel terretur: ſed è Scripturis ſacris hauſta, majorumve traditione ad nos tranſmiſſa adverſus omnes hujuſmodi machinas ſtat immobilis & imperterrita. Non terruit illa difficultas Auguſtinum & antiquam Eccleſiam; neque nos ſanè, ſi filij non degeneres eſſe volumus, terrere debet. Fallitur enim quiſquis putat, hujuſmodi peccandi neceſſitatem, quæ ex iſta doctrina ſequitur, à qua per nullam humanarum virium diligentiam, ſed per ſolam miſericordiam Dei homo liberari poteſt, oculatiſſimum profundiſſimumque Doctorem latuiſſe. Quod cùm ex ejus ſcriptis oſtenderimus, & hujuſce arcanæ ac tremendæ doctrinæ radicem tetigerimus, longè evidentiùs fiet, ipſiſſimam hanc doctrinam eſſe, quam adverſus Pelagianos conſtantiſſimè aſſeruit.

Auguſtinus igitur ſtatim à converſione ſua, ut ſtudium ſuum Eccleſiæ Catholicæ probaret, in cujus gremio ſe condiderat, ſummis eruditionis viribus Manichæam hæreſim, quam reliquerat, proſternere aggreſſus eſt. Vt autem eam radicitus ſuccideret, irrefragabilibus argumentis aſtruxit, malum non ex aliqua natura mala, non ex Deo autore omnis boni; ſed ex ſola voluntate velut prima radice proficiſci. Itaque cùm Eccleſia nullis adhuc Pelagianis machinis quateretur, ſecuriſſimè definivit peccatum in hunc modum: *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Hinc eadem ſecuritate dixit: *Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt?* Rurſum alibi: *Vſque adeò*, inquam, *peccatum voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Et ſimilia, quæ paſſim in libris ante exortam Pelagianam hæreſim exaratis contra Manichæos aſſeruit. Arripuerunt hæc avidiſſimè Pelagiani, uſque adeò, ut Iulianus Auguſtinum proprio transfixurus gladio, ſic de iſta definitione peccati exclamaverit: *O lucens aurum in ſtercore! Quid verius, quid plenius dici à quoquam vel Orthodoxo potuiſſet?* Nihil enim capitaliùs videbatur contrarium originali peccato, cæteriſque, quæ quâdam neceſſitatis catenâ ex illo religatâ ſequebantur, quàm hujuſmodi peccati definitio, quæ libertatis ac voluntarij rationem, cavendique poſſibilitatem velut omninò neceſſariam poſtulabat. Sed tantùm abeſt, ut Auguſtinus hujuſmodi ſuis pronunciatis, quæ ante exortam hæreſim Pelagianam aſſeruerat, territus fuerit, vel aliquid in doctrina iſtius invincibilis ignorantiæ, quã tradidimus, immutaverit, ut potiùs è contrario neceſſitatem peccandi ex ea conſequi ingenuè faſſus fuerit; imò velut rem certiſſimam protulerit, ex qua neceſſitas illa, quæ in originali peccato, ſine omni omninò perſonalis voluntatis voluntario cernitur, evidentiùs probaretur, & pleniùs innoteſceret. Nam cùm Iulianus ei objiceret, *Vide igitur, quàm illud, quod eſſe peccatum ratio demonſtrat, inveniri nequeat in ſeminibus*, (quæ periphraſis eſt peccati originalis) *quando ſecundum definitiones tuas jam nec in moribus invenitur.* Reſpondet ei magnâ fiduciâ Auguſtinus: *Multum erras, qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nullâ neceſſitate*

Lib. de duab. animab. c. 11.
Lib. 3. de lib. arb. c. 18.
Lib. de vera Relig. c. 14.
Lib. 1. oper. imp. c. 38.
Lib. 1. oper. imp. c. 155.

necessitate commissum est. Et cùm protulisset ad A asserendam peccandi necessitatem, quædam peccata violentissimæ consuetudinis, tandem de ipsis illis peccatis ignorantiæ, de qua tractamus, ita subjicit: *Deinde cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem nesciunt, ipsam boni appetendi malique vitandi ignorantiam patiuntur peccandi necessitatem. necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quid non debeat facere, facit.* Ecce apertissimè assertam peccandi necessitatem, quæ ex ignorantia proficiscitur. Nimirum ut declararet, non propterea peccatum originale peccatum esse desinere, etsi in eo necessitas quædam cerneretur. Et ne quis fortasse suspicaretur, Augustinum de peccatis non propriè dictis loqui, lectoris cogitationem prævolando: *De quo genere malorum*, inquit, *Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta inventutis, & ignorantia mea ne memineris. Quod genus delictorum* B *si non imputaret Deus iustus, non ea sibi dimitti poscerei homo fidelis. Vnde dicit & Dei famulus Iob: Signasti peccata mea in sacculo, & annotasti, siquid invitus commisi.* Pro quo alibi legit: *Invitus erravi: invitum autem errare, pœna peccati est.* Cujusmodi *peccatis de ignorantia necessitate venientibus plenum esse genus humanum*, paulo inferiùs docet. Cùm verò Iulianus humanæ rationis invicta claritate fretus, veluti de parta victoria sibi gratulando, petulanter occineret: *Totum ergo figmentum necessitatis evanuit; ac per hoc nullum est de naturæ conditione peccatum, sed liberum arbitrium in natura hominum perseverat*; retundit ejus audaciam Augustinus, & obscuram peccati originalis necessitatem alterius necessitatis perspicuitate declarans: *Necesse est ut peccet, à quo ignoratur iustitia: Nunquid ideo, cùm iustitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit?* &c. *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi: sed ut* C *non obsit ista necessitas, donat ille, cui dicitur: De necessitatibus meis erue me.* Ex his manifestissimè liquet, eam peccandi necessitatem, quæ ex ignorantia illa invincibili sequitur, & nobis objicitur ad infringendam, vel in alium sensum detorquendam doctrinam Augustini, seu Ecclesiæ, quam paulò antè declaravimus, etjam à Pelagianis fuisse exagitatam, & ab Augustino agnitam, & ita constanter admissam, ut eam velut rem sine ambiguitate perspicuam, ad illustrandam peccati originalis velut obscuram veritatem atque necessitatem, allegaverit. Docet enim illis ignorantiæ peccatis plenum esse genus humanum; esse quantumvis necessaria, tamen vera peccata; ad culpam imputari; remissione delenda; pœnis plectenda; in illa necessitate peccandi nullam impunitatis esse securitatem. De invincibili ignorantia sermonem esse res ipsa clamat: nam ignorantiam negligentiæ culpabilem esse, disertis verbis D Pelagius & Iulianus admittit & prædicat; & ad ostendendam peccati originalis quamvis necessarij veritatem nihil facit, cùm libera voluntate sive eligente sive negligente contrahatur.

Ibid.

Ibid. f. 156.

Annotat. in Iob c. 14.

Lib. 1. oper. imp. citato fol. 157.

Lib. 1. oper. imp. f. 159.

Sed hoc ipsum adhuc longè uberiùs constabit, si ostenderimus, quo pacto ab illarum sententiarum ac definitionum suarum laqueis, quæ voluntatem, ac libertatem, cavendique potestatem, applaudentibus urgentibusque instantissimè Pelagianis, ad peccati rationem postulant, se Augustinus expediat. Quod quia paulò pòst, cùm de peccati natura disputabitur, ex professo declarari debet, hîc paucis verbis rem istam tangere sufficiet.

Vide infrà lib. 4 de statu naturæ lapsæ c. 21. & penè toto lib. 3. & 4

Cùm ergò Doctor profundissimus proprijs suis principijs de peccati libertate à Pelagianis premeretur, ut proprio ipsius testimonio necessitas illa peccatorum sive originalium sive actualium everteretur, nunquam ad aliquam impropriam sive peccati sive necessitatis acceptionē fugit: sed admissis omnibus, quæ velut absurda adversarij proferebant, asseveranter docuit, hujusmodi sententias ac definitiones suas non esse de quolibet peccato intelligēdas; sed de illo solo quod in paradiso primus parēs sūma voluntatis libertate perpetravit. Duplex quippe peccatū distinguere solet August. aliud quidem, quod peccatum tantùm sit, aliud, quod ita peccatum sit, ut sit etjam pœna peccati. Illud ita esse in motu voluntatis, ut sit liberum inde abstinere; hoc verò non esse liberum, sed pœna ex judicio Dei peccatorem premente & puniente necessarium; hactenùs tamen liberum, quia ex voluntate liberè peccante hujusmodi pœna proficiscitur. Ipsum igitur cum Iuliano disceptantem audiamus. Cùm igitur Iulianus definitionem illam peccati, quæ requirit, *ut sit liberum inde abstinere*, suo calculo probasset, & *aurum* vocasset *lucens in stercore*; ut per eam peccatum originale tolleret, quod adhuc multo minùs voluntarium est, quàm peccatum invincibilis ignorantiæ vel concupiscentiæ, respondet Augustinus: *Hic peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur; quale commissum est à primo homine ante omnes homines malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.* Et rursum eandem abstinendi libertatem inculcante Iuliano, eandem responsionem suam in eodem libro & alibi Augustinus inculcat: Peccatum enim tantùm, & peccatum, quod simul est pœna, itentidem distinguit: illud esse prorsus liberum & voluntarium; hoc non item. *Potest videri falsa hæc definitio*; (scilicet peccati, quam suprà dedimus) *sed si diligenter discutiatur, invenietur esse verissima: peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati, sicut superius ostendi, cum quædam commemorarem ex libro tertio de libero arbitrio.* Quam doctrinam in eodē lib. 1. Retractationum aliquoties repetit; illo verò libro tertio de libero arbitrio, quem ipsemet citat, cùm instantissimè docuisset, non esse peccatum, si propter ignorantiam caveri nullo modo potest, statim similiter explicat, se hoc de ignorantia naturali, seu naturæ nondum vitiatæ, sed prorsus integræ, sanæ, liberæque intelligere.

Lib. 1. oper. imperf. f. 37.

Lib. 1. Retract. c. 13.

gere. Nam si ignorantia non ex natura, prout à Deo instituta est, fluat, sed velut justa peccati pœna peccantibus sit inflicta, peccata, quæ consequuntur vera peccata sunt, etsi homo eâ fallente ignorantiâ cavere non possit. Audi argumentum: *An tanta, inquit, fallacia est, ut caveri peccatum omninò non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem: caveri igitur potest.* Ecce totum argumentum ab ipso Augustino assertum, quod adversus invincibilis ignorantiæ peccata moveri potest, & à Pelagianis motū fuit. Quis ergò hic ulli responsionis locus? Ille videlicet, & non alius, quem Augustinus ipse non solùm senex cum Pelagianis dimicans, sed recenter jam conversus ultro, nullisque Pelagianis machinis coactus, dedit. Statim enim peccata opponit ignorantiæ, quæ cùm peccata sint, caveri tamen non possunt. *Et tamen*, inquit, *etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apostolus: Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ait & Propheta: Delicta juventutis, & ignorantiæ ne memineris* &c. Et statim solvens laqueum, & præcedenti doctrinæ non repugnare declarans: *Sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientium.* Qui sic, Doctor sublimissime? Quid hoc ad explicandam propositam objectionem facit? Audi: *Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Nempe, quia si homo sic est à Deo conditus, ut fallente ignorantia peccatum cavere non possit, juxta id quod suprà dixerat, jam nullum peccatum est. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest, eo quòd ita naturaliter institutus est? Hoc enim invicta ratione probans, adjicit: *Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est* (scilicet cum tanta ignorantia) *ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, cum hæc facit. Si autem bonus homo esset, aliter esset.* Ecce quo pacto intelligit, peccatum esse non posse, si ignorantia ita homini, nullo peccato præcedente, concreata est, ut peccatum caveri ea fallente non possit. Vbi de invincibili eum loqui, per se perspicuum est: hæc est enim, qua fallente peccatum caveri non potest. Sed hoc ad statum pœnalem, in quem incidimus, nulla ratione trahi debet. Quod statim ipse explicando subjungit: *Nunc autem quia ita est* (homo cum ignorantia) *non est bonus: nec habet in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo & non valendo esse, qualem debere esse se videt. Pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* Et paulò inferiùs: *Relinquitur ergò, ut hæc justa pœna de damnatione hominis veniat.* Nimirum, quia si non esset pœna, sed naturaliter concreata, non essent peccata, quæ ex ignorantia committuntur, ut paulò antè probaverat; quæ tamen ex Scripturis allegatis esse peccata constat. Ergò ignorantia ista pœna est. Et quia mira cuipiam ista distinctio ignorantiæ naturalis & pœnalis videri posset, præoccupat objectionem: *Nec mirandum est*, inquit, *quòd vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum, quid rectè faciat* &c. *Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat unusquisque quo benè uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate si vellet: Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire, quid rectum sit.* Et paulò pòst: *Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Et universam disputationem illam, quâ peccatum omne cujusvis fallentis ignorantiæ vel torquentis difficultatis caveri posse, vel peccatum non fore dixerat, sic concludit: *Cùm autem de libera potestate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est, loquimur.* Ecce quàm apertè, quàm disertè docet, peccata ignorantiæ, quæ nos ex peccato nati perpetramus, nihil officere doctrinæ suæ, qua peccatū omne caveri posse tradiderat. Nempe, non quia per diligentiam est vincibilis, aut superari potest, sic enim contra hypothesim eâdem diligentiâ peccatum caveri posset; sed quia ignorantia illa non natura, sed peccati pœna est: Quæ si pœna non esset, sed natura, *nulla*, ut expressè dicit, *essent illa peccata*; nunc autem omninò peccata sunt, quantumvis ea cavere, non sit jam in damnati hominis potestate. Nunc enim non ex natura, sed ex justissima peccati pœna *non habet in potestate, ut bonus sit*, non videndo qualis esse debeat: Nunc *ignorando non habet liberum arbitrium ad eligendum, quid rectè faciat*; nunc *amisit scire quid rectum sit*, quod antè à Deo rectus factus acceperat: Nunc sic *approbat falsa pro veris, ut erret invitus*, & propterea non desinunt esse peccata, quæ pœnaliter ignorando perpetrantur; quia *cùm de libera voluntate rectè faciendi* Augustinus *loquitur*, quam ad peccatum velut omninò necessarium sæpissimè postulaverat, *de illa scilicet, in qua homo factus est, loquitur.* Quâ de re, cùm de libero arbitrio disputandum erit, fusiùs tractaturi sumus. Satis est interim ex ista istius argumenti objectione & solutione, quas ipse Augustinus præformavit, longè evidentiùs patuisse id quod huc usque ostendere conati sumus, pœnalem ignorantiam nostram, in qua nati sumus, etiam invincibilem & incavibilem nullo modo excusare peccatum; quæ prorsus ab omni peccato purgasset perpetrantem, si Deus hominem cum simili ignorantia condidisset. Hoc si lector capit, gratuletur sibi: si non capit, adhuc difficilius captu & cautu esse cogitet originale peccatum. Sed quia utrumque fidei facilè est, tribuamus utrumque arcanis tremendisque judicijs Dei, ne contra res in antiqua Ecclesia certas, quantùm judicare licet, argutijs humanis disputando, non scientiæ veritatem capiamus, sed ignorantiæ pœnam augeamus.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18.
Ibid.
Ibid.
Ibid.
Ibid.

CAPVT.

CAPVT QVINTVM.

Ignorantia invincibilis juris divini, naturalis, facti. Quænam peccatum non excuset.

IAM verò operæ pretium est exponere, utrum quævis ignorantia invincibilis talis sit, ut quod inde sequitur peccatum, veri peccati rationem habeat. Nam quantum ad præsens institutum pertinet, duplex ignorantia est, alia juris, alia facti. Rursus ignorantia juris, alia est juris divini positivi, alia naturalis. De ignorantia facti non esse doctrinam istam intelligendam, satis perspicuum est. Illam enim ex diversis locis Augustini constat reddere actum excusabilem: nam cum Donatistis dimicans, qui alieno crimine fideles totius Orbis contaminatos esse censebant; *Epist. 48.* *Hos*, inquit, *ab hoc crimine innocentes esse, nempe ipsa ignorantia facillimè ostendit. Cur ergò innocentes falsis criminibus accusantur, quia crimina aliena seu falsa seu vera nescierunt? Quis locus innocentiæ reservatur, si crimen est proprium nescire crimen alienum? Porrò si tot gentium populos ipsa ignorantia, sicut dictum est, innocentes ostendit* &c. Vbi ex illa hypothesi loquitur, quâ quis peccatis cognitis alios inquinari posse concederet. Talem enim à contaminatione alieni criminis sola facti purgaret ignorantia. Et rursum alibi manifestius: *Lib. 2. cont. Cresc. c. 26* *Si enim conscientia propterea lædi non potuit, quia nescivit; nunc incipit lædi, quia scivit*, cum scilicet esse malum, à quo baptizatur; *velut si tunicâ de latrocinio nesciens vestiretur, ex illo fit iniquitatis vestis illa, ex quo cognoverit; & ipse iniquus, nisi abjecerit: & qui nesciens uxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter, ex quo didicerit, nisi discesserit.*

Ignorantiam quoque juris divini invincibilem à peccato immunem reddere juxta doctrinam Augustini, verisimilius est: Nam illum locum Euangelij tractans: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*; sæpè docet, non de quolibet, sed de illo peccato magno infidelitatis eum accipiendum esse, quo, Christo ad se non veniente, caruissent: *Lib. 3. ad Bonif. c. 3.* *Non enim*, inquit, *peccatum antea non habebant; sed ipsam voluit intelligi diffidentiam, qua nec præsenti & loquenti crediderunt.* Et alibi: *Epist. 90. in fine.* *Aliquod proprium peccatum intelligi voluit, id est, quod in eum venientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum, si non veniret.* Quam expositionem cùm in tractatibus in Ioannem repetisset, proponit sibi quæstionẽ, utrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationẽ de peccato suo? Et respondet, *Tract. 89. in Ioannem* *habere illos excusationẽ, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus*: nempe vel per seipsum, vel per discipulos suos, ut statim explicat. Et inferiùs iterum: *Ibid.* *Restat*, inquit, *inquirere, utrum hi, qui priusquam Christus veniret* A *in Ecclesia ad gentes, & priusquam Euangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi sunt, seu præveniuntur, possunt habere hanc excusationem?* Et respondet iterum majori cum asseverantia; *possunt planè; sed non ideo possunt effugere damnationem*; propter alia scilicet peccata, quibus lex naturæ violatur; *Quicunque enim*, ut adjicit, *sine lege peccaverunt, sine lege & peribunt.* Quòd si non audisse Euangelium Christi satis est, ut excusationem habeant de sua infidelitate gentiles, profectò ignorantia juris divini positivi invincibilis legitimam à peccato excusationem tribuit: propriè quippe jus divinum positivum est, quod Euangelium continet, ut per ejus annunciationem Filij Dei incarnatio, & humani generis redemptio, & æterna vita credatur.

Quapropter non videtur Augustini doctrina suprà tradita de alia ignorantia intelligi B posse, quã de illa, quæ dicitur esse *juris naturalis*, quod naturæ dicimus, quia intimis conscientiæ & rationis penetralibus, nullo humano magisterio, sed ipsius Dei creantis beneficio insculpitur: at propter peccatum, in quo natura nascitur, & quod peccandi consuetudine postea adjicitur & roboratur, ita subinde lumen illud divinitus infixum hebescit & obtunditur, ut jus istud velut altissima quadam oblivione submersum sit. Nec desunt apertissima Augustini testimonia, quibus eum de ignorantia juris naturalis loqui, astrui & confirmari potest. Distinguere namque solet Augustinus duplicem, imò subinde quadruplicem statum, non tantum humani generis totius, sed etjam singularis cujusque hominis, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem homo in ignorantia rerum agendarum cavendarumque instar cæci vivit, concupiscentias carnales non tantùm libenter sequens, C sed etjam bonas putans; in quo statu homo peccator veriùs est, quàm prævaricator: quia legem, sine qua non est prævaricatio, prorsus ignorat. Sub lege vivitur, cùm homini præceptum: Non concupisces, innotescit; sed victus infirmitate sua legem etjam cognitam prævaricatur. Iste non habet excusationem de ignorantia, sed pugnans propter infirmitatem vincitur: indiget enim gratia, qua adjutus concupiscentias, quas per legem instructus malas esse jam novit, possit continentiæ robore superare. *Procedit lex Dei*, inquit Augustinus, *& dicit: Non concupisces.* *Serm. 4. de verb. Apost. cap. 5.* *Ille homo, qui putabat magnum bonum esse, magnamque felicitatem existimabat, ea qua poscit, sua concupiscentiæ non negare, sequi qua trahit, audit: Non concupisces, & cognoscit esse peccatum. Deus dixit, homo audivit: Deo credidit, peccatum suum vidit, quod*

bonum

bonum putabat, malum esse cognovit. Voluit frænare concupiscentiam, non ire post eam, strinxit, conatus est, victus est. Qui fuit antea nescius malorum suorum, factus est doctus, & peius est victus: cæpit esse non solùm peccator, sed etiam prævaricator. Peccator enim & antea erat, sed antequam legem audiret, peccatorem se esse nesciebat. Et tamen propter illa ignorantiæ suæ peccata, in quibus se peccatorem esse nesciebat, etjam damnandum esse testatur: *Si damnandus erat peccator, quam spem habet prævaricator?* Hic agi de ignorantia juris naturalis, evidentissimum est: naturali quippe jure carnalium terrenarumque rerum concupiscentiæ, cum quibus nascimur, prohibentur. Nam illud præceptum, *Non concupisces*, ex secundæ tabulæ præceptis unum est: quod esse naturalis juris apud omnes in confesso est, & in sua latitudine acceptum, sicut Augustinus imò Apostolus accipit, omnes omninò facinorum atque flagitiorum cupiditates amputat, quibus jus naturæ violatur. Eandem doctrinam & alibi sæpè tradit. Nam in libris ad Bonifacium de eadem illa concupiscentia loquens, quâ peccata contra jus naturæ perpetrantur, cùm allegasset illud Apostoli: *Sine lege peccatum mortuum est*; sic explicando subjungit: *Non intelligamus nisi tanquam non sit, latet, non apparet, penitus ignoratur, tanquam in nescio quibus ignorantiæ tenebris sit sepultum.* Et in libro octoginta trium quæstionum: *Prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est cùm peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias* &c. Et in libro de continentia; *Sunt autem qui legem Dei omninò nescientes, malas concupiscentias nec in hostibus deputant, eisque miserabili cæcitate servientes, insuper etiam se beatos putant, satiando eas potius, quam domando. Qui verò per legem cognoverunt eas, per legem enim cognitio peccati; &, Concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces; & earum tamen oppugnatione vincuntur, sub lege vivunt* &c. Et in Enchiridio ad Laurentium, qui locus unus est instar omnium reliquorum, quia de reliquis mentionem facit: *Hoc nunc dicam, quod quidem & in alijs opusculorum meorum locis sæpè iam dixi. Duabus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit; sed profectò vincimur, nisi divinitus adiuvemur, ut non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio iustitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, scientes videntesque peccamus; iam non solum peccatores, quod eramus etiam cùm per ignorantiam peccabamus, verùm etiam legis prævaricatores, cùm id non facimus, quod faciendum iam esse novimus.* Et paulò inferius: *Quapropter ne peccemus ut regat, ille rogandus est, cui dicitur in Psalmo: Dominus illuminatio mea, & salus mea; ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.* Vbi similiter ignorantiam illam respicit, qua concupiscentias Decalogi lege prohibitas, ignoramus esse malas; & ideò nondum agnita lege, quæ carnales cupiditates vetat, peccatores quidem, non tamen prævaricatores sumus. Et in expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos: *Quatuor istos gradus hominis distinguamus, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem sequimur concupiscentias carnis &c. ante legem ergo non pugnamus, quia non solum concupiscimus & peccamus; sed etiam approbamus peccata.* Et in sequentibus ostendit, antequam lex homini incipiat innotescere, peccata latere hominem: ita videlicet ut illa ignoret esse peccata. Nam Apostoli locum: *Sine lege enim peccatum mortuum est*, sic exponit, & passim exponere solet: *Non quia non est, dixit: mortuum est; sed quia latet: quod in consequentibus manifestat, cum dicit: sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Bona est enim lex: sed sine gratia ostendit tantummodo peccata, non tollit.* Et adhuc idem agens magisque declarans: *quod autem ait: Ego autem vivebam aliquando sine lege, intelligendum est, vivere mihi videbar, quia ante mandatum* (id est ante cognitionem mandati) *latebat peccatum. Et quod ait: Adveniente autem mandato, peccatum revixit, ego autem mortuus sum: intelligendum est, peccatum apparere cæpit; ego autem mortuum me esse cognovi.*

Ibid. c. 6. — Lib. 2. c. 9. — Lib. 83. qq. q. 66. — c. 3. — 81. Enchir. — Lib. Exposit. quarund. propos. Epist. ad Rom. n. 13 — Ibid. n. 38.

Ex quibus & alijs, quæ in istius rei declarationem adduci possent, duo patent. Primum, Augustinum hausisse doctrinam illam de ignorantia, prævaricationem quidem, non tamen peccatum excusante, ex Apostolo, qui pluribus locis hoc manifestè docet. Hinc enim illa frequens ejus inculcatio: *Peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Et superiùs: *Per legem cognitio peccati.* Et rursum; *peccatum, ut appareat peccatum* &c. Vnde ex istius Apostolicæ doctrinæ, locorumque variorum consonantiâ fluxerunt illa verba Augustini, quæ suprà citavimus: *Vt illud, quod dixerat: sine lege enim peccatum mortuum est, non intelligamus, nisi tanquam non sit, latet, non apparet, penitus ignoratur, tanquam in nescio quibus ignorantiæ tenebris sit sepultum.* Reum tamen esse peccati quamvis ignorati, Apostolus ibidem docet, dum dicit: *Ego autem mortuus sum.* Vnde ad id quod dicit; *Ego autem vivebam aliquando sine lege*, Augustinus ita loquitur: *Quid ait, nisi vivere mihi videbar? Et quod adiunxit: Adveniente autem mandato, peccatum revixit; quid est aliud, quàm eminuit, apparuit?* Vnde S. Fulgentius: *Ex quo omnes dies defecerunt, & in ira Dei defecimus, lumine simul & virtute privata in tantum natura cæca sine lege peccat, ut peccare se nesciat. Propter quod dicitur: Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: Non concupisces.*

Ad Rom. 7. — Lib. 1. ad Bonif. c. 3. — Lib. de incarnat. & grat. c. 16.

Alterum est, Augustinum, cùm toties docet, hominem peccare per ignorantiam, qua non solùm se peccare non videt, sed etjam videre non potest, de illa ignorantia loqui, qua quis ignorat ea, quæ lege Decalogi, hoc est, lege naturæ prohibentur. De illa quippe lege Apostolus semper loquitur, & illa est, quæ nescente

crescente vel ætate, vel eruditione, vel sanctitate, hominibus etjam non Iudæis advenit & incipit innotescere, dum oculi paulatim magis magisque aperiuntur, ut quod antè, vel malum esse nesciebat vel putabat esse bonum, jam malum esse cognoscat, & se reum sciat, quem antè putaverat esse innocentem. Vnde alicubi Augustinus clariùs indicans se de hac lege doctrinam istam intelligere: *Præsumebant homines de viribus suis, & faciendo quicquid sibi licere arbitrabantur, peccabant in legem Dei occultam. Vnde ista lex manifesta promulgata est eis, qui omninò sibi rei esse non videbantur. Lex præcurrit ante medicum, ut se ægrotus qui se sanum putabat, inveniret* (id est, sciret) *ægrotum, & dixit: Non concupisces* &c. *Antea sine lege peccabatur; datâ verò lege, cum prævaricatione peccatum est.* Vbi legem *occultam* non intelligit aliam, nisi legem naturæ, quam lex Moysis manifesta ex occultis ignorantiæ latibulis extraxit, & hominibus ante oculos posuit. Et quia lex ista est, quâ id sancitur quod naturaliter justum est, hinc illius ignorantiam subinde vocat a *qua ignoratur justitia*: subinde, qua b *mala*, scilicet quæ in seipsis mala sunt, *non putantur mala*, vel etiam *putantur bona*: aliquando c *boni appetendi malique vitandi ignorantiam*: aliquando ignorantiam rerum agendarum: d *Nolentibus subintravit*, inquit, *ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum.* Et statim vocat, *perniciosa, vel inania*, quæ *errore non sentit*: aliquando verò, *qua putat bonum esse, quod malum est*; vel ut alibi loquitur, cùm *per ignorantiam malum quasi bonum placet.* His omnibus & similibus phrasibus circumloquitur, non ignorantiam facti, non juris divini; sed naturalis.

Serm. 43. de temp. c. 2.

a Lib. 1. op. imp. f. 159. b ibid f. 41. c Ibid. f. 156.

d In Enchir. cap. 24.

Epist. 154.

Lib. 1. ad Bonif. c. 13.

Nam hujus ignorantia facit, ut aliquis concupiscentias illas, cum quibus nati sumus & adolescimus, quæque lege, *Non concupisces*, prohibentur, non malas, sed etjam bonas putet. Hæc est, quæ ante legem scriptam Decalogi, quam Moyses tulit, non solum singulos homines, sed universum genus humanum suis tenebris operuerat, cum nullum adhuc jus divinum de cælo sonuisset. Hæc est, quæ lege, *Non concupisces*, tollitur. Per istam quippe legem *cognoscitur peccatum*, id est, concupiscentia; per istam fit *cognitio peccati*; per istam *apparet peccatum*; sine ista lege *mortuum est peccatum*; illo *mandato adveniente, peccatum revivscit*; propter istam denique legem jus naturæ propalantem apertissimè verum est, quod dicit Apostolus: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Hæc lex universum jus naturæ comprehendit, quo vetatur malum, & ex consequenti, quo jubetur bonum; neque enim adversus jus naturæ, nisi aliqua libidine, seu concupiscentiâ vitiosâ peccatur. Hujus igitur legis naturalis ignorantia, sive sit vincibilis, ut in gravioribus delictis præsertim quibus proximus læditur, contingere solet; sive sit invincibilis, ut in ijs forsan quæ magis à principijs distant conclusionibus naturalibus, & in variarum occursu subito circumstantiarum plerumque accidit, non excusat à peccato delinquentes. Sed de his & similibus delictis Augustini humilitas tremebat, quando propter subitas diversasque circumstantias in discernendo illo naturæ jure perplexus exclamabat: *Delicta quis intelligit?* Et Davidis pietas cum tota Ecclesia gemebat: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

Rom. 7.

Epist. 55. Psal. 24.

CAPVT SEXTVM.

Indagatur radix arcanæ illius doctrinæ

CVR verò ista juris naturalis invincibilis ignorantia magis culpabilem in peccando faciat, quàm ea, quæ legis divinæ positivæ vel facti dicitur, ex natura talis ignorantiæ, vel oppositæ scientiæ petendum videtur. Scientia quippe juris naturalis humanæ naturæ connaturalis est; juris divini positivi & factorum, nullo modo. Nam ex hoc ipso quo natura humana rationis particeps est, & ad Deum creaturarum omnium maximeque rationalium ultimum finem ordinata, ut ipso beata sit, à quo habet ut sit, necesse erat ei talem cognitionem naturaliter inseri, qua eum ut naturalem finem suum posset agnoscere, omniaque scire, quæ ad vitam cum tali honestate transigendam, qualis humanæ naturæ congruit, necessaria sunt. Hæc autem scientiam totius naturalis legis postulat, utpote sine qua nec ea potest appetere & facere, quę rationi naturaliter sibi datę & ultimo fini congruunt, nec ea cavere quæ utrisq; capitaliter adversantur. Lex enim naturalis universa omninò peccata vetat, quæ à rationali natura, & ejus naturali honestate dissonant; & cuncta, aut ferè cuncta jubet, quæ ad finē ejus naturalem assequendum scitu necessaria sunt. Et ista causa est, cur totius illius naturalis legis cognitio accuratè primi hominis visceribus beneficio creationis insculpta fuerit, ex cujus reliquijs in imagine Dei adhuc post ruinam ejus illud lumen superest, quo nonnullas naturalis justitiæ & honestatis veritates probat, & ea, quæ illa lege jubentur aut vetantur, nonnunquam facit aut cavet. Non enim usq; adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint. Hoc enim sensu verum esse potest, quod Apostolus dicit: *Ejusmodi* homines *ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: hoc est, ut Augustinus ait, *non omnimodo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est.* Hoc autem in scientia juris divini positivi & factorum non habet locum. Lex enim Dei positiva

Rom. 2.

Lib. de Spir. & lit. c. 28.

Digitized by Google

positiva ab ipsius libera voluntate pendet, quæ tot, ac tales leges, ac eo tempore, & loco, & occasione ferre potest, quot absconditæ ipsius providentiæ & consilio visum fuerit. Et idcirco ejus scientia neque humanæ neque Angelicæ naturæ connaturalis est: sed sicut ejus legis latio, ita & ejus revelatio à Dei libertate pendet. Facta verò quia singularia sunt, sine fine variari possunt; neque naturam rationalem eorum cognitio ita naturaliter perficit, sicut veritatum illarum generalium practicarum, quæ jure naturæ continentur. Vnde nec in statu innocentiæ factorum omnium & accidentium singularium primi homines cognitionem habuerunt, ut ex colloquio serpentis cum muliere, & mulieris cum marito, satis evidenter colligi potest.

Quapropter quia ista juris divini, & factorum singularium scientia, non est homini connaturalis, neque naturaliter medullis ejus vi creationis insita, sicut veritatum illarum æternarum practicarum, in quibus jus seu lex naturæ constituta est; hinc etjam videtur fieri ut illorum ignorantia invincibilis non sit vitiosa, & consequenter neque peccatum deputandum id quod ex ea fit: quandoquidem & in illa primæ conditionis præstantia sine ullo peccato aut vitio præcedente, cujus pœna esset, contingere potuisset. Hujus verò ignorantia ita vitiosa est, ut, si Augustino jam suprà citato credimus, sine peccato infligi nullo modo queat, nisi ipsa peccata quæ inde consequuntur etjam licita fore, hoc est, non esse peccata, & eorum auctorem Deum esse posse statuamus. Perspicuis enim verbis Augustinus dicit: *Si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si autem bonus homo esset* (id est, nisi vitiatus esset) *aliter esset: nunc autem, quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate ut bonus sit: sive non videndo, qualis esse debeat* &c. Ad naturam enim hominis quodammodo pertinet illarum naturalium veritatum ad justitiam pertinentium notitia: & ideò tolli nisi per peccata non potuit: Deo non subtrahente quod naturali humanæ naturæ rectitudini & honestati congruit, nisi præcedente aliqua iniquitate provocetur.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18.

Hinc est igitur, quòd cùm primi homines peccassent, etjam *nolentibus*, ut Augustinus, *subintravit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum, quibus comites subinferuntur error & dolor.* Vt enim meliores Adam gigneret, quàm ipse esset, non erat æquitatis. Ex quo effectum est, ut vitio cum natura vitiata transeunte, cum ignorantiæ cæcitate & concupiscentiæ difficultate nasceremur: ac primò quidem erraremus, nescientes, quid nobis secundum illius naturalis justitiæ regulas esset faciendum; deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate non valeremus. Quæ quidem ignorantia quamvis non in omnibus sit æqualis, Deo per justum judicium suum discernente, quantum cuique supplicij inferri debet, qui ho-

In Enchir. cap. 24.

mini infert plusquam debet, imò nec totum quod debet; tanta tamen in quibusdam est, ut exceptis illis generalibus justitiæ veritatibus, quarum cognitio omnibus non obstante peccati magnitudine, divina clementia supplicium temperante, permissa est, pleraque quæ ab istis rationalis naturæ quasi luminaribus aliquanto remotiùs dissita sunt, si nullum humanum præcedat magisterium, velut naturâ cæci videre non possint. Miserabilem istam naturæ nostræ cæcitatem sæpissimè Augustinus inculcat, utpotè tantam, ut nullo modo possit solâ natura duce superari. Hinc illud: *ignari & carni subditi nascimur.* Et illud: *Peccante primo homine vitium pro natura inolevit; si vitium pro natura inolevit, secundum mentem omnis homo cæcus natus est. Si enim videt non opus habet doctore.* Et ideò non nisi *adjuvante creatore* docet nos posse, sicut *à difficultate*, id est, à concupiscentia *cruciante*, ita & *ab ignorantia cæcante liberari.*

Lib. 3. de lib. arb. c. 19. Tract. 44. in Ioannem

Lib. 3. de lib. arb. c. 20.

Quantumvis igitur hujusmodi ignorantia propriè peccatum non sit, quantumvis etjam humanæ potestati invincibilis sit, cùm & ipsam fidem Christi, qua sola vinci potest, multi juxta supra traditam Augustini doctrinam, invincibiliter & inculpabiliter nesciant, quia tamen pœna peccati est, quicquid ex illa cæcitate perperam fit, sine peccato non fit. Nam ut disertis verbis de hac ipse dicit Augustinus: *Illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere, non potest, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo* (primo) *liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia.* Quod cùm similitudine linguæ declarasset, cujus nomine non solum instrumentum oris, sed & effectus ejus lingua latina vel græca appellatur: *Sic*, inquit, *non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum: liberâ enim voluntate & ab sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.*

Ibid.

Et sanè si ista peccata istius invincibilis ignorantiæ, cum qua infidelis quisque nascitur, vera peccata non sunt, nulla ratio est, cur non pleraque eorum peccata, qui divino judicio excæcati sunt, ab omni iniquitate purgemus. Nam etjam in illorum aliquibus, ita ad nonnullas regulas veritatis agnoscendas omne lumen mentis extinctum est, ut quamvis & velint & conentur obnixissimè eas videre non possint. Nam in hoc ipso cæcitas eorum sita est: aliud est enim non videre veritatem; aliud cæcum esse: illud notat actus; hoc potestatis absentiam. Nam ut optimè Augustinus de cæcitate mentis: *Cæcus, puto, quod velit videre, sed non potest: si autem vult, & non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas.* Et contra Iulianum de his ignorantiæ peccatis disputans, quæ quasi necessaria Iulianus nulla esse contendebat: *Ad hoc tertium genus* (scilicet quod peccatum est, & pœna peccati) *pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cùm aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona. Cæcitas enim cordis si peccatum non esset, injustè argueretur* &c.

De nat. & grat. c. 58.

Lib. 1. op. imperf. 41.

Et cùm

Et cùm probasset esse pœnam, adjicit: *Qui* A *porro volens cæcus est corde, cùm velit nemo cæcus esse vel corpore?* Hæc igitur cæcitas postquam semel peccatis præcedentibus inflicta fuerit, quamvis libertatis humanæ fuerit peccata perpetrare, quæ cæcitate plectantur, non tamen eâ plecti, multò minùs eam tollere, humanæ libertatis, aut nudæ voluntatis, sed divinæ est potestatis. Hoc autem facit non quandocunque homini placet, sed cùm ejus misericordiæ visum fuerit, in quibusdam citò, in alijs serò, in plerisque nunquam. Nam quod de Deo dixit Apostolus: *Cujus vult miseretur, & quem vult obdurat*; hoc procul dubio eodem modo & ratione dici potest, sicut hoc Augustinus dixit: *Quem vult illuminat, & quem vult excæcat*: & immobiliter excæcatum permanere permittit. Impossibile verò est, ut qui cæcus est, non iterum iterumque cadat, & in tenebris ambulando tenebras magis & magis B augeat, dicente Augustino: *Nec cogitat prævaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis: quâ desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat; ut ideò tantùm audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Sed hæc ipsa gratiæ invocatio magnum est ejusdem gratiæ beneficium, quod ille spirando tribuit, qui ubi vult spirat.

Lib. 2. cont. Advers. legis & Prophet. cap. 8.

Lib. de nat. & grat. c. 22.

Cùm ergo necesse sit, ut qui divino judicio excæcatus est, *plus offendat, & cadendo vexetur*; cur non & ipsorum peccata propter cæcitatem antè vincibilem, jam invincibilem excusemus, si ignorantia invincibilis illius naturalis juris excusat? Vtraque enim quædam cæcitas est, utraque solâ humanâ potestate invincibilis, utraque divinâ gratiâ & potestate vincibilis. Nullæ quippè tam profundæ tenebræ sunt cujuscunque practicæ veritatis, quam infusio cœlestis lucis fugare non possit. Ex C eadem omninò causa utraque nascitur: nam excæcationis causa non est alia, quàm profunda in res terrenas voluntatis immersio, cujus cupiditatis viscum vires hominis non possunt solvere. Hinc, Deo vindicante, lucis desertio, hinc tenebræ, hinc cæcitas, prout sexcentis Augustini locis facile est declarare. Omnis enim affectus libidinosus quo est arctior, & consuetudine firmior, eo tenebrosior est; cùm Deus *indefatigabili lege spargat pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.* Sed eadem omnino causa est & illius ignorantiæ, cum qua nascimur, & educamur, quæ nos jus naturæ, hoc est, veritatem, ex qua creatura rationalis naturaliter vivere, & in moribus suis regi debet, videre non sinit. Nam & illa non aliunde nascitur, nisi quia in primis parentibus nostris à Deo lumine aversi, Deoque nos deserente, cum concupiscentijs nati, & per multos annos carnalibus sensibus dediti, D & sensibilium rerum cupiditatibus innutriti sumus. Concupiscentia namque bonorum naturalium à nativitate insita, & primis actibus statim aucta, affectum rebus concupitis alligat, & hoc ipso plùs minùsve mentis oculum cæcum facit. Vnde Augustinus: *Ad iram Dei pertinet justam, quicquid cæcâ & indomitâ concupiscentiâ faciunt libenter mali.* Cæca est igitur & illa concupiscentia, ex qua statim ab infantia malum facimus libenter mali. Et in illud Psalmi: *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem*; non videre Solem docet esse pœnam obscurationis; ignem autem esse concupiscentias carnis, iracundiæ &c. *Et ista concupiscentia carnis unde venit? Attendite. De traduce natus es cum eo quod vincas.* Cùm enim extra controversiam sit, peccatorum consuetudinem, quia voluntatis affectum temporalibus rebus immergit, cæcum facere, quis dixerit tam profundam immersionem in res sensibiles, qualem in parvulis videmus, ex innata rerum sensibilium cupiditate, non obscurare mentem ad æternas veritatis regulas intelligendas? Nam hinc est, quòd Augustinus etiam concupiscentiam, hoc est, omnium rerum temporalium cupiditatem, & gravissimum illud pondus, cum quo nascimur, carnalem consuetudinem vocat; quia eosdem quos consuetudo, effectus parit: *Pars quædam ejus (animæ) resistit spiritui, non natura, sed consuetudine peccatorum: quæ consuetudo in naturam versa est secundùm generationem mortalem peccato primi hominis.* Vbi illam differentiam inter consuetudinem actibus comparatam, & concupiscentiam ingenitam ponit, quòd concupiscentia sit quædam consuetudo generatione in naturam versa; ubi consuetudo è contrario est concupiscentia actibus comparata. Et in libro octoginta trium quæstionum explicans Apostoli locum: *Vbi est mors contentio tua?* sic loquitur: *Mortem significari arbitror hoc loco, carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum &c. Hanc autem mortem peccato meruimus*; & subjungit de libertate ab illa morte in paradiso ante peccatum. Et apertissimè alibi vocat libidines, *consuetudines, & inclinationes animæ ad fruendum inferioribus*: carnem autem concupiscere adversus spiritum *propter indomitam carnalem consuetudinem; quod consuetudinis vinculum*, inquit, *à parentum etiam propagine inveteratum naturæ lege inolevit.* Quid ergo mirum, si instar consuetudinis obscurat animam tanquam aversam à Deo, & ideo adhærente illi cæcitate puniatur? Ardentissimus quippe impetus non modò puerorum, sed & infantium animulas, ad fruendum innocenter omnium sensuum delectationibus, quibus tunc reguntur, impellit. Et unde impetus ille, nisi ex illo pondere concupiscendi, quo anima ex peccato in omnes voluptates prona curvatur? Nam quemadmodum irrationalis iracundia, qua fervent parvuli cùm tollitur id quo delectantur, ita & effrenis cupiditas oblectandi se, quam impediri moleste ferunt, ejusdem ingeniti ponderis inclinationes sunt, quo illud rotatur horologium. Vnde Augustinus: *Istis carnalibus*

Lib. 1. Confess. c. 18.

In Enchyr. cap. 27.

In Psal. 57.

Lib. de Fide & Symbol.

Lib. 83 qq. q. 70.

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 24.

Lib. 83 qq. q. 64.

quinque

O

quinque sensibus prima hominis ætas imbuitur, necessitate naturæ mortalis; qua ita post peccatum primi hominis nati sumus, ut nondum reddità luce mentis, carnalibus sensibus subditi, carnalem vitam sine ulla veritatis intelligentia transeamus. Tales necesse est esse infantes & parvulos pueros, qui nondum possunt accipere rationem. Quantâ verò intentione in ista, quæ foris sunt sensibilia feratur anima etiam infantis, vel hinc solùm conijci potest, quòd lucis hujus hauriendæ sic avida sit, ut si quispiam minùs cautus, aut nesciens quid inde possit accidere, nocturnum lumen posuerit ubi jacet infans, in ea parte ad quam jacentis oculi possint retorqueri, nec cervix possit inflecti, sic ejus inde non removeatur aspectus, ut nonnullos ex hoc etiam strabones fieri noverimus, eam formam tenentibus oculis, quam teneris & mollibus consuetudo quodammodo infixit; quo exemplo Augustinus ad hoc probandum usus est. Ita & in alios corporis sensus, quantum sinit illa ætas, intentione se quasi coarctant animæ parvulorum, ut quicquid per carnem offendit aut allicit, hoc solum abhorreant vehementer aut appetant, ut diversis locis Augustinus notat. Hoc pondus innocenter in parvulis ad sensuum objecta fertur; quia ætas illa ratione ductrice destituta innocenter illis fruitur: sed cum adolescentibus adolescit, quia fruendo sæpiùs, augescit magis & magis. Hoc enim ipsum pondus est, ex quo omnia peccata majorum pullulant, & hoc ipso, quo jam per ætatem ratio accensa eisdem delectationibus non repugnando frui pergit, jam peccata deputantur: quemadmodum suo loco fusè & ex professo ex Augustini principijs ostensuri sumus. Hoc ergo ingenitum pondus in sensibilia, iste effrenatus impetus, ista, inquam, concupiscentia rerum terrenarum, cum qua nati sumus & adolescimus, quæ in objecta unicuique ætati & statui & occasioni congrua erumpit, est illa, quæ animam in terrenas delectationes instar consuetudinis acquisitæ pronissimam, & idcircò etiam ad intelligibiles regulas veritatis penetrandas hebetem & ignaram facit, simulatque rationis usus illuxerit.

Tract. 15. in Ioan. & lib. 14. de Trinit. c. 5.

Cùm igitur utriusque cæcitatis, & illius, quæ ex peccato primo nobis ingenita statim cum emicantis luce rationis apparet, & illius, qua propter gravia peccata nonnullos, Dei luce deserente, excæcatos dicimus, eadem causa sit, utraque solà hominis potestate invincibilis sit, gratiâque, qua non semper nec omnibus datur, vincibilis; si illam invincibilem à peccato excusare statuamus, nulla ratio videtur esse, cur non & excæcationem, cùm humana voluntate contracta, humanâ voluntate non sit amplius vincibilis, excusare dicamus. Quod cùm omnes facilè judicent nefas esse hoc de excæcatione sentire; non debet cuiquam nimis incredibile videri, si nec ignorantiam invincibilem juris naturæ à peccato excusare Augustinus doceat. Nullum enim Augustinus in duabus istis ignorantijs seu cæcitatibus, quantùm ad peccati excusationem, discrimen agnoscit. Nam quemadmodum ad peccatum sufficere docet, quòd ignorantia illa pœna peccati sit, ita etjam quòd excæcatio. *Quod si dicetur*, inquit Augustinus, *quid ergò peccaverunt Iudæi, si Deus illos excæcavit, ne agnoscerent Christum? Quantum possemus imbuendo rudi homini ostenderemus, ex alijs occultis peccatis Deo cognitis venire justam pœnam hujus cæcitatis.* Ecce peccata sunt peccata cæcitatis, quia cæcitas justa pœna est præcedentium peccatorum. Et alibi, cùm tractaret illum locum: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum &c.* luculentiùs idem docet: *Quod si ita est*, inquit, *quis non exurgat in defensionem Iudæorum; ut eos extra culpam fuisse proclamet, quod non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum. Sed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri, alijs quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse; qua tamen excæcatione non potuerunt credere.* Nihil apertiùs dici potuit. Nam & credendi, hoc est, videndi impotentiam in excæcatis, & verum tamen peccatum agnoscit: quia impotentia; velut justa peccatis præcedentibus pœna, retributa est. Hoc autem est ipsissimum, quod de ignorantia invincibili toties docuit. Hîc autem ad sufficientem gratiam recurrere, quæ excæcatis quoque semper præsto sit, ut possint cæcitate liberari, & videre si velint, paradoxum est in Augustini doctrina non solum inauditum, sed quo universa ejus principia de gratia jugulantur: ut suo loco demonstrabitur.

Lib. 13. cont. Faust. c. 11.

In quæst. sup. Matth. q. 14

D E

DE CONCVPISCENTIA.

CAPVT SEPTIMVM.

Nomina concupiſcentiæ : qui motus ejus, & eorum objecta.

ALTERA pœna, qua peccatum primi parentis noſtri punitum fuit, & univerſum humanum genus atteritur, eſt illa, quam Scripturæ ſacræ concupiſcentiam vocare ſolent. Vnde Apoſtolus ad Romanos: *Vt* a *obediatis concupiſcentijs eius.* Et : b *concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret : Non concupiſces.* Et Iacobus: *Vnuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus : concupiſcentia vero cùm conceperit, parit peccatum.* Et alijs plurimis locis. Auctores verò ſeculares Latini, ut Tullius, eam *libidinem* appellant: unde libro tertio de Republica dicitur ab eo *animus pronus ad libidinem*; &, *Ratio imperare libidini*: Græci verò, maximè Platonici, *voluptatem.* Vnde Plato dicebat *voluptates*, id eſt, libidines *eſſe illecebras atque eſcas malorum.* Et hinc eſt, quòd Platonicorum imitatione etiam Cicero eam ſæpiùs voluptatem nuncupet, ut videre licet B paſſim in Tuſculanis, & in Hortenſij fragmentis, quæ citantur ab Auguſtino. Ex ſæcularium igitur Scriptorum imitatione ſexcenties Auguſtinus concupiſcentias vocat *libidines*, & nonnunquam *delectationes* : ut, *Delectatione morbida vincitur*, & alibi aliquoties: ſæpè verò *voluptates*, quo nomine peculiariter Iulianus paſſim utebatur. Vnde quærit ex Auguſtino, utrum in conjugibus Chriſtianis *concubitum voluptatem pud citiam an impudicitiam nominet?* quod Auguſtinus tanquam de libidine dictum accipit. Et libro ſecundo de nuptijs : a *Voluptas ergo iſta, quam tu diabolicam vis videri &c.* Et alibi : b *De coniugum voluptate generatur.* Vnde & Ambroſius apud Auguſtinum : *Rediviva reſurgunt voluptates* : quod apertum eſt de libidinibus eſſe dictum. Et in libro de paradiſo : *Voluptas & delectatio benè ſapiens dicitur, quia & carnis appellatur ſapientia:* quod Auguſtinus ſtatim exponit eſſe dictum C de lege repugnante in membris noſtris: *Hæc eſt*, inquit, *voluptas illa ſuſcepta tua*, id eſt, libido, ſeu concupiſcentia, *quamvis & tu reprehendas eius exceſſum.*

a Rom. 6. b Rom. 7. Iacobi 1. Lib. 4. cont. Iul. c. 14. In Enchyr. cap. 24. Lib. 4. cont. Iul. cap. 8. a Lib. 2. de nupt. c. 9. b Lib. 6. cont. Iul. c. 24. Lib. 2. cont. Iul. c. 5. ex lib. de philoſophia.

Porrò concupiſcentia iſta, ſeu libido, ſeu cupiditas, ſeu voluptas, ſeu delectatio, quocunque ex iſtis nominibus appellare malis, non eſt aliud quàm pondus quoddam habituale, quo anima inclinatur ad fruendum creaturis, ſeu ut Auguſtinus loquitur, *rebus inferioribus.* Pondus enim Auguſtinus vocat, cùm de concupiſcentia loquens dicit: *Nonne hinc apparet, in quod velut pondere ſuo proclivis & A prona ſit vitioſa natura?* Nam ſive concupiſcentia ſit appetitus ipſe ſenſitivus ac voluntas, quatenus gratiâ ſublevante & refrenante deſtituta ſuapte quaſi gravitate ac pondere in res creatas appetendas prona ſunt, ut multi volunt; ſive ſit aliquid potētijs ſuperadditum, ut magis Auguſtinus indicare videtur, habet ſe inſtar conſuetudinis pertinaciſſimè propellentis ad fruendum voluptatibus. Ex quo fit, ut illam Auguſtinus non ſemel naturalem conſuetudinem vocet, & conſuetudine actuum augeri, roborari, & pœnè invictam fieri fateatur. Nam locum illum tractans: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem: Dictum eſt hoc*, inquit, *propter indomitam carnalem conſuetudinem, adverſus quam ſpiritus concupiſcit, non ut interimat corpus, ſed ut concupiſcentiam eius, id eſt, conſuetudinem male domitam faciat ſpiritui ſubiugatam, quod naturalis ordo deſiderat.* Et paulo poſt : *Etiam in hac vita meditandum eſt, ut conſuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus reſiſtat ſpiritui.* Et oſtendens illam pugnam non oriri ex odio ſpiritus in carnem, vel carnis in ſpiritum : *Non per odium*, inquit, *reſiſtente ſpiritu, ſed per principatum : quia magis quod diligit, vult ſubditum eſſe meliori ; nec per odium reſiſtente carne, ſed per conſuetudinis vinculum, quod à parentum etiam propagine inveteratum, naturæ lege inoleuit.* Et rurſum finem ſpiritûs in iſtâ coërcitione carnis exponens : *Id ergo agit ſpiritus in domanda carne, ut ſolvat malæ conſuetudinis quaſi pacta perverſa, & fiat pax conſuetudinis bonæ.* En in Epiſtolam ad Galatas : *Quamvis habitet in eorum mortali corpore peccatum, nondum extincto impetu conſuetudinis naturalis, quia mortaliter nati ſumus, & propria vita noſtra, cùm & nos ipſi peccando auximus quod ab origine peccati humani damnationiſque trahebamus.* Et in libro de Fide & Symbolo : *Pars eius* (animæ) *quædam reſiſtit ſpiritui, non naturâ, ſed conſuetudine peccatorum. Vnde dicitur : Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. Quæ conſuetudo in naturam verſa eſt ſecundum generationem mortalem peccato primi hominis.* Ex quibus locis apertiſſimum eſt, Auguſtinum etiam illam innatam concupiſcentiam vocare conſuetudinem, ſed naturæ inolitam, quæ ex Adamo in proles propagata fuit. Quid ergo mirum, ſi illam actuum noſtrorum malorum conſuetudo augeat, bonorum imminuat? Quod luculentè declarat, Sermone quadrageſimo quinto de tempore : *Quod dixi de ebrietate, hoc de omnibus vitijs, hoc de omnibus cupiditatibus intelligas. Cum aliquibus enim*

Lib. 1. de doctrina Chriſt. c. 24. Lib. 12. de Civit. c. 22. Galat. 5. Lib. 1. de doctrin. Chriſt. cap. 24. Ibid. Ibid. In c. 5. Cap. 10. Cap. 5.

nim nati sumus; aliquas consuetudine fecimus &c. Consuetudini ergo semper repugnandum est, quia ipsa concupiscentia, cum qua nati sumus, finiri non potest, quamdiu vivimus. Quotidie minui potest, finiri non potest. Eodem loco habet consuetudinem & concupiscentiam, eodem modo paulatim minui. Scire libet, quomodo & augeatur? *Peccatum* (id est concupiscentia) *unde in carne, nisi ex traduce mortalitatis, & assiduitate voluptatis?* (id est consuetudine) *illud est ex pœna originalis peccati, hoc est pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur; hoc vivendo addimus. Quæ duo, scilicet natura, & consuetudo coniuncta robustissimam faciunt & invictissimam cupiditatem, quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne.*

Lib. 1. ad Simplician. q. 1.

Ex hac ergo concupiscentiæ innatæ & consuetudinis actibus acquisitæ similitudine vel identitate, fit, ut utriusque etiam primam originem similem omnino statuat, & unam per alteram explicet. Nam cum Fortunato Manichæo explicare conaretur, qua ratione factum sit, ut homo primus antea liberrimus, nulla in malum cupiditate titillante pelleretur; nos autem in peccata quasi quadam necessitate præcipitemur, ad peccatum illud primum recurrit, quod libera voluntate commissum est, & concupiscentia instar consuetudinis consequente punitum: *Potest autem*, inquit, *unusquisque nostrum mediocri consideratione invenire verum esse quod dico. Hodie namque in nostris actionibus, antequam consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi. Cum autem ista libertate fecerimus aliquid, & facti ipsius tenuerit animam perniciosa dulcedo & voluptas, eâdem ipsâ consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est.* Quod continuo exemplis illustrat, & rem inferens ipsam, cujus declarandæ causâ consuetudinem actibus acquisitam accersierat: *Et hoc est*, inquit, *quod adversus animam pugnat, consuetudo facta in carne: ipsa est nimirum carnis prudentia.* Et paulo post: *De ista consuetudine anima facta cum carne Apostolus dicit: Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi &c.* Et rursum: *Quamdiu ergo portamus imaginem hominis terreni, id est, quamdiu secundum carnem vivimus, qui vetus etiam homo nominatur, habemus necessitatem consuetudinis nostræ*; quam statim exponit esse legem peccati & mortis. Vbi vides luculentissimè declaratum, tanquam rem uniuscujusque mediocri consideratione penetrabilem, quo pacto ex libertate peccandi, qua primus homo præcelluit, in nobis necessitas quædam facta sit: nempe propter consuetudinem generatione propagatam. De quo non minùs evidenter alibi, cum præ manibus haberet locum illum Apostoli: *Absorpta est mors in victoriam; ubi est mors contentio tua?* sic mortem illam explicat: *Mortem significari arbitror hoc loco carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati, delectatione bonorum temporalium fruendorum.* De qua contentione & illud explicat: *Caro concupiscit adversus spiritum &c.* Et originem illius mortis, hoc est, carnalis consuetudinis nobis aperiens, non ex actibus nostris esse natam, sed peccati propagatione traductam: *Hanc autem mortem peccato meruimus: quod peccatum erat antè omni modo in libero arbitrio, cum in paradiso nullus dolor de negata delectatione voluntati bonæ hominis resistebat, sicuti nunc.* Quomodo ergo facta est ex illa tanta Adami libertate in nobis posteris ejus proclivitas in peccatum? Audi Augustinum: *Verbi gratia, si quisquam existat, quem nunquam delectavit venatio, omni modo liber est, utrum venari velit, an nolit, nec eum cruciat quisquis hoc prohibet. At si ista libertate male usus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim subrepens delectatio mortificat animam, ut si abstinere velit, absque molestia & sine angore non possit; cum id antè tota sanitate non ageret.*

Lib. 83. qq. q. 70.

Ibid.

Ibid.

Ex his patet, quàm rectè suprà dixerimus, concupiscentiam, quam Augustinus *vestigium peccati* vocat, esse instar consuetudinis, quæ veluti similitudo quædam primæ voluntatis in anima carnem informante relicta fuit: quo veluti pondere deorsum premebatur, & in naturam versa in posteros ejus propagata fuit. Nam, ut ipse docet, consuetudo hujusmodi fit in quadam inferiori parte voluntatis, quam ipse vocat, *partem animalem, appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur; partem, quæ debet obtemperare rationi, tanquam rectori viro; partem quæ carnalibus gaudiis tenetur*; quam alibi vocat, partem *in qua est morbidus quidam carnis*, id est hominis, *affectus*. Et ista quidem de concupiscentia dicta sint, quatenus pondus instar consuetudinis esse, juxta Augustinum asserueram. Nunc de motibus, in quos incessanter inclinat.

Lib. 2. de Genesi cont. Manic. c. 19. Cap. 12. Cap. 14. Cap. 19. Lib. 1. de nupt. c. 33.

Motus isti non sunt aliud, nisi quædam *inclinationes, impetus, concupiscentiæ, appetentia, appetitus, cupiditates, amores*, ac *desideria*; quibus omnibus nominibus, & alijs pluribus eos Augustinus vocare solet; nonnunquam etiam *delectationes*, prout delectatio Platonico more pro actibus concupiscendi delectationem sumitur. Nam sicut concupiscentia sæpè pro illo habituali pondere, sæpè etiam pro ejus actuali motu sumitur; ita & delectatio, ut suprà dictum. Vnde illud Augustini: *Carnalis consuetudo resistit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum*, id est, cupiditate, seu appetitione. Quod ex alijs multis locis esset facile ostendere, si res requireret.

Lib. 83. qq. q. 70.

Major difficultas est in ostendendo, quod sit objectum istorum motuum. Sed breviter dicimus, objectum eorum esse quicquid non est Deus, qui creaturæ rationali verum & unicum bonum est: hoc est, quamlibet creaturam. Omnis enim creatura vitiosè amari potest, & ex illo amore nascitur cupiditas, qua in eundem amorem iterandum animus postea etiam invitus urgetur. Pars enim ista inferior animæ omnium omninò malarum consuetudinum capax est. Ex quo fit, ut quamcunque creaturam anima vitiosè adamaverit, ad actum iterum partâ consuetudine stimuletur; cum sensibilis cujusdam perturbationis motu. Vnde propter illius amoris, seu rei amatæ diversas affectiones atque mutationes, diversis

diversis quoque perturbatur modis, gaudet, dolet, sperat, desperat, metuit, irascitur, hoc est, illis motibus etiam invitus provitatur, idq; tam sensibilibus passionibus, quàm eis, quibus ex cujuscunque alterius adamatæ rei mutatione quatitur. Hoc autem an idcirco contingat, quòd in quocunq; sive bonæ sive malæ voluntatis motu appetitus inferior velut pedissequus dominam suam sequitur, & erga phantasma suum velut idolum, cum quo ludere solet, instar simiæ similes amplexus imitatur; an verò, ut magis Augustino videtur consonare, quòd ipse apex supremæ voluntatis, cujus est dissentire ac consentire, non est capax consuetudinum, quæ actibus comparantur: sed est aliquid voluntate inferius, quod hujusmodi affectus & impressiones ex ejus impetu suscipit, nihil ad præsens negotium facit. Sufficit hic motuum concupiscentiæ objectum esse quamlibet creaturam, in quam carnaliter exardescere etiam contra propositum hominis potest & solet. Carnaliter dico Apostolicâ phrasi, qua dicitur: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*: Non quòd ista lucta cum concupiscentiæ motibus solâ carne peragatur, cùm statim Apostolus, *hæreses, invidias, æmulationes*, & peculiariter *animositates*, quæ clarissimè ad animum pertinent, carnis concupiscentias nominet: sed quia, ut Augustinus Apostolum explicans, & ejus phrasim plerumque imitans dicit: *Anima, cum carnalia bona appetit, caro nominatur*. Et paulo post: *Anima propter carnales affectiones caro nominatur*. Carnalia verò bona Scripturæ phrasi sunt bona creata, sive secundùm animam, sive secundùm corpus, sive secundùm utramque partem hominis appetantur. Et carnales affectiones sunt, quibus in bona creata ferimur, nullâ habitâ ratione creatoris. Unde Augustinus diversis locis notat, carnem, cùm dicit Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum*; & cùm *opera carnis* nominat, *eo locutionis modo quo totum significatur a parte, ipsum hominem nomine partis intelligere*. Eademque de causa tradit, non solùm Epicureos, qui summum hominis bonum in corporis voluptate posuerunt, sed & Stoicos, qui in animo, *secundum carnem vivere*; sicut Scriptura divina loqui solet. Nam *deserto creatore bono vivere secundùm creatum bonum, non est bonum, sive quisque secundùm carnem, sive secundum animam, sive secundùm totum hominem, qui constat ex anima & carne, eligat vivere*. Itaque & anima potest *carnaliter* appeti, & caro *carnaliter* fugi; quando id fit *vanitate humana, non veritate divinâ*, ut ibidem docet. Itaque rursum in libro de continentia: *Cupiditas*, quam ante libidinem vocaverat, *in vitio ponitur, nec tantùm est corporis, verùm & animi. Etenim si cupiditas corporis est in fornicationibus & ebrietatibus; numquid inimicitiæ, contentiones, æmulationes, postremò animositates in corporis voluptatibus, ac non potius in animi motibus & perturbationibus exercentur? Carnis tamen opera hæc omnia nuncupavit Apostolus, sive quæ ad animum, sive quæ ad carnem propriè pertinent, ipsum scilicet hominem nomine carnis appellans. Opera quippe hominis sunt, quæ non dicuntur Dei, quoniam homo qui hæc agit secundum seipsum vivit, non secundum Deum, in quantum hæc agit*. Ubi quod Augustinus dicit, cupiditatem non esse tantum *corporis*, sed & *animi*; & quod antè dixerat, *ipsas carnis aut animi libidines contineri*, nullo modo vult definire, utrum libidines sint in ipsa voluntate, an in appetitu sensitivo, seu in aliqua parte voluntatis inferiore: sed per animum id totum accipit, quod non est propriè caro. Quod ex libris de Civitate Dei compertissimum est. Nam idem agens dicit: *Sibi ipse*, (homo) *id est, voluntati ejus animus, ejusque inferior caro ejus non obtemperat. Ipso namque invito & animus plerumque turbatur*, (scilicet passionibus) *& caro dolet, & veterascit, & moritur*. Et mox distinguit *dolorem carnis* à *dolore animæ*, seu tristitia. Et *metum* in anima esse dicit, non in carne, sicut & *iram*, similesque passiones, quas in appetitu sensitivo esse constat.

Galat. 5. — Lib. de Fide & Sym. c. 10 — Ibid. — Lib. 14. de Civit. c. 2. — Ibid. c. 5. — Lib. de Contin. c. 13. — Cap. 12.

Hinc est igitur, quod Augustinus generalis istius concupiscentiæ motus explicans, hanc latitudinem objecti eis tribuere solet. Nam subinde objectum illud vocat *bona temporalia*; ut cùm dicit: *carnalis consuetudo resistit voluntati bonæ, delectatione bonorum temporalium fugiendorum*. Et alibi: *Adjutorium ad vincendas temporalium rerum cupiditates*: quibus æterna bona statim opponit. Subinde *inferiora*, ut cùm dicit: *Libidines & inclinationes animæ ad fruendum inferioribus*. Inferiora verò sunt Augustino, quæcunque sunt infra spiritum rationalem. (Solet enim ipse summum vocare Deum, medium animam, infimum corpora,) vel etiam quæcunque sunt infra Deum, ut cùm dicit: *Inferioribus non offendamur; solis autem superioribus delectemur*. Aliquando verò *carnalia*, & *temporalia*, ut cùm dicit: *Aliquando tardius ejus* (animæ) *impetus, quo in carnalia & temporalia defluit, refrenatur*. Sed sive *temporalia* concupiscentiarum objecta nominet, sive *inferiora*, sive *carnalia*, sive etiam *sæcularia*, idem per hæc omnia significatur: ita latè quippe sumuntur illa, ut comprehendat eorum appetitus seu libido, omnia illa vitia, quæ describit Apostolus, cùm *opera carnis* quæ concupiscit adversus spiritum, esse dixit præter aperta carnis vitia, etiam illa, quibus animi vitia demonstrantur à voluptate carnis aliena. Quis enim servitutem quæ Idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidias non potiùs intelligat animi vitia esse, quàm carnis, prout caro pro illa notissima hominis parte usurpatur? *Quandoquidem*, ut Augustinus ait, *fieri potest, ut propter idololatriam, vel hæresis alicujus errorem à voluptatibus carnis temperetur*. Hinc alibi generaliùs eandem concupiscentiam & objectum ejus exprimit, dum eam vocat, *amorem fruendi quibuscunque creaturis*. Et alio in loco ei opponit charitatem; quam notum est esse amorem Dei propter Deum.

Lib. 83 qq. q. 70. — Lib. 1. de Doct. Christ. c. 24. — Lib. 6. Musica c. 11. — Lib. de Fide & Sym. c. 1 — Lib. 14 de Civit. c. 2. — Lib. 4. cont. Jul. c. 3. — Lib. de grat. Christi c. 20.

Porrò cùm constet, hujus concupiscentiæ motus esse appetitus quosdam, seu desideria indeliberata, sicut illis nominibus sexcenties eos Augustinus vocat, desiderium verò ad possessionem rei desideratæ naturaliter tendat, hinc

hinc liquet, concupiscentiæ motus semper ad fruitionem tendere. Fruitio quippe est boni quod desideravimus jam obtenti, ut cum quadam voluptate percipiatur. Istum concupiscentiæ scopum seu finem sæpissimè Augustinus insinuat: ut cùm paulò antè appellavit libidines *inclinationes ad fruendum inferioribus*: & cùm toties tradit, voluptatibus inhiare concupiscentiam: *Vitium*, inquit, *indicasti esse corporalis appetentiam voluptatis. Vitium est igitur libido, quam laudas*; quam alibi vocat vel *carnalis concupiscentiam voluptatis*, vel alijs nominibus idem indicantibus. Voluptatem enim concupiscere, est voluptate velle frui. Concupi- A scentia quippe tanquam irrationalis & ad simplicem apprehensionem rerum nata sequi, non ad usum rerum, sed ad fruitionem tantùm inhiat. Usus enim est rationis, quæ unum ad alterum referre novit & solet. Et hinc fit, ut bruta per concupiscentias libidinibus humanis similes, tantùm ad fruendum, non ad utendum impellantur: ut etjam sanctus Thomas tradit. Quamobrem & ipsis concupiscentijs ad aliquid aliud uti, non est concupiscentiæ, sed rationis, optimè & subtiliter nonnemine pronuntiante: *Libidine non benè utitur libido, sed ratio.*

Lib. 1. oper. imperf. f. 77. *Lib. 4. cont. Jul. cap. 2.* 1. 2. q. 16.

CAPUT OCTAVUM.

Concupiscentiæ divisio in concupiscentiam carnis, oculorum, & superbiam vitæ: ex quibus omnia flagitia fluunt, & facinora.

PORRO istud libidinis malum multifariam dividitur. Nam quamvis ad appetitivam dumtaxat potentiam pertineat, utpotè desiderium fruendi creaturis; mediantibus tamen alijs potentijs plerumque id obtinetur, cui concupiscentia inhiat ut fruatur: & juxta potentiarum istarum diversitatem, quæ diversa respiciunt bona, etjam diversæ libidines oriuntur: sed omnes ad tria capita generalia revocari possunt, *libidinem sentiendi, libidinem sciendi, & libidinem excellendi.* Libido sentiendi in alios quinque ramos funditur. Nam quemadmodum Deus quinque sensibus externis humanum corpus instruxit, ita quoque quinque libidines per peccatum ortæ sunt, quibus ad singulorum sensuum fruenda bona appetitus ille accenditur. In omnibus quippe sensibus istis distinguendus est ipse vigor, seu vivacitas sentiendi, quâ unus majore quàm alius pollet, non solùm à necessitate sentiendi, qua subinde cogitur exteriùs sentire quod non vult, vel ab utilitate sentiendi, sed etjam à libidine sentiendi; vivacitas enim seu vigor acriùs obtusiùsque sentiendi à Deo data est, quando corpus hominis condidit: necessitas sentiendi ab objectis in sensus irruentibus, à quibus averti non possunt, oritur; ut cùm apertis oculis, auribus, naribus, ore, videre, audire, olfacere, gustare cogimur, aut frigora, calores, doloresque etjam nolentes pati. Utilitas sentiendi est, per quam corpori aut vitæ nostræ aliquid sentiendo consulimus: ut cum cibum ad corporis salutem sumimus, oculos ad legendum, aures ad audiendum ea, quæ utilia sunt, adhibemus. Sed ab his omnibus libido sentiendi longè diversa est. Hæc est enim quædam animi titillatio, & proritatio, *quæ*, juxta Augustini descriptionem, *nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit.* Hæc in animo quidem residet, sed per A omnes sensus emicat, & satiari cupit. Per oculos quidem, cùm provocatur animus, ut res delectabiles, prata virentia, flores pulchros, aliaque innumerabilia, quibus mulceatur, videat: per aures, cùm sonos concinnos, ut musicam delectabilem audiendi libido desiderat; per nares, cùm odoribus gratis olfaciendis animus inhiat: per gustum, cùm etjam saturum amor edendi bibendive sollicitat: per tactum, cùm animus etjam castus illa fœda libidine stimulatur: quamvis non solis genitalibus mēbris, sed & alijs tangendi libido compleatur, prout diversa objecta quæ tactui grata sunt, nullâ necessitate vel humani corporis vitæque utilitate, sed solâ tactus oblectandi libidine appeti possunt. Hoc igitur generale malum omnes externos sensus suæ servituti vendicare conatur, & in omnibus flagitijs, quæ delectatione quadam carnem afficiunt, dominatur. Voluptas enim in quam inhiat, sentiendo percipitur; & quia in ipsa carne cui sensus infixi sunt, illorum delectatio percipitur, hinc voluptas carnis propriè dicta est; & concupiscentia seu libido, quæ ad fruendum per visum, auditum, gustum, olfactum, tactum, illâ voluptate incitat, concupiscentia carnis ab Apostolo nuncupatur.

Lib. 4. cont. Jul. cap. 14. B

Verùm non soli sensus externi, sed & ipsius animi nobilissimæ facultates libidinis malo serviunt. Cùm enim scire seu scientia non sit exiguum creaturæ rationalis bonum, nec mediocriter eam delectare soleat, etiam in illius fruitionem ex peccato primi hominis libido quædam immanis exarsit. Nam etiam in isto genere simili planè modo naturalis vivacitas aliquid percipiendi seu cognoscendi, à necessitate, & ab utilitate, & à cupiditate, seu libidine sciendi separanda est. Nam vivacitas cognoscendi, quâ quidam acerrimâ naturaliter præditi sunt, & necessitas sciendi, quâ nonnulla vera velimus, nolimus nobis nota sunt, & utilitas

utilitas sciendi, quâ quædam propter hujus vel futuræ vitæ usus laudabiliter scire volumus, culpâ carent: sed libido sciendi omnino vitiosa est. Est enim cupiditas quædam, quâ provocatur ac titillatur animus tantummodo ut sciat; & quando illi consentitur, nascitur illud vitium, quod curiositas dicitur. Latissimè verò hæc libido per universam humanam vitam patet. Non enim per intellectum tantùm, sed per universos omnino sensus externos, ut illam cui inhiat, noscendi voluptatem adæquatur, erumpit. Distinguenda est enim in externis etiam sensibus voluptas, quæ sentiendo percipitur, à notitia, quam per easdem fenestras animus percipit. Inest enim animæ per eosdem sensus corporis quædam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem vana & curiosa cupiditas nomine cognitionis & scientiæ palliata. Ex hoc autem evidentiùs discernitur, quid voluptatis, quid curiositatis causâ agatur per sensus, quòd voluptas carnis pulchra, canora, suavia, sapida, lenia sectatur: curiositas autem etjam his contraria tentandi causâ, non ad subeundam molestiam, sed ad experiendi noscendique libidinem. Hæc enim impellit homines, ut ad spectandum laniatum cadaver affluant: ut absonas quasdam cantiones & absurdas audiant; ut sapores odorésque miros quamvis ingratos percipiant: nec tamen in solis ijs percipiendis, quæ sensibus ingrata sunt, sed etjam in ijs quæ suaviter afficiunt explorandis hæc libido dominatur. Nam etiam in fornicationes quidam nulla voluptatis carnalis, sed experiendi libidine præcipitati sunt. Isto malo Alypius tentatus fuit, qui cùm audiret Augustinum ante conversionem, nullo modo posse cælibem vitam ducere, cœperat & ipse desiderare conjugium, *nequaquam victus libidine talis voluptatis, sed curiositatis. Dicebat enim*, inquit Augustinus, *scire se cupere, quidnam esset illud, sine quo vita mea, quæ illi sic placebat, non mihi vita, sed pœna videretur.* Ex hoc malo cupiditatis exhibentur spectacula, indagantur naturæ secreta, artes magicæ addiscuntur: hinc petuntur ab ipso Deo signa & prodigia, responsa quæruntur umbrarum, divinationes appetuntur. Hinc tota vita hominum, novarum alienarumque rerum nihil ad nos pertinentium, nihil utilitatis habentium, nisi ut noscantur dumtaxat, curiositate scatet. Et quia in sensibus externis oculi ad noscendum principatum tenent, vitium illud, quando consensum animi ad se trahit, *Concupiscentia oculorum* ab Apostolo appellatum est.

Lib. 6. Confess. c. 12.

Sed est & tertia libido maximè omnium imperiosa atque perniciosa, duabusque præcedentibus libidinibus quò spiritualior, mentique propinquior & intimior, eò tenaciùs adhæret, tanquam quæ non suburbia mentis, sed ipsam arcem occupavit. Hæc est illa spiritibus damnatis propria cupiditas, quâ timeri & amari ab hominibus, in se, donisque Dei gloriari, dominari alijs, & sibi placere lubet: quæ uno verbo *libido excellendi* appellari potest. Hæc oppugnatu & expugnatu difficillima est, & ultima; quia visceribus animi profundiùs impressa illo diabolico telo: *Eritis sicut Dij.* Cui malo qui consentit, in *superbiam vitæ*, ut Apostolus appellavit, incidit. Ex qua vel maximè fit, ut non ametur Deus, neque castè timeatur: *Superbis* enim ille *resistit: humilibus autem dat gratiam.* In quo genere est & illa *libido laudis* periculosa, quæ ad privatam quandam excellentiam contrahere tentat aliena & emendicata suffragia; & hoc ipso sæpè surgit violentiùs, quo à nobis ipsis arguitur & deprimitur: de ipso quippe vanæ gloriæ contemptu subinde homo vaniùs gloriatur. Tres igitur istæ libidines generales ac principales sunt, ad quas veluti primas radices, aliæ multæ minores ignobilioresque revocantur; quarum nonnullæ etiam vocabulis, quibus appellentur, carent. Sed sive nomen proprium habeant, sive non habeant, ex effectibus agnoscuntur. Omnium quippe libidinum hoc proprium est, quòd attractivâ & persuasivâ, eoque imperiosiore quo blandiore potestate consensum voluntatis alliciunt, & ad se trahunt, eoq; modo universum mundum flagitijs & facinoribus impleverunt. Nam juxta diversitatem libidinum, quibus consentitur à voluntate, diversitas quoque peccatorum nascitur. Ex quo factum est, ut quemadmodum nos omnes libidines seu concupiscentias ad tria capita revocavimus, ita quoque peccata, quibus refertus est mundus, ad tres veluti fontes, unde omnia omnino peccata fluunt, Apostolus Ioannes revocet: *Omne quod est in mundo*, hoc est, in dilectoribus mundi, ut Augustinus exponere solet, sicut domus pro inhabitatoribus ponitur, *Concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Concupiscentia enim carnis omnia illa peccata comprehendit, quę propter carnis voluptatem quinque sensibus haustam perpetrantur: Concupiscentia oculorum sciendi experiendique curiositatem, quia *videndi officium*, inquit Augustinus, *in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant.* Dicimus enim, Vide quid sonet, Vide quàm durum sit &c. quin etjam de intellectu dicimus, Vide quàm verum sit. Superbia vitæ per se satis nota est. His igitur tribus vitiorum generibus universa omninò peccata continere sæpissimè Augustinus & constanter ab initio conversionis usque ad finem vitæ docuit, semper intelligens curiositatem illam generalem per *concupiscentiam oculorum*. Hinc libro de vera religione, quem paulò post baptismum exaravit: *Concupiscentia carnis*, inquit, *voluptatis infimæ amatores significat: concupiscentia oculorum curiosos: ambitio sæculi* (sic ipse legere solet) *superbos*; quam scripturam ad ejus probationem affert, quod paulo antè præmiserat: *serviunt* (homines infideles) *cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi*, id est, spectandi seu sciendi aliquid. *Nego esse quemquam istorum, qui nihil colendum existimant, qui non aut carnalibus gaudijs subditus sit, aut potentiam vanam foveat, aut aliquo spectaculo delectatus insaniat.* Et libro

Genes. 3.

Iacob. 4.

1. Ioan. 2.

Lib. 10. Confess. c. 35.

Lib. de vera relig. c. 38.

A Et libro ſecundo de Geneſi contra Manichæos ad eandem Apoſtolicam doctrinam reſpicit, quando dicit; *Non decipit* (diabolus) *niſi aut ſuperbos, aut deſiderijs carnalibus implicatos, aut curioſos.* Et in libris de Trinitate: *Anima* (delapſa à Deo) *omnia officia ſua ad eos fines refert, quibus curiosè corporalia ac temporalia per corporis ſenſus quærit; aut tumido faſtu alijs animis corporeis ſenſibus deditis eſſe affectat excelſior; aut cœnoſo gurgite carnalis voluptatis immergitur.* Quod ſtatim addit fieri *propter experiendi, vel excellendi, vel contrectandi cupiditatem.* Et in Commentarijs ſuper Pſalmos: *Hæc tria genera vitiorum, id eſt, voluptas carnis, & ſuperbia, & curioſitas omnia peccata concludunt: quæ mihi videntur à Ioanne Apoſtolo enumerata cùm dicit: Omnia quæ in mundo ſunt &c. per oculos enim maximè curioſitas prævalet.* Quibus tribus tentationum generibus itidem Chriſtum Dominum à diabolo in deſerto pulſatum fuiſſe docet. Et in appendice B Sermonum: *Cum iſta triplici tentatione Dominus fuiſſet tentatus; (quia in omnibus illecebris mundi huius tria ſunt, aut voluptas, aut curioſitas, aut ſuperbia) quid ait Euangeliſta? Poſtquam perfecit diabolus omnem tentationem. Omnem, ſed ad illecebras pertinentē. Reſtabat alia tentatio in aſperis & duris, in ſævis, in atrocibus atque immitibus; reſtabat alia tentatio*, nempe dûriſſimæ paſſionis. Et omniū accuratiſſimè in tractatibus ſuper Epiſtolam ſancti Ioannis locum ipſum exponens: *Omnes dilectores mundi mundus vocantur. Ipſi non habent niſi tria iſta, deſiderium carnis, deſiderium oculorum, & ambitionem ſæculi.* Et paulò pôſt: *Deſiderium carnis, id eſt, deſiderium earum rerum, quæ pertinent ad carnem, ſicut cibus, & concubitus, & cætera huiuſmodi. Deſiderium oculorum dicit omnem curioſitatem. Iam quam latè patet curioſitas ipſa in ſpectaculis, in theatris, in ſacramentis diabolicis, in magicis artibus, in maleficijs: ipſa eſt curioſitas. Aliquando tentat etiam ſervos Dei, ut velint* C *quaſi miraculum facere; tentare utrum exaudiat illos Deus in miraculis curioſitas eſt &c. Ambitio ſæculi ſuperbia eſt. Iactare ſe vult in honoribus, magnus ſibi videtur homo ſive de divitijs, ſive de aliqua potentia.* Et cuncta concludens: *Tria ſunt iſta, & nihil invenis unde tentetur cupiditas humana, niſi aut deſiderio carnis, aut deſiderio oculorum, aut ambitione ſæculi. Per tria iſta tentatus eſt Dominus à diabolo* &c.

Lib. 2. de Geneſ. cont. Manichæos cap. 26.
Lib. 12. de Trinit. c. 9.
Ibid. c. 10.
In Pſal. 8.
Serm. 1. in appen. Tom. 10.
Tract. 2. in Epiſt. Ioan.

Ex quibus perſpicuum eſt, Auguſtinum ſemper ſenſiſſe conſtanterque docuiſſe, omnia omninò peccata tribus iſtis concupiſcentijs concludi; & conſequenter omnes libidines atque tentationes quibus urgemur, ad illas tres generales, quas recenſui, libidinem ſentiendi, noſcendi, excellendique revocari. Sed hoc intelligi debet de libidinibus, quæ, ut ipſe jam ſtatim locutus eſt, *ad illecebras pertinent*, hoc eſt, quibus bonum aliquod quo mulcetur & allicitur ſenſus, appetitur. Sunt enim & aliæ libidines ſive paſſiones, quibus ad arcendum malum, quod illis concupitis repugnat voluptatibus, vel ad faciliùs aſſequendum concupitū bonum provocamur. Nam quemadmodum fuga mali fundatur in amore contrarij boni, & iraſcibilis in concupiſcibili; ita motus animi, quibus provocamur ad averſandū arcendumque malum, in libidinibus illis ad bonum cōcupiſcendum impellentibus radices habent. Sic ergò ex tribus illis cupiditatum generibus primùm omnia perpetrantur flagitia, prout flagitium peccatum eſt quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum proprium animum & corpus ſuum: ſed ex flagitijs in facinora, quibus alteri noceant, prolabitur: nimirum, ut removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjumenta quærantur. Vnde Auguſtinus, cùm *libidinem noſcendi in facinoribus* vigere docuiſſet, eaque facinora in multiplices diviſiſſet ramos, breviter eorum originem aperiens addit: *Hæc ſunt capita iniquitatis, quæ pullulant principandi, & ſpectandi, & ſentiendi libidine, aut una aut duabus earum, aut ſimul omnibus.* Facinora verò ad iraſcibilem pertinere in eiſdem Cōfeſſionibus ſuis tradit; ubi ſe dicit olim *iram* poſuiſſe *in facinoribus, libidinem in flagitijs.* Illa cōmitti, *ſi vitioſus eſt ille animi motus in quo eſt impetus, & ſe iactat inſolenter ac turbidè*: Hæc verò, *ſi eſt immoderata illa animi affectio, quâ carnales hauriuntur voluptates.* Vbi per carnales voluptates eas intelligit, quæ percipiuntur de carnalibus, hoc eſt, terrenis bonis; ut ſuprà declaravimus. *Lib. 4. c. 15.*

Quòd ſi cui fortè movetur ſcrupulus ſub quo libidinum iſtarum trium genere libido poſſidendi collocanda ſit, is ſciat libidinem poſſidendi nunquam eſſe primam; ſed ex alia quapiam iſtarum trium, vel duabus, vel omnibus velut radice proficiſci. Divitiæ quippe, quemadmodum velut ſatellites ſunt omnium cupiditatum, omniumque flagitiorum atque facinorum, ita quoque libido poſſidendi ſervit cæteris. Vnde optimè Auguſtinus: *Divitiæ ob hoc expetuntur, ut alicui iſtarum trium cupiditatum, vel duabus earum, vel omnibus ſerviant.* Et hæc quidem paulò prolixiùs tractavimus, quòd ad ſequentia pleniùs intelligenda non mediocrem uſum habitura ſint. *Lib. 10. Confeſſ. c. 37.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT NONVM.

Nulli concupiſcentiæ licet conſentire.

His ita conſtitutis quæritur, utrum nulli iſtarum concupiſcentiarum cõſentire liceat, hoc eſt, utrum omnis conſenſus voluntatis, quo libidinem quamcunque ſeu concupiſcentiam explere ſtatuit, non alia de cauſa, niſi quia importunè vel delectabiliter aliquid petit, ſit peccatum. Licere enim res ipſas ſeu actiones ad quas inſtigat libido, propter alios fines aſſumere, extra controverſiam eſt. Nam quamvis concumbendi libido importunè conjugatum ſtimulet, vel jejunantem concupiſcentia cibi delicati, non tamen idcircò à concubitu vel cibo abſtinere tenetur, ſi ratio ſuſtentandæ naturæ, vel propagandæ prolis cibum aut concubitum poſtulaverit. Etſi enim hujuſmodi appetitus malæ ſint, uſus tamen earum legitimus propter alios fines non eſt malus, ſed potiùs bonus. Hoc eſt enim, quod frequenter Auguſtinus docet, conjuges concumbendo ad ſuſcipiendam prolem, *benè uti libidinis malo*: & ſicut malus uſus boni eſt malus, ita bonum uſum mali eſſe bonum. Vnde & illud celebre ſancti Bernardi, cùm in benefactis vanitate ſeu inanis gloriæ cupiditate tentaretur: Non ſuſcepi propter te, non etiam deſinam propter te.

Hoc igitur tanquam quod extra controverſiam eſt, prætermiſſo dicimus, nulli omninò concupiſcentiæ ſive libidini propter ipſam explendam licitum eſſe adhibere conſenſum. Quę doctrina ſicut juxta ſanctum Auguſtinum eſt veriſſima, ita Chriſtianis omnibus certiſſima eſſe debet: quam & Scripturæ ſacræ ſive veteris ſive novi Teſtamenti, & Auguſtinus earum regulam ſecutus, conſtantiſſimè docet. Nam in veteri Teſtamento Sapiens jubet: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* (Eccleſiaſt. 18.) Quod præceptum ſæpe inculcat Auguſtinus, & ad juſtitiam hujus vitæ pertinere declarat. (Lib. de Spir. & litt. c. ult.) Quid eſt autem poſt concupiſcentias ſuas non ire, niſi id quod adjiciendo explicatiùs dicit præſtare animæ concupiſcentias ſuas, ſeu id animæ ſuæ præſtare, quod concupiſcendo flagitat, quia flagitat? Nam alia de cauſa præſtare quod flagitat, non eſt animæ præſtare concupiſcentias ejus, neque poſt concupiſcentias ſuas ire, ſed potiùs concupiſcentiam tumultuantem ſpernere, neglectâque concupiſcentiarum importunitate, neceſſitatem vel juſtam utilitatem adeoque rationis, & ipſius veritatis præſcriptum ſequi.

Sed in novo Teſtamento Paulus Apoſtolus in hac doctrina tradenda ſingularis eſt. Nam ſi vel ipſa vocabula, quibus concupiſcentiam nominat, attendere voluerimus, hæc ſatis per ſeipſa clamant, aſſenſum qui ejus deſiderijs adhibetur, ut ejus delectatione perfruamur, neceſſariò eſſe perverſum. Primum enim nomen ejus eſt, *lex peccati*: quo vocabulo non alia de cauſa concupiſcentia nominata eſt, niſi quia id quod appetit, hoc eſt, peccatum motuum ſuorum importunitate inſtar legis quodammodo jubet, & cogit. Vnde Auguſtinus: *Lex peccati dicitur, quia ſuadet peccata, atque, ut ita dixerim, jubet.* (Lib. 1. oper. imp. f. 103.) Et in libris de nuptijs, ideò legem peccati verbis Apoſtolicis nuncupatam dicit, *quod hominem ſibi ſubditum fecerit*, & addit, *ei quodammodo jubenti* non obediendum. (Lib. 1. c. 22. & 23.) Quis verò dixerit, ipſi legi peccati & peccatum jubenti conſentire licere, cùm nec homini peccatum ſuadenti conſentire liceat? Quamobrem cùm Auguſtinus legem peccati deſcripſiſſet eam eſſe, quæ peccata ſuadet & jubet, ſtatim addit: *Et ſi ei mente ſerviatur, ſine excuſatione peccatur.* (Lib. 1. oper. imperf. ſup. citato.) Ecce quanta aſſeverantis fiducia docet, ſi legis peccati, hoc eſt, concupiſcentiæ motibus mente ſerviatur ſine excuſatione peccari. Et alibi exponens Apoſtoli locum; *Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati: quod ſic*, inquit, *intelligendum eſt, mente ſervio legi Dei, non conſentiendo legi peccati.* (Lib. 1. de nupt. c. 31.) Et in eodem libro: *Hæc ergò concupiſcentia, hæc lex peccati habitans in membris, cui lex juſtitiæ vetat obedire, dicente Apoſtolo: Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſiderijs ejus.* (Cap. 23.) Et in opere imperfecto adverſus Iulianum de eadem concupiſcentia & lege peccati peccatum jubente loquens: *In eis autem qui Deo donante faciunt quod præceptum eſt, id eſt, commota atque inſtanti non obediunt, nec ei arma exhibent membra, ineſt quidem, ſed non regnat.* (Lib. 2. oper. imp. f. 450.) Et paulò inferiùs: *Quomodo præcipimur ei non obedire, niſi jubenti, ſive ſuadenti?* Alterum nomen eſt *peccatum*, quo concupiſcentiam ſæpè Apoſtolus nominat. Itaque fidelium animos ad ineundum cum eo certamen accendens, ſententiam iſtam limpidiſſimæ veritatis luce perſpicuam facit: *Non regnet*, inquit, *peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus.* (Rom. 6.) Ecce conſenſum omnem voluntatis peremptoriâ deciſione interdictum: *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Ecce omnem concupiſcentiæ cui conſenſus datus fuit, executionem per externa membra velut inſtrumenta cooperationis inhibitam. Quorum præceptorum tanta perſpicuitate fretus fidentiſſimè jam antè definit Auguſtinus, quòd *ei lex juſtitiæ vetat non obedire.* (Lib. 1. de nupt. c. 23.) Quod longè conſtabit manifeſtiùs, ſi concupiſcentia, cur peccatum dicta ſit, apparuerit. Peccatum autem dicitur, ut exponit Auguſtinus, non ſolùm, *quia peccato facta eſt*: ſed in primis, quia *rebellando nos trahere nititur ad reatum.* (Lib. 2. cont. Iul. cap. 9. Lib. 1. ad Bonif. c. 13.) Quã doctrinam creberrimè inculcat. Peccatum vocatur,

Digitized by Google

vocatur, *sive*, inquit, *quòd peccato facta sit, sive quod peccandi delectatione moveatur, etsi ei vincente delectatione justitia non consentiatur.* Et libro primo de nuptijs, concupiscentia *peccatum vocatur, quòd & peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit.* Et omnium expressissimè: *Concupiscentia alio modo peccati nomen accepit, quod ei consentire peccatum sit, nobisque moveatur invitis.*

Lib. 1. c. 23.

Lib. de perf. justit. c. ult.

Non posset Augustinus manifestioribus verbis aperire mentem suam, ac definire sententiam, quam hic tradimus, quòd voluntatis motus, quo consentit concupiscentiæ, peccatum sit, quàm dicendo quod *peccatum, si vicerit, facit*; quòd *peccandi delectatione moveatur*; denique quòd *ei consentire peccatum sit.* Quæ doctrina ab ipsa Synodo Tridentina comprobata est, & extra disputationis ulterioris aleam collocata. Nam Augustini sententiam in Sessionem & Canonem quintum transferens declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari concupiscentiam, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit; sed *quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*, ita videlicet, ut si consensus voluntatis accesserit, jam id ad quod inclinat, id est, peccatū revera perpetratum sit. Nihil enim ad peccati rationem ejus inclinationibus atque motibus deest, nisi ut consensus accedat. In qua sanè duplici Etymologia, quòd ex peccato est, & ad peccatum inclinat, tota natura concupiscentiæ seu libidinis accuratè tangitur. Nam libido in creatura rationali non aliter exorta est, nisi quia voluntate ad peccādum liberè præeunte, sine ullo adhuc pronitate vel repugnante libidinis motu, ipsa libido statim velut pedissequa dominam suam voluntatem adjutura successit; ut ita peccatum, utroque appetitu simul concupiscente, & alterum altero per quandam quasi illius actus consuetudinem augente, impleretur. Ex quo fit, ut, sicuti consuetudo necessariò parit actus similes ijs à quibus producta est, ita & ista concupiscentia, quæ peccando primùm instar consuetudinis cujusdam exorta est, & peccandi consuetudine roboratur (ut fusè suprà declaravimus) non possit alios motus edere, quàm sibi ipsi & matri suæ similes; ut sicut ipsa filia peccati est, ita peccati & ipsa mater fiat. Nam quemadmodum impossibile est, ut ex habitu avaritiæ prodeat alius motus quàm avaritiæ, & generaliter ex cujuscunque peccati habitu vel consuetudine non potest nisi desiderium peccandi proficisci; ita quoque ex libidine velut generali quadam consuetudine, quæ peccato facta est, non aliud nisi peccandi delectatio, & libido nasci potest. Qua de causa & Augustinus concupiscentiam, qua infirmati sumus, propter agendi perseverandique similitudinem, avaritiæ comparare non dubitat: *Sic*, inquit, *& in homine interiore animus res est, rapina actus est, avaritia vitium est, id est, qualitas secundum quam malus est animus etiam quando nihil agit, unde avaritiæ sua serviat, etiam quando audit: Non concupisces* &c.

Lib. de perf. justit. c. 2.

Hinc est, quòd cùm idem Augustinus vel ipsam concupiscentiam vel ejus desideria seu motus exprimit, plerumque alicujus malitiæ vel peccati, ad quod inclinat, mentionem facit: ut intelligeremus fieri nullo modo posse, quin ejus motibus cōsentiendo peccetur. Nonnunquam enim concupiscentiam *amorem perversum* nominat. *Hæc* (scelera) *hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris & perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur.* Subinde *amorem rerum vanarum atque noxiarum*; *vanam, pravamque cupiditatem.* Quis verò sobrius dixerit, sine peccato ullo perversis, rerumque vanarum atque noxiarum amoribus vanis, pravisque cupiditatibus nos posse consentire? Ipsos verò libidinis motus suis coloribus exprimens, plerumque non aliud nisi *desiderium peccati* nuncupat. *Concupiscentia carnis* (de qua Apostolus, cum dicit: *Caro concupiscit adversus spiritum* &c.) *utique culpabilis atque vitiosa est, nihilque est aliud quam desiderium peccati.* Eosdem improbans motus adversus Iulianum: *Rogo*, inquit, *si est in vobis ullus sensus humanus, non potestis & malum esse peccatum, & bonum esse desiderare peccatum?* scilicet per concupiscentiæ desideria. Et instantiùs idem urgens, *insanum esse* dicit, *qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur.* Aliquando verò, quod idem valet, *delectationem peccandi* vocat: *humanæ ægritudinis est in carne mortali delectationem habere peccandi.* Et alibi: *Peccatum dicitur, quòd peccandi delectatione moveatur.* Subinde *desiderium mali*, ut quando dicit de concupiscentiæ motibus contra Iulianum: *Desiderium mali malum est.* Aliquando *provocationem ad malum*; ut cùm dicit: *Ad malum provocabat, & malum non fuit?* Quæ sanè omnia planissimè nobis indicant, quodnam istorum motuum objectum Augustinus esse sentiat, neque fieri ullo modo posse, ut voluntas eis nisi delinquendo consentiat. Quis enim dixerit desiderijs peccati, concupiscentijs peccatorum, desiderijs mali, sine peccato posse consentiri?

Lib. 22. de Civit. c. 22.

Ibid.

Lib. de perf. just. c. 6.

Lib. 4. cont. Iul. c. 2.

Lib. 6. c. 15.

Lib. 1. oper. imp. f. 192. & apud Prosp. Sent. 92. ex Aug.

Lib. 1. ad Bonif. c. 13.

Lib. 4. cont. Iul. c. 2.

Lib. 1. oper. imp. f. 101.

Quod ne tantùm ratiocinando colligere videamur, ipsa loca Augustini proferamus, quibus obrui possit quisquis huic sententiæ refragetur. Hoc enim, sine ambiguitate definit, quando dicit: *Concupiscentia causa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Hoc docet, quando dicit: *Dicimus dimitte nobis debita non propter concupiscentiam, sed propter peccata quæ fiunt, sive in ejus consensionibus, cùm ab eo quod libet vincitur id quod placet* &c. Hoc idem tradit, quando confidenter clamat: *Omnes homines judicant, lasciviæ non esse peccatum, nisi quia concupiscentiæ consentitur. Nullumne ergò malum est, cui consentiendo peccatur?* Hoc denique generaliter tradit, quando de omnibus concupiscentijs sine discrimine ullo generatim pronuntiat: *Concupiscentias malas*, (cujusmodi juxta Augustini doctrinam omnes omninò sunt) *quibus si benè vivimus, non consentimus, tamen esse non negamus, in nobis frenanda sunt* &c. Et alibi æquè generatim: *Quando malè utitur homo membris bonis, nisi quando consentit eis, quæ in nobis habitant,*

Lib. 6. cont. Iul. c. 19.

Lib. 1. ad Bonif. c. 13.

Lib. 3. cont. Iul. c. 14.

Lib. 6. cont. Iul. c. 23.

Lib. 4. c. 5.

habitant, cupiditatibus malis?

Sed istam doctrinam tradit adhuc longè evidentiùs, cùm sine ullo omninò tergiversationis ambiguo docet; nihil omninò *propter concupiscentiam* titillantem posse fieri, etjam tùm cùm per illam aliquid boni, quod nobis ad vitam transigendam utile vel necessarium est, obtinere contendimus. Conjugatis enim legitimam prolem piâ voluntate habere cupientibus, necesse est, ut libidine stimulante atque tumultuante prolem seminent. Rursus quando corpus languens inediâ cibo potuve reficiendum est, sæpè amor edendi distinctus à fame suis illecebris animum provocat. Sed quamvis utrisque & prolis seminatio & corporis per alimenta restauratio, & aliorum sensuum operatio, qua nonnihil boni per eos facere nitimur, naturæ lege concessa sit, nec sine libidine titillante fieri possit, neutris tamen quicquam omninò propter illam explendam facere licet. B Dura hæc sanè est lex ijs, quibus cum pecoribus animus in præsepi est, vel qui uxores non nisi in originalis plagæ seu concupiscentiæ carnalis lenimentum ac lenocinium ducunt: sed veris Christianis, qui libidinosis voluptatibus serenitatem rationis obnubilantibus animum superiorem gerunt, omninò gratissima atque verissima. Quam Augustinus passim adversus Pelagianos libidinum omnium patronos fidelissimos, constantissimâ cœlestis doctrinæ auctoritate commendat. Nam de conjugum castissimorum complexu loquens: *Non importunè*, inquit, *in conjugatis esse dicatur* (concupiscentia seu libido) *si eum summum culmen obtinent pudicitiæ conjugalis, faciunt boni aliquid per illam, quamvis nihil faciant propter illam.* Et de Catonis hominis infidelis honestate disputans, nihil eum propter voluptatem fecisse tradit; si rigidi servator honesti fuit. *Qualis vir*, inquit, *Cato fuerit, & utrum in eo vera virtus honestasque laudata sit, alia quæstio est. Ad quemlibet tamen finem sua referret officia, non utique sine voluptate filios procreavit; & tamen nullos Catonis in actus subrepsit, parentique tulit sibi nata voluptas: quoniam & quod non faciebat sine voluptate, non faciebat propter voluptatem, nec in morbo hujus desiderij suum vas possidebat.* Quam doctrinam ne quis soli commixtioni conjugum peculiarem esse crederet, quasi in ea tantùm nihil propter voluptatem, seu concupiscentiæ sedandam importunitatem, fieri posse lex divina permitteret, alijs locis ad omnes aliorum sensuum voluptates extendit. Nam de primorum hominum voluptatibus, quæ per corporeos sensus ab eis percipi potuissent, ac de libidine carnalium sensuum hanc regulam tradit: *Vt nullus supervacuus sive importunus motus esset ex illa, nihil nisi quod prodesset, fieret per illam,* NIHIL OMNINO FIERET PROPTER ILLAM. Et paulò pòst ex ejusdem regulæ præscripto provocationibus D comedendi atque bibendi, hoc est, libidini atque voluptati cibi ac potus illos limites figit, ut salus corporis, non voluptas attendenda sit; necessitas, non cupiditas. Quem limitem si titillationibus cupiditatis provocati

Lib. 4. cont. Iul. c. 2.

Lib. 5. c. 9.

Lib. 4. cont. Iul. c. 14.

A transierimus, *malum quod fecimus pœnitendo testamur. Ecque ideo benè tunc utimur* inquit, *quando per illam non nisi quod saluti conducibile est agimus.* Virorum quippe temperantium ista in restaurandis animis corporis sui præcipua lucta est, ut cùm comedendo bibendoque per voluptatem, quam gustando percipiunt, transire necessarium sit, non faciant aliquid propter adjunctas inhiantis & insidiantis cupiditatis illecebras, quod propter solam corporis necessitatem fieri debere confitentur. Hinc enim eorum gemitus ac pœnitendi dolor, cum illas metas se transijsse cognoscunt. Quas voluptatis illius insidias, & sanctorum luctam, quam cum ea indesinenter gerunt, ne necessitatis limitem transeat, præclarè describit Augustinus: *Hoc me docuisti*, inquit, *ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Ecce metam, quam libidini comedendi atq; bibendi honestas fixit. Iam vide, quibus insidijs voluptatis fiat, ut dum per illam transire cogimur, animum ab honestatis intuitu detrahat, ut propter illam satiandam fiat, quod valetudinis causâ faciendum est. *Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ: ipse enim transitus voluptas est, & non est alius qua transeatur, quam quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causâ me facere dico, vel volo.* Vtriusque verò valde manifestam differentiam subjicit, ex qua possunt sine errore discerni: *Nec idem,* inquit, *modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est.* Iam verò istam ordinis naturalis perversionem, per quam animus ab intuenda honestate ad voluptatem spectandam detorquetur, esse malam, perspicuè C Augustinus non de illa sola comedendi, sed de omnium sensuum libidinibus ex professo docet. Cùm enim libidinem sentiendi descripsisset esse illam, *qua nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit;* statim adjicit: *Hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica. Hoc malo, quantum attinet ad eam partem, qua sibi sexus uterque miscetur, benè utuntur nuptiæ, cum conjuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam.* Quam regulam benè utendi voluptate etjam ad aures, omnemque sensum in sequentibus prorogat: *Movetur certè animus ad pietatis affectum, divino cantico audito: tamen etiam illic, si sonum non sensum libido audiendi desideret, improbatur: quanto magis, si cantiunculis inanibus, vel etiam turpibus delectatur.* Ecce improbatur, si sonus, id est, sonorum delectatio etjam in divino cantico diligatur, multoque magis si inanibus cantiunculis animus delectetur. Quod non est aliud, quàm id quod alijs verbis dicimus, tunc esse peccatum, cùm libidini audiendi sonos delectabiles voluntate consentimus. Sic eum improbari, non velut actum minùs perfectum tantummodo, sed tanquam indecentem & inhonestum, hoc est, tanquam

Ibid.

Lib. 10 Confess. c. 31.

Ibid.

Ibid.

Lib. 4. cont. Iul. c. 14.

Ibid.

tanquam verum peccatum, & pœnâ dignum, sine dubitatione sentit Augustinus. Nam eandem peccandi facilitatẽ in sonoris illis aurium illecebris prosequens alibi accuratiùs, de seipso jam Deo serviente, jam sancto, jam à secularibus illis & histrionicis ac theatricis aurium corruptelis remotissimo, sic loquitur: *Sed delectatio carnis mea, cui* MENTEM ENERVANDAM NON OPORTET *dare, sæpè me fallit. dum rationem sensus non ita comitatur, ut patienter sit posterior: sed tantùm quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur: ita in his* PECCO *non sentiens, sed postea sentio.* Et paulò pòst, cùm etiam nimiâ severitate se subinde valdè errare dixisset, & inter periculum voluptatis & experimentum salubritatis fluctuare, sic definitivâ sententiâ controversiam istam dirimit: *Cùm mihi accidit, ut me amplius cantus, quàm res quæ canitur, moveat,* POENALITER ME PECCASSE CONFITEOR, *& tunc mallem non audire cantantem. Ecce ubi sum, flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis, unde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos hæc movent.* De odoribus, alijsque sensuum cæterorum lenociniis eadem planè ratio est. Nam quamvis, cùm adsunt, percipi possint, neque necesse sit nares vel claudere vel corpus avertere, ipsorum tamen suaveolentijs vel blanditijs, cùm adsunt, animum per carnem pascere, vel cùm absunt, ad pascendum animum requirere, vitiosum est. De oderatûs enim, gustûs, atque tactûs objectis sensui externo commodis & blandientibus ita generaliter Augustinus: *Ea verò quæ his* (objectis incommodis, ut putoribus, amaritudinibus, æstibus, frigoribus, asperitatibus &c.) *contraria commodè sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris laborisve molestiam, etiamsi cum aliqua sumuntur delectatione, cum præsto sunt, tamen cùm absunt, nullâ sunt desideranda libidine* (hoc est, oblectandorum dumtaxat sensuum cupiditate, atque voluptate) *si autem desiderantur, non est bonum. In quibuslibet enim talis domandus & sanandus est appetitus.* Et mox ostendit exemplo, eum qui ingreditur locũ thymiamate redolentem, non necessariò debere nares claudere: & addit: *Sed numquid cum inde fuerit egressus, id domi suæ vel quacunque pergit, desiderabit? Aut si desideraverit, satiare debet istam libidinem, non frenare, & contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, donec ad illam redeat sanitatem, qua nihil tale desideret?*

Lib. 10. Confess. c. 33

Ibid.

Lib. 4. cont. Iul. c. 14.

Ibid.

A

B

C

Ex his, quæ hactenus de sensuum externorum usu diximus, facilè intelligi potest, quis juxta doctrinam Augustini sit inculpabilis & verus perfectusque Christianæ vitæ modus, qui in eorum objectis licitis (quædam enim speciali vel voto, vel præcepto, vel omnibus omninò, vel cuidam hominũ generi prohibentur, de quibus hic non agimus) admittendis vel respuendis observari debet. Nimirum, ut ea objecta sensuum, quæ ad fugandam laboris dolorisque molestiam, salutemve procurandam aliquam utilitatem habent, admitti possint: cùm verò nihil eorum interest ad salutem tuendam vel molestias doloris aut laboris avertendas, quamvis cùm nullo quæsita studio adsunt, non necessariò respui debeant, sed percipi etiam cum sensu delectationis possint, utpote quibus ita conjuncta est delectatio, ut nisi sensus ab objectis avertatur, vel mens vehementi intentione à sensibus alienetur, necessariò sentiatur; cùm tamen abfuerint, nullâ voluptatis fruendæ cupiditate desiderandâ sunt. Hoc enim jam esset libidini consentire, sive, ut Apostolus loquitur, hoc esset *regnare peccatum* (id est, concupiscentiam) in nostro *mortali corpore.* Hoc esset, quod ipse vetat, *obedire concupiscentijs eius.* Hoc esset, quod iterum non minùs strictè vetat, *exhibere membra arma iniquitatis peccato.* Hoc esset, quod *non oportere* dicit Augustinus, *delectationi carnis mentem enervandam dare.* Hoc esset, quod naturalis ordinis rectitudo prohibet, rationi sensum seu libidinem præponere atque dominari. Hoc esset denique non *per illam*, quod sæpè licet, sed *propter illam* aliquid facere, quod nunquam licet, nec licuit, nec licebit.

Rom. 6.

Loco suprà citato in decimo Confess.

CAPVT DECIMVM.

Voluptatis causâ misceri conjugi peccatum est; & quare. Doctrina Scholasticorum quorundam contraria ex Pelagianis manavit.

HINC ergò jam perspicuè patet vera ratio sanctissimæ Christianissimæq; illius regulæ, quam Augustinus in utendis moderandisque conjugum carnalibus voluptatibus tradit. Docet enim constantissimè concubitus illos omnes, qui non suscipiendæ prolis, sed voluptatis solius causâ fiunt, venialia quidem, sed tamen vera esse peccata. De quo saluberrimo pudicitiæ conjugalis freno sic loquitur in libro de peccato originali: *Concupiscentia non nocebit* (baptizatis) *nisi cùm eâ malè utuntur; non solùm in omnibus illicitis corruptelis, verum etiam in ipsis conjugibus, quando non propagandi voluntate operã creandis filijs impendunt, sed lasciviendi voluptate exsaturandæ cupidini inserviunt. Quod propter vitandas fornicationes maritis & uxoribus, ne fraudent invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut orationibus vacent, secundum veniam, non secundum imperium concedit Apostolus. Evidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam.* Et in libro primo de nuptijs: *Isto bono* (commixtione) *malè utitur, ut sit eius intentio*

Lib. de pecc. orig. c. 38.

A

Lib. 1. de nupt. c. 4.

Digitized by Google

Ibid. c. 15. *intentio in voluptate libidinis, non in voluntate* A *propaginis*. Et inferiùs: *Aliud est non concumbere nisi solâ voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem, quod venialem habet culpam.* Cujusmodi excessus concumbendi, inquit etiam paulo post, Cap. 24. *qui non fiunt causâ prolis voluntate dominante, sed causa voluptatis vincente libidine, sunt in conjugibus peccata venialia.* Et in libris adversus Iulianum scriptis: Lib. 2. c. 10 *Quibus ab illo* (malo concupiscentiæ) *rebellante etsi non lethaliter, sed venialiter, tamen vincimur: in his contrahimus unde quotidie dicamus: Dimitte nobis debita nostra; sicut conjuges, quando modum generationi necessarium causâ solius voluptatis excedunt.* Et in libro tertio: Lib. 3. c. 16 *Quando conjuges, non prolis suscipiendæ, sed carnalis voluptatis explendæ vitio cupiditate concumbunt, hoc non laudatur, sed ignoscitur in comparatione mali pejoris, intervenientibus & deprecantibus nuptijs.* B Et libro quarto, scopum Christiani conjugis in carnali commixtione definit: Lib. 4. c. 3. *Vt sit eius intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis. Si autem vicerit, & propter seipsam, non propter filios propagandos jure aliquid extorserit, voluptas veniale peccatum fit propter nuptias Christianas.* Et libro de bono conjugali: Lib. de bono conjugali cap. 10. *Quis ambigat, absurdissime dici non eos peccasse quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causâ procreandi: quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant.* Et statim uberiùs: *Concubitus necessarius causa generandi inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra necessitatem progreditur, non jam rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem.* Cap. 5. Nempe, quia illum potius *invitus patitur*, ut C loquitur Augustinus, quam facit; & ideo sine peccato facit: ad quam debiti reddendi Cap. 7. tolerantiam ex connubij pacto & *charitate conjugali* obligatur. Et in sermone quinquagesimo tertio de diversis præclarè, qui totus locus audiri meretur: Serm. 53. de divers. c. 13. *Ceterum qui uxoris carnem amplius appetit, quam præscribit limes ille:* LIBERORVM PROCREANDORVM CAVSA, *contra ipsas Tabulas* matrimoniales *facit, quibus eam duxit uxorem.* Nam ista fuit olim solemnis clausula matrimonialium tabularum, quibus exprimebant quam ob causam uxores ducerent. *Recitantur Tabulæ, & recitantur in conspectu omnium attestantium, & recitatur:* LIBERORVM PROCREANDORVM CAVSA; *& vocantur Tabulæ matrimoniales. Nisi ad hoc dentur, ad hoc accipiantur uxores,* QVIS SANA FRONTE DAT FILIAM SVAM LIBIDINI ALIENÆ? Sed ut non erubescant parentes, cùm dant, recitantur Tabulæ: VT SINT SOCERI, NON LENONES. *Quid ergo de Tabulis recitatur?* LIBERORVM PROCREANDORVM CAVSA. *Tergitur frons patris atque serenatur auditâ voce Tabularum. Videamus frontem viri accipientis uxorem. Erubescat & maritus aliter accipere: si erubescit pater aliter dare. Sed si non possunt (aliquando jam ista diximus) exigant debitum: non progrediantur ultra debitores suos. Et fœmina & vir infirmitatem suam in se consolentur. Non eat ille ad alteram, & illa ad alterum, Vnde appellatum est adulterium, quasi* AD ALTERVM. *Et si egrediuntur metas matrimoniales pacti: non egrediantur metas matrimoniales thori.* NVNQVID HOC NON EST PECCATVM, AMPLIVS QVAM LIBERORVM PROCREANDORVM NECESSITAS COGIT, EXIGERE A CONIVGE DEBITVM? *Est quidem peccatum, sed veniale. Apostolus dicit: Hoc autem dico secundum veniam &c.* Sed quid multis? Omnes pœnè libri adversus Iulianum atque Pelagianos hujusmodi sententijs passim sparsi sunt. Vnus interim locus erit instar omnium, ex illo libro, quem ad formandam Christianæ vitæ perfectionem ex proposito scripsit: *Quæ sunt autem levia, & quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est, quod venerabilis Paulus conjugibus ait: Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum in id ipsum revertimini, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram: quod putari posset non esse peccatum; misceri scilicet conjugi, non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, sive adulterij, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum quod turpe est etiam dicere, quò potest tentante satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo (ut dixi) hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apostolica autoritas fateatur.* In Enchir. ad Laurent. c. 78. 1. Cor. 7.

Et istam quidem doctrinam suam ab Apostolo Paulo sanctus Augustinus evidenter traditam fuisse meritò arbitratur. Cùm enim ille conjugibus incontinentibus dixisset: *Iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*; 1. Cor. 7. ne quis putaret hoc esse vel præceptum, vel permissionem puram, ut nunc perperam quidam recentiores æstimant, statim quasi corrigendo vel se explicando subjungit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Vbi Augustinus legere solet: *secundum veniam, non secundum imperium.* Venia verò culpam fuisse, cui venia concedatur, perspicuè supponit. Vnde ista ipsius jam citata superiùs verba: *Evidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam.* Et ista: *Et quis ambigat absurdissime dici, non eos peccasse, quibus venia datur?* Et ista: *Quis jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritas fateatur?* Et ista contra Iulianum: *Neque enim quod ego commemoravi secundum veniam concedere Apostolum (ubi* Lib. ... Iul. c. 7.

procul-

procul dubio notatur, etsi ignoscitur culpa) *saltem* A *verbotenus attingere voluisti: aut quòd ab illo opere, ut orationi vacent, cessare conjuges admonentur &c. Ita cum mihi pro illa* (concupiscentia) *respondere cuperes, sed Apostolo resistere non auderes, nec in aliam sententiam, sicut soletis, illud Apostolicum testimonium detorquere potuisses, omnino inde tacere voluisti.*

Tam perspicuum enim censebat hunc Apostoli locum, ut ab adversario nisi cum evidenti absurditate eludi non posse judicaret. Cujus rei ratio est, quod Augustinus genuinam vim græcæ vocis, quæ per *veniam* vel *indulgentiam* latinè versa est; accuratè ponderasse videatur. Συγγνώμη enim, quæ Græcè habetur, propriè significat, non permissionem, sed *veniam* seu *ignoscentiam*, qua peccato alicui ignoscitur. Notum est enim συγγινώσκειν idem esse quod *ignoscere*; ut apud Euripidem: συγγνώσεταί σοι τὴν ἁμαρτίαν, B *ignoscet tibi peccatum*. Et usitatissimè dicitur: σύγγνωθί μοι, *Ignosce mihi*. Et apud Chrysostomum de sacerdotio: συγγνώσῃ μοι, *Ignosces mihi*. Hinc derivatur συγγνωστός, is cui ignoscitur: ut in libro sapientiæ: πάλιν δὲ οὐδ᾽ αὐτοὶ συγγνωστοί, *Iterum autem nec hu debet ignosci*. Hinc itaque συγγνώμη, quæ apud Paulum est, & propriè veniam, seu ut Agellius loquitur *ignoscentiam* denotat, aptissimè Græco isti vocabulo respondentem. Quare communissima est phrasis apud Demosthenem & alios συγγνώμην ἔχειν, vel διδόναι, *veniam seu ignoscentiam tribuere*. Thucydides: ἀνδρὶ συγγνώμην ἔχω, *viro ignosco*. Et Plato libro secundo de Republica: πολλὴν τοῦ συγγνώμην ἔχει, καὶ οὐκ ὀργίζεται τοῖς ἀδίκοις, *multam veniam impertit, & non irascitur delinquentibus*. Et Aristoteles libro tertio Ethicorum: ἐν τούτοις γὰρ καὶ ἔλεος, καὶ συγγνώμη, *In istis enim* (quæ per ignorantiam C singularium circumstantiarum perpetrantur) *misericordia & venia locum habent*. Quamobrem vir facilis in danda venia & condonandis peccatis vocatur συγγνωμονικός; cui, ut Budæus, opponitur τιμωρητικός, *pronus ad vindictam* seu *vindicativus*. Aristoteles in quarto Ethicorum de viro mansueto seu leni: οὐ γὰρ τιμωρητικὸς ὁ πρᾶος ἀλλὰ μᾶλλον συγγνωμονικός, *Mansuetus enim non est ad ulciscendum, sed potius ad veniam dandam seu ad ignoscendum pronus*. Et in sensu passivo libro sequente: ὅσα γὰρ μὴ μόνον ἀγνοοῦντες, ἀλλὰ καὶ δι᾽ ἄγνοιαν ἁμαρτάνουσι, συγγνωμονικά, *quæ non solum ignorantes, sed etiam per ignorantiam delinquunt, digna sunt: venia*, hoc est, quibus ignoscatur, seu venialia. Itaque significatio ista vocis Apostolicæ συγγνώμη vulgatissima & verè genuina est: nec ullum exemplum afferri potest, ex Scriptoribus Græcis, ubi συγχώρησιν, hoc est *concessionem* vel *permissionem* significet. Hunc verò solum D locum ad eam significationem torquere, ut quidam imperiti voluerunt, est vulgatissimas vocum significationes invertere, ut res

Sapient. 13. v. 8.

Agell. lib. 7 noct. c. 3.

Plato lib. 2. de Repub.

Arist. lib. 3. Ethic.

Budæus in Comm. ling. græc.

Arist. lib. 4. Ethic. c. 11.

Lib. 5.

falsæ & ab antiquis improbatæ faciliùs Christianis obtrudi possint. Hoc ergo solidissimo fundamento nixus Augustinus tantâ fiduciâ Pelagianos libidinum conjugalium patronos ad Apostolum provocat: & *ignoscendi* vocabulum, tanquam eum imitatus, qui *secundum ignoscentiam* hoc dixerat aut permiserat, crebrò multis locis & libenter usurpat. Itaque cùm alicubi Apostolica citasset verba, ne fraudarent invicem, & iterum reverterentur in idipsum. *Quid est hoc?* inquit. *Ne ultra vires aliquid vobis imponatis: ne continendo à vobis invicem, in adulteria corruatis. Ne tentet vos Satanas propter intemperantiam vestram*. Et confestim adjicit: *Et ne fortè quod permittebat, iubere videretur: aliud est enim iubere virtuti, aliud permittere infirmitati: statim subiunxit: Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Nam vellem omnes homines esse, sicut meipsum*. *Tanquam diceret*: NON IMPERO VT FACIATIS: SED IGNOSCO SI FECERITIS.

Vide Aug. lib. 2. cont. Iulian. c. 7. & lib. 3. c. 16 Et lib. de bono coniug. c. 10. Et in Enchir. c. 78 Lib. 1. de nupt. c. 14. Serm. 53. de divers. c. 13.

Itaque sententiam istam tanquam ex ipsis Christianæ, imo æternæ legis penetralibus haustam, veteres & sancti Patres, qui vel ante Augustinum, vel post illum in Ecclesia fuerunt celebres, ne Anselmo ac divo Thoma quidem excepto, ita docuerunt, ut vel nulli vel pauci certè quod sciam, inveniri possint, qui concubitum in conjugibus voluptatis causâ licitum esse senserint, usque ad ætatem Scholasticorum, qui suis argutijs libidinis retinaculum præcinendo, castissimam doctrinam immutare cœperunt. Qua in re viri boni & Catholici non advertunt, se Pelagianos in hac doctrina sua duces sequi. Illis enim tanquam præstantissimis libidinis advocatis sententia Augustini summopere displicuit, apertèque docuerunt, omnem concubitum conjugum etjam solius voluptatis causâ esse permissum. Testatur hoc Augustinus disertissimè: *Tibi autem libido non nisi præter uxorem videtur esse culpabilis. Quid ergo de Ambrosio iudicabis, qui intemperantem in coniugio, adulterum quemdam appellat uxoris?* Et ipse Iulianus: *In coniugibus cum honestate exercetur*, concupiscentia. Quod ita intelligebat, *ut excessus libidinis*, qua conjuges vel se contra naturam uterentur, vel aliquid aliud petulantius designarent, sentiret esse culpabiles. Indicat hoc partim Augustinus libro secundo de nuptijs, ubi Iuliani sententiam innuens & moderans dicit: *Tantum non se converterent coniuges in eum usum, qui est contra naturam*, Et ipse Iulianus qui culpabat *excessum in intemperantia fornicandi*: & quamvis admitteret conjugium *esse remedium*, tamen simul sentiebat inter conjuges aliquid *petulantius* posse committi. Quæ sanè doctrina quid aliud continet, quàm id quod nunc nonnulli Scholastici docent? Nam quamvis addant, in concubitu propter voluptatem, non per se ratione finis istius, sed *per accidens* posse esse peccatum, *propter vehementiam*, scilicet *voluptatis*;

Lib. 2. cont. Iul. c. 7.

Lib. 3. c. 14.

Cap. ult.

Lib. 3. cont. Iul. c. 13. Ibid. c. 15.

Pontius lib. 1. de matrim c. ult. & alij multi.

Digitized by Google

ptatis; emplastrum est, quod vulneri nullo A pacto mederi potest. Si enim non est malum vel semel stimulantis voluptatis ergo concumbere, neque bis, neque ter, neque decies, neque millies idem facere erit malum. Et si vehementia voluptatis in actu peccatum facit, protectò semper facit. Semper enim vehementissima est, & ita mentem rationalem obruit, & absorbet, ut nihil omnino eam cogitare sinat. Quapropter si semel illud Augustini principium extorquetur: quòd nihil *propter illam voluptatem* faciendum sit, sed concubitus voluptatis causâ conjugibus liceat, nullus omnino limes remanet, intra quem possit conjugum temperantia coërceri, sed velut navis amisso clavo, ubique fluctuabimus. Verissima quippe erit Iuliani sententia, libidinem naturalem in conjugibus cum honestate exerceri, in quem tamen vehementissimè insurgit Augustinus: *Tunè* B *melius nuptias honoras, in quibus libidini licentiosissimum spatium tribuisti, ne fortassis offensa defensorem sibi alium provideret?* Et intrà: *Tu ergo melius honoras nuptias, quarum dignitatem tanquam omnino reprehensibili volutabro carnalis concupiscentiæ decoloras?* Et alibi: *Quamvis tu, quod monuit Apostolus, ne in morbo desiderij suum vas quisque possideat, non de conjugio, sed de fornicatione accipiendum putaveris; atque ita temperantiæ totam honestatem de concubitu conjugum abstuleris, ut nemo sibi videatur in morbo desiderij suum vas possidere, quantacunque libidine in uxoris genitalibus potuerit insanire. Si enim ullum ibi tenendum existimares modum, potuisses & illic concupiscentiæ reprehendere excessum, eumque ab Apostolo significatum morbum desiderij.* Quæ Augustinus idcirco adversus Iulianum ingeminat, quia concubitus conjugum, non illos, qui vel proli, vel conjugum valetudini, vel alijs externis de causis periculosi essent aut C vetiti, (de quibus nunquam ulla cum Pelagianis disceptatio fuit) sed illos, qui causâ voluptatis fiunt, nolebat Iulianus velut excessum libidinis reprehendi, nisi tunc, cùm limes conjugalis carnis excederetur. Contra hunc errorem perpetuò docet, & ex Apostolo probat, eum conjuge voluptatis causâ concumbere esse libidinis excessum, esse peccatum secundum veniam permissum, quod nos dicimus veniale, esse morbum desiderij, in quo vas suum possidere instar gentium Apostolus vetat.

Lib. 2. cont. Iul. c. 7.

Lib. 5. c. 9.

Cujus quidem doctrinæ saluberrimæ una radix est, si rem rationis momento ponderare voluerimus, quam nonnunquam tangit in istis allegatis testimonijs Augustinus, quia ratio non debet à libidine superari, & mens rationalis non debet immundæ cupiditati subjugari. Bestialis est enim ille commixtionis usus, ut non proles, seu voluptas ex concubitu libidine dominante quæratur. Cùm enim lex æterna jubeat, *ut omnia sint ordinatissima*; impossibile est hoc esse ordinatum, ut ratio, cui per eandem æternam legem dominatus in inferiores partes datus est, voluptatum libidini serviat, multòque magis impossibile, ut illum ordinem naturalem perturbando non peccet: cùm lex æterna non sit alia, nisi *ratio divina seu voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Hanc peccati originem in concupiscentiæ servitute tangit, & accuratè pertractat Augustinus in libris de libero arbitrio. Cùm enim primò docuisset, illam esse æternam legem, qua justum est ut omnia sint ordinatissima, mox adjicit: *Hisce igitur motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est. Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur.* Quod cùm Evodius quicum disputabat, admitteret, sic adjungit: *Ratio, vel mens, vel spiritus, cùm irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, quam æternam esse comperimus.* Et paucis interjectis addit, menti regnum in libidines æterna lege concessum esse: regnum verò istud mentis humanæ, esse sapientiam. Sapientes enim sunt, *quos*, inquit, *veritas vocari jubet, id est, qui regno mentis omni libidinis subjugatione pacati sunt.* Sicut è contrario stultus, *in quo mens summam potestatem non habet.* Cùm verò mens libidine sit potentior, neque enim esset ordinatissimum, ut impotentiora potentioribus imperarent, & consequenter nemo mentem libidini obtemperare cogat, nisi propria voluntas & liberum arbitrium, hinc concludit Augustinus, *juste mentem, & pro peccato tanto pœnas pendere.* Quis enim neget peccatum esse stultitiam, seu actum, quo mens stultè agit, dum sibi, cui imperium in libidinem æternâ lege debetur, clavum extorqueri, & ejus impetu ad concubitum, vel quamcunque libidinosam voluptatem rapi sinit? Nihil enim *propter ipsam*, ne quidem extorquente libidinis importunitate, à creatura rationali decet fieri: utpote cui ad fines illos dominante ratione colli mandum est, ad quos res unaquæque naturalis ordinis rectitudine instituta est. Qua de causa, quod in prædictis locis præscripsit de concubitu conjugum venialiter malo generàtim, hoc alibi deducit explicatius particulatim omnes concubitus relecando, in quibus eorum infirmitas peccat: *Si tantas vires habet ista pudicitia conjugalis, ut quicumque Dei donum est, ut faciant quod præscribunt tabulæ matrimoniales* (ut scilicet prolis suscipiendæ causa misceantur) *in ipso quoque thoro conjugali, conflictu fortiore belligerat, ne ultra quam generandis filijs satis est, etiam ipsum conjugis corpus attrectet. Talis pudicitia nec menstruatis, nec gravidis utitur fœminis, nec ejus ætatis, qua certum est eas jam concipere non valere. Nec eam prorsus concumbendi vincit affectus; sed tunc relaxatur, cùm speratur generationis effectus.* Ecce culmen perfectionis Christianorum conjugum, ut neque menstruatis, neque gravidis, neque senectute effœtis fœminis, neque infœcun-

Lib. 22. cont. Faustum, c. 27.

Lib. 1. c. 8.

Cap. 9.

Cap. 11.

Lib. 3. cont. Iul. c. 21.

infœcundis unquam libidine superante misceantur: multò minùs tales conjuges, quas noverint esse tales, ad saturandas libidines ducant; ne alioqui parentes *aliena libidini filiam suam dantes non sint soceri sed lenones:* à quo fastigio si deficiunt, venialiter quidem, sed tamen sine dubitatione delinquunt. Addo amplius, ut pleniùs constet, quàm immobiliter verum sit, nihil omnino *propter carnis voluptatem* posse fieri; si proles ipsa, propter quam miscentur conjuges, aliter quàm commixtione libidinis suscipi posset, etiam concumbendo delinquerent. Quod quamvis eadem rationis sublimitas verissimum esse convincat, docere tamen non auderem, nisi Augustinus ante disertissimè docuisset. Nam de matrimonio beatissimæ Virginis & Ioseph disputans, qui sine concubitu Christum Dominum susceperunt, sic subjungit: *Dico & aliter bonum esse conjugium, ubi proles nisi per concubitum, non* B *potest procreari. Si enim aliter posset, & tamen concumberent conjuges, apertissimè libidini cederent, atque illo malo uterentur malè. Cùm verò propter quod sexus ambo instituti sunt, nisi eorum commixtione non nascitur homo, propter hoc mixti conjuges illo malo utuntur benè. Si autem de libidine quærunt etiam concumbendo voluptatem, venialiter malè.* Ecce quò vera, Christiana conjugalis castitas subvehenda est: ut si videlicet culmen obtineat, juxta fundatissimam Augustini regulam, *Faciat boni aliquid per illam* (libidinem) *quamvis nihil faciat propter illam.* Quòd si *libidinis voluptas vicerit, & propter seipsam, non propter filios propagandos fieri aliquid extorserit, voluptas veniale peccatum fit propter nuptias Christianas.*

Lib. 5. cont. Iul. cap. 12.

Lib. 4. cont. Iul. cap. 2.

Ibid. cap. 3.

Quod vero nonnulli de istius doctrinæ certa veritate dubitant atque trepidant, eo quòd matrimonium non solùm suscipiendæ prolis causâ, sed post lapsum etiam in remedium C infirmitatis institutum est, rem veram non rectè intelligendo falluntur. Non enim hoc sensu remedium concupiscentiæ est matrimonium, quasi libidinem voluptati carnis inhiantem in conjuge, conjux sine peccati ullius noxa satiare divina lege sineretur. Absit ut indecoram illam rationalis voluntatis sub immunda illa libidine ac voluptate servitutem castitas Christianæ legis admittat. Sed ille est sensus, quòd cùm non omnes à Deo vires illas acceperint, ut impetuosam illam, & indecoris violentisque motibus æstuantem libidinem, solâ cœlestis amoris suavitate sine concubitu frenent, neque concumbendo laxare sine flagitio fornicationis possint, eo quòd persona non sit sua; per matrimonium fit persona sua, & conjux sua, & quasi materia in genere concumbendi licita, in qua fluctus illi concupiscentiæ possint frangi; sine peccato quidem, si naturalis ordo propa- D gandi prolem ex commixtione quæratur: sine fornicandi verò flagitio, si quis abusus rei quasi licitæ interveniat: in quod flagitium alioquin omni carens retinaculo præcipitare-

A tur infirmitas. Docet hoc in eodem libro Augustinus, ubi concubitus illos conjugum peccata venialia esse tradiderat. *Quia non omnes capiunt verbum hoc,* (quod bonum est, mulierem non tangere) *restat ut propter infirmitatem unusquisque uxorem suam habeat; ac sic infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum.* Et paulo antè: *Quæ tamen voluptas* (copulæ non propter prolem initæ) *non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam nunc sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud, quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se.* Hoc ergo sensu cùm præmisisset Augustinus *voluptatis causâ, non prolis* (uti libidine) *facit concubitum culpabilem, sed in conjuge venialem;* paulo pòst subjungit: *Cujus languoris malo conjugalis benè utitur pudicitia; contra quod languoris malum adhibentur ab incontinentibus nuptiarum remedia,* non ita videlicet, ut omnino non peccent pervertendo ordinem naturalem, quem in appetendo concubitu lex æterna præstituit; sed ita ut in persona sibi licita, venialiter peccent. Honestas quippe matrimonij, quod materiam conjugibus licitam facit, est quasi lectus mollior, in quem infirmitas cadit; ne concumbendo cum sua conjuge, velut scelus fornicationis cum aliena perpetrando, frangatur. Hæc enim remedij ratio non ex aliqua peculiari matrimonij vel elevatione, vel superaddita legis alicujus relaxatione, sed ex ipsa ejus natura nascitur. Cùm enim extra matrimonium, etiam inter innocentes in paradiso, nullus omnino concubitus liceat, sed omnis sit fornicarius, per matrimonium fit, ut aliquis non sit fornicarius, quia persona est jam sua, non tamen propterea fit, ut quilibet concubitus cum illa liceat; sed ille tantùm, qui naturalem concubitus finem intuetur. Vnde quamvis hominibus sine matrimonio, promiscuo concubitu, ex qualibet fœmina prolem quærere liceret, sicut in bestijs usitatum est, non tamen idcirco, quandocunque libido stimularet, illam in qualibet satiare liceret; sed cum quâcunque aliquis etiam tum concumberet, nisi spe, & intuitu, atque necessitate gignendæ prolis concumberet, sine dubitatione peccaret. Tunc enim generalis illa fœminarum permissio hoc efficeret, quod nunc unius permissio; ut videlicet cum quacunque fœmina, etiam solius libidinis causâ, non quidem sine veniali, sed sine mortali scelere misceretur. Nam quod in cibis videmus, ut quidam lege divinâ vetiti sint, ut idolothyta; vel humanâ, ut carnes in quadragesima: quidam vero divinâ humanâque lege liciti atque permissi; idem & in fœminis locum habet: ut solutis quidem hominibus omnis fœmina interdicta sit; conjugatis sola aliena: uxor verò propria permittatur. Verùm sicut non idcirco quia cibus licitus est, comedendi voluptatem quomodocunque explere licet, libidinemque cupediarum avidam satiare,

Lib. 1. de nupt. c. 16.

Cap. 34.

Lib. 5. cont. Iul. c. ult.

satiare, in quo intemperantiæ vitium propriè A situm est; sed oportet cibos non libidinosè, sed officiosè, non ut gulæ irritamenta vel blandimenta, sed ut salutis medicamenta sumere; ita quamvis uxore propriâ sine scelere fornicationis vel adulterij uti liceat, non tamen idcirco in ea ad voluptates explendas insanire permittitur. Tetigit & hoc Augustinus in libro de bono conjugali: *Quod est in* Cap. 16. *sustentanda vita illicitus cibus, hoc est, in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod est in luxuria ventris & gutturis illicitus cibus, hoc est, in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod est in cibo licito nonnullus immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus.* Nam in concubitu ille modus observandus est, quem in omni aliarum creaturarum usu lex divina constituit, ut rebus ad utendum certo fine concessis, non carnalis immundæque voluptatis intuitu, cui ratio B subjugata servire cogitur, sed illius honesti, propter quem institutæ sunt, intentione finis utatur. Hoc in conjuge; hoc in cibo, & potu; hoc in odoribus, in coloribus, in ipsâ regina colorum luce, in innumerabilibus figurarum artificijs, quibus ultra necessarium ac moderatum usum, omnia per artifices videndi cupiditati blandientes plena sunt; hoc in cantilenis, musicisque concentibus; hoc in omni rerum sensibilium usu observandum naturalis ordo & lex æterna præscribit; in quam nulla cadit, aut cecidit, aut cadet unquàm dispensatio: hoc denique simili planè modo in venanda per sensus experientia atque scientia; hoc in concupiscendis illis excellentiæ illecebris, honoribus, laudibus, officijs, dignitatibus, imperijs, gloriâ; hoc in omnibus denique creaturis appetendis locum habet. Nihil enim eorum ad explendas illas cupiditates, quibus in hujusmodi carnalis voluptatis, curiositatis, ac superbiæ fomenta & lenocinia æstuamus & inhiamus, concupiscere licet: sed solummodo propter rationabilem vel utilitatem vel necessitatem. Quidquid aliter fit perperam fit. Nam sicut in carnali sensuum quoruncunque voluptate admittenda, juxta fundatissimam Augustini doctrinam, multa fieri possunt *per illam*; quia sæpè ad justos fines obtinendos nisi per illam transire non licet; nihil tamen omnino *propter illam*: ita etiam in illis reliquis duabus cupiditatibus pari omnino ratione multa fieri licet, etjam blandiente stimulanteque experiendi excellendique cupiditate; nihil tamen omnino *propter illam*. Qua in re quàm difficile sit non falli, ille novit, qui quid sint istæ libidines novit, & quàm occultis insidijs etiam spirituales viros propter aliud facere aliquid velle, vel fecisse persuadeant, quod propter illas eos fecisse veritas postea à libidinosis illis nubibus evoluta & manifestata convincit.

CAPVT. XI.

Proponuntur argumenta adversus doctrinam de coërcendo consensu in concupiscentiam.

SED hæc doctrina, quamvis juxta A sublimia Augustini principia fundatissima sit, nova fortassis & ingrata videbitur, præsertim ijs, qui longè spatiosiorem captandæ fruendæque voluptatis campum esse credunt, ac docent. Nam pœnè in omnibus istis objectis, quæ suprà recensuimus, voluptatem ipsam in se, sed moderatam intendi & captari posse sentiunt. Vt enim nihil de ceteris honestioribus delectationibus dicam, de voluptatibus gustus, & maximè tactus, quibus nullæ magis brutales sunt, ita secundùm Aristotelis principia argumentantur: virtus quæ est circa passiones, inclinat ad fugiendum passiones excessivas, & ad capiendum passiones mediocres; nam qui nullo modo vellet passiones habere, esset insensibilis. Ergo cùm castitas inclinet mediocriter ad percipiendum passiones mediocres, tunc actus capiendi cum ea, cum qua capiendæ sunt, est B actus virtutis conjugalis. Ergo velle mediocres capere cum quo oportet, & ubi oportet, talis actus non est malus, sed potius bonus.

Item, inquiunt, delectari cum uxore non est malum; aliàs quilibet cognoscens uxorem, peccaret: & si non sit malum, non est prohibitum; quod habeatur illa volitio; cum non feratur circa aliquod prohibitum. Ergo non est mala ex objecto: & non habet circumstantiam malam finis, quia suppono quod non referatur in malum finem alium: ideo non est actus malus. Nam quod est per se malum, non potest bonum fieri etiam propter bonum finem. Et velle delectari cum uxore, non est malum ex objecto: vel ad minus est indifferens ex objecto: ergo si tale velle non sit aliquâ malâ circumstantiâ circumstantionatum, talis actus non erit malus; & per consequens non oportet necessariò, quod omnis actus, quo vult actû exercere cum uxore gratiâ delectationis percipiendæ, dummodo non constituat delectationem tanquam ultimum finem, sit malus. Ita quidam. Addunt alij. Si usus conjugij propter voluptatem per se deformitatem, licet venialem, haberet, non potuisset esse licitus cōtractus matrimonij, cùm nulla possit esse obligatio ad culpam venialem. Ideo monent, in immoderatione voluptatis

 culpam

culpam esse posse venialem. Quæ sicut de immundissima & abjectissima illa carnis voluptate docent, ita multo magis de cæteris, quæ moderatè scilicet ex cibis, honoribus, dignitatibus, laudibus, & similibus capiuntur, atque ideò longè majori honestatis umbrâ velantur.

Accedit, quòd nisi voluptas moderata possit ex creaturis speciali præcepto non prohibitis capi, ipsa creatura, vel voluptas mala esse videretur. Quorum utrumque Manichæum olet. Denique ipse Augustinus non semel distinguit voluptates licitas & illicitas, ut cùm dicit: *Videtis charissimi, etiam in istis corporis sensibus licitas esse, & illicitas delectationes.* Quod multis exemplis singulos sensus percurrendo declarat, & populum accuratè docet. Ad quid ista distinctio, si nullam voluptatem etiam licitam sensibus externis aucupari licet? Postremo ipse appetitus sensitivus videbitur esse malus, si nulli motui ejus, quo sensibile bonum appetit, nec aliud appetere potest, consentire licet. Ad quid enim igitur iste appetitus homini datus est? His & similibus argumentis nixi confidenter docent nonnulli Recentiores, licitas innocentesque sensuum externorum vel internorum voluptates ex conjuge, cibo, potu, odoribus, sonis, musicis, scientijs, honoribus, dignitatibus, & similibus objectis nullâ malâ circumstantiâ vestitis posse per se appeti, & ijs animum posse delectari; dummodo adhibeatur modus. Immoderatio quippe in omnibus rebus etjam bonis vitiosa est. Qua doctrina fit, ut tota Christianorum vita hujusmodi voluptatibus plena sit; neque quisquam sibi religioni ducat, si eas vel licitis mediis obtinere contendat, vel ultro oblatis cum delectatione perfruatur.

Serm. 17. de verb. Apost. cap. 1.

Sed in hac re, ubi de Christianæ perfectionis apice ac de summa sanctæ Philosophiæ veræque pietatis agitur, nolo mihi vel ex moribus hominum cujuscunque professionis, vel ex Aristotelica, vel alia quacunque gentium Philosophia præscribi. Nam ubi didicerunt illi, quod nos Christo præceptore didicimus, carnem contra spiritum ex peccato concupiscere? Cujusmodi concupiscentiarum delectabiles motus cum illi naturalis institutionis beneficium esse crederent, quid mirum esset, si eis

A ad moderationem quandam redactis, perfrui nos posse docuissent, & tunc *obsequendum esse naturæ, cùm* sicut ait Hortensius *sine magistro senserint, quid natura desideret*? Non molestè feramus unicam, & veram, & cœlestem Christianæ religionis Philosophiam, paulò altiùs attollere Christianorum animos, qui ex divina institutione didicerunt spiritum contra carnem concupiscere, & condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem, ejusque delectationis serenitatem nullis libidinosis delectationibus nubilare. Quapropter quia res ista summi momenti est, & veluti cardo unicus, in quo summa tota humanæ vitæ Christianæque religionis, quatenus praxim attingit, vertitur, ex altioribus principijs juxta sanctissimi & sublimissimi Doctoris nostri doctrinam, quantùm nos Deus adjuverit, demonstranda est. Quæ ut ab ipsis radicibus innotescat, cur

Dial. Cic. Hortens.

B scilicet nullis omninò concupiscentiis, quæ sua latitudine universas creaturas pro objectis habent, & in eas possunt exardescere, consentire liceat, sed omnes velut exitiales pestes virtutum comprimendæ sint, generaliter indagandum est, quinam rationalis animi motus & affectus erga creaturas liciti sint; quinam divina lege vetiti. Hoc enim cùm ex propriis fundamentis constiterit, simul etjam per se constabit, quicquid de concupiscentijs frenandis & consensu coërcendo diximus. Qua disquisitione nulla utilior in hac vita dari potest. Agitur enim de summa disciplinæ Christianæ de cardine totius practicæ Theologiæ, ubi qui tantillum velut in primis principijs aberraverit, vitam universam necesse est non solùm inter boni & mali discrimen fluctuare, sed & innumeris, qui inde velut conclusiones proficiscuntur agendi & non agendi erroribus perturbari. Ex quo tandem fieri natum est, ut in

C isto affectuum humanorum labyrintho, quorum æstibus reciprocantibus vita nostra torquetur ac retorquetur, velut filo quo regatur carens, exitum nesciat; & dum affectus noxios velut innocentes admittit, amplectitur, alit, ac fovet, patriam exilium deputet; mundúmque se ab immundo mundo deputans, sordibus plenus sit; lucri continui loco damnum se fecisse continuum seriùs deprehendat.

CAPUT XII.

Affectus amoris non potest sine peccato hærere in creatura.

PRIMUS igitur, & omnium affectuum humanorum quasi cardo est amor. Ab illo quippe cæteri omnes ordine quodam pullulant, & ejus colore tinguntur. Est enim prima quodammodo coaptatio affectus ad bonum, & vinculum quoddam, quo cum bono affectus colligatur, & quando magnus est, arctissimè stringitur: *Quid ergo amor,*

Lib. 8. de Trinit. cap. ultimo.

A inquit Augustinus, *nisi quadam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur?* Non tamen *ita sentitur esse, cùm eum non prodit indigentia.* Est enim affectus quasi immobilis, motus autem est sensibilior, quàm quies. Fit verò motus per alios affectus ab amore prodeuntes. Nam prout res amata varijs afficitur circumstantijs, ita amans & amor varios

varios vultus induit: re absente desiderat, præsente lætatur, periclitante metuit, impeditâ irascitur, amissâ tristatur, & instar vertumni juxta omnes amati conversiones vertitur. Vnde in omnibus affectibus amorem dominari rectè dixeris, sive illi reipsa aliquid amoris includant, sive potiùs ab amore omnes veluti causa, juxta diversas rei amatæ perturbationes, naturaliter profluant. Vnde Augustinus: *Amor inhians habere quod amatur, cupiditas; id autem habens, eoque fruens, lætitia; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est.* Quia igitur amor semper aliquem affectum sibi conjunctum habet, quem, prout res amata postulaverit, causet, & omnium primus sit desiderium seu concupiscentia, qua fertur ad rei absentis possessionem, de amore ac desiderio, utpote quo potissimum innotescit, indifferenter hic locuturi sumus.

Lib. 14. de Civit. c. 7.

Præcipua igitur quæstio est, utrum creatura B rationalis affectum amoris seu dilectionis, quam pro iisdem usurpamus, erga rem creatam ullam habere possit juxta divinas leges. Resolutio ejus erit facilis, si, quid amor sit, rectè intelligatur. Amor igitur hoc loco non est quælibet rei cupiditas, qua rem aliquam quovis modo obtentam cupimus; sed qua rem aliquam creatam propter ipsam, internamque ejus pulchritudinem, vel nitorem, vel voluptatem expetimus. Si enim ipsa aliò mente referatur, jam non ipsa, sed alia quam spectamus, amabitur. Exempli gratia, divitias amat, qui amat ut dives sit; honores, qui ipso illorum splendore delectatur; dignitatem, qui illa auctoritate capitur, qua ab hominibus colitur; voluptatem, qui blandam ejus titillationem appetit & nihil præterea. Declarat hoc optimè S. August. in soliloquiis, ubi cùm scrupulosissimè exquireret, quid adhuc cuperet, hoc est, quid amaret, quid proficiendo jam amare C destitisset; & res ratiocinãdi viribus eò redacta deesset, ut adhuc eisdem amoribus teneri videretur, respondet ei Ratio, cum qua veluti ficta persona disputabat: *Credo propterea tibi hoc videri, quia quamvis ista optare posses, non tamen propter seipsa, sed propter aliud expetenda viderentur.* Quod arripiens Augustinus, tanquam concinnè dictum: *Hoc est, inquit, quod dicere cupiebam: Nam quando desideravi divitias, ideo desideravi, ut dives essem, honoresque ipsos, quorum cupiditatem* (id est amorem) *modo me perdomuisse respondi, eorum nescio* QVO NITORE DELECTATVS *volebam, nihilque aliud in uxore semper attendi, cùm attendi, nisi quam mihi afferret cum bona fama voluptatem. Tunc erat istorum in me vera cupiditas:* (id est, verus amor) *nunc ea omnia prorsus aspernor, & si ad illa quæ cupio* (id est, quæ vero amore amo) *non nisi per hæc mihi transitus datur, non amplectenda hæc appeto, sed subeo toleranda,* id est, non hæc amo, sed ad aliud refero, quod sine illis obtinere non possum. Et D hanc Augustini responsionem tanquam elegantissimam approbat statim Ratio: *Optimè,* inquit, *omnino. Nam nec ego illarum rerum vocandam puto cupiditatem* (id est, amorem) *quæ propter* A *aliud requiruntur.* Et paulò inferiùs: *Iam certè ostendi, nihil aliud me amare,* (quàm sapientiam) *siquidem quod non propter se amatur, non amatur. Ego autem solam propter se amo sapientiam; cætera verò vel adesse mihi volo, vel deesse mihi timeo propter ipsam, vitam, quietem, amicos.* Eandem doctrinam tradit in libro octoginta trium quæstionum: *Si propter alia, quæ amanda sunt, amor amatur, non rectè amor dicitur. Nihil enim aliud est amare, quàm propter seipsam rem aliquam appetere.*

Lib. 1. Solil. cap. 11.

Ibid. c. 13.

Lib. 83. qq. q. 34.

Hoc igitur jacto principio tanquam certissimo, cum Augustino dicimus, nulli omnino rei creatæ affectum amoris tribui posse, & si tribuatur, sine dubitatione peccari. Doctrinam illam tanquam ex Scripturis sacris haustam, toties, tantaque instantia docet Augustinus, ut fortasse nulla veritas sit in omnibus operibus ejus, quæ frequentiùs Christianorum animis commendetur. Nos ex innumeris ejus sententiis nonnullas in certas classes revocabimus, ne sua multitudine confusionem ac tædium pariant.

Primò igitur hoc ostenditur ex ipsis Christianæ religionis fundamentis. Nam disciplina Christi jubet homines de potestate tenebrarum erui, ut transferantur in regnum ejus, jam in ipso limine Ecclesiæ constitutos palàm renuntiare diabolo, & omnibus pompis ejus; hoc est, omnium rerum visibilium illecebris, ac amoribus: prout Augustinus hoc sæpè explicat. Imò religionis Christianæ scopus in hac vita non est alius, nisi ut à rerum creatarum amore liberemur, sive rumpendo per gratiam amoris vincula, quibus jam implicati sumus, sive animum continendo, ne perversis amoris affectibus implicetur. Docet hoc in libro de quantitate animæ: *Ideoque bene præcipitur etiam in mysteriis, ut omnia corporea contemnat, universoque huic mundo renunciet, qui ut videmus corporeus est, quisquis se talem reddi desiderat, qualis à Deo factus est, id est, similem Deo. Non enim alia salus animæ est, aut renovatio, aut reconciliatio auctori suo.* Quod quomodo fiat, docet in fine libri: *Spiritus rectus in ea non instauratur, nisi prius cor mundum fuerit, hoc est, nisi prius ipsa cogitatio ab omni cupiditate ac fece rerum mortalium se colibaverit, & eliquaverit.* Et in octoginta tribus quæstionibus ad illa Apostoli verba: Etsi exterior homo noster corrumpitur &c. *Rectissimè omnino, quoniam omnia visibilia ad exteriorem hominem pertinent, quibus Christiana disciplina renunciatur.* Hoc autem de renunciandis amoribus Augustinus semper intelligit. Vnde subjungit: *Et nobis vocatis à Christo visibilium delectatio* (amor) *minuitur, ut invisibilium amore homo interior recreatus, ad interiorem lucem, quæ nunquam occidit, revertatur, secundùm Apostolicam disciplinam, non quærens quæ videntur,* (id est, visibilia) *sed quæ non videntur; quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna.* Vbi Augustinus secundùm Apostolicam phrasim, per visibilia & temporalia intelligit res creatas, per invisibilia & æterna divinas, quibus in æternitate perfruendum est: ut

Lib. de quant. animæ c. 33.

Ibid. c. 33.

Lib. 83. qq. q. 64.

beati ſimus. Et libro ſecundo de Sermone A Domini in monte: *Quæ tamen omnis immunditia* (odij & contemptus rerum divinarum) *rerum temporalium dilectione concipitur, id eſt, dilectione huius ſeculi* (ſeu rerum hujus mundi, ſub quo omnes res creatæ continentur) *cui inbemur renunciare, ut mundi eſſe poſſimus.* Et in ſermonibus de verbis Domini, de vocatione Chriſtianorum differens: *Aliquam expectationem, & propter hanc ſpem Chriſtiani facti ſumus. Nonne ſpes noſtra non eſt de hoc ſeculo? Non amemus ſeculum. Ab amore ſeculi* (id eſt, rerum omnium ad hoc ſeculum pertinentium) *vocati ſumus* (ſcilicet ad Chriſtum & Eccleſiam: à vocando enim Eccleſia nuncupata eſt) *ut aliud ſeculum ſperemus, ac diligamus.* Si diſciplina Chriſtiana nos jubet renunciare ſeculo, hoc eſt, ut Auguſtinus exponit, ut non diligatur ſeculum neque ſecularia, peccatur profectò ſi diligatur. Nam illud Chriſtianæ diſciplinæ & renuntiationis B præceptum, non aliunde niſi ex Scripturis hauſtum eſt, quæ disertè jubendo per os Apoſtoli Ioannis clamant: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* In quem locum Auguſtinus: *ſicut præceptum eſt amnis à Domino, quid diligant, ita per Ioannem Apoſtolum, quid non diligant, nolite, inquit, diligere mundum &c.* De cujus loci ſenſu idem Auguſtinus: *Apoſtolus Ioannes non ait: Nolite uti mundo. ſed, Nolite diligere mundum; ubi poſuit & concupiſcentiam carnis: qui enim non diligens utitur, quaſi non utens utitur, quia non eius rei cauſa utitur, ſed alterius quam diligens intuetur, ut etiam non diligens hac utatur.* Clamant Scripturæ per os Apoſtoli Pauli: *Et qui utuntur hoc mundo quaſi non utantur.* In quem locum rurſus idem Doctor: *Quid eſt, quaſi non utantur, niſi non diligant quo utuntur, quoniam tale eſt, ut bene aliter non utantur? Et hoc quidem etiam in his rebus obſervandum eſt, quæ in hoc mundo ſic bona ſunt, ut tamen eas diligi non oporteat.* Hinc idem C Apoſtolus Paulus disertè præcipit: *Nolite conformari huic ſeculo*: Illud enim amore fit, quo

Lib. 2. de Ser. in monte c. 20.

Serm. 59. de verb. Domini c. 1.

1. Ioan. 2.

Lib 6. Muſica c. 14.

Lib. 5. cont. Iul. c. 16.

Ibidem.

quis amat ſeculum ſeu rem ſecularem propter ſe, non ad aliud referendo, ſeu quod idem eſt, tanquam finem dilectionis, in quo quieſcat: quod fit in omni omninò peccato, ſive mortali ſive veniali, ut infrà dicendum eſt: *Niſi voluntas*, inquit, *quicquid in eis* (exterioribus rebus) *capit, ad meliorem verioremque vitam referat, atque in eo fine cuius intuitu hæc agenda iudicat, acquieſcat, quid aliud facimus, niſi quod nos Apoſtolus facere prohibet, dicens: Nolite conformari huic ſeculo?* Et alibi: *Non ut conformemur huic ſeculo, finem conſtituendo in bonis talibus, & in ea detorquendo beatitudinis appetitum: ſed ut quicquid in uſu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiſcendorum contemplatione faciamus, per iſta tranſeuntes, illis inhærentes.* His Chriſtianæ vocationis præceptis inſtitutus Auguſtinus ubique clamat, omnia quæ in mundo ſunt, ſolo excepto Deo, vitioſè diligi, & hoc in ſacris Scripturis eſſe præceptum: *Itaque*, inquit, *in novo Teſtamento ſic ab iſtorum* (viſibilium ſeu ſenſibilium) *amore prohibemur, non reſpicientes ea quæ videntur, ſed quæ non videntur &c. Amandus igitur ſolus Deus eſt, omnis vero iſte mundus, id eſt, omnia ſenſibilia contemnenda; utendum autem his ad huius vitæ neceſſitatem.* Et infrà: *Quid eſt aliud falſis bonis illudi atque decipi, quàm te ipſo inferiora, miranda atque appetenda arbitrari? Habet igitur vir temperans in huiuſmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque Teſtamento firmatam, ut nihil eorum diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ huius atque officiorum neceſſitatem quantum ſatis eſt uſurpet, utentis modeſtiâ, non amantis affectu.* Ecce apertiſſimè declaratum utriuſque Teſtamẽti hanc eſſe regulam, nihil rerum temporalium eſſe diligendum, nihil mirandum, nihil per ſe appetendum, hoc eſt, ut exponit, nihil *amantis affectu* eſſe complectendum. Ex quo neceſſariò ſequitur, affectum amoris nullum in re temporali ſeu hujus mundi, qui divinitùs diligi vetatur, ſine peccato poſſe collocari.

Lib. 13. de Trinit. c. 5.

Lib. 1. c. 13

Lib. de mor. bus Eccleſ. c. 20.

Cap. 21.

CAPVT XIII.

Ratio petitur ex natura cupiditatis, & peccati, ſive mortalis, ſive venialis.

SED conſtabunt iſta apertiùs, ſi, quid A ſit peccatum, & unde ratio ejus petenda ſit, ex Auguſtini doctrina paulò accuratiùs diſquiramus. Tradit enim ſublimis ille doctor frequentiſſimè, non eſſe aliud peccatum, quam amorem rei temporalis, ſive rei, quæ amanti invito auferri poteſt; hoc eſt, amorem cujuſcunque creaturæ. Nam in primis libro primo de libero arbitrio cùm rationem peccati ex profeſſo inveſtigaret, atque docuiſſet, neque ex lege vetante, neque ex pœna damnante, neque ex eo, quod ſibi hoc homo nollet fieri, quod alteri facit, eſſe petendam; tandem concludit, ex ſola libidine ſive cupiditate eſſe metiendam. *Iam videte*, inquit, *non opus eſſe longa ſermocinatione, ut mihi de homicidio, ſacrilegio, ac prorſus de omnibus peccatis perſuadeatur. Clarum eſt enim, iam nihil aliud quam libidinem in toto malefaciendi genere dominari; quàm alio nomine cupiditatem vocari* dicit. Et in eodem libro inferiùs: *Convenit inter nos, omnia malefacta non ob aliud mala eſſe, niſi quod libidine, id eſt, improbandâ cupiditate fiunt.* Et in libris de doctrina Chriſtiana eandem doctrinam tradit: *Non præcipit Scriptura, niſi charitatem; neque culpat, niſi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.* Et aliquantò inferiùs: *In omnibus enim talibus* (rebus prætereuntibus) *non uſus rerum, ſed*

Lib. 1. de lib. arbit. cap. 3.

Ibid. c. 4.

Lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 10.

Cap. 11.

libido

libido utentis in culpa est. Quod cum in utendis uxoribus non propter voluptatem declarasset, *sic*, addit: *Animadvertendum est in cætero quoque usu rerum abesse debere libidinem.* Et rem istam velut indubitatam definitiva auctoritate decidens; *Cave putes*, inquit, *quicquam potuisse dici verius, quam id quod dictum est, radicem omnium malorum esse avaritiam, hoc est, plus velle quam sat est. Tantum autem sat est, quantum sibi exigit naturæ in suo genere conservandæ modus. Avaritia enim quæ Græcè φιλαργυρία dicitur, non in solo argento, vel in nummis (unde magis nomen duxisse resonat: argento enim nummi, vel mixto argento frequentius apud veteres fiebant) sed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur, intelligenda est, ubicunque omnino plus vult quisque, quam sat est. Hæc autem avaritia* CUPIDITAS *est; cupiditas verò improba voluntas est, ergo improba voluntas malorum omnium causa est.* Et alibi sæpissimè repetit, *omnium malorum radicem esse cupiditatem, & radicem omnium bonorum charitatem*, esse *venenum charitatis; non esse opus Dei*; esse *putam mortis*: quòd *nihil boni potest generare*, sicut *charitas nihil mali*. Alibi vocat eam *voluntatem malam*; & *nihil tam inimicum esse bonæ voluntati, quam libidinem*. Esse *peccatum, cum per eam amantur* temporalia. Usque adeo vero omnem malitiam ex cupiditate petendam esse sentit, ac docet Augustinus, ut cupiditatem proprium peccatorum nomen esse definiat. Nam in libro secundo de sermone Domini in monte dicit: *Voluntas est non nisi in bonis, nam in malis flagitiosisque factis cupiditas propriè dicitur, non voluntas.* Quod alijs in locis frequenter repetit. Et alibi: *Aliud est charitas radix omnium bonorum, aliud cupiditas radix malorum; tantùmque inter se differunt, quantum virtus & vitium.* Et statim adjungit: *Cum ergo peccat homo, non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat, secundum quam non est natus ex Deo.* Et iterum: *Sed cupiditas hominis, quæ vitium est, hominem habet auctorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem. Ipsa est enim concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* Sub quibus Augustinus omnia omninò peccata solet comprehendere, sicut supra demonstratum est. Hoc igitur jacto fundamento tamquam in Augustini doctrina indubitato, quod omnis peccatorum ratio ex cupiditate seu libidine petenda sit, jam videndum est, quid sit illa cupiditas, illa, inquam, improbanda, illa improba voluntas, ille fons, ille radix omnium omninò malorum quibus Universum perturbatur, illud quod in omni malefaciendi genere dominatur, propter quam solam omnia malefacta mala sunt, à qua nihil omninò boni proficisci potest, quam solam in Scripturis culpari tradit; ut liquidò intelligamus, utrum aliquam creaturam animus rationalis affectu amoris possit amplecti.

Ibid.

Lib. 3. de lib. arb. c. 17

Lib. 83. qq. q. 35. & q. 36.
Serm. 12. de ver. Domini.
In Psal. 147
In Psal. 9.
Serm. 115 de diversis c. 7.
Lib. 1. de lib. arb. c. 13 & 15.
Lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 22.
Vide lib. 14 de Civit. c. 7.
Lib. de grat. Christi c. 20.
Cap. 21.
Cap. 20.

Lib. 3. de doct. Christ. c. 10.

Cupiditatem igitur in eisdem locis, ubi de illa ex professo disputat Augustinus, & ex ea docet omne peccatum esse metiendum, sic definit: *Est amor earum rerum, quas potest quisque invitus amittere.* Sic enim loquitur Evodius, postquam hujusmodi definitionis veritas longâ inductione claruisset: *Resipisco, & admodum gaudeo, tam me planè cognovisse, quid sit etiam illa culpabilis* CUPIDITAS, *quæ* LIBIDO *nominatur. Quam esse jam apparet* EARUM RERUM AMOREM, QUAS POTEST QUISQUE INVITUS AMITTERE. Ecce brevissimis clarissimisque verbis tanquam rem certam, & planam, & probatam; nihil aliud esse voluntatem improbam, sive cupiditatem, quâ solâ peccatur, nisi amorem rerum, quas homo potest invitus, hoc est, velit, nolit, amittere. Quis autem non videt, sub illis omne omnino quod creatum est, sive quod non est Deus, esse comprehensum? Nihil est enim eorum, quod non homo sive justus, sive injustus amittere possit invitus; carnis voluptatem, carnem ipsam & membra corporis, honores, laudes, gloriam, potestatem, divitias, uxorem, liberos, familiam, civitatem, mundum universum cum omnibus quæ in mundo sunt, sicut Augustinus in eodem loco probat, & reipsa invitis damnatis omnia subtrahuntur. Nec opus est multâ disputatione vel operosâ demonstratione, ut ostendatur sequi, nihil eorum proinde amari posse. Nam ille ipse amor eorum est hoc ipsum quod definitur, nempe cupiditas, ex cujus malitia, & propriâ internâque pernicie malum & peccatum est, quidquid peccatum est. Usque adeo namque talium rerum amor malus & culpabilis est, ut sine malitia nec fieri, nec intelligi possit.

Lib. 1. de lib. arbit. c. 4.

Sed ne fortassis per transennam istud Augustinus docuisse videatur, lustremus accuratiùs doctrinam ejus, nè vel ipse rem minùs perpensam, & in juventute traditam, retractaverit, vel nos eam perperam intelligendo hallucinemur. In libro igitur octoginta trium quæstionum de eadem cupiditate disputans, quam omnium malorum radicem vocat, sic eam definit: *Nihil aliud est cupiditas, nisi amor rerum transeuntium.* Et in alia quæstione, cùm dixisset, non omnem amorem amandum esse, rationem subjicit: *Est enim & turpis* (amor) *quo animus seipso inferiora sectatur, quæ magis propriè cupiditas dicitur, omnium scilicet malorum radix.* Et in quæstione sequente: *Charitatis venenum est spes* (id est, amor, quia in spe amor) *adipiscendorum aut retinendorum temporalium.* Quam statim dicit esse cupiditatem, & addit explicando, quid sit illa jam nominata spes: *Est autem cupiditas, amor adipiscendi, aut obtinendi* (fortè retinendi, ut jam præmiserat) *temporalia.* Et in libris de doctrina Christiana, ubi de duobus illis capitaliter inimicis accuratissimè disputat: *Charitatem* vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum*: Cupiditatem verò definit *motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.* Ubi per *motum animi ad fruendum*, amorem intelligit, ut sæpè jam dixit. Nam revera amor non est aliud, quàm motus animi ad fruendum, usque adeo, ut si rem amatam ille motus assequatur, in fruitionem seu gaudium terminetur, & quiescat. Sub frui autem

Lib. 83 qq. q. 33.
q. 35.
Ibid. q. 36.

Lib. 3. de doct. Christ. cap. 10.

autem se, proximo, & quolibet corpore comprehendit omnium omninò bonorum temporalium fruitionem. Nam fruitio sui respondet amori sui: *Quid est enim amare se*, inquit alibi, *nisi sibi præsto esse velle ad fruendum se?* Amat autem se homo, quælibet sibi bona temporalia cupiendo; unde & illis habitis fruendo, fruitur quoque se. Quo fit, ut ista definitio reipsâ nihil discrepet à præcedentibus; sed in hoc est accuratior, quod ex hoc ipso fruitionem sui, vel proximi, vel corporum esse definiat, quo *non* fiat *propter Deum*; quod propter cavillationes multas sopiendas adjectum est, per quas homines, uti, non frui se rebus concupitis arbitrantur. Quod & alibi verbis alijs non alio sensu tradit, dum dicit, peccatum esse, quod etjamsi speciem habeat boni operis, fit tamen *non propter requiem sempiternam*. Augustini enim doctrina constans est, nihil inter charitatem & cupiditatem, esse medium in hoc rerum statu. Vnde & alibi: *Videndum quid sit vera dilectio, imò verò, quid sit dilectio. Ea quippe dilectio dicenda est, quæ vera est, alioquin cupiditas est* &c. *Hæc est autem vera dilectio, ut inhærentes veritati* (id est, Deo, incommutabili veritati) *justè vivamus: Et ideò contemnamus omnia mortalia præ amore hominum, quo eos volumus justè vivere.* Nimirum hoc vult, si non est dilectio, id est amor incommutabilis veritatis sive Dei, jam esse cupiditatem. Et evidentiùs in eodem opere de Trinitate explicans inter illa duo nullum esse medium: *Nemo*, inquit, *volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit: quod verbum amore concipitur, sive creaturæ sive creatoris: id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis. Ergò aut cupiditate, aut charitate. Non quod non sit amanda creatura, sed si ad creatorem refertur ille amor, non iam cupiditas, sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cùm propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.* Omninò brevissimæ divinæque sententiæ gravitate, quæ hactenus diximus, pœnè cuncta complexus est. Nam & cupiditatem docet esse quemcunque amorem cujuscumque creaturæ; & hoc ipso in eam incidi, quo non amatur creator; & esse amorem creaturæ propter se; & esse ex diametro oppositum charitati, nec inter illa esse medium; & esse malum, quia fruentem tanquam peccatum, omniumq; peccatorum causa corrumpit. Quid verò jam opus pluribus? Apertissimè quippe & constantissimè definitum est, omnem amorem creaturę esse improbam illam cupiditatem, quæ sola culpatur in Scripturis, & ex qua omnis peccati ratio metienda est. Cupiditas autem est, quandocunque propter seipsam amatur creatura. Propter seipsam autem amatur creatura, cùm amatur *non propter Deum.* Nam hoc ipso quo iste amor creaturæ retorquetur in Deum, jam non est cupiditas, sed illa laudabilis charitas, omnium bonorum operum unica & vera radix.

Lib. 9. de Trinit. c. 2.

Serm. 18. de diversis c. 4.

Lib. 8. de Trinit. c. 7.

Lib. 9. de Trinit. c. 7. & 8.

An forte audiendus erit, siquis arbitretur, cupiditatem istam solùm in peccatis illis gravioribus, non in levioribus atque venialibus, A juxta doctrinam Augustini, habere locum? Longè fallitur quicumque aliquid hujusmodi suspicatur. Nam doctrina suprà tradita tam dilucidè & sine ambagibus de universis omninò peccatis loquitur, ut superfluum sit ingenijs non planè rudibus hoc pluribus velle demonstrare. Et quamvis nihil expressius diceret Augustinus, quis non ipso primo aspectu videt, fieri nullo modo posse, quin si quid ametur, necessariò sit vel creator vel creatura? Quod enim inter ista duo medium dabis? Rursum quis non mediocriter Philosophiâ institutus videt, nihil hominem amare, vel quoquo modo velle posse, nisi in aliquo ejus animus requiescat? Motus enim iste tendit aliquò; nec per fines sine fine interjectos in infinitum tendere potest. Vbi ergò animi intentio terminatur, ibi quies: ubi quies, ibi dilectio terminatur. Hoc quid erit, nisi creatura, si non B sit creator? Ergò erit cupiditas; cùm illa sit, & non alia cupiditatis ratio, nisi ut definit Augustinus, amor creaturæ, amor rei temporalis, amor rei quam invitus potest amittere, vel ut expressius dicit, & in idem redit, *amor creaturæ non propter Deum.* Si enim est propter Deum, sive ut Augustinus loquitur, *si ad creatorem refertur ille amor, non iam cupiditas, sed charitas erit.* Et ubi quæso hic exceptioni pro peccatis venialibus locus? Nonne necesse est, voluntatem quâ illa non minùs quàm lethifera perpetramus, vel in creatura, vel in creatore conquiescere? vel manere & hærere in creatura, vel in creatorem retorqueri? Si retorquetur, charitas est; si hæret vitiosa cupiditas. Nam quod nonnulli putant, hoc ipso peccatum esse mortale, quo creatura finis est alicujus motus animi, larva est, qua tamen plurimi ab intelligenda veritate deterrentur; sed eam postea veritati detracturi sumus.

C Hinc est igitur, quòd sanctus Augustinus, quando latissimum illud cupiditatis imperium suis limitibus circumscribit, universas omninò illecebras voluptatum tam sensibilium, quàm paulò spiritualium, quæ de honoribus, laudibus, dominatione, & quæcunque excellentia terrena decerpuntur, percurrere solet, totamque peccatorum silvam sive venialium sive mortalium ab ea pullulare decernit: idque non alia consideratione, nisi quia creaturæ solo suæ internæ voluptatis, vel nitoris, vel celsitudinis, vel alterius cujuscunque illecebrosi nitoris intuitu cupiuntur. Nam in Soliloquiorum libris, ubi animæ suæ præteritum præsentemque statum scrupulosissimè trutinat, fatetur tunc se illa vitiosâ cupiditate divitias adamasse, cùm eas ideò *desiderabat, ut dives esset*; & honores, cùm *eorum nescio quo nitore delectatus* eos expetebat; & uxorem, cùm hoc attendebat, ut *efficeret cum bona fama voluptatem. Tunc*, inquit, *erat istorum in me vera* D *cupiditas. Nunc ea prorsus aspernor.* Et tamen istæ sunt considerationes hominum, quibus honores, laudes, voluptates ex uxoribus, ex cibo & potu, & similes rerum creatarum delectationes appetunt, & etjam venialiter peccant.

Lib. 1. de Solil. c. 11.

cant. Et in libro 1. de libero arbitrio, ubi ex A professo materiam illam discutit, & sæpissimè cupiditatem *malam voluntatem*, & *peccatum* vocat, illa omnia sub latitudinem objecti ejus includit, quibus homines sive mortaliter sive venialiter peccare, nec aliter nisi amando solent. *Nihilne amant*, inquit, *aliud?* Homines videlicet qui cupiditate ducuntur. *Imò plurima ea scilicet in quibus adipiscendis vel retinendis mala voluntas illa perstitit. Opinor te dicere*, inquit Augustinus, *divitias, honores, voluptates, & pulchritudinem corporis, ceteraque omnia, quæ possunt & volentes non adipisci, & amittere inviti.* Et mox ea, *quibus homines cupiditate inhærent*, esse dicit ea; *quæ ad tempus nostra dici possunt.* Inter quæ enumerat, *corpus & eius quæ vocantur bona, ut integra valetudo, acumen sensuum, vires, pulchritudo, & si quæ sint cetera, libertas, parentes, fratres, coniux, liberi, propinqui affines, familiares ipsa denique civitas, honores etiã & laudes, & ea quæ dicitur gloria popularis; ad extremum pecunia, quo uno nomine continentur omnia, quorum iure domini sumus.* Sed hæc sunt, quibus homines inhærentes cupiditate, non solum mortaliter, sed maximè venialiter peccant. *Leges tamen*, addit, *non ulcisci peccatum, cùm amantur ista, sed cùm alijs per improbitatem auferuntur.* Certum est autem peccata mortalia tunc committi, cum alijs per improbitatem auferuntur: cùm verò pacificè res illæ, quarum domini sunt homines, amantur & possidentur, quantumvis venialiter, quantumvis lege temporali peccatum non puniente, peccatur tamen.

Lib. 1. de lib. arb. c. 15.

CAPVT XIV.

Ipsum amare creaturarum hærendo in creatura est peccare, etjamsi nullis alijs pravis vestiatur circumstantijs. Declaratur inductione.

NAM si naturam peccati, quod in A quibuslibet temporalibus appetendis committi solet, etiam seposita tantisper Augustini auctoritate, suis momentis ponderare voluerimus, non eam aliundè petendam esse reperiemus, quàm ex eo quòd amantur; usque adeò ut hoc unum dumtaxat eas amasse sit peccasse. Nec ulla ratio dari poterit, cur amor unius potiùs, quàm alterius sit culpabilis: atque ita omnis in universum, ut reprehensione ita pœnâ dignus sit. Bonæ sunt divitiæ, sed divitiarum amor malus est Nam hoc ipso quo amantur, sive multùm sive parùm, peccatur avaritiâ. Essentialis enim ejus definitio non est alia, quàm amor divitiarum. *Avaritia est enim*, inquit Augustinus, *esse velle divitem, non iam esse divitem.* Itaque Sapiens detestans avaritiam, non aliud quàm amorem pecuniæ detestatus est. Nam cùm dixisset: *Avaro nihil est scelestius*; explicans quid sit avarus, adjicit: *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam.* Nec aliud Poëta voluit, qui dixit:

Serm. 205. de tem. cap. ult.

Ecclesiast. cap. 10.

Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.

ET alius qui avaritiam nuncupavit, *auri* A *sacram famem*, id est, amorem; & avaritiæ miseriam Scriptura manifestans: *Avarus*, inquit, *non implebitur pecunia*, hoc est, qui amat pecunias non implebitur eis. Nam ideò exponens adjicit: *Et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Et cur quæso amare pecunias malum est, cùm pecuniæ bonæ sint? Nimirum quia temporalium quarumlibet rerum amor malus est. Idem & in cæteris omnibus creatis rebus videre licet. Quid melius & rebus humanis utilius, quàm ut eis administrandis præsint viri boni? Et tamen præesse velle vitiosum est, cùm scilicet nihil appetitur aliud, quàm ipse præfecturæ splendor, seu ipsum præesse. Hoc enim & nihil aliud est ambitio, & peccatum istud omnium sapientium judicio improbatur. Vnde Ioannes Apostolus taxans quemdam: *Is qui amat*, inquit, *primatum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos.* Et Augustinus: *Locus superior etsi ita teneatur ac administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Et adhuc efficaciùs: *Intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit non prodesse*, id est, qui amaverit præfecturam, non utilitatem, quæ indè in proximum conferri debet. Hinc de Catone: *Honores*, seu dignitates, *quos petivit Cato, petere non debuit, sed eos civitas ob eius virtutem non petenti dare.*

Ecclesiast. 5.

In Epist. 3. Ioan.

Lib. 19. de Civit. c. 19.

Lib. 5. de Civit. c. 14.

Laudem & gloriam quis dubitet esse bonam, cùm eam etjam præmium virtutis esse statuant? Laudem tamen & gloriam amare vitium est, nec aliâ ullâ extrinsecus accersitâ consideratione, sed illâ solâ, quòd amantur. Hoc enim est vitium inanis gloriæ, de qua Augustinus: *Sanius videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit.* Quod nec Poëtam fugit Horatium:

Ibid.

——— *Laudis amore tumes.*

DE quo vitio paulò pòst Augustinus dicit: *Huic igitur cupiditati melius resistitur* A *sine dubitatione, quam ceditur. Tanto enim quisque est Deo similior, quanto ab hac immunditia mundior.* Et de Martyribus loquens: *Si adhuc laudes hominum quærunt, nondum vicerunt.* Et Christus

Ibid. c. 13.

Serm. 108. ex diversis cap. 8.

Digitized by Google

Christus graviter reprehendit eos, qui faciunt A opera sua, *ut videantur ab hominibus*, hoc est, qui illud ipsum amant, & nihil amplius, videri ab hominibus, ut sæpiùs Augustinus exponit: & res per seipsa manifesta est.

Matth. 23.

Salutari ab hominibus & dignitatum titulis appellari, & primo sedere loco in consessibus non est malum, sed potiùs bonum. Hoc ipsum tamen amare, tanquam vitium & peccatum à Salvatore meritò reprehenditur: *Amant*, inquit de Pharisæis, *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*. Vnde istam animi ægritudinem in suis discipulis vetat: *Vos autem nolite vocari Rabbi: nec vocemini magistri*. Nimirum quia hujusmodi amare lenocinia superbiæ peccata sunt: nec alia de causa, nisi hoc solo quia amantur, & in eis amor se sistit & hæret, neque pergit ulterius. Quod & Christus significavit, cùm subjunxit: *Qui autem se* B *exaltaverit humiliabitur*.

Ibid.

Ibid.

Dominum esse, regnum obtinere nullo modo vitiosum est: dominari & regnare velle vitiosissimum. Iste enim affectus est, qui animis Tyrannorum dominatur, bellorumq; tumultibus ac tempestatibus genus humanum atterit & perturbat. Vnde Augustinus quò modestiùs, eò graviùs affectum illum reprehendens: *Videant*, inquit, *ne forte non pertineat ad viros bonos gaudere de regni latitudine*.

Lib. 4. de Civit. c. 15.

Scientiâ quid sublimius in rebus bonis, quas condidit Deus? Et tamen scientiam propter scientiam amare, curiosum est, vitium scilicet inquietum, quod cùm invalescit, etjam ad nefanda perducit. De quo præclarè sanctus Bernardus hujus doctrinæ non ignarus: *Sunt, qui scire volunt, eo fine tantum, ut sciant; & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi; & turpis vanitas est. Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro* C *pecunia, pro honoribus; & turpis quæstus est*. Cùm tamen neque scire, neque sciri, neque quæstum facere, malum sit: sed illis amore propter illa, hoc est, nihil ulterius attendentem inhærere, vitium est.

Serm. 36. in Cant.

Cibus & potus, eorumque sapor delectabilis, bona sunt, & in infirmitatis humanæ sustentationem à Deo instituta; ipsa tamen per se amare tanquam vitium meritò reprehenditur. Hoc enim est gulæ proprium, quo edaces, ebriosi, helluones, delicati ad mensam adducuntur, non ut vivant, sicut sapientem decet; sed ut comedant atque bibant. Attrahit enim illos concupiscentia delectationis, non indigentia refectionis; & ut optimè Augustinus, Non in cibum & potum *ex officio descendunt, sed per cupiditatem ruunt*.

Serm. 63 de divers. c. 14

Concubitum quis nisi Manichæus aliquis negaverit esse bonum? Nam ut Augustinus: *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus* D *ad salutem generis; & utrumque non est sine delectatione carnali*. Concubitum tamen amare propter ipsum, hoc est, propter concubitus delectationem, vitiosum est. Nam hoc est ille affectus seu cupiditas luxuriæ, quæ animis omnium luxuriosorum imperat. Nec enim aliud appetunt, quàm concubitus delectatione frui. Et hæc est vera ratio, cur ille concubitus cum uxore, quo non proles, sed voluptas quæritur, ab Augustino & Apostolo tanquam peccatum veniale culpetur. *Numquid hoc non est peccatum*, inquit, *amplius quam liberorum procreandorum necessitas quærit, exigere a conjuge debitum? Est quidem peccatum, sed veniale. Apostolus dicit: Hoc autem dico secundum veniam*: Vnde præclarè in eodem Sermone Augustinus: *Nisi ad hoc dentur, ad hoc accipiantur uxores*, (prolis, non voluptatis causâ) *qua sana fronte dat filiam suam libidini alienæ? Sed non ut erubescant parentes, cùm dant, recitantur tabulæ: ut sint soceri, non lenones. Quid ergo de tabulis recitatur? Liberorum procreandorum causâ. Erubescat & maritus aliter accipere, si erubescit pater alter dare. Sed si non possunt (aliquando iam ista diximus) exigant debitum*. Et paulò pòst tam de concubitu, quàm de comestione dicit: *In qua duo opera prudentes & sancti ex officio descendunt, imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Aliud enim ad aliquid officio descendere; aliud in aliquid per cupiditatem cadere*. Hoc est, alij amant ista opera propter opera, & ista cupiditate tracti in ea ruunt, alij finem operum intuentur, ex cujus dilectione ista opera, non amando, sed tolerando suscipiunt.

Bib. de bono conjug. c. 16.

Serm. 63. cit. c. 13.

Ibid. c. 13.

Cap. 14.

Sed quid multis? Quod in istis rerum bonarum amoribus declaravimus, hoc in reliquis omnibus ostendi potest. Neque enim ulla ratio dari potest, cur unius creaturæ amor, in quo sistitur, potiùs malus sit, quàm alterius. Nam quamvis plerique amores nominibus proprijs, non tamen idcircò vitio carent. Sed quia prolixum esset singulos perlustrare, ex tribus illis cupiditatibus, quæ juxta Augustinum & Apostoli doctrinam, omnes omninò vitiorum cupiditates comprehendunt, concupiscentiâ carnis, concupiscentiâ oculorum & superbiâ vitæ, res evidenter tota patuit. Quælibet enim illarum cupiditatum non alio ex capite vitiosa est, nisi quia creatura propter creaturam amatur. Neque enim aliunde superbiæ peccatum est, nisi quia diligitur excellentia, quamvis bona, propter excellentiam: neque alia ex causa concupiscentia oculorum seu curiositas reprehensibilis, nisi quia per eam *nihil aliud, quàm scire homines cupiunt*, ut Augustinus loquitur, seu non ob alium finem scire tentant, quàm *propter experiendi noscendique libidinem*, ut ibidem dicit. Neque concupiscentia carnis alio ex capite vitium est, nisi quia est amor alicujus rei, quę voluptate carnem afficit propter ipsam voluptatem, seu quia carnalis voluptatis amor est, sive illa percipiatur oculis, sive auribus, sive naribus, sive gutture, sive tactu, toto corpore, maximeq; genitalibus. Omnium quippe cupiditatum eadem ratio est; quòd rerum quidem bonarum amores sint, sed ideò vitiosi, quia amores earum sunt, quas sine earum amore in se admittere vel suscipere debuissent. Res quippe bona *amari potest amore non bono*, inquit Augustinus. Neque enim excellere, scire, experiri, carnis volupta-

Lib. 10. Confess. c. 35.

Lib. contr. Secundin. cap. 16.

voluptatem sentire, & admittere, sed ista diligere in culpam cadit. Vna igitur rei cujuspiam transitoriæ cupiditas vitiosior alterâ esse potest, prout ordo naturalis magis minusve perturbatur; nulla tamen bona. Vnde Augustinus in singulis vitijs rationem vitij ex amore creaturæ quantumvis bonæ petere solet: *Quanta homines dura perpessi sunt, ut pervenirent ad id quod amaverunt? Sive sit amator pecuniæ, qui vocatur avarus: sive sit honoris amator, qui vocatur ambitiosus; sive sit corporum pulchrorum amator, qui vocatur lascivus. Et quis posset enumerare omnes amores?* Et in libris de Civitate Dei eandem radicem amoris creaturæ quamvis bonæ tangens: *Est*, inquit, *libido ulciscendi* (id est cupiditas seu amor cujusdam umbræ justitiæ seu retributionis, ut qui mala fecit mala patiatur) *quæ ira dicitur: est libido, id est, amor, habendi pecuniam, quæ avaritia: est libido quomodocunque vincendi, quæ pervicacia: est libido gloriandi, quæ iactantia nuncupatur. Sunt multæ varíæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam verò non habent. Quis enim facile dixerit, quid vocetur libido dominandi; quam tamen plurimum valere in tyrannorum animis, etiam civilia bella testantur.*

Serm. 47. de divers. c. 1.

Lib. 14 de civit. c. 15.

CAPVT XV.

Vtrum Creaturæ, & voluptates earum appeti & amari possint moderatè.

VNDE satis mirari non possum, quid Catholicis illis scriptoribus in mentem venerit, qui propter solam corporis voluptatem cum uxore concumbi posse definiunt; quique multo maiori exorbitatione generaliter statuunt, voluptates corporis, sive narium, sive aurium, sive oculorum sive alterius externi sensus, propter ipsas voluptates appeti posse, sed moderatas. Cur non dicamus itidem, pecunias amari posse moderatè, ut non extincta, sed moderata sit avaritia? Cur non & honores, & laudes & primos recubitus, primasque cathedras, & ut videamur ab hominibus, expeti posse moderatè; ut nemo sibi superbire videatur, nisi qui valdè superbus fuerit? Cùm tamen Dominus in pharisæis illa culpando *superbiam* reprehenderit, *non quia illa accipiunt*, inquit, *sed quia diligunt. Sic enim cor eorum accusavit.* Et de illis, qui videri volunt ab hominibus: *Iste*, inquit, *finis est reprehensibilis atque culpabilis, usque ad hominum laudem velle benefacere, nihil amplius inde quærere*, hoc est, in isto fine appetendo diligendoque conquiescere. Ipsum quippe diligere primos recubitus, primas cathedras, videri atque laudari velle ab hominibus nequaquam culpa caret, sivè multùm, sive parùm ista diligantur. Quod simili omnino ratione & in ceteris omnibus creaturarum amoribus verum est: qui quo ferventiores fuerint, eò deteriores; quo remissiores, eo minùs mali, sed tamen omnes mali. Non recipit cupiditas moderationem: tollenda est atque extirpanda radicitus, in quo omnis labor, omne certamen, omnis gemitus spiritualium virorum occupatur. Quis est enim qui laudis, pecuniæ, voluptatis cupidus, rectè cupidus dici queat? Perversa ergo Philosophia vel potiùs Theologia est, quæ non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum. Nec sanè video, quî differat ista sententia ab opinione Epicuri, nisi quòd ille solam voluptatem, hi honestatem simul cum voluptate per se expeti posse fateantur. Sed Epicuri dogma fugiendo, in Calliphontis ac Dinomachi errorem, quem etiam Pelagianorum antesignanus amplexus est Iulianus, incidunt. *Hominem* inquit Tullius, *iungunt cum bellua*, ut Calliphon, *qui voluptatem cum honestate coniungunt.* Et Augustinus de Iuliano: *Si autem, ut aliquo loco significasti, placet tibi secta Dinomachi, honestatem voluptatemque coniungens, quod Philosophi quoque huius mundi, qui honestiores vocantur, scyllaeum bonum esse dixerunt, ex humana scilicet natura, beluinaque compactum: Si ergo hoc monstrum tuâ opinione sectaris &c.*

Serm. 234. de temp. c. 5.

Lib. 4. Acad. quæst.

Lib. 6. cont. Iul. c. 26.

Quapropter sive voluptas carnis fuerit, sive honor, sive gloria, sive imperium, sive scientiæ, sive pecunia, quo uno nomine continentur omnia quorum jure domini sumus, & quorum vendendorum atque donandorum habere potestatem videmur, sive alia res quæcunque temporalis, quorum amoribus plus minusve etiam justorum vita implicata detinetur, immobilis veritatis est mandatum, ne quicquam eorum ullâ cupiditate, hoc est, amore appetatur, aut teneatur. Indispensabilis est enim ista Augustini regula, utriusq; Testamenti litteris confirmata: *Iubet æterna lex avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum convertere ad æterna.* Si lex æterna avertere amorem jubet, ergo citra controversiam non avertendo, hoc est,

Lib. 1. de lib. arbit. c. 15.

Digitized by Google

hoc est, eas amando peccatur. Peccatum enim, A juxta divi Augustini definitionem Theologorum omnium calculo comprobatam, non est aliud, nisi *factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*. Hujus igitur regulæ generalissimæ perceptuque facillimæ vestigijs insistens Augustinus, incunctanter docet, omnes hujusmodi amoris affectus, quibus homines inhærent rebus temporalibus, etiam in viris justis esse ligna, fœnum, stipulam, hoc est, peccata venialia, seu opera quæ ardebunt in die Domini, ut secundùm Apostolicam doctrinam quasi per ignem salvi fiant. *Sunt homines*, inquit, *omnino contemptores seculi hujus, quibus non est notum quicquid temporaliter fluit, non hærent dilectione aliquâ terrenis operibus &c. Sunt autem alij, qui rebus infirmitati concessis* (id est, licitis) *inhærent aliquantùm dilectione. Non rapit villam alienam, sed sic amat suam, ut si perdiderit conturbetur: non appetit uxorem alienam, sed sic inhæret suæ, sic miscetur suæ, ut modum non ibi teneat præscriptum tabulis, liberorum procreandorum causa. Non tollit aliena, sed repetit sua, & habet cum fratre suo judiciū. Talibus enim dicitur: Iam quidem omnino delictum est in vobis &c.* Ecce peccata justorum venialia, tamen amore commissa. Percurre animo omnium omnino rerum similium quamvis concessarum, hoc est, licitarum cupiditates: de omnibus quippe similis prorsus ratio est. Cùm ergo de contemptoribus talium rerum docuisset, eos aurum, argentum, lapides pretiosos, fundamento sive Christo superædificasse, de amatoribus earum sic subjungit: *Illi autem amantes res proprias, domos proprias, graviter conturbantur, fœnum, stipula, & ligna ardent. Habent ergo ligna, fœnum, stipulam super fundamentum; sed rerum concessarum, non illicitarum &c. Cùm dixeris: Amo possessionem istam, timeo ne pereat, & imminet damnum, & tu contristaris, non quidem præponis eam Christo &c. salvus eris tanquam per ignem.* Et inferius: *Sed tamen quia diligis illam, & contristaris si perdas illam, super fundamentum posuisti, non aurum, non argentum, non lapides pretiosos; sed lignum, fœnum, stipulam. Salvus ergo eris, cùm ardere cœperit, quod ædificasti; sic tamen quasi per ignem* Et ut de peccatis hujus amoris venialibus se locutum esse significaret, hoc est, de amore, quo quidem amantur res hujus seculi propter se, sed ita leviter, ut Christo magis amato non præponantur, neque ex amoris magnitudine in aperta scelera prosilire meditentur, sicut paulo antè exposuerat, statim adjicit: *Nemo enim super fundamentum hoc ædificans adulteria, blasphemias, sacrilegia, idololatrias, perjuria, putet se salvum futurum per ignem, quasi ista sint lignum, fœnum, stipula: sed qui ædificat amorem terrenorum super fundamentum regni cælorum, id est, super Christum, ardebit amor rerum temporalium, & ipse salvus erit per idoneum fundamentum.* Hic planissimè explicatum vides, D amorem cujuscunque rei secularis per ignem esse exurendum, etiamsi fuerit justus qui illo

Lib. 22. cont. Fausta. 27.

In Psal. 80.

Ibid.

Ibid.

amore teneatur, & nequaquam eam sic adamaverit, ut Christo duceret potiorem. Ipse enim talium amor per se vitiosus est, & exuri dignus, etsi nihil apertè facinorosum ex illo amore perpetretur. Amor autem hîc dicitur, ut suprà ab ipso Augustino declaratum est, cupiditas illa qua res quæpiam secularis propter se diligitur, ad nihil ulterius eam referendo; sicut à Christianis hujusmodi terrena bona diligi, & idcirco cum cruciatu amitti solent. Doctrinam istam sæpissimè repetit alijs locis. Nam in libris de Civitate Dei, cùm similiter secularium rerum affectiones voluptatesque improbasset, ut uxoris, cùm *secundum seculum carnaliter, secundum concupiscentiæ morbum* diligitur, *quod*, inquit, *secundum veniam concedit Apostolus*; & eas lignum, fœnum, stipulam esse docuisset, adjicit, eum per ignem salvum fore, quia *eorum amissione cruciabitur, quibus fruendo lætabatur &c.* B *Quod enim sine alliciente amore non habuit, sine urente dolore non perdet.* Et paulo pòst: *Si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum hujusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, & fœnum, & stipula consumantur: alij vero sentiant, qui ejusmodi secum ædificia portaverunt, sive ibi tantùm, sive & hic & ibi sive ideo hîc, ut non ibi, secularia, quamvis à damnatione venialia concremantem ignem transitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forsitan verum est.* Vbi, quod ait, forsitan verum est, non propter amores & affectiones hujusmodi rerum secularium dicit, quasi incertum esset eos esse *veniales* & *concremandos*; sed propter ignem per quem salvi fient, utpote quem non uno modo exponi posse profitetur.

Lib. 21. de Civit. 26.

Ibid.

Hinc ex ejusdem regulæ veritate Augusti- C nus delectationes, per quas homines dum rebus secularibus affectu inhærent, venialiter peccare solent, *Babylonicos amores* vocare solet. Domus enim, argentum, aurum, marmora &c. *desiderantur talia, sed adhuc ex confusione Babylonia. Amputa omnia ista desideria, ô civis Ierusalem, si vis redire.* Et in alium Psalmum: *Multi flent fletu Babylonico, quia & gaudent gaudio Babylonis, quia gaudent lucris, & flent damnis: utrumque de Babylonia est.* Vbi semper ad suum respicit principium, quo docet, omnium rerum temporalium amores esse cupiditatis non charitatis amores, & idcirco ex Babylonis confusione, non cælestis Sion inspiratione proficisci.

In Psal. 64.

In Psal. 136

Hinc ulterius hujusmodi delectationes & amores, quibus & justorum, sed infirmorum pedes secularibus rebus implicati detinentur, circumspectissimâ locutione non innocentes, sed velut innocentes vocare solet. Locus unus præclarissimus, ex quo omnis hujusce cupiditatis, seu amoris rerum quarumcunque creatarum culpabilis labes, de qua tam diu tractamus,

mus, intelligi poterit, integer asscribendus est, quo quisquis animi ab hujusmodi pestibus purgandi studiosus est, sine dubio delectabitur. Videbit enim, quò subvehat animum Christiana perfectio, & in quo luto diversorum tenuiculorum amorculorũ culpabilis infirmitas eum adhuc herere cõpellat: *Omnis anima*, inquit, *infirma in hac vita, quærit sibi aliquid terrenum ubi requiescat, quoniam intentionem laboris & mentis extenta in Deum difficile potest perpetuò tolerare. Aliquid sibi in terra conquirit, ubi requiescat* (nempe amore, seu delectatione, quę amoris velut motus animi requies est) *& quodammodo pausatione quadam recumbat; veluti sunt ista, quæ diligunt & innocentes. Neque enim de* CVPIDITATIBVS *malorum nunc loquendum est, quia multi acquiescunt in in theatris, multi acquiescunt in circo, in amphitheatro, multi acquiescunt in alea, multi in luxuria popinarum, multi in libidine adulteriorum, multi in violentijs rapinarum, multi in dolo & insidijs fraudum.* B *Acquiescunt in his omnibus homines. Quid est, acquiescunt? delectantur illic. Sed removeamus hæc omnia, ad innocentem hominem veniamus. Acquiescit in domo sua, in familia sua, in conjuge, in filijs, in paupertate,* (id est, exiguis bonis) *in prædiolo, in novellis manibus consita in ædificio aliquo suo studio fabricato.* Adde hic, si libet, in cibo & potu, in suavibus odoribus, coloribus, concentibus, alijsque carnis voluptatibus; in honoribus, gloriâ populari, scientiâ, & quæcunque tandem re animus infirmus acquiescit ac delectatur. Neque enim omnia recenseri prudentibus opus fuit. Iam addit: *Acquiescunt innocentes in his.* Ibid. *Sed tamen Deus volens nos amorem non habere nisi vita æterna, & istis* VELVT INNOCENTIBVS *delectationibus miscet amaritudines &c. Docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam stabulum amet pro domo.* Mox A vero addit, istas correptiones hominem agnoscere debere, *se propter peccata pati*; nempe quæ talium rerum velut innocenti cupiditate committuntur. Clamandum esse: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*: urentem secantemque medicum esse tolerandum, dum omnibus nos exercet tribulationibus, & *à peccato sanat. Non enim*, inquit, *errat ut sanum pro putri secet. Novit* Ibid. *quid inspiciat, novit* VITIVM, *quia ipse fecit naturam: quid ipse condidit, quid de nostra cupiditate successit, discernit.* Nihil apertius planiusque dici potuit. Omnes enim quantumcunque tenues etiam justorum cupiditates, per quas fatigatâ mentis intentione, qua suspendebantur in Deũ, deorsum in creaturis voluptatulas quasi innocentes aucupantur, vult esse vitiosas, resecandas, urendas, purgandas; & ab hujusmodi peccatis per tribulationes temporales animum esse vacuandum. Quòd si enim ullibi est sine culpa cupiditatis delectatio, ubi magis? Si uspiam animi in creaturis acquiescentis excusatio, quis non in istis justissimam esse fateatur? Nec enim facilè dari potest, ubi minùs amore rebus terrenis inhæretur, quàm ubi animus à terrenis tantâ in Deum extensione suspenditur. Et hæc de primo omnium affectuũ cardine, qui amor dicitur, non excluso filio ejus primogenito, qui vocatur desiderium, satis dicta sint. Adhibendus est enim aliquis modus. Nam alioquin non esset difficile, volumen pœnè integrum ex Augustino de ista veritate juxta doctrinam ejus indubitatâ concinnare. Iam igitur de filio amoris secundo genito, sed velut Ioseph pius omnibus dilecto, qui gaudium, seu delectatio, seu fruitio dici solet, aliquid apponendum est, ex quo longè uberiùs quidquid de amore diximus illustrabitur.

CAPVT XVI.

Secundus affectus animæ est fruitio. Quid sit. Creaturâ rationalis nullâ re creatâ frui potest secundùm doctrinam Catholicam.

MVLTI enim res illas se amare nesciũt, A vel etiam non amare se putant quibus amoris vinculo arctè colligati sunt, sed ex fruitione deteguntur. Amor enim sine fruitione, & fruitio sine amore intelligi nequit: cùm amor sit initium fruendi, & fruitio finis amandi. Nullus enim nisi rebus amatis fruitur; & nullus amat nisi res quibus frui velit. Ex quo fit, ut quemadmodum nulla fruitio est, nisi amore condiatur; ita nullus omnino amor sit, nisi in fruitionẽ feratur. Itaque Augustinus amoris definitionem tradens dicit: Amor *nihil est aliud, quàm voluntas fruendum aliquid appetens, vel tenens.* Et alibi: Lib. 14. de Trinit. c. 7. Tract 15. in Ioannem. *Fruuntur voluptate præcedente & præmissâ cupiditate. Nam qui non præmiserit cupiditatem, pervenire non potest ad voluptatem.* Amor enim velut fons absconditus fruitione prior est; fruitio velut fluvius aut lacus, in quem amor mergitur, amore manifestior est. Quapropter quid sit animum rebus amatis frui paulo diligentiùs exquirendum est. Eò quippe confusionis ventum est, ut quamvis humana vita rerum abjectissimarum fruitionibus plena sit, vix quisquam tamen se frui arbitretur, quia non sibi videntur in eis finem ponere.

Fruitionis igitur summa est cum amore vicinitas, usque adeo ut Augustinus fruitionis rationem explicans dicat: *Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas, obtinendum referre.* Lib. 1. de doct. Chris. Christ. c. 4. Quasi frui non esset aliud, quàm amare, seu amore rei inhærere. Nam si non inhæretur rei propter seipsam, propriè non amatur ipsa, sed aliud; sicut suprà explicatum est. Fruitionem tamen non esse propriè amorem, prout ille à fruitione distingui solet, sed fructum, & effectum, & finem ejus, alibi declarat manifestiùs,

 quando

Lib. 14. de Civit. c. 7.

quando dicit: *Amor inhians habere quod amatur, cupiditas est: id autem habens, eoque fruens lætitia.* Vbi magis indicat fruitionem esse de re amata & habita, quàm ipsum amorem. Amor enim, cum res abest, erumpit in desiderium, sive cupiditatem: cùm obtenta possidetur, in lætitiam sive fruitionem, tanquam effectum optatissimum, & veluti quietem sui motus, quo ad rem amatam desiderando ferebatur. Vnde amor ut suprà dixit, est *voluntas fruendum aliquid appetens, vel tenens*; quo significat, amorem non solùm aliquid absens fruendum appetere, sed etiam præsens fruendum tenere. Nimirum quia amor, re qua fruitur præsente, non desinit, sed quiescente cupiditatis motu lætiorem vultum induit. Quare alibi semper fruitionem explicat per voluptatem seu delectationem, quæ de rebus amatis obtentisq; capitur. Quod quidem sine amore non fit, non tamen nudo amore fit; sed quodam amoris effectu, quo in re adepta & amata quiescendo animus quodammodo diffunditur. *Nec ignoro*, inquit, *quod propriè fructus fruentu, usus vero utentis sit: atque hoc interesse videatur, quod ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per seipsam delectat: uti vero ea re, quam propter aliud quærimus.* Et in libro octoginta trium quæstionum: *Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem; utimur ea, quam referimus ad id unde voluptas capienda est.* Et in libris de Trinitate: *Fruimur cognitis in quibus voluntas ipsis propter seipsa delectata conquiescit: utimur vero eis, quæ ad illud referimus, quo fruendum est.* Evidens igitur est, tunc nos rebus amatis frui, cùm in eis obtentis cum quadam animi voluptate conquiescimus, neque de illis ad aliquid ulterius velut medijs ad desideratum finem referendis cogitamus. Si enim animus aliud respicit, quod rebus istis adipisci cupit, etiamsi cum aliqua delectatione habeantur, non eis fruimur, sed utimur, ut eo quod respicimus, perfruamur. Vnde hujusmodi mediorum dilectionem ac delectationem Augustinus aptissimo vocabulo vocat, *non mansoriam*, sed *transitoriam, tanquam viæ*, vel *tanquam vehiculorum*, quibus ad aliud pergimus, cui dilectione mansoriâ inhæreamus.

Lib. 14. de Trinit. c. 6. — Lib. 11. de Civit. c. 25. — Lib. 83. qq. q. 30. — Lib. 10. de Trinit. c. 10. — Lib. 1. de doctrin. Christ. c. 35.

His ita declaratis, indubitata sancti Augustini & Catholicæ religionis doctrina est, creaturam rationalem nullâ omninò re creatâ posse frui, sed solo Deo. *Res quibus fruendum est*, inquit Augustinus, *Pater, & Filius & Spiritus Sanctus est, eademque Trinitas*, quàm postea veritatē vocat: *Quapropter cùm illa veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter vivit, & in ea Trinitas.* Et post enumeratas res varias temporales, inter quas & Christi Domini dispensationem in carne transitoriam recensuerat; *In his igitur omnibus*, inquit, *rebus illæ tantùm sunt quibus fruendum est, quas æternas atq; incommutabiles commemoravimus. Cæteris autem utendum est, ut ad illarum perfruitionem pervenire possimus.* Vnde in eodem libro ex professo declarat, hominem non solùm alijs creaturis, sed neq; seipso, neq; proximo frui posse: quia nec seipsum propter seipsum, neque proximum propter ipsum diligere potest; sed

Ibid. cap. 5. — Cap. 10. — Ibid. cap. 21.

propter Deum. Hoc enim fruimur, quod propter seipsum diligimus, alioquin enim utimur: quo autem utimur, eo non fruimur. *Nec seipso*, inquit, *quisquam frui debet, si liquidò advertas, quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est.* Nam quamvis proximum quoq; diligere jubeamur, dilectio tamen ejus non in ipso hærere debet, sed in Deum propter seipsum dilectum tendere; ut ita Deo non proximo perfruamur. Hinc universarum Scripturarum compendium in hac sententia situm esse definit, ut Deum & proximum diligamus sed solo perfruamur Deo: *Omnium igitur quæ prædicta sunt, ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, ut intelligatur, legis & omnium divinarum Scripturarum plenitudo & finis esse dilectio rei, qua fruendū est, & rei, quæ nobiscum ea re frui potest.* Quod sicuti de dilectione manifestissimum est, ita de fruitione solius Dei ipsa dilectio invictâ ratione concludit. Hoc est enim diligere, ut suprà diximus, *aliquid ad fruendum appetere, vel tenere*: solus autem Deus diligendus est; ergo solus ad fruendum appetendus, & fruendus. Rursum, hoc est frui, *amore alicui rei inhærere propter seipsā.* Soli autem Deo propter seipsum inhærendum esse, fides docet; ergo & illo solo esse perfruendum. Quapropter ut in re inter Catholicos confessâ non diutiùs inhæreamus, potiùs ratio inquirenda est, cur eo solo perfruendum sit, & consequenter cur ille solus amandus: unū enim ex altero indissolubili vinculo religatum est. Suppeditat & istam Augustinus in eodē libro de doctrina Christiana: quia videlicet in eo, quod propter se diligimus, & quo frui volumus, beatitudo constituta est. Nec enim alia de causa diligitur propter se, vel ad fruendum expetitur, nisi ut beati simus: beatitudo autem creaturæ rationalis in solo Deo sita est; qui solus proinde propter se amandus, & ad fruendū appetendus est. *Quod propter se diligendum est*, inquit Augustinus, *in eo constituitur vita beata.* Et infra luculentiùs. *Dicimus ea re nos perfrui, quam diligimus propter seipsam: & ea re nobis fruendum esse tantùm, qua efficimur beati; cæteris vero utendum.* Et iterum: *Illa (res) quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adiuvamur, & quasi adminiculamur; ut ad illas quæ nos beatos faciunt, pervenire, atq; his inhærere possimus.* Quæ sanè omnia, & quòd solus sit per se diligendus Deus, & quòd illo solo perfruendū, luculentissimè præcepto illo Christianæ religionis capitali, primo, & indispensabilis obligationis, commendata sunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Cujus vim ineluctabilem explicat August., quando dicit: *Cùm ait: toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullā vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re frui velis* (nam hoc est frui velle, propter se diligere) *sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Nam & ipsam proximi dilectionem, quæ videbatur aliquid præter Deum diligi posse, *in illam dilectionem Dei* referendam esse declarat, *quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cuius derivatione minuatur.*

Ibid. c. 22. — Lib. 1. de doct. Christ. c. 35. — Lib. 1. de doctrin. Christ. cap. 22. — Cap. 32. — Cap. 3. — Cap. 22.

Ex hoc

Ex hoc ergo immobili principio, quod sine religionis Christianæ ruina cujusquam disputatione labefactari nequit, sequitur manifestè, omnem omnino fruitionem creaturæ, non minùs quam dilectionem, esse peccatum. Est enim contra æternam & indispensabilem legem, quę jubet, ut solum Deum propter se diligamus (hoc enim hîc vocamus diligere) eoque solo consequenter perfruamur. Neque minùs luculentè sequitur, omnem usum creaturæ, qui non refertur in Deum, esse peccatum. Si enim non refertur in Deum, necessariò vel in creatura ipsa, qua uti videmur, hæret, & ita est fruitio; vel ulteriùs in aliam creaturam distinctam tendit: quæ si sit ultima, eâ fruimur; si non ultima, eo tandem quod erit ultimum fruemur. Hoc est enim frui, *rei adeptæ propter seipsam amore inhærere.* Neque minùs manifestè tertium sequitur: Deo uti ad assequendum aliud, esse peccatum. Quo enim utimur, id ad aliud referimus: in quid autem aliud referetur Deus, nisi in creaturam, sive ipsum hominem utentem, sive aliam, cujus amore detinetur? Quæ si sit ultima, illamque diligit, fieri non potest quin illâ frui velit. Hoc est enim frui, voluntatem in re propter ipsam non ulterius pergendo *conquiescere.* Omnia vero ista tria inordinata & perversa esse, non est dubium. Quæ perversitas in omnibus peccatis reperitur, dum illis frui volumus, quibus utendum est; & illis uti, quibus fruendū est. Vnde illa regula vulgatissima probatissimaq; August. fluxit: *Nec est alia vita hominum vitiosa atq; culpabilis, quam malè utens, & malè fruens.* Quod clarius tradit in quæstionibus octoginta tribus: *Omnis humana perversio est, quod etiā vitiū vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui.* Et rursus: *Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti.*

Lib. 10. de Trinit. c. 10.

Quæst. 30.

Hinc igitur oritur, quòd sæpè culpet Augustinus omnem quietem & gaudium animi, quod in creatura ponitur: non enim amor & intentio in ea quiescere, sed semper in supremum impetus dilectionis quemcunque rerum usum rapere debet. Nam in illud Apostoli, *Nolite diligere mundum: non dixit*, inquit Augustinus: *Nolite habere, sed nolite diligere. Habuisti, possedisti, dilexisti. Amor rerum terrenarum viscum est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, hæsisti. Quis dabit tibi pennas ut columbæ? Quando volabis, ubi verè requiescas, quando hic, ubi malè hæsisti, perversè requiescere voluisti? Nolite diligere mundum, tuba divina est.* Nimirum quia, ut alibi dicit, *Non potest anima, nisi in eo quod diligit*, & per hoc, quod frui cupit, *requiescere.* Et in tractatibus in Ioannem: *Modo gaudium nostrum, fratres mei, in spe sit: nemo gaudeat quasi in re præsenti, ne hæreat in via. Totum gaudium de spe futura sit, totum desiderium vitæ æternæ sit.* Et in Psalmos: *Sola interiora* (id est, ut exponit, sapientia & verbum Dei) *diligenda sunt, cætera ad necessitatem utendum, non ad gaudium perfruendum.*

Serm. 33. de verbis Domini c. 5.

Serm. 18. de divers. c. 5.

Tract. in Ioannem.

In Psal. 4.

Ex isto igitur capite nascitur, quòd sæpissimè Augustinus vetat, ne beatitudinem ex temporalibus rebus aucupemur. Quicquid enim propter se amatur, ut eo velimus frui, in hoc, ut suprà audivimus, beatitudo collocatur. *Vt quid diligitis vanitatem, ut quid vultis beati esse de infimis. Sola veritas facit beatos: ut quid ergo temporalium rerum amore detinemini? Vt quid tanquam prima extrema sectamini, quod est vanitas & mendacium?* Et in libro de agone Christiano: *Nolite amare temporalia, quia si benè amarentur, amaret ea homo quem suscepit Filius Dei &c. Quis beatam vitam esse arbitretur in iis, quæ contemnenda esse docuit Filius Dei?* Nam amare seu diligere temporalia, non est aliud, quàm, ut paulo antè dixit, *iis ad gaudium*, sive ad beatitudinem velle *perfrui.* Hinc est, quòd instantissimè semper Augustinus docet ac monet, ut in usu rerum temporalium semper animus ad ulteriora transeat, nec unquam quiescat nisi perveniat usque ad Deum. Hoc enim non solum jubet disciplina Christiana, sed etiam ordo naturalis, quem lex æterna constituit. Perturbatur enim apertissimè ille ordo, si quis mediis velut fine perfruatur, si quis in via velut termino hæreat: quod profligatæ stultitiæ etiam in rebus infimis judicamus, nedum in illis supremis, ubi de tota hominis salute contenditur. Audi præclarissimum Augustini locum, quo plenissimè doceberis, hærere in quacunque creatura non tantum imperfectionem esse, ut molliculi, & Christianæ perfectionis, imo conditionis rationalis naturæ non satis gnari infirmitati blandiendo pollicentur, sed esse vitiosum, & corrigendum. *Quid est finis? Christus, quia Christus Deus, & finis præcepti charitas; & Deus charitas: quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unum sunt. Ibi tibi finis est & alibi via est. Noli hærere in via, & non pervenire ad finem. Ad quicquid aliud veneris, transi usquequo pervenias ad finem. Quid est finis? Mihi autem adhærere Deo bonum est. Adhæsisti Deo, finisti viam, permanebis in Patria.* Exemplum quæris, quo accuratius res tota capiatur? Accipe primum de pecuniis, hoc est de omnibus mediis ad salutem corporis necessariis, ne in illis conquirendis hæreas: *Intendite. Pecuniam aliquis quærit? Non sit ibi finis: transi tanquam peregrinus. Quære ubi transeas, non ubi remaneas. Si autem amas, per avaritiam implicatus es. Erit tibi avaritia catena pedum, ultrà progredi non potes; transi ergo & hoc, quære finem.* Accipe secundum, ne in salute corporis hæreas, propter quam pecuniæ quæri solent: *Salutem corporis quæris? Adhuc noli ibi remanere. Quæ est enim ista salus corporis, quæ morte perimitur, quæ ægritudine debilitatur, frivola, mortalis, fluxa? Quære illam, ne impediat fortè morbida valetudo opera tua bona. Ergo non est ibi finis; quia propter aliud quæritur. Quidquid propter aliud quæritur, non est ibi finis. Quicquid propter se, & gratis quæritur, ibi est finis.* Accipe tertium, ne in honoribus hæreas: *Quæris honores, fortè ad aliquid agendum quæris, ut peragas aliquid, ut placeas Deo. Noli ipsum honorem amare ne ibi remaneas.* Accipe quartū, ne in laudibus hæreas: *Quæris laudē? Si Dei quæris, benè facis: si tuam quæris, malè facis. Remanes in via. Sed amaris & tu, laudaris & tu, noli gratulari, quando in te laudaris; laudare in Domino, ut cantes: in Domino laudabitur anima mea. Sermonem*

Ibid.

Lib. de agone Christ. c. 11.

Tract. 10. in Epist. Ioannis.

monem aliquem bonum dicis, & laudatur sermo tuus, non laudetur quasi tuus, non est ibi finis: si ibi ponis finem, finiris: sed non finiris, quasi perficiaris, sed finiris ut consumaris. Ergo non laudetur sermo tuus, quasi abs te, vel quasi tuus. Sed quomodo laudetur? Quomodo dicit Psalmus: In domino laudabo sermonem &c. ergo transi & ipsam. Videte, fratres, quanta transivimus, in quibus non est finis. His utimur, quasi in via; quasi in mansionibus stabulorum reficimus, & transimus. Ubi ergo finis? Dilectissimi filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Non potuit exactiùs & palpabiliùs nobis exponere, quo modo in quibuscunque creaturis hærere vitiosum sit, quàm singulas percurrendo, in quibus homines hærere solent, & sine peccato se esse arbitrantur. Hinc de medijs ad proprium uniuscujusque finem referendis, & ipsâ vitâ tandem in Deum dirigendâ, luculentè alibi tradit; ubi cùm præmisisset, omnem humanam perversionem esse, quod etjam B vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui, fruendam verò intelligibilem pulchritudinem, per quam ipse pulchritudinem æternæ sapientiæ aut incommutabilis veritatis solet intelligere, de rebus utendis & ad fines suos tandemque in ultimum retorquendis ita loquitur: *Vtile quicquid est, utendo est utile, ita nemo utitur nisi utili. Non ergò utitur quisquis malè utitur. Perfecta igitur hominis ratio, quæ virtus vocatur, utitur primò seipsâ ad intelligendum Deum, ut eo fruatur, à quo etiam facta est. Vtitur autem cæteris rationalibus animantibus ad societatem, irrationalibus ad eminentiam. Vitam etiam suam ad id refert, ut fruatur Deo: ita enim beata est. Ergò & ipsâ utitur; quæ profectò inchoat miseriam per superbiam, si ad seipsam, non ad Deum referatur. Vtitur etiam corporibus quibusdam vivificandis ad beneficentiam; sic enim utitur suo corpore, quibusdam assumendis vel respuendis ad valetudinem; quibusdam tolerandis ad patientiam, quibusdam ordinandis ad* C *iustitiam, quibusdam considerandis ad aliquod veritatis documentum. Vtitur etiam ijs, à quibus se abstinet, ad temperantiam. Ita omnibus & sensis & non sensis utitur, nec aliquid tertium est. Iudicat autem de omnibus quibus utitur; de solo Deo non iudicat, quia secundùm Deum de cæteris iudicat; nec eo utitur, sed fruitur. Neque enim ad aliquid aliud Deus referendus est: quoniam omne quod ad aliud referendum est, inferius est, quam id ad quod referendum est.* Porrò nequis putaret, hunc ordinem utendi medijs ad suum quibusque finem, sine labe conscientiæ prætermitti posse, quamquam & in superioribus allegatis locis contrarium satis indicaverit, apertissimè alibi dicit: *His bonis, quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc propter quod instituta sunt, utitur, peccat, aliàs venialiter, aliàs damnabiliter; Quisquis verò eis propter hoc utitur propter quod data sunt, benè facit.* Sub illis autem bonis doctrinam, cibum, potum, somnum, conjugium, concubitum, & similia expressè numeraverat. Et nequis fortasse suspicaretur, satis esse, siquis propter proximos fines quibusque bonis uteretur, longè generaliùs alibi dicit, ubi rem illam ex professo docet. *Officium aliud est, quod faciendum est: Finis verò, propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Hunc autem finem esse ipsum Deum, statim adjicit; cui virtutes tam in hominibus, quàm in Angelis serviunt, à quo Angelis donantur & hominibus: *Cùm enim non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur iniusti.* Vnde ejusdem principij sui generalissimi filum sequens, juxta quod in nulla creatura hæreri potest, sed omnium omninò usus in Deum retorquendus est; utpote verissimum & unicum hominis & rerum omnium finem, propter quem Deus ipsemet cuncta condidit, generalissimè & clarissimè ita loquitur: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit* (id est, Deum verum, sicut præmiserat) *etsi officio videatur bonum, ipso* NON RECTO FINE PECCATUM EST. Itaque & alibi peccatum vocat *non solùm illud quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus: sed etiamsi habeat speciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat* (id est, intuitu cujuscunque boni temporalis) *non propter vitam sempiternam.* Quanto magis peccatum est, si non habeat speciem boni operis, sed carnalis, quo simpliciter in amore cujusquam boni temporalis conquiescit, non ut benè vel in speciem operetur, sed tantummodo ut aliquâ rei creatæ delectatione perfruatur? Et ut omnis omninò tergiversatio tolleretur, qua quis hujusmodi actus vel indifferentes vel imperfectos esse suspicari posset, & non tales, quibus conscientia læderetur, contra Faustum Manichæum disputans & de peccatis, & benefactis, ac de creatarum rerum usu & abusu ex professo tractans, doctrinali auctoritate definit: *In omnibus quæ humana infirmitas horret, aut timet, sola iniquitas iure damnatur: cætera sunt vel tributa naturarum vel merita culparum.* Vnde igitur illa merita culparum, illa iniquitas, quæ sola in hominibus jure damnatur? Audi Augustinum in eodem loco: *Fit autem homo iniquus, cùm propter seipsas diligit res propter aliud assumendas, & propter aliud appetit res propter seipsas diligendas. Sic enim, quantùm in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem lex æterna conservari iubet. Fit autem homo iustus, cùm ob aliud non appetit rebus uti, nisi propter quod divinitus instituta sunt: Ipso autem Deo frui propter ipsum, seque & amico (id est, proximo) in ipso Deo propter eundem ipsum Deum. Propter Deum enim amat amicum, qui Dei amorem amat in amico.* Ecce quod alibi sæpiùs inordinationem vocaverat, & perversitatem, utendis velle frui & fruendis uti, hîc nominat meritum culpæ & iniquitatem, quæ jure damnatur, propter seipsas diligere res propter aliud assumendas, & D è contrario, propter aliud appetere res propter se-ipsas diligendas: aperteque declarat, in eo justitiam esse sitam, hoc est bonum opus, cùm rebus non appetimus uti, nisi propter quod divinitus institutæ sunt. Hoc non est aliud, nisi id quod propter seipsum diligendum

Lib. 83. qq. q. 30.

Lib. de bono coniugali c. 9

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Ibid.

Ibid.

Lib. 22. cont. Faust. c. 78.

Ibid.

dum

dum & fruendum est. Et hoc ipsum declarat, & in superioribus crebrò declaravit, esse Deum quo fruendum est propter ipsum: *Quod enim propter se diligitur, in eo constituitur vita beata: ea re fruendum est qua efficimur beati; cæteris verò omnibus utendum.* Nam istis, *quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur ut ad illas, quæ nos beatos faciunt* (id est, ad Deum) *pervenire, atque his inhærere possimus.* Sub quo genere totus creaturarum ordo comprehenditur. Quæ de causa ex ejusdem legis immutabilis & æternæ præscripto, *quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat*, quæque nisi faciendo, dicendo, concupiscendo violetur, nullum peccatum est, & si violetur, sine excusatione peccatur, fidentissimè clamat, inculcatque Augustinus: *Jubet æterna lex avertere amorem à temporalibus*, nempe quibuscunque, *& eum mundatum ad æterna convertere.*

CAPVT XVII.

Iusti in peccatis venialibus fruuntur, non utuntur creaturâ.

QVIS jam sobriæ voluptatis & castissimæ veritatis amator audeat dicere, non esse peccata solius, voluptatis causâ cum uxore concumbere, sensus externos saporibus delicatis, gratis odoribus, harmonicis concentibus, ridentibus coloribus, & artificijs, solius voluptatis appetitione mulcere? laudibus, honoribus, gloriæ dignitatumque splendoribus quantumcunque exiguis propter ipsa delectari? Pecunias, hoc est, quæcunque commoda terrena propter ipsa diligere, prædiolis, hortulis, structuris, piscationibus, venationibus, & hujusmodi infinitis; quasi innocentibus quarumcunque temporalium rerum voluptatibus, quibus humana vita etiam justorum velut in lectulo requiescit, incumbere, non propter aliud, quàm quia infirmis animis delectabiles sunt? In omnibus enim istis, quæ recensere longum est, ordo naturalis perturbatur, quem lex æterna conservari jubet, perturbari vetat; dum rebus, quas diligunt, propter aliud assumendis propter ipsas frui volunt: atque in via tanquam per seipsam delectante hærent, qui per illam non nisi in patriam deberent tendere. An fortè non est hoc utendis frui? Non est hoc actionis finem constituere, dum nihil nisi actio, quæ infirmos nos delectat, intenditur? Illud enim hîc supponimus. Quid verò vel pecudes aliud, si loqui possent vocarent frui, quàm cum uxore seu femella voluptatis tantùm causâ inire concubitum? Et quid aliud finem voluntatis actionem constituere, quàm nihil præter actionem, seu voluptatem ejus quærere? Si enim aliud concumbendo quærit, jam concubitus non est finis, nec illum diligit, sed aliud per illum assequendum diligit. Itaque quamvis finis ultimus totius hominis alius esse possit, quàm concubitus, & plerumque sit; finis tamen istius singularis voluntatis tantùm concumbendi non est alius, quàm concumbere, seu concumbendi voluptate frui; ut sic generalis ista voluntas, qua quisque vult beatè vivere, istâ voluntate aliqua ex parte compleatur. Quod ita manifestè S. Augustinus docet, quasi hoc probandum ex professo suscepisset. Nam de voluntate videndi disputans, quæ visionem potest vel ad aliud referre, ut sit medium, seu finis medius, vel in ea quiescere, ut sit tantùm finis, ita loquitur: *Non itaque omnino ipsa voluntas hominis, cuius finis non est nisi beatitudo, sed ad hoc unum interim, scilicet subiectum, voluntas videndi finem non habet nisi visionem, sive id referat ad aliud, sive non referat. Si enim non refert ad aliud visionem, sed tantum voluit ut videret, non est disputandum, quomodo ostendatur finem voluntatis esse visionem, manifestum est enim. Si autem refert ad aliud, vult utique aliud, nec iam videndi voluntas erit.* Nimirum quia hoc dicimur velle, seu diligere, quod intendimus; non id sine quo non possumus assequi quod intendimus; hoc enim, sicut amara medicina, ab invitis sæpè suscipi debet. Quod si hoc de visione, quæ non ad aliud refertur, ita manifestum est Augustini, imo cujuslibet sanæ mentis judicio, ut neque disputari debeat, profectò etiam de concubitu voluptatis dumtaxat causâ inito manifestum est. Et si de illo perspicuum est, non aliud esse finem ejus nisi voluptatem, qua ex aliqua parte beari cupit, profectò de omnibus omnino similibus usitatis etiam justorum hominum delectationibus quasi innocentibus; quas paulo antè & superiùs ex Augustino recensuimus; perspicuum est, non alium eorum esse finem, quàm in illis terrenis & quasi innoxijs voluptatibus requiescere, & in eis quiescendo, frui. Si enim propter aliud hujusmodi operationes appetunt, jam extra limites hypothesis nostræ sunt.

Hæc ergo ratio est, cur Augustinus, quando etiam à justis in temporalibus quibusvis bonis aut delectationibus finem collocari aut quiescere, aut illis bonis frui vetat, plerumque solet inculcare, ut ab illis bonis ulteriùs in Deum animus transeat. Nimirum ut lector intelligeret, tunc se frui, tunc in terrenis conquiescere, tunc ut finem illa concupiscere, tunc cupiditate peccare, cùm eis ita inhæret animus, ut non per illa transeat ad diligendum Deum. De quo initio nonnulla testimonia producta sunt. Hunc enim transitum velut fruitioni prorsus repugnantem commendat in libris de Trinitate; ubi cum dixisset, *non esse constituendum finem in bonis talibus*, nec in ea *detorqueamus beatitudinem* id est, fruitionis *appetitum*, statim adjicit ejus oppositum: *sed ut quis-*

quid in usu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiscendorum contemplatione faciamus, per ipsa transeuntes, illis inhærentes. Et in alio libro de Trinitate: *Verbum amore concipitur, sive creaturæ sive creatoris, id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate, aut charitate. Non quod non sit amanda creatura: sed si ad creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit.* Ex quo infallibili consecutione sequitur, cùm amor ille non refertur ad creatorem, necessariò manere cupiditatem, hoc est, vitiosam & culpabilem fruendi cupidinem. Necesse est enim, si non refertur amor iste ad creatorem, creaturam amari propter se: qua de causa subjicit: *Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura, tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.* Et in libro undecimo de Trinitate: *Anima rationalis deformiter vivit, cùm secundum Trinitatem exterioris hominis vivit, id est, cùm ad ea quæ forinsecus sensum corporis formant non laudabilem voluntatem, qua hæc ad utile aliquid referat, sed turpem cupiditatem, qua his inhærescat, accommodat.* Et paulò inferiùs eundem transitum in superna, urget ut necessarium. *Nisi pars maxima voluntatis in superioribus atque interioribus habitet: eaque ipsa* (voluntas) *quæ commodatur sive foris corporibus sive intus imaginibus eorum, nisi quicquid in eis capit ad meliorem verioremque vitam referat, atque in eo fine, cujus intuitu hæc agenda judicat, acquiescat, quid aliud facimus, nisi quod nos Apostolus facere prohibet, dicens: Nolite conformari huic sæculo.* Ecce neque cogitatio in rebus cogitandis hærere potest, nisi ad veriorem æternamque vitam referatur, juxta præceptum Apostolicum; quanto minùs amor, & externa actio. Et in libro decimo quinto de Trinitate: *Ad quam summam Trinitatem videndam, diligendam, ut eam recordetur, eam contempletur, eâ delectetur, totum debet referre quod vivit.* Hunc transitum & in libris Confessionum prædicat: *Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent tu ei displiceas.* Hunc commendat & in Psalmos: *Ama*, inquit, *& hæc, sed plus illum ama, & hæc propter illum ama.* Sed omnium elegantissimè transitus iste à creaturis commendatur, & fruitio earum prohibetur, totusque status animi, qualis erga res omnes propter hominem creatas esse debet, pulcherrimâ brevitate depingitur in meditationibus: qui locus ab omnibus casti amoris dilectoribus medullis animi insculpi mereretur: *Si autem ista diligis, ut subjecta dilige, ut famulantia dilige, ut arrham sponsi, ut munera amici, & beneficia Domini: sic tamen ut memineris semper, quid illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illum, nec ista cum illo, sed ista propter illum, & per ista illum, & super ista illum diligas.* Ecce quid anima rationalis debeat Deo; Ecce, quid sit quiescere; Ecce, quid sit hærere, quid transire à creaturis in Deum; Ecce, quid sit frui creaturâ, vel creatore. Qua de causa Augustinus pro ista dilectione creaturæ, quæ non hæret, sed transit in creatorem ejus proprium, ut suprà diximus vocabulum excogitavit, ut eam vocaret, *dilectionem transitoriam tanquam viæ*; alteram verò, quæ fruendo inhæret creaturis, *dilectionem mansoriam.* Cujus differentiæ consideratione facilè est unicuique purgatissimæ charitatis amatori, animum suum erga creaturas occupatum explorare, utrum hæreat, an transeat; utrum per illas in Deum evolet, an viscum aliquod cupiditatis pennis adhæreat; utrum utatur, an fruatur.

Lib. 9. de Trinit. c. 7. & 8. — *Lib. 11. de Trinit. c. 2.* — *Cap. 5.* — *Lib. 15. cap. 20.* — *Lib. 4. Confess. c. 12* — *In Psal. 144* — *Lib. 1. de doct. Christ. cap. 33.*

Nec verò miretur aliquis, quòd animum etjam justorum in rebus istis levioribus velut fine posse requiescere, nec tamen mortaliter peccare statuamus. Quod enim apud multos Theologos usitatè & quasi solemniter dicitur, tunc peccari mortaliter, quando constituitur in rebus creatis finis; vel juxta divi Augustini principia jam declarata planissimè negari, vel alio modo explicari debet. Quis enim negare potest, peccatorum illorum venialium, quæ intrinsecè mala sunt, nec ad aliud omninò bonum relata, imò nec referri nata, solâ pravæ illius voluptatis libidine committuntur, finem ultimum non esse Deum? Si non est Deus, ergò creatura. Et quæ alia, nisi ipsa voluptas, quæ peccando quæritur? Ergò in ea finis constituitur, neque tamen propterea mortale peccatum fit. Quis enim dixerit, sive justum, sive peccatorem, sive etjam infidelem, cui ignotus Deus, si in re levissima mentiatur, inaniter garriat; pauca pira cum Augustino furetur, idcircò læthiferi peccati fore reum, si non in Deum referat velut ultimum finem, sed in ipsa sola & nuda mentiendi leviter, inaniter garriendi, & furandi voluptate remoretur? Quod in similibus omnibus peccatis levioribus infidelium, & aliorum gravium peccatorum, quibus nulla de Deo est cogitatio, locum habet. Nemo enim istorum in peccando venialiter finem ultimum sibi ponit Deum; sed vel peccatum ipsum, vel aliud creatum bonum: & quamvis Deum sibi finem actionis constitueret, perinde gratum faceret Deo, ac si mactaret filium in conspectu patris. Quòd si ergò Theologi isti volunt, tunc semper peccari mortaliter, quandocunque finis ultimus actionis alicujus, ultra quem non transit animus, est creatura; regula fallacissima est, & innumeris exemplis falsa probari potest. Sed intelligi debent, tunc esse peccatum mortale, cùm finis non tantùm actionis, sed ipsius hominis est creatura; cujus videlicet animus ita erga creaturam intentam affectus est, ut eam etjam Deo vetanti præferat. Nam quantumvis voluptas licita sit, & sine peccato admitti possit, si tamen ita diligatur, ut cupiditati suæ imperanti, quàm Deo vetanti homo parere malit, mortale peccatum sine dubio perpetrabitur. Quod tamen non inde provenit, quòd illius actionis voluptas finis sit, vel quod voluptas tanquam finis actionis appetatur ac diligatur; sed quòd ex dilectionis magnitudine ipsi Deo præferatur. Nam sive multùm sive parùm voluptas actionis diligatur, modus eam solam & unicam appetendi, vel ad alium ulteriùs finem referẽdi prorsus idem est, quamvis

quamvis animus appetentis non sit idem. Vnus quippe in eo finem quidē istius actionis ponit, sed Deo magis dilecto postponit, usque adeò ut si Deo graviter displicere judicaret, statim actum & voluptatem abrumperet: alter verò in eo finem similiter quidem ponit, sed Deo minùs dilecto vel omninò non dilecto præponit. Hoc est, fervor diligendi sive Deum sive creaturam diversus est; modus diligendi & in eam ferendi non est diversus: seu, ut Recentiores impropriâ & excogitatâ phrasi loqui malunt, habitu utitur creaturâ propter Deum, non actu. Quòd si non utitur actu, quid ergò dicendum est actu facere, nisi frui, cùm inter uti & frui in homine deliberatè operante, inter referre aliò & non referre, non detur medium? Quę quidem phrasis sine dubio idcircò ab eis inventa est, ne peccantem venialiter creaturâ frui fateantur. Quasi verò habitu, non actibus dicendi simus uti vel frui; vel ista duo ex habituali animi constitutione, quæ nihil in actum hîc & nunc elicitum influit, & non ex actuali voluntatis intentione, hoc est, hæsione vel transitione pendeant. Quicunque enim rei creatæ diligendo sic inhæret, ut eam tamen aliò referat, secundùm fundatissimam, & ut clamat aperta ratio, verissimamq; Augustini doctrinam, utitur, non fruitur: sin ad nihil aliud spectat animus quod ejus ministerio assequi cupiat, fruitur non utitur, quicunque tandem fuerit diligentis vel utentis animus. Ille quippe efficere poterit, ut utendo vel fruendo mortaliter vel venialiter peccet, dum eam præponit vel postponit Deo; non tamen, ut actu illis modis minùs propriè fruatur vel utatur.

Hinc est igitur, quòd Augustinus constantissimè semper doceat, etjam justissimos homines quibusdam rerum creatarum amoribus seu cupiditatibus esse devinctos, quarum ablatione cruciantur. Amor autem apud Augustinum essentialiter fruitionem respicit, cum non sit aliud amor, ut jam suprà crebrò repetitum est, quàm *voluntas fruendum aliquid appetens vel tenens*: nec frui aliud, quàm *amore alicui rei inhærere propter seipsam*. Ex quo fit, ut magnitudinem & parvitatem amoris, quo etjam justi creatis rebus inhærent ut eis perfruantur, semper ex carendi facilitate vel difficultate metiatur. Voluntas enim utendi non animos astringit rebus utendis, sed fruendis: his enim per amorem inhæremus, illis sine amore earum utimur, ut ad amatas delicias pertingamus. De justis enim loquitur quando dicit: *Infirmiores qui terrenis his bonis, quamvis ea non præponerent Christo, aliquantulâ tamen cupiditate cohærebant, quantùm hæc amando peccaverant, perdendo senserunt. Tantùm quippe doluerunt, quantùm se doloribus inseruerunt.* De justo loquitur, quando dicit: *Vir sanctus temporalia non diligit* (id est, non diligere debet) *sed rectè utitur* &c. *Plerumque cum adsunt nobis, putamus quòd ea non diligamus; sed cùm abesse cœperint, invenimus qui simus. Hoc enim sine amore aderat, quod sine dolore discessit.* De justo loquitur, quando

Lib. 1. de Civit. c. 9.

Lib. de vera Relig. c. 47.

loco amoris, qui fruitionis verus & unicus fons est, ipsam fruitionem creaturæ justæ apertè tribuendo dicit: *Ac per hoc ei qui ædificavit erit ædificatio ista damnosa; quia non habebit quod superædificavit, & eorum amissione cruciabitur, quibus fruendo utique lætabatur: sed per hunc ignem salvus erit* &c. De justo loquitur, quando paulò antè amorem terrenorum fruitionemque conjungens dicit: *Si enim ei* (Christo) *nihil talis affectionis* (amoris carnalis) *voluptatisque præponat, quamvis superædificet lignum, fœnum, stipulam. Christus est fundamentum.* Cujusmodi sententijs Augustinus plenus est. Nam ubique cupiditatem seu amorem rerum quarumdam temporalium, quo non propter Deum, sed propter ipsas diliguntur, & fruitionem proprissimè dictam, utpote quam essentialiter amor respicit, etjam justis tribuit; cujus vinculi diruptione cruciantur, uruntur, purganturque à peccatis venialibus, quæ diligendo creaturas, fruendoque commissa sunt; ut ita per ignem salvi fiant. Qua de re [a] liber de Civitate Dei, [b] Enchyridion ad Laurentium, [c] Commentarius in Psalmos, & [d] alia multa loca consuli possunt. Et in omnibus istis locis & alijs plurimis, semper inter justorum impiorumque cupiditates quibus diligunt temporalia, & ijs frui appetunt, illam differentiam statuit, quod quamvis utrique res frivolas diligant, illi magis diligant Christum; isti minùs: illi Christum tanquam fundamentum ædificationis præponunt temporalibus; isti temporalia fundamento: unde illi per ignem salvi fiunt; isti pereunt. Nunquam autem vel in mentem Augustino venit, quantùm ex scriptis colligi potest, quòd impij frui temporalibus dicendi sint, justi dumtaxat uti similibus rebus, quarum amore vinciuntur. Sed & verba ipsius passim repetita, & omnia principia ejus, & ratio, & natura amoris, quæ essentialiter gaudium sive fruitionem sicut motus terminum & quietem respicit, contrarium clamant.

Ibid.

Ibid.

a Lib. 1. de Civit. c. 9. & 21. c. 26
b Enchyr. cap. 68.
c Expos. 2. in Psal. 29. & in Psal. 80
d Serm. 121 de divers. cap. 9. &c.

Hinc est quòd August. eodē illo loco, ubi ex professo fruendi, & utendi definitionem, quam suprà promplimus, tradit & hominem inter res utendas & fruendas (id est, inter Deum atque creaturas temporales) veluti medium à Deo constitutum esse declarat, apertissimè dicit hominem fruendo rebus utendis aliquando deflecti à cursu in patriam atque revocari, aliquando tantum impediri ac retardari; quorum illud impijs atque sceleratis, hoc justis competit: *Nos qui fruimur & utimur inter utrasque constituti, si eis quibus utendum est frui voluerimus,* IMPEDITVR *cursus noster, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum est, obtinendis vel retardemur vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti.* Vbi utrisque quidem fruitionem tribuit, sed istam apertissimam differentiam inter fruitionem justorum & sceleratorum statuit, inter peccata fruendi venialia atque lethalia; quod justos fruitio temporalium ab itinere, quo in patriam tenditur, impediat atque remoretur; impios verò deflectat ac revo-

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 3.

ac revocet. Quapropter ut qualis esset fruitio justorum, qua fruuntur temporalibus, quæ ad subsidium itineris data sunt, quivis vel imperitissimus intelligeret, nec sibi imaginaretur, eos tantum frui qui Deum deserunt, & omnem spem patriæ consequendæ abjiciunt, pulcherrimam comparationem ex itinerantibus profert: *Quomodo ergò si essemus peregrini, qui beatè vivere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione utique miseri & miseriam finire cupientes in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset, ut ad patriam qua fruendum est pervenire valeremus: quòd si amœnitas itineris & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, conversi ad fruendum his quibus uti debuimus, nollemus citò viam finire, & perversa suavitate implicati alienaremur à patria, cuius suavitas faceret beatos: sic in huius mortalitatis vita peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus, ubi beati esse possumus, utendum est hoc mundo, non fruen*dum &c. Quæ comparatio pro justis propriè data est. Illi sunt enim propriè, qui vehiculis tanquam subsidijs à Deo datis, id est, rebus licitis; im-

Lib. 1. de doctrina Christiana cap. 4.

A pij verò rebus illicitis atque vetitis delectantur: illi amoribus aliquibus mitioribus implicati, *citò finire* viam nolunt; isti nunquam volunt. Sed hæc de fruitione justorum satis sint, quæ paulò prolixiùs tractanda videbantur, ut Lector intelligeret, quid sit frui rebus temporalibus seu creaturis, neque fruitionem amoremque sic à justis alienaret, ut quantumcunque carnis aut oculorum aut superbiæ voluptatibus diffluant, non illos frui rebus, sed uti putet. Ut denique sciret, quis status animi erga creaturas nobis sacrarum Scripturarum & sublimissimi Augustini auctoritate cōmendetur. Qua in re qui hallucinatus fuerit in innumeros vitæ errores, qui malè utendo fruendoque committuntur, necessariò pertrahetur. Non tam dura est hæc doctrina, quàm perfecta; nec ejus veritas implentis infirmitate, sed jubentis auctoritate, æternaque legis æquitate metienda est. B Nunc breviter aliquid de ceteris animi affectibus in creaturas exercendis vel comprimendis adjiciamus.

CAPUT XVIII.

Reliqui affectus animæ circa creaturam cujusmodi sint, & esse debeant.

SI enim vera sunt quæ de amore diximus, facilis est de ceteris affectibus resolutio. Amor est enim velut cardo ceterorum affectuum, à quo omnes ita pendent, ut sine illo esse non possint. Quis enim desideret quod non amat? Quis de rebus nisi amatis gaudeat? Quis oderit nisi quod rebus amatis adversatur? Quis malum nisi rebus amatis metuat? Quod in singulis affectibus similiter ostendi potest, sicut Augustinus in libro octoginta trium quæstionum quæstione trigesima tertia declarat. Nam uti fons absconditus per diversas venas pro terræ conditione erumpere solet, ita & amor pro diversa rei amatæ conditione, diversos animi motus parturit, & varios vultus induit. Omninò enim pro varietate rerum quæ diliguntur sicut amor allicitur, vel offenditur aut periclitatur; ita in hos vel illos affectus mutatur & vertitur. Ex quo fit, ut Augustinus hos ipsos diversos motus subinde nihil aliud esse definiat, quàm amorem qui diversis perturbetur modis. *Amor*, inquit, *inhians habere quod amatur, cupiditas est*: (hoc est, desiderium) *id autem habens eoque fruens, lætitia: fugiens quod ei adversatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia est.* Ad quem modum similis omnium affectuum descriptio excogitari potest. Amor erectus ad assequendum quod amatur, spes est: dejectus ab assequendo, desperatio: abominans malum quod sibi advertatur, odium est: insurgens ad repellendum, ira. Cujusmodi definitiones si in sensu formali fortasse non sint veræ, in sensu causali sunt verissimæ. Evi-

Lib. 14. de Civit. c. 7.

A denter enim declarant, non posse motus illos nisi ab amore proficisci. Quemadmodum igitur corrupto fonte necesse est aquas ex eo vitiatas fluere; ita si amor vitiosus est, motus omnes ab eo prodeuntes vitiari necessarium est. Habet enim respectu motuum illorum quandam cum intentione similitudinem; quæ si perversa fuerit, quicquid ex ea nascitur & suscipitur vitium trahit: Unde Augustinus cùm cupiditatem, lætitiam, timorem, ac tristitiam amoris esse docuisset, statim adjicit: *Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus.* Fieri enim non potest, ut qui malè amaverit, benè ex illo amore cupiat, benè speret id quod amat, eoque benè fruatur: bene oderit vi amoris illius oppositum malum, vel benè irascatur, & sic de ceteris. Ibid.

Ex his ergò manifestum est, non solùm amorem ac lætitiam sive fruitionem, sed omnes etjam ceteros affectus animi, qui ex amore B rei temporalis emanant, esse vitiosos. Inficiuntur enim ab amore vitiato, ex quo fluunt. Ex quo necesse est, ut cujus amor transitorijs rebus affixus & illigatus est, illas & absentes cupiendo, sperando, ac desperando, & præsentes perfruendo, & malum oppositum odiendo, & fugiendo, & per iræ motus repellendo, & se per justitiam affligendo delinquat. Amor enim ille vitiosus in omnibus illis motibus dominatur: qui sicuti peccabat rem temporalem amando, cupiendo, fruendoque; ita peccat quibusvis alijs motibus se juvando.

Ex isto igitur fonte nascitur, quòd Apostolus

d by Google

1. Cor. 7. stolus de tristitia dicit: *Seculi tristitia mortem operatur*; nimirum quia seculi amor mortem operatur: & simili omninò modo dicere potuisset: seculi gaudium, seculi spes &c. mortem operatur. Hinc Augustinus: *Nequitia est mundum istum diligere & ea quæ nascuntur & transeunt pro magno habere, & ea concupiscere, & pro his laborare ut acquirantur, & lætari cum abundaverint, & timere ne pereant, & contristari cum pereunt*, & ijs irasci, quorum operâ pereunt. Quapropter quicunque motus illos correctos & rectos habere volet, amorem corrigat necesse est. Nam ubicumque amor rei alicujus temporalis extinctus fuerit, ibi continuò & absentis cupiditas, & præsentis lætitia, & periclitantis metus, & amissæ tristitia, & spes, & ira, & ceteræ perturbationes, quas amor ejus parturit, extinguentur. Et quia plerumque amor, nisi multùm ferveat, & ipsâ flammæ & fumi magnitudine sese prodat in visceribus animi, & nescio quibus anfractibus occultissimus latet, ut oculos hominis semetipsum curiosissimè explorantis subterfugiat; ad alios affectus oculi convertendi sunt, qui tanquam notiores, magisque sensu perceptibiles & minùs vafri, simpliciùs ac sinceriùs clamare solent, ex qua radice pullulent. Ita quemadmodum sursum ascendendo ex rivo fontem deprehendimus; sic ex alijs animi perturbationibus amorem, unde nascuntur. Et hoc est, quòd Augustinus dicit: *Plerumque cum adsunt nobis temporalia, putamus quod non ea diligamus: sed cum abesse cœperint, invenimus qui simus; hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore nostro discedit*. Ita dolor amissi boni est testis amati. Quod simili omninò consideratione de ceteris quoque affectibus dici potest. Non enim sentimus, sine quibus rebus esse aut æquo animo aut ægrè possimus, nisi cùm vel absuerint, vel jam possessæ auferuntur, vel periclitantur; vel obtineri nequeunt. Tunc enim amor non amplius seipsum dissimulare potest: tunc erumpit in cupiditatem, in tristitiam, in metum, & similes pro circumstantiarum diversitate motus. Vnde Augustinus de amoris explorandi modo disserens; *A voluptatibus carnis*, inquit, *& a curiositate supervacanea cognoscendi, video quantum assecutus sim posse refrenare animum meum, cum eis rebus careo, vel voluntate cum absunt, vel necessitate cùm desunt. Tunc enim me interrogo, quam magis minusve mihi molestum sit non habere*. Fieri enim nullo pacto potest, ut si amore homini velut membra conglutinata sint sine molestia divellantur. Et hæc de ceteris affectibus ex amore promanantibus satis.

Lib. de agone Christi, c. 13. — Lib. de vera Relig. c. 47. — Lib. 10. Confess. c. 37.

CAPUT XIX.

Ratio à priori cur illicitus sit amor cujusvis creaturæ propter ipsam.

IAm verò operæ pretium est considerare, quæ ratio esse possit, quòd sine peccato non possit creaturæ rationalis amor hærere in creatura; sed eum in creatorem retorquere necessarium sit. Non hic rationem quæro, quæ ex præceptis Dei positivis petatur; *Nolite diligere mundum; Nolite conformari huic seculo: Diliges Dominum Deum tuum* &c. Quæ ex Scripturis undique sonant, & in præcedentibus prolata sunt; sed rationem, quam ipsa rerum natura legis æternæ stabilita veritate suppeditet, & cui ista præcepta Dei positiva nitantur. Hæc verò mihi non videtur alia, quàm quòd illa sit naturalis creaturæ rationalis conditio, ut naturæ ordine infra Deum, juxta creaturas alias rationales, & supra corporalem collocata sit. Infra Deum quidem tanquam naturalem Dominum & Creatorem suum, à quo habet ut sit, & sine quo non potest habere ut bona sit: juxta creaturas rationales tanquam pares & socias suas: supra corporalem tanquam naturâ inferiorem, voluntati necessitatique rationalis naturæ famulantem. Hic ordo æternæ legis incommutabili veritate constitutus, & ipsis naturis rerum profundissimè infixus est: qui proinde sicut ab increata ratione & voluntate tanquam æternâ lege sancitus est; ita & à creata ratione & voluntate servari debet, nec nisi perversâ & peccante voluntate perturbari potest. Lex enim æterna non est aliud, quàm illa eadem increata *divinaque ratio vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans*. Ordo autem ab omnibus rebus servatur amoribus velut ponderibus: *Pondus enim*, ut Augustinus, *est impetus quidam cuiusque rei conantis ad locum suum*, Sic enim ignis, & aër sursum; aqua, & tellus deorsum, pondere unumquodque nititur, ut in loco sibi divinitus constituto servet ordinem suum: quò nisi pervenerint, tanquam minùs ordinata, inquieta sunt; si pervenerint, ordinantur & quiescunt. Pondus autem creaturæ rationalis est amor ejus. *Amor meus*, inquit ille, *pondus meum; illo feror quocunque feror*. Quod usque adeò verum est, ut pondera rerum potiùs amoris, quàm amor ponderum effigiem gerat; & illud potiùs illum, quàm iste illud imitetur. Deus enim cùm universas mundanæ machinæ creaturas ordinatissimè conderet, omnia non solùm *in mensura, & numero*; sed etiam *in pondere disposuit*, quo in suum quodque locum tenderet: ideò à creatura rationali, tanquam à sibi proxima incipiendo ordinem pondus ei voluntatis & amoris impressit; ubi appareret, quanti quidque in appetendo, fugiendo, præponendo, postponen-

Lib. 22. cont. Faust. c. 27. — Enarr. 1. in Psal. 29. — 13. Confess. cap. 9.

ponendoque penderetur. Sed cum creatura corporalis amoris velut rationalis impulsûs non esset capax, pondus ei loco amoris datum est, juxta illud: *Velut amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur*: ita enim corpus, *sicut animus, amore fertur, quocumque fertur*. Et istius ponderis impulsu decentissimus creaturarum omnium corporalium ordo servatur, ut quo quidque gravius leviusve fuerit, eo inferiorem superioremve locum summo conatu petat, & in eo velut suæ naturæ gaudio conquiescat. Quod nisi fieret, summa rerum corporalium esset perturbatio, & perturbati ordinis perversitas, quam velut antiquæ confusionis chaos meritò sapientiæ judicium improbaret. Cùm igitur ille proprius, si naturam spectes, creaturę rationalis esset locus, ut tota quasi in medio inter increatam & corpoream naturali ordine collocata consisteret, pondus amoris ei infusum est, cujus impetu tributum sibi divinitus ordinem peteret, adeptumque tueretur. Amoris enim illa natura est, ut amantem rebus amatis subijciat & inferiorem faciat. Quod enim amatur, dominatur animo, & imperiosâ quâdam potestate servire, & facere amantem cogit quodammodo quicquid jubet. Ex quo nascitur, ut amator quibuslibet rei amatæ perturbationibus perturbetur, diversisque vultibus ejus, vultum suum ineluctabili tractu (nisi amoris jugum excutiat) aptare cogatur. Hinc ejus præsentiâ lætatur, absentiâ cruciatur, periculis angitur, zelo uritur, & in omnes affectus pro re nata mutatur & vertitur. Vnde hoc, nisi ex illo amoris imperio, quo in amantem animum velut inferiorem atque subjectum res amata dominatur, eumque in seipsam veluti superiorem legibus amoris velut ponderis quo feratur, ordinat? Cùm igitur sola veritas immutabilis, quæ verus Deus est, sit ratione & rationali creaturâ superior, illi soli sicut naturæ lege subjecta est, etjam amoris pondere subijci & servire debet. Quod si facit recta, justa, virtuosa est, & in genere suo optima, & ordinatissima, cùm virtus sit creaturæ rationalis optimus status; & virtus non sit aliud, ut Augustinus, quàm *ordo amoris*; & per amorem velut pondus anima in ista naturæ suæ medietate, infra supremam, supra infimam, juxta medium, prout mandatur æterna lege, teneatur; *qua*, ut Augustinus, *iustum est, ut omnia sint ordinatissima*. Quod si amorem illum à supremis, hoc est, à Deo, & illâ æternâ incommutabilis veritatis lege deflectit, ut vel in medium illo pondere amoris in seipsa delabatur, vel ulteriùs, in id quod infra se est, corporalem scilicet creaturam, perturbat ordinem æterna lege stabilitum; dum vel se sibi ipsa per pondus amoris subijcit, ut se admirans, sibique ipsi per superbiam placens, alijs animabus gestiat se præponere, quas ei pares & socias esse naturalis ordo fecit; vel alijs rebus amore inhærens, illis se subjicit quas ei subditas esse oportebat, & ea bona sibi constituit, quibus ordinandis benèque tractandis

Lib. 11. de Civit. c. 28.

15. de Civit. cap. 22.

Lib. 1. de lib. arb. c. 6.

A ipsa utique deberet esse bonum. Propter quam naturalis ordinis perturbationem justissimè eâdem illâ lege, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, velut inordinata & perversa damnatur. Hæc est ergò radix malitiæ, quæ in omni amore rebus creatis inhærente reperitur, quòd per illum velut pondus, anima extra ordinem suum moveatur, dum inordinatè sese vel æqualibus præponit, vel inferioribus subijcit. Tetigit hanc radicem Augustinus multis locis: *Vides profectò*, inquit, *in ista distributione naturarum, quid summè sit, quid infimè, & tamen sit, quid mediè, maiusque infimo, & minus summo sit. Summum illud est beatitas*; (id est, Deus fons omnis beatitudinis) *infimum, quod nec beatum esse potest, nec miserum*, scilicet corpus. *Quod verò medium, vivit inclinatione ad infimum miserè; conversione ad summum, beatè vivit: Qui Christo credit non diligit infimum, non*

B *superbit in medio* (scilicet supra alias animas, quod amore sui-ipsius fit) *atque ita summo inhærere sit idoneus. Et hoc est totum quod agere iubemur, movemur, accendimur*. Et lib. 6. Musicæ: *Non ergò invideamus inferioribus quàm nos sumus* (id est corporeis rebus) *nosque ipsos inter illa, quæ infra nos sunt, & illa quæ supra nos sunt, ita Deo & Domino nostro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur. Delectatio quippe quasi pondus est animæ. delectatio ergò ordinat animam. Vbi enim erit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum: ubi delectatio, ibi thesaurus: ubi autem cor, ibi beatitudo, aut miseria*. Nihil verius dici potest. Impossibile est enim, ut ubi cor, hoc est, amor ac delectatio (quæ in hac re idem sunt, cùm finis amoris sit delectatio) rei cuicunque præterquam soli Deo affixa fuerint, non confestim miseria consequatur: nec miseria sine peccato esse ullo pacto potest. Et inferius idem tractat expli-

C catiùs: *Amor inferioris pulchritudinis animam polluit, quæ cum in illa* (pulchritudine) *non modo æqualitatem, sed etiam ordinem diligat, amisit ipsa ordinem suum: nec tamen excessit ordinem rerum; quandoquidem ibi est, & ita est, ubi esse, & quomodo esse tales, ordinatissimum est. Aliud est enim tenere ordinem, aliud ordine teneri. Tenet ordinem seipsâ totâ diligens quod supra se est, id est, Deum, socias autem animas tanquam seipsam*, id est, propter Deum quem diligit. *Hâc quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus ordinatur*. Et in libro 1. de libero arbitrio: *Quæ* (mutabilia ac temporalia) *quamquam in ordine suo rectè collocata sint, & suam quandam pulchritudinem peragant; perversi tamen animi est & inordinati, eis sequendis subijci, quibus ad nutum suum ducendis potius divino ordine ac iure prælatus est*. Et libro de vera Religione: *Est autem vitium primum animæ rationalis voluntas ea faciendi quæ vetat summa & intima veritas*. Sæpissimè autem do-

D cuit, ut suprà latiùs declaravimus, quòd summa veritas, hoc est, *lex æterna iubet avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum convertere ad æterna*. Vnde statim etjam in libro jam citato de vera Religione declarans, quid vetet illa summa & intima veritas, sic clarè & præclarè

Epist. 63.

Lib. 6. Musicæ c. 11.

Ibid. c. 14.

Lib. 1. de lib. arb. c. 16

Lib. de vera Relig. c. 20.

Lib. 1. de lib. arb. c. 15.

præclarè attexit: *Est igitur quoddam bonum, quod si diligit anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum est: quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia, quæ peccando diligitur.* Ecce, quàm disertis verbis protestatur, peccatum esse diligere bonum quod infra animam ordinatum est; idque ideo, quia intra illam ordinatum est. Hoc ipso enim quo bonum inferius diligit, infra illud ipsamet amore deprimitur, cui, inhærendo supremis, superferri tenebatur. Vnde & libro primo de sermone Domini in monte: *Omnes naturæ in ordine suo gradibus suis pulchræ sunt: sed de superioribus in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum. Nec quisquam hoc facere cogitur; & ideo si fecerit, justa defensione punitur. Non enim hoc committit invitus.*

Lib. 1. de Serm. Dom. in mon. c. 12.

Hinc est quòd Augustinus sæpè arguit in creatura rationali hoc solum, quòd anima summis fruens, ad corporea, ad inferiora, ad id quod minus est, inclinavit affectum. Nam hoc ipsum, ad minus voluntate declinare, relictis summis, quibus jubetur & potest inhærere, vitiosum est: quia declinat ad aliquid minus amore, quàm cui inhærere potest, & jussa est; facitque se deteriorem, quàm à Deo facta est: quod æternæ legis veritate non licet. *Ea quæ dicitur à veritate atque sapientia separatio, perversa voluntas est, qua inferiora diliguntur.* Et adversus Secundinum Manichæum: *Propterea nihil fiunt quæ facta sunt, cùm superiora ad inferiora declinant: ubi est omne peccatum, & omne quod dicitur malum.* Et uberiùs in consequentibus, ubi & ratio peccati in hujusmodi amoris motu, quo animus extra ordinem suum tendit, accuratè tangitur: *Deficere non tam nihil est, sed ad nihilum tendere. Cum enim ea quæ magis sunt, declinant ad ea quæ minus sunt, non illa in quæ declinant, sed illa quæ declinant deficiunt, & minus esse incipiunt quàm erant: Non quidem ut ea fiant, ad quæ declinaverunt, sed pro suo genere minus. Non enim cùm animus ad corpus declinat, corpus efficitur, sed tamen defectivo appetitu quodammodo corporascit: ita & Angelica quædam sublimitas, cum magis delectata est suo dominatu in seipsa, ad id quod minus est inclinavit affectum, & minus esse cœpit quàm erat, & pro suo gradu tetendit ad nihilum. Quanto enim quæque res minus est, tanto vicinior nihilo est. Cum autem isti defectus voluntarie fiunt, rectè reprehenduntur & peccata nominantur.* Vbi vides apertissimè, hoc ipsum asseri esse peccatum, voluntario motu, hoc est, amore veluti pondere ad minus, hoc est, inferius bonum tendere, quàm illud, cui naturali ordine rationalis creatura subjuncta est. Nempe quia perturbat ordinem, quantum in se est, sibi divinâ lege præstitutum, & se inferioribus subjicit, & ita tendit ad nihilum, & ipsa corrumpitur. *Quisquis enim quod seipso est deterius sequitur, fit & ipse deterior.* Eundem defectum, & ideo culpabilem voluntatis motum etiam explicat in libris de Civitate Dei, ubi de defectu Angelorum ad fruendum non corporibus, sed seipsis loquens: *Deficitur*, inquit, *non ad mala, sed malè: id est, non ad malas naturas; sed ideo malè, quia contra ordinem naturarum ab eo quod summe est, ad id quod minus est.* Quod exemplis hominis, per avaritiam, luxuriam, jactantiam, superbiamque deficientis ad bona inferiora, declarat. Et in libris de libero arbitrio: *Voluntas aversa ab incommutabili & communi bono, & conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat.* Et mox adjungit: *Motus ergo ille aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est*, (hoc est, ideo est peccatum, quia per illum à superiori bono ad inferiora deficitur) *omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat.* Et libro secundo ejusdem operis de libero arbitrio explicâs quid ille sit motus amoris, quo ad fruendum tenditur inferioribus bonis, quibus amor inhærebat: *Restat igitur*, inquit, *ut eius sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam à creatore convertit.* Vnde illa sancti doctoris definitiva sententia: *Dixisti mihi Domine, voce forti in aurem interiorem, quod hoc solum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te qui es, ad id quod minus est; quia talis motus delictum atque peccatum est.* Cujusmodi sententiæ ab Augustino passim repetuntur: quibus ipse cujuslibet peccati rationem explicat sive mortalis sive venialis. Duplex enim est ad commutabile bonum ab incommutabili bono, hoc est, Augustini phrasi, ab incommutabili veritate, & æternâ lege defectus; unus, quo voluntas ita deficit, ut incommutabili bono præponat commutabile, sic videlicet, ut si articulus temporis occurrat, quo necessariò alteruter vel Deus vel creatura relinquenda est, deserto Deo præponatur creatura: qui defectus voluntatis ad inferius bonum peccatum est æternâ morte puniendum. Tunc enim non tantùm actu, sed & habitu avertitur ab incommutabili bono. Alter est, quo actu quidem avertitur ab æternæ veritatis, hoc est, Dei præscripto, quo jubet avertere amorem à temporalibus, & ad æterna convertere, non tamen habitu: hoc est, non creatori creatura, sed creaturæ potius creator anteponitur amore, si alteruter deserendus esset; tametsi actu, vetante æternæ legis veritate, homo creaturâ perfrui velit. Neque enim ullum omnino peccatum est, quantumcunque veniale, quod non illa lex æterna vetet, & quo non illa æterna lex, hoc est, ipsa (ut Augustinus explicat) *divina ratio vel voluntas Dei* in actu ipso negligatur. Tam enim prohibet divina ratio seu incommutabilis Dei veritas, non esse officiosè mentiendum, quàm non esse fornicandum, sed unum levius, alterum gravius. Vtraque tamen veritas negligitur ac deseritur; ab utrâque avertitur in ipso actu animus, dum creatura contra præscriptum ejus frui cupit: sed in leviori, animus habitu Deo conjunctus manet; neque enim sub in-

Margin notes: *Lib. 2. de lib. arbit. c. 14.* — *Lib. cont. Secund. c. 10.* — *Ibid. c. 11.* — *De morib. Eccles. c. 2.* — *Lib. 12 de Civit. c. 8.* — *Lib. 2. de lib. arbit. c. 19.* — *Ibid. c. 20.* — *Lib. 3. de lib. arbit. c. 1.* — *Lib. 12. Conf. c. 11.*

Digitized by Google

sub interminatione dissolvendæ amicitiæ prohibetur: in graviori & habitus diligendi & actus abrumpitur. Secundum hanc igitur duplicis defectus considerationem, generalissimè in omni peccato defectum aliquem Augustinus intelligit ab incommutabili bono, hoc est, ab æterna illa lege & veritate, qua omne omnino peccatum prohibetur, utpote quod non est aliud nisi *factum, dictum, vel concupitum contra legem æternam.* Illam enim non solùm habitu diligere, sed in omni omnino actu, & voluntatis motu, & ratione, & cogitatione præcipimur sequi, illam attendere, illi inhærere. Hæc enim est illa, *qua iustum est, ut omnia sint ordinatissima.* Impossibile est autem non esse ordinatissimum, quòd in omni voluntatis motu legem illam, hoc est, æternam de agendis & non agendis veritatem diligamus & sequamur. Quod si facimus, rectè facimus, sin minus, sine dubitatione peccamus: quia id non facimus, quod præscribit incommutabilis veritas esse faciendum. Avertimur ergo ab illa actu diligenda, dum avertimur à sequenda. Et ille est defectus, quem Augustinus in omni peccato agnoscit, & prædicat, ab incommutabili bono; quia illud ordinatissimum est, ut in omni voluntatis motu & actione diligamus. Quod à me fortassis aliquis excogitatum esse ad hanc stabiliendam doctrinam suspicari posset, nisi ipse seipsum luculentissimè Augustinus exponeret: Qua de re illustris est locus in libro de Mendacio, ubi ex professo de mendacijs officiosis disputat, per quæ posset honorabilis personæ pudicitia violentè invasa custodiri: *Quapropter quoniam nemo dubitat meliorem esse animum corpore, integritati corporis integritas animi præponenda est, quæ in æternum servari potest. Quis autem dixerit integrum animum esse mentientis? Etenim libido quoque ipsa rectè definitur appetitus animi, quo æternis bonis qualibet temporalia præponuntur.* Nempe saltem quantum ad actum diligendi, si non quantum ad habitum diligentis. *Nemo itaque potest convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere, æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed cùm tanto quisque ab æternitate discedat, quanto à veritate discordat: qui autem mentitur, à veritate discedit* (quod & in veniali mendacio non minùs quàm mortali locum habere perspicuum est) *absurdissimum est dicere, discedendo inde posse ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut si est aliquod bonum æternum, quod non complectitur veritas, non erit verum: & ideo nec bonum erit, quia falsum erit. Ut autem animus corpori, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est: ut eam non solum magis quàm corpus, sed etiam magis quàm seipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior & castior, cum eius potiùs immutabilitate, quàm sua mutabilitate perfruitur.* Ecce lucidissimè declaratum, etiam in peccatis venialibus hominem à veritate discedere, hoc est, ad inferiora deficere, & idcirco peccare, quia æterno illi bono saltem actu aliquid temporale præponit. Nam & libido illa, quam definit, omnia omninò peccata complectitur, ut suprà declaravimus; & mentientem, nempe quemlibet etiam venialiter, sicut per se perspicuum est, discedere, seu deficere ab æterno & incommutabili bono, hoc est, à veritate profitetur. Illi enim potiùs, quàm ulli alteri temporali bono, amore adhærendum esse ipsa æterna veritas jubet. Unde generalissimè Augustinus dicit alibi: *Tunc cuique non est benè, si melius esse potest. Quare si nobis potest benè esse cum ipsa veritate, malè sumus cum quolibet vestigio veritatis,* id est, creatura; *multò ergò deteriùs, cum extremitate vestigij, quando carnis voluptatibus adhæremus.* Et radicem istius mali tangens, quæ est in perfruenda carnis voluptate, hoc est, quæ quolibet sensu in carne perficitur, sic statim addit: *Non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni dilectione turpiter volutatur, cui primùs inhærere fruique concessum est.* Et in alio libro adversus Manichæos: *Propterea corporea diligendo peccamus, quia spiritualia diligere & iustitiâ iubemur* (nempe æterna illa lege, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima) *& naturâ possumus; & tunc in nostro genere optimi & beatissimi sumus.* Nam ut alibi verissimè & generalissimè dicit: *Id solùm rectè diligitur, quod nunquam benè amittitur,* hoc est, solus Deus. Si id solum rectè diligatur, ergò aliud quodcunque perversè diligitur. Et alibi: *Amandus igitur solus Deus est, omnis verò iste mundus, id est, omnia visibilia contemnenda.* Solus amandus, quia *ille solus verus est rationalis animæ cibus.* Et ista quidem ratio, quæ ex natura deficientis istius amoris, & perturbati naturalis ordinis petitur, à priori sumpta est.

Lib. 22. cont. Faust. cap. 27. — *Lib. 1. de lib. arb. cap. 6.* — *Lib. de mendacio c. 7.* — *Lib. de vera Relig. c. 41.* — *Ibid. c. 43.* — *Lib. de duab. animabus cap. 13.* — *In sententijs Prosp. ex Aug. assumptis sententiâ 264.* — *Lib. de morib. Eccles. c. 20.* — *Lib. de nat. & grat. cap. 26.*

CAPUT

CAPVT XX.

Ratione à posteriori, seu ex effectibus idem declaratur. Septem effectus amoris rerum creatarum adferuntur.

QVOD si vero amorem, quo creaturæ propter seipsas diliguntur, ceterosque affectus comites ejus à posteriori, hoc est, ex effectibus quos in anima relinquunt, considerare voluerimus, certissimo deprehendemus, non posse sine peccato creaturis propter creaturas affectum amoris adjici sic ut in creaturis hæreado non retorqueatur in Deum. Pernicies enim eorum tanta est, ut quamvis amorem illum per se licitum esse fingeremus, sola malorum quæ parit consideratio animam obstringeret, ut ab amanda quacunque creatura fruendaque temperaret. Quamobrem operæ pretium est illos effectus ex Augustini doctrina quàm brevissimè perstringere, ut spiritalis amator boni noverit, quantum intersit ad spiritalem quam meditatur vitam, affectus universos & præsertim amorem veluti ducem cardinemque ceterorum ab omnium omnino, non modo sensibilium, sed quarumcumque creatarũ rerum dilectione restringere, ut anima incorrupta exhibeatur Deo.

Primus igitur effectus, quem amor creaturæ in animo parit, est amissio libertatis, quæ velut maximum Dei beneficium ei charissima esse debet. Sic enim condita est creatura rationalis, ut soli Deo tamquam vero rerum universarum Domino serviret, & per humilem illius servitutem & sibi & rebus omnibus summa libertate dominaretur. Hæc libertas ejus amore creaturæ perit, & si magnus fuerit, funditus extinguitur. Libertas enim è diametro repugnat servituti: amor autem necessario servum amati amantem facit, quia propter amatum cuncta facit. Nam ut omnia quæ fiunt, necesse est propter finem fieri, ita & propter amorem: finis enim nisi amatus, non est finis sed medium propter amatum finem. Hinc Augustinus: [Lib. de morib. Eccles. lib. 23.] *Quæ cum volunt homines per dominationem tenere, ab his ipsis potius per cupiditatem* (amorem) *tenentur, & rerum mortalium servi fiunt, dum imperitè Domini esse desiderant.* Et alibi adversus amatores rei cujuscúnque temporalis disputans, ita loquitur: [Lib. de vera Relig. c. 38.] *Ita nescientes diligant temporalia, ut inde beatitudinem expectent* (id est, ut eis non uti sed frui velint, hoc est enim Augustino semper ad beatitudinem diligere, ut & supra declaravimus, & ex subjecta ratione patet) *his autem quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est, velit, nolit. Nam quocunque duxerint sequitur: & quisquis ea visus fuerit auferre, metuitur. Possunt autem auferre ista & scintilla ignis, & aliqua parva bestiola.* A *Postremò, ut omittam innumerabiles adversitates, tempus ipsum auferat necesse est omnia transeuntia. Itaque cùm omnia temporalia transeuntia mundus iste concludat, omnibus mundi partibus serviunt, qui propterea nihil putant colendum esse, ne serviant.* Vnde præclarè Christus Dominus, dum amorem divitiarum prohiberet, generalissimam sententiam tulit, qua omnis omnino rerum creatarum amor præciditur: *Nemo potest duobus dominis servire.* [Matth. 6.] Nam amor est unica & vera servitus Dei, quæ hoc ipso dividitur, quo amor in diversa scinditur. Oritur effectus iste ex alio de quo superiore capite disseruimus, quia amor amato amantem inferiorem facit. De quo Augustinus: *Non quod Deus ista* (bona) *non creaverit, sed quia subjicere se homines volunt iis rebus per peccata* [De morib. Eccles. c. 21.] (id est, per amorem, nam de amore rerum temporalium disputat) *quæ illis per rectè facta divina lege subiecta sunt.* B

Ex quo nascitur alius effectus priori similis, ut quicunque rem amat, quamdiu amat, de illa judicare non possit. Iudicium enim superiorem postulat; amor subjectum facit & judicij sinceritatem adulterat, quia cum acceptione personarum judicare facit. Vnde de amore à terrenis avellendo satagens in illud Psalmi: *Qui judicatis terram: spiritales,* [In Psalm. 2.] inquit, *significat, qui ut Reges judicant terram. Inferius enim nobis est quicquid judicamus: quicquid autem infra spiritalem hominem est, meritò terra nominatur quia terrenâ labe sauciatum est.* Et contra Epistolam fundamenti: *Nec et tamen ut amatores speciei infimæ inhæreamus, sed ut Dei laudatores eam transgrediamur, ut supra eam collocati de ea judicemus; non et connexi eum illa judicemur.* [Cap. 41 cont. Epist. fundamenti.]

Secundus effectus est, quia amor creaturæ facit simulem rebus amatis: ex quo fit, ut sicut C æternitas amata æternitate animum amantis afficit, juxta illud Augustini: *Iunge cor tuum æternitati Dei, & cum illo æternus eris:* [In Psal. 91.] ita & res terrena, corruptibilitate. Vnde idem: *Non enim cum animus ad corpus declinat, corpus efficitur; sed tamen defectivo appetitu quodammodo corporascit.* [Cont. Secundin. c. 11.] Et in libro de moribus Ecclesiæ: *Iubemur nihil mundi hujus diligere, illâ maximè sententiâ, quâ dictum est: Nolite conformari huic mundo: simul enim demonstrandum est, ei rei quemque conformari quam diligit.* [Lib. de morib. Eccles. c. 21.] Cùm enim amor omnis nitatur ad unitatem efficiendam quoad potest, quantum deficit ab assequenda unitate, tantum relinquit de simi-

Digitized by Google

de ſimilitudine. Similitudo quippe duorum deficiens quædam unitas eſt. Itaque vi amoris fit, ut homo carnem amando fiat carnalis, & ſpiritum amando ſpiritalis, adeo ut Apoſtolus dicat: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Et è contrario Auguſtinus: *Si Deo quanto ſimilior, tanto quiſque fit propinquior: nulla eſt ab illo alia longinquitas, quam eius diſſimilitudo. Incorporali vero illi, æterno, & incommutabili tanto eſt anima hominis diſſimilior, quanto rerum temporalium mutabiliumq; cupidior.* Ex hac radice naſcitur, ut quem vehementi amore complectimur, etiam moribus exprimamus; neque virtutes modò, ſed & vitia, non animi tantùm, ſed & corporis imitemur. Quod verò mirabilius eſt, amor vehemens etiam ipſum corpus animantis vehementer afficit, nec ſolùm proprium, ſed etiam fœtuum, quorum eſt facilis ac ductilis corpulentia, dum plerumque fœtus produnt libidines matrum, quod cum magna delectatione conſpexerint. Quid ergo mirum, ſi animi terrena diligentium, rebus amatis penitus fiant ſimiles, & *abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt?* Vnde generaliter Auguſtinus: *Talis eſt quiſque, qualis eius dilectio eſt. Terram diligis, terra eris. Deum diligis, quid dicam, Deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus; Ego dixi, Dy eſtis.*

1. Cor. 6.
Lib. 9 de Civit. c. 16.
Oſee 9.
Tract. 2. in Epiſt. Ioan.

Tertius eſt, quod animum rebus creatis glutino quodam alligat & illaqueat. Ex quo fit, ut quantumvis antè liberâ voluntate dilexerit, non poſſit ſe ab ejus amore extricare, ut pennis liberis in Deum evolet: *Quiſquis dilexerit Deum & proximum, animam habet pennatam liberis alis, ſancto amore volantem ad Dominum. Quicunque implicatur amore carnali, viſcum habet in pennis.* Et in ſoliloquijs: *Penitus iſta ſenſibilia fugienda, cavendumque magnopere dum hoc corpus agimus, ne quo eorum viſco pennæ noſtræ impediantur, quibus integris opus eſt, ut ad illam lucem ab his tenebris evolemus.* Contra quod viſcum terreni amoris ſæpiſſimè exclamat Auguſtinus: ſed præclare in ſermonibus de diverſis: *Amate, & nolite amare. Ad aliquid amate, & ad aliquid amare nolite. Eſt enim quod ad profectum ametur: Et eſt quod ad impedimentum ametur. Noli amare impedimentum, ſi non vis invenire tormentum. Quod amas in terra, impedimentum eſt: Viſcum eſt pennarum ſpiritualium, hoc eſt, virtutum quibus volatur ad Deum. Capi non vis, & viſcum amas? Nunquid non caperis ideo quia dulciter caperis? Quanto magis delectat, tanto magis ſtrangulat. Hæc dico, & laudatis, & clamatis, & amatis.* Effectus ille ab amore terreno inſeparabilis eſt, quamvis initio pœnè ſenſum fugiat: ſed repetitis actibus amoris, creſcit amor, & fit libido amandi ac delectandi ſe; ex delectatione naſcitur conſuetudo, ex conſuetudine neceſſitas. Laqueus ille non ſentitur niſi cùm rumpendus eſt, & animus in Deum ſublevandus. Tunc enim à quocunque vel tenuiſſimo terreno amore præpeditur. Vnde de affectu laudis & exi-

In Pſal. 103.
Lib. 1. Solil. cap. 14.
Serm. 105. de divers. c. 4.

A ſtimationis humanæ dicit Auguſtinus: *Etiam neſcientem onerat; quod non ſentiet, niſi cùm ſurgere voluerit: atque utinam non ſic alligentur hæc onera, ut fruſtra etiam humeros conetur excutere.*

Epiſt. 56.

Ex iſto effectu ſequitur quartus, difficultas avellendi animum, & dolor carendi, juxta illud vulgatiſſimum Auguſtini & crebberrimè multis locis repetitum, non ſolùm de delicijs, ſed de alijs quibuſcunque rebus quibus amore colligamur: *Non eſt in carendo difficultas, niſi cum eſt in habendo cupiditas*, hoc eſt, amor. Et è contrario alibi de omnibus terrenis amoribus: *Eorum amiſſione cruciabitur, quibus fruendo utique lætabatur.* Quod enim ſine illiciente amore non habuit, ſine urente dolore non perdet. Etiam iſte effectus amori arctiſſimè conjunctus eſt, & ferè dixerim eſſentialis. Nam ut optimè dolorem animi B definiendo dixit Auguſtinus: *Quid eſt dolor qui dicitur animi, niſi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui ſe poſſe ſperaverat?* Id eſt, quas amando ad fruendum expetebat. Amor enim fruitione, ſicut motus quiete terminatur. Ex quo fit, ut terrenas qualeſcunque delicias tantùm quiſque perdendo ſentiat, quantùm amando peccaverit. Tantùm quippe dolet, quantùm ſe doloribus inſeruerit. Itaque de quolibet rerum pereuntium amatore luculentè ſanctiſſimus Doctor: *Miſer eram, & miſer eſt omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cum eas amittit, & tunc ſentit miſeriam, qua miſer eſt & antequam amittat eas.*

Lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 18.
Lib. 21. de Civit. c. 26.
Lib. de vera relig. c. 12.
Lib. 4. Confeſſ. c. 6.

Quintus eſt inſtabilitas animi, ut qui rei inſtabili innititur: ex quo naſcitur inquietudo. Cùm enim omnia creata mutationibus obnoxia ſint, nec eorum quicquam ſit, quod non invitus poſſit amittere, hinc fit, C ut omnes rei amatæ caſus is qui amaverit, ſentire cogatur. Et ut adverſus omnes adverſitates munitus fuerit, tempus ipſum auferat neceſſe eſt omnia tranſeuntia. Hinc varijs contrarijſque nonnunquam tempeſtatibus totum hominis animum vitamque perturbat, nunc timore, nunc deſiderio, nunc anxietate, nunc inani falſaque lætitiâ, nunc cruciatu rei amiſſæ quæ diligebatur, nunc ardore adipiſcendæ quæ non habebatur. Quos quidem affectus impoſſibile eſt ab amante creaturam mutabilem, ac temporalem ſeparare, niſi amor ipſe ſeparetur. Vnde Auguſtinus: *Ita formari exoptabis, ut affectiones tuæ non ſint temporales, de temporalium rerum amoribus inuſtæ & impreſſæ: quæ temporalia & antequam ſint non ſunt; & cùm ſunt, fugiunt; & cum fugerint, non erunt. Itaque cum futura ſunt, nondum ſunt; cùm autem præterita ſunt, iam non ſunt. Quomodo igitur tenebuntur ut maneant, quibus hoc eſt, incipere ut ſint, quod eſt D pergere ut non ſint?* Pergendo autem ut non ſint ſecum amantis vires ſubruunt. Hinc ergo neceſſariò naſcitur interitus tranquillitatis, non ſolùm antequam animus re dilectâ potiatur,

Lib. 3. de lib. arbit. c. 7.

ſed

ſed etiam cùm potitus, frui cœperit: cùm nullâ re frui poſſit cum tranquillitate, niſi qua fruitur cum ſecuritate. Quæ autem ſecuritas eſſe poteſt, ubi perinde ut loca offerunt quod amemus, tempora ſurripiunt quod amamus? Hinc in aliud & aliud rapitur fraudata cupiditas, ut impleat egeſtatem ſuam. Hinc fit inquietus & ærumnoſus animus, fruſtra tenere à quibus tenetur, exoptans. Vocatur ergo ad quietem: hoc eſt, ut illa non diligat, quæ diligi ſine labore non poſſunt. Sic enim eis dominabitur, ſic non tenebitur, ſed tenebit. Sic veluti fundatus ſupra petram ſtabilis permanebit. Hinc Auguſtinus adverſus eos, qui fines rerum agendarum nunc has nunc illas res dilectas ſibi ſtatuunt, quibus adeptis tranquillè perfruantur, præclare dicit: *Cum non ſatiaverit avidam ſpiritam vanitas laudis humanæ, quia nihil ad cibandum adjcit, niſi inane & inflatum, cogitur eam ipſa aviditas rejicere in aliud quaſi uberius atque fructuoſius: quod nihilominus, ſi temporali lapſu prætereunt, ita eſt quaſi fluvius ducat in fluvium, ut non ſit finis miſeriæ, quamdiu finis officiorum noſtrorum in re inſtabili collocatur.* Finis enim id ſolum eſt quod amatur, & propter quem etiam ea quæ non amamus aſſumimus: *In aliquo igitur firmo atque incommutabili bono, te figere volumus conſtantiſsima intentionis domum, & ſecuriſsimam requiem omnis bona atque honeſtæ actionis tuæ.*

Epiſt. 56.

Ibid.

Sextus effectus animæ ſummopere pernicioſus eſt immunditia, quæ ab amore rei cujuſque temporalis divelli nullo modo poteſt. Amor enim eſt quidam veluti contactus animi, imo ingreſſus ejus intimus in rem amatam: quæ ſi fuerit ipſo amante ignobilior, polluit dignitatem ejus. Quod enim illum ſordidat non eſt malum, cum etiam corpus, creatura Dei ſit, & ſpecie ſuâ infimâ decoretur; ſed præ creaturæ rationalis ſummâ, quæ ſub Deo eſt, nobilitate contemnitur; ſicuti auri dignitas etiam purgatiſſimi argenti commixtione ſordeſcit. Vnde pulchrè Auguſtinus: *Sordeſcit aliquid, cum inferiori miſcetur naturæ, quamvis in ſuo genere non ſordidetur; quia etiam de puro argento ſordidatur aurum, ſi miſceatur: ita & animus noſter terrenorum cupiditate ſordeſcit, quamvis ipſa terra in ſuo genere atque ordine munda ſit.* Et de Eccleſia loquens: *Nonne ipſa eſt quæ immunda erat in omni cupiditate deſiderioque carnali?* Ita fit, quod mirum videri poteſt, ut cum reprobus ille damnatuſque ſpiritus nihil terrenum, ſed ſpiritum creatum adamaverit, propter illum contactum amoris inquinatus ſit, & proprio quaſi nomine *ſpiritus immundus* appelletur: Anima verò è contrario, cum corpori longè viliori per ſuam ſubſtantiam ſit permixta, nulla tamen inde labe polluatur. *Non enim*, inquit Auguſtinus, *cum regit corpus atque vivificat; ſed cum ejus bona mortalia concupiſcit, de corpore anima maculatur.*

Lib. 2. de Ser. Domini in monte c. 13.

In Pſal. 103

Lib. de Fide & Symb. c. 4.

Nec illa amoris immunditia in ſola voluntate ſuos effectus operatur, ſed in ipſam mentis aciem tranſit, quam neſcio quibus obducit nubibus, ut ſerenitatem veritatis de re amata videre non poſſit. Quæ cæcitatis labes omni omnino creatarum rerum amori atque fruitioni comes adjungitur: ut rectiſſimè de Deo Auguſtinus dixerit, quod indefatigabili lege pluat *pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.* Fit hoc partim propter phantaſmatum turbam, quam omnis terrenus amor intus à rebus amatis rapit, quia res ipſas intus rapere non poteſt: hæc in oculos mentis involant, & veritatem, maximè de re amata, videre non ſinunt: partim propter affectûs vehementiam, qui non id quod eſt, vel eſſe debet; ſed id quod diligit verum eſſe delineat, & verum videri facit. De utroque cernendæ veritatis impedimento, quod omnis amor creatarum rerum ingerit, ita Auguſtinus: *Hinc ei animæ oboritur erroris dedecus, dum rerum ſenſarum imagines ſecernere à ſe non poteſt, ut ſe ſolam videat. Cohæſerunt enim mirabiliter glutino amoris: & hæc eſt ejus immunditia, quoniam dum ſe ſolam nititur cogitare, hoc ſe putat eſſe, ſine quo ſe non poteſt cogitare.* Sed luculentius & ex profeſſo in libro de Vtilitate credendi: *Id nunc agitur, ut ſapientes eſſe poſſimus, id eſt, inhærere veritati: quod profecto ſordidus animus non poteſt. Sunt autem ſordes animi, ut breviter explicem, amor quarumlibet rerum præter animum & Deum* (id eſt, præter proximum & Deum) *à quibus ſordibus quanto eſt quis purgatior, tanto verum facilius intuetur. Verum igitur videre velle, ut animum purges, cum ideo purgetur ut videas, perverſum certe atque præpoſterum eſt.* Ecce planiſſimè dicit, quarumlibet rerum amorem præter quam Dei & proximi ſcilicet propter Deum, eſſe ſordes, quibus animus inquinatur, & à cernenda veritate præpeditur. Et alibi: *Quæ tamen omnis immunditia de rerum temporalium dilectione concipitur, id eſt, dilectione hujus ſeculi, cui jubemur renunciare, ut mundi eſſe poſſimus.* Nam illa dilectio ſeculi, hoc eſt, ut ante dixit, ille amor quarumlibet rerum præter animum & Deum, quo magis in homine incrementum cœperit, eo majorem cernendæ veritatis difficultatem facit, uſque adeo ut illa perfecta cæcitas, ſeu plena videndi impotentia, qua quidam dicuntur excæcati, non aliunde quàm ex hujuſmodi creatarum rerum amore magis magiſque augeſcente, & in aperta peccata prorumpente naſcatur, ut Auguſtinus multis in locis teſtis eſt, & alibi fortaſſe fuſius, ſi res ita poſtulaverit demonſtrabimus.

Lib. 10. de Trinit. c. 8.

Lib. ad Honorat. c. 16.

Lib. 2. de Ser. Domini in monte c. 20.

Ex iſta animi partim hebetudine partim amoris alligatione, quo velut vinculo creatis rebus obſtrictus eſt, ſeptimus effectus maximopere pernicioſus proficiſcitur, quòd etiam rectum uſum rerum ad uſum dumtaxat conceſſarum prorſus impediat. Fixa quippe in Auguſtini principijs regula eſt, neminem benè rebus utendis uti poſſe quas dilexerit: ut enim eis aliquis benè utatur, opus eſt etjam poſſe non uti. Hoc autem non poteſt quiſquis earum

rum amore devinctus est. De quo præclarissimè Augustinus, illum Apostoli locum explicans: *Et qui utuntur hoc mundo, quasi non utantur. Quid est, inquit, quasi non utantur, nisi non diligant quo utuntur? Quoniam tale est, ut benè aliter non utantur. Et hoc quidem etiam in his rebus observandum est, quæ in hoc mundo sic bona sunt, ut tamen eas diligi non oporteat. Quis enim malam esse pecuniam rectè dixerit? Et tamen nemo ea bene utitur qui dilexerit; quanto magis libidine.* Et alibi non minus luculentè: *Sic usi sunt perfecti animi bonis terrenis ad aliud necessarijs* (cibo, uxoribus, opibus, &c) *per hunc habitum continentiæ, quo eis non alligarentur, & quo possent eis etiam non uti, si non opus esset. Nec quisquam eis benè utitur, nisi qui & non uti potest. Multi quidem faciliùs se abstinent ut non utantur, quàm temperent ut benè utantur; Nemo tamen eis potest sapienter uti, nisi qui potest & continenter non uti.* Alioquin enim impetus dilectionis facit, ut legitimi usûs metas vel cæcitate non videat vel infirmitate transiliat. Modum enim necessitatis respectu finis, quem omnis rectus usus postulat, amantem amor videre non sinit, & ipsum utendi fruendique limitem rapiendo abscondit, ac transit, persuadendo ei satis non esse quod satis est, dum libenter amoris provocationibus ducitur. Ita fit, ut cùm rebus utendis uti debeamus, frui non debeamus, & utendo & fruendo peccemus. Quapropter quicunque creaturis hujus mundi, quibus vetatur frui, rectè uti voluerit, necessariò debet animo ita esse constitutus, quemadmodum Augustinus monet; *ut non eis amore conglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando; ne cum resecari cœperint, cum cruciatu ac tabe fœdent: sed eis totus superferatur, & habere illa atque regere, cum opus est, paratus, & amittere, ac non habere paratior.* Quisquis enim talibus bonis, cùm non est opus, aliter affectus est, non eis ut medijs uti, sed ut bonis adamatis frui; nec per viam ad terminum anhelare, sed ipsi viæ inhærere velle convincitur. Non igitur indifferens eis superfertur animus, sed amore implicatus eis rebus subditur, quas ei subditas esse oportebat: & ea bona sibi constituit, quibus ordinandis beneq; tractandis ipse esse utique debebat bonum. Optima quippe latissimeque patens Christianæ & perfectæ vitæ regula est; *Quisquis eis* (bonis quæ propter aliud necessaria sunt, quæ media à nobis vocari solent) *propter hoc utitur, propter quod data sunt, benè facit. Cui ergo non sunt necessaria, si non eis utitur, meliùs facit. Proinde ista bona, cum opus habemus, benè volumus, sed meliùs ea nolumus quàm volumus: quia tunc meliùs nos habemus, cum ea necessaria non habemus.* Verum istam carendi rebus non necessarijs æquanimitatem amor earum funditus tollit, nullaque urgente utendi necessitate, solâ se oblectandi fruendique voluptate, rebus dilectis utitur, & propterea abutitur. Solus igitur amor creatoris velut ultimi finis, per quem animus à cunctis creaturis avellitur, ad omnes indifferens, inalligatus, superior omnibus, omnium

Lib. 5. cont. Iul. c. 16.

Lib. de bono conjug. c. 21.

Lib. 1 de lib. arb. c. 15.

Lib. de bono conjug. c. 21.

A judex unoque verbo liber ab omnibus, Deo videlicet similis constituitur, rectè creaturis uti facit, juxta illud verissimum generalissimumque Augustini pronuntiatum: *Per hunc amorem creatoris benè quisque utitur creaturis: sine hoc amore creatoris nemo quisquam bene utitur creaturis.*

Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.

Ex his effectibus alijsque pluribus qui proferri possent perspicuum est, omnes hujusmodi rerum creatarum amores, quantumcunque innocentes esse videantur, esse vincula, ægritudines, morbos, pestes animorum, sicut eos Augustinus passim vocat, eo sæpè perniciosiores, quo majori apud homines honestate palliantur. Ex quo fit, ut rectus, quietus, sanus, salvus, & liber animus esse non possit, nisi ab illis omnibus solius amore creatoris refrenetur vel purgetur. Nam ut brevissimè verissimeque Augustinus: *Sanitas, charitas.* Charitatis autem
B venenum cupiditas, hoc est, amor temporalium; *nutrimentum ejus imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.*

Lib. 83. qq. q. 36.

Quæ cùm ita sint, & tam capitalis sit cupiditatis, hoc est, terreni cujuscunque amoris, quo creatura propter se diligitur, & charitatis repugnantia, effectusque tam perniciosi animæ rationali ex quocunque tali amore generentur, nescio quomodo vel cogitandi libertate fingi posset, hujusmodi amores creatarum rerum esse licitos, eisque sine labe conscientiæ nos posse frui. Si enim lex æterna præscribit, non posse nos, rebus quantumvis licitis nos oblectando, corporis nostri vilissimæ videlicet partis aut sensuum ejus lædere valetudinem; quanto arctiùs animam lex eadem ligat, ne frivolarum rerum cupiditatibus & voluptatibus suæ verissimę & unicę sanitati afferat præjudicium, ut cui sola sub Deo servitus naturalis est, amissâ illâ summâ libertate rebus vilis-
C simis alligetur & serviat, omnium tempestatum ex amore nascentium inquietudines subeat, pulchritudinem quâ sub Deo major nulla est, terrenis sordibus inquinet, ut obscuratis oculis, quibus æterna veritas contemplanda est, nec aciem in creatorem suum possit erigere, nec verum à falso in re dilecta, utendi necessitatem à fruendi voluptate, usum ab abusu judicij sanitate discernere. Quæ sanè nescio cui parvæ labes & contemnendæ noxæ videri poterunt, nisi cui amores isti & quasi innocentes voluptates tanquam nullâ terrenâ lege prohibitæ fastidium cælestium voluptatum, quibus hauriendis creati sumus, affricuerint. Nam & iste terreni cujuscunque amoris non postremus effectus est, quem inseparabili comitatu secum trahit, sed plùs minusve, prout animus profundiùs aut suspensiùs se creatis rebus immerserit. Cum igitur omnis peccati ratio ex æternæ legis præscripto, quæ summa ratio no-
D minatur, ponderanda sit; illaque non sit alia, quàm *qua justum est,* sicut Augustinus tradit, *ut omnia sint ordinatissima*; vel ut alibi dicit; *ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*; quicunque creatarum

Lib. 1. de lib. arb. c. 6.

Lib. 22. cont. Faust. c. 27.

tarum rerum amores, quibus propter ipsas diliguntur, & ad fruendum expetuntur, à peccato excusare volet, necesse est ut ostendat, ordinatissimum esse, ut rationalis animus tanquam viva Dei imago Deo proximus, ad ejus solius amorem conditus, caducis rebus, quas invitus amittere potest, cum tanta noxa innectatur. Quod si è contrario cujuscunque sanæ mentis judicio rectissimè dixit Augustinus: *Iubet æterna lex avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum ad æterna convertere.* Et rursum: *Perversi animi est & inordinati eis sequendis, per amorem, subjici, quibus ad nutum suum ducendis potius divino jure prælatus est*: quibus ictibus cuncti creatarum rerum amores moriuntur, per quos hic animus occupari solet: & si omnis sobria ratio, verissimum utrumque esse, ordinemque naturalem perturbari clamat, si in illa lumina veritatis impingatur; quid superest, nisi ut omnes hujusmodi amores non solùm imperfecti, sed omnino vitiosi sint, & quamcunque creaturam diligendo, eâque perfruendo peccetur. Quod cum ubique, & semper fiat, nisi quando rationalis animus per creaturam tanquam viam transiens, nil nisi patriam cogitat: ut naturali ordini juxta naturæ suæ dignitatem creatis reliquis supernitans, supra creaturam, sub creatore, ex unius ejus dilectione suspensus sit, ex ista facili, & generali, & infallibili regula non erit difficile cuilibet studioso Christianæ vel humanæ perfectionis intelligere, quàm propè ad illud culmen accesserit.

Lib. 1. de lib. arb. c. 15.

Cap. 16.

Nec verò molestè ferant infirmiores, quòd tam sublimem doctrinam S. Augustinus tradat: sed potius gratulentur sibi, quòd ignorantiam rei tantæ, quæ sive à scientibus sive nescientibus prætermittatur eos reos facit, oculis caligantibus detraxerit. Quòd si tamen eam vitæ praxi experiri cœperint, verissimam fortassis experientur, Psaltis Regij sententiam: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*: & quàm profundè Christus Dominus noster dixerit: *Siquis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Animabus enim veraciter sanctis, nulloque humanæ eruditionis obstaculo præpeditis, Dei Spiritu potiùs, quàm hominum magisterio medullitus insculpitur, & insculptam esse aliquando deprehendi; quas cor earum irrequieto stimulo reprehendit, simulatque creaturarum ingressui & affectibus patuit. Neque igitur indignentur Augustino, si doctrinæ istius radices profundius detexerit: quam etjam Recentiores, etsi subinde fluctuando, etsi verum & imum fundum ejus non penetrando, tradere conati sunt. Et sanctus Thomas quidem non semel præclarè docet, omnia opera nostra in Deum esse referenda: *In hyacinthinis vittis, quæ pallijs inserebantur, significatur cœlestis intentio; quæ omnibus operibus nostris debet adjungi.* Et alibi: *Omnia quæ facimus debemus in Dei reverentiam facere.* Vnde illam Apostolicam sententiam: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite*, sic exponit, ut significet,

Psal. 110.

Ioan. 7.

S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7.

2. 2. q. 89. a. 4. ad 3.

In 1. ad Cor. 10.

omnia facienda cum invocatione creatoris, ad intentione ut laudetur & glorificetur Deus. Et illam: *Omnia vestra in charitate fiant*, ad eundem modum explicat: *Omnia debent referri ad finem charitatis, scilicet ut fiant propter Deum & proximum.* Quamobrem etjam in Summa Theologica definitivè tradit non solùm ex consilio, sed ex præcepto ad Deum omnia esse referenda: *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Et in illa verba ad Coloss. 3. *Omne, quodcunque facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini* IESV *Christi*: quidam dicunt, inquit, *quod hoc est consilium: sed hoc non est verum.* Quam doctrinam & S. Anselmus & Lyranus & alij expresserunt.

In 1. ad Cor. 16.

1. 2. q. 100 art. 10.

Coloss. 3.

Vide Ans. in c. 3. Coloss. Lyran. in c. 10. 1. Cor.

Ex Recentioribus verò quidam asseveranter quidem tradunt ijsdem Apostolicis sententijs, quas produximus, istam relationem ad Dei gloriam non solùm consilio, sed præcepto nobis esse commendatam: sed radicem istius præcepti non satis assequentes putant in beneficijs Christi redemptoris Christiano cuilibet collatis esse fundatum; & idcircò infideles non stringi vinculis ejus. Sed quamvis ea citra dubitationem satis sint, ut tale positivum præceptum Christianis imponatur, rectiùs tamen S. Thomas & Augustinus vim ejus ex istis generalissimis verbis diu ante Christi redemptionem pronuntiatis petunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. Quibus jus naturæ, quod creaturæ rationali positum & impositum est, continetur; prout multis ex Augustini sensu declaravimus. Et libro quarto de natura lapsa, itemque primo de statu naturæ puræ, & quinto de gratia Christi Salvatoris uberiùs adhuc ostensuri sumus, ut scrupuli nonnulli, quibus aliquis diversis ex causis torqueri forsan posset, eximantur.

Vide Guilielm Estium in c. ad Cor. c. 10. v. 31. & in c. 13. v. 2. & in c. 16. v. 13. & in Epist. ad Coloss. c. 3. v. 17.

Deuter. 6.

An verò actu, an virtute, an habitu ad Deum omnia referenda sint, in Augustini mente nullam difficultatem habet. Ex ipsa quippe natura principij istius, unde rem totam arcessit, perspicuum est, ita esse in Deum retorquenda, ut mens dum agit, non in creaturæ, sed in Dei dilectione requiescat. Hoc autem certissimum est in Augustini sententia, non solo habitu, qui nihil omninò in actum influit, neque quicquam hic & nunc agendorum aut cavendorum in Deum aut creaturam refert, sed vel actuali vel virtuali intentione id esse præstandum, virtualis enim intentio in actibus humanis idem facit, quod actualis. Et quemadmodum imbecillitati humanæ impossibile est etjam in rebus naturalibus perpetuò cogitationem, vel voluntatis intentionem in finem, sive profectionis alicujus, sive alterius cujuscunque civilis, aut moralis, aut pravæ actionis defixam gerere; ita multo magis in rebus divinis: ubi pondere suo animus ab ipsa cogitationis vel intentionis sublimitate & perpetuitate deorsum premitur, ut & cogitatione & voluntate circa susceptam creaturam

 turam

turam vel actionem occupetur, quam propter Deum, hoc est, Dei intentione susceperat. Sufficit igitur utrobique, ut quod agendum suscipit, Dei intentione suscipiat, & illius intentionis impetu seu virtute animum urgente vel propellente pergat, etsi actu amplius de Deo fortasse non cogitet. Sic enim videmus actiones non solùm naturales, & civiles, morales, sive bonas sive malas, sed & ipsa Sacramenta peragi: in quibus omnibus & vulgari hominum judicio & communi Theologorum calculo virtualem adesse intentionem abundè sufficit. Itaque S. etjam Thomas, quamvis aliquando habitualis meminerit intentionis, per eam tamen virtualem intelligit. *Pertinet*, inquit, *ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur, ut omnia virtute referantur* A *in Deum &c. Et hoc modo Apostol. precipit ut omnia in Dei gloriam referantur.* Et ibidem inferius: *Habitualiter referi in Deum & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens: sed virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit sub praeceptum: sed virtualiter referre omnia in Deum cadit sub praeceptum charitatis, cum hoc nihil aliud sit, quàm habere Deum ultimum finem*, videlicet non in habitu, sed in actione quam exercemus. Quod nos toties juxta sanctum Augustinum diximus, non habitu, seu habituali animi constitutione (quod omnibus justis, etjam venialiter peccantibus & dormientibus competit) sed vel actu vel certè virtute istius actus quasi remanente, in Deo velut fine requiescere.

In quaest. Disput. de Charit. a. 11 ad 2. — *Ad 3.*

CAPVT XXI.

Proximus, qui creatura est, quomodo diligendus.

VNA tantùm non ita operosa difficultas, cujus solutio etjam superiùs indicata est, hic paulò fusiùs explicanda, quid de proximi amore dicendum sit. Testatur enim Scriptura, non tantùm Deum, sed & proximum esse diligendum: qui tamen creatura est. Premit arctius hæc difficultas dum non apparet, quomodo proximus diligendus sit, utendo an fruendo. Nam qui *neque fruitur neque utitur*, inquit Augustinus, *non invenio quemadmodum diligat.* Si proximo fruendum est, ruunt omnia quæ de vetita creaturarum fruitione diximus: neque enim proximus non est creatura. Si utendum, ergò diligendus videtur, ut ex eo temporale aliquod commodum capiatur: quod *detestabile vitium* idem Augustinus appellat.

Lib. 1. de doct. Christ. cap 31. — *Lib. de vera Relig. c. 46.*

Respondemus igitur proximum omninò esse diligendum, sed propter Deum. Sic enim diligere proximum jubemur, sicut nos-metipsos, nos ipsos autem vitiosè diligimus, si propter nos diligimus. Hoc enim velut radicem vitiorum taxavit Apostolus, quando dixit: *Erunt homines se-ipsos amantes.* Et quia talis amor sui non est amor, sed potiùs odium sui, quia malorum omnium fons, hinc est quòd cùm Deus toto corde Deum diligendum præcepisset, nullum mandatum de suipsius dilectione subjecerit; sed hoc unum dumtaxat, ut sicut nos ipsos proximum diligamus. Et quomodo proximum sicut meipsum diligam, qui quomodo meipsum diligam non didicerim? Nimirum hoc saluberrimè nobis indicatum Spiritus Dei voluit, nullam esse aliam veram dilectionem sui, quàm qua Deum ex toto corde diligimus. Quid est enim se diligere, nisi sibi velle bonum? Quod verò tandem est summo bono excellentius bonum? Hoc ergò cùm Deum diligendo sibi homo velit, fingi non potest major dilectio sui, quàm dilectio Dei. Cumque tanto nobilior & purgatior sit

2. Tim. 3.

A amor Dei, quanto magis homo à suipsius consideratione & reflexione discesserit, tanto quoque nobiliùs perspectiùsque seipsum diligit, quanto magis sui-ipsius obliviscitur. Ita miro inter se certamine homo vacuando, & Deus implendo contendunt. Sic præceptum istud dilectionis Dei Augustinus intelligit: *Videtur*, inquit, *de homine ipso, id est, de amatore ipso nihil actum. Sed parum dilucidè, qui hoc arbitratur intelligit. Non enim fieri potest, ut seipsum qui Deum diligit non diligat: imo verò solus se novit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille satis se diligit, qui sedulò agit, ut summo & vero perfruatur bono.* Et alibi longè vehementiùs, cùm ex Euangelio docuisset, in illis duobus præceptis de dilectione Dei ex toto corde, & proximi tanquam sui ipsius, totam legem Prophetasque pendere, nullâ factâ tertij præcepti de diligendo seipso mentione: *Videlicet*, inquit, B *ut intelligeretur, nullam esse aliam dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum. Qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicendus est. Fit quippe iniquus, privaturque luce justitiæ, qui à potiore ac præstantiore bono aversus; atque inde vel ad seipsum conversus, ad inferiora & egena utique convertitur: fitque in ipso quod veracissimè scriptum est: Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. Quia igitur nemo nisi Deum diligendo diligit seipsum, non opus erat, ut dato de dilectione Dei præcepto, etiam seipsum homo diligere juberetur; cùm in eo diligat seipsum, quod diligit Deum.* Hujus ergò primi mandati cancellis vitam hominis circumscribens, ut Deum omnibus suis facultatibus diligat, totâ videlicet voluntate suâ tanquam *ex toto corde*, ubi est principium primum impulsivum omnium motuum; & totâ intelligentiâ, tanquam *ex tota mente*, ubi est primum principium directivum; & tota vi appetendi inferiore, ut non repugnet superioris partis imperio, tanquam *ex tota anima*; & tota vi exequendi id quod voluntas ac ratio impera-

Lib. de moribus Eccles. cap. 26. — *Epist. 52.* — *Psal. 10.*

imperaverit, tanquam *ex tota fortitudine*, seu *totis viribus*, profectò *nullam vitæ nostræ partem reliquit*, inquit Augustinus, *quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re sibi velit. Sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit.* Nimirum hoc isto capitali præcepto, si rectè intelligatur, voluit Deus, ut omnis voluntas hominis, omnis cogitatio, omnis actio, solo ipso tanquam omnium nostrorum motuum fine terminetur, vel ipsum solum, sine interjecto medio, diligendo, vel in ipsum siquid aliud diligendum agendumque venerit, retorquendo. Quo principio vel potiùs omnium actuum fine in anima hominis constituto, ut jam seipsum noverit diligere, facilè est ei intelligere, quâ ratione illi proximus diligendus sit, quem tanquam seipsum diligere jubetur. *Quid* enim *aliud* per hoc *mandatur*, inquit Augustinus, *nisi ut ei quantùm potest commendet diligendum Deum?* Nempe ut quem potuerit hominem vel corporalis beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coërcitione, vel alio quocunque beneficij genere, adducat ad diligendum Deum, sciens in his duobus præceptis totam legem Prophetasque pendere.

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 22.

Lib. 10. de Civit. c. 4.

Quicunq; hæc ita erga proximum præstat, proximum diligit. Hæc autem ei præstat propter aliud non propter ipsum, quia propter Deum quem diligit, ut cum similiter proximus diligat. Vtitur ergò non fruitur proximo, dum proximum diligit. Nam ut suprà diximus ex Augustino, hoc fruimur quod propter se diligimus. Vnde idem quæstione illâ propositâ, utrum homines, cùm præcipitur ut se invicem diligant, uti an frui se invicem, propter se, an propter aliud diligere jubeantur: *Si enim propter se*, inquit, *fruimur eo; si propter aliud, utimur eo:* sententiam suam interponit: *Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata:* quæ non est constituenda nisi in illo uno, & vero, & summo bono. Vtimur ergò proximo, sed non sicut rebus temporalibus, ut ex eis commodum indigentiæ nostræ supplendæ capiamus; sed ut perducatur nobiscum ad fruendum Deo. Nam neq; nobis ipsis aliter uti fas est, vel ullo modo debemus frui; quia nec seipsum propter seipsum diligere debet, sed propter illum quo fruendum est. *Tunc quippe est optimus homo, cùm totâ suâ vitâ pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum; sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur; & propterea iam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cùm totus hæret atque constringitur incommutabili bono, quàm cùm inde vel ad seipsum relaxatur.* Quemadmodum ergò nec nobis ipsis frui licet, ita nec proximo: sed sicut nobis ipsis utimur, ita & proximo, ad hoc videlicet nos totos utrosque referendo, ut simul Dei bonitate perfruamur. Quòd cùm opitulante Deo perfectum fuerit, tunc etjam nobis invicem, sed in Deo perfruemur. Iuxta illud quod dicit ad Philemonem Paulus: *Ita frater ego te fruor in Domino.* Et illud Psalmistæ: *In Domino laudabitur anima mea.* Sed ista fruitio hominis in Deo, potiùs Dei quàm hominis est fruitio. Gaudium enim istius fruitionis inde proficiscitur, quod illa incommutabilis forma divinæ justitiæ vel beatitudinis, quam unicè diligebas, & cui hominem aptatum, dilectione & contemplatione conjunctum esse cupiebas, in illo tandem ex Dei bonitate completa sit. Quem enim propter Deum dilectum eo fine diligebas, ut & ipse Deum diligeret, Deoque frueretur, postquam jam Deum diligit, eoque fruitur, propter eundum Deum quem diligis de illius dilectione & fruitione lætaris. Hoc & nihil aliud est frui hominem Deo. Vnde Augustinus: *Cùm autē homine in Deo frueris, Deo potiùs quàm homine frueris. Illo enim frueris, quo efficieris beatus; & ad eum te venisse lætaberis, in quo spem ponis ut venias.* Ex quibus perspicuum est, cùm toties diximus, & ex Augustino declaravimus, amoris affectum à creaturis omnibus avellendum, nos de amore inhærente, non transeunte loqui; de amore, qui fruendis non utendis creaturis inhiat; de amore denique qui in creaturam, non in Deum ultimò terminetur. Et ita nullo modo esse contraria, ut affectus omnes à creatis rebus diligendis, quantùm possumus, comprimamus, & tamen proximum ex Dei mandato toto pectore diligamus.

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 22.

Lib. 1. de doct. Christ. c. 22.

Psal. 33.

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 33.

CAPVT XXII.

Doctrina præcedentium capitum applicatur ad motus concupiscentiæ.

HÆc si vera sunt, quæ de voluntatis actibus erga creaturas exercendis vel comprimendis secundùm Augustini doctrinam diximus, jam per se elucet illa doctrina de motibus concupiscentiæ, propter quos tractatus de motibus voluntatis illis consentientis interpositus fuit. Cùm enim non sint aliud concupiscentiæ motus, quàm quædam *desideria bonorum temporalium*, seu *inclinationes animæ ad fruendum inferioribus*; cujusmodi nominibus, ut suprà vidimus, eos Augustinus appellat; fruitio verò bonorum inferiorum, creaturæ rationali divinâ æternâque lege sit vetita, & solus concessus eorum rationabilis usus, perspicuum est non licere rationi talibus fruendi inclinationibus assentiri. Sic enim opus est, ut *nos inter illa quæ infra nos sunt, & illa quæ supra nos sunt, Deo & Domino nostro*

Lib. 6. Musicæ c. 11.

nostro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur. Quapropter illa generalis Christianæ vitæ norma est, quam de rerum temporalium libidinibus seu amoribus tradit Augustinus: *Quod ad mores attinet, hoc bene & breviter dicitur: Aut confligendum est cum amore temporalium bonorum* (id est, cócupiscentiis) *ut non vincat aut etiã edomitus subditusq; ve esse debet, ut cum surgere cœperit, facilè reprimatur; aut ita extinctus, ut se omninò nulla ex parte commoveat.* Nam Christiana militia non est alia, quàm cum cócupiscentia tumultuante, & nunc in hęc, nunc in illa bona prosiliẽte pugnare. Nihil enim sibi aliud vult id quod Apost. dicit; *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Quibus verbis describendo quid fiat, quid ab homine spirituali fieri velit, ostendit. Nec aliud oramus quando dicimus: *Ne nos inducas in tentationem*, quàm ne tentationi, hoc est concupiscentiæ motibus consentiamus. Vnde Augustinus: *Vt non ei consentiamus, deprecamur adjutorium dicentes: Et ne nos inferas in tentationem &c. Non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentet: nam Deus intentator malorum est, ipse enim neminem tentat. Sed ut si forte tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti.* Vnde statim sensum illius Dominicæ petitionis esse dicit: *Adjuva ne abstrahamur à concupiscentia.* Et in libris operis imperfecti contra Iulianum: *Cum generationis reatus regeneratonis indulgentiâ fuerit absolutum, obediendum est justitiæ spiritus, eique consentire; nec obediendum est concupiscentiæ carnis, contra quam certare debemus.* Et in libro de natura & gratia: *Facere est ergò justitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiscentiæ malo interna conflictatione pugnare.* Et in libris adversus Iulianum: *Nunc enim necesse est ut repugnet, qui ei inservire noluerit: necesse est ut serviat, qui repugnare neglexerit. Quorum duorum unum est molestum, etsi laudabile; alterum turpe, & miserabile*, quæ laus ac turpitudo repugnandi aut serviendi, in omnibus omninò temporalium rerum concupiscentiis, ad quas naturæ nostræ vel consuetudinis propellit instinctus, similiter locum habet. Nec opus est pluribus hoc stabilire. Hujusmodi enim sententiæ tanquam ex primis fundamentis Christianæ religionis haustæ, sexcenties in Augustino repetuntur. Sed hæc adjuncta superioribus, quæ de concupiscentiæ motibus ex ejus principiis latè diximus, sufficere mihi videntur. Nunc ad argumenta, quæ capite undecimo proposuimus, dissolvenda veniamus.

Quæst. 11. in Matth.

Galat. 6.

Lib. 2. de pec. merit. c. 4.

Lib. 2. op. imper. c. 152

Cap. 62.

Lib. 5. c. 16.

CAPVT XXIII.

Solvuntur argumenta capite undecimo proposita.

AD primum igitur argumentum non est operosum respondere. Verum est enim, virtutem, passiones, ut ibi dicitur excessivas fugere, mediocres admittere. Nimirum quia ipsa virtus est, quæ medium in passionibus ponit, & eas ordinat: hoc autem non in eo situm est, ut propter se voluptas ex cibo & potu, vel uxore appetatur: verùm ut affectibus animi imponatur frenum & modus, ne rationem suo impetu transversam agant, sed potiùs rationis ordinem sequantur. Hoc est, ut quantum, ubi, quando, quomodo oportet interiùs appetatur, & exteriùs usurpetur. Hoc autem ex fine metiendum est. Nam quemadmodum juxta sanctum Dionysium ψυχῇ κακὸν τὸ παρὰ λόγον, *anima malum est præter rationem*: ita bonum ejus secundùm rationem. Præcipuus autem ordo & bonum rationis in eo situm est, ut media ad finem ordinet; cùm & bonum habeat rationem finis, & finis sit tota regula mediorum. Omnia verò delectabilia sive gustus sive tactus, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem, sicut ad finem, cibus & potus ad individui, concubitus ad speciei ruinas restaurandas. Et ideò virtus, quæ circa voluptates illas moderandas versatur, necessitatem vitæ velut regulam delectabilium istorum respicit. Nimirum ut quemadmodum nihil istorum propter se institutum est, ita nihil istorum per se & propter se homo sibi appetendum vel admittendum putet; sed tantum dumtaxat, quantum finis iste postulaverit. Quod præclarè paucis verbis, sed valdè generalibus pro quocunque rerum temporalium usu moderato Augustinus aperuit: *Habet vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque Testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum satis est usurpet, utentis modestiâ, non amantis affectu.* Ecce modum, quem temperantia imponit passionibus, nempe talem, ut nec ipsa passio appetendi talia propter talia relaxari debeat, sed tantummodo propter vitę & officiorum necessitatem, sicut recta ratio, vera moderandarum passionum norma præscribit.

Dionys. lib. de divinis nominibus cap. 4.

Lib. de mor. Eccles. cap. 21.

Ex quo etiam vis tota secundi & quarti argumenti evanescit. Nam quamvis neque res delectabiles, neque ipsa delectatio, seu voluptas mala sit, sed indifferens, & ideò nullo speciali præcepto vetita, ipsam tamen propter ipsam concupiscere ac diligere vetitum est. *Amari enim potest res bona amore non bono.* Quibusdam enim esse bona, multo minùs esse indifferentia, non est satis ut diligantur, sed opus est ut sicut propter aliud sunt, ita propter aliud assumantur ac diligantur; hoc autem non est illa diligere, nec propter se appetere, sed per illa, fixâ in aliud dilectione transire.

Aug. lib. contra Secundin. c. 16.

transire. Non opus est igitur adesse circumstantiam, qua dilectio, seu appetitio eorum fiat mala; sed sufficit abesse circumstantiam, qua ad appetendum ac diligendum fiant bona. Non enim corporeis hujusmodi rebus fruendum, sed utendû est; ipsa verò propter ipsa concupiscere, multoque evidentiùs ipsa propter voluptatê appetere, ut isti Recentiores volunt, hoc & nihil aliud est, quàm eis velle frui, quod divina æternaque lege prohibemur. Ex cujus regulæ consideratione dicebat jam statim de rebus fluentibus à temperante viro appetendis Augustinus: *Vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet.* Ex qua tam apposite dicit alibi, quasi ex professo argumentum istud sibi refellendum delegisset: *Cum tu malum dicas, cui consentiendo anima peccat, ego bonum dico in genere suo, sed tale bonum, cui animam, quæ est melior, consentire non decet. Cum enim sit ipsa corpore superior, Deumque habeat se superiorem, quamvis in ordine suo natura corporis bona sit, peccat tamen anima, & peccando fit mala, si consensionem dilectionis, quam superiori Deo debet, inferiori corpori adjungat.*

Ibid.

Ad tertium dicimus, ex eo quod matrimonium est licitum, rectè sequitur licitum esse concubitum; sed sicut non idcircò matrimonium propter voluptatem carnis appeti potest, ita neque concubitus. Aliud est enim concubitum delectabilem appeti & admitti posse, aliud propter delectationê aucupandam appeti posse. Pervertitur enim hic ordo naturalis æternâ lege præscriptus, quæ jubet, ut neque matrimonium, neque concubitus ad libidines carnis voluptate satiandas, sed ad proles ordinatâ societate propagandas appetantur. Infallibilis enim legis æternæ est sententia sanctissimi Doctoris ore de hac ipsa cibi, potus, & conjugij appetitione pronunciata: *His bonis, quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc propter quod instituta sunt, utitur, peccat alias venialiter, aliàs damnabiliter.* Iam verò non solùm concubitus propter prolem; sed & ipsa voluptas ejus propter concubitum, non concubitus propter voluptatem; sicut & sapor propter cibum institutus est; nimirum ne fortè sensus animantis asperitate concubitus aut cibi & potus offensus, res toti generi & individuo fulciêdo necessarias abhorreret. Hunc ordinem naturæ turbat, qui voluptatibus carnis ex illarum rerum usu venandis inhiat, nec illis uti, sed abuti, vel potius frui velle convincitur; & ita alium longè sublimiorem utendi & fruendi perturbat ordinem, quem lex æterna conservari jubet, perturbari vetat.

Lib. de bono conjugali c. 9.

Ad quintum argumentum responsio ex prædictis intelligi potest. Divisio enim voluptatum in licitas & illicitas non eo sensu accipi debet, quasi quibusdam voluptatibus licitum esset frui, quibusdam illicitum, hoc est, quasi quasdam nudè propter ipsas expetere liceret, alias non liceret: sed isto potiùs, quòd quædam voluptates ex objecto licitæ sint, sive, quod in idem redit, quòd quædam res, quarum usus voluptate sensus nostros afficit, divinâ lege concessæ sint, aliæ non concessæ. Nam cibus, potus, concubitus conjugalis, cantica honesta, suavis odor, & similia, quorum suavitate sensus afficitur, licita sunt, quia nullâ lege prohibentur; Fornicatio verò, adulterium, esus carnium in quadragesima, dulcia cantica impudica, & hujusmodi, quæ sensus nostros non minore voluptate perfundunt, sunt illicita. Sed sicut non propterea, quòd illorum delectabilium seu voluptatum, quas antè recensuimus, usus licet, etiam abusus licet; ita nec illa delectabilia seu illas voluptates propter ipsas appetere licet, sed propter fines quibus assequendis divinitus institutæ sunt. Virtus enim vera non solùm imponit modum delectationibus atq; passionibus quantum ad objectum, ejusque quantitatem, tempus, locum, ceterasque circumstantias; sed in primis quantum ad finem. Bonum quippe hominis est quod secundùm rationem: ratio verò recta in agendis præcipuè respicit finem: quem propterea etiam voluntas velut bonum suum appetit. Hunc esse verum Augustini sensum ex diversis locis ejus apertissimum est, sed maximè ex illo Sermone decimo septimo de verbis Apostoli, ubi rem illam ex professo tractat. *Delectant quædam naturaliter infirmitatem nostram; ut cibus & potus delectant esurientes atque sitientes: ut nos delectat hæc lux, quæ de cœlo funditur Sole exorto, vel quæ sideribus & Lunâ fulget, vel quæ in terra accenditur luminibus consolantibus tenebras oculorum: delectat canora vox & suavissima cantilena; delectat odor bonus: delectant etiam tactum nostrum quæcunque pertinent ad carnis aliquam voluptatem. Et hæc omnia quæ nos delectant in sensibus corporis aliqua licita sunt. Delectât enim, ut dixi, oculos & spectacula ista magna naturæ: sed delectant oculos etiam spectacula theatrorum. Hæc licita, illa illicita. Psalmus sacer suaviter cantatus delectat auditum: sed delectant auditum etiam cantica histrionum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant olfactum flores, & aromata, & hæc Dei creatura: delectant olfactum etiam thura in aris dæmoniorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectat gustum cibus non prohibitus, delectant gustum etiam epulæ sacrilegorum sacrificiorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant conjugales amplexus; delectant etiam meretricum. Hoc licitè, illud illicitè.* Ex his subnectit illa verba, quæ in objectione citavimus. *Videtis ergò charissimi etiam in istis corporis sensibus licitas esse & illicitas delectationes.* Quo ex loco perspicuum est, non ideò delectationes illas licitas dici, quasi licitum esset eas quovis vel modo vel fine percipere: sed quia rerum istarum delectabilium, dum debita moderatione sumuntur, usus non est vetitus, imò sæpè præceptus; sicut est vetitus earum quas illicitas vocat. Nunquâ enim fornicari, aut adulterari, aut impudicis spectaculis oculos pascere sive moderatè sive immoderatè licet. Et hinc est, quòd ex illis ipsis quas hîc vocavit, licitis voluptatibus cibi & potus, aliâ vocat *modestâ & naturalê*, cùm tanta adhibetur, *quanta sustentationi naturæ, salutique sufficit*; aliam *immoderatam*, quæ limitem illum prætergreditur. Quas verò hîc vocavit voluptates

Serm. 17. de verb. Apost. cap. 2.

Lib. contra Adimant. cap. 14.

luptates licitas & illicitas, eas alibi eodem A sensu vocat res *concessas*, & non *concessas*. Licita enim voluptas dicitur, quæ ex re concessa; illicita, quæ ex inconcessa capitur. Sed in illis ipsis concessis rebus, & consequenter in earum captandis voluptatibus, culpat excessum. De concubitu enim conjugali & meretricio disputans: *Tantùm*, inquit, *valet ordinatio creatoris, & ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cùm modus exceditur, longè sit tolerabilius, quam in eis quæ concessa non sunt, vel unus, vel rarus excessus. Et ideò in re concessa immoderatio conjugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est.* Vbi tamen de illo solo excessu tolerando loquitur, qua conjux cum concessa conjuge solius voluptatis causâ, quam alibi licitam appellaverat, commiscetur. Ex quo fit, ut voluptatem licitam, hoc est, rei non prohibitæ, reddat ipse abusus illicitam. In quo genere non solùm abusus est, cùm capitur, ubi, quantum, vel quando non debet; B sed etiam cùm capitur propter quod non debet, hoc est, cùm voluptas propter voluptatem expetitur. Hoc est enim non voluptate & ipsâ re concessâ uti, sed velut bono creaturæ rationalis frui. Absit verò, ut optimè dixit olim Tullius *idem esse arietis, & Scipionis Africani bonum.* Nam hujusmodi bonum arietis appetitu carnali concupiscitur: *Nullo autem modo fieri potest*, inquit Augustinus, *ut carnali concupiscentia bonum hominis concupiscatur.*

[Lib. de bono conjug. c. 11.] [Apud Aug. lib. 4. cont. Iul. cap. 12. & 6. cont. Iul. c. 16.]

Ex his intelligi potest similis amoris divisio in licitum & illicitum. Quædam enim licitè diliguntur, quædam illicitè. Licitè diligitur parens, filius, uxor, consanguineus, amicus, vel alio simili vinculo copulatus; illicitè meretrix, uxor aliena &c. Tradit istam divisionem Augustinus in Sermonibus: *Charitas*, inquit, *alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita.* Licitam vocat, *quæ non reprehenditur* illicitam *quæ damnatur*: illam dicit esse, C *qua uxor diligitur, filii, amici, cives*: hanc verò, qua *meretrix, vel uxor aliena.* Illam non solùm esse licitā, sed ita præceptam, ut si defuerit, reprehendatur. Nam *si talis*, inquit, *quisque crudelitate fertur, ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non amet filios suos, & non amet conjugem suam, nec inter homines numerandus est. Non enim laudandus est qui amat filios suos, sed damnandus est qui non amat filios.* Rectissimè: siquidem amor iste etiam secularis, non divinus ex objecto bonus est, & ita divina lege præceptus, ut siquis non amaret homines hujusmodi humanæ necessitudinis vinculo sociatos meritò velut peccati reus plecteretur. Sed aliud est humanam istam dilectionem adesse debere, & sine peccato abesse non posse, aliud sufficere. Eodem quippe modo cibi & potus usurpatio, non solùm licita, sed præcepta est, usque adeò ut qui cibis uti detrectaret, velut homicida D sui-ipsius reus haberetur, sed non propterea ab alterius legis vinculo immunis est, qua cibus, & potus, ipsaque vita, propter quam sumitur cibus & potus, in finem unicum & verum creaturæ rationalis referendus est; ne

[Serm. 52. de tempore c. 1.] [Cap. 2.] [Ibid.]

alioquin pro creatore fruens creaturis, sive seipso sive quacunque alia perturbet ordinem naturalem utendis fruens, vel fruendis utens, *quæ*, teste Augustino, *omnis humana perversio est*, æternaque lege prohibetur. Sic ergò dilectio parentum, conjugum, liberorum, & similium, divinâ & naturali lege mandata est; sed non ita, ut in istis vel officijs dilectionis, vel in quibus exhibentur, hærere sufficiat. Erigendus est eò animus, quo creaturam illam erigi decet, cui Deus est unicum & verum bonum, & finis omnium actionum ac dilectionum ultimus, quò debent cuncta collimare, atque pertendere. Sic enim implebitur illud præceptum, quo proximum & inter illos maximè propinquiores diligere jubemur, sicut nosmetipsos. De cujus præcepti sensu suprà disseruimus. Quapropter idem Augustinus, qui amorem illum licitum eo quo dixi sensu appellaverat, ita in eodem sermone de dilectione altiùs subvehenda subjungit: *Amate filios vestros, amate conjuges vestras, etsi seculariter. Nam secundum Christum amare debetis, ut secundum Deum illis consulatis, & non in eis nisi Christum diligatis.* Itaque duo hic quasi præcepta sunt, alterum diligendi, alterum propter finem ultimum diligendi. Qui primum implet sine secundo, non peccat, sed laudabiliter facit diligendo, sed vituperabiliter facit non propter finem ultimum diligendo. Itaque nudè diligendo, bonum quidem facit, sed ipsum bonum non benè facit. Vnde alibi apertissimè Augustinus: *Noveris non officijs, sed finibus à vitijs discernendas esse virtutes. Officium autem est quod faciendum est: Finis verò, propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et paulò pòst peccatum esse dicit nudum operire, non propter Deum, hoc est, pauperem diligere non propter Deum: *non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari* (id est, non propter Deum dilectum illud facere) *solus impius negat esse peccatum.* Vnde quod in suprà citato Sermone subjicit: *Quando & humanitus diligis uxorem, sed plus dilige Christum. Non dico ut non diligas patrem, non dico ut non diligas filios, sed plus dilige Christum*: non quasi omni ex parte licitum permittat, eos diligi sine ordine ad Deum, sed satagit ut saltem hoc ab imperfectis hominibus impetret, ne Christo illos diligendo præponant, si ab alterutris deserendi fuerint. Nam amorem illum, quo carnaliter amici conjugesque diliguntur, alijs in locis, loco ligni, stipulæ, & fœni habet, quæ in die Domini exurenda sunt. Quod manifestissimè docet in libris de Civitate Dei: *Quicunque non dico uxorem, cujus etiam commixtione carnis ad carnalem utitur voluptatem, sed ipsa quæ ab hujusmodi delectationibus aliena sunt nomina pietatis, humano more carnaliter diligendo, Christo anteponit, non eum habet in fundamento: & ideò non per ignem salvus erit, sed salvus non erit &c. Verum qui has necessitudines sic amat carnaliter, ut tamen eas Christo Domino non præponat, ma-*

[Lib. 83. qq. q. 30.] [Ibid. c. 7.] [Lib. 4. cont. Iul. c. 3.] [Ibid.] [Lib. 21. cap. 26.]

Digitized by Google

tuæ, maliique ipsis ætatere, quàm Christo, si ad hunc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem salvus erit: quia ex earum amissione tantum necesse est urat dolor, quantum hæserat amor. De puro vero amore, quo verè talis necessitudinis nomina à Christianis diligenda sunt, sic annectit: *Porro qui Patrem, matrem, filios, filiasque secundum Christum dilexerit, ut ad ejus regnum obtinendum eique cohærendum illis consulat, vel hoc in eis diligat, quod membra sunt Christi, absit ut ista dilectio reperiatur in ligno, fœno, & stipula consumenda, sed prorsus ædificio aureo, argenteo, gemmeo deputabitur.* Sed de modo diligendi & benefaciendi fusiùs nonnihil infrà de operibus infidelium tractando, dissèremus.

Ad postremum de appetitu sensitivo dicimus, non sequi esse malum, sed imperfectum. Fertur ille in objecta sensibus grata, & ibi hæret: non enim novit altiùs assurgere, vel aliò referre quod appetit. Hoc enim officium rationali voluntati proprium est, nec ab illo invadi debuit. Quòd si etiam voluntas cum illo in sensibilibus hærere velit, non est hoc malum appetitus, sed ipsa voluntatis. Non enim quia non omnia facit, ideo malũ est quod facit. Oculo remus in aqua frangi videtur, cùm inde auferetur integrari; siquis idem mente judicet, non malum habet internuncium, sed malus est judex. Nam ille pro suæ naturæ conditione non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit. Si enim aliud est aër, aliud aqua, justum est ut aliter in aëre, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus rectè videt: ad hoc enim factus est, ut tantùm videat: sed animus perversè judicat, cui ad cernendam veritatem mens non oculus factus. Transfer istud ad appetitum, & voluntatem. Ille in suo genere quamvis inferiore bonus, opus proprium, sicut naturâ institutus est, operatur: hæc verò superior, cui actionem longè præstantiorem, summa moderatrix rerum justitia tribuit, si illum inferiorem quamvis bonum sequi & imitari voluerit, peccando fiet mala; non quia malum, sed quia malè imitatur. Ab illo enim agitur proprium, ab hac appetitur alienum. Vnde ille in suo gradu inculpatus manet; hæc delinquendo ad inferiora demergitur. Pulchrè incedit quadrupedans equus: at si hoc homo pedibus manibusq; imitetur, quis eum vel palearum cibo dignum putet? Rectè enim plerumque improbamus imitantem, cùm eum quem imitatur probemus. Improbamus autem, non quia non sit assecutus, sed quia omnino assequi voluit. In quo enim probamus illud: cui quantùm præponimus hominem, tantùm offendimur, quòd inferiora sectatur. Non ergo idcirco appetitus sensitivus malus haberi debet, quia nos cùm illum rationali voluntate sequimur corporeas voluptates diligendo, sicut ipse diligit, mali sumus. *Propterea enim*, inquit Aug. *corporea diligendo peccamus, quia spiritalia diligere & justitiâ jubemur, & natura possumus: quod ille non potest, & tunc in nostro genere optimi & beatissimi sumus.* Sed hoc est malum appetitûs sensitivi: quòd corporea præcipitanter diligit, & rationem præcurrendo, quam sequi debuit, importunisq; motibus titillando, voluntatem ad se sequendum occultâ, & blandâ, & efficaci quâdam suasione traducit. Sed illa non est natura instituti appetitus, sed pœna dãnati.

Lib. de duab. animab. c. 13

CAPVT XXIV.

Nullum peccatum nunc committitur, nisi concupiscentiæ consentiatur.

SATIS ex Augustino hactenus declaravimus, omnem assensum voluntatis, quo libidini seu concupiscentiæ creatis rebus, bonisque temporalibus inhianti ceditur, ut id quod homo facit propter ipsam faciat, esse peccatum. Nunc juxta principia ejus considerandum est, utrum etiam omne peccatum eidem concupiscentiæ consentiendo committatur: hoc est, utrum sicut omnis consensus est peccatum, ita vice versâ, omne peccatum sit consensus; sive, utrum nunc nullum peccatum aliter nisi concupiscentiâ voluntatem provocante, & voluntate concupiscentiæ consentiente, perpetretur. Non est à nobis hic sermo de peccato primi hominis, sed de illis tantùm, quæ post lapsum humani generis à scientibus fiunt.

In qua quæstione non minùs manifesta est Augustini sententia, omnia hujusmodi peccata post illud primum, concupiscentiâ incitante & voluntatis assensum impetrante, perpetrari.

Constat hoc primò ex eo, quòd frequenter docet, omne peccatum præcedente tentatione committi, neque tentari nos posse nisi per partem illam animalem, quæ motibus concupiscendi subjacet. Nam de tentatione mulieris per serpentem seu diabolum agens, sic loquitur: *Sed tamen per mulierem decipit: non enim etiam ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisque delabitur, quam tunc actum est in illis tribus, serpente, muliere, & viro. Nam primò fit suggestio, sive per cogitationem, sive per sensus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo: quæ suggestio cum facta fuerit, si cupiditas nostra non moveatur ad peccandum, excludetur serpentis astutia: si autem mota fuerit, quasi mulieri jam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat, atque compescit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, & quod libido commoverit, faciendum esse decernat, ab omni vita*

Lib. 2. de Genes. cont. Manich. c. 14

beata tanquam de paradiso expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum, quoniam rea tenetur consensione conscientia. Et inferiùs: *Quare ergo ita dicitur (ponam inter te et) inimicitias & mulierem,* id est partem inferiorem) *nisi quia hinc manifestè ostenditur, non posse nos à diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem, vel exemplum in uno ipso homine ostendit? De qua superius iam multa diximus:*

Ibid.

In Psal. 83. Eandem doctrinam tradit in Psalmos: *Adam non est seductus, Mulier autem seducta est.* Postea enim *Adam consensit mulieri, nam à serpente mulier seducta est.* Ecce figura omnium tentationum, quas post Adæ lapsum in hac vita perpetimur. Sic enim adjicit: *Nec modo potest aliqua mala suasio, nisi carnis tua* (id est partis inferioris) *primò desiderium commoverit, cui postea si mente consenseris, cecidit & passer &c.* Et in alio Psalmo tractans illud: Caro concupiscit adversus spiritum &c. *Et hoc grave bellum,* inquit, *& quod est molestius, internum. In quo bello si fit quisque victor, illos quos non videt inimicos continuo superabit. Non enim tentat Diabolus vel Angeli eius, nisi quod in te carnaliter dominatur. Nam quomodo vincimus illos hostes quos non videmus, nisi quia carnales interiores motus nostros sentimus?* Quamvis autem progressus ille diabolicæ tentationis, quo per mulierem in Adamum transiit, aptissima hujus rei figura fuerit, non tamen ex illa, sed ex Apostoli Iacobi doctrina videtur Augustinus illam hausisse sententiam. Nam ille cùm beatum prędicasset virum, qui suffert tentationem, per hoc indicans nullum peccatum cōmitti posse, nisi sollicitante tentatione via præparetur, statim originē omnis tentationis explicat: *Nemo,* inquit, *cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Vnde ergo tentationes, si non à Deo? *Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Vbi satis apertè docet, non tentari hominem nisi ex concupiscentia. Si enim aliunde tentatur, non rectè dixisset universaliter: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua*: neque rectè dum removet tentationem à Deo, soli concupiscentiæ eam tribuisset. Sic intellexit hunc locum August. *Quisquis,* inquit, *in tentationem non infertur, profecto nec in tentationem sua mala voluntatis infertur. Et qui in tentationem sua mala voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur. Vnusquisque enim tentatur, ut scriptum est, a concupiscentia sua abstractus & illectus.* Quasi diceret; omnis enim tentatio malæ voluntatis ex concupiscentia surgit. Et in libris adversus Iul. *Quid est quod quotidie dicimus: ne nos inferas in tentationem, nisi ut non tradamur concupiscentiis nostris? Vnusquisque enim tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus.* Vnde cùm libro sexto de concupiscentiæ peccatis disputans, eundem Apostoli locū protulisset: *Concupiscentia,* inquit, *non parit nisi conceperit, non concipit nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum. Quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur ne concipiat pariatque peccatum.* Et statim omnia omnino peccata sub illis concupiscentiæ partubus comprehendens addit: *Dimissis itaque in baptismo peccatis omnibus, id est, omnibus concupiscentiæ fœtibus &c.* Et hinc est, quod August. etjam non aliter duas illas orationis Dominicæ petitiones: *Ne nos inducas in tentationem:* &: *Dimitte nobis debita nostra,* exponere solet, nisi ut à concupiscentiæ tentationibus eruamur, & ejusdem concupiscentiæ superantis peccata dimittantur. Nam hoc sibi volunt de tentatione concupiscentiæ illa verba paulo antè citata: *Quid est quod quotidie dicimus. Ne nos inferas in tentationem; nisi ut non tradamur concupiscentiis nostris?* Quasi diceret, nihil aliud petimus nisi ut non tradamur concupiscentiis nostris. Hoc sibi vult evidentiùs quando dicit: *Et non ei consentiamus, deprecamur adiutorium dicentes: Et ne nos inferas in tentationem; vel sicut nonnulli codices habent; ne nos inducas in tentationem. Non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentet: nam Deus intentator malorum est: ipse enim neminem tentat; Sed quod si forte tentari cœperimus a concupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti.* De altera verò petitione longè apertissimè idem docet. Nam in Epistola ad Asellicum cùm citasset illa verba Scripturæ: *Post concupiscentias tuas non eas;* sic subjungit: *Quod quidem tam magnum est, ut si omnimodo fieret, & quamvis insint, dum sumus in corpore mortis huius, desideria peccati, nulli eorū tamen adhiberemus assensum, non esset unde diceremus Patri nostro qui est in cœlis: Dimitte nobis debita nostra.* Et in libro de natura & gratia de eadem petitione loquens: *Per hoc,* inquit, *quotidianum spiritale quodammodo incensum, quod ante Deum in altare cordis, quod sursum habere admonemur infertur, etiamsi non hic vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde venia deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur.* Vbi nos mori dicit posse sine peccato, deletis tantummodo peccatis infirmitatis & ignorantiæ. Nam infirmitas & concupiscentia apud Augustinum idem sunt. Et in libro de perfectione justitiæ de concupiscentia, seu, ut Apostolus vocat, peccati desideriis agens: *Videat,* inquit, *quid agatur de Dominica oratione, ubi dicimus: dimitte nobis debita nostra. Quod nisi fallor non opus esset dicere, si nunquam vel in lapsu linguæ vel in oblectanda cogitatione eiusdem peccati desideriis aliquantulum consentiremus, sed tantummodo dicendum esset: Ne nos inferas in tentationem.* Et in libris ad Bonifacium: *Nec propter ipsam, cuius iam reatus lavacro regenerationis absumptus est, dicunt in oratione baptizati: dimitte nobis &c. sed propter peccata quæ fiunt, sive in eius consensionibus, cum ab eo quod libet, vincitur id quod placet, sive cum per ignorantiam malum quasi bonum placet.* Vnde utramque petitionem conjungens libro secundo de peccatorum meritis: *Sic ergo totum hoc* (negotium vivendi sine peccato) *in tribus beneficiis positum breviter peti potest: Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti a concupiscentia,* id est, dimitte nobis &c. *adiuva ne abstrahamur a concupiscentia* id est, ne nos inducas in tentationē, *aufer a nobis concupiscentiam,* id est, libera nos à malo. Itaque in Epist. 29. ad S. Hieron. apertissimè profitetur, omne

Iacob. 1.

Lib. de dono persev. c. 6.

Lib. 4. cont. Iul. c. 4.

Lib. 6. c. 15.

Lib. 5. c. 4.

Lib. 1. de merit. c. 4.

Epist. 200.

Cap. 35.

Cap. ult.

Lib. 1. ad Bonif. c. 13.

Lib. 2. c. 4.

tur, omne peccatum ex aliquo vitio tanquam peccati fomite proficisci: *Sunt plurimi tales, (pudici) quorum sine aliquo peccato esse neminem dixerim: & utique illud qualecunque peccatum ex aliquo vitio venit.* Et paulo inferiùs: *Si omnes ibi (in religiosis conjugatis) essent virtutes, nullum esset vitium: si nullum vitium, nullum omnino peccatum. Quis autem sine aliquo peccato? Quis ergo sine aliquo vitio, id est, fomite quodam, vel quasi sine radice peccati.*

Epist. 29 ad Hieron. — Ibid.

Secundò eadem sententia ex eo constat, quòd sæpè docet, nullum peccatum perpetrari, quod non præcedat aliqua delectatio, quam delectationem nihil aliud esse sentit quam rerum delectabilium libidinosum desiderium, juxta id quod suprà de delectatione diximus. Itaque in libris contra Faustum, ubi de frenandis & relaxandis delectationibus, hoc est, concupiscentijs rerum delectabilium agit: *Si nihil delectaret*, inquit, *illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illicitam relaxat potius quàm refrenat.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Quæcunque est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex mala cupiditate, non exoriuntur nisi ex illicita delectatione. Huic ergo illicitæ delectationi si resistamus, si non consentiamus, si membra velut arma non ministremus, non regnat peccatum in nostro mortali corpore.* Qua consideratione paulo pòst in eodem sermone dicit, nihil aliud esse secundum carnem ambulare (sub quo omnia peccata continentur) quàm carnalibus concupiscentijs consentire: *Quid est secundum carnem ambulare? Carnalibus concupiscentijs consentire. Quid est secundum spiritum ambulare? adjuvari spiritu in mente, & concupiscentijs carnis non obedire. Sic ergo impletur in nobis lex, impletur in nobis justitia Dei.* Eandem delectationem omnibus peccatis præcurrentem, agnoscit Augustini discipulus Prosper: *Quodlibet peccatum perpetrare non possumus, nisi malæ delectationi consentiamus.* Et Cyrillus Alexandrinus apertissimè: *Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, & fervens cupiditas ad delicta solet allicere, quæ ante peccati actum insidet, & mentem consensum ad ipsa persuadens facile hac via vincendum esse quo gloriamur. Quod etiam Christi discipulus ostendit dicens: Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum.* Vbi eodem plane modo, sicut Augustinus, sententiam istam suam de delectatione omnibus peccatis præeunte, viamque præparante, doctrinam Apostolicam esse profitetur.

Lib. 22. cont. Faust. c. 28. — Serm. 6 de verbis Apost. cap. 1. — Ibid cap. 9. — Lib. 3. de vita contempl. cap. 4. — Lib. 4. in Joannè c. 51

Tertiò eadem Augustini sententia ex eo manifesta est, quòd ideo in cælo nulla dicit futura esse peccata, quia nulla erit concupiscentia cui consentiendo peccetur: *Cur autem in regno nulla peccata remittat Deus filijs suis, nisi quia non inveniet quod remittat? Non enim poterunt ibi esse peccata, ubi spiritus non dico, non consentit concupiscentiæ carnis, sed nec concupiscit adversus carnem, quia nec caro adversus eum, illa ineffabili salute perfecta, quæ nunc non fit in baptismo, ubi remittuntur quidem cuncta peccata, sed remanent carnalium concupiscentiarum mala &c.*

Lib. 6. cont. Jul. cap. 15

Quartò ex eo quod doceat non esse membrorum usum malum, nisi quando consentitur concupiscentijs malis: *Quando autem male utitur homo membris bonis, nisi quando consentit eis quæ in nobis habitant cupiditatibus malis?*

Lib. 4. c. 5.

Denique hanc indubitatam esse Augustini doctrinam ex multis apertissimis testimonijs liquet, quæ non possunt in alium sensum ullâ probabilitate detorqueri. Quid enim significat aliud: *Si autem ab illo (Deo) avertimur, nostrum est, & tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus.* Quid aliud significat id quod alibi dicit? *At per hoc non solum peccata omnia, quorum nunc remissio fit in baptismo, quæ reos faciunt, dum desiderijs vitiosis consentitur atque peccatur; verum etiam ipsa desideria vitiosa, quibus si non consentitur, nullus peccati reatus contrahitur, quæ nunc non ista sed in alia vita nulla erunt, eodem lavacro baptismatis universa purgantur.* Vnde paulo ante concupiscentiam vocaverat *vitium, cui consentiendo peccatur.* Et quid aliud significat id quod in libro de spiritu & littera dicit? *Non figuratè aliquid dicitur, quod accipiendum non sit secundum litteræ sonum, cum dicitur: Non concupisces; sed apertissimum saluberrimumque præceptum est, quod si quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum. Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam quo cuncta complexus est tanquam hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait: Non concupisces.* NEQUE ENIM ULLUM PECCATUM NISI CONCUPISCENDO COMMITTITUR. Vbi per (concupiscere) ipsos motus concupiscentiæ intelligit prohiberi, ideoque illud præceptum solùm in cælo esse complendum, ut ex fine libri manifestum est. Nam hujus vitæ justitiam tunc perfici docet, quando concupiscentijs etsi tumultuantibus non consentimus. *Aliud est enim*, inquit, *totam nondum assequi charitatem aliud nullam sequi cupiditatem.* Et paulo pòst effigiem hominis exprimens, qui perfectam hujus vitæ justitiam assecutus est: *Verum ecce jam talem constituamus animam humanam in hoc corruptibili corpore, quæ etsi nondum illa supereminentissima perfectione charitatis Dei omnes motus terrenæ libidinis absorbuerit atque consumpserit, tamen in ista minore justitia ad illicitum aliquid operandum eidem libidini nulla inclinatione consentiat: ut ad illam vitam jam immortalem pertineat: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. ad hanc autem: Non regnet peccatum* (id est, concupiscentia) *in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs ejus: ad illam; non concupisces: ad istam: post concupiscentias tuas non eas.* Cùm ergò tantam hujus vitæ justitiam expressisset, ut qui illa præditi fuerint, nullis concupiscentijs malis omnino consentiant, mox de talibus justis adjicit: *Tales justi ex fide viventes non opus habent dicere: dimitte nobis debita nostra &c. Falsumque esse convincunt quod scriptum est: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et illud: si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Non potuisset expressiùs & clariùs aperire mentē suam qua

Lib. 2. de pec. merit. cap. 5. — Lib. de pecc. orig. c. 40. — Ibid cap. 38. — Lib. de spirit. & litt. c. 4. — Ibid. c. ult.

ponendoque penderetur. Sed cum creatura corporalis amoris velut rationalis impulsûs non esset capax, pondus ei loco amoris datum est, juxta illud: *Velut amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur*: ita enim corpus, *sicut animus, amore fertur, quocunque fertur.* Et istius ponderis impulsu decentissimus creaturarum omnium corporalium ordo servatur, ut quo quidque gravius leviusve fuerit, eo inferiorem superioremve locum summo conatu petat, & in eo velut suæ naturæ gaudio conquiescat. Quod nisi fieret, summa rerum corporalium esset perturbatio, & perturbati ordinis perversitas, quam velut antiquæ confusionis chaos meritò sapientiæ judicium improbaret. Cùm igitur ille proprius, si naturam spectes, creaturę rationalis esset locus, ut tota quasi in medio inter increatam & corpoream naturali ordine collocata consisteret, pondus amoris ei infusum est, cujus impetu tributum sibi divinitus ordinem peteret, adeptumque tueretur. Amoris enim illa natura est, ut amantem rebus amatis subjiciat & inferiorem faciat. Quod enim amatur, dominatur animo, & imperiosâ quâdam potestate servire, & facere amantem cogit quodammodo quicquid jubet. Ex quo nascitur, ut amator quibuslibet rei amatæ perturbationibus perturbetur, diversisque vultibus ejus, vultum suum ineluctabili tractu (nisi amoris jugum excutiat) aptare cogatur. Hinc ejus præsentiâ lætatur, absentiâ cruciatur, periculis angitur, zelo uritur, & in omnes affectus pro re nata mutatur & vertitur. Vnde hoc, nisi ex illo amoris imperio, quo in amantem animum velut inferiorem atque subjectum res amata dominatur, eumque in seipsam veluti superiorem legibus amoris velut ponderis quo feratur, ordinat? Cùm igitur sola veritas immutabilis, quæ verus Deus est, sit ratione & rationali creaturâ superior, illi soli sicut naturæ lege subjecta est, etjam amoris pondere subjici & servire debet. Quod si facit recta, justa, virtuosa est, & in genere suo optima, & ordinatissima, cùm virtus sit creaturæ rationalis optimus status; & virtus non sit aliud, ut Augustinus, quàm *ordo amoris*; & per amorem velut pondus anima in ista naturæ suæ medietate, infra supremam, supra infimam, juxta medium, prout mandatur æterna lege, teneatur; *qua*, ut Augustinus, *justum est, ut omnia sint ordinatissima.* Quod si amorem illum à supremis, hoc est, à Deo, & illâ æternâ incommutabilis veritatis lege deflectit, ut vel in medium illo pondere amoris in seipsa delabatur, vel ulteriùs, in id quod infra se est, corporalem scilicet creaturam, perturbat ordinem æterna lege stabilitum; dum vel se sibi ipsa per pondus amoris subjicit, ut se admirans, sibique ipsi per superbiam placens, alijs animabus gestiat se præponere, quas ei pares & socias esse naturalis ordo fecit; vel alijs rebus amore inhærens, illis se subjicit quas ei subditas esse oportebat, & ea bona sibi constituit, quibus ordinandis beneque tractandis

Lib. 11. de Civit. c. 28.

15. de Civit. cap. 22.

Lib. 1. de lib. arb. c. 6.

ipsa utique deberet esse bonum. Propter quam naturalis ordinis perturbationem justissimè eâdem illâ lege, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, velut inordinata & perversa damnatur. Hæc est ergò radix malitiæ, quæ in omni amore rebus creatis inhærente reperitur, quòd per illum velut pondus, anima extra ordinem suum moveatur, dum inordinatè sese vel æqualibus præponit, vel inferioribus subjicit. Tetigit hanc radicem Augustinus multis locis: *Vides profectò*, inquit, *in ista distributione naturarum, quid summè sit, quid infimè, & tamen sit, quid mediè, majusque infimo, & minus summo sit. Summum illud est beatitas*; (id est, Deus fons omnis beatitudinis) *infimum, quod nec beatum esse potest, nec miserum*, scilicet corpus. *Quod vero medium, vivit inclinatione ad infimum miserè; conversione ad summum, beatè vivit: Qui Christo credit non diligit infimum, non superbit in medio* (scilicet supra alias animas, quod amore sui-ipsius fit) *atque ita summo inhærere fit idoneus. Et hoc est totum quod agere jubemur, movemur, accendimur.* Et lib. 6. Musicæ: *Non ergò invideamus inferioribus quàm nos sumus* (id est corporeis rebus) *nosque ipsos inter illa, quæ infra nos sunt, & illa quæ supra nos sunt, ita Deo & Domino nostro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur. Delectatio quippe quasi pondus est animæ. delectatio ergò ordinat animam. Vbi enim erit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum: ubi delectatio, ibi thesaurus: ubi autem cor, ibi beatitudo, aut miseria.* Nihil verius dici potest. Impossibile est enim, ut ubi cor, hoc est, amor ac delectatio (quæ in hac re idem sunt, cùm finis amoris sit delectatio) rei cuicunque præterquam soli Deo affixa fuerint, non confestim miseria consequatur: nec miseria sine peccato esse ullo pacto potest. Et inferius idem tractat explicatiùs: *Amor inferioris pulchritudinis animam polluit, quæ cum in illa* (pulchritudine) *non modo æqualitatem, sed etiam ordinem diligat, amisit ipsa ordinem suum: nec tamen excessit ordinem rerum; quandoquidem ibi est, & ita est, ubi esse, & quomodo esse tales, ordinatissimum est. Aliud est enim tenere ordinem, aliud ordine teneri. Tenet ordinem seipsâ totâ diligens quod supra se est, id est, Deum, socias autem animas tanquam seipsam*, id est, propter Deum quem diligit. *Hâc quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus ordinatur.* Et in libro 1. de libero arbitrio: *Quæ* (mutabilia ac temporalia) *quamquam in ordine suo rectè collocata sint, & suam quandam pulchritudinem peragant; perversi tamen animi est & inordinati, eis sequendis subjici, quibus ad nutum suum ducendis potius divino ordine ac jure prælatus est.* Et libro de vera Religione: *Est autem vitium primum animæ rationalis voluntas ea faciendi quæ vetat summa & intima veritas.* Sæpissimè autem docuit, ut suprà latiùs declaravimus, quòd summa veritas, hoc est, *lex æterna jubet avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum convertere ad æterna.* Vnde statim etjam in libro jam citato de vera Religione declarans, quid vetet illa summa & intima veritas, sic clarè & præclarè

Epist. 63.

Lib. 6. Musicæ c. 11.

Ibid. c. 14.

Lib. 1. de lib. arb. c. 16

Lib. de vera Relig. c. 20.

Lib. 1. de lib. arb. c. 15.

præclarè attexit: *Est igitur quoddam bonum, quod si diligit anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum est: quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia, quæ peccando diligitur.* Ecce, quàm disertis verbis protestatur, peccatum esse diligere bonum quod infra animam ordinatum est; idque ideo, quia infra illam ordinatum est. Hoc ipso enim quo bonum inferius diligit, infra illud ipsamet amore deprimitur, cui, inhærendo supremis, superferri tenebatur. Vnde & libro primo de sermone Domini in monte: *Omnes naturæ in ordine suo gradibus suis pulchræ sunt: sed de superioribus in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum. Nec quisquam hoc facere cogitur; & ideo si fecerit, justa defensione punitur. Non enim hoc committit invitus.*

Lib. 1. de Serm. Dom. in mon. c. 12.

Hinc est quòd Augustinus sæpè arguit in creatura rationali hoc solum, quòd anima summis fruens, ad corporea, ad inferiora, ad id quod minus est, inclinavit affectum. Nam hoc ipsum, ad minus voluntate declinare, relictis summis, quibus jubetur & potest inhærere, vitiosum est: quia declinat ad aliquid minus amore, quàm cui inhærere potest, & jussa est; facitque se deteriorem, quàm à Deo facta est: quod æternæ legis veritate non licet. *Ea quæ dicitur à veritate atque sapientia separatio, perversa voluntas est, quæ inferiora diliguntur.* Et adversus Secundinum Manichæum: *Propterea nihil fiunt quæ facta sunt, cùm superiora ad inferiora declinant: ubi est omne peccatum, & omne quod dicitur malum.* Et uberiùs in consequentibus, ubi & ratio peccati in hujusmodi amoris motu, quo animus extra ordinem suum tendit, accuratè tangitur: *Deficere non tam nihil est, sed ad nihilum tendere. Cum enim ea quæ magis sunt, declinant ad ea quæ minus sunt, non illa in quæ declinant, sed illa quæ declinant deficiunt, & minus esse incipiunt quàm erant: Non quidem ut ea fiant, ad quæ declinaverunt, sed pro suo genere minus. Non enim cum animus ad corpus declinat, corpus efficitur, sed tamen defectivo appetitu quodammodo corporascit: ita & Angelica quædam sublimitas, cum magis delectata est suo dominatu in seipsa, ad id quod minus est inclinavit affectum, & minus esse cœpit quàm erat, & pro suo gradu tetendit ad nihilum. Quanto enim quæque res minus est, tanto vicinior nihilo est. Cum autem isti defectus voluntarie fiunt, rectè reprehenduntur & peccata nominantur.* Vbi vides apertissimè, hoc ipsum asseri esse peccatum, voluntario motu, hoc est, amore veluti pondere ad minus, hoc est, inferius bonum tendere, quàm illud, cui naturali ordine rationalis creatura subjuncta est. Nempe quia perturbat ordinem, quantum in se est, sibi divinâ lege præstitutum, & se inferioribus subjicit, & ita tendit ad nihilum, & ipsa corrumpitur. *Quisquis enim quod seipso est deterius sequitur, fit & ipse deterior.* Eundem defectum, & ideo culpabilem voluntatis motum etiam explicat in libris de Civitate Dei, ubi de defectu Angelorum ad fruendum non corporibus, sed seipsis loquens: *Deficitur*, inquit, *non ad mala, sed malè: id est, non ad malas naturas; sed ideo malè, quia contra ordinem naturarum ab eo quod summe est, ad id quod minus est.* Quod exemplis hominis, per avaritiam, luxuriam, jactantiam, superbiamque deficientis ad bona inferiora, declarat. Et in libris de libero arbitrio: *Voluntas aversa ab incommutabili & communi bono, & conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat.* Et mox adjungit: *Motus ergo ille aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est*, (hoc est, ideo est peccatum, quia per illam à superiori bono ad inferiora deficitur) *omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat.* Et libro secundo ejusdem operis de libero arbitrio explicás quid ille sit motus amoris, quo ad fruendum tenditur inferioribus bonis, quibus amor inhærebat: *Restat igitur*, inquit, *ut ejus sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam à creatore convertit.* Vnde illa sancti doctoris definitiva sententia: *Dixisti mihi Domine, voce forti in aurem interiorem, quod hoc solum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te qui es, ad id quod minus est; quia talis motus delictum atque peccatum est.* Cujusmodi sententiæ ab Augustino passim repetuntur: quibus ipse cujuslibet peccati rationem explicat sive mortalis sive venialis. Duplex enim est ad commutabile bonum ab incommutabili bono, hoc est, Augustini phrasi, ab incommutabili veritate, & æternâ lege defectus; unus, quo voluntas ita deficit, ut incommutabili bono præponat commutabile, sic videlicet, ut si articulus temporis occurrat, quo necessariò alteruter vel Deus vel creatura relinquenda est, deserto Deo præponatur creatura: qui defectus voluntatis ad inferius bonum peccatum est æternâ morte puniendum. Tunc enim non tantùm actu, sed & habitu avertitur ab incommutabili bono. Alter est, quo actu quidem avertitur ab æternæ veritatis, hoc est, Dei præscripto, quo jubet avertere amorem à temporalibus, & ad æterna convertere, non tamen habitu: hoc est, non creatori creatura, sed creaturæ potius creator anteponitur amore, si alteruter deserendus esset; tametsi actu, vetante æternæ legis veritate, homo creaturâ perfrui velit. Neque enim ullum omnino peccatum est, quantumcunque veniale, quod non illa lex æterna vetet, & quo non illa æterna lex, hoc est, ipsa (ut Augustinus explicat) *divina ratio vel voluntas Dei* in actu ipso negligatur. Tam enim prohibet divina ratio seu incommutabilis Dei veritas, non esse officiosè mentiendum, quàm non esse fornicandum, sed unum levius, alterum gravius. Vtraque tamen veritas negligitur ac deseritur; ab utrâque avertitur in ipso actu animus, dum creatura contra præscriptum ejus frui cupit: sed in leviori, animus habitu Deo conjunctus manet; neque enim sub in-

Lib. 2. de lib. arbit. c. 14.

Lib. cont. Secund. c. 10.

Ibid. c. 11.

De morib. Eccles. c. 2.

Lib. 12 de Civit. c. 8.

Lib. 2 de lib. arbit. c. 19.

Ibid. c. 20.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 1.

Lib. 12. Confess. c. 11.

sub interminatione dissolvendæ amicitiæ prohibetur: in graviori & habitus diligendi & actus abrumpitur. Secundum hanc igitur duplicis defectus considerationem, generalissimè in omni peccato defectum aliquem Augustinus intelligit ab incommutabili bono, hoc est, ab æterna illa lege & veritate, qua omne omnino peccatum prohibetur, utpote quod non est aliud nisi *factum, dictum, vel concupitum contra legem æternam*. Illam enim non solùm habitu diligere, sed in omni omnino actu, & voluntatis motu, & ratione, & cogitatione præcipimur sequi, illam attendere, illi inhærere. Hæc enim est illa, *qua iustum est, ut omnia sint ordinatissima*. Impossibile est autem non esse ordinatissimum, quòd in omni voluntatis motu legem illam, hoc est, æternam de agendis & non agendis veritatem diligamus & sequamur. Quod si facimus, rectè facimus, sin minus, sine dubitatione peccamus: quia id non facimus, quod præscribit incommutabilis veritas esse faciendum. Avertimur ergo ab illa actu diligenda, dum avertimur à sequenda. Et ille est defectus, quem Augustinus in omni peccato agnoscit, & prædicat, ab incommutabili bono; quia illud ordinatissimum est, ut in omni voluntatis motu & actione diligamus. Quod à me fortassis aliquis excogitatum esse ad hanc stabiliendam doctrinam suspicari posset, nisi ipse seipsum luculentissimè Augustinus exponeret: Qua de re illustris est locus in libro de Mendacio, ubi ex professo de mendacijs officiosis disputat, per quæ posset honorabilis personæ pudicitia violentè invasa custodiri: *Quapropter quoniam nemo dubitat meliorem esse animum corpore, integritati corporis integritas animi præponenda est, quæ in æternum servari potest. Quis autem dixerit integrum animum esse mentientis? Etenim libido quoque ipsa rectè definitur appetitus animi, quo æternis bonis qualibet temporalia præponuntur.* Nempe saltem quantum ad actum diligendi, si non quantum ad habitum diligentis. *Nemo itaque potest convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere, æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed cùm tanto quisque ab æternitate discedat, quanto à veritate discordat: qui autem mentitur, à veritate discedit* (quod & in veniali mendacio non minùs quàm mortali locum habere perspicuum est) *absurdissimum est dicere, discedendo*

Lib. 22. cont. Faust. cap. 27.

Lib. 1. de lib. arb. cap. 6.

Lib. de mendacio c. 7.

A *inde posse ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut si est aliquod bonum æternum, quod non complectitur veritas, non erit verum: & ideò nec bonum erit, quia falsum erit. Vt autem animus corpori, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est: ut eam non solùm magis quàm corpus, sed etiam magis quàm seipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior & castior, cum eius potiùs immutabilitate, quàm sua mutabilitate perfruitur.* Ecce lucidissimè declaratum, etjam in peccatis venialibus hominem à veritate discedere, hoc est, ad inferiora deficere, & idcirco peccare, quia æterno illi bono saltem actu aliquid temporale præponit. Nam & libido illa, quam definit, omnia omninò peccata complectitur, ut suprà declaravimus; & mentientem, nempe quemlibet etjam venialiter, sicut per se perspicuum est, discedere, seu deficere ab æterno & incommutabili bono, hoc est, à veritate profitetur. B Illi enim potiùs, quàm ulli alteri temporali bono, amore adhærendum esse ipsa æterna veritas jubet. Vnde generalissimè Augustinus dicit alibi: *Tunc cuique non est benè, si meliùs esse potest. Quare si nobis potest benè esse cum ipsa veritate, malè sumus cum quolibet vestigio veritatis*, id est, creatura; *multò ergò deteriùs, cum extremitate vestigij, quando carnis voluptatibus adhæremus.* Et radicem istius mali tangens, quæ est in perfruenda carnis voluptate, hoc est, quæ quolibet sensu in carne perficitur, sic statim addit: *Non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni dilectione turpiter volutatur, cui primis inhærere fruique concessum est.* Et in alio libro adversus Manichæos: *Propterea corporea diligendo peccamus, quia spiritalia diligere & iustitiâ iubemur* (nempe æterna illa lege, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima) *& naturâ possumus; & tunc in nostro genere optimi & beatissimi sumus.* C Nam ut alibi verissimè & generalissimè dicit: *Id solùm rectè diligitur, quod nunquam benè amittitur*, hoc est, solus Deus. Si id solum rectè diligatur, ergò aliud quodcunque perversè diligitur. Et alibi: *Amandus igitur solus Deus est, omnis verò iste mundus, id est, omnia visibilia contemnenda.* Solus amandus, quia *ille solus verus est rationalis animæ cibus.* Et ista quidem ratio, quæ ex natura deficientis istius amoris, & perturbati naturalis ordinis petitur, à priori sumpta est.

Lib. de vera Relig. c. 41.

Ibid. c. 45.

Lib. de duab. animabus cap 13.

In sententijs Prosp. ex Aug. assumptis sententia 264.

Lib. de morib. Eccles. c. 20.

Lib. de nat. & grat. cap. 26.

CAPVT

CAPUT XX.

Ratione à posteriori, seu ex effectibus idem declaratur. Septem effectus amoris rerum creatarum adferuntur.

QUOD si vero amorem, quo creaturæ propter seipsas diliguntur, ceterosque affectus comites ejus à posteriori, hoc est, ex effectibus quos in anima relinquunt, considerare voluerimus, certissimo deprehendemus, non posse sine peccato creaturis propter creaturas affectum amoris adjici sic ut in creaturis hærendo non retorqueatur in Deum. Pernicies enim eorum tanta est, ut quamvis amorem illum per se licitum esse fingeremus, sola malorum quæ parit consideratio animam obstringeret, ut ab amanda quacunque creatura fruendaque temperaret. Quamobrem operæ pretium est illos effectus ex Augustini doctrina quàm brevissimè perstringere, ut spiritalis amator boni noverit, quantum intersit ad spiritalem quam meditatur vitam, affectus universos & præsertim amorem veluti ducem cardinemque ceterorum ab omnium omnino, non modo sensibilium, sed quarumcumque creatarũ rerum dilectione restringere, ut anima incorrupta exhibeatur Deo.

Primus igitur effectus, quem amor creaturæ in animo parit, est amissio libertatis, quæ velut maximum Dei beneficium ei charissima esse debet. Sic enim condita est creatura rationalis, ut soli Deo tamquam vero rerum universarum Domino serviret, & per humilem illius servitutem & sibi & rebus omnibus summa libertate dominaretur. Hæc libertas ejus amore creaturæ perit, & si magnus fuerit, funditus extinguitur. Libertas enim è diametro repugnat servituti: amor autem necessario servum amati amantem facit, quia propter amatum cuncta facit. Nam ut omnia quæ fiunt, necesse est propter finem fieri, ita & propter amorem: finis enim nisi amatus, non est finis sed medium propter amatum finem. Hinc Augustinus: *Quæ cum volunt homines per dominationem tenere, ab his ipsis potius per cupiditatem* (amorem) *tenentur, & rerum mortalium servi fiunt, dum imperitè Domini esse desiderant.* Et alibi adversus amatores rei cujuscúnque temporalis disputans, ita loquitur: *Ita nescientes diligant temporalia, ut inde beatitudinem expectent* (id est, ut eis non uti sed frui velint, hoc est enim Augustino semper ad beatitudinem diligere, ut & supra declaravimus, & ex subjecta ratione patet) *His autem quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est, velit, nolit. Nam quocumque duxerint sequitur: & quisquis ea visus fuerit auferre, metuitur. Possunt autem auferre ista & scintilla ignis, & aliqua parva bestiola. Postremò, ut omittam innumerabiles adversitates, tempus ipsum auferat necesse est omnia transeuntia. Itaque cùm omnia temporalia transeuntia mundus iste concludat, omnibus mundi partibus serviunt, qui propterea nihil putant colendum esse, ne serviant.* Vnde præclarè Christus Dominus, dum amorem divitiarum prohiberet, generalissimam sententiam tulit, qua omnis omnino rerum creatarum amor præciditur: *Nemo potest duobus dominis servire.* Nam amor est unica & vera servitus Dei, quæ hoc ipso dividitur, quo amor in diversa scinditur. Oritur effectus iste ex alio de quo superiore capite disseruimus, quia amor amato amantem inferiorem facit. De quo Augustinus: *Non quod Deus ista* (bona) *non creaverit, sed quia subjicere se homines volunt iis rebus per peccata* (id est, per amorem, nam de amore rerum temporalium disputat) *quæ illis per rectè facta divina lege subjecta sunt.*

Ex quo nascitur alius effectus priori similis, ut quicunque rem amat, quamdiu amat, de illa judicare non possit. Iudicium enim superiorem postulat; amor subjectum facit & judicij sinceritatem adulterat, quia cum acceptione personarum judicare facit. Vnde de amore à terrenis avehendo satagens in illud Psalmi: *Qui judicatis terram*: *spiritales*, inquit, *significat, qui ut Reges judicant terram. Inferius enim nobis est quicquid judicamus: quicquid autem infra spiritalem hominem est, meritò terra nominatur quia terrena labe sauciatum est.* Et contra Epistolam fundamenti: *Nec ei tamen ut amatores speciei infimæ inhæreamus, sed ut Dei laudatores eam transgrediamur, ut supra eam collocati de ea judicemus; non ei connexi cum illa judicemur.*

Secundus effectus est, quia amor creaturæ facit similem rebus amatis: ex quo fit, ut sicut æternitas amata æternitate animum amantis afficit, juxta illud Augustini: *Iunge cor tuum æternitati Dei, & cum illo æternus eris*: ita & res terrena, corruptibilitate. Vnde idem: *Non enim cum animus ad corpus declinat, corpus efficitur; sed tamen defectivo appetitu quodammodo corporascit.* Et in libro de moribus Ecclesiæ: *Iubemur nihil mundi hujus diligere, illâ maximè sententiâ, qua dictum est: Nolite conformari huic mundo: simul enim demonstrandum est, et rei quemque conformari quam diligit.* Cùm enim amor omnis nitatur ad unitatem efficiendam quoad potest, quantum deficit ab assequenda unitate, tantum relinquit

Marginal notes: Lib. de morib. Eccles. lib. 13. — Lib. de vera Relig. c. 38. — Matth. 6. — De morib. Eccles. c. 21. — In Psalm. 2. — Cap. 41 cont. Epist. fundamenti. — In Psal. 91. — Cont. Secundin. c. 11. — Lib. de morib. Eccles. c. 21.

R 2 de simi-

de ſimilitudine. Similitudo quippe duorum deficiens quædam unitas eſt. Itaque vi amoris fit, ut homo carnem amando fiat carnalis, & ſpiritum amando ſpiritalis, adeo ut Apoſtolus dicat: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Et è contrario Auguſtinus: *Si Deo quanto ſimilior, tanto quiſque fit propinquior: nulla eſt ab illo alia longinquitas, quam eius diſſimilitudo. Incorporali vero illi, æterno, & incommutabili tanto eſt anima hominis diſſimilior, quanto rerum temporalium mutabiliumq; cupidior.* Ex hac radice naſcitur, ut quem vehementi amore complectimur, etiam moribus exprimamus; neque virtutes modò, ſed & vitia, non animi tantùm, ſed & corporis imitemur. Quod verò mirabilius eſt, amor vehemens etiam ipſum corpus animantis vehementer afficit, nec ſolùm proprium, ſed etiam fœtuum, quorum eſt facilis ac ductilis corpulentia, dum plerumque fœtus produnt libidines matrum, quod cum magna delectatione conſpexerint. Quid ergo mirum, ſi animi terrena diligentium, rebus amatis penitus fiant ſimiles, & *abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt?* Vnde generaliter Auguſtinus: *Talis eſt quiſque, qualis eius dilectio eſt. Terram diligis, terra eris. Deum diligis, quid dicam, Deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus; Ego dixi, Dij eſtis.*

1. Cor. 6.
Lib. 9 de Civit. c. 16.
Oſeæ 9.
Tract. 2. in Epiſt. Ioan.

Tertius eſt, quod animum rebus creatis glutino quodam alligat & illaqueat. Ex quo fit, ut quantumvis antè liberâ voluntate dilexerit, non poſſit ſe ab ejus amore extricare, ut pennis liberis in Deum evolet: *Quiſquis dilexerit Deum & proximum, animam habet pennatam liberis alis, ſancto amore volantem ad Dominum. Quicunque implicatur amore carnali, viſcum habet in pennis.* Et in ſoliloquijs: *Penitus iſta ſenſibilia fugienda, cavendumque magnopere dum hoc corpus agimus, ne quo eorum viſco pennæ noſtræ impediantur, quibus integris opus eſt, ut ad illam lucem ab his tenebris evolemus.* Contra quod viſcum terreni amoris ſæpiſſimè exclamat Auguſtinus: ſed præclare in ſermonibus de diverſis: *Amate, & nolite amare. Ad aliquid amate, & ad aliquid amare nolite. Eſt enim quod ad profectum ametur: Et eſt quod ad impedimentum ametur. Noli amare impedimentum, ſi non vis invenire tormentum. Quod amas in terra, impedimentum eſt: Viſcum eſt pennarum ſpiritualium, hoc eſt, virtutum quibus volatur ad Deum. Capi non vis, & viſcum amas? Nunquid non caperis ideo quia dulciter caperis? Quanto magis delectat, tanto magis ſtrangulat. Hæc dico, & laudatis, & clamatis, & amatis.* Effectus ille ab amore terreno inſeparabilis eſt, quamvis initio pœnè ſenſum fugiat: ſed repetitis actibus amoris, creſcit amor, & fit libido amandi ac delectandi ſe: ex delectatione naſcitur conſuetudo, ex conſuetudine neceſſitas. Laqueus iſte non ſentitur niſi cùm rumpendus eſt, & animus in Deum ſublevandus. Tunc enim à quocunque vel tenuiſſimo terreno amore præpeditur. Vnde de affectu laudis & exiſtimationis humanæ dicit Auguſtinus: *Etiam neſcientem onerat; quod non ſentiet, niſi cùm ſurgere voluerit: atque utinam non ſic alligentur hæc onera, ut fruſtra etiam humeros conetur excutere.*

In Pſal. 103
Lib. 1. Solil. cap. 14.
Serm. 105. de diverſ. c. 4.
Epiſt. 56.

Ex iſto effectu ſequitur quartus, difficultas avellendi animum, & dolor carendi, juxta illud vulgatiſſimum Auguſtini & crebberrimè multis locis repetitum, non ſolùm de delicijs, ſed de alijs quibuſcunque rebus quibus amore colligamur: *Non eſt in carendo difficultas, niſi cum eſt in habendo cupiditas*, hoc eſt, amor. Et è contrario alibi de omnibus terrenis amoribus: *Eorum amiſſione cruciabitur, quibus fruendo utique lætabatur.* Quod enim ſine illiciente amore non habuit, ſine urente dolore non perdet. Etiam iſte effectus amori arctiſſimè conjunctus eſt, & ferè dixerim eſſentialis. Nam ut optimè dolorem animi definiendo dixit Auguſtinus: *Quid eſt dolor qui dicitur animi, niſi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui ſe poſſe ſperaverat?* id eſt, quas amando ad fruendum expetebat. Amor enim fruitione, ſicut motus quiete terminatur. Ex quo fit, ut terrenas qualeſcunque delicias tantùm quiſque perdendo ſentiat, quantùm amando peccaverit. Tantùm quippe dolet, quantùm ſe doloribus inſeruerit. Itaque de quolibet rerum pereuntium amatore luculentè ſanctiſſimus Doctor: *Miſer eram, & miſer eſt omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cum eas amittit, & tunc ſentit miſeriam, qua miſer eſt & antequam amittat eas.*

Lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 18.
Lib. 21. de Civit. c. 26.
Lib. de vera relig. c. 12.
Lib. 4. Confeſſ. c. 6.

Quintus eſt inſtabilitas animi, ut qui rei inſtabili innititur: ex quo naſcitur inquietudo. Cùm enim omnia creata mutationibus obnoxia ſint, nec eorum quicquam ſit, quod non invitus poſſit amittere, hinc fit, ut omnes rei amatæ caſus is qui amaverit, ſentire cogatur. Et ut adverſus omnes adverſitates munitus fuerit, tempus ipſum auferat neceſſe eſt omnia tranſeuntia. Hinc varijs contrarijſque nonnunquam tempeſtatibus totum hominis animum vitamque perturbat, nunc timore, nunc deſiderio, nunc anxietate, nunc inani falsâque lætitiâ, nunc cruciatu rei amiſſæ quæ diligebatur, nunc ardore adipiſcendæ quæ non habebatur. Quos quidem affectus impoſſibile eſt ab amante creaturam mutabilem, ac temporalem ſeparare, niſi amor ipſe ſeparetur. Vnde Auguſtinus: *Ita formari exoptabis, ut affectiones tuæ non ſint temporales, de temporalium rerum amoribus inuſtæ & impreſſæ: quæ temporalia & antequam ſint non ſunt; & cùm ſunt, fugiunt; & cum fugerint, non erunt. Itaque cum futura ſunt, nondum ſunt; cùm autem præterita ſunt, iam non ſunt. Quomodo igitur tenebuntur ut maneant, quibus hoc eſt, incipere ut ſint, quod eſt pergere ut non ſint?* Pergendo autem ut non ſint ſecum amantis vires ſubruunt. Hinc ergo neceſſariò naſcitur interitus tranquillitatis, non ſolùm antequam animus re dilectâ potiatur,

Lib. 3. de lib. arbit. c. 7.

ſed

sed etiam cùm potitus, frui cœperit: cùm nullâ re frui possit cum tranquillitate, nisi qua fruitur cum securitate. Quæ autem securitas esse potest, ubi perinde ut loca offerunt quod amemus, tempora surripiunt quod amamus? Hinc in aliud & aliud rapitur fraudata cupiditas, ut impleat egestatem suam. Hinc fit inquietus & ærumnosus animus, frustra tenere à quibus tenetur, exoptans. Vocatur ergo ad quietem, hoc est, ut illa non diligat, quæ diligi sine labore non possunt. Sic enim eis dominabitur, sic non tenebitur, sed tenebit. Sic veluti fundatus suprà petram stabilis permanebit. Hinc Augustinus adversus eos, qui fines rerum agendarum nunc has nunc illas res dilectas sibi statuunt, quibus adeptis tranquillè perfruantur, præclare dicit: *Cum non satiaverit avidam spiritum vanitas laudis humanæ, quia nihil ad cibandum adjicit, nisi inane & inflatum, cogitur eam ipsa aviditas rejicere in aliud quasi uberius atque fructuosius: quod nihilominus, si temporalis lapsu præterfluit, ita est quasi fluvius ducat in fluvium, ut non sit finis miseriæ, quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur.* Finis enim id solum est quod amatur, & propter quem etiam ea quæ non amamus assumimus: *In aliquo igitur firmo atque incommutabili bono, te figere volumus constantissimæ intentionis domum, & securissimam requiem omnis bonæ atque honestæ actionis tuæ.*

Epist. 56.

Ibid.

Sextus effectus animæ summopere perniciosus est immunditia, quæ ab amore rei cujusque temporalis divelli nullo modo potest. Amor enim est quidam veluti contactus animi, imo ingressus ejus intimus in rem amatam: quæ si fuerit ipso amante ignobilior, polluit dignitatem ejus. Quod enim illum sordidat non est malum, cum etiam corpus, creatura Dei sit, & specie suâ infimâ decoretur; sed præ creaturæ rationalis summâ, quæ sub Deo est, nobilitate contemnitur; sicuti auri dignitas etiam purgatissimi argenti commixtione sordescit. Vnde pulchrè Augustinus: *Sordescit aliquid, cum inferiori miscetur naturæ, quamvis in suo genere non sordidetur; quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur: ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis ipsa terra in suo genere atque ordine munda sit.* Et de Ecclesia loquens: *Nonne ipsa est quæ immunda erat in omni cupiditate desiderioque carnali?* Ita fit, quod mirum videri potest, ut cum reprobus ille damnatusque spiritus nihil terrenum, sed spiritum creatum adamaverit, propter illum contactum amoris inquinatus sit, & proprio quasi nomine *spiritus immundus* appelletur: Anima verò è contrario, cum corpori longè viliori per suam substantiam sit permixta, nulla tamen inde labe polluatur. *Non enim,* inquit Augustinus, *cum regit corpus atque vivificat; sed cum ejus bona mortalia concupiscit, de corpore anima maculatur.*

Lib. 2. de Ser. Domini in monte c. 13.

In Psal. 103

Lib. de Fide & Symb. c. 4

Nec illa amoris immunditia in sola voluntate suos effectus operatur, sed in ipsam mentis aciem transit, quam nescio quibus obducit nubibus, ut serenitatem veritatis de re amata videre non possit. Quæ cæcitatis labes omni omnino creatarum rerum amori atque fruitioni comes adjungitur: ut rectissimè de Deo Augustinus dixerit, quòd indefatigabili lege pluat *pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.* Fit hoc partim propter phantasmatum turbam, quam omnis terrenus amor intus à rebus amatis rapit, quia res ipsas intus rapere non potest: hæc in oculos mentis involant, & veritatem, maximè de re amata, videre non sinunt: partim propter affectûs vehementiam, qui non id quod est, verè esse debet; sed id quod diligit verum esse desiderat, & verum videri facit. De utroque cernendæ veritatis impedimento, quod omnis amor creatarum rerum ingerit, ita Augustinus: *Hinc ei anima oboritur erroris dedecus, dum rerum sensarum imagines secernere à se non potest, ut se solam videat. Cohæserunt enim mirabiliter glutino amoris: & hæc est ejus immunditia, quoniam dum se solam nititur cogitare, hoc se putat esse, sine quo se non potest cogitare.* Sed luculentius & ex professo in libro de Vtilitate credendi: *Id nunc agitur, ut sapientes esse possimus, id est, inhærere veritati: quod profecto sordidus animus non potest. Sunt autem sordes animi, ut breviter explicem, amor quarumlibet rerum præter animum & Deum* (id est, præter proximum & Deum) *à quibus sordibus quanto est quis purgatior, tanto verum facilius intuetur. Verum igitur videre velle, ut animum purges, cum ideo purgetur ut videas, perversum certe atque præposterum est.* Ecce planissimè dicit, quarumlibet rerum amorem præter quam Dei & proximi scilicet propter Deum, esse sordes, quibus animus inquinatur, & à cernenda veritate præpeditur. Et alibi: *Quæ tamen omnis immunditia de rerum temporalium dilectione concipitur, id est, dilectione hujus seculi, cui jubemur renunciare, ut mundi esse possimus.* Nam illa dilectio seculi, hoc est, ut ante dixit, ille amor quarumlibet rerum præter animum & Deum, quo magis in homine incrementum cœperit, eo majorem cernendæ veritatis difficultatem facit, usque adeo ut illa perfecta cæcitas, seu plena videndi impotentia, qua quidam dicuntur excæcati, non aliunde quàm ex hujusmodi creatarum rerum amore magis magisque augescente, & in aperta peccata prorumpente nascatur: ut Augustinus multis in locis testis est, & alibi fortasse fusius, si res ita postulaverit demonstrabimus.

Lib. 10. de Trinit. c. 8.

Lib. ad Honorat. c. 16.

Lib. 2. de Ser. Domini in monte c. 20.

Ex ista animi partim hebetudine partim amoris alligatione, quo velut vinculo creatis rebus obstrictus est, septimus effectus maximopere perniciosus proficiscitur, quòd etiam rectum usum rerum ad usum dumtaxat concessarum prorsus impediat. Fixa quippe in Augustini principiis regula est, neminem benè rebus utendis uti posse quas dilexerit: ut enim eis aliquis benè utatur, opus est etiam posse non uti. Hoc autem non potest quisquis earum

rum amore devinctus est. De quo præclarissimè Augustinus, illum Apostoli locum explicans: *Et qui utuntur hoc mundo, quasi non utantur. Quid est*, inquit, *quasi non utantur, nisi non diligant quo utuntur? Quoniam tale est, ut benè aliter non utantur. Et hoc quidem etiam in his rebus observandum est, quæ in hoc mundo sic bona sunt, ut tamen ea diligi non oporteat. Quis enim malam esse pecuniam rectè dixerit? Et tamen nemo ea benè utitur qui dilexerit; quanto magis libidine.* Et alibi non minus luculentè: *Sic usi sunt perfecti animi bonis terrenis ad aliud necessarijs* (cibo, uxoribus, opibus, &c) *per hunc habitum continentiæ, quo eis non alligarentur, & quo possent eis etiam non uti, si non opus esset. Nec quisquam eis benè utitur, nisi qui & non uti potest. Multi quidem faciliùs se abstinent ut non utantur, quàm temperent ut benè utantur; Nemo tamen eis potest sapienter uti, nisi qui potest & continenter non uti.* Alioquin enim impetus dilectionis facit, ut legitimi usûs metas vel cæcitate non videat vel infirmitate transiliat. Modum enim necessitatis respectu finis, quem omnis rectus usus postulat, amantem amor videre non sinit, & ipsum utendi fruendique limitem rapiendo abscondit, ac transit, persuadendo ei satis non esse quod satis est, dum libenter amoris provocationibus ducitur. Ita fit, ut cùm rebus utendis uti debeamus, frui non debeamus, & utendo & fruendo peccemus. Quapropter quicunque creaturis hujus mundi, quibus vetatur frui, rectè uti voluerit, necessariò debet animo ita esse constitutus, quemadmodum Augustinus monet; *ut non eis amore conglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando; ne cum resecari cœperint, cum cruciatu ac tabe fœdent: sed eis totus superferatur, & habere illa atque regere, cùm opus est, paratus, & amittere, ac non habere paratior.* Quisquis enim talibus bonis, cùm non est opus, aliter affectus est, non eis ut medijs uti, sed ut bonis adamatis frui; nec per viam ad terminum anhelare, sed ipsi viæ inhærere velle convincitur. Non igitur indifferens eis superfertur animus, sed amore implicatus eis rebus subditur, quas ei subditas esse oportebat: & ea bona sibi constituit, quibus ordinandis beneq; tractandis ipse esse utique debebat bonum. Optima quippe latissimeque patens Christianæ & perfectæ vitæ regula est; *Quisquis eis* (bonis quæ propter aliud necessaria sunt, quæ media à nobis vocari solent) *propter hoc utitur, propter quod data sunt, benè facit. Cui ergo non sunt necessaria, si non eis utitur, melius facit. Proinde ista bona, cum opus habemus, benè volumus, sed meliùs ea nolumus quam volumus: quia tunc meliùs nos habemus, cum ea necessaria non habemus.* Verum istam carendi rebus non necessarijs æquanimitatem amor earum funditus tollit, nullaque urgente utendi necessitate, solâ se oblectandi fruendique voluptate, rebus dilectis utitur, & propterea abutitur. Solus igitur amor creatoris velut ultimi finis, per quem animus à cunctis creaturis avellitur, ad omnes indifferens, inalligatus, superior omnibus, omnium judex unoque verbo liber ab omnibus, Deo videlicet similis constituitur, rectè creaturis uti facit, juxta illud verissimum generalissimumque Augustini pronuntiatum: *Per hunc amorem creatoris benè quisque utitur creaturis: sine hoc amore creatoris nemo quisquam benè utitur creaturis.*

Lib. 5. cont. Iul. c. 16.

Lib. de bono coniug. c. 21.

Lib. 1 de lib. arb. c. 15.

Lib. de bono coniug. c. 21.

Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.

Ex his effectibus alijsque pluribus qui proferri possent perspicuum est, omnes hujusmodi rerum creatarum amores, quantumcunque innocentes esse videantur, esse vincula, ægritudines, morbos, pestes animorum, sicut eos Augustinus passim vocat, eo sæpè perniciosiores, quo majori apud homines honestate palliantur. Ex quo fit, ut rectus, quietus, sanus, salvus, & liber animus esse non possit, nisi ab illis omnibus solius amore creatoris refrenetur vel purgetur. Nam ut brevissimè verissimeque Augustinus: *Sanitas, charitas.* Charitatis autem venenum cupiditas, hoc est, amor temporalium; *nutrimentum ejus imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.*

Lib. 83. qq. q. 36.

Quæ cùm ita sint, & tam capitalis sit cupiditatis, hoc est, terreni cujuscunque amoris, quo creatura propter se diligitur, & charitatis repugnantia, effectusque tam perniciosi animæ rationali ex quocunque tali amore generentur, nescio quomodo vel cogitandi libertate fingi posset, hujusmodi amores creatarum rerum esse licitos, eisque sine labe conscientiæ nos posse frui. Si enim lex æterna præscribit, non posse nos, rebus quantumvis licitis nos oblectando, corporis nostri vilissimæ videlicet partis aut sensuum ejus lædere valetudinem; quanto arctiùs animam lex eadem ligat, ne frivolarum rerum cupiditatibus & voluptatibus suæ verissimę & unicę sanitati afferat præjudicium, ut cui sola sub Deo servitus naturalis est, amissâ illâ summâ libertate rebus vilissimis alligetur & serviat, omnium tempestatum ex amore nascentium inquietudines subeat, pulchritudinem quâ sub Deo major nulla est, terrenis sordibus inquinet, ut obscuratis oculis, quibus æterna veritas contemplanda est, nec aciem in creatorem suum possit erigere, nec verum à falso in re dilecta, utendi necessitatem à fruendi voluptate, usum ab abusu judicij sanitate discernere. Quæ sanè nescio cui parvæ labes & contemnendæ noxæ videri poterunt, nisi cui amores isti & quasi innocentes voluptates tanquam nullâ terrenâ lege prohibitæ fastidium cælestium voluptatum, quibus hauriendis creati sumus, affricuerint. Nam & iste terreni cujuscunque amoris non postremus effectus est, quem inseparabili comitatu secum trahit, sed plùs minusve, prout animus profundiùs aut suspensiùs se creatis rebus immerserit. Cum igitur omnis peccati ratio ex æternæ legis præscripto, quæ summa ratio nominatur, ponderanda sit; illaque non sit alia, quàm *qua iustum est*, sicut Augustinus tradit, *ut omnia sint ordinatissima*; vel ut alibi dicit; *ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans*; quicunque creatarum

Lib. 1. de lib. arb. c. 6.

Lib. 22. cont Faust. c. 27.

tarum rerum amores, quibus propter ipsas diliguntur, & ad fruendum expetuntur, à peccato excusare volet, necesse est ut ostendat, ordinatissimum esse, ut rationalis animus tanquam viva Dei imago Deo proximus, ad ejus solius amorem conditus, caducis rebus, quas invitus amittere potest, cum tanta noxa innectatur. Quod si è contrario cujuscunque sanæ mentis judicio rectissimè dixit Augustinus: *Iubet æterna lex avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum ad æterna convertere.* Et rursum: *Perversi animi est & inordinati eis sequendis*, per amorem, *subjici, quibus ad nutum suum ducendis potius divino iure prælatus est*: quibus ictibus cuncti creatarum rerum amores moriuntur, per quos hic animus occupari solet: & si omnis sobria ratio, verissimum utrumque esse, ordinemque naturalem perturbari clamat, si in illa lumina veritatis impingatur; quid superest, nisi ut omnes hujusmodi amores non solùm imperfecti, sed omnino vitiosi sint, & quamcunque creaturam diligendo, eâque perfruendo peccetur. Quod cum ubique, & semper fiat, nisi quando rationalis animus per creaturam tanquam viam transiens, nil nisi patriam cogitat: ut naturali ordini juxta naturæ suæ dignitatem creatis reliquis supernatans, supra creaturam, sub creatore, ex unius ejus dilectione suspensus sit, ex ista facili, & generali, & infallibili regula non erit difficile cuilibet studioso Christianæ vel humanæ perfectionis intelligere, quàm propè ad illud culmen accesserit.

Lib. 1. de lib. arb. c. 15.
Cap. 16.

Nec verò molestè ferant infirmiores, quòd tam sublimem doctrinam S. Augustinus tradat: sed potius gratulentur sibi, quòd ignorantiam rei tantæ, quæ sive à scientibus sive nescientibus prætermittatur eos reos facit, oculis caligantibus detraxerit. Quòd si tamen eam vitæ praxi experiri cœperint, verissimam fortassis experientur, Psaltis Regij sententiam: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum:* & quàm profundè Christus Dominus noster dixerit: *Siquis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Animabus enim veraciter sanctis, nulloque humanæ eruditionis obstaculo præpeditis, Dei Spiritu potiùs, quàm hominum magisterio medullitus insculpitur, & insculptam esse aliquando deprehendi; quas cor earum irrequieto stimulo reprehendit, simulatque creaturarum ingressui & affectibus patuit. Neque igitur indignentur Augustino, si doctrinæ istius radices profundius detexerit: quam etjam Recentiores, etsi subinde fluctuando, etsi verum & imum fundum ejus non penetrando, tradere conati sunt. Et sanctus Thomas quidem non semel præclarè docet, omnia opera nostra in Deum esse referenda: *In hyacinthinu vittis, quæ pallijs inserebantur, significatur cœlestis intentio; quæ omnibus operibus nostris debet adiungi.* Et alibi: *Omnia quæ facimus debemus in Dei reverentiam facere.* Vnde illam Apostolicam sententiam: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite*, sic exponit, ut significet, *omnia facienda cum invocatione creatoris, ad intentione ut laudetur & glorificetur Deus.* Et illam: *Omnia vestra in charitate fiant*, ad eundem modum explicat: *Omnia debent referri ad finem charitatis, scilicet ut fiant propter Deum & proximum.* Quamobrem etjam in Summa Theologica definitivè tradit non solùm ex consilio, sed ex præcepto ad Deum omnia esse referenda: *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Et in illa verba ad Coloss. 3. *Omne, quodcunque facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini* IESV *Christi*: quidam dicunt, inquit, *quod hoc est consilium: sed hoc non est verum.* Quam doctrinam & S. Anselmus & Lyranus & alij expresserunt.

Psal. 110.
Ioan. 7.
S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7.
2. 2. q. 89. a. 4 ad 3.
In 1. ad Cor. 10.
In 1. ad Cor. 16.
1. 2. q. 100 art. 10.
Coloss. 3.
Vide Ans. in c. 3. Coloss. Lyran. in c. 10. 1. Cor.

Ex Recentioribus verò quidam asseveranter quidem tradunt ijsdem Apostolicis sententijs, quas produximus, istam relationem ad Dei gloriam non solùm consilio, sed præcepto nobis esse commendatam: sed radicem istius præcepti non satis assequentes putant in beneficijs Christi redemptoris Christiano cuilibet collatis esse fundatum; & idcircò infideles non stringi vinculis ejus. Sed quamvis ea citra dubitationem satis sint, ut tale positivum præceptum Christianis imponatur, rectiùs tamen S. Thomas & Augustinus vim ejus ex istis generalissimis verbis diu ante Christi redemptionem pronuntiatis petunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. Quibus jus naturæ, quod creaturæ rationali positum & impositum est, continetur, prout multis ex Augustini sensu declaravimus. Et libro quarto de natura lapsa, itemque primo de statu naturæ puræ, & quinto de gratia Christi Salvatoris uberiùs adhuc ostensuri sumus, ut scrupuli nonnulli, quibus aliquis diversis ex causis torqueri forsan posset, eximantur.

Vide Gulielm. Estium in 1. ad Cor. c. 10. v. 31. & in c. 13. v. 2. & in c. 16. v. 13. & in Epist. ad Coloss. c. 3. v. 17.
Deuter. 6.

An verò actu, an virtute, an habitu ad Deum omnia referenda sint, in Augustini mente nullam difficultatem habet. Ex ipsa quippe natura principij istius, unde rem totam arcessit, perspicuum est, ita esse in Deum retorquenda, ut mens dum agit, non in creaturæ, sed in Dei dilectione requiescat. Hoc autem certissimum est in Augustini sententia, non solo habitu, qui nihil omninò in actum influit, neque quicquam hic & nunc agendorum aut cavendorum in Deum aut creaturam refert, sed vel actuali vel virtuali intentione id esse præstandum, virtualis enim intentio in actibus humanis idem facit, quod actualis. Et quemadmodum imbecillitati humanæ impossibile est etjam in rebus naturalibus perpetuò cogitationem, vel voluntatis intentionem in finem, sive profectionis alicujus, sive alterius cujuscunque civilis, aut moralis, aut pravæ actionis defixam gerere; ita multo magis in rebus divinis: ubi pondere suo animus ab ipsa cogitationis vel intentionis sublimitate & perpetuitate deorsum premitur, ut & cogitatione & voluntate circa susceptam creaturam

turam vel actionem occupetur, quam propter Deum, hoc est, Dei intentione susceperat. Sufficit igitur utrobique, ut quod agendum suscipit, Dei intentione suscipiat, & illius intentionis impetu seu virtute animum urgente vel propellente pergat, etsi actu amplius de Deo fortasse non cogitet. Sic enim videmus actiones non solùm naturales, & civiles, morales, sive bonas sive malas, sed & ipsa Sacramenta peragi: in quibus omnibus & vulgari hominum judicio & communi Theologorum calculo virtualem adesse intentionem abundè sufficit. Itaque S. etjam Thomas, quamvis aliquando habitualis meminerit intentionis, per eam tamen virtualem intelligit. *Pertinet*, inquit, *ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur, ut omnia virtute referantur* (In quæst. Disput. de Charit. a. 11 ad 2.) A *in Deum &c. Et hoc modo Apostol. præcipit ut omnia in Dei gloriam referantur.* Et ibid. in inferiùs: *Habitualiter refert in Deum & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens: sed virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit sub præceptum: sed virtualiter referre omnia in Deum cadit sub præceptum charitatis,* (Ad 3.) *cum hoc nihil aliud sit, quàm habere Deum ultimum finem*, videlicet non in habitu, sed in actione quam exercemus. Quod nos toties juxta sanctum Augustinum diximus, non habitu, seu habituali animi constitutione (quod omnibus justis, etjam venialiter peccantibus & dormientibus competit) sed vel actu vel certè virtute istius actus quasi remanente, in Deo velut fine requiescere.

CAPVT XXI.

Proximus, qui creatura est, quomodo diligendus.

VNA tantùm non ita operosa difficultas, cujus solutio etjam superiùs indicata est, hîc paulò fusiùs explicanda, quid de proximi amore dicendum sit. Testatur enim Scriptura, non tantùm Deum, sed & proximum esse diligendum: qui tamen creatura est. Premit arctius hæc difficultas dum non apparet, quomodo proximus diligendus sit, utendo an fruendo. Nam qui *neque fruitur neque utitur*, inquit Augustinus, *non invenio quemadmodum diligat.* (Lib. 1. de doct. Christ. cap. 31.) Si proximo fruendum est, ruunt omnia quæ de vetita creaturarum fruitione diximus: neque enim proximus non est creatura. Si utendum, ergò diligendus videtur, ut ex eo temporale aliquod commodum capiatur: quod *detestabile vitium* idem Augustinus appellat. (Lib. de vera Relig. c. 46.)

Respondemus igitur proximum omninò esse diligendum, sed propter Deum. Sic enim diligere proximum jubemur, sicut nos-metipsos, nos ipsos autem vitiosè diligimus, si propter nos diligimus. Hoc enim velut radicem vitiorum taxavit Apostolus, quando dixit: *Erunt homines se-ipsos amantes.* (1. Tim. 3.) Et quia talis amor sui non est amor, sed potiùs odium sui, quia malorum omnium fons, hinc est quòd cùm Deus toto corde Deum diligendum præcepisset, nullum mandatum de suipsius dilectione subjecerit; sed hoc unum dumtaxat, ut sicut nos ipsos proximum diligamus. Et quomodo proximum sicut meipsum diligam, qui quomodo meipsum diligam non didicerim? Nimirum hoc saluberrimè nobis indicatum Spiritus Dei voluit, nullam esse aliam veram dilectionem sui, quàm qua Deum ex toto corde diligimus. Quid est enim se diligere, nisi sibi velle bonum? Quod verò tandem est summo bono excellentius bonum? Hoc ergò cùm Deum diligendo sibi homo velit, fingi non potest major dilectio sui, quàm dilectio Dei. Cumque tanto nobilior & purgatior sit A amor Dei, quanto magis homo à suipsius consideratione & reflexione discesserit, tanto quoque nobiliùs perfectiùsque seipsum diligit, quanto magis sui-ipsius obliviscitur. Ita miro inter se certamine homo vacuando, & Deus implendo contendunt. Sic præceptum istud dilectionis Dei Augustinus intelligit: *Videtur*, inquit, *de homine ipso, id est, de amatore ipso nihil actum. Sed parum dilucidè, qui hoc arbitratur intelligit. Non enim fieri potest, ut seipsum qui Deum diligit non diligat: imo verò solus se novit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille satis se diligit, qui sedulò agit, ut summo & vero perfruatur bono.* (Lib. de moribus Eccles. cap. 26.) Et alibi longè vehementiùs, cùm ex Euangelio docuisset, in istis duobus præceptis de dilectione Dei ex toto corde, & proximi tanquam sui ipsius, totam legem Prophetasque pendere, nullâ factâ tertij præcepti de diligendo seipso mentione: *Videlicet*, inquit, B *ut intelligeretur, nullam esse aliam dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum. Qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicendus est. Fit quippe iniquus, privaturque luce justitiæ, qui à potiore ac præstantiore bono aversus; atque inde vel ad seipsum conversus, ad inferiora & egena utique convertitur: fitque in ipso quod veracissimè scriptum est: Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. Quia igitur nemo nisi Deum diligendo diligit seipsum, non opus erat, ut dato de dilectione Dei præcepto, etiam seipsum homo diligere juberetur; cùm in eo diligat seipsum, quod diligit Deum.* (Epist. 52. — Psal. 10.) Hujus ergò primi mandati cancellis vitam hominis circumscribens, ut Deum omnibus suis facultatibus diligat, totâ videlicet voluntate suâ tanquam *ex toto corde*, ubi est principium primum impulsivum omnium motuum; & totâ intelligentiâ, tanquam *ex tota mente*, ubi est primum principium directivum; & tota vi appetendi inferiore, ut non repugnet superioris partis imperio, tanquam *ex tota anima*; & tota vi exequendi id quod voluntas ac ratio impera-

imperaverit, tanquam *ex tota fortitudine*, seu *totis viribus*, profectò *nullam vitæ nostræ partem relinquit*, inquit Augustinus, *quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit. Sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit.* Nimirum hoc isto capitali præcepto, si rectè intelligatur, voluit Deus, ut omnis voluntas hominis, omnis cogitatio, omnis actio, solo ipso tanquam omnium nostrorum motuum fine terminetur, vel ipsum solum, sine interjecto medio, diligendo, vel in ipsum siquid aliud diligendum agendumque venerit, retorquendo. Quo principio vel potiùs omnium actuum fine in anima hominis constituto, ut jam seipsum noverit diligere, facilè est ei intelligere, quâ ratione illi proximus diligendus sit, quem tanquam seipsum diligere jubetur. *Quid* enim *aliud* per hoc *mandatur*, inquit Augustinus, *nisi ut ei quantùm potest commendet diligendum Deum?* Nempe ut quem potuerit hominem vel corporalis beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coërcitione, vel alio quocunque beneficij genere, adducat ad diligendum Deum, sciens in his duobus præceptis totam legem Prophetasque pendere.

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 22.

Lib. 10. de Civit. c. 4.

B

Quicunq; hæc ita erga proximum præstat, proximum diligit. Hæc autem ei præstat propter aliud non propter ipsum, quia propter Deum quem diligit, ut eum similiter proximus diligat. Vtitur ergò non fruitur proximo, dum proximum diligit. Nam ut suprà diximus ex Augustino, hoc fruimur quod propter se diligimus. Vnde idem quæstione illâ propositâ, utrum homines, cùm præcipitur ut se invicem diligant, uti an frui se invicem, propter se, an propter aliud diligere jubeantur: *Si enim propter se*, inquit, *fruimur eo; si propter aliud, utimur eo*: sententiam suam interponit: *Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata*: quæ non est constituenda nisi in illo uno, & vero, & summo bono. Vtimur ergò proximo, sed non sicut rebus temporalibus, ut ex eis commodum indigentiæ nostræ supplendæ capiamus; sed ut perducatur nobiscum ad fruendum Deo. Nam neq; nobis ipsis

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 22.

C

A aliter uti fas est, vel ullo modo debemus frui; quia nec seipsum propter seipsum diligere debet, sed propter illum quo fruendum est. *Tunc quippe est optimus homo, cùm totâ suâ vitâ pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum; sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur; & propterea iam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cùm totus hæret atque constringitur incommutabili bono, quàm cùm inde vel ad seipsum relaxatur.* Quemadmodum ergò nec nobis ipsis frui licet, ita nec proximo: sed sicut nobis ipsis utimur, ita & proximo, ad hoc videlicet nos totos utrosque referendo, ut simul Dei bonitate perfruamur. Quòd cùm opitulante Deo perfectum fuerit, tunc etjam nobis invicem, sed in Deo perfruemur. Iuxta illud quod dicit ad Philemonem Paulus: *Ita frater ego te fruor in Domino.* Et illud Psalmistæ: *In Domino laudabitur anima mea.* Sed ista fruitio hominis in Deo, potiùs Dei quàm hominis est fruitio. Gaudium enim istius fruitionis inde proficiscitur, quod illa incommutabilis forma divinæ justitiæ vel beatitudinis, quam unicè diligebas, & cui hominem aptatum, dilectione & contemplatione conjunctum esse cupiebas, in illo tandem ex Dei bonitate completa sit. Quem enim propter Deum dilectum eo fine diligebas, ut & ipse Deum diligeret, Deoque frueretur, postquam jam Deum diligit, eoque fruitur, propter eundem Deum quem diligis de illius dilectione & fruitione lætaris. Hoc & nihil aliud est frui hominem Deo. Vnde Augustinus: *Cùm autẽ homine in Deo frueris, Deo potius quàm homine frueris. Illo enim frueris, quo efficeris beatus; & ad eum te venisse lætaberis, in quo spem ponis ut venias.* Ex quibus perspicuum est, cùm toties diximus, & ex Augustino declaravimus, amoris affectum à creaturis omnibus avellendum, nos de amore inhærente, non transeunte loqui; de amore, qui fruendis non utendis creaturis inhiat; de amore denique qui in creaturam, non in Deum ultimò terminetur. Et ita nullo modo esse contraria, ut affectus omnes à creatis rebus diligendis, quantùm possumus, comprimamus, & tamen proximum ex Dei mandato toto pectore diligamus.

Lib. 1. de doct. Christ. c. 22.

Psal. 33.

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 33.

CAPVT XXII.

Doctrina præcedentium capitum applicatur ad motus concupiscentiæ.

HÆC si vera sunt, quæ de voluntatis actibus erga creaturas exerendis vel comprimendis secundùm Augustini doctrinam diximus, jam per se elucet illa doctrina de motibus concupiscentię, propter quos tractatus de motibus voluntatis illis consentientis interpositus fuit. Cùm enim non sint aliud concupiscentiæ motus, quàm quædam *desideria bonorum temporalium*, seu *in-*

A *clinationes animæ ad fruendum inferioribus*; cujusmodi nominibus, ut suprà vidimus, eos Augustinus appellat; fruitio verò bonorum inferiorum, creaturæ rationali divinâ æternâque lege sit vetita, & solus concessus eorum rationabilis usus, perspicuum est non licere rationi talibus fruendi inclinationibus assentiri. Sic enim opus est, ut *nos inter illa quæ infra nos sunt, & illa quæ supra nos sunt, Deo & Domino nostro*

Lib. 6. Musica c. 11.

nostro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur. Quapropter illa generalis Christianæ vitæ norma est, quam de rerum temporalium libidinibus seu amoribus tradit Augustinus: *Quod ad mores attinet, hoc bene & breviter dicitur: Aut confligendum est cum amore temporalium bonorum* (id est, cõcupiscentijs) *ut non vincat aut etiã edomitus subditusque esse debet, ut cum surgere cœperit, facilè reprimatur; aut ita extinctus, ut se omninò nulla ex parte commoveat.* Nam Christiana militia non est alia, quàm cum cõcupiscentia tumultuante, & nunc in hęc, nunc in illa bona prosiliẽte pugnare. Nihil enim sibi aliud vult id quod Apost. dicit; *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Quibus verbis describendo quid fiat, quid ab homine spirituali fieri velit, ostendit. Nec aliud oramus quando dicimus: *Ne nos inducas in tentationem*, quàm ne tentationi, hoc est concupiscentiæ motibus consentiamus. Vnde Augustinus: *Vt non ei consentiamus, deprecamur adiutorium dicentes: Et ne nos inferas in tentationem &c. Non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentet: nam Deus intentator malorum est, ipse enim neminem tentat. Sed ut si forte tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti.* Vnde statim sensum illius Dominicæ petitionis esse dicit: *Adiuva ne abstrahamur à concupiscentia.* Et in libris operis imperfecti contra Iulianum: *Cum generationis reatus regeneratione indulgentiâ fuerit absolutum, obediendum est iustitia spiritui, eique consentire; nec obediendum est concupiscentia carnis, contra quam certare debemus.* Et in libro de natura & gratia: *Facere est ergò iustitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiscentiæ malo interna conflictatione pugnare.* Et in libris adversus Iulianum: *Nunc enim necesse est ut repugnet, qui ei inservire noluerit: necesse est ut serviat, qui repugnare neglexerit. Quorum duorum unum est molestum, etsi laudabile; alterum turpe, & miserabile.* quæ laus ac turpitudo repugnandi aut serviendi, in omnibus omninò temporalium rerum concupiscentijs, ad quas naturæ nostræ vel consuetudinis propellit instinctus, similiter locum habet. Nec opus est pluribus hoc stabilire. Hujusmodi enim sententiæ tanquam ex primis fundamentis Christianæ religionis haustæ, sexcenties in Augustino repetuntur. Sed hæc adjuncta superioribus, quæ de concupiscentiæ motibus ex ejus principijs latè diximus, sufficere mihi videntur. Nunc ad argumenta, quæ capite undecimo proposuimus, dissolvenda veniamus.

Quæst. 11. in Matth. — Galat. 6. — Lib. 2. de pec. merit. c. 4. — Lib. 2. op. imper. f. 452 — Cap. 62. — Lib. 5. c. 16.

CAPVT XXIII.

Solvuntur argumenta capite undecimo proposita.

AD primum igitur argumentum non est operosum respondere. Verum est enim, virtutem, passiones, ut ibi dicitur excessivas fugere, mediocres admittere. Nimirum quia ipsa virtus est, quæ medium in passionibus ponit, & eas ordinat: hoc autem non in eo situm est, ut propter se voluptas ex cibo & potu, vel uxore appetatur: verùm ut affectibus animi imponatur frenum & modus, ne rationem suo impetu transversam agant, sed potiùs rationis ordinem sequantur. Hoc est, ut quantum, ubi, quando, quomodo oportet interiùs appetatur, & exteriùs usurpetur. Hoc autem ex fine metiendum est. Nam quemadmodum juxta sanctum Dionysium ψυχῇ κακὸν τὸ παρὰ λόγον, *anima malum est præter rationem*: ita bonum ejus secundùm rationem. Præcipuus autem ordo & bonum rationis in eo situm est, ut media ad finem ordinet; cùm & bonum habeat rationem finis, & finis sit tota regula mediorum. Omnia verò delectabilia sive gustus sive tactus, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem, sicut ad finem, cibus & potus ad individui, concubitus ad speciei ruinas restaurandas. Et ideò virtus, quæ circa voluptates illas moderandas versatur, necessitatem vitæ velut regulam delectabilium istorum respicit. Nimirum ut quemadmodum nihil istorum propter se institutum est, ita nihil istorum per se & propter se homo sibi appetendum vel admittendum putet; sed tantum dumtaxat, quantum finis iste postulaverit. Quod præclarè paucis verbis, sed valdè generalibus pro quocunque rerum temporalium usu moderato Augustinus aperuit: *Habet vir temperans in huiusmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque Testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ huius atque officiorum necessitatem quantum satis est usurpet, utentis modestiâ, non amantis affectu.* Ecce modum, quem temperantia imponit passionibus, nempe talem, ut nec ipsa passio appetendi talia propter talia relaxari debeat, sed tantummodo propter vitę & officiorum necessitatem, sicut recta ratio, vera moderandarum passionum norma præscribit.

Ex quo etiam vis tota secundi & quarti argumenti evanescit. Nam quamvis neque res delectabiles, neque ipsa delectatio, seu voluptas mala sit, sed indifferens, & ideò nullo speciali præcepto vetita, ipsam tamen propter ipsam concupiscere ac diligere vetitum est. *Amari enim potest res bona amore non bono.* Quibusdam enim esse bona, multo minùs esse indifferentia, non est satis ut diligantur, sed opus est ut sicut propter aliud sunt, ita propter aliud assumantur ac diligantur; hoc autem non est illa diligere, nec propter se appetere, sed per illa, fixâ in aliud dilectione transire.

Dionys. lib. de divinis nominibus cap. 4. — Lib. de mor. Eccl. cap. 21. — Aug. lib. contra Secundin. c. 16.

transire. Non opus est igitur adesse circumstantiam, qua dilectio seu appetitio eorum fiat mala; sed sufficit abesse circumstantiam, qua ad appetendum vel diligendum fiant bona. Non enim corporeis hujusmodi rebus fruendum, sed utendũ est; ipsa verò propter ipsa concupiscere, multoque evidentiùs ipsa propter voluptatẽ appetere, ut isti Recentiores volunt, hoc & nihil aliud est, quàm eis velle frui, quod divina æternaque lege prohibemur. Ex cujus regulæ consideratione dicebat jam statim de rebus fluentibus à temperante viro appetendis Augustinus: *Vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet.* Ex qua tam appositè dicit alibi, quasi ex professo argumentum istud sibi refellendum delegisset: *Cum tu malum dicas, cui consentiendo anima peccat, ego bonum dico in genere suo, sed malo bonum, cui animam, quæ est melior, consentire non decet. Cum enim sit ipsa corpore superior, Deumque habeat se superiorem, quamvis in ordine suo natura corporis bona sit, peccat tamen anima, & peccando fit mala, si consensionem delectationis, quam superiori Deo debet, inferiori corpori adjungat.*

Ibid.

Ad tertium dicimus, ex eo quod matrimonium est licitum, rectè sequitur licitum esse concubitum; sed sicut non idcircò matrimonium propter voluptatem carnis appeti potest, ita neque concubitus. Aliud est enim concubitum delectabilem appeti & admitti posse, aliud propter delectationẽ aucupandam appeti posse. Pervertitur enim hic ordo naturalis æternâ lege præscriptus, quæ jubet, ut neque matrimonium, neque concubitus ad libidines carnis voluptate satiandas, sed ad proles ordinatâ societate propagandas appetantur. Infallibilis enim legis æternæ est sententia sanctissimi Doctoris ore de hac ipsa cibi, potus, & conjugij appetitione pronunciata: *His bonis quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc propter quod instituta sunt, utitur, peccat alias venialiter, aliàs damnabiliter.* Iam verò non solùm concubitus propter prolem, sed & ipsa voluptas ejus propter concubitum, non concubitus propter voluptatem, sicut & sapor propter cibum institutus est; nimirum ne fortè sensus animantis asperitate concubitus aut cibi & potus offensus, res toti generi & individuo fulciẽdo necessarias abhorreret. Hunc ordinem naturæ turbat, qui voluptatibus carnis ex illarum rerum usu venandis inhiat, nec illis uti, sed abuti, vel potius frui velle convincitur; & ita alium longè sublimiorem utendi & fruendi perturbat ordinem, quem lex æterna conservari jubet, perturbari vetat.

Lib. de bono conjugali c. 9.

Ad quintum argumentum responsio ex prædictis intelligi potest. Divisio enim voluptatum in licitas & illicitas non eo sensu accipi debet, quasi quibusdam voluptatibus licitum esset frui, quibusdam illicitum; hoc est, quasi quasdam nudè propter ipsas expetere liceret, alias non liceret: sed isto potiùs, quòd quædam voluptates ex objecto licitæ sint, sive, quod in idem redit, quòd quædam res, quarum usus voluptate sensus nostros afficit, divinâ lege concessæ sint, aliæ non concessæ. Nam cibus, potus, concubitus conjugalis, cantica honesta, suavis odor, & similia, quorum suavitate sensus afficitur, licita sunt, quia nullâ lege prohibentur; Fornicatio verò, adulterium, esus carnium in quadragesima, dulcia cantica impudica, & hujusmodi, quæ sensus nostros non minore voluptate perfundunt, sunt illicita. Sed sicut non propterea, quòd illorum delectabilium seu voluptatum, quas antè recensuimus, usus licet, etiam abusus licet; ita nec illa delectabilia seu illas voluptates propter ipsas appetere licet, sed propter fines quibus assequendis divinitus institutæ sunt. Virtus enim vera non solùm imponit modum delectationibus atq; passionibus quantum ad objectum, ejusque quantitatem, tempus, locum, ceterasque circumstantias; sed in primis quantum ad finem. Bonum quippe hominis est quod secundùm rationem: ratio verò recta in agendis præcipuè respicit finem: quem propterea etiam voluntas velut bonum suum appetit. Hunc esse verum Augustini sensum ex diversis locis ejus apertissimum est, sed maximè ex illo Sermone decimo septimo de verbis Apostoli, ubi rem illam ex professo tractat. *Delectant quædam naturaliter infirmitatem nostram, ut cibus & potus delectant esurientes atque sitientes: ut nos delectat hæc lux, quæ de cœlo funditur Sole exorto, vel quæ sideribus & Lunâ fulget, vel quæ in terra accenditur luminibus consolantibus tenebras oculorum: delectat canora vox & suavissima cantilena; delectat odor bonus: delectant etiam tactum nostrum quæcunque pertinent ad carnis aliquam voluptatem. Et hæc omnia quæ nos delectant in sensibus corporis aliqua licita sunt. Delectãt enim, ut dixi, oculos & spectacula ista magna naturæ: sed delectant oculos etiam spectacula theatrorum. Hæc licita, illa illicita. Psalmus sacer suaviter cantatus delectat auditum: sed delectant auditum etiam cantica histrionum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant olfactum flores, & aromata, & hæc Dei creatura: delectant olfactum etiam thura in aris dæmoniorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectat gustum cibus non prohibitus, delectant gustum etiam epulæ sacrilegorum sacrificiorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant conjugales amplexus; delectant etiam meretricum. Hoc licitè, illud illicitè.* Ex his subnectit illa verba, quæ in objectione citavimus. *Videtis ergò charissimi etiam in istis corporis sensibus licitas esse & illicitas delectationes.* Quo ex loco perspicuum est, non ideò delectationes illas licitas dici, quasi licitum esset eas quovis vel modo vel fine percipere: sed quia rerum istarum delectabilium, dum debita moderatione sumuntur, usus non est vetitus, imò sæpè præceptus; sicut est vetitus earum quas illicitas vocat. Nunquã enim fornicari, aut adulterari, aut impudicis spectaculis oculos pascere sive moderatè sive immoderatè licet. Et hinc est, quòd ex illis ipsis quas hic vocavit, licitis voluptatibus cibi & potus, aliã vocat *modestã & naturalẽ*, cùm tanta adhibetur, *quanta sustentationi naturæ, salutique sufficit*; aliam *immoderatam*, quæ limitem illum prætergreditur. Quas verò hic vocavit voluptates

Serm. 17. de verb. Apost. cap. 2.

Lib. contra Adimant. cap. 14.

luptates licitas & illicitas, eas alibi eodem sensu vocat res *concessas* & non *concessas*. Licita enim voluptas dicitur, quæ ex re concessa; illicita, quæ ex inconcessa capitur. Sed in illis ipsis concessis rebus, & consequenter in earum captandis voluptatibus, culpat excessum. De concubitu enim conjugali & meretricio disputans: *Tantùm*, inquit, *valet ordinatio creatoris, & ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cùm modus exceditur, longè sit tolerabilius, quam in eis quæ concessa non sunt, vel unus, vel rarus excessus. Et ideò in re concessa immoderatio conjugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est.* Vbi tamen de illo solo excessu tolerando loquitur, qua conjux cum concessa conjuge solius voluptatis causâ, quam alibi licitam appellaverat, commiscetur. Ex quo fit, ut voluptatem licitam, hoc est, rei non prohibitæ, reddat ipse abusus illicitam. In quo genere non solùm abusus est, cùm capitur, ubi, quantum, vel quando non debet; sed etjam cùm capitur propter quod non debet, hoc est, cùm voluptas propter voluptatem expetitur. Hoc est enim non voluptate & ipsâ re concessâ uti, sed velut bono creaturæ rationalis frui. Absit verò, ut optimè dixit olim Tullius *idem esse arietis, & Scipionis Africani bonum*. Nam hujusmodi bonum arietis appetitu carnali concupiscitur: *Nullo autem modo fieri potest*, inquit Augustinus, *ut carnali concupiscentia bonum hominis concupiscatur.*

Lib. de bono conjug. c. 11.

Apud Aug. lib. 4. cont. Iul. cap. 12. 6. cont. Iul. c. 16.

Ex his intelligi potest similis amoris divisio in licitum & illicitum. Quædam enim licitè diliguntur, quædam illicitè. Licitè diligitur parens, filius, uxor, consanguineus, amicus, vel alio simili vinculo copulatus; illicitè meretrix, uxor aliena &c. Tradit istam divisionem Augustinus in Sermonibus: *Charitas*, inquit, *alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita.* Licitam vocat, *quæ non reprehenditur* illicitam *quæ damnatur*: illam dicit esse, *qua uxor diligitur, filij, amici, cives*: hanc verò, qua *meretrix, vel uxor aliena.* Illam non solùm esse licitã, sed ita præceptam, ut si defuerit, reprehendatur. Nam *si talis*, inquit, *quisque crudelitate fertur, ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non amet filios suos, & non amet conjugem suam, nec inter homines numerandus est. Non enim laudandus est qui amat filios suos, sed damnandus est qui non amat filios.* Rectissimè: siquidem amor iste etjam secularis, non divinus ex objecto bonus est, & ita divina lege præceptus, ut siquis non amaret homines hujusmodi humanæ necessitudinis vinculo sociatos meritò velut peccati reus plecteretur. Sed aliud est humanam istam dilectionem adesse debere, & sine peccato abesse non posse, aliud sufficere. Eodem quippe modo cibi & potus usurpatio, non solùm licita, sed præcepta est, usque adeò ut qui cibis uti detrectaret, velut homicida sui-ipsius reus haberetur, sed non propterea ab alterius legis vinculo immunis est, qua cibus, & potus, ipsaque vita, propter quam sumitur cibus & potus, in finem unicum & verum creaturæ rationalis referendus est; ne

Serm. 52. de tempore c. 1.

Cap. 2.

Ibid.

alioquin procreatore fruens creaturis, sive seipso sive quacunque alia perturbet ordinem naturalem utendis fruens, vel fruendis utens, *quæ*, teste Augustino, *omnis humana perversio est*, æternaque lege prohibetur. Sic ergò dilectio parentum, conjugum, liberorum, & similium, divinâ & naturali lege mandata est; sed non ita, ut in istis vel officijs dilectionis, vel ijs quibus exhibentur, hærere sufficiat. Erigendus est eò animus, quo creaturam illam erigi decet, cui Deus est unicum & verum bonum, & finis omnium actionum ac dilectionum ultimus, quò debent cuncta collimare, atque pertendere. Sic enim implebitur illud præceptum, quo proximum & inter illos maximè propinquiores diligere jubemur, sicut nosmetipsos. De cujus præcepti sensu suprà disseruimus. Quapropter idem Augustinus, qui amorem illum licitum eo quo dixi sensu appellaverat, ita in eodem sermone de dilectione altiùs subvehenda subjungit: *Amate filios vestros, amate conjuges vestras, etsi seculariter. Nam secundum Christum amare debetis, ut secundum Deum illis consulatis, & non in eis nisi Christum diligatis.* Itaque duo hic quasi præcepta sunt, alterum diligendi, alterum propter finem ultimum diligendi. Qui primum implet sine secundo, non peccat, sed laudabiliter facit diligendo, sed vituperabiliter facit non propter finem ultimum diligendo. Itaque nudè diligendo bonum quidem facit, sed ipsum bonum non benè facit. Vnde alibi apertissimè Augustinus: *Noveris non officijs, sed finibus à vitijs discernendas esse virtutes. Officium autem est quod faciendum est: Finis verò, propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et paulò pòst peccatum esse dicit nudum operire, non propter Deum, hoc est, pauperem diligere non propter Deum: *non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari* (id est, non propter Deum dilectum illud facere) *solus impius negat esse peccatum.* Vnde quod in suprà citato Sermone subjicit: *Quando & humanitus diligis uxorem, sed plus dilige Christum. Non dico ut non diligas patrem, non dico ut non diligas filios, sed plus dilige Christum*: non quasi omni ex parte licitum permittat, eos diligi sine ordine ad Deum, sed satagit ut saltem hoc ab imperfectis hominibus impetret, ne Christo illos diligendo præponant, si ab alterutris deserendi fuerint. Nam amorem illum, quo carnaliter amici conjugesque diliguntur, alijs in locis, loco ligni, stipulæ, & fœni habet, quæ in die Domini exurenda sunt. Quod manifestissimè docet in libris de Civitate Dei: *Quicunque non dico uxorem, cujus etiam commixtione carnis ad carnalem utitur voluptatem, sed ipsa quæ ab hujusmodi delectationibus aliena sunt nomina pietatis, humano more carnaliter diligendo, Christo anteponit, non eum habet in fundamento: & ideò non per ignem salvus erit, sed salvus non erit* &c. *Verum qui has necessitudines sic amat carnaliter, ut tamen eas Christo Domino non præponat, ma-*

Lib. 83. qq. q. 30.

Ibid. c. 7.

Lib. 4. con. Iul. c. 3.

Ibid.

Lib. 21. cap. 26.

nat, maluitque ipsi carere, quàm Christo, si ad hunc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem salvus erit: quia ex earum amissione tantum necesse est urat dolor, quantum hæserat amor. De puro vero amore, quo verè talis necessitudinis nomina à Christianis diligenda sunt, sic annectit: *Porro qui Patrem, matrem, filios, filiasque secundum Christum dilexerit, ut ad eius regnum obtinendum eique cohærendum illis consulat, vel hoc in eis diligat, quod membra sunt Christi, absit ut ista dilectio reperiatur in ligno, fœno, & stipula consumenda, sed prorsus ædificio aureo, argenteo, gemmeo deputabitur.* Sed de modo diligendi & benefaciendi fusiùs nonnihil infrà de operibus infidelium tractando, disseremus.

Ad postremum de appetitu sensitivo dicimus, non sequi esse malum, sed imperfectum. Fertur ille in objecta sensibus grata, & ibi hæret: non enim novit altiùs assurgere, vel aliò referre quod appetit. Hoc enim officium rationali voluntati proprium est, nec ab illo invadi debuit. Quòd si etiam voluntas cum illo in sensibilibus hærere velit, non est hoc malum appetitus, sed culpa voluntatis. Non enim quia non omnia facit, ideo malũ est quod facit. Oculo remus in aqua frangi videtur, cùm inde aufertur integrari; siquis idem mente judicet, non malum habet internuncium, sed malus est judex. Nam ille pro suæ naturæ conditione non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit. Si enim aliud est aër, aliud aqua, justum est ut aliter in aëre, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus rectè videt: ad hoc enim factus est, ut tantùm videat: sed animus perversè judicat, cui ad cernendam veritatem mens non oculus factus. Transfer istud ad appetitum, & voluntatem. Ille in suo genere quamvis inferiore bonus, opus proprium, sicut naturâ institutus est, operatur: hæc verò superior, cui actionem longè præstantiorem, summa moderatrix rerum justitia tribuit, si illum inferiorem quamvis bonum sequi & imitari voluerit, peccando fiet mala; non quia malum, sed quia malè imitatur. Ab illo enim agitur proprium, ab hac appetitur alienum. Vnde ille in suo gradu inculpatus manet; hæc delinquendo ad inferiora demergitur. Pulchrè incedit quadrupedans equus: at si hoc homo pedibus manibusq; imitetur, quis eum vel palearum cibo dignum putet? Rectè enim plerumque improbamus imitantem, cùm eum quem imitatur probemus. Improbamus autem, non quia non sit assecutus sed quia omnino assequi voluit. In equo enim probamus illud: cui quantùm præponimus hominem, tantùm offendimur, quòd inferiora sectatur. Non ergo idcirco appetitus sensitivus malus haberi debet, quia nos cùm illum rationali voluntate sequimur corporeas voluptates diligendo, sicut ipse diligit, mali sumus. *Propterea enim*, inquit August. *corporea diligendo peccamus, quia ipsa justitia diligere & in justitia jubemur, & in ea ut possumus: quod ille non potest, & tunc in nostro genere optimi & beatissimi sumus.* Sed hoc est malum appetitûs sensitivi: quòd corporea præcipitanter diligit, & rationem præcurrendo, quam sequi debuit, importunisq; motibus titillando, voluntatem ad se sequendum occultâ, & blandâ, & efficaci quâdam suasione traducit. Sed illa non est naturæ instituti appetitus, sed pœna dânati.

Lib. de duab. animab. c. 13

CAPVT XXIV.

Nullum peccatum nunc committitur, nisi concupiscentiæ consentiatur.

SATIS ex Augustino hactenus declaravimus, omnem assensum voluntatis, quo libidini seu concupiscentiæ creatis rebus, bonisque temporalibus inhianti ceditur, ut id quod homo facit propter ipsam faciat, esse peccatum. Nunc juxta principia ejus considerandum est, utrum etiam omne peccatum eidem concupiscentiæ consentiendo committatur: hoc est, utrum sicut omnis consensus est peccatum, ita vice versa, omne peccatum sit consensus; sive, utrum nunc nullum peccatum aliter nisi concupiscentiâ voluntatem provocante, & voluntate concupiscentiæ consentiente, perpetretur. Non est à nobis hic sermo de peccato primi hominis, sed de illis tantùm, quæ post lapsum humani generis à scientibus fiunt.

In qua quæstione non minùs manifesta est Augustini sententia, omnia hujusmodi peccata post illud primum, concupiscentiâ incitante & voluntatis assensum impetrante, perpetrari.

Constat hoc primò ex eo, quòd frequenter docet, omne peccatum præcedente tentatione committi, neque tentari nos posse nisi per partem illam animalem; quæ motibus concupiscendi subjacet. Nam de tentatione mulieris per serpentem seu diabolum agens, sic loquitur: *Sed tamen per mulierem decipit: non enim etiam ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisque delabitur, quam tunc actum est in illis tribus, serpente, muliere, & viro. Nam primò fit suggestio, sive per cogitationem, sive per sensus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo: quæ suggestio cum facta fuerit si cupiditas nostra non movetur ad peccandum excludetur serpentis astutia: si autem mota fuerit, quasi mulieri iam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat, atque compescit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, & quod libido commoverit, faciendum esse decernat, ab omni vita*

Lib. 2. de Genes. cont. Manich. c. 14

A tur, omne peccatum ex aliquo vitio tanquam peccati fomite proficisci: *Sunt plurimi tales, (pudici) quorum sine aliquo peccato esse neminem dixerim: & utique illud qualecunque peccatum ex aliquo vitio venit.* Et paulo inferiùs: *Si omnes ibi (in religiosis conjugatis) essent virtutes, nullum esset vitium: si nullum vitium, nullum omnino peccatum. Quis autem sine aliquo peccato? Quis ergo sine aliquo vitio, id est, fomite quodam, vel quasi sine radice peccati.*

Epist. 29 ad Hieron.

Ibid.

Secundò eadem sententia ex eo constat, quòd sæpè docet, nullum peccatum perpetrari, quod non præcedat aliqua delectatio. quam delectationem nihil aliud esse sentit quam rerum delectabilium libidinosum desiderium, juxta id quod suprà de delectatione diximus. Itaque in libris contra Faustum, ubi de frenandis & relaxandis delectationibus, hoc est, concupiscentijs rerum delectabilium agit: *Si nihil delectaret*, inquit, *illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illicitam relaxat potius quàm refrenat.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Quicquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex mala cupiditate. non exoriuntur nisi ex illicita delectatione. Illicitæ ergo delectationi si resistamus, si non consentiamus, si membra velut arma non ministremus, non regnat peccatum in nostro mortali corpore.* Qua continuatione paulo pòst in eodem sermone dicit, nihil aliud esse secundum carnem ambulare (sub quo omnia peccata continentur) quàm carnalibus concupiscentijs consentire: *Quid est secundum carnem ambulare? Carnalibus concupiscentijs consentire. Quid est secundum spiritum ambulare? adjuvari spiritu in mente, & concupiscentijs carnis non obedire. Sic ergo impletur in nobis Lex, impletur in nobis justitia Dei.* Eandem delectationem omnibus peccatis præcurrentem, agnoscit Augustini discipulus Prosper: *Quodlibet peccatum perpetrare non possum, nisi malæ delectationi consentiam.* Et Cyrillus Alexandrinus apertissimè: *Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, & fervens cupiditas ad delicta solet allicere, quæ ante peccati actum insidet, & mentis consensum arripit, persuadens facile hac via veniendum esse quo gliscimus. Quod verum Christi discipulus ostendit dicens: Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit parit peccatum.* Vbi eodem planè modo, sicut Augustinus, sententiam istam suam de delectatione omnibus peccatis præeunte, viamque præparante, doctrinam Apostolicam esse profitetur.

Lib. 22 cont. Faust. c. 28.

Serm. 6 de verb. Apost. cap. 1.

Ibid cap. 9.

Lib. 3. de vita contempl. cap. 4.

Lib. 4. in Ioann. c. 51.

Tertiò eadem Augustini sententia ex eo manifesta est, quòd ideo in cælo nulla dicit futura esse peccata, quia nulla erit concupiscentia cui consentiendo peccetur: *Cur autem in regno nulla peccata remittat Deus filijs suis, nisi quia nihil invenit quod remittat? Non enim poterunt ibi esse peccata, ubi spiritus non dico, non consentit concupiscentiæ carnis, sed nec concupiscit adversus carnem, quia nec caro adversus eum, illâ ineffabili salute perfecta, quæ nunc non fit in baptismo, ubi remittuntur quidem cuncta peccata, sed remanent carnalium concupiscentiarum mala &c.*

Lib. 6. cont. Iul. cap. 15.

D

Quartò ex eo quod doceat non esse membrorum usum malum, nisi quando consentitur concupiscentijs malis: *Quando autem male utitur homo membris bonis, nisi quando consentit eis quæ in nobis habitant cupiditatibus malis?*

Lib. 4. c. 5.

Denique hanc indubitatam esse Augustini doctrinam ex multis apertissimis testimonijs liquet, quæ non possunt in alium sensum ullâ probabilitate detorqueri. Quid enim significat aliud: *Si autem ab illo* (Deo) *avertimur, nostrum est, & tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus.* Quid aliud significat id quod alibi dicit? *At per hoc non solum peccata omnia, quorum nunc remissio fit in baptismo, quæ reos faciunt, dum desiderijs vitiosis consentitur atque peccatur; verum etiam ipsa desideria vitiosa, quibus si non consentitur, nullum peccati reatum contrahitur, quæ non in ista, sed in alia vita nulla erunt, eodem lavacro baptismatis universa purgantur.* Vnde paulo ante concupiscentiam vocaverat *vitium, cui consentiendo peccatur.* Et quid aliud significat id quod in libro de spiritu & littera dicit? *Non figurate aliquid dicitur, quod accipiendum non sit secundum litteræ sonum, cùm dicitur; Non concupisces; sed apertissimum saluberrimumque præceptum est, quod si quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum. Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam quo cuncta complexus est tanquam hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait: Non concupisces.* NEQVE ENIM VLLVM PECCATVM NISI CONCVPISCENDO COMMITTITVR. Vbi per (concupiscere) ipsos motus concupiscentiæ intelligit prohiberi, ideoque illud præceptum solùm in cælo esse complendum, ut ex fine libri manifestum est. Nam hujus vitæ justitiam tunc perfici docet, quandò concupiscentijs etsi tumultuantibus non consentimus. *Aliud est enim*, inquit, *totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem.* Et paulo pòst effigiem hominis exprimens, qui perfectam hujus vitæ justitiam assecutus est: *Verùm ecce jam talem constituamus animam humanam in hoc corruptibili corpore, quæ etsi nondum illa supereminentissima perfectione charitatis Dei omnes motus terrenæ libidinis absorbuerit atque consumpserit, tamen in ista minore justitia ad illicitum aliquid operandum eidem libidini nulla inclinatione consentiat: ut ad illam vitam jam immortalem pertineat; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. ad hanc autem: Non regnet peccatum* (id est, concupiscentia) *in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs ejus: ad illam; non concupisces: ad istam: post concupiscentias tuas non eas.* Cùm ergò tantam hujus vitæ justitiam expressisset, ut qui illa præditi fuerint, nullis concupiscentijs malis omnino consentiant, mox de talibus justis adjicit: *Tales justi ex fide viventes non opus habent dicere: dimitte nobis debita nostra &c. Falsumque esse convincunt quod scriptum est: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et illud: si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Non potuisset expressiùs & clariùs aperire mentē suam

Lib. 2. de pecc. merit. cap. 5.

Lib. de pecc. orig. c. 40.

B

Ibid cap. 38.

Lib. de spirit. & litt. c. 4.

C

Ibid. c. ult.

qua sentit omnis omnino peccati expertem fore vitam nostram, si nullis concupiscentijs nos provocantibus adhiberemus assensum. Quam suam sententiam etiam in tractatibus in Ioannem paucissimis quidem, sed clarissimis verbis expressit: *Numquid quia deleta est tota iniquitas nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus &c.* De peccatis deletis per baptismum loquitur, de remanente post baptismum concupiscentia loquitur, de peccatis ex illa velut infirmitate rationalis animæ pullulantibus loquitur: sine fuco & ambiguitate dicit: *Si illa non remansisset, sine peccato hic viveremus.*

Tract. 41. in Ioann.

Nec verò solius Augustini ista sententia fuit, sed & ante ipsum, & cum ipso, & post ipsum doctissimi sanctissimique Patres id ipsum docuerunt, Nam ante Augustinum Sanctus Hilarius in Psalmos ita loquitur: *Viam peccati, qua ad peccatum pergere promptum est, amoveri à se deprecatur, id est, omnia corporalium voluptatum desideria auferri, nec tentationem aliquam concupiscentiæ, aut ignorantiæ, qua tanquam per viam ad peccatum itur, ingruere.* Quasi dicat, illas duas esse solas vias, quibus ad peccatum pervenitur, quas à se amoveri petit. Clariùs eodem tempore quo vixit Augustinus, hoc asseruit S. Cyrillus Alexandrinus quem paulo antè citavimus: *Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, & fervens cupiditas ad delicta solet illicere: quæ ante peccandi actum insidet, & mentis consensum arripit, persuadens facilè hâc viâ veniendum nobis esse, quo gliscimus.* Quod significatum esse docet illis Apostoli Iacobi verbis: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*; quibus allegatis adijcit; *Vides quomodo ex cupiditate improbitas ortum ducit; vides quomodo ex voluptatis semine delicta producuntur.* Et libro primo de adoratione in spiritu & veritate: *Semper nos ad deformitatem, hoc est, ad peccatum impellunt, quæ nobiscum & in nobis existunt voluptates.* Et istud eodem modo, ut Augustinus, in peccato Adami, quod mulier figura delectationis omne peccatum prævolantis extorsit, præfiguratum esse tradit. Et sanctus Prosper doctrinæ sancti Augustini sectator indivulsus: *Si quodlibet peccatum perpetrare non possum, nisi malæ delectationi consentiam, quod cupiditatis est proprium &c.* Et sanctus Leo Pontifex Maximus: *Quia nullum sine delectatione peccatum est, citò acquiescitur deceptoriæ voluptati.*

Hilar. in illud Psal. 118. Viam iniquitatis amove à me

Cyrill. Alex. lib. 4. in Ioannem c. 51.

Lib. 1. de adorat. in spirit. & verit.

Prosp. lib. 3. de vita contempl. c. 4.

Leo serm. 6. de Epiph.

Hæc ergo ratio est, cur non semel Augustinus omnia peccata quæ baptismo diluuntur, sub peccato originali, & ijs quæ concupiscentias nostras sequendo committimus, comprehendere solet: *Nec omnino quisquam mundari potest, sive ab originali peccato, sive à peccatis, quæ ipsi non resistendo carnali concupiscentiæ, sed eam sequendo, eique serviendo in flagitijs & facinoribus addiderunt, nisi per fidem*; Cujusmodi & alijs locis repetit.

Serm. 80 de verbis Dom. cap. 1.

Sed difficultatem alicui movere potest quòd sæpè Augustinus adversus Pelagianos disputans, duas radices assignat, ex quibus omnia peccata pullulant, & propter quas nemo quantumlibet justus hanc sine peccato vitam transigere potest. Sic enim loquitur in libris de peccatorum meritis & remissione, cùm quæsitum esset cur in hac vita non esset homo sine peccato: *Nolunt homines facere quod iustum, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat &c. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* Et in libris ad Bonifacium: *Peccata sunt quæ secundùm carnis concupiscentiam, vel ignorantiam illicitè fiunt &c.* Et mox dicit orari à nobis: Dimitte nobis debita nostra, non propter concupiscentiam ipsam, sed *propter peccata, quæ fiunt, sive in eius consensionibus, cùm ab eo quod libet vincitur, quod placet, sive cum per ignorantiam malum quasi bonum placet.* Et in Enchiridio ad Laurentium, cùm primum peccatum posuisset voluntatem deficientem à bono; de fontibus reliquorum peccatorum sic adjungit: *Deinde etiam cum nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum, quibus comites subinferuntur error & dolor &c. Ex his morborum non ubertatis, sed indigentiæ tanquam fontibus omnis miseria naturæ rationalis emanat.* Et clarissimè in eodem libro inferiùs: *Duabus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus: quorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis.* Vbi manifestum est, nullum esse voluntatis omnino liberæ, se sine ulla ignorantia vel cupiditate determinantis locum. Nam quamvis quædam ex malitia dicantur peccata perpetrari, illa ipsa non sine quadam concupiscentia, eo fortiore atque robustiore, quo occultiore atque subtiliore, committuntur.

Lib. 2. de pec. merit. c. 17.

Lib. 1. ad Bonif. c. 13.

In Enchir. ad Laurent. cap. 24.

Ibid. c. 81.

Verum ista & similia, quæ multis locis ab Aug. contra Pelagianam hęresin repeti solent, tantùm abest ut doctrinam ab eo antè traditã labefactent, ut potiùs eam longè firmiùs stabiliant. Nam inde patet, nulla agnoscere peccata Augúst. quæ liberâ omnino, & nullis omnino, ignorantiæ tenebris obscuratâ, vel concupiscentiæ desiderijs impeditâ voluntate committantur, ut communiter putari solet, quandoquidem omnia ex duobus illis miseriarum fontibus ignorantiâ & concupiscentiâ seu infirmitate promanent. Neque verò hoc ipsum repugnat ijs, quæ ante ex ipso latè tradidimus, quod omnia peccata inde fiant, quia concupiscentijs consentimus, nulla facta ignorantiæ mentione: idque propter duas causas. Primò, quia illa ipsa peccata ignorantiæ concupiscentiam sequendo, eique consentiendo committuntur. Quamvis enim ignoretur esse peccatum, factum tamen quod concupiscitur non ignoratur. Secundò, quia concupiscentia est causa ignorantiæ, ut suprà declaravimus. Nam de illa ignorantia Augustino semper sermo est, *qua malum*, quod naturæ legibus vetitum est, *quasi bonũ placet.* Vtramq; causam tetigit & insinuavit nonnullis locis Aug: ut quando in libro de perfectione justitiæ dicit: *Non offendit nisi cui mala concupiscentia contra iustitiæ rationẽ appetendo, vel vitando faciendum, vel dicendum, vel cogitandum, aliquid*

Lib. de perf. iustit. c. ult.

aliquid quod non debuit, sive FALLENS, *sive* PRÆVALENS *persuadet.* Et quando dicit in libro primo de peccatorum meritis: *Fit ut per ignorantiam vel infirmitatem non exertis adversus eam* (concupiscentiam) *totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus, tanto magis & crebrius, quanto deteriores; tanto minus & rarius, quanto meliores sumus.* Vbi per ignorantiam fieri dicit, ut concupiscentiæ ad illicita nonnulla cedamus. Et libro secundo de peccatorum meritis: *Vnde fit consequens, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc est, ne a tentatione* (concupiscentiâ, sicut suprà ex Augustini mente declaravimus.) *vincamur, vel cum fallit & præoccupat nescientes, vel cum premit atque urget infirmos*: in quibus duobus locis *fallere* tribuit concupiscentiæ propter ignorantiam, cui proprium est scientiam subtrahendo, fallere: *premere* verò seu *prævalere* propter motûs vehementiam, quæ concupiscentiæ propria est, & ab invitis ac gementibus assensum voluntatis extorquet. Vnde in Enchiridio ad Laurentium universa omnino peccata post lapsum, itemque manifestas pœnas ad iram Dei peccatum originale punientem revocans dicit: *Ad iram quippe Dei pertinet iustam, quicquid cæca & indomita concupiscentia faciunt libenter mali, & quicquid manifestis opertisque pœnis patiuntur inviti.* Vbi cæca dicitur concupiscentia propter ignorantiam, quam secum comitem trahit, Deo pluente pœnales cæcitates super illicitas cupiditates: indomita verò, propter infrenes impetus, quibus in voluptates æstuat.

Lib. 1 de pec. merit. c. ult.

Lib. 2. c. 3.

In Enchir. cap. 27.

Cùm ergò libido seu cupiditas dupliciter accipiatur, vel propriè pro motu concupiscentiæ involuntario, vel minùs propriè, pro motu ipsius voluntatis inordinatè aliquid appetente, ex iis quæ diximus vera ratio intelligi potest, cur amor rerum temporalium, seu earum quas quisque potest invitus amittere, (ex quo amore omnia peccata perpetrantur, sicut suprà latè ex eodem Augustino patefecimus,) cupiditas seu libido ab eodem vocari soleat. Nimirum quia libido illa propriè dicta, quæ motibus suis ante liberum voluntatis assensum prævolat, in omnibus peccatis consensum voluntatis extorquet, ita videlicet, ut ex illo desiderio libidinis, seu cupiditatis, seu concupiscentiæ præcurrente, & consensu voluntatis accedente, fiat unus completus volendi motus, tanquam homine toto, ex parte tam inferiore quàm superiore simul concupiscente: in quo pleno & quasi composito appetendi motu, libido dominatur, voluntas verò violento & imperioso ejus motui obediendo servit; atque ea de causa nomen libidinis seu cupiditatis tanquam in illo motu libero dominantis toti actui meritò attributum est. Quod manifestè ex ipso Augustino patet. Nam in illo eodem loco, quo cupiditatem culpabilem definit, & pro libero appetendi motu accipit, apertissimè dicit: *Clarum est iam nihil aliud quam libidinem in toto malefaciendi genere dominari.* Et hoc in eodem loco sæpè repetit, & ex illa, adulterij, sacrilegij, & similium scelerum malitiam esse metiendam. In quo loquendi modo, quamvis nunc apud Scriptores recentiores, præcipuè Philosophos insuetatus sit, Scriptores Latinissimos & antiquos Philosophos Augustinus secutus est. Sic enim olim Stoici, & post illos Tullius locutus est, ut tum alijs locis, tum maximè Tusculanarum quæstionum libro quarto patet. Nam ibi libidinem, lætitiam, metum, & ægritudinem, seu tristitiam non pro ipsis passionibus, sed pro motibus voluntatis cedentis passionibus contra rationem accipit, ut ex definitionibus singularum quas ibi tradit perspicuum est. Qui loquendi modus nec ab usu quotidiano alienus est. Nam juxta illum non tam metuere, tristari, lætari dicitur, qui motibus illis involuntarijs quatitur, quàm ille qui motibus illis consentiendo cedit: usque adeo ut qui illis tantùm tangitur, sed voluntate dominatur, dicat potiùs & verè dicat, se non metuere, non tristari, non lætari. Quia igitur libido seu cupiditas *in toto*, ut Augustinus loquitur, *malefaciendi genere dominatur*, hinc est, quòd & ipse, & Stoici, & Tullius, hoc animadvertentes ista nomina liberis voluntatis motibus dominanti libidini assentientis tribuerunt, ut illi ipsi libidines cupiditatesve vocarentur. De qua dominatione Augustinus: *Manet in vetustate carnis* (peccatum, seu concupiscentia) *tanquam superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reviviscat, & in regnum proprium dominationemque revocetur.* Et alibi: *Quamvis coniugalis concubitus, qui fit intentione generandi, non sit ipse peccatum; quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subiugante peccato, cùm iustè redigitur in usum generandi plaga peccati. Huius plaga quidam pruritus in adulteriorum, & fornicationum, & quorumlibet stuprorum atque immunditiarum fœditatibus regnat; in connubiorum verò necessitudinibus servit. Ibi de domino tali turpitudo damnatur; hic de pedissequo tali honestas verecundatur.* Et clarissimè ipse Apostolus, cùm generaliter ad Christianam sanctitatem hortaretur: *Non ergo regnet,* inquit, *peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius.* Et mox: *Peccatum enim vobis non dominabitur.* De cujus peccati, id est, concupiscentiæ servitute ac dominatione latè prosequitur, atque in illa ipsa exhortatione satis indicat, totam vitæ puritatem & impuritatem in illius concupiscentiæ subjugatione vel dominatione consistere. Neque enim doctrinam illam suprà traditam nisi ex Scripturis Augustinus hausit.

Lib. 1. de lib. arb. c. 3. 4. 5.

Lib. 1. de pec. merit. c. 8.

Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 12.

Rom. 6.

CAPVT XXV.

Indagatur & profertur hujus doctrinæ ratio tripartita.

SED hîc meritò moveri potest quæstio, unde fiat quòd omne peccatū concupiscendo,& concupiscentiæ assentiendo cōmittatur. Cur enim non potest animus liberâ suâ,nullo cupiditatis motu provocatâ,voluntate peccare? An fortè ideò,quia illa natura voluntatis est, ut non possit nisi aliquâ delectatione præeunte, & quasi viam ad liberè volendum præparante consentire? Sic enim quemdam inter hujus temporis peritissimos sensisse video. Hæc enim delectatio est quasi quædam objecti complacentia: quam necesse est præcedere, ut quis objectum liberè velit. Quomodo enim volet id quod sibi non placet, aut quod non delectat? Fundantur in Augustino, qui in secunda quæstione libri primi ad Simplicianum dicit: *Quis animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat?* Accedit experientia, qua manifestè convincimur, nihil penitus nos amplectendo prosequi in rebus sive humanis sive divinis, nisi non solùm intellectu approbetur, sed etjam voluntati placeat. Si enim voluntati displicet, quamvis intellectus illud probet, potiùs libero voluntatis motu aversabitur, quàm prosequetur: usque adeò ut etjam tunc, cùm ad experiendam & ostentandam liberrimam voluntatis indifferentiam, alterutrum eligere volet, præcedat quædam complacentia unius præ altero, vel certè istius indifferentiæ ostentandæ: ex qua delectatione fit, ut nunc hoc, nunc illud eligat. Neque enim necesse est, ut delectatio aut complacentia semper circa illud immediatè versetur, quod eligitur, sed vel circa illud, vel circa aliud, ex cujus delectatione alterum etjam invisum eligatur. Vnde hæc, nisi quia illa est natura voluntatis? Quæ quidem ratiocinatio, alicui probabilis videri queat, præsertim cùm Augustinus, tum illo quem citavimus loco, tum aliàs non semel hujusmodi delectationis motum voluntatis liberæ præcursorem & præparatorem ad volendum postulet, ut alibi dicturi sumus.

Vide infrà lib. 4. de gratia Christi Salvatoris c. 6. & maximè 8.

Sed quantumcunque ista Philosophiæ principijs satis consonare videantur, omninò tamen dicendum est, hoc nullo pacto ex natura voluntatis accidere. Sic enim duo capitalia Augustini, imò Ecclesiæ principia subvertuntur. primum est, quo docet Augustinus, in primo Adami peccato, quod fide certum est esse liberâ voluntate perpetratum, nullam hujusmodi non-liberam seu involuntariam delectationem, seu complacentiam, seu quocunque nomine motum istum indeliberatum voluntatis nomines, præcessisse. Docet enim constantissimè, ut suprà de primi hominis statu declaravimus, summam fuisse ante primum peccatum in anima & corpore tranquillitatem, ita ut nihil in eo prorsus renitente vel non annuente voluntate posset exurgere, quo provocaretur ad malum. Vnde cùm Iulianus similem quandam titillationem ad comedendum, ante peccatum primum constitueret, tanto impetu hoc repercutit, ut dicat: *non usque adeò dementes estis, ut ista credatis: non usque adeò impudentes, ut ista dicatis.* Videlicet in tanto beatitudinis loco fuisse primos homines *sine pace mentis & corporis.* Qua de re latiùs suprà disseruimus. Alterum est, quo semper docet, omnem concupiscentiam atque illicitam delectationem, imò omnem repugnantiam, qua vel corpus vel animus desideria & delectationes suggerit, quibus mens ad appetenda terrena sollicitatur, pœnam esse peccati. Addi potest tertium,quo docet injustum fore Deum, si talibus tentationibus internæ delectationis ad malum provocantis homo ante demeritum pulsaretur. Hæc est enim gravissima pœna, quam sine peccato innocentibus hominibus Deus nec inflixit, nec infligere potuit, ut infrà fusiùs ostendendum est. Ista principia Augustini, imò Catholicæ Ecclesiæ cùm certa sint, impossibile est illam esse naturam voluntatis, ut voluntas antequam in aliquem liberum erumpere possit motum, aliqua involuntaria objecti delectatione seu complacentia necessariò provocetur & præparetur, sic enim necesse fuisset etjam ante primum peccatum hujusmodi mali complacentiam, seu delectationem, seu titillationem debuisse præcedere. Necessarium igitur est, ut ex alio principio doctrinæ superiùs traditæ fundamenta jaciamus.

Lib. 1 oper. imperf. cont. Iulianum.

Omnibus animalibus naturâ insitum est, ut seipsa diligant: quæ inconcussa lex etjam in bestias, adeoque plantas ac stirpes, & res inanimas pervulgata est. Nam & illa mortem quo possunt modo, velocitate, latebris, resistendo, repugnandoque fugiunt; & ista corticibus, radicibus, omniumque partium se valida compactione custodiunt. Cujus veritatis à summis usque ad ima penetrantis consideratione Philosophi de homine dixerunt, hanc esse naturæ primam quodammodo & maximam vocem, ut homo concilietur sibi, & propterea mortem naturaliter fugiat; ita sibi amicus, ut esse se animal, & in hac conjunctione corporis atque animæ vivere velit, vehementerque appetat. Ex isto essendi appetitu fluit, ut animantia non solùm ipsum esse suum, quod ex corpore & anima conflatum est, diligant, sed & uniuscujusque partis convenientia bona prosequantur, & omnibus modis mala declinent, hinc enim saluti & integritati corporis

corporis magno conatu consulunt, dolorem ejus, divisionemque partium, famem, & sitim fugiunt. Hinc ad appetituum quietem anhelant, dum sequuntur voluptates; appetitibus enim ferri & appetita non assequi, tortura magna est animantium, & malum. Appetunt hæc omnia animalia naturaliter, nec opus est alia concitatione, vel appetitus determinatione, quàm ut objecta naturæ congrua sensibus offerantur: hoc ipso enim in eis concitatur impetus appetentis animæ, si hujusmodi fuerint, ut corpori, vel animæ, vel utriusque conjunctioni, hoc est, vitæ custodiendæ servire æstimentur. Et hic finitur in brutis animantibus dilectio sui. Nec enim vel salutem corporis, vel requiem appetituum, vel vitam quæ ex utriusque conjunctione coalescit, ad aliud referre naturæ magisterio didicerunt. Vsque adeò ut si propter finem cognitum operarentur, salus ista totius animantis diceretur esse in eis ultimus omnium appetitionum & motuum finis. Neque ipse homo, si ei deesset ratio, aliquid amplius appeteret. Vnde Augustinus: *Si irrationalia essemus animantia, nihil appeteremus præter ordinatam temperaturam partium corporis, & requiem appetitionum: nihil ergò præter requiem carnis, & copiam voluptatum: & pax corporis prodesset paci animæ.* Sed quia homini anima rationalis data est, cujus nullum est bonum, nisi solus Deus, utpotè qui est ei veritas ad intelligendum, & summum bonum ad fruendum; hinc est quòd propter illud ipsum bonum omnibus bonis & ipsa naturâ hominis excellentius, ipse homo conditus fuerit, & consequenter, quòd quicquid commune habet cum brutis animantibus, corporis integritas, requies appetitionum, vita ipsa ad illud bonum referendum sit. Ad hoc enim velle debet nec dolore corporis molestari, nec desiderijs perturbari, nec morte dissolvi, ut bonum illud suum cognoscat ac diligat, hoc est, ut clarè noverit & ineffabiliter diligat incommutabilem veritatem, & ex ejus nutu & hic & postea omnem vitam moresque componat: idque non propter se, quia hoc sibi commodum est, sed propter illum cujus est totum quidquid est, & habet, & potest. Illius enim & creatura, & figmentum, & mancipium est: atque ita tanquam aliquid ipsius Dei se diligere debet, ut Deus creaturæ suæ in æternum dominetur, & in ea potestas, sapientia, & bonitas ejus glorificetur. Hìc enim sicut fuit scopus creantis Dei, ita & hominis amantis esse debet. Hic est verus & purus ille amor, quo jubetur diligere Dominum Deum suum ex toto corde, & animâ, & viribus. Hic idem est verus & solus amor, quo homo seipsum utiliter diligit. Non enim hæret vel sistit in diligendis, aut corporis aut animæ aut utriusque commodis procurandis, sed istam totam quam cum brutis communem habet *dilectionem sui, in illam dilectionem Dei refert, quæ nullum a se rivulum extra se duci patitur, cujus derivatione minuatur.* Hoc amore homo sicuti Deum ut essentiæ suæ

Lib. 19. de Civit. c. 14.

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 22.

A & sapientiæ & amoris principium, ita etiam ut illorum omnium finem respicit in quem cuncta requiescant. Iste beatissimus amor tum Dei tum sui, visceribus hominis cùm conderetur infusus est, ex cujus suavissimis legibus, quas amando in libro æternæ veritatis legebat, & corporis commoda procurabat, & inferiores animæ appetitus, prout res exigeret, exerendo & relaxando dirigebat. Anima enim ex uno Deo suspensa, nullis istius dilectionis sui, quam cum brutis respectu corporis, & sui, & conjunctionis utriusque eam communem habere diximus, importunis motibus turbabatur. In subsidium enim superioris partis data fuerat, ut ad nutum ejus motus exereret suos, & ratione imperante, illa ministrante, majori pronitatē atque facilitate saluti totius animantis consuleretur. Cùm igitur homo servitutem illam sub Deo malè libero abrupisset arbitrio, Deo, quo solo erat inferior, B tanquam principio & fine prætermisso, in seipsum creaturis corporeis superiorem, & ideò veluti medio loco inter Deum atque illas collocatum lapsus est, & ipse sibi cœpit omnium appetitionum & motuum esse principium & finis. De quo præclarè Augustinus: *Qua igitur tam longe transiret ad infima, nisi per medium sui?* Et alibi: *Quis se abscondit a conspectu Dei* (de Adamo loquitur) *nisi qui deserto ipso incipit iam amare quod suum est?* Et in libris de Civitate Dei, de eodem loquens: *Perversa celsitudo, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium.* Et mox: *Hunc enim & delectavit quod dictum est: Eritis sicut Dij. Quod melius esse possent summo veroque principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam.* Dum ergò Deum deseruit cujus veritate illustrabatur ut videret, & bonitate fruebatur ut beatus esset, C principium sibi esse voluit & cognoscendæ veritatis, & dandæ beatitudinis. Nihil est enim aliud placere sibi, quod Adamo ibidem tribuit Augustinus, quàm seipsum amare, & velut excellens aliquod bonum admirari, & exosculari, & hoc ipsum est seipso in seipso frui, & fruendo beatum velle fieri. Et sicut illius motus principium, ita & finis ipse fuit. Duplex est enim omnium appetitionum finis, *qui* & *cui*. Inter quos ultimus omninò finis est ille qui dicitur *cui*; respectu cujus, finis *qui* quodammodo medij rationem induit, quantumcunque aliquis eo frui videatur. Nam & finis *qui* & fruitio ejus propter ipsum fruentem velut finem *cui* omninò ultimus appetitur. Sic ergò homo lapsus ab amore Dei, in quem velut in finem *qui*, simulque finem *cui* totum ultimò cederet, ferebatur, in seipsum non solum velut omnium appetitonum præsentis & futurarum principium, sed velut in finem ultimum *cui* cecidit. Hoc ipsum enim quod D relicta dominatione Dei, sua potestate, ut August. loquitur, vel alia quacunque excellentia frui voluit, sibi eam voluit, & in se, non in alium quempiam velut finem ultimum *cui* retorsit. Fracto igitur illo vinculo divini amoris, quo

Lib. 12. de Trinit. c. 11

Lib. 2. de Genes. contra Manich. 16

Lib. 14. cap. 13.

nem

mens hominis tanquam summus apex hominis, cum omnibus naturaliter insertis amoribus sive corporis sui, sive animæ, sive conjunctionis utriusque arctissimè religabatur & suspendebatur ex Deo, ne quicquam in toto homine ad aliquid appetendum aut fugiendum, ea nolente, moveretur, statim illa pondera amorum naturaliter quasi suâ gravitate deorsum lapsa abrupto retinaculo ceciderunt, & voluntatem secum rapiendo, magno impetu ad sua quæque objecta properarunt. Quod triplici ex capite videtur contigisse.

Primò, quia naturaliter ita fieri res ipsa postulat, ut (quemadmodum in brutis accidere videmus) non solùm corporis commoda summo conatu quærant, doloresque & mortem fugiant, sed & sensuum externorum internorumque pro cujusque natura delectationibus inhient, quò naturæ pondere propelluntur. Vnde si rationali voluntati natura irrationalis cum eodem isto naturalis amoris pondere in omnia quaquaversum objecta prosiliente conjuncta fingeretur, nemini mirum esset, si rationis deliberationem & liberam voluntatis motionem semper indeliberatis suis motibus anteverteret. Natura enim longè constantiùs multòque priùs suos motus exerit, quàm voluntas. Quod enim naturaliter agit, ipso momento, quo cuncta quæ ad agendum requiruntur expedita sunt, in actum prolulit: hoc est, brutalis appetitus ipso momento quo sensibus vel internis vel externis objectum apprehenditur, aut appetit illud, aut fugit, aut alio quopiam circa illud versatur motu. Quod opus naturæ totum peractum est, antequàm ratio deliberare, nedum voluntas annuere potuerit. Quid ergò mirum, si brutalis illius naturæ motus cui copulati sumus, omnibus voluntatis liberis motibus prævolet, cùm illa dilectio sui naturalis, quæ visceribus ejus & singulis facultatibus insculpta est, ubique corporis commoda & appetitionum requiem quærat? Quid denique non maximè rationi consonum, si in quidlibet indifferenter ardescat, sive rationi, hoc est, veritati congruat, sive dissonet? Ipsius enim per se spectatæ non est agnoscere veritatem, sed bonum suum privatum quærere: hoc vero utrum etjam superiori parti totique homini congruat, viderit ratio.

Secundò, quia ille ipse amor sui in quem homo velut finem *cui* omnia in posterum appetenda servirent, abrupto amore Dei lapsus fuit, est veluti intentio quædam generalissima & efficacissima finis ultimi, quo omnia referuntur. Amisso enim amore Dei, in quem antea omnia velut in finem ultimum ferebantur, impossibile est, ut aliò quælibet appetita referantur, nisi ad ipsum hominem, qui se diligendo arctissimè complectitur, & sibi soli incubat. Nam amor amicitiæ ad alterum est quædam velut extensio & effigies amoris sui: quemadmodum propago est extensio trunci: & ad illum se incipit habere sicut ad se, res aliquas amico appetendo, sicut sibi. Intentionis autem efficacis illa natura est, ut in omnia omninò media, quæ fini amato, sub modo quo amatur, conducere videntur, necessariò feratur. Hinc ergò solus ille amor sui efficacissimus, in quem homo lapsus est, etsi nullus appetitus sensitivus stimularet, satis est ut illa vitiosa desideria suscitaret etjam invitâ voluntate, quibus jam torquemur. Sic enim experimur in rebus amatis fieri, quantumcunque vel naturæ hominis vel appetitui sensitivo ingrata sint, ut si magno amore diligantur & appetantur, etjam inviti illis cogitandis desiderandisque inhiemus. Cùm verò amor iste sui sit simul generalissimus, utpotè in quem velut finem omnia omninò, quæ quoquo modo faciunt ad corporis aut animæ requiem, quam omne animal naturaliter appetit, referuntur; nihil mirabile, si ex illo solo amore ad omnia omninò vitia incessanter urgeamur. Nam amissa veræ dilectionis regulâ & fine, quidquid homini bonum videtur, istud ex illo amore concupiscitur, sive animi solius creata bona, ut à Stoicis factum est, sive corporis, ut ab Epicuræis, sive utriusque ut à Peripateticis. Omnia quippe ista in hominem sui ipsius amatorem & admiratorem ultimò terminantur. Hinc est quod meritò Augustinus isto solo amore sui tanquam generalissimo & uberrimo fonte omnium omninò vitiorum; Civitatem terrenam, cujus Adam in hominibus principium fuit, à cœlesti civitate discernat: *Fecerunt civitates duas, amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cælestem verò amor Dei usque ad contemptum sui.* Optimè omninò atque verissimè. Impossibile est enim ut amator sui non contemnat Deum, & è contrario, ut amator Dei non contemnat se. Nam & ille seipsum velut finem omnium appetitionum suarum respicit, & iste Deum; cùm neque seipsum curet aut diligat nisi propter Deum, ut illi cedat ipsa illa dilectio seu cura sui, seipsum etjam in nihilum redigere paratus, si tanquam in bonum, Dei unicè dilecti cederet, juberetur. Hinc Augustinus: *Prima hominis perditio fuit amor sui.* Hinc omnia vitia, quæ longâ serie recenset Apostolus, ex eo pullulare profitetur, quod præmiserat; *Erunt homines seipsos amantes. Hac*, inquit, *omnia mala, ab eo velut fonte manant, quod primum posuit seipsos amantes.* Et paulò pòst iterum, cùm illa vitia deduxisset: *Hæc atque hujusmodi vitia, sive uni homini accidant omnia, sive his alia, illis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant, cùm sunt homines seipsos amantes.* Nimirum quia amor ille sui est, ut dixi, velut intentio quædam generalissima & efficacissima appetendi sibi velut fini quicquid appetenti congruere iudicetur: Ex quo non sola innoxia illa cura custodiendæ integritatis animæ & corporis; (nam & ista ex eo quamvis sine noxâ fluit, quatenus ad illa objecta terminatur) sed omnia etjam indeliberata vitiorum desideria, & consequenter vitia, Dei amore non regente, proficisci solent.

Tertiò denique, quia postquam homo deserto

Lib. 14. de Civit. cap. 28.

Serm. 47. de divers. c. 4.

2. Tim 3.

Tract. 123. in Ioan.

deserto Deo in seipsum amandum fruendumque velut beatitudinis fontem cecidit, ingentem & sibi ipsi incomprehensibilem vacuitatem & egestatem expertus est; tantam videlicet, quantum fuerat illud bonum, quo ante fruendo replebatur, & cui capiendo naturaliter conditus fuit. Tria vero illius immensi possessione boni possidebat. Primò incomparabilem quandam celsitudinem, utpote qui nullo interjecto medio soli Deo subdebatur: & ita dominabatur sui & omnium sibi naturæ conditione subditorũ, ipsi autem nemo penitus præter Deum. Secundò, scientiam luminosissimam rerum creatarum, & maximè omnium agendorũ; quia mẽs illa omni amore peregrino creaturarum, & consequenter pœnalibus tenebris vacua, sine ullo obstaculo, veritatis cui inhærebat, puris radijs tangebatur. Tertiò, torrente quodam voluptatis perfundebatur, quæ ex tanto bono semper præsente cognito B dilectoque profluebat: *Ex hoc amore*, inquit Augustinus de Adamo, *grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum.* Tribus istis ingentibus bonis, quibus ex illius infiniti boni possessione plenus erat, tres æquè ingentes inanitates seu penuriæ successerunt, & ex penurijs importunissimi & violentissimi desideriorum impetus ad illa damna quoquo modo sarcienda. Hac enim in primis consideratione dixisse arbitror Augustinum, id quod omnium veraciter spiritualium virorum judicio approbatum est: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Anima quippe inquietatur desiderijs velut motibus; & gaudijs veluti motuum terminis requiescit. Inde igitur perpetua ejus extra Deum inquietudo, dum quidquid appetit ut fruatur & gaudeat, nihil omnino invenit præter Deum, quo vastissima illa capacitas impleatur.

Lib. 14. de Civit. c. 10.

Lib. 1. Confess. c. 1.

C Hinc ergo nascuntur tria genera importunissimorum desideriorum ex quibus, juxta Sancti Augustini doctrinam supra traditam, omnia vitia proficiscuntur. Primò quidem omnes illi impetus vanitatis, cupiditatis videlicet laudis & æstimationis, & amoris, ac timoris humani, quasi conscia suæ abjectionis anima ad quandam primatus excellentiam suffragia aliena & emendicata contraheret. Itemque libido maxima ceteris dominandi, quibus sub Deo æqualis esse deberet. Ita nimirum ostentat *quendam appetitum unitatis & omnipotentiæ*, ut *solus* homo sit, *si fieri possit, cui cuncta subjecta sint*; & ita quandam adipiscatur *umbram veri regni*, quo sub Deo sibi regnante gaudebat. Hinc secundò nascitur inquietissima illa curiositas nomine scientiæ palliata; per quam illa vacuitas primæ veritatis, ad quam diligendam ac videndam condita est, impleatur. Hinc tertiò perpetua illa pronitas in voluptates, animâ videlicet satagente per D omnes rimas corporis forinsecus sibi accersere, quod intrinsecus ei scaturiverat. Inter quarum impetus ille maximus, totaque vita pertinacissimus est, quo in concubitum æstuat; nimirum occulto instinctu hoc agens, ut homo

Lib. de vera Relig. c. 45.

Ibid. c. 48.

A quia morte damnatus est, vicaria quadam sui ipsius substitutione immortalitatem quam amisit rursus assequatur. Hoc enim nascitur quodam arcano *sensu naturæ mortalis successionem decessionemque requirentis.* Hi tres ergo fontes sunt non ubertatis sed *indigentiæ*, ut eos Augustinus subinde vocat, ex quibus omnino omnia vitiosa desideria, quibus provocamur, emanant.

Lib. de bono conjug. c. 19.

Quibus si addas, quod *amor* ille *sui*, quam *primam hominis perditionem fuisse* cum sanctissimo Doctore diximus, vestigium sibi simillimum, sicut ipsa natura humanorum actuum postulat, instar consuetudinis pertinacissimæ in inferiorem animæ partem impresserit (quæ omnium motuum vitiosorum quantumcunque spiritualium & subtilium, quibus perturbamur, susceptiva est) eaque in prolem propagata transierit, quò doctrina Augustini collimare videtur; nihil omninò quisquam mirabitur, si istud amoris proprij vestigium, naturali illi dilectioni sui superadditum, tantaque rerum omnium egestate, in quam cecidimus, appetitum provocante adjutum, incessanter creatarum rerum desideria concitet, & omnibus actibus liberæ voluntatis prævolet. Omnia quippe prædicta per modum naturalis ponderis premunt, & non expectatâ rationis deliberatione, assiduis desiderijs vel agendi vel non agendi, in omnibus occasionibus animam ad exerendum consensum suæ libertatis impellunt. Quidquid enim creatarum rerum, sive sensibus externis sive ipsis occurrit cogitationibus, totum hoc sub objectum proprij amoris jam corrupti summaque illa egestate vexati cadit, qui illis vel appetendis vel fugiendis incessanter invigilat; quemadmodum hoc in brutis erga sui generis objecta fieri manifestum est. Vnde Augustinus sæpè vitam istam non solum tentationibus plenam, sed totam tentationem esse testatur: *Cujus tentationes, imo quam totam tentationem, quamdiu in ea sumus, quantumlibet proficiamus perpeti non desinimus.* Et infrà, quod etjam crebro repetit: *Aliquando concitatius, aliquando remissius, non tamen desinit caro concupiscere contra spiritum.* Longè enim latiùs patet illud Apostoli, quàm vulgò putant; *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Nam quamvis illa notissima vitiorum fornicationis, homicidij, & similium desideria non semper nos irrequieta perturbent, sunt alia tamen innoxiarum rerum cogitationes & appetitiones, quibus anima sine cessatione velut aër aurâ sentibus humanis imperceptibili commovetur. Qui aër quamvis serenissimus quiescere videatur, moveri tamen ratio vera judicat. Nam ad omnes omnino actiones nostras, hujusmodi quamvis levissimi motus voluntati prævolant: quibus consentiendo non solùm peccata venialia vulgò nota committamus, sed etjam actiones illas, quibus corpori vel animæ juxta naturæ instituta consulimus, exequamur. Hinc ergo fit, ut impossibile sit ullum liberum voluntatis actum exeri, nisi illius amoris sive naturalis sive superadditi

Serm. 47. de divers.

Lib. 22. de Civit. c. 23.

c. 23.

Gal. 5.

peradditi desiderio quodam involuntario præeunte provocetur. Sola enim illa pura dilectio Dei, nullum cum illo amore præeunte commercium habet, sed ejus inordinationes interficit, & ejus titillationes prævolantes enecat. Quidquid non ex illa divina purissimaque dilectione fluit, hoc necessario ex illo amore sui, ac desiderijs ejus sive ordinatè sive inordinatè prosilientibus, & præeuntibus proficiscitur. Et quamvis nihil mali fiat, sed potiùs multum boni, quatenus per eum necessitatibus corporis, & sensuum, & vitæ conservandæ juxta naturæ præscriptum consulimus, quod natura omnibus animantibus indidit; tamen in creatura rationali non est bonum, quòd ista appetendo & procurando in seipsa hæret, dum sibi consulit, tanquam fini *cui* ultimò totum cedat; cum deberet in Deum, cujus est & ipsa, & appetitus ejus, & vita tota, retorqueri. Alioquin amor iste sui ordine suo in creatura rationali caret.

His de duabus illis animi pœnis ignorantiâ & concupiscentiâ expeditis, consectaneum esset, ut nonnihil etjam de miserijs corporis, & in primis de pœnis parvulorum in altera vita diceremus. Nam etjam de illis non parvæ vigent controversiæ, in quarum decisione non mediocriter à probatissima Sancti Augustini & veterum doctrina recentior schola deflexit. Sed quia in libro tertio de statu puræ naturæ, de corporis pœnis copiosè, ac de Dei infligentis justitia disputandum est, in illum cuncta reservamus locum. De pœnis vero parvulorum post hanc vitam pœnè superfluum est novum laborem suscipere. Iam enim ante paucos annos Illustrissimus juxta atq; Eruditissimus vir Dominus *Florentius Conrius Archiepiscopus Tuamensis* opusculo hac de re scripto, per quàm accuratè demonstravit, parvulos absque baptismo ex hac vita decedentes pœnis non tantum damni, sed sensibilibus, & quidem æterni ignis, secundùm Sancti Augustini doctrinam, plecti. Cui operi quamvis quædam addi possent, quædam etjam juxta Sanctum Augustinum rectiùs aliter dici, quemadmodum nos quodam loco declaravimus, rectissimè tamen ostendit id quod in ista controversia præcipuum ac medulla est, longè ab Augustini, & fortassis Ecclesiæ, quæ Pelagianos juxta ejus principia damnavit, mente recessisse scholasticos, qui parvulis sine baptismo morientibus vel beatitudinem naturalem, vel immunitatem à sensibilibus ignis æterni pœnis tribuerunt. Qua propter ne actum agamus, vel ejus lucubrationes in hæc scripta nostra transferamus, remittimus diligentem lectorem ad ipsum tractatum ejus. in quo quicquid ab adversarijs pro parvulorum causa benigniùs quàm sapientiùs opponitur, ex profundissimi doctoris Augustini sensu ac verbis refutatur. Nos verò isto labore, qui in pœnas parvulorum explicandas impendendus fuisset, sublevati, alacriùs ad statum ac vires naturæ per peccatum violatæ describendas, nusquam à Divi Augustini mente (quantum Deus adjuverit) recedendo, properabimus.

Opusculum inscribitur Tractatus de statu parvulorũ sine baptismo decedentiũ ex hac vita juxta sensũ beati Augustini *per Florentium Conrium Archiep Tuamensem. impressus Lovanij apud Henricum Hastenium anno 1624.*

Vide dicta lib 3 de Hæres. Pelag. c. 21. & sequen.

F I N I S.

DE STATV

DE STATV NATVRÆ LAPSÆ LIBER TERTIVS.

Qui est de viribus liberi arbitrij post peccatum.

PRÆFATIO.

SI istæ pœnæ, quarum naturam indagamus ac describimus, in seipsis molestæ sunt, effectus, quos in liberum arbitrium operantur, longè gravissimas eas esse testantur. Antequam eos ex Augustino proferamus, cui libertas arbitrij & vires ejus fuerunt perspectissimæ, paucis præmittendum videtur, quid ei ab adversarijs impositum fuit, & quid ipse de superstite libero arbitrio senserit; ne Lector minùs peritus arbitretur, Augustinum quasi nullo adversario secum litigante securum, nullaque quæstione pulsatum, de rebus istis magnis & arcanis aliquid re non satis ponderatâ pronunciasse. Nam ad quæstionum quarumlibet decisionem intelligendam, nihil utilius est, quàm statum controversiæ quæ inter duos decertantes agitatur, & quid quisque eorum in altero reprehenderit, probè penetrasse. Quod quia in quæstionibus non paucis, de quibus Augustinus & Pelagius conflixerunt, vel omnino nescitur, vel ad controversias præsentes accommodatè proponitur, hinc à nonnullis in ipsa principia doctrinæ veteris impingitur. Itaque quoties Augustinus aliud quàm velint sensisse perhibetur, continuò eum nulla simili, qualis nunc recentiores urget, difficultate pressum fuisse suspicantur, & securè adversùs doctrinam ejus insurgunt.

CAPVT PRIMVM.

Liberum arbitrium etiam post lapsum superest in humana natura.

NVLLAM calumniam passus est graviorem Augustinus à Pelagianis, quàm quòd sub gratiæ obtentu liberum arbitrium funditùs everteret imò negaret. Qua de re diversa loca in præfatione tractatus de libero arbitrio dedimus. Hinc solemnis erat ipsorum querimonia, se propter defensionem libertatis arbitrij Pelagianos & Celestianos audire. *Siquis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Celestianus & Pelagianus* A *vocatur.* Et alibi: *Contra hæc nos quotidie disputamus, & ideo nolumus prævaricatoribus adhibere consensum, quia nos dicimus liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, nec Adæ peccato perire potuisse: quod Scripturarum omnium auctoritate firmatur.* Scripturas illas magnâ abundantiâ proferebant, ut initio libri quarti ad Bonifacium, & alijs locis videre licet: ut Scripturis tecti immeritò invidiam violatæ fidei subire viderentur. Hinc factum est, ut Augustinum & Catholicos tanquam liberi arbitrij negatores probrosissimo

Vid. init. lib. 7. de grat. Chr. Seruat. 1

Lib. 2. de nuptiis. c. 3.

Lib. 1. ad Bonif. c. 15.

Digitized by Google

Lib. de nupt. c. 13.

brosissimo nomine Manichæos vocarent: *Ne vocentur haretici, fiunt Manichæi,* inquit Iulianus adversus Augustinum; *& dum falsam verentur infamiam, verum crimen incurrunt.* Quam calumniam sæpius refricat.

Augustinus igitur ut illam à se & à Catholicorum causâ quam tuebatur, depelleret, planissimâ crebròque iteratâ confessione testatus est, neque se, neque Catholicos liberi arbitrij esse negatores; sed gratiæ tantummodo defensores. Nam in libris ad Valerium Comitem, ubi crimen illud ei impactum fuerat, sic respondet: *Non est ita ut loqueris, quicunque ista dixisti, non est ita, multum falleris vel fallere meditaris: Non liberum negamus arbitrium: sed, si vos filius liberaverit, ait veritas, tunc verè liberi eritis.* Et paucis interpositis: *Liberum in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus: non hinc estis Celestiani & Pelagiani. Ista quippe*, ut paulò antè præmiserat, *Catholica fides dicit.* Et libro primo ad Bonifacium: *Quis nostrûm dicat quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Et Epistolâ quadragesimâ septimâ ad Valentinum: *Fides Catholica neque liberum arbitrium negat sive in vitam malam, sive in bonam. Neque tantum ei tribuit, ut sine gratia valeat aliquid.* Et libro primo de correptione & gratia: *Liberum itaque arbitrium & ad malum & ad bonum confitendum est nos habere.* Quam distinctionem studiosè adhibet, quia de utraque calumniam patiebatur, sicut hoc ex libro primo operis imperfecti adversùs Iulianum liquet. Nam cùm ibi ex utraque parte libertatem ab Augustino destrui prolixa disputatione Iulianus collegisset, tandem ita concludit: *Quo collecto convinceris inficiari dogmata tua, ut promittas te liberum arbitrium non negare; quod ante mali, postea boni necessitate subvertis.* Potissima tamen quæstio erat & querimonia de libertate ad bonum. De qua proinde sic profitetur Augustinus sententiam suam: *Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum, non nisi sua libera credere voluntate; cùm potius illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda & agenda fit liberum?* Quamobrem initio libri de gratia & libero arbitrio, ubi tantùm hoc agitur, an habeamus in nobis liberum arbitrium ad bonum, prolixè sententiam affirmativam, quam Catholica fides docet, asserit. Primò quidem ex præceptis, quibus Scriptura plena est: *Nam ipsa,* inquit, *divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret.* Cùm verò multa ex Scripturis præcepta boni agendi protulisset: *Ecce,* inquit, *apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Deinde veritatem eandem ex eo probat, quòd multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri jubeat Deus: *Quomodo iubet,* inquit *si non est liberum arbitrium?* Et in fine concludit: *Nempe ubi dicitur: Noli hoc, & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Multò plura ex Augustino adduci possent ad sententiam ejus asserendam de libero arbitrio, non solùm ad malum, sed etiam ad bonum, si necessitas postularet: sed ista ex solis scriptis, quæ contra Pelagianos exaravit, accersita, satis visa sunt ad hæreticorum quorundam calumniam comprimendam, qui Augustinum præ ceteris Patribus libero arbitrio adversarium fuisse nugantur. Hoc enim à Iuliano videntur didicisse, qui non obstantibus tam luculentis Augustini protestationibus in eadem calumnia persistebat. Tam enim perspicuam Augustini sententiam esse judicabat de negata destructaque arbitrij libertate ad bonum, ut solius invidiæ declinandæ causâ tales confessiones expressas esse censeret. Sic enim loquitur adversùs Augustinum: *Fidem vestram,* inquit, *erubescitis profiteri, & ad nostra sententia, a qua deviatis, verba confugitis. Tam enim scelestum est quod suscepit prævaricatio pudenda Babylonis,* id est, Catholicæ Ecclesiæ, *ut cum à nobis objicitur, à vobis negetur: & tam sanctum est quod à nobis creditur, ut sub umbra eius delitescere, licet adversaria mente, cupiatis.* Vnde quantiscunque protestationibus Augustinus ingeminaret, se libertatem arbitrij tam in bonum quàm in malum, tanquam Catholicæ fidei dogma defendere, non destitit tamen eum vocitare Iulianus *præcipuum arbitrij liberi negatorem* nec non, *certissimum esse quod dixerat*, liberum negari arbitrium ab ijs, qui Augustini sermone tenerentur.

Marginalia: Lib. 2. nupt. paulo post initium. — Lib. 1. ad Bonif. c. 2. — Epist. 47. — Lib. de corrept. & gra. c. 1. — Lib. 1. op. imperf. cont. Iul. f. 153. — Epist. 107. ad Vitalem. — Lib. de grat. & lib. arb. c. 2. — Lib. 1. op. imperf. Aud. Aug. cont. Iul. f. 114. — Ibid. f. 164.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Amissio indifferentiæ ad bonum & malum fuit causa calumniarum, quibus Pelagiani Catholicos Manichæismi, & eversæ libertatis arguerunt.

QVOCIRCA mirum cuipiam videri, & non immeritò quæri potest, quid illud fuerit in doctrina Augustini, quod tantum stomachum Pelagianis moverit, ut eum tot opprobrijs oneraverint, tot querimonijs Manichæismum ab inferis revocasse questi sint. Neque enim credibile est, solam simplicemque adjutorij cujuspiam necessitatem tantis clamoribus dedisse locum: cùm ipsimet, maximè postquam essent Apostolicæ Sedis auctoritate damnati, cognitionem & illustrationem Dei, legem, præcepta, exempla, gratiam habitualem, ipseque Iulianus etjam gratiam actualem quæ instar venti vela libertatis impleret, sopitosque charitatis ignes suscitaret, non invitè faterentur. Accuratiùs igitur quisnam iste lapis offensionis fuerit explorandum est: ut simul elucescere possit, quousque vel hæreticis nostri temporis resistendum, vel nonnullis Catholicis recentioribus accedendum sit, dum isti magnopere libertatem ad bonum erigunt, isti deprimunt. Augustini enim sententiam in hoc argumento antiquæ Ecclesiæ & veritatis esse sententiam, neque hæretici de quibus loquor dubitant, neque Catholici dubitare permittuntur. Nam isti statui libertatis arbitrij ad bonum, quem Augustinus tradidit, velut immobili basi tota necessitas, & natura, & intelligentia Christianæ gratiæ ita nititur, ut eo labefactato, hanc funditus everti necessarium sit. Res illa quippe in indivisibili sita est, ut si vel latum discedas unguem à veritate, quam sanctus Doctor de liberi arbitrij statu tradidit, tota ejus doctrina de gratia modulo & statui libertatis attemperata in fumos & chimeras humanæ cogitationis evanescat. Vnde usque ad adventum Scholasticorum nemo scriptorum Catholicorum inventus est, præcipuè Latinorum, inter quos Pelagiana hæresis magis viguit, & quorum sermone sparsa sunt, qui illum liberi arbitrij statum, in quem ex Augustini mente præcipitati sumus, in dubium revocaverit.

Vt igitur pleniùs intelligatur Pelagianorum accusatio & Augustini defensio, totusque status libertatis arbitrij post peccatum, sciri debet, aliud esse, voluntatem esse liberam ut velit & operetur justitiam; aliud, non indigere ad illa præstanda Dei adjutorio. Fieri enim potest, ut potentia sit libera ut velit aut faciat, & tamen ad hoc indigeat adjutorio. Res ista perspicua est in actionibus corporalibus subjectis libertati. Arbitrium quippe liberum habemus, ut oculis sanis in luce constituti cernamus aut non cernamus: cum tamen cernere sine lucis adjutorio nequeamus. Libertas igitur alicujus actionis non excludit adjutorium; quamvis etjam ex se non postulet. Cernere quippe liberè possumus præsente luce & sanis oculis, & non cernere; quamvis illud lucis adjumentum postulet, hoc non item. Quod quidem & exemplis tam externarum quam internarum facultatum ita manifestum est, ut nec ipsi Pelagiani hoc negaverint. Expressissimè enim Pelagius magister omnium docet, *loqui, audire, odorari, videre, esse nostri arbitrij atque voluntatis*; cùm tamen nihil eorum sine certis adjutorijs, ut lucis, specierum sensibilium, sanitatis potentiarum, & similibus fieri queat. Docet item ipse Pelagius, vel discipuli ejus Catholicorum disputationibus tracti, gratiam (meritis videlicet datam) ad bene operandum esse necessariam; tametsi nemo rectè sine libera voluntate operetur. Libertas igitur potentiæ non solum externæ, quæ imperium volendi sequitur, sed etjam ipsius voluntatis cum adjutorij vel gratiæ necessitate planissimè consistere potest. Nullibi hoc evidentiùs, quam in Adamo recenter condito, & in Angelis viatoribus patuit: qui nullum edere potuerunt bonum ac pium voluntatis motum, sine divinæ gratiæ velut lucis cujusdam cælestis adjutorio: quamvis eos Deus cum libero voluntatis arbitrio condidisset. Vtrumque superiùs fusissimè, & ex immobilibus Augustini imo fidei Catholicæ fundamentis demonstratum est. Cujus rei ratio est, quòd liberum non sit idem quod fortissimum, & per seipsum ad quoslibet actus bonos validum. Hoc enim soli Deo competit, qui nullius rei, neque substantiæ, neque qualitatis, neque lucis, neque gratiæ adjutorio opus habet: sed solà suà simplici omnipotenti voluntate quidlibet potest. Liber est igitur respectu alicujus actus boni, qui illum habet in sua potestate, ut adsit si voluerit, non adsit si noluerit, ita videlicet ut hoc ab ipsius voluntatis nutu pendeat; quemadmodum homo ad videndum præsente luce, oculis sanis, non velatis liber est: fit enim videns simul atque illos aperire voluerit: qui si graviter læsi fuerint, libertas videndi perijt, quantùvis lux circumfluat, & nihil consueti adjutorij desideretur. Quod similiter in cæterorum membrorum usu locum habet. Vnde Augustinus sæpius docet, post peccatum in movendis genitalibus *perisse libertatis arbitrium*. Quapropter libertas ad bonum

Lib. de nat. & grat. c. 45. & 47.

Lib. de grat. & lib. arb. 14.

Lib. 1. de nupt. c. 6. & 8.

bonum non adjutorio vel divinæ gratiæ opponitur, sed servituti & captivitati ad malum. Nam inter illa duo est directa repugnantia. Impossibile est enim, arbitrium liberũ ut velit & operetur bonum esse simul servum & captivum sub malo; sicut hoc omnium hominum sensus renunciat. Non enim ille captivus est, aut compedibus servitutis astrictus, qui cùm libuerit pro solo nutu suo liber exilire potest: sed ille tantùm, qui sub pondere deprimente detinetur, ita ut ad ipsam voluntatem bonam, multòque minùs ad operandum bonum suo nutu non possit surgere. Dari enim possunt in ipso voluntatis arbitrio quædam impedimenta, seu vincula voluntatis, quibus fiat, ut apex ejus, cujus est consentire vel dissentire, quasi glutino quodam delectabili alligetur creaturis, quod nullo modo possit suis viribus disrumpere; sed cælitus gratiâ potentissimâ contrarium affectum inspirante dissolvi debet. Quod quamdiu non fecerit Deus, facit autem cùm voluerit, arbitrium non est liberum ut operetur aut velit bonum; sed sub mali seu peccati affectu depressum, captivum, servumq; possidetur. Vnde Augustinus: *Cum ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, traditur, possidetur. A quo quis enim devictus est, huic & servus addictus est.* Et alibi: *Nec libera voluntas dicenda est, quamdiu est vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita.* Hoc est ergo quod Catholica fides prædicat, tale arbitrium non solùm esse adjuvandum gratiâ, ut velit & faciat bonum, sed etiam esse liberandum, ut velle possit & facere. Multùm enim ista differunt, juvari, & liberari. Adam adjutus est ut ista posset, non liberatus: affectus enim ejus non erat sub ullo vincientis pondere cupiditatis captivus aut servus. Vnde velle poterat sine ulla gratia voluntatem ab illis vinculis liberante. Qui autem vinctus est, quantumvis adsit gratia qualis Adamo semper præsens fuit, velle non potest; quia tali gratiâ uti non potest, sicut nec oculus læsus aut vitiâ clausus lucis adjutorio: sed vinculum cupiditatis aliâ majore voluntate cælitus inspiratâ superari & solvi debet, sicut oculus læsus collyrio aut medicinâ sanari: alioquin sub durissimo servitutis jugo non in corpore, sed in ipso animo & voluntate, hoc est, in voluntatis consensu captivus manet, juxta illud Augustini de semet-ipso: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Nimirum volvit seipsum in vinculo suo, & dum nititur surgere, *in vulnus vulnere surgit*, ut optimè Prosper.

Lib. 5. cont. Iul. cap. 3.

Epist. 144.

Lib. 8. Confess. cap. 5.

Prosp. carm. de ingrat.

Qui istos duos liberi arbitrij status, ac differentias plùs quàm toto cælo discrepantes nondum potest capere, saltem gravissimos peccatores fide & omni cælesti lumine ab infantia ad senectutem usque destitutos, vel certè in inferno positos intueatur: cernet ibi, spero aliquam voluntatis eorum differentiam ab ea in qua Adam conditus fuit. Ille enim instar æquilibrij solo nutu sese quocunque videretur, impellere poterat; nihil enim omnino intus vel extra resistebat: hi tanto pondere in cupiditates ab infantia radicatas, actibus roboratas, & in necessitatem versas, cum tanta delectatione ruunt, ut etiam ab eis velle discedere magnam miseriam esse judicent, & eis implendis se beatissimos putent. Istos saltem suo cupiditatum vel carnalium vel infernalium vinculis captivos esse videant atque fateantur, à quibus se, gratiâ solvente destituti, expedire non possint, ut bonum, quod etiam ignorant ac detestantur, velle possint aut operari. Nihil enim in antiquæ Ecclesiæ fide exploratius fuit, ut suo loco dicendum erit. Quod si nec istud novis fortassis opinionibus præpediti in ullo hominum genere in hac vita vivente fieri credant; saltem tantisper, donec Augustini sensum pleniùs intellexerint, consideratione beatorum, quorum voluntas solius creatoris charitate vincta detinetur, fieri posse supponant, ut etiam sub cupiditate creaturæ captivum possideatur arbitrium. Longè enim faciliùs deorsum voluntas captiva detineri potest, quò suopte vergit pondere, quàm sursum supra suam naturam vincta & captiva suspendi.

Sententia igitur Augustini, quam tantopere Pelagiani detestati sunt, non alia quàm illa est; quòd arbitrium voluntatis post lapsum primi hominis, antequam divinâ gratiâ visitetur, hoc est, antequam Christianam suscipiat fidem unde incipit gratia, sub cupiditatibus terrenis ita arctè captivum possideatur, ut libertas illa voluntatis velut ferreis vinculis astricta nullo modo possit surgere, ut bonum velit aut faciat; sed ut tantummodo captivo motu versetur in malo. Qua de causa liberum arbitrium toto illo tempore non tam esse liberum, quàm servum, hoc est, liberum esse justitiæ, peccati autem servum, sublatâ funditus indifferentiâ proximâ ad bonum & malum. Doctrina ista in Augustini scriptis tam luculenta & perspicua est, ut ausim dicere, nullam in hac tota materia esse clariorem: quam ipse non tanquam opinionem suam, sed tanquam immobilem Christianæ fidei basin docet, cui tota œconomia, Christianæ gratiæ & voluntatis incumbit. Nos eam aliquot argumentorum classibus, quàm brevissimè fieri poterit, confirmabimus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Oſtenditur primò, ex captivitate & ſervitute, quibus Auguſtinus docet arbitrium eſſe obſtrictum.

PRIMO igitur hoc manifeſtum eſt ex eo, quòd ſexcentis ſuorum ſcriptorum locis Auguſtinus docet, arbitrium voluntatis poſt peccatum ex libero, factum eſſe peccati ſervum atque captivum, in eaque captivitate & ſervitute poſitum, non poſſe ullo modo ſuis viribus à compedibus, quibus vinctum eſt, exui, ut reſpiret in libertatem. De quo ſic loquitur in libro ſecundo de nuptijs: *Hunc vos invidet liberatorem, quibus captivis vanam tribuitis libertatem. A quo quis enim devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.* Et inferiùs in eodem libro. *Cur autem hominis mala cogitatio non poteſt in potestate mutari, niſi quia per ſeipſam non poteſt; ſed ſi gratia divina ſubvenerit? Qua non ſubveniente quid ſunt homines, niſi quod ait Apoſtolus Petrus, velut muta animalia procreata naturaliter in captivitate & interitu.* Et libro tertio ad Bonifacium: *Liberum arbitrium captivatum non niſi ad peccatum valet: ad iuſtitiam vero, niſi divinitus liberatum adiutumque non valet.* Et libro de ſpiritu & littera: *Vt quid ergo miſeri homines aut de libero arbitrio audent ſuperbire, antequam liberentur aut de ſuis viribus, ſi iam liberati ſunt? Nec attendunt, in ipſo nomine liberi arbitrij utique libertatem ſonare; ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. Si ergo ſervi ſunt peccati quid ſe iactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Si autem liberati ſunt, quid ſe iactant de opere proprio.* Et in Enchiridio ad Laurentium, cùm citaſſet Apoſtoli Petri ſententiam: A quo quis devictus eſt, huic & ſervus addictus: *Quæ cum vera ſit*, inquit, *qualis, quæſo, poteſt ſervi addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim ſervit, qui ſui Domini voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſervus eſt. Vnde ad iuſtè faciendum liber non erit, niſi a peccato liberatus, eſſe iuſtitiæ cœperit ſervus.* Et paucis interjectis: *Quod antequam fieri in homine incipiat* (ſcilicet per fidem) *quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono glorіatur opere, qui nondum liber eſt ad operandum bene, niſi ſe vana ſuperbia inflatus extollat?* &c. Et libro primo operis imperfecti contra Iulianum: *Fides Catholica bonam, ſed tamen mutabilem creaturam in deterius voluntate, ac per hoc depravatam ſua vitiataque natura, non ſub aliena ſubſtantia, ſed ſub peccato ſuo ream dicit ſerviliter detineri.* Talibus teſtimonijs Auguſtinus plenus eſt, hoc ſemper ſignificantibus, arbitrium peccatis obnoxium non ſolùm ſuppliciorum eſſe reum, quòd Pelagiani, maximeque Iulianus, libentiſſimè fatebantur, ſed ſerviliter ſub peccato, hoc eſt, ſub cupiditate ſeu concupiſcentia peccati comite & ſupplicio detineri, ita ut à peccandi deſiderijs & affectibus ſe liberare non poſſit. Qua de cauſa dicit Auguſtinus: *Nega ſi potes, eos quibus hoc dixit* (cùm eſſetis ſervi peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ) *habuiſſe liberam in bonum voluntatem, quando fuerunt ſervi peccati.* Et hanc libertatem ſtatim conferri dicit, non remiſſione peccati, ſed liberatione voluntatis à dominante cupiditate, ſicut infrà tradituri ſumus.

Lib. 2. de nupt. & concupiſ. cap. 3. — *Cap. 8. 21.* — *Lib. 3. ad Bonif. cap. 8.* — *Lib. de ſpir. & litt. c. 30.* — *In Enchir. cap. 30.* — *Ibid.* — *Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. ſ. 193.* — *Ibid. ſ. 141.*

A B

CAPVT QVARTVM.

Idem declaratur ex dominatu concupiſcentiæ, & tyrannide Diaboli in liberum arbitrium. Quanta illa ſit.

SECVNDO hic idem Auguſtini ſenſus planiſſimè ex eo oſtendi poteſt, quòd in omnibus ſcriptis ſuis adverſus Pelagianos doceat ante adventum gratiæ ſive fidei, carnalem concupiſcentiam, ſive iniquitatem, prout eam ex Pſalmo appellare ſolet, voluntatis arbitrio dominari. Cujuſmodi dominatus, qui viribus humanis excuti non poteſt, directè repugnat libertati ad bonum. Hoc eſt enim dominari alteri, illum habere in ſua poteſtate, ut faciat quicquid dominus imperaverit. Itaque Auguſtinus in Epiſtola ad Hilarium: *Ipſa quippe* (voluntas bona) *fideliter orat & dicit: Itinera mea dirige ſecundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera eſt, cui dominatur iniquitas: ut ei autem non dominetur, vide ab illa quis invocetur?* Et ſermone duodecimo de verbis Apoſtoli luculentè de hac ipſa iniquitate dominante diſſerit, quatenus impedit, ne voluntatem ad Dei præcepta adimplenda erigamus: *Quid proderat legem accepiſſe iubentem ac minantem, & non adiuvantem, ut ſub illa eſſemus rei* (non faciendo quod jubet) *ante gratiam Dei? Fruſtra lex minatur, quando iniquitas dominatur.* Et ſubijciens locum Apoſtoli: *Ego carnalis ſum, venumdatus ſub peccato*, ſtatim annectit: *Noli ergo mirari, ò venumdate ſub peccato, ſi tibi dominetur cui es venumdatus. Audi Apoſtolum Ioannem: Peccatum iniquitas eſt. Contra talem ergo dominum invocamus dominum, cui dicimus: Greſſus meos dirige ſecundum verbum tuum, & non dominetur mei omnis iniquitas. Venumdatus clamat, Redemptor exaudiat: ipſe homo ſe vendidit per liberum arbitrium ſubdominante iniquitate, & accepit pretium exiguam ſed arbore vetita voluptatem.* Et in Enchiridio ad Laurentium dicit, quòd *libero arbitrio poſt ruinam dominatur cum morte peccatum.* Quæ doctrina in Augu-

Epiſt. 89. — *Serm. 12. de verbis Apoſt. c. 1. & 2.* — *Cap. 106. Enchir.*

A

Digitized by Google

in Augustini lucubrationibus est celeberrima. A Porrò hanc iniquitatem dominantem, hoc peccatum, cui venumdatum hominem docet Apostolus, semper Augustinus intelligit & exponit, non ipsam peccati culpam, sed peccati concupiscentiam: quod & ipse Apostoli locus clamat, & omnes Catholici consentiunt. Quid sit autem dominari peccatum seu iniquitatem homini, multis locis Augustinus docet. Vnus sufficit adversus Iulianum: *Ista concupiscentia, quæ non potest nisi esse in carne mortali, in eis regnat, qui desiderijs eius ad mala perpetranda consentiunt, & ab ea, quoscunque illexerit, victi pertrahuntur majore impetu, cum lege prohibentur, si gratiâ non iuvantur.* Et libro sexto contra Iulianum distinguens homines concupiscentiæ adhuc subjectos, ab ijs, qui per fidem jam liberati sunt: Ego, inquit, *putabam dici ista non posse, nisi de ijs, quos ita haberet carnis concupiscentia subjugatos, ut facerent quicquid illa compleret*, hoc est, qui con- B cupiscentiæ dominanti in omnibus serviunt; quales sunt omnes antequam per fidem liberati sunt, ut postea fusiùs ostensuri sumus. Qua de re multa dicemus in sequentibus, ubi de libertate à peccato, hoc est, à concupiscentia dominante disputabimus.

Lib. 2. oper. imper. f. 449
Lib. de contiment. c. 3.
Lib. 1. de nupt. c. 23.
Lib. 1. ad Simplician. q. 1. &c.
Lib. 2. op. imper. f. 149
Cap. 23.
Vid. infrà lib. 2. de lib. arbit. qui est 7. de gratia Christi Salvatoris c. 5. 6. 7.

Et quia Diabolus terrenarum cupiditatum autor & princeps est, unde etiam princeps hujus mundi à Scriptura dicitur, hinc est, quòd ex ijsdem principijs Augustinus tradit, hominem, antequam per gratiam, hoc est, per fidem affectus ejus, sive consensus voluntatis Deo subjugetur & restituatur, sub diaboli potestate esse captivum, ita ut eum regat ad arbitrium suum, velut mancipium cujus affectus ei servitutis jure subjectus est: usque adeo ut si Deus eum ad suæ voluntatis nutum agere sineret, quicquid vellet in eo per interpositas terrenas cupiditates efficeret. C *Servata*, inquit Augustinus, *in utroque peccato justitia Dei punientis. Nam & illud appensum est æquitatis examine, ut nec ipsius diaboli potestati negaretur homo, quem sibi male suadendo subjecerat. Iniquum enim erat, ut ei quem ceperat non dominaretur.* Et mox dicit, quòd *libidini subjugavit illos, quos ceperat, ut quicquid inde nasceretur, tanquam suæ arboris fructus, pravâ quidem habendi cupiditate, sed tamen non iniquo possidendi iure retineret.* Et in illud Psalmi trigesimi quarti: *Eripiens inopem de manu fortioris eius: Fortior*, inquit *fuerat diabolus ad tenendum te, quia ipse vicit, cui consensisti.* Nimirum hoc Augustinus docet juxta illud Apostoli, quod sæpissime citat his verbis; *A quo quis devictus, huic & servus addictus est.* Et in Psalmum vigesimum sextum: *Quid facies eos colendo, nisi ut illum offendas, quo offenso in illorum potestatem daberis? Et qui tibi nihil possent facere illo placato, facient quicquid volent illo irato*; videlicet non solum pœnas inferendo, sed ad peccata perpellendo. D Nam inde dicuntur rectores mundi, id est, tenebrarum harum, seu ut Augustinus exponit *omnium infidelium, omnium iniquorum. Non vis regi à diabolo, migra ad lucem.* Et in libro octoginta trium quæstionum: *Satanas etiamsi corpori aut corporis sensibus parcit, ideo parcit, ut ipsius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho maiore dominetur. Hoc autem modo non exit satanas, sed potius in intima ingreditur, ut in eo sic operetur, quemadmodum dicit Apostolus, secundum principem potestatis aëris huius, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ. Non enim sensus corporis eorum turbabat atque torquebat, aut eorum corpora collidebat; sed in eorum voluntate vel potius cupiditate regnabat.* Et libro octavo de Civitate: *Multis plane participatione veræ religionis indignis tanquam captis subditisque dominantur. Ex quorum immanissimo & impijssimo dominatu*, inquit alibi; *homo liberatur, cum credit in eum, qui præbuit ad exsurgendum tanta humilitatis exempla, quanta illi superbia ceciderunt.* Et in libris de Civitate Dei: *Infideles blasphemant Salvatorem, voluntates fidelium à dominatu dæmonum liberantem.* Quàm verò sit terribilis ista potestas ac dominatus dæmonum in humanum arbitrium, quando illud per cæcas cupiditates sibi subjugatum possident, quemadmodum fide constat voluntates infidelium à diabolica potestate possideri, multis locis Augustinus docet. Nam hinc est illud in Epistola centesima septima ad Vitalem: *Responde, quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberum habeamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum? Vnde nos si, quemadmodum dicit Apostolus, Deus eruit, ipse utiq; illud liberum fecit.* Et paulo post: *Princeps iste rector tenebrarum* (id est diabolus rector diffidentiæ filiorum) *regit eos ad arbitrium suum. Quid ergo operatur hæc potestas in filijs diffidentiæ, nisi opera sua mala, & imprimis maximeq; ipsam diffidentiam & infidelitatem, qua sunt inimici fidei, per quam scit eos posse sanari, posse perfectissime liberos, quod eis vehementer invidet, in æternitate regnare.* Et in Psalmum sexagesimum septimum: *Operabatur in filios diffidentiæ, quorum infidelitate utebatur ad voluntatem suam.* Nam ut ait libro primo contra Gaudentium: *Quos diabolus comprehensos captivosque iam possidet, non ut obtineat persequitur, sed quia obtinet, utitur.* Et in Psalmum septuagesimum septimum: *In filijs diffidentiæ tanquam in suis mancipijs operatur, quemadmodum homines in pecoribus suis, & illic tamen quantum Dei iusto iudicio sinitur.* Et inferiùs: *Bene creditur Deus fecisse per illos Angelos malos, quibus eadem amica sunt vitia ut excitarentur in odium populi Dei atque ad terrendos & corrigendos bonos illa mirabilia sequerentur. Illa etiam mala morum, quæ his corporalibus plagis significata esse prædiximus, per malos Angelos exerceri in eos, qui illis divina æquitate subduntur, convenientissimè creditur. Neque enim cum fit quod ait Apostolus: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, ut faciant quæ non conveniunt, non illic mali Angeli tanquam in materia sui operis versantur & gaudent: quibus iustissime subdita est vitiositas humana, præter eos quos liberat gratia.* Et in annotationibus in librum Iob exponens illud: *Aperiens pharetram suam affixit me*; pharetram esse dicit *secreta rerum, unde tentationes existunt. Et frenum in faciem meam miserunt; ut eis*, inquit, *consentirem, portans eos ducentes quo vellent*

Lib. 2. de lib. arbit. c. 10.
In Psal. 34.
In Psal. 26.
Conc. 1. in Psal. 34.
Lib. 83. q. q. 79.
Lib. 8. de Civit. c. 22.
Lib. 7. c. 33.
Lib. 10. c. 24.
Epist. 107.
Ibid.
In Psal. 67.
Lib. 1. cont. Gaudent. cap. 21.
In Psal. 77.
Ibid.
Annotat. in lib. Iob. in cap. 30.

quò vellent ad ima sua. Enim verò diabolica potestas illa in mentibus ei terrenâ concupiscentiâ subjugatis tanta est, ut Augustinus non vereatur dæmonibus non tantùm peccatorum per homines perpetrandorum, sed etiam pacis & belli semper tribuere potestatem, si voluntatem suam altiore potestate explere sinerentur: *Interest quidem*, inquit, *tam proprio vitio malæ mentes quatenus sinantur isti dæmones vel terrere vel exuare. Sed si semper hoc possent, nec aliud secretiore ac superiore potestate contra eorum conatum sæpe aliter ageretur, semper in potestate haberent pacem bellaque victorias; quæ semper ferè per humanorum animorum motus accidunt.* Quare cùm alibi dixisset Augustinus, Bacchanalia à bacchantibus summa insania fuisse celebrata, & propterea Senatui displicuisse saniori, ipso Varrone confitente, talia fieri non potuisse, nisi mente commotâ: *Saltem hic tandem*, inquit, *forsitan senserunt, quid immundi spiritus, dum pro Dijs habentur, in hominum possint mentibus.* Nam istud ipsi diabolicæ potestati & versutiæ tribuit Augustinus, quòd quidam in infidelitate philosophicis virtutibus, quas vera vitia fuisse tradit, fulgere viderentur: ut videlicet illâ perniciosâ subtilitate ceteros arctiùs sibi subderet, & illos ipsos vitijs captivos, & aversos à fide liberante retineret. *Itaque aliquos eorum, per quos amplius decipere affectat, sinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur, per quasque gentes, præcipueque in gente Romana, qui præclarè gloriosissimeque vixerunt. Sed quoniam, sicut veracissima Scriptura dicit, omne quod non est ex fide peccatum est, nihil sic agit hic Princeps, quàm ut non credatur in Deum &c.*

Lib. 9. de Civit. c. 10.

Lib. 6. de Civit. c. 9.

Epist. 107.

Quæ quidem nemini mira videri debent, si crediderit verum esse quod Augustinus dicit, diabolum in hominibus, quibus per cupiditates dominatur, operari, ut suprà dixit, *tanquam in mancipijs suis, quemadmodum homines in pecoribus suis*: tantum videlicet, quantum Dei providentia sinit. Nam ut ibidem adjicit: *Aliud est, quando potestas eius etiam suis, sicut ei placet; tractatibus maiori potestate prohibetur; aliud, quando ei potestas etiam in eos, qui ab illo alieni sunt, datur. Sicut homo de pecore suo pro humano captu facit quod vult, nec sane facit, si prohibeatur a potestate maiore: de alieno autem pecore ut faciat, expectat sibi potestatem dari ab illo, cuius est. Ibi ergo potestas, quæ fuerat prohibetur, hic autem quæ non fuerat tribuitur.* Porrò hæc diabolicæ efficaciæ prohibitio non fit per gratiam: gratia enim boni operis in infidelibus juxta Augustini doctrinam non habet locum: *Nemo enim incipit, nisi ab initio fidei*: sed fit per repressionem seu refrenationem potestatis ejus, ut non tantum concitet terrenis cupiditatibus mentes eorum, quorum consensum captivum tenet, quantum vellet. *Diabolo enim potestas quædam est; plerumque tamen vult nocere, & non potest: quia potestas ista sub potestate est. Nam si tantum posset nocere diabolus quantum vult, non aliquis iustorum remaneret.* Quia per illius ejusdem reliquias concupiscentiæ, quæ etiam in justis remanent, fideles à justitia fideque deturbaret, nisi Deus per gratiam suam eorum animos consensumque retineret. Neque verò quisquam putet, per hanc doctrinam Augustini liberum arbitrium auferri infidelibus, si diabolus per interpositas eorum cupiditates tantâ potestate in eorum animis dominatur, ut eos ad quæcunque voluerit scelera flagitiaque perducat: Nihil enim eorum sine consensu eorum voluntario perpetratur. Si enim Deus per gratiam suam justorum voluntates inclinat quò voluerit, sive contra tentationes gravissimas consensum in justitia retinendo, sive in opera bona quæ placuerit, impellendo, sine præjudicio libertatis; nihil quoque perire putandum est voluntatis arbitrio, si diabolus in mancipijs suis similem potestatem jure suo exercere dicatur. Neque enim ullo modo libertas arbitrij postulat indifferentiam ad bonum & malum.

In Psal. 77.

Concione 1. in Psalm. 33.

In Psal. 90.

CAPVT QVINTVM.

Tertiò ex amissione illius libertatis, quam Augustinus, Apostolus, & Christus tradunt.

TERTIÒ uberiùs & planiùs idem Augustini sensus declarari & probari potest, ex interitu libertatis, quem ex illa ruina primi hominis consecutum tradit. Nam ex consideratione tum dominatus istius imperiosi, quem concupiscentia carnalium rerum, & per ipsam diabolus in humanas exercet voluntates constantissimè creberrimèque docet Augustinus, arbitrium non esse ampliùs liberum, ut velit aut faciat bonum, sed libertatem ejus ex ruina perijsse. Quam doctrinam Augustini nemo negare potest, nisi qui principia ejus nunquam vel à limine salutavit: omnes enim libri ejus eam undique spirant. Nam hinc est illud in Epistola centesima sexta, quo reprehendit Pelagium, quòd *tanquam salvam & liberam* naturam defendat humanam. Et libro de perfectione justitiæ; *victa vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Libero arbitrio malè utens homo & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui se occidit utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare, cùm occiderit; ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Petri certè Apostoli est ista sententia. Quæ cum vera sit, qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui domini sui voluntatem libenter*

Lib. de perf. iust. c. 4.

Enchir. c. 30 & 31.

libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est: unde ad iustè faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus esse iustitiæ cœperit servus, (filio scilicet liberante) *quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere &c.* Et in libro de correptione & gratia: *Nunc posteaquam illa magna peccati merito est amissa libertas, etiam maioribus donis adiuvanda remansit infirmitas.* Et in Epistola ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Et in libris de Civitate Dei: *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum* (scilicet, ut faciat bonum) *cùm vitijs peccatisque non servit. Tale datum est à Deo: quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et in libro primo operis imperfecti contra Iulianum: *Quomodo manet libertas in eis, qui ut liberentur à servitute, qua victori peccato addicti divinâ indigent gratiâ, nisi quia liberi sunt & ipsi; sed iustitiæ?* Et inferiùs: *Contra hoc ergo malum* (concupiscentiæ regnantis) *libertate indigebant, quam promittebat.* Et mox: *Audiant: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati; & quærant accipere libertatem, ut non faciant peccatum, clamantes ad eum &c. Ne dominetur mihi omnis iniquitas.* Et in Epistola octogesima nona: *Quomodo libera est voluntas, cui dominatur iniquitas?* Et in libris ad Bonifacium: *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura perijsse non dicimus: sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad benè autem vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, cogitationis, sermonis adiuta.* Vbi quod dicit *valere & non valere*, idem est quod esse liberum & non esse liberum, nam liberum est quod possumus, seu, quod habemus in potestate. Et in libro ad eundem Bonifacium eandem calumniam de sublata per peccatum arbitrij libertate ita refutat, ut neget quidem liberum arbitrium ad malum perijsse; ad benè verò justèq; vivendum exertiùs perijsse confirmet: *Libertas quidem perijt per peccatum; sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad benè iusteque vivendum.* Mox addit ad peccandum nullo modo perijsse. Nam illam libertatis partem respicit illa adversativa. *sed habendi plenam*, quasi dicat, libertas in bono, quâ poterat antè & credere, & justè, & beatè, & immortaliter vivere, funditus perijt: non in malo. Vnde paulo pòst, sicut & sæpiùs alijs jam citatis locis generalissimè dicit: *Hæc voluntas, quæ libera est in malis quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratiâ Dei per Iesum &c.* Et in libro tertio de libero arbitrio: *Nec mirandum est, quod vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum, quid rectè faciat; vel resistente carnali consuetudine, videat quid rectè faciendum sit, & velit nec possit implere.* Hæc & hujusmodi testimonia evidentissimè probant, nullam esse in arbitrio libertatem ante susceptam fidem ut operetur bonum. Causam in ijsdem locis sæpissimè tangit, non quia homo culpæ reus est, & remissionis indiget peccatorum; sed quia ei dominatur iniquitas, quia regnat peccatum in ejus mortali corpore, quia victori peccato addictus est, quia vulnerata est natura, cum quo vulnere ad mortem usque confligimus, quia amissæ sunt vires quibus antè pollebamus. Hinc eodem loco de libero arbitrio causam illius arcanæ doctrinæ proferens: *Illa est enim peccati pœna iustissima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit, & qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error: ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi* (id est concupiscentiæ vincientis voluntatem) *non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Et in libro de natura & gratia: *Quis nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iustè vivendum potestate liberâ constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt, qui gravibus saucius confossusq; vulneribus, non ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere.* Quasi diceret; nunc agitur de homine, qui propter gravia vulnera ignorantiæ ac difficultatis non habet arbitrium liberum, ut benè vivat. Ex quibus locis apertissimum est, non culpas ut culpas sed gravissimas istas duas pœnas libertatem arbitrij ad faciendam justitiam sustulisse.

Hæc ergo causa est, cur eadem fiduciâ Augustinus, quâ toties docuit arbitrium perdita per concupiscentiam & ignorantiam libertate non esse liberum ad faciendum bonum, consequenter etiam disertissimis verbis inculcet, arbitrium ex libero factum esse *servum*: quo vocabulo nullum arbitrio voluntatis verè libero hostilius excogitari potest. *Nunc in ruina sua liber est iustitiæ, servusque peccati: nec potest esse servus iustitiæ, & liber à dominante peccato, nisi eum Filius liberaverit.* Et libro de correptione & gratia: *Per liberum arbitrium alia peccata insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatum; liberum iustitiæ, peccati autem* SERVUM, *quo volvuntur per diversas noxias cupiditates; alij magis, alij minus, sed omnes mali.* Et iterum in eodem libro: *Illi ergo Adamo sine peccato ullo data est, cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit servire peccato: horum verò cùm fuisset voluntas* SERVA *peccati, liberata est &c.* Et libro de perfectione justitiæ servitutem illam arbitrij ex Scriptura probans: *Hinc,* inquit, *alia Scriptura dicit: A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Sicut ergo non est opus sanis medicus, sed malè habentibus; ita non est opus liberis liberator, sed* SERVIS; *ut ei dicat gratulatio libertatis: Salvasti de necessitatibus animam meam.* Et libro primo Retractationum: *Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratiâ*

Margin notes, in order:

Lib. de corrept. & grat. c. 12.
Lib. 14. de Civit. c. 11.
Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 117.
Ibid. f. 128.
Epist. 89.
Lib. 2. ad Bonif. c. 15.
Lib. 1. ad Bonif. cap. …
Lib. 3. de lib. arbit. c. 18.
Lib. 3. de lib. arbit. c. 18.
Lib. de nat. & grat. c. 43.
Lib. 1. oper. imper. f. 122
Lib. de corrept. & grat. c. 13
Ibid. c. 12.
Lib. de perf. iust. c. 4.
Lib. 1. Retract. c. 9.

Column markers: A, B, C, D

gratiâ liberetur à servitute qua facta est SERVA *peccati, & ut vitia superet adjuvetur, rectè pieque vivi à mortalibus non potest.* Et omnium expressissimè & absolutissimè libro secundo contra Iulianum: *Hic enim vultis hominem perfici; atque utinam Dei dono, & non libero vel potius* SERVO *propriæ voluntatis arbitrio.* Vbi vides nomen *servi arbitrij, & servæ voluntatis* ab Augustino toties usurpatum; rem autem ipsam sexcentis locis traditam; ut nesciam quid sibi recentior quidam Scriptor velit, cùm dicit, nomen servi arbitrij in Ecclesia Catholica per totos mille quingentos annos nunquam auditum esse. Nam quamvis ille, qui cùm disputat, illam arbitrij servitutem quam Augustinus docet non intellexerit, eoque nomine abusus fuerit; non tamen propterea tam abruptè nomen servi arbitrij repudiari debet; cùm illud vocabulum Augustinus libentissimè usurpaverit ad illam arbitrij stragem exprimendam, qua non est ampliùs liberum, ut benè vivat, hoc est, ut bonum velit & operetur, sicut ante ruinam suam fuit. Quem statum ut ob oculos Augustinus ponat, in omnibus suis scriptis phrasi Apostolicâ creberrimè vocat arbitrium *liberum justitiæ, peccati autem* (id est, concupiscentiæ seu cupiditatis dominantis) *servum*, sicut ex plerisque locis jam allegatis patuit, & alijs plurimis ostendi potest.

Lib. 2. cont. Iul. c. 8.

Rom. 6.

Vid. lib. 1. ad Bonif. c. 2 & 3. Lib. de corrept. & grat. c. 13 Lib. 1. oper. imp. sæpius. Lib. de nat. & grat. c. 18

CAPVT SEXTVM.

Quartò ostenditur ex quatuor statibus populi Dei, ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace, quos Augustinus tradit.

EADEM verò libertatis jactura, & sensus Augustini luculentiùs adhuc demonstrari potest, ex diversis statibus tum humani generis, tum verò singulorum hominum, in quibus constantissimè docet arbitrium non esse liberum, ut operetur bonum. Nam apud Augustinum status humani generis quadruplex tradi solet, ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace. Inter status illos ista differentia est, quòd in duobus primis arbitrium sub peccati concupiscentia captivum & servum jacet, ita ut legem justitiæ sibi propositam, seu ipsum opus bonum, quod lex jubet, implere non possit. Nam quamvis etjam in secundo statu jam instructus homo per legem, & supplicij timore territus, quibusdam subinde benè vivendi desiderijs percellatur; quia tamen arbitrium nondum est à peccato, id est, à concupiscentia voluntati seu consensui ejus dominante, eumque sub se captivum detinente liberatum, non potest motibus illius resistere; sed simul atque pugnare cœperit vincitur, cupiditatum dominantium delectatione prostratus. In ceteris duobus statibus arbitrium gratia liberante liberum est, & vel cum pœna sua fortiter invictéque dimicat, vel ab omni etjam pœna titillante atque tentante liberatum in plenissima cælestis beatitudinis pace requiescit. Status isti certis gradibus in toto humano genere distinguntur, ut primus locum habuerit in plerisque ab Adami lapsu usque ad Moysem, qui legem dedit: quo toto tempore in summa ignorantia vixit genus humanum. Secundus à Moyse usque ad Christum, qui gratiam liberantem dedit. totum enim illud spatium tempus legis fuit, tollentis quidem ignorantiam, nullam tamen benè operandi gratiam, multoque minùs libertatem arbitrio à dominantis peccati tyrannide largientis. In tertio statu Christi gratia genus humanum liberat, ut legem peccati sævientis in membris nostris ab ejus jam consensu liberati superare possimus. In quarto perfectissimè liberi triumphamus. Status isti proportione quadam in singulis etjam hominibus locum habent. Primus & secundus, quamdiu homo in profunda legis seu justitiæ faciendæ versatur ignorantia, vel etjamsi jam præcepta noverit; fide tamen vera, vel spiritu charitatis liberante destitutus, sub cupiditatibus suis vincientibus & vincentibus jacet, ita ut eas vel sine ulla prorsus pugna, magnâ cum delectatione sectetur, vel si forte voluntas damnationis metu perculsa pugnare velit, viribus tamen idoneis destituta vincatur, quia nondum à dominatu robustarum consuetudinis assiduitate concupiscentiarum liberata est. In tertio statu arbitrium eruitur & liberatur à lege peccati & mortis, ut jam Deo adhærens cum pœna sua liberum dimicet. In quarto per beatam resurrectionem liberatur ab omni malo. Quæ Augustini doctrina si vera est, sicut ipse eam ex Scripturis sacris & Christianæ fidei fundamentis tanquam certissimam tradit, perspicuum erit, in primis duobus statibus nullam ad benè vivendum esse posse libertatem: non solùm, quia in illis homo gratiâ benè vivendi prorsus caret, sed etjam, quia arbitrium ipsum nondum à sævientibus cupiditatibus liberatum est: quod nunquam fit, nisi Deus post susceptam jam fidem boni operis justitiæque charitatem diffuderit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Verissima enim Augustini regula est: *Nec voluntas libera dicenda est, quamdiu est vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita. A quo quis enim devictus est, huic & servus addictus est.* Sed jam Augustinum ipsum de statibus istis disserentem audiamus: *Prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace.*

Epist. 144.

Lib. 83. qq. q. 66.

Digitized by Google

pace. Ante legem actio est, cùm peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cùm jam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine vitii peccamus, quoniam nos nondum adjuvat fides. Tertia actio est, quando jam firmissimè credimus liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed ejus misericordiam diligendo, jam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, cùm ad peccatum nos ducere nititur. Et in fine ejusdem quæstionis rem breviùs colligit: *In prima ergo actione, quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi: In secunda, quæ sub lege est, pugnamus, sed vincimur: in tertia pugnamus, & vincimus: in quarta non pugnamus, sed perfecta & æterna pace requiescimus.* Et in Epistolam ad Galatas eandem prorsus divisionem statuum tradit: nec non in expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos: *Quatuor*, inquit, *istos gradus hominis distinguamus ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem sequimur concupiscentiam carnis; sub lege trahimur ab ea;* (scilicet in consensum) *sub gratia nec sequimur eam, nec trahimur ab ea; in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante legem ergo non pugnamus, quia non solùm concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, sed vincimur: fatemur enim mala esse quæ facimus, & fatendo mala esse, utique nolumus facere. sed quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo jacemus, & dum surgere volumus & cadimus, graviùs affligimur.* Vberiùs hæc eadem tradit in Enchiridio ad Laurentium: ubi cùm generalem sententiam præmisisset: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas;* qua universaliter dominatum concupiscentiæ in liberum arbitrium tanquam peccati servum stabiliverat, mox diversos hominum totiusque deinde populi Dei exequitur status, in quibus vel illa carnalis cupiditas, vel è contrario charitas dominetur. *Sed cum*, inquit, *in altissimis ignorantiæ tenebris, nulla resistente ratione vivitur secundum carnem, hæc sunt prima hominis. Deinde cum per legem cognitio facta fuerit peccati, si nondum divinus adjuvat Spiritus, secundum legem volens vivere vincitur, & sciens peccat, peccatoque subditus servit. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est: id agente scientiâ mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo prævaricationis adjecto atque ita quod scriptum est impleatur: lex subintravit, ut abundaret delictum. Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus ut ad implenda quæ mandat ipse adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis &c.* Et explicatis reliquis statibus adjicit: *harum quatuor differentiarum prima est ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace plena atque perfecta.* Et quod in singulis hominibus agitur, deinceps in humano genere etiam locum habuisse & habere demonstrat: *Sic est & Dei populus ordinatus per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensura, numero & pondere cuncta disponit. Nam fuit primitus ante legem, secundo sub lege, quæ per Moysen data est: deinde sub gratia, quæ revelata est per primum Mediatoris adventum.* Præclarè & breviùs effectus illorum statuum alibi, quamvis nulla statuum factâ mentione, complexus est: *Primò ergo concupiscentia carnis sequentes duxit nos: postea renitentes traxit nos: deinde acceptâ gratiâ cœpit nos nec ducere, nec trahere; sed adhuc contendere nobiscum: post contentionem erit & victoria.* Et in Psalmum trigesimum quintum eosdem indicans: *Aliud est non pugnare & esse in pace vera atque perpetua; aliud pugnare & vincere.* Ecce duos status sub gratia, quibus adjungit alios duos ante gratiam: *Aliud pugnare & vinci; aliud nec pugnare, sed trahi.* Et quamvis mens Augustini ex istis adductis satis luceat, pauca tamen de duobus primis statibus, qui propriè ad rem præsentem pertinent (prætermisso statu sub gratia, & in pace) adjicienda sunt, ut Augustini doctrina pleniùs intelligatur. Sensus enim ipsius est, ante gratiam victricem cupiditatum, hoc est, ante infusam per Spiritum sanctum charitatem, multoque magis ante fidem, nullam superesse in voluntate libertatem ad bonum, nullam potestatem ut resistat concupiscentiarum carnalium desideriis; sed illis pleno jure dominantibus miserabili servitute subjacere captivam. De primo statu, ubi est profunda legis faciendæ ignorãtia, vix est opus aliquid addere; cùm meritò dubitetur, utrum ullum sani hominis judicium ita distortũ esse queat, ut arbitrium illud liberum esse putet ad faciendum bonum, vel ad cavendum malum, quando ipsum bonũ judicio improbat & malũ probat. De utroq; tamen statu sic Aug. loquitur: *Sicut prima hominis vita est ante legẽ, cum nulla nequitia & malitia prohibetur, neque ulla ex parte pravis cupiditatibus resistitur, quia non est qui prohibeat; sic secunda est sub lege ante gratiã, quando prohibetur quidẽ, & conatur à peccato abstinere se* (conatu nempe carnali, ac timore pœnarum, vel carnalium bonorum desiderio) *sed vincitur; quia nondum justitiam propter Deum, & propter ipsam justitiam diligit: sed eam sibi vult ad conquirendum terrena servire. Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit justitiam, quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit.* Et paulo interiùs in eodem Commentario: *Desinamus esse sub lege, ubi prævaricationis rea mens tenetur, dum eam concupiscentia carnis in consensionem peccati captivam adducit &c.* Quibus iterum subnectit Augustinus: *Ordinatissimè itaque subjungit: Quod si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege; ut intelligamus eos esse sub lege quorum spiritus ita concupiscit adversus carnem, ut non ea quæ volunt faciant, id est, non se teneant invictos in charitate justitiæ, sed à concupiscente adversus se carne vincantur: non solum ea repugnante legi mentis eorum, sed etiam captivante illos sub lege peccati, quæ inest in membris mortalibus. Qui enim non ducuntur Spiritu, sequitur ut carne ducantur.* Et in libro octoginta trium quæstionum: *Vbi ergo non est gratia* LIBERATORIS, *auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima, seipsam non sibi sufficere ad extrahendum*

Margin notes (left column): Ibid. — Comment. in Epist. ad Galat. in vers. 17. c. 5. — Expos. quarund. prop. Epist. ad Rom. n. 13. — In Enchir. cap. 118. — Ibid. — Ibid.

Margin notes (right column): In Psal. 64. — In Psal. 35. — In Epist. ad Galat. — Ibid. — Lib. 83. qq. q. 66.

bendum de servitute peccati; (id est concupiscentiæ) *atque hoc modo tumescente atque exstincta omni superbia, subdatur* LIBERATORI *suo &c. Vehementius enim peccamus lege prohibente, quàm si nulla lege prohiberemur.* Et paucis interpositis: *Statuitur ergo lex per fidem, quæ fides si non sit, iubet tantum lex & non implentes iussa reos tenet; ut eos gementes, & non valentes implere quæ iussa sunt, ad gratiam liberatoris aliquando convertat.* Et ut ostenderet unde gemitus iste & imbecillitas non implendæ legis nasceretur, ex robustissimo videlicet concupiscentiarum dominatu, sic Apostolum consequenter exponit: *Cum enim essemus in carne*, inquit, *id est, carnalibus desideriis obstricti teneremur, passiones peccatorum quæ per legem sunt operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti. Aucta concupiscentia quam lex prohibet ubi non erat fides, & ad cumulum peccatorum prævaricationis crimen adiectum est &c. Sub istis passionibus tanquam sub viro dominante agebat anima, antequam veniret gratia per fidem.* Et iterum aliquantò pòst: *Huc usque sunt verba hominis sub lege constituti, nondum sub gratia qui etiamsi nolit peccare, vincitur a peccato:* (id est, à concupiscentia) *invaluit enim consuetudo carnalis, & naturale vinculum mortalitatis, quo de Adam propagati sumus.* Denique in fine illius quæstionis: *Neque lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis iaceat, ut per fidem implorato liberatoris auxilio, & solvi, & erigi, & firmissime constitui mereatur.* Et in expositione quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos, eandem doctrinam de statu hominis sub lege ante gratiam liberantem, id est, liberum facientem multipliciter tradit: *Lex data est non ad auferendum peccatum, vel ad liberationem à peccato, sed ad ostendendum peccatum ante gratiam. Per quod factum est, ut sub lege positi & vehementiori desiderio peccandi raperentur, & amplius etiam prævaricatione peccarent.* Et in eodem libro inferiùs: *Nunc homo describitur sub lege positus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus suis iuste vivere conatur sine adiutorio liberantis gratiæ Dei.* Et iterum: *Qui ergo needum sub gratia sunt, sed sub lege constituti vincuntur peccatis ad obediendum desideriis carnalibus, & prævaricatione augent reatum criminum suorum, spiritum acceperunt servitutis.* Et libro sexto contra Iulianum: *His omnibus tempus significatis intelligitur, quo sub lege vivebat, & nondum adiutus gratia concupiscentiis carnalibus vincebatur.* Quod quibus competat, jam antè explicuerat, illis videlicet; *quos ita habet concupiscentia subiugatos*, antequam liberet gratia, *ut facerent quidquid illa compelleret.* Unde de Apostolo Paulo dicit, quod per illa verba; *Adveniente mandato, peccatum revixit, ego autem mortuus sum*, significaverit, *iam se præcepti capacem, sed non efficacem*, id est, non habuisse vires efficiendi; *& ideo prævaricatorem fuisse legis.* Et in libro primo quæstionum, quas ad Simplicianum scripsit, ad illa verba: *Lex spiritualis, ego autem carnalis sum. Ostendit satis*, inquit, *non posse impleri legem, nisi à spiritualibus, quod non fiunt nisi per gratiam. Spiritali enim legi quanto quisque fit similior, id est quanto magis & ipse in spiritalem surgit affectum, tanto magis eam implet; quia tanto magis delectatur, iam non sub eius onere afflictus, sed in eius lumine vegetatus; gratiâ donante peccata, & infundante spiritum charitatis, quo & non sit molesta, & sit etiam iucunda iustitia.* Et inferiùs dicit eum qui adhuc sub lege est, *Delectari etiam contra legem facere, cum tanto magis libet, quanto minus licet: Quâ suavitate frui non potest, quasi pretio conditionis suæ* (id est, servitutis) *nisi cogatur tanquam emptum mancipium servire libidini. Sentit enim se servum dominantis cupiditatis, qui prohibetur, & se rectè prohiberi cognoscit, & tamen facit.* Et iterum paulo pòst: *Vincitur nondum per gratiam liberatus, quamvis iam per legem & noverit se malè facere, & nolit &c.* Et mox de homine sub lege non sub gratia constituto dicit: *Perfectò trahitur ad malè operandum, concupiscentia dominante, atque fallente dulcedine peccati prohibiti; quamvis ex parte notitia legis hoc improbet: Sed propterea dicit: Non ego operor &c. quia victus operatur. Cupiditas quippe hoc operatur, cui superanti ceditur: ut autem non cedatur, sitque mens hominis adversus cupiditatem robustior, hæc gratia facit.* Unde autem sit tanta vis cupiditatis in homine ante legem, ut arbitrium ita captivum tenens ei tyrannicè dominetur, statim adiicit: *Unde, nisi ex traduce mortalitatis, & assiduitate voluptatis? Illud est ex pœna originalis peccati; hoc est ex pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur; hoc vivendo addimus. Quæ duo scilicet tanquam natura & consuetudo coniuncta, robustissimam faciunt & invictissimam cupiditatem, quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne sua, id est, dominatum quemdam & quasi regnum obtinere.* Quod mox vocat *habitationem cum quodam principatu.* Et iterum paulo pòst: *Sed ista sunt voces sub lege hominis constituti nondum sub gratia. Non enim quod vult facit bonum, qui nondum est sub gratia, sed quod non vult malum hoc agit, superante concupiscentiâ, non solum vinculo mortalitatis, sed mole consuetudinis roboratâ.* Quod statim explicat similitudine: *Sicut*, inquit, *præcipitatus sine difficultate venit in profundum, quamvis id nolit, atque oderit.* Et quidem ratiocinationis filum adhuc sequens: *Invenit legem bonam sibi esse, volens facere quod illa iubet, & concupiscentia superante non valens, atque ita se prævaricationis reatu implicatum videt, ad hoc ut gratiam liberatoris imploret.* Et cur gratiam liberatoris? Quia ut respondet ibidem, antequam sit quisque sub gratia, *ita repugnat, ut &* CAPTIVET *eum sub lege peccati, id est, sub semetipsa. Hoc autem totum ideo dicitur, ut demonstretur homini captivo non esse præsumendum de viribus suis. Unde Iudæos arguebat tanquam de operibus legis superbè gloriantes, cum traherentur concupiscentiâ ad quicquid illicitum est.* Similia in omnibus scriptis suis tradit Augustinus tanquam de re iuxta Catholicam fidem ita exploratâ & certâ, ut ex solis sibi consonantibus undique Augustini testimoniis volumen integrum citra hyperbolem possit confici. Sed adhibendus est in citando modus, ne lectorem volentes reddere doctiorem, nimiæ prolixitatis tædio fatigemus. Nam hæc abundè satis sunt ad demonstrandum id quod antè proposuimus: sub lege videlicet,

Ibid. — Ibid. — Ibid. — Ibid. in fine q. — In Expos. quarund. propos. Epist. ad Roman. 36 — Ibid. n. 44. — Ibid. n. 52. — Lib. 6. cont. Iul. c. 23. — Lib. 1. ad Bonif. c. 8. — Lib. 1. ad Simplician. q. 1. — Ibid. — Ibid. — Ibid. — Ibid. — Ibid. — Ibid. — Ibid.

Digitized by Google

delicet, ut ante legem, hoc est, toto tempore, quo nondum est homo per gratiam à concupiscentiarum suarum dominatione liberatus, multòque magis ante susceptam fidem, sine qua liberari impossibile est, nullo modo arbitrium seu voluntatem esse liberam ut operetur bonum; sed sublatâ funditùs boni faciendi seu legis faciendæ libertate, sub concupiscentiæ servitute esse captivam. Quod quidem in solis illis allegatis locis tot modis, ac tam instanter docet, ut quomodo vel in dubium revocari possit, ignorem. Asserit enim in primo statu nullam esse pugnam cum voluptatibus seculi; nullam esse resistentiam rationis, quia non est qui prohibeat; sequi hominem concupiscentias carnis; denique approbare ipsa peccata. In secundo statu docet hominem damnationis videlicet pœnâ territum pugnare quidem, sed vinci, scientem renitentemque pondere cupiditatis trahi; peccati desiderijs vehementioribus rapi; consuetudine superari; volendo surgere affligi gravius; peccare vehementiùs; instar præcipitati sine difficultate venire in profundum, etsi nolit atq; oderit. Docet hæc omnia fieri, non ex animi quadam indifferentia & quasi libertate ad bonum & malum, sed merè ex imbecillitate, quia videlicet, ut ipse loquitur, præcepti capax est, non efficax; quia non potest implere legem: quia non habet vires implendi; quia non sufficit sibi ad extrahendum se de servitute peccati; quia nondum adjuvat fides, aut gratia liberatoris. Docet proinde talem hominem non solùm non esse liberum, sed peccato servire subditum; captivari sub lege peccati; carnalibus desiderijs obstrictum teneri; sub passionibus agi, ut sub viro dominante; jacere in vinculis peccatorum; subjugatum esse concupiscentiæ, ut faciat quicquid illa compellat; tanquam emptum mancipium servire libidini; trahi à concupiscentia ad quidquid illicitum est; servum esse dominantis cupiditatis; etiam delectari contra legem facere. Docet concupiscentiam ipsam esse robustissimam; esse invictissimam; concupiscentiam dominari; superare pugnantes, dominatum & quasi regnum obtinere; habitare cum principatu. Quis dixerit, nisi Catholicæ fidei parum conscius, hominem in tam miserabili statu victum, captum, servum, mancipium libidinis, carentem viribus resistendi invictissimæ dominantique concupiscentia, fide, & gratiâ, & scientia mali liberatrice destitutum adhuc esse arbitrio liberum ad faciendum bonum? Cùm ipse Augustinus dicat: *Nec liberam voluntatem dicendam esse, quamdiu est vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita.* Et alibi: *Quomodo enim libera est cui dominatur iniquitas?* Et rursum: *Nec mirandum est, quòd vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat: vel resistente carnali consuetudine videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere.* Nam ex illis duobus fontibus, ignorantiâ, & concupiscentiâ proficiscitur, quod suprà toties dixit, victam vitio naturam libertate caruisse; non manere ampliùs libertatem; amissum esse liberum arbitrium; egere libertate; servum esse propriæ voluntatis arbitrium; indigere gratia liberante, hoc est, liberum faciente. Si enim est jam liberum, falsum est esse liberandum, vel indigere libertate, vel gratiâ liberante.

Epist. 144.
Epist. 89.
Lib. 3. de lib. arbit. c. 18.

CAPVT SEPTIMVM.

Quintò ex natura gratiæ liberatricis, ipsâque definitione liberi.

ET quia de gratia liberante sermo incidit, sub qua qui fuerint in tertio jam statu sunt, ut suprà diximus, non erit abs re ostendere etiam ex natura gratiæ liberantis, ipsaque definitione libertatis, arbitrium non esse liberum ante legem, & sub lege, hoc est, ut à controversis temperemus, ante susceptam fidem. Nam ex ipsis Christianæ fidei principijs constat, arbitrium non posse esse liberum à dominante sibi carnalium rerum concupiscentia, sub quibus post peccati ruinam jacet, nisi per spiritum gratiæ & fidei, juxta doctrinam videlicet Apostolicam: *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me a lege peccati & mortis.* Vnde & Paulus cum exclamasset, sive in sua sive in aliena persona, de ista lege peccati, quæ est in membris? *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Respondet sibi: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Nam ex illis Apostoli verbis, & ex similibus ipsius Christi: *Si vos filium liberaverit, tunc verè liberi eritis*, doctrinam & nomen ipsum gratiæ liberatricis seu arbitrium liberantis, ac liberum facientis, Augustinus accepit. Hinc illa apud Augustinum celeberrima & creberrima: [a] *Nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit.* [b] *Non potest captiva voluntas nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem.* [c] *Arbitrium sui in malum liberum dicimus: ad agendum verò bonum Dei gratiâ liberandum.* [d] *Non potest esse liber a dominante peccato, nisi eum filius liberaverit.* [e] *Ipsum liberum arbitrium liberandum est a servitute, cui dominatur cum morte peccatum: nec omninò per seipsum, sed per solâ Dei gratiâ, quæ in fide Christi posita est, liberatur.* [f] *Illi oppugnant arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, quæ verè ad bona eligenda & agenda fit liberum.* [g] *Gratiâ natura liberatur & regitur.* [h] *Quasi possit esse ad perficiendum opus bonum voluntas libera, nisi Dei munere liberata.* [i] *Dixi hominem describi* (illis verbis, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et præcedentibus) *adhuc sub lege, nondum sub gratia constitutum, bene facere*

Rom. 8.
Ibid. cap. 7.
a Lib. 1. ad Bonif. c. 3.
b Lib. 4. c. 3.
c Lib. 3. ad Bonif. c. 9.
d Lib. 1 op. imper. c. 121.
e In Enchir. c. 106.
f Epist. 107.
g 2. Retract. cap. 42.
h Lib. de bono vidui. cap. 18.
i Lib. 1. Retract. c. 23.

facere volentem, sed victum concupiscentiâ carnis malè facientem. A cujus concupiscentiâ dominatu non liberat, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. [k] *Vt ad rectè faciendum liberum sit, de gratia liberatur.* [l] *Quid mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendam justitiam non erit liberum, nisi ovis* (id est bonæ voluntatis seu fidelis) *fuerit? Qui facit igitur oves homines, ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.* [m] *Voluntas non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ libertatem.*

k Ibid. c. 23.
l Lib. 4. ad Bonif. c. 6.
m Lib. de corrept. & grat. c. 8.

Ex cujusmodi testimonijs passim obvijs evidenter constat gratiam liberantem esse hoc ipsum quod confert arbitrio libertatem ad bonum; & consequenter fieri nullo modo posse, ut arbitrium in bono liberum sit, antequam per gratiam liberetur, toto videlicet illo tempore, quo gratiâ liberante, præsertim ipsâ fide gratiam liberatricem impetrante caruit. Vnde præclarè Augustinus: *Vt quid ergo miseri homines aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt? Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij utique libertatem sonare. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati* (id est, concupiscentiæ dominantis) *quid se jactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Si autem liberati sunt, quid se jactant velut de opere proprio, & gloriantur quasi non acceperint?* Ex quo discursu, qui totus fide Catholicâ nititur, cùm evidenter liqueat, arbitrium ante gratiam esse peccati servum, & sub dominante cupiditate captivum, neque suis viribus sine gratia se posse à dominatu ejus liberare, quid aliud statui potest, quam non esse liberum, videlicet ad bonum, si gratia non liberaverit? Quidquid vero sit illa gratia, quæ arbitrium ad bonum liberat, sive peccati remissio, sive adjutorium actuale, sive habitus charitatis, sive ipsa fides, sive aliud quippiam, hoc tamen ex Aug. certum est, non posse istud haberi sine Christi fide. idcirco enim dicitur in Enchirid. ut audivimus, *posita esse in fide Christi:* & ab Apostolo vocatur, *gratia Dei per Iesum Christum.* Est enim gratia, quæ benè operandi potestatem tribuit, quæ sine fide esse non potest; utpote de qua sæpissimè Augustinus illud celeberrimum pronunciatum repetit: *Quod lex faciendum imperat fides impetrat:* ut suo loco demonstrandum erit. Cùm ergo antè fidem habere gratiam à cupiditatum servitute liberantem non minus impossibile sit, quam habere charitatem Dei; impossibile est etiam ante fidem, quamdiu arbitrium vel sub lege constitutum est, vel profundissimis ignorantiæ tenebris submersum ipsa etiam lege caret, esse liberum ad bonum; nisi in ipsam velimus Catholicam fidem impingere, ut arbitrium vel seipso liberum sit ad bonum, vel seipsum suis viribus valeat à peccati hoc est, concupiscentiæ servitute liberare. Quorum utrumvis si fieri potest, ergo gratis Christus mortuus est. Cùm enim captivitas illa & servitus arbitrij voluntatis non sit aliud, quam quædam depressio consensionis sub rerum terrenarum desiderijs, quæ concupiscentia ista seu libido parit, ita ut hominem peccare delectet, sub qua delectatione veluti delectabili vinculo captivum jacet, liberatio ejus in eo sita est, ut ab illa peccandi delectatione atque consensione liberetur, atque ipsam justitiam propter justitiam diligat: quod nullo modo est humanæ potestatis, sed solius gratiæ & spiritus Dei, qui non nisi credentibus datur. Vnde Augustinus: *Spiritu fit in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est; sicut præter hunc spiritum peccare delectat, ubi servitus.* Servitus igitur, ista peccati seu arbitrij sub peccato tamdiu manet, quamdiu affectus hominis non est avulsus à consensione peccandi, hoc est, quamdiu quicquam rerum creatarum quas diligit præfert justitiæ ac Deo: quod sæpe testatur idem Augustinus: *Mortui sumus* (per gratiam) *legi damnanti, liberati ab eo affectu, quem lex punit & damnat,* id est, à consensione peccandi. Et libro primo ad Bonifacium in illa Apostoli verba: *Nunc autem jam non ego operor illud,* sic rem exponit: *Quid est, nunc autem, nisi jam nunc sub gratia, quæ liberavit delectationem voluntatis à consensione cupiditatis? Non enim melius intelligitur: Non ego operor, nisi quia non consentit exhibere membra sua arma iniquitatis peccato.* Et post pauca: *Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit te à lege peccati & mortis* (id est, à servitute concupiscentiæ) *ne scilicet consensionem tuam concupiscentia sibi vindicet carnis.* Et mox Apostolos docet, eatenus fuisse liberatos à concupiscentiæ servitute, quatenus erant *à consensione pravarum libidinum liberi.* Et alibi hanc arbitrij liberationem vocat, *esse liberum & alienum à voluntate peccandi.*

Lib. de spir. & litt. c. 30.
Cap. 106.
Lib. de spir. & litt. c. 16.
Lib. 1. ad Simplician. q. 1.
Lib. 1. ad Bonif. c. 10.
Ibid.
Cap. 11.
Lib. de nat. & grat. c. 57.

Porro ista liberatio voluntatis tunc fit, quando infusa per spiritum sanctum cælestium rerum, ipsiusque justitiæ delectatione, voluntas quæ dominanti rerum creatarum cupiditati subjacebat, ab illo pestifero & suavi vinculo eruitur, & per alterius generis amorem concupiscentia superior constituitur, ut quam ante prono impetu, sive ignara ante legem, sive jam sub lege viribus ejus victa sequebatur, eam se sequi cogat, ut ita juxta propheticum eloquium per gratiam liberatricem adjuta subjiciat exactores suos. Quem diversissimum arbitrij statum in una notissimaque concupiscentia concumbendi sæpè declaravit Augustinus in libris de nuptijs & concupiscentia. Nam præscribens conjugibus libidinis utendæ modum, ita loquitur: *Indecoris motibus æstuantem frenat & cohibet, neque nisi propagini consulens relaxat atque adhibet, ut spiritaliter regenerandos carnaliter gignat, non spiritum carni sordidâ servitute subjiciat:* Et capite duodecimo: *Bona voluntas animi* SEQVENTEM *ducit, non* DVCENTEM *sequitur corporis voluptatem: Nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cum justè redigitur in usum generandi plaga peccati.* Et iterum præclarissimè: *Huius plaga quidam pruritus in adulteriorum, & quorumlibet stuprorum, ac immunditiarum fœditatibus regnat; in connubiorum verò necessitudinibus* SERVIT: *Ibi de Domino tali turpitudo damnatur; hic de pedissequo tali honestas verecundatur.*

Lib. 1. de nupt. cap. 8.
Ibid. c. 12.
Ibid.

Et infe-

mens hominis tanquam summus apex hominis, cum omnibus naturaliter insertis amoribus sive corporis sui, sive animæ, sive conjunctionis utriusque arctissimè religabatur & suspendebatur ex Deo, ne quicquam in toto homine ad aliquid appetendum aut fugiendum, ea nolente, moveretur, statim illa pondera amorum naturaliter quasi suâ gravitate deorsum lapsa abrupto retinaculo ceciderunt, & voluntatem secum rapiendo, magno impetu ad sua quæque objecta properarunt. Quod triplici ex capite videtur contigisse.

Primò, quia naturaliter ita fieri res ipsa postulat, ut (quemadmodum in brutis accidere videmus) non solùm corporis commoda summo conatu quærant, doloresque & mortem fugiant, sed & sensuum externorum internorumque pro cujusque natura delectationibus inhient, quò naturæ pondere propelluntur. Vnde si rationali voluntati natura irrationalis cum eodem isto naturalis amoris pondere in omnia quaquaversum objecta prosiliente conjuncta fingeretur, nemini mirum esset, si rationis deliberationem & liberam voluntatis motionem semper indeliberatis suis motibus anteverteret. Natura enim longè constantiùs multòque priùs suos motus exerit, quàm voluntas. Quod enim naturaliter agit, ipso momento, quo cuncta quæ ad agendum requiruntur expedita sunt, in actum prorumpit: hoc est, brutalis appetitus ipso momento quo sensibus vel internis vel externis objectum apprehenditur, aut appetit illud, aut fugit, aut alio quopiam circa illud versatur motu. Quod opus naturæ totum peractum est, antequàm ratio deliberare, nedum voluntas annuere potuerit. Quid ergò mirum, si brutalis illius naturæ motus cui copulati sumus, omnibus voluntatis liberis motibus prævolet, cùm illa dilectio sui naturalis, quæ visceribus ejus & singulis facultatibus insculpta est, ubique corporis commoda & appetitionum requiem quærat? Quid denique non maximè rationi consonum, si in quidlibet indifferenter ardescat, sive rationi, hoc est, veritati congruat, sive dissonet? Ipsius enim per se spectatæ non est agnoscere veritatem, sed bonum suum privatum quærere: hoc vero utrum etjam superiori parti totique homini congruat, viderit ratio.

Secundò, quia ille ipse amor sui in quem homo velut finem *cui* omnia in posterum appetenda servirent, abrupto amore Dei lapsus fuit, est veluti intentio quædam generalissima & efficacissima finis ultimi, quo omnia referuntur. Amisso enim amore Dei, in quem antea, omnia velut in finem ultimum ferebantur, impossibile est, ut aliò quælibet appetita referantur, nisi ad ipsum hominem, qui se diligendo arctissimè complectitur, & sibi soli incubat. Nam amor amicitiæ ad alterum est quædam velut extensio & effigies amoris sui: quemadmodum propago est extensio trunci: & ad illum se incipit habere sicut ad se, res aliquas amico appetendo, sicut sibi. Intentionis autem efficacis illa natura est, ut in omnia omninò media, quæ fini amato, sub modo quo amatur, conducere videntur, necessariò feratur. Hinc ergò solus ille amor sui efficacissimus, in quem homo lapsus est, etsi nullus appetitus sensitivus stimularet, satis est ut illa vitiosa desideria suscitaret etjam invitâ voluntate, quibus jam torquemur. Sic enim experimur in rebus amatis fieri, quantumcunque vel naturæ hominis vel appetitui sensitivo ingrata sint, ut si magno amore diligantur & appetantur, etjam inviti illis cogitandis desiderandisque inhiemus. Cùm verò amor iste sui sit simul generalissimus, utpotè in quem velut finem omnia omninò, quæ quoquo modo faciunt ad corporis aut animæ requiem, quam omne animal naturaliter appetit, referuntur; nihil mirabile, si ex illo solo amore ad omnia omninò vitia incessanter urgeamur. Nam amissa veræ dilectionis regulâ & fine, quidquid homini bonum videtur, istud ex illo amore concupiscitur, sive animi solius creata bona, ut à Stoicis factum est, sive corporis, ut ab Epicuræis, sive utriusque ut à Peripateticis. Omnia quippe ista in hominem sui ipsius amatorem & admiratorem ultimò terminantur. Hinc est quod meritò Augustinus isto solo amore sui tanquam generalissimo & uberrimo fonte omnium omninò vitiorum; Civitatem terrenam, cujus Adam in hominibus principium fuit, à cœlesti civitate discernat: *Secernunt civitates duas, amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cælestem verò amor Dei usque ad contemptum sui.* Optimè omninò atque verissimè. Impossibile est enim ut amator sui non contemnat Deum, & è contrario, ut amator Dei non contemnat se. Nam & ille seipsum velut finem omnium appetitionum suarum respicit, & iste Deum; cùm neque seipsum curet aut diligat nisi propter Deum, ut illi cedat ipsa illa dilectio seu cura sui, seipsum etjam in nihilum redigere paratus, si tanquam in bonum, Dei unicè dilecti cederet, juberetur. Hinc Augustinus: *Prima hominis perditio fuit amor sui.* Hinc omnia vitia, quæ longâ serie recenset Apostolus, ex eo pullulare profitetur, quod præmiserat; *Erunt homines seipsos amantes. Hæc,* inquit, *omnia mala, ab eo velut fonte manant, quod primum posuit seipsos amantes.* Et paulò pòst iterum, cùm illa vitia deduxisset: *Hæc atque hujusmodi vitia, sive uni homini accidant omnia, sive his alia, illis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant, cùm sunt homines seipsos amantes.* Nimirum quia amor ille sui est, ut dixi, velut intentio quædam generalissima & efficacissima appetendi sibi velut fini quicquid appetenti congruere iudicetur: Ex quo non sola innoxia illa cura custodiendæ integritatis animæ & corporis; (nam & ista ex eo quamvis sine noxâ fluit, quatenus ad illa objecta terminatur) sed omnia etjam indeliberata vitiorum desideria, & consequenter vitia, Dei amore non regente, proficisci solent.

Lib. 14. de Civit. c. 28.

Serm. 47. de divers. c. 2.

2. Tim 3.

Tract. 113. in Ioan.

Tertiò denique, quia postquam homo deserto

deserto Deo in seipsum amandum fruendumque velut beatitudinis fontem cecidit, ingentem & sibi ipsi incomprehensibilem vacuitatem & egestatem expertus est; tantam videlicet, quantum fuerat illud bonum, quo ante fruendo replebatur, & cui capiendo naturaliter conditus fuit. Tria vero illius immensi possessione boni possidebat. Primò incomparabilem quandam celsitudinem, utpote qui nullo interjecto medio soli Deo subdebatur: & ita dominabatur sui & omnium sibi naturæ conditione subditorũ, ipsi autem nemo penitus præter Deum. Secundò, scientiam luminosissimam rerum creatarum, & maximè omnium agendorũ; quia mẽs illa omni amore peregrino creaturarum, & consequenter pœnalibus tenebris vacua, sine ullo obstaculo, veritatis cui inhærebat, puris radijs tangebatur. Tertiò, torrente quodam voluptatis perfundebatur, quæ ex tanto bono semper præsente cognito B dilectoque profluebat: *Ex hoc amore*, inquit Augustinus de Adamo, *grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum.* Tribus illis ingentibus bonis, quibus ex illius infiniti boni possessione plenus erat, tres æquè ingentes inanitates seu penuriæ successerunt, & ex penurijs importunissimi & violentissimi desideriorum impetus ad illa damna quoquo modo sarcienda. Hac enim in primis consideratione dixisse arbitror Augustinum, id quod omnium veraciter spiritualium virorum judicio approbatum est: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Anima quippe inquietatur desiderijs velut motibus; & gaudijs veluti motuum terminis requiescit. Inde igitur perpetua ejus extra Deum inquietudo, dum quidquid appetit ut fruatur & gaudeat, nihil omnino invenit præter Deum, quo vastissima illa capacitas impleatur.

Lib. 14. de Civit. c. 10.

Lib. 1. Confess. c. 1.

C Hinc ergo nascuntur tria genera importunissimorum desideriorum ex quibus, juxta Sancti Augustini doctrinam supra traditam, omnia vitia proficiscuntur. Primò quidem omnes illi impetus vanitatis, cupiditatis videlicet laudis & æstimationis, & amoris, ac timoris humani, quasi conscia suæ abjectionis anima ad quandam primatus excellentiam suffragia aliena & emendicata contraheret. Itemque libido maxima ceteris dominandi, quibus sub Deo æqualis esse deberet. Ita nimirum ostentat *quendam appetitum unitatis & omnipotentiæ*, ut *solus* homo sit, *si fieri possit, cui cuncta subiecta sint*; & ita quandam adipiscatur *umbram veri regni*, quo sub Deo sibi regnante gaudebat. Hinc secundò nascitur inquietissima illa curiositas nomine scientiæ palliata: per quam illa vacuitas primæ veritatis, ad quam diligendam ac videndam condita est, impleatur. Hinc tertiò perpetua illa pronitas in voluptates, animâ videlicet satagente per D omnes rimas corporis forinsecus sibi accersere, quod intrinsecus ei scaturiverat. Inter quarum impetus ille maximus, totaque vita pertinacissimus est, quo in concubitum æstuat; nimirum occulto instinctu hoc agens, ut homo

Lib. de vera Relig. c. 45.

Ibid. c. 48.

A quia morte damnatus est, vicaria quadam suiipsius substitutione immortalitatem quam amisit rursus assequatur. Hoc enim nascitur quodam arcano *sensu naturæ mortalis successionem decessionemque requirentis.* Hi tres ergo fontes sunt non ubertatis sed *indigentiæ*, ut eos Augustinus subinde vocat, ex quibus omnino omnia vitiosa desideria, quibus provocamur, emanant.

Lib. de bono conjug. c. 19.

Quibus si addas, quod *amor* ille *sui*, quam *primam hominis perditionem fuisse* cum sanctissimo Doctore diximus, vestigium sibi simillimum, sicut ipsa natura humanorum actuum postulat, instar consuetudinis pertinacissimæ in inferiorem animæ partem impresserit (quæ omnium motuum vitiosorum quantumcunque spiritualium & subtilium, quibus perturbamur, susceptiva est) eaque in prolem propagata transierit, quò doctrina Augustini collimare videtur; nihil omninò quisquam mirabitur, si istud amoris proprij vestigium, naturali illi dilectioni sui superadditum, tantaque rerum omnium egestate, in quam cecidimus, appetitum provocante adjutum, incessanter creatarum rerum desideria concitet, & omnibus actibus liberæ voluntatis prævolet. Omnia quippe prædicta per modum naturalis ponderis premunt, & non expectatá rationis deliberatione, assiduis desiderijs vel agendi vel non agendi, in omnibus occasionibus animam ad exerendum consensum suæ libertatis impellunt. Quidquid enim creatarum rerum, sive sensibus externis sive ipsis occurrit cogitationibus, totum hoc sub objectum proprij amoris jam corrupti summaque illa egestate vexati cadit, qui illis vel appetendis vel fugiendis incessanter invigilat; quemadmodum hoc in brutis erga sui generis objecta fieri manifestum est. Vnde Augustinus sæpè vitam istam non solum tentationibus plenam, sed totam tentationem esse testatur: *Cuius tentationes, imo quam totam tentationem, quamdiu in ea sumus, quantumlibet proficiamus perpeti non desinimus.* Et infrà, quod etjam crebro repetit: *Aliquando concitatius, aliquando remissius, non tamen desinit caro concupiscere contra spiritum.* Longè enim latiùs patet illud Apostoli, quàm vulgò putant; *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Nam quamvis illa notissima vitiorum fornicationis, homicidij, & similium desideria non semper nos irrequieta perturbent, sunt aliæ tamen innoxiarum rerum cogitationes & appetitiones, quibus anima sine cessatione velut aër aurâ sensibus humanis imperceptibili commovetur. Qui aër quamvis serenissimus quiescere videatur, moveri tamen ratio vera judicat. Nam ad omnes omnino actiones nostras, hujusmodi quamvis levissimi motus voluntati prævolant: quibus consentiendo non solùm peccata venialia vulgò nota committamus, sed etjam actiones illas, quibus corpori vel animæ juxta naturæ instituta consulimus, exequamur. Hinc ergo fit, ut impossibile sit ullum liberum voluntatis actum exeri, nisi illius amoris sive naturalis sive superadditi

Serm. 47. de divers.

Lib. 21. de Civit. c. 21.

c. 23.

Gal. 6.

peradditi desiderio quodam involuntario A præeunte provocetur. Sola enim illa pura dilectio Dei, nullum cum illo amore præeunte commercium habet, sed ejus inordinationes interficit, & ejus titillationes prævolantes enecat. Quidquid non ex illa divina purissimaque dilectione fluit, hoc necessario ex illo amore sui, ac desiderijs ejus sive ordinatè sive inordinatè prosilientibus, & præeuntibus proficiscitur. Et quamvis nihil mali fiat, sed potiùs multum boni, quatenus per eum necessitatibus corporis, & sensuum, & vitæ conservandæ juxta naturæ præscriptum consulimus, quod natura omnibus animantibus indidit; tamen in creatura rationali non est bonum, quòd ista appetendo & procurando in seipsa hæret, dum sibi consulit, tanquam fini *cui* ultimò totum cedat; cum deberet in Deum, cujus est & ipsa, & appetitus ejus, & vita tota, retorqueri. Alioquin amor ille sui ordine suo in creatura rationali caret.

His de duabus illis animi pœnis ignorantiâ & concupiscentiâ expeditis, consectaneum esset, ut nonnihil etjam de miserijs corporis, & in primis de pœnis parvulorum in altera vita diceremus. Nam etjam de illis non parvæ vigent controversiæ, in quarum decisione non mediocriter à probatissima Sancti Augustini & veterum doctrina recentior schola deflexit. Sed quia in libro tertio de statu puræ naturæ, de corporis pœnis copiosè, ac de Dei infligentis justitia disputandum est, in illum cuncta reservamus locum. De pœnis vero parvulorum post hanc vitam pœnè superfluum est novum laborem suscipere. Iam enim ante paucos annos Illustrissimus juxta atq; Eruditissimus vir Dominus *Florentius Conrius Archiepiscopus Tuamensis* opusculo hac de re scripto, per quàm accuratè demonstravit, parvulos absque baptismo ex hac vita decedentes pœnis non tantum damni, sed sensibilibus, & quidem æterni ignis, secundùm Sancti Augustini doctrinam, plecti. Cui operi quamvis quædam addi possent, quædam etjam juxta Sanctum Augustinum rectiùs aliter dici, quemadmodum nos quodam loco declaravimus, rectissimè tamen ostendit id quod in ista controversia præcipuum ac medulla est, longè ab Augustini, & fortassis Ecclesiæ, quæ Pelagianos juxta ejus principia damnavit, mente recessisse scholasticos, qui parvulis sine baptismo morientibus vel beatitudinem naturalem, vel immunitatem à sensibilibus ignis æterni pœnis tribuerunt. B Qua propter ne actum agamus, vel ejus lucubrationes in hæc scripta nostra transferamus, remittimus diligentem lectorem ad ipsum tractatum ejus: in quo quicquid ab adversarijs pro parvulorum causa benigniùs quàm sapientiùs opponitur, ex profundissimi doctoris Augustini sensu ac verbis refutatur. Nos verò illo labore, qui in pœnas parvulorum explicandas impendendus fuisset, sublevati, alacriùs ad statum ac vires naturæ per peccatum violatæ describendas, nusquam à Divi Augustini mente (quantum Deus adjuverit) recedendo, properabimus.

Opusculum inscribitur Tractatus de statu parvulorú sine baptismo decedentiú ex hac vita juxta sensú beati Augustini per Florentium Conrium Archiep. Tuamensem, impressus Lovanij apud Henricum Hastenium anno 1624.

Vide dicto lib. 3 de Hæresi Pelag. c. 21. & sequen.

F I N I S.

DE STATV

DE STATV NATVRÆ LAPSÆ LIBER TERTIVS.

Qui est de viribus liberi arbitrij post peccatum.

PRÆFATIO

SI istæ pœnæ, quarum naturam indagamus ac describimus, in seipsis molestæ sunt, effectus, quos in liberum arbitrium operantur, longè gravissimas eas esse testantur. Antequam eos ex Augustino proferamus, cui libertas arbitrij & vires ejus fuerunt perspectissimæ, paucis præmittendum videtur, quid ei ab adversarijs impositum fuit, & quid ipse de superstite libero arbitrio senserit; ne Lector minùs peritus arbitretur, Augustinum quasi nullo adversario secum litigante securum, nullaque quæstione pulsatum, de rebus istis magnis & arcanis aliquid re non satis ponderatâ pronunciasse. Nam ad quæstionum quarumlibet decisionem intelligendam, nihil utilius est, quàm statum controversiæ quæ inter duos decertantes agitatur, & quid quisque eorum in altero reprehenderit, probè penetrasse. Quod quia in quæstionibus non paucis, de quibus Augustinus & Pelagius conflixerunt, vel omnino nescitur, vel ad controversias præsentes accommodatè proponitur, hinc à nonnullis in ipsa principia doctrinæ veteris impingitur. Itaque quoties Augustinus aliud quàm velint sensisse perhibetur, continuò eum nulla simili, qualis nunc recentiores urget, difficultate pressum fuisse suspicantur, & securè adversùs doctrinam ejus insurgunt.

CAPVT PRIMVM.

Liberum arbitrium etiam post lapsum superest in humana natura.

NVLLAM calumniam passus est graviorem Augustinus à Pelagianis, quàm quòd sub gratiæ obtentu liberum arbitrium funditùs everteret imò negaret. Qua de re diversa loca in præfatione tractatus de libero arbitrio dedimus. *Vid. init. lib. 7. de grat. Chr. Salvat.* Hinc solemnis erat ipsorum querimonia, se propter defensionem libertatis arbitrij Pelagianos & Celestianos audire. *Lib. 2 de nuptijs c. 3.* *Siquis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Celestianus & Pelagianus* A *vocatur.* Et alibi: *Contra hæc nôs quotidie disputamus, & ideo nolumus prævaricatoribus adhibere consensum, quia nos dicimus liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, nec Adæ peccato perire potuisse: quod Scripturarum omnium auctoritate firmatur.* *Lib. 1 ad Bonif. c. 13.* Scripturas illas magnâ abundantiâ proferebant, ut initio libri quarti ad Bonifacium, & alijs locis videre licet: ut Scripturis tecti immeritò invidiam violatæ fidei subire viderentur. Hinc factum est, ut Augustinum & Catholicos tanquam liberi arbitrij negatores probrosissimo

Digitized by Google

Lib. de nupt. c. 13.

broſiſſimo nomine Manichæos vocarent: *Ne vocentur hæretici, fiunt Manichæi*, inquit Iulianus adverſus Auguſtinum; *& dum falſam verentur infamiam, verum crimen incurrunt.* Quam calumniam ſæpiùs refricat.

Auguſtinus igitur ut illam à ſe & à Catholicorum causâ quam tuebatur, depelleret, planiſſimâ crebròque iteratâ confeſſione teſtatus eſt, neque ſe, neque Catholicos liberi arbitrij eſſe negatores; ſed gratiæ tantummodo defenſores. Nam in libris ad Valerium Comitem, ubi crimen illud ei impactum fuerat, ſic reſpondet:

Lib. 1. nupt. paulò poſt initium.

Non eſt ita ut loqueris, quicunque iſta dixiſti, non eſt ita, multum falleris vel fallere meditaris: Non liberum negamus arbitrium: ſed, ſi vos filius liberaverit, ait veritas, tunc verè liberi eritis. Et paucis interpoſitis: *Liberum in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem, utrique dicimus: non hinc eſtis Cœleſtiani & Pelagiani: iſta quippe*, ut paulò antè præmiſerat, *Catholica fides dicit.* Et libro primo ad Bonifacium:

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Quis noſtrûm dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Et Epiſtolâ quadrageſimâ ſeptimâ ad Valentinum:

Epiſt. 47.

Fides Catholica neque liberum arbitrium negat ſive in vitam malam, ſive in bonam. Neque tantum ei tribuit, ut ſine gratia valeat aliquid. Et libro primo de correptione & gratia:

Lib. de corrept. & gra. c. 1.

Liberum itaque arbitrium & ad malum & ad bonum confitendum eſt nos habere. Quam diſtinctionem ſtudioſè adhibet, quia de utraque calumniam patiebatur, ſicut hoc ex libro primo operis imperfecti adversùs Iulianum liquet. Nam cùm ibi ex utraque parte libertatem ab Auguſtino deſtrui prolixa diſputatione Iulianus collegiſſet, tandem ita concludit:

Lib. 1. op. imperf. cont. Iul. f. 153.

Quo collecto convinceris inficiari dogmata tua, ut promittas te liberum arbitrium non negare; quod ante mali, poſtea boni neceſſitate ſubvertis. Potiſſima tamen quæſtio erat & querimonia de libertate ad bonum. De qua proinde ſic profitetur Auguſtinus ſententiam ſuam:

Epiſt. 107. ad Vitalem.

Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate; cùm potius illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda & agenda fit liberum? Quamobrem initio libri de gratia & libero arbitrio, ubi tantùm hoc agitur, an habeamus in nobis liberum arbitrium ad bonum, prolixè ſententiam affirmativam, quam Catholica fides docet, aſſerit. Primò quidem ex præceptis, quibus Scriptura plena eſt:

Lib. de grat. & lib. arb. c. 2.

Nam ipſa, inquit, *divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret.* Cùm verò multa ex Scripturis præcepta boni agendi protuliſſet: *Ecce*, inquit, *apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Deinde veritatem eandem ex eo probat, quòd multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri & fieri jubeat Deus: *Quomodo jubet*, inquit *ſi non eſt liberum arbitrium?* Et in fine concludit: *Nempe ubi dicitur: Noli hoc, & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium.* Multò plura ex Auguſtino adduci poſſent ad ſententiam ejus aſſerendam de libero arbitrio, non ſolùm ad malum, ſed etiam ad bonum, ſi neceſſitas poſtularet: ſed iſta ex ſolis ſcriptis, quæ contra Pelagianos exaravit, accerſita, ſatis viſa ſunt ad hæreticorum quorundam calumniam comprimendam, qui Auguſtinum præ cæteris Patribus libero arbitrio adverſarium fuiſſe nugantur. Hoc enim à Iuliano videntur didiciſſe, qui non obſtantibus tam luculentis Auguſtini proteſtationibus in eadem calumnia perſiſtebat. Tam enim perſpicuam Auguſtini ſententiam eſſe judicabat de negata deſtructaque arbitrij libertate ad bonum, ut ſolius invidiæ declinandæ causâ tales confeſſiones expreſſas eſſe cenſeret. Sic enim loquitur adversùs Auguſtinum:

Lib. 1. op. imperf. apud Aug. cont. Iul. f. 114.

Fidem veſtram, inquit, *erubeſcitis profiteri, & ad noſtra ſententia, à qua deviatis, verba confugitis. Tam enim ſceleſtum eſt quod ſuſcepit prævaricatio pudenda Babylonis*, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ, *ut cùm à nobis objicitur, à vobis negetur: & tam ſanctum eſt quod à nobis creditur, ut ſub umbra eius deliteſcere, licet adverſaria mente, cupiatis.* Vnde quantiſcunque proteſtationibus Auguſtinus ingeminaret, ſe libertatem arbitrij tam in bonum quàm in malum, tanquam Catholicæ fidei dogma defendere, non deſtitit tamen eum vocitare Iulianus *præcipuum arbitrij liberi negatorem* nec non, *certiſſimum eſſe quod dixerat*, liberum negari arbitrium ab iis, qui Auguſtini ſermone tenerentur.

Ibid. f. 164.

CAPUT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Amissio indifferentiæ ad bonum & malum fuit causa calumniarum, quibus Pelagiani Catholicos Manichæismi, & eversæ libertatis arguerunt.

QVOCIRCA mirum cuipiam videri, & non immeritò quæri potest, quid illud fuerit in doctrina Augustini, quod tantum stomachum Pelagianis moverit, ut eum tot opprobrijs oneraverint, tot querimonijs Manichæismum ab inferis revocasse questi sint. Neque enim credibile est, solam simplicemque adjutorij cujuspiam necessitatem tantis clamoribus dedisse locum: cùm ipsimet, maximè postquam essent Apostolicæ Sedis auctoritate damnati, cognitionem & illustrationem Dei, legem, præcepta, exempla, gratiam habitualem, ipseque Iulianus etiam gratiam actualem quæ instar venti vela libertatis impleret, sopitosque charitatis ignes suscitaret, non invitè fateretur. Accuratiùs igitur quisnam ille lapis offensionis fuerit explorandum est: ut simul elucescere possit, quousque vel hæreticis nostri temporis resistendum, vel nonnullis Catholicis recentioribus accedendum sit, dum isti magnopere libertatem ad bonum erigunt, illi deprimunt. Augustini enim sententiam in hoc argumento antiquæ Ecclesiæ & veritatis esse sententiam, neque hæretici de quibus loquor dubitant, neque Catholici dubitare permittuntur. Nam illi statui libertatis arbitrij ad bonum, quem Augustinus tradidit, velut immobili basi tota necessitas, & natura, & intelligentia Christianæ gratiæ ita nititur, ut eo labefactato, hanc funditus everti necessarium sit. Res illa quippe in indivisibili sita est, ut si vel latum discedas unguem à veritate, quam sanctus Doctor de liberi arbitrij statu tradidit, tota ejus doctrina de gratia modulo & statui libertatis attemperata in fumos & chimeras humanæ cogitationis evanescat. Vnde usque ad adventum Scholasticorum nemo scriptorum Catholicorum inventus est, præcipuè Latinorum, inter quos Pelagiana hæresis magis viguit, & quorum sermone sparsa fuit, qui illum liberi arbitrij statum, in quem ex Augustini mente præcipitati sumus, in dubium revocaverit.

Vt igitur pleniùs intelligatur Pelagianorum accusatio & Augustini defensio, totusque status libertatis arbitrij post peccatum, sciri debet, aliud esse, voluntatem esse liberam ut velit & operetur justitiam; aliud, non indigere ad illa præstanda Dei adjutorio. Fieri enim potest, ut potentia sit libera ut velit aut faciat, & tamen ad hoc indigeat adjutorio. Res ista perspicua est in actionibus corporalibus subjectis libertati. Arbitrium quippe liberum habemus, ut oculis sanis in luce constituti cernamus aut non cernamus: cum tamen cernere sine lucis adjutorio nequeamus. Libertas igitur alicujus actionis non excludit adjutorium; quamvis etiam ex se non postulet. Cernere quippe liberè possumus præsente luce & sanis oculis, & non cernere; quamvis illud lucis adjumentum postulet, hoc non item. Quod quidem & exemplis tam externarum quam internarum facultatum ita manifestum est, ut nec ipsi Pelagiani hoc negaverint. Expressissimè enim Pelagius magister omnium docet, *loqui, audire, odorari, videre, esse nostri arbitrij atque voluntatis*; cùm tamen nihil eorum sine certis adjutorijs, ut lucis, specierum sensibilium, sanitatis potentiarum, & similibus fieri queat. (*Lib. de nat. & grat. c. 45. & 47.*) Docet item ipse Pelagius, vel discipuli ejus Catholicorum disputationibus tracti, gratiam (meritis videlicet datam) ad bene operandum esse necessariam; tametsi nemo rectè sine libera voluntate operetur. (*Lib. de grat. & lib. arb. 14.*) Libertas igitur potentiæ non solum externæ, quæ imperium volendi sequitur, sed etiam ipsius voluntatis cum adjutorij vel gratiæ necessitate planissimè consistere potest. Nullibi hoc evidentiùs, quam in Adamo recenter condito, & in Angelis viatoribus patuit: qui nullum edere potuerunt bonum ac pium voluntatis motum, sine divinæ gratiæ velut lucis cujusdam cælestis adjutorio: quamvis eos Deus cum libero voluntatis arbitrio condidisset. Vtrumque superiùs fusissimè, & ex immobilibus Augustini imo fidei Catholicæ fundamentis demonstratum est. Cujus rei ratio est, quòd liberum non sit idem quod fortissimum, & per seipsum ad quoslibet actus bonos validum. Hoc enim soli Deo competit, qui nullius rei, neque substantiæ, neque qualitatis, neque lucis, neque gratiæ adjutorio opus habet: sed solâ suâ simplici omnipotenti voluntate quidlibet potest. Liber est igitur respectu alicujus actus boni, qui illum habet in sua potestate, ut adsit si voluerit, non adsit si noluerit, ita videlicet ut hoc ab ipsius voluntatis nutu pendeat; quemadmodum homo ad videndum præsente luce, oculis sanis, non velatis liber est: sit enim videns simul atque illos aperire voluerit: qui si graviter læsi fuerint, libertas videndi perijt, quantùvis lux circumfluat, & nihil conferri adjutorij debuerit. Quod similiter in cæterorum membrorum usu locum habet. Vnde Augustinus sæpius docet, post peccatum in movendis genitalibus *perisse libertatis arbitrium*. (*Lib. 1. de nupt. c. 6. & 8.*) Quapropter libertas ad bonum

bonum non adjutorio vel divinæ gratiæ opponitur, sed servituti & captivitati ad malum. Nam inter illa duo est directa repugnantia. Impossibile est enim, arbitrium liberũ ut velit & operetur bonum esse simul servum & captivum sub malo; sicut hoc omnium hominum sensus renunciat. Non enim ille captivus est, aut compedibus servitutis astrictus, qui cùm libuerit pro solo nutu suo liber exilire potest: sed ille tantùm, qui sub pondere deprimente detinetur, ita ut ad ipsam voluntatem bonam, multòque minùs ad operandum bonum suo nutu non possit surgere. Dari enim possunt in ipso voluntatis arbitrio quædam impedimenta, seu vincula voluntatis, quibus fiat, ut apex ejus, cujus est consentire vel dissentire, quasi glutino quodam delectabili alligetur creaturis, quod nullo modo possit suis viribus disrumpere; sed cælitus gratiâ potentissimâ contrarium affectum inspirante dissolvi debet. Quod quamdiu non fecerit Deus, facit autem cùm voluerit, arbitrium non est liberum ut operetur aut velit bonum; sed sub mali seu peccati affectu depressum, captivum, servumq; possidetur. Vnde Augustinus: *Cum ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, traditur, possidetur. A quo quis enim devictus est, huic & servus addictus est.* Et alibi: *Nec libera voluntas dicenda est, quamdiu est vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita.* Hoc est ergo quod Catholica fides prædicat, tale arbitrium non solùm esse adjuvandum gratiâ, ut velit & faciat bonum, sed etiam esse liberandum, ut velle possit & facere. Multùm enim ista differunt, juvari, & liberari. Adam adjutus est ut ista posset, non liberatus: affectus enim ejus non erat sub ullo vincientis pondere cupiditatis captivus aut servus. Vnde velle poterat sine ulla gratia voluntatem ab illis vinculis liberante. Qui autem vinctus est, quantumvis adsit gratia qualis Adamo semper præsens fuit, velle non potest; quia tali gratiâ uti non potest, sicut nec oculus læsus aut vittâ clausus lucis adjutorio: sed vinculum cupiditatis aliâ majore voluntate cælitus inspiratâ superari & solvi debet, sicut oculus læsus collyrio aut medicinâ sanari: alioquin sub durissimo servitutis jugo non in corpore, sed in ipso animo & voluntate, hoc est, in voluntatis consensu captivus manet, juxta illud Augustini de semet-ipso: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Nimirum volvit seipsum in vinculo suo, & dum nititur surgere, *in vulnus vulnere surgit*, ut optimè Prosper.

Lib. 5 cont. Iul. cap. 3.

Epist. 144.

Lib. 8. Confess. cap. 5.

Prosp. carm. de ingrat.

Qui istos duos liberi arbitrij status, ac differentias plùs quàm toto cælo discrepantes nondum potest capere, saltem gravissimos peccatores fide & omni cælesti lumine ab infantia ad senectutem usque destitutos, vel certè in inferno positos intueatur: cernet ibi, spero aliquam voluntatis eorum differentiam ab ea in qua Adam conditus fuit. Ille enim instar æquilibrij solo nutu sese quocunque videretur, impellere poterat; nihil enim omnino intus vel extra resistebat: hi tanto pondere in cupiditates ab infantia radicatas, actibus roboratas, & in necessitatem versas, cum tanta delectatione ruunt, ut etiam ab eis velle discedere magnam miseriam esse judicent, & eis implendis se beatissimos putent. Istos saltem sub cupiditatum vel carnalium vel infernalium vinculis captivos esse videant atque fateantur, à quibus se, gratiâ solvente destituti, expedire non possint, ut bonum, quod etiam ignorant ac detestantur, velle possint aut operari. Nihil enim in antiquæ Ecclesiæ fide exploratius fuit, ut suo loco dicendum erit. Quod si nec istud novis fortassis opinionibus præpediti in ullo hominum genere in hac vita vivente fieri credant; saltem tantisper, donec Augustini sensum pleniùs intellexerint, consideratione beatorum, quorum voluntas solius creatoris charitate vincta detinetur, fieri posse supponant, ut etiam sub cupiditate creaturæ captivum possideatur arbitrium. Longè enim faciliùs deorsum voluntas captiva detineri potest, quò suopte vergit pondere, quàm sursum supra suam naturam vincta & captiva suspendi.

Sententia igitur Augustini, quam tantopere Pelagiani detestati sunt, non alia quàm ista est; quòd arbitrium voluntatis post lapsum primi hominis, antequam divinâ gratiâ visitetur, hoc est, antequam Christianam suscipiat fidem unde incipit gratia, sub cupiditatibus terrenis ita arctè captivum possideatur, ut libertas illa voluntatis velut ferreis vinculis astricta nullo modo possit surgere, ut bonum velit aut faciat; sed ut tantummodo captivo motu versetur in malo. Qua de causa liberum arbitrium toto illo tempore non tam esse liberum, quàm servum, hoc est, liberum esse justitiæ, peccati autem servum, sublatâ funditus indifferentiâ proximâ ad bonum & malum. Doctrina ista in Augustini scriptis tam luculenta & perspicua est, ut ausim dicere, nullam in hac tota materia esse clariorem: quam ipse non tanquam opinionem suam, sed tanquam immobilem Christianæ fidei basin docet, cui tota œconomia, Christianæ gratiæ & voluntatis incumbit. Nos eam aliquot argumentorum classibus, quàm brevissimè fieri poterit, confirmabimus.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Ostenditur primò, ex captivitate & servitute, quibus Augustinus docet arbitrium esse obstrictum.

PRIMO igitur hoc manifestum est ex eo, quòd sexcentis suorum scriptorum locis Augustinus docet, arbitrium voluntatis post peccatum ex libero, factum esse peccati servum atque captivum, in eaque captivitate & servitute positum, non posse ullo modo suis viribus à compedibus, quibus vinctum est, exui, ut respiret in libertatem. De quo sic loquitur in libro secundo de nuptijs: *Hunc vos invidetis liberatorem, quibus captivis vanam tribuitis libertatem. A quo quis enim devictus est, huic servus addictus est.* Et inferius in eodem libro: *Cur autem hominis mala cogitatio non potest in perpetuum mutari, nisi quia per seipsam non potest; sed si gratia divina subveniat? Qua non subveniente quid sunt homines, nisi quod ait Apostolus Petrus, velut muta animalia procreata naturaliter in captivitate & interitu.* Et libro tertio ad Bonifacium: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet: ad iustitiam vero, nisi divinitus liberatum adiutumque non valet.* Et libro de spiritu & littera: *Ut quid ergo miseri homines aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur aut de suis viribus, si iam liberati sunt? Nec attendunt, in ipso nomine liberi arbitrij utique libertatem sonare; ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Si autem liberati sunt, quid se iactant de opere proprio.* Et in Enchiridio ad Laurentium, cùm citasset Apostoli Petri sententiam: A quo quis devictus est, huic & servus addictus: *Quæ cum vera* A *sit*, inquit, *qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit servus.* Et paucis interjectis: *Quod antequam fieri in homine incipiat* (scilicet per fidem) *quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere, qui nondum liber est ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat?* &c. Et libro primo operis imperfecti contra Iulianum: *Fides Catholica bonam, sed tamen mutabilem creaturam in deterius voluntate, ac per hoc depravatam sua vitiataque natura, non sub aliena substantia, sed sub peccato suo ream dicit serviliter detineri.* Talibus testimonijs Augustinus plenus est, hoc semper significantibus, arbitrium peccatis obnoxium non solùm suppliciorum esse reum, quod Pelagiani, B maximeque Iulianus, libentissimè fatebantur, sed serviliter sub peccato, hoc est, sub cupiditate seu concupiscentia peccati comite & supplicio detineri, ita ut à peccandi desiderijs & affectibus se liberare non possit. Qua de causa dicit Augustinus: *Nega si potes, eos quibus hoc dixit* (cùm essetis servi peccati, liberi fuistis iustitiæ) *habuisse liberam in bonum voluntatem, quando fuerunt servi peccati.* Et hanc libertatem statim conferri dicit, non remissione peccati, sed liberatione voluntatis à dominante cupiditate, sicut infrà tradituri sumus.

Lib. 2. de nupt. & concupisc. tom. 3. cap. 8.

Lib. 3. ad Bonif. cap. 8.

Lib. de spir. & litt. c. 30.

In Enchir. cap. 30.

Ibid.

Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 193.

Ibid. f. 194.

CAPVT QVARTVM.

Idem declaratur ex dominatu concupiscentiæ, & tyrannide Diaboli in liberum arbitrium. Quanta illa sit.

SECUNDO hic idem Augustini sensus planissimè ex eo ostendi potest, quòd in omnibus scriptis suis adversus Pelagianos doceat ante adventum gratiæ sive fidei, carnalem concupiscentiam, sive iniquitatem, prout eam ex Psalmo appellare solet, voluntatis arbitrio dominari. Cujusmodi dominatus, qui viribus humanis excuti non potest, directè repugnat libertati ad bonum. Hoc est enim dominari alteri, illum habere in sua potestate, ut faciat quicquid dominus imperaverit. Itaque Augustinus in Epistola ad Hilarium: *Ipsa quippe* (voluntas bona) *fideliter orat & dicit: Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas: ut ei autem non dominetur, vide ab illa quis invocetur?* Et sermone duodecimo de verbis Apostoli luculentè de hac ipsa iniquitate A dominante disserit, quatenus impedit, ne voluntatem ad Dei præcepta adimplenda erigamus: *Quid proderat legem accepisse iubentem ac minantem, & non adiuvantem, ut sub illa essemus rei* (non faciendo quod iubet) *ante gratiam Dei? Frustra lex minatur, quando iniquitas dominatur.* Et subjiciens locum Apostoli: *Ego carnalis sum, venumdatus sub peccato,* statim annectit: *Noli ergo mirari, ô venumdate sub peccato, si tibi dominetur cui es venumdatus. Audi Apostolum Ioannem: Peccatum iniquitas est. Contra talem ergo dominum invocamus dominum cui dicimus: Gressus meos dirige secundum verbum tuum, & non dominetur mei omnis iniquitas. Venumdatus clamat, Redemptor exaudiat: ipse homo se vendidit per liberum arbitrium subdominante iniquitate, & accepit pretium exiguam ac dulcem vetitam voluptatem.* Et in Enchiridio ad Laurentium dicit, quòd *libero arbitrio post ruinam dominatur cum morte peccatum.* Quæ doctrina in Augu-

Epist. 89.

Serm. 12 de verbis Apost. c. 1. & 2.

Cap. 106. Enchir.

in Augustini lucubrationibus est celeberrima. A Porrò hanc iniquitatem dominantem, hoc peccatum, cui venumdatum hominem docet Apostolus, semper Augustinus intelligit & exponit, non ipsam peccati culpam, sed peccati concupiscentiam: quod & ipse Apostoli locus clamat, & omnes Catholici consentiunt. Quid sit autem dominari peccatum seu iniquitatem homini, multis locis Augustinus docet. Vnus sufficit adversus Iulianum: *Ista concupiscentia, quæ non potest nisi esse in carne mortali, in eis regnat, qui desideriis eius ad mala perpetranda consentiunt, & ab ea, quoscunque illexerit, victi pertrahuntur maiore impetu, cum lege prohibentur, si gratia non iuvantur.* Et libro sexto contra Iulianum distinguens homines concupiscentiæ adhuc subjectos, ab iis, qui per fidem jam liberati sunt: Ego, inquit, *putabam dici ista non posse, nisi de iis, quos ita haberet carnis concupiscentia subiugatos, ut facerent quicquid illa compleret*, hoc est, qui concupiscentiæ dominanti in omnibus serviunt; B quales sunt omnes antequam per fidem liberati sunt, ut postea fusiùs ostensuri sumus. Qua de re multa dicemus in sequentibus, ubi de libertate à peccato, hoc est, à concupiscentia dominante disputabimus.

Lib. 2. oper. imper. f. 449. Lib. de continent. c. 3. Lib. 1. de nupt. c. 23. Lib. 1. ad Simplician. q. 1. &c. Lib. 2. op. imper. f. 149.

Cap. 23.

Vid. infrà lib. 2. de lib. arbitr. qui est 7. de gratia Christi Salvatoris c. 3. & 7.

Et quia Diabolus terrenarum cupiditatum autor & princeps est, unde etiam princeps hujus mundi à Scriptura dicitur, hinc est, quòd ex iisdem principiis Augustinus tradit, hominem, antequam per gratiam, hoc est, per fidem affectus ejus, sive consensus voluntatis Deo subjugetur & restituatur, sub diaboli potestate esse captivum, ita ut eum regat ad arbitrium suum, velut mancipium cujus affectus ei servitutis jure subjectus est: usque adeo ut si Deus eum ad suæ voluntatis nutum agere sineret, quicquid vellet in eo per interpositas terrenas cupiditates efficeret. *Servata*, inquit Augustinus, *in utroque peccato iustitia Dei punientis. Nam & illud appensum est æquitatis examine, ut nec ipsius diaboli potestati negaretur homo, quem sibi male suadendo subiecerat. Iniquum enim erat, ut ei quem ceperat non dominaretur.* Et mox dicit, quòd *libidini subiugavit illos, quos ceperat, ut quicquid inde nasceretur, tanquam suæ arboris fructus, pravâ quidem habendi cupiditate, sed tamen non iniquo possidendi iure retineret.* Et in illud Psalmi trigesimi quarti: *Eripiens inopem de manu fortioris eius: Fortior*, inquit *fuerat diabolus ad tenendum te, quia ipse vicit, cui consensisti.* Nimirum hoc Augustinus docet juxta illud Apostoli, quod sæpissime citat his verbis; *A quo quis devictus, huic & servus addictus est.* Et in Psalmum vigesimum sextum: *Quid facies eos colendo, nisi ut illum offendas, quo offenso in illorum potestatem daberis? Et qui tibi nihil possent facere illo placato, facient quicquid volent illo irato*; videlicet non solum pœnas inferendo, sed ad peccata perpellendo. Nam inde dicuntur rectores mundi, id est, tenebrarum harum, seu ut Augustinus exponit *omnium infidelium, omnium iniquorum. Non vis regi à diabolo, migra ad lucem.* Et in libro octoginta trium quæstionum: *Satanas etiamsi corpori aut corporis sensibus parcit, ideo parcit, ut ipsius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho maiore dominetur. Hoc autem modo non exit satanas, sed potius in intima ingreditur, ut in eo sic operetur, quemadmodum dicit Apostolus, secundum principem potestatis aëris huius, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. Non enim sensus corporis eorum turbabat atque torquebat, aut eorum corpora collidebat; sed in eorum voluntate vel potius cupiditate regnabat.* Et libro octavo de Civitate: *Multis plane participatione veræ religionis indignis tanquam captis subditisque dominantur. Ex quorum immanissimo & impiissimo dominatu*, inquit alibi; *homo liberatur, cum credit in eum, qui præbuit ad exsurgendum tantæ humilitatis exemplum, quanta illi superbia ceciderunt.* Et in libris de Civitate Dei: *Infideles blasphemant Salvatorem, voluntates fidelium a dominatu dæmonum liberantem.* Quàm verò sit terribilis illa potestas ac dominatus dæmonum in humanum arbitrium, quando illud per cæcas cupiditates sibi subjugatum possident, quemadmodum fide constat voluntates infidelium à diabolica potestate possideri, multis locis Augustinus docet. Nam hinc est illud in Epistola centesima septima ad Vitalem: *Responde, quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberum habeamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum? Unde nos si, quemadmodum dicit Apostolus, Deus eruit, ipse utique illud liberum fecit.* Et paulo post: *Princeps iste rector tenebrarum* (id est diabolus rector diffidentiæ filiorum) *regit eos ad arbitrium suum. Quid ergo operatur hæc potestas in filiis diffidentiæ, nisi opera sua mala, & imprimis maximeque ipsam diffidentiam & infidelitatem, quæ sunt inimici fidei, per quam scit eos posse sanari, posse perfectissime liberos, quod eis vehementer invidet, in æternitate regnare.* Et in Psalmum sexagesimum septimum: *Ope-* C *rabatur in filios diffidentiæ, quorum infidelitate utebatur ad voluntatem suam.* Nam ut ait libro primo contra Gaudentium: *Quos diabolus comprehensos captivosque iam possidet, non ut obtineat persequitur, sed quia obtinet, utitur.* Et in Psalmum septuagesimum septimum: *In filiis diffidentiæ tanquam in suis mancipiis operatur, quemadmodum homines in pecoribus suis, & illic tamen quantum Dei iusto iudicio sinitur.* Et interiùs: *Bene creditur Deus fecisse per illos Angelos malos quibus eadem amica sunt vitia ut excitarentur in odium populi Dei atque ad terrendos & corrigendos bonos illa mirabilia sequerentur. Illa etiam mala morum, quæ his corporalibus plagis significata esse prædiximus, per malos Angelos exerceri in eos, qui illis divina æquitate subduntur, convenientissime creditur. Neque enim cum fit quod ait Apostolus: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, ut faciant quæ non conveniunt, non illic mali Angeli tanquam in materia sui operis versantur & gaudent: quibus iustissime subdi-* D *ta est vitiositas humana, præter eos quos liberat gratia.* Et in annotationibus in librum Iob exponens illud: *Aperiens pharetram suam afflixit me;* pharetram esse dicit *secreta rerum, unde tentationes existunt. Et frenum in faciem meam miserunt ut eis*, inquit, *consentirem, portans eos ducentes*

quo vellent

Conc. 2. in Psal. 34.

Lib. 2. de lib. arbit. c. 10.

In Psal. 34.

In Psal. 26.

Lib. 83. qq. q. 79.

Lib. 8. de Civit. c. 22.

Lib. 7. c. 33.

Lib. 2. c. 24.

Epist. 107.

Ibid.

In Psal. 67. Lib. 1. cont. Gaudent. cap. 21.

In Psal. 77.

Ibid.

Annotat. in lib. Iob in cap. 30.

quò vellent ad ima sua. Enim verò diabolica potestas illa in mentibus et terrenâ concupiscentiâ subjugatis tanta est, ut Augustinus non vereatur dæmonibus non tantùm peccatorum per homines perpetrandorum, sed etiam pacis & belli semper tribuere potestatem, si voluntatem suam altiore potestate expleri sinerentur: *Inserere quidem*, inquit, *tam proprio vitio malas mentes quatenus sinantur isti dæmones vel terrere vel excitare. Sed si semper hoc possent, nec aliud secretiore ac superiore potestate contra eorum conatum sæpe aliter ageretur, semper in potestate haberent pacem bellaque, victorias; quæ semper ferè per humanorum animorum motus accidunt.* Quare cùm alibi dixisset Augustinus, Bacchanalia à bacchantibus summa insania fuisse celebrata, & propterea Senatui displicuisse saniori, ipso Varrone confitente, talia fieri non potuisse, nisi mente commotâ: *Saltem hic tandem*, inquit, *forsitan senserunt, quid immundi spiritus, dum pro Dijs habentur, in hominum possint mentibus.* Nam isti ipsi diabolicæ potestati & versutiæ tribuit Augustinus, quòd quidam in infidelitate philosophicis virtutibus, quas vera vitia fuisse tradit, fulgere viderentur: ut videlicet illâ perniciosâ subtilitate ceteros arctiùs sibi subderet, & illos ipsos vitijs captivos, & aversos à fide liberante retineret. *Itaque aliquos eorum, per quos amplius decipere affectat, sinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur, per quasque gentes, præcipueque in gente Romana, qui præclarè gloriosissimeque vixerunt. Sed quoniam, sicut veracissima Scriptura dicit, omne quod non est ex fide peccatum est, nihil sic agit ille Princeps, quàm ut non credatur in Deum &c.*

Lib. 4. de Civit. c. 10.

Lib. 6. de Civit. c. 9.

Epist. 107.

Quæ quidem nemini mira videri debent, si crediderit verum esse quod Augustinus dicit, diabolum in hominibus, quibus per cupiditates dominatur, operari, ut suprà dixit, *tanquam in mancipijs suis, quemadmodum homines in pecoribus suis*: tantum videlicet, quantum Dei providentia sinit. Nam ut ibidem adjicit: *Aliud est, quando potestas eius etiam suis, sicut ei placet; tractandis maiori potestate prohibetur; aliud, quando ei potestas etiam in eos, qui ab illo alieni sunt, datur. Sicut homo de pecore suo pro humano captu facit quod vult, nec sane facit, si prohibeatur a potestate maiore: de alieno autem pecore ut faciat, exspectat sibi potestatem dari ab illo, cuius est. Ibi ergo potestas, quæ fuerat prohibetur, hic autem quæ non fuerat tribuitur.* Porrò hæc diabolicæ efficaciæ prohibitio non fit per gratiam: gratia enim boni operis in infidelibus juxta Augustini doctrinam non habet locum: *Nemo enim incipit, nisi ab initio fidei*: sed fit per repressionem seu refrenationem potestatis ejus, ut non tantum concitet terrenis cupiditatibus mentes eorum, quorum consensum captivum tenet, quantum vellet. *Diabolo enim potestas quædam est; plerumque tamen vult nocere, & non potest: quia potestas ista sub potestate est. Nam si tantum posset nocere diabolus quantum vult, non aliquis justorum remaneret.* Quia per illius ejusdem reliquias concupiscentiæ, quæ etiam in justis remanent, fideles à justitia fideque deturbaret, nisi Deus per gratiam suam eorum animos consensumque retineret. Neque verò quisquam putet, per hanc doctrinam Augustini liberum arbitrium auferri infidelibus, si diabolus per interpositas eorum cupiditates tantâ potestate in eorum animis dominatur, ut eos ad quæcunque voluerit scelera flagitiaque perducat: Nihil enim eorum sine consensu eorum voluntario perpetratur. Si enim Deus per gratiam suam justorum voluntates inclinat quò voluerit, sive contra tentationes gravissimas consensum in justitia retinendo, sive in opera bona quæ placuerit, impellendo, sine præjudicio libertatis; nihil quoque perire putandum est voluntatis arbitrio, si diabolus in mancipijs suis similem potestatem jure suo exercere dicatur. Neque enim ullo modo libertas arbitrij postulat indifferentiam ad bonum & malum.

In Psal. 77.

Concione 1. in Psalm. 33.

In Psal. 90.

CAPVT QVINTVM.

Tertiò ex amissione illius libertatis, quam Augustinus, Apostolus, & Christus tradunt.

Tertiò uberiùs & planiùs idem Augustini sensus declarari & probari potest, ex interitu libertatis, quem ex illa ruina primi hominis consecutum tradit. Nam ex consideratione tam dominatus istius imperiosi, quem concupiscentia carnalium rerum, & per ipsam diabolus in humanas exercet voluntates constantissimè creberrimèque docet Augustinus, arbitrium non esse ampliùs liberum, ut velit aut faciat bonum, sed libertatem ejus ex ruina periisse. Quam doctrinam Augustini nemo negare potest, nisi qui principia ejus nunquam vel à limine salutavit: omnes enim libri ejus eam undique spirant. Nam hinc est illud in Epistola centesima sexta, quo reprehendit Pelagium, quòd *tanquam salvam & liberam* naturam defendat humanam. Et libro de perfectione justitiæ; *victa vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Libero arbitrio malè utens homo & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui se occidit utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare, cùm occiderit; ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Petri certè Apostoli est ista sententia. quæ cum vera sit, qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui domini sui voluntatem libenter*

Lib. de perf. iust. c. 4.

Enchir. c. 30 & 31.

libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui A *peccati servus est: unde ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus esse justitiæ cœperit servus.* (filio scilicet liberante) *quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere &c.* Et in libro de correptione & gratia: *Nunc posteaquam illa magna peccati merito est amissa libertas, etiam maioribus donis adiuvanda remansit infirmitas.* Et in Epistola ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Et in libris de Civitate Dei: *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum* (scilicet, ut faciat bonum) *cùm vitijs peccatisque non servit. Tale datum est à Deo: quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et in libro primo operis imperfecti contra Iulianum: *Quomodo manet libertas in eis, qui ut liberentur à servitute, qua victori peccato addicti divinâ indigent* B *gratiâ, nisi quia liberi sunt & ipsi; sed justitiæ?* Et inferiùs: *Contra hoc ergo malum* (concupiscentiæ regnantis) *libertate indigebant, quam promittebat.* Et mox: *Audiant: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati; & quærant accipere libertatem, ut non faciant peccatum, clamantes ad eum &c. Ne dominetur mihi omnis iniquitas.* Et in Epistola octogesima nona: *Quomodo libera est voluntas, cui dominatur iniquitas?* Et in libris ad Bonifacium: *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura perijsse non dicimus: sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad benè autem vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, cogitationis, sermonis adiuta.* Vbi quod dicit *valere & non valere*, idem est quod esse liberum & non esse liberum, nam liberum est quod possumus, seu, quod habemus in potestate. Et in libro ad eundem Bonifacium eandem calumniam de sublata per peccatum arbitrij liberta- C te ita refutat, ut neget quidem liberum arbitrium ad malum perijsse; ad benè verò justèq; vivendum exertiùs perijsse confirmet: *Libertas quidem perijt per peccatum; sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam: propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad benè justeque vivendum.* Mox addit ad peccandum nullo modo perijsse. Nam illam libertatis partem respicit illa adversativa, *sed habendi plenam*, quasi dicat, libertas in bono, quâ poterat antè & credere, & justè, & beatè, & immortaliter vivere, funditus perijt: non in malo. Vnde paulo pòst, sicut & sæpiùs alijs jam citatis locis generalissimè dicit: *Hæc voluntas, quæ libera est in malis quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratiâ Dei per Iesum &c.* Et in libro tertio de D libero arbitrio: *Nec mirandum est, quod vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum, quid rectè faciat; vel resistente carnali consuetudine, videat quid rectè faciendum sit, & velit nec possit implere.* Hæc & hujusmodi testimonia evidentissimè probant, nullam esse in arbitrio libertatem ante susceptam fidem ut operetur bonum. Causam in ijsdem locis sæpissimè tangit, non quia homo culpæ reus est, & remissionis indiget peccatorum; sed quia ei dominatur iniquitas, quia regnat peccatum in ejus mortali corpore, quia victori peccato addictus est, quia vulnerata est natura, cum quo vulnere ad mortem usque confligimus, quia amissæ sunt vires quibus antè pollebamus. Hinc eodem loco de libero arbitrio causam illius arcanæ doctrinæ proferens: *Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit, & qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt reverà omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error: ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi* (id est concupiscentiæ vincientis voluntatem) *non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Et in libro de natura & gratia: *Quis nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate liberâ constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt, qui gravibus saucius confossusq; vulneribus, non ita potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere.* Quasi diceret; nunc agitur de homine, qui propter gravia vulnera ignorantiæ ac difficultatis non habet arbitrium liberum, ut benè vivat. Ex quibus locis apertissimum est, non culpas ut culpas sed gravissimas istas duas pœnas libertatem arbitrij ad faciendam justitiam sustulisse.

Lib. de correp. & grat. c. 12.

Lib. 14. de Civit. c. 11.

Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 117.

Ibid. f. 128.

Epist. 89.

Lib. 1. ad Bonif. c. 15.

Lib. 1. ad Bonif. cap. ..

Lib. 3. de lib. arbit. c. 18.

Lib. 3 de lib. arbit. c. 18.

Lib. de nat. & grat. c. 43

Hæc ergo causa est, cur eadem fiduciâ Augustinus, quâ toties docuit arbitrium perdita per concupiscentiam & ignorantiam libertate non esse liberum ad faciendum bonum, consequenter etiam disertissimis verbis inculcet, arbitrium ex libero factum esse *servum*: quo vocabulo nullum arbitrio voluntatis verè libero hostilius excogitari potest. *Nunc in ruina sua liber est justitia, servusque peccati: nec potest esse servus justitiæ, & liber à dominante peccato, nisi eum Filius liberaverit.* Et libro de correptione & gratia: *Per liberum arbitrium alia peccata insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatum; liberum justitia, peccati autem* SERVUM, *quo volvuntur per diversas noxias cupiditates; alij magis, alij minus, sed omnes mali.* Et iterum in eodem libro: *Illi ergo Adamo sine peccato ullo data est, cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit servire peccato: horum verò cum fuisset voluntas* SERVA *peccati, liberata est &c.* Et libro de perfectione justitiæ servitutem illam arbitrij ex Scriptura probans: *Hinc, inquit, alia Scriptura dicit: A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Sicut ergo non est opus sanis medicus, sed malè habentibus; ita non est opus liberis liberator, sed* SERVIS; *ut ei dicat gratulatio libertatis: Salvasti de necessitatibus animam meam.* Et libro primo Retractationum: *Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratiâ*

Lib. 1. oper. imper. f. 111

Lib. de correp. & grat. c. 13

Ibid. c. 12.

Lib. de perf. iust. c. 4.

Lib. 1. Retract. c. 9.

ized by Google

gratiâ liberetur à servitute qua facta est SERVA *peccati, & ut vitia superet adjuvetur, recte pieque vivi à mortalibus non potest.* Et omnium expressissimè & absolutissimè libro secundo contra Iulianum: *Hic enim vultis hominem perfici; atque utinam Dei dono, & non libero vel potius* SERVO *propriæ voluntatis arbitrio.* Vbi vides nomen *servi arbitrij*, & *servæ voluntatis* ab Augustino toties usurpatum; rem autem ipsam sexcentis locis traditam; ut nesciam quid sibi recentior quidam Scriptor velit, cùm dicit, nomen servi arbitrij in Ecclesia Catholica per totos mille quingentos annos nunquam auditum esse. Nam quamvis ille, qui cùm disputat, illam arbitrij servitutem quam Augustinus docet non intellexerit, eoque nomine abusus fuerit: non tamen propterea tam abruptè nomen servi arbitrij repudiari debet; cùm illud vocabulum Augustinus libentissimè usurpaverit ad illam arbitrij stragem exprimendam, qua non est ampliùs liberum, ut benè vivat, hoc est, ut bonum velit & operetur, sicut ante ruinam suam fuit. Quem statum ut ob oculos Augustinus ponat, in omnibus suis scriptis phrasi Apostolicâ creberrimè vocat arbitrium *liberum justitiæ, peccati autem* (id est, concupiscentiæ seu cupiditatis dominantis) *servum*, sicut ex plerisque locis jam allegatis patuit, & alijs plurimis ostendi potest.

Lib. 2. cont. Iul. c. 8. [margin]

Rom. 6. [margin]

Vid. lib. 1. ad Bonif. c. 2 & 3. Lib. de corrept. & grat. c. 13. Lib. 1. oper. imp. sæpius. Lib. de nat. & grat. c. 15. [margin]

CAPVT SEXTVM.

Quartò ostenditur ex quatuor statibus populi Dei, ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace, quos Augustinus tradit.

EADEM verò libertatis jactura, & sensus Augustini luculentiùs adhuc demonstrari potest, ex diversis statibus tum humani generis, tum verò singulorum hominum, in quibus constantissimè docet arbitrium non esse liberum, ut operetur bonum. Nam apud Augustinum status humani generis quadruplex tradi solet, ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace. Inter status illos ista differentia est, quòd in duobus primis arbitrium sub peccati concupiscentia captivum & servum jacet, ita ut legem justitiæ sibi propositam, seu ipsum opus bonum, quod lex jubet, implere non possit. Nam quamvis etjam in secundo statu jam instructus homo per legem, & supplicij timore territus, quibusdam subinde benè vivendi desiderijs percellatur; quia tamen arbitrium nondum est à peccato, id est, à concupiscentia voluntati seu consensui ejus dominante, eumque sub se captivum detinente liberatum, non potest motibus illius resistere; sed simul atque pugnare cœperit vincitur, cupiditatum dominantium delectatione prostratus. In ceteris duobus statibus arbitrium gratia liberante liberum est, & vel cum pœna sua fortiter invictèque dimicat, vel ab omni etjam pœna titillante atque tentante liberatum in plenissima cælestis beatitudinis pace requiescit. Status isti certis gradibus in toto humano genere distinguuntur, ut primus locum habuerit in plerisque ab Adami lapsu usque ad Moysem, qui legem dedit: quo toto tempore in summa ignorantia vixit genus humanum. Secundus à Moyse usque ad Christum, qui gratiam liberantem dedit. totum enim illud spatium tempus legis fuit, tollentis quidem ignorantiam, nullam tamen benè operandi gratiam, multoque minùs libertatem arbitrio à dominantis peccati tyrannide largientis. In tertio statu Christi gratia genus humanum liberat, ut legem peccati sævientis in membris nostris ab ejus jam consensu liberati superare possimus. In quarto perfectissimè liberi triumphamus. Status isti proportione quadam in singulis etjam hominibus locum habent. Primus & secundus, quamdiu homo in profunda legis seu justitiæ faciendæ versatur ignorantia, vel etjamsi jam præcepta noverit; fide tamen vera, vel spiritu charitatis liberante destitutus, sub cupiditatibus suis vincientibus & vincentibus jacet, ita ut eas vel sine ulla prorsus pugna, magnâ cum delectatione sectetur, vel si forte voluntas damnationis metu perculsa pugnare velit, viribus tamen idoneis destituta vincatur, quia nondum à dominatu robustarum consuetudinis assiduitate concupiscentiarum liberata est. In tertio statu arbitrium eruitur & liberatur à lege peccati & mortis, ut jam, Deo adhærens cum pœna sua liberum dimicet. In quarto per beatam resurrectionem liberatur ab omni malo. Quæ Augustini doctrina si vera est, sicut ipse eam ex Scripturis sacris & Christianæ fidei fundamentis tanquam certissimam tradit, perspicuum erit, in primis duobus statibus nullam ad benè vivendum esse posse libertatem: non solùm, quia in illis homo gratiâ benè vivendi prorsus caret, sed etjam, quia arbitrium ipsum nondum à sævientibus cupiditatibus liberatum est: quod nunquam fit, nisi Deus post susceptam jam fidem boni operis justitiæque charitatem diffuderit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui detur nobis. Verissima enim Augustini regula est: *Nec voluntas libera dicenda est, quamdiu est vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita. A quo quis enim devictus est, huic & servus addictus est.* Sed jam Augustinum ipsum de statibus istis differentem audiamus: *Prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace.*

Epist. 144. [margin]

Lib. 83. qq. q. 66. [margin]

pace. Ante legem actio est, cùm peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cùm jam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine victi peccamus, quoniam nos nondum adjuvat fides. Tertia actio est, quando jam plenissimè credimus liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed ejus misericordiam diligendo, jam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, cum ad peccatum nos ducere nititur. Et in fine ejusdem quæstionis rem breviùs colligit: *In prima ergo actione, quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus seculi: In secunda, quæ sub lege est, pugnamus, sed vincimur: in tertia pugnamus, & vincimus: in quarta non pugnamus, sed perfecta & æterna pace requiescimus.* Et in Epistolam ad Galatas eandem prorsus divisionem statuum tradit: nec non in expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos: *Quatuor*, inquit, *istos gradus hominis distinguamus ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem sequimur concupiscentiam carnis; sub lege trahimur ab ea;* (scilicet in consensum) *sub gratia nec sequimur eam, nec trahimur ab ea; in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante legem ergo non pugnamus, quia non solùm concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, sed vincimur: fatemur enim mala esse quæ facimus, & fatendo mala esse, utique nolumus facere: sed quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo jaceamus, & dum surgere volumus & cadimus, gravius affligimur.* Uberius hæc eadem tradit in Enchiridio ad Laurentium: ubi cùm generalem sententiam præmisisset: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas;* qua universaliter dominatum concupiscentiæ in liberum arbitrium tanquam peccati servum stabiliverat, mox diversos hominum totiusque deinde populi Dei exequitur status, in quibus vel illa carnalis cupiditas, vel è contrario charitas dominetur. *Sed cum*, inquit, *in altissimis ignorantiæ tenebris, nulla resistente ratione vivitur secundum carnem, hæc sunt prima hominis. Deinde cum per legem cognitio facta fuerit peccati, si nondum divinus adjuvat Spiritus, secundum legem volens vivere vincitur, & sciens peccat, peccato jue subditus servit. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est: id agente scientiâ mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo prævaricationis adducto, atque ita quod scriptum est impleatur: lex subintravit, ut abundaret delictum. Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus ut ad implenda quæ mandat ipse adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis &c.* Et explicatis reliquis statibus adjicit: *harum quatuor differentiarum prima est ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace plena atque perfecta.* Et quod in singulis hominibus agitur, deinceps in humano genere etiam locum habuisse & habere demonstrat: *Sic est & Dei populus ordinatus per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensurâ, numero & pondere cuncta disponit. Nam fuit primitus ante legem, secundo sub lege, quæ per Moysen data est: deinde sub gratia, quæ revelata est per primum Mediatoris adventum.* Præclarè & breviùs effectus illorum statuum alibi, quamvis nulla statuum factâ mentione, complexus est: *Primò ergo concupiscentia carnis sequentes duxit nos: postea renitentes traxit nos: deinde acceptâ gratiâ cœpit nos nec ducere, nec trahere; sed adhuc contendere nobiscum: post contentionem erit & victoria.* Et in Psalmum trigesimum quintum eosdem incipiens: *Aliud est non pugnare & esse in pace verâ atque perpetua; aliud pugnare & vincere.* Ecce duos status sub gratia, quibus adjungit alios duos ante gratiam: *Aliud pugnare & vinci; aliud nec pugnare, sed trahi.* Et quamvis mens Augustini ex istis adductis satis luceat, pauca tamen de duobus primis statibus, qui propriè ad rem præsentem pertinent (prætermisso statu sub gratia, & in pace) adjicienda sunt, ut Augustini doctrina pleniùs intelligatur. Sensus enim ipsius est, ante gratiam victricem cupiditatum, hoc est, ante infusam per Spiritum sanctum charitatem, multoque magis ante fidem, nullam superesse in voluntate libertatem ad bonum, nullam potestatem ut resistat concupiscentiarum carnalium desideriis; sed illis pleno jure dominantibus miserabili servitute subjacere captivam. De primo statu, ubi est profunda legis faciendæ ignorátia, vix est opus aliquid addere; cùm meritò dubitetur, utrum ullum sani hominis judicium ita distortũ esse queat, ut arbitrium illud liberum esse putet ad faciendum bonum, vel ad cavendum malum, quando ipsum bonũ judicio improbat & malũ probat. De utroq; tamen statu sic Aug. loquitur: *Sicut prima hominis vita est ante legẽ, cum nulla nequitia & malitia prohibetur, neque ulla ex parte pravis cupiditatibus resistit, quia non est qui prohibeat; sic secunda est sub lege ante gratiã, quando prohibetur quidẽ, & conatur à peccato abstinere se* (conatu nempe carnali, ac timore pœnarum, vel carnalium bonorum desiderio) *sed vincitur, quia nondum justitiam propter Deum, & propter ipsam justitiam diligit: sed eam sibi vult ad conquirendum terrena servire. Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit justitiam, quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit.* Et paulo inferiùs in eodem Commentario: *Desinamus esse sub lege, ubi prævaricationis rea mens tenetur, dum eam concupiscentia carnis in consensionem peccati captivam adducit &c.* Quibus iterum subnectit Augustinus: *Ordinatissimè itaque subjungit: Quod si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege; ut intelligamus eos esse sub lege quorum spiritus ita concupiscit adversus carnem, ut non ea quæ volunt faciant, id est, non se teneant invictos in charitate justitiæ, sed a concupiscente adversus se carne vincantur: non solum ea repugnante legi mentis eorum, sed etiam captivante illos sub lege peccati, quæ inest in membris mortalibus. Qui enim non ducuntur Spiritu, sequitur ut carne ducantur.* Et in libro octoginta trium quæstionum: *Ubi ergo non est gratia* LIBERATORIS, *auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima, seipsam non sibi sufficere ad extrahendum*

Ibid. | Commen. in Epist. ad Galat. in vers. 17. c. 5. | Expos. quarund. prop. Epist. ad Rom. n. 13. | In Enchir. cap. 118. | Ibid. | Ibid. | In Psal. 64. | In Psal. 35. | In Epist. ad Galat. | Ibid. | Lib. 83. qq. q. 66.

bendum de servitute peccati; (id est concupiscentiæ) *atque hoc modo timescente atque extincta omni superbia, subdatur* LIBERATORI *suo &c. Vehementius enim peccamus lege prohibente, quàm si nulla lege prohiberemur.* Et paucis interpositis:

Ibid. *Statuitur ergo lex per fidem, quæ fides si non sit, iubet tantum lex & non implentes iussa reos tenet; ut eos gementes, & non valentes implere quæ iussa sunt, ad gratiam liberatoris aliquando convertat.* Et ut ostenderet unde gemitus iste & imbecillitas non implendæ legis nasceretur, ex robustissimo videlicet concupiscentiarum dominatu,

Ibid. sic Apostolum consequenter exponit: *Cùm enim essemus in carne*, inquit, *id est, carnalibus desiderijs obstricti teneremur, passiones peccatorum quæ per legem sunt operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti. Aucta concupiscentia quam lex prohibet ubi non erat fides, & ad cumulum peccatorum prævaricationis crimen adiectum est. &c. Sub istis passionibus tanquam sub viro dominante agebat anima, antequam veniret gratia per fidem.* Et ite-

Ibid. rum aliquantò pòst: *Hucusque sunt verba hominis sub lege constituti, nondum sub gratia qui etiamsi nolit peccare, vincitur à peccato*: (id est, à concupiscentia) *invaluit enim consuetudo carnalis, & naturale vinculum mortalitatis, quo de Adam propagati sumus.* Denique in fine illius quæstionis:

Ibid. in fine 37. *Neque lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis iaceat, ut per fidem implorato liberatoris auxilio & solvi, & erigi, & firmissime constitui mereatur.* Et in expositione quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos, eandem doctrinam de statu hominis sub lege ante gratiam liberantem, id est, liberum facientem multipliciter tradit:

In Expos. quarund. propos. Epist. ad Rom. n. 36 *Lex data est non ad auferendum peccatum, vel ad liberationem à peccato, sed ad ostendendum peccatum ante gratiam. Per quod factum est, ut sub lege positi & vehementiori desiderio peccandi raperentur, & amplius etiam prævaricatione peccarent.* Et in eodem libro inferiùs:

Ibid. n. 44. *Nunc homo describitur sub lege positus ante gratiam. Tunc enim peccato vincitur, dum viribus suis iuste vivere conatur sine adiutorio liberantis gratiæ Dei.* Et

Ibid. n. 52. iterum: *Qui ergo necdum sub gratia sunt, sed sub lege constituti vincuntur peccatis ad obediendum desiderijs carnalibus, & prævaricatione augent reatum criminum suorum, spiritum acceperunt servitutis.* Et

Lib. 6. cont. Iul. c. 23. libro sexto contra Iulianum: *His omnibus tempus significari intelligitur, quo sub lege vivebat, & nondum adiutus gratia concupiscentijs carnalibus vincebatur.* Quod quibus competat, jam antè explicuerat, illis videlicet, *quos ita habet concupiscentia subiugatos*, antequam liberet gratia, *ut facerent quidquid illa compelleret.* Unde de Apostolo Paulo dicit, quòd per illa verba;

Lib. 1. ad Bonif. c. 8. *adveniente mandato, peccatum revixit, ego autem mortuus sum*, significaverit, *tam se præcepti capacem, sed non efficacem*, id est, non habuisse vires efficiendi; *& ideo prævaricatorem fuisse legis.* Et in libro primo quæstionum, quas ad Simplicianum scripsit, ad illa verba:

Lib. 1. ad Simplician. q. 1. *Lex spiritualis, ego autem carnalis sum. Ostendit satis*, inquit, *non posse impleri legem, nisi à spiritualibus, quod non fiunt nisi per gratiam. Spirituali enim legi quanto quisque fit similior, id est quanto magis & ipse in spiritualem*

A *surgit affectum, tanto magis eam implet; quia tanto magis delectatur, iam non sub eius onere afflictus, sed in eius lumine vegetatus; gratiâ donante peccata, & infundente spiritum charitatis, quo & non sit molesta, & sit etiam iucunda iustitia.* Et inferiùs dicit eum qui adhuc sub lege est, *Delectari etiam contra legem facere, cum tanto magis libet, quanto minus licet: Quâ suavitate frui non potest, quasi pretio conditionis suæ* (id est, servitutis) *nisi cogatur tanquam emptum mancipium servire libidini. Sentit enim se servum dominantis cupiditatis, qui prohibetur, & se rectè prohiberi cognoscit, & tamen facit.* Et iterum paulo pòst: *Vincitur nondum per gratiam liberatus, quamvis iam per legem & noverit se malè facere, & nolit &c.* Et mox de homine sub lege non sub gratia constituto dicit: *Et fecto trahitur ad malè operandum, concupiscentia dominante, atque fallente dulcedine peccati, prohibiti; quamvis ex parte notitia legis hoc improbet: Sed propterea di-* Ibid. Ibid. Ibid.

B *cit: Non ego operor &c. quia victus operatur. Cupiditas quippe hoc operatur, cui superanti ceditur: ut autem non cedatur, sitque mens hominis adversus cupiditatem robustior, hæc gratia facit.* Unde autem sit tanta vis cupiditatis in homine ante legem, ut arbitrium ita captivum tenens ei tyrannicè dominetur, statim adjicit: *Vide, nisi ex traduce mortalitatis, & assiduitate voluptatis? Illud est ex pœna originalis peccati; hoc est ex pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur; hoc vivendo addimus. Quæ duo scilicet tanquam natura & consuetudo coniuncta, robustissimam faciunt & invictissimam cupiditatem, quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne sua, id est, dominatum quemdam & quasi regnum obtinere.* Quod mox vocat *habitationem cum quodam principatu.* Et iterum paulo pòst: *Sed ista nunc voces sunt sub lege hominis constituti nondum sub gratia. Non enim quod vult facit bonum, qui nondum est sub gratia, sed quod non vult malum hoc agit, superante concupiscentiâ,* Ibid. Ibid.

C *non solum vinculo mortalitatis, sed mala consuetudine roboratâ.* Quod statim explicat similitudine: *Sicut*, inquit, *præcipitatus sine difficultate venit in profundum, quamvis id nolit, atque oderit.* Et eiusdem ratiocinationis filum adhuc sequens: *Invenit legem bonam sibi esse, volens facere quod illa iubet, & concupiscentia superante non valens, atque ita se prævaricationis reatu implicatum videt, ad hoc ut gratiam liberatoris imploret.* Et cur gratiam liberatoris? Quia ut respondet ibidem, antequam sit quisque sub gratia, ita *repugnat, ut &* CAPTIVET *eum sub lege peccati, id est, sub semetipsa. Hoc autem totum ideo dicitur, ut demonstretur homini captivo non esse præsumendum de viribus suis. Unde Iudæos arguebat tanquam de operibus legis superbè gloriantes, cum traherentur concupiscentiâ ad quicquid illicitum est.* Similia in omnibus scriptis suis tradit Augustinus tanquam de re juxtà Catholicam fidem ita exploratâ & certâ, ut ex solis sibi consonantibus undique Augustini testimonijs volumen integrum citra hyperbolem posset confici. Ibid. Ibid.

D Sed adhibendus est in citando modus, ne lectorem volentes reddere doctiorem, nimiæ prolixitatis tædio fatigemus. Nam hæc abundè satis sunt ad demonstrandum id quod antè proposuimus: sub lege videlicet,

facere volentem, sed victum concupiscentiâ carnis malè facientem. A cujus concupiscentiâ dominatu non liberat, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. k *Vt ad rectè faciendum liberum sit, de gratia liberatur.* l *Quid mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendam justitiam non erit liberum, nisi ovis* (id est bonæ voluntatis seu fidelis) *fueris? Qui facit igitur oves homines, ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.* m *Voluntas non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ libertatem.*

k Ibid. c. 13.
l Lib. 1. ad Bonif. c. 6.
m Lib. de corrup. & grat. c. 8.

Ex cujusmodi testimonijs passim obvijs evidenter constat gratiam liberantem esse hoc ipsum quod confert arbitrio libertatem ad bonum; & consequenter fieri nullo modo posse, ut arbitrium in bono liberum sit, antequam per gratiam liberetur, toto videlicet illo tempore, quo gratia liberante, præsertim ipsâ fide gratiam liberatricem impetrante caruit. B Vnde præclarè Augustinus: *Vt quid ergo miseri homines aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt? Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij utique libertatem sonare. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati* (id est, concupiscentiæ dominantis) *quid se jactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Si autem liberati sunt, quid se jactant velut de opere proprio, & gloriantur quasi non acceperint?* Ex quo discursu, qui totus fide Catholicâ nititur, cùm evidenter liqueat, arbitrium ante gratiam esse peccati servum, & sub dominante cupiditate captivum, neque suis viribus sine gratia se posse à dominatu ejus liberare, quid aliud statui potest, quam non esse liberum, videlicet ad bonum, si gratia non liberaverit? Quidquid vero sit illa gratia, quæ arbitrium ad bonum liberat, sive peccati remissio, sive adjutorium actuale, sive habitus charitatis, sive ipsa fides, sive aliud quippiam, C hoc tamen ex Aug. certum est, non posse illud haberi sine Christi fide. Idcirco enim dicitur in Enchirid. ut audivimus, *posita esse in fide Christi:* & ab Apostolo vocatur, *gratia Dei per Iesum Christum.* Est enim gratia, quæ benè operandi potestatem tribuit, quæ sine fide esse non potest; utpote de qua sæpissimè Augustinus illud celeberrimum pronunciatum repetit: *Quod lex faciendum imperat fides impetrat:* ut suo loco demonstrandum erit. Cùm ergo antè fidem habere gratiam à cupiditatum servitute liberantem non minus impossibile sit, quam habere charitatem Dei; impossibile est etjam ante fidem, quamdiu arbitrium vel sub lege constitutum est, vel profundissimis ignorantiæ tenebris submersum ipsa etjam lege caret, esse liberum ad bonum; nisi in ipsam velimus Catholicam fidem impingere, ut arbitrium vel seipso liberum sit ad bonum, vel seipsum D suis viribus valeat à peccati hoc est, concupiscentiæ servitute liberare. Quorum utrumvis si fieri potest, ergo gratis Christus mortuus est. Cùm enim captivitas illa & servitus arbitrij voluntatis non sit aliud, quam quædam depressio consentionis sub rerum terrenarum desi-

Lib. de spir. & litt. c. 30.
Cap. 106.

A derijs, quæ concupiscentia ista seu libido parit, ita ut hominem peccare delectet, sub qua delectatione veluti delectabili vinculo captivum jacet, liberatio ejus in eo sita est, ut ab illa peccandi delectatione atque consensione liberetur, atque ipsam justitiam propter justitiam diligat: quod nullo modo est humanæ potestatis, sed solius gratiæ & spiritus Dei, qui non nisi credentibus datur. Vnde Augustinus: *Spiritu fit in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est; sicut præter hunc spiritum peccare delectat, ubi servitus.* Servitus igitur, ista peccati seu arbitrij sub peccato tamdiu manet, quamdiu affectus hominis non est avulsus à consensione peccandi, hoc est, quamdiu quicquam rerum creatarum quas diligit præfert justitiæ ac Deo: quod sæpe testatur idem Augustinus: *Mortui sumus* (per gratiam) *legi damnanti, liberati ab eo affectu, quem lex punit & damnat,* id est, à consensione peccandi. Et libro primo ad Bonifacium in illa Apostoli verba: *Nunc autem jam non ego operor illud,* sic rem exponit: *Quid est, nunc autem, nisi jam nunc sub gratia, quæ liberavit delectationem voluntatis a consensione cupiditatis? Non enim melius intelligitur: Non ego operor, nisi quia non consentit exhibere membra sua arma iniquitatis peccato.* Et post pauca: *Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit te a lege peccati & mortis* (id est, à servitute concupiscentiæ) *ne scilicet consensionem tuam concupiscentia sibi vindicet carnis.* Et mox Apostolos docet, eatenus fuisse liberatos à concupiscentiæ servitute, quatenus erant *a consensione pravarum libidinum liberi.* Et alibi hanc arbitrij liberationem vocat, *esse liberum & alienum à voluntate peccandi.*

Lib. de spir. & litt. c. 16.
Lib. 1. ad Simplician. q. 1.
Lib. 1. ad Bonif. c. 10.
Ibid.
Cap. 11.
Lib. de nat. & grat. c. 57

Porro ista liberatio voluntatis tunc fit, quando infusa per spiritum sanctum cælestium rerum, ipsiusque justitiæ delectatione, voluntas quæ dominanti rerum creatarum cupiditati subjacebat, ab illo pestifero & suavi vinculo eruitur, & per alterius generis amorem concupiscentia superior constituitur, ut quam ante prono impetu, sive ignara ante legem, sive jam sub lege viribus ejus victa sequebatur, eam se sequi cogat, ut ita juxta propheticum eloquium per gratiam liberatricem adjuta subjiciat exactores suos. Quem diversissimum arbitrij statum in una notissimaque concupiscentia concumbendi sæpè declaravit Augustinus in libris de nuptijs & concupiscentia. Nam præscribens conjugibus libidinis utendæ modum, ita loquitur: *Indecoris motibus æstuantem frenat & cohibet, neque nisi propaginis consulens relaxat atque adhibet, ut spiritaliter regenerandos carnaliter gignat, non spiritum carni sordida servitute subjiciat:* Et capite duodecimo: *Bona voluntas animi* SEQVENTEM *ducit, non* DVCENTEM *sequitur corporis voluptatem: Nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cum juste redigitur in usum generandi plaga peccati.* Et iterum preclarissimè: *Huius plaga quidam pruritus in adulteriorum, & quorumlibet stuprorum, ac immunditiarum fœditatibus regnat; in connubiorum vero necessitudinibus* SERVIT: *Ibi de Domino tali turpitudo damnatur; hic de pedissequo talis honestas verecundatur.* Et infe-

Lib. 1. de nup. cap. 8.
Ibid. c. 12.
Ibid.

Cap. 13. & 14.
Cap. 16.

Et inferiùs præcipit: *Non subiugari, non servire victrici concupiscentiæ; non ei,* inquit, *serviatur, sed ipsa potiùs non nisi ad propagandam prolem servire cogatur.* Et non multo pòst à thoro immaculato arcet illos excessus concumbendi, *qui non fiunt causâ prolis voluntate dominante, sed causâ voluptatis vincente libidine.* Vbi videlicet concupiscentia est non imperantis famula, sed sibi servientis domina voluntatis. Omnia ista clarissimè pulcherrimèque ob oculos ponunt statum arbitrij *liberi,* & *servi* in uno dumtaxat libidinum genere. Liberum est enim arbitrium, cùm libidini dominatur, sive imperfectè, quando erutum quidem ab ejus dominatione consensum per gratiam tenet, ita ut eum omnibus præferat, multis tamen occasionibus cedit venialiter; sive perfectè, quando nihil supervacuis ejus motibus, causâ solius voluptatis in attrectanda suæ conjugis carne concedit. Quòd si in isto genere libertas illa & servitus rectè intelligitur, in reliquis omnibus intelligendis nulla difficultas erit: quia eadem in captivando eruendoque consensu voluntatis cunctarum ratio est. Siquidem sive libido nominetur, sive avaritia, sive invidia sive superbia, sive quicquid aliud sanæ doctrinæ adversatur, omnes istæ cupiditates imperiosissimâ, & abjectu difficillima, humanisque viribus impossibili dominatione arbitrium ante legem & sub lege subjugatum vinctumque possident. Quarum omnium jugum quando unico præclarissimo, & excellissimo, divinissimoque voluntatis actu excutitur, ita ut nullis omnino rebus creatis hæreat, sed solum Deum omnibus anteponat, non timore pœnę, sed amore justitiæ, tunc arbitrium simpliciter & absolutè liberari, & liberum fieri dicitur. Quòd si verò timore dumtaxat pœnæ concupiscentiæ resistere videamur, arbitrium nondum liberum est: quia uni concupiscentiæ repugnando alteri cedit, illi videlicet qui timorem pœnæ parit. Impossibile est enim ut timor pœnæ, non ex creaturæ amore, & consequenter ex alia cupiditate nascatur. Ex quo fit, ut talis hominis arbitrium neque liberum adhuc sit ad bonum, neque sub gratia, neque sub Spiritu Dei in animo ejus dominante: sed sub lege tantùm; eo videlicet modo quamvis occultiùs atque mitiùs, quo tunc erat, quando concupiscentias suas apertiùs dominantes sordidâ servitute sequebatur. Expressit hoc liquidò Augustinus: *Quod si spiritu,* inquit, *ducimini non adhuc estis sub lege. Sub lege est enim, qui timore supplicij quod lex minatur, non amore iustitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccandi.*

Lib. de nat. & grat. c. 57

Verùm ad hujusmodi libertatem arbitrij assequendam, vires hominis ante legem & sub lege prorsus nullæ sunt: sed hoc solius est gratiæ liberatricis, & maximum filij liberantis beneficium. Vt enim *spiritus ubi vult spirat*; ita filius, quem vult liberat, hoc est, voluntatem extrahit ab affectu & consensione peccandi. Quo non liberante per fidem suam, nulla in libero arbitrio sese liberandi & legem liberè implendi potestas reliqua est. Cui veritati probandæ non est opus immorari, cùm hoc totius Augustinianæ doctrinæ moles, & Scripturarum & Catholicæ fidei auctoritas tradat, juxta illud Apostoli: *Nunc autem liberati à peccato,* id est, à concupiscentia, *servi autem facti Deo, &c. Liberati,* inquit, *non liberi, ne sibi hoc tribuerent,* inquit Augustinus, & se jam libertatem adepti legem suis viribus facere posse confiderent. Quæ præsumptio absit ab animo Christiano. *Qui enim acceperunt legem, prævaricantur eam, nisi per gratiam consequantur posse quod iubet. Ita fit, ut non dominetur eis qui iam sub gratia sunt,* (scilicet jam liberati) *implentibus eam per gratiam, qui erant sub eius timore damnati.* Nam ut Augustinus ibidem docet: *Antequam sit quisque sub gratia,* liberatus videlicet à consensione peccandi, *concupiscentia ita repugnat, ut & captivet eum sub lege peccati, id est, sub semet-ipsa.* Per quod *demonstratur homini captivo, non esse præsumendum de viribus suis. Vnde Iudæos arguebat* Apostolus, *tanquam de operibus legis superbè gloriantes, cum traherentur concupiscentia ad quicquid illicitum est.* Quid ergo superest arbitrio nondum liberato, ut libertate potiatur? Humiliter dicendum est homini victo, damnato, captivo, & nec saltem acceptâ lege victori, sed potiùs prævaricatori, humiliter inquam, exclamandum est: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam cùm voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum cujus dono eam possit implere. Quod si tanta imbecillitas est implendi legem, ac sub ipsa lege, antequam arbitrium ab affectu peccati, seu à peccandi consensione liberatum est, quanto major erit impotentia ante legem, & ante fidem: cùm ne quidem eo usque *arbitrium à satanæ potestate filius liberaverit, ut eo non impediente* (verba Augustini sunt) *credat libera voluntate.*

Ad Rom. 6.
Lib. 1. ad Bonif. c. 2.
Lib. 1. ad Simpl. q. 1.
Ibid.
Epist. 107.

Quæ omnia cùm juxta Augustini doctrinam & Scripturarum fidem sint certissima ex ipsa definitione *liberi,* perspicuè sequitur, arbitrium voluntatis ante legem, & sub lege, omniumque maximè ante fidem, nullo modo esse liberum ad bonum, seu liberum ut benè operetur. Liberum est enim juxta Augustini definitionem quod *habet actum in sua potestate,* sicut infrà latissimè explicabimus. Non habet autem voluntas in sua potestate, ut bonum velit aut faciat, quamdiu ante fidem sub cupiditatibus victa & vincta jacet: sed hujusmodi affectus ei cœlitus à filio consensionem liberante inspirari debet: quod facit quando vult, & nemini vult cui non fidem ante inspiraverit; ergo ante fidem nullo modo arbitrium liberum est ad faciendum bonum. Quam ratiocinationem ipsemet Augustinus, ne nos eam aliquâ subtilitate finxisse videremur, in hoc ipso argumento facit. Nam in libris ad Simplicianum ex propositis illis Apostoli verbis: *Velle enim adiacet mihi; perficere autem bonum non invenio,* difficultatem sibi objicit: *His,* inquit, *verbis videtur non rectè intelligentibus velut auferre liberum arbitrium*

Lib. 1. ad Simpl. q. 1.

arbitrium. Quam difficultatem statim respondendo dissolvit: *Sed quomodo aufert, cum dicat, Velle adiacet mihi?* Quasi diceret, quomodo aufert liberum arbitrium, cùm arbitrium velle non possit; nisi sit liberum ad volendum? Sub lege quippe arbitrium vult implere legem (qualitcunq; illa volitio sit, sive spiritalis, sive potius carnalis, de quo non est hic disserendi locus) sed cupiditatibus suis superata, & ad peccandum pertracta non potest. Ergo ad volendum libera est, non ad faciendum: quia hoc non habet in potestate; illud habet. Quod consequenter ibidem vestigijs suæ definitionis inhærens clarissimè tradit: *Certe enim ipsum velle in potestate est, quoniam adiacet nobis: sed quod perficere bonum non est in potestate, ad meritum pertinet originalis peccati.* Nihil profectò apertius ab Augustino postulari potuisset. Illis enim verbis fulgentissimis probat, non auferri liberum arbitrium ad volendum, quia tunc velle in potestate est: auferri autem ad perficiendum, quia non est in potestate. Quod ipsum adhuc manifestioribus verbis docet alibi. *Liberum arbitrium perfectè fuit in primo homine. in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium, ut non peccemus, sed tantum ut peccare nolimus. Gratia verò*

In Expos. quarund. prop. ex Epist. ad Rom. n. 12

A *efficit, ut non tantùm velimus rectè facere, sed etiam possimus non viribus nostris, sed liberatoris auxilio.*

Video quid aliquis principijs Augustini inassuetus hic submurmurare posset, & traditæ superiùs doctrinæ moli quasi machinam reconditæ subtilitatis opponere. Nimirum Augustinum dicere, Arbitrium non esse liberum ad *non peccandum*, seu ad *perficiendum* bonum. Non peccare autem, & perficere bonum, legis universæ adimpletionem postulant: quod sub lege ante gratiam susceptamq; fidem arbitriū suis viribus nequaquam potest: etsi aliquam legem implere potest. Responsio ista seu potiùs subterfugium veritatis recentioribus nonnullis, qui gratiæ cælestis œconomiam atq; necessitatem magis ex proprijs cogitationibus, quàm ex Augustini & Scripturarum oraculis didicerunt, plausibilis fortasse videatur: sed qui super ora totamq; Augustini doctrinam penetrarunt, meritò imperitissimam judicant. Acumen est nitidum, sed vitreum, quod minimâ principiorum Augustini concussione frangitur. Quod oportunius infrà ostensuri sumus, ubi de liberi arbitrij infirmitate, non solum ad implendam universam legem, sed ad singula opera facienda, disputabitur.

B

Infra hoc eodem libro & seq.

CAPVT OCTAVVM.

Sextò ex conflictu Iuliani cum Augustino de hac ipsa difficultate. Declaratur doctrinam traditam esse Catholicæ fidei.

DENIQVE res ista clarissimè certissimèque demonstrari potest ex conflictu, quo inter se Iulianus & Augustin. de arbitrij libertate luctati sunt. Nam in hunc ipsum articulum tota moles difficultatis (quam Iulianus & Pelagiani in Augustini doctrina repererunt) ac disputationis incubuit. Illi etenim docuerunt mordicus, in hoc situm esse arbitrij libertatem, ut in utramque partem contrarietatis bonum videlicet ac malum, se posset arbitrium indifferenter flectere: Augustinus è contrario mordicus hoc ipsum negat, confidenter asserens, & ex Catholicæ fidei principijs docens, arbitrium esse liberum, etiamsi non posset facere, eligere, aut velle nisi illorum alterutrum, hoc est, sive solum bonum, quod in Deo, Angelis, & beatis hominibus perspicuum esse testatur; sive totum malum, quod eâdem fiducia in dæmonibus, & infidelibus, & omnibus sub lege constitutis, hoc est, nondum arbitrium à dominante peccato seu concupiscentia liberatum habentibus, velut manifestum exploratumq; ex Christianæ regulæ veritate defendit. Iuliani & Pelagianorum opinionem in pertractandis eorum dogmatibus latè declaravimus: nunc Augustini adversus eam dimicantis sententia proferenda est: quod tamen vix fieri perspicuè potest, nisi subinde Pelagianorum dogmata retricando tangamus. Iulianus igitur cum illa Augustini verba: *Non liberum negamus arbitrium;*

A *sed si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*; ex libro secundo de nuptijs sibi impugnanda sumpsisset, vehementer exagitat illam quasi verborum ejus pugnam: *Non liberum negamus arbitrium*, cùm tamen mox adjungat, *sed si filius vos liberaverit liberi eritis*. Cùm enim ei exprobrasset, quòd suam erubescendo sententiam profiteri, ad Pelagianorum verba fugisset, ut sub ijs confusio pudenda Babylonis, id est, Ecclesiæ Catholicæ doctrina posset delitescere, tandem adjicit, August. post illa verba quibus dixerat: *Non negamus liberum arbitrium*, explicare debuisse, quomodo non negaret: *Consequens enim, inquit, fuerat, ut impleres sine tergiversatione sententiam. Cùm promisisses non te negare arbitrij libertatem, adderes, sed confitemur datam à Deo libertatem arbitrij in hominum permanere natura.* Ecce quam confessionem postulet ab Augustino Iulianus, ne libertatis destructor esse videatur. Sed quid ad hoc reponit Augustinus? Nempe se non posse hoc salvâ Scripturarum fide profiteri. *Quomodò*, inquit, *manet libertas in eis, qui ut liberentur à servitute, qua victori peccato addicti sunt, divinâ indigent gratiâ, nisi quia liberi sunt & ipsi, sed iustitia? Vnde dicit Apostolus: Cum essetis servi peccati, liberi fuistis iustitiæ*: quasi diceret, falsum est, datam à Deo libertatem arbitrij in hominum permanere natura, nisi dumtaxat hoc sensu quatenus adhuc ad serviendum peccato valet; quādoquidem arbitrium à victore seu dominante peccato per gratiam

B

Lib. 1. oper. imper. cont. Iul. c. 116.

Ibid.

liberandum est: quod antequam fiat, cùm per vires proprias fieri nequeat, impossibile est à peccato dominante esse liberum, ad eligendum videlicet faciendumque bonum: quemadmodum impossibile est, hominem captivum & servum, qui seipsum liberare non potest, esse liberum quamdiu servus est, vel antequam liberetur. Qua de causa iterum repetit Augustinus: *Non aliud esse arbitrium laudabiliter*
Fol. 119. *liberum, nisi quod fuerit Dei gratia liberatum.* Hanc igitur quasi perspicuam contradictionis implicationem vidit, objecit, pressitque acriter Iulianus, hoc conficere volens, perperam ab Augustino arbitrium vocatum esse *liberum*, quod in eadem sententia dixerat esse *liberandum*. *Vt enim*, inquit, *ipsa verba iungamus, quod*
Fol. 123. *liberatur captivum est; quod captivum liberum non est; quod liberum est captivum non est.* Quam repugnantiam idcirco velut manifestam exagitat, quia paulo antè libertatem arbitrij definierat Iulianus *in admittendi peccati, & abstinen-*
Fol. 118. *di a peccato possibilitate consistere*; hoc est, in flexibilitate seu indifferentia ad bonum & malum, ita videlicet, *ut liberum habeat alterutrum velle,*
Fol. 121. *& in suopte iure, utram suggerentia partem sequeretur, id est, vel ardua asperaque virtutum, vel demersa & palustria voluptatum.* Sed negat ei constanter Augustinus nunc superesse talem libertatem, utpote quæ fuerit quidem olim, sed peccando perierit: & vice libertatis ad bonum secutam esse servitutem sub dominante peccato, à qua per gratiam liberandi sumus, antequam ad bonum liberũ habeamus arbitrium. Ipsum respondentem audiamus: *Homo, quamdiu stetit in bona voluntate liberi arbitrij, non opus habebat ea gratia, qua levaretur, cùm surgere ipse non posset:* (id est, gratia, qua liberaretur à dominante sibi concupiscentia peccatorum) *nunc vero in ruina sua liber est iustitia, servusque peccati: nec potest servus esse iustitia, & liber a dominante peccato, nisi eum filius liberaverit.* Et libro secundo ejusdem operis, cùm Iulianus dixisset adversus Augustini sententiam, Deum *condidisse hominem liberum ad opus bonum,* libenter admittit hoc Augustinus: *Talem quippe,*
Fol. 216. inquit *Adam condidit, in quo fuimus omnes: sed peccando perdidit se, & omnes in se,* id est, perdidit libertatem illam, quam habuit ad opus bonum. *Vnde nunc non est in potestate filiorum hominis à malo liberari, nisi gratia Dei det potestatem filios Dei fieri.* Qua utraque sententia hoc docet Augustinus, quod ante Ruinam homo liber erat ad bonum, nec indigebat gratia liberationis à servitute, quam nesciebat: post Ruinam vero non est liber ad bonum, sed peccati dominantis servus, nisi Deus ei libertatem iterum largiatur. Quod consequenter Augustinus in eodem libro sæpius repetit: *Convenit*, id est,
Lib. 1. oper. imper. cont. Iul. f. 128. alloquitur, inquit, *plane ideo facientes peccatum, quia servi sunt peccati, ut accepta libertate quam* D *promittit, desinant facere peccatum. Regnabat namq; peccatum in eorum mortali corpore, ita ut obedirent concupiscentijs eius &c. Contra hoc ergo malum,* (concupiscentiæ dominantis) *quo peccatum faciebant, libertate indigebant, quam promittebat.* Et

A rursum paulo pòst: *Audiant: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati; & quærant accipere libertatem, ut non faciant peccatum, clamantes ad eum cui dicitur: Itinera mea dirige secundum verbum tuum; & : Ne dominetur mihi omnis iniquitas.* Et inferiùs: *Quid est: sermo meus non capit in vobis, si natura etiam talis, qualis nunc, non indiget liberante?* Vnde alibi apertissimis verbis distinguit tempus, quo voluntas non est libera ad bonum, ab illo tempore, quo est libera: *Voluntas antequam bonæ libertati ad operandam veram iustitiam gratiâ Dei subveniente reddatur, multis alijs etiam causis, præter originis vitium, movetur. Vnde fit, ut ipsi impij, quibus vel nondum subvenit, vel nunquam subventura est gratia quæ iustificat impium, alij magis, alij minus peccent.* Quod idem alibi alijs licet verbis docet, de eadem libertate laudabili cum Iuliano dimicans. Nam cùm dixisset Augustinus: *Ex quo homo incipit uti libertate,* B *voluntatis arbitrio & peccare & non peccare potest: sed alterum horum non facit, nisi adiutus ab eo qui dixit: Sine me nihil potestis facere: alterum vero propriá voluntate, sive à seipso sive ab alio deceptore seductus, vel peccato sicut servus addictus*; mox tempora gratiæ liberantis distinguendo declarat: *Adiutos homines novimus Dei spiritu, ut ea vellent quæ Dei sunt, ante baptismum, sicut Cornelium; quosdam vero post baptismum, sicut Simonem Magum. Iudicia enim Dei sunt sicut multa abyssus &c.* Ex qua distinctione perspicuum est, esse tempus aliquod antequam voluntas bonæ libertati reddatur; & consequenter toto illo tempore arbitrium non esse liberum ad operandum bonum, quia gratiâ adjuvante multoque magis gratiâ liberante caret. Quæ quidem arbitrij liberatio, quamvis non necessariò præeuntem baptismum postulet, ut in Cornelio & in bonis Catechumenis patet, sine fide tamen præcedente nullo pacto haberi potest.

Ibid.

Ibid.

Lib. 2. oper. imper. f. 311

Lib. 1. eiusdem operis f. 148.

C Quòd si quis adhuc alicui de conflictu Pelagianorum & Augustini, ac de vera Catholicæ sententiæ intelligentia scrupulus manet, ex alijs tribus aut quatuor capitibus planissimè intelligi potest.

Primò ex illa calumnia, qua Iulianus impingebat Augustino sententiam Manichæi, eo quòd arbitrium doceret esse captivum, & servum, & consequenter non liberum. Nam istam calumniam sic depellit August. ut neget quidem se esse Manichæum, fateatur tamen arbitrium post lapsum non esse liberum ad bonum. Sic enim objicit ei Iulianus: *Tu utrumvis hîc simpliciter confitere, & cavillari desine; aut dic nobiscum, liberum esse arbitrium; & remove testimonium, quod suo tempore congruè prolatum est;* (nempe illud: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis, quo Augustinus ad evertendam libertatem ad bonum usus fuerat) *aut sicut in his libris, quos nunc per Alypium ad Bonifacium misisti, dic captivum esse arbitrium, quod nos liberum dicimus; & desine te negare Manichæum.* Ecce vides clarissimè propositum statum controversiæ, quòd videlicet August. libro 1. ad Bonifacium (id quod aliis sexcentis locis asseruerat) arbitriũ doceret esse captivum,

Lib. 1. oper. imper. f. 123

captivum, imò dominantis peccati servum: A
Pelagiani verò è contrario assererent, esse liberum: ex quo colligebant Augustinum esse Manichæum. Sed quid ad hæc Augustinus? Nihil profectò aliud, nisi quòd Manichæi traderent, hominem, utpote ex duabus naturis bonâ & malâ conditum, habere arbitrium naturaliter sub natura mala captivum: Catholici verò assererent, arbitrium cum libertate laudabili conditum, illam propria suâ voluntate perdidisse.
Loco sup. cit. *Manichæus*, inquit, *immutabilem substantiam mali, naturæ Dei sui miscet insanus* (scilicet in homine utramque naturam continente) *& eandem naturam Dei potius corruptibilem facit, & sub aliena natura* (mali) *vult esse captivam: fides autem Catholica bonam, sed tamen mutabilem creaturam in deterius voluntate, ut per hoc depravatâ vitiatâque natura non sub aliena substantia, sed sub peccato suo eam dicit serviliter detineri*, id est, non esse liberam, sed servam, non ex natura, sed ex B
peccato sibi dominante. *Ac per hoc & de ipso liberatore multum ab eo nostra diversa sententia est. Manichæus enim dicit, opus esse liberatoris, ut à nobis naturam separet alienam:* (scilicet mali, ut ita naturæ boni fiat libera ad opus bonum) *nos autem, ut sanet & vivificet nostram.* Nam illa sanitas, ut infrà dicturi sumus, est vera libertas ad eligendum bonum. Eandem sententiæ Augustinianæ, Manichææ, & Pelagianæ differentiam clarè proponit alibi Iulianus. Cum enim uno loco Manichæi sententiam protulisset,
Lib. 1. oper. imp. f. 143. de Augustino subjicit: *Videamus nunc, quantum ab eo tu recesseris: dicis esse liberam voluntatem, sed ut malum tantummodo faciat, non autem in hoc esse liberam, ut malum desistat operari, nisi ei fuerit imposita necessitas operandi bonum &c.* Et mox: *Absolute pronuncias humanam naturam unum semper capere, quod malum est, & velle non posse contrarium.* Et infrà omnes complectens
Ibid. f. 146. sententias: *Manichæus dicit, in omnibus hominibus* C
inspiratrix malæ voluntatis tenebrarum natura delinquit, & aliud facere non potest: tu dicis, in cunctis hominibus primi peccati tenebris infecta, & per hoc malæ voluntatis auctor natura delinquit, & bonum
Ibid. *velle non potest. Catholici, id est nos* (Pelagiani) *dicimus, quod ab initio usque in finem sine aliquo naturalium coactu voluntas & ante baptisma in unoquoque delinquit, quæ illo ipso tempore quo peccat potestatem habet recedere à malo, & facere bonum, ut constet ratio libertatis.* Et infrà Augustinum docere asserit, *factam in natura carnis, mali necessitatem.* Ad cujusmodi objectiones nunquam de calumnia queritur Augustinus, quòd sibi doctrinam falsam de amissa libertate ad bonum, adductâque mali necessitate tribueret: sed clarè respondet, verum esse quòd perierit libertas boni, atque ita hoc esse manifestum, ut nec ipse Iulianus hoc detrectare possit: *Tu*, inquit, *nega*
Ibid. f. 149. *dixisse Apostolum: Cum essetis servi peccati, liberi fuistis iustitiæ. Aut si hoc ab eo dictum esse non negas,* D
non eum recte dixisse redargue: Si autem non audes, nega si potes, eos quibus hoc dixit habuisse in malis liberam voluntatem, quando fuerunt liberi iustitiæ: aut habuisse liberam in bonis, quando fuerunt servi peccati. & ab hac servitute eos aude dicere per seipsos,

A *non per Dei gratiam liberatos, quibus dicitur: Nunc autem liberati à peccato, servi facti estis iustitiæ,* Et ne quis tantùm in fine vitæ contra Iulianum sic Augustinum docuisse suspicetur, diu antè in libris ad Bonifacium, idem omnino discrimen doctrinæ Manichææ, Pelagianæ, atque Catholicæ constituerat: *Manichæi negant homini* Lib. 1. c. 2.
ex libero arbitrio fuisse initium mali, nempe omnia peccata non libertati voluntatis, sed naturæ mali tribuendo, quæ ut alibi loquitur, inspiraret voluntatem malam; *Pelagiani dicunt, etiam hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum: Catholica utrosque redarguit, & illis dicens: Fecit Deus hominem rectum*, qui propterea propriâ se voluntate depravavit, & boni libertate privans peccati servituti subjecit: *Et istis dicens: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Quasi dicat, impossibile est esse arbitrium verè liberum, hoc est, liberum ad bonum, nisi filius liberaverit.

B Secundò idem sensus doctrinæ Augustini planiùs intelligitur ex refutatione solutionis, quam Iulianus illis Scripturis afferebat, ex quibus Augustinus colligebat, laudabilem illam arbitrij libertatem perijsse. Cùm enim illis locis uteretur Augustinus, primùm quidem illis Christi verbis: *Si vos filius liberave-*
rit, tunc vere liberi eritis: Et; *Omnis qui facit* Ioan. 8.
peccatum, servus est peccati. Deinde illis Apo- Ibid.
stolicis: *Cùm enim servi essetis peccati, liberi* Rom. 6.
fuistis iustitiæ &c. nunc vero liberati à peccato, servi autem facti Deo &c. Ad singula respondebat Iulianus, non agi in illis locis de amissa vel reddenda arbitrij libertate, sed tantummodo de peccati remissione, cum qua, & sine qua arbitrij libertas ad bonum & malum plenissimè consistere potest, sine ulla in alterutram partem captivitate. Augustinus è contrario constanter docet, non agi de re-
C missione peccati, sed de liberatione à dominante peccato, seu peccati concupiscentia, quam facit charitas, dum amor amorem superans arbitrium ab ejus tyrannide liberum facit, sive ex toto, dum concupiscentia prorsus extinguitur, sive saltem ex parte, cùm vis ejus frangitur, ut non ampliùs consensus voluntatis captivus sub peccati cupiditate teneatur. Ad primum igitur locum cùm Iulianus diceret, Christum loqui de captiva conscientia, quæ non esset libera ab ultione, id est, à pœna, & ideo per filium esset liberanda; respondet Augustinus: *Alia est remissio peccatorum in eis* Ibid. f. 123
quæ mala facta sunt: alia charitas, quæ facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt. Vtroque modo liberat Christus: quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit charitatem. Et cùm, eandem solutionem suam repeteret Iulianus, asserendo, quòd *non arbitrij libertatem Dominus* Ibid. f. 126.
diceret esse liberandam, sed illa integrâ permanente,
D *conveniret Iudæos, ut accipientes indulgentiam liberarentur a reatibus, & eam, quæ apud Dominũ maxima est, libertatem occuparent, ut inciperent nihil debere criminibus.* Aug. repetit, agi de libertate à servitute peccati, qua fit ut nõ fiant plura peccata; nõ de libertate, quâ præterita remittuntur:

Digitized by Google

Ibid. f. 127. *Attende quod dictum est : Omnis qui facit peccatum; non enim ait : qui fecit ; sed qui facit, & non vis eum ab hoc malo liberare homines : Non vis eum hoc loco talem promittere libertatem , qua peccatum non faciamus ; sed ideo tantummodo liberare , quia fecimus.* Sensum suum explicat paulo pòst manifestiùs : *Convenit plane ideo facientes peccatum, quia servi sunt peccati , ut accepta libertate quam promittit , desinant facere peccatum. Regnabat namque peccatum in eorum mortali corpore , ita ut obedirent concupiscentijs ejus, & exhiberent membra sua arma iniquitatis peccato. Contra hoc ergo malum , quo peccatum faciebant* (id est , quod faciebat eos perpetrare peccatum , dominando arbitrij libertati) *libertate indigebant quam promittebat. Omnis enim , non qui fecit , sed qui facit peccatum , servus est peccati. Quid verba lucida caliginosis disputationibus obscurare conaris ? Erumpunt omnino , & te licet obsistente, fulgore suo vincunt tenebras tuas. Omnis , ait , qui facit peccatum , servus est peccati. Audis ; Qui facit , & tu non exponere , sed supponere vis , qui fecit. Audiant ergo quibus ipse aperit sensum , ut intelligant Scripturas , audiant : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati, & quærant accipere libertatem , ut non faciant peccatum , clamantes ad eum , cui dicitur : Itinera mea dirige secundum verbum tuum , & ne dominetur mihi omnis iniquitas.*

Ad alterum verò Apostoli locum similiter cùm responderet Iulianus , nihil aliud dixisse magistrum gentium nisi , *liberi fuistis* , id est, *non servistis iustitiæ ; liberati estis , peccatorum veniam suscepistis* , manente arbitrij libertate, per quam potuerunt & ante , peccato , & postea obedire justitiæ ; respondet ei majori acrimoniâ Augustinus : *Ex isto hæretico sensu , quo dicitis non fieri per gratiam liberationem a peccato, nisi cùm de præterito accipitur venia : non autem etiam ne dominetur peccatum , cùm quisque a concupiscentia sua trahitur in eius assensum , etiam sanctorum orationibus contradicitis. Vt quid enim Deo dicitur : Ne nos inferas in tentationem , si ut hoc non fiat in liberi arbitrij nostri est potestate ? Vt quid dicit Apostolus ; Oramus autem ad Deum , ne quid faciatis mali , si Dominus non liberat a peccatis , nisi veniam dando præteritis ?* Vnde hanc liberationem , quæ non fit peccati remissione , sed novi amoris inspiratione, qui dominatu concupiscentiæ superiorem voluntatem facit , magis explicans Augustinus , cùm Iulianus clamaret, eum loqui contradictoria , arbitrium scilicet esse liberum & non liberum , hoc ipso quo dicebat , esse liberum & tamen à peccato liberandum , sic ei respondet : *Liberos dicimus ad facienda opera pietatis* (id est , ad bonum) *eos quibus dicit Apostolus : Nunc autem liberati à peccato , servi autem facti Deo , habetis fructum vestrum in sanctificatione &c. Hunc in sanctificatione fructum , qui fructus procul dubio charitas est atque opera eius , nullo modo habere possumus à nobis &c.* quasi diceret , dicimus homines quidem esse liberos : ad bonum , sed non ante gratiam liberationis , quam arbitrium sibi dare non potest. Nec enim charitates vel ullum opus ejus, sine illo liberante haberi potest , qui dicit : *Sine me nihil potestis facere.*

Lib. 1. oper. imper. cont. Iul. f. 163.

Ibid. f. 124.

Tertiò idem Augustini sensus clarissimè intelligitur ex alio quodam Pelagianorum subterfugio. Cùm enim ex capite septimo ad Romanos apertissimè convincerentur , esse quoddam in hominibus malum , quod Apostolus *peccatum* tropicâ locutione ; nos propriâ *concupiscentiam* dicimus , à qua ne sibi dominaretur , & se captivos duceret in legem peccati, homines per gratiam se liberari peterent ; respondere solebat Iulianus: agi in isto Apostoli loco de hominibus sub lege constitutis, qui gratiam baptismi , hoc est , remissionis peccatorum contra vim non concupiscentiæ originalis, sed acquisitæ consuetudinis implorarent , sicut hoc in diversis locis Augustini videre licet : quod effugium ea de causa sibi præcipuè commenti fuerant , ne fateri cogerentur , aliquod ex origine inesse homini malum , per quod originalis culpa transfunderetur. Arripit istam confessionem Augustinus , ut ex ea juxta Iuliani sensum invictè probet , non esse in hominibus sub lege constitutis pressisque tali consuetudine libertatem arbitrij ad faciendum bonum , nisi eos gratia ab illo consuetudinis pondere liberaverit. Nam vinculum istiusmodi inolitæ firmæque consuetudinis voluntatem in illo statu sub consuetæ cupiditatis mole ita captivam & servam tenet, ut sine gratia liberante non possit respirare in salubrem libertatem , qua faciat oppositum bonum : perijt ergo libertas boni per hujusmodi inolitæ consuetæque servitutis malum. Itaque cùm Iulianus diceret, per illa verba, *Si vos filius liberaverit vere liberi eritis* promisisse Christum indulgentiam reis , qui peccantes *non arbitrij libertatem , sed conscientiam iustitiæ perdidissent*, adderetque ; *Liberum arbitrium & post peccata tam plenum est , quàm fuit ante peccata*; refutat eum ex propria ejus doctrina Augustinus : *Tu* (forte *te*) *audi saltem , ubi dicis, propter consuetudinem peccatorum scriptum esse: Non quod volo ago, sed quod odi, hoc facio. Quomodo ergo post peccata liberum est ? Quorum etsi non propagine quia non vultis, certe tamen consuetudine , quam solam huic* (Iudæo sub lege constituto) *necessitate victi , contortique conceditis , sic perdidit libertatem, ut gemitus eius feriat aures vestras , frontemque collidat , cum auditis : Non quod volo ago : Et ; Non quod volo facio bonum ; sed quod nolo malum , hoc ago.* Nihil evidentius ad intelligendam Augustini mentem dici vel excogitari potest. Rursum tamen cùm ad excludendam hujusmodi bonæ libertatis jacturam repeteret, disertèque promeret Iulianus Pelagianorum sententiam hisce verbis : *Nos dicimus peccato hominis non naturæ statum mutari*, (auferendo scilicet boni libertatem , quæ in conditione hominis data fuerat) *sed meriti qualitatem* , (quâ scilicet aliquis ex justo peccator fit) *id est , in peccante hanc esse liberi arbitrij naturam , per quam potest à peccato desinere , quæ fuit in eo , ut posset à iustitia deviare:* duplici ex capite sententiam istam convincit erroris Augustinus ex adducta videlicet per peccatum necessitate moriendi, & ex mutata saltem per consuetudinem arbitrij libertate.

Lib. 2. cont. Iul. c. 3. & lib. 6. c. 13.

Ibid. f. 131. & 132.

Ibid. f. 141.

Scimus,

Ibid. *Scimus*, inquit, *vos ideo dicere, peccato hominis naturæ statum non mutari, quia deseruistis fidem Catholicam: quæ dicit primum hominem sic factum, ut non haberet moriendi necessitatem; peccato autem ita hunc statum naturæ fuisse mutatum, ut hominem necesse sit mori &c.* Et mox adjicit de mutatione quoque libertatis: *Deinde quæro, utrum vitio careat natura peccatrix? Quod si absurdissimum est, habet ergo vitium. Si habet vitium, procul dubio vitiata est, ac per hoc, excepto peccato illo de quo damnationem humana natura originaliter trahit, quomodo sobriè dici potest, statum naturæ in homine non fuisse mutatum, qui dicit: Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato: quod enim operor, ignoro; non enim quod volo, ago, & cetera hujusmodi, etiamsi hanc mutationem non ineo nascendi traxit conditio, sed ut vultis, contraxit consuetudo peccandi? Cernitisne vanum esse quod dicitis, peccato hominis non naturæ statum mutari, sed meriti qualitatem?* Huic autem doctrinæ Catholicæ reclamante contentiosissimè Iuliano, eandem uberiùs & constantissimè inculcat, & apertiùs explicat Au-
Ibid. 149. gustinus: *Si dicis, à reatu præteritorum malorum, non à dominatu peccati* (id est concupiscentiæ) *quo quisque justus esse non sinitur, eos fuisse Dei gratia liberatos* (quibus scilicet dixerat Apostolus, Nunc autem liberati à peccato) *ut autem in eis non dominaretur peccatum, ipsos facere potuisse, si vellent, neque ad hoc indiguisse gratia Salvatoris, ubi ponis eum qui dicit, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago? Si enim sub lege non sub gratia constitutus hæc loquitur, istum nega sub gravi necessitatis pondere ingemere; hunc ad benè vivendum, & ad recte agendum per voluntatis arbitrium assere liberum, clamantem tibi: mentiris, aut falleris; non quod volo ago. Si autem, sicut melius sensit Ambrosius, hoc etiam de seipso dicit Apostolus, nec justorum est in hac vita tanta libertas propriæ voluntatis, quanta erit in illa vita, ubi non dicetur: Non quod volo ago.* Non possem vel meis verbis luculentiùs explicare jacturam libertatis per concupiscentiæ dominatum, quàm suis Augustinus facit. Nam hæc ipsa postrema differentia, quam ultimis verbis tangit, justorum scilicet ab eis qui adhuc sub lege constituti sunt, rem totam perspicuam facit. Iusti enim à concupiscentiæ
Lib. de nat. & grat. c. 56 quidem dominatu liberi sunt, quia *ab affectu peccandi*, ut Augustinus loquitur, hoc est, à consensu peccandi voluntas eorum liberata est, necdum tamen à molestissimis titillationibus libera est, quibus assiduè ad peccandum trahitur; & ideo in viris justis non est hîc tanta libertas, quanta erit in futura vita: in injustis verò, maximè infidelibus, ad bonum prorsus nulla est; quia sub concupiscentiæ vincientis titillationibus, ita affectus prostratus jacet, ut ne quidem à consensu peccandi liberatus sit, nec seipsum liberare possit. Qua de causa de tali homine alibi Augustinus: *Si propter malam consuetudinem, sicut*
Lib. 1. oper. impr. c. 218 *sapitis, clamat homo: Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago; certe vel in isto fatemini humanam voluntatem vires bonorum operum perdidisse*, hoc est, libertatem ad bonum. Illa quippe non est aliud, quàm potestas agendi bonum, seu voluntas quæ habet actum bonum in sua potestate. Vnde paulo pòst: *Tu cùm dicere soleas, in his Apostolicis verbis violentiam malæ consuetudinis exprimi, quid est quod modò dicere voluisti: ut nunquam quis emendare conetur, quod scit in se alterum perpetrare? cùm velit utique seipsum emendare qui dicit: Non ego operor illud; & hoc velit fieri viribus propriæ voluntatis, cùm videas quam sit voluntas ei infirma, qui dicit: Non quod volo ago. Istum saltem, quæso, permittite divinum poscere auxilium, in quo defecisse cernitis suæ voluntatis arbitrium*, id est, libertatem, quæ propter dominatum peccati vel insolitæ consuetudinis non habet sub lege ante gratiam actum bonum in sua potestate. *Ibid. f. 222.*

Plura proferri possent ad eundem istum Augustini sensum de consuetudine ex Iuliani mente comprobandum; sed hæc sufficiunt: & aliqua inferiùs ad aliud propositum afferri debent. Sed hæc profectò tam perspicuum reddunt, quid sibi velit Augustinus, dum libertatem peccato periisse tradit, ut non videam quomodo vel in dubium revocari possit. Ex qua verborum & sensuum ejus perspicuitate factum est; ut Pelagiani imprimisque Iulianus nunquam de mente Augustini hæsitaverint, sed semper eum ita intellexerint, sicut nos explicuimus: hoc est, per peccatum primi hominis concupiscentiâ propagante trajectum, tantam stragem adductam esse in voluntatem, ut sub ejus dominatu captiva & serva jaceat, nec ab ea consensus ejus liberari possit propriis viribus, sed sola gratia liberantis, ut bonum velle possit & operari. Hanc sententiam ejus molestissimè tulerunt Pelagiani indifferentis illius libertatis patroni: hanc ei objecerunt sæpiùs, & exprobrarunt velut Manichæam acerbissimè: hujus invidiam nunquam à se amovit Augustinus, sed semper objectantium verba vel silentio transmisit, vel confitendo firmavit, quemadmodum partim ex supra dictis, partim ex iis quæ adhuc dicturi sumus manifestiùs elucebit. Hinc illa Iuliani adversus Augustinum: *Quomodo tu arbitrium liberum non negas, quod non quidem sermone tuo, sed Evangelii testimonio, sensu autem tuo, non liberum pronunciasti?* Et illud: *Tu dicis in cunctis hominibus primi peccati tenebris infecta, & per hoc malæ voluntatis auctor natura delinquit, & bonum velle non potest.* Et illud exertiùs: *Non minore planè stultitiæ professione, quàm profanitate liberum vocas, quod dicis nisi unum velle non posse.* Et illud iterum: *Ante baptisma necessitas mali est, quoniam voluntas, sicut dixisti, ad faciendum bonum non est libera, perque hoc aliud agere non potest nisi malum.* Et illud: *Argumentaris quippe, ideo illum* (Apostolum) *liberatos dicere maluisse, quam liberos, ut intelligerem arbitrii libertate male quidem posse benè autem fieri non posse.* Et illud: *Ut enim egredientes de nostris finibus in vestra regione versemur, si libertas arbitrii primo est eversa peccato, & in omni deinceps hominum genere manca adeo remansit, ut non sit ei possibile nisi tantummodo malum facere;*

Lib. 1 oper. imper. f. 15 — *Ibid. f. 146* — *Ibid. f. 130.* — *Lib. 1. oper. imper. f. 3-0*

non hoc habeat in facultate electionem partis alterius, A *id est recedere à malo & facere bonum &c.* Et illud, f. 428. quo dicit in Augustini sententiâ, *non esse iam libertatem, quoniam non suppetit facultas eligendi boni, & cavendi mali.* Omnia ista Augustinus vel fortiùs confirmat, quàm objiciantur, vel silentio iterum iterumque explicata transmittit: nec unquam arguit adversarios, quòd malè sententiam suam de destructa per peccatum boni faciendi libertate, & reddenda per solam gratiam liberatoris, intelligerent.

Nec verò tanquam opinionem suam rem istam, sed tanquam Catholicam fidem fidentissimè tradit. Hoc enim ex suprà dictis perspicuè patet, dum aliquoties sensum hæreticum, vel hæresin vocat, quod Pelagiani dicerent, Non fieri liberationem arbitrij ad faciendum bonum, nisi per remissionem delictorum. Hinc illud Augustini in primis lucubrationibus adversus excerpta quædam ex B Lib. 2 de nup. cap. 3. libris Iuliani: *Si quis ad colendum rectè Deum sine ipsius adiutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, ipse Celestianus & Pelagianus vocatur.* Et absolutiùs intrà: *Liberum in hominibus esse arbitrium utrique dicimus, non hinc estis Celestiani & Pelagiani: liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adiutorio Dei, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani & Pelagiani.* Et libro secundo ad Lib. 2. ad Bonif. c. 2. Bonifacium: *Pelagiani dicunt, etiam hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum. Catholica utrosque redarguit; istis dicens: Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Cujusmodi testimonijs perspicuè docet, sine Pelagianæ hæresis nota, non posse dici quòd arbitrium sit liberum sine gratia vel ante gratiam ad colendum Deum, vel ad agendum bonum, vel ad faciendum præceptum bonum. Et hoc ipsum crebrò docet Catholicam fidem tradere juxta Scripturas: Ioan. 8. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis. Omnis qui* C *facit peccatum servus est peccati.* 2. Petri 2. *A quo quis devictus, huic & servus addictus est.* Rom. 6. *Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo.* Apertissimè enim significant, arbitrium peccato victum sub eo victore esse captivum, cui ita serviat, ut per solam gratiam ab illa possit servitute liberari; gratiam, inquam, non quæ peccata deleat, sed quæ à peccati dominantis imperio arbitrium liberet, ut ipsum, quod ante peccatorum concupiscentiæ serviebat, illam jam sibi subjectam habeat, eique dominetur. Quapropter doctrina illa sancti Augustini per sanctiones Ecclesiasticas tanquam Ecclesiæ Catholicæ dogma definita est. Nam Celestinus Papa non de gratia remissionis, sed de actuali & liberatrice disserens, inter ceteros effectus ei tribuit, quòd arbitrium liberet, hoc est, liberum faciat: *Quo utique* Celest. Epist. ad Gallos cap. ult. *auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur* (id est, fit liberum) *ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.* Si arbitrium per gratiam efficitur liberum, profectò antè gratiam non est liberum ad bonum. Neque enim nisi esset amissa libertas ista, redderetur. Unde utrumque expressis verbis Synodus Arausicana definivit: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum: nisi per gratiam* Synod. Araus. Canon. 13. *Baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa Veritas dicit: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Neque hic aliquâ cavillatione veritas obscurari potest, existimando, alio sensu Concilium profiteri amissam libertatem per gratiam reddendam esse, alio Augustinum. Nam Canon iste verbotenus ex Augustini libris de Lib. 14. c. 11. Civitate Dei sumptus est, quo ipse breviter complexus est, Scripturâque teste comprobavit, quicquid toties, sicut vidimus, & tam constanter de perditâ boni libertate amissoque libero arbitrio tradidit.

Ex quâ tanta doctrinæ uniformitate jam etiam facile est intelligere alium Canonem ejusdem Synodi Arausicanæ, quo definit contra Semi-Pelagianos: *Si quis per offensam* Synod. Araus. Can. 1. *prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus & animam in deterius dicit hominem commutatum: sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagiano errore deceptus adversatur Scripturæ &c.* Nam animi libertatem læsam esse nihil est aliud, quàm unam ejus partem, hoc est, libertatem ad bonum perijsse, ita ut liberationis indigeat. Quod enim nonnulli per hoc significari volunt, arbitrium esse *attenuatum* tantùm & *infirmatum*, ut in eadem Synodo dicitur, ita ut adjutorio contra concupiscentias indigeat, non animadvertunt, se hoc ipso id quod controvertitur confiteri; cùm sine isto auxilio non possit esse liberum à servitute cupiditatis ad volendum bonum: vel si quid aliud dicere volunt, se arbitrium non solum non infirmatum peccato, sed longè fortiùs introducere, quàm ante peccatum fuit, ut suo loco declarandum est.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT NONUM.

Perijt non solùm libertas ad agendum bonum, sed etiam abstinendi à peccato.

Hactenus abunde ex Augustino demonstravimus, arbitrium post lapsum primi hominis, antequam per gratiam à dominantis peccati servitute liberetur, non esse liberum ad opus bonum. Sed hac occasione meritò dubitari potest, an sit saltem liberum, ut recedat à malo, etsi non faciat bonum. Hoc est, utrum sit liberum saltem ut abstineat à peccato; an verò in peccandi necessitatem viribus suis ineluctabilem præcipitatum sit. Quæ sanè quæstio & per seipsa perscrutatione digna est, & ex ejus resolutione longe liquidiùs apparebit, quibus fundamentis niti possit illa superius tradita de perdita boni operis libertate doctrina.

Itaque sanctissimus & profundissimus Doctor Augustinus non contentus declarasse, hominem post lapsum omni boni operis faciendi libertate privatum, eadem fiduciâ partem utramque docet, non esse etjam ei jam liberum à peccatis abstinere; sed in peccandi necessitatem peccando cecidisse, à quâ sola gratia salvatoris Christi eum liberare potest. Utriusque pronunciati veritas seorsum demonstranda est.

Et quidem non esse jam liberum à peccando abstinere, quamvis olim liberrimum fuerit, ita perspicuè & constanter, frementibus licet Pelagianis, docet, ut in dubium revocari nequeat. Super hoc enim ipso dogmate Pelagianorum & Augustini acerrimus conflictus fuit, negante Augustino, esse jam liberum à peccato abstinere; Pelagianis contrarium ita obnixè asserentibus, ut dicerent, sine abstinendi potestate peccatum esse non posse. Ad cujus veluti certissimi dogmatis comprobationem, ipsissimis Augustini principijs usi sunt. Nam ipse cum junior adversus Manichæos nondum exortis Pelagianis dimicaret, hoc modo peccatum definierat: *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Definitionem istam tamquam bellissimam & Pelagianorum principio congruentissimam avidissimè arripuit Iulianus, magnisque cumulavit laudibus. *O lucens*, inquit, *aurum in stercore! quid verius, quid plenius dici à quoquam vel orthodoxo potuisset? Hinc ergo invictissimè* confici volebat, nihil habere posse peccati rationem, nisi esset in potestate voluntatis ab eo abstinere quod faceret; ita videlicet, ut ad utramque partem eligendam, ad bonum videlicet & malum, esset indifferens, *nec necessitas imponeretur partis alterius. Non enim*, inquit, *est prorsus voluntas, antequam velit; nec potest velle, antequam potuerit & nolle &c. Quibus collectis, apparet te verissime definisse peccatum esse, voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Et paulo pòst: *Nihil est aliud peccatum præter voluntatem excedentem ab eo calle, cui debet insistere, & unde liberum est non deflectere.* Hæc & hujusmodi repetit ad fastidium inculcatque Iulianus, hoc unum conficere volens, ita peccatum esse debere liberum, ut ab eo abstinendo non peccet. Augustinus è contrario sæpissimè constantissimeque docet, iam post lapsum ante adventum gratiæ ita peccatum à voluntate committi, ut ab eo abstinere non sit ampliùs liberum; ita videlicet ut abstinendo non peccet. Nam si ab uno peccato abstinendo necessariò perpetrat aliud, non est satis illa libertas, ut per eam dicatur liberum esse à peccato abstinere. Hoc enim postulat talem libertatem voluntatis, ut peccatum de quo agitur sine novi peccati perpetratione posset omittere, sive simpliciter abstinendo, hoc est non agendo, sive aliam actionem agendo non malam. Ad definitionem autem suam respondet Augustinus, eam non esse datam de omnibus peccatis generatim, sed de illo peccato solo, quod propriè & simpliciter peccatum dicitur, hoc est, quod ita peccatum est & voluntarium, ut non sit etjam pœna peccati, seu ut nihil involuntarij & pœnalis admixtum habeat quo illa abstinendi libertas infringatur. Se quippe cum Manichæis tunc de mali seu peccati origine disputasse, antequam nihil potuit pœnale præcedere: ideoque se respexisse in sua definitione primos homines, qui tanta voluntatis libertate peccarent, ut eis liberrimum esset ab eo quod faciebant, sine alterius peccati perpetratione cessare. Nunc verò postquam illâ primi peccati pœnâ, hoc est, illâ peccandi concupiscentiâ nobis insolitâ puniti sumus, non esse nobis iam ante gratiam à peccato liberum abstinere, multoque minus esse liberum, si illi supplicio peccati originalis accesserit, aliud supplicium actualis peccati, scilicet consuetudo peccandi. Hæc est summa eorum, quæ Augustinus de libertate abstinendi à peccato, & de sua peccati definitione docet, tantâ quidem perspicuitate, ut nulla tergiversationis umbrâ obscurari possit. Nam Iuliano illam definitionem primùm proferente & magnopere commendante, sic ei respondet Augustinus: *Hic peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati: de hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur, quale commissum est a primo homine ante omnes homines malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.* Et cùm Iulianus iterum iterumque ingeminaret, peccati rationem postulare ut sit liberum abstinere, *& nusquam esse, nisi in eo homine, qui & habuit voluntatem malam, & potuit non*

Lib. de duab. animab. c. 11.

Lib. 1. oper. imperf. c. 37

Ibid. c. 38.

Lib. 1. oper. imperf. c. 37

Ibid. c. 38.

quod dico. Ex his arbitror intelligi, quid dicat, & quid sentiat Augustinus de perdita per peccatum libertate abstinendi à peccato ut non sit opus identidem eandem illam explicationem suæ definitionis, quia adhuc sæpius eandem repetit, hic infarcire.

CAPVT DECIMVM.

Idem demonstratur ex alijs Augustini scriptis.

NEQVIS tamen arbitretur hanc sententiam ejus illi postremo libro nuper invento, quod nos opus imperfectum vocamus, esse peculiarem, operæ pretium est ex alijs libris & ante & post hæresim Pelagianam exortam scriptis, ejusdem doctrinæ consonantiam patefacere. Nam illâ expressissimis ijsdemq; pœnè verbis docuit in libris Retractationum, qui eodem tempore exarati sunt, quo Iulianus illam ejus definitionem peccati vellicare cœperat. Nam ibi præmuniens lectorem adversus illum Pelagianorum errorem, quo putabant post peccatum primi hominis, antequam per fidem Christi à concupiscentiæ terrenæ dominatione liberemur, liberum esse nobis abstinere à peccatis, quæ illâ voluntati dominante committimus, sic rem totam explicat: *Itemque definitio peccati,* [*Lib. 1. Retract. c. 15.*] *qua diximus: Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere; propterea vera est, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati. Nam quando tale est ut idem sit & pœna peccati quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte, si pia est, ut oret auxilium. In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas. Alioquin tutius cupiditas, quam voluntas proprie nuncupanda est. Quæ non est, sicut Manichæi desipiunt, alienæ naturæ additamentum, sed nostra vitium: a quo non salvamur nisi gratia Salvatoris. Quod si quispiam dicit, etiam ipsam cupiditatem nihil aliud esse quam voluntatem, sed vitiosam, peccatoque servientem, non resistendum, nec de verbis, cum res constat, controversia facienda est. Sic enim ostenditur, sine voluntate* (scilicet liberâ, quæ phrasi Augustini voluntas paulo antè dicta est) *nullum esse peccatum, sive in opere, sive in origine.* Hæc Augustini verba ita perspicuè sententiam sanctissimi Doctoris exprimunt, ut eorum, quæ contra Iulianum docuit, siquid adhuc scrupuli reliquum habere videantur, ijs qui ejus doctrinæ minùs assueverint, loco commentarij esse queant. Docet enim, à peccatis illis, quæ sunt etjam pœna peccati, non esse jam liberum abstinere: docet illius rei causam esse, quia voluntas nihil ad resistendum valet, sub dominante cupiditate: docet hoc item propterea fieri, quia voluntas nondum ab ejus dominatione liberata est; à qua si vel tantillum liberetur, ut pia sit, hoc est, ut vel pietatem fidei invocantis habeat, jam aliquantulum valet, quia aliquantulum liberata est, videlicet hactenus ut saltem fide credat, & ex fide suæ imbecillitati & captivitati oret auxilium. Nam talem esse quemdam statum, in quo concupiscentiæ dominanti resisti non potest, eo- [*Ibid.*] dem ipso loco Augustinus tradit: *Qui vero cogentis cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Hic autem status est ante fidem: nemo enim bonam voluntatem habet, qua resistere possit dominanti concupiscentiæ, ne quidem ut imploret auxilium, ante susceptam fidem. *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt.* [*Ad Rom. 10.*]

Quin etjam antequam Augustinus cum Pelagianis dimicare cœpisset, eandem doctrinam adversus Manichæos tradidit. Nam cùm Fortunatus ei illa scripturæ loca obiecisset, quod *caro concupisceret adversus spiritum;* quod *alia lex in membris repugnaret legi mentis, & captivos nos duceret, &c.* Et ex similibus locis naturam malã in nobis peccati auctricẽ esse colligeret; respondet ei Augustinus, talem peccandi necessitatem non ex natura, sed ex libero arbitrio contigisse: *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est.* [*Disp. 2. cont. Fortunat.*] *Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet Dei præcepta servare. Postquam autem libera ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus.* Rem autem illam ut magis intelligentiæ minus peritorum exponeret, similitudinem adhibet perversæ cujusdam consuetudinis ad faciendum aliquod opus malum. *Potest,* inquit, *unusquisque nostrum mediocri consideratione invenire verum esse quod dico. Hodie namque in nostris actionibus antequam consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid vel non faciendi. Cum autem ista libertate fecerimus aliquid, & facti ipsius tenuerit animam perniciosa dulcedo & voluptas, eâdem ipsâ consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est.* [*Ibid.*] Quæ similitudo consuetudinis quam vim habeat, intrà opportuniùs dicturi sumus. Clarissimè verò doctrinam eandem libro tertio de libero arbitrio exposuit, [*Lib. 3. de lib. arbit. c. 18.*] quem quia paulo ante allegavimus, supervacaneo labore repeteretur. Hic satis est, recordari eum manifestissime tradere, quod post peccatum primi hominis arbitrium jam *non sit liberum ad eligendum quid recte faciat,* vel ad rectè faciendum quod elegerit; causamque jungere ignorantiam & difficultatem, hoc est, resistentem concupiscentiam: quibus damnationis pœnis fit, ut homo etjam *invitus erret, neque possit a libidinosis operibus temperare.* Nam ut gravissimè verissimèque subnectit: *illa est* [*Ibid.*] *peccati pœna justissima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet. Id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui recte facere cum posset noluit, amittat posse cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error; ex difficultate cruciatus affligit &c.*

CAPVT

CAPVT XI.

Loco libertatis abstinendi à peccato inducta est peccandi necessitas.

QVOD si quis juxta istam Augustini doctrinam intellexerit, quo pacto non sit jam liberum ante fidem à peccato abstinere, facile intelliget, illius secundi pronuntiati præcedenti capite propositi veritatem, quo videlicet pacto in peccati necessitatem præcipitati sumus: quod non minori certitudine & asseverantia Augustinus docet. Si enim non est liberum à peccato abstinere, profectò necesse est peccatum facere, ut per se patet liquidissimè. Nam propterea ista duo promiscuè & pro iisdem ab Augustino usurpari solent. Invectam igitur esse peccato primi hominis peccandi necessitatem, ferre non poterant Pelagiani. Non enim dubitabant, illud esse ipsissimum fermentum hæresis Manichææ: super quo gravissimus inter Iulianum & Augustinum conflictus fuit. Iulianus enim philosophiâ subnixus asseverantissimè confirmabat, necessitatem istam capitaliter libertati arbitrij repugnare. Hinc illa creberrimè repetita: a *Libertas arbitrij possibilitas est vel admittendi vel vitandi peccati, expers cogentis necessitatis, quæ in suopte iure habet utram suggerentia partem sequatur.* b *Homo in peccatum a nullo impellitur, vel à peccato abstrahitur voluntate captiva.* c *Vt ratio prodidit, arbitrij libertas est propulsatrix necessitatum, ut nemo sit vel bonus vel malus, cui non sit liberum esse contrarium.* d *Sine liberi arbitrij integritate*, scilicet ad bonum & malum, *æquitas Christo proprij non potest constare iudicij.* e *Neque cuiquam, exclusa libertate, boni vel mali necessitas credatur incumbere.* Quibus similia in Iuliani scriptis passim obvia sunt. Sed hanc arbitrij libertatem ad bonum & malum funditus Augustinus pro utraque parte subvertit. Docet enim contra Pelagianorum istas assertiones, libertatem arbitrij non solum cum necessitate solius boni faciendi posse consistere, sed etjam cum necessitate solius mali: imo ex necessitate boni salvam relinquente libertatē, probat eam etjam nulla mali necessitate perimi. Nam cùm Iulianus acriter reprehenderet, quod in Augustini sensu *voluntas appetendæ iugiter pravitatis incumberet*; & Augustinum stultitiæ & profanitatis argueret, eo quod liberum vocaret id, *quod nisi unum velle non posset*, videlicet solum malum, seu peccatum, de quo agebatur; respondet ei Augustinus: *Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum? Liber Deus non est, qui malum non potest velle: de quo etiam ipse dixisti: Deus esse nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? An potiùs intelligere debes, esse quandam beatam necessitatem, qua Deus iniustus non potest esse?* Ita ex necessitate boni, qua Deus malum velle non potest, sed solum bonum, probat etjam incolumem

a Lib. 1 oper. imper. f. 121
b Ibid.
c f. 122.
d f. 132.
e f. 140.
Lib. 1 oper. imper. f. 150

A manere libertatem arbitrij, quamvis similiter bonum velle non possit. Et cum Iulianus eandem querimoniam de libertate, non solum mali, sed & boni potestatem postulante repeteret, ut reatus peccati peccanti possit imputari, eadem responsione telum istud retorquet: *Ergo nec in Deo est arbitrij libertas, quia malum facere non potest &c.* Rursumq; Iuliano vociferante quòd Augustin. liberum arbitrium ante mali, postea boni necessitate subverteret, retundit impetum ejus ex eo, quod neque Deus, neque Angeli, neque beati libertate arbitrij spolientur, quamvis in eis sit boni perpetua & beata necessitas. Hac ergo generali præmissa velitatione, ex qua tamen sensus Augustini & hæresis Iuliani liquidissimè cognosci potest, ad rem ipsam accedunt propius, clamatque Iulianus, *Iniustum non imputare, nisi unde liberum est abstinere*: gravissimique crimi-B nis loco imputat Augustino, quod dixisset, *esse necessitatem mali, quoniam*, inquit, *sicut dixisti: Ad faciendum bonum non est libera, perque hoc aliud agere non potest, nisi malum*; voluntatem proinde *ab infamia mali ipsâ quam patitur mali necessitate defendi*. Pressiùs igitur Augustinus rem ipsam explicando subjungit: *Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est. Si enim necessitas nulla peccandi est, ut omittam vim mali eius quod originaliter trahitur*, (id est concupiscentiæ) *hoc enim nullum esse vos vultis: quid patiebatur, quæso, qui secundum vestrum sensum tantâ mole malæ consuetudinis premebatur, ut diceret: Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago?* Hanc enim Scripturam ipse Pelagius Pelagiani auctor dogmatis ita intelligebat, ut esset vox *peccatoris sub lege adhuc positi, qui nimia vitiorum consuetudine velut quadam teneretur necessitate pec-C candi: & quamvis bonum appeteret voluntate, usu tamen præcipitaretur in malum*; sicut ipsissimis Pelagij verbis ex libro ejus tertio de libero arbitrio desumptis, Augustinus refert. Pergit igitur Augustinus in asserenda peccati necessitate: *Deinde*, inquit, *cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem nesciunt, ipsam boni appetendi malique vitandi ignorantiam patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quid non debeat facere, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta iuventutis, & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum si non imputaret Deus iustus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis. Vnde dicit & Dei famulus Iob: Signasti peccata mea in sacculo, & annotasti si quid invitus commisi.* Cùm vero insultaret Augustino Iulianus, quod per argumen-

f. 153.
Ibid. f. 154 & 155.
Ibid. f. 155.
Lib. de grat. Christ. c. 39.
Lib. 1. oper. imperfect. loco cit.

argumenta sua *totum figmentum necessitatis evanesceret*, eo quod voluntas non posset convinci rea, nisi quæ potuit utique tam bonum velle, quàm malum voluit. Rursus Augustinus duas illas necessitates velut peccandi radices tangit, ignorantiam scilicet & concupiscentiam: *Necesse est ut peccet à quo ignoratur iustitia: nunquid ideo* (Ibid. f. 159.) *cum iustitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit? Aut quia iam cognovit, quemadmodum vivere debeat, de ipso* (forte, de seipso) *ei præsumendum est, ut iustè vivat, & non de illo, cui dicitur: Ne nos inferas in tentationem? Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi, sed ut non obsit ista necessitas donat ille cui dicitur: De necessitatibus meis erue me. Donat autem duobus modis, & præteritam dimittendo iniquitatem, & opitulando ne intremus in tentationem. Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus* Hinc ulteriùs Iulianum ex proprijs principijs jugulat, juxta quæ disserat, affectionales quasdam qualitates malas ita homini inhærescere, ut aut magnis molitionibus, aut nullis omnino separentur. *Quis-* (Ibid. f. 156.) *quis ergo*, inquit, *eâ timiditate peccaverit, quæ ab illo non potest separari, quid aliud quam necessitate peccabit? Sed vos ista peccata ex illis venire peccatis, quæ nulla necessitate commissa sunt, in illo saltem conceditis, qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago. Qui enim ut istam pateretur necessitatem, non nisi peccandi consuetudine premitur, procul dubio priusquam peccaret, nondum necessitate consuetudinis premebatur. Ac per hoc etiam secundum vos, peccandi necessitas unde abstinere liberum non est, illius peccati pœna est, a quo abstinere liberum fuit, quando nullum pondus necessitatis urgebat.* Ex hoc ergo argumento ad hominem, quia fatebantur Pelagiani eos, qui malo inolitæ consuetudinis premebantur, quadam peccandi necessitate teneri, & quamvis bonum appeterent voluntate, usu tamen præcipitari in malum (ut supra ex Pelagio diximus) concludit Augustinus multò invictissimè propositum suum de peccandi necessitate, quæ ex concupiscentia illa universali omnibus omnino creatis bonis inhiante nascitur: *Cur ergo non creditis tantum saltem va-* (Ibid. f. 156.) *luisse illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, ut eo vitiaretur humana universa natura, quantum valet nunc in homine uno secunda natura? Sic enim à doctis appellari consuetudinem nos commemorandos putasti. Cùm igitur & illa fateamur in hominibus esse peccata; quæ committuntur non necessitate sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt, unde ab eis liberum est abstinere: Et peccata de ignorantia vel affectionum necessitate venientibus, quæ iam non solum peccata, verùm etiam pœnæ sunt peccatorum, plenum sit genus humanum, quomodo duis definitionibus nostris peccatum nec in moribus invenitis?* Quibus verbis retundit illud acumen Iuliani, quo putabat, peccata hoc ipso quo necessaria, non jam esse peccata, utpote quæ peccata esse non possent, nisi voluntas quæ peccaverit *illo ipso tempore, quo peccat, potestatem habeat recedere a malo & facere bonum, ut constet ratio* (Lib. 1. oper imper f. 141.) *libertatis*, sicut ad fastidium usque in eodem opere Iulianus repetit. Totis enim viribus dogma illud Pelagianum asserit Iulianus, evertitque Augustinus; Non posse esse peccatum, juxta definitionem Augustini olim datam, nisi ab eo sit liberum abstinere: *Neminemque* (Ibid. f. 122) *esse vel bonum vel malum, cui non sit liberum esse contrarium.* Cùm ergo Iulianus hanc planissimam Augustini mentem intelligeret, sicut verba sonant, eam exprimit sæpissimè sicut nos eam explicuimus, ita videlicet, ut peccato primi hominis liberum arbitrium quasi alterâ alâ truncatum fuerit, hoc est, libertate faciendi boni; neque alia libertas manserit reliqua ante fidem, nisi quâ malum possit facere, non tamen à malo recedere: eodem videlicet modo, quo beatis dicimus ademptam esse libertatem faciendi mali, sola superstite libertate boni, quam non possunt amplius ab arbitrio suæ voluntatis excutere. Quicquid enim volunt, vel se velle volunt, sub ratione boni honesti ac divini volunt. Hinc igitur illa verba Iuliani, quibus crebrò mentem Augustini clarissimè ob oculos ponit: *Voluntas, sicut dixisti,* (Ibid. f. 155) *ad faciendum bonum non est libera, per quæ hoc aliud agere non potest nisi malum.* Et iterum: *Tu putas, quia libertate solum peccatur.* Et alibi lu- (Lib. 1 operis imperf. f. 16.) culentissimè mentem Augustini esse dicit, quòd *arbitrij libertas primo est eversa peccato, & in omni deinceps hominum genere manca adeo remansit, ut* (Lib. 2. operis imperf.) *non sit ei possibile, nisi tantummodo malum facere.* Itemque rursum, quod *non habeat in facultate electionem partis alterius, id est, recedere a malo, & facere bonum: sed iniquitatis necessitate depressa, appetentia criminum pariter compellatur.* Cujusmodi objectiones ex Augustini mente semper intelliguntur de statu liberi arbitrij sub lege, seu ante gratiam atque fidem, hoc est, de libero arbitrio, sicut cum hominibus nascitur, & antequam per Christi gratiam reparetur: earumque veritatem nunquam diffitetur Augustinus; sed semper magis magisque verissimam esse profitetur, vel semel explicatam tacitus prætermittit.

CAPVT

CAPVT XII.

Idem sensus Augustini asseritur ex alijs ejus scriptis, tàm contra Manichæos, quàm contra Pelagianos exaratis.

QVOD siquis etjam cetera Augustini scripta adversùs non solùm Pelagianos sed etjam Manichæos explorare velit; eandem doctrinam in eis luculentè traditam de peccandi necessitate, in quam primi hominis peccato incidimus, & de duabus illius necessitatis causis, cæcitate seu ignorantiâ, & difficultate seu concupiscentiâ, quam sæpius infirmitatem vocitat, deprehendet. Nam cum utrisque illis hæreticis, ex diversis capitibus, hac de re non exiguum certamen fuit. Manichæi enim, ut suprà diximus, ex illa concupiscentiæ importunitate colligebant, malam naturam nobis esse permixtam, quæ in nobis sine arbitrij nostri libertate peccata fingeret: & hanc libertatis inopiam ex naturæ nostræ institutione contigisse. August. contrà docet, naturam hominis cum arbitrio liberrimo sine cæcitate, sine concupiscentiæ renitentis infirmitate primitùs esse conditam; sed ex male usa hujusmodi libertate peccandi necessitatem accidisse: ita videlicet ut illa peccandi necessitas, quam & Manichæi & Augustinus in homine esse animadvertebant, & admittebant, & esse fatebantur, *non esset natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Et hinc est quòd Augustinus adversus Manichæos primum soleat libertatem primæ conditionis asserere, & statim ad causam erroris eorum respondendo dicere, illam peccati legem, peccandique necessitatem, quam omnes homines ante gratiam sentiunt, peccati præcedentis esse supplicium. Nam hinc illa adversùs Fortunatum Manichæum: *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet Dei præcepta servare. Postquam autem libera ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus.* Et infrà iterum hanc necessitatem miseriam vocat: *Peccavit anima, & ideo misera est. Liberum arbitrium accepit, usa est libero arbitrio quemadmodum voluit: lapsa est, excidit de beatitudine, implicata miserijs*; nempe illis de quibus agebatur cæcitate, & bene vivendi difficultate. Et libro secundo de actis cum Felice Manichæo: *Si voluntas est in peccando, natura non est quæ cogat. Sed siquid infirmitatis patiuntur, qui non possunt implere quod volunt (unde Apostolus Paulus dicit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati) manifestum est hoc venisse de traduce primi peccati Adam, & de consuetudine mala. Nam hodie libera voluntate faciunt homines consuetudinem quam cùm fecerint, facile superare non possunt. Ipsi ergo sibi de* A *seipsis fecerunt, quòd contraria lex habitet in membris eorum.* Et hæc est perpetua ejus doctrina contra Manichæos.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 18. — *Disp. 2. cum Fortunato.* — *Lib. 2. de actis cum Felice c. 8.*

Adversùs Pelagianos verò viribus libertatis tribuentes pugnam & victoriam contra illas peccati pœnas, cæcitatem & concupiscentiam, quas peccando meruimus, vel etjam prorsus negantes esse pœnas, sed innoxios primæ conditionis affectus & effectus, longè exertius docet, illas esse gravissimas primi peccati pœnas, per quas libertas peccandi & non peccandi, quæ fuit olim, in peccandi necessitatem commutata est. Hinc illud contra Pelagium, qui molestissimè ferebat cum omnibus discipulis suis illam arbitrij infirmitatem ad cavenda peccata in viris bonis, illamque peccandi necessitatem in infidelibus, quam tradebat Augustinus: *Nec cogitat, prævaricatorem legis quam dignè lux deserat veritatis, quâ desertus utique fit cæcus, &* B *plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat: ut ideo tantum audiat vocem legis, quâ admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Quam tamen ipsam ne quidem implorare poterit, nisi jam pia voluntas per fidem facta fuerit. *In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est*, ut alibi dicit. Et inferiùs adversus illam peccandi necessitatem, qua superbiam nostram à Deo frangi prædicabat Augustinus, sic insurgit Pelagius: *Quomodo Deo pro illius peccati reatu subditum esse poterit, quod suum non esse cognoverit?* Hoc est, quomodo humilitatem discet ex illo peccato, quod non est suum, eo quòd non sit liberum, sed necessarium? Sic enim se statim explicat: *Suum enim non est* inquit, *si necessarium est. Aut si suum est, voluntarium est: & si voluntarium, vitari potest.* Cui Augustinus: *Suum est omnino: sed vitium quo committitur nondum omni ex parte sanatum est: quod quidem ut inolesceret, de non rectè usa sanitate* C *descendit. Ex quo vitio jam malè valens, vel infirmitate vel cæcitate plura committit.* Nam illa duo, sunt illa peccandi necessitas, de qua loquimur. Vnde inferiùs in eodem libro cum dixisset Pelagius ex Hieronymo: *Liberi arbitrij nos condidisse Deum, nec ad virtutem, nec ad vitia nos necessitate trahi*; refert hanc sententiam Augustinus ad primi hominis conditionem; nunc autem ante gratiæ liberationem nos peccandi necessitate constringi. *Quis*, inquit, *non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* Scilicet in primo homine. *Sed in rectè faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis*; hoc est, ideo non est nunc in quibusdam hominibus peccandi necessitas, quia per charitatis gratiam liberantur:

Lib. de nat. & grat. c. 22. — *Lib. 1. Retract. c. 15.* — *Lib. de nat. & grat. c. 30.* — *Ibid.* — *Lib. de nat. & grat. c. 65.*

rantur: qua non subveniente, quid sunt homines, nisi velut muta animalia procreata naturaliter in captivitate & interitu? Sicut alibi ex Apostolo Petro dicit. Unde & hic subjungit: *Quod autem ex vitiis natura, non ex conditione naturæ* (quo verbo Hieronymus usus fuerat) *fit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque ut eadem necessitas non sit, discat Deo dicere: De necessitatibus meis educ me: quia & in hujusmodi oratione certamen est adversus tentatorem de ipsa contra nos necessitate pugnantem. Ac per hoc opitulante gratia per Iesum Christum Dominum, & mala necessitas removebitur, & libertas plena tribuetur.* Quibus verbis significat, per solam gratiam nos ab illa peccandi necessitate liberari. Qua proinde non liberante, necessitas illa partes suas agit, & ita premit eos quos sibi subjectos tenet, ut eis à peccando abstinere non sit liberum: & quamvis supplicio legis territi abstinere subinde velint, abstinere tamen non possint. Quod mox in eodem loco, quamvis in libris de libero arbitrio uberiùs tradiderit, duarum pœnarum supradictarum allegatione perspicuè docet: *Sunt etiam*, inquit, *necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non potest. Nam unde sunt illæ voces: Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago?* Et hanc infirmitatem, qua homo non habet, ut ipse loquitur, liberum arbitrium eligendi quid rectè faciat, nec possit implere quod elegerit, ex peccati primi supplicio proficisci tradit: quæ nos paulo ante ex libris de libero arbitrio allegando declaravimus.

Lib. de nup. cap. 8.
Lib. de nat. & grat. c. 67

Ibid.

Præclarissimè verò, & lucidissimè eandem illam peccandi necessitatem tradit & explicat libro de perfectione justitiæ contra Celestium Pelagii discipulum acutissimum, & versutissimum. Cùm enim ille dilemmate urgeret, utrum naturæ necessitate, an arbitrii libertate peccaremus? Eo scopo scilicet, ut ex necessitate culpam abesse: ex libertate culpam vitari posse concluderet: respondet ei Augustinus categoricè, & rem à fundamentis, causasque jam dictas necessitatis illius explicat: *Respondetur*, inquit, *per arbitrii libertatem factum est, ut esset homo cum peccato, sed jam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem: unde ad Deum fides clamat: De necessitatibus meis educ me.* Ecce peccandi necessitatem & ejus originem ex libertate profectam. *Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere.* Ecce causas ejus cæcitatem, & concupiscentiæ infirmitatem cum quibus nati sumus. *Nam & ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur: Si inquit, vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Ecce quomodo libertas solius fidei liberatoris effectus & præmium est. *Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia Scriptura dicit: A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Ecce adductum libertatis interitum per illam peccandi necessitatem; utpote quæ non sit aliud, nisi dura, & humanis viribus inextricabilis sub victore peccato servitus & captivitas.

Lib. de perf. iust. c. 4.

A Hinc fidei liberatorem implorantis, & gratiæ arbitrium ab illa servitutis necessitate liberantis indigentia. Quid enim opus liberatore gratiaque liberante, si ad bonum faciendum ante fidem sumus liberi, neque sub victrice peccati cupiditate captivi? *Sicut ergo non est opus sanis medicus, sed male habentibus: ita non est opus liberis liberator, sed servis; ut ei dicat gratulatio libertatis: Salvasti de necessitatibus animam meam.* Quid est igitur, Doctor profundissime, quid tandem est illa libertas ad agendum bonum, quam interiisse dicis, ut liquidò intelligamus, eam in arbitrio peccati servo superesse nullo modo posse? *Ipsa enim sanitas est vera libertas; quæ non periisset, si bona permansisset voluntas.* Cùm vero sanitas non sit aliud, ut ibidem & aliis locis crebrò tradit, nisi *charitas*; quis sanæ mentis vel ambigere possit, libertatem arbitrii ad bonū charitate velut sanitate pereunte periisse, & ante restitutam liberatoris fidem superesse non posse? Quid ergo reliquum esse potest in arbitrio à victore peccato; hoc est, à victricibus peccandi cupiditatibus nondum fide liberato, nisi peccandi necessitas? Unde pergit Augustinus: *Quia vere peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.* Quando igitur tandem plena arbitrii libertas erit, quā nullā omnino neque mortaliter, neque venialiter, neque in singulis actibus; neque in aliquibus per intervalla surrepentibus peccandi necessitate teneatur? Audi: *Donec tota saneiur infirmitas, concupiscentiæ, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat beate vivendi voluntas, ita sit etiam bene vivendi, & nunquam peccandi voluntaria felixque necessitas.* Ecce peccandi necessitatem & benè vivendi libertatem divinissimè continuæ orationis filo explicatam, mutuæque collationis antithesibus illustratam mirabiliter. Nam illa necessitas & libertas diametrali se invicem contrarietate perimunt: ita videlicet, ut pereunte charitatis tanquam sanitatis libertate, adsit plena peccandi necessitas; deletaque vicissim peccandi necessitate sit benè faciendi plena libertas; quia sublatā omni concupiscentiæ infirmitate ita plena fit charitas ut sit quædam benè vivendi & nunquā peccandi voluntaria felixq; necessitas. Quæ sicut in illo bonæ libertatis fastigio non tollit, sed potiùs ponit in singulis actibus perfectissimā perpetuamq; benè agendi libertatē; ita è contrario in illa malæ libertatis abysso peccandi necessitas non tollit, sed potiùs ponit in singulis actibus perfectissimam perpetuamque peccandi libertatem. Inter illa verò duo extrema, vita credentium in Liberatorem incedit media: in qua iisdem gradibus crescit sanitas charitatis; & concupiscentiæ infirmitas diminuitur. Quod interea dum fit, inexpiabili bello libertas novi hominis cum veteri illa peccandi necessitate luctatur: ut tanto rarius veteris concupiscentiæ servitute peccemus, quanto libertas à cupiditatibus vincentibus, quam charitas tribuit, fuerit auctior & firmatior;

Ibid.

Ibid. c. 3.

Ibid.

B

C

D

tanto

tanto crebriùs, quanto languidior. Sicut enim amor creatarum rerum non potest nisi solius creatoris amore superari; ita nec potest arbitrium ab ejusdem amoris omnia peccata perpetrantis vinculis, nisi solius creatoris amore liberari. Nemo doctrinam istam in Augustino exploratissimam, in veritate certissimam, in Scripturis, Catholicâque fide fundatissimam suspectam habeat; nemo miretur velut novam; nemo adversus velut duram stomachetur. Veritas ejus Pelagianam hæresim fregit, & extinxit; sine qua Julianum, Celestium, ac Pelagium impossibile est, superari. Antiquitas ejus omnes sanctos ab Ecclesia condita peccati victores, & à cupiditatum vinculis ad bonum liberos fecit; durities ejus, si tamen veritas ulla dura dici debet, omnes electos veraciter humiles reddidit. Mali enim illius, quod ignorantiam & concupiscentiam dicimus, sunt occulta & dira contagia, quæ nullâ Philosophiæ subtilitate penetrari ac detegi possunt, seu solummodo obscurari. Vincula ejus sunt adamantina, quæ nullis exultantis arbitrij viribus solvi vel superari; sed tantummodo artiùs stringi possunt. *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum*: qui servis tuis fugitivis pœnales fecisti compedes, ut ipsâ duritie servitutis attriti, vel sic tandem sciant & videant, *quia malum & amarum est eu reliquisse Dominum*; ut vel sic impressa & eculsitus illa primigenia superbia, qua cecidimus, superetur, dum nostrũ

Psalm. 118.

Hierem. 2.

nihil agnoscimus, ac datur totum Deo: ut vel sic ex ipsa tanta liberationis molestia discant cautiùs hic & suspensiùs in reddita sibi nonnulla charitatis libertate ambulare cum Deo, ne ampliùs eis peccare sit lusus, rursumque in illam horrendam concupiscentiæ servitutem relabantur. Hi sunt fructus superbo nostro generi maximè in hac vita necessarij, quos Deus in suis electis ex horribilis istius pœnæ sensu & contemplatione, & formidine operatur. Bonitas ejus maxima est: sed severitas judiciorum profundissima. Iniquitatem enim peccati tanto graviorem, quanto faciliùs homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna justissima subsecuta est, ut mercedem mutuam peccati sui in semetipso reciperet, amittens sub se positam sui corporis quodammodo & animi obedientiam quam præcipuam sub Domino ipse contempserat. Quid miramur, quid stomachamur, & ad veritatem frendimus? Nos ipsi iracundiam ejus provocavimus; & peccato victi, supplicium justissimum peccati servitutem accersivimus. Nam ut optimè Augustinus dicit: *Sola hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non potest.* Et alibi: *Natura nostra dura necessitas merito præcedentis iniquitatis exorta est.* Quapropter saluberrimè hac de re sanctissimus doctor consulit: *Neque adversus Deum murmurare, neque contra rem manifestissimam disputare; sed pro pœna nostra illius misericordiam quærere & orare debemus.*

Lib. de perfect. just. c. 6.

Lib. 1 Retract. c. 1.

Lib. de nat. & grat. cap.

CAPVT XIII.

Non discrepat hæc Augustini doctrina à fide Catholica, juxta quam ipsemet profitetur, hominem habere liberum arbitrium ad malum & bonum.

HANC igitur Augustini doctrinam tanquam in scriptis ejus exploratissimam certissimamque supponentes, duo adhuc præstare debemus. Primum declarandum est, quomodo ea possit cum illa solemni, & sæpiùs iteratâ Augustini consistere, qua supra dixit, ad placandos Pelagianos, non perijsse liberum arbitrium de humano genere; maximèque qua asseruit nos adhuc post lapsum habere liberum arbitrium ad bonum & malum. Secundum, qua ratione tota hæc doctrina de sublata boni libertate inductaque peccandi necessitate intelligenda sit, utrum respectu singulorum actuum, an generatim dumtaxat ad implendam totam justitiam, universaque peccata, vel saltem mortalia declinanda: hoc est, utrum arbitrium libertate careat, qua faciat vel unum & minimum opus bonum: an verò tantummodo, qua totam justitiæ legem impleat, ab omnibus omnino declinando peccatis. Miris enim tricis planissima Augustini mens à Scholasticis radicem ejus non penetrantibus implicata est.

Ad primum igitur quod attinet, duplici sensu intelligi potest, liberum arbitrium perijsse de humano genere. Primus est, ut ipsa potentia, quæ non est aliud, nisi voluntas qua aliquid volumus, perijsse censeatur: alter, ut status voluntatis, secundum quem aliquid potest liberè velle, salvâ licet potentiâ, interierit. Pelagiani igitur quando impingebant Augustino calumniam illam, quod liberum arbitrium per peccatum interijsse traderet, non juxta primum, sed juxta secundum sensum loquebantur. Iulianus enim sæpius & apertè profitebatur juxta Augustinum, Voluntatem velle posse malum, sicut ex superioribus satis intellectum est. Velle autem non potest sine potentia voluntatis. Sensus igitur calumniæ Pelagianæ fuit, quòd iuxta doctrinam Augustini status liberæ voluntatis perijsset, ita videlicet, ut quicquid jam homo vellet, sive bonum, sive malum, non jam ampliùs

amplius liberâ voluntate vellet; eo modo quo nos diceremus, somno perire libertatem: non quasi potentia voluntatis auferatur; sed quia status libertatis tollitur, ut illo impedimento præpedita, nullo motu libero voluntas dormientis moveatur. Inde porro ista Pelagiana accusatio profecta fuit, quòd libertatem voluntatis in eo essentialiter sitam esse crederent, quòd voluntas simul posset velle bonum & malum. Quod partim ex antè citatis Iuliani testimonijs, partim & uberiùs ex Pelagianorum dogmatum explicatione liquet. Hic unum aut alterum locum allegasse sufficit. Nam hinc ista Iuliani formalis definitio: *Libertas arbitrij, qua à Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati & abstinendi à peccato possibilitate consistit.* Ex qua colligit consequenter paulo pòst: *Et boni possibilitas & mali bona est: quoniam per se bonum facere laus virtutis est; posse malum facere testimonium libertatis.* Itaque addit: *Possibilitas est ad hoc solum excubans, ne homo vel in peccatum à quoquam impellatur, vel à peccato abstrahatur voluntate captivâ.* Libertas enim secundum ipsum est *propulsatrix necessitatum*, ut *nemo sit vel bonus vel malus, cui non sit liberum esse contrarium.* Ex quibus & similibus locis perspicuum & certum est non agnovisse Pelagianos ullum actum liberum, sive bonum, sive malum, qui non à libero arbitrio cum illa indifferentia contrarietatis efflueret. Nam hinc factum est, ut cùm Augustinus dixisset: *Voluntas quæ libera est in malis, libera in bonis non est*; Iulianus hoc acerbissimè reprehenderet: *Non minore plane,* inquit, *stultitiæ professione quàm profanitate, liberum vocas, quod dicis nisi unum velle non posse.* Cùm igitur illa esset fixissima Pelagianorum, & eorum judicio indubitatæ veritatis & certitudinis sententia, nemini mirum videbitur, cur Augustinum tam amarulentis convitijs incesserent. Putabant enim apertissimè negari ab ipso libertatem arbitrii, atque non solùm in actibus bonis, quod ultro apertissimè Augustinus fatebatur; sed etiam in malis: quia, ut jam audivimus, *stultum* esse putabant hoc *liberum dici, quod nisi unum* (scilicet contrariorum seu solum malum) *velle non posset.*

Vide lib. 1 de hæres. Pelag. c. 1. & 2. Lib. 1. oper. imper f. 118.

Fol. 120.

Fol. 121.

Eodem lib. 1.

Ibid. f. 130.

Cùm igitur iste sit calumniæ Pelagianæ sensus, perfacile est intelligere, quo sensu Augustinus illam depellendo, liberum arbitrium de humano genere perijsse neget. Nam quamvis sentiat, & constanter doceat, libertatem ad bonum peccato perijsse, ita ut antequam per fidem & gratiam liberetur, non possit quicquam facere operis boni; non tamen idcirco judicio & sensu Augustini sequitur, liberum arbitrium, sive potentiam spectes, sive statum, juxta quem aliquid liberè velle potest, peccando perijsse. Nam saltem antequam per fidem liberetur, liberum arbitrium liberrimè peccare potest, quamvis in illo statu bonum velle non possit. Nam ad actum liberum non requiritur indifferentia contrarietatis, non diffitentibus illam veritatem etiam Neotericis: cùm hoc in Dei, & Angelorum, atq; hominum beatorum libertate manifestum sit. Meritò igitur etiam sublatâ per peccatum boni agendi libertate, negat Augustinus liberum arbitrium de humano genere perijsse. Vt summum enim sequitur ex illa servitute, qua sub peccato sibi dominante captivum jacet, libertatem arbitrij ad pauciores actus, videlicet ad solos malos coarctatam esse: quemadmodum vice versâ ex immobili illa servitute justitiæ, qua divini amoris vinculis captivi, Deo felici necessitate serviunt, sequitur arbitrium voluntatis ad solos actus bonos restrictum esse, sine præjudicio libertatis. Vtrobique enim ad actus sibi convenientes, sive malos tantùm sive bonos tantùm, incolumis manet. Hoc igitur sensu negat semper August. liberum arbitrium perijsse, quia videlicet non perijt ad malum; quamvis ad bonum nullum sit nisi per gratiam antè liberetur. Cui sensui asserendo plurima & luculentissima edidit testimonia, quorum nonnulla suprà dedimus. Nam hinc illud ad Bonifacium: *Arbitrium fuit in malo liberum dicimus: ad agendum vero bonum Dei gratia liberandum.* Et illud apertissimum, quo calumniam jugulat: *Libertas quidem perijt, sed habendi plenam cum immortalitate justitiam &c. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non perijt, ut per illud peccent, maxime omnes &c.* Et infra: *Hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* Quæ sententia quia omnium apertissimè mentem Augustini expresserat, sine fuco declarando, post peccatum ante liberatricem gratiam solam libertatem in malis, deletâ funditus boni agendi libertate, remansisse, maximè Iuliani stylum acerbitatemque provocavit: ut propterea dixerit Augustinum *in illo opere audaciùs quid sentiret aperuisse*: imo illa ipsa verba paulo antè citata *stultitiæ & profanitatis* argueret, eo quòd Augustinus profiteretur, *liberum esse* (dixerat enim *libera est in malis, & non in bonis*) *quod nisi unum velle non posset.* Quam tamen suam professionem tantùm abest, ut Augustinus inficietur aut retractet, ut potiùs verissimam esse ex Dei & beatorum libertate probet, & Iulianum errasse scribat, sicut suprà declaravimus. Sexcenta loca produci possent, quibus semper in Pelagianos collimando inculcat Augustinus, eatenus peccato non perijsse libertatem, quia homo manet liber justitiæ, & peccati servus, hoc est, quia libera voluntate peccato servit, quamvis justitiæ servire non possit, nisi eum filius antè liberaverit. Sed in re aperta non est amplius immorandum.

Lib. 3. ad Bonif. c. 9. Lib. 1 ad Bonif. c. 2.

Ibid. c. 3.

Lib. 1. oper. imper. f. 135

Majorem difficultatem habet, quo pacto non solùm liberum arbitrium peccato perijsse neget Augustinus, quod propter libertatem, qua peccata perpetrantur, intellectu facilè est; sed etiam expressè Pelagianis respondendo dicat: *Liberum arbitrium & ad malum & ad bonum confitendum est nos habere.* Et in Epistolâ secunda ad Valentinum: *Catholica fides neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in vitam bonam.* Nam illis locis indifferentiam contra-

Lib. de corrept. & grat. c. 1.

contrarietatis ad bonum & malum videtur etiam post peccatum asserere, & ita præcedenti assertioni suæ strenuè contradicere.

Respondemus, per hæc & similia loca non hoc velle significare Augustinum, quòd arbitrium post peccatum sit adhuc liberum, & indifferens ut faciat bonum & malum, sicut antè peccatum fuerat. Hoc enim illa peccati servitus, & captivitas, cui arbitrium subjugatum est, & liberationis necessitas, & quicquid huc usque tam operosè ex tot & tam multiplicibus Augustini & Pelagianorum testimonijs demonstravimus, prorsus falsum, & directissimè contra Augustini mentem esse convincit. Sed hoc vult Augustinus, liberum arbitrium voluntatis esse id, quo non solum malè, sed etiam benè vivimus, nec vitam tantummodo malam, sed etiam bonam agimus. Per quid autem seu quâ potestate faciamus aut malum, aut bonum, alia quæstio est: cujus solutionem quamvis non illis verbis, tamen alijs plerumque Augustinus adjungere solet; ne quis imperitior fortè suspicetur, quòd sicut neutrum sine libera voluntate nostra fit, sic etiam utrumque indifferenti nostrâ voluntate fiat, etiamsi gratia voluntati non conferat boni agendi libertatem, seu potestatem. Eadem enim sunt potestas boni & libertas boni; cùm hoc sit nobis liberum facere, quod habemus in nostra potestate; hoc non sit nobis liberum, quod non habemus in potestate, seu cujus non habemus potestatem; ut infrà latiùs explicabimus. Hunc igitur errorem præcavens Augustinus, in utroque loco sese explicat. Nam cùm dixisset, nos habere liberum arbitrium, *ad malum & ad bonum faciendum*, nullo interjecto subjicit: *Sed in malo faciendo liber est quisque iustitiæ, servusque peccati*, hoc est, per se liber est, non opus est aliquo, qui arbitrium faciat liberum ad malum: *In bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*. Et in Epistola ad Valentinum, cùm dixisset, Catholicam fidem non negare liberum arbitrium, *sive in vitam malam, sive in bonam*, mox adjicit: *Neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum &c.* Hoc est, non ei tantum tribuit, ut sine gratia liberum sit ad convertendum se ex malo in bonum. Arbitrium enim non valere ad se convertendum, seu non habere potestatem se convertendi, idem est quod non habere libertatem se convertendi, ut jam diximus. Eundem sensum suum perspicuè explicat libro secundo ad Bonifacium: *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus; sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo*, hoc est, in malis per se esse liberum nemine liberante: *ad benè autem piéque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta*; hoc est arbitrium ad bonum non esse liberum, nisi gratiâ liberetur, & non solum liberetur, sed etiam adjuvetur. Illa enim duo disertissimè hic distinguuntur,

Lib. 2. ad Bonif. c. 5.

A latoq; limite inter se differunt, ut suo loco dicendum erit. His igitur & similibus locis plurimis non hoc vult Augustin. quòd arbitrium jam post lapsum ante fidei liberationem adhuc sit liberum ad bonum faciendū & malum: sed hoc tantummodo, quod neq; malè neque benè vivi possit sine libertatis arbitrio: neque enim potest esse actus vel malus vel bonus, nisi liberâ voluntate peragatur: sed unde vel in hanc vel in illam partem illa libertas veniat, & utrum vel per se ipsi arbitrio præsto sit, an aliundè afferatur, pœnè semper post exortos Pelagianos studiosè adjicit, ne quis alioquin pari modo libertatem in utramque partem post peccatum præsto & superstitem esse arbitretur. Duplici enim errore August. jam in finem declinante hæresi Pelagianâ, cingebatur, uno Pelagianorum clamantium, homini *reluctanti* per gratiam *studium veritatis immitti*: imo verò *gra-*

B *tiam sine voluntate nostra in nobis perficere sanctitatem*: altero quorumdam Monachorum, sub Valentino militantium Deo, qui putabant non solùm per gratiam tolli libertatem ad bonum, sed etiam in die judicij hominibus non esse secundum merita rependendum; quasi videlicet hoc ipso quo gratia nos facit facere, etiam libertas ad malum faciendum tolleretur. Vt utrosque confutaret Augustinus profitetur nos habere liberum arbitrium ad bonum & malum, hoc est, utrumque fieri nostrâ liberâ voluntate: sed ita tamen, ut libertatem ad bonum non nisi gratia gratuitò largiatur. Et hinc est, quod in libro de gratia & libero arbitrio ad Monachos illos instruendos exarato, ut probet in homine esse liberum arbitrium ad bonum, totis viribus ea omnia studiosissimè congerit, quæ tantummodo probant, vitam bonam non aliter fieri nisi hominis voluntate; utpote quæ per præcepta, & comminationes

C ipsum velle & nolle provocantes (quæ sine libera voluntate fieri nequeunt) in Scripturis conveniuntur. Hinc est quod similiter adversus Pelagianos libertatem ad bonum sibi ereptam esse per Augustini doctrinam conquerentes, quasi per gratiam sine libera voluntate benè viveretur, sic se tueatur Augustinus, ut dicat se potius defendere liberum arbitrium ad bonum, eo quòd unicam illam causam, quæ libertatem arbitrio captivo tribuit, videlicet gratiam studiosè tueatur: *Quomodo*, inquit, *dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quisquis sua corde credit in Deum, non nisi suâ liberâ credere voluntate, cùm potiùs illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda, & agenda fit liberum?* Breviter utrumque dixit, nec negari à se liberum arbitrium ad bonum, nec sine gratia posse liberum fieri: ut sic intelligeremus non aliter se dixisse quod habeamus post pec-

D catum liberum arbitrium ad bonum, nisi quia bonum fieri nisi liberâ voluntate non potest: quamvis illa libertas per gratiam antè sit largienda, sine qua liberante nullo pacto bonum fieri potest, sed tantùm malum. Quem sensum suum luculentiùs in libris Retractationum

Ibid.

Lib. de grat. Christi c. 7.

Cap. 2. & 3.

Epist. 107.

tionum explicuit. Nam in libris de libero arbitrio plurima cum Manichæis disputando dixerat, quæ significare videbantur, adhuc post lapsum superesse nobis libertatem ad bonum, quamvis eam gratia non tribueret. Dixerat enim, *in voluntate nostra esse constitutum ut fruamur vero bono: voluntate nos laudabilem & beatam vitam degere: tanta facilitate hominem rem tantam assequi, ut nihil aliud ei quam ipsum velle sit habere quod volunt: hominem rectè vivere cùm vult posse: quid quisque sectandum & amplectendum eligat, in voluntate esse positum: neminem naturam suam cogere ut peccet: omne peccatum caveri posse*, & similia multa, quibus Pelagianorum sententia confirmari videbatur, qua tenebant arbitrium adhuc post lapsum non tantùm esse liberum ad malum, sed etiam ad bonum; nec opus esse, ut gratia captivo arbitrio afferat libertatem, qua facere possit bonum. Hæc igitur omnia sic Augustinus explicat, ut neget se libertatem faciendi boni arbitrio post peccatum tribuisse; sed tantummodo hoc se testimoniis istis profiteri quod vita bona, & laudabilis, & beata, & peccati devitatio fieri nullo modo queant sine libera voluntate: quæ tamen libertas voluntatis nisi per gratiam tribuatur, nihil illorum, quæ commendaverat, à captiva sub concupiscentiis voluntate possit fieri. Sic igitur ipse loquitur, postquam sua supradicta testimonia in favorem voluntatis liberæ prolata retulisset: *In his atque hujusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani vel putare possunt suam nos tenuisse sententiam: sed frustra hoc putant. Voluntas quippe est, qua & peccatur, & rectè vivitur; quod his verbis egimus.* Ecce quâ ratione sentiat nos habere liberum arbitrium ad bonum, nimirum, quia non fit sine libera voluntate: quod verissimum est, etiamsi illa libertas jam desit nobis, antequam per gratiam Deus eam quibus voluerit largiatur. Audi Augustinum hoc ipsum præcedentibus verbis adjungentem: *Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratiâ* LIBERETUR, hoc est, libera fiat *à servitute qua facta est serva peccati; & ut vitia superet adjuvetur, rectè pieque vivi à mortalibus non potest. Et hoc divinum beneficium, quo liberatur, nisi eam præveniret, jam meritis ejus daretur, & non esset gratia; quæ utique gratis datur.* Quasi diceret, tametsi bene vivi non possit sine libera voluntate, & eatenus habeamus liberum arbitrium ad bonum, nisi tamen voluntas libertatem illam per gratiam accipiat, nunquam libera fiet, ut benè vivi possit: quia benè vivi sine libera voluntate non potest. Nec minori perspicuitate in eodem libro hoc egit alibi. Nam quærens, *utrum & peccatum & rectè factum in libero sit voluntatis arbitrio*; statim adjicit: *quod ita esse omnino verissimum est.* Ecce etiam rectè factum etiam post lapsum est in libero voluntatis arbitrio: nempe, quia sine libero voluntatis arbitrio fieri nequit. Vnde verò ista libertas arbitrij ut rectè faciat? Audi: *Sed ut ad rectè faciendum liberum sit Dei gratiâ liberatur.* Tanquam certum relinquens, nisi gratia liberetur, nullo modo esse posse liberum ad rectè faciendum. Rursum cùm dixisset, *in nostra positum esse potestate mutare voluntatem & operari bonum*; quo significasse videbatur, liberum esse nobis aliam voluntatem assumere, cùm hoc sit liberum, quod est positum in nostra potestate; dubium tollit per hoc quod exponens adjicit: *Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus*, quæ scilicet tribuendo potestatem boni operis tribuit etiam libertatem. *In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem*: Ecce libertatem arbitrij ad bonum: *sed ea potestas nulla est: nisi à Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: quasi diceret, sed ea libertas nulla est, nisi à Deo detur. *Cùm enim hoc sit in potestate*, & consequenter liberum nobis *quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate* hoc est, tam liberum *quam ipsa voluntas est*, seu volitio: *sed præparatur* seu datur *voluntas à Domino. Eo modo ergo dat potestatem.* scilicet dando voluntatem seu volitionem, & consequenter libertatem. *Sic intelligendum est & quod dixi postea, in nostra potestate esse*, id est, liberum esse nobis, *ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi ejus severitate mereamur: quia in potestate nostra non est*, seu non est liberum, *nisi quod nostram sequitur voluntatem*: quod scilicet cùm volumus facimus. Quibus verbis videbatur nobis asserere libertatem arbitrij etiam ad bonum. Sed audi, unde & quando nobis illa libertas arbitrij: *quæ cum fortis & potens præparatur à Domino*, id est, cùm Dominus fortem potentemq; inspiraverit homini voluntatem, quod nunquam fecit, aut facit, aut faciet ante fidem, *facile fit opus pietatis etiam quod difficile atque impossibile fuit*: quasi diceret, tunc opus pietatis est liberum nobis, quia in nostra jam divinitus positum potestate.

Ex quibus omnibus rectè colligas, non alio sensu nobis post lapsum ante reparationem superesse libertatem arbitrij ad bonum, nisi quia arbitrium est tantummodo capax boni, hoc est, quia Deo quod amissum est reparante, actualem libertatem boni faciendi recipere potest. Per hoc enim ipsum, quòd imago Dei est, licet attrita jam vanitate, & obsoleta vetustate, libertatem potestatemque bonæ voluntatis recipere, eâque receptâ bonum iterum velle, ac diligere, & operari potest. Et in hoc differt Augustini sententia à perversitate Manichæa, quæ delirabat, statum illum in quo nascimur carni subditi, & sub peccato seu sua concupiscentiæ dominatione captivi, esse naturalem hominis statum; ita videlicet, ut natura ejus ista esset naturaliter mala & incapax boni. *Manichæus immutabilem substantiam mali*, inquit Augustinus, *naturæ Dei sui miscet insanus, & eandem naturam Dei potius corruptibilem facit, & sub aliena natura vult esse captivam. Fides autem Catholica bonam, sed tamen mutabilem creaturam in deteriorem voluntate: ac per hoc depravata sua vitiataque naturâ, non sub aliena substantia, sed sub peccato suo reum dicit similiter detineri.* Nullo ergo modo Manichæum sapit, quisquis ponit, naturam humanam bonam esse & liberam conditam; sed propriæ volunta-

Marginal notes: Lib. 1. Retract. cap. 9. — Ibid. — Lib. 1. Retract. c. 26. — Ibid. — Lib. 1. oper. imper. f. 1.

voluntatis vitio boni faciendi libertate spoliatam, & gratiæ beneficio reparabilem. Hoc enim Catholica fides docet, & hoc ipsum docendo Manichæum destruit, qui nec vult bonam esse conditam, neque cum libertate faciendi boni: sed sicut nunc nascitur sub peccato captivam, nec vitij deletione, sed sola naturarum separatione posse liberari. Eandem illam recipiendæ libertatis bonæ capacitatem nobis tantummodo esse reliquam significavit Augustinus alibi disertissimè. Cùm enim ageret de donis Dei, quæ per gratiam ita tribuuntur, ut libertatem operandi boni vel secum invisibiliter conjunctam habeant, qualis est charitas, vel ita præcedant, ut precibus impetrent, qualis est fides; *Posse* inquit, *habere fidem, sicut posse habere charitatem, natura est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere, charitatem, gratia est fidelium.* Quod nomine charitatis in libertatem mutato, eodem modo parique veritate de libertate arbitrij ad benefaciendum dici potest: posse recipere libertatem operis boni natura est hominum: recipere autem libertatem, gratiæ est fidelium. Charitas enim est illa vera libertas, qua arbitrium à peccati dominantis captivitate liberatur, ut suo loco demonstrabitur: quæ libertas sicut & charitas sola gratiâ Christi restituitur. Vnde succinens Augustino Prosper in asserenda Catholica sententia, destruendaque Manichæa: *Nec naturali, sed captivo motu versatur in vitia, donec moriatur peccato, & vivat Deo: quod sine gratia Dei facere non potest: quia libertatem, quam libertate perdidit, nisi Christo liberante non recipit.* Et ut ostenderet, quantopere malorum hominum arbitrium à boni operis faciendi libertate remotum sit, & quàm arctè sub concupiscentiæ servitute captivum, audet ac dicit: *Hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio, dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio*, hoc est voluntatis mutatio qua liberè velint id quod amiserunt bonum. Nam ut Augustinus de libero arbitrio diaboli dicit: *Regit filios* diffidentiæ seu incredulos *ad arbitrium suum:* quod *nec ipse habet liberum ad benefaciendum; sed ad maximam malevolentiam pœnâ sui sceleris obduratum. Vnde nemo sana fidei credit, aut dicit, hos apostatas Angelos ad pristinam pietatem correctâ aliquando voluntate converti.* Et de libero arbitrio hominis, qui ad arbitrium diaboli regitur: *Responde, quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberum habeamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum. Vnde nos si, quemadmodum dicit Apostolus, Deus eruit, ipse utique illud liberum fecit.* Si Christus illud eruendo liberum facit, nec aliter liberum fieri potest, profectò illud non eruendo, in æternum captivum, hoc est, non liberum permanet: hâc solâ inter arbitrium dæmonum & infidelium superstite differentiâ, juxta doctrinam Prosperi & Augustini, quod obdurato illorum arbitrio nulla est in æternum servata conversio seu arbitrij liberatio; horum arbitrium, si Christus in hac vita misereatur, liberari seu liberum ad benefaciendum fieri potest.

Lib. de prædest. SS. c. 5. — *Resp. ad 5. obiect. Vincent.* — *Ad 6. obiect. Vincent.* — *Epist. 107. ad Vitalem.*

CAPVT XIV.

Proponitur ac declaratur, quomodo illa de amissa boni faciendi & à peccato abstinendi libertate, peccandique necessitate intelligi debeant.

DEclaranda jam superest secunda difficultas, quam præcedenti capite tetigimus, quo videlicet modo intelligi debeant, quæ suprà de amissa boni faciendi & à malo abstinendi libertate, ipsaque peccandi necessitate dicta sunt. Multi enim Philosophicis magis hac de re disputationibus & cogitationibus, quam Ecclesiasticæ doctrinæ regulis assuefacti, ad amissam omnem boni faciendi libertatem, & incumbentem humano generi peccandi necessitatem quasi ad Manichæum spectrum exhorrescunt. Quod ut fugiant quàm longissimè, incognitâ sanctissimo Doctori ac discipulis ejus posticâ aperuerunt. Hoc est, excogitatis ex Philosophia gentium effugijs, quæ nunquam antiquis illis Patribus ad rem illam explicandam vel in mentem venerunt, doctrinam eorum immutarunt. Quapropter genuina eorum sententia paulo operosius eruenda est, ut omnibus pateat, quàm apertè recentiores à fundatissima & Ecclesiæ antiquæ receptissima doctrina discesserint. Mentem enim eorum tam esse perspicuam ausim dicere, ut vel ipsos adversarios ejus, eâ propositâ, aut oculos claudere necesse sit, aut doctrinam eorum non aliò torqueri posse, profiteri.

Bonum igitur, ad quod liberum arbitrium vel non liberum esse dicitur, aliud juxta recentiores est spirituale, quod ad vitam æternam utile est, aliud morale. Illud à fide incipi volunt, & in omnibus actibus suis eam supponere; hoc fidem etiam prævenire, & in infidelibus quoque, nedum fidelibus, naturæ & rationis ductum sequentibus posse habere locum. Itaque facilè admittunt, humanum arbitrium respectu actus fidei, spei, charitatis, ceterorumque bonorum operum, ex Christianis illis alijsque infusis virtutibus profluentium, non esse ante gratiam liberum; quamvis respectu virtutum, operumque naturalium, quæ moraliter tantùm bona sunt, liberum ante gratiam esse

Digitized by Google

esse non desinat. Quapropter cùm Augustinus toties dicit, amissam esse peccato arbitrij libertatem, hoc intelligent respectu fidei, veræque justitiæ, hoc est, respectu illorum operum, quæ ex fide Christi proficisci debent, ut ad salutem veram, vitamque æternam aliquid operanti conferre possint. Nam hujusmodi opera non possunt ullo modo à voluntate fieri nisi gratia Dei per Christum IESVM arbitrium ante liberaverit, vel certè adjuverit. Nam arbitrium fieri liberum, in recentiorum scholis jam pœnè inauditum est. Verum hoc esse, neminem fides Catholica dubitare sinit: quæ contra Pelagianos docet, nos neque credere posse Deo revelanti, neque sperare vitam æternam, neque diligere Deum, ut ad salutem expedit, neque bonum ad assequendam vitam æternam conferens posse operari, nisi Deus illa ipsa per gratiam in nobis operetur. Hoc plurima Scripturarum, & Augustini testimonia, & Conciliorum Canones apertissimè docent. Nam hoc voluit Christus, cùm dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus ad Philippenses: *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi.* Et rursum: *Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et in primis ad Corinthios: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? &c.* Quem locum velut invictum ad asserenda etiam minima salutis æternæ bona gratiæ Dei, sæpe Augustinus usurpat. Quæ doctrina pluribus Canonibus Concilij Palæstini, Carthaginensis, Arausicani, ac denique Tridentini confirmata est. Neque quemquam, quòd sciam, Catholicorum sibi habet adversarium; ut non sit opus in ea vindicanda diutiùs immorari.

Joan. 15. *Ad Philipp. c. 1.* *Ibid. c. 2.* *1. Cor. 4.*

Vid. Concil. Palæst. apud Aug. lib. de gest. Pelag. c. 14. & Epist. 106. Carthag. can. 3. 4. 5. Con. Arausic. can. 7.

Sed sicut certum est, hoc Augustinum in primis docuisse, quando tradidit, amissam esse libertatem faciendi operis boni; ita doctrinam ejus longè latiùs patere, non minùs exploratum est. Docuit enim, non tantùm non esse liberum arbitrium nostrum, hoc est, non habere in sua potestate & libertate facere opus veræ pietatis, vitæque æternæ meritorium, nisi antè gratia Christi arbitrium liberaverit, & ad omnem actum, & sermonem, & cogitationem adjuverit; sed etiam non esse liberum, seu non habere in sua potestate facere opera moraliter bona: ita videlicet, ut non solum non habeat potestatem, qua universam justitiæ moralis legem impleat; sed nec illam, qua vel unum opus moraliter bonum operetur. Moraliter autem bonum sensu planissimo hic nihil aliud appellamus, quàm actum quâdam honestate morali ita bonum, ut non sit peccatum, sive ad vitam æternam conferat, sive non conferat. A qua boni moralis notione nec Scholasticos dissentire puto. Sic enim video nonnullos actum moraliter bonum, & actum sine peccato pro iisdem usurpare. Si enim peccatum fuerit, quantácunque exteriori vel interiori honestate vestiatur, nemo eum dixerit esse moraliter bonum: nec ad ejusmodi actum quisquam gratiam arbitrij liberatricem opus esse judicaverit. Huc igitur redit ista disputatio, utrum senserit Augustinus, ac discipuli ejus, & consequenter Catholica Ecclesia, quæ doctrinam eorum in hac parte adversus Pelagianos amplexa fuit, arbitrium post lapsum hominis ita captivum esse, & boni faciendi libertate spoliatum, ut quicquid fecerit ante gratiam, hoc est, ante fidem, unde libertas à peccato incipit, non tantùm nihil ad pietatem & salutem conferat, sed neque sit moraliter bonum, utpote quod sit verum & propriè dictum peccatum? A qua controversia reipsa non differt illa, in qua communiter quæri solet, Vtrum omnia opera infidelium, seu eorum qui carent fide, sint peccata? Nam si peccata sunt, profectò non possunt esse moraliter bona: neque vicissim, si moraliter bona sunt, possunt esse peccata. Alterutrum autem necessarium est, ut vel sint peccata, vel saltem moraliter bona. Nam ea non esse veræ pietatis atque religionis opera, vel salutis æternæ meritoria, apud Catholicos Doctores extra controversiam est.

Bellarm. lib. 5. de gra. & lib. arbit. c. 5 & 9. & 11.

Itaque in hac quæstione indubitatum existimamus, esse illam sententiam sancti Augustini atque discipulorum ejus, quam jam jam diximus, nullum videlicet opus bonum, ne quidem moraliter, ab humano arbitrio posse fieri nisi per gratiam, non quamlibet, sed fidei liberetur: ut proinde ante fidem non sit ei liberum à peccato, dum hîc & nunc agere meditatur, abstinere, sed quocunque sese verterit, quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur. Quâ sententiæ Augustinianæ expressione satis indicamus, quo pacto illa tria, quæ suprà ex sanctissimi Doctoris lucubrationibus demonstravimus, juxta mentem ejus intelligenda sint: perijsse scilicet libertatem ad bonum, non solùm ut non possit ante gratiam totam justitiæ moralis legem implere, sed nec unum quidem opus ejus. Perijsse libertatem abstinendi à peccato ut nec in ullo quidem opere peccati culpam possit effugere: inductam esse necessitatem peccandi, non tantùm in aliquibus actibus, quasi tantummodo significasset Augustinus, non posse hominem ante gratiam sine omni omnino peccato vivere, eo quòd necessariò aliquando cadat: sed sensus ejus est, inductam esse necessitatem peccandi in omnibus actibus; eo quod omnis ejus actus antequam credat peccatum sit, sive peccati tentationem fugere, sive amplecti videatur. Hanc ejus doctrinam, quàm brevissimè fieri poterit, varijs argumentorum classibus confirmabimus. Et quidem ante omnia tria argumenta ex parte legis, quam aliquis sine fide videri possit observare, hîc tantùm leviter delibabimus, potiùs ea tanquam indubitata supponendo, quàm operosè demonstrando, ut quæ accuratiùs tractanda sunt, cùm ad legis naturam & effectus explicandos ventum fuerit.

CAPVT XV.

Ostenditur, non posse unum opus bonum legis fieri ante gratiam ex tribus capitibus, ex vi legis, conflictus cum concupiscentia, & victoriæ contra tentationem.

IN primis igitur S. Augustinus in omnibus operibus suis tanquam veritatem capitalem constantissimè adversus Pelagianos tradit legem, hoc est, præcepta honestæ vitæ, sive spectent pietatem, sive honestatem moralem abstinendi ab operibus naturali legi contrariis, & faciendi bona quæ jubet, non non tantum non posse omnia, sed nec unum quidem impleri, ut peccatum illius observatione vitetur, sine gratia Christi quæ per ejus fidem impetratur: imo verò tantum abesse ut ad peccata vitanda per seipsa prosit legis seu rei faciendæ scientia, ut potius ad gravius delinquendum incitet nisi spiritus infirmitatem hominis opitulatus fuerit. Quod si ita fuerit, profectò perspicuum erit, nihil moraliter bonum ante gratiam sive ab ignorantibus sive à scientibus posse fieri; cum ipsa scientia legis, sive scientia faciendi reatum augeat, nisi gratia præstet ut faciamus. Testimonia quibus hoc Augustinus docet sunt innumera: nos paucis hic contenti erimus. Sic enim loquitur in Epistola ad Hilarium: [Epist. 89.] *Qui autem sic audiunt, quod lex dicit: Non concupisces, ut hoc quia didicerunt sufficere sibi arbitrentur, nec adiutorio gratiæ Dei ad faciendum quod iussum est dari sibi virtutem credant, & petant, ad hoc eis lex subintravit, ut abundaret delictum.* Et rursum: [Ibid.] *Iubet Deus continentiam, & dat continentiam: iubet per legem, dat per gratiam: iubet per litteram, dat per spiritum. Lex enim sine gratia facit abundare delictum, & littera sine spiritu occidit.* Ecce apertissimè dictum, & ex Apostolo probatum, legem scriptam de continendo ab opere quocunque malo sine gratia facere abundare delictum, & sine spiritu occidere: tantum abest, ut ex ea quisquam sine peccato operetur. Hinc est quòd ex professo toto libro de spiritu & littera totis disputandi viribus illam sententiam Apostoli; *Littera occidit*, ita intelligendam esse docet, ut lex scripta in Decalogo, quæ in operibus moraliter bonis pœnè tota versatur, non tantum non juvet ut per ipsam aliquid boni fiat, sed potius prævaricatorem faciat. Declarat hoc ipse exemplo unius præcepti, quod universa comprehendit: [Lib. de spir. & litt. c. 4] *Nam*, inquit, *hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam quo cuncta complexus est, tanquam hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait: Non concupisces. Neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur. Proinde quæ hoc præcipit bona & laudabilis lex est.* Iam audi, quid illa lex, quodlibet peccatum vetans sine gratia voluntatem mutante operetur: [Ibid.] *Sed ubi sanctus non adiuvat spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem* (seu amorem justitiæ, quæ præcipitur) *diffundens in cordibus nostris, profectò illa lex quamvis bona auget prohibendo desiderium malum; sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito, cuius molem cum vicerit maiore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur. Nescio quo enim modo hoc ipsum quod concupiscitur fit iucundius dum vetatur.* Et infrà: [Cap. 12.] *Demonstrare nitimur, non in eo nos divinitus adiuvari ad operandam iustitiam, quod legem Deus dedit, plenam bonis sanctisque præceptis: sed quod ipsa voluntas nostra, sine qua bonum operari non possumus, adiuvetur & erigatur impartito spiritu gratiæ, sine quo adiutorio doctrina illa est littera occidens; quia reos potius prævaricationis tenet, quàm iustificat impios.* Et rursum ibidem: [Ibid. c. 14.] *Littera prohibens peccatum non iustificat hominem, sed potius occidit augendo concupiscentiam & iniquitatem prævaricatione cumulando, nisi liberet gratia per legem fidei.* Et iterum paulo post: [Ibid. c. 19.] *Ex hac promissione, hoc est, Dei beneficio ipsa lex impletur: sine qua promissione prævaricatores facit, vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit, vel certè in sola voluntate, si timor pœnæ suavitatem libidinis vicerit.* Quæ ratio, quàm sæpissimè inculcat, de omnibus omnino particularibus operibus & concupiscentiæ æstibus locum habet. Augustinus enim non de omnibus collectivè legibus, sed de omnibus universaliter loquitur. Ex quo fit ut plerumque de particularibus quibuscunque legibus eandem doctrinam tradat: nulla enim lex impletur lege, sed gratia. Omnis lex absente spiritu gratiæ concupiscentiam auget; Omnis prævaricatorem facit; Omnis occidit, nisi vivificet spiritus. Vnde concludit in eodem loco generatim, & Catholicam de omnibus omnino particularibus legibus sententiam tradit: [Ibid. c. 25.] *Cùm igitur hæc appareat distantia veteris Testamenti & novi, quod lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribatur; & quod ibi forinsecus terreat, hic delectet intrinsecus; ibique fiat prævaricator per occidentem litteram* (hoc est, eo ipso quo præcitur) *hic dilector* (justitiæ præcipientis legis) *per vivificantem spiritum: non ideo dicendum est, quod Deus adiuvet ad operandam iustitiam*, id est, justum opus quod fiat sine prævaricatione, *quia præceptis forinsecus insonat sensibus nostris sed quia intrinsecus incrementum dat &c.* Hinc cùm alibi Celestius hujusmodi scripturas recitasset: *Si volueritis bona terræ comedetis &c.* Respondet Augustinus: [Lib. de perf. iust. c. 19.] *Quasi non lex tota huiusmodi conditionibus plena sit, aut ob aliud superbis præcepta ista data sint, nisi quia lex prævaricationis gratia posita est. &c.* Et de particulari lege frenandi linguam:

Neque

Lib. de nat. & grat. c. 15

Neque hoc ideo dixit Apostolus, ut huius in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur; sed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poscamus auxilium. Hinc semper ab eo ratio generalis omnibus omnino legibus datur, quia jubet tantummodo non juvat, & non juvando auget concupiscentiam nitentem in vetitum; dat scientiam non potentiam, & similia; quæ apertissimè ostendunt, hanc infirmitatem oriri generaliter ex ratione cujusque mandati, quod hoc ipso quo mandat, & non juvat infirmitatem, ut id quod mandat operetur, necessariò prævaricatorem ejus vel in opere vel in mente facit. Hic, inquit. *Doctor gentium satis evidenter ostendit, legem non potuisse auferre, sed potius auxisse peccatum, quod aufert gratia: efficiendo scilicet ut id quod præcipitur impleatur, quoniam lex iubere novit, cui succumbit infirmitas; gratia iuvare, qua infunditur charitas*, id est, dilectio justi operis quod præcipitur. Et apertiùs adhuc: *Per seipsa littera occidit, quia iubendo bonum, & non largiendo charitatem quæ sola vult bonum, reos prævaricationis facit.* Et iterum: *Sine Dei dono, id est, Spiritu sancto, per quem diffunditur charitas, iubere lex poterit, non iuvare, & prævaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non possit. Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Et libro primo de peccatorum meritis & remissione: *Legis littera iubere tantum non adiuvare poterat.* Et libro de gratia Christi: *Cum ad hoc potius valeat legis agnitio, si gratia desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio. ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Ac per hoc usque adeo aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solum nihil prosit, verum etiam plurimum obsit, nisi adiuvet gratia: Et hac ostenditur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adiuvandos.* Et cur tam exigua legis efficacia, ut mandatum à sciente fiat? *Iubet enim magis quam iuvat; docet morbum esse, non sanat; imo ab eo potius quod non sanatur augetur, ut attentius & sollicitius gratiæ medicina quæratur. Quia littera occidit, spiritus autem vivificat.* Quæ omnia non solum de universa lege conjunctim, sed de omni lege perinde vera sunt. Omnis enim talis est, ut jubeat tantum, non juvet; ut doceat morbum esse non sanet; ut sit virtus peccati; ut prævaricationis gratiâ posita sit, & similia, quæ Apostolus & Augustinus ex Catholicæ fidei regulis de lege profitentur. Quâ de causâ non minùs de singulis legibus, quàm de universo legum complexu idem omnino Augustinus tradit. Nam cùm de castitate servanda illa verba protulisset: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*, mox adjicit: *Quod tamen ut fiat adiuvat gratia: quæ nisi adiuverit, nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia, & maiores vires accipit lege prohibente, nisi adiuvet spiritus gratiæ.* Et concludens disputationem suam de lege quacunque generatim: *Homo ergo*, inquit, *gratia adiuvatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur.* Et libro secundo operis imperfecti, cum Iulianus diceret, peccatum esse infractum censura legis, & multa ex parte restrictum, respondet Augustinus: *Mentitum igitur esse Apostolum, qui ait: Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Cùm vero iterum dixisset, promulgatam esse legem, ut peccatum proderetur, & caveretur, reponit Augustinus: *Vt proderetur, verum dicis hoc & nos dicimus: ut autem caveretur, non lex, sed gratia; non littera, sed spiritus fecit. Lex enim subintravit, non ut caveretur, sed ut abundaret peccatum.* Infinita occurrunt hujusmodi in toto Augustino, quæ latiùs alibi deducenda sunt. Hæc sufficiunt, ut mentem ejus hanc esse noscamus; ut legis præcipientis nullum omnino opus bonum, hoc est, absque prævaricatione legis posse fieri. Quod disertissimis verbis subinde dicit: *Lex sancta & iusta & bona, nec ipsa est gratia, & nihil ex ea recte fit sine gratia.* Et cur, quæso, nihil? *Quia non est data, quæ posset vivificare; sed prævaricationis gratiâ posita est.* Et alibi: *Non potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est gratia Dei per Iesum Christum.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 8.

Lib. 1. oper. imper. f. 134

In Enchir. cap. 117.

Lib. 1. de pecc. mer. c. 11.

Lib. de grat. Chr. c. 8.

Lib. de grat. & lib. arbit. c. 4.

Lib. 1. oper. imper. cont. Iul. f. 279.

Fol. 281.

Lib. 3. ad Bonif. cap. 8.

Lib. 1. ad Bonif. cap. 3.

Secundo igitur docet consequenter Augustinus, sub lege ante gratiam, hoc est, antequam homo in Deum credat, cujus gratiâ voluntas ad faciendum id quod præcipitur juvari debet; nullum ne quidem conflictum esse cum rerum terrenarum cupiditatibus, quibus victus est; sed eas hominem semper sequi: tantum abest ut id faciat quod lex jubet. *In bonis caro concupiscit adversus spiritum: Nam in malis non habet contra quem concupiscere, ibi enim concupiscit adversus spiritum, ubi est spiritus.* Et libro de continentia de lege repugnante legi mentis: *Hanc pugnam non experiuntur, in semetipsis nisi bellatores virtutum debellatoresque vitiorum. Non expugnat concupiscentiæ malum nisi continentiæ bonum. Sunt autem, qui legem Dei omnino nescientes, malas concupiscentias nec in hostibus deputant, easque miserabili cæcitate servientes insuper etiam beatos se putant satiando eas potius quam domando. Qui vero per legem cognoverunt eas: Per legem enim cognitio peccati &c. Et earum tamen oppugnatione vincuntur; qui sub lege vivunt, qua iubetur quod bonum est, non & datur: Non vivunt sub gratia, qua dat per Spiritum sanctum, quod per legem iubetur. His ideo subintravit lex, ut in eis abundaret delictum. Auxit prohibitio concupiscentiam, eamque fecit invictam, ut accederet prævaricatio, quæ sine lege non fuit; etiamsi peccatum fuit. Ita lex, gratia non adiuvante, prohibens peccatum virtus est insuper peccati.* Et in libris operis imperfecti contra Iulianum: *Contra infirmitatem vero carnis nunc Christi gratia certamen instituit, postea eius perficit sanitatem.* Et iterum: *Hic accipimus per pignus Spiritus & certandi & vincendi vires.* Et alio in loco: *Donat etiam gratia, ut contra concupiscentiam carnis Spiritus concupiscat.* Quod alibi dicit: *Aliter gratia certantem facit atque adiuvat; aliter victorem sine hoste coronat.* Vnde generalis illa celeberrimaque sententia Augustini: *Regnat mundi cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Quæ doctrina in omnibus ejus scriptis familiarissima est. Quod si ne pugna quidem cum concupiscentia sine Dei gratia, certantem faciente, iniri potest, perspicuum est eos in omnibus

Serm. 43. de verbis Domini c. 6.

Lib. de Continentia c. 3.

Lib. 1. oper. imper. f. 342.

Ibid. f. 345.

Ibid. f. 296.

In Enchir. cap. 117.

Digitized by Google

nibus actibus suis concupiscentiæ obedire. A Lex enim, hoc est, præceptum, virtus peccati est seu concupiscentię: auget enim dum vetat concupiscentiam, ut ex Apostolo & Augustino jam toties audivimus. Et hæc est etjam causa, cur lex hoc est, *scientia legis sine gratia spiritûs, operetur in homine omnem concupiscentiam.* Iuxta illud Apostoli: Peccatum occasione accepta per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. *Ecce,* inquit ad ista verba Augustinus, *Iam legem novit, laudat, eique consentit, hoc est, eam bonam esse consentit, quoniam quod illa jubet hoc & ipse vult &c. Inest ergo legis sancta scientia, nec tamen sanatur vitiosa concupiscentia. Inest voluntas bona, & valet operatio mala.* Hinc est quod consequenter Augustinus ex eodem principio docet, nullam omnino tentationem ante gratiam & sine gratia posse superari: qua de re quia etjam alibi latius erit disserendi locus, hîc uno aut altero testimonio ex eorum immensa silva contenti erimus. B Sic ergo loquitur in sermonibus de diversis. *Plane judicio suo alto & occulto quosdam deserit Deus. Cum ille deseruerit, invenit quid faciat tentator. Non enim invenit adversum se luctatorem, sed continuo illi se exhibet possessorem si deserat Deus.* Et paulo post: *Sed quia sine dubio vinceris, si illum adjutorem non habueris, si te deseruerit, ideo ponis in oratione; Ne nos inferas in tentationem.* Et sermone decimo tertio de verbis Apostoli totis disputandi viribus hoc adversus hostes gratiæ contendit: *Nisi ille regat, cadis, nisi ille regat, iaces.* Et cùm ex persona hæretici responderet, si se subtraheret cooperatio Dei, aliquid hominem adhuc posse, etsi cum labore: sicut remo pervenimus, sed vento faciliùs, respondet Augustinus: *Non hic est adjutorium Spiritus sancti; Prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed male. Ad hoc idonea est voluntas tua, quæ vocatur libera & malè agendo fit damnabilis ancilla.* C Inculcat hoc uberius, & præ ceteris omnibus satagit: ne quis se quicquam ad carnis concupiscentias reprimendas valere arbitretur. Quam doctrinam hausit ille ex Ecclesiæ precibus, quæ pro singulis omnino tentationibus superandis orat: *Ne nos inducas in tentationem.* Iuxta quam Apostolus dicit: *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam in Christo Iesu.* Et August. ipsumque Concilium Palæstinum tanquam exploratam hæresim condemnavit illam sententiam, qua Celestius dixerat, *victoriam nostram non esse ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio.* Vnde Augustinus illam Catholicæ fidei confessionem juxta Concilij Palæstini sanctionem postulat à Pelagio: *Fateatur, quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed adjutorio Dei nostram provenire victoriam.*

Lib. de gestis Pelag. c. 7.

Ibid.

Serm. 9. de diversis c. 9.

Ibid.

Serm. 13. de verbis Apost.

Lib. de gestis Pelag. c. 18.

Epist. 106.

Neque vero moveat quemquam, quod subinde Augustinus doceat, aliquem esse conatum D hominis ad fugiendam superandamque peccati tentationem sub lege ante fidem; ut propterea falsum putet id quod diximus, nullam esse pugnam, multo minus victoriam tentationis ante fidem aut gratiam. Nam hujusmodi pugnâ, adde etjam, si libet, victoria, non est ejusmodi, ut per eam peccata caveantur, cujusmodi nos hic quærimus; sed ut alijs peccatis alia peccata impugnentur aut superentur. Quòd ut evidentius pateat, & inde veritas uberius declaretur,

Tertiò doctrina sanctissimi Doctoris indubitata est, pugnam aut victoriam, quæ ante fidem contra peccatum obtinetur, sive peccati tentationem cavendo, sive superando, non aliter fieri nisi superbiâ in animo, vel certè timore carnali, aliave concupiscentiâ terrenâ dominante. Neutro autem modo peccati tentatio aut cavetur aut vincitur; sed ex una in aliam animus cadit. Hoc autem non est peccatum operis moraliter boni susceptione fugere; sed peccata in peccata mutare. Pugna enim ista carnalis non spiritualis est, in qua sive vincat animus, sive vincatur, semper peccati reatum contrahit. Si enim vincitur tentatione, sine excusatione reus est, quod plerumque sub lege contingit: si vincit, occultius, vel superbiâ, vel timore, vel aliâ cupiditate superatur. Tripartita ista divisio sigillatim testimonijs ejus astruenda est. Audi igitur quid de hujusmodi carnalium hominum pugna censeat, cujusmodi esse omnes ante fidem nemo Christianus dubitare potest. Nam in quæstione prima libri primi ad Simplicianum de illis Apostoli verbis loquens: *Si autem quod nolo, hoc facio, consentio legi &c. Consentit ergo legi,* inquit, *non in quantum facit quod illa prohibet, sed in quantum non vult quod facit. Vincitur enim nondum per gratiam liberatus; quamvis iam per legem & noverit se male facere, & nolit &c. Loquitur enim adhuc ex persona hominis sub lege constituti, nondum sub gratia, qui profecto trahitur ad male operandum, concupiscentia dominante atque fallente dulcedine peccati prohibiti, quamvis ex parte notitia legis hoc improbet.* Et paulo pòst; *Invenit eam* (legem) *bonam sibi esse, volens facere quod illa jubet, & concupiscentia superante non valens: atque ita se prævaricationis reatu implicatum videt, ad hoc ut gratiam liberatoris imploret.* Et sermone quarto de verbis Apostoli de simili homine ante gratiam sub lege constituto sic loquitur: *Peccator & antea erat; sed antequam legem audiret, peccatorem se esse nesciebat: legem audivit, peccatum vidit, conatus est vincere, superatus atque prostratus est; factus est & legis prævaricator, qui fuit ante nescius peccator.* Hujusmodi apud Augustinum passim inculcata videre licet. Causa verò cur semper vel apertè superetur, dum pugnando tentatione vincitur, vel occultius & plerumque perniciosius, cum eam superasse videtur, est illa duplex quam tetigimus; quia hujusmodi carnalium hominum pugna vel ex superbia seu animositate nascitur, vel ex timore pœnæ, hoc est, cupiditate carnali, non amore justitiæ. Vtrovis autem modo animus peccati urgentis tentatione superetur aut superet, semper peccatum perpetrando superatur. Hinc de superbia in talibus dominante Augustinus: *Fac ergo, quod dixit* (Deus) *non facis, observa indicantem*

Lib. 1. ad Simplician. q. 1.

Serm. 4. de verbis Apost. c. 5.

Serm. 4. de verbis Apost. c. 5.

cantem cui dixit Sed quid faciam ô homo: Ideo non vicisti, quia de te præsumpsisti. Et Apostoli verba Cap. 6.
explicans. *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt,* sic eandem veritatem oculis subjicit: *Vnde per legem sunt? Quia eramus in carne. Quid est, quia eramus in carne? Quia*
Cap. 6. *præsumebamus de carne.* Quod paulo post explicat, *de nobis confidebamus.* Propter quod passiones peccatorum *per legem aucta sunt; prævaricando enim fecerunt prævaricatorem legis, quia ille qui prævaricator est factus, Deum non habuit adjutorem. Invenit te in carne,* id est, confidentem in templo inter pugnandum, *ideo te vicit.* Vbi nemo non vidit, illa omnia, & causam omnium præsumptionem de viribus suis, maximè omnium in ijs qui fide carent, habere locum. Et sermone undecimo de Verbis Apostoli, cum ex Apostolo docuisset, ideo datam esse legem, ut faceret te prævaricatorem: *Quare ut me faceret*
Serm. 11. de verbis Apost. cap. 8.
prævaricatorem? Quia noverat, cuis superbiam tuam. Noverat quia dicebas: O si sit qui jubeat! O si sit qui mihi ostendat! Ecce lex venit tibi: Non concupisces &c. Conpisti conari vincere quod latebat, & apparuit quod latebat. Superbe per legem factus es prævaricator. Agnosce gratiam, & esto laudator. Hoc autem in omnis omnino peccati fuga aut
Lib. de spir. & litt. c. 4.
pugna locum habet: *Neque enim*, ut aliud docet, *ullum peccatum, nisi concupiscendo committitur;* idque contra particulares quascunque leges, contra quas hic & nunc concupiscentia commoveri solet. Vnde præceptum, Non con-
Ibid.
cupisces, *Est generale quoddam, quo Apostolus cuncta complexus est, tanquam hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis:* Perinde valens ac si Deus distinctè diceret: Non concupisces uxorem proximi, non ovem proximi, non honorem, non laudem, non divitias, non vindictam, non concupisces ullam rem hujus mundi. In omnibus enim rebus hujus mundi non utendo sed concupiscendo corrumpimur. Hæc ergo superbia de viribus suis fiducis efficit, ut cum hoste dimicando etiam apertissimè plerumque superetur. Subinde vero, cum fortasse magis irascitur homini Deus eadem superbia peccati tentationem velut opus bonum operari conando, palam superat; seu etiam perniciosius superatur. Sibi enim placendo in opere quasi bono quod facere meditatur, sub superbiæ cogitationibus ac titillationibus arctius & insolubilius possidetur animus, quàm si ab instante sibi tentatione vinceretur, juxta
Lib. 4. cont. Iul. c. 3.
illud Augustini: *Quanto sibi homo melius placet, & de sua virtute confidit, si tradatur in desideria superbia sua, tanto amplius augetur hoc malum, quanto magis ei cupiditates cetera cesserint, easque velut laudabilis hanc unam oblectando compescerit.* Quis autem dubitet, infideles non in Deo dum bonum morale videntur operari, sed de sua virtute confidere, ex qua confidentia sua ad opera quasi bona prosiliunt. Sed audiamus eundem Doctorem sanctum profundissimas
Epist. 89. animæ fibras oculatissimè penetrantem: *Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur: desertum vero divino adjutorio, qualibet scientiâ legis excellat, nullo modo habebit justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ & exitiosum tumorem.* Et in eadem Epistola dicit eis qui non petunt auxilium ad faciendum quod lex jubet, ad hoc legem subintrasse, ut abundaret delictum: *Parum est enim quia non*
Ibid.
implent quod præcepit lex, sed insuper superbiunt. Et libro tertio ad Bonifacium declarans, qui sint sub lege, & qualis eorum justitiæ, quam quasi ex lege suis viribus operantur: *Hoc est* Lib. 3. ad Bonif. c. 7.
quod etiam superius demonstravimus, eos esse sub lege, qui ignorantes Dei justitiam (id est, quam Deus auxilio suo tribuit) *& suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Putant enim arbitrij sui viribus implere legem jubentem, & ista implicati superbia ad gratiam non convertuntur adjuvantem. Sic eos littera occidit aut aperte etiam sibi reos, non faciendo quod præcipit, aut putando se facere quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt charitate. Ita remanent aut aperte iniqui, aut fallaciter justi: in aperta iniquitate evidenter elisi, in fallaci justitia insipienter elati.* Et in libro quarto ad eundem
Lib. 4. ad Bonif. c. 5.
Bonifacium: *Scientia legis sine charitate inflat, non ædificat, secundum eundem Apostolum. Quæ sententia similis est ei qua dictum: Littera occidit, spiritus vivificat. Quale est enim, scientia inflat, tale est, littera occidit. Et quale est, charitas ædificat, tale est, Spiritus vivificat. Cognitio itaque legis superbum facit prævaricatorem: per donum autem charitatis delectat legis esse factorem.* Similia in Augustino sunt creberrima, ut latius suo loco dicendum erit: Hæc satis ostendunt, quicquid suis viribus ante gratiam homo conetur agere & quasi de bono opere patrato sibi placet, superbiam esse, non justitiam aut opus bonum. Vnde generalis illa Augustini & præclara sententia: *Libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia.* Epist. 89.
Et illa ejus exclamatio: *O humana, non justitia, sed nomine justitiæ plane superbia, quid te dis-* Epist. 105.
ponis extollere? Vnde in quæstionibus Euangelicis indicat Christum à Iudæis quæsivisse, & non reperisse in Iudæis *vel minima opera justitiæ quæ sua mensa, hoc est, suæ potestati per superbiam non usurparent.*
Lib. 2. qq. Euang. q. 38.

Sed quia præter illum operandi modum, quo quis opus quasi bonum & splendidum faciens suis viribus nititur, ubi superbia dominari solet, est & alius, quo quis non ex amore justitiæ quæ præcipitur, & non nisi charitate diligi potest, sed timore pœnæ vel alterius temporalis boni cupiditate opus præceptum facit, hunc ipsum modum operandi constantissime semper Augustinus docet obnoxium esse peccato. Quod sexcentis ejus testimonijs probari posset: sed pauca hic sufficient ut reliqua ex suo petantur loco. *Quicunque* (Iudæi)
faciebant quod lex jubebat non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illo rei tenebantur, quod illos noverat Deus malle, si fieri posset, impune committere. Et infrà ostendens
Lib. de spir. & litt. c. 8.
impossibile esse ut fiat opus bonum legis sine gratia: *Potest enim,* inquit, *fieri coram hominibus, non autem coram illo qui cordis ipsius & intimæ voluntatis inspector est: ubi videt, etiamsi aliud faciat* Ibid.
qui legem

qui legem timet, quod tamen mallet facere, si liceret. A Et adhuc inferius: *Et illi qui sub lege sunt, & timore pœnæ justitiam suam facere conantur, & ideo non faciunt Dei justitiam, quia charitas eam facit, quæ non libet nisi quod licet; non timor, qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate, quâ mallet, si fieri posset, licere quod non licet.* Et in libro de natura & gratia: *Sub lege est qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, quâ mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat quod occulte desiderat.* Ex his & similibus locis apertissimum est & Augustino indubitatum, impossibile esse ut ille non peccet, qui pœnæ timore non peccat, quamdiu animus non mutatur, hoc est, quamdiu timor solus animum à peccato abstrahit. Talis enim animus nullo modo, ut Augustinus dicit, liber est, & alienus à voluntate peccandi; talis aliud habet in voluntate, quam in opere; talis mallet facere, si liceret impune; talis facit opus bonum coram hominibus, non coram Deo, quia non diligit id quod facit, sed omnino aliud quod timet amittere; talis proinde reus est coram Deo, non de bona operatione laudabilis. Nam nisi animus in amorem illius boni quod facit, ex timore mutetur, impossibile est ut faciat opus etiam moraliter bonum. *Profecto enim in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat.* Et quia timor mali nunquam oritur, nisi ex amore boni cujus amissionem timet, hinc opus ex timore amittendæ rei temporalis, & ejusdem assequendæ cupiditate factum, eodem loco habet Augustinus, & neutrum opus bonum esse concludit, ex quo quis posset gloriari; sed potius malum, ex quo damnari. Vtraque radix ab eo tangitur in libris ad Bonifacium: *Quicumque ibi erant* (inter Iudæos) *sola quæ ibi Deus pollicetur, terrena promissa sectantes, & quid pro novo Testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore & amittendorum timore Dei præcepta servabant; imo non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur; sed terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit permittatur impune. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit inspicit Deus. Tales erant filij terrenæ Ierusalem.* Et infra iterum: *Hæc plane magna distantia est, quod faciunt ista* (præcepta Decalogi) *sub lege positi, quos littera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi: Et ideo non vere faciunt, quoniam carnalis cupiditas, quâ peccatum augetur, cupiditate aliâ non sanatur.* B Quòd si ipsi Iudæi per legem instructi, qui jam in Deum bonorum temporalium largitorem crediderant, quamvis boni operis largitorem vel adjutorem esse non crederent, in omnibus operibus suis, quæ amore rei temporalis assequendæ vel timore amittendæ faciebant, intus in ipsa voluntate rei tenebantur, atque peccabant; quid de infidelibus igitur sentiendum est, qui Deum ipsum & legem ejus ignorant, & cor malignis cupiditatibus excæcatum gerunt? Nam extra illos duos operandi modos, amore scilicet temporalis boni, & timore temporalis mali, nullus prorsus est alius, nisi *voluntate benefaciendi benefacere*, hoc est, ipsâ præcepti justitiâ delectari: qui affectus animi nemini potest nisi cælitus inspirata charitate conferri: sicut uberius & clarius postea dicturi sumus.

Cap. 32. Lib. de nat. & grat. c. 57 Lib. 1 ad Bonifac. 9. Lib. 3. c. 4. Ibid. Lib. 1. c. 9.

CAPVT XVI.

Ostenditur idem quarto ex motivo quo bonum opus fieri debet, non timore pœnæ, sed amore justitiæ.

QVARTO itaque docet sanctus Augustinus tanquam rem in Ecclesia Christiana certissimam, nullum opus bonum, hoc est, sine peccato fieri ab homine posse, nisi ipsum benefactum diligatur, hoc est, nisi ipsa justitia præcepti delectet animum. Quamdiu enim animus eò non potest surgere, tamdiu non benè opus alioquin bonum facit; sed externâ consideratione quapiam vel assequendi vel retinendi boni temporalis adulterat: nec habet in animo id quod in opere habere videtur. Ipsa vero præcepti justitiâ delectari non est aliud, quam opus bonum ex illa cælesti charitate prosequi: Deus enim justitia est, nec illâ nisi solâ charitate diligitur. Singula ista hic breviter confirmanda sunt; sed alibi latius pertractanda. Quod igitur animus non faciat opus bonum, quamdiu ipsa justitia præcepti seu operis boni A non delectat animum, res in Augustini principijs extra controversiam est. Hoc enim sibi vult locus ille, quem proximè delibavimus, in quo ostendere volens id quod dixerat, Apostolum Paulum ante gratiam fuisse *præcepti capacem, sed non efficacem, ideoque prævaricatorem legis*; & tamen eundem Apostolum ante gratiam fuisse in lege sine querela sic ait: *Nec moveat quod ad Philippenses scripsit, secundum justitiam quæ in lege est, quod fuerit sine querela*, scilicet ante gratiam, cùm esset prævaricator legis. *Potuit enim esse intus in affectionibus pravis prævaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere, vel timore hominum vel ipsius Dei; sed pœnæ formidine non dilectione & delectatione justitiæ.* Quid vero est illa justitiæ delectatio, quam Augustinus exigit? Audi reliqua: *Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad male faciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret,*

Lib. 1. ad Bonif. c. 9.

faceret, si hoc posset impunè permitti. Nam sic profectò in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat, hoc est, qui non per ipsam justitiam non peccandi præcisis aliis omnibus considerationibus sese à peccando retrenat. Hic perspicuum est, Augustinum ad non peccandum hoc postulare, ut *voluntate benefaciendi* aliquis *benefaciat*, hoc est, ut ait, ut illud faciat *dilectione ac delectatione justitiæ*, quæ præcepto proponitur: alioquin animus à peccato immunis esse non potest. Hinc & in libro de natura & gratia dixit, eum *qui non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liberum esse, nec alienum à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est &c.* Et libro de Spiritu & Littera: *Quicunque faciebant id quod lex jubebat non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ. Ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus erat in opere. Potiusque ex illo rei tenebantur &c.* Et in omnibus operibus suis sexcentis locis postulat, ut opus bonum fiat amore justitiæ; alioquin si aliter faciat, *terrena scilicet cupiditate metuque carnali, procul dubio*, inquit paulo antè, *invitus facit, & per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit permittatur impunè: ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus &c.* Imo addit, quod tales non servare præcepta, sed sibi servare videbantur. Nemo quippe id servat, quod non diligit, quia aliud spectat, quàm id quod opere servat, secundum id quod dicit in Psalmis de filiis Testamenti veteris: *Propter mercedem terrenam atque carnalem Dei mandata facere conabantur, neque faciebant: quia non ipsa, sed aliud diligebant. Unde illa non erant opera volentium, sed opera potius invitorum. Cum vero ipsa mandata diliguntur super aurum & lapidem pretiosum multum, omnis præ ipsis mandatis terrena vilis est merces.*

Lib. de nat. & gra. c. 57

Lib. de spir. & litt. c. 8.

Lib. 2. ad Bonif. c. 4.

In Psal. 118

Iam verò quod servare præceptum amore justitiæ non sit Augustino aliud, quàm illud servare amore seu charitate Dei, sole meridiano clarius est. Hinc enim illud in libro de spiritu & littera: *Quod mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit. Non enim est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Ecce clarissimè explicatum amorem justitiæ per charitatem, ex qua fructus legis debeat surgere, ut præceptum fiat: sine qua non modo non bene præceptum fiet, sed nec fiet quidem. Et apertiùs idem explicans addit: *Porro autem si adsit fides, quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei*, id est, ipsâ præcepti justitiâ delectari: *quæ delectatio non littera, sed Spiritus donum est.* Hinc iterum paulo pòst aliis verbis rem ipsam exprimentibus: *Illa enim* (præcepta seu lex) *sine adjuvante Spiritu procul dubio est littera occidens: cum verò adest vivificans Spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi*, id est, ipsam justitiam ipsius legis, *quod foris scriptum lex faciebat timeri.* Hinc statim explicans differentiam veteris atque novi Testamenti, quod ibi promittatur carnis bonum, hic *ipsius bonum cordis, mentis bo-*

Lib. de spir. & litt. c. 15

Ibid. c. 29.

A *num, Spiritus bonum*, ut ipse loquitur, illud bonum non aliud in hac vita esse docet, nisi charitatem, quâ justitia legis diligitur: *Hoc est*, inquit *intelligibile bonum, cum dicitur; Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum scribam eas. Unde significavit eos non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis justitiam dilecturos.* Hinc illud iterum apertissimum: *Concordat Prophetico, etiam Apostolicum testimonium, ut hoc sit pertinere ad Testamentum novum, legem Dei habere non in tabulis, sed in cordibus scriptam, hoc est, intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur.* Quod mox dicit: *Justitiam legis non præcisione carnis ostendunt, sed cordis charitate custodiunt.* Hinc illud sermone decimo septimo de verbis Apostoli, quo ex professo istum justitiæ amorem in Scriptis ejus decantatissimum explicat: *Amanda est justitia, & in hac justitia amanda gradus*

Ibid. c. 21.

Ibid. cap. 2.

B *sunt proficientium. Primus est, ut amori justitiæ non præponantur omnia quæ delectant. Ipse est primus gradus &c. Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes cibi, potus, & similium, & ei delectationi quâ licitè delectaris, præpone justitiam.* Sed quid est amor ille seu delectatio justitiæ, quę in animo principatum tenere debet, utrum amor Dei, an aliud quippiam? Audi sanctissimum antistitem rem istam populariter auditoribus explicantem, ut nemo causari possit, se doctrinam illam non intelligere. *Constituamus antè oculos, propter hoc quod dixi, exemplum certaminis. Interrogo, utrum ames justitiam?* scilicet quæ in præcepto lucet: *Respondebis, Amo, Quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret. Non enim amatur, nisi quod delectat. Delectare in Domino, Scriptura dicit: Dominus autem justitia est. Non enim tibi fingere debes Deum quasi idolum. Invisibilibus similis est Deus, & ea in nobis sunt meliora, quæ sunt invisibilia &c.* Et inferiùs adhuc uberiùs:

Serm. 17. de verb. Apost. cap. 3.

Ibid. c. 8

C *Carnem quippe vestram delectant illicita voluptates: mentem vestram delectet invisibilis, pulchra, casta, canora, dulcis justitia, ut non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimini, nondum delectat*, (id est, nondum eam diligis) *peccare non debes timore pœnæ, sed amore justitiæ.* Ecce perspicuè explicatum id quod toties dixit, quid sit præceptum servare, non timore pœnæ, sed amore justitiæ: quod qui præceptum timore servat, nondum præcepti justitiam diligit; quòd Deus sit justitia, quod justitiæ delectatio sit charitas Dei. Quæ doctrina tam usitata in Augustini scriptis atque certa est, ut mille testimoniis illustrari posset, si rei obscuritas hoc exposceret. Sed, ut dixi, plura de hac tota re alibi dicturi sumus. Hoc enim loco satis est, evidenter ex Augustino intelligere, hanc esse mentem ejus, quod nemo præceptum servat, non dico supernaturaliter, ex gratia, meritoriè, & similia, quæ propter doctrinam ejus non intellectam

Cap. 5.

Vide Tract. de pura nat. lib. 1. c. 5. usque ad 13.

D excogitata sunt; sed quòd nemo præceptum sine peccato servat, qui non ipsum præceptum, hoc est, ipsam legis præcipientis justitiam diligat: alioquin enim non ipsum præceptum, sed aliud servat ac diligit; & *præceptum invitus facit, ideoque nec facit*; & in ipsa voluntate reus est ex eo

quòd

Digitized by Google

quòd mallet facere, si, ut loquitur Augustinus, *secundum ea quæ cupit & metuit permittatur impunè.* Ineptum est autem dicere, illum qui invitus fecerit præceptum quod fecit, hoc est, non diligendo hoc ipsum quod præcipitur, opus moraliter bonum facere. *Nam*, ut Augustinus ait, *si forinsecus ea quæ Deus iubet, manibus* (id est, opere) *fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri.* Ipsam autem justitiam legis diligendo benefacere non est aliud, ut satiatissimè explicuit, quam Deum ipsum charitate Spiritus sancti diligendo benefacere: quia Deus non est instar hominis, aut lucis, aut idoli cogitandus, sed est justitia & veritas.

q. 54. sup. Deuteron.

CAPUT XVII.

Quintò ex dilectione Dei velut ultimi finis, qui in omni opere moraliter bono dominari debet.

EX his igitur proficiscitur quintum argumentum, si tamen aliud à præcedenti dici debet, quo eadem doctrina sancti Augustini probari, & mens ejus uberiùs declarari potest. Nam juxta principium ejus, quod immobiliter ubique docet, nullum omnino fieri potest opus bonum, hoc est, sine peccato, nisi ad finem in quem referri vera sapientia præcipit, hoc est, in Deum propter se dilectum referatur: alioquin neque rectè fit, neque bonum opus est, sed veri peccati contaminatione pollutum. Qua de re consule, si placet, quæ suprà diximus, cùm de animi nostri affectibus, maximè de fruitione dissereremus. Ibi enim latè declaravimus juxta doctrinam sancti Augustini, non posse voluntatem creaturæ nisi in solius creatoris amore conquiescere. Quicquid secus fit, perperam fit, nec absque peccato, quo fruendi utendique norma pervertitur, fieri potest. Iuxta hanc regulam confidenter Augustinus dicit: *Regnum & justitia Dei bonum nostrum est; & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus quæcunque facimus.* Et mox adjicit, nihil temporale, nisi propter illum finem esse sumendum: *Ne cum ista quæritis, illinc avertamini: aut ne duos fines constituatis, ut & regnum Dei propter se appetatis, & ista necessaria; sed hæc potius propter illud. Ita vobis non deerunt, quia duobus Dominis servire non potestis. Duobus autem Dominis servire conatur, qui & regnum Dei pro magno bono appetit, & hæc omnia temporalia. Non poterit autem simplicem habere oculum, & uni Domino servire, nisi quæcunque sunt cetera, propter hoc unum assumat, id est, propter regnum Dei.* Et definitiva autoritate in libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ rem istam ex Scripturis tradit: *Videamus quemadmodum ipse Dominus in Evangelio nobis præceperit esse vivendum &c. Audiamus ergo quem finem bonorum nobis, Christe, præscribas: nec dubium est, quin is erit finis, quo nos summo amore tendere iubes: Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum &c.* Et mox exponens præceptum illud de præstituendo nobis illo solo fine, & alijs omnibus ad illum finem referendis: *Audivimus*, inquit, *quid diligere, & quantum diligere debeamus. Eò est omninò tendendum, ad id omnia consilia nostra referenda. Bonorum summa Deus nobis est; Deus est nobis summum bonum: neque infra remanendum nobis est, neque ultrà quærendum. Alterum enim periculosum, alterum nullum est.* Vnde in eodem isto libro tanquam rem in Christiana doctrina notissimam crebrò adversus Manichæos ex Scripturis & ratione confirmat: *Nihil aliud esse quam ipsum Deum, quò referenda sunt omnia.* Si igitur & ratio & Scriptura concorditer clamat, ad unum Deum omnes actiones, omnia studia nostra referenda, nec intrà esse remanendum, nec ultrà quærendum, quis sobriâ mente dubitare potest, non posse actiones ullas ullibi remanere ac terminari, nisi in solo Deo? Hoc enim vera sapientia, non solùm Christiana, sed etiam mundana præscribit. Nam Tullius de finibus bonorum ac malorum disputans: *Quæritur*, inquit, *quis sit finis, quid extremum, quid ultimum, quò sunt omnia bene vivendi recteque faciendi officia referenda.* Et infra: *Ad quod omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam.* Quam omnium Philosophorum docet esse sententiam. Nemo enim, cùm de summo bono disputat, aut qui illud quærit, aliud se quærere putat, quàm id ad quod omnes omnino actiones collimare oporteat. Non enim sufficit in seipso esse præstantissimum, sed hujusmodi, ut omnes omnino actiones hominis, omnia studia quodam dominationis jure ad se rapiat. Vnde omnium Philosophorum sententiam de fine ultimo paucis exprimens Augustinus: *Quam quæstionem*, inquit, *maximâ intentione versantes invenire conati sunt, quid efficiat hominem beatum. Illud enim est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cetera, ipsum autem propter seipsum.* Et postea sigillatim eorum opiniones referens, singulos ostendit id asseruisse, ad quod omnia oportet referre. Quòd si propter finem ultimum omnia petenda sunt, quicquid non propter illum appetitur, perversè appetitur; & ordine finis ultimi perturbato peccatum esse convincitur. Itaque Augustinus ad singulas hominis actiones generalem suam & Ecclesiæ Catholicæ doctrinam applicans, sine ulla fluctuatione confidentissimè de singularibus quibusque factis magna docentis autoritate præscribit: *Noveris non officijs, sed finibus à vitijs discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum*

Lib. 1. de statu pur. lapsæ.
Lib. 2. de Ser. Domini in monte c. 16.
Cap. 17.
Lib. de morib. Eccles. c. 8.
Ibid. c. 17.
Tull. lib. 1. de finib.
Lib. 19. de Civit. cap. 1.
Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

faciendum est, hoc est, actio ipsa materialis moraliter bona, quæ divina lege præcipi solet; *Finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et hoc ipsum ibidem docet esse eundem Deum. Et rursum: *Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Quænam est igitur illa vera sapientia, & quid illa præcipit fieri? *In hac autem Civitate Dei*, respondebit Augustinus, *nulla est hominis sapientia, nisi pietas, qua rectè colitur verus Deus, id exspectans præmium in societate sanctorum non solum hominum, verum etiam Angelorum, ut sit Deus omnia in omnibus.* Non colitur autem recte verus Deus, nisi una charitate. Et alibi, ut indicaret quid sentiret de illis operibus, quæ videntur moraliter esse bona inter ipsos Christianos, nedum inter illos qui Christiana fide carent, peccatum in eo ipso situm esse docet, quod opus aliquod non referatur ad Deum in æterna requie possidendum: *Peccatum*, inquit, *non solum illud est, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus: sed etiamsi habeat speciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat*, & quid hoc? *Non propter requiem sempiternam.* Neque nunc dubium esse potest, quin hoc ipso quo quis non propter requiem sempiternam, hoc est, non propter Deum operatur, temporale aliquid appetat, in quo velut fine requiescat. Vnde rationem doctrinæ suæ ex ultimi finis consideratione petens: *Quod libet enim*, inquit *quisquis facit, si hoc animo facit, ut terrenum emolumentum consequatur serviliter facit & ideo sabbatum non observat. Gratis enim amandus est Deus, nec anima potest nisi in eo quod diligit requiescere.* Serviliter autem facere apud Augustinum est peccare, juxta illud quod jam citaverat: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Et illa sunt opera servilia, quæ spiritali sensu sabbato prohibentur, sed solo Spiritu sancto operante sabbatum istud, id est, abstinentia à servilibus operibus observari potest. Retorquet enim ille solus animam à temporalibus in requiem sempiternam quæ est Deus, diffundendo charitatem in cordibus nostris, qua nostras actiones in illum ultimum finem erigamus, juxta illud Augustini: *Spiritus bono fit in nobis, ut non peccare delectet, ubi libertas est: sicut præter hunc spiritum peccare delectat, ubi servitus à cuius operibus abstinendum, id est, spiritaliter sabbatizandum est. Hic spiritus per quem diffunditur charitas &c.*

Ibid. — Lib. 14. de Civit. c. 28. — Serm. 18. de temp. c. 4. — Ibid. — Ioan 8. — Lib. de spir. & lit. c. 16.

Hæc est igitur ratio, cur sanctus Augustinus hujusmodi opera, quæ, ut audivimus toties apertissimè definivit esse peccata, quia non ad illum finem referuntur, quo vera sapientia referenda esse præscribit, alibi non raro vocare solet opera *non bona, non recta, non bene facta*: quibus nihil aliud ipse quam peccata significare solet: *Sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi, & non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem, ex quo sunt bona.* Hoc enim ipsum solum, quod non referuntur ad illum fi-

Tract. 25 in Ioannem.

A nem, ea non bona, hoc est, peccata esse facit, sicut contra Iulianum statim audivimus. Nec mirum, quia non referuntur ad eum finem, ad quem referri debent, juxta id quod alibi de operibus tam ceremonialibus quàm moralibus veteris legis dicit: *Quia & illa* (id est, etiam illa, & non solùm opera morum, quæ ex charitate facienda esse præmiserat) *quia sunt in Sacramentis, cùm bene à liberis intelliguntur, nec carnaliter observantur à servis, ad illa duo præcepta referantur necesse est, dilectionis Dei & proximi.* Alibi tradit idcirco hujusmodi opera non esse recta: *fatentur Apostolum propterea plerumque prius fidem, ac deinde quod ad vitam bonam pertinet subiecisse, quia & in homine ipso, nisi præcedat fides, vita bona sequi non poterit. Quicquid enim homo velut recte fecerit, nisi ad pietatem quæ ad Deum est*, id est, charitatem, *referatur, rectum dici non oportet.* Alibi esse inania & non bona. B *Debemus nulla opera præponere fidei, id est, ut ante fidem quisquam bene dicatur operatus. Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut magnæ vires & cursus celerrimus extra viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat.* Et quæ tandem causa istorum omnium? *Bonum enim opus intentio facit; intentionem fides dirigit.* Et alibi de infidelibus: *Ista omnia quæ faciunt, & nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt.* Cujusmodi locutiones & sententiæ in scriptis ejus de operibus eorum qui carent fide crebræ sunt; nec aliud per eas indicatum voluit, nisi quod supra apertissimè dixit, ea esse peccata. Quem sensum suarum locutionum nequis mihi tribuat, perspicuis verbis ipse definit: *Omne factum, si recte factum non est, peccatum est. Nec recte factum esse ullo modo potest, quod non à recta ratione proficiscitur. Porro recta ratio est ipsa virtus.* C *Cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præsto est? Solus igitur sapiens non peccat.* Infidelibus autem rectam rationem, aut virtutem, aut sapientiam tribuere ab Augustini doctrina remotissimum est; cùm in eodem loco dicat: *Nunc sapientes voco non cordatos, & ingeniosos homines; sed eos quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deique firmissima percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes.* Itaque opera, quæ non bona intentione diriguntur in Deum, recte facta nullo modo esse possunt; ac proinde, juxta certissimam Augustini regulam, propriè dicta peccata sunt. Alterum enim necesse est prorsus esse verum, ut hujusmodi opera, quæ ad finem illum creaturæ rationalis ultimum non referuntur, vel ita facta sint, vel non ita facta, ut esse debuerunt. Si facta sunt ut esse debuerunt, profectò ad finem ultimum relata sunt, nec tanquam non bona, & non recta, vel ina- D niter facta, & peccata vituperanda sunt. quorum utrumque repugnat ijs quæ Augustinus docet, non solùm in locis quæ suprà allegavimus, sed etiam adversus Iulianum, ubi disertissimis verbis de operibus moralibus Fabricij & Romanorum statuendo dicit:

In Epist. ad Galat. in c. 5. — Lib. de fide & oper. in cap. 7. — In præfat. in Psal. 31. — Tract. 45. in Ioannem. — Lib. de util. credend. c. 12. — Ibid.

CAPVT XVIII.

Sextò ex eo, quod omnis amor creaturæ, & mundi, & cupiditatis vitiosus sit; qui in omnibus operibus infidelium principatum tenet.

SEXTO igitur probatur eadem veritas, A quia juxta Aug. doctrinam, per hujusmodi opera, quæ non referuntur ad Deû in æterna vita possidendum, serviunt homines creaturæ potius quam creatori; diligunt mundum, non Deum: concupiscentiæ seu cupiditati obediunt, quam diabolus in homine plantavit; non charitati, quam Deus. Nec enim inter creatorem & creaturam inter mundum ac Deum aliquod medium fingi potest, quod operando sectentur vel inter cupiditatem & charitatē medius modus, quo in suis actionibus moraliter bonis impellantur. Creaturæ verò cupiditate servire potius quam creatori, mundum inter operandum diligere, non Deum, solus impius negaverit esse peccatum. Singula breviter explicanda sunt. Multa enim in tractatu de concupiscentia ea de re disputavimus, & infra de statu puræ naturæ aliquid dicturi sumus.

Lib. 1 de stat. pura nat. c. 14.

B In operibus igitur illis quantumcunq; & bona & Philosophica sine peccato facta videantur, si sine Dei fide fiant, non sinitur dubitare Christianus, eos qui *sine intentionem dirigente*, ut Augustinus loquitur, carent, servire creaturæ non creatori. Impossibile est enim quin alicui operando serviant. Illi quippe servit homo, quod ut finem operis sui intuetur, ac diligit, sive sit ipsum opus ejus, sive objectum operis, sive, (quod perpetuum est, nec excludit illa duo præcedentia) ipsemet qui opus moraliter bonum videtur operari. Hoc ipso enim quo vel vanum illum splendorem operis, ut Stoici, vel honorem, vel divitias, vel voluptatem, vel curiositatem suam operando spectat, ut alij Philosophi spectaverunt, sibi utiq; quidquid ut ultimum spectat appetit, non Deo vero quem penitus nescit: atque ita nulla tergiversatione excusari potest, quin creaturæ in ipso opere serviat non creatori. Nam ut res ipsa clamat, C Et Augustinus palam asserit, & sæpius repetit: *Serviunt* infideles *cupiditati turpium, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi. Ita nescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem exspectent. His autem rebus, quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est, velit, nolit. Nam quocunque duxerint sequitur & quisquis eas visus fuerit auferre metuitur.* Quid autem sit re aliqua velle beatum effici sic ut ei hoc ipso serviatur, breviter alibi Augustinus expressit: *Quod propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata.* Cùm igitur in opere quocunque suo infidelis creaturam ut finem diligat, creaturâ beatus effici velit, creaturæ in opere eodem serviat necesse est, non creatori. Hoc autem secundum sanam doctrinam

Lib. de vera relig. c. 38.

Lib. 1 de doct. Christ. c. 22.

sine apertissimo peccato fieri nequit, qualecunque tandem fuerit illud opus per quod creaturæ serviat. Peccatum enim, & opus bonum non officio, sed fine discernuntur.

Eadem omnino ratio alterius radicis est, quia quicquid in operibus suis spectent infideles quemadmodum serviunt creaturæ potius quam creatori; ita mundum diligunt, non Deum. Mundi enim nomine cælum ac terram, & quæcunque in eis sunt, hoc est, universam complexus est creaturam, ut sæpius Augustinus indicat: extra quod nihil esse potest, quod infideles in suis operibus diligant, nisi Deus quem non diligunt. Apertissime autem Apostolus Ioannes vetat: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.* Et Coapostolus Paulus: *Nolite conformari huic seculo.* Vnde utrumque locum simul complectens Augustinus dicit: *Autoritate novi Testamenti jubemur nihil mundi hujus diligere, illa maxime sententia qua dictum est: Nolite conformari huic seculo, simul enim demonstrandum est, ei rei quemque conformari quam diligit.* Et in libro de patientia ostendens infidelium voluntatem, qua quidlibet in mundo diligunt, aut aspera patiuntur, non esse ex Deo sed ex mundo: *Quasi vero*, inquit, *non & ipsi* (infideles) *ex mundo sint cum ab eis diligitur mundus, deserentes eum per quem factus est mundus. Serviunt enim creaturæ potius, quam creatori.* Vnde idem Augustinus rectè observat, Apostolum non dixisse: *Nolite uti mundo, sed nolite diligere mundum.* Nam uti mundo prorsus licet, diligere mundum prorsus non licet. Quæcunq; enim in mundo res bonæ sunt, *sic bona sunt*, quod idem dicit, *ut tamen eas diligi non oporteat.* Quod si infideles contra vetitum Apostolorum, in omnibus suis dilectionibus & operationibus (ut nemo sanæ mentis diffiteri potest) diligunt mundum, conformantur huic seculo, serviunt creaturæ potius quam creatori, impossibile est ullum eorum opus, qualecunque esse videatur, esse posse absque peccato.

Lib. de Pat. c. 19. & 17. Lib. 1 cōt. Iul.

1. Ioan. 2.

Rom. 12.

Lib. de mor. Eccl. c. 21.

c. 19.

Lib. 5 cont. Iul. c. 16.

Hinc itaque tertia radix æquè manifestè patet. Amor enim quo mundus diligitur non est à Deo, sed à diabolo, Augustino dicente apertissimis, & asseverantissimis, & tanquam in Catholica fide fundatissimis verbis, de eadem hac ipsa disserens controversia: *Dum tamen illud, velis nolis, obtineam, quod amor mundi, quo quisque amicus est hujus mundi, non est à Deo: amorque fruendi quibuscunque creaturis sine amore creatoris, non est à Deo. Sine hoc amore creatoris, nullus quisquam bene utitur creaturis.* Amorem autem quo infideles in omnibus operibus suis impellun-

Lib. 4 cont. Iul. c. 3.

Digitized by Google

sed etiam pessimam voluntatem? Vbi certum est per bonam & malam voluntatem ipsos motus voluntatis intelligi. Nam paulo pòst ipsam conversionem ad Deum & aversionem dicit esse bonam & malam voluntatem: & illas Scripturas profert, ad probandum bonam voluntatem esse ex Deo, quibus semper probare solet, motum cordis quo diligimus Deum esse ex Deo, videlicet: *Præparatur voluntas à Domino*: *Deus operatur, in nobis velle*. Et hujusmodi.

Scopus illius disputationis Augustini idem prorsus clamat. Vult enim convincere Pelagianos, qui dicebant bonam voluntatem esse ex Deo, quia natura humana & liberum arbitrium, sine quo bona voluntas esse non potest, est ex Deo. Vbi planum est, eos bonum affectum nomine bonæ voluntatis intelligere. Convincit autem eos Augustinus, quia sic & mala voluntas esset ex Deo, quia & ipsa in homine, si non homo esset, esse posset. Vnde mox ita distinguit bonam voluntatem, à potentia voluntatis, ut illius usus non possit esse malus, quod certissimum est, de ipso motu aut affectu intelligendum, cujus usus non potest esse malus. Ex quo sensu Augustini nata est illa solemnis bonæ voluntatis definitio, crebroque repetita, quod *non aliud sit bona voluntas, quàm charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo*. Iuxta quam dicit in libris de Civitate Dei: *Recta voluntas est, bonus amor, & voluntas perversa malus amor*. Hinc & illa doctrina solemnis ejus, quod arbor bona & mala, de cujus fructibus Christus loquitur, non sit aliud quam voluntas bona & mala, hoc est, charitas & cupiditas, ut alibi loquitur. *Illa possibilitas* (voluntatis) *utriusque radicis est capax, quia non solum potest homo habere charitatem, qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem, qua sit arbor mala. Sed cupiditas hominis, quæ vitium est, hominem habet autorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem. Ipsa est enim concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est ex patre, sed ex mundo est &c. Charitas autem, quæ virtus est, ex Deo nobis est*. Iuxta hanc igitur doctrinam in Augustino frequentissimam & certissimam etjam in illo libro de peccatorum meritis loquitur, cum voluntatem dividit in *bonam & non bonam*; quarum illa ex Deo sit, hæc ex nobis, quam esse definit malam seu pessimam voluntatem. Eadem enim hæc omnino divisio cum ea, qua dividitur amor in rectum & perversum, voluntas seu volitio in charitatem & cupiditatem, quarum illa sit radix omnium bonorum, hæc *radix omnium malorum*. Nam hoc sensu sæpè Augustinus illum Apostoli locum usurpat. Et generaliter alibi de peccatis omnibus dicit: *Cùm peccat homo, non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat, secundum quam non est natus ex Deo*. Iuxta hanc igitur cupiditatis acceptionem, quæ apud Augustinum solemnissima est, sic iterum alibi omnem voluntatem sive volitionem dividit in charitatem & cupiditatem vitiosam (neque enim alia cupiditas, nisi vitiosa ima-

Lib. de grat. Christ. c. 21.
Lib. 14. c. 7.
Lib. de grat. Christi c. 20. & 21.
Ibid. cap. 21.

A ginanda est (*In tantum libera est* voluntas) *quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas. Alioquin tutius cupiditas, quam voluntas propriè nuncupanda est*. Ista enim divisione hoc docet Augustinus, voluntatem esse aut liberam seu liberatam à peccato concupiscentiâque dominante, aut peccato adhuc servientem: illam esse charitatem, hanc cupiditatem. Nam de motu voluntatis eum loqui, ex eo patet, quod mox adjicit: *Quæ cupiditas non est alienæ naturæ additamentum, sicut Manichæi desipiunt, sed nostra vitium: a quo non sanamur nisi gratiâ Salvatoris*. Et manifestius ex eo, quod admittit ibidem cupiditatem nihil aliud [illegible] quam voluntatem *vitiosam, peccatoque servientem*. Cujus voluntatis definitionem in eodem loco dederat, esse *motum animi cogente nullo ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum*. Nam ex ista definitione difficultas nâta fuerat, utrum voluntas B non liberata à dominante concupiscentia, seu, utrum cupiditas etjam voluntas, hoc est, *motus animi &c.* vocari posset.

Lib. 1. Retract. c. 15.

Hujus igitur immediatæ oppositionis consideratione inter charitatem atque cupiditatem dicit Augustinus in Psalmum decimum octavum: *Qui noluerit servire charitati, necesse est ut serviat iniquitati*. Familiare quippe est ipsi nomine iniquitatis cupiditatem intelligere: sic crebro intelligit illud Psalmi: *Et non dominetur mihi omnis iniquitas*. Ex eodem immediatæ oppositionis intuitu dixit in Enchiridio ad Laurentium: *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas*: quo nihil profectò generaliùs dici posset. Significat enim quicquid boni quisque facere conatur secundum legem sine charitate, hoc fieri ex dominante cupiditate. Nam cùm dixisset, quòd sine charitate *iubere lex poterit, non iuvare, & prævaricatorem insuper facere*; rationem prævaricationis inde petit, C quia regnat cupiditas, ubi non est Dei charitas. Quasi dicat, quia in omni actione observandi legem impellit hominem absente charitate cupiditas; nimirum, quia impellit eum amor cujuscunque creaturæ, cujus vel adipiscendi vel non amittendi cupiditate facit quicquid facit, & patitur quicquid patitur. Tolerantia quippe malorum non proficiscitur nisi ex amore bonorum: qui quo [illegible] fuerit, eo tolerantia est obstinatior. Docet hæc pręclarè in libro de Patientia [illegible], & eandem oppositionem charitat[illegible] cupiditatis evidentissimè, præclarissi[illegible] ex professo docet. Nam eos reprimens [illegible] tientiam justorum ex arbitrij viribu[illegible] censebant, sicut patientiam injusto[illegible] *hæc dicunt*, inquit, *non intelligunt, & quem* [illegible] *quorum tanto esse ad quæcunque mala p*[illegible] *duriorem, quanto in eo maior est cupiditas mundi*: & *quemque justorum tanto esse ad quæcunque mala perferenda fortiorem, quanto in eo est maior charitas* D *Dei*. Nempe, quia, ut Apostolus dicit, *Charitas omnia tolerat*. Post quam Scripturam statim adjicit: *Quanto ergo maior est in sanctis charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur omnia tolerantur. Et quanto maior est in peccatoribus cupiditas mundi*,

In Psal. 18.
Enchir. c. 117.

tas mundi, tanto magis pro eo quod concupiscitur, omnia tolerantur. Ac per hoc unde est patientia vera iustorum, unde est in eis charitas Dei: & inde est patientia falsa iniquorum, unde est in eis cupiditas mundi. Propter quod dicit Ioannes Apostolus: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso. Hæc igitur concupiscentia, quæ non est ex Patre, sed ex mundo, quanto fuerit in homine vehementior & ardentior, tanto fit quisque pro eo quod concupiscit omnium molestiarum dolorumque patientior. Qua de causa talem patientiam ex mundi, hoc est rei cujusque mundanæ dilectione proficiscentem vocat *terrenam, animalem, diabolicam: quæ tanto durior, quanto cupidior; & eo tolerabilius mala sustinens, quo ipsa fit pejor.* Et aliquanto pòst generalissimè adjicit: *In bonis charitas Dei est, quæ tolerat omnia; sicut in malis mundi cupiditas.* Et ejus gloriationem de viribus propriæ voluntatis dicit esse gloriationem, *tanquam de stupore morbi, non de robore sanitatis; esse insaniam, non patientiam, sed dementiam. Voluntas ista tanto videtur patientior acerbitatum malorum, quanto est avidior temporalium bonorum, quia nimior æternorum.* Et ejus objectum definiens, generaliter vocat eam *voluntatem vel errore dementem, vel appetitu cujuslibet mundanæ delectationis ardentem.* Ex quibus clarissimè patent multa. Primùm, omnem omnino tolerantiam malorum, quæ quis charitate carens patitur, necessariò ex mundi dilectione proficisci. Cùm enim tolerantia mali non possit nasci nisi ex amore boni, si non fuerit ille amor Dei, mundi amorem esse prorsus necessarium est. Secundum quicquid appetit homo, & consequenter quicquid facit charitate carens, ex mundi dilectione appeti. Omnis enim appetitus & actio ex alicujus rei dilectione nascitur: si non ex dilectione Dei, quia, ut supponimus, deest charitas, ergo ex dilectione mundi. Cùm enim nihil omnino diligendo & agendo appeti possit, quin pro eodem aliquid mali, si occurreret, posset tolerari, hoc ipso quo mala omnia, quæ charitate destituti tolerant, ex mundi cupiditate tolerant, etiam consequenter quicquid appetunt ex mundi cupiditate appetunt. Tertium, hanc mundi cupiditatem sive dilectionem non esse amorem aliquem indifferentem, vel innoxium, sed prorsus malum: quia non est ex Patre, sed ex mundo, & ex diabolo; stupor morbi, non robur sanitatis: Patientia quæ ex ea sequitur est terrena, est animalis, est diabolica, eo pejor, quo cupiditas major, nec patientia, sed dementia. Quæ sanè omnia luculentissimè declarant, ubi non est Dei charitas, non aliud esse posse nisi illam culpabilem cupiditatem: quia quicquid non fit ex amore Dei, non potest aliunde quàm ex mundi cupiditate fieri, sive bona quælibet appetantur, sive mala quælibet tolerentur. Itaque cùm Iulianus, & Gentiles, & Christianos dolorum contemptu claruisse, gloriaretur, ut arbitrium voluntatis suis viribus aliud quàm peccare posse monstraret, respondet ei ex eadem generalissima charitatis Dei & cupiditatis mundi oppositione Augustinus: *Audite, & intelligite, fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod est à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Nimirum hoc vult, non aliam esse posse fortitudinem seu malorum tolerantiam in Gentilibus, nisi quæ ex mundi cupiditate seu dilectione proficiscitur: quia in illis nullus amor boni esse potest, unde nascatur mali tolerantia, nisi mundi cupiditas. Quid enim, quæso, Gentilis diligit sive in agendo sive in patiendo, si non mundum diligit? Falsissimum enim esset eorum fortitudinem ex mundi cupiditate proficisci, si aliud quippiam quàm mundum, vel ex alia quàm hujus mundi cupiditate concupiscerent. Quapropter ista postrema sententia præclarissima, & in Augustini scriptis, ut jam deduximus, fundatissima tantopere sancto Prospero, & Arausicanis Patribus placuit, ut eam ille ex Augustini libris excerpserit & inter sententias ejus reposuerit: hi verò ex ea Canonem Concilij sui decimum septimum nullo verbulo cōmutato fabricaverint. Nempe ut oculis Christianis illam eriperent opinionem, qua putare possent, in hominibus infidelibus charitate carentibus ullam malorum tolerantiam, & consequenter ullam bonorum concupiscentiam esse posse, quæ non ex mundi cupiditate (quam tantopere reprehendit Augustinus Scripturis ei præcinentibus) nasceretur.

Ibid. cap. 22.

Lib. 1 oper. imper. c. 121.

Est sententia Augustini à Prospero excerpta 295. Et Canon Conc. Araus. 17.

Hanc igitur doctrinam Augustini, & Concilij Arausicani expressit autor libri de Trinitate & Vnitate Dei, qui inter opera sancti Doctoris circumfertur, quando dicit: *Spiritus interpellat, id est, interpellare nos facit, quæ sunt secundum Deum. Quod nisi faciat, non oramus nisi secundum hunc mundum, ad explendam concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & ambitionem seculi, quæ non sunt ex Patre, sed ex mundo.* Quasi diceret, si non oramus ex charitate secundum Deum, oramus ex mundi cupiditate, quæ non est ex Patre. Qui locus verbotenus ex Augustini libro contra sermonem Arianorum excerptus est. Hanc expressit auctor libri de Substantia dilectionis apud eundem Augustinum, quando dicit: *Hæc est ordinata charitas; & præter ipsam omne quod agitur non ordinata charitas est, sed inordinata cupiditas.* Quia videlicet ex Augustini & Scripturæ regula, quàm suprà declaravimus, amorem universim sic paulo antè diviserat, *ut unus fons dilectionis intus saliens duos rivos infunderet: alter esset amor mundi cupiditas, alter amor Dei charitas.* De quibus adjicit: *Omnium malorum radix cupiditas; & omnium bonorum radix charitas.* Hanc sanctus Leo tradidit accuratissimè in sermone quinto de jejunio septimi mensis. *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia: in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia.* Nec aliud omnino voluit sanctus Grego-

Auct. lib. de Trinit. & Vnit. Dei cap. 10.

Lib. cōt. Ser. Arian. c. 25. Auctor lib. de substan. dilect. c. 5.

Cap. 1.

Serm. 5. de Ieiunio septimi mensis.

Lib. 18 moral. c. 8. aliàs 6. Gregorius in libris moralium: *Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima nunquam potest. Nam aut infimis delectatur, aut summis: & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto maiori studio torpescit ad infima: quantoque acriore cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit à summis.* Illa dumtaxat in verbis ejus differentia est, quod delectationem loco amoris ponat, ut Augustino frequentissimum est: & creaturas vocet infima, Deum summa. Ex illa verò A diametrali utriusque amoris pugna quam exprimit, satis declarat, omnem infimorum cupiditatem esse noxiam & perversam, quia non ex Patre, sed ex mundo est. Quare mox etiam eam improbat ex illa Scriptura Apostolica: *Nolite diligere mundum neq; ea quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* 1. Ioan. 2. Et quare? obsecro? *Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.*

CAPVT XX.

Detegitur radix trium primarum probationum: & cur nullum peccatum sine peccato vincatur ante fidem.

EX ijs quæ tribus istis postremis capitibus deducta sunt, jam facile est quoque intelligere rationem probationum, quæ primo loco collocata sunt, & aliquid obscuritatis, nondum detectis cardinibus, quibus nituntur, habere alicui fortassè videbantur. Si enim verum est, quod tanquam verissimum Augustinus docet, non posse esse opus bonum, nisi ipsa justitia cælesti charitate diligatur, & ad Deum ipsum velut ultimum finem referatur, quorum neutrum sine gratia & fide perfici potest: itemque si verum est, quicquid non fit ex illa justitiæ & ultimi finis dilectione, ex mundi dilectione & illâ culpabili cupiditate fieri, quæ tanquam *amor rerum, quas quisque invitus amittere potest, in toto malefaciendi genere dominatur, (regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas)* profectò sequitur apertissimè, non magis ullam omnino singularem, quàm universam legem ante fidem, quæ B charitatis intentionem dirigit, sine peccato posse servari: quia ubi abest charitas, necesse est ut rei temporalis cupiditate servetur; nec aliud agi lege tantùm jubente potest, nisi ut fiat mandati cogniti prævaricatio; quia augetur prohibitione cupiditas, non sanatur. Rursum sequitur non minùs manifestè, nullum omnino esse cum cupiditatis tentatione conflictum ante gratiam, multoque magis, nullam esse de peccati tentatione victoriam, nisi fortè talem conflictum & victoriam, juxta quam peccatum peccato, sicut cupiditas aliâ cupiditate, superetur. Eadem denique perspicuitate sequitur, nullam omnino legem ante gratiam & fidem, nisi ex superbia vel timore, seu (ut uno verbo dici potest) solius rei temporalis cupiditate servari. Nam & superbia temporalis excellentiæ cupidissima est, & timor rei temporalis amittendæ in ejusdem retinendæ cupiditate fundatur. Vt quoquò sese infidelis in mandatis quasi servandis verterit, cùm charitate non moveatur, semper *culpabilis* illa cupiditas earum *rerum, quas quisque invitus amittere potest*, occurrat in faciem, neque cum à A suis nexibus aut peccato, ante fidem, in ullo opere liberum esse sinat. Quid sicut ex præcedentibus indissolubili veritatis concatenatione consequitur, ita ipsemet Augustinus, ne quis id à me excogitatum, vel aliquibus ratiocinandi præstigijs sibi illudi putet, multis in locis tradit.

Hinc enim est illud in expositione Epistolæ ad Galatas: *Qui non ducuntur spiritu*, videlicet charitatem justitiæ inspirante, de quo ibi secundum Apostolum loquitur, *sequitur ut carne ducantur.* In Epist. ad Galat. Quod alijs verbis eodem omnino tenoentibus in libro contra sermonem Arianorum etiam de ipsa oratione, quæ Deo funditur, dixerat: Lib. cont. serm. Arian. c. 25. *Spiritus interpellat id est, interpellare nos facit secundum Deũ. Quod nisi faciat, non oramus nisi secundum istum mundum, ad explendam concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorũ, & ambitionem seculi, quæ non sunt a Patre, sed ex mundo sunt:* Et quid est carne duci? Audi Aug. sui sesus interpretem: *Non autem pati adversitatem carnis, sed duci à carne damnatio est.* In Epist. ad Galat. Hinc illud præclarissimum, & apertissimum: *Ista ergo dilectio mundi*, quam Apostolicis verbis: *Nolite diligere mundum* velut generalem fornicationem à Deo vetitam esse fusè docuerat, *quæ universaliter in se concupiscentiam obtinet mundi, generalis est fornicatio, quæ peccatur in corpus proprium: eo quod omnibus corporalibus & visibilibus, & temporalibus desiderijs ac voluptatibus humanus indesinenter servit animus ab ipso creatore universorum desolatus, atque derelictus.* Ser. ... quod ... &c. Tom. 10 inter fragmenta. Nimirum, quia quocunque movetur desertus animus amore Dei, ex mundi cupiditate movetur; & ideo semper malè movetur. Qua de re est & illud evidentissimum in quæstionibus super Exodo: *Quamvis uniuscuiusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis; tamen qualitate mala ut huc vel illuc moveatur, cùm sive huc, sive illuc malè moveatur, causæ sunt quibus animus propellitur.* q. 18 super Exod.

Quæ sanè causa est, cur in hujusmodi animis ab amore creatoris desolatis nullum vitium verè vinci, sed solùm unum per aliud superari

CAPVT XXI.

Nulla tentatio aut cupiditas sine peccato oppugnatur seu vincitur, nisi amore Dei.

HÆC itaque etiam vera causa est, cur Augustinus semper doceat, nullam tentationem posse superari, nulli cupiditati repugnari, nisi illâ, de qua suprà diximus, charitate justitiæ veráque dilectione Dei. Nimirum, quia alioquin tentatio non nisi alia tentatione pellitur, neque cupiditas nisi aliâ novâ, perinde malâ, etsi paulo honestiore coram hominibus cupiditate superatur. Quò respiciens præclare dixit Augustinus: *Nonnunquam sane apertissima vitia alijs vitijs vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes; in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.* Itaque mox adjungit id quod diximus: *Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur: quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei & hominum hominem Iesum Christum.* Et paulo ante alijs verbis eodem sensu, cùm præmisisset, vitia inveterata laboriosa difficultate superari: *Neque id,* inquit, *fit veraciter atque sinceriter, nisi vera delectatione iustitiæ. Hæc est autem in fide Christi.* Neque causam tacet, non illam quam recentiores imaginantur, quia alioquin illa superatio non est supernaturalis, non est meritoria, non conducit ad vitam æternam, & hujusmodi, quibus præstigijs Augustini doctrina depravata est; sed illam quam suprà dedimus ex Augustino: *Nam si lex iubens adsit, & spiritus iuvans desit, per ipsam prohibitionem desiderio crescente atque vincente peccati, etiam reatus prævaricationis accedat:* idque sive cupiditate crescente palàm peccet, sive ex timore non peccare videatur, ut suprà declaratum est. Cùm autem nihil peccare videtur, occultiùs peccat, & fortasse periculosiùs, per superbiam vitia crassiora superando, ut statim ex Augustino audivimus. Meritò itaque & circumspectissimè loquens Augustinus non dixit, id non fieri supernaturaliter, non meritorie, non utiliter ad æternam vitam: sed, *non fieri veraciter atque sinceriter:* quia videlicet falsa & simulata victoria est, ubi vel timore vel superbiâ dominante, opus innocens videtur esse, cùm sit animus nocens, & ut Prosper dixit,

In vulnera vulnere surgit.

Vera quippe pugna cum erroribus atq; vitijs, veraque victoria est, ut homo *dimittens ea nullius rei desiderio, nisi boni illius summi atque incommutabilis vincat.* Si enim alia voluntate pugnet aut vincat à tentatione non liberabitur, sed capietur. Hinc August. in libris adversùs Iulianum: *Ambo eam* (voluptatem carnis) *& debere & posse dicimus vinci: sed tu tanquam bonum repugnante alio bono; ego tanquam malum repugnante bono: & tu viribus proprijs; ego gratia Salvatoris, ut non alia reproba cupiditate, sed Dei charitate vincatur: quæ non viribus nostris diffunditur in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ecce hoc ipso quo non charitate cupiditas vincitur, aliâ significat reprobâ cupiditate superari. Hinc alibi Augustinus: *Non intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam:* indicans, si bona voluntate non vincat, in tentationem intrare: qua consideratione dixit in Retractationibus: *Quicogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Bona vero voluntas in Augustini doctrina nulla est alia nisi charitas, ut jam aliquoties declaratum est: nec mala voluntas alia nisi omnium malorum radix cupiditas, hoc est, amor rei, quam quisque invitus amittere potest. Hanc sanæ doctrinæ regulam intuebatur, ac tradebat Augustinus etiam contra Iulianum operum moraliter bonorum in infidelibus assertorem strenuissimum: *Quapropter quando Deo donante ex vera vivitur fide, ipse Deus adest & menti illuminandæ, & concupiscentiæ superandæ, & molestiæ perferendæ. Hoc enim totum rectè fit, quando fit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse: qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso.* Et in libro de natura & gratia: *Facere est ergo iustitiam in vero Dei cultu* (quę non est nisi fides per dilectionem operans) *cum interno concupiscentiæ malo, interna conflictatione pugnare: Perficere autem, omnino adversarium non habere.* Sed ibidem adjicit: *Nihil horum* (scilicet non concupiscere, & post concupiscentias non ire) *scit homo se rectè posse sine gratia Salvatoris.* Et in alio libro contra Iulianum: *In quantum in illo* (Apostolo) *vivit Christus, in tantum expugnat & superat quod non habitat bonum in eius carne, sed malum. Neque enim rectè cuiusquam spiritus concupisceret adversus carnem, nisi habitaret in illo spiritus Christi.* Quod si non veraciter, non sinceriter, non rectè concupiscentia vel oppugnatur vel superatur, nisi bona voluntate, nisi amore Dei, nisi propter Deum, nisi veræ delectatione justitiæ, quis dubitet, quin alia quævis pugna atque victoria perperam & cum peccato fiat? Ipso Augustino suos-ipsius loquendi & sentiendi modos exponente, cùm dixit: *Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est;* ipsa veritate altissimis vocibus clamante, id quod in humanis moribus non veraciter, non sinceriter, non rectè fit, aliud omnino esse non posse, nisi peccatum.

Lib. 21. de Civit. c. 16. — Ibid. — Lib. 22 de Civit. c. 24. — Lib. 5. c. 8. — Lib. de grat. & lib. arb. c. 4. — Lib. 1. retract. c. 15. — Lib. 5. contr. Iul. c. 3. — Lib. de nat. & grat. c. 62. — Lib. 6. cont. Iul. c. 23. — Lib. de utilit. credend. c. 12.

CAPVT

CAPVT XXII.

Explicatur doctrina sancti Augustini, qua dicimur nihil à nobis habere, nisi peccatum.

NAM ex ista capitali charitatis & cupiditatis contrarietate, quæ nullum omnino in actibus humanis medium suscipit, alia doctrina Augustini nata est creberrima & solemnissima, qua passim in suis libris docet, nihil omnino hominem à seipso habere, præter peccatum atque mendacium. Cujus doctrinæ radix est, quod non nisi duplex dilectio sit vel esse possit, ut antè ex Augustino & Leone & alijs declaravimus, creatoris & creaturæ, Dei & mundi, boni incommutabilis & mutabilis, ex quibus omnis actio humana proficiscitur. A nobis autem, ut etiam Augustinus sæpissimè, & fides docet, dilectio creatoris esse non potest: dilectio autem creaturæ & mundi ex nobis fluxit, & non ex Deo, juxta doctrinam Apostolicam, quæ tradit nobis, dilectionem mundi non esse ex Patre, sed ex mundo, Augustino succinente: *Voluntas procul dubio creatura, quæ non est creatoris, ex mundo est.*

Lib. de Patient. c. 19.

Nempe quia homo procul dubio pars est mundi; & ex ipso homine, diabolo quidem suggerente, homine tamen ipso per spontaneam voluntatem deserente creatorem ac diligente creaturam, voluntas talis fluxit. Vnde eandem illam dilectionem mundi non solùm ex mundo, seu ex homine, sed etiam ex diabolo Augustinus esse tradit, quia auctor ejus fuit non inferendo sed persuadendo peccatum: quod non aliter nisi mundi & creaturæ dilectione perpetratum est, ut idem sæpissimè docet. Cùm igitur hæc mundi dilectio, quæ non est à Patre, hæc, inquam, culpabilis cupiditas omnia peccata operetur, neque quicquam operetur nisi malum, sicut neque charitas aliud quicquam nisi bonum, illaque in solidum à diabolo sit & ex nobis, hæc à Deo, manifestissimè sequitur id quod Augustinus docet, nihil à nobis tanquam à nobis proficisci, nisi peccatum atque mendacium. Qua de re luculentissima sunt apud ipsum, radijsque solis fulgentiora testimonia ut ea nullis præstigijs obrui, vel offuscari possint. Sic ergo loquitur in Psalmum septuagesimum; *Iustitia tua sola liberat me: mea sola non sunt nisi peccata.*

Concione 1. in Psal. 70.

Et in Psalmum centesimum secundum: *De tuo aliquid retribue, si potes. Non dixerim, ne feceris, noli deo tu retribuere; non vult Deus de tuo sibi retribuis. Si de tuo retribuis, peccatum retribuis: omnia enim quæ habes, ab illo habes. Tuum peccatum solum habes.* Et in tractatibus in Ioannem:

Tract. 22. in Ioannem.

Vita nostra tanquam nostra, id est, de voluntate propria nostra non erit nisi mala, peccatrix, inique: Vita verò bona de Deo in nobis est, non à nobis. Et tractatu octavo in Epistolam Ioannis:

Tract. 8. in Epist. Ioan.

Hoc dic si vis verius dicere: ego male, ille benè. Et quod ego benè, ab illo bene: nam à me quicquid ago, male. Ista confeßio firmat cor, & facit dilectionis fundamentum Et in sermonibus de tempore:

Serm. 151. de temp. c. 5.

Qui voluerit dicere, quia retribuet aliquid Deo mendax est. (Omnia ab illo speranda sunt: à nobis ipsis præter illum nihil, nisi forte peccatum) & mendacium de suo loquitur. Vere plenè de suo abundat homo: mendacium omnino hic habet, & thesaurum mendaciorum &c. Quod gratis habet de se habet, non illud emit. Quando venitur ad veritatem, si verax vult esse, non erit de suo. Et de eadem mentiendi potestate, qua sola prompti sumus, ita loquitur in Psalmum vigesimum quartum: *Doce me: nam per meipsum non novi, nisi mendacium.*

In Psal. 24.

Et sermone trigesimo primo de verbis Domini: *Homo si vult esse aliquid boni, non fit de suo proprio. Si enim de suo esse voluerit, mendax erit. Si verax esse voluerit, de Dei, non de suo erit.*

Serm. 31. de verb Domini cap. 2.

Et Tractatu quinto in Ioannem: *Tunc ea quæ dicimus & vobis & nobis utilia sunt, si ab ipso sunt. Quæ autem ab homine sunt, mendacia sunt, sicut ipse dixit Dominus noster Iesus Christus: Qui loquitur mendacium, de suo loquitur: nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum, siquid autem homo habet veritatis atque iustitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati &c.*

Tract. 5. in Ioannem.

Qualia verò peccata illa sint, quæ à nobis tantùm habeamus, utrùm propriè an impropriè dicta, non rarò Augustinus explicat. Aliquando enim dicit, ea non esse nisi mala: *Da veniam, Apostole, propria tua non novi nisi mala. Da veniam, Apostole, dicimus quia tu docuisti. Prorsus tua a te tibi parata non novimus nisi mala.*

Hom. 14. c. 5.

Aliquando hujusmodi opera displicere Deo: *Vt sis bonus, invoca bonum. Non enim in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo. Quod autem habes ex te, displicet Deo.*

Serm. 44. de temp cap. 3.

Aliquando esse mala & pœnis digna: *Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi a te ipso, non ab illo sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt; quæ mala sunt non coronat Deus.*

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 6.

Et paulo antè dixerat similiter merita Apostoli fuisse *magna, sed mala. Quid istis tam malis meritis nisi pœna utique debebatur?*

Cap. 5.

Aliquando nos inde damnari: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Non debemus superbire: totum bonum quod habemus, ab artifice nostro habemus. Quod in nobis nos fecimus, inde damnamur: quod in nobis ille fecerit, inde coronamur.*

In Psal. 99.

Et rursum: *Opera manuum tuarum ne despicias. Opus tuum in me vide, non meum. Nam meum si videris, damnas; tuum si videris, coronas.*

In Psal. 137.

Hujusmodi doctrinâ & sententijs passim plenus est Augustinus, de quibus nonnulla etiam intra viue in tractatu de liberatione arbitrij.

Lib. 1. de grat. Christ. Salvat. c. 4.

Omnia verò ex illo ejus principio oriuntur, quòd impossibile sit esse opus bonum, nisi diligatur verum bonum, & ultimus finis omnis boni, qui est Deus benedictus in secula. Quicquid aliter homo facit, ex mundi dilectione facit, quæ non est à Patre,

Patre, sed ex mundo est; & necesse est ut redoleat originem suam. *Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit*: & hæc sine fide esse nequit. Ex isto enim capite manat quicquid prædicat Augustinus de necessitate fidei ad opus bonum: *Quid habemus quod non accepimus, quando & hoc accepimus, unde incipit quicquid in actibus nostris habemus boni?* Hoc est fides. *Ipsa est enim initium, unde bona opera incipiunt.* Quid igitur cetera, quæ præter ipsam fiunt? *Quoniam, ut dictum est, quod ex ipsa non est, peccatum est.* Quia videlicet, ut alibi dicit, *bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit: nemo ergo computet bona opera ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat.* Ex isto fonte fluit quicquid prædicat de necessitate dilectionis ad opus bonum: *Quid enim boni faceremus, nisi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus, si diligamus?* Et iterum: *Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur.* Quid ergo? *Quia omne quod non est ex fide peccatum est: & fides per dilectionem operatur.* Ex ista radice nascitur, quicquid prædicat de sola peccandi potestate antequam arbitrium fide per dilectionem operante liberetur: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet.* Et alio in libro: *Neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet si lateat veritatis via.* Hoc est, ut ibidem indicat, ante legem & fidem, per quas innotescit ei via veritatis, ut eum non lateat, *quod agendum, & quo nitendum est.* Ex ista scaturigine proficiscitur, quod nihil omnino operis boni sine gratiæ divinæ adjutorio fieri posse ubique docet: *Ipse* (Celestius) *quomodo sit accipiendum quod scriptum est: Omnis homo mendax, omnino non solvit, nec solvere poterit, nisi correcto errore quo credit, hominem sine adjutorio gratiæ Dei per solam propriam voluntatem posse esse veracem*, hoc est, diligere veritatem, quæ præscribit opus bonum. Et alibi: *Nemo benè libero arbitrio uti potest, nisi per gratiam.* Et ad eundem Bonifacium: *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Cur, quomodo, qua ratione, cùm sine illa Domini incarnati gratia possit fieri opus saltem moraliter bonum? Audi causam: *Omne enim quod non est ex fide peccatum est. At per hoc bona voluntas, quæ se abstrahit à peccato, fidelis est.* Ex ista causa oritur, quod antequam quicquam fieri possit ab homine operis boni, priùs velit hominem fieri bonum, hoc est, voluntatis bonæ, quæ sola diligit bonum, ut ita possit arbor bona, id est, voluntas bona proferre fructus bonos: *Quid enim potestis facere boni de corde non bono? Ut autem habeatis cor bonum, Dabo, inquit, vobis cor novum*, hoc est, voluntatem novam seu dilectionem novam, ex qua opus necessariò debet fluere. Et iterum instantiùs: *Quid enim boni faceretis homines mali, & quomodo ista bona faceretis, nisi boni essetis?* id est, quid boni faceretis, quamdiu estis voluntate mala, sive quamdiu bonum seu justitiam non diligitis? *Quis enim dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Omnia istiusmodi, aliaque plura, quibus redundant scripta ejus, ex eadem omnino radice & ratione proficiscuntur: quia ut alibi præclarè docuit, & suprà diximus: *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit*, hoc est, faciendum esse judicaverit: *quod verbum* sive judicium de agendo, *amore concipitur, sive creaturæ sive creatoris, id est, aut naturæ mutabilis aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate, aut charitate. Tunc autem est cupiditas, cum propter se amatur creatura: tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.* Ecce brevibus, perspicuis, disertissimis verbis clavem universæ doctrinæ de agendis & non agendis, de bonis operibus & peccatis traditam; sine qua, doctrina Augustini non nisi merus Labyrinthus est; ex quo nisi Glossis textus Augustini innumeros evertentibus, totiusque doctrinæ moli repugnantibus, exiri non potest: cum qua omnia sunt apertissima & facillima: Nimirum charitas sive perfecta sive imperfecta est amor veri boni, ex qua nihil nisi bonum: cupiditas sive perfecta sive imperfecta amor est mundi, *qui non est ex Patre, sed ex mundo. Deus autem id odit, quod ipse non fecit*, ut optimè sanctus Prosper. Ex hoc amore sive cupiditate mundi, non solùm nihil est boni, sed ut dixit sanctus Leo, *Cuncta sunt noxia*, hæc est enim illa, quæ sine amore creatoris *non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.* Semper enim in omnibus actibus, etiam dum unâ creaturâ utitur, aliâ fruitur, in quam ultimo videlicet collimat utentis animus. Quidquid enim fecerit, non potest nisi in re per se dilecta conquiescere.

Lib. de spir. & litt. c. 14
Lib. de gestis Pelag. c. 14.
Ibid.
Præfat. in Psal. 31.
Lib. de grat. Christi c. 26.
Ibid.
Lib. 2 ad Bonif. cap. 8.
Lib. de spir. & litt. c. 3.
Lib. de perf. just. c. 12.
Lib. 1 ad Bonif. c. ult.
Ibid. cap. 3.
Ibid.
Lib. 4 co…
Ibid.
Lib. 2 de p… merit. c. …
Lib. 9. de Trinit. c. 7. & 8.
Lib. 1 de … gent. c. 6
Serm. 5. de Jejunio sept. mens.

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

Can. 22. Conc. Arauf.

Vindicatur à corruptelis doctrina Canonis Concilij Arausicani, qua dicitur: *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.*

HANC igitur constantissimam Augustini & Prosperi & Romani Præsulis S. Leonis doctrinam secuti Patres Arausicani, fulgentissimum illum locum ex Augustini libris à sancto Prospero decerptum in Canonem redegerunt, & universam illam Augustini sententiam, quàm hactenus declaravimus, velut sanissimam, & sacrosanctam, & Catholicam sanxerunt, adversus Iuliani omnesque gentilium Philosophorum præstigias, qui sibi mirum in modum de moralibus operibus, & naturali suâ virtute blanditi sunt. Nam Canon vigesimus secundus verbotenus ex Augustino sumptus est: (Canon. 22. Conc. Arauf.) *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum: Siquid autem habet homo veritatis atque iustitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* Hunc luculentum Canonem, aliqui in alios Augustino incognitos imo repugnantes sensus trahere nituntur; qui quantùm à tradita per Augustinum veritate, & perpetuæ doctrinæ filo recedant, operæ pretium est paucis ostendere. (Suar. lib. 1. de grat. c. 21) Nonnulli enim volunt Augustinum & Concilium non aliud significasse, nisi quòd arbitrium hominis condistinguatur Deo, & ex ipso malitia oriatur, ex Deo omne bonum, sive fuerit ordinis naturalis, quales sunt actus moraliter boni, quos Deus operatur per concursum & providentiam ordinis naturalis, sive fuerit bonum ordinis supernaturalis, quales sunt actus veræ pietatis, qui ex gratia proficiscuntur. Solutio potiùs ex principijs Philosophiæ quam Augustini hausta est, eoq; tendit, ut pleraque S. August. loca, quæ divinum adjutorium adversus Pelagianos prædicant, ad naturalis ordinis auxilia detorqueantur, & humana superbia de suis viribus glorietur. August. enim quandocunque adversus Pelagianos de non peccando benèq; operando disputat, maximè de hac sententia, utrum ex nobis sit aliquid operis boni, an verò solum peccatum atq; mendacium, nunquam de alio quàm divinæ gratiæ auxilio per IESVM Christum disputat, nunquam de auxilio ordinis naturalis, nec à Pelagianis hoc unquam negatum, aut in controversiam adductum fuit, ut & suprà in expositione dogmatum Pelagianorum explicatum est, & uberiùs infrà declarabitur. Hic sufficiet aliqua Augustini de hac ipsa sententia, quòd sine Dei gratia non possumus de nostro habere nisi mendacium atque peccatum, attulisse: idque ex ipsis iisdem Augustini locis, unde fatentur illum Canonem Arausicanum esse desumptum, hoc (Fatetur hoc Suar. lib. 1. de grat. c. 19 n. 8. & c. 21 n. 6.) est, ex libro de perfectione justitiæ capite duodecimo, præfatione in libros de doctrina Christiana, & tractatu quinto in Ioannem. Sic ergo loquitur in libro de perfectione justitiæ de illa Scriptura: *Omnis homo mendax*, quam ad illam sententiam astruendam subinde proferre solet: (Lib. de perf. iust. c. 12.) *Respondemus admonentes, quomodo dicendus sit homo verax, per Dei gratiam atque veritatem, qui per seipsum sine dubio mendax est. Vnde dictum est: Omnis homo mendax.* Ecce quomodo intelligat per seipsum, seu ut Concil. Arausican. loquitur, *de suo* esse mendacem, seu habere mendacium: nempe ut non possit habere veritatem seu esse verax, nisi *per Dei gratiam*. Et iterum postea docet, (Ibid.) non posse Celestium solvere id quod Scriptura dixit: Omnis homo mendax, *nisi correcto errore, quo credit hominem sine adiutorio gratiæ Dei per solam propriam voluntatem posse esse veracem.* Certum est autem, toto libro vehementissimè asserere Augustinum contra Celestium, ad benefaciendum & peccata cavenda necessariam esse verissimam & proprijssimè dictam *gratiam Dei per Iesum Christum*, sicut eam in eodem libro (Cap. 2. 3. 4. & seqq.) sæpissimè vocat. Et præfatione in libros de doctrina Christiana: (In præfat. lib. de doct. Christ.) *Quanquam nemo debeat aliquid sic habere quasi suum proprium, nisi fortè mendacium. Nam omne verum ab illo est, qui, ait: Ego sum veritas. Quid enim habemus quod non accepimus? Quod si accepimus, quid gloriamur quasi non acceperimus?* Iste autem Scripturæ locus tam invictus videtur Augustino pro vera gratia Christi asserenda contra Pelagianos, ut *hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam seipsum convictum fuisse fateatur* ad confitendum, quòd fides sit divinæ gratiæ donum. (Lib. 2. Retract. c. 1. & lib. de prædest. c. 4.) Quod pluribus docet libro secundo Retractationum, & de prædestinatione Sanctorum, usque adeo ut ibidem de ista eadem Scriptura dicat: *Hoc igitur Apostoli testimonium, ubi ad reprimendam hominis inflationem dixit: Quid enim habes quod non accepisti? non sinit quenquam fidelium dicere, habeo fidem quam non accepi: reprimuntúrque omnino his Apostolicis verbis tota humanæ responsionis elatio.* Quamobrem cùm Augustinus ipse per hanc Scripturam convictus esset, ut fidem ex Dei gratia proficisci fateretur, nulla pœnè tam frequenter, quàm ista utitur, ad reprimendam Pelagianorum impietatem, qua gratiæ necessitatem ad opera bona destruebant. Et sermone centesimo quinquagesimo primo de tempore, ubi ut citavimus planissimè eandem doctrinam asseruerat, hominem *de suo mendacium loqui, de Deo autem habere veritatem*, declarat hoc in Petro, qui non nisi Deo revelante in confitenda de Christo veritate verax fuit, simili omnino modo quãdo dicit alijs locis, hominem (Serm. 151. de temp.)

A minem de se non nisi peccare posse, non habere nisi peccata, & hujusmodi, sæpè hęc exponit ita se intelilgere, ut sine vera Christi gratia non nisi peccata faciamus. *In Psal. 37.* Nam in Psal. trigesimũ septimum cùm dixisset: *Opus tuum in me vide: nam meum si videris, damnas*; statim adjicit. *Quia & quæcunque sunt bonã opera mea, abs te mihi sunt, & ideo tua magis quam mea sunt.* Et quomodo ex te, quomodo tua? *Audio quippe ab Apostolo tuo: Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est.* *Tract. 22 in Ioannem.* Et tractatu vigesimo secundo in Ioannem, ubi dixerat, *Vitam nostram tanquam nostam non esse nisi malam, peccatricem, iniquam*: vitam verò *bonam de Deo in nobis*, declarat hoc per illum Apostoli locum: *Vivit vero in me Christus*, quem nemo dubitat de vera gratia esse intelligendum. *Serm. 13. de verb. Apost. cap. 9.* Et sermone decimo tertio de verbis Apostoli, ubi satiatissimè tradidit: *Si nos ipse non adiuvat, non dico vincere, sed nec pugnare nos posse*: *Cap. 12.* si defuerit adjutoriũ Spiritus sancti, *prorsus nihil boni agere nos posse: agere nos illo* B *non adiuvante liberâ voluntate, sed male, ad hoc idoneam esse voluntatem nostram, quæ vocatur libera*, *Ibid cap. 11* *Ibid cap. 13.* & hujusmodi plura, apertissimè & ex professo declarat se intelligere *adiutorium Dei, adiutorium Christi, adiutorium Spiritus sancti, adiutorium gratiæ Dei*, illud ipsum quod Pelagiani ad faciliùs tantùm agendum tandem necessarium esse fatebantur. *Serm. 94. de temp.* Et sermone nonagesimo quarto de tempore ubi dixerat: *Non enim in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo: quod autem habes ex te, displicet Deo*, ex illis iisdem locis Scripturæ hoc probat, quibus semper veram Christi gratiam adversus Pelagianos astruere solet. Nam statim adjicit: *Si bona tua cogitas, quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quem locum, ut diximus, Augustinus pro Christi gratia vindicanda maximè inexpugnabilem putat; *Ibid.* Rursus ibidem quamlibet hominis voluntatem bonam à Deo C datam & excitatam esse probat. *Ipsum*, inquit, *Apostolum interroga: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Quid est ergo, quod tibi arrogabas?* Et mox subjungit id quod citavimus: *Quod habes ex te, displicet Deo.* Cujusmodi doctrina in Augustini scriptis perpetua est: ut nihil profectò insulsius, & principijs Augustini repugnantius, & ad enervandam gratię necessitatem, quam ipse & Concilia prædicant, & ad Pelagianorum pugnam restaurandam accommodatius excogitari possit, quàm ad concursum generalem, & ad cooperationem quandam ordinis naturalis hujusmodi Augustini loca detorquere.

Quid? quod ipse Augustinus & Concilium Arausicanum in illo ipso Canone, de quo disputamus, satis manifestè declarat, ita neminem habere de suo nisi mendacium atq; peccatum, ut oppositam veritatem & justitiam nisi ex vera Christi gratia sitire & habere non possit. D Nam phrasis ista: *Ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo*, ex Psalmo sexagesimo secundo cum quadam allusione sumpta est. Ibi quippe dicitur: *Sitivit in te anima mea & in terra deserta*, hoc est, in eremo. Quare locum illum exponens apertissimè declarat, & sitim illam non esse aliud nisi desiderium sapientiæ atque justitiæ, & fontem ipsam sapientiam & justitiam, hoc est, Christum, & aspersionem ejus gratiam. *In Psal. 6.* Ipsum audi: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Ergo in hoc seculo* (tanquam eremo) *non debemus quasi amare saginam. Hic sitiendum est, alibi saginabimur. Modo autem, ut non deficiamus in isto deserto, aspergit nobis rorem verbi sui, & non nos dimittit prorsus arescere, ut non sit de nobis repetitio, sed ut sic sitiamus, ut bibamus. Vt autem bibamus, aliqua gratiâ eius aspergimur: tamen sitimus.* Et post pauca interposita: *Ipsum desiderium est sitis animæ, quando caro sitit, aquam sitit: quando anima sitit, fontem sapientiæ sitit. De ipso fonte inebriantur animæ nostræ, sicut dicit alius Psalmus: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos. Sitienda est ergo sapientia, sitienda est iustitia &c. Angeli non sitiunt, non esuriunt quomodo nos; sed habent saginam veritatem lucis incommutabilis sapientiæ, & miserantur nos, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus, & ibi cum illis fonte Dominico veritatis & æternitatis aliquando saturemur.* Vnde adversus Pelagianos gratiæ necessitatem asserens, quâ aliquid hauriatur ex illo fonte justitiæ: *Lib. 2 de pecc. merit. c. 5.* *Quid ergo*, inquit, *illis fiet, qui etsi fateantur, se non habere vel non plenam habere iustitiam, tamen a semetipsis habendam, non à suo creatore, ubi horreum eius & fons eius est, deprecandum esse præsumunt?* Ecce quomodo ex fonte illo nos irrorandos esse docet Augustinus, ut non deficiamus in via. Quis enim qui vel primoribus labijs Augustinum attigit, ex ejus mente nos dicat ex concursu generali, vel providentiâ ordinis naturalis velut fonte justitiæ & veritatis, vel guttis ejus aspergi, ne deficiamus in via? vel, ut adjicit in eodem loco (ex quo Canon Arausicanus desumptus est) *se in hac peregrinatione interim nos consolari, ut venire ad eius requiem satietatemque possimus?* *Tract. 5. in Ioannem.* Cogitationes istæ potiùs Aristotelicæ, quàm Augustinianæ vel Christianæ sunt, juxta quas nulla est fontis istius aspersio, qua non deficiamus in via, & quâ hic interim consolemur, ut ad requiem satietatemque veniamus, nisi vera gratia, quæ sola fontem illum veritatis & justitiæ nos facit sitire, bibere, & requiesatiari.

Nec multo magis quadrat isti Canoni alia pars expositionis, quæ dicunt neminem habere de suo nisi mendacium atque peccatum, quia peccatum ut peccatum seu formaliter non est à Deo, sed ex arbitrij defectibilitate, quam habet ex nihilo: & ita posse adhuc habere actum verè bonum suis viribus, Deo saltem concursu universali concurrente. Nam quamvis istud de arbitrij defectibilitate verum sit, ut Augustinus nonnunquam docet, precipuè quando Manicheos respicit inducentes quandam naturam malam, quæ causa sit peccatorum; in hac tamen materia de potestate & viribus arbitrij ad agendum benè vel malè, aliter omnino loqui solet, & intelligi debet. Nam adversus Pelagianos, qui libero

arbitrio quædam opera verè bona & sine peccato facta, ad vitam tamen æternam sterilia & inutilia comminiscendo tribuebat, vt mox dicendum erit, non rarò Augustinus docet, voluntatem liberam ad operandum aliquid boni sine peccato, adjuvandam esse adjutorio gratiæ Dei; ad peccandum verò tantùm, id est, ad ipsum positivum actum peccati faciendum per se sufficere nec ullo Dei adjutorio indigere; eo quòd, subtracto illo Dei adjutorio, per seipsam non solùm cum peccati tentatione non pugnet, sed sine pugna in peccata ruat. Qua de re multa suprà diximus: hîc unus aut alter locus sufficit. Nam hoc est quod dicit in sermonibus de verbis Apostoli, ubi convellit illud figmentum Pelagianum, quo gratiam ad faciliùs benè operandum necessariam statuebant: *Quomodo si aliquis dicat, remis quidem pervenimus, sed cum aliquo labore; ò si ventum habeamus, faciliùs pervenimus. Non sic est adjutorium Dei, non sic est adjutorium Christi, non sic est adjutorium Spiritus sancti: prorsus si defuerit, nihil boni agere potes. Agis quidem sine illo, adjuvante liberâ voluntate, sed male: ad hoc idonea est voluntas tua, quæ vocatur libera, & male agendo fit damnabilis ancilla.* Vbi manifestum est, non hoc solùm Augustinum velle, voluntatem liberam suis viribus sive *de suo*, & sine adjutorio Dei posse peccare formaliter, seu deficere & peccati malitiam habere, sed de se posse agere malè seu agere actum quemlibet, qui non sit bonus, ad actum autem bonum seu sine peccato factum sine gratiæ adjutorio nihil valere. Nam quamvis etiam ad peccatum Dei concursus necessarius sit, ille tamen non est illud adjutorium, de quo sermo est, & eo non obstante arbitrium *de suo* ad peccandum seu ad peccati actum dicitur sufficere, nec opus habere adjutorio Dei. Hinc statim ibidem iterum: *Non cooperator est ille si nihil operamini. Sic vos tamen scitote agere, ut sit rector spiritus & adjutor. Qui si vero defuerit, nihil omnino boni agere valetis.* Et tractatu vigesimo secundo in Ioannem: *Vita nostra tanquam nostra, id est, de voluntate propria nostra, non erit nisi mala, peccatrix, iniqua: Vita vero bona de Deo in nobis est, non a nobis.* Et hîc perspicuum est, cum distinguere vitam bonam in hoc à mala, quòd *voluntas nostra* non solùm malitiam, sed vitam malam, id est, opera mala operetur sine adjutorio Dei: bonam verò eadem voluntas operetur, sed Deo adjuvante, non disjunctivè per concursum aut gratiam, sed tantummodo per veram gratiam, dum per illam, ut ibidem loquitur, *vivit in nobis Christus.* Et in libro de correptione & gratia: *In malo faciendo liber est quisque justitiæ, servusque peccati:* hoc est, per se sufficienter liber est, nec opus est adjutorio gratiæ liberante, ut operetur bonum: *In bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: Si vos filius liberaverit, &c.* Et in libris de peccatorum meritis: *Si ab illo avertimur, nostrum est*, hoc est, ut ibidem antè dixerat, *ad hoc non adjuvamur à Deo*, quamvis Deus concurrat concursu universali. Nequis enim existimaret eum de sola aversione, & non de actu positivo per quem avertimur loqui, statim attexendo explicat: *Et tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentia carnis ad illicita consentimus.* Sic ergo perpetua illa phrasis Augustini contra Pelagianos est, voluntatem nostam *de suo* sufficere, hoc est, suis viribus sine adjutorio Dei, ut malè agat, ut peccet, ut mentiatur, & (sicut conformiter ad Canonem Arausicanum loquitur) *ut de suo loquatur mendacium, ut habeat sine adjutorio mendacium, et fingat ipsi quia potest, ut mentiatur quicquid potest; quia gratis habet, de se habet:* quæ omnia per se statim faciendi actus positivos sonant. Quando autem venitur *ad veritatem, si verax esse vult, non esse de suo*, sed opus esse adjutorio Dei; non illo adjutorio concursus generalis, quod etiam ad malè agendum, & ad mentiendum necessarium est; sed adjutorio veræ gratiæ Dei, sine quo tam constanter docet, nihil omnino boni agi posse, sed tantùm aliquid mali. Hic est ergo verissimus sensus Canonis Arausicani, quod nemo habeat *de suo*, hoc est, de suis viribus, nisi mendacium & peccatum: ad mentiendum enim, & peccandum, & mala quælibet operanda per se sufficit, nec adjuvatur à Deo. Si quid autem habet veritatis atque justitiæ, hoc est, operis boni, hoc ab illo æterno fonte justitiæ per veram gratiam in eum fluit. Nimirum quia nullum est opus bonum, seu sine peccato factum, nisi ipse fons bonitatis & justitiæ gratuito amore diligatur. Et ita Canon iste cum alijs duobus Canonibus ejusdem Concilij Arausicani, in re ipsa prorsus convenit, quorum alter est novus, & ita sonat: *Divini est muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia revocamus*, hoc est, quando non peccamus in aliquo actu. *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur.* Nam de munere veræ gratiæ Canonem in initio loqui, ex ejus fine patet, qui Apostolicis verbis ab Augustino expressus est: *Deus operatur in nobis velle, & perficere:* ex quo semper operationem veræ gratiæ probare solet. Et ita illum Canonem explicat S. Prosper, qui sententiam illam excerpsit ex Augustini lucubrationibus. Nam cum citans in Commentario super Psalmos in illa verba: *Averti pedes meos in testimonia tua*, ita loquitur: *Quod hic positum est: Averti pedes meos, in nonnullis legitur, Avertisti pedes meos: ut hoc Dei potius gratiæ tribuatur. Sed sive hoc, sive illud sit, dubitari non potest*, *divini esse muneris*, hoc est, divinæ gratiæ, sicut præmiserat, *& cùm rectè cogitamus, & pedes nostros &c.* Alter Canon numero vigesimus, his verbis conceptus est: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo*, hoc est, nullos omnino facit homo actus bonos, quos non in eo Deus per veram gratiam operetur. Nam de gratia vera in illo ad Bonifacium loco unde Canon iste depromptus est, totis viribus satagit. Et ex ista sententia sua tanquam

Margin notes: A; Serm. 13. de verb. Apost. cap. 11.; B; C; Tract. 22. in Ioannem; Lib. de corrept. & grat. c. 1.; D; Lib. 2. de pecc. merit. c. 5.; Serm. 151. de temp. c. 5; Canon Arauf. 9.; Sent. 22.; Canon 20. Concil. Arauf.; Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

tanquam ex aditis sapientiæ Christianæ haustâ, & idcirco in Canonem Ecclesiæ versâ, mox concludit boni cupiditatem, hoc est, ipsum etiam primum boni operis desiderium, necessariò ex vera Dei gratia debere proficisci, hoc ipso quo bona est: si verò non esset bona, nec esse debere à Deo. *Proinde*, inquit, *cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summe atque incommutabiliter bonus est.* Ex quo relinquitur impossibile prorsus esse ex Augustini mente, ut ullus omnino actus, qui sit verè bonus, hoc est, sine peccato factus, non à vera Christi gratia proficiscatur; & qui non ab illa proficiscitur necessariò malus sit. *Si enim bonus est, non nisi ab illo nobis est, qui summe atque incommutabiliter bonus est.* Quocirca, ut alibi dicit, *liberum arbitrium ad malum sufficit; ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Et rursum: *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle.* Quibus omnibus locis ex professo gratiæ Christianæ, non Philosophicæ, sive concursûs generalis necessitatem ad omnem actum bonum, ad eumque solùm postulat; sufficiente ad actus quoscunque non bonos, hoc est, malos propria arbitrij libertate: per se enim *voluntas libera est in malis, quia delectatur malis: libera autem in bonis non est, quia liberata non est.* Ipsa igitur prima boni cupiditas à Dei gratia necessariò proficisci debet hoc ipso quo bona est. Et cur non à viribus libertatis, si tantùm moraliter bona fuerit? Audi Augustinum: *Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas: de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo est.* Ecce nulla est cupiditas seu dilectio boni nisi charitas, quæ propterea necessariò per gratiam ex Deo est: præter quam nihil omnino superest, nisi mundi cupiditas, quæ non est bona; & propterea ut idem Apostolus loquitur, *Non est ex Patre, sed ex mundo est.* Omnis enim cupiditas boni necessariò ex Deo est. Vt proinde principijs Augustini non aliud congruat, aut congruere possit, quàm hominem qui suis viribus non potest habere cupiditatem boni, non posse etiam habere suis viribus opera quæ dicuntur moraliter bona, utpote quæ necessariò, si sint bona, ex boni cupiditate, id est, charitate proficisci debent. Cùm ergo non aliud à suis viribus habere possit, nisi cupiditatem seu dilectionem mundi, hoc est, ut Ioannes exponit: *Concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ: neque enim dilectores mundi, ut* August. ait, *habent nisi ista tria*; Et illa dilectio mundi *non sit à Patre*, hoc est, ex Deo, utpote quæ mala, non bona sit, *sed ex mundo*; consequenter homo non aliud *de suo*, id est, de suis viribus expectare potest juxta Canonem Arausicanum, *nisi mendacium & peccatum.* Siquid autem habet veritatis atque justitiæ, hoc est, operis boni, ab illo est fonte justitiæ, cujus gratia aspergimur ne deficiamus in via. Nam *liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet: ad iustitiam vero nisi divinitus liberatum adiutumque non valet.* Causa est; quia *Spiritu sancto fit ut non peccare delectet, sicut præter hunc Spiritum peccare delectat.*

Lib. de corrept. & grat. cap. 11. — *Lib. 1. ad Bonif. cap. 3.* — *Ibid.* — *Lib. 2. ad Bonif. cap. 9.* — *Tract. 2 in Epist. Ioan.* — *Lib. 3. ad Bonif. c. 8.* — *Lib. de spir. & litt. c. 16.*

FINIS.

DE STATV NATVRÆ LAPSÆ

LIBER QVARTVS.

Prosequitur argumentum de viribus liberi arbitrij post peccatum.

CAPVT PRIMVM.

Septimò Augustinus ex professo docuit, omne quod non est ex fide esse peccatum.

HACTENVS ex varijs Augustini principijs sive particularibus sive generalibus, satis, ut arbitror, evidenter asseruimus nullum ab hominibus qui carent fide posse fieri opus bonum, sed sola mendacia atque peccata. Verùm quia nobis familiare est ut ad omnem doctrinam nobis insolitam, quantumvis evidentibus principijs eruatur, cunctando trepidemus, omnisque ratiocinandi solertia suspecta sit, operæ fuerit pretium non jam ex principijs Augustini doctrinam ejus eruere, sed loco septimæ probationis planissimis & ab omni ambigui-

by Google

ambiguitate remotissimis verbis ipsum Augustinum audire asserentem sententiam illam, quam ejus esse dicimus, omnesque cavillationes, quibus mens ejus, & verba simplicissima pervertantur, tantâ explicationis perspicuitate distantem, ut nullis argutiarum nebulis possit obscurari. Nam quasi de industria omnes conatus recentiorum, quibus ejus doctrinam principijs Philosophorum accommodare studuerunt, opprimere studuisset, ita omnia eorum præclusit effugia, omnes tricas explicuit, omnes cavillationes exarmavit, ut pœnè nihil aliud eis supersit, qui rem diligentiùs excussisse videri volunt, quàm admirari doctrinam ejus ut exoticam & incredibilem; & propterea in alium sensum aliquo explicationis commodæ beneficio trahendam esse. Sed altitudinem Christianæ sanctitatis & humanæ infirmitatis, & profunditatem ruinæ illius ineffabilis non videntur intelligere, virtutisque, B ac vitij differentiam magis ex Philosophia gentium, quàm ex Christiana religione, quæ ab Augustino profundissimè explicata est, haurire voluisse. Vt igitur sine ullius obscuritatis & ambiguitatis ambagibus sententiam Augustini de operibus ante fidem factis, à qua religio Christiana incipit, hoc est, de operibus infidelium intelligamus, videamus non quid principia ejus velint & sentire cogant, sed quid ipsemet perspicuis expressisque verbis passim uniformiter & constanter in omnibus lucubrationibus suis tradit.

Itaque in tractatibus in Ioannem, ut omnem hominis superbiam opprimeret, qua de suis operibus gloriari posset, sicut plerumque humana vanitas eorum, qui ante fidem se benè vixisse arbitrantur, de operibus, maximè moraliter bonis, inflari solet. *Non*, inquit, *est ut dicas, antequam crederem jam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus: Omne quod non est ex fide peccatum est?* C Et in Epistola ad Sixtum: *Opera bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, sine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Et in Epist. ad Vitalem: *Itaque* (diabolus) *aliquos eorum per quos amplius decipere affectat, facit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur, per quasque gentes, præcipuèque in gente Romana, qui præclare gloriosissimeque vixerunt.* Ecce habes hic opera velut bona, hoc est, si ulla unquam saltem moraliter bona. Sed jam vide quid de illis sentiat Augustinus: *Sed quoniam, sicut verissima Scriptura dicit: Omne quod non est ex fide peccatum est; & sine fide impossibile est utique placere Deo, non hominibus, nihil sic agit hic princeps, quam ut non credatur in Deum.* Et in libro de gestis Pelagij: *Quantumlibet autem opera infidelium prædicentur, ejusdem Apostoli sententiam veram novimus & invictam: Omne quod non est ex fide peccatum est. &c.* D *Cum ipsa sit virtutum inde bona opera incipiunt.* Et libro de gratia Christi: *Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus si diligamus? Etsi enim Dei mandatum videtur, aliquando non à diligentibus, sed à timentibus*

Tract. 26 in Ioannem.

Epist. 105.

Epist. 107.

Lib. de gestis Pelag. c. 14

Lib. de grat. Christi c. 26.

A *bus fieri: tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur: quia omne quod non est ex fide peccatum est. Et fides per dilectionem operatur.* Et libro primo ad Bonifacium: *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Omne enim quod non est ex fide peccatum est. Ac per hoc bona voluntas, quæ se abstrahit à peccato, fidelis est.* Et lib. 3. ad eundem Bonifacium: *Fides licet sine operibus neminem salvat (ipsa enim est non reproba fides, quæ per dilectionem operatur) tamen per ipsam etiam peccata solvuntur, quia justus ex fide vivit. Sine ipsa vero etiam quæ videntur bona opera in peccata vertuntur: Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Ex illis & similibus locis, quæ per universa Augustini scripta sparsa sunt, apertissimè constat quid de illis operibus infidelium Christiano sentiendum sit. Sine ullis quippe ambagibus ea vera peccata esse tradit, nec aliud esse posse: eo quod sine fide atque dilectione sit impossibile esse opus bonum. Et ut pleniùs mentem ejus perciperemus, opera ista vocat quasi bona; quæ non sunt alia nisi quæ vocari & haberi solent moraliter bona; quæ definit non esse bona, sed peccata.

Lib. 1. ad Bonif. cap. 3.

Lib. 3. ad Bonif. c. 5.

Sed non aliunde evidentiùs mens ejus constare potest, quàm ex ijs quæ tradidit libro primo de nuptijs & concupiscentia. Cùm enim ibi docuisset ex Scriptura, donum esse Dei, quod etiam conjuges pudicè & continenter vivunt, difficultatem sibi objicit de conjugibus infidelibus, qui videntur etiam solis arbitrij viribus continenter vivere: *Quid ergo dicimus*, inquit, *quando & in quibusdam impijs invenitur pudicitia conjugalis? Vtrum eo peccare dicendi sunt, quod dono Dei malè utantur, non id referentes ad cultum ejus à quo acceperunt? An forte nec dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundum Apostoli sententiam dicentis: Omne quod non est ex fide peccatum est? Quis audeat dicere donum Dei esse peccatum? Anima enim, & corpus, & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter insita etiam in peccatoribus dona Dei sunt; quoniam Deus non ipsi ista fecerunt. De his autem quæ faciunt dictum est, Omne quod non est ex fide peccatum est. Cùm igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes, vel sibi vel alijs, sive in his rebus quas vitiosè concupiscunt humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata exercentur, sed alijs peccatis alia peccata vitantur. Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori.* Et ibidem infra: *Hoc tam ex dens bonum* (commixtio socialis corporum sine fraude) *cùm infideles habent, quia infideliter utuntur, in malum peccatumque convertunt.* Et rursum: *Cùm virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes etiam quæ per corpus operantur in animo habitent, quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur?* Et paucis interpositis sic concludit: *Tantum valet fides, de qua Apostolus dicit; Omne quod non est ex fide peccatum est: & de qua iterum scriptum est ad*

Lib. 1. de nupt. & concupis. c. 3.

Ibid. c. 4.

est ad Hebraeos: sine fide impossibile est placere Deo. Quòd ipse non solum de vita hominis, sed de singulis hominis operibus solet intelligere. Doctrina ista validissimum acerrimumque conflictum peperit inter Iulianum & Augustinum, quo longe luculentiùs illustrata, & mens Augustini ab omnibus ambiguitatibus evoluta fuit, illo tanquam falsissimam eam refellente, hoc mordicus tanquam verissimam, Christianam, atque Catholicam defendente. Nam istum ultimò citatum locum, quod in animo qui fornicatur à Deo non possit esse vera pudicitia, hoc est, opus veræ pudicitiæ, sed peccatum tantùm, ita refricat velut invictum, insultatque Iuliano intactum prætereunti: (Lib. 4. cont. Iul. c. 3.) *Sed tu qui mea, sicut dicis, quæ mihi videntur acuta persequeris, hoc totum, tanquam mihi obtusum visum fuerit præteristi. Vide ergo quid horum negandum arbitreris. Virtutem esse pudicitiam conjugalem, promptissime confiteris: Omnes virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitare non negas. Porro infidelis animum fornicari à Deo, ille potest negare, qui se palam sanctarum Scripturarum adversarium profitetur. Ex quibus omnino hæc summa conficitur, ut aut in animo fornicante pudicitia vera esse possit (quod certius, quam sit absurdum:) aut in animo infidelis pudicitia esse non possit: quamvis hoc cum assererem te finxeris surdum.* Illis vero Scripturæ locis, quæ sæpissime in præcedentibus testimonijs allegari vidimus, sic eundem stringit Iulianum, eaque sententiæ suæ asserendæ invicta esse conficit: (Ibid.) *Nam testimonium illud quod ex Apostolo posui: Omne quod non est ex fide peccatum est; sicut tibi visum est accepisti & exposuisti, non ut sapit, sed ut sapis. De cibis enim Apostolus loquebatur: verum cum dixisset: Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide; hanc peccati speciem de qua agebatur generali voluit probare sententia, mox inferens: Omne enim quod non est ex fide peccatum est. Sed ut hoc tibi de cibis tantum intelligendum esse concedam: quid de alio dicturus es testimonio, quod identidem posui; nec inde aliquid disputasti, quia non invenisti quomodo in tuam posses detorquere sententiam, quod ad Hebræos scriptum est: Sine fide enim impossibile est placere Deo? Nempe ut hoc diceretur, de tota vita hominis,* id est, de totius vitæ actionibus, *agebatur, in qua justus ex fide vivit. Et tamen cum sine fide impossibile sit Deo placere, tibi virtutes sine fide sic placent, ut eas veras prædices, eisque bonos esse homines: & rursus quasi te pœnituerit laudis earum, steriles pronunciare non dubites.* Et infrà iterum de singulari quodam opere loquens, opere videlicet misericordiæ, quod exhibetur pauperi, & maximè videbatur moraliter bonum: *Porro,* inquit, *si vitium est male misereri, procul dubio vitium est infideliter misereri. Quod si & ipsa per seipsam naturali compassione opus est bonum; etiam isto bono male utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit, qui infideliter facit. Qui autem male facit aliquid, profectò peccat. Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera quæ faciunt infideles non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate. Qualis voluntas nullo Christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis, nolis, quod non est ex fide peccatum est. Et ideo Deus istas arbores non potest diligere, & si tales permanserint, disponit excidere, quia sine fide impossibile est placere:* (Ibid. lib. 4. cap. 3.) Et rem à fundamentis eruens in fine concludit: *Sed breviter accipe, ne forte cum in rebus ipsis tantùm erres, quantum errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis. Aut ergo intellige quod ait Dominus: Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit: Si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit: Et hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit: & per hoc disce, eum qui non facit opera bona, intentione fidei bonæ, hoc est eius quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum.* (In fin. c. 3.) Plura hujusmodi in eodem loco inculcat Augustinus; sed ista sola, quamvis nihil Commentarij loco adijceretur, ita perspicua sunt, & mentem ejus de omnibus infidelium operibus tanta claritate convincunt, ut non sinant hominem nulla contraria sententia præoccupatum aliud suspicari. Nam in illis ipsis testimonijs allegatis, multoque uberiùs in cohærentibus ejusdem disputationis locis, omnes recentiorum cavillationes, quibus mentem ejus obscurare, ac in alium sensum detorquere conantur, ita lucvlentè perimit, ut mirum sit cordatos homines in tergiversationes ita frivolas declinare, & Augustino suas cogitationes imponere potuisse.

Præcipua verò tergiversandi causa est, quòd principijs humanæ Philosophiæ non congruere Augustini Theologia videatur. Molestissimè quippe nonnulli ferunt, quod naturæ viribus infractis non possit actum facere, qui tendat in moralem honestatem actus: hoc enim sufficere volunt, ut sit actus moraliter bonus, etsi aliò nulla voluntatis intentione referatur. Itaque doctrinam Augustini in illo generali sensu intellectam dicunt esse *incredibilem, rationes eius frivolas, & tanto ingenio indignas, mirabiles continere verborum æquivocationes: quia ex significatione propria animi fornicarij, fit transitus ad metaphoricam, & ita syllogismus fit in quatuor terminis.* (Suar. lib. 1. de grat. c. 7. n. 10. & 14.) Quapropter ut ex ejus doctrinæ vinculis liberentur, aliquot solutiones excogitatæ sunt, quas ad omnia loca in promptu habent, ut ubi una deficit, succurrat alia: omnes verò tam enormiter de tanti Doctoris veluti triennalis tyronis doctrina ludunt, ut longè satius esset palàm ab ea discedere, quàm eam tot ludibrijs adulteratam vindicare. Nos duas præcipuas prosecuturi sumus, & ex Augustini verbis ac doctrinæ filo & scopo distillaturi: ut omnibus perspicuum esse possit, eas non judicio veritatis expressas, sed necessitate excogitatas, nihilque minùs quàm ex Augustini lectione promanasse.

CAPVT SECVNDVM.

Primum effugium occluditur, quo dicunt Augustinum loqui de peccato latè & impropriè sumpto:

PRIMA igitur responsio, qua recentiores Augustini citata testimonia, totamque illam acerrimam disputationem cum Iuliano diluunt, in eo sita est, quod Augustinus impropriè peccati nomen usurpet pro peccato latè sumpto, pro actu videlicet, qui non potest prodesse ad vitam æternam. Quidquid enim infidelis boni fecerit, caret illa perfectione boni operis, ut aliquid vitæ æternæ conferat, ideoque meritò peccatum veluti defectivus actus appellari potest. Nam etjam Augustinus cùm dicit, infideles non posse facere quicquam boni, non quodlibet bonum intelligit, sed, inquiunt, *bonum pietatis, quod ad æternam felicitatem, aliquo modo conferat*, juxta illa verba ejus: *Scito nos dicere illud opus bonum sine Dei gratia, quæ per unum mediatorem datur, nemini posse conferri per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Et paulo post: *Hoc ergo amore opus ejus, ut bonum beatificum sit &c.* Cùm igitur hoc Augustino sit tantùm opus bonum, reliqua veluti defectiva etjam peccata vocat.

Fuer. lib 1. grat. c. 7. n. 21.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3. in fine.

B

Sed multis modis facile ostendi potest, responsionem istam, vel potiùs cavillationem esse imperitissimam doctrinæ Augustini, ab ejus mente remotissimam, indignamque quæ à viris doctis proferatur. Primo, quia semper utitur ad probandam sententiam suam illo Scripturæ loco: *Omne quod non est ex fide peccatum est*: Certissimum est autem Apostolum ibi verissimum peccatum intelligere, sive fides accipiatur, pro dictamine conscientiæ, ut plerique solent, sive pro fide qua fideles Deo dicimur, ut Augustinus & ferè antiqui volunt. Præmiserat enim Apostolus; *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide.* Causam autem damnationis reddit, quia *quod non est ex fide peccatum est*. Quæ falsa profectò & inepta ratio est, & ipsis respondentibus repugnans, nisi verum peccatum intelligatur.

C

Actus enim imperfectus, seu tantùm moraliter bonus secundum ipsos causa damnationis esse non potest. Vnde & Augustinus dicit: *Quod hanc peccati speciem, de qua agebat*, manducandi videlicet sine fide, *generali voluerit probare sententia, mox inserens: Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Qua de causa etjam illum alterum Scripturæ locum: sine fide impossibile est placere Deo, sic intelligere solet, ut propterea opera infidelium etjam displiceant Deo & voluntas quæ tales fructus facit etjam excisione puniatur: *Qualis*, inquit, *voluntas nullo Christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide peccatum est. Et ideo*, quia videlicet non proferunt nisi

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Ibid.

A

sola peccata. *Deus istas arbores non potest diligere, & si tales permanserint, disponit excidere, quia sine fide impossibile est Deo placere.*

Secundò verum & propriissimè dictum peccatum ab Augustino intelligi, perspicuè patet ex ejus scopo adversus doctrinam adversarij sui. Fatebatur enim Iulianus disertissimis verbis opera infidelium, de quibus ei cum Augustino erat disceptatio, ita esse bona, ut tamen per ea vitam æternam non assequerentur, sed mercedem dumtaxat quandam temporalem. Hæc enim sunt ipsissima Iuliani verba, quæ Augustinus refert & objicit sibi: *Sed responsurus es*, inquit Augustinus, *Quid nisi vana? Ego, inquis, steriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam.* Et paulo superiùs in eodem loco, cùm dixisset, originem virtutum in animo esse sitam, & affectus omnes, per quos aut *fructuosè aut steriliter boni sumus*, in subjecto esse mentis nostræ: *Horũ igitur*, addit Iul. *affectuum vis cum insit omnibus naturaliter; non tamen ad unum finem in omnibus properat: sed pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna aut ad temporalia diriguntur. Quod cùm sit, non in eo quod sunt, non in eo quod agant, sed in eo solo variant quod merentur. Nec nominis sui igitur possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt præmij aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur.* Non posset Iulianus manifestiùs declarare mentem suam de operibus istis moraliter bonis, de quibus agebatur; nempe esse opera quidem bona à virtutibus naturalibus profecta, sed quia non referuntur ad Deum, ad vitam æternam consequendam nihil prodesse. Hoc est autem ipsissimum illud, quod recentiores vocant peccatum latè sumptum, vel impropriè dictum, vel actum qui nihil prodesse potest ad vitam æternam. Et tamen Augustinus asseverantissimè contendit, talia infidelium opera, quæ quia ad Deum non diriguntur, nihil ad vitam æternam conferunt, non esse bona, & voluntates ea proferentes, quia Iuliano confitente steriles erant, non posse esse arbores bonas, quia non profert arbor sterilis fructus bonos, ideoque excidendas esse, & in ignem mittendas. Audi Augustinum. *Quapropter dici non potest, quantum te ista fallat opinio, qua dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus*, assequendo videlicet per illas vel non assequendo vitam æternam; *Fieri enim non potest, ut steriliter boni simus: sed boni non sumus, quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, à quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines*

Ibid.

Ibid.

hommes sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alij minus, alij magis mali. Quibus verbis manifeste significat, virtutes hujusmodi, quæ non diriguntur in vitam æternam, non esse arbores bonas, nec opera quæ ab illis proficiscuntur esse bona, sed tantummodo minùs mala: & ideo ignis supplicio excidenda. Unde de istis operibus, de quibus erat tota disputatio, toties repetit, esse peccata; quia omne quod non est ex fide peccatum est.

Tertiò idem probatur evidentissimè ex circumstantijs loci, unde exorta est tota illa controversia. Est autem locus ille, quem supra ex libro primo de nuptijs capite tertio allegavimus: Illum quippe Iulianus exagitandum sumpserat. Porrò in illo loco expressè distinguit Augustinus peccatum, quod in omnibus operibus infidelium reperiri volebat, ab alijs operibus imperfectè bonis. Distinctionem autem in eo collocat, quòd Deus hujusmodi bonorum naturalium auctor esse potest, peccati autem auctor esse non potest. Hoc autem certissimú est, non de peccatis latè sumptis, seu actibus moraliter bonis nihil ad vitam æternam conferentibus intelligendum esse: nam etjam ipsimet recentiores contitentur ac docent, Deum hujusmodi peccata, ut cum ipsis ita loquar, per providentiam naturalis ordinis donare & procurare. Cùm ergò de pudicitia infidelium, qua servare videntur fidem thori, pronunciasset illud Apostolicum; Omne quod non est ex fide peccatum est, ut probaret non esse in illis donum Dei, sic mentem suam de peccato explicat: *Quis audeat dicere, donum Dei esse peccatum? Anima enim, & corpus, & quæcumque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt, quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. De his autem quæ faciunt. Dictum est; Omne quod non est ex fide peccatum est.* Et paulo pòst de commixtione conjugali tanquam naturali bono dicit: *Hoc tam evidens bonum cum infideles habent, quia infideliter utuntur, in malum peccatumque convertunt.* Quis enim, obsecro, vel ignarissimus tyro Theologiæ, imo quis vel ineptissimus ac stolidissimus ex hominum vulgo commixtionem, aliasque naturales actiones, & corporis atque animi dotes BONA vocet, quæ per se similiter nihil omnino ad vitam æternam conferunt, nisi eò voluntate referantur; & tamen actus pudicitiæ conjugalis infidelium, si similiter boni sint, *mala & peccata* nuncupaverit? Et quod hujusmodi actibus velut (ut ibidem loquitur) *alijs peccatis alia peccata vincantur?* Quæ verba carpens Iulianus, & ex ijs Pelagianam suam doctrinam inferens: *Persacile igitur studio sanctitatis, quod Deus adjuvat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur, inquis, peccata peccatis, quanto magis possunt, virtutibus peccata superari?* Est autem certum Pelagianos cum dicerent, *hominem carere posse peccatis*; &, *virtutibus peccata superari*, propriissimè dicta peccata intelligere; cùm tamen Augustinus hoc neget, ac tantum velit peccatis alijs alia peccata vinci: ut necesse sit, & Iulianum & Augustinum eadem illa vera peccata, non opera bona licet imperfecta, in verbis Augustini intelligere; nisi velimus utrumque inter se pueriliter in æquivocationibus ludere. Quod manifestius ex Augustini perpetua phrasi ac doctrina declarari potest. Docet enim ille passim in scriptis suis, omnes functiones naturales imo etjam omnium virtutum moralium officia, ut misereri pauperis, subvenire periclitanti, & similia, esse bona, & ex Deo proficisci; infidelium verò opera non esse bona. De illis enim sic Augustinus; *Copulatio maris & fœminæ generandi causa bonum est naturale nuptiarum*: quod mox vocat *evidens bonum.* Et intrà abstinentiam ab adulterio dicit esse *in connubio bonum naturale quidem, carnale tamen.* Et libro secundo, commixtionem conjugum esse *ex Deo*, esse *laudandam*, esse *opus Dei.* Imò admittit etjam responsionem Iuliani dicentis etjam adulterorum *commixtionem per seipsam bonam esse.* Et lib. quarto: *Bonum esse subvenire homini periclitanti, præsertim innocenti*: esse *Dei opus bonum*: *misereri per seipsum naturali compassione esse opus bonum*, etjam cum fit ab infidelibus, talia *opera bona quæ faciunt infideles non infidelium esse, sed Dei.* Et capite septimo, *commixtionem legitimam sexuum generandi causa* esse *opus bonum*, etjam in infidelibus, & regenerationem detestantibus. Et tamen infideles, qui talibus utuntur actionibus & officijs bonis, in ijsdem locis sæpius, peccare testatur: *Quamvis eo bono* (commixtione legitima) *male utantur, & in eo peccent, quod de impia vel propaganda vel propagata prole glorientur.* Et de bona compassione misericordiæ: *Etiam ipso bono male utitur qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit qui infideliter facit: qui autem male facit aliquid, profecto peccat.* Et rursum: *Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona male faciunt; quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate.* Hæc sanè demonstrant evidentissimè longè aliter Augustinum de operibus, in quibus infideles videntur moraliter benè facere, quàm de officijs ipsis bonis, quibus utuntur, sentire & loqui. Ista quippe officia constantissime profitetur esse bona, etjam in ipsis infidelibus dum ea faciunt; usum verò talium bonarum actionum sive officiorum esse in infidelibus malum, & ijs male utendo in peccata converti: cùm tamen utrumque [illegible], si vera sunt quæ recentiores Augustino tribuunt, similiter malum & peccatum latè sumptum dici debeat, quia nihil ijs ad adipiscendam vitam æternam prodest; vel potiùs, ut ipsi loquuntur, & omnis vir non perturbatæ mentis loqui debet, esse utrumque bonum.

Lib. 1. de nup. cap. 3. — *Lib. 1. de nup. cap. 4.* — *Ibid. c. 17.* — *Lib. 2. c. 5. c. 9.* — *Lib. 3 cont. Iul. c. 7.* — *Lib. 4. c. 3.* — *Ibid. c. 7.* — *Lib. 4. c. 7.* — *Ibid. c. 3.*

Quartò si cui fortè ista nondum satis perspicuè mentem auctoris indicant, ut sciat qua significatione peccati nomen usurpaverit, sunt loca plurima & manifesta, quibus ubique uniformiter peccatum propriissimè dictum, hoc est, veram justitiam, æternoque supplicio dignum se intelligere profitetur. Dicit enim ea opera infidelium esse *malè facta*, ideoque non posse esse nisi peccata: *hoc tam evidens bonum*

Lib. 1. de nupt. initio.

cum

secundam igitur conditionem operis boni, quam Iulianus non putabat, sicut neque recentiores putant; cum opere verè bono seu non malo esse indivulsè nexam, fatebatur ipse cum Augustino relationem ad verum Deum veluti ad finem operis, hoc est, dilectionem Dei esse necessariam. Sed inde concludit Augustinus propositum suum de fide ad opus bonum necessariâ, videlicet eo quòd non aliud ipse vocaret opus bonum, nisi quòd hominem ad æternum Dei donum regnumque perduceret; non quasi per hoc admitteret esse aliud genus operis verè boni seu non mali: quomodo enim hoc admitteret, quod totâ disputationis mole contriverat? Sed potius è contrario, quòd nullum omnino sentiret esse vel esse posse opus bonum, quin hoc ipso, sicut fidem amoremque Dei velut sui principium postulabat, ita esset etjam pietatis, & cultus Dei, æternæque vitæ suo modo meritorium. Nam in eodem ipso loco, quo permittebat Iuliano ut ea vocaret opera bona, & sine ullo facta peccato, tales dat rationes sententiæ suæ, ut ijs probet esse vera peccata. Primò, quia non facit ea voluntas bona, sed infidelis & impia. Apud Augustinum autem impossibile est fieri opus bonum, sine voluntate bona; id est, sine amore boni, quod apud Augustinum est voluntas bona. Secundò, quia dicit, voluntatem istam esse sterilem apud Deum, & ideo non bonam. Tertiò, quia dicit, amorem mundi ex quo videlicet illa Iuliani opera fluunt, non esse à Deo. Quid est ergo nisi culpabilis illa cupiditas, quæ non est à Patre, omnium malorum radix, velut amor rei, *quam quis potest invitus amittere, qui in omni malefaciendi genere dominatur*, ut Augustinus ex professo docet? Quartò, sine amore creatoris, quem Iulianus fatebatur non adesse in illis operibus bonis, neminem posse benè uti creaturis. Quid ergo fiet, nisi quod utetur malè, vel, quod pejus est fruetur? Neutrum autem sine peccato fieri potest. Quid est enim non benè uti, nisi non rectè uti? *Omne autem factum, si rectè factum non est, peccatum est.* Sed de ista difficultate, quòd omne opus verè bonum non possit esse nisi pietatis & meritorium, alibi dabitur fusior dicendi locus. Hic sufficit ostendisse, quod infideles nihil operari possint, non solum pietatis, & beatitudinis meritorium, sed nihil omnino boni & absque peccato.

CAPVT TERTIVM.

Secundum effugium clauditur, ostendendo solam absentiam fidei sufficere, ut omnia opera infidelium vera peccata sint.

ITAQVE secunda Recentiorum responsio est, Augustinum quando dicit, omnia opera infidelium esse peccata, intelligendum esse *regulariter ac moraliter loquendo*, quia plerumque operantur ut infideles, hoc est, ex regula *non rationis, sed erroris*, apponentes aliquem perversum finem; atque ita quæstionem esse *de facto potius, quam de iure*, hoc est, quid plerumque contingere soleat, non autem quid subinde, quamvis rariùs, possit fieri, si operari vellent purè negativè sine fide, & non contrariè ex infidelitate. Solutio nonnullis perplacet: cùm tamen magis fortasse Augustino & principijs quibus nititur, quàm præcedens repugnare videatur. Nam quamvis verissimum sit quandocunque infideles aliquid boni videntur agere, semper adesse finem malum, de ultimo actionis fine loquendo, hoc tamen unicum Augustino sufficit, ut omnia ipsorum opera peccata sint, quod negative non referuntur, neque referri possunt ad illum, ad quem omnis actio creaturæ rationalis referri debet. Quem negativum exprimendi modum tam accuratè & sæpè servat Augustinus, ut nemo Scholasticorum, qui præcisos loquendi modos in enodandis difficultatibus sequi solent, præcisiùs locutus fuisse, & Augustinus de hoc ipso scrupulosissimè satagere videatur. Nam in ipso loco, qui totius controversiæ de ista quæstione cum Iuliano exordium fuit, quæstionem ipsam purè negativè proponit: *Vtrum eo peccare dicendi sunt* (infideles) *quod dono Dei malè utantur*, NON ID REFERENTES *ad cultum eius, à quo acceperunt*? Ita ut tota difficultas controversiæ in eo sita fuerit, utrum fides adesse debeat ad hoc ut fiat aliquod opus bonum, ipsaque sola & nuda finis illius absentia, qui fide intentionem dirigente proponitur, sufficiat ut sit opus malum? Quam quæstionem statim resoluit Augustinus affirmativè, & sæpissimè inculcat, hoc ipso quo NON ADEST finis ille debitus, qui est verus Deus, & fide per dilectionem operante intentionemque finis dirigente proponi debet, opus esse malum. Hoc probat statim in ipso ingressu tribus Scripturis solam negationem fidei Deo inhærentis culpantibus, quas identidem, & fere solas, & velut invictas tota illa disputatione repetit, & inculcat: a *Omne quod non est ex fide peccatum est.* b *Sine fide impossibile est placere Deo.* c *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Nam non esse ex fide, esse sine fide, fornicari seu apostatam esse à Deo, manifestissime nihil aliud, quam negationem fidei vel dilectionis ei cohærentis denotant, nec ullo modo etjam ex mente Apostoli & Prophetæ postulant, ut contrariè istæ locutiones intelligantur, Augustinum verò eas sic semper intelligere,

Suarez Lib. 1. de grat. c. 7

Lib. 1. de nupt. c. 3.

Ibid. cap. 3. & 4.

a Rom. 14.

b Hebr. 11.

c Psal. 72.

A fide. *Porro si vitium est malè misereri, procul dubio vitium est* INFIDELITER, id est, non ex fide *misereri. Quod si & ipsa per seipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono malè utitur, qui* INFIDELITER *utitur; & hoc bonum male facit, qui* INFIDELITER *facit: qui autem male facit aliquid, profecto peccat.* In quibus omnibus locis illud (*infideliter*) non aliud quàm negationem fidei sonat. Hoc enim ipsum satis esse vult, ut non sit bona misericordia, sicut ex ijs verbis patet, quæ præmiserat: *Attentius cogita, ne forte misericordia non sit, nisi qua bonum bonæ fidei fuerit*, id est, si non fuerit hujus fidei: & ex ijs quæ statim adjicit velut causam, cur etiam opera bona malè faciant: *Quia*, inquit, *ea* NON FIDELI *faciunt voluntate.* Et ut intelligeremus, quod illa voluntas *non fidelis* eadem omnino sit, quam toties *infidelem* appellaverat, & cujusmodi bonitatis sit, interpretando explicat: *Sed infideli, hoc est, stultâ & noxia faciunt voluntate.* Voluntas enim, id est, volitio infidelis hoc ipso quo non est fidelis, seu hoc ipso quo non dirigitur fide, non nisi stulta & noxia esse potest, quia NON *in Domino*, ut ante dixerat, *sed in se ipsa vel in alijs gloriatur*, quod stultum & noxium esse non dubitat Christiana fides. Itaque ultimum totius negotij cardinem explicaturus, clarissimis & philosophicis verbis in eadem præcisa & negativa exprimendi phrasi perseverans, disputationem ita concludit: *Hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit: & per hoc disce, eum qui* NON FACIT OPERA BONA INTENTIONE FIDEI BONÆ, *hoc est, fidei quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis velut membris operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum.* Quod ut adhuc radicatiùs & præcisiùs intelligeretur, cùm sciret præter illam Dei dilectionem, per quam tanquam per intentionem fides operatur, nullum alium amorem esse, vel esse posse, nisi amorem mundi, circumspectissimè loquens, & unicuique quod suum est tribuens, de amore mundi dicit: *Amor*, inquit, *fruendi, quibuscunq; creaturis* SINE AMORE CREATORIS, *non est à Deo.* Nimirum ut eum intelligeremus esse, sicut alibi docet, à diabolo, & ex eo non posse nasci quicquam operis boni. De amore vero Dei, quem fides dirigit: SINE HOC AMORE *creatoris nullus quisquam benè utitur creaturis.* Vt proinde omnino impossibile sit, infideles, qui hoc amore creatoris carent, ullâ omnino creaturâ uti nisi malè; imo, quod multò est deterius, ea frui. Alterutrum enim necesse est fieri, ubi non est amor creatoris, ut creaturis vel utatur, vel fruatur. Frui creaturis sine amore creatoris non est à Deo, sed ex mundo, nec unquam licet: Vti verò creaturis sine amore creatoris nemo benè potest; *Per hunc amorem* quippe *creatoris*, ut ibidem adjicit, *benè quisque utitur etiam creaturis.* Fieri enim non potest ut bonus usus sit, hoc est, non malus, qui vero & ultimo utendi fine, ad quem referri debet, destituitur. Sola enim absentia ultimi ac debiti finis, tanquam circumstantiæ quàm maximè necessariæ, ad verum peccatum abundè sufficit: ut satiatissimè, & scrupulosissimè, contra adversarium quàm obnixissimè resistentem in præcedentibus Augustinus explicuit.

Quam doctrinam & in alijs operibus velut sanissimam, Christianisque adversus Philosophicas quascunque opiniones quàm maximè necessariam, frequenter inculcat. Nam in tractatibus in Ioannem: *Sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi, & non sunt bona.* Vnde, quæso, & quamobrem? An ex aliqua extranea, vel perversa, vel erronea alicujus accersiti distortique finis circumstantia? Minimè gentium; sed ob hoc duntaxat, *quia* NON *referuntur ad eum finem, ex quo sunt bona. Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Et in libro de fide & operibus: *In homine ipso nisi præcedat fides, vita bona sequi non poterit.* Et quid causæ tantæ impossibilitatis? *Quicquid enim homo veluti rectè fecerit, nisi ad pietatem, quæ ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet. Omne autem factum, si rectè factum non est, peccatum est.* Et in libris Confessionum: *Hoc enim peccabam, quod* NON IN IPSO, *sed in creaturis eius me, atque ceteris voluptates, sublimitates, veritates quærebam, atque ita irruebam in dolores, confusiones, errores.* Illa quippe duo separari nullo pacto queunt, ut qui non in Deo velut fine requiescit non requiescat in creatura; & vice versâ, qui non in creatura, non requiescat in Deo. *Nec enim anima potest nisi in eo quod diligit requiescere.* Meritò igitur dicit Augustinus, quod in eo peccaverit, quod *non in ipso*, sed in creaturis quidlibet tandem diligendo quæsiverit. Nam ut in eodem loco definit ac dicit: *Peccatum non solum illud est, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus; sed etiam si habeat speciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat*, NON PROPTER *requiem sempiternam*, hoc est, non propter Deum. Temporalis enim operis merces maximè est finis ejus: quem necesse est esse temporalem, quidlibet tandem respicere videatur, nisi oculis collimet in sempiternum Deum, velut eum in quo sempiterna requie debet requiescere.

Hinc & in Commentarijs super Psalmos: *Opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides* NON ERAT, *bonum opus non erat.* Et quid erat, si bonum non erat, nisi malum? Deerat enim non qualibet indifferens circumstantia, sed qua non præsente non potest opus ex ea sequens esse nisi malum, videlicet circumstantia recti finis, de quo contra Iulianum definierat, quod opus, etsi officio quod fit videatur bonum, ipso *non rectè fine peccatum sit.* Audi

Tract. 25. Ioannem.

B

Lib. de fide & operib. cap. 7.

Lib. ad Honorat. c. 12. Lib. 1. Confess. c. ult.

Serm. 18 de divers. c. 4.

C

Ibid.

Præfat. in Psalm 31.

D

Digitized by Google

fit. Audi igitur hanc ipsam ibidem expressam causam: *Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Audi explicatiùs inculcatam. *Non valdè attendas, quid homo faciat, sed quid cùm facit aspiciat, quò lacertos optimæ gubernationis dirigat. Fac enim hominem optimè gubernare navem, & perdidisse quò tendit: quid valet, quia artemonem optimè tenet; optimè movet, dat proram fluctibus, cavet ne latera infligantur, tantis est viribus ut detorqueat navem quò velit, & unde velit? & dicatur ei: Vsque quò is, & dicat, Nescio; aut non dicat, Nescio, sed dicat, Ad illum portum eo, Nec ducat in portum, sed in saxa festinet? Nonne iste quanto sibi videtur in navi gubernanda agilior, & efficacior, tanto periculosius eam sic gubernat, ut ad naufragium gubernando perducat? Talis est & qui optimè currit præter viam,* hoc est, talia sunt opera, quamvis in speciem optima, præter fidem. Saxa enim sunt, mundus & ea quæ in mundo sunt, hoc est, quælibet creatura, si cupiditate diligatur. Nam ut ibidem adjicit: *Amor mundi, amor hujus seculi,* quem nemo qui non diligit Deum in ullo opere suo nullis machinis aut subtilitate evadere potest, *cupiditas dicitur*, ideoque rectissimè monet: *Cupiditas refrenetur, charitas excitetur.*

Hæc aliaque plura quæ proferri possunt perspicuè, nisi multùm fallor, demonstrant, utrum tota illa doctrinæ moles, quam de omnibus infidelium operibus tradidit, de infidelibus ex regula erroris, seu ex infidelitate, aliâve pravâ intentione operantibus tantùm intelligenda sit; ideoque *regulariter*, & *moraliter*, ut ipsi loquuntur, tantùm vera. Mentem quippe suam, qua sentit, omnia omnino opera infidelium nullo excepto esse vera peccata, nec esse posse nisi peccata; tanta manifestatione declaravit, ut si Solis radijs eam scribere voluisset, vix arbitror illustriùs eam nobis depingere potuisse. Repetit enim creberrimè, constantissimè, maximâ præcisè loquendi circumspectione, *hoc ipso quo dona Dei* NON AD *suum referuntur auctorem, injustos fieri: hoc peccari quod* SINE *fide,* NON AD DEUM *retulerunt opera sua.* IN QUANTUM NON EST EX FIDE, *peccatum esse; de tali opere* NON IN DOMINO *gloriari, solum impium negare esse peccatum,* NON FACERE *opus intentione fidei bona, esse peccatum: Etsi officio videatur bonum, ipso* NON RECTO FINE *peccari.* Et hujusmodi plurima. Dicit, cùm quis aliquid NON PROPTER HOC *facit, propter quod facere debet: si opus fiat* NON PROPTER HOC, *propter quod fieri debere vera sapientia præcipit:* si infideles opera NON AD EUM FINEM *referant, ad quem referre debuerunt, hoc ipso esse peccatum.* Hunc finem, ad quem opera infidelium referri debere, veramque sapientiam præcipere ut referantur, satiatissimè & expressissimè docet esse unicum & verum Deum: ad illum, intentionem velut oculum animæ esse referendam: illum intentionem fide dirigi. Quid amplius ab Augustino, à me-ipso, vel ab ullo homine postulari potest, ut explicet mentem suam? Nec regulariter doctrinam suam, sed formaliter, universaliter, sine ulla exceptione, tanquam quæ principijs universalibus exceptionem nullam admittentibus nitatur intelligendam esse declaret? Nec enim arbitror in omnibus operibus Aristotelis aut Platonis, quibus tanquam Philosophis circumspectum præcisumque loquendi modum Scholastici tribuunt, vel etiam in ipsius Augustini lucubrationibus universis ullam omnino quæstionem repertum iri, in qua tanta, tam crebra, tam constans, tam uniformis loquendi formalitas usurpata sit, quàm in ista de operibus infidelium. Ut sanè nullo illustriori indicio convinci possit, recentiores illos ab Augustini doctrina recessisse, à cujus laqueis non nisi tam futilibus elusionibus, & mirâ totius doctrinæ ipsius & principiorum perturbatione evadere queunt.

CAPUT QUARTUM.

Augustini rationes ostenduntur juxta ejus principia esse validæ.

QUOD verò rationes Augustini *frivolas* in eo sensu generali esse citatus auctor queritur, & *tanto ingenio indignas, mirabilesque continere verborum æquivocationes*, hominis non satis rem penetrantis voces sunt. Augustini enim doctrinam à sensibus ipsius plerumque dijunctissimam non tantùm, salvâ ejus pace, non intelligit, sed vix quisquam scriptorum recentiorum facilè reperietur, qui eam suis argutijs magis perturbaverit, & minùs assecutus sit. Nam in plerisque, quæ tanquam absurda & incredibilia ex ea sequi arbitratur, fallitur. Vera sunt, quæ ipse falsa putat, homines ante fidem boni operis incapaces; & gratia bonæ voluntatis operatrice penitus esse destitutos: quia voluntas seu volitio bona, sine qua impossibile est esse opus bonum, à fide incipit, sicut peritis Augustinianorum sensuum indubitatum est. Verum est iterum, quod ipse incredibile putat, intentionem commodi temporalis, quantumcunque ratione regulatam, nisi ratio præfigat operi suo finem Deum, esse malam, voluntatem esse superbam, quæ seposito Deo, solâ istâ quasi morali honestate delectatur, ut infrà

ut infrà utrumque adversus omnes Philosophorum querimonias ex Augustini mente ostensuri, Deo juvante, sumus. Verum etiam est, rationem Augustini nullam æquivocationem verborum continere, quâ fiat syllogismus in quatuor terminis. Ratio enim Augustini hæc est, Cujus animus à Deo fornicatur, non potest esse veraciter pudicus corpore: sed animus infidelis à Deo fornicatur, ergo non potest esse veraciter pudicus corpore. Quænam hic umbra quatuor terminorum? quod vestigium æquivocationis? fornicatio enim semper eodem modo sumitur pro spirituali illa fornicatione, quæ fit dum animus recedit à Deo, maximè per infidelitatem. Nam quamvis omnis corruptio animæ, quæ fit per concupiscentiam rerum creatarum, fornicatio dici soleat, *corruptionem* tamen *multitudinis simulatorum Deorum sæpe ac propriè Scriptura fornicationem vocat*, ut ait Augustinus. (Lib. de doct. Christ. c.8.) Quòd si etiam generalissimè fornicationem intelligamus, esse omnem corruptionem casto amori Dei contrariam, qua conglutinatur anima velut beanda creaturis, etiam hic Augustini ratio vera est, formaliter, hoc est, doctrinaliter intellecta. Nullius enim corpus potest esse veraciter pudicum, hoc est, nullum opus ejus erit opus veræ pudicitiæ, cujus animus dum operatur à Deo aversus est. Nam sicut nullum opus est justitiæ, nisi Deus, qui justitia est, diligatur; ita nullum est opus pudicitiæ vel bonitatis, vel castitatis, vel veritatis, vel ullius veræ virtutis, nisi Deus, qui est ipsa vera & suprema, & simplicissima forma pudicitiæ, & bonitatis, & castitatis & veritatis, omnisque virtutis diligatur. Hoc enim modo, & hac de causa fit, ut nullum sit vel esse possit opus verè bonum, si non diligatur gratis Deus, hoc est, si non ad ipsum per fidem intentio referatur. Ratio igitur Augustini optima est, sine æquivocatione vitiante syllogismum per quatuor terminos, prout nimis trivialiter tanto Doctori objicitur: neque diversa est ab illa, quam toties inculcavit; sed alijs tantùm Scripturę sacrę vocibus, quibus ipse unicè delectari solet, explicata.

Ex quo & illud evanescit, quod Augustino velut objicitur, *Rationes eius æque de omnibus peccatoribus procedere.* Nam quamvis ex ejus mente verissimum sit, opera peccatorum omnium, imo etiam justorum, ut alibi fusiùs dictum est: quæ non referuntur ad eum finem ad quem referri debent, hoc est, ad Deum, sed in creaturis hærent, vera esse peccata: quod auctor ille, non perspectis principijs Augustini, sed ex gentili Philosophia de morali honestate metiens operum bonitatem, incredibile esse putat; falsum est tamen, eandem de peccatoribus fidelibus, quàm de infidelibus esse rationem. Hoc ipso enim quo peccatores fide imbuti sunt, quamvis perfecta illa charitate Deum super omnia diligente, hoc est, justificatione destituti sint, multa tamen bona ex illa fide operari possunt; sicut est in primis, ipsum credere, & operari velle, & , si adhuc viribus careant, infirmitatem suam ingemiscere, ex hoc justificationem vel operandi vires impetrare, cujusmodi opera sanctus Augustinus semper peccatoribus tribuit. Vnde illa solemnis ejus sententia creberrimè repetita: *Quod lex imperat, fides impetrat.* Et illa: *Gratiam bene operandi fides meretur.* (Epist. 106) Et illa: *Fide impetrant iustificationem.* Et illa: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori.* (Epist. 105) Et illa: *Fides erat, quæ data est non oranti: quæ utique nisi data esset, orare non posset.* Et hujusmodi innumera, quæ cùm sint opera nemine dubitante bona, imo gratiæ meritoria, nec ab ullo infideli possint fieri, nimis ineptè dicitur, eandem esse rationem omnium peccatorum.

Nam quòd Augustinus in eadem disputatione dicit: *Absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus, nisi vivat ex fide &c.* (Lib. 4. cont. Iul. c.3.) vera sunt, sive de perfecta justitia, hoc est, charitate Deum super omnia diligente, sive de imperfecta sermonem esse sentiamus, nec tamen de peccatoribus fidelibus & hominibus infidelibus eandem rationem statuunt. Iulianus enim non solùm in hoc errabat, quod infidelibus opera nonnulla bona tribueret, sed in eo quoque, quòd virtutes eis ita perfectas daret, ut eos & verè justos esse diceret, & propter veram justitiam extra damnationem sempiternam futuros. Cùm enim Augustinus omnes illos damnatione plectendos, & quamvis disparibus pœnis, puniendos tamen esse diceret, *Minus enim Fabricius quam Catilina punietur &c.* (Ibid.) Respondens inducitur Iulianus tanquam stomachabundus: *Erunt ergo in damnatione sempiterna, in quibus erat vera iustitia?* Cui Augustinus: *O vocem impudentiâ maiore præcipitem! Non erat, inquam, in eis vera iustitia, quia non actibus, sed finibus pensantur officia.* Et in præcedentibus adversus illam ejus dementiam increpans dixerat, Quod *non audires dicentem Scripturam: Qui dicit impium iustum esse, maledictus erit.* Itemque: *Quid remansit quod gratiæ reservemus, in tam evidentibus, quibus dixisti eos abundare, virtutibus?* Denique: *Quis porro eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam fortè tu solus, iustum dixerit infidelem, iustum dixerit impium, iustum dixerit diabolo mancipatum?* Vnde infert Augustinus ex ejus principijs, eos etiam ad regnum cœlorum admittendos esse: *Per quod enim vera iustitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittitur iustus.* Adversus hanc ergo nimis exorbitantem opinionem, quæ infidelibus hominibus tam perfectas evidentesque virtutes tribuebat, ut nihil omnino divinæ gratiæ reservaretur, ut extra damnationem sempiternam, & idcirco, ut ex ejus opinione infert Augustinus, etiam in ipso Dei regno collocandi essent, rectissimè dicit Augustinus: *Absit*

Digitized by Google

ut sit in aliquo vera virtus, tantæ videlicet perfectionis, *nisi fuerit iustus*: qualis profectò virtus nec in peccatoribus fidelibus reperiri potest: quia talis non est nisi perfecta charitas, vel certè ab ista charitate disiungi nequit.

Quòd si verò Augustinum de imperfecta justitia velimus locutum esse, quamvis hoc minùs, propter ea quę diximus, verisimile sit, res nullam difficultatem continet. Tali quippe justitiâ, hoc est, imperfecto quodam amore Dei carent prorsus impij seu infideles; non autem carent fideles, quantislibet fuerint peccatis mancipati. Nam hoc ipso quo adhuc fideles permanent, non possunt non habere affectũ illum veræ pietatis, atque dilectionis, ex qua credunt Deo, ex qua sperant subinde beatitudinem, ex qua orant pro impetranda perfecta charitate atque justitia; ex qua & alia nonnulla bona sincero Dei intuitu operantur, quamvis B necdum ita diligant, ut eum omnibus terrenis amoribus ac delectationibus præferant. De tali amore Dei imperfecto, non ut ille recentior Philosophicè imaginatur implicito, & in A intentione boni honesti seu moralis alicujus honestatis involuto, sed de vero & formali amore Dei loquitur Augustinus in eodem loco, cùm dicit: *Sine hoc amore creatoris, nullus quisquam bene utitur creaturis.* Nempe sive fidelis, sive infidelis; sive justus, sive peccator; nec tamen de utrisq; eadem ratio est. Fidelis enim etiam peccator tali amore seu Dei intentione in operibus quibusdam nequaquam caret; qua si careret, neque fidem, neq; spem, neq; ullam omnino bonã posset habere voluntatem. Nam ut Augustinus sæpiùs docet, ubi est *initium fidei, est etiam initium bona, hoc est, pia voluntatis*: de qua similiter dicitur: *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo.* Non illa charitas solùm perfecta, sed etiam imperfectissima illa Dei dilectio, seu complacentia, quæ charitatem illam vulgo notam, & super omnia diligentem prævolat, & omnem inchoat justitiam, juxta illud Augustini: *Charitas inchoata, inchoata justitia est, charitas provecta, provecta iustitia.* De quo uberiùs suo loco differendum est.

Epist. 107.

Lib. de grat. Christi. c. 21.

Lib. de nat. & grat. c. ult.

CAPVT QVINTVM.

Sancti Augustini loca explicantur, quibus asserere videtur opera moraliter bona in infidelibus.

NVNC solvenda sunt nonnulla Augustini testimonia, ex quibus probari putant, in infidelibus esse posse nonnulla opera verè bona. In primis proferunt Augustini loca de Cornelio Centurione, quibus libro *de Prædestinatione sanctorum cap. septimo, & libro primo de Baptismo capite septimo, & libro quarto capite vigesimo primo* (error enim in citationes irrepsit) *eleemosynas Cornelij, antequam in Christum crederet, & iustitiam appellat, & donum Dei esse dicit. At certè impium est dona Dei inter peccata deputare.*

Ita Bellarm. lib. 5. de gra. & lib. arbit. cap. 9.

At certè ista nimis est somnolenta Augustini lectio, ut ex huiusmodi locis probetur sine fide fieri posse opera nonnulla bona. Testatur enim Augustinus in ipso illo loco de Prædestinatione sanctorum qui citatur, & in alijs pluribus, Cornelium nullo modo fuisse infidelem, sed fide jam divinitus infusa in Deum credidisse, & ex ea fide orasse B Deum, in quem crediderat, & eleemosynas erogasse, quamvis in Christum IESVM sibi non annunciatum necdum credidisset. *Solet dici,* inquit, *ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet: quod de Cornelio dici potest, cuius accepta sunt eleemosyna & exaudita orationes, antequam credidisset in Christum. Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Et paulo A pòst: *Quidquid igitur & antequam in Christum crederet, & cùm credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.* Et expressiùs exactiùsque alio in loco: *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed interest, quibus articulis temporum, vel celebratione Sacramentorum gratia plenior & evidentior infundatur. Non enim catechumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebat Deo, cùm eleemosynis & orationibus dignum se praberet, cui Angelus mitteretur. Sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credidisset.* Et iterum post pauca: *Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum; sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ.* Ecce ex qua fide Cornelius, ex Augustini mente, oravit, & eleemosynas fecit: nimirum ex fide divinitus per veram gratiam data, ex qua & catechumeni credunt, & sæpenumero benè quoque operantur; etsi neutra sine regeneratione sufficiat ad salutem. Vnde de illa eadem fide Cornelij: *Fiunt ergo inchoationes quadam fidei conceptionibus similes: non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. Nihil horum tamen sine gratia misericordia Dei: quia & opera, si qua sint bona, consequuntur, ut dictum est, illam gratiam, non præcedunt.* Quapropter justitia Cornelij neque peccatum fuit,

Lib. de præd. ss. c. 7.

Lib. 1. ad Simp. q. 2. initio.

A fuit, neque sine fide & vera gratia fuit, & nihil ad præsens propositum facit, ubi de operibus infidelium disceptatio est. Nam Cornelius, qui ex Iudæorum conversatione Deum verum ceteraque vitæ futuræ mysteria videtur didicisse, similis reliquis probis Iudæis fuit, qui Christi mortem atq; resurrectionem nondum statim in alijs gentibus perceperant. Hi enim & credebant in Deum, & in Mediatorem Dei & hominum; & ex illa fide orabant, & nonnulla opera bona faciebant, quamvis in Christum IESVM jam crucifixum pro salute humana nondum credidissent, & hujusmodi fides eis esset necessaria.

Alter Augustini locus est de Polemone, quem Xenocrates ebrium in scholas suas ingressum, de fruge temperantiæ disputando, in alios mores repentè convertit. Hujus continentiam vocat Augustinus *Donum Dei*. Et *ne idipsum quidem*, inquit, *quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino.* B

Epist. 130.

Respondetur, continentiam illam Polemonis fuisse bonam, sed non opus bonum, cujusmodi hìc postulamus, hoc est, sine omni omnino peccato ex omnibus circumstantijs. Defuit enim circumstantia finis ultimi, hoc est, Dei, ex Augustini mente superius explicata, quę quàm maximè necessaria est. Bona ergo fuit ista continentia, sicut & non occidere, non adulterari, misereri pauperis, mutuum dare, & hujusmodi sine fine officia bona sunt, etiam tunc quando non benè fiunt ab hominibus malis. Recti enim finis absentia, & perversi præsentia non facit, ut ipsum officium in se spectatum non sit bonum. Idcirco enim à Deo præcipiuntur, quia bona sunt. Audi Augustinum: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Et iterum: *Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt.* Et exemplo declarat: *bonum est ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominis magis quam Dei facit, non bene bonum facit.* Et in eadem dissertatione rursus: *Si & ipsa per seipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono male utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit, qui infideliter facit.* Quâ phrasi Augustinus, & commixtionem adulterorum sæpius *bonum* vocat, ut supra vidimus, & omnem creaturam Dei bonam. Bona igitur fuit illa conversio animi Polemonis à luxuria ad continentiam, sicut bona est animi conversio ab ira ad mansuetudinem, à voluntate nocendi ad favendi voluntatem, à proditione ad fidelitatem, & à quibusque vitijs ad virtutem. Sed, utrum qui illa faciunt, continuò ex omni parte, etiam finis ex quo faciunt, benè faciant, alia quæstio est. Nam sicut in rebus naturalibus oculus semper bonus est, & bona tibia, etsi cæcitas & claudicatio adjuncta non sint bona, quia bonum bono melius est, & irreprehensibile est quod

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

C

D

omni malo conjuncto caret: ita bonum est non occidere, non adulterari, à luxuria continere, & supplicio digni qui non faciunt; sed melius est ista etiam recto fine præstare.

Hæc igitur causa est, cur etiam ista dona Dei Augustinus appellet, & appellari debeant. Si enim donum Dei est ille animi status, quo aliquis ex natura non est ad luxuriam, aut alia vitia nonnulla pronus, sicut hoc Augustinus sæpiùs docet, & præcipuè libro quarto contra Iulianum; quanto magis Dei donum vocari debet, quòd alicujus animus ex imperiosæ illius libidinis jugo ad continentiam reflectatur? Hinc in eadem Epistola, ut exponeret nobis cujusmodi hoc esset donum Dei, Et quomodo continentiam illam non *humano operi tribueret sed divino*, ita subjicit: *Ipsius namque corporis, quod est infimum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma, & vires, & salus, & siquid ejusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore, ac perfectore natura: quanto magis animi bona donare nullus alius potest? Quid enim superbius vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putaverit, cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri?* Et in illo libro quarto contra Iulianum jam citato cùm docuisset judicio Dei esse tribuendum, quòd aliquis *mala naturalia*, ut libidinis, iracundiæ &c. *magis minusve perpetiatur*, ad comprimendum Iulianum, qui Philosophos Ethnicos solâ suâ voluntate sibi virtutes peperisse statuebat: *Quanto ergo*, inquit, *tolerabilius illas, quas dicis in impijs esse virtutes, divino muneri potius quam eorum tribueres tantummodo voluntati!* Et paulò antè: *Quanto satius hæc ipsa in eis dona Dei esse faterer is, sub cujus occulto judicio nec injusto alij fatui, alij natura leves, alij spadones &c.* Hinc est quòd in eodem loco illud ipsum opus bonum, seu potiùs illud officium bonum etiam tum cùm ab infidelibus malè fit, divino muneri ascribit. Dicit enim, hoc esse *Dei opus bonum, a quo etiam per malos fit bonum. Ac per hoc nec ejus* (hominis infidelis) *iste fructus dicendus est.* Cujus igitur, si non hominis infidelis, qui illud facit? *Sed potius bonum opus est illius*, inquit, *qui etiam per malos bene facit.* Et in eundem sensum iterum; *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis.* Sicut igitur ex hoc quod illa opera bona, quæ infideles malè faciunt, divino muneri Augustinus tribuit, perperam colligitur, illa esse opera sine omni labe peccati, cùm ipsemet contrarium in eodem loco tradat; ita perperam colligitur, continentiam Polemonis vel cujuscunque infidelis opus bonum esse omnis labis expers eo quòd Augustinus illud munus, aut donum Dei, aut Dei opus nuncupet. Deus enim sæpiùs bona operatur, etiam non benè operantibus illis per quos operatur.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Epist. 130.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Nec vero ex istis phrasibus Augustini suspicetur aliquis eum hujusmodi opera nonnulla Philosophorum divinæ gratiæ quæ bonas voluntates facit, ascribere. Deus enim multis modis motus animi & opera quædam quasi bona

Digitized by Google

A bona in huiusmodi hominibus, itemque peccatoribus Christianis facit quæ tamen non per illam gratiam facit, quæ ad opera verè & omni ex parte bona necessaria est. Quædam enim operatur, animum terrore percellendo, eumque à malo proposito revocando; quædam, alia nonnulla terrena & innoxia bona proponendo; quædam, concupiscentias mitigando, diabolum compescendo, animum divertendo, alijsque plurimis & occultis modis. Qua de re præclarè in homilia de muliere peccatrice, ut ostenderet esse debere gratum Deo, quod peccata non ita multa etjam in incredulitate commiserit, eo quod & istud sit donum Dei: *Adulter non fuisti in illa tua vita præterita, plenâ ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat: Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres: suasor defuit; ut suasor deesset ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes & quod non admisisti &c. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo.* Sunt ergo istiusmodi magna Dei beneficia ac dona, quibus homo à multis gravissimis pœnis liberatur, sed non ex illa occulta gratia proficiscuntur, quæ voluntatem ex mala facit bonam, & ab initio fidei dari incipit. Vnde non propterea desinunt ista opera cum peccato fieri, non quatenus fiunt in homine sive suadente, sive terrente, sive alijs modis movente Deo; sed quatenus ex humanæ voluntatis defectu non fit in eo plenè bonum, voluntate adhuc alicujus creaturæ, sive sui-ipsius, sive alterius cupiditate possessâ, qua fit, ut quamdiu infidelis permanet, non illud in eum finem referat, quo referre tenebatur.

Hom. 23. cap. 6.

Quæ si vera sunt, sicut sunt ex Augustini mente verissima, jam non erit difficile alia nonnulla loca intelligere, quæ non satis perspecto doctrinæ sanctissimi Doctoris filo à nonnullis objiciuntur. Inter, quæ in primis est, quòd cùm Celestius, ut probaret non esse divinæ misericordiæ ut aliquis velit, illum Apostoli locum afferret, *Quod vult faciat*: ubi videlicet de nubendo sermo erat, Apostolo subjiciente: *Non peccat, si nubat*; *Quasi*, inquit Augustinus, *pro magno habendum sit velle nubere, ubi de adiutorio divinæ misericordiæ operosius disputatur.* Quibus verbis non hoc vult, quod sine gratia possimus velle nubere sine peccato; sed hoc, quòd non rectè Celestius impugnet gratiæ necessitatem, ex eo quod mulier possit sine gratia *velle nubere*. Quis enim dubitet non esse opus gratiâ, ut virgo nubere velit, cùm hoc & plurimi peccando velint? Ad hoc ipsum tamen opus naturæ, providentiam naturę congruam Augustinus postulat: *Aut vero etiam ibi prodest aliquid velle, nisi Deus providentiâ, qua gubernat omnia, marem fœminamque coniungat.* Nimirum juxta principium ejus jam aliquoties inculcatum, quo & [a] *commixtio* Adulterorum,

Lib. de perf. iust. c. 19.

Ibid.

a Lib. 3 cont. Iul. c. 7.

& [b] *copula* maris & fœminæ infidelium, & ipsa *officia bona*, quæ ab infidelibus cum peccato fiunt, sunt opera Dei bona per homines malos. Neque quicquam refert, quòd Apostolus addat: *Non peccat, si nubat*: objectum enim actûs explicat, non quaslibet circumstantias, quæ ab animo nubentium apponi possunt ac solent. Hâc phrasi ibidem dicit Apostolus: *Bonū est mulierem non tangere*, nec tamen ideo statim sine peccato non tangitur, ut nimis notum est: *Quidam enim non attingunt etiam uxores suas, dum quasi mundi per magicas artes pervenire ad uxores moliuntur alienas.* Hâc phrasi & Augustinus docet, amores hominum, quibus parentes, uxores, liberi, ceteræque carnis necessitudines diliguntur, esse licitos; quamvis non propterea statim ille amor quandocunque fit sine peccato exerceatur. Solùm enim istis loquendi modis declaratur, amorem ex objecto esse licitum; imo ita præceptum, ut reprehendendus
B ille sit, qui tali amore caret, non tamen statim laudandus, qui non caret. Vnde dividit amorem licitum contra illicitum qualis est meretricum: *Charitas alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita &c. Licitam charitatem habete, humana est; sed, ut dixi, licita est. Non solum autem licita est ut concedatur, sed ita licita, ut si defuerit reprehendatur. Liceat vobis humanâ charitate diligere coniuges, filios, amicos &c. sed videtis istam charitatem esse posse & impiorum, id est, Paganorum, Iudæorum, hæreticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios &c. Si ergo talis quisque crudelitate fertur, ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non amet filios suos, & non amet coniugem suam, nec inter homines numerandus est. Non enim laudandus est, qui amat filios suos, sed damnandus est, qui non amat filios &c. Et feræ amant filios: amant filios aspides &c. Ergo qui non amat filios suos, etiam leone peior est.* Similia tradit
C Homilia trigesima octava, ubi illum licitum amorem *carnalem* vocat; in loco præcedente *secularem*: *Amate filios vestros, amate coniuges vestras, etsi seculariter. Nam secundum Christum amare debetis, ut secundum Deum illis consulatis.* Amores igitur isti etiam carnales dicuntur liciti, imo tam severè præcepti, ut eos non habere sit illicitum. Detestandus est enim, qui non amat conjugem suam & filios suos, eis beneficia conferendo, quamvis carnalia. Sed non negatur istis phrasibus aliquid amplius hîc & nunc adesse debere, ut actus amoris omnino sine peccato omni ex parte fiat.

b Lib. 1. de nup. cap. 4. Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

August. lib. de cont. c. 12.

Ser. 51. de temp. c. 1.

Hom. 38. c. 1

Ser. 53. de temp. c. 3.

Quando enim duo ad actum aliquem omnino requiruntur ut bonus sit, officium & finis; hoc est, actus bonus, & rectus animus facientis, rectissimè dicimus, utrumq; esse licitum, utrumque præceptum. Non tamen idcirco putari debet, cùm alterum seorsim adhibetur neglecto altero, non peccari. Non enim pec-
D catur, quia adest officium bonum: peccaretur enim potiùs, si non adesset; sed quia deest finis bonus, seu intentio bona. Sic nunquam aliquis reprehendi debet, quòd diligit filios suos (vituperandus est enim, qui non diligit) sed vituperandus est, qui non recti vel debiti finis

finis intentione diligit. Bonum enim ex integra causa nascitur; ex singulis defectibus malum: quamvis non propterea reprehendi debeat id quod superest bonum, propter id quod ei adjungitur malum, dum malè fit bonum. Pejus enim esset, longeque culpabilius, si non fieret. Ideoque non solùm Catholici, sed & hæretici & Pagani monendi, rogandi, jubendi, A cogendi sunt, ut hujusmodi bona faciant; etsi ex defectu veri finis semper malè facerent. Longè quippe vituperabiliùs delinquerent, si non facerent. Nam laude dignum est id facere quod tenemur: sicut vituperatione dignum, finem prætermittere cujus intuitu præstare jubemur.

CAPVT SEXTVM.

Alia nonnulla loca Augustini explicantur.

Lib. de Patient. c.26.

HOc igitur sensu etjam Augustinus docet, *Nullo modo culpandam, imo verò & laudandam esse patientiam*, qua schismaticus quispiam pericula, gladium, ipsamque crucem patitur, ne Christum neget. Causam enim reddens, cur sit laudanda ista patientia, non dicit, quia omni ex parte bona est, sed quia *dicere non possumus, melius ei fuisset, ut Christum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo*. Satis enim indicat, non alia ratione esse laudandam, quàm quia *est aliquid prodire-tenus si non datur ultra*. Bonum est enim & laudabile, veritatem agnitam nec tormentis diffiteri: etsi malum sit, non recto fine & amore confiteri. Talis enim confessio veritatis, cùm à schismatico non fiat, ut supponit Augustinus, amore veritatis seu Dei, necesse est ut timore pœnarum fiat: qui quando solus est, juxta Augustinum non potest producere opus verè bonū cùm vel animi elatione, vel alia prava cupiditate exprimatur. Quod ibidem satis ipse declarat: *Timore*, inquit, *pœnarum æternarum pœnas patitur temporales*. Et ibidem: *Ipsam patitur crucem timore gehennarum, & ignis æterni*. Et paulo pòst indicat in talibus hominibus esse *fidem, quæ per elationem vel timorem*; *non eam quæ per dilectionem operatur*. Et idcirco sicut de Fabricio & similibus Romanis benè operantibus contra Iulianum, ita & hîc de talibus *existimandum esse* dicit, *fortasse tolerabilius eis futurum iudicium, quàm si Christum negando cuncta illa tormenta vitarent*.

Ibid. c. 28.

Ibid. c. 26.

Facilè quoque intelligitur ex ijs quæ antè diximus, quo pacto talem patientiam doceat esse *donum Dei*. Quis enim ambigat dici debere donum Dei, si timore ab ingentibus sceleribus revocetur? Non solum enim gravissimas futuræ vitæ, evadit pœnas, sed & animus quamvis impius minus amore scelerum implicatur, quorum delectatione fraudatur, Deo non tradente illum in concupiscentias cordis eorum, juxta illud præclarissimum Augustini: *Cùm fraudulentam actionem consecuta fuerit delectatio, cum eos tradiderit Deus in concupiscentias eorum, tam illa delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem & ad utilia conserere non audeant: quia cum conati fuerint, dolebunt animo, tanquam pedem de compede exuere cupientes. Cui dolori succumbentes a perniciosis delectationibus nolunt abscedere*. Magnum est ergo donum Dei etjam terroribus, timoribus, castigationibus, à sceleribus perpetrandis averti; donum tamen, quod non necessariò animi mutationem à malo ad bonum secum trahit. Hoc enim donum non fit nisi internâ gratia, qua Deus operetur & velle: illud verò externâ vel admonitione vel comminatione, sive boni alicujus commutabilis & innoxij, amittendi timore, vel assequendi desiderio: quorum neutrum postulat motum voluntatis omni ex parte bonum. Donum est igitur, non quod filijs & hæredibus datur, quorum voluntas ut operetur opus bonum necessariò antè fieri debet bona; sed quale filijs concubinarum, hoc est, exhæredatis Abraham dedit, sicut Augustinus ipsemet tradit. Hujusmodi enim dona Dei sunt omnia omninò, quæ præter voluntatem bonam, hoc est, dilectionem veri boni Deus infidelibus tribuit, *celeritates, vires, bona valetudines, & pulcritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium*, variæ propensiones bonæ seu minus malæ, quæ *medicamenta tribuere temperationibus corporum: vel quæ accedunt extrinsecus, ut est opulentia, nobilitas, honores, & cetera huiusmodi, quæ quisque ut habeat, non nisi in Dei est potestate*. Denique quodcunq; aliquis, Deo suasionibus, admonitionibus intrinsecus vel extrinsecus animū pulsante, vel terroribus impellēte, vel alijs occultis modis regente, ante finem acceptam minus malum facit, vel operari videtur bonum. Totum enim istud est *Dei opus bonum, a quo etiam per malos fit bonum*, etiam tunc cùm infideles *non bene faciunt bonum*.

In Psal. 9.

Lib. de corrept. & grat. cap. 8.

Lib. 4. contr. Iul. c. 3.

Lib. de civ. Dei ...

Hæc ostendunt, quam parvi momenti sit etjam istud quod Augustinus dicit de Rege Assuero, quòd Deus juxta Scripturas *Transtulerit indignationem eius in lenitatem*. Ex quo contra Pelagianos concludit: *Intueantur atque fateantur non lege atq; doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*. Nam translatio illa cordis, quæ divinâ internâque potestate facta est, non aliud fuit quam id quod Regina poposcerat, ut scilicet *Deus transferret cor illius in odium hostis*, seu ab indignatione ad lenitatem, hoc est, ut Augustinus exponit, *de voluntate lædendi ad voluntatem favendi*. Ex quo non video, qua ratione conficiatur, illam ejus voluntatem fuisse omni ex parte bonam; cùm nihil aliud probet, quàm id in eo factum

Lib. de grat. Christi c. ...

Hester 14.

Lib. 1. ad Bonif. cap. 20.

Digitized by Google

A eo factum esse, quod quotidiana experientia in hominibus impijssimis docet fieri, ut voluntates eorum varijs fluctibus reciprocentur ex una in aliam voluntatem, dum his irati, illis placati fiunt; illis nocent istis favent, Deo hoc sæpènumero operante, quamvis eorum voluntates huc illuc non nisi terrenorum bonorum cupiditate, malorumque timore torqueantur. Nec aliud ex ea conversione probat Augustinus, nisi quod Deus non tantùm extrinsecus, vel intrinsecus manifestet etjam impijs hominibus veritatem; sed etjam *cor ipsum occultissimâ & efficacissimâ potestate convertit*, sicut ea de re loquitur. Quod si istud de terrenis illis voluntatibus impiorum hominum facit, quanto magis credendus est internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate operari in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etjam bonas voluntates: quemadmodum Augustinus in libro de gratia Christi loco citato à minori ad majus ducta ratione concludit. Non enim insolitum Augustino est, operationem gratiæ in cordibus hominum similitudine operationis, qua Deus corda terrena huc illuc torquet quo voluerit ad præstanda quibusdam carnalia beneficia vel supplicia, illustrare & credibilem facere. Sic enim libro de gratia & libero arbitrio cùm instantissimè toto libro divinæ gratiæ vim ad mutanda corda potestatemque commendasset, tandem ad operationem illam generalis providentiæ delabitur, quâ voluntates terrenas regit, unumque peccatum etjam altero velut pœnâ plectit. *Quæ Scriptura*, inquit, *si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis &c. Verum etiam illas, quæ conservant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat occultissimo quidem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo. Nam invenimus aliqua peccata etiam pœnas esse aliorum peccatorum.* Deo videlicet occultissimis modis operante. Et sub isto genere providentiæ & internæ operationis ponit illam ipsam conversionem cordis Regis Assueri, de qua disputamus: quæ quamvis fuerit ex objecto bona, nequaquam tamen probatur fuisse bona ex omnibus circumstantijs etjam finis: multòque minùs hoc probat quod eam Deus occultissima potestate operatus est. Sic enim etjam mirabili occultaque potestate mutat corda Tyrannorum nihil nisi dominationem suam affectantium, sive faciant aliquid ex objecto bonum, sive malum; sive alicui noceant sive faveant: sic operatur intus non solum per patientiam, sed etjam per potentiam, ut Augustinus loquitur, ut unum peccatum altero tanquam supplicio puniatur: nec tamen idcirco peccatum est opus bonum, etjamsi pœna sit opus bonum.

Ibidem.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 20.

Ibid. c. 21.

Vrgetur & iste locus ex expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos: *Liberum ergo arbitrium perfectè fuit in primo homine; in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium ut non peccemus, sed tantum, ut peccare nolimus. Gratia vero efficit, ut non tantum velimus rectè facere, sed etiam possimus.* Hic, inquiunt, tribuitur homini affectus non peccandi ante gratiam, qui sanè honestus est, & ex cogitatione pravitatis peccati, vel honestatis virtutis procedit.

In expos. quarund. Propos. Epi. ad Roman. 18.

Suarez. proleg. 4 c. 9. de statu humanæ nat.

Respondetur, qui hoc objiciunt, attendere debuissent, in eodem illo libro à sancto Augustino dici: *Tunc enim* (ante gratiam) *peccatis vincitur, dum viribus suis justè vivere conatur sine adjutorio liberantis gratia Dei. Liberum autem arbitrium habet, ut credat Liberatori, & accipiat gratiam, ut jam, illo qui eam donat liberante & adjuvante, non peccet.* In eodem & istud dici: *Non ergo elegit Deus opera cujusquam in præscientiâ sed fidem elegit in præscientia; ut quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando &c.* Itemque istud in B eodem libro: *Quod ergo credimus, nostrum est: quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus in se dat Spiritum sanctum.* Et istud consequenter: *Quod si vocatus ad* fidem, *vocantem secutus fuerit, quod jam est in libero arbitrio, merebitur & Spiritum sanctum per quem bona possit operari.* Nam in omnibus illis locis idem significat; hominem videlicet ante gratiam ex peccato eatenus vulneratum esse, ut non possit benè operari; & à peccatis temperare; mansisse tamen aliquid virium in libero arbitrio, quo possit saltem credere, & velle non peccare & bene operari; propter quam fidem, beneque vivendi voluntatem, Deus ei conferat spiritum sanctum, quo reipsa non peccet, & benè operetur. Nam ideo in eodem ipso locò utrumque tam credere quam velle conjungit: Cùm enim dixisset: *Non ergo elegit Deus benè operantes, sed credentes potiùs, ut ipse illos faciat bene operari:* pro ratione subjungit: C NOSTRUM EST ENIM CREDERE, ET VELLE; *illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum.* Et iterum paulo interiùs: *Non tollit liberum voluntatis arbitrium; sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adjuvet Deus, misericordes nos efficiendo ad benè operandum per donum Spiritus sancti.* Hæc ergo & hujusmodi loca si recentiores isti attenderent, intelligerent sanè, ex errore Semi-Pelagiano, quo sanctus Augustinus ante suscepti sarcinam Episcopatus laborabat, ista promanasse. Istius enim erroris proprium fuit, ut suo loco fusè demonstravimus, quod homo ante gratiam ex primævæ felicitatis reliquijs posset credere, & velle non peccare & bene vivere; quæ tamen voluntas propter imbecillitatem esset adjutorijs gratiæ liberatricis adjuvanda, ut id quod bene vellet etjam reipsa posset efficere. Sed Augustinus errorem istum Deo revelante dedoctus, postea constanter docuit, initium D bonæ voluntatis à fide proficisci: Fidem autem per Spiritus sancti gratiam divinitus non minus quam opera inspirari. Nam ideo illa ipsa loca, quę citavimus, retractando correxit. Siquidem illum quem produximus sibi proponens: *Quod ergo credimus nostrum est &c.* corrigendo

Ibid. n. 44.

Ibid. n. 60.

Ibid.

Ibid. n. 61.

Ibid. n. 62.

Lib. 1. retract. c. 23.

ed by Google

A corrigendo subjungit: *Profectò non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri.* Et illum itidem à nobis allegatum de bona voluntate: *Nostrum est enim credere & velle; illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi*, emendando corrigit in hunc modum: Ibidem. *Verum est quidem, sed eâdem regulâ & utrumque ipsius est, quia ipse preparat voluntatem; & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Vides hic apertissimè etiam ipsam bene vivendi seu non peccandi voluntatem, qui affectus moralis honestus recentioribus esse videbatur apertissime divinæ gratiæ retractando tribui. Quanto igitur magis alia quæcunque, quæ videntur esse opera bona, ad eandem illam gratiam referenda sunt, si illa exigua initia divinæ gratiæ adjutorijs vendicari debent?

Postremus locus est ex libro de spiritu & littera, ubi Augustinus dicit: Lib. de spir. & litt. c. 27. B *Impiorum nec Deum verum veraciter justeque colentium quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus: quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Ibid. c. 28. Et infrà dicit: *Sicut enim non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis ducitur.* Quibus duobus locis videtur quædam opera bona in infidelibus agnoscere. Quamvis enim ex fine spectata vix laudem justitiæ mereantur, hoc ipso tamen fateri videtur, esse aliqua vel esse posse bona etiam ex parte finis.

Hic locus, quem plerique præcipuum putant, nihil revera stringit, seu duobus modis solvi potest. Primus est, ut dicatur Augustinus ex quadam suppositione & concessione loqui, ut inter disputandum fieri solet. C In quo genere non necesse est, esse verum id quod adversario ex aliorum sententia veritatis illustrandæ causâ concedimus. Quod ut evidentiùs pateat, sciendum est in illo loco Augustinum ex professo disputare, totisque viribus asserere, in hoc Testamenti veteris ac novi Ibid. c. 25. discrimen esse positum, quod *lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribatur, ut quod ibi forinsecus terreret, hic delectet intrinsecus.* Cui doctrinæ objiciebatur Apostoli locus, quo dicit ad Romanos, Rom. 2. *gentes naturaliter ea quæ legis sunt facere, habentes opus legis scriptum in cordibus suis.* Sed respondet primò ex propria sententia, totoque capite vigesimo sexto probat, Apostolum loqui de gentibus jam credentibus atque justificatis, quæ proinde participes factæ sint Testamenti novi: dicenturque legem facere naturaliter; Lib. de spirit. & litt. c. 27. *non quod per naturam*, inquit, *negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura.* D Post hanc veram & propriam Augustini solutionem subjicit aliam, etiam juxta propriam adversariorum (id est, Pelagianorum) intelligentiam, qui locum illum exponere solebant de gentibus infidelibus, quas abundare putabant, sicut supra ex Iuliano audivimus, multis operibus verè bonis. Hoc igitur concesso sensu istius loci adversarijs, ostendit nec inde perturbari discrimen utriusque Testamenti, quod toto libro inculcaverat. Nam quia illa opera peccata sunt, satis indicatur non omnino deletum esse ex animo id quod ibi vi creationis impressum erat, & proinde adhuc per gratiam novi Testamenti in cordibus istarum gentium per renovationem esse scribendum id quod non omnino vitiorum vetustate deletum est. Sic ergo isto sensu tota illa disputatio conditionalis esset, & ex suppositione, quæ non tanquam vera conceditur, sed ostenditur dumtaxat non repugnare differentiæ veteris Testamenti ac novi. Verba quibus hoc agit Augustinus ex aliorum sensu ista sunt; c. 27. *Si autem hi, qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus; quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur. Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere: si hoc est quod dictum est, quia gentes quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter quæ legis sunt faciunt &c. etiam sic illa differentia non perturbabitur, qua distat à vetere Testamentum novum.* Et infrà iterum sub eadem conditione atque concessione: Ibid. c. 28. *A cujus gratia si alieni sunt illi, de quibus agimus* (id est, gentes illæ) *qui secundum illum modum, de quo superius satis diximus, naturaliter quæ legis sunt faciunt, quid eis proderunt excusantes cogitationes* (propter illa bona opera, quæ credebantur facere naturaliter) *in die, qua judicabit Deus occulta hominum, nisi forte ut mitius puniantur? Sicut enim non impediunt &c.* quæ superius allegavimus. Iuxta hunc igitur intelligendi modum, qui nonnullis placet, nihil omnino totus ille locus probat ad asserenda opera verè bona infidelium cùm non ex Augustini sensu, sed Pelagianorum ista omnia concedantur, quæ concessa nihil Augustini proposito repugnabant. Quæ solutio si cui placet, per me licet; verbis enim Augustini conditionatis satis congruit.

Arbitror tamen aliam veram totius loci esse solutionem, & constanti doctrinæ Augustini, quam ut vidimus, alibi diversis locis tradit, consonantiorem. Respicit enim Augustinus illam doctrinam suam, qua tradit alibi contra Iulianum, in opere verè & plenè bono duo esse spectanda, officium, & finem. Lib. 4. cont. Iul. c. 3. *Officium est*, inquit, *quod faciendum est: finis vero propter quod faciendum est.* Iam verò phrasis ejus est ut vocet bonum, & opus bonum ipsum officium, seu id quod faciendum est, hoc est, ut nos loquimur, ipsum actum materialem ex parte

ex parte solius objecti consideratum, qui lege præcipitur; idq; non solum, quando talis actus etjam ex fine bonus est, sed etjam tunc quando ex fine malus est. Nam cùm Iulianus multa bona officia recensuisset nudum operire, periclitantem liberare, ægri vulnera fovere &c. Respondet ei Augustinus: *Quæro abs te, utrum* HÆC OPERA BONA *benè faciat an male?* Ecce bona opera vocat officia. Et mox clariùs: *Si enim quamvis* BONA, *male tamen facit, negare non potes, eum peccare qui male quodlibet facit.* Et iterum: *Sed quia eum non vis cum facit ista peccare, procul dubio dicturus es, &* BONA *facit & bene facit:* Et aliquanto antè: *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit &c.* Et infrà rursus: *Possunt ergo aliqua bona fieri, non benè facientibus à quibus fiunt:* de quibus mox dicit, quod *non bene* BONVM *faciunt*; & similia sæpiùs in eadem disputatione repetit. Qua de re etjam nonnihil suprà diximus. Ex hoc ergo sensu & phrasi Augustini, facile cuncta objecta dissolvuntur. Vocat enim opera bona impiorum in vita impia, factaque secundum justitiæ regulam meritò laudanda, non opera etjam ex parte finis bona sed ipsa officia quæ lege præscribuntur, & à multis infidelibus maximeque Romanis facta sunt. Nam hinc est quod dicit, eos in impietate vitæ suæ *facere aliqua legis vel sapere*: item, *legitimum aliquid sentire & facere*: ut ita significaret, se de officijs bonis lege præscriptis loqui. Quæ propterea ibidem apertiùs vocat, *quantulacunque legis opera naturaliter insita.* Hujusmodi ergo opera bona seu officia bona gentilium, non necessariò erant omni ex parte etjam finis bona: ut propterea Augustinus dicat, officia à finibus apertissimè discernens, & se de officijs tantum bonis locutum esse significans; *Quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniantur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Nam quod dicit, *vix invenire*, non significat aliqua inveniri, sed operosissimam scrupulosissimamque quæstionem tunc aggredi nolens à re controversa se abstinuit, quam postea latissimè tractare conatus fuit: modesto tamen verbo reique difficultatem exprimente satis indicavit ijs qui doctrinam ejus imbibissent, se nulla in infidelibus opera verè bona ex officio simul & fine constituere. Nam isto loquendi modo solent homines vulgò cum adversario disputantes de re quam probare non potest modestè dicere, difficulter invenies argumentum quo hoc probes. Et Augustinus ipse inducit Evodium de re certissima dicentem: *Nescio an nulla culpa sit, relicto incommutabili bono ad commutabilia converti.* Nam cum eum Augustinus premeret, quasi id reprehendentem quod nesciret: *Ita*, inquit, *dixi, nescio an nulla culpa sit, ut intelligi voluerim, sine dubio culpam esse.*

Ibid.

Lib. de spirit. & litt. c. 28.

Cap. 27.

Lib. 2. de lib. arbit. c. 1.

Denique objicit alius vir eruditus id quod August. dicit libro quinto de Civitate Dei capite decimo quinto, Deum dedisse Romanis tam amplum imperium, ut remuneraret in hac vita bonas eorum virtutes. Illę virtutes certe, inquit, in infidelibus erant, & virtutes non vitia erant, nisi Deum remuneratorem vitiorum (quod est absurdissimum) faciamus. Ita ille. Respondetur, neminem suæ mentis meliorem interpretem esse posse quàm Augustinum, qui seipsum in eodem loco ita explicat, ut mirum sit ab homine docto hoc opponi potuisse. Docet enim ex professo & prolixissimè, virtutes Romanorum omnes humanæ laudi ac gloriæ servijsse, & idcirco non fuisse virtutes, sed vera vitia virtutis imagine palliata: *Ista laudis aviditas & cupido gloriæ multa illa miranda fecit*, laudabilia scilicet atque gloriosa secundum hominum existimationem. Has Romanorum virtutes ex Sallustio vocat *bonas artes* quibus nitebantur ad virtutis *finem, id est, ad gloriam, honorem, imperium. Vnde*, inquit, *intelligi potest, quem finem volebant esse virtutis, & quo eam referebant, qui boni erant: ad honorem scilicet.* Quem scopum virtutis ipsamque virtutem improbans statim dicit: *Gloriam ergo, & honorem, & imperium, quæ sibi exoptabant, & quo bonis artibus pervenire nitebantur boni, non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem.* Et paulo pòst: *Sanius videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit.* De talibus ergo Romanorum virtutibus seu bonis artibus pronuntiat cōsequenter August. id quod nunc objicitur pro bonis operibus infidelium: *Si Deus neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* Si nihil omnino adderet Augustinus nisi hæc ipsa verba, ex quibus argumentum quod objicitur excerptum est, meritò debebant aliquem deterrere, ne locum illum ad opera bona Romanorum imaginanda detorqueret, cùm expresse dicat, bonas illas artes, hoc est, virtutes, quibus Deus excellentissimum concessit imperium, humanæ gloriæ servijsse, & idcirco verbis Domini Salvatoris esse reprobatas. Cùm verò toto disputandi conatu etjam asserat, eas propter illam causam fuisse vera vitia; quam speciem probabilitatis hoc argumentum habere potest, ut Augustinus in isto loco putetur vera opera bona infidelibus tribuisse? Merces ergo talium artium imperium fuit phrasi Christi, quam ibi sequitur & citat Augustinus, & qua dixit de hominibus propter humanam gloriam operantibus, *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Vnde similiter adjicit de Romanis: *Sed his omnibus artibus tanquam vera via* (phrasis & sensus est Sallustij) *nisi sunt ad honores*, En Romanæ virtutis indolem & bonitatem; *imperium gloriam: Honorati sunt in omnibus fere gentibus, imperij sui leges imposuerunt multis gentibus &c. non est quod de summi & veri Dei justitia conquerantur; perceperunt mercedem suam.* Ecce cujus virtutis merces fuit imperium; nimirum aviditatis gloriæ: quæ si veræ virtutis actus est, veram etjam virtutem, & verum opus bonum in infidelibus fuisse concedimus. Sed quia tanta est Dei sapientia, ut nove-

Bellarm. lib. 5 de grat. & lib. arbit. c. 9

Lib. 5. de Civit. c. 12.

Ibid.

Cap. 13.

Cap. 15.

Ibid. c. 15.

ut noverit officia bona à fine discernere; hinc ejus bonitas novit etjam temporalia nonnulla bona, talibus officijs bonis retribuere, quantumvis alio temporali fine vitientur. Sic enim, quod æquè mirum est, etjam obstetricibus benefecit mentiendo benefacientibus. Nimirum benevolentia quæ in eodem facto fuit, non fallacia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis remunerata fuit. Objectionem quæ ex natura rei, hoc est, ex ratione virtutis moralis petitur, infrà, ubi de virtutibus infidelium disputabitur, dissolvemus.

Hæc, ut opinor, satis perspicuè declarant, quàm inania sint, quæ pro bonis operibus infidelium ex Augustino adversùs Augustinum proferuntur. Neque enim aliud sunt, nisi testimonia quædam suis locis evulsa, quæ totam probandi vim habent ex minùs perspectis Augustini phrasibus atque sensu: quæ quisquis ex accuratâ ejus lectione doctrinæque seria discussione paulo familiarius noverit, videt A in omnibus mirabilem non solùm totius doctrinæ, sed etjam locutionum consonantiam: Neque sine magna absurditate loca paucula hinc inde corrasa, in quibus nihil apertè contrarium dicitur, sed ceteris ejus lucubrationibus collata prorsus consonant, totius doctrinæ moli, quam apertissimè, sæpissimè, constantissimèque tuitus est, velut contraria opponi. Quid enim iniquius, quàm doctrinam manifestissimam omnibus concertandi viribus assertam, ex obscuris imo revera consonantibus locis velle corrigere, & ad opiniones hujus temporis detorquere? Quod eo intolerabilius videri debet, quod non solùm discipuli, qui sanctum Augustinum consecuti sunt, ejusque doctrinam defenderunt, sed etjam adversarij, à quibus oppugnata est, illam à se sic quemadmodum nos explicuimus intellectam esse declararunt. Quod jam deinceps ostensuri sumus.

CAPVT SEPTIMVM.

Eandem doctrinam sic intellectam tradiderunt discipuli sancti Augustini Prosper, & Fulgentius, & ipsi Pelagiani in Augustino agnoverunt.

ET quidem quid sanctus Prosper de operibus infidelium sentiat, ex superioribus satis evidenter claruit, ubi multa ejus testimonia protulimus, quibus sine Deo non nisi in perniciem & in peccatum arbitrium hominis moveri dicebatur. Vbi est autem magis sine Deo & auxilio ejus, quàm ubi & ipsa deest fides, à qua incipit gratia bonæ voluntatis, sine qua nihil omnino boni juxta sanctum Augustinum fieri potest? Quibus adde & id quod libro tertio de vita contemplativa dicit: *Hæc etsi possunt humano ingenio discerni, tamen sine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, declinari: in tantum ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiamsi sint aliquas per corpus virtutes* (id est, virtutum opera) *operati: quod eas nec à Deo suo se accepisse crediderunt, nec ad eum, qui est finis omnium bonorum, referre voluerunt. Et quid dico, nihil eis profuerunt? Imo etiam nocuerunt, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide peccatum est. Non dixit: Omne quod non est ex fide, nihil est: sed dicendo: Omne quod non est ex fide peccatum est, declaravit, quod omnia bona aut ex fide gesta virtutes sunt*, id est, opera virtutum, & A bona, *quæ profecto justificant; aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia, quæ non juvant suos operarios, sed condemnant, inflatosque præcipitant, atque à finibus æternæ salutis eliminant. Sed quid ego hæc de infidelibus, unde nullus ambigere videtur*, exaggero? Si meis verbis exprimere voluissem sententiam, quam Prosperi & Augustini esse tradidi, non potuissem eam apertius & ab omni ambiguitatis nubilo tersiùs proponere. Clarissimè quippe dicit, omnia infidelium opera esse peccata; non metaphorica, non latè sumpta, sed proprijssimè dicta, utpote quæ non modo non prosunt, sed etjam nocent: non esse bona, sed vitia: condemnare operarios; à finibus æternæ salutis eliminare. Neque causam silet, quam toties inculcavit Augustinus, quia non ad finem bonorum omnium referre voluerunt. Hanc doctrinam de infidelibus ita certam esse docet, ut de illa *nullus ambigere* videatur. Ex qua perspicue admodum declaratâ sententiâ suâ dicit & alibi: B *Omne quod non est ex fide peccatum est: ut scilicet intelligat, justitiam infidelium non esse justitiam*, id est, opus justum seu bonum infidelium, non esse verè bonum; *quia sordet natura sine gratia*. Et in carmine illo præclaro de ingratis:

Lib. 3. c. 1.

Epist. ad Rufin.

Lib. de ingr. c. 16.

Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum.
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.

Lib. 1. de vocatione gentium c. 7.

ET libro primo de vocatione gentium: *Quia etsi fuit, qui naturali intellectu conatus* A *sit vitijs reluctari, hujus tantum temporis vitam sterititer ornavit; ad veras autem virtutes, æternamque beatitudinem*

beatitudinem non proficit. Sine cultu enim veri Dei etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest. Qui verò Deo non placet, cui nisi sibi & diabolo placet. Et in libro contra collatorem: *Natura bonis suis malè utitur: in quibus sine cultu veri Dei impietatis immunditiæque convincitur; & unde se defendi existimat accusatur.* Et infrà improbando dicit: *Quasi ullus sit bonæ voluntatis motus, nisi quem creaverit diffusa per Spiritum sanctum charitatis afflatus. Sine fide enim impossibile est placere Deo; &, Omne quod non est ex fide peccatum est.* Et iterum paulo pòst: *Ita manifestissimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta.* Hæc sanè omnia, præsertim quæ ex libris de contemplatione decerpsimus, aliaque plura superiùs allegata, quibus nihil omnino boni naturam sine gratia, sed tantummodo peccare posse demonstravimus, tam evidenter sensum Augustini exprimunt, ut si commentarij loco magistrum discipulus illustrare voluisset vix aliquid luculentiùs expeti posset. Quorum vestigijs insistendo sanctus Fulgentius similiter ut Augustinus locum illum Apostoli ad Romanos: *Cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter, ea quæ legis sunt faciunt &c.* De gentibus jam fide justificatis interpretatur, & rationem addit: *Quia omne quod non est ex fide peccatum est. Et, quia sine fide impossibile est placere.* Quo sensu & sanctus Leo dicit: *Apud nos fides etiam sanctificat manducantem; apud illos infidelitas polluit jejunantem. Vnde quia extra Ecclesiam Catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide peccatū est &c.* Et ante Fulgentium, Leonem, Prosperum, & Augustinum Origenes eundem locum apertissimè sic explicuit: *In hoc sermone credentium quorumdam negligentes & desides animos vinculo artiore constringit, ut nihil sine fide agant, nihil sine fide dicant, nec absque fide aliquid cogitent: quia sive quid gesseris sine fide, sive locutus fueris, sive etiam cogitaveris, peccas.* Vt vero declararet hoc defectu intentionis, quam ut Augustinus loquitur, fides dirigit, accidere, statim addit locum alium, quo illa veri finis intentio præscribitur: *Hoc idem est quod in alijs dicit: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.*

Lib. contra Collat. c. 22.

c. 28.

Lib. de incarnat. c. 25.

Serm. 2. de ieiunio Pentecost.

Orig. lib. 10. in Epist. ad Rom.

Ibid.

Quòd si & ipsum Iulianum eodem modo Augustini doctrinam intellexisse demonstravero, ut à nobis explicata est, neque repugnasse Augustinum, nescio sanè quod evidentius argumentum postulari queat, ut omnis ambiguitatis nebulæ dispellantur. Sic verò eam intellexisse Iulianum, explorata veritas est, eaque multis modis patet. Primò, quia ut infringeret Augustini sententiam, qua dixerat, Omne quod non est ex fide peccatum esse, objicit illum Apostoli locum: Cùm enim gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; ex quo *probare conabatur, etiam alienos à fide Christi veram posse habere justitiam*, hoc est, opera vera justitiæ, quæ tamen fatebatur non esse talia, *ut à Deo vitam consequerentur æternam, non propter Deum faciendo*

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Ibid. infrà

A *bona, quæ faciunt*: Negat hoc mordicus Augustinus, sed illa eadem opera quamvis bona eos malè fecisse convincit, ideoque *negari non posse*, quin peccaverint. Secundò, quia, ut eandem doctrinam generalem infirmaret, exempla velut instantias propositionis generalis opponebat *impiorum quos* dicebat *alienos à fide abundasse virtutibus, ita ut solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebrò, & modesti, & casti invenirentur, & sobrij.* Respiciebat autem illos Romanos veteres. Sed ita hoc refellit Augustinus, ut eos tantummodo minùs punitos esse doceat, sic ut hoc ipso quo non referrent ea ad autorem Deum, efficerentur injusti. Tertiò, quia planissimis verbis Augustinum interrogat: *Si gentilis nudum operuerit, numquid, quia non est ex fide, peccatum est?* Qui posset clarius indicare modum, quo intelligit sententiam Augustini asserentis, Omne quod non est ex fide esse pec-

B catum, quàm opus aliquod asserendo, quod & ipse Iulianus, & cum eo Scholastici existimant esse bonum, & nihil ad æternam vitam conferre seu esse sterile & imperfectum, de illo ipso interrogare, num sit peccatum? Nec diffitetur Augustinus, sed eâdem simplicitate & asseverantiâ respondet: *Prorsus in quantum non est ex fide peccatum est*: Et ne officium reprehendere videretur, cùm tantummodo defectus legitimi finis culpandus sit, *non quia*, inquit, *per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari solus impius negat esse peccatum.* Quartò, quia dictum Augustini, quòd gentilium castitas, id est, opus castitatis, non esset vera castitas, ita reprehendit ut dicat: *Eadem fronte dicetur, quia corpus Paganorum corpus non sit, & oculi Paganorum sensum non habeant intuendi.* Respondet Augustinus, & corpus eorum esse verum corpus, nec tamen esse consequens, ut eorum castitas sit

C vera castitas, quia *de his quæ faciunt dictum est: Omne quod non est ex fide peccatum est.* Quintò, quia cùm dixisset Augustinus, quòd in infidelibus non *peccata coërceantur* (quod certissimum est de veris peccatis intelligi) *sed alijs peccatis alia peccata vincantur*, continuò subdebat concludebatque Iulianus sententiam suam: *Perfacilè igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuvat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur peccata peccatis, quanto magis possunt virtutibus peccata superari?* Vbi manifestissimum est Iulianum de veris peccatis loqui, quibus hominem Pelagiani carere posse statuebant. Nam vera peccata Pelagiani docebant virtutibus posse superari: quæ Augustinus tantum alijs peccatis per infideles superari posse asseruerat. Denique hac de causa suprà audivimus toties objicientem Augustino Iulianum, quòd ante liberationem, quæ fide inchoatur, homo nihil agere posset juxta doctrinam Augustini nisi malum:

D *Si hoc*, inquit, *quod tu putas, sit, quia libertate solum peccaretur &c.* itemque: *Voluntas, sicut dixisti, ad faciendum bonum non est libera per quæ hoc aliud agere non potest nisi malum*, & plura hujusmodi quæ ante recensuimus. Hanc etiam doctrinam Augustini & Prosperi respexit Cassianus,

Lib. 1 op. imper f. 163. f. 155.

tacitè-

Google

Collat. 13. & apud Prosp. cont. Collat. cap. 17. *Cap. 24.*

taciteque carpit: *Nec enim Deus talem hominem fecisse credendus est, qui nec velit unquam, nec possit bonum*: quasi istum perditissimum humanæ naturæ statum Deo condenti, non homini conditorem deserenti Augustinus ascriberet. Et evidentius in consequentibus: *Vnde cavendum nobis est, ne ita ad Dominum omnia sanctorum merita referamus, & nihil nisi quod malum atque perversum est humanæ ascribamus naturæ.* Nam quemadmodum Iulianus apertissimè, ita Cassianus occultiùs in illa Augustini verba velut humanæ naturæ contumeliosa irruebat, quibus dixerat: *Hæc voluntas ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratiâ Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Nam istis verbis *apertiùs* Augustinum, *quid sentiret, aperuisse* jactitabat Iulianus, eaque propterea tanquam nullo modo toleranda refellebat. Quę tamen tantùm abest, ut Augustinus vel tanquam invidiosa retractaret, vel tanquam asperiùs dicta molliret, ut potiùs velut ex ipsis Christianæ religionis hausta fundamentis, eo modo quo superiùs à nobis explicatum est, mordicus tueretur.

Lib. 1. ad Bonif. cap. 3. *Lib. 1. oper. imper. c. 135 & 143.*

CAPVT OCTAVVM.

Vtrum virtutes Philosophorum veræ virtutes, an vitia sint, & quare?

QVÆ hactenus de operibus infidelium ex Augustino disputata sunt, satis superque esse poterant ad perspiciendum liquidissimè sensum ejus: ex quibus etiam facilè constare posset, quid de virtutibus Philosophorum atque Romanorum sentiendum sit. Cùm enim virtus non sit aliud nisi principium operis boni, seu secundum Aristotelem, *quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum*; & juxta divum Thomam, *bonus habitus, & boni operativus*, hoc ipso quo infideles nullum facere posse docentur opus bonum, necessariò sequitur, eos nullam etiam habere virtutem: sed si ad aliquod officium bonum propendere videantur, ea forsan consuetudo bona vocari posset; virtus tamen esse non poterit. Quia tamen nonnulla de ista quæstione altercatio est, hic peculiariter & breviter tractanda visa est, ut inde pleniùs adhuc atque planiùs Augustini sententia de operibus infidelium jam explicata patefiat. Doctrinæ quippe ipsius in hac materia istud omnino peculiare est, ut sibi mirum in modum à capite ad calcem usque consonet, utpote quæ ab iisdem principijs tota pendeat, quaquaversum ad extremas conclusiones usque penetrantibus. A quorum filo si Philosophiæ humanæ rationibus deductus semel aberraveris doctrinam ejus universam perturbari, nulloque nexu colligatam fluctuare, sibique contradicere necesse est. Hinc enim factum est, ut nonnulli recentiores, dum Augustini principia de hac re vel non satis assequuntur, vel tanquam nimis sublimia supplicij nostri infirmitate metiuntur, mirabiles tenebras in doctrinam ejus apertissimam intulerint: quia cogitationibus Philosophorum de habitibus & virtutibus moralibus assueti, quicquid sublimius, & Christianâ Philosophiâ dignius præoccupatis opinionibus dissonuerit, potiùs deorsum obtorto collo deprimendum, quàm se sursum elevandos esse censuerunt. Itaque Glossis à sensu Augustini disiunctissimis doctrina sancti Doctoris perspicua aliò detorta est: quarum interpretationum non est aliud fundamentum, nisi quia alioquin falsum esset id quod ipsi verum putant. Quo sanè modo si autorum quorumcunque verba ac documenta tractare licet, & non potiùs ex perpetuo doctrinæ filo sensus eorum, sive reipsa verus, sive falsus, (quod alterius quæstionis est) perquirendus, nihil in universis Patrum sanctissimorum scriptis ita manifestum est, & categoricis propositionibus adversus hæreses assertum, quod non facillimo negotio eludi, adulterari, pervertique possit. Et revera per illam liberam quidlibet opinandi pruriginem, quæ per disputationes nonnullorum recentiorum in Theologiam invecta est, multoque liberiorem interpretandi, seu potiùs pervertendi Patrum antiquorum scripta licentiam eò ventum est, ut nemo, quicquid tandem senserit, Augustino vel Patribus gravioris notæ contradicere sibi videatur. Neglectâ enim totius doctrinæ consonantiâ, quæ ante omnia debebat explorari, abruptas quasque sententias ita exponunt vel componunt potiùs, ut non tam admirationem, quàm horrorem peritioribus injiciant. Ex quo solemni libertinæ interpretationis more, Auctoritas Patrum antiquorum, quæ primum olim habere solebat locum, nunc ita apud quosdam eviluit, ut nullum argumentum contemptibilius eis sit, solutuque facilius, quàm quod ex eorum scriptis ducitur, dummodo ratiunculæ nonnullæ novitati suffragari videantur. Sed omissis querimonijs ad Augustinum nostrum redeamus, & ostendamus, doctrinam eius universam non modò de operibus infidelium, sed etiam de virtutibus eorum ita sibi concinere, ut quemadmodum in Philosophia causa per effectum, & effectus per causam, ita quoque natura talium operum per virtutes, & natura virtutum per opera liquidissimè demonstrari possint. Pari enim passu ista in Augu-

Lib. 2. Ethic. cap. 6. 1. 2. q. 55. a. 3.

in Augustini doctrina progrediuntur, ut virtus infidelium operibus ad unguem congruat, & opera virtuti, fructu videlicet arborem, & arbore fructum redarguente; ut istud meritò, quod ex virtutibus infidelium trahi potest argumentum, *octavum* statui possit, quo velut causam continente comprobetur, verissimum esse sensum Augustini quem hactenus dedimus de operibus infidelium. Conformitas quippe doctrinæ per se-ipsa loquetur, nihil nisi genuinum, sibique omni ex parte constans me protulisse.

Quamobrem sicut Augustinus sæpissimè docuit, opera infidelium non esse opera verè bona, sed quasi bona, ut non aliud nisi mala intelligeremus; ita vicissim docet, virtutes eorum qui fide carent non esse veras virtutes, sed quasi virtutes, falsas virtutes, terrenis rebus assequendis congruas, & similia. Unde in libris contra Iulianum: *Gratis Christus mortuus est, si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad justitiam veram, ad sapientiam veram quacunque re alia, quacumque ratione perveniunt. Prorsus sicut de lege verissimè ait Apostolus: Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est: ita verissimè dicitur: si per naturam voluntatemque justitia, ergo Christus gratis mortuus est: si per doctrinam hominum qualiscunque justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Ubi per veram qualemcunque justitiam non aliud intelligit, nisi justitiam ex qua prosiliat opus verè bonum, hoc est, quod non sit peccatum, *quo efficiantur injusti*; sicut statim ipse istis verbis utendo declarat. Isto quippe sensu & illam sententiam protulit, quam sanctus Prosper dignam judicavit, ut eam ex ejus lucubrationibus excerperet: *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono: ubi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Ubi ex operibus, quæ sine fide non nisi peccata sunt, etiam falsam virtutem esse concludit. Quo planè modo & alibi continentiam veram omnibus negat, qui fide carent; quotquot videlicet *sub nomine religionis aliquo errore falluntur; quorum continentia vera esset, si esset & fides vera. Cum verò illa propterea nec fides sit appellanda, quia falsa est, sine dubio & ista continentia nomine indigna est. Numquid enim continentiam fidei, quam munus Dei verissimè dicimus, dicturi sumus esse peccatum? Absit à nostris cordibus tam detestanda dementia. Beatus autem Apostolus ait: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quæ igitur non habet fidem nec continentia nominanda est.* Nimirum, quia opus ejus non est nisi peccatum. Hac de causa retractat tanquam perperam dictum, id quod [a] libro primo de Ordine per transennam dixerat: [b] *Philosophos non verâ pietate præditos virtutis luce fulsisse.* Cujusmodi sententiæ in Augustini doctrina crebræ sunt. Neque solùm veris virtutibus infideles caruisse, vel fuisse falsas, & virtutis nomine indignas, sed etiam *vitia* fuisse tradit; eâ prorsus ratione, qua & opera illorum, qui fide

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Sentent. 106

Lib. de Continent. c. 12.

a Lib. 1. de Ordine c. 11.
b Lib. 1. Retract. c. 3.

A destituti sunt, non modò non verè bona, vel quasi bona laudabiliaque, sed vera peccata esse jam antè declaravit. Hoc enim disertis verbis bis terve repetit in libris de Civitate Dei, sicut statim dicturi sumus.

Ad eludendam igitur Augustini doctrinam, qua Romanorum, Philosophorum, vel quorumcunque infidelium virtutes, non veras virtutes, sed vitia specie virtutum palliata fuisse tradit, ludificationes quædam (ita loquor, quia nullum in Augustino, sed in sola subtilitate cogitantium fundamentum habent) inventæ sunt. Aiunt enim aliqui hoc ab Augustino dici, quia inquiunt, nunquam possunt infideles pervenire ad statum moraliter necessarium, ut aliquis bonus habitus vel bona dispositio nomen absolutum veræ virtutis mereatur. Ad hoc enim, ut ipsi explicant, non est satis ut habitus sit remissus, sic enim B erit potiùs dispositio quàm habitus atque virtus: sed ut sit valdè intensus & radicatus: quomodo non acquiritur nisi per frequentiam actuum: itemque ut in tota materia alicujus virtutis operetur, vel in majori parte ejus, præsertim materia ardua & difficili. Qualis virtutum perfectio per multos actus continuatos acquiri debet, nec sine gratia acquiri potest; multo minùs secundum perfectionem, quoad statum extrinsecum, qui virtutum omnium connectionem postulat. *Et ideo*, inquiunt, *Iulianum dicentem, posse infideles per liberum arbitrium esse misericordes, modestos, castos, & sobrios; reprehendit, quia non solùm affectum, sed perfectionem virtutis illis tribuebat. Hanc negat Augustinus infidelibus: non tamen omnem affectum, inchoationemque virtutis.*

Suar. lib. 1. de grat. c. 7. n. 20.

Idem n. 38. n. 10. & 11.

Idem lib. 1. cap. 7. n. 20.

Sed revera utrumque falsum est, purumque cogitationis humanæ figmentum, videlicet & quod inchoationem affectumq; virtutis infidelibus tribuat, & quod propter illas rationes ijs C perfectionem neget. Utrumque enim ab Augustini mente remotissimum est, & in eodem ipso qui citatur loco ab Augustino subversum. Nam cùm perfectionem virtutis infidelibus negasset Iulianus, inchoationem verò tribuisset, respondet ei Augustinus: *Cum ergo adjuvatur homo, non tantum ad capessendam perfectionem adjuvatur, quod ipse posuisti, utique volens intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia: sed potius quod Apostolus loquitur, ut qui in vobis opus bonum cœpit, perficiat usque in finem. In quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari; ac sic priorem dare, ut retribuatur illi, eoque modo gratia jam non sit gratia, quia non est gratuita.* Qui potuisset luculentiùs commentum sibi impositum refellere Augustinus, quo dicitur non negasse infidelibus omnem affectum & inchoationem D virtutis? Quod & statim iterum jugulat: *Quid est ergo, quod secundū modum vestrum, effectū voluntatis humanæ dona cælestia me crediderās nuncupasse, tanquā volūtas hominis sine gratia moveretur ad bonū* (Ecce affectus & inchoatio virtutis infima, quæ cogitari in voluntate potest, primus videl. motus

Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.

Ibid.

motus voluntatis ad bonum (*ut e debitum à Deo retribueretur effectus*) id est, perfectio qua sit reipsa fortis & castus, sicut voluntas optabat. *Itane oblitus fueras, nos cum Scriptura dicere contra vos: Præparatur voluntas a Domino, vel, quod in nobis Deus operetur & velle? O ingrate gratiæ Dei! O inimici gratiæ Christi, & solo vocabulo Christiani!* Vide, obsecro, quanta vehementia detestetur illas virtutis inchoationes, quas Iulianus infidelibus tribuebat, & ex hoc ipso loco recentiores ipsi Augustino incredibili inscitiâ, ut mitissimè loquar, imponere non verentur. Vnde concludens addit: *Non ergo quia est illis voluntas bona, sed ut convertatur in bonam voluntas mala pro eis orat Ecclesia.* Quod statim ex Scripturis probat.

Quod verò inde probat, aliquas ab Augustino virtutes admitti in infidelibus, quia dicit: *Vtcunque fiant, illis tantum deserviunt ut minus puniantur in die iudicij.* Dicendo enim, *utcunque fiant*, planè intelligit, inquit, sive cum integra bonitate ex objecto & circumstantijs, sive cum aliquo defectu ex parte finis: indicans utrumque modum esse possibilem. Sed hoc ipsum rursum apertè falsum est, & Augustino in eodem qui citatur loco directè contrarium. Sic enim loquitur Augustinus:

Idem autor citat.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3 *Sed ad hoc eos in die iudicij cogitationes suæ defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ legis sunt utcunque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut alijs non facerent, quod perpeti nollent.* Vbi manifestum est, per illud, *utcunque*, non duplicem faciendi modum indicari: sed cùm tota illa disputatione sæpiùs & ex professo duo distinguat in opere bono, *officium*, & *finem*, seu opus quod fit, & finis propter quem fieri debet; per illud, *utcunque* indicat imperfectum præcepti implendi modum, videlicet solummodo quantum ad officium, quod infidelibus tribuit, negans eis implendi modum quantum ad finem. Quod ipsemet verbis immediatè subjunctis explicat disertissimè:

Ibid. *Hos tamen peccantes, quòd homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerant, ad quem referre debuerant.* Ecce, quomodo utcunque fecerint infideles opus legis, ipsum scilicet officium faciendo; hoc tamen peccantes, quòd veri finis omissione deliquerint.

Ex quo etiam commentum illud evanescit, quo putatur Augustinus propterea virtutes veras negare infidelibus, quia non possint eas in statu perfecto, qui habitus radicationem, perfectionemq; postulat, sine gratia comparare. Non enim solùm est mera fabula Augustino affixa, quæ nihil in scriptis ejus fundamenti habeat, sed ab ejus mente prorsus aliena, utpote quem vidimus nec primam virtutis inchoationem vel affectum eis velle tribuere, nec secundum doctrinam ejus tribui posse, nisi ab eis, qui *solo nomine Christiani* sunt, ut ibidem Augustinus loquitur: vera igitur ratio est eaque ab Augustino sexcentis locis tradita & inculcata est, & in eodem loco sæpius repetita: ut mirum omnino sit, res tam apertas hominem, qui aliquid in Augustino legisse videri cupit, latere potuisse. Quæ sane ratio non à perfectione virtutis internâ, per magnam habitûs intensionem, radicationemq; vel externâ, quâ vel in tota virtutis materia præsertim ardua difficiliq; operetur, vel alijs virtutibus connectatur (quæ causæ ex Philosophia concinnatæ sunt, nec unquam ab Augustino vel leviter adumbratæ) sed stabiliter, atque uniformiter ubique petitur ex defectu finis, quem omnis omnino vera virtus, sive perfectionis intensissimæ, sive inchoata, in quacunq; materia, sive ardua, sive levi, sive sola fuerit, sive quibuscunque virtutibus nexa, spectare omnino debet. Finis enim ille non est alius nisi verum bonum, hoc est, verus Deus: ad quem non solùm actio supernaturalis, meritoria, ad vitam æternam conferens; sed omnis omnino actio verè bona, hoc est, non mala, seu non peccatum, referenda est; & ita referenda, ut hoc ipso quo non referatur, peccatum sit: & virtus quæ illam facit, non virtus, sed verum vitium, tanquam actionis malæ principium, vocari mereatur. Hoc probant pleraq; quæ supra de operibus ipso defectu finis illius vitiatis & malis allegavimus. Perinde quippe de virtutibus ipsis, de quibus ex professo erat quoq; disputatio, quemadmodum de operibus Augustinus loquitur. Nam rationem reddens, cur nec *iustitia, nec aliæ virtutes comites eius & sociæ* in infidelibus esse possint. *Quia*, inquit, *cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur iniusti.* Lib. 4. cont. Iul. cap. 3. Et ex professo statim uberiùs causam illam explicans dicit: *Noveris itaque, non officijs sed finibus à vitijs discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est, finis verò propter quod faciendum est.* Et virtutum vitia per operum malitiam declarando subjungit: *Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Quod sicut lumine naturæ manifestum est, & in omnibus omnino uti operibus, ita & virtutibus quamvis imperfectissimis locum habet. (quis enim dixerit, quòd *non propter hoc facere, propter quod homo facere debet* non sit peccatum?) Ita statim Augustinus explicat, eundem illum finem, cujus defectu peccatum est quicquid facimus, nec à virtute ullo pacto fluere potest, esse unum, solumque verum Deum. *Absit autem, ut virtutes veræ cuiquam serviant nisi illi, vel propter illum, cui dicimus: Deus virtutum converte nos.* Quid apertius, quid luculentius? Et rursum enucleatius, per omnes discurrendo virtutum quarumcunque plausibilium fines: *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscunque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt.* Ecce exclusos penitus omnes omnino temporalium commodorum, voluptatum, divitiarum, honorum, laudis, & gloriæ fines: *Quæ autem nulli rei servire volunt*, hoc est, quæ sibi-ipsis serviunt, quemadmodum virtutes Stoicorum, *nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus, Deo serviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis.* Cujusmodi igitur

opus

opus est, quod ab illis virtutibus proficiscitur, quæ sive alijs quibuscunque bonis, sive sibi-ipsis, sive nulli omnino alteri, sed sibi soli serviunt, ut ex prole matrem ejus agnoscamus? Audi disertissimè: *Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Causam adjicit, quia opus non potest esse bonum, nisi fluat à voluntate bona tanquam arbore bona, per quam semper Augustinus intelligit ipsam volitionem, seu propositum, quod est causa operum ab eo proficiscentium: virtutes autem non sunt aliud nisi voluntates seu firma proposita rectè operandi. De tali igitur voluntate seu proposito consequenter subdit: *Absit ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in alijs, vel in seipsa, non in Domino gloriatur.* Quæ sanè sola, si nihil aliud ex August. haberemus, abundè sufficere deberent, ut intelligeremus ex ejus sensu nullam aliam posse veram esse virtutem, nisi quæ servit Deo, hoc est, quæ opus suum refert *ad hoc, ad quod referre debet*, quæ illud refert *ad Deum*, quæ refert ad illum tanquam finem, *quem vera sapientia præcipit*, quæ *gloriatur in Domino*, &, ut explicat in fine disputationis illius, quæ operatur *intentione fidei bona, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur.* Cujusmodi intentio, & dilectio, & servitus veri Dei, & gloriatio in Domino non est aliud, nisi vera pietas, & religio, & cultus Dei: quorum nihil Deo sine fide præstari potest. Nulla enim re alia servitur Deo, & colitur Deus, nisi dilectione. Nam quisquis aliò respicit in operando, non servit per hoc Deo aut colit Deum, sed illud quod operando intuetur: quod esse non potest nisi creatura.

Sed hanc doctrinam adversus Iulianum à radicibus traditam alijs plurimis suorum scriptorum locis velut rem exploratissimam sine ulla fluctuatione confirmat. Hinc libro decimo de Civitate: (Lib. 10. de Civit. c. 4.) *Bonum nostrum, de cuius fine inter Philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quàm illi cohærere, cuius unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu veris impletur fœcundaturque virtutibus.* Ille enim incorporeus amplexus non est aliud nisi dilectio, quem sicut nemo homini dare potest nisi Deus, ideo neque virtutem sibi quisquam suis viribus parare potest: quia virtus propter finem quem intueri jubetur ac debet, sine Dei dilectione esse & intelligi nequit. Vnde strictissimam obligationem diligendi Dei propter finem operationis inculcans adjicit: (Ibid.) *Hoc enim bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum &c. Vt enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia quæ ageret ut beatus esset. Non enim qui se diligit aliud esse vult quàm beatus. Hic autem finis est adhærere Deo. Iam igitur scienti diligere seipsum cum mandatur de proximo diligendo, sicut*

A *seipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei quantum potest, commendet diligendum Deum? Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.* Hic omnia simul habes explicata, veras virtutes tantummodo nasci ex dilectione Dei; hunc esse finem boni; hujus finis dilectionem ex toto corde præcipi; huc omnia referenda non solùm quæ circa nos, sed & quæ circa proximum operamur; talem Dei dilectionem esse consequenter veram pietatem, religionem, cultum servitutem Dei: ut sic radicitus intelligeremus, cur fides ad ea necessaria sit; nimirum propter finem boni, quò cuncta referri vera *sapientia præcipit*, ut contra Iulianum loquitur, & ad quem referre debet, & si aliter fiat, *ipso non recto fine peccatur.* Vnde in libro quinto de Civitate Dei dogmaticè finem omnis veræ virtutis explicans: *Neque* (Lib. 5. c. 12.) *enim*, inquit, *est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius esse* B *non potest.* Et statim ex illo principio docet, libidines *fide pietatis, impetrato Spiritu sancto, & amore intelligibilis pulchritudinis*, hoc est, ipsius Dei, *esse frenandas*, (Cap. 13.) & studia bona *sectanda esse fine veri boni.* Et libro decimo-nono de Civitate definitivam sententiam statuit: (Lib. 19. c. 10.) *Tunc est vera virtus, quando & omnia bona quibus benè utitur, & quicquid benè usu bonorum & malorum facit, & seipsum ad eum finem refert, ubi nobis talis & tanta pax erit, qua melior & maior esse non possit.* Et infrà: Iustitiam nostram dicit esse *veram propter veri boni finem, ad quem refertur.* (Cap. 27. Ibid.) Et mox alijs verbis dicit: *Quo referenda, & cuius adipiscendæ causâ habenda est ista iustitia.*

Hanc veritatem in Christiana, quæ sola vera est, Philosophiâ certam multis modis astruit etiam in Epistola ad Macedonium: *Si ergo*, inquit, *nos virtus vera delectat, ei dicamus quod in eius sacris litteris legimus: Diligam* (Epist. 52.) C *te, Domine virtus mea.* Et inferiùs: *Abijciamus itaque, obsecro te, falsorum Philosophorum vanitates & insanias mendaces: quia nec virtus vera nobis erit, nisi adsit ipse quo iuvemur; nec beatitudo, nisi adsit ipse quo fruamur.* Nec mirum, cùm vera virtus, veraque beatitudo inseparabiliter nexæ sint. Vt enim vera virtus non sit via ad veram beatitudinem, ad eamque prosit assequendam, fieri nullo pacto potest.

Itaque de virtutibus Philosophicis & earum finibus statim adjicit: *Itaque si omnis prudentia tua, qua consulere conaris rebus humanis;* (Ibid.) *si omnis fortitudo, qua nullius iniquitate adversante terreris; si omnis temperantia, qua in tanta labe nequissima cõsuetudinis hominum, te à corruptionibus abstines; si omnis iustitia, qua rectè iudicando sua cuique distribuis id laboras, id niteris, ut hi quibus vis ut benè sit, salvi sint corpore, & ab omni cuiusquam improbitate tuti atque pacati &c. ita non* D *erunt veræ virtutes tuæ, sicut nec istorum beatitudo.* Habes hîc officia quatuor virtutum Cardinal. ceteras omnes complectentium præclarissimè, quibus nulla unquã puriora præstitère Philosophi: habes finem illũ ipsum, quem Philosophi virtutibus præscribere solent, salutem publicã. Verum-

Verumtamen tam est Augustino illa falsa virtus, quàm falsa beatitudo hominum, salute, prosperitate, divitijs temporalibus affluentium. Virtus enim vera sicut non potest nisi de cælo descendere, ita non potest non eò rursum ascendere, cùm nihil sit aliud beatitudo, quàm illo frui, quod virtus vera diligebat. Itaque statim radicem doctrinæ suæ ex fine petens: *Si quælibet, inquam administratio tua, illis quas commemoravi instructa virtutibus, hoc intentionis fine determinatur, ut homines secundum carnem nullas iniquas molestias patiantur: nec ad te existimas pertinere, quo illam quietem quam præstare niteris referant, id est, ut verbis non ambiam, quomodo Deum verum, ubi est quieta vitæ omnis fructus, colant, nihil tibi prodest ad vitam verè beatam tantus labor.* Hoc est, sicut paulò antè dixerat, & statim iterum dicit, non erunt veræ virtutes, utpote quæ ad vitam verè beatam prodesse non possunt. *Si enim,* addit, *virtutes quas accepisti, à quo acceperis sentiens, eique gratias agens, eas ad ipsius cultum etiam in tuis sæcularibus honoribus conferas, eique potestati subditos homines ad eum colendum exemplo tuæ religiosæ vitæ, & ipso studio consulendi,* (id est, ipsis operibus seu officijs virtutum) *seu fovendo, seu terrendo, erigas & adducas, nihilque aliud in eo quod per te securius vivunt velis, nisi ut hinc illum promereantur, apud quem beatè vivant, & veræ illæ virtutes erunt, & illius opitulatione cujus largitate donatæ sunt ita crescent, & perficientur, ut te ad vitam verè beatam, quæ non nisi æterna est, sine ulla dubitatione perducant.* Nam, ut jam dixi, impossibile omnino est, ut vera virtus sit quæ nihil ad vitam æternam prosit: sed si nihil ad eam assequendam prodest, nullo modo virtus vocari potest, utpote quæ neque bonum habentem faciat, nec opus ejus bonum. Quod satiatissimè declarat adversus Iulianum: *Quod enim facimus,* id est, cùm innocentiam beneficentiamque servamus, *ideo veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem & veram felicitatem. Non enim absurdè virtus definita est ab eis qui dixerunt: Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus. Verum dixerunt; sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt.* Et inferiùs: *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christum est, vera promittit, nihil prosunt hominis virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.*

Ibid. — *Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.*

Quod ut plenius intelligatur, sciendum, doctrinam fuisse Iuliani ab Augustino fortissimè improbatam, quod aliquæ virtutes essent in Philosophis atque Gentilibus naturales, humanis viribus acquisitæ, sed ad vitam æternam steriles, hoc est, quæ nihil eas habentibus ad vitam æternam atque beatitudinem proderant. Adversus quam opinionem Augustinus: *Quapropter dici non potest, quantum te ista fallat opinio, qua dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus.* Quod autem hoc ipsum quod nos diximus intelligeret Iulianus, per steriliter esse bonum, ibidem explicat, dum Iulianus dicit: *Ego steriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam.* Contra istam igitur Iuliani sententiam ex Philosophia desumptam, quam nonnulli Scholastici secuti sunt, tanquam contra chimericam imaginationem invehitur Augustinus: *Fieri enim non potest ut steriliter boni simus,* id est, ut nihil ad vitam æternam conferat virtus atque bonitas; *sed boni non sumus quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem, ut Deus bonus, à quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat & in ignem mittat arbores bonas.* Vnde fidentissimâ securitate concludit: *Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni,* per virtutes videlicet illas quæ Deum non respicere, nec ab eo vitam æternam consequi à Iuliano fingebantur, *sed qui boni non sunt, possunt esse alij minus, alij magis mali.*

Ibid.

Hæc est ergo vera ratio, cur in libris de Civitate Dei, hujusmodi virtutes Philosophicas, quocunque tandem præterquam ad verum Deum referantur, non solùm veræ virtutis nomine indignas, sed etiam vitia appellare non dubitet, sicut & falsam beatitudinem esse tradat magnamque miseriam, beatitudinem quamcunque temporalem, quæ talibus virtutibus retribuitur, nisi æterna speretur. Præmium enim & meritum pari se invicem passu comitantur. Itaque cùm de virtutibus hujusmodi dixisset: *Civitatem impiorum, cui non imperat Deus obedienti sibi, carere justitia veritate,* nec vllo modo *corpori & vitijs rectè imperare,* ut intelligeremus non nisi vitiosè imperare, juxta illud principium ejus, quòd *omne factum, si rectè factum non est, peccatum est;* sic sanctissimus Doctor loquitur: *Proinde virtutes quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitijs ad quodlibet adipiscendum, nisi ad Deum retulerit etiam ipsa vitia sunt potius, quam virtutes.* Et Stoicorum vanitatem retundens, ne ab ista regula suas virtutes exceptas arbitrarentur, eo quòd temporalibus commodis servire non viderentur, eadem magisterij auctoritate subjungit: *Nam licet à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt: & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.* Nihil clarius, nihil absolutius, nihil efficacius de Philosophorum virtutibus pronunciari potest. Nec enim responderi potest, vitium hic impropriè sumi pro eo quod ad vitam æternam nihil prodest, quamvis naturaliter bonum sit: inflatum enim & superbum esse non indifferens, sed verissimum vitium est. Quod si talis est virtus Philosophica, quando est purissima; quanto sordidior erit, quando alijs quibuscunque temporalibus rebus servit, cùm & Scholastici fateantur, ipsam officij bonitatem ac honestatem à vera virtute esse

Lib. 19. de Civit. c. 24. — *Lib. de util. cred. c. 12.* — *Lib. 19. citato.*

spectan-

Digitized by Google

spectandam? Sicut ergo falsa virtus est illa Philosophica, & verum vitium; ita falsa beatitudo quam venatur, & vera miseria. Audi Augustinum mirâ ubique doctrinæ conformitate sibi concinentem: [*Lib. 19. de Civit. c. 20.*] *Res vero ista*, hoc est, beatitudo vitæ temporalis, *sine spe illa, beatitudo falsa & magna miseria est. Non enim veris animi bonis utitur: quoniam non est vera sapientia, quæ intentionem suam in his quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, iusteque distribuit, non in illum dirigit finem, ubi erit Deus omnia in omnibus æternitate certâ, & pace perfectâ.*

CAPVT NONVM.

Idem omnino docuerunt sanctus Prosper, Hieronymus, Ambrosius.

HANC igitur doctrinam à sapientissimo Magistro haustam citra omnem ambiguitatem & fluctuationem velut rem certissimam in Ecclesia Catholica tradiderunt tum Augustini discipuli, tum alij quoque ante Augustinum sanctissimi doctissimique Patres. Nam sanctus Prosper indifferenter tam virtutes gentilium, quàm virtutum effecta seu actiones peccata esse definit, ut suprà vidimus. Inde est enim illud ex libro primo de vocatione Gentium: [*Lib. 1. de vocat. gent. c. 7.*] *Quia etsi fuit, qui naturali intellectu conatus sit vitijs reluctari, huius tantum temporis vitam steriliter ornavit, ad veras autem virtutes æternamque beatitudinem non profecit. Sine cultu enim veri Dei etiam quod virtus videtur esse, peccatum est. Nec placere ullus Deo sine Deo potest. Qui vero Deo non placet cui nisi sibi & Diabolo placet?* Et libro contra Collatorem: [*Cap. 28. cont. Collat.*] *Puto autem istum verisimilitudine decipi, & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis existimat reperiri; ideo scilicet, quia multi eorum sint iustitiæ, temperantiæ, continentiæ & benevolentiæ sectatores: quæ omnia non frustra quidem neque inutiliter habent, multumque ex ijs in hac vita honoris & gloriæ consequuntur, sed quia in his studijs non Deo sed Diabolo serviunt, licet habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem.* Quid ergo? Bonæne saltem illæ virtutes sunt, à quibus opera, si non meritoria felicitatis æternæ, certè sine peccato proficiscantur? Audi: [*Ibid. c. 29.*] *Et ita manifestissimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta, habentium sapientiam non spiritualem, sed animalem; non cœlestem, sed terrenam; non Christianam, sed Diabolicam &c.* Audi uberiùs: *Nec ideo existimare debemus, in naturalibus thesauris principia esse virtutum, quia multa laudanda reperiuntur etiam in ingenijs impiorum, quæ ex natura quidem prodeunt, sed quoniam ab eo qui naturam condidit recesserunt, virtutes esse non possunt.* Audi [*Ibid.*] igitur quid sint istæ virtutes infidelium: *Quod enim vero illuminatum est lumine, lumen est, & quod eodem lumine caret, nox est: quia sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Ac sic vitium est quod putatur esse virtus, quandoquidem stultitia sit, quod putatur esse sapientia.* Clariùs non posset Prosper sententiam illam tradere, & ostendere in ipsis sacris litteris fundatam esse, quæ perspicuis, gravissimisque verbis dicit: [*1. Cor. 3.*] *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Puto verò stultitiam aliquid amplius esse, quàm innoxiam rerum temporalium prudentiam. Et in libro tertio de vita contemplativa accuratissimè disertissimèque: [*Lib. 3. de vit. contemp. cap. 1.*] *Quando fideles iustitiâ, pietate, misericordiâ, mansuetudine, humilitate innocentiâ, cæterisque virtutibus gaudent, aut secundum Deum vivunt, & virtutes veras habere credendi sunt, quæ spiritualiter viventes adeptæ sanctificant, & Deo commendant; aut secundum hominem vivunt, & non sunt veræ virtutes, sed virtutum similitudines, quæ nihil carnaliter viventibus prosunt.* Porro istas virtutum similitudines, quibus infidelium vanitas quasi lucendo gloriatur, magis à veris virtutibus superari tradit, quàm venenum à medicamento: *Quæretis* inquit, *quantum à veris virtutibus virtutum similitudines distent?* [*Ibid. c. 1.*] Et ita rem resolvit: *Non dico, quantum à medicamento venenum; quia medicamentum ita corpus aliquoties sanat, ut id defendere à mortis necessitate non valeat. Et venenum non auferri facit vitam corporis, quasi auferenda non esset nisi fuisset acceptum: Sed accelerat corporis mortem, quod erat aliquantò diutius forte victurum. Sed planè dico, à veris virtutibus tantum similitudines distare virtutum, quantum distat à veritate mendacium: quia & similitudo virtutis, quæ videtur virtus esse cùm virtus non sit, nihil est aliud quàm mendacium: & ideo non est virtus dicenda, sed vitium, & vera virtus est veritas, cui qui amanter adhæserit à peccati morte resuscitatus mori ultrà non poterit, nisi cum ab ea depravata voluntate recesserit.* Et adhuc luculentiùs illam virtutum similitudinem & mendacium explicans: *Sicut è contrario, virtutis simulatio,* [*Ibid. infrà.*] *quæ est, ut dixi, mendacium veritati contrarium animam separat à Deo vita sua, non interituram, sed in supplicio quæ est illius mors, pœnaliter sine fine victuram, Scripturâ dicente: Os quod mentitur occidit animam. Ac per hoc sicut virtus animam sibi veraciter inhærentem, si fuerit vera, iustificat, ita simulata condemnat. Et quid iustificatio animæ, nisi eius est vita perpetuè beata ac beatè perpetua? Sicut condemnatio animæ pœna eius est sentienda, quæ mors probatur & ipsa perpetua.* Mox autem declarat, quo pacto sint vera vitia virtutum specie palliata: [*Ibid.*] *Superbus vult se credi constantem, prodigus liberalem, avarus diligentem, temerarius fortē, inhumanus parcum &c. Hæc etsi possunt humano ingenio discerni; tamen sine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, declinari. In tantum ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiamsi*

sunt

sunt aliquas per corpus operati. Qui sic? an quia non erant virtutes satis intensæ, radicatæ, nec in omni materia se exeruerunt, nec reliquis virtutibus conjugatæ fuerunt? Nequaquam: sed propter defectum finis, quem semper inculcat magister ejus Augustinus: *Quod eas nec à Deo suo se accepisse crediderunt, nec ad eum qui est fons omnium bonorum referre voluerunt. Et quid dico, nihil eis profuerunt? Imo etiam nocuerunt, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide peccatum est.* Quibus verbis declaratum esse dicit, quod *omnia bona aut ex fide gesta virtutes sunt, quæ profectò justificant; aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia; quæ non juvant suos operarios, sed condemnant, infletosque præcipitant.* Quam sane doctrinam ad amussim ex Augustino Prosper expressit. Nam cùm Iulianus gentilium virtutes prædicaret, sicut & Recentiores nonnulli ipsa facta seu officia laudabilia à fine sejuncta considerantes prædicant, respondet ei Augustinus: *Sed videlicet homo eruditus eorum vitiorum verisimilitudine falleris, quæ finitima videntur, & propinqua virtutibus, cùm absint ab iis, quam longe absunt à virtutibus vitia.* Quod exemplis vitiorum virtutes imitantium verum esse demonstrat, sicut infrà dicturi sumus.

[Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.]

Ex his videt eruditus lector, quanta securitate, & asseverantia, doctrinæque certitudine sanctus Prosper illam Augustini doctrinam tradit, quòd non sint veræ virtutes infidelium, sed hoc solo ab apertissimis vulgòque notis vitijs discrepent, quod oculi imperitorum quadam specie fallente ludificentur. Docet enim expressis verbis, crebròque repetit & inculcat, eorum virtutes, quantumcunque veræ esse videantur, non esse veras virtutes, sed virtutum dumtaxat similitudines, quæ præsentem vitam ornare possunt, ad futuram conferre non possunt: sæpiùs docet, esse vitia, mendacia, non lumen, sed noctem, esse immunda, polluta, peccata, quæ ex sapientia terrena, animali, diabolica proficiscantur: non prodesse, sed obesse; esse stultitiam, per quam placeant homines non Deo sed diabolo; denique eas à Deo separare, atque damnare; ut nihil omnino superesse possit, quo de sententia ipsius & Augustini, quam expressit luculentiùs, ambigi possit. Vterque deduxit eam non ex Philosophicis Peripateticorum, aut Stoicorum promptuarijs, verum Deum ignorantium, unde omnis veræ virtutis ratio essentialiter pendet, sed ex Scripturis sacris, quas hac in re Philosophus Christianus multò tutiùs sequitur.

Ex quo fit, ut etjam ante sanctum Augustinum, nonnulli magni viri eandem veritatem in Scripturis traditam observaverint, & in scriptis suis expresserint. Nam hinc illud sancti Hieronymi in Epistola ad Rusticum: *Illi Philosophi seculi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur: Nos amore virtutum vitia superemus.* Et in versum undecimum capitis tertij ad Galatas: *Faciamus & nos aliquid simile huic, quod dicitur: Iustus ex fide vivit; & dicamus: Castus ex fide vivit; Sapiens ex fide vivit; Fortis ex fide vivit: & à cæteris virtutum partibus vicinam sententiam proferamus, adversus eos qui in Christum non credentes, fortes, & sapientes temperantes se putant esse, vel justos, ut sciant nullum absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est.* Eodem tendit sanctus Ambrosius, dum quandoque omnium virtutum fundamentum tradit esse fidem; *Præclare autem & fidem ad cuncta intexuit, & fides ipsa virtutum fundamenta subjecit.* Quandoque verò omnes virtutes velut folia inutiles esse tradit sine fide: *Virtutes sine fide folia sunt: videntur virere, sed prodesse non possunt: agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem; sed fructum non habent, quia fidem non habent! Labuntur cito folia, ubi ventus flaverit. Et aliqui Iudæi habent castimoniam, sedulitatem lectionis multam & diligentiam: sed sine fructu sunt, & versantur ut folia. Hæc fortè sunt folia, quæ Salvator in illa ficu reperit; sed fructum non invenit. Mystica* (id est, fides) *salvant & à morte liberant: moralia autem ornamenta decoris sunt, non subsidia redemptionis.* Nam si fructum sine fide homines non habent, sed tantum folia, aut mali sunt, aut steriliter boni. Iam autem Augustinus invictè colligit: *Fieri non potest ut steriliter boni simus: sed boni non sumus quicquid steriliter sumus.* Itaque mox subjungit: *Quomodo non aut vecors aut delirus, qui sterilium fructus arborum laudas? Qui utique aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt: aut si fructus boni sunt, profectò steriles arbores non sunt: imò & bonæ sunt, quarum fructus boni sunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non possunt nisi placere.* Ante Ambrosium etjam Origenes idem ipsum ex Scripturis clarissimè docuit: cujus locum ex commentario in Epistolam ad Romanos jam ante allegavimus.

[Hieron. Epist. 4.] [Idem lib. 2. in Epist. ad Galat. initio] [Ambros. lib. 7. in Lucam.] [In Psal. 1.] [Lib. 4 cont. Iul. cap. 3.] [Ibid. infrà.]

CAPVT DECIMVM.

Ratio præcedentis doctrinæ ex natura virtutis, & ejus fine petitur.

QVÆ quamvis abundè satis esse possent ijs, qui aliquid primis illis & veris divinæ gratiæ defensoribus, & Ecclesiæ magistris tribuunt, ut ijs potiùs quàm Gentilium Philosophiæ quantumcunque plausibili credant, operæ tamen pretium est, etiam rationem naturalem, cui ista doctrina nititur, quamque Scholastici trutinatores rationum plurimi faciunt, patefacere. Hæc autem non potest aliunde verior, & immobilior, & generalior peti, quàm ex ipso objecto formali virtutis, utpote quæ essentiam ejus

ejus

Digitized by Google

ejus tangat, & eam à quacunque pompatica virtutis ſpecie naturam ejus imitante ſecernat.

Cùm igitur virtus ſit quidam habitus animi, hoc eſt, affectio quædam habitualis voluntatis, natura ejus ex motu voluntatis, qui ex ea proficiſcitur, conſiderari debet. Quapropter hoc objectum virtutis alicujus ſtatui debet, in quod velut in objectum tendit actus ejus. Vt enim potentia ita & habitus ejus interpoſitis actibus objectum ſuum reſpicit. Virtus autem, ut Auguſtinus dicit, & Philoſophi facilè aſſentiuntur, eſt ordo amoris: proinde eſt affectio voluntatis. Nam ſi qua in intellectu virtus habitet, ea non efficit actus moraliter bonos, niſi voluntate movente vel dirigente: ut proinde ad hanc materiam noſtram non aliter ſpectent, niſi quatenus ab aliquo amore voluntatis incitantur. Porrò voluntatis actus neceſſario fit propter finem: ſicut hoc & experientiâ conſtat, & Philoſophi docent, & ſanctus Thomas ex profeſſo tradit, & Scholaſtici profitentur. Vt hac de cauſa generaliſſimè ſanctus Thomas velut rem certiſſimam aſſerendo concludat: *Quicquid ergo homo faciat, verum eſt dicere, quod homo agat propter finem, etiam agendo actionem quæ eſt ultimus finis.* Nam etjam tum, cùm circa ea quæ ſunt ad finem occupatur, ita illis oculus animæ unus intenditur, ut alter reſpiciat finem, & dilectione quadam *tranſitoria*, ut Auguſtinus loquitur, per illa tendat in finem. Quod ſicuti in actibus voluntatis manifeſtum eſt, ita conſequenter & in habitibus, quos vel efficiendo gignunt, vel unde efficiendo gignuntur, locum habet.

1.2.q.1.a.1.

His ita conſtitutis, duo in quolibet virtuoſæ voluntatis actu ſpectari poſſunt, opus quod fit, & cauſa propter quam fit, quæ in nullo opere ex ipſa natura voluntatis, ut jam diximus, deſiderari poteſt. Opus vocatur *officium* quod præſtatur, ut miſereri pauperis, dare cuiq; ſuum, temperare à voluptatibus corporis, patienter dolores tolerare, & hujuſmodi. Cauſa propter quam præſtatur, eſt *finis*: qui ſemper in animo quidquid tandem fecerit dominatur, ſive ipſum officium diligatur ut finis, ſive ad aliud quippiam diſtinctum ab ipſo referatur. Non defuerunt igitur, qui veram virtutem, quæ ſcilicet faceret habentem bonum, ſaltem naturaliter aut moraliter, & actum ejus bonum ſive non malum ex ſolo officio ſeu opere quod fit ſpectandam eſſe, præciſo fine cenſuerunt. Inter hos fuit Pelagianæ hæreſis architectus Iulianus, qui contendebat, virtutes eſſe *affectus animi, qui voluntatis nutui ſervientes aut ad æterna aut ad temporalia dirigantur. Quod cum ſit*, inquit, *non in eo quod ſunt, non in eo quod agunt, ſed in eo ſolo variant quod merentur. Nec nominis igitur ſui poſſunt nec generis ſuſtinere diſpendium; ſed ſolùm quod appetiverunt præmij aut amplitudine ditantur, aut exilitate fruſtrantur.* Adverſus illam opinionem tanquam falſiſſimam abſurdiſſimamque acerrimè inſurgit Auguſtinus, multiſque eam confutat.

Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.

A Oſtendit enim, ſecundùm illam omnium vitioſorum hominum officia, quibus à voluptatibus temperant, adverſa tolerant, ſua cuique tribuunt, & prudenter bonum diſcernunt à malo, inter officia virtutis eſſe numeranda; & affectus voluntatis unde manant eſſe virtutes: quo nihil ineptius dici poteſt. Cùm enim illa verba Iuliani quæ citavimus protuliſſet: *Vnde hæc didiceris neſcio: Iam tamen cernis, ut arbitror, conſequens eſſe, ut vera ſit virtus avarorum prudentia qua excogitant genera lucellorum; & avarorum iuſtitia, qua gravium damnorum metu facultates ſua nonnunquam contemnunt, quàm uſurpant aliquid alienum; & avarorum temperantia, qua luxuriæ, quoniam ſumptuoſa eſt, cohibent appetitum, ſoloque neceſſario victu tegumentoque contenti ſunt; & avarorum fortitudo, qua, ut ait Horatius,* Ibid.

Per mare pauperiem fugiunt, per ſaxa, per ignes.

B Et paucis interjectis ſtultitiam opinionis illius non diſſimili abſurditate declarans: *Nec aliud erit quam vera iuſtitia Catilinæ, comprehendere multos amicitia, tueri obſequio, cum omnibus communicare quæ habebat: & fortitudo vera erit eius, quod frigus, famem, ſitim ferre poterat: & vera patientia, quod patiens erat mediæ, algoris, vigiliæ, ſupra quam cuiquam credibile eſt. Quis hæc ſapiat niſi deſipiat?* Nam ſine dubio ſi virtus ſolum officium reſpicit, quod præſtatur etjam ab improbis, ut ſcopos ſuos aſſequantur, non minus atque à probis; ſceleſtiſſimorum hominum affectus atque habitus, quibus perferunt moleſtias, libidines refrenant, proſpiciunt in poſterum, beneficentiam innocentiamque conſervant, inter veras virtutes quamvis imperfectas collocandi ſunt. Ibid.

A qua quidem ſententia, quamvis immaniter à tramite veritatis exorbitet, non multum recedit quorumdam opinio Scholaſticorum veram virtutem eſſe arbitrantium, quæ C ordinatur ad aliquod particulare bonum, dummodo ſit verum bonum, & ſit referibile ad univerſale bonum. Hoc enim ſi verum eſt, profectò vera virtus erit avarorum, ambitioſorum, ſuperborum, & ſimilium peſtium. Quis enim dubitet, pecuniam, honorem, laudem, excellentiam, omnia denique terrena bona, quæ creavit ſumma bonitas, eſſe particularia & vera bona, & ad univerſale bonum poſſe retorqueri? Et tamen novimus avaritiam non aliud eſſe niſi amorem pecuniæ, nec aliud ſuperbiam niſi amorem excellentiæ, & ſic de ceteris vitijs omnibus, quæ non niſi vera bona ſectantur. Non itaque ſufficit eſſe verum bonum in quod amando ferimur, ut aliquid virtus ſit; ſed opus eſt ut & ipſe amor veri boni ſit bonus. Multa enim vera bona non bono amore diliguntur.

Hinc ergo naſcitur, quòd, ut aliquid vera virtus ſit, non ſolùm officium ſeu opus quod D agimus, ſed finis propter quem agimus omnino ſpectari debeat. Officium enim quantumcunque bonum per ſe conſideratum ſi non fiat propter finem, quem ſapientia vera præcipit, ipſo non recto fine peccatum eſt. Ex quo fit, ut etjam cauſa iſtius operis, quæ virtus eſſe putaba-

peccabatur, non virtus sed vitium dici debeat. Impossibile est enim ut peccatum à virtute fluat, utpote quæ juxta Philosophos quoque facit habentem bonum, & opus ejus bonum. Vnde Augustinus de peccatis quibuscunque venialibus: Ep. 29. *Vtique illud qualecunque peccatum ex aliquo vitio venit.* Et iterum: *Si omnes ibi essent virtutes, nullum esset vitium: si nullum vitium, nullum omnino peccatum.* Vitium enim non est aliud nisi *fomes quidam*, vel *quasi radix Peccati*; ut ibidem docet. Quemadmodum igitur ut opus verè bonum, hoc est, non malum sit, non tantum officium, sed etjam finis operis intuendus est; ita quoque ut sit vera virtus, seu principium operis boni. Disertissimis verbis hoc tradit velut rem indubitatam Augustinus:
Lib. 4. cont. Iul. c. 13. *Noveris itaque non officijs, sed finibus à vitijs discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est; finis vero propter quod faciendum est.* Et ex operis velut effectus qualitate principij conditionem colligens: *Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officijs separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, etiam cujus dominam repereris avaritiam. Siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse justitia: sed cum quæritur, quare fiat, & respondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat, quomodo jam hoc factum vera poterit esse justitiæ, cum serviat avaritiæ.* Et aliquanto superius absurditatem sententiæ Iuliani patefaciens, ex qua veras esse virtutes avarorum, qui officia prudentiæ, temperantiæ, justitiæ, & Ibid. fortitudinis factitant, sequebatur: *Cum enim*, inquit, *agitur aliquid prudenter, fortiter, temperanter, & justè, omnibus quatuor virtutibus agitur, quæ secundum tuam disputationem veræ virtutes sunt, si ad cognoscendum, utrum veræ sint, hoc tantummodo intuendum est quod agitur, nec causa quærenda cur agatur.* Ibid. Et adhuc superiùs: *Quod cum facimus* (officium prudentiæ temperantiæ, justitiæ, fortitudinis &c.) *ideo veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, hoc est, naturæ nostræ consentaneum ad salutem & veram felicitatem.* Quorum omnium causa ex ipsa quoque naturali Philosophia in promptu est: D. Tho. 1. 2. q. 1. a. 3. quia finis, ut sanctus Thomas, & post ipsum omnes docent, dat speciem actui. Ex quo fit, ut esse non possit actus bonus, neque principium ejus bonum, cujus non est finis bonus ad quem collimat.

Ex qua sanè Augustini fundatissima doctrina liquido patet, in ponderanda virtutis alicujus & officij bonitate præcipuè de fine esse satagendum. Ille quippe tanquam ultima quies, & scopus animi, in agendo & voluntati & habitui & actui summo jure dominatur, omniaque officia, quæ ex ejus imperio fluere, & ad ipsum referri debent, suo colore & sapore perfundit. Quæ sanè causa fuit, cur tanta gentiles Philosophos de summo bono digladiatio distinuerit. Omnes enim videbant, parum esse ad virtutem quod officium esse videretur A bonum, nisi illud ad verum & summum animus referret bonum. Nam summum bonum ab omnibus appellatum est, non nude quod ceteris bonis dignitate præcelleret; sed ad quod animus cuncta referre debet, ad hoc ut bonus beatusque sit: hoc est, id quod propter seipsum diligendum & fruendum est, ideoque cetera cognita non nisi propter ipsum. Cùm enim in omnibus actionibus suis homo aliquid velut ultimum scopum voluntatis sibi proponat, in quo requiescendo se beatum fieri putat, omnes Philosophi summo studio quæsierunt; quid sit illud, in quo voluntas requiescere deberet, ad hoc ut opus ad istud referendo eoque fruendo beata sit. Vnde Augustinus summi boni notionem explicans ait: *Non quod alia bona non sint, sed summum id dicitur, quo cuncta referuntur.* Epist. 56. *Eo enim fruendo quisque beatus est, propter quod cetera vult habere; cum illud B jam non propter aliud, sed propter seipsum diligatur. Et ideo finis ibi dicitur, quia jam quò excurras & quo referatur non invenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi securitas, ibi tranquillissimum gaudium optimæ voluntatis.* Et libro decimo-nono de Civitate Dei: *Quam quæstionem* de summo bo- Lib. 19. de Civit. c. 1. no *maxima intentione versantes invenire conati sunt, quid efficiat hominem beatum. Illud enim est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cetera: & illud finis mali, propter quod vitanda sunt cetera; ipsum autem propter seipsum.* Ex quo fit, ut celeberrima de summo bono quæstio non alia quàm ista fuerit: Quidnam sit per se diligendum, quid propter aliud? Quem scopum voluntas in omnibus suis officijs seu operibus habere debeat, in quo velut fine per se dilecto requiescat? an voluptatem, an honorem, an divitias, an quietem, an prima naturæ, an virtutem ipsam, seu officium bonum, an aliquid aliud? Vnde Augustinus Philosophorum C recensens opiniones plurimas, ita omnes exprimit, ut propter id quod quisque summum opinabatur bonum omnia vitæ bona officia suscipienda censeret; ipsum autem bonum summum propter seipsum tantum in omnibus officijs diligendum. Nam generales eorum divisiones ponens: *Hæc igitur quatuor, id* Ibid. c. 1. *est, voluptas, quies, utrumque, prima naturæ ita sunt in nobis, ut vel virtus quam postea doctrina inserit propter hæc appetenda sit, aut ista propter virtutem, aut utraque propter seipsa.* Et statim iterum: *Cum ergo voluptas corporis animi virtuti aut subditur, aut præfertur, aut jungitur, tripartita variatur diversitate sectarum.* Quod clariùs explicans adjicit: *Subditur autem virtuti, quando in usum virtutis assumitur*, id est, propter virtutem uti finem: *Pertinet quippe ad virtutis officium & vivere Patriæ, & propter Patriam filios procreare: quorum neutrum fieri potest sine corporis voluptate. Cum verò præfertur virtuti ipsa appetitur propter seipsam. Virtus autem assumenda* D *creditur propter illam, id est, ut nihil virtus agat, nisi ad consequendam vel conservandam corporis voluptatem. Virtuti porro voluptas jungitur, quando neutra earum propter alteram, sed propter seipsas ambæ appetuntur.* Et inferius duodecim sectarum varietatē ex varietate summi boni

Lib. 19. c. 1. boni colligens: *Hæc quippe quatuor voluptas scilicet, quies, utrumque, prima naturæ, dum sigillatim virtuti aliquando subduntur, ut non propter seipsa, sed propter officium virtutis appetenda videantur: aliquando præferuntur, ut non propter seipsa, sed propter hæc adipiscenda vel conservanda necessaria virtus putetur: aliquando junguntur, ut propter seipsa & virtus & ista appetenda credantur, quaternarium numerum triplum reddunt, & ad duodecim sectas perveniunt.* Et ad tres sectas ex Varrone cuncta perducens: *Ista*, inquit, *tres sectæ ita sunt, cum vel prima naturæ propter virtutem, vel virtus propter prima naturæ, vel utraque, id est, & virtus & prima naturæ propter seipsa sunt expetenda.* Ibid. Et in sequenti capite eandem summi boni tanquam finis notionem crebrò repetit, ut videlicet propter illud cuncta officia suscipi debeant, cuncta appeti; ipsum autem solum propter seipsum, ut ejus appetitu homo beatus sit: *Quod enim beatum facit, ipse finis est boni.* Lib. 19. c. 3. Nec Augustinus tantum, sed ipse quoque Tullius de variis Philosophorum opinionibus disserturus, quibus de fine boni dimicant: *Summum bonum*, inquit, *si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur quod sit & bonorum extremum & malorum, inventa vitæ via est, conformatioque omnium officiorum. Est igitur quo quidque referatur &c.* Lib. 5. de fin. Nam ut ibidem dicit, *hoc constituto in Philosophia, constituta sunt omnia.* Et infra, in sententia quæ prima naturæ boni finem statuit, *Necesse est omnino officium aut fugiendi aut sequendi ad eorum aliquid referri.* Quod mox uberius de omnibus omnino officiis ad illum finem referendis explicat. Et in alia aliorum sententia: *Alii rursus iisdem a principiis omne officium referunt aut ad voluptatem, aut ad non dolendum &c.* Cujusmodi in eodem libro & alibi passim apud ipsum crebra sunt. Nimirum ex Philosophorum omnium sententia, qui quemcunque boni finem statuerunt, omnem actum ad illum finem uti summum bonum ut bonus esse possit, referendum esse conclamatum est. In hoc igitur fine boni per quodlibet officium appetendo si erratur, erratur, non in re parva, sed totius vitæ gravissimâ: dum id velut appetituum quietem expetit, per quod velut per medium transire debuisset; eoque frui cupit, quo veritas utendum esse præscribit: atque ita transitoriam dilectionem in mansoriam commutando, vitæ humanæ ordinem naturæque perturbat. Cujusmodi perversitas non potest non ipsius naturæ & æternâ lege damnari: cùm non sit aliud æterna & incommutabilis lex, cui semper obtemperandum est, & cujus unius violatione peccatur, nisi *qua iustum est ut omnia sint ordinatissima:* Lib. 1. de lib. arb. c. 6. vel ut aliis verbis eam describit, *Ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Lib. 22. cont. Faust. c. 27.

CAPVT XI.

Epicuræorum & Stoicorum virtutes improbantur ex defectu finis; latè de virtutibus Romanorum.

QVAPROPTER videndum est, quis sit ille *finis boni*, ut Augustinus eum vocat, hoc inquam, bonum, quod ex æternæ legis ordine per seipsum solum & unicum expetendum est, & propter ipsum cetera, ut sciamus utrum vera virtus sit, quæ bona officia in infidelibus operari videbatur. Ac de isto quidem fine boni multum laboraverunt, diversisque sententiis à se invicem distracti sunt, qui olim studium sapientiæ in hujus seculi vanitate professi sunt. Et quamvis Varro in libro de Philosophia diligentissimè subtilissimeque scrutando tam multam dogmatum varietatem adverterit, ut ad ducentas octoginta octo sectas facile perveniret non tamen, eos quamvis diversis errantes modis, naturæ limes in tantum ab itinere veritatis deviare permisit, ut non alii in corpore finem illum boni, alii in animo, alii in utroque collocarent. Qua consideratione factum est, ut Augustinus omnium veterum opinionum diversitatem ad duas omnino revocet, unam quæ in corpore, alteram quæ in animo finem boni constitueret, ad quem cuncta referri oporteret. Ep. 56. *Quantum* inquit *pertinet ad quæstionem de summo hominis bono, remove personas hominum, atque ipsam disceptationem constitue, profecto reperies duos errores inter se adversa fronte collidi, unum constituentem in corpore alium constituentem in animo summum bonum. Id ipsum autem rursum adjunctis personis constitue, reperies Epicuræos & Stoicos inter se acerrime dimicantes.* Qua de causa duæ istæ sectæ totam quodammodo Philosophiam gentium à Christiana alienam doctrina dividentes, in Christianæ religionis exordio leguntur nomine Epicuræorum atque Stoicorum Paulo Apostolo repugnasse. Act. 17. Epicuræi igitur in corporis commodis, quiete, voluptate, dolorumque vacuitate finem boni posuerunt, hoc est, corpore suo, voluptates commoditatesque ejus studiosissimè venando, fruendum esse statuerunt. Hoc enim fruimur, quod est finis boni, ad quem cetera omnia per seipsum expetitum referenda sunt. Unde necesse fuit, ut virtutem corporis voluptatibus atque commodis per seipsas videlicet expetendis substernerent, & veluti fini omnium bonorum servire cogerent, juxta illud Augustini: *Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quicquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tenendam.* Lib. 4. cont. Jul. c. 3. Nimirum, quia propter finem boni necesse est ut virtus,

virtus, in cujuscunque tandem Philosophiæ sententia, sive Gentili, sive Christiana, faciat quicquid facit.

Hanc opinionem nimis deformem, atque turpem, ipsisque virtutibus ignominiosam laudabilior quoque Gentilium Philosophia damnavit. Stoici quippe finem boni in virtute statuentes, ut incutiant pudorem Epicuræis, qui virtutes quidem probant, sed eas corporalis voluptatis fine metiuntur, solent tabulam quandam verbis pingere, ubi voluptas in sella regali quasi delicata quædam Regina consideret, eique virtutes præsto sint ut ancillulæ observantes ejus nutum, ut faciant quicquid illa imperaverit; Quæ prudentiæ jubeat, ut vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet & salva sit: Iustitiæ, ut præstet beneficia ad comparandas amicitias corporalibus commodis necessarias: fortitudini, ut per pristinarum deliciarum recordationem mitiget præsentis doloris aculeos: temperantiæ, ut tantum capiat alimentorum & si qua delectant, ne per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet, & voluptas graviter offendatur. Ita virtutes cum tota suæ gloriæ dignitate imperiosæ cuidam & inhonestæ mulierculæ servient voluptati. Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius, & deformius, & quod minus bonorum ferre possit aspectus: & verum dicunt. Vnde Augustinus ad hanc respiciens opinionem: *Cùm præfertur*, inquit, *virtuti voluptas, ipsa appetitur propter seipsam: virtus autem ... creditur propter illam, id est, ut nihil virtus ... nisi ad conse quendam vel conservandam corporis voluptatem.* Nempe quia, ut sæpè dixi, in ... Philosophorum opinione ad finem ... cuncta officia referenda sunt. Et opinionis illius fœditatem censuræ Christianæ gravitate perstringens: *Quæ vita deformis est quidem, quippe ubi virtus servit dominæ voluptati, quamvis nullo modo hæc dicenda sit virtus: sed tamen etiam ista horribilis turpitudo quosdam Philosophos patronos & defensores suos habuit.*

Fila Cicer. lib. 2. de fin.

...19. de ... c. 1.

Ac de ista quidem sententia non est nobis magna cum Christianis Philosophis disceptatio. Omnes quippe, verbo saltem tenus, eam velut alienissimam à veritate & à Catholicæ fidei sinceritate proscribunt. Quo tamen pacto non in eam aliqua ex parte incidant, quotquot voluptates corporalium sensuum moderatè appeti posse docent, fateor necdum video. Nam sive moderatius sive immoderatius appetantur, ipsæ sunt quæ appetuntur, ipsæ sunt quæ voluntatis motum terminant, in ipsis requiescit animus, ipsas diligit, ipsis fruitur: quæ omnes ipsissimæ conditiones sunt animi per illum appetitum velut in fine boni quiescentis; quod divinâ æternâque lege damnatur. Ipsa quippe jubet, ut; si qua voluptas corporis expetenda sit, non in illa appetendo diligendoque hæreamus, sed per illam ad aliud quod appetimus ac diligimus transeamus. Nimirum voluptas, sive moderata, sive immoderata corporalis non debet esse finis officij quod assumitur; sed debet esse officium

A respectu finis boni qui diligitur. Quod si hoc ipsum se tantum velle dicant, sententiam teneant, linguam corrigant. Sed aliud eos omnino velle exempla quibus utuntur ostendunt. Docent enim commixtionem conjugum propter voluptatem, & similes in rebus licitis delectationes esse concessas, etsi nullo alio nisi solius fine voluptatis appetantur. Quod ab Augustino innumeris lucubrationum suarum locis Scripturarum & rationum auctoritate proscriptum est. Qua de re plura diximus, cum de affectibus ac motibus animi dissereremus.

Omissâ igitur illorum Philosophorum fœditate, alij potentiam intuentes animi humani, magnamque pulchritudinem factorum atque dictorum, etjamsi in corpore puduit ponere finem boni, officiorumque virtutis; in ipso tamen animo illum posuerunt. Itaque virtutis officia propter ipsum splendorem eorum ac pulchritudinem, sive propter eorum honestatem appetenda esse docuerunt. Inter quos qui ita sentiunt prævaluerunt & numero & disputandi subtilitate Stoici. Nam Peripatetici non contenti sola honestate virtutis, partem finis boni in *primorum natura*, hoc est, in bonorum ceterorum corporis aut animi, quæ naturæ congruunt, adeptione collocarunt. Sed si Stoicæ sententiæ quæ ceteris magis probabatur, & adhuc à Scholasticis probari videtur, falsitas intellecta fuerit, nulla supererit de Peripateticis difficultas.

B

Quid igitur intellexerint Stoici per illam honestatem virtutis seu bonorum officiorum, quæ virtus operatur, dum ea per seipsa appetenda tradiderunt, non ita obvium videtur esse. Augustinus enim docet, virtutes illas quæ nemini serviunt, sed per seipsæ & propter se appetuntur, superbas & inflatas esse; ideoque non virtutes esse, sed vitia. Hoc enim apertè dicit illis verbis quæ produximus ex libris de Civitate Dei: *Licet à quibusdam tunc vera & honesta putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflata aut superba sunt; & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.* Nec alio respicit libro vigesimo primo: *Nonnunquam sanè apertissima aliis vitiis vincuntur occulta, quæ putantur esse virtutes: in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.* Vnde de Epicuræorum, Peripateticorum, & Stoicorum virtutibus generaliter contra Iulianum; *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscumque commodis temporalibus*, sub quibus & prima naturæ continentur, *serviunt, vera prorsus esse non possunt: quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt.* Illæ sunt autem virtutes Stoicorum, quæ nulli rei nisi sibi ipsæ servire voluerunt. Et sanè si ulla natio inter gentes veris virtutibus claruit, vel virtutem propter ipsam virtutem atque honestatem appetendam esse judicavit, ea profectò Romana fuit: ut propterea de illis dixerit Augustinus, diabolum *fuisse* aliquos *habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudentur per quasque gentes, præcipuèque in gente Romana, quæ* præclarè

C

Lib. 21. de Civit. c. 25.

Lib. 19. de Civit. c. 16.

Lib. 4. contra Iul. c. 3.

D

Epist. 105.

præclarè gloriosissimèque vixerunt: Et tamen Romanorum virtutes, etjam eorum, qui probissimi maximè laudabiles fuisse memorantur, superbiæ, vanitatis, jactantiæque vitio fœdatas fuisse, frequenter & ex professo docet. Audi quis Romanorum, non omnium (quia multi fuerunt improbissimi) sed probissimorum in sectanda virtute fuerit scopus qui virtutem propter virtutem quàm accuratissimè sectari videbantur: *Veteres primique Romani, quantum eorum docet & commendat historia &c. laudis avidi, pecuniæ liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant: hanc ardentissimè dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitaverunt. Ceteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare gloriosum, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupierunt.* Et ibidem paulo inferiùs: *Ista ergo laudis aviditas & cupido gloriæ, multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet atque gloriosa secundum hominum existimationem.* Et iterùm: *Hæc illa profecto laudis aviditas & gloriæ cupido faciebat. Amore itaque primitus libertatis, post etiam dominationis, & cupiditate laudis & gloriæ multa magna fecerunt.* Rursùm paucis interjectis: *Hoc insitum habuisse Romanos, etiam Deorum apud illos ædes indicant; quas conjunctissimas constituerunt, virtutis, & honoris, pro Diis habentes, quæ dantur à Deo. Unde intelligi potest, quem finem volebant esse virtutis, & quo eam referebant qui boni erant, ad honorem scilicet. Nam mali nec habebant eam, quamvis honorem habere cuperent.* Deniquè iterum in eodem capite: *In quo imperium talibus potissimum concessit hominibus ad domanda gravia mala multarum gentium, qui causâ honoris, laudis, & gloriæ consuluerunt Patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant: salutemque ejus saluti suæ præponere non dubitaverunt: pro isto uno vitio, id est, amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.* Et in eodem libro aliquot capitibus interpositis: *Si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperij concederet Deus, non redderetur merces bonis artibus eorum, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.* Quibus attexit iterum paulo pòst: *Sic & isti privatas res suas pro re communi, hoc est, Republica, & pro ejus ærario contempserunt, avaritiæ restiterunt, consuluerunt Patriæ consilio libero: neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxij. Sed his omnibus artibus tanquam verâ viâ*, juxta sensum Salustij, cujus illa verba sunt, *nisi sunt ad honores, imperium, gloriam:* Hæc & hujusmodi, quæ Augustinus constantissimè docet, satis perspicuè declarant, quo Romana illa indoles, quæ maximè omnium veris virtutibus excelluit, per virtutem pervenire niteretur. Vt propterea merito de totius gentis illius genio, quo virtutem sectabatur, exclamaverit: *O animum Civitatis laudis avidum, germanèque Romanum.*

Lib. 5. de Civit. c. 12.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Lib. 5. c. 15

Ibid.

Lib. 2. de Civit. c. 13.

Nequis verò generalem istam tantummodo Civitatis indolem fuisse, nonnullos tamen meliori scopo virtutem honestatemque coluisse putet, sigillatim quoque laudatissimorum Romanorum scopum illum fuisse testatur. Nam de Bruto dicit, cùm liberos suos pro Patriæ incolumitate intermisisset, quod eum vicerit *laudis immensa cupido*. De Camillo, quod Patriam idcirco iterum à Gallis liberaverit, *quia non habebat, potiorem, ubi posset vivere gloriosius*. De Marco Pulvillo filium insepultum abijci præcipiente, quod *in eius corde orbitatis dolorem gloriæ cupiditas vicerat.* De Marco Regulo, quod ideo reversus fuerit ad Carthaginenses, quia sicut ipse responderat, *posteaquam Afris servierat, dignitatem illic honesti civis habere non poterat*: Et quòd etjam ipsum primum bellum Punicum confecisset, *nisi aviditate nimiâ laudis & gloriæ, duriores, quam ferre possent conditiones fessis Carthaginensibus imperasset.* De Lucij Valerij, Q. Cincinnatis, Fabricij, & similium paupertate divitiarumque contemptu, quod illa fecerint *pro conservanda gloria Romanorum.* De Catone, quod *honores quos petijt petere non debuit.* De Caio Cæsare, quod *laudis aviditate gloriæque cupidine exercitum bellumque novum exoptaret, ubi virtus enitescere posset*: quos tamen duos ingenti virtute sua memoria, fuisse Salustius testis est. Hanc regulam de ceteris omnibus probatiorum Romanorum virtutibus figit, *quas*, inquit, *isti pro civitatis terrena gloria tenuerunt.* Vnde illud ejus præclarum Epiphonema: *Hæc sunt duo illa, libertas, & cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta compulere miranda Romanos.*

Lib. 5. de Civit. c. 18.

Ibid.

Ibid.

Lib. 3. de Civit. c. 18.

Lib. 5. c. 18.

Ibid. c. 12.

Lib. 5. cit.

Nec Augustini tantum, sed & ipsorum doctissimorum in Romana gente scriptorum sententia fuit, omnia illa laudanda, quæ tanquam virtutum opera miramur, Romanos humanæ laudis & gloriæ cupiditate patrasse. Hinc illud Virgilij de Bruto filios occidente:

Vicit amor Patriæ, laudumque immensâ cupido.

Hinc illud Ciceronis in libris de Republica, ubi de Principe civitatis instituendo loquitur: *Principem alendum esse gloria.* Et ut Augustinus testis est, consequenter commemorat: *Maiores suos multa mira atque præclara gloriæ cupiditate fecisse.* Hinc illud Salustij, quo partim probissimorum Romanorum mores quibus vivebant exprimit, partim quibus vivendum esset, informat: *Primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtuti erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus & ignavus æque sibi exoptant: sed ille verâ via nititur*, inquit, *huic quia bonæ artes desunt, dolis atque fallacijs contendit.* Quam sententiam explicans Augustinus ex mente Salustij, gentisque Romanæ: *Via virtus est, quâ nititur tanquam ad possessionis finem, id est, gloriam, honorem, imperium. Hæ sunt illæ bonæ artes, per virtutem scilicet, non per fallacem ambitionem, ad honorem, & gloriam, & imperium pervenire.*

Ibid. c. 13.

Apud Aug. lib. 5. de Civit. c. 12.

Ibid.

Quod si in gente Romana, ubi maximè laudabiliter juxta Augustinum, præclarè gloriosissimeque vixerunt, & consequenter maximè virtutem propter virtutem, & honestatem ejus colere videbantur, virtus eorum tantæ inanitatis turpitudine inflata atque superba fuit, alterutrum vel utrumq; videtur necessariò esse

Digitized by Google

esse consequens; vel ut Philosophi, qui virtutem propter honestatem ejus sectandam esse statuerunt, per illam honestatem nihil aliud intelligerent, quàm ipsam virtutis eminentiam, splendorem, ac decus, quatenus laude, gloriâ, & honore digna est; vel certè ut hoc ipsum, quod est virtutem propter virtutem colere, seu ipsa virtutis officia propter ipsa expetere, non possit à superbia & vanitate sejungi. Quorum utrumlibet verum fuerit, perspicuum erit virtutes Philosophorum non veras virtutes, sicut Augustinus docet, fuisse, sed vitia. Si primum intellexerint, vel certè (quicquid tandem intellexerint) si illo modo virtutes exercuerint, sicut probissimos eorum exercuisse, tot tantaque Augustini ipsorumque Gentilium testimonia declarant, apertissimum erit, non virtutem, sed pompaticam quandam virtutis effigiem loco virtutis apud eos viguisse. Nam officia virtutum colere, quia splendida, decora, gloriâ, laudeque digna, non est aliud quàm splendorem, decus, gloriam, atque laudem affectare. Nemo autem Catholicus, arbitror, negare finitur, laudis, honoris, gloriæque *cupiditatem esse vitium*, cui, ut idem sanctus Doctor, *melius resistitur sine dubitatione, quàm ceditur. Tantò enim quisque est Deo similior, quantò ab hac immunditia mundior.* Hoc autem primo modo doctrinam de virtutibus, per se & ipsius honestatis intuitu expetendis, Romanorum doctissimos non solum coluisse, sed & intellexisse atque tradidisse, testimonijs nonnullis declarari potest. Nam præterquam quòd Salustij citata verba hoc omninò volunt, Tullius in libris de quæstionibus Tusculanis hoc evidenter docet. Nam in primis methodum tradens dolorem superandi, quem Epicurus malorum finem esse statuebat: *Dum tibi*, inquit, *turpe, nec dignum viro videbitur, gemere, eiulari, frangi, debilitari, dolore, tum dignitas tum decus aderit: tuque in ea intueberis, te continebis.* Ecce decus, dignitatem, virilitatem intuendam docet in illo dolore superando: quæ nihil nisi quandam celsitudinem spirant; qua pascitur & oblectatur inanitas. Et infra ostendens, quo sensu, intuitu honestatis molestiæ perferendæ sint: *Nihil habet natura præstantius, nihil quod magis expetat, quàm honestatem, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus. Hisce ego pluribus nominibus unam rem declarari volo: sed utor, ut quam maximè significem, pluribus. Volo autem dicere, illud hominis longè optimum esse, quod ipsum sit optandum, per se à virtute profectum, vel in ipsa virtute situm, suâ sponte laudabile.* Quibus ex verbis manifestum evadit, Philosophos, interprete Cicerone, dum virtutem propter honestatem seu propter se expetendam censuerunt, per honestatem eos nihil aliud intellexisse, quàm quandam ipsius virtutis altitudinem ac decus, atque laudabilitatem, tanquam quæ omnis omninò virtutis officio inseparabiliter juncta sint: quibus fit ut homo excellat & magnus sit, si non in oculis hominum ceterorum, saltem suis. Neque enim gloriam illam, honorem, laudemque popularem voluisse Ciceronem vel Philosophos per virtutem appeti, ex libro ejus secundo de finibus, ipsoque secundo Tusculanarum quæstionum, est certissimum. Porro talem virtutis honestatem ac decus expetere velut omnis virtutis finem, non est dubium esse perfectæ vanitatis atque superbiæ. Quid enim est aliud inflatio atque superbia, nisi appetitus celsitudinis? Velle enim excellere, gloriosum, decorum, laudabilem esse per virtutis officia, non est aliud quàm superbire, quàm inaniter extolli animo, quàm placere, si non alijs, certè sibi. Non diffitetur hoc ipse Tullius in eodem libro, clarissimèque verbis explicat, id ipsum per virtutem placere sibi, pulchrumque esse in oculis suis, omnis Romanæ Philosophicæque scopum fuisse virtutis: *Considerranda*, inquit, *nobilitas mortis & gloria. Hæc sola tia dolorum.* Et rursum: *Tibi si recta probantur, placebis, tum non modo tu te viceris, sed omnes, & omnia.* Et mox docet in dolore tolerando sibi proponendam esse *amplitudinem; & quasi quandam exaggerationem, quàm altissimam animi, quæ maximè eminet contemnendis & despiciendis doloribus: Unam esse omnium rerum pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo, neque plausum captans se tamen ipsa delectet.* Nimirum, *quia nullum theatrum virtuti conscientiâ maius*, in quo scilicet ipse virtutem habens, se spectat, se admiratur, sibi de virtute placet, etsi ceteris displiceat omnibus.

Lib. 5. de Civit. c. 13. & 14.

Lib. 2. qq. Tuscul.

Lib. 2. Tuscul.

Hæc ergo videtur esse ratio, cur perpetuò velut vitia improbet Philosophorum Romanorum virtutes Augustinus. Quamvis enim gloriam laudemque popularem quidam eorum contemnere viderentur, alio tamen occultiori modo, in idem vitium inciderunt, dum celsitudini virtutis inhiantes, non alijs quidem hominibus quorum judicia contemnebant, sed sibi ipsis, qui & homines erant, de virtute sua placuére. Docet hoc præclarissimè in libris de Civitate Dei: ubi doctrinæ suæ, qua Romanos laudibus & gloriæ humanæ inhiasse docuerat, opponi posse videns, quòd eorum aliqui sprevissent gloriam laudemque popularem, sic difficultatem expedit: *Nec illi se ab ista defenderint fœditate, qui cum aliena spernant iudicia velut gloriæ contemptores, sibi sapientes videntur, & sibi placent. Nam eorum virtus, si tamen ulla est, alio modo quodam humanæ subditur laudi. Neque enim ipse qui sibi placet homo non est. Qui autem verâ pietate in Deum quem diligit credit & sperat, plus intendit in ea in quibus sibi displicet, quàm in ea, si qua in illo sunt, quæ non tam ipsi quàm veritati, id est, Deo placent.* Quem Philosophici animi in sectanda virtute statum etiam alibi respicit, & penè citatis Tullij verbis exprimit, quibus virtutem seipsam tantùm oblectare declaraverat: *Hoc*, inquit, *totum rectè fit, cum fit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse* Deus. *Alioquin quando sibi homo multum placet, & de sua virtute confidit, si traditur in desideria superbia sua, tantò amplius augetur hoc malum, quantò magis ei*

Lib. 5. de Civit. c. 20.

Lib. 5. contra Iul. c. 3.

sum, & incommutabilis æternæque legis au-A ctoritate damnatum. Iuxta cujus immobilis veritatis regulam dixit Augustinus id quod omnium ore laudatur, etsi non omnium mente capiatur: *Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui.* Et rursus: *Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti.* Res autem quibus fruendum est, non esse nisi Deum; & quibus utendum, non nisi creaturam, ex eodem Augustino, & Christianæ religionis fide manifestum est. Nam *illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt*: istæ quippe per se diliguntur, cùm hoc sit frui, *amore alicui rei inhærere propter seipsam*: *Quod autem per se diligendum est, in eo constituitur vita beata*, & possidentes beatos nos facit. Qua de re consulenda quæ superiùs fusè diximus. Hinc est quod omnes Philosophi certatim id, quod quisque velut finem boni appetendum sensit, sive voluptatem ut Epicurus & Aristippus; sive doloris vacuitatem, ut Hieronymus; sive prima naturæ, ut Carneades; sive honestatem, ut Stoici; sive honestatem simul cum voluptate, ut Divomachus, Calliphon, Iulianus; sive cum doloris vacuitate, ut Diodorus; sive simul cum primis naturæ, ut antiqui quos Academicos & Peripateticos nominabant, omnes, inquam, illud & per se diligendum & fruendum docuere, & ejus appetitione beatitudinem inchoari, adeptione compleri. Nec aliter eos etiam errantes veritas ipsa sentire permittit. Cùm enim in rerum usu non possit esse sita beatitudo, quia finis voluntatis usus esse non potest: necesse est, ut in eo quod per se diligitur, cui propter se inhæremus, quo frui volumus, constituatur. Hoc enim est finis, quò quisque omnia utenda, omniaque vitæ officia referenda esse statuebat.

Lib. 83. qq. quæst. 30.

Lib. 1. de doctrina Christiana c. 3.
Ibid. c. 4.
Ibid. c. 22.

Hoc igitur constituto, sicut nemo sanæ C fidei Christianus negare potest, omnes istos cujuscunque opinionis Philosophos graviter in isto fine omnium officiorum atque appetendorum, sibi præstituendo aberrasse; ita negari non potest, in eo appetendo, per se diligendo, fruendoque peccasse. Creaturam enim qualemcumque & quantamcunque suorum appetitum & actionum finem expetere, inde beatum velle fieri, illâ frui, prima vitæ humanæ perturbatio & perversio est: quæ ut non sit mala, nec Deus ipse efficere potest. Est enim contra legē æternam omnis peccati & rectè facti normam immutabilem, quæ jubet ut omnia sint ordinatissima, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat.

Hinc ergo nascitur, ut, sicut omnis creaturæ dilectio seu fruitio vitiosa est, ita & pro creaturarum quantumvis bonarum atque licitarum diversitate diversa vitia ex earum dilectione & fruitione proficiscantur. Nam D inde fit, quòd amor pecuniæ quantumlibet necessariæ sit avaritia; amor cupediarum, gula; amor voluptatum carnalium, libido; amor pulchrorum corporum lascivia; amor vindicandi, ira; amor sciendi, curiositas; amor honoris ambitio; amor laudis & & gloriæ, inanitas; amor excellendi, superbia; amor dominandi & regendi, vitium innominatum, quod in Tyrannorum animis prævalet, & infinita similia. Res istæ omnes, quæ per ista vitia diliguntur, bonæ sunt. Quis enim neget pecuniam, divitias, cibos, voluptatem sensuum, corpora pulchra, vindictam, præfecturam, scientiam, honorem, laudem, gloriam, excellentiam, dominationes esse bonas in ordine creaturæ? Sed creaturas bonas amare non est bonum. Hoc enim hîc amare dicimus, quod est eis propter se ad fruendum inhærere, sicut omnes illis morum labibus vitiosi creaturis illis dilectione colligati frui volunt, ideoque vitiosi sunt. Sicut ergo in omnium ceterarum creaturarum mansoria dilectione aliquod vitium est, quamvis plurima nominibus careant; ita & in fruendis B ipsis virtutibus vitium est, quod Augustinus non aliud nisi superbiam esse docet. Nec enim aliud habet virtus nisi ipsam illam supremam creaturæ rationalis excellentiā, propter quam à Philosophis appeteretur, diligeretur, ad sui fruitionem animos eorum pelliceret, menti placeret, & mens ipsa sibi. Huic autem excellentiæ propter illam excellentiam inhiare, nec est, nec esse potest aliud vitium quàm superbiæ. Nam inde & non alio ex fonte nascitur, quòd virtute non tantum Philosophicâ, sed etiam Christianâ gloriari, hoc est, illius excellentia animum oblectare, illâ perfrui, in illa sibi placere, perfecta superbia sit. Non enim oritur illud vitium ex eo, quòd homo in rebus malis sibi placeat; sed potissimùm quòd in bonis, eoque proniùs, quò fuerint excellentiores.

Neque verò virtutibus tantùm, sed quacunque creata rerum optimarum gaudere præcellentia, sive divitiarum, sive potestatum, sive scientiarum, sive honorum, sive nobilitatis, sive alterius cujuscunque creaturæ, si animus illius pascatur excellentiâ, & in ea appetenda conquiescat, quantumvis sub aliis rationibus etiam bonis considerata alterius rationis gignant vitia, ruinosæ illius superbiæ labe non caret. Manifestum est enim in illis omnibus amorem excellentiæ dominari: *Amor autem excellentiæ superbia vocatur*, inquit Augustinus.

Serm. 59. de verb. Dom. cap. 3.

Ex hac autem ipsa appetendæ virtutis consideratione alia ratio superbiæ proficiscitur. Stoici enim & quotquot virtutis officia propter ipsam eorum honestatem appetenda pulchritudinemque sentiebant, rationem humanam, cui hoc maximè consentaneum esse judicabant veluti Dominam & Reginam omnium præcellere volebant, cui veluti supremum tenenti principatum super ceteras animæ partes cuncta servirent. Hinc enim toties crepant, officia virtutis esse honesta & expetenda, quia rectæ rationi consentanea sunt. In hoc autem ipso appetendi virtutis modo superbia perfecta latet. Cùm enim in ista inconvenientia cum ratione duo reperiantur extrema,

ma, officium virtutis quod est consentaneum, & ipsa ratio cui consentaneum est, extremum terminans Philosophorum appetitum est ipsa ratio, quatenus Domina, & Imperatrix, & extrema norma vitæ bonæ. Quo fit ut quisquis ita virtutem appetit, rationem suam veluti principantem adoret, illi serviat, illam colat, omniaque prosequatur & fugiat, quia suis veluti decretis & oraculis consentit aut dissentit: quod sine dubitatione superbia, cultus, honor, & complacentia sui-ipsius est. Sicut enim cultus, honorque Regis est non postremus, quodlibet imperatum facere quia ipse jubet, ipsi visum est, ipsius voluntati rationique consentit: ita profectò perfectissima sui-ipsius complacentia, suique cultus est, velut Reginæ dominantis, præscribentis, decernentis, jubentis, & vetantis, cùm ratio quippiam appetit aut fugit, quia sibi consonum est aut dissonum. Vnde vox illa Ciceronis Stoicè philosophantis: *Præstò est Domina omnium & Regina ratio, quæ connixa per se, & progressa longiùs fit perfecta virtus: hæc ut imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum est viro.* Lib. 2. qq. Tuscul.

Sed advertere debebat illa Domina omnium & Regina ratio, se non cernere quid imperandum, quid vetandum, quid faciendum, quid omittendum sit, nisi in æternis & incommutabilibus regulis æternæ veritatis: quas cùm attingit, ejus luce perfunditur; cùm non attingit, in tenebris suis manet, nihil cernens volutansque secum nisi inania & falsa phantasmata sua. Proinde siquid in humanis dictis atq; factis faciendum aut omittendum videt, propterea faciendum vel omittendum est, quia veritas ipsa incommutabilis, cujus lucis impressio rationem rectam facit, sic dictat, sic jubet, sic vetat. Etenim ratio non est, aut esse debet nisi ancilla primæ veritatis, quæ excipiat lucem ejus, ut præluceat voluntati. Cum verò se ipsa velut supremam regulam sequi cupit, loco ancillæ se Dominam ac Reginam facit, imperium præripiens æternæ veritati, à qua ipsi, ut omnium creatrice naturarum, & rectrice rationum, omnis vera cognitio & jussio affulsit: sed jussio vicaria, non principalis, instar præconis declarantis, non principis Reginæque dominantis: *Nam menti*, ut Augustinus, *non est superior, cui subdita regenda est, nisi Deus.* Lib. 15. de Civit. c. 27. In hoc igitur Philosophorum perversitas fuit, quòd cùm Epicurum rectè reprehenderent, eo quòd virtutes faceret voluptatis ancillulas, quibus instar lascivæ delicatæque Dominæ imperaret, ipsi principatum istum humanæ rationi traderent: quæ omnibus suo arbitratu præsidens, omnem virtutem velut summum bonum, & consequenter omnem felicitatem ex se peteret, sibi daret, se adoraret & coleret, ipsa serviret nemini, nullius imperio subjaceret. Quod quantæ sit superbiæ & fastûs, nemo pestis illius occultissimæ peritus non videt. Cernit enim non minùs esse perversum, ut officia vitæ bonæ seu virtutes voluptati serviant, quod Epicuri malum fuit; quàm ut humanæ laudi, honori

A & gloriæ, sive ab alijs, sive à seipsis expetendæ, quod Romanorum; vel sibi ipsis Reginæque rationi, quod Stoicorum; vel simul primis naturæ, quod Peripateticorum. Sed illa lex imperturbabilis, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, hoc præscribit & jubet, ut ille qui solus & verus est omnium Dominus omnibus imperet, sicut rebus ceteris, ita & virtutibus humanæque rationi; utraque vero æternæ veritati atque sapientiæ serviant imperanti. Quod profundissimè vidit, plenissimèque expressit Augustinus, quando dixit: *Absit ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum cui dicimus: Deus virtutum converte nos.* Lib. 4. contra Iul. c. 3. Ex qua sanctissima regula superbas sive Peripateticorum, sive Stoicorum, sive quorumcunque virtutes damnans: *Sanctorum Martyrum non magna solùm, sed etiam pia virtus. Ipsa enim est utilis virtus, imò ipsa est vera & sola dicenda virtus, quæ non militat typho, sed Deo.* Serm. 4. in Append. in Natal. Casti & Æmilij. Et Philosophorum omnium in tres generales classes redactorum virtutes ex eadem regula Christiana jugulans:
B
Proinde, inquit, *virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt: quæ autem nulli rei servire volunt*, cujusmodi sunt virtutes Peripateticorum atq; Stoicorum, *nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo serviunt in Angelis à quo donantur & Angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Lib. 4. ibidem.

Ex his jam facilè elucet alia ratio superbiæ Peripateticorum atque Stoicorum in appetenda virtute propter virtutem. Nam hoc ipso quo virtutem animi sui, seu, uti Tullius loquitur, Dominæ omnium ac Reginæ rationis finem boni statuerunt, animo quoque suo veluti omnis beatitudinis atque felicitatis fonte voluerunt frui. Illa quippe ipsissima natura
C
est finis boni, seu illius, quod velut omnium officiorum finis appetitur quod propter se diligitur, quod non aliò referendum constituitur cui propter se inhæretur; ut eo frui, eoque beati fieri velimus: sicut omnium Philosophorum contestatione certissimum est. Nam idcirco Epicuræi fruitionem atque beatitudinem in voluptate, alij in quiete, alij in doloris vacuitate, alij in primis naturæ posuerunt quia illa propter se velut finē boni appetenda, illis propter se inhærendum, ad illa omnia vitæ officia referenda sive sola, sive cum alijs juncta, censuerunt. Omnes igitur illi tanquam repentes humi corpore suo fruendum, & è corpore felicitatem aucupandam esse judicarunt. Quod etsi aliqua ex parte puderet Peripateticos, & ex toto Stoicos; cùm tamen in animo seu mente, velut Reginâ omnium finem boni collocaverint, infra utique
D
posuerunt, quàm ubi sincerissimâ ratione ponendum est. Animo quippè suo & ejus bonis, sicut Epicurus corpore, gaudendum fruendumque senserunt, & ex eo petendam beatitudinem.

tudinem. Vnde Augustinus, cùm nihil in ipso homine esse cerneret, nisi corpus & animam, unde beatitudo à Philosophis petita fuerit vel posset peti, in Epicuræis & Stoicis veluti duobus omnium Philosophorum extremis omnes compellans: *Quid dicitis*, inquit, *Epicurai, quæ res facit beatam vitam? Respondent: voluptas corporis. Quid dicitis Stoici, quæ res facit vitam beatam? Respondent: virtus animi &c. Quantum ad hominem pertinet, si ab illo est vita beata, nihil restat præter corpus & animam. Aut corpus est causa beatæ vitæ, aut anima est causa beatæ vitæ: si plus quæris, ab homine recedis.* Et in serm. de verbis Apost. *Fuerunt Philosophi seculi huius, alij putaverunt non esse beatitudinem nisi secundum carnem vivere, & bonum hominis in voluptate corporis posuerunt. Isti Philosophi Epicuræi dicti sunt &c. Exstiterunt autem alij superbi, quasi à carne se removentes, & totam spem beatitudinis suæ in anima sua constituentes, posuerunt summum bonum in virtute sua. Tales fuerunt Philosophi, qui Stoici nuncupati sunt: illi secundùm carnem viventes; isti secundùm animam viventes: nec isti, nec illi secundùm Deum viventes.* Et inferiùs: *Dicebat Epicuræus: Mihi frui carne bonum est. Dicebat Stoicus: Mihi frui meâ mente bonum est. Dicebat autem Apostolus: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Dicebat Epicuræus: Beatus, cuius est in fructu voluptas carnis eius. Dicebat Stoicus: Imò beatus, cuius est in fructu virtus animi eius. Dicebat Apostolus: Beatus cuius nomen Domini spes eius.* Iam verò dubitari non potest, quin quemadmodum animus carnalissimus est, porcorumque veriùs quam hominum, qui corpore suo, & ejus voluptatibus frui cupit: ita superbissimus sit, qui seipso, & suâ virtute velut boni fine, & felicitatis fonte, vel ejus parte gaudere cupit. Nam ut rectissimè Augustinus de talibus Philosophis Peripateticis atque Stoicis loquens: *Cum seipso sibi quasi suo bono animus gaudet, superbus est.* Nec rationem alibi tacet: *Cum ergo anima in seipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur, & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cùm superior sit Deus.* Ideoque paulò ante & passim [a] *superbos* appellat Stoicos; & eorum [b] *superbas inflatasq; virtutes*, superbumque conatum fabricandi sibi beatitudinem, dum virtutem propter seipsam expetendo, ratio seipsâ suâque virtute fruitur. *Quam beatitudinem isti Philosophi quoniam non videntes nolunt credere, hic sibi conantur falsissimam fabricare, quantò superbiore, tantò mendaciore virtute.*

[Margin notes: Præf. de Epicureis & Stoic. — Serm. 13. de verb. Apost. cap. 7. — Ibid. — Epist. 56. — Epist. 119. cap. 10. — a Serm. 13. de verb. Ap. cap. 7. — b Lib. 19. de Civit. c. 25. — Ibid. c. 4.]

Propter hanc igitur superbiam Philosophorum honestiorum, qui virtutem propter se expetentes mente & virtute suâ frui cupierunt, docet idem Augustinus, non tantùm Epicuræos, qui virtutis officia ad carnis oblectamenta retulerunt, sed etiam Stoicos vixisse secundùm carnem, quantumcunque à carne recessisse viderentur. Nam de utrisque loquens: *Sicut*, inquit, *loquitur Scriptura divina, secundùm carnem vivere utrique monstrantur.* Secundùm carnem autem vivere, juxta veracissimę Scripturæ & Augustini sensum & phrasim, non est steriliter benè, sed culpabilier malè vivere. *Secundùm carnem vivere*, inquit ibidem Augustinus, *profectò malum est, cùm ipsa carnis natura non sit malum.* Et Apostolus ei attestatur: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Et: *Prudentia carnis*, qualis omnium Philosophorum & secundùm carnem viventium fuit, *mors est.* Quamobrem Augustinus, cùm recens à conversione suâ hilosophorum phrasi dixisset in libris adversus Academicos, nihil aliud esse beatè vivere, nisi *secundùm id quod in homine optimum est vivere*, hoc est, ut explicuerat, secundùm *mentem atque rationem*, sicut hoc apud Stoicos Peripateticosque celeberrimum est, jam provectior in Christiana doctrina id retractavit. *Quantum*, inquit, *attinet ad hominis naturam, nihil est in eo melius quàm mens & ratio: sed non secundùm ipsam debet vivere, qui beatè vult vivere: alioquin secundùm hominem vivit, cùm secundùm Deum vivendum sit, ut possit ad Beatitudinem pervenire: propter quam consequendam non seipsâ debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est.* Secundùm hominem autem vivere prorsus idem est Augustino, quod secundùm carnem vivere, & malè vivere, sicut utrumque ex decimo quarto de Civitate liquet: ubi in istis Apostolicis phrasibus, quibus nos vetat *secundùm carnem vivere*, & inter *opera carnis* maximè quoque spiritualia, uti hæreses & animositates enumerat, *ipsum hominem vult nomine carnis intelligi.*

[Margin notes: Lib. 14. de Civit. c. 2. — Ibid. c. 2. — Rom. 8. — Lib. 1. contra Acad. cap. 2. — Lib. 1. Retract. c. 1. — Lib. 14. de Civit. c. 3.]

CAPVT XIII.

Declaratur amplius, officium virtutis ut bonum sit non posse esse finem virtutis, nonnullæ objectiunculæ solvuntur.

QVæ quidem si rectè intellecta fuerint, desinet mirari recentiorum quidam Augustini doctrinam tanquam *incredibilem*, qua docuit, *virtutes cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, inflatas ac superbas esse*: sed potiùs doctrinæ profunditatem, soliditatem, constantiamq; mirabitur. Nititur enim fundamentis Christianæ religionis immobilibus, per quorundam Christianorum Philosophiam labefactis, de ultimo boni fine, de officiis vitæ omnibus in eum retorquendis, de mansoria dilectione creatoris, ac transitoria creaturæ, de fruendo solo Deo, utendisque creaturis. Nihil hîc juvat, commoditatem quæ intenditur esse naturæ convenientem, per rectam rationem regulari, actum esse honestum. Quantumcumque enim naturæ conveniat quod intenditur, & ratione reguletur, & actus honestus esse videatur, juxta sanctissimam Augustini doctrinam

[Margin note: Suarez supra c. 12. citatus.]

doctrinam

ctrinam sæpissimè repetitam, *si non fit propter hoc, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit*, hoc est, ut identidem inculcat, propter verum Deum, *ipso non recte fine peccatum est*. Hæretur enim in creatura, per quam in Deum omnium officiorum finem transire debuisset. Nam & ipsis actibus humanis quantumvis honestis utendum, non fruendum est. Nec frui est aliud quàm rem *propter se diligere, illi propter se inhærere, capere ex illa voluptatem*, prout diversis locis Augustinus exponit. Quod ita per se quoq; perspicuè liquet in actionibus, per quas quibuslibet creaturis, cibo, potu, lusu, gloriâ, laude, ipsoque virtutis actu quando volumus fruimur, ut vel bruta, si loqui possent, non aliâ se re frui dicerent, nisi illâ quam propter se diligunt, cui propter se inhærent, ex quâ propter se dilectâ voluptatem capiunt.

Neque verò quicquam refert, quòd res illa vel actus ille dicatur intendi ut finis proximus, & in Deum per se tendere. Sic enim in illis casibus de quibus loquimur intenditur, ut fruendo in illo hæreatur, eo prorsus modo quo per peccata venialia, fruimur quibuscumque creaturis. Nec aliter actus quantumvis honestus per se tendit in Deum, nisi quia talis est, qui in eum referri possit operante voluntate. Sic autem & honoris, & laudis, & gloriæ, & pecuniæ, & cibi, potúsque moderatè sumendi appetitus, & uxoris concubitus in Deum retorqueri potest: Sed quamdiu hoc non fit, & in ipsis actionibus per se spectando honestis, vel in earum objectis bonis hæret animus, quantumcumque honesta esse videantur, ipsa non recti finis appositione & animi inhæsione peccatur: nec amplius manent finis tantum proximus, sed etsi non totius vitæ, illius tamē actionis prorsus ultimus: quo nihil amplius ex Augustini doctrina ad peccatum necessarium est, uti satis explicuimus.

Multo minùs ad infringendam vel eludendam ejus doctrinam proferri potest, quòd Stoici finem totius vitæ ultimum & beatitudinem in virtute collocaverint. Quamvis enim istud verum sit, non tamen propterea non quilibet qui virtutes propter se expetiverint, ex ejus principijs doctrinaque superantur. Non enim in eo se fundat Augustinus, quòd totius vitæ finis ultimus virtus esse diceretur, sed quod propter se expeteretur, quod ad se referretur, & non in Deum: Nam, inquit, *virtutes ad quodlibet adipiscendum vel tenendum nisi ad Deum retuleris, etiam ipsa vitia sunt potiùs quàm virtutes*. Et rursum: *Deo enim serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus*.

Quod verò dicuntur Philosophi beatitudinem in virtute collocasse; hoc omnes faciunt, quotquot illam propter se expetendo non in Deum intentione voluntatis referunt, sive illam, finem prorsus ultimum esse credant, sive non credant. Nam ut is qui re quacunque frui cupit, non ex ea beatitudinem aut partem ejus decerpere velit, fieri nullo pacto potest. Frui quippe velle, non est aliud quàm se beare velle, sive ex toto, sive ex parte, rebus quas propter se diligimus. Vnde Augustinus: *Res quibus fruendum est, nos beatos faciunt*, nempe, sive errore, sive veritate. Si enim veritas re quapiam fruendum doceat, revera beatum facit, si falsitas opinionis humanæ, falsa quoque beatitudo consequetur. Beatitudo namque sive vera sive falsa in rei per se dilectæ fruitione constituta est. *Lib. 1. de doct. Christ. cap. 3.*

Vnicum alicujus momenti ex Augustino à nonnullis opponitur, quòd Augustinus, inquiunt, *sæpè doceat esse honestum propter honestatem, vel propter observantiam legis operari*. Vnde volunt, virtutum officia *propter se esse diligibilia* ex mente Augustini in libro octoginta trium quæstionum, quæstione trigesimâ. Sed quia difficultas ista in errore, quo sancti Augustini doctrina de virtutibus non intelligitur, imo pervertitur, fundata est, & sine plena explicatione justitiæ & honestatis, quæ in omni opere bono diliguntur, ac diligi debent, expediri non potest, eam alteri loco, ubi de natura virtutis & operis boni ex professo sermo erit, reservabimus. Nam ex ijs, quæ illo in loco dicenda sunt, per se difficultas ista reserata & soluta patefiet.

Suarez. l. 1. de grat. c. 7. num. 11.
Ibid. c. 6. num. 20.
Vide dicenda lib. 1. de statu puræ naturæ cap. 4. 5. 6. 7. 8 9. &c. item l. 5. de grat. Christi Salvatoris per totum caput.

CAPVT XIV.

Finis boni, & omnis officij boni, & virtutis, est solus Deus juxta sanctum Augustinum.

ET hactenus quidem ostendimus, finem boni ad quem omnia omnino humanæ vitæ officia ex omnium Philosophorum sententia (nisi forte Scholasticos nonnullos, de quibus jam diximus, aliquis exceptos velit) referri debent, non esse corpus vel aliquid ejus, non esse etiam animum vel aliquid ejus, sive illud virtutem, sive actus animæ honestos, sive alio nomine quocunque voces. Ex quo sanè per se liquidò sequitur, illud esse debere extra & supra corpus & animum; nec aliud inveniri posse, nisi unum & verum Christianorum Deum. De quo pulchrè Augustinus: *Finis boni seu summum hominis bonum, à quolibet ubi constituatur, non invenitur, nisi aut in corpore, aut in animo, aut in Deo, aut in duobus aliquibus horum, aut certè in omnibus. Quod si didiceris, neque summum bonum, neque aliquam partem summi boni omnino esse in corpore, duo restabant, animus & Deus; quorum vel in uno, vel in ambobus sit. Si autem adieceris & didiceris hoc idem de animo, quod de corpore, quid aliud iam nisi Deus* *Epist. 56.*

Digitized by Google

Deus occurrit, in quo summum hominis bonum constitutum sit? Non quo alia bona non sint, sed summum id dicitur, quò cuncta referuntur. Qua de re non est quod cum Christianis laboriosè disputemus, qui illud uno ore libentissimè confitentur: quamvis illam summi illius boni rationem, quam ultimis verbis tangit Augustinus, & ex Aug. & omnium etiam Gentilium Philosophorum sententia supra demonstravimus esse summo bono propriissimã, ut ad illud videlicet omnia vitæ officia referantur, non omnes satis liquidò intelligant. Ex quo nasci necesse est non exiguam humanæ vitæ perturbationem, dum finis ultimi neglectum, qui sicut primum efficiendi principium in actibus humanis principatum tenet, nihil interesse putant ad actus quosque vitiandos. Optandum profectò esset, ut humanæ Philosophiæ, quæ doctrinam Doctorum Christianæ religionis summoperè perturbavit, paulò minus viri boni eruditique tribuissent, ne ab illa celsissima, & sanctissima, constantissimaque Doctoris omnium subtilissimi doctrina, propter humanas & parvi momenti ratiunculas tam facilè & tam longè recederent. Nam si rationem quærimus, quid rationi magis consentaneum, quàm ut ille solus ad fruendum diligatur, qui solus animæ rationali fruendus est, quia *solus est verus rationalis creaturæ cibus?* Hoc autem ad fruendum diligitur, quod propter se diligitur, cui propter se inhæretur, motuque animi terminato conquiescitur. Si divina oracula consulimus, quid isto absolutius, generalius, atque strictius: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente?* hoc est, ut sanctissimus Augustinus explicat: *Vt omnes cogitationes tuas & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ipsa quæ confers.* Quod nemo omnino præstare potest, quisquis aliquid præter unum Deum, sive se, sive proximum, sive corpus, sive animum, sive rationem, sive virtutis cujuscunque moralis actum, per se & propter se diligendum & appetendum putat. Nam quod in eodem loco præclarissimè profundissimus Doctor de sui-ipsius dilectione dicit, multo rectiùs de cujuscunque alterius creaturæ dilectione, sive actus hominis, sive objectum ejus fuerit, dicendum est: *Si se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus non ad incommutabile aliquid convertitur. Et propterea iam cum defectu aliquo se fruitur.* Quem defectum in Epistola quinquagesima sexta superbiam vocat, ut ante diximus. Hoc igitur summo dilectionis præcepto, omnis Philosophia moritur, omnis subtilitas disputandi pro voluptatibus, pro primis naturæ, pro virtutibus, pro honestis officijs propter se appetendis evacuatur. Vt iterum divinissimus ille Doctorum coryphæus: *Cum ait: Toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut aliâ re velit frui: sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Nihil igitur omnino, neque voluptas, nec res ulla temporalis, nec virtus ipsa potest esse officiorum bonorum finis: sed in illum solum animus transire, & in eo solo requiescere in re qualibet appetenda debet, qui sicuti *Fons est nostræ beatitudinis, ita omnis appetitionis est finis.* Hic finis est, non autem officium, quo docet Augustinus contra Iulianum *à vitiis discernendas esse virtutes:* ita videlicet, ut *cùm facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, & facere debere vera sapientia præcipit,* id est, ut ex professo tradit, propter istum verum Deum, *peccare convincatur;* quia *etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Sicut autem officiũ quodlibet, ipso recto fine deficiente, peccatum est; ita quoque virtus, quâ quodlibet officium imperatur, ipso recto fine deficiente vitium potiùs quàm vera virtus est. *Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, quo melius non est,* hoc est, fons omnis veræ justitiæ Deus: *cujus unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu,* hoc est, amplexu amoris, *veris impletur, fœcundaturq́ virtutibus.*

Marginal notes: *August. de nat. & grat. cap. 20.* — *Lib. 1. de doctrina Christiana c. 22.* — *Ibidem.* — *Lib. 1. de doctrina Christiana c. 22.* — *Lib. 10. de Civit. c. 3.* — *Lib. 5. de Civit. c. 12.* — *Lib. 10. c. 3.*

CAPUT XV.

Ex principijs supra traditis inferuntur septem magni momenti corollaria, quibus doctrina sancti Augustini de virtutibus, & operibus bonis, & gratia, & meritis magnoperè illustratur.

QVAMOBREM cùm omnium officiorum cujuscunque virtutis tam inseparabilis cum isto fine nexus sit, ut sine illo nullo pacto bona, sed peccata sint; & *virtutes ad quodlibet adipiscendum vel tenendum nisi ad Deum referantur, etiam ipsa vitia sint potiùs, quàm virtutes;* jam facilè vera ratio intelligitur. Primò, cur Augustinus doceat, virtutem non esse aliud nisi amorem Dei. Nimirum, quia virtus non in officij, sed in finis amore sita est, tanquam ex quo officium imperari, & ad quem intentione voluntatis retorqueri debet. Finis autem istius ultimi, Dei inquam solius, dilectionem virtutem esse, doctrina sanctissimi Doctoris solemnissima est, quam alio oportuniori loco asserturi sumus. Hîc eam uno alterove testimonio perstringere præsenti instituto satis est. Sic ergo loquitur in Epistola quinquagesima secunda: *Quanquam & in hac vita virtus non est, nisi eligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est; nullis inde averti molestijs, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia*

Marginal notes: *Lib. 19. de Civit. c. 25.* — *Vide latè li. 5. de gratia Christi Salv. infra.* — *Epist. 52.*

tia est; nullâ superbiâ, justitia est. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est &c. Et libro de moribus Ecclesiæ: Quid erit optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui hærere certè non valemus, nisi dilectione, amore, charitate. Quòd si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omninò esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, ducitur. Quod mox demonstrat præclarissimè, & in alijs locis uberiùs & à fundamentis docet. Quòd si virtus nihil est aliud, nisi amor Dei, & ejus quadripartita divisio nihil nisi quadruplex quidam divini amoris affectus, jam à radicibus patet, sine isto amore Dei, tanquam omnis officij & appetitionis termini, nullam omninò esse, vel esse posse virtutem.

Lib. de morib. Eccles. c. 4. & 5.

Lib. 2. de lib. arb. & alibi sæpius.

Secundò, hæc consequenter vera genuinaque ratio est, cur ad omnem virtutem, sicut & ad opus bonum fides ex Augustini doctrina necessaria sit. Fides enim istum amorem veluti finis necessarij intentionem ostendere, dirigere, firmare debet; fides pro impetrando amore auxilium impetrare. Non enim tantummodo sciendum est, quale sit istud bonum, quod præ omnibus in virtutis officijs diligendum est, ne alioquin idolum humanæ cogitationis pro vero Deo diligatur, sed etiam quo pacto, quo scopo, quo auxilio diligendum sit; ne vel viribus suis fidendo fastum animi sui pro Deo diligat, vel amorem gratuitum adulterando, dum in Deum se surgere putat, cadat. Vnde Philosophorum omnium opiniones de officiorum & bonorum fine radicitus exstirpaturus optimè Augustinus dicit: Si ergo quæratur à nobis, quid Civitas Dei de his singulis interrogata respondeat, ac primùm de finibus bonorum malorumq; quid sentiat, respondebit, vitam æternam (quæ non est aliud nisi Deus) esse summum bonum; æternam verò mortem summum malum. Proinde ad illam adipiscendam, istamq; vitandam, rectè nobis esse vivendum. Propter quod scriptum est: Iustus ex fide vivit: quoniam neque bonum nostrum jam videmus, unde oportet ut credendo quæramus; neque ipsum rectè vivere nobis ex nobis est, nisi credentes adjuvet, & orantes, qui & ipsam fidem dedit, quâ nos ab illo adjuvandos esse credamus. Et libro quarto contra Iulianum: Hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum, & hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura nostra sanatur. Ideoque justus ex fide Christi vivit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter, & justè, ac per hoc his omnibus veris virtutibus rectè sapienterq; vivit, quia fideliter vivit. Vnde infra, ut sint opera bona, dicit opus esse ut fiant intentione fidei bona, hoc est, ejus quæ per dilectionem operatur. Nam juxta ejus doctrinam, bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Vnde alibi: malè vivitur, si de Deo non benè creditur. Et in Psalmum 67. Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hanc autem necesse est ut antecedat fides, ut inde ista, non ab istis incipiat illa: quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi priùs credat in Deum. Quod ibidem latiùs tradit.

Lib. 19. de Civit. c. 4.

Lib. 4. contra Iul. c. 3.

In Psal. 31.

Lib. 5. de Civit. cap. 10.

In Psal. 67.

Tertiò, hæc ulterius genuina verissimaque ratio est, cur constanter doceat, nullam virtutem esse posse sine vera religione, & cultu, & pietate in Deum. Veræ virtutes, nisi in eis quibus vera inest pietas, esse non possunt. Et mox: Paulus de his qui secundùm veram pietatē viverent, & ideo virtutes quas haberent veras haberent, ait &c. Et libro quinto ejusdem operis: Dum illud constet inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei, vero cultu, veram posse habere virtutem: nec veram esse posse, quando gloriæ servit humanæ. Et alibi simili omnino sensu dicit, non esse virtutes veras nisi ad fidem referantur, quæ pietatis omnis basis est: Nunc librum istum ita claudamus, ut admoneamus, quòd justus ex fide vivit: quæ fides per dilectionem Dei, qui scilicet omnis virtutis fons & finis est, operatur, ita ut virtutes quoque ipsæ, quibus prudenter, fortiter, temperanter, justeq; vivitur, omnes ad eandem referantur fidem. Non enim aliter poterunt veræ esse virtutes. Quod statim initio sequentis libri velut rectè à se traditum repetit. Quæ omnia non alia ex causa docet Augustinus, quàm quia pietas, qua una colitur Deus, non est aliud Augustino nisi ipsissimus ille amor Dei, qui ipsa virtus est, fideque velut rectrice nititur. Quid est pietas, nisi Dei cultus? Et unde ille colitur, nisi charitate? Charitas igitur de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, magna & vera virtus est, quia ipsa est & finis præcepti. Et in alia Epistola: Porro pietas cultus Dei est, nec colitur nisi amando: ac per hoc sapientia est charitas Dei. Et simul uno complexu, cultum, religionem, pietatem, servitutemque totam in unam Dei dilectionem redigens, Hic est, inquit, Dei cultus, hæc vera religio, vera hæc pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.

Vide infra l. 5. de gratia Christ. Salvatoris.

Lib. 19. de Civit. c. 4.

Ibid.

Lib. 5. c. 19.

Lib. 15. de Trinit. cap. ult.

Epist. 29.

Epist. 105.

Lib. 10. de Civit. c. 6.

Quartò, hinc vera quoque patescit ratio, cur tantoperè reprehendat illam divisionem virtutum & affectuum, per quos dicebat Iulianus, nos esse aut fructuosè aut steriliter bonos, hoc est, ut jam Scholastici nonnulli docent, & ut ipse Iulianus explicabat, qui ad vitam æternam consequendam prodessent, aut non prodessent. Cùm enim nulla virtus aut sit aut esse possit, quæ non faciat opus bonum ex fide atque dilectione veri Dei, ad quem omne opus virtutis referri debet, & si non referatur, ipso non recto fine peccatum est, impossibile est virtutē ullam esse sterilem. Fides enim & amor Dei sterilis æternæ vitæ esse nullo modo potest: Sed si sterilis est, non jam virtus, sed vitium dici debet. Et si opus est sterile, non bonum, sed malū erit. Fieri enim non potest, inquit, ut steriliter boni simus: sed boni non sumus quod steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alij minùs alij magis mali. Et de operibus arborum hujusmodi sterilium: Quomodo, obsecro, non aut iocaris in his disputationibus, aut deliras, qui sterilium fructus arborum laudas. Qui utique aut nulli sunt, aut si mali sunt,

Lib. 4. c. 3.

Ibid.

sunt, laudandi non sunt: aut si fructus boni sunt, profectò steriles arbores non sunt: imò & bona sunt, quarum fructus & boni sunt, & debent Deo placere &c.

Quintò, hinc vera liquet ratio, cur Augustinus semper doceat, opus bonum, hoc ipso quo bonum est, quantumcumque exiguum, ex gratia Christi necessariò debere fieri: hoc ipso quoque esse meritorium apud Deum. Loca sunt innumera: sed quia alterius disputationis erit, hîc pro bonis operibus unus locus sufficit: *Nulla bona facit homo, quæ non facit Deus ut faciat homo. Proinde cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè atque incommutabiliter bonus est.* Pro merito verò cujuscumque operis boni, imò etiam pro gratiâ ad omne opus bonum necessariâ, est Canon Arausicanus ex ejus lucubrationibus adversus Iulianum sumptus: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Causa manifesta est ex ijs quæ deducta sunt. Cùm enim fides ac dilectio Dei juxta Augustini doctrinam constantissimam & juxta Catholicam fidem haberi non possit sine gratia Dei, opus etiam bonum quod sine illis esse non potest, ex gratia Dei necessariò fluere debet, & vi merendi carere non potest.

Vid. infra Lib. 5. de gra. Christi Salvatoris. Lib. 2. ad Bonif. c. 9. Canon 18.

Sextò, hinc patet genuinus illorum verborum sensus, quibus utitur contra Iulianum: *Certè quoniam saltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere: scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per unum mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Non enim his verbis duplex opus bonum, duplicemque voluntatem bonam statuit, unam æternæ vitæ meritoriam, alteram non, & ad illud dumtaxat, non ad hoc gratiam Dei esse necessariam. Sic enim totam illam prolixamq; disputationem contra Iuliani sententiam retractaret, & everteret, quia omnibus principijs suis contradiceret: sed Iulianum isto modo ex propria confessione convincit. Cùm enim fateretur, opera quæ dicebat bona infidelium non eos posse ad salutem sempiternam regnumque perducere, finita erat istius confessione veritatis tota disputatio: eo quòd Augustinus nullum omninò agnosceret bonum hominum, nullum opus bonum, nullam voluntatem bonam, nisi ex *intentione fidei bona, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur*, ut verbis immediatè præcedentibus dixerat, totaque disputatione contentis viribus asseruerat. Quidquid reliquum Iulianus vocaret opus bonum, Augustino non solùm non erat bonum, sed prorsus malum, peccatum, injustitia, reatus, (quibus epithetis in illa concertatione utitur) ignibus puniendus. Quod Augustinus ipse statim in istum eundem prorsus modum explicat, dum dicit, quòd illa Iuliani opera

Lib. 4. c. 3. in fine.

non facit voluntas bona, sed infidelis & impia; quòd ea facit amor mundi, amor fruendi creaturis, qui non est à Deo; quòd creaturis mundi nemo potest benè uti sine amore creatoris, & quòd hic non potest esse nisi à Patre per IESVM Christum. Quæ sunt ipsissima principia, ex quibus juxta doctrinam ejus demonstravimus, nullam esse posse virtutem veram, nullum opus bonum, nullum veræ virtutis officium sine peccato factum, nisi in Deum *fidei bona intentione* referatur.

Denique hinc vera quoque patet ratio, cur Augustinus de operibus bonis disputans subinde adjiciat illas limitationes, *opus sicut oportet, opus fidei, vera pietatis, religionis, conducens ad vitam æternam, ad salutem, opus meritorium, virtutis vera, virtutis pia*, & similia. Hujusmodi enim phrases non limitationes operum verè bonorum seu non malorum sunt, sed explicationes. Distinguuntur enim non ab alijs operibus vel virtutibus verè bonis, cujusmodi nulla esse constantissimè tradit, sed ab illis virtutibus & operibus, quæ videntur esse, & non sunt bona, à virtutibus, inquam, & operibus quorumcumque infidelium, quæ Iulianus & Magister ejus Pelagius velut veras virtutes, velut opera recta, & sine peccato facta laudabat, cùm juxta doctrinam Augustini omnia fierent *ex virtute civili, non verâ; ex Babylonica dilectione; ex amore huius mundi*, qui non est à Deo. Vt igitur nulla lectoribus relinqueretur ambiguitas, de qualibus virtutibus & operibus bonis loqueretur, illa tribuit eis epitheta, quæ solis & omnibus veris virtutibus, & verè bonis operibus congruunt, & per quæ ab omnibus præstigijs Pelagianis liberantur. Sicut enim fatebantur, virtutes & opera religionis, pietatis fidei, meritoria æternæ vitæ, & hujusmodi ab infidelibus nullo pacto posse haberi aut fieri; ita opera eorum bona esse pietatis æternæque vitæ sterilia: Augustinus contrà, sicut constabat ea non esse pietatis, religionis, æternæque vitæ meritoria, sed sterilia; ita non esse virtutes veras, nec opera verè sed specie tantùm tenus bona, ex mundi cupiditate potiundi vel amittendi timore promanantia, & propterea ipso non recto fine esse peccata. *Pia enim virtus*, inquit, *est utilis virtus*, ad vitam scilicet, *imò ipsa est vera & sola virtus dicenda, quæ non militat typho, sed Deo.*

Vide lib. 5. de gratia Christi Salvatoris infrà. Lib. 4. c. 3. Serm. natal. Casti & Æmilij in app.

Ista igitur septem corollaria hîc breviter indicata volui, quæ alibi latiùs pleraque tractanda sunt, ut facies magnæ partis doctrinæ sancti Augustini uno intuitu lectorum oculis subjiceretur, & intelligerent, ex quibus principijs ista dogmata, quæ passim in scriptis ejus obvia sunt, religata penderent. Quorum ignoratione factum est, ut Scholasticis altercantibus mirum in modum, & plus quàm dici aut credi potest, Augustini doctrina de gratia & bonis operibus, & meritis obscurata & perturbata sit, dum certatim pro suo quisque genio, & libertate, & opinione figmenta nova comminiscitur, ut ejus doctrinam ad

suam

suam aptet sententiam & scopum, quorum nullum in Augustino vestigium reperiri potest. Nimirum, ne Philosophia Peripateticorum atque Stoïcorum de virtutibus atque operibus bonis pessum iret, imprudenter à viris doctis & bonis manus Augustino injectæ sunt: ut venerabilis canities doctrinæ ipsius, quæ post septingentos aut octingentos annos per mortem ejus pura atque inviolata per manus & scripta discipulorum tradebatur, novis interpretationibus in Ecclesia Christiana ad illud usque tempus inauditis depravata loco cederet. Nimia quippe Gentilium Philosophia sicut hæreses in impijs hominibus peperit, ita opiniones Ecclesiasticæ doctrinę sępè periculosas in viris bonis; dum nesciunt pretiosum à vili separare, nec animadvertunt, in quo Gentilium vanitas alienata à vita Dei & cognitione veri finis boni, ex damnationis antiquæ pœnâ defecerit, & à Christiana luce superetur.

CAPVT XVI.

Semina virtutum utrum insint naturaliter?

QVID jam de seminibus virtutum ex Augustini principiis dicendum sit contra Cassianum, ceterosque Semi-Pelagiani erroris asseclas, non est difficile intelligere. Cùm enim duo possint juxta doctrinam suprà traditam in virtute spectari, officium quod fit, & finis propter quem fit, si officium nudè consideretur, nullum inconveniens est, virtutum quarundam semina eatenus inesse naturaliter, quatenus homo multa in agendis rebus recta officia & sentire & suscipere potest. Nam ex ista radice plurima vitæ bonæ præcepta à Gentilibus Philosophis agnita, tradita & observata sunt. Hinc illæ præclaræ & utiles Aristotelis, Tullij, Senecæ, aliorumque plurimorum de virtutibus seu virtutum officijs disputationes atque lucubrationes. Hinc illa quorundam præcipuè Romanorum opera quasi bona, qui laudabiliter officio tenus præclarissimè vixerunt. Hujusmodi virtutum semina non diffitetur in infidelibus Augustinus, sed libenter agnoscit. Nam inde sunt illa testimonia, quæ superiùs alterius causâ difficultatis adducta sunt: *Quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeq; colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus.* Et mox iterum: *Non usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, ut meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vita sua facere aliqua legis, vel sapere.* Cujusmodi plura ibidem tradit. Nam tale virtutum operumque bonorum semen non est aliud quàm ipsa natura rationalis, quatenus est imago Dei, in qua naturæ lex, non omninò deleta est, ut proximè citatis verbis indicat: seu quatenus Synderesi bonorum malorumque perceptrice & judicatrice prædita est. Vnde in eodem loco: *Non omnimodo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearetur, impressum est.* Et paulò inferiùs: *Quam imaginem non penitus impietas aboleverat. Nam remanserat utique, quod anima hominis nisi rationalis esse non potest.* Et rursum: *Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit.* In quibus testimonijs facta illa *laudabilia*, & *aliqua legis*, seu *legitima* quæ homo naturaliter sapit, non sunt aliud nisi illa moralium virtutum officia, de quibus Philosophi tam multa præclaraque disputarunt & præceperunt; quorum etiam Romani tali quali observatione claruerunt. Nec Augustinus tantùm, sed & alij nonnulli sancti Patres naturalia virtutum semina in humana natura posuerunt. S. Ioannes Damascenus *naturales virtutes* vocat, & *naturaliter & æquè omnibus inesse*. Sanctus Basilius *omnium mandatorum, quæ à Deo accepimus, virtutes in nobis ipsis insitas non gerere* tradit. Hieronymus, neminem non habere *semina in se sapientiæ, & justitiæ, reliquarumque virtutum.* Sed, ut dixi, omnes isti officia illa bona respexerunt, parentes honorandos, indigis opitulandum, temperanter vivendum, & similia, cujusmodi facienda esse docet, *lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas.* Quæ quidem officia, nisi propter illum finem fiant, propter quem facienda esse vera sapientia præcipit, quamvis operibus quæ fiunt bona videantur, ipso non recto fine peccata sunt. Officium enim quasi corpus virtutis est, quod fine veluti formâ animari debet: quo deficiente manet officium quasi materia sine forma sua, quasi cadaver animâ destitutum. Quapropter si finem consideremus, qui in virtute suis momentis ponderandâ præcipuus est, nullum semen cujuscunque virtutis in humana natura reliquum reperiri potest. Finis enim ille non est aliud, ut fusè declaravimus, nisi Deus intentione fidei bonæ diligendus. Illius autem & credendi & diligendi omnis omninò scintilla per peccatum, omnis fomes extinctus est: juxta illud absolutissimum Augustini: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Non enim tantùm ad perfectionem virtutis ita consideratæ comparandam infirmata natura est, sed etiam ad qualemcunq; & quantamcunq; exiguam ejus inchoationem. Eadem enim omninò ratio est, in isto sensu, virtutis, & seminis ejus: hoc est, perfectionis & quantulæcunque inchoationis ejus. Amor enim illius finis, cujus unius incorporeo amplexu

Marginal notes: De Spirit. & litt. c. 27. — Cap. 28. — Ibid. — Ibid. — Damasc. li. 3 orth. fid. c. 14. — Basil. c. 2. Reg. — Iun. c. 5. Epist. ad Galat. — 2. Conf. c. 14. — Epist. 107. ad Vitalem.

amplexu anima virtutibus fœcundatur, non solùm perfici, sed nec inchoari ab homine humanis viribus potest. Nam etiam prima boni cupiditas, qua nullum exilius virtutum semen in voluntate dari potest, est nobis à Deo. *Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas?* inquit Augustinus: *de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo est.*

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

An fortè fructus ejus & perfectio ex Deo, & semen seu initium ejus ex nobis? Respondet Augustinus: *Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo: sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est.* Ex cujus semine ac radice nisi virtutis cujuslibet fructus germinaverit, non poterit esse fructus bonus. *Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.*

Lib. de Spir. & litt. c. 14.

Vnde cùm Iulianus virtutem à nobis inchoari, & perfectionem ejus à Deo tribui statuisset, quasi semina virtutum in anima rationali condita delitescerent, quæ gratiæ divinæ cultu in fructum perfectum surgerent, respondet ei Augustinus: *Cùm ergò divinitus adjuvatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionem adjuvatur, quod ipse posuisti, utique volens intelligi, eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia: sed potiùs quod Apostolus loquitur, ut qui in vobis opus bonum cœpit, perficiat usque ad finem. In quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari.*

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Hanc sancti Augustini doctrinam S. Prosper discipulus ejus pleniùs tradidit, qui de virtutum seminibus nominatim cum Semi-Pelagianis dimicare coactus fuit. Cùm enim Cassianus in Collatione decima tertia dubitari non posse dixisset, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, quæ nisi opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis pervenire non possent, multis & solidis argumentis errorem istum, ab ejus quam tradidimus Augustinianæ doctrinę tramite non recedendo, confixit. Docet enim in primis omnia virtutum semina seu principia primæ prævaricationis meritò periisse. *Virtutum semina quæ beneficio creatoris inserta sunt, prævaricatione primi parentis eversa sunt, nec haberi queunt, nisi eo restituente qui dederat. Reformabilis enim est natura humana formatori suo, & eorum bonorum quæ habuit capax est.*

Prosp. lib. cont. Collat. cap. 12.

Et libro tertio de vita contemplativa: *Sine dono Dei nec virtutes possunt appeti vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, devitari.*

Lib. 3. de vita contem. c. 1.

Nullum autem virtutum semen exilius est, quàm virtutis appetitus. Docet errorem istum inde fluxisse, quòd cernerent homines, multa præclara bonorum operum officia in infidelibus quæ speciem virtutis habere viderentur: *Puto autem istum veri similitudine decipi, & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis existimat reperiri, ideò scilicet, quia multi eorum sunt justitiæ, temperantiæ, continentiæ, & benevolentiæ sectatores.*

Cont. Coll. c. 28.

Docet hujusmodi virtutum semina & opera inde profluentia virtutum carere veritate, esseque vitiosa: *Sed quia iis studiis non Deo, sed diabolo serviunt, licet habeant de temporali laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifestissimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta, habentium sapientiam non spiritalem sed animalem; non cælestem, sed terrenam; non Christianam, sed diabolicam*, & hujusmodi, quæ latiùs antè diximus.

Ibid.

Docet, non alia ex causa ista præclara officia à virtutum veritate deficere, nisi quia mens infidelium ab illius finis amore, à quo omnis virtus veritatē & essentiam suam trahit, frigescendo deflexit: *Absit ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio. Virtutes cum vitiis habitare non possunt. Quæ enim participatio, inquit Apostolus, justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Virtus namque principaliter Deus est; cui non aliud est habere virtutem, quàm esse virtutem. Hujus cùm participes sumus, habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus, & sapientia. Habitat fides, spes, charitas.* Dei enim participes non aliter efficimur nisi dilectione. *Cùm verò ab hoc bono recedimus, omnia nobis è contrario oriuntur ex nobis. Discedente enim pulchritudine, quid succedat nisi deformitas? Abeunte sapientiâ, quid resideat nisi insipientia? Non regnante justitia, quid dominetur nisi iniquitas?*

Ibid. c. 27.

Et inferiùs rursum omnia revocans ad charitatem, qua sola omnium fons & finis officiorum bonorum diligitur: *Et tanta est secundùm istum liberi arbitrii vel incolumitas vel facultas, ut charitatem, quæ in omnium arce virtutum est, non ex Dei munere, sed ex sola habeat voluntate.*

Cap. 30.

Eò quippe redit, quòd virtutum semina dicuntur inserta naturaliter, ut illius charitatis initium, sine quo nulla virtus vera esse vel intelligenter cogitari potest, ex nobis proficisci censeatur. Quo respiciens, statim subjicit: *Et ne possimus opinari, ideò dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic satus esset affectus, paulò pòst ait: Non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.*

Porrò quemadmodum jam antè de virtutibus veris infidelium, aliisque nonnullis dogmatibus diversis locis admonuimus, ita etiam de isto dogmate, quo virtutum verarum semina dicuntur inserta homini naturaliter, admonemus, à Gentili manasse Philosophia. Philosophi namque, cùm in omnium hominū (quos non penitus in vitiorum abyssum perversa vivendi consuetudo mersisset) naturâ vigere cernerent judiciū quoddam de multorum actuum honestate, deque fœditate remorsum conscientiæ, quosdam etiam ad quædam virtutum civilium officia esse propensos, neque quicquam aliud ad virtutem veram opus esse arbitrantes, quàm ut ista, quibus nihil altius ad rectitudinem humanis affectibus inferendam intelligebant, per se & propter se-ipsa expeterentur; semina virtutum omnium humanæ menti tribuerunt; quæ solo cultu, & exercitatione in maturam virtutem crescerent, & nitescerent. Audi Tullium Peripateticæ Stoicæque

que virtutis tanquam purioris elementa ipsi naturæ tribuentem : *Natura igitur corpus quidem hominum sic & genuit & formavit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente ætate fingeret &c. Quod autem in homine præstantissimum atque optimum est, id deseruit : etsi dedit talem mentem, quæ omnem virtutem iam accipere posset, ingenuitque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum ; & quasi instituit docere, & induxit in ea quæ inerant tanquam elementa virtutis. Sed virtutem ipsam inchoavit, nihil amplius. Itaque nostrum est (quod nostrum dico artis est) ad ea principia quæ accepimus consequentia exquirere, quo-ad sit id quod volumus effectum.* Satis aptè profectò Philosophiæ instituto, quæ nihil ad perfectam virtutem amplius exquirebat, nisi ut propter se officia amicitiæ, justitiæ, fortitudinis appeterentur. Cujusmodi consideratione & Augustinus aliquando dixit : *Voluit Deus inseminare omni animæ initia intellectus, initia sapientiæ.* Et vim animæ tribuit, quâ *legitimum aliquid & sentit & facit.* Sed istiusmodi non tam virtutum semina, quàm ruinæ sunt, ex illa primæva hominis integritate superstites. Quibus primùm Pelagiani atque Semi-Pelagiani hæresim suam imposuerunt : easque postea Scholastici Doctores, non satis attenti quid in isto Gentilium, verumque virtutis finem ignorantium placito Christiana doctrina per Augustini & Prosperi calamum explicata reprobasset, in Christianorum etiam scholas induxerunt, non minimo Ecclesiasticæ doctrinæ, prout eam Augustinus in omnibus suis lucubrationibus constanter docuit præjudicio. Nam illi hæretici seminibus istis Philosophicis veras virtutes, vera opera bona, solâ voluntatis humanæ potestate proficisci posse, ideoque arbitrium hominis sine ulla Christi gratia esse potens ad benè operandum, & liberum tradiderunt. Quod quia constantissimæ doctrinæ Catholicæ apertissimè Scholastici repugnare cernebant, duplicem hominem in uno homine condiderunt, duplicem fidem, duplicem charitatem, duplices virtutes, duplicia opera, una naturalia, altera supernaturalia, de quibus in universa doctrina Augustini vel ullo antiquo gratiæ defensore, ullove Ecclesiæ concilio vestigium nullum inveniri potest. Sed sicut uno absurdo dato, cetera accidunt, ita semel admissâ in veris virtutibus definiendis, humanæ Philosophiæ auctoritate, totam doctrinam Augustini de virtutibus diametraliter ei repugnantem coacti sunt perturbare & intolerandis modis ab ejus mente detorquere, ne gravissimâ ipsius in hisce quæstionibus auctoritate premerentur. Quasi verò Augustinus non illas ipsas virtutes, quas Philosophi & Scholastici naturales dicunt, vitia propriè dicta nuncuparet; non illa ipsa opera, quæ ipsi bona vocitant, Augustinus mala, peccata, ignibus punienda diceret ; & consequenter non illam ipsam, quam ipsi ad benè agendum naturaliter libertatem appellant, Augustinus captivitatem sub terrena cupiditate tanquam diaboli frutice definiret.

Lib. 5. de fin.

Serm 38. de verb. Dom. c. 8.

CAPVT XVII.

Nugæ, delirium, insania, error impietas contraria Christianorum sensui, scripturis, & fidei, quòd infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato juxta Augustinum, & Concilium Arausicanum.

SED quia non satis est Augustini doctrinam in medium protulisse, nisi etiam constet, quanta certitudine veritatis eam asseruerit, operæ pretium fuerit ea de re pauca dicere ; ne alioquin Augustinus eam velut subtilitatis humanæ cogitationem, & propterea pro more scholę, sine Christianę doctrinæ præjudicio, utrimque disputabilem tradidisse videatur. Quapropter opera infidelium non tantùm non esse bona, & ad vitam æternam inutilia, sicut Pelagiani fatebantur, sed mala atque peccata ; & consequenter eorum virtutes non fuisse veras, sed vitia nomine & specie virtutum palliata, tantâ docuit Augustinus asseverantiâ atque securitate, ut majore non posset Catholicam fidem. Asserit enim, adversarium istius doctrinæ sive aut jocari in his disputationibus, *aut delirare, qui sterilium fructus arborum laudes, qui aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt : aut si fructus boni sunt, arbores bonæ sunt, & debent Deo placere.* Asserit, *enim falsi plus quàm dici potest* in illa opinione *qua* dixerat, *omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè aut sterliter*, id est, ad vitam æternam inutiliter *boni simus. Fieri enim*, inquit, *non potest, ut steriliter boni simus, sed qui boni non sunt, possunt esse alij minùs, alij magis mali.* Dicit multa insana ex contraria opinione consequi, quæ statuit aliquid *steriliter*, hoc est, ad vitam æternam inutiliter esse bonum : *Piget iam dicere quàm multa te sequantur insana talia sentientem, talia dicentem, talia scribentem, in talibus me, quòd similiter non desipiam, velut censoriè reprehendentem.* Et rursum nonnihil superiùs non paulò acerbiùs : *Prorsus nec vera est castitas animi fornicantis*, id est, animi qui recessit à Deo, *& vera insania est hominis dicentis hoc dedecus, & ridentis.* Dicit, hoc non solùm veram insaniam esse, sed etiam scripturæ repugnare: *Itane aut contra Scripturas sanctas infidelis animum fornicari negas, aut esse in animo fornicante veram castitatem dicis, & rides, & sanus es? Unde, quomodo, quâ ratione istud fieri potest? Prorsus nec illa est castitas vera, nec sanitas vestra.* Dicit, errorem esse,

Lib. 4. cont. Jul. c. 3.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

esse, & in ista sententia asserenda Iulianum non de nomine disceptare, sed errare quantùm errari potest: *Breviter accipe, ne fortè cùm in rebus ipsis tantum erres, quantùm errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis.* Dicit, adversam sententiam esse impiam: *De tali opere*, quod est nudum operire sine fide, *non in Domino gloriari*, hoc est, illud non referre per fidem ad Deum, sicut hoc sæpissimè explicuerat, *solus impius negat esse peccatum.* Dicit, neminem dubitare Christianum, quin mala voluntate fiant opera quæcunque infidelium, & ideo sint peccata: *Ex quo colligitur, ipsorum esse peccata, quibus & bona malè faciunt; quia ea non fideli sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate. Qualis voluntas, nullo Christiano dubitante, arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata.* Denique apertè dicit suam Catholicæ fidei doctrinam esse, & ex Catholicæ fidei principijs se revincere adversarium. Cùm enim Iulianus Augustini doctrinam, qua dixerat, in conjugibus infidelibus non esse veram castitatem, vel opera verè bona, calumniando traduceret, quòd cum Manichæo traderet, facinora cum fide perpetrata culpam evadere; respondet ei Augustinus: *Sed quid ad nos, sive dicans hoc Manichæi, sive etiam ipsis calumnieris: cùm hoc Catholica fides non dicat, quam tenemus,* ET CUIUS TE PONDERE URGEMUS. *Nos enim ea quæ videntur opera bona dicimus non esse vera bona sine fide: quoniam opera verè bona necesse est Deo placere, cui sine fide quia impossibile est placere, profectò quod verè opus est bonum, sine fide non potest esse.*

Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.
Lib. 4. contra Iul. c. 8.

Quapropter Concilij Arausicani Patres, cùm scirent sanctum Augustinum doctrinam istam de virtutibus atque operibus infidelium tantâ certitudine constantiâq; tradidisse, eam pluribus canonibus sanxerunt. Hinc nono canone dicunt: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.* Hinc vigesimo: *Nulla facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo.* Hinc decimo octavo: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quæ non debetur præcedit, ut fiant.* Canones enim isti ex Augustini non tantùm doctrina, sed etiam ad apices usque ex verbis ejus expressi sunt: qui nullam omninò agnoscit boni operis gratiam, aut bonæ voluntatis, sine qua nullum omninò bonum opus esse potest, ante susceptam fidem. Nam in *initio fides est* etiam *initium bonæ voluntatis*, & consequenter boni operis.

Canone 9.
Canone 20.
Canone 18.
Epist. 106.

Cardinem autem, cui tota istius doctrinæ moles nititur, ex lucubrationibus imperfecti operis contra Iulianum in hac re capitalem adversarium ejus desumentes, similiter infallibili suâ autoritate munierunt, dum ipsius Augustini verbis, jam verò suis pronunciarunt: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Hæc enim verba sanctus Augustinus adversùs Iulianum intonuit; dum virtutes Gentilium, quas more suo steriles esse, id est, inutiles æternæ vitæ sentiebat, prædicando diceret, *Fortitudinis lacertos in contemptu dolorum per Gentiles Christianosq; assiduè claruisse.* Quod si fortitudo Gentilium ex mundi cupiditate nata fuit, ut fides isto canone expressa docet, profectò & temperantia, & justitia, & prudentia, quæ regendis illis præsidebat. Eadem quippe cupiditate bona diliguntur, quâ mala bonis adversantia fortiter tolerantur, eoque fortiùs, quo animus ardentiore mundi cupiditate succenditur. Quid verò sit mundi cupiditas nemo nescit, nisi qui Catholicam fidem nescit, quæ docet eam *non esse à Patre*, ut eam à diabolo profectam esse nemo dubitaret. Quo fit, ut illam cupiditatem, ex qua Romanorum virtutes natæ sunt, *Babylonicam* vocet Augustinus, *terrenæ patriæ dilectionem*, cui consulere ex virtute videbantur: eam, ex qua quorundam continentia pullulabat, *vanam cupiditatem, & per hoc pravam, quæ frenaret alias pravas cupiditates*: eam, ex qua virtus Stoicorum, *inflationem atque superbiam*, itemque *cupiditatem laudis & gloriæ*, qua non quidem alijs, *sed sibi ipsis placuerunt*, & evanuerunt in cogitationibus suis. Quæ quidem etiam atque etiam ab ijs considerari & suis momentis expendi velim, qui vel Augustinum, vel me in ejus indagandis sensibus falli putant, ne fortè ipsi nimia Philosophiæ Gentium consectatione fallantur. Nam sententiam illam Iuliani, quam tantâ severitate Augustinus & Synodus Arausicana proscripsit, non aliud esse quam ipsissimam Philosophorum sententiam, quæ veras virtutes hominibus Deum verum ignorantibus tribuunt, quibus ipsam honestatem operum bonorum sectarentur, quamvis ad æternam vitam inutiles essent, nimis perspicuum est ex ijs quæ deduximus. Videant igitur Philosophiæ admiratores, ne in hac eorum doctrina asserenda etiam ipsi periclitentur. Vinculum, quo natura rationalis obstringitur Deo, ut illum solum diligat, neque quicquam nisi propter illum, à quo habet ut sit, incomparabiliter strictius est, quàm Gentilis Philosophia suspicari potuit. Vulnus quo recidimus à Philosophis ignoratum fuit: longèque altius inflictum, quam nonnulli Theologi Christiani putant. Argumenta eorum pro virtutibus & operibus bonis infidelium Philosophica sunt, humana sunt, ratiunculis subnixa levioribus, quàm ut eis Augustini, Prosperi, & antiquorum omnium gratiæ defensorum auctoritas cedat. Quorum hac in re tantùs consensus est, ut S. Episcopus Roffensis gloriosusque Martyr dicat, esse sententiam omnium Patrum, etsi Scholastici dissentiant. Et hactenus de virtutibus & operibus bonis infidelium. Nunc tempus est, ut quo pacto hæc omnia scopo nostro congruant ostendamus.

Can. Arausic. 17. desumptus ex lib. 1. oper. imperf. contra Iul.
Lib. 1. oper. imperf.
1. Ioannis.
Lib. 4. contra Iul. cap. 3.
Ibidem.
Lib. 10. de Civit. c. 15.
Lib. 5. c. 13. & 20.
Art. 36.

CAPVT XVIII.

Declaratur ex ante dictis à capite decimo quinto huc usque quo sensu doctrina sancti Augustini de amissa boni faciendi & mali cavendi libertate, inductaque peccandi necessitate intelligi debeat.

QVOD ut liquidiùs constet, meminisse lectorem velim, nos in superioribus per multa capita doctrinam sancti Augustini velut certam indubitatamque protulisse, qua docebat naturam humanam peccato primi hominis ita violatam esse, & arbitrium voluntatis sub terrenarum rerum cupiditate depressum, ut libertas ad faciendum bonum & ad abstinendum à malo interierit, & loco libertatis peccandi necessitas consecuta sit. Quæ doctrina quamvis in Augustini scriptis ita manifesta sit, ut in oculos vel somnolentissimi lectoris irruat, verbaq; sensum suum luculentissimè secum ferant, inventa tamen est nonnulla tergiversatio ab ijs qui difficulter sibi persuaderi sinunt, Philosophos libertatem arbitrij ad bonum malumque prædicantes tantoperè in re naturali lumine quasi sibi perspectâ deviâsse. Quamobrem interpretationem, vel potiùs eversionem doctrinæ ipsius, non ex lucubrationibus ejus, sicut oportebat, sed ex ingenij sui viribus excogitarunt, qua dicant, juxta Augustinum perijsse libertatem ad bonum, nempe pietatis atque religionis; non moralis honestatis: nisi fortè eatenus, quòd jam post peccatum solis arbitrij viribus totam legem moralium præceptorum implere non possit: perijsse libertatem abstinendi à peccato, inductamque peccandi necessitatem, quia non potest ante gratiam sine peccato mortali vivere, multò minùs absque omni peccato, sicut homini ante peccatum facile fuit. Ab ista recentiorum interpretatione ut Augustini doctrinam vindicaremus, verum sensum ejus illum esse diximus, quem planissimè verba præ se ferunt, hoc est, ita peccato perijsse libertatem arbitrij ad faciendum bonum, ut ante gratiam non solùm non possit universam legem moralis honestatis implere, sed nec unam quidem, nec unum opus ejus, ita scilicet, ut absque omni etiam alterius generis peccato impleatur: ita perijsse A libertatem abstinendi à peccato, ut nec in ullo quidem opere omnis peccati culpam possit effugere: ita inductâ esse peccandi necessitatē, ut in omni actu, quo legem sibi videtur vel servare vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur. Hunc sensum trium illorum capitum, de perdita boni faciendi malique vitandi libertate, inductaque consequenter peccandi necessitate, ut genuinum esse probaremus, septem aut octo argumentorum classibus ex ejusdem sanctissimi Doctoris doctrina à capite decimo quinto huc-usque demonstravimus, nullum omninò opus, non solùm pietatis æternæque vitæ meritorium, sed nec morali honestate bonum, sive non malum, sine gratia Salvatoris, imò sine fide posse fieri: cujus doctrinæ illustrandæ causâ longo illo circuitu de omnibus operibus & virtutibus infidelium tanquam peccatis & vitijs usi sumus. Quæ B si vera sunt, sicut juxta Augustini principia vera esse dubitare non sinimur, perspicuè sequitur, omnem omninò libertatem arbitrij ad bonum morale faciendum ita perijsse, ut nullum omninò opus moraliter bonum sine vera propriè que dicta gratia posit facere, ut propterea quoque arbitrium ante gratiam illam non sit liberum à peccando abstinere, sed quòcunque se verterit hic & nunc in singulis actibus, quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur. Si enim non esset in voluntate necessitas peccandi in singulis actibus ante gratiam, profectò ante illam facere posset aliquem actum saltem moraliter bonum. Nam in moralibus non esse actus medios, qui neque boni sint, neque mali, in Augustini doctrina nulla controversia est, qui ex finis illius, quem vera sapientia præ oculis habendum præcipit, absentiâ & præsentiâ malitiam quorumlibet officiorum bonitatemque metiri solet. C Iam quid argumentorum adversùs istam doctrinam à recentioribus opponatur, expendendum est.

CAPVT XIX.

Solvitur argumentum primum ex Augustino, & ostenditur, quomodo juxta mentem etiam Scholasticorum libertas arbitrij in peccando cum peccandi necessitate consistat.

PRIMUM igitur argumentum ita formari potest: Si non est libertas abstinendi à peccato, sed peccandi necessitas in voluntate, jam peccatum non erit peccatum. Quod enim necessarium est hoc ipso non est peccatum, utpote quod voluntarium esse debet. Vnde Augustinus: *Vsque* A *que adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Vbi per voluntarium non aliud quàm liberum intelligi debere, videtur manifestum. Ergo nec ex mente Augustini per peccatum peccandi necessitas adducta dici debet, utpote quæ repugnet voluntario sive libero.

Lib. de vera Relig. c. 14.

Respon-

Respondetur, hoc argumentum, sicut à Scholasticis intelligitur necessitas peccandi & libertas abstinendi, nullam omnino vim habet adversùs Augustini sententiam. Ipsi enim peccandi necessitatem vocant, qua quis ad hoc peccatum, quod hîc & nunc perpetratur, ita determinatur, ut ab eo abstinere non possit: libertatem autem dicunt, qua illud potest facere, & à faciendo abstinere. Hujusmodi autem faciendi necessitatem, neque tribuit libero arbitrio Augustinus, neque ab eo tollit hujusmodi libertatem abstinendi: sed hæc est necessitas, quam Augustinus peccato advectam esse profitetur, quòd liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum sit, antequam fide Creatoris charitateque liberetur, ut quoquoversum sese verterit, in genere necesse sit illud malè agere; sic tamen ut in singulari nullum peccatum ita necessariò perpetret, quin ab eo possit abstinere: sed ab illo abstinendo in aliud incidat, quod similiter aliud faciendo cavere potuisset. Hæc necessitas peccatum in genere duntaxat, non singula peccata in particulari respicit: nec illam liberæ voluntatis indifferentiam tollit, quam Scholastici recentiores postulant. Similem enim necessitatem omnes ponunt in Deo, Angelis, ac beatis hominibus respectu boni; & saniores etiam in dæmonibus damnatisque hominibus respectu mali: cùm tamen singulos actus bonos Deus, Angeli, Beatique liberâ faciant voluntate, ac dæmones damnatique malos. Ita quippe faciunt & illi opus bonum, & isti malum, ut non solùm illud non facere possint, sed etiam aliud alterius rationis facere. Quòd si hoc Scholasticis ad salvandam ipsius Dei, & Angelorum, beatorumque hominum libertatem in singulis actibus abundè satis est, & juxta eorum principia satis esse debet, quæ nullo modo libertatem contrarietatis boni ac mali ad arbitrij aut actus ejus libertatem; sed solummodo libertatem contradictionis ut necessariam postulant: coguntur etiam profiteri, arbitrium lapsorum hominum nullo modo in peccando desinere esse liberum, quamvis generali quâdam peccandi necessitate vinciatur. Erit enim liberum quoad exercitium, ut loquuntur; necessitatum quoad specificatonem.

Iam verò sic Augustinum revera illam peccandi necessitatem intelligere, ex eo perspicuum est, quòd ipse non rarò fateatur, unum peccatum à peccatore posse alterius peccati perpetratione vitari, unam tentationem alteri cedendo superari. Qua de re in genere dicit in libris de Civitate Dei: *Nonnunquam sanè apertissima vitia alijs vitijs vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes.* Et in libro de continentia de nonnullis dicit, quòd *continendo vel erroribus serviunt, vel aliquas minores cupiditates ideo vincunt, ut alias expleant, quarum granditate vincuntur.* Et in particulari ad singulos descendendo modos, quibus vitium incontinentiæ alio vitio superatur: *Quidam*, inquit, *quod mirum dictu videri potest, per incontinentiam se continent; velut si se mulier contineat à marito, quia hoc juravit adultero: quidam per injustitiam &c.* *Item quidam continent decepti fide falsa, & vana sperantes, vana sectantes, in quibus sunt omnes hæretici, quorum continentia vera esset, si esset & fides vera.* Et de Agonistis coronam corruptibilem appetentibus: *Hæc*, inquit, *cupiditas vana, ac per hoc prava, vincit in eis & frenat alias cupiditates.* Et de Romanis gloriæ cupiditate mira perpetrantibus: *Isto uno vitio, id est, amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.* Et rursum: *Ceteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt.* Et utrumque simul tangens modum, quo vitium, vel justitiâ, vel alio vitio superatur: *Quoniam revera vitium est*, (vili velle emere, & carò vendere) *potest quisque adipisci ejusmodi justitiam, vel alicujus alterius vitij, quod huic contrarium est, incurrere pestilentiam, quâ huic resistat & vincat.* Cujusmodi sententiæ sancti Augustini tam crebæ, tam perspicuâ quotidianorum exemplorum luce firmatæ manifestissimè demonstrant, non ita doctrinam ejus de peccandi necessitate capiendam, quasi hominem sine ulla omninò indifferentia ad hoc vel illud peccatum perpelli velit: sed ita tantùm, ut in genere quocunque sese concupiscentiarum suarum servus verterit, peccatum evadere non possit. Talis enim animus *indesinenter servit temporalibus desiderijs.* Et, ut alibi dicit, *malitia qualitate sive huc, sive illuc moveatur, malè movetur.*

Ex quibus Augustini principijs & illud intelligitur, quo pacto consuetudines radicatas, ut supra vidimus, peccandi necessitatem vocet. Non enim sic intelligi debet, quasi determinatè nullâ relictâ exercitij indifferentiâ ex consuetudine peccatum perpetret, sed ita tantùm, ut quemadmodum qui per originalis peccati plagâ illâ generali & humanis viribus indelebili creaturæ cupiditate possessus est, necessariò peccat aliquo cupiditatis actu, nisi illa inspirata cælitùs Creatoris charitate superetur, ita qui certi vitij cupiditate per consuetudinem inolitam radicatâ detinetur, tentatione pulsatus, aliquo istius vitij actu ex necessitate cadat, nisi alio potentiori cupiditatis alterius retinaculo teneatur. Casus tamen ille in ista vitij inoliti specie mille modis variari potest. Sic enim superbi & humanæ laudis avidi ex ejusdem vitij cupiditate & loquuntur & silent, se jactant, deprimuntque; honores ambiunt, & aspernantur; jejunant, & comedunt: cùm in omnibus idem appetitus excellentiæ assequendæ, vel timor amittendæ dominetur.

Lib. 22. de Civit. c. 26.
Lib. de contin. cap. 13.
Cap. 12.
Lib. 4. contra Iul. c. 3.
Lib. 5. de Civit. c. 12.
Lib. 13. de Trinit. c. 3.
Frag. 3. Sermone q. 18. sup. Exod.

CAPVT XX.

Declaratur quomodo nunc sit liberum à peccato abstinere juxta mentem Scholasticorum, etsi hoc negare videatur Augustinus.

HINC ulteriùs & illud liquet, quo pacto nihil Scholasticis repugnet id quod sæpissimè Augustinus dicit, nunc post lapsum primi hominis, *non esse liberum à peccato abstinere*: ac definitionem peccati, qua dicitur esse *voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere*, se tantùm de peccato primi hominis, seu de peccato quod non est pœna peccati, intelligere. Qua de re testimonia ejus multa in præcedentibus dedimus. Nam ista & similia non sic intelligit Augustinus, quasi nunc non possit quoquo modo ab illo peccato, quod hìc & nunc facit, abstinere, nempe aliud vel ejusdem generis vel alterius perpetrando, quod multis ejus testimonijs & exemplis jam falsum esse declaravimus: sed ita intelligit, non esse liberũ abstinere, ut nec illius nec alterius peccati, sive levioris, sive gravioris, in abstinendo sit reus. Parvi enim momenti est Augustino libertas illa exercitij seu indifferentia abstinendi Philosophica, quâ unum peccatum in aliud irruendo fugitur. Sed de illa libertate loquitur, qua sic abstineri à peccato potest, ut peccatum sine peccato superetur, atque ita sequatur vera peccati victoria, qua verè victor peccati, non à peccato victus dici queat. Nam ex isto doctrinæ & intelligentiæ fonte nascitur, quod Aug. peccatũ nunquam victum esse sentiat, nisi Dei amore, non aliâ pravâ cupiditate vincatur. Nam cùm dixisset, ut jam vidimus, quòd nonnunquam apertissima vitia alijs vitijs vincantur occultis, subtexit illicò *Tunc itaq; victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur.* Et alibi exponens, quid sit non intrare in tentationem, hoc est, abstinere à peccato, cujus tentatione pulsatur: *Non intrat*, inquit *in tentationem, si voluntate bonâ vincat concupiscentiam malam.* Nimirum juxta illud Apostolicum: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Si quis enim concupiscentiam malam aliâ voluntate mala vicerit, jam in tentationem intravit, neque victor mali, sed à malo victus erit, unde in eodem illo loco ubi de libertate abstinendi à peccato & resistendi malæ cupiditati disserit, non semel indicat se de tali resistendi & abstinendi potestate loqui, qua peccatum bonâ voluntate, nulla alia peccati cupiditate reprimatur. *Quisquis*, inquit, *sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum* SINE PECCATO *resistere, nec tamen facit, utique volens peccat.* Et rursum: *Qui verò cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo fa[cit] contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatum est, ut sit etiã pœna peccati.* Ecce sine alio peccato, bonâque voluntate concupiscentiæ resi-

Lib. de duabus animab.

Lib. 1. Retract. c. 15. & l. 1. oper. imperf.

Lib. 21. de Civit. c. 16.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.

Rom. 12.

Lib. 1. Retract. cap. 15

A stendum esse docet; ut quis cupiditate sua non coactus, sed liber in abstinendo esse dicatur.

Hæc igitur consequenter etiam ratio est, cur nunquam verè seu veraciter tentationem peccati superari tradat, nisi quando non alterius cupiditatis sed justitiæ delectatione superatur. *Neque id fit veraciter* (scilicet vitia vincuntur) *atque sinceriter, nisi vera dilectione iustitiæ. Hæc est autem in fide Christi.* Et alibi: *Probatur non regnare concupiscentia, dum iustitiæ delectatione vincente non fiunt mala.* Et in sermone de Natali sancti Vincentij: *Quisquis viribus suis hoc se posse præsumpserit, etsi videtur vincere patientiâ, vincitur à superbia. Benè vincere, hoc est, universas machinas vincere &c. Quando ergo vincit, nisi cùm dicit: In Domino laudabitur anima mea.* Si hoc est, benè, veraciter, sinceriter vitium vincere, justitiæ delectatione universas machinas vincere, profectò, hoc est, juxta S. Augusti-

Lib. 21. de Civit. c. 16.

Lib. 2. oper. imperf. fol. 450.

Serm. 8. inter Parisiens.

B num peccato resistere, & à peccato abstinere, justitiæ delectatione, bonâque volũtate resistere & abstinere. Alioquin peccato non resistitur; sed ceditur; non abstinetur, sed committitur, si non istud, certè aliud, quod ex eadem concupiscentiæ prementis instantisque importunitate proficiscitur.

Ex quibus admodum sanè perspicuum est, nullam Scholasticis ansam querimoniæ per illam peccandi necessitatem, sublatamq; abstinendi libertatem, quam August. docuit, esse datam, quo minùs illam exercitij seu contradictionis libertatem singulis peccatis perpetrandis, quam ipsi ad veram arbitrij libertatem satis esse putant, salvam habeant. Hoc tamen ingenuè fateor me in universis Augustini monumentis nondum invenisse, quòd peccata, quæ ante gratiam per concupiscentiæ nobis inspersæ conspersæque necessitatem committuntur, idcircò nobis libera sint, quia

C possumus unum peccatum alterius cupiditate superare, aut hoc vel istud quadam indifferentia contradictionis omittere, & aliud facere. Aliam ista Philosophiam quàm Augustini sapiunt. Quæ libertas contradictionis si cui ad intelligendam ejus doctrinam de peccatorum libertate, conjunctaq; peccandi necessitate sufficere videatur, equidem per me licet. Non enim hujusmodi indifferentiam à peccatis lapsorũ hominum ex necessitate commissis excludit Augustinus; quamvis, ut verum dicam, nec eam in ullis, quòd sciam, lucubrationibus sollicitè quærat aut postulet, aut sub nomine libertatis arbitrij ad peccata facienda vel commemorandam putet. Vt propterea non immeritò adhuc inquiri possit, utrum August. ita

ita intelligat revera, quemadmodum diximus, hujusmodi loca sua, quibus dicit peccatum ita esse voluntarium, ut [a] *nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Item [b] *nusquam nisi in voluntate esse peccatum.* Nam in hujusmodi verbis voluntas opponitur necessitati, sicut patet ijsdem locis citatis, quando adjicit: *Quod autem homini à perverso Angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc utique voluntate consensit. Nam si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.* Vt proinde voluntas non sit aliud quàm libertas, ipsomet Augustino dicente: *Quanquam si liberum non sit abstinere*, (scilicet à peccato) *non est voluntas.* Ratio dubitandi est, quòd Augustinus expressis verbis sæpiùs doceat, nunc non esse liberum abstinere à peccato, imo peccata nunc non committi voluntate, sed necessitate: *Iam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate facit necessitatem*, quæ tamen peccata si primus homo, ut audivimus, *necessitate fecisset*, nullo, inquit, *peccati crimine teneretur.* Nam quare magis primus homo per illam necessitatem fuisset excusatus, quam posteri ejus, si talis peccandi necessitas indifferentiam exercitij non excludit.

[a] Lib. de vera Relig. c. 14. [b] Lib. de duabus animab. cap. 10. Lib. de vera Relig. Lib. de duabus animab. cap. 11. Lib. de perf. iust. c. 4.

CAPVT XXI.

Eadem Augustini loca exponuntur aliter juxta genuinam ejus sententiam.

Qvamobrem quia nonnullis gratum futurum arbitror, verum Augustini sensum intelligere, eumque non modo non repugnare Scholasticorum principiis, sed neque suis, operæpretium erit istorum locorum satis difficilem intelligentiam & à recentiorum sensibus paulò remotiorem paucis, Deo juvante, patefacere. Sciendum est igitur, voluntatem atque necessitatem in istis Augustini & alijs plerisque locis longè aliter quàm à Scholasticis usurpari. Hi enim non aliam intelligunt voluntatem (loquendo non de potentia, sed de motu ejus) & voluntarium, quàm vel motum generaliter qui à potentia voluntatis proficiscitur, qualis est & amor beatificus; vel certè motum quem perfectè voluntarium vocant, hoc est, phrasi in scholis usitatâ, liberum seu indifferentem ut fiat vel non fiat positis omnibus ad agendum necessarijs: cui oppositum intelligunt necessarium, seu id quod ad unum tantùm determinatum est. Neutrum istorum ab Augustino in istis vocabulis intelligi solet. Voluntas enim ab eo peculiari phrasi usurpatur pro motu voluntatis illo, qui nullâ coactione non solùm physicâ quæ respectu voluntatis impossibilis est, sed neque morali à potentia voluntatis proficiscitur, sive motus ille positis omnibus indifferenter ab ea, sive ad unam partem determinatè fluat. Motus verò qui sic coactè à voluntate nascitur, sive terrente metu mali, sive concupiscentiâ stimulante, vocatur ab Augustino *necessarius*, & necessitas ipse metus aut cupiditas quâ exprimitur; sive interim motus ille singularis ita fiat à voluntate, ut alio metu aut cupiditate vitari possit, sive non possit. Hæc acceptio respondet vocibus illis à voluntate deductis, quibus dicitur aliquis volens aut nolens aliquid facere. Nolens aliquid facit, qui invitus, aut coactus, aut necessitate id facit: volens è contrario, qui sponte nullo intrinsecus contra voluntatis inclinationem impellente. Hinc enim ille motus, voluntas, illa necessitas seu necessarius, id est, coactus dicitur. Hoc enim Augustino est necessarium, ut latè infra declarabimus, quod fit nolentibus nobis, sive absolutè, sive secundùm quid; ut respectu voluntatis non aliud Augustino sit necessitas, quàm coactio. Sed ipsum Augustinum se explicantem audiamus, quod nisi fecisset, haud scio an quisquam nunc sensum ejus de voluntate & libertate, quâ solum primum Adami peccatum perpetratum esse tradidit, assequeretur. Sic ergo loquitur in eodem loco, ubi *non nisi voluntate peccari* dixerat: *definitur itaque voluntas isto modo: Voluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum.* Hâc definitione certissimum est, non omnem omninò voluntatis motum esse comprehensum. Quisquis enim timore compulsus aliquid facit, non facit hoc nullo cogente, & consequenter non voluntate seu volens phrasi Augustini, seu necessitate, hoc est nolens, invitus, & coactus facit. Sic enim ipse subtexit: *Cur ergo ita tunc* (cùm essem Manichæus) *definire non possem? An erat difficile videre invitum volenti esse contrarium, ita, ut contrarium sinistrum dextro esse dicimus, non ut nigrum albo? Nam eadem res simul & nigra & alba esse non potest: Duorum autem in medio quisque positus ad alterum sinister est, ad alterum dexter: simul quidem utrumque unus homo potest, sed simul utrumque ad unum hominem nullo modo potest: ita invitum & volens simul esse quidem unus animus potest, sed unum atque idem nolle simul & velle non potest.* Quibus in verbis invitus seu coactus dicitur, non qui nullo modo vult aliquid, ut cùm invitus occiditur, aut dejicitur, aut propellitur; sed is qui vult aliquo modo & facit, etsi invitus velit & faciat. Declarat hoc ipsum luculentissimè subnectendo: *Cùm enim quisque invitus aliquid facit, si eum roges, utrum id facere velit, nolle se dicit. Item, si roges, utrum id velit non facere, velle respondet. Ita invitum ad faciendum, ad non faciendum autem volentem reperies: id est enim unum animum uno tempore habere utrumque sed aliud atque aliud ad singula referentem.* Etiam ostendens quo pacto ista ad illustrandam propositam definitionem voluntatis, à qua quis volens, seu volun-

Vide lib. 6. de gratia Christi Salvatoris c. 6. & c. 7. Lib. de duabus animab. cap. 10. Ibidem. Ibidem.

Ibidem. voluntarius, seu non invitus dicitur, faciant. A Cur, inquit, *hæc dico? Quia si rursum quæramus, quam ob causam id invitus faciat, cogi se dicet. Nam & omnis invitus faciens cogitur, & omnis qui cogitur, si facit, non nisi invitus facit. Restat* igitur *ut volens à cogente sit liber, etiamsi se quispiam cogi putet. Et hoc enim modo omnis qui volens facit non cogitur, & omnis qui non cogitur aut volens facit, aut non facit.* Ex quibus mox tanquam rem suâ luce clarissimam conficit, rectissimè à se definitam esse voluntatem, quòd sit *motus animi cogente nullo ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum.* Ex quo manifestum est, ab illo motu voluntatis, quam Augustinus voluntatem vocat, & unde dicitur ab ipso voluntarium, omnem omninò coactionem, sive metûs, sive cupiditatis abesse, quia non minus aliquis efficitur invitus cupiditate, quàm metu. Hinc est enim quòd Augustinus nonnunquam dicit, quosdam *odisse quia consentiunt* concupiscentiæ, *sibiq; displicere, quod decernunt & faciunt malum:* à quibusdam *gementibus atq; flentibus* concupiscentiæ cõsentiri. Et de seipso cupiditati concubitûs serviente: *Ex magna parte id patiebar invitus, quod faciebam volens.* Voluntas igitur apud Augustinum nemini competit, qui aliquid concupiscentiâ vel metu premente invitus facit; sed est motus animi *cogente nullo.* Quod ipse declarat in Retractationibus, id exponens, quod illâ definitione cogitaverat. *Quod propterea dictum est*, inquit, *ut hac definitione volens à nolente discerneretur.*

Lib. 1. de nupt. c. 28. B

Serm. 45. de temp. c. 1.

Lib. 8. Confess. cap. 5.

Lib. 1. Retract. c. 15.

Hinc est quod talis voluntas in Augustini doctrina prorsus eadem sit, quæ libertas seu voluntas libera: usque adeo ut voluntas tali sensu, & libertas seu libera voluntas Augustino sint Synonima. Patet hoc perspicuè ex eo, quòd cùm Aug. in peccati definitione posuisset voluntatem seu volitionẽ ut genus definiti, & postea subjecisset, *unde liberũ est abstinere*, hoc est, quod non cogimur inviti facere, statim corrigit se, & postremam istam partem superfluam esse testatur: *Quanquam si liberum non sit, non est voluntas; sed malui crassius quàm scrupulosius definire?* Nimirum quia si non est nobis liberum abstinere, hoc est, si cogimur facere, jam non est motus animi cogente nullo, & proinde non est voluntas. Et in Retractationibus voluntatem explicans: *Qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc est, liberâ voluntate peccando: quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit ut hoc fieret, non coegit.* Quibus verbis ostendit, primos parentes voluntate, id est, non invitos, sed sponte, & liberâ voluntate, quia videlicet nullo cogente, peccavisse. Ex quo fit ut hujusmodi voluntatem in libro de Spiritu & Littera *plenam & liberam voluntatem*: alteram verò, qua quis invitus aliquid facit, *extortam* vocet. C

Ibid.

Lib. de Spir. & litt. c. 31.

Hinc fit consequenter, ut nisi voluntas non tantùm à metu, sed etiam in primis à concupiscentiæ servitute liberata sit, motum voluntatis, quo servitur concupiscentiæ, nec liberam voluntatem, imo nec voluntatem Augustinus appellendum esse velit: *Nam quando tale est peccatum, ut idem sit & pœna peccati, quantum est quòd valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè, si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est*, scilicet à dominatu cupiditatis, *quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas, alioquin tutiùs cupiditas, quàm voluntas propriè nuncupanda est.* Nimirum cupiditas Augustino est omnis voluntatis motus, qui ex concupiscentia boni cujuscunque temporalis adipiscendi vel retinendi à potentia voluntatis proficiscitur; voluntas verò solus ille motus, qui à cogente cupiditate vel metu inde pullulante sit liber; qui hac de causa *libera voluntas* dicitur. D

Lib. 1. Retract. c. 15.

Ex quo primitiva quoque causa intelligitur, cur charitas ab Augustino libertas dicatur, quia scilicet illa sola liberat voluntatem à concupiscentia dominante: itemque cur libertas Augustino respiciat ut terminum à quo concupiscentiam, sicut infra latè deducetur, quia ab illius servitute voluntas liberatur, ut habeat actum serviendi Deo in sua potestate. Hoc est enim esse liberum, habere actum in sua potestate. Hæc aliaque plura ab illo principio pendent, quòd juxta Augustinum, nisi sit *motus animi cogente nullo*, & consequenter à concupiscentia ad peccandum cogente liber, nec, voluntas, nec libera voluntas dici possit. Necesse est enim *ut volens*, inquit ipse, hoc est, voluntarius, *à cogente sit liber.*

Lib. de duabus animabus cap. 10.

Ex his jam intelligitur sensus illius definitionis, qua peccatum ab Augustino definitur esse, *voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Cùm enim voluntas in illo loco non significet aliud nisi *motum animi cogente nullo*, id est, motum à metu & omni cupiditate stimulante ac dominante liberum, sicut jam exponentem audivimus, apertissimum est, non omne peccatum hâc definitione comprehendi. Omnia quippe peccata, quæ vel ex ignorantia vel ex concupiscentia committuntur, exclusa sunt. Voluntas enim ab illis pœnis non est libera, nec est liberum ab illis peccatis abstinere ante gratiam; quia non fiunt per motum animi *cogente nullo* prodeuntem. Neque nos incertis ratiocinationibus hoc colligimus, sed ipse Augustinus hoc expresè docet. Nam hoc sibi vult illa quam protulimus, expositio definitionis voluntatis: *Quod propterea dictum est, ut hâc definitione volens à nolente discerneretur, & sic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente, peccando, hoc est, libera voluntate peccando, quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit ut hoc fieret, non coegit*, hoc est, ideo liberâ voluntate peccarunt, quia & ignorantiâ & concupiscentiâ cogente caruerunt, per quarum utramque mox dicit *nolendo* peccari, quia qui sic peccat non suâ sponte, aut propriâ liberâque incitatus voluntate delinquit. Et apertissimè paulò post de peccati definitione, quæ requirit ut sit *liberum abstinere*, sic subjungit: *Propterea vera est, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est,*

Ibid.

Lib. 1. Retract. c. 15.

Ibid.

est, *non quod est etiam pœna peccati*, scilicet ratione ignorantiæ vel concupiscentiæ, ex quibus juxta superius disputata omnia peccata lapsorum hominũ perpetrantur. Et rationem dans, cur illa peccata non liberâ voluntate, sed potiùs concupiscentiæ serviente perpetrentur: *Nam*, inquit, *quando tale est ut idem sit & pœna peccati, quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè, si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est &c.* Et evidentissimè in libris contra Iulianum, qui illa sancti Doctoris definitione abutebatur, ut conficeret, omne peccatum ejusmodi esse debere, ut inde sit liberum abstinere, & ita nullum peccatum ignorantiæ vel concupiscentiæ necessitate committi: *Ipse est Adam*, inquit, *quem nostra illa definitio qua tibi placuit intuebatur, cum dicerem: Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere. Adam quippe omninò quando peccavit nihil in se habebat mali, quo nolens*, id est, invitus *urgeretur ad operandum malum, & propter quod diceret: Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. At per hoc id egit, quod iustitia vetat, & unde illi liberum fuerat abstinere.* An igitur illa definitio peccatis post lapsum perpetratis convenire non potest? Audi ipsum: *Nunc ei qui dicit: quod nolo malum, hoc ago*, id est, ei qui concupiscentiæ subjugatus est, *abstinere inde liberum non est. Ac per hoc tria ista discernas & scias, aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque.* Quæ clarissimè docent id quod in Retractationibus dixit, solum id quod peccatum est, non pœna peccati, hoc est, quod purâ liberâque neque concupiscentiæ, neq; ignorantiæ subjugatâ volũtate cõmittitur, hâc definitione descriptum. Quam doctrinã sexies aut septies in ijsdem illis libris contra illum Iuliani conatum repetit. Loca superiùs allegata sunt, neque hîc cum fastidio repeti debent.

Lib. 1. oper. imperf. c. 40.

Supr. 9. & 10. huius libri.

Iuxta hanc igitur doctrinam, qua solum primum hominis peccatum voluntate, id est, liberâ voluntate, seu nullo cogente perpetratum esse docet, ita ut ei omninò liberum esset abstinere, etiam alia similia loca intelligi debent, & in primis ille celeberrimus, quem objecimus ex libris de vera religione: *Vsque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Accipit enim voluntarium prout à *voluntate*, hoc est, ab illo animi motu, qui nullo cogente profluit, seu à libera voluntate, juxta phrasim Augustini, nominatur: ut proinde non nisi primi hominis peccato, quod simpliciter peccatum & non pœna peccati fuit, tale voluntarium competat. Fuit enim uti peccatũ propriè dictum, ita etiam strictissimè dictâ voluntate, hoc est, ab ignorantiæ & cupiditatis cogentis visco liberrimâ voluntarium. Cujusmodi voluntate nisi consensus Adami esset voluntarius, sed [illegible] *necessitate fecisset*, ut ait Augustinus, *nullo peccati crimine teneretur*; nempe peccati propriè dicti, quod non esset pœna peccati. Quanquam etiam intelligi posset, nullo omninò peccati crimine, etiam illius quod peccati pœna esset, futurum fuisse reum. Quod quomodo verum sit, quando de pura natura disputabimus, dicturi sumus.

Cap. 14.

Sed mira sine dubio falsaque videretur hæc recentioribus interpretatio de peccato propriè dicto & liberâ voluntate, nisi ipse Augustinus eam præformasset. Nam illa ipsa sua verba explicans in libris Retractationum: *Potest*, inquit, *videri falsa hæc definitio* peccati tam voluntarij, *sed si diligenter discutiatur, invenietur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati, sicut superiùs ostendi, cùm quædam commemorarem ex libro tertio de libero arbitrio.* Verba verò ad quæ commemorata respicit, postquam multa peccata protulisset, quæ supplicia peccatorum sunt, nec liberâ voluntate, sed ignorantiæ concupiscentiæq; necessitate committuntur, ista sunt: *Non posse à libidinosis operibus temperare, non natura instituti hominis, sed pœna peccati est. Cùm autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est, loquimur.*

Lib. 1. Retract. c. 13.

Ex lib. 3. de lib. arb. c. 18.

Eodem prorsus modo & alia ejus verba, & quotquot similia contra Manichæos protulit, exponi debent; ut illa, quibus in libro de duabus animabus dixit: *Nusquam scilicet nisi in voluntate esse peccatum.* Nam & isthic voluntas strictè sumitur pro motu libero à cogente, sicut contra Manichæos de origine peccati, id est, primo peccato disputantibus sumi debuit. Vt proinde nulli, nisi primo peccato & istud competat, quod liberrima voluntate commissum est. Audi & hîc Augustinum, qui illud ipsum de istis verbis tradit: *Peccatum*, inquit, *quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum est, quod iusta damnatio consecuta est*, id est, Adami. Cur autem *præcipuè* dicat, ipsemet rationem reddit, quia & illud *peccatum quo consentitur peccati concupiscentiæ non nisi voluntate committitur.* Ita quidem; sed hoc duabus ex causis sine præjudicio prædictorũ verũ esse intelligi debet; primò, quia talis voluntas ex origine illius liberrimæ propriéq; dictæ volũtatis nata est, juxta id quod subjicit: *Quod si quisquam dicit, etiam ipsam cupiditatem nihil aliud esse quam voluntatem, sed vitiosam, peccatoq;*, id est, concupiscentiæ *servientem*; *non resistendum est, nec de verbis, cùm res constat, controversia facienda est. Sic enim ostenditur, sine voluntate nullum esse peccatum, sive in opere, sive in origine.* Illa igitur cupiditas etiam voluntas dicitur, quia ex origine liberæ voluntatis profecta est. Vnde & parvulorum peccatum ibidem dicit *nusquam esse potuisse nisi in voluntate, quâ volũtate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio.* Et alibi dicit, illorum peccatum esse *voluntarium*, quia *ex prima hominis malâ voluntate contractum.* Secundò, quia voluntas sæpè ab ipso quoque Augustino latiùs usurpatur, hoc est, non solum pro illo liberrimo voluntatis motu, qui nullo cogente à potentia fluit; sed pro quolibet, etiam illo, quo sive timori cogenti, sive dominanti concupiscentiæ servimus; quæ usurpatio

Lib. de duabus animab. cap. 10.

Lib. 1. Retract. c. 15.

Ibidem.

Cap. 13.

patio nunc recentioribus usitata est. Hinc in A eodem illo Retractationum loco, quo solum primum peccatum se voluntarium appellasse declaraverat, statim addit: *Quamvis & illa quæ non immeritò, non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus, vel à coactis perpetrantur, non omninò possunt sine voluntate committi* Vbi (*non omninò*) significat aliquod adesse genus voluntatis, etsi non illud quo propriè primum peccatum vocaverat voluntarium. In igno- (Ibid. c. 15.) rantibus enim adest *voluntas facti* non *peccati*: in servientibus concupiscentiæ, adest voluntas per impetum dominantis cupiditatis ex- (Cap. 13.) torta. *Quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate utique facit, quod cùm faciendum non sit, putat esse faciendum.* Quia voluit enim fecit, (Cap. 19.) *etsi insi non quia voluit peccavit. Et ille, qui concu-* (Cap. 13.) *piscentiæ adversùs spiritum carne, non ea quæ vult facit, si vincitur, concupiscentiæ consentit volens; & in eo non facit nisi quod vult, liber scilicet justitiæ,* B *servusq; peccati.* Hinc utrumque genus voluntatis & illius quæ propriè voluntas dicitur, quâque caret quisquis invitus seu nolens aliquid facit, & illius quæ propriè cupiditas nuncupatur, simul jungit in libro de Spiri- (Lib. de Spir. & litt. c. 31.) ritu & littera: *Neque enim dici solet quispiam voluntate fecisse, siquid fecit invitus*: ecce primum genus voluntatis propriæ dictæ, qua primi hominis peccatum voluntarium fuit ita ut ei liberum esset abstinere. *Quamquam si subtiliùs advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit. Sed quia mallet aliud, ideo invitus, hoc est, nolens facere dicitur. Malo quippe aliquo* (sive metûs, sive cupiditatis, quę non exiguum est creaturę rationalis malum) *facere compellitur, quod volens à se evitare, vel à se removere, facit quod cogitur*: ecce secundùm genus voluntatis, quâ quis timori aut cupiditati compellenti cedit & servit. Et utramque copulans: *Ac per hoc si facit* (is qui cogitur) *non* C *quidem plena & libera voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate.*

Quod si quis fortè miretur, cur Augustinus ita locutus fuerit, ut omne peccatum voluntate committi, & usque adeo voluntarium esse dixerit, ut si non sit voluntarium nullo modo peccatum sit: & tamen mox hanc generalem regulam de solo peccato, quod non est pœna peccati, hoc est, de solo primo peccato, intelligendam velit; scire debet in illis locis eum cum Manichæis de mali origine, hoc est, de primo malo disputasse, quod omnium malorum causa est, quibus atteritur genus humanum. Hoc Manichæi dicebant esse substantiam ab æterno malam; Augustinus liberam hominis voluntatem. Itaque cogebatur altiùs assurgere, quàm ad causam illam, ex qua nota nobis peccata perpetrantur. Nam & Augustinus & Manichæi satis advertebant, ea ex lege D peccati, hoc est, ex pruriente molestissimaq; rerum temporalium concupiscentia, seu libidine, seu cupiditate proficisci; quam esse peccati antecedentis pœnam, hoc ipso satis liquebat, quod eam inviti nolentesque pate- A remur. Talis enim animi dissipatio & molestia *ostendebat non naturam mentis alienæ*, inquit (Lib. 8. Conf. cap. 10.) Augustinus de se, *sed pœnam meæ. Et ideo non jam ego operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum, de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam.* Ne igitur frustra de illis pœnalibus peccatis tempus tereretur, quæ Manichæi ex lege quidem peccati, sed tanquam ex natura mala nobis cōgenita pullulare fatebātur, necessariò veniendum erat ad primum peccatū velut originem ceterorum pœnaliū peccatorum, quod nullâ tali lege in membris præcedente, purâ voluntatis libertate perpetratum fuerat: & ideo purè simpliciterque peccatum, non pœna peccati dicebatur. Hanc ipsemet Augustinus causam suarum locutionum ac definitionum voluntatis & peccati reddit, cùm Iulianus omne peccatum libera voluntate committi debere, & ab B eo *abstinere liberum esse*, contenderet: *Hic* (Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. c. 31.) *peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur; quale commissum est à primo homine ante omnes homines malum, sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.*

Ex his jam satis superque liquet, quantopere in percipienda genuina Augustini mente fallantur, qui cùm audiunt, omne peccatum voluntate & liberâ voluntate, seu libertate, non necessitate committi; itemque debere *voluntarium non necessarium*; & esse debere *liberum ab eo abstinere*, putant illis phrasibus suas cogitationes de illa exercitij seu contradictionis libertate stabiliri, qua quis peccatum hîc & nunc possit facere & vitare, committere & ab eo saltem aliud perpetrando abstinere; reijciique necessitatem illam, qua quis ad peccatum istud singulare hîc & nunc perpetrandum determinatur. Nam C quamvis verum sit, semper hujusmodi libertatem seu indifferentiam adesse, ut supra ex Augustini mente declaravimus, & abesse quoque hujusmodi necessitatem: non tamen Augustinus, non solùm in istis locis, sed nec unquam, quòd sciam, in scriptis suis talem libertatem vel oppositam necessitatem nomine libertatis aut necessitatis destruentis libertatem vocat. Sed voluntas, seu libera voluntas, seu libertas in illis locis est illa libertas antonomastica, de qua tam multa isto capite diximus, & infra dicturi sumus, motus videlicet (Vide l. 6. & 7. de gratia Christ. Salv. ubi tractatur de natura libertatis & libero arbitrio.) voluntatis ab ignorantia & cupiditatis visco liberatæ, quem potentia voluntatis pro suo liberrimo nutu elicit, & quoquoversum sive ad bonum sive ad malum flectere potest, sicut Adamus potuit. Vnde motum istum in malum flectendo peccavit peccatum propriè dictum, quod nullo pacto supplicium alterius fuit. Talis voluntatis motus ante fidem nullus omninò in hominibus reperitur, ideoque non adest eis libertas istâ D phrasi, sed sub cupiditate captivitas ad alteram partem, videlicet ad perpetrandum dumtaxat malum: quæ captivitas eadem est cum illa jam dicta necessitate atq; coactione, à qua

qua dicuntur peccata, quæ fiunt ab infidelibus vi cupiditatis urgentis cogentisque, *necessaria* non *voluntaria*; & propterea consequenter non est eis liberum à peccato abstinere, non quasi non esset eis liberũ, peccatum quod faciũt alterius peccati perpetratione vitare, quod fieri ab eis posse diximus; sed quia A non est eis illa libertas volũtatis, quæ propriè Augustini, & Scripturæ, & Ecclesiæ phrasi libertas dicitur, qua sese scilicet à visco cupiditatis expediant, & in veri boni dilectionem transferant, qua sola liberum fit à peccatis abstinere. Et hæc de Aug. mente satis.

CAPVT XXII.

Solvitur objectio de potestate vitandi peccata. Fusè quæ peccata, & quâ libertate vitari possunt, quæ non: quænam ex imbecillitate vitandi peccata esse desinant, quæ non.

HÆc si perceperis, non invenies A etiam in illis locis magnam difficultatem, quæ contra peccandi necessitatem, sublatamque abstinendi à peccato libertatem, quas Augustinus docet, alicui opponi posse viderentur. Tradit enim sæpè Augustinus, omne peccatum posse vitari, & nisi vitari posset, jam non esse peccatum. Hoc autem directè repugnare videtur illi peccandi necessitati, qua juxta eundem sanctum Doctorem potestatem abstinendi à peccato sublatam esse contendimus. Augustini loca, quibus illam vitandi peccati inseparabilem potestatem statuit, plura sunt, & præ ceteris ille ex libris de libero arbitrio; ubi cùm scrupulosissimè peccati causam exquireret, opponeretq; sibi: *An fortè violenta est, illa causa peccati & cogit invitum?* Quod maximè propter illã peccandi necessitatẽ dictum est, quam ex ignorantia concupiscentiaq; adductam esse constituimus, generalissimè de B peccati causis quibuscunque definit *Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod caveri nullo modo potest? Peccatur autem, caveri igitur potest.* Quæ verba sua tanquam vera alibi Augustinus agnoscit: & cùm sibi proposuisset: *Potest ergo ei causæ, quæcunque illa est, resisti?* Respondet: *Potest planè.* Et in libro de perfectione justitiæ, cùm sæpè Celestius Augustinum velut ad exploratam absurditatem adigere niteretur, quòd omne peccatum aut vitari posset, aut peccatum non esset, respondet ei identidem Augustinus posse vitari. Fieri ergo non potest, ut necessitate peccetur, aut ut à peccato non sit liberum abstinere.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18

Lib. de nat. & grat. c. 67.

Respondetur, si mentem Scholasticorum de potestate vitandi peccatum, ut peccatum esse possit, sequi volumus, ista loca nihil omninò stringere. Putant enim ad libertatem arbitrij in peccando, & ad potestatem vitandi peccati, ne propter impossibilitatem vitandi, peccatum esse desinat, satis esse, ut quodlibet A in singulari possit sive bonâ sive aliâ malâ voluntate vitari: quemadmodum ut bona sint Angelorum bonorum opera, malorumque mala, satis esse judicant, ut singula possint prætermittere, quamvis nec hi propterea bonum possint, nec illi malum facere. Libertas enim exercitij seu indifferentia contradictionis, sicut eis ad arbitrij libertatem, ita etiam ad peccati vitandi potestatem satis est. Solutio ista facilis est, & pro tuenda Augustini doctrina contra Scolasticorum argumenta sufficit: fateor tamen ab ejus mente, & verò etiam à veritate, sicut eam Augustinus intellexit, esse disjunctissimam. A cujus propalatione quamvis meritò hoc loco temperare possem, ne novas adversus Augustini doctrinam difficultates commovendo quas à nemine Scholasticorum excitatas memini, majorem ei invidiam creem, ipsius tamen sinceritati veritatis hoc deberi puto, ut sine fuco proferatur. Sicut enim in seipsa semper invicta est, & Augustini doctrinam in hac materia invictam fecit, ita, spero, suâ se ipsius luce invictam esse demonstrabit.

Argumenti igitur, quod ex Augustino proposui, longè alius sensus est, quam quòd peccatum ut peccatum esse possit ista Philosophicâ libertate debeat saltem in aliud irruendo posse vitari: cujusmodi exercitij libertate peccata dæmonum multi libera esse & vitari posse contendunt. Sed hoc vult Augustinus, ita debere caveri posse peccatum, ut à peccatis abstinendo nullius peccati reus, benè videlicet faciendo, teneatur. Nihil enim omninò curat ad expendendam peccati rationem, utrum unum peccatum alterum incurrendo caveri possit, unaque cupiditas peccandi alterâ cupiditate superari: sed utrum peccatum ita fiat necessariò, ut C quoquò se homo ante gratiam flexerit, peccatum aliquod in genere, sive hoc, sive istud, incurrat, quâcunque tandem remanente peccatorum eligendorum indifferentia. Quem esse verum istius objecti argumenti sensum, ex genuina ejus solutione quam daturi sumus elucescet. Sed in isto sensu difficultas nos vehementer premit. Si enim ad peccatum

tum ex Augustini mente necessarium est, ut non modo malum aliud faciendo, sed vitam, benè faciendo, omnemque peccati maculam evitando, caveri possit, profectò falsum erit, quod hactenus ex Augustino diximus, adhærere nobis ante Christi gratiam peccandi necessitatem & non esse nobis liberum à peccatis abstinere. Hoc ipso quippe desinerent esse peccata: jam enim supponitur ea ante gratiam esse necessaria, nec abstineri ab eis posse juxta doctrinam Augustini. Nec minùs falsum erit, quod aliquando docui, & omnes absque dubitatione verum esse consentiunt, diabolum adhuc male facere & peccare. Nam ille maximè *non habet arbitrium liberum ad benè faciendum; sed ad maximam malevolentiam pœnâ sui sceleris obduratum.* Epist. 107.

Itaque sciendum est, juxta doctrinam sancti Augustini in creatura rationali duplicem statum posse spectari. Primus est naturalis, in quo videlicet natura ab ipso Deo constituitur, prout ab ejus potentia & bonitate conditrice fluit, nullo adhuc omninò creaturæ peccato præcedente, propter quod aliquâ pœnâ, sive in corpore, sive in animo, sive ignorantiæ, sive concupiscentiæ, sive auxilii necessarii denegatione puniretur. Alter est pœnalis, in quem creatura statum naturæ suæ aliquo peccato pervertendo, prolapsa diversis pœnis atteritur, ut vel ignorantiâ veri non videat quid rectè faciendum sit, vel videat quidem, sed concupiscentiæ sævientis difficultate, uelut quadam naturalis libertatis infirmitate implere vel non possit vel non lubeat, ac gratia desit qua videat, possit, ac velit. Primum sensum spectat Augustinus, quando de creatura rationali disputat cum Manichæis: secundum, quando cum Pelagianis. Manichæi quippe considerantes malorum illorum quibus affligimur magnitudinem, & præcipuè ingentem illam benè vivendi infirmitatem, quam ingenita nobis ignorantia & lex peccati parit, omnia peccata nostra naturalia esse statuerunt, hoc est, ex natura malâ nobis concreata, non ex arbitrij libertate proficisci. Pelagiani contrà cùm creaturæ rationalis bonum esse conditorem crederent, & peccati merito mutationem aliquam in ea factam esse non crederent, omnes ejus pœnas & benefaciendi difficultates naturales esse opinati sunt: & consequenter omnia peccata ipsâ liberâ voluntate posse vitari; ne alioquin, si peccata non illa flexibili in utramque partem libertate, sed concreatâ malè faciendi necessitate fierent, ita ut non esset liberum benè facere & à peccato abstinere, peccata quasi *per cannam*, ut Augustinus loquitur, reverterentur in Deum, qui creaturam suam cum ista mali faciendi necessitate condidisset. Et Manichæi igitur & Pelagiani ex eodem principio in diversos errores de libero arbitrio præcipitati sunt. Cùm enim utrique statum illum pœnalem, quem perpetimur, naturalem esse sentirent; Manichæi certissimò scientes eum esse malum, non ausi sunt Deum bonum ejus auctorem facere, sed malum aliquod principium commenti sunt; in quod sicut status ille vitiosus, ita etiam destructo libertatis arbitrio omnia peccata ex ignorantia concupiscentiaq; nascentia referrentur. Pelagiani è contrario cùm firmissimè crederent, Deum bonum humanam naturam condidisse, statum illum miserabilem homini naturalem esse finxerunt: & non obstantibus gravissimis pœnis ejus, arbitrium esse potens & liberum ut motibus ejus in certis leges ponat. Adversùs Pelagianos igitur originalis peccati labê Augustinus inculcat, qua naturalis illa vitandorum peccatorum possibilitas, libertasque benefaciendi vitiata sit; & ingruentibus ignorantiæ concupiscentiæque pœnis, loco naturalis libertatis ad bonum qua pollebat, sub malo captivitas, & mali faciendi necessitas ante gratiam adducta sit; quę non nisi per Christi gratiam superari ac tolli potest. Adversus Manichæos verò ad malorum omnium fontem creatæ naturæ libertatem, nulli adhuc supplicio sive pœnalis ignorantiæ sive cruciantis cupiditatis obnoxiam recurrere, magnisque & veris laudibus potestatem ejus deprędicare solet: ut ita ostendat, non naturam naturaliter, hoc est, ex creatione sua connaturali esse malam; sed ipsam creaturam bonam sua se vitiantem libertate esse culpandam. Hoc enim sibi volunt illa verba quibus acerrimũ illum adversus Manichæos conflictum, de malorum origine in voluntatem liberam, id est, omnis ignorantiæ & difficultatis concupiscentialis expertem referendâ, concludit: *Cùm autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa in qua homo factus est loquimur.* Lib. 3 de lib. arb. c. 18

Quapropter in illis locis ubi Augustinus adversus Manichæos disputando dicit: *Si causa voluntatis resisti non potest, sine peccato ei ceditur. Si caveri omninò non possit* peccati fallacia, *nulla ergò esse peccata. Neminem peccare in eo, quod caveri nullo modo potest. Si necessitate primus homo consensisset, nullo peccati crimine teneri fuisse. Liberum omninò esse à peccato abstinere.* Et peccatum esse debere *voluntarium*, hoc est, liberæ voluntatis, *non necessarium*, ita ut si non fuerit voluntarium, peccatum esse non possit, & hujusmodi, semper de origine mali loquitur, unde omnia mala in creaturam rationalem profluxerunt. Hoc enim non potest esse ex Deo creante, propter bonitatem ejus: Non potest esse quoque ex Deo puniente, propter justitiam ejus. Non enim culpam pœna pręcedere, sed eam sequi debet. Cùm ergò mali origo, seu primum malum neque natura esse possit, neque pœna, hoc est, neque naturalis neque pœnalis, neque ex toto neque ex parte, necesse est culpam esse creaturæ, & proinde ex liberrima creaturę voluntate, hoc est, ex tali liberæ voluntatis flexibilitate proficisci, ut nulla ignorantiæ vel concupiscentiæ vel alterius cujusquàm impellentis pœnæ necessitate cogatur in malum, sed solo suo liberrimo in utramvis partem nutu. Hoc ipso

namque

namque quo quis contra voluntatis renisum invitus ad malefaciendum cogeretur, uti nunc sæpè cogitur (quam necessitatem libertati oppositam Augustinus vocat) jam non esset primum malum, de quo ex hypothesi quærimus, sed secundum; non origo malorum, sed ex origine jam profectum; non pura culpa, sed simul pœna; non peccatum tantùm, seu strictè dictum, sed peccatum, quod non est etiam pœna peccati. Vt enim non sit supplicium, quòd creatura rationalis benè vivendi ignorantiâ invita turpetur & difficultate crucietur, & inde mala faciat, impossibile est juxta illud Augustini: *Pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur. Porrò quia de omnipotentia Dei & justitia dubitare dementis est, justa hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur.* Quapropter primum malum quod est origo ceterorũ sicut nihil pœnale, ita nihil omninò inviti sibi adjunctum habere potest. Cùm enim potiùs patiendo, quàm faciendo simus inviti, vel justè vel injustè patietur, quisquis invitus aliquid patitur: *Si justè patitur*, inquit Augustinus, *non in eo peccat quod patitur invitus, sed in eo peccavit, quod ita fecit volens, ut quod nollet jure pateretur. Si autem injustè patitur, quomodo peccat? Non enim injustè aliquid pati, sed injustè aliquid facere peccatum est.* Quapropter rectissimè & profundissimè docet Augustinus contra Manichæos, mali originem, hoc est, id quod peccatum tantùm est debere esse purissimè voluntarium, nullo modo necessarium, hoc est, ex liberrima indifferentissimaque ad bonum & malum voluntate committi, ex nulla naturæ peccantis ignorantiâ, nulla cupiditate, nulla coactione, quæ invitum adigat ad aliquid faciendum, posse proficisci. Hoc ipso quippe desineret purum peccatum esse, de quo quæritur; essetque vel pœna peccati, vel peccatum pœnæ mixtum: quod impossibile est esse primum & originem ceterorum. Hinc consequenter necesse est purum peccatum vitatu esse facillimum, esse liberrimum ab eo abstinere, solu videlicet nutu voluntatis, qui non solùm ad alind malum, sed ad bonum quoque sine ulla omninò difficultate flecti potest. Nam hoc ipso quo difficultas volentem resistendo cruciaret, non haberemus jam peccatum illud quod quærimus contra Manichæos, pureque tantummodo peccatum esse debet; sed pœnam, quæ aliud purè peccatum præcessisse convinceret. Sed ex alia quoque profunda radice nascitur, quòd peccatum simpliciter, seu peccatum tantùm, quod est causa ceterorum, ita liberum esse debet, ut nisi non tantùm aliud malum, sed etiam bonum oppositum faciendo caveri possit, ne peccatum quidem esse possit. Cujus rei ratio est, non quod actus iste non esset satis liber, eâ etiam libertate, quam Scholastici ad liberum arbitrium postulant. Esset enim liber libertate contradictionis, & exercitij, perinde in faciendo aliud malum, sicut actus beatorum in faciendo aliud bonum. Sed causa est, quòd actus hujusmodi cum quantacunque contradictionis seu exercitij libertate fieret, malus esse non posset. Esset enim connaturalis institutioni naturæ, utpote per quem hoc appeteretur, quod inclinatio naturaliter à Creatore inserta postularet. Si enim illa naturaliter talis est, ut creatura quicquid secundùm illam fecerit, malum faciat, hoc ipso jam non est malum, sed bonum. Non enim potest non esse bonum id quod conforme est institutioni naturæ bonæ: cùm malum in recessu à naturæ institutione & ab instituentis arte perpetretur. Tangit hanc radicem multis in locis Augustinus contra Manichæos: *Quid, quòd etiam in ipsis rebus quæ vituperantur nullius vituperatur nisi vitium? nullius autem vituperatur vitium, nisi cuius natura laudatur. Aut enim secundùm naturam est quod vituperas, & non est vitium, tuque magis emendandus es, ut rectè vituperare noveris, quam illud quòd non rectè vituperas: aut si vitium est, ut rectè vituperari possit, etiam contra naturam sit, necesse est. Omne quippe vitium, eo ipso quo vitium est, contra naturam est.* Et infrà: *Si hoc debet quisque quod accepit, & sic homo factus est, ut necessariò peccet, hoc debet ut peccet. Cùm ergò peccat, quod debet facit. Quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit ut peccet.* Et rursum: *Quod si neque suâ neque alienâ naturâ quis peccare cogitur, restat ut propriâ voluntate* (illa scilicet liberrima omnisq; coactionis experte) *peccetur. Quod si tribuere volueris conditori, peccantem purgabis, qui nihil præter sui conditoris instituta commisit.* Nam ut addit, *peccata tunc fiunt, cum ab eius veritate*, hoc est, arte qua facta est creatura, *receditur.* Hanc ergò causam passim respicit contra Manichæos existimantes illum statum in quo jam sumus ante gratiam cum ignorantia, & concupiscentia, peccandiq; necessitate, esse naturalem; quos inde refutat quia non essent jam peccata, si ex tali naturæ institutione sequerentur. Vnde Iuliano objiciente, quòd homines *nulla culpa sua mali essent*, & *ideò nec mali essent*, si sic diabolo creante nati essent: *quia ejus quisquam nisi quod natus est non potest; nec ab eo justum est aliquid amplius flagitare quàm potest.* Respondet Augustinus: *Solemus & nos adversus Manichæos ista dicere, qui non vitiatam bonam dicunt esse naturam, sed sine vitio & immutabiliter malam, quam secundùm suas fabulas opinantur malam.* Quæ responsio longè majori ratione locum habet, si homines cum illa peccandi necessitate, quam supplicia nobis nostra pepererunt, Deo bono creante nasceremur. Qua de re quia ex professo alibi disserendum erit, istis testimonijs hic contenti erimus.

Neutra porrò ratio in ceteris peccatis primum illud consequentibus locum habet, ut propterea quoq; possint sine voluntate illa libera ad bonum & malum, sed captiva sub malo voluntate, hoc est, pura peccandi necessitate committi. Non quidem prima ratio, quia talia peccata sunt supplicium præcedentis, quod liberrima voluntate perpetratum fuit. Supplicium autem hoc ipso quo suppli-

Vide infrà latissimè lib. 2. de statu puræ naturæ.
Lib. 2. de lib. arb. c. 18.
Ibid. c. 16.
Lib. 3. de lib. arb. c. 13.
Cap. 16.
Ibid.
Lib. 3. cont. Iul. c. 12.
Vide infrà lib. 2. de statu puræ naturæ c. 15.

supplicium est, contra voluntatem est, & invitum facit. In hoc enim ipso culpa & pœna differunt, quòd illa ut talis sit, voluntaria, ista involuntaria. Ex quo fit, ut hæc peccata consequentia invitâ voluntate, hoc est, generali peccãdi necessitate committi possint ista non possint. Talis enim peccandi necessitas, quæ etiam displicentem sibi ac renitentem animum ad sequentia peccata trahit, non est aliud, quàm generalis quædam & cœca rei terrenæ, ad quam peccando se convertit, concupiscentia, quæ instar generalis consuetudinis peccantium animum excœcat & premit. Unde Augustinus: *Ipsa dissipatio me invito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ. Et ideo iam non ego operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum* (id est, lex peccati seu concupiscentia) *de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam.* Et paulò ante: *Lex peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur.* Itaque de seipso: *Consuetudo adversus me pugnacior ex me facta erat, quoniam volens quò nollem perveneram. Et quis iure contradiceret, cum peccantem iusta pœna sequeretur?* Cujus pœnæ justitiam alibi tangens: *Illa est enim peccati pœna iustissima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit; & qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit.* Ecce videndi præcepti cœcitas, ecce rectè faciendi impotentia, *qua videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere,* justissima peccati pœna sunt, nec aliud sunt, nisi illa peccandi necessitas, ex qua necessariò generali quâdam necessitate ante gratiam peccata perpetrantur. *Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare* (id est, à peccando abstinere) *nõ est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

Lib. 8 Confess. cap. 10. — *Cap. 5.* — *Lib. 3. de lib. arbit. cap. 18.* — *Ibidem.* — *Ibidem.*

Ex quibus postremis verbis etiam liquet secundam illam rationem non habere in peccatis consequentibus locum, ut videlicet, quia jam explicatâ necessitate necessariò fiunt, & animus ab eis temperare non potest, etiam peccata esse desinant. Nam talis animi status non est naturalis, quasi ex naturæ institutione, prout eam Creator condidit, & ex artis creatricis regulis profluxisset. Sic enim revera nec cœcitas illa cernendæ veritatis, nec imbecillitas faciendæ honestatis vitium esset, neque peccata quæ ex eis gignerentur, peccata; sed opera naturæ bona nominanda. Præclarissimè namque de illo statu, in quo sumus, & de factis inde germinantibus Augustinus dicit: *Si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, cum hæc facit. Si autem bonus homo esset, aliter esset. Nunc autem quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo, & non valendo esse, qualem debere esse se videt. Pœnam istam esse quis dubitet?* Status igitur iste, in quo non libertate faciendi boni, sed necessitatę faciendi mali peccata perpetrantur, pœnalis est, de supplicio peccati liberioris impositus. Unde peccata quæ inde fluunt, non propterea peccata esse desinunt, quòd ab eis animus libertate faciendi oppositi boni abstinere non possit. Non enim sic factus est homo, ut istiusmodi defectus necessariò committeret: unde nec dici potest, quòd nihil præter sui conditoris instituta committat. Iam enim per primum illud peccatum recessum est ab illo modo, quo naturaliter à conditore factus erat: ex quo fit, ut etiam facta ex illius status necessitate pullulantia, tanquam contra cõstitutionem naturæ facta, vitia peccataque dici debeant; quantumvis ab eis in genere, supplicij sui necessitate abstinere non possit. Vera igitur peccata sunt, quamvis longè minora, multoque minùs voluntaria; minùsque libera, magisque necessaria, quàm illud primum, ex cujus vindicta committuntur. Hinc Augustinus: *Illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere, non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud, quod huius membri motum consequitur, id est, formam tenoremq́; verborum; secundùm quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: sic non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate & ab sciente committitur: sed etiam illud, quod iam de huius supplicio consequatur, necesse est:* In quibus verbis satagit Aug. ut ostendat, quomodo ea peccata à quibus homo seu ignorando, seu facere non valendo quod faciendũ videt, abstinere non potest, vera peccata nominentur. Reddit autem rationẽ, non quia sunt volũtatis liberæ: hoc enim falsum esse jam constituerat: sed quia de *peccato liberæ voluntatis originem ducunt*; hoc est, quia fuerunt voluntatis liberæ in causa sua, quæ pœnam illam cœcitatis & imbecillitatis accersijt. Quæ verba non de illa libertate voluntatis, quam Scholastici statuunt, intelligi debent, quasi vellet ista pœnalia lapsorum hominum peccata non esse libertate contradictionis seu exercitij libera, ita ut hîc & nunc ab eis abstinere non possit, & alia peccata facere; sed non esse libera eâ libertate, quam ipse, & Scriptura, & Ecclesia plerumque libertatem nuncupat, libertate scilicet voluntatis ab omni peccati seu concupiscentiæ servitute liberatæ, quæ se non tantùm servili quâdam libertate in peccatis diversis eligendis volvere & revolvere; sed expeditissimè & indifferentissimè simplici nutu suo, non tantùm ad quodvis malum, sed etiam ad bonum oppositum, se flectere potest: hoc est, ut Scholasticis planiùs loquar,

Ibid. c. 18. — *Lib. 3. de lib. arbit. cap. 19.*

quar, quæ utramvis, non tantùm contradictionis & exercitij, sed etiam contrarietatis partem, habet in sua liberrima potestate. Talis enim voluntas propriíssimè volútas est, non cupiditas: talis libertas voluntatis propriíssimè libertas est, sine umbra oppositæ servitutis: talis voluntatis liberæ peccatum propriíssimè peccatum est; quia tantùm culpa est, nihil pœnæ permixtum habens. Quidquid à talis voluntatis, & libertatis, & peccati definitione deficit, sicut minùs est voluntarium, quia aliquid inviti; sicut minùs est liberum, quia aliquid servitutis peccati; sicut minùs culpabile, quia aliquid pœnale continet: ita etiam minùs propriè peccatum est, juxta Augustini definitionem, quam ipse dedit, & sæpissimè explicuit. Idcirco tamen peccatum dicitur (quod propriè hoc sensu liberrimum illum à veritate defectum sonat) quia à peccato illo primo liberæ volútatis originem ducit.

Quapropter quia neutra jam assignata ratio locum habet in posterioribus lapsorum hominum peccatis, quæ ante gratiam, peccandi necessitate sine boni faciẽdi libertate, cómittuntur, quia status ille totus jam pœnalis, non naturalis est; hinc est, quòd Pelagianos illam liberrimam voluntatis potestatem ad utrumque velut necessariam mordicus postulantes, ut peccatum esse possit, eâ responsione retundere solet, quòd aliter condita natura fuerit bona, liberrima, pœnis peccandi carens; quòd illa libertas boni peccato liberrimo perierit; quòd mali necessitas consecuta sit. Itaque cùm rectè adversùs Manichæos urgeri concessisset Iuliano, quod injustum esset ab homine ampliùs postulare quàm potest, ut supra diximus, statim ad retundendos Pelagianos adjicit: *Natura verò humana secundùm Catholicam fidem bona instituta, sed vitiata peccato, meritóq; damnata est.* Quasi diceret, itaque nihil mirum, si ampliùs ab ea quam suâ culpâ jam imbecillior facta possit, exigatur. Et alibi Pelagio dicente: *Quod Deus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, si voluisset;* Respondet: *Quis enim nescit sanum & inculpabilem factum, & arbitrio libero, atque ad juste vivendum, potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semi-vivum latrones reliquerũt &c.* Quasi diceret, proinde mirari non debes, si nunc homo lapsus careat potestate liberâ; vel si peccata benefaciendo vitare non possit, antequam per gratiam liberetur; & tamen peccata ejus vera peccata sint. Cogitare quippe debet, *prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis; qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusq; non surgat; ut ideo tantùm audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.*

Lib. 3. contra Iulia. 12.

Lib. de nat. & grat. c. 43.

Ibid. c. 22.

CAPVT XXIII.

Quomodo secundùm Augustinum omnia omninò peccata etiam pœnalia vitari possint sine præjudicio præcedentis doctrinæ de necessitate peccandi, & sublatâ libertate benefaciendi.

AT enim, inquies, Augustinus nõ tantùm peccata propriíssimè dicta, hoc est, liberrimæ & indifferẽtis in utrumvis contrarium voluntatis docet posse vitari, sed etiam ea peccata quæ ex pœnis illis ignorantiæ & concupiscentiæ perpetrantur. Cùm enim dicit in libro de natura & gratia: *Potest plane ei causa, quæcunque illa est, resisti,* de illis ipsis pœnalibus peccati causis loquitur, & earum peccata vitari posse ibidem expressiùs docet. Et cùm in libro de perfectione justitiæ sæpiùs dicit, *vitari posse peccatum,* de peccatis lapsorum hominum pœnè solis loquitur. Et cùm in libro de gratia & libero arbitrio neminem nescire dicit, quòd *non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri,* de peccatis loquitur quibuscunque, quæ vitari divinâ lege jubẽtur. Ergo omnia omninò peccata vitari posse debent, non solùm juxta sensum Scholasticorũ libertate saltem exercitij & contradictionis, quæ ad libertatem arbitrij sufficit, sed etiam juxta sensum Augustini libertate contrarietatis, ita ut possit fieri oppositum bonum. Nam in libro de perfectione justitiæ de omnibus omninò peccatis hujus vitæ collectim simul vitandis agitur, ita videlicet ut aliquis dicatur hic post lapsum in perfectione justitiæ; hoc est, sine omni omninò peccato vivere: quod cùm cótenderet Pelagius fieri in hac vita posse, Augustinus admittit.

Cap. 67.

Cap. 2. & seqq.

Cap. 18.

Respondetur, negari non posse, quin ista sit Augustini doctrina constantissima: sed non repugnat alteri, qua juxta eundem Augustinum certissimum esse demonstravimus, generali quâdam peccandi necessitate multa peccatà perpetrari, ita scilicet ut vitari benè faciendo non possint. Nam ista doctrina vera est antequam voluntas sub peccato captiva per gratiam Christi ab illa concupiscentiæ servitute liberetur. Quæ liberatio à fide incipit: Nam à fide bona voluntas incipit; sine quâ bonum fieri peccatumque vitari nullo pacto potest. Qua de causa, quando de peccandi necessitate, & amissa boni faciendi libertate tractavimus, semper de infidelibus, nullaque Christi gratiâ præventis locuti sumus. Altera verò doctrina, quæ in objectione tangitur, de jam fidelibus loquitur quorum voluntas jam gratiâ tangi, liberari, & regi cœpit; majoremque

Digitized by Google

Christi ignorantia, in Christum posse credere, Deum diligere, rectè vivere, atque felicitate potiri sempiterna. Hæc enim vera sunt, & nonnunquam ab Augustino conceduntur, sed potestate externâ, non internâ, quia à Dei gratia fidem donante visitari possunt, qui nondum visitati sunt, qua quam- A diu caret, ex se nihil aliud nisi peccare possunt. Talis enim potestas peccata vitandi cum præsenti peccandi necessitate facilè consistere potest: sicut in claudo potest consistere potestas rectè ambulandi, quia medici arte sanari potest, cum necessitate claudicandi, quamdiu medicinâ caret.

CAPVT XXVIII.

Ratio præcepti, cohortationis, objurgationis, vituperationis &c. non obstat peccandi necessitati juxta Scholasticorum sensum, minùs juxta doctrinam Augustini.

ALIUD argumentum peti potest ex ratione præcepti, cohortationis, objurgationis, atque vituperationis. Si enim aliquod hominum genus aut status, sublata benè faciendi libertate peccandi necessitate premitur, frustra jubemus & hortamur eos à peccatis abstinere: immeritò objurgamus & vituperamus eos, si non abstinuerint. Sed ex disciplinæ Christianæ regula certum est, stimulos istos rectè cuivis hominum generi admoveri: falsum est igitur, quemquam vel ante vel post fidem peccandi necessitate detineri.

Respondetur, adversùs Manichæos hoc argumentum frequenter Augustinus premit. Conficit enim invictissimè, esse in omnibus hominibus liberum voluntatis arbitrium, & nihil amplius. Peccandi verò necessitas, quam Augustinus tradit, sublataque libertas benè faciendi, non repugnat arbitrij libertati, quia simul utramque Augustinus in iisdem hominibus esse docet. Sed in eo tota hallucinatio sita est, quòd cùm audimus liberum voluntatis arbitrium, solemus imaginari indifferentiam quandam voluntatis ad bonum & malum quam semper hominibus adesse mordicus asserebat Iulianus, inficiabatur Augustinus, & ipsa veritas Catholicos inficiari cogit. Hæc imbecillitas imaginandi in Catholicis & sentiendi in Pelagianis ex Philosophorum Gentilium institutione nata est. Illi quippe cùm nihil aliud ad opus bonum liberæ voluntatis necessarium esse crederent, nisi ut officium esset bonum, & hoc per seipsum expetendo quæreretur, congruenter illi principio censuerunt, arbitrium hominis esse liberum ad bonum & malum. Animadvertebant enim, hominē sese ad hujusmodi officia bona, & ea quæ illis opponuntur mala, indifferenter flectere. In quo statu tanquam hominis naturali à Gentilibus decantato cùm Pelagiani naturam humanam conditā esse sentirent, nec eum peccatis tolli cernerent, libertatem arbitrij ad bonum & malum, ab eadem natura hominis inseparabilem esse statuerunt. A quorum sensu propè absunt, qui illam indifferentiam contrarietatis ita amplexantur, ut eam etiam in dæmonibus quærant. Quod si vel Pelagiani vel Gentiles existimare potuissent, se etiam tum cùm A benè videntur agere, & officia propter seipsa virtutis expetere, servire creaturæ potiùs quam Creatori, & consequenter se subtiliore quâdam rei terrenæ libidine seu cupiditate ad agendum officium bonum rapi, quod propter solum Deum omnis rectæ voluntatis terminum expetere debuissent, non ita difficulter vidissent, se etiam tunc non indifferente arbitrio virtutibus militare; sed rerum creatarum concupiscentiæ, quod Apostolus peccatum vocat, captiva voluntate servire. Ex quo fit, ut hujusmodi libertas arbitrij, quam Philosophi bilancis instar indifferentem ad malum & bonum, quod ipsi noverant, fabricarunt, & ex ipsis Pelagiani, & nonnulli Scholastici minùs attenti ad ea quæ docuit August. amplexi sunt, non sit aliud quam illa peccandi necessitas, de qua hactenus disserimus.

Cùm igitur non solùm Augustinus, sed & B Scholastici fateri cogantur, illam indifferentiam ad bonum & malum non esse ad liberum arbitrium necessariam, coguntur & ipsi hujusmodi argumentum solvere. Quid si enim quispiam de dæmonibus hoc argumentum proferat? Eâdem profectò difficultate se premi sentient, quotquot eos *non habere liberum arbitrium ad benè faciendum, sed ad maximam malevolentiam pœnâ sui sceleris obduratum*, cum Augustino constituerint. Nam & eos lex æterna non blasphemandum, non superbiendum, non invidendum, non fallendos homines infatigabiliter jubet, & eos contra legem istam peccare, nemo sanæ mentis diffiteri potest. Nam quamvis novarum pœnarum demeritum ratio & stabilitas illius status impediat, eos tamen verè peccare, & malè facere, sæpiùs Augustinus, & ipsa veritas clamat. Sicut igitur præcepti ratio non removet à dæ- C monibus peccandi necessitatem, neque tribuit eis indifferentiam ad bonum & malum; ita neque hominibus, qui peccatorum concupiscentijs captivo voluntatis arbitrio serviunt. *Epist. 137.*

Quod si ad bonos Angelos nos cōvertamus, eadem omnino se difficultas offeret. Si enim ad malè faciendum seu ad peccandum illa indifferentia voluntatis exigitur, profectò exigitur etiam ad benè faciendum. Peccati enim & operis boni, quantum ad vetitum & præceptum, dehortationē & exhortationem, vituperiū & lau-

Digitized by Google

& laudem, ipsamque adeo arbitrij libertatem A attinet, par est ratio. Videmus autem etiam Angelis bonis vetari malefacta, & benefacta nonnulla præcipi, cùm tamen & his abstineant, & illa faciant liberâ voluntate. Certum est enim Angelos peccare non posse, & eo non obstante benè facere: quid igitur mirum, si etiam dæmones benè operari non possint, & tamen liberâ voluntate malè faciant? Nimirum in utrisque quamvis voluntas sive sub malo tantùm, sive sub bono tantùm captiva teneatur, sufficiens libertas voluntatis permanet, ut quoquò hic & nunc se verterint, eò se vertere actu libero censeantur. Hanc Scholastici libertatem contradictionis seu exercitij nuncupant, quam etiam in captiva sub alterutra contrarietatis parte, præsertim boni operis in cælo, superesse profitentur. Et quamvis Augustinus nec illam quidem postulet, ut arbitrium dicatur liberum, non tamen eam in peccatori- B bus negat, & ad libertatem arbitrij satis esse etiam in Augustini sententia, manifestum est. Vbicunque est autem libertas arbitrij, ibi præceptum, & exhortationem, & vituperium, & laudem, locum habere posse, non est dubium. Nam ista omnia in arbitrij libertate velut omnis præcepti cohortationis, objurgationis, laudis, vituperij cardine, seu velut in omnis moralitatis fundamento versantur.

Porro hæc libertas arbitrij, etiam sub confusa illa necessitate peccandi, satis in præceptis negativis adimplendis etiam juxta Scholasticos manifesta est, prout jam paulò ante & supra latiùs explicuimus, quando unam peccandi cupiditatem alterâ superari & vitari posse constituimus: & ita nullum malum esse vetitum, quod non possit peccator ac dæmon ipse prætermittere. Sed major in affirmativis præceptis adimplendis difficultas est. Cùm C enim libertate boni faciendi infideles careant, quo pacto evitabunt peccatum illud, quod committitur in transgressione seu omissione, non dico moralium officiorum, miserendi pauperis, honorandi parentes, dicendi veritatem, & hujusmodi naturalium præceptorum, quæ secundùm officia seu substantiam operis ab infidelibus fieri posse juxta sanctum Augustinum diximus; sed in transgressione illius præcepti affirmativi, quo jubetur credere ac diligere Deum, ipsaque officia bona quæ facit ad finem illum bonæ fidei intentione retorquere? Neque enim hîc dici potest, illud peccatum alio peccato posse vitari. Quidquid enim boni fecerit idem peccatum omissionis adversus idem præceptum perpetrabitur. Imo verò, quid faciet, cùm idem præceptum diligendi Dei per seipsum obligabit? Neque enim existimandum est, ad ultimum finem D expetendum, & ad illud primum principium se referendum nullius præcepti vinculo creaturam rationalem astringi; cum potiùs vis ejus sit perpetua, & in omnes actus directione atque dilectione voluntatis eò referendos exseratur. Hîc voluntas suaptè infirmitate in faciendo deficit: gratiâ quâ facere possit caret: quò se verterit? Nam & gratiam implorare non potest, nisi ante credat: *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* (Rom. 10) Hoc laqueo stringi se sentientes recentiores aliqui, per portam patentissimam gratiæ sufficientis exeunt: quam omnibus hominibus ad præcepta facienda Deum impertiri, novo profectò & primis gratiæ defensoribus inaudito dogmate constituunt. Sed de gratia sufficiente disserendi proprius erit alibi locus.

Nunc ea prætermissa dicimus, fortasse & hîc dici posse, quòd omnis singularis actus aut omissio ejus in ipso articulo quo quodlibet præceptum affirmativum ligat, quantum ad exercitium liber sit, quamvis quantum ad specificationem seu contrarietatem non sit liber, prout Scholastici de libertate loqui solent. Cujus ratio esse posset, quòd non minùs omissio voluntatis voluntaria, seu cum perfecta rationis advertentia propter finem fiat, quàm actio ejus. Vtrique enim ultimus amoris cardo, in quo cor vertitur, dominatur, & ejus boni colore, quem oculus sive agendum, sive non agendum, sive volendum, sive non volendum videat atque judicet, utraque tingitur. Impossibile est enim, ut voluntas ultimi sui finis, qui omnis actionis & omissionis deliberatæ radix est, limites egrediatur. Quod in beatis ipsoque Deo perspicuum est. Nam sive agant, sive non agant, sive velint, sive non velint, omnis eorum & actio & non actio, omnis volitio & volitionis omissio, ex summa sapientiæ directione, & finis ultimi consideratione proficiscitur. Quod ex eo manifestum est, quia singulorum actuum & omissionum solidam rationem dare possent: quam dare non possent, nisi illius intuitu ad agendum omittendumque regerentur.

Ex quo fit fortasse, ut in voluntate deliberato consilio aliquid omittente nulla pura sit, aut esse possit omissio: sed semper actus adsit positivus, quo aliquid ex finis consideratione nolit. Quod si ita est, jam non major de tali actu præceptum affirmativum servare detrectante difficultas est, quam de alio quocunque voluntatis actu. Commune quippe omnibus est, ut determinatio seu necessitas specificationis seu contrarietatis non repugnet libertati arbitrij, etiam tali qualem Scholastici tuentur.

Nam isto modo cuncti actus beatorum necessarij sunt. Quicquid enim amant sub ratione boni divini amant: idcirco nihil nisi bonum amare aut facere possunt, sine detrimento tamen libertatis. Nil ergo mirum, si damnata massa sive dæmonum, sive reproborum hominum, quidquid amet sub ratione boni creati & privati amet, & idcirco istâ consideratione omnes actus eorum, quantum ad hujusmodi specificationem seu contrarietatem mali sint; salvâ interim exercitij seu contradi-

tradictionis libertate. Sed ista sententia de conjuncto semper omissioni actu positivo, non est nobis hîc necessaria: quia sine illa præsens difficultas expediri potest.

Statuamus igitur dæmonem aut hominem, qui fide caret, præcepto affirmativo Dei & proximi diligendi, vel illa jussione generali stringi, qua bonum officium quod agere meditatur ad Deum velut ultimum creaturæ voluntatisque finem referre coarctatur; ille alterutrum sine gratiâ facturus est, ut vel Deum diligat, vel non diligat. Si diligit, sub ratione boni privati Deum diliget, Deum ad se, non se ad Deum velut ultimum finem retorquendo: quod sine manifestâ perversitate fieri nequit. Ille quippe modus est, quo omnes cupiditatum sceleratarum servi Deum diligunt, tanquam desideriorum suorum satellitem, eo devotiùs, quo potentiorem. Quod si nolit diligere Deum, hoc ipsum faciet sub ratione boni creati ac proprij, quod in omnibus actionibus & omissionibus velut vltimum intuetur, & sine peccato esse non potest. Nam nolle, seu respuere, seu prætermittere aliquid tam respicit bonum amatum, quod est omnium desideriorum cardo, quàm velle. Amor enim boni est causa respuendi oppositi mali. Quapropter utrobique est libertas seu indifferentia quantum ad exercitium respectu duorum illorum actuum volendi & nolendi, seu etiam non volendi diligere Deum, quamvis uterque fiat sub ratione boni creati & privati, quod voluntas immobiliter in utroque respicit, & ita uterque sit necessarius, quantum ad specificationem, seu contrarietatem, & uterque malus. Idem judicium est siquis infidelis etiam gratiâ credendi carens credere jubeatur. Ille quippe vel volet, vel non volet; & in utroque peccabit. Si volet, credet sanè quod veritas revelans credendum jubet, non tamen affectu voluntatis erga æternam veritatem, sed vel cupiditate boni cujuspiam creati ac temporalis assequendi, vel timore perdendi: si nolit aut non velit credere, hoc ipsum faciet, vel fastidio credulitatis, vel aliâ simili cupiditate, vel timore revocatus. Vbi sanè manifestum est, liberè seu indifferenter huc aut illuc, quantum ad exercitium, volui voluntatem, dum inter duos terminos volendi nolendique, vel volendi, & non volendi constituta alterutrum indifferenter eligit: quo sanè modo & beatus liber est ad quemcunque actum, vel faciendum vel omittendum. Vtrumvis enim fecerit, sub ratione boni divini faciet: & ita necessariò operabitur quantum ad specificationem, liberè quantum ad exercitium. Simile quid reperitur in illa actione voluntatis, qua malum amare conaretur sub ratione mali: volitio enim & nolitio quam eliceret, esset libera exercitio, specificatione verò contrarietatis necessaria. Si quis ergo tentaret amare mortem sub ratione mali, conatus ess[illegible]itus: sequeretur nen actio voluntatis, qua diligeret mortem; d sub ratione boni. Et eatenus quidem quantam ad exercitium contradictionemque pror-

A sus libera, quamvis quantum ad specificationem contrarietatemque necessaria. Nulla enim voluntas rationem boni præfixam naturaliter egredi potest: sicut nulla voluntas beata, boni divini; nulla voluntas damnata, boni privati & creati terminos, sive in hoc, sive in futuro seculo, sine gratia præterire potest.

Quæ solutio si cui satis ostendere videatur, nullum omninò dari posse voluntatis actum, sive aliquod præceptum facere velit; sive non velit, quin ad utrumvis sub eadem tamen boni amati & privati consideratione, sit indifferens exercitio, & juxta principia Scholasticorū sufficienter in præceptis libera, quamvis generali peccandi libertate teneatur; non est quod nos ulteriùs in hac solvenda difficultate fatigemus. Sed, ut verum dicam, quamvis hæc omnia vera esse Augustinus facilè concederet, nonquam tamen ad inve-
B niendam demonstrandamque arbitrij libertatem in peccantibus in has angustias sese conjecit, vel à Pelagianis peccandi necessitatem oppugnantibus coarctatus fuit. Nam sive talis peccandi libertas adsit, sive non adsit, eam Augustinus nihil omninò curat: nec eam unquam, quod sciam, sub nomine libertatis in omnibus suis scriptis attigit, sivè ad bonum sive ad malum; nec unquam protulit, ut se ab invidiosissimo destructæ libertatis ad bonum, invectæque necessitatis peccandi opprobrio tueretur: sed ei abunde satis est, quòd peccator, non quidem primis voluntatis motibus quasi tentationibus, quibus voluntate consentire vel dissentire potest, sed sciens & prudens plenâ voluntate feratur in malum; sive ab ista diligendi mali necessitate se expedire possit, sive non possit. Quæ doctrina ejus istâ basi niti potest, quam supra generatim de libera voluntate fusiùs declaravimus.
C Nam talis voluntatis amor, quem voluntas ampliùs mutare non potest, verbi gratia, quo seipsam in omnibus omninò actionibus perversè diligit, quia se veluti terminum & quietem omnis suæ voluntatis respicit, dicetur esse liber, sicut actus divinæ voluntatis erga creaturas liber est; quamvis immobiliter in æternum diligat, & facere velit, quicquid sibi ab æterno semel statuerit esse diligendum, & faciendum. Mobilitas enim delusoria mutandi voluntatem liberam, fatentibus etiam Scholasticis, non est de ratione libertatis; sed imperfectio ejus imprudentiam aut inconstantiam voluntatis involvens. Cùm ergo similiter voluntas peccantis creaturæ liberrimo semel flexu se auerterit à Deo, divinisque mandatis obedire detrectaverit, quid conquerimur, si in eo quod semel elegerit liberâ voluntate, eâdem jam stabilitâ voluntate perseveret? Quem stabilitatis modum non solùm in illa prima & generali voluntate Angelicæ creaturæ, qua ex Dei amore in amorem sui, seu in privatum amorem lapsa est; sed in omnibus quoque ceteris electionibus Angelicis locum habere, propter naturæ voluntatisque constantiam, nonnulli non

non ignobiles auctores docent. Quæ sanè sancti Antistitis doctrina de voluntate necessariò peccante, principijs ejus de libertate infra tradendis conformissima est. Cùm enim nihil aliud ei liberum sit, quàm quod est in nostra potestate, nihil profectò magis in nostra potestate esse potest, quàm quod fit volentibus nobis; & proinde nihil magis liberum. Ex quo satis operosè infra deducemus, omnem deliberatam voluntatem hoc ipso quo est in nostra potestate, hoc est, quo non fit nolentibus sed volentibus nobis, esse liberam & non posse non esse liberam, sive etiam necessariò exercitij necessitate fiat sive non fiat. Quod ex Aug. mente in ipso amore beatifico verum esse latissimè demõstrabitur. Sic ergo & hic, etiamsi ille perversus amor sui, in quem ex Dei dilectione rationalis creatura lapsa est, & in quo ex justissima Dei damnatione perseverat, & ex quo omnis actus vel omissio damnatæ voluntatis fluit, firmissimè adhæreat voluntati, imò etiamsi non solum specificatione, ut nunc est, sed etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus, esset necessarius, non tamen ex Augustini mente desineret esse liber. Nam illa firmitas ex præcedenti & indifferenti electione, qualis est Angelorum, & maximè ipsius Dei ad condendas regendasque creaturas, nata est. Nec est necessitas repugnans voluntati, sed ex vehementia amantis voluntatis oritur: quæ sicut liberè amare aliquid ita & fortiter & constanter amare potest, damnatione vel beatificatione juvante voluntatem. Sic enim utraque voluntatem ad perseverandum juvat, ut non impellat stringatque violentè, sed rationes amandi novas suscitet, antiquas delectabiliùs, clariùs, constantiùsque proponat, subtractis aliud quidlibet amandi rationibus. Nam ut retractet, aut retractare possit, quod semel elegerit, non est de ratione libertatis. Sic ergo fit, ut voluntas infidelis sub damnatione ante gratiam constituta, constanter præcepto credendi, diligendi, vel aliud quidlibet faciendi parêre nolit; quia constanter in illo sui-ipsius amore, in quem suâ libertate cecidit; ex damnationis suæ pœnâ perseverat. Perabsurdum est enim, amorem illum quo rationalis creatura liberrimè cecidit, hoc ipso quo jam cecidit, eumque justa pœna sequitur, non ampliùs liberum, ac proinde nec malum, quantumvis præ amoris dulcedine in ejusdem etiam exercitio Dei instar permaneret. Omnis enim amor ipso primi actus exercitio fit stabilior & consuetudine amandi magis magisque radicatâ immobilior, non liberæ voluntatis amissione, sed constantia. Qua in re beatitudinis atq; damnationis quoddam præludium, imo principium est. Consuetudo quippe mala malam roborans voluntatem pœna est, damnatioque liberæ voluntatis: sicut bona consuetudo est præmium ejus. Unde Augustinus se *ligatum* fuisse dicit, *non ferro alieno, sed suâ ferreâ voluntate*, *velle meum*, inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Ortum verò talis necessitatis ex libertate significans: *Quippe*, inquit, *ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Est autem absurdissimum dicere, quod peccando aut benè agendo libertas pereat; aut hoc ipso, quo majori in bonum aut malum improbi vel sancti feruntur delectatione, minuatur. Quod optimè intelligens Augustinus, cùm per hujusmodi peccandi necessitatem, quam solâ gratiâ sisti posse sentiebat, libertatem arbitrij sustulisse culparetur: *Liberum*, inquit, *arbitrium usque adeo in peccatore non perijt, ut per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis lubet.* Quod in infidelibus, ac maximè in damnatis locum habet. De qua libertatis intelligentiâ qui plura postulet, consulat ea quæ infra de libertate arbitrij ex Augustini mente declaranda sunt; & ea quæ de gratiæ sufficientis defectu sine præjudicio liberi arbitrij differentur.

Videndus est totus lib. 6. & 7. de gratia Christi Salvat. qui sunt de nat. & lib. arb.

Lib. 8. Confess. cap. 5.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Videl. lib. 6. & 7. de grat. Christ. Salv. qui sunt de gratia sufficienti & de lib. arb.

CAPUT XXV.

Non repugnat Augustini doctrina propositioni damnatæ per duos Pontifices: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.*

Ex his facile intelligitur, doctrinam istam Augustini non esse comprehensam illâ propositione, quam proscripsit Pius V. & Gregorius XIII. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* Necessitas enim peccandi ab Augustino tradita solùm est necessitas in genere, ex qua fit ut non possint homines ante gratiam agere nisi malè. Hæc autem non impedit quo minùs in peccatis singularibus perpetrandis liberam & indifferentem ad faciendum & abstinendum habeant voluntatem. Sic enim & dæmones necessariò peccant, quamvis in singulis actibus peccatum non necessitate, sed voluntatis libertate committant, sicut hoc non ignobiles etiam recentiores auctores docent. Nam quod non ampliùs damnationem graviorem eorum peccata mereantur, statui peccantium, non innocentiæ talium actionum, tribui debet.

Bellarm. l. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 14.

Secundò etiam S. Augustinus quædam damnatorum hominum peccata necessariò fieri etiam exercitij necessitate traderet, juxta modum quo capite præcedenti diximus, non vide-

videretur doctrina ista Pontificum illorum censuris esse perstricta. Peccati enim damnabilis ratio; sicut & laudabilis benefacti, ab arbitrij libertate dependet. Iam autem secundùm recentiorum etiam Theologorum sententiam certum est, actum aliquem bonum posse esse liberum, libertate de qua ipsi loquuntur, quamvis ex aliqua suppositione jam fiat necessariò, & voluntas quæ eum producit ab eo producendo abstinere non possit. Sic enim videmus actum divinæ voluntatis ex hypothesi, quòd ad eum se liberè determinaverit, non amplius posse retractari: ex quo fit, ut quicquid ad extra facere reipsa jam ab æterno decreverit & elegerit, necessarium sit ut fiat. Sufficit enim ad ejus libertatem, ut liberrimè se ad eum Deus ab æterno determinaverit, ratione cujus liberrimæ determinationis, semper adhuc actus liber est & semper erit. Hanc electionis liberæ constantiam si creatura rationalis imitetur, ut pari modo immobiliter in amore creatoris vel creaturæ, ad quem sese summâ libertate flexerit, non solùm quantum ad speciem actus, sed etiam quantum ad exercitium perseveret, nihil est cur actus ille non semper dici possit liber eadem libertate, qua ab initio liberæ determinationis liber fuit. Talis enim voluntas juxta principia sancti Augustini, *est in nostra potestate, quia volentibus adest. Porrò quia in potestate est, libera est nobis.* Et quamvis illa exercitij perpetuitas respectu amoris sui in hominibus ante gratiam non habeat locum, quia somno saltem interrumpitur, sed solummodo quantum ad speciem actus: in dæmonibus tamen semper vigilantibus, & in actu constitutis, fortassis locum habet. Quidquid enim agunt illi, qui semper aliquid agunt, hoc agunt ex illo primo amore sui quo ceciderunt, veluti cardine quorumcunque motuum quibus agitantur. Vnde non veretur dicere August. quòd sicut Angeli boni *Deum perpetua justitia tenendæ voluntate promerentur*; ita malos *perpetua peccandi voluptas tenet.*

Lib. 3. de lib. arb. c. 3.

Ibid. c. 5.

A Si ergò necessitas ex hypothesi non repugnat actibus laudabilibus, nec libertati voluntatis, ex qua fluunt; non est ratio cur similis necessitas ex hypothesi damnabilium actuum libertati adversetur. Talis enim necessitas non nisi ex hypothesi præcedentis liberæ determinationis nascitur: nec aliud revera est nisi primæ liberæ voluntatis perpetuitas & immutabilitas; cujusmodi est divinæ, & fortassis Angelicæ voluntatis, quam defæcatior Theologia non solùm origine, ratione primæ determinationis, sed semper etiam actu liberam esse profitetur. Non loquitur ergò illa proscripta propositio de tali necessitate malæ voluntatis ex hypothesi, qualem tamen quantum ad exercitium in hac vita nullam agnoscit Augustinus: sed de necessitate potiùs absoluta, quâ voluntas ad malum appetendum aut agendum, non

B solùm specificatione, sed etiam exercitio, nulla prævia liberæ determinationis hypothesi, sed absolutè necessitata est. Talis enim voluntas aut actio creaturæ, præterquam quod in Angelis & hominibus nunquam data est, si tamen dari fingeretur, non in ea peccaretur damnabiliter, sed potiùs laudabiliter ageretur. Talis enim necessitatis determinatio institutionem naturæ sequeretur, quam sequendo non posset esse damnabilis. *Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, qui hæc facit.* Quæ ratio non habet locum, si jam libera voluntate peccantem ejusdem liberæ voluntatis duritia & perpetuitas consequatur. Iam enim liberè peccando recessit ab eo modo, quo naturaliter factus erat; & recedendo fieret, ut (quamvis liberam istam voluntatem recedentem à natura sua volendi, ob-

C stinatione ampliùs mutare non posset, quia mutare non vellet) non propterea ille qui constrictus esset ista hypothetica & voluntaria necessitate, ea quæ debebat, facere censeretur.

Lib. 3. de lib. arb. c. 1.

CAPVT XXVI.

De alijs propositionibus in Bulla Pij Quinti damnatis, quæ supra traditam doctrinam sancti Augustini complecti videntur.

SED aliæ non paucæ propositiones in eadem Bulla, inquies, proscriptæ sunt, quæ doctrinam illam aliam, quam de tentationum victoriâ, de vitandis per liberum arbitrium peccatis; de operibus infidelium, & similibus, ex Augustino produximus, redolere prorsus videntur. De quibus sigillatim aliquid dicendum est.

In primis igitur profertur illa propositio vigesima-nona. *Non soli fures ij sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicunque aliunde, quam per ipsum*

In Bulla Pij V. & Greg. XIII.

A *in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi posse docent, aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* Vbi damnari videtur ea doctrina, qua diximus ex Augustino, nullam tentationem solo libero arbitrio posse superari.

Respondetur, In ista Bulla nonnullæ propositiones damnantur, non tam propter falsitatem doctrinæ, quam contineant, quam propter acrimoniam censuræ, qua earum auctor, Doctorum quorundam sensa perstringit. Quod

Digitized by Google

Quod quia aliorum animos exacerbare & offendere solet merito à Pontificibus improbatum est. Et hinc est, quod inter notas quibus illæ propositiones inuruntur quædam respectivè dicuntur esse *scandalosa*, & *impias aures offensionem immittentes*. Quam solutionem Franciscus Suarez in multis propositionibus veram esse sentit, inter quas ipsius quoque judicio apertissime vigesima secunda collocanda est, quæ dicit: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos secundo: Gentes qua legem non habent, naturaliter qua legis sunt faciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus*: cùm Augustinus illam ut probabilem admittat, & S. Thomas doceat. Itaque Suarez: *Nunc generatim dici potest, has propositiones, qua non apparent ita damnabiles propter nudam doctrinam; propter acerbitatem & audaciam, qua Baius suas propositiones astruebat, & contrarias notabat, reicitas esse à Pontifice, saltem ut scandalosas: qua illa Baij immodica exaggeratio scandalum generabat. Quæ regula recte quidem ad primum exemplum* (de ista propositione ex capite secundo Epistolæ ad Romanos desumpta) *accommodatur*. Ad illam verò propositionem: *Non solum hi fures sunt & latrones* &c. Ita respondet, *necessarium non esse, ut propter omnes damnetur; præsertim quia illa propositio ex hypothetica est, & cum intolerabili temeritate incipit: non solum hi fures sunt & latrones* &c. Gabriel verò Vasquez hanc ipsam primam propositionem, quam de victoria tentationum objecimus; itemque illam vigesimam octavam, quam vocat 29. *Pelagianus error est dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*: nec non trigesimam sextam: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit*. Et sexagesimam tertiam quam ipse 61. nominat: *Non nisi Pelagiano errore admitti potest, usus aliquis liberi arbitrij bonus sive non malus, & gratia Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet*. Has, inquam, omnes propositiones & plures alias rejectas esse tradit Vasquez. *Non propterea*, inquit, *quòd auctor earum, hanc sententiam sequeretur*, videlicet quod nulla tentatio sine gratia per Christū vinci posset, vitarique sine peccato: nullumque moraliter bonum opus fieri sine gratia: *sed quòd oppositam erroris arguat: sicut etiam incusaretur, qui censeret hereticam opinionem Thomistarum asserentium Beatam Virginem conceptam in peccato originis: non quòd ipse oppositam sequeretur, sed quod prædictam carperet ac morderet*. Hæc ipse latius prosequitur. Et ad hujus solutionis veritatem asserendam, profert testimonium Francisci Toleti confitentis solutionē esse germanam, & Bellarmini sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quorum alter Lovanium destinatus fuit, ut ejus opera Bulla reciperetur, alter ibidem fuit, cùm promulgaretur. Vnde ipse Vasquez ex professo docet nullam tentationem superari, nullumque moraliter opus bonum fieri, sine gratia Christi & primam earum à duobus illis prædictis Cardinalibus traditam fuisse asserit. *Verum si damnatio harum*, inquit, *propositionum aliquid obstaret sententia nostra in hac disputatione, obesset etiam opinioni quam præcedenti disputatione secuti sumus de victoria tentationum, quam etiam tradidit noster Bellarminus. At ille noverat prædictam damnationem, unò & occasionem illius, quam inferius referemus. Nam & ipse Lovanij fuit eo tempore, quo contentiones inter Doctores exortæ fuerunt; & Romæ, cum prædicta Bulla edita & confirmata fuit. Nihilominus neque contra opinionem, quam docet de victoria tentationum, quicquam ex hac Bulla sibi objicit*. Et paulò inferiùs etiam de Francisco Toleto: *Adde Franciscum Toletum nostræ societatis Religiosum, & postea Romanæ Ecclesiæ Cardinalem illustrissimum, cum quo de hac re conveni, dum essem Romæ, in ea fuisse sententia: quod nulla tentatio etiam minima sine auxilio gratiæ per Christum vinci possit, aut vitari sine peccato. Et tamen ipse auctoritate Apostolica Greg. XIII. Lovanium missus est ad componendas lites de hac re inter Theologos, & ut curaret prædictam Bullam ab omnibus submissè recipi. Sciebat igitur nihil suæ opinioni prædictam damnationem adversari, ut inferius commemoravimus*. Et statim subjungit: *Ego etiam non dubito propositiones, quas memoravimus, sicut etiam multas alias continentes acre judicium, quo Doctor ille aliorum opiniones criminabatur, damnari tantum, ut scandalo & offendiculo parentes, & hâc ratione solùm prohiberi. Nam & audacia, nimiaque arrogantia in aliorum sententijs malignè vellicandis, ac lacerandis non parum scandali afferre solet: à quo docti & prudentes Theologi in suis scriptis abstinere deberent*. Quod ostendit ex prohibitione, quâ sugillatio & notatio sententiæ de Cōceptione B. Virginis immaculata vetita est. Et cùm in eandem sententiam non pauca dixisset, ad Eminent. Toletum rediens: *Sensum hujus damnationis, prout à me explicatus est, contuli cum Illustrissimo D. Cardinali Francisco Toleto, cùm adhuc sacri Palatij Concionator & Theologus esset, anno 1586. qui ut dixi pro hac Bulla & damnatione recipienda Lovanium missus fuit*, EUMQUE PROBAVIT ET GERMANUM ESSE DIXIT, PROPRIAQUE MANU *subscripsit: cujus scriptionis exemplar apud me adhuc est*.

Quæ quamvis ita sint, non tamen negat neque Bellarminus, neque Toletus, neque sanctus Augustinus, quin liberum arbitrium aliquod particulare peccatum suis viribus vitare, nonnullasque tentationes ita sine gratia superare possit, ut in aliam incidat. Nullo modo enim necesse est, ut eâdem quâ pulsatur animus tentatione, superetur, vel in idem peccatum incidat, quo vi tentationis urgetur. Si ergò Pontifices eos qui hoc negant, proscribendos illa censura duxerint, tunc non solum propositiones illæ, quantum ad censurarum acerbitatem, sed etiam quantum ad ipsam quam continent doctrinam damnatæ censeri debent. Talis enim doctrina non tantùm Augustino, ut suprà vidimus, sed experientiæ perspicuè contraria est, quâ docemur ab hypocritis apertissima quædam vitia, vanæ gloriæ cupiditate, vel alijs vitijs deterioribus vinci. Sed non arbitror ad illum vitandæ

Marginal notes: Proleg. 6. c. 2. n. 14. — Suar. Proleg. 6. c. 2. num. 14. — Num. 15. — 1. 2. Disp. 190. c. 12. & Disp. 189. c. 15. — Vasq. 1. 2. Disp. 190. c. 18. n. 174. — Ibid. — Num. 176. — Num. 179.

vitandæ superandæque tentationis modum à Pontificibus respici, quem à nemine negatum esse nemini, ipsa verba propositionis satis indicant, de illa superatione tentationis esse sermonem, quâ sic resistitur tentationi, *ut in eam non inducatur*, hoc est ut, in nullam inducatur. Quod fit, ut Augustinus dicit, quando *concupiscentia bona vincit concupiscentiam malam.*

Quod si quæratur quâ certitudine doctrinam istis superioribus quatuor propositionibus contentam, & à censurandi acerbitate separatâ tradiderit Augustinus vigesimam octavam & vigesimam nonam, quod nulli tentationi sine gratiæ adjutorio resisti possit, sic ut ab ea non superetur, vel sic ut peccatum vitet, & trigesimam sextam, quòd nihil boni operis naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnosci debeat, & sexagesimam tertiam, quòd nullus usus liberi arbitrij bonus, sive non malus sine gratia haberi possit? Respondeo, sicut negare non possum omnes illas propositiones constantissimè sine ulla omninò fluctuatione docuisse contra Pelagianos Augustinum, ita dubitare non possum, eas velut bases totius doctrinæ de gratia & libero arbitrio, & consequenter tanquam doctrinâ Catholicam indubitatam tradidisse. Quod ipsemet non obscurè multis locis profitetur, sicut ex præcedentibus satis perspicuè intelligi potest, & de plerisque uberius, cùm de gratia disserturi sumus patefiet, hic de vincendis tentationibus peccatisque vitandis sufficit tantisper una sententia sancti Augustini quam tanquam Catholicam fidem confitendam esse profitetur: *Fateatur* (Pelagius) *quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam.* Vnde Pontificali auctoritate sanctus Innocentius: *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non auxiliante vincamur.* De operibus verò naturaliter seu moraliter bonis, seu usu bono liberi arbitrij quid senserit, satis declarat locus ille quo adversus eosdem Pelagianos dicit, *Nemo benè libero arbitrio uti potest nisi per gratiam, quæ non secundum debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur.* Quam sententiam Episcopi Africani & Apostolicæ Sedis Antistes Celestinus, sua definitione sancientes dicunt: *Præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Ex quo perspicuum est sanctos illos Patres Augustinum Afros Episcopos & Apostolicæ Sedis Præsules, non aliter quam Pelagiani erroris frutices, contrarias doctrinas reprobasse quod quo pacto cum illa Bulla Pij V. & Gregorij XIII. cohærere possit, sequenti capite dicturi sumus.

Epist. 106.

Epist. ad Concil. Carthag.

Lib. 1. ad Bonif. c. ult.

Celest. Papa in Epist. ad Gall. Episc.

CAPVT XXVII.

Proferuntur aliæ ex illa Bulla propositiones de operibus infidelium, de potestate arbitrij non nisi ad peccandum, de amore duplici creaturæ rationalis, & difficultas ex illis nata solvitur.

NAm de alijs nonnullis doctrinæ capitibus quæ ab Augustino videntur esse tradita, major difficultas est. Nam propositio vigesima quinta quæ damnatur in illa Bulla, sic sonat: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Et propositio vigesima septima: *Liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* Et trigesima septima, quæ fundamentum videtur esse præcedentium. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas quæ per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur.* Hæc autem omnia videtur docuisse Augustinus uti verba sonant. Neque enim hic responderi potest censuræ cujuspiam acerbitatem proscriptam esse; simpliciter enim & categorice tres illæ propositiones prolatæ sunt, nulla censendi acerbitate scandalosæ.

Prop. 25.

27.

37.

Respondetur de postrema quidem illa propositione minorem esse difficultatem. Nam illa satis apertè verbis ipsis præ se fert omnem amorem creaturæ rationalis aut esse vitiosam cupiditatem aut illam charitatem qua in corde diffusâ justificatur creatura. Nam hac de causa *laudabilis* vocatur, ut intelligatur illa charitas quæ inter Doctores hujus temporis celeberrima, & sola nomine charitatis nota est, quâ Deus diligitur super omnia; quæ omnes secundùm Apostolum Paulum virtutes comites habet; quæ juxta sanctum Petrum *operit multitudinem peccatorum*; in qua qui manet secundùm Apostolum Ioannem, *in Deo manet & Deus in eo.* Falsum est autem inter istam laudabilem charitatem, vitiosamq; mundi cupiditatem nullum amorem creaturæ rationalis esse medium. Datur enim & alius amor bonus, qui nec est ista charitas, nec ista cupiditas, quo videlicet incipit benè Deo peccator affici ante justificationem per charitatem. Ex isto enim pietatis affectu ante justificationem & credit peccator Deo, & sperat peccati sui remissionem æternamque beatitudinem, & aliquo usque, licet imperfectè non super omnia, Deum

1. Cor. 13.

Deum diligit. Hunc pium affectum Augustinus, hanc bonam voluntatem, hunc amorem Dei, cum initio fidei pullulare tradit, eumque nomine charitatis, ut aliquoties supra diximus vocare solet, ut proinde nihil ista propositio, quæ nomen charitatis in ista celebratissima significatione sumit, contra istam Augustini doctrinam faciat. Sic autem charitatem in ista propositione sumi, ex diversarum propositionum totiusque doctrinæ, quæ in eis traditur conformitate deprehenditur. Passim enim indicant auctorem earum in ea sententia fuisse quod quidquid operum bonorum fit ante remissionem peccatorum, fiat verâ illâ perfectâque charitate quæ justificet quidem hominem, à peccatorum tamen remissione separetur, ac proinde nullum esse auxilium gratiæ nisi per Spiritum sanctum inhabitantem, ad quem hujusmodi opera referantur. Hanc ejus doctrinam apertissimè præ se fert propositio

Propos. 31. trigesima-prima: *Charitas illa quæ est plenitudo legis non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Et trigesima-secunda:

32. *Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum.* Et quadragesima-secunda:

42. *In hominibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante Baptismum est vera iustificatio* (sine dubio per illam charitatem de qua propositionibus duabus jam citatis) *separata tamen à remissione peccatorum.* Quæ omnes spirant non aliâ charitate seu amore ante remissionem peccatorum opera bona fieri, nisi illâ notissimâ quæ Deum diligi super omnia, & justum facit; quam sentit à peccati remissione esse separatam. Quod multò luculentius asseritur propositione

68. sexagesima-octava: *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Conformiter istis principiis etiam de auxilio Spiritus sancti ratiocinari videtur. Nam

61. propositio sexagesima-prima sic loquitur: *Sed & illa distinctio duplicis iustitiæ alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis iustificatio impleatur, similiter rejicitur.* Et proposi-

62. tio sexagesima-secunda: *Item & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius qua vivificatur, qui verè iustificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia est, & scripturis minime congruens.* Quæ sanè apertissimè significant nullũ esse auxilium Spiritus sancti *cor ad pœnitentiam excitantis sed nondum inhabitantis*: nullam Spiritus sancti *vivificationem qua vivificetur peccator, dum ei pœnitentia & vita nova propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur*, nisi verè justificetur per illam justificantem charitatem quæ toties dicitur à peccatorum remissione posse sejungi. Vt sanè ipsa doctrinæ in tot capitibus conformitas postulet etiam in illa propositione trigesima-septima charitatem illam laudabilem, hoc est perfectam & justificantem, quæ semper illo nomine hoc tempore & in istis propositionibus intelligitur, ab illa vitiosa cupiditate distingui, ut inter se totum amorem rationalis creaturæ partiantur; quod ab Augustini doctrina certum est esse dijunctissimum.

Ex quo etiam intelligi potest sensus propositionis vigesimæ-septimæ quam objecimus. Nam *adiutorium gratiæ sine quo nihil liberum arbitrium nisi ad peccandum valere* contendit, videtur illud intelligere quod per Spiritum sanctum inhabitantem datur, sicut eum & Gabriel Vasquez intelligit. Nam ut audivimus, rejicit adjutorium Spiritus sancti cor ad pœnitentiam excitantis, & nondum inhabitantis: rejicit & *gratiam Dei, qua inspiratur peccatori inchoatio & propositum vitæ novæ & pœnitentia*, nisi simul verè ut palmes in vite vivificetur saltem absque remissione peccatorum. Certum est autem cùm Augustinus docet liberum arbitrium sine adiutorio gratiæ Dei non nisi ad peccandum valere, eum nullo modo de adjutorio Spiritus inhabitantis loqui, sed de illo quo simul fides, pœnitentia, vitæ novæ propositum & similes boni cordis motus inspirantur peccatori antequam perfectâ illâ charitate justificetur, & peccatorum remissione purgetur. Vt proinde propositiones illæ juxta sensum earum genuinum nihil omninò contra doctrinam Augustini faciant. 1. 2. q. 109. art. 4.

Magis arctat propositio vigesima-quinta. *Omnia opera infideliũ sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Vtramque partem enim tam constanter & luculente tot modis Augustinus tradidit, ut si ulla est doctrina in universis lucubrationibus ejus manifesta & minùs obnoxia cavillationibus, illa emicet inter omnes. Vnde etiam tricas omnes quibus doctrinam ejus obvolvere nituntur quidam recentiores, minùs versati in principiis ejus, dissipavimus. Quod si illis non obstantibus liceat Augustinum alio detorquere, fidenter ausim dicere; nos frustra hæreticos sanctorum Patrum auctoritate premere, quos tam licenter ad nostri temporis doctrinas detorquemus. Nihil enim est in toto Augustino tam clarum de gratia vel de quolibet doctrinæ capite, quod non probabilioribus glossis in alienos sensus pervicacior quisque adversarius verterit.

Quapropter ingenuè fateor mihi hîc aquam hærere nec aliud impræsentiarum occurrere quod respondeam, nisi id quod biennio postquam illa bulla Lovanij esset promulgata anno videlicet millesimo quingentesimo septuagesimo, die decimâ septimâ & decimâ nonâ Aprilis coram toto auditorio ex Cathedra generatim responsum fuit. Cùm enim à Reverendissimis Dominis Martino Rythovio Iprensi, Francisco Sonnio Buscodu-

coducensi & Cornelio Iansenio Gandavensi Episcopis expedire judicaretur, ut ille propter quem Bulla emanaverat aliquid ad articulorum illorum, quos quidam omnes hæreticos esse suspicabantur, declarationem loqueretur, cùm sigillatim multorum sensum explicuisset, universim dixit, quod multis perperam persuasum esset, omnes istos articulos qui in hac Bulla damnantur, esse falsos & hæreticos, quin alioqui falsi esse non possint. Sed damnantur tantùm, tanquam, ut Bulla loquitur, *hæretici, erronei, suspecti, temerarij, scandalosi & in pias aures offensionem immittentes respectivè.* Quâ loquendi circumspectione significatur alios esse hæreticos, alios erroneos &c. alios tantùm scandalosos, aut offensivos. Offensiva autem propositio aut scandalosa non necessariò hæretica aut falsa est. Sic enim libri nonnulli damnantur non propter falsitatem alicujus doctrinæ, sed quod insolenti aliquâ novitate vel alia de causa perturbant animos & offendunt. Sic enim novimus quas offensiones & scandala suscitaverit in Hispania sententia de conceptione Beatæ Virginis in peccato originali, cùm tamen eam tenere quisque sineretur: Et ipse novi alicubi concionem de præputio Christi quorundam piis auribus offensionem attulisse. Vnde ut Pontifex indicaret non omnes articulos falsitatis esse damnatos salutarem clausulam adjecit, *quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Sic enim illa clausula tunc temporis cum Bulla ederetur, intellecta fuit; quemadmodum & verba ista sonant, & coram toto auditorio tunc declaratum fuit. Quamobrem cum anno millesimo sexcentesimo decimo-octavo difficultas super quibusdam Bullæ verbis esset excitata, Eximius Dominus Iacobus Iansonius qui omnium illorum quæ in Bulla promulganda per Dominum Præpositum Ariensem, & postmodum per Franciscum Toletum à Sua Sanctitate Lovaniū destinatos acta sunt, spectator fuerat, in scholis publicis originalem Bullam manibus tenens, me præsente dixit, illam clausulam hâc occasione adjectam fuisse, quod ad Sedem Apostolicam transmissa fuisset quædam articulorum quorundā declaratio qua ostendebatur aliquos ab antiquis Scriptoribus fuisse traditos; peteretque Facultas Theologica Lovaniensis ut articuli, hæretici, erronei, temerarii, scandalosi, offensivi &c. à seinvicem secernerentur, ut qua quisque nota censeri deberet omnibus innotesceret. Quod cùm Apostolicæ Sedi certis de causis non videretur, appositum fuit ad solatium Autoris, ut aiebat, qui doctrinas quasdam antiquorum perstringi querebatur *nonnullas sententias aliquo pacto sustineri posse in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Itaque idem Iansonius palam contestatus est Pontificis Bullam adulteratam esse ab iis qui distinctionem ponerent, post illa verba, *sustineri possent*, ut reliqua quæ sequuntur *In rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, ad damnationem referrentur quasi in sensu ab autore intento damnarentur. Nullius enim distinctionis in originali Bulla quā tenebat manibus & legebat vestigium esse asserebat, & revera nullum esse distinctionis vestigiū egoipse sæpè meis oculis vidi. Vnde multo magis inadvertēter adulterata ab iis Bulla est, qui interjecta distinctionis nota inter *possent*, &c, *In rigore*, eam inserta conjunctione *tamen*, (qua Bulla originalis prorsus caret) hoc modo efferunt: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore tamen & proprio verborum sensu ab assertoribus intento &c. damnamus.* Hoc enim fecerunt, ut quod Pontifex subtracta adversativa particula & omni distinctionis nota, ad defensionem quarumdam sententiarum referri volebat, ipsi contra Pontificis mentem verbis textui superadditis & insertis ad damnationem distorquerent.

Ex Bulla cit.

Quod si quædam sententiæ in sensu ab autoribus intento sustineri aliquo pacto possunt, de quibus tandem hoc verius dici poterit quàm de illis, quos autorem ex Augustino hausisse certum est, & pariter æquè certum Augustinum eo sensu eas docuisse, quo auctor ille docuit, quamvis nullo pacto Augustini fundamenta satis detexisse vel penetrasse videatur. Itaque propositionis illius, *Omnia infidelium opera sunt peccata* &c. Eundem autor ille secum tatendit, ut ex libro ejus de virtutibus impiorum patet, quem nos Augustini & Prosperi esse demonstravimus & sanctus Episcopus ac Martyr Roffensis omnium Patrum. Quis igitur credat Apostolicam Sedem quæ toties Augustini doctrinam de divina gratia probavit & suam fecit, hujusmodi Augustini sententias quæ non aliquo cogitandi scribendique calore & celeritate quasi aliud agenti per transennam exciderunt, sed ab ipso per omnes passim libros sparsæ, summisque disputandi viribus assertæ fuae tanquam bases quibus doctrina de gratia & libero volūtatis arbitrio nititur, tanquam hæreticas, erroneas aut verò falsas esse damnatas? Nemo certè nisi qui Apostolicam Sedem vel olim vel nunc errasse, sibique contrariam esse non sine temeritate & errore credi velit. Cap. 4. 5. & 6.

Quapropter longè rectius dicendum puto Pontifices ipsos hujusmodi calumniosis cogitationibus obviare voluisse expressis verbis admonendo nonnullas sententias aliquo pacto sustineri posse in rigore & sensu ab autoribus intento. Cur ergo, inquies, proscriptæ sunt? Idcirco, inquam, quod altera sententia Scholasticorum studijs, humanas magis rationes quam Ecclesiasticam traditionem attendentes in scholis esset receptior atque tritior. Quis enim nesciat nubem esse Scholasticorum qui nonnulla opera bona in infidelibus agnoscunt, & Philosophorum virtutes non vitia, sed virtutes esse profitentur? Sed quantūvis illi numerosi fuerint, non possunt Ecclesiasticæ doctrinæ per Augustinum adversus Pelagianos constitutæ, per Pontifices appro-

posse fieri, benè nos uti posse libero arbitrio sine gratia, peccata vitari posse, tentationesque superari solà arbitrij libertate: nonne ipsa necessitas veritatis postulat à sanctissimi Præsulis sententia calumniam istam propulsari, sicut cum certa veritate propulsari potest? Vt si noluerint altissimæ cælestique doctrinæ ipsius acquiescere, desinant saltem ei suam, quæ per terram repit, damnatæque naturæ vires prædicando, Pelagianis si non sensibus certè vocibus utitur, cum injuria tanti Doctoris imponere.

FINIS.

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS
DE STATV PVRÆ NATVRÆ
LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

HACTENVS genuinum Augustini sensum de naturæ per peccatum lapsæ viribus prompsimus: nunc pauca propter argumenti vicinitatem de puræ naturæ statu subnectenda sunt, ex quibus doctrina sanctissimi Doctoris non modo planius & plenius, & à radicibus intelligatur, sed etiam adversus nonnullas recentiorum machinas munita consistat. Nam quamvis eam ipsissimam esse sententiam Augustini quam in superioribus declaravimus, omnium scriptorum ejus accurata consonantia per seipsa clamet, nec animo ad penetrandum subtili, sed à præjudicijs philosophicarum opinionum libero opus sit, ad eam in ejus lucubrationibus agnoscendam, nonnulli tamen ad eam confitendam trepidabunt, quod non satis videbunt quâ ratione status puræ naturæ cum ista doctrina conciliari possit: quem in humana natura dari posse vel dubitari nefas putant. Tanta quippe est in quibusdam hominibus humanæ philosophiæ rationumque plausibilium fiducia, quas gentilium cœcitas præformavit, ut universam Augustini doctrinam facilius, præterquam ubi in terminis ipsis definita est, pessumdari, quam illas sibi præripi vel ut inanes abjici paterentur: quantumvis eis nullus vel antiquus Pater vel Concilium vel Scriptura suffragetur. Quamobrem quanquam ille puræ naturæ status non solum Augustino, sed etiam antiquæ Ecclesiæ ignotus fuerit, nec nisi à gentilibus olim & hæreticis obtrusus, ex Augustini tamen principijs facile intelligi poterit quid de illo sentire

 debea-

debeamus. Vt operæ me pretium laturum arbitrer si ea saltem detractis præstigijs detegam, verisque rationibus in ejus doctrina fundatis muniam, quo peritior lector dijudicare possit, utrum satius sit, per illa principia quæ de Pelagiana fraudulentia, & philosophico supercilio triumpharunt, puræ naturæ statum excludere, an philosophicis applaudendo rationibus introducere.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit status puræ naturæ juxta recentiores. Differentia sententiæ eorum ab opinione Pelagianorum.

ITAQUE sciendum est puram naturam dici juxta recentiores puritate negativa, qua scilicet nihil habet naturæ superadditum, quod ei non debitum sit sive malum sive bonū, hoc est ut neque peccatum habeat pœnamq; peccati comitem, neq; ullum gratiæ naturam superantis donum. Vt verò facilè intelligatur, quid hujusmodi naturæ status comprehendat, naturam lapsam intueri jubent, in qua quicquid præter peccati reatum deprehendimus, hoc ad puram naturam pertinere profitentur. Regula quippe solemnis eorum est naturam puram à natura lapsa discrepare, *sicut nudum à spoliato*: qui non aliter differunt, nisi quod hic amiserit quod alter nondum habuit: ut proinde pura natura se habeat instar negationis, lapsa instar privationis. Quapropter ut omnia breviter illi statui à Scholasticis attributa, percurramus qui hominem à Deo in puræ naturæ statu creari posse nullo omninò peccato præcedente, profitentur, ij volunt eum creandum esse sine ordinatione ad beatitudinem sempiternam seu claram visionem Dei. Hinc consequenter dicunt, eum sine fide in intellectu, & voluntate sine charitate Deum diligente condendum. Repugnantiam illam carnis & spiritus ei esse prorsus naturalem, usque adeo ut ordo merè naturalis postulet ut Deus duos appetitus illos contrarios reciprocis motibus cōflictari sinat, neq; concursum suū subtrahendo, neque dono quopiam superaddito mutuam pugnam hostilitatemque comprimendo. Proinde quantum ad internas animi vires, tantam in pura natura futuram ignorantiam, beneque cogitandi, judicandi, vivendique infirmitatem, peccandique pronitatem, quantam in natura lapsa experimur: quantum ad externa vero, majorem. Nam præterquam quod objecta sensibilia concupiscentiam excitantia essent eadem, mala pravorum hominum consilia potentius tunc ad malum, & exempla provocarent: Nam cognitio Dei virtutumque quæ Adamo communicata fuerat & memoria promissionum & communicationum Dei, priorisque status & præteriti sæpius recordatio, & promissio venturi Christi cum spe redēptionis ejus, quæ per traditionem à capite in posteros diffusa promanarunt, peccandi facilitatem in natura lapsa mitigare potuerunt, ut hàc parte cæcitas & corruptio morum generalior peccandique pronitas in pura natura proclivior futura fuisse videatur. Quo accedit, quod nulla fortassis esset etiam ex parte dæmonis tentantis differentia: nam dæmonis compressio ne tentet homines, videtur ad providentiam superioris ordinis quam puræ naturæ pertinere. Hinc multò magis puræ naturæ mortalitatem adhærere tradunt, omnesque morbos corporum, quæque inde sæpiùs proficiscuntur animorum labes, totam denique calamitatum seriem, quibus atteritur ista vita miserorum à primis fletibus nascentium usque ad extremos habitus morientium. *Quicquid enim in uno statu admittunt, alteri tribuendum esse*, ipsimet Scholastici profitentur. Ecce tibi breviter depictum ex libris recentiorum illum puræ naturæ statū, in quo hominem à Deo sine peccato præeunte creari posse confidentissimè docent.

Ex qua doctrina manifestum est, illam inter Scholasticos recentiores atque Pelagianos, quantum ad istum humanæ naturæ statum attinet, esse differentiam quod Scholastici naturam hominis in eo statu quem descripsimus à Deo auctore sine peccati merito condi posse sentiunt; Pelagiani etiam reipsa conditam esse delirant. Quidquid enim ignorantiæ & repugnantiæ carnis, & spiritus, seu concupiscentia mentem tenebrat ac deorsum trahit, quicquid tentationum per visibiliū rerum objectamenta humanum genus patitur, quicquid morborum corporis & animi, ceterarumq; calamitatū sive parvulos sive majores quotidie urit & premit, hoc est universum illud gravissimum jugum quod nobis impositum esse sentimus, hoc totum Pelagiani naturali rerum conditioni tribuebant, eodem plane modo sicut Scholastici nobis imponi posse sine præcedente iniquitate arbitrantur. Quam Pelagianorū genuinam sententiam fuisse late & liquidò nos [a] ante in recensendis eorum opinionibus demonstravimus: Nec [b] ipsi Scholastici recentiores negant: Quod ita de Pelagianis verum est, ut

Bellarm. lib. de grat. primi hom. c. 5. Suarez. Pro leg. 4. cap. 8. num. 11.

Vid. Suar. cap. ultim. Proleg. 4.

Suarez Proleg. 4. c. 5. n. 4. et 5.

[a] Lib. 1. de hæres. Pelag. c. 17. 18. et seqq. et c. 24.

[b] Suar. Proleg. c. 11.

verum est ut etiam sine fide Christi benè viventibus gentilibus quoddam beatitudinis genus naturalis asscripserint, sicut in iisdem locis à nobis e declaratū est. Vnde & ipsum nomen puræ naturæ videtur emanasse à Pelagianis. Nam ex eorum sensu & verbis objectionem sibi proponit Augustinus quando dicit: *Dicet aliquis si hac natura pura non sunt sed vitiosa primordia &c.* Vbi pura natura opponitur naturæ per peccatum vitiatæ. Et evidentius alibi: *Huius tam horribilis pœnæ iustitia si quæratur, nonne istorum omnis de libero arbitrio & laudabili sanitate naturæ, quantumlibet arguta sit argumentatio repercussa & perfracta desilit?* Vbi alludit ad illa verba quibus aliquanto superius Pelagius sensum suum de pura natura liquidissimè expresserat: *Omne bonum ac malum quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus non nobiscum oritur sed agitur a nobis. Capaces enim utriusque rei non pleni nascimur, & ut sine virtute ita & sine vitio procreamur; atque ante actionem propriæ voluntatis, id solum in homine est quod Deus condidit.* Quibus verbis nihil accuratius aut luculentius adferri potest ad puræ naturæ statum oculis objiciendum; per hoc enim quod neque laudabiles neque vituperabiles nos nasci Pelagius tradit; certum est omnem gratiam & peccata originaliter indita vel contracta removeri. Sicut enim fieri non potest quin per culpam originalem vituperabiles sumus, ut ibidem Augustinus docet, ita nec fieri potest quin simul Dei gratiâ nos justos producente, laudabiles. Vnde addit capaces tantum non plenos nos vitij virtutisque nasci; quorum utrumq; statui naturæ puræ proprium est.

Vide lib. 3. de hæresi Pelag. cap. 3.

Lib. 1. de pecc. merit. cap. 37.

Lib. de pecc. orig. c. 30.

Ibid. c. 13.

Hæc ergò principia de sententia tam Scholasticorum quàm Pelagianorum tanquam certa & indubitata supponentes, videamus nunc quid certi ex Augustini doctrina de puræ naturæ statu juxta mentem ejus colligi possit. Nam quicquid alij minus excussis ejus principijs de illius mente suspicentur, nos post longum operosumque illius difficultatis examen & principiorum Augustini collisionem non dubitamus plerosque scholasticæ doctrinæ Professores, quemadmodum in explicando naturæ lapsæ statu longissimè ab ejus mente deflexerunt, ita in asserendo puræ naturæ statu procul à principijs ejus immobilibus quibus tota doctrina ejus adversus Pelagianos & Manichæos incumbit; filum humanæ rationis potiùs quam Ecclesiasticæ traditionis consectando, recessisse. Existimamus enim statum illum prout in eo à Scholasticis hominem sine peccato præcedente à Deo condi posse statuitur, principijs August. pœnè omnibus ex diametro repugnare. Qua in re utrum genuinam doctoris mentem allecuti simus, non solum sanctæ Ecclesiæ Romanæ judicio in cujus fide & obedientia & gremio sicut ab infantia huc usque vixi, ita ad extremum usque halitum vivere & mori Deo juvante constitui, sed etiam cujuslibet non supini lectoris Augustini me meaque lubens submitto.

CAPVT SECVNDVM.

Pondus naturale creaturæ rationalis in beatitudinem suam poscit ut beari possit. Quatuor status seu modi beandi adferuntur ex Augustino qui omnes repugnant puræ naturæ.

VT igitur à primo humanæ naturæ cardine incipiamus, beati esse omnes volumus. Quod ita verum & certum & medullis omnium infixum est, ut cum ipsis Academicis omnia dubia sint, hac de sententia nec Academicus ille Cicero dubitaverit, qui cùm vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa de qua nullus ambigeret sumere suæ disputationis exordium; *Beati certè*, inquit, *omnes esse volumus.* Et quia omnes hoc volumus, nec aliter velle possumus, profectò appetitus ille naturalis est. Ab illa quippe voluntate quicquid vel patenter vel latenter voluerimus, non recedimus. Nam & ille qui credit quod post mortem non erit, intolerabilibus molestijs ad totam cupiditatem mortis impellitur, quamvis in opinione habeat errorem omnimodæ defectionis in qua nulla omnino beatitudo est, in sensu tamen & voluntate habet naturale desiderium quietis. Quod autem quietum est non est omninò nihil imo etiam magis est, ideoque beatius quam quod inquietum est. Inquietudo enim variat affectiones, ut altera alteram perimat; quies autem habet constantiam, in qua maximè intelligitur ipsum esse, & per hoc beatum esse. Omnis itaque ille appetitus in voluntate mortis, non ut qui moritur non sit, sed ut quiescat & ipsa quiete sit beatus intenditur. Ita cum errore credat se non futurum, natura tamen quietum esse, & per hoc magis esse, & beatior esse desiderat. Quæ constantia certissimum argumentum est hoc esse desiderium naturale ut meritò hac de causa dicat Augustinus, quod omnes beatos esse velle *veritas clamat, natura compellit, cui summè bonus & immutabiliter beatus creator hoc indidit.*

Lib. 13. de Trinit. c. 8

Ex eodem autem fonte nascitur ut omnis creatura rationalis miseriam fugiat. Miseria quippe genus est quoddam mali, mali autem fuga in boni contrarij cupiditate fundatur. Ex quo fit ut nemo miser esse nolit, nisi quia sibi melius esse, & per hoc quia beatus esse desiderat. Ita verum est ut sive velint homines quippiam, sive nolint, omnes tamen beati esse velint, idque unum ardentissimo amore appe-

Digitized by Google

appetant, & propter hoc cetera quæcunque appetant, usque adeo ut sanctissimus Doctor dicat ita *nos beatos esse velle, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam velle possimus.*

In Enchir. cap. 104.

Cùm ergò tantus sit naturalis iste impetus creaturæ rationalis in beatitudinem suam, & omnium desideriorum fugarumque basis, necesse est esse etiam aliquid quo obtento naturaliter satietur. Si enim nihil esset, vanissimum esset istud naturale desiderium ipsaque creatura rationalis tota in vanum condita. Nam ut natura juxta philosophum non inclinat aut movet ac impossibile, ita multo minus Deus ac natura in vanum. Aliquid igitur necessario est, cujus assecutione quiescat istud naturale pondus, tanquam termino omnium motuum; quod proinde non potest non esse ultimus finis ejus, qui respectu creaturæ rationalis beatitudo dicitur, in quam velut oceanum omnes animi motus influunt, & velut in centro suo conquiescunt quod & alio ex capite ostendi potest. Creatura enim rationalis non potest neque esse neque condi propter se, necessariò igitur propter aliud: hoc autem propter quod condi postulat est ultimus finis ejus naturalis, utpote quem ejus institutio naturalis poscit & ejus assecutione necessariò beata est. Si enim alio adhuc beanda tenderet, naturalis appetitus ejus, nec istud primum esset ultimus finis ejus, nec propter istud esset condita; nec illo adepto conquiesceret, sed illo potiùs in quod velut in centrum suum pondere naturali adhuc ulterius beanda vergeret. *Rationalis enim creatura sive in angelico spiritu, sive in anima humana ita facta est, ut sibi ipsa bonum quo beata fiat esse non possit.*

Epist. 121. cap. 23.

Ratione igitur videamus cujusmodi debeat esse bonum, quo naturaliter beari postulat, & quis beatificationis ejus modus, ut utrum impura condi possit natura videamus. Cùm jam fixum statuerimus omnem creaturam rationalem naturaliter beatam esse velle, in hoc ipso duæ nobis actiones ejus insinuantur velle seu diligere bonum, quo beata fieri cupit, & illud adipisci seu possidere. Nemo enim aliquid quod nondum habet, cupit, nisi adipisci cupiat: diligere igitur bonum beatificum & illud possidere ad beatitudinem omninò necessaria sunt. Nam qui diligit quodcunque bonum, quod non habet, certissimè miser est. Velle enim quod habere nequeas, sine animi dolore & cruciatu esse non potest. Docet hoc sæpissimè sanctus Augustinus. Nam hinc illud in libris de Trinitate sæpè repetitum; *Omnes beati habent quod volunt; Beatus non est nisi qui habet omnia quæ vult. Non latet* genus humanum *nec illum beatum esse qui non habet quod vult.* Et inferius sententiam Philosophorum de hac re approbando: *Sentiebant aliter beatum esse neminem posse nisi habendo quod vellet & nihil patiendo quod nollet.* Quod & alijs in locis inculcat frequentissimè.

Lib. 13. de Trin. c. 5. & 6.

Cap. 7.

Quamvis ergo nemo beatus sit qui non habeat id quod velit, non tamen idcirco statim beatus est quisquis habeat id quod velit. *Ergo illud convenit inter nos, neque quemquam beatum esse posse qui quod vult non habet; neque omnem qui quod vult habet, beatum esse*, ut concludit Augustinus. Et alibi: *Omnes beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt continuò sint beati.* Multi enim nequissimis voluptatibus frui volunt, quibus essent carendo beatiores. Nam quamvis aliquis ipsa mali voluntate sit miser, miserior tamen est adipiscendi seu fruendi potestate. Quam saluberrimam doctrinam tradidit Augustinus in multis locis. Nam in Epistola ad Probam: *Prius itaque attende utrum acquiescendum sit eis qui dicunt eum beatum esse qui secundum suam vivit voluntatem. Sed absit ut hoc verum esse credamus: Quid si enim nequiter velit vivere? Nonne tanto miserior esse convincitur quanto facilius mala eius voluntas impletur?* Et in libris de Trinitate: *Mala voluntate vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.* Hinc illa præclara sententia Ciceronis quam in exordio Hortensij positam magnis laudibus sancta Monica mater Augustini, & ipse Augustinus extollit. Nam in dialogo de vita beata cùm sententiam hac de re matris commendare vellet: *Tibi*, inquit, *procul dubio verba defuerunt, ut non sicut Tullius te modo panderes, cuius de hac sententia verba sunt ista. Nam in Hortensio quem de laude ac defensione philosophiæ librum fecit: Ecce autem, ait, non Philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum omnes aiunt esse beatos qui vivant ut ipsi velint*, id est, qui habent quicquid diligunt. *Falsum id quidem: velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum: Nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat. Plus enim mali pravitas voluntatis affert quam fortuna cuiquam boni.* In quibus verbis Tullij, adjicit Augustinus, *illa sic exclamabat, ut obliti penitus sexus eius, magnum aliquem virum consideremus nobiscum crederemus, me interim quantum poteram intelligente ex quo illa, & quam divino fonte manarent.* Alibi quoque *præclarissimè omnino atque verissimè* hoc dictum esse testatur: alibi: *Quid tibi videntur hæc verba? Nonne ab ipsa veritate per quemlibet hominem dicta sunt?* Ex quibus verissimum certissimumque esse, non solum ex Augustini scriptis, sed & ipsa naturali ratione liquet, quod nec ille beatus esse possit qui non est adeptus bonum quod diligit, neque qui malum diligit quamvis adeptus sit. Posset ab aliquo tertium genus cogitari, ut ille beatus putetur esse qui bonum adeptus sit quod non diligit. Sed quis unquam se beatum arbitratus est nisi fruendo? Nemo autem re ullâ fruitur quam non diligit. *Quid enim est aliud*, inquit Augustinus, *quod dicitur frui nisi præsto habere quod diligis?* Imo non diligere verum bonum quo creatura rationalis frui debet ut beata sit, explorata miseria est. Languor est enim animi, qui non aliunde quam ex perversa rei alterius dilectione nasci potest. Vnde præclarissimè sanctus Doctor de tribus illis generibus hominum quæ à beatitudine separavimus: *Beatus quantum existima,*

Lib. de vita beata in disp. 2. diei.

Lib. 13. de Trinitate cap. 5.

Epist. 121. cap. 5.

Lib. 13. de Trinitate cap. 5.

Lib. de vita beata in disp. 1. diei.

Lib. 13. de Trin. c. 5.

Epist. 121. cap. 5.

Lib. de moribus Eccles. cap. 3.

Ibidem.

existimo, neque ille dici potest qui non habet quod amat, qualecunque sit, neque qui habet quod amat, si noxium sit: neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. Nam & qui appetit quod adipisci non potest cruciatur: & qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; & qui non appetit quod adipiscendum esset ægrotat.

Quæ omnia si vera & firma & explorata sunt, sequitur etiam omnia ista tria hominum genera esse misera. Nam in creatura rationali capace beatitudinis & miseriæ nullum inter beatam & miseram medium dari, nec utrumque simul esse potest. Miseria enim est privatio beatitudinis in natura capace, sicut malum privatio boni. Docet hoc ipsum velut rem indubitatam sanctus Augustinus. Nam in eodem illo loco statim subtexit: *Nihil autem istorum*, trium quæ præmisimus, *animo contingit sine miseria: Nec miseria & beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt. Nullus igitur istorum beatus est.* Et in libris de Civitate Dei: *Quorum ratio mentibus inest aut miseros esse aut beatos esse necesse est.* Et de anima etiam sine corpore vivente: *Si vivebat nec beate nec misere quomodo rationalis erat?* Et in dialogo de vita beata: *Quid illud, inquam, conceditis omnem qui beatus non est miserum esse? Non dubitaverunt.* Et exactius aliquanto post: *Hæc est enim contraria sapientiæ & ita contraria, ut mors vitæ, ut beata vita miseræ, hoc est sine aliquo medio. Nam ut omnis non beatus homo miser est, omnisq; homo non mortuus vivit, sic omnem non stultum manifestum est esse sapientem.*

Ibidem.

Lib. 9. de Civit. c. 12.

Lib. 7. de Genes. c. 7.

In disp. 1. die enata.

In disp. 3. die.

Ex quibus etiam sequitur in quocunque tandem istorum trium statuum condi pura natura fingatur, miseram fore sine culpa quia nullus eorum sine miseria esse potest, neque ullius culpæ pura natura rea est. Cùm autem justitia Dei non sinat, ut creatura rationalis sine culpa præcedente calamitatibus & miserijs atteratur, perspicuum etiam est in nullo istorum statuum condi posse. Sed quia de miserijs creaturæ & justitia creatoris fusius infra disserturi sumus, ex alio capite ostendi potest, puræ naturæ statum juxta sancti Augustini doctrinam esse impossibilem. Nam præter illos tres dictos miseros status, non videtur superesse nisi quartus in quo beata possit esse creatura cùm videlicet & habet quicquid vult, & nihil mala seu indecenti voluntate vult. Sic enim excluditur & cruciatus non habentis, & languor non amantis, & malitia errantis voluntatis: verisque bonis impleta satiatur. Vnde rectissimè sanctus Augustinus: *Continuo miseri qui vel non habent quod volunt vel id habent quod non rectè volunt. Beatus igitur non est nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult malè.* Quod eodem in loco instantissimè docet. Quare post multa in hunc sensum disputata concludit: *Ille beatè vivit, quod iam superius diximus & astruendo satis fiximus, qui vivit ut vult, nec male aliquid vult.* Et in Epistola ad Probam post collaudata Tullij verba, *Ille igitur beatus est*, inquit, *qui omnia quæ vult habet nec aliquid vult quod non decet.* Quam suam doctrinam tanti fecit, ut in ea arcem philosophiæ sitam esse testetur. Nam cum pijssima sua matre disputans eam interrogat: *Quid? Omnis qui quod vult habet beatus est? Tum mater:* SI BONA, *inquit*, VELIT ET HABEAT BEATUS EST. *Si autem mala velit, quamvis habeat, miser est. Cui ego arridens atque gestiens: Ipsam inquam prorsus mater arcem philosophiæ tenuisti.* Summa est igitur omnium; illum beatum esse qui vera bona quæ *amat* etiam *possidet*. Quæ verba ibidem loco volendi, & habendi Augustinus usurpat. Hoc est enim rebus rectâ voluntate concupitis & adeptis frui: eoque redit oratio, sicut ante diximus, quod beatitudo duas actiones secum trahat, ut velit seu appetat rectâ videlicet voluntate & appetitum possideatur bonum.

Lib. 13. de Trinit.

Ibidem.

Epist. 121. cap. 5.

Lib. de vita beata in disput. 1. die.

Quia sancti Doctoris præmissâ disputatione tanquam verissima & in qua pleraque doctrinæ capita fundata sunt, status puræ naturæ possibilitas multis modis labefactatus corruit. Nam sive imperfectam sive perfectam ejus beatitudinem, hoc est sive dilectionem boni, quod rectâ voluntate appetendũ est ut beetur, sive adeptionem ejus fruitionemque spectemus, nihil eorum in isto quarto statu per puram naturam obtineri potest, sed tantummodo per supernaturalem potestatem & gratiam Dei. Quod cùm ostenderimus, simul perspicuum erit, nec in ullo alio trium statuum in quibus non beatitudinem sed miseriam tantum esse posse diximus puram creari posse naturam. Nam in primo, in quo non habetur quod benè diligitur includitur etiam dilectio veri boni, hoc est voluntas bona: In secundo ubi habetur, quod malè diligitur, voluntas mala; in tertio ubi non diligitur quod habetur bonum, hoc ipso quo deest voluntas bona quæ adesse debet adest etiam voluntas mala. Sed neque bonam voluntatem pura natura dare potest, neque Deus conditor ejus malam, quarum alterutra semper adest necessario, atque ita utrimque status puræ naturæ interimitur. Vt igitur ordine procedamus, declarabimus primò non posse naturam rationalem in puræ naturæ statu, juxta sancti Augustini mentem institui ex ratione ultimi finis, quem connaturaliter respicit, sive ut appetendum sive ut fruendum. Vnde duplex argumentum nascitur, unum ex parte appetitus, sive dilectionis ultimi finis, alterum ex ratione fruitionis ejus.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Primum argumentum contra statum puræ naturæ ex ordine creaturæ rationalis ad Deum ut principium & finem, sine cujus amore condi non potest.

PRIMÒ igitur certum esse arbitror, & verò etiam apud Scholasticos in confesso, non posse produci à Deo connaturali modo creaturam rationalem, quin propter finem suum ultimum connaturalem producatur; ita videlicet ut ei vero sinceròque amore suâ voluntate conjungatur, vel certè, ut à controversijs abstrahamus, ut talibus subsidijs instructa sit, ut in eum nutum suæ voluntatis convertere vel ab eo avertere possit. Hoc enim postulat & ratio divinæ providentiæ quæ cum perfecto operetur modo, cuncta ordinat in aliquem, ultra quem non licet progredi finem, & ipse ordo rerum connaturalis, quæ sicut ab aliquo primo principio egredi debent, ita ad aliquid velut ultimum terminari. Hic autem connaturalis creaturæ rationalis & ultimus finis, nec est nec esse potest alius, quam unus & verus Deus, ut vero amore diligendus. Cujus rei ratio quantum ad amorem voluntatis attinet, ut de beatitudine hîc supersedeam, non est alia nisi quia creatura rationalis non potest produci cum distorta perversa malaque voluntate, nec voluntas ejus recta & justa & bona esse potest, nisi Deum finem ultimum suum hoc est ipsam rectitudinē seu normam omnis rectitudinis ac bonitatis diligat: à quo centro suo si aberrat & aliud velut ultimum diligat necesse est, sicut perversam, distortam ac malam, ita etiam inquietam fieri, velut quæ quietem extra naturale centrum appetiverit, juxta illud Augustini: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* (Lib. 1. Confess. cap. 1.) Hæc enim inquietudo non ex ulla superaddita Dei ordinatione, sed ex ipsa naturæ rationalis conditione seu creatione nascitur; quæ sicut non potuit eadem manens propter seipsam, vel propter Angelos creari, sed propter Deum, ita nec potest in ullius rei creatæ amore conquiescere; non magis ac lapis extra centrum suum. Semper enim ulterius urgetur pondere suo tanquam cui deest id, quod ejus naturæ quietandæ præstitutum est. Sicut autem creatura rationalis sine centri illius connaturalis dilectione quieta esse non potest, ita neque recta, neque justa neque bona. Est enim rationalis anima, seu generaliter rationalis creatura naturaliter inter Deum & inferiora constituta, in qua medietate nisi affectu seu dilectione manserit, sed dum à Deo, vel ad seipsam, vel ad inferiora declinaverit necessario naturalis ordo pervertitur, ipsaque creaturæ rationalis rectitudo distorquetur, & hoc ipso fit ipsa perversa distorta & mala. Vnde Augustinus (Lib. 1. de Serm. in monte c. 12.): *Omnes naturæ in ordine suo gradibus suis pulchræ sunt, sed de superioribus in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum. Nec quisquam hoc facere cogitur, & ideo si fecerit sine iusta defensione punitur. Non enim hoc committit invitus.* Et in libro sexto de Musica (Lib. 6. c. 14.): *Nos ipsos inter illa quæ infra nos sunt, & illa quæ supra nos sunt, ita Deo & Domino nostro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur.* Hoc est, ut nihil dilectionis ex inferioribus ea diligendo veneamur, sed tantummodo ut non offendant nos; delectatio enim velut pondus animam in locum suum naturalem ponit aut deficit. Vnde adjicit: *delectatio quippè* seu amor, *quasi pondus animæ. Delectatio ergò ordinat animam.* Hic autem locus naturalis creaturæ rationalis est supra corporea infra Deum; in quo ordine si dilectione permanet necessario bona & recta est, si recedit, mala. *Sane*, inquit ad Celestium (Epist. 65.), *quoniam te novi, accipe hoc quoddam grande & breve. Est natura per locos & tempora mutabilis, ut corpus, & est natura per locos nullo modo, sed tantum per tempora etiam ipsa mutabilis ut anima* (sub qua omnem creaturam rationalem subinde solet comprehendere) *& est natura quæ nec per locos nec per tempora mutari potest, hoc Deus est. Quod hîc utcunque insinuavi quoquo modo mutabile creatura dicitur: quod immutabile creator. Vides profectò in ista distributione naturarum quid summè sit, quid infimè, & tamen sit, quid mediè, maiusq́; infimis, & minus summo.*

Iam videamus quid ex isto naturali ordine creaturæ rationalis conficere velit: *Summum illud est ipsa beatitas*, id est, Deus ipsa beatitudo. *Infimum quod nec beatum esse potest nec miserum*, scilicet creatura corporea irrationalis. *Quod verò medium*, id est anima *vivit inclinatione*, id est dilectione *ad infimum, miserè: conversione ad summum beatè vivit.* Nimirum quia inclinatione ad infimum, seu dilectione infimi malè perversèque vivit, conversione ad summum rectè ac benè, hæc enim ratio est cur miserè & beatè. Vnde causam istius miseriæ atque beatitudinis fugiendam admonens: *Qui*, inquit, *Christo credit non diligit infimum non superbit in medio*, scilicet seipsum diligendo, *atque ita summo inhærere fit idoneus; & hoc est totum quod agere iubemur, movemur, accendimur.* Hoc est, in eo tota justitia & bonitas & rectitudo creaturæ rationalis comprehenditur. Cujusmodi doctrinam & alijs locis tradit, eo videlicet scopo ut intelligamus naturaliter animæ rationali in illa medietate permanendum esse ut quemadmodum naturaliter *mente rationali intellectuali, creaturas cæteras antecedit natura hominis, ipsâ verò solus Deus est maior*: ita quoque

quoque affectu dilectionis servet medietatem illam ut nullis, ne sibi quidem sed soli Deo sese subjiciat. Nam hoc ipso quo aliter facit egreditur ordinem suum & non potest non esse perversæ, distortæ malæque voluntatis. Nam hoc ipso quo relicto superiori bono ad quod converti naturaliter debet, seipsum respicit, superbus efficitur, hoc ipso quo se inferiora, carnalis. Audi Augustinum identidem hæc inculcantem. Nam de animo seipsum amante ita loquitur: *Cum seipso quasi suo bono animus gaudet, superbus est.* Quam rationem superbiæ in eo sæpè ponit quod anima non potestate incommutabilis veritatis sed suâ sibi dominantis potestate delectetur: ita videlicet explicans quid sit animum suo quasi bono gaudere. De anima verò ad inferiora, hoc est, corporea convertente amorem suum: *Vita quæ fructu corporis delectata negligit Deum inclinatur ad nihilum & ista est nequitia*, qua de re alibi multa diximus. Vtrumque verò rationalis amoris flexum sive ad seipsum sive ad inferiora cóplectens, præclarè dicit: *Animæ ad ea quæ amant propterea nituntur ut perveniendo requiescant. Et multa quidem per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna, & propterea magis sordidant animam & aggravant potius, ut sincerum eius pondus quo in superna fertur impediant. Cum ergò anima in seipsa delectatur nondum re incommutabili delectatur, & ideò adhuc superba est, quia se pro summo habet cùm superior sit Deus. Nec in tali peccato impunita relinquitur, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. cum autem Deo delectatur, ibi veram, certam invenit requiem quam in alijs quærebat nec inveniebat.* In quibus verbis, corpore, seipso, ac Deo delectari, non est aliud quàm in corpus, in seipsum, in Deum per se expetitum amoris impetu ferri. In eo quippe quod per se expetitur, animi delectatio conquiescit.

Epist. 56.

Lib. de vera Relig. c. 11.

Epist. 119. c. 10.

Ex qua doctrina Augustini frequentissima & securissima nascitur quod peccati cujuscunque formalem rationem in eo collocare solet Augustinus quod animus amorem suum à supernis, quibus ordine naturali subditur, ad seipsum vel ad inferiora convertit: *Ea quæ dicitur à veritate atque sapientia* (id est Deo) *separatio perversa voluntas, quâ inferiora diliguntur.* Et alibi adversus pestem Manichæam: *Propterea nihil fiunt quæ facta sunt, cùm superiora ad inferiora declinãt ubi est omne peccatum & omne quod dicitur malum.* Et rursum: *Est quoddam bonum quod si diligit anima rationalis peccat, quia infra illam ordinatum est. Quare ipsum peccatum malum, non ea substantia, quæ peccando diligitur.* Et iterum alibi: *Voluntas aversa ab incommutabili & communi bono & conversa ad proprium bonum aut ad exterius aut ad inferius peccat.* Nimirum quia ut alibi dicit: *Quisquis quod seipso est deterius sequitur, fit & ipse deterior*, quæ sanè peccati ratio in ipsâ æternâ & incommutabili lege fundata est, illa quippe jubet, ut *omnia sint ordinatissima*: illa est quæ *ordinem naturalem conservari iubet, perturbari vetat.* Ordo autem naturalis hoc habet, ut sicut animus rationalis summo Deo velut principio & fini suo naturæ lege subjectus est ceterisque præpositis creaturis; ita illi soli casto amore inhæreat & subdatur, eique soli inhærendo ceteris omnibus supervolitet, non eis inhæreat diligendo, sed Deum diligens per ea transeat utendo. Eadem quippe *æterna lex iubet avertere amorem à temporalibus & eum mundatum convertere ad æterna.* Qua de re alibi fusius & plenius à nobis dissertum est.

Lib. 2. de lib. arb. c. 14.

Lib. contra Secund. c. 10.

Lib. de vera Relig. c. 20.

Lib. 2. de lib. arb.

Lib. de morib. Eccles. c. 2.

Aug. lib. 1. de lib. arb. & lib. 22. cont. Faust. c. 27.

Lib. 1. de lib. arb. c. 15.

Vide latè lib. 2. de statu nat. lapsæ c. 12. 13. & 14. & seqq.

Ex his itaque perspicuum & certum est ex ipsa naturæ rationalis institutione proficisci, & in ejus essentia fundatum esse, ut amorem suum soli Deo summo principio & ultimo fini suo debeat, nec eum possit ullâ ratione, ullâ dispensatione, ullâ naturæ suæ vel elevatione vel depressione ad seipsam vel ad inferiora convertere. Hoc enim ipsâ æternâ & immutabili Dei lege dictante & damnante peccatum est, & ex illa radice omnis peccati ratio, quæ vel in hominibus vel in Angelis invenitur aut inveniri potest, proficiscitur: ut sanè non alia hujusce præcepti naturalis ratio sit, quam illius quo jubetur indispensabiliter adorare & colere unum Deum. Nec mirum cum adorationis & amoris prohibitio ex eadem radice nascantur. Vtriusq; quippe radix est, quod mens rationalis creaturis omnibus prælata, soli Deo naturæ ordine atque dignitate subjecta sit tanquam principio & fini suo: Vnde illi soli sicut amorem principij ac finis, ita & hujusmodi cultum seu servitutem debet. Quod sicut de amore suprà diximus, ita de adoratione Augustinus: *Quemadmodum fatendum est animam humanam non esse quod Deus est: ita præsumendum, nihil inter omnia quæ creavit, Deo esse propinquius. Ideoque divinè ac singulariter in Ecclesia Catholica traditur nullam creaturam colendam esse animæ, sed ipsum tantummodo rerum quæ sunt, omnium creatorem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia* &c. Et infrà: *Deus igitur solus ei colendus est.* Quæ doctrina eo verior solidiorque est quod verus & sincerus & Deo gratus cultus ipsius Dei non est alius, quàm amor ejus, juxta illud Augustini de quo alibi plura diximus. *Pietas, cultus Dei est nec colitur ille nisi amando.* Quisquis enim Deum non amans colit, aliud respicit amando, non Deum quem colit. Ex quo fit ut sicut amor Dei dilutiorem quemdam affectum creaturis impendi non vetat, quem usum seu affectum utendi dicimus; ita & adoratio seu cultus Dei decoloratiorem quandam submissionem creaturis excellentibus exhiberi sinit, dummodo sicut usus in amoris terminum, ita & cultus ille, in omnis excellentiæ & adorationis fontem refundatur.

Lib. de quant. animæ c. 34.

Epist. 120. c. 18.

Et hactenus quidem principia immobilia sunt quæ nec Scholastici quidem, quantum arbitror, negaverint, cùm in lege æterna & immutabili omnia fundata sint, & à Philosophis quoque Gentilibus nonnihil agnita atque admissa. Ex quibus tantum hoc concludimus naturam rationalem non aliter institui posse quamdiu rationalis manet, quam ut quem-

ut quem-

ut quemadmodum naturæ ordine Deo velut primo principio suo ex quo proficiscitur & ultimo fini suo ad quem ordinatur, subjecta est, ità eundem casto amore diligere teneatur, ut eum diligendo à quo habet, ut sit, bona sit, eoque tandem perfruendo etiam beata.

Ex quo duo consequenter sunt consectanea. Primum creaturam illam, hoc ipso quo relicto incommutabili principio ad seipsam vel ad inferiora convertere voluerit amorem illum suum, sine dubitatione peccaturam. Nec enim aliud peccatum creaturæ rationalis est, ut ex antè dictis patuit, quam ad inferiora converti.

Alterum est non posse creaturam rationalem sine eodem illo amore creatoris juxta doctrinam Augustini produci. Cujus ratio est quia hoc ipso quo illo principij sui amore caret, velut pondere, quo in locum suum connaturalem urgeatur, distortæ perversæque voluntatis est. Necesse est enim ut aliquid voluntas diligat, hoc est, ut anima ad aliquid sese moveat appetendo vel fugiendo. Vnde Augustinus tanquam necessarium concludit, *animas aut carere vitâ, & animas non esse, neque quicquam velle seu nolle, appetere vel fugere: aut si viverent, ut & animæ esse possent & aliquid tale agere nullo modo eas nisi vita vivere.* Et paulò pòst animam vocat *spontaneum & viridum motum.* Hinc & libro de substantia dilectionis dicitur: *Vita cordis amor est, & idcirco omninò impossibile est, ut sine amore sit cor quod vivere cupit.* Et præclarissimè sanctus Fulgentius post præceptorem discipulus: *Voluntas porrò creaturæ rationalis sine qualicunque amore non potest esse. Nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare: quæ inter summum bonum à quo creata est, & infimum bonum cui prælata est medio quodam loco posita, profectò aut in infimo bono necesse est miserabiliter iaceat, aut in summo bono veraciter feliciterque requiescat. Quodam enim amore rapitur, seu cum obedientia sublevatur & creatori bono bene subijcitur; sive cum superbia deprimitur, ut creatura bona malè dominetur.* Vbi ad illam divisionem amoris respicit Fulgentius, qua creatura vel Deum diligit vel seipsam. Seipsam quippe primam post Deum diligit & à se ad alia diligenda progreditur. Se verò diligere, hoc est, seipso, suoque bono gaudere, ut suprà dixit Augustinus, *superbia est.* Si igitur mens rationalis sine creatoris amore producatur, necesse erit ut vel seipsam, vel aliud à se diligat, & consequenter ut seipsam ante diligat. Nec enim aliud à se voluntas diligit, nisi prius diligat se, ut alibi ex Augustini mente declaravimus. Vtrumvis autem fecerit malæ voluntatis erit. Quod sicuti juxta supradicta Augustini principia, quæ de peccati natura & ratione tradidit manifestum est, ita juxta eundem æquè certum est, hoc ipso perversam & malam futuram rationalē creaturam, quo Deum voluntate non diligit. Voluntas enim non diligens Deum, sive actu sive habitu, non nisi mala & perversa esse potest, quia non diligit id quod eam æterna lex diligere jubet. Audi disertissimis verbis præcinentem dictis meis Augustinum: *Mirum si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit, aut enim iustitiam* (hoc est, Deū, ut dicturi sumus infra) *diligit, & bona est, & si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est: aut si omninò non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo iustitiam diligentem non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Vnde & alibi de Angelis cùm crearentur: *quid erant sine bona voluntate nisi mali?* Et oppositionem immediatam inter justitiam & injustitiam, hoc est, bonitatem malitiamque creaturæ rationalis ratione videlicet utentis tradés: *Dic quæso te,* inquit, *nonne fateberis eum qui non est iustus, iniustum esse; & qui non est prudens, imprudentem esse; & qui non est temperans, intemperantem esse? An dubitari de his aliquid potest?* Respondet ei Evodius; *Fateor hominem quando iustus non est iniustum esse: hoc etiam de temperante & intemperante responderim.* Iustus autem esse nemo potest, nisi justitiam diligat: quam propterea si non diligit iniustum & malum consequenter esse necessarium est. Sed sive non habendo bonam illam voluntatem, hoc est, amorem creatoris, creatura cùm creatur mala esset, ut videtur apertè sentire Augustinus, sive certè non bona; non satis est ad amorem illum habendum obstrictam esse creaturam, ut quemadmodum ex æternæ legis præscripto debet, principium & finem suum, unum & solum Deum super omnia amet & colat.

Scio equidem confestim hìc Scholasticorū cogitationibus occursuram solemnem illam distinctionem suam de amore Dei naturali & supernaturali. Deberi siquidem creaturæ rationali naturalem amorem principij ac finis sui quo super omnia Deum diligat, eumque diligendo naturalia ejus præcepta custodiat, nullo vero modo deberi amorem illum qui naturæ vires superet, & creaturam ad statum supernaturalem elevatam esse supponit. Scio hæc, sed scio etiam in universis operibus Augustini vel cujusquā antiqui Patris qui ante Scholasticorum adventum floruit, in ullius Concilij Canone vel doctrina, in ullius sacri libri pagina, nullum hujus distinctionis esse vestigium sed Philosophiæ humanæ viribus esse excogitatum. Est enim antiquis omnibus gratiæ defensoribus inauditum & aliquid hujusmodi quod ipso vocabulorum sono exhorrescerent, amorem scilicet creatoris posse naturæ viribus obtineri. Quapropter & nobis antiquæ fundatissimæque doctrinæ quam sanctus Doctor tradidit filum sectando satagendum est, ut ostendamus multis argumentis ab Augustino suppeditatis amorem illum creatoris, sine quo creatura rationalis institui nequit, non posse in creatura fieri sine vera & propriè dicta gratia Dei.

CAPVT

Lib. de duab. animab. c. 1.
Cap. 3.
Lib. de substant. dilect. c. 6.
Lib. 1. ad Monimum.
Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 18.
Lib. 2. de lib. arb. c. 15.

CAPVT QVARTVM.

Ostenditur amorem illum sine quo creatura rationalis condi nequit per veram gratiam inspirari debere: idque primo, ex amore veritatis.

QVOD quidem primò inde perspicuum fieri putamus, quia amor ille sine quo creatura rationalis in quocunque fingatur statu esse nequit, non potest cum ulla probabilitate depressior aut decoloratior cogitari, quam ut per eum creatura quamvis non trinum & unum Deum, non Spiritum a Patre Filioque procedentem, non Filium incarnatum diligat, certè tamen inter veritatem & falsitatem constituta veritatem sibi de rebus agendis affulgentem castè & sincerè diligere possit, illius regulis animum affigere illam corde retinere, ne in falsa vel sentienda vel agenda rapiatur. Quid autem boni diligere naturaliter poterit si hoc non poterit? Sed illa ipsa casta dilectio veritatis est effectus gratiæ Dei, nec humanis viribus obtineri potest. Tradit hoc apertissimè Augustinus, naturalibus fretus rationibus adversùs homines nihil omninò de divina gratia, nihil de elevatione naturæ suæ ad statum supernaturalem cogitantibus, sed gravissimis mersos erroribus, quibus eum non à Deo bono, sed malo principio profluxisse statuebant, hoc est, adversùs Manichæos. Nam cùm eos pedetentim eo ducere vellet, ut faterentur & esse Deum & hominem esse posse sapientem, hoc est bonum ac beatum nihil aliud profert, quam esse quasdam regulas veritatis ut *studendum esse sapientia*, *Iuste esse vivendum*, *Deteriora melioribus esse subdenda*, *Paria paribus comparanda*, *Propria suis quibusque tribuenda*, *A corruptione animum avertendum*, & hujusmodi quas quilibet non nimium vitijs cœcatus ac depravatus, *tanquam regulas & lumina virtutum* supra mentem suam immutabiliter fulgere cernit & ad sapientiam bonitatemque animi pertinere non dubitat. Illæ autem regulæ æternæ & incommutabiles in ipsa sempiterna veritate quæ Deus est, lucent, vel ipsa potiùs æterna veritas sunt, quæ mentibus vitio non obcœcatis desuper splendet & omnibus velut publicum lumen præsto est, & omnibus naturæ dignitate excellentior supereminet. Agit hoc magno conatu Augustinus non exiguâ parte libri secundi de libero arbitrio: *Quapropter*, inquit, *nullo modo negaverim esse incommutabilem veritatem, hac omnia qua incommutabiliter vera sunt continentem, quam non possis dicere tuam vel meam, vel cuiusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus tanquam miris modis secretum & publicum lumen præsto esse, ac se prabere communiter.* Et paulo post: *Hanc ergo veritatem de qua tam diu loquimur, & in qua una tam multa conspicimus, ex-*

Lib. 2 de lib. arbit. cap. 10.

Lib. 2. de lib. arbit. cap. 12.

A *cellentiorem putas esse quam mens nostra est, an aqualem mentibus nostris an etiam inferiorem?* Et cùm invictè probavisset esse superiorem, eo quod secundùm *ipsius veritatis immutabiles regulas quas communiter cernimus* judicemus quidquid judicamus, de ipsis verò nullo modo quis judicet, tanquam re confectâ, concludit. *Quare si nec inferior nec aqualis est, restat ut sit superior atque excellentior.* Et proinde veritas illa incommutabilis verus Deus est, de quo invento triumphans: *Ecce tibi est*, inquit, *ipsa veritas*, mente scilicet sublimior: *amplectere illam si potes & fruere illa, & delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petis amplius quam ut beatus sis, & quid beatius eo qui fruitur inconcussâ & incommutabili, & excellentissima veritate.* Et paulo inferius: *Et nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus? Imo vero quoniam in veritate cognoscitur & tenetur* B *summum bonum, eaque veritas sapientia est, cernamus in ea teneamusque summum bonum, eoque perfruamur. Beatus est quippe qui fruitur summo bono; hac enim veritas ostendit omnia bona qua vera sunt, qua sibi pro suo captu intelligentes homines vel singula vel plura eligunt quibus fruantur.* Et rursum: *Hac est libertas nostra cum isti subdimur veritati, & ipse est Deus noster.* Et infra: *Si aliquid est excellentius veritate, ille potiùs Deus est; si autem non est iam ipsa veritas Deus est.* Cujus discursus veritatem atque soliditatem quam multis alijs in locis Augustinus facit, & de quo invento sibi magnoperè gratulatur, admiratus Evodius, quicum disputat tanquam de invento Deo tam propinquo mentibus nostris, in cujus sempiternæ veritatis communibus regulis se cernere sentiebat quicquid verum de virtutibus cerneret; *Ego vero*, inquit, *incredibili omnino & quam tibi verbis explicare non possum, lætitia perfusus accipio ista & clamo esse certissima.* C *Clamo autem voce interiore qua exaudiri cupio ab ipsa veritate & illi inhærere* dilectione scilicet *quod non solum bonum, sed etiam summum bonum & beatificum esse concedo.*

Ibidem.

Cap. 13.

Ibidem.

Cap. 14.

Lib. 2. c. 15.

Et hactenus quidem vidimus, Augustinum luculentissimè probâtem esse Deum ex ipsis incommutabilibus regulis veritatis, seu ex seipsa quæ in illis virtutum regulis ac luminibus incommutabiliter fulget veritate, qua mens cujuslibet eam cernentis, raptim velut ictu coruscationis attingitur. Quam doctrinam siquis abjectioribus Aristotelicæ philosophiæ conceptibus assuetus fortassis minus capit, sciat ille in Augustino esse solemnissimam, creberrimam, celeberrimam certissimamque: quæ neque negari neque turbari potest, nisi potissimas bases doctrinæ ipsius, quam de Deo sexcentis locis

locis in suis operibus tradit, labefactatas velit. A Qua de re si locus flagitaret vel necessitas posceret, non nisi difficile esset integrum volumen ex ejus doctrina texere sicut jam diu mihi animus fuit. Sed rem pulcherrimam, gravissimam, divinissimamque, maturiori adhuc ætati servo ác tempori magis vacuo ab occupationibus, tum urgentibus de divina gratia, tum Episcopalibus, quæ me suo quotidiano recursu ac mole premunt.

Nunc ergò videamus id cujus causa ista diximus, videlicet, animum esse non posse sapientem, justum, bonum, sed tantummodo distortum ac pravum, nisi incommutabiles illas regulas sapientiæ justitiæque diligat: & istam dilectionem esse effectum verę & supernaturalis gratiæ Dei.

Et primum quidem ex eadem Augustini contra Manichæos dissertatione perspicuum est. Cùm enim ibidem tradidisset, corpora inter creata bona esse infimum bonum, liberam voluntatem medium, usum verò bonum B voluntatis, hoc est virtutem esse summum bonum ita pergit post multa interposita: *Voluntas ergo quæ medium bonum est cum inhæret incommutabili bono, eique communi non proprio, sicut est illa de qua multum locuti sumus, & nihil digne diximus, veritas, tenet homo beatam vitam*, scilicet beatitudine non patriæ tantùm, sed etiam hujus vitæ ac viæ, *eaque ipsa vita beata, id est animi affectio inhærentis incommutabili bono, proprium & primum est hominis bonum. In eo sunt etiam virtutes omnes quibus male uti nemo potest. Nam hæc quamvis magna in homine & prima sint, propria tamen esse uniuscujusque hominis non communia satis intelligitur. Veritate enim atque sapientiá quæ communis est omnibus omnes sapientes & beati fiunt inhærendo illi.* Et uberiùs expressiusque pauló pòst: *Ne ue prudentiá cujusquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantiá, aut iustus iustitiá hominis alterius quisquam efficitur.* Quo mo- C do igitur fit aliquis prudens, seu sapiens, fortis, temperans, justus? Audi: *Sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi, quibus & ille coaptavit & fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit.* Ecce luculentissimè declaratum non aliter fieri posse sapientem & justum & fortem ac temperantem animum, quam eum amoris vinculo affigendo regulis illis luminibusque virtutum quæ sempiternâ & incommutabili & communi veritate omnibus cernentibus præsto sunt. Nam veritatem incommutabilem illarum regularum diligendo, fit ipse animus veritati dilectæ similis, quæ in singulis virtutum luminibus lucet, sapiens, temperans, justus, fortis, eóque sapientior, temperantior, justior, fortior, quò illis inhæret firmius, ac delectatur ardentius.

Lib. 2 de lib. arb. c. 19.

Quæ sanè doctrina non solùm Augustini D autoritate, sed ipso quoque naturali lumine rationis, ex quo totus ille discursus est haustus & pendet, videtur esse certus ac perspicuus. Quid enim amplius flagites ut animus rectus sit, ut justus, ut fortis, ut temperans, quam ut veritatem incommutabiliter singularum virtutum præscripta dictantem, sincerissimè, castissimè, ardentissimèque diligat, & præter ipsam nihil diligat? Quis animus rectior & erectior, & ab omni terrena fæce incorruptior cogitari, quis Deo similior fingi potest? Ipse enim est veritas incommutabilis sicut ipsa incarnata veritas dixit, *Ego sum veritas*, & *ipsa veritas est sapientia*, ut Augustinus subinde dicit. Diligendo ergò sincerè solam ipsam regularum istarum veritatem mente suâ præstantiorem, nihil aliud sanè quam Deum incommutabilem diligit, utpote qui nihil est aliud nisi illa veritas quam videndo mente contingit: sicut Augustinus tū isto loco, tum alijs plurimis ex professo docet. Vnde & in libro ad Honoratum: *Cùm sapiens sit Deo ita mente conjunctus ut nihil interponatur quod separet, Deus est enim veritas, nec ullo pacto sapiens quisquam est si non veritatem mente contingat: negare non possumus inter stultitiam hominis & sincerissimā Dei veritatem medium quiddam interpositam esse hominis sapientiam*, cui scilicet credendo paulatim ad videndam quoque ipsam veritatem illam incommutabilem, quam sapiens videt ac diligit manu quasi ducatur. Et alibi: *Hæc est autem vera dilectio ut inhærentes veritati justè vivamus.*

Lib. 2. de lib. arb.

Lib. de util. credend. c. 15

Lib. 8 de Trinit. c. 7.

Ex quo jam facilè intelligitur, cur Augustinus generaliter perversam seu distortam voluntatem nihil aliud esse dicat, quàm separationem à veritate: *Ea quæ dicitur à veritate atque sapientia separatio, perversa voluntas est, qua inferiora diliguntur.* Nimirum quia sicut voluntas veritatem diligens, non potest vel esse nisi recta vel cogitari, ex quo fit ut opus bonum facere juxta Scripturam sit [a] *facere veritatem*, &, b *ambulare in veritate*, &, [c] *diligere veritatem*: ita voluntas abrumpens veritatis illius C dilectionem, & ab eâ se separans, non potest vel esse vel cogitari nisi distorta atque perversa Vnde Augustinus: *Interfice in te quicquid contrarium est veritati.* Et de diabolo Christus: *In veritate non stetit.* Et ista quoque ratio est cur Augustinus tam solemniter definiat peccatum non esse aliud quàm *dictum, factum vel concupitum contra æternam legem.* Lex enim æterna nihil est nisi ipsâ veritas Dei, seu ut expressiùs dicam veritas Deus, juxta illud Augustini. *Lex tua veritas, & Veritas Tu.* Cujus veritatis tanquam æternę legis lucem sibi fulgentem & facienda dictantem cùm videt & suâ voluntate deserit, necessario voluntate pervertitur, distorquetur, fit pravus & perversus & peccat, in quocunque naturæ statu homo esse fingatur.

a Ioan. 3. 21
b 3 Ioan.
c Zachar. 8.

In Psal. 41
Ioan. 8.

4. Confess. c. 9.

Sed jam alterum illud videamus, unde casta ista dilectio veritatis quæ in æternis illis virtutum regulis lucet, & sine cujus dilectio- D ne sapientem aut justum aut temperantem esse, aut ullâ virtute imbui impossibile est: an viribus purę naturæ, quibus conspici possunt, possunt etiam diligi, sicut Philosophorum Scholasticorumque nonnullorum confirmat eruditio?

eruditio? Audite Augustinum gratiam Dei etiam in ista dilectione qua regulis illis incommutabilibus æternæ veritatis animus affigitur, & corrigitur, prædicantem: Nam illa ipsa, quam attulimus disputatione loquitur, disertisque verbis se gratiam Dei etiam tunc in istis virtutibus, quæ veritatem ita consideratam diligendo comparantur, se prædicasse testatur: *Quamvis & in his libris, qui non contra illos omninò* (Pelagianos hostes gratiæ) *sed contra Manichæos conscripti sunt de libero arbitrio, non omninò de ista Dei gratia reticuimus, quam nefandâ impietate conantur auferre. Diximus quippe in secundo libro, non solùm magna* (id est virtutes illas quæ regulas illas æternas diligendo conferuntur animo) *sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo à quo sunt omnia bona, hoc est, Deo.* Et paulò pòst: *Virtutes, inquam, quibus rectè vivitur magna bona sunt &c. quare abundantia & magnitudo bonitatis Dei non solùm magna, sed etiam media & minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis*, id est virtutibus illis *quàm in medijs*, qualis est voluntas & omnes animi potentiæ. Quibus verbis verasse Dei gratiam prædicasse in virtutibus conferendis, & majorem quam est illa qua voluntas & ratio & facultates animi collocatæ sunt, quæ non nisi naturalis creationis gratia est, ipsemet disertè, ut audivimus profitetur. Cùm ergò non possit ulla naturalior, ulla inferior, ulla dilutior dilectio Dei in pura natura viribus cogitationis fingi ut animus rectus fiat quam illa, qua diligitur ipsa virtutis cujusque rectitudo, hoc est veritas incommutabilium luminum uniuscujusque virtutis, quæ facienda præscribuntur, nec illa viribus humanis haberi queat, sed dono Dei, nec sine illa rectus, sed tantùm à veritate ac Deo distortus, ac perversus esse possit, perspicuum est non posse naturam rationalem sine dono gratiæ supernaturalis institui.

Lib. 1. Retract. c. 9.

Retr. l. 1. c. 9. l. 2.

CAPVT QVINTVM.

Secundò, ex amore justitiæ.

SECUNDA probatio ex eadem pœnè radice, hoc est, ex dilectione justitiæ proficiscitur. Cùm enim creatura rationalis institui non possit à Deo nisi cum voluntate aliquo modo ordinata ad creatorem consequenter fieri nequit, ut sine dilectione justitiæ producatur: hoc est voluntas ejus dilectione justitię & æquitatis imbuta esse debet quando producitur vel certè quod in idem redit ita robusta esse debet, sive internis facultatis ipsius viribus, sive assistente externo auxilio Dei, ut inter justitiam & injustitiam velut in bivio constituta, injustitiam in omnibus operibus suis fugere & justitiam diligere possit. Hoc enim si virium imbecillitate non possit certissimum est creaturam rationalem nullo modo peccaturam, vel certè omnia ejus peccata velut per canalem recursura in autorem Deum. Viribus enim caret, quibus ea declinare & justitiam diligendo bonum facere possit. Rectissimè enim Augustinus: *Ex eo quod non accepit nullus reus est; ex eo verò quod non facit quod debet, justè reus est. Debet autem, si accepit & voluntatem liberam & sufficientissimam facultatem.* Et iterum: *Si hoc debet quisque quod accepit, & sic homo factus est ut necessariò peccet, hoc debet ut peccet. Cùm ergò peccat, quod debet facit. Quod si scelus est dicere neminem naturâ suâ cogit ut peccet.* Et iterum: *Si non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit cum hæc facit.* Vnde de Angelis & primo homine disertissimè sanctus Doctor dicit: *Si hoc adjutorium* (permanendi in bona voluntate) *vel Angelo vel homini cum primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset sine quo manere non possent.* Certissimum igitur esse debet creaturam rationalem produci non posse quin liberâ suâ voluntate injustitiam declinare & justitiam diligere posset sicut æternæ & indispensabilis legis præceptum jubet.

Lib. 3. de lib. arb. c. 16.

Ibid.

Cap. 18.

Lib. de cor. & grat. c. 11

Iam verò ista dilectio justitiæ, cujus robore peccata fugiantur, & præcepta fiant, nullo modo potest à creatura rationali obtineri, nisi per veram & propriè dictam & supernaturalem gratiam Dei. Docet hoc diversis locis Augustinus, apertissimeque tradit dilectionem illam qua voluntas diligit ipsam justitiam præcepti & ex illa dilectione justitiæ aliquod bonum opus facit, non esse aliud nisi charitatem illam quam diffundit in cordibus nostris vera gratia Spiritus sanctus qui datus est nobis. Declaravimus hoc nonnullis testimonijs Augustini evidentibus, cùm de operibus infidelium tractaremus. Sed quia doctrina ista præclarissima & ex profundissima veritatis penu hausta quibusdam Neotericis nimis incredibilis videtur & Aristotelis principijs nimis adversa, cogimur adhuc paulò uberius Augustini constantiam in ea asserenda tuendaque demonstrare. Et sanè si nihil aliud proferremus nisi solum librum de Spiritu & littera Sermonemque decimum-septimum de verbis Apostoli, ex quibus loco citato testimonia nonnulla delibavimus, nihil amplius desiderari posset. Sic enim loquitur capite illius libri decimo: *Confugiant per fidem ad justificantem gratiam.* Et quis effectus illius gratiæ? *Vt per donum Spiritus suavitate justitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.* Ecce ipsa delectatio justitiæ effectus gratiæ, ac donum Spiritus sine ullis ambagibus asseritur. Nec initium tantùm sed & incrementum dilectionis justitiæ ex eodem fonte

Vide sup. l. 3 de statu nat. lapsæ c. 16.

Lib. de Spir. & litt. c. 10.

Ibidem. fonte proficiscitur: *Per legem fidei quisque cognoscit, siquid benè vivit, Dei gratia se habere. & ut perficiatur in dilectione justitiæ, non se aliunde consecuturum.* Et infra: *Cap. 14.* *Mandatum si fit timore pœnæ non amore justitiæ serviliter fit non liberaliter & ideo nec fit. Non enim fructus est bonus qui de charitatis radice non surgit.* Nihil evidentius quam charitatis esse illum amorem justitiæ quo mandatum fit. Qui amor justitiæ cum non sit aliud quam delectatio qua quis condelectatur legi Dei seu justitiæ ejus, mox aliis idipsum verbis explicat: *Porro autem si adsit fides quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei, id est, diligere justitiam legis, secundum interiorem hominem quæ delectatio non litteræ, sed Spiritus donum est.* *Cap. 29.* Et iterum inferius: *Charitas ejus conscripta in cordibus atque diffusa, perficitur sperantibus in eum ut anima sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum.* Ecce charitas voluntatem sanat ut justitia diligatur. Et mox concatenationem præclaram istius sanantis gratiæ cum libero arbitrio tradens, qua fit ut ad diligendam justitiam præcepti erigatur, *Cap. 30.* *Per gratiam*, inquit, *sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio.* Quomodo quâ ratione quo ordine? *Quia gratia sanat voluntatem, quâ justitia liberè diligatur.* Et ostendens illam justitiæ dilectionem fieri nullo modo posse sine spiritu charitatis & adoptionis: *Cap. 32.* *Timor ergo ille servilis, & ideo quamvis in illo Domino credatur, non tamen justitia diligitur, sed damnatio timetur. Filij verò clamant Abba Pater &c.* Et inferius *Ibidem.* rursum: *Hæc est fides quæ per dilectionem operatur, non per timorem, non formidando pœnam sed amando justitiam. Vnde ergo ista dilectio id est charitas per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit?* Et perfectionem humanæ justitiæ in ista justitiæ dilectione constituens: *Cap. 35.* *Esset autem tanta* (id est perfecta nostra justitia) *si nihil eorum quæ pertinent ad justitiam nos lateret & ita sic delectarent animum ut quicquid aliud voluntas sive dolor impedit delectatio illa superaret.* Quæ testimonia tam perspicue declarant opus esse non timore pœnæ sed dilectione justitiæ ut aliquod opus esse possit bonum, eandemque dilectionem justitiæ non esse nisi verissimam charitatem, nec sine gratia sanante voluntatem posse obtineri, ut nihil addi posse videatur. Et quanquam exercitatis in Augustini lucubrationibus nihil certius sit, ne tamen illius duntaxat libri videatur esse peculiaris phrasis, videamus quid de illa dilectione justitiæ & alibi tradat: ut elucescat eum ne latum quidem unguem ab illa quam diximus sententia de justitiæ dilectione per Spiritus sancti gratiam conferenda recessisse: *Lib. de nat. & grat. cap. 57.* *Sub lege est*, inquit in libro de natura & gratia, *qui timore supplicij quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccandi &c.* Et unde amor iste justitiæ? *Ergo si Spiritu*, inquit, *ducimini non adhuc estis sub lege, utique lege quæ timorem incutit, non tribuit charitatem, quæ charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quid apertius aut luculentius dici potest? Audi tamen aliud fortassis evidentius; *Lib. 2. ad Bonif. c. 10.* *Non video quomodo diceret homo sub lege* (carens videlicet gratiâ flectente voluntatem) *condelector legi Dei* quod justum est præcipienti, *secundum interiorem hominem, cum ipsa delectatio boni, qua etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ sed amore justitiæ (hoc est enim condelectari) non nisi gratiæ deputanda sit.* Et aliud æquè manifestum: *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.* *Quid est boni cupiditas nisi charitas de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens, Charitas ex Deo est &c. Ipse est cui fideliter veraciterq́; cantatur; Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quam ipsa de qua loquimur cupiditas boni*, id est charitas? *Tunc enim bonum*, scilicet quod præcipitur, *concupisci incipit quando dulcescere cœperit.* Et quid hoc? Audi: *Quando autem timore pœnæ non amore justitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum &c.* Et libro de correptione & gratia: *Lib. de corrept. & grat. c. 2.* *Et quando id agunt sicut agendum est, id est cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus accepisse se gaudeant.* Quamobrem ibidem dicit *gratiam Dei per Iesum Christum præstare ut homines faciant cum dilectione quod sciunt.* Et sermonibus de verbis Apostoli sæpè declarat non rectè fieri posse præceptum nisi amore justitiæ non timore pœnæ: & illum amorem justitiæ haberi nullo modo posse nisi per gratiam Dei, utpote qui non sit aliud quam dilectio charitatis: *Serm. 13. de verb. Apost. cap. 6.* *Lege Dei proposita*, inquit, *quisquis tumuerit & suis viribus eam implere se posse putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, sed timendo pœnam &c.* Et talem justitiam suam per se hominem habere posse declarans, *Quamdiu*, inquit, *habes tuam* (justitiam) *potes timere pœnam, non amare justitiam.* Sed unde ille amor justitiæ an à viribus voluntatis? Audi Augustinum: *Cap. 7.* *Ergo fratres mei habet delicias suas iniquitas, & justitia non habet? Delectat malum & non delectat bonum? Delectat omninò: sed Dominus dabit suavitatem & terra nostra dabit fructum suum.* Et apertius adhuc infra explicans justitiam quam homo habere potest tanquam de viribus suis, *Cap. 9.* *Amor*, inquit, *deerat, amor justitiæ, amor charitatis Christi, solus possidebat timor, sed charitati ventura locum in corde servabat.* Sermo verò decimus-septimus de verbis Apostoli pœnè totus in eo versatur, ex quo nonnulla testimonia loco citato de operibus infidelium allegavimus. Et in Epistolam ad Galatas: *In Epist. ad Galatas.* *Qui per charitatem servit liberè servit, & sine miseria obtemperans Deo cum amore faciendo quod docetur* (id est id quod justum est seu justitiam) *non cum timore quod cogitur.* Nam hoc idem est quod toties dixit præceptum facere non cum timore pœnæ, sed amore justitiæ. Quod paulò inferius sæpè declarat. Nam status vitæ diversos cùm distingueret, secundamque vitam diceret ejus esse qui *nondum justitiam propter justitiam ac Deum diligit*, tertiam vitam dicit esse *sub gratia quando nihil temporalium commodi justitiæ præponitur*, id est justitia super omnia temporalia commoda diligitur, *quod nisi charitate spiritali,*

tali, quam Dominus exemplo suo docuit, & gratia donavit fieri non potest. Et paulò inferius eos esse sub lege docet, *quorum spiritus ita concupiscit adversus carnem, ut non ea quæ volunt faciant, id est non se teneant conjunctos in charitate justitiæ sed à concupiscente adversum se carne vincantur.* Et paulò pòst eos è contrario tradit non esse sub lege in quibus regnant fructus Spiritus sancti: *Major enim & prævollentior delectatio eorum justitia est.* Et in commentarios in Psalmos: *Te solve à peccatis. Sed non possum inquis, Clama ad illum, Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Veniet enim gratia Dei ut delectet te justitia, sicut delectabat iniquitas.* Et libro secundo de peccatorum meritis asseverantissimè clarissimèque dicit: *Aut justitiam diligimus, Et bona est nostra voluntas, & si magis diligimus magis bona, si minus minus bona est: aut si omninò non diligimus non bona est. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modo esse malam sed etiam pessimam voluntatem?* Sed jam vide quomodo voluntas justitiam diligens nullo modo haberi possit nisi ex vera gratia Dei: *Si ergo*, subjicit Augustinus, *voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo: alioqui nescio cum ab eo justificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus. Et hinc scriptum arbitror, Paratur voluntas à Domino. Et in Psalmis: A Domino gressus hominis diriguntur & viam ejus volet. Et quod Apostolus ait, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Nihil profectò uberius, manifestius, expressius postulari posset, quo intelligamus amore justitiæ prorsus opus esse ut possit esse opus bonum, & voluntas creaturæ rationalis bona, & ejusmodi bonam voluntatem nullo pacto esse in potestate naturæ, sed per veram, propriè dictam & supernaturalem divinæ charitatis gratiam esse tribuendam: ut nihil opus sit pluribus Augustini testimoniis satagere colligendis. Tam enim est in illa doctrina tradenda constans & in inculcanda assiduus, ut dies mihi facilius quam Augustini testimonia deficerent.

Ne quis verò in exoticas cogitationes de ista justitiæ dilectione incidat, ut suspicetur præcisiones nescio quas supernaturales, sub quibus diligenda sit justitia, & propter quas gratia in quocunque statu sive puræ, sive lapsæ, sive elevatæ supernaturaliter, sive sibi relictæ naturæ, opus sit, de quibus Augustino nunquam in mentem venit, sciat iste non aliud per *dilectionem* seu *delectationem*, seu *amorem justitiæ* intelligere Augustinum quam quo diligitur opus justum & rectum & bonum, quia justum, quia rectum, quia bonum est. Sic enim amari non potest nisi ipsa forma justitiæ, ipsa rectitudo, ipsa bonitas in se diligatur: Nec hoc ipsum juxta sanctum Augustinum fieri potest sine vera & supernaturali gratia Dei.

Declarat hoc sæpè apertissimè & in iisdem non semel locis quæ citavimus; idque tam diversis loquendi modis in unum sensum concurrentibus, ut lectorem sollicitum de veritate, de sententia ejus dubitare non sinat. Nam aliquando delectationem ac dilectionem istam justitiæ vocat *dilectionem ac delectationem ejus quod agendum est*, ut quando dicit in libro de Spiritu & littera, ubi dilectionem justitiæ per gratiam charitatis inferendæ maximè prædicat: *Cum id quod agendum & quo intendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non benè vivitur.* Et quo tandem amore diligitur quod agendū est? Audi cōsequenter *Ut autem diligatur charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et in opere imperfecto contra Iulianum: *Nisi per eam (charitatem) id diligamus quod amandum Deo docente cognoscimus.* Quod eodem sensu expressit in Epistolam ad Galatas explicando quid sit amari quod docetur *qui*, inquit, *per charitatem, servit liberè servit, & sine miseria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur.* Et in Epistola ducentesima ad Asellicum: *Incipit homo secundum gratiam in interiori homine renovari ut mente agat quod agit nec carni consentiat &c.* Et in Psalmum centesimum vigesimum nonum: *Cum cœperit se delectare, facere quod dicit sermo Dei, tam qui erat adversarius sit amicus.* Aliquando vocat istam dilectionem justitiæ, *delectationem aut amorem ejus quod præcipit nobis*, hoc est divini præcepti, ut in libro de Spiritu & littera: *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod præcipit nobis quàm delectat quod impedit*: hoc est ut plus delectet ac diligatur opus justum quod præcipitur, quam injustum quod vetatur, atque impedit nos à justitia præcepti operis diligenda; quod propterea statim explicat aliis verbis dicendo, ut *animus amore justitiæ operetur bonum.* Et in libro secundo ad Bonifacium, quod paucis verbis immediatè antè dixerat *amorem justitiæ*, statim aliter dicit: *Benedictio dulcedinis est gratia Dei qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est amemus quod præcipit nobis.* Aliquando dilectionem istam justitiæ exprimit per hoc quod *libeat id quod licet*, hoc est, quod animum delectet hoc ipsum quod opus justum licitum sive justum est: *Timore pœnæ justitiam suam facere conantur, & ideo non faciunt Dei justitiam quia charitas eam facit quæ non libet, nisi id quod licet*: id est qua libet ac diligitur opus justum, seu ipsa operis justitia. Unde subdit: *Non timor facit Dei justitiam qui cogitur in opere habere quod licet, cùm aliud habeat in voluntate quæ mallet si fieri posset licere quod non licet.* Vbi perspicuum est id quod licet, opponi ei quod non licet, hoc est opus bonum operi malo, & ita charitate juxta sanctum Augustinum fieri ut libeat ac diligatur opus bonum, sicut cupiditate libet ac diligitur opus malum. Hinc aliquan-

Marginal notes: In Psal. 57. — Lib. 2. de pec. merit. cap. 18. — Lib. de Spir. & litt. c. 3. — Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. c. 42. — In Epist. ad Galatas. — Epist. 200. — In Ps. 129. — Lib. de Spir. & litt. c. 29. — Lib. 2. ad Bonif. c. 9. — Lib. de Spir. & lit. c. 32.

aliquando dilectionem istam justitiæ, vocat A *cupiditatem boni*, *appetitionem* seu *quæsitionem operis boni*, *volitionem boni*, & has ipsas fieri docet charitate: ut quando ad Bonifacium dicit: *Quid est boni cupiditas nisi charitas, de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens charitas ex Deo est*. Explicans quid per cupiditatem boni intelligeret, *tunc bonum concupisci incipit quando dulcescere incipit. Quando autem timore pœnæ non amore justitiæ fit bonum opus, nondum bene fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere.* Vbi evidenter exponit dulcescere seu concupisci bonum per amorem justitiæ, sine quo non benè fit bonum, non quia non supernaturaliter fit: sed quia non fit in corde, cum ipsa operis boni justitia non diligatur, sed tantum in opere exteriori. Hinc alibi vocat voluntatem seu volitionem boni: *Homo Pelagiane charitas vult bonum, & charitas ex Deo est.* Et rursum: *Charitas sola vult bonum.* Et in alio loco quæsitionem B operis boni, dum docet Christianos *non aliud sibi in operibus misericordiæ quærere quam opus bonum, nesciente sinistra quid faciat dextera, id est, ut alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis.* Apertissimè docens, hoc ipsum quod nō aliud quæritur quam opus bonum, effici sola charitate. Aliquando dilectionem istam justitiæ vocat *delectationem ac dilectionem* ipsius *legis*; ut quando in libro de gratia & libero arbitrio studiosissimè commendans charitatem Dei non esse in nobis nisi ex Deo, dicit: *Nos diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos. Gratia nos facit legis dilectores. Lex vero ipsa sine gratia non nisi prævaricatores facit.* Et in libro de Spiritu & littera simul atq; docuisset quod quando mandatum non fit *amore justitiæ*, fiat serviliter, non liberaliter quia *de charitatis radice non surgit*, statim alijs verbis idipsum explicans, *Porro autem*, inquit, *si adsit fides quæ per dilectionem operatur, incipit* CONDILECTARI LEGI DEI *secundum interiorem hominem*, hoc est incipit amare justitiam legis, *quæ delectatio non litteræ sed Spiritus donum est.* Et libro primo ad Bonifacium citans eundem illum Apostoli locum quo dicit: *Condelector legi Dei*, istam condelectationem clarissimis verbis cum justitiæ amore confundit: *Cum ipsa delectatio boni* (quod scilicet præcipit lex) *qua etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ sed amore justitiæ* (*hoc est enim condelector*) *non nisi gratiæ deputanda sit.* Quod in alio loco vocat delectari facere legem, hoc est, id quod præcipit lex: *Per donum charitatis delectat legis esse factorem*: quod in eodem loco dixerat, *ut cognita cum amore faciamus*; Et Concilium Carthaginense, *Diligere ut faciamus*: Itemque: *ut quod faciendum cognovimus facere diligamus.* Aliquando dilectionem istam justitiæ, vocat dilectionem qua *non aliud, sed ipsa mandata diliguntur*; ut quando in Psalm. 118. postquam admonuisset esse gratiæ veræque charitatis, ut mandata Dei dilectione per Spiritum S. diffusa impleantur, quia plenitudo legis est charitas; tandem indicans quid istâ charitate diligi debeat ut lex impleatur, & cur eam sub

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Lib. 1. oper. imp. rf. cont. Iul. fol. 40.

Tract. 51. in Ioannem.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 18.

Lib. de Spir. & litt. c. 14.

Lib. 1. ad Bonif. c. 10.

Lib. 4. ad Bonif. c. 5.

Concilium Carthag. can. 3.

veteri Testamēto non impleverint: *Propter mercedem*, inquit, *terrenam atque carnalem Dei mandata facere conabantur Iudæi, neque faciebant, quia* NON IPSA, SED ALIVD DILIGEBANT: *Vnde illa non erant opera volentium, sed onera potiùs invitorum. Cùm verò* IPSA MANDATA DILIGVNTVR *super aurum & lapidem pretiosum multum, omnis præ ipsis terrena vilis est merces.* Aliquando dilectionem istam justitiæ vocat *voluntatem benefaciendi*, *desiderium benefaciendi*, *dilectionem rectè facti*, & hujusmodi, per quæ significat istam justitiæ dilectionem non esse aliud nisi dilectionem ipsius rectitudinis & bonitatis & justitiæ, quæ elucet in benefacto: ut in libro primo ad Bonifacium tradit Beatum Paulum quamvis ante gratiam Christi esset in lege sine querela, intus tamen in affectionibus pravis esse potuisse prævaricatorem legis, eo quod illa opera conspicua legis implerentur *pœnæ formidine non dilectione & delectatione justitiæ.* Et rationem reddit istam: *Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere; aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impunè committi. Nam sic profectò in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate sed timore non peccat.* Vbi manifestum est, dilectionem justitiæ exponi per hoc quod est voluntate benefaciendi benefacere, in qua videlicet non aliud quippiam diligitur, quàm ipsa rectitudo & æquitas benefacti. Et in libro 3. ad eundem Bonifacium describens Christianum cujus fides per dilectionem operatur: *Ab ipso*, inquit, *sumens & indulgentiam peccatorum, &* DILECTIONEM RECTE FACTORVM. Et cum in libro de Spiritu & littera perspicuè verèque tradat, quod quando lex jubet, si gratia Spiritus juvantis desit, augetur prohibitione desiderium malum; quia videlicet non extinguitur, *nisi* C *Spiritus S. inspiret pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est charitatem diffundat in cordibus nostris.* Eandem doctrinam in libro 2. contra adversarium legis & Prophetarum hoc modo expressit manifestius; *Prohibitio peccati quod est lex, auget desiderium peccati, quod non extinguitur* NISI CONTRARIO DESIDERIO RECTE FACIENDI VBI FIDES PER DILECTIONEM OPERATVR. Et in eodem prorsus loco explicans quid hoc ipsum sibi velit adjicit QVOD NON EXTINGVITVR *per jubentem litteram timore pœnæ, sed per juvantem spiritum* DILECTIONE IVSTITIÆ. Vt sic sine ullo plane scrupulo intelligendo caperemus idem prorsus esse dilectionem justitiæ, desiderium benefaciendi, dilectionem rectè factorum, voluntatem benefaciendi, dilectionem ipsius mandati, delectationē boni, condelectationē cum lege, dilectionem legis, voluntatem boni, cupiditatem boni, quæsitionem D operis boni, charitatem qua libet id quod licet, delectationē & amorem ejus quod præcipit nobis, dilectionem ejus quod agendum est.

Hæc ergo ratio est cur Augustinus eodem planè

In Ps. 118.

Lib. 1. ad Bonif. c. 9.

Lib. 3. ad Bonif. c. 3.

planè modo quo leges affirmativas, hoc est opera justitiæ quæ legibus affirmativis præcipiuntur implendas esse docet dilectione justitiæ, ita etiam negativas observandas præcipit, odio injustitiæ; ut videlicet non pœna, non incommodum temporale, sed ipsa injustitia peccandique iniquitas fugiatur. Illa quippe duo ex eodem fonte manant. Nam uti fuga mali fundatur in amore boni; ita nemo veraciter diligere posset bonum, nisi fugiat malum. *Tunc apparet*, ait Augustinus, *te diligere quod bonum est, si inventus fueris odisse quod malum est.* Sub quacunque namq; ratione diligitur bonum, sub illa declinabitur oppositum malum, & ideo declinabitur, quia diligitur id cui adversatur bonum. *Tantum enim quisque peccatum odit quantum justitiam diligit.* Qua de causa in alio loco rectissimè sanctus Doctor ait quod jam citavimus; *Desiderium peccati non extinguitur nisi contrario desiderio rectè faciendi*, seu ut adjicit, *non per jubentem litteram timore pœnæ, sed per juvantem Spiritum amore justitiæ.*

In Psal. 96. — Epist. 144. — Lib. 2. cont. advers. legis & Prophet. cap. 7.

Ex quo fit ut consequenter non minus opus sit Spiritus sancti gratia, ad fugiendam injustitiam, quam ad justitiam diligendam. Nam castus amor justitiæ & castum odium injustitiæ, nullo videlicet externi boni assequendi, aut mali vitandi consideratione vitiatum juxta fundatissimam Augustini doctrinam omnes puræ lapsæque naturæ vires excedit. Qua de causa non minus expertè ipsius injustitiæ in se spectatæ, fugam quam justitiæ dilectionem Spiritus S. dono & gratiæ tribuit. *Spiritus dono*, inquit, *fit in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas; sicut præter hunc Spiritum peccare delectat, ubi servitus.* Et in Epistolam ad Galatas; *Non implet ea quæ ad bonos mores pertinent, nisi charitas. Quia & hominem si propterea non occidat aliquis, ne & ipse occidatur, non implet præceptum justitiæ: seu si ideo non occidat quia malum est, etiamsi id possit facere impunè non solum apud homines sed etiam apud Deum.* Ex quo loco manifestissimum est quod hic quod sexcenties dicit, opus esse faciendum dilectione justitiæ. Non peni nihil aliud, nisi faciendum esse, *quia justum est*, ex qua velut radice valeret, ut homo non occidat, non fornicetur, non furetur & generaliter non faciat malum *quia injustum est*, etiamsi id possit facere impune. Hoc enim nihil aliud est nisi quod ipsa ratio injustitiæ horrorem incutere debet; quod nunquam fiet nisi *ipsa ratio justitiæ*, idque Spiritu sancto gratiam charitatemque diffundente diligatur. Quæ sanè causa est, ut subinde promiscuè dilectioni justitiæ seu delectationi boni tribuat non solùm quod facimus bonum, sed etiam quod non facimus malum; illâ nempè consideratione, quod malum castè vitari nullo pacto potest nisi bonum castè diligatur, quorum neutrum pariter sine Spiritus S. gratia queat. *Non video*, inquit, *quomodo diceret homo sub lege, Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: Cum ipsa delectatio boni, qua etiam* NON CONSENTIT *ad malum non timore pœnæ sed amore justitiæ; non nisi gratiæ deputanda sit.* Et infra dicit: *Vincente justitiæ delectatione non consentimus motibus concupiscentiæ.* Et alibi illum docet adhuc *esse sub lege*, hoc est sub affectu peccandi & servili timore constitutum, *qui timore supplicii quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati nondum liber nec alienus a voluntate peccandi.* Amorem videlicet justitiæ, non minus ad abstinendum à malo, quam ad faciendum bonum statuens esse necessarium. Et unde iste amor justitiæ, quo fit liber & alienus ab affectu peccandi, hoc est ab amore injustitiæ, ne sit amplius sub lege timoris? Ecce statim subjicit, quod ex vera & spirata illa charitate nascatur: *Ergo si Spiritu ducimini non adhuc estis sub lege, utique lege quæ timorem incutit, non tribuit charitatem, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per legis litteram sed per Spiritum S. qui datus est nobis. Hæc est lex libertatis* videlicet ab affectu peccandi, *non servitutis, quia charitatis, utique non timoris.* Et paulò post: *In quantum quisque Spiritu ducitur non est sub lege: quia in quantum condelectatur legi Dei*, hoc est in quantum justitiam legis præcipientis diligit, *non est sub legis timore quia timor tormentum habet non delectationem.* Qua de causa superius dixit quod desiderium peccati non extinguitur nisi contrario desiderio rectè faciendi ubi fides per dilectionem operatur; item non extinguitur timore pœnæ sed dilectione justitiæ.

Lib. de Spir. & litt. c. 15 — In cap. 5. ad Galatas. — Lib. 1. ad Bonif. c. 10 — Cap. 13. — Lib. de nat. & grat. c. 57 — Ibidem.

Cùm ergo in Augustini doctrina manifestum sit non nisi solâ charitate justitiam præcepti, seu boni operis diligi; quando hoc ipsum quod justum est diligitur: Nec etiam injustitiam operis injusti, nisi solâ charitate respui, facile jam elucescet, quid sibi velit Prophetica & Apostolica & Catholica illa doctrina tam solemnis in Ecclesia, quæ tenet istam esse differentiam Testamenti veteris ac novi, quod per Testamentum vetus lex Dei in tabulis lapideis scribatur, per novum in tabulis cordis carnalibus, hoc est in cordibus fidelium, prout hoc Deus per Hieremiam promittebat. Genuinus enim, propriusque verissimusq; sensus est, quod olim lex vetus extra hominem in illis duabus tabulis quas excidit Moyses, digito Dei scripta fuit, ut extrinsecus oculos feriret vel auribus lecta insonaret, nec quicquam amplius operaretur, in corde nisi fortè ut ejus pœna timeretur. Nunc verò per Testamentum novum lex Dei quæ justa præcipit, injustaque vetat per istum divinæ charitatis amorem quem solus inspirat Deus, scribatur & imprimatur in corde, hoc est in ipsa intima voluntate & affectu hominis, quatenus ipsam æquitatem & justitiam legum Dei incipit sincerissimè diligere & observare vellet etsi nulla adjuncta pœna terreret; Quod quando fit hæc est mutatio dexteræ excelsi & solius divinæ charitatis fructus est, quidquid tandem Philosophi gentiles de re sibi non perspecta multoq; abstrusiore quam arbitrentur garriant. Hunc genuinum esse Catholicæ doctrinæ sensum ex fidelissimo ejus interprete

S. Augustino manifestum est, qui rem istam tanquam ex præjactis principiis per se consectaneam constantissimè tradit. Nam in lib. de Spir. & litt. (*Lib. de Spir. & litt. c. 17*) ubi de isto discrimine utriusque testamenti ex professo disputatur, idipsum non semel apertissimè docet. Nam cùm statim cap. 17. ubi ista potissimùm incipit disceptatio, istā notans differentiam dixisset: *Ecce quemadmodum ostendit* Apostolus *quia illud extra hominem scribitur*, in tabulis lapideis, *ut eum forinsecus terrificet: Hoc in ipso homine ut eum intrinsecus iustificet*, quod generalius obscuriusque dictum videbatur; statim in consequentibus istam inscriptionem legis in cordibus explicat: ut quando subnectit cap 19. *Illa enim lex* & doctrina exterior, (*Cap. 19.*) *sine adiuvante Spiritu, procul dubio est littera occidens: Cum verò adest vivificans Spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri.* Quid est. *Hoc ipsum quod foris scriptum* erat, nisi illam ipsam legem, quæ justa foris præcipiebat & injusta prohibebat, sive ipsam legis justitiam, quam foris auribus duntaxat insonantem audiebant? Nam sic (*Cap. 21.*) seipsum explicat Aug. paulò inferius: *Nunc ipsius bonum cordis promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, hoc est intelligibile bonum, cum dicitur. Dabo leges meas in mente eorum & in cordibus eorum scribam eas. Unde significatur eos non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus*, HABITANTEM IPSAM LEGIS IVSTITIAM *dilecturos*. (*Cap. 25.*) Et adhuc aliquanto inferius: *Cum hæc appareat distantia veteris & novi Testamenti, quod lex ibi in tabulis hic in cordibus scribatur*: Et quo pacto scribitur? *Ut quod ibi forinsecus terret, hic delectet intrinsecus*; Dum videlicet homo ipsa justitia legis, per dilectionem in corde scriptæ delectatur Deo ut addit, *diffundente charitatem in cordibus nostris* per Spiritum S. qui datus est nobis. Et adhuc longè apertius post pauca (*Cap. 26.*) interposita: *ut hoc sit pertinere ad Testamentum novum legem Dei habere non in tabulis sed in cordibus scriptam, hoc est*, INTIMO AFFECTV IVSTITIAM LEGIS AMPLECTI, *ubi fides per dilectionem operatur*. Quod statim aliis verbis æquipollentibus exprimit: (*Cap. 27.*) *Qua gratia in interiore homine renovato iustitia scribitur, quam culpa deleverat*, dum videlicet quod toties dixit, incipit justitiam ipsam legis corde diligere & operando exprimere. Quid autem sit illa dilectio, qua justitia legis diligitur sæpissimè dicit: charitas videlicet quæ diffunditur per Spiritum S. qui datus est nobis. Nam in iisdem locis identidem repetit: (*Ibid. c. 21.*) *Quid sunt leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus nisi ipsa præsentia Spiritus S. qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur charitas &c.* Itemque in eodem loco ubi inscriptionem legis per hoc expresserat, quod est in intimo cordis affectu justitiam legis amplecti; istum cordis affectum vicissim exprimit per (*Cap. 26.*) charitatem: *Iustitiam legis cordis charitate custodiunt.* Et paulò post repetens illam toties inculcatam utriusque testamenti differentiam, quod per novum lex in corde scriberetur; (*Cap. 28.*) *Hoc*, inquit, *donum Spiritus S. est quo diffunditur charitas in cordibus nostris, charitas non qualibet sed*

A *charitas Dei de corde puro & conscientiâ bonâ & fide non fictâ, ex qua iustus in hac peregrinatione vivens, ad speciem quoque perducitur.*

Iam quantum arbitror ex tot sibi undique consonantibus Augustini testimoniis, apparet esse clarissimam certissimamque doctrinam ejus neminem omninò posse injustitiam castè fugere, ita videlicet ut sit alienus ac liber ab affectu peccandi, nisi justitiam diligat; neminem itidem justitiam boni operis posse diligere, hoc est, ut ipse loquitur, malum fugere quia injustū est, bonumq; facere quia justum, nisi hoc ei per Spiritus S. gratiam, non quamlibet sed veram illam charitatem quæ per Spiritum S. diffunditur in cordibus nostris, divinitus inspiretur. Quę doctrina sicut ab Augustino constantissimè dilucidissimèque tradita est, ita à Concilio Carthaginensi, cui Augustinus interfuit, & ab Apostolica Sede sancito B peculiari canone definita est: (*Celest. Epist. ad Episcop. Gall. cap. 9 Conc. Carthag. can. 4.*) *Item quisquis dixerit eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, Non autem per illam nobis præstari ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit &c. cùm sit utrumque donum Dei & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate scientia non possit inflare.* Quid est obsecro id quod *faciendum cognoverimus facere, diligere?* Quid est quod *faciendum est diligere ut faciamus*, nisi id quod toties Augustinus in omnibus contra Pelagianos lucubrationibus repetivit; disertissimisque verbis dixit, ut audivimus, *Amare iustitiam, suavitate iustitiæ delectari; condelectari legi Dei; facere quod lex iubet, amando iustitiam, facere mandatum & operari bonum amore iustitiæ; cum amore facere quod iubetur; ea quæ per-* C *tinent ad iustitiam delectare animum; cum amore iustitiæ facere bonum; dulcescere bonum, concupiscere bonum; cum amore facere quod docetur; id quod agendum est amare; plus delectare quod præcipit quam delectat quod impedit; libere quod licet; delectari, cupere, amare quod præcipit nobis; delectari non peccare; amore iustitiæ abstinere ab opere peccati; voluntate benefaciendi*, id est amore boni operis *benefacere*; denique ut ait ipse omni ambiguitatis nube submota *agere sicut agendum est, id est cum dilectione & delectatione iustitiæ.* Ut nemo tantillum in Augustini doctrina exercitatus dubitare sinatur quin canon iste quem simul Augustinus condidit, doctrinam istam sub anathemate tenendam sanxerit, hoc est impossibile esse ut animus diligat ac delectetur non peccare, ut alienus & liber sit ab effectu peccandi, nisi justitiam seu idipsum bonum quod faciendum est diligat: Et hanc ipsam dilectionē operis boni fieri nullo pacto posse D humanis viribus, sed tantummodo per veram gratiam Dei, qua charitas diffunditur in cordibus nostris.

Quæ si ita sint, sicut esse ipsa doctrinæ consonantia & evidentia certissimè demonstrat, omnis possibilitas statûs puræ naturæ funditus

tus evertitur. Nec enim eo usque absurditatis progressurum quemquam puto ut hominem à Deo condi posse arbitretur in eo statu, quo nec justitiam boni operis diligere, nec mali injustitiam aversari possit, in quo nihil boni facere possit nisi timore pœnæ non amore justitiæ, in quo neque concupiscere, neque diligere possit bonum, in quo nunquam libeat id quod licet, in quo denique ne prolixior sim, nunquam delectet non peccare, in quo nihil possit voluntate benefaciendi benefacere, nihil agere sicut agendum est. Id est cum dilectione ac delectatione justitiæ. Quid enim esse potest hujusmodi nisi reprobæ, perversæ, distortæ, pessimæ, damnatæque naturæ status? Si enim *pessima voluntas*, Augustino est, quæ *nullo modo justitiā diligit*, quantæ perversitatis illa est, quæ nunquam non peccare delectat aut delectare potest? Si enim quicquam eorum quæ recensuimus potest, profectò jam non est puræ naturæ, sed per Spiritus S. gratiam verumq; amorem supernaturalem adjutæ status.

CAPVT SEXTVM.

Amor justitiæ ab Augustino prædicatus non est amor virtutis cujuscunque moralis propter se ut quidam recentior absurdè arbitratur.

RECENTIORES quidam Scriptores cùm animadverterent Augustinum in suis operibus passim justitiæ & legis dilectionem inculcare ut sit opus bonum; ad eamque gratiam Christi docere esse necessariam, ut Augustinum ad philosophiam Aristotelis traherent nihil aliud eum per illam charitatem justitiæ intellexisse volunt nisi amorem legis seu virtutis secundum se, hoc est voluntatem faciendi opus moraliter bonum ex omnibus circunstantijs, etiamsi nihil de illo opere in Deum referendo cogitetur. [Margin: Vasquez in 1. 2. disput. 192. c. 2.] Vnde hujusmodi operis moraliter boni voluntatem etiam *conversionem ad Deum*, vocari tradunt, quia est secundùm voluntatem ejus. [Margin: Ibidem 1. 2. disput. 190 cap. 8. n. 78.] In hanc opinionem ex eo lapsi sunt, quod cùm ex una parte Augustini doctrina perspicuè clamaret nullum omninò opus bonum ex omnibus circunstantijs posse tribui libero arbitrio sine gratia Dei, sine dilectione justitiæ, sine charitate; & ex alia, philosophia humana reclamaret, opera quædam moraliter tantum bona, tam à fidelibus quam ab infidelibus Deum verum ignorantibus posse fieri, vinum Augustini aquâ diluendum censuerunt, ut per charitatem dilectionemque justitiæ amorem virtutis moralis intelligerent; per gratiam verò nihil aliud nisi cogitationem aliquam bonam ordinis naturalis, quibus sanè paucis verbis non potuisset Pelagius ipse magis dexterè atque perniciosè totam Augustini doctrinam adulterare, & evertere, quam recentior quidam Scriptor fecit, qui talem interpretationem primus effinxit & de commento hujusmodi magnoperè sibi blanditus est. Sed de gratia quam commendat Augustinus erit infra suo loco proprius disserendi locus, ubi ostensuri sumus nihil sensibus Pelagianis excogitari posse congruentius, quàm quod ab illo auctore sub Augustini nomine obtruditur. Charitatem verò quam ad opus bonum postulat ad virtutis moralis dilectionem velle revocare, tam repugnat Augustino, quam quod maximè. Quid enim alienius ab ejus doctrina & phrasi, quid Apostolicæ & Evangelicæ doctrinæ repugnantius, quid à Christianorum sensu remotius aliquis comminisci potest, quam omnia pœnè aut certè præcipua Scripturarum sacrarum loca ex quibus Augustinus adversus Pelagianos juxta Ecclesiæ Christianæ unanimem sensum, charitatem illam donorum omnium divinissimam, sancti Spiritus inspiratione cordibus nostris infundi tradidit, ad amorem virtutum moralium quibus & infideles claruisse censet inauditâ novitate detorquere? Nam ut nulla novorum testimoniorum citatione, quæ de charitate loquuntur, lectori fucum facere videamur, vel suspicionem ingeramus, quod in eis fortè de alia disserat charitate quam de illa justitiæ dilectione quam toties jam statim audivimus ad opus bonum esse necessariam; in ijsdem ipsis plerisque locis quæ produximus, tantâ manifestatione naturam ejus declarat, tum ex Scripturis, tum ex proprio sensu è Sacris litteris hausto, ut nullus omninò detur tergiversandi locus, quin eum de illa propriè dictâ charitate loqui, qua diligitur Deus & proximus, fateri debeamus. In eodem quippe loco ubi dixerat Augustinus, *gratia nos facit legis dilectores*, quo in primis auctor ille putat significari tantum dilectionem; seu charitatē legis secundùm se, [Margin: Lib. de grat. & lib. arb. cap. 18.] hoc est voluntatem operis moraliter boni, sic illam dilectionem legis Aug. explicat ut dicat esse *charitatem Dei & proximi, & per Spiritum vivificantem* dari ita videlicet ut si *non sit ex Deo, vicerint Pelagiani: Si autem ex Deo vicerimus Pelagianos*: [Margin: Ibidem. Ibidem.] De qua dicit Ioan. Apost. *Charissimi diligamus invicem quia dilectio ex Deo est.* De qua dicit Apost. Paulus; *Gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem.* [Margin: Ibidem.] De qua dicit ad Timoth. *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris sed virtutis & charitatis & continentiæ.* De qua dicit ad Rom. *Quis nos separabit à charitate Christi?* [Margin: Lib. de grat. & lib. arb. cap. 17.] De cujus laudibus tanta orationis magnificentia loquitur in Epist. 1. ad Corinth. *Si linguis hominum loquor & Angelorum, charitatem autem non habeam &c.* [Margin: Ibidem.] Et, *Charitas patiens est benigna &c.* Et, *Manet fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.* De qua dicit ad Colossenses: *Super omnia autem hæc charitatem habete quæ est vinculum perfectionis.* De qua dicit ad Timoth. *Finis præcepti est charitas: & adiungens qualis charitas*, addit Aug. *De corde*, inquit, *puro & conscientia bona & fide non ficta.* [Margin: Ibidem.] De qua deniq; dicit Christus, *Diliges Dominum*

minū Deum tuū ex toto corde tuo &c. Et in Evang. secundum Ioan. *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem.* & hujusmodi plurima quæ Augustinus in eodē loco ex Scripturis sacris de illa charitate conglomerat, quæ nos legis dilectores facit. Nonne deliriο simile est omnia hujusmodi Scripturarum loca, ex quibus Augustinus illius charitatis naturam explicat, ad illam philosophicam virtutum moralium dilectionem derivare?

Quid quod in ceteris quoque locis, in quibus de justitiæ dilectione loquitur, meridiano sole luculentius declaret, se de illa virissima & notissima Dei charitate loqui? Nullibi densioribus testimonijs hoc manifestat, quam in libro de Spiritu & littera, in quo tamen præcipuè istum *amorem virtutis propter se*, hoc est virtutis moralis affectum nomine charitatis indicatum esse Scriptor ille ausus est dicere. Nam ut nemo fluctuare possit, de qua charitate seu justitiæ dilectione loqueretur, tribuit illam *fidei & gratiæ iustificanti.* Dicit esse charitatem eorum, qui *Spiritu aguntur*, quam *fides impetrat*, per quam *fides operatur*; ex qua filij clamant *Abba Pater* quæ *sanat animam abolitione peccati*: per quam *lex Dei in cordibus scribitur*; quæ *diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: quo tanquam *dono Spiritus sancti fit libertas* Christiana. Cujusmodi celeberrimis & notissimis epithetis genuīnam illam Dei & proximi charitatem quæ justitiæ dilectores facit, Augustinus exornat. Vnde & in alijs locis supra allegatis, illam justitiæ dilectionem explicat esse *charitatem, de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens, charitas ex Deo est*: Charitatem propter quam dicebat Psaltes, *Misericordia eius præveniet me*; propter quam Deo *fideliter veraciterq; cantatur, Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis.* Propter quam dicitur à fidelibus, *Dominus dabit suavitatem & terra nostra dabit fructum suum*: Charitatem, *quæ* est *voluntas bona*, de qua tanquam *Dei munere gaudemus cum iustificamur ab eo*: quam operatur Deus *cùm operatur velle*; de qua dicitur, *præparatur voluntas à Domino*: Charitatem denique, quæ est *amor iustitiæ, amor charitatis Christi*: cui *timor locum in corde servat*. Ad extremum, *Charitatem spiritalem quam Dominus exemplo suo docuit & gratia donavit.* Et in Epistola centesima quadragesimā-quarta luculentissimè simul amorem justitiæ & odium injustitiæ divinæ proprijssimèque dictæ charitati tribuit: Nam cùm dixisset: *Inimicus ergo iustitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: Amicus autem erit si eius amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare.* Sed statim ostendit non nisi ex Dei charitate utrumque proficisci: *Ille est timor Domini castus permanens in sæcula. Nam ille timor pœnæ tormentum habet, & non est in charitate, eumq; perfecta charitas foras mittit.* Et rursum neutrum eorum nec odium peccati nec amorem justitiæ fieri posse dicit, *Lege terrente per litteram sed Spiritu sanante per gratiam*, & amorem illum vocat *charitatem iustitiæ, charitatem Christi &c.* Et, *Quid est*

Lib. de Spir. & litt. c. 10.
Cap. 32.
Ibid. & c. 14
Ibid. c. 3. & 29. & lib. de nat. & grat. cap. 57.
Cap. 15.
Lib. 1. ad Bonif. 9.
Serm. 25. de verb. Apost. cap. 7.
Lib. 2. de pecc. merit. cap. 18.
Serm. citato cap. 9.
In Epist. ad Galatas.
Epist. 144.
Ibidem.

A

B

C

D

à charitate Christi nisi à charitate iustitiæ? Hæc sanè ita manifesta sunt ut ab homine sanæ mentis non possint, vel cum ullo probabilitatis colore de alia charitate accipi, quam de illa sola, quam Scripturæ novi Testamenti, & ex eis Ecclesia tanquam præcipuum Dei donum novit. Neque ad alios quoscunque tandem amores naturales vel infidelibus fidelibusque communes sine manifesto errore detorqueri, cùm tamen ne unum quidem hîc testimonium allegaverim nisi ex illis ipsis locis, ubi de ista justitiæ dilectione seu charitate disserebat. Quod si alijs aliunde testimonijs accersendis immorari vellem, dies pœnè facilius quam Augustini verba deficerent. Vnum sufficit sed luculentum, ubi dilectionem justitiæ, charitatis gratiam novi Testamenti vocat, quo uno verbo cuncta complexus est, quæ de supernaturali & verâ charitate dici possent: *Cùm verè fit opus legis, charitate fit non timore; quæ charitas gratia est Testamenti novi.* An forte alia hæc charitas & justitiæ dilectio? Lege consequenter nullius verbi interpositione idem expressum alijs verbis: *Ideo in secundis tabulis homo legitur scripsisse verba Dei, quia homo potest facere opus legis per charitatem iustitiæ, quod non potest per timorem pœnæ.* Denique quid evidentius & efficacius ad istud potiùs somnium quam opinionem recentioris jugulandum dici ab Augustino posset, quam quod ex professo docet, ut capite præcedente vidimus, istam justitiæ & legis dilectionem esse ipsissimam inscriptionem legis in cordibus, quam Hieremias Propheta tanquam novo Testamento & Christi gratiæ propriam vaticinatur his verbis: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et ne quod ingenium philosophia gentium distortum, hanc ipsam inscriptionem ad nescio quos morales affectus traheret, iterum iterumque inculcat sæpiùs istud fieri per *vivificantem Spiritum*, per *gratiam*, per *charitatem Dei*, & ne quis adulterationi daretur locus, per illam *charitatem quæ diffunditur in cordibus per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Atque hoc tum effici, cùm *fides per dilectionem operatur*, per illam scilicet dilectionem quæ *plenitudo legis est.* Ad postremum addit, hanc inscriptionem intrinsecus hominem *iustificare*, illâ justificatione qua justi efficimur; & sic Deum nos adjuvare ad *iustitiam* quam istâ inscriptione diligimus *operandam.* Sed hæc adversus novam falsissimamque opinionem satis. In hujusmodi verò absurditates eos incidere, non est mirum qui postquam sibi philosophicas opiniones fixè tenendas constituerint, eas Augustini auctoritate vestire volunt, vel eis consonas demonstrare quas maximè abhorruit, totaq; doctrinæ mole subvertit. Errori verò isti causam dedit quod Philosophorum sensis & phrasibus assueti, ex eorum regulis Augustini doctrinam metiri volunt. Cùm enim in Philosophis maximèque Peripateticis atq; Stoicis nihil aliud sonet justitia quam moralis affectus animæ, nec

q. 15. super Deuteron.
Lib. de Spir. & litt. penè toto, maximè à cap. 17. usque ad 28.
Hierem. 31.
Lib. de Spir. & litt. c. 17.

nec justitiæ dilectio aliud nisi amorem virtutis propter se, quæ ab illis tanquam germana virtus buccis crepantibus laudatur, & ab Aug. ut suprà fusè declaravimus, velut superba & inflata deprimitur, nihil aliud in Augustino per illam justitię dilectionem suspicari possunt indicatum esse, quam similem virtutis moralis affectum, qualem & in infidelibus reperiri arbitrantur. Sed quantopere in hac sua suspicione aberraverint liquidissimè constabit, cùm genuinam Augustini mentem in medium protulerimus.

CAPUT SEPTIMUM.

Quid sit illa justitia quæ diligitur & in corde scribitur: cujus amor tantopere ab Augustino laudatur, & sine quo creatura rationalis recta esse & condi nequit.

QUAM qui intelligere cupit animadvertere debet, longe aliud esse Augustino veritatem & justitiam & castitatem & similia, quæ inculcat esse diligenda & in corde scribenda, quam id quod Philosophi nominibus istis exprimunt. Nam isti, ut dicere cœpimus, nihil aliud intelligunt nomine veritatis, quam congruentiam signi cum rebus, sive signum sit conceptus, sive vox sive scriptura: ut veritas in illis sit, cum rebus significatis ista consonuerint neque quicquam aliud sub nomine justitiæ, & castitatis & similium accipiunt, quam affectiones quasdam bonas animi, ita ut consequenter dilectio justitiæ sit eis amor quo diligitur virtus, animique virtutes propter se, seu propter quendam splendorem honestatis quæ ad seipsum & ad aliud omninò nihil referatur. Itaque cùm ad Augustinum veniunt, nisi diuturnâ prius familiaritate revolvendi lucubrationes eius sensibus & phrasibus ejus assuefacti fuerint; nominum similitudine delusi in suos tanquam Augustini sensus relabuntur, quos ei constat non rarò ex diametro esse contrarios. Quapropter sicut veritas quæ diligenda præscribitur ab Augustino non significat illam consonantiam signi creati cum re significata, sed illã incommutabilem æternamque veritatem, quæ cernitur ab ijs qui legis æternæ præscripum vident, ita justitia, castitas, æquitas, rectitudo, bonitas &c. quas diligendas præcipit, & in visceribus per Testamentum novum scribendas docet Augustinus quarum dilectioni timorem opponit, & sine quarum dilectione nihil omnino boni fieri posse constantissimè tradit, significat apud ipsum non affectus aliquos per modum accidentium animo inhærentes, ut Stoici & Peripatetici solent, sed incommutabilem illam formam justitiæ & castitatis, & rectitudinis & bonitatis &c. quam videt & sequitur quisquis quid sit justum & æquum & rectum videt & sequitur. Hæc forma justitiæ semper stabilis & immutata in quacunque hominis justi mutatione permanet. Nam sive proficiat in justitia ad illam magis magisque tendit, ut inde formetur: sive deficiat ab illa recedit; sive pœniteat ad illam redit. Nisi enim aliqua forma justitiæ stabilis in æternum permaneret, quam mentis oculis cerneremus, non esset unde vel justum ab injusto discernere, vel profectum defectumque hominis in justitia metiri possemus. Nam quo magis affectu animi seu dilectione similes ei sumus, eo sumus utique justiores, quo magis dissimiles eo injustiores. Hæc autem forma non est aliud nisi veritas incommutabilis, in qua justum & rectum, & castum esse videt, cùm aliquid uti tale vel non tale probat aut improbat. Sed Augustinum de justitia videamus, apud quem ista doctrina nihil familiarius atque certius est. *Illud mirabile est, ut apud se animus videat, quod alibi nusquam vidit, & verum videat, & ipsum verum scilicet iustum animum videat, & sit ipse animus & non sit iustus animus, quem apud seipsum videt &c. An illud quod videt veritas est interior præsens animo qui eam valet intueri, neque omnes valent? Et qui intueri valent, hoc etiam quod intuentur non omnes sunt, hoc est, non sunt etiam ipsi iusti animi sicut possunt videre ac dicere quod sit iustus animus. Quod unde esse poterunt nisi inhærendo eidem ipsi formæ quam intuentur, ut inde formentur & sint iusti animi, non tantùm cernentes aut dicentes iustum esse animum, qui scientiâ atque ratione in vita ac moribus, sua cuique distribuit, sed etiam ut ipsi iustè vivant, iustèque morati sint, sua cuique distribuendo, ut nemini quicquam debeant, nisi ut invicem diligant. Et unde inhæretur illi formæ nisi amando?* [Lib. 8 de Trinit. c. 6.] Et ostendens illam incommutabilem formam justitiæ maximè omninum diligi vel esse diligendã, cùm aliquis vel jam justus, vel ut sit justus diligitur, ita adijciendo declarat: *Cur ergò alium diligimus quem credimus iustum, & non diligimus ipsam formam ubi videmus quid sit iustus animus, ut & nos iusti esse possimus? An verò nisi & istam diligeremus nullo modo eum diligeremus quem diligimus ex ista? Sed dum iusti non sumus minus eam diligimus quam ut iusti esse valeamus? Homo ergò qui creditur iustus ex ea forma & veritate diligitur quam cernit & intelligit apud se ille qui diligit: ipsa verò forma & veritas, non est quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam cùm incognita est credendo diligamus ex eo quod iam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale aliquid perspexeris ipsa est; & non est quicquam tale quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.* [Ibid. c. 6.] Et infrà in fine ejusdem libri cùm proposuisset exemplum justi viri Apostolum Paulum, eum tamen ex illa æterna justitiæ forma quam conspicimus à nobis diligi, sic declarat: *Quid est quod accendimur in dilectionem Pauli Apostoli cum ista legi-* [Ibid. c. 9.]

ista legimus, nisi [illegible] *credimus eum ita vixisse? Vivendum tamen* [illegible] *Dei numstris non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos in ipsa veritate conspicimus. Illum ergò quem sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus, scilicet mentis oculis, diligimus. Et nisi hanc formam quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus præcipuè diligeremus, non ideò diligeremus illum quia eius vitam cum in carne viveret, huic formæ coaptatam & congruentem fuisse fide retinemus.* Et paulò post: *Ita & ipsorum vitam facit à nobis diligi forma illius dilectio secundùm quam vixisse creduntur: Et illorum vita credita in laudem formam flagrantiorem excitat charitatem: ut quanto flagrantius diligimus Deum tanto certius sereniusque videamus; quia in Deo conspicimus incommutabilem formam iustitiæ secundùm quam hominem vivere oportere iudicamus.* Et luculentissimè in Psalmum

In Psal. 61.

sexagesimum primum: *Reprehensor iniquitatis esse non potest qui non cernit iustitiam, cui comparatam reprehendat iniquitatem. Vnde enim scis quia hoc iniustum est, nisi scias quid sit iustum? Quid si enim iustum est, & hoc quod dicis iniustum? Absit, inquis, iniustum est, & clamas quasi videntibus oculis, videns hoc iniustum esse, utique ex aliqua regula iustitiæ, cui comparans quod vides pravum, & cernens non convenire rectitudini regulæ tuæ reprehendis tanquam artifex discernens iustum ab iniusto: Ergò quæro à te iustum hoc esse unde vides? Vbi, inquam, videbis hoc iustum, quo viso reprehendis iniustum? Vnde illud, nescio quid quo aspergitur anima tua ex multis partibus in caligine constituta, nescio quid hoc quod coruscat menti tuæ? Vnde hoc iustum? Itane non habet fontem suum? A te tibi est quod iustum est, & tu tibi potes dare iustitiam? Nemo sibi dat quod non habet. Ergò cùm sis iniustus esse non potes iustus nisi convertendo te ad quandam iustitiam: à qua si recedis, iniustus es; ad quam si accedis iustus es. Te recedente non deficit; te accedente non crescit.* De ista stabili & permanente justitia dicit in Psalmum quadragesimum quartum: *Summa & vera pulchritudo iustitia est.* Et in Tractatibus in Ioannem: *Intelligit quis in oriente iustitiam; intelligit alius in occidente iustitiam: nunquid alia est iustitia, quam ille intelligit alia quam iste? Separati sunt corpore & in uno habent aciem mentium istarum. Quam video iustitiam hic constitutus, si iustitia est, ipsam videt iustus nescio quot mansionibus à me carne seiunctus, & in illius iustitiæ luce coniunctus.* Quam doctrinam de justitia multis in locis sæpè repetit, tanquam in perspectissima sibi veritate certissimam.

In Psal. 44.

In Tract. 35. in Ioan.

Quod autem de justitia sic intellecta diximus, idem omninò de veritate, de sapientia, de castitate & similibus, sentiendum esse præscribit. Sit unus aut alter locus instar omnium: *Conamini cogitare fratres lumen veritatis, lucem sapientiæ, quomodo ubique præsens est omnibus, conamini cogitare lumen iustitiæ; præsens est enim omni cogitanti. Quid enim est quod cogitat, qui vult iniustè vivere peccat, deserit iustitiam; diminuta est? Conversus est ad iustitiam; quid? Aucta est? Deserit eam, integram illam relinquit. Convertitur ad eam, integram illam invenit. Quid est ergò lumen iustitiæ? De oriente surgit & in occidentem vadit. An est alius locus unde oritur aut quo venit? Nonne ubique præsto est? Homo certè qui est in occidente, si vult iustè vivere, id est secundùm iustitiam, nunquid deest illi quam intueatur & videat* (fortè ut vivat) *secundùm ipsam iustitiam? Iterum in oriente positus, si velit iustè vivere, id est secundùm eandem iustitiam nunquid deest illi? Ibi enim est iustitia: Præsto est iustè viventi. Secundùm enim regulam videt quemadmodum iustè vivant & illi, & sicut iusti bene vivendo eam vident, ita & iniusti male vivendo non eam vident. Nam & ille iustè vivit, cùm eam videt: & ille ipsam videt, ut secundùm eam actus suos dirigat: quia nisi secundùm iustitiæ regulam direxerit actus suos in errorem iniquitatis impingitur. Quia ergò & huic præsto esse potuit ibi consistenti, nullo loco est & ubique est. Sic iustitia, sic sapientia, sic veritas, sic castitas.*

Serm. 44. de diversis c. 6.

Et in Commentario in Epistolam ad Galatas ubi dilectionem illam justitiæ his verbis suprà citatis commendaverat, *Maior enim & præpollentior delectatio eorum iustitia est*, id est, fortius eam, ardentiusque diligunt, quam peccata quibus à justitia diligenda retrahuntur, sic subjungit: *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est; ut verbi gratia occurrit forma speciosæ feminæ & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulchritudo illa intima & sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundùm hanc vivimus, & secundùm hanc operamur, ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis eius, sed regnante iustitiâ per charitatem cum magna delectatione faciamus quicquid in eo Deo placere cognoscimus.* Cujusmodi profectò testimonia quæ in Augustino tam frequentia sunt, ut non sit dubium ea ex perspectissima fundatissimaque veritate proficisci, liquidissimè demonstrant justitiam, veritatem, castitatem & similia quæ diligenda præscribit, longe aliter esse cogitanda quam illos affectus animæ quibus nos justi esse dicimur. Hi quippe temporales, illa æterna sunt: hi secundùm humanas mutationes oriuntur & occidunt; ista stabiliter permanent: hi ipso animo possidentis circumscripti, illa cernentibus ubique præsto sunt: Et ita præsto, ut à justis injustisque mentis oculis videantur, dum illi accedunt hi recedunt, sine incremento vel decremento justitiæ veritatisque quam vident. Cernitur enim justitia tanquam regula quædam immutabiliter fulgens supra mentis apicem quæ neque accedentium copia augeatur, neque recedentium minuatur, neque ullorum affectuum varietate varietur: qua in operibus justitiæ faciendis justi regantur, injusti corrigantur aut puniatur. Quapropter nonnunquam isti justitiæ quam diligendam præcipit, non solùm directionem, sed & prohibitionem & comminationem, & punitionem ascribit: *In ipsa voluntate reus est qui vult facere quod non licet fieri, sed ideò non facit quia impunè non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse iustitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse iustitiam, quis dubitaverit quod eam si posset, auferret? Ac per hoc quomodo iustus est iustitiæ talis inimicus, ut eam si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel iudicantem ferat? Inimicus ergò iustitiæ*

In c. 5. ad Galat.

Epist. 144.

iustitia est qui pœna timere non peccat, amicus autem erit si eius (justitiæ) *amore non peccet*. de qua justitiæ dilectione statim multis disserit. Quicquid secundùm illam justitiam fit, hoc rectum, hoc justum, hoc laudabile est; quicquid ab illa recedit, hoc pravum, injustum, damnabile est. Est enim prima illa & profunda & immutabilis regula justitiæ, juxta quam sive justi sive injusti rectè facta laudamus, & perversa prohibemus, reprehendimus, & punimus. Idcircò enim justa laudamus, quia illam justitiæ regulam in eis lucentem cernimus: & injusta culpamus, quia eam ibidem non cernimus. Siquidem in tantum hujusmodi facta vitiosa sunt, in quantum ab illa incommutabili regula juxta quam cernimus esse facienda discedunt: & in tantum rectè vituperantur, in quantum eorum vituperator normam, velut artem ex qua debebant fieri videt, ut hoc in eis vituperet, quod ibi non videt; quemadmodum hac de re Augustinus alibi loquitur.

CAPVT OCTAVVM.

Iustitia illa Deus est; sicut veritas & bonitas, & lex æterna.

QVID est igitur illa justitia omnibus ad intuendum exposita, sine cujus dilectione impossibile est voluntatis opus esse justum aut bonum, & cujus dilectio in cordibus nostris non nisi diffusa per Spiritum sanctum charitate diffunditur?

Respondetur non esse aliud nisi legis æternæ veritatem, justitiam ac rectitudinem: seu quod idem est, ipsam æternam legem, sempiternâ suâ veritate, justitiâ & rectitudine præscribentem creaturæ rationali, quicquid in rebus agendis verum & justum & rectum est. Hæc autem lex justitię non est aliud nisi Deus, neque Deus aliud quam veritas & justitia & rectitudo sempiterna; illa videlicet quam in hac vita ex operibus obscurè cernimus, non solùm fide, sed mentis rationalis intuitu; ex quo fidentissimè pronunciamus, hoc debet fieri, istud non debet; hoc verum, hoc justum, hoc rectum est, istud perversum atque distortum. Illa quippe justitia quam hoc dicendo contuemur, & ex cujus luce nobis radiante de singulis operibus ita decernimus, incommutabilis atque æterna est, ideoque supra mentes nostras tanquam mutabiles præsidet. Quod sanè nemini competit nisi soli Deo quemadmodum sæpius Augustinus tradit. Hinc enim illud in quæstionibus super Exodum: *Lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint vel faciant vel jubeant, vel vetent, secundùm quod illa incommutabili veritate perceperint. Nunquid enim Moyses quamvis cum illo Deus loqueretur, per singula credendum est, quod consulere soleret Deum, siquid esset in disceptationibus tantæ multitudinis, quæ illum in hoc judicandi negotio à mane usque ad vesperam detinebat? Et tamen nisi suæ menti præsidentem dominum consuleret, legemque ejus æternam sapienter attenderet quid justissimum judicare inter disceptantes posset, non inveniret*. Et in alio libro: *Non iam servi legis per timorem sed amici per charitatem & servi justitiæ, unde illa lex* (temporalis Moysis) *promulgata est*. Et in libris Confessionum: *Et non noveram justitiam veram interiorem, non ex consuetudine judicantem, sed ex lege rectissima omnipotentis Dei, qua formarentur mores Regionum & dierum pro regionibus & diebus, cum ipsa ubique ac semper esset, non alibi alia, nec alias aliter, secundùm quam justi essent Abraham, Isaac* &c. Et infrà: *Non intuebar justitiam cui servirent boni & sancti homines longe excellentius atque sublimius habere simul omnia quæ præcipit Deus, & nulla ex parte variari* &c. Ecce ex qua regula justitiæ, justa & injusta discernit. Nempe ex æterna veritate, ex lege Dei sempiterna mentibus hominum præsidente, ex illa justitia ex qua promulgantur leges hominum, quam quisquis consulit, dominum consulit, quia videlicet, ut Scriptura dicit, *Lex tua veritas*: Et sicut Augustinus ex Scriptura adjicit: *Veritas tu*. Vnde & ipsa æterna illa veritatis lex non aliter ab Augustino definitur, quam *Ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*. Quid autem ratio divina & voluntas Dei nisi Deus? ut proinde qui legem æternam consulit, non nisi Deum consulat menti suæ præsidentem, & suæ legis æternæ veritate loquentem, non adhuc per speciem sicuti est, sed in ænigmate. Sed ipsum Augustinum audiamus disertissimis verbis explicantem quid intelligat per illam justitiam quam in operibus bonis diligendam esse præscribit, ut opus possit haberi & esse bonum. Sic ergò nebulas omnis ambiguitatis abstergit, in illo ipso Sermone decimo-septimo de verbis Apostoli, in quo magnopere satagit, ut peccata caveantur non timore pœnæ, sed amore justitiæ: *Constituamus ante oculos, propter hoc quod dixi, exemplum certaminis. Interrogo utrum ames justitiam? Respondebis, Amo. Quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret: Non enim amatur nisi quod delectat. Delectare in Domino Scriptura dicit: Dominus autem justitia est. Non enim tibi fingere debes Deum quasi idolum. Invisibilibus similis est Deus & ea in nobis sunt meliora, quæ sunt invisibilia*. Ecce apertissimè assertum justitiam illam quam vult esse diligendam, esse Deum. Ipse est enim sicut veritas, ita & justitia incommutabilis, & omnis æquitatis regula imperturbabilis, quam nisi cernamus nihil aut justum aut injustum sapienter intelligi aut intelligenter dici potest. Hujus regulæ dilectio, justitiæ, hoc est, Dei dilectio est; per quam divinæ justitiæ participes efficimur. Illi quippe diligendo adhæremus; conjun-

Lib. de vera Relig. c. 31. & alibi

q. 67. in Exod.

Lib. 83. qq. q. 66.

Lib. 3. Confess. c. 7.

Ibidem.

Psal. 118.

Lib. 4. Confess. c. 9.

Lib. 22. contra Faustum cap. 27.

Serm. 17. de verbis Apost. cap. 3.

Digitized by Google

conjungimur, agglutinamur, & sicut ipse rectus & justus est, ita & nos recti, & justi reddimur, tantoque rectiores atque justiores quanto tenacius illi regulæ justitiæ dilectione cohæremus. Agit hoc luculentè Augustinus alio in loco: *Quapropter si animæ non possunt nisi etiam in seipsis utcunque vivere, quia ex eis vivunt & corpora à quibus deserta moriuntur; quanto magis vera justitia est animi ipsa vivere intelligenda, ex qua sic vivunt animæ, ut hac amissa mortuæ nuncupentur, quamvis quantulacunque vita non desinant vivere. Ea propter justitia quæ vivit in seipsa procul dubio Deus est atque incommutabiliter vivit. Sicut autem hæc cùm sit in seipsa vita, etiam nobis fit vita, cùm eius efficimur utcunque participes* (scilicet dilectione) *ita cùm in seipsa sit justitia, etiam nobis fit justitia, cùm ei cohærendo justè vivimus, & tanto magis minusve justi sumus quanto magis illi minusve cohæremus.* Et paulò post: *Est plenè ille Summus Deus vera justitia, vel ille verus Deus summa justitia quam pro facto esurire & sitire,* hoc est ardenter diligere, *ea nostra est in hac peregrinatione justitia, & qua postea saturari ea nostra est in æternitate plena justitia. Non ergò Deum nostræ justitiæ similem cogitemus, sed cogitemus nos potius tanto similiores Deo, quanto esse potuerimus ejus participatione justiores. Si ergò cavendum est ne justitiæ nostræ similem putemus Deum, ut non lumen quod illuminat, incomparabiliter excellentius est illo quod illuminatur; quanto magis cavere oportet, ne aliquid inferius & quodammodo decoloratius eum esse credamus, quam est nostra justitia?* Et in libro de catechizandis rudibus in quo Christianismi candidatos de principiis Christianæ fidei & modo diligendi Deum instruit, rudiores monet ut colant & *diligant Deum gratis.* Ne verò in colendi ac diligendi Deum modo aberrantes, velut idolum visibile pro Deo colerent; *Sed amandus est*, inquit, *non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia, & veritas, & sanctitas, & justitia, & charitas, & siquid aliud tale dicitur; non quemadmodum sunt ista in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ.* Vides hic in utroque loco apertissimè distinctam justitiam Deum, a nostra justitia; & hanc esse nostram justitiam, si Deum justitiam, hoc est illam incommutabilem semperque viventem & vigentem justitiam tanquam inflexibilem veritatem atque stabilem justitiæ regulam diligamus, & ei illâ dilectione coaptemur, hæreamus & efficiamur hærendo participes. Hanc alibi vocat invisibilem pulchritudinem cujus amore tanquam justitiæ dilectione bona facienda & mala vitanda sunt. Cùm enim libro quinto de Civitate Dei contra laudis aviditatem docuisset, *amore invisibilis pulchritudinis libidines turpiores*, non cupiditate humanæ laudis *esse frenandas*; hoc ibidem aliis verbis dicit, *studia sectanda fine veri boni, non ventositate laudis humanæ.* Et mox explicando præcipienda quæ subjungit, ut *cupiditas gloriæ, superetur dilectione justitiæ.* ut ipse *amor humanæ laudis cubescat & cedat amori veritatis.* Sed quid multis opus, ut probemus illam

Epist. 112.

Ibidem.

Lib. de catechizandis rudibus. c. ult.

Lib. 5. de Civit. c. 13.

Ibidem.

Ibid. c. 14. fine.

A justitiam quam ubique in operibus bonis diligendam præcipit, non aliud esse nisi regulam illam justitiæ inflexibilem quæ est verus Deus mentibus humanis in Oriente & Occidente præsidentem? Illa ipsa loca quæ præcedenti capite protulimus, ut eam non esse animi creati qualitatem probaremus, hoc omni alia Augustini testificatione luculentius clamant. Nam quid aliud est aut esse potest, nisi verus Deus, illa justitia de qua ibi dixit, quod sit *veritas interior præsens animo*, quam homines vident: quod sit *forma quam intuentur, cui inhærent, ut inde formentur*; forma *quam videmus ac diligimus*, quando hominem justum diligimus; cùm homo justus *non nisi ex illa forma & veritate diligatur, quam cernit apud se qui diligit*: quod sit forma *quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus; quam præsentè diligimus*: idcoque diligimus virum justum, *quia formam illam diligimus, cui illius animus coaptatur*; quod sit *regula justitiæ, quæ coruscat menti, cujus comparatione reprehenditur pravum tanquam non conveniens rectitudini regulæ; Regula quæ homine recedente non deficit accedente non crescit*: quod sit justitia *quæ videtur a constitutis in Oriente & Occidente*: quæ velut *lux præsens est ubique omnibus bonum cogitanti*: Justitia *ad quam convertitur quisquis juste vivit, quam integram deserit, quisquis deserit, integram invenit quisquis ad eam convertitur*: Justitia, *quæ nullo loco & ubique est*: Justitia quam videmus, cùm *juste vivendum in ipsa veritate conspicimus*. Denique, ut omnis tergiversatio auferatur, *incommutabilis forma justitiæ quam in Deo conspicimus, secundum quam hominem vivere oportere judicamus.* Justitia *præcipiens, comminans, judicans, puniens.* Hæc & hujusmodi quibus plenus est Augustinus, certissimè demonstrant, non aliam justitiam ab eo diligendam commendari cùm toties de justitiæ dilectione satagit, quam illam incommutabilem justitiæ formam quæ supra mentes hominum fulget, velut æterna omnis justitiæ lex unus videlicet & verus Deus, qui non instar idoli humano phantasmate cogitandus est, sed tanquam sempiterna justitia & veritas & bonitas & sapientia, quam nisi quis intus in animo suo taliter qualiter consulendò videat, nemo justum ab injusto, rectum à pravo, bonum opus à malo discernere potest: quemadmodum suprà sæpius Augustinus, ut vidimus, declaravit. Hinc est quod ut luculentè sensum suum aperiret, dilectionem Dei & justitiæ subinde conjungit, ut unum esset alterius explicatio. *Nondum justitiam propter Deum & propter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi vult ad conquirendum terrena servire.* Et adhuc expressius alio in loco: *Si se quisquam justum fingat & non sit, sed totum quicquid coram hominibus laudabiliter agere videtur, non agat propter Deum; hoc est propter veram justitiam.* Et quia Christus Dominus est illa vera & sempiterna regula justitiæ, hinc dilectionem Christi & dilectionem justitiæ pro iisdem accipit. Nam cùm dilectionem justitiæ plurimum duobus locis extulisset, uno, ait; *Amor deerat, amor justitiæ;*

Videlicet sup. præced. cap.

In Epist. ad Galat.

Tract. 100. in Ioan.

Serm. 15. de verb. Apost. c. 7.

justitia, amor charitatis Christi. Altero verò; *Ita conclusit Apostolus, ut eandem diceret charitatem Dei quam dixerat Christi. Et quid est à charitate Christi separari nisi à charitate justitiæ?* Cui consonat ad unguem discipulus Augustini sanctus Prosper, quando in Psalmum centesimum decimum-octavum scribit: *Id agit gratia ut mandata Dei dilectione impleantur, quæ impleri timore non poterant. Diliguntur autem super aurum & Topazion, id est super ea quæ pretiosa habentur in terra quando in observantiam mandatorum, non aliquod temporale premium quæritur, sed ipsa justitia: quia nihil est melius eo bono quo ipse homo fit bonus.* Quæ est manifesta periphrasis summi & veri Dei.

Prosp. in Psal. 118. litt. Aleph in fine

Quæ sane ratio est, quod quemadmodum illam justitiæ incommutabilis formam diligi ac cerni tradit, quandocunque aliquis justum ac rectum aliquid faciendum esse decernit, ita & bonitatem ipsam præcipit esse diligendam cujus ratio nobis lucet cum aliud alio melius
B esse judicamus. Hoc enim impossibile est fieri nisi regula aliqua stabilis & æterna bonitatis affulgeat cui magis minusve consonet quicquid peius aut melius esse dicimus. Hæc autem bonitas perinde, ut justitia & veritas Deus est. Vnde Augustinus cum varia creata bona recensuisset; *Tolle*, inquit, *hoc & & illud, & vide ipsum bonum si potes, ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus, vel quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur sive cogitantur diceremus aliud alio melius, cum verè judicamus, nisi esset nobis impressa notitia ipsius boni, secundum quod & probaremus aliquid & aliud alii præponeremus. Sic amandus est Deus, non hoc & illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ non cui supervolitet judicando, sed cui hæreat amando. Et quid hoc nisi Deus?* Et paucis interjectis, sicut alibi docuerat animum ad justitiam esse convertendum, hoc est justitiam boni operis esse diligendam, ut animus justus esse posset & rectus, ita hic docet animum ad bonum seu ad bonitatem converti oportere si velit esse bonus animus. Nimirum quia animus non potest fieri bonus nisi bonum seu bonitas ipsa castè sincereque diligatur. *Cùm verò*, inquit, *agit hoc studio* (ut animus bonus fit) *& fit bonus animus, nisi se ad aliquid convertat quod ipse non est, non potest hoc assequi. Quo se autem convertit ut fiat bonus animus nisi ad bonum, cum hoc amat & appetit & adipiscitur? Unde si rursus se avertat, fiatque non bonus, hoc ipso quod se avertit a bono, nisi maneat in se illud bonũ unde se avertit, non est quo iterum si voluerit emẽdare convertat. Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonũ.* Quæ omnia ad amussim iis congruunt quæ paulò antè de justitia diligẽda tradiderat. Nam ut ibi justitiam illam stabilẽ commendavit, quæ omnibus in Oriente & Occidente præsto est, quæ neque copia accidentium augetur neq; recedentium minuitur, ex qua velut incommutabili regula ubique mentis oculis præsente discernunt: quid justum quid injustum, quid rectum aut pravum sit; ita sic bonitatem diligendam docet, non illam qua formaliter hæc vel illa creatura bona est, sed illã potius, qua ex-

Lib. 8. de Trinit. c. 3.

Ibid.

A emplariter (ut ita loquar) boni sumus, hoc est ipsam bonitatem ex qua veluti regula omnis bonitatis quam cernimus, aliud alio melius esse pronunciamus. Neque ista bonitas aliud est, quam justitia neq. justitia & bonitas aliud quam veritas, quemadmodum & Augustinus hoc ipsum subinde declarat. Nam inde est quod suprà dixit, quod *homo qui creditur justus, ex ea forma & veritate diligatur quam cernit & intelligit apud se ille qui diligit.* Quam ibidem aliquoties vocat *veritatem interiorem præsentem animo qui eam valet intueri.* inferius verò *incommutabilem formam justitiæ quam in Deo conspicimus, secundum quam hominem vivere oportere judicamus.* Inde quoque, est quòd bonitatem non solùm illam ex cujus dilectione animus justus & bonus fit, sed etiam illam juxta, quam animus, quatenus animus bonus dicitur, & rebus corporeis præponendus non aliud esse doceat quàm ipsam veritatem velut artem in qua animum velut magnam creaturam & inferioribus præponendam approbamus. *Illud etiam*, inquit, *quod animus tantùm quia est animus etiam nondum eo modo bonus, quo se convertit ad incommutabile bonum, sed ut dixi tantum animus, cum ita nobis placet, ut eum omni etiam luci corporeæ cùm benè intelligimus, præferamus, non in se ipso nobis placet, sed in illa arte qua factus est. Inde enim approbatur factus, ubi videtur fuisse faciendus. Hæc est veritas & simplex bonum. Non enim est aliud aliquid quam ipsum bonum, ac per hoc etiam summum bonum. Non enim minui vel augeri bonum potest nisi quod ex alio bono bonum est. Ad hoc se igitur animus convertit ut bonus sit à quo habet, ut animus sit. Tunc ergo voluntas naturæ congruit ut perficiatur in bono animus, cum illud bonum diligitur conversione voluntatis unde est illud quod non amittitur, nec aversione voluntatis.* Hoc autem ut jam dixi, est veritas quam in omnibus actionibus animus spectare, diligere ac sectari debet. Illam quippe diligendo velut regulam incommutabilem omnium faciendorum, simul etiam justitiam bonitatem & castitatem & quamlibet virtutem diligit. Nulla enim omninò virtus, vera virtus esse potest, nisi veritate nitatur. Vnde Augustinus: *Certè pia, vera, sancta castitas non nisi ex veritate est & quisquis adversus eam facit profectò adversus veritatem facit. Cum procul dubio nulli esset fideliter amabilis castitas si non eam præciperet veritas.* Quod in omni prorsus virtute simili modo locum habet. Omnis quippe virtus regula illa sempiternæ veritatis & justitiæ nititur quam immutabilem supra mentem suam videt quisquis justè vivendum esse vidit. Neq; quisquam omninò justè vivit vel illam actionem justam facit nisi qui regulam illam incommutabilis veritatis & justitiæ diligit. Quidquid enim aliud præter illam justitiæ formam dilexerit aliquid creatum diligit, &
D illa dilectione creaturæ, serviet non creatori. Ex quo necesse erit ut vel cupiditate illa vitiosa assequendi creati boni, de qua multa diximus, vel timore amittendi animus impellatur. Cujusmodi actionem juxta Augustini principia jam declarata impossibile est esse justam aut bonam.

Lib. 8. de Trinit. c. 6.

Cap. 9.

Ibid. c. 3.

Lib. contra mendac. c. 19

Cap. 20.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Ostenditur consonantia doctrinæ Augustini in hac materia de justitiæ & boni operis dilectione & gratiæ necessitate ad hoc præstandum.

HÆc si rectè juxta declaratam Augustini mentem intellecta fuerint, statim evanescet omnis illa dissonantia, quâ quidam offensi in absurdas sexcentisque locis Augustini testimoniis repugnantes imaginationes lapsi sunt, quibus doctrinam ejus liquidissimam, divinissimamque ad Aristotelica commenta detorserunt. Vna enim & æquabilis apparebit facies eloquiorum & sententiarum ejus. Verissimum quippe mox apparebit nullum esse posse opus bonum, nullam operis faciendi voluntatem bonam, nisi sit *cupiditas boni*, hoc est nisi bonitas ejus & justitia diligatur; quam nisi diligat, *nondum benè fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere.* Necesse est enim, ut aliud quippiam diligat ex cujus vel retinendi vel assequendi voluntate opus ex objecto bonum, sive bonitatis sive justitiæ dilectione operetur. Proinde necessario rei temporalis amore vel timore, hoc est vitiosa creaturæ fruendæ cupiditate vel pœnæ formidine, quorum utrumque ab Augustino, juxta sæpissimè inculcata in alio tractatu principia, reprobatur.

Vide supra lib. 2. de statu naturæ lapsæ.

Apparebit etiam continuò quid sibi velint illæ Augustini phrases, opus fieri debere *dilectione justitiæ, delectatione & cupiditate boni; voluntate benefaciendi*; oportere ut in benefaciendo *nos delectet bonum*; ut nos *delectet quod præcipit* Deus, ut *ametur quod agendum est*, ut *condelectemur legi Dei*, & similia quæ supra recensuimus.

Apparebit etiam quid sibi velit quod animus à peccandi affectu liber esse non possit, nisi à peccato abstineatur, *delectatione boni, & amore justitiæ*; nisi ipsum *non peccare delectet*; nisi caveatur peccatum *quia injustum est*, cujusmodi locutionibus Augustinus scatet. Nam hæc omnia nihil aliud sibi in Augustino volunt nisi animum esse debere in bene agendo ab omni cupiditate creaturæ & consequenter pœnæ timore qui nascitur ex cupiditate vacuum; ut per castam, nullâque externâ consideratione vitiatam dilectionem in sola operis ac legis Dei præcipientis justitiâ & veritate figatur. Hæc autem bonitas & justitia non est illa quam Peripatetici, imaginantur, operis humani moralis dignitas, splendor, honestas, aut quocunque alio nomine voces. Nam talem operis quantumcunque honesti voluntatem Augustinus ex professo, & res ipsa velut superbam, & non in creatore sed creatura gloriantem voluntatem improbat; sicut supra fusius explicuimus. Sed est illa incommutabilis justitia atque bonitas, hoc est æterna veritas, & lex omnipotentis Dei, quam in ænigmate cernimus, cùm aliquid ex ejus regula conspecta velut consonum aut dissonum probamus aut improbamus. Hæc autem justitia, hæc bonitas, hæc veritas, tanquam incommutabilis lex omnis bonitatis, aut justitiæ, aut veritatis, quam videmus in creaturis, non est alia nisi ipse Deus, qui non instar idoli ut ipse loquitur, aliquo phantasmate cujuscunque creaturæ sed ut veritas, ut justitia, ut bonitas, ut sapientia cogitandus & amandus est.

Vid. lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 10. 11. 12. 13.

Hinc etiam apparebit cur divinitùs diffusa Spiritus sancti charitate opus sit, ut animus in quocunque tandem opere à peccato liber sit: vel ut opus quodcunque bonum, aut justum, aut rectum sine peccato operetur. Nimirum quia ista puritas justitiæ & veritatis quæ non est alia nisi Deus, non potest ullo modo à creatura diligi nisi ejus dilectio divinitùs inspiretur: juxta certissimam Apostoli regulam. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et illam Augustini, *Liberum arbitrium ad malum sufficit; ad bonum verò nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*: quæ in omnibus ejus operibus decantata est. Itaque ista vera ratio est, cur cum in libro de Spiritu & littera sexcenties istum *amorem justitiæ* qui in omnibus operibus bonis tanquam genuinus charitatis fructus emicare deberet, commendare & inculcare statuisset, statim in initio libri objectum istius amoris explicans, *Nos dicimus*, inquit, *humanam voluntatem sic divinitùs adjuvari ad faciendam justitiam ut accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioq;* SVMMI ILLIVS ATQVE INCOMMVTABILIS BONI QVOD DEVS EST. Cujus causam statim reddens, exponit per *delectari & amari id quod agendum & quo utendum est*. Et in decursu cùm sexcenties inculcasset dilectionem justitiæ per Spiritum sanctum in animo fieri debere, hoc etiam vocat ibidem *ut bonum Dei quod diligunt, sit Deus ipse quem diligunt*, quia ista forma sempiterna bonitatis justitiæque quæ diligitur non aliud est quam summum atque incommutabile bonum ac Deus ipse quem diligunt.

Rom. 5.

Lib. de corr. & grat. c. 11.

Lib. de Spir. & litt. c. 3.

Ibid. c. 25.

Hinc denique intelligitur quando Deus per Prophetam pollicetur, *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*, vel quando toties dicit Augustinus locum illum exponendo, quod per Spiritum sanctum *Lex Dei*, adeoque *Iustitia* in cordibus *scribatur quam culpa deleverat*; nullo modo hæc intelligenda esse de justitia qua homo formaliter justus

Hierem. 31.

Lib. de Spir. & litt. c. 25.

justus esse dicitur, hoc est de habitu charitatis, sed de justitia illa exemplari, quæ est æterna lex Dei & ipse Deus. Nam illam intelligit quando sexcenties dicit opus legis, *Iustitiæ dilectione esse faciendum*, & nos *intrinsecus habitantem legis justitiam dilecturos, & intimo affectu legis justitiam amplexuros.* Distinguit enim apertissimè legis justitiam ab ipso affectu, seu actu charitatis quo diligitur ipsa legis justitia. Itaque juxta sanctum Augustinum non ipsa charitas tanquam hominis justitia in corde scribitur, sed ipsa æterna & incommutabilis justitia, quæ est Deus noster, & unde habet lex omnis temporalis quicquid justi continet, significatur scribenda in visceribus per charitatem; & hæc justitia sic scripta est istud *mentis bonum, intelligibile bonum* quod commemorat, *ut bonum Dei quod diligunt, sit Deus ipse quem diligunt.* Nam charitas juxta sanctum Augustinum est potiùs vinculum istud & quasi *gluten* quo justitia illa seu Deus, conjungitur homini ut ejus particeps fiat; unde ad illa verba Psalmi: *Agglutinata est anima mea post te*, dicit Augustinus: *Vbi est ipsum gluten?* IPSVM GLVTEN CHARITAS EST. *Charitatem habe, quo glutine agglutinetur anima tua post Deum.* Et adhuc inferius, *Quid facturi? Non enim reperturi eramus gluten, quo adhæsit anima mea post te.* Charitas igitur vinculum glutinosum est, quasi unio ipsa qua Deus justitia sempiterna cordi conjungitur & inscribitur, ut anima mortua per ipsam substantiam Dei charitate sibi conjunctam vivificetur & sanctificetur, & particeps fiat Dei, eo magis ac magis quo arctius & profundius ei per charitatis incrementum copulatur. Vnde Augustinus in Ioannem scribens, cùm præmisisset pietatem, pulchritudinem, castitatem, veritatem esse immutabilem, mutabiles autem esse pios, pulchros, castos, veraces, adjicit: *Deus igitur incommutabilis est, anima mutabilis. Quando capit anima ex Deo, unde sit bona, participando fit bona, quomodo tuus oculus participando videt. Quia ergo anima participando fit bona, si mutata cœperit esse mala, bonitas manet, cuius erat particeps bona. Bonitatis enim cuiusdam particeps facta est, cum bona esset quæ mutata in pejus integra bonitas permanet. Si recedat anima & mala fiat, non minuitur bonitas, si revertatur & bona fiat non crescit bonitas. Factus est oculus tuus particeps lucis huius & vides. Clausus est, hanc lucem non minuisti: Apertus est, hanc lucem non auxisti. Hâc datâ similitudine fratres intelligite, quia si pia est anima, est pietas apud Deum, cuius fit particeps anima; si est casta anima, est castitas apud Deum, cuius est particeps anima: Si bona est anima, est bonitas apud Deum, cuius particeps est anima: Si est verax anima, est veritas apud Deum, cuius est particeps anima: cuius particeps si non fuerit anima, omnis homo mendax.* Et in alio tractatu participationem istam declarat fieri, quatenus per ipsam substantiam Dei anima vivificatur, sicut corpus per ipsam substantiam animæ: *Insinuavit nobis* (Dominus Iesus) *animam humanam & mentem rationalem quæ inest homini, non inest pecori, non vegetari, non beatificari, non illuminari, nisi ab ipsa substantia Dei. Et quamvis leniri & offendi possit etiam per corporis sensus; beatitudinem tamen eam qua fit beata ipsa anima, non fieri nisi participatione illius vitæ, semper vivæ, incommutabilis, æternæque substantiæ quæ Deus est; ut quomodo anima quæ inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, hoc est, corpus facit vivere; sic eandem animam non facit beatè vivere nisi quod ipsâ animâ est superius &c. Hæc est religio Christiana ut colatur unus Deus non multi Dij: quia non facit animam beatam nisi unus Deus. Participatione Dei fit beata. Non participatione sanctæ animæ fit beata infirma anima, nec participatione Angeli fit beata sancta anima, sed si quærit beata esse infirma anima, quærat unde beata fit sancta anima. Non enim beatus efficeris ex Angelo tu, sed unde Angelus inde & tu.* Quæ autem beatitudinis, eadem planè & vivificationis & sanctificationis ratio est, prout ipse etiam in eodem tractatu tangit: *Nec possunt vivere animæ nisi earum vita sit Deus, sicut ipsæ sunt vita corporum &c.* Vnde animæ moriuntur cùm per peccatum earum vita quasi exspirat & abscedit Deus. Nempe vera sunt ista omnia quia per ipsam charitatem velut unionem; vinculum, & gluten utriusque, anima intimè conjungitur Deo & fit particeps ejus, ipsâque participatione beata, pia, sancta, verax, justa, quæ nil istorum per seipsam esse potest: quemadmodum per unionem animæ intime conjungitur corpori nec fit quod ipsa est, sed particeps ejus, vivum, agile, vegetabile, sensitivum &c. qua discedente moritur ac dilabitur. Ex quibus facile intelligitur, quo pacto & sensu per charitatem lex Dei & justitia Dei, non illa nostra habitualis qualitas, sed illa sempiterna justitia & veritas Dei scribatur in visceribus & corde nostro, ut quemadmodum hoc Augustinus explicat, *ut amore cohærendo figuretur, tanquam ex annulo cera, illiq; affectus habeat imaginem eius.* Hanc doctrinam de justitiæ dilectione huc usque ab Augustino traditam à Peripateticis remotissimam, si quis eorum non intelligat, oret Deum ut intelligat. Quod si quis *rideat me ista dicentem*, inquit quodam loco, *& ego doleam ridentem me.* Quod si in Augustino intelligendo me falli putet, videat ne forsan ipse fallatur. Testimonia enim tam evidentia sunt totiusque doctrinæ tam accurata consonantia, ut non possit in alios sensus sine apertissima absurditate torqueri. Ad me quod attinet, hoc ingenuè profiteor difficile me reperire posse in Aug. doctrinam crebrius, clarius, & inculcatius traditam quam eam de qua loquimur. Vt nisi lectoris tædio parcere voluissem, non operosum fuisset (absit dicto arrogantia) justum opus de hac sola difficultate elaborare, & quemlibet Peripateticum contradictorem qui eam ab Augustini auctoritate remotam vellet, testimoniorum copiâ & claritate, totiusque doctrinæ sancti Augustini mole & consonantiâ opprimere.

Margin notes: Ibid. c. 25. — In Psal. 62. — Ibidem. — Tract. 39. in Ioann. — Tract. 23. in Ioann. — In Psal. 70. — 10. Confess. cap. 12.

CAPUT X.

Refellitur responsio qua putari posset justitiam &c. diligi posse dilectione naturali: & concluditur secundum argumentum.

HIc fortè respondebitur amorem illum justitiæ, quem explicuimus, sine quo non potest esse opus bonum, aut liber à mala voluntate animus, esse posse naturalem; & ideo non sequi, ut propterea non possit creatura rationalis sine gratia in statu aliquo puræ naturæ condi, quamvis sine justitiæ amore condi non posset. Sed hæc responsio multis modis deficit & Augustini doctrinæ ex diametro repugnat. Primò, quia in omnibus operibus suis expressissimè sæpissimèq; docet sinceram justitiæ, præcepti, legis, bonique operis dilectionem, nullo modo haberi posse ab homine sine gratia Dei, dilectionem illam diffundente in cordibus nostris, sicut hoc plurimis testimonijs supra declaravimus. Quod usque adeo verum est, ut hoc ipsum tanquam Pelagianam hæresim proscribat. Nihil enim volebant aliud Pelagiani quam istam boni operis ac justitiæ dilectionem, quam Augustinus ex gratia largiendam esse contendebat, liberi arbitrij viribus obtineri posse, & hoc ipsum Philosophos suâ libertate fecisse. Quibus non respondet Augustinus Philosophos bonorum operum justitiam dilexisse naturaliter, sed potiùs nullam habuisse, utpote qui superbiæ suæ litaverint, dum virtutem propter virtutem, hoc est, opera virtutis propter seipsa dilexerunt quemadmodum hoc supra latius declaratum est. Vnde illa distinctio duplicis dilectionis justitiæ, quarum altera sit naturalis, altera supernaturalis ab Augustini, Prosperi, Fulgentij, & omnium antiquorum gratiæ defensorum principijs aliena est, multis post eos seculis excogitata, qua sane gratior Pelagianis dari nequit, utpote qui per eam, universam doctrinam suam, cum Catholica copulabunt. Quod enim Scholastici se satis tutos, adversus pestem illam putent respondendo Pelagianos meritum in illo amore naturali statuisse, hoc suo loco inane commentum esse demonstrabitur.

Vide infra l. 5. de gratia Christi Salvatoris c. 11. & 12.

Secundò, quia Augustinus expressè & sæpiùs docet, sine illo Spiritu gratiæ, qui justitiam diligi facit, non posse aliud in animo dominari nisi dilectionem peccati quod illi justitiæ tanquam injustitia directè adversatur. Nam in libro ubi maximè omnium satagit pro obtinenda justitiæ dilectione per Spiritum sanctum apertè dicit *Spiritu sancto fieri in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est, sicut præter hunc Spiritum sanctum peccare delectat.* Et libro de natura & gratia dicit eum qui *non justitiæ dilectione*, quam Spiritus tribuit, *sed timore pœnæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liberum nec alienum esse à voluntate peccandi.* Et rursum *per dilectionem boni*, quam gratiæ tribuit, dicit, *non consentiri ad malum.* Quæ doctrina prorsus falsa est, si vel aliter justitia diligi, peccatumque non delectare potest, quàm Spiritu gratiæ, vel aliter animus alienus esse potest à voluntate peccandi quam illa supernaturali justitiæ dilectione. Si enim naturaliter justitia diligi sine peccato potest, certissimum est Spiritum gratiæ & supernaturalem justitiæ dilectionem ad hoc non esse necessariam; quam tamen tanquam necessariam Augustinus semper constantissimè docet.

Lib. de Spir. & litt. c. 15. Lib. de nat. & gra. cap. 57.

Lib. 2. ad Bonif. c. 10.

Tertiò, quia illum amorem justitiæ quem gratia largiri debet, sexcentis locis opponit formidini pœnæ, ita videlicet ut impossibile sit, eum qui ex illo amore justitiæ non operatur, aliter quam ex timore pœnæ animum sub amore peccati adhuc depressum retinente operari, juxta illud Augustini fundatissimum, *Inimicus justitiæ est qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit si eius amore non peccet.* Quod præterquam quod ex multis testimonijs paulò ante recitatis patet, etiam supra partim declaravimus esse verissimum, partim alibi uberius ostensuri sumus. Hoc autem omninò falsum est, si alio amore ex puræ libertatis viribus prodeunte justitia diligi potest. Vnde claris verbis dicit: *quando habes tuam justitiam*, id est naturalibus tuis viribus partam, *potes timere pœnam non amare justitiam.*

Epist. 140

Quartò, quia expressè ut sæpius docet, dilectionem qua quis condelectatur legi præcipienti, non potest esse nisi Spiritus sancti donum, fide scilicet per dilectionem operante: *Porro si adsit fides quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei, quæ delectatio non litteræ sed Spiritus donum est.* Et expressius alibi: *Non video quomodo diceret homo sub lege*, carens videlicet gratia, *condelector legi Dei &c. Cùm ipsa delectatio boni qua etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ (hoc est enim condelectari) non nisi gratiæ deputanda sit.* Ecce non nisi gratiæ deputari potest condelectatio legis Dei, quia scilicet legem sincerè propter legem Dei seu justitiam legis operari cupit. Hæc autem sine dubitatione inepta falsaque sunt, si lex Dei animum delectare potest naturaliter, neque gratiæ hoc deputandum.

Lib. de Spir. & litt. c. 14.

Lib. 1. ad Bonif. c. 10.

Quintò, quia remittit homines ad experientiam suam, ut si delectentur justitia quando operantur, non dubitent hoc esse gratiæ donum; *ut quando agunt sicut agendum est, id est cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus accepisse se gaudeant.* Hoc autem fallaciæ sine dubio plenum est, si aliter

Lib. de corr. & grat. c. 2.

ter quam cælitùs inspiratâ suavitate justitia diligi potest. Vnde comparans inter se bonum & malum, justitiam & iniquitatem, & exquirens utrum ex malo & iniquitate duntaxat delectatio percipiatur, & non ex bono atque justitia, respondet ex utrisque percipi, sed delectationem ex bono non posse nisi per Spiritum S. inspirari. *Habet*, inquit, *delicias suas iniquitas & justitia non habet? Delectat malum, & non delectat bonum? Delectat omninò; sed Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Quam suavitatem statim explicat per amorem charitatis. Et alibi: *Veniet gratia Dei ut delectet te justitia, sicut delectabat iniquitas.* Quid brevius & evidentius? Nimirum ut sic nos delectet justitia sicut iniquitas, opus est gratia Dei: quam quisquis in Augustino tantillum versatus est, novit non esse aliam, quam qua charitas in cordibus nostris diffunditur, ut ante sæpius jam audivimus. Hoc est enim quod disertissimis verbis dicit, *Cùm id quod agendum & quo nitendum est, cœperit non latere nisi etiam delectet & ametur*, scilicet id quod agendum est seu opus bonum seu justitia ejus, *non agitur non suscipitur.* Ecce non potest vel agi vel suscipi opus bonum, nisi delectet & ametur. Si enim non delectet & non ametur ipsum opus bonum, jam non est bonum quod suscipitur, sed aliud quippiam quod opus suscipiendo assequi cupit. Sed unde fit ut ametur quod agendum est? Audi sine ullis ambagibus Augustinum: *Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris.* Et qualis charitas an naturalis, quam pura natura excitare potest? *Non per liberum arbitrium quod surgit ex nobis; sed per Spiritum S. qui datus est nobis.*

Serm. 15. de verbis Apost. cap. 7.

Cap. 9. & In Psal. 57.

Lib. de Spir. & litt. c. 3.

Sextò quia impossibile est esse opus bonum, nisi ipsum bonum quod præcipitur appetatur & moveat animum. Hoc autem docet non posse fieri nisi per gratiam Dei. *Tunc bonum concupisci incipit cùm dulcescere cœpit.* Sed unde hoc homini ut vel concupiscatur vel dulcescat opus bonum sine quo impossibile est animum moveri ad bonum, quemadmodum in quæstione secunda libri primi ad Simplicianum expressè docet? Audi & hic: *Ergò benedictio dulcedinis*, qua scilicet dulce fit bonum quod agendum, *est gratia Dei qua fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis.* Qua de causa asseverantissimè alibi dicit *charitatem esse, qua non libet nisi quod licet.* Et rursum: *Per donum charitatis delectat legis esse factorem.* Falsa sunt hæc omnia si bonum quod agendum est dulcescere potest, & concupisci potest naturæ viribus sine Spiritus sancti gratia prout in pura natura, hoc est in eodem statu in quo nos sumus, fieri posse statuunt.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Lib. de Spir. & litt. c. 32.

Septimò quia docet tunc impleri præceptum non occidendi, si non timore pœnæ sed ideo non occidat *quia injustum est*. Et hoc ipsum fieri non posse nisi illâ charitate, quam Scriptura commendat. Falsissimum & istud est, si homicidium & quodlibet peccatum contrarium naturæ legibus, sine cælitùs infusa charitate dilectione naturali declinari potest ideo *quia injustum est*; hoc est, sic ut ipsa iniquitas & injustitia horrorem incutiat.

Vide in cap. 5. Epist. ad Galat. supra citat.

Quæ quidem omnia manifestè declarant, nunquam in mentem venisse Augustino sententiam illam, qua putatur vel justitiâ, vel præcepto, vel lege, vel bono opere, delectari aliquem posse dilectione naturali, vel ipsam justitiam aut legem, aut opus bonum concupisci aut suave esse, aut libere posse suavitate naturali; vel homicidium aut aliud quodcunque peccatum sub ratione peccati, seu injustitiæ, seu ideo *quia injustum est*, declinari posse horrore naturali: sed hoc totum juxta indubitatam Augustini doctrinam est opus gratiæ, officium illius altissimæ charitatis, beneficium Spiritus sancti, qui cor cælesti delectatione mollire, erigere, & ab iniquitatis delectatione, hoc est à creaturæ dilectione ad injustitiam illius dilectionis detestandam, & justitiæ æternæque legis peccata vetantis & bona præcipientis dilectionem convertere, & attrahere debet. Quod nisi fecerit, voluntas creaturæ rationalis, quocunque se converterit, etiam tum cùm se legem & justitiam diligere putabit, sive naturaliter sive alio quocunque modo, non hærebit nisi in dilectione ac delectatione creaturæ, quod eâdem illâ æternâ lege damnatur. Illa quippe jubet, ut sæpe diximus, *avertere amorē à temporalibus & eum mundatum convertere ad æterna.* Sed hoc ipsum, ut tanta testimoniorū congruentia clamat, fieri non potest, ne quidem sub infima illa maximèque necessaria & connaturali consideratione videlicet justitiæ, legis æternæ, boni operis ut in eo elucet ratio boni & similibus jam explicatis, nisi per veram & propriissimè dictam gratiam Dei. Quod si ita est, quemadmodum juxta doctrinam Augustini revera ita esse certum est, profectò puræ naturæ status funditùs eversus ruit. Non enim potest condi creatura rationalis nisi in tali statu, ut legi obedire possit propter justitiam legis, ut amare possit justitiam, diligere veritatem, concupiscere bonum, voluntate benefaciendi benefacere, declinare peccatum *quia injustum est*, & similia: quæ sine amore charitatis, hoc est sine amore supernaturali fieri impossibile est.

Lib. 1. de lib. arbit.

CAPVT XI.

Tertio ex amore quo Deus amatur gratis.

QVOD tamen ut uberius & ex diversorum principiorum consonantia certius eliquatiusque constet, ex alio capite non minus evidenter mens Augustini demonstrari potest. Amor quippe Dei sine quo secundum supra dicta creatura rationalis condi nequit, quin eum habeat saltem in potestate sua, non potest esse alius quam quo Deus amatur propter Deum. Si enim propter aliud quippiam Deus diligatur, non est iste verus & castus amor Dei, sed illius rei quam per Deum assequi cupit. Nam, ut optimè Augustinus, *qui propter beneficia terrena Deum quærunt, non utique Deum, sed illa quærunt, quia eo modo timore servili, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergò Deus non colitur, hoc enim colitur quod diligitur.* Cujusmodi cultus & amor etiam à sceleratis hominibus haberi potest & solet, utpote qui ex creaturæ malè dilectæ cupiditate proficiscitur. *Mortui enim sunt qui Deum non gratis colunt, id est quia ipse est Deus, non quia dat talia bona, quæ dat & non bonis.* Nam & invidi, & avari, & hæretici, & quicquid aliud sanæ doctrinæ adversatur, Deum colunt & laudant, & diligunt & gratias agunt eo impensius quo invictius eorum cupiditates implere potest. Hinc Saul cùm flagraret invidia: *Benedicti*, inquit, *vos à Domino* &c. Et de improbis generatim Augustinus: *Perversi frui volunt nummo, uti autem Deo; quoniam non nummum propter Deum, sed Deum propter nummum colunt.* Quod & diabolus intellexit quandò sugillans pietatem Iob quasi aliquâ cupiditate vitiatam Deo dicit, *Numquid Iob frustra colit Deum?* Hoc est, an colit eum gratis & propter ipsum Deum? Nam, ut Augustinus ait: *Putabat diabolus quòd in Deo colendo vir iustus cor inclinatum haberet in avaritiam, & causa emolumenti vel utilitatis rerum temporalium quibus eum ditaverat Dominus, velut mercenarius ei pro tali mercede serviret. Sed quam gratis Deum coleret, tentatus apparuit.* Hujusmodi igitur amor & cultus Dei non est gratuitus, non est castus, non est Dei propter Deum, & ideo non est Dei sed rei alterius, & à scelestissimis, ut dixi, hominibus Deum uti satellitem cupiditatum suarum diligentibus plerumque possidetur, de quo nobis non est hîc sermo sed de illo, quo Deus diligitur propter Deũ, seu quod idem est, quo Deus ipse non aliud quippiã diligitur, ita videlicet ut cor non sit deorsum incurvatum, sed rectum cum Deo, *Rectum enim cor cum Deo est, quando propter Deum quærit Deum. In corde autem non recto cum Deo est ubi ea potius diligit, propter quæ Dei adiutorium requirit.* Atqui talem amorem castum Dei & recti cordis cum Deo, qui solus est verus amor Dei, non rei alterius, nullo pacto haberi posse, sine verâ & magna & propriè dicta gratia Dei, & consequenter nullum omninò opus sine eadem gratia exerceri posse propter Deum ita dilectum, sicut ad omne opus bonum omninò necessarium esse in alio tractatu latissimè demonstravimus, indubitata sancti Augustini doctrina est. Nam hinc est quod cum Propheta Dei gratiam implorasset his verbis, *Inclina cor meum in testimonia tua*, quæ te scilicet gratis diligendum esse testantur, *& non in avaritiam*, sic eum exponit Augustinus: *Testimonijs suis agit nobiscum Deus ut eum gratis colamus, quod impedit avaritia radix omnium malorum*, scilicet ut addit avaritia generalis plus habendi quam satis est, seu aliquid præter Deum. *Omnis autem à nobis circumciditur avaritia si gratis colatur Deus. Si ergò cor non habeamus inclinatum in avaritiam, Deum non colimus nisi propter Deum, ut sui cultus ipse sit merces. Ipsum diligamus in seipso &c.* Sed unde talis gratuitus amor in hominibus? *Quod vobis quoniam ipso donante confertur, ideo illi dicitur: Inclina cor meum in testimonia tua non in avaritiam.* Et alibi præclarissimè: *O si castitatem amares non faceres* (adulterium) *etsi omnimodo impunitus exederes. Si tibi Deus diceret, Ecce fac, non te damnabo, sed faciem meam tibi negabo. Si propter hanc comminationem non faceres, amore Dei non faceres, non timore iudicij* &c. Sed an est possibilis talis gratuitus amor ex natura, & sine gratia Dei? Audi Augustinum: *Si sic non facis quia horres contaminationem adulterij, quia diligis præceptorem, ut exigas promissorem, non quia times damnatorem, iam gratia est.* An non aliquando naturæ ut talis amor Dei gratuitus, nulloque timore, vel cupiditate vitiatus possit esse naturalis? *Hoc tibi noli assumere, viribus tuis noli tribuere. Delectatione facis*, scilicet operis boni seu justitiæ, *benè; charitate facis, benè; annuo, consentio* &c. *Sed unde tibi ista charitas? Si tamen est? Timeo enim ne adhuc timendo non facias* &c. *Habes charitatem? Habeo, inquis. Vnde? A me ipso. Longè es à dulcedine si à teipso habes. Teipsum amabis quia unde habes amabis. Sed convinco, non habes. Quod enim putas à teipso habere rem tantam, inde non credo, quod habeas, Si enim haberes scires unde haberes.* Nihil apertius desiderari posset quo intelligeremus juxta doctrinam Augustini prorsus impossibile esse ut amor gratuitus, hoc est, quo Deus gratis amatur & colitur non sit ex Deo. Vnde illud brevissimum ejus sed auctoritate plenissimum, *Deus non amatur nisi de Deo*, quod protulit postquam gratuitam illam delectationem justitiæ ac Dei plurimum commendasset. Hinc & absolutissimum illud in

libris

Marginal notes: In Ps. 77. — In fine Ps. 79. — Lib. 11. de Civit. c. 25. — Concione 11. in Ps. 118. — In Ps. 77. — Ibidem. — Conc. 11. in Ps. 118. — Serm. 3. in append. — Serm. 11. de verb. Apost. cap. 11.

libris contra Iulianum: *Ipse Deus adest, & menti illuminandæ & concupiscentiæ superandæ & molestiæ perferendæ. Hoc enim totum rectè fit, quando fit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse. Qualis amor nobis esse non potest nisi ex ipso.* Qua de re non est opus operosè satagere corrogandis Augustini testimonijs quibus omnia ejus opera referta sunt. Nunquam enim cum dilectionem Dei divinæ gratiæ tribuit, sicut ubique tribuit, de illa vitiosa dilectione loquitur, qua propter aliud quippiam assequendum, ideoque non gratuito sed mercenario amore diligitur Deus: sed semper de illa qua Deus diligitur propter se. Hæc est enim illa vera & sancta charitas Dei, quæ non aliter definitur, quam dilectio Dei propter Deum: nec aliter ab Apostolo in nobis diffundi traditur in cordibus nostris, quam per Spiritum sanctum qui datus est nobis: nec aliter unquam ab August. amor iste, *quo gratis amatur ipse, nobis esse non posse* traditur, *nisi ex ipso*. Quid hîc respôderi potest? An forte Aug. loqui de amore supernaturali, non de naturali? Sed quid est amor naturalis, nisi qui nobis esse potest ex nobis? Et quid amor supernaturalis, nisi qui nobis esse non potest, nisi ex ipso? Hoc est ex gratia Dei? August. verò verbis istis expressè docet, omnem amorem quo gratis amatur Deus, nobis esse non posse nisi ex Deo, hoc est, esse supernaturalem hoc ipso quo est gratuitus. Nam hoc ipso propter summam sui puritatem atque sublimitatem, omnes naturæ & creaturæ vires superat, quæ non potest viribus suis nisi deorsum & ad seipsam tendere, sursum tantummodo per gratiam & adjutorium Dei. Ut proinde responsio similis illi sit, qua quis asserenti motum lapidis sursum non posse esse à natura sed tantum ab extrinseco, responderet hoc intelligendum esse de motu lapidis supernaturali. Nam hoc ipso, quo dicitur, ille motus non posse lapidi esse nisi ex extrinseco, statuitur omnis hujusmodi motus esse lapidi supernaturalis. Omnem igitur amorē *quo gratis amatur ipse*, supernaturalem esse docet Augustinus hoc ipso quo constantissimè tota antiqua Ecclesia, juxta Apostolicam doctrinam docet, *quod talis amor nobis esse non potest nisi ex ipso.* Ut sanè ridicula fit ista responsio & insigniter principium petat. Nunquam enim quisquam ita sensu destitutus fuit, ut vel amorem naturalem Dei, diceret esse debere nobis ex gratia Dei; vel supernaturalem non ex ipso. Quapropter si Dei propter Deum dilectio in nobis esse non potest, nisi per gratiam Dei, & creatura rationalis aliter condi nequeat, quin amor iste castus Dei propter Deum ei concreetur, ut eum vel vi creationis habeat, vel certè voluntas ei tam robusta tribuatur ut in eum erumpere possit, manifestum erit creaturam rationalem sine amore Creatoris supernaturali non posse condi. Respondebitur forsan Augustinum loqui de amore, quo Deus diligitur *sicut oportet*; itemque de operibus bonis quæ fiunt *sicut oportet*. Non enim sine causa tam ipse, quam Concilia cùm de dilectione vel operibus bonis loquuntur, tam sollicitè subinde dicunt, Deum diligi aut coli non posse nec opus fidei aut pietatis fieri sicut oportet sine gratia Dei. Nunc enim postquam natura rationalis ad statum deificum elevata est, oportet ut Deum infusâ charitate dilectum, opera justitiæ & pietatis operetur, ad hoc ut ad justificationem possit salutemque pervenire.

In hac responsione valdè sibi placent quotquot doctrinam de divina gratia ex naturalibus potiùs philosophiæ principijs condere, quam ex Augustino haurire maluerunt. Nunquam enim vel Augustinus vel Concilia, quæ doctrinam ejus ad amussim, ne latum quidem unguem ab ea deflectendo tradiderunt, de tali sensu verborum illorum cogitarunt, vel vestigium ejus aliquod reliquerunt in scriptis aut canonibus suis, sed à Scholasticis excogitatus & arreptus est, non quia verus, sed quia commodus eorum principijs & naturæ viribus tuendis, quas humana philosophia ad summum fastigium potestatis extollit. Res enim explorata est in Augustini doctrina, nullam aliam dilectionem sicut oportet reperiri, quam illam, qua Deus gratis diligitur, hoc est, propter Deum: ad quam propterea diligentissimè semper hortatur, & omnes emolumenti creati consequendi considerationes excludit. *Gratis, inquit, ... qui nullum commodum quærit vel incommodum fugit ... diligunt Dominum ... gratis; ut alia præter illum non expectent.* Ecce justorū dilectionem non aliam, quam ut gratis diligant, quod agit alijs sexcentis locis. *Faciem meam tantum tibi negabo. Si expavisti, amasti, si contremuit cor tuum in non videndo faciem tuam, magnam pœnam putasti, gratis amasti. Si ergo sermo meus invenit in cordibus vestris aliquam scintillam gratuiti amoris Dei ipsam nutrite. Hanc scintillam boni amoris flate in vobis, nutrite in vobis. Ipsa cum creverit & flammam dignissimam & amplissimam fecerit omnium cupiditatum carnalium fœnum consumet.*

Et quia nemo Scholasticorum dubitat opus pietatis fieri sicut oportet, hinc est quod ex eadem regula nullum agnoscat Augustinus opus pietatis, nisi ipsum amorem gratuitum, & quod ex tali gratuito amore proficiscitur, utpote qui est ipse maximum pietatis opus: *Cor quod rectè petit, rectèq; pulsat & quærit ... esse debet, primò amare Deum gratis: Hæc est enim ... pietas. Nec sibi extra illum ponere mercedem, ipsum exspectet ex illo.* Rursum quia non dubitant imò expressè docent, hoc opus fieri sicut oportet, quo justificationis gratia acquiritur, sciant hoc ipsum non aliud esse quam gratuitò Deum amare & colere: *Ille justificatur apud Deum, qui eum gratis colit: non scilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipso præter ipsum, aut timore amittendi.*

Iuxta hanc igitur immobilem regulam quodcunque opus fit non ex timore, vel carnali amore, sed ex isto gratuito amore Dei, ita scilicet ut vel amor iste sit, vel ad illum referatur,

Lib. 5. contra Iul. c. 3.

Tract. 92. in Ioann.

Serm. 13 de verb. Apost. cap. 10.

Serm. 224. de ... cap. ...

In Epist. ad Galatas.

feratur, hoc fit juxta doctrinam Augustini *sicut oportet*; quicquid aliter fit non fit sicut oportet. Quam veritatem in Augustino certissimam, quia alibi ex professo traditurì sumus, hic unus, sed sine ulla ambiguitatis nebula clarissimus locus erit satis, ex quo quicquid obscuritatis in hac phrasi superesse posset velut meridianâ luce dispelletur: *Omnis itaque præcepti finis est charitas*, id est ad charitatem refertur omne præceptum. *Quod verò ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur.* Et mox subjungit: *Quæcunque ergò mandat Deus, ex quibus unum est, Non mœchaberis: & quæcunque non jubentur, sed spiritali consilio monentur, ex quibus unum est, Bonum est homini mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum.* Vbi apertissimè declarat quid sit fieri quemadmodum oportet: Videlicet, nullo timore, nulla intentione carnali, & consequenter ex gratuita dilectione Dei, cui timor & carnalis intentio ex diametro adversatur. Vnde exponit fieri *quemadmodum oportet*, per hoc quod dicitur *Rectè fieri*: per hoc indicans quidquid non fit ex illa gratuita charitate Dei sive secundùm Deum, non fieri quemadmodum oportet, nec rectè fieri. Vt autem dictat ratio, & lex æterna clamat, & Augustinus utraque nixus disertis verbis dicit; *Omne factum si rectè factum non est peccatum est*, ut suprà fusius exposuimus. Omne igitur quod non fit ex illa gratuita dilectione Dei peccatum est, utpote necessario aliquâ carnali intentione, id est creaturæ cupiditate vitiatum.

Vide infrà lib. 5. de grat. Christi Salvator. 11. & 12.

In Enchir. ad Laurent. c. 121.

Lib. de util. credend. c. 12

A

Quod brevi quasi verborum suorum commentario declarat in opere contra Arianos, ubi simul phrasin *sicut oportet*, ex Apostolo primitus haustam explicat: *Non ergò scimus per nos ipsos quid oremus sicut oportet, sed ipse spiritus interpellat, id est interpellare nos facit quæ sunt secundùm Deum. Quod nisi faciat, nō oramus nisi secundùm istum mundum, ad explendam concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum & ambitionem sæculi quæ non sunt à Patre, sed ex mundo sunt.* Hic succinctâ brevitate vides omnia conglobata. Nam & Apostolus explicat phrasin suam *sicut oportet* per illa verba, *secundùm Deum*, quod non est aliud nisi ex gratuita dilectione Dei, seu referendo id quod oramus, ad Deum, quod sine ipsius dilectione fieri nequit. Et Augustinus exponens, quo igitur oremus modo, cùm non oramus sicut oportet seu non secundū Deum, statim adjicit nos orare secundùm mundum, hoc est, ex dilectione mundi, seu ad explendam unam ex tribus concupiscentijs mundi, quas diabolus in homine seminavit & ex quibus juxta doctrinam ejus crebrò repetitam quam antè declaravimus, omnia peccata proficiscuntur. Vt planè perinde hoc sit ac si diceret, id quod paulò ante dixit non rectè fieri; *Omne autem factum, si rectè factum non est, peccatum est.*

Lib. contra Serm. Arian c. 25.

B

Cùm igitur creatura rationalis non possit ita condi, ut non possit vel rectè vel sicut oportet operari, sed ut necessariò peccet: neque rursum sine illo gratuito Dei amore qui per gratiam necessariò dari debet, possit rectè & quemadmodum oportet operari, necessariò etiam sequitur, eam non posse sine supernaturali Dei amore produci.

CAPVT XII.

Quartò ex sententia Pelagianorum, amorem aliquem Dei esse homini naturalem asserentium.

QVOD quidem Augustinum juxta Catholicæ Ecclesiæ doctrinam docuisse, quartò ex alio rursum capite commonstrari potest. Pelagius enim cum quo Ecclesiæ gravissimus conflictus fuit capitaliter in illo hallucinatus est articulo, ex quo ceteri pœnè omnes de naturæ viribus dependent, quod Deus amore aliquo casto, hoc est, amore Dei propter Deum, amore nullâ terrenâ consideratione fœdato, seu amore quo Deus juxta datam explicationem diligitur sicut oportet, naturæ viribus, seu quod idem est, naturaliter diligi posset. Quid est enim aliud naturæ viribus tribuere amorem Dei, quàm amorem Dei statuere esse naturalem? Quod capitaliter Augustinus & Ecclesia in Pelagio detestati sunt. Nam hinc est illa celeberrima sancti Antistitis sententia de charitate, quæ non est aliud quàm castus amor Dei propter Deum; *Vnde est in hominibus charitas Dei & proximi nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo*

Lib. de grat. & lib. arb. c. 18.

A

sed ex hominibus vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo vicimus Pelagianos. Nam charitas Dei non est Augustino solùm ille celebris amor Dei super omnia, sed omnis amor Dei sincerus seu complacentia Dei casta quamvis tenuissima, qualis est in gravibus peccatoribus & in ijs qui incipiunt credere & sperare in Deum. Nihil enim istorum possunt sicut oportet nisi ex cupiditate boni seu ex bona voluntate, quæ Augustino charitas est. Quæ tanquam verissima suis locis exponenda sunt. Nam inde sunt illa apud Augustinum frequentissima: *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quam charitas quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo.* Itemque: *Quid est boni cupiditas nisi charitas?* Vbi & ipsum primum initium talis amoris quo bonum vel concupisci & dulcescere incipit, quod fit in prima boni complacentia, etsi nondum plena voluntate adsit, esse docet ex Deo, hoc ipso quo aliquid boni est. *Si bonum est*, inquit, *non nisi ab illo nobis est, qui incommutabiliter bonus est.*

Lib. de grat. Christi c. 21

Lib. 2. ad Bonif. c. 8.

Ibid.

Sed ut

Sed ut dixi, hæc suis locis demonstranda sunt.

Illa igitur causa est, quod quia initium talis bonæ voluntatis non potest esse ex naturæ viribus, nec fides nec initium fidei ex eis esse possit; quia fides qua creditur sicut oportet, non potest esse sine initio bonæ voluntatis, hoc est, sine initio charitatis seu sinceri amoris Dei. Vnde & fidem in creatorem naturaliter ex creaturis cognitum, indicat Augustinus naturæ viribus esse impossibilem. Nam casum statuens quo nihil de Christi incarnatione quispiam audisset, *Quid faciet*, inquit, *humana natura, vel quid fecit qua vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in Deum qui fecit cælum & terram a quo & se factam naturaliter sentit, & rectè vivendo eius impleat voluntatem?* Ecce tibi fidem amoremque Dei naturalem. Neque enim sine amore Dei per cupiditatem cujuscunque creaturæ, vel credi in Deum, vel rectè vivi ullo pacto juxta Augustinum & veritatem potest. Sed audi jam sententiam Augustini: *Quod si fieri potuit aut potest, hoc & ego dico quod de lege dixit Apostolus: Ergo gratis Christus mortuus est.* Hoc autem in puræ naturæ statu ut minimum fieri necesse est, cùm impossibile sit naturam esse in alio quam damnabili statu, nisi Deus saltem ut creator cæli & terræ credatur ac diligatur, ut etiam rectè ex illo amore vivatur. Direxit enim hanc sententiam Augustinus in hæresim Pelagianam, quæ tribuebat gentibus fidem ac dilectionem Dei creatoris per naturæ vires, quorum cordibus utrumque præceptum Deus naturæ autor inseruerat, sicut hoc Pelagianorum dogmatum expositione ex verbis eorum declaravimus.

Lib. de nat. & grat. c. 2.

Quid hic iterum dici potest? An Pelagium fidem & amorem Dei supernaturalem naturæ viribus tribuisse? Nihil insulsius. In ipsis enim terminis implicat contradictionem amorem Dei supernaturalem esse in potestate naturæ. Non eo absurditatis venerant illa ingenia quorum celeritatem subtilitatemque magnopere laudat Augustinus, ut in istas logomachiæ ineptias laberentur. Loquebantur A ergò de fide & amore sincero Dei qualem puræ naturæ congruere putabant. Quod eo verius atque certius esse judicabis si animo recolueris Pelagianos primos puræ naturæ statum à capite usque ad calcem protulisse, condidisse & omnibus suis numeris absolutum expolitumque formasse. Quod & Scholastici fatentur & nos latè suo loco declaravimus. Huic igitur statui, sicut neque peccatum neque gratiam, ita initio neque fidem neque dilectionem ullam tribuebant supernaturalem, sed tantummodo illam quæ à Philosophis gentium Seneca, Tullio, Platone, & similibus prædicata est. Nam quod gentes sine cognitione Christi Deum ex operibus credidisse, & agnitum dilexisse, & ex qua cognitione dilectioneque rectè aliquatenus vixisse censerent, hoc præcipuè de illis Philosophis aliisque nonnullis qui inter Romanos aliasque gentes laudabantur, verum esse statuebant. B Hanc dilectionem sinceram Dei, hoc est, quæ verè Dei sit & non rei alterius concupitæ, & hanc fidem ex Dei dilectione seu complacentia manantem, Augustinus totis disputandi viribus damnat velut impossibilem, velut divinæ gratiæ injuriosam. Hoc enim ipsum expugnat Augustinus, quod statum hujusmodi puræ naturæ & opera bona ex eo promanantia commendabant, ut quæ non possent sine Christi gratia esse nisi mala.

Vide lib. 4. de hæresi Pelag. c. 11. & sub fin. lib. 3.

An fortè dicent Pelagium ejusmodi naturalem fidem atque dilectionem statui puræ naturæ quam proferebat congruam, velut meritoria, salutique utilia prædicasse? Hoc enim solemne Scholasticorum effugium est. Sed suo loco ostensuri Deo juvante sumus, neque Pelagium istud contendisse; neque si contenderit, in eo errasse, sed potius rectè sensisse, si ei fides illa dilectioque Dei naturalis per naturæ vires possibilis esse concederetur. C Sed hæc, & similia commenta Pelagio non pauca sicut & Augustino imposita sunt ab iis qui neutrius dogmata satis penetrarunt, sed sua tanquam Augustini non satis excussa protulerunt.

Vide lib. 5. de grat. Christi Salvat. c. 11. & 13.

CAPVT XIII.

Quintò ex amore Dei quem Philosophi Gentiles prædicant.

QVINTÒ denique ostenditur mens Augustini ex eo quod sententiam Philosophorum Gentilium magnopere probet, qui licet essent Pelagianorum Patriarchæ discipulis tamen suis longe peritiores, amorem quo naturæ lumine Deum autorem omnium diligendum esse cernebant, non putabant in homine nasci posse sine magno beneficio & gratia ejusdem Dei. Hoc enim gentium Philosophos sensisse certissimum est, hoc Augustinum approbasse, exploratissimum, hoc eos de amore quem maximè vocant naturalem intellexisse nemini A dubium; cùm constet eos de humana natura tanquam pura, primos, maximeque disputasse. Ille namque status, genuinus Ethnicæ Philosophiæ fœtus est, quæ de elevatione naturæ ad statum supernaturalem nihil omninò disseruit, aut cognovit. Sed utrumque & Philosophorum sensum & Augustini assensum videamus.

In primis igitur, prout Augustinus expresse tradit, Platonici docuerunt, neque virtutem, neq; beatitudinem homini in alio sitam esse, nisi in cognoscendo, diligendo, atque imitando Deo: quod esse summum & hominis &

 Angelo-

Angelorum bonum, inconcussa sententiæ veritate tenuerunt. Lib. 10. de Civit. c. 1. *Eligamus*, inquit Augustinus, *Platonicos omnium Philosophorum merito nobilissimos, propterea, quia sicut sapere potuerunt, licet immortalem ac rationalem, vel intellectualem hominis animam, nisi participato lumine illius a quo & ipsa & mundus factus est, beatam esse non posse: ita illud quod omnes appetunt, id est vitam beatam, quemquam isti assecuturum negant, qui non illi uni optimo, qui est incommutabilis Deus, puritate casti amoris adhæserit*. Et inferius: Cap. 11. *Cùm Deo simpliciter inhærere*, nempe puritate casti amoris (*fatentibus quoque Platonicis, & per multa testantibus*) *solum beatificum bonum est*. Vnde in alio libro ejusdem operis, etiam hujus vitæ sapientiam Plato in Dei dilectione imitationeque collocavit, eo quod nullam veram virtutem, nisi in Dei dilectione constitueret: Lib. 8. c. 9. *Nunc satis sit commemorare Platonem determinasse finem boni esse secundum virtutem vivere, & ei soli evenire posse, qui notitiam Dei habeat & imitationem; quæ amorem ejus includit, nec aliam ob causam beatum*. Et aliquantò superiùs: Cap. 5. *Si ergo Plato Dei hujus imitatorem, cognitorem, amatorem dixit esse sapientem cujus participatione beatus sit, quid opus est excutere ceteros? Quorum nulli nobis, quam isti propius accesserunt*.

Hinc est quod Plato Philosophiam quam ipse naturali lumine profitendo persequebatur, nihil aliud esse volebat nisi amorem Dei. Lib. 8. c. 9. *Ipsum*, inquit, *verum ac summum bonum Plato dicit Deum, unde vult esse Philosophum amatorem Dei, ut quoniam Philosophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo sit beatus qui Deum amaverit*. Et ibidem rursum: Ibid. *Ideoque non dubitat* (Plato) *hoc esse philosophari amare Deum*. Quod Augustinus etiam ex sua & Catholica sententia verum esse testatur ac probat: Lib. 8. de Civit. c. 1. *Quorum Philosophorũ ipsum nomen si Latinè interpretemur, amorem sapientiæ profitetur. Porrò si sapientia Deus est, cujus divina autoritas veritasque monstravit, verus Philosophus est amator Dei*. Ex quibus satis liquidò apparet, quid Platonici senserint de dilectione Dei quam creaturam rationalem naturæ lumine suo creatori debere cernebant. Nimirum illam studiosissimè in philosophando, imò in omnibus virtutis actionibus esse sectandam. Loquebantur autem de dilectione Dei, non illa quæ revelatione nititur, quæ naturæ ad statum deificum & supernaturalem elevatæ propria esse vulgò dicitur, sed de illa, sine qua Philosophia moralis quam profitebantur, non poterat hominem ratione præditum in agendo perficere, quantum ex naturalibus rationibus perfici debere judicabant; hoc est, ita ut ejus actiones possent in vero bonarum actionum ac beatitudinis naturalis fine requiescere. Nam hac de causa Platonici rationis naturalis ductu asserebant Deum esse, quemadmodum Augustinus de illis ibidem dicit, Ibid. c. 9. *Principium nostrum, lumen nostrum, & bonum nostrum*, ita videlicet ut & rerum creatarum esset effector, quod in Physica Ibid. Platonica primum erat principium, *& lumen cognoscendarum*, quod in Dialectica, *& bonum agendarum*, quod in Philosophia morali. Ab isto enim principio primo res omnes naturales promanasse, ab isto lumine rationes omnes illustratas esse, hoc bonum velut finem omnis actionis honestæ expetendum esse putaverũt. Quod postremum sine illius boni dilectione fieri nequit. Isti ergò Deo cognito repererunt ubi esset causa constitutæ universitatis, & lux percipiendæ veritatis, *& fons bibendæ felicitatis*, inquit Augustinus. Quibus propterea acclamat gratulando: Cap. 10. *Sive isti Platonici, sive quicumque alij quarumlibet gentium Philosophi de Deo ista sentiunt, nobiscum sentiunt*.

Nec verò dissimulat Augustinus unde tantam cognitionem Dei Philosophia gentilis hauserit, nam quamvis aliquando fluctuaverit Augustinus utrum ex sacris litteris, an creaturarum consideratione, sæpissimè tamen in suis scriptis tradit invisibilia Dei per ea quæ facta sunt Philosophis innotuisse, sicut Vt testatur lib. 7. Confess. c. 10. & 17. & ipsimet quærenti ex creaturis innotuerant, eamque sententiam veriorem esse testatur. Lib. 8. de Civit. c. 10. Vnde subinde etiam de Philosophis illis Dei invisibilia à constitutione mundi per ea quæ facta sunt cognoscentibus, Apostolum ad Romanos locutum esse profitetur. Nec mirum cùm nihil in isto Platonicorum discursu sit, quod non per creaturas possit ingenij vivacitate deprehendi. Quid enim aliud sibi voluit Aristoteles cùm beatitudinem hominis in contemplatione summi entis sitam esse docuit? Nec enim nisi absurdissimè negare posset, ens istud, omnium bonorum summum, casto amore esse diligendum. Quid aliud ij quos Græciæ sapientes dicunt, inter quorum dicta sapienter & illud lucet, *sequere Deum*? Quid enim hoc aptius significat, quã id quod Platonici dixerunt Deum esse imitandum seu diligendum. Vnde Augustinus: Lib. de mor. Eccles. c. 11. *Secutio Dei beatitatis appetitus est. At eum sequimur diligendo*. Quare generaliter de Philosophis quodam loco dicit Augustinus: Lib. 14. de Civit. c. 7. *Amorem tot in bonis rebus & erga ipsum Deum magni pendere, libri eorum satis loquuntur*. Causa verò cur magni penderent ex eorum principijs satis nota est. Cùm enim naturaliter viderent in amore fruitioneque rerum fugacium non posse constitui beatitudinem, sed tantùm in fruitione summi boni quod est Deus, consequenter etiam *fatebantur*, ut eis idem Augustinus attestatur, Lib. 12. c. 8. *quantò plus quisque amaverit Deum, tantò eum faciliùs ad beatitudinem perventurum*.

Iam verò videamus quid illi ipsi Philosophi de illo amore naturali Dei tanquam summi boni senserint, in quo sapientiam humanam collocaverunt: utrum ex humanis viribus an ex Dei inspiratione traheretur, quam denique sententiam ex illorum doctrina sanctus Augustinus ferat. In hoc enim cardo difficultatis præsentis vertitur. Sic ergò de amore Dei Philosophis noto sententiam eorum exponit Augustinus, quod Lib. 8. de Civit. c. 5. *verum Deum & rerum autorem, & veritatis illustratorem, & beatitudinis largitorem esse dixerunt*. Et paulò pòst, Cap. 9. quod ab illo nobis sit *& principium naturæ, & veritas*

veritas doctrina, & felicitas vita. Si beatitudinis largitor Deus est profectò & amoris Dei. Nam ut ibidem dicit: *Fruens Deo beatus est qui Deum amaverit.* Beatitudo enim ex bono, sive boni illius amore, sicut nec sine boni illius fruitione esse non potest. Quod si cui fortassis hoc obscurius esse videatur, audi aliud luculentius ex libro quarto adversus Iulianum, ubi de Deo tanquam fine virtutis differit, ad quem quælibet officia bona per dilectionem velut intentionem referenda sunt: *Verum tu in hac causa, etsi ad scholam Pythagoræ provoces vel Platonis ubi eruditissimi atque doctissimi viri multo excellentiore cæteris philosophiæ nobilitati, veras virtutes non esse dicebant nisi quæ menti quodammodo imprimuntur à forma illius æternæ immutabilisq; substantiæ quod est Deus, etiam illic adversus te pietatis libertate clamabo &c.* Quod verò intelligerent istam impressionem non ratione moralium officiorum quæ virtus operatur, sed propter finem officiorum Deum cujus amorem divinitus inspirandum esse censerent, declarat apertissimè in libro de Civitate Dei. Nam de divisione philosophiæ tripartita in Physicam, Logicam & Ethicam, sive in naturalem, rationalem & moralem, ex Platonis mente disputans: *Quamvis*, inquit, *Plato primus istam distributionem reperisse, & commendasse dicatur, cui neque naturarum omnium auctor nisi Deus visus est neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo bene beateq; vivatur inspirator.* Ecce disertissimis verbis amoris inspiratorem, non cujuslibet, sed quo benè beateque vivitur inspiratorem profitentur Deum: quo nihil Augustinus unquam luculentius de dilectione dixit. Vnde etiam ex proprio statim sensu, Platonicorum illam sententiam confirmat tanquam sine dubitatione verissimam: *Si ergo natura nostra esset à nobis, profectò & nostram nos genuissemus sapientiam, nec eam doctrina, id est aliunde discendo perciperemus: & noster amor à nobis profectus*, hoc est ex viribus nostris naturalibus profectus, *& ad nos relatus, ad beatè vivendum sufficeret, nec bono alio quo frueremur ullo indigeret. Nunc verò quia natura nostra ut esset, Deum habet auctorem, procul dubio ut vera sapiamus, ipsum debemus habere Doctorem, ipsum etiam ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem.* Hæc enim suavitas intima non est aliud nisi suavissimus amor sui, quem cordibus humanis, Deus inspirat, juxta illud Psalmi, quod in hunc sensum creberrimè Augustinus usurpat: *Dominus dabit suavitatem & terra nostra dabit fructum suum.* Et, *Prævenisti eum in benedictione dulcedinis.*

Lib. 4. contra Iul. c. 3.

Lib. 11. de Civit. c. 25.

Ibidem.

Vide l. 2. de pec. merit. c. 17.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Nec verò alia præclara desunt loca quibus gentiles Philosophi divinam gratiam ad accipiendum amorem Dei necessariam Augustino etiam attestante, professi sunt. Nam Plato in Timæo ita loquitur μεῖζον φιλοσοφίας ἀγαθὸν οὔτ᾽ ἦλθεν, οὔθ᾽ ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν. Quod approbans Tullius in quæstionibus Academicis: *Nec ullum*, inquit, *arbitror ut apud Platonem est, magis aut melius à Dijs datum homini.* Et libro de universitate: *quo bono* (Philosophiæ) *nullum optabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi Deorum concessu atque munere, neque dabitur.* Quam sententiam Platonis de Philosophia alijs verbis clarius expressit, sub nomine sapientiæ: *Ita fit ut maior omnium bonarum rerum sit sapientia, cujus amor Græco verbo Philosophia nomen invenit, qua nihil à Dijs immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est.* Quæ Tullij verba quasi exposuit supra ex Platonis mente Augustinus cùm dixit: *Si sapientia Deus est per quem facta sunt omnia, verus Philosophus est amator Dei.* Alibi verò eandem Philosophorum sententiam & verba referens atque explicans: *Ad hoc*, inquit, *meliores quosque in his malis adjuvat gratia, ut quanto fideliore, tanto fortiore corde tolerentur: ad quam rem etiam Philosophiam prodesse dicunt docti hujus seculi, quam Dij quibusdam paucis, ut ait Tullius, veram dederunt. Nec hominibus ab his aut datum est donum maius aut potuit dari.* Quod autem Philosophia vera ex Philosophorum istorum sententia sit *amor Dei*, jam supra ex eodem Augustino declaratum est, qui de Platone dicit, & alijs alijsque verbis identidem repetit, quod Plato *non dubitat hoc esse philosophari, amare Deum.* Vnde subjungit jam citatis verbis Tullij: *Ipsique adeo & ipsi contra quos agimus, quoquo modo compulsi sunt, in habenda non qualicunque sed vera Philosophia*, quæ videlicet est maximè omnium iste amor Dei, tolerans omnia mala patienter, *Divinam gratiam confiteri.* De tolerantia quippe malorum ibi agitur quam & Augustinus tribuit amori Dei: *Deus adest molestia perferenda hoc enim totum rectè fit, quando fit propter ipsum, id est quando gratis amatur ipse, qualis amor nobis esse non potest nisi ex ipso.* Ita videmus Augustinum & Philosophos istos sibi in hac doctrina omni ex parte concinere, quod videlicet in Ethica seu Philosophia morali Deus sit *bonum nostrum*; velut *finem ad quem cuncta quæ agimus referre debemus.* Quod proinde Philosophus moralis sit *amator Dei*, tanquam illius boni quod Philosophia moralis tota tanquam finem omnis actionis bonæ respicit; quod hic amor ab ipso Deo *inspirari*, & *à forma illa æterna immutabilisq; substantiæ imprimi debeat*; quod deniq; vera ista Philosophia tanquam vera creaturæ rationalis sapientia per Dei gratiam homini conferri debeat. Quæ omnia cùm in Augustini scriptis explorata sint, liquidò sanè sequitur amorem Dei, quo naturalis ratio sive Christianorum sive gentilium dictat eum velut bonum creaturæ rationalis beatificum esse diligendum, ut vita & actio ejus ex illo ultimo virtutis fine esse possit bona, & ipsa deinde beata fieri, nullo modo juxta doctrinam ejus posse ex creaturæ viribus naturalibus, sed tantummodo ex Dei gratia & inspiratione proficisci.

Lib. 1. Acad.

Tull. l. 1. de legib.

Lib. 8. de Civit. c. 1.

Lib. 22. de Civit. c. 22.

Lib. 8. de Civit. c. 9.

Lib. 22. de Civit. c. 22.

Lib. 5. cont. Iul. cap. 3.

Lib. 11. de Civit. c. 25.

CAPVT

CAPVT XIV.

Sextò ex divisione amoris creaturæ rationalis in charitatem & cupiditatem.

Vide lib. 3. de statu nat. lapsæ c. 19.

QVÆ sancti Augustini mens sextò ex alia radice manifestè quoque sequitur, quam in præcedentibus latè stabilivimus. Docet enim Augustinus in multis locis omnem amorem creaturæ rationalis esse vel *charitatem* vel *cupiditatem*. Cujus divisionis vera radix est quod necesse sit creaturam rationalem in omni actione voluntaria vel in Deo vel in creatura ultimo conquiescere. Cùm enim in medijs & finibus non detur progressus in infinitum, necessarium est, ut ab utroque extremo ordo determinatus sit. Si enim in medijs seu in ijs quæ sunt ad finem nihil esset primum, nullus actionem inciperet, nullus consilium finiret, utpote quod non finitur nisi eo reperto quod primum eligi & agi debet. Si verò in finibus nullus esset ultimus, nihil appeteretur, quia cessante primo movente cessant reliqua; nulla actio terminaretur, nullius agentis intentio conquiesceret. Hoc autem ultimum in quo quiescetur, necessario est, vel Deus vel creatura. Si Deus, jam secundùm Augustinum est charitas; si creatura, cupiditas. Porrò charitatem in hac divisione nullam Augustinus agnoscit aliam, nisi quæ inspiratur ac diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum: neque aliam cupiditatem, nisi quæ corrumpit ac vitiat creaturam rationalem. Qua de re fusè suprà disseruimus. Hæc divisio, quæ una est ex primis profundissimis & immobilibus fundamentis doctrinæ ejus in qua velut cardine gratia quoque divina vertitur, prorsus falsa & erronea est, si datur alius amor Dei naturalis qui non sub illa charitate divinitus infusa comprehenditur. Est enim certissimum talem amorē non esse cupiditatē. Cùm autem talis amor necessario, exercitum affectuum secum trahat, desiderium, gaudium, odium, fugam, tristitiam, desperationem, iram & similes qui ex amore vultum suum prout objectorum & circumstantiarum flagitat varietas, vertente nascuntur, immensa quoque seges voluntatum humanarum in illa divisione, quam velut adæquatam per objecta generalissima tradidit Augustinus, prætermissa erit; ut nihil dicam quod tota doctrina moralis Augustini cardinibus suis luxata perturbabitur. Quod si igitur vera & legitima est illa creati amoris partitio in charitatem atque cupiditatem, quarum illa fons sit omnis actionis bonæ, hæc omnis actionis malæ sicut utrumque juxta superius fusè disputata, sanctus Augustinus tradidit, manifestum erit amorem illum sine quo creatura rationalis bona & recta condi nequit, ex divina largiente gratia debere concedi. Huc accedit quod quantumvis aliquem Dei amorem

Loco iam cit.

A naturalem tanquam autoris naturæ, viribus naturalibus haberi posse fateremur, ille tamen nullo pacto sufficeret, ut homo per eum ad Deum tanquam ad beatitudinis naturalis objectum tenderet & pertingeret. Amor enim ille tantus esse debet, ut Deus super omnia diligatur & in illo amore contra omnes concupiscentiarum tentationes in finem usque perseveretur. Quod & Philosophi Gentiles fassi sunt dum docuerunt animam non posse pervenire ad perfectionem sapientiæ, nisi prius instaret purgandæ bonis moribus vitæ, quatenus Deo casto amore cohæreret. Impossibile enim esse censebant ad possessionem incommutabilis boni pertingere, si ei quicquam amando æquaretur aut præferretur. Itaque de Socrate dicit Augustinus, quod *nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos se extendere in divina conari, quandoquidem ab eis causas* B *rerum videbat inquiri, quas primas atque summas, non nisi in unius veri atque summi Dei voluntate esse credebat.* VNDE NON EAS PVTABAT NISI MANDATA MENTE POSSE COMPREHENDI: ET IDEO PVRGANDÆ BONIS MORIBVS VITÆ CENSEBAT INSTANDVM, VT DEPRIMENTIBVS LIBIDINIBVS EXONERATVS ANIMVS NATVRALI VIGORE IN ÆTERNA SE TOLLERET, NATVRAMQVE INCORPOREI ET INCOMMVTABILIS LVMINIS, VBI CAVSÆ OMNIVM FACTARVM NATVRARVM STABILITER VIVVNT, INTELLIGENTIÆ PVRITATE CONSPICERET. Cernis hic Gentiles Philosophos etiam animadvertisse non posse ad illam naturalem felicitatem perveniri, quæ in causæ illius supremæ rerum naturalium serenâ comprehensione consistit, nisi mens mundata sit, nisi bonis moribus vita purgata, nisi deprimentibus libidinibus animus exoneratus. Hoc autem fieri impossibile est, nisi C animus ita ab universis rebus visibilibus avellatur & uni affigatur Deo, ut nihil omninò creatum ei vel æquet, anteponatve diligendo, & adversus omnes omnium libidinosarum tempestatum impetus immobiliter in hujusmodi dilectione perseveret. Hoc enim nisi fecerit jam aliquid æquat aut præponit Deo, jam mens ejus sordibus creatarum rerum ac deprimentibus libidinibus onerata ad naturam incorporei & incommutabilis luminis comprehendendam, testibus etiam Philosophis prorsus inidonea est, tantumque remota sua naturali beatitudine, quantum immundus à munditia, quantum injustus à justitia, quantum libidinibus excæcatus a purgatæ mentis serenitate qua sola cernitur verum ac summum bonum. Hanc autem diligendi Dei puritatem, constantiam, perseverantiam, naturæ viribus in tanta naturæ puræ infirmitate compa-

Aug. lib. 8. de Civit. c. [illegible]

comparare, tam impossibile est, quàm in statu naturæ lapsæ legem universam naturalem contra tot ac tantas libidinum tentationes custodire. Hoc enim si possumus, fidenter dico, gratis Christus mortuus est, evacuatum est scandalum crucis, quam ea de causa subijt Christus, ut justitia legis perficeretur in nobis. Hoc enim naturæ viribus tam perspicuè impossibile est ut & Gentiles Philosophi hoc animadverterint. Nam inde est quod Platonici Deos inferiores, hoc est, dæmones sibi colendos esse constituerent, ut ab eis ad assequendam spiritalis partis purgationem, quam Deo summo contemplando necessariam esse cernebant, impetrato aliquo eorum obsequio juvarentur. Inde est quoque quod Porphyrius causam istius purgationis *principium* ponat, hoc est Deum: fateaturque necessariam esse quandam *universalem viam purgationis* humani generis, sed eam per *donum Dei* conferendam esse, sibi verò *nondum innotuisse*. Per hoc significans tantam esse animæ in hac corrupta carne immunditiam, ut alienis viribus egeat ad purgationem sui. Quod in libris de Civitate Dei accuratius Augustinus tradit; illumque mentis inquinatæ purgatorem & infirmitatis adjutorem non nisi Christum Dominum esse profitetur. Inde est quoque quod ijdem Philosophi gratiam Dei ad illum tantum amorem Dei obtinendum necessariam esse fatentur. Vt paulò antè latius diximus. Ex quibus profectò satis manifestè constat, quod etiamsi amor aliquis Dei naturalis haberi naturæ viribus posset, illum tamen tam imbecillem futurum esse in statu puræ naturæ, sicut & lapsæ, ut per eum nullo pacto à tanta immunditia purgare, ac tot tantasque cupiditatum sordidarum tentationes constanter superare posset, neque ad Deum velut objectum beatificum immobiliter tendere aut pertingere, & proinde amor ille tantopere puræ naturæ necessarius, per veram Dei supernaturalem gratiam donari debet.

Lib. 10. de Civit. c. 9. 23. & seqq. & lib. 10. c. 32 & 34.

Posset & septimum argumentum ex eo trahi, quod impossibile sit creaturam rationalem sine Dei amore non esse miseram. Itemque impossibile miseriam à Deo infligi sine culpa præcedente: sed quia hoc argumentum infrà latius tractandum est, lectorem remittimus in illum locum. Nunc ad aliquas difficultates enodandas, prout vires Deus dederit, progrediamur ex quibus clarius res tota patefiet.

Vide infra lib. 3. c. 12.

CAPVT XV.

Prima difficultas explicatur. Vtrum sit amor iste naturalis & quo sensu.

PRIMA & gravis in ipso limine hic occurrit difficultas, cujusmodi amor ille seu charitas dici debeat, naturalis an supernaturalis; debitum an gratia. Si enim est charitas, quomodo naturalis? Si naturalis, quomodo gratia? Quæstio ista fateor mole suâ cogitantem premit. Sub qua tanquam incertæ veritatis, quamvis non incertæ difficultatis succumbere, & ignorantiam nostram fateri longe satius putarem, quam ea quæ in principijs Augustini tanquam certa constituta sunt, cum discrimine subvertendi sanctissimam doctrinam ejus, inficiari. Quid enim mirum imò verè, quid non maximè consentaneum, si non universam profunditatem doctrinæ ejus & sublimitatē illius ingenij, quod universas liberales artes sine magistro, suo Marte perdidicit, cui altissima illa Theologia quam omnis posteritas admiratur nemine præeunte, mox à baptismo celitus inspirata est, tarditas nostra consequatur? Ne tamen nihil dicendo lectoris exspectatio repercussa concidat, conjecturas meas Augustino innexas candidâ simplicitate proferam, ut si non serviant assequendæ peritiæ saltem opitulentur plenius indagandæ veritati, ut qui fuerint ingenio celeriores, vel doctrinæ sancti Augustini peritiores me adjuvent, ubi viderint veritati propinquantem, me sublevent ubi succumbentem, me revocent ubi ab ejus mente deviantem.

Quapropter mihi videtur juxta sancti Doctoris principia, utrumque de illo amore Dei sine quo creatura rationalis recti & bona esse nequit citra contradictionem posse dici & naturalem esse & supernaturalem. Quod supernaturalis sit, nulla inter Catholicos controversia est. Nam uti beatitudo sempiterna, ita & via ad illam charitas Dei omnes naturæ vires superat, ita videlicet ut quamvis utraque sit actio creaturæ, neutra tamen ex naturæ principijs aut facultatibus, aut naturalibus ullis adjutorijs fluere possit, sed eam Spiritus sanctus supra omnes vires naturales creaturæ per gratiam operari debeat, diffundendo charitatem, delectationem, & lumen in cordibus nostris. Qua doctrina nulla in Augustino certior est, non solum de statu naturæ lapsæ contra Pelagianos, ubi opera ejus universa nihil aliud clamant, sed etiam de statu naturæ integræ multoque magis puræ. Nam hinc illud universalissimum de Adamo: *Nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum verò nihil, est nisi adiuvetur ab omnipotenti bono.* Vbi causa dandæ gratiæ redditur, quia sine illa nihil potest ad bonum, sed tantùm ad malum; Nullo igitur modo potest sine Dei gratia diligere Deum, quo nihil in illo statu melius est vel esse potest. Et de Angelis illud celeberrimum: *Confitendum est cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis dici posse, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis.*

Lib. de corr. & grat. c. 11.

Lib. 12 de Civi. c. 9.

est eis. Hoc igitur jacto certissimo fundamento, videndum superest an & quo pacto ille amor Dei naturalis dici possit. Et quidem non esse eo sensu naturalem quia sit pars naturæ, nimis manifestum est, dilectio enim sicut & fruitio, hoc est beatitudo creaturæ tam imperfecta quàm perfecta sunt actiones, unde non possunt esse partes creaturæ rationalis. Perinde perspicuum est non esse naturalem quod ex principijs naturæ seu facultatibus naturalibus creaturæ rationalis fiat. Iam enim diximus omnes facultates naturæ superare. Vnde hallucinantur Lutherus & Calvinus qui voluerunt justitiam originalem, quæ Augustino potissimum est iste de quo loquimur amor Dei, veluti finis omnium ceterorum bonorum, voluerunt esse naturale bonum quale est pecudi sanitas, vel aquæ frigus quod ex ipsa naturaliter pullulat.

Quidam igitur hoc tantùm sensu amorem Dei naturalem esse volunt quod sit naturæ consentaneus. Hoc autem ita explicant. quia naturam ornat atque perficit. Verissimum istud quidem est, sed rem non plenè explicat. Sic enim etiam unio hypostatica naturalis dici posset, cùm tamen ita non soleamus loqui: certumque sit longè alio modo Dei dilectionem esse naturæ rationali conjunctaneam atque connaturalem quàm unionem in divino supposito. Hanc enim nemo citra revelationem vel suspicari posset esse possibilem, vel prudenter judicare sibi appetendam.

Itaque dicendum arbitror dilectionem Dei dici posse creaturæ rationali naturalem, primo ex parte rationis, quia ratio naturali lumine dictat Deum solum super omnia creata esse diligendum, idque non indifferenti quodam dictamine quasi hoc esset naturæ suæ quoquo modo consentaneum, ornativum, & perfectivum, ut illi quos paulò antè dixi, voluerunt, sed ita ut judicet hanc esse naturalissimam, arctissimam, universalissimam, severissimamque obligationem. Diligere quippe Deum super omnia est actus rectæ rationi quàm maximè conformis, quæ legis æternæ lumine illustrata, dictat optimum & principium rerum ac finem omnium esse maximè diligendum: cujus rectitudo velut primi principij in operabilibus maximè nota est. Constat enim aliquid esse summè diligendū, hoc autē debet esse summum ens & summum bonum, sicut ratio dictat summam veritatem esse maximè credendā & quicquid illa revelaverit. Et hinc est quod præceptum illud *Diliges Dominum Deum tuum*, sit maximè de lege naturæ quia maximè morale, sine cujus impletione nullus actus moralis esse potest, ne moraliter quidem bonus, sicut fusissimè ex Augustino demonstravimus. Et inde est quod in capite primæ tabulæ collocatum sit, quo cultus *unius* Dei antiquo populo præceptus fuit. Nullus enim verus Dei cultus est sine amore ejus vel esse potest, ut itidem ex eodem diximus aliquoties. Hunc esse sancti Augustini sensum de naturali obligatione diligendi creatoris,

A prout hoc naturali rationis lumine, nulla revelatione, sed ex æternæ legis præscripto, ac naturali ordine sibi faciendum rationalis creatura cernit, in ejus operibus perspicuè liquet, quantumvis hoc sine ejusdem creatoris auxilio nullo pacto possit implere. Nam hinc est quod in lib. decimo-nono de Civitate Dei ubi omnibus omninò rebus naturaliter amabilem esse pacem eruditissimè docet, & pacem nihil aliud esse nisi, *tranquillitatem ordinis*, nec ordinem aliud nisi, *parium, disparumque rerum sua cuique loca tribuentem dispositionem*, locum hominis esse consequenter docet *sub Deo*, ut videlicet sit ei *pax cum ipsa lege, qua naturalis ordo administratur*. Hoc est, ut æternæ legi cuncta suis locis disponenti diligendo, obediendoque subjaceat, ex quo fit ut ex naturali illo æternæ legis ordine diligat Deum. Et *quia ille in se diligendo non errat, qui diligit*, inquit, *Deum, consequens est ut etiam proximo ad diligendum Deum consulat*. Idque ex eadem naturalis ordinis lege. Nam ut ibidem dicit, *ad Deum colendum, domus sua membris pari dilectione consulere naturalis ordo præscribit*. Et in hoc pax ipsa naturalis animæ rationalis posita est, utpote quæ non sit aliud, *quàm, ordinata cognitionis actionisque consensio*, ut videlicet quemadmodum statim explicat, *mente aliquid contempletur & secundùm hoc aliquid agat*, sive, alijs verbis, ut *aliquid utile cognoscat & secundùm eam cognitionem, vitam, moresque componat*. Sed tamen naturalis ordo pacis creaturæ rationalis, quæ isti æternæ & immutabili legi locum homini naturalem sub Deo, & ipsâ æternâ lege tribuenti pariat, sine Dei adjutorio nullo pacto obtingere potest. *Opus enim habet magisterio divino, cui certus obtemperet, & adjutorio ut liber obtemperet*. Hoc est opus habet gratia Dei, ut nec in cognoscendo erret, nec in diligendo deficiat, timore videlicet non liberali amore obtemperando. Hinc etiam sunt ista verba in libro de natura & gratia quæ superius allegavimus, quod creatura rationalis nullâ fide passionis imbuta nihil aliud facere debeat, quàm ut *credendo in Deum qui fecit cælum & terram à quo & se factam naturaliter sentit & rectè vivendo eius impleat voluntatem*. Si se ab eo factam naturaliter sentit, profectò sentit etiam illi dilectionem, illi gratitudinem, pro tanto beneficio; illi obedientiam esse præstandam, sicut & infideles ea cognovisse & litteris mandavisse manifestum est. Sed ea nullo pacto sine ejusdem creatoris gratia præstari posse ibidem Augustinus expressè docet. Hinc est quod sæpissimè adversus Manichæos Scripturarum sacrarum temeratores, & creatoris rerum omnium perduelles, ex puris rationibus docet, atque convincit veritatem, justitiam, sapientiam, hoc est, ut ipse solertissimè inculcat, Deum verum ex creaturis naturali ratiocinatione compertum, velut causam omnium, velut objectum unicum humanæ beatitudinis, esse summo amore diligendum. Et ne quis aliquem amorem suspicaretur naturalem, quasi qui ex naturæ viribus in Deum ratiocinando deprehen-

B C D

Lib. 19. de Civit. c. 13.

Cap. 14.

Cap. 16.

Cap. 16.

Lib. de nat. & grat. c. 1.

Vide lib. 1. de lib. arb. à cap. 9. usque ad finem. Item lib. de vera Relig. de mor. Eccles. etc.

deprehensum surgeret in iisdem locis dicit divinam gratiã ad hoc ipsum esse quam maximè necessariã. Hinc illa ejus verba præclarissima de *veritate* quam nullo Scripturæ adminiculo sed sola rationis naturalis acie eo modo quo Plato verum Deum ex creaturis demonstraverat. *Ecce tibi est ipsa veritas, amplectere illam & fruere illa & delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Et infra docet, in illa sola vitam beatam esse collocandam, illam diligendam, illa fruendum, sed hoc nisi Dei dono nullo modo posse fieri. Hinc in libro de moribus Ecclesiæ, *Ratione quærendo*, nempe contra Manichæum omnis fidei capitalem inimicum, *quemadmodum sit homini vivendum.* Et rem eo disputando perducit, ut nemo beatus sit *qui non habet quod amat etiamsi optimum sit*; ille verò sit qui *id quod est hominis optimum & amat & habet.* Quia hoc est *frui, præsto habere quod diligis.* Optimum autem hominis non esse neq; corpus vel bonum ejus, neq; animam vel bonum internum ejus, sed aliquid extra utrumque, nempe non hominem sapientem sed *Deum: Quem si sequimur, benè; si assequimur, non tantum benè, sed etiam beatè vivimus.* Hoc est, illum Deum velut optimum hominis bonum si diligimus, benè vivimus, si fruimur etiam beatè. Nam explicans illud sequi & assequi. *Secutio igitur Dei beatitatis appetitus est: consecutio autem ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo* &c. Vides arbitror quam nullo supernaturali vel fidei vel revelationis principio utatur sicut professus fuerat, ut hominis optimum, quod ex naturalis rationis ductu diligere, fruiq; debeat, quo & bonus & beatus sit adversus hostes omnis credulitatis indaget. Unde concludens naturalem illum discursum suum: *maximum ergo quod ad beatam vitã ducit, primumq; mandatum est. diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. Quod etiam Ethnicos Philosophos vidisse, asseruisse, docuisse, eadem communi omnibus ratione ductos, eadem communi veritate illustratos, ante tradidimus. Ex quibus satis superque liquet, præceptum de diligendo Deo quam maximè esse naturale, ideoque quam maximè æternâ & naturali lege severissimèque præceptum; cùm tamen in Augustini doctrina nihil certius, inculcatiusque sit illo eodem præcepto quantumvis naturali & naturaliter cognito, etiam respectu Dei, quam maximè naturalibus rationibus & creaturis demonstrati, nihil esse magis ad implendum supernaturale. Nam propter illud vel solum vel pœnè solum gratia necessaria est, quo impleto cetera omnia cum magna facilitate implerentur, sicut suo loco ex Augustino declarabitur.

Lib. 2. de lib. arbitr. c. 13.

Cap. 3.

Cap. 6.

Cap. 13.

Vide infra lib. 5. de gratia Christi Salvat. à cap. 1. usque ad 10.

Secundò, naturalis dici potest iste amor Dei ex parte appetitus, quod ita ostendi potest. Deus enim quantumvis eum non nisi per auxilium supernaturale sequi diligendo, vel consequi fruendo possimus, est tamen finis hominis naturalis, quo nec inferior ei nec superior dari potest. Viderunt istud ac docuerunt Scholasticæ Theologiæ Coriphei Scotus & nonnulli alij. Scotus enim apertè profitetur, *Deum esse finem naturalem hominis licet non naturaliter adipiscendum sed supernaturaliter.* Ex quo fit ut consequenter hominem seu voluntatem ejus doceat habere potentiam naturalem ad dilectionem & fruitionem Dei, hoc est ad beatitudinem quantumvis supernaturaliter acquirendam, quam ipse in fruitione collocat, & naturaliter finem illum appetere & in illum inclinari. Nam cùm formasset istud argumentum, homo naturaliter appetit finem istum, quem dicit supernaturalem, igitur ad illum naturaliter ordinatur, scilicet per fidem & charitatem, respondet ut ante citavimus de fine naturali sed supernaturaliter acquirendo. *Hoc, inquit, probat ratio sequens de desiderio naturali quam concedo.* Et infra ex professo docet, esse posse potentiam passivam naturaliter cui non respondet in ipsa vel in tota natura principium activum naturaliter idque contingere propter eminentiam istius perfectionis ad quam creatura rationalis ordinata est. Cui doctrinæ quantum ad naturalem inclinationem in Deum seu beatitudinem supernaturalem, consentaneè dicit S. Thomas, *Quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum non tamen potest naturaliter illum consequi, sed solum per gratiam, & hoc est propter eminentiam illius finis.* Unde libro 3. contra gentes ex professo multisque modis tradit, *ultimum finem hominis* secundùm cognitionem quæ in hac vitã impossibilis est, hoc est claram visionem Dei per essentiam, *terminare naturalem eius appetitum:* & impossibile esse, ut hoc naturale desiderium inane sit, quo naturaliter omnes mentes desiderant pervenire ad divinam substantiam intelligendam & videndam, & consequenter hominem eò pervenire posse, per potestatẽ Dei. Quod si Deus quantumvis supernaturaliter videndus ac fruendus, sit finis hominis naturalis & eum homo appetat, desideret, in eum inclinetur naturaliter, sive illa inclinatio non sit aliud quam ipsa potentia voluntatis ut videtur velle Scotus, sive aliquid elicitum à voluntate ut magis D. Thomas & nonnulli ejus interpretes, certè consequens est eandem voluntatem naturaliter inclinari in amorem Dei, eo modo quo ipsi dicunt, eam inclinari naturaliter, in Deum tanquam finem naturalem licet supernaturaliter acquirendum vel in Dei visionem per essentiam. Nam finis iste non conjungitur voluntati, seu homini qui ad illum inclinatur, nisi per actionem suam, unde hoc ipso quo naturaliter inclinatur in Deum inclinatur etiam in illam actionem qua conjungitur Deo, sive sit illa visio ut Divus Thomas docet, qui idcirco conformiter locis citatis tradit, hominem naturaliter appetere claram visionem Dei tanquam scilicet formalem beatitudinis scientiam, sive sit dilectio fruitioque Dei, ut Scotus & alij volunt. Quod si homo naturaliter appetit perfectam fruitionem Dei, quam sine dilectione esse impossibile est, necessario etiam appetit naturaliter imperfectam fruitionem ac di-

Scotus in Prolog. q. 1. num. 12.

Ibid.

Ibid. n. 25.

In lib. de Trin. Boetij in q. ult. ad quint.

Cap. 50. 51. 57.

ac dilectionem Dei, quæ ad perfectam tendit naturaliter; quamvis nec hanc nec illam assequi possit naturaliter, sed tantummodo per supernaturalem operationem Dei. Sic ergo patet quo pacto & sensu secundum Scholasticorum etiam principia, amor Dei poterit vocari naturalis respectu voluntatis. Non quod illius vel consummatior in cælo vel initium in hac vita possit adipisci viribus naturalibus, sed quod homo, hoc ipso quo Deus est finis ejus naturalis & naturaliter inclinatur ad appetendam perfectam felicitatem suam, ex consequenti naturaliter inclinetur ad appetendam illam actionem, in qua beatitudo illa sita est; quamvis ad illam suis viribus nullo modo pertingere possit, propter eminentiam finis istius ut & Scotus & D. Thomas explicant. Longè namq; perfectioris naturæ indiciũ est & sublimioris beneficij argumentum, habere naturaliter finem tam altum ut eum nulla creatâ potestate natura possit consequi, quàm finem tam abjectum ut eum naturalibus suis & infirmis viribus facile assequatur.

Ex his igitur duobus capitibus facile intelligitur longè aliter dilectionem Dei esse creaturæ rationali naturalem, quàm tantummodo quia ei consentanea est, vel quia ornat ac perficit eam. Est enim naturalis quia natura ipsa dictat arctissimeq; obstrictã se naturaliter sentit, ut eum humillimè castissimèque diligat, & quia natura ipsa ad hoc appetendum condita est, & naturaliter inclinatur, etsi neque quod dictat, neque quod appetit sibi ipsa dare possit. Inter illos autem duos modos naturalitatis maxima differentia est. Quod enim primo tantum modo naturale est non parit vitium in creatura si defuerit. Nemo enim vitiatam intelliget creaturã si ei desit vel etiam habenti detrahatur unio hypostatica, intelligentia simplex per modum Angelorum, potestas volandi & similes dotes liberaliter supra naturæ exigentiam attributæ, quamvis cùm adessent, essent naturæ consentaneæ eamq; ornarent ac perficerent. Sed cùm deest amor Dei vitium in natura oritur gravissimũ, imo omnium maximum, universorum caput & fons. Deficere enim à Deo radix est omnis mali in creatura rationali, & hoc ipsum naturali lumine deprehendi potest, ei esse vitiosum, ex hoc ipso quo naturaliter cognosci potest imaginem Dei debere dilectionem supremam super omnia veritati, justitiæ, æquitati, bonitati, rectitudini, hoc est creatori suo, quatenus est norma incommutabilis omnis justitiæ & æquitatis & bonitatis, & rectitudinis. Nam sine dilectione istius incommutabilis veritatis, justitiæ, æquitatis, bonitatis, unoque verbo rectitudinis, quæ secundum solemnissimam Augustini doctrinam & sexcenties inculcatam, Deus noster est, nec ullo pacto naturæ viribus, sed tantum gratia Dei diligi potest, impossibile est creaturam rationalem esse veracem, esse justam, esse æquam, esse bonam, esse rectam. Quod esse gravissimũ ejus vitium & contra rationem naturalem, & contra naturalem voluntatis inclinationem naturæ lumine Christianis & gentilibus notum est. Vnde, qui, quomodo, nisi quia dilectio ista modis jam dictis creaturæ rationali respectu Creatoris ex naturalissimis istis attributis considerati, naturalis est, quamvis supernaturaliter per Spiritum S. in cordibus nostris diffundenda?

CAPVT XVI.

Ostenditur septem indicijs doctrinam istam S. Augustini principijs esse consonam; longèque ab eis recedere qui Deum naturalibus viribus diligi posse arbitrantur.

QVÆ quidem omnia in Augustini principijs ac doctrinâ satis perspicuã, fundata sunt. Nam hinc est primò quod passim docet ipsi naturæ rationali convenire ut adhæreat per amorem Deo; *Non itaque esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ cuius hoc vitium est, potius competeret esse cum Deo.* (Sent. 139. apud. Prosp. ex lib. 11. de Civit. c. 17.) Ecce naturæ creaturæ rationalis competit esse cum Deo, hoc est adhærere per amorem Deo. Quid enim est naturæ competere quam hoc ei esse naturale? Quod ne me suspicari putet, & eo modo Augustinum intellexisse quo homini competere diceremus, quicquid ei communicatur, ut volare, invisibilem fieri, in supposito eodem cum Spiritu S. jungi &c. quæ sic ei communicantur, ut si non fiant, neque vitia sint hominis, neque contra naturam ejus, evidenter ipse Augustinus exponit.

Hinc est enim secundò quod non adhærere Deo vitium hominis esse docet, nec vitium ullum esse posse nisi contra naturam sit, & naturæ adversetur eamque destruat. *Hinc natura* (Lib. 12. de Civit. c. 1.) *quæ in tanta excellentiâ creata est ut licet ipsa sit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id est summo Deo, beatitudinem consequatur: nec expleat indigentiam suam nisi utique beata sit: eiq; explenda non sufficiat nisi Deus: profectò non illi adhærere vitium est. Omne autem vitium naturæ nocet ac per hoc contra naturam est.* Et libro tertio de libero arbitrio: *Non vituperari possumus, quia in eo non manemus, scilicet diligendo, nisi quia magnum & summum & primum nostrum bonum est manere in illo.* (Lib. 3. c. 13) Et paulo post: *quid quod etiam in ipsis rebus quæ vituperantur, nullius vituperatur nisi vitium: nullius autem vituperatur vitium nisi cuius natura laudatur. Aut enim secundùm naturam est, quod vituperas, & non est vitium, tuq; magis emendandus es, ut rectè vituperare noveris, quam illud quod non rectè vituperas: aut si vitium est, ut rectè vituperari possit etiam contra naturam sit necesse est. Omne quippe vitiũ eo ipso quo vitium est, contra naturam est. Si enim naturæ non nocet, nec vitium est: si autem quia nocet, ideo vitium est, ideo vitium est quia contra naturam est.* (Ibidem.) Et libro de

Pag. 3. de moribus Manichæorum: *Quis enim ita est mente cœcus, qui non videat, id cuique generi malum esse, quod contra ejus naturam est?* Quod statim explicat, *quod contra naturam quicquid est, utique naturæ adversatur, & eam perimere nititur.* Quam doctrinam sexcentis locis tradit, & in hoc primum creaturæ rationalis vitium collocat, quod non adhæreat per amorem Deo. Ex quo sanè sequitur ita non adhærere Deo esse vitium hominis ut sit naturæ contrarium, ut naturæ adversetur, ut naturam perimat atque corrumpat. Quod nemo de corruptionibus illarum dotium dixerit, quæ tantummodo ita ornant ac perficiunt, ut recta ratio naturalis non judicet, naturæ rationali competere, ut eas habeat, vel eis carere esse vitiosum. Tales quippe dotes naturæ *consentaneæ* sunt, non tamen ablatio dissentanea est: ornant quidem ac perficiunt, nullo tamen modo contra naturam vel naturæ contrarium est, eamque perimit quod subtrahantur.

Hinc tertiò ut magis intelligeremus quomodo vitium sit creaturæ rationalis, carere dilectione Dei sui, hoc ipsum per comparationem oculorum & aurium exponere solet, quibus naturaliter vitium est cœcitas atque surditas: *Sicut*, inquit, *cum vitium oculorum dicitur cœcitas id ostenditur, quod ad naturam oculorum pertinet visus: & cum vitium aurium dicitur surditas, ad earum naturam pertinere monstratur auditus, ita cum vitium creaturæ angelicæ dicitur quod non adhæret Deo; hinc apertè declaratur ejus naturæ ut Deo adhæreat convenire.* Et in alio libro ejusdem operis; *Nisi magnum & ipsa* (natura angelica) *licet non æquale conditori bonum esset, profectò desertio Dei tanquam luminis sui malum ejus esse non posset. Nam sicut cœcitas oculi vitium est, & idem ipsum indicat ad lumen videndum oculum ipsum esse creatum: ac per hoc etiam ipso vitio suo excellentius ostendit ceteris membris, membrum capax luminis (non enim aliâ causâ esset vitium ejus carere lumine) ita natura quæ fruebatur Deo, optimam se institutam docet ipso vitio suo, quo ideo misera est quia non fruitur Deo.* Cujusmodi Augustini doctrina perspicuè declarat adhærere Deo non sic esse aliquid naturæ superadditum, ut ejus privatio, sit ablatio perfectionis ornantis tantum, ut recentiores volunt, sed hujusmodi perfectionis, ut sit vitium creaturæ rationalis contra naturalem institutionem ejus, quæ quamdiu creatura rationalis est, mutari nequit. Nam ista obligatio & necessitas adhærendi Deo in ejus natura excellentissima, qua naturaliter est imago Dei, fundata est, sicut in natura oculi fundatum est, ut lumen videat. Hoc enim volunt Augustini verba quibus dicit naturam rationalem, in *tanta excellentia creatam esse* ut ei nihil sufficiat nisi Deus. Nam ex illa excellentia quæ à natura auferri nequit, vitij rationem docet proficisci.

Lib. 11. de Civit. c. 1.

Lib. 12. cap.

Hinc est quartò quod vitia ita contra naturam esse sentit atque docet, ut bono adhæsionis eam privando ipsam naturam dehonestari atque turpari, ipsamque ejus integritatem minui, ipsam salutem ejus auferri, ipsam naturam paulatim minui dicat. Quæ profectò longè aliud volunt quàm perfectiones naturæ dumtaxat consentaneas & ornativas detrahi: *Nulla res obtinet integritatem naturæ suæ nisi in suo genere salva sit* &c. *Hinc tamen cui oculi mentis patent, nec pernicioso studio vanæ victoriæ caligant atque turbantur, facile intelligit omnia quæ vitiantur & moriuntur bona esse, quanquam ipsum vitium & ipsa mors malum sit. Nisi enim salute aliquâ privarentur non eis noceret vitium vel mors. Si ergo saluti adversatur vitium* &c. Et in libris de libero arbitrio, *quia vitium naturæ adversatur, tantum additur malitia vitiorum, quantum naturarum integritati minuitur. Cum ergo vitium vituperas, id profectò laudas cujus integritatem desiderat, Cujus autem nisi naturæ integritatem? Quod ergo perfectioni naturæ deesse perspexeris id vocas vitium, satis tibi eam placere contestans, quam vituperatione imperfectionis ejus velles esse perfectam.* Et in libris de Civitate Dei: *Cum enim recte vituperatur vitium procul dubio natura laudatur. Nam rectè vitij vituperatio est quod illo dehonestatur natura laudabilis.* Et libro contra adversarium legis & Prophetarum primo: *Ipsa quoque vitia testimonium perhibent bonitati naturarum. Quod enim malum est per vitium, profectò bonum est per naturam. Vitium quippe contra naturam est quia naturæ nocet, nec noceret nisi bonum ejus minueret. Non est ergo malum nisi privatio boni.* Nempe boni quod est aliquid pertinens ad ipsam naturę integritatem. Quod explicat per sequentia: *Si nocent mala, bonum minuunt: & si amplius nocent, habent adhuc bonum quod minuant, & si totum consumunt; nihil naturæ remanebit cui noceatur. Ac per hoc nec malum erit à quo noceatur, quando natura defuerit cujus bonum nocendo minuatur.* Hæc & similia apertissimè declarant bonum quod per vitium minuitur ad ipsam naturæ integritatem pertinere & esse aliquid naturæ seu bonum ejus naturale, juxta id quod de natura hominum & Angelorum loquens sive sponte sive suasione alterius dilectionem & obedientiam Dei abrumpentium dicit: *Sicut ista si non consentiat suadenti, bona permanebit, integritatem naturæ suæ custodiens: sic illa si non suadeat, emendatior:* Et iterum inferius alijs verbis idem agens: *Verum in his rationalis creatura cum Creatori, hoc est factori & institutori suo Deo, dilectionis obedientia cohæret, naturam suam in illius æternitate, veritate, charitate custodit.* Ecce eatenus bona permanet quatenus *naturam suam*, hoc est, ut ait ipsam *naturæ suæ integritatem* in divinæ æternitatis dilectione custodit. In illius enim se dilectione, seu perversa declinatione stabilem servat, ad quem naturaliter ut connaturalem suum finem inclinatur, & cui dilectionem divinitùs dandam naturaliter debet. In hoc enim ipso *peccat anima, & peccando fit mala*, & consequenter ejus natura corrumpitur, integritas naturæ violatur, *si consensionem dilectionis quam superiori Deo debet inferiori corpori adjungat, vel seipsam amplius diligat.*

Lib. de vera relig. cap. 18 & 19.

Lib. 3. de lib. arb.

Lib. 12. de Civ. cap. 1.

Lib. 1. cont. advers. legis & Prophet. cap. 5.

Lib. contra Sec. Man. c. 18

Cap. 19.

Cap. 16. & 17.

Hanc ergo integritatis naturę violationem quæ fit vitio ut clarius adhuc & omnium præcedentiú sensum liquidissimè perciperemus.

 Quintò

Digitized by Google

A Quintò docet, vitia sic esse contra naturam ut corrumpant ejus naturalem statum, ac naturalia ejus bona tollant. Vt enim rem funditus aperiret Manichæis, post longam naturalium bonorum enumerationem, quæ per vitia tolluntur, & naturali rationi tam in animo quam in corpore repugnant, rem generali sententiâ concludens:

Cont. Epist. fundamenti cap. 35.

Videre, inquit, *iam facile est nihil nocere corruptionem, nisi quod labefacit naturalem statum, & ideo eam non esse naturam, sed contra naturam.* Labefactatio status naturalis profectò nulla est, si id duntaxat tollitur quod naturam ornat ac perficit, ac nihil ad ejus naturam pertinet. Quis enim nisi absurdissimus dixerit statum hominis naturalem labefactari, si ei alæ super naturam additæ, si modus intelligendi angelicus, si unio hypostatica detrahantur? Et in Enchiridio ad Laurentium:

Cap. 11. Enchirid.

Quid est autem aliud quod malum dicitur nisi privatio boni? Nam sicut corporibus animalium nihil est B *aliud morbis & vulneribus affici, quam sanitate privari: ita etiam & animorum quæcunque sunt vitia naturalium sunt privationes bonorum.* Nihil apertius. Ridiculum est enim quod quidam per naturalia bona, ipsa subjecta accipienda putaverunt, quæ privantur bonis; non ipsas formas quibus privantur. Nam ante sese declaraverat, cùm sanitatem animalis velut bonum naturale quo privatur adduxerat. Sed multò luculentiùs discursum suum contexendo declarat, omnia bona quibus natura privatur ita esse naturalia, ut sint aliquid naturæ & ipsorum corruptione ipsa natura magis magisque corrumpatur, donec tota denique evanescat. Quod impossibile est, nisi ipsa bona quibus natura privatur, sint ei naturalia; non solum à nativitate data vel naturæ consentanea vel quoquo modo perfectiva, sed ad naturam ipsam aliquâ ratione pertinentia, ita ut vitium ejus & corruptio, status ejus natu- C ralis possit esse privatio, naturæ videlicet quam destruit dissentanea. Sic enim hoc agit:

Ibid. c. 12.

Bonum minus malum est, quamvis quantumcunque minuatur, remaneat aliquid necesse est, si adhuc natura est, unde natura sit. Neque enim si qualiscunque aut quantacunque natura est, consumi bonum quod natura est, nisi & ipsa consumatur, potest. Et iterum: *Quamdiu itaque natura corrumpitur, inest ei bonum quo privetur, ac per hoc si naturæ aliquid remanebit quod iam corrumpi nequeat &c.* Et rursum: *At si corrumpi non desinet nec bonum utique habere desinet, quo eam possit privare corruptio. Quam penitus si totamq; consumpserit, ideo nullum bonum inerit, quia natura nulla erit.* Et paulò pòst: *Quocirca bonum consumere non potest corruptio nisi consumendo naturam. Omnis ergo natura bonum est magnum si corrumpi non potest, parvum si potest.* Ex quibus liquet quantum arbitror evidenter ipsas formas naturalia vocari bona, quarum ablatione natura corrumpatur: imo in omni D corruptione naturam ipsam semper magis magisque minui donec tota dispareat. Quod impossibile est nisi, ut Augustinus supra dixit, *integritas* ipsius naturæ minuatur, *naturalia* ejus *bona* destruantur, *naturalis status* labefactetur.

A Hinc sextò non dubitat Augustinus, bonitatem illam quæ per vitia labefactatur atque minuitur nuncupare *naturalem*:

Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.

Non enim divinorum donorum capax esset, nisi bona esset, humana substantia. Cui vitia quoque ipsa bonitatis perhibent testimonium naturalis. Vbi in primis & maximè & imo tantummodo agitur de amore Dei tanquam ultimi finis, sine quo nulla pudicitia, imo nulla omnino virtutis actio potest esse bona. Vt autem constaret quo sensu diceret bonitatem illam qua privat vitium esse naturalem, rationem subjicit: *Quid enim aliud in vitio rectè displicet, nisi quia detrahit vel minuit quod in natura placet?* Ipsa scilicet bonitas quæ detrahitur. Quod in libris de lib. arb. ut probaret vitium esse contra naturam, quæ laudatur ijsdem pœnè verbis dixerat:

Lib. 3. de lib. arb. cap. 13.

Non enim tibi rectè in vitio displicet nisi quia vitiat quod in natura placet. His autem verbis non hoc vult, ideo vi- B tium esse contra naturam quia detrahit aliquid quod naturæ inhærens placet quoquo modo, sed quia destruit aliquid naturale, seu aliquid ad ipsam naturæ integritatem pertinens ratione cujus natura tanquam integra placebat, quo ablato velut manca, imperfecta, vitiata corruptaque displicet, eo videlicet modo quo natura humana displicet, cùm ei visus aut sanitas tanquam ad naturæ humanæ integritatem pertinens tollitur; non autem displicet si ei alæ quæ nihil ad naturam ejus pertinet adimantur. Hunc sensum ipse planissimè nobis ingerit dum explicans modum quo minuit vitium, id quod in natura placet, adjicit explicationis causa id quod supra diximus:

Ibid. c. 14.

Tantum additur malitiæ vitiorũ quantum naturarum integritati minuitur. Et iterum: *Cùm ergo vituperas vitium id profectò laudas cujus integritatem desideras*: quia scilicet naturam naturali integritate bonitateque quæ adesse debebat mancam C cernis. Quod citra ambages alibi explicat dicendo *cæcitatem* velut vitium oculorum ostendere *quod ad naturam oculorum pertinet visus.* Et similiter quod creatura rationalis *non adhæret Deo*, hinc *apertissimè declaratur*, inquit, *ejus naturæ ut Deo adhæreat convenire.*

Lib. 12. de Civit. c. 1.

Hinc denique septimò ut omnis tergiversatio tolleretur clarissimè tradit, vitium quo creatura rationalis *creatore suo frui non vult*, hoc est quo non vult ei adhærere diligendo, ita tollere naturę integritatem ut natura per hoc, ab ipsa per quam facta est arte, discedat, ita videlicet ut naturæ desit aliquid quod in ipsa arte, juxta quam creatura condita est, naturaliter cernimus adesse debuisse:

Lib. 3. de lib. arb. c. 13.

In tantum vitiosæ sunt naturæ, in quantum ab ejus à quo factæ sunt arte discedunt. Et in tantum rectè vituperantur in quantum earum vituperator artem qua factæ sunt viderit, ut hoc in eis vituperet, quod ibi non videt. hoc est ut adjicit, quod *non ita est sicut esse debuit.*

Cap. 15.

D Hæc autem ars juxta Augustini doctrinam usitatam copiosissimè in illo & præcedentibus duobus libris traditam, est incommutabilis Dei sapientia, seu incommutabilis veritas, in qua naturaliter cernimus creaturam rationalem hoc debere summo creatori suo, ut

ut ei dilectione casti amoris adhæreat. Iuxta quam incommutabilem veritatem velut artem qua condita est natura rationalis eam vituperamus, dum illo amore destituitur. Hoc enim vituperamus, quod in illa arte quam cernimus, non videmus. Quisquis enim aliquid rectè reprehēdit *cernit regulam* justitiæ, *cui comparans quod videt pravum & cernens non convenire rectitudinis regulæ reprehendit tanquam artifex*, ut idem sanctus Doctor ait.

In Psal. 61.

Quæ tam operosè prolixèque deducenda judicavimus, ut Primò plenissimè constaret lectori mens Augustini; utrum amor Dei sit creaturæ naturalis. Maturè namque suis momentis doctrina ejus ex diversorum librorum atq; temporum cōsonantibus testimonijs ponderata non aliud clamat, quam id, ut minimum quod nos superius asseruimus: Amorem scilicet Dei creatoris, creaturæ rationali esse naturalem; non isto sensu quasi viribus naturalibus obtineri possit vel pars esset vel ut proprietas vel actio naturalis ex naturæ facultatibus flueret, quod longè ab Augustino est, nec etiā quia dumtaxat à nativitate creaturæ datus est, vel naturæ consentaneus; ornativus ac perfectivus; sed quia natura rationalis in ipsa arte qua facta est, in incommutabili veritate cernit, *naturæ suæ ut Deo adhæreat convenire*: naturæ suæ *competere esse cum Deo*. Hoc est amorem istum naturalissimâ, arctissimâ, severissimâque obligatione sibi esse præscriptum, utpote quo diligere & colere debet Deū *finem ultimum suum naturalem, supernaturaliter licet acquirendum*: in quem clarè videndum, fruendum, ac diligendum; etiam *naturaliter inclinatur*, quamvis ut sanctus Thomas loquitur, *non possit naturaliter illum consequi, sed solum per gratiam propter eminentiam finis illius*. Hinc enim oritur quod si non adhæreat vitium sit creaturæ rationalis vituperatione dignissimum tanquam quo juxta sensum illum naturæ, rationalis integritas minuatur, status naturalis labefactetur, bonitas naturalis corrumpatur.

Aug. sup.

S. Thom. supra.

Secundò ut constaret quam procul ab ista sancti Doctoris mente doctrinâque discedant qui duplicem amorem Dei castum statuunt, naturalem unum, alterum supernaturalem. Quicquid enim ex Augustino protulimus, totum de illo solo amore & adhæsione Dei intelligitur, quam Deus ipse diffundit in cordibus nostris per Spiritum sanctum suum. Cui Augustinus propter illam connaturalitatem quam explicuimus, tribuit quicquid ipsi amori tribuunt naturali. Nec alius ullus amor Dei castus, in Augustini scriptis invenitur; quam ille cujus auctor est ipse Deus. Quisquis alium castum Dei amorem inducit, sciat se doctrinam Augustino & omnibus veteribus gratiæ defensoribus inimicam traditurum. Apud quos nihil insolentius, absurdius, quam creaturam amore casto (hoc est quo non aliud quippiam, sed Deus propter Deum diligitur) diligere posse Deum sine inspiratione & gratia ejusdem Dei. Quicquid præter amorem istum divinitus datum proferi humani ingenij quantumcunque sit illius & eruditio, humana Philosophiæ textus est. Quam ducem si in rebus tanti momenti pivat sequi, nihil miremur si cum Pelagianis amorem illum naturalem, sicut & partem naturam toto conatu in Ecclesiam introducere conantibus, naufragij discrimen subeamus.

CAPVT XVII.

Secunda difficultas, an amor ille gratiæ sit debitus creaturæ rationali innocenti, & quomodo. Aliqua de debito gratiæ sufficientis juxta Recentiores.

SED hinc jam secunda difficultas nascitur utrum amor iste quo creatura adhæret Deo, tanquam naturali fini suo, creaturæ rationali debeatur, an gratuitæ gratiæ donum sit. Si enim debetur quomodo ex gratia est? Si ex gratia est utique non debetur, alioquin gratia non est gratia.

Quid in hac difficultate dicendum sit juxta Augustini principia jam utcunque quasi per rimam sublucere cœpit. Nec enim alio tendunt illa argumenta cuncta, quibus creaturam rationalem à Deo sine amore gratuito veritatis & justitiæ institui non posse comprobavimus. Hæc enim duo in ejus doctrina videntur esse certa, primum, Deum creatorem creaturæ rationali in quocunque tandem fingatur statu, esse super omnia creata diligendum. Nam sine illius dilectione, neque verax, nec justa, nec bona, nec recta voluntas ejus esse potest, ut abundè declaratum fuit. *Quis enim dubitet dicere*, inquit, *voluntatem nullo modo injustitiam diligentem non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Hoc enim debere creaturam istum creatori suo non ex gratiæ statu, sed ex ipsa divinæ imaginis institutione quæ salva natura ejus tolli nequit, proficiscitur: nec nobis ex revelatione debitum illud esse naturalissimum; sed ex arte qua facta est, innotescit, ex qua velut vitium reprehendimus cùm Deum deserendo ab illa arte discedit. Quæ omnia jam superius declarata sunt. Secundum est, hanc dilectionem quantumvis creaturæ rationali consentaneam, divinæ gratiæ beneficio supernaturaliter esse conferendam. Quod principium tam est certum Augustino, quam quod certissimum. Hæc igitur duo fundamenta in hujus difficultatis discussione atque solutione salva esse debent, si juxta sanctissimi Doctoris doctrinam, hic philosophari & veritatem assequi cupimus. Alioquin cum ejus cum universa principiorum ejus mole luctandum est.

Lib. 2. de pecc. merit. cap. 18.

Quapropter salvo meliori judicio eorum qui

Digitized by Google

A qui accuratius quam ego Augustini principia profundiusq́ penetrarunt, alterutrum hic mihi dicendum videtur, aut creaturam rationalem non posse à Deo ante omne peccatum tam alienum quam proprium sine casto amore produci: aut certè si potest, eam absolutam fore ab illo debito diligendi. Certissima enim illa Augustini regula est, *Nemo debet quod non accepit*. Et illa explicatior; *Ex eo quod non accepit nullus reus est: ex eo vero quod non facit, quod debet, iustè reus est. Debet autem si accepit & voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem*. Et illa liquidissima. *Si hoc adiutorium*, permanendi in dilectione Dei, *vel Angelo vel homini, cùm primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere si vellet, non utiq; sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe defuisset sine quo manere non possent.* Et illa absolutissima brevissimaque: *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis & insaniæ est.* Quæ citra omnẽ B ambiguitatem probant creaturã rationalem hoc ipso quo sine culpa sua non acceperit sufficientissimam facultatem adhærendi Deo, si non adhæserit sed ab eo ceciderit culpa carituram, ipsumq; casum ejus ita creatori esse imputandũ, ut non foret culpa cadentis creaturę, sed instituentis Dei: utpote quę sine culpa creaturę præcedente negaret illam gratiã, sine qua in illo ordine naturali sub Deo manere non posset, sed ab illo necessariò excideret. Nam *quomodo non creatori deputandum est quicquid in eius creatura fieri necesse est?* Sed ex tali creationis ejus modo tanta moles absurditatum sequitur ut eis arcendis aut dissipandis, alienum auxilium mihi necessarium fore sentiam: Fateor enim me succumbere. Quis enim facile intelligat illum institutionis modum, quo creatura rationalis, hoc est imago Dei non debeat eum diligere ad cujus institutionem facta est? Non debeat intentione bonâ se suaque referre in ultimum & naturalem finem suum? Non debeat eum vero cultu colere? Non debeat in actionibus suis veritatem, æquitatem, justitiam, rectitudinem spectare atque diligere? Nullum autem istorum sine Dei dilectione fieri potest, nec dilectio ista in cordibus diligentium sine sancti Spiritus inspiratione diffundi. Quis capiat quod creatura rationalis in creaturis finem suum ultimum collocare possit; illis amandis inardescere; in illis affectu requiescere? Et per omnium pœnè creaturarum cupiditates à Deo suo alienata volutari? Quo enim sese vertet, quæ in creatorem non potest surgere? In aliquo enim necesse est affectus ejus requiescat. In his autem quæ diximus prout natura nunc est, omnis peccati ratio sita est, nec alia imaginis Dei natura esset, si sine creatoris amore vel amandi potestate instituta fingeretur. Iterum di- D co solvendis istis trabalibus difficultatibus juxta sancti Doctoris nota & certa principia, fateor me succumbere: & in hac densa silva ducem mihi quempiam præire quàm discipulum sequi malim.

Lib. 3. de lib. arb. c. 15.
Ibid. c. 16.
Lib. de corr. & grat. c. 11.
Lib. de duab. animab. c. 12.
Lib. 3. de lib. arb. cap. 4.

Itaque relictâ istâ viâ primam tanquam Augustini principiis omninò consentaneam tutioremque capiamus. Iuxta quam dicendum erit non posse creaturam rationalem nullâ omninò iniquitate præeunte sine casto amore Dei condi, aut certè sine *sufficientissima*, ut Augustinus loquitur, *facultate* qua possit castè inhærere creatori suo. Cùm enim alterutrum omninò necessarium sit ut vel Deus negando creaturæ sui diligendi facultatem, tot perturbationum, absurditatumque pietati repugnantium quas recensuimus, in creatura sua causa censeatur, vel id ei tribuat, quo possit eas fugere, quid superest, nisi ut ei, si non amorem castè inhærendi sibi, certè sufficientem gratiæ suæ facultatem qua ei possit inhærere si uelit, & creaturæ cupiditates fugere, largiatur? Quod antequam ex Augustino, cujus hic terimus vestigia, assertum eam, nemo miretur Scholasticorum tanquam audacius dictum, quasi gratiam divinæ dilectionis, ipsa largiendæ gratiæ necessitate deprimamus. Illi ipsi quippe qui gratuitæ gratiæ trutinatores accuratissimi videri volunt, multò longius contra expressam Augustini doctrinam claramque veritatem si cui tantum non desint oculi ad cernendum, in hoc ipso genere progressi sunt. Nam eorum doctrina satis pervagata est, etiam in statu naturæ lapsæ, post gravissimum illud peccatum quo natura damnata est, gratiam Dei sufficientem creaturæ rationali esse adhuc debitam, nec ei posse quamdiu sit liberâ voluntate, denegari. Alioquin impossibilia jubere Deum, nulla fore peccata, nos peccaturos in eo quod vitare non possumus. Hinc Lessius: *Præcepta decalogi ad omnes pertinent quæ sine auxilio divino impossibile est servare. Offert ergo Deus hoc auxilium. Alioquin sequeretur & Deum iubere impossibilia & nos peccare in eo quod vitare non possumus: vel certè violando divina præcepta nos non peccare quæ omnia sanæ doctrinæ repugnant.* Et Bellarminus in eandem sententiam: *Restat ut omnes homines semper habeant auxilium necessarium ad non peccandum, aut certè non possint non peccare, ac per hoc peccando non peccent.* Quod paulò post etiam extendit ad auxilium conversioni necessarium, quando *non possunt sine conversione vitare peccatum.* Et Franciscus Suarez in quodam opusculo docet, quod si gratia excitans & adjuvans sufficienter deesset homini vocato ad credendum aut pœnitendum, *Ille homo meritò posset alteri* (id est Deo) *tribuere quod vocatus cum esset ipse non venerit; ei inquam posset tribuere qui negavit manus aliquod auxilium necessarium ad veniendum: & nullam viam vel modum obtinendi tale auxilium in eius arbitrio seu voluntate collocavit.* Et in libris de prædestinatione: *Gratia sufficiens licet non sit debita naturæ secundùm se spectatæ & multò minus ut affectæ originali culpa; est nihilominus aliquo modo debita naturæ ordinatæ ad finem supernaturalem cum debito illum procurandi.* Et Gabriel Vasquez multò luculentius & animosius: *Existimo non sensisse Augustinum ob solam culpam primi parentis, nos privatos fuisse sufficiente etiam auxilio*

Loco non de lib. arb.
Lessius de prædest. & reprob. Aug. sect. c.
Bellarm. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 7.
Cap. 8.
Opusc. brevi resol. n. 34.
Suarez l. 2. de prædest. c. 2. n. 5.
Vasquez in 1. 2. disp. 193 c. 4. n. 38.

per

per singulas occasiones peccati; quia si tali auxilio ita privati essemus, necessario in singulis succumberemus; sicut primus parens si ei adiutorium sufficiens defuisset, & ita peccatum ad culpam non imputaretur. Et paulò pòst in eadem disputatione: *Quod si ad vincendam tentationem est aliquis gradus minimus sufficientis auxilij illud sanè non perdidimus in primo parente.* Et iterum: *Quarto, existimo posteros Adæ penitus non perdidisse in eo omne auxilium sufficiens, quod est ad singulas occasiones peccati aut etiam ad aliquam* (hoc est, ad servandum quodlibet præceptum sine peccato) *neque perdere potuisse.* Et statim se monstrasse dicit, *Non posse nobis à Deo negari auxilium sufficiens ad non consentiendum peccato & tentationi, eo quod nulla sit occasio peccati quod liberè committimus in hac vita quæ nō relinquat nobis integram libertatem &c. Quemadmodum igitur libertas nostra nulla occasione impediri potuit non perturbato iudicio rationis, ita etiam non potuit sine auxilio sufficiente ad libertatem relinqui, ac proinde nec aliud penitus perdere in primo parente.* Et in alio loco dicit *auxilium sufficiens ad singulas peccati occasiones*, hoc est ad servanda præcepta, *non fuisse negatum nec negari potuisse*, sed tantùm *ad opera bona quæ non sunt in præcepto.* Causam verò tantæ indigentiæ, & necessitatis gratiam tribuendi, ex creaturæ rationalis perfectione, & necessitate divinæ gubernationis petit. *Hæc,* inquit, *indigentia gratiæ in creatura rationali provenit ex magna ipsius dignitate, quia gratiæ & beneficij capax, & ex immensitate & infinitate divina providentia à qua necessario gubernari debet.* Hæc & similia passim pœne omnes Recentiores confidenter docent, quibus gratiam sufficientem ad præcepta servanda etiam fidei & pœnitētiæ necessariam negari non posse, etiam post lapsum primi parentis, imò post quælibet peccata profitentur: vel certè eos qui peccare videntur, nullius fore culpæ reos. Quod si illis hoc licet, solâ ratione fallaci scilicet duce tradere, contra expressam doctrinam antiquorum gratiæ defensorum, quam se agnoscere non dissimulant; liceat sanè sancto Augustino irreprehensibili divinæ gratiæ patrono, creaturæ rationali cum primæva sua innocentia ex creatoris manibus prodeunti, similem gratiam, ex non dissimili causa quodammodo debitam affigere, ne alioquin præcepti non solùm divinæ dilectionis violatio, sed etiam omnium ceterorum quæ æterna Dei lege sanciuntur, & sine Dei dilectione impleri nequeunt, in creatorem ipsum revolvantur; vel certè alioquin creaturæ fas sit, neglectis legibus æternis sui creatoris, quælibet adversus eas inculpatè impunèque perpetrare.

Num. 41. | Num. 42. | Disp. 194. cap. 4. n. 36. | Disp. 193. c. 3. | Vasq. 1. 2. disp. 193. c. 4. n. 38. & 39.

CAPVT XVIII.

Gratiam dilectionis Dei non posse sine culpa subtrahi creaturæ rationali innocenti, & aliquo modo debitam esse quinque argumentis alijs ex Augustino probatur.

Porro reverà istud sensisse Augustinum, quod amor ille vel amandi potestas creaturæ rationali inculpatæ citra culpam subtrahi nequeat, multis haud dubijs indicijs præter ea quæ jam hactenus tot testimoniorum & argumentorum corrogatione ex Augustino dicta sunt, ostendi potest. Ex quibus etiam quam maximè constabit, illud ipsum quod suprà tot argumentis probavimus, sine amore supernaturali Dei non posse creaturam rationalem innocentem condi.

Primò quia apertè docet, contra Pelagianos, non posse parvulis, si sine peccato in illa naturæ puritate, quam prædicabant, ex opinione Pelagiana nascerentur, negari sine injustitia adoptionem filiorum Dei. Nemo autem adoptatur nisi per dilectionem Dei, utpote quę sola discernat inter filios Dei & filios diaboli. Itaque contra Iulianum, qui dixerat justitiam sua cuique sine fraude, sine gratia restituere, *Dic*, inquit, *qua justitia ille parvulus adoptatur in baptismo, ille sine hac adoptione moriatur. Cur non sit ambobus honor ille communis, aut ab isto honore alienatio, cum sit ambobus seu bona seu mala causa communis?* Non dicit, quia nec Dei gratiam nec Dei justitiam homo magis Pelagianus quam Christianus sapit. Hoc est, non potest hoc Pelagianus dicere, quia non intelligit hoc esse contra justitiam si eis bona causa communis est: esse gratiam, si mala. Quod multò evidentius alijs locis explicatur: *Dic si potes*, qui scilicet utrumque peccato carere sentis, *cur ambos adoptare noluerit, qui certè ambos ad imaginem suam condidit. An ita justus est ut non sit omnipotens? Si voluit & non potuit, ubi certè nullus eorum noluit nec impedimentum potestatis divinæ rea feratur ad meritum voluntatis humanæ, sic certè nulli eorum dicere potest Deus volui & noluisti?* Et iterum: *Si non condemnat* Deus *nisi spretus*, id est, nisi peccati alicujus iniquitate contemptus & irritatus, *dic utrum spernat suam imaginem nisi spretus. Quod si non audes, dic unde spernat eos, quos parvulos non adoptat, in quibus eum spretum non invenies, nisi eos invenies in Adam.* Quasi diceret impossibile est ut parvuli non adoptentur à Deo, si ut asseritis nullo eorum peccato Deus *spretus fuerit.* Et clarissimè satisfissimèque in alio loco qui unus instar & explicatio omnium esse potest: *Cur ergò cetera multis negat Deus parvulis, qui sine hac gratia in illa ætate moriuntur? Cur inquam non eis datur illa maxima spiritalis, adoptio filiorum Dei, municipatus Hierusalem cœlestis, sanctificatio atque in Christi membra translatio & possessio regni cœlorum? Itane tot munera tam necessaria tot imaginibus suis nullum secundum vos peccatum habentibus negavit Deus peius,* quem

Lib. 1. oper. imp. n. 34. f. 29. | Ibid. f. 31. | Ibidem. | Eodem lib. 3. oper. imper. f. 39.

Digitized by Google

quem summa potestas est cùm hoc beneficium non à se prohibeat voluntas contraria parvulorum? Tu certè ut hanc à vobis amolireris invidiam quâ dicimini baptismi gratiam parvulis denegare, dixisti quod eam gratiam qui aliquibus negandam putat, omnium bonorum exsecrationem mereatur. Non igitur eam Dei Omnipotentis æquitas negat innumerabilibus parvulis qui sine hac sub eius omnipotentia moriuntur, si mali nihil in eius occulto iudicio mererentur. In hisce testimonijs clarissimè lucet quantâ sollicitudine vias omnes obstruat, quibus adversarius elabi posset, quo minus injustum, iniquum, impossibile fateretur, ut parvulis negaretur adoptio & sanctificatio, si sine peccato ex Pelagianorum opinione nascerentur. Neque verò hic dici potest, hoc verum esse supposito præsenti statu, in quo natura humana ad statum supernaturalem elevata fuit, & in Adamo tota sanctificanda nisi ille peccasset: Hoc, inquam, dici nullo pacto potest, quia ridiculum in modum id supponeret, quod probandum erat, hoc est, principium non semel sed perpetuo cum Pelagianis argumentando peteret. Illorum enim capitale dogma, & unicum quod universam hæresim complectetur, fuit, fictitium esse statum illum supernaturalem elevationis: sed hominem etiam primum omnesque posteros ejus in pura natura nasci sentiebant, cum *naturali*, ut ipsi loquebantur, *innocentia*; cum *simplicitate naturali*; *naturaliter bonos*; *capaces utriusque rei, non plenos; ut sine virtute ita & sine vitio; ante actionem quippe propriæ voluntatis id solum in homine esset quod Deus condidit*; *denique cum laudabili puritate naturæ*, sicut hæc aliaque plura in hunc sensum de ipsorum hæresi suis locis demonstravimus. Quod ita verum est, ut nec ipsi Scholastici diffiteantur nec diffiteri possint Pelagianos mordicus puræ naturæ statum astruxisse. Quomodo ergò nisi insulsissimè absurdissimèque supponere posset Augustinus, hominē in statu supernaturali esse conditum, ideoque non posse parvulis sine peccato nascentibus adoptionis gratiam sine injustitia denegari? quin potius è contrario per hoc ipsum quod injustum & iniquum, & impossibile est, destruat illum statum naturalis puritatis atque innocentiæ; invictèq; concludat, statum illum velut commentitium, divinæque justitiæ inimicum, per illam denegationem sanctificationis & adoptionis, quæ creaturæ rationali sine peccato negari nequeat funditus evanescere. Quod & ipse Aug. nonnunquā expressè indicat. Nam cùm similē omninò injustitiā inuri ex eo dixisset, quod parvulum sine peccato juxta Pelagianos nascentem à populo suo, id est sanctorum consortio separaret. *Huius*, inquit, *tam horribilis pœna iustitia si quæratur, nonne istorum omnis de libero arbitrio & laudabili sanitate* (scilicet sine peccati ægritudine) *& puritate naturæ, quantumlibet arguta sit argumentatio, repercussa & confracta dissiliet?* Ecce tota Pelagiana machina de puritate naturæ confracta dissilit, juxta sententiam sancti Augustini, ex hoc ipso solo quod anima parvuli, cum nihil propria voluntate commiserit de suo populo peritura dicatur, hoc est, ut alibi sæpè dicit, à *populo Dei, à parentibus & propinquis fidelibus* separata. Quod non alia ex causa parvulis irrogatur, nisi quod eis adoptionis gratia, qua in populum Dei coaptamur, denegata sit. Apertissimè proinde sentit ac docet non posse parvulis in naturæ puritate nascentibus adoptionis & sanctificationis, & illuminationis cœlestis gratiam subtrahi.

Lib. 3 de hæresi Pelag.

Lib. de pecc. orig. c. 30.

Lib. 2. oper. imperf. c. 325

Secundò, quia contra eosdem Pelagianos, naturæ puritatem sine ulla ejus ad statum supernaturalem elevatione, vel ad statum peccati depressione prædicantes, constanter docet non posse parvulo negari baptismi Sacramentū, quo in Christi membra transferatur. Quod argumentum intolerabili laborat absurditate, si homini in pura natura, sine supernaturali elevatione & sine contranaturali depressione condito gratia divinæ charitatis qua in filium Dei transferatur, possit auferri. Audite ipsum in libris ad Bonifacium: *Sed in illo, qui baptizatus est, gratiam ei vos confiteri cogimus & meritum eius nullum præcessisse convincimus. De illo autem sine baptismate mortuo, cur ei defuerit sacramentum quod & vos fatemini omnibus ætatibus necessarium: & quid isto modo in eo fuerit vindicatum vos videritis, qui non vultis esse originale delictum.* Et multò exsertius paulò pòst; *Redit ad vos frater ille geminus baptizati non baptizatus & tacitus quærit à vobis, unde fuerit à fraterna felicitate discretus: cur illa infelicitate punitus, ut illo in Dei filium adoptato, ipse non acciperet omnibus ætatibus necessarium sicut fatemini sacramentum, si quemadmodum nulla est fortuna vel fatum vel apud Deum acceptio personarum, ita nullis nec est gratia sine meritis donum; nullum originale peccatum? Huic prorsus infanti linguam vestram vocemque submittitis; huic non loquenti quid loquamini non habetis.* Inanem profectò & ridiculum triumphum canit Augustinus adversus hominem puræ naturæ archi[te]ctum, si Sacramentum adoptionis ei sine peccato in pura natura nascenti negari potest: Promptè enim respondebit, sicut & quotidiè Scholastici in hac aut simili difficultate respondent, nullum quidem esse in illo statu nascentibus originale peccatum; verumtamen illud Sacramentum ad supernaturalis gratiæ pertinere statum (quod etiam expressis verbis Pelagiani fatebantur) & idcirco tanquam gratiam gratuitam sine injuria dari vel non dari à Deo cuicunque visum fuerit. Hæc tam expedita solutio, tam facilis, tam obvia, tam vera, totum calorem Augustini temperat, & omnes succidit nervos argumenti ejus, si verum est gratiā adoptionis aut amoris Dei homini negari posse sine peccato in naturæ puritate nascenti.

Lib. 2. ad Bonif. c. 7.

Ibid. in fin.

Tertiò luculentius Augustini & eorum quæ dicta sunt sensus ex eo patet, quod consequenter sæpius docet parvulos frustra baptizari, frustra fieri Christianos si vera est Pelagiana sententia, quod in naturæ puritate sine peccati ullius labe nascerentur. Hoc ipso enim sentit esse justos, vivos & sanos, nullius sanctificationis indigos. *Quid necessarium ergò habuit*

Serm. 10. de verb. Apost. c. 2.

habuit infans Christo si non ægrotat? Si sanus est, quare per eos qui eum diligunt medicum quærit? Si quando portantur infantes dicuntur omninò nullum propaginis habere peccatum, & veniunt ad Christum: quare non eis dicitur in Ecclesia, qui eos portant ad Ecclesiam, Auferte hinc innocentes istos non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: Non venit Christus vocare iustos, sed peccatores. Quod apertius adhuc alibi dicit: *Ut quid cum eis ad baptismum vivificatoris & salvatoris simulatione damnabili curritis, quos vivos sanosque laudando, vivificari sanarique non vultis?* Ecce hoc ipso parvulos vivos & sanos nulla supernaturalis vivificationis & sanitatis indigos esse concludit, quo in puritate & innocentia naturali sine peccati noxa conderentur. Cùm tamen satis conscius esset, ut ipsemet sæpè dixerat, Pelagianos velle unctionem gratiæ à Christo velut uncto in baptismo à parvulis trahi. Et in libris de peccatorum meritis & remissione: *Id agit illa disputatio* (Pelagianorum puritatem à peccato velut in pura natura parvulis asserentium) *contra cujus novitatem antiqua veritate nitendum est, ut infantes omninò superfluo baptizari videantur. Sed apertè hoc non dicitur, ne tam firmata salubriter Ecclesiæ consuetudo violatores suos ferre non posset.* Quomodo id agit illa disputatio, ut parvulis naturæ puritate innocentibus superfluus sit baptismus, ut Christus eis non sit necessarius, ut auferendi sint ex Ecclesia, cum non ignoraret Pelagianos dicere *Innovationis & adoptionis gratiam, & regnum cælorum non nisi baptizatis posse conferri: quod quia vires naturæ non habent, conferri necesse est per gratiæ largitatem?* An superfluum dici debet quod tanta dona multoque plura quæ cumulabant sua prædicatione, conferuntur? Sed ideò hoc dicit Augustinus quia hoc ipso quo eos in innocentia nasci naturæque puritate fatebantur, cogebantur fateri adoptionis divinæ gratiam eis abesse non posse. Innocentia enim talis ac puritas à peccato nullo alio modo potest conferri naturæ rationali, nisi per veram & supernaturalem gratiam Dei. Nam ille ipse est unus ex formalibus effectibus ejus qui sine tali sanctificationis gratia adesse non potest.

Lib. 1. oper. imp. f. 386

Lib. 1. c. 21.

Lib. de pecc. orig. c. 5. & 3 cont. Iul. c. 3.

Hinc quartò tam perspicuum & certum & peremptorium hoc argumentum sentit esse sanctus Augustinus, ut frequenter doceat quicquid tandem Pelagiani fingerent per baptismum supra puram parvulorum naturam adjici, illos ipsos tamen hanc videre & in conscientia sentire veritatem; quod videlicet baptismi necessitatem & utilitatem prorsus tollerent. Quod profectò impossibile est si puritas à peccato & innocentia illa naturalis possit inesse naturæ rationali sine gratia adoptionis atque sanctificationis quam baptismus hominibus jam in pura natura conditis juxta Pelagianorum opinionem afferre dicebatur. Testimonia hujusce rei plurima in promptu posita sunt. Sic enim loquitur in libris operis imperfecti contra Iulianum: *Dic apertè, mortui parvuli non sunt qui peccatum nullum habent: morte pro se Christi in qua baptizantur non opus habent.*

Lib. 2. oper. imp. f. 237.

Iam dic evidenter quod latenter sentis, quoniam satis prodis tuâ disputatione quod sentis; dic, inquam, parvulos frustra fieri Christianos: sed vide utrum te dicere debeas Christianum. Et in alio loco: *Ubi est libertas & fortitudo animi vestri, quare timetis dicere quod credere non timetis, parvulos in Christo baptizari non oportere quos peccatum cui moriantur dicitis non habere.* Et paulò inferius: *Cur non apertè dicitis, baptizari in Christo parvulos non debere?* Et nequis putet hoc istis solis imperfecti operis libris esse peculiare, diu ante in prima lucubratione, eandem superflui baptismi conscientiam Iuliano Pelagianisque ceteris exprobraverat: *Frustra identidem conaris obtegere, quod superfluum baptismum putatis in parvulis dicentes, Mysteriorum Christi gratiam multis locupletem esse muneribus.* Audis in eadem sententia respondentem Iulianum: *gratiam mysteriorum Christi multis locupletem esse muneribus*, hoc est, baptismum parvulis in puræ naturæ bonitate nascentibus multa divinæ gratiæ munera conferre: & tamen Augustinum exprobrantem, quod superfluum putaret esse baptismum. Quomodo, qua ratione? nisi quia hoc ipso quo sine peccato sunt, necessario sunt voluntate conjuncti Deo? Ideoque novi homines & adoptati in filios Dei, quæ Dei munera parvulis per baptismum conferenda esse censebant. Ne quem enim lateat ista intelligere Iulianum, per locupletem multis muneribus gratiam Dei, statim adjicit: *Hoc quod in eis parvulis Deus condendo fecit, beneficiorum sublimat augmentis.* Et quænam ista beneficiorum augmenta? Accipe interpretem verborum suorum Iulianum: *Christus qui est sui operis redemptor, auget circa imaginem suam continua largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos*, id est, quos fecerat creando vi puræ naturæ bonos & sine peccato; *facit innovando, adoptandoque meliores.* De quibus effectibus gratiæ supernaturalis plura in dogmatibus Pelagianorum diximus. Hanc igitur baptismi tanquam superflui inanitatem objicit & alijs locis, & profitetur ad eam confitendam Pelagianorum argumenta compellere: *Sed dic mihi obsecro te, parvulis baptizatis Christus aliquid prodest, an nihil prodest. Necesse est, ut dicat prodesse. Premitur mole matris Ecclesiæ. Fortè quidem vellent hoc dicere, nam ratiocinationes eorum ad hoc videntur compellere, sed auctoritate reprimuntur Ecclesiæ, ne non dicam sputis hominum obruantur, sed ipsorum infantium laci rimis tanquam fluvio perterrebantur.* Si enim dixerint, nihil prodesse Christum baptizatis infantibus, nihil aliud dicunt, quàm superfluo baptizantur infantes &c. Itaque solo timore hominum non apertè dicebant, *quod quidem*, ut alibi ait, *postea essent aliquando dicturi*, superfluo baptizari parvulos; latenter tamen hoc sciebant, & eorum ad hoc ratiocinationes compellere Augustino videbantur. Nimirum quia hominibus sanis sine peccati labe in puræ naturæ innocentia nascentibus non est gratia innovationis vel adoptionis necessaria propter quam baptismum adhiberi dictitabant, quia hoc ipso necesse est eos esse rectâ voluntate, conjun-

Ibid. f. 383.

Fol. 384.

Lib. 6. cont. Iul. c. 3.

Ibid. f. 1. oper. imp. & l. 6. c. 8.

Ibid.

Lib. 3. cont. Iul. c. 3. & l. 1. op. imp. f. 59.

Serm. 14. de verb. Apost. c. 17.

3 cont. Iul. c. 3.

conjunctos Deo & consequenter filios Dei. Qui sensus Augustini ut adhuc elucescat luculentiùs, & ut loquuntur, à priori,

Quintò, non rarò docet adversus eosdem adversarios, solum peccatum esse, quod à Deo creaturam rationalem separet. Hoc est, impossibile esse, ut creatura rationalis non sit amica creatori & consequenter diligens ac dilecta Dei & assumpta in numerum filiorum ejus, hoc ipso quo peccato tanquam muro inter Deum & hominem intercludente caret.

Cap. 25. Hinc in libro de Spiritu & littera: *Ut bonum Dei quod dicitur, Deus sit, per quem mali fiunt, inter quem & homines nisi peccata non interest.* Et in libro secundo de peccatorum meritis & remissione, ubi Pelagiani dixerant, non baptizari parvulos ut a peccato liberarentur, qui sine peccato in innocenti naturæ puritate nati

Lib. 2. c. 18. essent, sed *ut spiritalem procreationem non habentes crearentur in Christo, & ipsius regni cælestis participes fierent eo modo filij & hæredes Dei, coheredes autem Christi*, hoc est, ut Scholasticorum loquantur phrasi, ut supernaturaliter ad statum filiorum Dei elevarentur; aliquoties Augustinus eandem illam repetit sententiam, et concludit, eos jam esse filios & hæredes Dei, si, quemadmodum Pelagiani sentiebant à peccato essent immunes. *Soluto*, inquit, *reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens, in æternum iustificatos præsentia creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines & Deum.* Ex quo necessarium est sequi, ut si peccati remissione non indigeant, necessariò eos velut justificatos & filios Dei præsentia creatoris illuminet. Et iterum adversus eandem

Cap. 24. Pelagianam opinionem: *Porrò si à salute ac vita æterna hominem nisi peccata non separant, per hæc Sacramenta non nisi peccati reatus in parvulis solvitur.* Quasi dicat, alioquin nullo modo necesse esset parvulos propter acquirendam æternam salutem baptizari; hoc ipso enim salvi deberent esse cum Deo, quo eos vos Pelagiani sine peccato in puritate naturæ nasci constituitis. Nam ut etiam contra Mani-

Lib. de fide cont. Manic. c. 44. chæos omnis elevationis supernaturalis prorsus ignaros dicit, *Inter creaturam rationalem & Deum, non separat nisi voluntas prava.* Ut necesse sit eam esse cum Deo, hoc est, voluntate & amore conjunctam Deo per hoc ipsum quod pravâ voluntate intercurrente caret.

Ex quibus tàm crebris tamque concinentibus undique sibi locis perspicuè patere mihi videtur, hoc omninò sentire, totáque suæ disputationis mole agere contra Pelagianos Augustinum, ut convincat statum illum naturalis innocentiæ, seu ut loquuntur, puræ naturæ, in quo nasci volebant homines, & per baptismum ad supernaturalem statum adoptionis filiorum Dei elevari, esse impossibilem, unoque verbo talem, ex quo sequatur baptismum esse superfluum, frustraque parvulos fieri Christianos; & hoc ipsos sentire, nec ausos dicere Pelagianos; eo quod hoc ipso quo sint innocentes, sint etiam filij & hæredes Dei, à cujus hæreditate creatura rationalis non potest nisi intercurrente iniquitate separari: vel certè, si effectum illum adoptionis & supernaturalis sanctificationis in parvulis baptismus operatur, ut hæresis illa prædicabat, injustum esse vel infirmum Deo, sub cujus gubernatione creatura rationalis sine ullo suo vel suorum peccato, adoptione & populi sui societate privatur. Quam genuinam esse sententiam ejus longè uberius paulò pòst, cùm de vita æterna locuturi sumus, Deo juvante demonstrabimus.

Hunc igitur gratiæ divinæ cum creatura rationali innocente nexum individuum indicare fortassis voluit Augustinus quando Iuliano dicente *bonam bonorum naturam*, scilicet naturaliter (sicut ipse de naturæ bonitate loqui solet) *qua talis gratiæ opitulationem meretur*, Respondet Augustinus: *Quod gratanter audirem, si hoc propterea, quia rationalis natura est, diceres.* Hoc est, meritum gratiæ impropriè dictum quod ratione naturæ consideratum, libenter admitterem, non tamen meritum alicujus voluntatis aut operis boni, quo omnis gratia funditus interimitur. Nam explicans verba sua, *Neque enim*, inquit, *gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum lapidibus aut lignis pecoribusque testatur, sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam: non tamen ut eius bona voluntas possit præcedere præter gratiam, ne vel ipsam prior det, ut retribuatur illi, ac sic gratia iam non sit gratia*; sed locus iste in alium fortè sensum trahi potest. Nunc causas paulisper exploremus, propter quas gratia dilectionis Dei, qua etiam adoptatur creatura rationalis in filium Dei, innocenti naturæ tam arctè juncta sit. Quamvis enim hic illic sparsim indicatæ sint, non inutile fuerit eas, & simul paulò explicatius oculis subjicere.

Lib. 4. oper. Iul. c. 3.

CAPVT XIX.

Causæ deducuntur latiùs, cur creatura rationalis condi non posset sine bona voluntate & sapientia, vel certè sine diligendi Dei & sapienter vivendi potestate.

QVOD ut Deo, tenuitatem nostram adjuvante, præstemus, tria hìc supponenda sunt. Primum non esse aliam sanctificationis aut adoptionis gratiam Augustino, quàm charitatem sive castum amorem Dei, quod suo loco declarandum est, tanquam in ejus doctrina indubitatum: Secundum amorem Dei nullum agnosci in scriptis ejus, nisi quem Spiritus sanctus per gratiam suam diffundit in cordibus nostris; Adde tertium, nullam omninò esse bonam voluntatem, hoc est, volitionem Augustino,

Digitized by Google

Augustino, quam eundem illum amorem Dei. Omnis reliqua voluntas est ei prava cupiditas quia dilectio creaturæ, hærens in creatura, quæ creaturæ rationali divinâ æternâque lege prohibetur. Duo postrema suis locis explicata & probata sunt.

Prima itaque & vera ratio videtur esse, quæ ex omnibus præcedentibus colligitur, & aliquoties etiam tacta est, quia cum creatura rationalis necessario ad aliquid suâ voluntate moveatur, & ille motus voluntatis vel bonus vel malus sit: cum non possit voluntas ita in medio consistere, ut neque sit bona neque mala. Si enim movetur, ergo vel sursum vel deorsum, id est ad Deum vel ad creaturam. Si ad Deum, erit motus voluntatis bonus, & vera charitas Dei: si ad creaturam erit voluntas mala. Imo si vel moveatur non ad Deum, jam est voluntas mala, quia non diligere Deum creaturæ rationali intrinsecè malum est. Quanquam ex hoc ipso quod non diligit Deum, necesse sit, aliud à Deo diligi, & quid hoc nisi creatura? Et hoc ipsum erit ei voluntas mala, quæ cupiditas Augustino dicitur. Breviter hæc omnia expressit quando dixit: *Quanquam voluntas mirum si potest in medio ita consistere ut nec bona nec mala sit, aut enim justitiam diligimus*, id est Deum ut ante diximus, *& bona est; & si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est; aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Vides hoc argumentum ex contradictorijs esse contextum. Si voluntas diligit justitiam bona est, si non diligit mala; imo pessima. Cùm ergo non possit Deus creaturam rationalem cum mala pessimaque voluntate condere necesse est ut eam cum bona voluntate, hoc est casto sui amore producat. Quod Augustini verbis consequenter ita possumus colligere: *Si ergo voluntas aut bona est aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo*, quandocunque creaturæ rationales instituuntur. Quod eâdem ratiocinandi securitate colligit in libris de Civitate Dei ubi disputat, utrum sibi bonam voluntatem, id est voluntatis motum fecerint ipsi Angeli recenter conditi an Deus. *Si*, inquit, *boni Angeli fuerint priùs sine bona voluntate, eamq; in seipsis Deo non operante fecerunt, ergo meliores à seipsis quam ab illo facti sunt? Absit. Quid enim erant sine bona voluntate nisi mali?* Ecce si Angeli sine bona voluntate à Deo facti sunt, jam mali à Deo facti sunt, hoc ipso quo sine bona voluntate facti sunt. Unde hoc, nisi ex illo capite quod supra tetigit Augustinus, quia voluntas nullo modo diligens Deum, non modo mala sed etiam pessima voluntas est. Nam bonam voluntatem non aliud ibi esse quam veram charitatem Dei, ibidem non tacet Augustinus, dum sæpius bonam voluntatem explicat per *amorem, amorem Dei, amorem castum, amoris divini gratiam*, & hujusmodi. Sicut ergo fieri non potest, quin linea hoc ipso quo non

Lib. 12 de pec. merit. cap. 18.

Lib. 12 de Civit. cap. 9.

A est recta curva sit, & homo, hoc ipso quo non vigilat dormiat, ita fieri nequit, quin voluntas hoc ipso quo non est recta perversa sit, & hoc ipso quo non est bona sit mala. Nam rectam esse creaturam rationalem, quemadmodum non est aliud quam esse voluntatis bonæ, sine qua rectitudo esse non potest, ita quoque non est aliud quam esse sine culpa naturam vitiante; non enim aliter quam per culpam & vitium velut privationem suam bona voluntas ista & rectitudo deficere potest. Malum enim etiam in moribus est privatio boni. Quæ breviter insinuavit Augustinus cum dixit: *Fecit Deus sicut scriptum est, hominem rectum ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus esset bonam non habens voluntatem.* Quod alibi per absentiam culpæ explicat: *Creatus est primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio, creatus est rectus.*

Lib. 14. de Civit. c. 11.

Serm. 11. de verb. Ap. cap. 2.

B Neque verò fingi hic potest aliqua rectitudo voluntatis, alia quam sit voluntas bona, quasi recta possit esse creatura rationalis sine illa *divini amoris gratia*, quam solam bonam voluntatem Augustinus agnoscit. Nam idem ipse sæpe constanterque docet, creaturam rationalem si Deus statim ab ipso initio creationis non coercuisset motum ejus, ut voluntatem ejus sua ad seipsum gratia revocasset informem, tenebrosam, defluxuram fuisse suis cupiditatibus. In quo totum creaturæ rationalis malum situm est, æterna & indispensabili lege prohibitum. Audite quanta diligentia freni istius aurei, hoc est divinæ gratiæ seu amoris necessitatem inculcet Augustinus, ne creatura rationalis, non solum lapsa, sed etiam ex recentissimis figuli sui manibus exiens, mox deorsum pondere cupiditatis illicitæ prolabatur, & tenebrosa, & inquieta, vagabundis per creaturas deliquijs fluitet.

C Nam statim initio libri decimi-tertij Confessionum dicit Deo. Spiritalia quæ creata fuerant itura fuisse *in immoderationem & in longinquam dissimilitudinem tuam & per se futura fuisse informia, nisi per idem verbum revocarentur ad unitatem tuam & formarentur.* Et mox iterum: *Quid te promeruit inchoatio creaturæ spiritalis ut saltem tenebrosa fluitaret. Similis abysso tui dissimilis, nisi per idem verbum converteretur ad idem, à quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret?* Et haud multis interpositis; *Multa diximus de abysso tenebrosa, secundum spiritalis informitatis vagabunda deliquia, nisi converteretur ad eum à quo erat qualiscunque vita, & illuminatione fieret speciosa vita, & esset cœlum cœli &c.* Et adhuc apertius: *Defluxit Angelus, defluxit anima hominis, & indicaverunt abyssum universæ spiritales creaturæ in profundo tenebroso nisi dixisses ab initio, fiat lux, & facta est lux, & inhæreret tibi omnis obediens intelligentia cœlestis civitatis.* Et quid fuisset creatura

D spiritalis nisi sic illuminata divinitùs inhæsisset creatori suo? *Alioquin & ipsum cœlum cœli, id est Angeli sancti tenebrosa abyssus esset in se, nunc autem lux in Domino.* Et rursum explicatius, ut metaphorarum nonnulla obscuritas minus assuetis phrasibus ejus patesceret: *beata* crea-

Lib. 13 confess. cap. 2.

Cap. 4.

Cap. 8.

Cap. 10.

A *creatura qua non devit aliud* quàm scilicet igne divini amoris attolli sursum, *cum esset ipsa aliud, nisi dono tuo quod superfertur super omne mutabile, mox ut facta est, attolleretur nullo intervallo temporis in ea vocatione qua dixisti Fiat lux & facta est lux. In nobis enim distinguitur tempore, quo tenebræ & lux efficimur. In illa verò dictum est quid esset nisi illuminaretur, & ita dictum est quasi prius fuerit fluxa & tenebrosa ut appareret causa qua factum est, ut aliter esset, id est ut ad lumen indeficiens conversa lux esset qui potest intelligat, & qui non potest à te petat.* Ecce quam disertè, quam dilucidè, quam sollicitè exponit & commendat nobis, creaturam spiritalem nisi in ipso creatoris articulo fuisset à Deo illuminata & dono Spiritus sancti sublata in Deum, informem, tenebrosam, similem abyssi, Deo dissimilem futuram fuisse. Non enim ut in nobis qui reipsa Deo dissimiles & peccatis tenebrosi fuimus, tenebræ in Angelis illuminationem B præcessêre, sed natura tantum; quia reipsa fuissent in illis dissimilitudo Dei ac tenebræ, & instar abyssi deorsum cupiditatibus fluxissent, nisi fuissent mox Deo illuminante lux in Domino. Quod & omni ambiguitatis incerto carentibus verbis, dicit in alio confessionum suarum loco *Idonea est*, creata sapientia seu angelica creatura, *faciem tuam semper videre, nec usquam deflectitur ab ea, quo fit ut nullâ mutatione varietur: inest ei tamen ipsa mutabilitas, unde tenebresceret & frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens tanquam semper meridies luceret & ferveret ex te.* Et in libris de Genesi ad litteram de creatione lucis seu angelicæ naturæ loquens: *Intellectualis vita nisi ad creatorem illuminanda converteretur, fluitaret informiter, Cum autem conversa & illuminata est, factum est quod in verbo Dei dictum est fiat lux.* Omnia prorsus vana atque falsa sunt, si creatura spiritalis naturaliter adhærere Deo sine spiritali illuminatione, sine doni cælestis infusione, sine illo amore grandi C divinæ charitatis qua Angeli sancti lucere & fervere noscuntur. Et tamen Augustinus securissime creberrimèque dicit, nisi istâ luce mox à creatione claresceret, & amore ferveret, fluxam, tenebrosam ac dissimilem futuram Deo, tenebrosæ abysso similem. Ne quis verò, cui lectio sancti Augustini minùs usitata est, fortè fluctuet, quid sit illa informitas, illa tenebrositas, illa immoderatio, illa longinqua dissimilitudo Dei, in quibus creatura rationalis fluitaret, nisi continuò fieret lux in Domino & amore grandi converteretur ad Deum; quanquam ipsa veritas in verbis fulgeat, operæ tamen pretium est paucis ostendere non aliud illis significari, quàm vitam creaturæ spiritalis aversam a Deo, cupiditatibus terrenis instar abyssi fluitantem, tenebris porcorum cæcam. Nam in D eodem ipso loco unde cuncta pœnè testimonia petivimus & ubi dixerat creaturam spiritalem *fluitare tenebrosam, abysso similem, Deo dissimilem, nisi converteretur* &c. causam reddit: *Sicut enim corpori non hoc est esse quod pulchrum esse alioquin deforme esse non posset, ita etiam creato spiritu non id est vivere, quod sapienter vivere, alioquin incommutabiliter saperet. Bonum autem illi est hærere tibi semper, ne quod adeptus est conversione, aversione lumen amittat, & relabatur in vitam tenebrosa abysso similem.* Et mox addit ut plenius intelligeretur sensus ejus: *Et nos qui secundum animam creatura spiritalis sumus aversi à te nostro lumine, in ea vita,* scilicet tenebrosa fluitante &c. *Fuimus aliquando tenebræ*, id est peccatores, *& in reliquiis obscuritatis laboramus donec simus justitia tua* &c. Et infra cupiditati deorsum fluitanti opponens charitatem sublevantem sursum: *Cui dicam, quomodo dicam de pondere cupiditatis in abruptam abyssum, & de sublevatione charitatis per Spiritum sanctum qui superferebatur super aquas* illas abyssi fluitantis. Et exponens quid sint illa cupiditas atque charitas, *Affectus*, inquit, *sunt, amores sunt, immunditia spiritus nostri defluens inferius amore curarum, & sanctitas Spiritus tui attollens nos superius amore securitatis.* Hinc statim addit & Angelum & animam hominis defluxisse, & ita *indicasse* illo defluxu suo à Deo, *abyssum illam in profundo tenebrosa*, quæ in suos motus erupisset *nisi dixisset Deus* ab initio *fiat lux, & inhæsisset Deo*: quam informitatem propterea dicit *non placere* imo etiam *displicere Deo.* Hinc alibi de illa eadem informitate creaturæ spiritalis disputans, *Aversa*, inquit, *à sapientia incommutabili, stultè ac miserè vivit, quæ informitas ejus est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen sapientiæ ut sapienter ac beate vivat.* Ante quam *conversionis formam* dicit eam *informiter fluitare.* Hinc in libris de Civitate Dei tractans eundem illum Genesis locum, quo dicitur facta lux, hoc est Angeli creati atque sanctificati eos esse dicit Apostolicâ phrasi, *lucem in Domino*, sed *in seipsis tenebras quia privatos participatione lucis æternæ.* Hanc *privationem malum* esse, & per eam *immundum* fieri *spiritum.* Et mox, *Sicut aër tenebrescit ista luce desertus, ita tenebrescere animam sapientiæ luce privatam.* Et infra iterum societatem Angelorum tanquam *lucem illustratione veritatis intelligibiliter fulgere* tradit; *contrarias* verò *luci tenebras esse aversorum à luce justitiæ teterrimas mentes.* Vt nihil certius esse videatur quam quod per illam informitatem & immoderationem ac dissimilitudinem Dei, ac denique per illas tenebras seu abyssum tenebrosam vagis deliquiis fluitantem, Augustinus mentis rationalis stultitiam à sapientia formante alienam, malitiam ejus tenebrosam, cæcamque cupiditatem intelligat, qua instar abyssi tenebrosæ fluitaret nisi mox ut creatur, in Dei sapientiam velut formam ejus, & in lucem ejus pondere amoris revocetur.

Quod sanè ex alio quoque capite perspicuum est, nam sicut necesse est creaturam rationalem juxta Augustinum esse voluntatis malæ hoc ipso quo non est bonæ; & perversam hoc ipso quo non est recta, ita quoque necesse est esse insipientem ac stultam in moribus suis hoc ipso quo non est sapiens. Stultitiam autem gravissimum vitium esse nemo sapiens dubitat. Expressa est & ista, asseverantissima

Lib. 12. confess. cap. 15.

Lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 9.

Lib. 13. confess. cap. 2.

Cap. 7.

Cap. 7.

Cap. 8.

Lib. 13. confess. c. 3. & Lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 5.

Lib. 11. c. 9.

Cap. 10.

Cap. 19.

A gantissima doctrina sancti Augustini, statim ab initio conversionis tradita, & in limine mortis confirmata, nam ante baptismum in disputatione diei natalis sui cum Monica matre & sodalibus suis instituta, *Stultitia est*, inquit, *contraria sapientiæ & ita contraria, ut mors vitæ, ut beata vita miseræ, hoc est sine aliquo medio. Nam ut omnis non beatus homo miser est, omnisque homo non mortuus vivit, sic omnem non stultum necesse est esse sapientem.* Vbi patet stultitiam nihil esse aliud quam privationem sapientiæ, sicut mortem vitæ, & ideò sine medio respectu subjecti capacis. Vnde statim adjicit; *Quid est sapientiam non habere? Nonne hoc est habere stultitiam? Hoc inquit.* Quid autem stultitia? Accipe: *Credo vos concedere animum stultum esse vitiosum, omniaque animæ vitia uno stultitiæ nomine includi.* Et post baptismum statim à Presbytero: *Nemini*, inquit, *dubium est omnes homines aut stultos aut sapientes esse*, quis verò sapiens, quis stultus? Audi: *Nunc autem sapientes voco non cordatos & ingeniosos homines, sed eos quibus inest quanta inesse homini potest ipsius hominis Deique firmissime percepta cognitio atque huic cognitioni vita moresque congruentes. Ceteros autem cujusque modi artibus inertesque, affectis sint, quolibet vitæ probandi sive improbandi stultorum in numero deputaverim.* Ex quo patet illum Augustino esse stultum cui deest Dei cognitio, & cognitioni vita moresque congruentes, sive ut ipse postea dicit, qui *caret sapientia*: Talis enim est stultus, qui non habet lucem sapientiæ nec aliter quam stultè agere seu peccare potest. Divisionem illam in Retractationibus confirmavit. Nam cùm sibi objecisset quod illa sua verba alijs repugnare viderentur, quibus in alio libro dixerat, *Quasi verò natura humana præter stultitiam & sapientiam nullam mediam recipiat affectionem quæ nec stultitia nec sapientia dici possit*, respondet se ista dicendo *parvulos intuitum esse*, *quos*, inquit, *nec sapientes nec stultos possumus propriè dicere nondum utentes libero arbitrio seu benè seu malè. Nunc autem*, videlicet in libro de utilitate credendi, *sapientes aut stultos esse omnes homines dixi, eos volens intelligi, qui iam ratione utuntur, qua discernuntur à pecoribus, ut homines sunt.* Ex quo liquet etiam hominem omnemque omninò creaturam rationalem cum primo conderetur, si capax erat sapientiæ, aut sapientem necessariò aut stultum fuisse, nec ab ea divisione excipi posse nisi eos qui rationis & usus libertatis incapaces fuerint. Necesse est igitur ut creatura rationalis capax sapientiæ etiam reipsa sapiens condita fuerit, quia ut dicit Augustinus, *Sapientiam non habere est habere stultitiam.* Et; *Stultitia est maximum vitium*, omniaque animi vitia complectitur, neque Deus *vitiorum auctor esse potest.* Nullum enim rectè factum nisi à sapientia saltem inchoata sola peccata à stultitia proficiscuntur. D *Nam*, inquit Augustinus, *omne factum si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum esse ullo modo potest quod non à recta ratione proficiscitur. Porrò recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum* virtus nisi sapientis animo præsto est. *Solus igitur sapiens non peccat. Stultus ergo omnis peccat, nisi in ijs factis in quibus sapienti obtemperaverit. A recta enim ratione talia facta proficiscuntur.* Cùm ergo non possit Deus hominem stultum fingere, hoc est in illa animi constitutione, ut nihil nisi peccare possit necessarium profectò est ut sapientem, hoc est cum recta ratione & virtute & sapientia, seu quod idem est cum Dei charitate creet. Nam quemadmodum affirmativè dicit: *Mens* cùm meminit, intelligit ac diligit eum à quo facta est, *sapiens ipsa fit*: ita negativè, *si autem non facit etiam cum sui meminit, seseque intelligit ac diligit stulta est.* Ipsum videlicet non diligere Deum est carere sapientia & habere stultitiam. Nam sicut nulla est Augustino virtus sine charitate Dei quæ intentionem rectam facit, ita nulla sapientia sine eadem illa charitate Dei, juxta illud Scripturæ quod citare solet, *Ecce pietas est sapientia*, & illud quod adjungit: *Porrò pietas cultus Dei est, nec colitur nisi amando. Summa igitur & vera sapientia est in præcepto illo, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Ac per hoc sapientia est charitas Dei.* An naturalis? An viribus arbitrij ex corde manans? *Nec diffunditur in cordibus nostris nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Eodem videlicet sancto Spiritu proclamante, *omnis sapientia à Domino Deo est.* Cùm hac igitur charitate, aut certè diligendi Dei potestate, cum hac sapientia, seu sapienter vivendi facultate creatura rationalis condi debet, si condenda est, ne alioquin Deus ipse quod absit stultitiæ & peccatorum inde sequentium auctor esse censeatur.

C Vna tantùm hic difficultas moveri videtur posse, adversus hoc argumentum de malitia, de perversitate, de informitate, de tenebrositate, de stultitia creaturæ rationalis, quæ videntur sequi, nisi bonæ voluntatis, nisi recta, nisi formata, nisi lucida, nisi sapiens creetur. Si enim Deus eam conderet sine charitate & consequenter sine sapientia & animi rectitudine, non posset ista creatura mala, perversa, stulta vel esse vel dici, sed esset in ea innocens & media quædam affectio nec bona nec mala. Quibusdam enim existimantibus diabolum ab initio creatum esse peccatorem juxta illud; *Ab initio diabolus peccat*, respondet Augustinus, *non intelligunt si naturale est, nullo modo esse peccatum.* Et alibi cùm de Angelis recenter conditis id quod citavimus pronunciaret, *Quid enim erant sine bona voluntate*, id est charitate *nisi mali?* Statim quasi corrigendo adjicit, *Aut si propterea non mali, quia nec mala voluntas eis inerat, neque enim ab ea qua nondum cœperant habere, defecerant.* Nimirum quia mala voluntas & consequenter perversitas & stultitia dici nequit nisi voluntario motu creatura à bona voluntate deficiat. Vnde si sic crearentur Angeli non mali, sed *non tam boni* dici possent, quam si cum bona voluntate crearentur. Denique de creatione primi hominis disserens; utrum

Lib. de vita beata in disp. tertia diei.

Lib. de util. credentium cap. 12.

Lib. 3. de lib. arb. c. 24.

Lib. 1. retract. c. 14.

Lib. de vita beata in disp. tertia diei.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 24. & loco retract. citato.

Lib. de util. credentium cap. 12.

Lib. 14. de Trinit. c. 12

Epist. 120. cap. 18.

Ecclesiast. 1.

Lib. 11. de Civit. c. 15.

Lib. 12. c. 9

apiens

sapiens an stultus creatus sit, allata similitudine infantis, qui neque stultus neque sapiens dici potest, *Ita etiam*, inquit, *si quisquam tali affectione animatus*, id est creatus *esset, qualem habent illi, qui per negligentiam sapientia carent, nemo eum stultum rectè diceret, quem non vitio sed naturâ talem videret. Est enim stultitia rerum appetendarum non qualibet, sed vitiosa ignorantia. Unde neque animal irrationale stultum dicimus, quia non accepit ut sapiens esse posset.* Ex quibus Augustini verbis patet etiamsi aliquis sine bona voluntate & sapientia conderetur, nullo tamen modo dici posse vel stultum vel malum, sed potiùs medio modo affectum, seu ut schola loquitur, naturaliter bonum.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 24.

Respondetur verissimum esse, quod si creatura sine bona voluntate & sapientia conderetur, ita ut neque bonæ seu diligentis Deum voluntatis, *neque sapiens esse posset*, ut Augustinus dicit, non eam fore malam, perversam aut stultam; idque propter eam rationem quam ipse in verbis citatis attigit. Nam ut alibi dicit: *Natura in tantum vitiosa sunt in quantum ab eius à quo facta sunt arte discedunt.* Et alibi: *Quod si peccatum voluntatis tribuere volueris conditori, peccantem purgabis, qui nihil præter sui conditoris instituta commisit. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit cùm hæc facit.* Rectissimè igitur ex hujusmodi institutione creatura purgatur; nihil enim eorum vitiorum cum quibus condita fingeretur, vel eorum quæ sine vitandi potestate committeret ei vitio verti possent. Non tamen rectè inde colligas ita revera rationalē creaturam condi posse. Est enim hypothesis impossibilis: qualis & illa est qua dicimus creaturam non peccaturam si Deus, ut Calvinus arbitratur, ad omnia flagitia & facinora raperet voluntatem ejus, vel ipsos ei inspiraret improbos voluntatis motus. Hoc enim ipso non essent motus voluntatis mali nec flagitia nec facinora, nisi, ut loquuntur, materialiter tantum. Sic igitur status ille animi sine bona voluntate, sine charitate, sine sapientia conditi, non esset vitium creaturæ sed natura, non esset malus sed innocens & naturalis: non tamen sequitur auctorem ejus esse posse Deum. Deo enim esset voluntarius non creaturæ, unde Deo non creaturæ imputari deberet perversitas ejus & quicquid scelerum ex illa creatæ voluntatis institutione nasceretur. Quæ quidem essent materialiter scelera creaturæ, vera tamen scelera & peccata Dei. Repugnant enim æternæ & immutabili legi ejus ut voluntate committantur & propterea sunt intrinsecè mala, nullâ dispensatione à quocunque perpetranda. Quamobrem & ipse sanctus Augustinus qui *mediam illam affectionem* inter sapientiam & stultitiam in homine primum condendo videtur admittere, apertè quoq; profitetur, se illud *ad compendium dicere voluisse*, hoc est, ut compendio illius medietatis quæ saltem in parvulis apparet, & proinde in hominibus possibilis videtur

Lib. 3. de lib. arb. cap. 15.
Cap. 16.
Cap. 18.
Lib. 1. Retract. c. 14.

esse, quæstionem propositam, utrum primus homo sapiens an stultus esset conditus, non excuteret sed suffocaret. Sed, quod ad propositum nostrum sufficit, in illo ipso loco, ubi illam mediam affectionem modo jam dicto recipit, clarissimè significat quoquo modo primus homo sine sapientia institueretur, ita tamen institui debuisse, ut si vellet, *posset esse sapiens*, hoc est ut posset benè sapienterque vivere; & consequenter ut præcepta benefaciendi & præ ceteris omnibus diligendi Deum, sine quo nulla neque perfecta neque inchoata potest esse sapientia, posset implere. *Si ergo*, inquit Augustinus ex hypothesi illius affectionis mediæ *ita factus est homo ut quamvis sapiens nondum esset, præceptū tamen posset accipere, cui utique obtemperare deberet; nec illud iam mirum est quod seduci potuit, nec illud injustum quod præcepto non obtemperans pœnas luit, nec Creator eius auctor vitiorum est. Quia non habere sapientiam nondum erat vitium hominis, si nondum ut haberet posset acceperat. Sed tamen haberet aliquid, quo si benè uti vellet, ad id quod non habebat ascenderet. Aliud est enim esse rationalem, aliud esse sapientē. Ratione fit quisque præcepti capax, cui fidem debet, ut quod præcipitur, faciat. Sicut à natura rationis præceptum capit, sic præcepti observatio sapientiam. Quod est autem natura ad capiendum præceptum, hoc est voluntas ad refrenandum: & sicut rationalis natura tanquam meritum est præcepti accipiendi, sic præcepti observatio meritum est accipiendæ sapientiæ.* Et in loco paulò superius citato, tunc dicit hominem *ea quæ debet facere*, cùm non recedit à modo quo naturaliter factus est, *ita ut melius esse non possit.*

Lib. 3. de lib. arb. cap. 24.
Cap. 18.

Ex his vides omninò supponere Augustinum hominem saltem cum observandi præcepti potestate condi debere, ut scilicet illud observando saltem posset esse sapiens, quia alioquin nec illud negligendo delinqueret, nec justè illius neglectus pœnas daret. Unde adjicit: *Ex quo autem incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus autem modis peccat, antequam fit sapiens, si aut se non accommodet ad accipiendum præceptum aut cùm acceperit non observet. Sapiens autem peccat, si se averterit à sapientia.* Iam autem superius diversis testimonijs ejus asseruimus, *summæ iniquitatis & insaniæ esse, ut peccati reus quisquam teneatur, qui non fecit quod facere non potuit.* Necesse est igitur juxta sanctum Doctorem ut quantumcunque non sapiens homo conderetur; *sufficientissimam* tamen, ut ipse loquitur, observandi præcepti *facultatē* acciperet, cujus observatione sapientiam acciperet. Utrumque autem certissimum est pertinere ad gratiam Dei. Nam neque præceptum diligendi Dei sine magna Dei gratia observari potest, neque sapientia præmium observationis sine gratia obtineri: quorum postremum eodem illo loco adjicit: *Sicut præceptum non est ab illo cui præcipitur, sed ab illo qui præcipit: sic sapientia non est ab illo qui illuminatur, sed ab illo qui illuminat.* Primum verò infinitis lucubrationum suarum locis tradit. Nam & in ipso

Lib. de duabus animab. cap. 12.
Lib. de lib. arb. cap. 24.

in ipso libro undecimo de Civitate Dei, ubi dixerat Angelos sine bona voluntate, id est charitate Dei conditos, fore non quidem malos sed *non tam bonos*, quam si cum bona voluntate esse cœpissent, mox adjicit nullo tamen modo eos potuisse in illa hypothesi se facere meliores quam eos condidisset Deus, & proinde ipsam quoque bonam qualemcunque voluntatem, hoc est observandi præcepti aviditatem & potestatem, per Dei adjutorium accipere debuisse: *Si non potuerunt*, inquit, *seipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit: profectò & bonam voluntatem*, id est dilectionem Dei, *qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent*, quod ipse non solum de perfecta illa bona voluntate, seu ut ibi vocat, *Divino amore* intelligit, sed etiam de illa imperfecta qua quis inhiat sapientiæ avidèque desiderat, ad eam præcepti observatione velut ad præmium pervenire. Sic enim seipsum adijciendo declarat; *Et cum id egit eorum voluntas bona, ut non ad seipsos qui minus erant, sed ad illum qui summe est converterentur, eiq; adhærentes magis essent, eiusq; participatione sapienter beateq; viverent: quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam*, scilicet etiam illam imperfectam in qua condi ponebantur, *inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem prius faciens excitando avidiorem*. Ecce etiam ipsa excitatio aviditatis qua natura rationalis jam capax Dei desiderat *impleri Deo*, hoc est habere *divini amoris* seu perfectæ bonæ voluntatis *gratiam*, non potest in ea nisi Deo excitante fieri; & in illo solo desiderio, quo vult Dei voluntatem seu præceptum facere, inops remansura est nisi Deus faciat eam ulterius Dei impletione meliorem. In quibus verbis sicut & in alijs paulò antè citatis ex cap. 24. libri tertij de libero arbitrio, duo ad intelligendum Augustinum perspicua sunt. Primum quidem, duplicis generis ab eo poni bonam voluntatem, hoc est charitatem. Prima est perfecta, quam absolutissimè *Dei amorem, divinum amorem, divini amoris gratiam* vocat; qua videlicet creatura impletur Deo justaque fit & impletur sapientia, ita ut bona & sapiens dici possit, quam propterea in libris de libero arbitrio sapientiam vocat. Altera est imperfecta, quam nominat, *quamlibet*, seu qualemcunque *bonam voluntatem, inopem* (itemq; *desiderium*) qua creatura Dei excitatione fit *avidior*: quam in libris de libero arbitrio vocaverat voluntatem qua *benè uti vellet eo quod habebat*, hoc est, potestate observandi præcepta, ut ad *id quod non habebat*, hoc est, ad sapientiam ascenderet. Ita ut illa duo loca de Civitate & de libero arbitrio sibi ad amussim concinant.

Lib. 12. de Civit. c. 9.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Cap. 24.

Alterum verò hinc perspicuum est, quod si etiam hypothesis illa daretur ut sine perfecta bona voluntate & sapientia creatura rationalis condi possit, nunquam tamen admittit Augustinus posse condi, sine *qualibet bona voluntate*, hoc est, sine illa saltem imperfecta quæ est inchoatio bonæ voluntatis perfectæ atque sapientiæ, quam Deo aviditatem excitante seu desiderium inspirante, velut præmium ipsius aviditatis & rectè usæ potestatis accipiat. Qua de causa & nos semper ursimus non posse creaturam rationalem condi sine Dei dilectione vel saltem sine Dei diligendi potestate, qualis sine imperfecta charitate, seu bona voluntate (quæ desiderium Dei vel aviditas dicitur) nullo modo haberi potest. Nimirum ne alioquin, si utrâque careat creatura rationalis, quæ non nisi solâ Dei dilectione potest esse bona vel recta, vel sapiens, ipsâ præcepti dilectionis, quod ei lex Dei incommutabilis ab æterno posuit, & in æternum ponet impossibilitate purgetur, Creator verò culpetur: dum ille fluxum ejus indefatigabili præcepto sursum revocat, illa verò non solum bonâ voluntate divinæ dilectionis, sed & auxilio aviditatem diligendi inspirante destituta, non potest nisi vagis deliquijs deorsum in creaturas fluere, quod illi eâdem illâ indefatigabili lege prohibetur. Et hæc de prima causâ satis. Posset fortassis addi secunda ex justitia Dei petita, sed quia paulò post de beatitudine creaturæ rationalis disserentes, plura de isto capite dicturi sumus, inde petendum erit si quid huc referri posse videatur.

CAPVT XX.

Quomodo bona voluntas in qua condi debet creatura rationalis, esset gratia.

QVOMODO jam gratiæ ratio cum tanta dandi necessitate cohærere possit, paucis si Deus voluerit aperiendum est. Possem nodum istum ad hominem uno verbo solvere, respondendo illam Dei dilectionem, quæ sine aliquali bonæ voluntatis desiderio seu aviditate, ut Augustinus loquitur, esse non potest, eo modo esse gratiam, quo gratia sufficiens recentiorum Scholasticorum. Illam enim plerique ad præcepta sine peccati perpetratione custodienda, cunctis indifferenter ita tribuunt, ut homini necessariam esse, nec à Deo ne quidem in pœnam peccati, juxta nonnullos subtrahi posse confirment; alioquin impossibilia fore præcepta Dei, hominem non peccaturum vel certè peccaturum in eo quod vitare non potest, quæ non dubitant sanæ doctrinæ repugnare. Et sanè quid est aliud gratia sufficiens ad præcepta Dei custodienda, nisi gratia illa imperfecta divinæ dilectionis, seu potestas diligendi Dei, sapienterque vivendi quam ex Augustini doctrina creaturæ rationali necessariam prædicamus, ne creatura peccando culpa

Digitized by Google

culpa careat, Deus jubendo in culpam cadat? A Nisi enim gratia sufficiens Recentiorum talem afferat Dei diligendi, seu præcepti dilectionis observandi potestatem in quocunque tandem illa potestas sita sit, frustra gratiam sufficientem prædicant, cùm nihil ad accusationem peccantis creaturæ, nihil ad excusationem jubentis Dei profutura sit. Vides ergo quanto rationabilius Augustinus naturæ rationali innocenti negari non posse fateatur, quod Scholastici etiam damnatæ pro iniquitate creaturæ debitum ac necessarium contra rationem & Augustinum esse profitentur.

Iam verò nemini non facile est, debitum illud gratiæ cum ratione gratiæ, eodem ut Scholastici solent modo, adaptare. Dicunt enim esse gratiam absolutè, sed debitum naturæ ordinatæ ad finem supernaturalem, cum debito illum procurandi. Hoc est, esse gratiam præveniendo voluntatem ordinandi B creaturam ad finem supernaturalem, debitum verò illam supponendo; ne alioquin videlicet voluntas illa Dei ratione careat. Dico & ego gratiam esse præveniendo voluntatem condendi creaturam in tanta dignitate, ut nulla omninò re nisi solo Deo satiari ac beari possit: quod cùm sine gratia obtineri neque perfectè neque imperfectè, neque amando neque fruendo queat, illâ voluntate suppositâ esse debitum, ne voluntas Dei ratione careat.

Quid enim absurdius & rationi magis adversum, quam condere vel excellentissimæ dignitatis creaturam, & eam hujusmodi subsidijs destituere, sine quibus non solum beari nequeat, sed necesse sit miseriorem esse omnibus creaturis, vel in omnibus creaturarum cupiditatibus tabescere sine culpa & pœna, vel ex ejus culpa iniquitatem, ex pœna C injustitiam retorquere in Deum, ut qui fieri ab ea velit quod non potest facere, & operis reposcat pœnam quod ex ejus institutione perpetratum est? Quæ cùm pietas qualiscunque creaturæ tanquam à divina sapientia & benignitate aliena prorsus exhorreat, meritò sanctus Augustinus gratiam illam diligendi Dei, omni creaturæ rationali innocenti tribuit, ut & benefactum ipsa debere, & si non fecerit rea esse possit: *Ex eo enim quod non accepit nullus reus est, ex eo verò quod non facit quod debet, justè reus est. Debet autem si accepit, & voluntatem liberam & sufficientissimam potestatem.* Quæ quid aliud est nisi sufficientissima Dei gratia? *Quoniam liberum arbitrium*, ut profundissimus Doctor etiam de homine primo innocente loquitur, *ad malum sufficit; ad bonum autem nihil est nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.*

Lib. 3 de lib. arb. c. 16.

Lib. de corr. & grat. c. 11

Quapropter ut magis ratio gratiæ elucescat considerandum est, Primò gratiæ pro- D priissimè dictæ non repugnare debita quælibet seu connaturalitates, decentias & congruentias & æquitates quæ oriuntur ex alijs capitibus quam jure creaturæ: nihil namque connaturalius innocenti imagini Dei cum capacitate Dei naturaliter conditæ, quam gratia.

Vnde non veretur Augustinus Apostolicâ phrasi dicere, quod per gratiam *naturaliter homines quæ legis sunt faciunt.* Causamque reddit quia *vitium contra naturam est, quod utique sanat gratia. Hoc enim agit Spiritus gratiæ ut imaginem Dei in qua naturaliter facti sumus instauret in nobis.* Hinc nihil etiam congruentius, decentius, æquius respectu Dei, quam ut innocenti imagini quæ ad Deum velut finem suum naturalem ordinata est, gratia ad assequendum detur. Sæpè namque contingit ut aliquid sibi-ipsi suisque attributis Deus debere dicatur, non solum justitiæ sed etiam clementiæ, fidelitati, magnificentiæ, sapientiæ cæterisque attributis omnibus, ipsi denique misericordiæ & liberalitati, quæ quam maximè gratuitæ sunt operationis. Subinde namque secundùm immutabiles rationes divinæ sapientiæ contingit, ut omninò deceat & æquum sit, Deum clementer & magnificè & misericorditer cum creaturis suis agere, quod si non faceret nihil omninò faceret contra jus justitiæ in creatura, sed contra sapientiam suam; quam Deus non minùs quam justitiam suam præterire non potest. Non enim imaginandum est Deum quidlibet etiam deficere posse. Si enim promisit quippiam sub nulla etiam operis conditione, non dubium est eum teneri se promissione solvere, nec tamen desinet esse gratia id quod dederit. Sic enim promittit etiam gratiam suam quæ idcirco non desinit esse gratia. Vnde & Augustinus quodam loco dicit quod justum sit misereri quorundam.

Lib. de spir. & lit. c. 27

Quando igitur, istis modis vel sibi vel sapientiæ suæ vel alijs attributis Deus quippiam debet, ne videlicet alioquin inconvenienter vel insipienter agat, nihil omnino de gratiæ ratione tollit. Sapientiam autem suam inseparabiliter in omnibus Deus sequi debet. Hoc autem debitum tam arctum est ut non magis immutari possit quam ipse Deus. Vnde optimè S. Anselmus in re simili: *Sicut in Deo quantumlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas, ita quantumlibet parvam rationem, si maiori non vincitur, comitatur necessitas.* Impossibile est enim Deum inconvenienter, indecenter, insipienter contra rationem, inclementer, immisericorditer agere. Quod si ex hujusmodi attributorum decentia cadat effectus aliquis in creaturam, nihil omnino de ratione gratiæ decedit. Hinc est quod & ipsi Scholastici varijs exemplis simile debitum agnoverunt, sine gratiæ tamen præjudicio. Nam ita quidam eorum profitentur conservationem gratiæ non desinere esse gratiam quamvis immutabilis sit divinæ sapientiæ lex, ut neminem deserat nisi deseratur: homini in pura natura creato deberi quandam gratiam ordinis naturalis ad cavenda peccata propter nimiam infirmitatem ejus: gratiæ habituali deberi quædam auxilia actualia debito connaturalitatis, secundum illud, *Iustum auxilium meum à Domino*, ubi hoc etiam perperam Augustinum sentire volunt, cùm nihil certius sit in scriptis ejus

Lib. 1. Cur Deus homo cap. 10.

Suarez l. 2. de grat. cap. ult. num. 16.

Idem lib. 1. de grat. c. 8 n. 9. 10 & l. 12. de grat. cap. 26.

ejus quam omnia auxilia actualia hominis lapsi esse gratuita: remissionem peccati gratis concedi respectu hominis & operum ejus, & esse distinctum gratiæ beneficium à dilectione & pœnitentia, & tamen concedi secundùm justitiam latè sumptam prout dicit convenientiam ad id quod Deum decet: gratiam Dei non desinere esse gratiã etiamsi quoque merito de congruo præveniatur. Quantò rectiùs igitur profitebimur cum Augustino gratiam dilectionis Dei, verissimam retinere rationem gratiæ, quamvis Deus eam nullo justitiæ debito, sed ex condecentia infirmitatis creaturæ, ex lege suæ sapientiæ suæque benignitatis & sanctitatis & misericordiæ propriæque rectitudinis creaturæ innocenti largiatur, ne alioquin omnia peccata & dilectio ejus in inferiora diffluens, in ipsum revolvantur Deum, qui ei dilectionem ex nemine nisi ex Deo principio & fine suo religare præcepit.

(Ideo lib. 7. de grat. c. 13. gr. 14. & c. 1. — Ita Gabriel in 1. dist. 41. & in 2. dist. 27. & in 3. dist. 17. ubi pro se citat doctores Occam gratiam.)

Quod sanè longè rationabilius esse perspiciemus, si attenderimus non deesse præcipuos Scholasticos qui cùm quàm maximè tueantur statum puræ naturæ & supernaturalis elevationis, ipsâ tamen compulsi veritatis perspicuitate, fateantur Deum ex æquitate gratiam illam innocenti debere creaturæ. Bellarminus quippe apertè profitetur, *Æquum omnino fuisse, ut Deus homini ad finem tam sublimem ordinato, media necessaria non negaret.* Et paulò ante dicit hoc etiam Philosophos Ethnicos vidisse. Nam quod addit, *nihil absurdi secuturum si negasset*, non satis liquet quomodo verum esse possit juxta supra citatam S. Anselmi regulam, quam omnis librata suis momentis ratio veram esse convincit. Si enim omnibus circumstantiis perpensis æquum est, ut Deus innocenti creaturæ ad finem tam sublimè ordinatæ non deneget media necessaria, nulla ratiocinatio efficiet, ut iisdem circumstantiis positis æquum sit denegare. Si enim æquitas poscit ut media illa tribuantur, contrarium æquitati, hoc est, iniquum erit si negentur: Sicut si justum est ut Deus præmium reddat merito, injustum erit si negaverit. Quis verò dixerit, Deum posse facere cum creatura sua quod non est æquum? Cùm Scriptura dicat, *Virga æquitatis virga regni tui*: Et ipsius templum celebretur ut *mirabilem æquitate*. Vt sanè merito, si negaret innocentiæ id quod iisdem circumstantiis positis est æquum dare, querela ista, quod absit, adversus eum ingeminari possit, *Corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi.*

(Hebr. 1. Psal. 64. — Isaiæ 59.)

Secundò, considerandum est gratiæ propriissimè dictæ solummodo secundùm doctrinam Scripturarum & Augustini repugnare opus creaturæ cui illa debeatur. Hoc est enim quod Apostolica doctrina tradit, *Si gratia iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Et in eadem Epistola alio loco: *Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Qua de causa sexcentis locis Augustinus sola opera velut gratiæ distinctiva submovet à gratuita vocatione & justificatione peccatoris, *si autem gratia utique nullis meritis reddita, sed gratuitâ bonitate donata.* Et rursum explicans quomodo prorsus pro nihilo Deus homines salvos faciat, nihil aliud exhorret nisi meritum: *Nihil dederunt ut eis retribueretur: pro nihilo salvos faciet illos.* Quasi diceret nihil dederunt ergo pro nihilo. *Quis prior dedit illi quasi suorum gratia meritorum? Quis prior dedit illi? Qui prævenit gratiam, quæ gratis datur?* Et quomodo gratis sicut includitur in essentia gratiæ? *Si aliquid meritorum antevenit gratiam, iam non gratis, sed ex debito redditur.* Hinc & alibi: *Pluviam voluntariam non nisi gratiam vult intelligi, non meritis redditam sed gratis datam, unde & gratia nominatur. Dedit enim eam non quia digni eramus, sed quia voluit*, id est ex pura bonitate sua, nullo merito dignitatem respectu gratiæ nobis conciliante. Eandem explicans pluviæ voluntariæ metaphoram: *Multò congruentius intelligitur ipsa gratia pluvia voluntaria quia nullis præcedentibus operum meritis gratis datur.* Et ex Apostolo probans illam genuinam rationem gratiæ, *Si enim*, inquit, *gratia iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Et alio in loco: *Rationalis naturâ quia imago Dei est meretur hanc gratiam, non tamen ut eius bona voluntas possit præcedere præter gratiam; ne vel ipsam prior det ut retribuatur illi, ac sic gratia iam non sit gratia dum non datur gratuitâ, sed redditur debita.* Ecce non veretur Augustinus etiam meritum gratiæ impropriè dictum assignare naturæ, dummodo nullum opus ejus gratiam vel voluntas bona præcedat. Illis quippe funditus gratiam interimi juxta doctrinam Apostolicam non est dubium. Itaque in libro contra Secundinum meritum illud improprium naturæ, meritis operum propriè dictis opponit: *Omnia bona &c. certis ac distributis gradibus ordinata sunt, partim locorum intervallis ac sedibus, sicut omnia corporalia; partim meritis naturalibus; sicut anima præponitur corpori; partim meritis præmiorum atque pœnarum, sicut anima vel attollitur ad quietem &c.* Et lib. vigesimo sexto contra Faustum: *Mutans omnia mutabilia pro meritis sive naturarum sive factorum.* Ex eadem illa radice sæpè docet etiam naturam esse veram gratiam, hoc est gratuitum donum, quia nullis operibus retributa est, nec unquam ex alio capite gratiam esse docet, sicut frequenter docet, quam ex eo quòd homo nec eam facere potuit, nec aliquid operis quo Deum vel invitaret ut fieret. *Quadam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid ut cadaver quod non vivit, & arbor quæ non sentit, aut pecus quod non intelligit, sed homines qui & essemus, & viveremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere debeamus; unde merito & ista gratia dici potest, quia non præcedentium operum meritis, sed gratuitâ Dei bonitate donata est.* Sit in sermonibus de verbis Apostoli: *Natura non putetur gratia*, scilicet de qua cum Pelagianis erat controversia, *sed etsi putetur gratia, ideo putetur gratia*

(Rom. 11. — Cap. 4. — Epist. 105. — Serm. 11. de verb. Apost. cap. 13. — Lib. 4. de Trin. c. 1. — In Psal. 67. — Lib. 4. cont. Iul. cap. 3. — Cap. 10. — Cap. 3. — Epist. 95. — Serm. 11. de verb. Apost. cap. 4.)

gratia, quia & ipsa gratis concessa est. Non enim homo qui non erat promeruit ut esset. Vbi latissimè prosequitur omnia omninò in quibus præcellit brutis humana natura, gratis esse data, quia meritum nullum, dignitas operis nulla præcessit. Cujus rei plurima occurrunt testimonia, sed eis recitandis non est opus fatigare lectorem. Nam in universis operibus ejus ubi sexcenties gratia tangitur, vix alia unquam, quantum observare potui, gratuitæ gratiæ ratio reperietur, quàm quia gratis, id est pro nullo operis merito data est.

Quod si alicubi Augustinus etiam illud impropriè dictum naturæ meritum à gratia submovere videatur, tunc peculiariter de gratia non primæ conditionis, sed Christi redemptoris loquitur, nam gratiæ redemptoris non tantùm meritum voluntatis, sed etiam naturæ adversatur. Est enim gratia qua natura jam damnata misericorditer à damnationis massa liberatur. Ex quo fit etiam ut demeritum culpæ omninò supponat, quæ non nisi per gratuitam indulgentiam deleatur; neque prorsus quicquam in naturâ secundùm illum statum absolutè spectatâ reperiri possit, cui gratia aliter dari debeat, quàm per puram putam misericordiam indulgentis, vindictamque remittentis Dei, repugnat enim ei non modo meritum qualecunque voluntatis, sed etiam naturæ innocentia, contra quam nullo pacto vindictæ justitia, qua talis gratia subtrahitur exerceri potest. De qua gratia loquitur in Epistola ad Paulinum: *Ibi enim gratia est indulgentia, ubi justa posset esse vindicta.* (Epist. 106.) De qua etiam loquitur in libris ad Bonifacium, quando dicit quod Manichæi & Pelagiani *gratiam Dei simul oppugnant. Nam Manichæi meritu naturæ bonæ, Pelagiani autem meritu voluntatis bonæ perhibent divinitùs subveniri.* (Lib. 2. ad Bonif. c. 2.) Et libro de dono perseverantiæ: *Numquid ergò hominum naturæ duæ sunt? Absit. Si duæ naturæ essent gratia nulla nō esset. Nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderetur.* (Lib. de dono persev. c. 8.) Nam ex ipsis locorum circumstantijs, imo verbis perspicuum est, eum de gratia liberationis ex miserijs ac statu damnationis loqui. Cujusmodi gratia prorsus evertitur, si innocens natura fuerit. Quamquā de istis duobus postremis locis alia duplex solutio adhiberi possit. Prima, quia illud meritū naturę quod Manichæi statuebāt erat meritum naturæ tam sublimis dignitatis, ut gratiæ excellentiam infinitis partibus superaret. Ponebant enim animam rationalem esse partem substantiæ Dei, quemadmodum plurimis locis Augustini certum est. Hæc autem gratiam immensâ dignitate suâ sine comparatione superat. Altera est, quod quamvis verba ista meritum naturæ præferant videlicet divinæ, qualem animam esse censebant, revera tamen illud meritum in actionibus & laboribus ejusdem naturæ collocabant. Putabant enim labores istius naturæ tales esse, ut hoc ipso quo à tam sublimi natura procederent, deberetur eis liberatio per gratiam Salvatoris; quo tamen ipso naturam gratuitæ liberationis destruebant. Patet hoc ex illo ipso loco ad Bonif. qui citatur; nam statim verbis allegatis adijcit; *Illi* (Manichæi) *dicunt, debet hoc Deus laboribus membrorum suorum: isti dicunt* (Pelagiani) *debet hoc virtutibus servorum suorum. Vtrisque ergò merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* (Lib. 2. ad Bonif. c. 2.) Ecce vides labores membrorum Dei; vides mercedem retributam illis laboribus secundum debitum. Sed hæc in gratia statûs innocentiæ non habent locum. Nec enim ista dicitur deberi naturæ vel membris Dei, neque laboribus naturæ innocentis, neque esse effectus misericordiæ, ubi nulla miseria est, neque esse liberatio à statu damnationis; Sed nudè aliquo pacto deberi dicitur, non tam ipsi naturæ rationali quam ordini Dei naturali, ne natura innocentis imaginis Dei creetur misera antequam miseriam mereatur: necesse est enim esse miseram quæ instituitur sine amore Dei, prout ex parte diximus & uberius adhuc dicturi sumus. Vel denique quod deterius est, ne alioquin cum distorta, perversa, ac malâ voluntate ab ipso Deo quod absit, hoc est ab ipsa regula sempiternæ rectitudinis ac justitiæ contra legem æternam ac naturalem producatur, secundùm quam impossibile est ut non omnia sint ordinatissima; & impossibile est ordinatissimum esse ut pœna seu miseria ante culpam infligatur, vel ut creatura quæ non peccavit cum perversa voluntate condatur.

Neque verò desunt inter ipsos Scholasticos qui doctrinam istam ex Apostoli & Augustini scriptis haustam veram esse fateantur. Sic enim loquitur Didacus Alvarez divinæ gratiæ defensor non postremus. *Ratio gratiæ tunc tantum evertitur, quando datur propter aliquod opus naturæ, secundùm illud, quod dicit Apostolus; Si ex operibus jam gratia non est gratia.* (Disp. 71. de auxilijs c. 4.) Non posset absolutiori aphorismo definire quod dicimus, quàm dum ipsam indicem exclusionis voculam usurpat. Nec mirum cum in ista ratione gratiæ, tota ratio perfectæ donationis quam & civiles leges explicant inveniatur. Postulant enim Lege primâ digestis de donationibus tria, ut res donata statim fiat accipientis; ut donatio sit irrevocabilis; ut donator sola ad donandum liberalitate moveatur, hoc est, ut non donet propter retributionem sive justitiæ, sive antidoralem, seu gratificativam sicut ibi exponit Bartolus, & in Rubricis de donationibus Panormitanus.

Porro manifestissimum est quicquid vel Scriptura vel Augustinus vel Alvarez, vel ipsæ civiles leges ibi ad gratiam seu gratuitam donationem postulant, hoc totum perfectissimè concurrere in gratiam quæ creaturæ rationali datur. Nam ut apertum est, nulla est ibi umbra præcendetis operis boni ratione cujus persona gratiam quoquo vel imperfectissimo modo mereatur. Vnde nullum est ibi vestigium quoque retributionis sive justitiæ sive antidoralis, sed sola liberalitas dandi causa fuit, qua factum est etiam ut statim acci-

accipientis fieret, nec ulli pœnitentiæ donatoris vel periculo revocationis obnoxia. Quod verò creaturæ ad imaginem Dei & ad illum tanquam unicum & naturalem finem, supernaturaliter acquirendum conditæ, consentanea erat gratia dilectionis Dei, imo quòd æquum erat, ut eam Deus illi suâ bonitate largiretur, & ita largiretur, ut eam non ex operis cujusquam naturalis dignitate vel merito, sed ex propriæ munificentiæ & sanctitatis consideratione & ex constantia prioris voluntatis, qua eam ad imaginem suam conditam & ordinatam voluit, negare non posset, quin omnia creaturæ flagitia & facinora ex perverso sui vel creaturarum amore nascentia in ipsum redundarent, hoc nequaquam gratiæ gratis datæ rationem tollit aut minuit. Subordinatio enim sive ex plurium rerum natura proficiscens sive ex constitutione, aut voluntate, aut lege Dei, nihil obstat gratiæ quo minùs non tantum primum sed omnia omnino ad primum velut fundamentum ordinata, sive naturalia fuerint sive supernaturalia, gratia sint ac dici debeant. Quarum rerum exempla plura superius etiam ex Scholasticorum mente produximus. Omnibus enim commune est, quòd gratuita donatoris voluntate donentur, nullo merito rationem doni gratuiti perturbante.

Hinc est quod Augustinus non minus confidenter gratiam vocet id quod alteri dono Dei connaturaliter in rebus sive naturalibus sive supernaturalibus debetur, ut Scholastici loqui solent, quàm ipsum primum cui alterû connaturale est; dummodo nullum operis, aut voluntatis creatæ meritum interveniat, per quod beneficêtiâ donantis provocatâ ratio gratuitæ gratiæ perimatur. Nam ut supra audivimus æquè gratuitam gratiam nuncupat quod *sentimus*, & quod *intelligimus*, quam quod homines sumus. Sicut & alibi, *Vt esses, ut sentires, ut audires prævenit te*; cum tamen sensus & intellectus homini, Scholasticorum phrasi debeantur. Nimirum quia eâdem gratuitâ voluntate, qua hominem etiam sentibus & intellectu utentem condere voluit. Et in eodem ipso loco gratiæ tribuit *quod vivimus*, hoc est quod anima corpus animat. Et alibi quod liberum habemus arbitrium: *Ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est ad Dei dona pertinere non ambigens non tantum ut sit, sed etiam ut bonum sit.* Cùm tamen nihil magis connaturaliter debitum sit corpori suis organis disposito quàm anima; nihil magis animæ quàm liberum arbitrium. Denique non rarò gratiæ Dei nos prævenienti tribuit quicquid habemus præter sola peccata, hoc est, quicquid habemus boni. Totum enim sine ullis omnino meritis gratis gratuitâ bonitate collatum est: *Attendens omnia bona quæcunque habere possumus, sive in natura sive in instituto, sive in ipsa conversatione in fide, in charitate, in bonis moribus, in iustitia, in timore Dei, totum non nisi ex illius donis ita conclusit Deus meus misericordia mea.* Et mox explicans illam misericordiæ gratiam; *Misericordia mea quid est? Totum quicquid sum de misericordia tua est. Sed promerui te, invocando te. Vt essem, quid feci? Vt essem qui te invocarem, quid egi?* Quod ante dixerat misericordia ejus præveniet me, ut probaret omnia esse ex Dei gratia sine meritis. *Si aliquid tum primum attulisti & ex tuo aliquo bono primo Dei misericordiam meruisti, non te prævenit. Quando autem vel intelligis quia præventus es, nisi intelligas quod ait Apostolus: Quid enim habes quod non accepisti?* Nam per hujusmodi præventionem & misericordiam eum intelligere veram gratiâ quatenus est non supernaturale sed gratuitum omninò Dei donum, unde gratia nominata est, ex alijs locis passim patet. Nam in alium Psalmum ita loquitur: *Si tibi dicat Deus, quid dedisti mihi ut facerem te? Certè si factus promeruisti me, non me promerueras antequam facerem te. Quid dicturi sumus ei qui primo gratis nos fecit? Quia bonus est, non quia aliquid meruimus. Deinde de ipsa reparatione, de secunda nativitate quid dicturi sumus? Merita nostra fecisse &c? Quid Deo dedisti? Quid non ab eo gratis accepisti? Merito & gratia nominatur quia gratis datur.* Ex quibus & similibus passim obvijs manifestissimum est, nihil omninò Augustinum curare quorundam scrupulos quibus imaginâtur subordinationem quorumdam donorum, sive naturalem sive voluntariam, qua unum alteri connaturaliter, vel ex sapienti institutoris voluntate conjunctum est, impedire quo minus utrimque perfecta sit gratia Dei. Nunquam enim Augustino vel in mentem venit, ut ullum Dei donum sive naturale sive supernaturale, divinæ gratiæ subtraheret, si tantum nullo merito impetratum esset: quantumvis ex parte Dei, sive sapientiæ, sive benignitatis, sive rectitudinis, sive alterius attributi rationibus id postulantibus, unum eorum non deceret vel non posset ab altero separari. Nam & illa inseparabilis conjunctio à divina sapientia, & voluntate pendet. Ex quo fit ut si unum Deus largiri velit, utrumque eâdem & æquè gratuitâ gratiâ ac liberalitate largiatur. Proinde cùm Augustinus adversus Pelagianos disputans dicit: *Creatus est primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio; creatus est rectus non se fecit rectum.* Vt & naturam & inculpabilem rectitudinem ejus referret ad gratiam Dei, non est putandum ideo aliquid gratuitæ gratiæ detractum voluisse, quia sentit non potuisse Deum naturam cum culpa, cum vitio, & sine rectitudine perversam distortamque condere qualem conderet sine dilectione saltem imperfectâ Dei. Hæc enim inseparabilitas rectitudinis non oritur ex aliquo opere vel merito præeunte creaturæ, quo gratia interimitur, sed ex rationibus concernentibus attributa Dei sive sapientiæ siue bonitatis, quibus vel congruum vel decens vel æquum vel necessarium est, ne unum ab altero detrahatur: & idcirco nihil impedit quo minus utrumque nihil merenti creaturæ gratis omnino, hoc est gratuitâ prorsus liberalitate conferat. Si enim nollet secun-

Epist. 95. Serm. 10. de verb. Apost. cap. 5.

In Psal. 58. in fine.

In Psal. 43.

Serm. 11. de verb. Apost. cap. 2.

secundum dare & primum tolleret, quod ab ejus liberrimâ nulloque merito provocatâ pendet voluntate. Vt ergò gratia sit, id est, gratuitum omninò donum Dei, sive natura creaturæ rationalis, sive rectitudo ejus, sufficit ut neque merito impetrata sit, neque proprijs viribus facta, juxta illud Augustini naturam gratiæ expendentis: *Hoc voluit intelligi gratiam Dei esse quod fratres habitant in unum, non ex suis viribus, non ex suis meritis, sed ex illius dono, sed ex illius gratia.* Imò sanctus Anselmus non veretur id tanquam majorem gratiam commendare, quod ex præcedente Dei voluntate dandi vel faciendi necessitatem vel debitum trahit. *Est necessitas*, inquit, *quæ benefacienti gratiam aufert aut minuit, & est necessitas qua major ex beneficio gratia debetur. Cum enim aliquis eâ necessitate cui subjacet invitus benefacit aut nulla aut minor ei gratia debetur. Dum verò ipse se sponte necessitati benefaciendi subdit, nec invitus eam sustinet, tunc utique beneficij gratiam meretur majorem. Non enim hæc est dicenda necessitas, sed gratia, quia nullo cogente illam suscepit aut servat, sed gratis.* Quod ipse exemplis promissionis ac voti explicat. Si quis enim ultro promittit aut vovet aliquid, quantumvis reddere teneatur & cogi possit, non minoris tamen præstat gratiæ beneficium, si voluntate reddiderit, quam si promissio vel votum non

In. Ps. 132

S. Ansel. lib. 2. cur Deus homo c. 5.

A

præcessisset. Vt aptissimè verbis ejus etiam nos in hac proposita controversia de Deo naturam humanam condente & gratiam largiente possumus inferre. *Quare multo magis si Deus facit bonum homini quod incœpit, licet non deceat eum à bono incepto deficere, totum gratiæ debemus imputare, quia hoc propter nos, non propter se, nullius egens incœpit.* Et paulò pòst: *Et cùm dicimus Deum aliquid facere quasi necessitate vitandi inhonestatem, quam utique non timet, potius intelligendū est quod facit necessitate servandæ honestatis: quæ scilicet necessitas non est aliud quàm immutabilitas honestatis ejus, quam à seipso & non ab alio*, videlicet coactus, *habet, & idcirco impropriè dicitur necessitas.* Nihil aptiùs ad propositum nostrum dici potuit. Apertissimè quippe declarat decentiam, honestatem vel etiam necessitatem largiendi gratiam homini innocenter condito, nullo modo divinæ liberalitati, vel beneficentiæ, vel gratiæ repugnare, si decentiam illam, honestatem, necessitatemve largiendi suâ liberâ voluntate susceperit, eâdemque benefaciendi promptitudine non invitus vel coactus exequatur. Imò non esse dicendam necessitatem, sed gratiam, quia nullo cogente eam suscepit aut servat, sed eâdem suâ gratuitâ, stabili, & immutabiliter perseverante voluntate.

B

FINIS.

CORNE-

Digitized

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS

DE STATV PVRÆ NATVRÆ

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Secundum argumentum contra statum puræ naturæ petitur ex fruitione quacunque beatificâ summi boni, quæ omnes creatas vires superat. Ostenditur primò ex dilectione Dei quam includit.

ET hactenùs quidem de primo argumento, quod ex dilectione ultimi finis, qua ad beatitudinem tenditur, petivimus. Nunc ad alia progrediamur, quæ ex parte fruitionis, seu adeptionis illius boni in quo beatitudo sita est, aliorumque bonorum, sine quibus esse nullo pacto potest, erui possunt.

Secundum igitur argumentum principale contra statum puræ naturæ peti potest ex parte fruitionis Dei, tanquam beatifici boni. Creatura enim rationalis, non solùm recta & bona esse non potest, sine dilectione Dei, quæ dilectio voluntatis est quasi rectus sagittæ motus ad scopi percussionem, aptaque dispositio voluntatis velut materiæ ad susceptionem beatitudinis tanquam formæ suæ; sed neque beari sine contemplatione velut comprehensione ejusdem Dei potest. Est enim anima rationalis naturaliter, hoc ipso quo rationalis & imago Dei est, tam immensæ capacitatis, ut nulla re alia satietur, & per hoc neque beetur nisi solâ immensitate Dei. Quod significavit Augustinus cùm dixit: *In rebus à Deo factis tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum quo beata sit nisi Deus.* Quod cùm in ejus natura fundatũ sit per quam habet quod est capax Dei, ejusque particeps esse potest, *Nec tam magnum bonum nisi per hoc quod imago ejus est, intelligi posset*; hinc fit ut, quamdiu eadem ratio imaginis, & capacitas, & consequenter eadem natura permanet, etiam aliter satiata, ac per hoc beata esse non possit nisi Deo. Non enim hoc ex aliqua gratia externæ destinationis, aut accidentariæ elevationis, sed ex excellentia creationis proficiscitur. *In tanta enim*, inquit Augustinus, *excellentia creata est, ut licet ipsa sit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id est Summo Deo, beatitudinem consequatur nec expleat indigentiam suam nisi utique beata sit: eique explendæ non sufficiat* A *nisi Deus.* Ex quo principio tantæ excellentiæ imaginis Dei, in qua naturaliter natura rationalis constituta est, & magnitudinis illius boni quo solo beari potest, ac naturaliter debet, fluit etiam ut statim hoc ipso quo Deo caret, non possit esse nisi misera. *Tale quippe bonum est Deus*, inquit, *ut nemini eum deserenti bene sit.* Et in libris de Civitate Dei: *Magna sunt mutabilia bona quæ adhærere possunt, ut beata sint immutabili bono, quod usque adeo bonum est eorum, ut sine illo misera esse necesse sit.*

Lib. de nat. boni c. 7.

Lib. 14. de Trinit. c. 8.

Lib. 12. de Civit. c. 1.

De nat. boni c. 7.

Lib. 12. de Civit. c. 1.

Cùm ergò in initio tractatùs hujus ex illo ardentissimo desiderio quo naturaliter appetit beatitudinem suam probaverimus aliquem omninò ejus naturæ finem ultimum esse præstitutum, quo beari possit, nec illa beatitudo obtineri aliter queat, quàm fruendo Deo, nisi ejus natura mutetur; inde fit consequens, ut non possit etiam in natura pura creari. Unum B enim ex tribus esset necessarium, vel ut ad inferiorem aliquem finem, hoc est ad creaturam Deo & seipsa inferiorem ordinaretur, cum nec seipsa beari possit, vel ut nunquam beari possit, vel certè ut puræ naturæ viribus adequi possit fruitionem Dei. Primum, ut diximus est contra naturam creaturæ rationalis, alterum simul contra sapientiam bonitatemque creatoris, tertium est superbissimum & gratiæ creatoris injurium. De duobus primis capitibus habemus Scholasticos confitentes. Nec enim illi negant (quod sciam) Deum etiam puræ naturæ ultimum futurum finem, quo beari possit: Sed de tertio tota quæstio est. Asserunt enim aliquâ Dei contemplatione per vires obtentâ naturales, beandam esse naturaliter. Contra hoc ergò, secundum principia sancti Doctoris dicimus, impossibile esse ut ulla creatura quoquo modo fruatur Deo, in quo ejus beatitudo sita est, nisi hoc ei per ma- C gnam gratiam Deus ipse largiatur.

Hoc autem primò patet ex eo quod ut fusissimè deduximus, omnis omninò vera & sincera dilectio Dei etiam ut autoris naturæ, puræ naturæ vires multum superat. Impossibile est au-

Digitized by Google

est autem, ut initio libri primi diximus, beatam esse creaturam nisi summum illud bonum diligat, quo beanda est. Nam sicut miseri sunt qui non habent bonum quod diligunt, vel qui diligunt malum quod habent, ita etiam illi qui non diligunt bonum sive illud *Lib. de morib. Eccles. c. 3.* habeant sive non habeant. *Beatus, quantum existimo*, inquit Augustinus, *neque ille dici potest qui non habet quod amat, qualecunque sit: neque qui habet quod amat si noxium sit; neque qui non amat quod habet etiamsi optimum sit.* Brevis omnium *Ibid.* ratio est; *Nam & qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; & qui non appetit quod appetendum est, ægrotat.* Cùm enim Deus sit *solus*, ut alibi *Lib. de nat. & grat. c. 20* dicit, *verus rationalis creaturæ cibus*, quo solo sustentari debet ac potest, languoris argumentum est certissimum cibum suum non appetere, hoc est, Deum optimum bonum suum non diligere. Vnde subjicit consequenter, *De morib. Eccles. c. 3.* *Nihil autem istorum trium animo contingit sine miseria. nec miseria & beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt.* Sine dilectione igitur boni beatitudo esse non potest.

Secundò, quia beatitudo non potest, secundùm Augustinum & veritatem, esse sine fruitione boni: *Epist. 58.* *Beatitudo* enim *fruentis & intelligentis est propria*; *Epist. 52.* unde sicut nec *virtus nobis erit nisi adsit ipse Deus quo invenimur, ita nec beatitudo nisi adsit ipse quo fruamur.* Qua de causa fidenter definit in libris de Civitate Dei, *beatum esse cum Deo frui cœperit.* *Lib. 8. de Civit. c. 9.* Fruitio verò summi boni beatifica sine ejus dilectione esse nullo pacto potest. Sexcentis locis hoc docet Augustinus: *Quisquis ergo fruitur eo quod amat, verumque & summum bonum amat, quis eum beatum nisi miserrimus negat?* *Ibid.* Et paulò pòst concludit, ut quoniam Philosophia ad beatam vitam tendit juxta sententiam etiam Platonis, *fruens Deo sit beatus, qui Deum amaverit.* Vnde in libro de moribus Ecclesiæ post diligentem indagationem beatæ vitæ: *Quartum*, inquit, *restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, cum id quod est hominis optimum & amatur & habetur*, id est possidetur. *Cap. 3.* *Quid est enim aliud quod dicimus frui nisi præsto habere quod diligis? Neque quisquam beatus est qui non fruitur eo quod est hominis optimum; nec quisquam qui eo fruitur, non est beatus.* Cùm ergò in præcedentibus fusè probaverimus, omnem omninò veram dilectionem Dei, naturæ vires excedere, sed esse præcipuum donum gratiæ Dei, qua diffunditur in cordibus nostris juxta doctrinam Apostolicam, perspicuum etiam est omnem omninò fruitionem Dei & consequenter omnem beatitudinem de vero creaturæ rationalis bono longissimè vires puræ naturæ superare.

CAPVT SECVNDVM.

Idem probatur ex beatitudine quam Philosophi naturæ lumine in Dei contemplatione posuerunt.

HOc autem ulterius ex eo demonstrari potest, quod quamvis S. Augustinus sæpius tradat Philosophos Gentiles nonnullos, maximeque Platonicos rectè de creaturæ rationalis beatitudine sensisse, quod in summæ naturæ, hoc est, Dei qui summa veritas & summa ratio est, contemplatione consistat, nunquam tamen eam ipsam beatitudinem, de qua ipsi magnificè ex Philosophiæ regulis loquebantur, per puræ naturæ vires obtineri posse fateatur, sed semper per gratuitum beneficium & adjutorium gratiæ Dei. Certum est autem non alia de beatitudine Philosophos inter se dimicasse nisi de illa quam Scholastici, Philosophorum in hac re discipuli, puræ naturæ tribuerunt, & naturalem creaturæ rationalis beatitudinem vocandam esse duxerunt. Sed audiamus primò Platonicorum de beatitudine sententiam, ut deinde sanctissimi Doctoris judicium de ejus effectore & largitore subdamus. Platonicos igitur in ea sententia fuisse, quod creatura rationalis in spiritibus sive Angelicis sive humanis non alitèr beata esse possit, nisi fruitione æternæ veritatis; hoc est luminis intelligibilis, quod est Deus, res est in Augustini scriptis celeberrima. Nam libro 10. de Civitate, *Lib. 10. de Civit. c. 1.* *Elegimus*, inquit, *Platonicos omnium Philosophorum merito nobilissimos: Propterea quia sicut sapere potuerunt, licet immortalem ac rationalem vel intellectualem hominis animam, nisi participato lumine illius, à quo & ipsa & mundus factus est, beatam esse non posse, ita illud quod omnes homines appetunt, id est vitam beatam, quemquam istis assecuturum negant, qui non illi uni optimo qui est incommutabilis Deus, puritate casti amoris adhæserit.* Et de Angelis, qui in cœlestibus habitationibus beati habitant: *Si amant nos & beatos esse nos volunt, & profectò inde volunt unde & ipsi sunt; an aliunde ipsi beati aliunde nos? Sed non est nobis ullus cum his excellentioribus Philosophis in hac quæstione conflictus. Viderunt enim suisque litteris multis modis copiosissime mandaverunt, hinc illos unde & nos fieri beatos, objecto quodam lumine intelligibili quod Deus est illis, & aliud est quam illi, à quo illustrantur ut clareant, atque ejus participatione perfecti beatique subsistunt.* *Cap. 1. & 2.* *Sæpè multumque Plotinus asserit sensum Platonis explanans, ne illam quidem quam credunt esse universitatis animam aliunde beatam esse quam nostram: idque esse lumen quod ipsa non est, & quo intelligibiliter illuminante intelligibiliter lucet.* Et paucis interjectis ita subtexit: *Dicit ergò ille magnus Platonicus animam rationalem non habere supra se naturam nisi Dei, qui fabricatus est mundum, à quo & ipsa facta est: nec aliunde illis supernis præberi vitam beatam & lumen intelligentiæ veritatis quam unde præbetur & nobis.* *Ibid. c. 2.* Et post multa in eodem libro: *Cui Deo simpliciter inhærere fatentibus quoque Platonicis & per multa testantibus solum beatificum bonum est.* *Cap. 11.* Et inferius: *Cum*

Dei &

Dei & ipsi Angeli *contemplatione beati sunt*, *& nos futuros esse promittunt. Illa namque visio Dei tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis præditum atque abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.* Et Epistola ad Dioscorum: *Tantum illud attende quoniam Plato à Cicerone multis modis apertissimè ostenditur, in sapientia non humana, sed planè divina, unde humana quodammodo accenderetur, in illa utique sapientia prorsus immutabili atque eodem modo semper se habente veritate constituisse & finem boni*, id est ultimum finem, in cujus fruitione beatitudo sita est, *& causas rerum & ratiocinandi fiduciam.* (Epist. 56.) Hæc aliaque plura quæ ex Augustino adduci possent, perspicuè ostendunt Platonem & sectatores ejus, beatitudinem Angelorum & hominum constituisse in contemplatione æternæ veritatis ac sapientiæ immutabilis tanquam finis boni, summæque pulchritudinis, cujus amore ferverent & illustratione lucerent. Quo sanè nihil melius & accuratius atque verius omnes Scholastici de naturali beatitudine quam puræ naturæ tribuunt, excogitare potuerunt.

Iam verò non minus evidenter certoque tradit Augustinus, illam ipsam beatitudinem naturalem animæ rationalis, quam Philosophi in Dei tanquam humanæ naturæ contemplatione collocarunt, non posse homini obtingere sine gratia Dei. Cùm enim in libro decimo quarto de Trinitate, Ciceronis ex Hortensio, ubi de Philosophia beatos nos faciente dissertatio est, ista verba recitasset, quibus dicit quod ex hac vita emigrantes, *una essemus beati cognitione naturæ & scientia, qua sola etiam Deorum est vita laudanda*: (Lib. 14. de Trinit. c. 9.) statim hoc exponit cum de summæ naturæ contemplatione intelligere: *Ita ille tantus orator*, inquit, *cum Philosophiam prædicaret, & præclarè ac suaviter explicans &c. bonos animos dixit sola beatos esse cognitione & scientia, hoc est contemplatione naturæ qua nihil est melius & amabilius: ea est natura quæ creavit omnes ceteras instituitque naturas.* (Ibid.) Multis autem interpositis in eodem libro dicit istam contemplativam sapientiam non nisi Deo dante concedi. *Hanc*, inquit, *contemplativam sapientiam quam propriè puto in litteris sanctis a scientia distinctam, sapientiam nuncupari dumtaxat hominis, quæ quidem illi non est, nisi ab illo cujus participatione verè sapiens fieri mens rationalis & intellectualis potest. Cicero commendans in fine dialogi Hortensii*: (Ibid. c. 19.) Ecce illam ipsam sapientiam quam Cicero in Hortensio commendat, non nisi ab illo esse cujus participatio verè sapientes facit, apertissime profitetur. Longèque manifestius & uberius docet alibi, etiam ipsos Platonicos, attentâ contemplationis illius sublimitate & humanæ mentis infirmitate, Dei gratiam ad ejus adeptionem necessariam tradidisse. *Itaque videtis*, inquit in libris de Civitate Dei, *utcunque etsi de longinquo, etsi acie caligante patriam in qua manendum est*, hoc est, *patriam pacis*, ut alibi vocat, seu divinam sapientiam cujus pacatissima contemplatio beatos facit: *Sed viam qua eundum est*, hoc est incarnationem Filii Dei, (Lib. 10. de Civit. c. 29.) *non tenetis. Confiteris tamen gratiam, quandoquidem ad Deum per virtutem intelligentiæ pervenire, paucis dicis esse concessum.* Quorum verborum vim divinæ gratiæ necessitatem indicantium ad beatitudinem illam naturalem, quam Philosophia prædicabat, planius nobis explicans: *Non enim dicis, paucis placuit, vel, pauci voluerunt; sed cum dicis esse concessum, procul dubio Dei gratiam non hominis sufficientiam confiteris.* Et iterum in eodem libri decimi loco: *Uteris etiam hoc verbo apertius, ubi Platonis sententiam sequens, nec ipse dubitas in hac vita hominem nullo modo ad perfectionem sapientiæ pervenire: secundum intellectum tamen viventibus omne quod deest providentia Dei & gratia post hanc vitam posse compleri.* (Ibid.) Cernit, arbitror, quilibet non supinus lector, quanta perspicuitate & asseverantia ipsi Gentiles Philosophi tradiderunt, beatitudinem illam naturalem de qua tota erat eorum disceptatio, in Dei fruitiva contemplatione consistere; & simul deficientibus humanis viribus in tanto miseriarum cumulo, quibus nos atteri cernebant, divinam gratiam esse necessariam, ut ea potiamur. Cernit item non minus perspicuè utrumque ab Augustino tanquam Christianæ doctrinæ quam maximè consentaneum comprobari. Sed ex utroque simul juncto, status puræ naturæ funditus evertitur. Si enim beatitudo naturalis creaturæ rationalis in Dei contemplatione sita, quam Philosophia gentium Plotini, Ciceronis, Platonis & similium naturæ lumine suffulta prædicabat, non nisi per Dei gratiam propter expertam infirmitatem humanarum virium comparari potest, nec alia inferior beatitudo, quæ vera naturæ rationalis beatitudo sit, dari queat; manifestum profectò est, naturam rationalem sine Dei gratia non posse condi; cum eam divina sapientia, ut ex præcedentibus supponimus, & Scholastici profitentur, non nisi ad seipsum velut finem ultimum, cujus assecutione beata fiat, possit instituere.

Quæ profectò ratio est, ut Augustinus non raro profiteatur, hac in re Philosophiam gentium, quemadmodum de uno Deo omnium conditore, ita & de naturæ rationalis beatitudine, idem omninò quod Philosophia docet Christiana, tradidisse. *Si enim*, inquit, *eos Angelos sic immortales, ut tamen à summo Deo factos, etsi non per seipsos, sed ei à quo facti sunt adhærendo, beatos esse dicunt, hoc dicunt quod dicimus, quolibet eos nomine appellent.* (Lib. 9. de Civit. c. 23.) Qua de causa paulò antè dicentem audivimus, *nullum nobis esse cum excellentioribus Philosophis in hac quæstione conflictum.* (Lib. 10. c. 2.) Ubi simul copiosissimè traditum dicit à Philosophis, non solum *hinc illos* Angelos *unde & nos fieri beatos, objecto quodam lumine intelligibili* videlicet Deo, sed etiam quod *ab illo illustrantur ut clareant*, quod *ejus participatione perfecti beatique subsistunt*; quod *ab illo intelligibiliter illuminante, intelligibiliter lucent*; quod ab illo spiritibus supernis *præbetur vita beata, & lumen intelligentiæ veritatis, unde præbetur & nobis*; quod consonent Euangelio ubi legitur, *Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

mundum. Quibus nihil apertius & efficacius dici posset, ut intelligeremus non minus Augustinum quam Philosophos, divinam gratiam necessariam professos esse, ut illa beatitudine naturali frueremur, quam in Campis Elysiis ex summæ naturæ seu intelligibilis illius luminis contemplatione divinitus largiendam esse sentiebant.

Ex quo fit, ut Augustinus etiam ubique contra Stoicorum & aliorum longius à veritate recedentium errores tradit, neminem posse creaturam rationalem beatam facere nisi solum Deum. *Vitam,* inquit, *beatam ipsi sibi quodammodo fabricare voluerunt, potiusque patrandam quam impetrandam putaverunt, cum eius dator non sit nisi Deus. Neque enim facit beatum hominem nisi qui fecit hominem.* (Epist. 52.) Quod ipse non solum de illa sublimi & perspicua Dei contemplatione profitetur, sed de quacunq; etiam infimâ fruitione, sicut de quavis imperfectissima dilectione Dei. Cùm enim status puræ naturæ in omnibus ex Scholasticorum opinione similis ei sit in quo versamur, fieri etiam non potest, quin par omninò, imò major, ut suprà vidimus, imbecillitas ad divina amanda, contemplanda, fruendaque sit, quam ea quam perpetimur. Qualis verò illa sit præclarissimè depingit contra Manichæos Augustinus. Nam beatitudinem hominis indagans, cum dixisset: *Deus igitur restat, quem si sequimur bene, si assequimur, non tantum bene, sed etiam beate vivimus,* (De morib. Eccles. c. 3.) mox infirmitatem humanæ mentis ostendens, ut ex eo beatitudinis qualiscunque umbram suis viribus capiat; *sed quomodo sequimur quem non videmus? Aut quomodo videmus qui non solum homines, sed etiam insipientes homines sumus? Quamquam etiam non oculis, sed mente cernatur, quæ tandem mens idonea reperiri potest, quæ cum insipientia nube obtegatur, valeat illam lucem vel etiam conetur haurire? Confugiendum est igitur ad eorum præcepta, quos sapientes fuisse probabile est. Hactenus potuit ratio perduci; versabatur namque non veritate certior, sed consuetudine securior in rebus humanis. At ubi ad divina perventum est, avertit se, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis & ad familiaritatem tenebrarum suarum non electione, sed fatigatione convertitur. Quam sic formidandum est, quam tremendum, ne maiorem inde concipiat animus imbecillitatem, ubi quietem fessa conquirit.* (Cap. 7.) Quæ verba cum omnium hominum experientia, quos etiam gratia non mediocriter juvat, ita vera esse testetur, ut ex ipso intimo penu veritatis deprompta videantur; nonne ridiculum est etiam beatitudinis ex Deo potiundæ potestatem puræ naturæ viribus asscribere, ubi tanta est in illa luce cernenda mentis imbecillitas? Qua de causa sanctissimus rerum divinarum Antistes, non solum Philosophicam illam Platonicorum ex Dei contemplatione beatitudinem, sed etiam illam contemplationem, qua juxta fabulas Manichæorum, Natura mali Deo coæterna, volebat nocere luci Dei, propter quem conatum pugna Dei cum natura mali consecuta dicebatur, gratiæ divinæ beneficium esse posse profitetur: *Deinde,* inquit, *bonum illud extra se positum cui nocere studebant, utrum omnino esset unde cognoverant? Si intellexerant, quid tali mente præclarius? An quicquam est aliud, quo magis laboribus omnis bonorum porrigatur intentio, nisi ut summum illud & sincerum bonum intelligatur? Quod ergò nunc vix paucis bonis iustisq; conceditur, id tunc illud merum malum nullo bono adiuvante iam poterat.* (Lib. de duab. animab. c. 11.) Ecce absurdum esse indicat, nullo bono adjuvante potuisse naturam mali, contemplari videlicet mentis intelligentia lucem Dei, quod alibi vocat frui Deo, eo quod vix justis per Dei gratiam concedatur. Quis verò ita deliret, ut juxta Manichæos etiam naturam mali supernaturaliter elevatam fuisse putet, & illos propterea de supernaturali visione locutos esse confingat? Nunquam enim Manichæi naturam mali, vel elevatam esse à bono Deo, vel etiam beatam aut bonam fieri posse putaverunt, sed immutabiliter malam. Loquebantur ergò de illa visione lucis Dei, qua natura mali perstricta vicinitate boni pulchritudine lucis illius frui voluit. Hanc qualemcunque divinæ lucis intelligentiam seu contemplationem, nullo modo natura mali nisi per gratiam & adjutorium Dei, sicut & justis concedi posse testatur: Quanto minus vera beatitudo ex qualicunque contemplatione Dei illi creaturæ sine Dei ipsius adjutorio obtingere potest?

Cùm igitur iste non modo S. Augustini, sed & Ethnicorum Philosophorum sensus fuerit non semel vehementer admiratus sui, qui factum sit, ut Philosophi ante exortum lumen ad revelationem gentium longè verius, accuratius, sanctius de præcipuis doctrinæ moralis capitibus philosophati sint, de infirmitate virium naturalium ad benè vivendum, de purgatione animæ, de Deo in omnibus actibus diligendo, de beatitudine animæ quam prædicabant naturali, de gratiæ necessitate, qua & amor Dei, & præmium ejus divina contemplatio veritatis dari debet; quàm plerique Scholastici Christiani. Nec aliam sanè causam invenio, nisi quia omnes λεπτολογίαν Aristotelis sectati sunt, qui cùm vel divinarum rerum ignorantia, vel alienæ gloriæ invidia, præclarissima doctrinæ capita quæ & Cicero & sanctus Augustinus mirificis extulerunt laudibus, in magistro suo Platone carperet, minutiloquio suo sola terrena perscrutatus est; nec altius quicquam in virtute nisi proprium objectũ ejus; neq; divinius quicquam in beatitudine quam vel mundi naturam; vel nescio quas intelligentias inveniri potuit. Quibus contemplandis & amandis, cum neque purgandus esset, neque purgaretur animus, sed sordidus alia nova inquinatione sordesceret, nullum omninò superioris naturæ adjutorium, vel ad virtutem vel ad præmium ejus beatitudinem necessarium arbitratus est, sed hominem imbecillitatis propriæ ignarum, docuit ad omne bonum lethaliter in sua virtute confidere. Hoc est ipsissimum virus, quod ab eo velut magistro suo suxere Pelagiani, dum Dei gratiam velut superfluam enecarunt: hæc est do-

est doctrina quam Scholastici moderari voluerunt dum duos homines in uno condiderunt, unum Philosophum, alterum Christianum: unum qui cum Pelagianis crederet, speraret, diligeret ex natura; alterum qui ex gratia; unum qui virtutem propter virtutem coleret, alterum qui propter Deum: unum qui gratiam respuendo superbissimè sibi-ipsi ad bene vivendum fideret; alterum suæ infirmitatis conscium, qui adjutorio gratiæ Dei: unum qui quanto superbiorem tanto falsiorem sibi ipse beatitudinem fabricaret, alterum qui eam speraret ex Deo. Denique unum sui-ipsius adoratorem, alterum sui conditoris. Hæc mysteria ex illa pura putaque Peripatetica Philosophia promanarunt. Quam quia Plato cum sectatoribus suis longè diviniore doctrina, propter quam quidam Philosophorum quasi Deus appellari meruit, sensuumque majestate transgressus est, & illa humanæ virtutis & felicitatis adulteria, quæ vel ex officiorum dilectione, vel creatæ cujuscunque naturæ contemplatione nascuntur, ignoravit aut improbavit, hinc est quod tantoperè de dilectione & contemplatione Dei, de purgatione animi tanto bono cernendo, fruendoque necessaria, de infirmitate quam sentiebant virium humanarum, de divinæ opitulationis necessitate satagerunt. Ex quo etiam factum esse cernimus, ut quamdiu abjectior illa Aristotelis Philosophia ab Ecclesiæ pulpitis exulavit, nihil de hujusmodi dogmatibus vel etiam puræ naturæ lenocinijs in Latinorum scriptis Cypriano, Ambrosio, Augustino, Prospero, Fulgentio usque ad Scholasticorum seculum audiatur. Simulatque vero sive per Pelagianos quos tanquam Simias Aristotelis, dicteriis amarioribus Augustinus irridet, sive per sobolem eorum Presbyteros Massilienses quorum pestifer halitus scriptis adhærescens ad posteros propagatus est, sive multo magis per eos qui Aristotelem in Ecclesiæ scholis velut normam doctrinæ naturalis sectandum esse statuerunt, minutiloquium rerum naturalium Christianis admirationi fuit, naturæ vires, virtus, beatitudo, quas à Philosophis humani lapsus & conditoris & beatoris ignaris velut omnino naturalia illæsaque prædicari audiebant, commendari cœperunt. Et quia meminerant se esse Christianos, hominem supernaturalem & naturalem, velut Arcam cum Dagon in una æde collocarunt, pulcherrimam compendiosissimamque methodum se reperisse rati ne redemptoris gratia læderetur. Quicquid enim de divina gratia in Scripturis prædicari sentiunt, hoc homini illi supernaturali applicant: Quicquid in Philosophis de viribus voluntatis, de viribus voluntatis, de virtutibus Philosophorum, de beatitudine naturæ potestate comparanda naturali. Et quod deterius est, dogmata nonnulla filum Philosophiæ sectando Philosophorum Peripateticorum adjecerunt fundamentis, quæ tamen ab illis non didicerant, quæque canities Ecclesiæ vetustioris exhorruerat. Cùm enim ex Christiana doctrina Platonicæ consentiente didicissent, nulla rerum creaturarum dilectione vel fruitione, beatam esse posse creaturam, Deum quoque finem hominis naturalem esse, puræque naturæ viribus & adipiscendum diligi, & fruendum piâ contemplatione cerni posse docuerunt. Ita totus ille puræ naturæ status à Philosophis trepidante licet assertione adumbratus, ut qui sæpè de naturæ tanquā infinitis novercæ severitate conquesti sint, à Scholasticis omnibus suis numeris absolutus fuit, & ne quicquam vel silentibus de illo antiquis Patribus, vel per pleraque doctrinæ suæ principia condemnantibus magnâ contentione defensus. Qui quamvis utcunque præcedentibus argumentis ex Augustino labefactatus sit, alijs tamen adhuc arietibus ex eodem sancto Doctore quatiendus est.

CAPVT TERTIVM.

Tertium argumentum, quia regnum cælorum quod supernaturalis ordinis est non potest à pura natura separari sine injustitia.

CONTEMPLATIONEM Dei quam Christiani regnum Dei seu vitam æternam vocant, nullo modo creaturæ rationali quantumvis innocenti deberi, sed ei citra omnem ejus culpam tanquam supernaturalis ordinis negari liberè posse Scholastici docent. Ex quo etiam capite quam maximè in pura natura creaturam rationalem condi posse sentiunt: utpote quæ aliâ inferiori felicitate beari possit. Præcedentibus argumentis probare conati sumus non esse aliam rationalis naturæ beatitudinem nisi quæ divino beneficio conceditur: hic probabimus, ipsam quoque claræ visionis beatitudinem in regno Dei, non posse negari creaturæ innocenti. Innocentem autem esse puram creaturam, ac visionem illam claram esse gratiæ, & supernaturalis ordinis, neque Scholastici negant, negare ergo non poterunt, puram naturam velut commentitiam utrimque corruere, si quemadmodum probavimus, gratiam non posse sejungi à beatitudine quam puræ naturæ tribuunt velut naturalem; ita beatitudinem gratiæ à natura pura & innocente sejungi non posse probaverimus. Hoc autem S. Augustinus tam evidenter & constanter & crebro docet ut nec ipsos Scholasticos, prolatâ perceptâque doctrinâ ejus negaturos putem hanc ejus esse sententiam, nisi velint adversus perspicuæ veritatis lucem nervos contentionis intendere.

Vide lib. de pec. orig. c. 3 & 4. Lib. de gest. Pelag. c. 11. & vi. & alib. sæpè. Lib. de pecc. orig. cap. 13.

Quod ut plenius intelligatur, memoria recolendum est capitale Pelagianorum dogma fuisse quod parvuli *in eo statu nascantur in quo Adam ante prævaricationem fuit*, sicut hoc pluribus Augustini locis est certissimum: hoc est, *sine virtute, sine vitio, id solum in se habentes quod Deus condidit*, ut ipso Pelagio exponente discimus. Quibus verbis negari nec ab ipsis quidem Pelagianis posset, puram naturam astrui. Quid enim est natura sine virtute & vitio, nisi sine gratia & peccato nata qualem Pelagiani naturam hominum nasci fatebantur. Pluribus hoc in Pelagianorum dogma ibus actum est, & etiam supra nonnihil diximus. Talibus igitur parvulis baptismo regnum Dei tanquam *quod vires naturæ non habe- rent*, conferri fatebantur. Quo si carerent, velut in pura natura constituti regno cælorum quidem exciderent, nullâ tamen aliâ damnationis pœnâ plecterentur. Nihil profectò accuratius & conformius principijs non modo Pelagianorum sed & Scholasticorum de pura natura excogitari potest. Hanc tamen sententiam Augustinus multipliciter non modo tanquam ab Ecclesiastica doctrina alienam, quæ nullum puræ naturæ statum novit, sed etiam tanquam impossibilem, iniquam creaturæ, injuriosam Creatori, iterum iterumque repetitâ condemnatione proscribit.

Vide sup. l. 1 de statu puræ naturæ c. 6. Celest. lib. de pecc. orig. c. 5.

In primis igitur adversus istam sententiam docet fieri nullo modo posse ut innocens creatura, quales à Pelagianis parvuli esse docebantur, vita æterna sine culpâ pelleretur. Vita enim æterna nulla est nisi contemplatio Dei, eaque in regno Dei qui non aliter quam amore regnat in sua creatura. Neque enim regnum Dei carnaliter instar hominum regnaturum cogitandum est. Ipse quippe regnat in sanctis suis, quatenus lege sua æternâ cordibus amantium insculpeâ, in justitia & pace dominatur: *Regnum enim Dei iustitia & pax.* Ad quod regnum nullus locus, nulli cæli, nulli campi Elysij necessarij sunt. Est enim intra nos, nec aliter intra nos est, nisi Deum seu æternæ veritatis legem clarâ visione contemplando & amando. Et hæc eadem omninò vita æterna est ipsâ æternâ veritate testante: *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Iesum Christum.* Ab hac igitur vita æterna negat Augustinus parvulum hoc est imaginem Dei quantumvis Pelagiana naturæ puritate fulgentem sine præeunte peccato posse separari. Itaque libro primo contra Iulianum, ipsa rei injustitia suum adversarium premit, ut istâ sententiæ impietate terreretur: *Iam tu responde, utrum Deus iustus, nulli obnoxiam peccato, sicut* ponis, *imaginem suam privare vita possit æterna?* quasi diceret, hoc repugnat justitiæ Dei. Et iterum: *Quæro quâ causâ innocens imago Dei vitæ privatione punietur si nullum peccatum ex humana propagatione contrahitur?* Nec mirum quod hoc Augustino impossibile & injustum esse videatur, cùm separatio à vita æterna non possit esse nisi mors æterna. Quid enim est mors nisi ab- sentia vitæ? Vita verò animæ non est nisi Deus; qui nisi vivificet animam in æternum, nihil aliud in ea sequi potest nisi mors æterna, quam animus horret infligi posse absque peccato.

Rom. 14.

Ioan. 17.

Lib. 1. contra Iul. c. 7.

Ibid. cap. 5.

Lib. 6. c. 4.

Audi ratiocinantem Augustinum: *Et quid vobis est de quæstione baptismatis laborare, utrum sit vita æterna præter regnum Dei; an vita æterna privandi sint innocentes tot imagines Dei, ac per hoc æternâ morte plectendæ?* Et ad Bonifacium; *Quærite cur compellantur non baptizati secunda mortis subire supplicium iudicante illo qui neminem damnat immeritum & invenietis, quod non vultis, originale peccatum.* Hoc est, thesis vestra impossibilis est, non enim potest Deus parvulum ab æterna vita sine peccato separare.

Lib. 1. ad Bonif. c. 22.

Lib. 2. ad Bonif. c. 6.

Et in alio libro: *Quomodo ergo non accipientes æternam vitam utiq; consequenter, æternâ morte damnantur si nullum trahunt originale peccatum?* Et iterum: *Quis autem negabit id esse consequens ut mortem habeant qui non habent vitam? Vnde ergo in infantibus ista miserabilis pœna si nulla originalis est culpa?* In quibus Augustini sententijs apertissimè vides impossibile esse ipsius judicio & prorsus injustum, ut parvulus quantumvis in pura natura conditus esse statuatur, à vita æterna, hoc est à visione Dei & dilectione, extra quam vita æterna nec est, nec esse potest sine peccati labe separetur. Causam istius injustitiæ postea fusius dicturi sumus.

Lib. 3. contra Iul. c. 12.

Secundò adversus eandem sententiam docet, non solum à vitâ æterna non posse creaturam rationalem sine iniquitate disjungi sed nec à regno cælorum seu regno Dei, quamvis id expressè Pelagiani supernaturalis ordinis seu naturæ vires superare faterentur. *Sed certè vos qui miseram falsâ defensione premitis, & perniciosâ laude oppugnatis infantiam, quare nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur non admittitis ad regnum Dei? Nunquid ipsi sibi defuerunt, ut priventur regno, ut tam luctuoso puniantur exilio, cùm id non fecerint quod facere omninò non poterant?* Et lib. 1. de peccatorum meritis: *Nunquam explicant isti quâ iustitiâ nullum peccatum habens imago Dei, separetur à regno Dei.* Et mox: *Vnde imago Dei non intrat in regnum Dei nisi impedimento prohibente peccati?*

Lib. 1. de pecc. merit. c. 30.

Lib. 1. oper. imperf. fol.

Lib. 2. oper. imperfect. fol. 325.

Lib. 5. c. 14.

Et lib. 1. contra Iul. operis imperfecti: *Clamas eos peccatum nullum habere & ad Civitatem Regis ad cuius imaginem facti sunt non permittis intrare.* Et lib. 2. ejusdem operis: *Nunquam dicturus es, ut sit iustum, ut parvuli nullâ suâ, nullâ plerumque etiam suorum culpâ sine baptismate mortui à parentibus & proximis fidelibus separentur, & ad regnum Dei non admittantur.* Et lib. 5. contra Iul. dicit parvulos baptizandos, *ne à regno Dei pereant imagines Dei: quod sine malo qui fieri dicit, nec amorem habet nec timorem Dei.* Et in alia contra Iul. lucubratione, cùm Iulianus contra originale peccatum objecisset, *Non esse imaginem Dei, quæ per exordiū suum in regno diaboli est*, reponit Aug. homini puram naturam sine peccati originalis labe, sine gratiæ splendore defendenti: *Quid si alius dicat, non sit imago Dei, quæ nulli rea peccato, non tamen intrat in regnum Dei nonne quid respondeas non habebis?*

Lib. 1. oper. imperf. f. 78.

Tertiò,

Tertiò, quia vita æterna quam Catholica fides prædicat non est alia uti diximus, nisi regnum Dei seu supernaturalis fruitiva & clara illa Dei contemplatio, per quam Deus ut æterna veritas supra omnes naturæ vires vivificat animam, & in ea regnat, regens eam veritate suâ & justitia ad arbitrium suum, hinc est quod sæpiùs separationem à regno Dei & à vita Dei, seu vita æterna paris arguit injustitiæ, nisi separationem illam creaturæ peccata mereantur. De quo clarissimè libro tertio de peccatorum meritis cùm adhuc de Pelagij Catholicum se simulantis errore dubitaret, *Et fortè*, inquit, *hoc ipse non sentit quod sine peccato imago Dei non admittatur ad regnum Dei quoniam nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei, atque ita vel in æternam mortem*, oppositam scilicet illi vitæ æternæ supernaturali ex Deo, *sine peccato præcipitetur, vel quod est absurdius, extra regnum Dei habeat vitam æternam: Cum Dominus prædicens quid sit in fine dicturus sit: Venite benedicti &c. manifestaverit etiam quid sit ipsum regnum quod dicebat, ita concludens, sic ibunt illi in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam.* Vbi apertissimè vides definitum regnum Dei non esse aliud nisi vitam æternam videlicet supernaturalem quam Christiana prædicat fides. Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Et de ipsa vita æterna audi expressius, quia nihil aliud est regnum quam vita æterna. Prius regnum nominavit sed in dexteris, ignem æternum in sinistris. Extrema autem sententia ut doceret quid sit regnum, & quid sit ignis æternus, tunc, inquit; abibunt illi in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Ecce exposuit tibi quid sit regnum.* Et iterum: *Regnum cælorum est vita æterna.* Vnde plerumque regnum cælorum & vitam æternam simul & indifferenter usurpat, à neutra putat hominem in quacunque puræ naturæ hypothesi, sine peccato posse separari. *Qua justitia quæso, à regno Dei, à vita Dei alienatur imago Dei in nullo transgressa legem Dei?* Ex suppositione scilicet Pelagiana; quod imago Dei in naturæ puritate nasceretur. Et paulò post explicans vitam Dei: *Vbi est enim*, inquit, *vita Dei nisi in regno Dei quo nisi renati ex aqua & spiritu intrare non possunt.* Et iterum: *Si autem dixeritis tenebitur pœna* scilicet alienationis à vita Dei, *fatemini pœnam, culpam dicite, fatemini supplicium meritum dicite. Nihil in vestro dogmate reperitis quod proferre possitis.* Et libro quinto contra Iulianum puræ naturæ defensorem acerrimum: *Verum vos quoque qui eos velut liberos ab omni damnatione esse contenditis cogitare non vultis, qua illos damnatione puniatis alienando à vita Dei, & à regno Dei tot imagines Dei: Postremo separando à parentibus pijs* supernaturaliter salvis, *quos ad eos procreandos tam disertus hortaris. Hæc autem injustè patiuntur, si nullum habent omninò peccatum: aut si justè, ergò habent originale peccatum.* Quasi diceret injustum hoc est, si in naturæ, ut dicitis, puritate nascuntur; aut si justum ergo non in pura natura, sed peccati labe nascuntur. Pluribus Augustini testimonijs accumulandis supersedeo ex quibus intelligatur quid ipse senriat. Hæc enim perspicuè declarant sine ullo ambiguitatis incerto non posse ullo pacto defendi justitiam Dei negantis regnum cælorum & vitam æternam supernaturalis visionis Dei parvulis, si vera est Pelagiana sententia, quod in pura natura sine ulla peccati labe crearentur. Non enim, ut aliquis Scolasticus juxta suæ opinionis placitū suspicari posset, ex illa suppositione loquitur, quod humana natura jam ad statum supernaturalem elevata & ordinata sit. Nam in primis nulla istius hypothesis umbra est in tot locis quæ citavimus; nec verò sine insigni ejus absurditate esse potest, cùm adversarios quos impugnabat contrariam hypothesim velut certissimam tenere non ignoraret. Quid enim nisi ridiculum in modum aërem verberando dimicaret & principium peteret, si id in argumentis suis suppositum vellet quod velut falsissimū à Pelagianis negabatur? Nec verò etiam illa hypothesi factâ, injustū esset parvulos à regno innocentes excludere. Si enim gratuitæ supernaturalis ordinationis & elevationis est regnum Dei, nulla est Dei injustitia si negetur. Denique ipsemet Augustinus aliquando Pelagianos provocat, ut sepositis Scripturarum attestationibus quæ de supernaturali elevatione accipiendæ putarentur, Dei justitiam etiam in hypothesi suæ opinionis quæ sine peccato in pura natura tenebat parvulos nasci, solis humanis rationibus tuerentur. Audi provocantem illos puræ naturæ architectos, audi insultantem eis qui regnum cælorum negarent in pura natura natis innocentibus: *Quoniam vos aliquando contra evidentissimam auctoritatem ratiocinatio humana delectat, proferte ipsam regulam rationis vestræ & asserite quantis viribus valueritis unde damnatur iste qui parvulus propter nimiam innocentiam*, videlicet puræ naturæ quam statuitis, *propter nullam, sicut dicitis culpam*, hoc est originale peccatum, *dare voluerit etiam non baptizatis non solum vitam æternam, sed etiam regnum cælorum. Istum vincite. Ego sine præjudicio partes hujus paulisper suscipio & dicam quod ipse non sentio, sed alio dicente vos, ut acriorem adversarium videatis. Ecce existit iste qui, & dicit parvulus non habens ullum omnino peccatum; nec quod sua vita contraxit, nec quod de vita primi parentis traxit*, hoc est conditus juxta vestram opinionem in pura natura, sine peccato videlicet, multoque magis sine gratia utpote quam nunquam parvulis in ipsa dari nativitate sensistis, *Habebit & regnum cælorum & vitam æternam. Respondete vincite hominem resistentem vobis, qui aliter dividitis. Vos enim dicitis vitam quidem habebit iste non baptizatus æternam, sed non habebit regnum cælorum.* Nempe *quia hoc natura vires non habent*, ut dicebat Celestius, sive quod idem prorsus est, hoc est supernaturalis ordinis uti nunc loquuntur. *Ille contra, Imo & vitam & regnum cælorum.* Ecce duos Antagonistas in theatro nudè producentes

Lib. 3. de pec. merit. cap. 3.

Serm. 14. de verb. Apost. cap. 3. & 4.

Cap. 4.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 1

Lib. 5. c. 11.

Serm. 14. de verb. Apost. cap. 5.

Ibid. cap. 6.

Lib. de pec. orig. cap. 4.

tes omni Scripturarum subsidio & auctoritate vacuos, solis armis naturalis rationis armatos, Pelagium & Augustinum. Ille sustinet parvulum in pura natura conditum, utpote sine peccatis, sine gratia ex parentibus natum, & in eo pœnitùs constitutum statu, quem pura natura postulat, à regno cælorum posse secludi. Iste adversarij personam induens, juxta illam hypothesim prorsus negat. Vide jam quo pacto Pelagium divinæ justitiæ telo premat: *Quare enim patrimonium regni cælorum abripis innocenti? A quo regnum cælorum non acquiritur, profectò magno bono fraudatur. Quæ est ista iustitia? Dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens culpam nec suam nec de parente tractam? Quid offendit, dic mihi ut non intret in regnum cælorum, ut separetur à sorte sanctorum, ut sit exul à societate Angelorum? Videris enim tibi misericors, quia aufers ei vitam, damnas tamen, quem separas à regno cælorum. Damnas, non eum percutis sed in exilium mittis. Nam & qui exulant, vivunt si sani sunt, in doloribus corporis non sunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur, hæc illis sola pœna est non esse in patria.* Et paulò post idem justitiæ telum versans & reversans in vulnere. *Hic defende iustitiam Dei. Quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum invenitur omninò peccatum? Dic contra istum adversarium qui in parvulis non baptizatis misericordia & iustitia maiore quam tu dare vult, non solum vitam æternam, verum etiam regnum cælorum? Responde si potes, sed rationem affer: hac enim te gloriari delectat.* Et rursum velut invicto contra puræ naturæ hypothesim triumphans argumento: *Sed tu bellator, hoc est fortis ratiocinator, huic responde qui tibi dicit prorsus innocens parvulus, & immunis ab omni peccato & proprio & originali, non solum vitam æternam habebit, sed etiam regnum cælorum. Hoc est iustum, qui nihil mali habet, quare aliquid boni non habet?* Non opus est hîc commentario ut planissimè ex tanta disputationis istius & verborum luce capiamus, nullâ ratione posse defendi ut parvulis, juxta hypothesim Pelagianam, qui eos in puris naturalibus creari fatebantur, & ut ultro agnoscit Suarez, *necessariò hoc dicere debebant*, hoc ipso *quo negabant gratiam & originale peccatum*, regnum cælorum, hoc est, visio illa supernaturalis Dei in sorte sanctorum in societate Angelorum, sine justitiæ violatione denegetur. Vnde statim & seipsum & Pelagium velut ratione superatum & manus dantem inducit, nec aliter justum hoc vel esse vel ostendi posse declarat, quam authoritate Scripturarum, quæ naturam humanam peccato vitiatam esse testantur. *Sed scio, inquis, Pelagiane Antagonista. Vnde scis? Quia Dominus dixit. Tandem venisti. Non ergo quia tu ratiocinaris sed quia Dominus dixit. Laudo hoc plane, quia sanum est: sicut homo non invenisti rationem, fugis ad authoritatem. Approbo, prorsus approbo. Benè facis, non invenis quid respondeas, fuge &c.*

Ibid. serm. 14. citato. — *Ibidem.* — *Ibid. c. 7.* — *Proleg. 4. cap. 1. n. 7.* — *Serm. 14. de verb. Apost. cap. 7.*

Hæc & hujusmodi testimonia si vel vidissent vel penetrassent Scholastici quidam, non fuissent conati in unum aut alterum locum Augustini in alienissimum ab ejus mente sensum detorquere: sed candidè fuissent fassi, hanc omninò ejus esse sine ambiguitate sententiam, quod homines in pura natura, hoc est sine gratia, sine peccato tam originali vel proprio conditi, non possint à regno cælorum, hoc est à vita æterna, quam fides prædicat, & à beatifica Dei visione secludi. Quod si illud Aug. docet, sicut eum docuisse tam frequentes, tam urgentes, tam perspicuæ, tam securæ attestationes nos dubitare non sinunt, ex Ecclesiæ Catholicæ sensu hoc eum hausisse & eâ probante scripsisse, confitendum videtur. Nunquam enim toties hoc telum intorsisset adversarijs, nunquam in eo tanta securitate triumphasset, & ex eo pœnè totam causam illam suspendisset nisi fuisset de ejus invictâ veritate certissimus. Nam inde toties iterata illa provocatio ad tuendam justitiam Dei, *quæ iustitia? quæ est ista iustitia? Dic quare? Quid offendit? Dic mihi, hic defende iustitiam Dei.* Vnde securissima illa & creberrima insultatio: *Proferte regulam rationis vestræ. Rationem affer, hac enim te gloriari delectat. Asserite quantis viribus valueritis, Responde, vince resistentem. Responde si potes.* Inde illa auctoritatis plena condemnatio: *nihil in vestro dogmate, etiam puræ naturæ reperitis, quod proferre possitis. Nunquam dicturus es unde sis iustum. Nonne quid respondeas non habebis? Si à te recesserit impudentia illo infante remanebis infantior.* Quæ profectò vanissimi hominis est jactantia, & indigna tanto Doctore levitas ac temeritas, nisi conscius fuerit se probatam in Ecclesia, cujus capitalem causam tuebatur, exploratam, & insuperabilem se docere veritatem; quæ si talis est, ut revera est; profectò status puræ naturæ ex radicibus evertitur, utpote quæ non possit ullâ ratione à regno cælorum, quod ordinis gratiæ esse nec ipsi Pelagiani negare potuerunt, & à supernaturali felicitate divelli.

Lib. 5. cont. Iul. cap. 1.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Causa istius justitiæ declaratur ex Augustino.

VIDERE mihi videor Scholasticos nonnullos supra modum mirantes istam Augustini doctrinam, à qua ipsi quantum cælum distat à terra recesserunt. Augetur admiratio ex eo, quod etiam dicat divinæ justitiæ repugnare, ut parvulus sine peccato conditus à regno cælorum arceatur. Desinerent fortassis admirari, si suspicari possent, se forsan neque gratiæ neque justitiæ divinæ profunditatem intelligere, sicut eam Augustinus penetravit. De qua justitiæ sublimitate, quia infra latiùs dicendum erit, hic contenti erimus breviter Augustini fundamenta tangere, cur ei exclusio innocentis à regno cælorum, non obstante hypothesi puræ naturæ, injusta videatur, ideoque nec à Deo creaturæ rationali irrogari possit nisi peccata mereantur, quo declarato, longè luculentiùs patebit, illam quam superiori capite dedeximus sancti Doctoris genuinam esse sententiam.

Fundamenta igitur hujus doctrinæ quantum indagare potui, duo sunt.

Primum est, quod nemo beatus esse possit nisi habeat quod velit ideoque quamdiu non habeat quod vult, certissimo miser sit. Doctrina ista in Aug. scriptis perpetuò est. Vnde lib. 14. de Civit. Dei: *Quæ hominis est alia miseria, nisi adversus eum ipsum inobedientia eius ipsius, & quoniam noluit quod potuit, quod non potest velit.* Latiùs hoc supra lib. 1. cap. 2. diximus. Vbi regula illa & Augustini & Philosophorum judicio indubitata visa est, *Beatum esse neminem posse nisi habendo quod vellet, & nihil patiendo quod nollet.* Inter beatitudinem autem & miseriam in creatura rationali nullum est medium, ut ibidem latiùs ex Augustino declaravimus.

Lib. 14. de Civit. c. 15.

Lib. 13. de Civit. c. 7.

Alterum fundamentum Augustini est, creaturam rationalē non posse miserijs quantumvis minimis affici à Creatore sine culpa: C *Neq; enim*, ut ipse loquitur, *sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur potest.* Quâ doctrinâ capitali vix alia solemnior & certior in scriptis ejus reperiri potest, ut hic supponimus, infra probaturi sumus. Ex his duobus capitibus quæ sanctus Doctor ubique tanquam indubitata tradit, tota superioris capitis doctrina pendet & conficitur. Certum est enim creaturam rationalem innocentem, qualis in pura natura esse ponitur, velle fortiter, hoc est diligere æternæ vitæ beatitudinem, & regnum cælorum. Quod si negetur necesse est esse miseram, hoc videlicet ipso quo non habet quod vult & rectè vult & maximè vult. *Beata quippe vita, si non amatur, non habetur. Porro si amatur & habetur, ceteris omnibus rebus excellentius necesse est ametur; quoniam propter hanc amandum est, quicquid aliud amatur.* Porro miseram creaturam non potest Deus efficere nisi eum culpa provocaverit. Non ergo Deus potest creaturam innocentem à regno cælorum & æterna vita quam diligit sine ejus culpa separare.

Lib. 1. oper. imperf. c. 33.

Lib. 14. de Civit. c. 25.

A

Sed ne quis in hac ratiocinatione nos fortè falli putet ipsum Augustinum audiamus, qui hoc argumentum sæpiùs in hac ipsa causa ex ratione amoris, quo regnum cælorum ab innocente diligitur & pœnæ seu miseriæ fraudatam dilectionem necessariò consequentis conficit. Itaque sermone decimo quarto de verbis Apostoli, postquam ea dixisset quæ supra citavimus, parvulos hoc ipso quo excluduntur à regno cælorum exitij pœna mulctari, & quamvis doloribus corporis non torqueantur nec tenebris carceris affligantur, *Hanc tamen illis esse solam pœnam, non esse in patria.* Pœnæ illius in [illegible] & explicat: *Si amatur patria magna pœna, si autem non amatur patria, pejor est cæcitas pœna. Parvum malum est in homine corde qui societatem non* B *quærit sanctorum, qui non desiderat regnum cælorum? Si non desiderat pœna est de perversitate: si autem desiderat pœna est de fraudata charitate. Sed si, quod vis, parva est pœna; & ipsa parva, magna est si nulla culpa est. Hic defende justitiam Dei; quare vel parva pœna infligitur innocenti in quo nullum invenitur omninò peccatum. Responde si potes, sed rationem aufer.* Vides hic dilemmate rem confectam. Vel enim desiderat patriam regni cælorū vel non desiderat, utrumvis pœna est; quia non desiderare perversitas est, desiderare & non habere fraudata charitas. Nempe quia non habet quod vult, & inde miseria. Idcirco autem regnum cælorum non desiderare perversitas est, quia ex Augustini mente, ut supra diximus, fieri non potest ut innocens creatura rationalis, non diligat Deum & consequenter regnum ejus, quia hoc ipso quo non diligit est aversa à Deo. Aversum enim esse non est aliud quam Deum saltem habitu non diligere quod fieri non potest nisi voluntas rei alterius, hoc est creaturæ amore possideatur.

Serm. 14. de verb. Apost. cap. 6.

Nec illo loco tantum, sed alijs pluribus præclarissimè tractat hoc idem argumentum Augustinus. Nam libro tertio contra Julianum ubi adversarius bonum creationis puræ naturæ, à bono gratiæ distinxerat, ut quos *fecerat*, Deus *condendo bonos, faceret* per baptismum *innovando adoptandoq; meliores*, eo non obstante concludit Augustinus non posse parvulos innocentes à regno cælorum sine culpa sejungi, eo quod pœna amantibus sine causa infligeretur: *Verum vos excellentissimi amatores illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse imaginem Dei in æternum exulare à regno Dei: cùm si parvam pœnam esse diceretis non esset hæc vox beati* AMATORIS *illius regni sed miseri contemptoris.* Nempe quia impossibile est ut qui regnum illud amet non graviter ab eo exulando crucietur. *Porro autem si, quod huic sufficit causæ, parvam saltem pœnam fateamini,*

Lib. 3. contr. Jul. cap. 3.

mini esse quæ magna est, ut imago Dei non sinatur A *intrare in regnum Dei; objecto aperite qualescunque oculos & videte quâ justitiâ pœna ista infligenda sit parvulo quem clausis oculis originali obnoxium negatis esse peccato.* Et similiter libro quinto falsè ridet pariterque validissimè in suum Antagonistam hoc argumentum torquet. *Si quisquam gestans parvulum plenum te sive clamore invidioso, & in parte ubi nullus audiret, compellaret ac diceret, Ego eâ mente, intelligentiâ, ratione, in qua sum factus ad imaginem Dei* TANTVM AMO REGNVM DEI *ut hominis magnam judicem pœnam si eo nunquam possit intrare. Itane verò tu non homo de turba imperitorum, sed inter paucos prudentissimos regni illius amator tantò utique ardentior, quantò magis te flagrantissima paucorum societas in illud accendit, nec facit inde torpescere frigidior multitudo, responsurus es homini atque dicturus: non solum magna non est, sed nulla omninò pœna est imaginis Dei nunquam posse intrare in regnum Dei? Puto quod* B *nec uni homini cujus nec vim nec testimonium formidabis, hoc dicere audebis.* Hic ipsissimam vides propositam Scholasticorum responsionem pro statu puræ naturæ satagentium. Dicunt enim nullam esse pœnam quod in illo statu imago Dei arceretur à regno Dei; subtraheretur enim donum gratuitum quod non habent naturæ vires. Eodem, inquam, prorsus modo, quo Pelagiana hæresis respondebat, quando statum puræ naturæ, quem parvulis tribuebat, adversus Augustini argumenta tuebatur. Sed responsionem istam, etiam puram naturam supponentibus Pelagianis, falsissimam Augustinus judicat, & ita absurdam ut nec uni homini rustico dari debeat, cujus neque vis, neque testimonium formidetur. Impossibile quippe esse ut exilium à regno non sit pœna innocentis imaginis Dei quæ non potest non diligere regnum Creatoris ad cujus similitudinem facta est. Audi quantâ acrimoniâ id ipsum argumentum prosequatur: *Te itaque sive respondente quodlibet, sive (quod magis à te exigeret si non Christiana, certè humana verecundia) reticente, ingereret aspectibus tuis parvulum suum dicens: Justus est Deus: quid mali est, quod innocentem hanc ejus imaginem prohibet intrare in regnum ejus; si non est peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum? Puto quod nulla tibi aderit sapientia qua tibi videaris illo indocto homine doctior; sed si à te recesserit impudentia, illo infante remanebis infantior.*

Lib. 5. contra Iul. c. 1.

Ibid. l. 5. c. 1.

Quæ quidem quamvis ita perspicua sint ut omnem probabilem responsionem intercipere videantur, ecce tibi tamen aliud testimonium quo omnis cavillatio suffocatur. Nam quamvis perspicuum sit, ut jam sæpè ex ipso Augustino & Pelagianis diximus, eum juxta hypothesim Pelagianam loqui, qua parvulos in puris naturalibus nasci statuebant, & illam ipsam suis argumentis evertere tanquam impossibilem, ut quæ non possit cum divina æquitate sine peccato pœnam gravissimam infligente consistere; quia tamen mentis allensus ad res inexspectatas trepidare solet, ne fortè temerè se præcipitando fallatur, non est inutile accumulatis identidem testimoniis eandem doctrinam magis magisque patefacere. Iulianus igitur cum quodam loco disertissimis verbis statum puræ naturæ in parvulos prædicasset, cui Deus deinde gloriam regenerationis gratuitâ, non debitâ largitate superadderet, eo modo quo Scholastici docent hoc posse fieri; hypothesim illam expugnat Augustinus, tanquam quæ non possit cum divina justitia pœnam negationis regni inferente sine culpa conciliari. Verba Iuliani quibus clarissimè statum illum prædicabat ista sunt: *Cùm Deus parvulis nihil de proprio tam boni quam mali merentibus gloriam regenerationis attribuit, hoc ipso eos ad suam curam, ad suum jus, ad suum dominium pertinere docet, quod eorum voluntatem ineffabilis prævenit beneficij largitate.* Ecce parvulos *nihil merentes aut boni aut mali*, hoc est, in pura natura creatos; Ecce gloriam regenerationis beneficij *largitate*, hoc est gratis, quibus voluit superadditam. Ecce consequenter juxta subintellectam à Iuliano & Scholasticis consequentiam, sine ulla Dei iniquitate quibus voluit, negatam. Iam ergo vide quomodo tota ista argumentatio per Dei justitiam repercussa & Augustini manu confracta dissiliat: *Quid igitur eum offenderunt quos pariter innocentes, mundos, à se ad imaginem suam creatos, innumerabiles ab isto munere alienat, nec eorum voluntatem hujus ineffabilis prævenit beneficij largitate, separans tot imagines suas à regno suo?* Quasi diceret non potest Deus innocentiam eorum pœna separationis illius plectere, nisi offensionis culpa mereatur. Amantibus enim istud regnum, separatio ista non est nuda beneficij denegatio sed miseria & magnum malum. Rationem istam quippe subjicit: *Si hoc eis non erit malum,* C *non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, & tantùm amabunt, quantùm innocentes amare debent regnum ejus, à quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?* Cui doctrinæ concinit & illud adversus eundem Iulianum in libris operis imperfecti, ubi parvulos tanquam *innocentes*, vi status illius puræ naturæ, & *infricatæ* id est nullo peccato fricata, *primævitate felices* celebraverat: *O dementiam singularem! Hoc disputare est, an insanire? Cum miseria se natos esse parvuli flendo testantur, quos non vis Christum habere Iesum, & felices eos dices, quos tamen eius non admittis in regnum? Quod regnum si Christianâ charitate diligeres, ab illo separari magnam esse miseriam judicares.*

Lib. 6. contra Iul. c. 10.

Ibidem.

Ibidem.

Lib. 2. operis imperfecti. fol. 313.

Ex istis igitur tot ac tam perspicuis Augustini locis sibi undique consonantibus, satis evidenter vis argumentationis illius apparet, qua Deum toties injustum futurum colligit, D si innocentes imagines juxta Pelagianam de pura eorum natura hypothesim à regni sui felicitate separaret. Non enim arguit eos ex elevatione ad statum supernaturalem, cujus in omnibus istis per duo capita citatis testimoniis, nullum vestigium habet, neque sine insigni

insigni ineptia & principij petitione contra tales adversarios supponi potest; nec ex aliqua Dei promissione vel fidelitate vel parvulorum parentumve merito vel dignitate, sed nudè & purè & simpliciter juxta ipsissimam Pelagianam de statu puræ naturæ hypothesim quam expugnare nitebatur tanquam impossibilem, ex ratione innocentiæ & miseriæ quæ nulla Dei justitia conciliare potest. Si enim innocentes imagines Dei amant regnum istud, *sicut amare*, inquit, *debent*, indubitata pœna est defraudata charitate, quia miser est quisquis non habet quod recta voluntate vult; si non amant *peior est cordis pœna* qualem in dæmonibus & hominibus carnalibus experimur. Neutrum Deus inferre potest innocentibus sine culpa. Iste cardo est in quo vertitur tota vis argumenti; inde fiducia, quæ tot exclamationes, & insultationes expressit, *qua iustitiâ? Quæ est ista iustitia? Responde si potes. Defende iustitiam Dei. Quare vel parva pœna infligitur innocenti? Et ipsa parva magna est si nulla culpa est.* Quam argumentationis istius efficaciam tam perspicuam, tam certam, tam in omnium animis receptam & confessam putat, ut si tantum *recederet impudentia*, ipsum præcipuum puræ naturæ Architectum Iulianum, *infante infantiorem remansurum* spondeat, si vel à muliercula innocentem imaginem aspectibus ejus ingerente proferretur. Quid evidentius & urgentius ad status illius eversionem juxta S. Augustini doctrinam adferri posset, nescio. Sed idcirco insolens nobis videtur argumẽtatio, quia principijs ab ejus mente disjunctissimis imbuti sumus. Semper enim obversatur animis nostris, duplex ille in eodem homine status, puræ naturæ & supernaturalis, quorum alterum fidentissimè S. Augustinus tanquam impossibilem damnat. Quo semel abjecto tota argumentandi ratio est planissima, dummodo quid sit justitia Dei, quàm profunda sit, & quàm latè pateat, quid deinde pœna seu miseria creaturæ rationalis, ex regulis non humanæ æstimationis sed divinæ veritatis intel-

A ligatur. Qua de re infra fusius. Hoc tamen hic breviter monendus lector est, quod & alibi nisi me fallit, à nobis dictum est, non hoc velle Augustinum, nec ex dictis ejus posse colligi, quod Deus immediatè regnum cœlorum seu claram visionem in regno suo debeat creaturæ rationali innocenti: sed hoc tantummodo quod eam non posset condere cum illa phantastica beatitudine, & philosophica, quæ ei in statu puræ naturæ attribuitur, & vera miseria est; sed vel immediatè in beatitudine perfecta regni Dei, vel certè, quod ordinatius esse ipsemet judicavit, in quadam beatitudine decoloratiore, sine omni vitio tamen & miseria; à qua deficere possit, & in qua manere si voluerit, utrumlibet habens in sua potestate, sine ulla interna concupiscentiali tentatione ad malum. In tali beatitudine Angeli B & Adamus creatus fuit. *Hominem fecit*, inquit, *cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum; ideò tamen beatum, quia & non mori & non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat.* Et alibi: *Quis tandem absolute dici beatus potest qui timore afficitur vel dolore, quid autem timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo: nec aberat quicquam quod bona voluntas adipisceretur; nec inerat quod carnem animumque hominis feliciter viventis offenderet* &c. Hæc beatitudo minor, juxta providentissimum Dei ordinem, quem Augustinus diversis locis explicat, est via ad majorem, & quasi semen ejus: in qua si perseveraverit ab illa perfectiore perpetuo separari & quasi in exilium mitti non potest. Vtrovis autem modo condatur, conditur beatus in regno Dei, quia per spiritum charitate inhabitantem, regnat in eo Deus: & utrovis modo creatur sine miseria; quæ ei infligi nullo pacto potest nisi peccato suo pro- C meruerit. Et hæc contra statum puræ naturæ satis sint ex parte amoris Dei, quo ad beatitudinem tenditur & visionis qua beatur. Nunc ex quibusdam ad beatitudinem necessario requisitis breviter impugnandus est.

De Corr. & grat. c. 10.

Lib. 14. de Civit. c. 10.

Vide lib. 83. qq q. 2. & 4. & l. de agone Christi c. 10. & lib. 3. de lib. arb. c. 18.

CAPVT QVINTVM.

Quartum argumentum ex tribus necessarijs ad beatitudinem naturalem, non falli, non offendi, non mori; quæ pura natura non potest assequi. De gravissimis erroribus puræ naturæ.

SICVT fatentur communiter Scholastici, hominem non posse connaturali modo creari nisi propter aliquem finẽ ultimum, quem beatitudinem dicimus, ne appetitus ejus ardentissimus, & medullitus infixus alioquin frustra sit; ita etiam fatentur consequenter, non ordinari ad ultimum illud bonum in quo solo connaturaliter quiescere potest appetitus, esse contra providentiam tali naturæ connaturaliter debitam: & propterea ad ejus autorem pertinere, ut ea media provideat, quibus bonum illud ultimũ quò tanto impetu tendit, adipisci possit, ap-

A petitus satiari, natura ab illo motu quiesceret ne alioquin animus de se æternus, in æternum miser sit, semper vehementissimè appetendo quod nunquam adipisci potest. Cujusmodi institutionem contra naturæ ordinem esse, nec Scholastici negant. Hinc ergò adacti sunt duplicem naturæ beatitudinem statuere, naturalem & supernaturalem: illam naturæ connaturaliter deberi, sicut & media ejus acquirendæ; istam negari liberè posse. Augustinus è contrario sentit illam esse impossibilem, & ideò nec ad illam posse naturam puram ordinari, nec hanc ei sine præcedente culpa negari, atque

Digitized by Google

atque ita statum puræ naturæ utrâque parte collabescere, sicut hactenus declaratum est. Itaque nunc pari modo de quibusdam quæ à beatitudine creaturæ rationalis abesse nequeunt, ratiocinationem instituimus. Nimirum esse quædam quæ natura rationalis eodem illo vehementi impetu appetit naturaliter, utpote sine quibus naturaliter percipit se non posse neque beatam esse, neque appetendo quiescere, vel sedari illum appetitum suum, quem naturæ visceribus infixum sentit. Ergò similiter illa naturæ rationali connaturaliter sunt debita & institutio ejus naturalis postulat, ut per media idonea in ejus ponantur potestate. Cùm igitur illa naturæ vires fatentibus Scholasticis longe superent & ad supernaturalem ordinem pertineant, perspicuè sequitur, creaturam rationalem non posse sine manifesta institutionis absurditate, in puris naturalibus condi, & beatitudinem quæ illi à Scholasticis attribuitur, esse commentitiam.

Porrò illa quibus naturaliter natura rationalis inhiat, & sine quibus beata esse non potest, ad tria capita generalia revocari possunt; *non mori, non falli, non perturbari.* Quia namq; ad imaginem Dei condita est, naturaliter, quantum fas est creaturæ, similitudinem creatoris expetit, dum & esse sine defectione, & scire sine deceptione, & pacata esse sine offensione desiderat, ut ita in essentia Patris æternitatem, in intelligentia Filij veritatem, in voluntate Spiritus sancti gaudium quadam umbratica specie imitationis æmuletur. Vnde præclarè S. Augustinus: *Exulavimus ab incommutabili gaudio*, hoc est à Patris æternitate, Filij veritate, sancti Spiritus charitate, *nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus ut non etiam in istis mutabilibus & temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem*, id est gaudium voluntatis, *quæreremus: nec mori enim, nec falli, nec perturbari volumus.* Hic autem triplex appetitus ab illa vena desideratæ naturaliter beatitudinis fluit. Naturaliter quippe toto impetu creatura rationalis eo tendit ut vivat sicut vult, nemo enim vult suâ voluntate frustrari. Sentit enim aliter se beatum esse non posse, sicut libri primi capite secundo, sancti Augustini, & Philosophorum testimonio comprobavimus qui *sentiebant aliter beatum esse neminem posse, nisi habendo quod vellet, & non patiendo quod nollet*: hoc autem non adipiscitur nisi dum vivit ut vult, *neque vivit ut vult nisi eo pervenerit*, inquit Augustinus, *ubi mori, falli, offendi non possit.* Quod ex illo naturali beatitudinis appetitu proficisci, ex illa quam subjicit ratione sublucet, *Hoc enim natura expetit: nec plene atque perfecte beata erit, nisi adepta quod expetit.*

Lib. 4. de Trinit. c. 1.

Lib. 14. de Civit. c. 25.

Ibid.

In primis igitur natura rationalis vehementissimè non falli cupit. Vnde illud frequenter in Augustini monumentis repetitum: *Multos expertus sum qui vellent fallere, qui autem falli, neminem. Nemo enim vult ita falsum dicere, ut nesciat ipse quid verum sit.* Ex quo naturali impetu nascitur, ut qui alienata mente in phrenesi rident, plorentur à sanis. Tantum enim prævalet invictissima veritas, ut potius eligat homo sanâ mente flere, quàm alienata ridere. Quid verò ejus rei causæ est, nisi ille profundissimè insculptus beatitudinis appetitus? Cùm enim Deus sit veritas, & beatitudo nulla sit vel esse possit nisi de Deo, hinc omnes affectant veritatem noscere ac de veritate gaudere. *Beata quippe vita*, inquit perspicacissimus Doctor, *est gaudium de veritate; hoc est gaudium de te qui veritas es. Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam quæ sola beata est omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt.* Hactenus videlicet, ut etiam tum, cum voluntate perversi falsissimis voluptatibus implicati & *miseri sunt, veris malint gaudere quam falsis.*

Lib. 10. Confess. c. 24.

Serm. 112. de divers.

Ibid. c. 41.

Lib. 10. Confess. c. 23.

Ibid.

Iam verò, ut non in ista misera puræ naturæ vita, in gravissimis & omninò capitalibus rebus, sine quibus nulla vel umbra beatitudinis naturalis esse potest, sæpe fallamur, si ejus cursui sine divina gratia tenebras nostras illuminante relinquamur, fieri nullo pacto potest. Nam pura natura cunctas illas miserias quibus hæc præsens ab Adami lapsu, huc usque vita conteritur, æquat aut potius superat, Scholasticis, ut suprà vidimus confitentibus. Quas verò errorum gravissimorum ludificationes sine gratia Dei vita ista patiatur, locupletissimus testis est vel illa sola interminabilis dissensio Philosophorum de summo bono, quo natura rationalis beari debet. Nam ut rectè Varro existimavit, nulla Philosophiæ secta dicenda est, quæ non eo distet à ceteris, quod diversos habeat fines boni & mali, quandoquidem nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit. Quod autem beatum facit ipse est finis boni; nulla est igitur causa philosophandi nisi finis boni, ideoque nec Philosophiæ secta dicenda est, quæ non sectetur aliquem finem boni. Cujusmodi sectas, quæ vel fuerint vel adhuc esse possint, cùm ipse ad ducentas octoginta octo perduxerit, inter tot tamen dissidentium à se invicem opiniones, unius Platonis inventa est, quæ potuerit de inventa veritate gloriari: & adhuc in rebus capitalibus, quibus ad illud bonum pervehendi sumus tantopere adulterata, ut satius esset illud prorsus ignorare, quam ad illius adeptionem tantis sordibus & impietate conari. Nam & immundissimos dæmones sibi mediatores & animi purgatores quærendos esse Platonici tradiderunt, ut fusè docet Augustinus, & unà cum omnibus discipulis suis, *ipse Plato Dijs pluribus esse sacra facienda putaverunt.* Ipse Socrates qui Platone ceterisq; discipulis sectarum variarum autoribus peritior & honestior videbatur, Genio suo (quo nisi hoste humani generis dæmone?) utebatur familiariter, & morti proximus infando errore Gallum immolari præcipit Æsculapio. Quid jam de hominum vulgo dicam, ubi columina eruditionis tam fœdis erroribus hallucinati sint? Nec unus quidem tot seculorum lapsu in tanta historiarum vastitate reperiri potest, qui summum bonum, id est Deum verum naturæ sagacitate sine Dei gratia invenerit & coluerit.

Vide l. 8. & 10. de Civit. multis locis.

Lib. 8. c. 12.

Et illi

Et illi ipsi, quos diximus, Platonici illam quam receperant veritatem tam abstrusam à vulgi non tantum populorum, sed & Philosophorum captu esse judicabant, ut elegerint occultare potius quam propalare sententiam suam, sicut sæpius Augustinus memorat. Videbant enim, si turbis corporalium rerum dilectione cœcatis conarentur insinuare aliquam rem divinam & super omnia incommutabilem, quæ nullo attingeretur corporis sensu, sed sola mente intelligeretur, quæ tamen etiam naturam ipsius mentis excederet, eumque esse Deum propositum animo humano ad fruendum purgato ab omni labe humanarum cupiditatum, in quo uno acquiesceret omnis beatitudinis appetitus, & in quo nobis uno bonorum omnium finis esset, non eas intellecturas, & repugnantibus alijs Philosophis multo facilius quam sibi palmam daturas: ita ut vera salubrisque sententia, quod perniciosissimum est generi humano, imperitorum populorum irrisione sordesceret. Itaque nihil neque Philosophos, neque populos de veritate docere, sed de omnibus quasi dubitantes omnes alios impugnare maluerunt, qui verum se invenisse jactarent: Vnde secta Academicorum, qui veri Platonici erant, de omnibus quasi dubitantium, profecta est. Quid de reliquis crassissimis erroribus dicam, quibus honestas morum, sine qua neque Deus coli, neque ulla quantumvis umbratica felicitas esse potest, fœdissimè tam in Philosophis quam in populis quasi abrupto retinaculo prostituta fuit? Quamobrem S. Augustinus hanc vitam quæ non aliter à pura natura, juxta Scholasticorum solemne pronunciatum discrepat, quã ut à nudo spoliatus, non raro sicut ærumnis, ita & *erroribus plenissimam* vocat. Nam horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, omnes filios Adam tenebroso quodam suscipit sinu, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore, sine Dei gratia simul intus illuminante non possit, ut propter istam generalem Dei veri, & rerum juxta naturalem legem agendarum in toto humano genere ignorantiam, dixerit Ecclesiæ gratulando Propheta: *Ecce tenebræ operient terram & caligo populos, super te autem orietur Dominus.* Quibus verbis & naturæ totius imbecillitatem ad errores superandos & gratiæ necessitatem vaticinatus est. Quod cùm intelligeret S. Innocentius Papa, saluberrimam illam Patribus Carthaginensibus regulam fixit, *Quotidiana præstat ille remedia; quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Ipse Pelagius quantumvis hostem se divinæ gratiæ profiteretur, nequaquam tamen cum commonitus esset se esse Christianum, tanto errore exorbitavit, ut gratiam ad cavendos errores negaret esse necessariam. Nam celeberrimum ejus dogma fuit gratiam esse *legem atque doctrinam* sub qua omnes cœlestes illuminationes intelligebat. *Ipsas quoque orationes ad hoc asserebat necessarias, ut ostenderetur homini quid concupisceret ac diligeret.* Vnde Canon ille Concilij Carthaginensis: *Valde impium est ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, & ad eam quæ ædificat non habere; cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, charitas ex Deo.* Ex quo liquet in Catholicæ fidei doctrina constitueri, adstipulante universalissima ætatum omnium experientia, errores in rebus capitalibus agnoscendis & agendis, non posse natura ipsæ & consequenter minus naturæ puræ viribus sine gratia divina superari. Cum igitur pura natura ad aliquam naturalem beatitudinem ordinetur, nullaque possit esse beatitudo naturalis nisi erroribus careat, quos hostiliter creaturæ rationalis quantumvis puræ appetitus fugit, neque illis carere possit, sine magna gratia Dei, consequens est naturam institui nullo modo posse puram, sed tantummodo adjuvandam gratia Dei.

Lib. 3. cont. Academic. in fine & Epist. 56. & alibi.

Apud Aug. Epist. 91. ac Conc. Carth.

Lib. de gestis Pelag. De grat. Christ. &c. ibid. c. 30.

Can. 4. Conc. Carthag.

CAPVT SEXTVM

De offensionibus ac perturbationibus puræ naturæ quæ naturalem beatitudinem interimunt.

IAm illud secundum *non offendi* seu *non perturbari* pari impetu si non concitatiori, naturaliter creatura rationalis appetit. Quid enim magis juxta ea quæ diximus omnis beandus & beatus appetit, quàm vivere ut vult, hoc est, habere quod expedit? Hoc est autem in primis nolle offendi, nolle perturbari, id est, imperturbatam esse velle quietem voluntatis suæ. Et quid hoc est aliud, quam aut *velle gaudere*, quod omnes homines ita velle, ut beatos esse Augustino teste certum est, aut certe nolle offendi gaudium voluntatis suæ, quod ex eadem vena expetitæ naturaliter beatitudinis fluit. Sed quænam puræ naturæ potestas efficere potest ut nullis non dico rarissimis, sed vel quotidianis, & amarissimis offensionibus perturbetur voluntatis quies, ut quod velit ipsa non fiat, vel etiam quod nolit, fiat? Quis enim vel verbis prompserit vel animo cogitaverit ingentem illum calamitatum oceanum cujus fluctibus necesse est puram naturam atteri, & voluntatem cujuscunque sive sapientis sive insipientis offendi? Virtus enim sapientis, siquis tamen in pura natura sapiens esse potest, cum sibi bonorum culmen vindicet humanorum, potissimumque præsidium sit ad fabricandam sibi qualemcunque beatitudinem, quid aget aut

Lib. 3. Conf. c. 2. & 10. c. 21.

Digitized by Google

aut agere potest in pura natura nisi perpetua bella cum vitijs nec exterioribus sed interioribus, nec alienis, sed planè nostris & proprijs, maximeque illa quæ temperantia nominatur, qua carnales frenantur libidines, ne in quæque flagitia mentem consentientem trahant? Neque enim nullum est vitium quò caro etiam puræ naturæ concupisceret adversus spiritum; cui vitio ne voluntas victa succumberet, spiritus adversus carnem concupiscere cogeretur. Quam verò amara sit illa bonæ voluntatis offensio, quod assiduè cum diversissimorum vitiorum incentivis maximèque cum spurcissimis illis motibus, sive animum sive carnem etiam perturbantibus luctari cogitur, quamdiu durat puræ naturæ vita, nec illud malorum omnium potest extinguere seminarium, amarissime sentit ille qui bonam voluntatem habet: qui verò non habet, majori calamitate non sentit. Vnde Apostolus ipse cujus perfectionem nulla pura natura consequi potest, tali rixa fatigatus ac turbatus exclamat; *Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius;* hoc est, ut Augustinus exponit, *de vitijs corporis.* Cur verò illis liberari cupiat nisi quia volebat ea coercere nec poterat, & illa bonæ voluntatis offensione miser erat, & sui ipsius liberandi infirmitate miserior? Inde quippe sunt illæ voces, a *Non quod volo hoc ago;* & illæ, b *Vt non quæcunque vultis illa faciatis.* Absit ergò ut quamdiu in isto bello intestino natura pura versatur, jam sese beatitudinē, ad quam nititur vincēdo pervenire, vel se adeptam esse, vel adipisci posse præsumat. Nam quis usque adeò sapiens in illo statu esse potest ut nullum habeat cum libidinibus, cum avaritia, cum iracundia, cum æmulatione, cum superbia, cum vanitate conflictum? Quamdiu ergò inest hæc infirmitas, hæc pestis, hic languor, qui à pura natura abesse non potest, nemo tam insipienter deliret, ut se non tantum non miserum contra Apostolicam vocem; sed etiam se beatum esse posse sive eam molestissime frenando, sive turpissime satiando arbitretur.

Rom. 7.

Lib. de nat. & grat. c. 53.

a Rom. 7.
b Ad Galat. 5.

Iam verò ceteras dirissimas voluntatis offensiones; quas pura natura sive circa intelligentiam & sensus, sive circa corporis commoditates pati cogitur, quis posset quantalibet miserationis abundantia deplorare, vel eloquentiæ flumine explicare? *Omnis homo naturaliter scire desiderat,* inquit Aristoteles, sive solâ mente, sive etiam per adminiculantes corporis sensus: ardentissimum istud voluntatis desiderium esse quis inficietur? Tristissima est igitur istius voluntatis offensio. Qualis autem quantusque remanet sensus, si, ut alia taceam, fiat homo in puris istis naturalibus surdus & cæcus? Ratio verò ipsa & intelligentia quo recedet, ubi sopietur, si aliquo morbo efficiatur insanus? Phrenetici multa absurda cùm dicunt vel faciunt, si ea dignè consideramus lachrymas te-

A nere vix possumus. Quid dicam de his qui dæmonum patiuntur incursus? Vbi habent absconditam vel obrutam intelligentiā suam? Et quis sibi non hoc maximè contingere nolit? Quis confidat hoc malum in natura pura evenire non posse sapienti?

Corporis verò ærumnæ quæ & quantæ sint? Nec enim omnes ejus infirmitates & morbi libris Medicorum comprehendi potuere. Quæ naturæ puritas effecit, ut voluntas hominis nulla lassitudine, nulla debilitate, nullis febribus, nullo languore, nullo torpore, nullius morbi molestijs crucietur? Bellorum calamitates miserabiles, quis in pura natura declinaverit? Quis effecerit ut nunquam surgant? Si conquieverint quis non timebit ne rursus exurgant? Quorum certè malorum multiplices dirasque necessitates si ut dignum est eloqui velim, nullus esset prolixæ orationis modus.
B Sed sapiens puræ naturæ, inquies, non nisi justa bella gesturus est. Quasi verò non, si se hominem meminit, multo magis offensâ voluntate dolebit, justorum necessitatem sibi extitisse bellorum. Iniquitas enim partis adversæ justa bella ingerit sapienti. Quæ iniquitas utique homini est dolenda, quia hominum est, etsi nulla ex ea bellandi necessitas nasceretur.

Quid quod etiam in tranquillissima puræ naturæ pace ipsa societas humana tantis abundat malis, quibus voluntas sapientis offenditur, ut vix ea quisquam enumeraverit. Apud Comicum certè homo cum sensu atque consensu omnium hominum dicit, *Duxi uxorem quam ibi miseriam vidi? Nati filij, alia cura.* *In Adelph.* Quid itidem illa quæ in amore uno videlicet ex maximis parandæ beatitudinis adjutorijs vitia commemorat idem Terentius: *Iniuriæ, suspiciones, inimicitiæ, bellum, pax rursum:* *In Eunuch.* nonne res
C humanas ubique impleverunt? Nonne illis perinde aut magis etiam natura pura cruciaretur? Simulatas amicitias quis effugiat? Cùm *inimici hominis* Scriptura teste, fiant *domestici eius*, cujus non voluntas tantâ perversitate turbetur? Nam etsi quisque tam fortis esset ut æquo perferret animo vel tam vigilans, ut caveret, ne quid inde sibi calamitatis accideret; eorum tamen hominum perfidorum malo, cùm eos experiretur esse pessimos, si ipse bonus esset, graviter profectò cruciaretur, sive semper mali essent, & se bonos fingerent, sive in istam malitiam ex bonitate mutarentur. Hæc ergò mala tam magna, tam sæva, tam multiplicia, quisquis cum dolore seu voluntatis offensione pateretur aut cogitaret, gravissimas miserias in pura natura esse necesse est, fateretur. Quisquis aut vel pateretur ea sine animi dolore, vel sine voluntatis offensione cogitaret; multo utique mise-
D rius ideò se beatum putaret, quia & sensum humanum perdidisset.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De moriendi necessitate in pura natura, quæ capitaliter beatitudini naturali est contraria.

TERTIUM verò quod etiam impetu mirabili natura rationalis quantumvis pura appetit, est NON MORI. Cujus consideratio etiam Philosophos confiteri fecit, hanc esse naturæ primam quodammodo & maximam vocem ut homo concilietur sibi, & propterea mortem naturaliter fugiat: ita sibi amicus, ut esse se animal, & in hac conjunctione corporis atque animæ vivere velit, vehementerque appetat. Qui sanè impetus ita medullitus inhæret, ut beatitudinis appetitus cum illo indivisibili nexu oriatur atque moriatur. Ex quo fit ut cum beati esse omnes homines velint, si verè volunt, etiam esse immortales velint, aliter enim beati esse non possunt. Ille quippe beatè vivit, ut satis ex Augustino superius stabilivimus, qui vivit ut vult, nec malè aliquid vult. Nemo autem malè vult immortalitatem, quia non malè vult esse, vivere, permanere: hoc enim omne animal infixis sibi naturæ legibus didicit. Si igitur non potest habere quod tanto conatu natura etiam pura vult, profectò non vivit ut vult, nec habet quod vult, beata igitur esse qui potest? Vt enim beatè vivat profectò oportet ut vivat. Quem verò morientem vita ipsa deserit beata vita cum ipso manere non potest. Cùm porro deserit, ut Augustini discursu utar, aut nolentem deserit procul dubio aut volentem, aut neutrum. Si nolentem; quomodo beata vita est, quæ ita est in voluntate, ut non sit in potestate? Cùm propter tanti boni & summi boni maximeque dilecti boni amissionem necessario summo dolore crucietur. Si autem volentem deserit, etiam sic quomodo beata dicebatur quam perire voluit qui habebat? An igitur fortè neutrum dicetur velle vel nolle, sed ad vitam & mortem paratum, æquoque animo consistere? Sed nec ista beata vita esse potest, quam non amat beatus; sive ipsa ejus amore indigna sit, sive ipse eam animi languore indifferenter accipiat. Verissima est enim illa sententia *beatam vitam omnes velle*. Non est igitur beata vita si illa esse nec nolunt nec volunt. Si igitur beati esse necessitate volunt, profectò nolunt perire quod beati sunt. Cùm igitur sine vita beati esse non possint, vitam ipsam permanere volunt, & idcirco immortales esse volunt. Manifestum est igitur beatam vitam in quocunque naturæ statu sine immortalitate esse non posse. Quam doctrinam velut certissimam plurimis Augustinus testimonijs tradidit. Hinc enim illud: *Immortalitas si nullo modo dari homini posset, frustrà etiam beatitudo quæreretur, quia sine immortalitate non potest esse.* Et illud: *Immortalitatis si capax non est*, humana natura, *nec beatitudinis capax est.* Et illud inferius: *Beatos esse se*

Vide Tull. bonis, de finib.

Cap. 2.

Lib. 13. de Trinit. c. 7. & 8.

Cap. 10.

A *velle omnes in corde suo vident, tantaque est in hac re naturæ humanæ conspiratio ut non fallatur homo, qui hoc ex animo suo de animo conjicit alieno. Denique omnes id velle nos novimus. Multi verò immortales se esse posse desperant, cùm id quod omnes volunt nullus aliter possit. Volunt tamen etiam immortales esse si possent.* Qua de causa etiam docet, nullam esse posse beatam hominis vitam nisi stabilis fuerit & æterna. *Ergò*, inquit in Sermonibus de diversis, *vita quæ æterna & beata; quia si non æterna, nec beata: si autem æterna in pœnis, nec vita.* Vnde brevissimum illud pronunciatum assiduè repetit: *Vita beata non nisi æterna est.* Et ratiocinatio illa largior in libris de Civitate Dei, qua cum præmisisset non esse beatum nec vivere ut vult qui mori cogitur, ea quæ superius diximus cuncta complexus est: *Beata vita si non amatur, non habetur. Porro si amatur & habetur ceteris omnibus rebus excellentius necesse est* B *ametur: quoniam propter hanc amandum est quicquid aliud amatur. Porro si tantum amatur, quantum amari digna est; (non enim beatus est a quo ipsa vita beata non amatur ut digna est) fieri non potest, ut eam qui sic amat non æternam velit. Tunc igitur beata erit quando erit æterna.* Quod ita naturali ratione manifestum est, ut si vita ejus, qui beatus dicitur, & amata, & reipsa immortalis, & æterna Dei beneficio poneretur, & hoc ipsum ei incertum esset, sed tamen perpetuo putaretur non à propria voluntate, sed ab alterius nutu vel casibus incerta pendere, nullo pacto beata dici vel esse posset. Timor enim ipse amissionis tanti boni non posset non voluntatem ejus vehementer affligere. Vbi autem perpetua sollicitudinis ac timoris afflictio beatitudo esse nullo pacto potest. Vnde Augustinus: *Sanitas & vita si timetur ne finiatur tam non est vita. Non est enim semper vivere, sed semper timere. Si semper timere, semper cruciari. Si cruciatus sempiternus, ubi vita æterna?* Et C paulò inferius ex naturali ratione beatitudinis creaturæ rationalis veritatem colligens: *Si erimus ibi in vita beata; & utrum ibi futuri simus, incerti erimus, etiam ibi erit timor. Et si erit timor, cruciatus erit, non carnis, sed quod pejus est cordis. Vbi autem cruciatus, quæ beatitudo?* Cùm igitur perinde in pura natura sicut in lapsa immortalitas esse non possit (mors enim ei juxta Scholasticorum placitum naturalis est, immortalitas verò gratia & ejus viribus impossibilis) profectò in ea nec beatitudo naturalis esse potest; juxta illud verissimum Augustini, quod suprà diximus, *si immortalitatis non est capax humana natura, nec beatitudinis capax est.* Quod si beatitudinis non est capax pura natura; profectò illa non pura, sed damnata natura est; utpote in illo statu prorsus incapax beatitudinis. Quam omnis creatura rationalis naturaliter vehemen-

Serm. 113. de divers. c. 7.

Lib. 7. de Civit. c. 11. & lib. de Trin. c. 4. & Epist. 121. c. 9. & 3. cont. Maximin. c. 13.

Lib. 14. de Civit. c. 25.

Serm. 113. de divers. c. 6.

Ibid.

vehementissimo conatu appetit, & ad quam proinde naturaliter sicut ad verum suum finem ultimum ordinatur. Quem quia sine magna & evidentissima Dei gratia natura humana in quocunque statu consequi nequit, qua caveat sive errores, ut intelligentia non fallatur, sive offensiones ne voluntas multiplicibus miserijs perturbetur, sive mortem, ne ipsa vita cum qualicunque beatitudine consumatur, profectò sine illa quoque gratia per quam naturalem beatitudinem suam adipisci possit, & à naturali suo appetitu conquiescere, connaturaliter condi nequit. Nec verò satis est ad beatitudinem ut aliquis mori & falli & offendi non possit, sed etiam necessarium est, ut de omnium illorum perpetua stabilitate & permansione securus sit: hoc enim nisi constet necesse est, ut amittendi tanti boni timore doloreque torqueatur. Vnde Augustinus cum dixisset, quod etiam *iustus non vivit ut vult*, quod inter cetera beatitudini essentiale est *nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non possit*, statim adijcit quartum; *eique sit certum, ita semper futurum. Hoc enim natura expetit, neque plenè atq; perfectè beata erit nisi adepta quod expetit.* Sed quantumcunque Deum ut autorem rerum naturalium pura natura intelligere poneretur, nunquam certa de trium illorum stabilitate & æternitate redderetur. Hoc enim neque cognosceret neq; cognoscere ullo pacto posset ex illius objecti sui beatifici naturali penetratione Dei videlicet tanquam autoris naturæ, vel prout est causa rerum naturalium. Nam etsi tenuiter res rationales cognoscere possit, non tamen quamdiu vel ipsemet qui cognoscit, vel cognitio qua cognoscit, vel illæ quas cognoscit, vel tranquillitas animi quam cognoscendo percipit, permansuræ sint. Hoc enim nullus Philosophus hactenus aut cognovit aut cognoscere potuit. Nemo enim ipsorum eo pertigit, ut vel mundi, vel sui-ipsius durationem, vel contemplationis vel tranquillitatis propriæ stabilitatem: imò vix quisquam eo, ut vel solius animæ rationalis immortalitatem penetraret. *Humanis quippe argumentationibus*, inquit Augustinus, *hæc invenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt. Ad miserias eam quippe vitæ huius etiam post beatitudinem redire dixerunt. Et qui eorum de hac erubuerunt sententia, & animam purgatam in sempiternam beatitudinem sine corpore collocandam putaverunt, talia de mundi retrorsum æternitate sentiunt, ut hanc de anima sententiam suam ipsi redarguant.* Cùm ergò ad hæc intelligenda pervenire non posset, impossibile est etiam ut beatus esset, sed perpetua de futuro statu suo inquietudine turbaretur. Ex quo sequitur, non minus illum puræ naturæ statum quam ejus beatitudinem fictitiam esse & naturaliter impossibilem. Talia enim dona in illo vel quolibet alio statu caussare, non solum puram naturam, sed etiam potentiam Dei spectati ut auctoris naturæ, hoc est, ut res naturales causantis excedit. Nulla igitur possibilis est beatitudo nisi quam fides vera promittit eaque per veram & magnam gratiam Dei adipiscenda sine qua consequenter condi nequit.

Lib. 14. de Civit. c. 25.

Lib. 13. de Trinit. c. 9.

CAPVT OCTAVVM.

Ostenditur insania Philosophorum naturalem beatitudinem sibi machinantium in ea quam putabant esse puram naturam. Superbia singularis tantum naturæ etiam puræ viribus tribuere.

SED quandoquidem pura natura ex Philosophorum Gentilium errore nata est, qui humanæ damnationis ignari, nihil in natura nostra esse putaverunt quod non in ea creator ejus condidisset: Fortassis hic respondebitur puram naturam ad talem naturaliter pervenire posse beatitudinem, qualem ijdem Philosophi suo sapienti in puris naturalibus juxta eorum opinionem condito tribuerunt. Eam enim esse satis, ut & pura natura ad finem aliquem ultimum naturaliter ordinata, & subsidijs naturalibus ejus adipiscendi instructa, & non frustra tantum beatitudinis appetitum accepisse & beata esse posse naturali aliqua felicitate dicatur. Hæc imaginatio philosophicæ beatitudinis, ex Gentilium librorum consuetudine familiaris facta Christianis & naturali quadam Dei contemplatione condita, quam ei sensus Christianæ pietatis adjecit, naturæ puræ conditores fallere solet. Si enim illas ipsas beatitudinis conditiones, quam Philosophi suo sapienti tribuunt, attenta mente ponderare voluissent, profectò deprehendissent eos ipsos quos æmulantur nihil minus quam beatitudinem, sed veram gravissimamque miseriam nomine felicitatis prædicasse. Stoici quippe sunt quibus præcipuè typhus ille superbiæ placuit, ut se in hac misera sua quam putabant pura natura beatissimos esse posse sentirent. Quod ut plausibiliori fuco stultis persuaderent miserisque mortalibus, inopinata quædam dogmata ex professo propugnanda suscepére: videlicet ut eo profundioribus mysterijs plena viderentur, quo magis adversus voces ipsius naturæ reclamantis insurgerent. Nam sapientem suum dixerunt sola virtute contentum, etiam in Phalaridis tauro esse beatissimum, usque adeò ut nec illa quæ dicuntur mala, mala esse contendant, qua de re Tullius in Paradoxis ac Tuscula-

Tusculanis videri potest. Sed quid nisi magnus quidam stupor arrogantiæ hujusmodi paradoxa peperit, quandoquidem si tanta fuerint illa quæ dicuntur ab alijs mala, & ab ipsis bona, ut ea sapiens, qualem mirabili vanitate describunt, vel non possit vel non debeat sustinere, cogi eum sibi mortem inferre, & ex hac vita emigrare fateantur? Cedit igitur sapiens immanissimis cladibus atque succumbit, videlicet tantum ut eis cogatur & in seipsum homicidium perpetrare. Cui jam parcat ut illis careat malis, qui sibi ipse non parcit? Certè semper beatus est, certè beatam vitam in sua potestate constitutam nullâ vi potest ullius calamitatis amittere. *Nemo enim*, inquit ille, *potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quiq; in se uno ponit omnia.* (Tull. parad. 2.) O vitam scilicet beatissimam sapientis, qua ut fruatur mortis quærit auxilium! Si beata est permane in ea sapiens: si verò propter ista mala fugis ab ea, quomodo est beata? Aut quomodo non sunt mala quæ vincunt tuum illud fortitudinis, hoc est virtutis bonum, quo totus eras aptus ex te & in te uno ponens omnia? Nec tantum fortitudinem tuam sibi cedere, verum etiam sapientiam tuam delirare compellunt, ut & eandem vitam dicat beatam & persuadeat esse fugiendam. Quis usque adeo cæcus est ut non videat, quod si beata esset, fugienda non esset, cùm omnium sit votorum summa beatitudo? Sed si propter infirmitatis qua premitur pondus, fugiendam eam fatentur; quid igitur causæ est cur non etiam miseram fracta superbiæ cervice fateantur? Quæro etenim utrum ille totus aptus ex se beatissimusque Cato patientia, an impatientia se peremerit? At non hoc fecisset nisi victoriam Cæsaris impatienter tulisset. Nam & amici ejus docti quidam viri qui hoc fieri prudentius dissuadebant *imbecillioris quam fortioris animi facinus esse censuerunt; quo demonstraretur non honestas turpia præcavens sed infirmitas adversa non sustinens.* (Aug. lib. 1. de Civit. c. 23) Ubi est hîc tota ex se apta beatissimi sapientis fortitudo? Nempe cessit, nempe succubuit, nempe usque adeo superata est ut vitam beatam derelinqueret, desereret, fugeret. An non erat jam beata? Misera ergo erat. Quomodo ergo mala non erant quæ vitam tam beatam miseram fugiendamque faciebant?

Quapropter etiam ipsi qui minus alte sterterunt Peripatetici & veteres Academici, quorum sectam Varro defendit, tolerabilius quidem locuti sunt quod illa mala esse fatentur: Verumtamen eorum quoque mirus error fuit, quod in his tantis tamque gravibus malis ut essent morte sibi illata fugienda sapienti, vitam tamen beatam esse contenderent. Mala sunt, inquiunt, tormenta atque cruciatus corporis, tantoque pejora quanto potuerunt esse majora quibus ut careas ex hac vita fugiendum est. Qua vita obsecro? Hâc, inquiunt, quæ tantum aggravatur malis. Certè ergo beata est in eisdem ipsis malis

A propter quæ dicis esse fugiendam? Beata verò inquiunt. An fortè ideo beatam dicis, quia licet tibi ab his malis morte discedere? Quid si ergo in eis aliquo judicio divino tenereris nec permittereris mori, nec unquam sine illis esse morte sinereris? Nempe tunc saltem miseram talem diceres vitam. Non igitur propterea misera non est quia cito relinquitur: quandoquidem si sempiterna sit, etiam abs te ipso misera judicatur. Non itaque propterea quoniam brevis est, nulla miseria debet videri: aut quod est absurdius quia brevis miseria est ideo etiam beatitudo appellari. Magna profectò vis est in eis malis, quæ cogunt hominem secundum ipsos etiam sapientem, sibimet auferre quod homo est; cùm ipsimet Philosophi dicant, & verum dicant, hanc esse naturæ primam quodammodo & maximam vocem, ut homo

B concilietur sibi, & propterea mortem naturaliter fugiat. Magna vis est in eis malis quibus iste naturæ vincitur sensus, quo mors omni modo omnibusque viribus conatibusq; vitatur; & ita vincitur, ut quæ vitabatur, optetur, appetatur, & si non potuerit aliunde contingere ab ipso sibi sapiente inferatur. Magna vis est in eis malis, quæ fortitudinem faciunt homicidam: si tamen adhuc dicenda est fortitudo, quæ ita istis vincitur malis, ut hominem quem regendum virtus, tuendumq; suscepit, non modo non possit per patientiam custodire, sed insuper cogatur occidere. Debet quidem etiam mortem sapiens ferre patienter, sed quæ aliunde contingit. Secundum istos autem, si eam sibi ipse sapiens eorum inferre cogitur, profectò fatendum est eis non solum mala sed intolerabilia etiam esse mala, quæ hoc eum perpetrare compellunt.

C Vita igitur ista puræ naturæ quæ istorum tam magnorum, tam gravium, tam multiplicium malorum aut premitur oneribus, aut subjacet casibus, quibus nec per excellentem Dei gratiam, nedum puram naturam, liberari possumus quamdiu vivitur, nullo modo beata esse posse diceretur, si homines qui hoc dicunt sicut victi malis ingravescentibus, dum sibi vel inferunt mortem, vel cum gemitu & lachrymis perferunt vitam, cedunt infelicitati, ita victi certis rationibus dignarentur cedere veritati, & non putarent se sibi in ista miserrima puræ naturæ mortalitate beatitudinem & quidem miseræ istius naturæ viribus posse parere. Nam & virtutes ipsæ quibus nihil melius atque utilius in pura natura reperiri posset quanto majora essent adjutoria contra vim periculorum, errorum, dolorum, laborum, tanto essent fideliora testimonia miseriarum. Si enim veræ virtutes essent in illo statu, quamvis etiam super illum statum di-

D vinâ inspiratione juvarentur, nunquam nisi mendaciter se profiterentur hoc posse ut in illa vita homines viverent uti vellent, nullasque miserias etiam gravissimas paterentur. Nec enim unquam effecerint ut pura natura multis modis quotidie non fallatur, non multi-

plicitur

pliciter offendatur, non tandem aliquando moriatur, non miserijs laborum, dolorum, ægritudinum, casuum opprimatur, non timoribus crucietur. Quod si non possent, profectò nullo pacto vel umbraticè beatum facere possent. Rectè enim senserunt etiam ipsi Philosophi, qui beatitudinem sibi propriâ virtute fabricare voluerunt, quam se cernebant ex misera istius naturæ puræ conditione habere non posse, *Aliter beatum esse neminem posse nisi habendo quod vellet & nihil patiendo quod nollet*, cujusmodi beatitudinem naturalem si Scholastici se putent in eodinem illo puræ naturæ statu suâ virtute posse fabricare, non vereor dicere libertate Christianâ, tanto falsiorem eorum fore beatitudinem quanto superbior virtus fuerit, tanto autem superbior erit, quanto mendacior: tanto mendacior quanto stultius suis viribus polliceri audeat, quod nec mens cælitùs illuminata, nec voluntas sancti Spiritus ardore succensa, nec virtus divinitus inspirata, justis in hac vita largiri potest. Quæ cùm puram naturam tot supernaturalibus revelationibus adversus errores, tot gratiæ adjutorijs adversus labores doloresque superet, & in ceteris

Lib. 13. de Trin. c. 7.

A juxta Scholasticorum placitum ei sit simillima nihil aptius adversus hujusmodi beatitudinis naturalis architectos dici potest, quam quod Augustinus adversus Philosophos eorum præsultores exclamavit, cùm eos naturalis rationis viribus demonstrata beatitudinis illius naturalis falsitate superasset: *Quanta est vanitas, quanta insania, quantumq; mendacium, hominem mortalem, ærumnosam vitam mutabili spiritu & carne ducentem, tot peccatis oneratum, tot tentationibus subditum, tot corruptionibus obnoxium, in seipso fidere ut beatus sit, quando ne illud quod habet in natura sua dignitate præcipuum id est mentem atque rationem potest vendicare ab erroribus, nisi Deus adsit lux mentium.* Ecce unde homini non errare: *Abjiciamus itaque, obsecro te, falsarum Philosophorum vanitates & insanias mendaces, quia nec virtus nobis erit, nisi adsit ipse quo juvemur,* B *nec beatitudo, nisi adsit ipse quo fruamur: Et totum mutabile atque corruptibile nostrum, quod per seipsum imbecille & quædam materies miseriarum est, dono immortalitatis atque incorruptionis absorbeat.* Ecce unde homini non offendi, non perturbari, non mori; sine quibus in qualibet pura natura beatitudo esse non potest.

Epist. 51.

CAPVT NONVM.

Pura natura non potest mereri ut resoluto & resumpto corpore beatitudo naturalis ei ut merces detur.

FORTE dicent rectè istis omnibus demonstrari in pura natura sicut in lapsa, nullam naturalem esse posse beatitudinem, sed veram tantum magnamque miseriam antequam corpus miseriarum seminarium fuerit morte resolutum. Sed cum anima in alterâ vitam translata fuerit corporiq; restituta, tum demum adipisci posse quod vinculis mortalitatis præpedita nõ poterat. Verum quæro cujusmodi vitam illam post corporis resolutionem atque restitutionem fabricaturi sint, utrum purorum naturalium, an integritatis beneficijs cumulatam? Si natura & ibi pura est, erit & ibi profectò eadem profunditas ignorantiæ ex qua omnis error existit, eadem spiritus & carnis pugna, eadem libidinum incentiva, eadem animi ad adamanda stulta & noxia depressio, eadem corporis imbecillitas, eadem materies miseriarum, eadem mortis necessitas. Hæc B enim omninò sunt quæ ipsi dicunt homini in puris naturis condito esse naturalia: nec ab homine auferri posse nisi per indebita naturæ dona Dei. Nihil enim apud eos pura natura à vitiata nisi quod nudus à spoliato discrepat. Certum est autem Scholasticis non posse ista à vitiata natura separari nisi per indebita & valde singularia Dei munera, omnes naturæ vires superantia. Pari igitur modo neque à pura natura; quod tanquam per se ex ipsa malorum enumeratione manifestum Scholastici confitentur. Ex quo sane

Indiv. Prolog. cap. 3. num. 6.

A sequitur impossibile esse ut homo manens homo ex corpore & anima compactus, in pura natura beatitudinem suam naturalem assequatur; sed necessarium esse ut ex illo statu ad alium integritatis naturæ, sicut nos juxta Augustinum contendimus detractis illis omnibus defectibus sublevetur.

An fortè meritis puræ naturæ statum integræ naturæ consequi potest? Nam & hoc aliquis comminisci posset, hominem in pura natura constitutum bonis operibus præsentis vitæ hoc apud Deum adipisci posse, ut ei in futura vita velut præmium virtutis naturalis illa beatitudo reddatur. Hoc verò multo est insolentius multoque majores absurditates secum trahit.

Primò quia sequetur naturalibus operibus præmium obtineri posse, quod omnes naturæ vires superat. Cùm tamen meritum & præmium ejusdem ordinis esse debeant. Deinde non potest esse meritum apud Deum nisi ex Dei amore nascatur. Amor enim creaturæ, qui non retorquetur in Deum vitiosus amor est, neque verum beatitudinis illius meritum esse potest. Quis enim dixerit peccando hominem adipisci posse felicitatem? Rectissimè quippe Tullius in Hortensio definivit: *Velle quod non deceat, idem ipsum miserrimum. Nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat, plus enim mali pravitas voluntatis affert, quam fortuna cuiquam boni.* Quam sententiam tanquam ex fundo veritatis

Apud Aug. Lib. de vit beata & 13. de Trin. c. 5.

ritatis haustam Augustinus magnoperè celebrat. Iam verò impossibile est ut pura natura assurgat sine gratia in amorem Dei, sub quibuscunque tandem attributis, etiam connaturalissimis creaturæ rationali Deum amari velis quemadmodum ex Augustini doctrina velut indubitatum supra declaravimus. Omne igitur meritum bonum in pura natura, sine gratiæ adjutorio prorsus impossibile est; præsertim ad adipiscendam rem tantam tantoque intervallo excedentem omnes naturæ vires.

Tertiò, quia quamvis in pura natura esse posset aliquod meritum bonum, hoc ipsum tamen non posset sine peccatis meritorum cursum continuò interrumpentibus custodiri. Lex enim naturæ non potest ullo modo sine Dei gratia voluntatem naturæ roborante servari. Pondus enim sæviențis concupiscentiæ tantum est, ut non solum aliquid supernaturalis operis hominem præstare non sinat, sed etiam sine gratia voluntatem retrahente, in certissimum peccati præcipitium trahat. *Lex enim*, id est scientia boni operis *sine gratia non-nisi prævaricatorem facit*. Sed de hac re sequenti capite plura dicturi sumus: ex quibus tria suppeditabuntur argumenta, quibus omnis possibilitas boni meriti funditus in puris naturalibus evanescet. Cùm igitur satis liquido constet non posse in pura natura esse meritum, quo ad integritatē naturæ pervehi possit, nulla etiam spes in naturalibus puris erit cōsequendæ beatitudinis naturalis sine gratia: idque sive spectes vitam præsentem erroribus, doloribus, ærumnis plenam, sive illam quæ deposito resumptoque corporis onere futura sequeretur. Porrò eversâ spe beatitudinis per puram naturam consequendæ ipsa quoque pura natura corruit: sicut hoc esse consectaneum jam superius aliquoties declaratū est. Quid quod sequeretur hominem naturaliter esse posse Deum, si naturaliter posset ad beatitudinem pervenire? Est enim certum neminem esse posse beatum in æternum beatitudine perpetuâ, qualis post hanc vitam beatitudo etiam à Philosophis immortalitatem animæ prædicantibus constituta est, nisi fiat impeccabilis. Nam hoc ipso quo peccari potest, beatitudo etiam amitti potest. Quamdiu autem beatitudo amitti posse cernitur, tamdiu necesse est animus aliquo illius amittendæ timore torqueatur: præsertim attentâ tam ingenti animæ infirmitate, quæ statui puræ naturæ implicata est. Impeccabilis igitur animus esse debet, qui æternæ beatitudinis felicitatem possidere decernitur. Sed impeccabilem esse vi propriæ naturæ suæ soli Deo proprium est: juxta illud sancti Augustini: *Aliud est esse Deum, aliud participem Dei. Deus natura peccare non potest; particeps vero Dei ab illo accepit ut peccare non possit.* Quod ibidem fieri tradit per *munus gratiæ Dei*: quæ à pura natura secundum præsentem hypothesim etiam Scholasticorum confessione secluditur. Lib. 22. de Civit. c. 30.

CAPVT DECIMVM.

Quintum & sextum argumentum adversus statum puræ naturæ, ex ratione liberi arbitrij quo careret ad bonum, & necessitatis peccandi in singulis operibus.

HVcusque puram naturam quatuor argumentis secundùm Augustini mentem oppugnavimus, ex parte videlicet voluntatis & intellectus: quarum illa beatitudinem quam naturaliter appetit Deum amando sequitur, iste assequitur contemplando. Nunc ex alijs capitibus non minus hostiliter ei repugnantibus evertendus est. Cùm autem nihil naturæ rationali magis consentaneum sit quam ut declinet à malo & faciat bonum, quam ob causam toties, ut vidimus, clamat Augustinus, malum non esse naturam sed naturæ vitium; proximum est, ut de potestate non peccandi & benefaciendi quam haberet pura natura pauca præcedentibus adjungamus.

Itaque neminem inficias iturum arbitror, divinæ bonitati & Christianæ pietati esse contrarium, ut Deus talem dicatur instituere posse creaturam rationalem, quæ nihil omninò libertatis habeat, ut faciat ullum opus bonum, sed perpetua & in singulis operibus peccandi necessitate teneatur. Non enim posset evidentius omnium flagitiorum & facinorum turpitudo quæ ex tali institutione sequerentur retorqueri in creatorem, & voluntas creaturæ ab omni iniquitate purgari. Hoc autem ex puræ naturæ conditione omninò secuturum ex principiis Augustini quæ supra cùm de statu liberi arbitrij post peccatum ageremus, fusè declaravimus, perspicuè & multis modis patet.

Nam in primis ibi sex argumentis ex Augustino stabilivimus omnem indifferentiam libertatis ad bonum & malum, primum hominem peccando perdidisse; usque adeo ut loco libertatis, arbitrium voluntatis, jam perpetuâ quâdam concupiscentiæ captivitate & servitute depressum, non possit semetipsum suis viribus erigere, ut dominanti sibi dominetur, & ita faciat aliquod opus bonum. Nam ad hanc liberationem seu vinculi tenacissimi dissolutionem afferendam, filius Dei de cœlo venit, & gratiam liberatricem dedit. Lib. 2. de pec. in natura lapsa à c. 3. usque ad 9.

Secundo consequenter ex eodem sancto

Doctore demonstravimus, vi captivitatis seu A servitutis illius sub dominante concupiscentiæ iniquitate, non modo perijsse libertatem faciendi operis boni, sed etiam hominem in assiduam peccandi necessitatem esse præcipitatum: ita ut nec unum quidem opus moraliter bonum seu non malum ab eo possit fieri, nisi gratia Dei vincula ejus dirumpente liberetur, quod latissimè septem diversis argumentis tanquam rem in Augustino exploratissimam comprobavimus.

Ibid. à c. 10. usque ad finem, pæne toto l. 4. de statu naturæ lapsæ.

Tertiò ibidem ostendimus summo consensu sancti Augustini ac discipulorum ejus nullis viribus Philosophos quasi vi puræ naturæ claruisse, sed vera fuisse & propriè dicta vitia, ex quibus nihil nisi vera peccata nascerentur. Quorum singula Augustinus tanta securitate docet, ut deliros, insanos, impios, scripturæ & fidei adversarios nuncuparet eos qui adversus ista doctrinæ velut B Catholicæ rudimenta niterentur.

Lib. 4. de statu naturæ lapsæ à c. 8. usque ad 16.

Iam verò certissimum est & apud Scholasticos in confesso, excepta peccati iniquitate, quæ transit, nihil omninò puram naturam à natura lapsa in ignorantia, in libertate, in concupiscentiæ captivitate & servitute, in potestate benè operandi & necessitate peccandi discrepare. Nisi quod hoc unum discrimen adhuc ipsi Scholastici esse velint, quod minor sit cæcitas & corruptio naturæ lapsæ quam puræ, propter paternas traditiones quæ ab Adamo in posteros dimanarunt, neque inde consequentem sapientiam, & alias causas. Vnde arbitrantur majorem verisimiliter in pura natura futuram esse peccandi facilitatem. Quâ de re plura supra diximus. Itaque Iulianus cùm statum puræ naturæ tueretur, quicquid Augustinus naturæ per peccatum accidisse prædicabat, naturaliter ei concreatum esse censebat, Nam alioquin per baptismum, inquit, C *liberum baptizatis redderetur arbitrium, ut per correctionem naturæ expulsa lege peccati, tam possibile esset mortalibus splendore fulgere virtutum quam sordibus horrere vitiorum.* Quod cum non putaret fieri in baptismo, nihil etiam in natura per peccatum *de suis ordinibus motum esse,* concludit. Cum ergo pura natura nihil omnino lapsam in benefaciendi libertate superet, sed potiùs majori peccandi pronitate atque necessitate devincta teneatur perspicuum erit juxta doctrinam Augustini nihil omnino operis etiam moraliter boni puram naturam præstare posse, sed in singulis actibus ineluctabili necessitate peccaturam.

Vide dicta supra lib. 1. cap. 1.

Vide ibid. & Franciscum Suar. prol. 4. c. penult. & ult.

Lib. 1. oper imp. fol. 292. & 293.

38 Nam illa necessitas peccandi, jacturaque laudabilis libertatis, non in aliqua naturæ lapsæ subvectione in supernaturalem statum, vel in aliqua peculiari operum bonorum dignitate fundata est, sed partim in eo quod creatura rationalis cùm Deum sine vera gratia tanquam finem operis boni non possit suis viribus diligere, necessariò in creaturæ dilectione requiescere debebit; quod ei æternâ lege vetitum est; partim in concupiscentia captivum tenente arbitrium voluntatis, à cujus vinculo se expedire non potest. Nam inde fit, quod in omnibus motibus, ejus ductum sequatur, semper & usquequaque pro creatore diligendo creaturas quibus incessanter inhiat. Motus enim ejus non est aliud quam appetitus fruendi quacumque creatura. A quo morbido appetitu nihil omninò liberum facere voluntas potest, nisi gratia creatoris *inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam.* Quod nisi fiat, quid aliud potest nisi motibus ejus incitata concupiscere, & concupiscendo peccare? *Neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur.* Cùm igitur Augustinus docet, naturam lapsam non posse sine gratia arbitrium voluntatis erigente à dominatione cupiditatis, liberante à vinculo servitutis, juvante contra tyrannidem ejus, bonum opus facere; non de operibus tantum supernaturalibus, sed etiam moraliter bonis loquitur, hoc est, de operibus quocunque tandem modo non malis. Quod ex contrario ejus valdè manifestum est; nam inde consequenter docet falsam esse doctrinam Iuliani, qui opera moraliter bona, sed vitæ æternæ sterilia in gentilibus Philosophis prædicabat. Inde ulterius docet eorum opera non tantum non esse supernaturaliter & moraliter bona, sed etiam esse mala, injusta, peccata, æternâ damnatione plectenda. Quæ sane cùm in pura natura non minus luculentè quam in lapsa locum habeant, quam Iulianus ceterique Pelagiani puram esse mordicus tuebantur, perspicuum profectò est puram naturam, si crearetur, omni boni operis libertate vacuam futuram solâ perpetuáque peccandi necessitate constrictam. Cujusmodi creaturam cùm impossibile sit Deum condere, nisi in sola schola Manichei, impossibile consequenter erit hominem à Deo in puris naturalibus condi.

Lib. de spir. & litt. c.

Ibidem.

Ex quo etiam discursu tanquam à radicibus patet, cur in fine præcedentis capitis diximus, fieri nullo modo posse ut pura natura beatitudinem, quam propter institutionis suæ miseriam per se adipisci nequit, aliquo virtutis vel boni operis merito post corporis mortalis resolutionem, in futura vita velut præmium præsentis assequatur. Vbi enim nullum esse potest puræ naturæ viribus opus bonum, ibi nec meritum nisi damnationis esse posse manifestum est.

CAPVT

CAPVT XI.

Transitus ad argumentum contra statum puræ naturæ ex parte concupiscentiæ: Declaratur Iulianum id sensisse de concupiscentia quod Philosophi Gentiles & Scholastici de illa docent in statu puræ naturæ.

TRACTAVIMVS huc usque contrarietatem quam habet pura natura cum recta institutione creaturæ rationalis, ex parte beatitudinis, quam naturaliter appetit: sive spectes objectum ejus primarium, sive cetera bona sine quibus esse non potest, sive fruitionem ipsam voluntatis, sive motum dilectionis per quam ad ejus adeptionem promoveri debet. Nunc celebres illæ conditiones expendendæ sunt, quas puræ naturæ schola unanimi consensu tribuit, *concupiscentiam, ignorantiam, miserias corporis, mortem*, sub quibus & cum quibus ceteras animi & corporis calamitates quas peccatum attulit, ita Deo juvante ponderabimus, ut cuivis æquo lectori planissimum sancti Augustini sensum non desperemus nos facturos.

Vt igitur a concupiscentia tanquam ignorantiæ seminario auspicemur, sciendum est acerrimum fuisse inter Augustinum & Iulianum de concupiscentiæ bonitate conflictum; uno mordicus asserente, altero negante esse malam. Hâc de re omnes libri adversus Iulianum in singulis pœnè paginis testes sunt. Tanti enim momenti sentiebat uterque esse istam controversiam, ut totam causam hæresis Pelagianæ ex ejus decisione pendere judicaret. *In hac controversia*, inquit Augustinus, *de bene utendo isto utrum bono an malo* (concupiscentia) *tota inter nos causa versatur.* Et in alio libro: *Cum igitur libidinem & naturalem esse & vinci posse ambo dicamus, utrum bonum vincamus an malum, ipsa inter nos vertitur quæstio.* Quæ quæstio peperit illos undecim aut duodecim libros qui contra diversas Iuliani lucubrationes exarati sunt.

Lib. 3. contra Iul. c. 21.

Lib. 5. c. 7.

Quo verò sensu uterlibet eorum vel bonam vel malam concupiscentiam esse diceret, accuratius attendendum est. Nam Iulianum nihil aliud asseruisse quam id quod Philosophi gentiles docent, nemo videtur inficias ire posse. Apertissimis enim verbis ex eorum disciplina sumptis tradebat, hominem ex spiritu & carne, angelicâ & animali naturâ, velut ex imparibus compactum esse bonis quorum hoc deorsum, illud sursum tenderet, ita tamen ut animo imperium esset in cupiditates datum, nec liceret ei relictis superioribus ad inferiora declinare. Nam illa verba refert Augustinus, quibus ipse dixerat, *Quoniam ex imparibus bonis compositi sumus, animum corpori debere dominari: quorum alterum nobis cum dijs, alterum cum beluis commemorat esse commune. Et ideo id quod est melius id est animum virtute præditum & membris corporis bene & cupi-* A *ditatibus imperare.*

Lib. 4. contra Iul. c. 5.

Hic totum dogma Philosophorum gentilium de cócupiscentijs seu libidinibus magna ex parte proprijs eorum verbis expressum est; sunt enim verba Salustij de conjuratione Catilinæ. Itaque significatum his verbis voluit id inprimis quod ex Philosophia Scholastici dicunt, & verum dicunt, hominem esse compositum ex duplici natura spirituali & corporali; nam illa sunt *imparia illa bona*, ex quibus *compactos* nos esse Iulianus tradidit. Tum unumquodque illorum suum habere bonum quo delectetur, animum honestate atque virtute, corpus sibi congruis voluptatibus cibi, potus, veneris &c. illa esse summa bona, hæc infima, in quæ animus relectis summis declinare non debet. Ita hoc eum sensisse ex Augustino manifestum est: *Honestate quidem mentis inferius, tamen bonum* B *hominis esse censes corporis voluptatem.* Quod quomodo intelligit, ante exposuerat cùm diceret hæc à Iuliano, *tanquam minora bona defendi, in quæ non debet a supernis animus inclinari, non quia libido vitium est, sed quia infimum bonum.* Itaque id quo concupiscimus, seu facultatem illam cujus operatio est ille concupiscendi motus, Iulianus dicebat esse sensum, quod nos dicimus, appetitum sensitivum. *Sensus est*, inquit, *concupiscentia, & mala qualitas non est.* Nam eum sic hoc intellexisse, ut esset sensus seu facultas interna, cujus motibus anima concitatur, ex alijs ejus verbis constat. *Caro concupiscit quia carnaliter anima concupiscit. Siquidem sine anima caro nec sentiat. Concupiscere autem viventis sentientisque naturæ est, sine quo sensu membra moveri non possunt, id est, per semetipsa concupiscere nequeunt, qui sensus concupiscit etiam sine membris ut in spadonibus*, & quia de illa concupiscentia quæ in membris genita- C libus regnat potissima inter eos vigebat controversia propter peccati originalis propagationem astruendam aut destruendam, hinc conformiter prorsus ad sensa Philosophiæ omnia principia concupiscentiæ illius explicat: nempe originem istius esse calorem, qui quo major minorve est, eo vehementior etiam aut mitior concupiscendi motus. Speciem ejus qua ab alijs motibus distinguitur esse in eo quod sit in genitalibus: modum concupiscendi seu moderationem ejus in eo sitam ut tantum in conjuge exerceatur, immoderationem esse in illicitis conjunctionibus. *Genus*, inquit, *concupiscentiæ est in igne vitali, species in motu genitali, modus in opere conjugali, excessus in intemperantia fornicandi.* Vbi per genus

In Prolog.

Lib. 4. c. 13.

Cap. 12.

Lib. 6. c. 18.

Lib. 6. c. 14.

Lib. 3. c. 13.

genus originem seu causam excitantem illos motus intelligitur, Porphyriana scilicet phrasi, juxta quam alio in loco, *Iustitiæ genus* indagans, *quo*, inquit, *nihil aliud quam originem intelligi volo*. Itaque superiora verba quæ *genus* concupiscentiæ nominaverant, eodem sensu explicat, ut genus sit ejus origo; *Merito igitur concupiscentiæ origo definitur in igne vitali*, id est in *calore genitali*, ut alibi vocat, *quo collecto necesse est ut ei reputetur concupiscentia carnalis*, id est necesse est animam carne concupiscere *per quam constituta est vita carnalis*.

Lib. 1. oper. imperf. f. 31.

Lib. 3. cap. citato.

Lib. 4. cap. 3.

Ex his satis intelligitur Iulianum etiam in hoc Philosophis consentisse, quod concupiscentia pro natura impetus sui ad præsentiam sensibilis objecti, vel alias causas intrinsecus concitantes nullo exspectato imperio rationis exardesceret. Nam hoc est quod dicit, *quo collecto necesse est ut ei reputetur concupiscentia carnalis*, hoc est necesse est ut vi caloris genitalis B concupiscentia ad præsentiam objecti, interius vel exterius repræsentati in suos impetus concitetur. Quod non solum de illa genitalium concupiscentia sed & de aliis quibus objecta singulorum sensuum appetuntur, libidinibus sentiebat. Nam hinc illa generalis ejus sententia: *Naturalem esse omnium sensuum voluptatem testimonio universitatis docemur. Hanc autem voluptatem & concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse res illa declarat, quia ad delictum via per concupiscentiam fuit, quæ cùm pomi decore oculos incitasset, spem etiam iocunditatis saporis*.

Lib. 1. oper. imperf. fol. 100.

Vbi manifestum est, eum statuere motus appetendi cibum vetitum, quibus ad comedendum urgerentur ante consensum voluntatis. Sic enim eum exponit Augustinus, dum instando & doctrinæ absurditatem demonstrando respondet: *Quid est ergo quod loqueris, nesciens quid loquaris? Ergone & in paradiso ante malesuadi venena serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem illiciti tibi libido iam fuit? Et quod intolerabilius dicitur, ad malum provocabat, & mala non fuit? Et videbant illi homines fructum ligni prohibiti & concupiscebant, sed ut non peccarent, concupiscentia spiritus carnis concupiscentia repugnabat?* &c. Nam hoc rectè collegisse ex verbis ejus Augustinum, inde patet, quia dixerat in eodem loco, non potuisse concupiscentiã illam effectum esse peccati, quandoquidem etiam ante peccatum per se excitata, *non suo quidem vitio, sed voluntatis occasio fuisset peccati*: volũtate videlicet eum sequente quem reprimere vel cujus consensum detrectare debuisset, sicut hoc Philosophi docent.

Ibid. f. 102.

C

Ibid. f. 101.

Vt verò magis intelligas Iulianum agnovisse rebellionem concupiscentiæ adversus rationem consurgentis, alibi sine fuco profitetur, motus carnis non excitari imperio voluntatis, sed eam præveniendo consensum ejus postulare. *Verius enim est*, inquit, *membra genitalia voluntatis non imperium sed consensum requirere, quam voluntatis imperio aut animi subiacere*, quod nihil est aliud quam re-

Lib. 5. cont. Iul. cap. 5.

A bellionem ejus, qua rationem & consensum voluntatis prævenit, profiteri. Quamquam quia voluntas ei consentire aut dissentire potest, eamque aliquo modo compescere aut excitare, quandam quoque imperfectæ subjectionis imaginem præ se ferat. Hinc alio in libro dicit, *concupiscentiam non usquequaque esse animo rebellem*. Vbi certum est eum rebellionem licet non perfectam concupiscentiæ agnoscere. Sic enim ex istis verbis Augustinus, *Sane dicendo concupiscentiam non usquequaque animo esse rebellem, procul dubio confiteris rebellem & supplicium non fateris, quod adversum teipsum bellum geris*.

Lib. 6. c. 10.

Ibidem.

Sed imperfectam ut dixi rebellionem statuebat, juxta placitum quoque Philosophorum qui animum imperare statuunt libidinibus, *vt dominum servis, ut eas coerceat atque frangat*, licet & illi domino, & hæ subinde animo resistant. Hinc ad rebellionem concupiscentiæ indicandam docet expressè Iulianus, *enervem & mollem esse opinionem qua creditur in paradiso ad nutum voluntatis genitalia potuisse servire*, sicut hoc Augustinus passim asserebat. Quod si ne in ipso quidem paradiso negabat concupiscentiam animo rebellem esse, quanto magis hoc in isto præsenti statu non negaverit? Nam hinc est quod apertissimè docet, cum concupiscentia, ut servetur castitas, esse pugnandum, eamque frenandam esse & hujusmodi: *In coniugibus*, inquit Iulianus, *cum honestate exercetur, aut in castis virtute frenatur*. Et aliquot capitibus interjectis dicit, eum qui *sanctæ virginitatis amore* conjugium respuit, melius facere quam conjugatus: quia *confidentia sua salutis & roboris, contempsit remedia* nuptiarum *ut gloriosa possit exercere certamina*. Et inferius arguit Augustinum, quod *habenas omnes quibus cupiditates frenantur incideret*. Vnde paulò post subjicit Augustinus in hujusmodi confessionem Iuliani; *Si quod profitemur* continenter scilicet vivere, *agimus, istam concupiscentiam profectò ambo frenamus; adversus eius repugnantes motus ambo bellamus, ambo eam si proficimus debellamus. Verum hoc interest quod ego dico me malum frenare, tu autem te bonum. Ego dico mihi malum repugnare, tu tibi bonum. Ego bello adversus malum, tu adversus bonum* &c. Et inferius: *Gloriosa te per continentiam profiteris exercere certamina. Contra quid rogo? Quid dicturus es, nisi contra carnis concupiscentiam? Sed utrum amicam an adversariam? Caro enim concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem* &c. Perspicuum igitur est Iulianum idem omninò de concupiscentiæ repugnantia, rebellione, oppugnatione, debellatione dixisse quod Philosophi etiam profitentur. Fieri enim D non potest, ut contra id certamen exerceatur quod nunquam voluntatis nutum prævenit, & ad ejus nutũ semper cedit, nemo enim pugnat nisi cum repugnante. Nam ut optimè Aug. *Et pugnare infirmitatis est. Quanto enim quisque vincit facilius, tanto pugnat minus. In seipso autem q. is pugna-*

Vide Arist. l. 2 Ethic. cap. vlt. & Aug. lib. 5 cont. Iul. 11 ex Cicer.

Lib. 5. c. 7.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 14.

Cap. 21.

Lib. 4. c. 2. contra Iul.

pugnaret si nihil ex semetipso eidem repugnaret? Quæ omnia cùm fateatur & ex professo doceat Iulianus, difficile est videre qua in re sententia Iuliani à Peripateticorũ Philosophia differat, imò verò cùm ipse esset Simia Aristotelis, ut alibi demonstravimus, ad amussim tota ex scriptis ejus videtur expressa. Quod non difficile videbit quisquis extremum caput primi & septimum Ethicorum, aliaque Aristotelis scripta legerit, in quibus de natura motuum interiorum sensuum disserit. Cujus sententiam Scholastici magno consensu amplexi videntur.

CAPVT XII.

Iulianus sentit concupiscentiam esse naturaliter bonam & à Deo creante datam: quo sensu.

IAM igitur attentè considerandum est in quo tandem Iulianus & Augustinus, quantum ad istos appetitus sensitivi motus, discrepent, quibusque nitantur fundamentis, ut sciamus utrum homo cum illis motibus in pura natura condi possit.

In duobus igitur invenio duos istos Palestritas dissentire. Primum spectat qualitatem concupiscentiæ & istorum ejus motuum, utrũ boni an mali sint; alterum autorem eorum utrum Deus sit an diabolus. Quantum ad primum Iulianus asserebat motus istos appetitus sensitivi esse innocentes & bonos, tanquam videlicet qui naturaliter ex humana natura fluant, hoc ipso quod ex anima & corpore ceteris animalibus simili, hoc est, ut ipse suprà loquebatur, ex imparibus bonis compositus est. Audi Iulianum: *Non potuit hac concupiscentia quæ cùm modum non tenet peccat, cùm verò intra limitem concessorum tenetur affectio naturalis & innocens est, non unquam potuit fructus esse peccati, quæ docetur non suo quidem vitio sed voluntatis occasio fuisse peccati.* Et in primo conflictu cum Augustino. *Concupiscentia naturalis qui modum tenet, bono benè utitur, qui modum non tenet, bono male utitur, qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, bono melius non utitur.* Quæ sententia ejus etiam in libro secundo ad Valerium ab Augustino refertur, & in libris sex prioribus adversus eum scriptis sæpè refricatur.

[Margin: Lib. 1. oper. imp. f. 100.]
[Margin: Lib. 3. cont. Iul. c. 21.]

Porrò non sentiebat Iulianus concupiscentiam esse moraliter bonam, sicut actus etiam externos virtutum esse bonos, quasi ex recta ratione proficiscerentur; sed eo modo quo dicimus actus ceteros facultatum naturalium, videre, audire, crescere, concumbere, comedere, concoquere, egerere, & hujusmodi esse bonos, quia ex facultatibus cum quibus naturaliter humana natura instituta est, connaturaliter juxta institutionem creaturæ rationalis fluunt. qui sensus Iuliani ex multis indicijs perspicuè patet. Nam ut istorum motuum probet bonitatem,

Primò eam ex causa efficiente asserit, quæ nihil est aliud, quàm calor genitalis, quo collectus in vivente & sentiente natura, surgit libidinis motus. Itemque ex specie ipsius, quam esse docet in motu videlicet naturali genitalium, in quibus nihil mali est, quia utrumque à Deo institutum est. Hanc ipsius Philosophiam supra verbis ejus adduximus. Ex quo ita colligit: *Huius itaque appetitus non in genere suo, id est origine & causa, non in specie, non in modo culpa est, sed in excessu: quia genus eius & species ad conditoris operam pertinent, modus eius ad arbitrium honestatis excessus, ad vitium voluntatis.* Vbi apertissimum est, non aliam astrui concupiscentiæ appetitui bonitatem, quàm illam naturalem quæ ceteris à Deo institutis competit. Nam ideò distinguit in illo appetitu quod ex voluntatis arbitrio, ei sive honestatis sive inhonestatis accedat. Nempe modus, videlicet exerceri in conjuge laus est bonæ sive honestæ voluntatis, excessus in meretrice, vituperium inhonestæ, ad quorum utrumque naturalis illæ concupiscentiæ motus ex accedenti voluntatis arbitrio flecti potest. Certum est igitur Iulianum accuratè bonitatem naturalem istorum motuum à morali, quæ ex voluntatis imperio eis inditur distinxisse. Quod clarissimè sequentibus ejus verbis patet, cum enim modum illorum motuum honestum explicasset, quod *in coniugibus cum honestate exercetur ille motus*, de excessu per quem voluntas motu naturali abutitur, ita subjecit: *Quantum à lasciuientibus perpetratur, id est illius voluptatis* seu libidinis *excessus, & quia de insolentia non de natura contingit, iure damnatur.* Ecce id quod à natura contingit, videlicet motus ille concupiscentiæ naturalis, accuratè separatum ab eo quod ab insolentia voluntatis proficiscitur: quorum illud naturale bonum laudari cupit, hoc velut voluntatis flagitium jure damnari. Quamobrem ut explicaret clarius qua specie bonitatis concupiscentiam bonam esse censeret expressè dixit superius esse *affectionem naturalem & innocentem*, cum intra limites honestatis voluntate retinetur. Et alibi, esse *probabilem in genere suo & modo suo, & in solis excessibus accusari*: nempe quia ex genere suo est motus naturaliter ex causa naturali calore scilicet à Deo instituto pullulans. Qua consideratione cum stomacho imponit aliquoties Augustino quod eam *malam* non moraliter, sed *naturaliter* esse definiret. *Si posset*, inquit, *calor genitalis malum esse naturaliter, exstirpandus erat.* Vbi nomine caloris genitalis concupiscentiam, sicut & alijs locis insinuatum cupit. Vnde rursum alibi: *Certè concupiscentiam malam naturaliter definisti.* Et rursum: *Vide nunc utrum malum naturaliter dici debet* &c. Et è contrario eum Augustinus ridendo, vocabat concupiscentiam *hoc tuum bonum*, itemq; *hoc naturale tuum bonum.*

[Margin: Lib. 3. cont. Iul. c. 13.]
[Margin: Ibid. c. 14.]
[Margin: Lib. 1. oper. imp. f. 101.]
[Margin: Lib. 4. cont. Iul. c. 2.]
[Margin: Ibid.]
[Margin: Lib. 2. de nupt. c. 9.]
[Margin: Ibid. c. 13.]
[Margin: Lib. 3. cont. Iul. c. 14.]

Digitized by Google

Quibus profecto non posset apertius ostendi sensus Iuliani, quo concupiscentiam bonam esse sentiebat.

Secundò idem non minus perspicuè liquet ex eo quod bonitatem ejus tanquam certissimam inde probabat quod motus ille in pecoribus nemine Christiano dubitante bonus sit. *Quo enim*, inquit Iulianus Augustino, *es deceptus intuitu, ut commixtionem corporum quam Deus instituit, & conciliatricem commixtionis voluptatem sexuumque, quæ tam in hominibus quam pecoribus vigent, diaboli opus & fruticem vocares?* Nam voluptatem phrasi Platonicis alijsque litteratis usitata; concupiscentiam seu libidinem passim appellare solet. Hoc ergò argumentum ex pecoribus petitum in quibus boni sunt motus illi, sæpè propter importunam similitudinem quam in eo Iulianus collocabat, tractat Augustinus; & ex eo evidenter constat non aliter eos *naturaliter bonos* appellasse Pelagianos quàm quod sicuti in pecoribus motus illi ex naturæ institutione profluant.

Lib. 2. oper. imp. c. 529.

Tertio sæpissimè vocat *concupiscentiam naturalem*, sicut jam aliquoties audivimus, per hoc enim significare voluit eam esse bonam, sicut naturas vel facultates vel motus cæteros cum quibus à Deo conditi sumus, vel sicut filios ex parentibus natos Philosophi & Pelagiani bonos nasci statuebant, & bonos tantum naturaliter fore Scholastici statuunt, si in pura natura nascerentur, nam inde est quod quodam loco concupiscentiam & filios simili modo naturaliter bonos nuncupat, & unius bonitatem ex alterius bonitate probat. *Quod autem*, inquit, *filij ex concubitu suscepti naturaliter boni sint, Apostolo dicente discamus qui ait de improbis, Relicto naturali usu feminæ.* Vbi sub naturali usu fœminæ motus concupiscentiæ de quibus maximè satagit, complectitur. Nam ideò statim inferendo concludit; *Meritò itaque & in benè utentibus genus concupiscentiæ modusque laudatur.* Et mox dicit, non esse accusandum *membrorum vigorem*, id est, impetum quo in concubitum surgunt. Et paulò pòst adjicit illud celebre pronunciatum ejus; *Concupiscentiæ naturalis qui modum tenet bono benè utitur* &c. Inde quoque est quod Augustinus absurditatem aliquam inferendo ridens dicat Iuliano, in concupiscentia juxta sententiam ejus, bonitatem naturalem posse à sanctificationis bonitate distingui: *Hoc tibi potius*, inquit, *qui eam bonam prædicas, convenit dicere ut bono eius naturali sicut de infantibus dicitis, bonum sanctificationis accedat.* Inde est etiam quod comparat Iulianus concupiscentiam pani & vino, utpote quæ simili naturali bonitate bona sunt, nec desinunt esse bona, etiam tum cum eis homines luxuriando abutuntur. *Nec vinum*, inquit, *ebrietas, nec cibum condemnet crapula, nec concupiscentiam infamet obscenitas*, hoc est excessus obscenitatum, qui propter concupiscentiam luxuriando comeditur. Et in libro secundo de nuptijs: *Si igitur putas accusandum membrorum vigorem*, id est libidinem, *quoniam per ipsum Sodomitæ flagitijs obliti sunt, accusabis etiam creaturam panis & vini, quoniam hinc quoque eos peccasse scriptura divina significavit.* Quod etiam libro tertio contra Iulianum ab Augustino refricatur, & sensus illius argumentationis exponitur: *Dicis etiam*, inquit Augustinus, *Sodomitas & in pane ac vini peccasse natura, atque ita vis intelligamus libidinem bonam, sed homines qui ea malè utuntur esse culpabiles, sicut bona est natura panis & vini, quamvis ex malè utendo peccetur.* Itaque Iulianus concupiscentiam non solum homini *naturalem* & *naturaliter bonam* identidem, sed etiam naturam hominis dicebat esse: videlicet eo sensu quo nos naturales proprietates rei, naturam rei vocamus, ut cum dicimus naturam canis posse latrare, naturam hominis risibilem esse, quia ex naturis eorum velut proprietates naturales ex conditoris institutione fluunt, & si non fluerent, naturas eorum à naturalibus suis proprietatibus repressas esse diceremus. Hoc autem principijs Pelagianis congruentissimè tradebat Iulianus, ut qui & primum hominem & posteros ejus, hoc est, totam naturam humanam, in puris naturalibus condi, ut mox dicturi sumus, cum concupiscentia & mortalitate sentiebat. Patent hæc omnia ex ejus cum Augustino consensione: *Quod autem nunc agitur, naturalem esse libidinem, & ego dico, quia cum illa nascitur omnis homo*, scilicet postquam peccato vitiatus est; *& tu multo amplius qui dicis, quod cum illa sit conditus primus homo.* Nempe sic naturalem esse sentiebat, quia esset naturalis humanæ naturæ conditio, ex corporea & animali hominis natura fluens, & ita natura ejus. Sic enim adjungit adversus illam Iuliani professionem: *Adhuc non evigilas, ut intelligas nostram naturam non esse*, quam videlicet ita Deus instituerit, *sed vitium contra quod virtute pugnamus?* Vitium intelligit quo natura aliter instituta, per nos ipsos à naturali suo statu detorta atque vitiata est, sicut ibidem statim explicat.

Lib. 2. de nupt. c. 19.

Lib. 6. cont. Iul. c. 17.

Lib. 4. cont. Iul. c. 14.

Lib. 2. de nupt. c. 19.

Lib. 3. cont. Iul. c. 20.

Lib. 5. c. 7.

Ibid.

Hæc igitur clarè quantum mihi videtur probant, non aliud sensisse hac de re Iulianum, quàm quod omnes Philosophi Gentiles docent motus concupiscentiarum esse affectiones seu passiones appetitus sensitivi naturales, hoc est ut Iulianus loquebatur, *viventis sentientisque naturæ* naturali bonitate bonos innocentes & innoxios; qui quamvis rationem prævenirent eique resisterent, pugnando tamen compesci possent, ac deberent, & in rationis gyrum redigi eo quod non usquequaque ei rebelles essent; quod si fieret, voluntatem de honestate actus boni esse laudandam, si non fieret, de inhonestate actus mali, sive peccati culpandā, cum passio concupiscentiæ in se non mala, non nisi *occasio* ejus fuerit. Quæ sententia Philosophorum hactenus à Scholasticis recepta fuit, quod Philosophi & ex eis Iulianus sentiunt, cum ista concupiscentia hominem reipsa conditum esse naturaliter, utpote qui nihil nisi puram naturam esse in homine sine gratia elevante, sine culpa deprimente fateantur; Scholastici verò ita condi posse statuunt, dum statum puræ naturæ possibilem esse docent. Vnde utrique consequenter sentiunt, & sentire coguntur

guntur in illa status illius hypothesi, affectiones illas appetitus sensitivi seu illos appetitus concupiscentis aut fugientis motus esse homini connaturales, quia naturaliter ex appetitu connaturali fluunt, esse consequenter in seipsis bonos naturaliter; esse capaces sicut externas etiam actiones morales bonitatis ac malitiæ per voluntatis accessum quæ illis formam vitij aut virtutis imprimit, dum eos laxando aut comprimendo aut rectâ ratione moderatur, aut extra limites ejus effundi sinit. Hoc est enim id ipsum quod non modo Iulianus, sed Aristoteles ipse in libris Ethicorum ex professo & ex eo Scholastici tradunt.

Nam quod pugnam illam quæ oritur ex duplicis naturæ inferioris & superioris copulatione, velut imperfectionem quandam naturalem improbant, quæ instar rubiginis in ferro ex materiæ conditione connaturaliter nascitur, nec in eo adversarios habent Philosophos aut Iulianum. Nam hoc ipso quo motus istos ante rationem ex natura sensitivi appetitus prosilire & tamen ratione compescendos esse & compesci posse statuebat, ne limites honestatis excederent, satis apertè naturalem illam humanæ naturæ imbecillitatem esse fatebatur. Vnde Augustinus Iuliano: *Quantum attinet ad pudicitiam, quod eam libidinis expugnatione, oppressione, frenatione, & ad nihil illicitum permissione servetur, hoc dicis quod ego.* Quam concupiscentiæ rebellionem supra latius ex ipso audivimus. Et hoc primum est, quod de concupiscentia & motibus ejus docuit.

Lib. 5. cont. Iul. c. 7.

Alterum quod Iulianus de ijsdem tradidit, spectat causam eorum: ex quo magis etiam elucescit, quâ ratione ipsam & motus ejus bonos esse sentiret. Volebat enim concupiscentiam eo sensu bonam esse, ut Deus non solum eam creaturæ rationali citra peccatum conferre posset, sed etiam re ipsa in prima humanæ naturæ institutione contulisset, sicut jam suprà aliquoties diximus. Sic enim primum hominem institutum esse censebat, quemadmodum nunc posteritas ejus nascitur, cum eadem videlicet concupiscentiæ & ignorantiæ & mortalitatis infirmitate qua nunc genus humanum premitur. Itaque ex isto in primis capite probabit concupiscentiam & motus ejus esse naturaliter bonos, quia Deus eam creaturæ suæ condendo indidisset, hoc ipso scilicet quod eam, ut suprà dixit, *ex imparibus illis bonis*, natura rationali & brutali, animo & corpore composuisset, quorum utrumq; suos peculiares haberet appetitus ac motus. Non potest autem Deus quicquam conferre suæ creaturæ quod non sit bonũ. Sic enim arguit adversarium suum Iulianus in libro 4. quem adversus eum scripsit Augustinus: *Si in fructu ligni illius, ex quo primi parentes comederunt, hæc fuit libido, à Deo facta esse monstratur, & per hoc bona quoque ipsa defenditur.* Augustinus enim concupiscentias omnes in humana natura post esum de ligno vetito surrexisse dixerat. Hinc alibi Iulianus: *Voluptas ergò ista quam tu diabolicam vis videri, jam in suprà dictis conjugibus habebatur, quæ ut institutione bona ita etiam benedictione permansit.* Et paulò pòst: *Astrue jam hoc si potes ad opus diaboli pertinere, quod Deum vides conferre pro munere.* Et iterum ibidem: *Ista corporum commixtio cum calore cum voluptate*, hoc est libidine, *cum semine à Deo facta, & pro suo modo laudabilis approbatur, quæ aliquando amplius efficitur munus piorum.* Et accuratius alio in loco: *Hujus itaque appetitus non in genere suo, non in specie, non in modo culpa est, sed in excessu; quia genus ejus & species ad conditoris operam pertinent.* Et in libris ad Bonifaciũ inducitur Iulianus asserens: *Motum genitalium, id est ipsam virilitatem sine qua non potest esse commixtio, à Deo dicimus institutum.* Itaque tanquam gravissimi erroris reum perstringebat Augustinum, ut qui in primum fidei articulum impingeret, Deum omnium rerum conditorem negans, hoc ipso quo negare videbatur, à Deo id institutum esse, quo parentes in concumbendo commoventur, hoc est, concupiscentiam qua æstuante membra in concubitum concitantur: *Amoveto*, inquit, *hunc sensum precor de Ecclesiarum medio, & vere credito, quia per IESVM Christum facta sunt omnia & sine ipso factum est nihil.*

Lib. 4. cont. Iul. c. 13.

Lib. 2. de nupt. c. 9.

Lib. 4. cont. Iul. c. 20.

Lib. 1. ad Bonif. c. 15.

Lib. 2. de nupt. c. 34.

Hæc sanè non minus evidenter quam antedicta, declarant idem omnino sensisse Iulianum de concupiscentia, quod præceptores ejus gentiles tenent: Nimirum eam esse hujusmodi *naturale bonum*, & *in suo genere laudabile*, ut illud Deus homini in prima sua conditione contulerit, quo velut naturali stimulo voluptatis incitaretur ad concubitum, eoque ratio posset uti vel non uti, prout virtutis præscriptum posceret. Si quis enim concupiscentiæ naturalis motibus secus uteretur quam circumstantiæ virtutis postularent, excessum esse culpabilem, eumque non concupiscentiæ vel Deo eam visceribus hominis inserenti, sed ipsi homini asscribendum esse, qui eam velut ferocientem equum non ex rectæ rationis norma moderatur. Ideò enim toties repetit *excessum esse in culpa, excessum ad vitium voluntatis pertinere; excessum jure damnari, quia de insolentia non de natura contingit.* Quam esse Gentilium quoque Philosophorum sententiam non est dubium, ut qui non aliam hominis primi institutionem agnoscerent quàm eam quæ nunc omnium conspectui patet. Vnde istud manaverat Pelagianorum dogma capitale: *Infantes qui nascuntur in illo statu sunt in quo fuit Adam ante transgressionem*, hoc est, *sine virtute, sine vitio; quia ante actionem propriæ voluntatis id solum in homine est quod Deus condidit.* Quibus verbis Pelagius in ultimo suo opere quod de libero arbitrio scripsit, hominem non minus primum quàm posteros ejus in pura natura juxta Philosophorum Gentilium sensum institutam esse prædicabat.

Lib. de pecc. orig. c. 13. & de gestis Pelag. c. 11. & alib.

Lib. de pecc. orig. c. 13.

Hæc eo prolixius etiam cum tædio forsan lectorum ex ipsis Pelagianorum verbis & sententijs undique accersitis proponenda esse censui ut Augustini & Ecclesiæ Catholicæ sensus accuratius percipiatur, nec aliud quicquam ab illis asseri quàm totus causæ status clamat,

clamat, vel ab his refelli suspiceris. Itaque nunc videndum quid Augustinus & Ecclesia de utroque illo Iuliani pronunciato, hoc est, de naturali illa concupiscentiæ bonitate & de autore ejus Deo sentiat, ut liquidius, quod ex utroque illo capite de puræ naturæ possibilitate statui debeat, possit intelligi.

CAPVT XIII.

Argumentum 7. cont. statum puræ naturæ.

Iuliani sententia utrimque falsa. Hinc primum argumentum contra statum puræ naturæ texitur ex parte concupiscentiæ quæ nec bona est, nec à Deo inseri potest.

ITAQVE ne multis viarum ambagibus veritatis avidum lectorem circumducam. S. Augustini doctrina citra dubitationem hæc est, Iuliani sententiam utrimque falsam esse & impossibilem, hoc est, falsum esse quod concupiscentia vel motus ejus boni sint, itemque falsum quod sint à Deo instituente creaturam rationalem: atque ita hoc falsum esse, ut à Deo instituente creaturam in tali statu quem Iulianus tanquam puræ naturæ asserebat, nullo modo esse possit. Quæ doctrina tam est in Augustini scriptis explorata, ut qui ea vel à limine salutarit facilè videat universos ejus libros adversus Iulianum scriptos totamque doctrinam quam tanto molimine per tot annorum lucubrationes asseruit, funditus corruere, si concupiscentia & motus ejus naturaliter juxta Iulianum boni sint vel à Deo ita naturam primitus instituente esse possint. Cujus rei demonstrationem ab eo argumento auspicabimur, quod ipsi præ ceteris omnibus familiarissimū, fortissimum, nullisque machinis expugnabile visum fuit. Est autem hujusmodi: Impossibile est, ut hoc sit naturaliter bonum & consequenter à Deo profectum, quod pugnat contra spiritum sive contra rectam rationem; Concupiscentia autem & motus ejus sive in hoc statu qui naturæ lapsæ est, sive in statu puræ naturæ, qualem Iulianus istum præsentem statum esse judicabat, gravissimè pugnat contra spiritum & rationem: ergò impossibile est ipsam vel motus ejus esse naturaliter bonos, vel à creatore proficisci, & consequenter status puræ naturæ impossibilis est. Tota vis argumenti in primæ propositionis probatione sita est; nam de secundæ veritate, nemo vir bonus aut Christianus dubitat qui audiat illas Apostoli docentis voces: *Caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem*: vel illas gemebundi querimonias: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius!* vel qui attendat experientiam propriam, qua sentit cum exercitu quodam carnalium desideriorum, variarumque cupiditatum in semetipso tumultuantiū, perpetuo sibi esse luctandum. Quamobrem Cyprianus sancto Augustino magnopere laudatus dixit: *Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus assidua & molesta luctatio. Obsessa mens hominis, & undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur* &c. Cujusmodi lamentationibus libri Sanctorum & præcipuè sancti Augustini pleni sunt. Hoc verò quod tot suscitat bella contra spiritum, rectamque rationem, luto fæcis hujus cui inhæsimus, cœni sui fœtorem venis capacioribus exhalante non posse esse bonum, sed potius esse verissimum gravissimumque malum omni odio detestandum, destruendum, exstirpandum, sexcentis locis Augustinus palam docet. Nam libro quarto contra Iulianum: *Quid est quod triumphas tanquam de hoste victo? Internum potius vince quem laudas*, dicendo esse bonum naturale à Deo datum. *Nam victoria de te mea, illo malo tecum pugnante secura est. Neque enim dicere audebis eum vinci, qui verum dicit, ab eo qui falsum dicit. Ego autem concupiscentiam contra quam pugnas malum dico, tu bonum. Sed pugna tua malum fatetur quod bonum lingua mentitur, augens mendacium alio mendacio quo affirmas & à me illam dictam bonam.* Et multis interpositis in eodem capite: *Quod repugnat voluntati bonæ non est bonum, imò malum esse quis neget, nisi qui non habet voluntatis bonum, cui quod repugnat, fateatur malum?* Et in eodem libro inferius: *Quam nemo potest bonam dicere, nisi cujus adversus eam non amat concupiscere spiritus.* Et iterum: *Absit ut quilibet homo Dei sic te audiat vituperatorem luxuriæ, & approbet concupiscentiæ laudatorem, ut ex tuo sermone arbitretur bonum quod in se experitur malum.* Et libro quinto: *Libido contra bonum spiritum concupiscit: atque ideò & qui hoc esse malum negat, peccat, & qui hoc malo benè utitur, non peccat.* Et alibi adversarium suum fidentissimè provocans ad dissolvendas istius argumenti vires: *Proinde tota controversia non remansit (si tamen remansit aliqua) nisi utrum in eis qui continentiam Deo voverunt, bonum sit ista de qua disputamus, concupiscentia carnis, an malum. Collige itaque totas vires acuti tui cordis, ac liberæ frontis, & aude respondere si potes, hoc bonum esse cui, sicut libro superiore confessus es, Apostolorum legio repugnavit.* Et uberius in illo libro superiore telum istud in vulnere sui adversarij versans quia dixerat, *Concupiscentiæ naturalis quimodum tenet bono benè utitur*, per totum caput vigesimum primum concupiscentiæ malitiam ex ejus pugna cum spiritu probat: *In hac controversia de benè utendo isto utrum bono an malo, tota inter nos causa versatur.* Et ostendens eam ex unanimi antiquorū Patrum sententia esse malum. *In qua vellem quidem*, inquit, *egregios*

indico

Galat. 5. — *Rom. 7.* — *Cyprian. lib. de mortal. & apud Aug. 2. cont. Iul. c. 8.* — *Vide lib. 2. cont. Iul. & loca cit. ex Nazian. Amb. Cyprian. prælo. illa carnis cont. Spirit.* — *Lib. 4. cont. Iul. c. 2.* — *Ibid. infra.* — *Cap. 14.* — *Cap. 13.* — *Lib. 5. c. 16.* — *Lib. 4. c. 6.* — *Lib. 3. c. 21.* — *Ibidem.*

iudices non repudiares, quos tibi meis superioribus libris sana doctrina eruditos, sine ullo studio partium de hac causa sententias protulisse monstravi. Sed ex proprijs eum verbis conficere malens, adijcit:

Ibid.

Sed quoniam si te non correxeris, ipsorum quoque accusationem, vel ut mitius dixerim, reprehensionem sine dubio praeparabis, te potius utar iudice pro mea sententia contra tuam, non alicubi alibi, sed in eodem libro suo, nec etiam alio, sed eo ipso loco. Dixisti enim, sanctam virginitatem confidentia suae salutis & roboris, contempsisse remedia nuptiarum, ut gloriosa posset exercere certamina. Quam postremam sententiae partem de pugna cum concupiscentiae motibus instituenda arripiens eam indubitanter malum esse concludit:

Ibidem.

Quae sunt, inquit, *sanctarum virginum sicut appellas gloriosa certamina, nisi quia non vincuntur à malo, sed vincunt in bono malum?* Et infrà ex pugna ipsius-met Iuliani pergens ad propositi sui scopum:

Ibid.

Inter duos adversarios constitutum in magnas coarctaris angustias & me vis vincere per eloquentiam & libidinem, per continentiam; sed pugnando adversus eam confiteris malum, laudando eam deseris veritatis bonum. Sed ego te vinco & expugnatorem & laudatorem mali, constituens te ante iudicem non alium, sed teipsum. Vis enim vincere concupiscentiam expugnatione eius, me verò laude eius. Sed ego respondeo; ut vincatur qui laudat, iudicet qui pugnat. Si enim malum est, cur laudat? Si bonum est cur expugnat? Si autem nec bonum nec malum est, ut quid laudat, ut quid expugnat? Quamdiu igitur expugnator libidinis eris, tamdiu pro me contra teipsum iudex eris. Et mox velut re confectâ subnectit: *Causa itaque nostra finita est quantumlibet enim laudes concupiscentiam carnis, quamdiu pugnas adversus eam cernis &c.* Ex his clarissimè constat impossibile esse ut concupiscentia vel motus ejus sint naturale bonum, hoc est, bonum quod ex Dei conditione creaturam citra peccati meritum instituentis adhaereat. Nam non aliter in sensu Iuliani concupiscentia est naturale bonum; nec alia laus, qua superius toties dicitur concupiscentiam laudasse Iulianus, quam quod eam dixisset esse *naturalem* seu *naturale bonum*, à Deo creante communicatum, quo ratio sive sibi subdendo, sive illi serviendo benè vel malè uteretur. Nam propter ista verba sexcenties perstingit impudentiam laudis istius. Hinc enim ista libro secundo ad Valerium:

Lib. 2. de nupt. & conc. c. 7.

Inter tot nomina bonarum rerum, corporum, sexuum, coniunctionum (quae solùm naturaliter bona sunt) *libidinem vel concupiscentiam carnis iste non nominat. Tacet quia pudet: & mira si dici potest pudoris impudentia, quod nominare pudet, laudare non pudet*, asserendo scilicet naturale bonum. Vnde & alibi:

Lib. 2. cont. Iul. c. 3.

Impudentissimos laudatores vocat. Alibi: *Vtinam erubesceres erubescenda laudare.* Alibi: *Noli malum falsa laudis addere huic malo.*

Lib. 3. c. 14.

Alibi: *Et iste audet coram magistro in caelo sedente recitare libidinis laudes.* Quae omnia certissimè demonstrant concupiscentiam & motus ejus non minus malos esse futuros in statu purae naturae quem Iulianus asserebat, quam nunc sunt nec sine impudentia singulari eam vocari posse naturalem seu naturale bonum.

A

Porrò eodem argumento aeque constanter & invictè Augustinus probat, eam à Deo creante in statu scilicet purae naturae, sicut Iulianus censebat, non posse proficisci; sed solummodo ab ipso homine seipsum sponte depravante, vel à diabolo persuadente peccatum. Est enim malum ac tantum malum, ut repugnet eis quae Deus diligit, hoc est, justitiae, pudicitiae, continentiae, omnique virtuti quam diligit Deus; & idcirco tanti mali Deus causa in sua creatura esse non potest. Appeteret enim naturaliter perniciem suam hoc ipso quo naturaliter appeteret omnia scelera ad quae incessanter stimulatur, & consequenter ipsa natura esset mala & à malo profecta Deo. Audi quam luculentissimis testimonijs Augustinus doctrinam istam velut sanissimam tradat. Nam libro tertio contra Iulianum ubi malitiam concupiscentiae spiritui repugnantis demonstraverat, ut paulò ante diximus; ita pergit:

B

Lib. 3 cont. Iul. c. 23.

Causa itaque nostra finita est. Quantumlibet enim laudes concupiscentiam carnis, quamdiu pugnas adversus eam, cernis quam verum de illa, nec nisi de illa dixerit Apostolus Ioannes, quod non est à Patre. Nam si, ut dicis, qui modum eius non tenet, bono malè utitur, etiam in malè utentibus bonum est ipsa. Quae igitur est illa quae non est à Patre? An etiam ipsam quomodolibet intelligas, laudare, id est eam ut naturaliter bonum praedicare *disponis?* Et paulò post cum eum ex proprijs verbis ad angustias redegisset, quod eam bonam dixisset, & necessario omne bonum à Patre sit;

Ibid.

Sed, inquit, *ab his angustijs liberaberis si crediderìs non lingua tua, sed pugna tua. Continentia est enim à Patre quae non expugnaretur concupiscentia, nisi non esset à Patre: haec ergo ipsa contra quam, si continenter vivis, acriter pugnas non est à Patre. Non enim contra eam pugnares nisi repugnaret. Nec verò repugnaret tibi agenti, quod donatur & amatur à Patre, si esset à Patre.*

C

Ecce sine ullo ambiguitatis incerto, sine ulla trepidatione conclusum, si concupiscentia esset à Deo, non repugnaret ei quod amat ac donat Deus, hoc est virtuti continentiae. Et è contrario continentia non expugnaret concupiscentiam si esset à Deo. Quod universum purae naturae statum enecare nemini dubium esse potest, nisi illi qui fortè velit in illo statu nullam continentiae cum concupiscentia futurum esse certamen, ut ea quotiescunque & quibuscunque voluptatibus adhinniret, securè frueretur. Quod quoniam absurdissimum & foedissimũ & à creatura rationali alienissimum esse, omnis ratio sana judicat, quid aliud sequitur, nisi id cum quo continentia & omnis virtus dimicat, hoc est, concupiscentiã carnis omnesque cupiditates illas appetitus sensitivi contra rationem virtutemque tumultuantes à Deo Patre creaturam rationalem ita condente non posse proficisci?

D

Perficit hoc argumentum Augustinus alijs in locis saepius, & luculentius explicat impossibile esse, ut concupiscentiae ex Dei institutione in creatura rationali pugnam suscitent. Cùm enim Iulianus objecisset,

Lib. 4. cont. Iul. c. 13.

Si in fructu ligni illius, ex quo comederũt primi homines *haec fuit*

hæc fuit libido, à Deo facta eſſe monſtratur, & per hoc bona quoque ipſa defenditur. Reſpondet ei Auguſtinus impoſſibile eſſe, ut eam Deus, etiam per aliam creaturam interpoſitam in hominibus faciat: *Abſit enim*, inquit, *ut Deus de ligno bono cuicunque ætati illorum hominum quocunque tempore beneficium tale conferret, ut haberent in membris adverſarium contra quem pudicitia dimicaret.* Cauſam ſubjiciens paulò pòſt, cùm adhibuiſſet Apoſtoli teſtimonium. *Nolite diligere concupiſcentiam carnis*, ita pergit; *Hæc quam diligere prohibemur non eſt à Patre: hæc igitur concupiſcentia quam laudas, non eſt à Patre, duo enim bona quæ à Patre ſunt inter ſe pugnare non poſſunt. Pugnant autem inter ſe continentia & concupiſcentia: quid horum à Patre magis velis eſſe, reſponde. video quas patiaris anguſtias: faves quidem concupiſcentiæ, ſed erubeſcis continentiæ* &c. Clariſſimè probatum vides concupiſcentiam & conſequenter cupiditates ceteras ideò eſſe non poſſe à Deo, quia duo bona quæ à Deo Patre ſunt, pugnare non poſſunt, ita videlicet ut alterum repugnet contra ſpiritum Dei. Quod cùm in ſtatu puræ naturæ fieri certum ſit, & ab ipſo Iuliano quaſi in ſtatu illo jam factum poneretur, perſpicuum eſt ſtatum illum, quatenus concupiſcentiarum pugnam cum virtutibus & ſpiritu Dei adducit, juxta doctrinam Auguſtini eſſe impoſſibilem. Hinc libro quinto adverſus eundem Iulianum, ut explicaret cur duo bona quæ à Patre ſunt, pugnare non poſſint; *Rogo te*, inquit, *oculos aperi, & cerne quæ aperta ſunt. Nulla pugna eſt ſine malo. Quando enim pugnatur aut bonum pugnat & malum aut malum & malum: aut ſi duo bona inter ſe pugnant ipſa pugna eſt magnum malum. Quod in corporibus quando contingit ut ea quibus conſtat, id eſt humidum & ſiccum, calidum & frigidum, quamvis ſint inter ſe contraria, pacem ſecum, concordantiamque non teneant, morbi ægrotationeſque naſcuntur.* Et quamvis Auguſtinus doceat nec morbos nec ægrotationes in pura natura ſine peccato eſſe poſſe, ſicut infrà dicturi ſumus, magnam tamen inter pugnam bonarum qualitatum & cupiditatum animi diſcrepantiam eſſe tradit, ideoque ſtatim adjicit, *Sed alia ſunt rerum corporalium qualitates, quæ ſecum à contrariis temperantur, ut bene valeamus; & cùm ſint in diverſo genere bona, tamen cum diſcordant, malam valetudinem faciunt: & alia ſunt animæ cupiditates, quæ propterea carnis dicuntur, quia ſecundum carnem anima concupiſcit, cùm ſic concupiſcit, ut ei ſpiritus, id eſt pars eius melior & ſuperior debeat repugnare.* Nimirum quia illæ qualitates bonæ ſunt, hæ cupiditates carnis malæ, ſicut ſæpiſſimè docuit, quarum illæ propterea à Deo eſſe, hæ eſſe non poſſunt. Si enim à Deo eſſent, neceſſario bonæ eſſent, utpote à quo eſſe non poteſt niſi bonum. Si autem bonæ eſſent jam ſpiritus contra ſpiritum concupiſceret. Audi Auguſtinum: *Quæro ſatè qualibus ingenitis ſibi motibus hominem dicatis eſſe idoneum dare leges? utrum bonis an malis? Si bonis adverſus bonum, ergo ſpiritus concupiſcit adverſus ſ i tum, & ſcuo bona inv ce : ſibi adverſantur in homine, quod ſi ita eſſet, ipſa duorum bonorum inter ſe diverſitas bina eſſe non poſſet. Si autem malis, fatere igitur ingenitos eſſe homini motus malos, contra quos caſtitas dimicat.* Vt ergò oſtenderet impoſſibile eſſe, ut tales motus mali ſint à Deo ſic inſtituente creaturam ſuam, ſicut Iulianus aſſerebat, ſic adjungit; *Et ne dicere cum Manichæis cogaris alienæ mali naturæ nobis ineſſe commixtionem, noſtrum potius originalem confitere languorem.* Nimirum hoc vult Auguſtinus motus illos malorum motuum contra ſpiritum repugnantium, ita malos eſſe, ut quicunque noluerit eos eſſe languorē ex ipſius creaturæ iniquitate contractum, cogatur dicere cum Manichæis, eos ex malæ naturæ commixtione pullulare. Tam impoſſibile judicat Auguſtinus, ut hujuſmodi motus mali à Deo bono naturam bonam condente proficiſcantur ſicut Pelagiana doctrina juxta commentum puræ naturæ ſtatuebat. Sed de hoc argumento infrà pluribus.

Ibidem.

Lib. 4. cont. Iul. c. 7.

Ibid.

Lib. 5. c. ...

Ibid.

CAPVT XIV.

Secundum argumentum ex parte motuum concupiſcentiæ qui non ſunt aliud niſi peccandi deſideria. Solvitur objectio de bonitate eorum in brutis.

Argumentū oſtā... ſtatum puræ naturæ.

SECVNDVM argumentum quo ſanctus Auguſtinus confirmat doctrinam illam ſuam ex natura motuum concupiſcentiæ petitur, & eſt hujuſmodi. Fieri non poteſt, ut deſideria peccandi in creatura rationali ſint bona vel licita; ſed omnium hominum judicio turpia & mala; motus porrò concupiſcentiæ non ſunt aliud quam quædam deſideria peccatorum, non poſſunt igitur eſſe bona vel licita creaturæ rationali, ſed potius mala & illicita: quod ſi illicita ſunt & turpia & mala, non poſſunt etiam habere autorem Deum, ſicut hoc in pura natura neceſſarium eſt: & conſequenter ſtatus ille eſt impoſſibilis. In Auguſtini doctrina de totius iſtius argumenti veritate & firmitate dubitari non poteſt. Intorſit enim illud ſæpiſſimè in Iulianum cùm ea deſideria velut naturales creaturæ rationalis motus ex humanæ tanquam puræ naturæ inſtitutione promanaſſe prædicaret. Nam deſideria peccatorum non tantum deliberata, ſed etiam talia quæ rationem antevertunt, eſſe mala, illicita, turpia, & per hoc nullo modo eſſe poſſe creaturæ rationali naturalia, ſeu naturaliter ex Dei inſtitutione naturam comitantia tanquam veriſſimum, certiſſimum & omni dubitatione ſuperius, ſæpiſſimè contra adverſarij ſui jam dictū dogma tradit.

tradit. Nam libro quarto adversus eum scripto: *Cur non potiùs malum vocetur, quod fateris esse frenandum? Cur quæso frenandum nisi ne noceat? nisi ne ad illicita quæ desiderat relaxetur? Et utique desiderium mali malum est, etiamsi ei non consentiatur donec eo veniamus, ubi nec habeatur.* Et paulò post: *Rogo si est in vobis ullus sensus humanus, num potest & malum esse peccatum & bonum esse desiderare peccatum?* Et iterum inferius: *Hoc ergo malum quod non dicturus es bonum, nisi adversus omnem veritatem etiam sic obdurueris, ut clames bonum esse concupiscere malum, quod nec inter turbas nec eadem, hoc inquam malum, cur non exstirpatur de continentium carne Sanctorum? Cur non totum penitus auferatur? Hoc enim dici fieri debuisse si malum esset.* Et libro sexto contra Iulianum acerrimè idipsum argumentum premit: *Quis autem ita sit imprudens ac tam impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum etiamsi adversus eam concupiscentem spiritu peccata committere ac patrare non sinatur?* Et infra: *Concupiscere malum semper est malum.* Et, *Nullo modo fieri potest, ut carnali concupiscentia bonum homini concupiscatur.* Et in libris operis imperfecti contra Iulianum: *Videant qui legunt, quid respondendum sit homini, qui in tantam prorupit insaniam, ut confiteatur malum esse peccatum, nec tamen esse concupiscentiam peccatorum.* Et paucis interjectis subjicit: *Ergone in paradiso, in* ... *honore tantum in statu* ... *cum concupiscentia collocabat, ante* ... *ante corruptam fermè* ... *libidinosam fuit? Et* ... *lex bonus dicitur, ad malum provocabat* ... *mala non sint?* Satis ista sunt, arbitror, ut ... impossibile esse, ut concupiscentia sive tibi illicita, sive concupitus ... licita aut bona sint; cùm toties ingeminet Augustinus esse imprudentiæ, impudentiæ, procaciæ, pertinaciæ, pervicaciæ, insaniæ, dementiæ singularis, contra omnem veritatis tubam, contra omnem sensum humanum, ut concupiscentiæ peccatorum dicantur licitæ aut naturaliter bonæ; quod nec inter stultos quisquam dicere audebit. Et tamen hoc dicere coguntur, quotquot Deum eam homini naturaliter inseruisse vel inserere posse profitentur. Nam ut Augustinus ... idem torquens argumentum dicit, *bonum est quod naturaliter libet*, ut paulò post dicturi sumus.

Lib. 4. cont. Iul. cap. 2.

Lib. 6. c. 15.

Cap. 16.

Lib. 1. oper. imperf. contra Iul.

Quod si verò apertâ veritate superatus quis jam hujusmodi peccatorum desideria mala & illicita & turpia esse fateatur, pietas eum ulterius fateri cogit non posse eorum auctorem esse Deum, cujus nec homo probus auctor esse, vel in se vel in alio excitare potest.

Quemadmodum enim impossibile est ut Deus in homine peccatorum excitet desideria, ita nec potest illi tale pondus indere quo assiduè ad peccandi desideria concitetur. Nec verò quicquam refert quod illos peccandi motus homo majore potestate rationis compescere ac moderari potest. Nam nec illud ullo modo in pura natura, sine gratia potest, ut suo loco dicturi sumus. Quo fit ut ista doctrina non multum absimilis sit Calvinianæ quæ Deum in cordibus hominum peccandi desideria operari facit. Non posset enim efficaciùs operari quam tale pondus visceribus inserendo, ex quo non potest nisi mala concupiscere; quibus etiam sine gratia (qua juxta statum suum caret) non potest non præbere consensum.

Sed esto detur etiam puræ naturæ gratia, qua peccandi motus frenare & ratione moderari potest, & ijs non consentire si velit; Non tamen idcirco malitia importunæ illius cupiditatis abstersa est. Hoc enim non cupiditatis illius sed rationis bonum est. Ipsius enim non est aliud nisi indifferenter quamlibet voluptatem sive licitam sive illicitam concupiscere: quod sine dubio magnum malum est, & peccati desiderium. Quod enim ulterius boni circa motus illos frenandos moderandosque virtus aut ratio facit, non illos efficit esse bonos sed potiùs probat malos. Limes enim ponitur quem excedentis malæ cupiditatis impetus transire non sinitur. Nihil enim est verius quam quòd hominem non frenat libido sed ratio.

Quæ multis in locis præclarissimè sanctus Augustinus tradit. Nam libro primo contra Iulianum operis imperfecti, *Quæ suscepta tua tibi tam grata est, ut cùm ab illa in consensionem quisque non trahitur, ipsam putes esse laudandam. Quasi malum non sit res quæ impellit in malum si non ei cedat, sed resistat ille cum pellitur.* Et libro secundo primæ scriptionis adversus eundem Iulianum: *Hæc est voluptas* (id est concupiscentia) *illa suscepta tua, quamvis & in reprehendas eius excessum. Ubi qualis sit plane fateris, sed tantum verborum ornamentis eam moderatam defendis & laudas, quasi istum modum sibi ipsa constituerit & non spiritus qui adversus eam in ... concupiscit.* Et libro tertio iterum: *Excessum eius reprehensibilem dicis; quasi in eius moderatione cum ea bene utitur coniugatus, eius ipse qui malo utitur, & non potius sit eius auriga laudandus.* Et libro quarto ejusdem operis: *Eius impetus non sua sponte moderatus est. A nullo namque illicito se abstinet, si membra eius desiderio inserviant. Ac per hoc eius modus, non in ipso cuius inquietus est motus, sed in refrenante ac bene utente laudatur.* Et rursum inferius radicem malitiæ ostendens digito cùm dixisset *infrenem esse motum* concupiscentiæ; attexit paulò post: *Hæc dicens non attendis coniugum conventionem causa generandi*, id est pudicum concubitum, *ideo bonum esse laudabile, quia in eo limes præfigitur illicitus motu concupiscendi. Cur enim non potius malum vocetur*

Lib. 1. oper. imperf. Iul. 139.

Lib. 2. cont. Iul. cap. 5.

Lib. 3. c. 20.

Lib. 4. c. 8.

Cap. 8.

quod

quod fateris esse frenandum? Et iterum infra accuratius: *Utique desiderium mali malum est, etiamsi ei non consentiatur. Non igitur quid boni de concupiscentia carnis fiat, sed ipsa quid mali faciat cogitandum est. Nam pudicitia conjugalis inhiantem concupiscentiam sive de illicito, sive licito percipere voluptatem, frenat ab illicito, permittit ad licitum, hoc est bonum, non tamen ejus sed benè utentis bonum est. Quod autem ipsa concupiscentia facit sive ad licitum sive ad illicitum indifferenter ardescere utique malum est.* Et multò post: *Solis ergo libidinis excessibus accusatur, sed ille, à quo non refrenatur. Nam ipsa per seipsam rectissimè omninò suis ipsis motibus accusatur, quibus ne excedat obsistitur.* Et capite decimo quarto, *Excessus,* inquis, *ejus in culpa est. Nec perspicis quod sic illicitè potuisses, si magis ipsam, quam me vincere voluisses, et non fieri malum excedendi, resistendum est malo concupiscendi. Duo ergo mala sunt, quorum unum habemus alterum facimus si ei non resistimus quod habemus.* Quæ omnia satiatissimè probant, constantissimè hoc sentire Augustinum quod concupiscentiæ inhiantis motus non minus mali sint cùm eos ratio in gyrum virtutis flectit ac regit, quam cùm sine moderatione in immunditias relaxantur. Moderatio enim ista non concupiscentiæ quæ frenatur, sed virtutis frenantis est bonum. Ipsius enim motus semper per seipsum infrenis est, semper sine discrimine inhians voluptati, sive licitæ, sive illicitæ. Hoc enim discernere rationis est, non ipsius quæ oculis discernendi caret. Hæc est ergo ratio, cur omnes ejus præcipites motus, sive rationem simul præcipitem trahant, sive excellentiore ejus potestate frenentur, sine ulla dubitatione malos dicendos esse confirmet. *Quid enim te adjuvat quod reprehendere videris ejus excessum cujus approbas motum? Tunc enim excedit licitum limitem, quando ejus motibus ceditur. Mala est tamen, & quando non ceditur, quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat.* Qua de causa virtus cùm resistit concupiscentiæ, aptissimo vocabulo vocatur ab Augustino *bonum mali & ideo bonum.* Nam inquit inferius, *Cur resistitur ne impleat desideria mala? Quomodo igitur bona est?*

Ibid.
Lib. 4. c. 14 in fine.
Lib. 5. c. 7.
Lib. 2 cont. Iul. cap. 9.

Ex quibus etiam satis liquidò intelligitur concupiscentiæ effrenes motus non aliud esse nisi desideria peccatorum; indifferenter enim in licitam & illicitam voluptatem exardescere, quod libidinis proprium esse audivimus, hoc est nihil aliud quam desiderare peccatum. Quod inde perspicuum est, quia si motibus illis cœcis, eâdem rationis cœcitate consentias, nec eis moderatio imponatur, sine dubitatione peccabis. Vnde Augustinus; *Quid autem agit in carne Sanctorum continentium ista concupiscentia, nisi peccandi desideria, quibus non consentientes exercent, ut confiteris, gloriosa certamina? Neque enim saltem connubii desiderium in illa continentiæ professione potest esse non malum; quid ergo illic agit ubi malum est quicquid agit? Et si ei consentiatur & peragit? Quid ibi agit hæc concupiscentia ubi nihil boni concupiscitur ex illa? Quid ibi agit libido ubi nihil boni libebit ex illa?* Qualis est autem apertè concupiscentia & motus ejus in continentibus, talis est etiam licet obscurius in conjugatis, sicut ibidem expressè Augustinus tradit. Cùm enim dixisset Iulianus conjugatos bono libidinis benè uti; *Profectò,* inquit, *mentiris aut falleris. Neque enim dicturus es in conjugibus bonum esse libidinem, in Sanctis autem vel Virginibus, vel continentibus malum.* Quod latius mox exequitur, liquidissimè ostendens id necessariò futuram esse concupiscentiam in conjugatis, hoc est malam, si talis esse in Virginibus apparuerit. Itaque contra Cœlestium disputans de concupiscentia illa carnis generali, quam Apostolus dicit *concupiscere contra Spiritum,* eâdem generalitate dicit, *Concupiscentia carnis utique culpabilis atque vitiosa est, nihilque est aliud quam desiderium peccati.* Qua de re plura diximus cùm de concupiscentia dissereremus.

Lib. 4. c. 2
Ibidem.
Lib. de perf. iust. cap. 6.
Vide l. 2 de statu natur. lapsæ.

Satis jam ex Augustino, arbitror declaravimus mentem ejus perspicuam, & indubitatam esse quod motus concupiscentiæ, quia de se infrenes sunt, in quamlibet voluptatem indifferenter inhiant esse desideria peccatorum; & propterea motus ejus, sive frenentur sive laxentur, ità manifestè malos esse, ut insaniæ sit contrarium velle sustinere. Ex quo sequitur, eos non posse esse naturaliter bonos, nec ullo modo à Deo creante, puram naturam conferri posse creaturæ. Nam huc tendit illa tota adversus Iulianum disputatio qui hoc impudenter sustinebat. *Absit enim,* inquit, *ut Deus de ligno boni cuicum jam ætatis illorum hominum, quocunque tempore beneficium tale conferret, ut haberet in membris adversarium contra quem pudicitia dimicaret.*

Lib. 2 oper. imp. cont. Iul. cap. 13.

Hoc enim malum concupiscentiæ repugnantis voluntati, tam horrendum est, ut inter omnes pœnas quibus peccatum originale punitum est; nulla post æternam damnationem sub ira & odio Dei sanctis mentibus horribilior dari possit. *Non aliunde,* inquit sanctissimus Præsul, *tantum dolorem habet humana miseria quam inde quòd caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem.*

Serm. 151 de temp.

Ex quo fit ut omnes aliæ miseriæ ad hanc miseriam tanquam ducem ac fontem cæterarum miseriarum creaturæ rationalis ab Augustino subinde reducantur; nempe quod homo sibimet-ipsi factus sit inobediens. Nam inde nascitur quod non tantum immundissima illa concupiscentia voluntate reluctante, sed qualibet alia afflictione animus cruciatur.

Ipso enim invito fit in animo vel in corpore quod non vult, ex quo necessariò sequitur cruciatus. *Nam quæ,* inquit, *hominis est alia miseria nisi adversus eum ipsum inobedientia ejus ipsius, ut quoniam noluit quod potuit, quod non potest velit?* Quod primitus & præ ceteris omnibus in ipso animo sibi repugnante tanquam

Lib. 14 de Civit. c. 15.

in fonte

in fonte ceterarum afflictionum locum habet; prout ipse statim subjungendo, & ab animi ista repugnantia incipiendo declarat: *Quis enim enumeret quam multa, quæ non potest, velit, dum sibi ipse, id est voluntati ejus ipse animus ejus, eoq; inferior caro ejus non obtemperat? Ipso namque invito & animus plerumque turbatur & caro dolet &c.* Hujus ergo concupiscentiæ voluntati repugnantis immunditia & malitia, quia non satis mente penetratur, hinc est quod tanti mali Deum auctorem esse posse homines suspicantur. Non obscurè hoc tetigit Augustinus quando Iulianum qui primus eam inter Christianos cum Pelagio magistro suo, Deo creanti attribuit, graviter perstringens arguebat: *Nunquid vel tibi vel cuiuslibet consectaneis tuis aliquid dicere videreris si quantum sit malum concupiscentia carnalis sanctitate mentis cogitare posses?*

Ibid.

Lib. 6. cont Iul. cap. 5.

Vnum objici posset, quod Augustino objicit Iulianus, concupiscentiam non esse in brutis malam; cur ergo tanta est ejus malitia in homine, ut creando in puris naturalibus hominem, ejus Deus auctor esse non possit? Respondetur causam ejus rei esse quod bruta ratione careant, cui dissonet; unde cùm non possint veritatem virtutemq; mente contingere & ejus honestate frui, datum est illis sensibile bonum quo sine ulla rationis repugnantia perfruantur. Itaque Augustinus in opere contra Iulianum imperfecto: *Hoc in pecoribus ideo non est malum, quia non ibi caro concupiscit adversus spiritum: quod malum in hominibus sanandum est bonitate divinâ non humanâ vanitate laudandum.* Et libro quarto contra eundem Iulianum: *Hæc autem libido ideo malum non est in bestiis quoniam non repugnat rationi qua carent.* Quod uberius & accuratius in alio explicat loco: *Ideo in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit sed eorum potius oblectat spiritum. Concupiscentia enim sapientia carentia, carnali concupiscentia non resultant & à bono vitæ rationalis aliena, hoc bonum habent quo delectantur. Iam vero & antea diximus, propterea hoc non esse in pecoribus malum quia in eis non concupiscit adversus spiritum. Non enim habent rationem qua libidines subiugent superando, fatigentq; pugnando.* Et statim adjungit: *Sed ne propterea putaretur non esse malum concupiscentia carnis quia bonum est in pecore, et eo se oblectet illa natura, cui non potest inesse concupiscentia sapientiæ, ideo dictum est bonum esse pecoris, cuius sine ulla repugnantia delectat spiritum: malum autem hominis quo concupiscit adversus spiritum.* Propter hanc ergo naturæ diversitatem fit; ut si homo voluptatem instar pecoris inferiore sui parte, neglecta vel contempta superiore concupiscat in simili motu dissimilis omninò ratio fit. Quod enim pecus natura, hoc homo vitio facit. Nam ut præclarè Augustinus de illa similitudine qua homines concupiscendo pecoribus comparantur: *Etsi homo in honore positus, & non intelligens comparatur pecoribus, eisque similis fit, non tamen usque adeo similis fit, ut pecus sit. Comparantur namque per vitium non per naturam;*

Lib. 2. oper. imperf. fol. 230.

Lib. 4. cont. Iul. c. 5.

Ibid. c. 14.

Ibidem

Lib. de pec. orig. c. 40.

A *non pecoris vitio sed natura*, scilicet hominis. *Tanta namque excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris.* Et è contrario ut natura pecoris sit vitium hominis. Plerumque enim contingit ut quod in inferiore natura judicamus esse rectissimum, hoc velut perversum in superiore, si imitari velit, improbemus. Ab illa quippe agitur proprium, ab hac appetitur alienum. Vnde illa in suo naturali gradu manet, ista ad inferiora demergitur. Velut cum homines sua voluntate ferina sectantur. Pulchrè namque incedit quadrupedans equus: at si sic homo pedibus manibusque imitetur, quis eum vel palearum cibo dignum putet? In equo igitur probamus illud, cui quantum præponimus hominem tantum offendimur, quod inferiora sua naturali dignitate sectetur. Sic ergo facile intelligitur inferiores animas quibus nulla inest ratio aut appetitus honestatis rectè ac decorè voluptatibus carnis inhiare; ut illis oblectentur, quibus alia deest excellentior; superiores autem quibus actionem longè præstantiorem rerum moderatrix justitia summa tribuerit, vitiosissimè motibus illis agitari, quibus & ratio perturbatur & lumen veritatis extinguitur, & virtus enecatur, & honestatis amatrix creatura vehementissimè ab honestate divellitur. Quod qui gravissimum turpissimumque malum esse non sentit, & bonitate, honestateque Creatoris indignum, *videat quomodo habeat bonum spiritum*, cui repugnantem velit nolit fatetur frenandam esse libidinem. Nam talem *concupiscentiam Ioannes dixit à Patre non esse quæ concupiscit adversus Spiritum. Quam nemo potest bonam*, & per hoc boni Creatoris opus *dicere, nisi cuius adversus eam non amat concupiscere spiritus.*

B

Aug. l. 4. contra Iul. cap. 14.

C Hoc est ergo quod Augustinus sæpius docet, solam illam rebellionem concupiscentiæ adversus virtutem atque rationem esse radicem omnis quod in ea reperitur mali. *Libido autem pudenda*, inquit, *non moveat membra nisi quando volumus, & non est morbus. Non de illa erubescat etiam licitus & honestus coniugatorum concubitus, vitando conspectum & appetendo secretum, & non est morbus.* Et libro quarto contra Iulianum: *Quæ concupiscentia malum non esset, si sola generandi causa ad licitum concubitum moveretur.*

Lib. 1 de nupt. c. 35.

Lib. 4. cont. Iul. c. 8.

Non ergo motus ejus in se mali sunt, sed inordinatio motuum, neque concupiscentia vel appetitus sensitivus per se consideratus, sed effrenitas ejus quæ concupiscentiæ & ejus desiderijs in statu puræ naturæ semper adhæret: sive interim ratio ejus impetus effrenes certo limite moderetur, sive præcipites in quodlibet & quantumlibet ferri sinat. Hæc ergo inordinatio concupiscentiæ, hæc effrenitas, hæc repugnantia cum ratione, hæc hostilitas cum virtute, hæc cum honestate contrarietas; propter quam dixit Augustinus *libidinem* cujuscunque externi sensus *esse contrariam dilectioni, sapientiæ & virtutibus inimicam*: propter quam

D

Lib. 4. c. 14.

Nn 2

quam ipse Tullius nullâ fide imbutus dixit, *eum meum ut quisque maximus est, ita inimicissimum esse Philosophiæ*, hoc est amori sapientiæ; hæc inquam labes concupiscentiæ, quæ sola Dei gratia sanatur, fons est omnis in eo mali, & causa cur creando Deus ipsius auctor esse non possit. Ipse enim esset qui creaturam suam adversus honestatem & veritatem impelleret; ipse qui eam quantum in se est, in illa peccandi desideria præcipitaret. Quantumvis enim per accidens ex conditione materiæ oriatur illa motuum istorum cum recta ratione repugnantia, illa tamen repugnantia non est per accidens Deo. Quid enim potuit materia corporalis, quid anima, quid A ipsa creatura rationalis facere ne ita instituatur sicut eam instituit Deus? Cùm ergo in tali natura eam Deus condit, in qua non potest non contra rationem virtutemq; concupiscere, perspicuum est, hoc Deo non creaturæ esse tribuendum, & proinde totam inhonestatem ac turpitudinem concupiscendi veluti per canalem redire in Deum. Quod quia pietas Christiana sentire de divina honestate nos vetat, sequitur profectò non posse talem turpitudinem in creaturam rationalem à Deo creante proficisci, & per hoc, statum illum puræ naturæ esse injuriosum Deo & impossibilem.

CAPVT XV.

Argumentum 9 cont. statum puræ naturæ.

Tertium argumentum, licitum est omnibus concupiscentiæ motibus consentire si Deus naturam rationalem cum eis creet.

Nec est difficile alijs argumentis juxta mentem Augustini insolubilibus, statum illum purorum naturalium ex parte ejusdem concupiscentiæ quatere & evertere. In quibus illud est non infimum, & ab Augustino crebro contra Iuliani machinas adhibitum, quibus concupiscentiam ex Dei primævâ institutione puram naturam condentis profluxisse statuebat. Nimirum quia ex illa hypothesi sequitur licitum esse quibuslibet ejus desiderijs consentire, quicquid appetiverit dare, quodcunque flagitium libuerit perpetrare, ratio in promptu est, quia impossibile est ut hoc sit malum quod naturaliter libet. Certa enim regula est naturam bonam non posse naturaliter declinare in malum. Quin potiùs illa est omnium actionum bonarum norma securissima, & à Philosophis deprædicata, naturam nullo adhuc vitio vitiatam sed ex Dei manibus talem, qualis naturaliter esse debet prodeuntem sequi. Hoc est enim ipsam Dei artem & sapientiam naturæ conditricê sequi. *Cum enim & hoc à Deo natura habeant quod naturæ sunt, in tantum vitiosæ sunt in quantum ab eius à quo sunt arte discedunt: Et in tantum rectè vituperantur in quantum earum vituperator artem qua factæ sunt videt, ut hoc in eis vituperet quod ibi non videt.* (Lib. 3. de lib. arb. cap. 15.) Ex quo necesse est naturam ita cum concupiscentia conditam nullo modo dici posse vitiosam. Aut enim illa concupiscentia secundùm naturam hominis est, & non est vitium nec vituperari debet; aut si vitium est, ut rectè vituperari possit etiam contra naturam sit necesse est, sicut Augustinus ibidem docet: *Omne quippe vitium eo ipso quo vitium est contra naturam est*, (Cap. 13.) & consequenter nullum omninò vitium est naturale. Nam ut Augustinus generatim, *animorum quæcunque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum.* (In Enchirid. cap. 11.) Si ergo concupiscentia rebellis non est vitium, ergo natura non A est vitiata, ergo etiam & ejus instinctus obediendo sequi, est sapientiam Dei conditricem sequi. Nec ullo modo consensus eorum illicitus esse aut vituperari potest.

Sed ne mea putetur ista solius, ideoque fallax ratiocinatio, ipse Augustinus audiatur: qui disertissimis verbis eam præformavit & adversus commenta Iuliani qui eius hominem cum concupiscentia in paradiso à Deo conditum sentiebat invictam esse diversis arguendi modis arbitratus est. Nam in primis expressè & perspicuè sæpiùs docet, si concupiscentia naturalis est seu naturaliter bona, seu naturaliter à Deo visceribus inserta creaturæ, & motus ejus naturales, neque per peccatum hominis vitiati, omnem consensum ejus esse licitum. *Quid mali*, inquit, *faceret, qui bonæ concupiscentiæ consentiret, cùm nihil mali faciat etiam qui opere* (Lib. 4. cont. Iul. cap. 16.) B *coniugali, non sine ipsius malo seminat hominem?* Et in eodem libro inferius, & uberius, Ioannes Apostolus illam concupiscentiam *non esse dixit à Patre quæ concupiscit adversus Spiritum.* Hoc est, non eam esse velut puræ naturæ collatam à Deo Patre, sicut urgebat adversarius. *Quam* (Cap. 19.) *nemo potest bonam dicere nisi cuius adversus eam non amat concupiscere spiritus. Quod si talis non est in motu & in ardore genitalium, non adversus eam concupiscat spiritus, ne adversus donum Dei concupiscendo inveniatur ingratus. Sed quicquid appetiverit detur, tanquam illi quæ à Patre est. Si autem non est quod detur, hoc potiùs petatur à Patre, non ut auferat vel comprimat, sed ut expleat concupiscentiam quam donavit.* Quid potest clarius & expressius adversus concupiscentiam tanquam à Deo in puris naturalibus condente datam dici? Audi tamen adhuc si dici potest evidentius & instantius In lib. 5. (Lib. 5. c. 5.) *Nec times, ne tibi potiùs admo-* C *neas esse dicendum, quod ad flagitia concites homines, ne resistant concupiscentiæ, quam sicut bonum naturale defendis.* Quod quid sibi velit luculentissima expositione declarat: (Ibidem.) *Quam tu bonam cùm natura-*

naturaliter dicis, astutè illi semper consentiendum esse decernis, ne renisu improbo repugnetur naturali bono. Ita quippe potest facillimè vera esse etiam illa vestra sententia qua dicitis hominem sine peccato esse posse si velit. Non est enim quomodo faciat quod non licet, quando licet, quidquid libet, quia bonum est, quod naturaliter libet. Si ergo adsunt voluptates, perfruatur; si autem non adsunt, ipsis earum cogitationibus, sicut Epicuro visum est oblectetur, & erit sine peccato, nec se ullo fraudabit bono: nec cujusquam doctrinæ opinionibus resistat naturalibus motibus, sed sicut ait Hortensius, tunc obsequatur naturæ cum sine magistro senserit, quid natura desideret. Non enim potest quæ bona est, desiderare quod malum est; aut negandum est bona aliquod bonum. Fiat itaque totum quod desiderat libido bona ne ipse sit malus qui resistit bono. Cernis hîc omnia simul conglobata, & Augustini auctoritate comprobata quæ supra diximus. Nam, sicut ratio clamat, & *bonum dicit esse quod naturaliter libet*; ideoque *nullius doctrinæ opinionibus resistendum esse naturalibus motibus*; & *obsequendum esse naturæ cum sine magistro*, arte videlicet omnipotentis Dei per instinctum naturaliter insitum docente *didicerit, quid natura desideret*. Rationem perspicuam adjicit: quia non potest *natura bona* nullo videlicet adhuc vitio ab arte & sapientia Dei detorta *desiderare quod malum est*; neque *negandum est bona aliquod bonum*. Hoc enim negando non probaret naturam appetere aliquid mali, sed se potiùs *esse malum qui resisteret bono*. Ex quo etiam apertissimè liquet quo sensu Iulianus prædicaret concupiscentiam esse *naturaliter bonam*. Nimirum non hoc sensu quasi ipsa repugnantia cum ratione esset bona; nec enim in universis ejus monumentis hoc reperitur, sed potiùs eam concedit esse aliquid imperfectionis, & malam dum sæpè libidinem oppugnandam, coercendam, frenandam, & adversus eam vigilandum esse testatur.

Hic ergo sensus est, quo & Augustinus illud accepit, videlicet quod concupiscentia, cum sua effreni repugnantia esset homini bonum naturale, non solum *quia cum illa nascitur omnis homo*, quod concedit ei Augustinus in hoc eodem capite, sed; *quod cum illa sit conditus primus homo*, hoc est, quod ante omne peccatum, ab ipso Deo inserta esset primis hominibus tanquam in pura natura conditis, cunctisque posteris eorum, & consequenter, quod hoc esset natura hominis, & *naturaliter liberet* id quod caro desiderat, & ita esset naturaliter bonum. Nam ideo dicit *bonum esse quod naturaliter libet*. Hoc est, per hoc ipsum probatur esse bonum, si naturaliter libet: quia ut adjicit, natura bona à bono videlicet creata Deo, non potest desiderare quod malum est. Quem sensum suum superius latius nos declaravimus, & inferius sine ambiguitate declarat ipse Iulianus, dum explicando quomodo concupiscentia (quæ propter pugnam cum ratione, homini est verecunda) sit naturaliter bona, dicit: *Sic nostra membra* (Lib. 4. c. 16.) *fuisse formata ut alia verecundiâ, alia libertate gauderent.* Hoc est, ita à Deo formante corpus hominis institutum est, ut ex membris quibusdam oriretur homini naturaliter verecundia, qua ea tegere velit; ex alijs libertas, qua ea sine verecundia detecta esse sinat. Quæ apertissimè declarant, nihil omninò aliud hac de re sensisse Iulianum vel oppugnare Augustinum, quam quod Philosophi gentium tum Iuliano tum Scholasticis, de statu illo puræ naturę præformarunt: quod in eo videlicet & concupiscentia & pugna ejus & pudor sequens esset homini, creatore bono eum ita formante, naturalis. Nam inde necessariò sequitur eam esse naturaliter bonam, cùm Deus creare non possit aliquid naturaliter malum. Hoc enim hæresis Manichææ proprium & abominabile principium fuit ut infra declarandum est.

Cùm ergo ista consequentia esset Augustino quasi primo-vera & infallibilis, quæ bonitatem concupiscentiæ naturaliter repugnantis rationi ex creantis bonitate colligit, hinc est, quod sæpè alterutrum à Iuliano extorquere nititur, ut fateatur vel *vitium esse*; vel certè si non est vitium sed aliquod naturale bonum, *esse postea homine peccante vitiatam*. Per quam argumentandi formam indicat se susque deque ferre, utrum concupiscentia sit homini inserta naturaliter velut aliquod naturale bonum, dummodo fateatur pugnam illam fœdissimam cum ratione atque virtute, nullo modo potuisse esse naturalem, sed illam necessariò esse vitium à conditoris arte remotissimum, ex sola verò hominis peccantis iniquitate contractum. Quo nihil capitalius adversus puræ naturæ statum quem Iulianus tuebatur dici posset. Audi identidem hoc agentem summo conatu Augustinum: *Sed ecce non vobiscum de libidinis absentia præsentiave contendimus*, in prima scilicet hominis conditione in paradiso, ubi hominem in puris naturalibus conditum esse statuebat Iulianus, *nec dilectionem quam debere vos ei videmus, ostendimus; saltem ipsam subdite voluntatis imperio in illo felicitatis loco. Auferte inde evidentissimam pugnam, quæ fit eius motioni mente renitente, auferte inde turpissimam pacem, qua fit eius dominationi mente serviente, & certè quia non eam talem videtis qualem ibi constituere, si ratione non revocamini, pudore cogimini in ea qualis nunc est, vitium originale fateamini.* (Lib. 5. cont. Iul. c. 7.) Et libro secundo ad Valerium: *Si non vult concedere vitium esse libidinem, dicat saltem per illorum hominum inobedientiam etiam ipsam vitiatam, ut illa quæ obedienter & ordinatè moveretur, nunc inobedienter inordinatèq; moveatur, ita ut ipsis quoque pudicis ad nutum non obtemperet coniugatis, sed & quando non est necessaria moveatur, & quando necessaria est, aliquando citius, aliquando tardius, non eorum sequatur nutus, sed suos exerat motus.* (Lib. 2. de nupt. c. ult.) Et in libris operis imperfecti: *Quantumlibet autem abs te defensione muniatur, ut laudibus adornetur, aut vitiū est aut vitiata est.* (Lib. 2. oper. imperf. fol. 433.) Hoc est, quantumlibet eam tu prædicaveris natura-

lem,

lem, naturale bonum, & puræ naturæ collatam à Deo, nihilominus necesse est ut ipsa aut tota vitium sit, quod per peccatum primitus exortum est, aut ipsa cùm esset bona peccato vitiata sit. Clarius hoc expressit in alio ejusdem libri loco: *Pudenda libido nisi aut peccato orta velut vitium, aut peccato vitiata esset, pudenda non esset, & aut nulla esset omninò, & sine illa ita servirent genitalia membra gignentibus ut manus serviunt operantibus; aut ita esset subsequens voluntatem ut nunquam posset sollicitare nolentem.* Quam doctrinam alibi crebro repetit ut quantoperè illa pugna cum ratione aliena sit à puritate Creatoris hominem ita instituentis ostenderet. Sed jam in hujus capitis proposito pergamus, ut declaretur si concupiscentia est naturale bonum homini a Creatore inditum, licitum esse omnes ejus naturales motus sequi.

Lib. 2. fol. 250.

Secundo igitur idipsum ex eo patet, quia frequenter adversus Iulianum docet, nullo modo intelligi posse quomodo aliquis concupiscentiam sic à Deo naturaliter datam prædicare queat, & simul motibus ejus sincere & ex animo repugnando resistere. Resisteret enim instinctibus, quos à Deo datos esse sentiret: ubi vel pietas quam haberet de bonitate Creatoris pugnam adversus donum Dei frangeret, vel seria pugna tanquam adversus malum corrigeret pietatem. *Duo enim bona, quæ à Patre sunt pugnare non possunt*, ut supra dixit & explicuit Augustinus: *Fortasse ergo eam*, inquit, *laudare te fingis*, tanquam naturale bonum à Deo datum, *si pugnare non fingis. Nam quomodo fideliter simul agas duo ista non video, ut & laudes velut amicam, & expugnes velut inimicam. Vnum eorum credimus, sed elige quod credamus. Si ex animo pugnas non ex animo laudas. Si autem simpliciter agis in præconio, colludis in prælio.* Et libro sequente in initio, *Cui malo tantum licere posse quis crederet, ut sibi laudatorem etiam de suis expugnatoribus provideret? Absit quidem ut antiquorum aliquem vel Apostolorum vel quorumcunque sanctorum, mirabiliter tamen si vel quemquam hæreticorum novorum, qui simul utrumque se esse profiteatur inexplicabilibus modis expugnatorem scilicet defensoremq; libidinis, & conetur ostendere manens in hæresi Pelagiana* quæ videlicet eam dicit homini à Deo datam esse in puris naturalibus, *& ex animo se laudare, quod ipsum eius animũ nisi expugnetur occidit; & ex animo expugnare quod eius dogma nisi laudetur, absumit.* Dogma autem Iuliani non postulabat aliud nisi ut esset sine peccato hominis à Deo ipsi inserta naturaliter qualiscunque tandem esset. Nam per hoc obtinebat eam non esse causam propagationis peccati originalis quæ tota causa disceptationis tam laboriosæ tot annorum, tot librorum fuit, sicut alibi demonstravimus. Itaque rursum inferius in eodem libro: *Quam concupiscentiam velut bonam cùm defendat error tuus, nescio quemadmodum adversus illam, velut adversus malum concupiscat spiritus tuus.* Et in libris operis imperfecti indicans illum esse scopum suum in reprehendenda libidine: *Nec immerito*, inquit, *militibus Christi à quibus debellatur odiosa est, cum qua ipse colludis ut eam & expugnare te dicas, & laudare non erubescas. Per hanc humana quæ nascitur, caro peccati est*; quam propterea in eadem periodo *aut vitium aut vitiatum* esse concluserat. Et in eodem libro iterum: *Quam si naturam vocas, ibi ruina est, quæ te ita pressit ut laudare cogeret, quod expugnas, si tamen est in te qualiscunque castitas quæ te facit expugnare quod laudas*: certum est autem quod non aliter eam cogebatur laudare Iulianus nisi quod ipsa qualiscunque tandem haberetur esset à Deo data naturaliter, sine iniquitate hominis provocante. Hoc enim evidentissimè satis est ne putetur ipsa esse causa peccati originalis quod spectabat in ejus defensione Iulianus. Quapropter si inexplicabilis modus est ut quis sit ex animo expugnator defensorque libidinis eo modo quo Iulianus eam defendebat, ut scilicet à Deo creaturam in puris naturalibus condente collata sentiatur, perspicuum est hominem non posse cum concupiscentia rationi repugnante in puris naturalibus creari.

Lib. 4. c. 13.
Lib. 3. c. 21.
Lib. 4. c. 2.
Cap. 14.
Lib. 1. oper. imperf. fol. 443.
Ibid. f. 450.

Hæc est ergo ratio, cur non tantum de concupiscentia sed etiam de singulis ejus desiderijs, apertissimâ professione dicat Augustinus, licitum esse illis consensum adhibere, si sint bona sicut Iulianus prædicabat, hoc est si ex naturali Creatoris institutione nascerentur. Hoc enim ipso essent non solum bona sed etiam licita. Licitum est enim desiderium quod ex naturali institutione creaturæ fluit, licitum item licito desiderio adhibere consensum; sunt autem illicita, inhonesta, turpia, malaque desideria, & ita mala ut hoc ipso quo eis consensus datur peccatum fiat, nullo pacto igitur naturalis institutionis bona esse possunt. *Quid agit* (concupiscentia) *nisi ipsa desideria mala & turpia? Non enim si bona & licita essent eis obedire prohiberet Apostolus.* Et alibi: *Ideo sine dubitatione malum est, quia ei non consentire bonum est.* Et rursum tertio contra Iulianum: *Sed omnes homines indicant, lasciviã non esse peccatum nisi quia concupiscentia consentitur. Nullumne ergo malum est cui consentiendo peccatur?*

Lib. 1. de nupt. c. 27.
Lib. 4. cont. Iul. cap. 2.
Lib. 3. c. 14.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XVI.

Argumentum decimum cont. statum pura natura.

Argumentum quartum ex concupiſcentia contra matrimonium in pura natura.

POSSIT & aliud argumentum velut ex præcedentibus conſectaneum texi. Si enim in puris naturalibus illa membrorum rebellio ac libidinis fœditas fuiſſet naturalis, recta ratio, hoc eſt, veritas diſſuaſiſſet matrimonium & ad perpetuam continentiam invitaſſet. Hoc enim nunc rectam ſuadere rationem, intelligentibus manifeſtum eſt. Recta enim ratio ſuadet, ut mens rationalis nullo pacto ſub libidine deprimatur, ſed ut ſerenitatem ejus tuendo id quod apertè eſt laudabilius meliuſque ſectemur. Continentiam autem eſſe meliorem neminem Chriſtianum fides Catholica dubitare ſinit. Cui inhærens Auguſtinus: *Carnalis concupiſcentia laudabilius continentiæ virtute frenatur quam fructibus impenditur nuptiarum. Tam magnum eſt enim malum eius, ut eo non uti, quam bene uti ſit melius.* (*Ibid. c. 7.*) Diſſuadere autem connubium rectam rationem in puris naturalibus vehementer abſurdum eſt. Diſſuaſiſſet enim opus maximè naturale, & ad illud incitaſſet quod naturæ propagationi eſt contrarium: atque ita recta ratio nullo adhuc naturæ vitio ex peccato regulas ejus turbante, quodammodo cum naturæ conſervatione pugnaſſet. Accedit quod & matrimonium eodem modo ante omne peccatum creaturæ ſicut poſt excuſationis indigeret; nec in generationis officium tantum eſſet, ſed etiam in remedium incontinentiæ ex vi primæ ſuæ conditionis inſtitutum. Nam etiam tunc infirmitas fuiſſet excipienda honeſtate nuptiarum ne in flagitium laberetur. Morbus igitur fuiſſet naturæ humanæ naturalis. Nam concupiſcentiam eſſe morbum plurimis locis ex Apoſtolo S. Auguſtinus docet. *Iſte quippe eſt morbus* (libido) *de quo Apoſtolus etiam coniugatis fidelibus loquens* &c. (*Lib. 1. de nupt. c. 8. Vide lib. 2. cont. Iul. c. 7 & l. 3. c. 15.*) Quod alijs plurimis locis teſtatur. Quid autem abſurdius, quam ceteris omnibus animantibus ſanitatem, ſoli homini morbum omnium morborum fœdiſſimum eſſe naturalem? Cui enim matrimonij remedium neceſſarium eſſet, id ſanitas dici nequit juxta illud Auguſtini hâc ipsâ de re: *Si agnoſcis remedium, agnoſce morbum. Si negas morbum, nega remedium. Rogo cede aliquando etiam per os tuum tibi loquenti veritati. Nemo remedium providet ſanitati.* (*Lib. 3. cont. Iul. c. 15.*) Ex quo Auguſtinus conficit concupiſcentiam non potuiſſe puræ naturæ ſicut Iulianus aſſerebat inſtitutione manaſſe. Nam eum ex propria confeſſione jugulat quâ dixerat ei remedium nuptiarum ſovendo eſſe neceſſarium. Vnde & alibi: *Nec ſuccenſeas quod concupiſcentiam dixi morbum, cui & tu confeſſus es proviſum eſſe remedium.* (*Cap. 21.*) Et libro quarto: *Apoſtolica ſententia ubi ait, ſi ſe non continet, nubat, remedium voluit eſſe nuptias (quod & ipſe confeſſus es) contra morbum concupiſcentiæ quod confiteri non vis qui remedium confiteris. Hoc autem remedium eſt, non ut ſit concupiſcentia, ſi non eſt, ſed ut non rapiat ad illicita cuius motus infrenis eſt.* (*Lib. 4. c. 2.*)

CAPVT XVII.

Argumentum undecimum cont. ſtatum pura natura.

Quintum argumentum ex parte pudoris qui libidinis indivulſus comes eſt. Vnde naſcatur: quanti mali teſtis.

SED aliud, quantum Auguſtinus indicare & ego advertere poſſum, peremptorium argumentum adverſus puræ naturæ ſtatum pudor ille naturalis, qui concupiſcentiam inordinatis motibus æſtuantem ſequitur, ſuppeditat. Vſus eſt illo ſæpè Auguſtinus velut inſolubili contra Iulianum, eoque maximè & Iuliani & Auguſtini ſenſus declaratur. Quod ut intelligatur, ſciendum eſt verecundiam illam naturalem quæ in omnium hominum ſenſu cum natura naſcitur, & ita naſcitur, ut nec à flagitioſiſſimis concupiſcentiæ ſervis poſſet extingui, indivulſum eſſe comitem fœditatis & inhoneſtatis ejus. *Confuſionem* enim *inhoneſtatis eſſe non dubium eſt,* inquit Auguſtinus, (*Lib. 4. cont. Iul. c. 16.*) poſt Principem Philoſophorum Chriſtianiſq; viciniſſimum Platonem ἵνα γε αἰδώς, ἔνθα καὶ δέος. Ἔστι γὰρ ὅστις αἰδούμενός τι πρᾶγμα καὶ αἰσχυνόμενος οὐ πεφόβηταί τε καὶ δέδοικεν ἅμα δόξαν πονηρίας; (*In Euthyphr.*) *Vbicunque pudor, ibi & timor. An quiſquam eſt qui pudore afficitur atque erubeſcit, opinionem pravitatis non formidans?* Inhoneſtum eſt autem & propterea magnopere verecundum creaturæ rationali quod membra in quæ naturaliter animo debetur imperium, neſcio quâ infirmitate non poteſt regere ad arbitrium ſuum. Sic enim etiam dominis verecundum eſt ſervos habere petulantes qui inſpectantibus hominibus inſultant heris ſuis & eorum imperio obedire detrectant. Hanc eſſe veram pudoris illius cauſam non ſemel Auguſtinus tradit: *De quibus,* membris, *erubeſcens quod non ad arbitrium voluntatis eius, ſed ad libidinis incentivum, velut arbitrio proprio moverentur quæ pudenda indicavit, operienda curavit.* (*Lib. de pecc. orig. c. 34.*) Et libro primo de nuptijs: *Vbi autem ventum* (*Lib. 1. de nupt. c. 5.*)

ventum fuerit ut filij seminentur, ad voluntatis nutum membra in hoc opus creata non serviunt, sed exspectatur, ut ea velut sui juris libido commoveat, & aliquando non facit animo volente, cum aliquando faciat & nolente. Huccine non erubesceret humani libertas arbitrii quæ contemnendo imperantem Deum, etiam in membra propria proprium perdidisset imperium? Et mox: *Hanc ante motum dico inde erubescerent quia motum senserint, cum illi primi homines in sua carne sensissent.* Et lib. 4. contra Iulianum: *Non erat decens ut pudore, quando id (membrorum) movebat voluntatis imperium non caro concupiscens contra spiritum.* Sed hæc sufficiunt. Passim enim in operibus contra Iulianum scriptis id ipsum Augustinus tradit. Hoc ergo pudoris genus, hæc erubescendi necessitas, certè cum omni homine nascitur, & ipsis quodammodo naturæ legibus imperatur, ut in hoc verecundentur etiam ipsa pudica conjugia; nec quisquam tam male turpitudine proficiat, ut quia cognovit Deum esse conditorem naturæ, auctoremque nuptiarum, ideò etiam miscendus uxori, si quis eum videat non de his motibus erubescat, quærat que secretum, ubi non solum alienorum, verum etiam suorum omnium possit vitare conspectum prout hæc eadem Augustinus docet.

Lib. 4. cont. Iul. c. 13.

Lib. 1. ad Bonif.

Ex hâc ergò naturali verecundiâ quam ingerunt hominibus tam infidelibus qui nihil de naturæ elevatione noverunt, quàm fidelibus tumultuantes illi ideoque fœdi ac turpes libidinis motus, gravissimum argumentum exit adversus puræ naturæ statum, quem Iulianus fabricabat, sanctus Augustinus: Nam illa pudendi necessitas non minus esset in illo statu, quàm in præsenti naturæ lapsæ. Oritur enim ex illa concupiscentiæ rebellione adversus animum, cui naturaliter pudendum est, non posse motus corporis, quod ei naturali ordine servire debet, imperio suæ voluntatis sive excitando sive sedando moderari: quæ rebellio non esset minor in puris naturalibus sicut hoc Scholastici ultro profitentur. Non igitur minor esset etiam illius inobedientiæ & indecentiæ verecundia. Iam verò secundùm Augustinum, impossibile est, ut homo à Deo cum illa erubescendi necessitate condatur; si enim de illis motibus erubuerit, quid illo ingratius qui de creatoris sui operibus erubescit? An fortè creatura honestior est creatore suo, ut quod creatorem non puduit instituere hoc creaturam proferre pudeat? Si autem non erubuerit, quid illo impudentius? Qui bonus & innocens non erubescat, quod nunc erubescunt laudabiliter boni & mali? Sed quam impossibile sit ut in illo puræ naturæ hoc est nondum per peccatum depravatæ statu Deus hominem instituat cum illa pudoris necessitate, seu cum pudendis illis motibus ex quibus pudor nascitur, Augustinum ipsum luculentissimè explicantem videamus, dum adversarium retunderet, qui naturam ita divinitus in puris naturalibus institutam esse delirabat: *Itaque sua culpa sibi accidens malum natura humana permittatur agnoscere, ne cogatur, aut quod est impudentissimum de his suis motibus non erubescere, aut quod est ingratissimum de sui creatoris operibus erubescere.* Si enim natura humana non agnoscit hoc malum suâ sibi culpâ accidisse, sed ex institutione Dei hominem in pura natura fabricantis, necessario in alterutrum extremum labitur: Nam non erubescendo prodit impudentiam suam, erubescendo ingratitudinem; quia non habet de quo erubescat, nisi vel de opere vel de incuria creatoris, quorum utrumque impium est creaturæ. Vnde capite sequenti: *Nunc ipsi se utcumque hominem esse considerat omnis pudens, impudensque confunditur; absit ut de opere Dei, sed de pœna primi veterisque peccati.* Et libro de peccato originali contra figmentum istud puræ naturæ a Pelagianis excogitatum causam pudoris primorum hominum quærens: *Non enim,* inquit, *confundi debuit homo de operibus Dei, aut ullo modo fuerant creato erubescenda, quæ instituenda visa sunt creatori.* Et in Sermonibus de verbis Domini: *Non erat unde erubescerent quando peccatum non præcesserat. Nec poterant de sui creatoris operibus erubescere, qui operibus sui creatoris bonis, nullum adhuc malum opus suum miscuerant.* Et accuratius libro secundo de nuptijs, cùm Iulianus hominem cum illis rebellibus motibus conditum esse statuens dixisset, Prophetam duos in carne una profitendo propè periculum pudoris accessisse, reponit ei præclarè Augustinus: *Dicatur causa, cur in exprimendis operibus Dei Propheta propè periculum pudoris accesserit. Itane verò humana opera pudenda esse non debent, sed planè gloriosa & divina pudenda sunt? Itane verò in eloquendis & exprimendis operibus Dei non honoratur Propheta vel amor vel labor, sed periclitatur pudor? Quid enim potuit Deus facere quod eius prædicatorem pudeat dicere? Et quod est gravius, pudeat hominem alicuius operis quod non homo, sed Deus fecit in homine, cùm omnes opifices quanto possunt labore & industria id agant, ne de suis operibus erubescant?* Et mox ostendens esse vitium pœnamque peccati, quæ inobedientibus justissimo reciprocatu reddita est; *Huius,* inquit, *nos pudet & merito pudet. Nam si hoc non esset, quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris non de vitio vel de pœna nostra, sed de Dei confunderemur operibus?* Et cùm eundem locum refricuisset in libro tertio adversus eum scripto, *Satis,* inquit, *te debuit admonere, nihil pudendum futurum fuisse in operibus Dei, nisi præcessisset cur natura humana deberet de sui meriti deformitate confundi.* Et exsertissimè, directissimèque contra statum puræ naturæ Iuliano intorquens ratiocinationes suas, cùm dixisset adversarius juxta istud Pelagianum dogma, ita membra nostra fuisse formata à Deo, ut naturaliter *alia verecundiâ, alia libertate gauderent,* quibus verbis clarius non posset statum puræ naturæ pingere, & tamen secum pugnans statim subjecisset, Apostolum *pro sua honestate genitalia loca directè appellare noluisse,* replicat ei Augustinus: *Nonne his verbis tuis teipse redarguis? Honestas ergò erat non appellare directè, quod Deus facere dignatus est rectè. Et quod creare non puduit ipsum*

Lib. 1. ad Bonif. c. 16.

Ibid. c. 17.

Lib. de pecc. orig. c. 34.

Serm. 31. de verbis Dom. cap. 1.

Lib. 2. de nupt. c. 9.

Ibid.

Lib. 3. cont. Iul. c. 20.

Lib. 4. cont. Iul. c. 16.

ipsum judicem, pudebat enuntiare præconem; quando ipsud ita esset, nisi quæ ille fecerat honesta condendo, nos fecissemus inhonesta peccando? Et paulò post: *Nullo modo enim Deus, & hoc quod est penes ante peccatum aliquid faceret in membris humani corporis inhonestum.* Hæc & similia, nisi multum fallor omni sole clarius ostendunt, quanta fiducia condemnet Augustinus illam Pelagiani commenti inanitatem, qua hominem cum pudendis illis motibus velut in pura natura conditum esse delirabant. Condemnet autem non tanquam falsam tantum, quia reipsa aliter homo conditus fuit, sed tanquam impossibilem ingratitudinis & impietatis plenam erga conditorem, quasi honestior esset creatura Creatore quam puderet operis quod instituendum visum fuerat conditori. Ex quo doctrinæ cælestis pondere factum est, ut quamvis Iulianus Pelagianam hæresim periclitari cerneret, nisi homo cum illa concupiscentiæ pudendâ & inhonestâ rebellione conditus esse diceretur; non ausus est tamen hoc sine aliquo rubore & fluctuatione defendere. Nam in eodem loco dicit primos homines *in eadem honestate permanentia membra texisse.* Quam confessionem ejus arripiens Augustinus, necessitatem ita sentiendi puræque naturæ statum abjiciendi, velut injuriosum Deo plenissimâ securitate decernit: *Bene quod ipse confessus es, illa membra fuisse prius honesta: Non enim aliud posses nisi blasphemâ opinione sentire.* Ecce non nisi blasphemâ opinione sentiri posse testatur, quod membra genitalia ante peccatum inhonesta fuerint, illa videlicet concupiscentiæ rebellis inhonestate, qua Paulus Apostolus membra illa inhonesta nuncupavit. Et cur obsecro opinione blasphema, nisi quia tanta fœditatis & inhonestatis causam tribueret Deo, cujus summa honestas & extrema puritas tantæ obscœnitatis origo in creatura rationali esse non potest? Hoc est enim quod antea contra figmentum illud Iuliani necessitatem pudoris ex Dei creatione profluxisse statuentis, velut ingratum & irreligiosum intonuerat: *Quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris non de vitio vel de pœna nostra, sed de Dei confunderemur operibus?* Blasphemiam quippe in Deum, religioni & honori Dei repugnare, non est dubium.

Ibidem.

Ibid. c. 26.

Loco supra citato.

Hoc ergo cùm Iulianus quantumvis impius, consequens esse cerneret, ut ex illius argumenti angustijs salvâ libidinis rebellione naturali, puræque naturæ statu, sese proriperet, per aliam sese fenestram quam solam patere vidit præcipitem dedit. Nam cum erubescendi necessitatem peccato exortam esse, dogma ipsius de pura natura dici prohiberet; ex Deo vero creante natam esse, pietas erga Creatorem ab Augustino sæpè commendata, & blasphemiæ timor vetare videretur, dixit primos homines nihil de illa libidinis membrorumque rebellione erubuisse. Nimirum quia *nihil illic indecens novumque fuerunt*, ut aiebat: *A pictoribus enim didicisse* jactabat Augustinum *quod Adam & mulier eius pudenda contexerint. Pictoribus* autem *atque Poëtis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Quod revera non erat aliud profiteri quam ante peccatum fuisse quidem eandem libidinosæ carnis fœditatem, nihil tamen ruboris primis hominibus incussisse. Quæ sententia ejus non alio principio nitebatur, quam illo lumine naturæ noto, quod naturalia ac divinitus instituta, nullo modo pudenda sunt. Ex qua simili prorsus hallucinatione Cynicorum error fluxit qui magis intrepidi libidinis advocati quam Iulianus, de illa exercenda non verecundabantur in publico: unde illa secta Caninum nomen accepit. Non ausus est tamen eo impudentiæ progredi Iulianus, quia nonnullus fidei Christianæ sensus & naturalis verecundiæ quæ supererat, cohibebat impetum, quo eum hypothesis puræ naturæ & certa veritas de non erubescendis institutis naturalibus Dei in libidinis patrocinium propellebant. Cùm ergo libidinem ex puræ naturæ principijs subinde defenderet subinde naturali verecundiâ errorem superante suberubesceret, hanc inconstantiam ei Augustinus exprobrat: *Tu autem defensorem quidem libidinis profiteris, sed de tua suscepta quod fidem, libertatemque, patroni non decuerat, erubescis.* Hoc tamen saltem puræ naturæ dedit, ut quemadmodum dixi, primos parentes nihil erubuisse nec sese texisse diceret, quia nihil novum postquam peccassent aut indecens in eis fuit, nempe quia naturalia non possunt esse indecentia. Proinde non perizomata ut aliqui Scripturæ textus legunt, sed vestimenta eos sibi fecisse velint; *quibus*, inquit, *latera magis dicam tecta fuisse quam femora.* En impudentiam ex illo errore nascentem. Tantus videlicet horror eum corripuerat ne pudorem ex Creatoris arte vel inertia promanasse fateretur. Malebat enim illam concupiscentiæ tumultuantis fœditatem nudam in paradiso collocare, quam eam perizomatibus tegendo, opus Dei erubescendum confiteri.

Lib. 5. cont. Iul. cap. 2.

Lib. 4. cont. Iul. c. 15.

Quod si quis forte ex Neotericis puræ naturæ assertor, hanc Iuliani sententiam, quod non arbitror, amplecti malit, quam pudendi necessitatem tribuere Creatori (nec enim video quid aliud cum aliqua probabilitate dici queat) attentè perpendat, quam prodigiosæ impudentiæ sententia illa visa sit Augustino, & verò omnibus honestatis naturalis amatoribus videri debet. Manifestè quippe sequitur innocentiam quæ in primis hominibus in quocunque tandem statu conditi fuerint, & impudentiam habitasse simul. *Verum & sic*, inquit Augustinus, *si pudor adsit, ad cuius officium vestimenta asseris pertinere, nequaquam persuadere conaberis, homines primos peccato magistro ista pudoris officia didicisse, & in eis primis duas quasi socias & amicas convenienter habitasse innocentiam & impudentiam.* Et paulò inferius: *Imo verò tua ista sententia ita est indecenter impudens & deformiter nuda ut eam quantalibet folia verborum consuta, operire non possis.* Et mox cum Iulianus detectis pudendis opinionem ex Pictoribus

Lib. 5. c. 2.

Ibid.

Digitized by Google

Ibidem.

bus fluxisse deberet; *Absit*, respondet sanctus A Doctor, *ut in primis hominibus tanta innocentia tam impudens esset: sed nudum, inerat quod puderet. Peccaverunt, attenderunt, erubuerunt, operuerunt: & adhuc clamas nihil illic indecens, novumque senserunt. Hanc plane impudentiam tuam nimis incredibilem, absit ut dicamus; Nullus te Apostolus aut Propheta sed nec Pictor docuit nec Poeta. Illi quippe ipsi quibus quidlibet audendi, sicut eleganter dictum videtur, semper fuit aequa potestas, confunderentur tale aliquid videndum fingere quale tu credendum non confunderis disputare. Duas enim simul habitantes, quarum altera est optima, altera est pessima, velut inter se convenientes atque concordes, innocentiam scilicet atque impudentiam, nullus Pictor pingere, nullus Poeta canere auderet: Nec eorum quisquam ita de sensibus desperaret humanis, ut etiam hoc sibi audendum, aequam crederet potestatem, sed insaniam potiùs vanitatem.* In hanc autem opinionis impudentiam quod non puderet primos homines libidinosæ fœditatis cum qua creatos esse statuebat, purâ necessitate coactum, ideoque trepidum & reluctante scientia & conscientia, prorupisse Iulianum, ne scilicet fateri alioquin cogeretur primos homines sui Creatoris vel operis ejus puduisse, in sequentibus Augustinus indicat. *Videmus quod texerint, Adam & Eva, nimiæ insipientiæ est adhuc quærere, nimiæ impudentiæ adhuc negare, quod senserint. Nam tu quoque cùm obstinatissime contradicas, usque adeo iudicasti, nihil aliud humanis occurrere sensibus nisi concupiscentialem motum erubescentes illos homines in genitalibus tegere voluisse; ut perizomata erigere ad latera conareris: aut operiens latus, ubi peccatores nihil mali sensisse contendis aut deformiter nudans quod magis tegendum esse consentis.*

Ibid. inf. in fine cap. 9.

CAPVT XVIII.

Inferuntur aliqua corollaria ex prædictis de concupiscentia. Certitudo illius doctrinæ.

EX hoc ergo conflictu Iuliani & Aug. nonnulla magni momenti liquidò patent, quæ ad ea quæ de libidine & ejus motibus superius disseruimus certius clariusque intelligenda, multum faciunt.

Primo enim constat evidenter Iulianum illos æstuantis libidinis tumultuosos motus, quos post peccatum cernimus & castitate comprimimus, primis hominibus, velut ex Dei creatione prodeuntes, tribuisse, & proinde perfectissimè ex hac parte induxisse puræ naturæ statum.

Secundò cum agnovisse coram Deo motus illos inconditos concupiscentiæ genitalis dignos esse verecundia: verumtamen ne Dei creantis peritiam accusare vel honestatem ejus blasphemare videretur, dicere maluisse, quod primi homines membra illa tumultuantia nuda ostentaverint, quam de aliqua libidinis naturaliter insertæ fœditate erubuerint. B Tolerabilius enim ei videbatur impudentiam quàm blasphemiam profiteri.

Tertiò intelligimus veram originem, cur nunquam ausus fuerit Iulianus motus illos libidinis qui naturam humanam in puris naturalibus creatam sequebantur, profiteri turpes, obscœnos, illicitos, malos, sicut aperta rei veritas toties per Augustinum asserta dicendos postulabat. Nimirum verebatur ne simili prorsus modo in Deum blasphemus videretur, siquid ab eo fateretur inhonestum, fœdum, pudendum, illicitum, malumque profluxisse. Hanc enim blasphemiam ut caveret Manichæus, malum principium eorum causam esse statuit, quos malos esse, & per hoc Deo bono tribui nullo modo posse ex Christianæ fidei norma non dubitabat. Hanc enim fidem nobis disertis verbis Apostolus tradit quando dicit, *scio quia non habitat in car-* C

A *ne mea bonum.* Et de concupiscentiæ motibus, *quod nolo malum hoc ago*, id est concupisco, ut exponere solet Augustinus. Vnde Augustinus libro quinto contra Iulianum: *Sed quacunque te verses*, puram naturam comminiscendo, *quacunque te iactes, quacunque undecunque colligas, inftes, ventiles, spargas, contra quod concupiscit spiritus bonus non est bonum.* Quod de concupiscentia se mox ex Apostolica doctrina dixisse profitetur: *Utique concupiscentia quæ repugnat ut trahat, etiamsi spiritu contra eam concupiscente & resistente non pertrahat, ac propterea nec concipiat pariatque peccatum, non est bonum. Et ipsa est de qua dicit Apostolus: Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Itaque alio in loco de concupiscentia disputans utrum bona esset an mala: *De voluptate carnis*, inquit, *hoc sentio quod sentit Ambrosius, inimicam scilicet esse iustitiæ.* Et confestim adjicit: *Nunc de* B *Catholico agitur dogmate ac fide. Perfidia non sit desertoris in te.* Et infra in alio libro longè expressissimè & clarissimè: *Vtrum malum non sit cui repugnanti consentiendum non est ne in suum pergat excessum, & utrum non ex ipsa & cum ipsa concupiscentia nascatur cui malum inesse ullum negas*, per quod videlicet peccatum originale propagetur, *hoc inter nos differitur. In his quæstionibus Catholicâ veritate antiquitùs traditâ vestra impia novitas suffocatur.* Itaque sæpiùs erroris condemnat in hac parte Iulianum: *Quod si contra Episcopos, pro isto, quem à te Deus avertat errore, quæsiturus es, quid dicas &c. quid tibi erit Tullius?* Et paulò post: *Quam velut bonum, cùm defendat error tuus, nescio quemadmodum adversus illum quemadmodum adversus malum concupiscat spiritus tuus.* Cùm ergo hanc fidem Iulianus ferre non posset & tamen hæresis Manichææ barathrum vellet fugere, alterum extremum C excogitavit, ut motus illos ex Dei boni institutione

Lib. 3. con. Iul. cap. 14.

Lib. 5. c. 16.

Lib. 4. c. 10.

tutione nobis inesse diceret, & idcirco quia naturales, non esse dicendos malos, nec indecentes, ideoque neque primos parentes eorum in sua nuditate puduisse nec pudenda texisse. Augustinus è contrario, omninò profitetur verum esse, quod si à Deo naturam humanam primitus condente promanassent isti turpes motus, neque malos, neque pudendos posse nuncupari, ne alioquin blasphemia illa redundaret in Deum quod ipse esset autor tam horrendi mali, quo nullum in hac vita virtus acerbius patitur, quodque creatura velut honestior Creatore de operibus sui Creatoris erubesceret. Sed quia indubitata est Catholica fides motus istiusmodi *displicere Deo*, esse malos, illicitos, pudendos, inhonestos, ut extremæ sit impudentiæ, de illorum fœditate non erubescere, invictè concludit Augustinus commentum istud puræ naturæ in qua fatente Iuliano perinde, ut in præsenti statu, eadem esset carnis cum spiritu lucta, eadem libidinis cum virtute repugnantia, eadem erubescendi de tanta fœditate necessitas esse chimericum, impossibile *ingratum & irreligiosum* adversus Deum, neque posse nisi *blasphema opinione* sustineri. Et meritò sanè quisquis illum statum cum Iuliano velut possibilem adhuc tueri cupit, illud Augustini sibi in illo dictum existimare debeat; *Vincat pudor tuus, eoque vincatur error tuus.* Lib. 6. c. 15. Lib. 4. cont. Iul. c. 12.

CAPVT XIX.

Idem pudor in omnibus libidinibus etiam animi, tametsi remissior locum habet.

QVÆ hactenùs de concupiscentia respectu puræ naturæ diximus, in libidine quidem illa carnali & obscœnissima & notissima maximè vera esse patet, in omnibus tamen concupiscentiis contra spiritum militantibus quadam quidem obscurius, alia tamen evidentissimè locum habent. Nam & in illis animus graviter rixatur & pugnat secum, & per illas nihil aliud nisi voluptates carnales appetit juxta phrasim Apostolicam, *Caro concupiscit adversus spiritum*, & ideò nihil nisi peccare desiderat; Gal. 5. quæ tamen desideria quia in illo statu sunt naturalia & ex institutione Dei, perinde necesse est esse licita & bona, & consensu creaturæ rationalis naturam sequentis approbanda & expetenda. Accedit quod & pudor arguit eos ex institutione Dei non posse proficisci, ne operis Creatoris pudendum sit creaturæ. Nam & aliarum cupiditatum rebellionem erubescendam esse rationi, quæ partibus illis vitiosis ad nutum obtemperantibus imperare debet, tunc maximè patet cùm valde exorbitanter ac in summis hominibus inspectantibus commoventur. Hoc enim omnis probus erubescit, improbus majori probro non erubescit. Cur autem de illarum cupiditatum motibus minus quàm de illius fœdissimæ libidinis obscœnitate erubescamus, causa manifesta est, quia animus in ea neque sibi, ut non libeat, neque corpori, quod ei servili conditione subjectum est, ut non moveatur, imperare potest, quod in ceteris cupiditatibus non habet locum. Nam seipsum quidem superare non potest, ut non suâ cupiditate titilletur, corpus tamen non movet, nisi cùm voluerit, & quantum voluerit. Ex quo efficitur, ut in corporis obtemperantis motu nullus pudor sit, in animi pugna sibi-ipsi rebellantis exiguus. Quia si seipsum non superat dum concupiscit invitus, etiam vice versa non nisi à seipso superatur. Quod quidem minus ei pudendum est, quàm si corporis ei subjecti rebellione vinceretur, pudendum tamen esse non est dubium, ideoque esse non posse ex institutione Dei. Quâ de re præclarè sanctus Augustinus in libris de Civitate Dei: *Verumtamen hæc libido de qua nunc disserimus, eo magis erubescenda existit, quod animus in ea nec sibi efficaciter imperat, ut omnino non libeat: nec omnimodo corpori, ut pudenda membra voluntas potius quam libido commoveat. Quod si ita esset, pudenda non essent. Nunc verò pudet animum resisti sibi à corpore, quod ei natura inferiore subjectum. In aliis quippe affectionibus cùm sibi resistit, ideò minus pudet; quia cum à seipso vincitur, ipse se vincit etsi inordinatè atque vitiosè: quia ex his partibus quæ rationi subjici debent, tamen à partibus suis ac per hoc à seipso vincitur.* Lib. 14. de Civit. c. 23. Et mox iterum: *Minus tamen pudet, cùm sibi animus ex vitiosis suis partibus non obtemperat, quam cùm ei corpus, quod alterum ab illo atque infra illum est, & cujus sine illo natura non vivit, volenti jubentique non cedit.* Ibid. Quibus luculentè docet Augustinus etiam in ceteris cupiditatibus animo repugnantibus naturalis pudoris esse locum. Pudendum est enim animo inferiora superioribus in seipso pervicaciter reluctari.

CAPVT XX.

Argumentum 12. & 13 cont. statu pura nat.

Afferuntur duæ rationes à priori cur concupiscentia cum pura natura dari nequeat. Sextum & septimum argumentum ex parte concupiscentiæ. Objectio solvitur, quod rebellio carnis videatur esse naturalis.

HÆc quoque non obscurè nos manu ducunt ad ipsum cubile rationis, quæ magnis vocibus clamat nullo pacto fieri posse, ut illa rebellio concupiscentiarum sit humanæ naturæ naturalis, in quocunque tandem condi fingatur statu. Quod ex duobus capitibus præter perspicacissimi Doctoris divinam ostendi potest. Primò, quia impossibile est, ut carnem spiritui repugnare sit ordo naturalis. Caro enim inferioris ordinis est, quàm animus naturali ei lege superior. Ex quo fit, ut ordo naturæ concordiam eorum postulet, ut videlicet animo tanquam domino à corpore naturaliter servo sine rebellione pareatur. Hoc voluit Augustinus cùm paulò antè dixit, quod *corpus animo natura inferiore subiectum est.* Et ibidem quod *animus ordine naturali anteponitur corpori.* Nam inde nascitur homini naturaliter verecundia, quod libido corporis suo quasi jure membra excitando, animi naturaliter sibi dominium detrectat imperium. Cujus naturalis ordinis perturbatio eo vitiosior est, quod sine animo nec vita quidem rebellantis corporis esse potest. Quam ataxiam unà cum præcedente notavit Augustinus cùm reprehendendo dixit, *Cum animo corpus quod alterum ab illo atque infra illum & cuius sine illo natura non vivit volenti iubentique non cedit.*

Lib. 14. de Civit. c. 23.

Ibid.

Secundò, quia impossibile est ordinem postulare naturalem, ut animus repugnet sibi, & quidem ut superiori pars inferior, non modo repugnet, sed etiam dominetur. Cùm enim in omnibus rebus pacem videamus eis esse naturalem & omnibus viribus eo tendere, sicut præclarissimè doctissimeq; ostendit Augustinus in libris de Civitate Dei, quid absurdius quàm ut perpetuo, inextinguibili, acerbissimoque bello secum luctari susius hominis natura sit? Nam illius acerbitas calamitatis dicere coegit Augustinum: *Non aliunde tantum dolorem habet humana miseria quàm inde quod caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem:* Quod omnis veraciter pius verissimum esse intimis gemitibus confitetur. Sed si pugnam illam esse naturalem aliquo plausibilis rationis fuco suaderi posse quis arbitretur, quid ab omni rationis umbra remotius cogitari potest, quam ut etiam victoriam partis inferioris de prostrata superiore naturalem esse cogitemus? Nemo arbitror quantumcunque pervicax purorum patronus naturalium, hoc vel inter surdos dicere audebit. Et tamen eo nos Catholicæ doctrinæ per Augustinum traditæ nexus insolubilis trahit.

Lib. 19. de Civit.

Serm. 182. de Tempore.

A Nam in ea doctrina (sicut hoc ante fusius demonstravimus) unum ex primis est principiis, & basis cui tota necessitas & structura gratiæ verbi incarnati nititur, tamdiu videlicet esse concupiscentiæ contagia, ut mentem quam obsederit, suis vinculis captivam, sibique & creaturis amore astrictam teneat, amissa penitus omni libertate ad opus bonum: à qua miserabili creaturarum servitute se liberare non possit, nisi per solam gratiam Dei. Quicquid interim voluntatis arbitrium laude dignum agere videatur, in quamcunque partem hic illic suam versare libertatem, non nisi in vinculo suo servili libertate volvitur, semper enim in omni opere concupiscentia creaturæ alicujus ei dominatur, & ideò serviliter, non liberaliter facit, quicquid facit, donec ei cœlitus dilectio Creatoris infundatur, & in veram libertatem asseratur per gratiam Salvatoris. Quod gratiæ beneficium quia essentialiter puræ naturæ status excludit, necessariò sequitur ea deficiente libertatem arbitrij sub concupiscentiæ concreatæ pondere captivam detineri, ita ut libidini pleno jure dominanti non possit ullo modo voluntatis arbitrium in veram dilectionis Dei ac ejusque operis respirare libertatem. Cùm enim, ipsis Scholasticis autoribus, nulla omninò differentia sit inter concupiscentiam naturæ lapsæ & puræ, eadem erit tyrannis ejus in utroque statu, eadem arbitrij sub ejus dominatione captivitas. Quod qui penitius intelligere velit, recolere dignetur, ea quæ fusissime de amissa boni libertate, inductaque peccati servitute, & peccandi necessitate, ex Augustino superius declaravimus. Nam ista omnia non ex alio capite quàm ex concupiscentia voluntatis arbitrium in sui-ipsius & creaturarum amore sub se captivum detinente proficiscuntur. Cùm ergò fieri non possit quin pars superior sub inferiore captiva serviat, quamdiu concupiscentiæ vinculis nondum per gratiam resolutis alligata detinetur, fieri etiã nullo pacto potest, ut status ille miserabilis sit rationali creaturæ naturalis. Est enim adversus omnem naturæ & rationis ordinem qui naturaliter postulat, ut caro, hoc est pars illa carnalis serviat, spiritus erectus ei plena potestate dominetur. Quod Augustinus diversis in locis non obscurè docet. Nam hinc illud in libris de doctrina Christiana ubi dicit, Spiritus concupiscit adversus carnem: *Non ut interimat corpus, sed ut concupiscentiam eius, id est, consuetudinem malè domitam faciat spiritui subiugatam quod naturalis ordo desiderat.* Et hoc statim dicit spiritum facere

Lib. 1 c.

Ibid.

Lib. 1. de doct. Christ. c. 24.

facere per principatum quia magis quod diligit vult subditum esse meliori. Hinc illud in libro de Fide & Symbolo: *Anima cum carnalia bona adhuc appetit, caro nominatur. Pars enim ejus* (scilicet inferior) *resistit spiritui non natura, sed consuetudine peccatorum quæ in naturam versa est secundum generationem mortalem peccato primi hominis.* Et paulò post: *Est autem anima natura perfecta cum spiritui suo subditur, & cum sequitur sequentem Deum.* Qua de causa sanctus Ambrosius à sancto Augustino citatus dicit, *Princeps & domina carnis naturaliter anima est.* Quo elogio & ipse Augustinus animam non rarò celebrat, tanquam quo solo satis innuatur, obedientiam carnis erga spiritum sine ulla repugnantia esse homini naturalem. Nam ex illa sola radice nascitur quod naturalis homini sit ille de rebellione carnis pudor: naturâ scilicet ipsâ sentiente, quantisque potest vocibus clamante, situs eam intelligat, se à naturali, sibique debito statu esse dimotam.

Lib. de Fide & Symbol. cap. 10.

Lib. 2. contra Jul. c. 8. & lib. de Sacramento ...

Et quia non potest illa naturæ perturbatio nisi ipsi animæ dominanti tribui, hinc ei pudor, quo confunditur, se non ita Domino suo exhibuisse servitium, ut mereretur naturalem in carnem suam accipere vel retinere dominatum. Nulla enim ei causa pudendi esset si illam infirmitatem nulla culpâ suâ præeunte ab ipso conditore traxisset. Quid enim illa insipientius, si alieni operis nihil ad se parentesque suos attinentis, ipsam inculpatam pudeat? Quid illa ingratius, & irreligiosius si operis conditoris? Iam verò nobis, ut sanctus Doctor ait, *pudendum est quod imperio nostro caro non servit: quia hoc fit per infirmitatem, quam peccando meruimus.* Ex quo fit ut naturalis ordo non tantum carnis & spiritus, sed & justitiæ postulet ut non possit caro spiritui innocenti repugnare: gravissima quippe obscenissimaque pœna est, quæ non potest ei sine culpa per justitiam optimi & æquissimi & honestissimi creatoris infligi. Itaque rectissimè idem sanctus Augustinus: *Faciebat hoc ordo justitia, ut quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus eius obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc & nudi erant & non confundebantur. Animam quippe rationalem naturali verecundiâ nunc pudet, quod in carne in cuius servitutem ius potestatis accepit, nescio quâ infirmitate efficere non potest, ut se nolente non moveantur membra, & se volente moveantur, quæ propter hoc in quovis casto, meritò appellantur pudenda, quod adversus dominam mentem quasi sua sint potestatis, sicut libitum est excitantur.* Quibus verbis utrumque simul ordinem perturbari indicat & naturæ, si membra quæ naturaliter menti servire debent, quasi suæ sint potestatis adversus Dominam excitentur; & justitiæ, si hoc nulla mentis culpa præcedente contingat. Sed de justitiæ naturalis perturbatione plura inferius.

Lib. 1. de pec. merit. cap. 22.

Ibidem.

Hanc sancti Augustini mentem quisquis accuratius perpenderit, haud difficulter videbit nihil illud argumentum urgere; quod à Scholasticis plerisque ad asserendam Deo creanti concupiscentiam texitur. Aiunt enim quod potentiæ, ex quibus nascitur illa repugnantia carnis & spiritus, sint homini connaturales, voluntas & sensitivus appetitus, quia ex hominis essentia quatenus ex spiritu & carne constat, naturaliter dimanant. Eædem verò potentiæ inclinationes habent naturales ex quibus oritur ista repugnantia, ergo & repugnantia ista connaturalis est homini, perinde ut corporis corruptibilitas, quæ ex elementis inter se pugnantibus nascitur, vel lassitudo in motu progressivo, quæ ex corporis gravitate.

Ad hæc igitur non est difficilis responsio juxta principia sancti Augustini. Esto enim sit homini naturale per appetitum sensitivum concupiscere, non est tamen ei naturale contra spiritum & rationem concupiscere, sed è contrario, hoc est, contra naturam ejus quia ut sanctus Doctor ait, *Hoc naturalis ordo desiderat, carnem spiritui esse subiugatam*: & contrarium jam caro facit, *non naturâ sed consuetudine peccatorum quæ in naturam versa est, secundum generationem mortalem peccato primi hominis.* Itaque sanctus Thomas cùm sibi objecisset hoc argumentum iisdem pœnè verbis, videlicet quod concupiscentia sit proprius actus virtutis concupiscibilis, quæ est potentia naturalis, ideoque sequi quod concupiscentia sit homini naturalis respondit ipse conformiter ad doctrinam Augustini superius traditam: *Quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem. Concupiscentia autem quæ transcendit limites rationis inest homini contra naturam.*

Vide loca supra citata.

D. Thom. 1. 2. q. 82. art. 3. ad 1.

Itaque inde eos contingit falli quia id quod alicui potentiæ per se consideratæ naturale esse vident, hoc eidem dum alteri jungitur naturale esse concludunt. Sit enim naturale appetitui sensitivo per se spectato concupiscere, nullo rationis aut spiritus habitâ consideratione, non tamen inde sequitur idem cum ista vaga libertate ei naturale esse prout spiritui atque rationi in eodem supposito copulatur. Tunc enim ei fit naturale accuratè subesse rationi, neque præcurrendo neque excedendo nutus ejus.

Potest enim aliquid esse naturale cui jam secundùm se, cujus tamen certa moderatio fiat eidem connaturalis ex alterius conjunctione. Ita mulieri secundùm se spectatæ competit suâ se gubernare libertate, cui per conjugium fiat naturale mariti imperium sequi.

Corpori organizato quamdiu animâ destituitur, naturaliter competit nullum habere motum, nisi rectà deorsum, cui per conjunctionem animæ fit naturalis motus animalis, hoc est motus quaquaversum etiam deorsum animantis imperio modificatus, & inflexibilitas illa prior est contra naturam ejus.

Itaque cùm pars inferior sit instar fœminæ

 respe-

hæc fuit libido, à Deo facta esse monstratur, & per A *hoc bona quoque ipsa defenditur.* Respondet ei Augustinus impossibile esse, ut eam Deus, etiam per aliam creaturam interpositam in hominibus faciat: *Absit enim*, inquit, *ut Deus de ligno boni cuicunque ætati illorum hominum quocunque tempore beneficium tale conferret, ut haberent in membris adversarium contra quem pudicitia dimicaret.* Causam subjiciens paulò post, cùm adhibuisset Apostoli testimonium. *Nolite diligere concupiscentiam carnis*, ita pergit; *Hæc quam diligere prohibemur non est à Patre: hæc igitur concupiscentia quam laudas, non est à Patre, duo enim bona quæ à Patre sunt inter se pugnare non possunt. Pugnant autem inter se continentia & concupiscentia: quid horum à Patre magis velis esse, responde. Video quas patiaris angustias: faves quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentiæ &c.* Clarissimè probatum vides concupiscentiam & consequenter cupiditates ceteras ideò esse non posse à Deo, quia duo bona quæ à Deo Patre sunt, pugnare non possunt, ita videlicet ut alterum repugnet contra spiritum Dei. Quod cùm in statu puræ naturæ fieri certum sit, & ab ipso Iuliano quasi in statu illo jam factum poneretur, perspicuum est statum illum, quatenus concupiscentiarum pugnam cum virtutibus & spiritu Dei adducit, juxta doctrinam Augustini esse impossibilem. Hinc libro quinto adversus eundem Iulianum, ut explicaret cur duo bona quæ à Patre sunt, pugnare non possint; *Rogo te*, inquit, *oculos aperi, & cerne quæ aperta sunt. Nulla pugna est sine malo. Quando enim pugnatur aut bonum pugnat & malum: aut malum & malum: aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum. Quod in corporibus quando contingit ut ea quibus constat, id est humidum & siccum, calidum & frigidum, quamvis sint inter se contraria, pacem secum, concordantiamque non teneant, morbi ægrotationesque nascuntur.* Et quamvis Augustinus doceat nec morbos nec ægrotationes in pura natura sine peccato esse posse, sicut infrà

Ibidem.

Lib. 4. cont. Iul. c. 7.

dicturi sumus, magnam tamen inter pugnam bonarum qualitatum & cupiditatum animi discrepantiam esse tradit, ideoque statim adjicit, *Sed alia sunt rerum corporalium qualitates, quæ secum à contrariis temperantur, ut bene valeamus; & cùm sint in diverso genere bona, tamen cum discordant, malam valetudinem faciunt: & alia sunt animæ cupiditates, quæ propterea carnis dicuntur, quia secundum carnem anima concupiscit, cùm sic concupiscit, ut ei spiritus, id est pars eius melior & superior debeat repugnare.* Nimirum quia illæ qualitates bonæ sunt, hæ cupiditates carnis malæ, sicut sæpissimè docuit, quarum illæ propterea à Deo esse, hæ esse non possunt. Si enim à Deo essent, necessario bonæ essent, utpote à quo esse non potest nisi bonum. Si autem bonæ essent jam spiritus contra spiritum concupisceret. Audi Augustinum: *Quæro sanè* B *qualibus ingenitis sibi motibus hominem dicatis esse idoneum dare leges? utrum bonis an malis? Si bonis adversum bonum, ergo spiritus concupiscit adversum spiritum, & duo bona inter se sibi adversantur in homine, quod si ita esset, ipsa duorum bonorum inter se diversitas bona esse non posset. Si autem malis, fatere igitur ingenitos esse hominis motus malos, contra quos castitas dimicat.* Vt ergò ostenderet impossibile esse, ut tales motus mali sint à Deo sic instituente creaturam suam, sicut Iulianus asserebat, sic adjungit; *Et ne dicere cum Manichæis cogaris alienæ mali naturæ nobis inesse commixtionem, nostrum potius originalem confitere languorem.* Nimirum hoc vult Augustinus motus illos malorum motuum contra spiritum repugnantium, ita malos esse, ut quicunque noluerit eos esse languorē ex ipsius creaturæ iniquitate contractum, cogatur dicere cum Manichæis, eos ex malæ naturæ commixtione pullulare. Tam impossibile judicat Augustinus, ut hujusmodi motus mali à Deo bono naturam bonam condente proficiscantur sicut Pelagiana C doctrina juxta commentum puræ naturæ statuebat. Sed de hoc argumento infrà pluribus.

Ibid.

Lib. 5. c. 1.

Ibid.

CAPUT XIV.

Argumentum octavum contra statum puræ naturæ.

Secundum argumentum ex parte motuum concupiscentiæ qui non sunt aliud nisi peccandi desideria. Solvitur objectio de bonitate eorum in brutis.

SECUNDUM argumentum quo sanctus Augustinus confirmat doctrinam A illam suam ex natura motuum concupiscentiæ petitur, & est hujusmodi. Fieri non potest, ut desideria peccandi in creatura rationali sint bona vel licita; sed omnium hominum judicio turpia & mala; motus porrò concupiscentiæ non sunt aliud quam quædam desideria peccatorum, non possunt igitur esse bona vel licita creaturæ rationali, sed potius mala & illicita: quod si illicita sunt & turpia & mala, non possunt etiam habere autorem Deum, sicut hoc in pura natura necessarium est: & consequenter status ille est impossibilis. In Augustini doctrina de totius istius argumenti veritate & firmitate dubitari non potest. Intorsit enim illud sæpissimè in Iulianum cùm ea desideria velut naturales creaturæ rationalis motus ex humanæ tanquam puræ naturæ institutione promanasse prædicaret. Nam desideria peccatorum non tantum deliberata, sed etiam talia quæ rationem antevertunt, esse mala, illicita, turpia, & per hoc nullo modo esse posse creaturæ rationali naturalia, seu naturaliter ex Dei institutione naturam comitantia tanquam verissimum, certissimum & omni dubitatione superius, sæpissimè contra adversarii sui jam dictū dogma tradit.

ed by Google

tradit. Nam libro quarto adversus eum scripto: *Cur non potiùs malum vocetur, quod fateris esse frenandum? Cur quæso frenandum nisi ne noceat? nisi ne ad illicita quæ desiderat relaxetur? Et utique desiderium mali malum est, etiamsi ei non consentiatur donec eò veniamus, ubi nec habeatur.* (Lib. 4. cont. Iul. cap. 2.) Et paulò post: *Rogo si est in vobis ullus sensus boni animi, num potest & malum esse peccatum & bonum esse desiderare peccatum?* (Ibid.) Et iterum inferius: *Hoc ergo malum quod non dicturus es bonum, nisi adversus omnem veritatis tubam sic obsurdueris, ut clames bonum esse concupiscere malum, quod nec inter pudicos nec castos, hoc inquam malum, cur non exstirpatur de continentium carne Sanctorum? Cur non totum repente mentis aufertur? Hoc enim dicere fecit bene nec malum esse.* Et libro sexto contra Iulianum acerrimè idipsum argumentum premit: *Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi ei consensum concupiscenti spiritu peccata committere non sinatur?* (Lib. 6. c. 13.) Et infra: *Concupiscere malum semper est malum.* Et, *Nullo modo fieri potest, ut carnali concupiscentia bonum bonumque concupiscatur.* (Cap. 16.) Et in libris operis imperfecti contra Iulianum: *Videant qui legunt, utrum respondendum sit homini, qui in tantam progreditur insaniam, ut confiteatur malum esse peccatum, non esse concupiscentiam peccatorum.* (Lib. 1. oper. imperf. fol. ...) Et paucis deinceps subjicit: *Ergone in paradiso, in quo tu talis homo et tanquam in statu puritatis tuæ cum concupiscentia collocabat, ante peccatum ... ante corruptam fecit ne ... libidinosam fuit? Et quod ... dicitur, ad malum provocabat ... non fuit?* (Ibidem.) Satis ista sunt, arbitror, ut ... impossibile esse, ut concupiscentia sive cibi illiciti, sive concubitus esse certa licita aut bona sint; cùm toties ingeminet Augustinus esse imprudentiæ, impudentiæ, procaciæ, pertinaciæ, pervicaciæ, insaniæ, dementiæ singularis, contra omnem veritati tubam, contra omnem sensum humanum, ut concupiscentiæ peccatorum dicantur licitæ aut nitor aliter bonæ; quod nec inter fidos quisquam dicere audebit. Et tamen hoc dicere coguntur, quotquot Deum eam homini naturaliter inseruisse vel inserere posse profitentur. Nam ut Augustinus ... idem torquens argumentum dicit, *bonum est quod naturaliter libet*, ut paulò post dicturi sumus.

Quod si verò apertâ veritate superatus quis jam ... desideria mala & illicita & turpia esse fateatur, pietas eum ultro fateri cogit non posse eorum auctorem esse Deum, cujus nec homo probus auctor esse, vel in se vel in alio excitare potest.

Quemadmodum enim impossibile est ut Deus in homine peccatorum excitet desideria, ita nec potest illi tale pondus indere quo assiduè ad peccandi desideria concitetur. Nec verò quicquam refert quod illos peccandi motus homo majore potestate rationis compescere ac moderari potest. Nam nec illud ullo modo in pura natura, sine gratia potest, ut suo loco dicturi sumus. Quo fit ut ista doctrina non multum absimilis sit Calvinianæ quæ Deum in cordibus hominum peccandi desideria operari facit. Non posset enim efficaciùs operari quam tale pondus visceribus inserendo, ex quo non potest nisi mala concupiscere; quibus etiam sine gratia (qua juxta statum suum caret) non potest non præbere consensum.

Sed esto detur etiam puræ naturæ gratia, qua peccandi motus frenare & ratione moderari potest, & iis non consentire si velit; Non tamen idcirco malitia importunæ illius cupiditatis abstersa est. Hoc enim non cupiditatis illius sed rationis bonum est. Ipsius enim non est aliud nisi indifferenter quamlibet voluptatem sive licitam sive illicitam concupiscere: quod sine dubio magnum malum est, & peccati desiderium. Quidquid ulteriùs boni circa motus illos frenandos moderandosque virtus aut ratio facit, non illos efficit esse bonos sed potiùs probat malos. Limes enim ponitur cuius effrenatis malæ cupiditatis impetus transire non finitur. Nihil enim est veriùs quam quòd libidinem non frenat libido sed ratio.

Quæ multis in locis præclarissimè sanctus Augustinus tradit. Nam libro primo contra Iulianum operis imperfecti, *Quæ suscepta tua tibi tam grata est, ut cùm ab illa in consensionem quisque non trahitur, ipsam putes esse laudandam. Quasi malum non sit res quæ impellit in malum si non ei cedas, sed resistat ille cum pellitur.* (Lib. 1. oper. imperf. fol. 159.) Et libro secundo primæ scriptionis adversus eundem Iulianum: *Hæc est voluptas* (id est concupiscentia) *illa suscepta tua, quamvis & tu reprehendas eius excessum. Ubi qualis sit planè fateris, sed tamen verborum ornamentis eam moderatam defendis & laudas, quasi istum modum ipsa sibi constituerit & non spiritus qui adversus eam concupiscit.* (Lib. 2. cont. Iul. cap. 5.) Et libro tertio iterum: *Excessum eius reprehensibilem dicis; quasi in eius moderatione cum ea bene utitur conjugatus, ejus ipse qui malum est, & non potiùs sit eius auriga laudandus.* (Lib. 3. c. 20.) Et libro quarto ejusdem operis: *Eius impetus non suâ sponte moderatus est. A nullo namque illicito se abstinet, si membra eius desiderio inserviant. Ac per hoc eius modus, non in ipso cuius impetus est motus, sed in refrenante ac benè utente laudatur.* (Lib. 4. c. 1.) Et rursum inferiùs radicem malitiæ ostendens digito cùm dixisset *infrenem esse motum* concupiscentiæ, attexit paulò post: *Hæc dicens non attendis coniugum conventionem causâ generandi*, id est pudicum concubitum, *ideo bonum esse laudabile, quia in eo limes præfigitur illicitus malo concupiscendi. Cur enim non potiùs malum vocetur* (Cap. 2.)

 quod

quod fateris esse frenandum? Et iterum infra accuratius: *Utique desiderium mali malum est, etiamsi ei non consentiatur. Non igitur quid boni de concupiscentia carnis fiat, sed ipsa quid mali faciat cogitandum est. Nam pudicitia conjugalis inhiantem concupiscentiam sive ad illicito, sive licito percipere voluptatem, frenat ab illicito, permittit ad licitum, hoc est bonum, non tamen eius sed benè utentis bonum est. Quod autem ipsa concupiscentia facit sive ad licitum sive ad illicitum indifferenter ardescere utique malum est.* Et multò post: *Solis ergo libidinis excessibus accusatur, sed ille, à quo non refrenatur. Nam ipsa per se ipsam vel ipsis omninò suis ipsis motibus accusatur, quibus ne excedat obsistitur.* Et capite decimo quarto, *Excessus,* inquis, *eius in culpa est. Nec perspicis quod fac illicitè potuisses, si magis ipsam, quam ne vinceret voluisses, et non fat mali me excedi, resistendum est malo concupiscendi. Duo ergo mala sunt, quorum unum habemus alterum facimus si ei non resistimus quod habemus.* Quæ omnia satiarissimè probant, constantissimè hoc sentire Augustinum quod concupiscentiæ inhiantis motus non minus mali sint cùm eos ratio in gyrum virtutis flectit ac regit, quam cum sine moderatione in immunditias relaxantur. Moderatio enim ista non concupiscentiæ quæ frenatur, sed virtutis frenantis est bonum. Ipsius enim motus semper per seipsum infrenis est, semper sine discrimine inhians voluptati, sive licitæ, sive illicitæ. Hoc enim discernere rationis est, non ipsius quæ oculis discernendi caret. Hæc est ergo ratio, cur omnes ejus præcipites motus, sive ratione simul præcipitem trahant, sive excellentiore ejus potestate frenentur, sine ulla dubitatione malos dicendos esse confirmet. *Quid enim te adjuvat, quod reprehendere videris eius excessum cuius approbas motum? Tunc enim excedit licitum limitem, quando eius motibus ceditur. Mala est tamen, & quando non ceditur; quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat.* Qua de causa virtus cum resistit concupiscentiæ, aptissimo vocabulo vocatur ab Augustino *limes mali & ideo bonum.* Nam inquit inferius, *Cur resistitur ei, ne impleat desideria mala? Quomodo igitur bona est?*

Ex quibus etiam satis liquido intelligitur concupiscentiæ effrenes motus non aliud esse nisi desideria peccatorum; indifferenter enim in licitam & illicitam voluptatem exardescere, quod libidinis proprium esse audivimus, hoc est nihil aliud quam desiderare peccatum. Quod inde perspicuum est, quia si motibus illis cœcis, eâdem rationis cœcitate consentias, nec eis moderatio imponatur, sine dubitatione peccabis. Unde Augustinus: *Quid autem agit in carne Sanctorum continentium illa concupiscentia, nisi peccandi desideria, quibus non consentientes exercent; ut consiteris, gloriosa certamina? Neque enim saltem connubii desiderium illa continentiæ professione potest esse non malum; quid ergo illic agit ubi malum est quicquid agit? Et si ei consentiatur & peragit? Quid ibi agit hæc concupiscentia ubi nihil boni concupiscitur ex illa? Quid ibi agit libido ubi nihil boni libebit ex illa?* Qualis est autem apertè concupiscentia & motus ejus in continentibus, talis est etiam licet obscurius in conjugatis, sicut ibidem expressè Augustinus tradit. Cùm enim dixisset Julianus conjugatos bono libidinis benè uti; *Profectò,* inquit, *mentiris aut falleris. Neque enim dicturus es in conjugibus bonum esse libidinem, in Sanctis autem vel Virginibus, vel continentibus malum.* Quod latius mox exequitur, liquidissimè ostendens id necessariò futuram esse concupiscentiam in conjugatis, hoc est malam, si talis esse in Virginibus apparuerit. Itaque contra Cœlestium disputans de concupiscentia illa carnis generali, quam Apostolus dicit *concupiscere contra Spiritum,* eâdem generalitate dicit, *Concupiscentia carnis utique culpabilis atque vitiosa est, nihilque est aliud quam desiderium peccati.* Qua de re plura diximus cùm de concupiscentia dissereremus.

Satis jam ex Augustino, arbitror declaravimus mentem ejus perspicuam, & indubitatam esse quod motus concupiscentiæ, quià de se infrenes sunt, in quamlibet voluptatem indifferenter inhiant esse desideria peccatorum; & propterea motus ejus, sive frenentur sive laxentur, ità manifestè malos esse, ut insaniæ sit contrarium velle sustinere. Ex quo sequitur, eos non posse esse naturaliter bonos, nec ullo modo à Deo creante, putam naturam conferri posse creaturæ. Nam huc tendit illa tota adversus Julianum disputatio qui hoc impudenter sustinebat. *Absit enim,* inquit, *ut Deus de ligno boni cuicunque ætatis illorum hominum, quocunque tempore beneficium tale conferret, ut haberet in membris adversarium contra quem pudicitia dimicaret.*

Hoc enim malum concupiscentiæ repugnantis voluntati, tam horrendum est, ut inter omnes pœnas quibus peccatum originale punitum est; nulla post æternam damnationem sub ira & odio Dei sanctis meritis ut horribilior dari possit. *Non aliunde,* inquit sanctissimus Præsul, *tantum doloris habet humana miseria quam inde quòd caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem.*

Ex quo fit ut omnes aliæ miseriæ ad hanc miseriam tanquam ducem ac fontem cæterarum miseriarum creaturæ rationalis ab Augustino subinde reducantur; nempe quod homo sibimet-ipsi factus sit inobediens. Nam inde nascitur quod non tantum immundissima illa concupiscentia voluntate reluctante, sed qualibet alia afflictione animus cruciatur.

Ipso enim invito fit in animo vel in corpore quod non vult, ex quo necessariò sequitur cruciatus. *Nam quæ,* inquit, *hominis est alia miseria nisi adversus eum ipsum inobedientia eius ipsius, ut quoniam noluit quod potuit, quod non potest velit?* Quod primitus & præ ceteris omnibus in ipso animo sibi repugnante tanquam in fonte

Ibid.

Lib. 4. c. 14 in fine.

Lib. 5. c. 7.

Lib. c. contra Jul. cap. 6.

Lib. 4. c. 2.

Ibidem.

Lib. de perfect. justit. cap. 6.

Vide l. 2. de statu naturæ lapsæ.

Lib. 4. contra Jul. cap. 13.

Serm. 182. de temp.

Lib. 14. de Civit. c. 15.

in fonte ceterarum afflictionum locum habet; prout ipse statim subjungendo, & ab animi ista repugnantia incipiendo declarat: *Quis enim enumeret quam multa, quia non potest, velit, dum sibi ipse, id est voluntati eius ipse animus eius, eoq; inferior caro eius non obtemperat? Ipso namque invito & animus plerumque turbatur & caro dolet* &c. Hujus ergo concupiscentiæ voluntati repugnantis immunditia & malitia, quia non satis mente penetratur, hinc est quod tanti mali Deum auctorem esse posse homines suspicantur. Non obscurè hoc tetigit Augustinus quando Iulianum qui primus eam inter Christanos cum Pelagio magistro suo, Deo creanti attribuit, graviter perstringens arguebat: *Nunquid vel tibi vel cuiuslibet consectaneis tuis aliquid dicere videreris si quantū sit malum concupiscentia carnalis sanctitate mentis cogitare posses?*

Ibid.

Lib. 6. cont. Iul. cap. 5.

Vnum objici posset, quod Augustino objicit Iulianus, concupiscentiam non esse in brutis malam; cur ergo tanta est ejus malitia in homine, ut creando in puris naturalibus hominem, ejus Deus auctor esse non possit? Respondetur causam ejus rei esse quod bruta ratione careant, cui dissonet; unde cum non possint veritatem virtutemq; mente contingere & ejus honestate frui, datum est illis sensibile bonum quo sine ulla rationis repugnantia perfruantur. Itaque Augustinus in opere contra Iulianum imperfecto: *Hoc in pecoribus ideo non est malum, quia non eis caro concupiscit adversus spiritum: quod malum in hominibus sanandum est bonitate divinâ non humanâ vanitate laudandum.* Et libro quarto contra eundem Iulianum: *Hæc autem libido ideo malum non est in bestiis quoniam non repugnat rationi qua carent.* Quod uberius & accuratius in alio explicat loco: *Ideo in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit sed eorum potius oblectat spiritum. Concupiscentia enim sapientiæ carentia, carnali concupiscentiæ non resultant & à bono vita rationali alienâ, hoc bonum habent quo delectantur. Iam vero & antea diximus, propterea hoc non esse in pecoribus malum quia in eis non concupiscit adversus spiritum. Non enim habent rationem qua libidines subiugent superando, fatigentq; pugnando.* Et statim adjungit: *Sed ne propterea putaretur non esse malum concupiscentia carnis quia bonum est in pecore, ut eo se oblectet illa natura, cui non potest inesse concupiscentia sapientiæ, ideo dictum est bonum esse pecoris, cuius sine ulla repugnantia delectat spiritum: malum autem hominis quo concupiscit adversus spiritum.* Propter hanc ergo naturæ diversitatem fit, ut si homo voluptatem instar pecoris inferiore sui parte, neglecta vel contempta superiore concupiscat in simili motu dissimilis omninò ratio sit. Quod enim pecus natura, hoc homo vitio facit. Nam ut præclarè Augustinus de illa similitudine qua homines concupiscendo pecoribus comparantur: *Etsi homo in honore positus, & non intelligens comparatur pecoribus, eisque similis fit, non tamen usque adeo similis fit, ut pecus sit. Comparantur namque per vitium non per naturam;* *non pecoris vitio sed natura*, scilicet hominis. *Tanta namque excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris.* Et è contrario ut natura pecoris sit vitium hominis. Plerumque enim contingit ut quod in inferiore natura judicamus esse rectissimum, hoc velut perversum in superiore, si imitari velit, improbemus. Ab illa quippe agitur proprium, ab hac appetitur alienum. Vnde illa in suo naturali gradu manet, ista ad inferiora demergitur. Velut cum homines sua voluntate ferina sectantur. Pulchrè namque incedit quadrupedans equus: at si sic homo pedibus manibusque imitetur, quis eum vel palearum cibo dignum putet? In equo igitur probamus illud, cui quantum præponimus hominem tantum offendimur, quod inferiora sua naturali dignitate sectetur. Sic ergo facile intelligitur inferiores animas quibus nulla inest ratio aut appetitus honestatis rectè ac decorè voluptatibus carnis inhiare; ut illis oblectentur, quibus alia deest excellentior; superiores autem quibus actionem longè præstantiorem rerum moderatrix justitia summa tribuerit, vitiosissimè motibus illis agitari, quibus & ratio perturbatur & lumen veritatis extinguitur, & virtus enecatur, & honestatis amatrix creatura vehementissimè ab honestate divellitur. Quod qui gravissimum turpissimumque malum esse non sentit, & bonitate, honestateque Creatoris indignum, *videat quomodo habeat bonum spiritum*, cui repugnantem velit nolit fatetur frenandam esse libidinem. Nam talem *concupiscentiam Ioannes dixit à Patre non esse quæ concupiscit adversus Spiritum. Quam nemo potest bonam*, & per hoc boni Creatoris opus *dicere, nisi cuius adversus eam non amat concupiscere spiritus.*

Lib. 2. oper. imp. fol. 230.

Lib. 4. cont. Iul. c. 5.

Ibid. c. 14.

Ibidem.

Lib. de pœn. trig. c. 40.

Aug. l. 4. contra Iul. cap. 14.

Hoc est ergo quod Augustinus sæpius docet, solam illam rebellionem concupiscentiæ adversus virtutem atque rationem esse radicem omnis quod in ea reperitur mali. *Libido autem pudenda*, inquit, *non moveat membra nisi quando volumus, & non est morbus. Non de illa erubescat etiam licitus & honestus coniugatorum concubitus, vitando conspectum & appetendo secretum, & non est morbus.* Et libro quarto contra Iulianum: *Quæ concupiscentia malum non esset, si sola generandi causa ad licitum concubitum moveretur.*

Lib. 1. imp. c. 33.

Lib. 4. cont. Iul. c. 8.

Non ergo motus ejus in se mali sunt, sed inordinatio motuum, neque concupiscentia vel appetitus sensitivus per se consideratus, sed effrenitas ejus quæ concupiscentiæ & ejus desiderijs in statu puræ naturæ semper adhæret: sive interim ratio ejus impetus effrenes certo limite moderetur, sive præcipites in quodlibet & quantumlibet ferri sinat. Hæc ergo inordinatio concupiscentiæ, hæc effrenitas, hæc repugnantia cum ratione, hæc hostilitas cum virtute, hæc cum honestate contrarietas; propter quam dixit Augustinus *libidinem cujuscunque externi sensus esse contrariam dilectioni, sapientiæ & virtutibus inimicam*: propter quam

Lib. 4. c. 14.

quam ipse Tullius nullâ fide imbutus dixit, *eum motum ut quisque maximus est, ita inimicissimum esse Philosophiæ*, hoc est amori sapientiæ; hæc inquam labes concupiscentiæ, quæ sola Dei gratia sanatur, fons est omnis in eo mali, & causa cur creando Deus ipsius auctor esse non possit. Ipse enim esset qui creaturam suam adversus honestatem & veritatem impelleret; ipse qui eam quantum in se est, in illa peccandi desideria præcipitaret. Quantumvis enim per accidens ex conditione materiæ oriatur illa motuum istorum cum recta ratione repugnantia, illa tamen repugnantia non est per accidens Deo. Quid enim potuit materia corporalis, quid anima, quid A ipsa creatura rationalis facere ne ita instituatur sicut eam instituit Deus? Cùm ergo in tali natura eam Deus condit, in qua non potest non contra rationem virtutemq; concupiscere, perspicuum est, hoc Deo non creaturæ esse tribuendum, & proinde totam inhonestatem ac turpitudinem concupiscendi veluti per canalem redire in Deum. Quod quia pietas Christiana sentire de divina honestate nos vetat, sequitur profectò non posse talem turpitudinem in creaturam rationalem, à Deo creante proficisci, & per hoc, statum illum puræ naturæ esse injuriosum Deo & impossibilem.

CAPVT XV.

Argumentum 9 cont. statum puræ naturæ.

Tertium argumentum, licitum est omnibus concupiscentiæ motibus consentire si Deus naturam rationalem cum eis creet.

NEc est difficile alijs argumentis juxta mentem Augustini insolubilibus, statum illum purorum naturalium ex parte ejusdem concupiscentiæ quatere & evertere. In quibus illud est non infimum, & ab Augustino crebro contra Iuliani machinas adhibitum, quibus concupiscentiam ex Dei primævâ institutione puram naturam condentis profluxisse statuebat. Nimirum quia ex illa hypothesi sequitur licitum esse quibuslibet ejus desiderijs consentire, quicquid appetiverit dare, quodcunque flagitium libuerit perpetrare, ratio in promptu est, quia impossibile est ut hoc sit malum quod naturaliter libet. Certa enim regula est naturam bonam non posse naturaliter declinare in malum. Quin potiùs illa est omnium actionum bonarum norma securissima, & à Philosophis deprædicata, naturam nullo adhuc vitio vitiatam sed ex Dei manibus talem, qualis naturaliter esse debet prodeuntem sequi. Hoc est enim ipsam Dei artem & sapientiam naturæ conditricē sequi. *Cum enim & hoc à Deo naturæ habeant quod naturæ sunt, in tantum vitiosæ sunt in quantum ab eius à quo sunt arte discedunt: Et in tantum rectè vituperantur in quantum earum vituperator artem qua facta sunt videt, ut hoc in eis vituperet quod ibi non videt.* Ex quo necesse est naturam ita cum concupiscentia conditam nullo modo dici posse vitiosam. Aut enim illa concupiscentia secundùm naturam hominis est, & non est vitium nec vituperari debet; aut si vitium est, ut rectè vituperari possit etiam contra naturam sit necesse est, sicut Augustinus ibidem docet: *Omne quippe vitium eo ipso quo vitium est contra naturam est*, & consequenter nullum omninò vitium est naturale. Nam ut Augustinus generatim, *animorum quæcunque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum.* Si ergo concupiscentia rebellis non est vitium, ergo natura non A est vitiata, ergo etiam & ejus instinctus obediendo sequi, est sapientiam Dei conditricem sequi. Nec ullo modo consensus eorum illicitus esse aut vituperari potest.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 15.

Cap. 13.

In Enchirid. cap. 11.

Sed ne mea putentur ista solius, ideoque fallax ratiocinatio, ipse Augustinus audiatur: qui disertissimis verbis eam præformavit & adversus commenta Iuliani qui jus hominem cum concupiscentia in paradiso à Deo conditum sentiebat invictam esse diversis arguendi modis arbitratus est. Nam in primis expressè & perspicuè sæpiùs docet, si concupiscentia naturalis est seu naturaliter bona, seu naturaliter à Deo visceribus inserta creaturæ, & motus ejus naturales, neque per peccatum hominis vitiati, omnem consensum ejus esse licitum. *Quid mali*, inquit, *faceret, qui bonæ concupiscentiæ consentiret, cùm nihil mali faciat etiam qui opere* B *conjugali, non sine ipsius malo seminat hominem?* Et in eodem libro inferius, & uberius, Ioannes Apostolus illam concupiscentiam *non esse dixit à Patre quæ concupiscit adversus Spiritum*. Hoc est, non eam esse velut puræ naturæ collatam à Deo Patre, sicut urgebat adversarius. *Quam nemo potest bonam dicere nisi cuius adversus eam non amat concupiscere spiritus. Quod si talis non est in motu & in ardore genitalium, non adversus eam concupiscat spiritus, ne adversus donum Dei concupiscendo inveniatur ingratus. Sed quicquid appetiverit detur, tanquam illi quæ à Patre est. Si autem non est quod detur, hoc potiùs petatur à Patre, non ut auferat vel comprimat, sed ut expleat concupiscentiam quam donavit.* Quid potest clarius & expressius adversus concupiscentiam tanquam à Deo in puris naturalibus condente datam dici? Audi tamen adhuc si dici potest evidentius & instantius In lib. 5. *Nec times, ne tibi potiùs admoneas esse dicendum, quod ad flagitia concites homi-* C *nes, ne resistant concupiscentiæ, quam sicut bonum naturale defendis.* Quod quid sibi velit luculentissimâ expositione declarat: *Quam tu bonam cùm natura-*

Lib. 4. cont. Iul. cap. 16.

Cap. 19.

Lib. 5. c. 5.

Ibidem.

naturaliter dicis, astute illi semper consentiendum esse decernis, ne renisu improbo repugnetur naturali bono. Ita quippe potest facillime vera esse etiam illa vestra sententia qua dicitis hominem sine peccato esse posse si velit. Non est enim quomodo faciat quod non licet, quando licet, quidquid libet, quia bonum est, quod naturaliter libet. Si ergo adsunt voluptates, perfruatur; si autem non adsunt, ipsis earum cogitationibus, sicut Epicuro visum est oblectetur, & erit sine peccato, nec ab illo fraudabit bono: nec cuiusquam doctrinæ opinionibus resistat naturalibus motibus, sed sicut ait Hortensius, tunc obsequatur naturæ cum sine magistro senserit, quid natura desideret. Non enim potest quæ bona est, desiderare quod malum est; aut negandum est bonæ aliquod bonum. Fiat itaque totum quod desiderat libido bona ne ipse sit malus qui resistit bono. Cernis hic omnia simul conglobata, & Augustini auctoritate comprobata quæ supra diximus. Nam, sicut ratio clamat, & *bonum dicit esse quod naturaliter libet*; ideoque *nullius doctrinæ opinionibus resistendum esse naturalibus motibus*; & *obsequendum esse naturæ cum sine magistro*, arte videlicet omnipotentis Dei per instinctum naturaliter insitum docente *didicerit, quid natura desideret*. Rationem perspicuam adjicit quia non potest *natura bona* nullo videlicet adhuc vitio ab arte & sapientia Dei detorta *desiderare quod malum est*; neque *negandum est bonæ aliquod bonum*. Hoc enim negando non probaret naturam appetere aliquid mali, sed se potius *esse malum qui resisteret bono*. Ex quo etiam apertissimè liquet quo sensu Iulianus prædicaret concupiscentiam esse *naturaliter bonam*. Nimirum non hoc sensu quasi ipsa repugnantia cum ratione esset bona; nec enim in universis ejus monumentis hoc reperitur, sed potius eam concedit esse aliquid imperfectionis, & malam dum sæpe libidinem oppugnandam, coercendam, frenandam, & adversus eam vigilandum esse testatur.

Hic ergo sensus est, quo & Augustinus illud accepit, videlicet quod concupiscentia, cum sua effreni repugnantia esset homini bonum naturale, non solum *quia cum illa nascitur omnis homo*, quod concedit ei Augustinus in hoc eodem capite, sed, *quod cum illa sit conditus primus homo*, hoc est, quod ante omne peccatum, ab ipso Deo inserta esset primis hominibus tanquam in pura natura conditis, cunctisque posteris eorum, & consequenter, quod hoc esset natura hominis, & *naturaliter liberet* id quod caro desiderat, & ita esset naturaliter bonum. Nam ideo dicit *bonum esse quod naturaliter libet*. Hoc est, per hoc ipsum probatur esse bonum, si naturaliter libet: quia ut adjicit, natura bona à bono videlicet creata Deo, non potest desiderare quod malum est. Quem sensum suum superius latius nos declaravimus, & inferius sine ambiguitate declarat ipse Iulianus, dum explicando quomodo concupiscentia (quæ propter pugnam cum ratione, homini est verecunda) sit naturaliter bona, dicit: *Sic nostra membra* Lib. 4. c. 16.

fuisse formata ut alia verecundiâ, alia libertate gauderent. Hoc est, ita à Deo formante corporis humanis institutum est, ut ex membris quibusdam oriretur homini naturaliter verecundia, qua ea tegere velit; ex alijs libertas, qua ea sine verecundia detecta esse sinat. Quæ apertissimè declarant, nihil omninò aliud hâc de re sensisse Iulianum vel oppugnare Augustinum, quam quod Philosophi gentium tum Iuliano tum Scholasticis, de statu illo puræ naturæ præformarunt: quod in eo videlicet & concupiscentia & pugna ejus & pudor sequens esset homini, creatore bono eum ita formante, naturalis. Nam inde necessariò sequitur eam esse naturaliter bonam, cùm Deus creare non possit aliquid naturaliter malum. Hoc enim hæresis Manicheæ proprium & abominabile principium fuit ut infra declarandum est.

Cùm ergo ista consequentia esset Augustino quasi primo-vera & infallibilis, quæ bonitatem concupiscentiæ naturaliter repugnantis rationi ex creantis bonitate colligit, hinc est, quod sæpè alterutrum à Iuliano extorquere nititur, ut fateatur vel *vitium esse*; vel certè si non est vitium sed aliquod naturale bonum, *esse postea* homine peccante *vitiatam*. Per quam argumentandi formam indicat se susque deque ferre, utrum concupiscentia sit homini inserta naturaliter velut aliquod naturale bonum, dummodo fateatur pugnam illam fœdissimam cum ratione atque virtute, nullo modo potuisse esse naturalem, sed illam necessariò esse vitium à conditoris arte remotissimum, ex sola verò hominis peccantis iniquitate contractum. Quo nihil capitalius adversus puræ naturæ statum quem Iulianus tuebatur dici posset. Audi identidem hoc agentem summo conatu Augustinum: *Sed ecce non vobiscum de libidinis absentia præsentiave contendimus*, in prima scilicet hominis conditione in paradiso, ubi hominem in puris naturalibus conditum esse statuebat Iulianus, *mei dilectionem quam debere vos ei videmus, offendimus; saltem ipsam subdite voluntatis imperio in illo felicitatis loco. Auferte inde evidentissimam pugnam, quæ fit eius motioni mente resistente, auferte inde turpissimam pacē, quæ fit eius dominationi mente serviente, & certè quia non eam talem videtis qualem ibi constituere, si ratione non revocamini, pudore cogimini ut ea quale nunc est, vitium originale fateamini.* Et libro secundo ad Valerium: *Si non vult concedere vitium esse libidinem, dicat saltem per illorum hominum inobedientiam etiam ipsam vitiatam, ut illa quæ obedienter & ordinatè moveretur, nunc inobedienter inordinatèq; moveatur, ita ut ipsis quoque pudicis ad nutum non obtemperet coniugatis, sed & quando non est necessaria moveatur, & quando necessaria est, aliquando citius, aliquando tardius, non eorum sequatur nutus, sed suos exerat motus.* Et in libris operis imperfecti: *Quantumlibet autem abs te defensione muniatur, ut laudibus adornetur, aut vitiū est aut vitiata est.* Hoc est, quantumlibet eam tu prædicaveris naturalem,

Lib. 5. cont. Iul. c. 7.

Lib. 2. de nupt. c. ult.

Lib. 2. oper. imperf. fol. 433.

lem, naturale bonum, & puræ naturæ collatam à Deo, nihilominus necesse est ut ipsa aut tota vitium sit, quod per peccatum primitus exortum est, aut ipsa cùm esset bona peccato vitiata sit. Clarius hoc expressit in alio ejusdem libri loco; *Lib. 2. fol. 250.* *Pudenda libido nisi aut peccato orta velut vitium, aut peccato vitiata esset, pudenda non esset, & aut nulla esset omninò, & sine illa ita servirent genitalia membra gignentibus ut manus serviunt operantibus; aut ita esset subsequens voluntatem ut nunquam posset sollicitare nolentem.* Quam doctrinam alibi crebro repetit ut quantoperè illa pugna cum ratione aliena sit à puritate Creatoris hominem ita instituentis ostenderet. Sed jam in hujus capitis proposito pergamus, ut declaretur si concupiscentia est naturale bonum homini à Creatore inditum, licitum esse omnes ejus naturales motus sequi.

Secundo igitur idipsum ex eo patet, quia frequenter adversus Iulianum docet, nullo modo intelligi posse quomodo aliquis concupiscentiam sic à Deo naturaliter datam prædicare queat, & simul motibus ejus sincere & ex animo repugnando resistere. Resisteret enim instinctibus, quos à Deo datos esse sentiret: ubi vel pietas quam haberet de bonitate Creatoris pugnam adversus donum Dei frangeret, vel seria pugna tanquam adversus malum corrigeret pietatem. *Lib. 4. c. 13.* *Duo enim bona, quæ à Patre sunt pugnare non possunt*, ut supra dixit & explicuit Augustinus: *Lib. 3. c. 12.* *Fortasse ergo eam*, inquit, *laudare te fingis*, tanquam naturale bonum à Deo datum, *si pugnare non fingis. Nam quomodo fideliter simul agas duo ista non video, ut & laudes velut amicam, & expugnes velut inimicam. Utrumne eorum credimus, sed elige quod credamus. Si ex animo pugnas non ex animo laudas. Si autem simpliciter agis in praconio, colludis in pralio.* *Lib. 4. c. 2.* Et libro sequente in initio, *Cui malo tantum licere posse quis crederet, ut sibi laudatorem etiam de suis expugnatoribus provideret? Absit quidem ut antiquorum aliquem vel Apostolorum vel quorumcunque sanctorum, mirabilier tamen si vel quemquam hæreticorum novorum, qui simul utrumque se esse profiteatur inexplicabilibus modis expugnatorem scilicet defensoremq; libidinis, & conetur ostendere manens in hæresi Pelagiana* quæ videlicet eam dicit homini à Deo datam esse in puris naturalibus, *& ex animo se laudare, quod ipsum eius animũ nisi expugnetur occidit; & ex animo expugnare quod eius dogma nisi laudetur, absumit.* Dogma autem Iuliani non postulabat aliud nisi ut esset sine peccato hominis à Deo ipsi inserta naturaliter qualiscunque tandem esset. Nam per hoc obtinebat eam non esse causam propagationis peccati originalis quæ tota causa disceptationis tam laboriosæ tot annorum, tot librorum fuit, sicut alibi demonstravimus. Itaque rursum inferius in eodem libro: *Cap. 12.* *Quam concupiscentiam velut bonam cùm defendat error tuus, nescio quemadmodum adversus illam, velut adversus malum concupiscat spiritus tuus.* Et in libris operis imperfecti indicans illum esse scopum suum in reprehendenda libidine: *Lib. 2. oper. imperf. fol. 443.* *Nec immerito*, Inquit, *militibus Christi à quibus debellatur odiosa est, cum qua ipse colludis ut eam & expugnare te dicas, & laudare non erubescas. Per hanc humana quæ nascitur, caro peccati est*; quam propterea in eadem periodo *aut vitium aut vitiatum* esse concluserat. Et in eodem libro iterum: *Ibid. f. 250.* *Quam si naturam vocas, ibi ruina est, quæ te ita pressit ut laudare cogeret, quod expugnas, si tamen est in te qualiscunque castitas quæ te facit expugnare quod laudas*: certum est autem quod non aliter eam cogebatur laudare Iulianus nisi quod ipsa qualiscunque tandem haberetur esset à Deo data naturaliter, sine iniquitate hominis provocante. Hoc enim evidentissimè satis est ne putetur ipsa esse causa peccati originalis quod spectabat in ejus defensione Iulianus. Quapropter si inexplicabilis modus est ut quis sit ex animo expugnator defensorque libidinis eo modo quo Iulianus eam defendebat, ut scilicet à Deo creaturam in puris naturalibus condente collata sentiatur, perspicuum est hominem non posse cum concupiscentia rationi repugnante in puris naturalibus creari.

Hæc est ergo ratio, cur non tantum de concupiscentia sed etiam de singulis ejus desiderijs, apertissimâ professione dicat Augustinus, licitum esse illis consensum adhibere, si sint bona sicut Iulianus prædicabat, hoc est si ex naturali Creatoris institutione nascerentur. Hoc enim ipso essent non solum bona sed etiam licita. Licitum est enim desiderium quod ex naturali institutione creaturæ fluit, licitum item licito desiderio adhibere consensum; sunt autem illicita, inhonesta, turpia, malaque desideria, & ita mala ut hoc ipso quo eis consensus datur peccatum fiat, nullo pacto igitur naturalis institutionis bona esse possunt. *Lib. 1. de nupt. c. 27.* *Quid agit* (concupiscentia) *nisi ipsa desideria mala & turpia? Non enim si bona & licita essent eis obedire prohiberet Apostolus.* Et alibi: *Lib. 4. cont. Iul. cap. 2.* *Ideo sine dubitatione malum est, quia ei non consentire bonum est.* Et rursum tertio contra Iulianum: *Lib. 3. c. 14.* *Sed omnes homines iudicant, lasciviæ non esse peccatum nisi quia concupiscentiæ consentitur. Nullumne ergo malum est cui consentiendo peccatur?*

CAPVT

CAPVT XVI.

Argumentum quartum ex concupiscentia contra matrimonium in pura natura.

Argumentum destruens nat. statum pura natura.

POSSET & aliud argumentum velut ex præcedentibus consectaneum texi. Si enim in puris naturalibus illa membrorum rebellio ac libidinis fœditas fuisset naturalis, recta ratio, hoc est, veritas dissuasisset matrimonium & ad perpetuam continentiam invitasset. Hoc enim nunc rectam suadere rationem, intelligentibus manifestum est. Recta enim ratio suadet, ut mens rationalis nullo pacto sub libidine deprimatur, sed ut serenitatem ejus tuendo id quod apertè est laudabilius meliusque sectemur. Continentiam autem esse meliorem neminem Christianum fides Catholica dubitare sinit. Cui inhærens Augustinus: *Carnalis concupiscentia laudabilius continentiæ virtute frenatur quam fructibus impenditur nuptiarum. Tam magnum est enim malum eius, ut eo non uti, quam bene uti sit melius.* Dissuadere autem connubium rectam rationem in puris naturalibus vehementer absurdum est. Dissuasisset enim opus maximè naturale, & ad illud incitasset quod naturæ propagationi est contrarium: atque ita recta ratio nullo adhuc naturæ vitio ex peccato regulas ejus turbante, quodammodo cum naturæ conservatione pugnasset. Accedit quod & matrimonium eodem modo ante omne peccatum creaturæ sicut post excusationis indigeret; nec in generationis officium tantum esset, sed etiam in remedium incontinentiæ ex vi primæ suæ conditionis institutum. Nam etiam tunc infirmitas fuisset excipienda honestate nuptiarum ne in flagitium laberetur. Morbus igitur fuisset naturæ humanæ naturalis. Nam concupiscentiam esse morbum plurimis locis ex Apostolo S. Augustinus docet. *Iste quippe est morbus* (libido) *de quo Apostolus etiam coniugatis fidelibus loquens* &c. Quod alijs plurimis locis testatur. Quid autem absurdius, quàm ceteris omnibus animantibus sanitatem, soli homini morbum omnium morborum fœdissimum esse naturalem? Cui enim matrimonij remedium necessarium esset, id sanitas dici nequit juxta illud Augustini hâc ipsâ de re: *Si agnoscis remedium, agnosce morbum. Si negas morbum, nega remedium. Rogo cede aliquando etiam per os tuum tibi loquenti veritati. Nemo remedium providet sanitati.* Ex quo Augustinus conficit concupiscentiam non potuisse puræ naturæ sicut Iulianus asserebat institutione manasse. Nam eum ex propria confessione jugulat quâ dixerat ei remedium nuptiarum fovendo esse necessarium. Vnde & alibi: *Nec succenseas quod concupiscentiam dixi morbum, cui & tu confessus es provisum esse remedium.* Et libro quarto: *Apostolica sententia ubi ait, si se non continet, nubat, remedium voluit esse nuptias (quod & ipse confessus es) contra morbum concupiscentiæ quod confiteri non vis qui remedium confiteris. Hoc autem remedium est, non ut sit concupiscentia, si non est, sed ut non rapiat ad illicita cuius motus infrenis est.*

Ibid. c. 7.

Lib. 1. de nupt. c. 8. Vide lib. 2. cont. Iul. c. 7 & l. 3. c. 15.

Lib. 3. cont. Iul. c. 15.

Cap. 29.

Lib. 4. c. 2.

CAPVT XVII.

Quintum argumentum ex parte pudoris qui libidinis indivulsus comes est. Vnde nascatur: quanti mali testis.

Argumentum destruens nat. statum pura natura.

SED aliud, quantum Augustinus indicare & ego advertere possum, peremptorium argumentum adversus puræ naturæ statum pudor ille naturalis, qui concupiscentiam inordinatis motibus æstuantem sequitur, suppeditat. Vsus est illo sæpè Augustinus velut insolubili contra Iulianum, eoque maximè & Iuliani & Augustini sensus declaratur. Quod ut intelligatur, sciendum est verecundiam illam naturalem quæ in omnium hominum sensu cum natura nascitur, & ita nascitur, ut nec à flagitiosissimis concupiscentiæ servis posset extingui, indivulsum esse comitem fœditatis & inhonestatis ejus. *Confusionem enim inhonestatis esse non dubium est,* inquit Augustinus, post Principem Philosophorum Christianisq; vicinissimum Platonem ἵνα γε αἰδώς, ἔνθα καὶ δέος. Ἔστιν ὅστις αἰδούμενός τι πρᾶγμα καὶ αἰσχυνόμενος οὐ πεφόβηταί τε καὶ δέδοικεν ἅμα δόξαν πονηρίας; *Vbicunque pudor, ibi & timor. An quisquam est qui pudore afficitur atque erubescit, opinionem pravitatis non formidans?* Inhonestum est autem & propterea magnopere verecundum creaturæ rationali quod membra in quæ naturaliter animo debetur imperium, nescio quâ infirmitate non potest regere ad arbitrium suum. Sic enim etiam dominis verecundum est servos habere petulantes qui inspectantibus hominibus insultant heris suis & eorum imperio obedire detrectant. Hanc esse veram pudoris illius causam non semel Augustinus tradit: *De quibus,* membris, *erubescens quod non ad arbitrium voluntatis eius, sed ad libidinis incentivum, velut arbitrio proprio moverentur quæ pudenda indicavit, operienda curavit.* Et libro primo de nuptijs: *Vbi autem ventum*

Lib. 4. cont. Iul. c. 16.

In Euthyphr.

Lib. de pec. orig. c. 34.

Lib. 1. de nupt. c. 5.

ventum fuerit ut filij seminentur, ad voluntatis nutum membra in hoc opus creata non serviunt, sed expectatur, ut ea velut suo iure libido commoveat, & aliquando non faciat animo volente, cum aliquando faciat & nolente. Huncine non erubesceret humani libertas arbitrij quæ contemnendo imperantem Deum, etiam in membra propria proprium perdidisset imperium? Ex mixit [illegible] *quæ inde enim [illegible] carnem [illegible] ipsi [illegible] in sua [illegible]* Et lib. 4. contra Iulianum: *Non erat decens ut pateret, quando id (membrum) movebat voluntatis imperium non libido concupiscens contra spiritum.* Sed hæc sufficiunt. Passim enim in operibus contra Iulianum scriptis id ipsum Augustinus tradit. Hoc ergo pudoris genus, hæc erubescendi necessitas, certè cum omni homine nascitur, & [illegible] quodammodo naturæ legibus imperatur, ut in hoc verecundentur etiam ipsa pudica conjugia; nec quisquam tam malè [illegible] proficiat, ut quia cognovit Deum esse conditorem naturæ, autoremque nuptiarum, ideò etiam miscendus uxori, siquis eum videat non de his motibus erubescat, quærátque secretum, ubi non solum alienorum, verum etiam suorum omnium possit vitare conspectum prout hæc eadem Augustinus docet.

Ex hac ergò naturali verecundiâ quam ingerunt hominibus tam infidelibus qui nihil de naturæ elevatione noverunt, quàm fidelibus tumultuantes illi ideoque fœdi ac turpes libidinis motus, gravissimum argumentum ex ea adversus puræ naturæ statum, quem Iulianus fabricabat, sanctus Augustinus: Nam illa pudendi necessitas non minus esset in illo statu, quàm in præsenti naturæ lapsæ. Oritur enim ex illa concupiscentiæ rebellione adversus animum, cui naturaliter pudendum est, non posse motus corporis, quod ei naturali ordine servire debet, imperio suæ voluntatis sive excitando sive sedando moderari: quæ rebellio non esset minor in puris naturalibus sicut hoc Scholastici ultro profitentur. Non igitur minor esset etiam illius inobedientiæ & indecentiæ verecundia. Iam verò secundùm Augustinum, impossibile est, ut homo à Deo cum illa erubescendi necessitate condatur; si enim de illis motibus erubuerit, quid illo ingratius qui de creatoris sui operibus erubescit? An fortè creatura honestior est creatore suo, ut quod creatorem non puduit instituere hoc creaturam proferre pudeat? Si autem non erubuerit, quid illo impudentius? Qui bonus & innocens non erubescat, quod nunc erubescunt laudabiliter boni & mali? Sed quam impossibile sit ut in illo puræ naturæ hoc est nondum per peccatum depravatæ statu Deus hominem instituat cum illa pudoris necessitate, seu cum pudendis illis motibus ex quibus pudor nascitur, Augustinum ipsum luculentissimè explicantem videamus, dum adversarium retunderet, qui naturam ita divinitus in puris naturalibus institutam esse delirabat: *Itaque sua culpa sibi accidens malum natura humana permittatur agnoscere, ne cogatur, aut quod est impudentissimum de his suis motibus non erubescere, aut quod est ingratissimum de sui creatoris operibus erubescere.* Si enim natura humana non agnoscit hoc malum suâ sibi culpâ accidisse, sed ex institutione Dei hominem in pura natura fabricantis, necessario in alterutrum extremum labitur: Nam non erubescendo prodit impudentiam suam, erubescendo ingratitudinem; quia non habet de quo erubescat, nisi vel de opere vel de incuria creatoris, quorum utrumque impium est creaturæ. Unde capite sequenti: *Nunc ipsi se utcumque hominem esse considerat omnis pudens, impudensque confunditur; absit ut de opere Dei, sed de pœna primi veterisque peccati.* Et libro de peccato originali contra figmentum istud puræ naturæ a Pelagianis excogitatum causam pudoris primorum hominum quærens: *Non enim,* inquit, *confundi debuit homo de operibus Dei, aut ullo modo fuerant creato erubescenda, quæ instituenda visa sunt creatori.* Et in Sermonibus de verbis Domini: *Non erat unde erubescerent quando peccatum non præcesserat. Nec poterant de sui creatoris operibus erubescere, qui operibus sui creatoris bonis, nullum adhuc malum opus suum miscuerant.* Et accuratius libro secundo de nuptijs, cùm Iulianus hominem cum illis rebellibus motibus conditum esse statuens dixisset, Prophetam duos in carne una profitendo propè periculum pudoris accessisse, reponit ei præclarè Augustinus: *Dicatur causa, cur in exprimendis operibus Dei Propheta propè periculum pudoris accesserit. Itane verò humana opera pudenda esse non debent, sed planè glorianda & divina pudenda sunt? Itane verò in eloquendis & exprimendis operibus Dei non honoratur Propheta vel amor vel labor, sed periclitatur pudor? Quid enim potuit Deus facere quod eius prædicatorem pudeat dicere? Et quod est gravius, pudeat hominem alicuius operis quod non homo, sed Deus fecit in homine, cùm omnes opifices quanto possunt labore & industria id agant, ne de suis operibus erubescant?* Et mox ostendens esse vitium pœnamque peccati, quæ inobedientibus justissimo reciprocatu reddita est; *Huius,* inquit, *nos pudet & meritò pudet. Nam si hoc non esset, quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris non de vitio vel de pœna nostra, sed de Dei confunderemur operibus?* Et cùm eundem locum refricuisset in libro tertio adversus eum scripto, *Satis,* inquit, *te debuit admonere, nihil pudendum futurum fuisse in operibus Dei, nisi præcessisset cur natura humana deberet de sui meriti deformitate confundi.* Et exsertissimè, directissimèque contra statum puræ naturæ Iuliano intorquens ratiocinationes suas, cùm dixisset adversarius juxta istud Pelagianum dogma, ita membra nostra fuisse formata à Deo, ut naturaliter *alia verecundiâ, alia libertate gauderent,* quibus verbis clarius non posset statum puræ naturæ pingere, & tamen secum pugnans statim subjecisset, Apostolum *pro sua honestate genitalia loca directè appellare noluisse,* replicat ei Augustinus: *Nonne his verbis tuis teipse redarguis? Honestas ergò erat non appellare directè, quod Deus facere dignatus est rectè. Et quod creare non puduit ipsum*

Lib. 4. cont. Iul. c. 13.

Lib. 1. ad Bonif.

Lib. 1. ad Bonif. c. 16.

Ibid. c. 17.

Lib. de pecc. orig. c. 34.

Serm. 31. de verbis Dom. cap. 1.

Lib. 2. de nupt. c. 9.

Ibid.

Lib. 3. cont. Iul. c. 19.

Lib. 4. cont. Iul. c. 16.

ipsum inditem, pudebat enunciare praeconem; quando aliud ita esset, nisi quia ille fecerat honesta condendo, nos fecissemus inhonesta peccando? Et paulò post: *Nullo modo enim Deus, & hoc quod est petis ante peccatum aliquid faceret in membris humani corporis inhonestum.* Hæc & similia, nisi multum fallor omni sole clarius ostendunt, quanta fiducia condemnet Augustinus illam Pelagiani commenti inanitatem, qua hominem cum pudendis illis motibus velut in pura natura conditum esse delirabant. Condemnet autem non tanquam falsam tantum, quia reipsa aliter homo conditus fuit, sed tanquam impossibilem ingratitudinis & impietatis plenam erga conditorem, quasi honestior esset creatura Creatore quam puderet operis quod instituendum visum fuerat conditori. Ex quo doctrinæ cælestis pondere factum est, ut quamvis Iulianus Pelagianam hæresim periclitari cerneret, nisi homo cum illa concupiscentiæ pudendâ & inhonestâ rebellione conditus esse diceretur; non ausus est tamen hoc sine aliquo rubore & fluctuatione defendere. Nam in eodem loco dicit primos homines *in eadem honestate permanentia membra texisse.* Quam confessionem ejus arripiens Augustinus, necessitatem ita sentiendi puramque naturæ statum abjiciendi, velut injuriosum Deo plenissimâ securitate decernit: *Bene quod ipse confessus es, illa membra fuisse prius honesta: Non enim aliud posses nisi blasphemiâ opinione sentire.* Ecce non nisi blasphemâ opinione sentiri posse testatur, quod membra genitalia ante peccatum inhonesta fuerint, illa videlicet concupiscentiæ rebellis inhonestate, qua Paulus Apostolus membra illa inhonesta nuncupavit. Et cur obsecro opinione blasphema, nisi quia tanta fœditatis & inhonestatis causam tribueret Deo, cujus summa honestas & extrema puritas tantæ obscœnitatis origo in creatura rationali esse non potest? Hoc est enim quod antea contra figmentum illud Iuliani necessitatem pudoris ex Dei creatione profluxisse statuentis, velut ingratum & irreligiosum intonuerat: *Quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris non de vitio vel de pœna nostra, sed de Dei confunderemur operibus?* Blasphemiam quippe in Deum, religioni & honori Dei repugnare, non est dubium.

Hoc ergo cùm Iulianus quantumvis impius, consequens esse cerneret, ut ex illius argumenti angustijs salvâ libidinis rebellione naturali, puræque naturæ statu, sese proriperet, per aliam sese fenestram quam solam patere vidit præcipitem dedit. Nam cum erubescendi necessitatem peccato exortam esse, dogma ipsius de pura natura dici prohiberet; ex Deo vero creante natam esse, pietas erga Creatorem ab Augustino sæpè commendata, & blasphemiæ timor vetare videretur, dixit primos homines nihil de illa libidinis membrorumque rebellione erubuisse. Nimirum quia *nihil illic indecens noverant, sed sunt*, ut aiebat: *A pictoribus enim didicisse* jactabat Augustinum *quod Adam & mulier eius pudenda contexerint. Pictoribus* autem *atque Poëtis Quidlibet audendi semper fuit aqua potestas.* Quod revera non erat aliud profiteri quam ante peccatum fuisse quidem eandem libidinosæ carnis fœditatem, nihil tamen ruboris primis hominibus incussisse. Quæ sententia ejus non alio principio nitebatur, quam illo lumine naturæ noto, quod naturalia ac divinitus instituta, nullo modo pudenda sunt. Ex qua simili prorsus hallucinatione Cynicorum error fluxit qui magis intrepidi libidinis advocati quam Iulianus, de illa exercenda non verecundabantur in publico: unde illa secta Caninum nomen accepit. Non ausus est tamen eo impudentiæ progredi Iulianus, quia nonnullus fidei Christianæ sensus & naturalis verecundiæ quæ supererat, cohibebat impetum, quo eum hypothesis puræ naturæ & certa veritas de non erubescendis institutis naturalibus Dei in libidinis patrocinium propellebant. Cùm ergo libidinem ex puræ naturæ principijs subinde defenderet subinde naturali verecundiâ errorem superante suberubesceret, hanc inconstantiam ei Augustinus exprobrat: *Tu autem defensorem quidem libidinis profiteris, sed de tua suscepta quod fidem, libertatemque patroni non decuerat, erubescis.* Hoc tamen saltem puræ naturæ dedit, ut quemadmodum dixi, primos parentes nihil erubuisse nec sese texisse diceret, quia nihil novum postquam peccassent aut indecens in eis fuit, nempe quia naturalia non possunt esse indecentia. Proinde non perizomata ut aliqui Scripturæ textus legunt, sed vestimenta eos sibi fecisse velint; *quibus*, inquit, *latera magis dicam tecta fuisse quam femora.* En impudentiam ex illo errore nascentem. Tantus videlicet horror eum corripuerat ne pudorem ex Creatoris arte vel inertia promanasse fateretur. Malebat enim illam concupiscentiæ tumultuantis fœditatem nudam in paradiso collocare, quam eam perizomatibus tegendo, opus Dei erubescendum confiteri.

Quod si quis forte ex Neotericis puræ naturæ assertor, hanc Iuliani sententiam, quod non arbitror, amplecti malit, quam pudendi necessitatem tribuere Creatori (nec enim video quid aliud cum aliqua probabilitate dici queat) attentè perpendat, quam prodigiosæ impudentiæ sententia illa visa sit Augustino, & verò omnibus honestatis naturalis amatoribus videri debet. Manifestè quippe sequitur innocentiam quæ in primis hominibus in quocunque tandem statu conditi fuerint, & impudentiam habitasse simul. *Verum & sic,* inquit Augustinus, *si pudor adsit, ad cuius officium vestimenta asseris pertinere, nequaquam persuadere conaberis, homines primos peccato magistro ista pudoris officia didicisse, & in eis primis duas quasi socias & amicas convenienter habitasse innocentiam & impudentiam.* Et paulò inferius: *Imo verò tua ista sententia ita est indecenter impudens & deformiter nuda ut eam quantalibet folia verborum consuta, operire non possis.* Et mox cum Iulianus detectis pudendis opinionem ex Pictoribus

Ibidem. Ibid. c. 16. Locus supra citatus. Lib. 5. cont. Iul. cap. 2. Lib. 4. cont. Iul. c. 15. Lib. 5. c. 2. Ibid.

Digitized by Google

Ibidem.

bus floruisse deberet; *Absit*, respondet sanctus A Doctor, *ut in primis hominibus tanta innocentia tam impudens esset, sed nudum inerat quod puderet. Peccaverunt, attenderunt, erubuerunt, operuerunt: & adhuc clamas nihil illic indecens, novumque fecerunt. Hanc planam impudentiam tuam nimis incredibilem, absit ut doceret nullus te Apostolus aut Propheta sed nec Pictor doceret nec Poeta. Illi quippe ipsi quibus quidlibet audendi, sicut eleganter dictum videtur, semper fuit aequa potestas, confunderentur tale aliquid videndum fingere quale tu credendum non confunderis disputare. Duas enim simul habitantes, quarum altera est optima, altera est pessima, velut inter se convenientes atque concordes, innocentiam scilicet atque impudentiam, nullus Pictor pingere, nullus Poeta canere auderet: Nec eorum quisquam ita de sensibus desperaret humanis, ut etiam hoc sibi audendum, aequam crederet potestatem, sed insaniam potiùs vanitatem.* In hanc autem opinionis impudentiam quod non puderet primos homines libidinosæ fœditatis cum qua creatos esse statuebat, purâ necessitate coactum, ideoque trepidum & reluctante scientia & conscientia, prorupisse Iulianum, ne scilicet fateri alioquin cogeretur primos homines sui Creatoris vel operis ejus puduisse, in sequentibus Augustinus indicat. *Videmus quod texerint*, Adam & Eva, *nimiæ insipientiæ est adhuc quærere, nimiæ impudentiæ adhuc negare, quod senserint. Nam tu quoque cùm obstinatissimè contradicas, usque adeo indicasti, nihil aliud humanis occurrere sensibus nisi concupiscentialem motum erubescentes illos homines in genitalibus tegere voluisse; ut perizomata erigere ad latera conareris: aut operiens latus, ubi peccatores nihil mali sensisse contendis aut deformiter nudans quod magis tegendum esse consentis.*

ibid. inf. in fine cap. 6.

CAPVT XVIII.

Inferuntur aliqua corollaria ex prædictis de concupiscentia. Certitudo illius doctrinæ.

Ex hoc ergo conflictu Iuliani & Aug. nonnulla magni momenti liquidò patent, quæ ad ea quæ de libidine & ejus motibus superius disseruimus certius clariusque intelligenda, multum faciunt.

Primo enim constat evidenter Iulianum illos æstuantis libidinis tumultuosos motus, quos post peccatum cernimus & castitate comprimimus, primis hominibus, velut ex Dei creatione prodeuntes, tribuisse, & proinde perfectissimè ex hac parte induxisse puræ naturæ statum.

Secundò eum agnovisse coram Deo motus illos inconditos concupiscentiæ genitalis dignos esse verecundia: verumtamen ne Dei creantis peritiam accusare vel honestatem ejus blasphemare videretur, dicere maluisse, quod primi homines membra illa tumultuantia nuda ostentaverint, quam de aliqua libidinis naturaliter insertæ fœditate erubuerint. Tolerabilius enim ei videbatur impudentiam quàm blasphemiam profiteri.

Tertiò intelligimus veram originem, cur nunquam ausus fuerit Iulianus motus illos libidinis qui naturam humanam in puris naturalibus creatam sequebantur, profiteri turpes, obscœnos, illicitos, malos, sicut aperta rei veritas toties per Augustinum asserta dicendos postulabat. Nimirum verebatur ne simili prorsus modo in Deum blasphemus videretur, siquid ab eo fateretur inhonestum, fœdum, pudendum, illicitum, malumque profluxisse. Hanc enim blasphemiam ut caveret Manichæus, malum principium eorum causam esse statuit, quos malos esse, & per hoc Deo bono tribui nullo modo posse ex Christianæ fidei norma non dubitabat. Hanc enim fidem nobis disertis verbis Apostolus tradit quando dicit, *scio quia non habitat in carne mea bonum*. Et de concupiscentiæ motibus, *quod nolo malum hoc ago*, id est concupisco, ut exponere solet Augustinus. Vnde Augustinus libro quinto contra Iulianum: *Sed quacunque te verses*, puram naturam comminiscendo, *quacunque te iactes, quacunque undecunque colligas, insles, ventiles, spargas, contra quod concupiscit spiritus bonus non est bonum.* Quod de concupiscentia se mox ex Apostolica doctrina dixisse profitetur: *Vtique concupiscentia quæ repugnat ut trahat, etiamsi spiritu contra eam concupiscente & resistente non pertrahat, ac propterea nec concipiat pariatque peccatum, non est bonum. Et ipsa est de qua dicit Apostolus: Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Itaque alio in loco de concupiscentia disputans utrum bona esset an mala: *De voluptate carnis*, inquit, *hoc sentio quod sentit Ambrosius, inimicam scilicet esse iustitiæ.* Et confestim adjicit: *Nunc de* B *Catholico agitur dogmate ac fide. Perfidia non sit desertoris in te.* Et infra in alio libro longè expressissimè & clarissimè: *Vtrum malum non sit cui repugnanti consentiendum non est ne in suum pergat excessum, & utrum non ex ipsa & cum ipsa concupiscentia nascatur cui malum inesse ullum negas*, per quod videlicet peccatum originale propagetur, *hoc inter nos disseritur. In his quæstionibus Catholicâ veritate antiquitùs traditâ vestra impia novitas suffocatur.* Itaque sæpiùs erroris condemnat in hac parte Iulianum: *Quod si contra Episcopos, pro isto, quem à te Deus avertat errore, quæsiturus es, quid dicas &c. quid tibi erit Tullius?* Et paulò post: *Quam velut bonum, cùm defendat error tuus, nescio quemadmodum adversus illum quemadmodum adversus malum concupiscat spiritus tuus.* Cùm ergo hanc fidem Iulianus ferre non posset & tamen hæresis Manichææ barathrum vellet fugere, alterum extremum C excogitavit, ut motus illos ex Dei boni institutione

Lib. 3. con. Iul. cap. 14.

Lib. 5. c. 12.

Lib. 6. c. 18.

Digitized by Google

tutione nobis inesse diceret, & idcirco quia naturales, non esse dicendos malos, nec indecentes, ideoque neque primos parentes eorum in sua nuditate puduisse nec pudenda texisse. Augustinus è contrario, omninò profitetur verum esse, quod si à Deo naturam humanam primitus condente promanassent isti turpes motus, neque malos, neque pudendos posse nuncupari, ne alioquin blasphemia illa redundaret in Deum quod ipse esset autor tam horrendi mali, quo nullum in hac vita virtus acerbius patitur, quodque creatura velut honestior Creatore de operibus sui Creatoris erubesceret. Sed quia indubitata est Catholica fides motus istiusmodi *displicere Deo*, esse malos, illicitos, pudendos, inhonestos, ut extremæ sit impudentiæ, de illorum fœditate non erubescere, invictè concludit Augustinus commentum istud puræ naturæ in qua fatente Iuliano perinde, ut in præsenti statu, eadem esset carnis cum spiritu lucta, eadem libidinis cum virtute repugnantia, eadem erubescendi de tanta fœditate necessitas, esse chimericum, impossibile *ingratum* & *irreligiosum* adversus Deum, neque posse nisi *blasphema opinione* sustineri. Et meritò sanè quisquis illum statum cum Iuliano velut possibilem adhuc tueri cupit, illud Augustini sibi in illo dictum existimare debeat; *Vincat pudor tuus, eoque vincatur error tuus.*

Lib. 6, c. 15.

Lib. 4. cont. Iul. c. 12.

CAPVT XIX.

Idem pudor in omnibus libidinibus etiam animi, tametsi remissior locum habet.

QVÆ hactenùs de concupiscentia respectu puræ naturæ diximus, in libidine quidem illa carnali & obscœnissima & notissima maximè vera esse patet, in omnibus tamen concupiscentiis contra spiritum militantibus quædam quidem obscurius, alia tamen evidentissimè locum habent. Nam & in illis animus graviter rixatur & pugnat secum, & per illas nihil aliud nisi voluptates carnales appetit juxta phrasim Apostolicam, *Caro concupiscit adversus spiritum*, & ideò nihil nisi peccare desiderat; quæ tamen desideria quia in illo statu forent naturalia & ex institutione Dei, perinde necesse esset esse licita & bona, & consensu creaturæ rationalis naturam sequentis approbanda & expicienda. Accedit quod & pudor arguit eos ex institutione Dei non posse proficisci, ne operis Creatoris pudendum sit creaturæ. Nam & aliarum cupiditatum rebellionem erubescendam esse rationi, quæ partibus illis vitiosis ad motum obtemperantibus imperare debet, tunc maximè patet cùm valde exorbitanter ac ipsis hominibus inspectantibus commovetur. Hoc enim omnis probus erubescit, improbus majori probro non erubescit. Cur autem de illarum cupiditatum motibus minus quàm de illius fœdissimæ libidinis obscœnitate erubescamus, causa manifesta est, quia animus in ea neque sibi, ut non libeat, neque corpori, quod ei servili conditione subjectum est, ut non moveatur, imperare potest, quod in ceteris cupiditatibus non habet locum. Nam seipsum quidem superare non potest, ut non suâ cupiditate titilletur, corpus tamen non movet, nisi cùm voluerit, & quantum voluerit. Ex quo efficitur, ut in corporis obtemperantis motu nullus pudor sit, in animi pugna sibi-ipsi rebellantis exiguus. Quia si seipsum non superat dum concupiscit invitus, etiam vice versa non nisi à seipso superatur. Quod quidem minus ei pudendum est, quàm si corporis ei subjecti rebellione vinceretur, pudendum tamen esse non est [illegible]um, neque esse non posse ex institutione Dei quâ de re præclare sanctus Augustinus in libris de Civitate Dei: *Veruntamen hæc libido de qua nunc disserimus, eo magis erubescenda existit, quod animus in ea nec sibi efficaciter imperat, ut omnino non libeat: nec omnimodo corpori, ut pudenda membra voluntas potius quam libido commoveat. Quod si ita esset, pudenda non essent. Nunc verò pudet animum resisti sibi a corpore, quod ei natura inferiore subjectum. In aliis quippe affectionibus cum sibi resistit, ideò minus pudet; quia cum à seipso vincitur, ipse se vincit etsi inordinatè atque vitiosè: quia ex his partibus quæ rationi subjici debent, tamen à partibus suis ac per hoc a seipso vincitur.* Et mox iterum: *Minus tamen pudet, cum sibi animus ex vitiosis suis partibus non obtemperat, quam cum ei corpus, quod alterum ab illo atque infra illum est, & cuius sine illo natura non vivit, volenti iubentique non cedit.* Quibus luculentè docet Augustinus etiam in ceteris cupiditatibus animo repugnantibus naturalis pudoris esse locum. Pudendum est enim animo inferiora superioribus in seipso pervicaciter reluctari.

Gal. 5.

Lib. 14. de Civit. c. 23.

Ibid.

CAPVT

CAPVT XX.

Argumentum 12. & 13. contra statum puræ nat.

Afferuntur duæ rationes à priori cur concupiſcentia cum pura natura dari nequeat. Sextum & ſeptimum argumentum ex parte concupiſcentiæ. Objectio ſolvitur, quod rebellio carnis videatur eſſe naturalis.

HÆc quoque non obſcurè nos manu ducunt ad ipſum cubile rationis, quæ magnis vocibus clamat nullo pacto fieri poſſe, ut illa rebellio concupiſcentiarum ſit humanæ naturæ naturalis, in quocunque tandem condi fingatur ſtatu. Quod ex duobus capitibus præter perſpicaciſſimi Doctoris doctrinam oſtendi poteſt. Primò, quia impoſſibile eſt, ut carnem ſpiritui repugnare ſit ordo naturalis. Caro enim inferioris ordinis eſt, quàm animus naturali ei lege ſuperior. Ex quo fit, ut ordo naturæ concordiam eorum poſtulet, ut videlicet animo tanquam domino à corpore naturaliter ſervo ſine rebellione pareatur. Hoc voluit Augustinus cùm paulò antè dixit, quod *corpus animo natura inferiore ſubiectum eſt*. Et ibidem quod *animus ordine naturali anteponitur corpori*. Nam inde naſcitur homini naturaliter verecundia, quod libido corporis ſuo quaſi jure membra excitando, animi naturaliter ſibi dominantis detrectat imperium. Cujus naturalis ordinis perturbatio eo vitioſior eſt, quod ſine animo nec vita quidem rebellantis corporis eſſe poteſt. Quam ataxiam unà cum præcedente notavit Auguſtinus cùm reprehendendo dixit, *Cum animo corpus quod alterum ab illo atque infra illum & cuius ſine illo natura non vivit volenti iubentique non cedit.*

Lib. 14. de Civit. c. 23.

Ibid.

B Secundò, quia impoſſibile eſt ordinem poſtulare naturalem, ut animus repugnet ſibi, & quidem ut ſuperiori pars inferior, non modo repugnet, ſed etiam dominetur. Cùm enim in omnibus rebus pacem videamus eis eſſe naturalem & omnibus viribus eo tendere, ſicut præclariſſimè doctiſſiméq; oſtendit Auguſtinus in libris de Civitate Dei, quid abſurdius quàm ut perpetuo, inextinguibili, acerbiſsimoque bello ſecum luctari ſolius hominis natura ſit? Nam illius acerbitas calamitatis dicere coegit Auguſtinum: *Non aliunde tantum dolorem habet humana miſeria quàm unde quod caro concupiſcit adverſus ſpiritum & ſpiritus adverſus carnem:* Quod omnis veraciter pius veriſsimum eſſe intimis gemitibus confitetur. Sed ſi pugnam illam eſſe naturalem aliquo plauſibilis rationis fuco ſuaderi poſſe quis arbitretur, quid ab omni rationis umbra remotius cogitari poteſt, quam ut etiam victoriam partis inferioris de proſtrata ſuperiore naturalem eſſe cogitemus? Nemo arbitror quantumcunque pervicax puriorum patronus naturalium, hoc vel inter ſurdos dicere audebit. Et tamen eo nos Catholicæ doctrinæ per Auguſtinum traditæ nexus inſolubilis trahit.

Lib. 19. de Civit.

Serm. 182. de Tempore.

A Nam in ea doctrina (ſicut hoc ante fuſius demonſtravimus) unum ex primis eſt principijs, & baſis cui tota neceſſitas & ſtructura gratiæ verbi incarnati nititur, tam dira videlicet eſſe concupiſcentiæ contagia, ut mentem quam obſederit, ſuis vinculis captivam, ſibique & creaturis amore aſtrictam teneat, amiſſa penitus omni libertate ad opus bonum: à qua miſerabili creaturarum ſervitute ſe liberare non poſſit, niſi per ſolam gratiam Dei. Quicquid interim voluntatis arbitrium laude dignum agere videatur, in quamcunque partem hic illic ſuam verſare libertatem, non niſi in vinculo ſuo ſervili libertate volvitur, ſemper enim in omni opere concupiſcentia creaturæ alicujus ei dominatur, & ideò ſerviliter, non liberaliter facit, quicquid facit, donec ei cœlitus dilectio Creatoris inſpiretur, & in veram libertatem aſſeratur per gratiam Salvatoris. Quod gratiæ beneficium quia eſſentialiter puræ naturæ ſtatus excludit, neceſſariò ſequitur ea deficiente libertatem arbitrij ſub concupiſcentiæ concreatæ pondere captivam detineri, ita ut libidini pleno jure dominanti non poſſit ullo modo voluntatis arbitrium in veram dilectionis Dei boniqué operis reſpirare libertatem. Cùm enim, ipſis Scholaſticis autoribus, nulla omninò differentia ſit inter concupiſcentiam naturæ lapſæ & puræ, eadem erit tyrannis ejus in utroque ſtatu, eadem arbitrij ſub ejus dominatione captivitas. Quod qui penitius intelligere velit, recolere dignetur, ea quæ fuſiſſime de amiſſa boni libertate, inductaque peccati ſervitute, & peccandi neceſsitate, ex Auguſtino ſuperius declaravimus. Nam iſta omnia non ex alio capite quàm ex concupiſcentia voluntatis arbitrium in ſui-ipſius & creaturarum amore ſub ſe captivum detinente proficiſcuntur. Cùm ergò fieri non poſsit quin pars ſuperior ſub inferiore captiva ſerviat, quamdiu concupiſcentiæ vinculis nondum per gratiam reſolutis alligata detinetur, fieri etiā nullo pacto poteſt, ut ſtatus ille miſerabilis ſit rationali creaturæ naturalis. Eſt enim adverſus omnem naturæ & rationis ordinem qui naturaliter poſtulat, ut caro, hoc eſt pars illa carnalis ſerviat, ſpiritus erectus ei plena poteſtate dominetur. Quod Auguſtinus diverſis in locis non obſcurè docet. Nam hinc illud in libris de doctrina Chriſtiana ubi dicit, Spiritus concupiſcit adverſus carnem: *Non ut interimat corpus, ſed ut concupiſcentiam eius, id eſt, conſuetudinem malè domitam faciat ſpiritui ſubiugatam quod naturalis ordo deſiderat.* Et hoc ſtatim dicit ſpiritum facere

C

Ibid.

Lib. 1. de doct. Chriſt. c. 24.

facere *per principatum quia magis quod diligit vult subditum esse meliori.* Hinc illud in libro de Fide & Symbolo: *Anima cum carnalia bona adhuc appetit, caro nominatur. Pars enim ejus* (scilicet inferior) *resistit spiritui non natura, sed consuetudine peccatorum quæ in naturam versa est secundum generationem mortalem peccato primi hominis.* Et paulò post: *Est autem anima natura perfecta cum spiritui suo subditur, & cum sequitur sequentem Deum.* Qua de causa sanctus Ambrosius à sancto Augustino citatus dicit, *Princeps & domina carnis naturaliter anima est.* Quo elogio & ipse Augustinus animam non rarò celebrat, tanquam quo solo satis innuatur, obedientiam carnis erga spiritum sine ulla repugnantia esse homini naturalem. Nam ex illa sola radice nascitur quod naturalis homini sit ille de rebellione carnis pudor: naturâ scilicet ipsâ sentiente, quantisque potest vocibus clamante, situs eam intelligat, se à naturali, sibique debito statu esse dimotam.

Lib. de Fide & Symbol. cap. 10.

Lib. 2. contra Iul. c. 8. ex lib. de Sacramento re...

Et quia non potest illa naturæ perturbatio nisi ipsi animæ dominanti tribui, hinc ei pudor, quo confunditur, se non ita Domino suo exhibuisse servitium, ut mereretur naturalem in carnem suam accipere vel retinere dominatum. Nulla enim ei causa pudendi esset si illam infirmitatem nulla culpâ suâ præeunte ab ipso conditore traxisset. Quid enim illa insipientius, si alieni operis nihil ad se parentesque suos attinentis, ipsam inculpatam pudeat? Quid illa ingratius, & irreligiosius si operis conditoris? Iam verò nobis, ut sanctus Doctor ait, *pudendum est quod imperio nostro caro non servit: quia hoc fit per infirmitatem, quam peccando meruimus.* Ex quo fit ut naturalis ordo non tantum carnis & spiritus, sed & justitiæ postulet ut non possit caro spiritui innocenti repugnare: gravissima quippe obscenissimaque pœna est, quæ non potest ei sine culpa per justitiam optimi & æquissimi & honestissimi creatoris infligi. Itaque rectissime idem sanctus Augustinus: *Faciebat hoc ordo justitiæ, ut quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus eius obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc & nudi erant & non confundebantur. Animam quippe rationalem naturali verecundiâ nunc pudet, quod in carne in cujus servitutem jus potestatis accepit, nescio quâ infirmitate efficere non potest, ut se nolente non moveantur membra, & se volente moveantur, quæ propter hoc in quovis casto, meritò appellantur pudenda, quod adversus dominam mentem quasi suæ sint potestatis, sicut libitum est excitantur.* Quibus verbis utrumque simul ordinem perturbari indicat & naturæ, si membra quæ naturaliter menti servire debent, quasi suæ sint potestatis adversus Dominam excitentur; & justitiæ, si hoc nulla mentis culpa præcedente contingat. Sed de justitiæ naturalis perturbatione plura inferius.

Lib. 1. de pec. merit. cap. 21.

Ibidem.

Hanc sancti Augustini mentem quisquis accuratius perpenderit, haud difficulter videbit nihil illud argumentum urgere; quod à Scholasticis plerisque ad asserendam Deo creanti concupiscentiam texitur. Aiunt enim quod potentiæ, ex quibus nascitur illa repugnantia carnis & spiritus, sint homini connaturales, voluntas & sensitivus appetitus, quia ex hominis essentia quatenus ex spiritu & carne constat, naturaliter dimanant. Eædem verò potentiæ inclinationes habent naturales ex quibus oritur ista repugnantia, ergo & repugnantia ista connaturalis est homini, perinde ut corporis corruptibilitas, quæ ex elementis inter se pugnantibus nascitur, vel lassitudo in motu progressivo, quæ ex corporis gravitate.

Ad hæc igitur non est difficilis responsio juxta principia sancti Augustini. Esto enim sit homini naturale per appetitum sensitivum concupiscere, non est tamen ei naturale contra spiritum & rationem concupiscere, sed è contrario, hoc est, contra naturam ejus quia ut sanctus Doctor ait, *Hoc naturalis ordo desiderat*, carnem *spiritui esse subjugatam*: & contrarium jam caro facit, *non natura sed consuetudine peccatorum quæ in naturam versa est, secundum generationem mortalem peccato primi hominis.* Itaque sanctus Thomas cùm sibi objecisset hoc argumentum iisdem pœnè verbis, videlicet quod concupiscentia sit proprius actus virtutis concupiscibilis, quæ est potentia naturalis, ideoque sequi quod concupiscentia sit homini naturalis respondit ipse conformiter ad doctrinam Augustini superius traditam: *Quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundùm rationis ordinem. Concupiscentia autem quæ transcendit limites rationis inest homini contra naturam.*

Vide loca supra citata.

D. Thom. 1. 2. q. 82. art. 3. ad 1.

Itaque inde eos contingit falli quia id quod alicui potentiæ per se consideratæ naturale esse vident, hoc eidem dum alteri jungitur naturale esse concludunt. Sit enim naturale appetitui sensitivo per se spectato concupiscere, nullo rationis aut spiritus habitâ consideratione, non tamen inde sequitur idem cum ista vaga libertate ei naturale esse prout spiritui atque rationi in eodem supposito copulatur. Tunc enim ei fit naturale accuratè subesse rationi, neque præcurrendo neque excedendo nutus ejus.

Potest enim aliquid esse naturale cuipiam secundùm se, cujus tamen certa moderatio fiat eidem connaturalis ex alterius conjunctione. Ita mulieri secundùm se spectatæ competit suâ se gubernare libertate, cui per conjugium fiat naturale mariti imperium sequi.

Corpori organizato quamdiu animâ destituitur, naturaliter competit nullum habere motum, nisi rectâ deorsum, cui per conjunctionem animæ fit naturalis motus animalis, hoc est motus quaquaversum etiam deorsum animantis imperio modificatus, & inflexibilitas illa prior est contra naturam ejus.

Itaque cùm pars inferior sit instar fœminæ

 respe-

Lib. 2. de Genes. ad litt. c. 11.

respectu superioris Augustino dicente, *Animalis illa pars nostra tanquam viro debet obtemperare rationi*, vaga illa libertas appetendi & impetuositas, quæ illi secundum se naturalis est, per illud arctissimum conjugium in eodem homine, moderationem & subjectionem quandam accipit naturalem, ut nunquam prosiliat ad appetendum nisi nutu conjugis, qui eam naturaliter moderari debet. Quam utriusque conjugij & fœminæ viro subditæ similitudinem uberius explicans Augustinus, ad hoc dicit partem animalem rationi esse conjunctam, *ut non solum anima corpori dominaretur, quia corpus servilem locum obtinet, sed etiam virilis ratio subjugaret sibi animalem partem suam, per quod adjutorio imperaret corpori. Ad hujus rei exemplum fœmina facta est, quam rerum ordo subjugat viro: ut quod in duobus hominibus evidentius appareat, id est in masculo & fœmina, etiam in uno homine considerari possit; ut appetitum animæ per* A *quem de membris corporis operamur, habeat mens inferior tanquam virilis ratio subjugatum, & justa lege modum imponat adjutorio, sicut vir debet feminam regere, nec eam permittere dominari in virum, quod ubi contingit perversa & misera domus est.* Sicut ergo, ut Augustinus loquitur, perversa domus est, quia perversus ordo naturalis, ut fœmina dominetur viro, ut inconsulto viro tractet negotia quæ viri consilio & nutu agi deberet; ita perversus ordo naturalis est, si appetitus inferior spiritui dominetur, vel illo inconsulto ad opus suum proruat. Quod si talem obedientiam ex seipso habere fortasse non potest, quid magnum est, si ei à Deo tribuatur sicut ceteris omnibus facultatibus & membris qualitas es dedit, quibus officia non solum illi secundum se, sed & supposito congrua & naturalia peragenda sunt. De corruptibilitate corporis quomodo naturalis dici B possit infra latius.

Lib. 2. de Genes. cont. Manich. cap. 11.

CAPUT XXI.

Conflictus Iuliani & Augustini de traductione peccati originalis, invictè probat concupiscentiam non posse esse puræ naturæ naturalem. Octavum argumentum ex concupiscentia.

Argumentum ex concupiscentia puræ naturæ.

Denique ut hoc argumentorum genus quod ex concupiscentia rebellante rationi petitur, tandem aliquando concludamus, alius Augustini & Ecclesiæ, cum tota Pelagianorum secta conflictus, invictè probat, ut quidem arbitror, eam à Deo puram naturam instituente esse non posse. Gravissima enim contentio sancti Augustini cum illa lue fuit, quid esset illud tam magnum in hominibus etiam sanctificatis malum, quod peccatum jam etiam remissione deletum in innocentem, si Dei opus spectes, prolem ex parente transfunderet. Constantissimè semper Augustinus & per ipsum & post ipsum Ecclesia per multas annorum centurias docuit, hoc non aliud esse nisi concupiscentiam illam carnis, quæ fœdissimas adversus spiritum pugnas concitat. Quod ita mordicus tenebatur Augustinus, ut isto principio collabente causam Ecclesiæ de originali labe pariter labi non obscurè fateretur. Præcipua verò tantæ doctrinæ basis erat, quid illud esset, tam magnum tam fœdum tam detestandum, veræque justitiæ tam inimicum malum, ut hoc solo quod inesset creaturæ rationali, non posset eam non damnationis ream constituere, & ad mortis æternæ pœnas trahere. De cujus mali certitudine, superius multa ex Augustino diximus; adversus quem Iulianus contendebat non esse malum, utpote quod hominibus ex vi creationis adhæsisset. Hinc ille locus celeberrimus instar omnium, contra illud Iuliani de puræ naturæ tanquam innocentis & bonæ institutione commentum: *Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita* A *procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu peccata concipere ac parere non sinatur. Tale porro ac tam magnum malum tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi ejus vinculum in illa quæ fit in baptismo remissione omnium peccatorum solveretur?* Radicem tanti mali facile perspexerit quisquis mentis acie ponderaverit quanta iniquitas sit ut pars superior sub inferiore rerum creatarum visco captiva teneatur, sicut ante gratiam arbitrij liberatricem necessariò captiva est; quandoquidem sit iniquitas, ordini naturali & justitiæ contraria, quòd superioribus inferiora mente etiam consensum cohibente reluctentur.

Lib. 5. cont. Iul. cap. 15.

B Tanta iniquitas sine culpa & pœna esse non potest, sive hominis, qui ejus auctor sibi peccando fuit, sive alterius qui generando vel creando. Rei gravitatem suo pondere librat Augustinus alibi, & hanc tanti mali originem digito notat: *Neque enim nulla est iniquitas cùm in uno homine, vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur. Hanc iniquitatem si homo ab homine altero forinsecus adversante pateretur, quia in illo non esset, sive illo ut ipso puniretur. Quia verò in illo est, aut cum illo punietur, aut illo ab ejus reatu liberato, sic in certamine adversus spiritum perseverat ut hominem iam non reum ad nulla post mortem tormenta transmittat.* Lib. 6. c. 19.

Sed quia in reliquijs constituti tenebrarum, quas illud malum oculis virorum etiam spiritalium

ritalium offundit, fœditatem ejus purificata mentis acie videre non sinimur uti decet, hinc in ista nos obscuritate jactamus, & de pura natura ex Philosophia ratiocinantes, aliquid nos dicere putamus, quo malum istud innoxium esse posse monstremus. Longè alia fuit spiritalissimi debellatoris concupiscentiæ, & perspicacissimi Doctoris sensus, qui Iuliano similia ex Philosophia gentium jactitanti ut peccati originalis traductionem interimeret, *Numquid vel tibi*, inquit, *vel quibuslibet consectaneis tuis aliquid dicere videreris, si quantum sit (ut ex ea natum necesse sit renasci, non renatum sit necesse damnari) malum concupiscentiæ carnis sanctitate mentis cogitare posseris?* Vbi similiter, sicut in ante citatis locis docet tam horrendum esse istud concupiscentiæ carnalis malum in creatura rationali, ut quicquid ex illo nascitur sit necessi damnari. Eo scopo scripti sunt duo libri de nuptiis & concupiscentia, ut decim contra Iulianum, & pars aliorum operum non exigua. Nimirum ut ostenderet tantam esse mali istius virulentiam, ut necesse sit peccatum à parentibus illo præsente in prolem trajici: ut ita falsum esse & erroneum commentum Pelagianæ hæresis demonstraret, quo illud velut à Deo institutum & innoxium esse sanciebat. Et revera quis ita mente destitutus est, ut non videat universum Augustini laborem, & Ecclesiæ per illam doctrinam triumphantis plausum in fumos evanescere, si istud malum suapte natura tam innoxium est, ut juxta Pelagiana decreta primis hominibus in pura natura conditis collatum fuerit, vel juxta Scholastica conferri posse statuatur? Neque enim istud malum minus repugnat virtuti atque rationi in pura natura neque minus est malum, neque minus pudendum, quam illud in lapsa natura verecundia naturalis probat. Nam ex pudore solo sæpissimè malitiam ejus Augustinus arguit, & peccati originalis causam esse confirmat. Nam cùm Iulianus omnes recensendo causas generationis velut innoxias, libidinem quam etiam hominibus velut in pura natura datam asserebat, prætermitteret, respondet ei Augustinus: *Sed iste in his omnibus noluit nominare concupiscentiam carnis, quæ non est à Patre &c. hanc iste noluit nominare in his omnibus quæ commemoravit naturalibus bonis, de qua etiam nuptiæ confunduntur.* Et paulò post: *Ideo autem duo parvuli expertes non esse delicti quia de illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest etiam quod honestum est operari.* Et infra: *Quocirca commixtionem quoque honestam conjugum non reprehendimus propter pudendam corporum libidinem.* Et cùm dixisset conjuges in illo actu humanum vitare conspectum: *Atque ita*, addit, *confiteri quod pudendum est, cùm debeat neminem pudere quod bonum est. Sic insinuantur hæc duo, & bonum laudandæ conjunctionis unde filii generentur, & bonum pudendæ libidinis, unde qui generantur regenerandi sunt ne damnentur. Rectius enim accepit nomen mali quam boni quod erubescunt & mali & boni. Meliusque credimus ei qui dicit, scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum quam huic qui dicit, hoc bonum. Vnde si confunditur, confitetur malum.* Iuliano verò respondente, non posse *corporales nuptias esse sine commixtione* quæ bona est, & ideo non posse in prolem inde natam peccatum originale traduci, replicat Augustinus: *Non ostendo ego nuptias corporales sine commixtione, sed nec ipse ostendis eandem commixtionem sine confusione:* & consequenter videlicet sine malo. Hæc & hujusmodi quibus ejus libri scatent, totâ mole argumentorum hoc agunt, ut ex confusione velut inseperabili ratione probet concupiscentiam illam, quam Iulianus velut innoxiam à Deo insertam homini statuebat, esse aliquod malum, & pudendum malum, & hoc esse satis, ut per illius mali usum peccatum in prolem generando transiret. Hæc omnia, & quicquid Augustinus naturalibus rationibus fultus, in omnibus illis libris egit, ut libidinem probet non esse bonam, sed malam, atque ita mali originalis propagationem ex illo malo stabiliret, è fundamétis corruunt, si libido homini à Deo in pura natura inseri posse decernamus. An enim tunc non erit malum? Non concupiscet contra spiritum? Non erunt motus ejus peccandi desideria? Non erit honestis conjugibus pudenda? Quis ita cæcitet ut in ista sententiarum portenta prosiliat? Mala erit igitur etiam tunc ex Augustini regulis libido, utpote spiritui adversaria, peccandi avida, sapientiæ & virtutibus inimica, hostis honestatis, pudenda etiam impudentibus. Quod si etiam tunc libido erit malum ac tantum malum, quantum Augustini rationes & isti effectus libidinis probant, inanis profectò & omninò frivolus & ridiculus est omnis iste profundissimi Doctoris labor. Alterutrum enim ex tanta virium & industriæ tam laboriosæ & perspicacis contentione consequetur, ut per illam libidinem etiam in illo statu peccatum in prolem ex concupiscentiæ istius rebellione & confusione genitam transfundatur, si hoc ipso illud nunc transfundi etiam à sanctis conjugibus ex malitia & confusione & rebellione concupiscentiæ rectè probat: vel ut perperam adversus Iulianum puræ naturæ architectum inde probaverit nunc transfundi, si tota illa malitia quam concupiscentiæ tribuit cum hypothesi Iuliani consistere potest. Cùm autem utrumlibet peralsurdum & falsissimum sit, quid superest nisi ut dicamus alterutrum videlicet vel id quod Iulianus dixit, concupiscentiam in illo statu non fore malam, sed naturaliter bonam, & per hoc nec esse causam ut peccatum parentis in prolem transeat; vel certè hypothesim purorum naturalium ex parte concupiscentiæ spiritui repugnantis esse impossibilem. Vnum ex diametro constantissimæ doctrinæ S. Doctoris adversatur, ut supra satis superque vidimus: & victoriam ejus adversus Pelagianos inanem facit. Alterum verò Scholasticorum doctrinam de pura natura prorsus enecat. Eligat lector id quod credibilius esse arbitratur.

Ibid. c. 5. | Lib. 2 de nup. c. 5. | Ibid. | Cap. 22. | Ibid. | Cap. 22. | In hoc tract. & toto tractatu de Prop. pig. pecc. orig.

1. 2. q. 109. art. 3.

Vicina autem est concupiscentiæ alia peccati plaga, quam communiter Scholastici *malitiam voluntatis* vocant. Hanc Medina vocat odium rerum spiritualium atque cælestium. Quod si quis rectè intellexerit, concupiscentiam non posse ex Dei conditione proficisci, longè certius hoc intelliget de tali malitia voluntatis, quam tamen certum est ad statum puræ naturæ juxta Scholasticorum placi- A ta pertinere. Non enim differt natura lapsa à pura, nisi ut à nudo spoliatus. Itaque si præcedentia argumenta evincant concupiscentiam in statu puræ naturæ tanquam à creante Deo esse non posse, multò fortius evincent abesse debere malitiam voluntatis? Ut non sit opus de illa latius hoc ostendere. Nunc de ignorantia nonnihil adjiciendum est.

CAPUT XXII.

Argumentum totius operis 25. contra statum puræ naturæ.

Ignorantia illa profunda rerum agendarum non potest esse in pura natura.

ALIUD verò argumentum gravissimum contra statum puræ naturæ ex ignorantia illa invincibili juris naturalis peti potest, ex qua docet Augustinus infinita ab hominibus etiam subinde sanctis peccata perpetrari. De qua ignorantia ne actum agamus, lectoremque nimiâ prolixitate fatigemus videnda sunt quæ supra in tractatu de pœnis peccati originalis fuse diximus. Videlicet quod fidei Catholicæ si, juxta sanctum Augustinum, peccata inde pullulantia vera esse peccata, & pœnis homines obnoxios constituere. Ex istius ergo doctrinæ hypothesi ratio ista texi potest. Ignorantia illa juris naturalis cum qua nunc damnata hominis natura nascitur, tam est contraria creaturæ rationali, & ita mala, ut quicquid inde nascitur hominem culpæ reum faciat. Non potest ergo fieri ut homo in illis horrendis tenebris à Deo condatur antequam B eas aliquâ iniquitate promeruerit. Nam alioquin nulla ratio est cur non ipsi Deo tota illa iniquitas, quæ ex tenebris illis nascitur, ac nasci debet, optimo jure transferebatur, eodem videlicet modo quemadmodum de concupiscentia superius diximus. Et quamvis verissimum sit hujusmodi ignorantiæ lapsus non tunc fore lapsus humanæ naturæ sed naturalis conditionis motus, sicut neque consensus nefariarum quaruncunque libidinum peccata dici posse declaravimus, hoc tamen ipsum absurdissimum est, ut ea quæ nunc in isto præsenti statu peccata esse naturæ repugnantia, Christiana nos doctrina docet, ea sola Dei condentis, & ita quadammodo ea perpetrantis vel perpetrare facientis majestate purgemus. *Nam si*, ut Augustinus dicit, *non est ista pœna hominis*, quod per ignorantiam juris naturæ peccat, *sed natura, nulla ista peccata sunt.* C *Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, cum ista facit.* Tota ergo talium actuum fœditas redit in Deum, hoc ipso quo naturam cum illis tenebris ignorantiæ quas exhaurire non potest conditam & naturaliter condendam esse decernimus.

Lib. 2. de [illegible] natura c. [illegible]

Supra hoc libro cap. 15.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18.

An forte nulla fœditas est, sed naturalis dumtaxat imperfectio, ignorando in ipsas ju- A ris naturæ regulas impingere? Quis hoc nisi omnis honestatis ignarus & cœcus dixerit? Audi interim, quid in eodem loco Augustinus de illis ignorantiæ peccatis quæ committimus naturæ damnatæ cœcitate subjiciat: *Si autem homo qui nunc nascitur cum ista ignorantia bonus esset aliter esset. Nunc autem quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat sive videndo, & non valendo esse, qualem debere esse se videt.*

Ecce confidenter pronunciat ex pura ratione contra Manichæos disputans, hominem qui cum tanta ignorantia nascitur non esse bonum, nec esse posse bonum, propter caliginis istius altitudinem atque tenacitatem.

Nam adversus Manichæos disserit, apud quos non poterat quicquam ex originalis labis hypothesi demonstrare, quod non B solum commentitium esse sentiebant, sed etiam ignorantiam, una cum concupiscentia humanæ naturæ à malo principio concreatam esse & naturalem. Ipsa igitur sola fœditas istius ignorantiæ sicut & concupiscentiæ, Augustino satis est ut naturali ratione pronunciet, hominem non esse bonum qui cum illa procreatur. Itaque postquam adversus istos originalis peccati negatores confecisset Augustinus, ut jam jam diximus, nulla esse peccata ignorantiæ si illa non est pœna hominis, sed, ut ipsi volebant humanæ naturæ concreata & naturalis, quia quæ debet faceret cùm hæc faceret; mox concludit, fieri non posse quin illa sceleris alicujus perpetrati pœna sit: *Pœnam istam*, inquit, *esse quis dubitet? Omnis autem pœna si justa est peccati pœna est & supplicium nominatur, si autem injusta pœna est quoniam pœnam esse nemo ambigit, injusto aliquo dominante homini imposita est.* C *Porro quia de omnipotentia Dei & justitia dubitare dementis, justa hæc pœna est & pro peccato aliquo penditur.* Sed quia Manichæos longè aliter de causa ignorantiæ & concupiscentiæ sentire certus erat, breviter eorum sensa velut absurda perstringit: *Non enim quisquam injustus dominatur aut surripere hominem potuit velut ignorante Deo, aut extorquere invito, tanquam invalidiori, vel terrendo vel confligendo ut hominem injusta pœna cruciaret.*

Ita August. 4. ad Bonif. cap. 4.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.

Itaque

Digitized by Google

Itaque obstructis effugiis Manichæorum omnibus, qui hoc factum imaginabantur ex illo conflictu naturæ mali cum Deo, qui calamitatum regnis suis impendentium metu, partem substãtiæ suæ, naturæ malæ miscuisset, unde illa ignorantiæ & concupiscentiæ malignitas in humana natura grassabatur, rursum concludit ex ipsa rei natura & evidentia: *Relinquitur ergo ut hæc justa pœna de damnatione hominis veniat*; non videlicet de natura mali Deo bono prævalentis, quia impium est; non de Deo bono homini concreantis, quia injustum est, sed de damnatione peccantis creaturæ. *Ibidem.*

Nec dissimili modo contra Pelagianos ex ipsa ignorantiæ profunditate concludit; ignorantiam istam non puram naturam esse sicut ipsi delirabant, sed pœnam alicujus delicti alicubi perpetrati. Omnes enim cavillationes rejicit quibus ista ignorantia à malitia in parvulis ipsis purgari posse videretur. Operæ pretium est filum ipsum disputationis integrè protensum intelligere: *illam recentium natorum profundissimam ignorantiam videamus; illas, inquam, consideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus & Deum prorsus ignorant, cujus sacramentis etiam cum baptizantur obsistunt. In has quæro, unde, & quando submersi sint?* Ecce disputationem de causa ignorantiæ ex natura rei ipsius indagantem, adversus eos qui illam puræ naturæ cohærentem existimantes peccati pœnam esse pernegabant. Eos igitur primum, qui propria parvulorum peccata sic plecti dicerent (nam eo stultitiæ quidam Pelagianorum venerant, ne ex originali peccato fluxisse putarētur) ipsa rei absurditate confutat: *Itane verò eas hic contraxerunt, & in hac vita sua jam propria per nimiam negligentiam obliti sunt Deum, prudentes verò & religiosi vixerunt vel in uteris matrum? Dicant ista qui ausi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint &c.* Mox aliam Pelagianorum opinionem reprimit, quæ propè omnium unanimis fuit: putabant enim ignorantiam velut naturæ puræ cohærentem non esse in parvulis malam: *An nullum est ignorantiæ malum,* inquit, *& ideo nec purgandum? Et quid ait illa vox, Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris? Etsi enim damnabiliora peccata sunt quæ ab scientibus committuntur; tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hoc non legeremus quod commemoravi, delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris.* Itaque repetita denuò propositaque quæstione, tertiam tergiversationem rejicit, quæ in secunda claudebatur, nempe quod sit natura hominis puri sic incipere quemadmodum parvulos nostros nasci cernimus: *In illas igitur ignorantiæ densissimas tenebras ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis, Non solum indocta verum etiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contrusa est?* Vbi quot sunt verba, tot sunt argumenta quibus tacitè confici cupit, non posse esse naturale istud parvuli nascentis exordium. Nam *tenebræ*, & *densissimæ*, & *infantis*, & *recentis ab utero*, & *anima rationalis*, & *non solum indocta*, quæ facile erudiri posset, sed etiam *indocilis*, aliquid profectò suâ magnitudine & pervicacia pœnale clamāt in tanta rationalis creaturæ recenter à Deo conditæ innocentia. Itaque quæstionem propius tangens, *si natura est hominis*, inquit, *sic incipere*, sicut vos Pelagiani communi voce constituitis, *& non jam vitiosa est ista natura, cur non talis creatus est Adam? Cur ille capax præcepti, & valens uxori & omnibus animalibus nomina imponere?* hoc est cur Adæ natura est aliter condita? Concludit statim ex illa horrenda ignorantiæ magnitudine, necessariò pœnam esse peccati non naturæ puræ primordium. *Iste autem nesciens ubi sit, quid sit, a quo creatus, à quibus genitus jam reus delicti, necdum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine involutus & pressus, ut neque tanquam de somno excitari possit, ut hæc saltem demonstrata cognoscat, sed expectetur tempus quo hanc nescio quam velut ebrietatem non per unam noctem sicut qualibet gravissima solet sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat.* Hæc enim tanta exaggeratio ignorantiæ collimat eò, ut ex tenebrarum densissimarum horrore, non eam naturæ puræ conditionem, sed pro aliqua iniquitate damnatæ supplicium esse fateamur. Quam cùm originalem esse inficiamini, restat ut sit actualis: *Hoc igitur tam magnum ignorantiæ atque infirmitatis malum, si in hac vita jam nati parvuli contraxerunt, ubi, quando, quomodo magnâ aliquâ impietate commissa repente tantis tenebris involuti sunt?* *Ibidem.*

Hunc vere scopum & sensum esse sancti Augustini, ut videlicet ita puram naturam Pelagianorum tenebris illis velut naturalibus involutum expugnet, ex eis quæ statim subjicit adhuc uberius patet: *Dicet aliquis*, inquit, *si hæc natura pura non sunt sed vitiosa primordia*, hoc est si ignorantia non ex naturæ conditione, ut Pelagiani volunt, sed necessariò ex aliquo peccato naturam vitiante nascitur *quia scilicet talis non est creatus Adam, cur Christus longè excellentior & certè sine ullo peccato natus ex Virgine, in hac tamen infirmitate corporis atque ætate procreatus apparuit?* Respondet Augustinus totum discrimen ex peccato nasci: *Huic*, inquit, *propositioni respondemus. Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato, non est creatus in carne peccati. Nos ideo tales quia illius præcedente peccato nati sumus in carne peccati.* Quod est apertè dicere, sola causa est quia natura humana in Adamo adhuc peccato carens, non potuit cum tantis rationalis mentis tenebris condi, sicut vos naturam humanam in parvulis condi fingitis. Si enim non est illa causa, tantum est illud ignorantiæ & infirmitatis animi in parvulis malum, ut alterius cujusdam substantiæ cum Manichæis dici debeat. Quod cum falsissimum sit, necesse est tantam ignorantiam esse pœnalem. Hoc se velle statim luculentius prodit, dum explicat se non de corporis sed mentis differentia & mirabili parvulorum infirmitate loqui: *Sed agitur*, inquit, *de illius mentis quadam valentia usúque rationis, quo præceptum*

Margin notes (left): *Ibidem.* — *Lib. 1. de pec. merit. c. 36.* — *Ibid.* — *Ibidem.* (right): *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Ibid. c. 37.*

ceptum Dei legemq́ mandati & docilis Adam capere, & facile posset custodire si vellet. Nunc autem homo sic nascitur, ut omninò non posit propter horrendam in qua nunc est ignorantiam atque infirmitatem non carnis sed mentis; cùm omnes fateamur in parvulo non alterius, sed ejusdem substantiæ, cuius in primo homine fuit, hoc est rationalem animam degere. Quamvis etiam non solum illa ignorantia & imbecillitas mentis, sed *etiam ipsa tanta carnis infirmitas, nescio quid, quantum arbitror, pœnale demonstrat.* Hæc satis ostendunt quantum arbitror ex ipsa ignorantiæ magnitudine colligere Augustinum non-nisi pœnalem esse posse, ideoque solummodo non potuisse hujusmodi in puræ naturæ in Adamo esse primordium, quia ille sine peccati iniquitate condebatur. Hæc est ergo etiam causa cur similiter à Christo Domino, non solum concupiscentiam, sed etiam parvulorum ignorantiam longè submoveat, quia sine peccato præcedente in creatura rationali esse non potest: *Quam plane ignorantiam* (parvulorum) *nullo modo crediderim fuisse in infante illo in quo verbum caro factum est, ut habitaret in nobis: Nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus quam videmus in parvulis.* Quæ tanta dicit asseverantia ut absurditatem commenti Pelagiani de naturæ puritate subverteret, cur enim obsecro, illam quam videmus in parvulis ignorantiam & concupiscentiam nullo modo fuisse in infante Christo vel credere vel suspicari ausus fuerit, si in illis nihil est mali, sed citra ullius peccati iniquitatem ex primordijs naturalibus puræ naturæ fluit? Nimirum quia utraque tantam in se malitiam, & quemadmodum de concupiscentia loquitur, iniquitatem claudit, ut impossibile sit citra peccati meritum ejus causam esse vi primæ productionis in sua creatura Creatorem.

Lib. 2. de pecc. merit. cap. 29.

Ex qua doctrina, quam & recentiorum Schola profitetur novum argumentum contra puræ naturæ statum sumitur. Christus enim Dominus naturam humanam in puris naturalibus assumere potuit: horret autem animus cogitare quod rebellionem contra spiritum, pronitatem peccandi, peccandi desideria, difficultatem operis boni, pudoris necessitatem profundamque illam ignorantiam assumere potuerit. Cur non enim & peccabilem eum tunc futurum fuisse fide repugnante fateamur? Pronum enim ad peccandum esse, ac desiderare peccatum, supponit posse peccare. Vnde Augustinus: *Profectò enim peccatum etiam maior Christus fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Peccati quippe nomine ibi intelligi concupiscentiam, quam ipse peccatum nominare solet, & propter quam in grandiore ætate peccata perpetrantur non est dubium. Cùm ergo Christus plagas illas assumere non potuerit cum illis pudendis effectibus, signum evidens est eas non esse humanæ conditioni naturales.

Lib. 5. cont. Iul. cap. 15.

Sed ut de concupiscentia supersedeamus, de qua satis diximus, si fructus istius arboris ignorantiæ attendimus, nihil omninò ex ea, quemadmodum quoque de concupiscentia jam ante tradidit Augustinus, deprehendimus nasci posse nisi malum. Error enim & stultitia genuinæ soboles sunt illius profundissimæ puerilis ignorantiæ. Nam de erroris fonte dicit Augustinus, a *Ex ignorantia dehonestat error.* Et alibi: b *Non-nisi rerum ignorantia potest errari.* Error autem quo in rebus eligendis & agendis fallimur, sapientiam impedit, & stultitia nuncupatur. Vtrumque verò grave admodum est creaturæ rationalis malum, quod non potest à Deo creante, sed tantummodo à culpa naturam vitiante proficisci. Vnde de malitia erroris omnis Augustinus: *Sed diligentius considerata veritate cùm nihil sit aliud errare, quàm verum putare quod falsum est, falsumq́ quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumq́ pro certo, sive falsum, sive sit verum: idque tam sit in animo difforme atque indecens quam pulchrum ac decorum esse sentimus, vel in loquendo, vel in assentiendo est est, non non.* Et paulò post exsertius: *Ipse per seipsum error aut magnum in re magna aut parvum in re parva, semper est malum. Quis enim nisi errans malum neget, approbare falsa pro veris, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* Omnis autem error in discernendo jure naturæ sine dubio magnum est malum. Inde quippe nascitur, ut putet malum esse quod bonum est, aut bonum quod malum; ut Deo placere quod displicet ac displicere quod placet. Denique ut per hujusmodi stultitiæ fiduciam in delictis ignorantiæ quibus vita humana plena est, velut in justitiæ luce versetur. Hujusmodi insipientia primus est originalium tenebrarum, cum quibus in hunc mundum nascimur, & in pura natura perinde nasceremur, fructus: in quem necesse naturam humanam primum in pueris prorumpere, antequam ad sapientiam, quæ sola Deo placet, possit ascendere. Qua de re pulchrè Augustinus adversus istarum plagarum originalium, velut naturæ puræ proprietatum buccinatorem Iulianum: *Quis ignorat omnes homines quicunque sapientes fiunt, ex insipientibus fieri? Nisi fortè aliqui ex præconibus mediatoris* (verbi gratia Ioannes Baptista) *magna eius multumq́ insolita gratia ad sapientiam non ex insipientia, sed ex infantia transire potuerint.*

a Lib. 4. de lib. arb. c. 18.

b In Enchir. cap. 17.

Ibidem.

Ibid. c. 19.

Lib. 5. cont. Iul. c. 4.

Sed hoc gratiæ est, non naturæ etiam puræ beneficium: ut ex hoc ipso perspicuum sit malum istud quod à Scholasticis puræ naturæ citra culpam adhærere posse sancitur, non nisi malum, hoc est insipientiam in pueris vanitatemque proferre. Qua de re pulchrè adhuc Augustinus: *Quis autem non quotidie probet testibus rebus humanis, parvulum priùs nihil sapere, deinde crescendo vana sapere, & postea si ad sapientiæ sortem pertinet, recta sapere; atque ita ab infantia ad sapientiam per insipientiam medium pervenire?* Hæc Augustinus adversus Iulianum.

Ibidem.

lianum, qui naturam in parvulis velut puram sine vitio, sine virtute laudabat. Sed hoc insipienter ab ipso totaque hæresi Pelagiana fieri, non ex scripturâ; non ex traditione, non ex hypothesi alterius elevatæ scilicet naturæ statu, quam supponere contra tales adversarios sine insigni absurditate non poterat, sed ex hujusmodi fructibus ignorantiæ & concupiscentiæ puerilis, concludit Augustinus:

Ibidem. *Quapropter humana natura quæ tacet in parvulis, cui laudibus vestris Salvatorem tanquam sana sit, eo quod pura sit, invidetis, quemadmodum prius proferat insipientiæ, quam sapientiæ fructus videtis; & radicis ejus vitium videre non vultis; aut videtis quod pejus est, & negatis.* Et alibi in eumdem sensum: *Quære diligenter utrum habitare cum sapientia puerilis vanitas possit, per quam necesse est ex infantia parvulus transeat, qui tamen transit; & considera qui primum fructus nascatur de radice quam laudas: Et quanta in contrarium mutatione* B *opus habeat, ut diligatur à Deo.* Fructus enim insipientiæ & vanitatis tam sunt mali, tam repugnantes virtuti atque sapientiæ, ut ex eorum solâ consideratione causam adversus Julianum confici putet, utpote qui non possint à laudabili, quam plantaverit conditor Deus, sed tantummodo à vitiata per culpam hominis radice proficisci. Quapropter fidentissimè contra istum puræ naturæ fabricatorem, non modo de tali parvulorum insipientia, quæ nisi per gratiam curari non potest, sed etiam de quorundam quasi naturali fatuitate concludit: fieri nullo modo posse quin sint supplicia peccatorum:

Ibidem. *Vnde potuerunt in tantum malum ruere, si divino judicio nullæ origini debetur pœna vitiatæ?* Et alibi contra Manichæos qui quasi commentitium deliramentum Catholicæ religionis peccatum originale ridebant, ex ignorantiæ & concupiscentiæ fœditate, & malignitate fructuum C inde nascentium, velut argumento nixus qualibet probatione notiori clamat Augustinus: *Pœnam esse nemo ambigat. Pœnam esse quis*

Lib. 3. de lib. arb. c. 18. *dubitet?* Si pœna, ergò, impossibile est non præcessisse peccatum, ut vos Manichæi fingitis. Nam ut statim probans adjicit: *Quia*

A *de omnipotentia Dei, non impedientis ista mala aliunde irruentia; & justitiæ*, infligentis ea sine culpa, *dubitare dementis est, justa hæc pœna est & pro peccato aliquo penditur.* Ecce contra Manichæos naturam talem statuentes esse naturaliter, & ex ipsa videlicet tantorum malorum turpitudine & magnitudine, peccatum antecessisse talem pœnam conficit. Cùm enim, ut subjungit, non potuerit infligi à justo Deo, nec ab alio potentiore, qui bonum tanquam invalidum terrendo aut confligendo superaret, non potuit in naturam humanam nisi per portam iniquitatis ac secutæ damnationis irrepere. Vnde rectissimè, sanctissimè, & naturalissimè concludit argumentationem istam Augustinus; *Relinquitur ergò, ut hæc justa pœna de damnatione hominis veniat.* Et rursum: *Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas.* Cùm B igitur adversus duas diversas adversæ sibi inimicorum acies, Pelagianos & Manichæos, quorum utrique concupiscentiam & ignorantiam naturæ sine iniquitate præcedente concreatam esse statuebant, tam in initio conversionis quàm in fine consummationis vitæ, ex ipsa sola utriusque natura, eas pœnas esse velut invictâ ratiocinatione concludat, nihil profectò evidentiùs est, quam vel Scholasticos vel Augustinum falli. Si Scholastici rectè docent posse esse puræ naturæ consectaneas, sicut hoc idem ipsum reipsa dicebat contigisse Julianus, & non multum discrepanti modo Manichæus, profectò turpiter errat Augustinus. Hoc enim ex natura ignorantiæ & concupiscentiæ, & effectuum inde nascentium conficit, ut factu impossibile, quod illi factum, Scholastici verò fieri posse tanquam verissimum docent. Quod si tanti magistri dignitas, victoriæ de utrisque reportatæ au- C toritas & Ecclesiæ per ejus doctrinam triumphantis honor, nihil aliud nos opinari sinunt, nisi verissimum esse quod ipse velut invictum adversus eos tota vita pressit; Scholasticos in hac re tantum à veritatis tramite discessisse necessarium est quantum ab Augustini doctrina discessère.

FINIS.

Digitized by Google

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS DE STATV PVRÆ NATVRÆ LIBER TERTIVS.

Transitus ad miserias corporis.

CAPVT PRIMVM.

Quid de illis, & quibusvis etiam ætern damnationis malis innocentiæ irrogandis sentiant quidam.

OPPVGNAVIMVS hactenùs puræ naturæ statum ex affectibus solius animæ: nunc videndum, quid adversùs eum etiam ipsius corporis conditio suppeditet. Nec enim sine ratione, licet videri possent, tot tantæque mortalitatis nostræ calamitates, quibus à primis fletibus nascentium usque ad extremos gemitus morientium vita nostra conteritur, ipsaque mors malorum omnium terribilissimum, nescio quid divinæ bonitati vel justitiæ contrarium continere, ut ea non posset innocenti creaturæ sua sine merito præcedentis iniquitatis infligere. Nam quamvis ista mala creaturã non malam, quemadmodum aliqua ex præcedentibus, sed miseram dumtaxat faciant; nec eam Deus illorum irrogatione ad peccandum quoquo modo incitare censeatur, non tamen idcirco in hujusmodi malis infligendis, Deo quidlibet circa suam licere creaturam credi fas est. Sunt enim & alia Dei attributa, quàm solius bonitatis, adversus quæ siquid liberâ suâ voluntate tentaverit, non minùs à sua veritate, hoc est, à semetipso excidere videatur. Nec enim minùs vitiosum est esse propriæ quam alienæ perversitatis autorem. Quapropter juxta sanctissimi Doctoris profundissimique principia diligenter exquirendum est, utrum Deus sine præjudicio justitiæ bonitatisque suæ, tam horrenda mala, quorum locupletissimum est in quolibet naturæ sive puræ sive lapsæ statu mortalitas ista seminarium, innocenti creaturæ rationali possit irrogare. Et quia non infimum istarum miseriarum locum tenent etiam ista ignorantia & libido de quibus jam antea disseruimus, de illis hæc quoque quæstio, non quatenus malum, sed quatenus miserũ faciunt, intelligi debet. Cujus operæ si veritas deprehẽdi certa potest, tantò majus fuerit pretium, quantò securiùs totum istum miseriarum cumulum à Deo Creatore citra culpam creaturæ multi docent posse proficisci. Quod quidem, utcunque tolerabile videri posset, oculos hominum ipsâ consuetudine malorum quasi jam miseris familiarium fascinante, nisi iisdem principijs nixi quidam, divinæ justitiæ æquitatem atque sinceritatem miris perturbassent modis. Quasi namque cum Atheis, vel cum ijs qui cum Deo bellum juravêre, de absurditatis & immanitatis palma contenderent, ita nullum crudelitatis genus ab ullo tyranno excogitatum fuit, quod non Deum in creaturã suam innocentem exercere posse docuerunt.

Nam ut nihil de illo dicam, quod statuunt Deum posse non punire peccata, quod faciliùs in bonum sensum accipi potest, eo usque quidam progrediuntur, ut dicant, *Absoluta sua potentia efficere posse Deum, ut homo iustus nunquam* [*Vasquez 1. 2. disp. 10. c. 4. num. 36.*] *bueatur, nec fruatur æterna gloria; & peccator non puniatur æterno supplicio, quin imò ei detur æterna beatitudo.* Quod verò omnem horrorem superat, addunt adhuc, *Deum sine iniustitia posse hominem voluntate suâ æternis cruciatibus mancipare*: posse *homini peccatori sine iniustitia quodcunque malum inferre, vel ultra meritum culpæ vel etiam sine culpa.* [*Idem ibid. n. 30.*] Nec hoc satis, *Deum quidlibet de nobis statuat, iure facere suo, etiamsi perdat, damnet, in nihilum redigat.* [*Suarez opusc. de iust. sect. 5. n. 11.*] Denique ut coronidem imponant pietati vel eruditioni suæ, si Deus *beatos*, inquiunt, *omnes, nullo excepto aut ad æternas dejiceret pœnas, aut redigeret in nihilum, nullam eis iniuriam faceret.* [*Lorinus in vers. 12. c. 2. Sap. Suarez ibid.*] Et istud totum, *hoc nomine dumtaxat quia Dominium absolutum habet*, quia est *supremus omnium Dominus; quia est autor vitæ & mortis.* [*Suarez, Vasquez.*] Quid immanius & horribilius de divina justitia dici posset, fateor, non intelligo. Hoc tamen mihi videtur veraciter posse dici, quod si ista doctrina de Deo vera est, alius ab Aug. & antiquitate cultus est Deus quam isti colunt: Sin falsa, miserabili errore, ut nihil deteriùs dicam, populus Christianus per ista sententiarũ portenta deluditur. Quod ne lectori temerè dictum videatur perspicuã constanteq; S. Aug. doctrinam de præcipuis eorum pronunciatis, si Deus adsit conatibus nostris, producturi sumus, eo videlicet hujus operis suscepti scopo ut faciliùs ac liquidiùs cõstare possit quid de puræ naturæ miserijs statuere debeamus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Peccatum non poteſt non puniri à Deo.

A

AC primò quidem quod ad illud pronunciatum attinet, quod Deus poſſit peccata quibus ab eo conſtitutus ordo perturbatur, impunita ſinere, in omnibus pœnè ſcriptis ſuis Auguſtinus velut paradoxum improbat, quod cum divina juſtitia conciliari nequit. Quod quamvis Recentioribus non paucis Dei miſericordiam dumtaxat benignitatemque conſiderantibus, incredibile forsitan videatur, ita tamen ſe habere quilibet non ſupinus lector confitebitur, ſi ſuis momentis Auguſtini doctrinam ſæpenumero repetitam expenderit, & rationes ejus æquâ lance libraverit. Quid enim aliud ſibi vult id quod apertiſsime dicit de humana natura: *Ideò quippe & Dei magni boni natura eſt, quia & hoc accepit, ut poſſet ſummo boni adhærere naturæ. Quod ſi noluerit bono ſe privat, & hoc ei malum eſt. Vnde per juſtitiam Dei, etiam cruciatus conſequitur. Quid enim tam iniquum, quam ut benè ſit deſertori boni? Neque ullo modo fieri poteſt, ut ita ſit: ſed aliquando amiſsi ſuperioris boni non ſentitur malum, cum habetur quod amatum eſt, inferius bonum. Sed divina juſtitia eſt ut qui voluntate amiſit, quod amare debuit, amittat cum dolore, quod amavit, dum naturarum creator ubique laudetur.* Et in Pſalmum quadrageſimum ſecundum: *Peccare videbas, & laudare volebas, ut parùm tibi eſſet quod eſſes injuſtus niſi & eum* (Deum) *injuſtum eſſe voluiſſes a quo in te vindicari noluiſſes.* Quid vult aliud illud luculentiſsimum in Pſalmum quadrageſimum quartum: *Peccatum puniturus eſt, quia virga directionis eſt virga regni ipſius, ſed non poteſt ut non puniat peccatum. Puniendum eſt peccatum; ſi puniendum non eſſet nec peccatum eſſet. Convertere ad punienda peccata tua, quia impunita eſſe peccata non poſſunt.* Et illud in Pſalmum quinquageſimum octavum diſertiſsimum: *Iniquitas omnis parva magnave ſit, puniatur neceſſe eſt. Non poteſt impunitum relinqui peccatum, quia verum eſt; non miſerearis omnium operantium iniquitatem.* Et in ſecunda Concione; *Tales ei reos quærit diabolus perducere, quos neceſſe ſit ut damnet quia juſtus eſt.* Et in Pſalmum octogeſimum: *Et erunt impuniti peccatores? Abſit. Non ſibi tantum de Dei miſericordia blandiantur, ut ſibi etiam injuſtitiam ejus polliceantur.* Et in Sermonibus quos ad populũ habuit: *Si peccatum impunitum remaneat, injuſtum eſt, ergò ſine dubitatione puniendum.* Et in lib. de decem Chordis de illis hominibus qui cogitando optant ut *Deus det omnibus indulgentiam, ignoſcat omnibus, neminem mittat in gehennam,* ita loquitur: *Iam quia iniquus eſt, iniquum vult eſſe Deum. Vult te Deus facere ſimilem ſui, & tu conaris Deum facere ſimilem tui &c. Perverſus es, & talem vis eſſe Deum qualis es, non qualis eſt.* Qua de cauſa ſæpè tradit omninò neceſſarium eſſe, ut poſt peccatum comitetur miſeria, juxta illud in libris de Civitate Dei: *Si neglectis melioribus quæ ad ſupernam pertinent civitatem, bona iſta ſic concupiſcuntur, ut vel ſola eſſe credantur, vel his quæ meliora creduntur, amplius diligantur, neceſſe eſt miſeria conſequatur, & quæ inerat, augeatur.* Quam doctrinam adverſus Manichæos ſæpiùs premit. Hæc ſanè tam urgentia, tam abſoluta, tam præciſa, quod eſſet iniquum, quod injuſtum, quod impoſſibile non punire peccatum; quod Deus eſſet injuſtus niſi puniret; quod peccatum non eſſet peccatum niſi puniretur, evidenter ſanè demonſtrant, Auguſtinum non magis hac de re quàm de rebus exploratiſſimis in Eccleſia Chriſtiana & principijs primò veris fluctuare.

Lib. 8. de Geneſ. ad litt. c. 14. — *In Pſal. 42.* — *In Pſal. 44.* — *In Pſal. 58.* — *In Pſal. 80.* — *In append. Serm. in dic...* — *Lib. de 10. Chord. c. 8.* — *Lib. 15. de Civit. c. 4.*

B

Quod ſi rationem ponderare voluerimus cui tota iſtius doctrinæ moles incumbit, inveniemus illam puniendi neceſſitatem, non inde naſci, quod Deus ita peculiari aliqua voluntate conſtituerit, ſed ex ipſa legis æternæ ſanctione, contra quam Deus non magis quàm contra ſeipſum facere poteſt, cum illa non ſit aliud quàm ipſa æterna & immutabilis ratio & voluntas Dei, ſeu, ut expreſſius loquar ipſe immutabilis Deus. Lex enim æterna eſt illa, uti definit Auguſtinus, *qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima.* Hæc non minus eſt ſtabilis quam ipſe Deus, neque enim, ut idem ait, *ulla vis, ullus caſus, ulla rerum labes unquam efficerit ut juſtum non ſit omnia eſſe ordinatiſſima.* Porrò ordinatiſſimum eſt, ut quemadmodum juſtis beatitudo ita peccantibus pœna, hoc eſt, miſeria debeatur. *Lex enim æterna & ſumma ratio, cui ſemper obtemperandum,* eſt illa *per quam,* inquit idem, *mali miſeriam, boni beatam vitam merentur.* Nec enim inordinatum unquam aut *injuſtum eſſe poteſt, ut mali miſeri, boni beati ſint.* Si vi legis æternæ eſt ordinatiſſimum & juſtiſſimum, ut mali miſeri ſint, impoſſibile

C

eſt, ut peccata non dico in totam æternitatem, ſed vel ad unum momentum impunita permaneant. Hoc enim ipſum jam erit contra illam æternam legem, quæ tanquam ordinatiſſimum ſtatuit, ut miſeria peccata comitetur.

Lib. 1. de lib. arb. c. 6. — *Ibidem.*

Accedit aliud, quod, cùm eadem lex illa æterna non ſit aliud juxta ſolemniſſimam definitionem Auguſtini, quam *ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans,* omnia peccata contra illam æternam legem committuntur. Nullum eſt enim peccatum per quod non ordo rerum naturalis creaturæ erga creatorem, quem Deus conſtituit, perturbetur; eodem Auguſtino dicente: Homo iniquus *quantum in ipſo eſt, perturbat in ſe ordinem naturalem, quem lex æterna conſtituit.* Nihil autem ordinatius in univerſo & pulchrius eſſe poteſt, quam ut violatus ordo reſtauretur. Cùm ergò cuncta Dei opera ſint

Lib. 22. cont. Fauſt. c. 27. — *Ibid. c. 78.*

Digitized by Google

sint ordinatissima impossibile est, ut ordinem illum impunè violatum esse permittat. Pœna est quâ perturbatus ordo restituitur, juxta illud Augustini: *Corruptio voluntaria quæ in peccato fit, turpis affectio est: cui propterea pœnalis adhibetur, ut ordinet eam, ubi talem esse non turpe sit, & decori universitatis congruere cogat, ut peccati dedecus emendet pœna peccati.* Et infra: *Nec fieri ullo modo potest, ut Dei summi & veri perfecta justitia, quæ usquequaque pertenditur, deserat etiam ordinandas ruinas peccantium.* Ista quippe ruinarum ordinatio in eo sita est, ut cadentium turpitudinem emendet pœna peccati. Quam doctrinam diversis locis constanter tradit, ita Deum docens esse *ordinatorem peccatorum* per judicium justitiæ suæ, *ut ea quæ peccata non essent, nisi contra naturam essent, sic judicentur ut ordinentur, ne universitatis naturam turbare vel turpare permittantur, meritorum suorum locis & conditionibus deputata.* Et alibi explicans illam ordinationem. *Peccata*, inquit, *in suppliciis ordinantur, quæ ordinatio quia eorum naturæ non competit, ideò pœna est; sed quia culpa competit, ideò justitia est.*

Lib. 3. de lib. arb. c. 9.

Cap. 10.

Lib. 22. cont. Faust. c. 78.

Lib. de nat. boni c. 7.

Sed ne quis forte in ista tota ratiocinatione, quarum omnes propositiones ex fundamentalibus Augustinianæ doctrinæ pronuntiatis textæ sunt, me falli arbitretur, operæ pretium est ipsum Doctorem sublimissimum in eandem sententiam diversis locis audire ea de re tanquam sibi exploratissima certissimaq; disserentem. Sic ergò doctrinam istam tradit adversus Manichæos, cùm præmisisset nihil contra naturam Deum facere: *Sed*, inquit, *nec ipse homo contra naturam quicquam facit, nisi cum peccat, qui tamen supplicio redigitur ad naturam. Ad naturalem quippe justitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant: quodlibet horum fit, naturalis ordo servatur si non ab anima, certè à Deo.* Vides hic naturalem ordinem postulare, ut si fiant, peccata puniantur: nimirum, ut ipsa illa punitione præscriptus ab æterna lege ordo servetur. Quem cum anima peccatum peccando violaverit, & in peccato perseverando, perseveret violare à quo & quomodo nisi ab ipso Deo puniendo naturalis ille ordo servabitur? Ille quippe est illa suprema lex naturæ, quâ talis ordo sancitus est, quem conservari jubet & perturbari vetat: contra quem ordinem æternâ lege præscriptum, sicut alios facere vetat, ita nec ipse facere potest. Hoc est enim quod adjungit Augustinus: *Contra naturam non incongruè dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id quod novimus in natura. Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis cursum solitumq; naturæ, contra quem Deus cùm aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur. Contra illam verò summam naturæ legem à notitia remotam sive impiorum, sive adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit quam contra seipsum non facit.* Cùm ergò ad illam summam naturæ legem pertineat pulchritudo justitiæ, & *supplicia peccatorum de justitia pulchritudine veniant*, quâ naturalis æternæ legis ordo reparatur, tam impossibile est, ut contra illum ordinem Deus veniat, peccata impunita esse sinendo, quàm ut contra suam æternam legem, hoc est, contra seipsum veniat. Sed longè uberiùs & explicatiùs hoc ipsum in libris de libero arbitrio docet; *Animæ si velint*, inquit, *peccant, si peccaverint miseræ fiunt. Si enim peccatis earum detracta, miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque administratio universitatis. Rursus si peccata fiant, & desit miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas. Cùm autem non peccantibus adest beatitudo, perfecta est universitas. Cùm verò peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est universitas.* Nam ut statim adjicit, ideò adhibetur iniquitatis turpitudini pœna, *ut ordinet eam, ubi talem esse non turpe sit, & decori universi congruere cogat, ut peccati dedecus emendet pœna peccati.* Quis verò nisi divinæ æquitatis usquequaque pertendentis imperitus dixerit, eum posse permittere, ut turpe sit universum, turpisque universitatis administratio? Turpis est autem ejus administratio, si peccati iniquitas ita permaneat, sicut eam & ubi eam esse sit turpe. Quapropter luculentissimè explicat in subsequentibus quam indivulsa sit miseriæ, hoc est, pœnæ cum iniquitate colligatio: *A quo*, inquit, *accepit* (natura peccatrix) *posse rectè facere cùm velit, ab eo accepit, ut sit etiam misera, si non fecerit, & beata si fecerit. Quia enim nemo superat leges omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit benè utendo quod accepit, aut reddit amittendo quo benè uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam: quia in utroque verbum illud debiti sonat. Hoc enim etiam modo dici potuit quod dictum est; si non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ.* Quod quomodo, & quamobrem fiat, mox præclarè explicando subnectit: *Sicut enim qui non vigilat dormit, sic quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur quod debet: quoniam tanta est beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere.* Ecce tibi simul in paucissimis verbis & absolutam impossibilitatem, ut peccatum vindictâ careat, & rationem quare non careat. Vtrumque breviter aperiendum est.

Ibid.

Lib. 1. cont. advers. leg. & Prophet. c. 5.

Lib. 3. de lib. arb. c. 9.

Ibid. c. 15.

Ibidem.

Et quidem primum eorum perspicuè patet, si consideres beatitudinem & miseriam ita respectu creaturæ rationalis esse contraria, ut nullum recipiat aut recipere possit medium. Quod ex pluribus Augustini testimoniis suprà declaravimus, ubi dicit. *Stultitiam ita contrariam esse sapientiæ, ut mortem vitæ, ut beatam vitam miseræ, hoc est, sine aliquo medio.* Vsque adeò, ut neget animam esse rationalem, *si neque beatè neque miserè vivat.* Et ratio certissima hoc ipsum clamat. Cùm enim nemo beatus sit, quin vero fruatur bono, tam necesse est ut hoc ipso quo non fruitur, miser sit, sicut necesse est eo frui vel non frui. Iam verò impossibile est peccantem esse bonum, ergò necesse

Vide sup. l. 1. de statu pur. nat. c. 6.

necesse est esse miserum. Nihil est autem aliud puniri quàm miseriam pati, quam nemo sub justo judicio Dei pati, nisi mereatur, potest, sicut hoc istis verbis Augustinus dicit, & infra ex immobilibus ejus principijs probaturi sumus. Hoc est ergò quod solidissimè suprà dixit Augustinus, *Sicut qui non vigilat, dormit, sic quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur quod debet*, hoc est, simul atque non facit quod debuit, quod nihil est aliud quàm peccare, hoc ipso sine intervallo miseriam patiendo punitur. Nam reddere patiendo quod debet, hoc est puniri, hoc est miseriam pati.

Ratio verò cur quisquis non facit quod debet, hoc est quisquis peccat, sine intervallo patiatur quod debet, seu puniatur, sicut profundissima ab Augustino redditur ita non aliter fieri posse declarat: *Quoniam*, inquit, *tanta est beatitudo justitia, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere.* Quam rationem, ut intelligat Lector, scire oportet, Augustinum suo & Platonico more de justitia loqui, hoc est, non de illa qualitate, quæ bona rationalis mentis affectio est, sed de illa divina quæ immutabiliter supra mentem fulget; à qua peccando receditur, ad quam acceditur diligendo, hoc est, summa illa justitia quæ est Deus. Hoc est ergò quod dicere vult Augustinus, creaturam rationalem esse tam magnum in rebus creatis bonum, ut nullâ re beata esse possit nisi solo Deo, tam magnum autem bonum esse Deum, ut nemo ab ejus dilectione quâ solâ beatur, cadere possit, nisi in miseriam. Hanc genuinam ejus esse mentem, ex alijs diversis ejus hac de re testimonijs clarioribus patet. Nam idem illud apertius dixit in libro de natura boni, quando creaturas præstantissimas ita tractari à Deo docet, *Ut si obedientiam conservare noluerint; quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis. Tale quippe bonum est Deus, ut nemini eum deserenti bene sit; & in rebus à Deo factis tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum quo beata sit nisi Deus.* Hoc idem uberius inculcat in libris de Civitate Dei: *Quamobrem si cum quæritur, quare illi Angeli beati sint, rectè respondetur, quia adhærent Deo: & cùm quæritur, cur isti sint miseri, rectè respondetur, quia non adhærent Deo; non est creatura rationalis vel intellectualis bonum quo beata sit nisi Deus. Itaque quamvis non omnis beata possit esse creatura* (quia non irrationalis) *ea tamen quæ potest, non ex seipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo à quo creata est.* HOC ENIM ADEPTO BEATA EST, QUO AMISSO MISERA EST. *Ille verò qui non ab alio, sed seipso bono beatus est, ideò miser non potest esse, quia non se potest amittere.* Et paucis interjectis iterum: *Quamquam ergò summa non sint, quibus est Deus majus bonum, magna sunt tamen ea mutabilia bona, quæ adhærere possunt, ut beata sint immutabili bono, quod usque adeò bonum est eorum, ut sine illo misera esse ne esse sit.* Quod iterum repetit paulò pòst, cùm dicit: Naturam illam in tanta creatam esse excellentia, ut *non expleat indigentiam suam nisi utique beata sit, eique explenda non sufficiat nisi Deus.* His testimonijs satiatissimè inculcatum, lucidissimèque simul expositum vides, ex una parte fieri non posse, ut creatura rationalis beata sit nisi solo Deo. Ex altera verò (quod ex priori nascitur) quia ejus indigentiæ nihil sufficit nisi Deus, qui peccando deseritur, impossibile esse, ut Deum deserenti creaturæ, hoc est peccanti, benè sit. Hinc ulterius miseram esse, quia non adhæret Deo: & ulterius hoc ipso amisso miseram esse quo adepto beata est: denique hoc usque adeò esse bonum ipsius, ut sine illo miseram esse necesse sit. Quæ doctrina apertissimè & irrefragabiliter docet, id quod & paulò ante astruximus, nullo modo fieri posse, ut inter illa duo, beatitudinem atq; miseriam, in creatura rationali medium detur. Alterum enim necesse est, ut vel adhæreat Deo vel non adhæreat; & per hoc, ut sit vel beata vel misera. Et nequis errando suspicaretur aliud esse miseram, aliud pœnis obnoxiam, ideò in libro de natura boni præmiserat, *quia volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis*, quod mox per miseriam in quam præcipitantur exponit. Hoc est igitur ipsissimum illud, quod cùm nullum intervallum inter peccatum & pœnam esse docuisset, rationem quasi reddendo subjecit. *Quoniam tanta est beatitudo justitia, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere*, miseriam nihil aliud esse volens nisi pœnas, in quibus nolentes corrumpuntur. Hoc est igitur quod & in libris de Genesi ad litteram dixit: *Quod si noluerit* (adhærere Deo) *bono se privat, & hoc ei malum. Unde per justitiam Dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum est quam ut bene sit desertori boni?* Si nihil est tam iniquum, quis vel Atheus dubitaverit fieri non posse, quin ille qui vocatur Deus tantæ autor iniquitatis esse non possit? Quod confestim etiam adjicit: *Neque ullo modo fieri potest, ut ita sit.*

Lib. de nat. boni, c. 7.

Lib. 12. de Civit. c. 1.

Lib. 8. de Genesi ad litt. c. 14.

CAPVT

CAPUT TERTIUM.

Declaratur quænam sint illæ pœnæ quæ tam arctè cum peccato cohærent.

SED quænam inquies illa pœna est, quæ peccato tam adamantinis vinculis nexa cohæret? Hoc enim perturbat considerantes, quod videant pœnas illas, quas pænè solas vulgus pœnas putat, à peccato sæpè separari: videant etiam Deum non raro pœnam ignoscendo dimittere. Quomodo ergò nullo intervallo temporis peccatum & peccati pœna dividuntur? Nonne videmus in futuram vitam quorundam supplicia reservari? Vera, fateor, ista sunt; sed assertam ab Augustino veritatem nullo modo labefactare possunt. Nam quod ad illas pœnas attinet quæ servantur in posterum, manifestiores quidem & carnali sensui acerbiores, non solæ sunt, quibus peccata in hac vita etiam jam jam commissa puniuntur. Nunc enim occultè vindicat in intimis conscientiæ penetralibus Deus, ubi tantò gravior pœna est, quantò dolor interior, & amissi boni jactura damnosior. In futuro verò sicut judicij sui æquitatem toti mundo patefaciet, ita conspicuis pœnis peccata vindicabit. Unde Augustinus cum nullo momento *peccati dedecus esse* docuisset, *sine decore vindictæ* suspicioni vulgi præveniendo medetur, *sed in futurum iudicium servatur ad manifestationem, atque acerrimum sensum miseriæ, quicquid nunc occultissimè vindicatur.* Et libro octavo de Genesi ad litteram huc respiciens, causamque cur præsentis vitæ pœna subinde vix pœna esse sentiatur. *Aliquando*, inquit, *amissi superioris boni non sentitur malum; cùm habetur quod amatum est inferius bonum. Sed divina iustitia est, ut qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, dum naturarum creator ubique laudetur.*

Lib. 3 de lib. arb. c. 16. — *Lib. 8. de Genes. c. 14.*

Ad illud alterum verò, quo dicitur, Deum pro sua posse misericordia peccata dimittere, facilis responsio est: ipsam dimissionem non sine punitione pœnitenti tribui, quamvis mitiori, quam delicta mereantur. Sic enim justitia & pax osculantur se, dum sibi occurrunt invicem suavitate unius, rigorem alterius temperante. Quo fit, ut Augustinus quando peccatum omnino impunitum esse non posse tradit; duplicem puniendi modum suggerere solet, ab homine, & à Deo, & ita intellectam doctrinam suam esse verissimam. Audi sanctissimum Doctorem identidem hoc inculcantem: *Quasi verò Deus impunita peccata esse permittat, etiam in eis quos à supplicio sempiterno remissione liberat peccatorum. Nullus quippe debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcunque etsi longè minorem quam debeat, solverit pœnam: atque ita impartitur largitas misericordiæ, ut non relinquatur etiam iustitia disciplinæ. Nam & peccatum quod inultum videtur, habet pedissequam pœnam suam* &c. Itaque ad hanc punitionem homines adhortari solet, ut severitatem Dei prævenientis evadant: *Non potest ut, non puniat peccatum Deus. Puniendum est peccatum: si puniendum non esset, non peccatum esset. Præveni illum; non vis ut ipse puniat, tu puni. Converte te ad punienda peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergò erit à te aut ab ipso.* Et alibi: *Prorsus aut punis, aut punit. Vis non puniat? Puni tu. Nam & illud fecisti quod impunitum esse non posit.* Et in Sermonibus de diversis: *Peccatum sine dubitatione puniendum est. Hoc debetur peccato, punitio, damnatio, puniendum est peccatum aut à te aut ab ipso. Si punitur à te, tunc punietur sine te; si verò à te non punitur, tecum punitur.* Ipse ergò peccati commissi dolor pœna peccati est. Quam obcausam dicit Augustinus; *Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi, ut, id quod mali fecerit impunitum esse non sinat.*

Lib. de continent. c. 6. — *In Psal. 44.* — *In Psal. 58.* — *Serm. 3. de diversis c. ult.* — *Epist. 54.*

Sed ut scrupuli nonnulli eximantur, qui circa peccati punitionem, sive ab homine pœnitente, sive à Deo vindicante ab ijs moveri possunt, qui difficulter tanti Doctoris autoritati acquiescunt, nisi ratio ubique prævolet, & fidem extorqueat, operæ pretium est ostendere quænam illæ occultissimæ pœnæ sint, quæ divinæ æquitatis judicio anfractus cordium intimos pervadente, non possunt ab iniquitate separari, ut simul & pœnarum qualitas & ratio indivulsæ connexionis pateat. Inter illas igitur pœnas prima est, horror ac tortura conscientiæ: *Cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.* Cujus molestia quia sæpè peccantibus mortis causa fuit, ipsa intolerabilior morte & gravior dolor fuit: *Inter omnes tribulationes*, inquit sanctus Augustinus, *animæ humanæ nulla est maior tribulatio quàm conscientia delictorum.* Et infra: *Quocunque fugerit se, talem trahit post se, & quocunque talem traxerit se, cruciat se: sed à seipso sunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis. Acerbiores enim non sunt? Tantò sunt acerbiores, quantò sunt interiores.* Hanc autem esse peccati comitem individuum, indicat idem sanctus Doctor adversus Faustum, postquam peccati & pœnæ connexionem explicuerat, puniendoque naturalem rerum ordinem servari dixerat, si non ab anima certè à Deo: *Vexant enim*, inquit, *peccata conscientiam, ipsique animo nocent, cum luce iustitia peccando privatur, etiamsi non consequantur dolores, qui vel corrigendis ingeruntur, vel non correctis ultimi reservantur.* Sed & illi dolores, inquies, multos deserunt dum vel obducta callo nihil sentit conscientia, vel alijs delicijs delinita mens sibi etiam gratulatur. Sed nemo, cui mens est sana, non videt illam esse graviorem conscientiæ peccatricis pœnam. Non enim quia durum aliquid ideò rectum est, aut quia stupidum ideò sanum. Illa quippe doloris

Sap. 17. — *In Psal. 45.* — *Lib. 16. cont. Faust. c. 3.*

doloris vacuitas & securitas de stupore conscientiæ non de sanitate nascitur. Stupor autem non minus in animo quam in corpore gravior doloribus ipsis morbus est. *Stupor non dolet*, inquit Augustinus, *amisit sensum doloris, tanto insanabilior, quanto pejor*. Vnde de quodam qui præ superbia nihil timet, præ duritia conscientiæ nihil sentit. *Non te delectet*, inquit, *stupor ejus non immortalitate indutus sed sensu exutus est*. Horror quippe cruciatusque formidantis conscientiæ, ultimus ad resipiscendum stimulus relinquitur: qui si etiam tollitur, velut sensu ab ægrotante corpore sublato de sanitate desperatum est.

In Psal. 55.

Ibidem.

Altera pœna vicina præcedenti, est animi huc illuc sese volventis perpetua inquietudo. Hoc ipso enim quo ex summo suo bono animus labitur, quocunque se vertit, non invenit ubi requiescat pes ejus, nisi cum columba in Deum velut in arcam revertatur. Nascitur hoc ex immensitate capacitatis ejus, *cui explendæ cùm non sufficiat nisi Deus*, sicut ex Augustino fusius ante diximus, cum ex uno bono in aliud cum molestia volvi ac revolvi, torqueri ac retorqueri necessarium est, donec æternæ veritati hæreat cujus impleatur immensitate, cujus stabilitate firmetur. Vnde tritum illud August: *Fecisti nos ad te & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Et illud præclarum: *Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset se aliquid melius habituram. Versa & reversa in tergum & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia. Et tu solus requies.* Quod si quem sensus istius pœnæ forte deficiat, supplicio graviore premitur; quod miserum suis miserijs d... tes implicatum etiam reditus ad Deum suum oblivisci facit: ex quo fit, ut neque de peccati medicina, hoc est dolore cogitet sed vel animi obtusione non doleat, vel etiam cœcitate lætetur. Sed sive doleat sive non doleat, quorum alterutrum prorsus necessarium est, utrolibet modo verissimam illam Augustini doctrinam esse probat, peccati dedecus nunquam esse sine decore vindictæ: Quid est enim aliud dolere quam ad salutem vindicare peccatum? Quid non dolere, nisi ad perniciem vindicari? Vnde rectissimè pro suæ doctrinæ veritate Augustinus: *Nam & peccatum quod multum videtur habet pedissequam pœnam suam, ut nemo de admisso nisi aut amaritudine doleat, aut cœcitate non doleat.* Nisi fortè & illam cœcitatem quispiam pœnam esse negaverit; quam si lucis internæ amator esset, non solum aliquam, sed valdè magnam pœnam esse clamaret. Quam verò latè pateat illa pœna quis nesciat, nisi quid sit interna cœcitas, nescit? Hoc scio eam in omnibus esse peccatoribus quibus nondum est data pœnitentia. Est enim comes individua cujuscunque illicitæ cupiditatis, juxta illud Augustini: *Deus solus magnus, lege indefatigabili spargens pœnales cœcitates, super illicitas cupiditates.* Nam ex illa indefatigabili lege fluit, ut in quorunque Deus benevolus non facit ut peccatū puniens amaritudine doleant, iratus faciat ut cœcitate non doleant. Quod si verò etiam de

Lib. 12. de Civit. c. 8.

1. Confess. cap. 1.

6. Confess. cap. 16.

Lib. de continentia c. 6.

Lib. 1. Confess. cap. 18

commissa iniquitate vel cœcitate lætetur, tanto pœna est gravior, quanto est à salutis recuperatione remotior. Quis autem nesciat à receptione boni esse remotissimum qui de malo lætatur; vel profundissimam esse cœcitatem hominum de cœcitate gloriantium? Ecce quot & quam gravibus suppliciis plectit peccata Deus, quæ impunita esse putabantur.

Sed alia gravior & intimior & conjunctior peccati pœna, est ipsa jactura summi boni. Nam quamvis nemo peccet nisi volens, nemo tamen summum bonum nisi invitus amittit. Quis enim tantum bonū nollet, si fieri posset, una cum peccati iniquitate possidere? Sed quia libera voluntate ab eo avertitur bono, quod simul cum illo perverso motu habere nequit, hinc fit ut secundum aliquid sit volens & nolens; & ita peccatum & pœna peccati concurrant simul. Peccatum est enim velut ictus lethalis quo anima interficitur, jactura illius boni, veluti mors. Nam ut vita corporis est anima, ita vita animæ Deus: quo præsente vivit, absente moritur. Ex quo fit ut mors animæ non tam peccatum sit quam pœna peccati, juxta illam istius pœnæ comminationem quæ in corpore & anima suum effectum habuit, *Quacunque die comederitis ex eo morte moriemini*. Quibus verbis Augustinus tam mortem spiritus *ubi anima privatur Deo*, quam corporis, *ubi corpus privatur anima*, Deum primis hominibus intentasse testatur. Vt ergò mors animæ sit & jactura summi boni est pœna peccati; & quidem tanta ut quamvis nihil omninò pœnalium suppliciorum sequeretur, necesse sit hominem, quicunque aliis pœnis sive jam dictis sive non dictis liberum, esse miserrimum. Istam individuam intimamque peccati pœnam significavit Augustinus, ... dixit de creatura rationali: *Hoc adepto ... quo amisso misera est.* Et de bono in... od est Deus, *Quod usque adeo ... ut sine illo misera esse necesse sit.* Nimirum quia hoc ipso quo illud amittitur bonum, etsi nulla alia pœna sequi fingeretur, necesse est creaturam rationalem esse miseram idemque pœnis obnoxiam. Cùm enim hoc sit beatum esse, *Id quod est hominis optimum amare & habere*, quia hoc est summo bono frui, ut Augustinus tradit: hoc ipso quo illud vel non amat, vel non habet, non fruitur summo bono, & per hoc impossibile est beatum esse; proinde miserum. Neque enim inter illa duo in creatura rationali medium reperiri potest. Hanc ergò pœnam prædictis testimoniis Augustinus indicare voluit, cùm solam illius beatifici boni amissionem ad miseriam sufficere docet, quam alibi conjungit conscientiæ cruciatibus: *Vexant enim peccata conscientiam ipsius animæ, cum luce justitia peccando privatur etiamsi non consequantur dolores &c.*

Genes. 2.

Lib. 13 de Civit. c. 12.

Lib. 12. c. 1.

Aug. de mor. Eccles. cap. 3.

Lib. 16. contra Faust. cap. 3.

Hoc supplicium animi alio supplicio semper cumulatur, & à peccato quamdiu peccatum est, separari nullo modo potest. Hoc ipso namque quo animus non quiescit in Deo,

 necesse

necesse est eum in re alia directa conquiescere. Hoc autem nihil aliud esse potest nisi creatura: cujus vel solus amor miseria est, fruitio major miseria. Quanto enim delectabilius ac securius ea fruitur, tanto arctius cum ea colligatur. Ex quo fit ut inde homines abrumpere amorem & ad Deum transferre non audeant: *Quia cùm conati fuerint, dolebunt animo, tanquam pedem de compede exuere cupientes: cui dolori succumbentes à perniciosis delectationibus nolunt abscedere.* Hæc autem longè gravior pœna peccati est quam si flagris ferreis cæderetur: ut meritò divinæ misericordiæ tribui debeat, & Augustinus sæpè tribuat cùm non sinit amatorem creaturæ ad voluptatem ejus fruendo pervenire. Quapropter rectissimè sanctus Doctor: *Miser est omnis animus vinctus amicitia*, id est amore, *rerum mortalium & dilaniatur cùm eas amittit, & tunc sentit miseriam qua miser est, & antequam amittat eas.* Cùm ergo impossibile sit animum à Deo se avertentem non in aliquam creaturam amando fruendoque conquiescere, impossibile est, hoc ipso non esse miserum & per hoc supplicio obnoxium: quod liberam voluntatis petulantiam comitatur. *Hinc enim etiam maximè commendatur, quale bonum sit Deus, quando nulli ab eo recedenti bene est.* Quare obsecro, cum alia re dilecta felix esse possit? *Quia & qui gaudent in mortiferis voluptatibus, esse sine dolorum timore non possunt: & qui omninò malum desertionis suæ maiore superbiæ stupore non sentiunt, alys qui hac discernere noverunt, miseriores prorsus apparent.* Et in Psalmis loquens ab Augustino inducitur Deus: *Si recedis à me & benè tibi est, ego non sum bonum tuum.* Proinde, *si ipse est beatitudo nostra, quid erit recedenti nisi miseria?* Nimirum ita ratum & firmum & immutabiliter verum est, quod supra dixit Augustinus: *Tanta est beatitudo iustitia, quæ est Deus, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere.*

In Psal. 9.

4. Confess. cap. 6.

Lib. 11. de Genesi c. 4.

In Psal. 70.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 15.

Denique ipsum peccatum indivulsa pœna est sui ipsius. Nam quamvis peccatum quatenus præcisè voluntarium est, non possit esse pœna sed culpa, quatenus tamen summum creaturæ rationalis malum est quo se affici nemo vult, eatenus est involuntarium, & pœnam esse sui-ipsius nihil vetat. Hinc Augustinus: *In seipsis mala voluntates habent interiorum pœnarum suam tandem ipsam iniquitatem suam.*

Lib. 8. de Genesi ad litt. c. 23.

Cùm igitur Augustini doctrina tam solidis fundamentis ab externa petitis lege nitatur, tot occultissimis & indivulsis, & incessanter peccato adhærentibus pœnis veluti totidem testibus verissima esse comprobetur, nemo doctrinam istam infirmare poterit, nisi qui administrationis universi pulchritudinem, sine pœnis aut præmijs consistere, aut Deum, ut omnia susque deque ferantur, sinere posse fateatur. Nam ut Augustinus: *His duobus*, præmijs & supplicijs, *universa creatura, quam Deus à se conditam regit, mirifica & paucis cognita pulchritudine decoratur.* Nimirum, *ut dum sua cuique tribuuntur, pulchritudo universitatis nulla ex parte violetur.*

In Psal. 7.

Ibidem.

Quibus omnibus multoque pluribus quæ nos latent, profundiori sublimitate consideratis, non dubitavit Augustinus doctrinam istam velut Catholicam doctrinam tradere, quæ negari non possit nisi negetur Deus. Nam cùm adversus Manichæos fidei assertores, ex naturali quoque lumine rationis ostendisset peccata à Deo justo impunita esse non posse, sic omnem rem brevi complexione concludit: *Quæ cùm ita sint, secundùm Catholicam fidem & sanam doctrinam, & intelligentibus perspicuam veritatem, nec natura Dei nocere potest quisquam, nec natura Dei nocere iniustè cuiquam, vel nocere impunè patitur quemquam.* Et libro de duabus animabus, ut nuda ratione fateri Manichæos cogat, voluntatem esse causam omnis mali, unicum hoc assumit, necessario damnari aliquas animas quas videlicet peccatrices esse cernimus. Quæ nisi damnentur, hoc est pœnæ debitæ severitate plectantur, nefas illud quod omnis religio abhorret, sequeretur non esse providentiam: *Quæretem*, inquit, *utrum aliquas, an nullas animas Deus damnet. Si nullas, nullum meritorum iudicium est, nulla providentia, & casu potius quam ratione mundus administratur, vel potius non administratur. Non enim administratio casibus danda est. Hoc autem si omnibus qualibet religione devinctis credere nefas est, restat ut aut sit aliquarum animarum damnatio, aut nulla peccata sint.* Quomodo quæso hoc sequitur si Deus peccata possit impunita dimittere? Sed jam ad aliud doctrinæ caput progrediamur.

Lib. de natura boni cap. 40.

Lib. de duabus animabus cap. 11.

CAPUT QUARTUM.

Peccator in peccato manens non potest beatus fieri.

HINC facile jam etiam me tacente intelligitur, quid de illa doctrina quorundam sentiendum sit, qua non contenti pœnam à peccato separasse, peccatori etiam beatitudinem tribui posse profitentur. Ita nullus est libertatis opinandi limes, cùm quicquid ratiunculis humanis plausibile videtur, mox etiam disputandi solertia nulla veteris doctrinæ consideratione, propugnatur. Qua de re non est opus iterum singula principia sancti Doctoris superius tacta, ponderare. Sufficit enim cuilibet perspicuum esse, ut si unumquodque eorum probet, peccatum sine comite supplicio esse non posse, multò efficacius etiam probet peccatorem manentem in peccato non posse esse felicem, quod sicut ex principijs Augustini apertissimè sequitur, ita etiam non rarò ex professo tradit tanquam ex diversis capitibus impossibile. Primo quia est contra justitiam & veritatem, quarum utraque immutabilis est: *Si in futuro seculo, aliorum Dei iudicio vindicatur* de malis,

In Psal. 7. b. 6

hoc ei (viro justo) *placet quod Deo, ne benè sit malis, ne piorum præmio, etiam impij perfruantur. Quod utique injustum est, & à regula veritatis, quam justus diligit, alienum.*

Deinde quia non solum in se injustum est, sed qui hoc putat etiam injustum facit ipsum Deum: *Qui multam, plus pollicentur de misericordia Dei, subrepit in animum ipsius ut faciat injustum Deum, & putet, quia si permanserit peccator & noluerit recedere ab iniquitatibus suis, veniat ille, & ibi cum positurus sit, ubi ponit servos suos, qui ei obtemperant. Et injustum hoc erit ut ibi te ponat perseverantem in peccatis? Sic vis injustus esse ut & Deum facias injustum?* (In Psal. 60. in fine.)

Tertiò quia est contra honestatem, contra pulchritudinem, contra ordinem universi, quod tali deformitate turpatur; *Habitationi ergo cælesti talis anima non congruit per peccatum, terrestri autem congruit per supplicium: ut quodlibet eligatur semper sit pulchra universitas, decentissimis partibus ordinata, cujus est conditor & administrator Deus.* (Lib. 3. de lib. arb. cap. 9.) Cujus indecentiæ causam clarius explicans; *Namque optimæ*, inquit, *animæ cum in infimis creaturis habitant, non eas ornant miseria sua, quam non habent, sed usu earum bono. Si autem peccatrices animæ permittantur habitare in sublimibus locis, inhonestum est; quia non conveniunt illis quibus nec benè uti possunt nec ornamenti aliquid conferunt.* (Ibidem.) Quod exemplo justi & peccatoris pariter ignium cruciatus tolerantium congruenter exponit, ut intelligeremus hæc inferiora quandam imaginem præ se ferre superiorum: *At si post illos ignes vel etiam ante illos, optimum illum virum commutatum ad congruentiam cælestis habitationis ad sidera videremus attolli, utique lætaremur. Si autem sceleratum latronem, sive ante supplicium, sive post supplicium, cum eadem malitia voluntatis ad sedem honoris sempiternam levari videremus in cælum, quis non offenderetur? Ita fit ut inferiores creaturas ambo ornare potuerint, superiores autem unus illorum.* (Ibidem.) Ex quo fit ut etiam judicet impossibile peccatorem felicitate justorum frui, licet possibile fuerit ut Christus justus peccatorum miserias sustinuerit; *Non autem sicut justus potuit in ipsa justitia permanens corpus habere mortale; ita iniquus potest, dum iniquus est ad immortalitatem pervenire sanctorum, scilicet sublimem & angelicam* beatorum. (Ibidem infra.)

Quartò quia tollit funditus providentiam divinam, atque ipsum consequenter Deum. Quod in quæstionibus octoginta tribus duplici ratione concludit. Prima conficit, nihil in hoc mundo casu fieri. Siquid enim casu fieret, hoc non pertineret ad providentiam Dei, & per hoc nec ad ipsum Deum, hoc autem tam impossibile est, quam esse quicquam boni quod non sit ex Deo. Complexio ejus ista est: *Quicquid casu fit temere fit. Quicquid temere fit non fit providentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur, est ergo aliqua natura atque substantia, quæ ad opus providentiæ non pertinet.* (Lib. 83. qq. quæst. 24.) Hoc autem impossibile esse sic consequenter probat: *Omne autem quod est, in quantum est, bonum est. Summè enim est illud bonum cujus participatione sunt bona cetera. Et omne quod mutabile non per seipsum, sed boni immutabilis participatione in quantum est, bonum est. Porro illud bonum cujus participatione sunt bona, cetera quæcumque sunt, non per aliud sed per seipsum bonum est, quam divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur casu fit in hoc mundo.*

Hæc est prima ratiocinatio. Cui nititur secunda de pœnis & præmiis; *Hoc*, inquit, *consequens videtur ut quicquid in mundo geritur partim divinitus geratur,* hoc est solo Dei nutu, *partim nostra voluntate. Deus enim quovis homine optimo & justissimo longè et jam incomparabiliter melior & justior est. Justus autem regens & gubernans universum, nullam pœnam cuiquam sinit immeritò infligi, nullum præmium immeritò dari. Meritum autem pœnæ, peccatum; & meritum præmii, rectè factum.* Optime omninò atque verissimè. Hoc enim omnium hominum judicio inscriptum est, quod justus regens universum nullam pœnam cuiquam immeritò infligi sineret, nullum præmium immeritò dari.

Cùm ergo justitiam humanam in immensum à divina superari, creatura rationalis ignorare non possit, ex hoc vena manat quod omnium sanæ mentis judicium, illa ataxia velut injusta offenditur, cum impiis hominibus justorum præmium dari viderit aut putaverit. Testatur hoc Augustinus diversis locis. Nam inde est id quod supra dixit, si latro levaretur in cælum *quis non offenderetur*? Inde est illa Ieremiæ, illa Habacuc, illa Davidis querimonia tanquam de re in speciem absurdissima & injustissima quod pace & felicitate fruerentur mali; *Mei penè moti sunt pedes penè effusi sunt gressus mei.* (Psal. 72.) Quanta rerum perturbatio videri debuit, ubi vir tantus velut indigna Dei justitia fieri cernens periclitatur. Et quid erat hoc tantum nefas, quo Deus aspergi videretur? *Quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns.* (Ibidem.) Nimirum hoc vult, ut Augustinus prophetæ mentem & verba explicat: *Vidi malos & displicuit mihi Deus: Hoc enim volebam ut non permitteret Deus malos esse felices.* (Tract. 28. in Ioann.) Nempe quia indecens, perversum, injustum & ideo indignum & impossibile Deo. Itaque subjicit Augustinus: *Intelligat homo, nunquam hoc permittit Deus. Sed ideo malus felix putatur, quia quid sit felicitas, ignoratur.* Ex quo fit ut idem sanctus dicat: *Magnam esse vim quæstionis, magnam difficultatem, magnum laborem, & quasi inextricabilem*, ut cognoscatur *quomodo & justus sit Deus, & res humanas curet, & non sit iniquum quod peccatores felicitatem habent in terra, & nihil plerumque fatigentur.* (In Psal. 72.) Quamobrem quicunque sive verum sive falsum colunt aut coluerunt Deum non minus Ethnici quam fideles, istâ quæstione perturbati sunt: ut qui viderent justitiæ repugnare, ut impij felicitate fruerentur. Et quæ quæso hic est ansa perturbationis, quæ umbra justæ offensionis, si Deus possit præmiorum pœnarumque vices pro libitu suo commutare? Quo sane magis mirum est, inter solos Christianos aliquos repertos esse qui in istud paradoxum præ nimia sapientiæ subtilitate progressi sint.

CAPVT QVINTVM.

Horrenda sententia quorundam, qui putant omnes beatos pro sola Dei voluntate citra injustitiam damnari posse ad æternas pœnas, Augustino est contraria tam ratione pœnæ damni quam sensûs.

SED longè profectò est horribilius, & intolerabilius illud alterum paradoxum plusquam Stoicum quo nonnulli veluti de divinitatis arcanis magis instructi, dicere ausi sunt, si beatos omnes Deus nullo excepto ad æternas deijceret pœnas, nullam ijs injuriam esse facturum, eo quod quidlibet de nobis statuat, perdat, damnet, in nihilum redigat, jure hoc faceret suo. Et quamvis non legerim ullum vel Catholicum vel Hæreticum qui inter antiquos ausus fuerit tam exorbitantem pronunciare sententiam, Augustinus tamen eam vel solâ recordatione ita exhorruit, ut nihil absurdius, nihil injustius, nihil crudelius adversus Deum dici posse sentiret. Quia verò damnatio duo comprehendit, privationem beatificæ visionis, seu pœnam damni & pœnam sensus, eadem apud Aug. utriusque ratio est, neutram videlicet damnationis pœnam ullo modo infligi posse creaturæ rationali absque peccato.

Et quidem de pœna damni non est quod hic ulterius satagamus. Iam enim superius fusissimè & innumeris pænè testimonijs sensum Aug. patefecimus, *(Vide supra lib. præced. c. 3. & 4.)* quemadmodum constantissimè doceat adversus Pelagianos puræ naturæ fabricatores, injustum esse Deum si parvulos à regno suo sine peccati iniquitate secludat. Creaturam quippe rationalem & auctorem ejus, imaginem & exemplar nihil omninò potest sine injustitia separare nisi peccatum. Loca illic planissima videnda sunt.

Non minori perspicuitate, sed propter evidentiorem absurditatem multo majori asseverantia hoc ipsum de pœna sensus tradidit, quę antonomasticè damnatio vocari solet. Nam quibusdam in locis docet hoc esse impossibile, ut in libris de genesi ad litteram, ubi causam miseriæ diabolicæ vi puræ rationis indagans, *Nunquid ille*, inquit, *priùs ulter, quam iste peccator? Absit. Neque enim Deus damnat innocentes.* *(Lib. 11. de Genesi c. 17.)* Et l. 3. de pecc. merit. cùm Cyprianus dixisset mortiferum esse parvulis si sine baptismo moriantur, *Vnde*, inquit, *si iam nihil aliud diceret intelligere nostrum fuit sine peccato animam perire non posse.* *(Lib. 3. de pec. merit. c. 5.)* Subinde verò magis expresè docet, hanc impossibilitatem nasci ex injustitia quam contraheret Deus, si creaturam suam damnaret pœnisq; cruciaret immeritã. Hinc illud contra Manichæos qui damnationem quarundam animarum ex Deo proficisci statuebant, volente consulere per earum interitum regnis suis, quamvis nihil omninò mali propriá voluntate fecissent: *Convenit igitur mihi cum illis, animas aliquas divinâ lege judiciõq; damnari. At hæ si bonæ sunt, quæ illa iustitia est?* *(Lib. de duabus animab. cap. 12.)* Et paulò post asse- A rit hoc omnium hominum esse judicium: *Omnes fatentur & malas animas iustè, & eas quæ non peccaverunt iniustè damnari.* Et adversus eos qui dæmones putare possent solâ divinâ voluntate naturam eorum affligente, sine peccato præcedente, ad æternos ignes esse damnatos, sicut illi recentiores sine injustitia fieri prorsus posse statuunt: *Quia cuilibet*, inquit, *occurrit & verum est, atque manifestum, iustitiæ ipsi esse contrarium, ut nullo præcedente merito, hoc ipsum in quoquam Deus damnet, quod in eo ipse creavit, certaq; & evidens damnatio diaboli & Angelorum eius ex Evangelio recitatur ubi se dicturum Dominus pronunciavit eis dicens qui à sinistris sunt: Ite in ignem æternum qui præparatum est diabolo & Angelis eius, nullo modo in eo naturam quam Deus creavit, sed malam propriam voluntatem pœnâ ignis æterni plectendam esse credendum est.* *(Lib. 11. de Gen. c. 21.)* Adversus Pelagianos verò multipliciter eandem doctrinã tradidit. Nam B in primis cùm in lib. de pecc. orig. æterna morte parvulos sine baptismo mortuos plectendos esse docuisset statim addit: *Quod nulla iustitia potest accidere his, à quibus in hac vita nulla peccata commissa sunt, nisi originale peccatum.* *(Lib. de pec. orig. cap. 30)* Et in secunda lucubratione contra Iulianum: *Condemnari iustè nullo modo possunt* (parvuli) *si non sub peccato, ac per hoc & sub peccati principe nascantur.* *(Lib. 1. oper. imperf. f. 57)* Et in Epist. 106. ad Paulin. contra Pelagianos exarata: *Piè namq; & veraciter creditur Deus nocentes atque impios iustificando à pœnis debitis liberare: quemquam verò immeritum, & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* *(Epist. 106.)* Et infra in eadem Epist. hoc vocat *absurdissimum & à iustitia Dei penitùs alienum.* *(Ibidem.)* Ex quo fit ut Pelagiani quantumvis audaces in fingendo puræ naturæ statu, in tribuendo parvulis usum rationis atq; peccata in uteris matrum, *(In eadem Epist.)* nunquam tamen ausi sunt eo desperationis progredi, ut quemquam non C modo beatum aut sanctum, sed vel in pura natura ut sentiebant conditum, sine peccato à Deo justè damnari aut æternâ morte quamvis mitissima qualis est parvulorum, plecti posse delirent. Vnde illud solemne dictum Pelagij: *Sine baptismo parvuli morientes quo non eant, scio; quo eant nescio.* Quod idcirco Augustino interpretante se nescire dicebat, *quia dicere non audebat, in mortem illos ire perpetuam, quos & hic nihil mali commisisse sentiebat, & originale traxisse peccatum non consentiebat.* *(Lib. de pec. orig. cap. 21.)*

Et alibi attenta talis damnationis injustitia & impossibilitate, magna cum fiducia provocat Pelagianos, ut in istius sententiæ præcipitium prorumperent; quo videlicet eos desperatam fovere causam ex ipsa sententiæ immanitate atque crudelitate constaret: *Quæ cùm ita sint,* *(Epist. 106.)*

sint, audeant disputare, & quibus possunt persuadere contendant, Deum iustum & apud quem non est iniquitas, parvulos à peccatu proprijs innocentes, si non illo ex Adam obligati & obstricti sunt, morte perpetuâ damnaturum. Sed ne portentum illud opinionis invaderent, tacitè præmonet, quando, ut ante dixi, subijcit hoc esse *absurdissimum & à iustitia Dei penitùs alienum.* Nam istius dogmatis absurditas tam enormis & ejus injustitia tam immanis Augustino visa est, ut facilius hominem cum Atheis sentire posse putet, quod cum anima extinguatur & corpus, & pariter justi injustique post mortem nulli sint, quam quod justi post mortem futuri sint miseri, beatique peccatores. Cùm enim induceret quemdam qui se nescire profiteretur quid post mortem futurum sit, sic eum compellat Augustinus: *Sic ergo te alloquar tanquam mihi dicas, nescio quid post mortem futurum sit. Prorsus ignoro an beati futuri sint iusti, & miseri peccatores; an pariter utrique non sint futuri. Illud tamen quamvis nescias* NON AUDEBIS DICERE POST MORTEM BEATOS FUTUROS PECCATORES, MISEROS IUSTOS. NON POTES DICERE, *illos etsi suspicaris pariter non futuros, in meliori tamen statu futuros impios, & iustos in malis post mortem futuros.* NEC IGNORANTIA TUA TIBI POTEST SUGGERERE HOC. Quantæ impietatis & absurditatis dogma esse, necessarium est, quod Augustinus tanta fiducia ab omnium hominum non modo doctorum atque proborum, sed etiam imperitissimorum impijssimorumq; suspicionibus reijcit. Quod nulla vel Ethnicorum impietas, nulla P[illegible] [illegible]tum licentia, de Deo vel vero vel falso fingere ausa est: ut satis mirari nequeam solos aliquos Christianos inventos esse, qui cum ceteris deberent, uti pietate præcellere, ita & præ omnibus sentire de Deo in bonitate, eo tamen effreni quadam Philosophandi licentia proruperint ut Deo tantum nefas attribuerent. Cùm Augustinus clamet, Deus non damnat nec damnare potest innocentes: Absit: quæ illa justitia est? Tales nullo modo condemnari possunt; nullâ justitiâ hoc potest accidere; absurdissimum est, à justitia Dei penitùs alienum; hoc est verum, hoc cuilibet occurrit, hoc manifestum est justitiæ esse contrarium; non audebis hoc quantumvis hæreticus Pelagianus disputare; non audebis hoc quantumvis impius dicere non potes hoc dicere, nec ignorantia tua tibi potest hoc suggerere. Hæc & hujusmodi Augustinus passim tanquam de re exploratissima, evidentissima, certissimaque, ut quæ apud omnes Christianos, Pelagianos, ac tantum non Atheos in confesso est, identidem repetit. Et ipsi quasi magna arcana & Augustino incognita perdocti, quia Deum omnium Dominum auctoremque vitæ & mortis esse didicerunt, è diverso occinunt; nulla omninò injustitia est si Deus damnet innocentes, nulla absurditas; nihil pœnitus à Dei justitia alienum, si beatos omnes, nullo excepto in æternas dejiciat pœnas; quidlibet de nobis statuat, perdat, damnet, cruciet, torqueat, id jure faciet suo.

Lib. de anim. & eius orig. c. 4.

Quod si isti disceptationi non dico Salomon in throno suo, sed vel Dionysius, vel Phalaris præsideret, ut judicaret, uter esset verus creaturæ rationalis Deus, hoc est auctor & Pater, an ille qui tanta habet erga creaturam suam viscera pietatis, tantam justitiæ rectitudinem, tantam amicitiæ humanitatem atque stabilitatem, ut creaturam suam sine iniquitate ad æternos cruciatus damnare non posset, sed potiùs immeritam damnando naturæ propriæ sanctitatem, inhumanæ crudelitatis & injustitiæ perversitate violaret; an verò ille qui possit eam nulla ejus præcedente culpa æternis mancipare cruciatibus, sine dubio responderet pro illo Deo cujus justitiæ rectitudinem ad intima usque penetrantem tuetur Augustinus, ut olim Salomon pro illa quæ filij sui cruciatus ferre non poterat, *Hic est Pater eius,* hic est verus Deus ejus. Nam omnium Deo detrahentium ora clausit Salomon Deo plenus: *Ipsum qui non debet puniri condemnare, exterum æstimas à tua virtute.* Argumentū illud quod ex absoluto dominio Dei petitur, quid & quantum valeat infra commodius ponderabimus.

Sap. 12.

CAPUT VI.

Argumentum 16. contra puram naturam.

Sententia Pelagianorum & Manichæorum de miserijs puræ naturæ. Ostenditur ex vi legis æternæ injustum fore Deum, si eas innocenti creaturæ imponeret.

SED quia non pauci sunt, qui licet sententiam illam de damnatione & cruciatibus beatorum, velut injustitiæ & immanitatis plenam detestentur, alijs tamen mitioribus malis creaturam innocentem sine ullo vel Dei vel creaturæ præjudicio affligi posse arbitrantur; præsertim in statu puræ naturæ, qui sine magno magnorum cruciatuum cumulo esse non potest, propius ad scopum nostrum propter quem ista tractamus accedendum est videndumque utrum Deus, juxta doctrinam sancti Augustini, creaturam rationalem antequam peccato commeruerit, tot miserijs, quot status purorum naturalium post se trahit, possit affligere. Quod si non possit, subversus jacet à fundamentis totus puræ naturæ status; ut qui non sit aliud, quam vastissimum omnium miseriarum corporis atq; animi seminarium.

Et quamvis jam utcunque sublucéat ex præce-

præcedentibus, quid in hac etiam quæstione de sancti Augustini mente sentiendum sit, ut tamen idipsum lectori dilucidius, certiusque constet, hoc sine ulla tamen fluctuatione confirmo, tanquam dogma per universa latifundia sanctissimæ ejus doctrinæ sparsum, quod à primordijs susceptæ Catholicæ religionis usque ad extremum halitum docuit, sub Deo justo omnipotente ac bono, creaturam rationalem nullo modo posse tot tantisque miserijs ex quibus puræ naturæ status quasi confectus est cruciari, nisi ejus culpa mereatur. Hæc doctrina basis est una capitalis, cui præcipua pars illius, quam adversus Manichæos Pelagianosque struxit, molis incumbit: quæ si subtrahitur doctrinam quam adversus illas pestes tradidit, tueri ab ineptijs, absurditatibus, paralogismis, apertissimisque falsitatibus impossibile est. Quod facile judicabit quisquis ea quæ juxta mentem ejus in sequentibus producturi sumus attentè ponderaverit.

B

Vbi ante omnia memoriâ repetendum est, id quod ante me dixisse memini, quid Pelagiani in hac re senserint, quid asseruerint Manichæi. Nisi enim probè sciatur, quid impugnet adversarius, quid tueatur reus, nunquam argumentorum vis perspecta esse poterit. Itaque Pelagiani in primisque Julianus ex professo tuebantur, parvulorum nascentium innocentiam non esse gratiæ sed naturalem, ut vitij seu peccati, ita & virtutis expertem. Omnes itaque quas oculis cernimus & mente quoque intelligimus miserias sive in animo, ignorantias, concupiscentias, ingenij tarditates, stultitates, passionum insanias & hujusmodi; sive in corpore monstrositates, intrinsecus nascentes morbos ac miserias, extrinsecus irruentes calamitates, illamque totam ærumnarum seriem quam experitur humana mortalitas, esse homini quemadmodum ceteris animalibus naturalem, hoc est ut uno verbo dicam, hominis ista esse pura naturalia in quibus à Deo conditus est. Quod diversis locis ita esse, & à Scholasticis quoq; admitti; neque ab homine tantillum in sensu Pelagianorum & Augustini scriptis versato negari posse jam aliquoties ostendimus. Ex quo fit, ut consentanee dogmati suo nec mortem ipsam, malorum omnium corporis terribilissimam, malam esse dicere t, sed vel bonam, vel certè indifferentem, cùm apertè profiteantur apud Augustinum, quod *mors non semper sit malum, cùm & Martyribus sit causa præmiorum: & bonam vel malam mortem dici faciat, non resolutio corporum, quæ excitabuntur in omni genere hominum, sed meritorum diversitas, quæ de humana libertate contingit.* Similique prorsus ratione, neque concupiscentiam, neque illam quasi simplicem ignorantiam esse volebant mala; sed affectiones quasdam indifferentes, vel etiam bonas quarum bonus vel malus usus ex hominis libertate nascetur, ut supra quoque declaravimus. Nimirum ut ita nemini mirum aut paradoxum videretur, quod ho-

Lib. 4. ad Bonif. c. 2.

C

D

A

minem à Deo quantumvis à peccatis alienis ac proprijs innocentem in statu tot tantisque affectibus obnoxio condi posse & conditum esse decernerent.

Manichæi contrariâ viâ incesserunt, cùm enim intelligerent hæc esse revera magna creaturæ rationalis mala atque ita de Deo bono in bonitate sentirent, ut neque Deum eorum auctorem esse posse crederent, neque liberum hominis arbitrium, nisi per ambages iterum revolveretur in eundem Deum, tanquam creatæ libertatis auctorem, duo principia comminisci sacrilega impietate maluerunt, unum bonum & alterum malum, quàm unum principium bonum tot tantorumque malorum causam statuendo majore illud, ut eis videbatur sacrilegio temerare. Vt de Augustinus de se cùm esset Manichæus: *Quia non audebat anima mea, ut ei displiceret Deus meus, nolebat esse tuum, quicquid ei displicebat, & inde ierat in opinionem duarum substantiarum.* Cujusmodi fuisse originem hæresis Manicheæ multis in locis testis est Augustinus. Itaque dicebant omnia illa quæ nos vocamus, & verò sunt, & supra recensuimus mala, in nobis esse orta non ex Deo bono sic instituente primitus in pura natura creaturam rationalem, quemadmodum Pelagianum dogma statuebat; neque rursum ab homine vitiante naturam suam, quam Deus ille bonus primitus totam bonam instituerat, quemadmodum fides Christiana docet. Paris enim impietatis utrumque esse sentiebant, quod utroque modo vel directè, vel certè indirectè bonus Deus malorum auctor esse crederetur. Sed ea nata esse dicebant ex commixtione naturæ malæ seu mali, hoc est, naturæ quæ non corruptione boni supervenìente vitiata sit, seu ex bona facta sit mala, sed quæ ex natura sua naturali et talis sit, ignara scilicet, malorum cupida, morbida, moribunda, ceteraque quotquot gemimus ex se scaturiens mala. Hæc autem commixtio naturæ mali & boni, in eodem homine qua ratione facta sit, confligentibus inter se duobus principijs bono ac malo, longa fabula est, neque ad peragendum id quod instituimus necessaria. Ad hoc enim sufficit id quod jam jam explicuimus; quod ita se habere ex plurimis Augustini attestationibus perspicuum est, & inferius plura dicturi sumus. Ex qua utriusque sententiæ explicatione colligitur, Manichæos & Pelagianos hactenus puram naturam induxisse, quatenus utrique naturam sine gratia & sine peccato à principio creante prodire sentiebant, sed hoc discrimine quod Pelagiani propter perspicuam certamque naturæ bonitatem etiam defectus ejus omnes bonos, seu non malos esse dicerent: Manichæi è contrario propter perspicuam certamque defectuum istorum malitiam, etiam naturam ipsam volebant esse malam. Hinc consequenter illi & naturam & defectus ejus referebant in principium bonum, hoc est in Deum verum creaturæ rationalis auctorem, hi in malum seu in na-

Lib. 4. Confess. cap. 10.

in naturam mali ex cujus conflictu cum natura boni, & ex utriusque commixtione quæ propter infirmitatem principij boni formidantis regnis suis consecuta est, tota corporalis creatura prodiisset. His erroribus utriusque sectæ ob oculos positis, sententia Augustini contra Pelagianos & energia argumentorum ejus plenius percipietur.

Augustinus igitur adversus Pelagianos docet opinionem istam non solum reipsa non esse veram, quia fides Christiana tradit omnem illam calamitatum seriem ex peccato primi parentis promanasse, sed etiam ratione naturali, multis modis ostendit eam esse non posse veram, quia vel recto & generali ordini creaturarũ vel etiam diversis Dei attributis, è diametro adversatur, ut eam proinde semper habeat tanquam vel contra naturalem exigentiam creaturæ rationalis, vel etiam sæpissimè tanquam prorsus impossibilem.

Et primò quidem sententia Augustini est, esse contra ordinem, rectamque administrationem universitatis, ut miseria peccata præcedat. Natura quippe creaturæ rationalis, hoc est, illius quæ immutabilibus æternæ veritatis rationibus regitur & liberis motibus agitur, hoc postulat, ut non affligatur, nisi ipsa causam dederit. Omnis enim miseria sive in corpore sive in animo est afflictio ejus, quia est contra voluntatem ejus, cùm id ei aufertur quod rectâ voluntate appetit. Istam creaturæ rationalis naturam Augustinus veluti basin adversus Hæreticos collocavit, quando dixit: *Creaturis præstantissimis, hoc est, rationabilibus spiritibus hoc præstitit Deus, ut si nolint corrumpi non possint, id est si obedientiam conservaverint sub Domino Deo suo, ac sic incorruptibili pulchritudini ejus adhæserint: Si autem obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis. Tale quippe bonum Deus est, ut nemini eum deserenti benè sit.* Nimirum ita, ut nullo pacto Deum deserenti bene esse possit quia repugnat naturæ rationali, quæ nullo alio bono nisi solo Deo satiari, & ideò nec beari aut non nisi misera esse potest, sicut supra declaravimus; ita igitur eidem naturæ repugnat, ut non deserenti Deum malè sit; hoc enim non minus cum recto ordine istius creaturæ & universitatis administratione pugnat quam istud prius. Quod disertis verbis in alio loco tradit Augustinus: *Si peccatis earum (animarum) detractis miseria perseverat aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo atque administratio universitatis.* Ecce ordinem & administrationem universitatis deformatam, si miseria peccata præcesserit. Item ipsum adversus Philosophos in libris de Civitate disputans, præter ordinem rectum esse declarat, quo suus cuique locus datur, ut sine peccati merito miser quisquam fiat. Hoc autem sicut sine naturalis ordinis perturbatione esse non potest, ita nec ab autore ordinis Deo: *Pax*, inquit, *omnium rerum est tranquillitas ordinis, ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Proinde miseri, quia in quantum miseri sunt, utique in pace non sunt, tranquillitate quidem ordinis carent, ubi perturbatio nulla est. Verumtamen quia meritò jureque miseri sunt, in ea quoque ipsa sua miseria, præter ordinem esse non possunt. Non quidem conjuncti beatis, sed ab eis tamen ordinis lege sejuncti.* Porrò totum ordinem illum, quo & peccantibus miseria adesse, & non peccantibus abesse debet, ex æternæ legis præscripto fluere, quo naturalis ordo creaturæ rationalis administratur, statim subjicit: *Miseriores autem erunt, si pax eis cum ipsa lege non est; qua naturalis ordo administratur.*

Lib. de nat. boni c. 7.

Lib. 3. de lib. arb. c. 9.

Lib. 19. de Civit. c. 13.

Porrò hanc esse æternam legem jam supra capite secundo declaravimus, cùm ex ea fieri diximus, quod peccatum impunitum esse non potest. Quicquid enim ibi ad illius sententiæ probationem protulimus, multò magis ad hoc valet, ut eum qui nihil omnino mali fecit, miserum fieri non posse credamus. Cùm enim lex incommutabilis æterna quæ sit, *qua justum est ut omnia sint ordinatissima*, tam impossibile est ordinatissimum esse, ut qui nihil egerit mali, malè patiatur, quam impossibile est ordinis perturbationem esse ordinem, ac Deum non esse Deum, Deus enim est ipsa illa incommutabilis veritas, quæ clamat justum esse, ut omnia sint ordinatissima, quæ clamat ordinatissimum esse, ut qui male meritus fuerit, malè patiatur, & qui nihil mali fecit, nihil etiam mali patiatur. Quod & Augustinus in eodem loco apertè profitetur cùm de æterna lege dicit: *Lex quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur, quademque fit, ut non possit aliquando injustum esse ut mali miseri, boni autem beati sint.* Si lege æterna injustum esse non potest, ut boni beati sint, profectò justum esse non potest, ut sint miseri. Et si hoc justum esse non potest, profectò nec Deus illud facere potest, qui nihil nisi quod justum est, facit. Nam ut Augustinus, *contra illam summam naturæ legem tam Deus nullo modo facit quam contra seipsum non facit.* Hujus igitur æternæ legis immobilitas vera radix est, cur, uti dixit Augustinus, *Spiritus rationales si nolint*, id est, si peccare noluerint, *corrumpi non possint*; hæc item vera radix est; Cur *deformatur ordo atque administratio universitatis, si miseria peccata præcedat.* Semper enim & ubique justum est, ut omnia sint ordinatissima. Cùm ergò nunquam ordinatissimum esse possit, ut miseria peccata præcedat; nunquam etiam lex æterna hoc dictare potest. Cùm ergò pertineat à fine summæ creaturæ usque ad finem infimæ, & sit insuperabilis rectitudinis & indispensabilis æquitatis, nihil omninò in universitatis administrationem irrumpere potest, quo ordinatissima illa sanctio perturbetur: *Neque enim*, ut optimè sanctus Augustinus, *sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur, potest.*

Aug. lib. 1. de lib. arbit. c. 6.

Ibidem.

Lib. 26. contr. Faust. c. 3.

Lib. 1. oper. imp. c. 33.

Cùm igitur tam arcta sit connexio inter miseriam atque peccatum, ut neque peccata præcedere neque non sequi possit; hinc est, quod Augustinus ex pura ratione naturali cum Pelagianis, cum Manichæis, cum quibuslibet etiam infidelibus disputans ex hoc ipso

ipso quod miseria qualiscunque in creatura rationali reperitur, mox peccatum necessariò antecessisse concludit. Hinc in Psalmum trigesimum octavum: *Video me in malis, video me in pœna, & apud te non video iniquitatem. Si ergo ego in pœna sum, & apud te iniquitas non est, nonne restat ut pro iniquitate erudias hominem?* Nonne idem est ac si diceret, impossibile est ut ego in pœna sim, nisi iniquitas mea commeruerit. Et quomodò hoc impossibile est si in statu puræ naturæ homo à Deo produci potest? Quod si fortè dixeris Augustinum ex suppositione præsentis status loqui, de quo postea plura dicturi sumus, audi aliam ejus ratiocinationem, cùm adhuc esset Manichæus, & hoc ipsum diligentissimè & ex professo quæreret, quis longam illam pœnarum catenam qua vincti sumus, humano generi texuisset: *Et intendebam*, inquit, *ut cernerem quod audieram, liberum voluntatis arbitrium causam esse ut malum faceremus, & rectum judicium tuum ut pateremur, & eam liquidò cernere non valebam &c. Sublevabat enim me in lucem tuam; quod tam me sciebam habere voluntatem quam me vivere. Itaque cùm aliquid vellem aut nollem, non aliud quàm me velle aut nolle certissimus eram, & ibi esse causam peccati mei, iam iamque animadvertebam.* Ecce ex pura natura ratione naturali, sine fide cognitam causam peccatorum creaturæ rationalis. Nunc audi eadem naturalis rationis evidentia collectam causam pœnarum ejus: *Quod autem invitus facerem*, in hoc videlicet miseriarum statu, ubi ignorantiâ & libidinibus ad peccatum pellimur, *pati me potius quàm facere videbam, & id non culpam, sed pœnam esse judicabam; qua me non injustè plecti, te justum cogitans, citò fatebar.* Paralogismus ille insignis est, si natura rationalis cum eisdem pœnis sine ullo peccato, sine ulla injustitia Dei condi potest.

Lib. 7. confess. cap. 3.

Ibidem.

Qua de causa nec illum ratiocinandi modum unquam Pelagiani probaverunt, qui puram naturam attulerunt, nec Scholastici eum unquam probare possunt, quamdiu in eo statu hominem condi posse contendent. Sed non hîc tantum, sed infinitis alijs locis idem ipsum Augustinus contra Pelagianos & Manichæos tradidit: Vtrosque enim pœnas sine peccati merito inducentes illa ratiocinatione prostravit. Nam in libris de libero arbitrio ubi malorum causam adversus Manichæos indagat, cùm similiter ignorantiam & difficultatem, hoc est libidinum sævientium infirmitatem attulisset, quibus fieret ut homo etiam quodammodo invitus necessitate peccaret: *Pœnam*, inquit, *istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si justa est, peccati pœna est & supplicium nominatur.* Ecce omnem omninò pœnam, hoc est miseriam, si tamen justa est, peccati pœnam esse testatur. Hoc est non aliter creaturæ rationali infligi posse nisi ejus peccata mereantur, alioquin enim hoc ipso esset injusta. Nam hoc est quod contra Pelagianos dixerat: *Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur potest.* Sed quia imaginari aliquis posset hujusmodi pœnas Deo permittente vel ex necessitate materiæ, sive corporis, sive animæ & corporis, in creaturam rationalem irrepere posse sine injustitia Creatoris, quemadmodum ferè auctores puræ naturæ imaginari solent, paulò accuratius ex ratione divinæ providentiæ res ista declaranda est, & naturæ puræ impossibilitas, juxta mentem Augustini sexcentis locis consignatam, demonstranda.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.

CAPVT VII.

Idem probatur ex vi divinæ providentiæ cujus omnipotentia, vel scientia, vel justitia necessario læditur.

SANCTVS igitur Augustinus tanti hoc argumentum fecit, quod ex providentia divina hanc universitatem administrante & quoslibet fortuitos casus excludente petitur, ut non dubitaverit hoc unicum telum omnibus infidelibus opponere, eoque solo cuncta eorum machinamenta de pura natura, de malo naturali, de miserijs ex necessitate materiæ pullulantibus, frangere atque subvertere. Nam quamvis Scripturas sacras, in quibus miseriarum nostrarum vera causa recensetur, vel prorsus abjicerent, vel non crederent, vel falsarent, fidemque Ecclesiæ de statu gratiæ in quo conditi sumus deriderent, hoc tamen argumentum quod solummodo Deum auctorem & consequenter gubernatorem universi esse supponit, tam irrefragabilis evidentiæ esse censet adversus gentilium Philosophorum ignorantiam, qui non dubitabant, hunc miseriarum statum esse homini naturalem, & adversus Pelagianorum commenta qui eas puræ naturæ tribuebant, & adversus Manichæorum insaniam, qui eas ex naturæ malæ commixtione fluere delirabant, ut nihil omninò vel ex proprijs eorum erroneis principijs, quibus adhærebant, responderi posse judicaret. Ipsum itaque cum illis pestibus de miseriarum quarumlibet causa disputantem ac satagentem, videamus. Cum Platonicis igitur de causa miseriæ quorumdam Angelorum disserens, quos ipsi bonos quidem, tamen miseros esse fateri cogebantur, sub Dei providentia nullam aliam esse concludit nisi malitiam: *Qui* (Apuleius) *animo passiva, etiam misera dixisset, nisi pro eorum cultoribus erubuisset. Porro quia providentia summi Dei, sicut etiam ipsi fatentur, non fortuitâ temeritate regitur mundus, nunquam esset istorum æterna miseria, nisi esset magna malitia.* Ecce Deo mundum gubernante nec dæmones *animo passivos*, hoc est passionibus perturbari & consequenter miseros esse non posse adversus Platonicos aliud opinantes putat, nisi malitia magna præcesserit. Quamobrem, quæso, & quomodo nisi

Lib. 9. de Civit. c. 13.

nisi quia repugnat divinæ providentiæ, ut quisquam, nisi mereatur, miser sit?

Similiter de causa mali curiosissimè satagens cum Manichæis adversus quos, quia suo quodam priuilegio, imo sacrilegio scripturas veteris Testamenti abijcerent, de novis quod vellent sumerent, quod nollent spernerent, nulla eum testimoniorum divinorum adjuvabat auctoritas ideoque puris rationibus disputare cogebatur, ex eadem divinæ providentiæ consideratione concludit: *Quamobrem si nemo iniustè pœnas luit, quod necesse est credamus quandoquidem divinâ providentiâ hoc universum regi credimus, illius primi generis malorum* (id est culpæ) *nullo modo, huius autem secundi auctor est Deus*; Nempe illius, ut ante præmiserat, quo dicimur mali aliquid pati. Injustè autem pateremur malum nisi ante malum fecissemus, sicut ibidem indicat. Et in ejusdem operis libro tertio, cùm hominem etiam invitum ad peccatum urgeri dixisset, quod quia magnum creaturæ rationalis malum est, & contra voluntatem accidit, sicut pœnæ solent, multò enucleatius ex ratione probat, nullo modo sine peccato talem pœnam ei accidere potuisse: *Pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si iusta est peccati pœna est & supplicium nominatur: si autem iniusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, iniusto aliquo dominante, homini imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur. Non enim quisquam iniustus dominator aut surripere hominem potuit velut ignorante Deo, aut extorquere invito tanquam invalidiori, vel terrendo vel confligendo ut hominem iniusta pœna cruciaret.* Quibus verbis Augustinus omnia Manichæis præcidit effugia, quibus absque peccato pœnas istas in humanum genus irrepsisse vel irrepere posse delirare potuissent. Cùm ergo nihil superesset quod responderi posset, *Relinquitur ergo*, inquit, *ut hæc iusta pœna de damnatione hominis veniat.*

Ita rursus loquitur ipse Augustinus lib. de dono persev. cap. 11.

Lib. 1. de lib. arb. c. 1.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.

Pelagianos vero qui tantas miserias Deo tanquam puræ naturæ auctori ascribebant, sæpius ex divinæ providentiæ consideratione contundit, singulaque Dei attributa, quæ concurrunt ad gubernationem divinæ providentiæ sollicitè ponderat ut ostendat non posse tot miserijs affligi homines nisi peccata promeruerint: *Nisi forte*, inquit contra Iulianum puræ naturæ assertorem, *tibi in hac quæstione laboranti Deus iustus quidem, sed infirmus quodammodo subvenire poterit, qui suis imaginibus ne innocentes gravi iugo miseriæ premerentur subvenire non potuit; ut eum dicas voluisse quidem quia iustus est, sed non potuisse quia omnipotens non est. Atque ita de his angustijs exeas ut fidei caput perdas: qua fide primitus in symbolo confitemur, credere nos in Deum Patrem omnipotentem. Deus igitur tuus in tot & tantis malis quæ parvuli patiuntur, aut iustitiam, aut omnipotentiam, aut ipsam curam rerum humanarum est perditurus. Quodlibet autem istorum dixeris vide quid egeris.* Et in libro secundo ejusdem secundæ lucubrationis contra Iulianum: *Propter quid ergo affliguntur parvuli, si nullum habent omninò peccatum? An omnipotens & iustus Deus, iniustas pœnas à tot innocentibus prohibere non potuit?* Non posset luculentius Augustinus quid de pura natura sentiat promere quam dicendo, quod non possit Iulianus in illa puræ naturæ quam prædicabat hypothesi rationem tot miseriarum dare, quibus torquentur parvuli, quam fidem violando, qua Deus & justus, & omnipotens, & curam rerum humanarum habere creditur. Quod argumentum velut invictum aduersus quaslibet hypotheses, & errores, & arietes oppugnantium creberrimè repetit, eadem illa Dei attributa ponderans, sine quibus divina prouidentia exerceri aut explicari nequit. Nam aduersus eundem Iulianum in priore lucubratione statum puræ naturæ in parvulis prædicantem: *Magisque, iniquus aut infirmus ostenditur* (Deus) *si iugum grave super filios Adam à die sicut scriptum est nativitatis eorum usque in diem sepulturæ in matre omnium, sub quo iugo imago eius atteritur, aut ipse nullo vel originali, vel proprio præcedente peccato, aut quilibet aliud ipso imponit invito.* Et libro quinto: *Suorum tantos cruciatus conspiciens parvulorum, ut sub Creatore optimo atque iustissimo nullo modo imago eius in illa ætate tanta mala pateretur si non esset originale.* Vbi in Creatore ponderat omnipotentiam, in optimo bonitatem, in justissimo æquitatem. Præclarissimè verò subvertit puræ naturæ statum cui tot miserias ascribebat Iulianus in fine libri quarti ubi singula effugia illius anguis lubrici sollicitè claudit: *Tu ijs*, inquit, *quæ meminisse iam non potes, parvulos intuere quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant. Deinde iam grandes, etiam Deo servientes tentat error ut decipiat; tentat labor aut dolor ut frangat; tentat libido ut accendat; tentat mœror ut sternat, tentat typhus ut extollat. Et quis explicet omnia festinanter quibus gravatur iugum super filios Adam?* Ecce mala quibus puræ naturæ status viret & floret. Iam vide, quomodo ipse remotâ eorum causa peccato, defendi sine omnipotentiæ vel iustitiæ divinæ violatione non possit: *Huius evidentia miseriæ, gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis, sive scientes, sive credentes compulit dicere ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa nos esse natos &c. Apostolus autem amputat opinionem qua creduntur singulæ animæ pro meritis anteacta vita diversis corporibus inseri.* Ecce sublatum omne superioris vitæ peccatum. Iam vide ad quas angustias adversarium puræ velut naturæ miserias crepantem adigat: *Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit, aut iniquitas, aut impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec iniustus nec impotens est Deus, restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quod grave iugum non fuisset nisi delicti originalis meritum præcessisset.* Nimirum apertissimè concludit, adversus eum qui velut puris naturalibus ea mala tribuebat, tantum abesse hoc dici possit, ut velit nolit ad confiten dum peccatum adigatur, vel certè injustum vel impotentem esse Deum qui sine ullo præcedente peccato,

Lib. 1. oper. imperf. f. 50

Lib. 2. fol. 285.

Lib. 2. contra Iul. c. 10

Lib. 5. c. 1.

Lib. 4. contra Iul. cap. ult.

Ibidem.

[illegible] Quod profectò absurdissimè & falsissimè concluderetur, si Deus [illegible] vel impotentia sua [illegible] absolutæ dominationis [illegible], cum illis miseriis humanam naturam [illegible]

Neque verò adversus [illegible] tantum, sed etiam aliis operibus suis passim docet, nullo modo posse [illegible] malorum causam, quibus puræ naturæ status affligi posse dicitur [illegible] justitiæ vel potestatis ejus [illegible] ad populum: *[illegible] peccatum esse. Non enim [illegible] Deus, nullo modo [illegible] non mereremur.* Et in libro [illegible] quæstione 24. [illegible] ratiocinando constituisset mundum regi providentia [illegible], *hoc*, inquit, *[illegible] ut quicquid in mundo geritur, partim divinitus geratur, partimque voluntate. Deus autem [illegible] optimus atque justissimus [illegible] justissime regens [illegible] præmium immeritò [illegible] autem pœna peccatum & meritum præmii [illegible].* Et in sequenti quæstione octogesima secunda, omnes rimas obstruit, per quas elabi posset, qui præsentis vitæ miserias, sine peccati iniquitate contingere posse crederet. Cùm enim eorum protulisset querimoniam, qui bonos affligi molestè ferunt, quæ sane omnium infirmorum [illegible] fuit & Christianorum, & maximè gentilium Paganorum, sic omnium suspiciones placare satagit, ut si peccata removeantur non nisi cum Dei injuria miseriarum tantarum cumulum in immeritos irrumpere potuisse fateatur: *Sed ii tamen*, inquit, *qui putant injustum Deum, cùm [illegible] doloribus & laboribus viderint; aut certe si non audent injustum Deum dicere, vel res humanas non curare arbitrantur, vel semel statuisse necessitates fatorum, contra quas nec ipse aliquid facit, ne ordinem rerum à se dispositum inconstantia turbare credatur; aut aliquid aliud opinantur quod Deus in aliquo invalidus non possit a justis ista mala prohibere, dicendum est.* Habes hic omnes nobiliores suspiciones hominum, juxta quas vel in injustitiam Dei retorquetur, vel in providentiæ vastitatem, vel in infirmitatem ejus, vel in fata ab ipso constituta, hoc est in ordinationem ejus immutabilem, qua constituit ut ille ordo rerum ageretur, quo etiam justi paterentur mala, sub quo membro etiam Pelagianorum pura natura continetur. Ille quippe rerum status immutabili lege etiam justissimos quosque cruciat malis. Videamus ergo quid ad illa ex Augustini mente dicendum sit: *Dicendum est*, inquit, *nullam futuram fuisse justitiam in hominibus, si res humanas non curat Deus, quia omnis ista hominum justitia, quam & tenere animus humanus recte faciendo potest, & peccando amittere, non imprimeretur animæ nisi esset aliqua incommutabilis justitia quæ integra inveniretur a justis, cum ad eam converterentur; integra relinqueretur à peccantibus, cùm ab ea averterentur. Quæ justitia incommutabilis utique, Dei est, nec eam porrigeret ad illustrandos eos qui se converterent, si res humanas non curaret.* En tibi profligatos eos, qui Dei providentia mundum non curante, justos affligi putant. Jam pergit ad eos qui Deo sic ordinante hoc fieri posse putant: *Si verò propterea graviter perpeti justos sineret, quia contra ordinem rerum a se dispositum nollet venire, non ipse intermisset, non quia dispositionem suam servare non vellet, sed omnia ita disposuit ut ipsum ordinem rerum et immeritos pœnis injustè affligeret.* Quid manifestius, inquam non potuit Deum talem rerum ordinem constituere ut immeritos pœnis justus affligatur? Quod, ut clarioribus verbis apud Scholasticos loquatur Augustinus, non est aliud dicere quam injustum fore Deum, si talem ordinem rerum sive in pura natura, sive in integra & sanctificata, sive in aliaquacumque institueret, ut immeritis pœnis justi affligerentur. Ex quo apertè sequitur, puram naturam in qua promiscuè justi injustique, vel potius omnes omninò justi immeriti torquentur pœnis esse impossibilem, nec aliter possibilem fieri posse nisi vel injustitiam, vel invaliditatem tribuentes Deo, vel providentiam adimamus, atque ita, quemadmodum etiam contra Julianum dixerat, *caput fidei perdamnaturi de eis angustiis exeamus*. Unde etiam ibidem subjicit: *In aliquo autem Deum esse invalidum ad repellenda mala quæ justi patiuntur, quisquis opinatur; ideo desipit, quia non intelligit, sicut nefas est injustum Deum dicere, ita nefas esse omnipotentem negare.* Concludit itaque non alia ex causa hoc contingere nisi de peccato & reliquiis ejus hoc est ut ipse loquitur, *vel de ipso morbo mundum fanato vel de adjutorio medicinæ*, quæ ut ægrotantibus nobis tam acerba imponeretur morbus meruit.

Neque verò Philosophos, Manichæos, atque Pelagianos tantum, apud quos omnes sola pura natura sine gratia, & sine peccato creaturæ ascribitur, hoc argumento fregit Augustinus, hypotheses improbavit, tanquam qui Dei majestatem nefaria suarum hypotheseon impietate violarent; sed etiam ex ejusdem ipsius argumenti evidentia & certitudine gravissimos cruciatus ipse usque ad finem vitæ passus est. Cùm enim nunquam intelligere posset quo pacto anima rationalis, si nova unicuique à Deo crearetur peccati originalis posset esse rea, nunquam etiam intelligere consequenter potuit, quo pacto juxta illam sententiam in qua anima parvulorum innocens nasci videbatur, sicut Pelagiana hæresis astruebat, tot cruciatibus & miseriis sine violatione divinæ providentiæ vel omnipotentiæ vel justitiæ posset affligi. Audi ipsum quantæ ingenuitate ingentes animi sui angustias ex hoc solo capite nascentes confiteatur, & opem, ut inde liberari possit alienæ eruditionis imploret; *Sed cùm ad pœnas ventum est parvulorum, magnis mihi crede coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio: non solum eas pœnas dico quas habet post hanc vitam illa damnatio, quo necesse*

Serm. 139. de temp. c. 3.

Lib. 83. qq. quæst. 24.

Ibid. q. 82.

Ibidem.

Epist. 28.

necesse est trahantur, si de corpore exierint sine Christiana gratiæ sacramento, sed eas ipsas, quæ in hac vita dolentibus nobis versantur ante oculos, quas enumerare si velim, prius tempus quam exempla deficient. Languescunt ægritudinibus, torquentur doloribus, fame & siti cruciantur, debilitantur membris, privantur sensibus, vexantur ab immundis spiritibus. Demonstrandum est utique, quomodo ista sine ulla sua mala causa justè patiantur. Hoc est, demonstrandum est quomodo ista parvuli innocentes vel in pura natura, sicut hæresis Pelagiana statuit, vel juxta sententiam quæ animam sine peccati contagione in corpore creari credit, justè patiantur.

Et quamobrem demonstrandum istud est, cùm Deus sit vitæ mortisque dominus? Vt faciat de parvulis quod voluerit, cum parentibus peccantibus detrahi posset immortalitas, & ita in filios etiam innocentes natura mortalis propagari? Hæc enim sunt, quę Scholastici obvia, plana, vera, certaque esse ne dubitant quidem. Audi Augustinum multò sublimius & religiosius rimantem istius difficultatis anfractus: *Non enim dici fas est, aut ista ignorante Deo fieri, aut eum non posse resistere facientibus, aut injustè ista vel facere vel permittere. Nam quidnam sicut illa animalia irrationabilia rectè dicimus in usus dari naturis excellentioribus, etsi vitiosis, sicut apertissimè in Evangelio videmus porcos ad usum desideratum concessos esse dæmonibus; hoc & de homine rectè possumus dicere?* Quasi diceret, nullo pacto. Et quæ causa differentiæ? *Animal est enim, sed rationale, etsi mortale. Anima est rationalis in illis membris, quæ tantis afflictionibus pœnas luit. Deus bonus est, Deus justus est, Deus omnipotens est, hoc dubitare omnino dementis est. Tantorum ergo malorum quæ fiunt in parvulis causa justa dicatur. Nempe cùm maiores ista patiuntur, solemus dicere, aut sicut in Iob merita examinari, aut sicut in Herode peccata puniri. Et de quibusdam exemplis, quæ Deus manifesta esse voluit, alia quæ obscura sunt, hominum conjectura conceditur. Sed hoc in maioribus. De parvulis autem quid respondeamus, edissere, si pœnis tantis nulla in eis sunt punienda peccata injustitia. Nam utique nulla est in illis ætatibus examinanda.* Nonne ridiculum est hoc suspicari, quod Augustino in mentem nondum venerat Deum esse vitę & mortis auctorem? Esse absolutum creaturarum dominum? Mortalitatem parentum peccantium etiam in filios non peccantes posse propagari, sicut patri aufertur peccanti feudum, quo & innoxij filij carent? Hæc enim sunt quæ velut limatius excogitata proferuntur. Nempe hæc ipsa sunt quæ Augustinus erga creaturam rationalem quæ est objectum justitiæ & injustitiæ, nullo modo sine culpa creaturæ vel injustitia, vel infirmitate, vel ignorantia creatoris fieri posse testatur, & in scriptis suis tota vita asseverantissimè testatus est. Idcirco enim passim contra Pelagianos, contra Manichæos, contra Philosophos qui mortalitati parvulorum velut in puris naturalibus prodeuntium ista tribuebant, semper clamat, Mundus regitur divina providentia, Deus bonus est, Deus justus est, Deus omnipotens est, hoc dubitare omnino dementis est; tantorum ergo malorum quæ parvuli patiuntur, justa causa proferatur. Et reclamantibus, istum Deus ordinem suâ voluntate disposuit, respondet Augustinus; Nec ipse justus est, quia ita disposuit ipsum ordinem rerum ut justi vel innocentes immeritis pœnis affligantur. Ex quibus perspicuum est nunquam Augustinum tantas afflictiones, quantas etiam parvulos in hac mortalitate pati cernimus, cùm divinæ providentiæ attributis conciliare potuisse, si natura vel ab initio pura, vel etiam parentibus licet peccantibus, in posteris tamen quoquo modo expers iniquitatis, nasci poneretur.

CAPVT VIII.

Iustitia Dei funditus evertitur juxta Augustinum per statum puræ naturæ.

ET quamvis Augustinus in superius allegatis, & alijs non paucis locis indeterminatè semper colligat, Dei providentis regentisque mundum, vel omnipotentiam, vel bonitatem, vel scientiam, vel justitiam lædi, si miserias mortalitatis hujus, sine peccato creatura rationalis pateretur; sæpissimè tamen adversus eosdem naturæ puræ fabros Pelagianos determinatè concludit, justitiam Dei funditus tolli, nec ullâ ratione posse defendi. Quisquis enim Deum verum colit, sicut Pelagiani se colere fatebantur, de Creatoris omnipotentia, & bonitate non facile dubitat. Nam statim in initio symboli Apostolici quod omnibus in ore Christianis est, Ecclesia Christiana profitetur, *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.* Quomodo ergo facile neget supremum omnium Creatorem esse omnipotentem qui creavit omnia? Esse bonum qui dedit omnia? Esse scientem atque sapientem qui excogitavit omnia? Sed hac supposita fide, justitia statim tota periclitatur tot tantorumque miseriarum immissione sine ullo immerito præcedentis iniquitatis; propria enim justitiæ materia, est suum cuique tribuere, quomodo autem innocenti tanta miseria debeatur, & consequenter justè suum tribuatur, quacumque vel integræ, vel puræ naturæ suppositione, nunquam intelligi posse innumeris locis Augustinus docuit. A qua doctrina quia multa pendent, operæ pretium est attendere, quantâ certitudine & constantiâ, Pelagianis Augustinus eam objecerit, & quam nihil ei vel in speciem responderi ab eis posse judicaverit, qui puram naturam velut omnium

omnium istarum miseriarum fontem mordicus tuebantur. Itaque Iulianum, qui præ ceteris Pelagianis naturæ puræ miseriarumq; omnium velut naturalium buccinator erat celeberrimus, ut jam aliquoties ex proprijs verbis ejus declaravimus, ita retundit ex consideratione justitiæ Dei: *Deum autem iustus si tanta parvulis mala quanta nunc dicere non sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret*, sicut ponebat ratione puræ naturæ Iulianus, *magis appareret iniustus.*

Lib. 3. c. 6. Et lib. 3. ejusdem operis: *Malum si nullum* (parvuli) *ex origine traherent, nunquam cum vitijs vel corporalibus nascerentur. Deus enim qui est animarum, ipse est etiam corporum conditor, qui utique humanæ in ipsa conditione naturæ vitia non infligit immeritæ.*

Lib. 6. c. 5. Et lib. 6. *Contra eum* (Ecclesiæ) *viscera, satis acutis telis tibi videris armatus, de iustitia Dei contra iniustitiam Dei colligens argumenta. Tunc enim est Dei vera iustitia, si grave iugum super filios Adam non est iniustum. Quomodo autem non est iniustum iugum grave, si nullum est in parvulis malum, propter quod iuste iugo premantur gravi?* Hoc autem jugum grave miseriarum omnium pondus comprehendit, quo genus humanum in has ærumnas mortalitatis atteritur, à primis fletibus nascentium, usque ad extremos gemitus morientium. Hoc autem jugum non est aliud quam illud quod pura natura secum trahit & puræ naturæ munus reipsa censebat esse Iulianus. De cujus proinde jugi injustitia sæpè conqueritur Augustinus, si vera esset Pelagiana sententia, quod eo genus humanum sine peccati iniquitate premeretur. Nam in eodem libro:

Ibid. c. 10. *Quod si falsum esset* (quod scilicet ex iniquitate parentum simus rei) *profectò iugum grave super filios Adam nullo modo iustum esset.* Et

Lib. 1. oper. imperf. f. 6. libro primo operis imperfecti: *Vos quod dicitis potius non potest ulla iustitiæ ratione defendi: quia miseria generis humani, à qua nullum hominum ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad omnipotentis iustum iudicium, si non est originale peccatum.*

Ibid. f. 26 Et multis interpositis: *Ex hac æquitate, grave iugum est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, quod omninò esse asseris iniquum, qui negas originale peccatum. Ostende enim iniustitiam esse ut cum tam manifesta miseria, vel ad tam manifestam miseriam nascatur, à quo peccatum originale non trahitur.*

fol. 27. Et iterum: *Errastis, vos potius iniquitatem cogimini confiteri grave super parvulos iugum, si quemadmodum nullum habent proprium, ita nullum trahunt originale peccatum.* Et aliquanto post: *Dic ergo, qua iustitia retributum sit parvulis, grave iugum tam magnæ manifestæq; miseriæ.* Et quibusdam interjectis:

Ibid. f. 63. *Deinde si aggravata ætas illa* (parvulorum) *iniquitatem nullam convincit ut dicis, itane non est aggravata gravi iugo super filios Adam? Et tamen non est hinc iniquus Deus, ac per hoc merito est aggravata. Nullum est autem huius ætatis meritum malum, si non est originale peccatum.* Et iterum

Ibid. f. 65. & 66 efficacius: *Tu facis iniustum Deum, sub cuius omnipotentis cura, cum videas gravi iugo miseriæ parvulos premi, nullum eos peccatum habere contendis, simul accusans & Deum & Ecclesiam: Deum quidem si gravantur & affliguntur immeriti.* Et

aliquanto post: *Vos autem qui omnipotentem Deum non negatis, in gravi iugo parvulorum, eredis vultu iniustum, negando originale peccatum.*

Ibid. f. 175. Et libro secundo illius postremi operis contra Iulianum:

Lib. 2. oper. imperf. fol. 345. *In illo gravi iugo, quo etiam parvuli premuntur, quomodo iustus est Deus, si nullus nascitur reus?* Et rursum:

Ibid. f. 348. *Ipsa te convincit in parvulis æquitas Dei, quam* (forte quæ) *magna est iniquitas, si iugo gravi premuntur & parvuli, sine ullo merito vinculoque peccati.* Dies me pœnè deficeret, si loca omnia recensere velim, quibus iniquitatem Dei manifestam esse concludit, si tantarum miseriarū jugum, quo videmus humanum genus etiam in parvulis premi, Deus innocentibus in creatione juxta statum puræ naturæ à Iuliano prædicatum imposuerit. Quod jugum ideo toties tanta cura commemorare se dicit, ut

Ibid. f. 283. *cervicem eius si non inflexerit frangeret*, hoc est ut illius injustitiæ consideratione velut invicto argumento duritia Pelagiana frangeretur, quæ statum puræ naturæ velut jugum tot miserijs oneratum humano generi sine ullius merito iniquitatis imponebat. Hinc enim injustitiam quam inferebat Deo, etiam nulla jugi factâ mentione, sed clarissimis verbis miseriæ magnitudinem ponderans, exprobrat passim istis adversarijs suis in omnibus libris suis:

Lib. 1. oper. imperf. fol. 109. *Iudicia Dei vos avertitis, qui generis humani miserias incipientes à parvulis, sine ullo peccati merito fieri dicitis.* Et in libro secundo, cùm Iulianus prædicaret æquitatem Dei: *Propter quid ergo*, inquit, *affliguntur parvuli si nullum habent omninò peccatum? An omnipotens & iustus Deus iniustas pœnas à tot innocentibus prohibere non potuit?* Et interius:

Lib. 2. f. 291. *Cur non potius miraris universi generis humani ab exordio nativitatis totam miseriam, ut nemo beatus, nisi ex misero, neque nisi post hanc vitam malis omnibus careat, cui per Dei gratiam præstitum ut careat? Et hoc mirando te corrigis, ab illo errore quo* scilicet eas institutioni puræ naturæ tribuis, *& iustum Dei iudicium in genere humano non iniusta afflictione cognoscis?* Hoc est, cur non agnoscis ex magnitudine miseriarum quibus affligimur, & ex justitia Dei errorem esse, quo genus humanum tot miserijs sine peccati merito affligi posse deliras? Nam hoc insani cerebri delirium esse multò inferius apertissimè profitetur:

Ibid. f. 307. *Nam si sano cerebro considerares humanæ vitæ miserias à primis fletibus infantium usque ad extremos gemitus morientium, videres profectò quod nec ego nec tu, sed ille Adam fuerit caput horum & causa malorum: quod nolens videre clausis oculis clamas, & iustum Dei esse iudicium, & non esse originale peccatum. Quæ duo inter se quam sint contraria procul dubio cerneres, si sanum caput haberes.* Et utrimque conjungens, jugum istud videlicet toties commemoratum, ingentesque miserias, ut quid esset jugum istud exponeret:

Ibid. f. 327. *Cùm dicitis nullum peccatum parvulis imputandum, iniustum facitis Deum, qui eis grave iugum à die exitus de ventre matris imposuit. Quod etsi Scriptura non diceret, quis tam cæcus est mente qui non videat miseriam generis humani, à fletibus incipere parvulorum? &c. Si autem reatus iste ori-*

gini

ginis à Scriptura sancta proditur, *& ipse se prodit*, videlicet ex ista miseriarum magnitudine quæ innocentibus imponi sine peccati iniquitate non potuit. Hæc aliaque plurima quæ adduci possent tædioque prolixitatis prætermittimus, sine ulla quantum arbitror, ambiguitate probant, verissimum esse quod supra diximus, nulla ratione secundum Augustini mentem sexcenties explicatam defendi posse justitiam Dei, si miserias puræ naturæ humano generi sine merito præcurrentis iniquitatis imponeret. Hoc enim est ipsissimum illud quod Pelagianis toties tanta verborum acrimonia tanta ratiocinandi certitudine, tanta veritatis securitate exprobrat. Illi quippe hoc asserebant reipsa factum, quod Scholastici fieri posse dicunt: ut sine ullo peccato vel proprio vel alieno genus humanum tot calamitatibus affligatur, quot ille status infallibili lege post se trahit.

CAPUT IX.

Non procedunt Augustini argumenta ac testimonia ex hypothesi status gratiæ & supernaturalis.

QUID ad istam luculentissimæ doctrinæ claritatem cum aliquo probabilitatis colore responderi possit, fateor equidem prorsus ignoro. An fortè Augustinum loqui ex suppositione præsentis status, quo homo in gratia conditus, & ita consequenter ad supernaturalem statum elevatus & in felicitate miseriarum expertè collocatus fuit? Hoc enim videor mihi semel respondentem quemdam audivisse, cum uno loco ex tot adductis inopinatè premeretur, nec satis ei occurreret, quid respondere posset. Sed profectò quisquis non nimium supinus ea quæ hoc tractatu diximus ponderaverit, facilè videbit nihil absurdius, & à veritate alienus posse responderi. Nam in primis quid illa hypothesis ad purgandam Scholasticorum doctrinam facit? Ipsi enim apertè docent Adamo solo peccante & ex Paradisi felicitate in mortalitatis miserias delabente, sine ulla iniquitate parvulos eodem totius mortalitatis jugo potuisse premi. Hoc enim similitudine humanorum judiciorum, juxta quæ filios bonis ac privilegiis propter sola parentum peccata spoliari fas putatur, velut extra controversiam positum probant. Ipsi rursum apertissimè docent, non solum Adamum & parvulos sed etiam universum humanum genus mortalitatis ærumnis permitti sine ulla Dei iniquitate potuisse, quantumvis cum libera videlicet voluntate sua, Deus in paradisi felicitate collocasset. Ipsi denique vel potiùs eorum aliqui palam docent, Sanctos omnes imò Beatos omnes nemine excepto, ad æternas pœnas sine ulla Dei injustitia damnari posse. Quid igitur ad propositum facit, etiamsi Augustinus, humanum genus in paradisi felicitate sine miseriis ullis collocatum esse supponeret?

Sed ut paulò pressius talem hypothesin consideremus, quid ineptius, quid absurdius, imo quid stultius ac delirius, ab Augustino tanquam confessum, ab adversario supponi posset, quam id cujus contradictorium expugnandum erat, & quod adversarius ejus mordicus tuebatur? Iulianus enim, totaque hæresis Pelagiana velut anchoram sacram, unde tota erroris illius pendebat salus, ista duo dogmata tuebatur, quod *Adam sive peccasset sive non peccasset, moriturus esset*; quod *infantes cum omnibus* videlicet illis quas videmus miseriis *in illo statu nascerentur, in quo Adam ante prævaricationem fuit*. Quid igitur insanius, quam contradictorium thesis sui antagonistæ velut certum sumere, & ejus doctrinas capitales, quibus tota erroris moles nititur velut falsas ante certamen convictasque supponere? Nonne has in primis oppugnare, revincere, evertere oportuit, ne alioquin turpissimo disputationis ludibrio principium petere, & ab adversario, vel quolibet Philosophiæ tyrone velut imperitus & stolidus disputator exploderetur? Nam tali probationis compendio, quo id velut extra controversiam sumitur, quod in quæstione versatur, id falsum supponitur, quod tuetur adversarius, omnes hæreses facilè quilibet de foro profligaverit. Cujus absurditatis atque stoliditatis, quia nemo Scholasticorum qui aliquid litteris mandandum censuerit posteritati, se fuisse existimari velit, non inferiorem quæso de Doctorum omnium principe nos opinionem habere sinant: alioquin & Ecclesia periclitabitur victoriam infirmitatibus & fraudibus partam de Pelagianis venditasse.

Sed bene se habet quod ipse sanctus Augustinus prorsus hujusmodi opinionem, de se removerit. Plurimis enim scriptorum suorum testimoniis patefecit, se optimè intellexisse hypothesim Pelagianam, qua parvulos in puris naturalibus nasci statuebant, illamque non velut falsam supposuisse, sed per justitiæ evidentiam & certitudinem convicisse. Quid enim aliud sibi volunt illæ emphaticę evasiones quibus adversarios pura naturalia delirantes petit, *Vos quod dicitis non potest ulla justitiæ ratione defendi: Vos erratis: vos iniquum cogimini fateri grave jugum: vos qui omnipotentem non negatis Deum credi vultis injustum: Iudicia Dei vos evertitis: vos injustum facitis Deum qui generis humani miserias sine ullo peccati merito fieri dicitis*. Quid aliud illæ quibus invadit Iulianum? *Tu omninò asseris iniustum Dei iudicium: Tu facis iniustum Deum: Ipsa te convincit æquitas Dei: Ostende iustum esse ut cum tam manifesta miseria nascantur parvuli sine ullo merito vinculoq; peccati?* Quid & illæ? *Cur non intrares humani generis miseriam? Cur non intrando ab illo errore te corrigis? Clausis*

oculis clamas iustum esse Dei iudicium, & non esse originale peccatum.

Quid enim significant vel significare possunt aliud ista, nisi prorsus impossibile esse, ut status puræ naturæ quem prædicabant tot miserijs cumulatus cum divina æquitate consistat? Nam illa duo ex nulla hypothesi quam negasset adversarius, sed ex ipsis terminis ita repugnare ut conciliari nequeant apertissimè dicit, quando pro ratione subijcit: *Quæ duo inter se quam sint contraria procul dubio cerneres si sanum caput haberes.*

Quod si necdum quispiam induci possit ut credat, non ex hypothesi, sed ex ipsa natura justitiæ Augustinum arguere, & puræ naturæ statum evertere, velut ex ipsa sua formali ratione divinæ justitiæ repugnantem, audiat illa clariora, quæ haud scio an non perinde atque in terminis pura illa naturalia velut injusta subvertant. Nam libro tertio B contra Iulianum primitùs & ante omnia præmittit Augustinus hypothesim adversarij sui de puris parvulorum naturalibus, ut eum expugnare possit: *Naturam dicis humanam innocentiæ dote locupletem.* Hoc est naturam humanam ab omni peccato innocentem nasci; quam quia paulo ante etiam *adoptionis* expertem esse dixerat, consequenter eam in statu purè naturali, *sine virtute, sine vitio*, ut alibi loquitur, nasci fatebatur. Iam vide quo pacto illum ipsum suppositum à Iuliano puræ naturæ statum, ex ipsa divina æquitate tali statui diametraliter repugnante convellat: *Respondete, igitur, quo merito tanta innocentia nonnunquam cæca nonnunquã surda nascatur: quod vitium etiam ipsam impedit, fidem.* Et mox: *Iam vero quis ferat, quod ad ipsum spectat animum, imaginem Dei innocentiæ, sicut asseris, dote locupletem fatuam nasci, si nulla ex parentibus mala merita in parvulos transeunt? An ita est quisquam vestrum fatuus ut fatuitatem nullum malum putet?* &c. *Quis autem nesciat, quos vulgo moriones vocant, natura ita fatuos, ut quibusdam eorum penè sensus pecoris conferatur? Et non vultis fateri genus humanum ex initio quo deseruit Deum, trahere damnatæ originis noxam, his omnibus dignissimam pœnis* &c. Nonne perspicuum est hypothesin puræ naturæ ex ipsa nuda puraq; Dei justitia neminem sine meritis affligente subverti? Nonne verba ipsa clamant ex tot miserijs naturam conterentibus, convinci falsum esse id quod Iulianus dixerat, naturam esse innocentiæ dote locupletem? Audi aliud magis adhuc, si dici potest, manifestum, quo ex divina justitia in tot miserijs infligendis elucente, ipsam illam naturalem innocentiam quæ in pura natura prædicatur, nominatim velut impossibilem subruit: *Si tibi* A *placet innocentia parvulorum, remove ab eis, si potes, grave iugum quod est super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum. Sed puto quod scriptura, quæ hoc dixit, melius te noverat, quid esset innocentia creaturæ & quid iustitia Creatoris. Quis autem non videat, si habent parvuli qualem prædicas innocentiam, in gravi iugo eorum Dei non esse iustitiam? Porro quia in iugo gravi eorum divina iustitia est, non est in eis talis qualem prædicas innocentiam.* Et libro secundo ejusdem operis imperfecti, Pelagianam hypothesin his verbis de morte refert: *Quam vos homini, etiamsi non peccasset dicitis naturaliter fuisse venturam.* Et adversus eam ibidem opponit justitiam Dei: *Quas miserias vos cum sine ullo peccato accidere dicitis parvulis, iniustum Deum adversus eos dicitis.* Verba locorum istorum clara sunt, conclusio perspicua, ratio cui argumentum nititur sole nitidius lucet.

B Itaque nihil addo, ne divini eloquij quo Ecclesia per Augustinum Pelagianos vicit, obtundatur sapor. Vnum tantum dico tam apertam, tam luculentam, tam invictam Augustino visam esse pugnam inter innocentiam creaturæ, qualis in statu puræ naturæ prædicatur, & miserias quas sibi consertas habet, ut palam dicat, ex isto laqueo exiri sine violatæ divinitatis impietate blasphemiaque non posse. *Nisi forte*, inquit, *tibi in hac quæstione laboranti, Deus iustus quidem sed infirmus quodammodo subvenire poterit, qui suis imaginibus non innocentes gravi iugo miseriæ premerentur, subvenire non potuit: ut eum dicas voluisse quidem quia iustus est, sed non potuisse quia omnipotens non est. Atque ita de his angustijs exeas, ut fidei caput perdas, qua fide primitùs in symbolo confitemur credere nos in Deum Patrem omnipotentem. Deus igitur tuus*, videlicet puræ naturæ fabricator, *in tot & tantis malis quæ parvuli patiuntur*, AVT IVS-
C TITIAM, AVT OMNIPOTENTIAM, AVT IPSAM CVRAM RERVM HVMANARVM *est perditurus. Quodlibet autem istorum dixeris, vide quid egeris.* Blasphemia est qua blasphemiæ impietatem contrahi, notat, quam paulò post exsertè ponit: *Vide ne tu potiùs reus sis qui blasphemes ipsum Sanctorum martyrum Deum. Dicis te colere omnipotentissimum, æquissimum, misericordissimum Deum, sed ipse est omnipotentissimus qui grave iugum quo premuntur filij Adam ex die nativitatis suæ procul dubio ab eis posset auferre, imo nec ullo modo imponeret. imponive permitteret nisi peccata in eis cum quibus nati sunt inveniret, quorum reatum renatis idem ipse misericordissimus solveret. Si ergo te delectaret divina iustitia videres profectò quid ex ipsa veniat non minque inducte à parvulis incipiens tota omnium humana miseriæ* &c.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 4.

Lib. de pec. orig. c. 13.

Lib. 1. oper. imperf. f. 49.

Lib. 2. oper. imperf. fol. 455.

Ibidem.

Lib. 1. oper. imperf. f. 50

Ibid. f. 52.

CAPVT

CAPVT X.

Non loquitur Augustinus de pœnis formaliter ut sunt correlativum culpæ, sed materialiter de quibusvis malis prout affligunt creaturam rationalem.

PIGET jam refellere vel referre aliam non tam solutionem quam elusionem doctrinæ constantissimæ sancti Antistitis. Dicet enim non-nemo Augustinum formaliter de pœnis loqui, hoc est neminem puniri à Deo posse propriè nisi culpa præcesserit & in hoc esse perspicuam divinæ justitiæ cum innocentia repugnantiam. Nihil tamen vetare quo minus malo aliquo seu miseria sine ulla culpa præcedẽte innocens creatura à Creatore crucietur. Sed illam non esse propriè pœnam, utpotè quæ essentialiter culpam respicit velut correlativum suum. Ita nihil in auctoribus sacris tam manifestum est, quod non, si cum sensibus nostris præoccupatis pugnet, nescio quo proprio opinionis amore pertundetur. Ostendendum igitur nobis est nec umbram quidem exiguam pugilis nostri scripta præbere, sub qua talis responsionis infirmitas, vel potiùs falsitas lateat: sed potiùs pœnæ ubique, non de pœna sub ratione pœnæ, sed de malo sub ratione mali loqui, de afflictione sub ratione afflictionis, de miseria sub ratione miseriæ, hoc est de malis ac miserijs quatenus felicitatem vitiant, animam cruciant, quietam voluntatem creaturæ rationalis affligunt: Et inde concludere, hoc necessario esse pœnam ejus, nec ei ullo pacto infligi ab omnipotenti & justo Deo, vel aliunde accidere posse nisi culpa præcedat, quæ tale malum, afflictionem, miseriam cruciatumque mereatur. Nam hoc in primis sibi vult illud solidissimũ ejus contra Manichæos fundamentum: *Creaturis præstantissimis, hoc est rationalibus spiritibus hoc præstitit Deus ut si nollent, corrumpi non possent.* Non enim dicit ut puniri sed ut corrumpi non possint. Item illud: *Si peccatis detractis miseria perseverat, rectè deformari dicitur ordo atque administratio universi.* Hoc & illud contra Pelagianos: *Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur potest.* Et rursus: *Neminem sinit mali aliquid perpeti quod non mereatur.*

Lib. de nat. boni cap. 7. *Lib. 3. de lib. arb. c. 9.* *Lib. 1. oper. imp. c. 33.*

Neque enim hic ulla pœnę sub ratione pœnæ mentio est, quasi illa nemini infligi possit absque peccato, sed de ipsis malis quibus aliquis miser fiat. Est autem certissimum in statu puræ naturæ hominẽ fore miserum. Docent enim Scholastici hominem in isto statu non differre ab eo qui nunc nascitur, nisi ut nudum à spoliato, neque nunc excepto peccato esse deteriorem. Est autem fidei Catholicæ hominem propter malorum istorum puræ etiam naturæ adhærentium seriem, nunc esse miserum: *Homo*, inquit Iob, *natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miserijs.* (*Iob. 14.*) Et Apostolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo,* (*Rom. 7.*) seu ut Augustinus legit, *miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius.* Cùm ergo afflictiones huius vitæ, morbi, mors, repugnantia carnis & spiritus, nunc miserum reddant hominem, miserum etiam in statu puræ naturæ sine peccato reddidissent. Quod sane & Philosophi gentium ingenuè fassi sunt, qui Augustino teste, *Vitam istam fallacia miseriaque plenam humanam non opinati sunt nisi divino iudicio contigisse.* (*Lib. 4. cont. Iul. cap. 15.*) Unde ibidem dicit Ciceronem in Hortensio *multa quæ videmus & gemimus de hominum vanitate atque infelicitate dixisse*, Qui & libro de Republica conqueritur *hominem non ut à matre, sed ut à noverca natura editum.* (*Cicer. lib. 3. de Republ. apud August. ibid. n. 13.*) Denique quia homo in tot malis puræ naturæ affectis naturaliter quietem desideraret, qua nullam corporis molestiam pateretur. Hoc enim eodem Augustino auctore consentientibus gentium Philosophis *homines sine magistro, sine ullo doctrinæ admonitu, sine industria vel arte vivendi, velut naturaliter appetunt.* (*Lib. 19 de Civit. c. 1.*) Igitur cum istud assequi non posset in illo statu, necesse est cruciaretur, & proinde miser esset, juxta illud item certissimum Augustini pronunciatum: *Qui appetit, quod adipisci non potest, cruciatur & nihil autem istorum animo contingit sine miseria: nec miseria & beatitudo in uno homine simul habitare consueverunt.* (*Lib. de morib. Eccles. cap. 3.*)

Et sane quis mente sobria perpetuum illum carnis & spiritus conflictũ quem etiam pura natura pateretur, intuens negare posset tunc hominem miserrimum futurum esse? Vellet enim cedere sibi concupiscentiam quod non fieret, ergo miserrimus esset dum perpetuo eius appetitu & renisu torqueretur. Nam ut Augustinus ex Philosophorum etiam sensu statuit, *velle quod non deceat, hoc ipsum miserrimum est,* & illud inconcussum: *beatum esse neminem posse nisi habendo quod vellet & nihil patiendo quod nollet.* (*Lib. 13. de Trinit. cap. 5. & 7.*) Valde igitur miser foret homo in illo statu. Cùm igitur ex professo doceat Augustinus impossibile esse ut homo miser sit, nisi hoc peccato mereatur, liquet sane Augustinum distinxisse statum puræ naturæ non ex pœnis sub formalitate pœnæ, sed ex hoc nude quod affligunt, cruciant, angunt, miserum faciunt sine peccato præcedente.

Hoc igitur ipsum, in oppugnandis illis quas diximus hæreseon pestibus, spectasse Augustinum, sexcentis testimonijs ostendi posset. Nos paucis, sed perspicuis contenti erimus, quorum pleraque etiam supra recensuimus. Nam malo sub ratione mali nitebatur, quando supra dixit: *Video me in malis,*

Digitized by Google

& apud te non est iniquitas, nonne restat ut pro iniquitate erudias hominem? Quid manifestius? Et illud contra Iulianum: *Deus tuus in tot ac tantis malis quæ patiuntur aut iustitiam, aut omnipotentiam, aut ipsam curam rerum humanarum perditurus est.* Et illud: *Suorum tantos cruciatus conspiciunt parvulorum, ut sub Creatore iustissimo nullo modo imago eius in tanta ætate tanta mala pateretur, nisi esset originale peccatum.* Et illud: *Malorum omnium nostrorum causa peccatum est, non enim sine causa homines ista mala patiuntur. Iustus est Deus &c. nullo modo ista pateremur, si non mereremur.* Et illud: *Deus iniustus si tanta parvulis mala nihil peccati trahentibus irrogaret, magis esset iniustus.* Et illud: *An ita est quisquam vestrum fatuus ut fatuitatem nullum malum putet? Et non vultis fateri genus humanum trahere damnata originis noxam.* Rursum miseria sub ratione miseriæ nitebatur, quando dixit: *Nunquam istorum esset æterna miseria nisi esset magna malitia.* Et illud: *Miseria generis humani non pertinet ad omnipotentis iustum iudicium si non est originale peccatum.* Et illud: *Ostende iustum esse ut cum tam manifesta miseria nascatur, à quo peccatum originale non trahitur.* Et illud: *Iudicia Dei vos evertitis qui generis humani miserias sine ullo merito fieri dicitis.* Et illud: *Cur non miraris universi generis humani totam miseriam, & hoc mirando te corrigis ab illo errore &c.* Et illud: *Si sano cerebro considerares humanæ vitæ miserias, videres profectò quod Adam fuerit caput bonorum & causa malorum.* Et illud: *Quis tam cæcus est, ut non videat miseriam generis humani*, ut scilicet inde reatum colligat? Et illud: *Si te delectaret divina iustitia videres profectò, quod ex ipsa veniat nota omnibus humana miseria.*

Denique afflictione quacunque nitebatur, quatenus pati aliquid facit contra voluntatem, quando dixit: *Quod invitus facerem pati me potius quam facere videbam, & id non culpam sed pœnam esse iudicabam, qua me non iniustè plecti te iustum cogitans cito fatebar.* Et illud: *Propter quid affliguntur parvuli, si nullum habent omninò peccatum?* Et illud: *Languescunt agritudinibus torquentur doloribus &c. Demonstrandum est utique quomodo ista sine illa sua mala causa iustè patiantur.* Et illud: *Deus iustus est &c. tantorum ergo malorum causa iusta dicatur.* Et illud: *Propter quid ergo affliguntur parvuli si nullum habent omninò peccatum?* Et illud quo iubet *iustum Dei iudicium ex generis humani non iniusta afflictione cognoscere.* Quod si præter hæc omnia quæ supra prolixius allegavimus plura poscerentur, facile obruerem profectò lectorem tædio, & adversarium testimonijs, quibus ostendatur nunquam Augustinum ex pœna formaliter sub ratione pœnæ contra Pelagianos arguisse, ut inde peccatum præcedere debere concluderet, sed semper ex ipsis malis materialibus, ex miserijs, ex cruciatibus, ex afflictionibus, ex jugo calamitatum quibus inviti premimur, culpam collegisse præcedentem, hoc est, ex illis materialibus malis collegisse pœnam culpæ formalem. Quem enim in alium sensum, quo probabilitatis colore torqueri possunt ista verba doctissimi Patris: *Vnde potuerunt in tantum malum ruere, fatuitatis, si nulla origini debetur pœna vitiata?* Et illa: *Itane verò tanta in parvulis mala, tu qui non invides, non vides?* Et illa luculentissima: *Omitto commemorare quæ mala in hac ipsa transitoria vita penè omnes patiantur infantes, & quomodo explicetur quod dictum est, grave iugum super filios Adam &c. Quæ utique mala sub iusto & omnipotenti Deo non irrogarentur eius imagini, quibus malis in virtute exercere infantilis ætas non potest dici, si nulla ex parentibus mala merita traherentur.* Et illa adhuc apertiora: *Hæc autem mala parvulorum non ea quæ habere negantur à vobis, sed quæ perpeti cernuntur ab omnibus nobis, tu prætermittis omninò nec respicis: exspatiaris ibi vir disertissimus & exerces ingenium ac linguam tuam in laude naturæ. Natura ista in tantas & tam manifestas collapsa miserias &c.* Et illa quavis luce clariora: *Quid apertius quam quod ait Apostolus peccatum in hunc mundum intrasse &c. Quod si probare idem cogeretur Apostolus ipsam humani generis miseriam testem daret, quæ incipit à gemitibus parvulorum, & usque ad decrepitorum gemitus pervenit. Nullo enim modo sub cura omnipotentis & iusti eadem tam magna miseria naturæ irrogaretur humanæ, nisi in duobus hominibus tota de paradisi felicitate in hanc infelicitatem peccati merito pelleretur.* Ex ipsa videlicet spectabili omnium oculis miseria, quam Iulianus velut naturalem prædicabat, invictè se colligere putat veram esse Christianam fidem in verbis Apostolicis fundatam, quæ tradunt præcessisse peccatum. Quod & alibi eodem modo conficit: *Dic causam parvuli, dic reatum, & cur recens natis ista contingunt? Qui non vis verba Apostolica sic accipere, quemadmodum accepit ex quo est instituta Catholica Ecclesia: & quemadmodum suis tam perspicuis malis confitetur natura. Et tamen in mensura & numero & pondere disponens omnia, neminem finit mali aliquid perpeti quod non meretur.* Non video sane nisi velimus de victoria non de veritate contendere, qui fieri posset, ut adversus tam crebra, luculentaque testimonia, vel fingi posset, Augustinum contra Pelagianos Manichæosque differentem ex pœna formaliter sumpta, argumentum ad culpam ducere. Omnia namque unanimi altissima que voce clamant, hoc eum velle, quod illa quæ oculis quotidie spectamus mala, afflictiones, miseriæ, cruciatus, aut quocunque voces nomine, cum quibus humana natura oritur atque moritur, & sub quibus omnium infelicitas gemit, convincant necessariò præcessisse peccatum. Alioquin enim nulla ratione ab injustitia posse defendi Deum, qui creaturam innocentem tantis miserijs titulo puræ naturæ, ut asserebat Iulianus, mancipaverit.

Lib. 6. cont. Iul. cap. 1.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 3.

Ibidem.

Lib. 1. oper. imperf. f. 15

Lib. 1. oper. imperf. fol. 190.

Itaque non ex pœna formaliter sumpta sed potius è contrario ex materialibus illis miserijs animum cruciantibus culpam colligit Augustinus: & consequenter ex eo quod sine culpa infligi nequeunt, colligit etiam esse supplicia, hoc est esse pœnas formaliter.

Quomodo

Quomodo enim posset Augustinus sine ridicula principij petitione supponere, illa mala quæ parvuli patiuntur esse pœnas formaliter sumptas ut inde culpam colligat, cùm hoc ipsum directè & in terminis negaret Iulianus? Tantopere quippè negabat omnes illas parvulorum miserias esse supplicia seu pœnas formaliter sumptas, ut eas nec mala quidem nominanda esse censeret, sed à Creatore non puniente sed instituente creaturam suam naturaliter profluxisse. Hoc enim jam supra aliquoties demonstravimus.

Hoc testatur etiam disertis verbis Augustinus: *Sine dubio fateris rebellem* esse concupiscentiam *& supplicium non fateris, quod adversus teipsum bellum geris.* Ecce fatetur concupiscentiam esse rebellem voluntati & consequenter molestam, sed non esse pœnam formaliter quod supplicium dicimus. Et alibi: *Mortem qua omnes moriuntur non vis ex peccato in omnes fecisse originaliter transitum ne cogaris fateri simul etiam originaliter transisse peccatum. Sentis quippe quam iniquum sit sine merito transisse supplicium.*

Lib. 6. cont. Iul. cap. 10.

Lib. 2. oper. imperf. fol. 275.

Ecce apertissimè testatur Augustinus Iulianum nolle mortem (& eadem ratio de ceteris omnibus malis) esse supplicium, hoc est, pœnam esse formaliter sumptam, imo nec ex peccato quidem accidisse, ne per istam confessionem culpam fateri cogeretur. Quomodo ergo Augustinus adversus eum posset nisi delirando supponere, quod mors cete- A raque mala sint pœnæ formaliter sumptæ? Mala igitur illa materialia quatenus naturam rationalem doloribus torquent, & amorē rationalis ac liberæ volūtatis frustrant, urget semper Augustinus, & inde concludit fieri nullo pacto posse ut in illo puræ naturæ statu, quem Iulianus asserebat, sine culpa præcedente ex voluntate Creatoris adhæserint. Quod ex nulla fortassis luculentiori probatione cernere licet, quam ex ea qua supra latè declaravimus, hoc ipso esse aliquod malum creaturæ rationalis, adeoque miseriam, quo diligitur bonum quod ei tollitur. Nam inde statim conficit hoc accidere creaturæ innocenti nullo modo posse nisi per injustitiam Creatoris. Loca superius fusè recensita vide. Hic vnus sufficit: *Si amatur patria magna pœna est* exulare à patria: *si autem non amatur patria peior est cordis pœna.* Pœnam hic B vocat magnam, magnum malum. Nam statim subjicit: *Parvum malum est in hominis corde qui societatem non quærit sanctorum qui non desiderat regnum cælorum?* Iam vide quomodo statim inde colligat non posse citra injustitiam tam magnum imo vel parvum innocenti infligi malum. *Hic*, inquit, *defende iustitiam Dei, quare vel parva pœna*, id est parvum malum, *infligitur innocenti in quo nullum invenitur omnino peccatum*, videlicet juxta tuam Pelagiani hominis de puris naturalibus hypothesin.

Vide l. 1. de statu pu. nat. cap. 4.

Serm. 12. de verb. Ap. c. cap. 6.

CAPVT XI.

Nullum qualecunque malum inferri à Deo potest creaturæ rationali sine culpa. Luculenta Augustini testimonia.

VT verò omnis omninò tergiversandi ansa tollatur, non fuit contentus Augustinus ex generali illo miseriarum omnium jugo, concludere, quod injustus Deus sit, si illud humano generi sine culpa per puræ naturæ creationem vel aliâ quacunque ratione imposuerit, sed etiam ex singulis particularibus malis tam animi quam corporis invictissimè sequi docet falsam esse puræ naturæ suppositionem, & injuriosam Deo, falsam inquam, & injuriosam Deo, non vi alicujus hypothesis, quòd primi homines in gratia creati sunt, vel vi creationis ad supernaturalem statum elevati, sed nudè ex eo duntaxat quod non solum non illud grave totius mortalitatis jugum, sed nec ullum quidem ex illis omnibus singulare malum, quod sive mors, sive corporis corruptibilitas, sive ingenij tarditas, sive aliud quodcunq; miseriæ genus, quod Pelagiani humanæ naturæ velut puræ tribuebant, innocenti creaturæ inferri possit sine iniquitate Creatoris.

Mortem illam corporalem nemo sanus dubitat esse grave creaturæ rationalis malum. Hoc Pelagiani ex natura ut brutis adhærere statuebant. Negat Augustinus hoc posse fieri, vel certè injustum esse Deum, qui non pœ- A nam aliquam formaliter sed istud ipsum materiale malum, quod ista hæresis materialiter ex Creatoris institutione derivabat innocentibus hominibus imposuerit. *Si mors*, inquit, *non pertransisset non omnes homines, quantum ad istam conditionē mortalium pertinet, morerentur &c. quia non erat iustum sine crimine transire supplicium.* Et libro quarto ad Bonifacium: *Sed Pelagiani* (eundem scilicet) *quomodo dicunt solam mortem ad nos pertransisse per Adam? Si enim propterea morimur quia ille mortuus est, ille autem mortuus est quia peccavit, pœnam dicunt transire sine culpa, & innocentes parvulos iniusto iudicio puniri trahendo mortem sine meritis mortis.* Mortem verò esse pœnam esse supplicium, non ex eo probat, quia correlativum culpæ est, sed ex eo quia malum est, quia illud exhorret creatura rationalis, ut inde constet culpam esse necessariam ut justè creatura morte crucietur. *Quoniam*, inquit, *mortem nisi æternam non vis esse pœnalem; si mors pœnalis non est, quæ à corpore animam separat, cur eam timet natura, quam sic laudas ut neges esse vitiatam? Quid causa est, ut infans ubi paululum ab* B *infantia progredi cœperit, iam formidet occidi? Cur non ita it in somnum sensus est proclivis in mortē? &c. Si ergo frustra mors timetur, ipse timor eius est pœna: Si autem anima separari à corpore naturaliter* non

Lib. 2. oper. imperf. fol. 273.

Lib. 4. ad Bonifac. c. 4.

Lib. 2. oper. imperf. fol. 358. & 371.

non vult ipsa mors pœna est, quamvis eam in usum bonum gratia divina convertat.

Corruptibilitas corporis, dæmonum incursus & vexatio corporalis, magnum utique malum est. Negat ea ulla justitia in creaturam rationalem servire posse, quicquid tandem Iulianus de statu naturæ puræ fingeret: *Vos autem qui hoc negatis* (peccati contagium) *ea saltem quæ aperta sunt attendite, cur nonnulli etiam dæmonē patiantur infantes?* Et paulò post: *Tu autem quare sit sub diabolo ille saltem infans qui manifestissime vexatur à diabolo, ita ut aliquando ipsâ vexatione moriatur, responde si potes.* Nempe juxta statum puræ naturæ. Et alio in loco in libris operis imperfecti: *Quando parvulum spiritus vexat immundus, animamq́; eius & corpus affligit, sensus sanitatemq́; pervertit, nonne universa eius quam Deus instituit natura turbatur? Nec invenitis omnino tanti huius mali meritum negantes originale peccatum.* Quasi diceret, cùm tamen perspicuum sit, tantum malum sine merito non posse contingere. Nam ideo statim premit adversarium ut culpam tanto malo dignam proferat: *Dic causam, parvuli dic reatum, & cur recens nato ista contingant, qui non vis verba Apostolica sic accipere, quemadmodum accepit, ex quo est instituta Catholica Ecclesia, & quemadmodum suis tam perspicuis malis cōfitetur natura.* Ecce ipsa malorum evidentia quibus natura premitur, cogit hominem etiam puræ naturæ laudatorem confiteri, quod peccatum aliquod naturam vitiaverit, ut tantis malis posset affligi.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 5.

Lib. 2. oper. imperf. fol. 290.

Monstrositas corporis profectò malum est: nec hoc infligi innocenti potest: *Malum si nullum ex origine traherent* (parvuli) *nunquàm cum vitiis vel corporalibus nascerentur. Deus enim qui est animorum, ipse est etiam corporum conditor, qui utique humanæ in ipsa conditione naturæ vitia non infligit immeritæ.* Eadem omninò ratio est apud Augustinum de omnibus animi malis. Nam sicut ea quoque Pelagiani, imprimisque Iulianus ex puræ naturæ conditione proficisci volebat, ita constanter docet Aug. hoc citra injustitiam nullo modo posse sentiri.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 6.

Ingenij obtusio ac tarditas, magna profectò sunt animæ rationalis mala: hæc negat posse Deum per statum puræ naturæ concreate innocenti: *Falsa loqueris, nam neque ratio, neque sana eruditio, neque iustitia, neque pietas, neque sacra testimonia vestro dogmati* de puræ naturæ malis *suffragantur. Imo hæc omnia sicut hi qui rectè intelligunt iudicant, vestrum dogma subvertunt. Ratio quippe cernit vix ad aliquid veri se posse pervenire tarditate impediente naturæ. Eruditio pœnam laboris habet in eadem tarditate naturæ. Iustitia clamat non ad se pertinere, ut Adam filij gravi iugo* miseriarum, quas tu quasi puræ naturæ tribuis *premantur a die exitus de ventre matris suæ, in virtute exerceri infantilis ætas non potest dici, si sine ullo merito peccatorum pietas adversus hoc malum divinum poscit auxilium. Sacra testimonia ut hoc fiat humanum admonent animum.* Et alibi cùm perfectissimè in puræ naturæ statu Iulianus parvulum collocasset, asserendo eum *sine laude, sine crimine voluntatis hoc solum habere quod à*

Lib. 2. oper. imperf. fol. 220.

Lib. 1. f. 61. & 62.

Deo conditore suscepit, reijcit ejus hypothesim velut impossibilē sine præcedēte peccati merito: *Quare ergo*, inquit, *grave iugum super eum a die exitus de ventre matris eius? Cur tanta corruptibilitas corporis ut aggravaretur anima eius? Cur tanta mētis obtusio ut etiā plagis erudiatur tarditas eius? Quousq; Iuliane gravis es corde? Quousque diligis vanitatem & quæris mendacium quo vestra hæresis fulciatur?* Vbi nec aggravationem animæ ex corporis coruptibilitate sine peccati merito fieri posse docet, paulò post adhuc luculentius tradit: *Si aggravata ætas illa* (parvulorum) *iniquitatem iudicii convincit ut dicis; itane non est aggravata gravi iugo super filios Adam? Et tamen non est hinc iniquus Deus, ac per hoc merito est aggravata.* Ibidem.

Nihil enim apertius ex Augustini mente est, quam Dei iniquitatem secuturam esse, si sine merito juxta Pelagianum dogma fuisset aggravata.

Fatuitas illa quasi naturalis quæ in quibusdam morionibus deridetur creaturæ rationalis malum est: Et ex hoc ipso capite Pelagianum illud puræ naturæ commentum destruit, utpote quæ non possit animæ rationali sine peccati iniquitate contingere: *Iam verò quis ferat, quod ad ipsum spectat animum imaginem Dei, innocentia, sicut asseris, dote locupletem*, hoc est in puris naturalibus constitutam, *fatuam nasci, si nulla ex parentibus mala merita in parvulos transeunt? An ita est quisquam vestrum fatuus ut fatuitatem nullum malum putet, cum Scriptura dicat, mortuum septem diebus, fatuum verò omnibus diebus esse lugendum? Quis autem nesciat quos vulgo moriones vocant, natura ita fatuos ut quibusdam eorum pæne sensus pecorum conferatur, & non vultis fateri genus humanum ex vitio quo deseruit Deum trahere damnata originis noxa his omnibus dignissimam pœnis.* Lib. 3. cont. Iul. cap. 4.

Hic perspicuè vides simul omnia, & Iulianum profiteri naturæ puritatem, & Augustinum non contrarium supponere, non ex pœna sub ratione pœnæ, sed ex fatuitate sub ratione fatuitatis, seu lugendi mali, puræ naturæ hypothesim subvertere, utpote cùm istud malum imaginem Dei sine peccati merito fœdare non posset; Vnde & libro quinto adversus eundem Iulianum, etiam in illa ipsa hypothesi puræ naturæ Pelagiana meritū postulat, ut justè homines cum tanta fatuitate nascantur: *Sunt qui tanta cordis obtusitate nascuntur ut similiores pecoribus quam hominibus esse videantur. Quorum tantæ fatuitatis, quæ in illis naturalis apparet non potestis ullum dicere meritum, qui nullum esse dicitis originale peccatum.* Et alibi Iuliano similiter prædicante: *bonum inviolatæ inculpatæq́; naturæ*, quo parvuli velut in puræ naturæ statu pollent, chimericum istum statum ex illo malo fatuitatis expugnat: *Vt omittam naturâ fatuos multo amplius lugendos, Scripturâ teste quam mortuos. Quos quidem & ab isto tanto malo potest Dei gratia per sanguinem mediatoris eruere. Sed unde potuerunt in tantum malum ruere si divino iudicio nulla origini debetur pœna vitiatæ.* Et de iisdem statim iterum: *Nec tamen eis sub Deo iusto, unde hoc accidere potuerit inventurus es si nulla* Lib. 5. c. 4. Lib. 6. cont. Iul. cap. 1.

Digitized by

nulla expetentibus trahuntur merita filiorum. Et cum Iulianus doctrinam suam qua ista velut naturaliter naturæ puræ cohærentia accidere posse sentiebat, ita perspicuam certamque judicaret, ut Augustinum *in quadam meridie comperta veritatis sine obumbramento ignorationis insanire* jactaret, omnes exitus ex laqueis istius argumenti toties repetiti claudit Augustinus, ut tandem animadverteret, sine errore vel blasphemia ei non posse per statum puræ naturæ satisfieri: *Itane verò tanta in parvulis mala, tu qui non invides non vides? Bonus est Deus, justus est Deus. Extranea prorsus mala est nulli naturæ, quæ nostræ natura secundum Manichæos credatur admista. Vnde sunt non dico in moribus* quia hoc propria iniquitate contingit, *sed in ipsis ingeniis, cum quibus nascuntur tanta hominum mala, si non est humana origo vitiata, si non est massa damnata?* Nonne perinde est ac si apertè diceret, tu qui statum puræ naturæ in hominibus prædicas, nunquam poteris dare rationem cur cum tantis malis ex utero matris prodeant, nisi vel Dei bonitatem vel justitiam neges, vel hæresim manichææ de mali commixtione veram esse fatearis? Quod quidem argumentum ex fatuitate ductum & alijs tractat locis, sed ista satis fuerint, ut mentem ejus constantissimam hanc esse sine ambiguitate teneamus, per statum puræ naturæ justitiam Dei nullo modo posse defendi, eo quod nulla ratio dari posset cur fatuitas obtusio ac tarditas, cur animæ ex corpore aggravatio, cur cæcitas, surditas, corporis corruptibilitas, atque monstrositas cur dæmonum vexatio, ipsaque mors, cur denique universum istud grave jugum quo status ille atteritur, imaginem Dei innocentem sub tanta Dei potestate premant. Hæc enim omni voce altius clamant; sicut ubique inculcat Augustinus, non esse justum Dei omnipotentis judicium si nullum est in creatura ista patiente peccatum. Cujus proinde justitiæ & omnipotentiæ consideratione generalissimè de omnibus omninò malis concludit profundissimus Doctor, *si nullum esset peccati contagium profecto nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore vel in anima sub* TANTA IVSTI DEI POTESTATE PATERENTVR.

Ibidem. — Ibid. — Lib. 3. contra Iul. c. 9.

CAPVT XII.

Deus miserias puræ naturæ non permissive tantum inferret creaturæ rationali sed positive. Et utrovis modo injustus.

NAM quod quidam hanc iniquitatem quæ secundum Augustinum sequeretur, se probè à Deo arcere posse suspicantur, si dicant hoc permissive tantum fieri, sicut artifex sinit rubiginem in ferro ex quo cultrum fabricat, nullas in hujus sancti doctrina vires habet. Non enim solummodo Deum ista mala justè inferre posse innocentibus negat, sed etiam posse permittere. Nam inde est istud in quæstionibus octoginta tribus: *Deus quovis homine optimo atque justissimo longè atque incomparabiliter melior & justior est. Justus autem regens & gubernans universa, nullam pœnam cuiquam sinit immerito infligi.* Inde illud in alia quæstione: *Si propterea gravia perpeti justos Deus sineret, quia contra ordinem rerum à se dispositum nollet venire, nec ipse justus esset, non quia dispositionem suam servare non vult, sed quia ita disposuit ipsum ordinem rerum, ut immeritis pœnis justi affligantur.* Quid apertius, quàm non posse Deum talem rerum ordinem sive puræ naturæ, sive alium quemcumque instituere, ut immeritis pœnis aliquis affligatur? Inde & illud in Epistolis: *Demonstrandum est utique quomodo ista mala parvuli sine ulla sua mala causa juste patiantur. Non enim dici fas est, aut ista ignorante Deo fieri aut eum non posse resistere facientibus, aut injustè ista vel facere vel* PERMITTERE. Inde illud contra Iulianum, cùm eum ex justitia Dei, ad abjiciendum puræ naturæ statum vellet adigere; *In mensura & numero & pondere disponens omnia Deus, neminem* SINIT *mali aliquid perpeti quod non meretur.* Inde denique est illud adversus eundem Iulianum, cùm enim *blasphemare* dixisset *martyrum Deum*, eo quod per puræ naturæ statum parvulis tanta mala innocentibus irrogaret, rationem reddit, quia *ipse est omnipotentissimus, qui grave jugum quo premuntur filij Adam ex die nativitatis suæ, procul dubio ab eis posset auferre, imò nec ullo modo illud imponeret* IMPONIVE PERMITTERET, *nisi peccata in eis cum quibus nati sunt inveniret.* Ecce eâdem omninò justitiæ lege prohiberi Deum docet, ne ista mala vel aliquid mali infligat immeritis, & ne infligi aut imponi, aut perpeti sinat.

Lib. 83. qq. q. 24. — q. 82. — Epist. 28. ad Hieron. — Lib. 2. oper. imp. f. 190. — Lib. 2. oper. imp. f. 32. & 33.

Enimvero si rem istam suis momentis attente trutinemus, immerito videtur dici quod Deus in puris quæ dicuntur materialibus hominem condens, prædicta corporis & animi mala non inferat, sed permittat. Nam quamvis non sit opus, ut ista mala positivâ Dei operatione fiant, quia privationes dumtaxat sunt, hoc ipso tamen quo materiam nemine omnino sive hominum sive Angelorum aliquo voluntatis motu causam aut occasionem aut ansam dante, talem ex multo melioribus sua liberrimâ voluntate deligit, ex qua hujusmodi mala naturali necessitate sequi debent, quicquid inde naturaliter, nullo liberæ voluntatis actu intercedente sequitur, hoc

Digitized by Google

Deus non permittit, sed facit, & ipsi tanquam hoc facienti imputari debet. Vide expertissimis verbis Augustinus tanquam de re clarissima: *Quomodo non creatori deputandum est, quicquid in eius creatura fieri necesse est?* Talem quippe materiam ex pluribus seligendo vult opus inde fabricatum non solum posse deficere, sed deficere. Quod in defectibus rerū naturalium valde manifestū est. Illi quippe non permissi in creaturis, sed à Deo intenti sunt, ut corporum orientium & morientiū successione, rerum corruptibilium universitas & pulchritudo perageretur. Non aliter autem intenti sunt, nisi quia de industria materiam ex diversis elementis inter se pugnantibus temperatam eligendo, cùm posset aliam, noluit eas permanendi firmitate subsistere, sed certis legibus unā alteri cedente transire. Quod Augustinus non uno loco perspicuè docet. Nam quando dicit: *Illud in rebus facile animadverti potest, quod plerumque in nonnullos usus explendæ indigentiæ suæ natura potentior infirmiorem corrumpit; vel justitia ordine dum vindicat culpam, vel ordine mutabilium rerum sibi cedentium secundum leges congruentissimas pro valentia cujusque partis universitati datas*: satis apertè tradit, Deum non permisisse, sed de industria procurasse, ut certis & congruentissimis legibus in rebus sublunaribus res sibi mutuo deficiendo succederent. Et quando dicit: *Omnia temporalia quæ in hoc rerum ordine collocata sunt, ut nisi deficiant non possint præteritis futura succedere, ut tota temporum in suo genere pulchritudo peragatur, absurdissimè dicitur non debere deficere. Quantum enim acceperunt, tantum agunt, & tantum reddunt ei cui debent quod sunt in quantumcunque sunt*: satis apertè tradit defectus corruptibilium rerum à Deo non permissos tantum, sed destinatā voluntate esse provisos. Et quando dicit: *In iis igitur rebus, quæ ideò deficiunt, quia non ultra esse acceperunt, ut suis temporibus omnia peragantur, nemo defectum rectè vituperat, quia nemo potest dicere debuit permanere, cùm acceptas metas transire non posset*; nemo non videt Deum defectus rerum transeuntium certas metas earum durationi sanciendo, quas transire non possent, non solum permisisse, sed ut certum finem assequerentur, etiam procurasse. Quis enim iste sit finis, disertis verbis Augustinus explicat, ut quia non solum in stabili rerum incorruptibilium firmitate quædam pulchritudo cernitur, sed etiam in ordinatissimo rerum corruptibilium transitu, per illos defectus rerum sibi succedentium oriretur quædam earum universitas, quæ simul esse & permanere non poterant, & ita simul ineffabilis quædam in illa mutabilium successione pulchritudo cerneretur. Finis iste præclarissimus Deoque dignissimus, quia sine rerum defectibus, hoc est, ortu & occubitu aliisque mutationibus haberi non poterat, illi à Deo non permissi, sed quæsiti sunt, eo animo quo defectus quæri solent. Nimirum quia res ita de industria temperavit, ut infirmior potentiori cederet, & ita totius universi quasi cujusdam numerosæ cantionis paulatim transeuntis pulchritudo laudaretur. Quis enim ita à communi sensu alienus est, ut eum qui vel sententiosè loqui aut canere concinnè velit, vocum sibi cedentium successionem atque defectus, & interposita congruentibus locis silentia, non intendere, sed permittere tantum arbitretur? Cujus cantionis aut locutionis si quis unam particulam diligeret, nec eam vellet ceteris deficiendo locum dare, quibus decedentibus & succedentibus totus ille sermo contexitur, mirabilis dementiæ censeretur. Ex quo sanè manifestum est hujusmodi defectus naturalium rerum non permitti tantum, sed etiam deligi, quia maximos in rerum universitate fructus afferunt. Alioquin enim dicere possemus etiam noctem quieti animalium tam necessariam, omnesque rerum sublunarium mutationes quæ sine defectibilitate atque defectibus peragi nequeunt, non certo Deum destinatoque consilio instituisse, sed permisisse. Quamquam supervacua est ista in rebus perspicuis cavillatio: Nam sive defectibilitates illas Deum permittere, sive etiam procurare velis, nemo sanæ mentis dubitare finitur ipsi Deo non creaturis mutabilibus defectus illos naturales esse voluntarios, esse tribuendos, esse imputandos. Nam ut Augustinus, *Absurdissimè dicitur eas non debere deficere. Quantum enim acceperunt tantum agunt & tantum reddunt ei cui debent.* Cui autem debent, nisi sic & non aliter instituenti Deo cùm acceptas metas transire non possint? Quæ si & suapte luce, & Augustini attestatione perspicua sunt, frustra dicitur Deum instituentem pura naturalia, priusquam ullus creatæ voluntatis motus ansam dederit defectus illos puræ naturæ seu mala ista naturalia non inferre, sed permittere. Ita quippe illa facit sicut in brutis facit, & ita illi imputanda, sicut defectibilitates brutorum imputantur. Nam sicuti tota pulchritudo & universitas brutorum illa successione transeuntium animalium ab initio ad mundi finem usque proditur & spectatur, istoque scopo mutabiles ac defectibiles fecit, ita etiam in illo casu corpus homini corruptibile deliberato proposito temperaret, ut ab uno ordinatā quādam serie sibi nascendo succedentes, pulchritudinem & universitatem generis sui, sicut carminis transeuntis, illā successione monstrarent. Sed absit ut ita Deus velit creaturarum suarum ostentare pulchritudinem, ut suam vitiet, aut ita creando præbere bonitatem, ut amittat, immeritos affligendo, justitiam. Cùm enim & corpus eorum ipse fecerit, ipse elementa in corpore temperaverit, ipse furiosos illos & contrarios appetitus inseruerit, cui quæso molestia & miseria quæ inde nascitur, imputari debet nisi sic instituenti Deo? Vt enim optimè Augustinus: *Quomodo non creatori deputandum est, quicquid in eius creatura fieri necesse est.*

Quod si etiam Deus non faceret materiam corporum

Marginal notes: Lib. 3. de lib. arb. cap. 4. — Ibid. c. 14. — Cap. 15. — Ibidem. — Loco sup. cit. — Lib. 3. de lib. arb. c. 4.

corporum talem qualem cernimus, ex qua A hominem conderet, sed eam ut hæretici *materiarij* voluerunt, sibi coæternam paratamque cum suis corporeis qualitatibus inveniret, unde mala nostra nascerentur, adhuc ea Deus non permitteret, sed faceret. Cùm enim sit omnipotens, easque qualitates materiæ malas mutare posset, nec tamen vellet, nulla culpa creaturæ quæ inde conditur provocante profecto non materiæ neque creaturæ, sed conditori ejus defectus imputandi sunt, & eorum autor haberi ac dici debet. Ipse quippe talem esse voluit, qui cùm eam mutare potuisset, nec aliter nisi per ipsum mutare posset, mutare noluit. Ita unanimi consensu censuerunt antiqui Patres, quoties refellendi erant hæretici, qui materiam quandam increatam velut miseriarum nostrarum autricem incusarunt, ne Deus inde condens hominem, mala quoque fecisse crederetur. Docuerunt enim B eodem prorsus modo rerum censendum esse, ac si ipsa mala destinatâ voluntate fecisset. Ita tradit Maximus Vir doctissimus, cujus lacinia Eusebianæ vesti intexta est πῶς τοίνυν αὐτὸν τὰς τῶν φαύλων ποιότητας ὡς εἶχον καταλελοιπέναι λέγεις; πότερον δυνάμενον μὲν κἀκείνας ἀνελεῖν, οὐ βουληθέντα δέ, ἢ τὸ δύνασθαι μὴ ἔχοντα; εἰ μὲν γὰρ δυνάμενον λέξεις, οὐ βουληθέντα δὲ αὐτὸν, αἴτιον τούτων εἶναι ἀνάγκη, ὅτι δυνάμενος ποιῆσαι μὴ εἶναι κακὰ συνεχώρησεν αὐτὰ μένειν ὡς ἦν, καὶ μάλιστα ὅτε δημιουργεῖν τὴν ὕλην ἤρξατο. *An, inquit, quod illas qualitates materiæ, ut tollere similiter ac delere potuisset, noluerit tamen? An potius quod id perficere nullo modo potuerit? Si potuisse concedis, negas voluisse; illarum causam in Deum conferas necesse est, qui cum eas innata malitia liberare posset, suam tamen eas conditionem relinquere maluerint, quo potissimum tempore materiam elaborandam conformandamque susciperet.* Quod uberius in eadem lucubratione C declarat ac probat. Ita Tertulianus contra Hermogenem instanter & sæpè: *Aut enim potuit emendare malum materiæ, aut noluit: aut voluit quidem, verum non potuit infirmus Deus: Si potuit & noluit, malus & ipse, quia malo favit: & sic iam habetur, eius quod licet non instituerit, quia tamen si noluisset illud esse, non esset, ipse iam fecit esse, quod noluit non esse. Quo quid est turpius? Si id voluit esse, quod ipse noluit fecisse, adversus semet ipsum egit, cùm & voluit esse quod noluit fecisse, & noluit fecisse, quod voluit esse. Quasi bonum voluit esse, & quasi malum noluit fecisse. Quod non faciendo malum indicavit, id sustinendo bonum pronunciavit. Malum pro bono sustinendo & non potius eradicando assertor eius inventus est: malè si per voluntatem, turpiter si per necessitatem. Aut famulus erit mali Deus aut amicus, cum materia malo conversatus, nedum etiam de malo eius operatus.* Et infrà brevius: *Iam enim sine causa laboras, ne malorum autor constituatur Deus: quia* D *etsi de materia fecit, ipsi deputabuntur, qui fecit, proinde quatenus fecit. Plane sic interest unde fecerit, ac si de nihilo fecisset.* Et quibusdam interpositis: *Hæc si ita sunt, nescio quo possit evadere sententia Hermogenis qui Deum, quoquo modo de materia malum condidit, sive voluntate, sive necessitate, sive ratione, non putet mali autorem. Porrò si mali autor est ipse qui fecit planè socia materia per substantiæ suggestum excludit iam causam materiæ introducendæ. Nihilominus & per materiam Deus autor mali ostenditur, si ideò materia præsumpta est, ne mali autor videretur.* Ita Origenes contra errorem Valentini qui ex materia indolata quædam facta meliora quædam rudia relicta esse somniabat atque inde fieri mala: *Quærendum est utrum Deus, cùm posset mala relinquere, noluerit tamen. vel cùm posset, non habuerit? Etenim si facultatem adesse, deesse verò dixerimus voluntatem, eum necesse est machinatorem malorum appellare, quia cùm potuerit efficere ne mala essent, illa tamen manere, ut erant, permiserit, maximè verò cùm ille materiam subigere & formare cœperit.* Quod pluribus exequitur. Ita denique Augustinus adversus suas de materia malorum autrice cogitationes: *Unde est malum? Aut unde fecit ea? Materies aliqua mala erat & formavit atque ordinavit eam, sed reliquit aliquid in illa quod in bonum non converteret? Cur & hoc? An impotens erat totam vertere & commutare, ut nihil mali remaneret, cùm sit omnia potens? Postremo cur inde aliquid facere voluit, aut cur non potius eadem omnipotentia fecit, ut nulla esset omnino? Aut verò existere poterat contra eius voluntatem?* &c. Apertè significans quocunque se vertant isti materiæ architecti, mala ex materia in Dei voluntatem infirmitatemve redundare. Quod si malorum Deus autor fuerit, si ea ex materia ab æterno præjacente fluere sinit, quanto verior, directior & inexcusabilior eorum autor fuerit, si materiam corporum talem ipse excogitaverit, ipse creaverit ipse cum spiritu junxerit unde necessario tot concupiscentiæ, tot ignorantiæ, tot dolores, tot mœrores, tot denique miseriæ in corpus & animam naturæ rationalis erumperent?

Quod acutissimè viderunt Ethnici Philosophi, qui primi Christianos ex conditione materiæ mala proficisci docuêre. Nam ne in eundem laqueum inciderent quem vitare satagebant, ut mala ex materia in Deum revolverent, utpote qui materiam solo nutu suo mutare potuisset, statuerunt materiam illam fuisse immutabilem: Stoici enim apud Senecam dicebant à magno artifice formari prima, quia *id in quo exercetur ars inobsequens arti est.* Et ex suo sensu causam reddit cur Deus bonis viris *paupertatem vulnera & acerba funera* adscribat, quia, *non potest artifex mutare materiam. Hac passa est.* Nempe videbant, si materia nutui Dei subjacet, & ipse talem, talium autricem miseriarum, nemine cogente, nemine consulente, nemine peccatis suis bonitatem ejus irritante, sponte deligit, quicquid inde malorum nascitur, voluntati ejus sine ulla dubitatione esse tribuendum. Quod ut contra hæreticos urserunt paulò ante Maximus, Tertulianus, Origenes, ita contra Philosophos Arbonius: *Mala ergò, dicitis, unde hæc omnia? Ex elementis inquiunt, & ex eorum*

Maximus apud Eusebi. lib. 7 de præpar. evang.

Lib. contra Hermog. c. 10.

Cap. 14.

Cap. 16.

Dialog. 3 de ortu malorũ.

Lib. 7. Confess. c. 5.

2. q. natur. in prolog.

De Provid. c. 5.

Lib. 2. contra gentes.

[...]ized by Google

eorum inæqualitate sapientes. *Quod qui fieri posse, ut qui sensum & judicium non habent, maleficia esse perhibeantur & noxia, aut non potius ille sit malitiosus & noxius, qui res pessimas & nocentissimas fecisse, in alicujus operis assumpsit affectum, eorum est, qui asserunt pervidere.* Nimirum hoc ipso creaturam suam inde fictam & fabricatam vult omnibus malis inde necessario pullulantibus esse subditam. Quod profecto si sine creaturæ suæ culpa ulla facit, injuste facit. Iustitia quippe clamat, ut supra Augustinus, non ad se pertinere, ut creatura rationalis gravi jugo miseriarum prematur à die exitus de ventre matris suæ, sine ullo merito peccatorum. Et Augustinus altissimæ justitiæ luce radians iterum clamat quod Deus *in mensura & numero & pondere disponens omnia* neminem non solum facit, sed nec *sinit mali aliquid perpeti quod non meretur.*

Ex isto igitur incommutabili ordine justitiæ patet etiam veritas doctrinæ quam supra libro primo latissimè tradidimus quando diximus, non posse creaturam rationalem à Deo nisi cum casta ipsius dilectione seu charitate produci.

Ratio enim est, quia impossibile est, ut eam Deus creet miseram nisi istam miseriam culpâ præcedente mereatur: nec minus impossibile, ut sine Dei dilectione non sit misera. Hoc enim ex ipsa naturæ rationalis excellentia summaque sub Deo dignitate fluit, cui beandæ nullum omninò bonum sufficere potest, nisi solus Deus, & cui sola dilectione cohæretur. Audi identidem inculcantem hanc veritatem Augustinum tanquam sibi perspectissimam: *Hoc adepto creatura rationalis beata est, quo amisso misera est.* Quod ibi declarat esse Deum. Et mox iterum: *Quod bonum immutabile usque adeo bonum est eorum, ut sine illo misera esse necesse sit.* Nempe quia, ut statim adjicit, *in tanta excellentia creata est natura rationalis, ut inhærendo incommutabili bono beatitudinem consequatur, nec expleat indigentiam suam nisi utique beata sit, eique explendæ non sufficiat nisi Deus.* Et in libro de natura boni: *Tale quippe bonum est Deus, ut nemini eum deserenti bene sit.* Et in libro Confessionum: *Cui nullo modo sufficit ad beatam vitam quicquid te minus est.* Et rursum: *Hoc scio quia male mihi est præter te.* Et alibi: *Magna hominis miseria est cum illo non esse videlicet per amorem, sine quo non potest esse.* Unde alicubi tradit, *tantam esse beatitudinem justitiæ*, hoc est Dei qui est justitia, *ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere.* Ex cujus veritatis tam densâ & solidâ Augustini contestatione liquidissimum est, creaturam rationalem si sine Dei beatifici boni sui dilectione condatur, hoc ipso necessario miseram condi; nempe quia propter non expletam naturalem indigentiam suam, inquietum erit cor ejus, & ita perturbatum diversisque raptatum cupiditatibus rerum inferiorum; quod sine magna tantæ creaturæ miseria fieri nequit. Quanquam & ipsa tam immensi boni carentia ad quod possidendum natura ejus instituta est, non potest esse nisi magna miseria. Si enim se miseros esse putant qui oculis capti sunt, aut auro argentoque spoliati, quis eum qui ipso Deo conditore & solo beatifico bono suo caret, miserum esse nisi miserrimus neget? Cùm ergò miseria debeat peccata sequi non præcedere ne a idonum lex æterna, id est ipsa divina ratio qua jubetur, ut omnia sint ordinatissima videtur; impossibile profectò erit, ut creatura rationalis sine casto Dei amore condatur.

Lib. 12. de Civit. c. 1.

Ibidem

Lib. de nat. boni c. 7.

Lib. 13. Confess. c. 8.

Ibid.

Lib. 14. de Trinit. c. 12

Lib. 3. de lib. arb. c. 15

August. Confess. c.

CAPUT XIII.

Deo per statum puræ naturæ ascribitur crudelitas improbata in Manichæis & Pelagianis.

ET ista quidem hactenus de læsa justitia Dei per puræ naturæ statum præcipuè contra Pelagianos dicta sunt, non dissimile verò est argumentum præcedenti quo Manichæos absurdiora delirantes expugnare solet. Illi namque malorum pœnalium quibus hic affligimur, originem indagantes, quamvis eam principio bono, hoc est, Deo vero, quem naturam boni vocitabant, assignare vererentur, & eam reducerent in gentem tenebrarum velut in naturam mali, ex alio tamen capite, in eandem recidebant sententiam, quam declinasse videbantur. Dicebant enim naturam boni, hoc est Deum, cùm sibi & lucidis regnis suis natura mali immineret, magnâ necessitate compulsum esse pugnare. Ut igitur temperaret gentem tenebrarum, misisse animas bonas velut partes substantiæ suæ, quæ genti tenebrarum & corpori mixtæ, miserias mortalitatis hujus in hac vita paterentur, donec per separationem boni & mali, velut ex carcere liberatæ, revolarent in beatitudinem suam, quæ verò non fuissent liberatæ, in fine mundi æternis afficerentur pœnis. In hoc figmento quamvis multi errores lateant, ille tamen ad rem præsentem spectat, quo bonas animas, sine culpa ad hujus vitæ miserias, sicut in statu puræ naturæ fieri posse dicitur, missas esse decernerent; quarum nonnullæ itidem sine culpa tandem in fine damnarentur. Contra istam sententiam Augustinus passim ex pura ratione luctatur, tanquam crudelitatis & iniquitatis plenam, quod cùm Deus non posset ullam necessitatem pati, vel ulla ex parte violari atque corrumpi, sine ullo merito malo animas,

Digitized by Google

animas, hoc est, nos in tantas miserias præcipitasset. Itaque in Disputatione contra Fortunatum, *Si Deus nihil pati potuit à gente tenebrarum quia inviolabilis est, sine causa huc nos misit, ut nos hic ærumnas patiamur.* Et paulò post: *Si poterat ei noceri, non est inviolabilis. Si non poterat, crudeliter huc nos misit, ut ista patiamur.* Et inferius conqueritur anima per prosopopeiam, quod cùm gens tenebrarum temperari non posset nisi sua corruptione: *Quomodo*, inquit, *non es crudelis qui me pati voluisti pro his regnis, quibus nihil noceri poterat ab illa gente tenebrarum.* Et in 2. Disputatione adversus eundem Fortunatum, cùm ille Deum voluntariè huc animam misisse dixisset, respondet Augustinus, *Cui noceri nihil poterat, crudelis voluntas fuit mittendi animam ad tantas miserias. Quod refellendi causa, quia loquor, veniam peto ab illius misericordia.* Et statim sæpius instanter urget, cur animas miserit ille cui noceri non poterat ad tantas miserias? Et quia exploratæ crudelitatis esset quæ nullo pacto excusari posset, concludit Augustinus: *Et ego novi non te habere quid dicas. Et me cùm vos audirem in hac quæstione nunquam invenisse quod dicerem.* Et in libro vigesimo contra Faustum: *Quid enim mali apud illum commiserati, ut in pœna ista nutu ad eum gemant?* Et in libro vigesimo primo, instat dilemmate: *Si invitas misit animas injustus, ut cogeret: si volentes ingratus, ut damnaret.* Et libro vigesimo secundo exclamat, a *O immanissimam crudelitatem!* Et in Psalmos: b *Si ergo talis Deus, crudelis quia sine causa huc vos misit cui nihil noceri poterat, quare vos misit? Ecce gens tenebrarum illi nocere non poterat. Ipse autem vobis graviter nocuit.* Et infra: *Si non timuit, gentem tenebrarum invidit: Si hoc timore non fecit, crudelitate fecit. Quam ergò iniquus est cui nihil noceri poterat & fecit, ut membris suis hic tantum noceretur.* Quid multis? Passim in libris suis crudelitatem illam exprobrat Manichæis, nec Deum excusari ullo pacto docet, quod bonas animas ad hujus vitæ miserias patiendas sine ulla culpa destinaverit. Quod si rectè concluditur contra Manichæos, nullum dubium est quin idem rectissimè concluditur contra Scholasticos, qui animas innocentes in puræ naturæ statu ad easdem hujus vitæ miserias mitti posse contendunt. Neque enim Augustinus Manichæos illius impietatis arguit vi alicujus hypothesis, quòd natura humana vel integra, vel in gratia, vel in statu supernaturali instituta fuerit, quod & nihil ad rem, & adversus tales adversarios risu potius quam refutatione dignũ, utpote qui id principium peteret, & id supponeret quod in quæstione vertebatur, sed nude ex eo quod ex ipsis terminis nimiam crudelitatem, vel etiam injustitiam spiret, innocentem animam nulli peccato obnoxiam, immeritò ad tantas miserias, quantas præsens naturæ lapsæ & consequenter commentitius puræ naturæ status implicat, condemnare.

Disp. 1. cont. Fortunat.

In 2. Disp. cum Fortun.

In fine.

Lib. 20 cont. Faust. c. 17.

Lib. 21. c. ult.

a Lib. 22. cont. Faust. c. 22.

b In Ps. 140.

Hæc ergò causa est, cur Honorius ac Theodosius Imperatores in edicto quo proscripserunt Pelagianos similis crudelitatis reum ab eis fieri Deum conquerantur; quod hominem à Deo sine ulla culpa sua in mortem corporis ceterasq; miserias, vi videlicet status illius puræ naturæ, præcipitatum esse decernerent. accipe verba eorum præclarissima adversus crudelitatem autoris purorum naturalium intonantia: *Hi (Pelagius Celestiusque) parenti cunctarum rerum Deo, præcipuæque semper majestati, & ter omnipotenti ultra omne principium transeunti, tam trucem inclementiam sævæ voluntatis assignant, ut cùm formandi mundi opificem curam sumeret, qualitatemque hominis struendi profundâ spiritus conceptione libraret, fundati muneris fidei anteferret exordium, & mortem præmitteret nascituro, non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati, sed exegisse penitus legem immutabilis constituti.* Quibus verbis perspicuè statum puræ naturæ velut à Deo juxta sensum Pelagianorum statim in initio mundi conditum veluti digito notant, & inclementis crudelitatis exhorrent. Nam ille tunc passim Christianorum sensus de illo statu erat, quem partim indito naturaliter lumine rationis, partim ex Augustini doctrina tunc ubique Ecclesiarum celeberrimâ perceperant. Ex quo factum est, ut ejusdem crudelitatis injustitiam, postmodum Pelagianis Arausicana Synodus exprobraverit ac damnaverit, dum decernit quod *Siquis mortem tantum corporis non autem & peccatum per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit.* Nimirum quia infliget miseriam sine peccato, pœnam sine culpa: quod in antiquorum doctrina Catholicorum injustum est, & unà cum puræ naturæ statu, quem ibi Synodus Arausicana respicit, Ecclesiastica & Catholica autoritate damnatum. Nam tanquam certissimum tenuerunt, id quod Augustinus adversus Pelagianos purorum naturalium architectos præformavit, & à nobis sæpe repetendum est, quod Deus justus *in mensura, & numero, & pondere disponens omnia, neminem sinat mali aliquid perpeti quod non mereatur.* Et illud robustissimum & læthale eidem errori telum intorsit: Quod *neque sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur, possit.* Quo unico vulnere à divina justitia inflicto hæresis Pelagiana & Manichæa, puræque naturæ status radicatus succisa moriuntur.

In rescripto Imper. Honor. & Theod. ad Palat. Præf. s. Ct. Prætor. apud Baron. anno 418.

Conc. Arausic. Can. 2.

Lib. 2. oper. Imperf. fol. 490.

Lib. 1. f. 33.

CAPUT.

CAPVT XIV.

Catholici, Pagani, Hæretici tam Pelagiani quàm Manichæi, Marcionitæ, Materarij &c. viderunt non posse sine injustitia tribui Deo miserias creaturæ innocentis. Hinc in diversos errores itum, ne Deum læderent.

HÆc enim divina justitia in administrandis pœnis atque miserijs naturæ rationalis, tam est manifesta, tam plana, tam profundè naturali judicio humanæ mentis insculpta, ut omne hominum genus, non modo fidelium, qui Scripturis sacris divinæque beneficio revelationis imbuti sunt, sed etiam eorum qui à divinis traditionibus remotissimi fuerunt, ex malis atque miserijs creaturæ rationalis peccatum necessario præcedere debuisse, & quærendum esse vel in hac vel in alia vita conjecerint. Vidit hoc & ursit velut invictum argumentum sæpius Augustinus, non adversus hæreticos tantùm, ut jam sæpè vidimus, qui statum puræ naturæ sine culpa præcedente introducere voluerunt, & omnem hypothesim contrariæ revelationis vel conditionis in gratia, vel elevationis ad supernaturalem statum respuebant, sed etiam adversus Paganos, ut eos sola naturalis rationis luce convinceret. Nam inde est quod in libris de Civitate Dei qui ad redarguendos homines fidei expertes scripti sunt, ex solis pœnis atque miserijs velut per se manifestum colligat, humanam vitam pro peccato aliquo esse damnatam. Nam hanc argumenti sui vim ipse sæpè declarat. Lib. 22. de Civit. c. 22. *Quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita si vita dicenda est, tot & tantis malis plena testatur.* Quorum cùm luculentum catalogum texuisset, Cap. 23. concludit ut inceperat, *Quam vitam tot tantorumque testimonio malorum probavimus esse damnatam.* Et radices tangens efficaciæ talis probationis, non fidem profert, non gratiam, non elevationem supernaturalem aut aliquid hujusmodi, quod Paganis inauditum est, & nihil spectat ad propositum, sed nude justitiam Dei omnia scientis & potentis & administrantis creaturam rationalem: Cap. 24. *Hujus tantæ naturæ*, inquit, *conditor cùm sit utique Deus verus & summus, ipso cuncta quæ fecit administrante & summam potestatem summamque habente justitiam, nunquam profecto in has miserias decidisset nisi nimis grande peccatum in homine primo de quo cæteri exorti sunt, præcessisset.* Quæ si rectè cõcludit apud homines infideles & incredulos ratiocinatio, profecto perspicuum est miserias creaturæ rationali infligi sub tanta Dei justitia & potestate sine iniquitate non posse.

Vidit hoc, ursit, atq; testata est ipsa quoq; Paganorũ Philosophia. Cùm enim cerneret tanta quibus cruciamur præsentis vitæ mala, ipsi succumbens rerum evidentiæ, fieri non posse judicavit, ut ea sine peccato rationalis natura pateretur. Itaq; superioris vitæ facinora causam esse dixit cur eo supplicio plecteremur. *Hujus evidentia miseriæ*, inquit Aug. Lib. 4. contra Jul. c. 15. *gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes sive credentes, compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum causâ nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus eo supplicio quo Hetrusci prædones captos affligere consueverant, tanquam vivos cum mortuis esse conjunctos.* Quam opinionem de superioris vitæ sceleribus ex miseriarum evidentia, Tullius veram censuit, & antiquioribus idem sentientibus se consentire profitetur in Hortensio, cujus præclarum fragmentum Augustini monumentis conservatum est, & contra statum puræ naturæ quem Pelagiani finxerant, usurpatum. Cùm enim Augustinus vellet vanitatem puræ naturæ à Iuliano venditatam puræ naturalis rationis luce convellere, præfatusque esset, *Philosophos utpote litterarum divinarum & Catholicæ veritatis expertes, nihil de primo homine & ejus conjuge, de prima eorum prævaricatione, de serpentis astutia, de nuditate corporis ante peccatum sine confusione, & cum confusione continuò post peccatum*, Ibid. c. 15. de peccato denique *quod in mundum intravit, & per peccatum mors* nihil omninò sapere potuisse, mox ostendit eos inanitatem commenti puræ naturæ quod Iulianus fabricaveras, ex sola magnitudine miseriarum quas sine culpa irrogarentur injustè reprobasse, eorumq; causam scelera aliqua superioris vitæ quæsivisse. Locus dignissimus est, ut hic totus inseratur: *Videntur autem*, Ibidem. inquit Augustinus, *non frustra Christianæ fidei propinquasse* (Philosophi) *qui vitam istam fallaciæ miseriæque plenissimam non opinati sunt, nisi divino judicio contigisse, tribuentes utique justitiam conditori à quo factus est, & administratur hic mundus. Quantò ergò te melius, veritatique vicinius de hominum generatione senserunt, quos Cicero in extremis partibus Hortensij Dialogi velut ipsa rerum evidentia ductus compulsusque commemorat? Nam cùm multa quæ videmus & gemimus, de hominum vanitate atque infelicitate dixisset; ex quibus humanæ, inquit, vitæ erroribus & ærumnis fit, ut interdum veteres illi sive vates, sive in sacris initijsque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur verumque sit illud* quod

quod est apud Aristotelem simili nos affectos esse supplicio; atque eos qui quondam, quum in prædonum Hetruscorum manus incidissent crudelitate excogitatâ necabantur, quorum corpora viva cum mortuis adversa adversis accommodata quam aptissime colligabantur; sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse coniunctos: Ita Tullius. Quibus optimè subjungit Augustinus perstringendo Iulianum, qui cunctas miserias illas Deo tanquam purorum naturalium autori tribuebat: *Nonne qui ista senserunt multo quam tu melius grave iugum super filios Adam, & Dei potentiam iustitiamque viderunt, etiamsi gratiam quæ per mediatorem liberandis hominibus concessa est, non viderunt?* Ecce Pagani Philosophi sine ulla fide gratiæ vel institutionis primi hominis in paradiso in naturæ integritate, in statu supernaturali & hujusmodi, quæ obscurandæ veritati prætexuntur, solo lumine rationis judicarunt fieri nullo modo posse, ut salvâ justitia Dei, possit innocentibus tantarum ærumnarum pondus imponi. Nam hinc est illud quoque quod subinde quasi parcere volentes justitiæ Dei, culpam tot malorum in naturam quasi à regulis suis aberrantem torserint. Tullius libro tertio de Republica querebatur: *Hominem non ut à matre, sed ut à noverca natura editum in vitam, corpore & nudo, & fragili, & infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines.* Nimirum ut optime in hæc verba sanctus Augustinus: *Rem vidit causam nescivit*. Rem vidit, quia ex tot miserijs perversum distortumque præter rationis leges, humanæ naturæ statum vidit: causam nescivit, *latebat enim cur esset grave iugum super filios Adam, quia sacris litteris non eruditus ignorabat originale peccatum.*

Hæc causa fuit, cur alij Philosophi cùm à peccatis vitæ superioris aut à natura culpanda abhorrerent, malorum causam in materiam transtulerint. Vt Maximus ille Tyrius cum aliud artem ex professo facere, aliud ex materiæ affectu consequi dixisset, οὕτως ἀρ᾽ ἐλεῖ, inquit, καὶ ὅσα περὶ γῆν πάθη γίνεται, ἅς καλοῦμεν κακῶν ἀνθρωπίνων ἐμβολάς, ἐνταῦθα ἡγητέον καὶ ἀναίτιον καὶ τὴν τέχνην, εἶναι δὲ ταῦτα τῆς τοῦ ὅλου δημιουργίας ὥσπερ τινὰς ἐπομένας καὶ ἀναγκαίας φύσεις: *Talia nimirum in his quæ circa terram eveniunt, quæque nos in humanorum malorum vocamus. In quibus innoxiam & inculpatam artem censendum: sed esse hæc fabricæ totius universi velut necessarias quasdam, & consequentes naturas*. Et Trismegistus: αὐτῷ τῷ ποιοῦντι οὐδὲν κακὸν οὐδὲ αἰσχρὸν νομιστέον ταῦτα γάρ ἐστι τὰ πάθη τὰ τῇ γενέσει προσεπόμενα, ὥσπερ ἰὸς τῷ χαλκῷ, καὶ ὁ ῥύπος τῷ σώματι, *Ipsi facienti Deo nullum malum aut turpe assignandum. Nam hæ sunt affectiones generationis affecta, sicut ærugo æris, sordes corporis.* Quæ omnium Stoicorum sententia testibus Tertulliano & Seneca fuit, quorum vox erat, quod *à magno arti-*

A *fice formentur prava, non quia cesset ars, sed quia id in quo exercetur, inobsequens arti est.* Alij maleficam animam culpaverunt, ut Plato cum suis, quando dicit ψυχὴν ἄτακτον καὶ κακοποιὸν, *animam incompositam & maleficam*, hoc est mali autorem. Itemque ἐναντίαν καὶ ἀντίπαλον τῇ ἀγαθοεργῷ φύσει, *contrariam & rebellem beneficæ naturæ*, hoc est Deo. Alij dæmonem accusaverunt. Vnde illud Pythagoræ apud Eusebium τῶν ἀρχῶν τὴν μὲν μονάδα θεὸν καὶ τὸ ἀγαθόν: τὴν δὲ ἀόριστον δυάδα καὶ δαίμονα καὶ τὸ κακὸν περὶ ἥν ἐστι τὸ ὑλικὸν πλῆθος. *Principiorum alterum esse unionem, id est Deum & bonum: alterum infinitum binionem, id est dæmonem & malum, circa quem materialis multitudo est*. Quæ sententia & Augustino nostro placuit, cùm malum Duadi, bonum Monadi ascriberet, ut ante susceptam Catholicam Religionem libros de pulchro & apto condens, malum à bono Deo

B sola Philosophia duce removeret.

Sed quid Philosophos memorem? Ipsi quoque hæretici qui malorum causam scrutati sunt tanquam immobile principium supposuerunt, fieri non posse ut iustus & omnipotens & bonus Deus, tot miserijs quot status puræ naturæ comprehendit, innocentes homines nullo delicto provocatus plecteret. Nam ex hujus fidei firmitate factum est ut sibi satius putarent in quoslibet alios errores mali causam indagando labi, quam Dei justitiam aut bonitatem, excogitata tali naturæ puritate vel malorum in eam innoxiam immissione violare. Hæc enim causa fuit cur Cerdon, Marcion, & similes pestes cùm non crederent primum hominem aut liberum arbitrium malorum omnium quibus mundus plenus est, causam esse, Deumque verum justum & bonum esse dubitare non possent, maluerint alium com-

C minisci perversum Deum qui mundum & miserias ejus suâ voluntate condiderit quam tantum nefas ascribere vero & bono Deo.

Hæc eadem causa fuit cur idem ille [a] Marcion & [b] Hermogenes & ille contra quem disputat Maximus Professor Christianæ religionis apud [c] Eusebium: & omnes quos *Materiarios* hæreticos [d] Tertullianus vocat, materiam ex philosophia Stoica Deo æquarint ex qua mundum conderet ἵνα τῶν κακῶν ὁ μὲν θεὸς ἀναίτιος ᾖ τούτων δὲ ἀναίτιον ἡ ὕλη αἰτία. Omnibus etiam præcedentibus attestatur Iulianus: *Ideo aut alium Deum bonum & optimum volunt credi, quia mali autorem existiment creatorem, aut materiam cum creatore proponunt, ut malum à materia, non à creatore deducant.* Hæc itidem causa fuit cur Manichæi duas substantias effinxerint, ut quia non audebat anima eorum, ut eis displiceret Deus suus,

D nolebant esse Dei, quicquid ei displicebat, hoc est, quicquid malum esse sentiebant. Nimis enim absurdum & impium omnibus istis videbatur, ut Deus verus omnipotens & justus,

Rr

Lib. 4. cont. Iul. cap. 12.

Lib. 3. cont. Iul. cap. 12.

Serm. 25.

Trismegist. cap. 14.

Lib. contra Hermog. c. q. natur. in prolog.

Lib. 12. de præpar. apud Euseb.

Lib. 4. Confess. cap. 15.

V. Iren. lib. 1. c. 21. Tertul. in præs. contra Marcion. Origen. in dialog. de orig. mali.

a Tertul. lib. 1 cont. Marcion. c. 15. b Idem cont. Hermog. c. 10. c Euseb. 7. de præpar. c. 22. d Cont. Hermog. Iren. & Alexander in Tertulliano. Hermog. cap. 10.

Iul. lib. 4. cont. Iul. cap. 21. Confess. 7. & contra Adim. lib. 2. oper. imperf. f. 459.

justus, & bonus creaturam suam cum tot miseriis nullo peccato ejus provocatus institueret.

Hæc causa fuit, cur ipsi quoque Pelagiani, quantumvis miserias tantas velut per puræ naturæ creationem assererent Deo, cum tamen sobrii justitiæ divinæ puritatem attenderent, ipsa sæpe veritatis evidentia clamarent: *Sub gravi jugo innocentibus potest & solet Deus cum laude donare; punire autem*, id est affligere *non peccantes non potest, sine eversione justitiæ*. Et alibi: *Ærumna ista* (parvulorum) *iniquitatem judicis, infamiam justitiæ aut accusat, aut aggravata convincit*, cui propterea Augustinus: *Ergo merito est aggravata. Agnosce judicem Deum. Sentis quam iniquum sit pæna immane transire supplicium*. Quam proinde contradictionem & absurditatem ut fugerent, velut maris fremitum vocis contentione superaturi, *nescio qua fronte*, ut Augustinus de Stoicis loquitur, mala ista quibus atterimur, etiam mala esse negaverunt; parvulosque etiam felices esse dixerunt. Clamante vicissim Augustino: *O dementiam singularem! Hoc disputare est an insanire? Cum miseria se natos esse parvuli flendo testantur, & felices eos dices?* Nempe in absurdissimum errorem ipsumque communem sensum impingere maluerunt, quam creaturam rationalem etiam in puræ naturæ statu, quem confinxerant, ulla miseria aut afflictione sine culpa à Deo justo posse cruciari.

Lib. 2. oper. imper. f. 344

Lib. 1. f. 61.

Fol. 344.

Fol. 275.

Lib. 19. de Civit. c. 4.

Lib. 2. oper. imper. f. 223

Hæc denique causa fuit, cur semper apud omnes gentes maxime lapsus originalis nescias, inexplicabilis quæstio visa fuerit, cur viri boni in hac vita tot crucientur malis, prout & ex Philosophorum & Prophetarum attestatione manifestum est. Unde quæso hæc omnia nisi quia tantus horror omnes ceperat, ne divinæ bonitati labem illam ascriberent, aut eam, ut Augustinus audet ac loquitur, *blasphemarent*, si sine culpa creatura (quam vel contigisse nesciebant aut non credebant, aut non attendebant) Deus tantarum ærumnarum autor esse crederetur. Hoc enim si fieri potest per puræ naturæ statum, ut recentiores docent, nulla omnino causa fuit cur ista quæstio vel Augustinum tantâ tot annis ante conversionem perplexitate maceraverit, vel hæreticos vel Catholicos, vel paganos, vel ullum sanæ mentis hominem fatigaverit. Quis enim tanto stupore mersus fuit, ut qui Deum credat, non eum etiam vitæ & mortis autorem, non absolutum Dominum agnoscat, quæ nunc velut abscondita palliandæ iniquitati ejus mysteria proferuntur? Sed nimirum, profundissime visceribus hominum etiam impiorum insculpsit Deus, quod *optime de Deo existimare sit verissimum pietatis exordium*. Nec optime de Deo quisquam existimat, qui non cum quanto omnipotentiorem atque meliorem credit, tanto etiam in administranda vita creaturæ rationalis esse justiorem. *Virtus enim* græcè ἰσχὺς, id est potestas *tua*, ut præclare Spiritus sanctus per os sapientis, *justitiæ initium est*.

Lib. 1. oper. imper. f. 51.

Lib. 1. de doct. Christ. c. …

Sap. 12.

Ex quo fit ut hæc postremo causa fuerit cur alii fide destituti & commissæ à primis parentibus iniquitatis ignari, cùm nullam idoneam malorum causam invenire possint, & tamen sine causa rationalem affligi creaturam apertissimè injustum esse cernerent, difficultate victi, palam ipsum numen, cujus illa nutu acciderent, injustitiæ culpaverunt. Unde Tragicus τολμῶ κατειπεῖν μὴ ποτ' ἐκ εἶναι θεούς· κακοὶ γὰρ εὐτυχοῦντες ἐκπλήττουσί με. *Audeo profari suntne vel regnant Dii? Namque improborum me attonat felicitas*. Et alia de sepulchro clamabat: *Procope manus levo contra Deum, qui me innocentem cito sustulit*. Ut incredibilis profecto me subeat admiratio, qui fieri potuerit, ut quod & Catholici & hæretici perversissimi & Pagani, & omnium pene hominum genus, quod numen aliquod rebus universi administrandis præesse credidit, velut injustissimum semper abhorruit, hoc recentiores nullâ scientiâ, nullâ traditione, nullâ Patrum autoritate fulti, solâ ratiocinandi fiduciâ armati, sine scrupulo amplexi sint, quasi palmam de recondita subtilitate relaturi. Et qua tandem obsecro subtilitate? Quod Deus sit absolutus omnium Dominus, quod vitæ & mortis potestatem habet. Quasi quisquam qui crediderit esse Deum universi autorem, eum esse omnium Dominum, vitæ & mortis autorem ignoraverit. Tantas videlicet vires habet illa peripatetica, cui à multis annis innutriti sumus Philosophia. Quæ cùm humani lapsus ignara fuerit, & gravissimum ærumnarum nostrarum jugum puram naturam esse crediderit, & admodum jejune de Deo ejusque justitia disputaverit, sectatores hujusce hallucinationis hæredes fecit. Difficile est enim opiniones Philosophorum quibus imbuti semel fuimus, exuere atque damnare ipsa sentiendi consuetudine probabilitatem afferente veritatis, & ratione satagente, ne temere tanti viri & nos cum ipsis aberrasse videamur.

Symmachus lib. 6.

CAPVT

CAPUT XV.

Eodem argumento palpabilium malorum, si puræ naturæ sint; cogimur ad diversas impietates, ad blasphemiam in Deum, ad Manichæismum; Cur, & quomodo. Epilogus omnium argumentorum.

SATIS arbitror, hactenus ex Augustino declaravimus, non potuisse jugum tot miseriarum hominibus innocentibus imponi, sine manifesta injustitia Dei. Ut tamen vis istius argumenti sexcenties ab Augustino repetiti penitius intelligatur, observandum est, id quod supra indicavimus; in eo supponi tanquam certum, Deum nec esse infirmum nec ignarum; rursum in homine non esse commixtionem naturæ mali ut Manichæi voluere. Nam quodlibet istorum verum esse poneretur, non esset necesse esse injustum Deum. Si enim natura hominum naturaliter esset mala; ut Manichæi sentiunt, vel Deus præ inscientia vel infirmitate malorum incursum non impediret, nihil vetaret innocentes tot miserijs sine ulla Dei iniquitate cruciari. Hinc est igitur quod prout varia in isto argumento ex miserijs contexto aliquando velut certa supponuntur, ita etiam ad varias absurditates concludendas ab Augustino adhibetur & valet. Nam subinde cùm velut certum apud Pelagianos supponit, naturam hominum non esse naturaliter malam, sed istam opinionem esse detestabilem Manichæorum insaniam, itemque Deum non esse invalidum, tunc determinatè Dei injustitiam ex miserijs puræ naturæ Pelagianis laudatæ conficere solet. Cujus plurima superius exempla dedimus. Subinde vero supponendo naturam non esse malam, alterutrum infert aut invalidum aut injustum esse Deum, qui tantis malis innoxios premit. Exemplis etiam istam partem declaravimus, quando ostendimus per puram naturam Dei providentiam graviter lædi. Subinde è contrario supponendo Pelagianos credere omnipotentem & justum Deum nulliusque peccati merito velut jure puræ naturæ tot tantisque malis genus humanum premi; concludit nullo modo hoc defendi posse nisi in Manichæorum sententiam, de malæ naturæ commixtione incidatur. Quam si abhorruerint, sicut omnis Christianus abhorrere debet, nullam superesse viam qua irrumpere potuerint tanta mala, nisi originale peccatum. Quod quia peremptorium contra puram naturam est argumentum, & Augustini sententiam de hypothesi illa Pelagiana quam impugnabat, liquidissimè ob oculos ponit, operæ pretium est hic ipsissimis ejus verbis luculentissimis quamvis prolixioribus texere. Cùm igitur adversus Julianum scribens præmisisset ac promisisset se ostendere velle, quod *jam*, inquit, *sæpe monstravi, quantum hæresis* Pelagiana, quæ sine peccato mala ista contigisse tradebat, *Manichæos adjuvaret* delirantes ea ex mala natura proficisci, hoc est, quod hæresis Pelagiana ad hæresim nos Manichæam cogeret, rem sic exequitur: *Enumerant*, inquit, *Manichæi mala quæ in parvulis monstrant, quæ Cicero quoque commemorat in libris de Republica; unde ipsa ejus verba transtulisti. In quorum malorum commemoratione dicit: Non ut à matre natura, sed ut à noverca hominem in has ærumnas esse projectum. Huc accedunt etiam illa quæ non quidem omnes parvulos, sed tamen plurimos cernimus perpeti multa & varia mala, usque ad dæmonum incursus, atque concludunt dicentes, Cum sit justus & omnipotens Deus, unde ista mala patitur imago ejus in parvulis, nisi quia vera est, quod monent, quam nos asserimus duarum naturarum boni scilicet malique commixtio? Hos Catholica redarguit veritas confitens originale peccatum per quod factum est dæmonum ludibrium & laboriosæ miseriæ destinata propago mortalium.* Ecce quomodo Manichæi facile peccati originalis confessione jugulentur. Sed jam attende angustias eorum qui istas miserias sublato peccato puris naturalibus attribuere volunt: *Vos autem negantes originale peccatum, profecto aut cogemini dicere Deum vel invalidum vel injustum, sub cujus potestate imago ejus in parvulis sine ullo vel proprij vel originalis peccati merito tantis affligitur malis. Non enim per hæc exercetur virtus, quod rectè de bonis hominibus majoribus dicitur, in quibus rationis est usus.* Ecce coguntur autores puræ naturæ confiteri injustum aut invalidum esse Deum sine culpa tantis miserijs parvulos cruciantem. Quod si illud Barathrum fugere velint, vide quid restet: *Aut quia Deum vel impotentem vel iniquum dicere non potestis, Manichæi contra vos errorem suum nefarium de duarum inter se inimicarum substantiarum permixtione firmabunt.* Nempe manifestum est

Lib. 6. contra Jul. cap. 21.

nullum exitum, Augustino judice, superesse ei qui puram naturam introducere vellet, sicut Iulianus voluit, nisi per blasphemiam creatoris aut infamiam creaturæ, ut vel ipsum omnipotentem ac justum neget, vel cum Manichæis hanc naturaliter malam esse fateatur. Utrumque damnat & execratur Catholica fides.

Hanc igitur consequentiæ necessitatem intuetur Augustinus quando toties Pelagianis exprobrat, quod in Manichæi sententiam ista purorum naturalium defensione cogerentur. Supponit enim, ut jam sæpe diximus, eos nolle lædere omnipotentiam aut justitiam Dei. His autem clausis ostiis, sublatoque tam hujus quàm superioris vitæ peccato, quod Pelagiani utroque auferebant, nullum omnino superesse putatur effugium nisi per Manichæi præcipitium. Quod ex plurimis ejus testimoniis videre licet. Nam hoc spirat illa in opere primo contra Iulianum: *Ne dicere cum Manichæis cogaris, alienæ mali naturæ nobis inesse commixtionem; nostram potius originalem confitere languorem.* Hæc nisi peccatum originale fateatur, cogitur in asserendis miseriis sine peccato promerente assentiri Manichæis, quia videlicet Deus injustus aut infirmus esse non potest. Hoc spirant illa in opere secundo adversus eundem Iulianum: *Si ergo Manichæos introducentes aliam naturam mali atque sic ipsam expugnare vis, non adiuvare, profecto stas omnibus aperias a parvulis incipientes humanæ vitæ miserias cum tuis acceptoribus non negares, sed unde in eas colapsa sit nostra natura, quæ beata est primitus instituta, cum Catholicis fidelibus & præclarissimis Doctoribus diceres.* Et illud in secundo libro: *Manichæos tu adiuvas quibus inducendi aliam naturam malam das locum negando originale malum esse causam miseriæ parvulorum.* Nempe quia naturam puram earum causam esse credebat. Nam hoc spirat & illud multò inferius: *Quas miserias vos cum sine ullo peccato accidere dicitis parvulis, iniustum Deum versus eos facitis: Manichæos autem horribiliter adiuvatis. Illi enim ne facerent iniustum Deum, istas miserias à nativitate mortalium immutabili naturæ mali, & ab alio principio venienti substantiæ tribuunt tenebrarum. Quos impios simul & vos convincit Catholica fides, quæ ista omnia peccato illi tribuit, quod ex primi hominis voluntate intravit in mundum.* Hoc spirat id quod toties aliis in locis clamat, per illam Pelagianam hypothesin de miseriis naturaliter congenitis, Manichæorum de malæ naturæ commixtione sententiam adjuvari: ut illud in libro sexto primæ lucubrationis: *Verum nec ipsos Manichæos contrivisti quos potius adiuvisti, tu maxime & in commune omnes Pelagianæ novitatis errorisque participes, sicut iam demonstravi: Detecti estis adiutores Manichæorum, in quibus appetis principatum.* Et illud perspicuum: *Tu ergo adiutorem Manichæi te non esse ostende si potes, qui miserias hominum cum quibus eos nasci quoniam sine dubio sentit genus humanum, nolens tribuere peccato vitiata natura nostra, facis ut eas ille permixta nobis natura tribuat aliena.* Et illud multis interpositis in eodem libro cum Augustino Manichæismum Iulianus improbraret, Respondet ei sanctus Antistes: *Utinam Manichæum fortiter destrueres non turpiter adiuvares.* Et paulo inferius declarans in eo situm esse Manichæi erroris, quod naturæ boni communicaretur voluntas mala à commixta natura mali, hoc est quod mala, non à vitio humanæ voluntatis, sed naturaliter ab una parte naturæ quæ sic naturaliter mala sit, promanassent, *Hunc*, inquit, *hunc adiuvas negando humanam peccato primi hominis vitiatam esse naturam, ut naturæ mali quam fingit, attribuat, quicquid malorum manifestissima invenit miseria parvulorum.* Cujusmodi doctrina in Augustino valde frequens est, & aperte significat per illam introductionem tot miseriarum absque peccato, hoc est, per puræ naturæ statum, justissimam præberi causam ut Manichæus mali naturam nobis mixtam esse decernat, & ad hoc fateri dum ipsos Pelagianos suæ hypothesis necessitate compelli. Ex quo fit consequenter ut quando Manichæorum sententiam ac Dei impotentiam & iniquitatem removet, similiaque portenta sententiarum quas hæresis etiam Pelagiana damnabat, nullum exitum pro Pelagianis miserias puræ naturæ imputantibus, reliquum esse testetur. *Non est*, inquit, *certe natura atque substantia* (malum) *secundum Venustianos & Manichæos; si nec vitium natura est*, quam scilicet peccatum vitiaverit, *quid est?* Quasi diceret nihil responderi potest. Et alio in loco: *Bonus est Deus, iustus est Deus. Extraneu prorsus mali est nulla natura, quæ nostra naturæ secundum Manichæos credatur admixta. Unde sunt, Non dico in moribus, sed in ipsis ingeniis cum quibus nascuntur tanta hominum mala, si non est humana origo vitiata, si non est massa damnata?* Quod est aperte dicere citra blasphemiam Dei & hæresim Manichæi, & peccati originalis fidem, quid responderi potest in tuo errore qui mala puris naturalibus tribuit? Nempe nihil. Et revera si Augustini principia quæ tanquam indubitata tradit, nec unquam à Iuliano labefactari potuerunt, attente ponderentur qua via erumpi possit, nisi per præcipitium plane non video. Nam ut alibi dicit Augustinus, mala ista non ex seipsis repente nasci potuere, sed aliquam eorum causam esse necessarium est. Quæ vero illa esse potest nisi vel creator vel creatura. Si creator, ergo crudelis aut injustus Deus, qui creaturam gratis sine culpa cruciat. Sin creatura, vel alia, vel ipsa quæ miserias patitur. Si alia rursus violatur Deus, qui vel ignarus vel impotens impedire non potest, ne injuste innocens creatura torqueatur. Sin ipsa, ergo vel natura ipsius mala est, vel malo mixta cui tanta mala sunt naturalia, cui tot libidinosa ac detestanda desideria naturaliter congruunt. Quæ est hæresis Manichæi, vel si naturaliter

Lib. 5. cont. Iul. cap. ult. — *Lib. 1. oper. imperf. f. 56.* — *Lib. 2. oper. imper. f. 316* — *Ibid. f. 459.* — *Lib. 6. cont. Iul. c. 22.* — *Lib. 1. oper. Imper. f. 55* — *Ibid. f. 124.* — *Ibid.* — *Ibid.* — *Lib. 1. cont. Iul. cap. 7.* — *Lib. 6. c.*

turaliter bona est, necesse est esse peccato aliquo vitiatam: atque ita quocunque ex latere rem consideres, puræ naturæ status tot miserijs infamis in Augustini principijs impossibilis est, sed necessario ad peccatum tanquam veram & unicam malorum causam veniendum est. Atque ista quoque vera & unica ratio est cur Augustinus sexcentis suorum scriptorum locis, sicut abunde in superioribus constituit, ex solis miserijs quas perpetimur, nulla alia cujuscunque status, vel gratiæ vel alterius, vel divinæ promissionis hypothesi, cujus ne quidem umbra uspiam reliqua est, irrefragabili consecutione, peccatum in humana natura præcessisse convincit. Imo quod invictius & evidentius illius argumenti robur ostendit, ex illis ipsis miserijs demonstrari docet, hypothesin puræ naturæ esse impossibilem, injustitiam dare Deo, blasphemiam inferre Creatori, quæ profecto B puerorum terriculamenta sunt, & luxatæ mentis deliria, si nihil vetet hominem in pura natura condi, & tot tantisque miserijs innocentem sine ulla Dei iniquitate torqueri.

Ex hac igitur constanti & sibi undique consentiente Augustini doctrina patet, nihil ab ejus principijs magis abhorrere nihil capitalius plerisque repugnare quam puræ naturæ statum. Est enim status in quo neque justitia, neque sapientia, neque veritas, neque Deus ullo amore nisi carnali vitiosoque diligi potest. In quo nulla frui in Deo, neque parva, neque magna, nulla beatitudo supernaturalis, nulla naturalis. Est enim status erroribus cæcus, passionibus inquietus, perturbationibus miserandis, moriendi necessitate damnatus. In quo nullus amor nisi creaturæ, nulla libertas arbitrij nisi nefaria, nullus actus nisi perversus & malus. In C quo perpetua contra semet ipsam lucta creaturæ; quam neque Deus dare, neque creatura sedare potest. Cui naturalia sint tota & omnia peccandi efficacia, quibus eadem naturæ lege indulgere liceat, quia etiam licet: *Bonum est enim quod naturaliter libet.* In quo creaturam pudet de operibus creatoris, & nominare, & monstrare, & facere cæleste opus, quod Deus instituit. In quo profundissima rerum agendarum ignorantia, qua per se fit ut ei liceat, quicquid naturæ lege damnatur. In qua tam horrendo miseriarum omnium jugo humanum genus atteritur ut & Philosophi & hæretici & antiqui Catholici exhorruerint illud assignare Deo, utpote quod defendi non posset sine blasphemia Creatoris, qui tanta injustitia & crudelitate sæviat in creaturam suam ut eam innoxiam acerbissimo supplicio plectat. Quam enim immensum & quam horribilium malorum atque miseriarum seriem status ille complectatur quis facile mente cogitet? Quis sufficienter exponat? Intueatur quilibet universas damnatæ naturæ calamitates (easdem quippe prorsus esse etiam puræ volunt)

Aug. tom. ibid.

vel si oculi ipsa earum vastitate caligent, legat eas aliqua ex parte recensentem Augustinum in libris de Civitate Dei. Quæ hæc omnia si animo ab inveterata loquendi & sentiendi consuetudine in divinæ justitiæ veritatem, severitatemque æternæ veritatis abducto, juxta sanctissima, profundissima, securissimaque Augustini principia ponderentur, clamabunt profecto nihil in ejus doctrina indignius creatura rationali, nihil monstrosius ordini Universi, nihil injuriosius Deo excogitari posse quam illam puræ naturæ machinam quæ depingi solet. Quod si quis illa needum liquida intelligentiæ luce cernere penetrare possit, satius erit ei credere ut intelligere mereatur, Dei enim & creaturæ rationalis bonitatem longe sublimius per humilem supra traditam institutionem, quam per Aristotelicas conjecturas commendari, B quibus existimant Deum posse creaturam rationalem innocentiæ dote locupletem, inferni pœnis cruciare, & perpetuo eam ad claram Dei visionem attollere. Nam inde maxime elucet summa bonitas Dei, si creatura rationalis nullum omnino extra Deum reperire possit bonum, unde ei sine ipso perfectio, & unde ei omnis miseria auferatur. Creaturæ vero rationalis bonitas atque dignitas inde maxime apparet, si nullum omnino bonum ei sufficiat quando non adhæret illi summo & vere bono. Hac Doctor Ecclesiæ summus suo felicissimo divini amoque ingenio excellentius omnibus hujus mundi Philosophis & Scholasticis penetravit. Nam quantum ad primum: ita locutus est in libro duodecimo de Civitate Dei: *Ita ut quamvis non omnis beata esse possit creatura, ea tamen quæ potest, non ex se ipsa hoc habeat, quia ex nihilo creata est, sed ex illo a quo creata est. Hoc enim adepto beata* C *est, quo amisso misera est.* Et paulo post: *quod usque adeo bonum est ut sine illo misera esse necesse sit.* Ubi (sine illo) nihil aliud significat, nisi sine amore quo illi adhæretur. Nam amore Deo cohærendum est, ut cum Deo, sine quo miserum esse necesse est, juxta illud item sancti Augustini: *Magna itaque miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, procul dubio sine illo non est; & tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit nec diligit, cum illo non est.* Sic ergo ex hoc maxime apparet bonitas Dei. Quantum ad secundum vero ex hoc ipso etiam maxime bonitas creaturæ rationalis commendatur dicente in eodem de Civitate Dei libro Augustino: *Quod cum ita sit, hæc natura quæ in tanta excellentia creata est, ut licet ipsa sit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id est summo Deo, beatitudinem consequatur, nec expleat indigentiam suam nisi utique beata* D *sit, eique explendæ non sufficiat nisi Deus, profecto non illi adhærere vitium est.* Unde ex illo principio concludit: *Hinc apertissime declaratur, illius naturæ ut Deo adhæreat convenire.* Et in libro de natura boni, ut utriusque & Dei & creaturæ rationalis excellentiam inde declarans: *Tale*

Lib. 19. c. 4. usque 4. & ... lib. 21. c. 22. & 23.

Lib. 12. de Civit. c. 1.

Lib. 14. de Trinit. c. 12.

Lib. 12. de Civit. c. 1.

Ibid.

Lib. de nat. boni c. 7. *quippe bonum est Deus, ut nemini eum deserenti bene sit: & in rebus a Deo factis, tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum, quo beata sit nisi Deus.* Et in libro decimo-tertio Confess. *Lib. 13. confess. c. 8.* *Nam & in ipsa misera inquietudine defluentium spirituum* &c. *satis ostendis, quàm magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quicquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi.* Unde paulo post confitetur Deo: *Ibid.* *Hoc tantum scio quia male mihi est prater te, non solum extra me, sed & in meipso, & omnis mihi copia qua Deus meus non est egestas est.* Ex quo relinquitur sane, solum Deum esse verum creaturę rationalis bonum, solumque Deum ejus egestatem explere posse; sine illo bono, quod solâ dilectione possidetur prorsus mise- A ram esse creaturam rationalem, in quacunque, qualiumcunque, quantarumcunque bonorum aliorum affluentia. Sine illius igitur boni dilectione, per quam anima Deo & corpus animæ juxta æternæ & ordinatissimæ legis exigentiam subditur, ab optimo, omnipotentissimo justissimoque Deo creari nullo pacto potest; ne alioquin ipse creator ejus impotens, invidus, vel injustus esse convincatur, dum imaginem suam innocentem perpetuâ inquietudine ac tot malis ex illius amoris absentia profluentibus, tot cruciatibus animam cor usque perturbantibus affligi facit. Nunc reliquum est ut nonnullas difficultates occurrentes dissolvamus.

CAPVT XVI.

Solvitur difficultas ex Augustini Commentario in Psalmum septuagesimum.

PRIMUM igitur ad tuendam justitiam Dei in infligendis pœnis opponi possunt illa sancti Augustini verba ex Psalmo septuagesimo: *Initio Conc.* *Multum movet Dei amor & timor. Timor Dei, quia justus est; amor, quia misericors est. Quis enim ei diceret, quid fecisti si damnaret justum? Quanta ergo misericordia eius ut justificet injustum?* Ubi Augustinus aperte significat nihil Deo responderi posse si damnaret etiam justum. Ergo multo minus si hominem in statu puræ naturæ cum miserijs mortalitatis conderet.

Ad hunc locum dupliciter responderi potest, primo loqui sanctum Augustinum de præsentis vitæ statu quem peccando promeruimus. Nam post originalis culpæ meritum, non solum qualibet corporalis miseria justis permitti imo inferri à Deo potest, quemadmodum ex calamitatibus justi Iob, & ex plurimis Augustini testimonijs abunde patet; sed etiam ipsa damnatio. Non quidem hoc sensu, quasi justum in justitia persistentem Deus, *qui juste omnia dispensat*, sine iniquitate damnaret, sed quia post lapsum hominis neminem quantumvis justum tenetur impedire ne rursum in peccatum damnationemque prolabatur. Gratuito quippe Deus dat homini justitiæ perseverantiam, & justitiam; nec minus gratulatio debetur Deo quod ab imminente citra auxilium ejus damnatione justum, quam quod injustum ab ipsa culpa liberaverit. Nihil istorum ante ruinam humani generis locum habuit. Nam ibi ipsa hominis innocentia ab omni miseria tutabatur, ipsa potestas liberæ voluntatis, gratia etiam juvante, si vellet, ab omni peccati ac damnationis metu. *Lib. de nat. boni c. 7.* *Creaturis enim praestantissimis, hoc est, rationabilibus spiritibus, hoc praestitit Deus, ut si nolint corrumpi non possint.* sicut fusè supra ex Augustino demonstravimus. Ex sola igitur libera eorum voluntate corruptio sive culpæ, sive pœnæ nasci potest. *Ibid.* *Si enim obedientiam conservare noluerint, quoniam* A *volentes corrumpuntur in peccatis nolentes corrumpantur in panis.* Hoc solo autem casu corruptio, hoc aperto, integritas eorum impossibilis est, Dei justitia in utramque partem vigilante, ne vel innocentem damnet, vel nocentem inultum sinat. Quicquid ergo de justitia Dei erga innocentiam creaturæ rationalis ex Augustino diximus, de innocentia propriè dicta, hoc est, nullo omnino peccato maculata, in quocumque statu ante peccatum, sive integræ, sive elevatæ, sive puræ naturæ intelligi debet sicut Augustinus intelligis. Cum Manichæis quippe atque Pelagianis de malorum origine quæstio fuit, quos ex solis miserijs creaturæ & justitia Dei, falsa delirare convincit, quando aliam quamcumque potentiam, sive Dei creantis absolutam voluntatem, sive pugnam ejus cum gente tenebrarum, sive naturam mali, hoc est, naturaliter malam, aperire B voluerunt. Sed cum de hominibus jam semel peccato lapsis & in miserias mortalitatis ac morte justè præcipitatis agitur, longe aliam doctrinam etiam de justis jam à peccato justificatione liberatis, eadem securitate tradit, Nimirum quod *non solum ipsa mors sed omnia seculi hujus mala, quanquam de peccatorum & maxime de peccati originalis meritis veniant, tamen & remissis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro veritate certaret, & unde exerceretur virtus fidelium.* *Lib. 13. de Trinit. c. 16.* Hoc enim ipsum ad peccati meritum pertinet, ut quia noluit homo, cum summa facilitate posset, conservare justitiam, non eam nisi cum dolore recipiat, non nisi cum labore augeat, non nisi cum difficultate conservet: ut lapsu fractus & vulneris dolorem sentiens, cautius & firmius ambulet in justitia ne ei peccare sit lusus. *Noluit homo,* inquit Augustinus, *in delicijs servare justitiam. Unde statuit* C *Deus, ut post eius peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam justitiam laboribus & molestijs niteretur.* *Lib. 1. de pecc. merit. c. 30.* Ex quo fit ut quicquid miseriarum atque pœnarum Deus etjam justo inferri permittis

mittit aut jubet, justissime inferatur. Meruit enim peccatum ut etjam justus in hac vita cum austeritate tractaretur. Quicquid enim molestiarum patitur, vel ex vulnere nondum plene sanato nascitur, vel de adjutorio quo sanandum est. Sicut igitur nemo nisi insanus culpat medicum, si vel ex vulnere vel ex vulneris medicina dolores patiatur, ita nemo prof[...]cto nisi imprudens, Deum injustitię accusaverit, si nunc etjam justus, ex morbi sui reliquijs vel medicinalium adjutorijs miseriarum molestijs doloribusque crucietur. Qua de re sole præclarissimeque Augustinus: *Quoniam sic est in animo beatitudo, ut in corpore sanitas, quemadmodum in ipso corpore alia præcipiuntur medicina ne bona valetudo amittatur, alia vero ut amissa recuperetur: sic in toto statu hominis, alia tunc præcepta data sunt, ne amitteret immortalitatem, alia nunc præcipiuntur ut eam recipiat. Et sicut in valetudine corporis, si quis præceptis medici quibus eadem valetudo custodienda est, non obtemperando in aliquem morbum inciderit, accipit alia præcepta ut sanari possit; quæ sæpe non sufficiunt, si talis est morbus, nisi adhibeantur a medico quædam adjutoria, plerumque aspera & dolores importantia, quæ tamen valent ad recuperandam salutem: unde fit ut homo, quamvis jam obtemperans medico, patiatur tamen aliquid dolores non solum de ipso morbo nondum sanato, verum etiam de adjutorio medicinæ. Ita homo per peccatum lapsus in hanc vitam morbidam & calamitosam mortalitatem, quia primo præcepto obtemperare noluit, quo sempiternam custodiret ac teneret salutem, secunda præcepta accepit: quibus obtemperans tamen quidem non absurde dicitur juste vivere, sed tamen molestias quas patitur, vel de ipso morbo nondum sanato patitur, vel de adjutorio medicinæ. Cui adjutorio deputatur quod scriptum est, quem enim diligit Dominus corripit: flagellat autem filium omnem quem recipit.* Lib. 83. q. 52.

Alia tamen solutio verior est, corruptum esse S. Augustini locum, legendum enim videtur. *Quis enim ei diceret quid fecisti? Si damnaret injustum?* Hoc enim in primis postulat ipse sacræ Scripturæ locus ex quo verba illa deprompsit. Nam Sapientiæ duodecimo, cùm sapiens Dei misericordiam in remittendis peccatis exaltare vellet, verbis illis utitur quibus Augustinus, *quis enim dicet tibi, quid fecisti?* Sed eo fine ut ostendat, Deum argui non posse si damnaret injustos. Sic enim in Contextu præcedit & sequitur: *Nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum. Quis enim dicet tibi, quid fecisti? Aut quis stabit contra judicium tuum? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum?* Quæ perspicuè significant neminem posse injustos à debita damnatione vindicare, aut redarguere judicium Dei, si iniquorum hominum peccata quibus veniam dabat, Dei vindicta sequeretur. Totus denique ille locus, ad quem Augustinus respicit, & cujus verbis utitur, nihil aliud spirat, quam Dei in damnandis peccatoribus & non damnandis justis æquitatem. Nam inter cetera disertissimis dicit verbis, quæ merito frenum quorumdam Scholasticorum licentiæ injicere debuissent: Sap. 12. vers. 11. & 12.

Cùm ergo sis justus, juste omnia disponis: ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tua virtute. Virtus enim tua justitiæ initium est. V. 15. Adversus quæ tantâ luce fulgentia quisquis recentiorum loquitur non imitandus est, sed corrigendus. Nam quod ad veteres maximeque sanctum Augustinum spectat, religiosissime semper istam Scripturam & in eodem ipso loco sequitur.

Itaque secundo patet corruptum esse Textum Augustini, quia paulo post in ejusdem Psalmi Commentario, eandem doctrinam, eadem verborum forma de injustis & peccatoribus justè dãnandis tradit: *Nihil deesset*, (laudi tuæ) *si damnares omnes iniquos. Non enim non esset magna laus Dei justitia ipsa, qua iniqui damnantur. Magna laus esset.* Et statim rursum adjicit: *Peccavit, factum est genus humanum tanquam massa peccatorum, profluens de peccatoribus. Quid ergo? Tu si massam istam iniquitatis damnes, quisquam tibi dicet injuste fecisti? Esses plane etiam sic justus, & omnis esset ista laus tua, sed quia liberas & ipsum peccatorem justificando impium, adjiciam super omnem laudem tuam.* Ecce ipsis iisdem verbis Scripturæ quibus ante usus fuerat, & hic dicit, *Si massam istã iniquitatis damnes, quisquã tibi dicet injuste fecisti?* Et continuo subjungit de majore misericordia qua justificatur impius: ut dubitari non possit, eandem hic & initio illius Commentarij doctrinam tradi. Nam verba nobis objecta videntur esse compendium eorum, quæ in istum Psalmum latius de justitia Dei in puniendis peccatoribus, & misericordia in justificandis impijs, tradere proposuerat. Idcirco namque postea quoque fusius compescit querimonias murmurantium adversus Deum. Cùm enim pluribus eos arguisset, qui cùm puniuntur nihil se male fecisse conqueruntur, ideoque se non recte judicio tanta pati: sed per eos divinæ justitiæ freno reprimit, ac tandem aheneum hunc murum objicit murmurantibus: *Erubesce, tu tibi displice. Nihil boni faceres, nisi ille bonus esset; & nihil mali paterers, nisi ille justus esset.* In Psal. 70. Conc. 1. in Psal. 70. Ibid.

Tertio correctionem istam postulat ipsa difficultatis objectæ circumstantia. Nam illis verbis, *Quis enim ei diceret quid fecisti? Si damnaret justum? Quanta ergo misericordia est ut justificet injustum*, probare voluit Augustinus duo capita quæ præmiserat, Deum timendum & amandum: timendum propter justitiam, amandum propter misericordiam. *Multum movet*, inquit, *Dei timor & amor: timor quia justus est: amor quia misericors est.* Timori quippe justitiæ Dei respondet in verbis objectis damnatio justi; amori misericordiæ, justificatio injusti. Quis autem audivit unquam non dico ab Augustino, sed vel ab emotæ mentis homine commendari justitiam Dei, ex eo quod justos ipse damnaret? Nam quamvis aliqui Scholastici recentiores inventi sint qui dicerent justos à Deo posse sine iniquitate damnari, nemo tamen eorum eo usque delirravit quod etiam, ut in hac damnatione elucere diceret justitiam & non potius Dominium vel supremam potestatem

statem Dei. Quid vero ineptius quam quod Deus timendus esse sic diceretur justis, quia justos damnare posset? Exhorretio ista inaudita est in Ecclesia Dei: ubi potius resonant illa Apostoli verba, *Deus qui justificat, quis est qui condemnet?* Et illa Sapientis: *Ipsum qui non debet, puniri condemnare, exterum æstimas à tua virtute.*

Rom. 8. Sap. 12.

Quarto postulat hujusmodi correctionem totius doctrinæ Augustianæ consonantia. Nam ut superius satis vidimus, tota moles A doctrinæ ipsius undique clamat, injustum esse Deum, si non dico justos ipse damnaret, quod exhorret velut capitaliter inimicum Deo, sed si vel quempiam quacunque pœna sine peccati merito cruciaret. Quid ergo magis contra Augustinum dici posset quam Deum justum etjam justos posse damnare? Nam excepto illo qui objicitur loco in universis ejus lucubrationibus nullum talis opinionis vestigium inveniri potest.

CAPUT XVII.

Proponitur gravis difficultas ex libro tertio de libero arbitrio, quo ignorantia & difficultas ponuntur esse primordia naturalia: & ostenditur hypothesin illam longe differre à statu puræ naturæ.

ALTERA difficultas longe major ex libro tertio de libero arbitrio suscitatur, ubi multis docet quod Deus esset laudabilis, *quamvis ignorantia veri & difficultas recti esset naturalis hominis*, hoc est, si ignorantia & concupiscentia, quam nomine difficultatis intelligit, essent homini naturaliter concreata; sub illis autem vel cum illis comprehendit etjam omnes corporis miserias, ut ex capite 23. patet, ubi de morte parvulorum & cruciatibus, si eos sine peccato paterentur, movet controversiam, & eandem rationem esse tradit. Neque sententiam istam suam in libris retractationum revocavit, sed potius confirmavit, quando dixit: *Quam miseriam* (difficultatis seu concupiscentiæ & ignorantiæ) *Pelagiani nolunt ex ulla damnatione descendere, negantes originale peccatum. Quamvis ignorantia & difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem libro tertio* de libero arbitrio *disputavimus.* Ergo sine Dei injustitia, secundum Augustinum possent ignorantia & concupiscentia, quæ dirissima mala sunt multoque magis ceteræ mortalitatis miseriæ esse in statu puræ naturæ primordia hominis naturalia.

Lib. 3. c. 24. 5. & c. 20. & 23.

Lib. 1. retract. c. 9.

Respondetur hypothesin Augustini qua ponit ignorantiam & concupiscentiam esse primordia hominis naturalia, longissime differre ab eo statu puræ naturæ quem hactenus oppugnavimus. Quod ex duobus capitibus capitaliter puræ naturæ repugnantibus ostendi potest.

Nam primo Augustinus in illa hypothesi supponit peccatum præcessisse quod ignorantiam ac difficultatem, totamque consequenter corporis mortalitatem promeruerit, atque integritatem primi hominis violaverit. Nam illa totius origo disputationis istius fuit, quod cum punitum esse primum hominem ignorantia, difficultate & mortalitate constitisset, quæstio moveretur, cur proles ejus cum iisdem miserijs nasceretur. *Hic occurrit illa quæstio*, A inquit, *quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt. Dicunt enim, si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate & difficultatis cruciatibus nasceremur?* Et capite sequenti pergit ostendere, hoc *rerum moderatori summo Deo justissime placuisse.* Defendit hoc autem secundum quatuor modos incarnationis animarum quos cogitare possemus. Ut videlicet anima prolis ex anima parentis propagetur, vel in corpore jam corrupto nova creetur, vel ante creata ad illud mittatur à Deo; vel eò sponte labatur. Sed in omnibus illis quatuor modis supponitur corpus parentis, & consequenter corpus prolis quod inde generatione ducitur, & ab anima prolis quocunque quatuor modorum animandum est, primi parentis iniquitate esse violatum, utpote qua tam sibi quam proli pœnam ignorantiæ, difficultatis ac mortalitatis accersierit. B Hoc enim in singulis illis modis diserte tangit. Nam in primo dicit: *Si una anima facta est, ex qua omnium hominum animæ trahuntur nascentium, quis potest dicere non se peccasse cum primus ille peccavit.* In secundo vero: *Si autem singillatim fiunt in uno quoque nascenti, non est perverse imo convenientissimum & ordinatissimum apparet ut malum meriti in priori, natura sequentis sit.* In tertio: *Si vero in aliquo secreto Dei existentes animæ mittuntur ad inspiranda & regenda corpora singulorum quorumque nascentium, ad hoc utique mittuntur officium, ut corpus quod de pœna peccati, hoc est, de mortalitate primi hominis nascitur, bene administrando* &c. Et mox, *caro de propagine veniens peccatoris venientibus ad se animis hanc ignorantiam & difficultatem facit.* Quam *miseriam*, quod *justissimam* ab animabus illis suscipi dicit; & in quarto incarnationis animæ modo eandem rationem esse declarat. Ex quibus manifestum est, in tota illa hypothesi Augustini peccatum hominis C supponi, quod & sua & prolis ignorantia & difficultate & mortalitate punitum est. Sed in hoc est inter illos quatuor modos differentia, quod in primo quo anima prolis ex parentis anima propagatur, istæ pœnæ non solum patris,

Cap. 20.

Lib. 3. c. 19.

patris; sed & prolis tanquam peccatricis, supplicia esse statuantur; in reliquis tribus patris, tantum. Supponimus enim animam prolis non ex anima propagatam, sed vel creatam in corpore vitiato, vel ad corpus vitiatum à Deo destinatam, aut certe sponte ad illud lapsam, nihil omnino peccavisse, & ideo illa non esse supplicia animabus istis irrogata, sed primordia naturalia; ex parentis tamen iniquitate transfusa. Nihil illorum statui purè naturali convenit, in quo Deus corpus & animam condere decernitur, non qualia meritorum atque suppliciorum ordo, sed humanæ naturæ conditio flagitaverit, & ipsiusmet æquissima sanctitas, & sanctissima æquitas conditoris. Vna quippe circumstantia mutata, sicut apud perspicaces ac prudentes viros, ita multo maxime apud ipsam veritatem atque sapientiam alias rerum agendarum regulas poscit.

Sed alia longe capitalior inter hypothesin Augustini & statum puræ naturæ differentia est. Hic enim essentialiter postulat, ut in eo nihil omnino gratiæ sit, nulla fides, nulla charitas, nulla ad supernaturalem statum elevatio, nulla incorruptionis ac felicitatis æternæ, quam fides Christiana futuram credit, exspectatio: hypothesis vero Augustini in eo statu quo ignorantia ac difficultas essent primordia naturalia, universa ista supponit. Quod ita manifestum est in Augustino ut non possit ullo pacto in dubium revocari. Nam & fidem & bonorum operum exercitium Deum in illa hypothesi, contra illa duo mala tribuisse expresse docet: *Dedit enim ille*, inquit, *& facultatem bene operandi in laboriosis officiis* hoc est, contra difficultatem, *& viam fidei in oblivionis cæcitate.* Et rursum, adjutorium gratiæ Dei, & gloriam æternæ beatitudinis certantibus esse præparatam. Nam probans tales animas posse credere, recteque operari subjicit: *Iudicium illud vel maxime, quod anima omnis & quærendum esse credidit, quod nesciens nescit, & perseveranter in laboriosis officiis enitendum ad evincendam recte faciendi difficultatem, & opem a creatore implorandam; ut conantem adjuvet, qui vel extrinsecus lege, vel in intimis cordis allocutione conandum esse præcepit, & præparat civitatis beatissimæ gloriam triumphantibus de illo, qui primum hominem ad istam miseriam perduxit, victum pessima suasione; quam miseriam isti suscipiunt ad eum vincendum optima fide.* Et paulo ante dixerat tales animas quibus ignorantia ac difficultas naturalis esset, mitti *ad hoc officium, ut corpus quod de pœna peccati, hoc est, de mortalitate primi hominis nascitur, bene administrando, id est, castigando per virtutes, & ordinatissime atque legitime servituti subjiciendo, & ipsi compararent ordine atque tempore opportuno cælestis incorruptionis locum.* Et statim in initio hypothesis illius explicans conditionem animæ, quæ naturaliter ignorantia ac difficultate premitur: *Non enim*, inquit, *mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura iam omne corpus præcedit, sed etiam quod facultatem habet ut adjuvante creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante & ab ignorantia cæcante liberetur.* Ecce adjutorium creatoris. Ecce pietatem, ecce omnium adeptionem virtutum; ecce liberationem ab ipsa ignorantiæ cæcitate, & concupiscentiæ difficultate. Et paulo post: *Neque omnino potuit, nisi Deus omnipotens esse etiam talium creator animarum, quas & non dilectus ipse faciat, & diligens eas reficiat & dilectus ipse perficiat: qui & non existentibus præstat ut sint, & amantibus eum à quo sunt, præstat ut beatæ sint.* Ecce dilectionem qua tales animæ diligunt Deum; ecce refectionem qua in suæ naturæ integritatem restaurantur, ecce beatitudinem quam Deus tribuit ut beentur. Et inferius multis interpositis statum animarum istarum supernaturalem quibus difficultas ac cæcitas naturalis esset, satiatissime clarissimeque proponit: *Ignorantia vero & difficultas si naturalis est, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem & requiem, donec in ea perficiatur vita beata promoveri.* Et rursum infra fusius: *Sic & iam & nunc si ignorantia veri & difficultas recti naturalis est homini, unde incipiat in sapientia quietisque beatitudinem surgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit. Sed si proficere noluerit, aut a profectu retrorsum relabi voluerit, iure meritoq; pœnas luet. Creator vero eius ubique laudatur, vel quod eam ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoaverit, vel quod eius profectum adjuvet, vel quod impleat proficientem atque perficiat.* Et utilitatem illius difficultatis quam haberet in illo casu anima naturalem eam esse docet, *ut ex ipsa difficultate admoneantur eundem implorare adjutorem perfectionis suæ, quem inchoationis sentit auctorem: ut ex hoc ei fiat charior dum non suis viribus, sed cuius bonitate habet ut sit, eius misericordia sublevatur ut beata sit. Quanto autem charior illi est a quo est, tanto in eo firmius acquiescit, & tanto uberius eius æternitate perfruitur.* Cui mox adjungit, Deum ideo isti animæ difficultate cæcitateque naturaliter laboranti tale exordium tribuisse, *ut studendo ac proficiendo ad frugem sapientiæ iustitiæque perveniat*; tantumque illi præstitisse dignitatis *ut in eius etiam potestate poneret, si vellet ad beatitudinem tendere.* Quid luculentius, quid apertius, quid ab omni ambiguitate defecatius, quam Augustinum in hypothesi sua verum propriissimumque gratiæ statum delineare? Nam & fidem animabus difficultate & cæcitate, quasi naturaliter laborantibus tribuit, & opera bona & sapientiam, & justitiam, & adjutorium misericordiæ Dei, & amorem seu dilectionem ejus, & omnium virtutum studium & tendentiam in beatitudinem & liberationem tandem ab ignorantia & difficultate, & corporis ipsius mortalis incorruptionem, & cælestis incorruptionis locum, & civitatis beatissimæ gloriam & triumphum de diabolo, & beatitudinem in quam non suis viribus sed Dei misericordia subleventur, & fruitionem æternitatis Dei. Vt omnino manifestum sit in alio nullo differre Augustini hypothesin à præsenti gratiæ & supernaturalis elevationis, quem dicunt statu, nisi quod in hoc præsenti statu difficultas

Lib. 3. de lib. arb. c. 20.

Cap. 22.

Ibid.

In fine c. 22.

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 20

difficultas & ignorantia sint revera pœna peccati, non solum quod Adam fecerit, sed etiam quod filiis in culpam proprie dictam imputetur: in illo vero, quem supponit Augustinus, primus quidem parens vere peccaverit & corporis mortalitate & animæ difficultate ac cæcitate punitus sit; anima tamen prolis ejus nullo peccato patris infecta, pœnas ejus non ut pœnas, sed ut incommoda quædam subeat: eo quod non ex anima patris propagata, sed vel à Deo de novo in ipso mortali corpore condita sit, vel ad mortale corpus missa, vel sponte in illud lapsa, ubi cæcitatem ac difficultatem studio pietatis & gratiæ Dei digerat atque superet; ut tandem reparata etiam corporis gloriosa immortalitate, ad æternam divinæ contemplationis beatitudinem transferatur. Perfectissimus igitur gratiæ status est ille, de quo loquitur, quamvis non perfecte sit status peccati, & proinde nihil omnino ad asserendum puræ naturæ statum facit. Nam ex istis potissimum capitibus, ex Augustini sententia, puræ naturæ statum improbavimus, quæ ab hac hypothesi longissimè removentur. Nimirum ex eo quod in statu illo, quem Scholastici purè naturalem dictitant nemo posset diligere veritatem, justitiam, sapientiam, unoque verbo Deum; nemo ad A verum rationalis naturæ beatitudinem vel tendere vel pervenire; nemo vel unum opus bonum recte operari; nemo esse liber arbitrio; nemo tentationem quamcumq; superare; nemo ab ignorantia, à difficultate, à concupiscentia, à morte, à miseriis liberari. Hæ sunt enim connaturales puræ naturæ dotes à quibus nec suis viribus ille status exui nec alienis, hoc est, per gratiam Dei potest, nisi hoc ipso status ille deleatur. Nam à tot trabalibus malis liberare sola Dei gratia potest cum qua status puræ naturæ permanere non potest. Nullo igitur pacto hypothesis Augustini probat vel ignorantiam ac difficultatem corporisque miserias, statui puræ naturæ adesse posse, vel illum ipsum statum pure naturalem esse ex Augustini mente possibilem. Nullum enim nec in hac hypothesi nec in aliis scriptorum suorum locis novit statum creaturæ rationalis Augustinus, nisi quo per Dei gratiam ipsa diligit Deum, diligit veritatem atque justitiam, B recte vivit, malas cupiditates aut ignorat aut divinitus inspirata regit, beatitudinem cælestis contemplationis gloriosamque corporis immortalitatem exspectat aut tenet: quæ omnia capitaliter puris naturalibus adversantur.

CAPUT XVIII.

Hypothesis ista non convincit pudorem, ignorantiam & concupiscentiam esse posse primordia hominis naturalis.

SED inquies, saltem hoc in ista hypothesi clare velle videtur Augustinus, quod ignorantia ac difficultas, hoc est, libido, cui pudor ille naturalis junctus est, itemque gravissimum illud miseriarum jugum, quod nobis ex corporis mortalitate fabricatū est, esse possit homini naturale, nullo in anima prolis, quæ illo jugo premitur, præcedente peccato; falsum est igitur, saltem id quod ante diximus, pudorem non posse esse naturalem eo quod hominem sui puderet autoris: falsum & illud, quod ignorantiam ac libidinem diximus non posse à Deo concreari, eo quod sint mala peccandi desideria, quæ libertatem operis boni tollant, peccandi necessitatem & consentiendi licentiam afferant, aliaque quæ superius explicata sunt: falsum & illud maxime, quod sine Dei injustitia negavimus posse creaturam rationalem tot miseriis premi. Si enim naturalis ponatur esse cæcitas, difficultas ac mortalitas, anima pœnam parentis, non peccatum subeunte, profecto jam pœnam, hoc est, pœnales afflictiones sine afflicti culpa cernimus, totaque moles argumenti ante texti funditus ruit.

Difficultatem istam gravem esse non inficior. Aderit spero Deus ut etiam istam ex Augustini mente diffimus. Tam sunt enim firma atque munita, tot testimoniis clarissi- A mis cumulata quæ contra Pelagianos ad subvertendum eorum commentitium puræ naturæ statum ex divinæ justitiæ consideratione proposuit, ut quicquid ex Augustini scriptis adversus ea proferatur, intrepidus dixerim, verum esse non posse.

Ad illud igitur, quod pro pudore defendendo dicitur, facilior est responsio, dicendum enim quod in hypothesi qua difficultas recti, hoc est, libido & pudor comes ejus, esset eo quo dictum est modo, naturalis, creatura sine dubio erubesceret, non minus quam nunc; absit ut de opere conditoris; sed de vitio quo rectitudinem operis divini parentum culpa pervertit. Iam enim diximus non aliter cæcitatem & libidinem in hypothesi Augustini dici naturales, nisi quia sine culpa prolis, parentibus tamen corpus mortalitate, animum ignorantia ac libidine vitiantibus. Supponitur B enim totam pœnam peccati perinde ut nunc, sed sine culpa transire, quam sententiam postea quidam Pelagianismi ramus amplexus est. In qua sententia pudor ille naturalis nullas angustias facit. Nam sive culpa proles careat sive polluta sit, semper pudor non ex opere Dei, in genus humanum, sed ex vitio peccatoris invehitur, quod pudorem non solum ipsi sed etiam prolibus, vitium illud in corpore rebellante & in anima concupiscente præferentibus

Lib. 4. ad Bonif. c. 6.

tibus

tibus facit, nihil enim usitatius, quam ut pudenda parentum facta filijs, & filiorum parentibus infamiam ac pudorem creent, juxta illud sapientis; *Confusio patris est de filio indisciplinato.* Et vicissim: *Dedecus filij pater sine honore.* Quod si generaliter verum esse probat experientia, quanto verius erit, quando ipsam probri paterni inhonestatem filij quoq; frontibus inustam gerunt?

Eccles. 22. Eccl. 3.

Ad illa quæ pro ignorantia & concupiscentia afferuntur, dicimus illa tunc habere inexcusabiliter locum, quando sic sunt naturalia ut homo melior quam factus sit esse non possit, hoc est, quando illi deest adjutorium gratiæ per quam solam & unicam, vitijs istis naturalibus homo & resistere, & mederi potest. Hoc autem status ipse purorum naturalium sibi necessario consertum habet. Gratiâ enim resistendi & medendi penitus caret, nec alius omnino ullus superest sese ab istis malis tuendi, multoque minus liberandi modus. Nam quod recentiores fingunt adjutoria resistendi concupiscentiæ & cæcitati naturalia, Deo non cælitus tenebras animi illustrante & frenante cupiditates, Philosophiæ humanæ machinamenta sunt, quæ Augustinus in Pelagianis doctrinæ Christianæ soliditate contrivit. Nam apud illos similiter decantatum illud erat, *hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges:* hominem *ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari.* Per quæ non aliud nisi moraliter bonos resistendi conatus & virtutum actus hæresis illa prædicabat. Sicut fuse diversis locis ex Augustino demonstravimus. Nam hujusmodi paradoxa Pelagiana semper sustinuit Augustinus ex diversis capitibus, quæ deduximus, non posse sine doctrinæ Christianæ læsione defendi. Si enim tunc potuisset concupiscentia per auxilium naturalis ordinis frenari, profecto posset & nunc, cum sit ejusdem conditionis roboris & firmitatis homo, cujus tunc erat. Posset igitur & nunc per naturæ vires naturalem legem servare; quod ut diximus & dicemus alibi latius Catholicæ doctrinæ autoritate damnatum est. Nam auxilia naturalia ad servandam naturæ legem, & ad libidinibus resistendum, ne in peccatum trahant, naturæ rationali debita sunt, ergo neque nunc negarentur, quemadmodum concursus naturalis ad bene vivendum nemini etiam Scholasticis confitentibus, negatur. Hæc est ergo causa quod idem in illa sua hypothesi, qua ponit ignorantiam & difficultatem esse naturalia, sollicite semper quærit adjutorium, quo ad non consentiendum atque peccandum creatura muniatur. Cujus ei tanta cura est, ut alioquin eam, consentiendo fœdissimis motibus, & irritamentis cupiditatum suarum, innoxiam futuram esse, prout & nos supra declaravimus, satis ostendat. Hinc est enim quod simulatque sibi murmura hominum de cæcitate ac difficultate ex parentibus tracta conquerentium objecisset; *Recte,* inquit, *fortasse quærerentur si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cum vero ubique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet exaudiat deprecantem* &c. Et paulo post in ipsa hypothesi de qua loquimur docet talem ignorantiam ac difficultatem non animis velut culpanda tribui debere, quia naturalia sunt, nec etjam creatori; *Dedit enim,* inquit, *ille & facultatem bene operandi in laboriosis officijs, & viam fidei in oblivionis cæcitate.* Et inferius ex illo capite culpam à creatore removet, si animæ alibi positæ corpora eligerent, ubi cæcitate & cupiditate gravarentur, quia auxilium se liberandi dedit: *Quandoquidem,* inquit, *etiam si eas animas ipse misisset, quibus etiam in ipsa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi & quærendi & conandi non abstulit, daturus petentibus, demonstraturus quærentibus, pulsantibus aperturus, omnino extra culpam esset.* Hæc arbitror, lector, apertissime demonstrant, non alium afferre Augustinum creatoris excusandi modum, quam quia multiplicem fidei, spei, dilectionis, orationis, adjutorij gratiam talibus animabus difficultate ac cæcitate prægravatis dedit, quibus illa vincerent, ut tandem victores ab omnibus terrenis vinculis expediti in æterna felicitate & felici æternitate triumpharent. Quæ omnia quia puræ naturæ statum non modo deficiunt, sed etjam funditus subvertunt, perspicuum est, ea quæ hic de difficultate & ignorantia naturalibus dicuntur, intactum prorsus esse sinere quicquid ex Augustino supra protulimus, ut concupiscentiam & ignorantiam in puræ naturæ statu impossibilem esse doceremus. Procedunt enim ex hypothesi, quòd nullum ibi gratiæ auxilium adversus illas pœnales malignitates, vel malignas pœnalitates creaturæ in promptu est, quod hic copiose dari hypothesis Augustini ponit. Tunc enim creatura prorsus & ignorando & concupiscendo, & consentiendo, & per omnes suas libidines volutando, non solum inculpabilis, sed etjam esset bona: *Bonum est enim quod naturaliter libet* sicut ab Augustino definitum est, *nec potest natura quæ bona est desiderare quod malum est.* Qua de re alibi fusius dictum est.

Lib. 5. cont. Jul. c. ult.
Lib. 4. c. 3.
Lib. 3. de lib. arb. c. 19.
Cap. 20.
In fine c. 20.
Lib. 5. cont. Jul. c. 7.

CAPUT

CAPVT XIX.

Non convincit etiam afflictiones & miserias sine peccato hominibus imponi posse in statu puræ naturæ neque majoribus, neque parvulis.

SED heus tu, inquies, quid jam pro tuenda justitia Dei in imponendo tot miseriarum, non modo corporalium cruciatuum, sed etjam ipsius molestissimæ libidinis jugo? Hoc enim saltem Augustinus absque ullo peccato imponi posse profitetur, quod ante toties negavimus.

Respondetur difficultas illa, vel adversus adultos, vel adversus parvulos, urgeri potest. Quod ad adultos seu majores natu ratione utentes attinet, angustiæ non multum premunt. Facile enim respondetur majores sine Dei injustitia talibus molestiis affligi posse ad promovendam propriam eorum utilitatem. Magnos enim & utilissimos fructus talium perpessio miseriarum parit, sive ut exerceantur in justitia, sive ut profectum suum agnoscant in dilectione justitiæ, sive denique ut per malorum tolerantiam majoris gloriæ premium consequantur. Hæc autem tria tam magna bona sunt, ut merito contemni debeat, si etjam justus aliquid hujusmodi pœnalium molestiarum sine sua culpa patiatur. Nam pro jactura bonorum naturalium sive corporis sive animi, sive fortunarum, quas vocant, quæ miseriæ & afflictiones vocari solent, fit ei compensatio longe majoris boni. Non enim quisquam sanæ mentis dixerit injuste affligi hominem, cui quis obolum tollens, aureum redderet: vel cutem leviter stringendo, valetudinem graviter læsam restitueret, vel tantillum contristando, summum gaudium, vel animi sapientiam largiretur. Ex qua regula miseriam fratrum Ioseph, Augustinus expendit, quos ille magna cum eorum perturbatione quamdiu voluit tenuit, & quanta voluit mora protraxit. Docet enim quod *non eos utique fecerit calamitosos, quando tanta etiam ipsorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat, & totum hoc quod agebat, ut eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, ut eadem dilatione cumularetur*: tanquam non essent condignæ passiones eorum in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriam exultationis quæ in eis fuerat revelanda fratre cognito, quem à se perditum esse arbitrabantur. (q. 146. in) Itaque non dissimili modo, majoribus hominibus quibus ratio viget, nulla injuria, sed magnum beneficium fieret si propter fructus illos quos diximus assequendos, sine ulla culpa sua malis illis pœnalibus premerentur. Quos quidem fructus Augustinus sub exercitatione justitiæ comprehendere solet, quando rationem reddit cur etjam justi possint sine culpa cruciari. (Lib. 3. cont. Iul. c. 3.) Nam ad hanc doctrinam quam de majoribus dedimus, respicit quando dicit: *Quæ utique mala sub justo & omnipotente Deo non irrogarentur eius imagini, quibus malis in virtute exerceri infantilis ætas non potest dici, si nulla ex parentibus mala merita traherentur.* Et alibi manifestius: *Vos autem negantes originale peccatum, profecto aut cogimini dicere Deum vel invalidum, vel injustum sub cuius potestate imago eius in parvulis sine ullo vel proprii vel originalis peccati merito tantis affligitur malis; non enim per hæc exercetur virtus, quod recte de bonis hominibus maioribus dicitur, in quibus rationis est usus.* (Lib. 6. cont.) Et ex professo ad Hieronymum scribens: *Deum bonum esse, Deum iustum esse, Deum omnipotentem esse, hoc dubitare omnino dementis est. Tantorum ergo malorum quæ fiunt in parvulis causa iusta dicatur. Nempe cum maiores ista patiuntur, solemus dicere, aut sicut in Iob merita examinari, aut sicut in Herode peccata puniri. Et de quibusdam exemplis quæ Deus manifesta esse voluit, alia quæ obscura sunt hominem coniicere conceditur: Sed hoc in maioribus. De parvulis autem quid respondeamus edissere, si pœnis tantis nulla in eis sunt punienda peccata. Nam utique nulla est in illis ætatibus examinanda iustitia.* (Epist. 28.) Ex quo patet quod eodem respiciat, quando de parvulis contra Iulianum dicit: quod *sub Deo creatore optimo atque iustissimo nullo modo imago eius in illa ætate tanta mala pateretur, si non esset originale peccatum.* (Lib. 5. cont. Iulia.) Nam *illam ætatem* nominans, satis indicat ætatem in qua viget rationis usus, etjam sine peccato talibus posse affligi malis. Sed quemadmodum hæc juxta Augustini mentem recte de majoribus dicuntur, ita in parvulis arctius stringunt nodum. Cùm enim in eis nulla sit examinanda vel exercenda justitia, ut iterum iterumque profitetur Augustinus, & tamen illis quoque ignorantiam ac difficultatem, omnesque corporis miserias naturales esse posse fateatur, quomodo jam injustum erit illud grave mortalitatis jugum? Sin autem injustum, quomodo naturale, an sibi contra Manichæos disserenti contrarius Augustinus contra Pelagianos, imperito peritus, tyroni senex? Quomodo ergo in fine vitæ repetit, *quamvis ignorantia & difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem libro tertio disputavimus.* (Lib. 1. retract. c. 9.)

Arctat fateor magnopere me difficultas ista ut nisi audacius aliquid asserendi ipse Augustinus aperuisset viam, pæne succumberem. Dico igitur revera illa duo esse cōtraria, senex enim adversus Pelag. puræ naturæ architectos dimicans, id quod incautius de parvulis contra Manichæos fuderat, emendavit. Quod si nihil aliud omnino haberemus nisi doctrinam illam sexcenties iteratam, juxta quam, velut

invictus

invictus omnibus Pelagianorum telis, ad mortem usque defendit, Deum omnipotentem & justum nullo modo posse creaturam rationalem tot miserijs quot ex puræ naturæ statu fluere hæresis Pelagiana decernebat, sine culpa cruciare, satis esset intelligentibus, ut eum revocasse censeremus, quicquid quoquo modo adversus alias hæreses in contrarium disputasset. Nunc verò benè habet quod ipsemet animadverterit hallucinationem suam, & infirmitatem doctrinæ præcedentis, Pelagianis jam exortis, redarguerit. Accipe confessionem ejus ingenuam ad Hieronymum. Nam proposita illa sentētia quæ singulas animas à Deo recentes condi & corporibus infundi statuit, unaq; e ex eis fuerat, juxta quas ignorantiam & difficultatē docuerat esse posse naturalem, jam pressus à Pelagianis, qui sententiam illam arripuerant, ita præfatur: *Sed cùm ad pœnas ventum est parvulorum, magnis mihi crede coarctor angustijs, nec quid respondeam prorsus invenio. Non solùm eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, sed eas ipsas quæ in hac vita dolentibus nobis versantur ante oculos. Demōstrandum est utique quomodo ista sine ulla sua mala causa tam multa patiantur.* Nempe in illa sententia jam supra dicta; in qua nunquam intelligere ipse poterat, quo pacto anima rationalis non ex parentibus tracta, peccatum ex parentibus traheret, ac per hoc innocens tot miserias, ut Pelagiani volebant, subire videretur. Et cùm multa quæ patiuntur hic parvuli, mala cumulasset, profert illam ipsam suam adversus Manichæos disputationem de qua loquimur, ut disquireret, utrum illa solutio quam tum dederat sufficiens esset, dicendo scilicet esse istas miserias naturales, nec esse propterea injustum Deum. *Ego quidem*, inquit, *non de ingenijs, sed saltem de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis de libero arbitrio, quod quale sit, & cur mihi in ista, quam habemus in manibus quæstione non sufficiat, intimabo & eum de tertio libro locum decerptum his litteris inseram.* Hic vides in primis Augustino non sufficere ad tuendam in parvulorum innocentium pœnis justitiam Dei, quicquid contra Manichæos de malis naturaliter sine ullo peccato adhærentibus, dixerat. Itaque decerpto toto illius libri loco, & in Epistolam illam translato, subjicit se unam determinatam illarum quatuor sententiarum de animæ incarnatione eligere nunc velle, & juxta illam defendere justitiam Dei in parvulorum pœnis, eo quod præcedens illa defensio sua non sufficiat: *Nunc verò unam volo, si possum ratione rectâ eligere ex omnibus, & propterea hujus ipsius de qua nunc agimus* (quæ animā creari novam à Deo statuit in ipso corpore, ideoq; à paterno peccato esse quasi innocentem) *defensionem in his quæ commemoravi, de illo libro verbis meis attentius intuens, validam firmamq; non video.* Ecce perspicuis verbis profitetur, defensionem illius sententiæ quam tunc adhibuerat ad ostendendum qua justitia tales animæ parvulorum tot pœnis etiam in

Epist. 28.

Ibidem.

A hac vita plecterentur, non esse validam neque firmam. Ratio verò tunc defendendi divinam justitiam talis fuerat, qualem ex ipso paulò ante capite præcedenti ad eam in majorum pœnis tuendam adhibuimus, quod videlicet illa parvuli mala paterentur ad recipiendum in rebus altioribus atque divinioribus beneficium, ut quasi intuitu futuræ compensationis illa tolerarent. Audi ipsum consequenter: *Nam velut firmamentum ejus illud est, quod ibi dixi*, in libris scilicet de libero arbitrio. *Quis autem novit quid parvulis in secreto judiciorum suorū bonæ compensationis reservet Deus? Quoniam quanquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt.* Quibus verbis satis apertè profitebatur etiam tunc, cùm illas pœnas naturales esse posse statuebat hoc ipsum injustum fore, nisi aliquid compensationis pro tot malis sine culpa toleratis reseruaret paruulis Deus. Ibidem.

B

Nunc vero, quia compensatio ista paucissimis casibus exceptis commentitia est, etiam illam languidè & ex suspicione potiùs quàm opinione ad compescendos tantummodo utcumque Manichæos proposuerat, eamque propterea repudiat sequentibus verbis: *Sed hoc non immeritò dici video de his, qui vel pro Christi nomine ac vera religione tale aliquid etiam nescientes patiuntur, vel sacramento Christi iam imbuti sunt, quia sine societate unius mediatoris liberari à damnatione non possunt, ut possit eis etiam pro illis malis quæ hic in diversis afflictionibus pertulerunt, compensatio ista præstari. Nunc autem cùm ista quæstio non possit absolvi nisi etiam de his parvulis respondeatur, qui post gravissimos cruciatus sine sacramento Christianæ societatis expirant, quæ circa eos compensatio cogitanda est, quibus insuper & damnatio præparata est?* Ecce rejecta & explosa est etiam ista miseriarum compensatio; quo unico firmamento miserias illas naturaliter parvulis innocentibus, irrogari posse tunc quasi suspicando somniaverat. Nam suspicionem ejus istam levissimam & instar somnij futile satis probat illa vacillantis animi & quoquo modo se juuare satagentis phrasis, *Quis novit quid parvulis reservet?* &c. Ibidem.

C

Revera namque nemo istud vel doctorum vel indoctorum novit, non Augustinus, non Ecclesia. Quamvis enim illa parvulis pro Christo occisis aliquid tribui vel retribui sentiat, nunquam tamen docuit pro reliquis tam multis quas tolerāt miserijs aliquid compensationis vel illis, vel baptizatis, vel sine baptismo decedentibus reservari.

Qua de causa nunquam amplius hujusmodi compensationis parvulis reservatæ meminit, sed definitè, acriter, constanter adversus Pelagianos ad mortem usque defendit, injustum vel invalidum esse Deum, si parvulis tot mala, quot ipsi naturaliter eis obtingere sentiebant, sine culpa vel infligeret vel pati sineret.

D

Quod si in isto gratiæ statu verissima ista sunt, quantò veriora atque certiora in eo qui

 fingitur

Digitized by Google

fingitur puræ naturæ fuerint? Ibi enim Scholastici nullius unquam compensationis meminere, nec verò meminisse possunt, nisi à principijs suis puræ naturæ basibus recedere velint. Nam ex ipsa naturæ conditione ignorantiam, concupiscentiam totumq; miseriarum corporalium dirissimum jugum parvulis & majoribus deberi putant, nullo respectu, exercendæ, examinandæ, promovendæque justitiæ, nullâ gloriæ cælestis adipiscendæ consideratione, nullo futuræ compensationis intuitu. Quæ

A siquis ad stabiliendum puræ naturæ statum admisceri velit, cum tota machina principiorum ejus corruit, tum verò etiam frustra subsidium illud imploraverit. Nam ut latissimè ex Augustini principiis declaravimus, nulla justitiæ exercitatio, vel profectus, vel adeptio, vel præmij consecutio, sine Dei gratia liberum arbitrium primitus à cæcitate & concupiscentiæ vinculis liberante, & vires deinceps dante sperari potest.

CAPVT XX.

Ostenditur quomodo Deus non esset culpandus si ignorantia & difficultas essent primordia naturalia, & solvitur difficultas proposita capite decimo-septimo.

Lib. 1. Retract. c. 9.

NEc huic solutioni contraria sunt illa verba S. Aug. quę ex 1. Retractationū supra in objectione citavimus. *Quamvis ignorātia & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, Nec sic culpandus Deus sed laudandus esset sicut in eodem l. 3. disputavimus.* Non enim illa verba significant Deum justum fore si parvuli tanta mala sine causa mala paterentur, sed significant, Deū etiam illo casu posito in peccatis creaturæ suæ culpari non posse, sed adhuc meritò debere laudari, Manichæi quippè, cum quibus in libris de libero arbitrio dimicabat, ut causam malorum redderent, purgabant creaturam, ut quę purâ necessitate peccare cogeretur, & accusabant Deum, cujus natura permixta genti tenebrarum omnibus fœdaretur ac violaretur malis quæ peccando perpetrantur. Hanc insaniam in illa disputatione subvertere conatur ostendendo etiamsi ignorantia & difficultas essent primordia naturalia, in quacumque quatuor illarum de animæ incarnatione sententiarum, quas ante commemoravimus, inculpabilem tamen substantiam remanere Creatoris in peccatis creaturæ, ut quę adhuc sola jure meritoq; culparetur. Quod Augustinus ipse in eadem illa Epist. ad Hier. apertè docet. Simul enim disputationem illam suam ad tuendam justitiam Dei vincendosq; Pelagianos non satis firmam esse profitetur, ad superandos verò Manichæos Dei naturam in creaturę peccatis violantes, esse firmissimā. Cùm enim citasset totum prioris disputationis locum, ut eum recensendo corrigeret; *Hæc tunc dixi,* inquit, *cum hanc ipsam de qua nunc agitur, vellem communire sententiam. Sicut enim paulò ante commemoravi, quæcunq; illarum de animæ incarnatione quatuor opinionū vera esset,* INCVLPATAM SVBSTANTIAM CREATORIS, ET A NOSTRORVM *peccatorum* SOCIETATE REMOTISSIMAM *intendebar ostendere. Et ideo quæcunque illarum veritate* C *posset convinci & repudiari ad curam intentionis meæ, quam tunc habebam, non pertinebat: quandoquidem cunctis diligentiore disputatione discussis, quæcunque illarum rectè vinceret cæteras, me securissimo*

Epist. 28.

A *fieret, quando etiam secundum omnes id quod agebam, invictum persistere demonstrabam. Nunc verò unam volo, si possum ratione rectâ eligere ex omnibus: & propterea hujus ipsius de qua nunc agimus, defensionem in his quæ commemoravi de illo libro verbis meis attentius intuens* VALIDAM FIRMAMQVE NON VIDEO. Nempe propter pœnas parvulorum innocentium, ut illa sententia supponebat, quæ defensionem ejus falsam esse convincunt. Ecce utrumque simul optimè consistere docet, ut quamvis vera esset illa sententia de animæ incarnatione; juxta quam miseriæ parvulorum non essent supplicia, sed primordia naturæ, vincantur tamen Manichæi, & tamen hæc ipsa sententia ex illis parvulorum innocentiū pœnis falsa esse monstretur. Et hæc est ratio cur quotiescunq; disputationis illius contra Manichæos susceptæ meminit, nunquam dicat, se sufficienter B defendisse justitiam Dei in illarum inflictione pœnarum, sicut contra Pelagianos necessitas postulabat, sed semper, se in illa sententia vicisse Manichæos qui tam detestabilia de divinæ substantiæ genti tenebrarum permixtæ violatione ac pollutione delirabant. Nam hoc est quod sibi vult in libro de dono perseverantiæ, ubi eandem disputationem contra auctorem suum Pelagiani retorquebant Nam cùm movisset se contra Manichæos tunc disputasse subnectit: *Et poteram sicut feci, quodlibet horum verum esset, quæ non definitè interponebam, certâ tamen ratione concludere, in omnibus Deum esse laudandum sine ulla necessitate credendi duas, sicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas esse substantias.* Et infra iterum: *Quamvis ergo in libro 3. de libero arbitrio ita de parvulis disputaverim, ut etiamsi verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem sine quibus nullus homo nascitur, primordia non supplicium esse naturæ, vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas boni scilicet & mali coæternas esse naturas; Numquid ideo fides in dubium* C *vocanda vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos Catholica defendit Ecclesia quæ asserit originale esse peccatum?* Cujus videlicet istæ miseriæ, sunt suppli-

Lib. de dono persev. c. 11.

supplicia. Nam ut supra sæpè vidimus, ex solis hujusmodi miserijs Iulianum atque Pelagianos ad confitendam vel injustitiam Dei, vel peccatum originale compellit. Et nonnullis interpositis iterum: *Contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, ut sive pœna esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet, sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur, nullo modo tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum boni scilicet & mali permixtio crederetur.* Hanc ipsam igitur solutionem respicit in eodem eo loco ex libro retractationum primo, qui nobis objicitur: Cùm enim dixisset; *Quamvis ignorantia & difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus sed laudandus esset, sicut in eodem tertio libro disputavimus*, statim adjicit quasi caveat datæ solutionis indicans: *Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris testamenti in quibus originale peccatum narratur &c. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est quod utraque scriptura commendat, quam se accipere profitentur.*

Cap. 22. — Lib. 1. retract. c. 9.

Ex his perspicuum est Augustinum refellisse Manichæos ex hypothesi ad hominem, eáque falsa & impossibili, sed quæ sufficeret ad eorum insanias revincendas. Sic enim ex hujusmodi falsa hypothesi refutavit etiam Pelagianos, sicut in eodê libro de perseverantia ipsemet commemorat. *Sicut autem nunc*, inquit, *ut ostenderem gratiam Dei non secundum merita nostra dari, secundum utrumq; sensum hoc defendere malui, & secundum nostrum scilicet, qui obstrictos originali peccato parvulos dicimus, & secundum Pelagianorum, qui originale negant esse peccatum, nec tamen ideo mihi est ambigendum habere parvulos quod eis dimittat qui salvum facit populum suum à peccatis eorum: ita & in tertio libro de libero arbitrio secundum utrumque sensum restiti Manichæis, sive supplicia, sive primordia sint ignorantia & difficultas sine quibus nullus hominum nascitur: & tamen unum horum teneo.* Ecce contitentem perspicuè Augustinum, quod ex falsa hypothesi Manichæos confutaverit: quam alijs plurimis locis, sicut supra tam fusè vidimus, non modo falsam, sed etiam impossibilem professus est, quatenus toties instanter docuit, divinæ justitiæ esse contrarium id quod Iulianus, totaque hæresis Pelagiana statuebat, gravissimo videlicet miseriarum jugo parvulos sine ullo peccati merito, velut in puræ naturæ statu premi. Nihil enim vetat verum ex falso etiam & impossibili trahere. Impossibilis enim hypothesis est ut peccator in peccato suo rectè defendatur: Et tamen inde verum sequitur, Deum esse laudandum juxta illud Augustini contra Manichæos: *Restat ut propriâ voluntate peccetur, quod si tribuere volueris conditori peccantem purgabis, qui nihil præter sui conditoris instituta commisit. Qui si rectè defenditur, non peccavit. Non est ergo quod tribuas conditori.* Hypothesis impossibilis est *ut diabolus homines creaverit*: ex qua tamen rectè sequitur sicut Iulianus inferebat, quod *nulla sua culpa mali essent homines, & ideo iam nec mali essent.* Et illo argumento convinci solitos à Catholicis Manichæos testis Augustinus est; *solemus & nos a lucem Manichæos ista dicere.* Hypothesis itaque similiter impossibilis est, ut ignorantia & mala libidinum diversarum desideria sint naturalia, & homini à Deo conditore primitus data. Ex qua tamen rectè sequitur, eis licitè posse consentiri, fatente Augustino cùm dicit: *Bonum esse quod naturaliter libet: Naturam bonam non posse desiderare quod malum est: non esse negandum bona, aliquod bonum.* Ex qua rectè consequenter sequitur, quicquid ex illa ignorantia ac desiderijs naturalibus appetitur, sine ullo peccato in pura natura posse perpetrari fatente eodem Augustino: *Nam si non est ista pœna hominis sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit ea quæ debet facit, cùm hæc facit.* Neminem enim melius esse posse, vel neminem ignorantiâ aut concupiscentiâ, aut molestijs pœnalibus benè uti sine gratia, quæ puræ naturæ statum prorsus deficit, in Aug. primum principium est, ut & supra diximus, & infra fortè iterum dicturi sumus. Ex qua denique hypothesi similiter rectè sequitur, Deum in istis naturæ primordiis adhuc esse laudandum; Dei naturam non esse mixtam cum gente tenebrarum, Deum à creaturæ sic conditæ peccatis esse remotissimum, quę Aug. contra Manichæos in ista suppositione spectabat. Si enim tunc in illa hypothesi peccat creatura laudemus Creatorē quia non peccat nisi dum ab instituto sui Creatoris abscedit: si verò non peccat, laudemus Creatorem quia nihil præter Creatoris instituta cōmittit, sed utrum talis hypothesis ex aliis capitibus, sive divinæ justitiæ, sive providentia, sive aliis sit possibilis an impossibilis alia quæstio est: quæ contra Pelagianos illam tanquam veram arripientes postea liquidissimè ab Augustino sicut explicuimus certissimèque definita est.

Lib. de bono persev. c. 12. — Lib. 3. de lib. arb. cap. 1. — Lib. 3. cont. Iul. cap. 12. — Lib. 5. cont. Iul. cap. 7. — Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.

CAPVT XXI.

Diruitur fundamentum Scholasticorum ex absoluto Dei dominio super creaturam petitum.

SED Scholasticos potissimum transversos egit illa dominij supremi consideratio, quo Deus tanquam creator, Dominus est absolutus hominum totiusque creaturæ: ex quo colligunt eum de hominibus & Angelis, tanquam de re sua liberrimè disponere posse, eosq; sine ulla culpa & injustitia malis afficere, affligere, cruciare, damnare. Sed respondeo consecutionem esse fallacem. Ius enim creationis efficit ut creatura quæcunque rationalis sit atq; dicatur esse Dei, esse in dominio ejus, jurisdi-

ctione

ctione atque potestate. Ex quo nascitur ut ei non solum possit benefacere, quod cuilibet in externos licet, sed etiam legibus suis ac præceptis regere, benefacientē remunerare, peccantem coercere, justisque suppliciis recto ordine, sine ulla sua iniquitate punire. Quæ quidem talia sunt, ut si Deum quantumcunq; magnæ deitatis, & potestatis, & majestatis ac dominationis esse fingeremus, hoc ipso tamen quo non esset Creator ac Dominus creaturæ rationalis nunquam eorum quæ diximus quicquam in eam exercere jure sineretur. Injustum est enim in alienos jus vindicandi sumere. Itaque Augustinus probaturus nos à Deo conditos esse, *hoc quoque*, inquit, *non aliunde video esse manifestum, nisi quod jam constat Deum vindicare peccata. Siquidem ab illo est omnis justitia. Non enim ut alienis est bonitatis alienis præstare beneficia, ita justitiæ vindicare in alienos. Unde manifestum est ad eum nos pertinere, qui non solum in nos benignissimus in præstando, sed etiam justissimus in vindicando est.* Ex quo capite non semel redarguit eos Augustinus, qui in non sibi subjectos, jus vindicandi aut delicta puniendi arripere voluerunt. Nam de Moysis homicidio, *Consultâ illa æternâ lege, reperio non debuisse hominem ab eo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamvis injuriosum & improbum occidi.* Quam regulam & ad Petri facinus Malchi auriculam præcidentis extendit. Omnis enim punitio, vindicatio, correctio violenta peccatorum, qui nullâ nobis lege subduntur, hoc ipso meritò tanquam injusta reprehenditur: *Culpantur enim*, ut Augustinus, etiam illi *qui prohibent à malo, si modum peccati modus coercitionis excedat. Item iure culpandi sunt qui turbidè atque inordinatè in eos coercendos insiliunt, qui nullâ sibi lege subiecti sunt.* Quamobrem cives suos Hypponenses pro concione duos modos coercendi peccata docens, *Quibus*, inquit, *potestis suadete, & in quos potestatem habetis, severitatem adhibete.* Ex illo igitur absoluto dominio Dei rectissimè colligas Deum creaturis rationalibus omnibus posse non modo præstare beneficium, sed etiam pro peccatis inferre supplicium: sine ulla verò culpa quibusvis afflictionibus posse cruciare nullo pacto. Dominium enim dat potestatem Domino utendi rebus suis in quemvis usum lege non vetitū. Lex autem ipsius Dei non-positivâ voluntate sed æternâ legis veritate sancita, nullo pacto sinit, ut creaturam sine ulla culpa faciat miseram; hoc enim non est Domini sed tyranni: non Creatoris sed perditoris, non æquitatis sed crudelitatis. Ex quo fit ut hoc tam impossibile sit quam Deum non esse Deum. Quamvis enim quarumlibet miseriarum inflictio non superet potestatem Dei, nec excedat dominium ejus, posset enim certis in circumstantiis, quæ accidere possunt, quibuslibet afflictionibus quamlibet creaturam rationalem premere; æquitas tamen incorrupta judicis cohibet potestatem Domini. Et quid æquitas, quid veritas, quid justitia est, nisi Deus? *Non enim*, ut optimè dixit August. *tibi fingere*

Lib. 2. de lib. arb. c. 1.

Lib. 22. contra Faust. cap. 70.

Lib. de unitate Eccles. cap. 20.

Serm. 111. de divers. c. 21.

Serm. 17. de verb. Apost.

A *debes Deum quasi idolum* vel quasi hominem qui volaticâ cogitatione, quicquid spectatâ nuda potestate posse fingitur, hoc etiam subinde velle posse cogitatur; vel quasi hominem quantumcunq; justum, sed sicut ipsam inflexibilem regulam æquitatis. Nunquam autem in æternum æquum aut justum, hoc est æquitas aut justitia esse potest, ut innocens creatura rationalis sine ulla culpa damnetur, ideoque nec in æternum voluntas Dei, hoc est, voluntas ipsius justitiæ hoc expetere aut facere potest: *Nihil enim*, ut benè Augustinus, *dicimus esse justitiam nisi æquitatem: æquitas autem ab æqualitate quâdam videtur appellata. Sed quæ in hac virtute, justitiæ, æquitas nisi ut sua cuique tribuantur?* Ubi autem, quomodo, quando deberi poterit miseria innocenti, qualiscunque quantacunque dominatoris potestate fingatur infligi? Cùm lex æterna sit, quod B sæpè cum Augustino monere cogimur, *qua iustum est ut omnia sint ordinatissima*? Nec in æternum *ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes effecerit, ut iustum non sit omnia esse ordinatissima*? Cùm nulla quamvis delira cogitatio sibi persuadere queat ordinatissimum esse ut boni, hoc est, ut innocentes sine ulla culpa miseri fiant? Cùm Augustinus è contrario clamet, *quid illa lex quæ summa ratio nominatur cui semper obtemperandum est, per quam mali miseriam boni autem beatam vitam merentur. Potestne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaq; videri? An potest aliquando iniustum esse ut mali miseri, boni autem beati sint*? Quo si sempiternâ justitiæ lege boni beatam vitam merentur, quæcunque illa beatitudo sit, si eadem justitiæ lege justum est, ut beati sint, impossibile est justum esse ut sint miseri, multoque impossibilius ut ipsa lex justitiæ eos miseros faciat vel miseros esse patiatur.

Lib. de quantitate animæ c. 9.

Lib. 1. de lib. arb. c. 6.

Ibidem.

C Hoc enim fallit ratiocinantes quod creaturam tantummodo creaturam, Deumque tantum Dominum cogitant. Nam illam quoque rationalem, Deumque justum esse meminisse decet. Hoc ipso quippe quo rationalis creatura est, cum summa ratione quæ est ipsa lex justitiæ, ordinem peculiarem qui ceteras omnes creaturas deficit, intimamque & quasi essentialem conjunctionē habet: ratione cujus fit, ut præter providentiam illam ceteris communem creaturis, qua conservantur, mutantur, intereunt, prout ordini universitatis expedit, longè sublimiori providentiæ administratione gubernetur, per præcepta atque consilia, non positiva tantum sed æterna quoque medullitus visceribus impressa creaturæ, per compensationes præmiorum atq; pœnarum. Quod providentiæ genus non ordinatione positivâ divinæ voluntatis assumptum est, sed ex æternæ legis fonte attenta naturæ D talis creaturę proficiscitur. Natura enim ipsius est pasci veritate atque iustitia, ipsamq; æternam legem mentis acie conspicere, ut quid justum, quid injustum sit in ipsis divini secreti regulis legat. Hoc ipso igitur quo Deus talem creaturam condidit, eam per ejusdem justitiæ

Digitized by Google

stitiæ suæ regulas quas intuetur, administrare debet, nec aliter, nisi seipsum violando potest.

Illæ namque in perpetuum clamant, verum ordinatumque gubernandæ creaturæ rationalis modum non esse alium, quàm ut illa quæ impressas conspectasque justitiæ regulas contemnit aut diligit, ex iisdem justitiæ regulis misera aut beata fiat. Cùm enim ipse sit justitia, in quo tandem justitiam exhibebit aut monstrabit, nisi rationalem gubernando creaturam, nec enim erga seipsum vel creaturam irrationalem justitia locum habet, quam propterea sine ulla culpa quibuslibet malis affligere potest. Vt enim culpæ, ita & miseriæ & beatitudinis incapax est. Vidit hæc Augustinus, & notavit quando scrutatus causas miseriæ parvulorum si sine peccato suo tanta paterentur:

Aug. lib. de peccat. orig. cap. 34.

Epist. 28.

Nam quidnam sicut illa animalia irrationabilia recte dicimus in usus dari naturis excellentioribus etsi vitiosis, sicut apertissimè in Euangelio videmus porcos ad usum desideratum concessos esse dæmonibus, hoc & de homine recte possumus dicere? Anima est rationalis in illis membris quæ tantis afflictionibus pœnas luit. Deus bonus est, Deus justus est, Deus omnipotens est, hoc dubitare omninò dementis est. Tantorum ergò malorum causa justa dicatur. Quasi apertissimè diceret; non potest sine Dei justitia vel impotentia rationalis anima sine peccato tot afflictionibus quas videmus pœnas luere.

Hic ergò æternæ & immutabilis legis ordo vera radix est, illius ineffabilis æquitatis, quæ per assiduam distributionem præmiorum atque pœnarum in administratione creaturæ rationalis apparet. Nam omnes actus ejus tam individuè sequitur divina justitia, ut nec unus quidem quantumcunque exiguus aut momentaneus, inveniri possit cui non confestim, quod meretur illa retribuat, ut quia lex æterna clamat justum esse ut omnia sint ordinatissima, nihil inordinatum vel ad momentum in administrationem universitatis & creaturæ rationalis incurrat. Nam inde sunt illa in scriptis Augustini frequentissima:

Lib. 3. de Trinit. c. 4.

Nihil fit visibiliter & sensibiliter quod non de interiori invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur aut permittatur secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ipsa totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica. Et in libro octoginta trium quæstionum:

Lib. 83. qq. q. 27.

Omnia hæc divina providentia pro meritis moderatur animarum. Et iterum: *Ita etiam cætera creatura pro meritis animarum rationalium, vel sentitur vel latet, vel molesta, vel commoda est. Summo enim Deo cuncta bene administrante quæ fecit, nihil inordinatum in universo, nihilque injustum est, sive scientibus sive nescientibus nobis.* Et quæstionibus ad Simplicianum dicit sanctos

Lib. 2. ad Simplician. q. ult.

Angelos id quod in Deo SEMPITERNE IVSTVM *vident pro congruentia rerum inferiorum temporaliter peragere.* Et in Psalmos:

In Psal. 7.

Qui videt merita animarum sic ordinari à Deo, ut dum sua cuique tribuuntur, pulchritudo universitatis nulla ex parte violetur, in omnibus laudat Deum. Nam, ut paulò post addit: *Præmiis & suppliciis universa creatura quam Deus à se conditam regit, mirifica & paucis cognita pulchritudine decoratur.* Et in libro de quantitate animæ:

Lib. de quant. animæ c. [illegible]

Deus summus & verus lege inviolabili & incorrupta, qua omne quod condidit regit, subjicit animæ corpus, animam sibi, & sic omnia sibi, neque in ullo actu eandem deserit, sive pœna sive præmio. Id enim judicavit esse pulcherrimum, ut esset quidquid est, quomodo est; & ita naturæ gradibus ornaretur, ut considerantem universitatem, nulla offenderet ex ulla parte deformitas: omnisque animæ pœna, & omne præmium conferret semper aliquid proportioni justæ pulchritudinis dispositionique rerum omnium. Et in libris de libero arbitrio:

Lib. 3. de lib. arb. c. 15.

Nullo temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat anima quod debet, & alio patiatur quod non debet, ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Hanc ineffabilem & immobilem pulchritudinem administrationis universi ex æternæ legis ordine profluentem non attendunt neque considerant uti decet, qui in sola divina potestate languentes & hærentes, turpissimas illas labes in ejus providentiam cadere posse somniant, ut vel peccati dedecus sine decore vindictæ sit, vel impios beatos, vel innocentes miseros esse posse, vel (quod Augustinus inordinatissimum, absurdissimum, & à justitia Dei penitus alienū, & blasphemum vocat) ut beatos omnes nemine excepto ad æternas pœnas inferni solâ Dei voluntate deturbari posse delirent. Contra hujusmodi mentis aberrationes, solus ille luculentissimus Scripturæ locus, leviter supra strictus, satis esse potest, quem omnis Augustini doctrina velut æternæ legis oraculum non positivæ liberæque voluntatis decretum explicat & supponit:

Sap. 12. v. 15.

Cùm ergò sis justus, justè omnia disponis.

Sed Deus absolutus omnium Dominus est inquies, illimitatæ proinde potestatis, ut creaturas affligat & condemnet, sicut visum fuerit. Respondet tibi pro Deo sapiens: *Ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute,* Græcè ἀλλότριον τῆς σῆς δυνάμεως, alienum à tua potestate. Et quasi Spiritu sancto inspiratus, argumentum Scholasticorum prævidisset, tyrannidis illius labem etiam ratione, à Deo submovens, *virtus,* ἰσχὺς

Vers. 16.

fortitudo *enim tua justitiæ initium est,* quasi diceret, cùm in aliis *fortitudo sit lex justitiæ* hoc est, initium injustitiæ, ut quicquid possint etiam continuo justum putent: in te vice versâ potestas maxima est initium ἀρχὴ principium justitiæ, nihil omninò erga ullam creaturam rationalem exequens, quod non justitia tua ineffabiliter imperet ac moderetur. Alii virtutem seu dominii sui potestatem in innocentes ostentare solent, tu in impios, incredulos tuæ potestatis tibique contumaces,

Vers. 17.

Virtutem ἰσχὺν *enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute* δυνάμεως *consummatus, & horum qui te nesciunt audaciam traducis.* Alii præ magnitudine potestatis impotentes animo fiunt, ut non dominantes potestati sua iniqua judicent atque faciant:

Vers. 18.

Tu autem dominator virtutis ἰσχύος roboris tui,

cum tran-

cum tranquillitate ... æquitate iudicas, & cum magna reverentia disponis nos. Subest enim tibi cùm volueris posse. Iudicet quæso Lector utri potius credendum sit, an ei qui dicit Deum æstimare, quod condemnare justum sit exterum & alienum à sua potestate, an eis qui dicunt, esse potestati ejus congruum, ut justi omnes ad æterna supplicia deturbentur? An ei qui profitetur fortitudinem Dei esse initium justitiæ, an illis qui contra clamant fortitudinem ejus initium esse posse tam enormis injustitiæ?

Quod si Scriptura sobriè considerata, si ratio perspicua, si lex æterna, si S. Augustini doctrina constantissima, per quem Ecclesia de hæresi Pelagiana, & commentitia puræ naturæ machina triumphavit, apertè profitentur justorum damnationem ad æternas pœnas injustam planè tyrannidem Deoq; indignam esse crudelitatem, profectò non minus perspicuè probant Deum quamtumvis absolutæ potestatis, vitæque & mortis dominus sit creaturæ rationalis nullam omninò pœnam quantumvis exiguam sine injustitia inferre posse innocenti. Non enim damnatio justi repugnat Deo, quia damnatio est, sed quia est innocentis afflictio. Innocenti enim nihil omninò debetur mali. Quo fit, ut non minus exigua, quàm magna pœna repugnet innocentiæ ideoque justitiæ. Cùm enim justitia sit æquitas seu æqualitas, manifestè inæqualitatem & per hoc iniquitatem efficit, si aliquid inferatur mali cui nihil inferri debet. Et hæc est causa cur Augustinus, non minus levissimas, quàm gravissimas pœnas innocentibus infligendas à divina potestatate & æquitate submoveat. Cujus veritatis hic illic inter cetera, prout locus tulit, testimonia non pauca dedimus. Vt illud contra Iulianum: *Porrò autem si quod huic sufficit causæ, parvam saltem pœnam fatemini esse ut &c. obsecro aperite qualescunque oculos, & videte qua justitiâ infligenda sit parvulo, quem clausis oculis originali obnoxium negatis peccato?* Hoc est, quem in puris naturalibus natum constituitis. Et illud generale contra eundem: *Propter quid ergò affliguntur parvuli si nullum habent omnino peccatum? An omnipotens & iustus Deus, tot injustas pœnas à tot innocentibus prohibere non potuit?* Et illud generalissimum: *Neminem sinit aliquid perpeti, quod non meretur.* Nam si quemadmodum hæresis Pelagiana statuebat, parvuli in pura natura nati nullo peccato tenerentur obnoxii, *nulli* quoque, ut alibi disertissimè dicit, *mali parvuli obstricti nihil mali vel in corpore vel in anima, sub tanta iusti Dei potestate paterentur.* Nimirum impossibilitas damnationis innocentium ad æternas pœnas & ad quoscunque etiam levissimæ afflictionis cruciatus ex eadem illa radice proficiscitur, quam in ipso Deo quantumvis absoluto domino vitæque & mortis autore sexcenties tangit Augustinus: *Ita quippe,* hoc est punitio, cruciatus, afflictio, malum, miseria, *non redditur nisi debita, ne sit iniquitas apud Deum.*

Lib. 5. cont. Iul. c. 13.

Lib. 2. op. imperf. fol. 235.

Ibid. f. 290.

Lib. 3. cont. Iul. c. 5.

Lib. 4. ad Bonif. c. 8.

CAPVT XXII.

Solvitur difficultas ex Bulla duorum Pontificum.

SVPEREST objectio quæ ex Bulla duorum Pontificum sumitur. Nam ibi damnatur iste articulus, *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem qualis nunc nascitur.* Nunc autem nascitur cum ignorantia, concupiscentia, mortis & omnium earum quas experimur miseriarum necessitate; ergò ab initio nullo peccato præcedente talem Deus creare potuisset. Non igitur hoc repugnat justitiæ Dei.

Art. 53.

Respondetur, tota vis hujus argumenti ex Apostolicæ Sedis autoritate petitur, quæ Catholicis omnibus tanquam obedientiæ filijs veneranda est. Sicut ergò ipsi nobis verendum putant; ne doctrinam istam velut Augustini asserendo, in duorum Pontificum decretum ipse impegisse videatur; ita multo magis adversarijs formidandum est, ne eam negando, Sedem Apostolicam longè præsentius & periculosius in septem Pontificibus lædant. Nam postquam Sedes Apostolica per novem partim doctissimos, partim sanctissimos Pontifices suos, Innocentium, Zozymum, Bonifacium, Sixtum, Celestinum, Leonem, Gelasium. Hormisdam, Ioannem II. divi Augustini tanquam *magistri optimi* cœlestem doctrinam adversus Pelagianam hæresim imploravit, probavit, laudavit, & ita suam fecit, ut de fide fluctuantes ad ejus scripta mitteret, ex quibus discerent *quid Catholica sequatur & asseveret Ecclesia.* Et *eius doctrinam secundum prædecessorum Pontificum statuta, Romanam Ecclesiam sequi & probare* profiteretur, profectò nefas est, totius doctrinæ contra Pelagianos exaratæ bases in controversiam revocare. Hoc enim nihil est aliud quàm Pelagianos cineres suscitare redivivos, Ecclesiæ victoriam redarguere, tot sanctos Pontifices temerariæ credulitatis & ignorantiæ condemnare, fidem denique ipsam ejus eruditione stabilitam, novitate concutere. Quid enim universa sancti Doctoris volumina spirant vehementius, quid sæpius, quid densius, quid securius, quàm Pelagianam hæresim, dum parvulos sine virtute & vitio cum tota mortis miseriarum necessitate in statu puræ naturæ conditos comminiscitur, injustum vel impotentem facere Deum? Quid inculcant acrius, quid majori autoritate frequentius repetunt, quam pudendam concupiscentiam ex Apostolica doctrina esse malam, nihil aliud suscitantem nisi peccandi desideria, Deumque ejus autorem, quemadmodum

Hormisda, Ioannes II.

Digitized by Google

In lib. ad Valer. & sent. Iul.

modum & pudoris, nonnisi *erronea* & *blasphema* opinione dici posse? Cujusmodi doctrinam tantâ constantiâ defensam, si propter Aristotelicas quasdam tricas deserere, aut potius evertere licet, profectò quicquid ipse de gratia & libero arbitrio dixit, nisi in terminis definitum sit, eodem jure licebit limatiore quasi Philosophia labefacere. Quod strenuè profectò isto seculo à nonnullis Philosophicæ istius subtilitatis privilegio factitatum est. Eo quippe loci Augustini doctrina apud quosdam venit, tot glossis lacerata est, tot alienissimis directèque pugnantibus interpretationibus velut ruderibus obruta, ut nec ipse Augustinus (flendo non sugillando loquor) vestigium ejus reliquum in eorum scholis inveniret. Ut longe satius esset Augustino retectâ fronte valedicere, quam tot humanas, ut mitissimè loquar, imaginationes, sub ejus autoritate venditare. Ignoscat Lector; dolor extorsit hanc paręcbasin, eo quòd tam sollicitè duorum Pontificum autoritate ab ijs opponi videam, qui tantam cœlestis doctrinæ molem, tantam tot antiquorum Pontificum autoritatem non cõsiderant. Sed quia verum vero non est contrarium, nec sibi-ipsi sancta, Pontificia, Romana Sedes; omninò satagendum est, ut ne posteriores à prioribus Pontificibus recessisse videantur. Itaq; propositio quę objicitur necessarium habet interpretationis beneficiũ. Siquis enim, quemadmodum sonat, accipiendam velit, profectò peccatorem hominem ab initio Deus creare potuisset, talis enim nunc, nemine Catholico dubitante nascitur. Quod si peccatum excipi merito velis, quamvis nullo modo hoc sonet propositio, excipe igitur eodem jure pietatis erga Deum, quicquid sine peccato esse non potest. Talis est autem in primis fœdissima illa & pudenda concupiscentia; talis profundissima juris naturalis ignorantia, talis est malitia quoque voluntatis, quam D. Thomas & omnes sectatores ejus, vulnus naturæ rationalis omnibus inflictum statuunt. Hæc enim tria tam arctam cum peccato conjunctionem habent, sive ad illud directè per peccandi desideria incitando, sive aliter concurrendo, ut eorum Deus fons omnis honestatis, creando autor esse non possit. Hæc enim ratio est, cur habitum mali ad peccata concitantẽ, creaturæ rationali Deus, ut rectissimè multi autores sentiunt, non possit infundere. Hæc enim ratio est cur Christo Domino nemo audet vel ignorantiam illam, vel pudendam concupiscentiam, vel malitiam voluntatis asscribere. Quod si nemini culpæ vertitur mali habitûs infusionem à Dei potestate removere, ceterasque fœdissimas labes à puritate Salvatoris, qui quicquid innoxium ipse condere potest, assumere potest; liceat obsecro, profundissimo Romanæ Ecclesiæ Doctori, turpissima ista creaturæ rationalis inquinamenta, sine erroris invidia à Creatoris sanctitate depellere. Quod nonnulli etiam Scholastici maturiori judicio ponderantes apertissima rei veritate ducti, concupiscentiam à Deo puræ naturæ statui vel omninò dari non posse senserunt, vel certè auxilio Dei esse frænandam. Quam moderationem formido novitatis, non judicium veritatis extorsit. Nam hoc ipsum pœnè perinde est ac si tollerent; palamque intelligentibus produnt, luctam carnis & spiritus esse vitium, non naturam creaturæ rationalis; aliterque propositionem nobis objectam intelligendam esse, quàm patroni concupiscentiæ spiritui rebellantis cum qua nascimur, vulgo putant. Quod si propter conjunctissimum cum peccato nexum, concupiscentia à Dei creatione removeri debet; nulla ratio est, cur non omnes illæ pœnæ mortalitatis quas parvulos pati cernimus, ab eadem Dei potestate separentur. Nam sicut Dei sanctitas, ignorantiæ, concupiscentiæ, malitiæque concreatione necessario polluenda est, ita justitia ejus, tam dirâ innocentium afflictione violabitur. Utraque quippe indivulsâ cõjunctione cum iniquitate sive sequente sive precedente sociata sunt; utrumque pari fiducia Augustinus docet; neutrum quod sciam ante millesimum annum & seculum Scholasticorum in controversiam vocatum fuit.

Solus in tractatu de pecc. orig. Molderus, Palud, Wiggers.

Quid ergò ad propositionem quam proscripsit Apostolica Sedes? hæreo, fateor. Sed quid ad doctrinam Augustini clarissimam constantissimamque quam toties *probavit & secuta sequendamque monuit* Apostolica Sedes? Nam si fundamentales illæ contra Pelagianam hæresim doctrinæ proscribendæ sunt, non inter *magistros optimos* semper haberi à Summis Pontificibus, sed ignavissimos haberi debuit: non *cunctis venerationi & amori* esse, sed contemptui. Nemo quippe obtusius causam Ecclesiæ contra Pelagianam puræ naturæ machinam defendit unquam; nemo miserabilius prodidit. Quid enim ineptius, quid hebetius, quid infamius Ecclesiæ victricis armis, quàm homines Scholasticorum omnium judicio rem possibilem, imò prorsus congruam humanæ conditioni maximeque naturalem asserentes, velut impossibilia, impia, injusta, blasphema commenta delirantes redarguere? Hic pugnent ac triumphent; qui Ecclesiæ perniciem meditantur; non Augustinus non quicunque tandem de fæce pugil in Ecclesiæ causa Christianus. Ne igitur Pontificiam Sedem in pugna secum relinquamus, nihil arbitror opportunius, dici posse, quam Romanam Ecclesiam cui non minus pax, quam eruditio filiorum suorum cordi est, prudentiæ directricis censuram edidisse. Multæ quippe doctrinæ subinde magis inusitata suâ novitate, quam falsitate perturbant. Ex quo fit ut nonnunquá proscribantur nonnullę propositiones, de quarum veritate nihil non modo decreverit, sed nec decernere se velle profiteatur. Ut alibi pluribus, ni fallor, diximus. Hoc igitur tanquam prudens mater, etiam hic merito sibi usurpandum esse duxit. Cùm enim cerneret hanc propositionem, *Deus ab initio talem potuit creare hominem qualis nunc nascitur*, communi Scholasticorum consensu, certo sensu in scholis

Vide l. 4. de statu nat. lapsa c. his.

Scholis receptam esse, ne contraria lites, offensiones & scandala sua novitate generaret, sicut jam ipsa Bulla teste generare cœperat, eam tantisper vetandam censuit non tanquam falsam, sed ut pacis inimicam. Quod si vel tunc ostendi potuisset, hanc aliasq; nonnullas propositiones ab Augustino Doctorum omnium Coryphæo tam intrepide à tot seculis esse nemine refragante, sed Ecclesia Romana per diversos Præsules suos applaudente traditas, abstersa videlicet per tanti Doctoris autoritatem & antiquitatem, opinione falsitatis, offensaq; e novitatis, nunquam arbitror hujusmodi decretum ab Apostolica Sede promanasset, quod nulla conciliandæ pacis extorqueret necessitas. Quæ conciliandi ratio eo videtur esse genuinior quod duobus modis Bullæ cōgruat. Nam & ad litterá propositio ista censura stringitur, quatenus proscribit offensivas (sufficit enim una esse Sanctionis parte cōprehensam) & aliqua ratione, ut verba sonant, ad mentem autoris defendi posse decernitur. Quibus A enim propositionibus hoc verius & justius applicueris, quam quæ præpostera quadam philosophandi cura, cùm obliteratæ fuerint, à sancto Augustino traditas ac fortissimè defensas esse non ambiguâ principiorum ejus demonstratione, & undique consonanti testimoniorum acclamatione convincitur? Quâ de re fusius alibi dissertum est. Aliam per me licet quærat, cui ista non sufficit solutionem: sed ita quærat, ut meminerit, sic sibi sartam tectamque tuendam recentiorum Præsulum Apostolicæ Sedis autoritatem, ut ne veterum ac plurium perniciosius lædat. Nam futilibus glossulis apertissimæ doctrinæ molem, ad novos præoccupatosq; torquere sensus, de quibus Augustino nunquam vel per somniū in mentem venit, non est Aug. doctrinam prosequi, sed suam in Augustino quærere; non veritatem indagare, sed obruere. Quod sæpius à multis in rebus capitalibus cum indignatione & gemitu factitatum vidi.

F I N I S.

TOMI SECVNDI.

Elenchus Librorum & Capitum.

Liber prooemialis.

In quo limites humanæ rationis in rebus Theologicis indagantur; & authoritas sancti Augustini in tradendo mysterio prædestinationis & gratiæ declaratur.

CAP. I. *Gratia Christi veritas omnibus Christianis, ut vita & salus cordi esse debet.* 2

2. *Ratio scriptionis huius labyrinthi quæstionum, quæ de gratia agitantur.* 3

3. *Inventio veritatis de divina gratia & concordia dissidentium Scholasticorum difficilis, propter Philosophiam. Mala inde pullulantia.* 6

4. *Discrimen inter Philosophiam ac Theologiam. Illi servit ratio, huic memoria: principium eius traditio non scripta, per accidens etiam scripta. Quid Christus & Apostolus, in tradenda Theologia spectarint.* 7

5. *Antiqui Patres eum imitati sunt. Discrimen inter disputationes eorum de mysteriis fidei, & Scholasticorum. Lapsus Origenis.* 11

6. *Quis limes in hac vita indagandi divina mysteria. Quæstionem quomodo quidque verum sit, fere semper obscuram Deus esse voluit: Duplex quomodo articulorum revelatorum, essentiale, & accidentale.* 11

7. *Duplex modus penetrandi mysteria Dei, humana ratione & charitate: ille periculosus est, proprius Philosophorum; iste tutus Christianorum.* 15

8. *Quæstiones & veritates pure Scholasticæ nihil cum cognitione charitatis commune habent propter diversas causas. Præcipitia in quæ prorumpunt.* 19

9. *Cancelli Theologiæ Christianæ in Scripturis, Conciliis & Patribus primorum sæculorum, per quos Deus Ecclesiam docuit, positi sunt.* 22

10. *Quid moverit auctorem ad indagandam veritatẽ de gratia & prædest. ex Conciliis & August.* 26

11. *Deus non minus mirabilis in innumerabili varietate mundi incorporei, quam corporei, hoc est, iustorum, quam rerum naturalium: quarum ultima differentiarum & perfectionum fibræ, ideoque & Augustini, latent.* 27

12. *Augustinus quatuor capitales Christianismi veritates contra quatuor potentissimos errores fundavit: unitatem capitis Ecclesiæ, unitatem Corporis, unitatem Sacramenti incorporationis, unitatem gratiæ; ostenditur de tribus primis.* 30

13. *Item de quarto. Primus Augustinus intelligentiam divinæ gratiæ & novi Testamenti fide creditis aperuit fidelibus & Ecclesiæ.* 31

14. *Augustini doctrina de gratia Dei, Evangelica, Apostolica, Catholica, & irrefragabilis auctoritatis; totius Ecclesiæ nomine scripta, silentibus scriptoribus universis.* 33

15. *A Romanis Pontificibus Innocentio, Zozymo, Celestino, Leone, Hormisda, Felice secundo, & Ioanne secũdo magnificentissime approbata & consecrata.* 34

16. *Quanta libertas & procacia quorundam recentiorum, in censenda damnandaque Augustini doctrina, quam tantopere Romana Ecclesia admirata est.* 38

17. *Naturalis & gratuiti luminis abundantia Aug. omnes Scriptores Græcos & Latinos superavit.* 39

18. *Miris elogiis Augustini facunda eruditio, sapiẽter à Scriptoribus sui temporis & posteris celebrata est.* 41

19. *Vis gratiæ magis vita praxi in Augustino quam stylo ab eo expressa est conversione mirabili, qua Magdalenæ, Petro, & præcipue Paulo similis fuit; institutione Religiosorum, qui in quinquaginta quatuor ordines diffusi sunt aliisque multis.* 43

20. *Similitudo Pauli & Augustini mira in indiciis divinæ electionis, quæ in vita utriusque etiam dissoluta micuerunt.* 45

21. *In Paulo & Augustino profundus gratiæ Christianæ sensus, intelligentia, & prædicatio: quorũ fons fuit amor Dei, primus gratiæ effectus.* 47

22. *Gratiam ac Theologiam posteri ab Augustino didicerunt, etiam sanctus Thomas.* 49

23. *Notitia vera Theologica limites in se fixit Augustinus.* 51

24. *Augustinus Pater Patrum, Doctor Doctorum; primus post Scriptores Canonicos; inter omnes vere solidus, subtilis, irrefragabilis, Angelicus, Seraphicus, excellentissimus, & ineffabiliter mirabilis.* 53

25. *Quo animo auctor ad lectionem operum sancti Augustini accesserit; quid spectaverit; quid spectandum sit; & Augustino tribuendum.* 56

26. *Periculosum est novas semitas in materia de gratia invenire velle prætextu vel difficultatum ab Augustino relictarum, vel maioris lucis, quæ recentioribus accesserit.* 57

27. *Paulus & Augustinus matrix & fons omnium conclusionum, quæ de gratia educi possunt.* 59

28. *Qualis esse debeat Lector sancti Augustini. Quãtum ab Augustini doctrina recentior Theologia differt, tum rebus ipsis tum docendi modo.* 61

29. *Præcipua auctoris mentem Augustini de natura humanæ statu de gratia, de prædestinatione sincere patefacere. Quid spectandum sit iis qui aliud forte senserint.* 63

30. *Utrum vetustas opinionum Scholasticarum, vel multitudo sectatorum Ecclesiam ab earum examine vel censura deterrere debeat, si antiquiori doctrinæ sancti Augustini adversentur.* 65

Liber Singularis

De ſtatu naturæ innocentis ſeu de gratia primi hominis & Angelorum

CAP. I. *De creatione Adami in gratia & ſanctitate.* 73
2. *Quis ſtatus inferioris partis reſpectu ſuperioris.* 79
3. *Verum fuerint in homine primo innati & intenſi appetitus excellentiæ & laudis & ſuperbiæ tentationes, ut quidam volunt.* 81
4. *Verum Adam corpore eſſet moriturus, ſi non peccaſſet. Duplex mortalitas & immortalitas.* 89
5. *De ceteris miſeriis mortalitatis aſſeclis, & de quiete omnium ſenſuum.* 93
6. *Adamus liberum habuit arbitrium, quid liberum ſibi velit.* 95
7. *An Adam per vires liberi arbitrij in creatione datas potuerit iuſtè vivere.* 105
8. *Verum per vires liberi arbitrij in iuſtitia creationis potuerit perſeverare.* 113
9. *Afferuntur rationes, cur tantæ fuerint vires liberi arbitrij in ſtatu innocentiæ.* 119
10. *An indiguerint Adam & Angeli adiutorio gratiæ ad iuſte vivendū & perſeverandū in iuſtitia.* 123
11. *Verum ad ſingulos actus bonos gratia neceſſaria fuerit: Et quæ radix tantæ neceſſitatis.* 127
12. *Proponitur & differtur difficultas, de concilianda tanta liberi arbitrij poteſtate cum tanta gratiæ neceſſitate. Quale fuerit illud Adæ & Angelorū adiutorium, quantum ad iuſtitiam, an gratia habitualis, concurſus communis &c.* 133
13. *Idem oſtenditur uberius ex Auguſtino.* 141
14. *Quale fuerit illud adiutorium quantum ad operandi modum.* 145
15. *Solvitur difficultas cap. 12. propoſita & fuſius declaratur adiutorium quo. & ſine quo non.* 153
16. *Perſeverātia, & merita in ſtatu innocētiæ humana & Angelica non fuerunt ſpecialia Dei dona.* 159
17. *Solvitur locus Aug. ex lib. de Cor. & grat.* 165
18. *Solvitur alius Auguſtini locus ex libro duodecimo de Civitate Dei.* 169
19. *Solvitur locus Scripturæ; & difficultas ex Bulla ſanctiſſimorum Pontificum Pij quinti, & Gregorij decimi tertij mota: ubi oſtenditur, non minus merita ſtatus innocentiæ eſſe gratiam & dona Dei, quam merita lapſorū iuxta recentiores.* 173
20. *Declaratur adiutorium ſtatus innocentiæ non fuiſſe prædeterminationem phyſicam: nec merita per eam Adamo & Angelis eſſe donata.* 181

De ſtatu naturæ lapſæ.

LIBER PRIMVS.

Qui eſt de peccato originali

CAP. I. *Peccatum originale ex mente Auguſtini concupiſcentia. Quid reatus eius, utrum culpa, an pœna ſit? agnovit in eo iniquitatē, mortem animæ, immunditiam, averſionem &c.* 185
2. *Solvitur locus difficilis Auguſtini ex libro ſexto contra Iulianum.* 191
3. *Quo pacto reatus ſit ex concupiſcentia, late ex Aug. Cur eā phraſi tam libenter utatur.* 195
4. *Ratio voluntarij in originali peccato ex voluntate primi hominis fluit.* 205
5. *Proponitur difficultas de principio traducente peccatum primi hominis in poſteros eius.* 207
6. *Carnalis concupiſcentia, cauſa traductionis peccati originalis. Oſtendunt hoc revera ſenſiſſe Auguſtinum contra; quam recentiores putant. Primo ex prima radice traductionis magnitudine ſcilicet peccati totā naturā vitiātis.* 209
7. *Oſtenditur ſecundo ex locis quæ ſpeciatim concupiſcentiam velut propinquam cauſam propagationis exprimunt.* 213
8. *Declaratur tertio ex modo quo Aug. tradit peccatū ex parentibus iuſtis propagari in prolē.* 215
9. *Demonſtratur quarto ex cauſa cur Chriſti conceptio ſine peccato fuerit.* 217
10. *Probatur quinto ex eo, quod iſtam Aug. mentem agnoverunt, & acerrime oppugnarunt Pelag.* 219
11. *Aſtruitur ſexto ex eo quod tredecim libri Auguſtini alioquin funditus evertantur.* 221
12. *Eccleſiæ de Pelag. victoria eſſet vana, imo fallax, & falſa niſi iſta Aug. ſententia fuerit vera.* 225
13. *Omnium antiquorum idem ſenſus uſque ad ætatem Scholaſticorum.* 229
14. *Tanquam veritatem Catholicam, & ſententiam Eccleſiæ docuit hoc Auguſtinus.* 233
15. *Opponitur tantæ certitudini fluctuatio Aug. uſque ad mortem, & ex ipſo Auguſt. ſolvitur.* 237
16. *Difficultas non debet terrere Theologos Catholicos à tuenda Auguſtini ſententia. Declaratur traductionem peccati fieri iuxta mentem eius non ex pacto, ſed ex natura rei.* 243
17. *Idem oſtenditur uberius & à radicibus.* 247
18. *Aliquid poſitivum eſſe concupiſcentiam videtur ſentire Auguſtinus.* 249
19. *Explicatur modus primus, quo intelligi poſſet peccatum originis libidine propagari.* 255
20. *Declaratur ſecundus modus propagationis peccati originalis per libidinem.* 257
21. *Excitantur quatuor difficultates; quid qualitatē illam produxerit in Adamo; quid illo in ſemine; quid ſemen in carne prolis, quid caro in ſpiritu eius: & ſolvitur prima.* 265
22. *Secunda ac tertia difficultas ſolvitur.* 269
23. *Solvitur quarta difficultas ſupra propoſita. Modus inquinationis animæ ex carne peccati.* 273

De ſtatu naturæ lapſæ.

LIBER II.

Qui eſt de pœnis peccati Originalis.

CAP. I. *Pœnæ peccati originalis generatim pertexta.* 281
2. *De Ignorantia. Ignorantia etiam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt, invincibilis nō caret peccato: ut dogma fidei ab antiquis traditū.* 287
3. *Idem oſtendunt varia Auguſtini loca.* 291
4. *Difficultas de libertate & voluntario ad omne peccatum neceſſarijs ex Auguſtino ſolvitur.* 299
5. *Ignorantia invincibilis iuris divini, naturalis, facti. Quænam peccatum non excuſet.* 305
6. *Indagatur radix arcanæ illius doctrinæ.* 309
7. *De concupiſcentia. Nomina concupiſcentiæ: qui motus eius & eorum obiecta.* 317
8. *Concupiſcentiæ diviſio in concupiſcentiam carnis, oculorum. & ſuperbiam vitæ: ex quibus omnia flagitia fluunt, & facinora.* 323
9. *Nulli concupiſcentiæ licet conſentire.* 329
10. *Voluptatis cauſa miſceri coniugi peccatum eſt, & quare. Doctrina Scholaſticorum quorundam contraria ex Pelagianis manavit.* 335
11. *Proponuntur argumenta adverſus doctrinam de coërcendo conſenſu in concupiſcentiam.* 345

Affectus

12. *Affectus amoris non potest sine peccato hærere in creatura.* 347
13. *Ratio petitur ex natura cupiditatis, & peccati sive mortalis, sive venialis.* 351
14. *Ipsum amare creaturarum hærendo in creatura est peccare etiamsi nullis alijs pravis vestiatur circumstantijs. Declaratur inductione.* 357
15. *Verum creaturæ, & voluptates earum appeti, & amari possint moderate* f. 361
16. *Secundus affectus animæ est fruitio. Quid sit. Creatura rationalis nullâ re creatâ frui potest secundum doctrinam Catholicam.* 363
17. *Iusti in peccatis venialibus fruuntur, non utuntur creatura.* 373
18. *Reliqui affectus animæ circa creaturam cuiusmodi sint, & esse debeant.* 379
19. *Ratio a priori cur illicitus sit amor cuiusvis creaturæ propter ipsam.* 380
20. *Ratione a posteriori seu ex effectibus idem declaratur. Septem effectibus amoris rerum creatarum adferuntur.* 389
21. *Proximus qui creatura est quomodo diligẽdus.* 399
22. *Doctrina præcedentium capitum applicatur ad motus concupiscentiæ.* 401
23. *Solvuntur Argumenta capite 11. proposita.* 403
24. *Nullum peccatum nunc committitur nisi concupiscentiæ consentiatur.* 409
25. *Indagatur & profertur huius doctrinæ ratio tripartita.* 419

De statu naturæ lapsæ
LIBER III.
Qui est de viribus liberi arbitrij post peccatum.

CAP. I. *Liberum arbitrium etiam post lapsum superest in humana natura* 429
2. *Amissio indifferentiæ ad bonum & malum fuit causa calumniarum, quibus Pelagiani Catholicos Manichæismi, & eversæ libertatis arguerunt.* 433
3. *Ostenditur primo, ex captivitate & servitute, quibus August. docet arbitrium esse obstrictum.* 437
4. *Idem declaratur ex dominatu concupiscentiæ, & tyrannide diaboli in lib. arb. Quanta illa sit.* 438
5. *Tertio ex amissione illius libertatis, quam Augustinus, Apostolus, & Christus tradunt.* 441
6. *Quarto ostenditur ex quatuor statibus populi Dei ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace quos Augustinus tradit.* 445
7. *Quinto ex natura gratiæ liberatricis, ipsaque definitione liberi.* 451
8. *Sexto ex conflictu Iuliani cum Augustino de hac ipsa difficultate. Declaratur doctrinam traditam esse Catholicæ fidei.* 458
9. *Perijt non solum libertas ad agendum bonum, sed etiam abstinendi a peccato.* 470
10. *Idem demonstratur ex alijs Aug. scriptis.* 475
11. *Loco libertatis abstinendi à peccato inducta est peccandi necessitas.* 477
12. *Idem sensus Augustini asseritur ex alijs eius scriptis, tam contra Manichæos, quam contra Pelagianos exaratis.* 481
13. *Non discrepat hæc Augustini doctrina à fide Catholica, iuxta quam ipsemet profitetur, hominem habere liberum arbitrium ad malum & bonum.* 485
14. *Proponitur ac declaratur, quomodo illa de amissa boni faciendi & a peccato abstinendi libertate, peccandiq; necessitate intelligi debeant.* 433
15. *Ostenditur non posse unum opus bonum legis fieri ante gratiam ex tribus capitibus, ex vi legis, conflictus cum concupiscentia, & victoria contra tentationem.* 497
16. *Ostenditur idem quarto ex motivo quo bonum opus fieri debet, non timore pœnæ sed amore iustitiæ.* 505
17. *Quinto ex dilectione Dei velut ultimi finis, qui in omni opere moraliter bono dominari debet.* 509
18. *Sexto ex eo quod omnis amor creaturæ, & mundi, & cupiditatis vitiosus sit; qui in omnibus operibus infidelium principatum tenet.* 5 5
19. *Non datur medium inter charitatem & culpabilem cupiditatem.* 517
20. *Detegitur radix trium primarum probationum: & cur nullum peccatum sine peccato vincatur ante fidem.* 523
21. *Nulla tentatio aut cupiditas sine peccato oppugnatur seu vincitur nisi amore Dei.* 529
22. *Explicatur doctrina S. Augustini, qua dicimur nihil a nobis habere nisi peccatum.* 531
23. *Vindicatur à corruptelis doctrina Canonis Concilij Arausicani qua dicitur:* Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. 535

De statu naturæ lapsæ.
LIBER IIII.
Prosequitur argumentum de viribus liberi arbitrij post peccatum.

CAP. I. *Septimo Augustinus ex professo docuit, omne quod non est ex fide esse peccatum.* 541
2. *Primum effugium occluditur, quo dicunt Aug. loqui de peccato late & impropriè sumpto.* 547
3. *Secundum effugium clauditur, ostendendo solam absentiam fidei sufficere, ut omnia opera infidelium vera peccata sint.* 553
4. *Augustini rationes ostenduntur iuxta eius principia esse valida.* 559
5. *S. Augustini loca explicantur, quibus asserere videtur opera moraliter bona in infidelibus.* 563
6. *Alia nonnulla loca Augustini explicantur.* 569
7. *Eandem doctrinam sic intellectam tradiderunt discipuli sancti Augustini Prosper & Fulgentius, & ipsi Pelagiani in Augustino agnoverunt.* 577
8. *Utrum virtutes Philosophorum veræ virtutes, an vitia sint, & quare?* 581
9. *Idem omnino docuerunt sanctus Prosper, Hieronymus, Ambrosius.* 591
10. *Ratio præcedentis doctrinæ ex natura virtutis & eius fine petitur.* 593
11. *Epicuræorum & Stoicorum virtutes improbantur ex defectu finis, late de virtutibus Rom.* 599
12. *Uberius declaratur superbiæ radix, quæ in virtutibus Phylosophicis ac Romanis latuit.* 607
13. *Declaratur amplius, officium virtutis ut bonum sit non posse esse finem virtutis, nonnulla obiectiuncula solvuntur.* 613
14. *Finis boni, & omnis officij boni, & virtutis est solus Deus iuxta sanctum Augustinum.* 615
15. *Ex principijs supra traditis inferuntur septem magni momenti corollaria, quibus doctrina S. Augustini de virtutibus & operibus bonis, & gratia & merito magnopere illustratur.* 617

Digitized by Google

10. *Quintum & sextum argumentum adversus statũ puræ naturæ, ex ratione liberi arbitrij quo careret ad bonum, & necessitatis peccandi in singulis operibus.* 825.

11. *Transitus ad argumentum contra statum puræ naturæ ex parte concupiscentiæ: declaratur Iulianum id sensisse de concupiscentia quod Philosophi Gentiles, & Scholastici de illa docent in statu puræ naturæ.* 829.

12. *Iulianus sensit concupiscentiam esse naturaliter bonam, & à Deo creante datam quo sensu.* 833.

13. *Iuliani sententia utrimque falsa. Hinc primum argumentum contra statum puræ naturæ texitur ex parte concupiscentiæ, quæ nec bona est, nec à Deo inseri potest.* 839.

14. *Secundum argumentum ex parte motuum concupiscentiæ, qui non sunt aliud nisi peccandi desideria. Solvitur obiectio de bonitate eorum in brutis.* 843.

15. *Tertium argumentum, licitum est omnibus concupiscentiæ motibus consentire si Deus naturam rationalem cum eis creet.* 851.

16. *Argumentum quartum ex concupiscentia contra Matrimonium in pura natura.* 857.

17. *Quintum argumentum ex parte pudoris, qui libidinis individuus comes est. Unde nascatur: quanti mali testis.* 857.

18. *Inferuntur aliqua corollaria ex prædictis de Concupiscentia. Certitudo illius doctrinæ.* 863.

19. *Idem pudor in omnibus libidinibus etiam animi, tametsi remissior locum habet.* 865.

20. *Afferuntur duæ rationes a priori cur concupiscentia cum pura natura dari nequeat. Sextum, & septimum argumentum ex parte concupiscentiæ. Obiectio solvitur quod rebellio carnis videatur esse naturalis.* 867

21. *Conflictus Iuliani & Augustini de traductione peccati Originalis, unde probat concupiscentiam non posse esse puræ naturæ naturalem. Octavum argumentum ex concupiscentia* 871.

22. *Ignorantia illa profunda rerum agendarum non potest esse in pura natura.* 875.

DE STATU PURÆ NATURÆ

LIBER III.

Transitus ad miserias corporis.

CAP. I. *Quid de illis & quibusvis etiam æternæ damnationis malis innocentiæ irrogandis sentiant quidam.* 883.

2. *Peccatum non potest non puniri à Deo.* 885.

3. *Declaratur quænam sint illæ pœnæ, quæ tam arcte cum peccato cohærent* 891.

4. *Peccator in peccato manens non potest beatus fieri.* 895.

5. *Horrenda sententia quorundam, qui putant omnes beatos pro sola Dei voluntate citra iniustitiam damnari posse ad æternas pœnas, Augustino est contraria tam ratione pœnæ damni, quam sensus.* 899.

6. *Sententia Pelagianorum & Manichæorum de miserijs puræ naturæ. Ostenditur ex vi legis æternæ iniustum fore Deum si eas innocenti creaturæ imponeret.* 901.

7. *Idem probatur ex vi divinæ providentiæ cuius omnipotentia, vel scientia, vel iustitia necessario læditur.* 907.

8. *Iustitia Dei funditus evertitur iuxta Augustinum per statum puræ naturæ.* 913.

9. *Non procedunt Augustini argumenta ac testimonia ex Hypothesi status gratiæ & supernaturalis.* 917.

10. *Non loquitur Augustinus de pœnis formaliter ut sunt correlativum culpæ, sed materialiter de quibusvis malis prout affligunt creaturam rationalem.* 921.

11. *Nullum qualecumque malum inferri potest à Deo creaturæ rationali sine culpa. Luculenta Augustini testimonia.* 925.

12. *Deus miserias puræ naturæ non permissive tantum inferret creaturæ rationali sed positive. Et utrovis modo iniustus.* 929.

13. *Deo per statum puræ naturæ ascribitur crudelitas improbata in Manichæis & Pelagianis.* 935.

14. *Catholici, Pagani, Hæretici tam Pelagiani quam Manichæi, Marcionitæ, Materarij &c. viderunt non posse sine iniustitia tribui Deo miserias creaturæ innocentis. Hinc in diversos errores itum, ne Deum læderent.* 939.

15. *Eodem argumento palpabilium malorum, si puræ naturæ sint, cogimur ad diversas impietates, ad Blasphemias in Deum, ad Manichæismum; cur & quomodo. Epilogus omnium argumentorum.* 945.

16. *Solvitur difficultas ex Augustini commentario in Psalmum sextuagesimum.* 951.

17. *Proponitur gravis difficultas ex libro 3. de libero arbitrio, quo ignorantia & difficultas ponuntur esse primordia naturalia: & ostenditur Hypothesis illam longe differre à statu puræ naturæ.* 955.

18. *Hypothesis ista non convincit pudorem, ignorantiam, & concupiscentiam esse posse primordia hominis naturalis.* 959.

19. *Non convincit etiam afflictiones & miserias sine peccato hominibus imponi posse in statu puræ naturæ, neque maioribus, neque parvulis.* 963.

20. *Ostenditur quomodo Deus non esset culpandus si ignorantia & difficultas essent primordia naturalia, & solvitur difficultas proposita capite decimo septimo.* 987.

21. *Diruitur fundamentum Scholasticorum ex absoluto Dei dominio super creaturam petitum.* 969.

22. *Solvitur difficultas ex Bulla duorum Pontificum.* 976.

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM TOMI SECVNDI.

A

ACADEMICI.

ACademici Platonicorum secta, de omnibus dubitantes. 813.
Vere ii Academicorum error de vita beata perstringitur, 821. 822.

ADAM.

Adam à Deo conditus est rectus, & quid illa rectitudo. 76, 77. 126, 127. 128, 161. 169. 170.
Quali adjutorio ante lapsum instructus. 148. 149. 150. 151. 152, 153, 154. 155.
Continuam illam beatitudinem asserit Augustinus, & quid illa beatitudo. 76, 77 715. 810.
Conditum in gratia non dubitavit antiqua Ecclesia. 73. 74. 75 76. 77. 78. 79. 175.
Expenditur locus Augustini contrarium specie tenus indicans. 79, 80.
Creatus est cum amore casto, & quid ille. 421. 422. 705. 731. 732. 76 . 770.
Creatus absque omni fomite concupiscentiali. 79. 80. 155. 174.
Contrarium contendunt quidam Neoterici, sed refelluntur, 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87.
Ipsius immortalitas ante lapsum astruitur. 89. 90. 91.
Conditum fuisse mortalem quo sensu asserit Augustinus. 91. 92.
A diabolo tentatur & vincitur. 129. 130, 200, 202. 213.
Cur libero ipsius arbitrio & non diabolo tentanti adscribitur lapsus. 155. 156. 419. 420.
Tentatorem superasset si in Dei adjutorio fiduciam fixisset. 126. 129. 130. 144. 639. (180.
Fiduciam istam absque gratia elicere non poterat. 130.
In statu integritatis poterat per liberum arbitrium credere, sperare, & Deum diligere. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 154. 155. 156. 157. 161.
Poterat per idem arbitrium perseverare, prout reipsa perseverarunt Angeli sancti. 113. 114. 115. 116. 124. 149. 150. 151. 152. 153. 161. 183.
Idque tanquam dogma fidei astruit Augustinus. 118. 169. 170.
Nullum actum bonum aut meritorium exercere poterat absque divinæ gratiæ adjutorio, uti nec Angeli. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 151.
Neque absque gratiæ adjutorio perseverare in gratia poterat. 125. 126. 127. 128. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 153. 154. 155. 156. 157. 163. 168. 180.
Quale fuerit istud adjutorium, habituale an actuale. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145.
Ad singularum tentationum victoriam indigebat gratia. 129. 130. 131. 180.
Sine sua culpa tentationi succubuisset si ei adjutorium gratiæ defuisset. 131. 143. 182. 697. 759.
Cur libero arbitrio & non gratiæ adscribenda fuisset ejus perseverantia aut meritum. 154. 155. 156. 157. 173. 174. 175. 176. 177.
Ejus meritum cur ab Augustino appellatur humanum, suum, natura. 161. 162. 163.
Vita æterna ei fuisset merces, homini lapso facta est gratia. 163. 164.
Ejus meritum an & qua ratione dicendum sit gratia. 173 174. 175. 176. 177.
Cur ejus lapsus non adscribatur blanditijs mulieris ad esum prohibitum allicientis. 155. 156. 419. 420.
Non accepit à Deo perseverantiam. 168. 169. 170. 171.
Adjutorium ei collatum ab adjutorio hominis lapsi, qui differat. 143. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 168.
Istius adjutorij necessitas assimilatur necessitati luminis ad videndum, oculo etiam sano. 133. 140. 145. 151. 153. 156.
Item necessitati ciborum ad vivendum, pedum ad ambulandum, navis ad navigandum. 139. 140. 142. 145. 151. 153. 156. 158.
Non fuit adjutorium voluntatis, actionis, aut cum quo sit: sed possibilitatis, & sine quo non. Et quomodo hæc differant. 144. 145. 146. 147. 148. 151. 152. 153 159. 160. 165.
Lapsus Adæ perstringitur. 101. 102. 197. 198.
Quam gravis fuit ejus prævaricatio. 267. 268.
Posteros suos obstrinxit vinculo quod non nisi per secundum Adam solvi potest. 201 202. 203. 435.
Cur primum ejus peccatum, & non reliqua, in posteros transfusum. 263. 264. 270.
Factus est ex esu fructus vetiti, morbidus. 254.
Absque omni interioris concupiscentiæ incitamento peccavit: & contrarium asserentes refelluntur. 86, 87. 419. 420.
Quibus ingentibus donis ante lapsum repletus, totidem penurijs post lapsum afflictus. 425. 426.
Servire detrectans cui debuit, miserrimam servitutem incurrit. 101. 102. 197.
Dei similitudinem ambiuit, imò seipsum Deo prætulit. 101. 102. 197. 266. 267. 422.
Nimio sui ipsius amore prostratus est. 424.
Inordinato scientiæ desiderio perijt. 16.
Libertatem prævaricando amisit. 96. 97. 100. 141. 162. 201. 441. 442 836.
Eum in statu puræ naturæ conditum asserunt Pelagiani. 831. 836. 837 838.
Item ex concupiscencia illiciente peccasse. 831. 832.

ADRIANVS VI. PAPA.

Adrianus VI Collegium Pontificium Lovanij fundavit, cujus alumnus fuit author 4.

ADRVMETINI.

Adrumetini Monachi in Africa de gratia & libero arbitrio errant. 490.
Vt gratiam salvarent libertatem arbitrij tollebant 490.

AFFECTIO.

Affectio quid? Et ab affectionali qualitate qui differat. 249. 250.

ALIMENTVM.

Alimento utendum ut medicamento 334 345.
Alimenti usus usui libidinis assimilatur, & in quo. 345.
Alimenti necessitas necessitati gratiæ comparatur. 139 142. 151. 156. 158.

ALIPIVS.

Alipius experiendæ libidinis causa uxorem ducit. 325.
Non carnis voluptate sed mentis curiositate victus. 325.

ALVAREZ.

Alvarez divinæ gratiæ defensor non postremus inter Scholasticos. 784.

AMBROSIVS.

Ambrosius Augustino concinit de transfusione peccati originalis per libidinem, sicut & alij veteres Patres 229. 230. 231. 232.
Omnia infidelium opera esse vitiosa asserit cum Augustino. 594.

AMOR.

Amor quid. 349. 350. 354. 364. 365. 367. 374. 377.
Amoris variæ appellationes ex effectibus desumptæ. 349. 367. 379. 609. 610.
Amor amantem cum amato copulat. 348 391. 393.
Amor amantem amato subdit & inferiorem reddit. 383. 390.
Amor, omnium humanorum affectuum cardo 347. 348 349. 379. 381. 505. 517. 521. 609. 610. 619. 743.
Amor sui, radix & regina vitiorum. 367. 399. 424. 426. 427.
Amori sui respondet fruitio sui 355. 377. 378.
Amor in fruitionem & gaudium terminatur. 354. 356. 365. 366. 377. 392. 789.
Amoris primogenita, desiderium: secundo-genita sed magis dilecta, delectatio. 366. 367.
Amor diversos vultus induit. 347. 348. 349. 379 381. 383. 609. 610. 743.
Amore vitiato reliqui affectus viciantur. 380. 512.
Corrigendus proinde à rectitudinis studiosis. 381.
Amor est pondus quoddam creaturæ rationalis. 382. 383. 688.
Amor constituit amantem servum amati. 189. 525.

Digitized by Google

Amor castus est unica & vera servitus qua Deo servitur. 390.
Amor creaturæ destruit libertatem amantis. 389. 423.
Amor reddit amantem similem amato. 390. 391.
Amoris varij effectus recensentur. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 414. [illegible]
Amor est vitis cœlis 691. [illegible]
Amor sui, superbia. 688. 689. 690. 691.
Amor laudis vitiosus. 576. 606.
Amor sui, prima hominis perditio. 424.
Amor sui usque ad Dei contemptum, & amor Dei usque ad contemptum sui, distinguunt inter civitatem Dei & diaboli. 424.
Amor creaturæ an unquam licitus. 349. 350. 351. 355. 362. 368. 369. 370. 371. 392. 518. 557. 603. 610.
Redditur ratio cur non. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391.
Amor creaturæ in Creatorem relatus non est vitiosa cupiditas sed laudabilis charitas. 355. 368. 370. 371. 372. 518. 557.
Nec est fruitio sed usus creaturæ. 377. 518.
Amor omnis aut in Creatore, aut in creatura figitur. 356. 570. 515. 516. 517. 518. 536. 558. 743. 828. 834.
Omnis amor creaturæ propter seipsam, lege æterna vetatur 362. 363. 368. 369. 370. 371. 374. 384. 397. 404. 534. 557. 600. 769.
Neque solum largè, sed & propriè peccatum est. 532. 557. 824.
Amor rei bonæ non semper bonus, sed frequenter malus. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 370. 404. 555. 558. 560. 568. 610.
Amor est solius finis, non autem mediorum nisi impropriè 303. 404. 609.
Amor rerum terrenarum est viscus spiritualium alarum. 369. 391.
Amor Babylonicus quid, & quam vitiosus. 364. 622. 630
Amorem terrenorum ædificare super fundamento regni cælorum, est peccatum saltem veniale. 363. 378. 408. 409.
Amoris ordo ab Augustino appellatur virtus. 383. 595. 690.
Amoris ordo, in eo situs, ut fruamur fruendis, utamur utendis inordinatio in fruitione utendorum & usu fruendorum. 369. 370. 371. 372. 395. 408. 51. 609
Amor fruendi quibuscunque creaturis non est ex Deo, adeoque vitiosus est. 557.
Amor parentum & sanguine conjunctorum an & qua ratione licitus. 568.
Sine amore Creatoris nemo bene utitur creaturis. 557. 564.
Amor erga alterū est effigies amoris erga seipsum 423.
Amor beatificus juxta Augustinum est liber. 104. 663. quod cum amore possidetur, absque dolore non amittitur. 364. 382. 392.
Amoris divisio in licitum & illicitum ab Augustino tradita expenditur. 407. 408. 568.
Item in charitatem & cupiditatem. 743. 744. 745
Amoris honesti divisio in naturalem & supernaturalē a Scholasticis conficta, rejicitur. 692. 727. 758. 768.
Amorem Dei nullum agnoscit Augustinus nisi quem Spiritus sanctus desuper infundit. 768.
Amor Dei duplex, perfectus & imperfectus: uterque licitus & honestus. 562. 5[illegible]. 564. 736.
Amor Dei imperfectus potest in peccatore reperiri. 563. 564. 736.
Amorem Dei involvi in amore honestatis creatæ propter seipsam expetitæ, falsò à Scholasticis asseritur. 564.
Amor charitatis duplex: unus justis proprius, alter peccatoribus communis. 670. 671. 672. 777. 778.
Quispiam amor charitatis condividit plenè amorem cum culpabili cupiditate. 670. 671.
Amor Dei an & qualiter homini naturalis 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758.
Amor Dei supernaturalis an creaturæ rationali debitus, seposita prævia culpa 757. 758. 759. 760. 761. 762.
Amor veritatis castus an viribus naturæ exerceri possit à creatura rationali. 693. 787.
Amor castus justitiæ quid? Et quid illa justitia secundum Augustinum. 705. 731. 732. 741. 749.
Amor castus justitiæ absque casto odio injustitiæ reperiri nequit, aut è converso. 705. 731. 732.
Amor Dei etiam ut authoris naturæ si absque gratiæ adjutorio elici potest, gratis mortuus est Christus. 757.
Amorem propinquorum an infidelibus cum eliciendo peccaturis ob circumstantiam pravi finis, suadere liceat. 569. 570.
Amans infra rem amatam ipso suo amore deprimitur. 97. 98. 101. 383. 384. 385.
Hinc inordinatum est creaturam rationalem in ulla creatura amorem suum figere. 384. 385.
Amans de re amata rectè judicare nequit, & cur. 390. 394. Vide, Dilectio, cupiditas, charitas, voluntas.

ANDABATÆ.

Andabatarum mos pugnandi clausis oculis. 135.

ANGELVS.

Angeli omnes in gratia creati perinde ac primi homines. 80. 175. 771.
In Angelorum & hominum creatione Deus voluit primò ostendere quid possit eorum liberum arbitrium: demùm quid possit suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium. 118. 119. 125. 126. 132. 149. 150. 164. 167.
Angelorum natura & proprietates sunt nobis occultæ. 14. 15.
Angeli exiguo tempore fuerunt viatores. 129.
Angeli boni per liberum arbitrium steterunt & mali per idem ceciderunt. 113. 114. 115. 116. 117. 125. 151. 157. 183.
Neque tamen perseverare, aut quidquam mereri poterant absque gratiæ adjutorio 125. 126. 127. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 153. 154. 157. 163. 164. 180.
De Angelorum gratia idem sentiendum quod de gratia hominum in statu innocentiæ. 80. 175. 771.
Angeli boni quo sensu ab Augustino dicuntur amplius adjuti quàm ij qui ceciderunt. 138. 139.
Angelorum perseverantia non fuit speciale donum Dei. 159. 160.
Angelorum, etiam viatorum, voluntas à quibusdam statuitur inflexibilis. 662. 663.
Angeli sancti non habent libertatem contrarietatis ad bonum & malum, uti nec damnati. 458. 473. 477. 478. 484. 633. 646. 658. 659. 664.
Angeli mali absque sua culpa cecidissent si eis adjutorium gratiæ defuisset. 121. 143. 182. 697. 759.
Angelorum lapsus cui ascribendus. 156.
Angelorum meritū an & qua ratione appellari possit, gratia. 173. 174. 175. 176. 177.
Angelis sanctis vita æterna collata est ut merces, quæ homini lapso facta est gratia. 163. 164. vide Adam, Diabolus.

ANIMA.

Anima quid debeat Deo. 375.
Animæ rationalis immortalitatem vix ulli Philosophi penetrarunt. 820.
Anima rationalis quantumvis spiritualis ex defectivo appetitu quodammodo corporascit. 276. 277. 385. 390.
Inficitur à carne peccati sicut liquor à vase viciato cui infunditur. 272. 273. 274. 275. 276. 277.
Non potest carni peccati misceri quin ejus contagio inficiatur. 276.
Anima si nec beatè nec miserè vivit non est rationalis. 888.
Animarum propago in Ecclesia occidentali olim asserta. 67[illegible].
Anima corpori præponenda, uti & veritas ipsi animæ. 538.
Anima cupiditate terrenorum sordescit. 393.
Anima carnalibus addicta, caro appellatur. 869.
Anima ex ordine naturæ est princeps corporis. 869.
Anima peccatis sordida nequit veritati adhærescere. 394.
Anima humana an ex traduce promanet, tota vita dubitavit Augustinus. 237. 238. 239. 240. 271. 272. 273. 274.
Animam innoxiam carni contagiosæ infundendo Deus ab injustitia qualiter vindicetur. 242. 243. 244.

Animæ melius est creari, etiam in peccato originali, quàm absque creatione manere in suo nihilo. 243.
Animæ humanæ tam ampla est capacitas ut solius Dei possessione satiari queat. 789. 893.

ANIMAL.

Animalium diversorum varij instinctus. 1.
Animalium industria & sedulitas in conservando propriam vitam. 1. 420. 421. 817. 822.
Sicut animalia conservationi vitæ, ita fideles defensioni gratiæ Dei advigilare debent. 1. 2. 3 4. 32.

APOSTOLI.

Apostoli quando & quâ occasione Evangelicam legem in scriptum redegerint? 9. 10.

APPETITUS.

Appetitus sensitivus secundum se non est malus sed imperfectus. 409. 410.
Appetitus concupiscibilis est homini naturalis, sed non ejus effrænitas & rebellio. 849. 850. 870.
Variis similitudinibus id illustratur. 870. 871.
Vide Concupiscentia, Libido.

ARAUSICANA SYNODUS.

Arausicanæ Synodi decreta ex Augustini scriptis compilata, uti & subsequentium Synodorum. 36. 73. 97. 112. 119. 146.

ARIANISMUS.

Arianismi origo & occasio perstringitur. 29. 30.
Vide Augustinus.

ARISTOTELES.

Aristoteles Platonis discipulus. 796.
Platonem temerè in quibusdam carpit. 798.
Ejus Philosophia Theologiam ex cathedris penè deturbavit. 57. 61. 184. 493. 795. 797. 798. 834.
Ejus Philosophia longè abjectior quàm Platonica. 797.
Eam nihilominus Scholastici plerique amplexi sunt. 834.
Aristotelici Theologi minùs rectè sentiunt quàm Platonici Philosophi. 796. 797. 798.
Aristotelis Pel gian[illegible] 796. 797. 798. 833. 834.
Vide Philosophia, Theologia, Scholastici.

ASSUERUS.

Assuerus Persarum Rex maritus Esther. 570.
Ejus conversio in favorem Iudæorum an undequaque honesta. 570. 571.
Arianismus ab Augustino jugulatur. 29. 30.
Vide infideles.

AUGUSTINUS.

Augustinus Orbis Magister. 23.
Hercules Christianorum. 30.
Doctor Doctorum. 43. 53.
Pater Patrum. 53. 60.
Doctorum Coryphæus. 618.
Divinæ gratiæ amator sincerissimus & assertor fidelissimus. 125. 128.
Augustini encomium ex authore. 26. 27. & seqq.
Ejus varia Elogia accumulantur. 41. 42. 56.
Ejus ingenium omnifariæ eruditionis Pelagus. 39. 40. 745.
Augustinus Hortensij Ciceronis lectione ad sapientiæ studium incitatus. 47.
Artes omnes liberales suo marte absque Magistro didicit. 745.
Limites Theologiæ in seipso fixit. 51.
Ex utero segregatus in vas electionis. 32.
Ejus cum B. Paulo mira symbolizatio. 47. 48. 49. 50. 59. 60.
Assimilatur Ioanni Evangelistæ. 31.
Assimilatur Magdalenæ & Apostolis. 44. 45.
Ejus vita non minus quàm scripta vim gratiæ exprimit & illustrat. 43. 44. 45.
Fuit spiritualissimus concupiscentiæ debellator. 873.
Peccatum originale astruendo optimè de Ecclesia Dei meritus. 185.
Primus Scriptorum post Canonicos. 53. 54.
Angelus gratiæ, Angelicus, Seraphicusque Doctor. 53. 54. 55. 56.
Novi Testamenti divulgator, & quâ ratione? 31.
Ejus doctrina à capite ad calcem sibi mirè consonat. 581. 582.
Sublimissima Theologia divinitùs ei mox à baptismo inspirata. 745.
Manichæos quos deseruerat, statim à baptismate impugnat. 300.
Pelagianos senex, Manichæos juvenis prosternit. 964. 965.
Aliter contra Manichæos, aliter contra Pelagianos loquitur de peccato & libertate arbitrij ad peccandum requisita. 647. 648. 649. 650. 653. 654. 876. 877.
Item aliter de Ethnicis gratia destitutis, aliter de fidelibus peccato obnoxijs. 653. 654. 655.
Per ejus os & calamum de Pelagianis triumphavit Ecclesia. 185. 187. 223. 225. 225. 227. 228. 629. 882.
Ejus scripta post baptismum exarata ab erroribus omnino pura. 40.
Inter quatuor sui temporis hæreses securus incedit. 42.
Ante baptismum Semi-Pelagianismo infectus. 572.
Interfuit Concilio Carthaginensi. 708.
Primus in Africa coram Episcopo, nondum Episcopus, est concionatus. 46.
Contra torrentem veterum Patrum docuit, Deum non per se sed per Angelos apparuisse Patriarchis. 30.
Libros suos de Trinitate diu suppressit, & cur? 40.
Ex ipso potissimùm hausit Ecclesia genuinam gratiæ intelligentiam. 32. 73.
A Pontificibus Prælatus reliquis Doctoribus. 33. 34. 35. 146.
Ab Africanis delectus ad scribendum de gratia. 34. 225.
Ejus scripta à Pontificibus approbata. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 56. 976. 977. 978.
Ceteri Doctores satius duxerunt eo loquente silere, quàm loqui. 34. 225.
De quibus Augustini scriptis intelligendum est illud Cælestini: sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere? 57. 58.
Quin ejus sententia de libero arbitrio fuerit sententia Ecclesiæ, ne hæretici quidem in dubium revocant. 433.
Ab ipsius semita declinare, periculosum. 59. 186.
Neotericorum crebræ hallucinationes circa ipsius sensa, & unde? 61. 62. 127. 128. 135. 136. 137. 138. 139. 145. 165. 166. 169. 181. 187. 188.
Neotericorum Augustino obtrectantium temeritas retunditur. 37. 38. 43. 187. 678.
Assimilantur leporibus insultantibus leoni mortuo. 34.
Inepta comparatio Augustini cum gigante nanum perspicaciorem se gestantem humeris, à quibusdam instituta, perstringitur & retorquetur. 59. 60.
Augustinus pluris faciendus solus, quàm Scholasticorum quantacunque multitudo. 69. 70. 674. 675.
Augustinus Ecclesiæ notas & prærogativas luculentissimè expressit. 30. 53.
Baptismi unitatem, necessitatem, & efficaciam longè solidius stabilivit quàm præcedentes Patres. 30. 31. 53.
Gratiam Christi in Christianorum intelligentia fundavit. 31. 53.
Augustinus fœtui perfecto, veteriores Patres embrioni assimilantur. 30.
Docti omnes cujusvis sectæ aut conditionis, Augustinum deposcunt arbitrum. 52.
Ut olim Philosophi omnes cupiebant haberi Socratici, sic Theologi omnes cupiunt haberi Augustiniani. 52.
Negati liberi arbitrij crimen Augustino à Pelagianis affictum. 429. 430. 431. 432.
Augustinus crescendo in notitia veritatis crescebat simul in notitia proprij reatus. 296.
Ignorantiam suam, etiam invincibilem, pro delicto reputat. 296.
Augustino adversantur quotquot astruunt ullum opus moraliter bonum absque fide divinâ. 560.
Augustinus materiale peccati originalis in concupiscentia, formale in reatu constituit. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192.
Nihil eorum in quibus Scholastici formale peccati originalis constituunt, latuit Augustinum. 195. 196.
Augustinus cur potiùs actuale peccatum quam originale in privatione constituat? 204.
De propagatione peccati originalis potissimùm adversus

Digitized by Google

verſus Iulianum dimicavit. 221. 222. 223.
Tredecim libros ea de re conſcripſit. 222. 223.
Ij libri ſpecialiter ab ipſo Auguſtino laudantur. 223.
Inutiles ſunt & inanes ſi originale peccatum aliter quam per libidinem propagetur. 222. 223.
Horum librorum tres latent, vel perierunt. 223.
Duo nuper inventi. 223. 475.
Auguſtinus ſententiam ſuam de propagatione peccati originalis per concupiſcentiam, pro Catholica veritate; & oppoſitam pro impia novitate habuit. 234. 235. 236.
Auguſtinus de natura & propagatione peccati originalis nunquam dubitavit. 237. 238. 239. 240.
De quibuſdam circumſtantiis illius propagationis totâ vitâ fluctuavit, & quænam illæ? 138. 239. 240. 242. 271. 272. 273. 274. 912. 913
Auguſtini liber de geſtis Pelagij quando ſcriptus. 291.
Auguſtini textus mendoſus in Pſalmum ſeptuageſimû emendatur. 953. 954. 955.
Auguſtinus ſenior & eruditior errores iuventutis emendat & retractat. 964. 965. 966.
Dioſpolitani Concilij cenſuram laudat & approbat. 289.
Oppugnando Iulianum moritur. 223. 271. 272. 475.
Poſtrema illa adverſus Iulianum ſcripta nuper inventa, appellantur opus imperfectum. 475.
Sub Auguſtini patrocinio quinquaginta quatuor Ordines Religioſi militant. 45.
Lectioni operum Auguſtini per viginti duos annos immerſus fuit author. 26.
Quoties interea têporis iſta opera pervolverit? 62.
Auguſtini ſenſa veraciter indagare & propalare, unicus authoris ſcopus. 63. 64. 65. 66.
Proteſtatio authoris ſuper hoc recenſetur. 66.

AVRVM.

Aurum argento pretioſius & ſublimius. 393.
Sicut aurum commixtione argenti ſordeſcit, ſic anima rationalis carni infuſa maculatur. 393.

B

BABYLON. BABYLONICVS.

Babylonicus amor quids quàm vitioſus? 364. 432. 459. 622. 630.
Pelagiani Catholicam Eccleſiam agnominant Babylonem. 432. 459.

BACCHANALIA.

Bacchanalia à Bacchantibus ſumma cum inſania celebrata. 441.

BAPTISMVS.

Baptiſmus unicum remedium peccati originalis. 203.
Non tollit concupiſcentiam, ſed ejus reatum. 188. 189. 202. 215. 235. 245. 262. 263.
Ejus utilitas, neceſſitas, & energia ab Auguſtino mirè illuſtrata. 30. 31.
Fruſtra adminiſtratur parvulis ſi abſque vitio procreantur. 74. 764. 765. 766.
Baptizandi exorcizantur & exſufflantur, & cur? 202.
Baptizandi abrenunciant pompis diaboli, & quid illæ? 350. 351.
Baptizati carent omni reatu ſed non omni malo. 296.
Baptizati habeat in ſe duo ſemina, & quæ illa? 260.
Ratione unius ſeminis in ſe vivunt, ratione alterius generant mortuos. 260.

BEATITVDO, BEATVS.

Beatitudo ab omnibus appetitur. 681. 682. 683. 684.
Beatitudinis appetitus intimis naturæ viſceribus infixus. 810. 811. 817.
Beatitudo objectiva in objecto fruitionis ſita. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 515. 609. 616. 684. 740.
Beatitudo objectiva cum ſummo bono & fine vltimo coincidit. 598. 599. 600. 615.
In ſolo Deo conſiſtit. 616. 617. 634. 740. 749. 951.
Eam in Deo conſtituerunt nobiliſſimi Philoſophorum. 738. 739. 740.
Beatitudinem voluntas amando inſequitur, intellectus contemplando aſſequitur. 825.
Beatitudinem ex temporalibus aucupari, vetitum & inordinatum. 369. 370. 740.
Sicut beatitudo temporalis non eſt vera beatitudo, ſic virtus ſterilis non eſt vera virtus. 590. 591. 592.
Beatitudo formalis, in aſſecutione Dei conſiſtit. 745.
Abſque comprehenſiva Dei contemplatione ſtare nequit. 789.
Non poteſt à Deo denegari ulli creaturæ rationali innocenti. 797. 798. 799. 800.
Ad eam requiritur dilectio boni beatificantis, ejuſque poſſeſſio. 683. 684. 685. 686. 791. 792. 805.
Angelis data eſt inſtar mercedis, hominibus lapſis facta eſt gratia. 163. 164. 663. 664. 665.
Beatitudo & miſeria opponuntur privativè & carent medio quod ſit creatura rationalis. 685. 805. 888. 811. 889. 890. 894.
Beatitudinis ſupernaturalis deſiderium an & qualiter homini connaturale? 750.
Beatitudinis diviſio in naturalem & ſupernaturalem à Scholaſticis conficta. 810. 811.
Beatitudo nequit conſiſtere in uſu rei cujuſcunque. 609. 684. 740.
Beatitudo eſt ſumma omnium votorum. 821.
Si creatura per naturæ vires poſſet conſequi beatitudinem, eſſet Deus. 826.
Beatitudini repugnat mors, error, & offenſio. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818.
Beatitudo requirit inamiſſibilitatem & impeccabilitatem. 825.
Beatitudinem poſſe per Deum pro ſuo beneplacito auferri à Beatis, horrendum quorundam dogma. 899. 900.
Solum beatitudinis objectum eſt propter ſe diligendum. 515.
Beatitudo appetitione ſummi boni inchoatur, ejuſdem adeptione completur. 609. 749. 812. 951. 952.
Beatitudo ſupernaturalis an & qua ratione ſit creaturæ rationali naturalis. 750. 751. 752. 797. 798. 799. 800. 801. 802.
Beatus quis dicendus, & quis non? 685. 686. 791. 805. 811. 823. 894.
Beatus nemo qui non habet omnia quæ vult: non tamen quiſquis habet omnia quæ vult, idcirco eſt beatus. 683. 684. 685. 791.
Sicut Beati omnia agunt ex amore boni divini; ſic homo lapſus gratia deſtitutus, ex amore creaturæ. 660.

BEDA.

Beda cum Auguſtino ſentit peccatum originale per libidinoſam concupiſcentiam propagari. 231.

BELLARMINVS.

Bellarminus Lovanij commoratus tempore promulgationis cenſuræ Apoſtolicæ. 667. 668
Ejus judicium de quibuſdam propoſitionibus per cenſuram proſcriptis. 667.
Auguſtini ſententiam de malitia omnium operum infidelium deſerit. 563. 575. 576.
Falsò imponit Auguſtino quod perpetuò fluctuaverit de modo propagandi peccati originalis. 237. 238.
Ejus hallucinatio de gratia primi hominis. 136.
Item de perſeverantia bonorum Angelorum. 169.
Gratiam ſufficientem homini lapſo debitã aſtruit. 760. 781.

BERNARDVS.

Bernardus, de modo propagandi peccatum originale per concupiſcentiam, Auguſtino ſuffragatur. 232.

BONVM.

Bonum ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus. 569
Bonum adverſus bonum non pugnat. 842. 843. 844.
Boni cupiditas ex Deo, cùm non ſit aliud quàm charitas. 625.
Boni poſſibilitas per peccatum primi parentis amiſſa, & quale ſit illud bonum. 433. 434. 435. 436. 437. 438. & ſeqq. Item 494. 495. 529. 631. 632.
Bonus actus moralis duo requirit, officium & finem. 568. 574. 585. 595. 596. 597. 615. 618.
De ſummo bono multiplex Philoſophorum opinio. 598. 599. 600. 609. 615. 812.
Summi boni appetitione beatitudo inchoatur, adeptione completur. 609. 749. 812. 951. 952.
Omnia vitæ officia in ipſum referenda. 617.

Summum

Digitized by Google

Summum bonum nemo nisi invitus amittit. 894.
Summum bonum cum fine ultimo coincidit. 598. 599. 600. 615.
Vide beatitudo, finis, Plato.

BRVTVS.

Brutus Romanus filios proprios occidi curavit. 604.
Ista occisio etiamsi ex officio apparuerit honesta, ex fine tamen fuit vitiosa. 604.
Finis iste non alius fuit nisi inanis gloria. 604.

BVLLA.

Bulla Pontificia Lovanij promulgata per præpositum Atiensem & Franciscum Toletum. 673.
Quo anno id factum? 672.
In Bulla damnantur propositiones quædam, quæ in rigore & proprio verborum sensu sustineri possunt. 673. 674. (674.
Bulla à Neotericis per interpunctiones vitiata 674.
Multæ propositiones in Bulla damnatæ ab Augustino traduntur ut indubitatæ. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678.
Sextuplici censurarũ genere popositiones in Bulla notantur. 673.
Facultas Theologica Lovaniensis petivit à Pontifice ut propositiones discerneret penes diversos gradus damnabilitatis. 673.
Nonnullæ propositiones in Bulla damnantur non propter falsitatem doctrinæ, sed propter acrimoniam censuræ. 666. 667.
Bulla non adversatur veritati doctrinæ Augustinianæ. 173. 176. 673. 674. 678. 679.
Injuriosi sunt in Augustinum qui propter censuram Bullæ, violatæ gratiæ crimen ei impingunt. 179.
Pontifices Bullam evulgando, partim eruditioni partim tranquillitati fidelium studuerunt. 475. 978. 979.
Hinc factum ut in Bulla proscribantur quædam propositiones ut offensivæ, non obstante earum veritate. 675. 978. 979.
Bulla ab æmulis depravata per additionem particulæ adversativæ contra mentem Pontificis. 674.
Bulla originalis Lovanij asservatur, ex cujus tenore manifestum est, recentiores adulterasse copias. 673. 674.
Idque in Scholis publicis à Iansonio patefactum anno M. DC. XVIII. 673. 674.

C

CAMPI ELYSII.

Campi Elysij, locus beatitudinis obtinendæ juxta Ethnicos Poetas & Philosophos. 795. 799.

CASSIANVS.

Cassianus, naturalis seminis virtutum assertor. 623. 525.

CATO.

Cato rigidi servator honesti appellatus. 333.
Cato seipsum non ex fortitudine, sed ex impatientia & imbecillitate peremisse ostenditur. 821.

CAVSA.

Causa nequit effectum perfectiorem se causare. 298. 299. 300. 311.
Causa vitiosa vitiosum producit effectum. 212. 213. 214. 215. 216. 226. 227. 228. 229. 230. 231.

COECVS, COECITAS.

Cœcus à non vidente qualiter differat? 312.
Cœcitas corporalis assimilatur ignorantiæ invincibili. 311. 312.
Excœcati peccant etiam in eo quod vitare defectu scientiæ nequeunt. 312. 313. 316. 472.
Quomodo eorum peccata sint voluntaria. ibid

CELESTINVS.

Celestini Papæ elogium de Augustino & scriptis ejus. 35.
Celestini anceps censura de quibusdam Augustini scriptis expenditur. 57. 58.

CELESTIVS.

Celestius Pelagij discipulus acutissimus & versutissimus. 483.
Augustinum dilemmate urget, utrum naturæ necessitate an arbitrij libertate homo peccaret. 483.
Augustini responsio ad istud dilemma, 483. 484.

CERDON.

Cerdon hæreticus Marcionis dogma amplectitur 942.
Duos Deos comminiscitur, unum justum & bonum, alterum perversum & crudelem. 942.
Occasio istius insani dogmatis elucidatur. 942.

CHARITAS.

Charitas alia perfecta, alia imperfecta. 777. 778.
Charitas absque fide esse nequit. 535.
Charitas sola vult bonum. 703.
Charitas est gluten quo Deus ejusque justitia cordibus justorum unitur. 725. 726.
Charitas est dilectio Dei propter Deum. 733.
Est finis omnium præceptorum. 735.
Charitatis præceptum obligat ad referendum omnia in Deum. 397. 398.
Vnde oriatur ista obligatio? 398.
Ab Estio refunditur in beneficia Christi redemptoris, sed refellitur. 398.
Qualis debeat esse ista relatio in Deum? 398.
Non sufficit habitualis, sed necessaria est actualis expressa aut virtualis. 398.
Inter laudabilem charitatem & culpabilem cupiditatem Augustinus medium non agnoscit. 517. 518. 519. 520. 521. 531. 743.
Charitatis auctio est cupiditatis diminutio: Charitatis perfectio, cupiditatis nullitas. 396.
Charitas est arbor bona, cupiditas arbor mala. 519. 534. 547. 743.
Charitas est radix omnium bonorum sicut cupiditas omnium malorum. 353. 354. 355. 361. 362. 519. 522. 554. (736.
Charitas nihil est nisi boni cupiditas. 541. 542. 703.
Charitatis actum viribus naturæ adscribit Pelagius. 735. 736. 737. (17.
Inter charitatem & fidem est mutua causalitas. 16.
Charitas omnibus virtutibus imperat. 267.
Charitas ab August. appellatur libertas, & cur? 640.
Vide dilectio, cupiditas, voluntas.

CHRISTVS, CHRISTIANVS.

Christus ex vi suæ conceptionis à peccato originali immunis, & cur? 217. 218. 219. 220. 229. 230. 245. 273. 274. 235. 276.
Christi anima si carni adversus spiritum concupiscenti infusa fuisset, peccato non caruisset. 276
Christus non potuit in statu puræ naturæ nasci. 879.
Christus solus grandioris ætatis accessu in peccatum non est prolapsus, & cur? 879.
Christus absque ignorantia idcirco conceptus & natus, quia hæc præsupponit peccatum. 879.
Christus non consuetudinem se cognominavit, sed veritatem. 68.
De Christi præputio offensiva concio auditores vehementer perturbavit. 673.
Christus sæcularium scientiarum imperitus videri voluit, & cur? 16.
Christus Evangelicam doctrinam non scripsit sed vivæ vocis oraculo tradidit. 9.
Christus an Abrahæ apparuerit, & an cum Iacob luctatus? 29. 30. (tatus. 327.
Christus tribus tentationum generibus à diabolo pul-
Christus ex commixtione maris & fœminæ procreari cur noluerit? 217. 218. 219.
Christiani quam sedulo necessitatem gratiæ tueri debent? 1. 2. 3. 4. 31.
Solo nomine Christiani sunt qui viribus naturæ ullum initium boni operis etiam moralis adscribunt. 584. 585.
Vide Iesus, gratia.

CHRYSOSTOMVS.

Chrysostomus post Origenem Theologiæ Græcanicæ Princeps. 48.
Posteriores Græci ex ipso ut communi fonte documenta sua in Scripturam sacram derivarunt. 49.

CICERO.

Ciceronis sententia de beatitudine arridet Augustino, & Monicæ. 684. 685. 686. 703. 824. 825.
Ciceronis Hortensius de laudibus Philosophiæ Augustinum ad sapientiæ investigationem incitavit. 47. 684. 733.
Ciceronis paradoxum de sapiente incluso intra tau-

Digitized by Google

num Phalaridis. 820. 821.

CIRCVMCISVS.

Circumcisus non circumcisum sed præputiatum generat, & cur? 262. 263.
Eo exemplo ostenditur justos parentes procreare filios peccatores. ibid.

CONCEPTIO.

Conceptio libidinosa est necessaria causa transfusionis peccati originalis. 210. 217. 218. 219. 220.
An proles concepta absque pruritu libidinis, Deo miraculosè impediente istum pruritum, foret obnoxia peccato originali? 264.
Doctrina de conceptione maculata Mariæ perturbavit Hispaniam; ideoque proscripta est, non ut falsa, sed ut offensiva. 52. 673.
Vide concupiscentia, libido, originale peccatum.

CONCVBITVS.

Concubitus carnalis inter conjuges quando à peccato immunis censendus? 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 345. 360. 405
Extra spem prolis generandæ nunquam licitè exercetur, & cur? 337. 338. 339. 340. 341. 342. 360. 405.
Concubitus cum vetula, infœcunda, gravida, aut menstruata, semper illicitus; esto sit uxor. 342.
Si proles aliter quam per carnalem concubitum generari posset, non liceret concumbere intuitu prolis suscipiendæ. 343.
Matrimoniales tabulæ redarguunt conjuges absque spe prolis coeuntes. 337. 360. 363.

CONCVRSVS.

Concursus Dei concomitans à recentioribus quibusdam appellatur gratiæ adjutorium, sed temerè. 136. 143. 535. 538.
Idque ut singulare genus gratiæ Adamo innocenti & Angelis tribuisse videantur. 143.
Concursus Dei non præbetur creaturæ in præmium meriti, nec in pœnam demeriti subtrahitur. 144.
Non impetratur fidēdo nec amittitur diffidēdo. 144
Præsto adest cuilibet volenti agere. 143. 144.
Tam est necessarius ad malè quàm ad benè agendum. 143. 539. 540.
Non reddit potentiam agendi robustiorem. 143.
Concursus supernaturalis tam est debitus agenti supernaturali, quàm naturalis naturali. 144.

CONCVPISCENTIA.

Concupiscentia cujus speciei qualitas? 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 265. 266.
An ultra positivam qualitatem appetitus sensitivi includat effrænitatem? 250. 280. 281. 831.
Concupiscentia carnalis describitur. 248. 278. 279. 28.
Eam in paradysum ante lapsum Adæ, imò in cælum invehunt Pelagiani. 78. 79. 220. 222. 831. 863.
Contrarium constanter tenet Augustinus. 79. 80. 81. 82. 155. (835.
A Platonicis & alijs litteratis appellatur voluptas.
Est ... na peccati. 81. 82. 86. 121. 197.
Concupiscentiam spiritualem in paradysum invehunt Scholastici nonnulli, sed temerè. 81. 82.
Concupiscentiæ, etiam carnalis, aliqui motus in paradyso fuissent; sed omnes ita ordinati ut voluntatis rationalis nutum nec præcederent nec excederent. 88. 221.
Concupiscentia à Pelagianis laudatur. 286. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 864. 903.
Concupiscentia usu intenditur. 250. 252.
Dissuetudine remittitur. 251.
Concupiscentiam nostram in Deum ut authorem, primi omnium refuderunt Pelagiani. 849.
Si esset ex Deo nobis inserta, non esset vitiosum ei consentire. 852. 853. 854. 855. 856.
Ejus motus, etiam indeliberati, sunt peccata. 844. 845. 846. 847. 848.
Sententia id negans ab Augustino vocatur insania. 845. 848.
Concupiscentiæ proritationes esse inimicissimas sapientiæ & Philosophiæ, agnoverunt Ethnici. 855.
Concupiscentia spiritualis appellatur malitia. 875.
Concupiscibilis appetitus est homini naturalis, sed ejus effrænitas & rebellio ... violēta. 870. 875.
Id varijs exemplis & similitudinibus illustratur. 870. 871. 872.
Opposita obedientia & subjectio respectu appetitus superioris, est homini connaturalis. 869. 875. 876.
Concupiscentia & libido pro eodem usurpantur ab Augustino. 188.
Concupiscentia generantium est necessaria causa propagationis peccati originalis, nec aliter quam per eam potuit propagari. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. & seqq. item 255. 263. 264. 830.
Nullus veterum, nequidem Pelagiani dubitarunt Augustinum sic sensisse. 218. 219. 220. 221. 222.
Concupiscentiæ malum à nuptiarum bono studiosissimè distinguit Augustinus. 223. 224. 225. 226.
Concupiscentia cum reatu, apud Augustinum est peccatum originale. 186. 187. 188. 189. 140. 191. 196. 233. 234. 235. 236. 246. 273.
Concupiscentia per baptismum non tollitur actu, sed reatu. 188. 189. 202. 215. 245.
Sententia negans concupiscentiam esse peccatum originale, ab Augustino appellatur impia novitas; sua autem opposita, Catholica veritas. 234. 235. 236.
Concupiscentia quæ juxta Augustinum est peccatum originale, quid? 188. 233. 234. 235. 236.
An in carne an in anima resideat. 188. 270. 271. 272.
Concupiscentiæ motus ab Augustino describitur, desiderium peccati. 188. 274. 279. 323. 332. 843. 844. 845. 846. 847. 848.
Item desiderium bonorum temporalium: sive inclinatio animæ ad fruendum inferioribus. 401. 402.
Cur Augustinus in concupiscentia potiùs constituerit peccatum originale quam in aliquo eorum in quibus à Scholasticis constituitur, cùm nihil horum latuerit eum? 196. 197. 198. 199. 200.
Concupiscentia ab Apostolo passim vocatur peccatum. 82. 236. 237. 238. 250. 330. 446. 455. 464. 658. 879.
Ab Augustino appellatur lex peccati, idque phrasi Apostolica. 213. 214. 218. 230. 246. 330.
Item morbus. 858.
Peccatum 201. 229. 330. 331.
Contagium. 246.
Malum. 227. 235. 246.
Vinculum mortis. 201.
Affectionalis qualitas. 249.
Consuetudo carnalis. 250. 314. 320. 652.
Iniquitas. 437. 438. 439.
Consuetudo naturâ inolita, naturalis, in naturam versa. 250. 318. 419. (320
Varia alia ejus nomina recensentur. 317. 318. 319.
Concupiscentia est fœtus & fructus diaboli. 202.
Est vestigium peccati. 320.
Vitium cui consentiendo peccatur. 414.
Vulnus inflictum, quo dum benè etiam vivimus, claudicamus. 214.
Mater & filia peccati. 330. 331. 332.
Non est ex Deo sed ex mundo & diabolo: Nec potest à Deo inseri. 227. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850.
Quam latè se extendat: quod ejus objectum, & qui actus? 266. 320. 321. 322. 401. 402.
Cur potiùs in hominibus quam in bestijs vitiosa? 849. 850.
Crescente charitate decrescit. 297.
Est supplicium, & quidem inter temporalia gravissimum. 317. 420. 848.
Caret oculis discretivis. 847.
Ejus trimembris divisio in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, expenditur. 323. 324. 325. 326. 353. 360. 542.
Omnia peccata hominis lapsi ex aliquo horum nascuntur. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 497. 503. 828.
Idque docet Augustinus & alij Doctores tam veteriores quam recentiores ipso. 415. 416.
Concupiscentiæ, quæ est lex peccati; lex justitiæ vetat obedire. 330.
Præceptum non concupiscendi, est juris naturalis, & latissimè patens. 307. 308. 309. 310. 503.
Post concupiscentias ire, quid? 329. 412. 413. 414.

Con-

Concupiscentia à qua causa Adamo & posteris in- [illegible]

Concupiscentia carnaliter transfusa in prolem, quomodo in animam transmittat reatum culpæ? 271. [illegible] 277.

Si per Deum habitualis concupiscentia in generantibus extingueretur, non transfunderetur in prolem originale peccatum. 269.

Secus sentiendum si merè impediretur actualis ejus libido, permanente ejus delectatio. 264.

Per concupiscentiam propagari peccatum originale non solus Augustinus sed veteres communiter omnes senserunt. 229. 230. 231. 232. 282.

Hanc sententiam Augustinus appellat Catholicam veritatem. 234. 235. 281. 830.

Concupiscentiam individuè comitatur pudor confusionis, & cur? 857. 858. 859. 860. 869.

Si aliter quam per concupiscentiam propagetur peccatum originale, Augustinus in vanum contra Julianum decertavit. 222. 223.

Item Ecclesia non nisi fallaciter de Pelagianis triumphavit. 225. 226. 227. 228.

Concupiscentia est radix corruptionis in semine genitali. 259. 260.

In semine habitualiter delitescit, & in ejus emissione sese prodit. 259. 266. 263.

Concupiscentia cum sit desiderium mali, non potest non esse mala. 844. 845. 846. 847. 871. 872.

Argumenta Iuliani pro patrocinio concupiscentiæ perstringuntur. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839.

Concupiscentiam nec bonam esse, nec à Deo inseri posse adversus Iulianum ostenditur. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850.

Ejus natura & proprietates ex mente Iuliani expenduntur. 830. 831. 832.

Conflictus Augustini cum Juliano in duobus potissimum versabatur, & quænam illa? 833. 834. 835. 836. 837. 838.

Vide, Augustinus, libido, natura pura, originale peccatum, Pelagiani. 892. 893.

CONSCIENTIA.

Conscientia scientiam includit. 393. 394.

Conscientiam ab Augustino attribui parvulis, mentitur Iulianus. 194. 206.

In conscientia alicujus esse, apud Augustinum, quid? 194.

Conscientiæ remorsus & tortura est pedissequa culpæ, & gravissima pœna. 891. 892. 893.

Ejus molestia suis quibusdam causa mortis. 892.

Est utilis stimulus ad resipiscendum. 891. 892. 893.

Eo remorsu per cauterialem stuporem extincto, desperatum est de salute & resipiscentia. 893.

Conscientiæ stupor & callus est gravius supplicium quam remorsus.

CONSVETVDO.

Consuetudo inveterata ab Augustino appellatur necessitas. 634. 651.

Consuetudo est altera natura. 250. 251. 258. 268. 314. 476. 664. 876.

Consuetudo perinde ac habitus parit actus similes iis quibus genita est. 331.

Consuetudini pravæ vim necessitandi attribuunt Pelagiani, non satis consequenter ad sua capitalia dogmata. 137. 221. 222. 465. 466. 478. 479.

Christus noluit cognominari consuetudo, sed veritas. 68.

CONTAGIVM.

Contagium quid? & unde sic dictum? 246.

Contagij vocabulo libenter utitur Augustinus tractans de propagatione peccati originalis, & cur? 246. 247.

CORNELIVS CENTVRIO.

Cornelius Centurio ante instructionem à Petro acceptam habuit veram fidem. 563. 564. 565.

Si absque fide exercuisset opera misericordiæ, per ea non placuisset sed displicuisset Deo. 545. 546. 550. 551. 556. 557. 563. 564. 565. 580.

A quibus didicit fidem unius Dei? 565.

Ante instructionem Petri non habuit fidem Christi redemptoris jam pro humana salute crucifixi. 565.

CORNELIVS A LAPIDE.

Cornelius à Lapide concupiscentiam spiritualem protoplastis ante lapsum falsò affingit. 82.

Augustinum fictitia citatione pro se allegat. 82. 83.

De gratia primi hominis graviter hallucinatur. 136.

CREATVRA.

Creatura nequit se meliorem reddere quàm à suo Creatore condita fuerit. 777.

Creatura in tantum vitiosa, in quantum à sui Creatoris arte declinat. 207. 697. 756. 775. 851.

Quænam sit ista ars Creatoris? 756. 757.

Creatori imputandum quicquid à creatura fieri necesse est. 759. 775. 778. 779. 784. 826.

Creatura Creatoris sui imitatrix & æmula. 102.

Creatura dominatur amanti se inordinatè. 101.

Creaturæ amor magna miseria, fruitio major miseria. 895.

Creaturæ sanctitas, justitia, & rectitudo, est charitas. 197.

Vide, amor, dilectio, natura.

CVPIDITAS.

Cupiditas quid? 353. 354. 355. 356. 375. 517. 518. 534.

Cupiditas boni non est aliud quam charitas. 541. 542. 703. 736.

Cupiditas & charitas carent medio. 355. 517. 518. 534. 743. 744. 745.

Cupiditatis objectum quam amplum? 356. 357. 358. 516. 517. 518.

Cupiditas moderationem non recipit. 361.

Cupiditas omnia peccata complectitur, & sola culpatur in sacra Scriptura. 352.

Cupiditas præit, voluptas subsequitur. 365.

Cupiditas & voluntas apud Augustinum qui differant? 640.

Cupiditas est omnium malorum radix. 353. 354. 355. 361. 362. 519. 522. 554. 743.

Cupiditas charitati adversatur, & ejus decrementum est charitatis augmentum, & contra. 251. 352.

Cupiditas triplex, voluptatis, excellentiæ, & spectaculi. 326. 327.

Vide, amor, charitas, libido, peccatum.

CVRIOSITAS.

Curiositas quid, unde oriatur, & quod ejus objectum? 325. 359. 360.

Christianis Theologis summoperè vitanda. 13. 14. 15.

Curiositas experiendi libidinem quosdam egit in præcipitium. 325.

Vide libido.

CYNICVS.

Cynici unde sic appellati? 862.

Cynici, libidinis intrepidi patroni. 862.

Pelagianorum libidini patrocinantium prodromi. 862.

CYPRIANVS.

Cyprianus ab Augustino magnoperè laudatur. 839.

Ejus aurea sententia de conflictu carnis adversus spiritum. 839. 840.

Cyprianus ante Augustinum scripserat de unitate Ecclesiæ, sed ab Augustino postmodum de eadem scribente multis parasangis postergatus est. 30.

Cypriani lucubratio de Ecclesiæ prærogativis embrioni similis: Augustini, fœtui perfecto. 30.

Cypriani & aliorum veterum dogma de apparitionibus verbi divini in lege naturæ & Moysaica, Arianismum genuit. 29.

Ab Augustino in libris de Trinitate refutatur, quos, ne authoritati veterum præsumptuosè præjudicare videretur, diuturno tempore suppressit. 29. 30.

CYPRIVS REX.

Cyprius Rex mirabilem praxim procreandi formosas proles excogitavit. 255. 256.

D

DELECTATIO.

Delectatio sensitiva cujuscunque sensus propter seipsam experi nunquam potest licitè. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 342. 345. 346. 601.

Delectatio præsupponit cupiditatem seu desiderium. 365.

Delectatio libidinosa instituta est à natura propter concubitum, non è converso; hinc naturæ ordinem pervertit qui propter delectationem utitur concubitu. 405. 406. 407.
Delectationis divisio in licitam & illicitam ab Augustino tradita expenditur. 405. 406. 407.
Delectatio modum recipit à virtute non solum quoad officium sed etiam quoad finem. 406.
Delectatio licita ab Augustino vocatur, concessa: illicita, non concessa. 407.
Delectatio consuetudinem, consuetudo parit necessitatem. 391.
Vide, libido, concupiscentia, Pelagiani,

DEFECTVS, DEFICERE.

Defectus in quovis peccato intimè includitur, & quis iste? 387.
Deficere à Deo fonte omnis boni, est fons omnis mali. 752.
Deficere, non est fieri aut esse nihilum: sed in nihilum tendere. 385. 689.

DEMOCRITVS.

Democritus veritatem in puteo sepultam asserebat. 6.
Neoterici Theologicam doctrinam subtilitatum Philosophicarum labyrintho obscurantes, similem puteum sepeliendæ veritati effodiunt. 5. 6. 7. 15. 61. 184. 196.

DESIDERIVM.

Desiderium in gaudio tanquam ultimo termino quiescit. 424.
Desiderium desideratis frustratum, desiderantem cruciat. 421. 683.
Desiderium peccati ab Augustino appellatur concupiscentia. 188.

DEVS.

Deus vita animæ, ut anima corporis. 1. 191. 195. 421. 725. 726. 800.
Deus unitur animæ glutine charitatis. 725. 726.
Sicut Dei possessio est animæ vita, ita Dei jactura est animæ mors. 201. 202. 894.
Sicut bruta referunt omnia in conservationem vitæ suæ corporalis, ita creaturæ rationales omnia debent referre in conservationem Dei in seipsis. 1. 2. 191. 421.
Deus non solum est vita animæ humanæ, sed & unicum bonum, lex, regula, lumen, pulchritudo. 195. 196.
Deo servire, regnare est: ab eo liberari, servire est. 99. 103.
Dei fruitio est perfectissima creaturæ libertas. 100.
Deus an in propria persona apparuerit Patriarchis. 30.
Deus bonarum voluntatum quas ipse inspirat, adjutor. 128.
Deus solus per naturam impeccabilis. 826
Deus in prima Angelorum hominumque conditione ostendere voluit quid possit eorum liberum arbitrium, demum quid possit suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium. 118. 119. 125. 126. 136. 149. 150. 164. 167.
Dei regimen duplex, alterum imperij, alterum gratiæ. 126.
Regimen imperij non subtrahit ob peccati demeritum: regimen gratiæ subinde subtrahit. 126.
Deus non aliter quam per amorem regnat in creaturis rationalibus. 799.
Dei regnum est justitia & pax. 799.
Deus custodit, illustrat, accendit, & adjuvat hominem: non per habitualem, sed per actualem gratiam. 137. 138. 139.
Deus per gratiam auxilians assimilatur medico. 139.
Dei inhabitatio reddit creaturam bonam, justam, rectam, sanctam, pulchram, luminosam. 196. 197.
Deus est omnis veræ sapientiæ author & inspirator. 774. 775. 776.
Deus indefatigabili lege spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. 893.
Deus odit quicquid ipse non fecit. 532. 534. 537.
Deus solus est objectiva beatitudo creaturæ rationalis. 368. 587. 588. 589. 616. 688. 694. 740. 749. 795. 890. 951.
Deum esse summum hominis bonum agnoverunt Platonici. 739.
Deus super omnia propter se diligendus, reliqua non nisi propter ipsum. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 375. 388. 407. 408. 534. 557. 587. 661. 744.
Deo solo fruendum, creaturis omnibus utendum. 367. 368. 407. 408. 421. 534. 557. 586. 661. 690.
Deus propter seipsum universa condidit. 372.
Deus solus creaturis rationalibus superior. 383. 611. 615 616. 687. 688. 749. 750.
In ipso proinde solo figendus amor, alioquin erit distortus & obliquus. 687. 688. 689. 749. 750. 951. 759.
Deus & beati carent libertate contrarietatis ad bonum & malum, cùm tamen sint perfectissimè liberi. 458. 473. 477. 478. 484. 633. 646. 658. 659.
Deus multipliciter dicitur operari motus animi nostri. 566. 567.
Deus frequenter operatur bonum in nobis, etsi nos malè operemur illud. 566.
Hinc ex eo quod actus noster dicatur donum Dei, non rectè colligitur quod sit undequaque honestus. 566.
Deo adscribenda bona talenta etiam naturalia. 570.
Deus sicut est fons nostræ beatitudinis, ita & finis ac terminus omnis nostræ appetitionis. 618.
Deo uti semper est vitiosum. 661.
Deus solus est finis creaturæ rationalis. 687. 749. 951. 551.
Dei dona sunt duplicis generis: alia quæ legitimis hæredibus reservantur, alia quæ concubinarijs filijs projiciuntur. 570.
Deus si non gratis amatur, non rectè nec fructuosè amatur. 731. 732. 733. 734.
Deus an & qualiter per naturæ vires cognoscibilis. 740. 748.
Deus suæ naturali rectitudini debet, ut semper faciat quod se decet. 780. 786.
Hinc ex quocunque inconvenienti quantumvis exiguo respectu divinæ perfectionis, sequitur absoluta impossibilitas. 780.
A Deo recedere non foret creaturæ vitiosum, nisi Deo adhærere eidem connaturale eidem. 751. 752. 753. 754. 755. 756.
Dei justitia non patitur creaturam absque prævia culpa privari casto sui Creatoris amore. 761. 762. 763. 764. 765.
Deus non colitur nisi diligendo. 690.
Deum solum diligere ac colere, indispensabili lege obstringitur creatura rationalis. 690.
Deus est veritas prima est incommutabilis, adeoque dilectio veritatis ab Augustino inculcata, est ipsissima Dei dilectio. 694. 695. 696. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 749.
Dei justitia non patitur creaturam rationalem absque sua prævia culpa mi erijs atteri. 685. 746. 801. 802. 803. 804. 881. 882. 899. 900. 914. 915. 916. 917. 918. 935. 936. 937. 938.
Hinc talis & horrenda est Neotericorum quorundam sententia; Deum ratione supremi dominij posse pro libitu creaturas innocentes æternis supplicijs affligere. 242. 884. 970. 971. 972 973.
Magis adhuc horrenda eorum sententia qui asserunt, Deum posse beatos omnes inferni cruciatibus torquere. 899. 900.
Deus sicut nequit innocentes cruciare, ita nec nocentium culpas impunitas relinquere, quicquid reclament Neoterici. 884. 885. 886. 891. 892.
Potest nihilominus punire (prout de facto punit) citra condignum. 312. 891.
Deus non potest peccatorem in peccato persistentem beare, quicquid somnient Philosopho-Scholastici. 896. 897. 898.
Deus tanto magis hominem implet, quanto magis homo se per humilitatem evacuat. 400.
Deus foret injustus si hominem absque prævia culpa sineret concupiscentiæ fluctibus agitari. 420. 685. 746.
Deo proinde adscribenda foret crudelitas improbata in Manichæis & Pelagianis, si hominem in statu puræ naturæ condidisset. 935. 936. 937. 938. 939.
Dei justitiam varijs vijs salvare contendentes in varios errores prolapsi sunt Ethnici, hæretici, & quidam Catholici. 939. 940. 941. 942. 943. 944.
Dei justitiam illæsam tueri, difficile Augustino visum semper fuit; si anima humana non à parentibus traducatur, sed à Deo carni contagiosæ per creationem infundatur. 238. 239. 240. 241. 242. 271. 272. 273. 274. 912. 913. 939. 940.
Vt Deum ab injustitia vindicent quidam Scholastici, pactum comminiscuntur inter Deum & Adamum inclusis posteris initum. 208. 209. 217. 228. 230. 241. 242. 245. 246. 247. 277.
Tale pactum astruere nihil aliud est quam Deum culpare, & parentes cum prolibus purgare. 228. 229. 241. 242.
Pactum illud exploditur ut commenticium & Deo injuriosum, & assignatur genuina ratio salvandi Dei justitiam non obstante creatione & infusione animæ innocentis in corpus contagiosum. 228. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250.
Deus nullum malum inferre potest creaturæ rationali absq; prævia culpa, idque non solum sub formali ratione pœnæ prout est correlativum culpæ, sed & quovis alio modo. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930
DEVM SEQVERE: famosa Græcorum Philosophorum sententia, & in quo sita sit ista sequela? 740. 741.
Deus & diabolus inverso ordine procedunt in capienda possessione hominis: Deus ab anima incipit & carnem mediante anima erigit: diabolus dominium suum à carne inchoat & inde ad animam extendit. 277.
Dei imago hominibus impressa. 623. 759. 789. 799. 800. 801. 811.
Ea impressio facit ut hominis appetitus sola Dei possessione satiari possit. 789. 790.
Vide, Beatitudo, dilectio, finis, fruitio, natura.

Digitized by Google

DIABOLUS.

Diabolus cur spiritus immundus appellatus? 393.
Diabolus terrenarum cupiditatum author & princeps, & ob id princeps & rector hujus mundi dictus. 439.
Ejus potestas in peccatores quanta? 439. 440. 441.
Cur non plenè utatur suâ potestate in impios? 439. 440. 441. 442.
Etiamsi plenissimè ea uteretur, maneret nihilominus in peccatoribus libertas ad peccandum sufficiens. 442. 443.
Diabolus non habet libertatem contrarietatis ad bonum & malum, uti nec ulli damnati. 458. 473. 477. 478. 484. 633. 646. 658. 664.
Diabolus minus liber ad bonū quam homo viator gratia destitutus, & qua ratione? 404.
Diabolus continuò peccando non demeretur, nec supplicia sua aggravat, & cur? 664.
Diabolus protoplastos ad peccandum induxit suadendo, non necessitando aut cogendo. 639.
Diabolus per Evam tentavit & vicit Adamum, & per inferioris partis concupiscentiam tentat hominem lapsum. 129. 130. 200. 202. 213. 410. 411. 412. 413.
Cur non diabolo tentanti nec mulieri blāditijs pellicienti, sed libero Adami arbitrio adscribatur prævaricatio Adæ? 156. 419. 420.
Diabolum tentantem vicisset Adamus si in Dei adjutorio fiduciam collocasset. 129. 130. 144.
Ad istam fiduciam eliciendam necessarium ei fuit adjutorium gratiæ sine quo non. 129. 130. 180.
Diabolus Adamum prosternendo, posteros universos fecit sibi vernaculos. 200. 201. 202. 213. 439. (351.
Diaboli pompæ quibus in baptismo abrenunciamus, quid? 350.
Diabolus mediante carne quam primo possidet, dominium suum in animam hominis extendit. 277.
Vide, Adam, Angelus, concupiscentia, libido, peccatum.

DILECTIO.

Dilectio omnis aut est fruitio aut usus. 399. 400.
Dilectio proximi à Deo præcepta, ususne sit an fruitio? 399. 400. 401. 402. 617.
Dilectio sui-ipsius non propter Deum, odium potiùs est quàm dilectio. 399. 400.
Cur Deus non expresserit præceptum diligendi nos-ipsos perinde ac præceptum diligendi Deum aut proximum? 399. 400. 401.
Tanto magis homo seipsum diligit quanto magis per humilitatem oblivisc itur sui. 400.
Dilectio Dei est unica vera & solida justitia hominis. 196.
Dilectio Dei nunquam pellitur nisi dilectione creaturæ. 197.
Dilectio Dei & proximi, legis plenitudo est. 400. 401. 587. 712. 713.
Dilectio Dei ex toto corde, tota anima & tota mente, elucidatur. 400. 401. 402. 421. 617. 618.
Præceptum diligendi Deum super omnia, an & qualiter homini naturale? 747. 748. 749. 750.
Dilectio proximi non propter Deum, peccatum est. 408. 617.
Inter proximos maximè jubemur diligere propinquiores. 408.
Dilectionis præceptum nequit per actum undecunque malum impleri, etiam quoad substantiam præcepti. 659.
Sola dilectio est verus Dei cultus. 690.
Dilectionis Dei divisio in naturalem & supernaturalem à Philosopho-Scholasticis conficta, ab Augustino nunquam excogitata. 602. 701. 727. 728. 729. 730. 733. 768.
Ea divisio assimilatur divisioni motus lapidis sursum, in motum naturalem & supernaturalem. 733.
Dilectio Dei in beatificam fruitionem directè tendit, sicut sagitta in suum scopum. 789.
Dilectio Dei est charitas: dilectio creaturæ, cupiditas. 743.
Dilectio Dei excedit vires naturæ, etiam juxta Ethnicos Philosophos. 740. 741. 742. 743.
Quicquid fit ab homine absque gratuita Dei dilectione, vitiosè fit, & peccatum est. 735. 736.
Dilectionem Dei castam viribus naturæ possibilem astruit Pelagius. 735. 736. 737.
Qualisnā sit ista dilectio quam Pelagius naturæ viribus adscribit, naturalis an supernaturalis? 737. 738. 758.
Dilectio Dei casta si per naturæ vires exerceri potest, gratis mortuus est Christus. 737. 738. 745.
Dilectio Dei casta potest reperiri in peccatoribus fidelibus ad justitiam accedentibus. 736.
Dilectio veritatis ab Augustino deprædicata, est ipsissima Dei dilectio, & illa veritas est ipse Deus. 695. 696. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 749.
Sine dilectione casta incommutabilis veritatis nemo potest esse sapiens, prudens, justus, fortis aut temperans. 695. 696. 741. 749. 775. 776.
Separatio ab ista veritate est distorta, perversa, & peccaminosa voluntas. 696. 715. 716.
Dilectio justitiæ ab Augustino deprædicata quid? quam necessaria ad benè agendum, & an ad exercendam illam sit necessaria gratia? 698. 699. 700. 701. 702. 703. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 769.
Voluntas eâ carens non solùm mala est, sed pessima. 701. 702. 715. 716. 758. 769.
Dilectio justitiæ est legis operatio. 699. 728.
Dilectio Dei nisi sit gratuita non est casta, recta, vel fructuosa. 731. 732. 733. 734.
Absque gratuita Dei dilectione nullum datur opus veræ pietatis. 734. 747. 759.
Ad Deum gratuitò diligendum necessarium est gratiæ cælestis auxilium. 732. 733. 734. 735.
Dilectio & contemplatio Dei à Christianis appellatur vita æterna, & regnum cælorum. 797. 801.
Non potest negari creaturæ innocenti; adeoque status puræ naturæ ex eo capite impossibilis est. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804.
Vide, Amor, Augustinus, Deus, gratia, natura.

DIOSPOLITANA SYNODUS.

Diospolitana Synodus adversus Pelagium indicta. 288.
Definit ignorantiam etiam invincibilem subjacere peccato. 288. 289.
Ejus judicium ab Augustino approbatur 289.
Ejus mendosus textus emendatur. 288. 289. 290.

DIVITIÆ.

Divitiæ omnium cupiditatum satellites. 328.
Divitiarum cupiditas vocatur avaritia. 358. 361. 609.
Divitiæ expetuntur ut serviant cupiditati carnis, aut oculorum, aut ambitioni sæculi. 328.
Hinc amor divitiarum nunquam est primus, sed semper alterius rei amorem præsupponit. 328.

DIVOMACHUS.

Divomachus & Calliphon philosophi, voluptatem cum honestate coniungentes, Stoicismum cum Epicureismo permiscent. 362. 609.
Hominem cum bellua jungendo scyllæum bonum astruunt. 362.
Eorum dogma amplexus est Iulianus Pelagianorum antesignanus. 362.
Eidem dogmati adhærere convincuntur Scholastici recentiores qui medioctitate vitiorum contenti sunt. 362.

DOLOR.

Dolor quid, & unde nascatur? 392.
Dolor amissi boni, est testis amati. 382. 392.

DOMINIUM, DOMINARI.

Dominij ratio in quo sita? 437.
Dominium carnalis cōcupiscentiæ in voluntatem gratiā destitutam tollit omnem libertatem bene agendi. 437. 438. 439. 440.
Dominium diaboli in Adam & posteros post primam de ijs reportatam victoriam astruitur. 200. 202. 213. 439.
Dominari alicui, quid? 437.
Vide, amor, diabolus, concupiscentia, libertas.

E

ECCLESIA.

Ecclesia supra petram à Christo fundata. 66.
Est columna veritatis, cum qua quisquis non colligit, dispergit. 66.
Ecclesiæ judicio author seipsum & sua scripta humiliter submittit. 66. 682.
Ecclesia semper manet æquè infallibilis. 66. 67.
Hinc non magis falli potuit tempore Augustini & inde usque ad ætatem Scholasticorum, quam jam. 65. 66. 67. 674. 675. 978. 979.
Ecclesia an & qualiter errare possit? 66. 67. 68.
Ecclesia non solum eruditioni, sed & paci fidelium invigilat. 674. 675. 978. 979.

Digitized by Google

Hinc subinde proscribit propositiones, propter offensiones quas generant, nihil præjudicando earum veritati. 675.978.977.
Ecclesia per Augustinum mirè illustrata 30.
Ecclesia Catholica à Pelagianis agnominatur Babylon 432.459

ÆTHIOPS

Æthiops ex accidenti, sed in natura quodammodo verso, niger 252.268.
Colorem illum in prolem cum semine transfundit. 248 255.258.268.269.
Ex ea coloris transfusione illustratur transfusio peccati originalis per concupiscentiam. ibid.
Vide, peccatum originale

EFFECTVS.

Effectus nequit esse præstantior sua causa. 198.200.311
Effectus vitiosus non nisi à vitiosa causa procedit. 212. 213.214.215 216 226.227.228.229.230.231.

EFFRÆNITAS.

Effrænitas appetitus concupiscibilis consistit in gratiæ rectricis vacuitate. 252.
An concupiscentia eam includat 249.250.251.252.253 280 281.
Reddit concupiscentiam in homine vitiosam, quæ in brutis non est vitiosa. 853.870.

ELECTIO

Electio medij ob finem extrinsecum non est in rigore amor 349.350.
Ab Augustino appellatur dilectio transitoria. 595.
Vide, amor finis, dilectio, mansoria.

EPICVRVS, EPICVRÆI.

Epicurus finem boni in voluptate constituit 362. 424. 599 600.609.612.
Virtutes statuit voluptatis ancillas 600. 601.
Ejus dogma ab Augustino appellatur, horribilis turpitudo. 601.
Vt Epicureis pudorem incuterent Stoici, voluptatem in regia sella ancillantibus virtutibus depinxerunt. 601.611.
Epicuræi sicut finem boni in voluptate, ita finem mali in tristitia & dolore constituerunt. 605.
Epicurei tanquam humi repentes corpore suo fruendum censuerunt, contemptis superioribus. 612.
Eorum dogma refertur, & ut pudendum ac porcinum refellitur. 612. 613
Parum ab eorum dogmate distant Philosophi scholastici qui vitiorum mediocritate contenti sunt. 362. Vide, Divomachus, finis, Stoici.

ERROR, ERRARE.

Error tam in magnis quam in parvis semper malum 14. 880.
Errare invitum, non est natura hominis instituti, sed pœna damnati. 301.304.473.880.
Error est pœna nimiæ curiositatis. 14.
Error, etiam invincibilis, juris naturalis non excusat à peccato hominem lapsum. 306. 307. 308. 309.310. 316.875.876.877.878.
Errare quid? 880. Vide, ignorantia, peccatum.

ESTIVS.

Estij hallucinatio circa radicem ex qua oritur obligatio referendi omnia in Deum, refertur & refellitur. 398. Vide, charitas.

EXCÆCATIO.

Excæcatio unde nascatur? 394.
Excæcatio cum sit pœna peccati, non excusat subsequentia peccata. 313. 316.472.
Hinc concluditur, ignorantiam etiam invincibilem in seipsa, non excusare subsequentia peccata. ibid.

EXORCISMVS.

Exorcismus & exsufflationes baptismales ad quid adhibeantur? 202. Vide Baptismus

EVANGELIVM.

Evangelium non nisi post Christi ascensionem in scriptum redactum, & cur? 9. Vide, Christus.

F

FACINVS.

FAcinus & flagitium qui differant? 328.
Facinus est flagitij filia. 328.
In facinoribus ira, in flagitijs libido collocatur. 328.

FAMES.

Fames & sitis à statu innocentiæ abessent. 93. 94.

FIDES.

Fides charitatem accendit & charitas vicissim fidem exsuscitat. 16.
Fides credit quod ratio non assequitur. 243.
Fides divina est initium omnis boni operis. 442. 454. 533. 543. 660.
Ante fidem, arbitrium non est liberum ad faciendum bonum. 457.475.533.555 559.560.580 660.
Nullum opus bonũ, etiam moraliter, absque fide fieri potest. 497 498.499 500 501.502. 512.515 529.660.
Hinc omnia opera infidelium sunt vera & propria peccata 543. 544. 559. 560. 585. 586 587.627.628 629. 630.828.
Possitne quis absque fide, saltem velle operari bonum si non perficere? 458.483.501 502.572.573.
Augustinus ut certissimam doctrinam docuit, absque fide divina nullum opus bonum quantumvis naturale fieri ab homine posse, sed omnia infidelium opera esse peccata 627. 628.629.630.
Idem sensisse alij Patres. 591.592.593.594.
Concilium Arausicanum idipsum definivisse ostenditur. 619.
Solvuntur objectiones ex quibusdam verbis Augustini desumptæ. 563.564.565.566.
Fides est directrix necessaria cujusvis intentionis honestæ. 512.546.552.557.619.
Hinc omnia opera infidelium ex circumstantia pravi finis seu carentia debitæ intentionis vitiantur. 558. 619.
Mera fidei absentia sufficienter vitiat opera infidelium. 554.555.556.557.558.559.560.
Absque fide nequit esse charitas, de cujus radice quicunque fructus non surgit, vitiosus est & infectus. 533.543.544.545.
Fides est divinæ gratiæ donum & beneficium. 536.737
Fides in Christum redemptorem est necessaria ad salutem. 563.564.565.619.
Non est tamen necessaria ad exercenda opera pietatis & meritoria, sed sufficit fides unius Dei, idq; ostenditur exemplo Cornelij centurionis. 563. 564.565.
Absque fide nulla vera virtus aut veræ virtutis operatio. 619.
Hinc Philosophorum virtutes sunt vera vitia, non nisi virtutis imagine palliata & larvata. 581.582.583. 584.585.586.587.588,589.590.591.592.593.594.603. 604.605.827.
Fides tam quoad initium quam quoad progressum & perfectionem ex Deo est, non ex nobis. 536.737.
Fidei vis impetrandi & merendi expenditur. 562.563.
Fides qua creditur prout oportet, nequit absque charitate saltẽ inchoata & imperfecta reperiri 737.738
Fides quæ non per amorem veritatis, sed per timorem supplicij operatur, non est laudabilis, sed culpabilis. 469. Vide, Augustinus, charitas, dilectio, finis, gratia, infidelis, Philosophus, virtus,

FINIS.

Finis & officium in quovis opere spectanda & discernenda, & quomodo inter se differant? 371.372.408. 510.511.574 586.595.596.597.
Finis operantis à fine operis discernendus. 376.
Finem operantis in creatura constituere, semper est mortale delictũ, secus de fine operis. 376.377.378.386
Finem ultimum operis in creatura constituit quisquis peccat, etiam venialiter. 374. 475. 376.
Finis præstitutus regulat media. 403. 512. 513.
Finis vltimus creaturæ rationalis est solus Deus. 368. 587. 589. 616. 688. 749. 750. 890.
Idque agnoverunt Philosophorũ nobilissimi. 739. 740.
An Deus ut clarè videndus possit dici finis ultimus naturalis creaturæ rationalis, & quomodo cùm absq; supernaturali gratiæ auxilio obtineri nequeat? 750. 751.752.
Detur ne in homine appetitus naturalis respectu finis ultimi quem absque gratia consequi nequit? 750, 751. 752. 809. 810. 811. 812.

Finis divisio in finem qui & finem cui expenditur: & resolvitur quæstio, uter horum sit principalior? 422. 423. 427.
Finis amanti fruentique dominatur, & quâ ratione? 97. 98. 101. 383. 515. 595. 600. 601. 602.
Solus finis est objectum amoris in rigore. 393. 404. 607. 610.
In finibus & medijs nequit dari processus in infinitum. 743. 744. 759.
Finibus non actibus pensantur officia. 562.
Finis debiti absentia viciat omnia opera infideliū. 558.
Vide, bonum, fides, beatitudo, intentio, fruitio.

FLAGITIVM.

Flagitium procreat facinus, & quomodo hæc differant? 328.
Vide, facinus.

FLERE, FLETVS.

Flere sanâ mente, multò satius quam alienata mente ridere. 812.
Fletus vitam hominis inchoat: gemitus finit. 883. 915. 916.
Fletus parvulorum nascentium & gemitus decrepitorum morientium, indices sunt gravis jugi filijs Adæ impositi. 915. 916. 917. 918.

FLORENTIVS CONRIVS.

Florentius Conrius Tuamensis in Ibernia Archiepiscopus, De pœnis parvulorum fine baptismo decedentium scripsit accuratum opusculum. 428.
Clarissimè ibi ostendit quàm procul ab Augustino deflectant, qui vel naturalem beatitudinem vel immunitatem à pœna sensus, parvulis absque lavacro morientibus, benignè magis quàm sapienter promittunt. 428.
Eò ab auctore remittitur Lector pro indagandis pœnis peccati originalis in futura vita. 428.
Quamvis in principali causa quam susceperat expendendam, Augustini mentem feliciter assecutus sit: de quibusdam tamen incidentibus circumstantijs hallucinatus fuisse ostenditur, remissivè. 428.

FORNICATIO.

Fornicatio spiritualis in quo consistat? 561. 562.
Fornicans spiritualiter à Deo, nequit habere corpus verè pudicum, & cur? 561. 580. 583. 629.
Fornicatio spiritualis ab Augustino specialiter usurpatur pro idololatria: generaliter comprehendit omnem corruptionem casto amori cælestis sponsi contrariam. 561.
Vtrovis modo sumatur, ostenditur non posse cum ea consistere vera pudicitia corporalis: & quid habere corpus verè pudicum? 561. 562.

FORTITVDO.

Fortitudo sanitatem comitatur: pusillanimitas ægritudinem. 119.
Occisio sui-ipsius non est actus fortitudinis, sed pusillanimitatis. 821. 822.
Idque ostenditur exemplo Catonis, quem non honestas turpia præcavens, sed infirmitas adversa non sustinens in seipsum armavit. 821.

FRVCTVS.

Fructus subjacet Dominio ejus qui fruticis est possessor. 200. 201. 202. 213.
Hinc diabolus parvulos tanquam fruticis sui (hoc est libidinis) fructus, æquo possidendi jure retinet mancipatos. 200. 201. 202. 203. 213.
Hinc rursus diabolus subjugando protoplastum, posteros omnes fecit sibi vernaculos. 200. 201. 202. 203. 213. 439.
Fructus nequit esse melior arbore proferente. 198. 200. 212. 213. 214. 215. 216. 226. 228. 230. 231. 439.
Fructus nullus creaturæ rationalis potest esse bonus nisi de charitatis radice consurgat. 533.
omnes fructus cupiditatis, utporè arboris malæ, mali sunt: omnes fructus charitatis, utporè arboris bonæ, boni sunt. 519. 520. 534. 547. 743.

FRVI, FRVITIO.

Frui & uti quid, & qui differant? quid item fruitio & usus? 98. 99. 321. 566. 567. 368. 369. 376. 377. 401. 609. 614. 616. 6[illegible]. 684. 749. 792.
Frui utendis & uti fruendis, est totius humanæ vitæ perversitas, universa peccata complectens. 369. 370. 371. 372. 395. 408. 510. 609.
Fruendis uti, non tam uti quàm abuti est. 395.
Frui & uti in deliberatè operantibus carent modio. 37.
Fruens utendis nequit iisdem uti, & cur? 394. 395.
Fruendum solo Deo: utendum creaturis universis. 367. 368. 369. 379. 371. 374. 384. 404. 509. 534. 609.
Fruitio creaturæ semper est vitiosa. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 384. 404. 511. 512. 515. 534. 609.
Eius rei ratio redditur. 382. 383. 384. 385.
Fruitio creaturæ, æternâ & indispensabili lege prohibita est; adeoque intrinsecè mala. 369. 370. 402. 403. 404. 405. 609.
Omnis amor creaturæ non relatus in creatorem actu aut virtute, fruitio est & non usus; adeoq; vitiosus, & lege æternâ vetitus. 362. 363. 368. 369. 370. 371. 509. 510. 511. 512. 515. 534. 557. 600. 609. 769.
Fruitionem creaturæ comitatur cæcitas. 393.
Fruitio caret trãquillitate quoties caret securitate. 393.
Fruitio est delectrix amoris. 36.
Fruitio est finis amandi, & amor initium fruendi. 354. 356. 365. 366 367. 377. 392. 789.
Fruitio non tam est amor, quam fructus amoris 366. 367.
Fruitio sui, superba est: Fruitio aliarum creaturarum vitiosa cupiditas. 618. 743.
Fruitio sui respondet amori sui, uti & fruitio Dei amori Dei. 355. 789.
Fruitio pro objecto habet beatitudinem objectivam sive veram sive apprehensam. 368. 401. 515. 609. 616. 684.
Fruitio ad beatitudinem necessaria prorsus est. 791. 792.
Fruitio absque dilectione subsistere nequit. 792.
Fruitio & usus, dilectionem plene partiuntur. 399.
Amor virtutis propter seipsam non est usus sed fruitio, adeoque vitiosus est si in creatorem non referatur. 602. 605. 606. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 723. 820. 821 822.
Fruitio hominis in Deo, non tam hominis quam Dei fruitio est, adeoque licita & laudabilis. 402. 403.
Vide, amor, charitas, cupiditas, beatitudo, finis, peccatum, Stoici.

FVLGENTIVS

Fulgentius Augustini discipulus, & Augustinianæ doctrinæ sectator ac propugnator. 106. 116. 119. 137. 140 230. 274. 579. 691.

G

GARASSVS.

Franciscus Garassus Philosophicis principijs plus æquo insistens Theologicam veritatem temerè labefactat. 89.
Mortalitatem in paradysum secluso protoplastorum lapsu invehit. 89.
Ejus exorbitatio retunditur. 89.

GELASIVS

Gelasius Papa de propagatione peccati originalis per concupiscentiam suffragatur Augustino, sicut & alij patres antiquiores & recentiores ipso. 230. 231.
Transfusionem peccati originalis illustrat accommodato exemplo transfusionis macularum in agnos Laban ex vehementi apprehensione variegatarum virgarum tempore conceptionis matribus objectarum. 231. 232.

GENVS

Genus à Porphyrio usurpatur pro origine. 830. 831.
À Iuliano specificante conditiones & attributa concupiscentiæ libidinosæ, eodem modo usurpatur. 830. 831.

GRATIA

Gratia importat carentiam debiti, non tamen undecunque provenientis. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788.
Gratia Christi, fundamentum Christianæ religionis. 31.

Ea sub-

Ea sublatâ, vita, passio & resurrectio Christi evanescerent. 31. 108. 454. 484. 583. 737. 745. 867. 868. 881.
Quam sedulò ejus conservationi ac defensioni advigilare debeant Christiani? 1. 2. 3. 4. 31.
Ab Augustino ita illustrata, ut ob id meruerit Angelus gratiæ cognominari. 54.
Mysteria gratiæ & prædestinationis ab Augustino patefacta, perinde ac mysterium incarnationis à Ioanne Evangelista. 31. 32.
Non minus vitæ conversatione ab Augustino est expressa gratiæ energia, quàm scriptis. 43. 44. 45. 46.
Gratiæ adjutorium fuit necessarium Angelis & protoplastis innocentibus ad perseverandum. 77. 78. 125. 126. 127. 128. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 153. 154. 157. 163. 167. 168. 180.
Item ad exercendos singulos actus honestos. 127. 128. 129. 130. 131. 151. 434.
Item ad vincendas singulas tentationes. 129. 130. 180.
Sine sua culpa cecidissent si eis tale adjutorium denegatum fuisset. 131. 143. 182. 607. 759.
Adjutorium illud non fuit merè habituale, sed & actuale. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 145. 146.
Gratia illa à gratia hominis lapsi qui differat? 149. 153. 154. 155. 156. 157. 168.
Ejus necessitas assimilatur necessitati luminis ad videndum, alimenti ad vivendum, navis ad navigandum, pedum ad ambulandum. 133. 137. 140. 152. 145. 151. 153. 156. 158.
Gratia illa assimilatur habitibus, quibus cùm volumus, utimur. 151.
Conferebat operandi possibilitatem, non ipsam operationem aut voluntatem. 147. 148. 149. 150. 151. 152.
Suberat determinationi liberi arbitrij, ejusque nutum exspectabat. 148. 149. 150. 151. 154.
Non ei proinde, sed libero arbitrio adscribenda foret operatio ac perseverantia subsequens. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159.
Gratia sine qua non, & gratia cum qua fit: item adjutorium possibilitatis & adjutorium voluntatis & operis, ab Augustino studiosissimè secernuntur. 144. 145. 146. 147. 148.
Gratia sufficiens à Scholasticis excogitata in statu naturæ lapsæ, nullum in Augustino habet fundamentum. 316. 656. 660. 760. 778. 779.
Imo ejus assertores Augustino adversantur, quatenùs asserunt eam cuilibet paratam esse, quasi eam in manica haberet pro libitu. 316. 656. 680. 760. 778. 779.
Naturæ puræ debitam esse gratiam, longè rationabiliùs sensit Augustinus, quàm Scolastici, naturæ lapsæ. 779.
Gratia sufficiens Neotericorum comparatur cum auxilio possibilitatis, Angelis & protoplastis collato. 149. 150.
Gratia secundi Adæ potentior est gratia primi Adæ. 125. 143. 148. 156. 157. 160. 168.
Gratiæ actualis quibus vocabulis ab Augustino & Concilijs expressa? 137. 138.
Gratiæ liberatricis efficacia non est fundanda in præscientia sive divina sive humana. 152. 177.
Vti nec in acquiescentia & libera determinatione liberi arbitrij. 177. 178.
Scholastici qui vel in Dei præscientiam vel in cardinem libertatis arbitrij efficaciam gratiæ refundunt, non satis distinguunt gratiam hominis lapsi à gratia Angelorum aut status innocentiæ. 178. 179. 180.
Gratiæ intelligentia ab intelligentia liberi arbitrij pendet, & è converso. 433. 484.
Gratiam oppugnantes, liberum oppugnant arbitrium. 452. 490.
Gratiæ liberatricis notio & natura carentiam libertatis ad bonum præsupponit. 454. 460. 463. 483. 484.
Angeli & protoplasti innocentes non eguerunt gratia liberatrice, eguerunt tamen adjutrice. 435. 460. 461.
Eâ indiget homo lapsus ad quodcunque opus bonum, etiam ordinis naturalis, exercendum. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. & seqq. Item 621. 698.
Contrarij assertionem Augustino impingere frustra contendunt quidam Neoterici. 564. 565. 569. 570. 571. 572. 631.
Homo lapsus gratia destitutus non solum nequit vlli tentationi victoriosè resistere, sed nec cum vllis tentationum fluctibus confligere velle: singulis autem plenissimè absque ulla renitentia obsequitur. 129. 197. 500. 501. 502. 503. 529. 530. 537. 539. 540.
Gratia ab Augustino & Concilijs deprædicata ut necessaria ad benè operandum moraliter, à Philosopho-Scholasticis perversè exponitur de generali concursu causæ primæ. 538. 539. 540. 541. 542.
Ostenditur esse vera propria ac supernaturalis gratia. 632. 633.
Gratia an ad nubendum absque peccato, necessaria? 568.
Gratia facit legis dilectores: lex absque gratia, prævaricatores. 438. 497. 498. 499. 500. 501. 703. 704.
Gratiæ necessitas ad eliciendum castum amorem veritatis, astruitur. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 713. 714. 715. 716. 717. 741.
Gratiæ necessitas ad diligendam justitiam & reliquas virtutes dilectione casta, astruitur. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 716. 717. 718. 727. 728.
Neotericorum contrarium astruentium opinio Pelagianismi sugillatur. 727.
Expenditur vis particulæ, *sicut oportet*, ab Augustino astruente necessitatem gratiæ ad benè operandum, usurpatæ. 735. 736.
Gratia non minus ad odiendam injustitiam, quam ad diligendam justitiam necessaria. 705.
Gratiæ necessitas ad vitandos errores astruitur. 813. 814. 815.
Gratiæ necessitatem ad consequendam beatitudinem naturalem agnoverunt Philosophi quidam Ethnici. 742. 743. 744. 745. 792. 793. 794. 795.
Gratia supernaturalis creaturæ rationali est debita, secluso culpæ demerito. 760. 761. 762. 763.
Conciliatur illa ratio debiti cum notione & proprietate gratiæ. 760. 761. 762. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786.
Gratiæ vocabulum ab Augustino subinde extenditur ad significandum ipsam naturam. 782. 783.
Gratiæ donum speciale, quid? & cur perseverantia Angelorum & merita naturæ integræ non censeantur specialia gratiæ dona? 159. 160. 161. 162.
Gratiam habitualem agnoverunt Pelagiani. 136. 433.
Imò & actualem, quæ sopitos & subcineratos charitatis ignes ad instar venti suscitaret. 433.
Gratiæ tamen proprietatem destruebant, eam meritis liberi arbitrij adscribendo. 434.
Gratia adoptionis Augustino non est aliud, quam charitas. 767.
Gratia adoptionis debetur omni creaturæ rationali innocenti, adeoque nequit creatura rationalis à Deo condi in statu naturæ puræ. 763. 764. & seqq.
Gratia habitualis influit cum libero arbitrio in opus meritorium. 177.
Gratia habitualis infusa fuit Angelis & protoplastis in prima creatione. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 177.
Gratia habitualis ab Augustino comprehenditur sub nomine liberi arbitrij, ubi de homine integro est sermo. 141.
Gratia habitualis conjuncta cum vacuitate concupiscentialis infirmitatis, conferebat protoplastis plenissimam sanitatem, & inde profluentem fortitudinem eximiam æquilibrialis libertatis. 119. 120. 121. 122. 123. 124.
Gratiæ habitualis conservatio debita est homini non ponenti obicem: gratuita tamen est; adeoque ratio gratuiti non tollit debitum qualecunque. 780.
Vide, Adam, Angelus, dilectio, liberum arbitrium, natura, Pelagiani, tentatio, virtus.

GVLA, GVLOSI.

Gula est cupediarum amor. 609.
Ejus objectum sunt cibus & potus. 359.
Objectum illud non est de se malum sed bonum: gula tamen est vitiosa; unde deducitur, amorem rei bonæ frequenter esse vitiosum. 359. 609. 610.
Quomodo alimentis utendum ut vitetur gula? 334. 345. 359.
Gulosi ad refectionem trahuntur concupiscentiâ delectationis, non indigentia sustentationis. 359.
In alimenta non ex officio descendunt, sed ex cupiditate ruunt. 359.
Gulæ cum luxuria affinitas. 359. 360.

 HABITVS

Digitized by Google

H

HABITVS.

Habitus quid? & qualiter cum adjutorio possibilitatis conveniat? 154.
Inclinat ad similes actus ijs quibus genitus est. 331.
Habitus, potentia, & actus, circa idem objectum versantur. 595.
Habitibus utitur pro libitu voluntas, perinde ac potentijs exterioribus despoticè sibi subditis. 154.
Habitus virtuosus, vide, virtus.
Habitus vitiosus, vide vitium.

HELI.

Heli Hebræorum Pontifex inopinato casu corruit. 285.
Varia pericula vitæ humanæ impendentia perstringuntur. ibid.

HERMOGENES.

Hermogenes hæreticus Marcionis impij socius. 942.
Materiam Deo coævam adstruit. 942.
Hinc à Tertulliano agnominatus *Materiarius*. 942.
Occasio istius hæreseos expenditur. 939. 940. 941. 942.

HÆRETICVS.

Hæretici simplici veritatis revelationi acquiescere dedignantur. 14.
Scholastici eos quoad hoc imitantes carpuntur. 14.
Hæreticum non facit error in fide nisi adsit pertinacia. 67.
Non solum Catholici, sed & hæretici Augustinum in suorum dogmatum patronum deposcunt. 52.
Hæretici moderni libertatem arbitrij nimis deprimunt. 433.
Liberum hominis arbitrium, servi arbitrij agnomento intitulant. 445. 446.
Eodem vocabulo utitur subinde Augustinus, sed sensu alio quam hæretici. 445. 446.
Falluntur proinde Catholici quidam controvertistæ negantes nomen servi arbitrij ab ullo veterum orthodoxorum accommodatum arbitrio voluntatis humanæ. 445.

HIERONYMVS

Hieronymus dialogos suos adversus Pelagianos sub Attici & Critobuli supposititijs nominibus evulgat. 290.
Augustino concinit quoad doctrinam de pseudo-virtutibus Philosophorum & infidelium, nullumque opus veræ virtutis in destitutis fide agnoscit. 594.
Semina virtutum cunctis naturaliter insita admittit, sed alio sensu quam Pelagiani aut Semi-pelagiani. 624.
Hieronymus ab Augustino in diversis capitibus dissentit. 54.
Hieronymus inter Doctores sui temporis usque ad Augustinum, culmen authoritatis adeptus. 54.
Articulos inter se & Augustinum ventilatos toto Græcorum Doctorum exercitu muniebat. 54.
Ab Augustino, mole Scripturarum & rationum oppressus & ad palinodiam adactus. 54.
Augustino adversus Pelagianos in arenam prodeunte, silentium sibi circa eandem materiam indixit, quod usque ad mortem non amplius rupit. 34. 225.
Ejus de Augustino ejusque ingenio, testimonium. 34.

HOMO.

Homo inter Deum & creaturas purè corporeas medius. 422. 687. 688.
Hominis cor nonnisi in Deo requiescit. 425. 687.
Homo non conditione naturæ, sed infectione culpæ factus est servus cupiditatum. 462.
Homo ex duplici natura, corporali & spirituali compactus: & harum cuilibet sua respondent bona. 830. 833.
Homo per peccatum totus in deterius mutatus. 89. 92. 109.
Hominis integri & lapsi discrimen quoad vires agendi. 121. 122. 123.
Hominis lapsi nondum per gratiam liberati discrimen à dæmone, quoad possibilitatem operandi bonum. 494.
Homo nihil debet nisi quod accepit. 759.
Homo naturaliter scire desiderat. 815.
Homo naturaliter mortem abhorret, uti & cætera animantia. 817. 822.
Hominis inferiorem partem adversus superiorem rebellare, contra ordinem naturæ est; adeoque violentum & turpe. 867. 868. 871. 872. 873. 874.
Contrarium asserentes, conflictum Augustini cum Iuliano inanem reddunt & illusorium. 873.
Hominis lapsi vita à primis fletibus infantiæ usque ad extremos gemitus mortis, miserijs atteritur. 883. 925. 926.
Homini innocenti nequit Deus denegare gratiam adoptionis. 761. 762. 763. 764.
Homo nequit à Deo creari stultus aut insipiens. 773. 774.
Homo nequit esse steriliter bonus. 550. 551.
Homo semper operatur propter aliquem finem. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601.
Hominis lapsi miseriæ perstringuntur. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 422. 423. 424. 425. 426.
Homo lapsus nisi per gratiam liberetur, sub diaboli tyrannide detinetur captivus. 439.
Homo lapsus nihil habet *de suo*, nisi peccatum & mendacium. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537.
Peccatum illud non est solum largè sed & propriè dictum peccatum Deo displicens, eumque offendens. 532. 534 537.
Nec meretur coronam sed supplicium à Deo. ibid.
Homo de suo mendax, nec nisi Dei beneficio verax. 532. 535. 536. 537. 538.
Illa particula, *de suo*, expenditur. 539. 540.
Illa particula, *de suo*, non excludit concursum generalem ordinis naturalis. 538. 539. 540.
Homo ut honestè operetur non satis est quod operetur bonum, sed necesse est ut operetur benè. 555. 556.
Homo peccat damnabiliter in eo quod hic & nunc vitare nequit: illud tamen peccatum non est merè peccatum, sed insuper pœna peccati. 655. 656.
Propositio ista, *homo peccat in eo quod necessariò facit*, quo sensu à Pontificibus damnata? 663. 664. 665. 666.
Homo in puris naturalibus constitutus non posset Deum casto amore diligere, adeoque non teneretur. 779.
Peccata ab homine in puris naturalibus perpetrata, non nisi materialiter in ipsum hominem: formaliter verò in Deum refundenda forent. 775. 779.
Homini in statu puræ naturæ condito deberi gratiam fatetur Suarez, sed ordinis naturalis. 780.
Propositio ista: *Deus non potuit talem ab initio creare hominem qualis nunc nascitur*, quo sensu & quo genere censuræ damnata? 975. 976. 977. 978. 979. 980.
Vide, gratia, natura, liberum.

HONORIVS.

Honorius & Theodosius Imperatores publico edicto Pelagianos proscribunt. 938.
Conqueruntur in suo edicto, Deum à Pelagianis argui crudelitatis. 942.
Eadem querela fieri potest contra Neotericos, statum puræ naturæ possibilem astruentes. 884. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 936. 937. 938. 942.

HORTENSIVS.

Hortensius Ciceronis de laudibus & defensione Philosophiæ compositus, Augustinum ad sapientiæ indagationem accendit. 47. 684. 793.
Ciceronis in Hortensio sententia de beatitudine, non solum Augustino sed & Monicæ matri ipsius mirè arridet. 684. 685. 686. 793. 824. 825.
Vide, Cicero, Augustinus.

HYPOGNOSTICON.

Libri Hypognosticon operibus Augustini immixti. 109. 110.
Pertexti ex verbis aut saltem sensibus Augustini, Prosperi, & Fulgentij. ibid.
De viribus liberi arbitrij hominis lapsi quid sentiat eorum author? 110. 111.

I

IESVS.

Iesus interpretatur *Salvator*. 2. 3.
Ad quid venit in mundum? 1. 2.
Iesus est vita animæ humanæ. 2. 191.
Frustra appellatur Iesus si natura sibi sufficiat ad faciendum bonum aut vitandum malum. 3. 108.
Vide, Christus, gratia, liberum, natura, originale peccatum.

IGNIS.

Ignis per quem salvi fiunt qui in gratia cum reatu pœnæ temporalis decedunt, ab Augustino variè exponitur. 363. 364.

IGNORANTIA.

Ignorantia alia vincibilis dicitur, alia invincibilis, & quid utraque? 287. 292.
Prior est voluntatis, posterior necessitatis. 288. 289. 290.
Ignorantia vincibilis est species negligentiæ. 287. 297.

Igno-

y Google

Ignorantia, etiam invincibilis, est pœna peccati. 121. 293. 297. 313. 314. 416. 417. 875. 876. 877. 878. 881. 882.
Ignorantiam vincibilem à peccato non excusare, fatebantur ipsi Pelagiani. 287. 288. 292.
Ignorantia invincibilis alia est juris, alia facti. 305.
Ex ignorantia hominis, culpam colligit Augustinus. 881.
Ignorantia facti à culpa excusat, fatente etiam Augustino. 305. 309.
Ignorantia facti non repugnat statui innocentiæ, imo reipsa ibi fuit. 311.
Ignorantia juris positivi etiam divini, excusat à culpa quando est invincibilis. 305. 306. 309.
Ignorantia invincibilis juris naturalis nullatenus à culpa excusat. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. & seqq. Item 306. 307. 308. 309. 310. 316. 875. 876. 877. 878.
Idque ut certissimum fidei dogma tradit Augustinus cum Hieronymo & Concilio Palestino. 289. 290. 299. 875.
Redditur fundamentalis ratio cur minus hæc quam præcedentes ignorantiæ, excuset. 309. 310 311. 312.
Ignorantia invincibilis juris naturalis non tam est peccatum quam pœna peccati 312. 875.
Neque in statu innocentiæ fuisset. 311. 312. 875.
Ignorantiam cur non assumpsit verbum divinum in humanitate Christi, saltem in infantia aut pueritia Christi? 879.
Qualiter intelligenda divisio peccati in peccatum ex ignorantia & peccatum ex infirmitate, ab Augustino usurpata? & quæ ignorantia ibi veniat intelligenda? 297. 416.
Ignorantia errorem dehonestat. 880.
Vide, error.

ILLECEBRA.

Illecebra quid? & an omnis libido ad illecebras pertineat, adeoque omne peccatum? 328.

IMMORTALITAS.

Immortalitas apud Augustinum duplex. 91. 92.
Immortalitas hominum in statu innocentiæ ab immortalitate sanctorum post resumpta corpora, qui differat? ibid.
Immortalitatis appetitus humanis visceribus intimè à natura infixus. 817. 818.
Immortalitas ad beatitudinem necessariò exigitur. ibid.
Immortalitas, secluso peccato, communis fuisset toti generi humano. 89. 90.
Vide Adam, innocentiæ status, natura, mortalitas.

IMMVNDVS, IMMVNDITIA.

Immundus spiritus, diaboli cognomen, & cur? 393.
Immunditia consequitur amorem temporalium. 393. 394. 398.

INDIFFERENTIA.

Indifferentia contrarietatis ad bonum & malum non est essentialis libertati. 104. 442. 458.
Id ostenditur exemplo Dei & beatorum carentium indifferentiâ ad malum, necnon dæmonum ac damnatorum carentium indifferentiâ ad bonum. 458. 477. 478. 487. 488. 633. 646.
Indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum libertati essentialem faciunt Pelagiani. 487. 488.
Quo sensu asserit Augustinus hominem lapsum habere arbitrium liberum ad bonum & malum? 488. 489. 390. 491. 492.
Indifferentia contradictionis est sufficiens libertas ad peccandum. 633. 659.
Indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum non posse attribui arbitrio hominis lapsi absque Pelagianismi notâ, censet Augustinus. 468.
Augustino neganti libertatem ad bonum in homine lapso necdum liberato per gratiam, concinit Celestinus Papa & Synodus Arausicana. 469.
Favent Scripturæ, & quid ad eas responderit Iulianus? 463. 464.

INFANS.

Infans nec scientiam habet nec conscientiam: & falsò Iulianus Augustino affingit assertionem oppositi. 194. 206.
Infantes frustra baptizantur si absque vitio procreantur. 74. 764. 765. 766.
Infantes ab infantia ad sapientiam non nisi per intermediam insipientiam pertingunt: & specialis prærogativa præcursoris Baptistæ fuit, ad sapientiam non per insipientiam transijsse. 880.
Ista insipientia est pœna gravis, culpâ necessariò præsupponens; unde in pura natura nullatenus fuisset, multò minus in statu innocentiæ fuit. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882.
Infantes sunt lucis avidissimi, & unde ista aviditas? 315.
Infantes ex obliquo lucis aspectu strabones fieri, compertū est. 315
Infantes in originali peccato decedentes quibus pœnis in altera vita affligantur? remissivè. 428.
Vide baptismus, originale peccatum.

INFIDELITAS, INFIDELIS.

Infidelitas appellatur fornicatio, & cur? 561.
Infideles appellantur tenebræ & filij diffidentiæ. 440.
Infideles in omni suâ actione peccant, & cur? 543. 544. 559. 560. 585. 586. 587. 828.
Peccatum illud non largè tantum aut impropriè, sed strictè & rigorosè peccatum esse ac Deo displicere, ex Augustino contra Neotericos ostenditur. 547. 548. 549. 550. 593.
Eam doctrinam non intra latitudinem opinionis, sed ut certissimam fidei veritatem tradit Augustinus. 627. 628. 629. 630.
Oppositam sententiam gravi censura perstringit, & impiam appellat. 629.
Augustino concinit Synodus Arausicana. 629. Item Ambrosius, Prosper, & Hieronymus. 591. 592. 593. 594.
Redditur ratio infectionis omnium operum absque fide exercitorum, juxta Augustini principia. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 585. 586. 587. 828.
Objectiones ex verbis Augustini depromptæ quibus oppositum innuere videtur, proponuntur & solvuntur. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572 573.
Sola fidei divinæ absentia suffi it ut omnia infidelium opera sint vera peccata 553. 554. 555. 556. 557. 558.
Ad idem sufficit absentia amoris casti fide directi. 557.
Nullam veram virtutem in infidelibus agnoscit Augustinus: sed omnes eorum virtutes esse vera vitia virtutis simulachro palliata, constanter asseverat. 583. 584. 585. & seqq. Item 627. 628. 629. 630.
Infidelium fortitudo ex culpabili mundi cupiditate promanat, & per consequens vitium est non virtus. 522.
Propositio ista: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, quo sensu & quo genere censuræ à Pontificibus damnata? 672. 673. 674.
Non est eadem ratio de fidelibus in statu peccati existentibus, & de infidelibus fide destitutis; quoad possibilitatem operandi bonum. 561. 562. 563. 564.
Vide, fides, gratia, liberum, natura, virtus.

INNOCENTIÆ STATVS.

Status primæ innocentiæ felicitas adumbratur & expenditur. 77. 94. 95. 96. 121. 122. 123. 155. 422. 423.
In statu innocentiæ si perdurasset, plures fuisse damnandos quam salvandos, nonnulli Philosopho-Scholastici asserunt, sed falso fundamento nixi. 83.
In statu innocentiæ homines non habuissent notitiam adeò plenam, ut omnem ignorantiam excluderet. 311.
In statu innocentiæ quanta facultatum omnium subordinatio & pax? 121. 122. 123. 422.
Status innocentiæ non excludit omnes tentationes ab extrinseco provenientes. 132. 133.
In statu innocentiæ ad merendum & perseverandum necessaria fuit gratia cælitùs infusa. 125. 126. 127. 128. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 153. 154. 163 180. 434.
Opera meritoria ibi exercita non in gratiam sed in liberum arbitrium forent refundenda, & cur? 106. 107. 808. 109. 110. 111. 112. 113. 154. 155. 156. 157.
In statu innocentiæ non fuisset ulla interior aut innata tentatio superbiæ, excellentiæ aut laudis: multò minus tentatio carnalis aut sensualis: & contrarium asserentes redarguuntur. 81. 82. 83. 84. & seqq.
Vide Adam, concupiscentia, gratia, ignorantia.

INNOCENTIVS.

Innocentius Papa doctrinam Augustini de gratia, approbat & extollit. 33. 34. 975.
De propagatione peccati originalis per concupiscentiam, suffragatur Augustino. 233.
Item de impotentia liberi arbitrij ad faciendum bonum aut vitandum malum absque gratiæ auxilio. 670.

INTENTIO.

Intentio operantis est oculus rectificans aut obliquans opus inde emanans. 542. 546. 552. 557.
Intentio cupiditatis separanda est ab opere charitatis. 703.
Intentio prava vitiat omnia opera quibus miscetur. 380. 512. 546. 552. 557.
Intentionem fides dirigit: intentio opus probat. 512. 546. 552. 557. 619.
Hinc in destitutis fide, uti nequit esse recta intentio; ita nec opus probatum. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 619. 620.
Intentionis divisio in habitualem, formalem & virtualem, expenditur. 398. 399.
Intentio habitualis non sufficit ad honestandum aut vitiandum

opus: sufficit vero actualis sive formalis sive virtualis. 398. 399. 400
Intentio honestatis moralis propter seipsam est vitiosa, & officium virtutis labefactat. 615. 616. 617. 618. 619.
Operans ex intentione honestatis moralis ibi sistendo, tam constituit finem ultimum in creatura, quam peccans venialiter. 615.
Vivit secundum carnem. 614.
Scholastici asserentes licitum esse operari ex intentione honestatis moralis, Stoicismum resuscitant. 615. 616. Vide, fides, finis, Stoici, virtus, amor, dilectio.

IRA.

Ira ex naturæ institutione est rationis satelles. 284.
Ejus furor & effrænitas in natura lapsa reperiri incipit. ibid.
Oritur ex amore concupiscentiali: & appetitus irascibilis in concupiscentia fundatur. 328.

IUGUM.

Iugum grave super filios Adæ expenditur. 915. 916.
Est certissimum indicium peccati originalis. ibid.
Nequit à Deo imponi creaturæ innocenti. ibid.
In statu puræ naturæ fuisset, adeoque cùm necessario culpam præsupponat, reddit statum istum impossibilem. ibid.

IULIANUS.

Iulianus Pelagianismi architectus. 225.
Plagarum naturæ laudator & buccinator. 880. 881.
Operum sterilium bonorum adversus August. assertor. 548. 589. 590
Libertatis arbitrij ad bonum & malum deprædicator. 458. 459. 460 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468.
Augustini, ob negatam possibilitatem boni absque gratia liberatrice, de manichaismo calumniator. 641. 642.
Concupiscentiæ & libidinis in paradysum tam terrestrem quàm cælestem invector. 220. 222. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 839. 840. 841. 842. 843. 844.
Iulianus Augustino affingit, quod parvulis conscientiam attribuat. 194. 206.
Negat Protoplastos post lapsum præ verecundia abscondisse sua verenda. 861. 862.
Perizomata Protoplastorum in vestimenta integra artificiosè convertit. 862.
Adversus Iulianum Augustinus tredecim libros edidit, quorum tres adhuc latent, duo nuper inventi. 221. 222. 223. 224. 474.
Oppugnando Iulianum mortuus est Augustinus. 223. 271. 272. 474.
Libri Augustini adversus Iulianum ab ipso Augustino specialiter commendantur. 223.
Erunt tamen inutiles & vani si aliter quam per concupiscentiam propagetur originale peccatum. 221. 222. 223. 224.
Iulianus adversus Augustinum de peccato originali ejusque propagatione, & de viribus liberi arbitrij potissimum decertavit. 221. 222. 223. 458. 459. 460. 461. 462. 856.
Conflictus iste luculenter demonstrat, Augustinum sensisse: concupiscentiam non esse homini naturalem, adeoque statum puræ naturæ à Pelagianis assertum & à Neotericis tanquam possibilem confictum, implicare contradictionem. 872. 873. 874. 875.
Vide, Augustinus, concupiscentia, libido, Pelagiani.

IUSTUS, IUSTITIA.

Iustus venialiter delinquens finem ultimum in creatura constituit, adeoque non utitur sed fruitur creaturis. 374. 375. 376.
Manet tamen creatori habitualiter conjunctus. 386. 387.
Iusta anima, concupiscentiæ, carni, & mundo universo dominatur, & qua ratione? 200.
Iustitia pro opere justo seu meritorio sumitur frequentissimè. 162.
Iustitia non datur ulla, nisi quam Deus gratiosè elargitur. 75. 76.
Iustitia exigit ut dona Dei in suum referantur authorem. 372.
Iustitiæ dilectio quid? quam necessaria: & an ad eam eliciendam necessaria sit gratia. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 708. 709. 710. 718. 769.
Absque ea voluntas non solum mala est, sed & pessima. 701. 710.
Iustitiæ dilectio est legis condelectatio. 703. 718. 728.
Quantum quisque diligit justitiam, tantum odit peccatum. 705. 708. 730.
Dilectio justitiæ ab Augustino deprædicata à quibusdam Philosopho-Scholasticis perperam intelligitur de amore honestatis cujuscunque moralis. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 723.
Dilectio justitiæ Augustiniana est verus actus Theologicæ charitatis. 711. 712. 718.
Solis proinde fidelibus propria est. 712.
Iustitia cujus dilectionem Augustinus deprædicat, non est creatura ulla, sed increatus Deus. 717. 718. 719. 720. 723. 724. 725. 889.
Qua ratione justitia hæc ab Augustino dicatur scribi in cordibus justorum. 725.
Iustitiæ dilectio vires naturæ excedit. 717. 728. 729.
Tam necessaria est ad cavendum malum, quam ad prosequendum bonum. 706. 707. 708. 730.
Iustitia Dei misericordiam alleviantem habet adjunctam. 891.
Iustitia Dei funditus evertitur per statum naturæ puræ. 913. 914. 915. 916 & seqq.
Iustitia Dei nequit ullam culpam impunitam relinquere 891. 892. & seqq.
Iustitia Dei vetat creaturam innocentem ullis miserijs atteri. 685. 746. 801. 802. 803. 804. 881. 882. 899. 900. 914. 915. 916. 917. 918. 935. 936.
Non patitur ut peccator manens talis beatificetur, quicquid reclament Scholastici. 896. 897. 898. 899.
Nec ut beatus ullus suâ beatitudine privetur, & æternis supplicijs atteratur. 899. 900. 901. 902.
Iustitiam Dei violari miserijs humanæ naturę agnoverunt Ethnici & hæretici originalis peccati propagationem ignorantes, & idcirco polytheismum invexerunt, ne Deum bonum injustitiæ redarguere cogerentur. 939. 940. 941. 942. 943. 944.
Si Deus salvâ suâ justitiâ possit creaturam innocentem miserijs atterere, conflictus Augustini cum Iuliano vanus redditur & ineptus. 871. 872. 873. 874. 875.
Ecclesiæ denique triumphus de Pelagianismo reddetur fallax & illusorius. ibid.
Iustitia Dei non vetat justos ultra condignum præmiari, & impios citra condignum puniri. 311. 312. 891. 892.
Iustitiæ inimicus esse convincitur, qui ex supplicij timore à peccando desistit. 711. 712. 728.
Iustitia originalis an & qua ratione possit dici homini naturalis? 747. 748. 749. 750.
Iustitia originalis à Luthero & Calvino dicitur homini taliter naturalis, qualiter bestiæ naturalis est sanitas, aut aquæ frigus 747
Iustitiam Dei, animam humanam creantis & peccaminosæ carni infundentis, salvare: Augustino semper visum fuit difficile: hinc an anima esset ex Deo per creationem, an ex parentibus per traductionem, tota vita dubitavit. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 271. 272. 273. 274. 912. 913.
Assignatur modus conciliandi creationem animę cum justitia Dei. 242. 243.

L

LEO PAPA.

Leo Pontifex doctrinam Augustini adversus inimicos gratiæ approbat, sequendamque decernit. 35. 975.
Sententiæ Augustini de propagatione peccati originalis per concupiscentiam, subscribit. 230.
Vti & sententiæ de peccaminositate omnium operum absque fidei divinæ directione exercitorum. 579.

LESSIUS.

Lessius dogmatibus suis fulcimentum quærit ex diuturno Ecclesiæ consensu, Scholasticorum ex pulpitis docentium suffragijs expresso. 65.
Retorquetur ratio ista, ostendendo Ecclesiam (cujus semper æquali est authoritas) ante adventum Scholasticorum per plurimas annorum centurias Augustino oppositum asseveranti adhæsisse, nec adhuc ab eo plenè defecisse. 66. 67.
Lessius liberum arbitrium hominis lapsi nimis extollit. 178. 180.
Discretionem credentium ab incredulis in cardinem humanæ libertatis refundit. 179. 180.
Negat gratiam determinare nos ad agendum, sed expectare nutum voluntatis dominantis sibi quasi pedissequæ. 178.
Negat consequenter gratiam facere ut faciamus. ibid.
Gratiam sufficientem à Deo semper offerri imo deberi homini lapso contendit. 760.
Violatæ gratiæ crimen Augustino temerè impingit. 179. 180.

LEX.

Lex spiritu gratiæ destituta non minuit, sed auget concupiscentiam nitentem in vetitum. 499. 500. 501. 655. 703. 704.
Lex frustra minatur quando iniquitas dominatur. 438. 443. 497. 498. 499.
Legis Moysaicæ & Euangelicæ penes scriptionem, discrimen. 10. 706. 707. Item penes perfectionem. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 498. 507. 508. 706. 707.
Vna promittebat bonum carnis: altera promittit bonum spiritus. 507. 508.
Legem ex amore justitiæ observare quid? & quam necessarium juxta Augustinum. 505. 506. 507. 508. 698. 700. 701. 702. 703. 704.
Legem ex pœnæ formidine observare, vitiosum est. 505. 506. 507. 508. 569. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 728. 730.

Lex

Lex præcipiens adimplenda est ex amore justitiæ: lex prohibens, ex odio injustitiæ. 705.706.
Sub lege esse, quinam dicantur? 701.702.705.706.
Lex naturalis humanis cordibus tam profundè inscripta est, ut nulla iniquitatis liturâ aboleri queat. 624.
Lex æterna quid? 382. 384. 387. 388. 396. 600. 612. 689. 717. 718. 886. 887.
Lex æterna indispensabiliter vetat ullam creaturam propter seipsam diligere. 362. 363. 368.369.370.371. 372.373.374.381.382.383.689.696. 886.
Peccata universa etiam venialia, lege æternâ prohibentur; eique adversantur. 386.387.886.
Tenemur ei conformari non solum habitu, sed in omni actu. 387.

LIBERTAS, LIBERUM ARBITRIUM.

Libertas ad bonum per peccatum primi parêtis amissa. 96. 97. 100. 104. 109. 110.111.115.141.162.201.443. 444.460.633.644.652.653. 654.655.656.
Libertas amittitur amando quamcunque creaturam. 389.
Libertas potissimum est circa finem: servitus circa media. 97.98. 103.
Libertas & servitus sibi invicem correspondent, sicut dominium& subjectio. 97.444.
Libertas & servitus respiciunt arbitrium. 200.
Libertas carentiam servitutis seu captivitatis importat. 97.104.444.
Libertas indifferenter accommodatur veræ & umbraticæ: & harum analogia expenditur. 102. 103.
Libertas respicit terminum, à quo quis dicitur liber. 103.640.
Libertas facit rem esse sui juris, suæque potestatis. 97. 98. 103.
Ad rationem libertatis spectat potestas agendi quod velis. 97. 103. 434.443.457.
Libertas creata semper adjunctam habet aliquam servitutem. 103.
Libertas in statu innocentiæ longè major quàm in statu naturæ lapsæ. 105.106.109.112.113.114.
Libertas in statu innocentiæ, mobilis: in cælo, immobilis. 100.
Libertas non requirit desultoriam mobilitatem arbitrij. 662. 663.
Libertas in cælo non tollitur, sed perficitur. 484.
Libertas plena in ipso amore beatifico reperitur. 662. 663.
Libertas & voluntas apud Augustinum coincidunt. 639
Libertas reperitur in omnibus actibus deliberatè voluntarijs. 662. 663.
Libertas ad bonum à modernis heterodoxis nimis deprimitur. 433.
A quibusdam orthodoxis plus æquo extollitur. ibid.
Libertas ad bonũ opponitur captivitati sub malo. 435. 436.437.542.
Libertati essentialem esse indifferentiam ad bonum & malum, contendunt Pelagiani. 458. 459. 460. 461. 462. 463.464.465.467.487.
Contrarium astruitur: & ex libertate Dei, beatorum, & damnatorum, evincitur. 104. 442 458. 473. 477. 478.484.486.487.633.646.657.658.659.664.
Libertas boni & possibilitas boni coincidunt. 489.
Libertas ad bonum in homine destituto gratiâ, à libertate dæmonum, qui differat? 494.
Libertas ad bonum seclusâ gratia liberatrice, per Adæ prævaricationem penitus deperdita est. 136.441.442. 443. 444.448.451 452.453.454.458.459. 460.464.465. 466.467.468. 480.486.487.488. 533.631.779.
Id astruit August. ut dogma fidei. 468.469.629.630.631
Libertas liberè perdita, non nisi Christo liberante restituitur. 493.494.
Non solum amissa est libertas operandi bonum, sed& abstinendi à malo. 470.471.631.632.
Libertas abstinendi ab uno peccato per patrationem alterius, non est simpliciter libertas non peccandi. 471. 502. 529.530. 544.546.
Posse habere libertatem boni, naturæ est hominum: habere autem, gratiæ est fidelium. 493.
Sicut libertati ad bonum nihil derogat impotentia ad malum, ita libertati ad malum nihil derogat impotentia ad bonum. 458. 477. 478.487. 488.633.646.
Bonum illud cujus possibilitatem peccando perdidimus non esse supernaturale tantum, sed & quodcunque morale ordinis etiam naturalis, ostenditur. 494. 495.496.529.530.631.632.
Libertati non derogat auxilij indigentia. 433.434.435. 490.491.492.
Liberari & adjuvari multum discrepant. 435.
Libertas arbitrij conciliatur cum necessitate peccandi absente gratiâ. 631. 632.633.634.635.636.637.646.
Libertas contradictionis ab Augustino nusquam appellatur libertas. 644. 645. 646 662.
Eam sufficere ad peccandum nusquam negat Augustinus. 659.660.661.662.
Libertas contradictionis sufficit ad salvandam utilitatem correptionum & exhortationum & ad peccati perpetrati exprobrationem. 658. 659.
Libertatis ostendendæ gratiâ, an quis operari possit? 419.
Liber respectu alicujus rei, quis dicatur? 434. 443.457. 489.
Liberum arbitrium dupliciter usurpatur. 95.96.97. 102.
Liberum arbitrium hominis etiam integri, ad bonum non sufficit sine gratia. 131.132.177.
Liberum arbitrium phrasi Augustinianâ non excludit gratiam saltem habitualem. 141.
Imo nec actuale adiutorium possibilitatis, quale habuerunt Angeli & protoplasti. 157.
Liberum arbitrium hominis integri assimilatur bilanci in æquilibrio, & globo perfectè sphærico super planum constituto. 150. 168. 436.
Dominabatur gratiæ, & idcirco ipsi & non gratiæ adscribenda fuisset perseverantia & meritum hominis in sua integritate persistentis. 153 154.155.
Liberum arbitrium hominis lapsi est pedissequa gratiæ salvatricis. 125.
Liberum arbitrium ab Augustino nonnunquam appellatur gratia. 785.
Liberi arbitrij negati crimen Augustino affictum à Pelagianis. 429.430.431. 432. 486. 487.
Augustinus ab ista calumnia vindicatur. 431. 432.459. 487. 488.
Liberi arbitrij intelligentia cum gratiæ intelligentia prorsus connexa. 433. 533.
Liberum arbitrium hominis lapsi captivatum sub peccato. 437.451.352.533 542.826.827.872.
Nisi per gratiam ab ea captivitate liberetur, non nisi ad peccandum valet. 437.470.473. 477. 480.484.488. 533.542.631.779.827.
Id asseverat Augustinus tanquam dogma fidei. 670.
Duplex vulnus arbitrio per Adæ prævaricationem inflictum, libertatem ad bonum abstulit: & quæ sint illa vulnera? 444. 452.
Propter hæc vulnera & captivitatem incursam, ab Augustino appellatur, *servum arbitrium*. 445.
Falluntur proinde Neoterici controvertistæ asserentes nomen *servi arbitrij* usque ad tempora Lutheri fuisse inauditum. 445. 446. Vide, Adam, Angelus, gratia, indifferentia, peccatum, Pelagiani.

LIBIDO.

Libido quid? 387.
Generaliter comprehendit omnem cupiditatem. 188.
Ab Augustino confunditur cum concupiscentia. ibid.
Libidinis patrocinium à Pelagianis susceptum, & ob id ab Augustino appellatur, *suscepta Pelagianorum*. 339.340.826.830.831.832.833.846.863.864.903.
Excessum libidinis improbant Pelagiani, & quibus limitibus mediocritatem ejus circumscribant? 333. 340.341.829.830.831 832.833.834.835.836.838.846.
Libido à Pelagianis in paradysum tam terrestrem quàm cælestem invehitur. 78. 79. 80.81.82.220.221. 222.831.832.833.834.835. 836 837. & seqq.
Libido omnium sensuum, adversus Pelagianos, mala esse ostenditur. 334.335.336.345.346.365.373.850.851
Libidinis propter seipsam expetitæ usus semper est illicitus 329.330.331.332. & seqq.
Libidinis ad honestum finem relatæ usus non semper illicitus: & quæ regula hic tenenda? 329.336.
Libidinis exercitium inter conjuges seclusâ spe procreandi

creandi prolem, est illicitum. 336.337.338. 339.340. 341.342.343.344.345.
Contrarium sustinent quidam recentiores mediocritate vitiorum contenti, & Pelagianis contra veterum Patrum consensum suffragantes. 340. 361. 362. 602.829 830.
Eorum argumenta recensentur. 345.346.& seqq.
Argumenta ista diluuntur. 403.404. 405.406.
Dogma illud ad Epicureismum reducitur. 601.
Libidinis usus assimilatur usui alimentorum. 345.359.
Libidinem menti & rationi prædominari, inordinatum est & turpe. 341.342.
Libidinis malum à nuptiarum bono studiosissimè distinguit Augustinus 223. 226.
Libidinis effrenitas perstringitur. 284.
Libidinis sua affectus quo arctior eo tenebrosior. 313.
Libido est causa propagationis peccati originalis: non merum signum aut argumentum. 209. 210, & seq. 255. & seq. 830.
Non potuit originale peccatum aliter quam per libidinem propagari. 210.211,212.213.214.217.218,219 225,227.228.230.263. 264.
Idque Augustinum constanter sensisse agnoverunt ipsi Pelagiani quibuscum decertavit 219.220,221.
Qua ratione per libidinem transfundatur peccatum originale? 255.256.257. 258.259,260.
Libido est radix corruptionis in semine genitali, illud vitians, in eo latens, & in ejus emissione sese prodens, 259.260 263.
Libidinis divisio trimembris in libidinem sentiendi, libidinem sciendi, & libidinem excellendi, expenditur. 323.328.425.515.
Libido sentiendi quid? & à vivacitate sensitivæ facultatis, qui differat? 323. 327
Ejus quinquimembris divisio pro numero sensuum externorum, perstringitur. 323.324.
Libidinis sciendi ratio & inordinatio expenditur. 324. 326. 327.
Libido sciendi generat curiositatis vitium. 325. 327.
Libido excellendi, quæ superbia vitæ vocatur, arcem mentis non suburbia occupat, & ob id expugnatu difficillima est. 325.
Libido excellendi ab Augustino vocatur ambitio seculi. 326.327 328.
Tres istæ libidinis species sunt radices omnium peccatorum in natura lapsa. 323.324.325.326.
Libido possidendi nunquam est prima, sed aliquam ex tribus prædictis semper supponit, in eaque radicatur 328.
Vide, concupiscentia, cupiditas, originale peccatum, Pelagiani.

LINGVA

Lingua, instrumentum loquendi ex primæva institutione significat; & inde ad loquelam ipsam significandum translata est. 312.

LORINVS

Lorini horribile dogma de iustitia Dei, refertur. 884. refellitur. 899. 900. 901. 902.

LVMEN

Lumen ad videndum necessarium homini quantumvis integris & sanis oculis. 132.133.277.
Ea necessitas assimilatur necessitati gratiæ ad bene operandum, etiam in natura integra. 133. 134. 140. 146.151. 157. 158.
Lumen infantibus adeo gratum ut ex ejus obliquo aspectu nonnulli fiant strabones 315.
Vide, gratia, infans.

M

MALVM

Malum non est natura, sed naturæ vitium. 825.
Mali desiderium quantumvis indeliberatum est simpliciter malum, nec à Deo inseri potest. 844. 845.845.847.871.872. 873.
Non potest non esse malum id cui consentiendo peccatur. Ex quo principio Augustinus irrefragabiliter deducit concupiscentiam esse malam, nec à Deo inseri posse: unde fit ut status puræ naturæ sit impossibilis. 856.872.873.874
Contrarium asserentes vocat imprudentes, impudentes, protaces, pertinaces, pervicaces, insanos, dementes. 871.873
Malum est contra naturam: nec sub ratione mali amari ab ullo potest. 661.755
Mali fuga ex oppositi boni prosecutivo amore promanat. 661.682 705.
Malorum tolerantia à bonorum oppositorum adhæsiva dilectione proficiscitur. 521.
Malum nullum à Deo inferri potest creaturæ rationali absque prævia culpa. 925. 926. 927.928.

MANICHÆI

Manichæi & Pelagiani ex eodem capitali principio in contrarios errores prolapsi. 647. 648.783.784.864. 865.903. 904.
Manichæi nimis adversus Deum insani. 206. 462.854. 864.935. 936.
Eorum sacrilegum dogma de duabus naturis. 904.905. 935.936.937.942.943.
Manichæi perversam naturæ humanæ conditionem in primam hominis creationem culpato creatore refundunt. 206.207.462.481.643.828.854.876.
Non libero proinde arbitrio sed naturâ, homines esse malos delirant. 463.4. 5.481.492.493.538.863.
Humanum corpus non ex Deo bono sed ex mala natura conditum esse fabulantur: & quænam fuerit occasio istius fabulosi dogmatis. 207.300.462 904.
Animam humanam esse partem divinæ substantiæ somniant. 783.
Naturam malam creatricem humani corporis coævam Deo bono de cujus substantia est anima humana, statuunt: perpetuamque pugnam eorum inter se confingunt. 795.796.
Manichæi sacrarum Scripturarum sacrilegi temeratores. 748 909.
Manichæismi infamiam Augustino & reliquis orthodoxis inurunt Pelagiani, & cur? 429. 430. 431.432. 433.434.461.477.641.642.
Augustinus ab ista calumnia vindicatur. 431. 432.459. 487
Manichæos quos deseruerat, mox à baptismo impugnat Augustinus. 300.
Aliter adversus Manichæos aliter adversus Pelagianos, de peccato & libertate ad ipsum requisita Augustinus consuevit loqui, & cur? 647. 648.649. 650.653. 654.876.8.7.
Adversus Manichæos decertavit Augustinus junior & imperitior, adversus Pelagianos senior & eruditior. 964. 965. 966.
Hinc errores in scriptis suis adversus Manichæos, senex in libris adversus Pelagianos emendavit. 964.965. 966.

MANSORIA DILECTIO.

Mansoria dilectio apud Augustinum quid? Et quomodo differat à dilectione transitoria? 367. 375. 600.601.610.614. Vide dilectio.

MARCION.

Marcion hæreticus qua occasione prolapsus in insanum errorem de duobus Dijs: uno bono, altero perverso? 942. Vide, Cerdon, Hermogenes, Materiati.

MATER.

Matres filiorum carnibus nonnunquam pastæ. 285.
Matres & nutrices pravas suas inclinationes in parvulos quos vel utero gestant vel lacte alunt, transfundere consueverunt. 255.256 257.258
Ex ista transfusione elucidatur modus propagandi peccatum originale. ibid.
Matres vehementi apprehensione perculsæ fetû quem concipiunt aut utero gestant, qualitate objecti apprehensi inficiunt. ibid.

MATERIATI.

Materiati à Tertulliano agnominantur hæretici qui malum naturæ in materiam Deo coæternam referebant 942.
Eorum hæresis ex Philosophia stoica originem traxit. 942.

Prima

Prima occasio istius insani dogmatis illustratur: & inde concluditur impossibilitas status puræ naturæ. 939.940.941.942.943.944

MATRIMONIVM.

Matrimonium est minus bonum quam continentia. 857.
Matrimonium non nisi liberorum procreandorum causa ineundum. 337.338.360.405.
Matrimonij usus extra spem prolis nunquam licitus, & cur? 337.338.339.340.341.342 360.405.
Si proles aliter quam per carnalem coitum procreari posset, matrimonialis copula nunquam liceret. 343.
Conjuges absque spe prolis coeuntes ab ipsis tabulis matrimonialibus redarguuntur. 337.344. 360.363.
Matrimonium cessit homini lapso in remedium morbi concupiscentialis, & quo sensu id accipiendum? 343.344.858.
Matrimonij usus cum vetula, gravida, menstruata, aut quoquo modo infœcunda, improbatur. 342.
Vide, concupiscentia, concubitus, libido.

MEDICVS, MEDICAMENTVM.

Medicus necessarius est sani, ad conservandam sanitatem medicamentis acquisitam. 139.
Medicus non est necessarius sanis ut sanentur, nec liberator liberis ut liberentur. 484. 765.
Medici analogia cum Deo per gratiam auxiliante & à captivitate peccati liberante. 139. 140.484. 765.
Medicorum diligentiam excedit morborum copia. 285. 816.
Medici plurimos effectus adscribunt occultis qualitatibus. 253. 254.266.816.
Medici de morbo controvertunt an privatio sit, an qualitas positiva una vel plures. 253.
Medicamenta pleraque gravissima sunt tormenta. 285.

MENDACIVM.

Mendacium est intrinsecè malum, & cur? 387.388.
Mendacium destruit animi integritatem 387.
Mendacium nequidem pro conservanda pudicitia licitè committi potest. 387.

MERITVM, MERCES.

Meriti & mercedis ratio in quo constituenda? 100.163.
Meritum nullum esse potest absque gratia, etiam in statu naturæ integræ. 130. 163.164.
Meritum hominis integri & lapsi qui differant? 163. 164.
Meritum & merces correlativè se respiciunt. 163.
Habent quandam oppositionem ad gratiam. 163.
Debent esse ejusdem ordinis. 824.
Meritum hominis integri & Angelorum ab Augustino non reputatur gratia, & cur? 164.
An alia ratione fuerit gratia, & qua? 173.174. Vide, Adam, Angelus, gratia, innocentiæ status.

MILITIA.

Militia Christiana in debellanda concupiscentia tumultuante potissimùm exercetur. 403.

MISERIA, MISER.

Miseria quælibet est supplicium perversitatis. 93.
Miseria est species mali, eamque evitare conatur omnis creatura rationalis. 682. 683.
Miser esse, nemo potest desiderare. 683.
Miseria & beatitudo opponuntur privativè, & in creatura rationali non habent medium. 585 805.
Miserijs atteri creaturam rationalem absque prævia culpa, divina justitia pati nequit. 685.746.805.935.936.937.938.
Miserias humanæ naturæ esse supplicia alicujus præviæ culpæ agnoverunt Ethnici Philosophi. 910.939.940.941.942.
Miserrimum est velle, quod non decet. 684.
Miser quisque efficitur malâ voluntate: sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis expletur. 684.
Miser esse sub Deo justo nemo potest, nisi mereatur. 805. 908. 938. 939.940.941.942.
Vide, Beatitudo, concupiscentia, Deus, homo, libido, natura.

MISERICORDIA.

Misericordia impendenda est nesciente sinistrâ quid faciat dextra: & quid hoc? 703.
Misericordiæ opera absque directione fidei divinæ exercita, sunt vera peccata. 545.546.547.550.551.556.557.580.
Vide, Cornelius Centurio, fides, infidelitas, intentio.

MOLINA.

Molina in Augustinum injuriosus. 37.38 146.179.
Adeoque in Ecclesiam & Pontifices. 38.
Catholicæ doctrinæ fundamenta ex Augustini scriptis per Pontifices hausta, vellicare contendit & conterere. 38.39.
Spirituales concupiscentias & innatas superbiæ titillationes in paradysum invehit. 81.82.83.84.
Ijsdem argumentis ad id persuadendum utitur, quibus adversus Augustinum usus fuerat Julianus. 83 84.85.
Dogma istud evertit & enervat capitalia principia doctrinæ Augustinianæ adversus Pelagianos. 84.
Ab Augustino appellatur dementia. 85.
Molinæ hallucinatio de gratia primi hominis. 136.146.
Molina liberum arbitriũ hominis lapsi nimis extollit. 178.179.180.
Violatæ gratiæ crimen Augustino impingit ibid.
Negat gratiam determinare liberum arbitrium hominis lapsi ad agendum: aut facere ut homo faciat. 178.
Libero arbitrio attribuit potestatem dominativam supra gratiam, adeoque facit gratiam pedissequam liberi arbitrij non minus in natura lapsa quam in integra. 178.

MORBIDVS, MORBVS.

Morbidi morbidos procreant, & cur? 260.261.
Morbus an privatio an positiva qualitas sit, controvertitur inter Medicos. 253.
Morbi corporalis cum peccato originali similitudo. 253.
Morbus & omnis alia miseria ad mortem disponens, à statu innocentiæ abesset 93.94.
Morborum multitudo Medicorum indagationem exsuperat. 285. 816.

MORES

Mores plerumque consequuntur temperiem corporis. 257.
Mores & inclinationes naturales parentum & nutricum transfunduntur in proles genitas aut lactatas. 255.256.257.258.263.267. 269.391.
Ex illa transfusione illustratur propagatio peccati originalis per concupiscentiam. ibid.

MORS, MORTALITAS.

Mors corporis est supplicium primi peccati. 89.90.938.
Deus foret injustus si mortem absque prævia culpa creaturæ rationali inferret. 883 938.
Mortem esse humanæ naturæ connaturalem contendunt quidam Neoterici. 818.
Mors non est ex natura aut naturæ authore, sed ex culpa aut culpæ progenitore. 90.883.938.
Mors est omnium malorum terribilissimum. 883.
Mors animæ non tam est peccatum, quam pœna peccati. 804.
Mortalitas ab Augustino duplex statuitur: una quæ necessitatem, alia quæ possibilitatem moriendi includit. 93. 92.
Garassi exorbitatio, mortalitatem in paradysum secluso peccato invehentis, retunditur. 89. vide Adam, beatitudo, natura, homo, mulier, morbus.

MVLIER.

Mulier innupta est sui juris: nupta subjacet potestati & directioni mariti, idque ex naturæ ordinatione. 870.871.872.
Eo exemplo ostenditur quomodo motus concupiscentię qui in brutis non sunt turpes, in hominibus turpes sint si rationis jugum excutiant. ibid.
Sicut mulierem viro dominari inordinatum est & monstrosum, sic concupiscentiam in homine prævalere rationi, turpe & illicitum est. 871.872.
Mulier corrupta castimoniæ studens graviores concupiscentiæ titillationes patitur, quam virgo. 250.
Mulier fœtu gravida inordinatis ciborum desiderijs agitatur. 256.

MVNDVS.

Mundus universas creaturas complectitur. 516.
Mundus pro mundi dilectoribus usurpatur, sicut domus pro inhabitatoribus. 326.
Mundo utendum non fruendum. 379.380.381. 516.
Mundi dilectio non ex Deo est, sed ex diabolo & ex nobis; adeoque vitiosa est. 531.532.533.534.542.622.
Non adjuvat utentem, sed corrumpit fruentem. 534.
Mundi dilectores nihil habent nisi concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. 542.543.
Vide, Amor, cupiditas, dilectio, finis, fruitio.

N

NANVS.

NANO-GIGANTÆA similitudo à quibusdam temerè instituta ad elevandam Augustini authoritatem, exponditur & retorquetur. 59. 60.

NATVRA, NATVRALE.

Naturæ vocabulum quid importet? 120.887.
Natura ab August. subinde appellatur gratia, & cur? 782.783.784.
Natura non propendet in impossibile aut vanum. 683.
Natura usurpatur pro naturalibus proprietatibus. 836.

Digitized by Google

Quid natura desideret, absque magisterio discitur 348.853.
Sicut natura ex natura, sic ex vitio vitium procreatur; adeoq; ex natura viriata, natura vitiata. 214.215.216.245.246.247.259.260.
Natura in tantum vitiosa est, in quantum à sui factoris arte defecit: & quæ illa factoris ars. 207.697.756.775.851.
Natura in sua radice vitiata, absque suo vitio propagari nequit. 213.214.215.245.260.
Natura humana si à Deo primitus condita fuisset eo modo quo nunc in parvulis nascitur, nequaquam esset vitiosa. 207.696.775.778.851.852.853.875.
Naturæ lapsæ pronitas in malum perstringitur. 198.199.200.201.202.203.204.
Natura lapsa & natura pura, qui differant? 679.680.813.823.824.827.876.
Natura pura quid? & quid ab ea removeant ista puritas? 679.799.
Naturæ puræ vocabulum à Pelagianis dimanavit. 681.
Statum puræ naturæ asserere impossibilem, Neoterici quidam existimant nefarium. 678.679.680.
Status ille ab Ethnicis & hæreticis excogitatus & in Ecclesiam invectus. 678.679.737.738.805.806.807.808.819.836.837.838.
Status puræ naturæ Augustino & veteri Ecclesiæ prorsus ignotus. 678.799.
Ejus possibilitatem astruentes, à Pelagianis qui differant? 680.681.763.807.808.836.918.
Possibilitas istius status capitalibus Augustini principijs è diametro adversatur. 682.735.736.737.738.739.740.
Miseriæ illius status non modo adæquant, sed & exsuperant miserias naturæ lapsæ. 812.827.902.
Naturæ puræ status in Augustini principijs est absolutè impossibilis. 685.686.687.688. & seqq. 730.760.767.768.805.806.807.808.809.810.
Natura rationalis nequit à Deo creari propter seipsam. 683.
Non potest creari nisi propter finem suum naturalem, in quem innato pondere vergit. 683.687.809.
Finis ille non potest alius esse quam Deus. 687.731.732.746.747.951.952.
Natura rationalis nequit creari absque amore sui finis ultimi, saltem in actu primo expedito. 687.688.689.690.691.697.731.732.733.76.952.
Hinc ex impossibilitate istius amoris in statu puræ naturæ sumitur primum argumentum adversus possibilitatem istius status. 687.688.689.690.691.692.693.694. & seqq. usque ad 788.
Secundum argumentum contra eandem possibilitatem sumitur ex impossibilitate fruitionis ultimi finis absq; gratiæ auxilio, quod puræ naturæ deesset. 789.790.791.792.793.794.795.796.797.798.
3. Argumentum ex impossibilitate consequendi regnum cælorum, quod absque injustitia negari non potest creaturæ innocenti: quid regnum cælorum? 797.798.799.800.801.802.803.804.805.806.807.808.809.
4. Argumentum ex necessitate errandi, moriendi, & offensiones patiendi in pura natura: cum quibus nequit consistere ulla beatitudo etiam naturalis. 809.810. & seqq. usque ad 826.
5. Arg. ex carentia possibilitatis ad ullum bonum faciendum absq; gratia, quæ puræ naturæ supponitur deesse. 825.826.827.828.
6. Arg. ex necessitate peccandi in singulis actibus propter captivitatem sub concupiscentia, quæ non minus in pura quam in lapsa natura dominaretur. 826.827.828.829.830. & seqq. usq; ad 840.
7. Arg. ex turpitudine concupiscentiæ ob quam repugnat eam à Deo inseri. 839.840.841.842.843.844.
8. Arg. ex motibus concupiscentiæ, qui non sunt aliud quam peccandi desideria, quæ in authorem naturæ refundi non debent nec possunt. 843.844. & seqq. usque ad 852.
9. Arg. ex eo quod licitum foret creaturæ cum concupiscentiæ effrænitate à Deo creatæ, fomiti consentire absque sua quidem culpa, sed cum culpa creantis. 851.852.853.854.855.856.
10. Arg. ex eo quod nuptiæ in illo statu forent omnino illicitæ, cum tamen sint humanæ naturæ secundum se consentaneæ. 857.858.
11. Arg. ex confusionali pudore indivulso libidinis comite, qui evidenter testatur effrænitatem concupiscentiæ non esse homini naturalem, sed violentam, & ex peccato tanquam necessariò prærequisitâ causâ ortam. 857.858.859.860. & seqq. usq; ad 867.
12. Arg. ex naturalis ordinis perturbatione per rebellionem carnis adversus spiritum. 867.868.
13. Arg. ex ejusdem naturalis ordinis perturbatione per dominatum inferioris partis in superiorem, & per conflictum animi secum. 867.868.869.870.871.872.
14. Arg. ex conflictu Augustini adversus Iulianum, & victoria Ecclesiæ de Pelagianis. 871.872.873.874.875.
15. Arg. ex profunda ignorantia rerum agendarum, quæ nequit esse homini connaturalis. 875.876.877.878.879.880.881.882.
16. Arg. ex justitia Dei, ejusque providentia, omnipotentia, & omnisc̄ientia, quarum aliqua necessario læderetur si creaturam innocentem tantis miserijs conteri permitteret, quantas secum affert status puræ naturæ. 901.902.903.904.905.906.907.908. & seqq.
Natura rationalis eo ipso quo pura esset, innocens esse convincitur. 679.798.799.805.
Naturam rationalem à suo creatore sola culpa separare potest. 766.767.768.
Natura rationalis nisi sit recta, necessariò est perversa & distorta. 772.
Nequit à Deo condi absque sapientia. 773.
Nequit absque casto amore sui creatoris esse sapiens, verax, æqua, recta, justa aut bona. 752.753.757.758.770.
Natura rationalis creata, inter Deum & creaturas purè corporeas mediat 422.687.688.689.690.696.
Seipsam amando efficitur superba: inferiora amando, carnalis. 689.
Prosequendo quæcunque se deteriora, deterior redditur. 689.
Deum unum & verum colere & adorare indispensabili lege astringitur. 690.759.760.
Dei amore casto destituta seipsam necessariò diligit, adeoque superba est & perversa. 691.
Nequit creari absque casto amore veritatis & justitiæ, saltem in actu primo expedito. 695.696.697.698.699.700.736.759.760.
Si absque tali amore conderetur, universa eius peccata in Deum redundarent. 697.698.699.759.775.778.779.785.826.
Nec Deus posset eam absolvere ab obligatione diligendi suum creatorem & conservatorem. 690.759.760.
Dilectio illa sive creatoris sive veritatis aut justitiæ nequit per vires naturæ absque divinitus infuso auxilio gratiæ elici. 727.728.729.730.
Natura rationalis non potest à Deo primitus condi absque supernaturali charitate adeoque nequit in statu puræ naturæ creari. 736.737.760.
Charitas illa creaturæ rationali innocenti debita, an & qua ratione possit dici naturalis, cum viribus naturæ obtineri nequeat? 746.747.748.749.750.751.752.
Naturæ innocenti ex vi suæ creationis debitam esse gratiam & charitatem multo rationabilius asserit Augustinus, quam Scholastici gratiam sufficientem naturæ lapsæ asserunt debitam. 779.
Qua ratione debitum illud cum supernaturalitate gratiæ consistat? 760.761.762.763.764.769.770.777.778.779.780.781.
Naturæ rationali non foret vitiosum à Deo recedere, nisi eidem connaturaliter competeret, Deo adhærere. 751.752.753.
Naturæ rationalis bonum quod vitijs labefactatur, ab Augustino *Naturæ* appellatur. 756.
Natura vitijs minuitur & depravatur, non penitus destruitur. 754.755.
Natura rationalis si à Deo crearetur expers sapientiæ, non foret idcirco stulta aut vitiosa. 775.
Ista tamen hypothesis in doctrina Augustini est planè impossibilis: solvitur objectio in contrarium ex verbis Augustini deprompta. 774.775.776.
Natura rationalis in statu naturæ puræ condita miserior foret reliquis creaturis. 779.
Istius status miseria perstringitur. 814.815.816.822.823.824.902.903.904.
Natura rationalis non est dicenda pura sed damnata, si non esset capax supernæ beatitudinis. 818.
Naturæ puræ status tam est impossibilis quam impossibilis est naturæ puræ beatitudo. 820.
Natura pura nec in hac vita, nec post mortem posset consequi illam beatitudinem. 823.824.825.826.827.828.
Nec posset in hac vita exercere actiones beatitudinis post mortem obtinendæ meritorias. 824.
Imo nihil boni agere posset, sed in singulis actionibus necessariò peccaret. 825.826.827.828.
Status istius possibilitatem astruentes Manichæis suffragantur. 828.903.946.947.948.
Calvinismi notam difficulter evadunt. 846.
Augustinus in eos invehitur tanquam blasphemos in Deum, & indecenter impudentes. 861.862.863.864.865.866.
Deum crudelitatis arguere convincuntur. 884.902.903.904.936.937.938.
Cum Atheis de immanitatis & absurditatis palma concertant. 884.890.891.902.
Dei providentiam evertunt. 907.915.916.917.918.919.920.

Dei justi-

Digitized by Google

Dei justitiam funditus exinaniunt. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920.
In varias blasphemias & hæreses incidere coguntur. 945. 946. 947. 948. 949. 950.
Augustini argumenta contra possibilitatem status puræ naturæ non procedunt ex hypothesi sublimationis humanæ naturæ ad statum gratiæ & beatitudinem supernaturalem. 917. 918. 919. 920.
Non in iis agitur de miserijs hominis lapsi quatenus sunt formaliter pœnæ præsupponentes culpam quam correlativè respiciunt, 921. 922. 923.
Miseriæ illius status, non merè permissivè sed magis positivè in auctorem naturæ refunderentur 930. 931. 932. 933. 934. 935.
Eas non posse Deo ut authori adscribi agnoverunt non solum Catholici sed & Hæretici & Pagani: inde orti infiniti errores, ut boni Dei justitia salvari queat. 939. 940. 941. 942. 943. 944.
In statu puræ naturæ conditum fuisse à Deo Adamum & in eodem nasci ejus posteros pertinacissimè sustinuerunt Pelagiani. 680. 681. 763. 807. 868. 836. 837. 838.
Naturæ puræ conditiones perstringuntur. 829. 830. 831. 832.
Naturæ puræ status nimis Deo est injuriosus. 852. 861. 902. 903. 904. 905. 906.
In eo statu illicitæ essent nuptiæ. 857. 858.
Non minus in statu naturæ puræ concupiscentiæ rebellio gigneret confusionem & ruborem, quam nunc in statu naturæ lapsæ. 858. 859. 860.
Natura rationalis naturaliter appetit similitudinem sui Creatoris, & cur. 811.
Similitudo ista in participatione æternitatis, veritatis & charitatis increatorum, quæ tribus personis divinis respectivè appropriantur, consistit. 811. 812. 813. 814. 815. 817. 818.
Hinc mors repugnans æternitati, error repugnans veritati, & offensio repugnans charitati, creaturæ rationali naturales esse nequeunt, sed violentæ sunt & beatitudini etiam naturali adversantur. 811. 812. 813. 814. 815. 816. & seqq.
Naturæ rationali à culpa puræ ita debetur vita æterna & regnum cælorum, ut absque divinæ justitiæ violatione ei negari non possint. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808.
Ratio illa debiti non obstat supernaturalitati regni cælorum & vitæ æternæ respectu creaturæ cui seposita culpa debetur, etiam ex mente præcipuorum Scholasticorum. 746. 787. 748. 749. 750.
Supremum Dei Dominium non posset excusare Deum ab injustitia, si aut beatitudinem creaturę rationali innocenti denegaret, aut miserias inferret. 970. 971. 972. 973. 974. 975.
Solvitur objectio desumpta ex mendoso textu Augustini in Psalmum septuagesimum. 951. 952. 953. 954. 955. 956.
Solvitur alia difficultas ex libro tertio de libero arbitrio ubi insinuare videtur Deum non fore culpandum etiamsi creaturam puram miserijs affligeret. 955. 956. 957. 958. 959. 960. & seqq.
Propositio ista: *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem qualis nunc nascitur*, quo sensu & quo genere censuræ à Pontificibus proscripta? & an ejus proscriptio obstet veritati doctrinæ Augustinianæ de impossibilitate status puræ naturæ? 975. 976. 977. 978. 979. 980.
Ostenditur quod Augustinus successu temporis profecerit in sua doctrina de impossibilitate status naturæ puræ. 964. 865. 966. 967. 968.
Natura rationalis nequit beata aut misera esse. 688.
Quod in natura inferiore est rectissimum & ordinatissimum, in superiore frequenter est perversum, vitiosum, & inordinatum. 866.
Sic concupiscentia quæ in brutis non est vitiosa, in homine vitiosa est & inordinata. 849. 850. 851.
Ex hac inordinatione colligitur impossibilitas status purę naturæ. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. & seqq.
Non solum natura ipsa, sed & naturales ejus dotes ab Augustino appellantur gratia. 782. 783. 784. 785. 786.
Naturale quid & quo sensu gratia & gloria æterna possint dici naturales creaturę rationali? 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752.
Corruptio nequit esse naturale ulli naturæ. 774.
Quædam solitariè spectata sunt naturalia, quæ ex conjunctione alterius redduntur violenta. 870.
Vide amor, concupiscentia, Deus, dilectio, beatitudo, homo, originale peccatum, Pelagiani, miseria.

NECESSITAS. NECESSARIVM.

Necessitas peccandi per peccatum incursa qualis? & quomodo cum libertate ad peccandum requisita stet? 633. 657. 658. 660.
Necessitas quoad specificationem compatitur libertatem quoad exercitium. 633. 634. 635. 636.
Necessitas apud Augustinum usurpatur pro coactione. 638.
Necessitas peccandi seclusa gratia, non obstat utilitati correptionum, præceptorum, & exprobrationum. 657. 658. 659.
Solvitur difficultas de præceptis affirmativis quæ non nisi per actus undequaque honestos impleri possunt. 659. 660.
Necessitas peccandi ab Augustino constanter asserta, non reprobatur proscriptione hujus propositionis: *Homo peccat damnabiliter in eo quod necessario facit.* 664. 665. 666.
Necessarium quo pacto repugnet libero & voluntario perfecto, & & quæ illa necessitas? 637. 638.
Vide gratia, libertas, homo.

NESCIENTIA.

Nescientia quid, & quomodo se habet ad ignorantiam? 598.
Vide error, ignorantia.

NOLITIO.

Nolitio quælibet oritur ex volitione oppositi. 661.
Vide Amor, dilectio.

NVBERE. NVPTIÆ.

Nubere absque peccato an possit quis gratiâ destitutus? 568.
De nuptijs & concupiscentia qua occasione scripsit Augustinus. 873.
Nuptiarum bonum à libidinis malo studiosissimè discrevit Augustinus. 223. 226. Vide Matrimonium.

NVTRIX.

Nutrix in parvulum quem lactat, pravas suas inclinationes cum lacte non raro transfundit. 257. 258.
Vide Mater, originale peccatum.

O

OBIECTVM.

OBIECTVM, phrasi Augustinianâ, inest potentiæ aut actui ipsum repræsentanti. 194.
Juxta hunc loquendi modum intelligendus est Augustinus dum ait, reatum hominis qui se peccasse non meminit, non esse in animo ipsius peccatoris, sed in occultis Dei legibus, & in mentibus Angelorum. 191. 192. 193. 194.

OBSTETRICES ÆGYPTIACÆ.

Obstetrices Ægyptiacæ mentiendo benefecerunt Hebræis. 577.
In ijs remunerata est à Deo mentis benignitas, non mentientis iniquitas. 577.
Remuneratio illa non obstat veritati doctrinæ Augustinianæ de vitiositate omnium operum infidelium. ibid.

OCCIDERE, OCCISIO.

Occidere seipsum, non fortitudinis sed imbecillitatis actus est. 821. 822.
Vide Cato, fortitudo.

OFFICIVM.

Officium virtutis quid? & à fine qui differat. Vide finis, virtus.

OLIVA.

Oliva oleastrum subinde progenerat, & qua ratione id fiat? 217. 218. 245. 261. 262. 263.
Ex illa progeneratione ostenditur quomodo parentes justi procreent proles originali peccato inquinatas. ibid.

OLYMPIVS.

Olympius Episcopus de propagatione peccati originalis per libidinem concinit Augustino, uti & alij veteres. 229.

OMISSIO

Omissio deliberata & moralis an possit reperiri absque omni positivo actu voluntatis? 660. 661.
Omissio deliberata an semper fiat propter finem. ibid.
Possitne quis implere præceptum negativum absque gratia, idque per puram omissionem? ibid.

OPTATVS MILEVITANVS.

Optatus Milevitanus ante Augustinum scripserat de baptismo: sed materiam istam non satis illustravit. 30. 31.
Augustino eandem materiam pertractanti cedit, non secus ac embrion fœtui perfecto. ibid.

OPINIO.

Opinio animum præoccupans, facit ut quis aliorum verba, quantumvis violenter, in suas potiùs partes distorqueat, quam se aliis accommodet. 191. 581. 678.

In talibus præoccupatis sollicitudo laboris fit dux erroris, dum sensa [illegible] non quibus se corrigant, sed anticipata sua sensa confirment. 210. [illegible]

OPVS.

Opus indifferens inter bonum & malum ab Augustino nullum agnoscitur. 528. 529. 530. 550. [illegible]

Opera steriliter bona quæ nam vocantur? [illegible] 620.

Opera steriliter bona à Pelagianis excogitata, ab Augustino constantissime negantur. 548. 5[illegible] 590. 621. 828.

Opera steriliter bona eo ipso quo ad vitam æternam non conducunt, sunt vera peccata. 335. 372. 518. 558. 620. 828.

Opera steriliter bona ab Augustino tantoperè reprobata, à Scholasticis quibusdam, Pelagianis [illegible] asseruntur. 620. 621.

Opus bonum ab Augustino non agnoscitur, quod æternæ præmij non sit meritorium. [illegible]

Opus bonum non dari nullum nisi ex fide per charitatem operante procedat. 523. 619. 620. [illegible]

Opus quodcunque non ex Dei dilectione profectum, ipso non recto fine peccatum est. 615. 618 [illegible]

Cur Augustinus requirens fidem & charitatem ad benè operandum nonnunquam addat particulas, *sicut oportet, vera virtute* &c. 622. 734. 735. [illegible]

Opus fieri *sicut oportet*, quid? 735. 736.

Opus non fit *sicut oportet*, nisi ex charitate fiat. 735.

Opus factum ex timore pœnæ, non fit *sicut oportet*. 735.

Opus patris nullum Augustinus agnoscit, nisi quod ex Dei gratuito amore proficiscitur. 734. [illegible]

Operari intuitu honestatis moralis aut splendoris virtutis ibi sistendo, non licet. 500. 590. 596. 614. 615. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 723.

Oppositum asserentes Stoicismum resuscitant. 615. 616.

Eorum error ex profana Philosophia [illegible] 712. 713. 714.

Vide fides, gratia, intentio, infideles, Philosophi, Stoici, Vasquez. [illegible]

ORATIO.

Orationes quotidianæ fidelium, gratiæ necessitatem luculenter [illegible] 3. Vide gratia.

ORDO.

Ordo quid? & in actibus virtutis quam necessarius? 748.

Virtus Augustino est ordo amoris. 383. 595. 609.

Vide virtus.

ORIGENES.

Origenes Theologiæ Græcanicæ Princeps habitus. 49. [illegible]

Humanæ temeritatis & divinæ castigationis exemplum. 12.

Subsequentium hæresium fons & origo. 12.

De transfusione peccati originalis per concupiscentiam, Augustino concinit. 229.

Ab Augustino postergatus. 49. 50.

[illegible] ORIGINALE PECCATVM.

Originale peccatum varijs nominibus ab Augustino expressum. 185. 190. 24[illegible] 249. 250. [illegible]

Ejus exsibilatio, totius Pelagianismi basis. 185. 221. 222. 225.

Ejus agnitio, gratiæ & Christianæ fidei fundamentum. 185.

Prædicatu facillimum: intellectu secretissimum. 185. 186. 217. 23[illegible]

In eo adstruendo Augustini industria potissimùm desudavit. 185. 222. 223. [illegible]

Ejus naturam & propagationem eodem semper modo absque ulla [illegible] Augustinus explicavit. 186. 234. 235. 238. 239. 240. 241. 242. 274. 275.

De modo ibusdam tamen circumstantijs ejus, tota vita fluctuavit: & quænam illæ? 186. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 271. 272. 274. 912. 933.

Ejus materiale est concupiscentia: formale, reatus. 186. 187. 188. [illegible] 201. 202. 203. 233. 247.

Formale illud non pœna, sed culpæ reatus est. 189. 190. 191. 192.

Quomodo ab Augustino reatus ille dicatur conscriptus in mentibus Angelorum & occultis Dei legibus? 191. 192. 193.

Materiale per baptismum non tollitur: tollitur verò formale. 188. 189. 202. 215. 235.

Originale peccatum habituali personali affine. 195.

De ejus formali multiplices Neotericorum sententiæ recensentur. [illegible] 196.

Nihil eorum in quibus illud à Scholasticis constituitur, Augustinum latuit: maluit tamen reatum assignare quam quidquam reliquorum. 195. 196. 204. [illegible]

Cur maluit Augustinus originale peccatum positivè quam privativè exprimere: cum expresserit peccatum personale per privationem? 204.

An materiale & formale peccati originalis eidem subjecto propriè insint? 270. [illegible]

Originale peccatum quâ ratione voluntarium, liberum, culpabile, scienter perpetratum? 205. 206. 207. 268. 282.

Non est purè peccatum, sed & insuper pœna peccati. 268.

Ab Augustino appellatur contagium, & affectionalis qualitas. 246. 247. 248. 249. 250. 258.

An sit privatio aut habitus corruptus? 252.

Quomodo in posteros Adæ transfundatur? 207. 208. 209. 210. & sequ. 255. & [illegible]

Originale peccatum transfundi per libidinosum concupiscentiam senserunt ante Augustinum, Origenes, Olympius, Hilarius, Ambrosius. 229. 230.

Idem post Augustinum senserunt: Leo, Chrysologus, Fulgentius, Gelasius, Beda, Remigius, Philippus [illegible] Bernardus, Hugo & Ri[illegible]rdus Victorini, Alchocenius [illegible] rius, Vrbanus quartus, Magister cum Scholasticorum corypheis. 230. 231. 232. 233. 234. [illegible]

Idipsum constantissimè tradidit Augustinus tanquam Catholicæ fidei dogma. 234. 235. 236. 237. 238.

Originalis peccati propagatio assimilatur transfusioni podagræ à parentibus in posteros. 212. 245. 247. 261.

Item transfusioni ingredinis & crispitudinis, & similitudinis Æthiopum generantium in genitos. 248. 255. 258. 268.

Item transfusioni coloris virgarum excorticatarum in agnos Laban. 231. 255.

Item transfusioni infectionis à radice vitiata in truncum & ramos: à fonte in rivum. 212. 253. 230. 242. 245.

De sola propemodum propagatione peccati originalis Augustinus cum Iuliano conflixit. 221. 222. 223. 258. 459. 46[illegible] 462. 850.

Tredecim libros ea de re adversus Iulianum conscripsit: tres alios meditabatur, quos morte præventus, non inceperit. 222. 223. 224. 474.

Ex tredecim conscriptis tres perierunt aut adhuc latent: duo nuper inventi & cum Iuliani libro editi. ibid.

Omnes istæ tot annorum & vigiliarum lucubrationes funditus evertuntur, si aliter quam per concupiscentiam propagetur originale peccatum. ibid.

Augustinus tamen ipse (alioqui modestissimus) libros istos specialiter commendat, elaboratumque opus nuncupat. 223.

Neoterici quidam Philosopho-Scholastici doctrinam Augustini de propagatione peccati originalis per concupiscentiam, docentes; pactum Dei cum Adamo & posteris communicatum, in quod propagationem illam ultimatè resolvunt. 208. 209. 210. 217. 228. 229. 230. 231. 241. 242. 243. 244. 245.

Tale pactum asserere, est peccatum originale evertere aut Deum, purgatis generantibus & prolibus genitis, culpare. 228. 241. 242.

Quidam ex his pactuariis non contentus valedicere Augustino, doctrinam ipsius gravissimis censuris perstringit, & Pelagianismi insimulat. 27. 187. 203. 223. 224. 225. 228.

Augustinum hac in re censurando, Ecclesiam non minus imperitè quam temerè vellicat; quæ non nisi stilo & calamo Augustini de Pelagianis triumphavit. 185. 187. 223. 225. 226. 228. 884. 882.

Qua ratione à parentibus justis transfundatur in prolem originale peccatum? 215. 216. 217. 218. 260. 261. 262. 263.

Varijs similitudinibus transfusio ista illustratur. 261. 262.

Philosopho Scholasticorum super hujusmodi transfusione hallucinationes perstringuntur. 215. 216. 217. 218.

Non solum de facto originale peccatum per libidinosam concupiscentiam propagatur, sed nec aliter propagari potuit. 210. 211. 212. 213. 217. 218. 219.

Hinc si Adam post lapsum antequam genuisset, concupiscentiam benè vivendo extinguere in seipso potuisset & reipsa extinxisset, nullum peccatum in posteros transfudisset. 269.

Similiter nec parentes proximi transfunderent si per inauditum miraculum à concupiscentia habituali immunes fierent tempore coitus. ibid.

Secus dicendum si Deus miraculosè compesceret actualem concupiscentiæ pruritum tempore commixtionis, permanente habituali. 264.

Item si miraculosè ex vitiatis seminibus absque carnali commixtione formaretur infantulus. ibid.

Cur potiùs primum Adæ peccatum in posteros transfundatur, quam reliqua subsequentia? 268. 269. 270.

Originale peccatum est toti speciei humanæ humanæ commune.

Originali peccato infecti sub diaboli tyrannide captivantur: & solo baptismo inde liberantur. 199. 200. 203.
Originalis peccati pœna generatim perstringitur. 283. 284. 285. 386. 287. 288.
Duæ speciales ejus pœnæ expenduntur, quæ libertatem ad operandum bonum abstulerunt homini. 444.
Pœnæ correspondentes originali peccato in altera vita insinuantur, remissivè. 428.
Vide Augustinus, concupiscentia, Iulianus, libido, Pelagiani, Scholastici.

OVES.

Oves Laban colorem virgarum sen bus haustum tempore coitus, transfuderunt in suos fœtus. 231. 255.
Eo exemplo transfusionem peccati originalis per libidinem, accommodatè explicat Gelasius Papa. 231. 232.

OZORIVS.

Ozorius sententiam Augustini de prædestinatione, severitatis & difficultatis accusat: eique Græcorum, Gallorum, & Massiliensium dogma patenter præfert. 37.
Satius foret si alij Philosopho-Scholastici Augustinum similiter rejicerent palam, quàm tot ludibrijs adulteratum vindicare præsumerent. 546. 559. 560.
Ozorio non minus temerarius Catharinus, sententiam Augustini de prædestinatione, crudelem appellat & truculentam: eamque ut desperationis occasionem & incentivum palam respuit. 37.

P

PACTVM

PACTVM Dei cum Adamo inclusis posteris, à Neotericis confictum exploditur. 128. 241. 242.
Vide Deus, originale peccatum, Scholastici.

PECCATVM, PECCARE.

Peccatum ab Augustino definitur: voluntas agendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. 208. 274. 300. 470. 635. 640.
Ea definitione abutuntur Pelagiani impugnantes originale peccatum, & adstruentes libertatem contrarietatis ad bonum & malum. 300. 470. 641.
Peccatum aliter ab Augustino describitur: Amor rei temporalis quæ amanti auferri potest invito. 351. 352. 518.
Item dictum factum vel concupitum contra legem æternam. 363. 387. 696.
Item, quod quàmvis habeat speciem boni operis, fit tamen non propter requiem sempiternam. 355. 372. 511. 558.
Peccatum quodlibet consistit in fruitione utendorum aut usu fruendorum. 369. 370. 371. 372. 395. 408. 510. 609.
Peccatum includit rationem voluntarij, & quomodo ea reperiatur in peccato originali? 205. 206. 207. 208. 300. 637. 652.
Quid illud voluntarium juxta Augustinum? 641
Peccatum præerequirit scientiam, & quomodo ea reperiatur in peccato originali? 206. 300. 643.
An & qua ratione peccatum requirat libertatem & evitabilitatem? 206. 208. 300. 303. 304. 470. 471. 474. 645. 759. 716.
Peccatum Augustino est voluntas mala ab incommutabili bono ad commutabile deficiens. 195.
Peccatum quodlibet est stultitia, & cur? 342.
Peccati variæ rationes formales expenduntur. 195. 196. 197. 204.
Peccatum personale ab Augustino describitur privativè: originale positivè, & cur? 204.
Peccati ratio formalis in quo sita juxta Augustinum. 689. 691.
Peccatum nequit esse ulli naturale, & cur? 774. (894.
Peccati dedecus nequit esse absque dedecore vindictæ. 892. 893.
Peccata quædam mortalia, quædam venialia. 363. 378. 386. 405.
An & quo sensu verum sit, tunc peccari mortaliter quando finis in creatura constituitur? 376. 377.
Peccatum veniale in Deum referre tam ingratum ipsi est, quam mactare filium in conspectu patris. 376.
Peccans vel venialiter, non utitur sed fruitur creaturis: adeoque perversus est. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 615.
Idem sentiendum de eo qui intuitu moralis honestatis & splendoris virtutis operatur. 615. 616.
Peccans venialiter non præponit Creatori creaturam: peccans mortaliter, præponit. 377. 386.
Peccans mortaliter non solum actu sed & habitu divinam amicitiam abrumpit. 377. 387.
Peccatum quodlibet inde nascitur quod id quod majus est ad minus declinat. 385. 386. 387.
Peccata universa ad tres fontes revocantur, & qui illi? 323. 324. (325. 326.
Imo ad duos revocari possunt. 416. 417. 641. 655.
Peccata universa hominis lapsi instigante concupiscentiâ perpetrantur. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 641. 828.
Ab Augustino idcirco appellantur fœtus concupiscentiæ. 412.
Redditur ratio hujus Augustinianæ doctrinæ. 419. 420. 421. 422. 423. 424.
An & qualiter peccata ex ignorantia sint etiam ex concupiscentia? 416. 417.
Peccatum esse in animo, in conscientia, in memoria, apud Augustinum quid? 193. 194.
Peccatum carnis quid? & à peccato animæ qui differat? 274.
Peccatum quâ ratione faciat novissima prima, & prima novissima? 277. 278.
Peccatum ex carne in spiritum serpit sursum: sanctificatio ex spiritu in carnem deorsum. 277.
Peccata quædam ex ignorantia, quædam ex infirmitate: & quænam ignorantia ibi intelligenda est? 297. 307. 416. 472. 473. 475. 477. 483. 655.
Peccata juxta Augustinum quædam ex ignorantia, quædam ex negligentia, quædam ex oblivione, quædam ex non intelligentia: & qualiter hæc differant? 298. 299.
Peccata per excœcationem commissa non excusantur ratione excœcationis, eo quod hæc sit voluntaria saltem in causa. 313. 316. 472.
Hinc deducitur, peccata commissa per ignorantiam quæ est pœna peccati originalis, quantumvis hic & nunc invincibilis sit, non excusari. 287. 288. 289. 290. & seqq. Item 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 316. 472. 875. 876. 877. 878.
Peccatum non nisi voluntate committitur, & quid illa voluntas? 641. 642. 643.
Ad peccatum sufficit voluntarium in causa. 652. 663.
Solvitur objectio ex Augustino. 653. 654. & seqq.
Peccata quædam vitari nequeunt nisi per actum undequaque honestum. 859. 660.
Quomodo in eorum perpetratione stat libertas ad peccandum requisita, cum necessitate peccandi? ibid.
Peccatum omissionis an necessariò habeat adjunctum actum positivum voluntatis? 660. 661.
Peccati reum quemquam constituere in eo quod vitare non potuit; summæ insaniæ esse, docet Augustinus: & quo sensu? 206. 208. 300. 303. 304. 470. 471. 635. 641. 759. 776.
Peccator & prævaricator, qui differant? 306. 307. 308. 309.
Peccatum induxit peccandi necessitatem. 470. 471. 472. 473. 482. 483. 484. 633. 634. 826. 827.
Omne factum si rectè factum non est, peccatum rectè nominatur. 530. 554. 558. 590. 735. 736. 773.
Peccatum unum vitari potest absque gratia, sed perpetrando alterum. 633. 634.
Hoc tamen non tam est peccatum vitare quam in peccatum incidere. 635. 636. 646.
Nullum peccatum virtute vitari potest absque gratia. 549. 580.
Nullum peccatum facit unus homo quin faceret alter, si Dei custodia deesset. 567.
Potest quis alteri consulere actum quem alter exercendo peccabit. 569. 570.
Ex quo motivo abstinendum est à peccato ut quis censeatur peccatum simpliciter vitare? 505. 506. 507. 508. 529.
Nemo peccat nisi volens. 804.
Peccati desiderium nec bonum esse, nec à Deo inseri potest. 844. 845.
Omnis peccans avertit se à Deo & ad creaturam se convertit. 197. 204.
Sub diaboli potestate captivatur qui mortaliter peccat. 199. 200. 201. 202.
Peccatum frequenter est pœna alterius peccati, imo sui-ipsius. 208. 300. 301. 302. 303. 471. 472. 473. 476. 571. 631. 641.

PELAGIANI.

Pelagiani & Manichæi ex eodem principio in contrarios errores prolapsi. 647. 648. 783. 784. 864. 865. 903. 904.
Pelagianorum & Semi-pelagianorum discordia quoad vires Liberi arbitrij humani. 111.
Pelagiani vires naturæ extollendo, Christo & Christiano nomini injuriosi. 3. 4. 460.
Eorum dogma de mortalitate protoplastorum ante prævaricationem. 89. 836. 917. 918.
Negant mortem esse malam aut pœnalem. 903. 904. 905.
Statum puræ naturæ in Ecclesiam invehunt. 679. 680. 681. 682. 683. 763. 764. 799. 836. 863. 903. 909. 917. 918. 919.

Capita-

Digitized by Google

Capitalia eorum dogmata sunt duo: unum, parvulos in eo statu nasci in quo fuit Adam ante lapsum: alterum, Adamum sive peccasset sive non peccasset fuisse moriturum. 7[?] 9. 836. 837. 838. 917. 918.
Catholicam Ecclesiam agnominant Babylonem 432. 459.
Liberi arbitrij negati crimen Augustino impingunt. 429. 530. 431. 461. 462. 486.
Augustini sententiam de amissa per peccatum possibilitate boni, veraciter intellexerunt. 460. 561. 462. 463. 487. 579
Eorum responsio ad scripturas ab Augustino pro sua sententia allegatas. 463. 464 465.
Quo potissimum fundamento negent originale peccatum? 205.
Pelagiani omnium libidinum patroni fidelissimi: & ob id ab Augustino libido vocatur *fusceptus Pelagianorum*. 333. 339. 340. 816. 830. 831. 832. 833. 846. 863. 864. 903.
Excessum libidinis improbant: & quibus limitibus mediocritatem ejus circumscribant? 333. 340. 341. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 836. 846.
Ijs suffragantur quidam Scholastici quorum Theologia contenta est mediocritate vitiorum 340 361. 362. 602. 829. 830.
Pelagiani libidinem in paradysum tam terrestrem quam etiam cælestem invehunt. 78. 79. 80. 81. 82. 220. 221. 222. 831. 832. 833. 834. 835. & seqq.
Eorum hæresis ex Philosophia Peripatetica dimanavit: & ob id ab Augustino cognominantur animæ Aristotelis. 797. 833. 854.
Eo dementiæ prolapsi sunt eorum nonnulli, ut parvulis nondum ex utero nati, usum rationis attribuerint. 877.
Augustinum calumniantur tanquam qui parvulis conscientiam attribuerit. 193. 206.
Deum crudelitatis reum non minus quam Manichæi constituunt; eoque nomine proscribuntur edicto Imperatorio. 935. 936. 937. 938. 942.
Ijs quoad hoc dogma suffragantur Scholastici possibilitatem status puræ naturæ astruentes 884. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 936. 937. 938. 942.
Pelagiani parvulos absque baptismo decedentes ab omni supplicio immunes faciunt. 799.
Parvulos per baptismum capaces reddi regni cælorum admittunt. ibid.
Gratiæ necessitatem ad superandos errores agnoscunt, sed subdolè. 814.
Augustinum in primum Symboli articulum impingere calumniantur, & cur? 838.
Eorum hæresis non nisi fallaciter subjugata & victa, si aliter quam per libidinem propagetur originale peccatum. 222. 223. 224. 225.
Vide Adam, Augustinus, concupiscentia, gratia, libertas, libido, natura, originale peccatum.

POENA.

Pœna quælibet est pedissequa culpæ. 891. 892. 893.
Pœna triplex culpam mortalem necessariò consequitur, conscientiæ tortura *Dei* jactura, & animi inquietudo. 892. 893. 894.
Pœna interiori conscientiæ inflicta longè gravior est pœnis exterioribus. 891. 892.
Gravissima peccati pœna est, de peccato ipso gaudere 893. 894.
Omnis pœna culpam necessariò præsupponit. 876. 881. 889. 900. 901.
Idque verum est juxta solidam Augustini doctrinam, non tantum de pœna formaliter sumpta pro correlativo culpæ; sed & materialiter pro quacunque miseria. 921. 922. 923. 924. 925. 926.
Nullum peccatum à *Deo* justo relinqui potest impunitum. 885. 886. 887. 888. 894. 895. 896 897. 898.
Pœna justissima peccatoris est; ut qui omisit velle cùm posset, amittat posse cùm vellet. 476.
Pœna includit rationem involuntarij 208. 471.
Pœna damni in quo sita? & an de absoluta *Dei* potentia possit inferri innocenti? 899. 900. 901. 902. 903.
Pœna sensus antonomasticè appellatur damnatio. 899.
Eam innocenti nemo *Deus* absque injustitia non potest: adeoque non potest absolutè. 899. 900. 901. 902. 903. 904.
Lorini horribile dogma refertur: *Deum* ratione supremi *Dominij* posse beatos omnes aut in nihilum redigere aut ad æternas pœnas dejicere. 834.
Exploditur illud dogma ut Augustinianæ doctrinæ è diametro oppositum. 899. 900. 901. & seqq.
Sicut *Dei* justitiæ repugnat innocenti pœnam infligere, ita & beatitudinem conferre peccatori in peccato perseveranti. 896. 897. 898.

PERIPATETICI.

Peripatetici inter Stoicos & Epicureos medij. 602. 609. 612.
Eorum error de vita beatâ perstringitur. 821. 822.
Eorum dogma de summo bono. 602. 609. 612.
Vide Aristoteles, Philosophia, Plato, Epicurus, Stoici.

PERSEVERANTIA.

Perseverantia & perseverandi potestas, an & qualiter differant? 117. 122. 149. 159. 160.
Perseverantia in bono à Pelagianis adscribitur viribus naturæ. 131.
Perseverantia hominis lapsi est speciale donum gratiæ: perseverantia hominis integri uti & Angelorum, non gratiæ sed liberò arbitrio adscribenda, & cur? 113. 114. 115. 116. 123. 124. 154. 155. 159. 160. 161. 162. 168.
Ad perseverandum necessarium fuit gratiæ adjutorium tam homini integro quam Angelis. 129. 154 155.
Vide Adam, Angelus, innocentiæ status

PHILIPPVS. BONÆ-SPEENSIS.

Philippus Abbas Bonæ-spei sancti Bernardi coætanneus. 232.
De propagatione peccati originalis per libidinem, suffragatur Augustino; uti & alij veteriores, coæquales, & recentiores. ibid.

PHILOSOPHIA, PHILOSOPHI

Philosophia interpretatur amor sapientiæ, & quæ illa sapientia in cujus amore consistit? 739. 742.
Philosophia errorum fons, & hæreticorum mater. 5. 6. 8. 14. 15. 83. 88. 89. 91. 184. 247. 493. 538. 581. 626.
Theologiam ex cathedris penè deturbavit. 57. 61. 184. 196. 493. 737. 738.
Philosophi hæreticorum patriarchæ. 88. 737. 829. 830. 838. 854.
Miserias humanæ naturæ ductu rationis agnoverunt. 287.
Philosophorum ducentas octoginta octo sectas distinguit Varro, quarum varietas potissimum orta est ex diverso modo opinandi de fine boni & mali. 812.
Philosophorum sectas Augustinus ad duas coarctat, & quæ illæ? 613.
Philosophandi nulla alia causa homini, nisi ut beatus fit. 812.
Philosophia scholasticæ subtilitates parum prosunt veritati inveniendæ, & multum obscurant inventam. 15. 61. 184. 196.
Ab Apostolis & antiquis Patribus proscriptæ. 16.
Philosophicæ argutiunculæ sunt parricidiales pugiunculi. 244.
Ijs terreri non debet Theologus ut à tritis majorum semitis deflectat. 299. 617.
Philosophorum virtutes sunt vera vitia, solâ virtutis imagine palliata. 441. 581. 582. 583. 584. & seqq. 603. 605. 827.
Vide Aristoteles, Divomachus, Epicurus, Plato, Stoici.

PLATO, PLATONICI.

Plato Philosophorum princeps: imo Deus, habitus. 797. 857. 858.
Ejus dogma Christianismo vicinissimum. 857.
Ab Aristotele discipulo suo in multis temerè carpitur. 796.
Dijs plurimis sacrificandum sentiebat, polytheismum invehens. 812.
Platonici Philosophorum omnium nobilissimi. 379. 740. 741. 731.
Quoad opinionem de fine boni proximè ad Christianos accesserunt. 739. 794. 812.
Melius de quibusdam fidei nostræ mysterijs ratiocinati sunt quam nonnulli Scholastici. 796.
De beatitudine hominis quid senserint? 738. 739. 791. 792. 793. 794.
Soli inter Ethnicos Philosophos de inventa veritate gloriari potuerunt. 812.
Philosophiam in Dei amore constituerunt. 739. 742.
Vnde hauserint notitiam Dei? 740.
Quamvis de fine ultimo rectè senserint, circa media tamen quibus acquiri debet, turpissimè errarunt. 813.
Sententiam suam de fine ultimo occultare studuerunt, & cur? 813.
Tripartitam Philosophiæ divisionem in Logicam, Physicam & Ethicam excogitarunt. 741.
Plures dæmones sibi colendos duxerunt, & cur? 745.
Eorum præcipui fuerunt novi Academici qui nihil se scire sed de omnibus dubitare profitebantur. 813.
Vide Academici, Philosophia, beatitudo.

PODAGRA.

Podagra hæreditarius morbus. 212. 261.
Ejus propagatio propagationi originalis peccati affinis. 212. 245. 247. 261.
Vide originale peccatum.

POLEMON.

Polemon luxuriosus Xenocratis oratione ad continentiam accenditur. 174. 565.
Ejus subsequens continentia an donum Dei, & an ex omni parte honesta? 565. 566.
Vide fides, infidelis, opera.

PRÆDETERMINATIO.

Prædeterminatio physica à quibusdam astruitur necessaria ad omnes actiones hominis sive lapsi sive integri. 181.
Dogma illud fundi us subvertit principia doctrinæ Augustinianæ de gratia primi hominis ante lapsum 181. 182. 183.
Prædeterminationis physicæ natura & proprietates perstringuntur. 181. 182.

PROSPER AQVITANICVS.

Prosper doctrina & sanctitate celeberrimus habetur. 33.
Augustinianæ doctrinæ sectator fidelissimus & propugnator acerrimus. 33 109. 115. 117. 583. 625. 626. 721.
Augustini de gratia sententiam tanquam Apostolicam & Catholicam deprædicat. 33. 109.
De vitiositate universorum operum absque fidei directione exercitorum Augustino succinit. 577. 578. 579. 591. 592.
Virtutum naturalia semina à Semi pelagianis asserta refutat. 625. 626.
Sententiam suam qua olim dixerat, Philosophos virtutis luce fulgere, retractat. 583.
Ejus de Augustino celebre testimonium. 225.

PVDOR.

Pudor, individuus concupiscentiæ effrænis comes, & cur? 858. 869. 874.
Vide concupiscentia, libido, Iulianus.

Q

QVO & QVA.

QVO & qua habitudine principij prævij importent. 141.
Non possunt accommodari concursui concomitanti. ibid.

R

RADIX.

RADIX vitiata universam massam in se radicatam vitiat. 212. 213. & seqq. 231. 232. 233. 245. 246.
Vide originale peccatum.

RATIO.

Ratio libidini dominari debet, non servire. 341. 342
Ratio & mens potentior est libidine. 342
Ratio à Stoicis statuitur suprema Regina cui omnia servire debent 610. 611.
Item extrema norma vitæ humanæ. 611.
Rectius diceretur ancilla supremæ & incommutabilis veritatis. ibid.
Vide Stoici.

REATVS.

Reatus imputabilitatem importat: reatus quidem culpæ ad culpam, pœnæ ad pœnam. 189. 190. 191.
Reatus culpæ cum concupiscentia complet peccatum originale. 188. 189. 190. 191. 192. 193.
Reatus culpæ est causa reatus pœnæ. 190. 193.
Quid ille reatus culpæ originalis, & in quo subjecto resideat? 271.
Reatum culpæ & pœnæ inter se distingui non modò Augustinus asseverat, sed & ipsi Pelagiani agnoscunt. 190. 191. 192. 193.
Reatus culpæ ab Augustino appellatur pollutio, aversio à Deo, impietas, iniquitas. 192. 193. 196.
Quo sensu Augustinus docet reatum hominis qui sui delicti oblitus est, non esse in animo hominis sed in mentibus Angelorum? 192. 193 194. 195. 196.
Reatus culpæ originalis per baptismum tollitur, manente concupiscentia materiali. 188. 189. 202. 215. 235. 245.
Vide baptismus, concupiscentia, originale peccatum.

REBELLIO.

Rebellio partis inferioris adversus superiorem in homine advertitur rectitudini ordinis naturalis, adeoque nequit esse homini connaturalis. 867. 868. 872. 873.
Contraria subordinatio & obedientia est connaturalis naturæ humanæ. 869. 872.
Si ista rebellio sit homini connaturalis, triumphus Augustini de Pelagianis est inanis, illusorius, & fallax. 781. 872. 873. 874.

Solvitur objectio adversariorum. 870. 871.
Vide concupiscentia, homo, natura pura.

REGIMEN.

Regimen Dei respectu creaturæ rationalis aliud est imperij aliud gratiæ, & quid utrumque? 126.
Regimen imperij non subtrahitur ob demeritum peccantis: regimen gratiæ subinde subtrahitur. 126.
Regimen gratiæ non in habitibus sed in actualibus auxilijs potissimùm consistit. 127. Vide Deus.

REGNVM DEI.

Regnum Dei in quo potissimum consistat? 799. 801.
Nullum determinatum locum importat. 799.
Coincidit cum vita æterna. 799. 801.
Extra regnum Dei statuere vitam æternam, pro absurdissimo reputat Augustinus. 801. 802.
Regnum Dei debetur omni creaturæ rationali innocenti, nec illud debitum obstat ejus supernaturalitati. 798. 799. 800. 801. & seqq.
Exclusio à regno Dei est gravissimum supplicium hominis etiam in statu puræ naturæ conditi. 807. 808.
Vide beatitudo, Deus, homo, natura pura.

REMIGIVS.

Remigius Altisiodorensis de propagatione originalis peccati per libidinem concinit Augustino. 231.

ROFFENSIS.

Roffensis Episcopus & martyr gloriosus Augustino suffragatur quoad vitiositatem omnium operum absque fidei directione exercitorum. 630.
Dicit omnes Patres idipsum sensisse. ibid.
Vide fides, infideles.

ROMANI.

Romani, virtutum imaginibus præcellebant cæteris Ethnicis. 602. 603. 604.
Eorum indoles laudis avidissima. 603.
Virtus fuit eis via ad honoris, gloriæ & possessionis finem. 604.
Eorum virtutes non veræ virtutes, sed vitia pompatica virtutis imagine larvata. 576. 577. 584. 603. 604. 605.
Quomodo Deus eorum pseudo virtutes mercede temporali remuneratus sit, cum ex mali finis circumstantia omnia eorum opera fuerint vitiosa. 576. 577.
Romani humanæ laudis & politicæ libertatis cupiditate, mira patrarunt. 604. 634. (604.
Id ostenditur inductione desumpta ex præcipuis Romanorum.
Idem ostenditur authoritate nobilissimorum Scriptorum qui apud Romanos floruerunt. 604.
Redditur ratio cur eorum virtutes fuerint vitia. 606. 607. 608.
Vide Cato, fides, infideles, intentio, gratia.

S

SALOMON.

Salomonis judicium de prole controversa. 902.
Salomon author libri Sapientiæ, quem librum è canone bibliorum rejiciunt Pelagiani. 291. 292.

SAPIENS, SAPIENTIA.

Sapiens quis veraciter dicendus? 512.
Sapientia quid? & an in peccatoribus reperiatur? 75.
Sapientia nulla est absque Dei dilectione. 776.
Sapientia & stultitia carent medio. 75.685 772.773.774. 775.888.
Quo sensu Augustinus mediam quandam affectionem inter sapientiam & stultitiam admittere videatur? 775.
Sapientia quantumvis in se bona, vitiosè appetitur propter seipsam. 325. 359. 360.

SCHOLASTICI.

Scholastici Aristotelici in plurimis hallucinantur. 53. 796. 797.
Scholastici nimis curiosè mysteria fidei perscrutantes reprehenduntur. 13. 14. 19. 20. 241.
Hæreticis assimilantur, qui simplici veritatis revelationi sine rationis naturalis indagine acquiescere nolunt. 14. (628.
Eorum subtilitates quam obnoxiæ periculo erroris? 19. 493. 494.
Eorum concors sententia quanti facienda? 66. 67. 68. 69. 70.
Augustini vel solius sententia præferenda est sententiæ omnium Scholasticorum contrarium asserentium. ibid.
Scholastici statum puræ naturæ possibilem astruentes redarguuntur. 823. 824.
Scholastici multi in Augustini scriptis non tam ipsius sensum, quam suorum dogmatum apparens aliquod munimen quærunt. 980.
In causa parvulorum absque baptismatis unda decedentium magis benigni quam sapientes sunt. 428.

Schola-

Digitized by Google

Scholastici usum libidinis causa voluptatis exercitæ approbantes, Pelagianis suffragantur. 340. 341. 347.
Divomachi & Calliphontis dogma resuscitant. 362. 609.
Ab Epicuræis parum distant. 362. 601.
Scholastici pactum Dei cum Adamo, inclusis posteris, confingendo, homines purgant & Deum culpant. 208. 228. 242.
Nec Augustinus nec ullus veterum usque ad Scholasticos ejusmodi pacti meminit in tractatu de originali peccato. 217. 228. 229. 230.
Reijcitur pactum istud propter absurda quæ infert. 241. 242.
Vide Augustinus, concupiscentia, libido, finis, intentio, homo, natura pura, originale peccatum, Pelagiani.

SCOTVS.

Scotus Scholasticorum coryphæus. 750.
Beatitudinem formalem in Dei dilectione fruitiva constituit. 750.
Naturalem appetitum beatitudinis supernaturalis in homine etiam lapso agnoscit. ibid.
Ei quoad hoc concinit D. Thomas licet de appetitu isto nonnihil discordet. ibid.

SCRIPTVRA.

Scriptura materialis in lege nova non requiritur per se: requirebatur ante tempora veteri. 10.
Scriptura sacra nihil præcipit nisi charitatem: nihil culpat nisi cupiditatem. 352.

SÆCVLVM.

Sæculum usurpatur pro re sæculari seu temporali. 351. 352. 390.
Conformari sæculo, quid? ibid.
Sæculi amor mortem operatur. 381.

SEMI-PELAGIANA HÆRESIS.

Semi-pelagianæ hæresis fundamentum & basis. 53. 112.
Semi-pelagiani perinde ac Pelagiani naturalia virtutum semina astruunt. 623. 624. 625. 626. 627.
Dogma istud ex profana Philosophia emanavit. 626. 627.
Quo sensu ab Augustino & alijs veteribus admittuntur ista virtutum semina? 623. 624. 625.

SERVVM ARBITRIVM.

Servi arbitrij nomen à modernis hæreticis humanæ voluntati inditum. 445. 446.
Eodem nomine ante eos usus fuerat Augustinus, sed sano & Catholico sensu. 445.
Falluntur proinde Catholici controversistæ negantes antiquitùs fuisse usurpatum. 445. 446.
Arbitrium humanum ex servo fieri liberum, in Scholasticorum scholis pœnè inauditum. 495.
Vide libertas, liberum arbitrium.

SOCRATES.

Socrates Platonis Magister. 832.
Malo dæmone familiariter usus. ibid.
Moribundus gallum Æsculapio immolat. ibid.
Vt olim Philosophi omnes cupierunt haberi Socratici, sic Theologi omnes cupiunt haberi Augustiniani. 52.

SORBONA.

Sorbona, occasione primatus Pontificij in duas factiones divisa. 52.

STATVS.

Status hominis quadruplex juxta Augustinum, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. 306. 307. 308. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451.
Expenditur singulorum natura, & applicantur singulis hominibus in particulari. 435. 446. 447. 451.
Status creaturæ rationalis duplex: naturalis & pœnalis. 647. 652.
Status innocentiæ. Vide innocentiæ status.
Status naturæ puræ. Vide natura pura.
Status naturæ lapsæ. Vide homo, natura lapsa.

STOICI.

Stoici humanam rationem statuerunt extremam normam vitæ humanæ, & reginam cui cætera omnia servire debeant. 610. 611. 612.
Virtutem senserunt appetendam esse propter intrinsecam honestatem, propriumque splendorem: & in quo consistat iste splendor virtutis? 602. 605. 606. 609.
Eorum dogma de fine boni, minus improbandum quam peripateticorum: improbandum tamen. 602.
Eorum dogma reijcitur ut superbiæ incentivum. 611. 613.
Eorum cum Epicuræis disceptatio de fine boni. 599. 600. 601. 602.
Vt Epicuræos palam confunderent, voluptatem in Regia sella ancillantibus omnibus virtutibus depingi curarunt. 601. 611.
Eorum dogma de fine boni minus pudendum quam Epicuræorum. 612.
Tam Stoici quam Epicuræi vixerunt secundum carnem, quamvis Stoici longissimè recedere à carne contenderint. 614.
Augustinus sententiam olim suam Stoicismo faventem [illegible] & revocat. 614.
Stoici materiam statuerunt absolutè immutabilem: & quæ fuerit istius dogmatis occasio? 934. 935.
Stoicorum arrogantia retunditur. 820. 821. 822.
Stoicorum insanum paradoxum de beatitudine sapientis tauro Phalaridis inclusi. 820.
Stoicismum resuscitant Scholastici asserentes licitum esse operari propter intrinsecam virtutis honestatem, ibi sistendo. 615. 616.

STVLTITIA.

Stultitia quid? & quam vitiosa? 74. 772. 773. 880.
Stultitia parentum transfunditur in proles perinde ac alij defectus: ex qua transfusione illustratur propagatio originalis peccati. 257. 263. 269. 391.
Stultitia & sapientia in natura rationali carent medio, & solum objectis ex Augustino. 75. 685. 772. 773. 774. 775. 776. [illegible]
Vide natura pura, sapientia, homo.

SVAREZ.

Suarez ex prava intelligentia doctrina Augustinianæ in [illegible] sum actus. 165. 535. 584. 585.
Pelagij dictum Augustino nimis supinè affingit. 166. 167. [illegible]
Auxilium naturale pro auxilio gratiæ obtrudit. 535. 538.
Canonem Concilij Arausicani perversè intelligit. 535. 536.
Opera ulteriùs bona cum Pelagianis agnoscit. 548. 584. [illegible]
Fomitem spiritualis concupiscentiæ & superbiæ in paradysum ante lapsum invehit. 83.
Refellitur ex Augustino & Concilio Tridentino. 84.
Gratiam sufficientem homini etiam lapso ad supernaturalem finem ordinato debitam astruit. 760.
Ejus hallucinatio circa Angelorum perseverantiam. 169.
Item circa necessitatem gratiæ ad opera moraliter bona ab Augustino assertam. 547. 584. 585.
Naturales liberi arbitrij vires nimis extollit. 178. 179. [illegible] 535.
Augustini pronunciatum de peccaminositate omnium operum infidelium, ad quæstionem facti distorquet. 553. 559.
Negat gratiam determinare nos ad agendum, aut facere [illegible] mus. 178.
Docet libertatem hominis lapsi perinde ac integri dominium gratiæ. 178.
Docet Deum ratione supremi dominij posse pro libitu [illegible] tam beatos quam damnatos, tam noxios, tam innoxios [illegible], perdere, damnare, annihilare. 884.
Augustinum in suas partes violentè trahit. 169. 171. 535. [illegible]
Augustini doctrina à temerarijs ejus censuris vindicatur. 172. 546. 559. 560. 562. 607. 608. 609. 610. 613.
Melius fecisset Augustini doctrinam palàm reijciendo, quam [illegible] ludibrijs adulteratam vindicando. 546. 559. 560.

SVPERBIA.

Superbia, vide concupiscentia, cupiditas, libido excellentiæ.

SYMPATHIA.

Sympathiæ & antipathiæ energia elucidatur. 255. 256. 257.

SYNDERESIS.

Synderesis quid, & an per peccatum deleri de mentibus hominis possit? 623.

SYRMIENSIS SYNODVS.

Syrmiensis Synodus adversus Photini dogmata indicta. 29.
Definit, Filium Dei & non Patrem apparuisse veteribus Patriarchis, & luctatum fuisse cum Iacob. 29. 30.
Augustinus è contra asseverat Deum non nisi per Angelos apparuisse, aut luctatum fuisse. 30.

T

TENTATIO.

TENTATIO nulla superari potest absque gratia & Dei amore. 129. 501. 529. 530. 635. 636.
Idque tradit Augustinus ut Catholicam veritatem. [illegible]
Tentationem veraciter superare quis censendus? 635. 636.
Tentatio una superari potest viribus naturæ succumbendo alteri: sed hoc non est tentationem verè vincere. 633. 634. 635. 636. 637. 638.
Tentationi nulli resistere posse hominem: an & qualiter à duobus Pontificibus damnatum? 666. 667. 668. 669
Quid Vasquez ea de re sentiat? quid item Toletus & Bellarminus ejus sententiæ subsignantes? 667. 668.

THEODOSIVS IMPERATOR.

Theodosius, vide Honorius, natura pura, Pelagiani.

Digitized by Google

THEOLOGIA, THEOLOGVS.

Theologia innititur principiis revelatis. 7.
Theologica conclusio qua talis, non est fidei. 15.
Theologiæ Scholasticæ abusus perstringitur. 21. 22. 93. 184. 581.
Theologia Scholastica ab hæreticis universim proscribitur, sed immeritò. 22.
Multa argumenta hæreticis suppeditat in perniciem fidei. 24.
Theologiæ limites in Augustino noti. 51. 52. 185. 186.
Theologia Thomistica, Augustinianæ doctrinæ summarium. 50.
Theologia Neotericorum Scholasticorum infinitis erroribus respersa. 6. 184. 187. 581. 582 ... (370.
Peregrina Theologia, quæ contenta est mediocritate vitiorum. 362.
Ea assimilatur Philosophiæ Epicureæ, Dinomachea, & Calliphonteæ. 362.
Theologi Scholastici Philosophorum magis quam veterum Patrum discipuli. 791.
Theologum facit memoria, Philosophum ratio. 7...
Theologus posteris ea tradere debet, quæ à majoribus didicit. 7. 185. (243. 582.
Theologis periculosum, à tritis majorum semitis deflectere. 184
Theologi omnes cupiunt videri Augustiniani: ut Philosophi olim Socratici. 52.
Theologi suis opinionibus præoccupati, authores omnes quos legunt, in suas partes vel invitè distorquent. 369. 581. 582.
Theologicæ professionis vix alii sunt conferuntur quam exercitati in pulvere Philosophico: commoda & incommoda inde pullulantia expenduntur. 5. 6. 91. 797. 798.
Theologorum modernorum crebræ hallucinationes ex Philosophia potissimùm manant. 83. 91. 169. 184. 243. 247. 493. 543. 581. 582. 624. 712. 797. 798.
Theologorum in Synodis Ecclesiasticis quodnam munus? 15
Consiliarii tantum illi sunt, non judices. ibid.

THOMAS AQVINAS.

S. Thomas Aquinas Theologorum Scholasticorum Coryphæus. 124. 150
Beatitudinem in clara Dei visione constituit: naturalem tamen beatitudinis appetitum hominibus tribuit. 750.
Ejus summa Theologica nihil aliud est, quam Augustinus compendiatus. 50.
De propagatione peccati originalis per libidinem, suffragatur Augustino. 234.
Item de obligatione referendi omnes actiones in Deum formaliter aut virtualiter. 397. 398. 399. 400.
Item de natura peccati originalis; quam negat consistere in puta privatione, sed in habitu corrupto. 252. 281.

TIMOR.

Timor, tormentum habet non delectationem. 706. 711.
Timor oritur ex amore boni oppositi malo quod timetur. 505.
Qui ex timore supplicii à peccando retrahitur, inimicus justitiæ ... 505. 506. 569. 699. 701. 702. 703. 704. 705. ... 710.
Opera ex timore amittendi temporalia, æquè vitiosum est ac ... cupiditate assequendi temporalia. 505.
Vide ... justitia, lex.

TOLERANTIA.

Tolerantia Schismaticorum aut Hæreticorum pro veritate fidei in ... cum Catholicis, ... 569.
Quæ in ab Augustino ista tolerantia & patientia vocetur donum Dei, cum juxta eundem omnia opera exterior absque hac ... directione operantis ... sint vitiosa & peccaminosa. 569. 570. Vide fides, opera.

TOLETVS.

Toletus Lovanium destinatus ad promulgandam Bullam duorum Pontificum: & quo anno? 667. 668.
... censuræ à Vasquezio excogitatam approbans & opinioni Vasquezii subscribit. ibid.
Vide Bullas, Bellarminus, Vasquez, Tentatio.

V

VASQVEZ.

VASQVEZ Augustini vinum aquâ diluit. 709.
Opinionibus propriis cerebri præoccupatus exteros authores vel invitos in suas partes distorquet. 209.
Falsò affingit Augustino perpetuam fluctuationem de natura peccati originalis & ejus propagationis ipsius. 237. 238.
... in Augustinum nimis injuriosus, adeoque in Ecclesiam & ... Pontifices. 37. 38. 179. 180. 187. 223. 224. 225.
In Augustini scriptis parum versatus: nec videtur ea legisse, nisi forte alienis oculis. 169. 187. 188.
Augustini indubitatam doctrinam de natura & propagatione peccati originalis, gravissimis censuris perstringit, & Pelagianismi insimulat. 37. 187. 209. 223. 224. 225. 228.
Maluit Augustini scripta censurare, quam perscrutari. 189. 192.
In eo temeritas & imperitia de palma concertant. 187
Naturam & liberum arbitrium nimis superbè tuetur. 178. 180.
Violatæ gratiæ crimen Augustino immeritò impingit. 179. 180.
Cogitationes naturaliter bonas pro vera gratia obtrudit. 709
Non potest Pelagius Augustini doctrinam magis subdolè & perniciosè adulterare, quam adulteravit Vasquez. 709.
Vasquez negat gratiam determinare nostrum arbitrium ad agendum, aut facere ut faciamus. 178.
Dicit liberum arbitrium hominis lapsi perinde ac integri, prædominari gratiæ. 178.
Amorem justitiæ ab Augustino deprædicatum, perversè exponit de amore cujuscunque virtutis, etiam propter seipsam. 709. 710.
De perseverantia Angelorum graviter hallucinatur. 169.
Supremum Dei dominium usque adeo ampliat, ut non vereatur asserere, quod Deus ut supremus Dominus possit pro libitu noxios beare & innoxios damnare, salvâ justitiâ. 883.
Gratiam sufficientem hominibus lapsis debitam astruit, cùm tamen non possit pati, quod Augustinus homini innocenti gratiam à suo Creatore debitam asserat. 760. 761. 762
Gloriatur se invenisse acta Synodi Diospolitanæ, sed vanè. 187.
Sui præstigiis subtilitatis peccatum in fumos resolvit. 192. 209. 210.
Peccati pollutionem in figmento rationis constituit. 192.
De quibusdam propositionibus à duobus Pontificibus condemnatis rectè sentit, testibus Toleto & Bellarmino. 667. 668.

VENIA.

Venia sive ignoscentia culpam necessariò supponit. 338. 339. 340.
Hinc rectè Augustinus ex verbis Apostoli deducit concubitum carnalem inter conjuges causa voluptatis, non vacare culpâ. ibid.
Venialiter peccans finem ultimum in creatura constituit. Vide peccatum.

VERITAS.

Veritatem noscere de eaque gaudere, omnes naturaliter appetunt. 812.
Veritas non solum corpori, sed & ipsi animo præponenda. 588.
Veritatis sempiternæ vestigium cuilibet creaturæ impressum. ibid.
Veritas quo sensu dicitur esse in anima, item in ipsis rebus? 194.

VIDVA.

Vidua continentiæ studens graviores concupiscentiæ insultus patitur, quam virgo: uti & meretrix, quam incorrupta. 250.

VIRTVS.

Virtutis variæ definitiones perstringuntur. 383. 581. 595.
Virtus imponit modum voluptati etiam quantum ad finem. 406.
Virtus & vitium non tam officiis quam finibus discernuntur. 408. 586. 618. 623.
Virtus & bona consuetudo, qui differant inter se? 581.
Virtus nequit esse sterilis ter bona. 589. 590
Virtus non potest in ullum peccatum influere. 597.
Virtus non in Deum relata, vitium potius est quam virtus. 617.
Virtutem propter seipsam appetere, vitiosa superbia est. 612. 723.
Virtus Deo servire debet, & non sibi ipsi. 612. 622.
In virtute etiam Christiana gloriari, superbia est. 610.
Virtutis finis est Deus intentione bonæ fidei amandus. 624.
Virtute nemo malè uti potest. 695.
In virtute duo potissimum spectanda, officium & finis: & quomodo hæc differant? 371. 372. 408. 510. 511. 574. 586. 595. 596. 597. 623.
In opere virtuoso officium se habet instar corporis: finis instar animæ. 624.
Veræ virtutis rationem nihil sortitur, nisi quod prodest ad vitam æternam. 589.
Virtus Augustino nihil est aliud quam ordo amoris, vel ipse amor Dei. 581. 582. 583. 584. 617. 618. 619. 620.
Nulla vera virtus reperiri potest absque vera pietate & veri Dei religioso cultu. 628.
Hinc in infidelibus nulla datur vera virtus: & Philosophorum virtutes sunt vitia. 562. 563. 581. 582. 583. 584. & seqq. 603. 604. 605. 610. 827.
Quid de fidelibus peccatoribus sentiendum? 562. 563.
Nulla virtus etiam moralis absque gratiæ auxilio inchoatè acquiri potest: multò minus perfectè. 584. 585. 624. 625.
Virtutes cardinales earumque functiones perstringuntur. 588. 618. 619.
Virtutum semina cunctis insita à natura asserunt Semi-pelagiani & quo

Et quo sensu ab Augustino & alijs Patribus admissa fuerint eadem semina? 623. 624.
Vide fides, gratia, homo, natura, infidelis, intentio, opera, Philosophi.

VITA.

Vita corporalis cunctis animantibus charissima. 7.
Vita corporis, anima. vita animæ, Deus. 2. 191. 195. 4[illegible] 724. 726. 80[illegible].
Sicut Dei inhabitatio est vita animæ, sic Dei desertio est mors animæ. 894.
Deus est vita animæ, quatenus ei unitur glutine charitatis. 725. 726.
Vitæ spirituali insidiantur buccinatores liberi arbitrij ad bonum absque gratia. [illegible]3.
Vita æterna, Vide regnum Dei, Pelagiani.

VITIVM.

Vitium quid? & an sit contra naturam creaturæ rationalis? 597. 752. 753. 754. 755. 756. 7[illegible]. 851. 852.
Vitium ex vitio propagatur perinde ac natura ex natura. 214. 215. 216. 217. 226. 236. 245. [illegible] 230.
Vitium effectus arguit vitiositatem causæ. 226. 227. 228. 229.
Vitiorum victoria quando reputetur vera? 529. 635.
Vitium non debet reputari victum nisi Dei amore vincatur. 529. 530. 635.
Non minus vitiosum est alienæ perversitatis authorem esse, quam propriæ. 883.
Vide fides, infidelis, Philosophi, Romani, virtus.

VOLVNTAS, VOLVNTARIVM.

Voluntas ab Augustino passim usurpatur pro actu volitionis. 130. 197. 515. 587. 637. 638. 639.
Voluntas in bonis solùm: cupiditas in malis reperitur. 353.
Voluntas bona apud Augustinum nihil est aliud quam charitas; mala, nihil nisi cupiditas. 76. 134. 140. 142. 197. 519. 530. 55[illegible] 564. 711. 736. 769.
Voluntas fruens & utens, qui differant? 98. 99.
Voluntas inter bonum & malum media consistere non potest. 518. 519. 692. 769.
Voluntas tunc maximè libera est cum per amorem Deo adhæret. 98. 99.
Voluntas hominum etiam impiorum in manu Dei est. 570. 571.
Voluntas hominis lapsi nondum liberata per gratiã, non tam voluntas quam cupiditas dicenda est. 474. 520. 640.
In tantum libera est ad bonum, in quantum fuerit liberata. 482.
Qualiter differat a voluntate dæmonum? 494.
Voluntas ab Augustino antonomasticè sumitur pro volitione prorsus spontanea. 637. 638. 639. 643.
Voluntatis humanæ cum imaginativa, & cum sensitivo appetitu sympathia. 267. [illegible]
Voluntatem malam Deus dare nequit, uti nec creatura bonam. 686.
Voluntate quis miser efficitur, sed miserior potestate. 684.
Voluntarium quid: & qualiter reperiatur in peccato originali. 205. 206. 207. 282. 637. 641. 142.
Voluntarium perfectum coincidit cum libero. 637.
Voluntarium repugnat rationi pœnæ. 208.

VOLVPTAS.

Voluptas, Vide concubitus, libido, delectatio, Epicurei.

FINIS TOMI SECVNDI.

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
AVGVSTINVS
SEV DOCTRINA
S. AVGVSTINI
DE

Humanæ naturæ sanitate, ægritudine, medicinâ adversus Pelagianos & Massilienses.

TOMVS III.
IN QVO

Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis CHRISTI *Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur.*



LOVANII,

Typis IACOBI ZEGERI, Anno M. DC. XL.

Cum gratia & Privilegio S. Cæsareæ Majestatis & Regis Catholici.

Digitized by Google

Digitized by Google

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

DE generis humani ægritudine hactenus: nunc de medicina dicendum est. Frustra enim de medendo morbo satagimus, nisi ante causas ejus & magnitudinem & pertinaciam aliaque symptomata quæ inde proficisci solent, ipsoque non minus morbo subinde periculosa sunt, perspecta habeamus. Quorum quidem profundissimâ ignoratione factum est, ut neque Philosophi, neque Hæretici, qui subsidia quædam libertatis humanæ ad benè vivendum procudere conati sunt, nihil omnibus ingenii sui conatibus excogitare potuerint, quod vel morbum ipsum tangeret, nedum radices eius succideret; nihil etjam nonnulli Catholici protulerint quo vis ejus utcunque frangeretur Sed quemadmodum Apostolo teste cæca animi concupiscentia præceptis benè vivendi magis augeri quam comprimi solet, hoc ipso quo tantùm præcipiendo cohibetur; ita morbus iste remediis inefficacibus, quæ multi adhibere voluerunt, magis exasperatus quam sanatus est. Quicquid enim non est in internecione ejus, in nutrimentum rapit, & inde crescit unde minuendus putabatur. Tam dirum & occultum est istiusce morbi malum. In cujus quidem profundioribus fibris iuxta doctrinam sancti Augustini detegendis & ruderibus humanarum opinionum disijciendis, quibus tegebantur, si non mediocris nobis labor impendendus fuit, haud paulò nobis laboriosior profectò superest provincia, vt illud unicum genuinum & præsentissimum illius pestis remedium, quod cælitus nobis Christus attulit, & Apostolicis principiis nixus Augustinus explicuit, ab omni opinationum humanarum adulteratione, qua vis eius in hominum animis obscurata & enervata est, liberemus. Non hic de tribus capellis agitur, vel de aliqua Scholastici pulveris controversia, in qua quicquid arripueris salva res est. Agitur de ipsissimo Christianæ religionis cardine, hoc est de Incarnationis Christi Domini nostri, undè Christiani dicimur, fructu & scopo: qui non est alius, quam ut *quæreret & salvum faceret, quod perierat*: hoc est ut nobis peccato perditis afferret justificationis & bonæ operationis gratiam, seu gratiam illam qua *diffunditur charitas in cordibus nostris* prout eam sexcentis locis Apostoli Pauli verbis circum-

Digitized by Google

Conc. Carth. in epist. Synod.
Epist. 95. & alibi.
Epist. 105 lib. de corrept. & gratia cap. 5.
Conc. Carth. in Epist. Synod.

scribit Augustinus. Quæ propterea sæpissimè vocatur gratia *qua Christiani sumus*; gratia, *quam fides in* IESVM *Christum impetrat*; gratia, *quæ per incarnationem unigeniti revelata atque donata est*: Denique uno verbo, *gratia Christiana*. Illa quippè est ipsissima & sola gratia, *qua ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè fit liberum*. Hanc ergò gratiam tota Christi Ecclesia omnibus visceribus pietatis credit, & in omnibus precibus suis inuocat, utpotè sine cuius fide nec esse Christi Ecclesia, nec vocari potest. Hanc qui intelligit, ille intelligit quare sit Christianus; qui verò non intelligit quantumvis fide rectus & Catholicus sit, velit nolit, opinione Pelagianus est. Tam enim delicatum est hoc divinæ gratiæ mysterium, ut

Iacobi 2.

quemadmodum Apostolus Iacobus de præceptis dixit, *quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: ita & hic, quicunque totam Christi gratiam & fidei puritate & sententiæ sinceritate prędicaverit, si vel in minimo ab indiuisibili veritate aberraverit, naturæque viribus suffragetur, non in qualiscunque hallucinationis errorem, sed in ipsam Pelagianismi voraginem incidisse, omniumq; adeo Pelagii errorum, quibus & naturam & gratiam adulterando suffocauit, reus esse conuinci potest. Nam in hoc argumento tanta veritatis errorisque concatenatio est, ut maximus minimos complectatur, &

In præfat. lib. 2 de de Hæres. Pelag.

minimus maximos post se trahat. Quod vt alibi diximus, vigilantissimè sanctus Prosper observavit, quando Augustino, cæterisque pestis Pelagianæ damnatoribus perspectum fuisse canit,

Carm. de ingrat. c. 8.

> *Quod tota nefandæ*
> *Hæreseos summa exigua sub parte tegatur:*
> *De qua plena mali labes renovetur & omne*
> *Commenti corpus per singula membra resurgat.*

Nusquam enim verius locum habet, quod dici solet, aut totum, aut nihil: ut alio fortasis loco uberius demonstrabitur. Quod quia paucis perspectum est ac perdifficile hominibus persuaderi potest, hinc fit, vt plerique viri boni, dum naturæ bonitatem ab opprobrio se vindicare putant, magnis disputandi viribus gratiam destruant, illis præter opinionem suffragantes, qui æmulationem Dei habent, sed

Rom. 10.

non secundùm scientiam. *Ignorantes* enim iustitiam Dei, hoc est quam Deus dat, *& suam*, sive naturalem sive moralem, sive qualemcunque quærentes statuere *justitiæ Dei non sunt subjecti*. Ex quo vlterius necesse est sequi ut ab imprudentibus, totaque fide & corde redemptorem venerantibus, crux Christi evacuetur. Quapropter saluberrimum est in hoc argumẽto tremere, & humanæ Philosophiæ qua natura defenditur supra quam credi potest fallaci nonnihil diffidere. Agitur enim de

Lib. de spiritu & lit. cap. 7.

mysterio vehementer abstruso, & ut Augustinus loquitur de *re profunda & nimis abdita*, quam Philosophi, diuinorum consiliorum imperiti, nec suspicione quidem assecuti sunt. Quid enim illi de adjutorio libertatis statuere potuerunt, quibus infirmitas eius per peccatum adducta nec per somnium quidem in mentem venit? Quibus illa erant ratæ fixæque veritatis de virtute axiomata, Diuitias Deo, virtutem homo

sibi

ſibi debet. Nemo unquam Diis, quòd virtuoſus eſt gratias egit. Hæc enim & hujuſmodi pronunciata in illa indifferenti potentique arbitrii libertate ſuas radices habent, quam Ethnica Philoſophia tanta verborum ſententiarumque pompa prædicavit, ut ſi quis eam uelut claudam fractamque & opis ad volendum indigam elevaret, hominem eis ex homine tollere videretur. Ex quo effectum eſt ut longè difficillima facta ſit provincia defendendæ veritatis, dum non tam argumentorum pondere, quam adverſantium numero oppugnata premitur. Doctores enim quos Scholaſticos vocant, à teneris unguiculis in gentilis Philoſophiæ paleſtris eruditi, ejuſque dogmatibus tanquam naturali rationi quam maximè conſentaneis innutriti, difficillimè ſibi perſuaderi ſinunt, falſum eſſe quod lumen rationis in iſtiuſmodi viris quaſi defecatius, veriſsimum eſſe pronunciavit. Hinc indefeſſo labore, à quibuſdam ſucatum eſt, ut Apoſtolus Ariſtoteli, ſtultitia crucis ſapientiæ verbi, fides Philoſophiæ conciliata conſentiret. Quod quia Pelagianis infeliciter ceſſerat, quorum ille præcipuus ſcopus fuit, hinc ea cuique gratiæ divinæ facies formata, & adjutorij liberæ voluntatis formula excogitata eſt, quæ cum gentilium Philoſophorum ſenſis atq; pronũciatis quam belliſsimè concineret. Cum verò rei tantæ conatus, neque temeritate cariturus, ſine graui authoritate, neque periculo ſine duce, neque fidem inter Chriſtianos inventurus ſine patrono videretur, certatim fœtus quiſque ſuos magno Auguſtino ſubiecêre, cujus unius patrocinio facilè ſectæ cujuſvis adverſantis murmura & argumenta contemneret. Quod quidem à nonnullis magnâ ſedulitate diligentique lectione excuſſis ante Auguſtini libris, quantum per aliorum ſtudiorum principalium otium licuit, factitatum eſt; ab aliis verò tam rara ſcilicet felicitate tentatum, ut cùm poſt fabricatam ſententiam ſuam arguerentur novitatis, perpenſis Auguſtini locis ac ſententiis, ipſam ſancti Doctoris Auguſtini mentem ſe attigiſſe deprehenderent. Alii non paulò audacius, aut certè candidius, apertè faſſi ſunt, ſententiam ſuam non quidem eſſe Auguſtini, ſed ſi ei cum ſemipelagianis dimicanti propoſita fuiſſet, propter eximiam conciliandæ libertatis cum divina gratia dexteritatem, ſine dubitatione fuiſſe placituram. *Neque verò dubito*, inquit, *quin ab Auguſtino & cæteris Patribus unanimi conſenſu comprobata fuiſſet, hæc noſtra de prædeſtinatione ſententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præſcientia & prædeſtinatione ſi eis fuiſſet propoſita.* Et paulò inferius adjicit: *Quia res eſt magni momenti, ac valdè lubrica, & hæc noſtra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædeſtinatione à nemine quem videmus, huc uſque tradita, ideò ſatius hæc duxi paulò fuſius explicare.* Et hæc eſt illa capitalium opinionum hujus temporis una ſententia, quam qui Molinam primum ejus ut profitetur, authorem, Auguſtino, ut ipſe putat, ignotam, ſecuti ſunt, ipſiſſimam Auguſtini nunc eſſe profitentur. Ita

Molina in Concord. quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. ult.

Caſus ubique valet.

Sed omnibus caſibus ſuperior potentiorque Dei providentia, ad uſus ſuos contorquens profunda torrentis, fluxumque ſæculorum ordinans

 dinans

dinans turbulentum, de ingenua illa anima verba ista excidere voluit, ut quæ Lectores imprudentes in eruditionis quasi reconditæ admirationem erigerent, prudentes in re tanti momenti ab hujusmodi tam lubricâ novitate amplectenda revocarent. Nam quibus ille nihil efficacius se dicere posse arbitratus est, ad sententiam suam commendandam imperitis, nihil gravius ad deterrendos peritos comminisci potuit. Quis enim tantillum Ecclesiastici ordinis in doctrina tradenda, & consuetudinis gnarus, sententiam amplectetur novam, & Augustino ignotam, hoc ipso quia de novitate commendatur? Præsertim quia in illa materia doctrinæ versamur, vbi post tot Apostolicæ Sedis Conciliorumq; pronunciata ex Augustini libris, verbo sensuque tenus hausta, meritò adversus hujusmodi retorquere possumus: Si quis vobis annunciaverit præter id quod ex Augustino accepistis, anathema sit.

Quapropter cùm hâc tempestate omnes etiam illius magistri sectatores, qui novam doctrinam & Augustino incognitam se protulisse gloriatus est, novitatis invidiæ succumbentes, se Augustinianæ togæ laciniis tegant, speciosumque gratiæ congruæ & prædestinationis ad arbitrium respicientis, apparatum, jam etiam Augustini esse, persuadere conentur, nihil publico vtilius fieri posse puto, quam si genuina profundissimi Doctoris mens, hoc est Ecclesiæ Catholicæ sententia, quam ille explicuit, & contra hæreses propugnavit, de gratia & prædestinatione proferatur. Quod quidem eo magis necessarium esse video, quod penè inanis esset, ille totus præcedentis operis labor, quo vulnera naturæ proposuimus, nisi iste sequeretur. Quid enim juvat profundas naturæ lapsæ corruptelas intelligere, si nos quæ sit ei medicina cælitus præparata fugiat? Vel eam ita hominibus explicando commendemus, ut morbus ipsa medicinæ adulteratione acerbius recrudescat? Quem quidem laborem non profectò mediocrem iterum profiteor, me nullius sententiæ odio vel amore suscepisse, sed pura, quantùm mihi videtur, dilectione veritatis. Sententiam quam hîc trado, non ego ad Augustini lectionem præoccupatus attuli tanquàm patrocinium, ut fieri à plerisque solet, ex ejus verbis sententiisque corrasurus, sed per multos annos eadem sæpissimè legendo & relegendo, ponderando iterum iterumque, postrema primis mediaque omnibus collidendo, ex ejus libris hausi, atque ipsa rei & connexionis evidentia compulsus, reclamante licet priore, qua imbutus fueram opinione, Augustini esse judicavi. Siquid duriusculum fortasse cuipiam dictum videatur, non in personas quas veneror, sed in sententias earum, vel tuendi modos à me prolatum est. Quam enim quæque censuram opinio mereatur, quo loco haberi debeat, quantùm errori accedat, aut etiam ab eo recedat, difficulter intelligi aut explicari potest, nisi rebus verba serviant. Quod nemini quispiam vitio verterit, nisi qui alios errare malit, quam errorem suum patefieri. Adversus quam animi ægritudinem à vanitate profectam, jam olim dixit sapienter & salubriter Augustinus: *Nimis perversè seipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat.*

CA-

CAPVT PRIMVM.

Partitio dicendorum & ordo sequentium disputationum.

DE liberatione arbitrii voluntatis, seu reparatione libertatis ejus acturis potissima sese offert difficultas de causis liberationis ejus. Cùm verò causa multiplex sit, materia, forma, efficiens, atque finis: de materiali, formali, & finali causa, non magnoperè nobis laborandum est. Materialis enim causa liberationis est ipsum arbitrium seu voluntas quæ liberatur à servitute peccati. Formalis ipsa charitas, qua fit formaliter voluntas libera, sive libertate habituali per ipsum charitatis habitum, sive actuali, per actum ejus, vel certè per id quod immediata & proxima ipsius actus liberi causa est. Id verò quid sit suo uberius loco disserendum est. Finalis denique causa est integritas humanæ naturæ ac salus, quæ tunc omnibus numeris erit absoluta, cùm charitas & libertas fuerit ipsius divinæ essentiæ contemplatione perfecta. Quamobrem de efficiente liberationis causa tota controversia est. Quæ cùm iterum duplex sit, interna ipsi arbitrio, cujus immediatâ virtute efficitur liberum & actus ejus liber, & externa qualis propositum ac prædestinatio Dei, hinc fit, ut multiplex oriatur disputatio. De singulis ordine jam proposito dicturi sumus.

CAPVT SECVNDVM.

Notio liberationis arbitrii. Causa ejus efficiens non est naturalis possibilitas liberæ voluntatis, sed gratia.

ANtequàm ista quæstio de causa liberationis resolvatur, scire necesse est, quid sit arbitrii liberatio. Nam hac de re pœnè nulla est apud Scholasticos Doctores mentio. Etenim Philosophię Aristotelicæ principiis imbuti semper sentiunt arbitrium esse liberum ad volendum faciendumque tàm bonum quàm malum. Ex quo fit ut mentionem servitutis atq; captivitatis respectu arbitrii voluntatis vix auribus ferant. Itaque quando in Scriptoribus antiquis captivitatem aut servitutem sub peccato audiunt, plerique non aliud animo concipiunt, quam quod aliquis in mortali peccato cõstitutus sit, atque ita dæmonum potestati obnoxius, pœnarumque reus. Proinde liberationem arbitrii consequenter non aliud esse putant, quàm ipsam peccati remissionem, quatenus ejus beneficio peccatoris animus à macula peccati & à pœnis ejus ipsiusque dæmonis principis peccatorũ, jure ac potestate liberatur. Sed quemadmodum in intelligenda arbitrii servitute, ita & in ejus liberatione gratiáque liberante toto cælo falluntur. Quod vel ex eo solo liquere potest, quod Augustinus, ut mox videbimus, passim doceat arbitrium non solùm agere non posse, sed nec eligere, nec velle bonum, nisi ante liberetur. Et tamen certo certius est, juxta Catholicam fidem ante peccati remissionem posse arbitrium & cogitare, & eligere, & velle, & agere bonum: utpotè quod potest credere Deo, & orare ex fide, & gemere, & pœnitere, & diligere Deum tanquàm fontem justitiæ; qui citra dubitationem sunt actus valdè sublimes ac boni, quibus ipsa peccati remissio impetratur. Propter quod dicit Augustinus (*Epist. 105. ad Sixt.*): *Sed nec ipsa remissio peccatorum, sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat orando. Neque enim nullum est meritum fidei quâ fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori: & descendit iustificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se exaltat humiliabitur.* Quapropter arbitrii liberatio saltem inchoata præcedere debet, non solùm peccatorum remissionem, sed etiam dilectionem Dei, pœnitentiam, gemitum, orationem, spem in Deum, fidem ipsamque denique voluntatem & cogitationem quamcunque bonam. Eâdem quippè certitudine quâ gratiâ præcedere debet omnem actum bonum, arbitrii liberatio eundem antecedere debet. Nam sicut velle non potest voluntas bonum nisi gratia adjuvetur, ita nec liberè velle, nisi gratia liberetur. Quamobrem siquis scire velit, quid sit ista arbitrii seu voluntatis liberatio, eum scire necesse est, quid sit servitus ejus & captivitas. Quæ cum nullo pacto sit macula peccati aut reatus culpæ aut pœnæ, sed depressio quædam voluntatis sub concupiscentia rerum creatarum, sub qua consensio ejus ita captiva detinetur, ut ab ea se extricare suis viribus nequeat, & erigere ad justitiam diligendam; hinc consequenter liberatio voluntatis non est peccati remissio, sed relaxatio quædam delectabilis istius vinculi concupiscentialis, seu pestiferæ cujusdam dulcedinis creaturarum, cui innexus indesinenter servit animus, quoad per gratiam infusa cœlesti dulcedine ruptoque istius cupiditatis nexu, ad superna diligendâ transferatur. Sed quia de servitute voluntatis & ejus liberatione quædam in superioribus dicta sunt, multaq; infra opportunius, ubi de natura liberi arbitrii disputabimus, dicenda sunt, ne superflua rerum earundem repetitione lectori tædium afferamus,

 videat

videat ea quæ disseruimus lib. 3. de statu naturæ lapsæ, capite tertio & quarto, maximèque quinto ac sexto, ubi satiatissimè ostenditur, quid sit servitus, & captivitas sub peccato. Videat item quæ diximus ibi consequenter capite septimo, ubi natura gratiæ liberantis à vinculo servitutis illius juxta notionem jam jam superius tactam fusius declaratur.

His igitur præmissis in mentem alicui venire potest, nullam aliam esse gratiam liberationis, quam ipsum liberum arbitrium. Nam hoc ipso quo est liberum, videtur esse indifferens ad bonum & malum. Si enim ad alteram tantùm partem determinatum est, jam cum indifferentia videtur & ipsa libertas interire. Quamdiu ergò arbitrium manet liberum, ipsâ vi nativæ libertatis potest velle, uti malum, ita & bonum. Secundùm hanc igitur opinionem nulla esset opus peculiari gratiâ liberationis ad benè volendum, ac benè faciendum, nisi ipsâ possibilitate seu libertate arbitrii naturali, imò veriùs in hac sententia ipsum liberum arbitrium vocari quidem posset gratia, tanquàm quod à Deo vi primæ & gratuitæ institutionis datum est, non tamen gratia liberationis. Si enim semper velle potest bonum ac malum, quia suapte naturâ liberum, profectò nunquam per gratiam liberandum est; nec enim ipso nativæ libertatis jure, sub solius mali servitute, aut captivitate, aut necessitate mancipari potest. Talis enim si in arbitrio voluntatis naturalis libertas est, illa servituti jam dictæ, & captivitati, & necessitati deterioris partis, quemadmodùm & coactioni repugnaret.

Hæc igitur sententia sic explicata, est undequaque ipsissimus purus ac putus error Pelagianus, tàm quantùm ad naturam liberi arbitrii, quàm gratiam liberationis ejus. Nam Pelagianorum solemnis est doctrina, liberum arbitrium naturaliter esse ita indifferens ad bonum & malum, ut hoc ipso quo alterutrius potestas aufertur, desinat esse liberum; quemadmodùm nos fusè ex eorum principiis atque verbis demonstravimus. Vndè consequenter, ut ibi diximus, tradebant, hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges; usque adeò ut nullis tentationibus in peccatum abstrahi posset voluntate captivâ. Ex qua sententia sequebatur necessariò altera pars, nullâ scilicet opus esse in arbitrio gratiâ liberationis à malo, utpote in quo nec esset, nec esse posset ad malum, seu ad peccandum ulla captivitas, aut necessitas. Contra primam hujus erroris partem satis diximus toto tractatu superiori, de statu ac viribus liberi arbitrii post peccatum, in quo servitutem ac captivitatem ejus ad malum fusè ex Augustini scriptis asseruimus. Vnum dumtaxat addo, me non satis videre, quomodo non in hanc sententiam ex parte incidant illi Doctores, qui ex natura libertatis arbitrii concludunt, hominem semper posse quamcumque tentationem superare. Tacitè enim indicant, perire libertatem nisi possit. Ex quo etiam sequi videretur, non opus esse

Vid. lib. 2. de hæres. Pelag. prima capita.

Lib. 3. & 4. de statu naturæ lapsæ.

gratia liberationis à malo, nisi fortassis ut faciliùs malum superetur. Sed quicquid sit de Catholicorum illorum opinione, quod ipsi viderint, Pelagianus ille error, quatenùs gratiam liberationis arbitrii negat, ut velle & facere possit bonum, ac declinare à malo, non opus habet operosâ argumentatione. Est enim tàm perspicuæ impietatis, ut infinitis, & Scripturarum, & Patrum auctoritatibus, ac totius Ecclesiæ consonantibus vocibus obrui posset. Doctrina enim Ecclesiæ constantissima est, divinam gratiam præter voluntatis arbitrium esse necessariam, qua arbitrium liberetur, ut non solùm facere, sed etiam velle possit bonum. Vndè illud Augustini: *Hæc voluntas quæ libera est in malis*, hoc est ad malefaciendum, *quia delectatur malis, ideò libera in bonis non est*: Hoc est ad benefaciendum, *quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Quæ sententia, quod Pelagianam hæresim funditus subverteret tot clamoribus à Iuliano excepta fuit. Et libro secundo de nuptiis: *Liberum quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani & Pelagiani.* Et Epistola ad Vitalem: *Cum potiùs illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda & agenda fit liberum.* Et rursum ibidem: *Quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Ergò necesse est, ut per gratiam libertas ad diligendum restituatur. Et libro secundo ad Bonifacium: *Pelagiani dicunt etiam hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum.* Et rursum ibidem: *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum naturâ periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad benè autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.* Et libro tertio ad eundem: *Item quod arbitrium sui in malum liberum dicimus ad agendum bonum Dei gratiâ liberandum, contra Pelagianos est.* Et ad eundem libro quarto: *Quid mihi obtendis liberum arbitrium quod ad faciendum justitiam liberum non erit, nisi ovis fueris? Qui facit igitur oves homines, ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.* Et alibi: *Non potest ad bonum opus agendum esse libera, nisi Dei gratia liberata.* Et in libris Retractationum ad quæstionem illam: *Vtrùm & peccatum, & rectè factum in libero voluntatis sit arbitrio?* Subjicit exponendo: *Quod ita esse omninò verissimum est. Sed ut ad rectè faciendum liberum sit, Dei gratiâ liberatur.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Ipsa est vera libertas, propter recti facti lætitiam*, hoc est, cum animus ipsa boni operis rectitudine, justitiaque delectatur, *simul & pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benefaciendum unde erit homini addicto & vendito, nisi redimat ille cujus illa vox est: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero ar-*

Libro 1. ad Bonif. c. 3.

Lib. 1. op. imperf.

Lib. 2. de nupt. cap. 3.

Epist. 107. ad Vital.

Libro 2. ad Bonif. c. 2.

Libro 2. ad Bonif. c. 5.

Lib. 3. c. 9.

Lib. 4. c. 6.

Libro 1. retract. c. 26.

In Enchir. cap. 30.

ro arbitrio in bono glorietur opere, qui nondùm liber est ad operandum benè, nisi se vanâ superbia inflatus extollat? Quam cohibet Apostolus dicens gratia, salvi facti estis per fidem. Et libro de correptione, & gratiâ: *Liberum itaque arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum, confitendum est nos habere. sed in malo faciendo, liber est quisque justitiæ, servusq; peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis, &c. Hanc fidem quæ sine dubio vera, & Prophetica, & Apostolica, & Catholica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo.* Denique omnes libri Augustini hujusmodi sententiis sparsi sunt, quibus cumulandis supersedeo. Nam ex solis istis perspicuũ est, Catholicæ & Apostolicæ fidei esse dogma, non solùm, quòd liberum arbitriũ divinâ gratiâ juvandũ sit, ut aliquid boni velle, & operari possit, sed etiam, quòd per gratiam liberandum sit ad benefaciendum cùm se liberare non possit. hoc est, quod ei libertas ad benefaciendũ per gratiam conferenda sit utpotè quâ libertate prorsus careat ante gratiam. Est enim servum & captivum sub dominante peccato, hoc est, sub concupiscentiæ terrenæ jugo, à quo nisi Filius per gratiam suam voluntatis arbitrium liberaverit, nullo pacto assurgere, aut flectere sese potest, ut aut operetur, aut velit bonum. Vndè de voluntate adhuc captiva loquens, quæ jam incipit in primos actus libertatis, hoc est, in pios gemitus pro impetrando auxilio infirmitatis erumpere: *Quantùm est quod valet voluntas sub dominante cupiditate nisi fortè si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.* Et alibi ad primos omninò tenuissimosque actus, qui sunt consensus fidelésq; prædicatæ veritatis, non tantùm adjutorium gratiæ, sed & liberationem arbitrii antecedere debere profitetur. Nam de infidelibus loquens: *Responde, quomodò ad declinandum à malo & faciendum bonum, liberum habeamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum? Vndè nos, si quemadmodùm dicit Apostolus, Deus eruit, ipse utique illud liberum fecit.* Et paulò post: *Si autem fateris pro eis* (infidelibus) *orandum, id utique orandum fateris, ut eidem doctrinæ arbitrio liberato à tenebrarum potestate consentiant. Ita fit ut neque fideles fiant nisi libero arbitrio, & tamen illius gratia fideles fiant, qui eorum à potestate tenebrarum liberavit arbitrium.* Vbi manifestissimum est hanc liberationem arbitrii à tenebrarum potestate natura præcedere fidem, quâ fideles fiunt. Quod adhuc apertius disertiusque explanat inferius: *Prius alligat enim* (diabolum) *id est, eius coercet & cohibet potestatem, potestatis suæ fortioribus vinculis, & sic eripit vasa eius quæcunque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab eius potestate liberans, ut illo non impediente credant in ipsum libera voluntate.* Itaque mox generalissimè liberationem arbitrii necessariam inculcat, *quâ ad bona eligenda & agenda fiat liberum.* Vndè sicut nullum omninò bonum opus fieri vel cogitari posset, nisi à voluntate *eligatur*, vel *agatur*, ita etiam, nisi voluntatis arbitrium ad illud eligendum agendumq; liberetur. Quam ob causam doctrina ista sancti Augustini etiam à Celestino Papa definita est: *Quo utique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.*

(Lib. de corrept. & gra. cap. 1.) (Lib. 1. retract. c. 15.) (Epist. 107. ad Vital.) (Ibid.) (Ibid.)

CAPVT TERTIVM.

Nomina diversa gratiæ ex hoc effectu tracta.

AB hoc igitur præclarissimo effectu gratiæ, quo voluntatem à consensu concupiscentiæ sibi dominantis liberat, vocatur gratia Christi, gratia *Liberationis*, ut libro de correptione & gratiâ: *Sancti ad quos pertinet liberationis hæc gratia.* Vocatur gratia *Liberatrix*. Vt epistola centesima quinta: *Nec vult intelligi hominem præceptricis legis ignarum, sed* LIBERATRICIS *indigum gratiæ, ubi dicit, Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Et cum hac non solùm scientiâ, verùm etiam & delectatione legis postea dicit: Miser ego homo quis me liberabit à corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Vocatur gratia, qua voluntas *liberatur à servitute peccati*, ut in libris retractationum: *Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratiâ* LIBERETVR A SERVITVTE, *quâ facta est serva peccati & ut vitia superet adjuvetur, rectè pièq; vivi à mortalibus non potest.* Et lib. de corrept. & gratiâ: *Horum verè cùm fuisset voluntas serva peccati, liberata est, per illum, qui dixit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Vocatur gratia, qua *reparatur perdita libertas*; ut in eodem libro: *Hæc autem tanto maior est ut parum sit homini per illam* REPARARE PERDITAM LIBERTATEM. Vocatur gratia, qua *arbitrium verè fit liberum*, non peccati remissione, non pœnæ, miseriæve deletione, sed quia à *dominatione peccati*, hoc est, concupiscentiæ, consensus ejus liberatur; ut in epist. Antistitum Conc. Carthag. ad Innocentium: *Qua gratia, & ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum, dùm à carnalium concupiscentiarum* DOMINATIONE LIBERATVR, *dicente Domino, Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Et libro primo Retractationum: *Quantùm est quod valet voluntas sub* DOMINANTE CVPIDITATE, *nisi fortè si pia est ut oret auxilium? In tantùm enim libera est, quia in tantùm liberata est.* Vocatur sæpissimè gratia, qua LIBERAMVR DE CORPORE MORTIS HVIVS; ut libro de gestis Pelagii; *quam gratiam nobis plurimum Apostolica doctrina commendat. Hæc est enim qua nos liberari posse speramus de corpore mortis huius per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Et paulò post: *Non ergò natura &c. nec legis scientia per quam fit concupiscentiæ cognitio, non evictio liberat à corpore mortis huius, sed gratia Domini per* IESVM *Christum Dominum nostrum.*

(Lib. de corrept. & gratia cap. 11.) (Epist. 105. ad Sixtum.) (Lib. 1. retract. c. 9.) (Cap. 12.) (Ibid. c. 11.) (Epist. 90. inter epist. Aug.) (Libro 1. Retract. cap. 1.) (Lib. de gest. Pelag. c. 6.) (Ibid. cap. 8.)

Liberari autem à corpore mortis hujus, non est aliud, quam liberari à vitiis corporis, hoc est, à concupiscentia, non tàm ut illa non sit in hac vita, quod fieri non potest nisi magno miraculo omnipotentissimi Creatoris, quàm ut voluntati non dominetur, impellendo ut sibi consentiat, & faciat quod lege prohibetur. *A quo malo*; inquit idem, *se liberari orans nisi maximè de corpore mortis hujus? Unde non liberat nisi gratia Dei per* IESUM *Christum Dominum nostrum. Non utique de substantia corporis quæ bona est, sed de vitiis carnalibus unde non liberatur homo sine gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis discedit à corpore.* Unde alibi juxta phrasim Apostolicam, vocat hoc, *liberari à lege peccati & mortis*, hoc est, à concupiscentia, quæ instar legis jubet peccatum. Liberari, inquam, ut illa non dominetur, ut ei non consentiatur, ut concupiscentia licet titillante, maneat animus alienus ab affectu & consensione peccati. Nam hoc est illud, quod supra Patres Africanos rationem liberationis istius seu liberatricis gratiæ explicantes audivimus, dùm dicunt arbitrium verè per gratiam Christi fieri liberum: *Dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberamur.* Hoc est quod Augustinus dicit: *A cujus concupiscentia dominatu non liberat nisi gratia Dei per* IESUM *Christum.* Hoc est quod idem pressius adhuc & clarius dicit: *Gratia liberavit delectationem voluntatis à consensione cupiditatis.* Et iterum: *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit te à lege peccati & mortis, ne scilicet consensionem tuam concupiscentia sibi vendicet carnis.* Quod alio in locó vocat, *liberari ab eo affectu quem lex punit.* Quod quia per naturam fieri impossibile est, hinc est quod contra hujusmodi tyrannidem ac dominationẽ concupiscentiæ nos liberationem seu libertatem implorare profitetur, quando dicimus cum Psalmista: *Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est cui dominatur iniquitas? Ut autem ei non dominetur, vide ab illa quis invocetur &c. Precatur, non pollicetur: confitetur non pollicetur: optat plenissimam* LIBERTATEM *non jactat propriam potestatem.*

Lib. de natura & gratia cap. 53. — *Rom. 8.* — *Epist. Conc. Carth. ad Innocent.* — *Libro 1. retract. c. 23.* — *Libro 1. ad Bonif. c. 10.* — *Ibid. inferius* — *Lib. 1. ad Simplic. quæst. 1.* — *Epist. 89. ad Hilar.*

Ex quibus consequenter evidens est, doctrinam istam de servitute voluntatis sub dominante concupiscentia, & ejus liberatione per gratiam, non esse commentum Augustini, vel opinionem ejus, sed doctrinam, & Evangelicam, & Apostolicam, & Catholicam, quam ex sacris Scripturis hausit. Nam inde omnes illæ Augustini phrases tractæ sunt, ut ex citatis locis satis superque intelligitur. Quo fit, ut satis mirari nequeam tantum servitutis istius ac liberatricis gratiæ in lucubrationibus Scholasticorum silentium, ut quasi nova dæmonia annunciari putent, quando hæc doctrina propalatur.

CAPUT QUARTUM.

Arbitrium per gratiam liberari debet, ut operetur actus, non solùm supernaturales, sed etiam moraliter bonos.

Sed hic statim oritur quæstio de cujusmodi actibus bonis, intelligat hanc doctrinam suam Augustinus, seu quosnam actus bonos doceat fieri non posse per voluntatis arbitrium, nisi per gratiam ante liberetur, utrum supernaturales tantùm seu aliquo modo meritorios, & conducentes ad salutem æternam; an verò etiam moraliter tantùm bonos? Nam inter ista duo actionum genera celebris est inter Scholasticos distinctio: juxta quam non dubitant plerique hujusmodi gratiam liberationis ad primum istud genus actuum tantùm esse necessarium. Sed & ista quæstio à nobis in superioribus expedita est. Ostendimus enim ex perquam solidis & multis Augustini principiis, & luculentissimis testimoniis, ita prostratas & captivas esse sub peccato liberi arbitrii vires, ut nullum voluntatis virtutisque moralis actum aut motum ex omnibus circumstantiis bonum elicere possit, nisi per Christi gratiam adjuvetur, & consequenter liberetur; hoc enim adjutorium & liberatio pari passu gradiuntur. Ipsa enim libertas voluntatis, quam dat gratia, sicut est sanitas ejus, ita & potestas ejus. Itaque videnda quæ de ista eâdem quæstione diximus, tractatu pœnè toto, de viribus liberi arbitrii post peccatum, quibus nihil est opus addere, nisi ut tria tantùm, quæ inter alia plura etiam ibi notata sunt, observentur.

Vid. lib. 3. & 4. de statu puræ nat.

Primum est. Ex ipsa sola natura captivitatis arbitrii, sub qua post peccatum detinetur, & oppositæ liberationis per gratiam, satis perspicuè intelligi posse, quod per se nullum bonum voluntatis motum arbitrium possit operari. Captivitas enim illa in eo sita est, quod voluntas concupiscentiæ terrenæ visco intimè penetrata semper, & in omni actu motibus ejus feratur ac referatur, imperio ejus & ponderi indesinenter serviens, eodem planè modo, quo voluntas beatorum in omnibus omninò motibus servit divinæ charitati. Illa quippè duo directam oppositionem habent, eo quod non possit voluntas discedere ab amore creatoris, quin in concupiscentiam creaturæ hoc ipso delabatur. Et hæc est terrena cupiditas seu dilectio Babylonica, quicquid tandem pulchrum præclarumque præter Deum diligere videatur, ut alibi diximus.

Secundum est. Opus seu motum voluntatis esse non posse, etiam moraliter bonum, nisi ipsa operis justitia seu rectitudo diligatur. Alioquin enim distortus amor est, alio referens id quod per seipsum appetendum erat.

Unde

Vnde & Philosophi quibus in multo fumo scintillæ quædam veritatis apparebant, honestatem per se censebant appetendam, & petendam esse ut posset opus esse bonum. Iam verò impossibile esse, ut ipsa iustitia diligatur sine gratia Dei, latissimè declaravimus & probavimus ex principiis Augustini, tractatu de pura natura per multa capita. *Vide lib. 1. de pura natura à cap. 4. usque ad cap. 11.*

Tertium est: Hinc intelligi veram radicem, cur nec opus moraliter bonum fieri posset sine gratia liberatrice voluntatis. Id enim quod per concupiscentiæ servitutem aufertur bonis operibus, quæ homo facere sine gratia conatur, non est aliqua operis supernaturalitas, vel ratio meriti, vel simile quid, sed est ipsissima ratio formalis, qua constituitur opus bonum, ita ut eâ deficiente sit malum, hoc est, verè propriéque peccatum. Pondus enim concupiscentiæ, quo animus possessus est, detorquet eum ab amore justitiæ & rectitudinis, quæ in opere, ut bonum sit, necessariò spectari debet, & affigit alicui creaturæ, cujus vel consequendæ cupiditate flagrat, vel amittendæ timore cruciatur: quæcunque tandem illa sit, sive ab opere quod meditatur distincta, sive ipsum opus, aut splendor, pulchritudo ac temporalis honestas ejus. Nec enim illa minùs creaturæ sunt, quam animus, & ratio, & voluntas, quæ illis appetendis immorantur. Quod autem illa ratio justitiæ quam diligendam in omni opere bono dicimus, ipse Deus sit, nec amari ullo pacto possit amore aliquo naturali in eodem jam citato loco fusè demonstravimus. Vbi etiam illud effugium rejecimus, quo Scholastici dicunt, Augustini doctrinam, qua gratiam ad opera bona necessariam esse statuit, de operibus pietatis, vel quæ fiunt *sicut oportet* intelligendam esse. *Vide ibidem c. 9. 10. &c.*

CAPVT QVINTVM.

Vtrùm aliquid possit arbitrium suis naturalibus viribus, ad hoc, ut gratiam illam adipiscatur. Facienti quod in se est per naturæ vires, non datur ex aliqua stabili lege, gratia.

CVM igitur per Augustini doctrinam locis citatis abundè traditam & explicatam, captivo arbitrio voluntatis omne opus bonum ablatum sit, non solùm supernaturale, & meritorium, & pietatis, & justificationis, & *sicut oportet*, sed etiam moraliter bonum, quæri ulterius posset, utrùm saltem aliquid suis viribus arbitrium proferre possit, quo ad gratiam benè operandi præparetur? A qua quæstione non dissimilis est illa celebris inter Scholasticos, Vtrùm facienti quod in se est per naturæ vires, detur gratia. Cujusmodi quæstiones hîc propono, non quod juxta doctrinam sancti Augustini traditam, difficultatem habeant, sed ne quis eas à me vitatas putet, quibus se tantoperè Scholastici fatigant: aut ne imperitior quispiam principiorum aut librorum ejus, recondita in controversijs istis mysteria, nodosque indissolubiles latere arbitretur. Planissima est enim responsio negativa. Quod ex diversis principijs Augustini necessariò dicendum est. Nam in primis in eodem illo tractatu, de statu liberi arbitrij post peccatum, ut jam jam diximus, demonstratum est, nullum opus vel moraliter bonum suis viribus liberum arbitrium posse facere. Igitur nec ad Dei gratiam se præparare vel disponere. Opus enim quo se disponeret, vel quod facienti, gratia conferretur, ut minimum esse deberet moraliter bonum. *Vide loca supra notata.*

Secundò ibidem declaratum est, non solùm arbitrium non posse facere suis viribus opus moraliter bonum, sed etiam quicquid facit ante gratiam esse veri nominis peccatum ac mendacium, & hoc à Concilio Arausicano esse definitum. Quid autem sibi speret gratiæ quisquam peccatis mendacijsq; faciendis conferendum? Quapropter ut perniciosam hujusmodi fiduciam ex animis hominum funditus Augustinus exstirparet, frequenter inculcat eis, quid illud sit, quod homo ex se conferre possit, quod non dico meritum gratiæ, sed vel ordinem aliquem ad gratiam habeat. Docet enim non esse opera vel pietatis, vel virtutis, vel moraliter bona, vel aliquid hujusmodi, quo posset humana vanitas extolli, sed esse merita damnationis, hoc est, magnum miseriarum cumulum, circa quas misericordia ejus posset magis enitescere. *Nihil, inquit, boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attendimus opera tua & inveniuntur omnia mala; si quod debetur illis operibus Deus redderet, utique damnaret. Stipendium enim peccati mors. Malis operibus quid debetur, nisi damnatio? Bonis quid debetur, nisi regnum cælorum?* *Præfat. in Psal. 31.* Et alio in loco: *Totum in illis asperum, totum tetrum, totum detestandum; & cùm illi nihil afferant ad te, undè salventur, pro nihilo salvos facies eos, id est, gratis data gratia tua.* *In Psal. 55.* Et accuratissima adhibita distinctione naturæ & actuum, quæ in hominibus ante gratiam reperiuntur, sic omnem superbiæ fontem tollit: *De me omninò nihil præsumam. Quid enim attuli boni ut mei misereris, & me iustificares? Quid in me invenisti nisi sola peccata? Tuum nihil aliud nisi natura quam creasti, cætera mala mea quæ delevisti.* *In Psal. 58.* Et in Psalmum septuagesimum: *Commendat nobis gratiam Dei; commendat nobis, quia nos per nosmetipsos nihil sumus: commendat nobis, quia quicquid sumus, illius misericordia sumus: Quicquid autem ex nobis sumus, mali sumus.* *In Psal. 70. in Conc. de 1. parte.* Et in Psalmum centesimum quadragesimum secundum: *Ecce in tua iustitia exaudi* *In Psal. 142.*

Ibid.

exaudi me, non quæ ex lege est, sed ea quæ ex fide; ad me enim cùm respicio nihil aliud meum quam peccatum invenio. Et aliquantò inferius: *Noli ergò putare te aliquid operari, nisi in quantum malus es.* Et in tractatibus in Ioannem: *Fratres mei quorum opera bona invenit Dominus? Nullorum. Omnia opera mala invenit.* Et paulò post: *Oportet ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum confessio est operum malorum.* Et in alio tractatu: *Vita nostra tanquàm nostra, id est de voluntate propria nostra, non erit nisi mala, peccatrix, iniqua: vita verò bona de Deo in nobis est, non à nobis.* Cujusmodi testimonia apud Augustinum innumera perspicuè ostendunt nihil omninò inveniri posse in homine faciente per vires naturales arbitrij, quod in se est, cur ad gratiam ei dandam Deus moveretur; nisi fortè malitiam, iniquitatem, opera mala, peccata. Quibus hoc privilegium à nemine sanæ mentis adscriptum iri puto.

Tract. 12. in Ioann.

Tract. 49. in Ioann.

B

Tertiò in eodem tractatu, de statu naturæ lapsæ post peccatum, prolixè demonstratum est, esse solemnem certissimamque doctrinam sancti Augustini, quòd omnia infidelium opera, quantumcunque speciosa, & ex Philosophica virtute profecta videantur, sint vera & propriè dicta peccata. Cujus doctrinæ fundamenta ibidem latè declarata sunt, & eorum immobilitas asserta. Quæ si secundùm doctrinam sanctissimi Præsulis certa sunt, sicut certissima videntur, profectò liquidissimum est, nullo opere se liberum voluntatis arbitrium posse ad gratiam præparare. Nec enim quisquam, arbitror, tam insipiens est, ut malis operibus ac peccatis punitione dignis, hominem ad gratiam præparari arbitretur.

Vide lib. 4. de statu puræ naturæ à c. 1. per multa cap.

C

Ex quo consequenter fluit, facienti quod in se est per naturæ vires, nullâ stabili lege dari gratiam. Neque enim ulla lex est aut ordinatio Dei, quâ peccantibus, & nihil omninò boni operis facientibus gratia certâ lege conferatur. Sed hoc fit non solùm omninò gratis, sed etiam juxta profundissimas, & ab humano intellectu remotissimas divinæ gubernationis leges: ex quibus nonnunquam gravissimis peccatoribus gratia datur, mitissimisque denegatur. Itaque quæstione illâ postremâ revera nihil aliud quæritur, nisi, utrùm minùs peccantibus infallibiliter detur gratia? Quod utrùm quisquam affirmare audeat, equidem nescio. Ad me quod attinet, nec in Scripturis, nec in Augustino quicquam reperi, quo quis in illam suspicionem deduci possit, ut omnibus leviùs peccantibus gratiam dari arbitretur: cùm videamus parvulis, levissimis sine dubitatione peccatoribus, tàm multis gratiam subtrahi, ut eos quibus datur, longissimè sua numerositate præcedant. Ut de peccatis actualibus loquendo, non immeritò & hic adversus hujusmodi opinionis auctorem illud Augustini usurpare possimus: *Ita intolerabiliter sequitur absurditas. Sic enim modo benevolentiorem facis Deum impijssimis & sceleratissimis hominibus*

D

Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.

A

quam innocentissimis & purissimis ab omni labe peccati. Et consequenter, *sic fit, ut velle Christianos Deus omnes* minoribus peccatis actualibus gravatos *velit, quorum multi nolunt,* hoc est, qui habent aversionem à fide veritatis, quod magnum obstaculum est: *non omnes velit, quorum est nemo qui nolit,* id est parvulos, *quod abhorret à vero.* Ex quo perspicuum est, minora peccata non esse regulam distributionis gratiarum, nec ejus haberi in ea impartienda rationem, cùm adultorum infidelium nemo levioribus peccatis, quam parvuli, sit obnoxius, eamque ob causam rectissimè dixerit idem Augustinus: *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis proprijs aggravantur, in damnatione omnium levissimâ futuros?* Quis tamen non videt, non exiguam gravioris damnationis eorum partem futurã esse, si in illis solis nullus ad pauciora, minorave peccata respectus haberetur ad gratiam adipiscendam: in cæteris verò qui & illo parvulorum peccato, & alijs longè pluribus atque sceleratioribus onerati sunt, illa benignitatis regula servaretur? Sed, ut dixi, quemadmodùm in parvulis quandò cum adultis comparantur, nulla hujusmodi gratiæ distribuendæ lex locum habet, ita in majoribus prorsus commentitia est, ab illis excogitata, qui inscrutabilem illam impartiendæ misericordiæ profunditatem & libertatem non ferentes, catenas fabricare qualescunque voluerunt, quibus gratiæ natura necteretur, ut quasi per quasdam scalas ex una in alteram damnata hominũ natura conscenderet: atque ita loco detracti sibi meriti & præparationis ac dispositionis, qualemcunque gloriolam in operibus moraliter bonis, illâ quâ lapsi sumus superbiâ retineret. Sed hujusmodi scalas frangit, catenasque conterit Augustinus, quandò adversùs omninò similes cogitationes disputans, de electione ad gratiam salutarem præclarissimè dicit: *Certè ita occulta est hæc electio, ut in eâdem conspersione nobis prorsus apparere non possit: aut si apparet quibusdam, ego in hâc re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem si ad examen hujus electionis aliquâ cogitatione permittor, nisi vel majus ingenium vel minora peccata vel utrumque; addamus, si placet, etiam honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergò fuerit quam minimis peccatis irretitus, atque maculatus (nam nullis quis potest?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus eligendus videtur ad gratiam. Sed cùm hoc statuero, ita me ridebit ille qui infirma mundi elegit ut confundat fortia, & stulta mundi ut confundat sapientes, ut eum intuens, & pudore correctus, ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores & præ quibusdam piscatoribus Oratores.* Quæ sanctissimi Doctoris verba si benè ponderarent, quotquot hujusmodi pontes fabricant, per quos homines qualibuscunque naturalibus conditionibus præditi ad gratiam statutâ lege consequendam transeant, forsan & ipsi pudore correcti riderent imaginationum suarum ludificationes. Quidquid enim ipsi ut adipiscendæ gratiæ viam sternerent, magno labore se excogi-

Ibid.

Lib. 5. cont. Iul. cap. 11.

Libro 1. ad Simpl. q. 2. in fine.

Digitized by Google

cogitasse gratulantur, jam tot sæculis ante profundissimus Doctor vidit, abjecit, irrisit. Nam ad examen rei occultissimæ permittens cogitationibus suis libertatem, universa quæ quis in hominum natura intueri possit, ad tria capita revocavit, naturalem constitutionem animi quæ ex intellectu & voluntate coalescit, studia voluntatis, & cultum intellectus. Nam corporis qualitates, ad istius rei considerationem admittere, ipsa absurditas vetat. Ad naturalem animi conditionem spectat *ingenij acrimonia*; ad cultum intellectus *honesta utilesq; doctrina*; ad studia voluntatis *sola minora peccata*. Nam juxta ipsius principia jam sæpius explicata & inculcata, nihil omninò in volũtate reperitur aut reperiri potest ante gratiam salutarem, nisi minora peccata. Quicquid enim de operibus moraliter bonis philosophia gentium fabulata est, sub minoribus peccatis, velut vera proprieque dicta peccata & suppliciis ideò digna comprehendit. Etenim si uspiam, hic profectò erat eorum considerandorum præcipuè locus, utpotè in quibus aliquid ingenuę istius libertatis & bonitatis elucesceret. Quam ob causam istis operibus potissimùm, præ ingenii acrimonia, honestisque doctrinis, Scholastici locum aliquem in ista electione tribuerunt. Sed sincerissimus divinæ gratiæ patronus perspicacissimè vidit, non solùm nihil hujusmodi bonorũ operũ ante gratiam esse posse, sed etiam si quis eâ cogitandi libertate fingeret, nihil aliud nisi cineres colligi in quibus superbia ad extremas suffocationis angustias redacta, iterùm foveretur, & infirmitatis humanæ cogitationibus sufflata revivisceret. Quis enim non sibi nonnihil blandiatur, qui sibi citra meritum quidem omne, propriamque dispositionem, gratiam collatam videt; verùmtamen Deo moralem suam intuente bonitatem, quâ carens alter perijt? Morbus enim iste tàm lubricus est, ut ex ista sola consideratione frequenter inculcet Augustinus, Deum cùm gratiam suam primùm in homines profunderet, noluisse fortes ac sapientes, ac nobiles eligere, ne superbia medullitus impressa humani generis visceribus, sibi aliquid ex illis dotibus tributum gloriaretur, dùm infirma & stulta mundi in illis initiis neglecta cerneret. Audi fastus humani acerrimum persecutorem atque domitorem: *Ibi etiam* (in luce veritatis) *ineffabili delectatione contuetur, quàm provida & misericordissimâ dispensatione Deus infirma mundi elegit, ut tumores nostros curaret, stulta mundi elegit ut confunderet sapientes; atq; in ordinibus membrorum Ecclesiæ suæ tàm salubriter omnia collocaret ne de ingenio vel litteris suis, quas adhuc ignorarent cuius munere haberent, electos se ad adiutorium Evangelicum homines dicerent, atque indè pestifera inflarentur superbia.* Et in Psal. sexagesimum quintum: *Descendit Dominus Deus noster Iesus Christus in spiritu reparare genus humanum, & dare gratiam omnibus intelligentibus, quia gratia illius est, non merita eorum. Et ne quælibet persona gloriaretur in carne infirmos elegit. Nam indè non est electus ille Nathanael etiam. Quid enim tibi videtur,*

Libro 5. de Bapt. cont. Donatistas cap. 17.

In Psal. 65.

A *ut publicanum in telonio eligeret Matthæum, & non eligeret Nathanael, cui testimonium perhibuit ipse Dominus, dicens: Ecce verus Israëlita in quo dolus non est? Intelligitur ergò Nathanael iste doctus fuisse in lege. Non quia doctos non erat electurus: sed si ipsos primò elegisset, doctrina sua merito se electos putarent, & ita illorum scientia laudaretur, & minùs Christi gratia minueretur.* Et iterùm ibidem: *Elegit ergò Dominus postea & oratores: sed illi superbirent, si non priùs eligeret piscatores. Elegit divites: sed dicerent, merito divitiarum suarum se electos esse, nisi primò elegisset pauperes.* Quod latiùs ibidem exequitur. Et in fragmento novo ex sermonibus: *Venerat docere humilitatem, & expugnare superbiam. Venerat humilis Deus, ut nullo modo hic priùs altos quæreret, qui tàm humilis venerat &c. Elegit ergò infirmos, pauperes, indoctos; non quia reliquit firmos, divites, sapientes, nobiles; sed si ipsos primos eligeret, merito divitiarum suarum, merito natalium* B *suorum sibi eligi viderentur, atque inflati de his rebus salutem humilitatis non reciperent, sine qua nemo redire potest ad illam vitam undè non laberemur nisi per superbiam.* Quam saluberrimam doctrinam, & aliis multis locis latè tradit, inculcatque studiosè: & pœnè in omnibus jam citatis locis eam ex Apostoli scriptis se hausisse testatur, qui magna cura fidelibus commendat: *Videte vocationem vestram Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus &c.* Et quo tandẽ scopo? Cui bono? *Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Hoc est vt superbia ex hominum cordibus deleretur: quibus nihil est difficilius, quàm in laudabilis vitæ suæ morumque consideratione à seipsis oculos cordis avertere, & in illum fontem omnia refundere undè fluunt. Quapropter sicut insulsum esset juxta Augustinum, divinæque gratiæ per ambages inimicum, si quis C vocationem gratiæ, secluso licet omni merito, prærogativis opum, dignitatem, eloquentiæ, potentiæ, aut nobilitatis ascriberet, ita fortassis tanto insulsius esset virium naturalium operibus eam astringere, quanto pronius ex bonis arbitrij sui moribus, quàm ex cæteris dotibus fastus humanus inflari solet. Illos enim tanquàm ex sua voluntate profectos magis propriè gloriari potest esse suos, cætera facilius videt una cum naturę suæ fundo esse donata. Nam ex isto capite immanis illa superbia Philosophica & Pelagiana fluxit, de moribus suæ voluntatis gloriantium, tanquàm qui soli ex se solis suaq; virtute proficiscerentur. Hinc illa Thrasonis Ethnici vox, quam Pelagianus fastus pœnè superavit: *Est aliquid quo sapiens antecedat Deum, ille naturæ beneficio, non suo sapiens est.* Intelligit enim sapientiam illam practicam qua quis omnes actus vitamque suam sapienter facit & regit: undè hortatur alibi, ut ho-D mo *contentus sit semetipso & ex se nascentibus bonis.* Quæ nulla intelligebat alia, nisi quibus Scholastici naturaliter mores ornari posse profitentur. Qui ergò fieri posset, ut si quis talem audiret gratiam Christi quam sibi datam videt, ex moribus laudabilibus hujusmodi sic esse

In fragmento 9. tom. 10.

Vide serm. 59. de verb. Domini c. 10 serm. 27. de verb. Apost. &c.

1. Corr. 1.

Senec. Epist. 53.

Epist. 20.

esse religatam, ut facienti quod in se est nemini subtrahatur, non sibi non nihil gratularetur, non pestiferæ vanitatis vento intumesceret? Quanto salubrius Doctores isti, inspecto ipsius gratiæ nomine, quæ gratis datur, attenderent ad ipsam omnibus modis commendandam, cùm de cælo Dei sapientia descenderet, omnia superbiæ fomenta removisse: nec tantùm in omnibus vitæ suæ mysteriis humilitatis extrema sectatum, sed & in vocandis hominibus abjectissima quoque seligendo omnes inflationis occasiones studiosè declinasse. Vt enim optimè sagaciterque Augustinus: *Tam largo fonti vas inane admovendum est.* (*Serm. 59. de verbis Domini cap. 10.*) Nullum autem est plenius, hoc est minus inane, quam quod faciendo quod in se est, eructat mores suos moraliter bonos. Sed multum vererer, ne si in humanæ vocationis initiis aliquis manifestus peccator, cum alio faciente quod in se est, accurrisset ad Christum, verba ipsius ab Augustino consignata, altero neglecto audiisset: *Veni tu pauper, sequere me. Nihil habes, nihil nosti, sequere me. Idiota pauper sequere me. Non est quod in te expavescatur, sed multum est quod in te impleatur.* Nimirum ut evidentius gratia cōmendaretur, ne glorietur omnis caro coram eo. Nam ut alibi Christus Augustini pro gratia satagētis verbis loquens dicit: *Hunc si implevero, manifestū erit quod ego facio.* (*Serm. 27. de verbis Apost. cap. 5.*) Quā ob causam etiā Ecclesiastica monumēta revolvēdo deprehendimus, Philosophos illos qui præ cæteris humanam naturā morali honestate atq; bonitate excolere conati sunt alienos à Christi gratia veraque fide fuisse: peccatores manifestos vice versa vocatos. Vt nihil sane in hac re salubrius sit quam ignorantiam regularum impartiendæ gratiæ cum Augustino profiteri: qui plerumque docet rem istam esse occultissimam, judicia inscrutabilia, vias investigabiles, summaque libertate Deum exigere donareque debitum, quando & cui placet. Vndè cùm dixisset id, quod supra produximus, se nihil nisi ingenii acrimoniam, vel doctrinas, vel minora peccata in hominum electione consideranda reperire, contra hujusmodi regularū architectos adjicit: *Quare tamen & huic ita & huic non ita? Homo tu quis es? Debitum si non reddis habes quod gratuleris: si reddis, non habes quod queraris. Credamus tamen, etsi capere non valemus: quoniam* (*Libro 1. ad Simpl. quæst. 2. in fine.*) *qui universam creat tam & spiritalem & corporalem fecit & condidit omnia in numero & pondere & mensura disponit. Sed inscrutabilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus. Dicamus halleluja, & collaudemus canticum & non dicamus quid hoc, vel quid hoc? Omnia enim in tempore suo creata sunt.* Cujus occultissimæ misericordiæ & gubernationis inscrutabilis alibi exemplum ponens: *Vndè* (*Libro 1. de pecc. merit. cap. 22.*) *enim*, inquit, *fit ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, & magnâ parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorq; consurgat; & tamen eo loco sit ubi ei prædicari gratia Christiana non possit? Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus, ita gubernetur ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter vivat?* Quod aptius exemplum operum moralium vel facientium quod in se est, ab his authoribus, adversùs quos satagimus, excogitari possit, sane non video. Vt enim aliquis naturæ viribus ante gratiam, omnium libidinum victor fiat, quis Catholicus audeat sperare vel dicere? Et tamen hîc videmus contra regulam quam de facientibus quod in se est fabricant, homini bene-moratissimo gratiam subtrahi, flagitioso, facinorosoque dari. Vt in his judiciis Dei de distributione gratiarū exclamare disceremus, sicut cum Apostolo ibidem August. exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* (*Ibid. c. 22.*) Nec in eorum numerum censeamur, quos dicit, cùm *humanis conjecturis justitiam Dei defendere vellent, & ignorarent* ALTITVDINEM GRATIÆ, *fabulas improbabiles texuisse.* Fateamur potiùs humiliter infirmitatem nostram, quemadmodum profundissimus gratiæ defensor suam superiùs fassus est, ac tacitè quamvis modestè insinuat, omnibus nisi errare velint, fatendam esse: *Certè ita occulta est hæc electio, ut in eadem conspersione nobis prorsùs apparere non possit, aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor.* (*Lib. 1. ad Simplic. quæst. 2.*) Nihil enim conando, sudandoque in hoc examine invenire se posse profitetur præter *naturam, doctrinas utiles*, ac *minora peccata*. Quibus ne istam electionem alliget, se pudore deterreri.

CAPVT SEXTVM.

Transitus à natura ad gratiam generaliter dictam. Divisio ejus generalis: multiplex genus legis ac doctrinæ. Explicatur status causæ.

CVm ergò satis declaratū sit arbitrium voluntatis cōcupiscentię terrenę subjugatum, non posse suis viribus naturalibus jugum illud diabolicæ servitutis excutere, causaque exposita sit cur non possit, nihil superest nisi ut tantum beneficium in divinam gratiam referatur. Cùm verò gratia duplex sit, intellectus & voluntatis, priùs de gratia intellectus, posterius de altera tractandum erit. Porrò gratia intellectûs rursum bifariam dividitur, alia extrinsecus humanos sensus intelligentiæ scientiæque subservientes ferit, ut prædicatio, exhortatio, suasio, promissio pœnarum, præmiorumque propositio; alia

Digitized by Google

alia intrinsecus ipsam mentem sapientiæ revelatione seu cognitione veritatis imbuit. A Vtraque generaliter nomine doctrinæ aut legis appellari solet, juxta illud Augustini hoc ipsum probare satagentis: *In lege namq; & doctrina sanctarum Scripturarum futura gloria atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur; ad doctrinam pertinet etiam suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere & suadere, vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrina generalitate concluditur, quæ quibuscunque sermonibus vel litteris continetur. Nam & sancta Scriptura docent & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio.* Eòdem pertinet & exemplum Christi ac Sanctorum, vel quorumcunque qui benè ut malè vixisse memorantur, juxta illud eiusdem Augustini: *Quod exemplum Christi nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica demonstratur.* B Eòdem etiam quæcunque significativa Sacramenta quatenus talia, sive veteris legis, sive novæ. Nam istâ consideratione totam vim suam in significando exserunt, ut intellectus instruatur, & sub genere signorum collocantur, interpretante vim nominis Augustino, cùm dicit: *Tanta rei Sacramenta, id est, sacra signa.* Signi autem cujuscumque scopus & fructus est, ut scientia generetur, quamvis aliud propinquius aliud remotius illam suscitet. Nam remotissima doctrina est, quæ sensibus exterius influit, sive auribus per quoscumque sonos; sive oculis per characteres, scripturas, aliaque signa visibilia, sub quibus cœli terræque species, aliorumque mirabilium comprehenditur, quæ Deus sive condendo, sive gubernando visibiliter operatur. Nam illis omnibus Augustinus, nutus, locutiones, clamores, responsiones, voces tribuit, hoc est, signa quibus indicant authorem suum: C *Nutus tui sunt omnis creaturarum decus. Cælum & terra sursùs loquuntur laudes tuas. Exclamaverunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, & responsio eorum, species eorum. Nec vocem suam mutant, id est, speciem suam &c.* Sive denique tactui, gustui, odoratui, per quos etiam sensus aliquid intellectui insinuari potest. Propinquior doctrina est quæ phantasiæ admovetur, sive vigilantis, sive dormientis. Nam sine illius imaginario & significativo motu, sola sensuum externorum pulsatione non erudimur. Propinquissima denique est, qua veritas ipsa intellectus operatione percipitur, idque non solùm naturaliter, sed etiam quacumque & quantumcumque sublimi revelatione aliquis in tertium cælum usque raperetur. Vndè & Augustinus revelationem quam in raptu Paulus habuit, sub doctrinâ & lege revelationem D sapientiæ, ut audivimus, continente, complectitur: *Quid autem dicam de revelatione sapientiæ? neque enim facilè quisquam speraverit in hac vita posse pervenire ad magnitudinem revelationum Apostoli Pauli. Et utique in eis quid aliud credendum est ei revelari solere, nisi quod ad sapientiam pertineret?* Quam sapientiæ revelationem pluribus locis alibi docet, fuisse divinæ essentiæ, hoc est, claram ipsius supremæ veritatis visionem, quia Deus ipse dixit: *Ego sum veritas.* Nam & ista ipsissimæ veritatis clara revelatio genus quoddam perfectissimæ doctrinæ est, & quatenus tale solum intellectum afficit, quamvis magnos mirosque affectus voluntatis post se trahere soleat.

Lib. de gratia Christi cap. 10.

Ibid. c. 41.

Lib. 2. contra Advers. legis & Prophet. cap. 9.

Libro 2. de lib. arbitr. cap. 16.

Lib. 10. Confess. cap. 6.

Lib. de gratia Christi cap. 11.

Epist. 112. c. 13. & lib. 12. de gen. ad litt. cap. 28.

His itaque de legis doctrinæque amplitudine prælibatis, quæri potest, utrum hujuscemodi gratiæ auxilio sublevata & adjuta natura voluntatis liberari possit à servitute, qua detinetur, & expedita fieri, ut velit & operetur bonum. Affirmativam partem tenuerunt unanimiter Pelagiani, simulatque à gratia naturæ prædicanda deterriti, & Augustini disputationibus fideliumque clamoribus ad imbecillitatem ejus agnoscendam, fatendamque compulsi sunt. Tunc alium illa secta vultum induit, & naturam peccandi consuetudine infirmam, divinæ legis institutione, præmiorum cælestium pollicitatione, sapientiæ revelatione, suasione, Christi exemplo juvandam, teporemque ejus succendendum esse docuerũt. Quem tertium Pelagianismi statum fuisse, post puræ naturæ, & naturalis gratiæ prædicationem, nos ante in Pelagianorum dogmatum explicatione demonstravimus.

Vide latius libro 5. de hæres. Pelag. cap. 3. 4. & c.

Porrò status ille Pelagianæ hæresis, proprius, ut ibidem diximus, Iudæorum error fuit de lege sibi data gloriantium. Hac enim instructi, universa benè vivendi præcepta se implere posse putaverunt, nec alio se indigere voluntatis adjutorio. Nam quemadmodum ante legem datam, status hominum propriè sub gratia naturæ fuit, ita post illam divinitus in monte Sinai latam, status populi Iudaici sub gratia intellectus fuit, sicut post mediatoris adventum, sub gratia affectus seu voluntatis. Primus dicitur status naturæ, alter Testamenti veteris, postremus novi. Itaque quemadmodum superius generaliter declaravimus, naturam non potuisse seipsam sine gratiæ adjutorio à peccati servitute liberare, ita nunc generaliter de viribus legis quæ Iudæis data fuit, ad afferendam libertatem disputandum est. Ex cujus disputationis luce palàm fiet, quid de quacumque doctrina, sive veteris, sive novæ legis, sive internâ, sive externâ, prout amplitudinis ejus limites paulò ante descripsimus, arbitrandum sit.

In cujus quidem quæstione enodatione nemo superfluam operam poni putet. Nam quàmvis Catholici Doctores uno ore legis doctrinæque infirmitatem ad faciendam justitiam conclamare videantur, vera tamen ratio plerosque latet. Ex quo fit, ut in hujus ipsius quæstionis anfractibus nonnulli non mediocriter offendant, & in capitibus non paucis ac parvis veteris legis hallucinentur.

quod habet in sua potestate. Et infra ut hominibus tolleret admirationem de doctrina tàm arcana, causam reddit amissæ libertatis operandi boni: *Nec mirandum est quod vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine*, hoc est concupiscentia, *quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat unusquisque quo benè uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate si vellet. Id est autem, ut qui sciens, rectè non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectè cùm posset noluit, amittat posse, cùm velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, Ignorantia & Difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit, &c.* Quâ de re alibi latius. Ibid.

Hanc ergò Augustini veram perpetuamque mentem, velut totius doctrinæ basim quam ipse scripsit, & Ecclesia tenet de gratia Dei, quisquis præ oculis habuerit, quemadmodum ad multas difficultates penetrandas, assiduè præ oculis haberi debet, facilè ipsam radicem cernet, cur gratia legis non solùm veteris, hoc est, decalogi, qui universam rerum agendarum summam comprehendit, sed qualiscumque tandem, non sufficiat ut arbitrium liberetur. Cùm enim duobus ex capitibus ei jactura bonæ libertatis inflicta sit, ex ignorantia & concupiscentia, cognitio legis tollit quidem agendorum vitandorumque ignorantiam, sed difficillimam superatu concupiscentiam relinquit vegetam, imò robustiorem quàm ante scientiam habuit: quæ tantoperè suæ servituti subjugatum arbitrium volendi tenet, ut ne quidem agnitum iam bonum velle possit, multò minùs facere, nisi hoc ipsum fracto ejus impetu novi amoris inspiratione tribuatur. Vt sanè ab intelligenda gratia Christi remotissimi sint, quotquot nihil aliud, nisi operis boni supernaturalitatem cogitant & inculcant, cùm de gratiæ necessitate disputant. Opus enim bonum omni creaturæ etiam integerrimæ supernaturale est; cùm tamen ad illud operandum nulla Christi gratia vel Angeli, vel Adamus indiguerint, & sine illius ope opera bona exercuerint. Quod dilucidius in gratia Christi explicanda enodabitur.

Vera itaque causa, cur Christi gratia præter gratiam legis ac scientiæ necessaria sit, ut arbitrium ad benè volendum operandumque liberetur, non est operis supernaturalitas, sed est, infirmitas voluntatis quam concupiscentiæ vulnus peperit. Ex qua fit, ut quamvis alter fons amissæ libertatis per scientiam legis obstructus sit, arbitrium adhuc ad volendum bonum imbecille sit, & non liberum, sed concupiscentiæ suæ servum, à qua servitute, adhuc nova, & altiore, & digniore, & potentiore gratiâ liberandum est, quæ propriè Christi gratia, novique Testamenti nuncupatur.

Hanc igitur radicem tangit Augustinus, quoties necessitatem veræ gratiæ & infirmitatem legis inculcans, legem peccati, hoc est juxta phrasim Apostolicam, concupiscentiæ cognitionem, non medicinam attulisse profitetur: *Per quam legem non sanatio, sed cognitio est facta peccati.* Et libro primo ad Bonifacium: *Sine lege peccatum mortuum est, non intelligamus, nisi tanquam non sit latet, non apparet, penitus ignoratur, tanquàm in nescio quibus ignorantiæ tenebris sit sepultum. Id quod adjunxit, adveniente autem mandato peccatum revixit, quid est aliud quam eminuit, apparuit? &c.* Quia nimirum in parvulis *tanquam mortuum sit latet*, scilicet peccatum concupiscentia, *donec repugnans justitiæ malum, eius prohibitione sentiatur, cùm aliud iubetur atque approbatur, aliud delectat, atque dominatur.* Et libro primo ad Simplicianum: *Intelligendum est, legem ad hoc datam esse, non ut peccatum* (id est concupiscentia) *insereretur, neque ut extirparetur, sed tantùm ut demonstraretur.* Et iterum ibidem: *Vndè apparet, concupiscentiam per legem non insitam, sed demonstratam.* Et in Psalmum octogesimum tertium: *Data est lex hominibus, non quæ salvaret eos iam, sed per quam cognoscerent, in qua ægritudine iacebant.* Et iterum eodem loco: *Data est ergò lex, ut ægrum de morbo convinceret, qui sibi sanus videbatur: ut peccata demonstrarentur, non ut auferrentur.* Et rursum: *Ergò lex prodebat ægrotos non sanabat.* Et in sermone de quinque porticibus: *Ergò attendat charitas vestra, ad hoc data est lex, quæ proderet morbos, non quæ tolleret.* Quod alijs sexcentis locis inculcat.

Lib. de pecc. orig. cap. 15.

Lib. 1. ad Simplic. quæst. 1.

In Ps. 83.

In append. in serm. de quinque portic.

Eandem omninò radicem tangit, quando tàm instanter docet, legem nihil aliud præstare, quam quod vetet malum ac jubeat bonum, nullas verò arbitrio voluntatis vires ad illud cavendum, agendumve conferre: *Sic legem omnis Catholicus à Deo bonam datam esse defendit, ut eam dicat, & peccatum ostendere, non tamen tollere; & justitiam*, hoc est opus justum *iubere, non tamen dare.* Et libro de Spiritu & littera: *Legis littera sciri facit peccatum potiùs, quàm caveri.* Et inferius: *Mandatum bonum habet in littera demonstrante, non in adiuvante Spiritu.* Et libro primo de peccatorum meritis: *Iubere tantum non adiuvare poterat.* Et libro primo ad Bonifacium: *Lex iubere novit, cui succumbit infirmitas, gratia iuvare qua infunditur charitas* Cujusmodi locis scripta Augustini plena sunt.

Lib. 4. ad Bonif. cap. 3.

Lib. de Spir. & litt. c. 5.

Ibid. cap 15.

Lib. 1. de pec. merit. cap. 11.

Lib. 1. ad Bonif. c. 8.

Eandem radicem tangit cum homini per legem insinuatum tradit, ut fœditatem suam, in qua jacebat, velut opposito sibi speculo agnosceret, non tamen eam detergendo auferri nisi per gratiam Liberatoris: *Non data est lex quæ posset vivificare, sed quæ ostenderet peccata peccatori. Peccator enim oblitus erat se, nec videbat se. Data est illi lex, ut videret se, fecit reum lex, liberavit latet legis.* Et libro de peccato originali: *Non*

In Ps. 118.

Lib. de pecc. orig. cap. 26

enim data est lex, quæ posset vivificare, sed quæ mortuos, quibus vivificandis gratia esset necessaria, non solùm peccati propagatione & dominatione prostratos, verùm etiam ipsius legis addita prævaricatione convictos deberet ostendere, non ut periret quisquis hoc in Dei misericordia etiam tunc intelligeret, sed ut per regnum mortis ad supplicium destinatus, & iam sibi ipsi per prævaricationem legis manifestatus, Dei quæreret adjutorium. A Et sermone quinto de verbis Apostoli: *Quid ergò? Quid dubitamus ad hoc legem esse datam, ut inveniret se homo? Quando enim Deus non prohibebat à malo, latebat se homo, vires suas languidas non invenit, nisi quando legem prohibitionis accepit. Invenit ergò se, in malis invenit se. Quo fugit se? Quòcumque enim fugerit se, sequitur hunc. Et quod ei prodest de se invento scientia, quam sauciat conscientia?* Et in sermonibus de tempore: *Præsumebant homines de viribus suis, & faciendo quicquid sibi licere arbitrabantur, peccabant in legem Dei occultam. Vnde ista lex manifesta promulgata est eis, qui omninò sibi rei esse non videbantur.* B *Data est illis lex, non quæ sanaret, sed quæ ægrotantes probaret. Lex præcucurrit ante medicum, ut se ægrotus, qui se sanum putabat, inveniret ægrotum.* Et præclarè in alio sermone quodam ad populum: *Qui ægrotabant, sanos se esse putabant: acceperunt legem quam implere non poterant. Didicerunt in quo morbo essent, & imploraverunt manum Medici. Voluerunt sanari, quia cognoverunt se laborare: quod non cognoscerent nisi datam legem implere non possent. Innocens enim sibi homo videbatur, & ex ipsa superbia innocentiæ falsæ insanior fiebat.* Et ex homilijs omnia simul juncta complexus: *Optimè autem sequitur, & dicit: Etenim benedictionem gratiæ dabit, qui & legem dedit. Ad hoc enim lex data est, ut superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pœnitentiam suaderet. Ad hoc lex data est, ut vulnera ostenderet peccatorum quæ gratia benedictione sanaret. Ad hoc etiam lex data est, ut diceremus in convalle plorationis, video aliam legem in* C *membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem in lege peccati, quæ est in membris meis. & cum ipso plorantè diceremus. Infœlix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Quæ sanè omnia apertissimè & satiatissimè docent convincuntque id quod supra diximus, legem tantùm unam amissæ libertatis causam tollere ignorantiam, quatenus quid agendum & vitandum sit, hominem docet: alteram verò causam, quæ potissima est, hoc est, malorum concupiscentiam, non solùm relinquere invictam, sed etiam hominem docere, in quo morbo jaceat, adeoque imbecillitatis propriæ convincere, quatenus præcepto admonitus videt, manuque quasi tangit se affectum suum à concupiscentiarum suarum dominatu liberare non posse, nec facere quod jubetur: ut ita peccato prostratus & fractus, ac lege doctus atque convictus, tandem aliquando adversus concupiscentiæ suæ dominatum discat implorare gratiæ libertatem, cum Apostolo exclamando: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quam libertatem nisi contra concupiscentiam laborantibus gratia divina largiatur, juxta Catholicam doctrinam certum est homini esse succumbendum; ita definiente ad Episcopos Africanos Innocentio: *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eodem iterum non auxiliante vincamur.* Nam ista Apostoli oratio: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* pro impetranda contra concupiscentiæ dominationem libertate, aduersus vitia carnalia, ut jam supra ex Augustino diximus, funditur. Est enim omninò similis illi, quam David fudit, quando precabatur: *Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas.* Ad quæ verba sanctus Augustinus: *Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas? Vt autem ei non dominetur, videat ab illo quis invocetur. Precatur, non pollicetur; confitetur, non profitetur. Optat plenissimam libertatem, non iactat propriam potestatem.* Quæ totidem verbis de illa Apostoli oratione: *Quis me liberabit?* pari omninò veritate atque soliditate dici queunt. Porrò in isto primo effectu legis tradendo, sanctus Augustinus Apostoli Pauli vestigia secutus est, qui exserte dicit ad Romanos: *Per legem cognitio peccati.* Et apertiùs: *Peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: Non concupisces.* Quibus hoc docet, quod tradidimus, Legem datam datam esse, ut non peccati evictio, sed cognitio fieret, & ita agnosceret homo, quo morbo laboraret, quod ante legem ignorabat.

Ser. 5. de verb. Apost. c. 8. — *Serm. 49. de temp. cap. 2.* — *To. Append. serm. e quinque pertic.* — *Homil. 50. cap. 1.* — *Rom. 7.* — *Ep. Innoc. ad Concil. Carthag.* — *Psal. 118.* — *Epist. 89. ad Hilar.* — *Ad Rom. 3.* — *Ibid. cap. 7.*

CAPVT

CAPUT OCTAVUM.

Secundus effectus legis, reddere præcepti observationem difficiliorem sine gratia, propter incrementum concupiscentiæ.

VT verò natura legis lectoribus exploratior sit, quæ nonnullis recentioribus, valdè incognita est, graviumque offensionum, in causa gratiæ & libertatis occasio, operæ pretium est alios nonnullos effectus legis verumque scopum, quem in ea ferenda Deus habuit, patefacere. Nec enim res ista tàm in propatulo posita est, ut Scholastici nonnulli putant. Non enim aliud ferè in legis latione considerare solent, quàm quod velut lumen quoddam divinitus accensum fuerit, in cujus radijs ambulantes rectè viverent. Gratiam enim affuisse sufficientem, quæ Iudæos à peccati seu concupiscentiæ dominatione liberaret, hoc est, liberos faceret, ut legis præcepta custodiendo vita æterna potirentur. Ita ferè recentiores Philosophiæ potiùs humanæ quàm Theologiæ divinæ scita persequendo, statuunt. Hæc enim imaginatio ab Augustini sexcentis locis tradita doctrina per quam longè recedit. Ignoscendum est in re obscura laborantibus. Sacramentum enim longè arcanius in legis illius procuratione latet, quàm vulgò putant. Agnovit hoc Augustinus, quandò dixit: *Habet aliquid obscurum traditio ipsa legis*; propter quam obscuritatem, *magnum ibi mysterium* latuisse confirmat. Et prosper multò maximè quando dicit, utilitatem & justitiam legis *altissimè latuisse*. Hæc igitur altissimè latens legis utilitas Iudæis lapis offensionis fuit; & ne etiam Catholicis nonnullis fiat, quantum Deus vires dederit, eruenda est. Ita enim necessitas divinæ gratiæ ad infringendam concupiscentiæ tyrannidem, excutiendumque jugum servitutis, quo voluntas premitur, & magnitudo gratitudinis, quam largitori gratiæ Testamenti novi, & liberatori suo redempta creatura debet, magis elucescent.

In Ps. 102.

Prosp. in Ps. 118. in P.

Quapropter quisquis legem Iudæis eo immediato scopo datam esse putat, ut præceptorum eius luce eruditi, faciliùs caverent peccata, quæ antea legis naturæ transgressione perpetrabant, non mediocriter hallucinari videtur. Tantùm enim abest, ut lex institutionis illius allatæque scientiæ de rebus agendis cavendisque beneficio, majorem afferret justitiæ facilitatem, ut potiùs eam difficiliorem fecerit; & quasi muro quodam interposito impossibilem. Paradoxum hoc videbitur cuipiam Stoicis mirabilius, divinamque beneficentiam & benevolentiam non satis decens. Ad quid enim hominum suapte naturâ corruptissimâ satis imbecillium conatus, novis allatis sub specie beneficij difficultatibus deterrere & ipsa quasi justitiæ impossibilitate ac desperatione frangere? Ita homines humano sensu cogitant. Sed vanæ sunt cogitationes hominum, adversus altissimum & beneficentissimum consilium Dei.

Quod antequàm illo ipso juvante, detegamus, interim id quod jam diximus legem attulisse Iudæis majorem iustitiæ servandæ difficultatem, peccandique pronitatem ac promptitudinem, declarandum est. Nihil enim in Augustini & veterum gratiæ defensorum scriptis decantatius est: utpotè qui nihil inculcant studiosius quam legem, quæ id quod malum est vetat, accendere potiùs quam sedare peccandi sitim. Augetur enim repressa cupiditas & bono concupito quasi in perpetuum caritura, fortius in ejus fruitionem exardescit. Ex quo efficitur necessariò, ut præcepti servandi difficultas longè operosior molestiorque fiat, dùm id augetur, quod solùm ejus custodiendi difficultatem afferebat. Quantò enim libertas scientiæ legis beneficio expeditior esse videbatur, tantò arctioribus crescentis cupiditatis & servitutis vinculis alligatur, nisi alio novo gratiæ subsidio impetus ejus refringatur. Saluberrimam istam sancti Doctoris institutionem audiant homines qui sibi de accepta rerum agendarum cognitione plus quam satis est blandiuntur: *Venumdatus est sub lege à peccato, quoniam pretium mortiferæ voluptatis amplectitur dulcedinem illam quâ fallitur, & delectatur etiam contra legem facere, cum tanto magis libet, quanto minùs licet.* Audi hinc majorem arbitrii servitutem, quam qua ante premebatur: *Quâ suavitate frui non potest, quasi pretio conditionis suæ, nisi cogatur tanquàm emptum mancipium servire libidini, sentit enim se servum dominantis cupiditatis, qui prohibetur, & se rectè prohiberi cognoscit, & tamen facit.* Nam de tali instructo jam per legem paulò inferius dicit, quod *trahitur ad malè operandum, concupiscentiâ dominante, atque fallente dulcedine peccati, quamvis ex parte notitia legis hoc improbet.* Et in eadem quæstione superius: *Peccatum*, id est concupiscentia, *non legitimè utens lege, ex prohibitione aucto desiderio, dulcius factum est, & ideò fefellit. Fallax enim dulcedo est, quam plures atque maiores pœnarum amaritudines consequuntur. Quia ergò ab hominibus nondùm spiritalem gratiam percipientibus suaviùs admittitur, quod vetatur, fallit peccatum falsâ dulcedine.* Et libro de vera Religione addit & pœnam: *Vehementior prohibitio peccatorum, & pœna peccantium, serviliter coercens,*

Lib. 1. ad Simplic. quæst. 1.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Lib. de vera Relig. c. 26.

Epist. 200. ad Asellicum.

crescenti, carnalibus animis atrociores impetus libidinis gignit, & cumulo commissa congeminat. Et in Epistola ducentesima: *Lex ostendit hominem sibi ipsi, ut sciat infirmitatem suam, & videat quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiscentia quàm sanetur. Appetuntur enim ardentius, quæ vetantur, dum id quod spiritaliter iubetur, carnaliter observare compellitur.* Et libro de Continentia: *Auxit prohibitio concupiscentiam eamq; fecit invictam.* Ecce invictam legis instructione concupiscentiam. Quod quomodo fiat, ne multitudine locorum, quorum immensa in Augustino sylva occurrit, lectori tædium afferamus, una ab ipso producta similitudine illustrari satis fuerit. Sic enim loquitur in libro de Spiritu & litera, ubi doctrinam illam de Incremento concupiscentiæ, quod parit lex, aliquoties repetit: *Sed ubi sanctus non adiuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris, profectò illa lex, quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum: sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito, cuius molem cum vicerit, maiore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur.* Quod Sermone quarto de verbis Apostoli evidentius atque popularius ob oculos ponit, locum Apostoli explicans: *Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Sic enim ait: *Minor erat concupiscentia, quando ante legem securus peccabas; nunc autem oppositis tibi obicibus legis fluvius concupiscentiæ quasi frenatus est paululum, non siccatus: sed increscente impetu quo traducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiscentia tua minor erat, quando tuam movebat libidinem, nunc est, quando transcendit & legem.* Quibus duobus locis & modum explicat quo concupiscentia fit prohibitione robustior: & gratiam qua ejus impetus refrenatur. Si enim fluvius non desinat in decliviora loca semper fluere, quanto aggeres objecti, quibus aquarum libertas coercetur fuerint fortiores, tanto necesse est impetum earum ac pondus ad perrumpendos obices esse vehementius, quo si semel nitendo superaverint, impetuosius per declivia in præceps ruunt. Quamobrem qui impetum earum ad perrumpendos aggeres coercitum velit, alterutrum faciat necesse est, ut vel obicem tollat, quo liberè tranquilleque possit fluere; vel fontes obstruat, unde perpetuò fluunt. Eodem planè modo de concupiscentiæ fluxu arbitrandum est: quem qui diminutum fractumque esse velit, vel leges auferat tanquàm obices, quibus impetus ejus ad perrumpendum crescit, vel ipsum concupiscentiæ fluxum sistat: quorum prius quidem facillimum est, sed flagitiis licentiam tribuit: posterius difficillimum, sed præcipuâ certaque utilitate commendatum. Ipsam enim exhaurit concupiscentiæ scaturiginem, inveteratamque naturæ ægritudinem sanat. Cujus sanationis modum ac remedium iisdem verbis Augustinus tetigit, quando dixit: *Ubi sanctus non adiuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est charitatem diffundens in cordibus nostris, profectò illa lex auget prohibendo desiderium malum.* Quod & aliis in locis sæpe tradidit: *Virtus peccati lex, quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem nisi diffundat Spiritus charitatem.* Et eodem libro de Spiritu & littera: *Littera prohibens peccatum non iustificat hominem, sed potius occidit, augendo concupiscentiam & iniquitatem prævaricatione cumulando, nisi liberet gratia per Iesum Christum dono Spiritus sancti.* Et in libris Retractationum: *A cuius concupiscentiæ dominatu non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum dono Spiritus sancti, per quam diffusa charitas in cordibus nostris vincit concupiscentias carnis, ne consentiamus eis ad malefaciendum, sed potius bona faciamus.* Idem habes libro primo ad Bonifacium, & aliis nonnullis locis; eandemque charitatem qua sola peccandi desiderium extinguitur dilectionem iustitiæ vocat. Charitas enim tanquàm dilectio Creatoris, ex diametro repugnat concupiscentiæ, tanquàm dilectioni creaturæ: ex quo fit ut charitate crescente necessario cupiditas minuatur, & è contrario, juxta illud Augustini: *Nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.* Hoc est ergò illud solum unicuique remedium adversum cupiditatis augmentum inspiratio charitatis quam Augustinus semper significat, quando toties dicit: a *Lex auget prohibendo peccati desideria, nisi subveniendo vivificet gratia.* Et b *Gratia nisi adiuverit, nihil lex est nisi virtus peccati.* Et c *Hoc vitium* (id est concupiscentia) *quo prohibita plus delectant, & fit virtus peccati lex, non sanat nisi vivificans Spiritus.* Et d *In eis regnat concupiscentia, qui ab ea victi pertrahuntur maiore impetu, cum lege prohibentur, si gratia non iuvantur.* Et e *Ita lex gratia non adiuvante, prohibens peccatum virtus est insuper peccati.* Et f *Scientia legis sine gratia Spiritus, operatur in homine omnem concupiscentiam.* His & similibus locis, quibus Augustini scripta plena sunt, semper significatur gratia, non cujusquam cœlestis illuminationis, aut cogitationis congruæ, aut terroris, aut similiū, quæ recentiores nonnulli pro gratia Christi obtrudere voluerunt, sed illa unica & regia Dei charitas, *quæ*, ut alibi dicit, *sola vult bonum, per cuius donū delectat esse legis factorem.* Hæc ergò una charitas tanquàm concupiscentia bona opposita concupiscentiæ malæ nisi per Spiritum sanctum cordibus nostris inspiretur, lex nihil aliud efficiet, quam quod atrociores concupiscendi stimulos admovebit, ut majore impetu ruptis prohibitionis cancellis, in flagitia præcipitetur. Nam ut Augustinus: *Lex iubendo bonum, & non largiendo charitatem, quæ sola vult bonum, reos prævaricationis facit.* Porrò doctrinam illam non ex ingenio humano commentus est sanctus Doctor, sed tanquàm ab Apostolo sibi traditam ubique commendat. Sic enim jam aliquoties exponentem audivimus locum *virtus peccati lex*, quo significatur, concupiscentiam, quam peccati nomine Apostolus, indicare solet, vel vi, vel occasione legis accendi. Quod alibi apertiùs dicit: *Peccatum occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam.*

Marginalia: *Lib. de Continentia c. 3.* — *Lib. 3. ad Bonif. c. 2.* — *Lib. de gratia & lib. arb. cap. 4.* — *Lib. 2. contra Iul. imperf.* &c. — *Lib. de Spir. & litt. c. 14. & 32.* — *Serm. 4. de verb. Apost. cap. 5.* — *Lib. de Spir. & litt. c. 4.* — *Lib. de perf. Iust. c. 6.* — *Lib. de Spir. & litt. c. 14.* — *Lib. 1 Retract. c. 23.* — *Libro 1. ad Bonif. c. 8.* — *Lib. 2 contr. adver. leg. & Proph. cap. 7.* — *Lib. 83. qq. quæst. 36.* — a *Lib. 3. ad Bonif. c. 2.* — b *Libro de gratia & lib. arb. cap. 4.* — c *Lib. 1 contra Iul. imperf. f. 436.* — d *ibid. fol. 449.* — e *Libro de Continen. cap. 3.* — f *Lib. de gestis Pelag. cap. 7.* — *Lib. 1. contra Iul. Imp. fol. 130. l. 4. ad Bonif. cap. 5.* — *Loco contra Iul. citato.* — *1. Cor. 15.* — *Rom. 7.*

C A-

CAPVT NONVM.

Tertius effectus legis, graviorem ruinam afferre, arctiusque concludere hominem sub peccato.

SI mirus homini carnali visus est præcedens legis effectus, ille quem jam dicturi sumus, multo profectò videbitur mirabilior, blasphemiæque proximus, nisi docentium authoritate judicantium temeritas refrenetur. Tertius enim effectus legis, & in Scripturis sacris veterumque doctrina maximè celebratus est, quod non solùm non aufert aut minuit peccata delinquentium, docendo imperitos quo pacto eis vita instituenda est, sed etiam graviores peccatores facit. Cujus rei duplicem causam in Augustini scriptis invenio. Vt verò magis intelligantur, observandum est, necessarium esse ut alterutro se modo habeat carnalis homo qui legem accipit (de spiritualibus enim sanctisque viris hic non loquimur, quibus lex juxta Apostolum non est posita) videlicet ut quod lex jubet, facere aut nolit, aut velit. Vtrumvis fecerit plerumque peccabit gravius quam sine lege peccavisset; graviter quidem si facere noluerit, periculosius si voluerit.

Prima igitur causa majoris gravitatis, si noluerit implere quod jubet lex, ex præcedenti effectu legis proficiscitur. Diximus enim legis vetito ardorem cupiditatis magis accendi, quatenus efficitur dulcius quod vetatur. Ex quo necessariò fit ut faciliùs, & sæpiùs, & ardentiùs in peccatum stimulante magis peccandi cupiditate præcipitetur. Significavit hoc Augustinus aliquoties in præcedentibus quando dixit: *Peccatum auctio desiderio dulcius factum esse; & suavius admitti quod vetatur.* (*Libro 1. ad Simplic. q. 1.*) Et in opere contra Julianum imperfecto, dicit per illud *vitium hominis quo prohibita eius delectant, & fit virtus peccati lex, lege subinte ante abundasse peccatum.* (*Lib. 1. contra Iul. oper. imperf. fol. 436.*) Et libro de gratia & libero arbitrio dicit ex Apostolo: *Peccatum vires adversus hominem accepisse per legem, & occidere, & operatum mortem.* (*Lib. de gratia & libero arbitr. c. 11.*) Et libro tertio ad Bonifacium: *Virtus peccati lex. Auget enim prohibendo peccati desideria, & inde occidit.* (*Libro 3. ad Bonif. c. 4.*)

Secunda causa est, eaque præcipua, quæ ex ipsa natura transgressæ legis fluit, quia lex jubendo tantùm & non juvando ut homo impleat quod jubetur, hoc ipso prævaricatorẽ facit. Nam sine lege peccator fuisset, prævaricator neutiquàm. Nam ut Apostolus: *Vbi non est lex, nec prævaricatio.* (*Rom. 4.*) Prævaricatio verò simplici peccato longè gravior est: *Quia gravius fecit & interimit contempti præcepti conscientia.* (*Lib. de moribus Eccles. cap. 30.*) Nam ut alibi dicit: *Evidens est transgressio, cum præceptum memoria retinetur, & tanquam in illo Deus assistens, præsensque contemnitur.* (*Libro 12. de Gen. ad litt. cap. 30.*) Effectum istum legis inculcat Augustinus frequenti sime: nos paucis locis ex immensa segete delumptis contenti erimus. Sic ergò libro tertio de peccatorum meritis: *Accepimus legem, non ut emendatione finiremus peccatum, sed ut transgressione augeremus. Lex enim subintravit ut abundaret peccatum. Et, conclusit Scriptura omnia sub peccato.* (*Libro 3. de peccat. merit. cap. 11.*) Et libro de Spiritu & littera: *Nec istam inscriptionem legis in corde, quæ justificatio est, poterat efficere in Iudæis lex in tabulis scripta, sed solam prævaricationem.* (*Lib. de Spir. & litt. c. 18.*) Totoque libro instantissimè docet, solius esse gratiæ, ut etiam lex decalogi ab homine fiat: *Littera verò legis sciri,* inquit, *facit peccatum potius quam caveri, & ideò magis augeri quàm minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit.* (*Ibid. cap. 5.*) Et libro primo ad Bonifacium: *Vbi quidem iam debent concedere, quod in lege nemo justificatur, sed ad cognitionem peccati & ad ipsam prævaricationem valere legem.* (*Libro 1. ad Bonif. cap. 8.*) Et in expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos: *Tunc se mortuum quisque cognoscit, cum illud quod rectè præceptum esse conspicitur, implere non potest, & prævaricationis crimine amplius peccat, quam si non prohiberetur.* (*In expositione quarundam propos. ad Rom. n. 40.*) Et in libris contra Faustum: *Lex superbos etiam prævaricationis reatu devinxit augendo peccatum, cum jubet quod implere non possunt.* (*Lib. 19 contra Faust. cap. 7.*) En prævaricatio ex eo quod jubet lex id quod homines concupiscentia sæviente imbecilles implere non possunt. Quod exposuit latius & luculentius in sermonibus de verbis Apostoli: *Procedit lex Dei & dicit, Non concupisces. Ille homo qui putabat magnum bonum esse, magnamque fœlicitatem existimabat, ex qua posset, concupiscentiæ suæ non negare, sequi quò trahit, audit: Non concupisces, & cognoscit esse peccatum. Deus dixit, homo audivit, Deo credidit, peccatum suum vidit, quod bonum putabat, malum esse cognovit, voluit frænare concupiscentiam, non ire post eam, strinxit se, conatus est, victus est. Qui fuit antea nescius malorum suorum factus est doctus, & parum est victus. Cœpit esse non solum peccator, sed etiam prævaricator. Peccator enim & antea erat, sed antequam legem audiret, peccatorem se esse nesciebat. Legem audivit conatus est vincere, superatus atque prostratus est. Factus est & legis prævaricator, qui fuit antea nescius peccator.* (*Serm. 4. de verb. Apost. cap. 5.*) Ecce utinitas in eis qui vel nolunt facere quod lex jubet, vel etiam facere conando superantur, ut non solùm peccatores, sed etiam ipsâ prævaricatione peiores efficiantur. Quas duas causas jam explicatas simul expressit breviter Augustinus in Epistolam ad Romanos: *Sic abundavit peccatum, cum & concupiscentia ex prohibitione ardentior facta est, & peccantibus contra legem prævaricationis crimen accessit.* (*In expos. quarundam propos. ex Epist. ad Rom. n. 30.*)

Sed quia perspicuum est, quosdam audita lege pœnarumque comminatione implere quod jubet, & vitare quod vetat, putari posset, in

istis falsum esse quod Augustinus de peccatorum cumulatione per legem, eiusque prævaricatione generaliter tradit, declarat idem alium adhuc esse sub lege occultiorem prævaricandi, aliumque periculosiorem peccandi modum, quàm si manifesta legis violatione peccaretur. Nam quotquot legem vi legis implere volunt, in alterutrum transgressionis modum incidunt, ut vel eam animo coram Deo prævaricentur, vel gravius elidantur superbia, quamvis conspicua legis opera coram hominibus implere videantur. Prior ille prævaricandæ legis modus tunc committitur, quando præcepta legis pœnarum timore non justitiæ dilectione complentur. Tunc enim intus in corde reus est, vbi Deus videt, quid facere mallet, si liceret impunè. Quam doctrinam velut saluberrimam adversus eos qui adjutorio legis inflati tument, frequenter tradit. Nam ipsi Apostolo inter cæteros hoc contigisse profitetur ad Bonifacium: *Nec moveat,* inquit, *quod ad Philippenses scripsit, secundùm iustitiam quæ in lege est, quod fuerit sine querela. Potuit enim esse intus in affectionibus pravis prævaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere, vel timore hominum, vel ipsius Dei; sed pœnæ formidine non dilectione ac delectatione iustitiæ. Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari ut etiam faceret, si hoc posset impunè committi. Nam sic profectò in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate sed timore non peccat.* Et generaliter de Iudæis libro de Spiritu & littera: *Illis Iudæis lex iram operabatur abundante peccato, quod ab scientibus perpetrabatur. Quia & quicumque faciebant quod lex iubebat, non adiuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore iustitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate quod coram hominibus apparebat in opere: potiusq; ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset impunè, committere.* Et inferius in eodem libro: *Ex hac promissione, hoc est, ex Dei beneficio ipsa lex impletur, sine qua promissione prævaricatores facit, vel vsque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit, vel certè in sola voluntate, si timor pœnæ suavitatem libidinis vicerit.* Qua de re alibi dabitur uberior dicẽdi locus. Quod si cui videatur fortasse alio adhuc modo legem à Iudæis impleri potuisse, ipso videlicet intuitu moralis honestatis, quemadmodum eam Philosophi nonnulli videntur implesse, atque ita in talibus legem non auxisse peccatum, sciat ille, tales legis impletores alio pejori multoque periculosiori genere prævaricationis implicatos fuisse superbia, qua sibi de impleta legis justitia gratulabantur. De cujusmodi factoribus idem Augustinus: *Quod autem ait, fefellit me peccatum occasione acceptâ per mandatum; sive quia suasio delectationis ad peccandum vehementior est, cum adest prohibitio. sive quia etiam si quid homo fecerit secundùm iussa legis, si adhuc non sit fides, quæ est in gratia, vult sibi hoc tribuere non Deo, & superbiendo plus peccat.* Et libro tertio ad Bonifacium: *Putant se arbitrij sui viribus implere legem iubentem, & ista implicati superbia, ad gratiam non convertuntur iuvantem. Sic eos littera occidit, aut apertè etiam sibi reos, non faciendo quod præcipit, aut putando se facere quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt charitate. Ita remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter iusti; in aperta iniquitate evidenter elisi, in fallaci iustitia insipienter elati.* Fallax enim hujusmodi justitia est, non solùm quia non est supernaturalis, ut vulgò putant, sed quia tota nonnisi ex veris peccatis coalescit. Temporalibus enim rebus appetendis tales inhiant, quorum vel assequendorum spe, vel amittendorum timore faciunt, quicquid faciunt: prout hoc fusissimè supra declaravimus; & Augustinus tangit breviter ad Bonifacium: *Quicumque ibi erant, sola quæ Deus ibi pollicetur, promissa terrena sectantes, & quid pro novo testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta servabant: imò non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas, metusq; carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omninò non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus. Tales erant filij terrenæ Ierusalem.* Quam Augustini doctrinam in se certissimam plurimis ejus testimonijs hic illustrare possemus (quod & alibi fecimus & faciemus) si res hic postularet. Sed hæc sufficere existimo ut intelligatur, etiam illos qui sic præceptum legis per ipsam legem implere sibi videntur, reatu vel prævaricationis ipsius legis, vel alio deteriori superbiæ implicatos augere peccata: atque ita quocumque sese carnalis verterit, nisi Deus ipsum gratia charitatis liberaverit, legem ei non tollere, sed cumulare delicta; adeoque arctius eum sub peccato quam antea, cum careret lege, concludere.

Quæ quidem omnia ex Apostolo Paulo sanctus Augustinus hausit. Evidentissimè enim disertissimeque dicit ad Romanos: *Lex iram operatur. Lex subintravit, ut abundaret delictum. Occasione acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Peccatum occasione acceptâ per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Peccatum per bonum operatum est mihi mortem.* Et in Epist. 1. ad Corinth. *Virtus peccati lex.* Et in Epistola secunda: *Littera occidit,* quam ibidem eâ de causa vocat *ministrationem mortis,* & *ministrationem damnationis.* Et in Epistola ad Galatas apertissimè: *Conclusit scriptura omnia sub peccato. Lex propter transgressiones posita est.* Quibus Apostolicorum scriptorum locis, unum idemque, atque hoc ipsum, quod hic tradimus, significatum esse, diversis & ex professo scriptis hac de re tractatibus Augustinus docet, & compendio in libris contra adversarium legis & Prophetarum: *Quod est autem ministratio mortis & ministratio damnationis, hoc est, occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam; hoc est, adveniente mandato peccatum revixit, hoc est, inventum*

est

Margin notes: Lib. 1. ad Bonif. c. 9. — Lib. de Spir. & litt. c. 8. — Cap. 19. — Lib. 83. qq. quæst. 66. — Lib. 3. ad Bonif. c. 7. — Ibid. c. 4. — Rom. cap. 4. — Cap. 5. — Cap. 7. — 1. Cor. c. 15. — 2. Cor. c. 3. — Galat. 3. — Lib. 1. contra Advers. legis & Proph. cap. 7.

est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in A *mortem; hoc est, occasione accepta peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit; hoc est, Lex subintravit, ut abundaret delictum; hoc est, Lex iram operatur; hoc est, virtus peccati lex. Prohibitio enim peccati, quod est Lex, auget profectò desiderium peccandi: quod non extinguitur nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur. Et ideò*, ut paulò superius dixit, *sub lege peccator*, Ibid. *insuper etiam prævaricator amissa excusatione ignorantiæ convictus iacet.*

Ex quibus hoc colligimus, non rectè scopum datæ legis eos intelligere, qui putant idcircò Iudæis datam, ut quia morum honestas in verecunda peccandi licentiâ ac turpitudine obsoleverat, lege data aliquantulum restringeretur, faciliusque vi legis peccata caverentur. Hæc enim Iuliani sententia magno conatu Augustini impugnantis explosa est. Lib. 2. oper. imp. f. 278. *Peccatum ergo infregit censura legis*, inquiebat Iulianus, *& infringendo ex multa parte restrinxit.*

Cui reponit Augustinus pro Apostolici sensus integritate decertans: *Si peccatum lex infregit, & multâ parte restrinxit, mentitus est, qui ait: Lex subintravit ut abundaret delictum. Sed quia ille verum dixit, tu nihil dicis; & tamen nihil dicendo, hæretica pertinacia contradicis.* Ecce hæreticam vocat pertinaciam, qua vel peccatum per legem aliquâ ex parte restrictum esse sustinebat, cùm secundùm Apostolum per legem *abundasse* dicendum sit. Peccatum enim neque restringi, neque infringi, neque caveri nisi per gratiam potest, ideoque necesse est illud accessu legis per incrementum cupiditatis, & prævaricationem legis augeri. Vndè cùm idem Iulianus dixisset: *Causam maximam fuisse promulgandæ legis, ut peccatum proderetur & caveretur*; Ibid. f. 281. constanter ei respondet Augustinus: *Vt proderetur verum dicis, hoc & nos dicimus: ut autem caveretur, non lex sed gratia, non littera sed Spiritus fecit. Lex enim sic intravit, non ut caveretur, sed ut abundaret peccatum.*

CAPVT DECIMVM.

Explicatur modus quo lex facit abundare peccatum, & iram operatur

HÆc doctrina quia hominibus vim A legis non satis penetrantibus, carnaliq; sensu peccatorum fugam metientibus durissima semper visa est, adversarios multos habuit. Non enim capit carnalium sensus, qui se libero arbitrio & agendorum cavendorumque cognitione cernit instructum, non se posse peccatum jam cognitum, à quo consiliis, hortationibus, suasionibus, legibus, suppliciisque revocatur, suâ liberâ voluntate declinare, sed reatum suum potius adjecta legis prævaricatione cumulari. Itaque & Pelagiani, & Manichæi, & Iudæi gravissimè ex doctrina ista scandalizati sunt. De Pelagianis jam audivimus. De Manichæis Serm. 45. de temp. cap. 2. testatur, eos *In obscuritate legis tanquàm in clausis ostijs caliginem passos*: Existimasse *legem datam ab alio non à Deo*, Serm. 11. de verb. Apost. cap. 9. *quia per illam homo factus esset prævaricator*. De Iudæis alibi; eos *æquo animo ferre non potuisse, quod lex prævaricationis gra-* B Lib. 2. cont. Advers. legis & Prophet. cap. 9. *tia posita esset.* Quapropter & modus explicandus est, quo prævaricationis gratia seu propter prævaricationem lex posita fuit, & quo tandem consilio lex talis hominibus infirmis data, qua peccatis afflicti, gravius adhuc affligerentur. Hoc enim à divina misericordia atque benignitate primâ fronte videtur abhorrere.

Et modus quidem quo accessu legis abundavit peccatum reatusque hominis cumulatior factus est, Deum extra omnem culpam collocat. Hoc enim per accidens contigit ex parte Dei, per se ex innato & consuetudine roborato hominis vitio. Est enim animo diversis libidinibus temporalium bonorũ vitiato naturale, ut ea quę cupiditatibus consentanea sunt, oblata concupiscat, idque tanto impotentius, quanto fortius prohibentur: *Nescio quo enim modo hoc ipsum quod cõcupiscitur, fit iucundius dum vetatur.* Lib. de Spir. & litt. c. 4. Legis ergò accessus per se quidem tendit ad restringendum cupiditatis impetum, quatenus frenandum esse docet: sed propter insitam visceribus hominis libidinem, fit ut indè ardentius inflammetur; ut si indè gravior reatus consequatur, non Deo, qui terminos ponit malo, sed homini terminos transilienti imputandum sit. Lex enim per se non fomes sed limes ardoris est: quàmvis propter vitium ex limite exardescat magis & magis. Ita fit ut littera legis occidat, & iram operetur, & subintraret ut abundaret delictum. Hunc occidendi augendique peccati modum tradidit Augustinus, quando dixit: *Multum interest non quid accipiat, sed quis accipiat, nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur.* Tract. 86. in Ioannem initio. B *Nam & bona obsunt, & mala prosunt, sicut fuerint quibus dantur. Peccatum, inquit Apostolus, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Ecce per bonum factum est malum, dùm malè accipitur bonum.* Et alibi declarat hoc ita per accidens ex parte legis ac legislatoris fieri, sicut per accidens quibusdam bonus odor in mortem est, proprio videlicet vitio morientium, qui aliis est odor vitæ in vitam. Cùm enim interrogando sibi C proposuisset: *Cùr ergò ministratio mortis dicitur, si bona est lex?* Lib. 1. ad Simplic. quæst. 1. Continuo respondet: *Quia peccatum* (id est concupiscentia) *ut appareat peccatum per bonum mihi operatum est mortem.* Hoc est, non propriè lex, sed concupiscentia per legem bonam hoc fecit. *Nec mireris cùm de ipsa prædicatione*

Evan-

una parte lege comminante doctus, territus & conclusus, ne libertate solita per flagitia divagetur, ex altera se reum videns, nec pœnâ posse effugere, neq; concupiscentiæ inolitæ vires superare, nihil illi reliquum superest, nisi ut exclamet; reus sum, fateor ægrotus sum, vincere volens peius victus atq; prostratus sum, viribus careo ad pugnandum atq; superandum. *Infælix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.*

Sed ipsum jam Augustinum hâc de re divinissimè disserentem audiamus. Quid enim nisi superbiam lege fractam tradit, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando dicit? *Demonstranda fuerat homini fœditas languoris eius* (concupiscentiæ) *cui contra iniquitatem suam nec præceptum sanctum & bonum profuit, quo magis aucta est iniquitas quàm minuta: quando quidem lex subintravit, ut abundaret delictum:* quo scopo, quo fructu? *Vt eodem modo convictus atque confusus, videret non tantùm Doctorem sibi esse necessarium, verùm etiam adiutorem Deum, à quo eius itinera dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas, & confugiendo ad opem divinæ misericordiæ sanetur.* Quid nisi superbiam lege fractam tradit, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando dicit? *Superbienti ergò populo lex posita est, ut quoniam gratiam charitatis nisi humiliatus accipere non posset, & sine hâc gratiâ nullo modo præcepta legis impleret, transgressione humiliaretur ut quæreret gratiam.* Et rursum: *Per illam legem morbos ostendentem, non auferentem, etiam prævaricationis crimine cõtrita est superbia &c. ut ipse mediator liberaret, iam coactos confiteri, opus sibi esse gratiam & misericordiam Domini: ut sibi peccata dimitterentur, & in nova vita per eum qui pro eis sanguinem fudit, reconciliarentur Deo.* Et inferius: *Non ergò lex data est, ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet. Lex enim ostendebat peccatum esse, quod illi per consuetudinem cæcati, possent putare iustitiam: ut hoc modo humiliati cognoscerent non in sua manu esse salutem suam, sed in manu mediatoris. Maximè quippè humilitas revocat, undè nos deiecit superbia.* Quid nisi superbiam lege factam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando contra Faustum dicit: *Neque enim lex iubebat delictum, ut illa subintrante abundaret delictum: sed superbos multum sibi tribuentes mandati sancti, & iusti, & boni adiectu reos etiam prævaricationis effecerat: ut eo modo humiliati discerent ad gratiam pertinere per fidem, ut iam non essent legi subditi per reatum, sed legi sociati per iustitiam*, id est, per dilectionem iustitiæ legis &c. *Nam antequàm spiritualem gratiam humiliati reciperemus, nihil nisi mortificabat nos littera, iubens quod non possemus implere.* Quid nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando contra adversarium legis & Prophetarum, dicit: *Litterâ occidit, spiritus autem vivificat. Lex enim quamvis iusta & sancta & bona, prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia non adiuvit ad iustitiam legis implendam. Oportebat enim ut in Testamento veteri lex imponeretur superbis, & de sua voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret iustitiam sed iuberet: ac sic morte prævaricationis impliciti ad gratiam confugerent non iubentem tantummodò, sed iuvantem, quæ*

Lib. de Spir. & litt. c. 6.

Ibid. ad ...

Ibid.

Lib. 19. contra Faust. cap. 7.

Lib. 2. contra Advers. legis & Prophet. cap. 7.

A *novo Testamento revelatur.* Quid nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando contra Felicem Manichæum dicit? *Lex subintravit ut abundaret delictum. Data est enim lex superbis hominibus, & viribus suis totum tribuentibus, ut cum implere non possent legem datam, prævaricatores invenirentur, & facti rei sub lege, peterent misericordiam à legis conditore.* Et paucis post prædicta interpositis: *Erat peccatum, sed non apparebat peccatum: data est lex superbo, fecit contra legem, & apparuit peccatum, quod erat, sed non apparebat. Apparens autem peccatum humiliavit superbum, humiliatus superbus factus est pœnitens, de pœnitentiâ impetrata est misericordia.* Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando in Epistola ad Optatum dicit? *Quare lex bona data sit, consequenter adiunxit* Apostolus, *dicens; sed conclusit scriptura omnia sub* B *peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Danda itaque fuerat lex, quæ manifestius sibi seipsum ostenderet hominem, ne superbus animus humanus à seipso se posse esse iustum putaret, & ignorans Dei iustitiam, id est quæ homini ex Deo est, & suam volens constituere, id est quasi suis viribus partam, iustitiæ Dei subiectus non fieret. Oportebat itaque ut addito mandato cuius vox est, Non concupisces, superbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet, atque ita gratiæ medicinam non sanata per legem, sed convicta infirmitas quæreret.* Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adiutorium quæreretur, quando in librô 83. quæstionum dicit? *Per legem cognitio peccatorum, &, peccatum per bonum operatum est mihi mortem. Vbi ergò non est gratia liberatoris, auget peccandi desideria prohibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima seipsam non sibi sufficere ad extrahendum se de servitute peccati; atque hoc modo detumescente, atque extincta omni su-* C *perbia subdatur liberatori suo.* Et inferius: *Statuitur ergò lex per fidem, quæ fides si non sit, iubet tantùm lex, & non implentes iussa, reos tenet; ut eos gementes, & non valentes implere quæ iussa sunt, ad gratiam liberatoris aliquando convertat.* Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut adjutorium gratiæ quæreretur, quando in Psalmum octogesimum tertium, dicit: *Putabamus nos facile iustos esse posse* (hoc est facere mandata) *quasi viribus nostris acciperemus mandatum. Adveniente autem mandato peccatum revixit: Ego autem mortuus sum*, hoc ait Apostolus: *Data est enim lex hominibus, non quæ salvaret eos iam, sed per quam cognoscerent in qua ægritudine iacebant.* Audi verba Apostoli: *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omninò ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus: veniret gratia post legem, inveniret hominem non solùm iacentem, sed iam etiam confitentem & dicentem: Miser ego homo, quis* D *me liberabit de corpore mortis huius? Vt opportune veniret medicus &c. Data est ergò lex, ut ægrum de morbo convinceret, qui sibi sanus videbatur. Vt peccata demonstrarentur, non ut auferrentur. Demonstrato peccato auctum est peccatum, quia peccatum est contra legem. Occasione, inquit, acceptâ peccatum*

Libro 2. de actis cum Felice c. 11.

Ibid.

Epist. 157.

Lib. 83. qq. quæst.

Ibid.

In Ps. 83.

humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur. Istæ sunt viæ occultæ, quas notas fecit Moysi, per quem legem dedit, qua peccatum abundaret, & superabundaret gratia. Non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinæ. Aliquando enim videtur sibi homo sanus & ægrotat: & in eo quod ægrotat, & non sentit, medicum non quærit. Augetur morbus, crescit molestia, quæritur medicus & totum sanatur corpus. Quod paulò ante non minus præclarè dixerat: *Habet aliquid obscurum traditio ipsa legis. Ad hoc enim data est lex, ut convinceretur languidus & medicum imploraret. Ipsa est via occulta Dei.* (Ibid.) Quam convictionem languidi, occultamque viam Dei, clarius mox explanat: *Ergò quia hoc ibi mysterium est, ideo docet datam legem, ut convincerentur peccatores, & ad gratiam accipiendam medicum invocarent. Unde ille convictus est, quem in se transfigurat Paulus Apostolus, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus. Per mandatum enim demonstratum illi erat quædam rixa in seipso: unde dicit: Video aliam legem in membris meis &c. Cognovit se in miseria, in gemitu, in rixa, in contentione. Ipse secum sibi non concordans, à se dissonans, à se resiliens. Et quid ait, optans pacem, pacem veram, pacem supernam, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei &c.* (Ibid.) Idem istud occultum Dei consilium, multum miratus est Augustinus, quando exponere nitebatur, cur dixisset Psaltes, *Mirabilia testimonia tua.* Cùm enim seipsum interrogasset: *Cur ergò lex data est, quæ vivificare non posset, & ex qua nulla esset justitia?* Respondet sibi; *Nempè mirandum est, nempè stupendum est. Hæc sunt ergò mirabilia testimonia Dei, propter hoc hujus anima scrutata est.* (Augustin. in Ps. 118. conc. 27.) Scrutando verò ista mirabilia, tandem ei hoc mysterium Augustino proferente manifestatum est: *Noli superbire, noli de tua quæ nulla est virtute præsumere, & intelliges quare sit à bono Deo, bona lex data, quæ tamen vivificare non posset. Ad hoc enim data est, ut te de magno parvulum faceret, ut te ad faciendum legem vires de tuo non habere monstraret: ac sic opis indigus & egenus ad gratiam confugeres & clamares: Miserere mihi Domine quoniam infirmus sum. Hoc ergò scrutando intellexit hic parvulus, quod minimus Apostolorum Paulus, id est, parvulus ostendit, ideò datam legem quæ vivificare non posset, quia conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Ita Domine, ita fac misericors Domine, impera quod non possit impleri, imò impera quod non nisi per tuam gratiam possit impleri; ut cùm homines per suas vires id adimplere nequiverint, omne os obstruatur, & nemo sibi magnus videatur.* Idem mysterium secutus præceptorem suum S. Prosper exponit: *Omnia quidem opera Dei testimonia sunt majestatis & bonitatis ejus: nihilque eorum est, quod non stupendum sit atque mirandum. Sed multa mirabilia sunt testimonia legis ipsius; quorum utilitas & justitia altissimè latet, cùm quæritur quare data sit lex, quæ vivificare non posset, & ex qua non justificaretur omnis caro coram Deo. Meritò ergò hanc altitudinem scrutatus est, qui intellexit, per legis difficultates id egisse misericordiam Dei, ut qui legem implere non poterant, converterentur ad gratiam; & divinâ ope apprehenderent, quod propriis viribus assequi non valebant.* (Prosper in in Expos. Ps. 118. litt. Pho.)

CAPUT XII.

Lex pædagogus ad gratiam per terrorem: est & gratia testimonium, & quomodo.

Ex hac Augustini & Prosperi vel potiùs Scripturarum sacrarũ doctrina sic proposita jam intelligitur, quam rectè Apostolus legem vocaverit pædagogum quando dixit: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo*, seu ut Græcus legit, *in Christum.* (Galat. 3.) Hoc enim duabus ex causis dictum esse, eodem Augustino aperiente intelligimus, sicuti duabus de causis ætati teneræ atque puerili pædagogus adhibetur.

Prima ut lex esset custos eorum, ne nimis procul à Deo ad idola fugerent, quemadmodùm parvulo custodiendo custos apponitur. Hoc autem lex fecit quatenus eos legislatoris, hoc est, unius Dei terrore vindicantis transgressiones legis suæ, in ejus agnitione & cultu quamvis carnali contineret: *Spiritus sanctus*, inquit Augustinus, *qui hoc per Moysen dixit, utrumque prævidit, ut & timore visibilium pœnæ custodirentur qui nondùm poterant ex invisibilium fide vivere: & ipse timorem istum solveret &c.* (In Epist. ad Galatas.) Et infra: *Conclusio certum erat timor unius Dei.* Et contra Adimantum: *Veteri homini fugienti apposuit quod timeret.* (Libro contra Adimant. cap. 16.) Custodia ista profuit Judæis quantum dici non potest. Nam inde factum esse tradit Augustinus, quod Christo veniente tàm prope ad Deum inventi sunt, ut tot hominum millia, vendita rerum suarum pretia ad pedes Apostolorum repente ponerent, quod nullæ gentium Ecclesiæ fecisse memorantur. (In Epist. ad Galatas.) Sed ista consideratio pædagogi rarius ab Aug. ponderatur.

Altera eaque verissima, & in sancti Doctoris lucubrationibus frequentissima, quod eos qui sub se vivebant Judæos tanquam parvulos ad agnitionem gratiæ Christi, & consequenter ad fidem Authoris ejus manu duceret, & quodammodo cogeret, quatenus defectu virium se id quod jubebatur implere non posse cernebant, ideoque peccata legis cognitione non caveri, sed magis magisque cumulari. Hoc enim ipso potentissimè suadebatur, ut quia Deum sciebant injustitiæ & crudelitatis expertem, sufficientes vires rogantibus daturum esse non diffiderent, quibus præcepta tam difficilis legis implerent. Hanc pædagogicæ manu-ductionis rationem explicat libro de natura & gratia: *Scripturas utique non advertens novi Testamenti, ubi dicimus hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis, velut pædagogo concludente in eadem fide quæ postea revelata est, ubi & dimittantur quæ male fiunt, & eadem* (Lib. de nat. & grat. cap. 12.)

Lib. de Spir. & litt. c. 10.

gratia iuvante non fiant. Et lib. de Spir. & litt. *An & iniustus ut iustificetur, id est, ut iustus fiat, legitimè lege uti debet, qua tanquàm pædagogo perducatur ad gratiam, per quam solam, quod lex iubet possit implere.* Et accuratissimè libro de gratia Christi: *Cùm ad hoc potiùs valeat legis agnitio, si gratia desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio. Ac per hoc usque adeò aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solum nihil prosit, verùm etiam plurimum obsit, nisi adiuvet gratia: & hac ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adiuvandos. Iubet enim magis quàm iuvat, docet morbum esse, non sanat, imò ab ea potiùs quod non sanatur augetur, ut attentius & sollicitius gratiæ medicina quæratur.* Quod etiam expressit libro de Spiritu & littera: *Quod ait: Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus; ipsius conclusionis utilitas dicta est. Nam conclusit ad quos usus, nisi quemadmodum alibi dicitur, Priusquàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ posteà revelata est. Lex ergò data est ut gratia quæreretur: gratia data est ut lex impleretur.* Vndè illud brevissimum quo cuncta complectitur: *Lex ut multum adiuvet, ad hoc adiuvat ut gratia requiratur.* Et istud: *Proinde per legem gratia demonstratur, ut lex per gratiam impleatur.*

Lib. de gratia Christi cap. 8. — *Lib. de Spir. & litt. c. 19.* — *Lib. de gratia Christi cap. 9.*

Sed hanc Pædagogi rationem, quam præcipuè in danda lege Deus attendit, non haberet lex, si tantummodò juberet quid homini faciendum sit, eumque de prævaricatione convinceret, peccata cumularet, & imbecillitatem ejus patefaceret, nisi simul supplicium legis transgressoribus intentaret. Carnalis enim animus non magis prævaricationes agnitæ legis, quàm peccata contra legem incognitam detestatur, si bona carnalia quibus solis inhiat, etiam legis transgressione se adipisci posse arbitretur. Quapropter ut serio legis prævaricationem pertimesceret, ad eamque cavendam gratiæ adjutorium à mediatore quæreret, necesse erat, aliud apponi legis transgressioni malum, quod cùm peccator vehementer exhorresceret, & tamen viribus se sentiret suis vitare non posse, ad implorandam gratiam cogeretur. Hoc ergò malum pœna mortis fuit temporalis, æternæque damnationis, si legem prævaricatione violaret. Sic enim lex omnis torquet, retorquetque miserorum animos, dùm id auferendum transgressoribus comminatur, quod vehementius diligunt. Hac ergò de causa, plerumque docet Augustinus legem tanquàm pædagogum severum atque terribilem, infirmos animos ad Christi gratiam agnoscendam invocandamque terrore supplicij perduxisse, quod convicta per prævaricationem infirmitate, sine Dei auxilio se effugere non posse sentiebant: *Hanc itaque iustitiam Dei non in præcepto legis, quo timor incutitur, sed in adiutorio gratiæ Christi, ad quam solam utiliter legis velut pædagogi* TIMOR *ducit, constitutam esse qui intelligit, &c.* Et ad Bonifacium: *Ad quam Dei gratiam lex de prævaricatione* TERRENDO, *tanquàm pædagogus perducit, ut sic conferatur homini quod conferre ipsa non potuit.* Et inferius in eodem libro: *Non ergò legem evacuamus, sed legem statuimus, quæ terrendo ducit ad fidem. Ideò quippe lex iram operatur, ut territo atque converso ad iustitiam legis implendam, Dei misericordiam gratia largiatur.* Et libro de perfectione justitiæ: *Ad hoc enim lex ista præcipit, ut cùm in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus: ac sic eum lex terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducat officio.* Et uberius multò pòst explicans illud, quod lex subintravit, ut abundaret delictum, & superabundaret gratia, *id est*, inquit, *ut acciperet homo præcepta, superbè de suis viribus confidens: in quibus deficiens & factus etiam prævaricator, liberatorem salvatoremque requireret: atque ita eum timor legis humilem factum, tanquàm pædagogus ad fidem gratiamque perduceret. Ita multiplicatis infirmitatibus posteà acceleraverunt.* Quod breviter nervoseque complexus est, quamvis nulla facta pædagogi terrorisque mentione, quando adversus Iulianum dixit: *Lex iram operatur*, hoc est supplicium, *ut ad iram evadendam Dei gratia requiratur.* Nempe quia hâc iræ seu supplicij comminatione, peccatorem jam de legis prævaricatione, & propria infirmitate convictum atque confusum, *Adiutorium gratiæ Dei compulit poscere.* Ex quibus omnibus aliisque quæ proferri possent locis apertissimè constat, legem præcipiendo & non adjuvando, & prævaricatori legis supplicium intentando, pædagogi officio, gratiam non dedisse, sed ostendisse à quo, & unde per fidem peteretur; ut rectissimè juxta istam Augustini expositionem Apostolus dixerit: *Lex pædagogus noster fuit in Christo.*

Lib. de nat. & grat. c. 1. — *Libro 4. ad Bonif. c. 5.* — *Ibid.* — *Lib. de perf. iust. cap. 5.* — *Ibid. c. 19.* — *Lib. 1. contra Iulian. imperfect. fol. 369.* — *Ibid. f. 437.* — *Galat. 3.*

Hâc eâdem consideratione ea quæ plerumque dicitur, *Lex* subinde etiam *Testimonium* appellatur, non tàm quod testetur quid Deus jubendo vetandoque fieri, vel non fieri velit; sed juxta S. Augustinum quo hominibus de prævaricatione convictis demonstratur esse puniendos, & ut legem impleant pœnamque evadant, auxilium gratiæ postulandum. Non enim est adjutor operantium, sed testis peccantium, simul hoc ipso testimonium reddens implorandæ gratiæ Dei, qua possent justi esse justitia non sua, quam viribus suis operantur, sed justitia Dei, quam scilicet per adjutorium gratiæ tribuit Deus. *Testimonium est*, inquit, *in quantum aliquid probat, Lex autem in quantum iubet, cùm sit una eademque res &c. Testimonium legis eis qui lege non legitimè utuntur, testimonium est quo convincantur puniendi peccatores; his verò qui ea legitimè utuntur, testimonium est, quo demonstratur ad quem liberandi confugere debent peccatores. In eius enim gratia est iustitia Dei testimonium habens à lege & Prophetis.* Et ad Bonif. lib. 3. *Lex eo ipso quo in ea nemo iustificatur*, scilicet ejus præcepta faciendo, *testimonium perhibet iustitiæ Dei*, quia ipsa non justificat, cùm justus ex fide vivat. *Sic ergo cùm lex non iustificat, impium de prævaricatione convictum, mittit ad iustificantem Deum, atque ita iustitiæ Dei perhibet testimonium.*

In Ps. 77. — *Libro 3. ad Bonifacium c. 4.*

CAPVT

CAPVT XIII.

Quo pacto lex ad hominis justificationem & legis impletionem à Deo ordinata est.

EX his quæ diximus, non est jam difficile colligere, quo pacto lex ad salutem hominis procurandam data sit. Nam dici quidem lex debet, ad afferendam legis justitiam, hoc est, ad justificandum data, non tamen immediatè per legem, sed per gratiam. Immediatus verò fructus & scopus legis, fuit rectissimam regulam agendorum, cavendorumque tradere, cujus rectitudinis ac pulchritudinis atque honestatis inspectione simul cernerent perversitatem, distortamque fœditatem suam; idque eo fine, ut cum animositate nondùm edomita, ad implendam legem suis viribus sisi prosilient, multiplicatione prævaricationum de seipsis erubescerent, pœnarumque impendentium terrore ad invocandam eam qua carebant, liberationis gratiam ducerentur. Itaque prævaricationum cumulus, quo superbia contereretur non fuit ex intentione vel ordinatione legislatoris Dei, sed ex prævisione dumtaxat: qua factum est, ut cùm istud opportunissimum superbiæ curandæ remedium esse cerneret, utpotè quæ nulla re aptius ac facilius quam peccatorum numero, & gravitate & fœditate sanetur; illud mox oblatum arripuerit, eo propemodum pacto, quo ad superbiam etiam electorum suorum eliquandam & edomandam gravissimis peccatis utitur, non ea procurando, sed prævidendo, & in usum suum oblata vertendo. Hæc tantummodo differentia est, quod simul hic aliquid positiuum Deus operatus est, quatenus legem tot prævaricationum occasionem tulit. Sed ita Deus multa jam olim circa Pharaonem operatus est bona, quotidieque operatur, ex quibus homines obdurantur, nulla omninò culpa Dei: cui nihil tribuendum est in hujusmodi, nisi beneficium, homini verò quod ejus bonitate corrumpatur. Itaq; propter justissimas providentiæ suæ, imò bonitatis exercendæ causas legis tàm difficilis lationem intermittere noluit, quantumvis prævideret, & superbos implendi gratia per culpã suam destitutos eam implere non posse, & ipsa difficultate deteriora secutura peccata quibus morbus augeretur. Hoc enim ipsum ad invocandam medici gratiam, assequendamque justitiæ implendæ facultatem & facilitatem superbis utilissimum est, juxta illud Aug. *Audeo dicere superbis esse utile cadere in* Lib. 14. de Civit. c. 13. *aliquod apertum manifestumq; peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderunt. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit.* Vndè & sacer Psalmus Psal. 82. dicit: *Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine.* Et in hoc ipso argumento de quo Lib. de gratia Christi cap. 8. satagimus profundissimè: *Illis ipsum ergò super-*

A *bis est utile sub peccato arctius manifestiusq; concludi, ne ad faciendam iustitiam*, hoc est, opus justum, *de liberi arbitrij quasi proprijs viribus præsumatur.* Qua de causa cum Iudæorum qui Christi Domini ætate vivebant obduratissima superbiâ, neq; legis difficultate, neque peccatorum suorum gravitate sanaretur, ipsam excœcationem secutumque ex cœcitate deicidium omnium facinorum horrendissimum adhibuit, ut fracta illa indomita cervice tandem aliquando resipiscerent, scelerisque magnitudine compuncti, cælestis medici gratiam sibi necessariam esse faterentur: *Quid factum est in illis?* Iudæis interrogat Augustinus: *In peccato suo comprehensi sunt, quia Christum occiderunt & de ipsa magnitudine peccati, plus humiliati sunt, & maiore humilitate erigi meruerunt.* Et quomodo hoc? *Superbia quippe eos non permittebat perfici. Facinus abstulit superbiam, per eorum confessionem, indulgentia* In Ps. 58. conc. 2. Ibid.
B *delevit facinus per Dei miserationem. Vidisti quid sis, sensisti quid sis, errasti, excæcatus es, peccasti & lapsus es, agnovisti infirmitatem tuam, supplica medico, noli tibi sanus videri.* Quem sanandæ superbiæ Iudaicæ modum accuratius explicans in quæstionibus evangelicis, *quosdam Iudæorum* tradit, *tanto superbiæ tumore periclitatos, ut eis expedierit primo non credere; & ad hoc fuisse cæcatos, ut non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis non in eum crederent, non credentes autem cum cæteris desperatis crucifigerent: atque ita post eius resurrectionem converterentur.* Quæst. 14. in Matth. Audi causam tàm exoticæ medicinæ: *Quoniam tanta erat eorum superbia, ut tali humiliatione esset dejicienda.* Ecce quam terribili, quam severa, quam à carnalium hominum cogitationibus abstrusa methodo Deus utitur, ad curandas ægritudines illas occultissimas, quibus ne quidem se ægrotos esse arbitrantur. Vt nihil miremur, si ad conterendum illum ingenitum
C inveteratumque Iudaicæ gentis fastum, lege in lapidibus tantum scripta usus est Deus, qua non nisi majores cupiditati stimulos admovẽdos fœdioraq; peccata secutura prævidebat: ut vel sic de sua fœditate erubescerent, imbecillitatem agnoscerẽt, humiliarentur, ad medicum currerent, gratiã quærerent, impetratis viribus rectè viverent. Istę sunt viæ occultæ cælestis medici, quas nec à methodo medicorũ corporaliũ abhorrere declarat. *Est ergò etiam*, inquit, *ista ratio medicinæ corporalis. Nam & pleraq; medicamẽta plus affligũt ut sanẽt, & ipsa collyria quæ ad oculos pertinẽt, si ea opus est intrinsecus infundi, nisi sensũ videndi plus claudant, & perturbẽt, prodesse non possunt.* Quæst. 14. citata.

Ex qua declaratione perspicuum est, quamvis lex prævaricationis gratia posita dicatur, & virtus esse peccati, iram operari, esse ministratio mortis atque damnationis, ultimo ta-

 men

men eam in salutem hominum collimasse; non ut per gratiam sufficientem impleretur, quemadmodum recentiores æstimant, sed ut eandem gratiam agnoscendam, implorandamque docerentur. Hoc est enim quod Apostolum, Augustino interpretante, clamantem audivimus: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato*, hoc est, Lex in tabulis conscripta omnes sub se peccati & prævaricationis reos conclusit; quo fructu, quo scopo? *Vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*, hoc est, ut gratia humano generi promissa, precibus ex fide fusis implorata, credentibus donaretur. Nam hoc sibi vult illud solemne præclarumq; Augustini pronuntiatū quod toties inculcat: *Quod lex imperat fides impetrat.* Itemque illud: *Ideo iubet lex, ut admoneat quid faciat fides.* Et illud: *Lex data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex impleretur.*

Epist. 89. De natura & gratia cap. 16. Lib. de Spir. & litt. c. 13. Ibid. c. 19.

Quæ cùm ita sint, nemo existimet parvam fuisse legis utilitatem, vel Deo invidiam cum Manichæis creet, quasi à Deo malo data sit, quod virtus peccati nuncupetur. Multum enim profuit per omnem modum; sed non ut gratia. Non enim inutile aut noxium dici debet assequendæ sanitati, quod ægrotus medicinali quodam dolore cruciatur: Medici quippe scopus est, etiam per ipsas vexationes, apertique vulneris molestias, non ægrotum interimere, sed aliquid in inferiori licet gradu conferre recuperandæ sanitati. Vndè appositè Augustinus, cùm juxta Apostolum præmisisset: *Lex non est data quæ posset vivificare, sed quæ mortuos quibus vivificandis esset gratia necessaria, non solùm peccati propagatione & dominatione prostratos, verùm etiam ipsius legis additâ prævaricatione convictos deberet ostendere*, salutis conferendæ intuitu hoc Deum fecisse demonstrans, adjicit: *Non ut periret, quisquis hoc in Dei misericordia etiam tunc intelligeret, sed ut per regnum mortis ad supplicium destinatus, & iam sibi per prævaricationem legis manifestatus Dei quæreret adjutorium.* Non ergò ut hominibus desperatio injiceretur peccata prævaricatione cumulata sunt, & peccator arctissimè sub iniquitate cōclusus; sed è contrario, ut spes adipiscendæ sanitatis conciperetur: *Nemo enim est insanabilior eo qui sibi sanus videtur.*

Lib. de pec. orig. cap. 24. Aug. in Psalm. 58. conc. 2.

CAPVT XIV.

Lex virtus peccati, & iram operatur, & in singulis hominibus etiam Christianis, & in toto populo Dei, qui instar vnius hominis eruditur in quatuor statibus, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace.

NEc verò aliquis putet effectus istos legis, in solis Iudæis habuisse locum, Christianis verò qui jam sub gratia per Iesu Christi passionem revelata vivunt, legem præcipientē efficacius aliquod adjutorium ad benè vivendū posse conferre. Docet enim diversis in locis Augustinus non minùs in Christianis, quamdiu multum in sua virtute confidunt, & de impetrandis benè vivendi viribus non multū solliciti sunt, legem subintrasse ut abundaret peccatum, prævaricationem, atq; iram operari, virtutemq; esse peccati. Nam deChristianis ad Christianos loquebatur quando dicebat: *Scripturas utique non advertens novi Testamenti, ubi dicimus hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis, velut pædagogo concludente in eadem fide, quæ posteà revelata est, ubi & remittantur quæ malè fiunt, & eadem gratiâ iuvante non fiunt.* Audis in Scripturis non veteris tantùm, sed etiam novi Testamenti hanc esse legis arguentis intentionem? Et idem uberius de eadem novi Testamenti lege confirmans: *Hæc est fides ad quam præcepta compellunt*, suâ videlicet difficultate, *ut lex imperet & fides impetret.* Et iterum de superbiente Christiano quales Iudæi fuerant, *plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusq; non surgat: & ideò tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* De Christianis ad Christianos loquebatur, quando dicebat, ut probaret gratiam Christi adventu jam datam non esse scientiam legis: *Scientia quippè legis sine gratia Spiritus, operatur in homine omnem concupiscentiam: peccatū enim non cognovi nisi per legē. Occasione autem accepta peccatū per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* DeChristianis ad Christianos loquebatur quando dicebat: *Qui autem sic audiunt quod ait lex, Non concupisces, ut hoc quia didicerint sufficere sibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei ad faciendum quod iussum est, dari sibi virtutem credant & petant, ad hoc eis lex subintravit, ut abundaret delictum, quod de Iudæis dictum est. Parum enim est quia non implent quod præcepit lex, Non concupisces, sed insuper superbiunt &c.* Et inferius in eadem Epist. *Lex sine gratia* (etiam sub nova lege) *facit abundare delictum, & littera sine Spiritu occidit. Iubet ideò ut frustra conati, & nostrâ infirmitate sub lege fatigati adjutorium gratiæ poscere noverimus.* De Christianis ad Christianos loquebatur quando doctrinam illam tradebat accuratius: *Cùm ergò ille fuerit, iam sciens quid observare debeat, necdum pacem multum sibi tribuendo, & quasi de viribus suis præsumendo, incipit confligere velle bello contra vitia, & propter superbiam superari.* Ecce statum hominis jam Christiani, qui audit legem instar Iudæi, sed concupiscentia stimulatus, & pugnare sine gratia conatus vincitur ac prosternitur. Cujus statum graphicè depingens in consequētibus: *Invenit ergo se ligatum difficultatibus compeditum, & non posse viam propter compedes ambulare. Inclusum se sentit difficultate vitiorum: & tanquam muro impossibilitatis erecto, portisq; clausis, quà evadat, ut rectè vivat non invenit.* Nonne est ipsissimum illud quod Apostolus dixit: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato?* Itaque talis, ut pergit Augustinus, *iam scit quomodo vivere debeat, & possit*

Lib. de nat. & gratia. 12. Cap. 16. Cap. 22. Lib. de gestis Pelagii c. 7. Epist. 89. Ibid. In Ps. 106. Ibid. Ibid.

tus in via audit; vive benè, secundùm quod nosti. A *Antea enim non noveras, quemadmodum viveres, modo accepisti & nosti. Conatur & non potest, ligatum se sentit.* Quid ergò in tali lex ista operatur? Audi sequentia inferius: *Et nunc pugna contra concupiscentiam Deo desistente ab adjutorio, laborare potes, vincere non potes. Et cùm fueris pressus consuetudine tua prava, humiliabitur cor tuum in laboribus, ut jam corde humiliato discas clamare, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ecce finis solius legis etiam in Christianis humilitas, ut medicus imploretur. Et modum exponens quo, & causam quare, humilitas ista & in Christianis generetur ex abundantia videlicet delictorum, quæ ex legis prævaricatione proficiscuntur, & ut gratia requiratur, addit ulterius: *Quid ergo restat nisi quare factum est? Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Lex autem subintravit ut abundaret delictum.* Audi probationem etiam in Christiano: *Accepisti verbum, accepisti præceptum, nec desinis facere quod malè faciebas, & accepto præcepto, auges peccata per prævaricationem superbia. Si te ignorabas, vel disce te, humiliatus clamabis, à necessitate liberaberis.*

Ibid.

Ibid.

Quapropter qui rem istam à fundamentis, & ordinatissimam divinæ providentiæ legem in gubernandis hominibus, non solùm universis, sed etiam singulis, planius intelligere velit, illi attentè considerandum est quod Apostolus dicit: *Non prius id quod spiritale, sed quod animale.* Nam ex quo humana natura per peccatum à cognitione veritatis, & benè vivendi facilitate in cœcitatis tenebras & concupiscentiæ difficultates lapsa est, quemadmodum per ætates corporis staturasque diversas, non uno impetu neque saltu, sed pedetentim à pueritia ad senectutem transit, ita quoque anima per ordinatissimos gradus à veritatis ignorantia recteque operandi difficultate, ad virtutis amissæ plenitudinem revocatur. Hinc fit ut quatuor distinctos status, juxta consuetam providentiæ medicinalis methodum, plerumque percurrat, quam non nisi insolita quadam benevolentia redemptoris nonnullæ magnæ animæ prætergressæ sunt, quæ non gradatim, sed subitò ad perfectam virtutem in qualibet ætate translatæ sunt. Primus igitur status hominum singulorum, qui ad sapientiæ sortem pertinent, est ante legem, quando in magna legis ignorantia, adeoque benè vivendi cœcitate versantur: in quo statu anima sub carnalibus cupiditatibus jacet, sine victoria, sine pugna: neque enim hoc agit, ut cum eis velut inimicis dimicet, sed ut eis velut beata perfruatur. Hic status peccatis plenus excipitur à secundo, in quo homo legem cognitionemque veritatis accipit, qua quid agendum cavendumque sit videt, supplicioque per fidem Dei proposito ab iniquitate revocatur. Hic ingentis ægritudinis suæ nescius, quia inexpertus ideoque propriarum virium fiducia plenus, vincere conatur hostiles illas, quas jam agnoscere cœpit, rerum terrenarum cupiditates; sed gratiæ necessitate nondùm agnita, pugnando superatur additaque peccatis ignorantiæ prævaricatione, multo arctius vinculis cupiditatum suarum stringitur, & peccatorum pondere opprimitur: donec contrita virium suarum confidentia, fastus ille detumescat, qui in oppugnandis, vincendisque libidinibus seipso nitebatur; ut ita sit illi difficultas implendæ legis velut Pædagogus ad agnoscendam divinæ gratiæ necessitatem, & ad eam suppliciter implorandam manuductio. Tunc ergò transfertur ad statum tertium, in quo sub adjutorio gratiæ similiter vivit, viriliter cum concupiscentijs pugnans & superans. Quibus debellatis sequitur quartus status, victoriarum omnium finis, pax exuperans omnem sensum in æterna vita Sanctorum. Duo isti primi status sunt ante gratiam, duo postremi in gratia. Primus omnium dicitur ante legem, B secundus sub lege, tertius sub gratia, quartus in pace: quamvis vocari etiam possent, primus ignorantiæ, secundus scientiæ, tertius gratiæ, quartus pacis. In primo nec pugna libidinum est, nec victoria; in secundo pugna sine victoria, in tertio pugna cum victoria; in quarto finis pugnæ victoriæque plena requies. Primus, tertius, & quartus non sunt hujus loci. sed solus secundus, in quo hominem sine gratia, solâ legis instructione fultum, cum concupiscentijs pugnam inire diximus, ideoque non modo superari, sed affligi vehementius & arctioribus concupiscentiarum vinculis alligari, ut discat fractâ superbiâ de viribus suis conceptâ, sibi non tantùm Doctorem, sed etiam adjutorem, hoc est, gratiam Christi esse necessariam. Statuum istorum distinctio apud Augustinum valdè celebrata est, de quibus superius multa diximus. Vbi varijs ejus testimonijs statuum istorum omnium differentiam, C præcipuèque secundi proprietates declaravimus; quod videlicet in illo statu *sub lege hominem non adjuvet fides*, vel *spiritus Dei*, sed suis viribus cum concupiscentijs quæ per prohibitionem magis accenduntur, pugnans vincitur, graviusq; prosternitur, donec hominem Deus prævaricationum cumulo eo perducat, ut ipse adjuvare credatur, hoc est, ut gratiam agnoscat necessariam esse sibi, postuletque per fidem ab eo qui spirat ubi & quando voluerit. Vndè & status iste ab Augustino vocatur *ante gratiam*.

1. Cor. 15.

Lib. de statu naturæ lapsæ lib. 3. cap. 6.

Lib. 83. qq. quæst. 66. & in Enchyr. cap. 118.

Iam igitur quisquis miratur, cur Deus universo populo Iudaico legem dederit, quæ gratiæ adjutorio deficiente (paucis exceptis, qui sub fide gratiæ etiam tùm vivebāt) nihil in eo operaretur, nisi ut crescentibus per prohibitionem scientiamque legis cupiditatibus, peccatis præcedentibus prævaricationis accessu, cumulus adderetur, illi considerandum est divinam providentiam omnia pulchrè moderantem, ita diversam generationum seriem ab D Adam condito, usque ad finem sæculi administrare, quemadmodum unius hominis ætas à pueritia ad senectutem usque diversis temporum, profectuumque gradibus terminatur. Nam quia omne pulchrum est à summa pulchritudine quæ est Deus, temporalis autem

pulchritudo, rebus decedentibus succedentibusque peragitur, hinc fit ut habeat decorem suum in singulis quibusque hominibus, singula quæque ætas ab infantia usque ad senectutem, habeat etiam exercitia quibus ad sapientiam eruditur, ipsaque minoris majorisque perfectionis gradatione ornatum suum. Sicut ergò absurdus est, qui juvenilem tantùm ætatem, tanquàm cæteris pulchriorem vellet esse in homine temporibus subdito, utpote qui invideret cæteris pulchritudinibus, quæ cæteris ætatibus suas vices atque ordinem gerunt; sic absurdus est, qui in ipso universo genere humano, vel certè in ipso universo populo Dei unam tantùm ætatem *sub gratia*, tanquàm omnium vegetissimam desiderat. Nam & ipsum humanum genus, tanquàm unus homo suas ætates agit. Quod igitur de ætatibus manifestum, hoc similiter de virtutum exercitatione cogitandum est. Non enim minoris absurditatis est, eadem virtutis & eruditionis exercitia pueris ac tyronibus, quæ viris eruditione virtuteque perfectis imponere, atque vnam ætatem ac vires in omnibus postulare. Vndè Augustinus: *Quod in uno homine rectè educato, ordine naturæ, disciplinaq; contingit hoc proportione in universo genere humano fieri per divinam providentiã, peragiq; pulcherrimũ est*. Quapropter totum genus humanũ in quatuor similes status ordinatissimè Dei providentia distributũ est, in quorum singulis illud appositè ad virtutem erudivit. Primò enim ante legem in profunda veritatis, adeòque propriarum cupiditatum ignorantia versatum est, ut cum posteà temporis progressu ad cognitionem veritatis virtutemque pertigisset, cum gratitudine agnosceret, ex quo profundo Deus liberasset. In hoc statu ab Adæ lapsu usque ad Moysen fuit. Deindè Deus oculos humani generis dirupta ignorantiæ cœcitate, per promulgationem legis aperuit, ut ægritudinem suam, exsurente se, adeoque crescente per pugnam cupiditate, disceret, pœnaque territum pugnando succũberet, ut præter doctrinam adjutorio gratiæ & Mediatoris sibi opus esse sentiret, cui pia fide atque humilitate subderetur. In hoc statu à Moyse ad adventum usque Christi eruditi sunt, per quem tertius status, gratiæ videlicet hactenus typorum omnis generis obscuritate velatus, palàm prædicatus est, & etiamnùm prædicatur, & ad finem usque sæculi prædicabitur. Quo finito, sequetur status quartus æterna generis humani requies in perfectione virtutum fœlicissima. Quas diversas temporum ac profectuum ætates, præclarè explicat Augustinus in Enchiridio, primò in singulis hominibus. *Harum*, inquit, *quatuor differentiarum, prima est ante legem, secunda sub lege*, postquàm illa subintravit ut abundaret peccatum, *tertia sub gratia, quarta in pace plena atque perfecta*. Deindè in universo populo Dei, qui velut unus homo toto sæculi decursu instituitur: *Sic est*, inquit, *& Dei populus ordinatus per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensura, numero, & pondere cuncta disposuit. Nam fuit primitus ante legem, secundo sub lege qua per Moysen data est; deinde sub gratia, qua revelata est per primum Mediatoris adventum*, quartò in pace plena atque perfecta, prout ex ea quæ pro singulis hominibus data fuerat, explanatione supponit.

Lib. 83. qq. quæst. 49.

Enchir. cap. 118.

Hæc igitur quatuor quasi ætatum humani generis differentia, ad intelligendam institutionis humanæ ac divinæ gratiæ œconomiam perquam necessaria est: cujus ignoratione vel minùs attentâ consideratione forsan contigit, quod non pauci omnia confundendo in intolerabiles absurditates lapsi sunt, dùm gratiam Dei non solùm secundo statui, quo sub lege sive quisque singularis homo, sive Dei populus vivit; sed etiam primo statui *ante legem*, adeòque Turcis, Iudæis, Ethnicis, Paganisque largiuntur, etiamsi gratiam ac datorem eius Christum, nec nomine tenus, vel per somnium inaudiverint. Qua inordinata confusaque gratiarum profusione prærogativas tempori novæ legis auferunt, Christianisque tollunt gratitudinem, qua adventui & prædicationi Saluatoris obstricti sunt. Sed aliàs de his dabitur commodior disserendi locus.

CAPVT XV.

Quæ fuerit radix talis œconomiæ populi Dei, quantùm ad legem & gratiam.

QVOD si fortasse quæras undè oriatur iste hujusmodi, sive in singulis hominibus, sive in toto Dei populo temporum distributio atque institutionis ordo? Respondere possem cum Augustino, qui dicit: *Hac temporis distributio refertur in altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, de qua dictum est, Quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius.* Solus enim ille novit occultas dispositiones animorum, & arcana momenta temporum, quibus unicuique idonea est afferenda medicina. Ipse novit quâ populi ætate, fastus ejus legis terrore frangendus sit, quâ per gratiam infirmitas sublevanda. Verumtamen consilij sui profunditatem non tàm altè demersam esse Deus voluit, quin sancto Augustino aliqua ejus propalandi generalia argumenta subluxerint. Populus enim ille vetus totus carnalis erat, totusque visibilibus rebus diligendis immersus, ut nihil supra hosce sensus externos, sive in hac, sive in altera vita quærendum intelligeret. Propter quam puerilium animorum imbecillitatem, sicut rerum spiritualium incapaces erant, ita ad quoscumque colendos Deos proni, quorum quasi satellitio se terrenorum bonorum cupiditates implere posse sperarent. Itaque talibus hominibus quid erat convenientius,

Epist. 95.

nientius, quam ut si nondum essent idonei qui legem spiritalem, propter carnalitatem ac superbiam, ipsius justitiæ dilectione servaret, saltem bonorum temporalium, quæ diligebat promissione, pœnarumque quas horrebat formidine ab idolis arcerentur: ut ita disceret, in visibilibus rebus unum amare Deum, donec adveniret disposita temporum plenitudo, quâ jam gratia temporalibus contemnendis necessaria donaretur. Qua de re multis in locis Augustinus profundè disserit: *Notum esse iam debet*, inquit contra Adimantinum, *carnali adhuc populo congruenter carnalia & temporalia præmia fuisse promissa, sed tamen ab uno Deo cuius est creatura omnis & superior & inferior.* Itaque, ut addit: *Dicimus ita esse ista munera Dei, ut tamen sint infima, & in comparatione salutaris confessionis non solùm amittenda, sed ultrò etiam projicienda: carnalibus tamen hæc amantibus, & nondùm capientibus promissa cœlestia, ne ab idolis & dæmo-*

B *niis ista peterent, utiliter à Domino Deo esse pollicita.* Et in libris contra Faustum: *Eam rerum dispensationem ac distributionem temporum ordo poscebat, ut prius appareret etiam ipsa bona terrena, quibus & humana regna, & ex hostibus victoria deputantur, propter quæ maximè civitas impiorum diffusa per mundum supplicare idolis & dæmonibus solet, non nisi ad unius veri Dei potestatem atque arbitrium pertinere. Vnde & vetus Testamentum secretum regni cælorum tempore opportuno aperiendum promissionibus terrenis operuit, & quodammodo umbrosius opacavit. Vbi autem venit plenitudo temporis, ut novum Testamentum revelaretur, quod figuris veteris velabatur, evidenti testificatione iam demonstrandum erat, esse aliam vitam pro qua debet hæc vita contemni: & aliud regnum pro quo oportet omnium terrenorum regnorum adversitatem patientissimè sustinere.* Nimirum hoc duabus istis humani generis ætatibus, duobusque testamentis Deus

C docere voluit, *bona temporalia, & à se petenda, & propter se contemnenda*, ut tandem Deus ipse bonum bonorum omnium quæreretur. Cujus altissimæ & humanissimæ providentiæ, nonnulla vestigia in rebus infimis cernimus. Nam ex illius radijs humanam providentiam illustrantibus proficiscitur, ut quemadmodum alibi Augustinus dicit: *Benigna & paterna indulgentia hæc donet* temporalia parvulis, *quæ non vult remanere in filijs suis iam grandiusculis iam proficientibus. Donat ergò pueris nuces, quibus servat hæreditatem. Ludentibus & de quibusdam ludicris se oblectantibus cedit paterna pietas, ne deficiat ætatis infirmitas.* Hoc ergò quod in uno filiolo homo pater facit, hoc in toto populo Dei Deus pater fecit. Ludicra concessit pueris, ut posteà temporibus oportunis palàm hæreditas æterna eis appetẽda panderetur. Sic enim hanc ipsam comparationem applicat huic proposito Augustinus: *Quare ipsa* (terrena) *prima promitti oportebat? quia non primo quod*

D *spiritale est, sed quod animale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis &c. Sed tamdiu primus homo terrenus es, quamdiu terrena sapis. Numquid quoniam puero dantur quædam puerilia ludicra, quibus puerilis animus avocetur,*

Lib. contra Adimant. cap. 18.

Ibid.

Lib. 22. contra Faust. cap. 76.

Ibid. c. 79.

Serm. 111. de divers. cap. 1.

In Ps. 73.

A *propterea grandescenti non excutiuntur è manibus, ut aliquid iam utilius tractet quod grandem decet? Verumtamen tu ipse dedisti filio tuo, & nuces parvulo, & codicem grandi. Non ergo quia illa quasi ludicra puerorum Deus per novum Testamentum excussit de manibus filiorum, ut aliquid utilius daret grandescentibus, propterea priora illa ipse non dedisse putandus est, ipse utrumque dedit.* Etenim hoc postulat ordo disciplinæ naturalis, ut paulatim à parvis exordijs ad perfectiora ducamur: quæ si quis tyronibus in ipso institutionis limine proposuerit, præterquam quod oleum & operam perditurus est, insuper hoc obtinebit, ut animus discipulorum ipsa rerum difficultate repercussus, aversionem ac desperationem induat insanabilem. Quantò rectius igitur temporalibus terrenisque præmijs Iudæos Deus tanquàm parvulos ad se attraxit, non ut in illis maneretur, sed partim ut illis quasi blanditijs

B patris deliniti ipsum qualitercumque colere consuescerent, & paulatim discerent meliora sperare, partim ne illa minora bona quæ dilectioni suæ subtrahi viderent, ab alijs sive Dijs, sive dæmonibus quærerent. Rectè igitur Augustinus: *Sicut unius hominis; ita humani generis, quod ad Dei populum pertinet, recta eruditio per quosdam articulos temporum tanquam ætatum profecit accessibus, ut à temporalibus ad æterna capienda, & à visibilibus ad invisibilia surgeretur; ita sanè ut etiam illo tempore quo visibilia promittebantur divinitus præmia, unus tamen colendus commendaretur Deus, ne mens humana vel pro ipsis terrenis vitæ transitoriæ beneficijs, cuiquam nisi vero animæ Creatori ac Domino subderetur.* Optimè igitur populus Dei adhuc terrenis desiderijs infirmus, ea ipsa quæ temporaliter exoptat bona infima atque terrena vitæ transitoriæ necessaria, & præ sempiternæ vitæ beneficijs contem-

C menda, non tamen nisi ab uno & vero Deo expectare consuescit: ut ab illius cultu etiam in istorum desiderio non recedat; ad quem tandem maturior factus contemptu eorum, & ab eis aversione perveniat. Quod si ille cultus Dei ex temporalium bonorum desiderio profectus, totus terrenus est atque carnalis, ex quo impossibile sit legem Dei & præcepta nisi carnaliter observare, & consequenter necesse est, non servare; tolerat hoc incommodum paterna benignitas, ut à talibus hoc saltem obtineatur inchoationis exordium, quod obtineri potest, si id quod justitia legis postulat, obtineri non potest: atque ita ad veram præceptorum observationem quoquo modo via sternatur.

Hâc igitur carnalium animorum sola terrena bona diligentium in capacitate perpensa, quid rectius oportuniusque fieri poterat, quam ut populo talium rerum dilectione cæcato, ideoque infirmitatem suam ignoranti, faci-

D leque quidlibet se facturum superbè præsumenti, ut illis bonis potiretur, lex daretur spiritalis, ut si nondùm possent eam ex illa temporalium dilectione servare, quæ sine justitiæ dilectione servari non potest, saltem hoc se non posse, ipsa legis prævaricatione cogno-

Lib. 10. de Civit. c. 14.

inciderent? Nam præterquam quod ita sub virga in unius Dei cultu continebatur, etiam fastus ejus nonnihil premebatur, ut adveniente tandem salvatore sibi de infirmitate convicto, gratiã ejus necessariam esse fateretur. Iuxta illud Augustini: *Oportebat ut in Testamento veteri lex imponeretur superbis, & de suæ voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret iustitiam sed iuberet ac sic morte prævaricationis impliciti, ad gratiam confugerent, non iubentem tantummodo sed iuvantem, quæ novo Testamento revelata est.*

Lib. 2. cont. Advers. legis & Prophet. cap. 7.

Nec hic aliquis imperitè dixerit: Cur ergò lex ista tàm paucis Iudæis profuit? Profuit enim plurimis in ipso Salvatoris adventu, quo repente omnia bona ad pedes Apostolorum abjecisse, nullasque gentium Ecclesias invitatas ex Augustino demonstravimus: qui rectissimè monet, non esse considerandam Iudæorum infidelium multitudinem, quia semper boni malorum numero superantur: *Nec turba*, inquit, *infidelium consideranda sunt. Omnis enim area multis partibus ampliorem habet paleam quam frumentum.* Nam quantumvis pauci Christo crederent, propter istos tamen, ut ibidem observat, dixit Apostolus: *Numquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin: Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* In illis ergò quos credituros præscivit, illa conclusio sub peccatum, superbiam fregit, eosque cùm gentes essent longè, de proximo inveniri fecit.

In Epist. ad Galat.

Rom. 11.

Hanc igitur diversæ providentiæ rationem qua quondam lex, bonaque terrena, postea gratia populo Dei bonaque spiritalia dispensata sunt, quisquis intellexerit, ille facilè intelliget, cur idem in singulis hominibus etiam Christianis, quadam proportione plerumque servetur. Nam & illi postquam ad agnitionem veritatis ab ignorantia & errore conversi sunt, temporalium adhuc rerum concupiscentijs pleni ægerrimè sibi persuaderi sinunt, tantam esse virium suarum imbecillitatem, ad illicitas illas cupiditates, quas jam quasi de somno experrecti sciunt, & ex instructione legis vehementer se improbare sentiunt, frænandas atque superandas. Vndè de ærugine occultè fructibus nocente loquens Augustinus: *Quod malum æruginis, cui vitiorum aptius comparatur, nisi quod difficillimè apparet, sicuti est multum de se fidere. Aura est enim noxia, quæ hæc in fructibus latenter operatur, sicut in moribus occulta superbia.* Hinc itaque de suis viribus lætaliter confidentes, confligendo superantur & cadunt, iterum iterumque conati relabuntur, donec ipsa pugnandi prævaricandique experientia eruditi, Deo miserante cum Apostolo clament: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Potuisset hoc eis Deus beneficium, fateor, sine tanta difficultate, sine lapsibus, sine prævaricatione toties iterata, gratiam loco legis dando, conferre: *Sed quis cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?* Novit ipse quæ cuique tempori, homini & ætati sit apta medicina. *Agit*, ut medicus, *iudicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto.* Ipsi visum est, tumores animorum dolore comprimendos esse; *venenum esse quod non curatur nisi veneno*: ut sic principalis illa virtus humilitas, accipiendæ gratiæ ad benè vivendum capitaliter necessaria, pugnis, ruinis, prævaricationibus, expertaque per vires suas superandarum libidinum impossibilitate, profundissimè cordibus infigatur, & illa propriæ infirmitatis experientia memoriæ commendetur, ne unquam quantumcumque proficientes amplius dicant: *Ecce manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia.* Quod esse altissimum & beneficentissimũ providentiæ medicinalis consilium illi soli non intelligunt, qui divinæ severitatis imperiti nihil nisi gratias, blanditias, suavitates in Deo cogitant. Quasi verò non optimi medici sit vulnerum putredinem, quæ medendi suavitate in interitum serperet, etiam urendi secandique austeritate sanare.

In Psal. 77.

Rom. 7.

Rom. 11.

Lib. de natura & gratia cap. 27.

Serm. 9. de verbis Apost. cap. 8.

Deut. 32.

CAPUT XVI.

Eadem vis cujuscumque doctrinæ, revelationis, scientiæ, sapientiæ, quæ legis, ad liberandam voluntatem. Opus indè proficiscens est opus naturæ, non gratiæ.

Ex his quæ de natura legis veteris generaliter ac de ejus effectibus disseruimus, facilè perspicuum esse potest, quid de quacumque gratia intellectus existimandum sit, sive illa promissio sive illuminatio, sive gloriæ præmiorumque pollicitatio, sive sapientiæ revelatio, sive exhortatio, sive suasio, sive Christi aut alterius exemplum nominetur, quibus nominibus Pelagiani gratiam, quam post naturam attulére, decorabant. Nam per hujusmodi gratias nihil aliud quam scientia præbetur intellectui qua cognoscat quid agendum cavendumque sit, hoc est, faciendum esse bonum & declinandum à malo; vel ut quamplurimum ista præstent, tantummodo ostendant, quam sit magnum, quam utile, quam necessarium, quantæ gloriæ pœnæque meritorium, quod declinemus à malo bonumque faciamus. His enim stimulis supra simplicem veritatis demonstrationem

tionem, videntur suasio & exhortatio succendere voluntatem, utpotè quæ magis consilij quam nudæ doctrinæ rationem habent. Sed quidquid illud tandem sit, tantummodo intellectum instruunt, nec aliam gratiam complectuntur, quàm illam Pelagianam legis atque doctrinæ, juxta illam præclaram Augustini sententiam, qua cum Pelagius Deum dixisset operari in nobis velle quod bonum est, quatenus nos *futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, suadetq; omne quod bonum est*, omnes hujusmodi veræ gratiæ interpolationes jugulavit: *Quid manifestius nihil aliud eum dicere gratiam* qua Deus in *nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam?* Et rationem addit valdè perspicuam: *In lege namq; & doctrinâ sanctarum Scripturarum, futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo: ad doctrinam pertinet etiam* B *quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cùm suadetur quod bonum est. Et si inter docere & suadere, vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuscumque sermonibus vel litteris continetur. Nam & sanctæ Scripturæ docent & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio.*

Lib. de gratia Christi cap. 10.

Ibidem.

Et sane si quæ prærogativa suasioni vel exhortationi præ simplici doctrina tribuenda esset, ut efficacius putarentur hominis ad bonum permovere voluntatem, ideoque magis gratia existimanda, quàm doctrina litteris vel sermonibus prompta, profectò illa maximè præceptis, ac legibus deberet adscribi. Lex enim præsertim premiorum pollicitatione, pœnarumque comminatione armata longè efficacius ad operandum incitat, quàm hortatio, suasio vel consilium. Hæc enim simpliciter actionem ab hominis libertate petunt, illa jubent. C Iussio verò multò vehementior est ad propellendum quam petitio. Et tamen certissimum est, legem, consilium, ac præceptum sub gratia doctrinæ à Pelagianis prædicatæ esse comprehensa. Nam hâc de causa tantoperè legis inutilitatem & inefficaciam ad voluntatis liberationem Augustinus in omnibus suis scriptis inculcat. Proindè sive suasio, sive exhortatio, sive promissio, sive exemplum, sive sapientiæ revelatio nominetur, nihil aliud continet nisi gratiam Pelagianam, hoc est, legem atque doctrinam, eosdemque effectus parit, quos jam de lege declaravimus. Si enim desit alia gratia voluntatis ac spiritus Dei adjuvans spiritum hominis, per talem gratiam perinde omninò, quemadmodum de lege dixit Augustinus, non sanatio sed cognitio fit peccati, reviviscit, eminet, apparet peccatum, non inseritur nec exstirpatur, sed demonstratur concupiscentia. Prodit ista gratia, non D tollit morbos, sciri facit peccatum potius quam caveri; jubet, non dat justitiam; ostendit non aufert ægritudines. Ex quo necesse est consequenter fieri, ut non adjuvante aliter Deo, faciat abundare peccatum. Qui enim ante vel

A ignorando peccabat, vel certè nesciendo quam magnum quamque noxium peccatum esset, quantarumque pœnarum seminarium post consilium, suasionem, hortationem, sapientiæ revelationem, sciens prudensque peccat, omni ignorantiæ excusatione sublata. Quorum omnium perspicua ratio est, quia hujusmodi gratia, quocumque nomine appelletur, solum intellectum non affectum afficit; dat scire, non velle, multò minus facere, quia significat faciendum, non facit. Itaque ne quidem tangit ipsam radicem ægritudinis, hoc est, concupiscentiam quæ voluntati dominatur, tantùm abest ut clàm vel sanando tollat, vel mitigando stimulos ejus frangat; ut sane talis gratiæ fructus non sit alius, quam ut hominem sibi ipsi velut speculum ostendat, quo clarius, quam solâ lege videat, in quibus morbis jaceat, quibus vinculis compeditus sit, atque ita confusus adnimadvertat, *non tantum Doctorem sibi esse necessarium, sed et eam adjutorem Deum, à quo ejus itinera dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas, & confugiendo ad opem divinæ gratiæ sanetur.* Iuvat ergò & ista gratia, ut ægrotus medicum, hoc est, veram volendi operandique gratiam quærat, qua fiat ut velit, & faciat quod volendum faciendumque consilio, hortatu, suasione, sapientiæ revelatione percepit. Quod nisi alia veraque gratia juvante fecerit, scientiâ suâ convincetur esse prævaricationis reus; nec ad aliud ei proderit ista cognitio, nisi ut superbia deprimatur, qua suas sibi vires ad operandum justitiam sibi sufficere putat.

Lib. de Spir. & litt. c. 6.

Nam si quis benè advertat, tota illa gratia legis atque doctrinæ, prout omnes jam supra commemoratas doctrinæ differentias complectitur, non est ipsa quæ justitiam præceptam facit, sed vires hominis peccato vitiati naturales. Vt proindè qui gratiam talem legis aut doctrinæ afferunt, reipsa nihil aliud prædicent quàm per naturam esse justitiam, quam jam didicit esse faciendam. Cognitio quippè qua quis novit quid faciendum cavendumque sit, non minùs esse potest in eo qui resistit, quam qui obtemperat suæ scientiæ & conscientiæ. Vndè enim alioquin dicerentur aliqui esse *rebelles lumini*? Vndè diceret Apostolus: *Scienti bonum & non facienti peccatum est illi?* Vndè ex audientibus idem consilium, suasionem, hortationem, ex percipientibus eandem sapientiam, unus eam sequeretur alter sperneret? Indè sine dubio, quòd alter viribus naturalibus eam arriperet, alter prætermitteret. Natura est ergò quæ seipsam rerum agendarum cognitione imbuta liberaret; perindè atque fieret, si nulla doctrinæ aut legis additione, sola natura voluntatis in bonum opus erumperet. Nam etiam tùm non faceret hoc sine agendi boni malique cavendi cognitione, quam ex naturali ac visceribus inscripta lege didicisset. Hinc est ergò quod Augustinus opera ex legis instructione suscepta frequenter in solam naturam referat: utpote quæ pro suo arbitrio sola faciat, quod facien-

Iob. 24.

faciendum lex præscripserit, perinde ac soli servo asscribi debet, qui opus facit, quod ejus Dominus consulit, hortatur, suadet, aut jubet. Hoc enim significat Augustinus cùm toties dicit, homines accepta jam lege *suam justitiam constituere* dùm putant, *quod per eorum sine adjutorio divinum arbitrium lex possit impleri.* Hoc significat cùm in Epistola ad Asellicum dicit eos per litteram occidi, *qui cùm sint carnales, putant suis viribus legem spiritalem se posse complere.* Hoc significat cùm in sermone quodam de Iudæis in lege gloriantibus dicit: *Non tenentes Deum nisi in præceptis & suis viribus se implere posse præcepta adjutorium devitarunt.* Hoc significat quando illum post acceptam etiam legis cognitionem firmare carnem brachij sui dicit, qui *potentiam fragilem atque invalidam, id est humanam sibi sufficere ad benè operandum putat, nec adjutorium sperat à Domino*, præter legem quam accepit. Hoc denique ipsi Pelagiani legis doctrinæque præcones, quando ex Apostolo legis justitiam deprimente premebantur, apertè fassi sunt. Dicebant enim, ut Augustinus refert, hominem per legem instrui, *quid evitare & quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum viam demonstratam ingrediens, continenter & justè & piè vivat.* Et paulo inferius arctati replicant: *Meritò dixisse Apostolum, quia ex lege nemo justificatur: ostendit enim tantummodo lex quid faciendum quidve cavendum sit, ut quod illa ostenderit, voluntas impleat, ac sic homo justificetur, non per legis imperium, sed per liberum arbitrium.* Quo fit ut rectissimè talem legis operationem, seu ut ipse loquitur, talem justitiam vocare soleat *Imperatam non datam*; nempè quia accepto imperio, ex nobis ipsis proficiscitur. Quam ob causam eam sexcentis locis Apostolica phrasi vocat *Iustitiam nostram non Dei*: quia eam nobis non dedit Deus, quantumvis agendi scientiam revelaverit, sed nos naturalis arbitrij nostri viribus expressimus.

Lib. 3 ad Bonif. c. 2.

Epist. 200. ad Asellicum

Ser. in illud: Qui gloriatur in Domino glorietur, in Append.

Lib. de gratia & libero arb. cap. 4.

Lib. de Spir. & litt. c. 2.

Ibid. cap. 9.

Lib. de gratia Christi cap. 13.

Quæ si vera sunt, sicut sunt verissima nullo pacto dubitare sinimur, quia illa legis operatio, quam non dico consilijs, suasionibus, hortationibus, sed etiam sapientiæ revelationibus quantumcumque sublimibus sive externis, sive internis didicerimus, si non alia profundior gratia Dei qua voluntas molliatur, accedat, sit operatio nostra non Dei, sit imperata seu manifesta, non data, sit fructus virium naturalium non gratiæ Dei. Cùm ergò vires naturales ita peccati labe prostratæ sint, ut non possint etiam cognitam jam legem sua potestate divinitus non adjuta facere, manifestum est, legem non esse gratiam qua liberum arbitrium ad faciendum legis justitiam liberetur; sed accepta cognitione manere voluntatem non minùs peccati servam, hoc est, sub concupiscentiæ terrenisq; desiderijs captivam, quàm si nullus eam legis aut scientiæ radius illustrasset. Nec enim ulla potestas est in cælo aut in terra, quæ quantacumque scientię revelatione, aut sapientiæ illustratione voluntatem deorsum suis cupiditatibus pronam, in cælum retorquere queat, nisi solus Deus ferreum istud jugum, quo per proprias libidines terrenas premitur, alterius amoris inspiratione confringat. Hoc autem non fit *ipsa lege*, seu qualicumque cognitione, *sed gratia*, hoc est, *non imperio sed beneficio, non jubente vel suadente littera, sed juvante Spiritu.*

Epist. 200. ad Asellicum

CAPUT XVII.

Aperitur hallucinatio cujusdam recentioris, qui *cogitationes congruas* etiam naturales, illam veram gratiam Christi ad operandum statuit. Quid ab errore Pelagiano discrepet.

QUOCIRCA satis mirari non possum, quid sibi illi ex recentioribus voluerint, qui docuerunt cogitationes quasdam ordinis etiam naturalis de benè agendo, esse veram illam gratiā qua bonum opus legis fieri potest, tentationesque superari; & de qua sanctus Augustinus, Patres & Concilia locuti sunt, quando nihil operis boni fieri posse sine Christi gratia tradiderunt. Hanc gratiam vocant *cogitationem congruam*, quia prævidet Deus cum ea hominem opus bonum operaturum, vel tentationi non consensurum, cui cum aliâ cogitatione consentiret. Hoc genus gratiæ primum ab Augustino excogitatum volunt, & ab eo indicatum, quando toties nihil boni à nobis fieri posse dicit sine gratia, *quia non possumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* Sed ista sententia in omnibus suis capitibus enormiter ab Augustini mente declinat; ut potiùs purum somnium Authoris, quam Augustini sententia videatur. Nunquam enim Augustinus in omnibus suis operibus cogitationem congruam pro Christi gratia propriè dicta, ad benè operandum necessaria obtrusit: nunquàm cogitationem congruam ad bonum opus dixit esse satis, de quibus aliàs dicendum erit. Nunc tantùm dico graviter Authores istos hallucinari, quando ad istam gratiam stabiliendam illa loca sancti Doctoris arripiunt, quibus docet, ideò nihil ex nobis esse posse, quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis:* itemque quia ut Ambrosius dicit: *non esse in potestate cor nostrum & nostras cogitationes*, & hujusmodi. Nam in illis non assertur cogitatio bona aut sancta tanquàm gratia, qua benè

Vasquez 1. 2. disp. 189 cap. 16. Et in prima part. disp. 91 cap. 11. & 14. & 1. 2. disp. 190. cap. 8.

Vasquez 1. 2. disp. 189. c. 16. n. 135.

benè operemur, sed tanquàm effectus gratiæ: A hoc est, docet Scriptura & Patres illis locis, ne quidem habere nos posse bonam cogitationem sine gratia, sicut non possumus habere bonam operationem aut dilectionem Dei sine gratia, quæcumque tandem illa sit. Quod ex eo manifestum est, quia per hoc ostendere volunt, quousque in actionibus nostris gratiæ latitudo protendat, scilicet ad ipsas usque cogitationes, non quod ipsæ cogitationes sint illa gratia quam commendare voluerunt. Quod ipsum probant omnia loca quibus opinionem suam fulciunt: ut quod Concilium Arausicanum ex Augustino dicit: *Divini esse muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus:* ut quod ibidem dicit: *Per naturæ vigorem nos aliquid boni cogitare ut expedit posse absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti:* ut quod Conc. Carthag. dicit, utrumque *Dei donum esse, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus:* ut quod Prosper aliquoties dicit, juxta id quod etiam sæpissimè S. Augustinus præformaverat, definitum ab Africanis Præsulibus fuisse: *Gratiam Dei per Jesum Christum, non solùm ad cognoscendam, sed etiam ad faciendam justitiam per actus singulos adjuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis cogitare, dicere, agere valeamus:* Ut quod Fulgentius dicit: *Per gratiam Christi cogitationis sanctæ amissam recepi facultatem.* Nam his & similibus locis, quæ pro asserenda ista sua opinione afferunt, ipsâ suorum verborum expressione & superficie apertissimè clamant, se cogitationem sanctam haud secus atque operationem sanctam, ac dilectionem Dei, referre ad gratiam Dei, ad donum Dei, ad illuminationem & inspirationem Dei, quo juvante bona cogitamus & facimus. Sicut igitur nemo nisi imperitè & insulsè, ipsa opera bona quæ facimus, proferre posset ex mente sic loquentium, C tanquàm gratiam Dei, cùm significent esse effectus gratiæ Dei; ita nec sanctam cogitationem, utpote quam pariter tanquàm effectum asscribunt alteri gratiæ Dei. Undè quod Augustinus omnia bona refert ad sanctam cogitationem, non ideò facit quia illa est vel gratia Dei, vel prima gratia Dei, in quam actus nostri referendi sunt, sed quia est primus effectus gratiæ Dei. Nam ideò expressè dicunt, opus esse gratia Dei, illuminatione Dei, inspiratione Dei, munere Dei ad rectè cogitandum, sicut ad rectè operandum. Accedit quod illa recta cogitatio, ad quam non sufficimus nobis, quam per Christum Fulgentio authore receperamus, non est cogitatio aliqua indeliberata quæ præcedat primam bonam voluntatem, sed ipsam simul complectitur voluntatem. Quam ob causam Prosper eam ut distinctam à sermonibus & operibus recenset, quemadmodùm & Augustinus: *Nisi* D *voluntas fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta:* ita ut cogitare, dicere & agere, vel ut Augustinus, *actio, sermo, cogitatio*, omnia bona quæ Dei gratiam postulant complectantur. Quod fortè alio in loco ex professo ex ipsis fontibus tradituri sumus. Quocirca cogitatio ista bona non est ipsa gratia, sed opus habet gratiâ, Deique inspiratione, qua fiat:

Apud Vasq. loc. citat. & Fran. Suarez l. 1. de grat. cap. 10.

Conc. Arauf. can. 4.

Can. 7.

Conc. Cart. cap. 4.

Prosp. ad 8. c. Gallor. & cap. 10. contra Collat.

Fulg. lib. de incarn. & gratia c. 12.

Lib. 2. ad Bonif. c. 5.

Vide lib. 5. de gratia Christi Salvatoris c. 19

Deinde quamvis disputationis causa concederetur Patres atque Concilia cogitationem sanctam agnoscere pro vera gratia Dei, sicut illuminationes intellectus, seu luminis cœlestis infusionem gratiam Dei esse profitentur: nusquàm tamen vel Augustinus vel ullum Concilium Ecclesiæ docet, solas hujusmodi bonas cogitationes, quantumcumque congruas, vel solas illuminationes divinitus infusas esse gratiam quæ sufficiat ut operemur bonum, vel tentationibus resistamus, nusquàm hoc dicunt, nusquàm scribunt: sed potiùs tanquàm apertum Pelagianæ pravitatis errorem ex professo damnant. Nam cùm Pelagius multò liberaliùs, quàm recen- B tior iste Scriptor, apertissimè concederet: *Deum nos futuræ gloriæ magnitudine & pollicitatione succendere, revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitare voluntatem, suadere omne quod bonum est*, & ita in nobis operari *velle quod bonum est*, reclamat ei Augustinus, tanquàm adhuc damnatam à Carthaginensi Concilio sententiam propugnaret: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam?* Quid quòd disertè Pelagius agnoscebat gratiam & revelationem Dei, qua *cordis oculos aperit, futura demonstrat, diaboli pandit insidias, multiformi & ineffabili nos dono gratiæ cœlestis illuminat?* Quid quòd orandum statuebat, *ut nobis intelligentia veritatis; ut doctrina etiam divinâ revelatione aperiretur?* Quid quòd fatebatur *doctrinam nobis etiam sancto Spiritu quem accepissemus etiam revelari*; quid quòd *sensum Domini, qui est in spiritualibus viris, neminem sine Spiritu Dei cognovisse?* Quid quòd *tantam sapientiam donari, ut* C *voluntatis Dei occulta mysteria nosceremus?* Et tamen his & hujusmodi divinæ gratiæ confessionibus non contentus concludit Augustinus eis fatendum esse, quod *Deus interna atque occulta mirabili ac ineffabili potestate operetur non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Quis autem non videt hujusmodi Pelagianas gratiæ confessiones incomparabiliter luculentiores esse, quam quicquid recentior iste Scriptor excogitavit, dùm pro vera gratia Christi ad bonum opus necessaria, profert *cogitationem aliquam per extrinsecas occasiones & causas naturales excitatam*, quæ sit congrua voluntati. Nam hujusmodi revelationes veritatis ineffabili Dei potestate subministratas tales esse statuebant, quibus homo ad fidem, spem, charitatem, omniumque virtutum perfectionem adduceretur. Quod juxta doctrinam Scriptoris istius fieri nullo pacto potest, nisi fuerint congruæ. D Nam ipse statuit voluntatem sese flectere non posse ad ullum opus bonum, nisi illi congruat ea qua prævenitur cogitatio, idque ex natura creaturæ rationalis proficisci.

Lib. de gratia Christi cap. 10.

Ibid. cap. 7.

Ibid. cap. 41. & epist. 143.

Pelag. in cap. 2. 1. ad Corinth.

Idem in c. 1. ad Ephes.

Lib. de gratia Christi cap. 24.

Vasq. 1. 2. d. sp. 189. cap. 16.

1. 2. disp. 189. c. 24. & 21.

Quod si Scriptori isti, tanta divinarum revelationum ubertas, quam Pelagiani celebrabant,

bant, minor gratia forsassè videatur quam cogitatio aliqua honesta ex naturalibus externisque causis excitata, etiam illam ne quid novi se procudisse putet, loco gratiæ Pelagianorum, & Massilienses posteà protulerunt. Pelagianos Prosper in epistola ad Rufinum dicit hoc tantùm de gratia confessos: *Quod quædam libero arbitrio sit magistra, seq; per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perq; terrores extrinsecus indicio eius ostendat, quo unusquisque secundùm voluntatis suæ motũ si quæsierit inveniat &c.* Itaque *gratiam esse Legem, Prophetam, Doctorem, cui circa omnes homines commune & generale sit studium, ut qui voluerint credant.* Qua de re & in Apologetico Orosij de arbitrij libertate, Pelagius sic loquens introducitur: *Ordinem suum composita benè natura custodit, ac per hoc Deus elementarijs semel cursibus constitutis, facit indè quæ facit.* Quid enim est creaturæ contemplatio, nisi quædam bona cogitatio quam Deus per creaturam ita constitutam operatur? Quid est gratiam se *per cohortationes, per miracula per terrores, indicio hominis ostendere*, nisi per ordinarias, imò extraordinarias causas cogitationes bonas suscitare? Has verò sæpissimè esse congruas & arbitrio contemperatas, indè manifestum est, quod dicerent talibus gratijs præventum, *unumquemque secundùm voluntatis suæ motum, invenire posse si quæsierit.* Quod & semi-Pelagiani apud Prosperum apertius dicebant, quando gratiam in eo statuebant, quod hominem *liberi arbitrij & rationalis gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad observationem mandatorum eius suam possit dirigere voluntatem.* Itaque Authore Prospero, discretio naturalis seu cogitatio naturalis discernendi bonum ac malum qua dirigeretur voluntas in agnoscendo Deo, & observandis mandatis ejus, Pelagianis erat gratia benè operandi. Hanc autem necesse est eos agnovisse *congruam*, quia fatebantur reipsa multos tali gratia adjutos benè vixisse, seu illi gratiæ sua voluntate consensisse; quod nihil aliud est, nisi cogitationes hujusmodi fuisse congruas. Imò semi-Pelagiani cursum prædicationis Evangelij per præscientiam conditionatam ita voluntatibus attemperatam fuisse censebant, ut illis prædicaretur, qui credituri sciebantur. *Dicunt id præscientia esse divina*, inquit Hilarius, *ut eo tempore & ibi in illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur quando & ubi prænoscebatur esse credenda.* Quid est hoc aliud quam Deum aptè distribuendo prædicationem juxta quod eam credendam videt, suscitare cogitationes congruas quibus consentiendo credat? Nam indè est quod alio tempore prædicationem substrahit, quia videt juxta semi-Pelagianos esse repellendam, hoc est, videt per præscientiam conditionatam tales esse affectus voluntatis ut cogitationes, quas prædicatio suscitabit, non sint futuræ congruæ, quibus assentiendo credat. Qui est ipsissimus modus quo Scriptor ille suam gratiam congruæ cogitationis exponit.

Prosper in Epist. ad Rufinum.

In Apolog. Orosii circa med. f. 645.

Prosper in in Epist. ad Augustin.

Hilarius in Epist. ad August.

l. 2. disp. 19 c. 16. & 14. & 20.

A Sed quid ego de congrua cogitatione naturali, quæ ex creaturarum inspectione nascitur, destruenda satago cum Augustino, nec revelatio sancti Pauli, qua raptus in tertium cælum ineffabilia divinæ sapientiæ mysteria contemplatus est ad confessionem Christianæ gratiæ sufficiat? Nam ut Pelagium refelleret, qui ineffabilis gratiæ cælestis illuminationes & revelationes prædicat: *Quid dicam*, inquit, *de revelatione sapientiæ? Neque enim facile quisquam speraverit in hac vita posse pervenire ad magnitudinem revelationum Apostoli Pauli. Et utique in eis quid aliud credendum est ei revelari solere, nisi quod ad sapientiam pertineat?* Et tamen tantùm abestut illa gratia sit satis Augustino, ut potius Paulo aliam adhuc gratiam ei adhibendam fuisse docet, ne hac ipsa magnitudine revelationis intumesceret & periret: *Et tamen*, inquit, *dicit Paulus in magnitudine revelationum mearum ne extollar datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ qui me colaphizet.* Ex quo B quisque satis intelligat, nullam cogitationem quantumcumque congruam, sive naturalem sive supernaturalem, sive à creaturis excitatam exterius, sive ab Angelis, sive ab ipso Deo mentem etiam clarissima inspectione ipsius veritatis illustrante, eo pacto veram esse gratiam illam, quam Ecclesia Christiana commendat. Nam quamcumque tandem cogitationẽ commendaveris, etiamsi esset contemplatio clara veritatis, quemadmodum Augustinus putat Paulum in ista raptûs revelatione, contemplatum esse essentiam Dei, si non accedat alia caloris & amoris in voluntate inspiratio, nihil omninò habituri sumus aliud, nisi cognitionem veritatis, qua quid agendum sit, cavendumque discamus, hoc C est, nullam omninò gratiam, nisi Pelagianam seu legem atque doctrinam: juxta illud Augustini quo omnes tergiversationes amputat: *Dei adiutorium, Pelagius, multipliciter insinuandum putavit commemorando doctrinam & revelationem, & oculorum cordis apertionem & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & multiformi & ineffabili dono cælestis gratiæ illuminationem: ad hoc utique ut divina præcepta & promissa discamus.* Quibus deinde fulmen istud intorquet: HOC EST ERGO GRATIAM DEI PONERE IN LEGE ATQUE DOCTRINA. Lex enim & doctrina quocumque nomine appelletur, sive illuminatio, sive revelatio sapientiæ, sive (quod omnium est minimum, & in omni lege, doctrinâ, hortatione, suasione, illuminatione, sapientiæ revelatione involvitur) COGITATIO, non aliâ ratione prodest, nisi docendo, hoc est, operationem justitiæ demonstrando, non largiendo, ostendendo, vel (quod est extremum est) imperando quid D fieri deceat, congruat, debeat, non autem operando. Hoc est enim distinctæ officium gratiæ, quæ voluntatem captivam liberet, frigidam accendat, ex non volente volentem efficiat & facientem. Est quippè gratia, qua Deus incrementum subministrat occultus; qua docet

Lib. de gratia Christi cap. 11.

Ibid.

Ibid. c. 7.

docet eos qui secundùm propositũ vocati sunt, simul donans, *quid agant scire, & quod sciunt agere.* Datur enim ut ipsa cordis *duritia auferatur.*

Lib. de grat. Christ. c. 13. De Prædest. sanct. c. 8.

Nam quod Scriptor iste nomine cogitationis tanquàm *congrua* se tegit, non potest istius sententiæ novitatem à censura graviori tueri. Nam nec Pelagius unquàm negavit illas quas asserebat illuminationes Dei, quæ sine cogitationibus esse non poterant, fuisse congruas: quin potiùs hoc ipso, quo per illas voluntatem credere, sperare, diligere, & opus bonum facere posse, crebroque facere statuebat, sentiebat esse congruas. Quis enim eo absurditatis delabatur, ut cogitationes, Deo illuminante & sapientiam revelante suscitatas, quibus fit ut ejus mandata custodiat, *incongruas* voluntati esse arbitretur? Fuerunt ergò ex Pelagianorum sententia congruentissimæ, & ad eam in opus rapiendum non minùs efficaces, quam juxta Scriptoris istius opinionem, ulla cogitatio naturalis ex creaturarum occursu excitata esse potest. Sed non advertit vir bonus, hoc ipsum quo se à Pelagianis differre putat, esse ipsissimam petram scandali, in quam offendendo ceciderunt. Non enim propterea reprehensi sunt Pelagiani, quod legem atque doctrinam, suasiones, hortationes, illuminationes, revelationes, cogitationes, sive naturali providentiâ, sive Deo inspirante suscitatas, tanquàm Dei gratia prædicarunt: Nam & hoc ipsum Augustinus frequenter fecit, *cùm utrumque sit donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus:* Sed hoc est quod Catholicas aures malè habuit, quod hujusmodi dona scientiæ, *quam fides vera & doctrina sana esse dicit ex Deo,* tàm congrua esse possint voluntati, ut illam ad opus bonum sublevandam rapiendamque sufficiant, absque eo quod longè alterius rationis gratia voluntati conferatur. Hoc tanquàm certissimum errorem proscripserunt, hoc proscribendum esse neminem Catholicum dubitare sana doctrina permittit, ut jam utcumque declaratum est, & suo loco uberius declarabitur.

Conc. Carthag. can. 3.

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 19.

Quapropter qui naturam gratiæ à D. Augustino prædicatæ paulò altius quam solo nomine perspectam habent, sciunt nullam cogitationem, sive ex naturalibus quibuscumque causis, sive cælitus ab Angelis, sive ab ipso Deo intus in corde per altissimas revelationes excitatas, ita attemperari posse voluntati, ut ei ad bonum operandum, imò volendum congruant, nisi cor ipsum alia interiori & potentiori gratia operante mutetur. Cujus ratio est quod congruitas sit relativa: impossibile est autem ut cogitatio qua intus Deus verbi gratia diligendus cogitatur, congruat voluntati, quamdiu eam concupiscentiæ pondus à Deo aversam & creaturis incubantem affixamque tenet. Talis enim cogitatio, quamdiu cor tale permanet, erit speculativa quædam rei agendæ contemplatio, & confestim velut actioni jam jam suscipiendæ importuna respuetur. Quapropter ut fiat congrua, cor ipsum novi amoris inspiratione antè à creaturis avelli debet, quo facto mox ei ista cogitatio prior congruet. Sed hoc omnem omninò cogitationem non solùm naturalem, sed quantumcumque divinam ac sublimem superat, ne illius solius virtute peragatur, soloq; Spiritu S. concupiscentiæ vincula dirumpente, & cor ipsum seu voluntatem tali beneficio liberante peragi potest. Hoc quisquis in isto exemplo de Dei dilectione intellexerit, in cæteris operibus bonis nullam difficultatem in intelligendo patietur. Nullum enim omninò est opus bonum, nec esse potest, nisi ipsa legis justitia diligatur, quam qui diligit, ille est qui Deum diligit, prout hæc fusissimè in alio tractatu plurimis Augustini testimonijs, diversisq; principijs ejus adversus eundem istum Scriptorem declarata sunt, qui non semel in D. Augustini doctrinâ tàm infeliciter versari solet, ut non tàm Aug. explicare, quam imaginationes suas narrare, & opinionum novarum fulcra quærere videatur.

Vide lib. 1. de statu puræ naturæ c. 5. 6. 7. 8. 9.

CAPUT XVIII.

Vera & fundamentalis ratio, cur nulla doctrina, vel revelatio, vel cogitatio congrua liberare possit arbitrium: ex termino *à quo*, & *ad quem* liberationis petita.

EX jis quæ hactenus de legis doctrinæque cujuslibet natura disquisita sunt, non est difficile veram radicem percipere, cur captivæ voluntatis liberatio ad benè operandum, majoris molis opus sit quam ut doctrinæ vel cogitationibus intellectus quibuscumq; asscribi queat. Hujus ergò vera ratio duplex ex prædictis colligi potest, una ex parte termini quasi *à quo* liberationis istius, altera ex parte termini *ad quem.* Terminus à quo liberationis arbitrij est concupiscentiæ servitus, cui peccati merito mancipata est. Terminus ad quem est charitas justitiæ, hoc est Dei, quæ simul est quasi causa formalis qua voluntas est formaliter libera, ut alibi fusius dicturi sumus, quando de libero arbitrio disputabimus. Directè namq; servituti voluntatis sub dominatu imperiosæ cupiditatis opponitur. Itaq; liberatio voluntatis fit, per inspirationem novi amoris, videlicet amoris justitiæ, hoc est amoris Dei; quo animus ab amanda creatura avellitur, & quodammodo sursum suspenditur, ne deorsum in antiquam servitutem, concupiscentia creaturarum titillante relabatur. Tenet enim cælestis amoris delectatio mentem ne libidinibus consentiat. Quod simul atque fit, jam à concupiscentiæ dominatione liberatur. Hanc liberationis naturam sæpè indicat Aug. ut quando contra Fortunatum dicit: *Propter gratiam Dei, quæ liberat nos à lege peccati & mortis,* (hoc est à concupiscentia) *ad justitiam conversi liberamur.* Ecce liberatio

Disput. contra Fortunatum.

per.

per conversionem *ad justitiam*, supple divino amore diligendam. Nam hoc paulò superius perspicuè expresserat. *Cùm autem gratia Dei amorem nobis divinum inspiraverit, & nos suæ voluntati subditos fecerit, quibus dictum est vos in libertatem vocati estis, Et gratia Dei liberavit me à lege peccati & mortis. (lex autem peccati est ut quicumque peccaverit moriatur) ab ista lege liberamur cùm justi esse cœperimus.* Hoc est cum ad justitiam diligendam divino isto amore convertimur. Et libro quarto ad Bonifacium: *Quid mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendam justitiam liberum non erit, nisi ovis fuerit? Qui facit igitur oves homines ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.* Quem autem facere, nihil est aliud quam inspirare voluntatem bonam, nec voluntas bona aliud Augustino, quam charitas, qua justitia diligatur. Et in libris Retractationum: *A cujus concupiscentiæ dominatu non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum dono Spiritus sancti, per quem diffusa charitas* (hoc est amor justitiæ seu Dei) *in cordibus nostris vincit carnis concupiscentias ne consentiat eis ad malè faciendum, sed potius bona faciamus.* Et præclarè libro primo operis imperfecti contra Iulianum: *Ab hac ergo necessitate servitutis* (concupiscentiæ dominantis) *ille liberat qui non solùm dat præcepta per legem, verùm etiam donat per Spiritum charitatem, cujus delectatione vincatur delectatio peccati* (hoc est concupiscentiæ) *alioquin perseverat invita* (invito) *& servum suum tenet. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Et alio in loco: *Alia remissio peccatorum in eis quæ malè facta sunt, alia charitas qua facit liberum* (videlicet à dominatu concupiscentiæ) *ad ea quæ bona facienda sunt. Vtroque modo liberat Christus; quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit charitatem.* Quod & alijs infinitis locis tradit. Quocirca qui pleniùs rem totam istam velit intelligere, videat quæ latissimè ex Augustino disseruntur in alio tractatu de natura libertatis, ubi liberationem istam tàm quantùm ad terminum *à quo* jam dictum, quam terminum *ad quem*, charitatem, plurimis Augustini testimoniis comprobavimus, quibus hic repetendis immorari supervacaneum esset.

Lib. 4. ad Bonif. c. 6.
Lib. 1. Retract. c. 23.
Lib. 1. op. imp. f. 162.
Ibid. f. 123.
Vide l. 7. de grat. Christ. Salvat. c. 7. & 8.

Ex his etiam perspicuus manet modus, quo per istiusmodi liberationem potens fit voluntas ad opus bonum, nempè quia per istam charitatem justitiæ ponitur opus in voluntatis potestate, (quæ est definitio libertatis) nempè inspirato illo amore divino, quo justitia legis ac præcepti diligitur, animus vires accipit, ut cum concupiscentia deorsum ad creata bona retrahente luctari queat. Nam voluntatis fortitudo nulla est nisi amoris, idque sive cupiditatis fuerit, qui est ægritudo, & quædam quasi phrenesis ejus potentissima, sive charitatis, qui est sanitas, ideoque vera fortitudo ejus: quibus inter se colluctantibus ille superat, qui ardentior potentiorque fuerit. Ex quo efficitur ut si amor justitiæ superaverit, animum invictum adversus cupiditatis motus teneat, ne illis consentiendo superetur. Nam hoc est quod paulò ante dixit:

A *Donat charitatem, cujus delectatione vincatur delectatio peccati.* Hoc est quod dixit: *Diffusa charitas in cordibus nostris, vincit carnis concupiscentias, ne consentiat eis ad malè faciendum, sed potiùs ad benè faciendum.* Hoc est quod dicit in Enchiridio ad Laurentium, cum de cupiditatis dominatu præmisisset: *Regnat carnalis cupiditas ubi non est Dei charitas*, mox de charitate tanquàm quæ contra concupiscentiam sit vera voluntatis fortitudo, subjungit: *Si autem respexerit Deus &c. Et agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis.* Quomodo autem hæc fortitudo charitatis exeratur, adijcit, *Vt quamvis sit adhuc quod homini repugnet ex homine nondum totâ infirmitate sanata, ex fide tamen justus vivat justeq; vivat: in quantum non cedit malæ concupiscentiæ vincente dilectione justitiæ.* Hoc est quod multipliter dicit, dùm hanc luctam cupiditatis & charitatis luculentissimè tradit, B in primi libri prima ad Simplicianum quæstione: vbi simul ostendit nullas voluntatis adversus cupiditatem seu concupiscentiam esse vires nisi charitate roboretur: *Consequens*, inquit, *erat ut quoniam nondum accepta gratia, concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam.* Item: *Sentit se servum dominantis cupiditatis.* Et statim: *Vincitur nondum per gratiam liberatus, quàmvis jam per legem & noverit se malè facere, & nolit:* Rursum: *Nondum sub gratia profectò trahitur ad malè operandum concupiscentia dominante atq; fallente dulcedine peccati, quàmvis ex parte notitia legis hoc improbet.* Nam ut addit, *Natura & consuetudo conjuncta robustissimam faciunt, & invictissimam cupiditatem, quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne sua*, id est, dominatum quendam, & quasi regnum obtinere. Et paucis interjectis: *Qui nondum est sub gratia, quod non vult malum hoc agit superante concupiscentia, non solùm vinculo mortalitatis, sed malæ consuetudinis roborata.* C Et rursum: *Invenit legem bonam sibi esse, volens facere quod illa jubet, & concupiscentia superante non valens.* Quod ex professo illa totâ quæstione tradit, & tanquam doctrinam Apostoli saluberrimam, frequenter inculcat. Contra istam ergò servitutem voluntatis, contra hunc dominatum, tyrannidemque concupiscentiæ, contra hanc robustissimam, invictissimamque cupiditatem, nullam in homine esse fortitudinem, nullam pugnam, nullam victoriam nisi ex sola charitate, ibidem iterum atq; iterum docet: *In quo satis ostendit, non posse legem impleri, nisi à spiritalibus, quod non fiunt nisi per gratiam.* Spiritualis autem ab ipso vocatur, qui habet affectum amoris spiritalem, & gratia sub qua quis esse vel non esse dicitur in omnibus istis locutionibus, charitas est. Nam statim semetipsum explicans: *Spiritali enim legi quanto fit quisque similior, id est, quanto magis & ipse in spiritalem surgit* D *affectum, tanto magis eam implet. Quia tanto magis ea delectatur, jam non sub ejus onere afflictus, sed ejus lumine vegetatus &c. gratia donante peccata & infundente spiritum charitatis, quo & non sit molesta, & sit etiam jucunda justitia.* Et multis interpositis: *Porro qui acceperunt legem, prævaricantur eam, nisi per gratiam consequantur posse quod jubet. Ita fit ut non*

Lib. 1. op. imp.
Lib. 1. Retract. c. 23.
In Enchirid. cap. 117. & 118.
Lib. 1. ad Simplic. quæst. 1.
Ibid.
Ibid.

ut non dominetur eis, quidam sub gratia sunt, implentibus eam per gratiã, qui erant sub eius timore damnati. Sed quæ illa tandem gratia, sub qua sunt, quaque possunt implere, & implent legem, & sine qua implere non possunt? Audi subjuncta: *Ad Iudæos dicta est lex ministratio mortis, ad quos & in lapide scripta est ad eorum duritiam figurandam; non ad eos qui legem per charitatem implent. Plenitudo enim legis est charitas.* Et inferius: *Mortui sumus legi damnanti, liberati ab eo affectu quem lex punit & damnat.* Sed per quid liberati? *Itaque idem præceptum timentibus lex est amantibus,* id est, charitatem habentibus, *gratia.* Et paulò post: *Lex littera est eis, qui non eam implent per spiritum charitatis, quo pertinet testamentum novum.* Et rursum: *Ab eius ergò dominatione liberantur qui per spiritum innovantur, ut iam non sint obligati litteræ ad pœnam, sed intellectui per iustitiam copulati.* Sed quæ est illa spiritus innovatio? Audi sequentia: *Littera occidit, spiritus autem vivificat. Lex enim tantummodo lecta, & non intellecta, vel non impleta utique occidit. Tunc enim appellatur littera. Spiritus autem* B *vivificat quia plenitudo legis est charitas, quæ fusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* In istis omnibus locis aliisque plurimis, A quæ proferri ex Augustino possent, semper hoc agit, ut intelligamus libertatem, qua quis à dominante concupiscentia liberatur, ut ei non consentiat, eique jam servienti dominetur: itemque animi fortitudinem, qua quis adversus concupiscentiam importunissimè tumultuantem robustus fiat, ut eam & oppugnare possit, & vincere, nullam esse aliam, nisi charitatem quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. Illa quippe sola est, quæ affectum tribuit spiritalem, quæ liberat, quæ innovat, quæ robustum faciat animum, concupiscentiæque dominantem: qua si caret, non affectu spiritalis sed carnalis est, non innovatus sed vetustus, non robustus adversus cupiditatis impetum sed infirmus, non liber ab ejus dominatione, sed servus, cui tanquàm imperiosæ dominæ serviat necesse est: trahitur ab ea, capitur, possidetur tanquàm venumdatum concupiscentiæ mancipium: cui non tantùm resistere non valet, sed quo surgere sibi videtur altius, eo gravius alliditur, & ex una in aliam semper ei serviendo præcipitatur, hoc est ut, Prosper vigilantissimè dicit,

Libro de ingratis, 27.

——— *In vulnera vulnere surgit.*

A IMpossibile est enim ut extra Deum pedem, hoc est, affectum figat, nisi in creaturam: quo affectu extra creaturam exire nullo pacto potest. Ille quippè affectus in creaturam fixus quo surgere conatur, & concupiscentiæ compedes dissolvere, ut ejus dominatum fugiat, est alius subtilior ejusdem concupiscentiæ dominantis motus. Affectum autem in justitiam præcepti figere, seu affectu benefaciendi benefacere, sicut necesse est, juxta sanctum Augustinum, ut sit voluntas libera & actus ejus bonus, est ipsissima dilectio tàm celebrata charitatis, quemadmodùm jam diversis locis diximus, & ex professo alibi prolixeque demonstravimus.

Vide libro 1. de statu naturæ cap. 5. 6. 7. 8. 9.

Hæc ergò fundamentalis ratio est, extremaque radix, cur neque lex, neque doctrina, neque ulla illustratio, vel revelatio veritatis quantumcumque clara, neque ulla intellectus cogitatio, quantumcumque supernaturalis, B nedum naturalis, quantumcumque etiam fingatur congrua, sufficere possit ad liberationem voluntatis. Nam & terminum *à quo* liberationis tollere, & terminum *ad quem* ponere cujuslibet cognitionis atque cogitationis longissimè superat potestatem. Vndè Augustinus dicit: *Inest sanctæ legis scientia, nec tamen sanatur vitiosa concupiscentia.* Et, Charitas non ex hominibus, vel ex lege humanaque cogitatione, sed *ex Deo est.* Quamvis itaque hujusmodi supradicta vulnerum humanorum Epithemata vim aliquam habere possint, ut divertant animum ab illo singulari malo perpetrando, quod proponitur, quod & timor pœnæ non solùm futuræ, sed & præsentis frequenter facit, nihil tamen eorum idoneum est ut concupiscentiæ universæ vires frangat, & ad verum bonum transferat diligendum: id est, nihil eorum sufficit ut animum ab omnis omninò creaturæ dilectione divellat, & ad præcepti justitiam diligendam subvehat, cujus solius dilectione fit liber. Hoc enim & nihil aliud est juxta doctrinã Augustini celeberrimam & fundatissimam, quam inspirare veram illam evangelicam charitatem Dei, qua sola arbitrium voluntatis à concupiscentiæ dominatione liberatur, hoc est, fit liberum, & ad benè faciendum expeditum: *Charitas enim facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt.* Istud verò nulla omninò cognitio, vel revelatio, vel cogitatio qualiscumque efficere potest, sed sola illa interna & occulta gratia voluntatis, quæ ideò humanis cordibus tribuitur, *ut cordis duritia primitus auferatur.* Nam ista gratia non solùm instruit intellectum, ut facit quælibet revelatio atque cogitatio, sed *sanat voluntatem qua iustitia liberè diligatur.*

Lib. de gestis Pelag. c. 7.

1. Ioan. 4.

Lib. 1. oper. imperf. contra Iul. fol. 117.

De prædest. sanct. cap. 8.

Lib. de Spir. & litt. c. 30

Digitized by Google

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE
GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER SECVNDVS.
Qui est de vera voluntatis gratia, quantum ad operandi modum.

CAPVT PRIMVM.
Gratia voluntatis alia sanæ, alia ægrotæ. Cardo disputationis inter Ecclesiam & Pelagianos. De gratia medicinali contra vulnera naturæ inflicta.

CVm ergò satis superque declaratum sit, neque naturam, neque ullam gratiam solius intellectus, quocumque nomine appelletur sufficere posse, ut arbitrium voluntatis à concupiscentiæ dominatione liberum fiat, quo rectè vivat & justitiã operetur, soli gratiæ voluntatis hoc tantæ molis opus reservatum videtur. Nihil enim superest, cui præterquam illi, cum aliquo colore probabilitatis posset asscribi. Nam in corpus vel in sola sensuum externorum adjumenta rem tantam referre, satis ipsa se rei absurditate & impietate confutat. Quanquam cum ista liberatio non sit corporis sed animi bonum, nihil ad illud externi sensus conferre posse videantur, nisi signa suppeditando, quibus animus discendo moveatur: & sic iterum ad doctrinam jam refutatam redíremus.

Sed gratia voluntatis multiplex est: alia *Habitualis*, sub qua & remissio peccatorum continetur; *Actualis* alia. Quæ rursum à Scholasticis Doctoribus dividi solet in *Sufficientem & Efficientem*. De quarum singulis multæ magnæque vigent controversiæ. Portò istis omnibus divisionibus prior & ad rem præsentem accommodatior est, alia quædam gratiæ partitio, qua dividi potest in gratiam sani hominis, & ægroti. Gratia namque de qua disputamus, est genus quoddam adjutorii voluntatis ad operandum: quæ cùm esse possit vel sana integraque, vel ex læsione quâpiam ægra, hinc fit ut utriusque adjutoria necessariò in operandi modo valdè diversa sint. Nam A unum eorum adjuvat tanquàm adjutorium roboris naturalis, alterum ut remedium ægritudinis: quæ tantùm inter se discrepant, ut si alterum alterius loco adhibeatur, vel nihil omninò conferat, vel pro adjumento perniciem ferat. Nam quemadmodùm si quis ægrotanti stomacho atq; alimenta fastidienti solidos robustorum cibos offerat, non ægritudinem pellet, sed forsan accelerabit interitum: si quis pupillis læsis vel oculis lippientibus, clarissimum lumen accendat, quo sanis nihil est amabilius, & ad utendum accommodatius, non modo non restaurabit id quod in oculis labefactatum est, sed acerbissimos dolores inferet, vel etiam excœcabit magis: Ita si quis voluntati bonum bonorum fastidienti, adjutorium adhibeat, cujus usus integras illæsasque vires ejus postulet, aut supponat; non tantùm nihil proderit, sed morbi deterioris erit seminarium. B Nam hujusmodi sanarum virium adjumenta, quisquis naturam rerum attentè circumspexerit, ubiq; læsis esse vel prorsus inutilia, vel etiam noxia deprehendet. Quid enim adjuvat ad cernendum cœcã aciem, vel valdè debilitatam lux? Quid fractas tibias manusq; scipio ad àmbulandum? Quid adjacentes rerum diversarũ species phreneticum ad intelligendum, nisi ut deliret furiosius? Quòd perspicaciter advertit Aug. quando Cresconio dixit: *Cum eadem luce & sani oculi perfunduntur & saucii, istis adjumentum est, illis tormentum. Idem cibus alias valetudines alit, alias lædit.* Itaque hæc vegetarum potentiarum adjutoria, quantumcumque multiplicentur ægrotantibus, vel exstinctis augeantur, non modo perditas vires non restaurabunt, sed nec ad usum assumi poterunt,

Lib. 1. contra Cresc. cap. 13.

Digitized by Google

poterunt, vel certè cum præsentiore pernicie assumentur. Supponunt enim integras esse vires, quarum vigori ad utendum serviant: qui ubi perijt, frustrà de talibus adminiculis satagitur. Pharmacis enim opus est, ut potentiarum sanitas ante reparetur, quam ullis utatur sanitatis adjutorijs. Quæ si in rebus naturalibus per quam certa atque manifesta sunt, ad cubile veritatis quam in voluntate quærimus, nos quasi manu ducent. Nam & ibi duplex istud adjutorij genus quam maximè locum habet. Aliud enim subservit sanæ voluntatis operationibus bonis, aliud ægrotantis. Nam & ipsa subindè in eodem homine sana, fortis, vegeta est; nonnunquam ægra, languida, fastidiosa, mortua quantùm ad opus effectusque bonos. Tali voluntati sanitatis adhibere velle adjutorium, ut illo juvante operetur, non minoris fatuitatis est, quam cibum offerre mortuo, vel cibum B solidum fastidienti, lucem cœco, scipionem fracto tibijs, species varias deliranti. Remedijs ægrotorum, potionibus, collyrijs, epithematibus & similibus opus est ut ægro sanitas restituatur; non tanquàm sano offerendum illud adjutorij genus, quo nemo uti potest, nisi cui ante reddita fuerit sanitatis integritas.

Hoc igitur duplex voluntatis adjutorium integræ & lapsæ, sanæ & ægrotantis, frequenter ab Augustino inuicatum est, tantâque sollicitudine inculcatum, ut ab isto discrimine totam difficillimam causam gratiæ cum Pelagianis, victoriamque suspenderet. Pro quo intelligendo sciendum est Augustinum & Pelagium, cùm essent acerrima, celerrimaque ingenia, cardinemque viderent in quo tota causa verteretur, statim in ipso exordio contentionis, totaque vita posteà gravissimum conflictû de naturæ humanæ integritate atq; læsione habuisse. Contendebat vnicè Pelagius, C naturam humanam, quantumvis peccati esset rea, & remissionis indigeret, non esse peccando vitiatam, sed possibilitatem, hoc est potestatem voluntatis, qua benè vivere & malè poterat, integram perstitisse, qualis ante peccatum fuerat: eaq; de causa nullum jam voluntati tanquàm læsæ adjutorium esse necessarium. Augustinus radicem gratiæ Christianæ jugulumq; peti videns, acerrimè tuetur, naturam peccãdo esse violatam, hoc est, liberum arbitrium contraxisse quandam benè volendi ægritudinem, propter quam ei medicus sit necessarius, cujus medicinali gratia & adjutorio nisi vires pristinę restaurẽtur, tàm esse impossibile voluntati ut benè velit, & operetur, quam homini cœco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibijs fracto ut rectè gradiatur, quantumvis eis & lux & species, & scipiones, & omnia cætera sanitatis adjumenta suppetant. Audiamus igitur, quanto conatu isti Antagonistæ D pro ista capitali & radicali veritate decertent. Capitali & radicali dico, eo quod Augustinus in præludio istius conflictus dicat: *Iam nunc videte, quod ad rem maximè pertinet, quomodo humanam naturam, tanquàm omninò sine ullo vitio sit,*

Lib. de nat. & grat. cap. 51.

A *conetur ostendere, & contra apertissimas Scripturas Dei luctetur sapientia verbi, qua evacuetur crux Christi.* Et vicissim Pelagius: *Primo,* inquit, *de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura.* Nempè uterque videt, ab istius exordiendum esse discussione quæstionis, qua gratiæ operatricis necessitas quam Christus velut naturæ medicus attulisse dicitur, vel radicitus tota exscinditur, vel tota vindicatur. Stultum est enim accersere vel advenire medicum, naturamque velut cæcutientem collyriis, vel velut infirmam pharmacis velle roborare, ubi nulla est imbecillitas operandi, quemadmodùm Christus ipse dixit: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Itaq; Pelagius cùm admisisset, divinitus esse expianda peccata commissa, & pro eis Dominũ exorandum esse, hoc est, naturam peccatricem remissione peccatorum indigere, ut quam sibi ipsi dare non posset, quemadmodùm hoc ab initio usq; ad finem semper hoc eum docuisse monstravimus, velut immobilem totius concertationis basim collocat, impossibile esse ut natura præter reatum culpæ quem admiserat peccando, vitium contraheret, quo fieret ad opus bonum imbecillior, ut medico indigeret: *Ante omnia quærendum puto,* inquit, *quid sit peccatum, substantia aliqua, an omninò substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur.* Et adjungit: *Credo ita est; Et si ita est, quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantia caret?* Vndè cùm evidenter sequeretur, frustra peccatorem præter peccati remissionem, aliam sanitatem viresque benè operandi implorare, contra hujusmodi preces subijcit: *Quid ergò clamas, sana animam meam, quoniam peccavi tibi? Quomodo potuit vitiare animam tuam, quod substantia caret?* Et hanc doctrinam ad universum humanum genus extendens, quod nullo modo primi hominis iniquitate vitiari, hoc est, imbecillius ad benè operandum fieri potuerit: *Non debuit,* inquit, *hac ægritudo contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati, ut committerentur plura peccata.* Et mox apertius: *Quid quæritis? sani sunt propter quos medicum quæritis. Nec ipse primus homo ideò morte damnatus est; nam posteà non peccavit.* Quasi diceret non contraxit ullam peccandi infirmitatem, quia posteà rectè vixit, undè adjicit, *Eius quoque posteros non solùm illo non infirmiores, sed etiam plura implevisse præcepta, cùm ille unum implere neglexerit.* Quod toto decursu libri summa virium obstinatione contendit, tanquàm undè totius dogmatis Pelagiani pẽderet salus.

Matth. 9.

Vide dicta in l. 5. c. 6. & 7. hær. Pelag.

Pelag. apud Aug. lib. de nat. & gratia c. 19.

Ibid.

Ibid. c. 21.

Hujus ergò doctrinæ occultissimam pestilentiam cùm Augustinus adverteret, eam tùm isto libro de naturâ & gratia, tùm cæteris ad mortem usque persecutus est, tanquàm qua veritas Scripturarum de operatricis gratiæ necessitate, sanctorum Ecclesiæque præces universæ, Christi passio & mors, ipsaque ejus incarnatio & adventus in hunc mundum adeoque nomen Iesus, id est, Salvator, funditus deleretur; eo videlicet modo,

quo funditus tollitur medici & adjutorij medicinalis necessitas, si morbus auferatur. *Videte quæso*, inquit Augustinus, *quomodo nesciens nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces saluberrimas, Ego dixi miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi. Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum? Porrò si est quod sanetur, unde vitiatum est? Audis confitentem, quid desideras disputantem? sana, inquit, animam meam.* Ecce sublatas Ecclesiæ preces pro viribus ad benè vivendum contra peccati ægritudinem impetrandis. Sed pergit adhuc inferius: *Cernitisne quo tendat, & quo manus porrigat hæc superius commemorata Pelagij disputatio? Vt omninò frustra dictum putetur, vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Quomodo enim salvum faciet, ubi nulla est ægritudo? Peccata quippe, à quibus dicit Evangelium salvum faciendum populum Christi substantiæ non sunt, & secundum illum vitiare non possunt?* Ecce nomen Iesus exstinctum, exstinctâ naturæ vitiatione, qua vires ejus debilitatæ sunt. Audi adhuc sequentia: *Attendite autem, quomodò adhuc se urgeat verisimilibus rationibus contra Scripturæ sanctæ veritatem. Dominus Iesus dicit qui propterea Iesus vocatur, quia ipse salvum facit populum suum à peccatis eorum, dicit ergò Dominus Iesus, Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus. Non veni vocare iustos sed peccatores &c. Et iste contra fidelem sermonem & omni acceptatione dignum dicit, non debuisse hanc ægritudinem contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati* (id est ista ægritudo seu infirmitas) *ut committerentur plura peccata.* Et mox adjungit illa reliqua Pelagij verba, quibus ut jam paulò ante diximus & sanitatem & præcepti implendi potestatem posteris Adæ mansisse profitetur. Ecce deletum etiam Iesu, hoc est, Salvatoris nomen, totumque medicinalis adventus ejus apparatum, sublata videlicet pœnali imbecillitate naturæ, cui soli medendæ medicus necessarius est. Non enim hic agi de auxilio Christi ad remittenda præterita peccata, cujus necessitatem Pelagius in eodem loco disertissimè docet, & Augustinus agnoscit, sed de auxilio gratiæ contra futura quod sanandæ ægritudini & infirmitati voluntatis ex peccato nascenti Christus attulit, ut præcepta legis seu justitia mandatorum impleantur (quod Augustini phrasi, *iustificari*, vocari solet) tùm ex jam citatis locis manifestum est, tùm alijs plurimis Augustinus expressit. *Nemo ei dicit*, inquit, *sic hominem factum, ut de iustitia quidem posset in peccatum ire, & de peccato ad iustitiam redire non posset: sed ut in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium, quo se ipse vitiavit*, hoc est, quo præter peccati culpam sibi vitium inflixit. *Vt autem redeat ad iustitiam opus habet medico* contra istud vitium, *quia sanus non est, opus habet vivificatore, quia mortuus est.* Et paulò post, cùm tradidisset ærumnas hujus vitæ non posse nisi impetrata divinitus fortitudine superari, adjicit: *De qua gratia & adiutorio & misericordia, sine qua benè non possumus vivere, nescio quare iste omninò nihil dicit, imò etiam velut sibi ad iustitiam*, id est ad justè vivendum, *sufficientem, si voluntas sua adsit, defendendo naturam, gratiæ Christi qua iustificamur*, hoc est justè seu justitiam operamur, *apertissimè contradicit.* Et rursum nonnullis interjectis hoc ipsum apertius adversus illam Pelagianam naturæ defensionem, cum Pelagij redargutione manifestans: *Videtisne quemadmodum non dicat* (Pelagius) *necessariam misericordiam Dei ut non peccemus*, dando scilicet adjutorium gratiæ qua futura peccata caveamus, *sed quia peccavimus? Et rursum instantius: Sicut ergò vulnere verbi gratia claudicans ideo curatur ut sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa iam non sint* (interveniente peccatorum remissione) *sed ut de cætero rectè ambulare possimus.*

Quamobrem ut jam dicere cœperam, Pelagianam illam sententiam, qua præter culpæ reatum, nulla infirmitas naturæ inflicta esse dicitur, hoc est, qua benè in posterum vivendi, & non peccandi possibilitas integra illæsaque permansisse constituitur, tanquàm cardinem totius controversiæ de gratiæ adjutorio, quaque totus medici adventus evacuatur, densissimis convellit testimonijs. Nam hoc agit quando capite trigesimo quarto dicit: *Porrò quod Dei causam sibi agere videtur defendendo naturam; non attendit quod eandem naturam sanam esse dicendo, medici repellit misericordiam. Ipse est autem Creator eius qui Salvator eius. Non ergò debemus sic laudare Creatorem, ut cogamur dicere, imo vero convincamur dicere superfluum Salvatorem.* Hoc agit, quando in eodem capite consequenter dicit: *Vitia sanè nostra, quæ sanat, non divino operi* (hoc est creationi) *sed humanæ voluntati iustèque illius vindictæ tribuamus. Sed ut in nostra potestate fuisse ne acciderent confitemur; ita ut sanentur in illius magis esse misericordia, quam in nostra potestate fateamur. Hanc iste misericordiam & medicinale Salvatoris auxilium tantum in hoc ponit, ut ignoscat commissa præterita, non ut adiuvet ad futura vitanda. Hic perniciosissimè fallitur, hic etsi nesciens prohibet nos vigilare, & orare ne intremus in tentationem, cùm hoc ne nobis accidat, in nostra tantùm potestate esse contendit.* Asserendo videlicet naturam esse sine vitijs quæ ex commissa iniquitate consecuta sunt, quibusque superandis adjutorium imploramus, ne intremus in tentationem. Nam ut de istis pœnalibus vitijs concupiscentia & ignorantia, undè post lapsum hominis, omnia omninò peccata pullulant, sermonem esse contra Pelagium disceremus, paulò ante præmiserat: *Vitium quo committitur* (nunc peccatum) *nondum omni ex parte sanatum est: quod quidem ut inolesceret, de non rectè usa sanitate descendit. Ex quo vitio iam malè valens, vel infirmitate vel cæcitate plura committit. Pro quo supplicandum est ut sanetur, & deinceps in perpetua sanitate vivatur; non superbiendum, quasi homo eàdem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est.* Hoc agit quando capite trigesimo nono dicit: *O utinam non infirmaret tanti medici gratiam, dum fateri non*

Margin notes: Ibid. c. 19. — Lib. de nat. & grat. c. 20. — Ibid. cap. 21. — Ibid. c. 23. — Ibid. — Lib. de natura & gratia cap. 34. — Ibid. — Ibid. c. 37. — Ibid. c. 39.

non vult naturam humanam esse vitiatam. Vitijs videlicet illis jam dictis quibus actualia peccata perpetrantur. Hoc agit quando continuò præcedentibus attexendo gemebundus repetit: *O utinam sicut Christianus legeret, prater Iesum Christum nullum esse nomen sub cælo, in quo oporteat salvos fieri nos: & non possibilitatem naturæ humanæ ita defenderet, ut homo per liberum arbitrium etiam sine isto nomine salvus esse posse credatur.* Hoc ipso scilicet quo sine vitijs illis illæsus, & consequenter gratiæ Christi ad benè vivendum non indigere perhibetur. Hoc agit, quando aliquo Pelagij quasi nomine respondente, quod gratia adversus unum vitium ignorantiam scilicet, esset necessaria, quasi victoriâ nonnihil in se inclinante respondet: *Vel hinc saltem confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit, quemadmodum debeat leonem domare, & nescit quemadmodum vivere.* Hoc agit, quando Pelagio velut concessionem istam retractante, & naturam à vitijs illæsam defendente subjungit: *An & hoc ut sciat, sufficit ei liberum arbitrium lexq; naturalis? Hac est sapientia verbi qua evacuatur crux Christi &c. Si enim possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad agnoscendum quomodo vivere debeat, & ad benè vivendum sufficit sibi* (hoc est careat istis duobus jam dictis vitijs, cœcitate & infirmitate) *ergò Christus gratis mortuus est, ergò evacuatum est scandalum crucis &c. Sicut enim finis legis, ita etiam natura humana vitiosa Salvator Christus, ad iustitiam omni credenti.* Hoc agit, quando capite quadragesimo secundo præclarissimè clarissimeque dicit: *Melius itaque Dei causa agitur, quam se iste agendo dicit defensare naturam,* dùm asserit eam istius jam dictæ vitiationis expertem, *cùm & Creator & Salvator agnoscitur; quam cum defensa velut sana viribusq; integris creatura, opitulatio Salvatoris minuitur.* Hoc agit, quando de virium istarum quibus olim benè vivi poterat, integritate & consecutâ vulneratione per vitia ista commemorata subtexit: *Quis nescit eum hominem sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad benè vivendum potestate libera constitutum?* (nullis videlicet vitijs liberam istam potestatem deprimentibus) *sed nunc de illo agitur quem semivivum latrones reliquerunt, qui gravibus saucius confossusq; vulneribus, non ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiamsi iam est in stabulo adhuc curatur.* Nempè quia per baptismum quo stabulum ingreditur, ista vitia non auferuntur. Hoc agit, quando de illo vitio remedioque ibidem subjicit: *Sed medicina poterit quod vitio non potest.* Hoc agit, quando capite quadragesimo octavo dicit: *Miror quo corde etiam sine adiutorio medicinæ Salvatoris nostri nostrum putat esse non peccare; posse verò non peccare, naturæ esse contendat, quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc maioris vitij sit non videre.* Hoc agit, quando iterum adversarium suum ad adjutorij divini necessitatem ex naturæ vitiatione confitendam, exemplo corporali perspicuo premit: *De homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit habet ambulandi possibilitatem: confractis verò si velit non habet.* Habes exemplum corporis vitiati, propter cujus sanationem medicina necessaria est; jam accipe antapodosin: *Vitiata est natura de qua loquimur,* hoc est, natura liberæ voluntatis, per quam, ut audivimus, aderat benè vivendi possibilitas, *quid superbit terra & cinis? vitiata est, medicum implorat: salvum me fac Domine, clamat: sana animam meam, clamat. Quid intercludis has voces, ut defendendo quasi præsentem possibilitatem, futuram impedias sanitatem?* Hoc agit, quando Pelagio adhuc mordicus tuente possibilitatem illam benè vivendi non potuisse interimi peccando, hoc est, ut ante dixerat, naturam non potuisse peccando vitiari atque debilitari, ut propterea opus esset Christi Salvatoris auxilio, rei absurditatem ex inflicta concupiscentiæ infirmitate convincit: *Vndè ergò illa vox: ut non quæ vultis illa faciatis? Vndè etiam illa: non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago? ubi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ? Ecce homines non ea quæ volunt faciunt, & de non peccando utique agebat, non de volando, quia homines non alites erant. Ecce homo quod vult bonum, non agit, sed quod non vult malum hoc agit: velle illi adiacet, perficere autem bonum, non adiacet. Vbi est possibilitas quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ?* Et absurditatis enormitatem aperiens malorumque sequelam, quæ pòst se trahit: *Sed his verbis id agitur, etiam à nesciente qui loquitur, non autem nesciente illo, qui hæc loquenda incautis etiam Deum timentibus suggerit, ut evacuetur Christi gratia, humana sibi ad iustitiam suam quasi sufficiente natura.* Hoc agit, quando adversus illam benè vivendi possibilitatem, hoc est, naturam vulnerum expertem dicit: *Exponat quemadmodum cùm sit etiam in ipsis* (non baptizatis quibus caro contraria est) *illa ab eo multum defensa natura, certè vel in eis concedit esse vitiatam, si iam in baptizatis ille saucius, sanus de stabulo egressus est, quo eum curandum misericors Samaritanus adduxit.* Et rursum instantius: *Porro si velit istis* (non baptizatis) *concedit carnem esse contrariam dicat, quid contigerit, cùm sit utrumque, hoc est, & caro & spiritus creatura unius eiusdemq; Creatoris, quod propriâ inflictum est voluntate? Et hoc, ut in natura sanetur, eo ipso opus est Salvatore quo instituta est natura creatore.* Hoc agit, quando paucis interjectis ad ostendendam gratiæ Salvatoris necessitatem, ex carnis contrarietate urget instantius: *Ecce & baptizatis caro invenitur esse contraria, & non adesse possibilitas illa quam inseparabiliter insitam dicit esse naturæ.* Et operosius iterum iterumque gratiæ indigentiam ex vitio, id est, ex oborta pòst peccatum carnis contrarietate commendans: *Ecce etiam baptizatis caro contraria est: & quomodo contraria? Vt non quod volunt faciant. Ecce adest voluntas in homine, ubi est possibilitas illa naturæ? Fateamur gratiam necessariam. Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respondeatur nobis; Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Hoc agit, quando idipsum irrefragabili argumento fidelium oratione convincit: *Fideles orantes dicunt,*

Ibid, c. 40. — Ibid. — Cap. 42. — Lib. de natura & gratia cap. 43. — Ibid. — Ibid. c. 48. — Ibid. c. 49. — Cap. 50. — Lib. de natura & gratia cap. 50. — Cap. 52. — Ibid. — Cap. 53.

flecunt, contra tentationes vitij concupiscentiæ, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Si adest possibilitas, ut quid orant? aut à quo malo se liberari orant, nisi maximè de corpore mortis huius? Vnde non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et à quo tandem corpore mortis, an à substantia per animæ & corporis dissolutionem? *Non utique de substantia corporis, quæ bona est, sed de vitijs carnalibus, unde non liberatur homo, nisi gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis discedit à corpore. Et hoc ut diceret Apostolus, quid supra dixerat? Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Hoc agit, quando nervosè, quasi cuncta hactenus adversus Pelagium jacta concludens: *Ecce quod vitium naturæ, humana inobedientia voluntatis inflixit. Orare sinatur ut sanetur. Quid tantùm de naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est, verâ confessione non falsa defensione opus habet. Gratia ergò Dei non qua instituatur, sed qua restituatur, quæratur: quæ ab isto sola clamatur non esse necessaria, dùm tacetur.* Hoc agit, quando brevius paulò inferius dicit: *Sed quod contraria est caro spiritui, non ut ea quæ volumus faciamus, vitium est non natura: gratia medicinalis quæratur & controversia finiatur.* Hoc agit, quando in eodem loco subjungit: *Si vel in illis* (non baptizatis) *natura vitiata esse conceditur* (per contrarietatem carnis & spiritus) *ut non sine causa clament: Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, eisq; subveniatur in eo quod sequitur, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum; concedatur iam tandem aliquando humanam medico indigere naturam.* Hoc agit, quando lectoris occurrens cogitationibus, declarat se hanc medicinalis gratiæ necessitatem non de peccatorum remissione, sed de adjutorijs ad vitium naturæ concupiscentiam superandam requisitis, intelligere: *An propter commissa præterita* (clamas, quis me liberabit &c.) *ut ea tantùm ignoscantur, quæ fieri infecta non possunt? Dimitte hominem, clamet, quod clamabat. Non enim tantùm desiderat, ut per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed etiam ut sit de cætero ad non peccandum fortis & validus. Condelectatur enim legi Dei secundùm interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Videt esse, non recolit fuisse; præsentibus urgetur, non præterita reminiscitur. Nec tantùm repugnantem videt, verùm an etiam captivitem se in lege peccati, quæ est in membris eius, non quæ fuit. Hinc est quod clamat, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sinatur orare, sinatur adiutorium medici potentissimi flagitare.* Hoc ad postremum agit, quando sub finem istius acerrimæ concertationis dicit: *Agitur de gratia Dei qua sanatur natura per* MEDICVM *Christũ, quo non indigeret, si sana esset. quæ ab isto tanquàm sana, vel tanquàm sibi sufficiente voluntatis arbitrio posse non peccare defenditur.* Et paucis adjectis: *De gratia Dei agitur quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate iustitiæ.* Et mox iterum universum causæ statum cum Pelagianis ob oculos succinctè ponit: *Ita & exhortatus sum quantum potui ad benè vivendum, & gratiam Dei non evacuavi: sine qua natura humana iam contenebrata atque vitiata illuminari non potest & sanari. De qua re cum istis tota vertitur quæstio, ne gratiam Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro perversa naturæ defensione frustremus.*

Ibid. · Ibid. · Lib. de natura & gratia cap. 53 · Ibid. c. 54. · Ibid. c. 55. · Ibid. c. 64. · Ibid. c. 67. · Ibid.

Quod si simili diligentiâ cæteris Augustini operibus lustrandis operam impendere lubetet, testimoniorum copia ac tœdio lectores obruerem, ut est illud quod in libro de perfectione justitiæ contra Celestium Pelagii discipulum acutissimum dixit: *Respondemus vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et quis defectus ille sanitatis? an reatus culpæ, qui remissione & habitualis gratiæ infusione deletur? Audi sequentia: *In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet; dùm caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vult homo faciat.* Vt est illud quod postquàm similitudinis adhibendæ causa dixerat, hominem inter ambulandum *vitare non posse claudicationem, nisi habeat sanatum pedem*; explicando subjungit: *Respondetur eâdem similitudine, qua superius iam respondimus. Cùm enim videmus claudum qui sanari potest, rectè utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione; & si debet potest; nec tamen cum vult, continuò potest, sed cũ fuerit adhibita curatione sanatus, & medicina adiuverit voluntatem. Hoc fit in interiori homine, quod ad peccatum attinet, tanquàm eius claudicationem, per eius gratiam qui venit non vocare iustos, sed peccatores, quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Vt quod in eodem libro iterum atque iterum dicit: *Consultissimè homini præcipi, ut rectis passibus ambulet; ut cùm se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem gratia Dei est per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et quod paulò post, istud vitium naturæ, quo efficitur ista necessitas claudicandi explicando subiungit: *Per arbitrij libertatem factum est, ut esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem. Vndè ad Deum fides clamat, De necessitatibus meis educ me. Sub quibus positi vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur, si vos, inquit, Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Vt quod in libro de peccatorum meritis ipsam radicem necessitatis divini adiutorii & quæstionis adversus Pelagianos cardinem clarissimis verbis aperiendo dicit: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidq; vehementius volumus, quanto certius, quam bonum sit, novimus, eoq; delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuvat voluntates.* Et efficaciam

Lib. de perfect. iust. cap. 2. · Cap. 2. · Cap. 3. · Ibid. c. 3. · Ibid. c. 4. · Lib. 2. de pecc. merit. cap. 17.

caciam explicans, quantoperè vitia ista duo voluntatem à benè faciendo remorantur: *Secutum est*, inquit, *ex debita iusta pœna tale vitium, ut iam* (post lapsum) *molestum esset obedire iustitiæ. Quod vitium nisi adiuvante gratiâ superetur, ad iustitiam* operandam *nemo convertitur: nisi operante gratiâ sanetur, iustitiæ pace nemo perfruitur.* Vt quod in libris de libero arbitrio scripsit, cùm pœnalium istarum difficultatum vim exaggeraret, fontemque digito ostenderet, propter quem solùm jam Christi adjutorium ad bona opera facienda peccataque superanda postulamus: *Nec mirandum est, quod vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quod rectè faciat: vel resistente carnali consuetudine,* hoc est concupiscentia, *quæ violentia mortalis* *successionis quodammodò naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna iustissima, ut amittat quisque, quo benè uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate si vellet, id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire, quod rectum sit: & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, Ignorantia & Difficultas. Ex Ignorantia dehonestat error; ex Difficultate cruciatus affligit &c.* Quæ verba in alio libro recolens, apertissimè confitetur, *totam*, ut supra citavimus, *cum Pelagianis verti quæstionem de ista gratia*, qua natura jam *contenebrata atque vitiata illuminatur atque sanatur.*

Ibid. c. 19. — Lib. 3. de lib. arb. c. 18. — Paulò ante ex lib. de nat. & grat. c. 67.

CAPVT SECVNDVM.

Idem ostenditur ex alijs varijs capitibus. Nomina gratiæ inde derivata.

CVM igitur hæc atque hujusmodi testimonia, in universis Augustini lucubrationibus pœnè innumera, passim obvia sint, & undequaque sibi semper concinant, indè consequenter nascitur quod sæpissimè contra Pelagianos docet, gratiam de qua cum illis controversia est, illam esse, adeoque nec aliam intelligi posse, quam qua liberamur de corpore mortis huius: *In his verbis, quam dicat* Pelagius *Dei gratiam, prorsus latet. Et iudices quidem Catholici nullam aliam intelligere potuerant, nisi quam nobis plurimum Apostolica doctrina commendat. Hæc est enim qua nos liberari posse speramus, de corpore mortis huius per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quod autem liberari de corpore mortis sit liberari per gratiam de vitijs illis concupiscentialibus, quibuscum tota vita dimicamus, jam a superiùs intelleximus. Indè est, quod in eodem isto b loco, cùm gratiam istius liberationis illam esse docuisset, quam in certamine cum libidinibus invocamus, iterum repetit: c *Hanc gratiam quam in Catholica Ecclesia notissimam noverant Episcopi, crediderunt Pelagium confiteri.* Et Patres Concilii Carthaginensis: *Illam vero gratiam qua, ut dictum est, Christiani sumus, cuius Apostolus prædicator est, dicens, Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, &c. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nolunt omnino cognoscere.*

Lib. de gestis Pelag. c. 6. — a Vide lib. de nat. & gra. c. 53. & c. 55. & lib. de gestis Pelag. — b Lib. de gestis Pelag. c. 9. — c Ibid. c. 10. — Epist. Synodalis Concil. Carthag.

Indè est, quod gratiam de qua cum Pelagio controversia fuit, illam esse crebro docet, pro qua Ecclesia universa preces à Christo traditas fundit, Et ne nos inducas in tentationem: *Sed pro qua gratia impetranda oramus, ne intremus in tentationem, hæc gratia non est natura, sed qua subvenitur fragili vitiatæque naturæ; hæc gratia non est legis scientia, &c.* Quam fragilitatem ac vitium illam vitiosam concupiscentiam esse statim ex Apostolo probat. Et ejusdem Concilii Carthaginensis Antistites virus Pelagianum de adjutorio benè vivendi eruentes: *Consideret ergo*, inquiunt, *sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod illorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod Dominus & discipulis monuit, & posuit in oratione quam docuit.* Nempè quia naturam nullo per peccatum vitio labefactatam esse statuebant, pro quo superando gratia peteretur. Quod enim non induci in tentationem sit idem, quod nulla concupiscentiæ tentatione (unusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus) superari, nullis libidinibus nos proritantibus cõnectire, perquam sæpè Augustinus tradit: *Vt non ei concupiscentiæ consentiamus deprecamur adiutorium dicentes, Et ne nos inferas in tentationem:* Nempè, *ut si forte tentari cœperimus a concupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti.* Sub hac ergò petitione omne adjutorium gratiæ ad benè vivendum necessariæ postulatur, juxta illud Augustini: *Potens est Deus, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere ac dirigere in sibi placitum gressum: cui non frustra dicitur, Ne nos inferas in tentationem. Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur. Et qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur.* Ex quo fit ut hujusmodi necessariò rectè vivat.

Lib. de gestis Pelag. c. 7. — Ibid. — Conc. Carthag. — Lib. 2. de pecc. merit. c. 4. — Lib. de dono pers. cap. 6.

Indè est, quod pluribus in locis gratiam de qua cum Pelagio controversia est, illam esse tradit, qua homo ex peccati vulneribus fit salvus per Iesum Christum: *Quando istis*, inquit, *rectissime dicitur, Quare sine adiutorio gratiæ Dei dicitis hominem esse posse sine peccato? Non tunc de illa gratia quæstio est, qua est homo conditus, sed de ista qua fit salvus per Iesum Christum. Fideles enim orantes dicunt: Ne nos inferas in tentationem,* *sed*

Lib. de natura & gratia cap. 33.

Digitized by Google

sed liberà nos à malo. Quod enim salvum fieri sit idem quod medicinali gratia ignorantiæ & concupiscentiæ vulnus obduci; jam supra ex libro de natura & gratia demonstravimus.

Hæc igitur summa testimoniorum ac principiorum Augustinianæ doctrinæ consonantia cumulatissimè ostendit ac probat, præter gratiam remissionis peccatorum, de qua cum Pelagianis nulla quæstio fuit, summam totius disputationis, quam de gratiæ adjutorio ad benè vivendum necessario Ecclesia Christi cum Pelagianis habuit, de illo solo adjutorio fuisse susceptam, quod Christus velut humanæ naturæ medicus attulit adversus ignorantiam & concupiscentiam, quibus peccati merito natura vitiata est. Nam post lapsum primi hominis, cùm jam natura vitiata & ad peccatum prona est, nullum omninò ampliùs peccatum, illa indifferenti & versatili libertate committitur, sicut antea fuerat nullo vitio proritante perpetratum: sed quidquid jam ab Adami posteritate peccatur, totum hoc ex fontibus illis duobus ignorantia concupiscentiaque fluit, quorum nunc servituti, quemadmodum latissimè ex Augustini principijs declaravimus, arbitrium peccatricis voluntatis obstrictum est. Ut nemini mirum videri debeat, omnem Christi gratiam qua rectè operamur adeóque benè vivimus, circa ista duo vitia voluntatis superanda, curandaque versari. Nam indè profluit, quòd, ut aliquoties jam audivimus, si natura non esset istis vitijs sauciata *opitulatio Salvatoris inaniretur, & crux Christi evacuaretur.*

Illa quoque genuina veraque ratio est, cur istud benè viuendi adjutorium, pro quo largiendo Dominus crucifixus est, Augustinus subinde vocet, a *medicinale Salvatoris auxilium:* subinde b *medici gratiam:* subinde c *adjutorium medicinæ salvatoris:* subinde d *gratiam medicinalem:* subinde e *adjutorium medici potentissimi:* subinde f *gratiam qua sanatur natura per medicum:* subinde ut suprà latius diximus, *gratiam liberationis, gratiam liberatricem* à corpore mortis: g *gratiam qua arbitrium verè fit liberum*, ab illis jam dictis vitiis arbitrio dominantibus. Deniq; sæpiùs uno verbo genuini sensus prægnātissimo *medicinam*. Nempè ut omnes Christiani intelligerent de nullo gratiæ adjutorio cum Pelagianis ab Ecclesia disceptatum fuisse nisi de illo medicinali, quo vitia ignorantiæ maximèque concupiscentiæ superantur. Nam illud est, quod nobis Christus tanquàm medicus tulit; illud est quo natura salvatur. illud est quo infirmitas roboratur; illud est quod rogando postulamus, Ne nos inducas in tentationem: illud est denique quo juxtà doctrinam Apostolicam à Paulo traditam, ab Augustino assertam, liberamur de corpore mortis, hoc est, de vitiis corporis mortis hujus.

a Lib. de natura & gratia cap. 34.
b Ibid. c. 39.
c Ibid. c. 48.
d Ibid. c. 53.
e Ibid. c. 53.
f Ibid. c. 64.
g Vide sup. cap. 3.

Lib. de natura & gratia cap. 43. & lib. de perfect. iust. cap. 3. hu

Quæ si paulò attentius considerassent, non ita exorbitassent nonnulli recentiores, ut cùm adjutorium gratiæ Christi quo nos ad benè vivendum adjuvat, negare vel interimere verentur, gratias nunquàm vel per somnium à Pelagio Augustinoque disceptantibus cogitatas, afferant, quibus sensa & pronuntiata sua tueantur. Alii namque concursum Dei generalem naturalemque cum voluntatis arbitrio, alii supernaturalem, alii gratiam habitualem, alii gratias concomitantes, alii physicam prædeterminationem, integris læsisque, Angelis & hominibus pariter necessariam, alii aliam proferunt, de quarum nulla inter eos unquam quæstio fuit. Sed de illa sola gratia controversia est, qua natura quæ peccando vitiata est, ita contra terrenas concupiscentias adjuvatur, ut affectus ab ejus servitute eruatur, ut in singulis oborientibus ad momenta singula tentationibus roboretur, ut cum libidinibus pugnet, ut superet, ut non in tentationem consentiendo inferatur. Quæ sane non est gratia habitualis, ut quam nemo justus in tentatione positus cum gemitu postulat; non concursus generalis, non supernaturalis, non gratia concomitans, quibus nemo contra fluctus irruentium libidinum roboratur, non prædeterminatio physica, quæ si illis credimus, & sanis & ægris pariter, nec minùs ad voluntatem robustissimam, quàm infirmissimam inclinandam necessaria est. Sed de his infrà pluribus ex propriis fundamentis: hic satis est ipsis crebro iteratis expressisque testificationibus Augustini commonstrasse, de sola ista *medicinali gratia* qua variarum libidinum impetus incessanter nos infestantiū frangitur & sanatur cum Pelagianis fuisse quæstionem. Disertis enim verbis dicit: a *De illo nunc agi homine, qui gravibus est saucius confossusq; vulneribus:* b *de illa agi gratia quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur:* c *de illa gratia quæstionem esse, qua fit homo salvus per Iesum:* d *de gratia sine qua natura humana iam contenebrata atque vitiata illuminari non potest & sanari, totam cum istis verti quæstionem:* ideoque dicit, Pelagio fallaciter gratiam confitente, e *Catholicos iudices nullam in verbis eius intelligere potuisse, nisi qua liberari posse speramus de corpore mortis huius*, utpote *quam in Catholica Ecclesia notissimam noverant:* atque ita Pelagium qui eam negabat, f *infirmare medici gratiam:* g *opitulationem Salvatoris inanire.*

a Lib. de natura & gratia cap. 43.
b Ibid. c. 67.
c Ibid. c. 55.
d Cap. 67.
e Lib. de gestis Pelag. cap. 6. & 10.
f Lib. de natura & gratia cap. 37.
g Ibid. c. 43.

CAPUT.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Discrimen gratiæ *sanitatis*, & *medicinalis* à Recentiorum notitia valdè abstrusum, & quare. Iaciuntur fundamenta discriminis. Libertas arbitrij ante peccatum, & captivitas post peccatum.

CVM ergò iste totius causæ status sit, A utrum sine *medicinali gratia*, sine *medicinali Salvatoris auxilio*, sine *medici opitulatione*, natura contenebrata atque vitiata benè possit operari, satis unicuique perspicuum est, similem istam esse quæstionem ac si disputaretur, utrum cœcus oculis, fractisque tibijs, sine medicinis possit cernere aut ambulare. Vbi cùm nemo sanâ mente dubitet, quid respondendum sit, ipsâ veritate in omnium cordibus clamante, medicinam ad illas actiones esse necessariam; simulatque ad animæ vulneratæ quæstionem venitur, velut occurrentibus tenebris, acies mentis hæret. Nam quàmvis naturis rerum perquam consentaneum esse videat, ut etiam in spiritualiũ rerum ordine, vulnera potentiarum, vitiaque medicinæ opitulatione reparentur, antequàm recta facultatis operatio possit sequi: quia tamen morbi istius natura, quo vires benè B vivendi labefactatæ sunt, à vulgari cognitione vehementer abstrusa est, hinc fit, ut ignorata etiam medicinalis adjutorij conditione atque necessitate, cum reipsa adjutorium offerendum est, nihil amplius medicinalis auxilij lethali infirmitati à plerisque ingeratur, quam si integerrima perstitisset peccantis arbitrij salus; & ab alijs vice versa, sanitati robustissimæ nihil minùs tribuatur, quam si fuisset pœnalibus vitijs temerata. Illi voluntatis liberæ creatorem de creaturæ laudibus prædicant, si gratiæ largitorem, utrique studio pietatis ducti Dei partes agere sibi videntur, sed illi imprudentes medicinam Salvatoris evacuant, si decolorant gratiam Creatoris. Inter utrosque sanctus Augustinus ita incedit medius, ut agnita stantis arbitrij dignitate, vires integræ libertatis longè altius quam recentiorum chorus extollat; & penetrata ruinæ ipsius profunditate, vires lapsæ C voluntatis longè acerbius concussas, quam vulgus putet, fractasque fateatur. Ex quo fit, ut juxta doctrinam ipsius, sicut in arbitrio primævę sanitatis, & consecutæ ægritudinis distantia suprà recentiorum suspiciones est longè maxima: ita quoque adjutorij *sanitatis*, & *medicinalis* sit extrema discrepantia. Quæ quibus in rebus constituta sit, accuratius constabit, si modum operandi utriusque, & à se invicem differentiam exploratam habeamus. Nam indè velut à nota perspicua, & obvia, in occultam utriusque naturam Deo juvante pertingemus.

Hæc igitur, ut quantum Deus vires dederit præstemus, memoria repetendum est id quod de primi hominis libertate disserentes fusius diximus: cum illa videlicet voluntatis libertate conditum fuisse primum hominem, sicut & Angelos bonos, ut in neutram partem inclinatus solo suæ libertatis nutu alterutrum velle posset & nollet, juxta illam sententiam Augustini: *Quod arbitrium tunc ita liberum erat, ut benè velle posset & malè.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Sic oportebat priùs hominem fieri, ut & benè velle posset & malè.* Quam voluntatis innocentis maximam libertatem & indifferentiam, in qua videlicet flexus in alterutram partem, hoc est, ut benè vellet aut malè, à solo voluntatis nutu (non sine gratia) peteretur, fusè libro de statu naturæ innocentis declaravimus.

Lib. de Corr. & grat. cap. 11.
In Enchirid. cap. 105.

Ab hac felicissima libertate in alteram electionis partem, hoc est, in peccatum, seu in malum propriâ sponte ita delapsus est, ut non solùm malè voluerit, seu peccaverit, sed etiam malè volendi seu peccandi servituti atque necessitati mancipatus sit, nisi per gratiam sublevetur. Nam præter peccati culpam malâ volitione commissam, arbitrium voluntatis profundis tenebris involutum est, viscosoque quodam pondere irretitum atque depressum est (hoc est tenacissimo quodam amore creaturæ quam dilexit) quod ita voluntati dominatur, ut quocumque se vertat, quicquid arripiat, quicquid declinet, quoscumque vultus & formas induat, quantumcumque se viribus sursum tollere, quibuscumque benè vivendi stimulis incitari videatur, non possit ab illa se viscosa catena expedire, nisi priùs caliginem ejus lux cœlestis effugaverit, & illas terrenæ cupiditatis compedes fregerit. Quod quamdiu non fit in tenebris, hoc est, peccatis jacet, tenebras diligit, tenebras in agendo, & cessando sectatur. Quicquid enim dilexerit, creaturæ limites non egreditur, & ita perpetuam terrenæ concupiscentiæ catenam trahit, cujus vinculis & servitute detinetur. Quem esse arbitrij lapsi statum juxta doctrinam sexcentis locis ab Augustino traditam, latissimè toto libro tertio de statu naturæ lapsæ demonstravimus.

Vide lib. 3. præcipuè c. 3. 4. 5. 6. &c. item 11. 12.

Ex quo perspicuum est, vitium voluntatis, quod præter peccati culpam, peccando contraxit, in eo situm esse, quod post desertum Creatoris amorem rei creatæ dilectione cœcata, & undique perversa ac penetrata est, ita ut

ut amissa illa utriusque partis indifferentia jam amplius benè velle non possit, nec eo seipsum flectere aut erigere; cœcitate & concupiscentia quibus obstricta jacet, eam assiduè deorsum in creaturas deprimentibus: *Illa est enim peccati pœna iustissima, ut amittat unusquisque quo benè uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse cum velit.* Itaque quod jam homo sine gratia Salvatoris, amissa vnius partis libertate, benè velle non possit, supplicium est delinquentis; sicut benefacientis præmium, quòd amissa alterius partis libertate, malè velle non possit. Nam per ista præmia & supplicia, voluntatis liberæ status dumtaxat, non natura mutatur, quemadmodum imprudentes putant, qui quando certissimam illam Augustini doctrinam audiunt, nescio ad quæ tanquàm exotica Manichæi spectra formidant. Sicut igitur nemini mirum videtur, quod benè volendo Beati in æterna beatitudine, malè volendi libertate spoliati sunt, ita nemo videtur, si in peccati damnatione peccator positus, bonæ voluntatis libertate privatus, ante adventum gratiæ de peccato in peccatum captivo arbitrio voluitetur. Vndè liquet, quamdiu Angeli & primus homo in illa felici arbitrij libertate steterunt, penes ipsorum arbitrium fuisse nutum illum supremum, quod voluntas in hanc vel illam partem sive benè sivè malè volendo flecteretur. Nutus enim ille liberrimus erat voluntati, quem pro arbitrio suo, vel dando, vel retinendo, omnibus externis internisque actionis adminiculis, habitibus concursibus, gratiæ adjutorijs dominabatur. Hic nutus, hic flexus, seu ista suprema nuendi flectendique potestas, qua sese utrimque in bonum aut malum humana libertate ac dominatione librabat, supplicio non minùs cadentium, quam stantium remuneratione prorsus amissa est; dum utrobique indifferentis istius loco libertatis, servitus istius supremæ dominationis inducta est. Nam quemadmodum voluntas Beatorum serva facta est justitiæ, & peccatorum serva iniquitatis, juxtà illud Apostoli Petri ab Augustino sæpè repetitum: *A quo quis superatus est, huius & servus est*: ita quoque utrorumque arbitrium illa suprema & indifferenti ac dominativa sui in utramque partem flectendi libertate vel feliciter vel pœnaliter, spoliatum est. In peccatoribus enim

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 18.

2. Pet. 2.

A ante gratiam à concupiscentia creaturæ omnibus actionibus dominante nutus ille imperialis invasus est: in beatis ab ardentissima charitate, quæ tantoperè in utrisque voluntatis arbitrio libertatique dominatur, ut omni sublata boni malique indifferentia, istorum nutum ad amplectendum bonum tantum, illorum ad malum tantum indeclinabiliter & insuperabiliter semper inclinet. Solus relictus est & his & illis quidam in suo quibusque vinculo indifferens sese volvendi motus, vt pro suo arbitrio hic & nunc singularia quæque bona vel mala appetendo sectentur: quæ in scholis libertas *exercitij*, & *contradictionis* appellari solet.

Quæ cùm ita sint, jam differentia *sanæ & ægrotæ* voluntatis, quantùm ad benè vivendum incipit sublucescere; nempè voluntas sana ita robusta erat per institutionem primævæ suæ libertatis, qua primus homo creatus est rectus, ut se ipsa nutu suo perindè ad bonum volendum quam ad malum sponte

B flecteret, non à gratia vel cupiditate imperāte flecteretur. Erat enim plenissimè sui ipsius in utramque partem domina, cujus nutui quidquid habituum vel gratiarum, vel adjutorij intrinsecus vel extrinsecus adderetur, deberet fasces submittere, & ab illius velut Angeli impulsu exspectare aquæ motum, ut vel quiescerent, vel ad influxum operi conferendum ipsâ annuente raperentur. Nam quamvis arbitrium innocentis creaturæ *ita liberum fuisse* ab Augustino dicatur, *ut benè velle posset & malè*; non tamen hoc sine gratiæ adjutorio fieri potuisse censendum est. Quod alibi certissimis documentis demonstratum, hic supponimus. Nunc verò posteaquam est illa magna, robustaq; peccati merito amissa libertas, & peccandi servitus constituta, periit ab ægrota voluntate, ille imperativus

C benè volendi nutus, ut non magis iisdem illis gratiæ adjutorijs, quibus ante in sua sanitate juvabatur, uti possit, quam si cœco ad cernendum lumen offerres. Nam ille sese flectendi erigendique nutus, potestati fractæ & ægrotæ libertatis extortus est, & à concupiscentia semper seipsam creaturasque diligente possidetur. Vndè per aliud novæ & medicinalis gratiæ genus, qua vitij istius intimis visceribus voluntatis infixi reprimantur vires & motus, frangendoque illa sanetur, ille nutus ac flexus eruendus, voluntatique dandus est, quem sibi ipsa suâ potestate dare non potest.

Lib. 1. de statu primi hominis sui innocentia c. 10 & 11

CAPVT.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

Affertur ex Augustino ac declaratur discrimen adjutorij sanæ voluntatis & ægrotæ, hoc est, adjutorij *sanitatis* & *medicinalis*, seu adjutorij *sine quo non*, & *quo*.

A EX isto liberæ servæque voluntatis discrimine, quod ex Augustini principijs jam identidem traditis, proposuimus, jam utriusque gratiæ, *sanitatis* & *medicinalis* differentia, seu adjutorii quo voluntas sana in statu innocentiæ, & quo nunc post casum suum concupiscentialibus morbis ægra ad benè vivendum adjuvanda est, incipit sese ostendere. In eo quippè sita est, quòd illius primæ integritatis adjutorium sic adjuvabat voluntatem, ut cum eo operaretur ipsa si vellet; nunc autem ipsum adjutorium facit ut velit. Hoc est, adjutorium ante ruinam erat tale, ut influxus adjutorii perinde atque voluntatis in opus, ab ipso liberæ voluntatis nutu penderet, adeoque salva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò post ruinam tale est, ut faciat annuere, & influere & velle voluntatem. B Est enim observandum duplicis generis esse adjutoria voluntatis; nam aliud ejusmodi est, *sine quo* voluntas velle non possit, sic tamen ut velle & nolle, uti vel non uti adjutorio, in ejus libero relinquatur arbitrio: aliud *quo fit*, determinatè ut voluntas velit. Est enim illius naturæ, ut hoc ipso quo voluntati datur, confestim velit. Primi generis est, verbi gratia, lux respectu oculorum, species respectu intellectus, & hujusmodi. Sic enim adjuvant, ut sine illis quidem non possit opus fieri, non tamen illis præsentibus efficiatur ut fiat, sed hoc à liberæ volũtatis nutu pendet, quæ hujusmodi adjutoriũ & in usum assumere & negligere potest. Secũdi generis adjutoriũ, non est tale, sed hoc ipso quo datur simul usus ejus & influxus potestatis datur. Est enim hoc ipsum quod suaptè efficaciâ facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitratui subjacet, sed invictè facit ut hoc vel istud arbitrium arbitretur & velit. C Talis est influxus omnis causæ formalis, hoc ipso quippè quo adest justitia, fit justus animus, & sine illa justus esse nunquàm potest. Quam duplicis adjutorii naturam ac differẽtiam libro primo fusius explicuimus, undè plenior intelligentia peti debet.

Hoc ergò verum & genuinum discrimen est inter utriusque status adjutorium, quod adjutorium sanitatis seu integræ libertatis influeret aut non influeret cum voluntate, prout voluntas vellet aut nollet, plenissimèque ipsius arbitrio in agendo & quiescendo subderetur: medicinale verò ipsum benè velle fastidienti ægrotæque voluntati tribuat, utpotè quod ipsa concupiscentiæ dominanti subjugata, de seipsa suæque libertatis impulsu etiam cum gratia quantumcumque magna sibi assistente, habere non posset quemadmodum olim potuit. Quod clarius fortassis ita dici posset, quod gratia sanæ voluntatis, in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam si vellet desereret, aut si vellet uteretur, gratia verò lapsæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deserat aut arripiat si voluerit, sed ipsa sit potiùs illa postrema gratia, quæ invictissimè facit ut velit, & à voluntate non deseratur. Quod discrimen tàm luculentè tradit Augustinus in lucubrationibus quas adversus hostes gratiæ exaravit, ut impossibile sit legenti non advertere, nisi opinionis alicujus præoccupatæ caligo & præjudicium cernendi perspicaciam, judicandique libertatem impediverit. Hoc enim in primis probat ille diversus operandi modus, quem adjutoriis cujusque status tribuit; in quo velut immobili basi, tota doctrina de gratia & prædestinatione nititur. Quam si tollas, funditus universa ruere necesse est; quemadmodum à Semipelagianis, ut infrà pluribus, perspicaciter animadversum est. Hujus ergò differentiæ radicem detegens ita loquitur: *Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium* SINE QVO ALIQVID NON FIT, *& aliud est adjutorium*, QVO ALIQVID FIT. *Lib. de corrept. & grat. cap. 12.* Declarat exemplis admodum perspicuis: *Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus, & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt, ut homo vivat, sed tamen sine illis non potest vivere.* Ecce differentiam duplicis adjutorii lucidissimã, non est ubi hæreat lector, aut caliget auditor, quoties extra præsentem controversiam disputatio est. Vnum est enim tale, ut non inferat vel inferat effectum propter quem datur, sed tantummodo *sine quo non* potest fieri. Effectus enim ab alia debet causa dominante, ipsumq; adjutoriũ secum rapiente seu applicãte produci. Ex quo fit, ut quantũcunq; magna præsto sint adjutoria, nisi

nisi illa causa dominativa, cujus arbitrio tota machina causarum concurrentium & adjuvantium ad motum impellitur aut retinetur velit, impulsumque agendi imprimat, nulla ex adjutorijs operatio secutura sit. Cujusmodi adjutorijs respectu voluntatis humanæ plenus est Orbis universus. Ipsa enim voluntas est, quæ quibuscumque corporalibus creaturis utitur ad scopum suum, quam licet adjuvent, non tamen aliter, ad summum, quam ita ut sine illis non possit opus voluntatis effici, non tamen ut per ipsas fiat, si voluntas nolit. Ipsa est quæ omnibus corporis sensibus quæ scientia & virtutibus intellectus, quæ proprijs habitibus suis & bonis & malis utitur quando vult: nec ad peragendas actiones ejus ista concurrunt adjutoria, ut per illa fiant renitente voluntate, sed tantummodò ut sine illis non fiant, cum ea ad influendum secum voluntas rapit ut fiant. Alterum adjutorij genus est, *quo*, simul ac datum fuerit, fit effectus, & si non detur nunquàm fiet. Nempè quia tantæ necessitatis est, ut sine illo non possit effectus fieri, tantæque efficaciæ, ut hoc ipso quo datur, continuo fiat. Dat enim simul & posse & operari. Exemplum in Augustino manifestum est, quod jam dedimus. Hæc igitur cum sint veritate certissima & claritate liquidissima, videamus quid ad sanæ ægrotæque voluntatis adjutorium ex Augustini mente faciant. Nimirum hoc isto adjutoriorum discrimine spectat Augustinus, ut sciamus adjutorium sanæ voluntatis non fuisse talis conditionis, *quo* bonum opus fieret: hoc enim non conveniebat tàm robustæ liberrimæque voluntati, cum ipsa sufficeret, ut adjutorio quod sibi præsto aderat, si tantùm vellet, uteretur. Vt quid enim dare ipsum velle voluntati, quando illud ex seipsâ, non sine concurrente adjutorio obtinere poterat? Erat ergò adjutorium ejus, non quo fieret, sed sine quo non posset opus bonum fieri. *Tale quippè erat*, inquit, *adjutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet.* (*Lib. de corrept. & grat. cap. 11.*) Adjutorium verò infirmæ captivæque voluntatis vult esse tale, *quo fiat*, ut velit. Hoc est, esse hujusmodi ut simul ac datur, ipsum velle voluntati detur, & si non detur, nunquàm velit, quia sine illo nunc propter infirmitatem velle non potest. Hoc est enim quod continuo adjutoria explicando subjungit: (*Ibid. c. 12.*) *Primo itaque homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa*, hoc est perseveranter benè velle, *donetur: non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Hoc est, quod statim tanquàm ex Evangelicâ doctrinâ derivatum, ex Scripturis probat: *Non solùm enim dixit, Sine me nihil potestis facere*, (*Ibid.*) quibus verbis adjutorium sine quo non possumus, exprimitur: *verùm etiam dixit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus*, inquit, *verbis, eis non solùm iustitiam, verùm etiam in illâ perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente, ut eant & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forsitan non manebit?* Hoc est, quod cùm in præcedentibus iterum iterumque inculcasset, adjutorium primi hominis fuisse tale, *ut in eo maneret si vellet; ut illud per liberum arbitrium deserere posset; ut in eius libero relinqueretur arbitrio: quod desereret cùm vellet: in quo permaneret si vellet, non quo fieret, ut vellet*, & hujusmodi, tandem utrumque sibi conferendo subnectit: (*Ibid. c. 11.*) *Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam: sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quâ fit ut habeat homo iustitiam, si velit: Secunda ergò plus potest, quâ etiam fit ut velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem* (id est concupiscentiam) *contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* (*Ibid.*) Hoc est, quod ut tardissimis quoque satisfaceret, iterum repetit & repetendo commendat: *Nec illa quidem* (gratia sani hominis) *parva erat, quâ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij, quoniam sic adiuvabatur ut sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium si vellet desereret. Hæc autem tanto maior est ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illâ, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.* Hoc est quod cùm iterum adjutorium sani hominis tale esse dixisset, ut *sine illo* quidem *bonum tenere non posset*, sed tamen ut vellet, in ejus libero relinqueretur arbitrio, opponens ei ægroti hominis longè potentius & alterius rationis adjutorium: *Nunc autem*, inquit, *tanto ampliùs datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dari Deo placuit, ut non solùm adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verùm etiam tantum ac tale est ut velimus.* Hoc est quod rationem afferens ex illius adjutorij naturâ petitam, profundissimè subjicit: *Est quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus; quod non fuit in homine primo: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.* Et quare non fuit datum homini primo haud secus atque secundo datum fuit? Nempè quia ipse *acceperat posse perseverare si vellet, quod ut nollet, de libero descendit arbitrio: quod tunc ita liberum erat, ut benè velle posset & male.* Quo significatum cupit, nunc homini non sufficere posse perseverare si vellet, sed ipsum benè velle ipsi esse tribuendum, eo quod nunc arbitrium non ita liberum sit, ut cum hujusmodi etiam adjutorio benè velle possit & malè. Hoc est quod radicem diversitatis illius duplicis adjutorii ex ipsâ sanitate & ægritudine concupiscentiali voluntatum eruendo, præclarissimè doctissimeque docet: *Vt ergò non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio* (vi- (*Lib. de corr. & grat. cap. 12.*)

délicet

licet cum adjutorio, sine quo perseverare non poterat) *tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa* CONCVPISCENTIALITER *resistebat, ut digne tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Nunc verò postea quam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Nimirum quia nulla interiori rixa libertas illa sana discerpebatur, nulla lucta lassabatur, nullo deorsum pondere premebatur, ut non nisi velle cum adjutorio concurrente à tantâ sanitate peteretur. Nunc verò difficultates gravissimæ superandæ sunt, non quibus corporis membra, sed quibus voluntas ipsa à volendo revocatur, dum concupiscentiali visco implexa, etiam tali adjutorio adjuta, aut velle aut satis potenter velle non potest. Tam enim dirum est istud concupiscentialis ægritudinis malum, ut non solum volenti homini difficultatem afferat ut languidè velit, quæ non nisi magnis (quibus caret) viribus arbitrii superanda est; sed etiam pestifera dulcedine creaturæ animum demulcendo voluntatem ipsam velle non sinat. Hoc est quod uberius naturam explicans utilitatemq; tanti adjutorii, quo superbia qua cecidimus, radicitus tollitur, dùm humanæ voluntati nihil omninò relinquit sui, magno verborum pondere & perspicuitate subtexit: *Ac per hoc nec de ipsâ perseverantia boni*, hoc est, perseverante boni volitione, *voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adjutorium quale primo homini dedit* SINE QVO NON *possint perseverare si velint, sed in eis etiam operatur & velle; ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint & velint perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint quia sic volunt, ideò sic volunt, quia Deus operatur ut velint.* Hoc denique est illud, quod rationem necessitatis tanti ac talis adjutorii inculcans sanæ voluntati non congruentis, ægrotæque capitaliter necessarii, perspicuè docet, ægram ejusmodi voluntatem neq; velle cum adjutorio Dei, neque permanenter velle posse, si usus adjutorii in ipsius libero relinquatur arbitrio, ita ut ipsum velle non in eâ Deus operaretur. *Nam si in tantâ infirmitate vitæ huius, in quâ tamen infirmitate, propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.* Hoc est quod continuo ex istâ adjutorii diversitate rationem petit, cur homo sanæ robustæque voluntatis divino munitus adjutorio tantâ facilitate corruerit; infirmissimus verò in sævientibus tentationum tempestatibus perseveret. Nempè quia quemadmodum oportebat sanus & fortis permittitur adjutorio consentire si velit; ægro & imbecilli, hoc ipsum datur ut velit, & invictissimè velit: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quàmvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Ita factum est ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana, in bono ampliore non perseveraverit.* Nempè causa in promptu est, quia voluntas invalida & imbecilla perseverat *per virtutem Dei*, hoc est per adjutorium quo fit ut velit; fortis & sana *habet virtutem liberi arbitrij, quàmvis non defuturo adjutorio Dei,* SINE QVO NON *posset perseverare, si vellet, non tamen tali* QVO *in illo Deus operaretur ut vellet.* Hoc ad postremum est illud, quod profundissimam finiens disputationem, tantæ diversitatis utriusque adjutorii rationem assignat præclarissimam, nempè magnam cum naturâ talium voluntatum, ac divinâ misericordiâ, sapientiaq; adjutoriorũ congruentiam: *Fortissimo quippè dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Quid enim congruentius sapientiæ & misericordiæ Dei, quid ipsis naturis rerum magis consentaneum, quam ut robusta voluntas, sufficientissimo Dei adjutorio fulta, *sine quo* velle & perseverare non potest, optioni suæ relinquatur, adjutorio Dei utendo & perseverando, si velit: infirma verò, potentissimo Dei adjutorio ipsum velle & perseverare, & sui ipsius usum donante, muniretur?

Ibid.

Lib. de corrept. & grat. cap. 12.

Ibid.

Ibid. c. 12.

per conversionem *ad iustitiam*, supple divino amore diligendam. Nam hoc paulò superius perspicuè expresserat. *Cùm autem gratia Dei amorem nobis divinum inspiraverit, & nos suæ voluntati subditos fecerit, quibus dictum est vos in libertatem vocati estis, Et gratia Dei liberavit me à lege peccati & mortis, (lex autem peccati est ut quicumque peccaverit moriatur) ab ista lege liberamur cùm iusti esse cœperimus.* Hoc est cum ad justitiam diligendam divino isto amore convertimur. Et libro quarto ad Bonifacium: *Quid mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendam iustitiam liberum non erit, nisi ovis fuerit? Qui facit igitur oves homines ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.* Quem autem facere, nihil est aliud quam inspirare voluntatem bonam, nec voluntas bona aliud Augustino, quam charitas, qua justitia diligatur. Et in libris Retractationum: *A cuius concupiscentiæ dominatu non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum dono Spiritus sancti, per quem diffusa charitas* (hoc est amor justitiæ seu Dei) *in cordibus nostris vincit carnis concupiscentias ne consentiat eis ad malè faciendum, sed potiùs bona faciamus.* Et præclarè libro primo operis imperfecti contra Iulianum: *Ab hac ergo necessitate servitutis* (concupiscentiæ dominantis) *ille liberat qui non solùm dat præcepta per legem, verùm etiam donat per Spiritum charitatem, cuius delectatione vincatur delectatio peccati* (hoc est concupiscentiæ) *alioquin perseverat invita* (invito) *& servum suum tentat. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Et alio in loco: *Alia remissio peccatorum in eis quæ malè facta sunt, alia charitas quæ facit liberum* (videlicet à dominatu concupiscentiæ) *ad ea quæ bona facienda sunt. Vtroque modo liberat Christus; quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit charitatem.* Quod & alijs infinitis locis tradit. Quocirca qui pleniùs rem totam istam velit intelligere, videat quæ latissimè ex Augustino disseruntur in alio tractatu de natura libertatis, ubi liberationem istam tàm quantùm ad terminum *à quo* jam dictum, quam terminum *ad quem*, charitatem, plurimis Augustini testimoniis comprobavimus, quibus hic repetendis immorari supervacaneum esset.

Lib. 4. ad Bonif. c. 6.

Lib. 1. Retract. c. 23.

Lib. 1. op. imp. f. 162.

Ibid. f. 123.

Vide l. 7. de grat. Christ. Salvat. c. 7. & 8.

Ex his etiam perspicuus manet modus, quo per istiusmodi liberationem potens fit voluntas ad opus bonum, nempè quia per istam charitatem justitiæ ponitur opus in voluntatis potestate, (quæ est definitio libertatis) nempè inspirato illo amore divino, quo justitia legis ac præcepti diligitur, animus vires accipit, ut cum concupiscentia deorsum ad creata bona retrahente luctari queat. Nam voluntatis fortitudo nulla est nisi amoris, idque sive cupiditatis fuerit, qui est ægritudo, & quædam quasi phrenesis ejus potentissima, sive charitatis, qui est sanitas, ideoque vera fortitudo ejus: quibus inter se colluctantibus ille superat, qui ardentior potentiorque fuerit. Ex quo efficitur ut si amor justitiæ superaverit, animum invictum adversus cupiditatis motus teneat, ne illis consentiendo superetur. Nam hoc est quod paulò ante dixit:

A *Donat charitatem, cuius delectatione vincatur delectatio peccati.* Hoc est quod dixit: *Diffusa charitas in cordibus nostris, vincit carnis concupiscentias, ne consentiat eis ad malè faciendum, sed potiùs ad benè faciendum.* Hoc est quod dicit in Enchiridio ad Laurentium, cum de cupiditatis dominatu præmisisset: *Regnat carnalis cupiditas ubi non est Dei charitas*, mox de charitate tanquàm quæ contra concupiscentiam sit vera voluntatis fortitudo, subjungit: *Si autem respexerit Deus &c. Et agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis.* Quomodo autem hæc fortitudo charitatis exeratur, adijcit, *Vt quamvis sit adhuc quod homini repugnet ex homine nondùm totâ infirmitate sanata, ex fide tamen iustus vivat iusteq; vivat: in quantum non cedit malæ concupiscentiæ vincente dilectione iustitiæ.* Hoc est quod multipliter dicit, dùm hanc luctam cupiditatis & charitatis luculentissimè tradit, in primi libri B prima ad Simplicianum quæstione: vbi simul ostendit nullas voluntatis adversus cupiditatem seu concupiscentiam esse vires nisi charitate roboretur: *Consequens*, inquit, *erat ut quoniam nondum accepta gratia, concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam.* Item: *Sentit se servum dominantis cupiditatis.* Et statim: *Vincitur nondum per gratiam liberatus, quàmvis iam per legem & noverit se malè facere, & nolit:* Rursum; *Nondum sub gratia profectò trahitur ad malè operandum concupiscentia dominante atq; fallente dulcedine peccati, quàmvis ex parte notitia legis hoc improbet.* Nam ut addit, *Natura & consuetudo coniuncta robustissimam faciunt, & invictissimam cupiditatem, quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne sua, id est, dominatum quendam, & quasi regnum obtinere.* Et paucis interjectis: *Qui nondum est sub gratia, quod non vult malum hoc agit superante concupiscentia, non solùm vinculo mortalitatis, sed mala consuetudinis roborata.* Et rursum: C *Invenit legem bonam sibi esse, volens facere quod illa iubet, & concupiscentia superante non valens.* Quod ex professo illa totâ quæstione tradit, & tanquam doctrinam Apostoli saluberrimam, frequenter inculcat. Contra istam ergò servitutem voluntatis, contra hunc dominatum, tyrannidemque concupiscentiæ, contra hanc robustissimam, invictissimamque cupiditatem, nullam in homine esse fortitudinem, nullam pugnam, nullam victoriam nisi ex sola charitate, ibidem iterum atq; iterum docet: *In quo satis ostendit, non posse legem impleri, nisi à spiritualibus, quod non fiunt nisi per gratiam.* Spiritualis autem ab ipso vocatur, qui habet affectum amoris spiritalem, & gratia sub qua quis esse vel non esse dicitur in omnibus istis locutionibus, charitas est. Nam statim semetipsum explicans: *Spiritali enim legi quanto fit quisque similior, id est, quanto magis & ipse in spiritalem surgit* D *affectum, tanto magis eam implet. Quia tanto magis ea delectatur, iam non sub eius onere afflictus, sed in eius lumine vegetatus &c. gratia donante peccata & infundente spiritum charitatis, quo & non sit molesta, & fit etiam iucunda iustitia.* Et multis interpositis: *Porro qui acceperunt legem, prævaricantur eam, nisi per gratiam consequantur posse quod iubet. Ita fit ut non*

Lib. 1. oper. imp.

Lib. 1. Retract. c. 23.

In Enchiridio cap. 117. & 118.

Lib. 1. ad Simplic. quæst. 1.

Ibid.

Ibid.

ut non dominetur eis, quìdam sub gratia sunt, implantibus eam per gratiā, qui erant sub eius timore damnati: Sed quæ illa tandem gratia, sub qua sunt, quaque possunt implere, & implent legem, & sine qua implere non possunt? Audi subjuncta: *Ad Iudaos dicta est lex ministratio mortis, ad quos & in lapide scripta est ad eorum duritiam figurandam; non ad eos qui legem per charitatem implent. Plenitudo enim legis est charitas.* Et inferius: *Mortui sumus legi damnanti, liberati ab eo affectu quem lex punit & damnat.* Sed per quid liberati? *Itaque idem præceptum timentibus lex est amantibus*, id est, charitatem habentibus, *gratia.* Et paulò post: *Lex littera est eis, qui non eam implent per spiritum charitatis, quo pertinet testamentum novum.* Et rursum: *Ab eius ergò dominatione liberantur qui per spiritum innovantur, ut iam non sint obligati litteræ ad pœnam, sed intellectui per iustitiam copulati.* Sed quæ est illa spiritus innovatio? Audi sequentia: *Littera occidit, spiritus autem vivificat. Lex enim tantummodo lecta, & non intellecta, vel non impleta utique occidit. Tunc enim appellatur littera. Spiritus autem vivificat quia plenitudo legis est charitas, quæ fusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* In istis omnibus locis aliisque plurimis, quæ proferri ex Augustino possent, semper hoc agit, ut intelligamus libertatem, qua quis à dominante concupiscentia liberatur, ut ei non consentiat, eique jam servienti dominetur: itemque animi fortitudinem, qua quis adversus concupiscentiam importunissimè tumultuantem robustus fiat, ut eam & oppugnare possit, & vincere, nullam esse aliam, nisi charitatem quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. Illa quippe sola est, quæ affectum tribuit spiritalem, quæ liberat, quæ innovat, quæ robustum faciat animum, concupiscentiæque dominantem: qua si caret, non affectu spiritalis sed carnalis est, non innovatus sed vetustus, non robustus adversus cupiditatis impetum sed infirmus, non liber ab ejus dominatione, sed servus, cui tanquàm imperiosæ dominæ serviat necesse est: trahitur ab ea, capitur, possidetur tanquàm venumdatum concupiscentiæ mancipium: cui non tantùm resistere non valet, sed quo surgere sibi videtur altius, eo graviùs allidititur, & ex una in aliam semper ei serviendo præcipitatur, hoc est ut, Prosper vigilantissimè dicit,

Libro de ingratis c. 27.

In vulnera vulnere surgit.

IMpossibile est enim ut extra Deum pedem, hoc est, affectum figat, nisi in creaturam: quo affectu extra creaturam exire nullo pacto potest. Ille quippè affectus in creaturam fixus quo surgere conatur, & concupiscentiæ compedes dissolvere, ut ejus dominatum fugiat, est alius subtilior ejusdem concupiscentiæ dominantis motus. Affectum autem in justitiam præcepti figere, seu affectu benefaciendi benefacere, sicut necesse est, juxta sanctum Augustinum, ut sit voluntas libera & actus ejus bonus, est ipsissima dilectio tàm celebrata charitatis, quemadmodùm jam diversis locis diximus, & ex professo alibi prolixeque demonstravimus.

Vide libro 2. de pura natura cap. 5. 6. 7. 8. 9.

Hæc ergò fundamentalis ratio est, extremaque radix, cur neque lex, neque doctrina, neque ulla illustratio, vel revelatio veritatis quantumcumque clara, neque ulla intellectus cogitatio, quantumcumque supernaturalis, nedum naturalis, quantumcumque etiam fingatur congrua, sufficere possit ad liberationem voluntatis. Nam & terminum *à quo* liberationis tollere, & terminum *ad quem* ponere cujuslibet cognitionis atque cogitationis longissimè superat potestatem. Undè Augustinus dicit: *Inest sancta legis scientia, nec tamen sanatur vitiosa concupiscentia.* Et, Charitas non ex hominibus, vel ex lege humanaque cogitatione, sed *ex Deo est.* Quamvis itaque hujusmodi supradicta vulnerum humanorum Epithemata vim aliquam habere possint, ut divertant animum ab illo singulari malo perpetrando, quod proponitur, quod & timor pœnæ non solùm futuræ, sed & præsentis frequenter facit, nihil tamen eorum idoneum est ut concupiscentiæ universæ vires frangat, & ad verum bonum transferat diligendum: id est, nihil eorum sufficit ut animum ab omnis omninò creaturæ dilectione divellat, & ad præcepti justitiam diligendam subvehat, cujus solius dilectione fit liber. Hoc enim & nihil aliud est juxta doctrinā Augustini celeberrimam & fundatissimam, quam inspirare veram illam evangelicam charitatem Dei, qua sola arbitrium voluntatis à concupiscentiæ dominatione liberatur, hoc est, fit liberum, & ad benè faciendum expeditum: *Charitas enim facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt.* Istud verò nulla omninò cognitio, vel revelatio, vel cogitatio qualiscumque efficere potest, sed sola illa interna & occulta gratia voluntatis, quæ ideò humanis cordibus tribuitur, *ut cordis duritia primitus auferatur.* Nam ista gratia non solùm instruit intellectum, ut facit quælibet revelatio atque cogitatio, sed *sanat voluntatem qua iustitia libere diligatur.*

Lib. de gestis Pelag. c. 7. — *1. Ioan. 4.* — *Lib. 1. oper. imperf. contra Iul. fol. 127.* — *De predest. sanct. cap. 8.* — *Lib. de Spir. & litt. c. 30*

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS

LIBER SECVNDVS.

Qui est de vera voluntatis gratia, quantum ad operandi modum.

CAPVT PRIMVM.

Gratia voluntatis alia sanæ, alia ægrotæ. Cardo disputationis inter Ecclesiam & Pelagianos. De gratia medicinali contra vulnera naturæ inflicta.

CVm ergo satis superque A declaratum sit, neque naturam, neque ullam gratiam solius intellectus, quocumque nomine appelletur sufficere posse, ut arbitrium voluntatis à concupiscentiæ dominatione liberum fiat, quo rectè vivat & justitiã operetur, soli gratiæ voluntatis hoc tantæ molis opus reservatum videtur. Nihil enim superest, cui præterquam illi, cum aliquo colore probabilitatis posset asscribi. Nam in corpus vel in sola sensuum externorum adjumenta rem tantam referre, satis ipsa se rei absurditate & impietate confutat. Quanquam cum ista liberatio non sit corporis sed animi bonum, nihil ad illud externi sensus conferre posse videantur, nisi signa suppeditando, quibus animus discendo moveatur: & sic iterum ad doctrinam jam refutatam rediremus. B

Sed gratia voluntatis multiplex est: alia *Habitualis*, sub qua & remissio peccatorum continetur; *Actualis* alia. Quæ rursum à Scholasticis Doctoribus dividi solet in *Sufficientem* & *Efficacem*. De quarum singulis multæ magnæque vigent controversiæ. Porrò istis omnibus divisionibus prior & ad rem præsentem accommodatior est, alia quædam gratiæ partitio, qua dividi potest in gratiam sani hominis, & ægroti. Gratia namque de qua disputamus, est genus quoddam adjutorii voluntatis ad operandum: quæ cùm esse possit vel sana integraque, vel ex læsione quápiam ægra, hinc fit ut utriusque adjutoria necessariò in operandi modo valdè diversa sint. Nam A unum eorum adjuvat tanquàm adjutorium roboris naturalis, alterum ut remedium ægritudinis: quæ tantùm inter se discrepant, ut si alterum alterius loco adhibeatur, vel nihil omninò conferat, vel pro adjumento perniciem ferat. Nam quemadmodùm si quis ægrotanti stomacho atq; alimenta fastidienti solidos robustorum cibos offerat, non ægritudinem pellet, sed forsan accelerabit interitum: si quis pupillis læsis vel oculis lippientibus, clarissimum lumen accendat, quo sanis nihil est amabilius, & ad utendum accommodatius, non modo non restaurabit id quod in oculis labefactatum est, sed acerbissimos dolores inferet, vel etiam excœcabit magis: Ita si quis voluntati bonum bonorum fastidienti, adjutorium adhibeat, cujus usus integras illæsasque vires ejus postulet, aut supponat; non tantùm nihil proderit, sed morbi deterioris erit seminarium. B Nam hujusmodi sanarum virium adjumenta, quisquis naturam rerum attentè circumspexerit, ubiq; læsis esse vel prorsus inutilia, vel etiam noxia deprehendet. Quid enim adjuvat ad cernendum cœcã aciem, vel valdè debilitatam lux? Quid fractas tibias manusq; scipio ad ambulandum? Quid adjacentes rerum diversarũ species phreneticum ad intelligendum, nisi ut deliret furiosius? Quod perspicaciter advertit Aug. quando Cresconio dixit: *Cum eadem luce & sani oculi perfunduntur & saucij, istis adjumentum est, illis tormentum. Idem cibus aliam valetudinem alit, aliam lædit.* Itaque hæc vegetarum potentiarum adjutoria, quantumcumque multiplicentur ægrotantibus, vel exstinctis augeantur, non modo perditas vires non restaurabunt, sed nec ad usum assumi poterunt, *Lib. 1. contra Cresc. cap. 25.*

poterunt, vel certè cum præsentiore pernicie assumentur. Supponunt enim integras esse vires, quarum vigori ad utendum serviant: qui ubi perijt, frustrà de talibus adminiculis satagitur. Pharmacis enim opus est, ut potentiarum sanitas ante reparetur, quam ullis utatur sanitatis adjutorijs. Quæ si in rebus naturalibus per quam certa atque manifesta sunt, ad cubile veritatis quam in voluntate quærimus, nos quasi manu ducent. Nam & ibi duplex istud adjutorij genus quam maximè locum habet. Aliud enim subservit sanæ voluntatis operationibus bonis, aliud ægrotantis. Nam & ipsa subindè in eodem homine sana, fortis, vegeta est; nonnunquam ægra, languida, fastidiosa, mortua quantùm ad opus effectusque bonos. Tali voluntati sanitatis adhibere velle adjutorium, ut illo juvante operetur, non minoris fatuitatis est, quam cibum offerre mortuo, vel cibum solidum fastidienti, lucem cœco, scipionem fracto tibijs, species varias deliranti. Remedijs ægrotorum, potionibus, collyrijs, epithematibus & similibus opus est ut ægro sanitas restituatur; non tanquàm sano offerendum illud adjutorij genus, quo nemo uti potest, nisi cui ante reddita fuerit sanitatis integritas.

Hoc igitur duplex voluntatis adjutorium integræ & lapsæ, sanæ & ægrotantis, frequenter ab Augustino indicatum est, tantâque sollicitudine inculcatum, ut ab isto discrimine totam difficillimam causam gratiæ cum Pelagianis, victoriamque suspenderet. Pro quo intelligendo sciendum est Augustinum & Pelagium, cùm essent acerrima, celerrimaque ingenia, cardinemque viderent in quo tota causa verteretur, statim in ipso exordio contentionis, totaque vita posteà gravissimum conflictū de naturæ humanæ integritate atq; læsione habuisse. Contendebat vnicè Pelagius, naturam humanam, quantumvis peccati esset rea, & remissionis indigeret, non esse peccando vitiatam, sed possibilitatem, hoc est potestatem voluntatis, qua benè vivere & malè poterat, integram perstitisse, qualis ante peccatum fuerat: eaq; de causa nullum jam voluntati tanquàm læsæ adjutorium esse necessarium. Augustinus radicem gratiæ Christianæ jugulumq; peti videns, acerrimè tuetur, naturam peccādo esse violatam, hoc est, liberum arbitrium contraxisse quandam benè volendi ægritudinem, propter quam ei medicus sit necessarius, cujus medicinali gratia & adjutorio nisi vires pristinę restaurētur, tàm esse impossibile voluntati ut benè velit, & operetur, quam homini cœco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibijs fracto ut rectè gradiatur, quantumvis eis & lux & species, & scipiones, & omnia cætera sanitatis adjumenta suppetant. Audiamus igitur, quanto conatu isti Antagonistæ pro ista capitali & radicali veritate decertent. Capitali & radicali dico, eo quod Augustinus in præludio istius conflictus dicat: *Iam nunc videte, quod ad rem maximè pertinet, quomodo humanam naturam, tanquam omnino sine ullo vitio sit,* conetur ostendere; *& contra apertissimas Scripturas Dei loquitur sapientia verbi, qua evacuetur crux Christi.* Et vicissim Pelagius: *Primo,* inquit, *de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura.* Nempè uterque videt, ab istius exordiendum esse discussione quæstionis, qua gratiæ operatricis necessitas quam Christus velut naturæ medicus attulisse dicitur, vel radicitus tota exscinditur, vel tota vindicatur. Stultum est enim accersere vel advenire medicum, naturamque velut cæcutientem collyriis, vel velut infirmam pharmacis velle roborare, ubi nulla est imbecillitas operandi, quemadmodùm Christus ipse dixit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Itaq; Pelagius cùm admisisset, divinitus esse expianda peccata commissa, & pro eis Dominū exorandum esse, hoc est, naturam peccatricem remissione peccatorum indigere, ut quam sibi ipsi dare non posset, quemadmodùm hoc ab initio usq; ad finem semper hoc eum docuisse monstravimus, velut immobilem totius concertationis basim collocat, impossibile esse ut natura præter reatum culpæ quem admiserat peccando, vitium contraheret, quo fieret ad opus bonum imbecillior, ut medico indigeret: *Ante omnia quærendum puto,* inquit, *quid sit peccatum, substantia aliqua, an omninò substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur.* Et adjungit; *Credo ita est; Et si ita est, quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantia caret?* Vndè cùm evidenter sequeretur, frustra peccatorem præter peccati remissionem, aliam sanitatem viresque benè operandi implorare, contra hujusmodi preces subijcit: *Quid ergò clamas, sana animam meam, quoniam peccavi tibi? Quomodo potuit vitiare animam tuam, quod substantia caret?* Et hanc doctrinam ad universum humanum genus extendens, quod nullo modo primi hominis iniquitate vitiari, hoc est, imbecillius ad benè operandum fieri potuerit: *Non debuit,* inquit, *hac ægritudo contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati, ut committerentur plura peccata.* Et mox apertius: *Quid quæritis? sani sunt propter quos medicum quæritis. Nec ipse primus homo ideò morte damnatus est; nam posteà non peccavit.* Quasi diceret non contraxit ullam peccandi infirmitatem, quia posteà rectè vixit, undè adjicit, *Eius quoquè posteros non solùm illo non infirmiores, sed etiam plura implevisse præcepta, cùm ille unum implere neglexerit.* Quod toto decursu libri summa virium obstinatione contendit, tanquàm undè totius dogmatis Pelagiani pēderet salus.

Hujus ergò doctrinæ occultissimam pestilentiam cùm Augustinus adverteret, eam tùm isto libro de naturâ & gratia, tùm cæteris ad mortem usque persecutus est, tanquàm qua veritas Scripturarum de operatricis gratiæ necessitate, sanctorum Ecclesiæque præces universæ, Christi passio & mors, ipsaque ejus incarnatio & adventus in hunc mundum adeoque nomen Iesus, id est, Salvator, funditus deleretur; eo videlicet modo, quo

Lib. de nat. & grat. cap. 21.

Matth. 9.

Vide dicta in l. 5. c. 6. & 7. hæres. Pelag.

Pelag. apud Aug. l. de nat. & gratia c. 19.

Ibid.

Ibid. c. 21.

quo funditus tollitur medici & adjutorij medicinalis necessitas, si morbus auferatur. *Videte quaeso*, inquit Augustinus, *quomodo nesciens nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces saluberrimas, Ego dixi miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi. Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum? Porrò si est quod sanetur, unde vitiatum est? Audis confitentem, quid desideras disputantem? sana, inquit, animam meam.* Ecce sublatas Ecclesiae preces pro viribus ad benè vivendum contra peccati aegritudinem impetrandis. Sed pergit adhuc inferius: *Cernitisne quo tendat, & quo manus porrigat haec superius commemorata Pelagij disputatio? Vt omninò frustra dictum putetur, vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Quomodo enim salvum faciet, ubi nulla est aegritudo? Peccata quippe, à quibus dicit Evangelium salvum faciendum populum Christi substantiae non sunt, & secundum istum vitiare non possunt?* Ecce nomen Iesus exstinctum, exstinctâ naturae vitiatione, qua vires ejus debilitatae sunt. Audi adhuc sequentia: *Attendite autem, quomodò adhuc se urgeat verisimilibus rationibus contra Scripturae sanctae veritatem. Dominus Iesus dicit qui propterea Iesus vocatur, quia ipse salvum facit populum suum à peccatis eorum, dicit ergò Dominus Iesus, Non est opus sanis medicus, sed aegrotantibus. Non veni vocare iustos sed peccatores &c. Et iste contra fidelem sermonem & omni acceptatione dignum dicit, non debuisse hanc aegritudinem contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista poena peccati* (id est ista aegritudo seu infirmitas) *ut committerentur plura peccata.* Et mox adjungit illa reliqua Pelagij verba, quibus ut jam paulò ante diximus & sanitatem & praecepti implendi potestatem posteris Adae mansisse profitetur. Ecce deletum etiam Iesu, hoc est, Salvatoris nomen, totumque medicinalis adventus ejus apparatum, sublata videlicet poenali imbecillitate naturae, cui soli medendae medicus necessarius est. Non enim hic agi de auxilio Christi ad remittenda praeterita peccata, cujus necessitatem Pelagius in eodem loco disertissimè docet, & Augustinus agnoscit, sed de auxilio gratiae contra futura quod sanandae aegritudini & infirmitati voluntatis ex peccato nascenti Christus attulit, ut praecepta legis seu justitia mandatorum impleantur (quod Augustini phrasi, *justificari*, vocari solet) tùm ex jam citatis locis manifestum est, tùm alijs plurimis Augustinus expressit: *Nemo ei dicit*, inquit, *sic hominem factum, ut de iustitia quidem posset in peccatum ire, & de peccato ad iustitiam redire non posset: sed ut in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium, quo seipse vitiavit*, hoc est, quo praeter peccati culpam sibi vitium inflixit. *Vt autem redeat ad iustitiam opus habet medico* contra istud vitium, *quia sanus non est, opus habet vivificatore, quia mortuus est.* Et paulò post, cùm tradidisset aerumnas hujus vitae non posse nisi impetrata divinitus fortitudine superari, adjicit: *De qua gratia & adiutorio & misericordia, sine qua benè non possumus vivere, nescio quare iste omninò nihil dicit, imò etiam velut sibi ad iustitiam*, id est ad justè vivendum, *sufficientem, si voluntas sua adsit, defendendo naturam, gratiae Christi qua iustificamur*, hoc est justè seu justitiam operamur, *apertissimè contradicit.* Et rursum nonnullis interjectis hoc ipsum apertius adversus illam Pelagianam naturae defensionem, cum Pelagij redargutione manifestans: *Videtisne quemadmodum non dicat* (Pelagius) *necessariam misericordiam Dei ut non peccemus*, dando scilicet adjutorium gratiae qua futura peccata caveamus, *sed quia peccavimus?* Et rursum instantius: *Sicut ergò vulnere verbi gratia claudicans ideò curatur ut sanato malo praeterito, futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solùm supernus medicus sanat, ut illa iam non sint* (interveniente peccatorum remissione) *sed ut de caetero rectè ambulare possimus.*

Ibid. c. 19. — Lib. de nat. & grat. c. 20. — Ibid. cap. 21. — Ibid. c. 23. — Ibid.

Quamobrem ut jam dicere coeperam, Pelagianam illam sententiam, qua praeter culpae reatum, nulla infirmitas naturae inflicta esse dicitur, hoc est, qua benè in posterum vivendi, & non peccandi possibilitas integra illaesaque permansisse constituitur, tanquàm cardinem totius controversiae de gratiae adjutorio, quaque totus medici adventus evacuatur, densissimis convellit testimonijs. Nam hoc agit quando capite trigesimo quarto dicit: *Porrò quod Dei causam sibi agere videtur defendendo naturam; non attendit quod eandem naturam sanam esse dicendo, medici repellit misericordiam. Ipse est autem Creator eius qui Salvator eius. Non ergò debemus sic laudare Creatorem, ut cogamur dicere, imo vero convincamur dicere superfluum Salvatorem.* Hoc agit, quando in eodem capite consequenter dicit: *Vitia sanè nostra, quae sanat, non divino operi* (hoc est creationi) *sed humanae voluntati iustaeque illius vindictae tribuamus. Sed ut in nostra potestate fuisse ne acciderent confitemur; ita ut sanentur in illius magis esse misericordia, quam in nostra potestate fateamur. Hanc iste misericordiam & medicinale Salvatoris auxilium tantum in hoc ponit, ut ignoscat commissa praeterita, non ut adiuvet ad futura vitanda. Hic perniciosissimè fallitur, hic etsi nesciens prohibet nos vigilare, & orare ne intremus in tentationem, cùm hoc ne nobis accidat, in nostra tantum potestate esse contendit.* Asserendo videlicet naturam esse sine vitijs quae ex commissa iniquitate consecuta sunt, quibusque superandis adjutorium imploramus, ne intremus in tentationem. Nam ut de istis poenalibus vitijs concupiscentia & ignorantia, undè post lapsum hominis, omnia omninò peccata pullulant, sermonem esse contra Pelagium disceremus, paulò ante praemiserat: *Vitium quo committitur* (nunc peccatum) *nondum omni ex parte sanatum est: quod quidem ut inolesceret, de non rectè usa sanitate descendit. Ex quo vitio iam malè valens, vel infirmitate vel caecitate plura committit. Pro quo supplicandum est ut sanetur, & deinceps in perpetua sanitate vivatur; non superbiendum, quasi homo eâdem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est.* Hoc agit quando capite trigesimo nono dicit: *O utinam non infirmaret tanti medici gratiam, dum fateri non*

Lib. de natura & gratia cap. 34. — Ibid. — Ibid. c. 35. — Ibid. c. 39.

non vult naturam humanam esse vitiatam. Vitijs videlicet illis jam dictis quibus actualia peccata perpetrantur. Hoc agit quando continuò præcedentibus attexendo gemebundus repetit: *O utinam sicut Christianus legeret, præter Iesum Christum nullum esse nomen sub cælo, in quo oporteat salvos fieri nos: & non possibilitatem naturæ humanæ ita defenderet: ut homo per liberum arbitrium etiam sine isto nomine salvus esse posse credatur.* Hoc ipso scilicet quo sine vitijs illis illæsus, & consequenter gratiæ Christi ad benè vivendum non indigere perhibetur. Hoc agit, quando aliquo Pelagij quasi nomine respondente, quod gratia adversus unum vitium ignorantiam scilicet, esset necessaria, quasi victoriâ nonnihil in se inclinante respondet:

Ibid, c. 40. *Vel hinc saltem confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit, quemadmodum debeat leonem domare, & nescit quemadmodum vivere.* Hoc agit, quando Pelagio velut concessionem istam retractante, & naturam à vitijs illæsam defendente subjungit:

Ibid. *An & hoc ut sciat, sufficit ei liberum arbitrium lexq́, naturalis? Hæc est sapientia verbi qua evacuatur crux Christi &c. Si enim possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad agnoscendum quomodo vivere debeat, & ad benè vivendum sufficit sibi* (hoc est careat istis duobus jam dictis vitijs, cœcitate & infirmitate) *ergò Christus gratis mortuus est, ergò evacuatum est scandalum crucis &c. Sicut enim finis legis, ita etiam natura humana vitiosa Salvator Christus, ad iustitiam omni credenti.* Hoc agit, quando capite quadragesimo secundo præclarissimè clarissiméque dicit:

Cap. 42. *Melius itaque Dei causa agitur, quam se iste agendo dicit defensare naturam*, dùm asserit eam istius jam dictæ vitiationis expertem, *cùm & Creator & Salvator agnoscitur; quam cum defensa velut sana viribusq́, integris creatura, opitulatio Salvatoris inanitur.* Hoc agit, quando de virium istarum quibus olim benè vivi poterat, integritate & consecutâ vulneratione per vitia ista commemorata subtexit:

Lib. de naturae & gratia cap. 43. *Quis nescit eum hominem sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad benè vivendum potestate libera constitutum?* (nullis videlicet vitijs liberam istam potestatem deprimentibus) *sed nunc de illo agitur quem semivivum latrones reliquerunt, qui gravibus saucius confossusq́, vulneribus, non ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiamsi iam est in stabulo adhuc curatur.* Nempè quia per baptismum quo stabulum ingreditur, illa vitia non auferuntur. Hoc agit, quando de illo vitio remedioque ibidem subjicit:

Ibid. *Sed medicina poterit quod vitio non potest.* Hoc agit, quando capite quadragesimo octavo dicit:

Ibid. c. 48. *Miror quo corde etiam sine adiutorio medicinæ Salvatoris nostri nostrum putat esse non peccare; posse verò non peccare, naturæ esse contendat, quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc maioris vitij sit non videre.* Hoc agit, quando iterum adversarium suum ad adjutorij divini necessitatem ex naturæ vitiatione confitendam, exemplo corporali perspicuo premit: *De homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit habet ambulandi possibi-*

A *litatem: confractis verò si velit non habet.* Habes exemplum corporis vitiati, propter cujus sanationem medicina necessaria est; jam accipe antapodosin: *Vitiata est natura de qua loquimur,* Ibid. c. 49. hoc est, natura liberæ voluntatis, per quam, ut audivimus, aderat benè vivendi possibilitas, *quid superbit terra & cinis? vitiata est, medicum implorat: salvum me fac Domine, clamat: sana animam meam, clamat. Quid intercludit has voces, ut defendendo quasi præsentem possibilitatem, futuram impediat sanitatem?* Hoc agit, quando Pelagio adhuc mordicus tuente possibilitatem illam benè vivendi non potuisse interimi peccando, hoc est, ut ante dixerat, naturam non potuisse peccando vitiari atque debilitari, ut propterea opus esset Christi Salvatoris auxilio, rei absurditatem ex inflicta concupiscentiæ infirmitate convincit:

Cap. 50. *Vndè ergò illa vox: ut non quæ vultis illa faciatis? Vndè etiam illa:* B *non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago? ubi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ? Ecce homines non ea quæ volunt faciunt, & de non peccando utique agebat, non de volando, quia homines non alites erant. Ecce homo quod vult bonum, non agit, sed quod non vult malum hoc agit: velle illi adiacet, perficere autem bonum, non adiacet. Vbi est possibilitas quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ?* Et absurditatis enormitatem aperiens malorumque sequelam, quæ pòst se trahit:

Lib. de naturae & gratia cap. 50. *Sed his verbis id agitur, etiam à nesciente qui loquitur, non autem nesciente illo, qui hæc loquenda incautis etiam Deum timentibus suggerit, ut evacuetur Christi gratia, humana sibi ad iustitiam suam quasi sufficiente natura.* Hoc agit, quando adversus illam benè vivendi possibilitatem, hoc est, naturam vulnerum expertem dicit:

Cap. 52. *Exponat quemadmodum cùm sit etiam in ipsis* (non baptizatis quibus caro contraria est) *illa ab eo multum defensa natura,* C *certè vel in eis concedit esse vitiatam, si tamen in baptizatis ille saucius, sanus de stabulo egressus est, quem eum curandum misericors Samaritanus adduxit.* Et rursum instantius:

Ibid. *Porro si vel in istis* (non baptizatis) *concedit carnem esse contrariam dicat, quid contigerit, cùm sit utrumque, hoc est, & caro & spiritus creatura unius eiusdemq́, Creatoris, quod propriâ inflictum est voluntate?*

Cap. 53. *Et hoc, ut in natura sanetur, eo ipso opus est Salvatore quo instituta est natura creatore.* Hoc agit, quando paucis interjectis ad ostendendam gratiæ Salvatoris necessitatem, ex carnis contrarietate urget instantius: *Ecce & baptizatis caro invenitur esse contraria, & non adesse possibilitas illa quam inseparabiliter insitam dicit esse naturæ.* Et operosius iterum iterumque gratiæ indigentiam ex vitio, id est, ex oborta pòst peccatum carnis contrarietate commendans: *Ecce etiam baptizatis caro contraria est: & quomodo contraria? Vt non quod volunt faciant. Ecce adest voluntas in ho-* D *mine, ubi est possibilitas illa naturæ? Fateamur gratiam necessariam. Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respondeatur nobis; Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Hoc agit, quando idipsum irrefragabili argumento fidelium oratione convincit: *Fideles orantes dicunt,*

plecunt, contra tentationes vitij concupiscentiæ, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Si adest possibilitas, ut quid orant? aut à quo malo se liberari orant, nisi maximè de corpore mortis huius? Vndè non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et à quo tandem corpore mortis, an à substantia per

Ibid. animæ & corporis dissolutionem? *Non utique de substantia corporis, quæ bona est, sed de vitijs carnalibus, unde non liberatur homo, nisi gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis discedit à corpore. Et hoc ut diceret Apostolus, quid supra dixerat? Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Hoc agit, quando nervosè, quasi cuncta hactenus adversus Pelagium jacta concludens: *Ecce quod vitium naturæ, humana inobedientia voluntatis inflixit. Orare*

Lib. de natura & gratia cap. 53 *sinatur ut sanetur. Quid tantùm de naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est, vera confessione non falsa defensione opus habet. Gratia ergo Dei non qua instituatur, sed qua restituatur, quæratur: quæ ab isto sola clamatur non esse necessaria, dum tacetur.* Hoc agit,

Ibid. c. 54. quando brevius paulò inferius dicit: *Sed quod contraria est caro spiritui, non ut ea quæ volumus faciamus, vitium est non natura: gratia medicinalis quæratur & controversia finiatur.* Hoc agit, quando in eodem loco subjungit: *Si vel in illis* (non baptizatis) *natura vitiata esse conceditur* (per contrarietatem carnis & spiritus) *ut non sine causa clament: Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, eisque subveniatur in eo quod sequitur, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum; concedatur iam tandem aliquando humanam medico indigere naturam.* Hoc agit, quando lectoris occurrens cogitationibus, declarat se hanc medicinalis gratiæ necessitatem non de peccatorum remissione, sed de adjutorijs ad vitium naturæ concupiscentiam superandam requisitis, intelligere:

Ibid. c. 55. *An propter commissa præterita* (clamas, quis me liberabit &c.) *ut ea tantùm ignoscantur, quæ fieri infecta non possunt? Dimitte hominem, clamet, quod clamabat. Non enim tantùm desiderat, ut per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed etiam ut sit de cætero ad non peccandum fortis & validus. Condelectatur enim legi Dei secundùm interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Videt esse, non recolit fuisse; præsentibus urgetur, non præterita reminiscitur. Nec tantùm repugnantem videt, verùm an etiam captivitem se in lege peccati, quæ est in membris eius, non quæ fuit. Hinc est quod clamat, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sinatur orare, sinatur adiutorium medici potentissimi flagitare.* Hoc ad postremum agit, quando sub finem istius acerrimæ concertationis dicit:

Ibid. c. 64. *Agitur de gratia Dei qua sanatur natura per* MEDICUM *Christū, quo non indigeret, si sana esset. quæ ab isto tanquam sana, vel tanquam sibi sufficiente voluntatis arbitrio posse non peccare defenditur.* Et

Ibid. c. 67. paucis adjectis: *De gratia Dei agitur quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate iustitia.* Et mox iterum universum causæ statum cum Pelagianis ob oculos

A succinctè ponit: *Ita & exhortatus sum quantum potui ad benè vivendum, & gratiam Dei non evacuavi: sine qua natura humana iam contenebrata atque vitiata illuminari non potest & sanari. De qua re cum istis tota vertitur quæstio, ne gratiam Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro perversa naturæ defensione frustremus.* Ibid.

Quod si simili diligentiâ cæteris Augustini operibus lustrandis operam impendere luberet, testimoniorum copia ac tædio lectores obruerem, ut est illud quod in libro de perfectione justitiæ contra Celestium Pelagii discipulum acutissimum dixit: *Respondemus vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et Lib. de perf. iust. cap. 2. quis defectus ille sanitatis? an reatus culpæ, qui remissione & habitualis gratiæ infusione deletur? Audi sequentia: *In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet; dum caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vult homo faciat.* Vt est illud quod postquàm similitudinis adhibendæ causa dixerat, hominem inter ambulandum *vitare non posse claudicationem, nisi habeat sanatum pedem*; explicando subjungit: *Respondetur eâdem similitudine, qua superius iam respondimus. Cùm enim videmus claudum qui sanari potest, rectè utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione; & si debet potest; nec tamen cum vult, continuò potest, sed cū fuerit adhibita curatione sanatus, & medicina adiuverit voluntatem. Hoc fit in interiori homine, quod ad peccatum attinet, tanquàm eius claudicationem, per eius gratiam qui venit non vocare iustos, sed peccatores, quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Vt quod in eodem libro iterum atque iterum dicit: Cap. 2. Cap. 3.

C *Consultissimè homini præcipi, ut rectis passibus ambulet; ut cùm se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem gratia Dei est per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ibid. c. 3. Et quod paulò post, istud vitium naturæ, quo efficitur ista necessitas claudicandi explicando subiungit: *Per arbitrij libertatem factum est, ut esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem. Vndè ad Deum fides clamat, De necessitatibus meis educ me. Sub quibus positi vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur, si vos, inquit, Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Ibid. c. 4. Vt quod in libro de peccatorum meritis ipsam radicem necessitatis divini adiutorii & quæstionis adversus Pelagianos cardinem clarissimis verbis aperiendo dicit: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius, quam bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuvat voluntates.* Lib. 2. de pecc. merit. cap. 17. Et efficaciam

B

D

caciam explicans, quantoperè vitia ista duo voluntatem à benè faciendo remorantur: *Secutum est*, inquit, *ex debita justa pœna tale vitium, ut jam* (post lapsum) *molestum esset obedire justitiæ. Quod vitium nisi adjuvante gratiâ superetur, ad justitiam* operandam *nemo convertitur: nisi operante gratiâ sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur.* Vt quod in libris de libero arbitrio scripsit, cùm pœnalium istarum difficultatum vim exaggeraret, fontemque digito ostenderet, propter quem solùm jam Christi adjutorium ad bona opera facienda peccataque superanda postulamus: *Nec mirandum est, quod vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quod rectè faciat: vel resistente carnali consuetudine*, hoc est concupiscentia, *quæ violentia mortalis* A *successionis quodammodo naturaliter inoleverit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque, quo benè uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate si vellet, id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire, quod rectum sit: & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, Ignorantia & Difficultas. Ex Ignorantia dehonestat error; ex Difficultate cruciatus affligit &c.* Quæ verba in alio libro recolens, apertissimè confitetur, *totam*, ut supra citavimus, *cum Pelagianis verti quæstionem de ista gratia*, qua natura *jam contenebrata atque vitiata illuminatur atque sanatur.*

[Ibid. c. 19.] [Lib. 3. de lib. arb. c. 18.] [Paulò ante ex lib. de nat. & grat. c. 67.]

CAPVT SECVNDVM.

Idem ostenditur ex alijs varijs capitibus. Nomina gratiæ inde derivata.

CVM igitur hæc atque hujusmodi testimonia, in universis Augustini lucubrationibus pœnè innumera, passim obvia sint, & undequaque sibi semper concinant, indè consequenter nascitur quod sæpissimè contra Pelagianos docet, gratiam de qua cum illis controversia est, illam esse, adeoque nec aliam intelligi posse, quam qua liberamur de corpore mortis hujus: *In his verbis, quam dicat* Pelagius *Dei gratiam, prorsus latet. Et judices quidem Catholici nullam aliam intelligere potuerant, nisi quam nobis plurimam Apostolica doctrina commendat. Hæc est enim qua nos liberari posse speramus, de corpore mortis hujus per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quod autem liberari de corpore mortis sit liberari per gratiam de vitijs illis concupiscentialibus, quibuscum tota vita dimicamus, jam a superiùs intelleximus. Indè est, quod in eodem isto b loco, cùm gratiam illius liberationis B illam esse docuisset, quam in certamine cum libidinibus invocamus, iterum repetit: c *Hanc gratiam quam in Catholica Ecclesia notissimam noverant Episcopi, crediderunt Pelagium confiteri.* Et Patres Concilii Carthaginensis: *Illam verò gratiam qua, ut dictum est, Christiani sumus, cujus Apostolus prædicator est, dicens, Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, &c. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nolunt omnino cognoscere.*

[Lib. de gestis Pelag. c. 6.] [a Vide lib. de nat. & gra. c. 53. & c. 55. & lib. de gestis Pelag.] [b Lib. de gest. Pelag. c. 9.] [c Ibid. c. 10.] [Epist. Synodalis Concil. Carthag.]

Indè est, quod gratiam de qua cum Pelagio controversia fuit, illam esse crebro docet, pro qua Ecclesia universa preces à Christo traditas fundit, Et ne nos inducas in tentationem: *Sed pro qua gratia impetranda oramus, ne intremus in tentationem, hæc gratia non est natura, sed qua subvenitur fragili vitiatæque naturæ; hæc gratia non est legis scientia, &c.* Quam fragilitatem ac vitium illam vitiosam concupiscentiam esse statim ex Apostolo probat. Et A ejusdem Concilii Carthaginensis Antistites virus Pelagianum de adjutorio benè vivendi eruentes: *Consideret ergò*, inquiunt, *sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod illorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod Dominus & discipulis monuit, & posuit in oratione quam docuit.* Nempè quia naturam nullo per peccatum vitio labefactatam esse statuebant, pro quo superando gratia peteretur. Quod enim non induci in tentationem nem sit idem, quod nulla concupiscentiæ tentatione (unusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus) superari, nullis libidinibus nos proritantibus consentire, perquam sæpè Augustinus tradit: *Vt non ei concupiscentiæ consentiamus deprecamur adjutorium dicentes, Et ne nos inferas in tentationem:* Nempè, *ut si forte tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti.* Sub hac ergò petitione omne adjutorium gratiæ ad benè vivendum necessariæ postulatur, juxta illud Augustini: *Potens est Deus, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere ac dirigere in sibi placitum gressum: cui non frustra dicitur, Ne nos inferas in tentationem. Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur. Et qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur.* Ex quo fit ut hujusmodi necessariò rectè vivat.

[Conc. Carthag.] [Lib. 2. de pec. merit. c. 4.] [Lib. de dono pers. cap. 6.]

Indè est, quod pluribus in locis gratiam de qua cum Pelagio controversia est, illam esse tradit, qua homo ex peccati vulneribus fit salvus per Iesum Christum: *Quando istis*, inquit, *rectissimè dicitur, Quare sine adjutorio gratiæ* C *Dei dicitis hominem esse posse sine peccato? Non tunc de illa gratia quæstio est, qua est homo conditus, sed de ista qua fit salvus per Iesum Christum. Fideles enim orantes dicunt: Ne nos inferas in tentationem,* *sed*

[Ibid.] [Lib. de natura & gratia cap. 33.]

Digitized by Google

sed liberà nos à malo. Quod enim salvum fieri sit idem quod medicinali gratia ignorantiæ & concupiscentiæ vulnus obduci; jam supra ex libro de natura & gratia demonstravimus.

Hæc igitur summa testimoniorum ac principiorum Augustinianæ doctrinæ consonantia cumulatissimè ostendit ac probat, præter gratiam remissionis peccatorum, de qua cum Pelagianis nulla quæstio fuit, summam totius disputationis, quam de gratiæ adjutorio ad benè vivendum necessario Ecclesia Christi cum Pelagianis habuit, de illo solo adjutorio fuisse susceptam, quod Christus velut humanæ naturæ medicus attulit adversus ignorantiam & concupiscentiam, quibus peccati merito natura vitiata est. Nam post lapsum primi hominis, cùm jam natura vitiata & ad peccatum prona est, nullum omninò ampliùs peccatum, illa indifferenti & versatili libertate committitur, sicut antea fuerat nullo vitio B proritante perpetratum: sed quidquid jam ab Adami posteritate peccatur, totum hoc ex fontibus illis duobus ignorantia concupiscentiàque fluit, quorum nunc servituti, quemadmodum latissimè ex Augustini principijs declaravimus, arbitrium peccatricis voluntatis obstrictum est. Vt nemini mirum videri debeat, omnem Christi gratiam qua rectè operamur adeoque benè vivimus, circa ista duo vitia voluntatis superanda, curandaque versari. Nam indè profluit, quòd, ut aliquoties jam audivimus, si natura non esset istis vitijs sauciata *opitulatio Salvatoris inaniretur, & crux Christi evacuaretur.*

Illa quoque genuina veraque ratio est, cur istud benè viuendi adjutorium, pro quo largiendo Dominus crucifixus est, Augustinus subinde vocet, a *medicinale Salvatoris auxilium:* subinde b *medici gratiam:* subinde c *adjutorium medicinæ salvatoris:* subinde d *gratiam medicinalem:* subinde e *adjutorium medici potentissimi:* subinde f *gratiam qua sanatur natura per medicum:* subinde ut suprà latius diximus, *gratiam liberationis, gratiam liberatricem* à corpore mortis: g *gratiam qua arbitrium verè fit liberum*, ab illis jam dictis vitiis arbitrio dominantibus. Deniq; sæpiùs uno verbo genuini sensus prægnātissimo *medicinam*. Nempè ut omnes Christiani intelligerent de nullo gratiæ adjutorio cum Pelagianis ab Ecclesia disceptatum fuisse nisi de illo medicinali, quo vitia ignorantiæ maximèque concupiscentiæ superantur. Nam illud est, quod nobis Christus tanquàm medicus tulit; illud est quo natura salvatur, illud est quo infirmitas roboratur; illud est quod rogando postulamus, Ne nos inducas in tentationem: illud est denique quo juxtà doctrinam Apostolicam à Paulo traditam, ab Augustino assertam, liberamur de corpore mortis, hoc est, de vitiis corporis mortis hujus.

a Lib. de natura & gratia cap. 34.
b Ibid. c. 59.
c Ibid. c. 48.
d Ibid. c. 53.
e Ibid. c. 53.
f Ibid. c. 64.
g Vide sup. a cap. 3.

Lib. de natura & gratia cap. 43. & lib. de perfect. iust. cap. 3. hu

Quæ si paulò attentius considerassent, non ita exorbitassent nonnulli recentiores, ut cùm adjutorium gratiæ Christi quo nos ad benè vivendum adjuvat, negare vel interimere vereantur, gratias nunquàm vel per somnium à Pelagio Augustinoque disceptantibus cogitatas, afferant, quibus sensa & pronuntiata sua tueantur. Alii namque concursum Dei generalem naturalemque cum voluntatis arbitrio, alii supernaturalem, alii gratiam habitualem, alii gratias concomitantes, alii physicam prædeterminationem, integris læsisque, Angelis & hominibus pariter necessariam, alii aliam proferunt, de quarum nulla inter eos unquam quæstio fuit. Sed de illa sola gratia controversia est, qua natura quæ peccando vitiata est, ita contra terrenas concupiscentias adjuvatur, ut affectus ab ejus servitute eruatur, ut in singulis oborientibus ad momenta singula tentationibus roboretur, ut cum libidinibus pugnet, ut superet, ut non in tentationem consentiendo inferatur. Quæ sane non est gratia habitualis, ut quam nemo justus in tentatione positus cum gemitu postulat; non concursus generalis, non supernaturalis, non gratia concomitans, quibus nemo contra fluctus irruentium libidinum roboratur, non prædeterminatio physica, quæ si illis credimus, & sanis & ægris pariter, nec minùs ad voluntatem robustissimam, quàm infirmissimam inclinandam necessaria est. Sed de his infrà pluribus ex propriis fundamentis: hic satis est ipsis crebro iteratis expressisque testificationibus Augustini commonstrasse, de sola ista *medicinali gratia* qua variarum libidi- C num impetus incessanter nos infestantiū frangitur & sanatur cum Pelagianis fuisse quæstionem. Disertis enim verbis dicit: a *De illo nunc agi homine, qui gravibus est saucius confossusq; vulneribus:* b *de illa agi gratia qua nobis per mediatorem medicina opitulatur:* c *de illa gratia quæstionem esse, qua fit homo salvus per Iesum:* d *de gratia sine qua natura humana iam contenebrata atque vitiata illuminari non potest & sanari, totam cum istis verti quæstionem:* ideoque dicit, Pelagio fallaciter gratiam confitente, e *Catholicos iudices nullam in verbis eius intelligere potuisse, nisi qua liberari posse speramus de corpore mortis huius*, utpote *quam in Catholica Ecclesia notissimam noverant:* atque ita Pelagium qui eam negabat, f *infirmare medici gratiam:* g *opitulationem Salvatoris inanire.*

a Lib. de natura & gratia cap. 43.
b Ibid. c. 67.
c Ibid. c. 53.
d Cap. 67.
e Lib. de gestis Pelag. cap. 6. & 10.
f Lib. de natura & gratia cap. 34.
g Ibid. c. 48.

CAPVT TERTIVM.

Discrimen gratiæ *sanitatis*, & *medicinalis* à Recentiorum notitia valdè abstrusum, & quare. Iaciuntur fundamenta discriminis. Libertas arbitrij ante peccatum, & captivitas post peccatum.

CVm ergò iste totius causæ status sit, utrum sine *medicinali gratia*, sine *medicinali Salvatoris auxilio*, sine *medici opitulatione*, natura contenebrata atque vitiata benè possit operari, satis unicuique perspicuum est, similem istam esse quæstionem ac si disputaretur, utrum cœcus oculis, fractisque tibijs, sine medicinis possit cernere aut ambulare. Vbi cùm nemo sanâ mente dubitet, quid respondendum sit, ipsâ veritate in omnium cordibus clamante, medicinam ad illas actiones esse necessariam; simulatque ad animæ vulneratæ quæstionem venitur, velut occurrentibus tenebris, acies mentis hæret. Nam quàmvis naturis rerum perquam consentaneum esse videat, ut etiam in spiritualiũ rerum ordine, vulnera potentiarum, vitiaque medicinæ opitulatione reparentur, antequàm recta facultatis operatio possit sequi: quia tamen morbi istius natura, quo vires benè vivendi labefactatæ sunt, à vulgari cognitione vehementer abstrusa est, hinc fit, ut ignorata etiam medicinalis adjutorij conditione atque necessitate, cum reipsa adjutorium offerendum est, nihil amplius medicinalis auxilij lethali infirmitati à plerisque ingeratur, quam si integerrima perstitisset peccantis arbitrij salus: & ab alijs vice versa, sanitati robustissimæ nihil minùs tribuatur, quam si fuisset pœnalibus vitijs temerata. Illi voluntatis liberæ creatorem de creaturæ laudibus prædicant, si gratiæ largitorem, utrique studio pietatis ducti Dei partes agere sibi videntur, sed illi imprudentes medicinam Salvatoris evacuant, si decolorant gratiam Creatoris. Inter utrosque sanctus Augustinus ita incedit medius, ut agnita stantis arbitrij dignitate, vires integræ libertatis longè altius quam recentiorum chorus extollat; & penetrata ruinæ ipsius profunditate, vires lapsæ voluntatis longè acerbius concussas, quam vulgus putet, fractasque fateatur. Ex quo fit, ut juxta doctrinam ipsius, sicut in arbitrio primævę sanitatis, & consecutæ ægritudinis distantia suprà recentiorum suspiciones est longè maxima: ita quoque adjutorij *sanitatis*, & *medicinalis* sit extrema discrepantia. Quæ quibus in rebus constituta sit, accuratius constabit, si modum operandi utriusque, & à se invicem differentiam exploratam habeamus. Nam indè velut à nota perspicua, & obvia, in occultam utriusque naturam Deo juvante pertingemus.

Hæc igitur, ut quantum Deus vires dederit præstemus, memoria repetendum est id quod de primi hominis libertate disserentes fusius diximus: cum illa videlicet voluntatis libertate conditum fuisse primum hominem, sicut & Angelos bonos, ut in neutram partem inclinatus solo suæ libertatis nutu alterutrum velle posset & nollet, juxta illam sententiam Augustini: *Quod arbitrium tunc ita liberum erat, ut benè velle posset & malè.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Sic oportebat priùs hominem fieri, ut & benè velle posset & malè.* Quam voluntatis innocentis maximam libertatem & indifferentiam, in qua videlicet flexus in alterutram partem, hoc est, ut benè vellet aut malè, à solo voluntatis nutu (non sine gratia) peteretur, fusè libro de statu naturæ innocentis declaravimus.

Lib. de Corrup. & grat. cap. 11.

In Enchirid. cap. 105.

Ab hac felicissima libertate in alteram electionis partem, hoc est, in peccatum, seu in malum propriâ sponte ita delapsus est, ut non solùm malè voluerit, seu peccaverit, sed etiam malè volendi seu peccandi servituti atque necessitati mancipatus sit, nisi per gratiam sublevetur. Nam præter peccati culpam malâ volitione commissam, arbitrium voluntatis pr[...]ndis tenebris in[...]olutum est, viscosoque quodam pondere irretitum atque depressum est (hoc est tenacissimo quodam amore creaturæ quam dilexit) quod ita voluntati dominatur, ut quocumque se vertat, quicquid arripiat, quicquid declinet, quoscumque vultus & formas induat, quantumcumque se viribus sursum tollere, quibuscumque benè vivendi stimulis incitari videatur, non possit ab illa se viscosa catena expedire, nisi priùs caliginem ejus lux cœlestis effugaverit, & illas terrenæ cupiditatis compedes fregerit. Quod quamdiu non fit in tenebris, hoc est, peccatis jacet, tenebras diligit, tenebras in agendo, & cessando sectatur. Quicquid enim dilexerit, creaturæ limites non egreditur, & ita perpetuam terrenæ concupiscentiæ catenam trahit, cujus vinculis & servitute detinetur. Quem esse arbitrij lapsi statum juxta doctrinam sexcentis locis ab Augustino traditam, latissimè toto libro tertio de statu naturæ lapsæ demonstravimus.

Vide lib. 3. præcipuè c. 3. 4. 5. 6. &c. item 11. 12.

Ex quo perspicuum est, vitium voluntatis, quod præter peccati culpam, peccando contraxit, in eo situm esse, quod post desertum Creatoris amorem rei creatæ dilectione cœcata, & undique perversa ac penetrata est, ita ut

ut amissa illa utriusque partis indifferentia jam amplius benè velle non possit, nec eo seipsum flectere aut erigere; cœcitate & concupiscentia quibus obstricta jacet, eam assiduè deorsum in creaturas deprimentibus: *Illa est enim peccati pœna iustissima, ut amittat unusquisque quo benè uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse cum velit.* Itaque quod jam homo sine gratia Salvatoris, amissa vnius partis libertate, benè velle non possit, supplicium est delinquentis; sicut benefacientis præmium, quòd amissa alterius partis libertate, malè velle non possit. Nam per ista præmia & supplicia, voluntatis liberæ status dumtaxat, non natura mutatur, quemadmodum imprudentes putant, qui quando certissimam illam Augustini doctrinam audiunt, nescio ad quæ tanquàm exotica Manichæi spectra formidant. Sicut igitur nemini mirum videtur, quod benè volendo Beati in æterna beatitudine, malè volendi libertate spoliati sunt, ita nemo videtur, si in peccati damnatione peccator positus, bonæ voluntatis libertate privatus, ante adventum gratiæ de peccato in peccatum captivo arbitrio volutetur. Vndè liquet, quamdiu Angeli & primus homo in illa felici arbitrij libertate steterunt, penes ipsorum arbitrium fuisse nutum illum supremum, quod voluntas in hanc vel illam partem sive benè sivè malè volendo flecteretur. Nutus enim ille liberrimus erat voluntati, quem pro arbitrio suo, vel dando, vel retinendo, omnibus externis internisque actionis adminiculis, habitibus concursibus, gratiæ adjutorijs dominabatur. Hic nutus, hic flexus, seu ista suprema nuendi flectendique potestas, qua sese utrimque in bonum aut malum humana libertate ac dominatione librabat, supplicio non minùs cadentium, quam stantium remuneratione prorsus amissa est; dum utrobique indifferentis istius loco libertatis, servitus istius supremæ dominationis inducta est. Nam quemadmodum voluntas Beatorum serva facta est justitiæ, & peccatorum serva iniquitatis, juxtà illud Apostoli Petri ab Augustino sæpè repetitum: *A quo quis superatus est, huius & servus est*: ita quoque utrorumque arbitrium illa suprema & indifferenti ac dominativa sui in utramque partem flectendi libertate vel feliciter vel pœnaliter, spoliatum est. In peccatoribus enim ante gratiam à concupiscentia creaturæ omnibus actionibus dominante nutus ille imperialis invasus est: in beatis ab ardentissima charitate, quæ tantoperè in utrisque voluntatis arbitrio libertatique dominatur, ut omni sublata boni malique indifferentia, istorum nutum ad amplectendum bonum tantum, illorum ad malum tantum indeclinabiliter & insuperabiliter semper inclinet. Solus relictus est & his & illis quidam in suo quibusque vinculo indifferens sese volvendi motus, ut pro suo arbitrio hic & nunc singularia quæque bona vel mala appetendo sectentur: quæ in scholis libertas *exercitij*, & *contradictionis* appellari solet.

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 18.

1. Pet. 2.

Quæ cùm ita sint, jam differentia *sana & ægrotæ* voluntatis, quantùm ad benè vivendum incipit sublucescere; nempè voluntas sana ita robusta erat per institutionem primævæ suæ libertatis, qua primus homo creatus est rectus, ut se ipsa nutu suo perindè ad bonum volendum quam ad malum sponte flecteret, non à gratia vel cupiditate imperâte flecteretur. Erat enim plenissimè sui ipsius in utramque partem domina, cujus nutui quidquid habituum vel gratiarum, vel adjutorij intrinsecus vel extrinsecus adderetur, deberet fasces submittere, & ab illius velut Angeli impulsu exspectare aquæ motum, ut vel quiescerent, vel ad influxum operi conferendum ipsâ annuente raperentur. Nam quamvis arbitrium innocentis creaturæ *ita liberum fuisse* ab Augustino dicatur, *ut benè velle posset & malè*; non tamen hoc sine gratiæ adjutorio fieri potuisse censendum est. Quod alibi certissimis documentis demonstratum, hic supponimus. Nunc verò posteaquam est illa magna, robustaq; peccati merito amissa libertas, & peccandi servitus constituta, perijt ab ægrota voluntate, ille imperativus benè volendi nutus, ut non magis iisdem illis gratiæ adjutorijs, quibus ante in sua sanitate juvabatur, uti possit, quam si cœco ad cernendum lumen offerres. Nam ille sese flectendi erigendique nutus, potestati fractæ & ægrotæ libertatis extortus est, & à concupiscentia semper seipsam creaturasque diligente possidetur. Vndè per aliud novæ & medicinalis gratiæ genus, qua vitij istius intimis visceribus voluntatis infixi reprimantur vires & motus, frangendoque illa sanetur, ille nutus ac flexus eruendus, voluntatique dandus est, quem sibi ipsa suâ potestate dare non potest.

Lib. 1. de statu primi hominis sive innocentia c. 10 & 11

CAPVT.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

Affertur ex Augustino ac declaratur discrimen adjutorij sanæ voluntatis & ægrotæ, hoc est, adjutorij *sanitatis* & *medicinalis*, seu adjutorij *sine quo non*, & *quo*.

A EX isto liberæ servæque voluntatis discrimine, quod ex Augustini principijs jam identidem traditis, proposuimus, jam utriusque gratiæ, *sanitatis* & *medicinalis* differentia, seu adjutorii quo voluntas sana in statu innocentiæ, & quo nunc post casum suum concupiscentialibus morbis ægra ad benè vivendum adjuvanda est, incipit sese ostendere. In eo quippè sita est, quòd illius primæ integritatis adjutorium sic adjuvabat voluntatem, ut cum eo operaretur ipsa, si vellet; nunc autem ipsum adjutorium facit ut velit. Hoc est, adjutorium ante ruinam erat tale, ut influxus adjutorii perinde atque voluntatis in opus, ab ipso liberæ voluntatis nutu penderet, adeoque salva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò post ruinam tale est, ut faciat annuere, & influere & velle voluntatem.

B Est enim observandum duplicis generis esse adjutoria voluntatis; nam aliud ejusmodi est, *sine quo* voluntas velle non possit, sic tamen ut velle & nolle, uti vel non uti adjutorio, in ejus libero relinquatur arbitrio: aliud *quo fit*, determinatè ut voluntas velit. Est enim illius naturæ, ut hoc ipso quo voluntati datur, confestim velit. Primi generis est, verbi gratia, lux respectu oculorum, species respectu intellectus, & hujusmodi. Sic enim adjuvant, ut sine illis quidem non possit opus fieri, non tamen illis præsentibus efficiatur ut fiat, sed hoc à liberæ volútatis nutu pendet, quæ hujusmodi adjutoriũ & in usum assumere & negligere potest. Secũdi generis adjutoriũ, non est tale, sed hoc ipso quo datur simul usus ejus & influxus potestatis datur. Est enim hoc ipsum quod suaptè efficaciâ facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitratui subjacet, sed invictè facit ut hoc vel istud arbitrium arbitretur & velit.

C Talis est influxus omnis causæ formalis, hoc ipso quippè quo adest justitia, fit justus animus, & sine illa justus esse nunquàm potest. Quam duplicis adjutorii naturam ac differẽtiam libro primo fusius explicuimus, undè plenior intelligentia peti debet.

Hoc ergò verum & genuinum discrimen est inter utriusque status adjutorium, quod adjutorium sanitatis seu integræ libertatis influeret aut non influeret cum voluntate, prout voluntas vellet aut nollet, plenissimèque ipsius arbitrio in agendo & quiescendo subderetur: medicinale verò ipsum benè velle fastidienti ægrotæque voluntati tribuat, utpotè quod ipsa concupiscentiæ dominanti subjugata, de seipsa suæque libertatis impulsu etiam cum gratia quantumcumque magna sibi assistente, habere non posset quemadmodum olim potuit. Quod clarius fortassis ita dici posset, quod gratia sanæ voluntatis, in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam si vellet desereret, aut si vellet uteretur, gratia verò lapsæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deserat aut arripiat si voluerit, sed ipsa sit potiùs illa postrema gratia, quæ invictissimè facit ut velit, & à voluntate non deseratur. Quod discrimen tàm luculentè tradit Augustinus in lucubrationibus quas adversus hostes gratiæ exaravit, ut impossibile sit legenti non advertere, nisi opinionis alicujus præoccupatæ caligo & præjudicium cernendi perspicaciam, judicandique libertatem impediverit. Hoc enim in primis probat ille diversus operandi modus, quem adjutoriis cujusque status tribuit; in quo velut immobili basi, tota doctrina de gratia & prædestinatione nititur. Quam si tollas, funditus universa ruere necesse est; quemadmodum à Semipelagianis, ut infrà pluribus, perspicaciter animadversum est. Hujus ergò differentiæ radicem detegens ita loquitur: *Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium* SINE QVO ALIQVID NON FIT, *& aliud est adjutorium*, QVO ALIQVID FIT. *Lib. de corrept. & grat. cap. 12.* Declarat exemplis admodum perspicuis: *Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus, & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt, ut homo vivat, sed tamen sine illis non potest vivere.* Ecce differentiam duplicis adjutorii lucidissimã, non est ubi hæreat lector, aut caliget auditor, quoties extra præsentem controversiam disputatio est. Vnum est enim tale, ut non inferat vel inferat effectum propter quem datur, sed tantummodo *sine quo non* potest fieri. Effectus enim ab alia debet causa dominante, ipsumq; adjutoriũ secum rapiente seu applicãte produci. Ex quo fit, ut quantũcumq; magna præsto sint adjutoria, nisi

nisi illa causa dominativa, cujus arbitrio tota machina causarum concurrentium & adjuvantium ad motum impellitur aut retinetur velit, impulsumque agendi imprimat, nulla ex adjutorijs operatio secutura sit. Cujusmodi adjutorijs respectu voluntatis humanæ plenus est Orbis universus. Ipsa enim voluntas est, quæ quibuscumque corporalibus creaturis utitur ad scopum suum, quam licet adjuvent, non tamen aliter, ad summum, quam ita ut sine illis non possit opus voluntatis effici, non tamen ut per ipsas fiat, si voluntas nolit. Ipsa est quæ omnibus corporis sensibus quæ scientia & virtutibus intellectus, quæ proprijs habitibus suis & bonis & malis utitur quando vult: nec ad peragendas actiones ejus ista concurrunt adjutoria, ut per illa fiant renitente voluntate, sed tantummodò ut sine illis non fiant, cum ea ad influendum secum voluntas rapit ut fiant. Alterum adjutorij genus est, *quo*, simul ac datum fuerit, fit effectus, & si non detur nunquàm fiet. Nempè quia tantæ necessitatis est, ut sine illo non possit effectus fieri, tantæque efficaciæ, ut hoc ipso quo datur, continuo fiat. Dat enim simul & posse & operari. Exemplum in Augustino manifestum est, quod jam dedimus. Hæc igitur cum sint veritate certissima & claritate liquidissima, videamus quid ad sanæ ægrotæque voluntatis adjutorium ex Augustini mente faciant. Nimirum hoc isto adjutoriorum discrimine spectat Augustinus, ut sciamus adjutorium sanæ voluntatis non fuisse talis conditionis, *quo* bonum opus fieret: hoc enim non conveniebat tàm robustæ liberrimæque voluntati, cum ipsa sufficeret, ut adjutorio quod sibi præsto aderat, si tantùm vellet, uteretur. Vt quid enim dare ipsum velle voluntati, quando illud ex seipsâ, non sine concurrente adjutorio obtinere poterat? Erat ergò adjutorium ejus, non quo fieret, sed sine quo non posset opus bonum fieri. *Tale quippè erat*, inquit, *adiutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet.* Adjutorium verò infirmæ captivæque voluntatis vult esse tale, *quo fiat*, ut velit. Hoc est, esse hujusmodi ut simul ac datur, ipsum velle voluntati detur, & si non detur, nunquàm velit, quia sine illo nunc propter infirmitatem velle non potest. Hoc est enim quod continuo adjutoria explicando subjungit: *Primo itaque homini datum est adiutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa*, hoc est perseveranter benè velle, *donetur: non solùm ut sine illo dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Hoc est, quod statim tanquàm ex Evangelicâ doctrinâ derivatum, ex Scripturis probat: *Non solùm enim dixit, Sine me nihil potestis facere*, quibus verbis adjutorium sine quo non possumus, exprimitur: *verum*

Lib. de corrept. & grat. cap. 11.

Ibid. c. 12.

Ibid.

A *etiam dixit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus*, inquit, *verbis, eis non solùm iustitiam, verumetiam in illâ perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente, ut eant & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forsitan non manebit?* Hoc est, quod cùm in præcedentibus iterum iterumque inculcasset, adjutorium primi hominis fuisse tale, *ut in eo maneret si vellet; ut illud per liberum arbitrium deserere posset; ut in eius libero relinqueretur arbitrio: quod desereret cum vellet: in quo permaneret si vellet, non quo fieret, ut vellet*, & hujusmodi, tandem utrumque sibi conferendo subnectit: *Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam: sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit ut habeat homo iustitiam, si velit: Secunda ergò plus potest, qua etiam fit ut velit, & tantum velit,*
B *tantoq; ardore diligat, ut carnis voluntatem* (id est concupiscentiam) *contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Hoc est, quod ut tardissimis quoque satisfaceret, iterum repetit & repetendo commendat: *Nec illa quidem* (gratia sani hominis) *parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij, quoniam sic adiuvabatur ut sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium si vellet desereret. Hæc autem tanto maior est ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illâ, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.* Hoc est quod cùm iterum adjutorium sani hominis tale esse dixisset, ut *sine illo* quidem *bonum tenere non posset*, sed tamen ut vellet, in ejus libero relinqueretur arbitrio, opponens ei ægroti hominis longè potentius & alterius rationis adjutorium: *Nunc autem*, inquit, *tanto ampliùs datur per Iesum Christum Dominum*
C *nostrum, quibus id dari Deo placuit, ut non solùm adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale est ut velimus.* Hoc est quod rationem afferens ex illius adjutorij naturâ petitam, profundissimè subjicit: *Est quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus; quod non fuit in homine primo: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.* Et quare non fuit datum homini primo haud secus atque secundo datum fuit? Nempè quia ipse *acceperat posse perseverare si vellet, quod ut nollet, de libero descendit arbitrio: quod tunc ita liberum erat, ut benè velle posset & malè.* Quo significatum cupit, nunc homini non sufficere posse perseverare si vellet, sed ipsum benè velle ipsi esse tribuendum, eo quod nunc arbitrium non ita liberum sit, ut cum hujusmodi etiam adjutorio benè velle possit & malè. Hoc est quod radicem
D diversitatis illius duplicis adjutorii ex ipsâ sanitate & ægritudine concupiscentiali voluntatum eruendo, præclarissimè doctissimeque dicit: *Vt ergò non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio* (videlicet

Ibid. c. 12.

Ibid.

Ibid.

Lib. de corrept. & grat. cap. 11.

delicet cum adjutorio, sine quo perseverare A non poterat) *tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa* CONCVPISCENTIALITER *resistebat, ut digne tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Nunc verò postea quam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Nimirum quia nulla interiori rixa libertas illa sana discerpebatur, nulla lucta lassabatur, nullo deorsum pondere premebatur, ut non nisi velle cum adjutorio concurrente à tantâ sanitate peteretur. Nunc verò difficultates gravissimæ superandæ sunt, non quibus corporis membra, sed quibus voluntas ipsa à volendo revocatur, dum concupiscentiali visco implexa, etiam tali adjutorio adjuta, aut velle aut satis potenter velle non potest. Tam enim dirum est istud concupiscentialis ægritudinis malum, ut non solum vo- B lenti homini difficultatem afferat ut languidè velit, quæ non nisi magnis (quibus caret) viribus arbitrii superanda est; sed etiam pestifera dulcedine creaturæ animum demulcendo voluntatem ipsam velle non sinat. Hoc est quod uberius naturam explicans utilitatemq; tanti adjutorii, quo superbia qua cecidimus, radicitus tollitur, dùm humanæ voluntati nihil omninò relinquit sui, magno verborum

Ibid. pondere & perspicuitate subtexit: *Ac per hoc nec de ipsâ perseverantia boni*, hoc est, perseverante boni volitione, *voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adjutorium quale primo homini dedit* SINE QVO NON *possint perseverare si velint, sed in eis etiam operatur & velle; ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint & velint perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint quia sic volunt, ideò sic volunt, quia Deus operatur ut velint.* Hoc denique est illud, quod rationem necessitatis tanti ac talis adjutorii inculcans sanæ voluntati non congruentis, ægrotæque capitaliter necessarii, perspicuè docet, ægram [illegible] ejusmodi voluntatem neq; velle cum adjut[illegible]o Dei, neque permanenter velle posse, si usus adjutorii in ipsius libero relinquatur arbitrio, ita ut ipsum velle non in eâ

Lib. de corrept. & grat. cap. 12. Deus operaretur. *Nam si in tantâ infirmitate vitæ huius, in quâ tamen infirmitate, propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.* Hoc est quod continuo ex istâ adjutorii diversitate rationem petit, cur homo sanæ robustæque voluntatis divino munitus adjutorio tantâ facilitate corruerit; infirmissimus verò in sævientibus tentationum tempestatibus perseveret. Nempè quia quemadmodum oportebat sanus & fortis permittitur adjutorio consentire si velit; ægro & imbecilli, hoc ipsum datur ut velit, & invictissimè velit:

Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Ita factum est ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana, in bono ampliore non perseveraverit. Nempè causa in promptu est, quia voluntas invalida & imbecilla perseverat *per virtutem Dei*, hoc est per adjutorium quo fit ut velit; fortis & sana *habet virtutem liberi arbitrij, quàmvis non defuturo adjutorio Dei*, SINE QVO NON *posset perseverare, si vellet, non tamen tali* QVO *in illo Deus operaretur ut vellet.* Hoc ad postremum est illud, quod profundissimam finiens disputationem, tantæ diversitatis utriusque adjutorii rationem assignat præclarissimam, nempè magnam cum naturâ talium voluntatum, ac divinâ misericordiâ, sapientiaq; adjutoriorũ congruentiam: *Fortissimo quippè dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere in-* C *victissimè nollent.* Quid enim congruentius sapientiæ & misericordiæ Dei, quid ipsis naturis rerum magis consentaneum, quam ut robusta voluntas, sufficientissimo Dei adjutorio fulta, *sine quo* velle & perseverare *non* potest, optioni suæ relinquatur, adjutorio Dei utendo & perseverando, si velit: infirma verò, potentissimo Dei adjutorio ipsum velle & perseverare, & sui ipsius usum donante, muniretur?

Ibid. (right margin, at "Subventum est")
Ibid. c. 12. (right margin, at "tiam: Fortissimo")

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

Inferuntur duo corollaria quibus accuratiùs declaratur discrimen duplicis istius adjutorij. Reijciuntur lex, scientia, revelatio, remissio peccatorum, gratia sufficiens, habitualis, congrua, efficax Recentiorum extrà limites adjutorij medicinalis Christi.

EX tot tamque manifestis Augustini testimonijs & inculcata toties doctrina, duo perspicuè colliguntur, quæ ad intelligendam plenè medicinalem Christi gratiam, & ab alia qualibet sanæ voluntatis discernendam plurimum faciunt, & quàmvis nihil prætereà adderetur sola sufficiunt.

Primum est, nullum adjutorium gratiæ, cujus usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur aut non utatur, ut illud amplectatur aut deserat, ut illi consentiat aut non consentiat si voluerit, quantumvis sine illo non velit, aut velle non possit, esse adjutorium *quo* fit ut velit; sed tantum *sine quo non*: Et proindè ad medicinale adjutorium Christi nullo modo posse pertinere, sed ad adjutorium primi hominis & sanæ voluntatis esse referendum. Nam in eo consistit essentialiter differentia utriusque adjutorii, *sine quo non* fit actio, & *quo* fit, & consequenter sanæ voluntatis & infirmæ, Adami & Christi; quod auxilium *sine quo non* voluntatis, ut influat in volitionem & actionem pendet essentialiter à nutu voluntatis, illud ad influendum applicante: quod nisi consentiendo vel volendo fecerit, nullus indè influxus in actionem, effectusq; secuturus est. Nam istam ejus conditionem tam sollicitè, tam perspicuè, tanta verborum, sententiarumque repetitione commendat, quasi summo studio hoc unicum satageret, ne in perversum sensum cœlestis illa doctrina raperetur. Quid enim vel cœcis evidentius dici potuit, quam quod toties dicit primi hominis, sanæque & fortis voluntatis adjutorium hujusmodi fuisse, *non quo fieret ut vellet: non quo fieret ut perseveraret; non quo Deus operaretur ut vellet*, & hujusmodi; sed tale, *per quod posset permanere si vellet, per quod aderat ei posse, quod vellet, non velle quod posset; per quod acceperat posse si vellet*: tale rursum, *sine quo etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset: sine quo in bono non maneret: sine quo non posset in bono permanere si velit: sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet: sine quo omninò permanere non posset, sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset*. Et ut apertius sine ullo obscuritatis ambiguó nosceremus, quo igitur modo se haberet istud adjutorii genus ad arbitrium voluntatis, utrùm illam secum ad opus raperet, an à voluntate pro libitu raperetur, identidem repetit, & inculcat studiosissimè, fuisse talis conditionis, quale videlicet liberrimæ sanissimæque voluntati congruebat, quæ nulla videlicet laborat imbecillitate, nisi quæ creaturæ naturalis est, ut *ad* A *malum sufficiat, ad bonum verò nihil sit, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*. Hoc est fuisse gratiam talis naturæ, talis efficaciæ, talis influxus, *quam Deus reliquerit in eius libero arbitrio: quam per liberum arbitrium deserere posset*. Fuisse adjutorium, *quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet: quo fiebat ut haberet iustitiam*, hoc est opus justitiæ, *si vellet, sed si vellet etiam desereret: per quod posset permanere si vellet: ut cum eo perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio: ut digne tantæ bonitati & bene vivendi facilitati perseverandi cõmitteretur arbitrium: ut ei relinqueretur voluntas*, hoc est electio sua: *ut fortissimo dimitteret ac permitteret facere quod vellet*. Nullus Scholasticus quantæcumq; subtilitatis in intelligendo, & præcisionis in loquendo, & facundiæ in exprimendo, genuiniùs & accuratiùs, & clariùs nobis deliniare posset naturam adjutorij, quod vires præbeat quidem voluntati, ut cum illo posset bonum arripere, aut tenere si vellet; non tamen ipsum velle operetur, sed velle & nolle, arripere adjutorium ac deserere, consentire ac disentire, in ejus libero relinquatur arbitrio. Si enim hoc in voluntatis arbitrio non relinquatur, sed ipsum adjutorium invictissimè donet ut velit, jam hoc ipso non est adjutorium *sine quo non*, sed *quo* fit actio: non adjutorium sanæ voluntatis, quæ suàpte sponte vegeta libertate suâ cum Dei adjutorio ad velle consurgit, sed ægrotæ & imbecillis, quæ ad bonum volendum ex concupiscentiali rixa erigi debet: non est denique adjutorium primi hominis, sed secundi, non creatoris, sed Salvatoris. Quod ne quis nimia fortassis tarditate adhuc non satis penetraret, etiam exemplis sensibilibus veritatem istam, de modo quo adjutorium sanæ voluntatis ejus arbitrio subderetur, planissimũ facere voluit. Docet enim ita se habere sicut alimentum ut vita teneatur, sicut lux ut oculorum objecta cernantur. Sunt enim adjutoria vitæ & oculorum, sine quibus teneri vita, & color cerni nequeat, non tamen quibus vivatur aut cernatur, si voluntas velit. Exemplum de alimentis jam supra dedimus. De luce accipe: *Nam & ibi* (in sana primi hominis natura) *esset adiutorium Dei & tanquam lumen sanis oculis, quo adiuti videant se præbere volentibus*. Hoc est si voluntas oculos ad intuendum præbere velit. Significat enim sanæ voluntatis adjutorium esse quantum ad operandi modum sicut lucem, cujus usus, ut cum ea videat oculus corporis aut non videat, pendet à volũtatis arbitrio. Non enim ipsa est quæ facit ut videas, quàmvis sine ea simul influẽte non videas, sed voluntas. Quod declarat alibi, ubi gratiam Salvatoris

Lib. de corrept. & grat. cap. 11.

B

C

Lib. de nat. & grat. c. 48.

vatoris medicinalem lucis ejusdem comparatione commendabat: sed in hoc statim annotat esse differentiam, quod Christi gratia facit velle voluntatem, cùm lux videre non faciat: *Etiam*, inquit, *ut convertamur ipse* (Deus) *adjuvat*, *quod certè oculis corporis lux ista non præstat*; nempè quia voluntatis, non lucis hoc officium est, ut oculus adjuvetur actu aut non adjuvetur, utatur aut non utatur luce, si voluntas velit.

Lib. 2. de pec. merit. c. 5.

Cùm igitur ista conditio adjutorii *sine quo non*, sanæque voluntatis, sit ipsâ luce de quâ tractamus clarior; nempè ut usus & non usus ejus in voluntatis relinquatur arbitrio; profectò eâdem claritate perspicuum est id quod diximus, nullum adjutorium gratiæ, cujus usus in voluntatis arbitrio relinquitur esse *adjutorium quo*, quàmvis sine illo simul concurrente velle non possit, nec esse adjutorium medicinale, seu gratiam Christi, de qua contra Pelagianos Augustinus & Ecclesia disputavit, sed ad summum esse tantum adjutorium *sine quo non*, seu adjutorium primi hominis sanæque voluntatis, quocumque tandem nomine appelletur. Ex quo fit ut neque lex, neque revelatio, neque sapientia aut scientia quæcumque aut qualiscumque, neque remissio peccatorum, neque gratia habitualis, neque virtutes, infusæ, ut quidam nimis aberrantes ab Augustini mente putaverunt, neque gratia sufficiens, neque gratia quam congruam vocant, quia sic adaptatur dispositioni voluntatis ut ei consensura videatur, sit illud adjutorium *quo* quod quærimus; sed ut summum tantummodo *sine quo non*: neque sit adjutorium ægræ infirmæque voluntatis, sed fortis & sanæ, nec adjutorium Christi Salvatoris sed Adami. Est enim non minùs manifestum atque certum, omnia hujusmodi adjutoria quantum ad usum & non usum plenissimè subjacere voluntatis arbitrio, usque adeò ut authores qui illas nobis pro gratia Christi venditant, qua voluntas in suis operibus adjuvetur, de nullo sibi contra prementes adversarios gratulentur magis, quam quod illum liberum nutum voluntatis, quo utitur vel non utitur gratiæ adjutorio prout voluerit, relinquant integerrimum. Quod etsi non faterentur ipsi, per seipsa tamen tàm altè clamat, lex, scientia, quæcumque revelatio, remissio peccatorum, gratia tàm sufficiens quam habitualis, istam sibi adesse conditionem, ut supervacaneus esset in eo probando vel declarando labor. Nam istis omnibus adjutoriis maximèque gratia sufficienti & habituali utitur voluntas cùm voluerit, deserit ea cùm voluerit. Tribuunt enim ad extremum (si tamen tantum tribuunt) *posse si velis, non velle quod potes*. Nam ideò gratia sufficiens dicitur quia dat non voluntatem, sed sufficientem volendi potestatem.

Vide Francisc. Suarez lib. 3. de grat. c. 4.

De gratia illa congrua, quam magnâ verborum pompâ in gratiam Salvatoris Christi efficacem recentior Theologia subvexit, eadem omninò ratio est. Fatentur enim di-

A sertis verbis authores ejus, hanc esse mentem suam, eaque de causa præcipuè amplectendam esse gloriantur. Nam ita Molina: *Quo fit ut divisio sufficientis auxilij in efficacem & inefficacem, nostra sententia ab effectu qui simul ab arbitrij libertate pendet, sumatur: illudque auxilium sufficiens sive maius sive minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur, cùm tamen nihil eo auxilio impediente potuerit non converti*. Et paulò post: *In libera nostra potestate esse, vel illa efficacia reddere consentiendo & cooperando cum illis, vel inefficacia illa reddere continendo assensum & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo gratiarum dissensum*. Quod totâ illa disputatione ex professo inculcat, & ita verum esse explicat, *sicut concursus & influxus habituum virtutum ad nostras operationes pendet à cooperatione nostrarum potentiarum*. Ita prorsus & Lessius: *Fatemur liberum arbitrium directè esse causam cur hic & nunc Deus influat in opus tum per sua dona, tam per seipsum, non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat*. Et mox repetit, quod *liberum arbitrium causa sit, cur hic & nunc Deus influat in opus*. Et paulò superius: *Dicimus hominem divina gratia pro sua innata libertate posse consentire, sed non nisi cum auxilio eiusdem gratiæ; sicut qui habitu alicuius virtutis supernaturalis est præditus, potest pro sua innata libertate uti illa virtute, sed non nisi cum auxilio eiusdem virtutis*. Et capite decimo; *Rectè dixit Molina, quod gratia sit efficax vel inefficax pendere à libero arbitrio* (videlicet quod tale sit in actu secundo, seu quod influat) *addo ut in potestate liberi arbitrij sit, gratiam quæ secundùm se est sufficiens, reddere efficacem vel inefficacem in actu secundo. Quod non video quâ ratione negari possit, nisi quis nodum in scirpo quærat*. Eadem est omninò sententia Suarez, & esse debet, quicquid de Dei voluntate, conversionem vel actum voluntatis decernente, conjungat. Hoc enim efficit quidem ut aliter se ad hominem Deus habeat, non tamen ut aliter gratia cum voluntate operetur. Nam eâ de causâ efficaciam gratiæ in eo collocant inter cætera, quod ita per præscientiam conditionatam adaptetur voluntati, sicut cum ea consensura prævidetur. Itaque Suarez ut cæteri apertè profitetur: *At verò exercitium gratiæ in agendo vel determinatio eius ad agendum in tali tempore, vel interdum etiam in tali specie actus, pendet à libero arbitrio, quatenus illa determinatio est actus eius: & licet etiam hoc modo à gratiâ dependeat, tamen sub hâc voce seu denominatione determinationis peculiari titulo potest attribui libero arbitrio propter proprium & intrinsecum dominium quod habet in actionem suam*. Hoc enim dominium voluntatis, ut pro suo arbitratu, quàmvis non sine gratiâ, se in alterutram libeat partem flectat, velut pupillam D oculi, certatim isti tuentur Authores. Vndè alibi docet Author proximè citatus: *Auxilium efficax ut actu operetur consensum liberum in homine, ultra sufficiens, excitans & adiuvans & actualem eius cooperationem cum voluntate, nihil necessario requirere quoad rem ipsam, seu nihil aliud addere ex*

In concord. disp. 40. in q. 14. ar. 13

Ibid.

Ibid.

Lessius lib. de grat. c. 11. n. 8. & 11.

Ibid. c. 10. num. 9.

Suarez lib. 3. de auxiliis c. 14. nu. 2.

In opusc. 3. brevi resol. num. 46.

B

C

parte

parte Dei præter illud auxilium gratiæ, quod in actuali concursu proportionali consistit. De quo addit paulò post: *Huic cooperanti gratiæ adiungendam dicimus cooperationem liberam nostræ voluntatis, in cuius potestate est impendere effectum gratiæ & illum efficere.* Quod non aliter sanè intelligunt, quam quemadmodùm voluntatem docent cùm auxilio sufficienti posse cooperari, quàmvis reipsa non cooperetur. Vndè omnium istorum est ista notissima sententia, idem adjutorium in uno efficax esse posse & habere effectum, in alio non habere, ex diverso flexu libertatis: nihil in re includere ex parte hominis vocationem efficacem quod non includat aut includere possit vocatio sufficiens, si homo illa uti velit. Ex parte autem Dei, antecedere præscientiam effectus in uno & non in alio: tamen hanc ipsam differentiam non esse ex solo Deo, sed etiam ex libero arbitrio. Nam in hominis esse potestate (de quo Deus præscivit non consensurum vocationi) facere ut Deus præsciverit. Prout ipsi istis verbis, & alijs subindè liberi arbitrij dominium super usum gratiæ exaggerantibus dicunt. Denique tàm est illa nota & pervulgata sententia, de flexibili istâ voluntatis libertate sub gratia, ut Suarez ipse dicat: *Non est quod circa libertatem immcremur, illa potiùs nobis obijcitur, quod plus nimio illi tribuamus.* Per libertatem autem intelligunt non id quod in scriptis suis omnibus de gratia Augustinus intelligit, sed semper illud jus dominatiuum voluntatis, quo penes ipsam illa ultima manet, ac decretoria sententia, ut pro sua in utramque partem indifferentia, se determinet, aut non determinet: quàmvis determinatio hic & nunc, non fiat sine gratia concurrente.

Suarez opusc. de auxil. lib. 3. c. 14. n. 14.

Suarez in opusc. tertio brevis resolutionis num. 52.

Ex quibus profectò manifestissimum esse puto, authores qui congruam illam gratiam pro vera medicinali Christi gratia obtrudere moliuntur, nihil omninò proferre nisi adjutorium sanæ voluntatis primi hominis & Angelorum, hoc est, adjutorium non *quo* fiat ut voluntas velit, sed *sine quo non* potest se determinare vel velle, quemadmodùm idem Suarez illud explicat: *Non obstat*, inquit, *quod homo suâ liberâ determinatione hoc bonum accipiat: quia hanc ipsam liberam determinationem sine Deo inspirante & adiuvante habere non potest.* Sufficere enim putat hujusmodi esse adjutorium *sine quo non* potest voluntas velle. Vndè & cæteri omnes quotiescumque invidiam deprædicatæ nimium libertatis à se depellere conantur, semper hoc unicum inculcant, quod volitio, determinatio, consensus, actio fiat *non sine auxilio*, fiat cum auxilio gratiæ influente, fiat concurrente & adjuvante simul gratiâ, & hujusmodi. Vndè & Lessius locum soluturus: *Quis enim te discernit*, quem sibi vehementer videbat adversum, clarè respondet non hominem se suis viribus discernere, quia *qui convertitur & credit, sperat, diligit, pœnitet*, NON ID FACIT SINE ALIQVO AVXILIO PHYSICO *trahente.* Et alibi: *Quod hic & nunc potiùs fiat conversio quam alias aut alio modo, huius causa directa & principalis est liberum arbitrium quàmvis* NON SINE AVXILIO GRATIÆ. Quibus locutionibus ex intimo fundo gratiæ congruæ depromptis, & naturam ejus genuinam exprimentibus, nihil omninò amplius tribuitur adjutorio gratiæ Christi, quam quod sit auxilium *sine quo* simul concurrente arbitrium se determinare, velle, consentire non potest: cujusmodi adjutorium Adami, cum reipsa Deum suâ voluntate diligebat, & stantium Angelorum fuit. Vndè etiam locutiones omnes, quibus Augustinus adjutorium sanæ voluntatis ornavit, de sua gratia sufficiente & congrua verissimas esse arbitrantur. Negare enim non possunt esse talem juxtà sententiam suam, *quam Deus relinquat in libero voluntatis arbitrio: quam per liberum arbitrium deserere possit:* esse adjutorium, *quod* ille cui datur, *deserat cùm velit, & in eo permaneat si velit: quo fit ut habeat homo iustitiam si velit, sed si velit, etiam deserat: per quod possit permanere si velit: ut cum eo velle & nolle, perseverare & non perseverare in eius libero relinquatur arbitrio: ut ei perseverandi committatur arbitrium: ut ei relinquatur voluntas sua: ut in eo adiutorio maneat si velit: tale* deniq; *ut ei dimittat ac permittat facere quod velit.* Qui est unicus & proprijssimus character, quo sanæ voluntatis adjutorium à medicinali quod Christus attulit, discernitur. Et quid mirum, quòd adjutorium suum elogijs adjutorij plenissimæ sanitatis insigniunt, quandoquidem & ipsam lapsam voluntatem non aliter prędicant quam si plenâ sanitate frueretur? Nam in eo sanitas ejus erat constituta, quod, ut Augustinus, *arbitrium tunc ita liberum esset, ut benè velle posset & malè*: quàmvis sexcenties inculcet, nec tunc sine Dei adjutorio concurrente benè velle potuisse. Si igitur etiam nunc concurrente simul adjutorio, & benè velle possit & malè, quis dubitet etiam nunc robustam & sanam esse voluntatem? Nec enim ulla ullius voluntas creaturæ fuit unquam, aut erit, aut esse potest tantæ sanitatis, roboris, aut libertatis, ut sine adjutorio Dei concurrente bonum apprehendere possit, aut in eo perseverare si velit; quemadmodùm jam diversis in locis ex Augustino declaravimus; sicut nec oculus tantæ sanitatis esse potest, ut sine adjutorio lucis operetur.

Lib. 3. de auxil. c. 15.

Lib. de auxil. c. 17. n. 10.

Ibid. c. 18. num. 3.

Lib. de Corr. & grat. c. 11.

Opponet fortassis aliquis in August. doctrinâ minùs exercitatus, non esse adjutorium istud congruum adjutorium Adam, & *sine quo non*, sed potiùs *quo*: quia per istud reipsa voluntas vult & operatur & perseverat, Adami autem adjutorium tale dumtaxat erat, quo posset operari & perseuerare si vellet, non quo fieret ut vellet. Ideoque ipse nec voluit, nec perseveravit, cum adjutorio autem congruo quotquot accipiunt, illi & volunt & operantur & perseverant. Sed hoc omninò frustra & imperitè dici, ex secundo patebit Corollario.

Secundum itaque Corollarium, ex prædictâ sancti Antistitis doctrina fluit, quod auxilium *sine quo non* non transeat in auxilium *quo*, per hoc ipsum quod aliquis illo adjutus velit & ope-

& operetur: sed sive cum eo operari velit, sive nolit, ejusdem omninò naturæ & conditionis manet. Quod ex eo primo perspicitur, quia illa diversa adjutoriorũ genera, non ab effectu petita sunt, sed ex diversa operandi efficacia. Nam ideò semper extollit Augustinus maximam operandi vim adjutorij *quo*, quod Christus attulit, in ipsam voluntatem: *Sed hæc*, inquit, *gratia potentior est in secundo Adam: secunda plus potest, qua etiam fit ut velit. Hæc autem tanto maior est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem &c. Nunc tanto amplius datur per Iesum Christum, ut non sol um &c. Tantum ac tale est, ut velimus: Tantum quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint quia sic volunt &c.* Et hujusmodi plura quæ perspicuè significant adjutorium *quo* quod Christus per incarnationem dedit, esse longè majoris efficaciæ quam adjutorium *sine quo non*.

Ibid. cap. 11. & 12.

Secundò istud manifestum est ex causis diversitatis, utriusque adjutorij. Nam causa cur Adamo & Angelis adjutorium dumtaxat *sine quo non* Deus erogaverit, fuit illa naturis rerum congruentissima; quia nulla concupiscentiali duarum voluntatum contentione vexati, suâ secum intus pace fruebantur; ex quo fiebat ut libertas eorum esset robustissima, ita ut utrumlibet vellet & nollet, solo nutu voluntatis arbitrium gratia adjutum impellente. Hanc enim libertatis fortitudinem fuisse causam dilutioris adjutorij frequenter Augustinus docet: ut quando dicit: *Quæ* primi hominis gratia *demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij*: ut quando dicit; *Tales vires habebat eius voluntas, cui nihil ex seipsa concupiscentialiter resistebat ut dignè tanta bonitati & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* Vt quando dicit: *Cùm voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit.* Vt quando dicit: *Fortissimo quippè dimisit, atque permisit facere quod vellet.* E contrario verò causam tàm potentis adjutorij, quod omnes oppositos internos externosq; obices perrumperet, nullam aliam assignat, nisi inflictæ infirmitatis concupiscentialis magnitudinem, quæ postulabat ut volũtas imbecilla adversus cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia, potentissimo adjutorio muniretur, quo cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus, vinceretur hic mundus. Nam hoc sibi volunt illa verba præclarissima: *Secunda ergò* gratia Christi *plus potest, qua etiam fit ut velis, & tantum velit, tantoq; ardore diligat ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Hoc sibi volunt illa: *Nunc verò postteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuvanda remansit infirmitas.* Hoc sibi volunt illa: *Nam si in tanta infirmitate vitæ huius ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent; nec in illis Deus operaretur, ut vellent inter tot ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.* Et rursus illa: *Ita factum est ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei.* Et illa: *Infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Quæ manifestissimè probant ita fuisse necessarium tantæ efficaciæ adjutorium, ut nullo modo voluntas viribus internis fracta, tot objectas difficultates superare potuisset, nisi tanto ardore sancti Spiritus accenderetur: *Maior quippè libertas*, inquit, *est necessaria adversus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt.* Quam ob causam *subventum est infirmitati humanæ ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.* Quibus tot iteratis testimoniis quid evidentius dici potest, quid prægnantius, ut intelligamus utriusque adjutorij diversitatem non ex eo peti, quòd cum uno voluntas pro sua libertate consentit, alteri non consentit, cum uno pro nutu suo cooperatur, cum altero non; vel quod hoc Deus ita futurum vel non futurum præcognoverit: Sed quòd talis ac tanta esset infirmitas lapsæ voluntatis, ut cum nullo adjutorio Adami vel velle posset, vel invictè velle: propter internæ enim cupiditatis pondus cum tali auxilio *infirmitate sua volũtas ipsa succumberet, & ideò perseverare non posset.* Hoc enim adjutorium supponit nihil esse in voluntate superandum: & si quid in ea superandum, hoc alio necesse est, fiat adjutorio. Ex quo fit impossibile ut propter solam cooperationem adjutorium *sine quo non* in adjutorium *quo* mutetur.

Lib. de Corr. & grat. c. 12.

Hoc tertiò inde manifestum est, quod adjutorium *sine quo non* Adami & Angelorum, sit adjutorium sanitatis, adjutorium autem *quo* sit medicinale. Illud est autem discrimen adjutoriorũ quibus adjuvantur sanæ facultates, & medicinalium quibus infirmæ, ut quemadmodum superius multis exemplis declaravimus, nunquàm sanitatis adjutorio læsa sanitas repararetur, etiamsi in immensum cresceret. Quis enim non intelligat oculo cœco nihil omninò prodesse lucis adjutorium, nihil tibijs fractis baculum? alterius enim rationis & naturæ tanquàm medicinali adjutorio priùs ipsæ vires sanandæ restituendæque sunt, quam istis adjutorijs sanitatis uti queat.

Quartò id manifestum est ex exemplis quibus Augustinus utitur, adjutorij *sine quo non*, alimentorum, & lucis, & navis, & pedum. Non enim alimentũ, aut lux, aut navis, aut pedes, in aliud genus adjutorij transeunt, quando in usum imperante voluntate sumuntur, & in aliud, quando in eâdem renuente relinquuntur. Vsus enim aut non usus non mutat naturam adjutorij, sed supponit. Imò verò tunc propriè est adjutorium *sine quo non*, quando in usum sumitur, tunc enim adjuvat, & secundùm naturæ suæ conditionem adjuvat, ut sine illo non possit fieri. Quod tunc evidentius manifestatur, quando in eamdem

Lib. de Corr. & grat. cap. 12. Lib. de natura & gratia cap. 48. Lib. de gestis Peleg. cap. 1.

actionem utrumque concurrit. Nam verbi gratia, lux est adjutorium sine quo non ut videamus, visio verò est adjutorium quo videamus. Ita non ideò fiet lux adjutoriũ quo quia lucem ad videndum admittimus. Nunquàm enim qualiscumque & quantacumque lux oculis affundatur, hoc ipso videbunt oculi quo præsto est lux. Hæc est autem definitio adjutorii quo, ut illo dato *continuo fiat propter quod datur*. Nunquàm igitur lux erit adjutorium quo, sive quis videat, sive non videat. Quod & Augustinus ipse animadvertit, quando differentiam adjutorii medicinalis Christi & lucis notans, ut suprà diximus: *Etiam ut convertamur, ipse adjuvat, quod certè oculis corporis lux ipsa non præstat.* Idem de alimentis, de nave, de pedibus intelligere cuique in promptu est. Semper enim sunt adjutorium sine quo nemo vivat, naviget, gradiatur, Augustino itidem dicente, & ipsâ re clamante, *Alimenta non consequenter faciunt ut homo vivat, sed tamen sine illis non possunt vivere.* Id autem quo posito statim vivimus, navigamus, incedimus, id verò est verissimum adjutorium quo.

Lib. 2. de pecc. merit. cap. 5.

Lib. de corrept. & gratia cap. 12.

Quinto hoc indè manifestum est, quia reipsa Adamus adjutorio sui status usus est, & Angeli, quibus adjutorium ejusdem generis juxtà doctrinam Augustini datum est, multo maximè. Nam utrique sicut sine illo adjutorio perseverare non poterant, ita nec quicquam omninò boni velle vel operari, quemadmodum hîc in libro 1. fusè declaravimus. Iam autem & Adamus aliquamdiu stetit in bonâ voluntate in quâ creatus est rectus; Angeli verò boni in perpetuum. Neutrum fieri poterat sine adjutorio Dei, ergò uterque usus est isto adjutorio. Hoc autem non erat adjutorium *quo*, utpotè quod Adamo & Angelis tanquàm sanissimis & fortissimis nunquàm datum fuit, nec dari oportebat. Necesse est igitur ut fuerit adjutorium sine quo sive ex parte, sive ex toto permanere non poterant; quod apertius ex sequenti capite patefiet. Nam quod quidam ex libris de Civitate Dei obiiciunt Angelos bonos *amplius adjutos* esse, ut inde conficiant eos adjutorio *quo* & efficaci, & consequenter *medicinali* adjutos esse, non solum repugnat sanitati & plenæ libertati & statui Angelorum & naturæ medicinalis adjutorii, sed etiam quid sibi velit, *amplius esse adjutos* Angelos bonos, nullo pacto intelligunt, imò nec suspicione quidem assequuntur. Quod quia latè & perspicuè alibi demonstravimus, non est opus hic actum agere. Qui plura de adjutorii istius duplicis distinctione desiderat, eundem librum adeat ubi multa dicta sunt, quæ ad pleniorem hujus doctrinæ intellectum non mediocriter faciunt.

Lib. 1. 11.

Ex lib. 12. de Civit. Dei cap. 9.

Lib. de statu primi hominis & Angelorum c. 11.

Ibid. cap. 14 & 15.

CAPUT SEXTUM.

Idem discrimen probatur secundò ex effectibus qui ex illo duplici adjutorio in Adamo ante & post lapsum; in Angelorum & hominum salvatione consecuti sunt. Proferuntur tres effectus istius diversitatis.

SED hoc ipsum discrimen adjutorii primi & secundi hominis capite quarto traditum, quod videlicet adjutorium *sine quo non*, in Adami arbitrio relinqueretur, ut illo pro suâ naturali libertate uteretur, vel non uteretur; adjutorium verò Christi *quo*, invictè donet ipsum sui & voluntatis usum, quem nunc à se habere non potest, multo luculentius ex effectibus eminebit, quos in Angelis & hominibus operatum est. Nihil enim declarat evidentius modum operandi causæ, quam modus quo effectus à causa fluit. Quæ doctrina ut plenius ex principiis suis percipiatur, memoria repetendum est id quod libro de statu primi hominis declaravimus, *adjutorium quo* primus homo & Angeli in statu primæ felicitatis adjuti sunt, non fuisse vel habitualem gratiam, vel concursum cooperantis Dei, sed fuisse verum & propriè dictum adjutorium actualis gratiæ, quod singulis eorum operibus bonis, unà cum libero voluntatis arbitrio influebat. Quod non solum diversis Augustini testificationibus clarissimis, sed etiam Conc. Arausic. definitione comprobavimus. Hoc igitur actualis gratiæ adjutorio, & influendi necessitate in singulas eorum operationes bonas constitutâ, facilè ex solis effectibus utriusque adjutorii, discrimen quod tradidimus eruetur.

Vide totum c. 12. & 13. lib. citati.

Primus itaque effectus illius diversitatis adjutorii est, quod Angelis & Adamo adjutorium illud *sine quo non*, non donaret meritum voluntati, quod illo licet cooperante nascebatur, sed hoc ipsa sibi voluntas pareret. Nunc verò gratia quantumvis arbitrium, ei simul influendo cooperetur, donat etiam ipsum opus & meritum, quod simul ex utroque proficiscitur. Nam hoc est quod in libro de correptione & gratiâ perspicuè profitetur: *Unde autem non glorietur nunc post lapsum caro coràm ipso nisi de meritis suis? Quæ quidem potuit habere, sed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit*, hoc est, PER LIBERUM ARBITRIUM: *propter quod non restat liberandus nisi gratiâ liberantis.* Ecce per ipsum liberum arbitrium potuit habere merita status integer, nunc nullo pacto potest, nisi per gratiam liberantis. Et quamobrem obsecro? An tunc meritum sine gratiâ habere poterat? Absit. Apertissimè namque dicit: *Quamvis sine gratiâ nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Nimirum illa & vera & genuina ratio est,

Lib. de corrept. & gratia cap. 12.

In Enchirid. cap. 106.

tio est, de quâ tradenda in eodem loco summis viribus satagebat, quod gratia status innocentiæ non donaret meritum, sed illud libero voluntatis arbitrio relinqueret, ut illud sibi ipsa vel daret, unà cum gratia pro suâ libertate cooperando, vel abijceret, nutum suum concursumque reprimendo. Nunc verò gratia potentissima & velle voluntati & consentire gratiæ, & cooperationem & meritum donat. Quâ de re plura vide libro primo nostro quem citavimus.

Secundus effectus illius diversitatis est, quod opus ac meritum quod sibi voluntas cum adjutorio *sine quo non*, parere poterat, futurum esset *humanum*; nunc verò divinum, tanquàm donum gratiæ Dei. *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam; & regnet, quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum.* Cur quæso merita nunc humana conticescant? Cur merita in Adam periere, cùm nec ibi sine Dei gratia meritum haberetur? Nempè, quia ab homine, non à gratiâ proficiscebatur, quòd ejus adjutorio voluntas uteretur. Vt enim satiatissimè docet Augustinus, Deus illud *adjutorium in humanæ voluntatis arbitrio relinquebat.* Vndè fiebat necessariò, ut quàmvis opus non fieret sine gratiâ, non tamen gratiæ sed voluntati tribui deberet, licet operatio & meritum ex utroque sequeretur. Quemadmodùm hoc Scholastici recentiores satis disertè explicare norunt, quando in voluntatem referunt neglectû gratiæ sufficientis, & determinationem gratiæ congruæ, quæ simili modo ut adjutorium primi hominis præsto est voluntati, quemadmodùm suprà ex propriâ eorum confessione declaratum est. Nemini enim dubium esse potest, tam hominis esse, & homini tribuendum esse, & humani operis esse, quod quis aureo calamo scribat, quam stanneo vel plumaceo; quod quis habitum virtutis ad opus applicet, quam vitii. Vt nihil rectiùs ab Augustino dici potuerit, quam humana fuisse futura Adami merita, taliaque merita, hoc est, talium meritorum potestatem in Adamo periisse. Vt sic intelligeremus illam diversitatem duplicis adjutorii; illius videlicet quo tunc concurrente homo sibi meritum comparare poterat, & illius quo nunc faciente meritum homini à Deo dari debet.

Lib. de præd. SS. cap. 15.

Tertius effectus ex secundo fluens, quod tunc æterna beatitudo non esset consequenter gratiæ specialis donum, sed *merces* meriti futura: nunc ipsa quoq; beatitudo gratis detur. Sciendum est enim mercedem habere quandam cum gratuita donatione repugnantiam. Nemo quippè dixerit id tanquàm mercedem dari, quod omnibus modis gratis datur, sicut hoc Apostolus ad Romanos docet: *Si autem gratia iam non ex operibus &c.* Merces enim intrinsecè meritum respicit. Hinc fit, ut ubi meritum est gratuitum gratiæ donum, merces quoque sit gratia; & è contrario, ubi meritum non est speciale gratiæ donum, sed ex humanâ voluntàte proficiscitur, nec merces quoq; speciale donum esse possit. Iam autem docuit Augustinus Adami meritum (idemque de Angelis judicium est) quàmvis non sine gratiâ adjuvante fieret, non tamen gratiâ donante comparatum; undè ex consequenti constanter tradit, gloriam eis mercedem futuram fuisse, quæ nobis est gratia: *Quæ* (confirmatio gloriæ) *futura erat homini, sicut facta est Angelis sanctis merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Quod non aliâ ex causâ verum est, vel esse potest, nisi quod gratia primi hominis & Angelorum non erat adjutorium *quo* meritum fieret ac donaretur; sed tantùm *sine quo non* fieret, ipsâ voluntate hoc sibi meritum operante ac donante, in cujus libero arbitrio & usus adjutorii & meritum relinquebatur. Nunc autem gratia medicinalis est adjutorium *quo* fit meritum, hoc est, quo Deus infirmam voluntatem & velle & operari facit & meritum donat. Ex quo necesse est, ut consequenter tali voluntati *vita æterna sit gratia.* Vt enim rectissimè Augustinus: *Et ipsa* (vita æterna nunc) *gratis datur quia gratis data est illa cui datur*, hoc est, ut explicat, vita bona seu meritum gloriæ, quod in primi statûs integritate non gratis donabatur, sed pro voluntatis arbitrio, non sine gratiæ adjutorio, parabatur. Quâ de re vide plura ex Augustino in eodem libro nostro de statu primi hominis & Angelorû disputata.

Rom. 11.

Lib. de corr. & grat. cap. 11.

CAPVT SEPTIMVM

Profertur quartus effectus illius diversitatis.

QVARTVS effectus illius diversitatis adjutorii est, quod Angeli boni reipsa per liberum arbitrium in veritate steterunt, & in ipso gratiæ adjutorio permanserunt: nunc ipsa permansio in veritate & gratiâ, per medicinale adjutorium libero arbitrio dari debet. Docet hoc frequenter Augustinus, qui quemadmodùm operari & mereri tribuit viribus integræ libertatis Angelorum, ita etiam in veritate persistere, concurrente scilicet primi generis adjutorio sine quo permanere non poterant. Nam cùm de Adamo sæpiùs dixisset Augustinus, quod haberet adjutorium sine quo non poterat perseverare, si vellet, utriusque partis optione in ejus arbitrio collocata, tâdem adjicit: *Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs* PER LIBERVM ARBITRIVM, PER IDEM

Lib. de corr. & grat. cap. 11.

LIB-

LIBERUM ARBITRIUM *steterunt ipsi.* Et in eodem loco superius, cùm de reprobis dixisset Angelis, *per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt*; similiter flexum libertatis in alteram partem indicans, *Cæteri autem per idem liberum arbitrium in veritate steterunt.* Cujusmodi testimonia plurima vide eodem libro nostro, ubi fusè declaravimus Adamum, perindè atque Angelos, viribus primævæ libertatis, benè velle, operari, mereri, credere, sperare, diligere Deum, adeoque ad finem usque in gratiâ perseverare potuisse; & hoc Angelos bonos reipsa per liberum arbitrium, non tamen sine adjutorio, sine quo nihil istorum poterant, præstitisse: quorum nihil omninò fracta nunc boni libertate, per ipsum arbitrium fieri potest, sed omnia ista per solum medicinale Christi *adjutorium quo*, non tamen sine voluntatis arbitrio donari debent. Nam indè est illa præclarissima profundissimaque sententia, qua cuncta solidè dilucidèque comprehendit: *Non est hoc* (videlicet non discedere à Deo seu permanere cum Deo) *omninò in viribus liberi arbitrij qualés nunc sunt. Fuerat in homine antequam caderet.* Audis non esse nunc in viribus libertatis permanere cum Deo, fuisse verò antequam caderet. Sed quia quispiam comminisci posset, talem fuisse potestatem illam Adami, qualem nonnulli per sufficientem gratiam dari fingunt, quæ fuerit tantùm ad posse, non ad velle; seu quæ semper ab actu separata remaneret, attende reliqua: *Quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præstantia, quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in quâ nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt.* Ecce tantum valuit libertas voluntatis in primâ conditionis præstantia, ut aliis per liberum arbitrium cadentibus, alii *per idem liberum arbitrium*, ut ante dixerat, in veritate persisterint: quantumvis, ut alibi demonstratum est, nec ipsi quicquam boni sine gratiæ adjutorio aut fecerunt aut potuerunt. An fortè suspicaris, etiam nunc per liberum arbitrium homines posse accedere ad Deum aut permanere cum Deo? Iam suprà sensum ejus audivimus; sed quia res ardua, obscura, & à Philosophiâ Aristotelis quam de libero arbitrio tenuit, remotissima, iterum repetendo commendat: *Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.* Et quæ differentiæ istius est vel esse potest ratio, nisi quam ipse tantâ manifestatione declaravit, tanta cura commendavit, tot pœnè fastidiosis repetitionibus inculcavit in illo præcedenti libro, cujus doctrinam in isto propugnabat? Nempè quia adjutorium primi hominis & Angelorum erat adjutorium *sine quo* operari aut

Ibid. c. 10.

Vide lib. cit. cap. toto 7. & 8.

Lib. de dono persev. 7.

Ibid.

Ibid.

A perseverare *non* poterant, sed in ipsorum arbitrio ita collocatum, ut cum illo perseverarent in veritate, si vellent. Ex quo sequebatur necessariò, ut (quemadmodùm hoc etiam ipsemet Augustinus jam suprà tradidit) & stare in veritate, perindè ut cadere ex veritate possent per liberum voluntatis arbitrium. Cujus exemplum in seipsis pro utrâvis parte Angeli præbuerunt. Nunc verò, postquàm illa magna potestas & libertas voluntatis per concupiscentiam violata est, ipsum velle bonum, ipsum operari bonum, ipsum perseverare in bono, per adjutorium Christi *medicinale quo* ægrotæ infirmæque voluntati dari debet, quæ alioqui cum quocumque adjutorio *sine quo non*, seu adjutorio sufficiente aut congruo talem libertatis vegetam potestatem postulante, nunquàm in æternum est volitura, aut velle potest. Et ista vera ratio est, cur indifferen-
B tiam talis adjutorii causamque dandi illud innocentibus creaturis, semper in potentiam arbitrii sani referat, utpotè, quod ita liberum esset, *ut benè velle posset & malè*, hoc est, ut seipsum posset non tamen sine adjutorio, in utramvis partem flectere. Nam hinc est illud: *Quæ libertas in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit apparuit in Angelis.* Hinc illud: *Quâ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij.* Hinc alia multa, quæ superiùs de istâ potentiâ primævæ libertatis diximus. Imò verò ipsissima genuina, vera ratio, cur Deus tale genus adjutorii, quod non voluntatem secum raperet ut sibi coinflueret, sed ad coinfluendum secum à voluntate raperetur, hæc erat, ut per hoc daretur locus ostẽdendi quantus esset vigor ac potestas integræ libertatis, quæ sibi ipsi & opus & meritum & perseverantiam dare, adjutorio sibi cooperante, poterat. Vide quanta istud constantia & asse-
C verantia, tanquàm Apostolicam fidem Apostolicis verbis traderet, hoc Augustinus affirmet: *Saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum Dominumq; rerum omnium sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs ostenderet,* QUID POSSET EORUM LIBERUM ARBITRIUM: *Deinde quid* POSSET *suæ gratiæ beneficium justitiaq; judicium.* Et quid tandem potuit eorum liberum arbitrium? Nimirum, cum adjutorio *sine quo non* in veritate stare, quemadmodùm cadere ex veritate. Hoc enim est istud quod subjungit, quod malis cadentibus per liberum arbitrium, *cæteri* PER LIBERUM ARBITRIUM *in veritate steterunt.* Et quid potest suæ gratiæ beneficium? Nimirum per aliud adjutorium *quo* ipsum velle voluntati restituere, ut non solùm velit, sed adversus omnes propriæ concupiscentiæ tempestates invictè velit: quod ei cum pristino gratiæ adjutorio post miserabilem suum ca-
D sum per liberum arbitrium impossibile est.

Lib. de corrept. & grat. cap. 10.

CAPUT

CAPVT VIII.

Profertur quintus effectus ejus.

QVINTVS effectus diversitatis istius adjutorii, maximi momenti est, atque essentialiter connexus præcedentibus; quod ubi adjutorium *sine quo non*, seu sanitatis datum est, ubi homines meritis, hoc est, per liberum arbitrium discernendi erant; ubi adjutorium *quo* per gratiam Dei. Audet hoc Augustinus, & juxtà principia sæpiùs tradita, merito audet: *Non defuit utique consilium, quo certum numerum civium in suâ sapientiâ prædestinatum, etiam ex damnato genere humano suæ civitatis impleret*, NON EOS IAM MERITIS DISCERNENS, *quandoquidem universa massa tanquàm in vitiatâ radice damnata est, sed* GRATIA *discernens, & liberatis non solùm de ipsis, verùm etiam de non liberatis, quid eis largiatur ostendens.*

Lib. 14. de Civit. c. 26.

Vbi quod dicit, NON IAM MERITIS DISCERNENS, manifestè indicat discretionem illam ante peccatum futuram fuisse *per meritum*. Quod quàmvis non traderet Augustinus, ex toties inculcatæ doctrinæ fundamentis, consectaneum esse, cuivis vel mediocriter perspicaci liquet. Vbi enim gratiæ adjutorium tale dumtaxat est, *sine quo non* possit aliquis operari si velit, non autem (quale nunc datur) *quo* fiat ut velit, sed velle & nolle in libero relinquatur arbitrio, ibi liberi arbitrii flexus adjutorium arripientis aut respuentis primam diversitatem facit. Ex quo infallibili nexu sequitur discretionem indè pullulantem, libero arbitrio voluntatis, quàmvis non sine gratiâ, esse tribuendam.

Hæc ergò causa est, quam profunda sua perspicacia Augustinus expressit, ut quia scholæ recentioris adjutorium sufficiens atque congruum non est aliud, ut suprà ostendimus, nisi adjutorium *sine quo* arbitrium velle non potest, quisquis per illud velit aut operetur, seipsum bonum à malo, salvandum à damnando suis meritis, hoc est, propriâ arbitrii sui voluntate discernat. Nihil enim hîc juvat quod identidem ingeminant, non esse nudum voluntatis arbitrium, quod discernit, sed intimè cum adjutorio gratiæ conjunctum, sine quo nec opus, neque consensum, neque flexum, neq; motum, neq; nutum ullum quantumlibet minimum producere voluntas aut moliri potest. Hæc enim folia sunt ficulnea sub quibus gratiæ primi status potestas viget, sed gratiæ medicinalis Christi interitus latet. Etenim quando ad eandem actionem producendam plura concurrunt, sine quibus perfici nequit (quænam est enim quæso actio creaturæ, quæ non plerumque ex parte facultatis, medii, objecti, cæterarumque vel dispositionum vel principiorum complura postulet?) omniaque se habent ad illam ex parte princi- A pij in actu primo, quamdiu ab actuali influxu præciduntur, quis unquàm negandum arbitratus est, ex illo principio vel causâ, vel concausâ, vel instrumento vel adjutorio, vel qualitate nasci determinationem ad agendum adeoque discretionem agentis à cessante, quod est causa efficax primi impulsus ad agendum, seu quo causa à non agendo extrahitur, ut actu agat? Oculus ad videndum tam multis indiget præparationibus, organo benè disposito, aëre temperato, luce congruâ; quis ita ligneus est, ut discretionem videntis à non vidente, non ex organo, non ex medio, non ex lucis adjutorio, non ex concursu Dei proficisci sciat, sed ex voluntatis arbitrio, quantumvis nec absque oculo, nec absque medio, nec absque luce, nec absque Dei concursu hoc fieri queat? Quis nisi contentiosus abnuat, B si homo moralis justitiæ, temperantiæ, castitatis habitibus vel aliis præditus, nunc temperanter, nunc justè, nunc castè operetur aut cesset, discrimen operantis à cessante, non ex habitibus, non ex corporis aut animi dispositione, non ex intellectus cogitatione, non ex objectis efficaciter nasci, sed ex solo voluntatis arbitrio, quod cum omnibus istis quando libet operatur, & cessat iterum quando libet? Hoc de intellectu ratiocinante, de voluntate externa opera moliente, ad quorum actiones phantasmata, species, principia, concludēdi habitus, aliave complura necessaria sunt, & in similibus infinitis apertissimum est. Nemo quippè tàm ficulneus est, ut non intelligat discretionem attendentis à non attendente, ratiocinantis à non ratiocinante, utentis à non utente, amantis à non amante, non ex phantasmate, non ex intelligibili specie, non ex habitu, non ex ullo prævio vel circumstante adjutorio, *sine quo non* potest actus fieri, sed ex C libero flexu voluntatis effici; esto cætera ista tantâ necessitate concurrant, ut nullum actionis initium, vel nullus gradus, nulla formalitas sive illis concurrentibus produci queat. Fatemur itaque cùm in eorum sententiâ liberum arbitrium ad agendum cum adjutorio congruo se determinat, non hoc fieri sine gratiâ, sed ipsâ suadente, invitante, juvante, roborante, concurrente. Nemo peritus invidiam eis de gratiâ prorsus repudiatâ creat, quasi totum nuda potestas voluntatis efficeret. Sed hoc est quod verissimum esse in eorum opinione contendimus, positis jam omnibus istis gratiæ congruæ adjutoriis momentum & motum, & flexum, & nutum primum efficacemque in actionem ab illa dominium sui habente arbitrii potestate proficisci: quemadmodùm nutus primus in visionem, in scriptionem, in intellectus discursum, in temperantiæ moralis aut

aut castitatis actionem, non à lumine, digitis, arte pingendi, habitibus & cæteris adjutoriis cooperãtibus, sed ab arbitrio imperante proficiscuntur, quod omnia ista recensita adjutoria ad agendũ impellit, determinat & rapit. Nam hinc sunt illæ phrases eorum vulgatissimæ, quibus vel tardissimis explicant luce clarius meridiana sensum suũ. Gratia est *veluti instrumentũ, quo liberum arbitrium uti vel non uti potest. Totus influxus gratiæ in opus, & tota eius efficientia est in potestate liberi arbitrij, & pendet ab eius applicatione & cooperatione. Habituum usus subest nostræ libertati, ijsque utimur, non utimur, incipimus, desinimus uti longiore aut breviore tempore, prout volumus. Idem dicendum de auxilijs gratiæ prævenientis, sive in habitu aliquo consistant, sive in actuali inspiratione intellectus vel affectione voluntatis. Hæc enim omnia non determinant liberum arbitrium, sed solum vires vires tribuunt quibus uti vel non uti potest, perinde ac si ei naturales forent. Nisi influxus & efficacia gratiæ in opus subesset potestati liberi arbitrij, opus non esset liberum. Omninò fatendum est quod gratia sit efficax in actu secundo*, hoc est quod efficiat, *id pendet à libertate arbitrij. Ratio cur gratia hic & nunc influat in opus, referenda est in liberum arbitrium gratiâ sic utens.* Gratia subjecta est libero arbitrio, sicut spiritus prophetiæ Prophetis subjectus est, & hujusmodi, quas ita sanas putant, ut eas Catholicæ fidei nomine indigetare non vereantur. Quod si non haberemus aliud quam istam eorum receptissimam communémque confessionem, nobis abundè sufficit ad id quod agimus. Per hæc ipsa namque invictè probant discretionem utentis gratia à non utente, positis omnibus adjutoriis voluntatis ad actionem concurrentibus, à libero arbitrio proficisci. Sicut prima discretio utẽtis habitu à non utente, à libertate proficiscitur. Sicut enim usu habitus, non ipso habitu, ita & usu adjutorii, non adjutorio discernimur. Ex quo necesse est irrefragabili consecutionis lege consequi, quod istud adjutorii congrui genus non sit aliud quam adjutoriũ *sine quo non* potest actus fieri, non *quo* fiat: ac proinde esse sanæ, non infirmæ voluntatis, esse primi hominis, non secundi. Alterutrum enim necesse est, ut in utendo vel adjutorium voluntati, vel voluntas adjutorio dominetur. Si voluntas dominetur, ut adjutorium in ipsius libero relinquatur arbitrio, jam ex ipsissimis Augustini describentis verbis, est Adami sanæque voluntatis adjutorium. Nempe non illud *quo* fiebat, ut vellet & perseveraret, sed *sine quo* velle & perseverare non poterat; ita videlicet ut adjutorium gratiæ, & ipsum *perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio*: quibus verbis & August. indifferentiam adjutorii istius & voluntatis expressit, & ipsimet exprimere solent. Sin autem adjutorium voluntati dominatur, ita videlicet ut usus & non usus ejus non in arbitrio voluntatis relinquatur, sed ipsi voluntati, sicut Augustinus loquitur, invictissimè detur ut velit; jam erit adjutorium *quo*, sed eorum congruæ gratiæ capitaliter adversarium. Perit enim illa potestas arbitrii dominatrix utendi gratia medicinali Christi, & non utendi, quam tantoperè prædicant, & sequitur usus adjutorii per ipsum adjutorium *comitante non ducente, pedissequa non prævia voluntate.*

Apud Less. de prædest. num. 72. fol. 363. & seq.

Lib. de corrept. & gratia cap. 11. & 12.

Epist. 106.

Quod verò causantur, Deum indeliberatis motibus excitare ac delinire voluntatem, adeoque desiderare, velle, decernere ut cum isto adjutorio operetur; benevolentiam quidem Dei celebrat, sed vim argumenti intactam prætérit. Semper enim hoc eis fixum & constans manet: qualescumque adjuvantis gratiæ motus, quibus voluntatis duritia molliatur, ab ultimo imperiali voluntatis pendere decreto, ut reipsa influat adjutorium aut non influat, sequatur effectus aut non sequatur. Hoc est, istorum motuum adjutoria in *libero relinqui voluntatis arbitrio*: qui est genuinus & ipsissimus character adjutorii *sine quo non*, sanæque voluntatis, prout illud nobis Augustinus declaravit. Ex quo efficitur ut impossibile sit discretionem hominis non proficisci radicaliter ex voluntate, concurrente licet adjutorio, sicut hoc multis exemplis declaravimus, & in operibus malis cuivis non contentioso ad oculum ostendi potest. Quis enim neget motus blandientes cupiditatis internæ vehementissimos esse, motibusque gratiæ, quales Neoterici statuunt, omninò similes? Nec tamen ullus eorum dixerit, dæmonem suadentem, aut mundum, aut carnem, aut ipsos denique qualescumque internos titillantesque concupiscentiæ motus esse, qui discernant amplectentem à respuente, sed liberum voluntatis arbitrium quod ex eorum sententia omnibus illis motibus suâ potestate dominatur. Quod si similiter motus gratiæ seu adjutorium Christi medicinale *in libero relinquatur voluntatis arbitrio*, quod ipsa *deserat si velit, & in quo permaneat si velit*, atque ita etiam facere & non facere, perseverare & non perseverare in ejus relinquatur arbitrio: quemadmodum hoc eâdem adductâ malorum motuum similitudine Molina profitetur, quis ita cœcus est, ut non videat discretionẽ ab ipsa voluntate, non tamen absque adjutorio, sine quo velle, facere & perseverare non potest, proficisci; atque ita meritis voluntatis homines ut ante lapsum, non adjutorio *quo* faciente discerni?

Molin. disp. 1. memb. 6. quæst. 23. art. 4. & 5. fol. 330. col. 2.

Multo verò minùs præscientia Dei conditionata vulneri, quod Christi Salvatoris adjutorio infligitur, mederi potest. Illa quippè adhibetur, non ut *gratia sibi humanam subjiciat voluntatem*, prout Prosper postulat, atque ita detur ei medicinale Christi adjutorium *quo* fiat ut velit; sed ut hoc ipsum quo adjutorium Adami ab adjutorio Christi essentialiter distinguitur, incolume tueantur. Nam istius præscientiæ beneficio hoc assequuntur, ne adjutorium invictè rapiat voluntatem, adimatque potestatem illam indifferentem, qua utitur vel non utitur adjutorio si voluerit: hoc est, ut per hoc adjutorium detur voluntati posse si velit, velle verò & nolle, uti & non uti adjutorio, in

ejus

ejus libero relinquatur arbitrio. Deus enim explorat libertatem ejus, quo sese, inquiunt, cum quolibet, sed pro libero nutu suo, conversura sit: *Praevisio Dei*, inquit ille, *nullo modo officit libertati voluntatis, quia cooperationem & influxum non efficit, sed supponit, & ab eo quodammodo pendet.* Quibus conformia etiam passim alii docent. Nam illis explicandi modis nihil efficacius proferri posset ad probandum quod illud ipsum adjutorium *sine quo non* (quod tanquàm sanae voluntatis adjutorium Augustinus explicuit) tanquàm Christi medicinale adjutorium recentiorum schola defendat. Vnde quando premuntur ab adversariis, quod nimium libertatem voluntatis efferant, imprudentes ipsissimis etiam Augustini phrasibus, quibus in explicanda primi hominis & Angelorum gratia usus est, sententiam suam ab eorum telis & seipsos ab impietate defen- A dunt. Nam redargutì quod in ista sententia praedestinatio & gratia Dei non sit causa nostrae cooperationis sed effectus, negant hoc sequi, quia inquit ille, à Deo habemus *vires & auxilium, sine quo non possumus ad bonum ejus cooperari.* Et mox addit, quod *voluntatis determinatio & influxus quodammodo sit prior ratione influxu gratiae.* Et alibi alius ostendere volens Deum esse qui discernat homines: Quia, inquit, *hanc liberam determinationem voluntatis, sine Deo inspirante & adjuvante habere non potest.* Nimirum ut non tantùm explicandi modo, sed & ipsis verbis probent, se adjutorium *sine quo non*, pro medicinali Christi adjutorio *quo*, disputantibus obtrudere; ut quemadmodum olim integrâ libertate futurum erat, ità & nunc homines *meritis*, non *gratia* meritum donante *discernantur*.

Lessius de Praedest. num. 80.

Lessius ibid.

Suarez l. 3. de auxil. c. 15. num. 1

CAPVT NONVM.

Idem discrimen eademque natura gratiae Christi probatur tertio ex differentia adjutorii *possibilitatis*, quod Pelagiani condiderunt, & *voluntatis atque actionis*, quod horruerunt.

SED ista natura adjutorii medicinalis, pro quo largiendo Christus crucifixus est, ulterius ex gravissimo conflictu Pelagii & Augustini perspicuè declarari & probari potest. Quod ut à fundamentis intelligatur, sciendum est duas fuisse distinctas Augustino cum Pelagio controversias. Vna fuit, quod, aut quale esset adjutorium Christi? hoc enim Pelagius asserebat esse legem atque doctrinam, sapientiae, scientiaeque revelationes, peccati remissionem, Christi exemplum, atque hujusmodi de quibus ante diximus; Augustinus è contrario, esse occultam subministrationem Spiritus sancti. Altera, quis esset adjuvandi modus adjutorii medicinalis, utrum tantummodo *possibilitatem*, hoc est, potentiam seu potestatem benè vivendi adjuvaret, an verò etiam *voluntatem*, hoc est, volitionem & *actionem*. Inter illa verò adjutoria, quantum ad adjuvandi modũ, ista est differentia; quod adiutoriũ possibilitatis afferat plenam operandi potestatem, in qua natura ejus absolvitur: concursus verò ipsius ad volendum aut operandum, aut neglectus ejus, à voluntatis nutu pendeat, ita videlicet ut non obstante possibilitatis adjutorio, *liberum homini sit*, ut Pelagius aiebat, *nec voluntatem bonam habere nec actionem*: quamvis quando illo adjuvante vellet aut faceret *laus esset hominis simul ac Dei, qui possibilitatem gratiae suae semper adjuvaret auxilio.* Ipsum tamen velle & nolle ut actu haberentur, ad hominem referendum esse censebat, quia de arbitrii fonte descendunt. Adjutorium verò *voluntatis*, id est, volitionis & *actionis* longè alterius generis est. Non enim tantùm adjuvat possibilitatem voluntatis, hoc est, non tantùm com- A plet potestatem ejus ut operetur illo adjuvante si velit; sed donat ut reipsa velit, ut veniat ad Christum, ut diligat, ut operetur: *Vbi*, inquit Augustinus, *iam & possibilitatis profectus & voluntatis affectus, & actionis effectus est.* Et alibi: *Neque enim ait, non vos estis qui dedistis vobis posse benè loqui; sed ait: Non vos estis qui loquimini. Nec ait, Spiritus patris vestri est, qui vobis dat, vel dedit posse benè loqui, sed ait, Qui loquitur in vobis: non significans possibilitatis profectum*, hoc est, quod possibilitas sit facta major & auctior; *sed exprimens cooperationis effectum.* Et rursum: *Quomodo dicit liberi arbitrii elatus assertor, quod possumus benè cogitare, Dei est, quod autem benè cogitamus nostrum est? Cui respondet humilis gratiae praedicator: Non quia idonei sumus aliquid ex nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim ait:* POSSE COGITARE, *sed cogitare.* B Sed ad intelligendam plenius mentem Pelagii, naturamq; adjutorii *possibilitatis* & *voluntatis atque actionis* omninò videnda sunt quae fusè diximus in explicandis dogmatibus haeresis Pelagianae.

Apud. Aug. lib. de grat. Christi c. 4.

Ibid. c. 14.

Cap. 21.

Lib. de grat. Christi c. 5.

Vide lib. 4. de haeres. Pelag. toto cap. 11. & finem 10.

Cùm igitur esset ista utriusque adjutorii differentia, Pelagius fortissimè contendebat, qualecumque esset benè volendi, vivendique adjutorium, hoc non nisi *possibilitatem*, hoc est, potestatem faciendi adjuvare, ita videlicet ut in plenissimo voluntatis arbitrio usus vel non usus & possibilitatis & adjutorii remaneret. Decantatissima quippè cantilena haeresiarchae fuit, bene velle & nolle, loqui & non loqui, cogitare & non cogitare *nostrum esse*, quia *ex arbitrii fonte descendunt, & haec omnia vertere etiam in malum possumus*, prout ibidem libro quinto declaravimus. Non quod negaret qualecumque

Ibid. c. 11. & 12.

Dei

Dei adjutorium simul influere cum voluntate, quod falsum esse jam jam demonstravimus, sed quia non minus adjutorium quodcumque possibilitatis voluntati subditum erat, ut in opus influeret aut non influeret, quam ipsa operis possibilitas; quandoquidem ex possibilitate & adjutorio, una possibilitas perfecta compleretur.

Cùm igitur hæc essent duo capita doctrinæ Pelagianæ capitalia, adjutorium gratiæ non esse nisi legem atque doctrinam: & qualecumque tandem esset adjutorium, hoc non esse nisi *possibilitatis*; non autem *voluntatis* & *actionis* adjutorium; utrumque Augustinus tanquàm errorem Apostolicâ proscriptum animadversione damnavit. De primo non laboramus, hoc enim nobiscum omnes recentiores meritò damnatum esse profitentur. De secundo, hoc est, de operandi modo, tota quæstio est. Ipsi quippè cùm non aliud invenire queant gratiæ genus, nisi vel habitualem, vel sufficientem, vel congruam (nam de authoribus prædeterminationis physicæ nunc non loquor) velint nolint, agnoscere coguntur ista gratiæ Christi adjutoria quantum ad adjuvandi modum, non esse nisi possibilitatis, voluntatis verò & actionis nequaquam. Complent enim secundùm ipsos plenam volendi operandique potestatem; ipsa verò volitio & actio, de liberi arbitrii fonte descendit. Tam enim in arbitrii per adjutorium jam completi potestate est, nolle quam velle, actionem omittere quam suscipere. Vt nihil verius de tali possibilitate divino adjutorio munita dici possit quam id quod Pelagius dixit: *Quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat: quod verò benè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus nostrum est, quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus.* Quibus verbis adjutorium possibilitatis explicuit. Vigilantissimè quippe, & perspicacissimè vidit, (quod ego sæpiùs supra modum demiratus sum Scholasticos eruditissimos acutissimosque viros non agnoscere) quod sicut usus cujuslibet facultatis, sive oculi externorumque sensuum, sive facultatis progressivæ, sive intellectus, sive voluntatis noster est, hoc est, ad nostræ libertatis indifferentem flexum & nutum referri debet, non ad Deum, quatenus solam facultatem dedit; ita quoque cujuslibet adjutorii concursus, sive naturalis, sive gratuiti, etiamsi esset tantæ præstantiæ adjutorium, quantæ vel angelica cogitatio comminisci posset, imò etiamsi esset vel ipsa essentia Dei per modum speciei ad sui visionem, vel per modum gratiæ ad sui amorem concurrentis, similiter prorsus noster sit; si videlicet sic solam possibilitatem adjuvet, ut usus ejus & non usus in libero relinquatur arbitrio. Hoc si agnoscere dignarentur, quod ipsa clamat veritatis evidentia, nihil omninò laborarent in intelligendis multis capitalibus, certissimisque Doctoris profundissimi principiis, quæ nunc tanquàm paradoxa mirantur: Vt quod Angeli quantumcumque per gratiam possibilitatis seu *sine qua non* adjuti, per liberum arbitrium in veritate steterunt, & primus homo stare potuit, quod nunc non possumus: quod Adamus per liberum arbitrium habere meritum potuit, nos non possumus: quod ipse meritis discernendus erat, nos sola gratia discernamur: quod perseverare & non perseverare in ipsius relinqueretur arbitrio, nobis perseverantia ipsa donetur. Hæc in Augustini doctrina sunt planissima, si filum appareat, quo in isto te labyrintho regas. Nimirùm non ab excellentia facultatis, aut potestatis, aut possibilitatis, aut adjutorii pendet, quod volitio & actio nostra sit, aut alterius hominis facultatem aut adjutorium possidentis, aut Dei largientis; sed ab ejus arbitrio qui potestatem agendi ad agendum actu inflectit, aut rapit. Iam verò quodcumque possibilitatis adjutorium, non subit nisi rationem possibilitatis, seu sufficientis potestatis. Quod tunc manifestè cerneres, si ex adjutorio gratiæ quantumvis maximæ, & ex facultate voluntatis unam numero & essentia completam potestatem, seu completum principium agendi nasci fingeres. Hoc enim ita perfectè à nutu voluntatis in agendo & non agendo penderet, ac si esset quæcumque alia potentia naturalis. Cùm igitur cuncta recentiorũ adjutoria nihil omninò compleant, nisi plenam volendi agendique facultatem, cujus jam adjutorio instructi tanquam naturalis cujuslibet facultatis usus & non usus, actio & cessatio libertati subditur, profectò vel cæcis manifestum est, impossibile esse, ut aliud sit istud adjutorii genus quam *possibilitatis*, quale Pelagianus error asseruit, non voluntatis & actionis, quod Augustinus ex Scriptura prædicavit.

Hoc igitur solius possibilitatis adjutorium, quam luculentè ab Augustino à limitibus adjutorii seu gratiæ Christi Salvatoris excludatur, operæ pretium est porrò videamus. Cùm ergò sententiam Pelagii fusè explicuisset, Scripturisque refutasset, tandem concludendo subjungit: *Desinat itaque jam Pelagius & seipsum & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Non propter illorum trium unum, id est, propter possibilitatem bonæ voluntatis atque operis, sed etiam propter voluntatem* (id est volitionem) *& operationem bonam, erga nos gratia Dei prædicanda est.* Et de possibilitatis illius adjutorio: *Non ideò tantum adjutorium divina gratia commendetur, quia possibilitatem adjuvat naturalem.* Et iterum, *desinat dicere, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare; illius est, qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat; quod verò benè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus nostrum*: propter arbitrium videlicet voluntatis, cui tribuitur, quod possibilitas divinitus adjuta velit & faciat: *Desinat inquam ista dicere. Non solùm enim Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis.* Et paulò post: *Istam Dei gratiam* volun-

Lib. de grat. Christi. c. 4.

Lib. de grat. Christi. c. 25.

Ibidem.

Ibid. c. 26.

voluntatis videlicet & actionis, qua ipsum agere & velle donatur, & non tantùm volendi agendique possibilitas; *in divinis eloquiis manifestam etiam Pelagius manifestè fateatur, seq; tam diu contra sensisse non operiat impudentissimo pudore, sed dolore saluberrimo aperiat.* Et nonnullis interpositis cùm iterum Pelagii sententiam retulisset, quod *ab illo manifestissimo suo dogmate non recederet omninò, ubi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem & actionem, & solam possibilitatem diceret divino semper adjuvari auxilio; voluntatem autem & actionem nullo Dei adjutorio existimaret indigere; hoc verò auxilium esse legem atque doctrinam*, impietatem condemnando subtexit: *Hac ergò pro meo captu intelligere potui in Pelagij scriptis, quando nominat gratiam. Videtis autem quod qui ista sentiunt, ignorantes Dei justitiam suam volunt constituere, & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis ex Deo est, non ex nobis, quam in Scripturis sanctis maximè Canonicis advertere atque cognoscere debuerunt.* Rectissimè omninò justitiam, hoc est, opus justum, quod tali possibilitatis adjutorio comparatur, esse dicit ex nobis non ex Deo. Cùm enim non sit justitia posse velle vel facere, quocumque tandem & qualicumque gratiæ adjutorio possibilitas ista voluntatis & actionis adjuvetur, sed ipsum velle & facere sit justitia; Hoc autem impossibile est ut per quodcumque possibilitatis adjutorium habeatur. Donat enim posse non velle, donat facere posse non facere: ipsum verò velle & facere in quo & Pelagio & Augustino consitente justitia est ab arbitrii libertate, possibilitatem & adjutorium in opus rapiente donatur. Vnde verissimè propriissimeque justitia hominis, justitia humana, meritum humanum, phrasibus Augustini nuncupari debet. Non quasi non esset excellentioris dignitatis operatio, in quam gratia simul influit, quam si voluntas eam sola produceret, verum quia non adjutorii divini, sed voluntatis humanæ est, quod ipsum adjutorium ad influendum applicetur, quantumvis & ipsa applicatio *non sine* possibilitatis adjutorio fieri queat. Hanc ergò gratiæ confessionem postulans à Pelagio, quæ non tantùm posse sed etiam velle & agere largiatur; quæ tunc tantùm quando volumus & agimus, præsto sunt, ipsosque terminos *possibilitatis & voluntatis* explicans, ut idem quod *posse & velle* significent. *Quapropter quantum,* inquit, *attinet ad istam de divina gratia & adjutorio quæstionem, tria ista, quæ apertissimè distinxit attenditis, posse, velle, esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergò consenserit nobis non solùm possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est ut benè velimus, & benè agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando benè vult & benè agit: si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus; eamq; esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia*, hoc est opus justitiæ *quæ nobis ab illo est, nihil de adjutorio gratiæ Dei quantum arbitror, inter nos controversia remanebit.* Quibus verbis nihil compendiosius, libratius, veroque sensu plenius ab Augustino dici potuit. Nam & quid sit *possibilitas & voluntas* perspicuè explicat; & duplicem possibilitatem profundissimè insinuat, unam quæ adest non solùm quando non volumus, sed etiam quando volumus & operamur; alteram quæ non nisi quando volumus præsto est, quam infrà accuratè tradituri sumus; & ipsam voluntatem, hoc est, velle adjuvandum esse, hoc est, ut alibi frequenter dicit, esse donandum ut velit: & sine tali adjutorio nullum omninò opus bonum posse fieri; & hoc esse medicinale illud adjutorium quod nobis Salvator attulit; & opus hujus adjutorii esse decantatam illam à Scripturis Apostolicis justitiam Dei, hoc est, opus justitiæ quod nobis largitur Deus, quibus nihil sublimius, & plenius, & accuratius dici potuit.

13. de grat. Christ. c. 4.

Ibid. cap. 47.

CAPVT DECIMVM.

Responsio quædam Neotericorum refellitur.

SCIO, quid responsi meditentur Neoterici. Augustinum adversus Pelagianos agere, qui possibilitatem naturalem voluntatis lege doctrinaque juvari statuebant. Vndè sequebatur, non juvari voluntatem & actionem, sed tantummodò potestatem. Itaque sibi cum illis nihil negotii esse, qui gratiam voluntatis internam, voluntatis & actionis adjutricem afferant.

Sed ipsi doctrinam Augustini non satis accuratâ lance ponderarunt. Quod si fecissent, forsan animadvertissent: primò, distinctos errores esse, pari censura damnandos, fideique sinceritate respuendos, quod adjutorium gratiæ medicinalis sit lex atque doctrina, & quod qualecumque tandem sit istud Christi adjutorium per illud non nisi voluntatis & actionis possibilitas adjuvetur. Horum primus crassior pluribusque notior est, alter occulta virulentia pestilentior. Quippè semi-Pelagianam hæresim, ut infrà dicturi sumus, iste peperit, & per multa sæcula vix à fidelium opinionibus depelli potuit. Itaq; non quia primũ errorem aliquis respuit, idcircò statim liber est à secundo. Quapropter rectè fortassis dicunt, se aliud adjutorium gratiæ quam Pelagianos necessarium constituere: at verò quacumque tandem afferũt, hoc aliud esse quam possibilitatis auxilium, nulla vi quantumcumque limatæ disputationis ostendent, quamdiu

appli-

applicationem ejus ad influendum in ista indifferētis libertatis dominativa potestate constituunt. Non enim existimandum est solam legem atq; doctrinam esse possibilitatis adjutorium. Est etjam exemplum Christi, est remissio peccatorum, est cujuslibet artis, & vitii, & virtutis habitus possibilitatis adjutorium, non minus, imò verò perfectiùs quam scientia vel doctrina; plus enim adjuvant possibilitatem, hoc est, perfectius complent solam potestatem voluntatis ad operandum, & imbecillius ad actiones efficiendas voluntatem rapiunt, & magis eorum influxus in voluntatis arbitrio relinquitur (quæ omnia sunt adjutorij possibilitatis argumenta) quam rei diligendæ faciendæque scientia. Audi hac de re præclarè Augustinum: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoq; delectamur ardentius.* Vnde non solum *infirmitatem* concupiscentiæ, sed & *ignorantiam* veritatis *vitium* esse statuit, *quod impedit voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* Vbi perspicuum est certam scientiam boni vehementer ad agendum bonum impellere. Hinc est enim quod ubi est certa scientia veritatis, crebro voluntas ad agendum vel abstinendū etiam invita stimulatur, ut in synderesi perspicuum est. Denique scientia non minus, aut fortasse magis in actum influit, quam illi indeliberati voluntatis motus, quos Neoterici divinæ gratiæ adjutorium arbitrantur. Denique Pelagiani non minus quam Neoterici tales motus indeliberatos bonos sub gratia contemplationis universi, doctrinæ, suasionis, exhortationisque complexi sunt; quibus autem pulsantibus illi ex corde prosiliebant. Qua de re multa diximus in recensione dogmatum erroris Pelagiani. Vnde voluntatem nostram *sapientiæ revelatione præmiorumq; pellicitatione succendi, & in Dei desiderium suscitari* fatebantur. Nam sive motus illos à Deo cordibus inseri præsente sapientiæ revelatione & promissione decernerent, sive auribus & mente per istam gratiam pulsata, ulterius naturaliter è corde proficisci, saltem eatenus eorum causam Deum adjuvantem esse sentiebant. Nec tamen unquàm Augustinus ab ipsis propterea invidiam negati adjutorij voluntatis & actionis removit, nec ipsimet à se removendam esse judicarunt. Nam istos motus ita plenè sub arbitrii potestate collocabant, ut Iulianus, renitente licet Augustino, etiam de malis, nedum de bonis, motibus palàm diceret, *sufficit homo ingenitis sibi motibus dare leges.* De qua ingenti potestate libertatis in Pelagiana opinione loco citato plura diximus.

Lib. 2. de pecc. merit. c. 17.

Ibid.

Vide lib. 2 de haresi Pelag. c. 4 & 5

Lib. de grat. Christi c. 10.

Lib. 5. contra Iulianum capite ultimo

Hanc ergò mentem Pelagianorum cùm perspectam haberet Augustinus, quod quicquid motuum vel Deus vel diabolus in voluntate suscitaret, isti dominativæ voluntatis potestati subderent, usque adeo ut contrà servitutem gratiamque potentissimam ab Augustino prædicatam palàm assererent, hominem non posse *vel in peccatum à quoquam impelli, vel à peccato abstrahi voluntate captiva: quam non posse capi*, inquit Iulianus, *si dedi ipsa noluerit, testatur fortitudo:* cùm inquam hanc sententiam eorum esse sciret, non fuit sollicitus, utrùm gratiam legis atque doctrinæ, sive revelationem sapientiæ, sive exemplum Christi, sive remissionem peccatorum, sive habitus bonos, sive succensiones ac desideria voluntatis afferrent; sed generalissimè prophanum eorum dogma, quo solum possibilitatem adjuvari gratia censebant, ubicumque vel qualemcumque ponerent gratiam, velut exploratum errorem Scripturisque contrarium jugulat: *Posse, velle, esse, id est*, inquit Augustinus, *possibilitatem, voluntatem, actionem tantâ subtilitate curavit distinguere, ut quandocumque legimus vel audimus divinæ gratiæ adjutorium, ut à malo declinemus, bonumque faciamus* SINE LEGE ATQVE DOCTRINA *sive* VBILIBET *eam constituat, sciamus quid loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo quam sentit, scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis.* Et multo inferius quodlibet adjutorium solius possibilitatis oppugnans: *Venire posse*, inquit, *in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modo dicere cœpit in gratia* QVALEMLIBET *eam sentiat, qua ipsa, ut dicit possibilitas adjuvatur.* Quod mox Evangelicis Christi verbis repugnare docet. Ecce VBILIBET constituat gratiam, QVALEMLIBET sentiat, si sola possibilitas voluntatis & actionis adjuvetur, Pelagianus error est, à *sana* videlicet, ut ante dixit, *doctrina* alienus, ab Apostolica doctrina dissentaneus.

Lib. 1. oper. imperf. fol. 124.

Lib. de grat. Christi c. 5.

Ibid. c. 14.

Ibid. c. 9 cap. 6.

Et verò si status disputationis istius exactè trutinetur, necesse prorsus erat, ut errorem istum tunc temporis generalissimè, quamcumque Pelagius tueretur possibilitatis gratiam, jugularet. Quamvis enim in gratiam legis plerumque magis propendere videretur, non satis tamen certum erat Augustino quam gratiam tàm vario magnificorum verborum strepitu Pelagius tunc defenderet, cùm nunc legem, nunc doctrinam, nunc sapientiæ revelationem, nunc exemplum Christi, nunc peccati remissionem, nunc voluntatum succensionem, nunc desideria à Deo suscitata celebraret. Fatetur hanc suam incertitudinem passim toto libro Augustinus, illisque in primis locis, ubi QVAMLIBET ejus gratiam & VBILIBET constitutam oppugnabat. *Hanc autem naturalem possibilitatem quod adjuvari Dei gratia profitetur, non est hinc apertum vel quam dicat gratiam, vel quatenus ipsam naturam sentiat adjuvari.* Quanquam verisimilius concludat esse legem atque doctrinam. Hinc similiter alio ejusdem libri loco, cùm ostendere vellet gratiam ex Pelagii dogmate, secundùm merita dari, propter eandem incertitudinem errorem istum QVAMLIBET & QVALEMLIBET istam gratiam sentiret esse, condemnat. *Nempè*, inquit, *manifestum est, eum dicere gratiam secundum merita dari*, QVAMLIBET EAM,

Lib. de grat. Christi c. 6.

Ibid. c. [illegible]

vel

vel QVALEMLIBET *significet, quam tamen aperte non exprimit*. Quod ante dixerat, *videtur adhuc incertum esse, quo* Christi *auxilio muniatur*. *Ibid.* Itaque ut omnis erroribus istis latebra clauderetur, sub *qualibet* & *qualilibet* & *ubicumque* constituta gratia, sua in eos tela dirigit. Sicut igitur si quis recentiorum convinceretur gratiam quam tuetur, secundùm merita dari voluntatis, non satis idoneè se defenderet asserendo Pelagium defendisse gratiam legis atq; doctrinæ, se veram genuinamque gratiam voluntatis; ita non satis à se Pelagiani erroris labem removet, qui dicit, se aliam gratiam quàm legis doctrinæque defendere. Nimirum quia utrobique Augustinus *quamlibet*, *qualemlibet*, *ubilibet* constitutam gratiam quisq; tueatur, si detur ex meritis; vel si solam possibilitatem voluntatis & actionis adjuvet, eum sanæ & Apostolicæ & Evangelicæ doctrinæ violatæ reum facit.

CAPVT XI.

Probatur quarto ex horrore, quo Pelagiani adjutorium *voluntatis* & *actionis* aversati sunt.

QVARTO natura adjutorii *voluntatis* & *actionis* quod Augustinus adversus Pelagianos tuebatur, & ejus ab Adjutorio Possibilitatis differentia clarissimè dignosci potest, ex illa ingenti aversione, qua Pelagiani illud semper horruerunt. Quod argumentum meo quidem judicio gravissimum, si Scholastici Doctores, ea qua fas erat attentione, ponderassent, non in eas opiniones se compegissent, undè evadi sine maxima Catholicæ & Pelagianæ doctrinæ perturbatione non potest. Sed quia tenuiter admodùm ipsis Pelagianus error perspectus est, magisque propriis tuendis principiis, quam veritati ex Augustino indagandæ intenti sunt, Pelagianis jam sepultis & silentibus facilè quidlibet imponitur, & celeberrimorum ingeniorum, veluti crassissimorum intoleranda hebetudo apud imperitos.

Vt igitur vis istius argumenti dilucescat, breviter hic tantùm nervos ejus, undè pendeat, indicabimus. Nam aliis locis pleraque fusè declarata sunt, quorum inutili repetitione nolim fatigare lectores. Itaque sciendum est neminem, quod sciam, vel Catholicorum unquàm, vel Hæreticorum, vel Philosophorum potentiores vires adversus omnes extrinsecus irruentes, vel intrinsecus insurgentes animo motus arbitrio libertatis tribuisse, quam Pelagianos. Extat hac de re ex professo suscepta Iuliani cum Augustino dissertatio: in qua non solùm illos bonos & indeliberatos animi motus, quos Neoterici tanquàm veram Christi gratiam prædicant, sed etiam omnes vehementissimas animi perturbationes sola voluntatis libertate frenari, imò extingui posse profitentur. Dogma enim adamantinæ veritatis inter ipsos erat, quod subindè diximus *subjecit homo ingenuus sibi motibus dare leges:* quam animi fortitudinem nullis doloribus domari, nullis blanditiis captivari posse sentiebant, nisi ultrò tanquàm omnibus superior motibus seipsum suâ libertate dederet. Hæc latius loco suo ex propriis eorum verbis demonstrata sunt. Ex quo fiebat consequenter, ut nullos immissos motus, nulla adjutoria voluntatis exhorrescerent, dummodò illam imperatricem arbitrii potestatem illibatam esse sinerent, ne quoquam illa domina tanquàm captiva trahi videretur. Cùm igitur hæc esset eorum de voluntatis fortitudine sententia, quibuscumque motibus ageretur, doctrinam Augustini qua non tantum *Possibilitatis* adjutorium, sed etiam *voluntatis & actionis* tuebatur, indignissimè tulerunt exploseruntque velut intolerabilem. Nam octo aut novem absurditates plus quam dici posset exorbitantes afferre sibi videbatur, quarum singulæ doctrinam Evangelicam Christianamq; fidem de moribus funditus subverterent. Nam sive daretur hominibus istud adjutorium voluntatis & actionis, quod Augustinus prædicabat, sive negaretur, certissimum putabant introduci libertatis excidium, coactionem asserri, necessitatemq; voluntati, fatum condi, ignavâ benè faciendi securitate animos obtorpescere, bonas voluntates laude, præclaras actiones merito frustrari præmioq; criminibantur, quæ sigillatim & fusè ex propriis Pelagianorum & Augustini scriptis commonstravimus. Iam verò quam sit ineptum & ridiculum, adeòque delirum ac stultum, homines Augustino teste subtilissimos, qui nullis motibus in arbitrium voluntatis irruentibus terrebantur, tot criminationibus adjutorium lacerare, quod ab initio usque in finem semper exactissimè liberæ voluntati subditur, ejusq; nutu in influẽdo secum, vel non influendo regitur & coërcetur, in eodem loco tum verbis nostris qualibuscumque declaravimus, tum per se res ipsa in cujuscumque periti vel imperiti corde tàm altè clamat, ut non tàm volentibus intelligere advertenda sit mens qua veritas videatur, quam nolentibus aures obturandæ ne clamor ejus audiatur. Nam propter nimiam facilitatem illud adjutorii genus à Scholasticis illis, tanquàm verum adjutoriũ voluntatis & actionis, arreptum est. Vndè ne de trivio aliquid invenisse viderentur, Pelagiana sententia velut monstrosæ stupiditatis inducenda fuit: *Nisi enim unus accusaretur Cacus, parum Hercules laudaretur.*

Sed quàmvis Pelagianos tàm inerti stupore fuisse fateremur, ut rem oculis omnium vulgique judicio expositam & propriis principiis maximè consentaneam non perciperent, quis pri-

Marginal notes: *Lib. 5. contra Iul. cap. ult.* — *Vid. lib. 2. de hæresi Pelagiana c. 3. 4. & 5.* — *Vide l. 5. de hæres. Pelag. cap. 11.* — *Vide l. 5. de hæres. Pelag. cap. 12. 13. 14. 15. &* — *Ibid. toto cap. 17.* — *Lib. 19. de Civit. c. 12.*

primum Ecclesiæ ingenium Augustinum, Angelicamque subtilitatem ejus tàm obviam ac trivialem gratiæ cum libertate concordiam non penetrasse deliret, aut pietatem ejus Pelagianis eam declarare noluisse? unica namq; sententiola quod *adjutorium Christi in libero relinqueretur voluntatis arbitrio*, totius laboriosissimæ controversiæ filum præcidisset. An fortè mysterium istud recentioribus revelatum ignoravit? Quid ergò quando de actuali primi hominis adjutorio satagebat talem ejus cum libera voluntate concordiam & sub ejus nutu subjectionem tanta verborum ubertate, sententiarumque claritate manifestavit, & Neotericis præformavit, ut ipsi phrases ejus ad exprimendos propriissimè & efficacissimè conceptus suos, arripere cogantur, ac dominativam arbitrii potestatem super adjutorii concursu sententiis ejus explicare? Quid enim clariùs ullus Scholasticus in explicanda voluntatis sub gratiæ concursu libertate dixit unquàm, vel à quoquam dici potest, quam quod tunc iterum iterumque dixit & inculcavit Augustinus? Tale videlicet fuisse istud adjutorium ut hoc Deus *in hominis primi libero relinqueret arbitrio*: ut illud *per liberum arbitrium deserere posset*: quod *desereret cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet: quo fieret ut haberet justitiam si vellet, sed si vellet etiam desereret: per quod posset permanere si vellet: cum quo perseverare & non perseverare in eius arbitrio relinqueretur libero*; per quod *homini relinqueretur voluntas sua, ut in illo adjutorio maneret si vellet, ut ei dimitteret ac permitteret facere quod vellet*. Denique quo adjuti Angeli *cadentibus aliis per liberum arbitrium*, alii reipsa *per liberum arbitrium in veritate steterunt*. Cujusmodi phrases ita efficaces & luculentæ sunt, ut ad clarè, propriè, genuinè exprimendum possibilitatis adjutorium & libertatem voluntatis cum gratiæ influxu, nihil addi posse videatur. Sed simul atque ad ventilandum adjutorium *voluntatis & actionis* cum Pelagianis ventum est, invidiosissimè libertatis interitum, fatum, coactionem, necessitatem, voluntatis oppressionem, præmii & meriti exstinctionem criminantibus, nec hiscere quidem Augustinus de tali adjutorio & libertate ausus est, per quæ tamen difficultas omnis & querimonia radicitus tolleretur. Judicent Lectores quod voluerint: de me fateor facilius creditu videri Augustinum Dei gratiam perperam prædicasse, quam vel res ita perspicuas enormi stupiditate non vidisse, vel impia causæ Catholicæ prævaricatione aperire noluisse.

CAPUT XII.

Quinto ex errore Massiliensium, qui licet adjutorium *possibilitatis*, & *sine quo non*, defenderent, tanquàm gratiæ Christi destructores damnati sunt.

QUINTO denique planissimè intelligi potest, quæ fuerit natura adjutorii Christi medicinalis *quo* & *voluntatis & actionis*, quod Augustinus & Ecclesia prædicarunt, ex conflictu, quem cum semi-Pelagianis habuit. Quod ut Lectori, detersis omnibus ambiguitatis & obscuritatis nebulis pateat, eademque repetendi fastidium caveatur, memoria recolendum est id quod latissimè alio loco tradidimus, semi-Pelagianos ad illud initium fidei, orationem, desideria, similesque actus bonos, quos homini in potestate remansisse sentiebant, veræ, internæ, actualisque gratiæ adjutorium statuisse necessarium: & hoc ipsum quoque sanctum Augustinum quando cum semi-Pelagianis errabat agnovisse. Admittebat enim libentissimè adjutorium Dei, cum quo possent credere & orare si vellent, ita ut & adjutorium, & ipsum velle & nolle, quemadmodum homini primo in eorum libero relinqueretur arbitrio: horrebant verò illud capitaliter *quo* secundum Augustinum fiebat ut vellent. Istam verò suam gratiam sentiebant non solam sufficientem semperque otiosam præbere potestatem, quasi aut nunquàm ad actum cum voluntate raperetur, aut cùm jam agendum esset, vel etiam agente jam voluntate, novum genus efficacis gratiæ succederet, hoc ipso quo voluntas ageret (cujusmodi novas gratias recentiores fabricant;) sed ita dare credendi facultatem, ut cùm homo pro arbitrii sui libertate gratia juvante crederet, illa eadem *gratia juvaret volentem*, quæ nolentem non juvabat; quemadmodùm de omni adjutorio, quod in libero relinquitur voluntatis arbitrio sentiri debet, nec aliter sine perspicua absurditate sentiri potest. Hujusmodi gratiam admisisse semi-Pelagianos & Augustinum cùm ante Episcopatum eorum errore teneretur, fusissimè ex propriis Augustini, Hilarii, & Massiliensium Presbyterorum verbis demonstravimus, simul etiam ostendimus talem gratiam sustulisse funditus omnes omninò difficultates, propter quas vitandas ad eam comminiscendam, veramque Christi gratiam repudiandam compulsi fuerant.

Vide lib. 8. de hæres. Pelagiana c. 6. 7. 8. 9. & 10.

Vide totum caput 17.

Quæ quàmvis essent juxtà perspicuè erutam declaratamque semi-Pelagianam sententiam, certa & plana, non potuerunt tamen Augustino & Ecclesiæ tanta divini adjutorii prædicatione satisfacere. Nam disertissimis verbis sanctissimus Præsul, Ecclesia probante docet, *errorem* esse, quem ipse tradiderat; *errare* quotquot ista tradunt; eos non *recedere ab ea sententia quam Pelagius damnare compulsus est, gratiam Dei secundùm merita dari*. Nimirum quia fidem homo sibi tribuit, quantumcumque se hujusmodi

Lib. de præd. Sanct. cap. 2. & 3.

modi gratia adjutum esse fateatur. Non enim credere est gratiam accipere cujus influxus in libero relinquatur arbitrio; sed hoc est credere, arbitrium sese ad credendum quovis adjutorio assistente, suo nutu reipsa flectere. Quod tàm est propriè & genuinè voluntatis humanæ quam ipsius esset, si nulla actuali gratia concurrente, solius habitus adjutorio pro sua indifferenti libertate crederet. Nam ut jam sæpè diximus, & necessariò sæpiùs dicendum est, actiones voluntatis humanæ ad quas diversa, sine *quibus* fieri nequeunt, instrumenta concurrunt, non magis instrumentis nobilibus quam ignobilibus tribui possunt. Puerilis enim imaginatio est, qua putatur, alteri causæ quam ipsi arbitrio voluntatis asscribendum esse, quod homo pingit aut non pingit, currit aut stat, clamat aut silet, appetit aut fugit, Deum diligit aut creaturas, quàmvis actiones pingendi, currendi, clamandi, appetendi, B diligendique Deum sine penicillo, pedibus, linguâ, voluntate, aut fortè bonis habitibus fieri nequeant, quæ singula sunt dona Dei ab ejus gratuita liberalitate pendentia: nec sane sapientior cogitatio est, tunc non esse voluntatis humanæ quando penicillus aut penna aurea est; pedes corporis glorificati, lingua angelica, voluntas instructa caritate aut nobilissimæ entitatis adjutorio, si nihilominus omnia hujusmodi adjutoria pari omninò modo ac nudæ potentiæ liberæ voluntatis arbitrio concitentur aut reprimantur. Hoc vigilantissimè prisci gratiæ defensores observarunt: & ex ista verissima & in communi omnium hominum sensu posita regula de actionibus Deo donanti vel humanæ voluntati facienti tribuendis indicarunt. Hinc enim illa sancti Doctoris exiomata capitalia, quod C Deus in Angelis & hominibus olim ostendere voluit, *quid posset eorum liberum arbitrium*: quod Adamus *per liberum arbitrium manere poterat*: quod Angeli *per liberi arbitrii vires poterant non discedere a Deo*; quod *per liberum arbitrium in veritate steterunt*. Nimirum quia gratiæ adjutorium *sine quo non poterant* stare, nec reipsa steterunt, ut sexcenties repetit, in eorum libera voluntate sic relictum erat, ut eis *perseverandi & non perseverandi committeretur arbitrium*. Hanc benè vivendi possibilitatem in prima hominis conditione datam, quæ talem gratiam non excludebat, sed potiùs essentialiter & intrinsecè postulabat, semi-Pelagiani & Augustinus ante Episcopatum suum exigua ex parte salvam remansisse statuebant, vi cujus, adjutorio talis gratiæ concurrente, per liberum arbitrium hominem saltem credere posse sentiebant. Sed divinâ revelatione ab errore revocatus vidit, nihil aliud agi per istum ratiocinandi modum, quam ut eâdem omninò ratione, quemadmodùm ante lapsum in inchoanda fide præcipuæ partes homini, qui voluntatis machinam qua reipsa creditur, impellit & regit, secundæ verò Deo tribuantur, qui per hujusmodi adjutorium sine quo non potest credi, solam credendi potestatem tribuit: vidit

A etiam non esse solam operis supernaturalitatem, quam Neoterici semper ponderant, sed maximè & capitaliter adeoque solam concupiscentiam qua voluntas & libertas vitiata est, propter quam Christi medicinale adjutorium necessarium est. Istud vulnus arbitrii, ista plaga voluntatis, ista infirmitas libertatis non magis isto Adami, vel Angelico, vel sufficienti, vel congruo sanatur aut juvatur adjutorio, quam si cœcatis oculis lumen accenderes. Nam ista adjutoria sanitatis tribuunt quidem arbitrio sano posse si velit; sed hîc vulnus ipsis volendi cardinibus inflictum est. Nam propter voluntatis læsæ aut libertatis infirmitatem non potest ipsa trahente, se nimirum deorsum in creaturas propriâ cupiditate, ad ipsum illud velle pertingere, per quod præsente adiutorio isto sanitatis uteretur. Vndè medicinalis gratia ei necessaria est, quæ ipsum illud velle largiatur. Quod cùm Deus per medicinalem gratiam facit, dando ipsam credendi, orandi, sperandi, diligendique voluntatem, tum demùm talis actio est gratiæ divinæ, non voluntatis humanæ; tunc est meritum divinitùs datum, non humanâ voluntate præsumptum, tunc est iustitia non nostra sed Dei: non quasi sine nostra voluntate fieret, sed quia Deus concurrente licet voluntate, facit ut fiat: sicut antea, concurrente sanitatis adiutorio (hoc est, Adami, vel angelico & sufficienti & congruo) voluntas humana faciebat ut fieret. Hoc igitur modo quia Massilienses cum gratiæ præsentis adiutorio putabant hominem per naturales primæ integritatis reliquias posse credere, posse orare ac desiderare Deum, tanquàm gratiæ medicinalis destructores, & liberi arbitrii præsumptores meritâ censuræ severitate damnati sunt. Ex isto igitur duplici operandi modo voluntatis, duplicique adiuvandi modo gratiæ, quo *prima sanitatis* gratia opitulatur arbitrio, si adjuvari velit, & *secunda medicinalis* opitulatur ut velit, itemque ex illa Massiliensium damnatione, quatenus primum gratiæ genus saltem ad credendum satis esse sancientes, ipsum credere voluntati tribuebant, apertissimè perspicitur, quæ sit natura medicinalis adjutorii, quod ægrotæ voluntati sanguine suo medicus peperit, & Augustinus, Ecclesia, Scripturæque prædicavit. Liquet etiam quam ei ex diametro quodlibet adjutorium sufficiens & congruum adversetur: utpotè sub quorum speciosis nominibus, prima integritas humanæ naturæ restituitur, fides, gemitus, & oratio cum Massiliensibus, imò verò spes, charitas, & cuiuslibet virtutis operatio, tentationisque superatio, omne meritum & præmium dominatrici hominis libertati, sicut Angelis & D Adamo vindicantur, discretio hominum à volendi fonte suspenditur, unoque verbo, reipsa Christo Salvatori, quàmvis à nescientibus ac detestantibus occlamatur, recede à nobis, non est opus tuo medicinali adiutorio, sani sumus; libertas arbitrii volendi & nolendi inviolata persistit; præsente primæ nostræ

stræ conditionis adjutorio sine quo velle non possumus, si volumus, operamur. Quid te medicum jactas, ut nobis ipsum velle largiaris, quod quicquid tu feceris nostræ est potestatis & voluntatis? Huc porrigit manus ista bonorum virorum de adjutoriis congruis, hoc est, sufficientibus disputatio. Nec enim aliud est, aut erit unquàm, aut esse potest, nisi sufficiens adjutorium, quod submittit fasces humanæ voluntatis arbitrio, ut ejus operatio & cessatio ab libertatis humanæ nutu tota religetur. Quid enim isto modo tribuet, nisi sufficientem volendi operandique potestatem, cui libertatis nutus impulsum afferat? Hoc libertati tribuerunt Massilienses, ut eo adjuta saltem crederet voluntas prostrata, si vellet; hoc tribuunt Neoterici, ut per illud & credat A & speret & diligat, omnesque superet tentationes, si similiter velit. Utri modestius de arbitrii potestate, religiosius de gratiæ medicinalis necessitate disseruerint, non est difficile abstrusumq; judicare. Sed quia res ista ex Massiliensium vera genuinaque opinione pendet, qui plenius ista intelligere desideret, sicut ad naturam gratiæ Christi penetrandam omninò necessarium est, legat ea quæ nonnullis aliis locis diximus, & maximè octavo de hæresi Pelagiana, & in primis capite decimo, undecimo. ubi declaravimus, quomodo talem gratiam semi-Pelagianam natura contineret, & sub illius patrocinio salutis initium, totaque discretio salvandorum ex voluntatis arbitrio seu ex volendi fonte scaturiret.

Vide lib. 8. de hæresi Pelagiana c. 6. 7. 8. & 9.
Ibid. cap. 10 & 11.

CAPUT XIII.

Ex præcedentibus infertur genuina declaratio multarum phrasium, ac doctrinalium decisionum Augustini, Prosperi, Fulgentij, Conciliorum Ecclesiæ, & Pontificum.

EX istis omnibus quæ hactenus hoc toto libro de diversis istis adjutoriis primi hominis & secundi, Adami & Christi, *sine quo non* possumus velle, & *quo* jam volumus, *possibilitatis*, & *voluntatis* atque *actionis*, disseruimus, non est difficile verum eorum præcisumque discrimen, quod jam sæpè tetigimus, intelligere. Elucet ex eis consequenter sincerus planusque sensus plurimarum locutionum & sanctionum, quibus Augustinus, Prosper, Fulgentius & Ecclesiastica Concilia vel Catholicam asseruère veritatem, vel Pelagianorum ac Massiliensium sententias jugularunt. Quæ quamvis aliis diversis locis latiùs dicta sint, non erit inutile quasi compendio breviter hic perstringere.

Hinc enim in primis constat, quid sibi velint quando dicunt primum hominem in sua conditione [a] *accepisse voluntatem liberam & sufficientissimam* benè vivendi *potestatem*: [b] *talem esse factum, qui peccato malo carere sufficeret si voluisset*; idque, *quia libero arbitrio atque ad utile vivendum potestate libera cõstitutus fuerat*: arbitriũ ejus [c] *ita liberum fuisse ut benè velle posset & male*: seu habuisse [d] *potestatem utrum vellet*: [e] *In natura posse, & in potestate habuisse velle, mentis valentia viguisse, qua præceptum Dei facilè posset custodire, si vellet*: Ei [f] *facultatem cognitionis Dei, ac dilectionis insertam*: [g] *naturaliter ei datum posse credere*: Eum [h] *per liberum arbitrium stare potuisse*: [i] *Angelos reipsa per liberum arbitrium, & per libertatem voluntatis in veritate stetisse*: [k] *In liberi arbitrij viribus fuisse non discedere à Deo*: Et hujusmodi plura, quibus illius libertatis valentia præstantiaque tantoperè extollitur, ut quicquid fidei, dilectionis Dei, vitæ bonæ, & in omnibus istis perseverantiæ à rationali creatura postulatur, hoc per arbitrii libertatem pri- A mum hominem præstare potuisse, & Angelos bonos reipsa præstitisse doceatur.

[a] *Lib. 3. de lib. arb. c. 16*
[b] *Lib. de nat. & grat. c. 43.*
[c] *Lib. de cor. & grat. c. 11 & in Enchir. c. 105.*
[d] *Lib. 3. de lib. arb. c. 5*
[e] *Lib. 11. de gen. ad litt. c. 4.*
[f] *Fulgent. lib. de incar. & grat. c. 12.*
[g] *Ibid c. 12.*
[h] *Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 11 & 12.*
[i] *Ibid. c. 11, & de dono pers. c. 7.*
[k] *Lib. de dono pers. c. 7.*

Hinc secundo constat, quid sibi velint illa, quæ sensum præcedentium locutionum multo perplexiorem durioremque reddere videntur, nos jam [a] *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse*: Deum [b] *dedisse quidem ab initio hanc homini facultatem*, ut scilicet ea quæ sunt pietatis habere, cogitare, dicere, agere posset; *sed omnes eam in illo* primo homine *amisisse*. Primum hominem [c] *illa cogitandi quæ ad Deum pertinent, amisisse protinus facultatem*: [d] *gratiæ dono virtutem credendi naturam recipere, quam amisit*: gratiam datam [e] *per quam cogitationis sanctæ amissa iam pridem in homine primo reciperetur facultas*: [f] *Solum protoplastum per se sibi, id est per liberum arbitrium sufficere potuisse*: Et sæpissimè cum [g] *amisisse illud possibilitatis bonum, quo valebat implere quod vellet*. Hæc & hujus- B modi quæ frequenter dicunt, non illam spirant impietatem, quod Adamus & Angeli tantâ libertatis potestate præcelluerint, ut sola & nuda libera sua voluntate, nullo Dei actuali proprièque dicto adjutorio munita, potuerint Deo credere, Deum diligere, & rectè vivere, vitam æternam mereri, & in justitia perseverare, si vellent. Hanc enim suspicionem & Concilium Arausicanum & Augustinus, ut latè demonstravimus, tanquàm doctrinam à Catholica fide abhorrentem summâ virium contentione proscribit. Sed hoc per istas locutiones volunt, Adamum & Angelos habuisse arbitrium voluntatis tantoperè ab omni peccati cupiditate seu concupiscentia concreta liberum, ut in utramvis partem sese pro libitu posset flectere: ex qua tam felici libertate nascebatur, ut concurrente illo solo Dei adjutorio actuali, sine quo creata quælibet natura bonum omninò velle non potest, possent

[a] *Aug. epist. 107.*
[b] *Prosp. ad capit. Gall. resp. 8.*
[c] *Fulg. lib. de incarn. & grat. c. 13.*
[d] *Ibid. c. 12.*
[e] *Ibid. c. 12.*
[f] *Hypognost. lib. 3. c. 1. & 4.*
[g] *Ibid. c. 1. & 2. & 4. Itemq; Conc. Arausic.*
Lib. de lapsu primi hominis & Angelorum capite 12.

possent & bona cogitare, & Deo credere, & Deum diligere, & bonum facere, & mala vitare, & in justitia perseverare si vellent, usque adeò ut reipsa quoque Angeli boni per istud liberum arbitrium sic adjutum in justitia seu veritate permanserint, per quod Adam & Angeli mali eodem isto adjutorio neglecto, ceciderunt. Hanc tantam tamque tranquillam arbitrii libertatem bonique cujuslibet faciendi possibilitatem peccato primi hominis periisse profitentur; non quia periit illud pristinæ libertatis adjutorium, vel quia opera sunt supernaturalia, sed quia concupiscentia visceribus voluntatis, & per hoc libertatis inspersa est, qua liberum arbitrium in creaturas tanquàm gravissimo quodam pondere deprimitur, ut quamvis adesset illud idem pristinæ possibilitatis adjutoriū sexcentuplo amplius quàm olim fuit, propter infectas eo quo dictum est modo, voluntatis vires sese sursum cum eo ad diligendum Deum non possit erigere. Nempè quia illud adjutorium non dat vulneri inflicto sanitatē sed supponit; non reddit amissam illā possibilitatem sed reddi postulat, ut cum volente voluntate possit influere: non infert voluntati velle concurrere, quæ per carnalem concupiscentiæ voluntatem in ipso velle vulnerata est, sed illius naturæ est, ut ipsum velle ab impulsu arbitrii præstolentur. Ad hanc ergò debilitatem reparandam nihil omninò juvat istud prioris generis tanæque voluntatis adjutorium, sed aliud medicinale prorsus necessarium est, per quod vulnerato arbitrio ipsum posse simul & velle reddatur.

Hinc tertiò constat, quid sibi velit Augustinus & Prosper aliique prisci gratiæ defensores, quando Pelagio naturalem seu in creatione acceptam arbitrii libertatem prædicante, ut ita sine Christi gratia benè vivere, Deique legem custodire posse censeretur, responderit subindè, quod *si de sana hominis natura loqueretur, utcumque acceptaretur hæc sententia*, hoc est posset tolerari, nam & ipsemet hoc sæpius docuit, subindè, *naturam hominis iam medico indigere, quia sana non est:* subindè quod cùm per Pelagium *defenditur velut sana, viribus, integritate, sua opitulatio Creatoris negatur*. subindè si primitivus ille *naturæ vigor illæsus maneret*.

Lib. de nat. & grat. c. 52

Ibid. c. 3 & 43. & alibi sæpius.

Cap. 20. Prosper.

In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas

Conciliare Deo pœnaque absolvere posset.

Hoc est, ne quidem esset opus ad peccati remissionem actuali Christi medici adjutorio, quia posset propriæ voluntatis possibilitate pœnitere sicut & credere, nullâ concupiscentiali infirmitate libertatem remorante. Subindè veram fore Pelagii sententiam, si natura sana perstitisset; quod & Augustinus sæpius indicat, & author hypognosticon pressius & expressius docet. Non enim significant, vires illas possibilitatis naturalis sine ullo adjutorio rectè facere & pœnitere potuisse, sed primum integræ conditionis auxilium fuisse futurum satis, nec opus fuisse medici vel Salvatoris adjutorio, quod voluntati vel stanti velle perseverare, vel peccanti pœnitere largiretur: posset enim libertas illæsa illo primo sufficienti adjutorio munita credere, diligere, pœnitere si vellet.

Vide hæc de re latius dicta lib. de natura primi hominis & Angel. c. 7.

Hinc quartò constat, quid sibi velint Pontifices & Concilia, quando de fide, dilectione, operibus bonis per *liberum arbitrium*, per *naturæ vigorem*, per *naturæ bonum* seu *possibilitatem arbitrij naturalem* faciendis aut non faciendis multa adversus Massiliensium pronuntiata decernunt, ut, quando dicunt, Deum a *nostram non exspectare voluntatem*, sed *per Spiritus sancti infusionem fieri ut purgari velimus:* b *initium fidei non inesse nobis naturaliter, sed per inspirationem Spiritus sancti:* c *per naturæ vigorem nihil boni posse cogitari ut expedit, sed per illuminationem & inspirationem Spiritus sancti:* d *per liberum arbitrium ad gratiam baptismi* homines *non posse venire:* e *nullum postea*, hoc est post lapsum primi hominis; *per liberum arbitrium aut diligere Deum, sicut oportuit aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est posse, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* f *Præclaram Sanctorum fidem non per bonum naturæ, sed per gratiam Dei esse collatam.* g *Latronis, Centurionis, Zachæi tam admirabilem fidem non fuisse de natura sed divinæ largitatis donum.* h *Neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere,* nisi cum gratia Dei miserentis erexerit. Harum & similium definitionum sensus sincerus, & ex ipsa pectoris Massiliensium dogmatum genuina intelligentia, prout à veteribus explicata sunt, non est iste, ut recentiores putant, quod illiusmodi opera sint supernaturalia, sint meritoria, sint nimis perfectæ dignitatis & hujusmodi quæ nunquàm ab Augustino aut Concilijs in causa definitionum suarum reddendâ cogitata sunt, sed quod liberum arbitrium jam peccando violatum, attenuatum, infirmatum, adeòque, ut Concilium loquitur, amissum sit, vigor naturæ perditus, possibilitas naturalis, qua innocens natura per integras libertatis vires, Deo credere, Deum invocare, Deumque diligere poterat, jam amissa sit; ex quo effectum est, ut omnes hujusmodi voluntates & actiones bonæ non adjutorio istius *possibilitatis*, quæ jam deperdita est, sed alio adjutorio *voluntatis & actionis*, hoc est, Spiritus sancti inspiratione velle & facere largiente reddendæ sint. Nam & ante lapsum omnes istiusmodi actiones erant meritoriæ, naturamque superantis excellentiæ, & Spiritus sancti gratiam & adjutorium, juxtà sanam doctrinam postulabant, sine quo non poterat eas homo velle vel facere. Sed non opus erat illo medicinali crucifixi Salvatoris auxilio, quod summâ Dei liberalitate justis & injustis ad volendi agendique occasiones ipsum

a Concilium Arausicanum canone 4.

b Canone 5.

c Canone 7.

d Canone 8.

e Can. 25.

f Ibid.

g Ibid.

h Celestin. Epist. ad Gal. c. 8.

ipsum velle donat & facere, non ampliùs, ut olim, dominam illam expectando, sed pedissequam secum rapiendo voluntatem. Hoc ex ipsa ratione quæ subnectitur, & etiam atque etiam inculcatur, satis perspicuè vigilantibus suggeritur. Non enim vel unius characteris apice tanti adjutorii necessitatem indicant inde fluere, quia opus est supernaturale, quia meritorium vel quid simile, sed quia libertas non *duravit illæsa*, quod Synodus ista sequentium sanctionum omnium quæ de gratiæ necessitate tractant, basim collocat: [*Concilium Arausi. canone 1.*] quia *arbitrium in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum*: [*Ibid. can. 8.*] quia qui contrarium dicit, *is non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum*: [*Ibidem.*] quia *per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum est, ut nullus* POSTEA *aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum &c. possit nisi gratia eum divina prævenerit*: [*Canone 25.*] quia in *prævaricatione Adæ homines naturalem possibilitatem amiserunt*: [*Celestin. c. 3.*] quia *infirmatum amissum est liberum arbitrium*, [*Canone 14.*] videlicet ad volendum agendumque bonum. Quid aliud clamant ista, nisi ex violatione, infirmatione, inclinatione, attenuatione, amissione libertatis, non ex operis supernaturalitate & meriti dignitate, istam humanæ voluntatis impotentiam quam concupiscentialis languor & rixa intulit, contigisse? Quid palàm peritis & imperitis insinuant, quando dicunt; ut *nullus posteà* hæc possit *nisi præveniens gratia*, nisi Adamum, seu hominem, hoc antea sine gratiæ Christi præventione potuisse? Quid item aliud volunt, quando alioquin sequi dicunt, quod non omnium liberum arbitrium esset infirmatum, nisi per arbitrium non infirmatum ista fieri potuisse? Nimirum quia sanæ libertati non opus erat adjutorium, ut sæpè diximus, quod ei velle donaret, non opus inspiratione Spiritus sancti, qua credendi, diligendi, operandi voluntas aspiraretur, non opus gratia qua libertatis arbitrium in velle surgeret; sed ipsum arbitrium, suæ se possibilitatis naturalis viribus, non desistente possibilitatis adjutorio, in velle, in credere, in diligere suscitabat.

Hinc constat quintò vera ratio, cur semper Concilium & Patres quando inculcant divinæ gratiæ necessitatem, non quolibet modo dicunt, quia homo sine gratiæ adjutorio nihil facere potest, vel similia, quæ in quolibet statu sunt verissima, sed quod *ut purgari velimus, sancti Spiritus infusione & operatione* fieri debet: [*Conc. Arausi. in diversis canonibus.*] quod *per inspirationem corrigitur voluntas ab infidelitate ad fidem*, id est velle à non credendo ad credendum retorquetur: quod *ut credamus, ut velimus, per inspirationem Spiritus sancti* in nobis sit: quod *credulitatis affectus quo credimus sit donum Dei*: quod *Deus fidem & amorem inspirat*: quod *donum Dei sit diligere Deum*: quod, *quoties bona agimus Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur*, & hujusmodi infinita, quibus Augustinus, Prosper, Fulgentius, & Ecclesiæ Synodi plenæ sunt. Nam per istas efficacissimas expressiones semper significatur, non amplius ista per liberum arbitrium, per possibilitatem naturalem, per naturæ vigorem, ut ante solebat, fieri, concurrente videlicet *possibilitatis* adjutorio, *sine quo* operari bonum homo, aut velle non poterat; sed istas voluntates & actiones bonas esse jam magna & specialia, & propriè dicta divinæ largitatis beneficia, ac dona. Nempè quia jam alio medicinali crucifixi Salvatoris auxilio tanquam *adjutorio quo* ipsius *voluntatis & actionis* singula pietatis opera & voluntates Spiritus sanctus inspirat ac donat.

Hinc constat sextò quid sibi velit Concilium Arausicanum quando negat, *Invocatione humanâ gratiam Dei posse conferri*; [*Canone 3.*] negat *humilitati aut obedientiæ humanæ subjungendum gratiæ adjutorium*; [*Can. 6.*] negat *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam*, hoc est gratiam, *conferri divinitus*: [*Ibid.*] quid item Augustinus, quando adversus eosdem semi-Pelagianos uno verbo cuncta complexus exsertissimè docet, *gratiam Dei non dari secundùm præcedentia merita voluntatis*, hoc est, secundùm meritum vel fidei, vel orationis, vel cujuscumque conatus boni. [*Libro toto de prædestinat. sanct. & de dono pers. cap. 16.*] Nam invocatio *humana*, humilitas *humana*, obedientia *humana*, meritum voluntatis humanæ, fides, voluntas, desiderium, conatus & hujusmodi *sine gratia* ab homine prosilientes, vocantur non actus aut voluntates ad quas omninò nullum influit adjutorium gratiæ Dei; sed quas non donat aut inspirat gratia Dei, dando videlicet ipsam credendi, invocandi, obediendi, conandique voluntatem. Nam præterquam quod constat Massilienses gratiam *sine qua non* ad ipsum initium fidei seu primam credendi orandique voluntatem necessariam agnovisse, palàmque juxta doctrinam Augustini professos esse, ut latissimè tradidimus, [*Vide lib. 8. de hæres. Pelagiana loco citato.*] Concilium & Augustinus ita semper declarat se doctrinam istam intelligere. Nam gratiæ istius naturam explicantes, ex qua deberent opera ista proficisci, ut divina non humana censerentur, *ipsam* dicunt [a] *gratiam facere, ut invocetur à nobis*: [b] *per infusionem & inspirationem Spiritus sancti in nobis fieri, ut credamus, ut velimus*; [*a Concilium Arausican. 3. b Can. 6.*] per illam hominem *ex nolente fieri volentem credere*; *donari ut credat*; *miro modo agi in cordibus ut credamus*; *duritiam cordis*, id est voluntatis *auferri*, & hujusmodi infinita quibus indicant, se non aliam gratiam intelligere, quam illam Christi Salvatoris medicinalem, *qua* Deus largitur & actionem & voluntatem. Hanc enim ipsam gratiam similiter intelligebant non solùm Catholici sed & ipsi Massilienses, quando volentibus, credentibus, petentibus &c. *gratiam & misericordiam* divinitus conferri posse statuebant. Illam quippè gratiam quæ donaret, non quidem initium fidei, sed opera ex fide pullulantia, fidei & orationis humanæ meritis tribuebant. Itaque humana erat ista fides, humana invocatio, humana obedientia, quantumcumque non fieret ex eorum mente, sine vero possibi-

possibilitatis adjutorio, sine quo nihil omninò boni hominem facere posse censebant; quia humani arbitrii erat cum ista gratia actu velle vel nolle, actu credere vel non credere, actu orare vel silere. Ita nimirum ut verè & propriè non tali gratiæ *sine qua non* poterat eorum quicquam fieri, sed humanæ voluntati tribui deberet, quod (licet non sine illa) actu quisquam vellet, crederet aut oraret. Sic enim & Augustinus *merita humana* primi hominis vocat, quæ nobis in Adamo periere, quantumvis ex professo doceat, ea nullo pacto sine vero actualis gratiæ adjutorio haberi potuisse. Itaque talem gratiam, quamvis esset vera gratia, hoc est, gratuitum donum Dei, tamen quia naturæ etiam integerrimæ quam maximè consentanea erat (quemadmodum de sufficienti gratia Scholastici philosophari solent) ferè sub ipsa natura veteres comprehendebant. Qua de re quia multa diximus, cùm de Massiliensium opinione tractaremus, nolumus hic ea iterato refricare.

Lib. de prædest. sanct. cap. 15.

Vide lib. Hæresi c. 10.

CAPVT XIV.

Adjutorium gratiæ Christi esse revera tale quale hactenus declaratum est, ostenditur diversis aliis modis; & sexto quidem ex eo quod faciat ac donet velle & operari, & omnia merita.

Et ista quidem Augustini diuinæ gratiæ patrocinantis & hæreticorum adversantium principia, quæ hactenus hoc libro explicuimus vel tetigimus, manifestè ostendunt nihil capitalius medicinali Christi adjutorio fingi posse adversum, quam istud gratiæ genus cujus actio vel cessatio, ut utilis vel inutilis homini sit, in libero relinquatur voluntatis arbitrio. Quod si reliquam doctrinam, quam de isto auxilio tradidit, eadem diligentiâ lustrare vellemus, & ob oculos lectoris ponere, videret profectò & quodammodo manibus palparet, omnia ex istis jam traditis principiis sic intellectis ad amussim fluere, totamque doctrinæ molem in illum tanquàm scopum collimare, ut Christiani credant, & qui possunt intelligant, non liberum arbitrium esse, *quod reddat auxilium efficax vel inefficax*, quod sit *causa cur hic & nunc Deus insinat in opus*; quod *possit gratiæ efficientiam seu influxum in opus impedire*: quod *libertas illius causa sit, ut actus singuli hic & nunc fiant*: quod *à sola libertate [illegible] illud oriatur, quod hic & nunc, & ab hoc potius fiat, quam alias & ab altero*, videlicet gratia præuento. Quod sit denique illius rei *causa directa & principalis*, & hujusmodi quæ studiosissimè inculcantur; sed gratiam esse causam ut arbitrium hic & nunc velit & operetur; esse causam, cur hic & nunc voluntas in opus influat; esse causam ut conversio nunc potiùs quam alias, hoc potiùs quam alio, intenso potiùs quam remisso modo fiat: hoc est non liberum arbitrium esse, quod dominetur gratiæ, sicut habitibus bonis, & virtutibus, & aliis instrumentis operandi potentialibus dominatur, sed gratiam esse quæ dominatur arbitrio; usque adeo ut quemadmodum Augustinus hoc intellexit, per hujusmodi gratiam *Deus magis habeat in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*; quo nihil disertius, sincerius & potentius ad exprimendum gratiæ divinæ dominatum super arbitrium excogitari potest.

Vide sup. loca alia citata ex Molina, Lessio, Suarez.

Vide Less. de grat. c. 10. D. 7. 9. 12. Vide similia c. 4. num. 16. & cap. 11. num. 11. cap. 12. num. 8. cap. 18. num. 3. & 11. in fin.

Lib. de Cor. & grat. c. 14.

Hanc igitur verissimam esse, nulloque verborum meorum fuco adulteratam Augustini sententiam de medicinali Christi adjutorio, diversis aliis ex capitibus tàm perspicuè erumpit, ut neminem nisi occupatæ jam opinionis præjudicio judicandi libertatem amiserit, arbitror hoc posse diffiteri. Hoc enim imprimis postulat solemnis ille loquendi modus quo juxta sacrarum Scripturarum normam Augustinus & Concilia docent, per istud Christi adjutorium Deum facere ut arbitrium velit, ut consentiat, ut operetur; nunquam autem vel leviter insinuat, sed potiùs expressis verbis negat in hominis lapsi sicut integri hoc voluntate relinqui, ut illud amplectatur aut deserat. Hinc illud in epistola ad Vitalem: *Gratia prævenit hominis voluntatem*, id est, volitionem, *nec eam cuiusquam invenit in corde sed facit.* Et illud: *Vocatione alta atque secreta sic agit hominis sensum, ut legi atque doctrinæ accommodaret assensum.* Et illud libro quarto ad Bonifacium: *Itane nondum evigilatis? non auditis, faciam ut ambuletis, faciam ut observetis, postremo faciam ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est, nos observamus, nos facimus: sed ille facit ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus.* Et illud in libro de gratia & libero arbitrio: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus, bonum. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit, Faciam ut in iustificationibus meis ambuletis & iudicia mea observetis & faciatis.* Et iterum: *Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et in libro de Correptione & grati.: *Tantum quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint.* Cujusmodi locutionibus ac documẽtis quæ ex Scriptura sacra deprompsit August. scripta ipsius ubiq; scatent.

Epist. 107.

Libro 4. ad Bonif. c. 6.

Lib. de grat. & libero arbitrio cap. 16.

Ibid. c. 17.

Lib. de Corr. & grat. c. 12.

Quid verò juvat quod quidam respondendum

dendum esse putaverunt, per istas phrases, *ut velimus, ut operemur, ut ambulemus* & similes, Scripturam & Augustinum significatum voluisse finē cujus intuitu datur gratia? Hoc enim, inquiunt, intuetur Deus cùm gratiam tribuit, ut homo cum sua libertate operetur, non autem quasi ipsa gratia libero arbitrio *velle* largiatur. Hoc enim frustra objici, inde manifestum est, quod sexcentis locis explicat se per phrasim istam nihil aliud intelligere quam quod Deus arbitrio voluntatis per gratiam ipsum velle largiatur. Nam in epistola centesima septima, ubi locutiones istas usurpaverat, *Quapropter ut in Deum credamus, & pie vivamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, non quia velle non debemus & currere, sed quia ipse in nobis velle operatur & currere.* [*Epist. 107. ad Vitalem.*] Et libro de gratia & libero arbitrio: *Per hanc gratiam fit ut sit homo liberæ voluntatis, id est ut benè velit, qui prius fuit voluntatis malæ.* [*Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.*] Et infra: *Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* [*Ibid. c. 17.*] Et quid est operans ut velimus? Audi: *De operante illo ut velimus dictum est, Deus est enim, qui operatur in nobis & velle.* Et libro de prædestinatione Sanctorum: *Qui non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt: hoc est illis datur, ut credant, illis non datur.* [*Lib. de prædest. Sanct. cap. 8.*] Et libro de dono perseverantiæ citans illam Scripturam Apostolicam, *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate*, sic illam suis verbis quasi interpretando consignat: *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.* [*Lib. de dono perf. cap. 13.*] Sed quid pluribus? Vix ullus est adversus Pelagianos & Massilienses liber aut epistola, in qua non frequenter hujusmodi doctrina commendetur. Ex quo fit ut sæpissimè opus justitiæ, pudicitiæ, continentiæ, seu justè, pudicé, continenter vivere, meritum, perseverantiam, seu perseverantem dilectionem Dei, quæ non nisi volendo & operando perficiuntur, munera ac dona Dei vocet, quæ Deus quibus voluerit, gratuito largiatur. Nam de ipsa etiam prima volūtate seu volitione bona qua viā Dei tenemus & gradimur, dicit quod nemo *hoc Dei donum præcedente suâ volūtate mereatur.* [*Epist. 107. ad Vitalem.*] Et in eodē loco: *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet: ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam qua incipimus velle credere, quoniam Dei via quid est nisi fides recta, illius esse donum qui gressus nostros propterea dirigit primitus ut velimus.* [*Epist. 107. ad Vitalem.*] Et de nostra prima ad bonum conversione: *Nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur, Deus virtutum converte nos.* [*Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 5.*] Et de operatione justitiæ de qua tota cum Pelagianis disputatio fuit in epistola nonagesima quinta: *Ergo neque per legem iustitia, neque per naturæ possibilitatem, sed ex fide & dono Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* [*Epist. 95.*] Et adversus Iulianum: *Si origo iustitiæ Deus est, cur homini ab ipso dari iustitiam non fateris, & potius humanæ voluntatis arbitrium quam Dei donum vis esse iustitiam?* [*Lib. 1. oper. imp. fol. 31.*] Et de vita pudica conjugali: *Donum Dei esse pudicitiam coniugalem Beatissimus Paulus ostendit.* [*Lib. 1. de nupt. c. 3.*] Et ibidem, *Donanti Christo magna tibi est observantia pudicitiæ coniugalis.* [*Ibid. c. 2.*] Hoc autem cum de actionibus & voluntatibus intelligere quibus pudicè vivitur, ex toto discursu manifestum est, *An fortè nec Dei dona putanda sunt quando hæc infideles agūt?* Et mox: *Cùm igitur hæc faciunt homines sine fide quæ videntur ad pudicitiam coniugalem pertinere &c.* [*Ibid. c. 3.*] Et de continentia, hoc est, de voluntate qua libidines tumultuantes intra cancellos pudicitiæ continentur, cùm attulisset illud præceptum Apostolicum, *Contine teipsum*, addit, *Et tamen non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: quibus enim non est datum, aut nolunt aut non implent quod volunt. Quibus autem datum, sic volunt ut impleant quod volunt.* [*Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 4.*] Et de castitate perfecta, de qua tàm multa præcipiuntur, inquit, ne fornicationes & adulteria committantur, ut ostendatur in his faciendis hominem *habere propriam voluntatem, qua divinis præceptis obediret: & tamen Dei donum est*, ista videlicet voluntas, *sine quo servari castitatis præcepta non possent.* [*Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 4.*] Et de qualibet superatione tentationis, qua voluntas adversus eam invicta persistit, *Cùm voluntas eius convertitur & ei dicitur: Noli vinci à malo; quid ei prodest, nisi gratiâ succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adiunxit. Nam & cùm dixisset, virtus peccati lex; continuo subiecit: Gratias autem Deo qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Ergo & victoria, quâ peccatum vincitur nihil aliud est, quam Domini Dei in isto certamine adiuvantis liberum arbitrium.* [*Ibid.*] Et iterum: *Nec tamen sufficit liberum arbitrium voluntatis humanæ, nisi & victoria concedatur oranti.* [*Ibid.*] Et de submissione animi qua quis in solo Domino gloriatur: *Quia & hoc Dei præceptum est, & hoc præceptum obedienter audire, id est, ut qui gloriatur in Domino glorietur, similiter ut cætera, Dei donum est.* [*Lib. de dono perf. c. ult.*] Et de quacumque obedientia, qua cuicumque justitiæ repressa concupiscentia obeditur: *Obediendum est iustitiæ Spiritui, cui obedire; nec obediendum est concupiscentiæ carnis, contra quam certare debemus: ita sane ut ipsam quoque obedientiam piam,* DONUM DEI *esse meminerimus.* [*Lib. 1. contra Iul. oper. imp. f. 451.*] Et de quacumque hominis voluntate, qua benè vivitur, & non peccatur: *Quod cum ostendero, profectò manifestius apparebit benè vivere donum esse divinum.* [*Lib. de Spir. & lit. c. 5.*] Qua de re in eodem libro dicit: *Cogitare debemus, quamvis ad hominem id agere pertineat*, scilicet quod benè vivat, *hoc quoque munus esse divinum; atque ideò non dubitare opus esse divinum. Deus est enim qui operatur in vobis, ait Apostolus, & velle & operari.* [*Ibid. cap. 2.*] Unde in libris contra Iulianum, ipsum *non peccare donum Dei esse* profitetur. [*Lib. 1. contra Iul. oper. imp. f. 376.*] Et de diversis bonis operibus ab initio fidei usque ad perseverantiæ consummationem: *Satis docuisse me existimo, vel potius plus quam satis,* DONA DEI *esse & incipere in Dominum credere, & usque in finem in Domino permanere. Cætera verò bona ad vitam piam, qua Deus rectè colitur pertinentia, etiam ipsi propter* [*Lib. de dono perf. c. ult.*]

quos

quos hæc agimus Dei dona esse concedunt. Et de singulis vitæ bonæ meritis, quibus æterna vita retribuitur: *Vita æterna etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Et alibi: *Quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur.* Et rursum cùm ex Apostolo gratiam Dei vitam æternam esse tradidisset: *Intelligendum est igitur,* inquit, *etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?* De quo & lib. 13. de Trinitate: *Et ea quæ dicuntur merita nostra, dona sunt eius.* Quod probat ex Psalmo: *Dedit dona hominibus, hæc,* inquit, *dona sunt merita nostra, quibus ad summum bonum immortalitatis & beatitudinis pervenimus.* Et adversus Iulianum: *Sicut iudicij fuit ut vanitati subycerentur, ita misericordiæ est ut veritate liberemur, & ipsa bona merita nostra non nisi Dei dona esse fateamur.* Quæ doctrina apud Aug. constantissima est, usque adeò ut generaliter dicat, *Gratia est illis,* hominibus lapsis, *omne meritum.* Et hoc Conc. Arauf. definierit istis verbis quæ ex Aug. libris nuper inventis consignata sunt, & ex illis à Prospero in sētentias redacta: *Debetur merces bonis operibus si fiãt, sed gratia quæ nõ debetur præcedit ut fiãt.* Nõ enim intelligitur, quælibet gratia, *sine qua non* possint fieri, sed gratia *qua donante* Deus operatur ut fiant. Hoc enim generaliter alio jam canone asseruerat: *Divini est* MVNERIS *cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitiâ tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atq; nobiscum ut operemur, operatur.* Et Aug. generalissimè jam ante præformaverat: *Deus hæc omnia quibus animus humanus divinæ societati ad inhabitandam æternam cælestemq; civitatem instruitur & aptatur, non solum iubet aggredienda, verumetiam donat implēda.*

Epist. 105. | Epist. 107. | Lib. 13. de Trinit. c. 10. | Ibid. | Lib. 6. contra Iul. c. 12 | Lib. de Cor. & grat. c. 7. | Conc. Arauf. can. 18. sententia Prosp. 297. ex l. 1. oper. imperf. contra Iul. fol. 1189. | Canone 9. | Epist. 102.

Hanc celeberrimam Scripturarũ & Aug. doctrinam tot testimoniis, quibus decuplo plura facile proferri poterant, munitam esse volui, ut intelligeremus, quando de lapsorum operibus Deo facienti tribuendis agitur, non ad quamcumque gratiam esse referenda. Non enim Ecclesiasticæ doctrinæ satisfeceris, si dicas Deum ad illa per gratiam internam quantumcumque magnam facienda concurrere, tanquam *sine qua non* possint humani arbitrii libertate fieri. Talis enim gratia nullo modo donat ut fiant, sed tantummodo vires præbet quibus adjutum voluntatis arbitrium, ea sibi ipsum donet si placuerit, siu displicuerit, gratia sine merito, sine opere, sine effectu Deo inutilis & cassa maneat. Nam ubi talis potestas ipsi gratiæ adjutorio & effectibus ejus dominatur, ridiculum est, dicere quod gratia donat ut fiant. Nunquam enim nuda potestas largitur opus, sed id quod applicat potestatem: cui quemadmodum tribui debet quando jam sufficientissimis viribus instructum pro sua libertate cessat, ita illi ipsi tribui debet, quando cum illa gratia sibi opus, effectum, meritum, pro eadem libertate largitur. Quod si fecerit, quantumcumque *non sine gratia* simul influente fieri prædicetur, non est meritum diviñ, non meritum gratiæ Dei, non meritum divinitus datũ; quemadmodum Scriptura postulat, sed ut illud rectè vocat Augustinus, meritum [a] *humanum,* meritum [b] *liberi arbitrij,* [c] *meritum voluntatis humanæ,* meritum [d] *nostrum,* meritum *ab* [e] *homine exortum,* meritum [f] *hominis ex semetipso* comparatum. Hujusmodi quippè phrasibus nunquam significatur esse nudum arbitrium aut voluntatem quod ad ista merita efficienda concurrat; sed esse voluntatis arbitrium quod ibi præcipuas partes agit, ut non potestas habendi meritum, sed meritum ipsum reipsa & actu habeatur. Tam verò certum est juxta istam recentiorum sententiam esse liberæ voluntatis ut meritum de facto & reipsa habeatur, quàm liberæ voluntatis est ut non habeatur, unde rectissimè & propriissimè vocatur & vocari debet, meritum nostrum, meritum hominis, meritum ab homine exortum, meritum voluntatis humanæ, meritum liberi arbitrii, meritum denique, & ut omnium sæpissimè nuncupat Augustinus, humanum. Cujusmodi meritum ubiq; sanctus Doctor tanquam *institiam suam,* & *liberi arbitrij,* & *ex natura humana prolatam* non datam, & justitiam *ex lege,* & *ex se sibi paratam,* deniq; tanquam justitiam operum non gratiæ, Apostolica damnatam authoritate proscribit.

[a] Epist. 105 & 107. De grat. & lib. arbit. cap. 6. lib. de prædest. Sanct. c. 15 & 18. [b] Epist. 106 [c] Epist. 107 [d] Lib. 4 ad Bonifacium cap 6. & 7. [e] Ibid c 6. [f] Lib. de gratia & libero arbitrio c. 6.

CAPUT XV.

Ostenditur tribus argumentis non esse satis quod gratia habitualis aut quælibet actualis influat in meritum, ad hoc ut istud meritum sit donum Dei, & non meritum liberi arbitrij & humanum ab Augustino damnatum: sed quod debeat esse gratia actualis dans operationem & meritum.

FALSA quippe & fallax recentiorum imaginatio est; ad hujusmodi *iustitiam,* quam tanquam *suam* homines volunt constituere, hoc est, ad opera & merita *liberi arbitrij,* & *humana,* & *nostra,* non à Deo data, efficienda, veram & supernaturalem gratiam non posse concurrere seu influere. Quæ existimatio, quia non minima plurium & gravium hallucinationum causa est, nonnullis manifestis indiciis ex Augustino convincenda, argumentisque convellenda est.

Primò igitur hoc inde falsum esse demonstratur, quia juxta doctrinam Augustini certum est, merita quæ ex gratia habituali proficiscuntur, libero arbitrio voluntatem simul & gratiam pro sua libertate ad operandum rapiente, esse merita, quæ Augustinus contra Pelagianos disputans tanquam meri-

ta non

ta nostra & humana condemnat. Etenim Pelagiani maximè postquam fuerant Ecclesiastica damnatione percussi, merita hominis velut gratuitò data prædicabant, eo quod sine ullis meritis per peccatorum remissionem justificatus esset. Hoc autem eos intellexisse fieri per veram habitualis justitiæ donationem latissimè ex propriis Pelagianorum verbis, & plurimis habitualis gratiæ effectibus, per sex capita demonstravimus. Sed ista gratiæ divinæ prædicatio ad opus concurrentis nullo pacto sancto Doctori sufficit, ut meritum *gratia*, à Deoque *donatum* & non *humanum* esse censeatur. Hoc disertissimis verbis ipsemet de meritis à Deo donatis & humanis disputans, profitetur: *Sed cùm dicunt*, inquit, *Pelagiani hanc esse solam non secundùm merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur: illam verò quæ datur in fine, id est, vitam æternam meritis nostris præcedentibus reddi: Respondendum est eis.* Iam igitur attende quid respondeat: *Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa* DONA DEI *esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus; Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à teipso, non ab alio sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt; quæ mala sunt non coronat Deus: si autem bona sunt, Dei dona sunt.* Ecce Pelagiani prædicant homini peccata divinitus dimitti, & per hoc, ut fusè declaravimus, eum habituali gratiâ seu justitiâ gratuitò donari; eoque non obstante, merita quæ jam à justo gratis sine meritis justificato proficiscebantur, Augustinus humana merita, & ex ipso homine promanantia, non Dei dona esse testatur. Nempe quia quamvis ea non operaretur justus *sine gratia* qua jam habitualiter perfusus erat, non tamen ea donabat gratia, sed arbitrium voluntatis humanæ: quod sicut ea sibi frequentissimè non donat, quando lubet, ita etiam donat quando lubet, hoc ipso quo gratiam qua præditus est, pro sua natura & indifferenti libertate, aut cessare aut operari facit. Non enim hoc est habere meritum, habere gratiam, qua meritum haberi potest, sed ipsam gratiam ad opus impellere. Quod tam certum est à sola libertate proficisci, concurrente licet gratiâ *sine qua non*; quam certum est, ab habituali gratia non proficisci, utpote quæ sicut cæteri habitus modo mortuo sese habeat, motumq; suum, fatentibus ac docentibus ex professo Neotericis, ab arbitrio voluntatis exspectet. Quod latius etiam nos in præcedentibus prosecuti sumus, & sexcentis exemplis tum habituum, tum luminis, tum quorumcumq; aliorum auxiliorũ ad opus concurrentium, quibus tamen opus non potest tribui, sed soli humanæ libertati, declaravimus. Hoc in cæteris omnibus verissimum esse recentiores vident, cogũturq; fateri; in sola gratia quam tuendam non satis considerate susceperunt, tergiversantur ac hærent, quia lætaliter eam vulnerari cernũt.

Vide latè libro 5. de hæresi Pelagiana à cap. 22. usque ad 28.

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 6.

Hæc est ergo ratio, cur consequenter, ut rectissimè notavit Augustinus, tale meritum proferenti verissimè Apostolus dicat; Quis enim te discernit? Iustus enim à justo, non habituali gratiâ, sed gratiæ istius operatione discernitur. Quod discrimen certissimum est esse non gratiæ, sed humanę, quamvis *non sine gratia*, libertatis. Quod ita manifestum est, ut ipsimet qui tuentur hujusmodi gratiæ genus, non possint ulla ratione diffiteri. Agnoscunt enim cumulatissimè, ut supra vidimus, discrimen istud, quod hic & nunc gratia influat aut non influat, à voluntate proficisci. Quod quid est aliud quam hominem humano merito se discernere? nam hic & nunc operari, hic & nunc ad operandum se applicare, hic & nunc facere ut gratia influat, hoc est, meritum sibi parere, & semetipsum ab alio cum quo hactenus par, æqualis & indiscretus fuerat, hic & nunc non operante, gratiam non applicante, gratiæ influxum cohibente, discernere. Per hoc enim quod alteri cum altero commune & indiscretum est, nemo discernitur: juxta id quod dixit Augustinus: *Numquid per hæc dona quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* minimè gentium.

Lib. de prædest. Sanctorum cap. 5.

Secundò falsum hoc esse, demonstratur ex meritis Adami & Angelorum. Nam ad illa concurrisse gratiam habitualem extra controversiam est; imò & actualem influxum apertissimè certissimèque Augustinus docet. & tamen illa fuisse merita humana, non data, fuisse merita liberi arbitrii, non dona Dei; adeoque Angelos reipsa stetisse, non discessisse à Deo, perseverasse per liberũ arbitrium, *non per gratiam*, quamvis *non sine gratia*, eâdem tradit asseverandi constantiâ doctrinæque certitudine. Quod quia aliis jam locis fusius ostendimus, importunum esset hic repetere. Perspicuum est igitur nullo modo fieri satis Augustino, Scripturisque & Conciliis, si opera & merita lapsi hominis, quoquo modo ad gratiam habitualem vel actualem referantur, sed ad illam referenda sunt, quæ justitiam, & opus, & meritum, donat. Quam nisi dederis, licet aliam quamcumque dederis, tantoperè aberrabis à veritate confitendæ gratiæ, ac si Christum non venisse, gratiam non attulisse, infirmitatem non adjuvisse, hominem integris viribus perstitisse, unoque verbo Christum gratis mortuum esse decerneres, quorum nullum sine damnato errore asseri potest.

Vide latissimè libro de gratia primi hominis cap. 16. & fundamenta fusè tradita ibid. cap. 7. 8. & 9.

Tertiò hoc falsum esse demonstratur, ex duplici errore Massiliensiũ, quorum uterque rem istam planissimam facit. Prior erat quod initium fidei, orationem, gemitus, ac desideria, & hujusmodi ex nobis, hoc est, ex libero arbitrio prosilire censerent. Et tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam, cujus influxus in eorũ libe-

libero relinqueretur arbitrio, & hoc eos apertissimè docuisse, jam supra latè patefecimus. Posterior erat perseverantiam in fide, non esse donum gratiæ Dei, sed humanæ voluntatis officium. Est autem certum eos nunquam rejecisse ab illa perseverandi voluntate gratiæ permanenter & habitualiter voluntati inhærentis influxum. Nam præterquam quod nullum extet in omnibus Augustini & Prosperi scriptis indicium tam insulsæ absurditatis, repugnat etiam scopo Massiliensium, qui quaslibet gratias etiam potentissimas post initium fidei libentissimè concedebant, dummodo *sub gratia adiutorio* sua sibi voluntas relinqueretur. Nam & credere & adepta justitia in credendo perseverare *sic in nostra constituebant potestate* Massilienses, *ut Dei dona esse non putarent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates.* Cum quo tamen benè consistere judicabant, ut quamvis Deus per gratiam non operaretur in homine istas voluntates & actiones, *sub ipso* tamen *gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præsciret*, quemadmodum eorum sententiâ Prosper exprimit. Hoc est, voluntatem perseverandi in fide nolebant ex gratia voluntatē ipsam donante & operante, sed ex ipso hominis arbitrio, *sub gratia tamen adiutorio* sese quaquaversum flectente proficisci. Non enim erant inimici gratiæ ad perseverandum, nisi illius tantùm quæ non relinqueret ipsis optionem suam, sed adamantina quadam Dei constitutione, quam mutare non possent, voluntates præveniret, atque operatione, quæ non ab eorum arbitrio suspenderetur, efficeret; sed hoc vel illud determinatè velle & arbitrari faceret. Hinc nunquam auditum est, eos veram proprieque dictam justitiam habitualem rejecisse, imò certum est eos justitiam, castitatem, sapientiam, continentiam, charitatem, ipsamque fidem auctiorem tanquam vera divinæ gratiæ dona confessos esse; nunquam auditum eos opera quæ ex talibus donis pullulabant ab ipsis donis, adeoque ab ipsa fide qua credebant iam gratis aucta & perseverante separasse; quasi fides divinitus aucta in actum fidei non influeret. Quale monstrum nullus Catholicus aut hæreticus aut philosophus unquam finxit: sed hoc tantummodo spectabant, ut cum quocumque & sub quocumque adjutorio gratiæ, *quicquid libet donatum esset prædestinatis, possent & amittere & retinere propria voluntate.* Vnde disertissimis verbis fatebantur hominem ad credendum & perseverandum in fide *iuvari gratiâ volentem*, sicut & Adam adjutus fuit. Quod qui fusius ex radice, & proprijs eorum verbis perspectum habere cupit, legat ea quæ de perseverantia, in opinione Massiliensium, itemque de gratia ad credendum, disseruimus. Nam ex illis certissimum apparebit, non sufficere influxum cujuslibet gratiæ supernaturalis sive habitualis, sive etiam actualis, ut justitia sit *Dei non nostra*, ut opus sit *gratia* non liberi arbitrii, ut *meritum sit donū* Dei non ex humana voluntate profectū.

Supra hoc libro cap. 12. Vide late libro 8. de hæresi Pelag. cap. 6. 7. 8. &c. — *Lib. de dono pers. cap. 17* — *In epist. ad Augus.* — *Hilar. in epist.* — *Vide lib. 8 de hæresi Pelagiana c. 14 & 15. Itemque de grat. ad credendum c. 6. 7. 8. 9. 10.*

CAPVT XVI.

Idem ostenditur quarto ex natura gratiæ ad singulos actus necessariæ, quæ ex diversis capitibus ostenditur non esse habitualis, sed actualis inspirans etiam justis habitualiter velle & operari.

QVARTO convincitur hoc esse falsum ex natura gratiæ, cujus confessionem à Pelagianis tanquam ad singulos actus meritaq; singula efficienda donandaque necessariam Augustinus postulat, sine cujus adjutorij agnitione nec ipsos Christianos esse posse, nec opera Dei dona, sed justitiam tantum nostram & humanam ex libero arbitrio proficiscentem, profitetur. Hoc est autem, non cujuscumque gratiæ adjutorium sive remissionis peccatorum, sive habitualis, sive legis, sive doctrinæ, sive alterius cujuscumque, sed adjutorium gratiæ actualis, quod tunc datur quando actu volumus & operamur. Quod innumeris probationibus tanquam certæ & Catholicæ fidei dogma, ex Augustini Conciliorumque monumentis demonstrari potest. Nos quia res tantillum versatis evidentissima est, & à nonnullis recentioribus agnita, paucis contenti erimus. Quod ut præstemus quam brevissimè fieri potest, supponimus tanquam Catholicæ fidei fundamentum illud adjutorium gratiæ, de quo cum Pelagianis agebatur, ad singulos actus nostros bonos efficiendos esse necessariū, ita ut sine isto nihil omninò boni operis velle aut agere valeamus. Nam oppositæ sententiæ tanquam certæ exploratæq; hæresis damnationem sæpenumero commēdat Augustinus. *Hinc iam obiiciuntur*, inquit, *Pelagio alia Celestij capitula capitalia, & sine dubitatione damnanda, quæ nisi anathematizasset cum his sine dubio damnaretur. In tertio capitulo scripsisse Celestium gratiam Dei & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege atque doctrina.* De quo paulò inferius adijcit: *Nunc certè post hoc iudicium quando contra huiusmodi sententias disputamus adversus damnatam hæresim disputamus.* Et in fine libri dicit Palæstinos Episcopos *eam hæresim sine dubitatione damnasse*: adeoque istum articulum inter eos collocat, in quibus *potius tota hæresis ista consisteret*, exponitq; esse gratiam illam *quæ subministratione Spiritus sancti datur, ut ad nostros actus singulos adiuvemur.* Et libro de gratia Christi, à Pelagio postulat ut confiteatur gratiam qua *voluntas & actio divinitus adiuvatur, & sic adiuvatur, ut sine illo adiutorio nihil benè velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua non nostra iustitia iustos facit.* Hoc est

Lib. de gestis Pelag. c. 14. — *Ibid.* — *Cap. 35.* — *Ibid.* — *Lib. de gratia Christi cap. 47.*

est illam esse gratiam quæ non sinit opera vel merita nostra esse *voluntatis humanæ*, esse *liberi arbitrii*, esse *humana*, esse *nostra*, esse *ab homine exorta*. Qualem justitiam, hoc est quale opus justitiæ qui volunt constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Talibus enim gratia non donat opus aut meritum, sed ipsi sibi sua voluntate constituunt.

Hoc ergò gratiæ divinæ adjutorium, quo in singulis actibus nos adjuvandos Augustinus confitetur, & à Pelagio, si vult esse Christianus, confitendum tradit, tanquam gratiam de qua tota erat Ecclesiæ cum isto hæretico disceptatio, tam est perspicuum esse actuale & jugiter suppeditandum à Deo, ut mirum sit à quoquam in dubium potuisse revocari. Nam hoc probat in primis quod supra latissimè confirmavimus, de illa gratia fuisse controversiam, qua certantes adversus concupiscentiæ tentationes ab ejus dominatione liberamur, ne vincamur in prælio, hoc est, de gratia liberationis & salvationis ab infirmitate, qua sub tentationibus fatiscimus laborantes. Hanc autem esse actualis gratiæ adjutorium, ex eo manifestum est, quod sub initium pœnè tota disputatio cum Pelagio de justorum, hoc est, habitualem gratiam jam habentium, adjutorio ferveret, usque ad damnationem ejus. Quod omnes libri indicant qui contra ipsum usque ad Concilium Carthaginense scripti sunt: de natura & gratia, secundus de peccatorum meritis, de perfectione justitiæ, de Spiritu & littera, epistola octogesima nona, de gestis Pelagii, & hujusmodi. In quibus omnibus hoc toto virium conatu agitur, Christianos baptizatos, fideles & justos qui laborant contrarietate carnis & spiritus, divinæ gratiæ adjutorio ad singulos actus indigere. Non enim ita deliravit Pelagius unquam, ut existimaret justitiam habitualem, qualiscumque esset illa, ad opera justa suo modo non adjuvare. Deinde de illo agitur adversus concupiscentias etiam justorum adjutorio, quod nisi Deus legis jussu intonante largiatur, concupiscentia magis exardesceret, certissimaque legis prævaricatio sequeretur, ut etiam pluribus supra demonstratum est. Ergò perspicuum est, esse gratiam illam, quam Deus etiam justificatis largiri debet. Denique illa est gratia quam Deus & justis sæpè negat, sive ut superbia jam nata comprimatur, sive nascitura caveatur: *Deserit aliquantum Deus*, inquit, *unde superbis, ut scias non tuum esse, & discas superbus non esse*: quam desertionem certum est non esse gratiæ habitualis. *Lib. de nat. & grat. c. 28*

Secundò hoc probat, quia de illa gratia certabatur, qua Deo largiente suavitas oboritur animo non solùm impiorum, sed maximè justorum, ut bonum opus velle & operari libeat. Nam sine tali gratia, tædio nimirum animum certissimo alioquin occupante, nec opus bonum suscipi, nec ipsa voluntas humana justorum quorumcumque potestate

A haberi potest: *Quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit. Cùm ergò nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro aut industria, aut operum meritis comparatur. Quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate serventia, ille tribuit, ille largitur. Propterea petere jubemur ut accipiamus &c.* Nihil evidentius dici à quoquam potest, ut gratiam actualem etiam ad singulos voluntatis justificatæ nutus necessariam, & inspiratione Dei conferendam probet. Quod longè apparebit ex aliis locis jam traditæ doctrinæ concinentibus manifestius: *Ideò quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis sed divini amoris esse, vel quod scit, vel quod delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanetur. Et sciat quam verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum est, Dominus dabit suavitatem*, id est gratiam agendi, *& terra nostra dabit fructum suum*. Et multò inferius ejusdem doctrinæ orbitam terens dicit: *Dominum Deum bonum ideò etiam Sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lumen, quo illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, qua det fructum terra eorum.* Et iterum: *Idcirco etiam Sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardius sanat, ut in his eos minus quam implendæ omni ex parte justitiæ sufficit delectet bonum, sive cùm latet, sive etiam cùm manifestum est, ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis caro.* Quo significat inde contingere quod etiam Sancti & fideles in peccata venialia prolabantur. Ecce perspicuè, solidè, à fundamentis, inculcatèque traditum, gratiam de qua disceptat cum Pelagio Augustinus, etiam justis quam maximè esse necessariam (nam ut infra dicturi sumus, illa nullis omninò infidelibus datur, nisi qua fideles fiunt) etiam justis sæpè subtrahi, illam nunc dari nunc negari, prout Deo visum fuerit, ut sanetur caveaturque superbia. Denique talem esse, sine qua nullum omninò opus bonum quisquam amplecti, aut suscipere aut agere potest. De qua gratia, qua divinitus inspiratur ut delectet bonum, conformiter alibi dicit: *Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valeat, si lateat veritatis via: Et cùm id quod agendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur non agitur, non suscipitur, non benè vivitur.* Itaque in eodem libro consequenter dicit, *Spiritu sancto fieri in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est: sicut præter hunc Spiritum peccare delectat.* Hanc autem delectationis gratiam, qua præsente justum non peccare delectet, vel absente delectet, actualem esse non habitualem, quæ justis ad peccatum usque mortale, & cum venialibus semper adest,

Lib. 1. ad Simplic. q. 2

Lib. 2. de pecc. merit. cap. 17.

Ibid. c. 19.

Ibid.

Lib. de Spir. & lit. c. 3.

Ibid. c. 16.

B C D

Digitized by Google

adest, tam est manifestum, ut nimium tar- A dus sit, qui hoc sibi probatum velit. Vndè alibi dicit Augustinus, istam dilectionis gratiam esse solum & verum istud adjutorium, quod præter scientiam agendorum à justis etiam in omnibus precibus imploratur:

Lib. 2. de pec. merit. c. 19. *Cùm autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam perficiendamq; iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & suave faciat quod non delectabat.* Quod suavitatis adjutorium ne quis vel ad ipsas preces, quibus ipsum à Deo suppliciter petitur, necessarium non esse suspicetur, continuò adjungit:

Ibid. *Quia & hoc ab illo esse deprecandum eius gratia didicimus; dum antea lateret, eius gratia dileximus, dum antea non delectaret; ut qui gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur.* Quo fit ut etiam tanquam de peculiari beneficio gratias Deo agēdas esse commendat, quoties nos quiescentes seu non agentes ad agēdum actu ista sua- B vitate pertraxerit, cumque quoties non pertraxerit, deprecandum:

Lib. de Cor. & grat. c. 2 *Ad hoc eis ostendi quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione iustitiæ suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant: quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent, ut quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt, quod non accepturi sunt, aut quid habent quod non acceperunt.*

Tertiò hoc probat, quod illud gratiæ adjutorium de quo disceptatio erat, utrùm & justis esset ad benè vivendum necessarium, vocet gratiam qua charitas, hoc est, dilectio boni operis inspiratur, quod etiam certissimum est, esse gratiæ actualis adjutorium. Nam sive nolentibus velle, sive volentibus plenius velle, sive non agentibus boni operis dilectio inspiretur, semper motio sancti Spi- C ritus actualis exprimitur. Ex quo fit ut nullum omninò operis vel effectus boni genus excogitari possit, ad quod non talem inspirationem Augustinus exigat. Hanc postulat pro prima bona voluntate seu boni cupiditate, cùm dicit quod

Lib. 2. ad Bonif. c. 8. *invito & reluctanti Deus inspiret boni cupiditatem, ut iam non sit reluctans, non sit invitus, sed consentiens bono & volens bonum.* Et in libro de correptione & gratia:

Lib. de Cor. & grat. c. 6. *Vt strepitu correptionis forinsecus insonante atque flagellante, Deus in illo* occulta inspiratione *intrinsecus operetur & velle.* Hæc enim operatio non est aliud nisi voluntatis inspiratio.

Ibid. cap. 2. Nam in eodem libro *inspirationem voluntatis* à Deo per Apostolum peti docet. Hanc postulat pro fide qua Deo credimus:

Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Noverit eum sibi præstitisse ut crederet, qui miseretur inspirando fidem, cuius misertus est ut adhuc infideli vocationem impertiret.* Hanc postulat ad quamlibet orationem fundendam Deo:

Epist. 105. Deus *interpellandi & gemendi inspirat effectum.* Et in ultimo pœnè libro quem jam moriturus exaravit:

Lib. de Perseu. in præfat. *Vtrum dum hoc ago ut efficiam, dum peto, dum quæro, dum pulso, sim fortaßis accepturus ignoro: Scio me ta-* A *men nec petiturum, nec quæsiturum, nec pulsaturum quantum sat est, nisi & hunc affectum munere divinæ inspirationis accepero.* Hanc postulat pro studio virtutis:

Lib. 2. ad Bonif. c. 10. *Studium hominis quod dicitur bonum, non incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus: Gratias autem Deo qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi.* Quod alibi apertius dicit:

Lib. 4. c. 6 *Reluctanti prius aditus divinæ vocationis ipsa Dei gratia procuratur ac deinde in illo iam non reluctanti spiritus virtutis accenditur.* Hanc postulat ad desiderium regenerationis:

Epist. 107. *Oramus pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret.* Hanc pro victoria tentationis:

Lib. de Spir. & lit. c. 29. *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod iubet atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.* Quam inspirationem ita, cùm lex jubet, putat esse necessariam ut nisi à Spiritu B sancto fiat, graviori lapsu sine dubitatione prolabatur:

Ibid. cap. 4. *Sed ubi sanctus non adiuvat Spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem,* (seu actum diligendi, prout ipse semper intelligit istum locum) *diffundens in cordibus nostris, profectò lex illa quamvis bona auget prohibendo desiderium malum.* Hanc postulat, ut habeatur quodlibet desiderium bonum:

In Epist. 143. *In Domino laudabitur anima eius, qui satiavit in bonis desiderium eius: quia & hoc desiderium ipse inspiravit, ne virgo eius sic in aliquo bono glorietur quasi non acceperit.* Hanc postulat ad quamlibet dilectionem faciendi id quod novimus esse faciendum, quando reprehendit Pelagium quod negaret Deum adjuvare *cooperando & dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit faciat.* Quæ dilectionis inspiratio apud Augustinum quodlibet opus bonum respicit, sine qua non modo non fieri, sed ut latè C demonstravimus, nec bonum quidem opus esse potest. Vnde ad omnia justorum opera bona talem inspirationem requirit:

Lib. de Cor. & grat. c. 3. *Hanc inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis quibus dicebat: Oramus ad Deum ne quid faciatis mali &c.* Quæ dilectionis cujuslibet boni operis inspiratio, quia generalissima est, hinc fit ut eam propriè gratiā contra Pelagianos vocet:

Lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. *Legem in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam &c. ut scilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt noverimus, non inspirationem dilectionis ut cognita sancto amore faciamus, quæ propriè gratia est.* Et alibi se testatur à Pelagianis petere *inspirationem charitatis, ut quod discendo cognovimus etiam diligendo faciamus.*

Epist. 143. Hanc itaque ad omnem omninò profectum postulat quo in benè agendo delectamur:

Lib. 1. q. 2. ad Simplic. *Cùm ergò,* inquit, *nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei,* D *non nutu nostro aut industria, aut operum meritis comparatur, quia ut sit nutus voluntatis &c. ille largitur.* Hanc ad quamlibet etiam cogitationem bonam postulat:

Epist. 106. *Quam cogitationem bonā quando habuisset, nisi & ipsam illi in occulto pater*

ter misericordissimus inspirasset? Quæ omnia tàm perspicuè gratiam actualem eamque potentissimam spirant, ut non videam quomodo possint ad remissionem peccatorũ, vel gratias habituales vel sufficientes, nisi pervicaciâ quidlibet pervertente, detorqueri. Quam ob causam Zozymus Papa cum hæresim Pelagianam Apostolicâ authoritate damnaret, gratiæque necessitatem & operationis efficaciam totius orbis Episcopis explicando, singulos bonos animi motus ad eam referendos esse sanciret, luculentissimis verbis & summoperè Afrorum Antistitum Concilio commendatis declaravit, actualis esse gratiæ inspirationem, quæ de prostrato Pelagianorum errore triumphabat. *Nos*, inquit Pontifex, *instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt undè nascuntur) ad fratrum & Coepiscoporum nostrorum sententiam retulimus.* Quem sermonem, ut Celestinus Papa loquitur, sincerissimæ veritatis luce radiantem Afri Episcopi tanto honore venerati sunt, ut ad eundem scriberent, quod Pelagianos districto gladio veritatis velut cursim transiens amputasset: *Quid enim*, inquiunt, *tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen* INSTINCTU DEI *factum esse fideliter, sapienterq; vidisti, veraciter fidenterq; dixisti. Ideo utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis* INSPIRATIONIBUS *suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, si filij Dei sunt; ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Ecce loco adjutricis gratiæ quam tantoperè celebravit Augustinus, audis hic *instinctum* Dei, audis *inspirationem* Dei, audis *tactum* quo corda filiorum Dei tanguntur & aguntur, in singulis voluntatis humanæ motibus bonis, ut nemini dubium esse posit, quin actualis gratiæ necessitas in omnibus bonis motibus pontificali & synodali authoritate asseratur. Et quia per talem tactum, instinctum, inspirationem, suavitatem Dei, voluntas infirma liberatur, vegetatur, reparatur, sanatur, à creaturis ad Deum retorquetur, rectificatur, justificatur, hinc est, quod eadem illa actualis gratia sexcentis Augustini locis vocatur sanans & justificans, non quod formaliter & habitualiter talem voluntatem hominis facit, sed quia illam ad talem justitiæ & sanitatis rectitudinem efficiendo perducit; non enim de habitualiter sanante & justificante gratia contra Pelagium vires humanæ voluntatis prædicantem agebatur, sed de illo principio quo læsi arbitrii infirmitas juvabatur. Quod facillimum esset innumeris testimoniis demonstrare, nisi hoc ipsum etiam non pauci recentiores agnoscerēt.

Zozim. Papa in epistola ad totius Orbis Episcopos.

Celestinus in epistola ad Episc. gallos.

Vasq. 1. 2. disput. 136. c. 3. & disp. 218. nu. 14. & 15. & Lessius l. de grat. effic. cap. 12. nu. 10.

CAPUT XVII.

Idem ostenditur invictè juxtà doctrinam sancti Augustini ex precibus Ecclesiæ quæ actualem motionem datricem voluntatis & operationis implorant.

DEINDE hoc invictè probat oratio totius Ecclesiæ, quam Lydium lapidem esse ad dignoscendam gratiam adjuvantem, de qua tota controversia est, sæpenumero testatur Augustinus: *Ipsa igitur oratio, clarissima est*, inquit, *gratiæ testificatio.* Et alibi nullo modo *facilius & apertius* Pelagianis responderi posse putat, quam si id *quod de orando Deo egerat, sic amplectantur, ut hoc menti nostræ nulla subtrahat oblivionis irreptio, nulla calliditas argumentationis extorqueat.* Quam ob causam securissimè quodam in loco dicit: *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret.* Hoc igitur argumentum, quia sanctissimus Doctor adversus omnes omnium cavillationes peremptorium esse judicavit ac docuit, frequentissimè adversus hostes gratiæ adhibuit, omniaque argutissima eorum subterfugia interclusit, quibus nunc legem, nunc remissionem peccati, sub qua habitualis gratia comprehenditur, nunc exemplum Christi, nunc gratiam Angelis & Adamo datam *sine qua* operari aut velle non poterant, pro vera Christi gratia opus & meritum largiente supponebāt. Cujusmodi testimoniorum Augustini, quia infinita multitudo est, ne tœdium lectores obruat, nos ea in pauca coarctabimus: quibus ostendemus, gratiam illam quæ singulis tentationibus superandis, singulis præceptis faciendis, singulis motibus bonis contra Pelagianos ex fidei Catholicæ doctrina, & Augustini explicantis suffragio necessaria est, non aliam esse nisi actualem, qua in singulis actibus nostra infirmitas adjuvetur. Hoc autem vel ex illo solo irrefragabiliter convincitur, quòd adjutorium habitualis gratiæ jam est in omnium justorum potestate (hoc enim juxta recentiorum etiam doctrinam habitualiter nobis adest) & utimur quando volumus. Est autem supervacaneum & stultum, & irrisorium, à Deo vel homine petere quod ipse non donat, sed jam ipse ut facias habes in tua potestate: non est igitur habitualis gratiæ adjutorium sed actualis, quod in omnibus orationibus justi postulant, & ratione cujus singulas bonas voluntates & operationes sibi à Deo donandas esse protestantur. Vim istam ora-

Epist. 95.

Epist. 107.

Lib. de dono perseverant. cap. 7.

Digitized by Google

orationis audi creberrimè inculcantem Augustinum: *Impetrando quidem oratio, quicquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur.* Et alibi de sanctissimo Propheta Davide: *Non de se præsumsit sed optavit, ut faceret, Utinam dirigerentur viæ meæ &c. Quis autem optat, quod in potestate sic est, ut ad faciendum nullo indigeat adjutorio?* Et in libro de natura & gratia, de superandis peccatorum tentationibus: *Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit; jam justis ne in tentationem inducantur orantibus, tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit, ideo pro hac re nec superflua nec imprudens Domino immolatur oratio. Quid enim stultius, quam orare ut facias, quod in potestate habeas?* Ex quo consequenter fit, ut quemadmodum id quod à Deo poscimus, non esse in nostra potestate probat oratio: sic è diverso donum Dei esse quicquid orando petimus, & ab ejus misericordi expectandum largitate apertissimè profitemur. *Quid vero evidentius*, inquit Augustinus, *quam Deo ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur?* cui paulò post subjungit: *Nisi donum Dei, esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur, Deus virtutum converte nos.* Et libro de correptione & gratia: Rogavi pro te ne deficiat fides tua. *Quid ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem? quæ profectò si ab homine homini esset à Deo poscenda non esset.* Siquidem, ut adjungit: *Nullo dubitante, quisquis à Domino, ut in bono perseveret, precatur, donum ejus esse talem perseverantiam confitetur.* Et libro de prædestinatione Sanctorum: *Frequentationibus orationum simpliciter apparebat, Dei gratia quid valeret. Non enim poscerentur à Deo quæ præcipit fieri, nisi ab illo donaretur ut fieret.* Et in eodem libro: *Non enim orando peteretur a Deo, nisi ab ipso tribui crederetur.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Cur perseverantia illa poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est: cum id ab eo petitur quod scitur ipsum non dare; sed ipso non donante esse in hominis potestate? Sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse nec fecit. Sed quod ibi dixi hoc & hic dico: Nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. O homo non verborum tuorum, verùm etiam cogitationum testis est Deus. Si aliquid à tanto divite veraciter ac fideliter poscis, ab illo à quo poscis, te accipere crede quod poscis. Noli eum labijs honorare, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse quod ab illo te fingis orare.* Et in epistola centesima quinta: *Impetrando quidem oratio, quicquid impetrat evidenter Dei donum esse ostendat, ne homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur non utique posceretur.* Et in epistola ad Vitalem: *Nemo est tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod rogare se præcepit ut faciat.* Quam doctrinam tanquam quæ ex Christi institutione totiusque Ecclesiæ unanimi sensu proficiscatur, instantissimè in omnibus pœnè contra Pelagianos libris, urget Augustinus, studiosissimeque commendat. Nimirùm quia qua certitudine & evidentiâ ostendit, non esse in hominis quantumvis Christiani & baptizati & justissimi potestate quod petitur, sed gratuita Dei gratia donandum esse, eâdem profectò probat id quod contra Pelagianos agebatur, singula opera & merita, sive tentatio peccati quæcumque superetur, sive quodlibet præceptum impleatur, non esse in hominis potestate, sed ab eadem illa gratuita Dei gratia etiam justissimis esse largiendam. Nam quo quis justior sanctiorque fuerit, eo magis profundè novit infirmitatem suam, & instantius pro singulis operibus faciendis postulat adjutorium: non illud quod in habituali vel sufficienti gratia jam accepit, quod inaniter stulteque posceretur, si habetur; sed illud quod sibi deesse, & à Dei misericordia adhuc donandum esse, & sine quo nihil se posse orando profitetur. Docet & hoc Augustinus tantâ testimoniorum claritate & multitudine, ut integri libri implerentur, si cuncta accumularem. Quanquam quid vel rudissimis Christianis qui suæ salutis curam gerunt, notius, & commendatius, & profundius insculptum est, quam ut nihil omninò boni sine Dei gratia se facere posse, & propterea sibi singula divinitus misericorditer donanda esse precibus fateantur? Verumtamen ad majorem istius Christiani sensus evidentiam ex multis Augustini testimoniis pauca accipe: quibus omnia omninò in orationibus à Deo peti à fidelibus docet, ut contra Pelagianos omnia à Dei gratia donanda esse convincat. Nam de singulis omninò operibus nostris bonis præceptisque loquebatur, quando dicebat: *Cum ergò nobis jubet dicens, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, nosque illi dicimus, Converte nos Deus sanitatum nostrarum; &, Deus virtutum converte nos: quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Cùm jubet dicendo, Intelligite ergo, qui insipientes estis in populo; & nos illi dicimus, Da mihi intellectum, ut discam mandata tua, quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Cùm jubet dicendo, Post concupiscentias tuas non eas, nosque dicimus, Scimus quia nemo potest esse continens nisi Deus det: quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Cum jubet dicendo, Facite justitiam, nosque dicimus, Doce me justificationes tuas, quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Item cùm dicit, Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur: à quo debemus petere cibum, potumque justitiæ, nisi ab illo qui esurientibus eam & sitientibus promittit ejus saturitatem?* De singulis omninò operibus bonis, præceptisque loquebatur, quando dicebat: *In eis certè libris confessionum mearum dixi Deo nostro, & sæpè dixi: Da quod jubes, & jube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cum à quodam fratre Coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquanto commotius, pœnè cum eo qui illa commemoraverat, litigavit. Nempe quia tam perspicuè ad singula Dei præcepta gratiam poscunt. Quod verò nobis primitus & maximè Deus jubet, nisi ut credamus in eum? Et hoc ergò ipse dat, si benè illi dictum est, Da quod jubes. Et in eisdem etiam libris, quod de mea conversione narravi, Deo*

Epist. 105. — Lib. 2. de pec. merit. cap. 6. — Lib. de nat. & grat. c. 18. — Lib. de grat. & libero arbitrio cap. 4. — Cap. 5. — Lib. de Corr. & grat. c. 6. — Lib. de prædest. sanct. cap. 14. — Cap. 20. — Lib. de dono pers. cap. 2. — Epist. 105. ad Sixt. c. 1. — Epist. 107. ad Vital. — Lib. de pecc. merit. c. 5. — Lib. de dono pers. cap.

applicationem ejus ad influendum in ista indifferentis libertatis dominativa potestate constituunt. Non enim existimandum est solam legem atq; doctrinam esse possibilitatis adjutorium. Est etjam exemplum Christi, est remissio peccatorum, est cujuslibet artis, & vitii, & virtutis habitus possibilitatis adjutorium, non minus, imò verò perfectiùs quam scientia vel doctrina; plus enim adjuvant possibilitatem, hoc est, perfectiùs complent solam potestatem voluntatis ad operandum, & imbecillius ad actiones efficiendas voluntatem rapiunt, & magis eorum influxus in voluntatis arbitrio relinquitur (quæ omnia sunt adjutorij possibilitatis argumenta) quam rei diligendæ faciendæque scientia. Audi hac de re præclarè Augustinum: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certiùs quam bonum sit novimus, eoq; delectamur ardentiùs.* Vnde non solum *infirmitatem* concupiscentiæ, sed & *ignorantiam* veritatis *vitium* esse statuit, *quod impedit voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* Vbi perspicuum est certam scientiam boni vehementer ad agendum bonum impellere. Hinc est enim quod ubi est certa scientia veritatis, crebrò voluntas ad agendum vel abstinendũ etiam invita stimulatur, ut in synderesi perspicuum est. Deniquè scientia non minus, aut fortasse magis in actum influit, quam illi indeliberati voluntatis motus, quos Neoterici divinæ gratiæ adjutorium arbitrantur. Denique Pelagiani non minus quam Neoterici tales motus indeliberatos bonos sub gratia contemplationis universi, doctrinæ, suasionis, exhortationisque complexi sunt; quibus autem pulsantibus illi ex corde prosiliebant. Qua de re multa diximus in recensione dogmatum erroris Pelagiani. Vnde voluntatem nostram *sapientiæ revelatione præmiorumq; pollicitatione succendi, & in Dei desiderium suscitari* fatebantur. Nam sive motus illos à Deo cordibus inseri præsente sapientiæ revelatione & promissione decernerent, sive auribus & mente per istam gratiam pulsata, ulterius naturaliter è corde proficisci, saltem eatenus eorum causam Deum adjuvantem esse sentiebant. Nec tamen unquàm Augustinus ab ipsis propterea invidiam negatu adjutorij voluntatis & actionis removit, nec ipsimet à se removendam esse judicarunt. Nam istos motus ita plenè sub arbitrii potestate collocabant, ut Iulianus, renitente licet Augustino, etiam de malis, nedum de bonis, motibus palàm diceret, *sufficit homo ingenitis sibi motibus dare leges.* De qua ingenti potestate libertatis in Pelagiana opinione loco citato plura diximus.

Lib. 2 de pecc. merit. c. 17.

Ibid.

Vide lib. 2 de heresi Pelag. c. 4 & 5

Lib. de grat. Christi c. 10.

Lib. 5. contra Iulianum capite ultimo

Hanc ergò mentem Pelagianorum cùm perspectam haberet Augustinus, quod quicquid motuum vel Deus vel diabolus in voluntate suscitaret, isti dominativæ voluntatis potestati subderent, usque adeo ut contrà servitutem gratiamque potentissimam ab Augustino prædicatam palàm assererent, hominem non posse *vel in peccatum à quoquam impelli, vel à peccato abstrahi voluntate captiva: quam non* A *posse capi*, inquit Iulianus, *si dedi ipsa noluerit, testatur fortitudo:* cùm inquam hanc sententiam eorum esse sciret, non fuit sollicitus, utrùm gratiam legis atque doctrinæ, sive revelationem sapientiæ, sive exemplum Christi, sive remissionem peccatorum, sive habitus bonos, sive succensiones ac desideria voluntatis afferrent; sed generalissimè prophanum eorum dogma, quo solum possibilitatem adjuvari gratia censebant, ubicumque vel qualemcumque ponerent gratiam, velut exploratum errorem Scripturisque contrarium jugulat. *Posse, velle, esse, id est*, inquit Augustinus, *possibilitatem, voluntatem, actionem tantá subtilitate curavit distinguere, ut quandocumque legimus vel audimus divinæ gratiæ adjutorium, ut à malo declinemus, bonumque faciamus* SINE LEGE ATQUE DOCTRINA *sive* VBILIBET *eam constituat, sciamus quid loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo quam sentit, scire quippe debemus,* B *quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis.* Et multo inferiùs quodlibet adjutorium solius possibilitatis oppugnans: *Venire posse*, inquit, *in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modo dicere cœpit in gratia* QVALEMLIBET *eam sentiat, qua ipsa, ut dicit possibilitas adjuvatur.* Quod mox Evangelicis Christi verbis repugnare docet. Ecce VBILIBET constituat gratiam, QVALEMLIBET sentiat, si sola possibilitas voluntatis & actionis adjuvetur, Pelagianus error est, à *sana* videlicet, ut ante dixit, *doctrina* alienus, ab Apostolica doctrina dissentaneus.

Lib. de grat. Christi c. 5.

Ibid. c. 14.

Ibid. c. 9. cap. 6.

Et verò si status disputationis istius exactè trutinetur, necesse prorsus erat, ut errorem istum tunc temporis generalissimè, quamcumque Pelagius tueretur possibilitatis gratiam, jugularet. C Quamvis enim in gratiam legis plerumque magis propendere videretur, non satis tamen certum erat Augustino quam gratiam tàm vario magnificorum verborum strepitu Pelagius tunc defenderet, cùm nunc legem, nunc doctrinam, nunc sapientiæ revelationem, nunc exemplum Christi, nunc peccati remissionem, nunc voluntatum succensionem, nunc desideria à Deo suscitata celebraret. Fatetur hanc suam incertitudinem passim toto libro Augustinus, illisque in primis locis, ubi QVAMLIBET ejus gratiam & VBILIBET constitutam oppugnabat. *Hanc autem naturalem possibilitatem quod adjuvari Dei gratia profitetur, non est hinc apertum vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adjuvari.* Quanquam verisimilius concludat esse legem atque doctrinam. Hinc similiter alio ejusdem libri loco, cùm ostendere vellet gratiam ex Pelagii dogmate, D secundùm merita dari, propter eandem incertitudinem errorem istum QVAMLIBET & QVALEMLIBET istam gratiam sentiret esse, condemnat. *Nempè*, inquit, *manifestum est, eum dicere gratiam secundum merita dari,* QVAMLIBET EAM, vel

Lib. de grat. Christi c. 6.

Ibid. c. 31

Lib. 1. oper. imperf. fol. 121.

vel QVALEMLIBET *significet, quam tamen* A *aperte non exprimit.* Quod ante dixerat, *videtis adhuc incertum esse, quo* Christi *auxilio muniatur.* *Ibid.* Itaque ut omnis erroribus istis latebra clauderetur, sub *qualibet* & *qualilibet* & *ubicumque* constituta gratia, sua in eos tela dirigit. Sicut igitur si quis recentiorum convinceretur gratiam quam tuetur, secundùm merita dari voluntatis, non satis idoneè se defenderet asserendo Pelagium defendisse gratiam legis atq; doctrinæ, se veram genuinamque gratiam voluntatis; ita non satis à se Pelagiani erroris labem removet, qui dicit, se aliam gratiam quàm legis doctrinæque defendere. Nimirum quia utrobique Augustinus *qualibet, qualemlibet, ubilibet* constitutam gratiam quisq; tueatur, si detur ex meritis; vel si solam possibilitatem voluntatis & actionis adjuvet, eum sanæ & Apostolicæ & Evangelicæ doctrinæ violatæ reum facit.

CAPVT XI.

Probatur quarto ex horrore, quo Pelagiani adjutorium *voluntatis & actionis* aversati sunt.

QVARTO natura adjutorii *voluntatis & actionis* quod Augustinus adversus Pelagianos tuebatur, & ejus ab Adjutorio Possibilitatis differentia clarissimè dignosci potest, ex illa ingenti aversione, qua Pelagiani illud semper horruerunt. Quod argumentum meo quidem judicio gravissimum, si Scholastici Doctores, ea qua fas erat attentione, ponderassent, non in eas opiniones se compegissent, undè evadi sine maxima Catholicæ & Pelagianæ doctrinæ perturbatione non potest. Sed quia tenuiter admodùm ipsis Pelagianus error perspectus est, magisque propriis tuendis principiis, quam veritati ex Augustino indagandæ intenti sunt, Pelagianis jam sepultis & silentibus facilè quidlibet imponitur, & celeberrimorum ingeniorum, veluti crassissimorum intoleranda hebetudo apud imperitos.

B Vt igitur vis istius argumenti dilucescat, breviter hîc tantùm nervos ejus, undè pendeat, indicabimus. Nam aliis locis pleraque fusè declarata sunt, quorum inutili repetitione nolim fatigare lectores. Itaque sciendum est neminem, quod sciam, vel Catholicorum unquàm, vel Hæreticorum, vel Philosophorum potentiores vires adversus omnes extrinsecus irruentes, vel intrinsecus insurgentes animo motus arbitrio libertatis tribuisse, quam Pelagianos. Extat hac de re ex professo suscepta Iuliani cum Augustino dissertatio: in qua non solùm illos bonos & indeliberatos animi motus, quos Neoterici tanquàm veram Christi gratiam prædicant, sed etiam omnes vehementissimas animi perturbationes sola voluntatis libertate frenari, imò extingui posse profitentur. Dogma enim adamantinæ veritatis inter ipsos erat, quod subindè diximus: *suscipit homo ingenitis sibi* C *motibus dare leges:* quam animi fortitudinem nullis doloribus domari, nullis blanditiis captivari posse sentiebant, nisi ultrò tanquàm omnibus superior motibus seipsum sua libertate dederet. Hæc latius loco suo ex propriis eorum verbis demonstrata sunt. Ex quo fiebat consequenter, ut nullos immissos motus, nulla adjutoria voluntatis exhorrescerent, dummodò illam imperatricem arbitrii potestatem illibatam esse sinerent, ne quoquam illa domina tanquàm captiva trahi videretur.

Lib. 5. contra Iul. cap. ult.

Vid. l. 12. 2. de hæresi Pelagiana c. 3. 4. & 5.

Vide l. 5. de hæres. Pelag. cap. 11.

Cùm igitur hæc esset eorum de voluntatis fortitudine sententia, quibuscumque motibus ageretur, doctrinam Augustini qua non tantum *Possibilitatis* adjutorium, sed etiam *voluntatis & actionis* tuebatur, indignissimè tulerunt exploseruntque velut intolerabilem. Nam octo aut novem absurditates plus quam dici posset exorbitantes afferre sibi videbatur, quarum singulæ doctrinam Evangelicam Christianamq; fidem de moribus funditus subverterent. Nam sive daretur hominibus istud adjutorium voluntatis & actionis, quod Augustinus prædicabat, sive negaretur, certissimum putabant introduci libertatis excidium, coactionem asserri, necessitatemq; voluntati, fatum condi, ignavâ benè faciendi securitate animos obtorpescere, bonas voluntates laude, præclaras actiones merito frustrari præmioq; criminibantur, quæ sigillatim & fusè ex propriis Pelagianorum & Augustini scriptis commonstravimus. Iam verò quam sit ineptum & ridiculum, adeòque delirum ac stultum, homines Augustino teste subtilissimos, qui nullis motibus in arbitrium voluntatis irruentibus terrebantur, tot criminationibus adjutorium lacerare, quod ab initio usque in finem semper exactissimè liberæ voluntati subditur, ejusq; nutu in influẽdo secum, vel non influendo regitur & coërcetur, in eodem loco tum verbis nostris qualibuscumque declaravimus, tum per se res ipsa in cujuscumque periti vel imperiti corde tàm altè clamat, ut non tàm volentibus intelligere advertenda sit mens qua veritas videatur, quam nolentibus aures obturandæ ne clamor ejus audiatur. Nam propter nimiam facilitatem illud adjutorii genus à Scholasticis illis, tanquàm verum adjutoriũ voluntatis & actionis, arreptum est. Vnde ne de trivio aliquid invenisse viderentur, Pelagiana sententia velut monstrosæ stupiditatis inducenda fuit: *Nisi enim unus accusaretur Cacus, parum Hercules laudaretur.*

Vide l. 5. de hæres. Pelag. cap. 12. 13. 14. 15. &c.

Ibid. toto cap. 17.

Lib. 19. de Civit. c. 12.

Sed quàmvis Pelagianos tàm inerti stupore fuisse fateremur, ut rem oculis omnium vulgique judicio expositam & propriis principiis maximè consentaneam non perciperent, quis pri-

primum Ecclesiæ ingenium Augustinum, Angelicamque subtilitatem ejus tàm obviam ac trivialem gratiæ cum libertate concordiam non penetrasse deliret, aut pietatem ejus Pelagianis eam declarare noluisse? unica namq; sententiola quod *adjutorium Christi in libero relinqueretur voluntatis arbitrio*, totius laboriosissimæ controversiæ filum præcidisset. An fortè mysterium istud recentioribus revelatum ignoravit? Quid ergò quando de actuali primi hominis adjutorio satagebat talem ejus cum libera voluntate concordiam & sub ejus nutu subjectionem tanta verborum ubertate, sententiarumque claritate manifestavit, & Neotericis præformavit, ut ipsi phrases ejus ad exprimendos propriissimè & efficacissimè conceptus suos, arripere cogantur, ac dominativam arbitrii potestatem super adjutorii concursu sententiis ejus explicare? Quid enim clariùs ullus Scholasticus in explicanda voluntatis sub gratiæ concursu libertate dixit unquàm, vel à quoquam dici potest, quam quod tunc iterum iterumque dixit & inculcavit Augustinus? Tale videlicet fuisse istud adjutorium ut hoc Deus *in hominis primi libero relinqueret arbitrio*: ut illud *per liberum arbitrium deserere posset*: quod *desereret cum vellet, & in quo permaneret, si vellet: quo fieret ut haberet justitiam si vellet, sed si vellet etiam desereret: per quod posset permanere si vellet: cum quo perseverare & non perseverare in ejus arbitrio relinqueretur libero*; per quod *homini relinqueretur voluntas sua, ut in illo adjutorio maneret si vellet*, *ut ei dimitteret ac permitteret facere quod vellet*. Denique quo adjuti Angeli *cadentibus aliis per liberum arbitrium*, alii reipsa *per liberum arbitrium in veritate steterunt*. Cujusmodi phrases ita efficaces & luculentæ sunt, ut ad clarè, propriè, genuinè exprimendum possibilitatis adjutorium & libertatem voluntatis cum gratiæ influxu, nihil addi posse videatur. Sed simul atque ad ventilandum adjutorium *voluntatis & actionis* cum Pelagianis ventum est, invidiosissimè libertatis interitum, fatum, coactionem, necessitatem, voluntatis oppressionem, præmii & meriti exstinctionem criminantibus, nec hiscere quidem Augustinus de tali adjutorio & libertate ausus est, per quæ tamen difficultas omnis & querimonia radicitus tolleretur. Iudicent Lectores quod voluerint: de me fateor faciliùs creditu videri Augustinum Dei gratiam perperam prædicasse, quam vel res ita perspicuas enormi stupiditate non vidisse, vel impia causæ Catholicæ prævaricatione aperire noluisse.

CAPUT XII.

Quinto ex errore Massiliensium, qui licet adjutorium *possibilitatis*, & *sine quo non*, defenderent, tanquàm gratiæ Christi destructores damnati sunt.

QUINTO denique planissimè intelligi potest, quæ fuerit natura adjutorii Christi medicinalis *quo & voluntatis & actionis*, quod Augustinus & Ecclesia prædicarunt, ex conflictu, quem cum semi-Pelagianis habuit. Quod ut Lectori, detersis omnibus ambiguitatis & obscuritatis nebulis pateat, eademque repetendi fastidium caveatur, memoria recolendum est id quod latissimè alio loco tradidimus, semi-Pelagianos ad illud initium fidei, orationem, desideria, similesque actus bonos, quos homini in potestate remansisse sentiebant, veræ, internæ, actualisque gratiæ adjutorium statuisse necessarium: & hoc ipsum quoque sanctum Augustinum quando cum semi-Pelagianis errabat agnovisse. Admittebat enim libentissimè adjutorium Dei, cum quo possent credere & orare si vellent, ita ut & adjutorium, & ipsum velle & nolle, quemadmodum homini primo in eorum libero relinqueretur arbitrio: horrebant verò illud capitaliter *quo* secundum Augustinum fiebat ut vellent. Istam verò suam gratiam sentiebant non solam sufficientem semperque otiosam præbere potestatem, quasi aut nunquàm ad actum cum voluntate raperetur, aut tùm jam agendum esset, vel etiam agente jam voluntate, novum genus efficacis gratiæ succederet, hoc ipso quo voluntas ageret (cujusmodi novas gratias recentiores fabricant;) sed ita dare credendi facultatem, ut cùm homo pro arbitrii sui libertate gratia juvante crederet, illa eadem *gratia juvaret volentem*, quæ nolentem non juvabat; quemadmodùm de omni adjutorio, quod in libero relinquitur voluntatis arbitrio sentiri debet, nec aliter sine perspicua absurditate sentiri potest. Hujusmodi gratiam admisisse semi-Pelagianos & Augustinum cùm ante Episcopatum eorum errore teneretur, fusissimè ex propriis Augustini, Hilarii, & Massiliensium Presbyterorum verbis demonstravimus, simul etiam ostendimus talem gratiam sustulisse funditus omnes omninò difficultates, propter quas vitandas ad eam comminiscendam, veramque Christi gratiam repudiandam compulsi fuerant. *Vide lib. 1. de hæresi Pelagiana c. 6. 7. 8. 9. & 10.* *Vide totum caput 21.*

Quæ quàmvis essent juxtà perspicuè erutam declaratamque semi-Pelagianam sententiam, certa & plana, non potuerunt tamen Augustino & Ecclesiæ tanta divini adjutorii prædicatione satisfacere. Nam disertissimis verbis sanctissimus Præsul, Ecclesia probante docet, *errorem esse*, quem ipse tradiderat; *errare* quotquot ista tradunt; eos non *recedere ab ea sententia quam Pelagius damnare compulsus est*, *gratiam Dei secundùm merita dari*. Nimirum quia fidem homo sibi tribuit, quantumcumque se hujusmodi *Lib. de præd. Sanct. cap. 2. & 3.*

modi gratia adjutum esse fateatur. Non enim credere est gratiam accipere cujus influxus in libero relinquatur arbitrio; sed hoc est credere, arbitrium sese ad credendum quovis adjutorio assistente, suo nutu reipsa flectere. Quod tàm est propriè & genuinè voluntatis humanæ quam ipsius esset, si nulla actuali gratia concurrente, solius habitus adjutorio pro sua indifferenti libertate crederet. Nam ut jam sæpè diximus, & necessariò sæpiùs dicendum est, actiones voluntatis humanæ ad quas diversa, sine *quibus* fieri nequeunt, instrumenta concurrunt, non magis instrumentis nobilibus quam ignobilibus tribui possunt. Puerilis enim imaginatio est, qua putatur, alteri causæ quam ipsi arbitrio voluntatis ascribendum esse, quod homo pingit aut non pingit, currit aut stat, clamat aut silet, appetit aut fugit, Deum diligit aut creaturas, quàmvis actiones pingendi, currendi, clamandi, appetendi, diligendique Deum sine penicillo, pedibus, linguâ, voluntate, aut fortè bonis habitibus fieri nequeant, quæ singula sunt dona Dei ab ejus gratuita liberalitate pendentia: nec sane sapientior cogitatio est, tunc non esse voluntatis humanæ quando penicillus aut penna aurea est; pedes corporis glorificati, lingua angelica, voluntas instructa caritate aut nobilissimæ entitatis adjutorio, si nihilominus omnia hujusmodi adjutoria pari omninò modo ac nudæ potentiæ liberæ voluntatis arbitrio concitentur & reprimantur. Hoc vigilantissimè prisci gratiæ defensores observarunt: & ex ista verissima & in communi omnium hominum sensu posita regula de actionibus Deo donanti vel humanæ voluntati facienti tribuendis indicarunt. Hinc enim illa sancti Doctoris axiomata capitalia, quod Deus in Angelis & hominibus olim ostendere voluit, *quid posset eorum liberum arbitrium*: quod Adamus *per liberum arbitrium manere poterat*: quod Angeli *per liberi arbitrii vires poterant non discedere à Deo*; quod *per liberum arbitrium in veritate steterunt*. Nimirum quia gratiæ adjutorium *sine quo non poterant* stare, nec reipsa steterunt, ut sexcenties repetit, in eorum libera voluntate sic relictum erat, ut eis *perseverandi & non perseverandi committeretur arbitrium*. Hanc benè vivendi possibilitatem in prima hominis conditione datam, quæ talem gratiam non excludebat, sed potiùs essentialiter & intrinsecè postulabat, semi-Pelagiani & Augustinus ante Episcopatum suum exigua ex parte salvam remansisse statuebant, vi cujus, adjutorio talis gratiæ concurrente, per liberum arbitrium hominem saltem credere posse sentiebant. Sed divinâ revelatione ab errore revocatus vidit, nihil aliud agi per istum ratiocinandi modum, quam ut eâdem omninò ratione, quemadmodùm ante lapsum in inchoanda fide præcipuæ partes homini, qui voluntatis machinam qua reipsa creditur, impellit & regit, secundæ verò Deo tribuantur, qui per hujusmodi adjutorium sine quo non potest credi, solam credendi potestatem tribuit: vidit etiam non esse solam operis supernaturalitatem, quam Neoterici semper ponderant, sed maximè & capitaliter adeoque solam concupiscentiam qua voluntas & libertas vitiata est, propter quam Christi medicinale adjutorium necessarium est. Istud vulnus arbitrii, ista plaga voluntatis, ista infirmitas libertatis non magis isto Adami, vel Angelico, vel sufficienti, vel congruo sanatur aut juvatur adjutorio, quam si cœcatis oculis lumen accenderes. Nam ista adjutoria sanitatis tribuunt quidem arbitrio sano posse si velit; sed hîc vulnus ipsis volendi cardinibus inflictum est. Nam propter voluntatis læsæ aut libertatis infirmitatem non potest ipsa trahente, se nimirum deorsum in creaturas propriâ cupiditate, ad ipsum illud velle pertingere, per quod præsente adiutorio isto sanitatis uteretur. Vndè medicinalis gratia ei necessaria est, quæ ipsum illud velle largiatur. Quod cùm Deus per medicinalem gratiam facit, dando ipsam credendi, orandi, sperandi, diligendique voluntatem, tum demùm talis actio est gratiæ divinæ, non voluntatis humanæ; tunc est meritum divinitùs datum, non humanâ voluntate præsumptum, tunc est iustitia non nostra sed Dei: non quasi sine nostra voluntate fieret, sed quia Deus concurrente licet voluntate, facit ut fiat: sicut antea, concurrente sanitatis adjutorio (hoc est, Adami, vel angelico & sufficienti & congruo) voluntas humana faciebat ut fieret. Hoc igitur modo quia Massilienses cum gratiæ præsentis adiutorio putabant hominem per naturales primæ integritatis reliquias posse credere, posse orare ac desiderare Deum, tanquàm gratiæ medicinalis destructores, & liberi arbitrii præsumptores meritâ censuræ severitate damnati sunt. Ex isto igitur duplici operandi modo voluntatis, duplicique adiuvandi modo gratiæ, quo *prima sanitatis* gratia opitulatur arbitrio, si adjuvari velit, & *secunda medicinalis* opitulatur ut velit, itemque ex illa Massiliensium damnatione, quatenus primum gratiæ genus saltem ad credendum satis esse sancientes, ipsum credere voluntati tribuebant, apertissimè perspicitur, quæ sit natura medicinalis adjutorii, quod ægrotæ voluntati sanguine suo medicus peperit, & Augustinus, Ecclesia, Scripturaque prædicavit. Liquet etiam quam ei ex diametro quodlibet adjutorium sufficiens & congruum adversetur: utpotè sub quorum speciosis nominibus, prima integritas humanæ naturæ restituitur, fides, gemitus, & oratio cum Massiliensibus, imò verò spes, charitas, & cuiuslibet virtutis operatio, tentationisque superatio, omne meritum & præmium dominatrici hominis libertati, sicut Angelis & Adamo vindicantur, discretio hominum à volendi fonte suspenditur, unoque verbo, reipsa Christo Salvatori, quàmvis à nescientibus ac detestantibus occlamatur, recede à nobis, non est opus tuo medicinali adjutorio, sani sumus; libertas arbitrii volendi & nolendi inviolata persistit; præsente primæ no-

stræ conditionis adjutorio sine quo velle non possumus, si volumus, operamur. Quid te medicum jactas, ut nobis ipsum velle largiaris, quod quicquid tu feceris nostræ est potestatis & voluntatis? Huc porrigit manus ista bonorum virorum de adjutoriis congruis, hoc est, sufficientibus disputatio. Nec enim aliud est, aut erit unquàm, aut esse potest, nisi sufficiens adjutorium, quod submittit fasces humanæ voluntatis arbitrio, ut ejus operatio & cessatio ab libertatis humanæ nutu tota religetur. Quid enim isto modo tribuet, nisi sufficientem volendi operandique potestatem, cui libertatis nutus impulsum afferat? Hoc libertati tribuerunt Massilienses, ut eo adjuta saltem crederet voluntas prostrata, si vellet; hoc tribuunt Neoterici, ut per illud & credat A & speret & diligat, omnesque superet tentationes, si similiter velit. Utri modestius de arbitrii potestate, religiosius de gratiæ medicinalis necessitate disseruerint, non est difficile abstrusumq; judicare. Sed quia res ista ex Massiliensium vera genuinaque opinione pendet, qui plenius ista intelligere desideret, sicut ad naturam gratiæ Christi penetrandam omninò necessarium est, legat ea quæ nonnullis aliis locis diximus, & maximè octavo de hæresi Pelagiana, & in primis capite decimo, undecimo, ubi declaravimus, quomodo talem gratiam semi-Pelagianam natura contineret, & sub illius patrocinio salutis initium, totaque discretio salvandorum ex voluntatis arbitrio seu ex volendi fonte scaturiret.

Vide lib. 8. de hæresi Pelagiana c. 6. 7. 8. & 9.

Ibid. cap. 10 & 11.

CAPUT XIII.

Ex præcedentibus infertur genuina declaratio multarum phrasium, ac doctrinalium decisionum Augustini, Prosperi, Fulgentij, Conciliorum Ecclesiæ, & Pontificum.

EX istis omnibus quæ hactenus hoc toto libro de diversis istis adjutoriis primi hominis & secundi, Adami & Christi, *sine quo non* possumus velle, & *quo* jam volumus, *possibilitatis*, & *voluntatis* atque *actionis*, disseruimus, non est difficile verum eorum præcisumque discrimen, quod jam sæpè tetigimus, intelligere. Elucet ex eis consequenter sincerus planusque sensus plurimarum locutionum & sanctionum, quibus Augustinus, Prosper, Fulgentius & Ecclesiastica Concilia vel Catholicam asseruere veritatem, vel Pelagianorum ac Massiliensium sententias jugularunt. Quæ quamvis aliis diversis locis latiùs dicta sint, non erit inutile quasi compendio breviter hic perstringere.

Hinc enim in primis constat, quid sibi velint quando dicunt primum hominem in sua conditione a *accepisse voluntatem liberam & sufficientissimam* benè vivendi *potestatem*: b *talem esse factum, qui peccato malo carere sufficeret si voluisset*; idque, *quia libero arbitrio atque ad tolle vivendum potestate libera cõstitutus fuerat*: arbitriũ ejus c *ita liberum fuisse ut benè velle posset & malè*: seu habuisse d *potestatem utrum vellet*: e *In natura posse, & in potestate habuisse velle, mentis valentia viguisse, qua præceptum Dei facilè posset custodire, si vellet*: Et f *facultatem cognitionis Dei, ac dilectionis insertam*: g *naturaliter ei datum posse credere*: Eum h *per liberum arbitrium stare potuisse*: i *Angelos reipsa per liberum arbitrium, & per libertatem voluntatis in veritate stetisse*: k *In liberi arbitrij viribus fuisse non discedere à Deo*: Et hujusmodi plura, quibus illius libertatis valentia præstantiaque tantoperè extollitur, ut quicquid fidei, dilectionis Dei, vitæ bonæ, & in omnibus istis perseverantiæ à rationali creatura postulatur, hoc per arbitrii libertatem pri- A mum hominem præstare potuisse, & Angelos bonos reipsa præstitisse doceatur.

Hinc secundo constat, quid sibi velint illa, quæ sensum præcedentium locutionum multo perplexiorem dunioremque reddere videntur, nos jam a *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse*: Deum b *dedisse quidem ab initio hanc homini facultatem*, ut scilicet ea quæ sunt pietatis habere, cogitare, dicere, agere posset; *sed omnes eam in illo* primo homine *amisisse*. Primum hominem c *illa cogitandi quæ ad Deum pertinent, amisisse protinus facultatem*: d *gratiæ dono virtutem credendi naturam recipere, quam amisit*: gratiam datam e *per quam cogitationis sanctæ amissa iam pridem in homine primo reciperetur facultas*: f *Solum protoplastum per se sibi, id est per liberum arbitrium sufficere potuisse*: Et sæpissimè cum g *amisisse illud possibilitatis bonum, quo valebat implere quod vellet*. Hæc & hujusmodi quæ frequenter dicunt, non illam spirant impietatem, quod Adamus & Angeli tantâ libertatis potestate præcelluerint, ut sola & nuda libera sua voluntate, nullo Dei actuali proprièque dicto adjutorio munita, potuerint Deo credere, Deum diligere, & rectè vivere, vitam æternam mereri, & in justitia perseverare, si vellent. Hanc enim suspicionem & Concilium Arausicanum & Augustinus, ut latè demonstravimus, tanquàm doctrinam à Catholica fide abhorrentem summâ virium contentione proscribit. Sed hoc per istas locutiones volunt, Adamum & Angelos habuisse arbitrium voluntatis tantoperè ab omni peccati cupiditate seu concupiscentia concreta liberum, ut in utramvis partem sese pro libitu posset flectere: ex qua tam felici libertate nascebatur, ut concurrente illo solo Dei adjutorio actuali, sine quo creata quælibet natura bonum omninò velle non potest, possent

a *Lib. 3. de lib. arb. c. 16*
b *Lib. de nat. & grat. c. 43.*
c *Lib. de cor. & grat. c. 11 & in Enchir. c. 105.*
d *Lib. 3. de lib. arb. c. 5*
e *Lib. 11. de gen. ad lit. c. 4.*
f *Fulgent. lib. de incar. & grat. c. 12.*
g *Ibid. c. 12.*
h *Aug. lib. de corrept. & grat. cap 11 & 12.*
i *Ibid. c. 11, & de dono pers. c. 7.*
k *Lib. de dono pers. c. 7.*

a *Aug. epist. 107.*
b *Prosp. ad capit. Gall. resp. 8.*
c *Fulg. lib. de incarn. & grat. c. 13.*
d *Ibid. c. 12*
e *Ibid. c. 12.*
f *Hypognost. lib. 3. c. 1. & 4.*
g *Ibid. c. 1. & 2. & 4. Itemq; Conc. Araus.*

Lib. de statu primi hominis & Angelorum capite 12.

possent & bona cogitare, & Deo credere, & Deum diligere, & bonum facere, & mala vitare, & in justitia perseverare si vellent; usque adeò ut reipsa quoque Angeli boni per istud liberum arbitrium sic adjutum in justitia seu veritate permanserint, per quod Adam & Angeli mali eodem isto adjutorio neglecto, ceciderunt. Hanc tantam tamque tranquillam arbitrii libertatem bonique cujuslibet faciendi possibilitatem peccato primi hominis periisse profitentur; non quia perijt istud pristinæ libertatis adjutorium, vel quia opera sunt supernaturalia, sed quia concupiscentia visceribus voluntatis, & per hoc libertatis, inspersa est, qua liberum arbitrium in creaturas tanquàm gravissimo quodam pondere deprimitur, ut quamvis adesset illud [illegible] pristinæ possibilitatis adjutoriū sexcentuplo amplius quam olim fuit, propter [illegible] eo quo dictum est modo, voluntatis vires sese sursum cum eo ad [illegible]gendum Deum non possit erigere. Nempè quia illud adjutorium non dat vulneri [illegible] sanitatē seu supponit; non reddit amissam illā possibilitatem, sed reddi postulat, ut cum volente voluntate possit influere: non infert vo- A luntati velle concurrere, quæ per carnalem concupiscentiæ voluntatem in ipso velle vulnerata est, sed illius naturæ est, ut ipsum velle ab impulsu arbitrii præstoletur. Ad hanc ergò debilitatem reparandam nihil omninò juvat istud prioris generis sanæque voluntatis adjutorium, sed aliud medicinale prorsus necessarium est, per quod vulnerato arbitrio ipsum posse simul & velle reddatur.

Hinc tertio constat, quid sibi velit Augustinus & Prosper aliique prisci gratiæ defensores, quando Pelagio naturalem seu in creatione acceptam arbitrii libertatem prædicante, ut ita sine Christi gratia bene vivere, Deiq; legem custodire posse censeretur, responderit subinde, quod *si de sana hominis natura loqueretur, utcunque acceptaretur hoc* [illegible] ho[illegible] est posset tolerari; nam & ipsemet hoc sæpius [illegible], subinde, *naturam hominis san[illegible] me[illegible] indige[illegible], quia sana non est*: subinde quod cùm per [illegible] *defendit* [illegible] *velut sana, viribusq; integra, [illegible] opitulatio Creatoris inanitur*. Subinde si primitivus ille *naturæ vigor illæsus maneret*.

Lib. de nat. & grat. c. 34. *Ibid. c. 3. & 43. & alibi sæpius.* *Cap. 20. Prosper.*

In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas

Conciliare Deo pœnaque absolvere posset.

Hoc est, ne quidem esset opus ad peccati remissionem actuali Christi medici adjutorio, quia posset propriæ voluntatis possibilitate pœnitere sicut & credere, nullā concupiscentiali infirmitate libertatem remorante. Subinde veram fore Pelagii sententiam, si natura sana perstitisset; quod & Augustinus sæpius indicat, & author hypognosticon pressius & expressius docet. Non enim significant, vires illas possibilitatis naturalis sine ullo adjutorio rectè facere & pœnitere potuisse, sed primum integræ conditionis auxilium fuisse futurum satis, nec opus fuisse medici vel Salvatoris adjutorio, quod voluntati vel stanti velle perseverare, vel peccanti pœnitere largiretur: posset enim libertas illæsa illo primo sufficienti adjutorio munita credere, diligere, pœnitere si vellet.

Vide hæc & latius dicta lib. de natura primi hominis & angel. c. 3.

Hinc quarto constat, quid sibi velint Pontifices & Concilia, quando de fide, dilectione, operibus bonis per *liberum arbitrium*, per *naturæ vigorem*, per *naturæ bonum* seu *possibilitatem arbitrij naturalem* faciendis aut non faciendis multa adversus Massiliensium pronuntiata decernunt, ut, quando dicunt, a *Deum nostram non exspectare voluntatem*, sed *per Spiritus sancti infusionem fieri ut purgari velimus*: b *initium fidei non inesse nobis naturaliter, sed per inspirationem Spiritus sancti*: c *per naturæ vigorem nihil boni posse cogitari ut expedit, sed per illuminationem & inspirationem Spiritus sancti*: d *per liberum arbitrium ad gratiam baptismi* homines *non posse venire*: e *nullum postea*, hoc est post lapsum primi hominis; *per liberum arbitrium aut diligere Deum, sicut oportuit aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est posse, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit*. f *Præclaram Sanctorum fidem non per bonum naturæ, sed per gratiam Dei esse collatam*. g *Latronis, Centurionis, Zachæi tam admirabilem fidem non fuisse de natura sed divinæ largitatis donum*. h *Neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere*, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit. Harum & similium definitionum sensus sincerus, & ex ipsa petitis Massiliensium cogmatum genuina intelligentia, prout à veteribus explicata sunt, non est iste, ut recentiores putant, quod ista hujusmodi opera sint supernaturalia, sint meritoria, sint nimis perfectæ dignitatis & hujusmodi quæ nunquàm ab Augustino aut Conciliis in causa definitionum suarum reddendæ cogitata sunt, sed quod liberum arbitrium jam peccando violatum, attenuatum, infirmatum, adeòque, ut Concilium loquitur, amissum sit, vigor naturæ perditus, possibilitas naturalis, qua innocens natura per integras libertatis vires, Deo credere, Deum invocare, Deumque diligere poterat, jam amissa sit; ex quo effectum est, ut omnes hujusmodi voluntates & actiones bonæ non adjutorio istius *possibilitatis*, quæ jam deperdita est, sed alio adjutorio *voluntatis & actionis*, hoc est, Spiritus sancti inspiratione velle & facere largiente reddendæ sint. Nam & ante lapsum omnes istiusmodi actiones erant meritoriæ, naturamque superantis excellentiæ, & Spiritus sancti gratiam & adjutorium, juxtà sanam doctrinam postulabant, sine quo non poterat eas homo velle vel facere. Sed non opus erat illo medicinali crucifixi Salvatoris auxilio, quod summâ Dei liberalitate justis & injustis ad volendi agendique occasiones ipsum

a Concilium Arausicanum canone 4. *b Canone 5.* *c Canone 7.* *d Canone 8.* *e Can. 25.* *f Ibid.* *g Ibid.* *h Celestin. Epist. ad Gal. c. 3.*

ipsum velle donat & facere, non ampliùs, ut olim, dominam illam expectando, sed pedissequam secum rapiendo voluntatem. Hoc ex ipsa ratione quæ subnectitur, & etiam atque etiam inculcatur, satis perspicuè vigilantibus suggeritur. Non enim vel unius characteris apice tanti adjutorii necessitatem indicant inde fluere, quia opus est supernaturale, quia meritorium vel quid simile, sed quia libertas non *duravit illæsa*, quòd Synodus ista sequentium sanctionum omnium quæ de gratiæ necessitate tractant, basim collocat: quia *arbitrium in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum*: quia qui contrarium dicit, *& non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum*: quia *per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum est, ut nullus* POSTEA *aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum &c. possit nisi gratia eum divina prævenerit*: quia in *prævaricatione Adæ homines naturalem possibilitatem amiserunt*: quia *infirmatum amissum est liberum arbitrium*, videlicet ad volendum agendumque bonum. Quid aliud clamant ista, nisi ex violatione, infirmatione, inclinatione, attenuatione, amissione libertatis, non ex operis supernaturalitate & meriti dignitate, istam humanæ voluntatis impotentiam quam concupiscentialis languor & rixa intulit, contigisse? Quid palàm peritis & imperitis insinuant, quando dicunt; ut *nullus posteà* hæc possit *nisi præventus gratia*, nisi Adamum, seu hominem, hoc antea sine gratiæ Christi præventione potuisse? Quid item aliud volunt, quando alioquin sequi dicunt, quod non omnium liberum arbitrium esset infirmatum, nisi per arbitrium non infirmatum ista fieri potuisse? Nimirum quia sanæ libertati non opus erat adjutorium, ut sæpè diximus, quod ei velle donaret, non opus inspiratione Spiritus sancti, qua credendi, diligendi, operandi voluntas aspiraretur, non opus gratia qua libertatis arbitrium in velle surgeret; sed ipsum arbitrium, suæ se possibilitatis naturalis viribus, non desistente possibilitatis adjutorio, in velle, in credere, in diligere suscitabat.

Concilium Arausic. canone 8.

Ibid. can. 80

Ibidem.

Canone 25.

Celestin. c. 30

Canone 14.

A B C

Hinc constat quintò vera ratio, cur semper Concilium & Patres quando inculcant divinæ gratiæ necessitatem, non quolibet modo dicunt, quia homo sine gratiæ adjutorio nihil facere potest, vel similia, quæ in quolibet statu sunt verissima, sed quod *ut purgari velimus, sancti Spiritus infusione & operatione* fieri debet: quod *per inspirationem corrigitur voluntas ab infidelitate ad fidem*, id est velle à non credendo ad credendum retorquetur: quod *ut credamus, ut velimus, per inspirationem Spiritus sancti in nobis fit*: quod *credulitatis affectus quo credimus sit donum Dei*: quod *Deus fidem & amorem inspirat*: quod *donum Dei sit diligere Deum*: quod, *quoties bona agimus Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur*, & hujusmodi infinita, quibus Augustinus, Prosper, Fulgentius, & Ecclesiæ Synodi plenæ sunt. Nam per istas efficacissimas expressiones semper significatur,

Conc. Arausic. in diversis canonibus.

D

non amplius ista per liberum arbitrium, per possibilitatem naturalem, per naturæ vigorem, ut ante solebat, fieri, concurrente videlicet *possibilitatis* adjutorio, *sine quo* operari bonum homo, aut velle non poterat; sed istas voluntates & actiones bonas esse jam magna & specialia, & propriè dicta divinæ largitatis beneficia, ac dona. Nempè quia jam alio medicinali crucifixi Salvatoris auxilio tanquam *adjutorio quo* ipsius *voluntatis & actionis* singula pietatis opera & voluntates Spiritus sanctus inspirat ac donat.

Hinc constat sextò quid sibi velit Concilium Arausicanum quando negat, *Invocatione humanâ gratiam Dei posse conferri*; negat *humilitati aut obedientiæ humanæ subjungendum gratiæ adjutorium*; negat *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam*, hoc est gratiam, *conferri divinitus*: quid item Augustinus, quando adversus eosdem semi-Pelagianos uno verbo cuncta complexus exsertissimè docet, *gratiam Dei non dari secundùm præcedentia merita voluntatis*, hoc est, secundùm meritum vel fidei, vel orationis, vel cujuscumque conatus boni. Nam invocatio *humana*, humilitas *humana*, obedientia *humana*, meritum voluntatis humanæ, fides, voluntas, desiderium, conatus & hujusmodi *sine gratia* ab homine prosilientes, vocantur non actus aut voluntates ad quas omninò nullum influit adjutorium gratiæ Dei; sed quas non donat aut inspirat gratia Dei, dando videlicet ipsam credendi, invocandi, obediendi, conandique voluntatem. Nam præterquam quod constat Massilienses gratiam *sine qua non* ad ipsum initium fidei seu primam credendi orandique voluntatem necessariam agnovisse, palàmque juxta doctrinam Augustini professos esse, ut latissimè tradidimus, Concilium & Augustinus ita semper declarat se doctrinam istam intelligere. Nam gratiæ istius naturam explicantes, ex qua deberent opera ista proficisci, ut divina non humana censerentur, *ipsam* dicunt [a] *gratiam facere, ut invocetur à nobis*: [b] *per infusionem & inspirationem Spiritus sancti in nobis fieri, ut credamus, ut velimus*; per illam hominem *ex nolente fieri volentem credere*; *donari ut credat*; *miro modo agi in cordibus ut credamus*; *duritiam cordis*, id est voluntatis *auferri*, & hujusmodi infinita quibus indicant, se non aliam gratiam intelligere, quam illam Christi Salvatoris medicinalem, *qua* Deus largitur & actionem & voluntatem. Hanc enim ipsam gratiam similiter intelligebant non solùm Catholici sed & ipsi Massilienses, quando volentibus, credentibus, petentibus &c. *gratiam & misericordiam* divinitus conferri posse statuebant. Illam quippè gratiam quæ donaret, non quidem initium fidei, sed opera ex fide pullulantia, fidei & orationis humanæ meritis tribuebant. Itaque humana erat ista fides, humana invocatio, humana obedientia, quantumcumque non fieret ex eorum mente, sine vero possibi-

Canone 3.

Can. 6.

Ibid.

Libro toto de prædestinat. sanct. & de dono pers. cap. 16.

Vide lib. 8. de hæres. Pelagiana loco citato.

a Concilium Arausican. 3.
b Can. 6.

possibilitatis adjutorio, sine quo nihil omninò boni hominem facere posse censebant; quia humani arbitrii erat cum ista gratia actu velle vel nolle, actu credere vel non credere, actu orare vel silere. Ita nimirum ut verè & propriè non tali gratiæ *sine qua non* poterat eorum quicquam fieri, sed humanæ voluntati tribui deberet, quod (licet non sine illa) actu quisquam vellet, crederet aut oraret. Sic enim & Augustinus *merita humana* primi hominis vocat, quæ nobis in Adamo periere, quantumvis ex professo docear, ea nullo pacto sine vero actualis gratiæ adjutorio haberi potuisse. Itaque talem gratiam, quamvis esset vera gratia, hoc est, gratuitum donum Dei, tamen quia naturæ etiam integerrimæ quam maximè consentanea erat (quemadmodum de sufficienti gratia Scholastici philosophari solent) ferè sub ipsa natura veteres comprehendebant. Qua de re quia multa diximus, cùm de Massiliensium opinione tractaremus, nolumus hic ea iterato refricare.

Lib. de prædest. sanct. cap. 15.

Vide lib. de statu c. 10.

CAPVT XIV.

Adjutorium gratiæ Christi esse revera tale quale hactenus declaratum est, ostenditur diversis aliis modis; & sexto quidem ex eo quod faciat ac donet velle & operari, & omnia merita.

Et ista quidem Augustini diuinę gratię patrocinantis & hæreticorum adversantium principia, quæ hactenus hoc libro explicuimus vel tetigimus, manifestè ostendunt nihil capitalius medicinali Christi adjutorio fingi posse adversum, quam istud gratiæ genus cujus actio vel cessatio, ut utilis vel inutilis homini sit, in libero relinquatur voluntatis arbitrio. Quod si reliquam doctrinam, quam de isto auxilio tradidit, eadem diligentia lustrare vellemus, & ob oculos lectoris ponere, videret profectò & quodammodo manibus palparet, omnia ex istis jam traditis principiis sic intellectis ad amussim fluere, totamque doctrinæ molem in illum tanquàm scopum collimare, ut Christiani credant, & qui possunt intelligant, non liberum arbitrium esse, *quod reddat auxilium efficax vel inefficax*, quod sit *causa cur hic & nunc Deus insinuat in opus*; quod *possit gratiæ efficientiam seu influxum in opus impedire*: quod *libertas illius causa sit, ut actus singuli hic & nunc fiant*: quod *a sola libertate discrimen illud oriatur, quod hic & nunc, & ab hoc potius fiat, quam alias & ab altero*, videlicet gratia præveniente. Quod sit denique illius rei *causa directa & principalis*, & hujusmodi quæ studiosissimè inculcantur; sed gratiam esse causam ut arbitrium hic & nunc velit & operetur; esse causam, cur hic & nunc voluntas in opus influat; esse causam ut conversio nunc potiùs quam alias, hoc potiùs quam alio, intenso potiùs quam remisso modo fiat: hoc est non liberum arbitrium esse, quod dominetur gratiæ, sicut habitibus bonis, & virtutibus, & aliis instrumentis operandi potentialibus dominatur, sed gratiam esse quæ dominatur arbitrio; usque adeo ut quemadmodum Augustinus hoc intellexit, per hujusmodi gratiam *Deus magis habeat in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*; quo nihil disertius, sincerius & potentius ad exprimendum gratiæ divinæ dominatum super arbitrium excogitari potest.

Vide sup. loca alia citata ex Molina, Lessio, Suarez.

Vide Less. de grat. c. 10. n. 7. 9. 12. Vide similia c. 4. num. 16. & cap. 11. num. 11. cap. 12. num. 8. cap. 18. num. 3. & 11. in fin.

Lib. de Corr. & grat. c. 14.

Hanc igitur verissimam esse, nulloque verborum meorum fuco adulteratam Augustini sententiam de medicinali Christi adjutorio, diversis aliis ex capitibus tàm perspicuè erumpit, ut neminem nisi occupatæ jam opinionis præjudicio judicandi libertatem amiserit, arbitror hoc posse diffiteri. Hoc enim imprimis postulat solemnis ille loquendi modus quo juxta sacratum Scripturarum normam Augustinus & Concilia docent, per istud Christi adjutorium Deum facere ut arbitrium velit, ut consentiat, ut operetur; nunquam autem vel leviter insinuat, sed potiùs expressis verbis negat, in hominis lapsi sicut integri hoc voluntate relinqui, ut illud amplectatur aut deserat. Hinc illud in epistola ad Vitalem: *Gratia prævenit hominis voluntatem*, id est, volitionem, *nec eam cuiusquam invenit in corde sed facit.* Et illud: *Vocatione alta atque secreta sic agit hominis sensum, ut legi atque doctrinæ accommodaret assensum.* Et illud libro quarto ad Bonifacium: *Itane nondum evigilatis? non auditis, faciam ut ambuletis, faciam ut observetis, postremo faciam ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est, nos observamus, nos facimus: sed ille facit ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus.* Et illud in libro de gratia & libero arbitrio: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus, bonum. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit, Faciam ut in justificationibus meis ambuletis & judicia mea observetis & faciatis.* Et iterum: *Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et in libro de Correptione & grati.: *Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint.* Cujusmodi locutionibus ac documētis quæ ex Scriptura sacra deprompsit August. scripta ipsius ubiq; scatent.

Epist. 107.

Libro 4. ad Bonif. c. 6.

Lib. de grat. & libero arbitrio cap. 16

Ibid. c. 17.

Lib. de Corr. & grat. c. 12.

Quid verò juvat quod quidam respondendum

A *quos hæc agimus Dei dona esse conceiunt.* Et de singulis vitæ bonæ meritis, quibus æterna vita retribuitur: *Vita æterna etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Et alibi: *Quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur.* Et rursum cùm ex Apostolo gratiam Dei vitam æternam esse tradidisset: *Intelligendum est igitur*, inquit, *etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?* De quo & lib. 13. de Trinitate: *Et ea quæ dicuntur merita nostra, dona sunt eius.* Quod probat ex Psalmo: *Dedit dona hominibus, hæc*, inquit, *dona sunt merita nostra, quibus ad summum bonum immortalitatis & beatitudinis pervenimus.* Et adversus Iulianum: *Sicut iudicij fuit ut vanitati subijcerentur, ita misericordiæ est ut* B *veritate liberemur, & ipsa bona merita nostra non nisi Dei dona esse fateamur.* Quæ doctrina apud Aug. constantissima est, usque adeò ut generaliter dicat, *Gratia est illis*, hominibus lapsis, *omne meritum.* Et hoc Conc. Arausf. definierit istis verbis quæ ex Aug. libris nuper inventis consignata sunt, & ex illis à Prospero in sĕtentias redacta: *Debetur merces bonis operibus si fiāt, sed gratia quæ nō debetur præcedit ut fiāt.* Nō enim intelligitur, quælibet gratia, *sine qua non* possint fieri, sed gratia *qua donante* Deus operatur ut fiant. Hoc enim generaliter alio jam canone asseruerat: *Divini est* MVNERIS *cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitiá tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atq; nobiscum vt operemur, operatur.* Et Aug. generalissimè jam ante præformaverat: *Deus hæc omnia quibus animus humanus divinæ societati ad inhabitandam æternam cælestemq; civitatem instruitur & aptatur, non* C *solum iubet aggrediendа, verum etiam donat implēda.*

Epist. 105. — *Epist. 107.* — *Lib. 13. de Trinit. c. 10.* — *Ibid.* — *Lib. 6. contra Iul. c. 12* — *Lib. de Cor. & grat. c. 7.* — *Conc. Arausf. can. 18. sententia Prosp. 297. ex l. 1. oper. imperf. contra Iul. fol. 189.* — *Canone 9.* — *Epist. 102.*

Hanc celeberrimam Scripturarū & Aug. doctrinam tot testimoniis, quibus decuplo plura facile proferri poterant, munitam esse volui, ut intelligeremus, quando de lapsorum operibus Deo facienti tribuendis agitur, non ad quamcumque gratiam esse referenda. Non enim Ecclesiasticæ doctrinæ satisfeceris, si dicas Deum ad illa per gratiam internam quantumcumque A magnam facienda concurrere, tanquam *sine qua non* possint humani arbitrii libertate fieri. Talis enim gratia nullo modo donat ut fiant, sed tantummodo vires præbet quibus adjutum voluntatis arbitrium, ea sibi ipsum donet si placuerit, sin displicuerit, gratia sine merito, sine opere, sine effectu Deo inutilis & cassa maneat. Nam ubi talis potestas ipsi gratiæ adjutorio & effectibus ejus dominatur, ridiculum est, dicere quod gratia donat ut fiant. Nunquam enim nuda potestas largitur opus, sed id quod applicat potestatem: cui quemadmodum tribui debet quando jam sufficientissimis viribus instructum pro sua libertate cessat, ita illi ipsi tribui debet, quando cum illa gratia sibi opus, effectum, meritum, pro eadem libertate largitur. Quod si fecerit, quantumcumque non *sine gratia* simul influente fieri prædicetur, non est meritum divinū, non meritum gratiæ Dei, B non meritum divinitus datū; quemadmodum Scriptura postulat, sed ut illud rectè vocat Augustinus, meritum [a] *humanum*, meritum [b] *liberi arbitrij*, [c] *meritum voluntatis humanæ*, meritum [d] *nostrum*, meritum *ab* [e] *homine exortum*, meritum [f] *hominis ex semetipso* comparatum. Hujusmodi quippè phrasibus nunquam significatur esse nudum arbitrium aut voluntatem quod ad ista merita efficienda concurrat; sed esse voluntatis arbitrium quod ibi præcipuas partes agit, ut non potestas habendi meritum, sed meritum ipsum reipsa & actu habeatur. Tam verò certum est juxta istam recentiorum sententiam esse liberæ voluntatis ut meritum de facto & reipsa habeatur, quam liberæ voluntatis est, ut non habeatur. Unde rectissimè & propriissimè vocatur & vocari debet, meritum nostrum, meritum hominis, meritum ab homine exortum, meritum voluntatis hu- C manæ, meritum liberi arbitrij, meritum denique, & ut omnium sæpissimè nuncupat Augustinus, humanum. Cujusmodi meritum ubiq; sanctus Doctor tanquam *iustitiam suam*, & *liberi arbitrij*, & *ex natura humana prolatam* non datam, & justitiam *ex lege*, & *ex se sibi paratam*, deniq; tanquam justitiam operum non gratiæ, Apostolica damnatam authoritate proscribit.

a *Epist. 106 & 107. De grat. & lib. arbit. cap. 6. lib. de prædest. Sanct. c. 15 & 18.* b *Epist. 106* c *Epist. 107* d *Lib. 4 ad Bonifacium cap. 6. & 7.* e *ibid. c. 6.* f *Lib. de gratia & libero arbitrio c. 6.*

CAPVT XV.

Ostenditur tribus argumentis non esse satis quod gratia habitualis aut quælibet actualis influat in meritum, ad hoc ut istud meritum sit donum Dei, & non meritum liberi arbitrij & humanum ab Augustino damnatum: sed quod debeat esse gratia actualis dans operationem & meritum.

FALSA quippe & fallax recentiorum A imaginatio est; ad hujusmodi iustitiam, quam tanquam *suam* homines volunt constituere, hoc est, ad opera & merita *liberi arbitrij*, & *humana*, & *nostra* non à Deo data, efficienda, veram & supernaturalem gratiam non posse concurrere seu influere. Quæ existimatio, quia non minima plurium & gravium hallucinationum causa est, nonnullis manifestis indiciis ex Augustino convincenda, argumentisque convellenda est.

Primò igitur hoc inde falsum esse demonstratur, quia juxta doctrinam Augustini certum est, merita quæ ex gratia habituali proficiscuntur, libero arbitrio voluntatem simul & gratiam pro sua libertate ad operandum rapiente, esse merita, quæ Augustinus contra Pelagianos disputans tanquam meri-

ta *nostra & humana* condemnat. Etenim Pelagiani, maximè postquam fuerant Ecclesiastica damnatione percussi, merita hominis velut gratuitò data prædicabant, eo quod sine ullis meritis per peccatorum remissionem justificatus esset. Hoc autem eos intellexisse fieri per veram habitualis justitiæ donationem latissimè ex propriis Pelagianorum verbis, & plurimis habitualis gratiæ effectibus, per sex capita demonstravimus. Sed ista gratiæ divinæ prædicatio ad opus concurrentis nullo pacto sancto Doctori sufficit, ut meritum *gratia*, à Deoque *donatum* & non *humanum* esse censeatur. Hoc disertissimis verbis ipsemet de meritis à Deo donatis & humanis disputans, profitetur: *Sed cùm dicunt*, inquit, *Pelagiani hanc esse solam non secundùm merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur: illam verò quæ datur in fine, id est, vitam æternam meritis nostris præcedentibus reddi: Respondendum est eis.* Iam igitur attende quid respondeat; *Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa* DONA DEI *esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus; Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua; si tibi à teipso, non ab alio sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt; quæ mala sunt non coronat Deus: si autem bona sunt, Dei dona sunt.* Ecce Pelagiani prædicant homini peccata divinitus dimitti, & per hoc, ut fusè declaravimus, eum habituali gratiâ seu justitiâ gratuitò donari; et que non obstante, merita quæ jam à justo gratis sine meritis justificato proficiscebantur, Augustinus humana merita, & ex ipso homine promanantia, non Dei dona esse testatur. Nempe quia quamvis ea non operaretur justus *sine gratia* qua jam habitualiter perfusus erat, non tamen ea donabat gratia, sed arbitrium voluntatis humanæ: quod sicut ea sibi frequentissimè non donat, quando lubet, ita etiam donat quando lubet, hoc ipso quo gratiam qua præditus est, pro sua natura & indifferenti libertate, aut cessare aut operari facit. Non enim hoc est habere meritum, habere gratiam, qua meritum haberi potest, sed ipsam gratiam ad opus impellere. Quod tam certum est à sola libertate proficisci, concurrente licet gratiâ *sine qua non*; quam certum est, ab habituali gratia non proficisci, utpote quæ sicut cæteri habitus modo mortuo sese habeat, motumq; suum, fatentibus ac docentibus ex professo Neotericis, ab arbitrio voluntatis exspectet. Quod latius etiam nos in præcedentibus prosecuti sumus, & sexcentis exemplis tum habituum, tum luminis, tum quorumcumq; aliorum auxiliorũ ad opus concurrentium, quibus tamen opus non potest tribui, sed soli humanæ libertati, declaravimus. Hoc in cæteris omnibus vegissimum esse recentiores vident, cogũturq;

Vide latè libro 5. de hæresi Pelagiana à cap. 22. usque ad 28.

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 6.

A fateri; in sola gratia quam tuendam non satis consideratè susceperunt, tergiversantur ac hærent, quia lætaliter eam vulnerari cernũt.

Hæc est ergo ratio, cur consequenter, ut rectissimè notavit Augustinus, tale meritum proferenti verissimè Apostolus dicat; Quis enim te discernit? Iustus enim à justo, non habituali gratiâ, sed gratiæ istius operatione discernitur. Quod discrimen certissimum est esse non gratiæ, sed humanę, quamvis *non sine gratia*, libertatis. Quod ita manifestum est, ut ipsimet qui tuentur hujusmodi gratiæ genus, non possint ulla ratione diffiteri. Agnoscunt enim cumulatissimè, ut supra vidimus, discrimen istud, quod hic & nunc gratia influat aut non influat, à voluntate proficisci. Quod quid est aliud quam hominem humano merito se discernere? nam hic

B & nunc operari, hic & nunc ad operandum se applicare, hic & nunc facere ut gratia influat, hoc est, meritum sibi parere, & semetipsum ab alio cum quo hactenus par, æqualis & indiscretus fuerat, hic & nunc non operante, gratiam non applicante, gratiæ influxum cohibente, discernere. Per hoc enim quod alteri cum altero commune & indiscretum est, nemo discernitur: juxta id quod dixit Augustinus: *Numquid per hæc dona quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus*? minimè gentium.

Lib. de præd. Sanctorum cap. 5.

Secundò falsum hoc esse, demonstratur ex meritis Adami & Angelorum. Nam ad illa concurrisse gratiam habitualem extra controversiam est; imò & actualem influxum apertissimè certissimèque Augustinus docet. & tamen illa fuisse merita humana, non data, fuisse merita liberi arbitrii, non dona Dei; adeoque Angelos reipsa stetisse, non

C discessisse à Deo, perseverasse per liberũ arbitrium, *non per gratiam*, quamvis *non sine gratia*, eâdem tradit asseverandi constantiâ doctrinæque certitudine. Quod quia aliis jam locis fusius ostendimus, importunum esset hic repetere. Perspicuum est igitur nullo modo fieri satis Augustino, Scripturisque & Conciliis, si opera & merita lapsi hominis, quoquo modo ad gratiam habitualem vel actualem referantur, sed ad illam referenda sunt, quæ justitiam, & opus, & meritum, donat. Quam nisi dederis, licet aliam quamcumque dederis, tantoperè aberrabis à veritate confitendæ gratiæ, ac si Christum non venisse, gratiam non attulisse, infirmitatem non adjuvisse, hominem integris viribus perstitisse, unoque verbo Christum gratis mortuum esse decerneres, quorum nullum sine damnato errore asseri potest.

Vide latissimè libro de gratia primi hominis cap. 16. & fundamenta fusè tradita ibid. cap. 7. 8. & 9.

Tertiò hoc falsum esse demonstratur, ex

D duplici errore Massiliensiũ, quorum uterque rem istam planissimam facit. Prior erat quod initium fidei, orationem, gemitus, ac desideria, & hujusmodi ex nobis, hoc est, ex libero arbitrio prosilire censerent. Et tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam, cujus influxus in eorũ libe-

libero relinqueretur arbitrio, & hoc eos apertissimè docuisse, jam supra latè patefecimus. Posterior erat perseverantiam in fide, non esse donum gratiæ Dei, sed humanæ voluntatis officium. Est autem certum eos nunquam rejecisse ab illa perseverandi voluntate gratiæ permanenter & habitualiter voluntati inhærentis influxum. Nam præterquam quod nullum extet in omnibus Augustini & Prosperi scriptis indicium tam insulsæ absurditatis, repugnat etiam scopo Massiliensium, qui quasilibet gratias etiam potentissimas post initium fidei libentissimè concedebant, dummodo *sub gratia adiutorio* sua sibi voluntas relinqueretur. Nam & credere & adepta justitia in credendo perseverare *sic in nostra constituebant potestate* Massilienses, *ut Dei dona esse non putarent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates.* Cum quo tamen benè consistere judicabant, ut quamvis Deus per gratiam non operaretur in homine istas voluntates & actiones, *sub ipso* tamen *gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præsciret*, quemadmodum eorum sententiā Prosper exprimit. Hoc est, voluntatem perseverandi in fide nolebant ex gratia voluntatē ipsam donante & operante, sed ex ipso hominis arbitrio, *sub gratiæ tamen adiutorio* sese quaquaversum flectente proficisci. Non enim erant inimici gratiæ ad perseverandum, nisi illius tantùm quæ non relinqueret ipsis optionem suam, sed adamantina quadam Dei constitutione, quam mutare non possent, voluntates præveniret, atque operatione, quæ non ab eorum arbitrio suspenderetur, efficeret; sed hoc vel illud determinatè velle & arbitrari faceret. Hinc nunquam auditum est, eos veram proprieque dictam justitiam habitualem rejecisse, imò certum est eos justitiam, castitatem, sapientiam, continentiam, charitatem, ipsamque fidem auctiorem tanquam vera divinæ gratiæ dona confessos esse; nunquam auditum eos opera quæ ex talibus donis pullulabant ab ipsis donis, adeoque ab ipsa fide qua credebant iam gratis aucta & perseverante separasse; quasi fides divinitus aucta in actum fidei non influeret. Quale monstrum nullus Catholicus aut hæreticus aut philosophus unquam finxit: sed hoc tantummodo spectabant, ut cum quocumque & sub quocumque adjutorio gratiæ, *quicquid libet donatum esset prædestinatis, possent & amittere & retinere propria voluntate.* Vnde disertissimis verbis fatebantur hominem ad credendum & perseverandum in fide *iuvari gratiâ volentem*, sicut & Adam adjutus fuit. Quod qui fusius ex radice, & proprijs eorum verbis perspectum habere cupit, legat ea quæ de perseverantia, in opinione Massiliensium, itemque de gratia ad credendum, disseruimus. Nam ex illis certissimum apparebit, non sufficere influxum cujuslibet gratiæ supernaturalis sive habitualis, sive etiam actualis, ut justitia sit *Dei non nostra*, ut opus sit *gratia* non liberi arbitrii, ut *meritum sit donū* Dei non ex humana voluntate profectū.

Supra hoc libro cap. 12. Vide latè in libro 8. de hæresi Pelag. cap. 6. 7. 8. &c.

Lib. de dono pers. cap. 17

In. epist. ad Aug.

Hilar. in epist.

Vide lib. 8 de hæresi Pelagiana c. 14 & 15. Itemque de grat. ad credendum c. 6. 7. 8. 9. 10.

CAPVT XVI.

Idem ostenditur quarto ex natura gratiæ ad singulos actus necessariæ, quæ ex diversis capitibus ostenditur non esse habitualis, sed actualis inspirans etiam justis habitualiter velle & operari.

QVARTO convincitur hoc esse falsum ex natura gratiæ, cujus confessionem à Pelagianis tanquam ad singulos actus meritaq; singula efficienda donandaque necessariam Augustinus postulat, sine cujus adjutorij agnitione nec ipsos Christianos esse posse, nec opera Dei dona, sed justitiam tantum nostram & humanam ex libero arbitrio proficiscentem, profitetur. Hoc est autem, non cujuscumque gratiæ adjutorium sive remissionis peccatorum, sive habitualis, sive legis, sive doctrinæ, sive alterius cujuscumque, sed adjutorium gratiæ actualis, quod tunc datur quando actu volumus & operamur. Quod innumeris probationibus tanquam certæ & Catholicæ fidei dogma, ex Augustini Conciliorumque monumentis demonstrari potest. Nos quia res tantillum versatis evidentissima est, & à nonnullis recentioribus agnita, paucis contenti erimus. Quod ut præstemus quam brevissimè fieri potest, supponimus tanquam Catholicæ fidei fundamentum illud adjutorium gratiæ, de quo cum Pelagianis agebatur, ad singulos actus nostros bonos efficiendos esse necessariū, ita ut sine isto nihil omninò boni operis velle aut agere valeamus. Nam oppositæ sententiæ tanquam certæ exploratæq; hæresis damnationem sæpenumero commēdat Augustinus. *Hinc iam obijciuntur*, inquit, *Pelagio alia Celestij capitula capitalia, & sine dubitatione damnanda, quæ nisi anathematizasset cum his sine dubio damnaretur. In tertio capitulo scripsisse Calestium gratiam Dei & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege atque doctrina.* De quo paulò inferius adjicit: *Nunc certè post hoc iudicium quando contra huiusmodi sententias disputamus adversus damnatam hæresim disputamus.* Et in fine libri dicit Palæstinos Episcopos *eam hæresim sine dubitatione damnasse*: adeoque istum articulum inter eos collocat, in quibus *potius tota hæresis ista consisteret*, exponitq; esse gratiam illam *quæ subministratione Spiritus sancti datur, ut ad nostros actus singulos adiuvemur.* Et libro de gratia Christi, à Pelagio postulat ut confiteatur gratiam qua *voluntas & actio divinitus adiuvatur, & sic adiuvatur, ut sine illo adiutorio nihil benè velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua non nostra iustitia iustos fecit.* Hoc est

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

Ibid.

Cap. 35.

Ibid.

Lib. de gratia Christi cap. 47.

est illam esse gratiam quæ non sinit opera vel merita nostra esse *voluntatis humanæ*, esse *liberi arbitrij*, esse *humana*, esse *nostra*, esse *ab homine exorta*. Qualem justitiam, hoc est quale opus justitiæ qui volunt constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Talibus enim gratia non donat opus aut meritum, sed ipsi sibi sua voluntate constituunt.

Hoc ergò gratiæ divinæ adjutorium, quo in singulis actibus nos adjuvandos Augustinus confitetur, & à Pelagio, si vult esse Christianus, confitendum tradit, tanquam gratiam de qua tota erat Ecclesiæ cum isto hæretico disceptatio, tam est perspicuum esse actuale & jugiter suppeditandum à Deo, ut mirum sit à quoquam in dubium potuisse revocari. Nam hoc probat in primis quod supra latissimè confirmavimus, de illa gratia fuisse controversiam, qua certantes adversus concupiscentiæ tentationes ab ejus dominatione liberamur, ne vincamur in prælio, hoc est, de gratia liberationis & salvationis ab infirmitate, qua sub tentationibus fatiscimus laborantes. Hanc autem esse actualis gratiæ adjutorium, ex eo manifestum est, quod sub initium pœnè tota disputatio cum Pelagio de justorum, hoc est, habitualem gratiam jam habentium, adjutorio ferveret, usque ad damnationem ejus. Quod omnes libri indicant qui contra ipsum usque ad Concilium Carthaginense scripti sunt: de natura & gratia, secundus de peccatorum meritis, de perfectione justitiæ, de Spiritu & littera, epistola octogesima nona, de gestis Pelagij, & hujusmodi. In quibus omnibus hoc toto virium conatu agitur, Christianos baptizatos, fideles & justos qui laborant contrarietate carnis & spiritus, divinæ gratiæ adjutorio ad singulos actus indigere. Non enim ita deliravit Pelagius unquam, ut existimaret justitiam habitualem, qualiscumque esset illa, ad opera justa suo modo non adjuvare. Deinde de illo agitur adversus concupiscentias etiam justorum adjutorio, quod nisi Deus legis jussu intonante largiatur, concupiscentia magis exardesceret, certissimaque legis prævaricatio sequeretur, ut etiam pluribus supra demonstratum est. Ergò perspicuum est, esse gratiam illam, quam Deus etiam justificatis largiri debet. Denique illa est gratia quam Deus & justis sæpè negat, sive ut superbia jam nata comprimatur, sive nascitura caveatur: *Deseruit aliquantum Deus*, inquit, *unde superbis, ut scias non tuum esse, & discas superbus non esse*: quam desertionem certum est non esse gratiæ habitualis. (Lib. de nat. & grat. c. 28)

Secundò hoc probat, quia de illa gratia certabatur, qua Deo largiente suavitas oboritur animo non solùm impiorum, sed maximè justorum, ut bonum opus velle & operari libeat. Nam sine tali gratia, tædio nimirum animum certissimo alioquin occupante, nec opus bonum suscipi, nec ipsa voluntas humana justorum quorumcumque potestate

A haberi potest: *Quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit. Cùm ergò nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro aut industria, aut operum meritis comparatur. Quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate serventia, ille tribuit, ille largitur. Propterea petere iubemur ut accipiamus &c.* (Lib. 1. ad Simplic. q. 2) Nihil evidentius dici à quoquam potest, ut gratiam actualem etiam ad singulos voluntatis justificatæ nutus necessariam, & inspiratione Dei conferendam probet. Quod longè apparebit ex alijs locis jam traditæ doctrinæ concinentibus manifestius: *Ideò quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis sed divini amoris esse, vel quod* (Lib. 2. de pecc. merit. cap. 17.)
B *scit, vel quod delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanetur. Et sciat quam verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum est, Dominus dabit suavitatem*, id est gratiam agendi, *& terra nostra dabit fructum suum*. Et multò inferius ejusdem doctrinæ orbitam terens dicit: *Dominum Deum bonum ideò etiam Sanctis suis alicuius operis iusti aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lumen, quo illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, qua det fructum terra eorum*. (Ibid. c. 19.) Et iterum: *Idcirco etiam Sanctos & fideles suos in aliquibus vitijs tardius sanat, ut in his eos minus quam implendæ omni ex parte iustitiæ sufficit delectet bonum, sive cum latet, sive etiam cum manifestum est, ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis eius, non iustificetur in conspectu eius omnis caro*. (Ibid.) Quo significat inde contingere quod etiam Sancti & fideles in peccata venialia prolabantur. Ecce
C perspicuè, solidè, à fundamentis, inculcatèque traditum, gratiam de qua disceptat cum Pelagio Augustinus, etiam justis quam maximè esse necessariam (nam ut infra dicturi sumus, illa nullis omninò infidelibus datur, nisi qua fideles fiunt) etiam justis sæpè subtrahi, illam nunc dari nunc negari, prout Deo visum fuerit, ut sanetur caveaturque superbia. Denique talem esse, sine qua nullum omninò opus bonum quisquam amplecti, aut suscipere aut agere potest. De qua gratia, qua divinitus inspiratur ut delectet bonum, conformiter alibi dicit: *Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valeat, si lateat veritatis via: Et cum id quod agendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur non agitur, non suscipitur, non benè vivitur*. (Lib. de Spir. & lit. c. 3.) Itaque in eodem libro consequenter dicit, *Spiritu sancto fieri in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est: sicut præter hunc Spiri-* (Ibid. c. 16.)
D *tum peccare delectat*. Hanc autem delectationis gratiam, qua præsente justum non peccare delectet, vel absente delectet, actualem esse non habitualem, quæ justis ad peccatum usque mortale, & cum venialibus semper

adest,

adest, tam est manifestum, ut nimium tardus sit, qui hoc sibi probatum velit. Vndè alibi dicit Augustinus, istam dilectionis gratiam esse solum & verum istud adjutorium, quod præter scientiam agendorum à justis etiam in omnibus precibus imploratur: *Cùm autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamq; justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & suave faciat quod non delectabat.* Quod suavitatis adjutorium ne quis vel ad ipsas preces, quibus ipsum à Deo suppliciter petitur, necessarium non esse suspicetur, continuò adjungit: *Quia & hoc ab illo esse deprecandum eius gratia didicimus; dum antea lateret, eius gratia dileximus, dum antea non delectaret; ut qui gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur.* Quo fit ut etiam tanquam de peculiari beneficio gratias Deo agēdas esse commendat, quoties nos quiescentes seu non agentes ad agēdum actu ista suavitate pertraxerit, eumque quoties non pertraxerit, deprecandum: *Ad hoc eis ostendi quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione iustitiæ suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant: quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent, ut quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt, quod non accepturi sunt, aut quid habent quod non acceperunt.*

Lib. 1. de pec. merit. c. 19.

Ibid.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Tertiò hoc probat, quod illud gratiæ adjutorium de quo disceptatio erat, utrùm & justis esset ad benè vivendum necessarium, vocet gratiam qua charitas, hoc est, dilectio boni operis inspiratur, quod etiam certissimum est, esse gratiæ actualis adjutorium. Nam sive nolentibus velle, sive volentibus plenius velle, sive non agentibus boni operis dilectio inspiretur, semper motio sancti Spiritus actualis exprimitur. Ex quo fit ut nullum omninò operis vel effectus boni genus excogitari possit, ad quod non talem inspirationem Augustinus exigat. Hanc postulat pro prima bona voluntate seu boni cupiditate, cùm dicit quod *invito & reluctanti Deus inspiret boni cupiditatem, ut iam non sit reluctans, non sit invitus, sed consentiens bono & volens bonum.* Et in libro de correptione & gratia: *Vt strepitu correptionis forinsecus insonante atque flagellante, Deus in illo* occulta inspiratione *intrinsecus operetur & velle.* Hæc enim operatio non est aliud nisi voluntatis inspiratio. Nam in eodem libro *inspirationem voluntatis* à Deo per Apostolum peti docet. Hanc postulat pro fide qua Deo credimus: *Noverat eum sibi præstitisse ut crederet, qui miseretur inspirando fidem, cuius misertus est ut adhuc infideli vocationem impertiret.* Hanc postulat ad quamlibet orationem fundendam Deo: Deus *interpellandi & gemendi inspirat effectum.* Et in ultimo pœnè libro quem jam moriturus exaravit: *Verum dum hoc ago ut efficiam, dum peto, dum quæro, dum pulso, sim fortassis accepturus ignoro: Scio me ta-*

Lib. 2. ad Bonif. c. 8.

Lib. de Cor. & grat. c. 6.

Ibid. cap. 2.

Lib. 1. ad Simplic. q. 2.

Epist. 105.

Lib. de hæresib. in præfat.

men nec petiturum, nec quæsiturum, nec pulsaturum, quantum sat est, nisi & hunc affectum munere divinæ inspirationis accepero. Hanc postulat pro studio virtutis: Studium hominis *quod dicitur bonum, non incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus: Gratias autem Deo qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi.* Quod alibi apertius dicit: *Resistenti prius aditus divinæ vocationis ipsa Dei gratia procuratur ac deinde in illo iam non reluctanti spiritus virtutis accenditur.* Hanc postulat ad desiderium regenerationis: *Oramus pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret.* Hanc pro victoria tentationis: *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod iubet atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.* Quam inspirationem ita, cùm lex jubet, putat esse necessariam ut nisi à Spiritu sancto fiat, graviori lapsu sine dubitatione prolabatur: *Sed ubi sanctus non adiuvat Spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem,* (seu actum diligendi, prout ipse semper intelligit istum locum) *diffundens in cordibus nostris, profectò lex illa quamvis bona auget prohibendo desiderium malum.* Hanc postulat, ut habeatur quodlibet desiderium bonum: *In Domino laudabitur anima eius, qui sattavit in bonis desiderium eius: quia & hoc desiderium ipse inspiravit, ne virgo eius sic in aliquo bono glorietur quasi non acceperit.* Hanc postulat ad quamlibet dilectionem faciendi id quod novimus esse faciendum, quando reprehendit Pelagium quod negaret Deum adjuvare *cooperando & dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit faciat.* Quæ dilectionis inspiratio apud Augustinum quodlibet opus bonum respicit, sine qua non modo non fieri, sed ut latè demonstravimus, nec bonum quidem opus esse potest. Vnde ad omnia justorum opera bona talem inspirationem requirit: *Hanc inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis quibus dicebat: Oramus ad Deum ne quid faciatis mali &c.* Quæ dilectionis cujuslibet boni operis inspiratio, quia generalissima est, hinc fit ut eam propriè gratiā contra Pelagianos vocet: *Legem in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam &c. ut scilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt noverimus, non inspirationem dilectionis ut cognita sancto amore faciamus, quæ propriè gratia est.* Et alibi se testatur à Pelagianis petere *inspirationem charitatis, ut quod discendo cognovimus etiam diligendo faciamus.* Hanc itaque ad omnem omninò profectum postulat quo in benè agendo delectamur: *Cùm ergò,* inquit, *nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro aut industria, aut operum meritis comparatur, quia ut sit nutus voluntatis &c. ille largitur.* Hanc ad quamlibet etiam cogitationem bonam postulat: *Quam cogitationem bonā quando habuisset, nisi & ipsam illi in occulto pater*

Lib. 2. ad Bonif. c. 10.

Lib. 4. c. 6

Epist. 107.

Lib. de Spir. & lit. c. 29.

Ibid. cap. 4.

In Epist. 143.

Lib. de Cor. & grat. c. 3.

Lib. 4. ad Bonifacium cap. 5.

Epist. 143.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Epist. 106.

ter misericordissimus inspirasset? Quæ omnia tàm perspicuè gratiam actualem eamque potentissimam spirant, ut non videam quomodo possint ad remissionem peccatorū, vel gratias habituales vel sufficientes, nisi pervicaciâ quidlibet pervertente, detorqueri. Quam ob causam Zozymus Papa cum hæresim Pelagianam Apostolicâ authoritate damnaret, gratiæque necessitatem & operationis efficaciam totius orbis Episcopis explicando, singulos bonos animi motus ad eam referendos esse sanciret, luculentissimis verbis & summoperè Afrorum Antistitum Concilio commendatis declaravit, actualis esse gratiæ inspirationem, quæ de prostrato Pelagianorum errore triumphabat. *Nos*, inquit Pontifex, *instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt undè nascuntur) ad fratrum & Coepiscoporum nostrorum sententiam retulimus.* Quem sermonem, ut Celestinus Papa loquitur, sincerissimæ veritatis luce radiantem Afri Episcopi tanto honore venerati sunt, ut ad eundem scriberent, quod Pelagianos districto gladio veritatis velut cursim transiens amputasset: *Quid enim*, inquiunt, *tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen* INSTINCTU DEI *factum esse fideliter, sapienterq; vidisti, veraciter fidenterq; dixisti. Ideo utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis* INSPIRATIONIBUS *suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, si filij Dei sunt; ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Ecce loco adjutricis gratiæ quam tantoperè celebravit Augustinus, audis hic *instinctum* Dei, audis *inspirationem* Dei, audis *tactum* quo corda filiorum Dei tanguntur & aguntur, in singulis voluntatis humanæ motibus bonis, ut nemini dubium esse posit, quin actualis gratiæ necessitas in omnibus bonis motibus pontificali & synodali authoritate asseratur. Et quia per talem tactum, instinctum, inspirationem, suavitatem Dei, voluntas infirma liberatur, vegetatur, reparatur, sanatur, à creaturis ad Deum retorquetur, rectificatur, justificatur, hinc est, quod eadem illa actualis gratia sexcentis Augustini locis vocatur sanans & justificans, non quod formaliter & habitualiter talem voluntatem hominis facit, sed quia illam ad talem justitiæ & sanitatis rectitudinem efficiendo perducit; non enim de habitualiter sanante & justificante gratia contra Pelagium vires humanæ voluntatis prædicantem agebatur, sed de illo principio quo læsi arbitrii infirmitas juvabatur. Quod facillimum esset innumeris testimoniis demonstrare, nisi hoc ipsum etiam non pauci recentiores agnoscerēt.

Zozim. Papa in epistola ad totius Orbis Episcopos.

Celestinus in epistola ad Episc. gallos.

Vasq. 1. 2. disput. 196. c. 3. & disp. 218. nu. 14. & 15. & Lessius l. de grat. effic. cap. 12. nu. 10.

CAPUT XVII.

Idem ostenditur invictè juxta doctrinam sancti Augustini ex precibus Ecclesiæ quæ actualem motionem datricem voluntatis & operationis implorant.

DEINDE hoc invictè probat oratio totius Ecclesiæ, quam Lydium lapidem esse ad dignoscendam gratiam adjuvantem, de qua tota controversia est, sæpenumero testatur Augustinus: *Ipsa igitur oratio, clarissima est*, inquit, *gratiæ testificatio.* Et alibi nullo modo *facilius & apertius* Pelagianis responderi posse putat, quam si id *quod de orando Deo egerat, sic amplectamur, ut hoc menti nostræ nulla subtrahat oblivionis irreptio, nulla calliditas argumentationis extorqueat.* Quam ob causam securissimè quodam in loco dicit: *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret.* Hoc igitur argumentum, quia sanctissimus Doctor adversus omnes omnium cavillationes peremptorium esse judicavit ac docuit, frequentissimè adversus hostes gratiæ adhibuit, omniaque argutissima eorum subterfugia interclusit, quibus nunc legem, nunc remissionem peccati, sub qua habitualis gratia comprehenditur, nunc exemplum Christi, nunc gratiam Angelis & Adamo datam *sine qua* operari aut velle non poterant, pro vera Christi gratia opus & meritum largiente supponebāt. Cujusmodi testimoniorum Augustini, quia infinita multitudo est, ne tœdium lectores obruat, nos ea in pauca coarctabimus: quibus ostendemus, gratiam illam quæ singulis tentationibus superandis, singulis præceptis faciendis, singulis motibus bonis contra Pelagianos ex fidei Catholicæ doctrina, & Augustini explicantis suffragio necessaria est, non aliam esse nisi actualem, qua in singulis actibus nostra infirmitas adjuvetur. Hoc autem vel ex illo solo irrefragabiliter convincitur, quòd adjutorium habitualis gratiæ jam est in omnium justorum potestate (hoc enim juxta recentiorum etiam doctrinam habitualiter nobis adest) & utimur quando volumus. Est autem supervacaneum & stultum, & irrisorium, à Deo vel homine petere quod ipse non donat, sed jam ipse ut facias habes in tua potestate: non est igitur habitualis gratiæ adjutorium sed actualis, quod in omnibus orationibus justi postulant, & ratione cujus singulas bonas voluntates & operationes sibi à Deo donandas esse protestantur. Vim istam ora-

Epist. 95.

Epist. 107.

Lib. de dono persever. cap. 7.

orationis audi creberrimè inculcantem Augustinum: *Impetrando quidem oratio, quicquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur.* (Epist. 105.) Et alibi de sanctissimo Propheta Davide: *Non de se præsumsit sed optavit, ut faceret, Utinam dirigerentur viæ meæ &c. Quis autem optat, quod in potestate sic est, ut ad faciendum nullo indigeat adjutorio?* (Lib. 2. de pec. merit. cap. 6.) Et in libro de natura & gratia, de superandis peccatorum tentationibus: *Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit; jam justis ne in tentationem inducantur orantibus, tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit, ideo probatur nec superflua nec imprudens Domino immolatur oratio. Quid enim stultius, quam orare ut facias, quod in potestate habeas?* (Lib. de nat. & grat. c. 18.) Ex quo consequenter fit, ut quemadmodum id quod à Deo poscimus, non esse in nostra potestate probat oratio: sic è diverso donum Dei esse quicquid orando petimus, & ab ejus misericordi expectandum largitate apertissimè profitemur. B *Quid vero evidentius*, inquit Augustinus, *quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur?* (Lib. de grat. & libero arbitrio cap. 4.) cui paulò post subjungit: *Nisi donum Dei, esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur, Deus virtutum converte nos.* (Cap. 5.) Et libro de correptione & gratia: *Rogavi pro te ne deficiat fides tua. Quid ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem? quæ profectò si ab homine homini esset à Deo poscenda non esset.* (Lib. de Cor. & grat. c. 6.) Siquidem, ut adjungit: *Nullo dubitante, quisquis à Domino, ut in bono perseveret precatur, donum ejus esse talem perseverantiam confitetur.* Et libro de prædestinatione Sanctorum: *Frequentationibus orationum simpliciter apparebat, Dei gratia quid valeret. Non enim poscerentur à Deo quæ præcipit fieri, nisi ab illo donaretur ut fieret.* (Lib. de prædest. sanct. cap. 14.) Et in eodem libro: *Non enim orando peteretur à Deo, nisi ab ipso tribui crederetur.* (Cap. 20.) Et in libro de dono perseverantiæ: C *Cur perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio, cùm id ab eo petitur quod scitur ipsum non dare; sed ipso non donante esse in hominis potestate? Sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse nec fecit. Sed quod ibi dixi hoc & hic dico: Nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. O homo non verborum tuorum, verùm etiam cogitationum testis est Deus. Si aliquid à tanto divite veraciter ac fideliter poscis, ab illo à quo poscis, te accipere crede quod poscis. Noli eum labiis honorare, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse quod ab illo te fingis orare.* (Lib. de dono pers. cap. 2.) Et in epistola centesima quinta: *Impetrando quidem oratio, quicquid impetrat evidenter Dei donum esse ostendit, ne homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur non utique posceretur.* (Epist. 105. ad Sixt. 6.) Et in epistola ad Vitalem: *Nemo est tàm imperitus, tàm carnalis, tàm tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod rogare se præcepit ut faceat.* (Epist. 107. ad Vital.) D Quam doctrinam tanquàm quæ ex Christi institutione totiusque Ecclesiæ unanimi sensu proficiscatur, instantissimè in omnibus pœnè contra Pelagianos libris, urget Augustinus, studiosissiméque commendat. Nimirùm quia qua cer-

A titudine & evidentiâ ostendit, non esse in hominis quantumvis Christiani & baptizati & justissimi potestate quod petitur, sed gratuita Dei gratia donandum esse, eâdem profectò probat id quod contra Pelagianos agebatur, singula opera & merita, sive tentatio peccati quæcumque superetur, sive quodlibet præceptum impleatur, non esse in hominis potestate, sed ab eadem illa gratuita Dei gratia etiam justissimis esse largiendam. Nam quo quis justior sanctiorque fuerit, eo magis profundè novit infirmitatem suam, & instantius pro singulis operibus faciendis postulat adjutorium: non illud quod in habituali vel sufficienti gratia jam accepit, quod inaniter stulteque poscitur, si habetur; sed illud quod sibi deesse, & à Dei misericordia adhuc donandum esse, & sine quo nihil se posse orando profitetur. Docet & hoc Augustinus tantâ testimoniorum claritate & multitudine, ut integri libri B implerentur, si cuncta accumularem. Quanquam quid vel rudissimis Christianis qui suæ salutis curam gerunt, notius, & commendatius, & profundius insculptum est, quam ut nihil omninò boni sine Dei gratia se facere posse, & propterea sibi singula divinitus misericorditer donanda esse precibus fateantur? Veruntamen ad majorem istius Christiani sensus evidentiam ex multis Augustini testimoniis pauca accipe: quibus omnia omninò in orationibus à Deo peti à fidelibus docet, ut contra Pelagianos omnia à Dei gratia donanda esse convincat. Nam de singulis omninò operibus nostris bonis præceptisque loquebatur, quando dicebat: *Cum ergò nobis jubet dicens, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, nosque illi dicimus, Converte nos Deus sanitatum nostrarum; &, Deus virtutum converte nos: quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Cùm jubet dicendo, Intelligite ergo, qui insipientes estis in populo;* C *& nos illi dicimus, Da mihi intellectum, ut discam mandata tua, quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Cum jubet dicendo, Post concupiscentias tuas non eas, nosque dicimus, Scimus quia nemo potest esse continens nisi Deus det: quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Cum jubet dicendo, Facito justitiam, nosque dicimus, Doce me justificationes tuas, quid aliud dicimus, quam, Da quod jubes? Item cum dicit, Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur: à quo debemus petere cibum, potumque justitiæ, nisi ab illo qui esurientibus eam & sitientibus promittit ejus saturitatem?* (Lib. de pecc. merit. c. 5.) De singulis omninò operibus bonis, præceptisque loquebatur, quando dicebat: *In eis certè libris confessionum mearum dixi Deo nostro, & sæpè dixi: Da quod jubes, & jube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cum à quodam fratre Coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquanto commotius, pœnè cum eo* D *qui illa commemoraverat, litigavit. Nempe quia tam perspicuè ad singula Dei præcepta gratiam poscunt. Quid verò nobis primitus & maxime Deus jubet, nisi ut credamus in eum? Et hoc ergò ipse dat, si bene illi dictum est, Da quod jubes. Et in eisdem etiam libris, quod de mea conversione narravi, Deo* (Lib. de dono pers. cap.)

mo

me convertente ad eam fidem quam miserrimâ & furiosissima loquacitate vastabam: nonne ita narratum esse meministis, ut ostenderem me fidelibus & quotidianis matris meæ lacrymis ne perirem fuisse concessum? Vbi utique prædicavi non solùm aversas à recta fide, sed adversas etiam rectæ fidei, Deum sua gratia ad eum convertere hominum voluntates: De proficiente verò perseverantia quemadmodum Deum rogaverim, & scitis & potestis recensere cùm vultis. Omnia itaque Dei dona quæ in eodem opere sive optari sive laudari quis non dicat negare sed dubitare saltem audeat Deum daturum se esse præscisse, & quibus daturus fuerit nunquam potuisse nescire? Optaverat autem in illo opere id quod præcipit Deus dicendo, Da quod jubes? Laudaverat quicquid hominem Deo propinquiorem similioremque facit, sub quibus omnia bona opera comprehendi, extra controversiam est. De singulis omninò operibus nostris bonis præceptisque loquebatur, quando dicebat; *Ipse qui dixit, Si volueris conservabis mandata, in eodem libro Ecclesiastico aliquanto post dicit: Quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum certum? &c. Iam certe mandata acceperat: Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Cùm ergò verum sit, quod dixit, si volueris conservabis mandata: quare quærit in ore suo dari custodiam, similis ei qui dicit in Psalmo: Pone Domine custodiam ori meo: Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua; quandoquidem si voluerit conservabit mandata? Quam multa Dei mandata sunt contra superbiam? Iam novit ea; si voluerit conservabit ea. Quare ergò paulo post dicit, Domine Pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorum meorum ne dederis mihi? Iam dixerat ei lex, Non concupisces: velit ergo & faciat, quod iubetur; quoniam si voluerit conservabit mandata. Quare sequitur & dicit, Concupiscentiam averte à me? Contra luxuriam Deus quam multa mandavit? Faciat ea quia si voluerit, conservabit mandata. Quid est quod clamat ad Deum, ventris appetitio & concubitus ne apprehendant me? Si hæc ei præsenti diceremus rectissimè nobis responderet & diceret: Ex ista oratione mea, quâ hæc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim, si volueris conservabis mandata. Certum est enim nos mandata servare si volumus; sed quia præparatur* (id est datur) *voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus; sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò ante posui, Præparatur voluntas à Domino: De quo dictum est; A Domino gressus hominis dirigentur & viam eius volet: de quo dictum est; Deus est qui operatur in vobis & velle. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. qui dixit, Faciam ut in iustificationibus meis ambuletis; & iudicia mea observetis & faciatis. Cùm dicit; Faciam ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebatis: & dabo cor carneum, unde faciatis? Et hoc quid est? nisi auferam cor durum, undè non faciebatis, & dabo cor obediens undè faciatis?* De singulis omninò operibus nostris bonis præceptisque loquebatur, quando fusissimè duobus integris capitibus

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.

præcepta Dei omnis generis plurima coacervaverat, quæ hominis voluntatem postulant, ut ea velit aut nolit, ac tandem adijcit: *Proinde charissimi sicut testimoniis Scripturarum probavimus sanctarum ad benè vivendum & rectè agendum esse in homine liberum voluntatis arbitrium: sic etiam de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, quæ sint divina testimonia videamus.* Et statim ad singula implenda gratiam necessariam esse & Scripturarum & precum attestatione convincit. Vndè inter cætera illud generalissimum ponit: *Noli vinci à malo sed vince in bono malum: quod tamen ut fiat adiuvat gratia, quæ nisi adiuverit nihil lex erit, nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia & maiores vires accipit lege prohibente nisi adiuvet spiritus gratia.* Et iterum: *Cum voluntas eius convenitur & ei dicitur; Noli vinci à malo: quid ei prodest nisi gratia succurrente fiat?* Et de victoria cuiuscumque tentationis: *Ergo & victoria quâ peccatum vincitur, nihil aliud est quam donum Dei in isto certamine adiuvantis liberum arbitrium.* An fortè per gratiam habitualem? Audi: *Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid verò evidentius, quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur?* De singulis omninò operibus nostris præceptisque faciendis loquebatur, quando dicebat: *Oramus, inquit Apostolus, ad Deum, ne quid faciatis mali. Poterat dicere: Monemus ne quid faciatis mali; docemus vos ne quid faciatis mali, iubemus vobis, præcipimus vobis. Quod quidem si diceret certum diceret, quia & voluntas nostra agit aliquid: non enim voluntas nostra nihil agit, sed sola non sufficit. Maluit tamen dicere* ORAMUS, *ut ipsam gratiam commendaret: ut intelligerent illi, quando non faciunt aliquid mali, non solâ suâ voluntate se vitare malum, sed adiutorio Dei se implere quod iussum est. Ergò fratres quando præcipitur, agnoscite gratiæ beneficium: Vtrumque enim in Scripturis habes. Et præcipitur, & oratur, quod præcipitur, hoc oratur.* An fortè non singula quæ præcipiuntur orantur? *Videte quod dico. Præcipitur ut intelligamus: Nolite esse sicut equus & mulus non habentes intellectum. Audistis quia iussum est: Pete ut possis implere quod iussum est. Quomodo, inquis, peto? &c. Audi quia oratur ut agnoscas gratiam, Da mihi intellectum ut discam mandata tua. Iussum est ut habeamus sapientiam: Qui insipientes estis in populo. Quia iussum est, lego. Vbi legis? inquit. Audite: Qui insipientes estis in populo & stulti aliquando sapite. Iam ille* (hostis gratiæ) *quid dicit? Vides quomodo nobis præcepit Deus ut sapiamus? Ergo sapientia in nostra est potestate. Iam dixi præceptum, audivi, voluntatem cognovi: audi orationem, ut gratiam possis agnoscere: Si quis vestrum indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Iubetur nobis continentia: Contine teipsum. Iussio est, præceptio est, audiendum est, faciendum est; sed nisi Deus adiuvet, remanemus. Conamur quidem facere voluntate, & nititur aliquid voluntas: non præsumat potestas, nisi adiuvetur infirmitas. Certè enim iussum est: Contine teipsum. Audi alium locum Scripturæ: Et cùm scirem, inquit, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, &* hoc

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 4.

Ibid.

Ibid.

In sequenti 1. sermone ad populum in Append.

hoc ipsum erat sapientia scire cuius esset hoc donum. Et quid inquit feci? Adij Dominum, & deprecatus sum. Quid opus est multa percurrere fratres mei? QVICQVID NOBIS IVBETVR ORANDVM EST, *ut impleatur.* De singulis omninò operibus præceptisque implendis loquebatur, quando

Epist. 95. ad Innoc. Papam. dicebat: *Distinguenda est lex & gratia. Lex iubere novit, gratia iuvare. Nec lex iuberet nisi esset voluntas; nec gratia iuvaret, si sat esset voluntas. Iubetur ut habeamus intellectum, ubi dicitur; Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Et tamen oramus ut habeamus intellectum, ubi dicitur; Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Iubetur ut habeamus sapientiam, ubi dicitur* (videtur hic lacuna esse, & addendum, Et stulti aliquando sapite. Et tamen oramus ut habeamus sapientiam, ubi dicitur) *si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo &c. Iubetur ut habeamus continentiam, ubi dicitur:* (& hic videtur supplendum: Contine teipsum.

B Et tamen oramus ut habeamus continentiam ubi dicitur) *cum scirem quia nemo potest esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, cuius esset hoc donum, adij Dominum & deprecatus sum. Postremo ne nimium longum sit cuncta percurrere, iubetur ut non faciamus malum, ubi dicitur: Declina à malo: Et tamen oratur ut non faciamus malum, ubi dicitur, Oramus ad Dominum, ne quid faciatis mali. Iubetur ut faciamus bonum, ubi dicitur, Et fac bonū: Et tamen oramus ut faciamus bonum, ubi dicitur; Non cessamus pro vobis orantes & postulantes: atque inter cætera pro illis orans dicit; Ut ambuletis dignè Deo in omne placitum; & in omni opere & sermone bono. Sicut ergo agnoscimus voluntatem cùm hæc præcipiuntur, sic & ipse agnoscat gratiam cùm petuntur.*

Lib. de perfect. iustitiæ cap. 10. De singulis omninò præceptis implendis, operibusque loquebatur, quando dicebat: *Orèt gemitu voluntatis ut impetret donum facultatis. Qui enim dicit, Fiat cor meum immaculatum; &, Itinera mea dirige secundum verbum tuum; &, Ne dominetur mihi omnis iniquitas;*

C *&, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: &, Ne nos inferas in tentationem; & cætera huiusmodi quæ commemorare longum est*, hoc est, in quibus precibus & votis, quæ pro universis & singulis præceptis faciendis funduntur Deo, *hoc utique orat, ut præcepta Dei faciat: quæ ut fierent, nec iuberentur, si nihil ibi nostra voluntas ageret; nec oraretur si sola sufficeret.* Sed quid operam plurimis Augustini testimoniis coacervandis impendo? opera ipsius universa quæ contra Pelagianos exaravit, nihil aliud nisi gratiam singulis præceptis operibusque faciendis necessariam spirant. Ex quo fit ut frequenter simulatq; præceptum aut opus aliquod singulare implendum occurrerit, mox ad gratiam implorandam recurrat, ut fiat, & ad agendas gratias postquam factum est. Itaque Catholicæ fidei regulam proferens:

Epist. 107. *Scimus pro eis qui nolunt credere, nos qui iam credimus rectâ fide agere cùm Deum oramus ut velint.*

D *Scimus pro eis qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficijs vellè atque veraciter & debere nos Deo gratias agere & solere.* Quod de omnibus omninò præceptis implendis verum esse, eâdem certitudine Christianus agnoscit. Unde statim de

A Vitale simpliciter errante adijcit: *Si ergò istas duodecim sententias, quas vos dixi scire ad fidem rectam & Catholicam pertinere, etiam tu frater nobiscum tenes, ago Deo gratias: quas profectò non veraciter ageremus nisi Dei gratia fieret, ut teneres.* Et de superanda iracundia, ne Augustino Pelagius succenseret: *Si autem mihi iratus fuerit, quamvisque mihi irascatur attendat, & ut vincat iram, tandem aliquando postulet gratiam, quam in hoc iudicio confessus est singulis suis actibus necessariam, ut veram consequatur illo adiuvante victoriam.* Lib. de gestis Pelag. c. 35.

Et de quacumque obedientia qua obtemperatur præcipienti ac docenti Deo: *Subde audi Apostolum gratias agentem Deo, quod eius doctrinæ ex corde obedierint, quandoquidem non dixit, Gratias ago quia prædicata est vobis doctrina eius, sed quia obedistis. Non enim omnes obaudiunt Evangelio, sed quibus datum est, ait Dominus. Illis autem non est datum. Non ergò ex corde, hoc est ex voluntate obedissent, si non præpararetur voluntas a Domino. Altoquin mendaciter ei de hac re Apostolus gratias agit, si hoc ipse non fecit.* Hæc ergò ratio est, cur postquam toties vim orationis ad gratiam voluntatis atque operis impetrandam ac manifestandam explicuit, generalissimè nulla voluntatis ullius aut operis aut tentationis exceptione, concludit, nullum opus fieri, nullum præceptum impleri, nullam peccati tentationem vinci posse sine illa gratia quæ precibus invocatur. Omnem quippè bonam actionem quantumcumque minimam complectitur id quod ad Valentinum dicit: *Intelligenda est enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum: non solùm ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam ut præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.* An fortè per gratiam sufficientem aut habitualem? Audi qualem: *Hanc quippè inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis quibus dicebat: Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis. Quis hoc audiat & non evigilet, atque fateatur à Domino Deo nostro esse, ut declinemus à malo & faciamus bonum?* Omnem bonam actionem quantumcumque minimam complectitur id quod ibidem subijcit: *Faciebat Apostolus, illa omnia quæ commemoravi: monebat, docebat, hortabatur, increpabat; sed sciebat, hæc omnia non valere quæ plantando & rigando faciebat in aperto, nisi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto. Quoniam sicut idem Doctor gentium dicit: neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Omnem actionem bonam quantumcumque minimam complectitur, id quod adhuc subjungit: *Quando non agunt, sive omninò non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant, hoc est gratiam faciendi. Quid enim habebunt, quod non accepturi sunt; aut quid habent quod non acceperunt?* Omnem actionem bonam quantumcumque minimam complectitur id quod in Epistolis ad Adrumetinos dicit:

Margin notes (right column): 1. 2. — Lib. 1. oper. imp. contra Iul. fol. 453 — Lib. de Corr. & grat. c. 2. — Ibid. — Ibid. — Ibid.

Le-

Epist. 3. ad Valent. & fratres eius.

A *Legimus eis etiam librum Beatissimi Cypriani de oratione Dominica, & ostendimus quemadmodum docuerit omnia quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè vivimus, à patre nostro qui in cœlis est, esse poscenda, ne de libero præsumentes arbitrio à divina gratia decidamus.* Ad quos dixerat in epistola prima, eadem omnium bonorum operum & motuum amplitudine: *Probavi per testimonia Scripturarum quæ ibi potestis inspicere, & bona opera nostra, & pias orationes, & rectam fidem, nullo modo in nobis esse potuisse, nisi hæc acceperimus ab illo de quo dicit Apostolus Iacobus, Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Omnem actionem nostram bonam, quantumcumquè minimam complectitur quod in libro de dono perseverantiæ dicit: *Dicat mihi quisquis audet, utrum Deus dare non possit, quod à se posci imperavit? hoc certè qui sapit, non dico desipit sed insanit. Imperavit autem Deus, ut ei sancti eius dicant orantes, Ne* B *inferas nos in tentationem. Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit, vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere.* Et infra: *Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur. Et qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur.* Et rursum ibidem generalissimè: *Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Quod vidit iste venerabilis martyr* Cyprianus, qui à Domino dictum esse tradit: *Vigilate & orate ne veniatis in tentationem. Vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur* TOTVM DEO, *quicquid suppliciter cum timore Dei petitur ipsius* PIETATE *præstetur.* Et mox perinde generaliter ex Ecclesiæ totius oratione & Catholica consequenter fide concludit: *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ quam defendimus, sola sufficeret: quia* C NIHIL *nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem ut non* DISCEDAMVS A DEO, *non ostendit* DANDVM *nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem non discedit à Deo.* Et vim orationis ad veræ gratiæ demonstrationem exponens: *Quod poterat*, inquit, *nobis etiam non orantibus, sed oratione nostra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim nisi ab illo accipimus, à quo iussum est, ut petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes exspectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat ut credentes perseverent; ergo Deus donat perseverantiam.* Quam Cypriani & Augustini doctrinam saluberrimam, de omnibus omninò bonis operibus pro quibus Ecclesia piè & humiliter & utiliter preces fundit, similiter locum habere confiteri debet, quisquis pro eis rogandum Deum antequam dederit, & gratias ei agendas, postquam dederit, confitetur. Denique D omnem actionem nostram bonam quantumcumque minimam complectitur id quod ad Bonifacium dicit: *Si studium quisque ut pro aliis habeat, Deus dat, ut pro seipso habeat, quis alius* A *est daturus? Quæ cùm ita sint;* NIHIL *in Scripturis sanctis homini à Domino Deo video iuberi propter probandum liberum arbitrium; quod non inveniatur vel dari ab eius bonitate, vel posci propter adiutorium gratiæ demonstrandum.* Et statim iterum: *Sic itaque Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonæ mutationis, usque in finem consummationis qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia sicut nemo potest inchoare sine Domino, sic nemo perficere sine Domino.* Omnem omninò bonam actionem nostram quantumcumque minimam cõplectitur quod cùm ex Cypriano Dominicam orationem exponente, ac *totum quod rectè vivimus, quodq́; lex iubet à Domino Deo precibus impetrandum* declarante, docuisset *nec propositum bonum, nec studium virtutis, nec mentes bonas sine gratia Dei incipere & esse in hominibus*, usque adeò nec ad istud quod lex dicit, *non adorandum idolum, non machandum, non homicidium perpetrandum atque huiusmodi*, Christianorum atque justorum sufficiant voluntates, qui suam infirmitatem quotidianâ oratione humiliter confitentur, tandem etiam de illis qui nondum Christo crediderunt, adijcit, ut per orationem nihil à Dei gratia exceptum esse monstraret: *Oramus ergo non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo nisi ab illo, de quo scriptum est; Præparatur voluntas à Deo?* Et doctrinæ istius certitudinem & amplitudinem omnibus commendans qui Christiani & Catholici esse cupiunt universalissima generalitate subjungit: DISCANT ERGO ESSE CATHOLICI, QVI DEDIGNANTVR SI QVID MALI NON FACIVNT, ET SI QVID BONI FACIVNT, NON IN SEIPSIS SED IN DOMINO GLORIARI.

Epist. 1. — Lib. de dono pers. cap. 6. — Lib. de dono pers. cap. 6. — Ibid. citatur ab August. — Ibid. — Ibid. — Lib. 2. ad Bonif. c. 9. — Lib. 4. ad Bonif. c. 9.

Quæ quamvis aliis innumeris testimoniis C comprobari potuissent, hæc tamen cuivis Christiano, pioque lectori arbitror, sufficient, ut intelligat in Catholica doctrina totiusque Ecclesiæ professione nihil esse certius quam id quod tanta securitate & firmitate, & asseverandi constantia, in omnibus adversus hostes gratiæ scriptis Augustinus docet, nullum propositum bonum, nullum studium virtutis, nullum opus bonum, nullum voluntatis motum bonum in hominibus, sive non credentibus sive credentibus, sive Paganis sive Christianis, sive catechumenis sive baptizatis, sive injustis sive justis esse posse, quem non per suam gratiam Deus misericorditer largiatur. Nec per quamlibet gratiam, sed illam, quæ quotidianis precibus à Christianis, baptizatis, justisque poscitur & occulta sancti Spiritus inspiratione tribuitur. Quod tanto verborum pondere, sententiarumque claritate ac densitate, tanta fidei Catholicæ tuendæ D sollicitudine per universa sua monumẽta sparsit, ac docuit, ut qui necdum hanc doctrinæ sinceritatem agnoscere possunt aut volunt, suo documento satis ostendant, quantum in moribus humanis valeat, eò quemquam progressum esse, unde redire non libeat, quamvis manere

manere non liceat. Docet enim ut singula A præcepta impleantur dicendum esse *Da quod jubes*; docet ad victoriam tentationum obtinendam non sufficere liberum arbitrium, *nisi victoria concedatur oranti:* docet *quid quid jubetur, orandum esse ut impleatur:* docet, *nihil in Scripturis sanctis jiberi, quod non inveniatur à Dei bonitate dari vel posci ad adjutorium gratiæ demonstrandum:* docet *nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo nos facere bonum, nisi inspiratione bonæ voluntatis ac operis*, quæ orando petitur, concedatur: Docet *nihil juvare quod monemus, docemus, hortamur, increpamus, nisi Deus orantes exaudiat:* Docet, orandum ut quando *non agimus, accipiamus agere*; eo quod *nihil habituri sumus quod non accipiamus:* docet *omnia quæ ad bonos mores pertinent esse poscenda; totum esse dandum Deo, ut humiliter petentibus ipsius pietate præstetur:* docet & *ipsum non discedere à Deo, dandum esse à Deo.* Et per hoc discendum esse eis qui Catholici esse volunt, ut *si quid mali non faciunt, & si quid boni faciunt, non in seipsis sed in Domino glorientur.* Hanc denique gratiam quæ contra tentationes concupiscentiæ, incontinentiæ, insipientiæ, inobedientiæ, iracundiæ, omniaque quæ vel vetantur, vel jubentur implenda, postulatur, esse illam, quam Catholici confitentur & Pelagius fallaciter *in judicio Palæstino confessus est singulis actibus necessariam.* Quæ si pauló diligentius attenderent recentiores aliqui, non ita exorbitarent à tramite veritatis, ut solis philosophiæ principiis in re tanta nixi, gratias habituales fingerent ad opera multa bona posse sufficere. Et egregiè se munitos adversus Pelagianam hæresim putant, quod non sine influxu habitus gratiæ tales operationes voluntati tribuant. Quasi verò vel ullum indicium sit in omnibus Augustini vel Pelagii scriptis, C quod de habituum adjutoriis disputatum sit, A vel habituales gratias Pelagiani ac Massilienses abjecerint, vel ita deliraverint ut negarent habitus voluntatis in opus voluntatis influere; vel denique quasi justi, baptismoq; sanctificati (de quorum orationibus pro se fusis tum oratio Dominica, tum Augustini & Cypriani producta testimonia pœne universa procedunt) gratiam habitualem qua donati sunt, tot precibus & gemitibus poscant. Commenta sunt ista hominum suas opiniones quoquo modo defendentium; qui divinæ gratiæ sinceritatem potiùs humani ingenii subtilitate, quam Ecclesiasticâ, ut oportebat, traditione discere ac docere voluerunt. Est enim apertissimum, gratiam istam tum suavitatis, tum inspirationis quæ orando petitur, esse actualem, quam Deus justus tunc quando agendum præceptumque implendum est, juxta profundissimi sui consilii arcanum donat orantibus aut negat, si- B cut placet, cui nihil injustè placet. Nam ut Augustinus adversus omnino similem Pelagianorum tergiversationem, naturam, peccati remissionem, & legis scientiam, tanquam Dei gratiam proferentium notat, justus orans Da quod jubes; Fiat voluntas tua; Ne nos inducas in tentationem; *non utique id orat*, inquit, *ut homo sit quod est natura; neque id orat ut habeat liberum arbitrium; quod jam accepit, cum crearetur ipsa natura: neque orat remissionem peccatorum* aut habitualem gratiam, *quia hoc superius dicitur, Dimitte nobis debita nostra: neque orat ut accipiat mandatum, si enim in tentatione defecerit hoc facit, quod est contra mandatum. Orat ergò ut non peccet, hoc est ne quid faciat mali*, quod vetatur, vel bonum faciat quod jubetur. Vt proinde rectissimè firmissiméque pro actuali & nondum data gratia cum Augustino concludatur: *Ipsa igitur oratio clarissima est gratiæ testificatio.*

Epist. 95. ad Innocent.

Vide omninò similem locum lib. de gest. Pelag. cap. 9. & epist. 107. ad Vitalem.

CAPUT XVIII.

Eandem doctrinam Romani Pontifices tradunt, & Ecclesia tota profitetur.

NEC Augustini duntaxat, sed & A Pontificum Romanorum & Conciliorum Ecclesiæ veritatem suo calculo comprobantium, mens eadem omninò eademque doctrina est. Vnus Pontificum erit instar omnium, sanctus Innocentius qui tempore conflictus istius cum inimicis gratiæ & vixit & scripsit, & Ecclesiasticis Conciliis Carthaginensi atque Milevitano respondens scripsit. Tota enim epistola utraque Synodalis adjutorium Dei actuale ad nostros singulos actus necessarium esse tantâ inculcat acrimoniâ & evidentiâ, ut vel tardissimos de somno excitare, clausisque oculis lumen istius veritatis inferre posse videatur. Nam in primis, quid spirat aliud quod iterum iterumque inculcat, illam *gratiam, adjutorium, remedium* esse *quotidianum*, quod Pelagius & Celestius oppugnabant? *Nec illum considerant cujus quotidie gratiam consequuntur.* Et, *Quid tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quam hunc te negare debere, quicquid in quotidiana gratia consequeris?* Et, *Cui putes debere quod vivis, quomodo te non putas illi debere quod taliter vivis?* Et, *Adjutorio quotidiano nos egere negare non possumus.* Et: *Quotidiana præstat ille remedia.* Et: *Quis rogo tantus illorum peccatorum error obcæcat, ut si nullam gratiam sentiunt, quia nec digni sunt, nec merentur, nec de aliis considerant, quid quotidie singulis gratia divina largitur.* Quid aliud spirat quod plus

Epist. Innoc. ad Concil. Carthag. est apud August. 91.

plus quàm decies commendat, non quamlibet esse gratiam istam quotidianam, sed eam quam justi pariter & injusti quotidianis precibus à divina misericordia poscimus? *Hoc adjutorium, seu bene vivimus* (hoc est justi sumus) *precamur, ut melius sanctiusq; vivamus, seu prava sentientes &c.* Et iterum: *Nescientes quod nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat &c.* Et, *Cùm enim hoc totum* (gratiæ istius postulatio) *in nostra professione consistat, quotidianisq; precibus nihil agamus, nisi quemadmodum Dei misericordiam consequamur, quem ad modum ferre possumus ista iactantes?* Quid aliud spirat, quòd istam adjutorii quotidiani necessitatem ex instãtissimis & assiduis Davidis viri sãctissimi & Prophetæ maximi, & habituali gratia robustissimi precibus probat? *Cùm vir beatus etiam electus à Domino, nihil egeret, tamen ita Deum deprecatur postulans: Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Et; *Nos nobis liberum arbitrium, ille Deum postulat adiutorem.* Et; *Adiutorem sibi Deum & assiduum adiutorem invocat, nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando eum despiciat, orationibus pronus exoptat, & per omne corpus psalterij hoc & prædicat & clamat.* Et, *Si hoc illi tam magnum est ut assiduè diceret, ita necessarium est confessus ut doceret.* Quid aliud spirat, quòd ut explicaret naturam adjutorii, quod tam assiduis orationibus deprecamur, exemplum hominis primi profert, *quem libertas ipsa decepit*, quique *liberum arbitrium perpessus est*; hoc est, vires ejus expertus est, *dum suis inconsultius utitur bonis.* Nempè, quia ut Concilium Arausicanum Augustini verbis exponit: *nullo modo potuit seipsam Creatore suo non adiuvante servare; nec sine gratia Dei salutem custodire quam accepit.* Quis enim eo usque deliret, ut putet Pontificem aut Concilium definire voluisse, quòd Adam sine gratia habituali, gratiam habitualem servare non potuerit? Aut ut hoc possit solâ libertate contenderit? Somnia sunt ista hominum pro suis suspicionibus quomodolibet depugnantium, qui doctrinam Augustini non satis perspectam habent, in quâ multipliciter docetur; Adamum actualis gratiæ adjutorio, quamvis alterius rationis quam posteritatem ejus, ad opera singula eguisse. Quid spirat aliud quòd etiam illis quibus gratia habitualis & pristina Adami libertas restituta est, adjutorium istud quærendum esse disertis verbis profitetur? *Ergò*, inquit, *Dei gratiam conantur auferre; quam necesse est etiam restituta nobis status pristini libertate quæramus.* Quid aliud denique spirat, quòd sine isto quotidiano adjutorio, quod sancti, hoc est, habitualiter justi & grati Deo precando postulant, nihil omninò boni nos agere posse, multiplici attestatione confirmat? *Hoc enim seu bene vivimus precamur, ut melius sanctiusq; vivamus, seu prava sentientes à bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, eius auxilio plus egemus.* Et rursum: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis & mundani corporis vincere conamur errores.* Ratio tantæ necessitatis est: *Cum pares nos ad resistendum non liberum, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et adhuc instantius: *Omnes sancti* NIHIL *se, sine hoc adiutorio*, quod Psalmorum precibus quæritur *agere posse testantur.* Et ne quis doctrinam istam, quæ ad sinceram infirmitatis humanæ & gratiæ divinæ confessionem, & ad gloriam crucifixi prædicandam maximè necessaria est, propter inveteratas humanæ philosophiæ suspiciones, aut obiter dictam quasi surdis auribus præteriret, iterum commendat instantissimè: *Qua gratia divina privatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat.* Et præmissis sancti Davidis precibus pro impetrando Dei adjutorio subjicit: In omnibus divinis paginis legi, *voluntati liberæ non nisi adiutorium Dei esse nectendum, eamq;* NIHIL *posse cælestibus auxiliis destitutam.* Et rursum: *Quotidiana præstat ille remedia; quibus nisi freti confisiq; nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores.* Causa quà omnis exceptio de naturæ viribus, de libertate voluntatis, de habitu gratiæ, de nonnullis exiguis actibus, radicitus exciditur ista est: NECESSE EST ENIM VT QVO AVXILIANTE VINCIMVS, EO ITERVM NON AVXILIANTE VINCAMVR. Quid apertius & sanctius & præcisius à sancto Præsule, ad omnes philosophiæ Aristotelicæ de habitibus & voluntatis libertate, subtilitates suffocandas dici possit ignoro: in illis præsertim circumstantiis, ubi Conciliis respondet Africanis, eorumque doctrinam comprobat, qua inter cætera Pelagiani erroris capita, etiam istud amputaverant, quòd ad rectè vivendum illam prædicabat naturæ possibilitatem, QVAM NVNC NON ACCIPIMVS, quando adjutorium Dei precibus imploramus. Nam quamvis habeamus quandam possibilitatem in voluntatis arbitrio, illa tamen nec ad benè vivendum sufficit, nec est illa, quæ TVNC ACCIPITVR cùm oratur. Hanc ergò sancti prædecessoris sui radiantissimam veritatis luce sententiam Celestinus Pontifex tanti fecit, ut eam litteris ad Antistites Gallos destinatis, tanquam immobilem Catholicæ fidei regulam inseruerit. Et ne cui fortè verbum veritatis in ore vnius testis fluctuare videretur, addit & Zozymi Papæ testimonium, ac denique suum, ut tribus irrefragabilibus testibus res tanta niteretur. Dicit enim ac testatur ipse Celestinus: *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisq; motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid possumus, sine quo nihil possumus.* De quo verò tandem Dei adjutorio hoc intelligit, an de peccati remissione, an de gratia perpetuò & sufficienter justis assistente, an de adjutorio habituali? Ipse dicat Zozymi Pontificis verbis universam Ecclesiam instruentis: *Ad hanc enim nos professionem idem Doctor* (Zozymus) *instituit: qui cùm ad totius orbis Episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur, Quod ergo, ait, tempus intervenit, quo eius non egeamus auxilio?* IN OMNIBVS igitur ACTIBVS, *causisque, cogitationibus, motibus adiutor & protector orandus est.* Et quid orandus, nisi ut quod à justis injustisque petitur, ac nondum dedit adjuto-

Marginal notes: Conc. Arausic. canone 19. — Epist. 95. — Epist. ad Patres Concil. Milev. apud August. 93. — Epist. 91. ad Concil. Carthag. — Ita loquuntur Patres Concil. Carthag. in epist. ad Innocent. — Epist. ad Gall. c. 5. — Ibid. c. 8.

jutorium largiatur. *Superbum est enim ut quicquam sibi humana natura præsumat.* Nempe quia post lapsum suum quantumcumque justa & sancta, nihil omninò in operibus bonis, sine isto Dei adjutorio, quod simpliciter oratur, potest: ut necessariò superbum sit, si quicquam sine illo se posse præsumat.

Quapropter cum veritatem istam capitalem Catholicæ fidei basim esse sciret Celestinus, non contentus hujusmodi Sedis Apostolicæ sanctionibus, eam ex unanimi universalis Ecclesiæ professione confirmat. Nam hoc ipso quo nihil omninò boni in operibus nostris inveniri potest, quod non à Deo supplicibus votis adipiscendum postulat, & adeptum per sinceram gratiarum actionem, ad gratuitam ejus liberalitatem refert, apertissimè protestatur, omnia omninò ab ejus misericordia per actuale adjutorium, quod negat aut donat, quibus, quando & quoties visum fuerit, ab B initio inchoationis usq; ad finem consummationis per opera singula, quibus in justitia incipimus esse vel crescimus, debere proficisci.

Celestinus in eadem epist. cap. 10. *Præter*, inquit, *beatissimæ & Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres pestiferæ novitatis elatione deiecta, & bonæ voluntatis* EXORDIA, & INCREMENTA *probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt; obsecrationum quoq; sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita toto mundo, atq; in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut* LEGEM CREDENDI LEX STATVAT SVPPLICANDI. *Cùm enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscente postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis* C *appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut deniq; Catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cælestis misericordiæ aula reseratur. Hæc autem non perfunctoriè neq; inaniter à Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus; quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filij charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat* A *vasa misericordiæ. Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisq; confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.* Vnde concludens universam de adjutoriis divinæ gratiæ doctrinam, nihil omninò bonæ voluntatis aut operis ab ista gratia subtrahit, quam Ecclesiasticis precibus tantâ diligentia commendaverat: *His ergò Ecclesiasticis regulis, & ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adiuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atq; operum, & omnium studiorum omniumq; virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem; & non dubitemus ab ipsius gratia, omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere.* Ibid. cap. 12. Quibus sanctorum Pontificum documentis conformiter definivit Concilium Arausicanum de sanctorum & justorum singulis operibus, quæ Scholasticorum B quorundam subtilitas ab actualis gratiæ adjutorio separavit: *Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Conc. Arausic. canone 10. Perspicuum enim est, opera singula sequentia præcedentibus attexendo, in bono opere perdurari. Quod si à renatis & sanctis solo regenerationis jam acceptæ beneficio ac robore aliquo usque fieri potest; perfunctoriè hoc potiùs quam verè precibus poscunt: perfunctoriè potiùs quam verè gratias agunt: ut sit irrisoria *gratiarum actio* atque *petitio*. *O homo,* inquit Augustinus, *non verborum tuorum tantum, verum etiam cogitationum testis est Deus, si aliquid à tanto divite veraciter & fideliter poscis, ab illo à quo poscis te accipere crede, quod poscis. Noli eum labiis honorare, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare.* Lib. de dono pers. cap. 2. Quare idem Concilium Arausicanum C hujusmodi cavillationes jugulans quibus una pars bonorum operum Deo, altera jam acceptis in sanctificatione viribus tribuitur, *Divini est*, inquit, *muneris, cum* (hoc est quandocumque) *& rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.* Con. Arausic. canone 9. Quibus verbis continuò canonem istum supradictum de *adiutorio semper Sanctorum precibus implorando* subtexit. Canone 10.

CAPVT XIX.

Eadem actualis gratiæ seu motionis necessitas ad singulos actus, ostenditur ex diversis alijs locis Augustini.

ET quamvis actualis gratiæ adjutorium ad singulos actus necessarium tanta evidentia ex quotidianis Ecclesiæ precibus asseratur, non desunt tamen & alia ex Augustino argumenta quibus idipsum tam perspicuè demonstrari potest, ut Augustinus de distinctione adjutorii, quod actualis gratia & quod habitualis tribuit, sol- A licitus fuisse videatur. Quod ut plenius percipiatur sciendum aut memoria recolendum est, id quod aliis in locis aliquoties diximus, gratiam, hoc est, charitatem habitualem esse *bonam voluntatem*, esse illam *sanitatem* per quam animus à cupiditate sanatur: esse *libertatem* qua à concupiscentiæ consensui dominante liberatur, esse *potestatem* seu *virtutem*, qua

 dicitur

dicitur justè sanctèque vivere posse si velit. Vnde & virtus, tanquam animi fortitudo & potestas dicitur, de qua habituali potestate sine præjudicio gratiæ actualis, innumera sunt Augustini testimonia: *Nec eorum virtus fuerat revelanda, quâ virtute hoc eos facillimè posse, Deus in eorum cordibus noverat.* Et libro de natura & gratiæ: *Ipse det salutem*, id est, animi sanitatem quæ est charitas *ut ambulare possimus.* Et libro de Spiritu & littera: *Vt cui iubetur, si nondum potest, sciat quid petat, si autem continuò potest, & obedienter facit &c.* Et in Psalmum secundum: *Et nunc Reges intelligite. Et nunc, id est iam innovati, iam valentes regere quicquid in vobis servile atque bestiale est, & iam valentes pugnare.* Et ex professo in libro de bono conjugali: quosdam docet habentes virtutem continentiæ (quæ juxta principia ipsius sine charitate prorsus nulla est) [a] *Posse*, alios *non posse* continere. [b] *Hunc, inquit, habitum circa continentiam, quæ fit à concubitu, non habent illi quibus dicitur, si se non continent, nubant: hunc verò habent quibus dicitur: Qui potest capere capiat.* Per istum habitum continentiæ *poterant non uti temporalibus, si opus non esset.* Et inferius: *Ex hoc habitu & Paulus dicebat: scio,* hoc est, possum, *& abundare, & penuriam pati.* Et paulò post inducit hominē Christianum continentiæ virtute præditum ita loquentem: *Melior sum illis qui per animi incontinentiam non possunt quod ego.* Et in Psalmis tribuit charitati *grandes vires quærendi faciem Dei.* Et in epistola ad Paulinum tradit posse liberum arbitrium *forte ac firmum dici, quamvis sine Dei gratia actuali id efficere atque implere non possit; sicut sanos oculos firmos dicimus ad videndum, quod tamen nullo modo facere non possint, si desit lucis auxilium.* Hâc igitur doctrinâ suppositâ tanquam in Augustini scriptis perspicuâ.

Epist. 89. — *Lib. de nat. & grat. c. 32.* — *Lib. de Spir. & litt.* — *In Psal. 2.* — a *Lib. de bono conjugali c. 13. & 14.* b *Ibid. c. 21.* — *Cap. 22.* — *In Ps. 104.* — *Epist. 106. ad Paulin.*

Quintò, potest necessitas actualis adjutorii ad singulos actus necessarii ex plurimis ostendi locis, quibus illud expressis verbis ab habituali ista sanitate & libertate, & potestate seu virtute distinguit. Cujusmodi est illud ex libro de natura & gratia manifestum de sanitate: *Mala nostra non ad hoc solùm supernus medicus sanat, ut illa tamen non sint*, per infusionem scilicet charitatis cùm peccata delentur, *sed ut de cætero rectè ambulare possimus: quod quidem etiam sani non nisi Deo adjuvante poterimus.* Sed quomodo adjuvante: an per istud collatæ sanitatis adjutorium quod in cælo erit perfectissimum? Audi quomodo: *Deus cùm iustificat impium, & cùm ad perfectam sanitatem*, hoc est, *ad perfectam vitam iustitiamq́; perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut piè semper iusteq; vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ* (hoc est Deo) *divinitus adiuvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergò Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Ecce distinctum ab impertita animi sanitate adjutorium, sicut lucis ab oculo sano, sine quo sicut oculus nequaquam potest ullo actu cernere, ita nec animus rectè vivere. Hanc sanitatis & adjutorii distinctionem & alibi in eodem libro indicat: *Beati omnes qui confidunt in eo, utique ut ipse det salutem* (id est sanitatem) *ut ambulare possimus: cui dicitur & salutare tuum da nobis: ipse in eadem via deducat: Deduc me Domine in via tua.* Et inferius: *Neque de ipsa possibilitate contendo, cùm à sanata & adiuta hominis voluntate, possibilitas ipsa simul cum effectu in Sancto proveniat.* Et sic distincta vides sanitatem & adjutorium, dum *sanata* dicitur, & *adiuta* voluntas hominis: & sanitati *possibilitas*, adjutorio *effectus* possibilitatis ascribitur, hoc est, illi posse velle & facere. Quæ quemadmodum de sanitate & adjutorio sanitatis manifesta sunt, ita de arbitrii liberatione & adjutorio liberati apertissima. *In bono faciendo liber esse nullus potest nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, Si vos Filius liberaverit tunc verè liberi eritis. Nec ita ut cùm quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potiùs ut ab illo audiens, sine me nihil potestis facere, dicat ei & ipse, Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Hoc est, orat ut nunquam in illo actu isto auxilio, quo etiam liberatus indiget, deseratur. Sic enim ejusdem istius precationis reddit sensum in libro de gratia & libero arbitrio, ubi acerrimè pro gratia justos adjuvante decertat: *Si se illa subtraxerit*, inquit, *cadit homo, non erectus sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando cœperit homo habere merita bona, debet sibi tribuere illa sed Deo, cui dicitur in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me: dicendo, ne derelinquas me, ostendit quia si derelictus fuerit* NIHIL *boni valet ipse per se.* Quod ejus exemplo probat qui in Psalmis dixerat, non movebor in æternum. Nam *paululum gratiâ deserente admonitus dicit: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Vnde subjungit Augustinus: *Ideò necessarium est homini ut gratiâ Dei non solùm iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus, cùm redduntur ei bona pro malis, sed etiam cùm fuerit iam iustificatus ex fide ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat*, nempe non semel aut bis incumbat, sed perseveranter & consequenter in omnibus actibus bonis. Sic enim semetipsum Augustinus explicat: *Quando ergò dealbata*, hoc est, justificata est Ecclesia, *nihil boni merebatur: iam verò alba facta, benè ambulat: sed si super eum à quo dealbata est, perseveranter incumbat. Propter quod & ipse Iesus super quem incumbit dealbata, dixit Discipulis, sine me* NIHIL *potestis facere.* Sed ad adjutorium hominis jam liberati, hoc est, jam sanctificati redeamus. Hoc inculcat etiam ad singulos actus esse necessarium, quando ad Bonifacium scribit: *Liberum arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet: ad iustitiam verò nisi divinitus* LIBERATVM ADIVTVMQVE NON VALET. Hoc est, ad nullum omninò actum valet. Vnde libro ad eundem Bonifacium secundo, sensum suum exactius explicans respondet Pelagianis: *Liberum arbitrium ad benè pièque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit* LIBERATA, *& ad omne bonum*

Lib. de nat. & grat. c. 26. — *Ibid. cap. 31.* — *Cap. 43.* — *Lib. de Cor. & grat. c. 1.* — *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 6.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Lib. 3. ad Bonif. c. 8.* — *Lib. 2. c. 5.*

bonum actionis, sermonis, cogitationis ADIVTA. Et libro de correptione & gratia: *Quâ sola* (gratia) *homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum.* Quam gratiam statim explicat esse *inspirationem bonæ voluntatis atque operis*, quam orando pro Corinthiis poscebat Apostolus.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Porrò quia istud jam liberatæ voluntatis adjutorium voluntatem in actus bonos dirigit, regit, atque agit, hinc aliquando ab Augustino vocatur adjutorium quo voluntas liberatur ac regitur, ut illud sic evidentissimè ab habitualiter inhærente ac liberante qualitate secerneret. Nimis enim perspicuum est, non esse justitiam inhærentem, quâ voluntas à Deo regitur: *Defendens*, inquit, *gratiam qua natura liberatur ac regitur.* Quod libro de gratia & libero arbitrio aliis verbis ait: *Bonas voluntates Deus per gratiam facit ex malis, & a se factas bonas in actus bonos & in æternam dirigit vitam:* Et illis, gratia, *qua voluntas ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit adjuvatur.* Hanc autem rectricem in singulis actibus eum regere & adjuvare locis aliis perspicuè docet. Cùm enim Pelagius dixisset *omnes propria voluntate regi*, vehementer adversus eum Augustinus insurgit: *Procul dubio plus est agi quam regi. Qui enim regitur aliquid agit, & a Deo regitur ut rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere. Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agenda commendet, qui malè agere non potest: & hoc cùm fecerit ab illo se ut faceret adjutam non dubitet, cui dicitur in Psalmo: Deus meus misericordia eius præveniet me.* Et continuò ostendit ex Salomone eum non ausum fuisse se regendum sibi committere, sed *optavi*, id est, oravi *& datus est mihi sensus; & invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ.* *Hoc*, inquit, *Spiritu, non viribus propriæ voluntatis reguntur & aguntur, qui sunt filij Dei.* Et ut intelligas in singulis actibus bonis hoc regimen, per actualem & extrinsecus illabentem gratiam, Deum arbitrio voluntatis impendere, de proposita homini electione mali ac boni, ut eligat quod

Lib. 2. retract. c. 42.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 20.

Lib. de gestis Pelag. c. 3.

placuerit, ita loquitur: *Si ad istum [illegible] mittit, & malum accipere ei placet, id voluntate hominis operatur: si autem bonum ac vitam diligit, non solùm voluntas id agit, sed divinitus adjuvatur. Sufficit enim, sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras; ad videndum verò lumine suo, non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur.* Et inferius ipse Pelagius damnationis timore confitetur, quod arbitrio *eligenti bona Deus esset adjutor, peccans verò esset in culpa, ad hoc sibi sufficiente propriâ voluntate.* Cui statim subjungit Augustinus: *Ac per hoc Deus regit, quibus adjutor est, eligentibus bona. Et ideò bene regunt, quicquid regunt, quia ipsi reguntur à bono.* Nihil profectò manifestius dici posset ut actualis gratiæ necessitatem ad singulos actus bonos commendaret. Nam & ipsa rectio voluntatis quâ à Deo *regitur & agitur*, actualem Dei motionem impulsumque sonat, ac talem sonat, ut *vix agere* voluntas *aliquid intelligatur*: & *lumini extrinsecus* oculis illabenti comparatur, & ita sine illo nihil voluntas agere posse, ut nec oculus sine lumine videre posse decernitur. Et ideo benè homines regere, *quicquid* regunt eligendo bonum, quoniam *reguntur* à bono.

Ibidem.

Aliquando sic adjutorium istud à gratia liberationis seu justificationis distinguitur, ut vocetur *gratia, qua à nostris malis meritis liberamur, & per quam bona merita comparamus.* Vbi quidem gratia tam qua liberamur, quam qua merita comparamus, utraque est actualis, tanquam principium quo tum libertas seu gratia formalis & habitualis liberationis, tum merita conferuntur. Sed tamen ipsa gratia liberationis formalis, multum à gratia meritum conferente discrepat. Illa quippe habitualis est charitas, ista actualis inspiratio bonæ volitionis atque operis meritorii: quæ tunc datur quando aliquod meritum datur. Iuxta illud Augustini brevissimum sed præcisum: *Quibus* Scripturis *commendatur vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundum merita datur*, SED DAT MERITA IPSA CVM DATVR, *quia prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam in cuiuspiam invenit corde, sed facit.* Ex qua radice nascitur, quod superius tot ejus documentis asseruimus, singula hominis merita esse *dona* Dei; quia gratia dat merita ipsa cùm datur.

Epist. 107. ad Vitalem.

CAPVT XX.

Idem ostenditur ex illis Augustini & Hieronymi locis, ubi ex professo de gratia ad singulos actus necessaria disputatur cum Pelagio: & ex ipsa professione.

EX hac doctrina sibi undique consonante manifestè constare puto, & Augustinum, & Pontifices, & Concilia, & ipsam totam Ecclesiam, non aliter intellexisse fidem suam, qua *gratiam Dei, & adjutorium ad singulos actus dari* sanxerant, ut supra vidimus, quam quod vera & actualis Dei motio & suavitas cordis, quæ magno gemitu à sanctis & justis assiduè invocatur, à Spiritu sancto infundi debeat, quâ *paterna inspiratione*

spiratione juxta Patres Africanos, *fuerum ipse tangat corda fidelium, ut boni aliquid agant:* atque ita in bonis *quibusque voluntatis humanæ singulis motibus*, illius auxilium actuale credamus. Quod quamvis in superioribus satis egimus, operæ pretium est tamen sigillatim, & Augustini & Hieronymi, & ipsius denique Pelagii attestatione firmare ex illis ipsis locis, ubi ista propositio suis propriis terminis concepta tractatur. Itaque cùm Pelagius in Synodo Palæstina damnasset eos tanquam hæreticos, qui dicerent *gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina*, Augustinus istam hæresis damnationem explicans ostendit fusè, non aliam gratiã & adjutorium à Pelagio intelligi potuisse, quam quod per singulos actus à Spiritu actualiter hominem regente confertur. Dicit enim *satis evidenter apparere* quod illam gratiam dixerit *quæ in Christi Ecclesia prædicatur.* Et quænam ista deprædicata gratia? *quæ subministratione sancti Spiritus datur, ut ad nostros actus singulos adjuvemur.* Et quænam adhuc ista? *Vnde & oramus semper adjutorium opportunum, ne inferamur in tentationem.* Dic adhuc clarius Augustine: *Quid ergo restat nisi ut eam intelligat* Pelagius gratiam, *quam dicit Apostolus subministratione Spiritus sancti dari?* de qua *dicit Dominus, Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis.* Dic adhuc evidentius, ne homines pro suis suspicionibus decertantes, habitualem gratiam, quam omnes justi habent, somnient: *Profectò Dei gratia vel adjutorium ad singulos actus datur, excepto libero arbitrio, vel lege atque doctrinâ*; ac *per hoc per singulos actus à Deo regimur, quando rectè agimus: nec frustra orantes dicimus: itinera mea dirige secundum verbum tuum, ne dominetur mihi omnis iniquitas.* Quis hic jam audeat, gratias justorum habituales, pro Dei gratia qua juvamur obtrudere, nisi qui fidem Ecclesiæ adulteratam velit. Non enim gratia habitualis est illa *quæ in Christi Ecclesia* tanquam actuum singulorum adjutorium *prædicatur*, sed ab auctoribus quibusdam nimis Aristotelẽ diligentibus, sine ullo Augustini vel Pontificis, vel Concilij, vel Ecclesiæ attestatione prolata est. Non est illa quæ jam sanctificatis & justis *subministratione*, hoc est, inspiratione Spiritus sancti datur: non est illa quæ sanctificatis & justis coram Iudicum tribunali positis *dabitur*, & *in illa hora* dabitur: non est illa qua per singulos actus *regimur*: non est illa denique quam sanctificati & justi tanquam *adjutorium oportunum semper*, implorant, ne inferantur in tentationem: non est illa quam petunt, ut itinera sua *dirigantur*, ne sibi *dominetur* omnis iniquitas, id est, concupiscentia, prout hoc solet exponere Augustinus. Quod si illam sibi jam datam peterent, & cujus usus juxta Scholasticos in sua potestate est, profectò *frustra orantes* dicerent: *itinera* mea dirige &c. Nam quid stultius, quam illud implorare quod habes in tua potestate?

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

A

B

C

D

Quapropter cum Augustino postea non sufficeret ad veram gratiæ confessionem, quod Pelagius post istud judicium adhuc remissionem peccatorum, hoc est justitiam habitualem, & legem atque doctrinam pro vera Christi Ecclesia obtruderet, non eum refutat, quia ista non influunt in singulos actus bonos: istud enim & falsum est, & non sufficit: sed refutat quia hoc dicendo non confitetur, quòd *adjuvemur aliquâ subministratione virtutis*; quam statim exponit *inspirationem dilectionis*, qua Deus *nos adjuvat ut velimus* atque faciamus. Itemque cùm ostendere vellet etiam Pelagium dicere posse, quòd *peccatorum remissione lege* atque *doctrina*, per *actus singulos adjuvemur*, non ea sic interpretatur, quòd remissio peccati, adeptaque scientia in singulis concurrit actibus: sed exponit per aliquid actuale, quod tunc cùm singuli actus fiunt, sese exserit: *Potest huic sensui ista verba*, inquit, *coaptare, dicens; ideo gratiam per singulas horas, per singula momenta, & per actus singulos necessariam, ut semper in memoria retinentes & reminiscentes, dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius:* Et infra: *Per singulos actus necessariam nobis esse hujusmodi gratiam, id est ut in omni conversatione nostra intueamur* (actu) *dominica conversationis exemplum.* Et multò pòst: *Si enim quæras cur dixerit* SEMPER adjuvari liberum arbitrium: *poterit respondere quia dictum est: Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Ex quibus vides Augustinum, quæcumque tandem gratia obtrudatur, tanquam ad singulos actus necessaria, non esse contentum, ut semel data postea quoquo modo simul in actus cum voluntate influat; sed aliquod auctuale adjutorium postulare; quod ipse *subministrationem virtutis*, hoc est, roboris & *inspirationem dilectionis*, ad singulos actus à Spiritu sancto suppeditandam nuncupat, & actuale esse & potentissimum tantâ ac toties iteratâ manifestatione declarat, ut quomodo habitualis gratiæ adjutorium, alicui in mentem venire possit, nisi qui nihil in antiquis legerit, prorsus ignorem. Dicit enim quod Deus per hoc adjutorium a *dilectionem inspirat, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat*: quod b *donat atque adjuvat ut agamus*: quod c *ineffabili cum suavitate doctrinam infundit*: quod d *internâ atque occultâ mirabili ac ineffabili potestate operatur in cordibus hominum bonas voluntates*: quod e *velle & operari operatur in nobis*: quod f *inspirationem flagrantissime & luminosissima charitatis impertit.* Et quod sine tali adjutorio g *nihil omninò boni quod ad pietatem pertinet fieri posse*, nemini qui veraciter gratiam confiteri cupit, *dubitandum* est. Nonne ridiculũ est tam perspicuas gratię efficacissimę cõfessiones, ad habitus modo mortuo, ut ipsi tradũt, sese habentes, & voluntatis nutui ad amussim subditos detorquere, ut quoquo modo Aristotelica speculatio de habitibus adversus Apostolum,

Lib. de gratia Christi cap. 2

Cap. 3. & 5.

Ibid. c. 1.

Cap. 31.

Lib. de gratia Christi

a Cap. 3.

b Cap. 8.

c Cap. 14.

d Cap. 24.

e Cap. 24.

f Cap 36.

g Cap. 26.

stolum, Patres, & Concilia prævaleat? Nam quod ipsi ex habitu virtutis opus citra actualis gratiæ motum fieri posse statuunt non ex Scripturis, non ex Patribus, non ex Conciliis, sed ex sola philosophia, Scripturis, Patribus, & Cōciliis reclamātibus proficiscitur, quæ non aliud agnoscunt adjutorium, quam quod justissimi & quibuscumque habitibus ornati, supplicibus votis assiduè postulant; ut videlicet bonum, quod noverunt faciant, & ne quid faciant mali, néve in tentationem inducantur. Nesciunt enim istud divinæ gratiæ adjutorium, non ad supplendos habitus dari, sed sive præsentibus sive absentibus habitibus perinde esse necessarium. Datur enim ut adversus actuales concupiscentiæ motus, quæ per habitus non compescitur, animus cælesti suavitate roboretur, ne voluntas tentationi cedat atque consentiat: *Caro enim concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, ut non quæcumque volumus illa faciamus.* Vnde & Apostolus in illa lucta cum gemitu miserabili exclamabat: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Ad Galat.

Rom. 7.

Hanc gratiam si quis adhuc dubitet, utrum ad singulos actus nostros ex Ecclesiæ Catholicæ sensu detur, audiat ille sanctum Hieronymum cum Pelagio disputantem, ut videat ab eo omnes penitus tergiversationis ansas amputari. Quid enim cum aliquo colore contradici potest, quo minùs Dei auxilium ad singulos actus novum ab illo Sancto asseratur, quando ad Ctesiphontem dicit: *Quam* libertatē arbitrij *nos libenter amplectimur, ita dumtaxat ut agamus semper gratias largitori, sciamusq; nos nihil esse, nisi quod donavit, in nobis ipse servaverit, dicente Apostolo: Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei. Velle & currere meum est: sed ipsum sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus: Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere. Et Salvator in Evangelio: Pater meus usque modo operatur, & ego operor: semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto ut accipiam, & cum accepero rursus peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei: nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo Quanto plus bibero, tanto plus sitio.* Quid cum aliquo colore & illis ejus verbis contradici potest? *Fraudulenter prætendis ut Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus Dei requiras; ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cum Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilia.* Quid item illis? *Audite quæso, audite sacrilegum. Si, inquit, voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa iacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, relevare alvum, vrinam digerere,* SEMPER *mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingratè imo sacrilege Apostolum prædicantem: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite,* tanquam videlicet qui auxilio suo adest ut ista agatis quemadmodum oportet. Non enim Hieronymus ibi concursum generalem ad ista naturalia probat opera, sed gratuitum ad illa tanquam opera bona. Nam istam ob causam etiam Augustinus non solum ad ista, sed ad quælibet opera externa, gratiam postulat, ut possint opera esse bona. Quid & istis verbis ejus statim subjunctis opponi potest: *Iniuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas: Oculi mei* SEMPER *ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Vnde & audes lingua proferre temeraria, Vnumquemque arbitrio suo regi.* Quis enim ita sit fatuus, ut per adjutorium habitus, quos sicut & consuetudines admittebant libenter, tradebantque Pelagiani, libertatem destrui somniet? Sed hoc est quod vehementer abhorrebant, quod concessâ semel homini liberâ volendi quidlibet agendique potestate, hoc ipsum exequi non posset, nisi per singulos actus & momenta divino auxilio juvaretur. Sic enim & Hieronymus & Pelagius & Augustinus disertis verbis frequenter exponunt. Nam in eadem epistola sanctus Hieronymus: *Ipsum liberum ut diximus arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget: quod vos non vultis: sed id vultis, ut qui semel habet liberum arbitrium Deo adiutore non egeat.* Et libro primo dialogorum sic Hieronymus ex hæretico quærit: *Sed quæro hoc ipsum, quod Dei asseris gratiæ, utrum ad conditionis referas beneficium; an in singulis rebus putes esse, quas gerimus, ut scilicet illius in omnibus utamur auxilio; an semel ab eo liberi arbitrij conditi, nostrâ voluntate vel viribus agamus quod volumus? Novi enim plerosque vestrum, ita ad Dei cuncta referre gratiam, ut non in partibus, sed in genere, hoc est nequaquam in singulis rebus, sed in conditione arbitrij intelligant potestatem.* Et paulò pòst ita inducitur Pelagius loquens: *Si in singulis rebus quas gerimus, Dei utendum est adiutorio, ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, flere, ridere, & cætera huiusmodi nisi Deus iuverit, non poterimus.* Quod item, ut ante diximus, intelligitur de istis tanquam operibus bonis. Nam statim inferius additur: *Si enim absque Deo, & nisi per singula ille me iuverit, nihil possum agere, nec pro bonis me iustè operibus coronabit, nec affliget pro malis; sed in utroque suum vel recipiet, vel damnabit auxilium.* Nempe quia si dederit, facio, si non dederit, prætermitto. Et rursum inferius: *Si in omnibus ille cooperatur, non est meum, sed eius qui adiuvat, imo qui in me cooperatur, præsertim cùm absque eo facere nihil possim.* Et paucis interjectis iterum: *Mihi autem nullus auferre poterit*, disputando, *liberi arbitrij potestatem, ne si in operibus meis Deus adiutor exstiterit, non mihi debeatur merces, sed ei qui in me operatus est.* Simili modo ratiocinatur Celestius apud Augustinum: Cùm enim negasset *gratiam Dei ad singulos*

Hieron. in epist. ad Ctesiphont.

Ibidem.

Ibidem.

In epist. ad Ctesiphont.

Lib. 1 dialog. adversus Pelag. initio

les actus dari, sic argumentando subjungit: *Propterea & ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fierem sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnimodo, & non potuit.* Et iterum ait: *Si gratia Dei est, quando vincimus peccata, ergo ipse est in culpa, quando à peccato vincimur, quia omninò custodire nos aut non potuit aut noluit.* Et aliquot capitibus interpositis, sic Celestius eâdem de re argumentatur: *Non esse liberum arbitrium si Dei indigeat auxilio: quoniam in propriâ voluntate habet unusquisque aut facere aliquid aut non facere.* Et iterum: *Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio. Quod inferre dictus est his verbis: Nostra est victoria, quoniam propria voluntate arma suscepimus: sicut è contrario nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus.* Adversus istas & istiusmodi ratiocinationes Pelagianas, ita concludit sanctus Hieronymus in eo quem supra citavimus loco: *Ergò ut dixi, non debeo à Deo per singula auxilium deprecari, quod semel meo datum est judicio.* Et non multò pòst: *Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia replicanda sunt, quomodo per singula, Dei à Sanctis flagitetur auxilium, & in singulis operibus suis illo adjutore & protectore uti desiderent. Lege totum Psalterium, omnes Sanctorum voces, nihil erit nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio.* Non arbitror esse operosiore dissertatione, sed solum lectione atque attentione opus ad intelligendum, quid in hujusmodi verbis & Hieronymus, Augustinus atque Pelagiani velint, vel quomodo in singulis operibus Dei gratiam adjutricem negent aut postulent. Etenim per se res ipsa clamat, non agi de aliquo Dei per habitus semel datos manentesque adjutorio, sed de illo quod per singulos actus novum à Sanctis poscitur, novumque datur à Deo.

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

Lib. de gestis Pelag. c. 18.

Lib. 1. dialog.

Ibid.

Quid enim est manifestius, quam non semel datum sed novum & actuale esse adjutorium cujus Deus *semper largitor* esse debeat *semperq; donator*? Ad quod *non sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit?* Ratione cujus Christus dicebat, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor?* Ratione cujus Deus *non deficit in dando*, nec nos *satiamur in accipiendo?* Quid evidentius, quam non esse semel datum habitus vel aliud quodvis adjutorium, sed quod in singu-

A lis actibus novum datur: quod nos *petimus ut accipiamus, & cum acceperimus rursus petimus*: propter quod impetrandum *ad Deum semper auctorem recurrimus*, & ex *illius voluntate pendemus?* Propter quod *oculi nostri semper ad Dominum*; quod *per singula à Sanctis flagitatur*, per quod *in singulis operibus suis uti Deo adjutore & protectore desiderant*: denique propter quod impetrandum *omnes Sanctorum voces nihil sunt, nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio*? Quid stultius quam ita delirare, ut propter adjutoriũ habitus *libertas arbitrii destruatur*? Nonne Philosophi omnes, imò omnes homines, quibus est mens duntaxat sana in corpore sano, intelligũt habitus non minùs virtutum quam vitiorum esse plenissimè subjectos libertati, ut iis utantur & non utantur quando volunt? Quid furiosius aliquis phrenesi correptus somniaverit, quam si Deus per habitum aliquem

B nos adjuverit, *non nos sed Dei auxilium pro operibus coronandum aut damnandum sit*: non *nobis sed Deo merces debeatur*: non *nos vinci sed gratiam Dei: Deum in culpa esse quando vincimur.* Nonne manifestum est, homines habitu vitioso præditos peccare cùm volunt, non peccare si nolunt? Nonne justus habitu virtutis instructus, dormit ut libet, vigilat ut libet, cessat & operatur ut libet? Imò, nonne ipsimet Pelagiani profitentur nostram esse victoriam, quia *propria voluntate arma suscipimus*; sicut *nostrum esse quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus*? Nimirum ut rudissimus quisque intelligeret, non eos etiam arma divinitus ad pugnandum suppeditanda respuere, dummodo illorum, sicut armorum, usus & non usus in eorum potestate & propriâ voluntate remaneret. Adjutorium igitur istud actuale respuebant, quod Sanctus Augustinus & Ecclesia prædicat: per quod videlicet Deus

C non exspectat ut homo velut habitu utendo velit, sed in ipsa humana voluntate operatur ut velit & operetur; quod in singulis operibus à Sanctis poscitur; quod si defuerit, nec velle bonum potest aut facere: denique quod Deus velut gratuitum donum suum, donat aut neget quibus vult & quando vult. Hoc enim ex multis capitibus, ut alibi declaravimus, videbatur habere magnas cum libertate repugnantias.

CAPUT

Digitized by Google

CAPVT XXI.

Concluditur argumentum capitis decimi quinti inchoatum, atque ostenditur non esse gratiam habitualem, vel aliam quamcumque in operandi modo ei similem, illam Christi gratiam quæ inspirat ac donat velle, agere, opus, meritum &c.

HÆC itaque quæ à capite decimo quinto tractatûs hujus in hunc locum usque deduximus, perspicuum lectori relinquunt, falsam fallacemque imaginationem esse quorundam recentiorum, dum putant justitiam, hoc est, opus justitiæ seu meritum esse gratiæ donum, si gratia quoquo modo in meritorium opus influat & opus supernaturale constituat. Nam si non est illa gratia & motio sancti Spiritus actualis, quæ à justis & injustis, precibus poscitur, & tot jam testimoniis à nobis declarata est, quantumcumque ad opus bonum excitare, vel ad hoc influere & cooperari dicatur, justitia seu meritum non erit gratiæ, sed arbitrii, non justitia Dei, sed sua seu nostra, quam homines velint constituere, ut justitiæ Dei non sint subjecti. Quod apertissimè declarat Augustinus in libro de gratia Christi circa finem.

Cum enim gratiam illam actualem qua donantur opera & merita tanquam singulis operibus necessariam prædicasset, eamque multipliciter talem descripsisset, qualem diximus, ut quod per eam Deus a *donet atque adiuvet ut agamus*; ac b *sapientia non solum revelatur sed & amatur*, nec *suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur*: quod *cum ineffabili suavitate credatur infundi*: quod quemcumque illa docet, non tantùm *cognoscendo videat*, *verum etiam volendo appetat, agendoq; perficiat*; quod per eam Deus *internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate operetur in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*, hoc est volitiones; nec solum *posse donet atque adiuvet, sed etiam velle & operari operetur in nobis*; idque ut uberius explicat, *intus agendo in mente, in voluntate*; dum, ut explicat, misericordiâ Dominus *latenter subvenit, cor tangit, memoriam revocat, interiore gratia sua visitat* hominem, *interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movet & producit effectum. Ecce*, inquit, *quemadmodum Deus adiuvando adest voluntatibus & actionibus nostris. Ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis.* Cùm, inquam, elogiis declarasset naturam gratiæ Christi singulis operibus necessariam, ne quis gratias habituales, vel nescio quas actuales non voluntatem agendi homini dantes, sed exspectantes somniaret, tandem in compendium disputationem totam contrahens, sic adjungit: *Si ergo consenserit nobis non solum possibilitatem in homine etiamsi nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est ut bene velimus & benè agamus, quæ non sunt in homine nisi quando bene vult & bene agit, si ut dixi consenserit etiam voluntatem & actionem*, hoc est, non solum posse, velle, & agere, sed ipsum actualiter velle & agere, *divinitus adiuvari, & sic adiuvari, ut sine illo adiutorio nihil benè velimus & agamus.* Ecce gratiam illam actualem descriptam, qua donatur à Deo, non solum volendi agendique facultas, sed ipsum velle & agere, seu, ut ipse latinius loqui solet, ipsa voluntas & actio; & sic donatur, ut sine tali adjutorio nihil benè velimus & agamus, hoc est, ut hoc adjutorium sit singulis omninò operibus necessarium, illud videlicet quod in singulis operibus, ut fusissimè probatum est, precibus invocatur. Iam igitur audi quid de cæteris quibuscumque, sive habitualibus, sive potentialibus adjutoriis, sive actualibus voluntati assistentibus, quibus non donatur ut velit atque agat, juxta doctrinam istam sentiendum sit: Si ergò, inquit, consenserit, *eam* (jam ante dictam) *esse gratiam* DEI *per Iesum Christum Dominum nostrum* IN QVA NOS SVA, NON NOSTRA IVSTITIA IVSTOS FACIT, VT EA SIT VERA NOSTRA IVSTITIA, QVÆ NOBIS AB ILLO EST, *nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversia remanebit.* Audis Pelagio confitendũ esse, quod illa jam tot modis descripta gratia, sit illa gratia Dei quæ per Iesum Christum hominibus data est, sit illa, in qua nos sua non nostra justitia justos facit, hoc est, qua opera justa donantur homini à Deo, non ea homo sibi ipsi suæ libertatis ope facit. Nam Apostolica phrasi justitiam pro opere justo, hic & sexcentis locis Augustinus capit. Omnis igitur alia quæ fingitur gratia, sive justitiæ habitualis, sive alia quælibet potentialis, non est illa gratia qua Deus donat homini justitiam, hoc est, opus justitiæ, sed sive adsit, sive desit, sive influat, sive non influat, justitia quæ inde sequitur, non est Dei sed sua, non divinitus data sed humanitus prolata, est meritum non gratiæ sed liberi arbitrii, non divinum sed humanum. Nempe quia cùm omnis justus gratiam habitualem habeat, si illa est gratia in qua Deus in singulis operibus donat justitiam suam, hoc est, opus justitiæ, profectò nihil opus est, ut justus tot lacrymis & gemitibus divinum imploret auxilium, nihil opus ut ei Deus infundat volendi agendique suavitatem, nihil opus ut inspiret voluntatem & actionem, habet homo posse per gratiam habitualem, habet velle per liberum arbitrium, quid

a Lib. de grat. Christi cap. 8.
b Cap. 10.
Cap. 14.
Cap. 24.
Cap. 25.
Cap. 44.
Cap. 47.

quid alterius implorat adjutorium? Stultum est enim, ut illud imploret quod habet in sua potestate. Quod si vero omnis doctrinâ sensusque Christianus hoc impium esse non dubitat, non est gratia habitualis illa gratia, in qua Deus donat nobis velle & operari suâque justitiâ nos justos facit. Quicquid igitur ex tali gratia (quantumcumque influere & supernaturale efficere statuatur) operis justi sequitur, justitia nostra est, non Dei, quam qui volunt constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti, meritû est non gratiæ Dei, sed voluntatis hominis, non divini auxilii sed arbitrii humani. Quam ob causam quæso & quomodo, cùm in ipsum meritum talis gratia influere, & cum humana voluntate cooperari dicatur? Qui istud quærunt aut dicunt, non intelligunt hujusmodi simultaneos cum humana voluntate influxus atq; cooperationes gratiarum habitualium, addo & actualium quarumcumque, nihil omninò ad agnoscendâ Christi medicinalem gratiam facere. Tales enim tam habituales gratias quam actuales cum voluntate ad opus bonum concurrentes etiam Angeli sancti & Adamus habuerunt, quibus tamen Christi medicinalis gratia nullo modo erat necessaria. Ex quo fiebat ut talis gratia nec justitiam, hoc est, opus justum, nec meritum, nec perseverantiam Adamo aut Angelis donaverit, sed velle & nolle, agere & non agere, perseverare & non perseverare, in eorum libero relinqueretur arbitrio, per quod liberum arbitrium quemadmodum Adamus noluit, non operatus est, non stetit, non perseveravit; ita Angeli boni, quamvis non sine gratia, voluerunt, egerunt, steterunt, perseverarunt. Quorum quicquam si homo peccatis lapsus jam etiam potest, nec gratia Christi medicinalis donet ut possit & velit, liberè dico, *gratis Christus mortuus est*. Hoc est enim quod Pelagiani jam justificatis hominibus, maximèque Semi-Pelagiani longè mitius tribuerunt, nec tamen hostes gratiæ esse desierunt, ut latius in superioribus declaravimus.

Quapropter quod justo gratia habitualis non sufficiat ut operetur justitiam Dei, sed quod opus inde fluens justitiam hominis, humanumque meritum esse sinat, aliaque gratia precibus justorum omnium implorata necessaria sit ut operentur ac velint, non illa ratio est, quod habitualis gratia non satis in opus influat, vel non satis opus in ordinem supernaturalem evehat, & hujusmodi quæ à recentioribus excogitata sunt; falsa sunt ista & parerga penitus præsenti instituto. Sed illa sola ratio est, quia talis gratia, & alia quæcumque illi similis, sive actualis, sive potentialis proferatur, sive simul influat sive non influat, non donat homini justitiam seu opus justum de quo quæstio est, hoc est, non est illud adjutorium Dei, quod languentem ex vulnere concupiscentiæ voluntatem facit ex non volente & operante, velle & operari, sed potiùs è contrario voluntas tanquam robusta & sana talem gratiam habitualem facit influere, quia illam tanquam habitum suum, vel sibi assistentem potentialem gratiam, modo mortuo sese habentem, secum ad opus rapit, quemadmodum hoc in cæteris naturalibus habitibus & adjutoriis patet: ubi luce meridianâ manifestius est, non esse habitum qui facit facere, sed ipsissimum liberæ voluntatis arbitrium, quantumvis sine influxu habitûs simultaneo nec velit nec operetur. Quod si gratia habitualis non est illa gratia quæ facit velle vel facere, quæque donat voluntatem & actionem (nam alioquin justus semper vellet & faceret) consequenter valdè perspicuum est, opus quod inde sequi posse fingitur, non esse justitiam Dei, hoc est, quam homini donat Deus, sed justitiam nostram, seu humanæ voluntatis: quia liberum arbitrium sicut voluntatem, ita & actionem sibimetipsi donat, (quamvis non sine gratia concurrente;) eodem planè modo quo sibi donat velle & operari, & opus est suum, quando alio habitu concurrente vult & operatur.

Quæ si in habituali gratia vera & clara & certa sunt, sicut juxta sancti Augustini & Scripturarum principia dubitari nullo pacto potest, facile intelligitur, eandem omninò in alia quacumque actuali gratia esse rationem; si eodem modo, quemadmodum de habituali declaratum est, velle & nolle in libero relinquit voluntatis arbitrio, ut non illud à gratia operante accipiat, sed sibimetipsi, gratiâ licet concurrente largiatur. Tunc enim quamvis volendi & operandi potestas perspicuè sit à largiente Deo, ipsa tamen voluntas & actio non datur à Deo, sed illam homo pro sua libertate sibimetipsi, quamvis non sine gratia, parit ac donat: Quemadmodum in concursu generali, cui ista actualis gratia quantum ad operandi modum est simillima, manifestè constat. Non enim est concursus generalis, sive sit naturalis sive supernaturalis, qui facit velle vel facere, vel qui donat voluntatem & actionem, sed est ipsum liberæ voluntatis arbitrium, quamvis sine concursu non possit velle vel facere. Qua in re, quòd tam enormiter quidam recentiores hallucinantur, non alia ratio est, quam quòd discrimen illud præclarissimum quod Augustinus inter adjutorium *sine quo non*, & *adjutorium quo*, & consequenter inter *adjutorium Adami* & *Christi*, inter adjutorium *sanæ* & *infirmæ* voluntatis, inter adjutorium *possibilitatis* & *voluntatis* atque *actionis* tam diligenter tradidit, non intelligunt; aut fortè quòd illud tanquam sibi capitaliter contrarium nolunt intelligere.

CAPUT

CAPVT XXII.

Ostenditur eadem natura gratiæ medicinalis Christi *septimò* ex orationibus Ecclesiæ, quibus ipsa voluntatis determinatio à Deo poscitur.

SEPTIMO genuinam gratiæ medicinalis naturam in eo sitam esse non quod sit gratia *sine qua non*, sed *qua*, hoc est, non sine qua non possumus benè operari, vel possumus si velimus, sed qua determinatè volumus & operamur, perspicuè constat ex orationibus quotidianis, quas Ecclesia fundit ad Deum. Nam quemadmodum ex eis colligimus invictè, gratiam illam non esse habitualem, sed actualem Spiritus sancti motionem, ita ex iisdem rectissimè conficimus, esse non quamlibet actualem, sed illam tantum qua Deus ipsum velle & operari operatur in nobis, seu, ut expressius dicam, qua Deus ipsam determinationem voluntatis ad volendum & operandum inspirat nobis & operatur in nobis. Quod duobus modis perspicuè ostendi potest. Primò ex eo quod Ecclesia pœnè in omnibus suis orationibus petit ipsum velle & agere. Inspiciantur enim preces ejus, ubique audies, *Fiat voluntas tua*; *Da mihi intellectum ut discam mandata tua*, & ei conformiter Evangelista, *Aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas*. *Vtinam dirigantur viæ meæ*. *Averte oculos meos ne videant vanitatem*. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum*. *Non dominetur mei omnis iniquitas*. *Et ne nos inducas in tentationem*. Hinc petimus ut infideles credant, ut fideles piè, justè, continenter vivant, ut superent tentationes, & hujusmodi, in quibus semper hoc petitur, ut velint & faciant bonum, ut non faciant malum, juxta illud Apostoli quod universa complectitur: *Oramus ad Deum ut nihil mali faciatis, sed ut vos quod bonum est faciatis*. Cujusmodi orationibus pro omni genere bonorum operum epistolæ Apostolicæ refertæ sunt, & Ecclesia Christi sub incruenti sacrificii oblatione quotidie resonat. Iam autem perspicuum est, neminem posse velle quicquam aut facere, hoc est, neque credere, neque sperare, neque diligere, neque sobriè, justè, piè, continenter vivere, neque tentationem impugnantem superare, vel aliud quicquam bonum facere, nisi hic & nunc voluntas ejus ad hoc determinetur. Quamdiu enim non determinatur hic & nunc, tamdiu non vult, & consequenter tamdiu non credit, non sperat, non diligit. Quisquis ergo petit à Deo ut aliquis velit, ut credat, ut diligat, ut aliud quicquam boni operetur, hoc ipsum directè petit, ut ad illa voluntas ejus hic & nunc determinetur. Ipsa igitur determinatio voluntatis etiam hic & nunc ad volendum & operandum, est propriè dictum divinæ gratiæ donum, utpote non solum, sine qua non fiat, sed qua fiat ut voluntas determinetur. Quod duobus ex capitibus manifestum est. Primò ex eo, quòd sola causa *sine qua non*, nunquam est illa qua fit actio. Nam illa in sua ratione abstrahit ab agendo actualiter, & solum necessaria est si agatur. Ex quo fit ut quisquis petit ut velit, seu ut voluntas ejus ad volendum hic & nunc determinetur, amplius petat, quam ut sibi detur gratia, sine qua non potest determinari; sed illam poscit, qua reipsa & actu fiat ut ad volendum determinetur. Secundò ex eo, quòd Ecclesia & quislibet humilis fidelis ejus, non cessat ab oratione, quantiscumque gratiis potentialibus & *sine quibus non* potest velle vel agere instructus sit, quamdiu se sentit idipsum nondum velle & agere. Quamdiu enim istud ei deest, institutio Christi & Scripturarum, quibus ipsas voluntates & actiones à Deo poscere docemur, plenissimè locum habent, neque quisquam nisi superbiæ spiritu seductus eo amentiæ prorumperet, ut quamdiu non vult atque agit, se sibi ad volendum agendumque sufficere posse sentiret, nec opus esse illa dona precibus à Deo postulare. Quod signum apertissimum est, gratiam Christi quæ fidelium precibus imploratur, esse illam (post omnes habituales & potentiales gratias & sine quibus non possumus agere) postremam gratiam, qua ipse postremus nutus voluntatis, hoc est, determinatio & inclinatio voluntatis ad consentiendum, volendum, agendumque donatur, quâque omnes gratiæ præcedentes qualescumque, sive lex, sive doctrina, sive revelatio, sive habitualis, sive sufficiens, sive alia qualiscumque sine qua non potest agere, ad opus rapiuntur & applicantur, juxta illas à Spiritu sancto inspiratas postulationes: *Inclina cor meum in testimonia tua & non in avaritiam*. *Inclinet corda nostra ad se ut ambulemus in universis viis eius, & custodiamus mandata eius*. Et juxta illam profundissimam Augustini definitionem: *Opus est gratia, quam qui accipiunt doctrina salutari Scripturarum sanctarum, etsi fuerint inimici, fiunt amici: non opus eiusdem doctrina, quam qui audiunt & legunt sine gratia, peiores eius efficiuntur inimici*. Et illam ibidem: *Non ergo gratiam dicamus esse doctrinam, sed agnoscamus gratiam quæ facit prodesse doctrinam: quæ gratia si desit videmus etiam obesse doctrinam*. Nimirum quia per illam solam fit, ut doctrina præceptorum Dei, *non audiendo sed obediendo, neque lectione sed dilectione teneatur*. Nam illa gratia quæ facit prodesse doctrinam, est sola illa postrema gratia quâ voluntatis nutus reipsa & actu ad consentiendum, volendum, agendum, determinatur: quæ si desit, nunquam doctrina audita pro-

Marginalia: Psalm. 118. Lucæ ult. Psalm. 118. 2. Cor. ult. Psalm. 118. 3. Reg. 8. Epist. 107. ad Vitalem. Ibidem. Ibidem.

proderit, sed reum prævaricationis efficiet. A Nam ut alibi profundissimè de illa postrema & vera & genuina Christi gratia pronuntiat: *Hac gratia quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitùs auferatur.* Hoc est, ideo tribuitur, ut hoc ipsum auferat quod impedit ne ex nolente fiat volens, ipsam videlicet indeterminationem ejus ad volendum, quæ quamdiu non tollitur, tamdiu cordis duritia non aufertur, nec ad volendum determinabitur, nec doctrina præcepti proderit, nec voluntas hominis consentiet, aut volet, aut operabitur. Hoc ipsum ergo quod se voluntas hic & nunc determinat, est præcipuum & propriè dictum divinæ gratiæ donum, quod si non detur, nunquam in æternum voluntas bonum volet, quia sine illo dono quo duritia cordis aufertur, velle non potest. Si B enim sine illo se ad volendum inclinare & se determinare potest, frustra precibus poscitur: *Cur enim oratur ut accipiatur si ab homine est ut habeatur? Nam quid stultius quam orare ut facias, quod in potestate habeas?*

Lib. de prædest. Sanct. cap. 8.

Lib. de nat. & grat. c. 26.

Ibid. cap. 18.

Secundò, ipsam determinationem voluntatis hic & nunc ad volendum & operandum, fidelium precibus posci, ex Dei præceptis patet. Omnia quippe præcepta quæ nobis ad agenda bona præstituta sunt, non aliud à nobis petunt, quam ut voluntatem nostram ad volendum determinemus: & è contrario, omnia quæ malum vetant, hoc vetant ne voluntatem nostram ad malum determinemus. Nam quid est aliud, Crede Deo, dilige Deum, fac bonum, quam determina voluntatem ad credendum, diligendum, & faciendum bonum? Et quid est aliud, Noli vinci à malo, nisi voluntas tua C non determinetur ut cedas malo? *Nam cui dicitur Noli vinci*, inquit Augustinus, *arbitrium sine dubio voluntatis eius convenitur. Velle enim & nolle propriè voluntatis est.* Nec velle aut nolle potest nisi voluntas ad volendum nolendúmque hic & nunc determinetur.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 3.

Cùm igitur ista perspicua certaque sint, jam æquè certum est, hoc ipsum totum, quod homini à Deo præcipitur in illis, quibus impletur, esse divinæ gratiæ donum. Docet hoc Augustinus locupletissimè multis in locis. Vnus aut alter in re aperta sufficit. Nam hinc istud de omnibus præceptis Dei generale pronunciatum: *In eis libris confessionum mearum vertè dixi Deo nostro & sæpè dixi, Da quod iubes, & iube quod vis. Quid verò nobis primitùs & maximè Deus iubet, nisi ut credamus in Deum? Et hoc ergò ipse dat, si benè illi dictum est, Da quod iubes.* Quid verò etiam in ipso credendi actu, & in alio quocumque qui præcipitur, jubetur maximè voluntati, quam ut hic & nunc, cùm præceptum obligat, ad volendum aut nolendum se determinet? Et hoc ergò ipse dat, hoc est, ipsam igitur determinationem voluntatis Deus tribuit voluntati, si rectè dicitur, Da quod jubes. Rectè hoc autem dici, fides Catholica nos negare non sinit: juxta quam in Concilio Arausicano definitur: *Nulla facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo.* Et Augustinus confidenter dicit: *Nihil in Scripturis sanctis homini à Domino video iuberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur, vel dari ab eius bonitate, vel posci propter adiutorium gratiæ demonstrandum.* Si quod jubetur à Deo, poscitur à Deo, ergò datur à Deo. Nam ut alibi Augustinus de perseverantia in bono, quod in omni quod à Deo poscitur locum habet: *Cur perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm ab eo poscitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate?* Si ergò in primis & ante omnia in omnibus præceptis poscitur, ut voluntas nostra ad volendum agendumque determinetur, hoc ipso quo poscimus ut velimus & agamus, profectò ipsam voluntatis nostræ determinationem, per gratiam nobis dari, manifestum est.

Lib. de dono pers. cap. 20.

Conc. Araus. canone 20.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Lib. de dono pers. cap. 2.

CAPVT XXIII.

Ostenditur *octavo* ex eo quod post lapsum nihil omninò boni in homine, vel ab homine esse potest, nisi donetur à Deo, etiam ipsa suæ voluntatis bonæ determinatio: nec in ullo laudari nisi in solo Deo.

QVod sanè octavo ex alio capite A perspicuè constare potest. Docet enim Augustinus frequenter, id quod sine aperta impietate negari nequit, postquam humana natura in peccati infirmitatem præcipitata est, jam nihil omninò in homine boni esse posse, nec nutum quidem voluntatis, aut studium, aut conatum, nisi homini detur; non solùm illud facere posse si velit, sed nisi ei hoc ipsum quicquid boni ab ipso vel in ipso fit gratiâ largiente donetur. Ex quo necesse est confiteri, ipsam voluntatis determinationem, qua hic & nunc voluntas ad consentiendum, volendum, conandum, agendumque se determinat, ab ipsa gratia debere conferri. Hoc enim est potissimum quod in omnibus bonis operibus eminet, & sine quo nec opus ipsum in rerum natura existere, nec bonum esse aut vocari potest. Hoc ergò totum nunc à gratia Dei debere donari ac fieri plurimis in locis Augustinus docet. Nam inde illud generale

Tract. 85. in Joann. generale de Christi Redemptoris donis, *Ab ipso quicquid boni est donatur. Ergò quia hoc bonum est, ab ipso utique donatur, ut sciatur à quo bonum omne donatur, ut omninò de omnibus bonis, qui gloriatur in Domino glorietur.* Si ergò determinatio voluntatis hic & nunc ad volendum bonum, non exiguum est donum, ab ipso igitur hoc donatur, à quo bonum omne donatur. Cui æquipollet istud contra Pelagianos alibi: *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.* *Proinde cupiditas boni, non homini à Domino esset si bonum non esset: Si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est qui summè atque incommutabiliter bonus est.* Et pressius in aliis locis: *Lib. 1. q. 2. ad Simplic.* *Cum ergò nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & industriâ aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Ecce etiam ipse nutus voluntatis, qui non est aliud quam ipsa voluntatis ad aliquid determinatio hic & nunc, à Deo dari & inspirari debet, non ut habeatur nutus seu determinatio ad annuendum, si tamen velis, quod non est aliud quàm potestatem annuendi determinandique accipere, sed ut ipse nutus seu determinatio habeatur, ubi jam est profectus potestatis ad ipsum actum & nutum atq; determinationem. Nam ut rectè ponderat hujusmodi Scripturas Augustinus: *Non est consequens ut qui potest venire* & annuere & se determinare, *etiam veniat*, & annuat, & sese hic & nunc determinet, nisi id voluerit atque fecerit: *Lib. de grat. Christi c. 14.* *Sed omnis qui didicit à Patre, non solum potest venire, sed venit: ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis effectus est.* Si ergò & ipse nutus, & consequenter determinatio voluntatis hic & nunc à Deo datur, non solum nuendi atque determinandi si velis, sed ipse possibilitatis istius profectus & voluntatis effectus, & ipse nutus seu determinationis effectus datur.

Hinc est ergò consequenter, quod gratiæ tribuit Augustinus quicquid omninò in voluntate, sive consentiente, sive annuente, sive volente, sive sese determinante excogitari potest. Nam & victoriam tentationis, hoc est, illud ipsum quod duabus voluntatibus inter se contendentibus, una superat, & in alteram partem se determinat, gratiæ donanti tribuit: *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 4.* *Cum dicitur, Noli vinci à malo, quid ei prodest nisi gratia succurrente fiat? Ergò & victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud est, quam donum Dei &c. Nec sufficit liberum arbitrium, nisi & victoria concedatur gratis.* Quod autem non aliter hoc fiat, nisi ipsam voluntatem in alteram partem determinando, manifestissimè tradit quando dicit: *Lib. de dono pers. cap. 6.* *Ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat.* id est, ut voluntate nostrâ non deseramus Deum. *Et si exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit ut fiat. Potens ergò est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere ac dirigere in placitum gressum. Cui non frustra dicitur: Deus tu convertens vivificabis nos.* Quid est flectere voluntatem in bonum, quid est in lapsum pronam convertere, nisi eam vel fluctuantem, vel in alteram partem jam nutantem ac propendentem, istâ determinatione revocare, & in alteram partem determinare? Flexus enim & conversio voluntatis in hanc vel illam partem, nihil est aliud quam ejus in alterutram partem determinatio. Nunquam enim Deus hominis voluntatem ipsi bonum reipsa flectet atque convertet, nisi hic & nunc determinet. Quod quidem olim ante lapsum in illa voluntatis prima fortitudine homo potuit, nunc non potest dicente disertissimis verbis Augustino: *Ibid. c. 7.* *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo* ACCEDAT *ad Deum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo* NON RECEDAT *à Deo.* Nempe quia nunc post lapsum ipsa gratia debet voluntatem, ut accedat ad Deum gratuitâ bonitate convertere, ipsa gratia debet eam ne recedat retinere, ipsam videlicet, ut ante dixerat, in hanc partem flectendo, dirigendo, inclinando, convertendo, quod nihil aliud est quam determinando; ante verò proprio suo robore poterat volūtas (gratia licet juvante, *sine qua* nihil eorum poterat) sese ad Deum flectere dirigere, inclinare, convertere, permanere si vellet. Quam ob causam nunc ipse voluntatis nutus & flexus, & inclinatio, & directio, & conversio, quæ sine ipsius determinatione hic & nunc, neq; esse neque cogitari possunt, specialia divinæ gratiæ dona sunt, ut satiatissimè audivimus: tunc non erant nisi tantùm in radice, quatenus gratia quædam dabatur potentialis, cum qua poterat omnia ista si vellet, & *sine qua non* poterat, quamvis vellet, quemadmodum etiam latissimè supra demonstravimus.

Hæc est ergò vera ratio, cur Augustinus, quando de bonis actionibus & voluntatibus lapsi hominis tractat juxta Scripturas sacras, nihil omninò boni quantumvis exiguum, quod cum Deo partiri velle possemus, à divina gratia donante subtrahi sinat. Quis autem dubitet, præcipuam partem bonæ voluntatis & actionis eripi Deo, si ipsa voluntatis determinatio hic & nunc divinæ gratiæ ita subtrahatur, ut eam cum recentioribus *præcipuè* humani arbitrii esse dicamus? Contra hujusmodi præsumptionem illæ sententiæ sanctissimi Doctoris tortæ sunt: *Lib. de dono pers. cap. 6* *Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Quod & sancti Cypriani verbis probat: *Ut dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quicquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Quod ex Paranympho Christi Salvatoris didicerant, quando dicit: *Joann. 3.* *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* Et ex Iacobo Apostolo: *Iacobi 1.* *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de cælo est.* Et Paulo Coapostolo ejus: *Ephes. 1.* *Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ: usque adeo*, omnia addit explicando Augustinus, *ut in nobis operetur & velle.* Quis autem *Lib. de prædest. Sanct. cap. 18.*

autem dubitaverit, quin totum non detur Deo de cælo nobis danti atque operanti secundum consilium voluntatis suæ, sed quod nobis ex parte maxima, & illi ex alia parte exigua committamus, si determinatio voluntatis hic & nunc ad benè volendum & operandum homini non à Deo dante, sed humanâ voluntate seipsam hic & nunc determinante conferatur? Nam voluntatis determinatio præcipuum illud est, propter quod laudabiles aut vituperabiles sumus; imò propter quod, & per quod vel opus bonum in rerum natura ponitur. Quod si homini est ab homine, falsissimum est, quòd *totum Deo damus*, ut Augustinus & Cyprianus faciendum docent; falsissimum NOSTRUM ESSE NIHIL, ut alibi Cyprianus clamat; falsissimum non posse hominem *accipere quicquam*, nisi fuerit ei datum de cælo; falsissimum Deum *operari omnia*, aut *omne datum optimum* esse de cælo, ut Apostoli docent. Nam dare gratiam sine qua non potest se determinare, si velit, & cum qua potest, se determinare quando lubet, non est ipsam dare determinationem; quemadmodum ex donatione habitualis & cujuslibet potentialis gratiæ, adeoque ipsius liberi arbitrii perspicuè patet.

Ex quo & alia radix detegitur, cur determinatio voluntatis hic & nunc ad operandum potiùs quàm non operandum, non possit soli voluntati tribui, prout recentiores quidam tribuunt: quia hoc manifestè esset laudem boni operis bonæque voluntatis partiri cum Deo. Hoc autem impium esse ex eo patet, quod post lapsum hominis tota laus bonæ voluntatis atque operis in solam gratiam referenda sit: neque ulla ex re placere possit homo Deo, nisi fluat ex Deo, & homini ipsius gratia largiente tribuatur. Quicquid enim homo sibi ex seipso esse boni putat, in eo necesse est in seipso, non in Domino glorietur. Si ergò ex seipso habet determinationem suæ voluntatis hic & nunc, & non ex Deo determinationem largiente, in quo nisi in seipso, non in Domino contra Apostolum gloriabitur? Quam ratiocinationem format Augustinus quando adversus cogitationes non dissimiles dixit: *Necesse est ut parum diligat eum, qui non ab illo sed à seipso bonum se arbitratur effectum. Vnde autem fieri potest, ut talis non in seipso sed in Domino glorietur? Qui enim gloriatur, quod sit bonus*, quod nemo esse potest, nisi determinatione suæ voluntatis ad bonum, *in illo debet gloriari à quo factus est bonus. Ac per hoc qui se à semetipso factum bonum arbitratur, consequens est ut in seipso non in Domino glorietur.* Contra hujusmodi præsumptiones, Deo partem unam & sibi alteram tribuentes, deinde subjungit: *Omnis autem intentio gratiæ novi Testamenti, quâ sursum cor habemus (quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est) id agit, ne simus ingrati, atque in ipsa gratiarum actione nihil aliud agitur, nisi ut qui gloriatur in Domino glorietur.* Hinc & in Psalmum sexagesimum quintum: *Totam intentionem nostram in laudem Dei mittit, nihil nobis relinquit unde laudemur.* Et in Psalmum sexagesimum nonum: *Semper magnificetur Dominus. Qui hoc dicunt? Qui diligunt salutare tuum. Ecce magnificetur Dominus, nunquam tu, nusquam tu. In illo aliquid, in me nihil. Si autem in illo quicquid ego, ille, non ego. Tu ergò quid? Ego vero egenus & pauper.* Et in sermonibus ad populum: *Non in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo. Quod autem habes ex te displicet Deo.* Ex his liquet quantoperè ab Augustino alienum sit, determinationem suæ voluntatis ad bonum sibi soli arrogare, ita videlicet, ut quod voluntas hujus nunc agat bonum, quod alius negligit, hoc non gratiæ Dei, sed voluntati sese determinâti tribuatur. Sic enim hic & nunc sese determinare bonum est, in quo de isto bono, nisi in seipso à quo habet gloriabitur? Hoc autem Apostolus & Augustinus, & ipsa pietas, & Christi Religio vetat: non ergò ex homine homini est ista suæ voluntatis determinatio, sed ex Deo gratiâ suâ hominem determinante, quam alteri negat, ut seipsum sua voluntate determinet. Quæ sua determinatio propterea neque bona est, neque laudabilis, neque placet Deo, *Nihil enim placet Deo nisi quod habes ex Deo. Quod autem habes ex te, displicet Deo.* Ex quo nascitur, ut qui gloriatur & laudatur in Domino glorietur & laudetur, juxta illud Psalmi: *In Domino laudabitur anima mea.* Nimirum, quia nos ita voluntatem nostram hic & nunc determinamus, ut tamen Deus determinationem illam operetur in nobis: non quia sine ipso nos determinare non possumus, sed quia nos, ipso determinationem operante, determinamus. Hoc enim nos profundissimè veracissimèque docuit Augustinus, quando hujusmodi phrases, quæ nobis aliquid tribuunt, explicando dicit: *Certum est, nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, Deus in nobis operatur & velle. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati qui dixit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Et alio in loco ad Bonifacium: *Non auditis faciam ut ambuletis, faciam ut observetis, postremò, faciam ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est; nos observamus, nos facimus*, nos nosipsos determinamus; *sed ille facit ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus*, ut nos determinemus. *Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc misericordia ejus præveniens nos.* Quid est enim Deus *operatur & velle*; Deus *facit ut faciamus, ut ambulemus* & hujusmodi, nisi Deus operatur ipsam nostræ voluntatis determinationem? Hoc est enim velle & facere, animum scilicet seu voluntatem hærentem ad volendum faciendumque determinare. Et hoc ipsum & nihil aliud est, auferre unam voluntatem ac dare alteram, seu ut Scriptura loquitur, auferre cor lapideum, ac dare cor carneum, quorum utrumque in sola voluntatis determinatione ad bonum aut malum situm est. Vnde consequenter subjungit Augustinus: *Cùm dicit faciam ut faciatis quid aliud dicit nisi auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebatis,*

Videlo a varia Lessij sap. a citata ex libro de gratia efficaci c. 18. num. 7. & aliis locis.

Epist. 120. capite ult.

In Psal. 65.

In Psal. 69.

Serm. 94. de tempore c. 3.

Ibid.

Psal. 33.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.

Lib. 4. ad Bonif. c. 6.

Lib. de grat. Christi c. 16

ciebatis, & dabo cor carneum, unde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum unde non faciebatis, & dabo cor obediens unde faciatis? Cor autem durum & lapideum quid est, nisi voluntas inobediens, & ut alibi dicit, *durissima, &* A *adversus Deum omninò inflexibilis?* Hanc ergò qui aufert nobis, & qui bonam tribuit, determinationem ejus ad bonum operatur: ut ita qui de suæ voluntatis determinatione gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 14.

CAPUT XXIV.

Nonò natura gratiæ medicinalis generaliter demonstratur ex octo proprietatibus ac notis, quibus ab Augustino passim describi solet.

QUOD si quis adhuc luculentius naturam gratiæ Christi medicinalis, prout ab Augustino intellecta descriptaq; fuit, audire expressam, & intelligere desideret, proprietates ejus genuinæ, quibus ab eo delineata est, & epitheta quibus depicta, & elogia quibus efficacia ejus celebrata est, attendenda sunt. Videbit enim non talem gratiam ab eo prædicatam esse, qualem recentiores nonnulli tradunt, quæ videlicet curiosâ exploratione voluntatis ac dispositionum ejus indigeat, ne forte per gratiam pulsata nolit ac dissentiat; A non talem quæ instar alicujus habitus, impulsum ad operandum ab ipsa exspectet voluntate: non talem quæ dominatrici famulando voluntati, vel influit, vel non influit, prout imperanti sese determinare vel hærere placet; sed prorsus talem quę simul ac pulsat fores, rumpit ostia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus resistentiam, rapit eam secum, & ex invita volentem ac se determinantem ineffabili suavitate ac potestate facit. Quod utcumque tetigit Prosper dum ita canit,

Carm. de ingratis c. 15.

At verò omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi,
Semper adest, quæ gesta velit: non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.

Hanc ergò medicinalis gratiæ naturam non tàm servientem quàm dominantem nutibus ægrotæ voluntatis, nec talem *sine qua non* potest ægra voluntas velle, sed qua Deus invictè facit ut velint, nobis

Primò commendant illa loca quibus Aug. eam summæ efficaciæ esse docet, in eo persuadendo efficiendoque quod Deus homini persuasum, & in eo effectum cupit. Aliquando enim vocat potestatē ejus efficacissimam. *Vt autem de cœlo* (Paulus) *vocaretur, & tam magnâ & efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Et in eundem sensum inferius: *Ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Aliquando occultissimam & potentissimam, ut cùm dicit, *Deum posse quem velit, ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissimâ & potentissimâ medicinâ suâ* (hoc est gratiæ medicinalis) *potestate perducere.* Aliquando ineffabilem: *Legant ergò atq; intelligant, intueantur atq; fateantur* B *non lege atq; doctrinâ insonante forinsecus, sed internâ atq; occultâ, mirabili atq; ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Aliquando hanc gratiæ efficaciam cum pervicaci hominis voluntate collidit, & omni humanâ aversione & pertinacia superiorem facit. *Aversus quippe à fide quam vastabat, eiq; vehementer adversus, repente est ad illam gratiâ* POTENTIORE *conversus.* Et ad Bonifacium Papam: *Cor Regis antequam mulieris sermonem poscentis audisset occultissimâ & efficacissimâ potestate convertit, & transtulit ab indig-* A *natione ad lenitatem; hoc est de voluntate lædendi ad voluntatem favendi.* In quo comparationis genere potestatem quæ per gratiam operatur, etiam omnipotentissimam vocat; ut in lib. de Corr. & grat. *Sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum, omnipotentissimam potestatem.* Et in Epistola ad Vitalem: *Quibus non ei credentibus & ejus doctrinam voluntate impiâ persequentibus misericordiam prærogavit, eosque ad seipsum* OMNIPOTENTISSIMA *facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit.*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 5.

Cap. 16.

Lib. de corr. & grat. c. 5.

Lib. de grat. Christi c. 24.

Lib. de præd. Sanct. cap. 2.

Lib. 1. ad Bonif. cap. 20.

Lib. de corr. & grat. c. 14.

Epist. 107. ad Vitalem.

Secundò hanc efficacissimā, potentissimamq; hanc ineffabilem & omnipotentissimam potestatem in eo exseri super voluntatem docet, quod ita à Dei Spiritu per gratiam rapiatur & agatur, ut ipsamet voluntas vix agere intelligatur. Quod nisi Aug. ipsemet exsertè declarasset, nunquam ausus fuissem voce aut calamo proferre: *Procul dubio*, inquit Augustinus, *Plus est* AGI *quam regi. Qui enim regitur aliquid agit & à Deo regitur ut rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quàm ut illi se agendā commendet qui malè agere non potest.* Quæ sanè causa videtur cur isto verbo Apostolico, quo voluntas, vel nos agi à Spiritu Dei dicimur, perlibenter & frequenter utatur Augustinus: *Profectò ut agant quod*

Lib. de gest. Pelag. c. 3.

Lib. de grat. Christi c. 25.

Digitized by Google

quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. Et ad A
Lib. 3. ad Bonif. c. 8. Bonif. *Quis ambulat secundùm Spiritum, nisi quisquis agitur Dei Spiritu?* Itaq; hunc impetum Spiritus quo aguntur filii Dei, talem actum infallibilis efficaciæ esse tradit, ut quotquot illo aguntur, etiam reipsa velint & operentur.
Lib. 6. contra Iul. c. 14 *Quicunq; aguntur Dei Spiritu, ipsi facta carnis mortificant Spiritu.* Nempe quia Apostolus dicit,
Rom. 8. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.*

Tertiò igitur hæc ratio est, quod nullum sit locutionis genus apud ipsos Scholasticos Doctores tam efficax prægnansq; ad exprimendū, quod ipsa volūtatis determinatio, adeoq; prædeterminatio sit à gratia Dei, quin Augustinus illud usurpet, ut Christianis lectoribus indicaret, non esse istius naturæ medicinalem Christi gratiam, ut ejus effectus à voluntate suspendatur, sed illius ut per eam effectum potentissimè invehat inseratq; voluntati, non operando si voluntas velit, sed B operando atq; determinando ut velit. Nam ut non repetam illas locutiones, de quibus
a Lib. de prædest. Sanct. cap. 20. ante diximus, quod Deus per gratiam a *convertit hominum voluntates*, hoc est, ut alibi di-
b Lib. 2. ad Bonif. c. 19. cit, b *volentes ex nolentibus* efficit: quod c *a malo in bonum flectit voluntates*: quod d *duritiam cor-*
c Lib. de dono pers. c. 6. *dis*, hoc est, resistentiam voluntatis *primitùs auferat*: quid efficaciùs quam quod dicit incli-
d Lib. de prædest. Sanct. cap. 8. nare Deum corda & voluntates quo voluerit? e *Sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimā potestatem.*
e Lib. de corr. & grat. c. 14 Et lib. de prædest. Sanct. dicit: f *Cùm Deus vult*
f Lib. de prædest. Sanct. cap. 20. *fieri quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet* INCLINANTE *qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.* Quæ locutiones apud ipsum perfrequentes sunt. Quid est autem cor inclinare, ut ita ineffabili modo operetur velle, nisi cor ad ipsum velle determinare? Nihil enim mirabile vel ineffabile, si solummodo motū prævenientem in cordibus excitet (quod in rebus humanis homines quotidie suadendo faciunt) cui volūtas pro suo beneplacito effectum donet aut neget. Itaq; modum operandi in voluntate longè potentiorem significat
Lib. de corr. & grat. c. 14 Aug. quando dicit, quod Deus *intus agit in hominibus, corda tenet, corda movet, eosq; voluntatibus eorum quas ipse in illis operatus est trahit.* Et quando dicit de illis in quibus Christus domina-
Serm. 120. de diversis cap. 15. tur: *Non eris inops in respondendo, non enim tu eris qui loquèris; Manens in te Christus arripiet instrumentum tuum, linguam tuam velut gladium suum, utens corde tuo & voce tua tanquam possessor, resistet adversario, securum te faciet.* Et quando alibi in
In Psal. 34. Conc. 1. eundem sensum dicit: *Apprehendis animam meam & debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra, quamvis splendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce sapientiæ & coruscationis vibrata? Quid est ipsa anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat & pugnet, de illa? Nam qualibet optima facta framea, si non habeat bellatorem, tacet.* Et inferius: *Ergo quicquid vult facit de anima nostra. Cùm in manu eius est, utatur ea quemadmodum vult.* Et quando alio in loco, potentiùs quam ullus determina-

tionis aut prædeterminationis defensor, di-
In Ps. 118. cit: *Nos ergò loquimur foris, ille ædificat intus: quomodo audiatis nos advertimus, quid cogitetis, ille solus novit, qui cogitationes vestras videt, ipse ædificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum vestrum.* Et quando ad Vi-
Epist. 107. ad Vitalem. talem scribens dicit, quod Deus *vocatione illâ altâ atque secretâ sic hominis ageret sensum, ut legi atque doctrinæ accommodaret assensum.* Quid enim est, applicare sensum ad fidem post monitiones, terrores, intellectûs apertiones, vel sic agere sensum ut accommodet assensum, nisi voluntatem ad assentiendum credendumque determinare? Facultatem enim actricem ad agendum agere vel applicare, nihil est aliud quam illam ad agendum determinare.

Hinc est quartò, quod omnes operationes hominis bonas, quantumcumque fiant à libera voluntate, tribuere soleat Augustinus ipsi Deo, tanquam qui per voluntatem, ut per instrumentum, quod pro libero suo beneplacito agit, impellit, flectit, vertit, inclinat quòlibet, motus ipsius voluntatis ope-
Epist. 110 c. 17. & 18. retur: *Ipse*, inquit, *cantat in nobis, cuius gratia cantamus.* Et in Psalmum quinquagesi-
In Psal. 56. mum sextum: *Quando loquitur ex persona sua Propheta, ipse Dominus loquitur per eum, qui ei dictat veritatem quam loquatur.* Et in sermoni-
Serm. 8. de verb. Apost. cap. 4. bus de verbis Apostoli: *Christus in Zachæo erat & de illo sibi dicebat, quod ex ore eius audiebat.* Et de verbis Domini: *Quando illi Martyres*
Serm. 43. de verb. Domini cap. 2. *perhibent testimonium, ipse sibi perhibet testimonium: Ipse enim habitat in martyribus, ut perhibeant testimonium veritati.* Quod alibi expressiùs ver-
Tract. 93. in Ioann. bis Christi dicit: *Ille testimonium perhibebit de me & vos testimonium perhibebitis: utique quia ille perhibebit, etiam vos perhibebitis. Ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris. Ille inspirando vos sonando.* Et in eodem sermone jamjam cita-
C
Serm. 43. de verb. Domini cap. 4. to: *Vt ergo ames Deum, habitet in te Deus, & amet se, de te, id est ad amorem suum moveat te, accendat te, illuminet te, excitet te.* Cujusmodi voluntatis opera, quomodo ab homine fiant, multis in locis ita explicat, ut hominem instrumentum Dei faciat, quod ab illo inspiretur, tangatur, agatur, & quocumquè flectatur: *Per humilitatem nostram cùm*
In Psal. 49. *aliquid verum dicimus ipse loquitur. Videte itaque loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa, per multa organa, ipse tamen sonat ubique tangendo, modificando, inspirando.* Has locutiones vim divinæ gratiæ nobis insinuantes ex Scripturis sacris Augustinus didicit ac deprompsit. In illis enim legimus: *An ex-*
2. Cor. 13 *perimentum quæritis, eius, qui in me loquitur Christus?* Et alibi Christus ipse: *Non enim vos*
Matth. 10. *estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Nempe dicuntur ista, non ut homini libera voluntas, sed gloriatio D de sua voluntate tollatur; ne putet à se sibi esse, quod Deus ei donat facere. Potestatem enim donando atq; adjuvando si velis, actio non donatur nisi homo velit & faciat. Deus autem non solùm donat homini per gratiam posse loqui, posse testimonium Deo perhibere

bere, posse Deum diligere, sed ipsum loqui, testimonium perhibere, diligere. *Non enim ait*, inquit Augustinus, *non vos estis qui dedistis vobis posse benè loqui; sed ait: Non vos estis qui loquimini. Nec ait, Spiritus Patris vestri est, qui vobis dat vel dedit posse bene loqui: sed ait, Qui loquitur in vobis, non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum.* Nam ut alibi similes sacrarum Scripturarum phrases ponderans ait: *Non est consequens ut qui potest venire* ad Christum, *etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed venit: ubi iam & possibilitatis profectus & voluntatis affectus, & actionis effectus est.*

Lib. de grat. Christi c. 25.
Ibid. c. 14.
Lib. 1. contra Jul. oper. imperf.

Quintò ex isto efficaci inoperandi modo proficiscitur, quod Aug. non raro gratiam Christi medicinalē *victricem* vocat, quia omnes oppositos obices voluntatū & affectuum invictâ potestate perrumpit: *Donat per Spiritum charitatem, cuius delectatione vincatur delectatio peccati.* Et libro istius operis secundo: *Donat gratia ut delectatio peccati, iustitiæ delectione vincatur.* Et lib. 2. de pecc. meri. dicit, *Dominum Deum, etiam Sanctis suis alicuius operis iusti aliquando non tribuere victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse suavitatem quæ det fructum suum terra eorum.* Cujusmodi victrix gratia nisi homini luctanti cum tentatione tribuatur, nunquam victoriam assequetur, ut propterea profundè dixerit Aug. *Non sufficit arbitrium voluntatis humanæ nisi à Deo victoria concedatur oranti.* Et alibi, *dari sibi pugnandi, vincendiq; virtutem per Christi gratiam poscunt.* Quod detestantes quidam Pelagiani, cum hominem arma suscipere faterentur propriâ voluntate, victoriam etiam hominis voluntati tribuebant. Et Augustinus è contrario cum Concilio Diospolitano, non nisi gratiæ Dei

Lib. 2. eiusdem operis fol. 431.
Lib. 2. de pec. merit. cap. 19.
Lib. de grat. & lib. arb. cap. 4.
Lib. de corr. & grat. c. 11.
Lib. de gest. Pelagii. 18.
Lib. de corr. & grat. c. 14.

Quamobrem sextò, gratiam Dei Aug. ita victricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat hominem operanti Deo per gratiam *non posse resistere*, sed è contrario Deum, non quicquid voluntatem facturam prævidet, sive absolutè sive conditionatè, sed quicquid omninò voluerit, in voluntate operari, quam ipse magis habeat in sua omnipotenti potestate, quam ipsa voluntas se: *Cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat nec superet potestatem. De his enim qui faciunt, quæ non vult facit ipse quæ vult.* Paulòq; inferius in eodem libro & loco: *Non est itaq; dubitandum voluntati Dei qui in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult cum vult facit.* Et exemplo explicans quod tradiderat: *Nisi fortè (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere.* Et paucis adhuc interjectis de Amasai: *Numquid ille posset adversari voluntati Dei, & non potiùs eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per Spiritum suum quo indutus est, ut hoc vellet, diceret, faceret?* Cui mox adjungit: *Hoc in eis egit qui in cordibus hominum quod voluerit operatur.* Et iterum, concludens disputationem illam: *Si ergo cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas, quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cœlesti constituatur in regno?* Vnde in eodem libro cùm Angelos & primum hominem ita per adjutorium status innocentiæ adjutos esse docuisset, ut adjutorium istud in eorum *libero relinqueretur arbitrio*, à quo possent declinare si vellent, ita è contrario de lapsi hominis subjicit adjutorio: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia* INDECLINABILITER ET INSVPERABILITER AGERETVR.

Lib. de corr. & grat. c. 14.
Lib. de corr. & grat. c. 14.
Ibid.
Ibid.
Ibid. c. 12.

Ex quibus septimò, non est difficile perspicere quam procul ab Augustini doctrina & sensibus aberraverint, qui nobis talem gratiam procuderunt quæ semper explorat exspectatque voluntatem hominis, ne si forte pervicacior fuerit, cassa & inanis gratia & effectus divinæ misericordiæ irritus humanâ potestate reddatur. Nempe ut sit quædam potentialis gratia, cum qua homo credat, convertatur, operetur si velit, sin verò nolit, nullus sequatur voluntatis aut operationis effectus. Quales de gratia medicinali cogitationes, quibus effectus ab ea ponendus dicitur, SI VELIMVS, jam olim convellit Augustinus, cùm ad Simplicianum scriberet: *Illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur ergo iam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus. Deus enim est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.* Et in libro de prædestinatione Sanctorum quando jam cum Pelagianis similem potentialem gratiam prædicantibus decertabat: *Quare inquiunt non omnes docet, ut ad Christum veniant? Si dixerimus quia nolunt discere quos non docet; respondebitur nobis: Et ubi est quod ei dicitur, Domine tu convertens vivificabis nos? Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, ut quid orat Ecclesia &c.* De quibus ijsdem non volentibus ad Christum venire paulò superiùs dicit: *Nam si & illos, quibus stultitia est verbū crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset proculdubio venirent & ipsi. Non enim fallit aut fallitur, qui ait: Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Itaq; contra illos qui operationibus divinę gratię atq; misericordię tales cōditiones apponunt, ut effectum suum sortiātur *si homo velit*, non uno loco illam Scripturam intorquet August. *non est volentis atque currentis, sed miserentis est Dei*; tanquam quæ inverti non possit in hunc modum: non miserentis est Dei, sed volentis atq; currentis hominis. Quæ tamen Apostolica sententia verissimè sic inverteretur propriissimèq; si gratiæ effectus ita ab humana voluntate penderet, ut dici posset, eum secuturum *si tamen homo velit*. Sed ipse Aug. audiatur: *Nam si propterea solum dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, ut iuste recteq; vivamus, nisi adiuvetur misericordia*

Lib. 1. ad Simplic. q. 2.
Lib. de præd. Sanct. cap. 8.
Rom. 9.
Lib. 1. ad Simplic. q. 2.

Dei: potest & hoc modo dici; Igitur non miserentis A *est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur, ergò iam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus: Deus enim operatur in nobis & velle & operari &c.* Et in libro de gratia & libero arbitrio: *Quæ sententia nullo modo potest etiam sic converti ut dicatur, non miserentis Dei, sed volentis & currentis est hominis. Quisquis enim hoc ausus fuerit dicere apertè se ostendit Apostolo contradicere.* Cujus rei causa est, quia ut idem dicit ad Simplicianum: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur si homo nolit.*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 7.

Octavò itaque per hujusmodi gratiæ prædicationem, quæ nos operari facit si velimus nihil aliud agitur, nisi ut Christi gratia me- B dicinalis tollatur funditus, & gratia sanæ voluntatis, hoc est, Adami & Angelorum substituatur in locum ejus, atque ita gratis Christus mortuus sit. Nam propriè dicta Christi gratia, quam per Passionem suam adversus infirmitatem voluntatis attulit illa est, ut copiosissimè demonstravimus, quæ non operatur effectum suum, si velimus, sed *qua operatur in nobis & velle & operari: quæ facit ut in iustificationibus eius ambulemus; qua creamur in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus,* & hujusmodi innumera. Non enim gratia effectum propter quem datur, operatur si velimus, exspectando voluntates nostras, sed *ut velimus*, prout loquitur Concilium Arausicanum. Nam in isto solo, juxta profundissimam sanctissimi Antistitis doctrinam, sita est præcisa differentia gratiæ sanæ voluntatis & ægrotæ, stantis & lapsæ, hoc est, primi hominis & secundi, quod cum illa gratia benè operaretur homo si vellet; hæc verò jam operetur, ut velit, iuxta solidissimam illam Augustini doctrinam ab eo creberrimè inculcatam: *Prima gratia est qua fit ut habeat homo iustitiam, SI VELIT: Secunda ergo plus potest, quæ etiam fit ut velit.* Qua de re fusè Augustini testimonia recensuimus ejusque mentem explicuimus.

Con. Arauf. canone 4.

Lib. de Corr. & grat. c. 11

CAPVT XXV.

Decimo ejus efficacissima natura declaratur, ex eo quod nulla prorsus effectu caret, sed eum in omnibus quibus datur, infallibiliter operatur.

HÆC itaque est vera ratio & radix, A cur nulla omninò medicinalis Christi gratia effectu suo careat, sed omnis efficiat ut voluntas velit, & aliquid operetur. Quod quantumvis gratiæ istius congruæ auctoribus per mirum videatur, veritas tamen est in Scripturis sacris & Augustini scriptis explorata. Quanquam hoc igitur ex ipso essentiali discrimine jam assignato utriusque gratiæ, iuxta quod prima gratia justitiam dabat homini si vellet, secunda ut vellet, cæterisque pœnè omnibus quæ toto libro diximus, apertissimè consequatur, operæ tamen pretium est, disertis confirmare testimoniis, ne quasi ad rem à me recenter excogitatā trepidet aut perturbetur auditor.

Primò igitur hoc probat quod apud Augustinum gratia & opus bonum ita reciprocentur, ut quemadmodùm ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre B solet, ita viceversa, ex defectu operis, gratiam non esse datam. Quo ratiocinandi modo indicatur gratiam tanquam causam & operationem voluntatis bonam velut effectum, esse, ut Philosophi loquuntur, convertibiles, & à se mutuo inseparabiles. Affirmativus iste arguendi modus apud S. Doctorem frequens est. Sic enim loquitur de pugna contra tentationes: *Agis si ageris, & benè agis si à bono agaris.* Quod ex Apostolo videtur didicisse, qui ad Romanos dicit: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*, ut probaret hujusmodi reipsa operari & facta carnis reipsa mortificare. Vnde & Aug. ibidem adiicit, *Non sunt filij Dei, si non aguntur Spiritu Dei. Si autem Spiritu Dei aguntur, pugnant, quia magnum habent adiutorem.* Et alio in loco, de illa eadem carnis mortificatione, quam pugnando adipiscimur, *ut scirent se hoc non facere* (facta carnis mortificare) *nisi gratiâ Dei, continuò subdidit,* Apostolus; *quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Ac per hoc quicumque aguntur Dei Spiritu, ipsi facta carnis mortificant Spiritu.* Et lib. 3. ad Bonif. *Quis autem ambulat secundùm Spiritum, nisi quisquis agitur Dei Spiritu? Quotquot enim Dei Spiritu aguntur, hi filij Dei sunt.* Similiter de victoria quæ omnis pugnæ cum tentationibus finis est: *Salva fit autem à persequentibus anima, si non eis consentitur ad malum. Non eis autem consentitur, cùm assistit Dominus à dextris pauperis: ne ipsâ paupertate, id est infirmitate succumbat.* Et de præparatione cordis: *Homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei: qui si tangit cor, homo præparat cor.* Et lib. de corr. & grat. *Numquid aliquis dicturus est, non iterum fuisse cum Saul quemquam eorum, quorum tetigit corda Deus, ut irent cum illo; aut esse aliquem pestilentium, quorum ut hoc facerent corda non tetigit?* Nempe quia ipsa Scriptura sacra exsertè dicit: *Abierunt potentes quorum tetigit Deus corda cum Saul.* Vbi noster textus vulgatus legit: *Abijt cum eo pars exercitus, quorum tetigit Deus corda.* Vt significaret illam exercitus cum eo partem abiisse quorum tetigit Deus corda. Et de ipsa prima hominis voluntate bonâ, in primo ad Simplicianum libro, ubi & rationem tangit, cur non possit gratia effectu suo sine absurditate destitui: *Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, iam volumus. Ad eandem quippe mise-*

Serm. 43. de verb. Domini

Rom. 8.

Lib. 6. contra Iul. cap. 14.

Lib. 3. ad Bonif. c. 2.

In Ps. 108.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Lib. de Corr. & grat. c. 14.

1. Reg. 10.

Lib. 1. ad Simplic. q. 2.

Digitized by Google

misericordiam pertinet ut velimus. Quod si jam volumus, quando miseretur Deus, profectò gratia quæ est effectus misericordiæ & voluntatis effectrix, non potest ab hominis, cujus miseretur Deus, voluntate seu volitione separari. Quamobrem disertè subjicit in eodem loco: [Ibidem.] *Nullius Deus frustra miseretur.* [Ibidem.] Ratio est, quia, ut adjungit, *cujus miseretur sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.* Et de cursu jam volentis hominis: [Lib. 1. contra Iul. oper. imperf. fol. 105.] *Ideo voluit & cucurrit Iacob quia misertus est Deus.* Et de fructu externæ correptionis: *Tunc est salubris correptio cùm supernus medicus respicit, non enim aliquid proficit, nisi cùm facit, ut peccati sui quemq; pœniteat.* [Lib. de corr. & grat. c. 5.] Et in epistola ad Vitalem: [Epist. 107. ad Vitalem.] *Gratia dat merita ipsa cum datur.* Et eodem modo sanctus Ambrosius apud Augustinum: [Lib. de grat. Christi c. 45.] *Quos respicit Iesus plorant delictum.* Probat enim exemplo Petri: *Negavit primo Petrus, & non flevit quia non respexerat Dominus, negavit & tertio, respexit Iesus, & amarissimè flevit.*

His igitur & hujusmodi crebris locutionibus affirmativis, sicut significat Augustinus, hoc ipso quo data est homini gratia, mox effectum sequi, sic è contrario negativè subinde ratiocinando docet, hoc ipso quo effectu homo destituitur, nullam ei gratiam collatam esse, sed solo Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc est, lege doctrinâque ad operationis præceptæ justitiam niti. Luculentiora sunt istius doctrinæ testimonia, quam ut ullo artificii fuco obscurari queant. Nam in libro de gratia Christi, ubi ex professo cum Pelagianis de adjutorio medicinalis gratiæ, hoc est, gratiæ Christianæ, adeoque veræ gratiæ quæ per crucem Christi humano generi revelata atque donata est, ita definitivè loquitur: [Lib. de grat. Christi c. 13.] *Qui novit, quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundum litteram, quamvis multi quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore iustitiæ, quam dicit Apostolus iustitiam suam, quæ ex lege est, tanquam sit imperata non data.* Et paucis in eodem loco interpositis, sic subjungit: [Ibid. c. 14.] *De isto docendi modo* (nempe per gratiam) *etiam Dominus ait: Omnis qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me: Qui ergò non venerit, non de illo rectè dicitur, audivit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit.* PRORSVS NON RECTE DICITVR DE ISTO DOCENDI MODO, QVO PER GRATIAM DOCET DEVS. *Si enim, sicut Veritas loquitur,* OMNIS *qui didicit venit: quisquis non venit, profectò non didicit.* Et in libro de prædestinatione Sanctorum: [Lib. de præd. Sanct. cap. 8.] *Quid est omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me: nisi nullus est qui audiat & discat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit. Nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit et didicit, & non venit: sed omnis, ut ait Veritas, qui audivit à Patre & didicit, venit.* Et iterum inferius: [Ibidem.] *Si & illos quibus stultitia est verbum crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset, procul dubio venirent & ipsi. Non enim fallit aut fallitur qui ait: Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* ABSIT ERGO VT QVISQVAM NON VENIAT QVI A PATRE *audivit & didicit.* Et rursum instantius & inculcatius: [Ibidem.] *Qui credunt, prædicatore forinsecus insonante, intus à Patre audiunt atque discunt, qui autem non credunt* FORIS AVDIVNT, INTVS NON AVDIVNT NEQVE DISCVNT. *Hoc est illis datur ut credant; illis non datur.*

Secundò hoc probat illa laboriosa sancti Doctoris cum Pelagio concertatio, in qua ex professo de natura gratiæ Christianæ disputatur, non cujuslibet, sed illius quæ generaliter opponitur legi atque doctrinæ, quam solam à Pelagio prædicatam esse recentiores multum urgent ac docent. Tradit igitur Augustinus iterum atque iterum, studiosissimèque commendat illam gratiam quæ non est gratia aut lex neque sapientiæ scientiæq; revelatio, neque futurorum demonstratio, neque præmij promissio, cujusmodi Pelagius commendabat, opus ipsum afferre voluntati. Sic enim loquitur in illis iisdem locis jam allegatis, ubi toties repetentem audivimus, neminem didicisse secundùm gratiam qui non facit: [Lib. de grat. Christi c. 10.] *Sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur: nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur, nec suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.* Et interjecta nonnulla de Apostolo Paulo disputatione subjungit: [Ibid. c. 12.] *Qua gratia agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.* Et iterum continuò post: [Ibid. c. 13.] *Hæc doctrina si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem,* hoc est sinceram faciendi voluntatem. Nam ita mox rationem dando subnectit: [Ibidem.] *Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere.* Et paulò inferius: *Hoc modo quisquis discit,* per gratiam scilicet, *agit omninò, quicquid agendum didicerit.* Et rursum disputationem illam sententiamque suam irrefragabili definitione consignans: *Ac per hoc,* inquit, QVANDO DEVS DOCET, NON PER LEGIS LITTERAM, SED PER SPIRITVS GRATIAM, *ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoq; perficiat. Et isto divino docendi modo* (per gratiam quæ non est lex) *etiam ipsa voluntas,* id est volitio, & *ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur.* Quam doctrinam tanquam in Catholica Ecclesia indubitatam in scriptis ceteris passim magnâ asseverandi constantiâ tradit. Nam in libro de prædestinatione Sanctorum, ubi pariter non semel inculcaverat,

eos qui non credunt, *intus nec audire nec discere*, sic illam Christi gratiam depingit. *Hac itaque gratia, qua occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur*, A NVLLO DVRO CORDE RESPVITVR. *Ideò quippe tribuitur ut* CORDIS DVRITIA PRIMITVS *auferatur*. Quod est perinde ac si apertissimè diceret; nunquam illa caret effectu suo, ideò quippè tribuitur ut duritiâ cordis seu voluntatis ablatâ, quâ solâ impeditur operatio non careat effectu suo. Vnde statim adjicit: *Quando ergo pater* INTVS AVDITVR ET DOCET, *ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum*, hoc est voluntatem duram & inflexibilem, *& dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit*. Et non multò inferius explicans quid sit *trahi* per gratiam, quid *audire*, quid *discere*, prout distinguuntur à tractu, auditu, doctrinâque, quæ per legem afferuntur: *Ergò trahi à Patre ad Christum, & audire ac discere à Patre ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre quo credat in Christum*. Et in epistola centesima septima ad Vitalem: gratiam Christianam opponens Pelagianæ, de qua ex professo disputat; *Non ergo gratiam dicamus esse doctrinam, sed* AGNOSCAMVS GRATIAM, QVÆ FACIT PRODESSE DOCTRINAM: *quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam*. Et in eadem epistola non multò superiùs: *Opus est hoc gratiæ*, QVAM QVI ACCIPIVNT, *doctrinæ salutari Scripturarum sanctarum & si fuerint inimici, fiunt amici: non opus ejusdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici*. Et in libris ad Bonifacium: *Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis: in qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis*. Et in libro quarto explicans, ipsisque vocabulis etiam designans propriè dictam illam gratiam, prout contra gratiam externam legis distinguitur atque opponitur: *Legem quippè diversis locutionum modis & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam: ut scilicet à Domino Deo adjutorium cogitationis habeamus quo ea quæ facienda sunt, noverimus, non inspirationem dilectionis*, hoc est sanctæ volitionis, *ut cognita sancto amore faciamus* QVÆ PROPRIE GRATIA EST.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 8.

Ibidem.

Ibidem.

Epist. 107. ad Vitalem.

Ibidem.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Lib. 4. ad Bonif. c. 5.

Tertiò quemadmodum ex ista cum Pelagianis concertatione perspicuum est, illam solam gratiam prædicasse Augustinum, quæ dat simul effectum suum, ut homo velit aut faciat, ita similiter illud ipsum ex disputatione cum Semi pelagianis apertissimum est. Nam præterquam quod ipsi gratiam quandam potentialem intus cum libero arbitrio concurrentem afferrent, quæ adjuvaret hominem ad credendum si vellet, nec tamen hæresis notam effugere potuerunt (ut supra fusius declaravimus) ipse Augustinus disertis verbis docet illam gratiam esse confitendum, qua Deus ipsam credendi voluntatem effectumque boni operis largiatur. Nempe quia ipsa vera & sola Christi gratia est, quam sanandæ naturæ peccatricis infirmitati attulit. Hoc toto libro de prædestinatione Sanctorum, maximèque de dono perseverantiæ manifestè liquet. Ex illorum primo, multa jam statim audivimus. In altero Semi-pelagianorum verba tanquam veritati Christianæ contraria reprehendit, quibus dicebant, *Nolite nobis illam Dei gratiam prædicare, qua Deum dare fatemini, quæ ut nos faciamus hortamini*, hoc est, istam gratiam qua Deus donat homini velle & operari, ad quæ hortationibus provocatur. Et in toto libro nullius alterius gratiæ vestigium reperire licet quàm qua Deus id reipsa operatur ac donat, quod homini præcipit, ipseque se facturum promisit atque prædestinavit, hoc est, ipsum velle, ipsum credere, ipsum operari: denique gratiam, non qua credimus si nos volumus, quàm libentissimè fatebantur laudabantque Massilienses, sed qua, ut alibi de vocatione quæ fit per gratiam dicit, *id prorsus agitur & peragitur ut credamus*.

Lib. de dono pers. c. 19.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 19.

Cùm igitur talis sit natura gratiæ, quam ægrotanti generi humano, Christus per mortem suam attulit, jam nemini mirum videbitur, sed potiùs maximè rerum naturæ consentaneum, quod Augustinus gratiam Christi nomine *incrementi* plerumque vocare solet, atque illud ipsum quemadmodum & gratiam omnibus externis adjutoriis opponere. Hinc illud in epistola ad Sixtum: *Nec omnium est fides, qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei: sicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur, sed quibus Deus dat incrementum*. Et illud quod paulò ante dicentem audivimus, gratiam cum ineffabili suavitate infundi, *non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem*. Et illud in opere imperfecto contra Iulianum, ubi docet Deum operari voluntates in mentibus hominum, *non ut nolentes credant, quod absurdissimè dicitur, sed ut volentes ex nolentibus fiant: non sicut facit Doctor homo, docendo & hortando; minando & promittendo in sermone Dei, quod frustra fit, nisi Deus intus operetur & velle per investigabiles vias suas. Cum enim verbis Doctor plantat & rigat, possumus dicere, fortè credit auditor: cum vero dat incrementum Deus, sine dubio credit & proficit*. Quibus verbis ut ostenderet se dedisse differentiam legis & gratiæ, litteræ & Spiritus statim adjicit: *Ecce quod interest inter legem & promissionem, inter litteram & Spiritum*. Quam gratiæ & incrementi indifferentiam pluribus in locis usurpat Augustinus, & ex Apostolo sumpsit, ubi effectum divinæ gratiæ à quorumlibet ministrorum cooperatione secernit: *Ego plantavi Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus*. Quo nihil aliud ex Augustini mente dicit, quàm *qui gratiam dat Deus*, vel *qui Spiritum dat Deus*. Cùm igitur *Incrementum* etiam ipso nomine significet effectum adjuvantis gratiæ, nihil mirum si Augustinus universim doceat, medicinalem Christi gratiam semper effectum suum inferre voluntati, cui eam Deus suâ benignitate largitur.

Epist. 106. ad Sixtum.

Lib. de grat. Christi c. 13.

Lib. 1. operis imperf. contra Iul. fol. 366.

1. Corinth.

CAPVT

CAPUT XXVI.

Declaratur ratio diversitatis phrasium, quibus utitur Augustinus, opus bonum olim voluntati tribuendo, nunc gratiæ.

A

HINC jam igitur germana quoque ratio intelligitur cur Augustinus omnes pœne phrases, quibus de bonis operibus, & meritis, & perseverantia hominum & Angelorum loquitur, immutaverit, ita ut quæcumque ante lapsum naturæ & voluntatis arbitrio tribuebat, post lapsum tribuat soli gratiæ Dei, etiam exclusâ subinde hominis voluntate. Sic enim non semel dicit, Angelos & primum hominem *per liberum arbitrium* stetisse, *per illud* perseverasse, & hujusmodi plura, quarum phrasium exempla fusè dedimus, cùm de primo homine nobis esset disputatio. Oppositæ quoque phraseos exempla sunt creberrima. Nam hinc istud epistolæ ad Hilarium: *Quod hominibus, inquit Christus, impossibile est, Deo facile est: ostēdens quando ista rectè fiunt, non fieri potentiâ hominis, sed Dei gratiâ.* Et in calce istius epistolæ: *Perfectionem de qua Dominus locutus est, vehementer adamavi,* B *& non meis viribus, sed gratiâ ipsius adjuvante sic feci.* Et in epistola ad Vitalem: *Fateatur quando contra tentationes concupiscentiasq; illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed adjutorio Dei nostram provenire victoriam.* Hinc est illud frequentissimum, quo justitiam gratiæ, hoc est, opus justum quod ex Christi gratia proficiscitur, vocat justitiam [a] *non nostram* sed *Dei.* Hinc alibi negat homines ad vitam æternam [b] *operari voluntates suas*: alibi profitetur, hominibus quibus gratia tribuitur, [c] *non relinqui voluntatem suam, ut in Dei adjutorio maneant si velint.* Cujusmodi phrases passim obviæ sunt. Quem loquendi & sentiendi modum ex Apostolo didicit, qui omnia ad gratiam Dei revocat, tum aliis locis passim quibus dicit, *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum &c.* Et, *Non ego sed gratia Dei mecum.* Tum imprimis ubi dicit: *Non volentis neque currentis,* C *sed miserentis est Dei.* Nam propter illum potentem dominatum gratiæ super voluntatem, quo fit ut ei non jam relinquatur voluntas sua, negat Augustinus, ut supra vidimus istam locutionem Apostolicam ita inverti posse, ut dicatur, non miserentis est Dei, sed volentis & currentis est hominis. Hâc itaque loquendi diversitate, non hoc significatum Augustinus voluit, quod olim per solas liberi arbitrii vires Adam rectè operari, & in justitia stare potuisset, vel Angeli steterint: nec è contrario, nunc solam gratiam sine liberæ voluntatis adjunctione justitiam operari, quorum utrumque Catholica fides destruit: sed hoc voluit, in primæva hominis & Angelorum integritate sic liberum arbitrium benè egisse vel stetisse, ut quamvis *non sine gratia* hoc fieret, sine qua neutrum poterat, utrumque tamen liberæ voluntati, non gratiæ esse tribuendum, utpote cujus actio vel cessatio liberæ voluntatis arbitrio relinqueretur. Nunc vice versa, quamvis opus bonum *non sine voluntate nostra fiat*, ut notanter profundèque Augustinus loquitur, quod tamen reipsa fiat, non voluntati asscribendum esse, sed gratiæ, utpote quæ nunc, non olim, voluntati dominatur; non determinationem ad operandum, quemadmodum olim à voluntate præstolando, sed voluntati suaviter potentissimèque tribuendo. Nunc enim infirmam voluntatem gratia ad influendum operandumque rapit, tunc à forti & vegeta voluntate rapiebatur: quia tunc nullo concupiscentiali languore deorsum pressa, flectebat se velut plena sui domina quoquoversum videretur: nunc verò amisso isto indifferenti ad utrumlibet flexu, & in alterius partis dilectionem incurvata, propter inhærentem visceribus suis terrenum amorem, quem funditus sibiipsi exstirpare non potest, ad singulos dilectionis cælestis impetus erigi debet, juxta illud Apostolicum, *Deus operatur in vobis & velle & perficere*, hoc est, & inchoatam & perfectam voluntatem. His ergò loquendi formulis, non voluntatis liberæ cessationem vel interitum in operando, sed gratiæ dominatum voluit Augustinus indicare, quod explicat, quando dicit: *Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Et quando dicit: *Gratia Dei sic laborat cum homine, ut quod non peccat, non volentis neq; currentis, sed miserentis sit Dei.* Et quando dicit: *Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, Deus est qui operatur in vobis velle. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam ut in justificationibus meis ambuletis &c.* Hæc & hujusmodi prorsus falsa sunt, de quacunque gratia potentiali, qua videlicet homini tribuatur operari posse si velit, sive Deus operationem secuturam videat, sive non videat, sive Deus hoc velit, sive non velit. Semper enim cum tali gratia, non hoc secutura est, quod gratia volūtatē facit facere, sed quod voluntas gratiam facit facere. Nam istud gratiæ genus, cum quo Deus voluntatem operaturam prævidet, pro suæ naturali ad utrumlibet indifferentia istius naturæ est, ut operatio & influxus gratiæ ex impulsu voluntatis oriatur, non contra: quam naturam nunquam exuet, etiamsi gratia talis ad sexcentos gradus augeretur, nec unquam aliud quicquam tribuet voluntati, nisi *posse si velit.* Aliud longè potentius & alterius naturæ adjutorium polcit Apostolus, quando scribit Philippensibus: *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* Nam ut optimè notat Augustinus, *Non ait, Deus est enim, qui operatur in vobis posse, tanquam ipsi,* accepta

Marginal notes: Epist. 98. ad Hilarium. — Epist. 89. ad Hilarium. — Epist. 107. — a Vide lib. de gratia Christi c. 13. & alibi sæpius. — b Lib. de præd. Sanct. cap. 20. — c Lib. de Cor. & grat. c. 12. — 1. Cor. 15. — Rom. 9. — Cap. praeced. — Lib. de Spir. & litt. cap. 9. & 11. — ad Philip. 2. — Lib. de Cor. & grat. c. 2. — Lib. de gestis Pelag. c. 15. — Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. — Philip. 2. — Lib. de grat. Christi. c. 4.

by Google

spiratione juxta Patres Africanos, *suorum ipse tangat corda fidelium, ut boni aliquid agant*: atque ita in bonis *quibusque voluntatis humanæ singulis motibus*, illius auxilium actuale credamus. Quod quamvis in superioribus satis egimus. operæ pretium est tamen sigillatim, & Augustini & Hieronymi, & ipsius denique Pelagii attestatione firmare ex illis ipsis locis, ubi ista propositio suis propriis terminis concepta tractatur. Itaque cùm Pelagius in Synodo Palæstina damnasset eos tanquam hæreticos, qui dicerent *gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina*, Augustinus istam hæresis damnationem explicans ostendit fusè, non aliam gratiã & adjutorium à Pelagio intelligi potuisse, quam quod per singulos actus à Spiritu actualiter hominem regente confertur. Dicit enim *satis evidenter apparere* quod illam gratiam dixerit *qua in Christi Ecclesia prædicatur*. Et quænam ista deprædicata gratia? *qua subministratione sancti Spiritus datur, ut ad nostros actus singulos adjuvemur*. Et quænam adhuc ista? *Unde & oramus semper adjutorium opportunum, ne inferamur in tentationem*. Dic adhuc clarius Augustine: *Quid ergo restat nisi ut eam intelligat* Pelagius gratiam, *quam dicit Apostolus subministratione Spiritus sancti dari*? de qua *dicit Dominus, Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis*. Dic adhuc evidentius, ne homines pro suis suspicionibus decertantes, habitualem gratiam, quam omnes justi habent, somnient: *Profectò Dei gratia vel adjutorium ad singulos actus datur, excepto libero arbitrio, vel lege atque doctrinâ*; ac *per hoc per singulos actus à Deo regimur, quando rectè agimus: nec frustra orantes dicimus: itinera mea dirige secundum verbum tuum, ne dominetur mihi omnis iniquitas*. Quis hic jam audeat, gratias justorum habituales, pro Dei gratia qua juvamur obtrudere, nisi qui fidem Ecclesiæ adulteratam velit. Non enim gratia habitualis est illa *qua in Christi Ecclesia* tanquam actuum singulorum adjutorium *prædicatur*, sed ab auctoribus quibusdam nimis Aristotelẽ diligentibus, sine ullo Augustini vel Pontificis, vel Concilij, vel Ecclesiæ attestatione prolata est. Non est illa quæ jam sanctificatis & justis *subministratione*, hoc est, inspiratione Spiritus sancti datur: non est illa quæ sanctificatis & justis coram Iudicum tribunali positis *dabitur*, & *in illa hora* dabitur: non est illa qua per singulos actus *regimur*: non est illa denique quam sanctificati & justi tanquam *adjutorium opportunum semper*, implorant, ne inferantur in tentationem: non est illa quam petunt, ut itinera sua *dirigantur*, ne sibi *dominetur* omnis iniquitas, id est, concupiscentia, prout hoc solet exponere Augustinus. Quod si illam sibi jam datam peterent, & cujus usus juxta Scholasticos in sua potestate est, profectò *frustra orantes* dicerent: *Itinera* mea dirige &c. Nam quid stultius, quam illud implorare quod habes in tua potestate?

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

Quapropter cum Augustino postea non sufficeret ad veram gratiæ confessionem, quod Pelagius post istud judicium adhuc remissionem peccatorum, hoc est justitiam habitualem, & legem atque doctrinam pro vera Christi Ecclesia obtruderet, non eum refutat, quia ista non influunt in singulos actus bonos: istud enim & falsum est, & non sufficit: sed refutat quia hoc dicendo non confitetur, quòd *adjuvemur aliquâ subministratione virtutis*; quam statim exponit *inspirationem dilectionis*, qua Deus *nos adjuvat ut velimus* atque faciamus. Itemque cùm ostendere vellet etiam Pelagium dicere posse, quòd *peccatorum remissione lege* atque *doctrina*, per *actus singulos adjuvemur*, non ea sic interpretatur, quòd remissio peccati, adeptaque scientia in singulis concurrit actibus: sed exponit per aliquid actuale, quod tunc cùm singuli actus fiunt, sese exserit: *Potest huic sensui ista verba*, inquit, *coaptare, dicens; ideo gratiam per singulas horas, per singula momenta, & per actus singulos necessariam, ut semper in memoria retinentes & reminiscentes, dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius*: Et infra: *Per singulos actus necessariam nobis esse hujusmodi gratiam, id est ut in omni conversatione nostra intueamur* (actu) *dominicæ conversationis exemplum*. Et multò pòst: *Si enim quæras cur dixerit* SEMPER adjuvari liberum arbitrium: *poterit respondere quia dictum est: Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*. Ex quibus vides Augustinum, quæcumque tandem gratia obtrudatur, tanquam ad singulos actus necessaria, non esse contentum, ut semel data postea quoquo modo simul in actus cum voluntate influat; sed aliquod auctuale adjutorium postulare; quod ipse *subministrationem virtutis*, hoc est, roboris & *inspirationem dilectionis*, ad singulos actus à Spiritu sancto suppeditandam nuncupat, & actuale esse & potentissimum tantâ ac toties iteratâ manifestatione declarat, ut quomodo habitualis gratiæ adjutorium, alicui in mentem venire possit, nisi qui nihil in antiquis legerit, prorsus ignorem. Dicit enim quod Deus per hoc adjutorium a *dilectionem inspirat, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat*: quod b *donat atque adjuvat ut agamus*: quod c *ineffabili cum suavitate doctrinam infundit*: quod d *internâ atque occultâ mirabili ac ineffabili potestate operatur in cordibus hominum bonas voluntates*: quod e *velle & operari operatur in nobis*: quod f *inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ charitatis impertit*. Et quòd sine tali adjutorio g *nihil omninò boni quod ad pietatem pertinet fieri posse*, nemini qui veraciter gratiam confiteri cupit, *dubitandum est*. Nonne ridiculũ est tam perspicuas gratiæ efficacissimæ cõfessiones, ad habitus modo mortuo, ut ipsi tradũt, sese habentes, & voluntatis nutui ad amussim subditos detorquere, ut quoquo modo Aristotelica speculatio de habitibus adversus Apostolum,

Lib. de gratia Christi cap. 2.
Cap. 3. & 5.
Ibid. c. 2.
Cap. 32.
Lib. de gratia Christi a Cap. 3. b Cap. 8. c Cap. 14. d Cap. 24. e Cap. 24. f Cap. 36. g Cap. 26.

stolum, Patres, & Concilia prævaleat? Nam quod ipsi ex habitu virtutis opus citra actualis gratiæ motum fieri posse statuunt, non ex Scripturis, non ex Patribus, non ex Conciliis, sed ex sola philosophia, Scripturis, Patribus, & Cōciliis reclamātibus proficiscitur, quæ non aliud agnoscunt adjutorium, quam quod justissimi & quibuscumque habitibus ornati, supplicibus votis assiduè postulant; ut videlicet bonum, quod noverunt faciant, & ne quid faciant mali, néve in tentationem inducantur. Nesciunt enim istud divinæ gratiæ adjutorium, non ad supplendos habitus dari, sed sive præsentibus sive absentibus habitibus perinde esse necessarium. Datur enim ut adversus actuales concupiscentiæ motus, quæ per habitus non compescitur, animus cælesti suavitate roboretur, ne voluntas tentationi cedat atque consentiat: *Caro enim concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, ut non quæcumque volumus illa faciamus.* Vnde & Apostolus in illa lucta cum gemitu miserabili exclamabat: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

Ad Galat.

Rom. 7.

Hanc gratiam si quis adhuc dubitet, utrum ad singulos actus nostros, ex Ecclesiæ Catholicæ sensu detur, audiat ille sanctum Hieronymum cum Pelagio disputantem, ut videat ab eo omnes penitus tergiversationis ansas amputari. Quid enim cum aliquo colore contradici potest, quo minùs Dei auxilium ad singulos actus novum ab illo Sancto asseratur, quando ad Ctesiphontem dicit: *Quam* libertatē arbitrij *nos libenter amplectimur, ita dumtaxat ut agamus semper gratias largitori, sciamusq; nos nihil esse, nisi quod donavit, in nobis ipse servaverit, dicente Apostolo: Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei. Velle & currere meum est: sed ipsum sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus: Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere. Et Salvator in Evangelio: Pater meus usque modo operatur, & ego operor: semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto ut accipiam, & cum accepero rursus peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei: nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo. Quanto plus bibero, tanto plus sitio.* Quid cum aliquo colore & illis ejus verbis contradici potest? *Fraudulenter prætendis ut Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus Dei requiras; ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cum Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilia.* Quid item illis? *Audite quæso, audite sacrilegum. Si, inquit, voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa jacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, relevare alvum, urinam digerere, SEMPER mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingratè imo sacrilege Apostolum prædicantem: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite*, tanquam videlicet qui auxilio suo adest ut ista agatis quemadmodum oportet. Non enim Hieronymus ibi concursum generalem ad ista naturalia probat opera, sed gratuitum ad ista tanquam opera bona. Nam istam ob causam etiam Augustinus non solum ad ista, sed ad quælibet opera externa, gratiam postulat, ut possint opera esse bona. Quid & istis verbis ejus statim subjunctis opponi potest: *Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrii libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas: Oculi mei SEMPER ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Vnde & audes lingua proferre temeraria, Vnumquemque arbitrio suo regi.* Quis enim ita sit fatuus, ut per adjutorium habitus, quos sicut & consuetudines admittebant libenter, tradebantque Pelagiani, libertatem destrui somniet? Sed hoc est quod vehementer abhorrebant, quod concessâ semel homini liberâ volendi quidlibet agendique potestate, hoc ipsum exequi non posset, nisi per singulos actus & momenta divino auxilio juvaretur. Sic enim & Hieronymus & Pelagius & Augustinus disertis verbis frequenter exponunt. Nam in eadem epistola sanctus Hieronymus: *Ipsum liberum ut diximus arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget: quod vos non vultis: sed id vultis, ut qui semel habet liberum arbitrium Deo adjutore non egeat.* Et libro primo dialogorum sic Hieronymus ex hæretico quærit: *Sed quæro hoc ipsum, quod Dei asseris gratiæ, utrum ad conditionis referas beneficium; an in singulis rebus putes esse, quas gerimus, ut scilicet illius in omnibus utamur auxilio; an semel ab eo liberi arbitrij conditi, nostrâ voluntate vel viribus agamus quod volumus? Novi enim plerosque vestrum, ita ad Dei cuncta referre gratiam, ut non in partibus, sed in genere, hoc est nequaquam in singulis rebus, sed in conditione arbitrij intelligant potestatem.* Et paulò pòst ita inducitur Pelagius loquens: *Si in singulis rebus quas gerimus, Dei utendum est adjutorio, ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, flere, ridere, & cætera hujusmodi nisi Deus juverit, non poterimus.* Quod item, ut ante diximus, intelligitur de istis tanquam operibus bonis. Nam statim inferius additur: *Si enim absque Deo, & nisi per singula ille me juverit, nihil possum agere, nec pro bonis me juste operibus coronabit, nec affliget pro malis; sed in utroque suum vel recipiet, vel damnabit auxilium.* Nempe quia si dederit, facio, si non dederit, prætermitto. Et rursum inferius: *Si in omnibus ille cooperatur, non est meum, sed ejus qui adjuvat, imò qui in me cooperatur, præsertim cùm absque eo facere nihil possim.* Et paucis interjectis iterum: *Mihi autem nullus auferre poterit*, disputando, *liberi arbitrij potestatem, ne si in operibus meis Deus adjutor extiterit, non mihi debeatur merces, sed ei qui in me operatus est.* Simili modo ratiocinatur Celestius apud Augustinum: Cùm enim negasset *gratiam Dei ad singu-*

Hieron. in epist. ad Ctesiphont.

Ibidem.

Ibidem.

In epist. ad Ctesiphont.

Lib. 1 dialog. adversus Pelag. initio

Digitized by Google

los actus dari, sic argumentando subjungit: *Propterea & ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fierem sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnimodo, & non potuit.* Et iterum ait: *Si gratia Dei est, quando vincimus peccata, ergo ipse est in culpa, quando à peccato vincimur, quia omninò custodire nos aut non potuit aut noluit.* Et aliquot capitibus interpositis, sic Celestius eâdem de re argumentatur: *Non esse liberum arbitrium si Dei indigeat auxilio: quoniam in propriâ voluntate habet unusquisque aut facere aliquid aut non facere.* Et iterum: *Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio. Quod inferre dictus est his verbis: Nostra est victoria, quoniam propria voluntate arma suscepimus: sicut è contrario nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus.* Adversus istas & istiusmodi ratiocinationes Pelagianas, ita concludit sanctus Hieronymus in eo quem supra citavimus loco: *Ergò ut dixi, non debeo à Deo per singula auxilium deprecari, quod semel meo datum est judicio.* Et non multò pòst: *Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia replicanda sunt, quomodo per singula, Dei à Sanctis flagitetur auxilium, & in singulis operibus suis illo adjutore & protectore uti desiderent. Lege totum Psalterium, omnes Sanctorum voces, nihil erit nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio.* Non arbitror esse operosiore dissertatione, sed solum lectione atque attentione opus ad intelligendum, quid in hujusmodi verbis & Hieronymus, Augustinus atque Pelagiani velint, vel quomodo in singulis operibus Dei gratiam adjutricem negent aut postulent. Etenim per se res ipsa clamat, non agi de aliquo Dei per habitus semel datos manentesque adjutorio, sed de illo quod per singulos actus novum à Sanctis poscitur, novumque datur à Deo.

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

Lib. de gestis Pelag. c. 18.

Lib. 1. dialog.

Ibid.

Quid enim est manifestius, quam non semel datum sed novum & actuale esse adjutorium cujus Deus *semper largitor* esse debeat *semperque donator*? Ad quod *non sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit*? Ratione cujus Christus dicebat, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*? Ratione cujus Deus *non deficit in dando*, nec nos *satiamur in accipiendo*? Quid evidentius, quam non esse semel datum habitus vel aliud quodvis adjutorium, sed quod in singulis actibus novum datur: quod nos *petimus ut accipiamus, & cum acceperimus rursus petimus*: propter quod impetrandum *ad Deum semper auctorem recurrimus*, & ex *illius voluntate pendemus*? Propter quod *oculi nostri semper ad Dominum*; quod *per singula à Sanctis flagitatur*, per quod *in singulis operibus suis uti Deo adjutore & protectore desiderant*: denique propter quod impetrandum *omnes Sanctorum voces nihil sunt, nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio*? Quid stultius quam ita delirare, ut propter adjutoriū habitus *libertas arbitrii destruatur*? Nonne Philosophi omnes, imò omnes homines, quibus est mens duntaxat sana in corpore sano, intelligūt habitus non minùs virtutum quam vitiorum esse plenissimè subjectos libertati, ut iis utantur & non utantur quando volunt? Quid furiosius aliquis phrenesi correptus somniaverit, quam si Deus per habitum aliquem nos adjuverit, *non nos sed Dei auxilium pro operibus coronandum aut damnandum sit*: non *nobis sed Deo merces debeatur*: non *nos vinci sed gratiam Dei*: *Deum in culpa esse quando vincimur*. Nonne manifestum est, homines habitu vitioso præditos peccare cùm volunt, non peccare si nolunt? Nonne justus habitu virtutis instructus, dormit ut libet, vigilat ut libet, cessat & operatur ut libet? Imò, nonne ipsimet Pelagiani profitentur nostram esse victoriam, quia *propria voluntate arma suscipimus*; sicut *nostrum esse quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus*? Nimirum ut rudissimus quisque intelligeret, non eos etiam arma divinitus ad pugnandum suppeditanda respuere, dummodo illorum, sicut armorum, usus & non usus in eorum potestate & propriâ voluntate remaneret. Adjutorium igitur istud actuale respuebant, quod Sanctus Augustinus & Ecclesia prædicat: per quod videlicet Deus non exspectat ut homo velut habitu utendo velit, sed in ipsa humana voluntate operatur ut velit & operetur; quod in singulis operibus à Sanctis poscitur; quod si defuerit, nec velle bonum potest aut facere: denique quod Deus velut gratuitum donum suum, donat aut neget quibus vult & quando vult. Hoc enim ex multis capitibus, ut alibi declaravimus, videbatur habere magnas cum libertate repugnantias.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Concluditur argumentum capitis decimi quinti inchoatum, atque ostenditur non esse gratiam habitualem, vel aliam quamcumque in operandi modo ei similem, illam Christi gratiam quæ inspirat ac donat velle, agere, opus, meritum &c.

HÆC itaque quæ à capite decimo quinto tractatûs hujus in hunc locum usque deduximus, perspicuum lectori relinquunt, falsam fallacemque imaginationem esse quorundam recentiorum, dum putant justitiam, hoc est, opus justitiæ seu meritum esse gratiæ donum, si gratia quoquo modo in meritorium opus influat & opus supernaturale constituat. Nam si non est illa gratia & motio sancti Spiritus actualis, quæ à justis & injustis, precibus poscitur, & tot jam testimoniis à nobis declarata est, quantumcumque ad opus bonum excitare, vel ad hoc influere & cooperari dicatur, justitia seu meritum non erit gratiæ, sed arbitrii, non justitia Dei, sed sua seu nostra, quam homines velint constituere, ut justitiæ Dei non sint subjecti. Quod apertissimè declarat Augustinus in libro de gratia Christi circa finem.

B Cum enim gratiam illam actualem qua donantur opera & merita tanquam singulis operibus necessariam prædicasset, eamque multipliciter talem descripsisset, qualem diximus, ut quod per eam Deus a *donet atque adjuvet ut agamus*; ac b *sapientia non solum revelatur sed & amatur*, nec *suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur*: quod *cum ineffabili suavitate credatur infundi*: quod quemcumque illa docet, non tantùm *cognoscendo videat, verum etiam volendo appetat, agendoq; perficiat*; quod per eam Deus *internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate operetur in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*, hoc est volitiones; nec solum *posse donet atque adjuvet, sed etiam velle & operari operetur in nobis*; idque ut uberius explicat, *intus agendo in mente, in voluntate*; dum, ut explicat, misericordiâ Dominus *latenter subvenit, cor tangit, memoriam revocat, interiore gratia sua visitat* hominem, *interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movet & producit effectum. Ecce*, inquit, *quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus & actionibus nostris. Ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis.* Cùm, inquam, elogiis declarasset naturam gratiæ Christi singulis operibus necessariam, ne quis gratias habituales, vel nescio quas actuales non voluntatem agendi homini dantes, sed exspectantes somniaret, tandem in compendium disputationem totam contrahens, sic adjungit: *Si ergo consenserit nobis non solum possibilitatem in homine etiamsi nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est ut bene velimus &*

a Lib. de grat. Christi cap. 8.
b Cap. 10.
Cap. 14.
Cap. 24.
Cap. 25.
Cap. 44.
Cap. 47.

A *benè agamus, quæ non sunt in homine nisi quando benè vult & bene agit, si ut dixi consenserit etiam voluntatem & actionem*, hoc est, non solum posse, velle, & agere, sed ipsum actualiter velle & agere, *divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus.* Ecce gratiam illam actualem descriptam, qua donatur à Deo, non solum volendi agendique facultas, sed ipsum velle & agere, seu, ut ipse latinius loqui solet, ipsa voluntas & actio; & sic donatur, ut sine tali adjutorio nihil benè velimus & agamus, hoc est, ut hoc adjutorium sit singulis omninò operibus necessarium, illud videlicet quod in singulis operibus, ut fusissimè probatum est, precibus invocatur. Iam igitur audi quid de cæteris quibuscumque, sive habitualibus, sive potentialibus adjutoriis, sive actualibus voluntati assistentibus, quibus non donatur ut velit atque agat, juxta doctrinam istam sentiendum sit: Si ergò, inquit, consenserit, *eam* (jam ante dictam) *esse gratiam* DEI *per Iesum Christum Dominum nostrum* IN QVA NOS SVA, NON NOSTRA IVSTITIA IVSTOS FACIT, VT EA SIT VERA NOSTRA IVSTITIA, QVÆ NOBIS AB ILLO EST, *nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversia remanebit.* Audis Pelagio confitendū esse, quod illa jam tot modis descripta gratia, sit illa gratia Dei quæ per Iesum Christum hominibus data est, sit illa, in qua nos sua non nostra justitia justos facit, hoc est, qua opera justa donantur homini à Deo, non ea homo sibi ipsi suæ libertatis ope facit. Nam Apostolica phrasi justitiam pro opere justo, hic & sexcentis locis Augustinus capit. Omnis igitur alia quæ fingitur gratia, sive justitia habitualis, sive alia quælibet potentialis, non est illa gratia qua Deus donat homini justitiam, hoc est, opus justitiæ, sed sive adsit, sive desit, sive influat, sive non influat, justitia C quæ inde sequitur, non est Dei sed sua, non divinitus data sed humanitus prolata, est meritum non gratiæ sed liberi arbitrii, non divinum sed humanum. Nempe quia cùm omnis justus gratiam habitualem habeat, si illa est gratia in qua Deus in singulis operibus donat justitiam suam, hoc est, opus justitiæ, profectò nihil opus est, ut justus tot lacrymis & gemitibus divinum imploret auxilium, nihil opus ut ei Deus infundat volendi agendique suavitatem, nihil opus ut inspiret voluntatem & actionem, habet homo posse per gratiam habitualem, habet velle per liberum arbitrium, quid

Digitized by Google

quid alterius implorat adjutorium? Stultum est enim, ut illud imploret quod habet in sua potestate. Quod si vero omnis doctrina sensúsque Christianus hoc impium esse non dubitat, non est gratia habitualis illa gratia, in qua Deus donat nobis velle & operari suáque justitiâ nos justos facit. Quicquid igitur ex tali gratia (quantumcumque influere & supernaturale efficere statuatur) operis justi sequitur, justitia nostra est, non Dei, quam qui volunt constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti, meritũ est non gratiæ Dei, sed voluntatis hominis, non divini auxilii sed arbitrii humani. Quam ob causam quæso & quomodo, cùm in ipsum meritum talis gratia influere, & cum humana voluntate cooperari dicatur? Qui istud quærunt aut dicunt, non intelligunt hujusmodi simultaneos cum humana voluntate influxus atq; cooperationes gratiarum habitualium, addo & actualium quarumcumque, nihil omninò ad agnoscendã Christi medicinalem gratiam facere. Tales enim tam habituales gratias quam actuales cum voluntate ad opus bonum concurrentes etiam Angeli sancti & Adamus habuerunt, quibus tamen Christi medicinalis gratia nullo modo erat necessaria. Ex quo fiebat ut talis gratia nec justitiam, hoc est, opus justum, nec meritum, nec perseverantiam Adamo aut Angelis donaverit, sed velle & nolle, agere & non agere, perseverare & non perseverare, in eorum libero relinqueretur arbitrio, per quod liberum arbitrium quemadmodum Adamus noluit, non operatus est, non stetit, non perseveravit; ita Angeli boni, quamvis non sine gratia, voluerunt, egerunt, steterunt, perseverarunt. Quorum quicquam si homo peccatis lapsus jam etiam potest, nec gratia Christi medicinalis donet ut possit & velit, liberè dico, *gratis Christus mortuus est*. Hoc est enim quod Pelagiani jam justificatis hominibus, maximèque Semi-Pelagiani longè mitius tribuerunt, nec tamen hostes gratiæ esse desierunt, ut latius in superioribus declaravimus.

Quapropter quod justo gratia habitualis non sufficiat ut operetur justitiam Dei, sed quod opus inde fluens justitiam hominis, humanumque meritum esse sinat, aliaque gratia precibus justorum omnium implorata necessaria sit ut operentur ac velint, non illa ratio est, quod habitualis gratia non satis in opus influat, vel non satis opus in ordinem supernaturalem evehat, & hujusmodi quæ à recentioribus excogitata sunt; falsa sunt ista & parerga penitus præsenti instituto. Sed illa sola ratio est, quia talis gratia, & alia quæcumque illi similis, sive actualis, sive potentialis proferatur, sive simul influat sive non influat, non donat homini justitiam seu opus justum de quo quæstio est, hoc est, non est illud adjutorium Dei, quod languentem ex vulnere concupiscentiæ voluntatem facit ex non volente & operante, velle & operari, sed potiùs è contrario voluntas tanquam robusta & sana talem gratiam habitualem facit influere, quia illam tanquam habitum suum, vel sibi assistentem potentialem gratiam, modo mortuo sese habentem, secum ad opus rapit, quemadmodum hoc in cæteris naturalibus habitibus & adjutoriis patet: ubi luce meridianâ manifestius est, non esse habitum qui facit facere, sed ipsissimum liberæ voluntatis arbitrium, quantumvis sine influxu habitûs simultaneo nec velit nec operetur. Quod si gratia habitualis non est illa gratia quæ facit velle vel facere, quæque donat voluntatem & actionem (nam alioquin justus semper vellet & faceret) consequenter valdè perspicuum est, opus quod inde sequi posse fingitur, non esse justitiam Dei, hoc est, quam homini donat Deus, sed justitiam nostram, seu humanæ voluntatis: quia liberum arbitrium sicut voluntatem, ita & actionem sibimetipsi donat, (quamvis non sine gratia concurrente;) eodem planè modo quo sibi donat velle & operari, & opus est suum, quando alio habitu concurrente vult & operatur.

Quæ si in habituali gratia vera & clara & certa sunt, sicut juxta sancti Augustini & Scripturarum principia dubitari nullo pacto potest, facile intelligitur, eandem omninò in alia quacumque actuali gratia esse rationem; si eodem modo, quemadmodum de habituali declaratum est, velle & nolle in libero relinquit voluntatis arbitrio, ut non illud à gratia operante accipiat, sed sibimetipsi, gratiâ licet concurrente largiatur. Tunc enim quamvis volendi & operandi potestas perspicuè sit à largiente Deo, ipsa tamen voluntas & actio non datur à Deo, sed illam homo pro sua libertate sibimetipsi, quamvis non sine gratia, parit ac donat: Quemadmodum in concursu generali, cui ista actualis gratia quantum ad operandi modum est simillima, manifestè constat. Non enim est concursus generalis, sive sit naturalis sive supernaturalis, qui facit velle vel facere, vel qui donat voluntatem & actionem, sed est ipsum liberæ voluntatis arbitrium, quamvis sine concursu non possit velle vel facere. Qua in re, quòd tam enormiter quidam recentiores hallucinantur, non alia ratio est, quam quòd discrimen illud præclarissimum quod Augustinus inter adjutorium *sine quo non*, & *adjutorium quo*, & consequenter inter *adjutorium Adami* & *Christi*: inter adjutorium *sanæ* & *infirmæ* voluntatis, inter adjutorium *possibilitatis* & *voluntatis* atque *actionis* tam diligenter tradidit, non intelligunt; aut fortè quòd illud tanquam sibi capitaliter contrarium nolunt intelligere.

CAPUT

CAPVT XXII.

Ostenditur eadem natura gratiæ medicinalis Christi *septimò* ex orationibus Ecclesiæ, quibus ipsa voluntatis determinatio à Deo poscitur.

A SEPTIMO genuinam gratiæ medicinalis naturam in eo sitam esse non quod sit gratia *sine qua non*, sed *qua*, hoc est, non sine qua non possumus benè operari, vel possumus si velimus, sed qua determinatè volumus & operamur, perspicuè constat ex orationibus quotidianis, quas Ecclesia fundit ad Deum. Nam quemadmodum ex eis colligimus invictè, gratiam illam non esse habitualem, sed actualem Spiritus sancti motionem, ita ex iisdem rectissimè conficimus, esse non quamlibet actualem, sed illam tantum qua Deus ipsum velle & operari operatur in nobis, seu, ut expressius dicam, qua Deus ipsam determinationem voluntatis ad volendum & operandum inspirat nobis & operatur in nobis. Quod duobus modis perspicuè ostendi potest. Primò ex eo quod Ecclesia pœnè in omnibus suis orationibus petit ipsum velle & agere. Inspiciantur enim preces ejus, ubique audies, *Fiat voluntas tua*; *Da mihi intellectum ut discam mandata tua*, & ei conformiter Evangelista, *Aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas. Vtinam dirigantur viæ meæ. Averte oculos meos ne videant vanitatem. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Non dominetur mei omnis iniquitas. Et ne nos inducas in tentationem.* Hinc petimus ut infideles credant, ut fideles piè, justè, continenter vivant, ut superent tentationes, & hujusmodi, in quibus semper hoc petitur, ut velint & faciant bonum, ut non faciant malum, juxta illud Apostoli quod universa complectitur: *Oramus ad Deum ut nihil mali faciatis, sed ut vos quod bonum est faciatis.* Cujusmodi orationibus pro omni genere bonorum operum epistolæ Apostolicæ refertæ sunt, & Ecclesia Christi sub incruenti sacrificii oblatione quotidie resonat. Iam autem perspicuum est, neminem posse velle quicquam aut facere, hoc est, neque credere, neque sperare, neque diligere, neque sobriè, justè, piè, continenter vivere, neque tentationem impugnantem superare, vel aliud quicquam bonum facere, nisi hic & nunc voluntas ejus ad hoc determinetur. Quamdiu enim non determinatur hic & nunc, tamdiu non vult, & consequenter tamdiu non credit, non sperat, non diligit. Quisquis ergo petit à Deo ut aliquis velit, ut credat, ut diligat, ut aliud quicquam boni operetur, hoc ipsum directè petit, ut ad illa voluntas ejus hic & nunc determinetur. Ipsa igitur determinatio voluntatis etiam hic & nunc ad volendum & operandum, est propriè dictum divinæ gratiæ donum, utpote non solum, sine qua non fiat, sed qua fiat ut voluntas determinetur. Quod duobus ex capitibus manifestum est. Primò ex eo, quòd sola causa *sine qua non*, nunquam est illa qua fit actio. Nam illa in sua ratione abstrahit ab agendo actualiter, & solum necessaria est si agatur. Ex quo fit ut quisquis petit ut velit, seu ut voluntas ejus ad volendum hic & nunc determinetur, amplius petat, quam ut sibi detur gratia, sine qua non potest determinari; sed illam poscit, qua reipsa & actu fiat ut ad volendum determinetur. Secundò ex eo, quòd Ecclesia & quilibet humilis fidelis ejus, non cessat ab oratione, quantiscumque gratiis potentialibus & *sine quibus non* potest velle vel agere instructus sit, quamdiu se sentit idipsum nondum velle & agere. Quamdiu enim istud ei deest, institutio Christi & Scripturarum, quibus ipsas voluntates & actiones à Deo poscere docemur, plenissimè locum habent, B neque quisquam nisi superbiæ spiritu seductus eo amentiæ prorumperet, ut quamdiu non vult atque agit, se sibi ad volendum agendumque sufficere posse sentiret, nec opus esse illa dona precibus à Deo postulare. Quod signum apertissimum est, gratiam Christi quæ fidelium precibus imploratur, esse illam (post omnes habituales & potentiales gratias & sine quibus non possumus agere) postremam gratiam, qua ipse postremus nutus voluntatis, hoc est, determinatio & inclinatio voluntatis ad consentiendum, volendum, agendumque donatur, quâque omnes gratiæ præcedentes qualescumque, sive lex, sive doctrina, sive revelatio, sive habitualis, sive sufficiens, sive alia qualiscumque sine qua non potest agere, ad opus rapiuntur & applicantur, juxta illas à Spiritu sancto inspiratas postulationes: *Inclina cor meum in testimonia tua & non in avaritiam. Inclinet corda nostra ad se ut ambulemus in universis viis eius, & custodiamus mandata eius.* Et juxta illam profundissimam Augustini definitionem: *Opus est gratia, quam qui accipiunt doctrina salutari Scripturarum sanctarum, etsi fuerint inimici, fiunt amici: non opus eiusdem doctrina, quam qui audiunt & legunt sine gratia, peiores eius efficiuntur inimici.* Et illam ibidem: *Non ergo gratiam dicamus esse doctrinam, sed agnoscamus gratiam quæ facit prodesse doctrinam: quæ gratia si desit videmus etiam obesse doctrinam.* Nimirum quia per illam solam fit, ut doctrina præceptorum Dei, *non audiendo sed obediendo, neque lectione sed dilectione teneatur.* Nam illa gratia quæ facit prodesse doctrinam, est sola illa postrema gratia quâ voluntatis nutus reipsa & actu ad consentiendum, volendum, agendum, determinatur: quæ si desit, nunquam doctrina audita pro-

Marginalia: Psalm. 118. — Lucæ ult. — Psalm. 118. — 2. Cor. ult. — C — Psalm. 118. — 3. Reg. 8. — Epist. 107. ad Vitalem. — Ibidem. — Ibidem.

proderit, sed reum prævaricationis efficiet. Nam ut alibi profundissimè de illa postrema & vera & genuina Christi gratia pronuntiat: *Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitùs auferatur.* Hoc est, ideo tribuitur, ut hoc ipsum auferat quod impedit ne ex nolente fiat volens, ipsam videlicet indeterminationem ejus ad volendum, quæ quamdiu non tollitur, tamdiu cordis duritia non aufertur, nec ad volendum determinabitur, nec doctrina præcepti proderit, nec voluntas hominis consentiet, aut volet, aut operabitur. Hoc ipsum ergo quod se voluntas hic & nunc determinat, est præcipuum & propriè dictum divinæ gratiæ donum, quod si non detur, nunquam in æternum voluntas bonum volet, quia sine illo dono quo duritia cordis aufertur, velle non potest. Si enim sine illo se ad volendum inclinare & se determinare potest, frustra precibus poscitur: *Cur enim oratur ut accipiatur si ab homine est ut habeatur? Nam quid stultius quam orare ut facias, quod in potestate habeas?*

Lib. de præd. Sanct. cap 8.

Lib. de nat. & grat. c. 16. Ibid. cap. 18.

Secundò, ipsam determinationem voluntatis hic & nunc ad volendum & operandum, fidelium precibus posci, ex Dei præceptis patet. Omnia quippe præcepta quæ nobis ad agenda bona præstituta sunt, non aliud à nobis petunt, quam ut voluntatem nostram ad volendum determinemus: & è contrario, omnia quæ malum vetant, hoc vetant ne voluntatem nostram ad malum determinemus. Nam quid est aliud, Crede Deo, dilige Deum, fac bonum, quam determina voluntatem ad credendum, diligendum, & faciendum bonum? Et quid est aliud, Noli vinci à malo, nisi voluntas tua non determinetur ut cedas malo? *Nam cui dicitur Noli vinci,* inquit Augustinus, *arbitrium sine dubio voluntatis ejus convenitur. Velle enim & nolle propriè voluntatis est.* Nec velle aut nolle potest nisi voluntas ad volendum nolendumque hic & nunc determinetur.

Lib. de grat. & lib. arb. cap 3.

Cùm igitur ista perspicua certaque sint, jam æquè certum est, hoc ipsum totum, quod homini à Deo præcipitur in illis, quibus impletur, esse divinæ gratiæ donum. Docet hoc Augustinus locupletissimè multis in locis. Vnus aut alter in re aperta sufficit. Nam hinc istud de omnibus præceptis Dei generale pronunciatum: *In eis libris confessionum mearum certè dixi Deo nostro & sæpè dixi, Da quod jubes, & jube quod vis. Quid verò nobis primitùs & maximè Deus jubet, nisi ut credamus in Deum? Et hoc ergò ipse dat, si benè illi dictum est, Da quod jubes.* Quid verò etiam in ipso credendi actu, & in alio quocumque qui præcipitur, jubetur maximè voluntati, quam ut hic & nunc, cùm præceptum obligat, ad volendum aut nolendum se determinet? Et hoc ergò ipse dat, hoc est, ipsam igitur determinationem voluntatis Deus tribuit voluntati, si rectè dicitur, Da quod jubes. Rectè hoc autem dici, fides Catholica nos negare non sinit: juxta quam in Concilio Arausicano definitur: *Nulla facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo.* Et Augustinus confidenter dicit: *Nihil in Scripturis sanctis homini à Domino video juberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum.* Si quod jubetur à Deo, poscitur à Deo, ergò datur à Deo. Nam ut alibi Augustinus de perseverantia in bono, quod in omni quod à Deo poscitur locum habet: *Cur perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm ab eo poscitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate?* Si ergò in primis & ante omnia in omnibus præceptis poscitur, ut voluntas nostra ad volendum agendumque determinetur, hoc ipso quo poscimus ut velimus & agamus, profectò ipsam voluntatis nostræ determinationem, per gratiam nobis dari, manifestum est.

Lib. de dono pers. cap. 20

Conc. Arauf. canone 20.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Lib. de dono pers. cap. 2.

CAPVT XXIII.

Ostenditur octavo ex eo quod post lapsum nihil omninò boni in homine, vel ab homine esse potest, nisi donetur à Deo, etiam ipsa suæ voluntatis bonæ determinatio: nec in ullo laudari nisi in solo Deo.

QVOD sanè octavo ex alio capite perspicuè constare potest. Docet enim Augustinus frequenter, id quod sine aperta impietate negari nequit, postquam humana natura in peccati infirmitatem præcipitata est, jàm nihil omninò in homine boni esse posse, nec nutum quidem voluntatis, aut studium, aut conatum, nisi homini detur; non solùm illud facere posse si velit, sed nisi ei hoc ipsum quicquid boni ab ipso vel in ipso fit gratiâ largiente donetur. Ex quo necesse est confiteri, ipsam voluntatis determinationem, qua hic & nunc voluntas ad consentiendum, volendum, conandum, agendumque se determinat, ab ipsa gratia debere conferri. Hoc enim est potissimum quod in omnibus bonis operibus eminet, & sine quo nec opus ipsum in rerum natura existere, nec bonum esse aut vocari potest. Hoc ergò totum nunc à gratia Dei debere donari ac fieri plurimis in locis Augustinus docet. Nam inde illud generale

Tract. 85. in Ioann. generale de Christi Redemptoris donis, *Ab ipso quicquid boni est donatur. Ergò quia hoc bonum est, ab ipso utique donatur, ut sciatur à quo bonum omne donatur; ut omninò de omnibus bonis, qui gloriatur in Domino glorietur.* Si ergò determinatio voluntatis hic & nunc ad volendum bonum, non exiguum est donum, ab ipso igitur hoc donatur, à quo bonum omne donatur. Cui æquipollet istud contra Pelagianos alibi: *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.* *Proinde cupiditas boni, non hominis à Domino esset si bonum non esset: Si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est qui summè atque incommutabiliter bonus est.* Et pressius in aliis locis: *Lib. 1. q. 2. ad Simplic.* *Cùm ergò nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & industriâ aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Ecce etiam ipse nutus voluntatis, qui non est aliud quam ipsa voluntatis ad aliquid determinatio hic & nunc, à Deo dari & inspirari debet, non ut habeatur nutus seu determinatio ad annuendum, si tamen velis, quod non est aliud quàm potestatem annuendi determinandique accipere, sed ut ipse nutus seu determinatio habeatur, ubi jam est profectus potestatis ad ipsum actum & nutum atq; determinationem. Nam ut rectè ponderat hujusmodi Scripturas Augustinus: *Non est consequens ut qui potest venire* & annuere & se determinare, *etiam veniat*, & annuat, & sese hic & nunc determinet, nisi id voluerit atque fecerit: *Lib. de grat. Christi c. 14.* *Sed omnis qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed venit: ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis effectus est.* Si ergò & ipse nutus, & consequenter determinatio voluntatis hic & nunc à Deo datur, non solum nuendi atque determinandi si velis, sed ipse possibilitatis istius profectus & voluntatis effectus, & ipse nutus seu determinationis effectus datur.

Hinc est ergò consequenter, quod gratiæ tribuit Augustinus quicquid omninò in voluntate, sive consentiente, sive annuente, sive volente, sive sese determinante excogitari potest. Nam & victoriam tentationis, hoc est, illud ipsum quod duabus voluntatibus inter se contendentibus, una superat, & in alteram partem se determinat, gratiæ donanti tribuit: *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 4.* *Cùm dicitur, Noli vinci à malo, quid ei prodest nisi gratia succurrente fiat? Ergò & victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud est, quam donum Dei &c. Nec sufficit liberum arbitrium, nisi & victoria concedatur orantí.* Quod autem non aliter hoc fiat, nisi ipsam voluntatem in alteram partem determinando, manifestissimè tradit quando dicit: *Lib. de dono pers. cap. 6.* *Ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat*, id est, ut voluntate nostrâ non deseramus Deum. *Et si exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit ut fiat. Potens ergo est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere ac dirigere in placitum gressum. Cui non frustra dicitur: Deus tu convertens vivificabis nos.* Quid est flectere voluntatem in bonum, quid est in lapsum pronam convertere, nisi eam vel fluctuantem, vel in alteram partem jam nutantem ac propendentem, istâ determinatione revocare, & in alteram partem determinare? Flexus enim & conversio voluntatis in hanc vel illam partem, nihil est aliud quam ejus in alterutram partem determinatio. Nunquam enim Deus hominis voluntatem in bonum reipsa flectet atque convertet, nisi hic & nunc determinet. Quod quidem olim ante lapsum in illa voluntatis prima fortitudine homo potuit, nunc non potest dicente disertissimis verbis Augustino: *Lib. de corr. & grat. c. 7.* *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo* ACCEDAT *ad Deum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo* NON RECEDAT *à Deo.* Nempe quia nunc post lapsum ipsa gratia debet voluntatem, ut accedat, ad Deum gratuitâ bonitate convertere, ipsa gratia debet eam ne recedat retinere, ipsam videlicet, ut ante dixerat, in hanc partem flectendo, dirigendo, inclinando, convertendo, quod nihil aliud est quam determinando; ante verò proprio suo robore poterat voluntas (gratia licet juvante, *sine qua* nihil eorum poterat) sese ad Deum flectere, dirigere, inclinare, convertere, permanere si vellet. Quam ob causam nunc ipse voluntatis nutus & flexus, & inclinatio, & directio, & conversio, quæ sine ipsius determinatione hic & nunc, neq; esse neque cogitari possunt, specialia divinæ gratiæ dona sunt, ut satiatissimè audivimus: tunc non erant nisi tantùm in radice, quatenus gratia quædam dabatur potentialis, cum qua poterat omnia ista si vellet, & *sine qua non* poterat, quamvis vellet, quemadmodum etiam latissimè supra demonstravimus.

Hæc est ergò vera ratio, cur Augustinus, quando de bonis actionibus & voluntatibus lapsi hominis tractat juxta Scripturas sacras, nihil omninò boni quantumvis exiguum, quod cum Deo partiri velle possemus, à divina gratia donante subtrahi sinat. Quis autem dubitet, præcipuam partem bonæ voluntatis & actionis eripi Deo, si ipsa voluntatis determinatio hic & nunc divinæ gratiæ ita subtrahatur, ut eam cum recentioribus *præcipuè* humani arbitrii esse dicamus? Contra hujusmodi præsumptionem illæ sententiæ sanctissimi Doctoris tortæ sunt: *Lib. de dono pers. cap. 6* *Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Quod & sancti Cypriani verbis probat: *Vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quicquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Quod ex Paranympho Christi Salvatoris didicerant, quando dicit: *Ioann. 3.* *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* Et ex Iacobo Apostolo: *Iacobi 1.* *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de cælo est.* Et Paulo Coapostolo ejus: *Ephes. 1.* *Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:* usque adeo, omnia addit explicando Augustinus, *ut in nobis operetur & velle.* *Lib. de præd. Sanct. cap. 18.* Quis autem

cibatis, & dabo cor carneum, unde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum unde non faciebatis, & dabo cor obediens unde faciatis? Cor autem durum & lapideum quid est, nisi voluntas inobediens, & ut alibi dicit, durissima, & A adversus Deum omninò inflexibilis? Hanc ergò qui aufert nobis, & qui bonam tribuit, determinationem ejus ad bonum operatur: ut ita qui de suæ voluntatis determinatione gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 14.

CAPUT XXIV.

Nonò natura gratiæ medicinalis generaliter demonstratur ex octo proprietatibus ac notis, quibus ab Augustino passim describi solet.

Quod si quis adhuc luculentius naturam gratiæ Christi medicinalis, prout ab Augustino intellecta descriptaq; fuit, audire expressam, & intelligere desideret, proprietates ejus genuinæ, quibus ab eo delineata est, & epitheta quibus depicta, & elogia quibus efficacia ejus celebrata est, attendenda sunt. Videbit enim non talem gratiam ab eo prædicatam esse, qualem recentiores nonnulli tradunt, quæ videlicet curiosâ exploratione voluntatis ac dispositionum ejus indigeat, ne forte per gratiam pulsata nolit ac dissentiat; A non talem quæ instar alicujus habitus, impulsum ad operandum ab ipsa exspectet voluntate: non talem quæ dominatrici famulando voluntati, vel influit, vel non influit, prout imperanti sese determinare vel hærere placet; sed prorsus talem quę simul ac pulsat fores, rumpit ostia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus resistentiam, rapit eam secum, & ex invita volentem ac se determinantem ineffabili suavitate ac potestate facit. Quod utcumque tetigit Prosper dum ita canit.

Carm. de ingratis. 134

At verò omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi,
Semper adest, quæ gesta velit: non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.

Hanc ergò medicinalis gratiæ naturam non tàm servientem quàm dominantem nutibus ægrotæ voluntatis, nec talem *sine qua non* potest ægra voluntas velle, sed qua Deus invictè facit ut velint, nobis

Primò commendant illa loca quibus Aug. eam summæ efficaciæ esse docet, in eo persuadendo efficiendoque quod Deus homini persuasum, & in eo effectum cupit. Aliquando enim vocat potestatē ejus efficacissimam. *Vt autem de cælo* (Paulus) *vocaretur, & tam magnâ & efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Et in eundem sensum inferius: *Ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Aliquando occultissimam & potentissimam, ut cùm dicit, *Deum posse quem velit, ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissima & potentissima medicina sua* (hoc est gratiæ medicinalis) *potestate perducere.* Aliquando ineffabilem: *Legant ergò atq; intelligant, intueantur atq; fateantur* B *non lege atq; doctrinâ insonante forinsecus, sed internâ atq; occultâ, mirabili atq; ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Aliquando hanc gratiæ efficaciam cum pervicaci hominis voluntate collidit, & omni humanâ aversione & pertinacia superiorem facit. *Aversus quippe à fide quam vastabat, eiq; vehementer adversus, repente est ad illam gratiâ* POTENTIORE *conversus.* Et ad Bonifacium Papam: *Cor Regis antequam mulieris sermonem poscentis audisset occultissimâ & efficacissimâ potestate convertit, & transtulit ab indig-*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 5.

Cap. 16.

Lib. de corr. & grat. c. 5.

Lib. de grat. Christi c. 24.

Lib. de præd. Sanct. cap. 2.

Lib. 1. ad Bonif. cap. 20.

A *natione ad lenitatem; hoc est de voluntate lædendi ad voluntatem favendi.* In quo comparationis genere potestatem quæ per gratiam operatur, etiam omnipotentissimam vocat; ut in lib. de Corr. & grat. *Sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum, omnipotentissimam potestatem.* Et in Epistola ad Vitalem: *Quibus non ei credentibus & eius doctrinam voluntate impiâ persequentibus misericordiam prærogavit, eosque ad seipsum* OMNIPOTENTISSIMA *facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit.*

Lib. de corr. & grat. c. 14.

Epist. 107. ad Vitalem.

Secundò hanc efficacissimā, potentissimamq; hanc ineffabilem & omnipotentissimam potestatem in eo exseri super voluntatem docet, quod ita à Dei Spiritu per gratiam rapiatur & agatur, ut ipsamet voluntas vix agere intelligatur. Quod nisi Aug. ipsemet expertè declarasset, nunquam ausus fuissem voce aut calamo proferre: *Procul dubio*, inquit Augustinus, *Plus est* AGI *quam regi. Qui enim regitur aliquid agit & à Deo regitur ut rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quàm ut illi se agendā commendet qui malè agere non potest.* Quæ sanè causa videtur cur isto verbo Apostolicō, quo voluntas, vel nos agi à Spiritu Dei dicimur, perlibenter & frequenter utatur Augustinus: *Profectò ut agant quod*

Lib. de gest. Peleg. c. 3.

Lib. de grat. Christi c. 25.

Digitized by Google

quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. Et ad Bonif. *Quis ambulat secundum Spiritum, nisi quisquis agitur Dei Spiritu?* Itaq; hunc impetum Spiritus quo aguntur filii Dei, talem actum infallibilis efficaciæ esse tradit, ut quotquot illo aguntur, etiam reipsa velint & operentur. *Quicumq; aguntur Dei Spiritu, ipsi facta carnis mortificant Spiritu.* Nempe quia Apostolus dicit, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.*

Lib. 3. ad Bonif. c. 2. — Lib. 6. contra Iul. c. 14 — Rom. 8.

Tertiò igitur hæc ratio est, quod nullum sit locutionis genus apud ipsos Scholasticos Doctores tam efficax prægnansq; ad exprimendũ, quod ipsa volũtatis determinatio, adeoq; prædeterminatio sit à gratia Dei, quin Augustinus illud usurpet, ut Christianis lectoribus indicaret, non esse istius naturæ medicinalem Christi gratiam, ut ejus effectus à voluntate suspendatur, sed illius ut per eam effectum potentissimè invehat inferatq; voluntati, non operando si voluntas velit, sed operando atq; determinando ut velit. Nam ut non repetam illas locutiones, de quibus ante diximus, quod Deus per gratiam [a] *convertit hominum voluntates*, hoc est, ut alibi dicit, [b] *volentes ex nolentibus* efficit: quod [c] *a malo in bonum flectit voluntates*: quod [d] *duritiam cordis*, hoc est, resistentiam voluntatis *primitùs auferat*: quid efficaciùs quam quod dicit inclinare Deum corda & voluntates quo voluerit? [e] *Sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimã potestatem.* Et lib. de prædest. Sanct. dicit: [f] *Cùm Deus vult fieri quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet* INCLINANTE *qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.* Quæ locutiones apud ipsum perfrequentes sunt. Quid est autem cor inclinare, ut ita ineffabili modo operetur velle, nisi cor ad ipsum velle determinare? Nihil enim mirabile vel ineffabile, si solummodo motũ prævenientem in cordibus excitet (quod in rebus humanis homines quotidie suadendo faciunt) cui volũtas pro suo beneplacito effectum donet aut neget. Itaq; modum operandi in voluntate longè potentiorem significat Aug. quando dicit, quod Deus *intus agit in hominibus, corda tenet, corda movet, eosq; voluntatibus eorum quas ipse in illis operatus est trahit.* Et quando dicit de illis in quibus Christus dominatur: *Non eris inops in respondendo, non enim tu eris qui loquéris; Manens in te Christus arripiet instrumentum tuum, linguam tuam velut gladium suum, utens corde tuo & voce tua tanquam possessor, resistet adversario, securum te faciet.* Et quando alibi in eundem sensum dicit: *Apprehendis animam meam & debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra, quamvis splendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce sapientiæ & coruscationis vibrata? Quid est ipsa anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat & pugnet, de illa? Nam qualibet optima facta framea, si non habeat bellatorem, iacet.* Et inferius: *Ergo quicquid vult facit de anima nostra. Cùm in manu eius est, utatur ea quemadmodum vult.* Et quando alio in loco, potentiùs quam ullus determinationis aut prædeterminationis defensor, dicit: *Nos ergò loquimur foris, ille ædificat intus: quomodo audiatis nos advertimus, quid cogitetis, ille solus novit, qui cogitationes vestras videt, ipse ædificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum vestrum.* Et quando ad Vitalem scribens dicit, quod Deus *vocatione illa altâ atque secretâ sic hominis ageret sensum, ut legi atque doctrinæ accommodaret assensum.* Quid enim est, applicare sensum ad fidem post monitiones, terrores, intellectûs apertiones, vel sic agere sensum ut accommodet assensum, nisi voluntatem ad assentiendum credendumque determinare? Facultatem enim actricem ad agendum agere vel applicare, nihil est aliud quam illam ad agendum determinare.

a Lib. de prædest. Sanct. cap. 20. — b Lib. 1. ad Bonif. c. 19. — c Lib. de dono pers. c. 6. — d Lib. de prædest. Sanct. cap. 8. — e Lib. de corr. & grat. c. 14 — f Lib. de prædest. Sanct. cap. 20. — Lib. de corr. & grat. c. 14 — Serm. 120. de diversis cap. 15. — In Psal. 34. Conc. 1. — In Ps. 126. — Epist. 107. ad Vitalem.

Hinc est quartò, quod omnes operationes hominis bonas, quantumcumque fiant à libera voluntate, tribuere soleat Augustinus ipsi Deo, tanquam qui per voluntatem, ut per instrumentum, quod pro libero suo beneplacito agit, impellit, flectit, vertit, inclinat quòlibet, motus ipsius voluntatis operetur: *Ipse*, inquit, *cantat in nobis, cuius gratia cantamus.* Et in Psalmum quinquagesimum sextum: *Quando loquitur ex persona sua Propheta, ipse Dominus loquitur per eum, qui ei dictat veritatem quam loquatur.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Christus in Zachæo erat & de illo sibi dicebat, quod ex ore eius audiebat.* Et de verbis Domini: *Quando illi Martyres perhibent testimonium, ipse sibi perhibet testimonium: Ipse enim habitat in martyribus, ut perhibeant testimonium veritati.* Quod alibi expressiùs verbis Christi dicit: *Ille testimonium perhibebit de me & vos testimonium perhibebitis: utique quia ille perhibebit, etiam vos perhibebitis. Ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris. Ille inspirando vos sonando.* Et in eodem sermone jamjam citato: *Vt ergo ames Deum, habitet in te Deus, & amet se, de te, id est ad amorem suum moveat te, accendat te, illuminet te, excitet te.* Cujusmodi voluntatis opera, quomodo ab homine fiant, multis in locis ita explicat, ut hominem instrumentum Dei faciat, quod ab illo inspiretur, tangatur, agatur, & quocumque flectatur: *Per humilitatem nostram cùm aliquid verum dicimus ipse loquitur. Videte itaque loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa, per multa organa, ipse tamen sonat ubique tangendo, modificando, inspirando.* Has locutiones vim divinæ gratiæ nobis insinuantes ex Scripturis sacris Augustinus didicit ac deprompsit. In illis enim legimus: *An experimentum quæritis, eius, qui in me loquitur Christus?* Et alibi Christus ipse: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Nempe dicuntur ista, non ut homini libera voluntas, sed gloriatio de sua voluntate tollatur; ne putet à se sibi esse, quod Deus ei donat facere. Potestatem enim donando atq; adjuvando si velit, actio non donatur nisi homo velit & faciat. Deus autem non solùm donat homini per gratiam posse loqui, posse testimonium Deo perhibere

Epist. 120 c. 17. & 18. — In Psal. 56. — Serm. 8. de verb. Apost. cap. 4. — Serm. 43. de verb. Domini cap. 2. — Tract. 93. in Ioann. — Serm. 43. de verb. Domini cap. 4. — In Psal. 49. — 2. Cor. 13. — Matth. 10.

bere

bere, posse Deum diligere, sed ipsum loqui, testimonium perhibere, diligere. *Non enim ait,* inquit Augustinus, *non vos estis qui dedistis vobis posse benè loqui; sed ait: Non vos estis qui loquimini. Nec ait, Spiritus Patris vestri est, qui vobis dat vel dedit posse bene loqui: sed ait, Qui loquitur in vobis, non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum.* Nam ut alibi similes sacrarum Scripturarum phrases ponderans ait: *Non est consequens ut qui potest venire ad Christum, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed venit: ubi iam & possibilitatis profectus & voluntatis affectus, & actionis effectus est.*

Lib. de grat. Christi c. 25.

Ibid. c. 14.

Lib. 2. contra Iul. oper. imperf.

Quintò ex isto efficaci inoperandi modo proficiscitur, quod Aug. non raro gratiam Christi medicinalē *victricem* vocat, quia omnes oppositos obices voluntatū & affectuum invictà potestate perrumpit: *Donat per Spiritum charitatem, cuius delectatione vincatur delectatio peccati.* Et libro istius operis secundo: *Donat gratia ut delectatio peccati, iustitiæ dilectione vincatur.* Et lib. 2. de pecc. meri. dicit, *Dominum Deum, etiam Sanctis suis alicuius operis iusti aliquando non tribuere victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse suavitatem qua det fructum suum terra eorum.* Cujusmodi victrix gratia nisi homini luctanti cum tentatione tribuatur, nunquam victoriam assequetur, ut propterea profunde dixerit Aug. *Non sufficit arbitrium voluntatis humanæ nisi à Deo victoria concedatur oranti.* Et alibi, *dari sibi pugnandi, vincendiq; virtutem per Christi gratiam poscunt.* Quod detestantes quidam Pelagiani, cum hominem arma suscipere faterentur propriâ voluntate, victoriam etiam hominis voluntati tribuebant. Et Augustinus è contrario cum Concilio Diospolitano, non nisi gratiæ Dei

Lib. 2. eiusdem operis fol. 431.

Lib. 2. de pecc. merit. cap. 19.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 4.

Lib. de corr. & grat. c. 11.

Lib. de gest. Pelag. c. 18.

Lib. de corr. & grat. c. 14.

Quamobrem sextò, gratiam Dei Aug. ita victricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat hominem operanti Deo per gratiam *non posse resistere*, sed è contrario Deum, non quicquid voluntatem facturam prævidet, sive absolutè sive conditionatè, sed quicquid omninò voluerit, in voluntate operari, quam ipse magis habeat in sua omnipotenti potestate, quam ipsa voluntas se: *Cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat nec superet potestatem. De his enim qui faciunt, quæ non vult, facit ipse quæ vult.* Pauloq; inferius in eodem libro & loco: *Non est itaq; dubitandum voluntati Dei qui in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult cum vult facit.* Et exemplo explicans quod tradiderat: *Nisi fortè (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere.* Et paucis adhuc interjectis de Amasai: *Numquid ille posset adversari voluntati Dei, & non potiùs eius facere voluntatem, qui in eius corde*

Lib. de corr. & grat. c. 14.

Lib. de corr. & grat. c. 14.

Ibid.

Ibid.

A *operatus est per Spiritum suum quo indutus est, ut hoc vellet, diceret, faceret?* Cui mox adjungit: *Hoc ipse egit qui in cordibus hominum quod voluerit operatur.* Et iterum, concludens disputationem illam: *Si ergo cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas, quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correptio, ut cælesti constituatur in regno?* Vnde in eodem libro cùm Angelos & primum hominem ita per adjutorium status innocentiæ adjutos esse docuisset, ut adjutorium istud in eorum *libero relinqueretur arbitrio*, à quo possent declinare si vellent, ita è contrario de lapsi hominis subjicit adjutorio: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia* INDECLINABILITER ET INSVPERABILITER AGERETVR.

Ibid. c. 12.

Ex quibus septimò, non est difficile perspicere quam procul ab Augustini doctrina & B sensibus aberraverint, qui nobis talem gratiam procuderunt quæ semper explorat exspectatque voluntatem hominis, ne si forte pervicacior fuerit, cassa & inanis gratia & effectus divinæ misericordiæ irritus humanâ potestate reddatur. Nempe ut sit quædam potentialis gratia, cum qua homo credat, convertatur, operetur si velit, sin veró nolit, nullus sequatur voluntatis aut operationis effectus. Quales de gratia medicinali cogitationes, quibus effectus ab ea ponendus dicitur, SI VELIMVS, jam olim convellit Augustinus, cùm ad Simplicianum scriberet: *Illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur etiam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus. Deus enim est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.* Et in libro de prædestinatione Sanctorum quando jam cum Pelagianis similem potentialem C gratiam prædicantibus decertabat: *Quare inquiunt non omnes docet, ut ad Christum veniant? Si dixerimus quia nolunt discere quos non docet; respondebitur nobis: Et ubi est quod ei dicitur, Domine tu convertens vivificabis nos? Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, ut quid orat Ecclesia &c.* De quibus ijsdem non volentibus ad Christum venire paulò superiùs dicit: *Nam si & illos, quibus stultitia est verbū crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset procul dubio venirent & ipsi. Non enim fallit aut fallitur, qui ait: Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Itaq; contra illos qui operationibus divinę gratię atq; misericordię tales cōditiones apponunt, ut effectum suum sortiātur *si homo velit*, non uno loco illam Scripturam intorquet August. *non est volentis atque currentis, sed miserentis est Dei*; tanquam quæ inverti non possit in hunc modum: non miserentis est Dei, sed volentis atq; currentis hominis. Quæ tamen Apostolica sententia verissimè sic inverteretur propriissimeq; si gra-D tiæ effectus ita ab humana voluntate penderet, ut dici posset, eum secuturum *si tamen homo velit.* Sed ipse Aug. audiatur: *Nam si propterea solùm dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, ut iuste recteq; vivamus, nisi adiuvetur misericordia*

Lib. 1. ad Simplic. q. 2.

Lib. de præd. Sanct. cap. 8.

Rom. 9.

Lib. 1. ad Simplic. q. 2.

 Dei;

Dei: potest & hoc modo dici; Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quomodo dicatur frustrà Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur, ergò iam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus: Deus enim operatur in nobis & velle & operari &c. Et in libro de gratia & libero arbitrio: *Quæ sententia nullo modo potest etiam sic converti ut dicatur, non miserentis Dei, sed volentis & currentis est hominis. Quisquis enim hoc ausus fuerit dicere apertè se ostendit Apostolo contradicere.* Cujus rei causa est, quia ut idem dicit ad Simplicianum: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur si homo nolit.*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 7.

Octavò itaque per hujusmodi gratiæ prædicationem, quæ nos operari facit si velimus nihil aliud agitur, nisi ut Christi gratia medicinalis tollatur funditus, & gratia sanæ voluntatis, hoc est, Adami & Angelorum substituatur in locum ejus, atque ita gratis Christus mortuus sit. Nam propriè dicta Christi gratia, quam per Passionem suam adversus infirmitatem voluntatis attulit illa est, ut copiosissimè demonstravimus, quæ non operatur effectum suum, si velimus, sed *qua operatur in nobis & velle & operari: qua facit ut in iustificationibus eius ambulemus; qua creamur in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*, & hujusmodi innumera. Non enim gratia effectum propter quem datur, operatur si velimus, exspectando voluntates nostras, sed *ut velimus*, prout loquitur Concilium Arausicanum. Nam in isto solo, juxta profundissimam sanctissimi Antistitis doctrinam, sita est præcisa differentia gratiæ sanæ voluntatis & ægrotæ, stantis & lapsæ, hoc est, primi hominis & secundi, quod cum illa gratia benè operaretur homo si vellet; hæc verò jam operetur, ut velit, iuxta solidissimam illam Augustini doctrinam ab eo creberrimè inculcatam: *Prima gratia est qua fit ut habeat homo iustitiam*, SI VELIT: *Secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit.* Qua de re fusè Augustini testimonia recensuimus ejusque mentem explicuimus.

Conc. Arausic. canone 4. — *Lib. de Cor. & grat. c. 11*

CAPUT XXV.

Decimo ejus efficacissima natura declaratur, ex eo quod nulla prorsus effectu caret, sed eum in omnibus quibus datur, infallibiliter operatur.

HÆc itaque est vera ratio & radix, cur nulla omninò medicinalis Christi gratia effectu suo careat, sed omnis efficiat ut voluntas velit, & aliquid operetur. Quod quantumvis gratiæ istius congruæ auctoribus per mirum videatur, veritas tamen est in Scripturis sacris & Augustini scriptis explorata. Quanquam hoc igitur ex ipso essentiali discrimine jam assignato utriusque gratiæ, iuxta quod prima gratia justitiam dabat homini si vellet, secunda ut vellet, cæterisque pœnè omnibus quæ toto libro diximus, apertissimè consequatur, operæ tamen pretium est, disertis confirmare testimoniis, ne quasi ad rem à me recenter excogitatâ trepidet aut perturbetur auditor.

Primò igitur hoc probat quod apud Augustinum gratia & opus bonum ita reciprocentur, ut quemadmodùm ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet, ita viceversa, ex defectu operis, gratiam non esse datam. Quo ratiocinandi modo indicatur gratiam tanquam causam & operationem voluntatis bonam velut effectum, esse, ut Philosophi loquuntur, convertibiles, & à se mutuo inseparabiles. Affirmativus iste arguendi modus apud S. Doctorem frequens est. Sic enim loquitur de pugna contra tentationes: *Agis si ageris, & benè agis si à bono ageris.* Quod ex Apostolo videtur didicisse, qui ad Romanos dicit: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*, ut probaret hujusmodi reipsa operari & facta carnis reipsa mortificare. Vnde & Aug. ibidem adiicit, *Non sunt filij Dei, si non aguntur Spiritu Dei. Si autem Spiritu Dei aguntur, pugnant, quia magnum habent adiutorem.* Et alio in loco, de illa eadem carnis mortificatione, quam pugnando adipiscimur, *ut scirent se hoc non facere* (facta carnis mortificare) *nisi gratiâ Dei, continuò subdidit*, Apostolus; *quotquot enim Spiritu Dei aguntur, si filij Dei sunt. At per hoc quicumque aguntur Dei Spiritu, ipsi facta carnis mortificant Spiritu.* Et lib. 3. ad Bonif. *Quis autem ambulat secundùm Spiritum, nisi quisquis agitur Dei Spiritu? Quotquot enim Dei Spiritu aguntur, hi filij Dei sunt.* Similiter de victoria quæ omnis pugnæ cum tentationibus finis est: *Salva fit autem à persequentibus anima, si non eis consentitur ad malum. Non eis autem consentitur, cùm assistit Dominus à dextris pauperis: ne ipsâ paupertate, id est infirmitate succumbat.* Et de præparatione cordis: *Homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei: qui si tangit cor, homo præparat cor.* Et lib. de corr. & grat. *Numquid aliquis dicturus est, non iterum fuisse cum Saul quemquam eorum, quorum tetigit corda Deus, ut irent cum illo; aut esse aliquem pestilentium, quorum ut hoc facerent corda non tetigit?* Nempe quia ipsa Scriptura sacra exserté dicit: *Abierunt potentes quorum tetigit Deus corda cum Saul.* Vbi noster textus vulgatus legit: *Abijt cum eo pars exercitus, quorum tetigit Deus corda.* Vt significaret illam exercitus cum eo partem abiisse quorum tetigit Deus corda. Et de ipsa prima hominis voluntate bonâ, in primo ad Simplicianum libro, ubi & rationem tangit, cur non possit gratia effectu suo sine absurditate destitui: *Illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, iam volumus. Ad eandem quippe miseri-*

Serm. 43. de verb. Domini — *Rom. 8.* — *Lib. 6. contra Iul. cap. 14.* — *Lib. 3. ad Bonif. c. 2.* — *In Ps. 108.* — *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.* — *Lib. de Corr. & grat. c. 14.* — *1. Reg. 10.* — *Lib. 1. ad Simplic. q. 2.*

misericordiam pertinet ut velimus. Quod si jam volumus, quando miseretur Deus, profectò gratia quæ est effectus misericordiæ & voluntatis effectrix, non potest ab hominis, cujus miseretur Deus, voluntate seu volitione separari. Quamobrem disertè subjicit in eodem loco: *Nullius Deus frustra miseretur.* Ratio est, quia, ut adjungit, *cujus miseretur sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.* Et de cursu jam volentis hominis: *Ideo voluit & cucurrit Iacob quia misertus est Deus.* Et de fructu externæ correptionis: *Tunc est salubris correptio cùm supernus medicus respicit, non enim aliquid proficit, nisi cùm facit, ut peccati sui quemq; pœniteat.* Et in epistola ad Vitalem: *Gratia dat merita ipsa cum datur.* Et eodem modo sanctus Ambrosius apud Augustinum: *Quos respicit Iesus plorant delictum.* Probat enim exemplo Petri: *Negavit primo Petrus, & non flevit quia non respexerat Dominus, negavit & tertio, respexit Iesus, & amarissimè flevit.*

Ibidem. Ibidem. Lib. 1. contra Iul. oper. imperf. fol. 103. Lib. de corr. & grat. c. 5. Epist. 107. ad Vitalem. Lib. de grat. Christi c. 45.

His igitur & hujusmodi crebris locutionibus affirmativis, sicut significat Augustinus, hoc ipso quo data est homini gratia, mox effectum sequi, sic è contrario negativè subinde ratiocinando docet, hoc ipso quo effectu homo destituitur, nullam ei gratiam collatam esse, sed solo Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc est, lege doctrinâque ad operationis præceptæ justitiam niti. Luculentiora sunt istius doctrinæ testimonia, quam ut ullo artificii fuco obscurari queant. Nam in libro de gratia Christi, ubi ex professo cum Pelagianis de adjutorio medicinalis gratiæ, hoc est, gratiæ Christianæ, adeoque veræ gratiæ quæ per crucem Christi humano generi revelata atque donata est, ita definitivè loquitur: *Qui novit, quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundum litteram, quamvis multi quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore justitiæ, quam dicit Apostolus justitiam suam, quæ ex lege est, tanquam sit imperata non data.* Et paucis in eodem loco interpositis, sic subjungit: *De isto docendi modo* (nempe per gratiam) *etiam Dominus ait: Omnis qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me: Qui ergò non venerit, non de illo rectè dicitur, audivit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit.* PRORSVS NON RECTE DICITVR DE ISTO DOCENDI MODO, QVO PER GRATIAM DOCET DEVS. *Si enim, sicut Veritas loquitur,* OMNIS *qui didicit venit: quisquis non venit, profectò non didicit.* Et in libro de prædestinatione Sanctorum: *Quid est omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me: nisi nullus est qui audiat & discat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit. Nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit ac didicit, & non venit: sed omnis, ut ait Veritas, qui audivit à Patre & didicit, venit.* Et iterum inferius: *Si & illos quibus stultitia est verbum crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset, procul dubio venirent & ipsi.*

Lib. de grat. Christi c. 13. Ibid. c. 14. Lib. de prædest. Sanct. cap. 8. Ibidem.

Non enim fallit aut fallitur qui ait: Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. ABSIT ERGO VT QVISQVAM NON VENIAT QVI A PATRE *audivit & didicit.* Et rursum instantius & inculcatius: *Qui credunt, prædicatore forinsecus insonante, intus à Patre audiunt atque discunt, qui autem non credunt* FORIS AVDIVNT, INTVS NON AVDIVNT NEQVE DISCVNT. *Hoc est illis datur ut credant; illis non datur.*

Ibidem.

Secundò hoc probat illa laboriosa sancti Doctoris cum Pelagio concertatio, in qua ex professo de natura gratiæ Christianæ disputatur, non cujuslibet, sed illius quæ generaliter opponitur legi atque doctrinæ, quam solam à Pelagio prædicatam esse recentiores multum urgent ac docent. Tradit igitur Augustinus iterum atque iterum, studiosissimèque commendat illam gratiam quæ non est gratia aut lex neque sapientiæ scientiæq; revelatio, neque futurorum demonstratio, neque præmij promissio, cujusmodi Pelagius commendabat, opus ipsum afferre voluntati. Sic enim loquitur in illis ijsdem locis jam allegatis, ubi toties repetentem audivimus, neminem didicisse secundùm gratiam qui non facit: *Sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur: nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur, nec suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.* Et interjecta nonnulla de Apostolo Paulo disputatione subjungit: *Qua gratia agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.* Et iterum continuò post: *Hæc doctrina si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem,* hoc est sinceram faciendi voluntatem. Nam ita mox rationem dando subnectit: *Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere.* Et paulò inferius: *Hoc modo quisquis discit,* per gratiam scilicet, *agit omninò, quicquid agendum didicerit.* Et rursum disputationem illam sententiamque suam irrefragabili definitione consignans: *Ac per hoc,* inquit, QVANDO DEVS DOCET, NON PER LEGIS LITTERAM, SED PER SPIRITVS GRATIAM, *ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoq; perficiat. Et isto divino docendi modo* (per gratiam quæ non est lex) *etiam ipsa voluntas,* id est volitio, *& ipsa operatio; non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur.* Quam doctrinam tanquam in Catholica Ecclesia indubitatam in scriptis ceteris passim magnâ asseverandi constantiâ tradit. Nam in libro de prædestinatione Sanctorum, ubi pariter non semel inculcaverat,

Lib. de grat. Christi. c. 10. Ibid. c. 12. Ibid. c. 13. Ibidem.

eos qui non credunt, *intus nec audire nec discere*, sic illam Christi gratiam depingit. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divinâ largitate tribuitur*, A NVLLO DVRO CORDE RESPVITVR. *Ideò quippe tribuitur ut* CORDIS DVRITIA PRIMITVS *auferatur.* Quod est perinde ac si apertissimè diceret; nunquam illa caret effectu suo, ideò quippè tribuitur ut duritiâ cordis seu voluntatis ablatâ, quâ solâ impeditur operatio non careat effectu suo. Vnde statim adjicit: *Quando ergo pater* INTVS AVDITVR ET DOCET, *ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum*, hoc est voluntatem duram & inflexibilem, *& dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit.* Et non multò inferius explicans quid sit *trahi* per gratiam, quid *audire*, quid *discere*, prout distinguuntur à tractu, auditu, doctrinâque, quæ per legem afferuntur: *Ergò trahi à Patre ad Christum, & audire ac discere à Patre ut venias ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre quo credat in Christum.* Et in epistola centesima septima ad Vitalem: gratiam Christianam opponens Pelagianæ, de qua ex professo disputat: *Non ergo gratiam dicamus esse doctrinam, sed* AGNOSCAMVS GRATIAM, QVÆ FACIT PRODESSE DOCTRINAM: *quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam.* Et in eadem epistola non multò superiùs: *Opus est hoc gratiæ*, QVAM QVI ACCIPIVNT, *doctrinâ salutari Scripturarum sanctarum & si fuerint inimici, fiunt amici: non opus ejusdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici.* Et in libris ad Bonifacium: *Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis: in qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Et in libro quarto explicans, ipsisque vocabulis etiam designans propriè dictam illam gratiam, prout contra gratiam externam legis distinguitur atque opponitur: *Legem quippè diversis locutionum modis & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam: ut scilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus quo ea quæ facienda sunt, noverimus, non inspirationem dilectionis*, hoc est sanctæ volitionis, *ut cognita sancto amore faciamus* QVÆ PROPRIE GRATIA EST.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 8.
Ibidem.
Ibidem.
Epist. 107. ad Vitalem.
Ibidem.
Lib. 2. ad Bonif. c. 9.
Lib. 4. ad Bonif. c. 5.

Tertiò quemadmodum ex ista cum Pelagianis concertatione perspicuum est, illam solam gratiam prædicasse Augustinum, quæ dat simul effectum suum, ut homo velit aut faciat, ita similiter illud ipsum ex disputatione cum Semi pelagianis apertissimum est. Nam prætterquam quod ipsi gratiam quandam potentialem intus cum libero arbitrio concurrentem afferrent, quæ adjuvaret hominem ad credendum si vellet; nec tamen hæresis notam effugere potuerunt (ut supra fusiùs declaravimus) ipse Augustinus disertis verbis docet illam gratiam esse confitendam, qua Deus ipsam credendi voluntatem effectumque boni operis largiatur. Nempè quia ipsa vera & sola Christi gratia est, quam sanandæ naturæ peccatricis infirmitati attulit. Hoc toto libro de prædestinatione Sanctorum, maximèque de dono perseverantiæ manifestè liquet. Ex illorum primo, multa jam statim audivimus. In altero Semi-pelagianorum verba tanquam veritati Christianæ contraria reprehendit, quibus dicebant, *Nolite nobis istam Dei gratiam prædicare, qua Deum dare fatemini, quæ ut nos faciamus hortamini*, hoc est, istam gratiam qua Deus donat homini velle & operari, ad quæ hortationibus provocatur. Et in toto libro nullius alterius gratiæ vestigium reperire licet quàm qua Deus id reipsa operatur ac donat, quod homini præcipit, ipseque se facturum promisit atque prædestinavit, hoc est, ipsum velle, ipsum credere, ipsum operari: denique gratiam, non qua credimus si nos volumus, quàm libentissimè fatebantur laudabantque Massilienses, sed qua, ut alibi de vocatione quæ fit per gratiam dicit, *id prorsus agitur & peragitur ut credamus.*

Lib. de dono pers. c. 19.
Lib. de prædest. Sanct. cap. 19.

Cùm igitur talis sit natura gratiæ, quam ægrotanti generi humano, Christus per mortem suam attulit, jam nemini mirum videbitur, sed potiùs maximè rerum naturæ consentaneum, quod Augustinus gratiam Christi nomine *Incrementi* plerumque vocare solet, atque illud ipsum quemadmodum & gratiam omnibus externis adjutoriis opponere. Hinc illud in epistola ad Sixtum: *Nec omnium est fides, qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei: sicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur, sed quibus Deus dat incrementum.* Et illud quod paulò ante dicentem audivimus, *gratiam cum ineffabili suavitate infundi, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* Et illud in opere imperfecto contra Iulianum, ubi docet Deum operari voluntates in mentibus hominum, *non ut nolentes credant, quod absurdissimè dicitur, sed ut volentes ex nolentibus fiant: non sicut facit Doctor homo, docendo & hortando, minando & promittendo in sermone Dei, quod frustra fit, nisi Deus intus operetur & velle per investigabiles vias suas. Cum enim verbis Doctor plantat & rigat, possumus dicere, fortè credit auditor: cum vero dat incrementum Deus, sine dubio credit & proficit.* Quibus verbis ut ostenderet se dedisse differentiam legis & gratiæ, litteræ & Spiritus statim adjicit: *Ecce quod interest inter legem & promissionem, inter litteram & Spiritum.* Quam gratiæ & incrementi indifferentiam pluribus in locis usurpat Augustinus, & ex Apostolo sumpsit, ubi effectum divinæ gratiæ à quorumlibet ministrorum cooperatione secernit: *Ego plantavi Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* Quo nihil aliud ex Augustini mente dicit, quàm *qui gratiam dat Deus*, vel *qui Spiritum dat Deus.* Cùm igitur *incrementum* etiam ipso nomine significet effectum adjuvantis gratiæ, nihil mirum si Augustinus universim doceat, medicinalem Christi gratiam semper effectum suum inferre voluntati, cui eam Deus suâ benignitate largitur.

Epist. 106. ad Sixtum.
Lib. de grat. Christi c. 13
Lib. 1. operis imperf. contra Iul. fol. 366.
1. Corinth. 3.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Declaratur ratio diversitatis phrasium, quibus utitur Augustinus, opus bonum olim voluntati tribuendo, nunc gratiæ.

A HINC jam igitur germana quoque ratio intelligitur cùr Augustinus omnes pœnè phrases, quibus de bonis operibus, & meritis, & perseverantia hominum & Angelorum loquitur, immutaverit, ita ut quæcumque ante lapsum naturæ & voluntatis arbitrio tribuebat, post lapsum tribuat soli gratiæ Dei, etiam exclusâ subinde hominis voluntate. Sic enim non semel dicit, Angelos & primum hominem *per liberum arbitrium* stetisse, *per illud* perseverasse, & hujusmodi plura, quarum phrasium exempla fusè dedimus, cùm de primo homine nobis esset disputatio. Oppositæ quoque phraseos exempla sunt creberrima. Nam hinc istud

Epist. 98. ad Hilarium.

epistolæ ad Hilarium: *Quod hominibus, inquit Christus, impossibile est, Deo facile est: ostēdens quando ista rectè fiunt, non fieri potentiâ hominis, sed Dei gratiâ.*

Epist. 89. ad Hilarium.

Et in calce istius epistolæ: *Perfectionem de qua Dominus locutus est, vehementer adamavi,* B *& non meis viribus, sed gratiâ ipsius adjuvante sic feci.*

Epist. 107.

Et in epistola ad Vitalem: *Fateatur quando contra tentationes concupiscentiasq; illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed adjutorio Dei nostram provenire victoriam.* Hinc est illud frequentissimum, quo justitiam gratiæ, hoc est, opus justum quod ex Christi gratia proficiscitur, vocat justitiam [a] *non nostram* sed *Dei*. Hinc alibi negat homines ad vitam æternam [b] *operari voluntates suas*: alibi profitetur, hominibus quibus gratia tribuitur, [c] *non relinqui voluntatem suam, ut in Dei adjutorio maneant si velint.* Cujusmodi phrases passim obviæ sunt. Quem loquendi & sentiendi modum ex Apostolo didicit, qui omnia ad gratiam Dei revocat, tum aliis locis passim quibus dicit, *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum &c.* Et, *Non ego sed gratia Dei mecum.* Tum imprimis ubi dicit: *Non volentis neque currentis,* C *sed miserentis est Dei.* Nam propter illum potentem dominatum gratiæ super voluntatem, quo fit ut ei non jam relinquatur voluntas sua, negat Augustinus, ut supra vidimus istam locutionem Apostolicam ita inverti posse, ut dicatur, non miserentis est Dei, sed volentis & currentis est hominis. Hâc itaque loquendi diversitate, non hoc significatum Augustinus voluit, quod olim per solas liberi arbitrii vires Adam rectè operari, & in justitia stare potuisset, vel Angeli steterint: nec è contrario, nunc solam gratiam sine liberæ voluntatis adjunctione justitiam operari, quorum utrumque Catholica fides destruit: sed hoc voluit, in primæva hominis & Angelorum integritate sic liberum arbitrium benè egisse vel stetisse, ut quamvis *non sine gratia* hoc fieret, sine qua neutrum poterat, utrumque tamen liberæ voluntati, non gratiæ esse tribuendum, utpote cujus actio vel cessatio liberæ voluntatis arbitrio relinqueretur. Nunc vice versa, quamvis opus bonum *non sine voluntate nostra fiat*, ut notanter profundèque Augustinus loquitur, quod tamen reipsa fiat, non voluntati ascribendum esse, sed gratiæ, utpote quæ nunc, non olim, voluntati dominatur; non determinationem ad operandum, quemadmodum olim à voluntate præstolando, sed voluntati suaviter potentissimèque tribuendo. Nunc enim infirmam voluntatem gratia ad influendum operandumque rapit, tunc à forti & vegeta voluntate rapiebatur: quia tunc nullo concupiscentiali languore deorsum pressa, flectebat se velut plena sui domina quoquoversum videretur: nunc verò amisso isto indifferenti ad utrumlibet flexu, & in alterius partis dilectionem incurvata, propter inhærentem visceribus suis terrenum amorem, quem funditus sibiipsi exstirpare non potest, ad singulos dilectionis cælestis impetus erigi debet, juxta illud Apostolicum, *Deus operatur in vobis & velle & perficere*, hoc est, & inchoatam & perfectam voluntatem. His ergò loquendi formulis, non voluntatis liberæ cessationem vel interitum in operando, sed gratiæ dominatum voluit Augustinus indicare, quod explicat, quando dicit: *Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Et quando dicit: *Gratia Dei sic laborat cum homine, ut quod non peccat, non volētis neq; currentis, sed miserentis sit Dei.* Et quando dicit: *Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, Deus est qui operatur in vobis velle. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam ut in justificationibus meis ambuletis &c.* Hæc & hujusmodi prorsus falsa sunt, de quacunque gratia potentiali, qua videlicet homini tribuatur operari posse si velit, sive Deus operationem secuturam videat, sive non videat, sive Deus hoc velit, sive non velit. Semper enim cum tali gratia, non hoc secutū rā est, quod gratia volūtatē facit facere, sed quod voluntas gratiam facit facere. Nam istud gratiæ genus, cum quo Deus voluntatem operaturam prævidet, pro suæ naturali ad utrumlibet indifferentia istius naturæ est, ut operatio & influxus gratiæ ex impulsu voluntatis oriatur, non contra: quam naturam nunquam exuet, etiamsi gratia talis ad sexcentos gradus augeretur, nec unquam aliud quicquam tribuet voluntati, nisi *posse si velit*. Aliud longè potentius & alterius naturæ adjutorium pollicit Apostolus, quando scribit Philippensibus: *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* Nam ut optimè notat Augustinus, *Non ait, Deus est enim, qui operatur in vobis posse, tanquam ipsi,* accepta

a Vide lib. de gratia Christi c. 13. & alibi sæpe.

b Lib. de præd. Sanct. cap. 20.

c Lib. de Cor. & grat. c. 12.

1. Cor. 15.

Rom. 9.

Cap. præced.

Lib. de Spir. & litt. cap. 9. & 12.

ad Philip. 2.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Lib. de gestis Pelag. c. 15.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.

Philip. 2.

Lib. de grat. Christi. c. 4.

Digitized by

acceptâ scilicet volendi potestate per gratiam, *jam velle & operari per seipsos habeant, nec in his duobus adjutorio eius indigeant: sed ait, Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere.* Hoc est, Deus ita in vobis per gratiam operatur, ut non solum operetur in vobis volendi faciendique potestatem si volueritis, sed ut ipsam vobis volitionem operationemq; largiatur. Nam ista sola est causa, cur jam & voluntas, & opus bonum, & meritum, & conversio voluntaris, & victoria tentationis sint, & vocentur ab Augustino, & Scripturis dona Dei, ut supra fusè declaravimus.

CAPUT XXVII.

Duobus scrupulis occurritur, quomodo nulla Christi gratia effectu careat: itemque cur Augustinus loquatur de sola gratia efficaci, non sufficiente.

NEc verò moveat quemquam quod constet, multos divinitus mente collustrari, imò verò & in ipsa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna suasione & inclinatione dissentiunt, ut propterea falsum putet gratiam in eo cui datur, semper operari effectum, ob quem datur. Considerandum est enim, multiplices esse divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augustinus posse vocat, est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent: & hoc ipsum diversos gradus habet, donec ad ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam veniatur. Hæc ergò primus est cælestis istius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus. Nam quemadmodum inundatio divinæ gratiæ, totam hominis voluntatem secum instar impetuosi cujusdam torrentis rapit, sic ut omnia humani cordis retinacula, quibus terrenis rebus irretitur, velut violentâ quâdam tempestate dirumpat; ita lenis ille velut auræ tenuis afflatus, complacentiam quandam voluntatis tenuissimam, rei tam pulchræ, quæ simul objicitur contemplanda, contemperatam suaviter impetrat, & celerrimè quasi furtim post se rapit. Hæc igitur gratia, quamvis nullo modo sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, ut speret, ut oret, ut credat, ad hoc tamen facit aliquid, ut istarum vel alterius cujusdam cælestis rei liberas quasdam non voluntates, sed velleitates vel complacentias excitet, quas, nisi divinitus infundantur, obtinere humanâ potestate nemo potest. Non enim quævis gratia, ad quosvis effectus inferendos sufficit, ut quidam imaginati sunt, sed potestates operationũ difficultati attemperandæ sunt. Rectissimè igitur profundeq; dixit Augustinus: *Qui novit quid est, quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam sed secundum legem.* Nimirum nondum didicit secundùm gratiã id ipsum quod faciendum jubetur: quamvis aliquid aliud inferioris notæ secundùm gratiam didicisse, nihil vetet. Qui ergò scit Deum super omnia diligendum, spe ac fide colendum & similia, & nondum ita diligit, sperat & credit ut lex jubet, nondum illa ipsa quidem didicit secundùm gratiam, sed tantummodo secundùm legem: quamvis interim aliud quippiam quod prævium esse solet, ut verbi gratia, quod in Deo vel charitate ac fide ipsius sibi quoquo modo placeat, illosque actus quâdam velleitate desideret, & similia secundùm gratiam potuerit didicisse. Sic enim videmus plurimos qui necdum ab immunditiis carnis se continere possunt, vehementer tamen optare continentiam: cujusmodi vota divinæ gratiæ sunt munera, & majoris gratiæ provocativa, quamvis nullo modo veræ perfectæque continentiæ comparanda sint. Itaque optimè subjungit Augustinus: *Hoc modo* (per gratiam) *quisquis didicit, agit omninò* QVICQVID AGENDVM DIDICERIT. Nempe quia quicquid nondum agit, id nondum agendum didicit, secundùm gratiam, sed tantummodo secundùm legem.

Li. de grat. Christi c. 13.

Respondebit fortassis aliquis, magis in Scholasticorum scriptis quam Augustini revolvendis exercitatus, hæc omnia quæ produximus, eum de gratia tantum efficaci tradidisse, nihil verò impedire, quin aliæ nonnullæ gratiæ per hominis voluntatem effectu careant.

Respondeo nihil verius dici posse, quam quòd omnia quæ hactenus protulimus, de gratia efficaci Augustinus dixerit atque intellexerit. Cujus rei causa est, quod nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuerit, nisi regulas omnes fundamẽtales quibus innixus naturã gratiæ medicinalis tradidit & explicuit, vellet interimere. Nam ex quo primi hominis voluntas concupiscentiali ægritudine vitiata atque debilitata est, non ei sufficit amplius, neque posteritati ejus illud adjutorium, cum quo *habeat justitiam si velit*, sed opus est alio potentiore *quo fiat ut velit & tantum velit, tantoq; ardore diligat ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat.* Nam, ut idem profundissimus Doctor eodem in loco radices veritatis istius detegendo dicit, si in tanta infirmitate vitæ hujus, hominibus relinqueretur

Lib. de corr. & grat. c. 11

quereretur *voluntas sua*, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, quod non pauci recentiores prædicant, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, *inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis ut possent.* Isti vitio, isti languori, isti voluntatis infirmitati, quæ totius humani generis viribus conspersa est, remedio potentiore succurrendum fuit, ne totum carnalium rerum cupiditate prostratum, volendi infirmitate perderetur, quod consequenter Augustinus adjicit: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma* per istam concupiscentialem ægritudinem, *non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.* Cujusmodi doctrina fusius alibi explicata est. Quapropter quisquis jam alia divina gratiæ adjutoria infirmis hominibus afferre nititur quæ deserant si velint, & in quibus permaneant si velint, cum quibus tanquam sufficientibus operentur si velint, nihil aliud imprudens facit, nisi ut originalis peccati virus evacuet, illæsas liberi arbitrij vires esse, Christum frustra venisse, & gratis mortuum esse persuadeat. Iam enim per naturam liberamque voluntatem, non minùs quam primus homo justitiam operari potest.

Lib. de Corr. & grat. c. 12

A Nec enim alio ille indiguit adjutorio, quam illo, quod, ut Augustinus loquitur, *in eius libero relinqueretur arbitrio*, ita ut *illud desereret si vellet, & in eo permaneret si vellet.* Cujusmodi adjutorium nihil impedit quo minùs per liberum arbitrium ac naturam, ut supra declaravimus, sit justitia. Hoc ergo si nunc etiam fieri potest, quemadmodum olim sine dubitatione potuit, fidenter juxta Augustini doctrinam dico, gratis Christus mortuus est.

Quamobrem quicumque animadvertit omnia quæ de adjutorio gratiæ medicinalis ex Augustino diximus, de gratia quadam potentissima, quam efficacem recentiores suo sensu vocant esse intelligenda, consequenter hoc etiam animadvertere debet, non aliam Christi gratiam medicinalem in scriptis ejus reperiri. Proinde fatendum sibi esse, quod aliam nobis procudendo, novum gratiæ genus Christianis afferat, quod nec Augustinus, nec ullus B Latinorum Patrum, qui de gratiæ adjutorio cum Pelagianis ex professo decertarunt, nec Ecclesia in Conciliis generalibus vel provincialibus ab Apostolica Sede probatis agnovit vnquam, nec agnoscere potuit, nisi principia quibus ipsa per antiquos Patres, medicinalem Christi gratiam defendit, funditus evertantur. De quo genere sufficientis adjutorii nonnihil adhuc in sequentibus, Deo dante dissertaturi sumus.

CAPUT XXVIII.

Transitus ad argumentorum solutionem. Solvitur primum, quod discrimen gratiæ stantis & lapsæ naturæ directè tollitur, quantum ad operandi modum.

HACTENUS gratiam Christi medicinalē, quantum ad operandi modum ex Augustini mente explicuimus, ut inventionis methodo, à proprietatibus notioribus, tanquam notis & signis naturæ ad notitiam quidditatis ipsius paulatim progrediendo veniamus. Ostendimus autem talem esse quantum ad operandi modum, ut directè opponatur illi gratię quam natura fortis Angelorum & hominis innocentis habuit: hoc est, illi gratiæ potentiali quæ dat homini posse si velit: seu quæ, juxta descriptionem sæpiùs iteratam sancti Augustini, relinquitur *in libero voluntatis arbitrio*, utpote *sine qua bonus esse non potest*, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere potest: quam desereret primus homo cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Velle enim & nolle, stare & cadere, perseverare & non perseverare, propter vires integræ voluntatis, B in libero relinquebantur arbitrio. Isti inquam gratiæ ostendimus directè repugnare gratiam Christi: tanquam quæ non relinquit voluntatem in isto æquilibrio, sed illud auferat & efficiat ut velit. Ideo quippe tribuitur, ut duritia seu resistentia cordis primitùs auferatur.

A Quod utriusque gratiæ discrimem brevissimè profundissimeque expressit Augustinus, hanc vocādo adjutorium *quo fit ut velit*, illam *sine quo non fit* ut velit. Nunc quia recentiores non pauci primum illud adjutorii genus, sub nomine gratiæ *sufficientis* vel congruæ, tanquam veram Christi medicinalem gratiam supponere volunt mordicusque defendunt, duo præstanda nobis reliqua sunt; primum est, ut doctrinam illam capitalem Augustini, qua supradictum duplicis adjutorii discrimen tradidit, ab eorum argumentis tueamur. Alterum, ut eis loca nonnulla ejusdem sancti Doctoris auferamus, in quibus opinionem suam certissimè significatam solidissimèque fundatam esse non dubitant.

Auctores igitur qui discrimen istud utriusque gratiæ, prout à nobis explicatum est, molestè ferunt, doctrinam ejus vel facile objiciunt, vel in alienissimum sensum torquere conantur. Quidam igitur, cùm illa doctrina de gratia congrua præteritis annis fervere cœpit, sic apertè argumentati sunt: *In statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem gratia qua poterat perseverare, si vellet, ergo & nunc.* Quod argumentum directè adversus illam solemnem Augustini doctri-

Leonardus Lessius cum suis in Prop. 2. quam facultates Theologicæ Lovaniensis & Duacensis censuerunt.

Digitized by Google

doctrinam, quam libro de correptione & gratia capite decimo, undecimo, & duodecimo tradit, intortum est. Docet enim ex professo istis locis Augustinus, illud gratiæ genus cum quo potuit Adam perseverare si vellet, nullo modo nunc propter consecutam infirmitatem voluntatis esse satis: eo quod, si nunc hominibus *relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent.* Ratio est, *quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.* Quæ fusè suo loco tradita sunt. Quisquis igitur sic argumentatur, profectò demonstrat Augustini doctrinam sibi displicere, & aliud gratiæ genus, quam quod pro lapsis hominibus agnovit necessarium inferre velle; nempe hoc ipsum quod statui innocentiæ proprium esse docuit, cum quo videlicet posset homo lapsus perseverare, si vellet. Hoc & à Massiliensibus olim factitatum est, nam & ipsi molestè tulerunt, illam utriusque gratiæ differentiam, libentissimeque pro statu lapsorum hominum illud gratiæ genus amplexi sunt, cum quo possent credere si vellent, quemadmodùm alibi accuratiùs demonstravimus. Quanquam illi non ita enormiter exorbitarunt, ut asserere auderent generaliter, nunc etiam, quemadmodum in statu innocentiæ sufficere gratiam, cum qua possit homo perseverare si velit. Imo hoc tanquam contrarium Catholicæ fidei Massilienses improbabant: sed hoc dumtaxat asserebant, quod ad fidem vel ejus initium talis gratia sufficiat: deinceps verò ad operandum, & in operibus bonis perseverandum gratia homines, *amissis & perditis viribus non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes.* Quanta igitur audacia post condemnatos jam à tot seculis Massilienses asserere, quod, quia in statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutē gratia qua poterat perseverare si vellet, etiam nunc sufficiat? Itaque non satis penetrant aut perpendunt naturæ corruptionem & humanæ voluntatis infirmitatem quam peccatum attulit, & in qua discrimen illud fundavit Augustinus, qui talibus ratiunculis doctrinam ejus saluberrimam imprudentes evertunt.

Lib. de corr. & grat. c. 12.

Vide supra cap. 11. & l. 8. de haer. Pelag. c. 1.

CAPVT XXIX.

Solvitur secundum quo similiter tollitur istud discrimen, substituendo pro adjutorio medicinali gratiam habitualem, excitationes, protectiones, concursum generalem ordinis supernaturalis.

QVAPROPTER iidem auctores, & cum illis etiam alii, ut illam celeberrimam differentiam duplicis adjutorii, ex qua intellectus gratiæ pendet quam Augustinus tradidit, quoquo modo salvare viderentur, diversis modis illam ejus doctrinam exponere conati sunt. Aliqui dixerunt, in eo discrimen esse situm, quod Adamus in statu Innocentiæ per dona habitualia potuerit perseverare, si vellet, nobis ista non sufficiant, sed præter illa indigeamus curâ singulari, protectione & excitatione certâ Dei, cum quibus fit ut de facto velimus atque perseveremus. Alii addunt gratiam Adamo necessariam fuisse, cooperationem Dei in actu primo paratam, hoc est, concursum Dei generalem ordinis supernaturalis, quem puto priores illos auctores etiam nullo modo negare voluisse, sed non addidisse, eo quod nihil ad præsens discrimen pertinere animadverterent. Eò igitur res tota redit, ut putent adjutorium Adæ fuisse gratiam habitualem, lapsorum verò hominum esse gratias excitantes, suasiones, protectiones Dei.

Idem Lessius item; Bellarmin. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 8. & l. 5. c. ult.

Bellarm. lib. de grat. primi hominis cap. 4.

Respondetur primò non hic esse quæstionem de quidditate utriusque adjutorii, quænam videlicet illa fuit, an gratia habitualis, an concursus, an protectio, suasio, excitatio, illustratio & hujusmodi: hoc enim in illa tota prolixa disputatione sancti Augustini ne semel quidem ullo verbo tangitur: sed quæstio est, cujusmodi sit utriusque statûs adjutorium quantum ad adjuvandi modum. Augustinus docet adjutorium Angelorum & primi hominis fuisse duntaxat *sine quo non*, secundi hominis, *quo*: quod sexcenties nobis eo modo interpretatur, ut dicat illud primum tale fuisse, ut cum eo *possent perseverare si vellent, non quo fieret ut vellent*; tale quod *in libero arbitrio relinqueretur; tale quod desererent cum vellent, & in quo permanerent si vellent.* Alterum verò esse tale, *quo efficiatur ut velint, quo donante invictissimè quod bonum est velint, & hoc invictissimè deserere nolint.* Cujusmodi descriptiones, discrimen indicant apertissimum in operandi modo, quæcumque tandem fuerit utriusque statûs gratia, quod illi disputationi prorsus est impertinens. Hanc differentiā in quam totis viribus directè collimat Augustinus, Doctores illi funditùs tollunt, imò se toto conatu tollere velle profitentur, dum perspicuè docent, cum utriusque status adjutorio qualecumque tandem fuerit, homines stantem & lapsum ita adjuvari, ut sine illo non possint perseverare & cum eo possint perseverare si velint; ut in utriusque libero relinquatur arbitrio, ut utrumque deserant si velint, & in eo permaneant si velint. Et in eo putant esse gratiæ utriusque similitudinem,

dinem, usque adeo ut si discrimen aliquod in isto operandi modo statuatur, sine dubitatione liberum destruatur arbitrium. Hanc utriusque adjutorii confusionem, quantum ad adjuvandi modum, dicimus istâ Augustini authoritate manifestè jugulari, nec posse sine totius doctrinæ ipsius eversione sustineri.

Iam verò quod secundò additur, adjutorium primi hominis fuisse gratias seu dona habitualia, concursumque generalem seu cooperationem quam supra diximus cum operibus supernaturalibus, non minùs perspicuè falsum est & ab Augustino refutatum. Quod quia fusè demonstravimus in libro de gratia primi hominis, supervacaneum esset hîc repetere.

Vide cap. 12. & 13. toto lib. de grat. status innocentiæ.

Quod igitur in secunda istius responsionis parte dicitur, gratiam lapsorũ, qua fit ut velint & operentur & perseverent, esse gratias excitantes, suasiones & protectiones Dei, multipliciter repugnat Augustino. Primò quidem, quia tales gratiæ prout eas ipsi explicant, velint nolint continentur sub membro primo istius divisionis, sub quo & Adami gratia continetur. Sunt enim adjutoria *sine quibus non* fit opus, non quibus fit, etiam tunc quando cum ijs reipsa liberum arbitrium operatur. Nam adjutorium *sine quo non*, non mutat naturam suam, sive actio sequatur, sive non sequatur, quemadmodùm ex exemplis Augustini, alimento, luce, & similibus manifestum est. Nam sive alimentis ad vivendum, luce ad cernendum utaris, sive non utaris, nunquam illa sunt adjutoria *quibus*, sed *sine quibus non*. Quod ulterius in explicanda istius divisionis natura declaravimus. Hinc fit secundò, quod istæ gratiæ non aliud propriè tribuunt quàm *posse*, non *velle*. Docent enim ipsimet cum omnibus istis gratiis perfectissimè consistere posse, ut voluntas ijs excitata & suasa atque protecta nolit: quod certissimum est illi gratiæ medicinali repugnare quàm Augustinus lapsis hominibus dari tradit. Illa enim duritiam cordis, hoc est nolitionem aufert & ex nolente volentem facit. Quod si non facit, non est illa quam quærimus. Et certè quid absurdius, quam excitationes istas, quæ in gravissimis peccatoribus cum obstinata sæpè voluntate consistunt pro gratia Christi medicinali, quæ velle tribuit, obtrudere, cùm nec ipsa charitas habitualis, quæ cum mala voluntate stare non potest, sit illa medicinalis gratia quæ tribuat velle voluntati? Seu illa *qua* fiat, ut voluntas velit, imò nec illa *sine qua non fiat*, sed indifferenter & valdè per accidens se habeat ad actualiter velle & operari? Hoc enim aliunde voluntati quàm ab habitu dari debet; haud secùs atque aliundè quàm ab ipsis excitationibus & suasionibus, & protectionibus peti debet, quòd cum ipsis etiam concurrentibus actualiter voluntas velit & operetur.

Denique nec primis hominibus hujusmodi excitationes & protectiones & suasiones deerant, nec tamen erant aliud quàm gratiæ potentiales, quibus daretur posse si vellent, non velle quod possent. Nam totam terrenam cælestemque machinam in usum istum divina providentia disposuerat, ut loqueretur altissima voce Creatorem suum, & Angelicas humanasque mentes ad eum laudandum excitaret, amandumque succenderet. Nam hinc ista toties repetita in Augustini lucubrationibus doctrina, quod etiam Angeli sancti ex contemplatione conditæ creaturæ, quasi vespertinâ quâdam decoloratâque cognitione laudaverint Dominum. Et illud in confessionibus: *Sed & cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Quod quid est aliud quàm quædam suasio & excitatio? Nec nudâ externâ quâdam suasione hoc erga primos homines egisse cælum & terram, sed adjunctis etiam internis excitationibus & amandi suasionibus, quas mentibus inspiret Deus, ex illo Augustini loco patet, ubi dicit: *Si voluntas eorum in amore superioris incommutabilis boni à quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret &c.* Nempe tali illustratione & accensione voluntatis accendebatur, ut in ejus amore posset stabilis permanere si vellet. Nam illa accensio non ei dabat velle, ut ex eo patet, quia *accendebatur ut amaret*, hoc est, eo fine ut amaret, seu ut stabilis in amore per creationem dato permaneret. De protectione verò primorum hominum quid dicam? Quia ista gratia valdè externa est, nulla pœnè magis ab ipsis recentioribus commendatur erga primum hominem quàm protectio Dei, qua eum tradunt adversus omnes diaboli insidias, concupiscentiæ seu appetitus commotiones fuisse protectũ à Deo. Putant enim ex eis non pauci dona interna non potuisse talem effectum appetitui conferre, ne præsentibus objectis illecebrosis adversus rationem surgeret. Sed & Augustinus gratiam *regiminis & custodiæ*, & similes fuisse hominibus innocentibus impertitam à Deo, perspicuè docet, quando dicit: *Regebat eum ipse qui fecerat.* Et rursum de primo homine, *Deus operatur hominem atque custodit, ut bonus beatusq; fit.* De quibus plura diximus, cùm de primi hominis gratia tractaremus.

Vide lib. de gen. ad litt. c. 24. usque ad 30. &c. Lib. 10 Confess. cap. 6.

Lib. 14. de Civit. c. 13.

Ser. de verb. Apost. c. 2. Lib. 8. de gen. ad lit. cap. 10. Sup. lib. cit. cap. 10.

Quod verò quidam istis excitationibus, suasionibus atque protectionibus, addunt etiam concursum generalem ad opera supernaturalia, quem ipsi velut magnam gratiam, *concursum specialem*, & gratiam *concomitantem*, & hujusmodi appellare solent, ut aliquid magnum protulisse censeantur, multò minùs ad discrimen utriusque gratiæ declarandum facit. Quis enim ignorat talem concursum, sicut eum ipsi explicant, non facere ut homo velit, sed viceversa hominem facere ut Deus concurrat? Ponunt enim hujusmodi concursum omnibus agere volentibus præparatum, ita ut tunc detur, cùm quis agere voluerit, cùm noluerit, tunc negetur: nec ullas vires ad agendum tribuat, sed supponat. Si quis enim viribus internis actioni proportionatis caret, non illum concursus ille supplebit aut dabit, quemadmodùm in omnibus causis agentibus sive

sive naturalibus sive liberis ex ipsa Scholasticorum confessione manifestum est. Non est ergò illa Christi gratia, quam inquirimus. Accedit, concursum illum esse institutioni naturarum consentaneum, utpote sine quo nulla omninò creatura propter defectum naturalem quicquam operari potest. Ex quo fit ut ille non ad gratiam Christi medicinalem, sed ad naturæ institutionem pertinere videatur, prout & supra diximus. Itaque non minùs Adamo & Angelis innocentibus quàm peccatoribus datus fuit, nec magis ad adjutorium lapsæ naturæ quàm stantis referendus est. Denique Christi gratia quam per crucem attulit humano generi, vulneribus peccatorum sanandis destinata ac data est, ut supra latissimè demonstravimus. Incidit enim natura peccatrix in horrendam agendi cœcitatem per ignorantiam, & in infirmitaté per concupiscentiam, quæ duo mala, nisi per Christi gratiam dispellantur nunquam in æternum, liberum arbitrium ad justitiam diligendam operandamque convertetur aut provocabitur. Hæc autem vulnera non modo non sanat concursus ille generalis ad opera supernaturalia, sed nec attingit quidem, utpote qui relinquit vires operandi, intellectum & voluntatem quales aliundè præparatas invenit. Non est ergò ille, Christi gratia ad operandum homini necessaria, qua fiat ut velit. Denique talem gratiam Christi nec ipse Pelagius detrectavit. Nec enim unquam in Augustino vel vestigium invenies, unde colligatur, quod cum ipso de tali gratia decertaverit, sed merum inventum est recentiorum ut quoquo modo gratias à se excogitatas aliquo colore tueantur. Vt sane mirum sit, homines eruditos relictâ regiâ viâ, quæ in Augustini scriptis, ostio tantummodo reserato, valde manifesta est, ad talia diverticula tam nova, tam periculosa divertere.

Vide dicta alibi latè de concursu generali in dogmatibus Pelagianorum, lib. 5. de hæresi Pelagiana cap. 19. & 20.

CAPVT XXX.

Solvuntur duo loca Augustini ex libro de Spiritu & littera, in quorum utroque recentiores objectionem errantium cœperunt pro solutione Augustini.

SED alia nonnulla ipsius sanctissimi Doctoris proferunt loca, quibus non dubitant ab ipso illam Christi potentialem gratiam tradi, quæ det homini operari posse si velit. Hanc ipsi si affectui vel internæ externæque hominis dispositioni congruat, etiam *congruam* vocare solent; quâ congruitate fit ut reipsa velit & operetur; sic tamen ut liberum arbitrium, stante eâdem gratiâ, possit, neque velle neque facere. Pro ista gratia asserenda multa ex Augustino loca congerunt, atque in primis ex libri de Spiritu & littera capite trigesimo tertio, ubi disputans, unde voluntas credendi oriatur, dicit: *Liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideò nec istam voluntatem qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur, accepit.* Profert hunc locum Franciscus Suarez pro illa indifferentia voluntatis, quam ipsi cum gratia sua sufficiente & congruâ remanere volunt, quo videlicet det posse si velit. Alter locus ibidem est, ubi dicit: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium* quo *vel benè vel male utentes justissimè judicentur.* Quo loco significari volunt, Deum *omnibus dare, unde possint velle, credere & salvari*, si videlicet velint cooperari gratiæ divinæ prævenienti. Ex quo necesse est talem esse gratiam illam, ut ex libera voluntate oriatur, quòd cum ea velit aut nolit, prout hunc locum citat et explicat Bellarminus. Et pro eodem sensu citat hunc locum Franciscus Suarez. Et in primis Molina, Leonardus, Lessius & alij.

Lib. de Spir. & lit. c. 33.

Suarez lib. 3 de concursu cap. 9. n. 6.

Bellarm. l. 2. de grat. & lib. arb c. 5. Suarez l. 4. de prædest. cap. 2.

Molina disp. 1. memb. 6. ad quæst. 23 art 4. & 5. Lessius lib. de prædest. & reprob. sect. 6. num. 66.

Respondeo rem videri admiratione dignam, & tamen veram, quòd cùm Augustinus adjutorium quod primus homo habuit, & quod secundus attulit luculentissimè distinxerit, unum appellando adjutorium *sine quo non* fit id quod agitur, alterum *quo fit*, tantâque manifestatione declaraverit ut nihil addi posse videatur; Scholastici tamen recentiores, qui columina sunt illius gratiæ sufficientis & congruæ quibus datur posse si velis, in utroque membro intelligendo tam enormiter aberraverint, ut directè oppositū ejus quod Augustinus ex professo docuit, ipsi ex professo ex ejus verbis exsculpserint. Nàm utrumque membrum pervertendo, utrobique Pelagianorum objectionem pro Augustini solutione cœperunt. Ex quo secutum est, ut & Adamo (contra Augustini mentem & verba sæpè repetita) tribuerint *adjutorium quo*, quod fractis viribus necessarium ac proprium est, & assignaverint hominibus lapsis adjutorium *sine quo non*, quod libertatem illæsam esse supponit. Quis non miretur, hoc tam oculatis viris accidere potuisse? Quis verò miretur, postquam accidit, eos in mirabilium hallucinationum seriem, uno errore ex alio consequente præcipitatos totamq; Christianæ & medicinalis gratiæ faciem esse perturbatam?

Et quidem eos in primo membro ita aberrasse,

Digitized by Google

erraſſe, ut objectionem adverſantium Augu[ſti]no, pro ipſius doctrina ceperint, in primo libro declaratũ eſt. Nunc quantum ad ſecundum membrum iſtius diſcriminis, eos non diſſimiliter objectiones contra Chriſti gratiam, pro ſolutione, erroremque pro veritate cepiſſe, atque ita loco Chriſtiani & medicinalis adjutorii *quo fit opus*, adjutorium ſufficiens & congruum, quale Adamus habuit procudiſſe, *ſine quo* videlicet *non* fit, non eſt difficile demonſtrare. Itaque memoria repetendum eſt, ſanctum Auguſtinum, antequam Epiſcopatum ſuſcepiſſet, in illo Pelagiano errore hæſiſſe, quem poſteà Maſſilienſes amplexi ſunt. Quamvis enim de Dei gratia, quæ dat opera, commendanda ſatageret, fidem tamen qua primitùs Deo credimus, exiſtimabat non à Deo per gratiam dari, ſed præcedente præconio veritatis, ex libero arbitrio proficiſci. Hoc ipſemet de ſe teſtatur in libro de prædeſtinatione Sanctorũ, ubi ſe *ſim liter erraſſe & aliter ſapuiſſe* profitetur, quam divinæ gratiæ ſinceritas poſtulat. Adverſus hunc igitur errorem de initio fidei, ſeu de prima credendi voluntate, unde naſcatur, utrum ex libero voluntatis arbitrio, an ex gratia Dei, ſæpè diſputat Auguſtinus, illamque quæſtionem, in qua tam proclivem periculoſumque lapſum ſuo malo ſenſerat, non ſemel ſolvit, ut ita gratiæ Chriſtianæ ſeu medicinalis, non tantum ad opera, ſed ad ipſam quoque primam credendi voluntatem, quam largiri debet, neceſſitas noſceretur. Hanc omnium primò excuſſit & ſolvit, ante exortum hæreſis Pelagianę, in libro primo quæſtione ſecunda ad Simplicianum, quando primum cœpit ex illo errore reſipiſcere; quemadmodùm ex libro de prædeſtinatione jam citato maniſeſtum eſt. Pelagianâ verò jam fervente contentione, diverſis locis eam diſputando ventilavit, & refellendo exortis Pelagianis remedium, exorituris verò Maſſilienſibus antidotum propinavit.

Vide lib. de gratia primi hominis & Angelorum cap. 17.

Lib. de dono perſ. c. 3. 4.

Itaque primum omnium poſt Pelagianam hæreſim natam, quæſtionem illam tam lubricam tetigit libro ſecundo de peccatorum meritis & remiſſione, quem ſcripſit in primis illius erroris exordiis, ut ex libro ſecundo retractationum liquet. Cùm enim vitam bonam, qua mandata Dei ſervando benè vivimus, ex Dei gratia eſſe latè docuiſſet, tandem quæſtionem etiam de bona voluntate proponit; utrum & illam accipiamus ex Deo ſecundum illud Apoſtoli, *Quid enim habes quod non accepiſti?* Mox igitur ut magis difficultas ex adverſarii reſponſione, & veritas ex difficultatis diſſlatione clareſceret, Pelagianos reſpondentes inducit: *Ideo quicquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum eſſe, quia & hoc in illo eſſe non poſſet, ſi homo ipſe non eſſet*: hoc eſt, ſi non haberet liberum voluntatis arbitrium: *Cùm verò ſit aliquid, atque ut homo ſit, non habeat niſi ex Deo, cur non auctori Deo tribuatur etiam quicquid in illo eſt bonæ voluntatis, quod non eſſet, niſi eſſet in quo eſſet?* Hanc reſponſionem ſtatim ex eo refellit, quod ſimiliter mala voluntas poſſet Deo tribui, quia & illa non eſſet, ſi non eſſet homo, in quo eſſet. Hoc eſt, ſi non haberet à Deo liberum arbitrium, ex quo ſurgeret. Vnde demonſtrans non ſic poſſe ſalvari locum Apoſtolicum, *quid habes quod non accepiſti*, reſponſionem illam uberiùs refutando & explicando ſubtexit: *Quapropter niſi obtineamus non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & male uti malus poteſt; ſed etiam voluntatem bonam quæ jam in eis bonis eſt, quorum eſſe uſus non poteſt malus, niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio quemadmodum defendamus, quod dictum eſt, Quid enim habes quod non accepiſti?* Vbi conſequenter oſtendit voluntatem bonam divinitùs nobis à Deo excitante & adjuvante donari. Quam diſputationem totam clariſſimum eſt adverſus Pelagianum errorem eſſe directam.

Lib. 2. retract. c. 33.

Lib. 2. de pec. meritis cap. 17.

Ibid. c. 18.

Simili prorſus ratione eandem proponit & Pelagianorum allatâ reſponſione ventilat, ſolvitque quæſtionem in libro de Spiritu & littera, unde objectiones iſtę ſumptę ſunt. Quod ita manifeſtum eſt, ut mihi prodigii loco ſit, quomodo in mentem alicui erudito venire poſſit, verba quæ ex illa diſputatione pro ſententia ſua decerpſerunt Auguſtini ſenſum continere; niſi quia excogitata arreptaque opinio, quoquo modo in ſanctiſſimi Doctoris auctoritate fundanda videbatur. Sic enim ſtatim initio citati capitis, cùm ſimiliter toto libro docuiſſet, juſtitiam operum, quibus homines Dei præcepta cuſtodiunt, dari per ſancti Spiritus donum, jam ſupra dictam proponit quæſtionem: *Sed conſequens eſt paululum quærere, utrum voluntas illa qua credimus, etiam ipſa Dei donum ſit, an ex illo naturaliter inſito adhibeatur arbitrio.* Quid manifeſtius? Quid liquidius, quam quæri, utrum pro accipienda bona voluntate, ſententia Catholica quæ illam gratiæ tribuit, an Pelagiana quæ libero arbitrio ſit tenenda? Nam bonam voluntatem, & voluntatem qua credimus, eandem eſſe novit, qui novit illud Auguſtini ad quendam ſimili errore laborantem: *Tu autem initium fidei, ubi eſt etiam initium bonæ, hoc eſt, piæ voluntatis, non vis donum Dei eſſe, ſed ex nobis nos habere contendis, ut credere incipiamus.* Ad hujus igitur quæſtionis diſcuſſionem primò profert, eodem modo ut ſupra in loco præcedenti vidimus, id quod Apoſtolus dicit, *Quid habes quod non accepiſti?* Nam, inquit, *ſi dixerimus eam non eſſe donum Dei, metuendum eſt ne exiſtimemus inveniſſe nos aliquid, quod Apoſtolo increpanti & dicenti, Quid enim habes quod non accepiſti? reſpondere poſſimus, Ecce habemus bonam voluntatem credendi, quam non accepimus &c.* Ad hanc difficultatem diſſipandam, primò ſolutionem illam profert, quæ Pelagianis & Auguſtino quondam probabatur, & poſteà a Maſſilienſibus arrepta defenſaq; fuit, quod bona voluntas ratione

Lib. de Spir. & litt. c. 33.

Epiſt. 105. ad Vitalem.

ne accepti à Deo liberi arbitrij referretur ad Deum: *Prius igitur*, inquit, *illud dicamus & videamus, utrum huic satisfaciat quæstioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideò nec istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur accepit.* Quid etiam hîc evidentius, quam Augustinum in isto loco nihil asserere, sed aliorum tanquam dubiam proferre responsionem & examini subjicere? Quid item est manifestius, quàm secundùm illam, Deo tribui voluntatem bonam, quia dedit homini liberum arbitrium ex cujus libertate consurgat? Hoc autem esse sensum Pelagianum sive Semipelagianum jam perspicuum est, ut nimis rudis sit, qui hoc sibi probatū velit. Nam statim in ejusdem libri exordio, eandem istam responsionem Pelagianis disertè tribuit: *Sed cùm urgeri cœperint, quomodo id præsumant asserere fieri sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent emittere, quoniam vident quàm sit impia, & non ferenda. Sed aiunt, ideò ista sine ope divina non fieri, quia & hominem creavit cum libero voluntatis arbitrio &c.* Et similiter libro de natura & gratia, libro de gratia Christi, alijsque plurimis locis. Erat enim solemnis responsio Pelagiani erroris, quod bona opera, vel certè fides, voluntasque credendi, inter divinæ gratiæ beneficia esset numeranda, quia Deus hominem cum libero voluntatis arbitrio condidisset, ex quo huc vel illuc se flectente surgeret. Naturam quippè humanam liberumque arbitrium, illam gratiam esse sentiebant qua benè viveretur, & sine qua benè vivere nemo posset, prout fusè in libris de dogmatibus Pelagianis demonstravimus.

Epist. 107. ad Vitalem.

Lib. de Spir. & lit. c. 2.

Lib. de nat. & grat c. 51

Lib. de gratia Christi cap. 4. & 16. vide & epist. 95.

Vide lib. 5. de hæresi Pelagiana cap. 1. 2. 3.

Cùm verò celebris esset quæstio, si voluntas bona qua creditur, est donum Dei, cur non omnibus detur, cùm Deus *velit omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quemadmodum in eodem loco de Spiritu & littera proponitur, Semi-pelagianam illam responsionem jam datam prosequendo subjungit: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes justissimè judicentur*, hoc est, vult omnes homines salvos fieri, si tamen ipsi per suum liberum arbitrium velint: quam fuisse usitatam Pelagianorum & Semi-pelagianorum interpretationem, adeoque omnium qui gratias quasdam universales & sufficientes introducebant, quarum effectus à voluntatis nutu assentiente vel dissentiente penderet, nos alibi fusè declaravimus, ut nihil hîc opus sit eadem repetere.

Lib. de Spir. & lit. c. 33.

Vide lib. 3. de hæresi Pelagiana c. 5.

Cùm igitur hactenus Augustinus responsionem Pelagianam, quæ posteà Massiliensium fuit, disputando ventilasset ac propugnasset, tandem ad veram solutionem propositæ quæstionis illius, unde voluntas credendi proficiscatur, accedens, ita loquitur: *Hæc disputatio si quæstioni illi solvendæ sufficit, sufficiat.* Ecce disputationem non solutionem quæstionis. Ecce dubitationem, *si sufficiat*, non assertionem *quòd sufficiat*. Vnde refellens eam eodem prorsus modo, quo supra ex libro de peccatorum meritis vidimus, *Si autem*, inquit, *respondetur, cavendum esse ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo quod dicitur, quid habes, quod non accepisti? Propterea etiam voluntas qua credimus, dono Dei tribuitur, quia* DE LIBERO EXISTIT ARBITRIO, QUOD CUM CREAREMUR ACCEPIMUS. Ecce rejectam responsionem ipsissimis illis verbis, quibus à Pelagianis concepta, & à nostris recentioribus velut Augustini doctrina arrepta fuit, quod videlicet ideò voluntas credendi sit donum Dei, quia vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod homo naturaliter cùm crearetur accepit. Vnde suam veramque solutionem afferens, cum iterata prædictæ responsionis condemnatione, ijsdem iterum verbis quibus concepta fuerat, subjicit *Attendat & videat, non ideò tantùm istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus ut velimus &c.* Quæ sanè manifestissimè ostendunt Augustinum in loco qui objectus fuit, non tradere doctrinam suam, sed adversariam; non docere, sed disputare; non asserere, sed refellere; adeoque mirabili hallucinatione, recentiores nostros, objectionem pro solutione, Pelagianam responsionem pro Augustini doctrina, errorem pro veritate accepisse. Vt nemini profectò mirum videri debeat, si post istam capitalem offensionem, qua jugulum divinæ gratiæ petitur, tota illius intelligentia perturbata sit; & loco gratiæ, quæ sibi humanam cui datur, subjicit voluntatem, gratias congruas & sufficientes, & omnibus hominibus communes, quæ suis effectibus ex arbitrij libertate frustrentur, jam olim ex adversarijs veræ gratiæ excogitatas defendi audiamus.

Lib. de Spir. & lit. c. 34. initio.

Ibid.

CAPUT

CAPVT XXXI.

Solvitur alius locus ex libro primo quæstione secunda ad Simplicianum, ubi similiter hallucinati sunt.

ALIUS locus à multis proferri solet ex libro 1. quæstione secundâ ad Simplicianum, ubi sic loquitur Augustinus: *Aliter Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus. Ut velimus enim & suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus præstat, id est, posse benè agere, & semper beatè vivere.* Ex quo colligunt dari quandam gratiam sufficientem cui voluntas resistere possit, ita videlicet ut quemadmodùm loquitur Suarez, mentem excitet, semper tamen consensus voluntatis nobis committatur, eo modo quo hoc ipsi explicare solent. Nam est quidem certum consensum voluntatis homini committi, sed non ita sicut ipsi putant, ut voluntas quodammodo suâ libertate gratiæ, sed potiùs ut gratia, suâ efficaciâ voluntati dominetur. Hunc ergò locum afferunt Suarez, Bellarminus, Lessius.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Franciscus Suarez lib. 3. de Conc. c. 9. num. 6.

Bellar. l. 1. de grat. & lib. arb. c. 11.

Lessius de gratia effic. cap. 8. num. 6.

Respondeo & istum locum ab Augustino pro suo errore, quo ante Episcopatum tenebatur disputando proferri, & posteà in eodem loco refutari. Quod ut perspicuè cerni queat, observandum est, Augustinum ante Episcopatum existimasse fidem seu primam bonam voluntatem, quæ ab initio fidei incipit, sic tribuisse libero arbitrio, ut tamen vocationem Dei præcedere fateretur: quâ positâ non existimabat fidem à Deo peculiari benevolentiâ inspirari, sed eam à libera voluntate pendére ut crederet, quisquis vellet. Post conceptam tamen fidem fatebatur hominem non posse ulteriùs progredi quantumcumque progredi vellet, sed id quod vellet, hoc est, potestatem benè operandi seu opera bona, divinitùs ei esse tribuenda. Ideoque putabat electionem ex fide fieri, ita ut volenti credentique gratiam operandi Deus infunderet. Tradit hanc doctrinam clarissimis verbis in libro expositionis quarundam propositionum ex epist. ad Rom. num. 60. 61. & 62. quam arripuerunt libètissimè Massilienses, ut Hilarius in litteris ad Augustinũ datis, & Augustinus ipse rescribens retractansq; testatur.

In lib. de praedest. c. 3.

Et lib. 2. retract. c. 13.

Cùm ergò in isto libro ad Simplicianum Augustinus primum ex illo errore resipisceret, semetipsum ex professo refellendum suscipit. Quod ut præstaret solidissimè, primo Catholicam doctrinam, quam Deo, ut profitetur, revelante hauserat perspicuè tradit: *Noverit enim* (Deum) *sibi præstitisse ut crederet qui miseratur inspirando fidem, cuius misertus est ut adhuc infideli vocationem impertiret. Iam enim discernitur fidelis ab impio. Quid enim habes quod non accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hoc itaque jacto fundamento, jam incipit ulteriùs disputare, undè nascatur, quod alicui illa desit Dei misericordia qua velit & credat. An ex humana voluntate, quæ nolit credere, an aliunde? Objicit igitur: *Rectè quidem hoc*, nempe quod tradiderat, homini fidem à Deo miserante inspirari; *sed cur hæc misericordia subtracta est ab Esau, ut non sic vocaretur, ut & vocato inspiraretur fides, & credens misericors fieret* (Esau) *ut benè operaretur?* Et quærit primò, an hoc oriatur ex humana voluntate: *An fortè quia noluit?* Refellit hoc ex Apostoli verbis: *Si ergò Iacob ideo credidit quia voluit, non ei Deus donavit fidem, sed eam sibi ipse volendo præstitit, & habuit aliquid quod non accepit.*

Ibid. lib. de praedest. SS.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Adversus istam veracem refutationem objicit solutionem Semi-pelagianam, quam ipse hactenus tenuerat, nempe, quod quamvis nemo nisi volendo credat, præcedere tamen debere vocationem Dei, ratione cujus illa voluntas est donum Dei, quam vocationem alius suâ libertate contemnat: *An*, inquit, *quia nemo potest credere nisi velit, nemo velle nisi vocetur, nemo autem sibi potest præstare ut vocetur, vocando Deus præstet & fidem? Quia sine vocatione non potest quisquam credere, quamvis nullus credat invitus. Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus &c. volentes autem sine dubio crediderunt.* Hoc est ipsissimum, quod se Augustinus ante Episcopatum tenuisse tradit, quando dicit: *Neque enim putabam fidem Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter: nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis*, hoc est, vocatio, ut hic vocat: *Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium & nobis ex nobis esse arbitrabar.* Hoc est, esse volentis, seu propriæ volũtatis. Undè in epist. ad Rom. ubi istum errorem ex professo docuit, illæ phrases ejus erant familiares: *Nostrum est credere & velle: Neque velle possumus nisi vocemur, & huiusmodi.* Quibus tunc significabat Deo tribui voluntatem credendi, ratione impertitæ misericorditer vocationis: sed illâ semel datâ, esse propriæ voluntatis, seu esse volentis, quod credamus, Dei verò gratiæ quod credentibus facultas benè operandi tribuatur.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Lib. de præd. Sanct. cap. 3.

In expositione quarundam Propos. in Epist. ad Romanos.

Adversus hanc igitur Semi-pelagianam imaginationẽ statim objicit suo nomine Aug. *Quid est ergò quod sequitur* (in Epist. ad Rom. cujus partem susceperat exponendam) *Igitur non volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei.* Nam istâ Scripturâ significari videtur, post vocationem non oriri discrimen ex humana voluntate, sed ex misericordia Dei. Huic objectioni respondet iterum ex adversantium persona, longè aliam interpretationem illorum verborum suggerendo quàm præ se ferant; nempe non significari quod non sit volentis, seu quod non pendeat ex solâ humanâ

manâ voluntate, ut post vocationem Dei credat, verum non esse volentis ut adipiscatur rem illam quam credendo adipisci cupit, sed hoc esse solius misericordiæ Dei. Audi verba respondentis ad istam Scripturam ex adversarij persona; *An quia nec velle possumus, nisi vocati, & nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus?* Hoc est, ut per charitatem benè operemur. Quibus paucis verbis continetur ipsissimus error Massiliensium qui & Augustini olim fuit. Sentiebant enim nos quidem, quamvis non absque vocatione Dei, credere & velle posse justitiam, non tamen perficere. Hoc est, quod etiam dicere solebant, gratiam Dei non ad inchoandum per fidem, sed ad perficiendum esse necessariam. Hunc igitur sensum uberiùs consequenter explicat ipsissimis illis verbis, quæ nobis in initio præsentis capitis objecta sunt: *Opus est ergo velle & currere. Non enim frustra diceretur* B *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et sic currite ut comprehendatis. Non tamen volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ut quod volumus,* id est, rem quam volumus, seu potestatem benè vivendi, *adipiscamur, & quo volumus perveniamus. Noluit ergo Esau, & non cucurrit: sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle & currere,* non voluntatis inspiratione, *sed* VOCANDO *præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus,* hoc est, rem quam volendo appetiverimus. *Ut velimus enim, & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus,* hoc est, rem volitam seu desideratam, *solus præstat.* Quid est autem res illa volita? *Id est,* inquit, *posse benè agere, & semper beatè vivere.* In quibus verbis manifeste, non aliter istud (*ut velimus*) vult esse Dei, nisi vocando, hoc est, ut supra exposuimus, nisi *quia præcederet præconium veritatis*: quo præcedente *nostrum*, seu nostræ voluntatis esse vocantem sequi. C Sed *quod volumus*, seu ipsum posse benè agere & benè vivere, & ad beatitudinem pervenire, quod volendo cupimus adipisci, à solo Deo per gratiam esse præstandum. Non quasi sine nostra voluntate hoc effici posse sentirent: hoc enim absurdissimum, & ab eorum mente remotissimum; sed quia bonas operationes, seu potestatem benè agendi, non autem potestatem volendi & credendi, per veram gratiam homini dandam arbitrabantur. Namque dilectionem Dei & opera bona tam Augustinus cùm erraret, quam Semipelagiani libentissimè ascribebant Deo, fidem voluntatemq; nullo modo, nisi quatenus hominem vocando præveniret. Nam hinc illud in opere quod errando se scripsisse profitetur: *Quod ergò credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus in se* D *dat Spiritū S.* Et mox adjungit: *Est autem gratia, ut vocatio peccatoris prærogetur, cum ejus merita nulla, nisi ad damnationem præcesserint. Quod si vocatus vocantem secutus fuerit, quod est jam in libero arbitrio, merebitur & Spiritū sanctum per quem bona*

In lib. exposit. quarundam propos. in epist. ad Romanos n. 60.

A *possit operari.* Et rursus cum Dei vocantis misericordiâ præcedere debere docuisset, ut homo velle possit & credere, sic subnectit: *Non ergò eligit Deus benè operantes, sed credentes potiùs, ut ipse illos faciat benè operari. Nostrum enim est credere & velle, illius autem dare volentibus & credentibus facultatem benè operandi.* Quibus locis idem omninò significatur, quod in illo loco qui nobis objicitur, nempè, quòd ut velimus & credamus, Deus & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo, id autem quod voluerimus, hoc est, ipsum posse benè agere, & semper beatè vivere, quod credendo assequi cupimus, solus nobis præstet Deus. Hoc autem ex erroneo se dixisse sensu apertissimè in retractationibus profitetur, quando postquam admissâ Dei vocatione dixerat: *Quod ergò credimus,* vocanti Deo, *nostrum est: quod autem bonum operamur; illius est, qui credentibus in se dat Spiritum sanctum,* per quem facultas benè operandi conferatur, statim corrigendo subjungit: Hoc *profectò non dicerem si jam scirem fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu.*

Ibid. n. 61.

Lib. 1. retract. c. 23.

Quapropter etiam in ipso eodem ad Simplicianum loco, noluit nos celare perspicacissimus Doctor, se ex errantium sensu ista respondisse. Nam illa statim aggressus verba, *non volentis neque currentis sed miserentis est Dei,* quorum perversam interpretationē responsio prædicta continebat, palàm ostendit non ita explicari posse, ut solum *id quod volumus,* seu ipsum benè agere beatèque vivere, Dei misericordiæ tribuatur, quia voluntas hominis sola non sufficit, sed ita potiùs ut etiam ipsum *velle* tribuatur miserenti Deo, qui hoc in nobis ipsis operatur: *Illa etiam verba,* inquit, *si diligenter attendas, Igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; non hoc Apostolus* C *propterea tantùm dixisse videbitur, quòd adjutorio Dei ad id quod volumus, perveniamus, sed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Ubi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri.* Non solâ videlicet vocatione seu præconio veritatis præcedente, cui assentiendo vel dissentiendo homo velit aut nolit, sed per interiorem gratiam, quæ facit ut velit. Nam *si propterea solum dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; quia voluntas hominis sola non sufficit, ut juste recteq; vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei,* præstante videlicet, ut benè possimus operari, seu ut perfectionem ejus quod post vocationem volendo inchoavimus, benè agendo consequamur, *potest & hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ* D *voluntatis addatur;* nempe credendo præcedenti vocationi Dei: *At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, ergò jam volumus. Ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus. Deus est enim*

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

est enim qui operatur in nobis & velle & operari &c. Quibus verbis & consequentibus plenissime docet etiam ipsum velle, quod illa superior responsio errando homini, sola vocatione præcedente arrogaverat, Deo miserenti & operanti, non tantùm vocanti ascribendum esse: ac proinde non esse sic partiendum cum Deo *velle & operari*, ut dicamus velle esse Dei & nostrum, *Dei vocando, nostrum sequendo*; id verò quod volumus, hoc est, ipsum benè agere esse solius Dei: sed potiùs sicut hoc ex professo explicat: *Utrumque & velle & bene agere, nostrum est, propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei & charitatis.* Quis enim dubitet & velle & operari nostrum esse, cùm sit impossibile velle aut benè operari nisi arbitrio voluntatis? Sed & operari & A ipsum velle Deus in ipsa voluntate operatur, non si homo velit, & consentiat, & operetur (*quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur si homo nolit*) sed ita ut sine dubio homo velit & consentiat & operetur. Et hæc sufficiunt, ut perspicuè lector intelligat, quantâ absurditate, & veritatis indagandæ tradendæque præjudicio, & gratiæ perdendæ periculo, hujusmodi loca quibus errores gratiæ capitaliter perniciosi ab Augustino refelluntur, ad gratiam Neotericorum explicandam asserendamque rapiuntur. Quid enim Lector sobrius, & in Augustino versatus suspicari aliud potest, quàm à viris, licet bonis, imprudentibus & nescientibus, eorum sibi doctrinam tradi quorum principia tantoperè verbaque placuerunt?

Ibidem quæstione 2. lib. 1. ad Simplic.

CAPVT XXXII.

Solvitur difficultas de vocatione congrua, ex eadem quæstione secunda ad Simplicianum.

ALIVS est in eadem quæstione secunda Augustini locus, ubi sæpiùs mentionem facit congruæ vocationis: *Igitur non volentis neque currentis sed miserentis est Dei, qui eo modo vocavit, quo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem:* Et paulò post: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quo modo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent & sequerentur.* Et iterum inferius: *Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti quamvis vocati.* Et infra: *Quia etsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Et paucis interpositis: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Et cum ejus rei multa exempla protulisset, tandem concludit generaliter. *Cùm ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Iacob justificatus est?* Et libro de dono perseverantiæ: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si* CONGRVA SVIS MENTIBVS *vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Quæ congruitas etiam illis libris de Spiritu & littera indicari videtur: *Cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat &c.* Ex quibus locis collegerunt Scholastici quidam gratiã suam congruam, quæ videlicet tali tempore & loco datur, quo per scientiam conditionatam prævidet Deus voluntatem hominis ei consensum præbituram: quamvis pro sua natu- C rali indifferentia ad agendum & non agendum, possit ei non consentire, & aliquando alia voluntas eodem modo affecta non consentiat. Nam per istam Dei præscientiam conditionatam dicunt *se omni Augustiâ & perplexitate liberari*, in declaranda videlicet libertate voluntatis. Ex quo fit etiam, ut alii simpliciter efficacem gratiam esse dicant eam, cum qua voluntas operatur, ita ut ab effectu efficax dicatur.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Lib. de dono pers. cap. 14.

Lib. de Spir. et lit. c. 34.

Ita Francisc. Suarez lib. 3. de concursu.

Lessius lib. de gratia efficaci & in resp.

ad Censuram Lovaniensium assert. 1.

Molina in concord. & alij.

Suarez lib. 1. de concursu cap. 16. n. 4.

Responderunt nonnulli hoc argumento territi Augustinum hoc libro disputare potiùs quàm resolvere, ventilare quæstionem quàm definire. Sed quamvis revera sanctus Augustinus in hoc libro veritatem investigando, multùm in utramque partem disputet, tantâ quidem contentione ut fatiget intentionem lectoris, & nisi vigilanter attendat proclivis admodùm sit lapsus B quo disputatio pro resolutione capiatur; satis tamen perspicuè videntur allegata loca mentem resolventis ac docentis exprimere. Quare alii dicunt Augustinum eo libro disputare potiùs quàm planè, plenèque gratiæ Christi vim, naturamque explicare. Sed quamvis verum sit, uberiùs eum contra Pelagianos de natura gratiæ disputasse, utpotè qui se fateatur *proficienter Deo miserante scripsisse, non tamen à perfectione cœpisse*; nihil tamen omninò, quod sciam, ex ista quæstione retractavit; ac proindè quicquid in ea de gratia Christi docuit, verum esse cõsedum est.

Lib. de dono pers. cap. 21.

Respondeo igitur, quicquid objectum est ex illa quæstione de vocationis divinæ congruitate, nos admittere, sed nihil eorum inde cõsequi pro stabilienda tali gratiæ congruitate, vel voluntatis indifferentia, qualem ipsi præscientiæ conditionatæ beneficio statuunt, idque propter duas causas.

 Prima

Digitized by Google

Prima est quia Augustinus non loquitur de congruitate internæ, gratiæ qua cor mollitur & frangitur, sed externæ vocationis, quæ alicui congrua dicitur, quia affectibus ejus adaptata est. Quod ita perspicuum est ex illo ipso istius quæstionis loco, ubi de congruitate disputat, ut non videatur in dubium posse revocari. Nam statim in initio istius objecti loci, congruam vocationem explicans ita loquitur: *Vt quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Ecce multi uno modo vocantur, & tamen unius affectibus congruit, non alterius; & illi sequuntur quorum affectibus congruit. Externa est igitur illa vocatio & congruitas ejus. Nam interna vocatio ipsos affectus quibus congruit vocatio, non invenit sed inserit. Quod ut intelligatur, animadvertendum est, ipsos affectus quibus vocatio congruit, & per B quos idonei sunt homines ut sequantur vocationem, ut eam capiant, ut eam capere apti sint, prout Augustinus loquitur, per ipsam gratiam, insonante foris vocatione, intrinsecùs inspirari. Illis autem inspiratis, mox incipit placere quod promittitur & jubetur displicere quod vetatur, & ita fit capax vocationis, ita fit ad eam sequendam idoneus, ita denique ut Augustinus loquitur, incipit ipse *congruere & contemperari vocationi*: cui nunquam per affectus rerum terrenarum, quibus ante affectus gratiæ inspiratos, plenus est, congruet aut contemperabitur. Proinde quod aliquoties ibidem ait, ita Deum vocare, *prout scit congruere ut vocantem non respuat &c.* de externa vocationis congruitate sermo est, cui utpote res divinas proponenti, & ad divina diligenda provocanti, nunquam congruet homo ante gratiam acceptam & affectus novos, quos se recipientibus tribuit.

Quod si cui fortè in ista decertatione obscuritas, vel in Augustini verbis ambiguitas aliqua adhuc superesse uideatur, ea statim luculentissimè in consequentibus tollitur, dum exponens diversitatem vocationum, quarum alijs aliæ congruant, nullas omninò nisi externas meminit, quatenus omnia signa comprehendunt, & ab internis voluntatis motibus distinguuntur: *Cur ergò*, ait, *Esau non sic est vocatus, ut vellet obedire? Videmus enim alios aliter* IISDEM REBVS DEMONSTRATIS VEL SIGNIFICATIS *ad credendum moveri. Sicut exempli gratia, Simeon in Dominum nostrum Iesum Christum adhuc infantem parvulum credidit,* SPIRITV EI REVELANTE COGNOSCENS. *Nathanael ad unam sententiã, quam ab illo audivit &c. respondit, Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel.* MIRACVLO FACTO IN CANA GALILEÆ, *crediderunt in eum discipuli eius; multos* LOQVENDO *incitavit ad fidem, multi nec* SVSCITATIS MORTVIS *crediderunt. De cruce atque morte eius conterriti etiam discipuli titubarunt, & tamen latro tunc credidit, cum eum non præstantiorem videret in operibus, sed* CONSORTIO CRVCIS ÆQVALEM. *Vnus etiam de numero discipulorum* A *post eius resurrectionem, non tam viventibus membris, quàm* RECENTIBVS CICATRICIBVS *credidit. Multi ex eorum numero, à quibus crucifixus est, qui videntes eum* MIRACVLA FACIENTEM *contempserant*, DISCIPVLIS EVM PRÆDICANTIBVS, *& in nomine eius* TALIA FACIENTIBVS *crediderunt.* Quis non videt, omnes istos tam diversos vocationis modos non nisi externos esse, prout etiam omnia signa intellectui servientia complectuntur? Vndè clarissimè subjungit: *Cùm ergò alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademq; res sæpè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumq; moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemq; coniungeret?* Quid est alius sic, alius autem sic movetur ad fidem, nisi alius revelatione, alius unâ sententiâ, alius miraculo, alius loquendo, alius mortui suscitatione, alius videndo Domini cicatrices, alius discipulorum prædicatione, alius alijs rebus demonstratis vel significatis, quos diversos vocationis modos explicuerat? Nam ideò disertissimè adjungit, quod eadem res *alio modo dicta* moveat, *alio modo dicta* non moveat, eo quod uno modo dicta congruat, alio non congruat movendæ voluntati. Istos autem dicendi modos, ex quibus ista congruitas nascitur, externos esse, nemo sanæ mentis dubitare permittitur. Itaque ut omnis dubitatio tolleretur in subsequentibus, alios externos vocationis modos profert, quibus vel effectum congruitatis, qui est movere voluntatẽ, vel ipsam etiam congruitatem expressis verbis tribuit: *Conqueritur autem iustè de peccatoribus Deus, tanquam de his, quos peccare ipse non cogit. Simul etiam ut hi, quorum miseretur, hanc quoque habeant vocationem, ut dum conqueritur Deus de peccatoribus, compungantur corde, atque ad eius gratiam convertantur.* Hoc est ut Dei de peccatoribus querimonia, sit alijs congrua vocatio, ad C conversionem. Et paulò inferiùs: *Hac demonstratio potentia Dei contra Pharaonem, & annuntiatio nominis eius in universa terra, prodest eis ut timeant, & vias suas corrigant, quibus* VOCATIO TALIS CONGRVIT. Ecce gravis illa flagellatio Pharaonis & inde secuta nominis Dei gloriosa prædicatio, congrua quorundam est vocatio, quam externam fuisse dubitari non potest. Vt proinde ex istis valde perspicuum sit, immeritò obtortoque collo loca quæ de congrua vocatione loquuntur, ad illud genus gratiæ internæ congruæ rapi, quam Neoterici tuendam susceperunt.

Nam si reliquas quoque sancti Doctoris lucubrationes percurrere liberet, eaque expendere, quæ de congruis verbis aut rebus aut operationibus passim docuit, sæpissimè reperiremus eum tribuere congruitatem vocationi D seu suasioni & similibus, per quæ homini fit quædam testificatio aut significatio rei per voluntatem amplectendæ aut respuendæ, gratiæ verò nunquam. Nam vocatio, prout nomen sonat sub genere signorum cõtinetur, eoq; modo ab Augustino accipi solet. *Quis*, inquit, *potest*

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Lib. 1 q. 2. ad Simplic.

Ibidem.

test credere, nisi aliqua vocatione. hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Et in libro de Spiritu & littera: *Neque enim credere potest, quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat.* Testificatio verò sicut & suasio sub signis continentur, quæ ad externos internosque sensus cognitivos pertinent, quemadmodum etiam in utroque loco significat. In primò quidem quando immediate subjicit; *Quis habet in potestate, tali viso* (id est phantasmate vel cogitato ad illam vocationem pertinente) *attingi mentem suam, quo eius voluntas moveatur ad fidem?* Hoc est, quod sit ei congruum. In secundo verò quando præmittit: *Visorum suasionibus agit Deus*, id est, vocat nos *ut velimus & ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam iustificantem credendo confugiat, sive intrinsecus; ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem: sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Sed alibi multò manifestiùs: *Et quoniam nec velle quisquam potest nisi admonitus & vocatus sive intrinsecus ubi nullus hominum videt* (per visa scilicet) *sive extrinsecus per sermonem sonantem aut per aliqua signa visibilia.* Et paulò inferiùs de Pharaone: *Illius res gestæ* (per Ioseph) *cognitio, vocatio eius fuit, ut populum Israel misericorditer tractans non esset ingratus.* Ex quibus documentis vides Augustinum vocationem, quam subindè & suasionem & testificationem vocat, illam intelligere, quæ veluti signum divinæ voluntatis, vel sensibus externis illabitur, ut ad mentem deferatur, vel etiam intrinsecus immediatè menti per visa præsentetur, ut ei voluntas consentiat vel dissentiat. Sicut ergò vocatio veluti signũ quoddam ad cognitivas facultates pertinet, & eatenus etiam ad intelligentiam, quatenus objectum amplectendum aut respuendum offert voluntati, ita congruitas ejus, ejusdem ordinis est, hoc est, in genere signi: Et utraque quamvis in ipsa quoque mente locum habere possit, externa tamen est, comparatione voluntatis.

Lib. de Spiritu & lit. c. 34.

Lib. 83. qq. q. 68.

Ibidem.

Augustinus igitur attentâ notione & naturâ vocationis, itemque suasionis & exhortationis, & testificationis, per quas homines ad fidem, spem charitatemque vocari solent, non solùm in ista secunda ad Simplicianum quæstione, sed alijs plurimis locis, congruitatem rebus aut operationibus externis tribuit, quibus homo ad aliquid agendũ aut relinquendũ accommodatè vocatur & impellitur, nunquam verò, ut dixi, gratiæ voluntatis internæ. Nam hinc est, quod congruitatem illam aliquando generaliter *signis* tribuit, quibus omnis aut pœnè omnis vocatio peragitur: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si CONGRVA suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Aliquando eam tribuit *visis*, quæ signorum externorum quædam effecta sunt, intus ex externo sensuum tactu pullulantia; quamvis & sopitis vel vigilantibus sensibus per seipsa intrinsecus nasci, vel divinitùs excitari possint: *Vt alij ad salutem suam crederent, alij ad naturam suam, non crederent, ipse utique non in carne, sed in Spiritu veniebat, VISIS CONGRVIS alloquens, quos volebat, sicut volebat.* Et in libris de Trinitate: *Missa sunt nobis divinitùs VISA CONGRVA peregrinationi nostræ, quibus admoneremur non hic esse quod quærimus, sed illuc ad ipsa esse redeundum.* Et in eadem supra objecta secunda quæstione ad Simplicianum: *Quam rabida voluntas Pauli, quam furiosa, quam cæca! Qui tamen unâ desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa & voluntas, refractâ sævitiâ, retorqueretur ad fidem.* Aliquando tribuit eam congruitatem verbis ac sermonibus, quia inter signa quibus fit vocatio, principatum tenent. Locum jam statim ex libro perseverantiæ capite decimo quarto vidimus. Et in libris de doctrina Christiana: *Hesther oravit, ut in os eius Deus CONGRVVM sermonem daret;* ad movendum videlicet ac persuadendum Regem. Et libro octavo de Trinitate vocat bonam locutionem, *quæ suaviter docet, & CONGRVENTER movet auditorem.* Et in sermonibus de verbis Domini: *Adsit misericordia Dei, & ita rem à nobis dici faciat, ut VOS AVDIRE OPORTET, & nos dicere*, hoc est, congruè. Quod alibi dicit: *Adiuvet me Deus, ut ea dicam quæ vera sunt & APTA sunt vobis.* Aptum enim & congruum esse, idem sunt. Et in alio sermone: *Vt sic dicam, quomodo vos audire expedit*, ut videlicet sequatur assensus voluntatis, & ex assensione ædificatio & profectus, sicut hoc explicat alibi: *Tunc sermo noster CONGRVVS erit, si in se aliquid ædificationis habeat, quod utilitati animarum nostrarum, Deo vos interiùs ædificante proficiat.* Aliquando tribuit istam congruitatem scriptis quoque rerum explicationibus: nam & illa signa sunt, quibus multos Deus ad salutem vocat: *Quod Dominus præstabit, ut ita explicem, quemadmodum novit tibi CONGRVERE ac saluti fides tua.* Aliquando tribuit eam figuris allegoricis quæ in sermone vel scriptis, ad movendos animos assumuntur. *Si qua autem figuræ similitudinis non tantum de cœlo & sideribus, sed etiam de inferiori creatura ducuntur ad dispensationem Sacramentorum, eloquentia quadam est doctrinæ salutaris, MOVENDO AFFECTVI DISCENTIVM ACCOMMODATA.* Et quia non omnes omnibus moventur modis figurisque dicendi, sed alij alijs pro affectuum diversitate diversis, hinc salubriter docet, congruitatem sermonis nostri cum auditoribus à Deo esse poscendam: *Cùm enim de vnaquaque re quæ secundum fidem, dilectionemque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur, ab eis qui hæc sciunt, quis novit quid ad præsens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat* (id est congruat) *audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit, ut QVOD OPORTET, & QVEMADMODVM OPORTET dicatur à nobis nisi in cuius manu sunt & nos & sermones nostri.* Nonne ad ipsum prorsus hîc respicit, quod quæstione secundâ ad Simplicianum, ubi dicit: *Quod alius sic, alius sic moveatur ad fidem, eademque res sæpè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat,* aliumque

Lib. de dono pers. cap. 14.

Epist. 99.

Lib. 4. de Trinit. c. 1.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic. in fine.

Lib. 4. de doct. Christiana c. 30.

Lib. 8. de Trinit. c. 4.

Serm. 38. de verb. Domini cap. 4.

Serm. 51. cap. 2.

Serm. 145. de temp. cap. 2.

Serm. 256 de temp. c. ult.

Epist. 243.

Epist. 119. cap. 7.

Lib. 4 de doctrina Christiana c. 15.

alium que moveat, alium non moveat, ideoq; modum dicendi CONGRVVM auditoribus persuadendis in Dei à quo poscendus est, esse potestate? Aliquando tribuit istam congruitatem rebus ipsis externisq; Dei vel hominum operationibus. Non solùm enim verbis & scriptis, sed factis etiam frequentissimè docemur, & si congrua sint, ad aliquid faciendum vel cavendum trahimur. Habent enim res ipsæ, & facta Dei atque creaturarum diversas cum diversis affectibus congruentias atque incongruentias, quas Deus per occultissimas providentiæ suæ vias temporibus locisque oportunis novit adhibere, ut homines ad salutem vocet. Res enim & facta movent suadendo vel dissuadendo potentissimè, si personarum & animorum affectibus & circumstantijs congruant.

Hinc est igitur, quod hujusmodi congruitatem seu congruam suadendi movendique vim subinde tribuat pœnis ut homines corrigâtur. Nam inde est illud quod in illa secunda quæstione citata de Pharaonis flagellis, dixit, quod *ista demonstratio potentia Dei, & annuntiatio nominis eius in universa terra, prodest eis ut timeant, ut vias suas corrigant, quibus vocatio talis* CONGRVIT. Inde est illud quod alibi eodem sensu dicit, *Deum sustinuisse patienter impietatem Pharaonis, donec ad illud tempus perduceretur, quo* OPORTVNE *in eum vindicta procederet, ad correctionem eorum quos ab errore constituerat liberare & ad cultum suum pietate vocando perducere.* Nam illa pœnæ demonstratio erat quorundam congrua vocatio. Inde & istud de pœnis generaliter: *Numquid malitiæ eorum vel nequitiæ Deus auctor est, de quorum iusta pœna consulit,* QVIBVS HOC MODO *consulendum esse constituit? Non utique.* Vt enim ibidem altissimâ cõsideratione salubriter docet, malos istos eorum saluti Deus deputat, *quos in hoc genere ita creavit, ut ad bonum proficere nisi malorum comparatione non possint.*

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

In expositione quarumdam propositionum epist. ad Rom. num. 63.

Lib. 11. de gen. ad litt. cap. 11.

Ibidem.

Ista quippe malorum hominum, pœnarumque contemplatio, congruentissimè est quorumdam vocatio ad timorem, ad correctionem, ad animi submissionem, ad gratitudinem. Inde & illud quod in Psalmos dicit: *Si non blandiretur Deus, nulla esset exhortatio: si non minaretur, nulla esset correctio.* Nam quidam promissis blandientibus, quidam pœnarum comminationibus, tanquam congruis vocationibus corriguntur, juxta illud Augustini de pœnis infligendis ac disciplinâ servandâ satagentis: *Multi amore*, id est, blanditijs, *multi timore correcti sunt. Sed per tremorem timoris ad amorem pervenerunt.* Hinc est quod eandem congruitatem subinde asscribat laboribus ad persuadendam hominibus peccati magnitudinem justitiæque custodiam diligentiorem. Nam tractans illud Psalmi sexti: *Sed tu Domine usquequo*, sic illam exclamationem ponderat: *Quis non intelligat significari animam luctantem cum morbis suis: diu autem dilatam à medico, ut ei persuaderetur, in quæ mala se peccando præcipitaverit? Quod enim facile sanatur, non multum cavetur. Ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia re-*

In Ps. 144.

... temp. cap. 8.

In Psalm. 6.

cepta sanitatis. Itaque statim adjicit quod Deus hoc faciat tanquam BONVS PERSVASOR ANIMÆ, *quid mali sibi ipsa pepererit.* Nempe quia differendo sanitatem, congruentissimum adhibet persuadendi modum. Qualis & ille, ubi de justitiæ custodiendæ difficultate dicit: *Quare vix tenemus quod facile amisimus? Ne facile recipiendo quod amisimus, discamus perdere quod tenemus. Laboret homo ut teneat: tenebit ad firmitatem, quod tenuerit post laborem.* Qualis & ille quo permittendo suos etiam electos in deceptionem Hæreticorum aut pseudo-Prophetarum labi, *dissuadet* eis oportunè *superbiam*, qua de sua sagacitate præsumebant. Qualis & ille, quo tres pueros à camino ac Danielem à leonibus liberando, Regibus Babyloniæ congruâ quâdam vocatione consuluit, septemque fratres non liberando, Regem Syriæ duriorem fecit: *Hoc enim erat in occulto judicio & misericordiâ Dei, ut illis Regibus eo modo consuleret ad salutem. Antiocho autem Regi, qui Machabæos pœnis crudelibus interemit, noluit ita consulere, sed eorum gloriosissimis passionibus cor duri Regis acriori severitate puniuit.* Istis enim & ejusmodi infinitis vocandi modis utitur Deus, non solùm per scripta vel verba, sed, ut diximus, etiam per facta, sive hominum, sive sua, quæ vel congruant eis, quibus ad salutem consulit, vel non congruant, quibus ita non esse consulendum occultâ providentiæ suæ severitate constituit. Sed omnes isti modi quamvis etiam in ipsa phantasia & intelligentia, sive dormientium, sive vigilantium per congrua visa vel aliter fiant, extrinsecus tantum voluntatem feriunt, non intrinsecus ipsos ejus motus operantur. Hoc est enim propriè gratiæ Dei, quæ si defuerit, frustra adhibetur quicquid adhibetur; sicut frustra plantatur & rigatur nisi incrementum dederit Deus.

In Ps. 147.

In Psalm.

Epist. 111.

Ex his itaque satis superque constare arbitror, congruitatem quam Augustinus passim in scriptis suis vocationi & suasioni & similibus asscribit, non esse nisi vocationis & suasionis externæ, hoc est, extra voluntatem peragentis partes suas: ac proindè absonè obtortoque collo ad gratiam illam internam voluntatis trahi; ut genus gratiæ medicinalis novum habeatur, cui quantum ad influxum actualem voluntas suâ indifferentiâ dominetur. Nam, ut ante etiam dixi, nunquam in scriptis suis universis Augustinus illam Christi internam gratiam, CONGRVAM appellavit, multò minùs INCONGRVAM, Quod aliqui recentiores ausi sunt. Cujus rei si quis radicem scire velit, meminisse debet, nullam gratiam actualem ab Augustino pro illa vera Christi gratia agnosci, quam tanquam medicus infirmæ voluntati attulit, nisi quæ agit & peragit effectum: omnis alia qualiscumque fuerit ab ipso ad legem doctrinamque relegatur. Ex quo nascitur, ut si nomen congrui vel incongrui usurpandum esset, omnis Christi gratia deberet potiùs dici congrua, quia omnis omninò efficit ut voluntas sive tenuiter sive fortiter velit, quemadmodùm supra diximus.

Lectione supra lib. de praedest. & reprob.

mus. Vndè quodam loco dicit Augustinus: *Gratia verò Dei semper est bona.* Et effectum ejus adæquatum duplicem, videlicet voluntatem seu volitionem infirmam ac fortem statim explicans: *Et per hanc*, inquit, *etiam fit, ut sit homo bonæ voluntatis, cùm prius fuerit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur & tam magna fiat, ut possit divina implere mandata quæ voluerit, cùm valde perfectèq; voluerit.* Vbi quod dixit gratia Dei semper est bona, non alium sensum habet, nisi quod semper hominem efficiat bonum, & consequenter semper congrua sit & congruè moveat voluntatem. Nimirum quia semper voluntatem determinat ad influendum secum, non à voluntate ad influendum determinatur. Hanc sanè perpetuam gratiæ cum effectu secuturo congruitatem, si ita vocare libet, satis indicavit Augustinus, quando gratiam non semel Apostolicâ phrasi INCREMENTVM appellat, quemadmodum & in præcedentibus declaravimus. Incrementi enim ratio non potest ab effectu voluntatis realiter consequente separari, quemadmodum hoc in arboribus manifestum est. Si enim homine extrinsecùs congruè plantante, Deus intrinsecùs dat incrementum, reipsa crescit quod plantatum est. Congruitas enim prædicationis seu vocationis ita se habet ad motum voluntatis bonum, sicut congruitas plantationis ad accretionem ejus quod seritur: quarum utraque quidem valdè ad producendos effectus istos utilis est & pœnè necessaria, sed ab illis tamen separari potest, si Dei desit operatio, quæ intrinsecùs incrementum tribuit, sive per naturam sive per gratiam. Nam inde est illud celeberrimum Augustini, *Agnoscimus gratiam quæ facit prodesse doctrinam*, hoc est, quæ incrementum tribuit.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 15.

Epist. 107.

Ex his jam sublucet secunda causa, cur, etiamsi concederemus in ista secunda ad Simplicianum quæstione CONGRVAM dici vocationem internam, vel potiùs externam, prout internam vocationem sibi conjunctam habet (nimis enim est manifestum quod de sola interna gratia non loquatur) nihil tamen pro Neotericorum opinione sequeretur. Diceretur enim hominem vocare congruè seu congruenter, quia causam adhibet accommodatam ad illum effectum quem vult, concurrente voluntate, producere: sicuti Deus rebus omnibus producendis causas congruas instituit. Consequenter igitur Deus diceretur ita vocare, *quomodo aptum est eis qui sequuntur vocationem:* vel, *quomodo aptum est, ut moveantur; quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat*, quia novit efficaciam suæ vocationis, quæ ex externo signo & inspiratione conflatur; qua sic vocat alios ut vocando convertat, alios ut vocando roboret, & fortissimos reddat. Quæ locutio similis esset, ac si diceretur, Christus ita vocavit filium viduæ & Lazarum, quomodo sciebat esse suscitandos. Non enim hoc intelligeretur, vel de sola interiori operatione, qua vitæ reddebantur, nec de sola exteriori vocatione, vel de aliqua præscientia conditionata, sed de utraque vocatione simul unam completam causam constituente suscitationis, cujus vim ita permovit Deus, ut inde effectus infallibiliter secuturus sit. Inter istos autem duos solutionis modos, ista differentia est, quod juxta priorem, congruitas externæ vocationis respicit affectus quos gratia inspirat tanquam terminum congruitatis, nam per istos homo vicissim *congruit*, & *contemperatur vocationi*, prout Augustinus loquitur, ut *eam capiat* eique *sequenda sit idoneus.* Iuxta posteriorem verò, congruitas externæ internæque vocationis respicit ipsum voluntatis motum seu effectum vocationis qui intenditur, & affectibus illis inspiratis naturâ posterior est tanquam terminus congruitatis. Tunc enim dicitur congrua vocatio, non quia inspiratis affectibus contemperata, sed quia conveniens est movendæ voluntati, ut aut velit, aut fortius velit: cujus motionis causa est illa affectuum novorum inspiratio, tanquam videlicet ipsa interior vocatio. Sed de congrua vocatione satis.

CAPVT XXXIII.

Alia difficultas tollitur ex duobus æqualiter tentatis, ex libro duodecimo de Civitate Dei.

OBJICITVR alius ex libro 12. de Civitate Dei locus, ubi docet August. solam libertatem voluntatis esse causam voluntatis malæ. Ponit enim duos *æqualiter affectos animo & corpore videre unius corporis pulchritudinem, quâ visâ unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret.* Addit inferius eos etiam eâdem tentatione pulsari: *Nam ut hoc quoque impedimentum ab ista quæstione tollatur, si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque consentiat; alter idem, qui fuerat perseveret*, quâ positâ circumstantiarum æqualitate subjungit: *Quid aliud apparet nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? Vndè nisi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio? Amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo: ambobus pariter institit occulta tentatio?* Ex quibus colligunt reipsa fieri posse, ut cum eadem omninò gratia, unus velit, alter nolit, non alia videlicet ex causa, nisi ex sola libertate & indifferentia voluntatis, utpote cujus sit, hic & nunc gratiam ad influendum determinare, vel non determinare ut ipsi loquuntur. Ex quo consequi videtur, etiam nunc gratiam relinqui in libero arbitrio, utpote quæ tribuat ei

Lib. 12. de Civit. Dei cap. 6.

Vide Francisc. Suarez lib. 3. de concursu c. 20.

ei *posse si velit*, ipsum velle vel nolle permittendo indifferentiæ voluntatis.

Ad hunc locum alii aliud respondent; magis, quantum videtur, ut vim argumenti evadant, quam ut genuinam Augustini sententiam assequantur. Itaque dicunt aliqui, non exactè in isto loco tractare Augustinum de gratia, dum totum reducit ad voluntatem, quod aliis in locis gratiæ Dei tribuit. Addunt itaque casum Augustini nunquam accidere posse. Alii tentationem, de qua Augustinus, sine gratia superari posse, viribus arbitrii naturalibus, nec illam victoriam futuram opus supernaturale; atque ita perperam indè concludi aliquid contra naturam necessitatemque gratiæ, quæ determinet voluntatem ad opus supernaturaliter bonum. Alii alia dicunt, quibus recensendis non est opus immorari.

Vasquez 1. parte disp. 98, c. 7.

Leonard Coquaus in illum August. locum.

Dico itaque duobus modis ad hanc difficultatem posse responderi. Primus est, Augustinum illo loco indagare causam voluntatis malæ, eoque rem deducere, ut constet eum qui cadit non cadere nisi propriâ voluntate. Quod verissimum esse nemo sanæ mentis dubitat: quamvis etiam propriâ voluntate stet, adjutum tamen esse posse peculiari auxilio gratiæ Dei, ut firmiùs quam alter staret. Non enim erat quæstio de causa standi, sed cadendi. Non enim idcirco alter non cecidit solâ propriâ voluntate, quia alter qui stetit etiam suâ voluntate, sed adjutâ permanserit. Cùm ergò dicit: *Quid aliud apparet nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* Verissimum dicit, proximamque causam discretionis illius adducit, sed si ulteriùs etiam indagare cogeretur, an etiam bona voluntas sicut mala, ex sola libertate nasceretur, responderet fortassis id quod aliàs de mala lapsorum hominum voluntate interrogatus, cur homo non esset sine peccato, respondit, *Possum facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt.* En causam proximam peccatorum, *sed si ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum.* Ita & hic de bona permanente voluntate dixit, *quia noluit à castitate deficere.* Sed si causa istius firmitatis quæreretur, fortassis ostium divinæ gratiæ panderet. Nam in libro de prædestinatione Sanctorum discretionem credentium à non credentibus, eodem planè modo non semel ad humanas reducit voluntates, sed tanquam ad causam proximè discernentem homines. Quod ne quis in præjudicium divini adjutorii traheret, sicut nunc iste locus ex libro de Civitate Dei trahitur, statim adjicit causam istius discretionis, altiorem videlicet gratiam Dei. Nam cùm docuisset; *Credere vel non credere, esse in arbitrio voluntatis humanæ*, quo nihil apertiùs dici potest, quam homines credere, quia volunt, non credere, quia nolunt, confestim subjungit, *sed in electis præparatur voluntas à Domino.* Et iterum inferiùs, cùm objecisset aliquis pro libertate voluntatis humanæ qua homines discernuntur: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergò isti credere, nolunt autem illi.* Respondet Augustinus: *Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino discernendum est utique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Et adhuc paucis interpositis apertissimè: *Et tamen illi,* QUIA VOLUERUNT, *crediderunt, illi* QUIA NOLUERUNT *non crediderunt.* Et mox subnectit causam discretionis ulteriorem: *Misericordia igitur & iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratia est &c.* Ecce quoties Augustinus causam discretionis credentium à non credentibus in voluntates humanas refert, sicut revera referenda est: sed cùm ultimus cardo etiam istius diversitatis voluntatum quæreretur, clarissimè recurrit ad misericordiam & judicium Dei, quæ in ipsis etiam hominum voluntatibus fierent.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 5.

Cap. 6.

Nec verò ista adjutorii differentia repugnat hypothesi, qua ponit utrosque æqualiter affectos animo & corpore; hoc enim sine incommodo de naturali constitutione intelligitur. Adde quod ipsemet in fine exponit illam constitutionis æqualitatem, *ante visionem atque tentationem*: ut nihil obstet Augustino, si post illam dispares adjutorio asserantur: quod mirum videri non debet, quia illud adjutorium quod facit velle, cum ipso velle intimè conjunctum est, ut cum eo unum quodammodò censeatur. Quæ quidem responsio non videtur esse contemnenda, & ostendit nihil omninò pro Neotericorum opinione ex isto Augustini loco sequi. Sed ut verum fatear, non videtur genuinum istius loci sensum attingere.

Itaque secundò respondeo, etiam hîc (quemadmodùm & in præcedentibus nonnullis objectionibus) ostendere Scholasticos, qui illo loco pro suæ gratiæ congruæ firmamento & illa decantata indifferētia voluntatis utuntur, cujusmodi gratiam pro Christi gratia inferre, conentur: illam videlicet, quæ primis hominibus innocentibus, atque Angelis data fuit, prout Massilienses ex aliqua parte tenuerunt: atque ita vires hominis post peccatum non solum illæsæ, sed etiam fortiores esse censeantur, quàm ante lapsum fuerint.

Hoc igitur ut intelligatur, observandum est, Augustinum in isto loco, non de qualibet, sed de prima omninò mala voluntate disputare, causamque inquirere, unde nascatur. Patet hoc liquidissimè ex illa ipsa quam tractat hypothesi quænam videlicet causa fuerit, deficientis voluntatis Angelorum. Nam de illa statim initio capitis dicit: *Hic primus defectus, & prima inopia, primumque vitium eius natura &c. Huius porrò malæ voluntatis causa efficiens si quæratur, nihil invenitur.* Et infra cùm causam ejus ad aliam malam voluntatem priorem disputando & inquirendo, non asserendo produxisset, eademque quæstio de ista priore & aliâ quâcumque præcedente nasceretur, tādem ut omnis ambiguitas tolleretur: *Ut sit aliquis*, inquit, *inquirendi modus, causam primæ voluntatis malæ inquiro. Non est enim prima voluntas mala, quam nulla* (legendum videtur ulla) *fecit voluntas etiam mala, sed illa prima est* quam

Lib. 12. de Civit. c. 6.

quam nulla fecit. Nam si præcessit, à qua fieret, illa prior est qua alteram fecit &c. Et infra: *Si ergò non erat semp. sterna, quis eam fecerit quæro.* Ad hanc igitur quæstionem luculentiùs illustrandam, ponit etiam in duobus æqualitatem corporis & animi, paritatem tentationis, ceterarumque circumstantiarum; sed ita ut & hîc multis insinuet modis se de prima mala voluntate prosequi disputationem suam. Nam hinc est quod modum tentationis exprimens, non nisi *suggestionis* & *qualiscumque suasionis* meminit, relictâ delectatione concupiscentiæ, per quam homines juxta constantem doctrinam ejus, jam post lapsum, hoc est, post primam voluntatem malam, ad omnia peccata propelluntur. Hinc est quod dicit ante istam voluntatem malam, nihil esse hominem *nisi naturam bonam, cujus auctor Deus*, cùm tamen ipse semper in hominibus lapsis gravissima agnoscat vitia, quorum non est auctor Deus. Hinc est denique, quod concludens istam de duobus æqualiter tentatis disputationem, disertè dicit; *Inveniet, voluntatē malam non ex eo esse* INCIPERE, *quia natura est, sed ex eo quod de nihilo natura facta est.* Si ex eo *incipit* ergò de prima mala voluntate sermo est, quæ nullius omninò sit pœna peccati. Hanc autem certissimum est, nullam esse juxta doctrinam sancti Præsulis, nisi illius qui inter Angelos, aut homines primus cecidit. Nam lapsorum hominum omnia peccata ita peccata sunt, ut sint simul supplicium præcedentis malæ voluntatis, quemadmodùm ex professo alibi secundùm ejus principia tradidimus. Ad hunc igitur collimans perpetuò Augustinus intētionis susceptę scopum, etiam in reliquis quę sequuntur capitibus, per easdem lineas de prima mala voluntate reciprocat disputationem suam, quærens latissimeque disserens, utrum cum illa mala voluntate creati sint, an à bona voluntate deficiendo mutati. Vt sanè nihil manifestiùs esse possit, quàm de prima mala consensione voluntatis sermonem esse, quæ videlicet nullo adhuc vitio concupiscentiæ, contra cujus violentos impetus victrix gratia requiritur, depravata sit.

Quæ si vera sint, sicut esse vera discursus Augustini & apertissima ejus verba nos confiteri cogunt, profectò locus iste non solùm nihil adversarios juvat, sed etiam jugulat. Non juvat quidem, quia non loquitur de lapsæ naturæ statu, de cujus gratia nobis disputatio est; sed de statu innocentiæ hominum & Angelorum, in quibus prima voluntas mala, & bonæ voluntatis permansio non ex adjutorij, sed ex voluntatis diversitate nascebatur, quemadmodum nos ex professo, tum hoc libro, tum alio loco juxta sanctum Augustinum demonstravimus. Iugulat verò eos ille ipse locus, quia cùm Augustinus voluntatis primæ, stantis cadentisque differentiam non ab adjutorij diversitate, sed ab indifferentia voluntatis petat, & ipsi doctrinam istam ad lapsas infirmasque voluntates pertinere contendant, perspicuè declarant, indifferentiam libertatemque voluntatis, & consequenter gratiam qua voluntas lapsorum hominum adjuvatur, juxta sententiam suam, non esse jam alterius rationis, quantùm ad operandi & adjuvandi modum, quàm in Adamo, hoc est, quàm in præstantia primævæ libertatis fuit. Nempè volunt eodem modo (sicut hoc Augustinus de Angelis & hominibus primis omni concupiscentiali motu carentibus docuit) ita gratiam nunc etiam adjuvare voluntatem, quæ tentationibus premitur, *ut eas possit superare si velit*, ut in adjutorio gratiæ permaneat si voluerit, ut autem velit, in ejus libero relinquatur arbitrio. Denique sic per illud adjutorium muniri voluntatem, ut quamvis *non sine adjutorio* stet, stare tamen & cadere, ab illa dominatrice voluntatis indifferentia suspendatur; ideoque cum eodem adjutorio, omnibus paribus, non solùm diversos homines, sed etiam eundem reipsa posse, nunc stare, nunc cadere, prout ei pro sua libertate placet. Nam propterea ut hoc omnibus persuadeant, tum istum præsentem locum de duobus æqualiter tentatis, quem Augustinus de prima mala voluntate intellexit, facillimèque pro nutu liberæ indifferentisque voluntatis caveri potuit, tum verò omnia quoque superiora loca, quæ Semi-pelagianorum sententiam continebant, tanquam sententiæ suæ ad ungem concinentia, tanto studio ac sedulitate corradunt. Hoc autem ab Augustini & Ecclesiæ doctrina remotissimum esse, satis in superioribus demonstravimus.

CAPVT

CAPUT XXXIV.

Explicantur alia quædam quæ ex Augustino proferuntur, quod velle & nolle, consentire ac dissentire sint propriæ voluntatis; quod sint nostra; quod habere dona Dei sit accipientis & habentis &c.

SED alia nonnulla loca pro sua opinione proferre solent, quibus Augustinus aliquoties docet, non solùm in Angelis & primis hominibus, sed etiam post peccatum, Dei esse vocare, suadere, excitare, & consentire, ac dissentire; velle ac nolle esse propriæ voluntatis. Ita loquitur libro de Spiritu & littera, ubi de gratia lapsorum hominum ex professo disputat: *Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus &c. sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Quod mox iterum repetit: *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Et libro de gratia & libero arbitrio: *Velle & nolle propriæ voluntatis est.* Similia dicit Aug. libro 1. de peccatorum meritis & remissione, libro de prædestinatione Sanctorum & aliis locis. Ergò non rectè statuitur ista differentia inter primum hominem & posteros ejus, quod præsente Dei adjutorio, velle & nolle, cõsentire ac dissentire, in primi hominis libero relinqueretur arbitrio; nunc verò per ipsum adjutorium conferri debeant. Sed potiùs è contrario significari videtur, inquiunt, quod Deus non astringit voluntatem in alterutram partem, sed utrumque relinquit in indifferenti ipsius potestate, ut seipsum determinet ad alterutrum. Addit alius, semper in his & hujusmodi locis dicere Augustinum *determinationem esse propriam voluntatis.*

Lib. de Spir. & litt. c. 34.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 3.

Lib. 1 de pecc. merit. c. 22.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 5.

Ita Lessius lib. de gratia efficaci c. 5. num. 9.

Suarez lib. 3 de concursu c. 13. n. 19.

Respondetur hujusmodi loca sancti Augustini apud eos qui in ejus doctrina tantillum versati sunt nullam continere difficultatem, vel omninò quicquam quod faciat pro alterutra sententiarum de quibus agimus, vel pro ulla omninò quæ liberum arbitrium in hominibus superesse fateatur. Non enim significatur aliud istis & similibus locis, quam quod velle & nolle, consentire ac dissentire, credere & non credere sint officia voluntatis & libertatis; seu quod idem est, creaturam rationalem non posse velle aut nolle, consentire aut dissentire, credere aut incredulam esse, nisi libero voluntatis arbitrio. Quod in ipsis illis quæ producuntur locis, satis perspicuè illis patet, qui magis sensum auctoris intelligere quam suum ex auctore stabilire contendunt. Nam in libro de gratia & libero arbitrio, ubi secundus ille locus reperitur, quo dixit, velle & nolle esse propriæ voluntatis, cum quo prorsus idem est, quod dicit consentire aut dissentire esse propriæ voluntatis, ex professo probandum susceperat, *esse in homine liberum voluntatis arbitrium.* Hoc autem probat, A toto capite secundo ac tertio Scripturis innumeris, quæ jubent, suadent, consulunt, vetant hominem aliquid velle vel nolle. Ex quibus tandem concludit: *Nempe ubi dicitur, noli hoc & noli istud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Et rursum: *Nemo ergò, cùm aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate.* In quo probãdi genere cùm etiam capite tertio perrexisse ostendendo & illos qui ignorantiã rerum agendarũ quærunt, itemque qui concupiscentiam reluctantem superare nolunt, suâ voluntate peccare, concludit verbis illis quæ recentiores truncata producunt: *Et utique cui dicitur, noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis ejus convenitur: velle enim & nolle propriæ voluntatis est.* Quid evidentius quam hoc unicum istis & similibus locis probare Augustinum, quod homo velle B & nolle, sive peccando sive benè faciendo, non possit, nisi suâ voluntate? Quod qui negat, hæresis manichææ reum esse manifestum est. Sed inde concludere velle, quod in operibus bonis determinatio fiat vel à voluntate, vel etiam à gratia, paralogismus est ab Augustini mente remotissimus. Habet enim ista doctrina in omni omninò statu locum, sive hominum, sive Angelorum, sive stantium, sive lapsorum, sive damnatorum, sive Beatorum, cum quocumque adjutorii genere liberè operantium. Intactum enim hoc dicendo relinquit Augustinus, utrum voluntas libera gratiam ad influendum rapiat, an gratia voluntatem; imò utrum cum gratia, an sine gratia, benè, vel malè voluntas operetur. Vtrovis enim modo fiat, velle & nolle sive bonum sive malum, propriæ voluntatis est, & sine propria voluntate, sicut sine libero esse non potest arbi- C trio. Implicat enim contradictionem, ut sine propria volũtate velit aut nolit, consentiat aut dissentiat, credat aut incredulus fiat, quocumque tandem modo adjutorium aliquod simul juvet aut non juvet. Hoc igitur est, quod similiter dicit in libro de peccatorum meritis: *Vbi duo isti tam diversa merita contraxerunt, non dico ut iste credat, ille non credat, quod est propriæ voluntatis: sed ut iste audiat, quod credat, ille non audiat? Hoc enim non est in hominis potestate.* Audire namque & non audire potest quispiam etiam nolens, credere aut non credere, nemo nisi volens seu nemo nisi propriâ voluntate potest. Hoc est idem quod in libro de prædestinatione Sanctorum dicit: *Non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis huma-*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.

Ibid.

Ibid. c. 3.

Lib. 1. de pec. merit. cap. 22.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 5.

humanæ: sed in electis præparatur voluntas à Domino, hoc est, in electis gratia Dei facit ut credere sit in arbitrio voluntatis humanæ, nempe quia gratia præparans voluntatem facit ut homo propriâ voluntate credat.

Ex his jam perspicuè constat, perperam Scriptorem illum recentiorem asserere, quod semper Augustinus dicat, *determinationem esse propriam voluntatis*. Hoc enim nunquam Augustinus dixit, sed ei ab isto Scriptore attribuitur, quasi ex Augustini principijs conficiat, determinationem ita voluntati esse propriam, ut non conveniat gratiæ. Invertit enim sanctissimi Doctoris verba, qui cùm dixerit velle & nolle, hoc est, si ita interpretari libet, determinationem ad volendum & nolendum, *esse propria voluntatis*, ipse substituit, *esse propriam voluntatis*. Itaque determinatio ad volendum est quidem propriæ non alienæ voluntatis, sed ita tamen ut ad eam determinandam nunc, gratia præcipuas partes agat, juxta illud Augustini: *Non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas a Domino*. Hoc est, Dominus in electis facit ut velint. Et juxta illud *Certum est nos velle cùm volumus*, hoc est, est propriæ nostræ voluntatis: *sed ille facit ut velimus bonum*. Et juxta illud: *Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati*. Vbi significatur nos esse quidē qui nos determinamus ad volendū atq; faciendum, sicut nos sumus qui volumus atq; facimus, sed Deum esse, qui efficacissimâ suâ motione facit ut nos determinemus, juxta illud item Augustini: *Ille facit ut faciamus, cui dicit homo, Pone Domine custodiā ori meo: hoc est enim dicere fac ut ponam custodiā ori meo.*

Juxta hæc Augustini principia non est difficile & alias nonnullas phrases intelligere, in quibus admittendis vel negandis nonnulli hæsitant. Nam subinde negat Augustinus, velle, credere, facere bonum, & hujusmodi ESSE NOSTRA. Hoc enim dicit, non quasi istiusmodi operationes non essent officia propriæ voluntatis, sed quia non ita sunt propriæ voluntatis, ut istorum operum fons voluntas sit. Nam ea voluntati tribuit gratia Dei, dum facit ut velit, ut credat, ut operetur. Hinc ergò sunt illæ locutiones Augustini: ut quando dicit tardius aliquando à Deo vitia nostra curari, *ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod eius est*. Vt quando dicit: *Quæcumque sunt bona opera mea, abs te mihi sunt, & ideo tua magis quam mea sunt*. Vt quando post Cyprianum sæpiùs dicit, *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est*. Et illud, *ne quis confessionis aut passionis gloriam suam dicat*. Vt quando dicit: *Nihil nobis reliquit in quo tanquam in nostro gloriemur*. Vt quando Massilienses clamantes inducit: *Quid nos hortamini? Quid & corripitis, si nihil boni habeamus quod sit nostrum?* His enim & similibus phrasibus tantummodo negatur ita esse nostrum ut non sit datum à Deo; hoc est, negatur esse nostræ solius voluntatis quam non nobis dederit, & in nobis operata sit gratia Christi. Sic enim exponit eam locutionem in eodem capite: *Isti tales tantiq; Doctores dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur*. Hoc ergò sensu id quod Augustinus negabat esse nostrum, hoc Pelagiani confidenter nostrum esse statuebant: *Nostra est victoria* inquit Celestius, *sicut è contrario nostrum est quando vincimur*. Nempe quia sentiebat *victoriam nostram*, ut ibidem dicitur, *non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio*. Hinc & Pelagius, *Non peccare nostrum est*. Et alibi: *Quod bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus*, NOSTRVM EST. Quæ Augustinus graviter reprehendit. Hoc eodem sensu, quando ipse sanctus Doctor adhuc Massiliensium errore tenebatur, quo putabat fidem non donari à Deo, sed esse humanæ officium voluntatis, dicere solebat: *Quod credimus nostrum est, quod autem benè operamur illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum &c*. Hoc est, quod benè operamur non est nostrum sed Dei. Et in eodem libro iterum: *Nostrum est credere & velle: illius autem dare credentibus & volentibus facultatem benè operandi*. Hoc eodem sensu sæpiùs peccata soli tribuit nostræ voluntati: *Si ab illo* (Deo) *avertimur, nostrum est*. Et iterum in eodem libro: *Quocirca quod à Deo nos avertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala*. Nempe quia nec Pelagiani ad operandum, nec Augustinus olim ad credendum, nec unquam ad peccandum, Dei auxilium voluntati liberæ necessarium esse arbitrati sunt, quo Deus faceret ut voluntas ageret, crederet, aut peccaret.

Iam verò rursus è contrario subinde Augustinus disertè docet, nostrum esse quod benè volumus, quod credimus, quod benè vivimus. Non tamen eo sensu quasi benè velle, credere, rectèque vivere, sola nobis voluntas nostra tribueret etiam cum concurrente gratia Dei, sed quia impossibile est velle, credere, rectè vivere, ut supra diximus, sine propria voluntate. Sic enim seipsum exponere solet Augustinus: *Hæc Dei dona sunt, & vestra quidem sunt, sed non ex vobis*. Et inferiùs luculentiùs: *Quia etsi etiam ex illa propter arbitrium proprium, sine quo non operamur bonum, non tamen sicut iste dixit, non nisi ex illa. Proprium quippè arbitrium nisi Dei gratia iuvatur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest*. Et in libro primo Retractationum, exponens quomodo & *credere & operari*, quæ olim distinguere solebat, quamvis utraque per gratiam darentur, *nostra* tamen dici possent: *Vtrumque ergò nostrum est*, inquit, *propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei & charitatis*. Et paulò post, id quod ante dicere solebat, nostrum est credere & velle, illius autem dare facultatem credentibus benè operandi, statim subjiciendo corrigit: *Verum est quidem, sed eâdem regulâ, utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis*. Hoc est quia non fit nisi propriâ nostrâ voluntate. Et in homilia decima quarta exponens

L

Margin notes: Suarez sup. — Lib. de præd. Sanct. cap. 5. — Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. — Ibidem. — Lib. de pec. merit. c. 19. — In Ps. 137. — Lib. de dono pers. cap. 6. — Ibid. c. 19. — Ibidem. — Lib. de gestis Pelag. c. 18. — Lib. de [illegible] & grat. c. 18. — Lib. de grat. Christi c. 4. — In lib. expos. quarundam prop. ex epist. ad Romanos. — 1. Retract. cap. 23. — Lib. 2. de pec. merit. cap. 5. — Cap. 18. — Epist. 143. — Ibid. — Lib. 1. Retract. c. 23.

Homil. 14. cap. 1.

nens illud, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, ita loquitur: *In vestra patientia*, inquit, *non enim esset patientia tua, si non ibi esset & voluntas tua. In vestra patientia, sed unde vestra? Nostrum est, quod à nobis habetur: nostrum est & quod nobis donatur. Quomodo enim aliquid donas, nisi ut eius sit cui donas? Aperta est enim illa confessio, ab ipso enim patientia mea. Dicit nobis ipse, In vestra patientia. Dicamus illi & nos, Patientia mea ab ipso est.* TUUM *fecit donando; noli ingratus esse tibi assignando.* Quod ibidem de pane nostro quotidiano sumptâ similitudine illustrat: *Panem nostrum quotidianum da nobis. Ecce nostrum, Ecce da nobis. Illo dante fit nostrum. Si illo dante fit nostrum, nobis superbientibus fit alienum.* Quibus omnibus hoc docet Augustinus, velle, credere, diligere, ceterasque quaslibet operationes bonas, quamvis non nisi gratia eas operante & largiente in nobis esse non possint, rectè tamen dici nostras, quia sine propria nostra voluntate esse non possunt. Unde illud præcisissimum & verissimum: *Quid autem meum dicam prorsus non invenio, si voluntas qua volo & nolo non est mea.* Quod sanè nihil omninò aliud est, quam id quod in initio capitis hujus objectum est, *consentire aut dissentire, velle aut nolle, credere aut non credere, est propria voluntatis.*

Ibidem.

Lib. 3. de lib. arb. c. 1.

Hinc etiam jam facile intelligitur & ista phrasis, in qua nonnullos etiam difficultatem invenisse aut fecisse, velut nodum in scirpo, memini, quando tractans illum Apostoli locum: *Quid habes quod non accepisti*, in libro de Spiritu & littera dicit: *Accipere & habere utique accipientis & habentis est.* Nam & inde nonnulli exsculpere moliuntur, quòd actum propter quem gratia datur, accipere & habere, ab indifferentia voluntatis accipientis habentisque pendeat. Sed revera phrasis ex antedictis plana est. Nihil enim aliud significatur, quàm ea dona fidei, charitatis, continentiæ, hoc est, quod credimus, diligimus, continemus, & bujusmodi quæ nobis per gratiam suam largitur Deus, non posse à nobis accipi & haberi, nisi consentiendo propriâ voluntate, ut ita fiant accipientis & habentis. Nam talia dona Dei, quæ in ipsorum actuum liberorum productione sita sunt, non possunt accipi vel haberi, nisi propriâ nostrâ voluntate velimus atque consentiamus. Sic enim seipsum explicat Augustinus in eodem loco: Nam cùm dixisset, *consentire ac dissentire esse propria voluntatis*, hoc est, fieri non posse nisi propriâ voluntate, nequis hoc isti Scripturæ adversari

Lib. de Spir. & litt. c. 34.

A crederet, qua dicitur: *Quid habes quod non accepisti?* Statim adjicit: *Quæ res non solum infirmat, quod dictum est, Quid habes quod non accepisti. Verum etiam confirmat.* Et quomodo, cùm accipere ab alio voluntatem seu velle, & propriâ voluntate consentire, valdè diversa videantur? Respondet Augustinus: *Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo* sive volendo: *ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei est: accipere autem & habere, utique accipientis & habentis est.* Hoc est, quæ dona ei conferantur, sive velle, sive credere, sive diligere, sive continere, sive sapere &c. non est ipsius, sed Dei, qui pro sua libertate donat cuique quod vult; sed ea accipere & habere, est accipientis & habentis, quia est volentis & consentientis, quia dona ista in volendo & consentiendo consistunt; consentire enim ac dissentire,

B propriæ voluntatis est. Quæ sanè in quocumque hominum aut Angelorum statu vera sunt, sive voluntas se per se determinet, sive per gratiam ab illo determinetur. Semper enim accipere & habere est accipientis & habentis, semper velle aut nolle, consentire aut dissentire, sive vocationi, sive tentationi est propriæ voluntatis. Hoc tantummodo discrimen est, quod quando voluntas vult aut non vult, consentit aut dissentit, sive vocationi, sive tentationi, propriis suis dumtaxat adjuta viribus (quemadmodum peccando fieri solet) vel etiam adjutorio gratiæ *sine quo non*, quod ei tribuit posse si velit (sicut in Angelis & Adamo contingit) tunc ipsa est quæ jam potentialiter ac sufficienter instructa, sibi ipsi velle tribuit, & seipsam ad velle determinat, nec ab alio sive tentante sive vocante determinatur: quando verò voluntas adjuvatur *adjutorio* QUO fit ut

C velit, ipsa quidem est etiam quæ vult & non vult, consentit atque dissentit, & ad volendum sese, consentiendumque determinat, sed sic, ut ipsum velle & consentire, ac sese determinare, ipsi ab alio adjuvante tribuatur. Tunc enim Deus per illud adjutorium in ea operatur velle & consentire, & sese ad volendum consentiendumque determinare. Est enim tale adjutorium, quod *à nullo duro corde respuitur.* Cujus ratio est, quia *ideò tribuitur, ut cordis duritiès primitus auferatur.* Denique est adjutorium quod cùm datum fuerit, non exspectat ut voluntas velit, sed facit ut velit, facit ut consentiat, facit ut faciat, facit ut determinet.

Digitized by Google

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE
GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER TERTIVS.
Qui est de gratia sufficienti.

CAPVT PRIMVM.

Tangitur natura adjutorij sufficientis, & ostenditur nullum dari post lapsum quin simul efficax sit. Hoc enim repugnat multis principijs Augustini & Ecclesiæ.

QVæ hactenus de medicinali Salvatoris adjutorio tum asserendo, tum objectiones ex ipso sancto Augustino petitas dissolvendo disseruimus, quo captivum arbitrium à concupiscentiæ servitute liberatur, & ut bonũ velit & agat adjuvatur, ad oculum nisi fallor ostendunt, quantoperè à tramite veritatis aberraverint, qui magis ex principiis Philosophorum quam Augustini aut Ecclesiæ, concursum Dei generalem, vel habitus virtutum, vel etiam gratiam, quam *sufficientem* dicunt, pro vero Christi adjutorio protulerunt. Et quidem de duobus primis adjutorii generibus, facile credo, mihi consentiet quisquis vel à limine lucubrationes Augustini, & Conciliorum doctrinam salutaverit. De postremo major videtur esse difficultas. Nam per istam duplicis adjutorii distinctionem *quo* fit actio, & *sine quo non* fit, ostendi videtur, gratiam sufficientem, non solum non esse Christi Salvatoris gratiã, sed etiam totum istud adjutorii genus ita radicitus evelli, ut humana voluntas concupiscentiali morbo læsa & infirmata, nihil omninò boni cùm eo velle vel operari possit.

Sed illud ipsum est, quod istam adjutorii medicinalis naturam attentius ponderantes non mediocriter perturbat. Videtur enim sanæ doctrinæ repugnare quod nullum nunc detur hominibus adjutorium, quo possint credere, orare, diligere, Deique præcepta facere, qui illa vel negligendo vel spernendo prævaricantur. Nam undè judicandi sunt si non acceperunt, legem Dei custodire posse, si velint? Vt quid eos monemus, suademus, hortamur, præcipimus, minamur, ac pœ- A nis plectimus, si non datur eis, qui non faciunt, adjutorium quo & velle facere legem Dei, & re quoque ipsâ adimplere sufficiant? Hæc per se gravia esse, docendique consuetudine facta esse graviora, non diffiteor. Verumtamen quia mihi in hoc opere propositum est, non tam ex meo sensu patefacere, quid ex parte rei de divinæ gratiæ adjutorio statuendum sit, quam quid statuerit Augustinus, atque ejus veram germanamque sententiam, eruditorum oculis exponere, nullis difficultatibus territus, porrò peragendum esse censeo. Eruet, spero, Augustinus ipse ac Deus cuius causam doctissimus pariter sanctissimusque Præsul egit, profunda de tenebris & aspera faciet, quantum rei perplexæ natura sinit, in vias planas; ut neq; eruditione suà profundissimâ, neq; pietate Ecclesiæ sacratissimâ, neque iustitiâ Dei irreprehensi- B bili, quicquam indignum docuisse videatur.

Quapropter sufficientem illam gratiam, quam Scholastici multi in Theologiam velut adjutorium Salvatoris intulerunt, ab Augustino destructam, funditusque eversam esse, libens fateor. Hoc enim principia hactenus ex eo tradita, cum quibus illa gratia subsistere nullo pacto potest, perspicuè probant. vocamus autem illam sufficientem gratiam, seu sufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessarium est, ut homo velit aut operetur. Sic enim à multis recentioribus & vulgo ferè accipi solet. Quod si verò sic accipiatur ut sufficiens dicatur, sicut à quibusdam dicitur, quod satis est, ut homo dicatur posse operari, quamvis aliud adhuc necessarium sit ut de facto operetur, de hujusmodi sufficienti gratia, non est hìc nostra controversia. Talem enim sufficientem fortasse non difficul-

ter S. Aug. admitteret, quamvis esse veram illam Christi gratiam, de qua quæstio est, pernegaret. Nullum igitur jam dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens juxta primum sensum, quin sit simul efficax in Augustini principiis exploratũ est. Viderunt hoc etiam tradideruntque non pauci recentiores, & in primis a Didacus Alvarez, b Cumel, c Navarette, d Sylvius, denique omnes illi Doctores qui tenent præter adjutorium sufficiens, quod dat nudum posse, necessarium esse aliud auxilium efficax, quo Deus efficiat ut actualiter operetur. Hoc ipso enim apertè sentiunt, nullum dari adjutorium ita sufficiens, ut nihil aliud ex parte Dei ad actu operandum requiratur, quin sit simul efficax. Sed omnium apertissimè hoc tanquam S. Augustini doctrinam docuerunt duæ celebres Facultates Sacræ Theol. Lovaniensis ac Duacensis; quando judicii sui censuram adversus propositiones quasdam sibi oblatas protulerunt. Nam Lovaniensis in Censura propositionis 14. sic loquitur: *Cùm certum sit non præstari à Deo hujusmodi hominibus* (induratis) *gratiam eam, qua cor lapideum & cæcitatem auferat, manifestum est, eos non habere sufficiens auxilium, ut convertantur, cum sine tam dicta gratia, nullum eis auxilium sufficiat, sive illa exterior sit, etiam cum miraculis prædicatio, sive interior per Spiritus timoris concussio, aut velleitatis etiam cujusdam inspiratio.* Et in apologia Censuræ suæ multis argumentis ex professo improbant, id quod ab aliis dictum fuerat: *Fieri posse & de facto sæpè fieri, ut quis auxilium habeat præveniens omnino sufficiens in genere auxilij prævenientis ad conversionem, & tamen non convertatur, quia non vult.* De qua propositione subjiciunt generaliter: *Hoc est, quod iterum nobis non probari testamur, negamusq; doctrinæ Augustini consentaneum.* Probantq; sententiam suam sex argumentis & ad singula concludunt sequi, non esse gratiam sufficienter præparantem nisi in eo qui actu credit, convertitur aut operatur. Facultas verò Duacensis in eatundem propositionum censura, tradit eandem doctrinam disertissime & multis locis. Nam in primis in censura propositionis secundæ, cùm definijsset auxilium sufficiens illud esse, *præter quod ex parte Dei non est aliud necessarium*, mox diversis modis ostendit, non aliud esse sufficiens, nisi quo reipsa cor frangitur & convertitur. Dicunt enim in eodem loco, quod *nec illi quibus Evangelium prædicatur, credere possunt, nisi Deus cor eorum aperiat ut prædicatum intendant*: Dicunt id quod Aug. protulit, inscrutabilis esse judicii Dei, quod huic detur gratia, illi non detur, cum hoc *haud dubiè intelligere de auxilio ex parte Dei ad salutem necessario*; cùm tamen loquatur de solo auxilio efficaci. Dicunt in Censura propositionis 14. qua tradebatur induratos & excæcatos habere sufficiens auxilium ex parte Dei ut convertantur, rejiciendã esse penitus istam assertionem. *Nam neque induratus converti potest, nisi per gratiam auferentem cor lapideum, & tribuentem cor carneum, quam utique quamdiu induratus est, non habet, neque excæcatus potest accipere*

a Alvarez l. 8. de auxilio disp. 79 n. 2.
b Cumel disput. variar. ad 1. part. & 1. 2. disput 4. sect. 3 conclus. 1.
c Navarette controv. 19. ad q. 14. 19. prima parte.
d Sylvius in 1. 2. q 111. quæstio 3. conclus 3.
Facultas Sacræ Theologiæ Lovan. in Censura Propos. 14.
Facultas S. Th. Duacensis in censura Assert. 2.
Ibid. in Censura Assert. 14.

A *lumen veritatis, nisi per gratiam tenebras ejus illuminantem & velamen de corde ejus auferentem, quam similiter quamdiu excæcatus est, non habet. Neque infidelis quisquam potest credere, nisi per gratiam qua cor ejus ex infidelitate ad fidem mutetur &c.* Et in Censura propositionis 15. *Non est negandũ quin possint converti ad Deum omnes peccatores durante hac vita, sed simul quoque fatendum est, nullum peccatorem converti posse, nisi per specialem Dei gratiam, seu speciale auxilium quo voluntas ejus in bonum mutetur, quod auxilium non habet nisi cum actu convertitur.* Utraque verò Facultas doctrinam suam tanquam S. Aug. principiis, quorum peritissimæ fuerunt, maximè consentaneam tuetur, & ex professo probat. Unde Duacenses ad propositionem 8. ita loquuntur: *Sententia hæc quatenus dicit per auxilium præveniens acceptum in actu secundo, id est, gratiam excitantem posse peccatorem converti, ita ut ad actualem ejus conversio-* B *nem non sit necessaria singularis illa gratiæ Dei cooperatio, qua ex nolente volens, ex averso conversus, & ex malo bonus efficiatur, tàm Scripturis quàm B. Augustini doctrinæ repugnat.* Quid, quòd nec ipse D. Thom. aut ullus antiquorum Patrum inter ipsum & Augustinum, vel ullus vetustiorum Scholasticorum istius gratiæ sufficientis meminit. Dixit quidem aliquando S. Thomas redemptionem sufficientem, sed hoc multum à gratia sufficiẽte discrepat. Dixit etiam, quod *aliquam habeamus sufficientiam qua bonum velle & credere incipiamus*: sed hoc ad istam controversiam dirimẽdam neutiquam sufficit. Nam & gratia Christi ab Aug. prædicata sufficientiam donat, non ab actu tamen disjunctam, sed quem victrici potestate largitur. Per illam enim homo verè sufficit: *Tunc enim utile est posse cum volumus, & tunc utile est velle cum possumus*, inquit S. Doctor. Nam vera Christi gratia est talis, ut quemadmodum Salvator mundi dicit: *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Qui ergò non venerit non de illo rectè dicitur, audivit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit. Prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus.* Dum igitur facit gratia Christi ut omnis qui audivit ac didicit veniat profectò satis ostenditur & *possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus.* Talem igitur sufficientiam omninò agnoscit August. agnoscit Scriptura, sed illa non est quam quærimus, nisi ita à sua natura degeneret, ut & ab actionis effectu, & à voluntatis affectu, & à possibilitatis profectu separetur, & solà sterili & inutili perniciosâ potestate superbi sibi blandiantur. *Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus.* Et quidem talem sufficientem gratiam Augustino, repugnare, non est diffi- D cile advertere, si quis principiorum ejus meminerit, quibus tanquam cardinibus tota ejus doctrina vertitur.

In Censura Assert. 15.
Duacenses in Cens. Assert. 8.
S. Th. lectura 1. super Epist. 2. ad Corinth.
Lib. de grat. & lib. arb.
Ioann. 6.
Lib. de grat. Christi c. 14
Ibid.
Lib. de grat. & lib. arb. cap. 15.

Nam primò, tale adjutorium non est aliud quam adjutorium *sine quo non* fit opus, nequaquam vero *adjutorium quo*, ac proinde est adjutorium sanæ voluntatis seu primi hominis, non ægrotæ: supponit enim robustã esse sanatamque

Vide sup. lib. praeced. c. 3. 4. & magis 5.

natamque voluntatem, atque ita prorsus inutile est hominibus post lapsum suum; quæ latiùs in præcedentibus declarata sunt:

Vide ibidem cap. 9. & 10.

Secundò, est tantum adjutorium *possibilitatis, non voluntatis, & actionis* dat enim homini posse si velit non velle quod possit; ac proinde est Pelagianicum adjutorium, non Christi Salvatoris, de quo etiam superius abundè diximus.

Vide supra cap. 12.

Tertiò, quia est adjutorium, quod Massilienses ad credendum necessarium esse, atque ita sufficere statuebant, ut cum eo credere posset homo si vellet: qui tamen tanquam hæretici proscripti sunt: non aliam sanè ob causam, nisi quia tale auxilium homini sufficere putarent, adeoque nullum aliud adjutorium ad credendum actu ex parte Dei esse necessarium; de quo etiam fusius dissertum est.

Quartò, quia si cum tali sufficienti adjutorio nunc homo posset operari, consequenter homo post lapsum posset sibi ipsi, Deo non B specialiter donante, bonas actiones ac meritum dare, posset per liberum arbitrium gratiâ non donante, à lapsu surgere, in veritate stare, perseverare, vitam æternam velut mercedem humanorum meritorum adipisci: denique posset seipsum ab alijs suæ volũtatis libertate discernere, atque ita contra Apostolum gloriari dicentem, *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti?* Nam talis gratiæ adjutorium non discernit bonos à malis, sed commune est bonis & malis. Hæc autem omnia non solum doctrinæ sancti Augustini, sed & Scripturis sacris adversantur:

Lib. de prædestin. Sanctor. cap. 5.

Nihil enim, inquit Augustinus, *huic sensui* Apostoli dicentis, Quis enim te discernit &c. *tam contrarium est, quam de suis meritis sic quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei, sed gratia quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est bonis & malis.* Est autem perspicuum talem gratiam sufficientẽ esse communem bonis & malis. De quibus vide etiam quæ in superioribus dicta sunt.

Vide dicta sup. lib. præcedente c. 6. 7. & latè 8.

Quintò, quia tale adjutorium repugnat precibus quas vel Deus Ecclesiæ suæ tradidit & inspiravit, vel ipsa sibi à Spiritu sancto erudita formavit. Idque duplici ex capite. Nam primò in universis ejus precibus non reperitur ulla oratio qua filijs suis vel in filiis petat *posse si velint*, sed semper ipsum velle, converti, credere, diligere, facere præcepta, perseverare & hujusmodi. Vnde si quem sciret Ecclesia motibus gratiæ quam vehementissimis præveniri & excitari, nondum tamen reipsa velle vel credere, vel facere, non desineret pro ipso preces fundere, donec eum Deus reipsa convertere dignaretur. Et si ex duobus æqualiter excitatis, unus crederet, alter in incredulitate persisteret, peculiares ageret gratias Deo, tanquam qui peculiari gratiæ beneficio ei inspirasset fidem. Orat ergò Ecclesia & gratias D agit, non ut habeant, vel quod habuerint credere posse si vellent, sed ipsum velle & credere:

Vide dicta lib. praeced. c. 17 & seqq. & 22.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 8.

Quid ergò oramus, inquit Augustinus, *pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illis operetur & velle?* Et iterum: *Orat pro non credentibus, quid nisi ut credant?* Secundò tale adjutorium Ecclesiæ

Ibid.

A precibus repugnat, quia tollit funditùs fidelium orationes, quibus precantur sive pro alijs, ut convertantur, sive pro seipsis ut benè vivendo proficiant. Docent enim ijdem recentiores hujusmodi adjutorium semper esse præsens omnibus etiam induratis, vel certè, quibus omnibus fides prædicatur, vel, ut alij volunt, saltem Christianis maximèque justificatis. Quod si verum est, quis non videt pro illis, quibus sufficiens adjutorium præsto est inaniter preces fundi? *Nam quid stultius, quam orare, ut facias*, inquit Augustinus, *quod habes in potestate?* Hoc est, quod potes facere si velis. Hoc enim dicimur habere in potestate, quod possumus facere si volumus, qui est proprius effectus gratiæ sufficientis. Dat enim posse si velis sicut efficax, velle quod possis. Stultè igitur hoc orat fidelis, vel pro infidelibus, quibus jam prædicatur fides, vel pro fidelibus aut seipsis, quibus incumbente Dei præcepto adjutorium sufficiens non adimitur. Cùm ergò juxta doctrinam Romanæ sedis, *legem credendi lex statuit supplicandi*, & supplicatio fiat per universam Ecclesiam ex ipsa Christi Domini institutione, non solùm fidelium pro infidelibus, sed etiam pro fidelibus, & maximè pro seipsis, profectò legem credendi statuit, non solum infideles sed etiam fideles illo sufficienti carere adjutorio: ne alioqui inaniter & stultè convincãtur orare ut faciant quod jam habent in potestate. Nam inde est quod Augustinus quando Adamo stanti tale adjutorium adesse statuebat, etiam orationes pro faciendi potestate & actione subtraxit: *Quæ illi abundantia erat, quando constitutus est homo in paradiso, quando nihil illi deerat, quando Deo fruebatur.* Et inferius: *In paradiso non clamabas* tanquam indigus, *sed laudabas, non gemebas, sed fruebaris.* Et quid ni clamabat primus homo? Nempe, ne quando non C deerat illa gratia sufficiens, in illam incideret stultitiam qua oraret ut haberet, aut faceret, quod jam habebat in potestate. Quibus consideratis. Nihil verius videtur, quam hujusmodi gratiã sufficientem, quam hominibus infirmis tantã liberalitate tribuunt recentiores esse instrumentum aptissimum, quo *extinguatur oratio, accendatur elatio, dum timemus ne tepescat hortatio*, sicut alicubi Augustinus loquitur. Extincta enim oratione propter illã quæ sufficienter adest operandi potestatem, necesse est in Dei adjutoris neglectum suarumque virium confidentium incidere, quo nihil perniciosius homini contingere potest.

Lib. de natura & gratia cap. 18.

Cælestin. in epist. ad Episc. Gall. cap. 10.

Vide sup. lib. præced. c. 22. & cap. 17.

In expos. 2. in Psal. 29.

Lib. de dono pers. cap. 16

Quod si reliquas gratiæ Dei proprietates percurrere velimus, ut quod donat homini voluntatem & opus & meritum, quod efficacissimè potentissimèque agit homines, cæteraque quæ superius recensuimus, & infra nonnihil adhuc delibaturi sumus, ex omnibus liquebit, non esse nivem calori dissimiliorẽ, quàm sufficientem illam gratiam veræ gratiæ quam Augustinus tradidit: ut alterutrum profectò necessarium sit, vel quod eam nunquam post lapsum hominis agnoverit, vel quod eam à medicinalis adjutorii limitibus, quod per crucem suam Salvator dedit, excluserit.

CAPVT SECVNDVM.

Adjutorium purè sufficiens ad gratiam naturæ pertinet: Lapsorum reparationi inutile & perniciosum. In quo sita sit læsio liberi arbitrij.

VIDIT enim perspicaciter, adjutorium sufficiens, præcipuè prout à recentioribus explicari solet, non tam ad gratiam, quæ propriè nunc gratia vocatur, quam ad naturam pertinere, quamvis & natura sit quædam gratia. Quid enim magis ad naturā pertinet, juxta principia recentiorum, quàm quod ita naturæ consertum arctèque junctum est, ut ei auferri non possit; quin libertas naturalis creaturæ rationalis auferatur? Confidenter enim aliqui pronuntiant, quod *Deus non solum neminem destituat auxilio sufficienti & necessario, cum quo integra maneat voluntatis libertas, sed neque possit illud auferre, quoties ratio non perturbatur & sufficienter advertit. Nam si alterum horum contingat, nec libera manet moraliter, nec culpa illi imputatur.* Cum quo non pauci Scholastici consentiunt. Putant enim communiter non posse sufficiens adjutorium subtrahi, nisi velimus dicere actum secuturum non esse peccatum, vel Deum jubere impossibilia, vel nos peccare in eo quod præstare non possumus. Vidit igitur Augustinus hujusmodi auxilium potiùs ad naturæ rationalis institutionem, quam ad reparationis gratiam esse referendum. Vnde etiam de Angelis & primis hominibus ferè simili consideratione dixit: *Si autem hoc adjutorium* (cum quo possent perseverare si vellent) *vel Angelis vel homini, cùm primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Hoc autem esse auxilium sufficiens, ex ipso nomine manifestum est. Quid est enim adjutorium cum quo quis *possit permanere si velit,* nisi id cum quo *sufficit permanere si velit.* Itaque tale adjutorium, sicut & ipsa natura, præambulum quoddam est ad verum gratiæ medicinalis adjutorium, per quod, non, posse stare vel permanere, sed ipsum velle largiendū est. Hæc ergò quia vidit Augustinus, ideò nunquam ampliùs istius adjutorij tanquā reparatorij post casum hominis meminit.

Vasq. 1. p. disput. 97.

Vide Lessium de praedest. sect. 6. n. 66. Franciscus Suarez lib. 3. de Conc. c. 11. num. 8. & alios.

Lib. de Corr. & grat. c. 11

Nimirum vidit consequenter Augustinus, hoc adjutorij genus jam esse prorsus inutile lapsorum reparationi vel operationibus, etiamsi ad sexcentos sufficientiæ gradus augeretur: imò verò asseri non posse post lapsum, nisi, majori hallucinatione quàm Pelagiani sublato originali peccato, naturæ vires illæsas esse fateamur. Quod quamvis alibi, nisi fallor, utcumque diximus, nihil tamen vetat, & hic paulò uberiùs exponere. Pelagiani enim suis consentaneè principijs, ideò

A gratiam Christi hominibus adultis ad operandum negabant esse necessariam, quod nihil in eis esset peccando vitiatum, prout apud Augustinum libro de natura & gratia fusius exponitur. Quid enim est opus gratiæ medicinā, ubi nullus morbi languor est? Tantæ namque vires decent hominem, quando est sine vitio creatus, tantæque fuerunt ei collatæ ex creationis & libertatis primævæ beneficio, ut benè vivere posset si vellet, assistente sufficiente Dei adjutorio; nec opus esset, ut ei Deus per gratiam ipsum velle largiretur. Recentiores autem longè deteriùs philosophantur. Credunt enim hominem jam esse peccato vitiatum, & concupiscentiam esse à diabolo tanquam vulnus inflictam, & eā plagā non obstante, tantas ei vires tribuunt, ut & vulneratus & ex vulnere graviter ægrotus idem possit, quod sanus potuit. Quod nemo sanæ mentis statuere potest, nisi hoc ipso semetipsum interimat, viresque arbitrij illæsas esse decernat. B Nam sive adjutorium istud sufficiens dederis sive negaveris ad lapsi hominis voluntatem perinde omninò sese habet. Est enim illius naturæ, ut sine illo non possit arbitrium operari, ideoque necessitas ejus, nullam convincat inflictam esse voluntati ægritudinem, sed naturalem tantum adesse creaturæ rationalis infirmitatem, quæ talis est ut fortassis eam nec Deus ipse possit auferre. Est enim creaturæ ex nihilo productæ naturale, ut sine sufficienti Dei adjutorio omninò non possit operari bonum, juxtà illud Augustini, quo sufficiens primi hominis & Angelorum adjutorium asseruit: *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum verò nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Ex quo consequitur illud adjutorium sufficiens, quod etiam integerrimis viribus voluntatis consentaneum ac C necessarium est, nullam omninò afferre vulneri concupiscentiæ sanitatem, quamvis vel perpetuò adesse, vel peccato perditum, Christi cruce reditū esse poneretur. Ita quippe sese ad voluntatem habet respectu operationis bonæ, quemadmodum adjutorium alimenti, hoc est cibi & potus, sine quibus non potest natura mortalis vivere, vel adjutorium lucis, sine quo non possunt oculi cernere. Etenim talium adjutoriorum necessitas, non arguit ullam in homine ad vivendum vel in oculis ad videndum irrepsisse ægritudinem, sed imbecillitatem naturæ mortali atq; oculis concreatam; utpotè quę sanissima quoque & robustissima talibus adminiculis opus habent. Vndè si propter delictum aliquod, homo

Lib. de Corr. & grat. c. 11

homo luminis vel alimenti privatione ita plecteretur, ut nullâ humanâ potestate restitui possent, nequaquam hoc argueret valetudinem sontis esse læsam, vel oculos ejus vitiatos, quemadmodum ex vulnere, ægritudine, cœcitate, lippitudine contingit; sed illis integerrimis persistentibus, naturalia externaque quædam subsidia tantum esse subtracta. Nec si quis veniret, velut medicus qui alimentum lucemque restitueret, ille valetudinem aut vires corporis aut oculorum sanasse diceretur. Ita profectò, si nihil aliud, quantum ad adjutoria, peccato actum esset, quam quod Deus offensus subtraxerit stirpi peccatrici illud præcedens gratiæ adjutoriũ, ineptissimè diceretur hominis naturam esse vitiatam infirmatumq; voluntatis arbitrium: ineptissimè pariter diceretur Christus hominem sanasse, si dumtaxat illud idem sufficiens, quo gaudebat, adjutorium reddidisset. Et vice versa, si illud redditum est homini, & cum illo iterũ operari potest, quemadmodum olim sanus & robustus potuit, ut videlicet cum eo *possit seu sufficiat bonum facere si voluerit*, quis non videt arbitrium voluntatis non esse peccato vulneratum, vel infirmatum, vel ægrotum? Nemo enim dixerit, idcircò hominem ægrotum esse, vel cœcum, quia sine alimento non potest vivere, vel sine luce cernere. Sicut igitur homini ægrotanti non sufficit alimentum robustorum tollere, vel cœco lumen, quibus redditis nihil omninò ad operationes vitæ & visionis adjuvabitur, sed opus est, alterius rationis adjutorio, quod medicinam vocant, ut læsa temperatura reddatur, vires labefactæ reparentur, succus redeat, humores vitiosi purgentur aut restinguantur; ita nullius momenti est ad efficiendas operationes bonas, istius adjutorij sufficientis restitutio, quo præsente non minùs intrinsecus erit æger & imbecillis, atque ante illo absente fuit. Opus est enim gratia medicinæ, quæ id restituat atque suppleat aut roboret, quod propriè in voluntatis arbitrio læsum est. Nam quemadmodum cibus & lumen non sunt propriè læsarum virium, sed sanarum adjutoria, non enim reparant id quod læsum, sed juvant id quod adhuc sanum est; ita sufficiens istud adjutorium, quod dat homini posse si velit, hoc est, quod tribuit potestatem operandi, si illo adjutorio uti velit, non est adjutorium læsæ voluntatis, sed si eo voluntas uteretur, hoc ab ea fieret quatenus adhuc sana est. Nam ut læsio valetudinis & oculorum fit per ablationem aut violationem alicujus quod internum est, & per alimentum lucemque redditam non restauratur nec attingitur; ita voluntatis læsio in eo ipso sita est, quod adjutorio sufficienti deest, hoc est, quod neque per illud sublatum tollitur, nec per illud redditum restitui-

A tur. Cum enim sufficientis adjutorii natura sit, dare ipsum operari posse si velis, & in eo sit sita voluntatis integritas tali adjutorio consentanea, ut cum eo possit operari si velit, quemadmodum ex Adami libertate & adjutorio patuit; læsio seu vulnus voluntatis in ipsum illum volendi nutum voluntatis inflictum est, ad quem pertingere pondere contrariæ concupiscentiæ deorsum retrahente ac deprimente non potest. Hoc enim utei reddatur, non habet natura gratiæ sufficientis, prout omnes etiam recentiores confitentur, cùm in hoc ipso præcisè constituta sit, ut det nudum posse *si velis*. Hoc ergò per aliam gratiam reddi debet, cujus videlicet natura sit, non tantum dare dormientem quandam seu indifferentem ad usum & non usum sui, potestatem, sed etiam voluntatem: hoc est non tantum posse, sed velle. Nimi-
B rum non tantum afferre debet assistentiam quandam per modum alimenti & lucis quæ non efficiunt, ut vivat & videat etiam sanissimus, nisi velit, & nisi illa ipso nutu volendi ad opus rapiat; sed illum ipsum languorem sanare debet, quo voluntas à volendo revocatur, languentique voluntati ipsum volendi nutum restituere. Hoc est autem proprium medicinalis gratiæ Salvatoris beneficium, cujus natura est, non tantum dare *posse si volumus*, quod olim in Adamo & Angelis primævæ conditionis ac sufficientis adjutorii fuit, sed simul cum potestate *velle quod possumus*, ut præclarissimè Augustinus docet. (*Lib. de corr. & grat. c. 11.*) Nam gratiæ medicinalis Christi proprium est efficere, ut aliam quamcumque gratiam sive habitualem sive sufficientem, utiliter habeamus; quo modo nisi habeatur, semper noxia est, quia ad hoc conducit ut damnabilius delinquamus: *Tunc autem utile est velle cùm possumus, &*
C *tunc utile est posse cùm volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus?* (*Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.*) Quibus verbis divinâ luce fulgentibus Augustinus elegantissimè & solidissimè necessitatem gratiæ medicinalis & inutilitatem sufficientis asseruit. Quod si lapsis hominibus est inutilis, profectò hoc ipso & perniciosa est. Et verò quid homini misero perniciosius, quam illâ gratiâ abundare qua nemo unquam, fatentibus etiam Scholasticis, nisi majorem damnationẽ assecutus est? Hoc ipso quippè unusquisque damnabilior est, quo magis sufficienti gratia abundavit. Nemo enim unquam sufficienti gratiâ usus est, aut utitur, aut utetur in æternum: qui mitius profectò puniretur, si tali auxilio caruisset, quo Deus neminem vel damnandorum, vel salvandorum usurum esse præscivit. Qua in re non jam effusa Dei bonitas, ad quam deprædicãdum istud adju-
D torium non satis discretè excogitatum est, sed summa potiùs severitas ejus apparet.

CAPUT TERTIUM.

Quàm monstrosa sit gratia sufficiens prout à recentioribus explicatur, & quare excogitata. Gratiæ congruæ Auctores non nisi sufficientem habent, sublatoque peccato originali, naturam liberi arbitrij integram & illæsam inducunt.

IAM verò quid monstrosius proferri potest, quam quoddam distinctum à cæteris adjutorii genus, quod nunquam ab initio lapsus humani usque ad judicii diem, ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est? Defendit quidem aliquando sanctus Augustinus illud adjutorium, partim in Angelis & hominibus primis ante peccatum, partim in lapsorum quoque hominum posteritate, quando eam tali gratia adjutam saltem credere posse cum Semi-pelagianis errando opinatus est: sed nunquam eò absurditatis venit, ut illud vel semper effectu suo carere propter quem datur, vel id auxilium quod reipsa influeret cum voluntate, ab eo quod non influeret, ita separandum esse decerneret, ut illud efficax, hoc sufficiens vocaretur. Nimis enim perspicuum est, illam non esse adjutorii talis, sed voluntatis differentiam, quæ eodem adjutorio sufficientem potestatem tribuente, vel non utebatur, vel utebatur, prout voluntati tribueretur. Itaque illud à recentioribus prolatum gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum est, aut fiet unquam, si est verum distinctumque à gratia efficace membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accersendæ serviens, ideoque lapsis hominibus, citra Dei invidiam damnandis excogitatum. Quod cum altissima perspicacia sua videret Augustinus, simul atque ab illo suo errore resipiscere cœpit, silentio istud in omnibus operibus suis præterit, sciens læsum hominis peccatoris arbitrium, non solùm eo uti pervicaciter nolle, sed ægritudine concupiscentiali deprimente, non posse: cui propterea solum Salvatoris medicinale adjutorium utile est, & evadendis peccati laqueis necessarium. Quâ consideratione illa aurea quæ diximus verba, hâc ipsâ de re differens protulit: *Tunc utile est velle cum possumus, & tunc utile est posse cum volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolimus?* (*Lib. de grat. & lib. arb.*)

Sed sine dubio magna quædam & occulta necessitas Scholasticos illos Doctores ad istud gratiæ genus compulit. Cùm enim intelligere non possent, aliquem esse posse culpæ reũ, cujus evitãdæ careret sufficiẽti potestate, coacti sunt aliquod sufficiens adjutorium omnibus hominibus, quibus præceptum imponitur, attribuere. Et hactenus quidem tolerabiliter, si tale statuissent, cum quo, sicut dicunt, omnium voluntatem operari posse si velint, ita quenquam A pro illa eadem voluntatis flexibili libertate unquam operatum esse statuissent. Quæ enim ratio est quæso? Nam si revera (& non solum dicis causa) talis istius gratiæ natura est, ut verè sufficientem tribuat potestatem utendi, quæ, quæso, ratio est, ut nulla voluntas eam unquam arripuerit? Sed hoc erat mysterium quod latebat. Videbant, si quenquam eo usum esse constituerent, jam tota machina efficacis gratiæ, hoc est, congruæ, corruebat: nam hoc ipso ista gratia transibat in efficacem, utpote quia, sicut non utebatur voluntas quando noluit, ita etiam quando voluit pro libero suo utebatur arbitrio. Quod cum eis perspicuè Scripturis sacris & Augustino repugnare videretur, quæ perpetuò clamant Deum facere ut velimus, facere ut faciamus, Deum operari velle atque perficere & hujusmodi, hoc est, Deum per gratiam suam post lapsum B hominis largiri non solum posse, si velit, sed etiam velle quod potest, quod sanctis Angelis & hominibus primis non tribuebat gratia Dei, hinc coacti sunt gratiam illam sufficientem, quantumcumque plenam volendi potestatem liberrimæ & indifferenti voluntati dare diceretur, effectu suo semper & ubique non sine insigni absurditate, frustrari. Quod solerter animadvertentes quidã gratiæ congruæ defensores, ut sese ex illo laqueo eriperent, in alium sese periculosiorem induerunt. Apertè enim dicere ausi sunt (quod revera rationum nexus postulabat) efficacem & sufficientem gratiam ab eventu nuncupari. In potestate quippe liberæ voluntatis esse, gratiam quamcumque reddere pro libero nutu suo efficacem vel inefficacem in actu secundo. In quo quidem valdè consequenter longèque aptius juxta principia recentiorum, quæ de gratia congrua condiderunt, ratiocinantur. Sed non animad- C vertunt isto modo universum gratiarum adjutorium, quod à voluntatis cooperatione & & sufficiens & efficax vocant, non solum reipsa sicut & ceteri, sed ipso quoque loquendi modo ad adjutorium *sine quo non*, ad adjutorium *potentiale*, ad adjutorium *primi hominis & Angelorum* revocare, ut non solum verissimis & solidissimis Augustini principiis, sed & ipsis ejus verbis quæ latissimè in præcedentibus attulimus ac deduximus, evertantur. Habent enim illud ipsissimum adjutorium, quod, sicut & bonis & malis Angelis & hominibus primis dedit, dat etiam lapsis sufficientem agendi potestatem, ita ut adjutorium istud deserere, eo uti & non uti, cum eo perseverare vel non perseverare,

Digitized by Google

severare, in libero relinquatur arbitrio. Quæ A sunt ipsissima verba quibus Augustinus voluntatis integræ ac sanæ descripsit adjutorium, & ab ægrotæ voluntatis adjutorio separavit.

Et isti quidem evidentius convincuntur, non aliam nisi sufficientem Adami gratiam, reparationi inutilem, pro Christi medicinali adjutorio defendere, quemadmodùm supra latiùs declaratum est. Sed non propterea alii congruæ gratiæ defensores, quamvis multum luctentur, ab illo laqueo se expediunt. Omnes enim explicandi modi quos laboriosè industrièque concinnarunt, ut ostendant Christi gratiam sufficienti gratiæ primi hominis & Angelorum antecellere, congruamque medicinam læsæ afferre voluntati, eò tandem per multos labyrinthos redeunt unde egressi fuerant. Cum enim gratiæ sufficientis natura, quæ primo homini illæso & B Angelis collata fuit, in eo propriè sita fuerit, ut ejus usus ac neglectus in libero relinqueretur arbitrio, cujus indifferentia per istam gratiam, ad nullam partem astringeretur (ut latiùs paulò ante declaravimus, & fusissimè Augustinus ex professo docet) ostendendum eis erat, hanc essentialem gratiæ primævæ atque sufficientis notam non reperiri in ea gratia efficace, quam deprædicant. Quòd si hoc ostendere est impossibile, in quo picturam istius notæ tanquam libertatis interitum capitaliter fugiunt; frustra aliud gratiæ genus, quàm primi hominis & Angelorum, se afferre gloriantur. Quicquid enim dixerint de tractus illius suavitate, potestate, efficaciâ: quicquid de congruitate cum voluntatis arbitrio: quicquid de decretis Dei, quibus ipse actum volendi & faciendi liberæ voluntati sanxerit esse largiendum; differentiam aliquam fortassis inferet in ipsum Deum gratiæ C largitorem, qui aliter se ad hunc quàm ad istum habeat, in modum verò operandi gratiæ sufficientis nullam. Nihil enim omninò reperire poterunt in modo operandi gratiæ Angelorum, quem descripsit Augustinus, quod non tali adjutorio efficaci exactissimè congruat. Nam quantumcumque dicant, gratiam istam facere ut voluntas operetur, cum ad cardinem venitur, eo res redit, ut gratia molliat, suadeat, trahat, alliciat congruentissimè, sed sic tamen, ut ultimum decretum operationis debeat à voluntate proficisci; quæ stantibus omnibus stat adhuc velut in bivio indifferens, eâdemque libertate quâ gratiam propter congruitatem ejus amplectitur, etiam non amplecti potest. Quod quemadmodùm fiat, è contrario ex gratia sufficienti recentiorum facilius intelligitur. Sic enim eam respuit voluntas, ut eâdem illâ D suâ indifferentiâ possit eam apprehendere & sequi. Adest enim utrobique congruitas & incongruitas comparatione voluntatis. Ibi blanditur voluntati gratiæ seu spiritualis boni congruitas, ac deterret boni carnalis propositi incongruitas: hic è contrario allicit boni terreni congruitas, ac deterret boni spiritualis seu gratiæ incongruitas. Sed sicut non obstante illâ gratiæ sufficientis incongruitate, terrenique boni propositi congruitate, voluntas est, quæ suo neglectu idi decreto gratiam inefficacem facit, utpotè quæ stantibus iisdem omnibus poterat non utendo reddere inefficacem. Planius hoc elucescet, si consideraverimus etiam peccata voluntatis ex tentationum congruitate proficisci, tentationesque, sicut recentiorum gratias congruas, in motibus indeliberatis vehementissimis esse sitas. Nec tamen idcircò quisquam eorum voluntatis libertati tribuendum esse negat, quod tentationis motus fiat efficax vel inefficax.

Nam quod Deum aiunt intendere ac prædefinire voluntatis consensum, eoque fine gratiam congruam seligere, modum operandi gratiæ nihil omninò mutat. Semper enim cardo voluntatis est, quæ hoc efficit, ut ad actualem influxum gratia rapiatur. Idcircò enim addunt vel expressè vel virtute præscientiam Dei conditionatam, quâ videt quomodo se erga gratiam unamquamque voluntas uniuscujusque habitura sit; aliam daturus si fortè datam gratiam suâ tereti ac indifferenti libertate respueret. Quâ explicatione & scientiæ conditionatæ exploratione, dum gratiæ potestatem explicare satagunt, quasi illa faciat velle voluntatem, apertiùs totum nutui voluntatis adscribunt, utpotè cujus æquilibrium tantâ exploravit curiositate, ut sciant, quònam ipsa indifferentem suum flexum conversura sit. Quod tunc constabit manifestissimè, si Deo nihil, neque præsciente, neque decernente, prorsus easdem hominibus gratias dari statuam in iisdem omninò rerum omnium circumstantiis. Tunc enim perspicuum erit, non esse gratiam quæ det velle & facere voluntati, sed voluntatem quæ facit reipsâ facere gratiam, quamvis sine gratia facere ac velle non possit. Tunc enim gratia blandiens interiùs tentationi omninò similis est, cujus usus & non usus in libero relinquatur voluntatis arbitrio, ut utramvis vel consensum addendo reddat efficacem, vel suspendendo inefficacem. Hic autem est ipsissimus character ac nota gratiæ primi hominis atque illæsæ voluntatis, quæ duo sibi mutuo semper nexa sunt. Non enim aliud ista gratia confert lapsæ voluntati, nisi *posse si velit*, sic ut juxta descriptionem accuratam Augustini, velle & nolle, facere & non facere, perseverare & non perseverare relinquatur in libero voluntatis arbitrio. Unde Franciscus Suarez talis congruæ gratiæ præcipuus defensor, cùm de congruitate cogitationis honestæ per quam opera moraliter bona veluti per gratiam congruam naturalè operamur, disputaret, quam congruitati gratiæ omninò æquiparari tradit apertissimè profitetur:

Ex

Lib. 1 de grat. c. 12. num. 18. *Ex sola libertate voluntatis posse contingere ut uni sit congrua hac & nunc cogitatio quæ alterum non movet, & consequenter non est illi congrua.* Addit etiam, *Ibid. n. 17.* *sine Dei præscientia non posse intelligi inæqualitatem in tali beneficio,* quo scilicet dat cogitationé congruam vel incongruam. Ex quo etiam sequi dicit, *Ibid. n. 20.* *Cogitationem congruam ut talis sit solum esse necessariam necessitate consequente seu concomitante,* hoc est, *ex suppositione ipsius operis,* necessitate verò *antecedente*, seu causæ, *solam cogitationem sufficientem esse necessariam.* Quia ut se declarat, *Num. 21.* *Cogitatio congrua non est necessaria ut actus esse possit, sed ut sit, illumque infallibiliter infert. Nam eo ipso quo voluntas non sequitur cogitationem non est congrua neque efficax: igitur si cogitatio est congrua infert statim effectum bonæ voluntatis. Hanc ergò necessitatem dicimus esse consequentem non antecedentem: quia cogitatio non constituitur in esse congrua, nisi quia voluntas ex sua libera determinatione illi conjungitur. Est ergò congruitas consequens actum voluntatis non antecedens illum.* Addit uberius infra: *Num. 22.* *Denique si talis cogitatio ut congrua, esset necessaria necessitate antecedente, tolleret libertatem voluntatis, quia præveniret consensum ejus. Est ergò hæc necessitas consequens sive consideretur in reipsa seu in executione, sive in præscientia Dei. Nam Deus præscit cogitationem esse congruam, quia habitura est effectum cooperante liberâ voluntate, non quia secundum se spectata illa cogitatio necessario inferat talem voluntatem.* Et non multis interpositis: *Num. 23.* *Qui habet cogitationem honestam sufficientem potens est facere, ut illa sit congrua. aliàs congruitas non esset conditio consequens sed antecedens: sed non aliter potest facere cogitationem illam congruam, nisi consentiendo illi.* Denique absolutissimè in superioribus de cogitationibus congruis ad actus moraliter honestos necessariis ita concludit: *Ibid. cap. 12. num. 12.* *Ergo eadem omninò cogitatio seu æqualis potest esse alicui congrua vel incongrua pro sola libertate voluntatis volentis hoc vel illud cum solo generali concursu Dei (loquimur enim nunc intra ordinem naturæ: nam si voluntas consentit, cogitatio est congrua, si dissentit denominatur incongrua.* Similia in opusculo de auxiliis tradit, ubi congruitatem vocationis & gratiæ in ordine supernaturali **A** explicare conatur: *Nihil in re includit ex parte hominis, quod non includat vel includere possit vocatio sufficiens, si homo illa uti velit.* Et mox: *Lib. 3. de concursu c. 14. n. 14.* *In potestate hominis, de quo Deus præscivit non consensurum vocationi, est facere ut Deus præsciverit ipsum consensurum vocationi;* & consequenter efficere ut illa vocatio sit côngrua. Quocumque igitur talis gratiæ auctores sese vertant, ventilent, spargant, quocumque modo se explicent, nihil habent nisi gratiam primi hominis & Angelorum, quæ inflictam voluntatis ægritudinem nec sanare, nec juvare, nec attingere potest. Quomodo enim ægrotantem sanabit voluntatem, cùm hoc ipsum quod in ea sanandum erat, illæsum esse, integerrimumque supponat? Nam etiam indifferentem arbitrii volubilitatem ac potestatem ad volendum adjuvante gratia, nolendumque bonum (propter quam dixit Au-**B**gustinus, *Lib. de correptione & gratia.* *quod tunc ita liberum erat, ut benè velle posset & male*, & propter quam dixit, quòd prioris integritatis gratia daret ei *posse si vellet*, hæc posterior dare deberet ipsum *velle quod potest*) in suo vigore permansisse manifestum est, utpote quem eodem modo voluntas post lapsum suum contractamque terrenarum cupiditatum ægritudinem gratiâ adjuvante exserat. Itaque utrobique naturæ integritas asseritur, utrobique peccatum originale tollitur, utrobique etiam gratia fit potentialis & sufficiens exspectans ad influxum suum actualem consensum voluntatis, quamvis non sine gratia exserendum; atque ita utrobique habetur adjutorium *non quo fit velle*, sed *sine quo velle non potest*. Cujusmodi adjutorium cum adjutorio incarnationis & crucis Christi, & adjutorio medicinali ægrotæ voluntatis nihil commune habet, sed ad adjutoria **C** Pelagii, & Massiliensium, & Augustini ante Episcopatum referendum est. Et hæc de de gratia quam recentiores efficacem vocant, per transennam dicta sint, superest ut illam quam propriè sufficientem dicunt, absolvamus.

CAPUT QUARTUM.

Ex natura gratiæ Christi ostenditur, nullis dari sufficientem gratiam juxta sensum recentiorum, qui conantur directè contrarium ejus persuadere, quod Augustinus de lege & gratia sufficiente.

HANC igitur sufficientem gratiam Augustini principiis & Scripturarum repugnare, ex alio quoque capite quod apud ipsum crebro inculcatur, demonstrari potest. Docet enim non semel, verùm Christi gratiam *Lib. de prædest. Sanct. cap. 8.* *à nullo duro corde respui, sed ideo tribui, ut cordis duritia primitùs auferatur.* Cui principio consequenter constanterque tradit, quando Deus *Lib. de grat. Christi c. 14.* *docet non per legis litteram, sed per sancti Spiritus gratiam,* **A** *ita docere ut quod quisque didicerit non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Hinc ulterius docet, nullam Christi gratiam effectu operis ad quem efficiendum voluntati datur, ulla voluntatis pervicacia frustrari; frangit enim ante omnia ipsam illam voluntatis pervicaciá, per quam effectus ejus impediretur, atque ita quandocumque largitur gatiam suam, simul dat incrementum Deus; ipsa quippe gratiæ infusio est

est incrementi donatio, prout hæc omnia fusius in superioribus declaravimus. Horum autem nihil competere posse gratiæ sufficienti per se manifestum est.

Vide dicta sup. c. 25. libri præcedentis.

Hæc igitur vera & genuina ratio, cur Augustinus in omnibus operibus suis, pluribus quam sexcentis locis, semper Christi gratiam opponat legi atque doctrinæ, quarum ista solam prævaricationem afferat; quia lex per legem à nemine impleta est, aut impleri potest, illa liberationem; quia quod impossibile erat legi, per gratiam impletur: *Hoc opus est gratiæ* (credere scilicet quod lex jubet) *tollentis peccatum & vivificantis mortuum peccatorem, non opus legis ostendentis peccatū nec à peccato vivificantis &c. Opus est hoc gratiæ, quam qui accipiunt, doctrinæ salutari Scripturarum sanctarum etsi fuerint inimici, fiunt amici: non opus ejusdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt, sine gratia Dei, pejores etiam efficiuntur inimici.* Et iterum: *Non ergò gratiam dicamus esse doctrinam sed agnoscamus gratiam, quæ facit prodesse doctrinam: quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam.* Et in epistola octogesima nona: *Ad abundantiam igitur delictorum lex nos docet, quid velle debeamus, nisi adjuvet gratia, ut quod volumus valeamus, & quod voluerimus impleamus.* Et libro de Spiritu & littera sæpissimè: *Voluntas nostra ostendatur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, sanata voluntas impleat legem.* Et inferius docet iterum atque iterum, quod præcepta & *lex sine adjuvante Spiritu procul dubio est littera occidens: cum vero adest vivificans Spiritus* (per gratiam) *hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri.* Et iterum: *Lex data est ut gratia quæreretur, gratia data est ut lex impleretur.* Cujusmodi doctrina per omnes Augustini lucubrationes infinitis locis dispersa est, quorum copia faciliùs obtunderetur quàm instrueretur auditor. Nimirum hoc instantissimè ubique per illam propositionem indicatum cupit, ubicumque præceptum insonat sine gratia, ibi nihil aliud nisi præcepti prævaricationem sequi, ubicumque Deus per Spiritus sancti gratiam miseretur, ibi præcepti impletionem. Hoc enim supplet gratiæ efficacia, quod deest doctrinæ & legis efficaciæ. Nam idcircò gratiam suam Salvator attulit, ut nos à legis prævaricatione liberaret.

Epist. 107. — *Ibidem.* — *Epist. 89.* — *Lib. de Spir. & lit. c. 10.* — *Cap. 19.* — *Ibidem.*

Hinc ergò tanquam ex vera genuinaque causa proficiscitur, quod Augustinus de gratia & lege contrario prorsus modo disserat, atque Scholastici recentiores. Hi enim nihil majori sollicitudine satagunt, quam ut iis qui per præceptum aut legem Dei aliquid sub pœna perditionis facere compelluntur, gratiam sufficientem tribuant, qua lex ab eis absque reatu prævaricationis possit impleri, ne alioquin in Deum potiùs quàm in prævaricantes culpa revertatur: quo timore adducti liberalitatem gratiæ sufficientis ad infideles omnes, maximè quibus fertur lex, imò ad obduratos excœcatosque diffundunt. Augustinus directè è contrario, quasi de industria laborasset ut istas opiniones interimeret, legem & præcepta idcircò superbis hominibus data esse & plerumque dari docet, ut agnoscant se ad legem implendam non sufficere, sed multitudine prævaricationum confusi ac territi, ipsâque confessione ac timore humiliati discant ad gratiam, quam non habent, implorandam fugere, ut gratiâ adjuti possint implere, quod antea acceptâ duntaxat lege non poterant. Doctrina ista in Augustino celeberrima, certissimaque est & velut basis veteris ac novæ legis, quam qui labefactare tentaverit, universam œconomiam veteris novique Testamenti confundere molitur. Probavimus eam in libro præcedente plurimis Augustini testimoniis, utpote quo nihil in Augustino celebratius est. Quare ne actum agamus, eo remittimus Lectorem, doctrinamque ibi traditam, tanquam in Scripturis apertè comprehensam, ex quibus eam profundissimus Doctor hausit, hîc supponimus; pauca tamen Augustini loca sequenti capite delibare contenti. Quæ si vera est (sicut verissimam & Apostolicam tot à nobis ibi prolata ex Apostolo & Augustino testimonia convincunt) sequitur profectò sententiam illam quæ legem sufficienti gratiâ semper succinctam introducit, non solum esse falsam, sed Augustino Scripturisque contrariam. Nam illi constantissimè docent, legem idcircò datam ut agnita per multitudinem peccatorum non solum infirmitate, sed impossibilitate suâ, ad implendum id quod præcipiebat Deus, adjutorium gratiæ quæreretur. Nam idcircò *lex iram*, hoc est, supplicium *operatur; ut ad iram evadendam Dei gratia requiratur*, ut inquit Augustinus, & ante Augustinum Apostolus: *Conclusit Scriptura* (legis) *omnia sub peccato, ut* PROMISSIO *ex fide Christi daretur credentibus*, id est, ex gratia per fidem orantem impetrata. Hæc enim abundantia peccatorum & conclusio sub peccatis, hæc iræ comminatio peccatorem de infirmitate convictum atque confusum, *adjutorium gratiæ Dei compulit poscere.* Tantum ergò abest ut gratia sufficiens implendi legem, adesset accipientibus legem, ut è contrario juxta doctrinam Apostolicam ab Augustino propalatam, directè repugnaret præcipuo scopo legis, Deiq; occultissimam & sapientissimam & misericordissimam intentionem subveniendi humanæ imbecillitati, sanandæque superbiæ funditus interimeret. Fatuum est enim à Deo poscere, quod jam concessum habes in tua potestate, juxta illud Augustini ex fundo veritatis haustum: *Quid stultius quam orare ut facias, quod in potestate habes?* Quid enim is poscat implendi præcepti vires, qui jam sufficientes accepit? Quomodo prævaricando agnoverit infirmitatem suam, qui sufficiens adesse sibi sentit adjutorium? Si enim non implet quod præcipitur, quid de viribus suis satagat aut conqueratur, quas jam in adjutorio dato sufficientes habet? Velit enim implere, & lex implebitur, ubi nihil eum nisi voluntas, non potestas deficit. Si autem hæc ab Augustini & Apostoli doctrina, & à regula Ecclesiasticæ veritatis remotissima sunt,

Vide fusè dicta lib. 1 de gratia Christi Salvatoris c. 11. 12. 13. & 14. — *Lib. 2. operis imperfect. contra Jul. fol. 364.* — *Galat. 3.* — *Augustin. ibid. f. 437.* — *Lib. de nat. & grat. c. 18.*

Ibid. c. 15. sunt, juxta quas *præcepto facere commonemur, quod conantes & nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur*; profectò falsum est ijs quibus datur præceptum, aut lex hoc ipso A gratiam adesse sufficientem, qua lex impleatur, cùm ideò potiùs lex detur, ut gratia ad implendum sufficiens requiratur.

CAPUT QUINTUM.

Iudæis lex data est, & Christianis plurimis præcepta dantur sine ulla gratia sufficiente aut adjuvante. Probatur hoc multis modis, & ostenditur illam gratiam repugnasse scopo legis.

QUOD si quis adhuc fortè in ista sancti Augustini vel mea ratiocinatione vacillaverit, nec facile generali istâ ratione induci possit, ut multis legem jubentem sine gratiæ adjutorio datam esse, & etiamnum dari credat, claris Augustini testimonijs persuadendus est. Hoc enim imprimis probat, quod creberrimè docet, legem, præcepta, doctrinam sine gratia, non tantum nihil juvare, sed prævaricationis reum facere: Litteram, si sine Spiritu adjuvante fuerit, non tantum nihil prodesse, sed etiam occidere. Sic enim loquitur in Epistola ad Vitalem: *Quam doctrinam, qui audiunt & legunt sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici.* Et iterum ibidem: *Lex Dei atque doctrina, quamvis sancta & iusta & bona, tamen occidit, si non vivificat Spiritus.* Et in libro de Spiritu & littera: *Sed ubi sanctus non adiuvat Spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, profectò illa lex quamvis bona auget prohibendo desiderium malum &c. Et hoc est, quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit, cum accedit etiam prævaricatio.* Et inferius paucis interpositis: *Legis littera quæ docet non esse peccandum, si Spiritus vivificans desit, occidit: Sciri enim facit peccatum potiùs quam caveri, & ideò magis augeri quàm minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit.* Et iterum post multa; quibus rem istam ex professo probaverat: *Apparet igitur litteræ vetustatem, si desit novitas Spiritus, reos facere potiùs cognitione peccati, quàm liberare à peccato &c. Non quia lex malum est, sed quia mandatum bonum habet in littera demonstrante, non in adiuvante Spiritu.* Et in libro de gratia Christi: *Cùm ad hoc potiùs valeat legis agnitio, si gratia desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio &c. Ac per hoc usque adeo aliud est lex, aliud gratia, ut lex non solum nihil prosit, verum etiam plurimum obsit nisi adiuvet gratia. Et hac ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adiuvandos. Iubet enim magis quàm iuvat, docet morbum esse non sanat, imò ab eo potiùs quod non sanatur, augetur, ut attentius & sollicitius gratiæ medicina quæratur.* Et in libro de gratia & libero arbitrio, cùm commemorasset legem dicere, *noli vinci à malo*, mox adjungit: *Quod tamen ut fiat, adiuvat gratia; quæ* NISI ADIUVERIT *nihil lex erit nisi virtus peccati: Augetur enim concupiscentia & maiores vires accipit lege prohibente,* NISI ADIUVET SPIRITUS GRATIA. Et adhuc inferius: Per legem cognitio peccati. Cognitio non consumptio. *Quando autem cognoscit homo peccatum,* SI NON ADIUVAT GRATIA *ut cognitum caveatur, sine dubio lex iram operatur.* Et in operibus ad versus Iulianum: *A concupiscentia quoscumque illexerit victi pertrahuntur maiore impetu, cum lege prohibentur si gratiâ non iuvantur.* Cujusmodi testimonia tam densè in Augustini scriptis occurrunt, ut ijs congregandis moles in librum cresceret. Quid verò ista omnia sibi volût, si juxta recentiorum placita, Lex sine sufficienti gratia dari aut esse non potest? An Augustinus de metaphysica speculatione ac præcisione, hoc est, de speculativa hypotheticæ propositionis veritate disputat, quæ nunquam accidere potest, an verò de casu, quem Paulus Apostolus, cujus doctrinam exponendo tradit, in Iudæis & quotidianâ conversatione locum habuisse cernebat? Rem enim istam tanquam experientiâ quotidianâ comprobatam & notam, ad memoriam duntaxat Augustinus revocat. Quod satis significavit quando dixit: *Agnoscamus gratiam; quæ facit prodesse doctrinam: quæ gratia si desit videmus etiam obesse doctrinam.* Quod exemplo discipulorum quorundam, qui in ejus doctrina sunt scandalizati, probat. Vnde etiam cùm docuisset, quod *scientia legis* SINE GRATIA SPIRITUS *operatur in homine omnem concupiscentiam*, hoc ipsum continuò exemplo Apostoli nondum sub gratia constituti, probat: *Peccatum enim*, inquit Apostolus, *non cognovi nisi per legem, occasione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Nempè quando sine gratia Spiritus, legem acceperã. Et verò illa mali desiderij inflammatio, ille prævaricationis accessus, illa peccati virtus, illa iræ operatio, ille major cupiditatis impetus, & hujusmodi quæ sanctus Doctor deficiente gratiæ adjutorio sequi tam sollicitè docet, ostendunt profectò, non ex hypothesi quæ nunquam accidit, Augustinum loqui, sed ea commemorare mala, quæ reipsa in hominibus quotidie accidunt, & quæ reipsa olim in Iudæis atque alijs contigerunt.

Hoc ipsum itaque secundò probat, quòd sexcentis locis perspicuè tradit, reipsa homines gratiæ adjutorio, quod ad implendam legem necessarium est, caruisse, ideòque sæviente concupiscentiâ non nisi sub prævaricatione jacuisse reos. Hoc est enim, illam hypotheticam propositionem; quâ sæpè dixit, si littera est sine Spiritu, si lex est sine gratia

Marginal notes: Epist. 107. — Lib. de Spir. & litt. c. 4. — Ibid. c. 5. — Cap. 15. — Lib. de grat. Christi c. 8. — Lib. de grat. & lib. arb cap. 4. — Ibid. c. 10. — Lib. 1. contra Iul. oper. imperf. fol. 441. — Epist. 107.

gratia prævaricatorem facit, exemplorum demonstratione oculis subjicere. Hinc explicans illud Apostoli: *In quo infirmabatur per carnem &c.* qui de præterita Iudæorum infirmitate & legis prævaricatione loquebatur:

Serm. 6. de verb. Apost. cap. 7.

Lex enim iubebat, inquit, *& non implebat, quia caro* UBI NON ERAT GRATIA, *vividissimè resistebat.* Et iterum ibidem: *Quomodo ergò lex nisi opitularetur iubens per litteram,* ET NON DANS GRATIAM, *infirmabatur per carnem?* Quod ideo dicit, quia non solum lex non dabat gratiam, sed quia cum lege datis illis transgressoribus per carnem infirmatis gratia non dabatur. Causam enim cur non daretur, adjungit: *Quia nondum mens convicta prævaricationibus quæsierat Salvatorem*; à quo videlicet adjutorium gratiæ contra carnis infirmitates præberetur. Et in Psalmum centesimum sextum explicans illud:

In Psalm. 106.

Humiliatum est in laboribus cor meum, ita loquitur: *Et nunc pugna contra concupiscentiam Deo desistente ab adjutorio, laborare potes vincere non potes.* Et ad illud: *Infirmati sunt, nec fuit* QUI ADIUVARET; sic ait: *quid ergò restat, nisi quare factum est? Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omninò ex lege esset iustitia: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio* (id est gratia) *ex fide daretur credentibus. Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Accepisti verbum, accepisti præceptum, nec desinis facere quod malè faciebas, & accepto præcepto, auges peccata per prævaricationem superbiæ.* Et experientiam deficientis adjutorij subdens: *Invenerunt se non posse sine eius adiutorio, qui de suis solis viribus præsumebant.* Et in fragmento cujusdam sermonis ad populum:

In fragm. 10. Tom. 10.

Qui cæcitatem suam medico confiteri noluerunt, remanserat illis lex sine gratia. O miseri, quid fecit lex sine gratia, nisi magis reos? Quare? Quia legis auditores & non factores, & per hoc prævaricatores. Et in libris contra Faustum satis assiduè docet, non modo cogitatione & fictione quâdã, sed reipsâ legem in Iudæis qui eam acceperant, à gratia fuisse separatam, eamque cùm posteà littera legis accederet, impleri cœpisse. Quà de re in libro decimo quinto:

Lib. 15. cont. Faust. c. 8.

Eadem, inquit, *Lex, quæ per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, cùm accessit littera Spiritus* (id est gratia) *ut inciperet impleri iustitia legis, quæ non impleta reos etiam prævaricationis faciebat.* Et non multò inferius: *Proindè quod est oculis sanitas ad videndum solem, hoc est gratia mentibus ad implendam legem. Et sicut oculi sani non solis delectationi moriuntur, sed illis ictibus asperis radiorum, quibus reverberati in densiores tenebras pellebantur: sic anima per charitatem Spiritus salva facta non iustitia legis mortua dicitur, sed illi reatui & prævaricationi, quam lex per litteram, cum gratia defuit, faciebat.* Et in libro decimo nono ejusdem operis:

Lib. 19. cont. Faust. c. 7.

Antequam spiritalem gratiam humiliati reciperemus, nihil nisi mortificabat nos littera, iubens quod non possemus implere, unde idem dicit, Littera occidit, Spiritus autem vivificat &c. Quæ lex enim superbos etiam prævaricationis reatu devinxit, augendo peccatum cùm iubet, quod implere non possunt: ipsius legis impletur iustitia per gratiam Spiritus &c. Et in tractatibus in Ioannem:

Tract. 17. in Ioan.

Illi libri prodebant languidos non sanabant. Lex enim peccatores convincebat, non solvebat. Ideò littera SINE GRATIA *reos faciebat, quos confitentes gratia liberabat &c. Quare ergò data est lex? Sequitur: Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quid evidentius?* Et in sermone tertio de verbis Apostoli:

Serm. 3. de verb. Apost. c. 10.

Vis videre quid valeat SINE SPIRITU ADIUVANTE *littera iubens? Virtus peccati lex: quia subintravit, inquit, lex ut abundaret delictum?* QUIA UBI GRATIA NON ERAT, *auxit prohibitio desiderium, & cùm quasi de propriâ præsumitur virtute, factum est grande vitium.* Et in alio sermone de verbis Apostoli:

Serm. 12. cap. 2.

Quid prodest legem accipere minantem, & NON ADIUVANTEM, *ut sub illa essemus rei* ANTE GRATIAM DEI? *Frustra lex minatur, ubi iniquitas* (id est concupiscentia) *dominatur.* Quæ doctrina tam est familiaris Augustino, ut vix liber sit, vix epistola contra Pelagianos exarata, ubi non eam consignaverit, ut beneficij magnitudinem ex gratiæ raritate commendaret. Nec verò eam Augustinus velut peculiarem opinionem suam tradit, sed tanquam certam & exploratam, & ex Scripturis quibus eam probare solet, haustam Catholicamque doctrinam. Ex quo factum est, ut cùm Manichæi ferrent illum Ecclesiæ sensum esse, quod lex propter defectum gratiæ subintraverit, ut abundarent delicta, atque ita virtus esset peccati, novam hæresim condiderunt, qua legem asseruerunt esse malam, & à malo Deo traditam; quemadmodum etiam alio in loco commemoravimus.

Vide Aug. Serm. 49. de temp. c. 1. & Serm. 11. de verb. Apost. c. 9.

Vt quid enim propter abundantiam peccati ex lege proficiscentem ab Ecclesia deflecterent, si Ecclesia docuisset id, quod novi Scholastici docent, gratiam cavendi superandique peccati sufficientem legi affuisse?

Denique istum gratiæ sufficientis defectum invictè probat, ista statuum humani generis, atq; adeò singulorum hominum divisio, quæ tam familiaris ac trita est apud Augustinum. Docet enim diversis lucubrationum suarum locis, tres esse in hac vita status hominum: in quorũ primo est profunda legis agendarumq; rerum ignorantia; in secundo scientia legis & transgressio, eo quod nullo gratiæ auxilio infirmitas adjuvetur; in tertio gratiæ adjutoriũ. Quam ob causam status primus dicitur ante legem, secundus sub lege, tertius sub gratia: ut hoc ipso intelligamus, homines totum statum primum & secundum sine gratiæ spiritalis adjutorio transigere, nec aliud nisi vel peccata ignoratæ legis, vel agnitæ prævaricationes perpetrare. De quibus statibus quamvis alibi multa diximus, hîc tamen illâ divisione suppositâ, quantum intelligendæ præsenti veritati satis fuerit, aliquid de adjutorio secundi status eorum qui sub lege positi sunt ante gratiam, attingendum est. Nam de superbis hominibus qui sub lege sunt loquitur, quando in libro de gratia & libero arbitrio dicit:

Vide fusè dicta lib. 3. de statu naturæ lapsæ toto cap. 6. & sub lib. 1. de gratia Christi Salvatoris. 14.

A *Sub lege enim erant non sub gratia; & ideò eis dominabatur peccatum, à quo non fit homo liber lege, sed gratia. Propter quod alibi dicit: Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia. Non quia lex mala est, sed quia sub illa sunt, quos reos facit iubendo, non adiuvando. Gratia quippè adiuvat, ut legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege positus tantummodo erit legis auditor.* Et in expositione quarundam propositionum ex epistola ad Romanos: *Sub lege pugnamus, sed vincimur. Fatemur enim mala esse, quæ facimus; & fatendo mala esse utiq; nolumus facere: sed quia* NONDUM EST GRATIA *superamur.* Et quæst. 1. l. ad Simplic. *Et quia peccatum* (hoc est concupiscentia) *sine gratia Dei vinci non poterat, ipsâ reatus sollicitudine ad percipiendam gratiam converteretur.* Et inferius: *Unde apparet concupiscentiam per legem non insitam, sed demonstratam. Consequens autem erat ut quoniam* NONDUM ACCEPTA GRATIA *concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam &c.* Et B post pauca: *Quia ergo ab hominibus nondum spiritalem gratiam percipientibus suavius admittitur quod vetatur, fallit peccatum falsâ dulcedine.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Deinde cùm per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum divinus adiuvat Spiritus, secundùm legem volens vivere, vincitur. & sciens peccat.* Ubi quod dicit: *si nondum adiuvat Spiritus &c.* non ideo dicit quasi ordinariè sub lege Spiritus adjuvet, sed quia per extraordinariam Dei benevolentiam contingere potest, sicut reipsa in perpaucis Iudæis, Prophetis videlicet, & similibus contigit, ut in illo, & in quolibet alio statu statim Spiritus gratiæ opituletur, prout ibidem profitetur: *Quidam secundùm illam servitutem sub lege esse non noverunt, sed cum mandato incipiunt habere adiutorem Deum.* Quo quorundam privilegio indicat, aliis sub lege C positis hoc beneficum adjuvantis gratiæ non obtingere. Itaq; conformiter de illo defectu adjuvantis gratiæ, quæ est in isto secundo statu sub lege: *Ubi ergo non est* GRATIA *liberatoris auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum.* Et inferius: *Accedente autem gratiâ, idipsum quod lex onerosè iusserat, iam sine onere & libentissimè implemus.* Et iterum paulò post: *Sub ipsis passionibus, quæ per legem erant, tanquam sub viro dominante, agebat anima, antequam veniret gratia: quæ etiamsi nolit peccare vincitur à peccato.* Et in libris contra Iulianum idipsum agens: *His omnibus tempus significare intelligitur, quo sub lege vivebat, &* NONDUM ADIUTUS GRATIA *concupiscentiis carnalibus vincebatur.* Et in libro secundo contra adversarium legis & Prophetarum: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat. Lex enim quamvis iusta & sancta & bona prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia non adiuvit ad iustitiam legis implendam.* Et in Psalmos: *Terra mota est* (data lege) *& ipse est terra motus, cùm conturbantur* D *homines, quia legem implere non possunt.* Et causam afferens paulò inferius: *Lex infirmata sic accipi potest, eo quod non impleretur, non quod ipsa infirma sit, sed quod infirmos facit iuvando pœnam, nec adiuvando per gratiam.* Et in expositione

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 12. — *In expositione quarundã propos. epist. ad Romanos num. 13.* — *Lib. 1. q. 1. ad Simplic.* — *Ibid.* — *Lib. 1. q. 1. ad Simplic.* — *In Enchiridio cap. 118.* — *Lib. 83. qq. quæst. 66.* — *Lib. 6. contra Iul. c. 23.* — *Lib. 2. contra advers. legis & Prophet. cap. 7.* — *In Psal. 67.* — *Ibidem.*

A quarundam propositionum ex epistola ad Romanos: *Sub lege pugnamus &c. sed quia nondum est* GRATIA *superamur.* Et iterum: *Lex data est non ad auferendum peccatum, vel ad liberationem à peccato, sed ad ostendendum peccatum* ANTE GRATIAM. Et inferius aliquibus interpositis: *Nunc homo describitur sub lege positus* ANTE GRATIAM. *Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus suis iustè vivere conatur sine adiutorio gratiæ Dei.* Nempè quia nondum agnoscit illud sibi esse necessarium. Ecce quoties quàm densè & quàm instanter docet Augustinus eos qui sub lege positi sunt, nullum adjutorium benè vivendi præter legem accepisse, non adjuvari gratia, non adjuvari Spiritu Dei; usque adeò ut illum statum (sicut & illum qui est ante legem) in summa rerum agendarum ignorantia, peculiariter vocet statum B ante gratiam. Ex quo (quod multipliciter docet) accidit ut quando cum concupiscentiis suis surgentibus pugnare volunt, facilius quam ante superētur, quia illę factę sunt prohibitione violentiores, nec ipsi gratiæ auxilio adjuvante robustiores. Itaq; talibus lex subintravit ut abundaret delictum, lex eis prævaricationis gratiâ posita est, lex fit eis virtus peccati, lex omnem in eis concupiscentiam & iram operatur.

Quæ quemadmodum generaliter loquendo in Iudæis plerisq; in illo statu ante adventum Salvatoris perpaucis exceptis, locum habuerunt, ita etiam nunc post ejus adventum in nonnullis Christianis locum habent. Nam & illis, cùm vel peccata; maximèque superbia, eorum hoc mereretur, vel etiam cùm ad ipsam gratiam agnoscendam & invocandam instruendi sunt, subintrat præceptũ ut abundet delictum, & fit eis virtus peccati lex, dum C gratia ad legem implendam adjuvans subtrahitur ac differtur. Quâ de re nonnihil etiam in superioribus diximus, multaq; ex August. dici possunt. Ex his igitur sufficiēter demonstrari puto, esse quendam sub lege statum sub quo generaliter (paucis exceptis) Iudaica natio ante Salvatoris adventum fuit, in quo non solum non dabatur gratia sufficiens implendi id quod jubebatur, multo minus gratia sufficiens ad salutem, sed è contrario (ut jam ante secundùm Augustinum diximus, & propter momentum rei non parum abstrusæ à multorum cognitione sæpius commendari expedit) talis gratia lationi legis ac scopo Dei capitaliter repugnabat. Nam juxta constantissimam Aug. doctrinam, ab Apostolo præformatam, legis-latio illum habebat scopum, ut insonante præcepto, ac terribiliter pœnas, nisi hoc facerent comminante, gratię necessitatem, ipsa gratiæ adjuvantis subtractione docerentur. Nam ante gratiæ adjutorium, D omnis homo carnalium rerum amore, maximèq; superbiâ suâ plenus est; qua putet accepta rerum agendarum cognitione se, si voluerit, implere posse quod jubet Deus. Ignorat libidinum internarum imperium, quibus obstrictus est, multoque magis

In expositione quarundã propos. ex epist. ad Romanos n. 13. — *Vide lib. 2. de grat. Christi Salvat. cap. 14.*

cas

eas alieno adjutorio esse moderandas. Hanc superbiam nullo convenientiori modo dedoceri potest, quam ut subtracto gratiæ juvantis ac sufficientis adjutorio, Deus eum vires arbitrij sui experiri sinat. Sic enim ex experta suarum infirmitatum magnitudine & peccatorum multitudine intelliget, non tantum jubentem, sed adjuvantem esse necessarium, hoc est, ad agnoscendum & implorandum infirmitatum suarum medicum & largitorem gratiæ, quæ superandis libidinibus sufficiat, per ipsam gratiæ inopiam perducetur. Quod innumeris ab Aug. locis expressum est, ut superius latissimè deductum est, & hic breviter tantum refricabimus: *Data est lex*, inquit, *ad ostendendum quantis, quamque arctis vinculis peccatorum constricti tenerentur, qui de suis viribus ad implendam iustitiam præsumebant.* Et in alio istius libri loco: *Præcepta legis ideò non sunt impleta, quoniam quibus data est lex ante gratiam, dediti erant carnalibus bonis &c.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Deinde ne lex videretur aut sufficere posse homini habenti liberum arbitrium, etiamsi nullum ultra divinum auxilium porrigeretur, aut certè frustra data fuisse crederetur, dicta est causa, quare sit lex data, quia & ipsa in adiutorium data est, sed non sicut gratia. Data est enim, sicut iam exposuimus, & tenere debetis, & vobis vehementius & diligentius nos commendare debemus: data est ut inveniret se homo, ut non morbus sanaretur, sed ut prævaricatione morbo crescente, medicus, id est, gratia adiuvans quæreretur.* Et in alio libro de quo Prosper illam ejus sententiam prompsit: *Qui legem dedit, ipse dedit & gratiam. Sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit: ut quia lex ostendit peccata non tollit, volentes legem suis viribus exequi, nec valentes, cogantur ad gratiam, quæ & IMPOSSIBILITATIS morbum & inobedientiæ aufert reatum.* Et in epistola ad Anastasium: *Lex itaque docendo & iubendo quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, à quo sanata voluntas possit, quod infirma non potest. Lex igitur adducit ad fidem* (gratiæ fontem) *fides impetrat Spiritum largiorem &c.* Et inferiùs: *Bona est lex illi qui ea legitimè utitur: utitur autem legitimè qui intelligens quare sit data per eius comminationem confugit ad gratiam liberantem.* Et in libro secundo contra Adversarium legis & Prophetarum: *Lex quamvis iusta & sancta & bona prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia NON ADIUVIT ad iustitiam legis implendam.* Et quare non adjuvit eos Dei gratia? An crudelis est Deus? *Oportebat enim, ut in Testamento veteri lex imponeretur superbis & de sua voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret iustitiam sed iuberet; ac sic morte prævaricationis implicati ad GRATIAM confugerent non iubentem tantummodo, sed IUVANTEM quæ novo Testamento revelata est.* Et in quæstionibus super Exodum: *Timor incussus est eis, qui GRATIAM nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, & lex illis fieret pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Iesu Christi.* Vbi mox addit, littera occidit, id est, *lex conscripta tantummodo iubens sine adiutorio gratiæ.* Et in libris ad Bonifacium: *Ad quam Dei gratiam lex de prævaricatione terrendo perducit, ut sic conferatur homini, quod conferre ipsa non potuit.* Dies deficeret si omnia istiusmodi testimonia proferre vellem. Sed ex istis, unà cum eis quæ loco jam citato diximus, sufficientissimè intelligitur scopum legis præcipuum fuisse, non ut per gratiam impletioni sufficientem, quæ simul data fuerit, impleretur, sed è contrario, ut per defectum gratiæ sufficientis & secutas inde prævaricationes ducerentur, non solum ad impetrandam, sed etiam ad agnoscendam gratiam qua legem implere sufficerent. Tanta est enim carnalium hominum superbia & cœcitas, ut nisi multorum lapsuum experientia frangi & erudiri non possit: *Voluerunt*, inquit Augustinus, *sanari & cognoverunt se laborare, quod non cognoscerent nisi datam legem implere non possent.* Et quia durissimum est istud medicinæ genus miranti carnalium cœcitati, cur non statim per gratiam sufficientem legis faciendæ difficultatem Deus auferat, sed homines infirmos tantâ quasi crudelitate persequatur, occurrit idem Augustinus: *Potuit hoc Dominus sine difficultate præstare: sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem huius boni* (id est gratiæ afferentis facilitatem) *non agnosceremus. Si enim primitus cùm vellet posset, & non sentiret adversus se obnitentes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima collideretur, suis viribus tribueret, quod se posse sentiret, & non confiteretur Domino miserationes eius.*

Vide l. 1. de grat. Christi Salvat. — *In lib. Exposit. quarundam Propos. Epist. ad Roman. n. 30.* — *Num. 49.* — *Serm. 13. de verb. Apost. c. 1. & 2.* — *August. apud Prosp. sent. 321.* — *Epist. 144.* — *Ibidem.* — *Lib. 2. contra Advers. legis & Prophet. cap. 7.* — *Quæst. 55. super Exodum.* — *Lib. 4. ad Bonif. c. 5.* — *Serm. de 5. portic.* — *In Ps. 106.*

Ecce quo modo, qua causa, quo scopo Dei, per insufficientiam legis implendæ ad gratiam qua sufficiat, homo sub lege constitutus perducatur. Cui profectò scopo Dei, sicut & ceteris quæ Augustinus passim tetigit, nihil repugnat magis quam si lex simul atque data est, sufficienti gratiæ adjutorio muniretur. Nam si illum scopum legis respiciamus, ut homo prævaricationibus inveniret infirmitatem suam ad implendam legem, atque ita fastus ejus detumesceret, quid illi repugnat magis, quam ut sufficienti potestate quæ per adjutorium suppetatur se munitum esse experiatur? Nonne potiùs congruit, imò necessarium est ad illum finem, ut omni gratia nudatus, viribus propriæ voluntatis relinquatur? Hoc enim nisi fiat, vires gratiæ suas esse, sine dubio arbitrabitur, & illi errori altius implicabitur; quem ei Deus per prævaricationes ereptum esse cupit. Quod si alterum scopum legis intuearis, ut videlicet tantâ impletionis difficultate, tantâque prævaricationum copiâ, sufficientis potestatis ac gratiæ largitorem agnoscere & implorare doceretur, quid absurdius quam ante prævaricationes sufficientem implendi gratiam attribuere? Nam præterquam quod etiam sic sufficientes illas quas experitur vires, non medici donum, sed suæ sanitatis robur esse existimabit, Deus ipse gratiam illam statim cum lege largiendo,

M 2

giendo, sibi ipsi repugnabit, nam si quis verbis alicui diceret, quia non sufficis implere quod jubeo, ora pro gratia qua sufficias, stultus esse profectò crederetur, si jam ei potestatem, qua sufficeret, donavisset. Legem verò tam difficilem dando, non verbis, sed factis idem omninò dicit Deus: cui facto suo contradicit, si gratiam implendæ legis sufficientem, ad quam implorandam erudit prævaricatoré legis, jam ipsà legis-latione donaverit.

Quod si generatim loquendo, toti Iudaico populo præter paucos sufficiens implendæ legi gratia subtracta fuit, ut per multiplicationem infirmitatum suarum ad medicum, hoc est, ad gratiam ejus agnoscendam & invocandam erudirentur, nemo miretur, si & Christianis fidelibus nonnullis, de sua potestate adhuc præsumentibus, idem durissimæ institutionis genus adhiberi Augustino nobis præcurrente dicamus. Nam & illis gratiam implendi sufficientem non infrequenter subtrahit Deus, ut eis ipsa gratiæ subtractione ac dilatione humilitas ac gratiæ necessitas commendetur. Nam indè est illud in Psalmum centesimum sextum ubi Christiano jam veritatem scienti dicit: *Et nunc pugna contra concupiscentiam Deo desistente ab adjutorio, laborare potes, vincere non potes, & cum fueris pressus consuetudine tuâ pravâ, humiliabitur cor tuum in laboribus, ut jam corde humiliato discas clamare, Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Inde est illud contra Pelagianos etiam de justissimis: *Ideò quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis esse quod scit, vel quod delectatur, & sic ab elationis vanitate sanetur.* Et iterum de iisdem justis: *Idcircò etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardius sanat, ut in his eos minùs, quam implendæ ex omni parte justitiæ sufficit, delectet bonum, sive cùm latet, sive cùm etiam manifestum est, ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus non justificetur in conspectu ejus omnis vivens.* Quis verò dixerit eum qui ignorat bonum, vel qui non delectatur bono sufficientem habere gratiam ut impleat bonum? Nam ex tali ignorantia boni proficiscuntur illa peccata ignorantiæ, quibus juxta Augustinum, vita justorum plena est, ut Augustinus dicat: *Quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit?* Hoc est enim solius divinæ potestatis quæ hoc dat & negat cùm voluerit, Augustino consequenter adjiciente: *Cum ergò nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro & industriâ aut operis meritis comparatur.* Et ista est vera radix subtractionis gratiæ sufficientis. Tunc enim subtrahitur

In Psalm. 106.

Lib. 2. de pec. merit. cap. 17.

Ibid. c. 19.

Lib 1. q. 2. ad Simplic.

Ibid.

A cùm Deus non præbet homini ut animus legis impletione delectetur, sed sinit eum carnalibus delectationibus secundùm terrenarum rerum cupiditates rapi: *Quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii &c. ille tribuit, ille largitur.*

Nec aliquis opponat isti veritati, orari saltem posse ut ista delectatio, qua sufficiat implendæ legi, divinitus tribuatur. Nam etiam ad orandum quam maximè delectatio necessaria est, quæ non magis quam ceteræ, nostræ potestatis non est, sed à Deo per gratiam donari debet: *Nonne*, inquit, *aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & penè nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus, quia si vel hoc dolemus, jam oramus. Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia & petere & quærere & pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus jubet.* Ita discimus non solum Iudæis sed & Christianis, non solum B carnalibus, sed & spiritualibus gratiam talem sufficientem ad id faciendum quod jubetur frequenter subtrahi, atque ita subtrahi, ut nec pro tali gratia adipiscenda, deprecandi similis sufficiens gratia habeatur. Cujus doctrinæ vera ratio, juxta profundissimi Doctoris fundamenta, non est alia, nisi quia gratia sufficiens ad præcepta facienda cavendaque peccata, vera & magna & gratuita gratia est, quam spirat Spiritus ubi vult. Et hæc sufficiens gratia, juxta doctrinam ejus solidissimam, non est alia, nec, ut videtur, sine errore alia dici potest, quam illa quæ voluntatem facit facere; & in ea operatur reipsa velle & operari. Itaque quamcumque gratiam potentialem hominis, sive justo, sive injusto, sive Iudæo, sive Pagano adesse statuamus, nisi ipsam donaverit voluntatem & actionem, hoc est ipsum velle & operari, non est sufficiens gratia voluntatis & actionis. Amissum est enim illud pristinæ integerrimæque voluntatis C æquilibrium, per quod ei, *non sine gratia*, sufficiente aderat posse si vellet, ita ut velle & nolle in ejus libero *(non sine gratia)* relinqueretur arbitrio. Hoc æquilibrium, quia contrario appetitus libidinosi seu concupiscentialis genere, voluntatem ad mortem usque corporis intimè penetrante ac possidente perditum est, non nisi medicinali illo adjutorio *quo fiat* ut velit, sanari potest. Non enim sufficit jam voluntati gratia, qua prosit ei lex ac doctrina si velit, sed agnoscenda est illa gratia quæ reipsa *faciat prodesse doctrinam: quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam.* Hæc gratia verò sufficiens, quamvis per Salvatoris adventum jam revelata sit, multis tamen deest etiam in nova lege Christianis; sed sub veteri Testamento quo tegebatur, pœnè toti Iudaicæ nationi, paucis exceptis defuit.

Ibid.

Ibid.

Epist. 107.

CAPUT

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM.

Quis fuerit status veteris Testamenti & hominum sub eo viventium fusè declaratur.

NAM quod recentiores Doctores gratiam Christi etiam in veteris Testamenti tempora & hæredes tantâ diffusione distribuunt, ut non solum per illud sufficiens & semper præsens adjutorium legem implere, sed & salutem per Salvatoris sibi prædicati fidem adipisci possent, à veterum Theologia qui gratiæ intelligentiam nobis tradiderunt plurimum dissonat. Et quia istæ & similes hallucinationes ex ignoratione veteris ac novi Testamenti, & scopi quem in utroque dando Deus habuit, in plerisque nascuntur, non abs re fuerit ordinem ac naturam utriusque Testamenti, juxta profundam Augustini mentem doctrinamq; ie. declarare: quibus intellectis per se ipsum innotescet, quid de gratia sub illo Testamento data sentiendum sit, nec eò prolabemur absurditatis, ut præcellentiam novi Testaméti à Ieremia & Ezechiele significatam, in eo tantum sitam arbitremur (quemadmodum nonnulli recentiorum arbitrati sunt) quod in eo abundantior gratia effusa sit, quam in veteri fuit.

Hoc igitur qui à radicibus intelligere velit, cōsiderare debet esse vitam quandam hominis carnalibus sensibus implicitam, gaudijs carnalibus deditam, quæ carnalem fugitat offensionem, voluptatemque sectatur. Hujus vitæ fœlicitas temporalis est, à qua vita incipere necessitatis est, quamvis in ea persistere voluntatis. In hac quippè ex utero matris infans funditur, hujus offensiones quantum potest fugit, hujus voluptates appetit, nihil amplius valet. Sed postquam in eo ratio experrecta vigilaverit, poterit, adjutâ tamen divinitus voluntate, eligere alteram vitam cujus in mente gaudium est, cujus interna & æterna fœlicitas. Nam inest homini anima rationalis; sed interest, rationis usu quónam potiùs convertat voluntaté, utrum ad bona exterioris & inferioris, an ad bona interioris superiorisq; naturæ: hoc est, utrum, ut corpore ac tempore, an verò ut divinitate ac æternitate perfruatur. In quadam quippe medietate posita est, infra se habens corporalé creaturam, supra se autem animi sui & corporis creatorem. Sicut ergò bona sunt omnia quæ creavit Deus, ab ipsa rationali creatura usque ad infimū corpus; ita benè in his agit anima rationalis, si ordinem servet, & distinguendo, eligendo, pendendo, subdat minora majoribus, corporalia spiritualibus, inferiora superioribus, tépoalia sempiternis, ne superiorum neglectu & appetitu inferiorū, quoniam hinc fit ipsa deterior, & se & corpus suum in pejus mutet: sed potiùs & sé & corpus suum in melius ordinata charitate convertat. Cùm

A igitur divina providétia, *quæ pertingit à fine usq; ad finem fortiter & disponit omnia suaviter*, neque carnalem illam vitam sive parvulorum sive majorum, solis carnalibus desiderijs deditam negligat, sed illam quoq; mirâ sapientiâ & benignitate moderetur, ut & in illa quidam civilis honestatis vel splendor luceat vel justitiæ forma per pœnarū corporaliū comminationes, præmiorū carnalium promissa servetur, voluit in integro quodam populo patefacere ad curam suam etiam illá vitam atq; ejus bona malaq; pertinere. Itaque ostendere volens Deus terrenam temporalemque felicitatem donū suum esse, nec aliundè nisi ab ipso, non à dæmonibus, falsis Dijs sperari oportere, prioribus præsentis seculi temporibus, dispensandum judicavit Testamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, hoc est, carnalem, carnalibus voluptatibus inhærentem, à quo ista vita necesse est incipiat; B posterioribus novum reservavit, quo bona spiritualia largiretur. Nimirum ut anima etiam infima ista bona, quibus desiderandis ejus infirmitas implicata est, non nisi ab uno Deo omniū Creatore desiderare, & si capacitas ejus ferat, ad intelligibilia desideráda surgere doceretur. De quo S. Aug. tum alijs locis, tum præclarè l. 22. contra Faustum: *Fam rerum dispensationem ac distributionem temporum ordo poscebat, ut prius appareret etiam ipsa bona terrena, quibus & humana regna & ex hostibus victoria deputantur, propter quæ maximè civitas impiorum diffusa per mundum supplicare idolis & dæmonibus solet, non nisi ad unius veri Dei potestatem atq; arbitrium pertinere. Vnde & vetus Testamentum secretum regni cælorum tempore oportuno aperiendum, promissionibus terrenis operuit, & quodammodo umbrosius opacavit.* Et paulò post addit, istis, veteri Testaméto Deū docuisse *bona temporalia à se petéda*; novo verò, C *propter se contemnenda.* Et l. 10. de Civit. *Sicut unius hominis ita humani generis, quod ad Dei populum pertinet, institutio, per quosdam articulos temporum, tanquam ætatum profecit accessibus, ut à temporalibus ad æterna capienda, & à visibilibus ad invisibilia surgeretur, ita sane ut etiam illo tempore quo visibilia promittebantur divinitùs præmia, unus tamen colendus commendaretur Deus, ne mens humana vel pro ipsis terrenis vitæ transitoriæ beneficijs, cuiquam nisi vero animæ Creatori ac Domino subderetur.* Vt videlicet ab illius cultu in istorum desiderio, ad Idola coléda non recederet, ad quem contemptu eorū, & ab eis aversione, pertingitur. Et in Ps. 34. cùm docuisset quosdam homines æterna tribuere Deo, dæmonibus temporalia, quorum amoribus implicati ad eorum cultum defluunt: *Contra istam*, inquit, *opinionem divina providentia vigilavit, ut ostenderet Deus ad se pertinere ista omnia, & in sua esse potestate, non solum*

Sap. 8.

Lib. 22 contra Faust. cap 76.

Ibid. c. 29.

Lib. 10. de Civit. c. 14.

Conc. 1. in Psalm. 34.

æterna

Digitized by Google

æterna, quæ in futurum promisit, verum etiam temporalia, quæ in terra dat, quibus voluerit & quando voluerit opportunè. sciens cui det, cui non det, tanquam medicus medicamenta, sciens melius morbum ægroti quàm ipse ægrotus. Vt ergò Deus hoc ostenderet, distribuit tempora veteris ac novi Testamenti. In veteri Testamento promissiones sunt rerum terrenarum, in novo autem regni cælorum. Propter hanc igitur causam & hanc utriusque Testamenti differentiam, nihil omninò spiritale in veteri Testamento promittitur, sed sola carnalia, quæ veteri homini ac vitæ congruunt, divitiæ, opulentia, victoriæ, pax temporalis, regnum, gloria, & hujusmodi, eâque de causâ *vetus Testamentum* appellatur: *In illo Testamento quod vetus dicitur, & datum est in monte Sina, non invenitur promitti apertissimè nisi terrena felicitas. Vndè illa terra, quò est populus introductus, & per eremum ductus, Terra Promissionis vocatur, in qua pax & regnum & ab inimicis victoriarum reportatio, B & abundantia filiorum ac fructuum terrenorum, & si quæ huiusmodi, hæc sunt promissa veteris Testamenti.* (Lib. de gestis Pelag. c. 5.)

Hoc autem Testamentum in quo sola terrena promitterentur, congruis hominibus dedit, hoc est, carnalibus, sola terrena diligentibus, qui spiritualium rerum incapaces, nondum possent ad ea magnipendenda ac diligenda traduci, idque non ea de causa, ut per hujusmodi Testamenti promissiones & observationem, eorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur; sed ne res illas quas carnali vitiosoque amore diligebant, à dæmonibus quærerent: *Notum esse iam debet*, inquit Augustinus, *carnali adhuc populo congruenter carnalia & temporalia præmia fuisse promissa.* (Lib. contra Adimantum cap. 18.) Et ibidem inferiùs post interposita nonnulla: *Dicimus ita esse munera Dei, ut tamen sint infima & in comparatione salutaris confessionis, non solum non attendenda, sed ultro etiam projicienda; carnalibus tamen hæc amantibus, C & nondum capientibus promissa cælestia, ne ab Idolis ac dæmonibus ista peterent, utiliter à Domino Deo esse pollicita.* Et in tractatibus in Ioannem: *Quia non poterant capere invisibilia, per visibilia tenebantur. Quare tenebantur? Ne penitùs interirent, & ad Idola laberentur. Nam fecerunt hoc fratres mei sicut legitur.* (Tract. 3. in Ioannem.) Nempè cum obliti tam prodigiosæ liberationis, vitulum in deserto coluerunt. Quod cùm commemorasset Augustinus, adjungit: *Quibus ergò modis teneretur populus talis, nisi promissis carnalibus?* Et libro de vera Religione apertissimè dicit, Iudæos *sola temporalia & visibilia bona de Deo exspectasse.* (Lib. de vera Relig. c. 5.) Et in Psalm. septuagesimum secundum, *Hoc solum pro magnò tunc eos habuisse, quia liberati erant temporaliter à quibus tunc opprimebantur &c. Hinc solum eos laudasse Deum.* (In Psal. 72.) Nempè ut jam audivimus, ac sæpiùs inculcat Augustinus, quia à tam crassis & carnalibus animis *spiritalia non capiebantur.*

Cùm igitur talibus Testamenti sui pro- D missis inhiarent, cultus internus quo Deum talium bonorum largitorem colebant, isti dilectioni velut cardini cunctorum motuum congruus respondebat. Nimirum & dilectio Dei carnalis erat. Talis est enim amor quo (In fragm. serm. de Agar & Ismahel.)

A quempiam diligis, qualis causa propter quam diligis. Si enim diligis propter Deum, purus amor est, vera dilectio Dei, sincera charitas; si propter carnalia, non gratuitus, sed mercenarius est, ideoque impurus, carnalis, vitiosus: quem verius amorem creaturæ dixeris quam Creatoris. Nam ut de illis ipsis Augustinus dicit: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant: quia eo modo timore servili non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergò Deus non colitur, hoc enim colitur quod diligitur.* (In Psal. 77.) Tota itaque spes, tota charitas eorum erga Deum, totusque cultus erat carnalis, ideoque vitiosus. Nam & avari strenuè Deum diligunt velut satellitem suæ cupiditatis, orant Deum, laudant, colunt, gratias agunt, quod horrea frumento, vino torcularia redundaverint.

Nec pro hac vita tantum, sed & pro futura hoc ipsum sperabant à Deo, quod in ista diligebant, & quo nihil altius vel amare poterant vel cogitare. Audi eundem Augustinum: *Fortasse tu dicis: Ideò eum colam quia dabit mihi villam, non tamen temporalem. Nihilominus adhuc corruptam mentem geris. Amore enim casto non colis, adhuc mercedem expetis. Ea enim vis habere in futuro seculo, quæ hic necesse est relinquas. Mutare vis voluptatem carnalem non amputare &c. noli ergò talia sperare tibi danda à Deo, qualia hic iubet contemnere. Hæc enim sperabant Iudæi, ideò turbabantur in illa quæstione. Nam & ipsi resurrectionem sperant, sed ad tales voluptates corporis se sperant resurrecturos, quales hic amant viventes.* (In Psal. 43.) Et in Psalmum sexagesimum quintum: *Hanc spem promissam sibi Iudæi tenebant, & de bonis & quasi iustis operibus multùm gloriabantur, quod acceperant legem, secundum quam vivendo, & hic haberent bona carnalia, & in resurrectione mortuorum talia sperabant, de quibus hic gaudebant.* (In Psal. 65.) Nam ut paulò inferius: luculento argumento probat: *Procul dubio Iudæi non fatigarentur, non deficerent in ista quæstione*, quam cum Sadducæis agitabant in Evangelio, *si non talia sibi in resurrectione sperarent, qualia in hac vita.* (Ibid.)

Nec verò ista omnia, quæ de carnalibus istis animis filiorum veteris Testamenti diximus, de improbis intelligenda sunt, sed potiùs de illis qui probiores esse viderentur. Nam quemadmodum sub novo Testamento duplicis ordinis Christiani sunt, alij infirmi sive errore sive dilectione, alij fortes, utrique tamen Christiani sunt, novæque legis filij; ita & in Testamento veteri quidam erant infirmi, qui non solum diligebant temporalia, sed vel non servabant etiam carnaliter justitiam datæ legis, vel propter illa bona consequenda, etiam in idolorum cultum subinde labebantur: quidam verò fortiores atq; probiores, qui propter eadē illa promissa bona adipiscenda constanter inhærebant uni Deo, & legem sibi datam carnaliter, hoc est, ex illa carnalium bonorum dilectione servabant. De quibus duobus generibus Augustinus explicans allegoricè mulieres atque parvulos: *Quod mihi videtur*, inquit, *ad hoc pertinere*, (Lib. 83. qq. quæst. 61.)

Digitized by Google

nere, ut intelligamus & in populo veteris Testamenti fuisse quosdam infirmos ad implendam justitiam (carnalem ex dilectione carnali) *quæ secundum legem est, in qua justitia Paulus Apostolus sine querela se conversatum esse dicit. Fuisse item alios qui facile seducerentur in cultum idolorum. Quæ duo genera, id est, infirmitatis & erroris, mulierum & puerorum nominibus figurata sunt.* Audistis quales essent veteris legis improbi. Audi nunc quales fuerunt probi: *Synagoga ergò, id est, qui Deum ibi colebant, sed tamen* PROPTER TERRENAS RES, *propter ista præsentia. Sunt enim impij, qui præsentium rerum bona a dæmonibus quærunt.* Et paulò post: *Cùm ergò illi pij secundum carnem attenderent, id est, illa Synagoga, quæ erat in bonis &c. putavit hoc pro magno dare Deum, nec habere melius quod dare posset diligentibus se & servientibus sibi.* Ecce qualis pietas fuerit veræ Synagogæ, hoc est, verorum filiorum veteris Testamenti. Nempè talis, qualem necesse erat ex temporalium rerum dilectione carnali proficisci. Impossibile est enim, ut ex hujusmodi dilectione alius Dei cultus pietasque nascatur. Nam si quis altiùs aliquid illo tempore de Deo sapiebat, puriusque Creatorem, quàm temporalium consequendorum amore diligebat, legemque servabat, eatenus non jam Synagogæ, sed Ecclesiæ filius, non veteris Testamenti, sed novi hæres fuit. Nam propriè *qui propter illa terrena suscipit legem Dei ipse est hæres veteris Testamenti: ea quippè secundum vetus Testamentum promittuntur atque tribuuntur quæ secundum veterem hominem concupiscuntur.* Vndè non veretur idem dicere, quod *vetus Testamentum habens promissa terrena, hoc videtur suadere ne gratis colatur Deus, sed quia aliquid dat in terra.* Hoc est, videtur quasi avocare à sincero amore Dei, qui placens Deo, solus perducit ad Deum: *Ille enim justificatur apud Deum, qui eum gratis colit, non scilicet cupiditate aliquid ab ipso appetendi præter ipsum aut timore amittendi.* Quod ex veteri Testamento nullo modo obtineri potest.

(In Psal. 72.) (Lib. de gestis Pelag. c. 5.) (In Psal. 72.) (In epist. ad Galat.)

Ex quo fiebat, ut Synagoga considerata ut Synagoga, non esset aliud quam terreni populi turba, hominumque carnalium congregatio solis terrenis & carnalibus incubantium, & propter illa sola colentium unum Deum. Quamobrem Augustinus dicit: *Vetus Testamentum tenebris & umbra mortis datum esse*; Nempè hominibus ex magna cœcitate cordis nihil omninò nisi carnalia diligentibus, sectantibus, exspectantibus, cogitantibus, ideoque quantumcumque legem sibi datam observare viderentur, & in legis justitia sine querela ambularent, à vera cordis justitia & regno cælorum assequendo valdè remotis. Animum enim creaturæ rationalis solis rebus terrenis, Deoque propter sola terrena inhærere, valdè vitiosum est, puritatique cælestis regni adipiscendi necessariò ex diametro contrarium: *Si illi*, inquit Augustinus, *inexcusabiliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum novum Testamentum nondum fuerat revelatum, quanto inexcusabilius terrena sectantur, quibus jam promissa cælestia in novo Testamento revelata sunt?* Et in epistolam ad Galatas exsertiùs de populo veteris Testamenti: *Quibus terrenis promissis irretiti, & quæ tantummodo sperantes de Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritalem cælestis patrimonij.* Vt propterea nemo mirari debeat, si Testamentum vetus ad animæ salutem, regnumque cælorum assequendum, Synagogæ filiis Testamenti illius hæredibus non multum profuisse statuamus.

(Lib. de vera Relig. c. 27. Lib. 22. contra Faustum cap. 71. & alibi sæpius. Annotat. in Iob. c. 28.) (In Psal. 73.) (In epist. ad Galat.)

Sed ille rector cælitum ac terrenorum qui propter dilectorum suorum salutem universa dirigit, ad scopum suum contorquens profunda torrentis, fluxumque seculorum ordinans turbulentum, populum tam carnalem, etiam nescientem, in magnarum rerum usus assumpsit. Cùm enim Filium suum Vnigenitum ad generis humani reparationem assumendæ carni colligendoque novi Testamenti populo seu Ecclesiæ destinasset, eaque res esset omnium divinorum ac mirabilium operum maxima, ingentem quasi ministrorum præcurrentium apparatum, futurumque ejus adventum vaticinantium præmittendum esse censuit; ut ex ingenti illa Prophetarum serie secuturi Regis magnitudo nosceretur, & ex illa tam celebri præmonitione, tantæ magnitudinis horror evanesceret: *Per multam seriem temporum & annorum prædicendus fuit: non enim aliquid parvum venturum fuit. Quanto major Iudex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat.* Et alibi: *Hoc ergò totum prophetandum fuit, prænuntiandum fuit, venturum commendandum fuit: ut non subitò veniens horreretur, sed creditum exspectaretur.* Itaque non contentus Filium suum incarnandum & immolandum, singulorum quorundam hominum vel sacrificio, vel voce, vel angelicâ prædictione prophetasse, universum illum Iudaicum populum, tanquam Regnum quoddam excitavit, quod instar magni Prophetæ per aliquot annorum centurias viventis atque vaticinantis, omnibus suis sacrificijs, & sacramentis, & cæremonijs, & pœnis, & præmijs, & prosperitatibus, & adversitatibus, omnibus denique membris suis, tàm Regibus quàm Sacerdotibus, atque ipso populo Christum illum Domini totum, hoc est, Caput & Corpus, Sponsum & Sponsam, Christum & Ecclesiam præfigurando venturum, totamque disciplinam ejus in effigie exprimendo, quasi ingenti celeberrimâque voce loqueretur. Vndè Augustinus tradit, Christi nomen & Ecclesiam ita prænuntiatam, sicut nunc exhibetur, non per quemlibet de cavernosis latebris procedentem, *sed quâdam gente, & quodam Regno ad hoc propagato & instituto, ut ibi de illo cuncta figuris prænotarentur, quæ nunc expressa rebus agnoscerentur.* Et alibi adversus eundem Adversarium: *Hoc primum dico illorum hominum non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse propheticam: totumque illud Regnum Gentis Hebræorum magnum quendam, quia & magni cujusdam fuisse Prophetam.* Quod accuratiùs declarat in libris de Civitate Dei: *Populus Hebræo-*

(Tract. 31. in Ioann.) (In præfat. in Psalm. 109.) (Lib. 13. contra Faust. cap. 6.) (Lib. 22. c. 24.) (Lib. 7. de Civit. c. 32.)

Lib. 7 de Civit. c. 32. *Hebræorum in unam quandam Rempublicam, quæ* A *hoc sacramentum ageret, congregatus est, ubi per quosdam scientes, per quosdam nescientes, id quod ex Adventu Christi usque nunc & deinceps agitur prænuntiaretur esse venturum &c. Omnes enim non solum prophetiæ quæ in verbis sunt: nec tantum præcepta vitæ, quæ mores pietatemq; conformant, atque illis litteris continentur, verum etiam sacra, sacerdotia, tabernaculum sive templum, altaria, sacrificia, cæremoniæ, dies festi, & quidquid aliud ad eam servitutem pertinet, quæ Deo debetur, & græcè propriè Latria dicitur, ea significaverunt, & prænuntiaverunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus.* Quapropter alibi dicit, Deum ab ista gente cultum fuisse *prophetico sane ritu, hoc est, significativo futurorum quandoquidem ipsi in* REGNUM MAGNUS QUIDAM PROPHETA *fuit, ubi* Rex & *Sacerdos ungebantur*; hoc est, illâ unctione Christi fiebant, ut B uterque Christum Dominum suum figuraret.

Cùm igitur Testamentum vetus propriè in illis præceptis vitæ, quatenus in tabulis scribebantur, & in illis externis ritibus divini cultûs rerumque terrenarum præmijs, earum observatione promissis constitutum sit, quæ omnia rerum futurarum essent præfigurativa documenta, profectò nihil aliud fuisse Testamentum illud perspicuum est, nisi magnam quandam quasi Comœdiā, quæ non tam propter seipsam, quam propter id cui præfigurando serviebat, hoc est, propter Testamentum novum, ejusque Principem & hæredem Ecclesiam, ab illa Gente tanquam ad hoc idonea ageretur. Quandoquidem enim carnalibus implicata studijs & amoribus terrenæque felicitati venandæ dedita cælestium atque spiritualium incapax esset cogitationum, quid congruentius, quam ut illa quæ C inutilis esset saluti suæ, saltem alienæ figurandæ procurandæque serviret. Hinc est enim quod eam servilem ac servam frequenter Augustinus vocet, totamque Testamenti istius observantiam veteris hominis servitutem. Non enim tantummodo more servorum, propter temporalem vilemque mercedem serviebant Deo, legisque sibi traditæ justitiam sectabantur, sed hoc ipsum quicquid & essent & agerent & paterentur, novo populo æternitatis hæredi serviebat, in cujus Ecclesiam, & Salvatorem, & salutem, & salutis instrumenta, gratiam videlicet & sacrificium, & sacramenta repræsentanda &

Lib. 15. de Civit. c. 2. prophetanda referebantur. Vmbra sanè *quædam Civitatis hujus, Ecclesiæ peregrinantis*, inquit Augustinus, *& imago prophetica ei significandæ potiùs quam præsentandæ servivit in terris, quo eam tempore demonstrari oportebat.* Quod explicans magis inferius: *Pars enim quædam terrenæ Civitatis, quæ in omnibus impijs per totum mun-* D *dum sparsa est, imago cælestis Civitatis effecta est*, videlicet Respublica Iudæorum, *non se significando, sed alteram, & ideo serviens. Neque enim propter se ipsam, sed propter aliam significandam est instituta.* Quamobrem id quod dictum est de duobus populis: *Maior serviet minori*, *nemo ferè* Lib. 16. de Civit. c. 35. *nostrorum*, ait, *aliter intellexit, quam maiorem populum Iudæorum minori populo Christiano serviturum.*

Ex quibus utcumque perspici potest, cujusmodi esset status filiorum veteris Testamenti. Nimirum quemadmodum nulla nisi veteris hominis bona diligebant, ita nulla nisi ipsius mala metuebant. Ex isto amore atque timore decalogum carnaliter boni custodiebant, vel potiùs sibi custodire videbantur, mali etiam apertè violabant. Ex isto amore atque timore templa, sacrificia, sacramenta frequentabant, totumque durissimum illud cæremoniarum præfigurantium jugum serviliter sustinebant. Ex isto amore atque timore tota eorum justitia nascebatur, quam Apostolus, quamvis in lege conversatus sine querela, arbitratus est ut stercora. Cardinem enim voluntatis rapiebat, non fides, quæ per veram Dei dilectionem operatur, sed, ut non semel Augustinus docet, *Terrena cupiditas*, cujus fomentum ac Lib. 3. ad Bonif. c. 4. præmium lex illa ex professo promittebat, *metusq; carnalis*: hoc est, *terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi.* De cujusmodi præceptorum Dei observatione subjungit Augustinus: *Sic autem præcepta qui facit: procul dubio non facit: ac per hoc in animo* NON FACIT. *Mavult enim omninò non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus.* TALES ERANT FILII TERRENÆ HIERVSALEM. Et rursum inferius: *Hi ad vetus pertinent Testamentum, quod* Ibid. *in servitutem generat: quia facit eos carnalis timor & cupiditas servos, non Evangelica Fides, Spes, & Charitas liberos.*

Hanc igitur filiorum veteris Testamenti conditionē quisquis attentè consideraverit, videbit utique non multum eos gentilibus præstitisse: amor enim hujus mundi, qui Augustino teste, *non est à Deo*, amor fruendi creaturis in utrisque dominabatur. Ex quo & in- Lib. 4. contra Iul. c. 3. ter gentes, maximèque Romanos, nonnulli carnalem illam justitiam cum Civibus & hostibus coluerunt. Sed in eo erat eorum qui boni inter illos erant, præ Gentibus, Romanisque præcellentia, quod isti boni à Deo vero, non ab Idolis ac dæmonibus, ut Gentes impijque Iudæi, concupitam promissamq; felicitatem exspectarent. Quo fit ut quamvis cordis interni cardo per hujus mundi dilectionem à Deo vero, sicut & gentium recederet, non tamen eousque ut in dæmonia aut Idola laberentur. Agnovit hanc Synagogæ veteris à Gentibus discrepantiam, & expressit Aug. *Hic*, inquit *populus ideò melior erat* In Psal. 72 *gentibus, quod quamvis promissa terrena & temporalia, tamen ab uno Deo quærebat, qui est creator omnium & spiritualium & corporalium.* Et alio in Ibid. sub finem. Vide etiam versus finem Psalmi 84. loco: *Iste ergo recessit a Deo, sed non longè: quia quasi pecus factus sum, & ego semper tecum. Illi ergo longè recesserunt: quia non solum terrena desideraverunt, sed ea a dæmonibus & a diabolo petierunt.*

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM

Non affuisse hominibus sub lege viventibus gratiam sufficientem servandi legem vel ullum præceptum ejus.

EX qua sanè conditione, & interiori statu Synagogæ naturâque veteris Testamenti facilè liquet, quid de gratia sufficienti Testamenti illius hæredibus data, ad custodiendum decalogem ac legem Dei, salutemque spiritalem animæ consequendam, arbitrandum sit. Idem videlicet quod de illâ eâdem gratiâ in gentiles effusâ, statui debet. Nam quamvis Testamentum istud, hoc ipso quo bona temporalia, velut minima à Deo exspectanda proponebat tacitè quoque docere videretur, æterna bona ab eodem illo Deo petenda; hoc ipsum tamen quod insinuabat docendo, non præstabat largiendo, nec ullam omninò ad hoc præstandum gratiam dabat, sed animos in eadem terreni amoris glacie fixos obduratósque relinquebat. Vt sanè ex veteri Testamento non major eis servandæ spiritaliter legis facilitas accederet, quam antequam illud suscepissent. Nam hujusmodi facilitatem & sufficientiam dare, novo Testamento proprium est. Istud enim ex propria sua ratione qua à veteri Testamento discernitur, tollit amorem veterem, quo juxta vetus Testamentum terrena diliguntur, & inspirat novum, sine cujus inspiratione vel totam legem, vel ullum ejus præceptum servare impossibile est. Nam nisi quis ipsam legis aut præcepti justitiam dilexerit, quæ dilectio, ut alibi probavimus, non est alia nisi illa vera, pura, legitima, laudataque charitas Dei, quam solus per novi Testamenti gratiam inspirat Deus, nulla habetur legis observatio, nec ulla haberi potest, nisi fortè terrena & animalis, ex amore vel timore rerum temporalium, in qua nonnulli gentiles, haud secus ac veteris Testamenti hæredes, tanquam justitia sua gloriati sunt. a Plurimis locis hoc sanctus Augustinus tradit, apud quem nihil istâ sententiâ celebratiùs, qua identidem dicit, *Charitas implet legem*, quam ex illo Apostolico expressit: b *Plenitudo legis est dilectio*. Hoc autem non intelligit Augustinus de alia charitate seu dilectione Dei, quàm qua ipsius præcepti justitia & rectitudo diligitur. Deus est enim rectitudo & justitia; sine qua docet non posse servare legem Dei, non solum totam, sed nec unum præceptum ejus, non solum supernaturaliter, meritoriè & hujusmodi (quæ à Doctoribus recentioribus, doctrinam ejus non satis penetrantibus excogitata sunt) sed ita non posse servari ut peccatũ fugiatur. Quamdiu enim animus non erigitur ad ipsam æquitatem præcepti diligendam, nullo modo ipsum præceptum facit aut diligit, sed aliud quod intuetur. Tamdiu enim concupiscentia, hoc est, cupiditas assequendi, aut timor

Vide dicta lib. 1. de statu puræ naturæ cap. 7. 8. & 9.

Vide de his latè dicta libro 3. de statu nat. lapsæ à cap. 15. usque ad 20.

a Vide epist. 19. & 143. & 144. sæpius. Et epist 120. cap. 18. In epist. ad Gal. In expos. quarundam Propos. in epist. ad Rom. n. 44. & 45 & 69. In Psal 67. & alibi sæpissimè.

b Ad Ro. 13.

c Vide dicta lib. 1. de statu puræ naturæ cap. 7. 8. & 9.

A amittendi alicujus commodi temporalis animo dominatur. Cùm enim cupiditas ac timor rerum temporalium sola justitiæ dilectione obruatur & extirpetur, necesse est ea tamdiu animo dominari, quamdiu justitia non diligitur. Ex illis autem quisquis præceptum facit, necessario illud invitus facit, ideòque potiùs ex transgressa lege reus est, quam ex observata laudandus, quamvis exterius eam observasse videatur. De quibus alibi fusius diximus, & adhuc dicturi sumus. Hic unum aut alteram locum delibasse satis est: *Ab hoc reatu graviore liberat gratiâ Spiritus sancti per Christum, quæ diffusa charitate in cordibus nostris donat justitiæ dilectionem, qua immoderatio concupiscentiæ superetur.* Et in libro secundo contra adversarium legis & Prophetarum: *Bona est ergò lex quæ hoc dicit* (non concupisces) *sed ubi non adest vivificans Spiritus, hæc ipsa lex quam bonam dicit,* B *occidit: quia peccati virtus est, cùm per illam operatur omnem concupiscentiam inflammando* (desiderium per) *prohibitionem*, QVOD NON EXSTINGUITVR PER IUBENTEM LITTERAM TIMORE POENÆ, SED PER IUVANTEM SPIRITUM DILECTIONE IUSTITIÆ. Hoc est, illud desiderium concupiscentiæ quo peccare delectat, non aufertur homini jussione legis, quæ solam pœnam timeri facit, multò minùs alia concupiscentia alterius rei temporalis, sed solo contrario desiderio non peccandi seu benefaciendi, quod est ipsa justitiæ dilectio. Sic enim explicat hanc impossibilitatem observandæ legis sine dilectione justitiæ ipsius legis, multis alijs locis: *Potest*, inquit, *esse intus in affectionibus pravis prævaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere vel timore hominum, vel ipsius Dei, sed pœnæ formidine, non* DILECTIONE ET DELECTATIONE IUSTITIÆ. Et C quid est hoc, dilectione ac delectatione justitiæ? Audi: *Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impunè permitti. Nam sic profectò in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate sed timore non peccat.* Hoc est, qui non voluntate non peccandi, seu voluntate benefaciendi, seu dilectione justitiæ, sed timore non peccat. Odium enim peccandi, & voluntas benefaciendi, seu dilectio justitiæ ex eodem fonte nascuntur, augentur ac minuuntur. *Tantum enim quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, quod non poterit lege terrente per litteram, sed Spiritu sanante per gratiam.* Et in Psalmum trigesimum secundum, eandem tradit impossibilitatem implendæ legis sine dilectione justitiæ: *Implebis amore*, nempè justitiæ, *quod timore non poteras. Qui enim timendo non facit malè, mallet facere si liceret. Itaque etsi facultas*

Vide lib. 5. de grat. Christi Salvat. à cap. 12. usque in finem.

Lib. de fide & operibus c. 23

Lib. 2. contra Adversar. legis & Prophet. cap. 7.

Epist. 144.

In Psal. 32.

null

non datur, voluntas tenetur. Non facio, inquit. Quare? Quia timeo. Nondum amas iustitiam, adhuc servus es &c. Quando incipit amare iustitiam nisi quando mallet furta non esse, etsi gehennæ non essent, in quas fures mitterentur. Hoc est, amare iustitiam. Et ipsa iustitia qualis est? Quis illam pingit? SAPIENTIA DEI, *quam pulchritudinem habet? Per illam pulchra sunt omnia &c.* Hoc est, illa justitia quæ in præcepto faciendo diligi debet, est ipsa sapientia & æquitas & rectitudo DEI. Et in quæstionibus super Deuteronomium: *Homo potest facere opus legis per charitatem iustitiæ, quod non potest per timorem pœnæ. Quæ charitas,* inquit ibidem, *gratia est novi Testamenti.* Et in commentario epistolæ ad Galatas, cùm docuisset Iudæos opera bona ex timore fecisse, quo timebant præsenti vitæ suæ, utpote quam diligebant: *ideò*, inquit, *quædam opera legis implebant, quæ in sacramentis sunt*, id est, cæremonialia, *illa verò quæ ad bonos mores pertinent*, IMPLERE OMNINÒ *non poterant. Non enim implet ea nisi Charitas.* Et quænam illa Charitas? Quidnam respicit, quidnam diligit? *Quia & hominem si propterea non occidit aliquis, ne & ipse occidatur* (id est amore vel timore amittendæ vitæ suæ) *non implet præceptum iustitiæ: sed si ideò* NON OCCIDAT, QUIA INIUSTUM EST, hoc est, quia repugnat justitiæ quam diligit *etiamsi id facere possit impunè, non solum apud homines, sed etiam apud Deum.*

Quæst. 15. super Deuter.

In Epist. ad Galatas.

Ex quibus allatis Augustini testimoniis, aliisque non paucis quæ passim obvia sunt, perspicuè elucet, non modo non totam legem, sed nec unum impleri præceptum posse, sine dilectione seu charitate justitiæ, idque non impletione tantum supernaturali vel meritoriâ, sed ita ut oportet, hoc est, ita ut non divitias, honorem, regnum, vitamque suam temporalem & hujusmodi, quæ Pagani non minùs quam Iudæi diligunt, sed ipsum præceptum, hoc est, ipsam præcepti rectitudinem & æquitatem spectet animus: quam nisi spectet, hoc ipso necesse est eum à temporalium rerum quarumcumque desiderio superari. Nam tale *desiderium*, ut optimè statim August. dixit, *non extinguitur per iubentem litterã timore pœnæ*, sed per Spiritum DILECTIONE IUSTITIÆ. Et ut alibi dicit: *Carnalis cupiditas, quâ peccatũ augetur, cupiditate aliâ non sanatur.* Qui enim aliter præceptum implet, quam illa sublimi & spiritali dilectione justitiæ, qua adhuc animus careat, non exuit carnalem cupiditatem, sed mutat, imò ipsam justitiam, quam nondum diligit, pro rei quam diligit, assecutione paratus est prætermittere. Quod præclarè in ejusdem Epistolæ commentario sanctus Augustinus docet, quando dicit, *quod sub lege ante gratiam*, qui status Iudaicæ Synagogæ veterisque Testamenti proprius fuit, *prohibetur quidem* homo, *& conatur a peccato abstinere se*, nempè ex illo amore cujuscumque rei temporalis, *sed vincitur: quia nondum iustitiam propter Deum & propter ipsam iustitiam diligit, sed eam sibi vult* (præceptum servando) *ad conquirendum terrena servire.* Et quid sequi solet

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

In commentario epist. ad Galatas.

ex tali amoris perversitate? *Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam, ex alia commodum spiritale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit iustitiam. Quam propterea tenere conabatur ut haberet illud, quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit.* Oritur igitur non ex aliqua positivâ lege DEI, non ex aliqua extranea boni operis conditione, qua debeat esse supernaturale secundum substantiam, aut modum; aut meritorium, aut aliquid hujusmodi: sed ex ipsa natura rei, eo quod nullum præceptum impleri possit, ullius rei alterius amore quam dilectione justitiæ, quæ præceptum sanxit & ex qua latum fuit. Quicquid enim aliud animus, præceptum quasi servando, appetierit, justitia carnalis erit & animalis, qualis avarorum cum aliena restituunt, ne sua rapiantur. Animus quippe manet terræ affixus, & ex eo quod vellet, potiùs reus, quàm ex eo quod voluit, commendabilis. De quo præclarè idem Augustinus: *Quicumque inter* Iudæos, *faciebant quod lex iubebat, non adiuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant* (sub quo amor, ex quo nascitur ille timor comprehenditur) *non amore iustitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod hominibus apparebat in opere, potiusque in illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset impunè.* Hæc autem justitia in præcepto diligendo, non est alia nisi illa incommutabilis & æterna regula æquitatis; nec illa est alia nisi veritas & sapientia Dei, atque ipse Deus, quemadmodum alibi fusè ex professo demonstravimus. Ut proinde nihil mirum sit quod ex Apostolo toties Augustinus clamat: *Legem non implet nisi charitas. Plenitudo legis est dilectio.*

Lib. de Spir. & lit. c. 8.

Quę cùm ita sese habeant, jam consequenter liquet, quam incongruè dicatur, tam carnalibus animis gratiam affuisse sufficientem, præcepta morum ex ista sublimi & spiritali Iustitiæ dilectione servandi, quibus ideò hoc ipsum vetus Testamentum, terrenaque ipsius præmia promissa ac data sunt, quod (ut supra vidimus) spiritualium rerum incapaces essent. *Quia non poterant capere invisibilia, per visibilia tenebantur*, inquit Augustinus: *Carnalia promittebantur, quia spiritalia non capiebantur. Carnalia amabant, & nondum capiebant promissa cælestia*, inquit Augustinus: *Terrenis solis inhiant, qui meliora cogitare non possunt*, inquit de illis iisdem Augustinus. Quomodo igitur sufficientem gratiam habeant implendi legem, & quod multo mirabilius adipiscendæ salutis, qui meliora temporalibus capere, imò cogitare non poterant? Ex quo fit ut toties confidenter Augustinus dicat, quemadmodum supra declaravimus, quod sub lege *non erat gratia*; quod *non fuit qui adiuvaret*; quod *remanserat illis lex sine gratia*; quod *littera sine Spiritu reos faciebat*; *quod ubi gratia non erat auxit prohibitio desiderium*; quod *sub lege erant rei ante gratiam Dei*; quod *nondum accepta gratia, concupiscentiæ resistere non poterant*, & hujusmodi non pauca. Ex quo fit etiam ut consentaneè talis gratiæ subtractioni & Spiritus adjuvantis absentiæ dicat: *Sic illi* Synagogæ filii, *cohibendi fuerant à peccatis, usque*

Tract. 3. in Ioan. Evang. 22.

Lib. contra Adimant. cap. 18.

Lib. 4. de Civit. c. 34.

Quæst. 74. in Exodum.

utique timendo ne pœnas sensibiles paterentur, QUIA NONDUM POTERANT AMARE IUSTITIAM. Et quod huic impotentiæ conjunctum esse: *Quem Spiritum servitutis accipiunt, qui præcepta datæ legis implere non possunt, dum serviunt desideriis carnalibus.* Vsque adeò ut & ipsum Apostolum Paulum, quamdiu sub lege constitutus erat, sanctus Augustinus dicat fuisse *præcepti capacem, sed non efficacem, & ideo prævaricatorem legis.* Non quod Augustinus dicere

Lib. 1. ad Bonif. cap. 8.

A velit, homines improbos in hac vita mutari non posse, sed talem fuisse istorum hominum sub lege viventium internum animi statum, tantamque gratiæ sufficienter adjuvantis egestatem, ut spiritalem illam justitiam quam cogitare non poterant, amare non possent, neque consequenter præcepta legis adimplere, quæ impleri sine justitiæ dilectione non possunt.

CAPVT OCTAVVM.

Status veteris Testamenti figurativus & propheticus non afferebat Iudæis gratiam sufficientem, sed potiùs impedientem. Quanta fuerit in Iudæis servitus & ignorantia gratiæ, & Auctoris ejus.

NEC verò aliquis arbitretur ex isto A tam multiplici figurarum apparatu quibus Christum & gratiam ejus quasi prophetantibus Testamentum vetus abundabat, plus aliquid sufficientis adjutorij Iudæis accessisse. Qui hoc existimat, nondum ad liquidum istius naturam legis ac statum gentis intelligit. Nam quamvis auctor gratiæ, & ipsa gratia tot figuris undique oculos aure que ferientibus objiceretur, carnalibus tamen sensibus eorum ænigmata videbantur, atque erant abstrusissima. Fallitur enim qui putat, eis & Christum & gratiam ejus ita apertè fuisse prædicatam, quemadmodum sub nova lege prædicatur, ut eorum agnitio esset popularis: *Obtusi sunt*, Apostolo teste, sensus eorum: *Et usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Erant enim admodum pauci qui spiritalia in carnalibus præfigurata intelligerent, pauciores qui intellecta sperarent ac diligerent paucissimi quibus dilectio illa spiritalis per sufficiens gratiæ adjutorium corrigeret carnales mores, æternaque vitæ percipiendæ spiritali præceptorum observatione præpararet.

2. Cor. 3.

Nam ut de intelligentium paucitate pauca dicam. Non erat tunc tempus illa mysteria revelandi, in quibus cognoscendis ac diligendis est sita salus. Hoc enim novo Testamento & ejus Auctori servabatur. Vnde illud tam celebre sancti Doctoris pronuntiatum: *In veteri Testamento est occultatio novi, In novo manifestatio veteris.* Si enim in novo Testamento, quamvis æternæ saluti prædicandæ & largiendæ dedicatum sit, videmus tamen tam multis agnitionem veritatis, sine qua homines salvi fieri nequeunt, tot seculis subtractum esse, imò Spiritum sanctum vetuisse Paulo, *loqui verbum Dei in Asia & in Bithynia*, quid miramur illo tempore, quod celandis mysterijs datum fuit, ænigmata veteris legis carnalibus hominibus non fuisse revelata, imò prohibitos prophetas ne illa propalarent?

Lib. de Catechis. rudibus cap. 4.

Act. 16.

Vndè sanctus Augustinus audet ac non semel dicit: *Tempore servitutis,* (id est, veteris legis) *carnalibus animis nondum oportet signa revelari, quorum iugo edomandi sunt.* Et in libro contra Adimantum Manichæi discipulum: *Cùm adhuc non oporteret ante adventum Domini nudare populo legitimatum sacramenta figurarum, non invitabantur significata intelligere, sed iussa cogebantur implere. Nondum enim Deo inhærebant per Spiritum, sed per carnem legi serviebant.* Et in Psalmum septuagesimum primum: *Quia non demonstrabatur* (in veteri lege) *quæ fuerat eligenda, & præponenda felicitas, flos fœni pro magna habebatur. Nec solum minime contemnebatur, sed etiam maximè appetebatur.* Nempè omnia tempus habent. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus significandi quæ posteà erant manifestanda. Tempus manifestandi quæ antea fuerant significata: *Illud enim erat tempus significandi, hoc manifestandi,* inquit Augustinus. Ex B ista temporis diversitate nascebatur, quod illa signa futurorum perpauci intelligerent, spirituales videlicet quidam illique maximè quos Deus Spiritu prophetiæ illustraverat. Reliqua verò carnalium turba, nullum fructum ex eorum spiritali significatione caperet. *In occulto*, ait Augustinus, *illis omnibus rebus novum Testamentum figuratè prænuntiabatur & capiebatur intelligentiâ paucorum, quos eadem gratia prophetico munere dignos fecerat.* Et inferius in eadem epistola: *Timentes Deum homines veteris Testamenti propter litteram terrentem & occidentem, nondum habentes Spiritum vivificantem, currebant cum sacrificijs ad templum. Et quamvis in figuram futuri sanguinis quo redempti sumus, tamen nescientes quid per eas figuraretur, cruentas victimas immolabant.* Et in libro de catechizandis rudibus: *Quæ, signa rerum spiritualium, tunc à paucis Sanctis & intelligebantur ad fructum salutis, & observabantur ad congruentiam temporis: à multitudine verò carnalium tantummodò observabantur, non intelligebantur.* Et in libris de Civitate Dei: *Hæc lex distributione temporum data est, quæ priùs haberet promissa terrena, quibus tamen significarentur*

C

Lib. 3. de doct. Christi cap. 9.

Lib. contra Adimantum. cap. 12.

In Psal. 72. in fine.

Lib. 6. contra Faust. cap. 9.

Epist. 120. cap. 2.

Ibid. c. 12.

Lib. de catechiz. rudibus cap. 20.

Lib. 10. de Civit. c. 15.

Digitized by Google

tur æterna quæ visibilibus sacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci. Quam doctrinam ipse sæpissimè, velut capitalem alijs in locis repetit. Vndè generalem hanc alibi tradit esse notam filiorum veteris Testamenti, non intelligere figuras quas observare jubebantur; (novi verò observatas intelligere) quod vix alijs unquam tribuit, nisi forte paucissimis, præterquam Patriarchis & Prophetis: *Itaque & in illo primo populo sancti Patriarchæ & Prophetæ qui intelligebant, quod agebant, vel quod per eos agebatur, in novo testamento habebant istam spem salutis æternæ. Ad illud enim pertinebant, quod intelligebant ac diligebant; quia etsi nondum revelabatur, iam tamen figurabatur. Ad vetus autem illi pertinebant, qui non illic amplius quam promissa temporalia cogitata concupiscebant, in quibus æterna figurata & prophetata* NON INTELLIGEBANT.

Videlib. 18. contra Faust. c. 4. Annot. in Iob c. 30. Lib. 2 contra advers. legis & Prophet. c. 7. In Ps. 39. &c. Lib. 15. contra Faust. cap. 2.

Hæc itaque ignorantia filiorum veteris Testamenti causa fuit, ut non solum figuras rerum futurarum non intelligerent, sed etiam ita carnaliter acciperent ut sonabant auribus verba, & sacramentorum divinorum species oculis apparebat, ita videlicet ut ea sublimiorum rerum figuras esse nescirent: *Carnaliter,* inquit August. *accipiendo legem & eius promissa terrena rerum cælestium figuras esse nescientes, ad illa murmura corruerunt, ut dicere auderent, vanus est, qui servit Deo. Et quid amplius quia custodivimus mandata eius?* Nempè quia videbāt umbraticā illam felicitatē terrenam, quæ umbraticæ suæ justitiæ promittebatur, etiam apertam impietatem profitētibus tribui nesciētes eam esse tantum figuram veræ felicitatis, sicut eorum justitia erat figura justitiæ. Hinc ergò illa murmura carnalium: *Vanus est qui servit Deo.* Hinc illud, *Ergò nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem.* Hinc illud alterius sub nomine Synagogæ: *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Hinc illa querimonia: *Ergò sine causa iustificavi cor meum.* Quasi diceret, ait Augustinus: *Vbi est merces bonæ vitæ meæ? Vbi est præmium servitutis meæ?* Cum impij etiam promissâ meæ justitiæ mercede potiantur. Quorum sanè murmurum non alia causa fuit, quam quod istum cæremonialem veteris Testamenti apparatum, præceptorum atque præmiorum figuras esse nescirent.

Lib. 20. de Civit. c. 28. Malach. 3. Malach. 3. Ibid. Psalm. 72.

Ex qua quidem crassa hallucinatione alius error periculosior nascebatur, quo significantes figuras pro rebus ipsis per se utilibus venerabantur, uno meliores gentibus, quæ similibus cæremonijs religiosi cultûs inhærebant, quod per ista signa uni Deo subderentur, cui ea placere credebant. Vtrumque Augustinus expressit in libro de doctrina Christianâ: *Quanquam signa rerum spiritualium pro ipsis rebus observarent, nescientes quo referantur id tamen insitum habebant, quod tali servitute uni omnium quem non videbant placebant Deo.* Et paulò superius: *Quæ tamen servitus in Iudæo populo longè à cæterarum gentium more distabat: quandoquidem rebus temporalibus ita subiugati erant, ut unus eis in omnibus commendaretur Deus.* Vbi quod servitutem nominat eo sensu accipit, quo dicimus Iudæos serviliter coluisse Deum, Christianos liberaliter, servilisque cultus tanquam vitiosus opponitur liberali; sic enim servitutem illam sub signis non intellectis se accipere declarat, quando præmittit: *Ea demum est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse.* Et quando subjungit: *Sub signo servit qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem nesciens quid significet.* Et quando in epistolam ad Galatas dicit: *In observationibus autem si non intelligantur, servitus sola est, qualis erat in populo Iudæorum, & est usque adhuc.* Hujusmodi enim carnalis servitus illi carnali populo utilis erat hactenus, ut saltem formidine pœnæ, quam transgressoribus talium observationum sanxerat Lex; ipsoque timore reverentiæ, quem signa non exposita incutiunt parvulis, in cultu unius Dei retinerentur: *Nihil enim,* ut sanctissimus Doctor ait, *tàm perterret animam, quàm sacramentum non intellectum.* Cujusmodi sub signis *servitus illi populo adhuc utilis erat, ut sub timore custodiretur.*

Lib. 3. de doct. Christi cap. 6. Ibid. cap. 5. Ibid. cap. 9. In Epist. ad Galatas. Ibidem.

Quæ quidem servitus eorum sub signis non intellectis, non solum abstrusorum comparatione mysteriorum novi Testamenti locum habuit quorum fides non est ad salutem necessaria, sed in primis quoque respectu fontis gratiæ Christi Iesu, præter quem *non aliud nomen est, sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Et respectu ipsius gratiæ, sine cujus agnitione nemo adultus salvari potest. Nam ipsum Christum non alium vel figuris velatum, vel revelatum Synagoga credebat & exspectabat, quam purum hominem de semine David; non qui *redimeret populum suum à peccatis eorum,* ut fides Electorum credit, sed qui restitueret regnum ad exteros devolutum Israheli, atque eum à visibilibus hostibus tueretur. Testatur hoc Augustinus in expositione inchoata Epistolæ ad Romanos, cùm tradit quosdam non intelligere Christi divinitatem ab universæ creaturæ communione discretam, *Velut ipsi,* inquit, *Iudæi, qui Christum, filium David tantummodo opinabantur, ignorantes excellentiam, quâ Dominus est ipsius David, secundùm id quod est filius Dei.* Et libro secundo contra adversarium legis & Prophetarum, de Iudæis dicit, quod eum *Dominum ipsius David non secundum carnem, sed secundùm divinitatem intelligere non valerent.* Quod sanè ex ipso Evangelio satis manifestum est, ubi doctissimi Synagogæ propter ignorationem divinitatis Christi in illa quæstione succubuerunt, quæ quærebatur, quomodo posset esse simul Dominus David ac filius ejus? Nam *quamvis,* inquit Augustinus, *venturum Christum sperarent, secundùm hominem tamen eum exspectabant, non secundùm quod virtus est sapientia Dei.* Quid mirum autem quod Christi divinitatem in Prophetis prædicatam non intelligerent aut crederent

Act. 4. In expos. inchoata Epist. ad Romanos initio. Lib. 2. contra advers. legis & Proph. cap. 2. Matth. 22. In four Pss.

rent illi, quibus velamen erat positum super cor eorum, cùm post figuras veteres revelatas adhuc eam, ut Aug. notat, hæretici non intelligant? Propter hanc igitur divinitatis ejus ignorantiam, liberationem quoq; populi non nisi carnalem ab oppressione gentium exspectabant. Sic enim hoc Aug. in illo libro quem de tradenda rudibus Christiana Religione scripsit, verbis expressis tradit: *Posteaquam templum transactis septuaginta annis restitutum est, tantas pressuras & calamitates à Regibus gentium Iudæi perpessi sunt, ut intelligerent nondum venisse liberatorē* QUEM NON SPIRITALITER LIBERATURUM INTELLIGEBANT, SED PRO LIBERATIONE CARNALI DESIDERABANT. A cujusmodi opinione ac desiderio tanquam reliquijs Testamenti veteris necdum plenè Apostoli erant liberati, quando ab ipso cujus jam divinitas eis & immortalitas innotuerat, tamen interrogabant: *Domine si in tempore restitues Regnum Israël?* Illi verò Iudæi liberabantur, de quibus post ascensionem Domini credentibus dicit Aug. *Non erant jam illi temporalia beneficia, terrenumq; Regnum desiderantes à Deo, nec promissum Regem Christum carnaliter exspectantes*, quemadmodùm videlicet aliqui Synagogæ veteris Filij, à quibus jam fidei novitate differebant.

Tract. 48. in Ioann.

Lib. de catechiz. rudibus cap. 21.

Act. 1.

Lib. de catechiz. rudibus cap. 23.

Quapropter qui tam carnali fide & crassâ spe in Christum credebant, venturumq; sperabant, quid mirum si & spiritalem ejus gratiam tanquam ad benè vivendum necessariam prorsus ignoraverint? Imò verò quid illis opus gratia, qui non nisi carnalia servatæ legis præmia sperantes, nullam legis observationem, nisi quæ ex hujusmodi bonorũ desiderio flueret poterant suspicari? Vt enim carnaliter custodiatur lex, amor ac timor temporalium rerum sufficit; ad quos concipiendos affectus, nullum spiritalis gratiæ auxilium necessarium est. Quæ sanè causa est, ut veteri Testamento & Filijs ejus, sexcentis locis Aug. formidinem pœnæ tribuat, ex qua carnalis illa, de qua gloriabantur, justitia nascebatur. Fidebant enim viribus arbitrij, quas ex ista rerum promissarum cupiditate adesse sentiebant. Nam quanto cupiditas illa consequendorum temporalium, quæ in lege promittebantur, & amittendorum timor, est vehementior, tanto animus quoque robustior ad difficultates in custodienda carnaliter lege superandas. Sed sicut ista cupiditas filiorum veteris Testamenti non erat charitas illa spiritalis, ex qua, ut verè servetur lex, servari debet; ita Iudaica ista legis observatio carnalisq; justitia, non erat illa justitia, quæ spiritalis gratiæ postulat adjutorium. Vnde quoq; effectum est, ut quemadmodum ab ipso Christo, quatenus auctor gratiæ spiritalis erat, ita quoq; ab ipsa gratia non solum invocanda, sed etiam agnoscenda longo intervallo omnes hæredes veteris Testamenti distarent. Nam inde est, quod Aug. toties dicit: [a] *Gratiam in veteri Testamento fuisse occultatam*: [b] *Gratiam velatam latitasse*: [c] *Gratiam sicut in vellere latuisse*: [d] *Gratiam novi Testamenti in lege velatam fuisse*, & hujusmodi; quibus indicat gratiam in corpora-

a Vide epist. 120. c. 3. & 5.
b Libro de Spir. & Litt. cap. 15.
c Epist. 95.
d In Ps. 24.

lium promissionũ & ceremoniarum fece, tanquam in propheticis ænigmatibus tam obscurè tectam fuisse, ut à paucissimis ijsq; spiritualibus peteretur aut nosceretur. Vndè filios veteris Testamēti ab hæredibus novi proprio charactere discernens, omniaque pœnè quasi uno communi calculo consignans, quæ de illis hactenus disseruimus: *Ad Testamentum vetus, quod est à monte Sina in servitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui cùm acceperint legem sanctam & iustam & bonam* PUTANT SIBI AD VITAM LITTERAM SUFFICERE POSSE; ET IDEÒ, QUA FIANT FACTORES LEGIS, DIVINAM MISERICORDIAM (id est gratiam) NON QUÆRUNT: *sed ignorantes Dei iustitiam*, videlicet illam spiritalem, quæ ex gratia ac dilectione proficiscitur, *& suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Et quinam erant isti filij veteris Testamenti, an soli sceleribus manifestis contaminati? Audi eos consequenter duplicis generis, quos supra declaravimus. Ex *hoc genere fuit illa multitudo, quæ adversus Deum in eremo murmuravit, & idolum fecit; & illa quæ iam in ipsa terra promissionis fornicata est post Deos alienos. Sed hæc quoq; in ipso vetere Testamento valde reprobata est multitudo.* Ecce habes infirmos & improbos veteris legis. Accipe jam reliquos genuinos ejus filios, spe meliores, virtute provectiores: *Illi etiam quicumque ibi erant, sola quæ ibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, & quid pro novo Testamento ea ipsa significent ignorantes*, EORUM ADIPISCENDORUM AMORE, ET AMITTENDORUM TIMORE DEI *præcepta servabant, imò non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metusq; carnalis. Sic autem præcepta qui facit procul dubio invitus facit ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omninò non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus.* TALES ERANT FILII TERRENÆ IERUSALEM, DE QUA DICIT APOSTOLUS: SERVIT ENIM CUM FILIIS SUIS PERTINENS AD TESTAMENTUM VETUS.

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

Ibidem.

Cogitent nunc illi qui gratias ad peccata vitanda & ad benè vivendum, & ad salutem adipiscendam sufficientes tantâ liberalitate diffundunt, quam spiritalem gratiam quâ solâ concupiscentiarum carnalium impetus frangitur & superatur, ista carnalium turba, sola terrena desiderantium, & in præsenti futuraq; vita exspectantium, sola illa capientium, sola illa scientium habere potuerit ad servandam legem, cùm nec ipsam gratiam sibi necessariam, imò nec ipsum gratiæ adjutorium, nec ejus auctorem Christum, nec redemptionem aut liberationem ejus à peccatis scirent, per cujus tamen solam fidem, juxta sanctum Augustinum, accipi debet. Doctrina est enim apud August. constantissima, veram gratiam Christi à fide incipere, & per dilectionē operari non quamlibet carnaliũ rerum, quæ sive in hac, sive in futura vita desiderantur, sed ipsius justitiæ & rerum invisibilium, quibus immor-

taliter perfruatur. A quibus omnibus omnes omninò filij veteris Testamenti tam procul, quemadmodum demonstratum est, aberrant, ut Augustinus dicat, eos *timore visibilis pœnæ fuisse custoditos*, ne in idola laberentur, *quia nondum poterant ex invisibilium fide vivere*; utpotè quæ neque habebant in fide, neque in spe, neq; in dilectione, neque in agnitione; usque adeò quidem terreni atq; animales, ut quamvis resurrectionem crederent eadem omninò bona in futura vita sperarent, quibus in præsenti fruebantur. Vndè factum est ut gratiæ auctorem interfecerint, cùm eos à signis gratiæ, quibus tanquam rebus inhærebant, ad res significatas transferre niteretur: *Ideò qui talibus signis*, ait S. Doctor, *pertinaciter inhæserunt contemnentem ista Dominum, cùm iam tempus revelationis eorum venisset, ferre non potuerunt, atq; indè calumnias, quod sabbato curaret, moliti sunt Principes eorum.* Sabbatū autem non minima erat figura, qua gratia per sanctificationis auctorem danda tegebatur. Nam ut idem observat, *Ad latibulum eius gratiæ pertinet, quod in decalogo hoc solum præceptum figuratè occultatum est, quod ad sabbatum pertinet.* Videlicet quemadmodum subnectendo exponit, *ut hoc ipso significaretur tempus tunc fuisse occultandæ gratiæ, quæ novo Testamento fuerat per Christi passionem tanquam scissione veli revelanda.* Propter hunc igitur signi neglectum, & gratiæ per illud significatæ revelationem, principes veteris Testamenti Auctorem gratiæ occiderunt: *Populus verò signis illis tanquam rebus astrictus non credebat Deum esse, vel à Deo venisse, qui ea sicut à Iudæis observabantur nollet attendere.* Itaque utrique & populus & Principes liberi arbitrij viribus confisi, ad faciendam carnalem justitiam suam, datorem auxiliatricis gratiæ, tanquam non modo minime necessarium, sed etiam tanquam importunum medicum repulerunt. Qua de re præclarè Aug. tum alibi, tum libro de gratia &

In epist. ad Galatas.

Lib. 3. de doct. Christ. cap. 6.

Lib. de Spir. & litt. c. 15.

Lib. de doct. Christ. c. 6.

A libero arbitrio: *Quotquot ergò adiuncto solo adiutorio legis sine adiutorio gratiæ confidentes in virtute sua, suo Spiritu aguntur, non sunt filij Dei. Tales sunt de quibus idem dicit Apostolus quod ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere iustitiæ Dei non sunt subiecti.* DE IUDÆIS HOC DIXIT, QUI DE SE PRÆSUMENTES GRATIAM REPELLEBANT, ET IN CHRISTUM PROPTEREA NON CREDEBANT. Tales erant omnes omninò veteris Testamenti filij, gratiæ prorsus ignari; imò contemptores, quia propriarum virium, quibus carnalem justitiam operari poterant, præsumptores. Nam hoc ipso quo incipiebant agnoscere gratiam Dei sibi esse necessariam, & in Christum velut auctorem gratiæ, infirmæque naturæ adjutorem ad veram justitiam faciendam credere, ad novum Testamentum pertinebant, quamvis adhuc in veteri viverent. Velamen enim veterum figurarum,
B tollebatur ab oculis eorum, *Quoniam in Christo evacuatur*; & amor vetus tollebatur de cordibus eorum, quibus fiebat ut neglectis figuris ac temporalibus præmijs, ipsa veritate jam credita & intellecta, & æternitatis amore liberi fierent. Quæ omnia quisquis diligenter & intelligenter attenderit, nihil mirabitur cur toties tantaq; instantia doceat Aug. gratię adjutoriū & Spiritum adjuvantem hominibus sub lege defuisse, Litteram sine Spiritu ibi fuisse, & similia, sed potiùs mirabitur posteros suos, hominibus tam carnalibus, nihil nisi carnalia desiderantibus, atq; capientibus sine gratiæ fide, sine mediatoris Dei ac hominum agnitione viventibus, gratiā tam observandi præcepta, quam salutē spiritalem assequendi, tanta liberalitate tribuisse. Nam ubi fides, & cognitio gratiæ, & mediatoris, & verę justitiæ spiritalis, & finis propter quem exerceri debet, nulla est; profectò gratia custo-
C diendi præcepti, nulla est aut esse potest, prout mox adhuc uberius ex Aug. ostēsuri sumus.

Lib. de gra. & lib. arb. cap. 12.

2. Cor. 3.

CAPUT NONUM.

Status veteris Testamenti, ut talis, non erat justitiæ & salutis, sed potius peccati & mortis. Paucissimi justi sub illo Testamento & gratia sufficiente muniti. Gratia illa sub natura & lege cōtinetur.

SED jam diu submurmurantes mihi audire videor, quod omnes veteris Testamenti filios, non solum gratiâ servandi præcepta legis, sed etiam ipsius gratiæ & Salvatoris mundi fide destituerim, & in eo statu collocaverim, ut in universo illo populo nulla superesset spes salutis, sed omnes tempore Testamenti veteris, tanquam æternę damnationis rei ad interitum properarent.

Respondeo filios hæredesque veteris Testamenti à Dispensatoribus ac Gestoribus veteris Testamenti distinguendos esse. Nam *qui propter terrena*, ut inquit Augustinus, *suscipit legem Dei, ipse est hæres veteris Testamenti*, & filius ejus. Cujusmodi hominem quis participem illius spiritalis æternæque salutis esse dixerit, nisi terrenis desiderijs excœcatus? Talis est enim non Evan-

Lib. de gestis Pelag. c. 5.

A gelica fide & charitate liber, sed carnalium rerum cupiditate servus. Nec sine causa scriptum est: *Eijce ancillam & filium eius. Non, enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Hoc est, juxta Apostolicam doctrinā, Eijce filios veteris Testamenti tanquam servos carnalium desideriorum ab hæreditate cælesti, non enim erunt divini hæredes patrimonij, cum filijs liberæ & cælestis Ierusalē, quæ est mater nostra. Vt meritò propterea supra dixerit Augustinus de Iudæis & quotquot eis erant similes, quod *terrena tantummodo exspectantes à Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritualem cælestis patrimonij.* Quam ob causam instantissimè passim docet eos qui sola lege, tanquam Testamenti illius adjutorio, contenti, bonis terrenis sibi promissis inhiantes, benè sibi vivere videbantur, intus in voluntate fuisse gra-

Ad Galat.

In epist. ad Galatas.

Vide lib. 1. ad Bonif. cap. 9.

gravium peccatorum reos. Ex quo numero nec ipsum S. Paulum excludit, quando in lege sine querela conversabatur. Cùm enim describeret ex Apostolo quales fuissent homines ante gratiam Dei, mortui videlicet delictis & peccatis facientes voluntatē carnis & affectionum &c. simul adjicit; *Talis Saulus fuit, quando secundùm iustitiam quæ in lege est, sine querela fuisse se dicit* quod ibidē plurimis confirmat.

Ibidem.

Gestor verò aut Dispensator veteris Testamenti est, qui tempore veteris Testamenti vivens, figurativa ejus præcepta promissaque non spernit, sed in eis tanquam in signis quibusdam prophetantibus intelligit, diligit atque exspectat novum. Hoc est, qui quamvis promissam sibi terrenam felicitatem videat, non tamen propter illam suscipit custoditq; legem Dei, sed propter cælestem, quam in illa figuratam credit: *Si enim propter illam* terrenam *colatur Deus, servilis est cultus, pertinens ad filios ancillæ. Si autem propter ipsum Deum, ut in æterna vita sit Deus omnia in omnibus, liberalis est servitus pertinens ad filios liberæ, quæ est mater nostra æterna in cælis.* Tales itaq; quotquot erant in illis temporibus in illo populo gestores, erant & dispensatores Testamenti veteris, sed hæredes novi; nec ullo modo filij veteris Testamenti nuncupandi sunt. Non enim erant temporalium promissionum cupiditate sub signis nonintellectis servi, sed signorum vaticinantium intelligentia cælesti fide & spe & charitate liberi: *Qui enim operatur, aut veneratur utile signum divinitùs institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potiùs quo talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritalis & liber est, etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet illa signa revelari, quorum jugo edomandi sunt.* Sic filios veteris Testamenti à dispensatoribus ac à gestoribus ejus, non semel distinguit Augustinus. Quapropter quicquid hactenus de Iudæis sub veteri lege constitutis diximus, de veris & genuinis hæredibus atque filijs illius Testamenti diximus, quod in monte Sina datum fuit. Nihil enim in illo Testamento, & cum illo Testamento, nisi litteram jubentem ac minantem, figuras obscurè significantes, quas non intelligerent, carnalesq; promissiones acceperunt, dilexerunt & exspectarunt. Et quia natura Testamenti illius ac status populi, & conditio temporis illius talis fuit, hinc penè omnes in ista carnalitatis obscuritate crassitieque versabantur. Vt non immerito dixerit Augustinus, Ierusalem vocatam fuisse *sanctam merito significantis imaginis, non expressæ, sicut futura est, veritatis.*

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

Lib. 3. de doct. Christ. cap. 9.

Vide lib. 22. contra Faust. cap. 79. & lib. 15. c. 2.

Lib. 15. de Civit. c. 2.

Nec dissimulat id quod ex eis quæ hactenus diximus, perspicuè sequitur Testamentū illud vetus parvæ fuisse veteribus utilitatis, magisque Christianis, quibus illa multiplicia signa revelata sunt, quam Iudæis profuisse. Nam de Propheticis signis loquens: *Quando scribebantur hæc non ita proderant eis inter quos scribebantur. Scribebant enim ad prophetandum novum Testamentum inter homines qui vivebant ex veteri Testamento.* Hinc sacramenta visibilia in armis David significata, vocat *arma prementia non adjuvantia*, ipsosque libros Moysis, quibus totum illud Testamentum continebatur, *Lapides inutiles*, qui *vacabant, nihil proderant*, ipsamque legem *inutilem*. Nempè quia per solam gratiam prodesse poterant, sine qua lex illa potiùs iram in hominibus veteribus quam observationem operabatur. Itaque libro sexto contra Faustum non veretur dicere, vetus Testamentum fuisse *magis propter nos, quibus manifestatur, quam propter illos, in quibus figurabatur.*

In Ps. 101. Conc. 1. in fine

In Psal. 143.

Lib. 6 contra Faust. cap. ult.

Hic ergò status veteris Testamenti, & generatim loquendo, populi Iudæorum, quem ex Augustino delineavimus, vera ratio est, cur etiam longè secus ipse quam recentiores, de justis illius temporibus Philosophetur. Non enim, ut plerisque Christianorum persuasum esse video, Iustitia & sanctitas, quæ ex fide Christi mediatoris, præceptorumque Dei observatione nascitur, vulgaris erat, nec in aliquo populo, quemadmodum nunc, fidei salvantis gratiam profitente, sed in paucis illa videlicet signa gratiæ intelligentibus reperiebatur, prout idem diversis locis docet: *Hæc militia fidei, quia non pro merito data est hominibus, sed pro misericordia & gratia Dei, non erat popularis, antequam Dominus homo inter homines nasceretur.* Et libro de catechizandis rudibus: *Erant ibi pauci futuram requiem cogitantes, & cælestem patriam requirentes, quibus prophetando revelabatur, futura humilitas Dei Regis, & Domini nostri Iesu Christi, ut per eam fidem ab omni superbia & tumore sanarentur.* Et nonnullis interjectis in eodem libro: *Quæ sacramenta visibilia veteris legis, tunc a paucis sanctis & intelligebantur ad fructum salutis, & observabantur ad congruentiam temporis, à multitudine vero carnalium tantummodo observabantur non intelligebantur.* Et in libris de Civitate Dei: *Visum est enim* (gentis Hebrææ) *etiam temporalibus pœnis ad exercendos in ea paucos fideles suos, & admonēdos, qui postea futuri erant in omnibus gentibus* Christianos. Itaq; sanctitatem illam ferè restringere solet ad Patriarchas & Prophetas, quibus ex populo perraros aliquos subindè adjungit, ideoque paucissimos eos plerumque vocato. Nam in epist. ad Galat. *Semen*, inquit, *cui promissum est, populum significat*: hoc est totam illam magnam multitudinem Christianorum; *non illos paucissimos qui revelationibus ea futura cernentes, quamvis per eandem fidem salvi fierent, populum tamen salvum facere non poterant.* Et paulò post iterum vocat, eos *Paucissimos qui ex Domini fide per prophetiam ante ambos adventus ejus salutem gratiæ perceperunt.* Et in libro de catechizandis rudibus: *Vt jam spiritalis gratia, quæ paucis tunc Patriarchis & Prophetis nota erat manifestaretur omnibus gentibus: ne quisquam Dominum nisi gratis coleret, non visibilia præmia servitutis suæ, & præsentis vitæ felicitatem, sed solam vitam æternam, in qua ipso Deo frueretur, ab illo desideraret.* Et inferius: *In quo* Testamento vetere, *carnalis populus agens hominem veterem, exceptis paucis intelligentibus Patriarchis, & Prophetis, & nonnullis laten-*

In epist. ad Galatas.

Lib. de catechizandis rudibus c. 19.

Ibid. c. 20.

Lib. 19. de Civit. c. 2.

In Epist. ad Galatas.

Ibidem.

Lib. de catechizandis rudibus c. 22.

rari. Quid ergò mirum quod cùm Apostolus & Augustinus aliam omninò gratiam postulent, quam opponant legi, & cujus virtute fiat ut lex non operetur iram, non occidat, non sit ministratio mortis & hujusmodi; illam sufficientem tanquam inutilem prætererint, abjecerint, non agnoverint? Vel si ignoraverint, sub lege, cujus omnes effectus habet, comprehenderint? Nam indè est illud: *Qui novit quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundùm legem: non secundum Spiritum, sed secundum litteram.* Et illud ibidem non minus efficax & perspicuum:

Lib. de grat. Christi c. 13.

A *quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoq; perficiat.* Quibus profectò sententiis nihil evidentius dici potest, ut omnem illam recentiorum sufficientem gratiam se indicet sub lege & littera, non sub Spiritus gratia comprehendere. Cap. 14.

Et ista de Iudæis & eorum gratia sufficienti. Nunc quia eandem sufficientiam adjutorii quidam etiam ad excœcatos & obduratos, adeoque cunctos infideles extendunt, quid de talibus tradiderit, paucis perstringendum est.

CAPVT X.

Excœcati & obdurati carent gratia sufficienti, qua videant & moveantur ad bonum.

QVA quidem de re non est nobis magnoperè laborandum, nisi plus studii quosdam suscipere constaret, ad obscurandum ea quæ in August. scriptis manifesta sunt, quàm ad ea quæ obscuriora sunt illustranda, ne aliquod præconceptis opinionibus tantus Doctor afferat præjudicium. Nam tot modis ille tantáque claritate docet, excœcatos obduratosque sufficienti adjutorio divinæ gratiæ nudatos esse, qua possint, vel videre, vel credere, vel rectè vivere, vel peccata vitare, ut satius esset illis fateri se sensa ejus vel non intelligere, vel nolle sequi quam privatæ sententiæ studio manifesta perturbare. Nam in primis, quamvis nihil aliud Augustinus de obduratis & excœcatis traderet, quàm Deum illorum nolle misereri, nolle gratiam infundere, eos deserere, non adjuvare, deesse illis divinæ gratiæ adjutorium, & hujusmodi, nonne satis esset ut intelligeremus eos gratiâ sufficiente destitui? Sic ergò de illis Augustinus non semel loquitur. Nam in quæstione secunda libri primi ad Simplicianum, sic definit obdurationem: *Ut obduratio Dei sit nolle misereri.* Et inferius: *Ut ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent.* Quod in epistolam ad Romanos dicit: a *Obdurans deserendo ut malè operentur.* Et in tractatibus in Ioannem: b *Sic excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* Et rursum: *Cum quæstiones hujusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic, quare ille Deo deserente excæcetur ille Deo adjuvante illuminetur, non nobis judicium de judicio tanti judicis usurpemus.* Et ibidem iterum: *Absit ut sit iniquitas apud Deum, sive quando adjuvat, misericorditer facit, sive quando non adjuvat, justè facit.* Undè alibi excœcatum vocat, *Desertum omni lumine veritatis.* Et de utrisque obduratis & excœcatis simul: *Hinc excæcantur & indurantur, quia negando divinum adjutorium non adjuvantur.* Et alibi in Psal. exponens, quid sit frigus Dei ex quo sequitur desertio Dei: *Ecce,* inquit, *deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.* Si nihil igi-

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.
a In Expos. quarundam Propos. in Epist. ad Romanos 62.
b Tract. 53 in Ioann.
Ibidem.
Lib. de perf. just. cap. 19.
Tract. 53. in Ioann.
In Ps. 147.

A tur, ut dixi; aliud haberemus, quam ista & hujusmodi quibus Augustinus ad explicandam obdurationem & excœcationem utitur, non satis esset ut talibus gratiam sufficientem subtractam esse sciremus? Quid enim absurdius quam dicere, quod Deus eos deserat, non adjuvet, omni lumine destituat, non vocat, quod eis non aperit sensum, non miseretur, non infundit gratiam, quibus sufficientem tribuit? An eousque fortè delirabimus, ut sufficientem gratiam, nec adjutorium, nec gratiam, nec misericordiam, Dei esse dicamus? Huc sanè prudentes viri compelli se sinunt, dum negare malunt quicquid sibi in Augustino adversatur, quàm vera quæ senserit confiteri.

Sed non in istis generalibus locutionibus, quamvis perspicuis, Augustinus stetit. Docet enim consequenter plurimis locis, ita deseri B excœcatos atque obduratos, ut bonum quod eis volendum aut faciendum est, facere ac velle, imò cernere non possint. Quod non aliud profectò est quam eos ab adjutorio sufficienti prorsus deseri; utpotè cujus proprius effectus est, posse facere, posse velle, posse cernere. Voluntas enim eorum divino lumine & calore destituta, tam glaciali frigore constringitur ad volendum malum, ut bonum præ duritia nolendi, velle non possint; quia voluntatem, Deo gratiam non infundente, mutare non possunt. Asserit hoc exponitque diversis locis August. Nam in illo ipso proximè citato cùm dixisset: *Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam,* vim desertionis illius statim explicãdo subtexit: *Solvatur homo si potest gratia, non potest stultitia. Quare non potest? In faciem ejus quis subsistet?* Sive ut nos legimus, *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Hoc est, ut iterum explicando subjicit: *Quis seipsum liberabit, si ille deseruerit?* Et in lib. de perfectio- C ne justitiæ: *Quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit,* QUI DESERTUS OMNI LUMINE VERITATIS HÆC VELLE NON POTEST. Et in quæst. in Matth. *Cogimur fateri aliqs quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse, quia tamen excæcatione* NON POTUERUNT CREDERE. Et mox iterum: *Credere non poterant quia excæ-cati*

In Ps. 147.
Lib. de perf. just. cap. 19.
Quæst. 14. in Matth.

Digitized by Google

Lib. 2. de serm. Dom. in monte c. 9.

cati erant. Et l. 2. de serm. Dom. in monte. *Nec intuentes non enim possunt, cùm superstitione & contentione cæcati sunt &c.* Et sanè qui fieri potest ut cœcus videat? Si enim adhuc vidēdi sufficientē habet gratiam & consequenter potestatem cujus conferendæ causâ gratia talis adesse fingitur, profectò non jam cœcus est. Quod Augustinus sæpè insinuat, nonnunquam etiam apertissimè profitetur.

Lib. 11. contra Faust. cap. 7.

Illud miror non attendere homines cæcos, vel potiùs, non miror non videre cæcos. Et in libris de Civitate Dei:

Lib. 17. de Civit. c. 19.

Quid ergò mirum si hæc manifesta non vident, quorum oculi sunt obscurati ne videant? Quid mirum si cælestia non inspiciunt qui ut in terrena sint proni, dorsum eorum semper incurvū est? Vbi quod hîc nominat *oculos obscuratos*, in Psalmum istum scribens

Comment. in Psalm. 68.

ad quem alludit, *cor cæcum* vocat. Quam videndi impotentiam ut efficacius exprimeret, oculos eorum extinctos esse nec videre posse, non semel asserit. Nam in Psalmum **B** quinquagesimum septimum de excœcatione tractans eorum qui ab Apostolo sigillantur:

In Psal. 57.

Vt de illa, inquit, sola loquamur pœna, obscuratio cordis, excæcatio mentis parva est pœna? Si quis furtum faciens, statim oculum perdidisset, omnes dicerent Deum præsentem vindicasse. Oculum cordis amisit, & ei pepercisse putatur Deus? Et in fine istius commentarij: *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Si autem non habeat oculos unde videat vindictam*, id est si excœcatus est, *contristabitur nec corrigetur ex illa.* Et paulò post causam

Ibid. inferius.

hujusmodi duritiei reddens: *Sed iam est mentis cæcitas, iam oculus mentis extinctus est. Si cæcus oculis carnis ad mensam suam quamlibet opimam discumberet, miserum eum diceres. Cæcus interius, panem Christum non videt, & beatus est? Hoc non dicit nisi pariter cæcus.* Quæ cœcitatis istius cum corporali comparatio, imò ipsum solum cœcitatis nomen plus aliquid profectò dicit quam aversam à videndo volūtatem, scilicet videndi impotentiam, quæ etiam accedente videndi voluntate tolli nequeat. Vnde cùm Pelagius omninò similem semper videndi, imò & benè vivendi possibilitatem **C** homini peccatori adesse vellet, quæ nullius pœnæ inflictione tolli posset, respondet ei Augustinus, amitti non solum videndi possibilitatem, sed etiam illam non posse vi vo-

Lib. de nat. & grat. c. 51.

luntatis auferri: *Posset*, inquit, *& medicum quærere* (si videlicet natura de cetero mansisset salva, sicut præmiserat) *qui cæci oculos sanaret, & videndi possibilitatem restitueret, quæ fuerat amissa per cæcitatem*: QUONIAM COECUS PUTO QUOD VELIT VIDERE SED NON POTEST. *Si autem vult & non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas.*

Enimverò qui possit adesse homini sufficiens gratia tollendi suâ voluntate cœcitatem, equidem nescio. Nam quamvis nemo, nisi meritis gravium peccatorum, quæ suâ **D** voluntate commisit, excœcetur, postquam tamen illa perpetrata sunt, non est amplius humanæ, sed divinæ voluntatis ut cœcitate careat aut plectatur. Est enim pœna quæ ex divino pendet judicio, de cujus ratione est, ut sit involuntaria. Quæ omnia significa- **A** vit breviter Augustinus, quando contra Iulianum scripsit:

Lib. 1. contra Iul. operis imperf. c. 41.

Eademq; cæcitas si peccati pœna non esset, non diceretur: Excæcavit enim illos malitia illorum. Quod si de Dei iudicio non veniret, non legeremus, obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorū semper incurva. QUIS PORRÒ VOLENS COECUS EST CORDE, CÙM VELIT NEMO COECUS ESSE VEL CORPORE. Vndè alibi pœnam excœcationis haud secus atque obdurationis, à diuina voluntate suspendit:

Lib. 2. contra Advers. legis & Prophet.

Ille igitur qui secundum Apostolicam sententiam, cuius vult miseretur, & quem vult obdurat; procul dubio quem vult illuminat, & quem vult excæcat. Quemadmodum igitur cœcitatis inflictio à divinâ pendet voluntate, ita cœcitatis permāsio. Est enim talis pœna quæ non solum videndi possibilitatē tollit, & hoc ipso gratiam videndi sufficientem excludit, sed etiam solâ divinâ voluntate rarissimam gratiam infundente removetur, juxta illud Augustini:

Lib. 5. contra Iul. c. 3.

Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est quo in Deum non creditur. & pœna peccati qua cor superbum dignâ animadversione punitur. & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Hæc autem rarissima gratia qua cœcitas dispelli, & peccata ex cœci cordis errore necessariò nascitura vitari possint, judicio Dei nunc multis deest, quia pœna est, prout hoc Augustinus absolutâ auctoritate definit; non de excœcatis & obduratis tantum, de quibus ipse nunquam vel dubitavit, sed generaliter de multis alijs peccatoribus, quibus Deus illud negandum esse occultâ æquitate constituit:

Lib. de corr. & grat. c. 11.

Si hoc adiutorium vel Angelo vel homini cùm primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidisset. Adiutorium quippè defuisset sine quo manere non possent. Nunc autē quibus deest tale adiutoriū iam pœna peccati est. Quibus autem datur secundùm gratiam datur, non secundùm debitum. Qui locus præcipuè, cuidā recentiori

Vasquez in 1. part. disp. 97. c. 2. 3. 6.

tam luculentus visus est, ut quamvis sufficientē omnium gratiam ex professo defendat, Aug. tamen contrarium docuisse, Prosperumque & Fulgentium ei adhæsisse, nec se ad ejus loca respondere posse apertè fateatur. Quid enim ad præcedētia loca de videndi impossibilitate quæ cœcis à Deo inflicta est, & ab ipso solo tolli potest, & ad illum in primis postremū responderi cum aliqua probabilitate possit, ignoro. Comparat enim primum hominem cum sua damnata posteritate: quorum illum apertissimè dicit, deficiente adjutorio quo posset manere, si vellet, sine culpa casurum: Ejus verò posteritatem non posse obtendere suam innocentiam, si sibi illud deest, quia pœna peccati est quòd subtrahitur, gratia quòd donatur. Et ista ratio & radix est, cur sexcentis locis contra Pelagianos doceat, quod alij juvantur alij non juvātur, divini esse judicij. Quo nihil aliud docet quam quod loco citato docuit, justè videlicet quibusdam gratiam subtrahi, sine qua impossibile est, justum manere, & injustum rectè vivere & peccata vitare, quamvis velit.

Ex

Ex ijs quæ jam diximus consentaneum esse facile videt quisquis Augustini principijs innutritus est; excæcatis & obduratis deesse sufficientem gratiam, non solum eam qua cordis oculis videant veritatem; eamque mollitâ voluntate sectentur, sed etiam eam qua peccata cavere possint, quæ ex istis principijs proficisci solent. Quod non minus perspicuè & constanter quam præcedentia sanctissimus Doctor adversus Pelagium tradit, qui pœnas istas, peccatorum causas esse posse nesciebat: *Nec cogitat*, inquit *prævaricatorem legis, quàm dignè lux deserat veritatis, qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat ut ideò tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Rectè *admoneatur*, dicit, nam quamvis hujusmodi admoneatur non lege solum, sed & doctrinâ & prædicatione & correptione, non propterea reipsa invocat Salvatorem. Legem enim talibus, doctrinam & prædicationem & correptionem proferre, officia sunt benignitatis humanæ, quæ frustra cæcis & surdis adhibentur, nisi altius misereatur Deus: *Quibus enim Deus irascitur, quid misericordia conferet humana?* Nam ut sapiens

Lib. de nat. & grat. c. 22.

In Psal. 77.

A dicit: *Considera opera Dei quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Hinc igitur ad huc in eodem libro explicans Augustinus excæcatorum insufficientiam ad vitanda peccata: *Deserti*, inquit, *luce iustitia, & per hoc contenebrati quid pariant aliud, quam hæc omnia, quæ commemoravi, opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant, surge qui dormis &c.* Et adhuc inferius illud explicans: *Ad peccatum valet mors animæ, quæ necesse est mortua opera faciat, donec Christi gratiâ revivescat.* Hinc ergò ex ista cordis cæcitate & voluntatis obduratione nascitur præcipuè quædam peccandi necessitas, quam Augustinus multis in locis ex professo docet quæ non est aliud quam quædam impotentia seu insufficientia cavendi peccata, tentationesque superandi, nec aliundè nascitur, quam ex eo quod sufficienti illo adjutorio deseruntur. De qua peccandi necessitate, B quia multa superius diximus, eadem iterare supervacaneum duco: cùm hæc sufficiant ad illam sanè mirabilem Scholasticorum opinionem Augustini auctoritate refellendam, qua sufficiens illis adjutorium divinæ gratiæ, tantâ profusione, nulla divinæ severitatis consideratione præbuerunt.

Eccles. 7.

Lib. de nat. & grat. c. 23.

Ibidem.

Vide dicta lib. 3 de statu naturæ lapsæ penè tot. & maximè cap. 18 item lib. 2. c. 2. § 4.

CAPVT XI.

Infideles carent gratia sufficienti ad salutem tàm proxima quàm remota, & omnibus principiis ejus.

NVNC de infidelibus aliquid adjungendum est. Putant enim nonnulli Scholastici etiam illis omnibus, vel semper, vel certis temporibus auxilium sufficiens dari, quo salvari possint. Sed quia salus à fide incipit, auxilium sufficiens ad salutem erit ut minimum sufficiens ad credendum. Nullum est autem sufficiens ad credendum, nisi adsit credendorum propositio, & supernaturalis aliqua voluntatis excitatio. Porrò quia non nisi gratis ac temerè dici potest, talem omnibus infidelibus dari; imò quia satis certum est etiam per experientiam, quibusdam tale quid neque vigilando, neque somniando in mentem venisse unquam, & certissimum, non semper intus excitari & illuminari mentem eorum, hinc facile admittunt non semper illud auxilium sufficiens ad salutem esse præsto in actu, esse tamen in eorum vel proximâ vel remotâ potestate. Nempè quia saltem possunt non ponere impedimentum divinæ vocationi, quod si facerent non peccando, sine dubio vocarẽtur ulterius, peccando autem reddunt se incapaces gratiæ sublimioris. Tale auxilium enim ad non peccandum ferè omnes unanimiter adesse etiam infidelibus volunt; utpotè sine quo peccatum eis non posset ad culpam imputari. A quibus auctoribus si quæras, cujusmodi istud auxilium sit, alij dicunt esse cogitationem aliquam etiam ab

Vide Vasq. in 1 partem disp. 97. & Suarez. l. 4. de prædest. cap. 3. n. 19. & 20.

Vide & Bellarm. lib. de grat. & lib. arb. cap. 7.

A objectis naturalibus suscitatam, alii aliud, ut diminutionem virium adversarii, amotionem occasionis qua tentamur, terrorem, blandicias objecti alterius, alii generaliter aliquod adjutorium gratiæ *naturalis* in substantia. Itaque moles disputationis eo redit, utrum infideles hujusmodi auxilium sufficiens ad non peccandum, & consequenter ad salutem æternam adipiscendam habeant.

Vide Vasq. sup. & in disp. 18. c. 4. 15. & ...

Ita Bellarm. supra.

Suarez supra & Vasquez.

Et quidem eos omni tali gratia carere, nullam in Augustini principiis dubitationem continet. Quicquid enim diximus, ut Iudæos gratia sufficienti servandi præcepta legis caruisse probaremus, multò validius in Infidelibus locum habet, prout res per seipsa clamat. Quid per se absurdius quam quod illi gratiam sufficientem ad præcepta custodienda habere statuantur, qui & ignorant pleraque præcepta, & eorum legis-latorem B Deum; illi verò careant, quibus & sui, & præceptorum suorum agnitionem dedit? Nam præter eandem illam ingentem tentationum superandarum impotentiam ex libidinibus profectam, quæ in omnibus infidelibus pariter ac Iudæis reperitur, accedit prætereà profunda rerum agendarum cavendarumque ignorantia, qua de tenebris in tenebras cadunt, hoc est, ex uno peccato in aliud præcipitantur. Hæc autem peccata, vera peccata sunt, quamvis ignorantiam illam dissipare non possint, prout latè in præcedentibus

Vide latè supra hoc libro c. 4. & 5.

tibus demonstravimus. Quid ergò talis fecerit, ut gratiam assequatur, qui etiam tum peccat, quando non est conscius se peccasse.

Sed ex alio quoque capite doctrina ista manifesta est. Nam quemadmodum est quidam status sub lege, qui Iudæorum proprius fuit, ita & alius quidam est ante legem, qui ex propria sua ratione competit Infidelibus. Quamvis nihil vetet etiam infideles esse sub Lege, sive naturali, postquam eam sibi sublucentem agnoverint, sive scripta, si eis lata quoquo modo fuerit. Vterque verò status expers gratiæ est, & ab Augustino vocari solet, *ante gratiam*, ut per hoc ipsum significet utrumque statum carere gratia non solum faciendi bonum, sed gratia de qua potissimum satagit Augustinus, non faciendi id quod prohibetur malum, seu non consentiendi carnalibus concupiscentiis quibus à Dei præceptis adimplendis potentissimè revocamur. Itaque sæpissimè docet, in illo statu nullam esse vel pugnam cum concupiscentiis, quibus libet id quod non licet, sed eas hominem etiam approbare & libenter sequi. Ignorat enim ante acceptam legem eos esse malas aut respuendas: *Prima est actio*, inquit, *ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cùm peccatum ignoramus & sequimur carnales concupiscentias &c.* Et iterum: *In prima actione quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus seculi.* Et in epistolam ad Galatas: *Ante legem non pugnamus, quia non solum concupiscimus, & peccamus, sed etiam approbamus peccata.* Sed quia latissimè ex Augustini scriptis alibi illud idem comprobavimus, supervacaneum est hic repetere. Videantur ea quæ loco in margine citato diximus. Ostendimus enim duos illos status, sub quorum altero necessariò infideles vivunt, non solum omni gratia Christi destitutos esse ad cavendas superandasque peccatorum tentationes, sed etiam in statibus illis deesse arbitrio libertatem, ad bonum, hoc est, arbitrium voluntatis non esse liberum ad faciendum aliquem actum bonum, sed tantummodo ad malum, utpotè quod sub libidinibus, rerum terrenarum & carnalium servum captivumque teneatur, à quibus nisi per ipsam solam fidem liberatoris Christi, liberari nullo pacto potest.

Lib. 83. qq. quæst. 66.

In epist. ad Galatas.

Vide dicta fusè lib. 3. de statu naturæ lapsæ c. 6.

Vide c. 3. 4. 5. &c. usque ad 13.

Tertiò probavimus fusè in præcedentibus, nullum omninò bonum moraliter opus, hoc est, nullum opus quod non sit peccatum ab Infidelibus posse fieri, sed quicquid faciant, quoquo modo se vertant, quamcumque rectam meditentur operationem, totum in eis perversi amoris cupiditate contaminatum esse, *& ex vulnere in vulnus surgere*, utpotè qui quamdiu infideles manent, ipsis principiis faciendi moraliter boni careant. Hæc autem principia duo sunt: Primum est dilectio Dei seu justitię, quæ in omni opere etiam moraliter bono dominari debet, atq; ita dominari ut nisi adsit, non nisi peccatum futurum sit opus, quod ex alia quacumq; dilectione nascetur. Qua de re vide quæ latè eodem illo libro, itemque alio de statu puræ naturæ diximus. Nam illa dilectio Dei seu justitiæ nullis omninò viribus naturæ, sed per solam & magnam gratiam Christi Salvatoris haberi potest. Hinc enim proficiscitur illa solemnissima sancti Præsulis doctrina, quam ex Apostolo derivavit, de qua etjam superius diximus, quod *Dilectio sit plenitudo legis*, hoc est, per solam dilectionem justitiæ lex quæcumque sive tota sive pars ejus, sive quodcumque præceptum impleri potest, ut animus non sit peccati vel interius vel etjam exterius perpetrati reus. Porrò ista Dei & justitiæ dilectione infideles omninò destituti sunt, quia Deum verum ignorantes, sua quæ intus vel extra fabricant idola pro Deo suo venerantur. Ex quo consequenter fit, ut nullum opus bonum, nulla vera tentationis ullius superatio, quæ non nisi istius cœlestis divinæque dilectionis fructus est, in illis esse possit. Quidquid enim faciunt, non ex amore Creatoris, sed creaturæ cupiditate fluit: *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Et ex illa creaturæ cupiditate nasci non potest fructus bonus. Quia, ut Augustinus: *Sine hoc amore Creatoris, nullus quisquam benè utitur creaturis. Non enim*, ut alibi tradit, *fructus est bonus qui de charitatis radice non surgit.* De quibus omnibus principiis alibi fusè disseruimus. Cùm ergò non habeant infideles gratiam sufficientem diligendi Deum, quos & ipsa agnitio & fides Dei deficit, profectò non habent gratiam sufficentem benè operandi.

Vide lib. 4. de statu naturæ lapsæ à cap. 6. usque ad 18.

Vide lib. citato à c. 16. usque ad 24.

Vide libro 1. de statu puræ naturæ à c. 5. usque ad cap. 11.

In Enchirid. cap. 117.

Lib. 4. contra Iul. cap. 3.

Vide l. 2. de statu naturæ lapsæ à c. 11. usque ad 16. & l. 3. maximè à c. 16. usque ad 24.

Et lib. 1. de stat. puræ naturæ à cap. 5. usque ad 11.

Secundum principium boni operis, quo infideles carent, est fides veri Dei, & Christi ejus, sine qua fide impossibile est vel servare legem, vel cavere peccata, vel præceptum facere, vel tentationem superare. Illà fide eos carere manifestum est, quia indè propriè infideles nominantur. Hanc autem fidem ad benè operandum esse necessariam, non solum supernaturaliter vel meritoriè, prout hoc à posteris excogitatum est, sed ad operandum ut oportet, hoc est, ita benè ut sit verè opus bonum seu non malum, constanter Augustinus tradit. Quid enim amplius requiratur ad opus bonum, in Aug. scriptis non reperient. Nam opus verè bonum, hoc est, quod non est malum neq; culpabile, non potest non placere & gratum Deo esse, non potest non esse meritorium, non potest non esse supernaturale. Porrò hujus doctrinæ de fidei necessitate ad opus bonũ, ratio est, quia ut sit opus bonũ, quemadmodùm diximus, opus est ut fons omnis boni Deus vero & sincero amore diligatur, quæ dilectio sine verę & supernaturalis gratiæ inspiratione haberi nullo pacto potest, Augustino dicente: *Hoc totum rectè fit, quando fit propter ipsum, quando gratis amatur ipse: qui amor nobis esse non potest nisi ex ipso.* Talem autem dilectionem seu charitatem Dei, fides Dei adeoque Christi Salvatoris, necesse est antecedat, quemadmodùm hoc ipsi Scholastici confitentur, apud quos confessum est, charitatem sicut & spem, tanquam virtutes naturam superantes, postulare antecedentem veluti solem suum, fidem, cujus radijs diri-

Lib. 4. contra Iul. c. 3.

dirigantur. Quod illis Augustinus jam olim præcinuerat: *Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Et in Psalmum sexagesimum septimum: *Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est, ut antecedat fides, ut inde illa, non ab istis incipiat illa. Quoniam nullus operatur per dilectionem, nisi priùs credat in Deum.* Ex quo nascitur, ut opera quæ non ex fide Dei per dilectionem Dei operante proficiscuntur, non sint bona sed mala, perniciosa, peccata. Vndè illud brevissimum effatum ejus: *Malè vivitur si de Deo non benè creditur.* Et in eundem Psalmum trigesimum primum: *Debemus multa opera præponere fidei, id est, ut ante fidem quisquam dicatur benè operatus. Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt.* Et adversus Iulianum: *Disce eum, qui non facit opera bona, intentione fidei bona, hoc est, ejus, quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.* Hanc porrò dilectionem Dei, quam fides Dei præcedere debere tradit, non est alia quam illa dilectio rectitudinis, & æquitatis, & justitiæ, quæ in ipso & per ipsum præceptum, quod implendum præstituitur, lucet; non enim solum opus bonum, sed nec ipsa superatio tentationis aut vitij, *fit veraciter atque sinceriter nisi vera delectatione justitiæ. Hoc autem est in fide Christi.* Quæ omnia latè suis locis ex professo tradita sunt, ubi accuratius videnda sunt. Cùm igitur non habeant infideles gratiam sufficientem, neque diligendi Deum, neque credendi in Christum, prout Scholastici confitentur, profectò multò minùs habent sufficientem gratiam benè operandi, sive servandi legem naturalem, sive peccata vitandi. Nam sine fide Christi, & sine fructu ejus, dilectione Dei atque justitiæ, nemo quicquam boni operari, vel à peccando abstinere potest: sed quantumcumque lacertos moveat, non nisi de peccato in peccatum labitur, hoc est, ut Augustinus loquitur, *alijs peccatis alia peccata vincuntur.* Et ut Prosper acutissimè: *In vulnera vulnere surgit.*

Præfat. in Psalm. 31. — *In Psal. 67.* — *Lib. 5. de Civit. c. 10.* — *In præfat. Psalm. 31.* — *Lib. 4. contra Iul. c. 3.* — *Lib. 21. de Civit. c. 16.* — *Vide l. 3. de statu naturæ lapsæ penè toto, sed in primis c. 16. 20. 21. Et lib. 4. c. 6. Item l. 4. de statu puræ naturæ loco citato.* — *Lib. 1. de Nupt. c. 3.* — *Lib. de Ingrat. c. 27.*

Ex his jam sublucere incipit, quam diversa & Augustino ex diametro adversa via Scholastici Doctores ingressi sint, ad gratiam sufficientem vitandi peccata infidelibus afferendam, ut salutem consequi possent. Nam Scholastici cùm viderent Infideles immediata gratia dilectionis Dei & fidei quoque manifestè destitui, ne tamen illos sine interna potestate salutis obtinendæ derelinquerent, mediatè fidem atque dilectionem in eorum potestate collocarunt, quia videlicet habent gratiam qua possint non ponere impedimentum illustrationibus Dei, quibus adducantur ad fidem, legis naturalis præcepta servando. Augustinus è diverso, cùm videret ac veluti totius doctrinæ suæ basim firmissimè teneret, neminem infidelem posse legem naturalem, sive totam, sive ullum præceptum ejus ita custodire, ut illud servando, vel illâ eâdem quæ præcepto adversatur, vel aliâ reprobâ cupiditate non peccet, ad fidem atque dilectionem Dei tanquam ad primam gratiam infidelium recurrit, qua possint & naturalis legis præcepta servare, & ea servando salutem consequi sempiternam. Nam ante fidem, Augustinus nullam omninò gratiam, sive efficacem, sive sufficientem ad quicquam benè operandum in infidelibus novit.

Hoc enim in primis probat, quòd frequentissimè doceat, fidem esse, quæ impetrat gratiam & adjutorium, quo humana infirmitas id quod præcipitur sibi lege, possit superari. *Ergò*, inquit, *Spiritus gratia facit, ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere quæ jubemur. Ideò ipse Apostolus assiduè legi præponit fidem, quia quod lex jubet facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.* Et libro de Spiritu & littera: *Ac per hoc sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur; quia gratia sanat voluntatem, ut justitia liberè diligatur.* Quid autem rectè operetur, qui non diligit ipsam præcepti justitiam quod imponitur? *Quis enim dubitet dicere, voluntatem, nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem.* Hanc autem justitiæ dilectionem, sine qua nemo rectè operari potest, gratia tribuit, sed gratia quæ non nisi per fidem impetratur. Et in epistola ad Paulinum: *Si quis autem dixerit, quod gratiam benè operandi fides meretur, negare non possumus, imò verò generalissimè confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem, quæ sola verò benè operatur.* Quia videlicet ista charitas est ista dilectio toties commendata justitiæ, sine qua voluntas non nisi pessima esse potest. Et ista *fides*, ut alibi, est illa *Fides, quæ per dilectionem operatur, non per timorem, non formidando pœnam, sed* AMANDO IUSTITIAM. Hinc est illa sententia sancti Augustini celeberrima, qua dicere solet, *Fides impetrat quod lex imperat*, hoc est, impetrat gratiam qua possit id quod lege imperatur, ab arbitrio per peccatum infirmato fieri. *Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat*; quo significatur, ut inferius explicat: *Lege operum dicit Deus, fac quod jubeo: lege fidei dicitur Deo, da quod jubes.* Et in libro de natura & gratia: *Hæc est fides ad quam præcepta compellunt, ut lex imperet, & fides impetret.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Fides namque impetrat quod lex imperat.* Hoc autem nunquam intelligit aliter sanctus Augustinus, nisi quia fides hominis agnoscentis infirmitatem animi sui, ad diligendam legis justitiam, à qua diligenda per contrarias rerum terrenarum cupiditates revocatur, invocat adjutorium gratiæ qua illa sibi dilectio inspiretur, sine qua quamcumque legem implere seu facere impossibile est. Sic enim seipsum in plurimis operũ suorum locis explicat. Nam in eodem illo loco Enchiridij, cùm dixisset fides impetrat, quod lex imperat statim rationem subjicit: *Nam sine Dei dono, id est, sine Spiritu sancto,*

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 14. — *Lib. de Spir. & litt. c. 30.* — *Lib. 2. de pecc. merit. cap. 18.* — *Epist. 106.* — *Lib. de Spir. & litt. c. 32.* — *Ibid. c. 13.* — *Ibid.* — *Lib. de nat. & grat.* — *Enchirid. cap. 117.* — *Ibid.*

Digitized by Google

sancto, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris. iubere lex poterit, non iuvare, & prævaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non posit. Et in libro contra adversarium legis & Prophetarum: *Fides impetrat charitatem qua lex posit impleri.* Et quam charitatem? Audi: *Non magis timore pœna quàm dilectione iustitiæ.* Et in libro de fide & operibus: *Hanc enim diripiunt, qui vim faciunt credendo, impetrantes Spiritum charitatis, ubi est plenitudo legis, sine qua in littera reos faciebat etiam prævaricationis.* Et cujus denique Spiritum charitatis credendo impetrant? *Reatus ille*, inquit, *prævaricationis, quem sola lex; id est littera sine Spiritu iubendo faciebat, credendo solvitur, & violentia fidei Spiritus sanctus impetratur: per quem diffusâ charitate in cordibus nostris*, LEX NON TIMORE POENÆ, *sed iustitiæ amore completur.* Et libro quarto ad Bonifacium cùm præmisisset, quod ut homo faciat opera legis, *Non lex quæ hoc imperat, sed fides sit necessaria, quæ hoc impetrat*, ita semetipsum exponit, ut fide doceat impetrandam esse dilectionem, *qua delectet legis esse factorem*, hoc est, qua quis ipsa legis justitia delectetur. Sic enim homo *de gratia Dei ex fide quærit adiutorium.* Nam illa *impetratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus propriè gratia est*, sicut ibidem sanctus Augustinus docet. Et libro de gratia & libero arbitrio cùm similiter tradidisset fidem esse, quæ *orando impetrat, quod lex imperat.* Hoc ita exponit, ut nihil aliud per illam fidem impetrari significet, quam *tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata.* Et hanc ipsam voluntatis magnitudinem nihil aliud quam charitatis ardorem, seu, ut loquitur, *Divino amore ardentissimam voluntatem*; qua videlicet legis seu mandatorũ justitia ardentissimè diligatur. Nam ideo cùm præclarissima de dilectione gratiæq; ad eam obtinendam necessitate docuisset, vim & rationem ejus explicans lectoribus, GRATIA, inquit, NOS FACIT LEGIS DILECTORES; *lex verò ipsa sine gratia non nisi prævaricatores facit.*

Lib. 1. contra adversar. legis & Prophet. cap. 17.
Lib. de fide & operibus cap. 21.
Ibidem.
Lib. 4. ad Bonif. c. 5.
Ibidem.
Ibidem.
Lib. de grat. & lib. arb. c. 16. & 17.
Cap. 17.
Cap. 18.

Secundò hoc ipsum probat, quod semper Aug. doceat à fide incipere omnem hominis mutationem ad bonum, ita videlicet ut omnis justitia boni operis, omnis bonitas sive moralis, sive alia quæcumque, à fide sumat exordium, quandoquidem aliud homo esse non possit ante gratiam fidei, nisi malus peccator & prævaricator acceptæ legis, & opera ejus peccata. Quod quamvis ex illis ipsis nunc citatis locis ex Enchiridio, ex libro de fide & operibus, ac de gratia & libero arbitrio jam jam claruit, & aliis sexcentis locis supra de lege, itemque in alio libro de operibus infidelium differentes, declaravimus, non abs re tamen fuerit, hic propriis quibusdam testimoniis patefacere: *Ideò sæpè dicit*, inquit Augustinus, *non ex operibus sed ex fide nobis iustitiam deputari, cum potius fides per dilectionem* (illam justitiæ quam sæpè diximus) *operetur, ne quisquam existimet ad ipsam fidem meritis operum perveniri, cum ipsa sit initium, unde bona opera incipiunt, quoniam ut dictum est, quod ex ipsa non est peccatum est.* Quod fusissimè suo loco ex Augustini & verbis & principiis immobilibus demonstravimus. Itaque de fide, quæ sola bonorum operum exordium est, ibidem attexit. *Et hoc accepimus undè incipit quicquid in nostris actibus habemus boni.* Et libro secundo ad Bonifacium: *Sic itaque Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonæ mutationis, usque ad finem consummationis, qui gloriatur in Domino glorietur.* Et ut sciremus undè istud initium bonæ mutationis & consequenter Dei gratia inchoetur: *Nec*, inquit ibidem, *omninò incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita gratia.* Et quod levius initium alicujus boni quam quando aliquis eligit facere aliquid boni? Hoc enim omninò præcedere debet, antequam illud operetur. De quo tamen sic Augustinus loquitur: *Quisquis ita eligit bonum sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei, quandoquidem*, ut in eodem loco, *initium corrigendi cor fides est.* Et in Psalmum trigesimum secundum ad illa verba, *Omnia opera eius in fide*, sic loquitur, *Ne quisquam se meritis operum pervenisse ad fidem putet, cum in ipsa fide sint omnia opera quæ diligit Deus.* Nec mirum sanè à fide incipere quicquid est boni operis & mutationis. *Quia ad fidem*, inquit, *pertinet credere quod Deus in nobis operetur & velle.* Et quemadmodum indicat in enchiridio ad Laurentium, tunc Deus incipit hominem adjuvare ad opera bona, cùm crediderit eum esse ad hoc adjutorem suum. Sic enim ait: *Sic autem respexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat, adiuvare credatur, & agi homo cœperit Spiritu Dei, concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis.* Quamdiu enim homo non credit se à Deo esse adjuvandum ad opera bona, relinquit eum superbiæ suæ cui fidit, ut lapsibus divini adjutorij necessitatem doceatur. Vndè sanctus Innocentius, *Negantes adiutorium, non aliis, sed sibi hoc penitùs abstulerunt.* Sed quid pluribus opus? Vbique Augustinus illam fidei antecessionem & antecessionis necessitatem inculcat: tanquam qua sola boni operis gratia impetrari & obtineri potest. De quo luculentissimè in quæstione secunda libri primi ex eis quos ad Simplicianum scripsit: *Multis locis hoc sæpè testatur* (Apostolus) *fidei gratiam præponens operibus, non ut opera exstinguat, sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: ut scilicet non se quis arbitretur ideò percepisse gratiam, quia benè operatus est, sed benè operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam.* Et ne quis existimaret illam gratiam etiam ante fidem obtineri posse qua benè operando non ponat impedimentum fidei, sic occurrit quasi hoc prævidens Augustinus: *Incipit autem homo percipere gratiam, ex qua incipit credere, vel internâ vel externâ admonitione motus ad fidem.* Quæ omnia ex illa vena fluunt, ex qua latissimè alibi derivavimus, ante fidem in hominibus infidelibus, nullum omninò esse posse opus, non solum supernaturaliter, sed vel

Videndus liber 1. de gratia Christi Salv. cap. 11. & 12. Item sup. hoc libro cap. 5. Item l. 3 de statu naturæ lapsæ c. 22. & 23.
Lib. de gestis Pelag. c. 14.
Vide lib. 4. de statu naturæ lapsæ.
Lib. de gestis Pelag. c. 14.
Lib. 2. ad Bonifacium cap. 10.
Lib. de perf. iust. cap. 19.
In Psal. 32.
Lib. 1. contra Iul. imperf. fol. 365.
In Enchirid. cap. 118.
In epist. ad Conc. Carthag.
Vide libro de præd. s. c. & de dono pers. cap. 17.
Lib. 1. q. 2. ad Simpl.
Ibidem.
Videl. 4. de statu naturæ.

vel moraliter bonum, sed omnia esse veri hominis peccata: ut ex hoc intelligamus, quandocumque Augustinus fidem postulat, ut aliquis benè vel justè operetur, non hoc intelligendum esse de supernaturali quâdam & gentilibus ignotâ operum bonitate vel justitiâ, sed quemadmodum verba sonant, & ab hominibus nullâ præconceptâ opinione turbatis intelligitur, quod nihil boni operis, verè boni, seu non mali, sine fidei gratia fieri nequeat. Non enim istam impossibilitatem petit, ex nescio qua supernaturali elevatione, quæ naturæ rationali conditæ accesserit, sed ex ipsa operum difficultate, quæ ex concupiscentia per cognitionem legis inflammata, & ad terrena diligenda deprimente proficiscitur.

Tertiò hoc probat quod ante fidem in homine infideli, ne quidem esse possit ipsa prima cupiditas seu voluntas boni, sed hæc per ipsam gratiâ fidei inspirari debeat. Quomodo verò esse possit opus bonum nisi quis velit aut cupiat sincerè bonum? Si enim bonum non sincerè propter bonum appetat, jam non bonum sed aliud appetit. Qua de re sic Augustinus: *Cupiditas boni non bonum à Domino esset, si bonum non esset. Si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè atque incommunitabiliter bonus est.* (Lib. 2. ad Bonif. c. 9.) Ne verò nescio quid supernaturale, vel meritorium, vel aliud quippiam eorum quæ à Scholasticis ad Augustini doctrinam fugiendam reperta sunt, in ista boni cupiditate fingeremus, luculentissimè exponit eam, aliud omninò nihil esse, nisi voluntatem illam, qua quis sincerè bonum opus propter ipsam operis bonitatem & rectitudinem & justitiam in eo resplendentem diligit: eandemque boni operis cupiditatem humanis viribus obtineri sine divinæ gratiæ inspiratione non posse. Audi verba præclarissima, tantoque veriora & certiora, quod omnibus principiis ejus jam sæpè tactis, quibus de Dei gratia disputando nititur, prorsus consentanea sunt: *Ipse* (Lib. 2. ad Bonif. c. 9.) (Deus) *cuifideliter veraciterq́; cantatur, Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quam ipsa de qua loquimur, cupiditas boni? Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere cœperit. Quando autem timore pœnæ non amore justitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè. Ergò benedictio dulcedinis est gratia Dei; qua fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis: in qua si nos non præcipit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Hæc ergò sincera boni operis & rectitudinis seu justitiæ in præcepto refulgentis dilectio seu cupiditas boni, sine qua opus bonum nec esse nec cogitari potest, maximè que creaturæ rationali connaturalis est, vocatur ab eo illa vera ac divina charitas, quæ tantoperè in Scripturis omnibus commendatur: *Quid est enim*, inquit ibidem, (Ibid.) *boni cupiditas nisi charitas, de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens, Charitas ex Deo est.* Et illam à fide incipere, extra controversiam inter Scholasticos positum est, & ibidem Augustinus docet: *Nec omnino incipit homo ex malo in bonum, per initium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita & gratuita misericordia Dei*, (Ibid. c. 10.) & ex dictis in præcedenti paragrapho plenius constat. Quapropter si infideles illâ ipsâ cupiditate sincera boni carent, sine qua esse non potest ullum opus bonum, hoc est non malum, sed hæc per propriè dictam gratiam Dei, fide credentis præcedente impetratam dari debet, frustra Scholastici gratiam nescio quam sufficientem infidelibus tribuunt ante fidem, qua benè operantes ad fidem ipsam provehantur, cùm ipsa fides sit prima gratia quâ donantur.

Quartò hoc probat, quod Augustinus, quemadmodum (ut vidimus) sæpissimè docuit, Legem Iudæis datam esse sine gratia, ut per prævaricationes stimulante magis magisque concupiscentia perpetratas, ad infirmitatem suam gratiæque qua præcepta facere possent necessitatem agnoscendam ducerentur, ita sæpiùs explicat se non aliam gratiam hoc docendo, intelligere, quam fidem seu gratiam fidei utpote per quam illa gratia benè operandi seu præcepta decalogi implendi speratur, petitur, impetratur juxta illud ejus axioma decantatum quod jam jam vidimus, *fides impetrat*, videlicet orando, *quod lex imperat*; nempè justi ac boni operis, hoc est, ut ipse loqui amat, *justitiæ dilectionem*, sine qua nemo boni aliquid operari vel præceptum implere potest. Nam hoc sibi vult quotiescumque dicit legem datam esse, ut gratia, ut medicina, ut adjutorium, ex ipsa implendi scilicet difficultate quæreretur. Loca quibus hoc docet sunt innumera. Pauca accipe: *Ad hoc ergò dixit lex, Non concupisces: ut nos in morbo jacere invenientes, medicinam gratiæ quæreremus.* (Lib. 1. de Nupt. c. 29.) Et in epistola ad Hilarium: *Iubet ideò, ut facere jussa conati, & nostrâ infirmitate sub lege fatigati adjutorium gratiæ poscere noverimus.* (Epist. 89.) Et libro de natura & gratia: *Itaque præcepto facere commonemur quod conantes & nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.* (Lib. de nat. & grat. c. 15.) Et ibidem: *Vt ideò tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* (Ibid. c. 22.) Quod in eodem libro aliter dicit: *iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis &c.* (Ibid. c. 43.) *Nam medicinâ gratiæ poterit, quod vitio non potest.* Et adversus Iulianum in opere suo imperfecto: *Convenit autem Scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet, & non potest, admonitus sentiat, & ab eo à quo sunt bona omnia, indigens poscat.* (Lib. 1. oper. imperf. contra Iul. fol. 134.) Et statim iterum: *Propterea ergò per Prophetam dictum est; si nolueritis, & non audieritis me, gladius vos comedet, & cetera huiusmodi, vt cùm invenissent in se victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent à quo deberent poscere auxilium.* Quæri autem non potest gratia, aut medicina, aut adjutorium orando, nisi Deus per gratiam adjuvare credatur: *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt.* (Ad Rom.) Lex ergò manuducendo

manuducendo ad gratiam, primo omnium ducit ad fidem. Hoc enim sibi vult, quotiescunque clarius loquendo dicit legem datam, ut per fidem homo confugeret ad gratiam qua ejus infirmitas juvaretur: *Per legem*, inquit, *ostendit homini infirmitatem suam, ut ad eius misericordiam per fidem confugiens sanetur.* Et ibidem inferius: *Legitime utitur lege iam iustus, cum eam terrendis imponit iniustis, ut cum & in ipsis* [illegible] *insolita concupiscentiæ morbus incentivo prohibitionis & cumulo prævaricationis augeri, confugiant per fidem ad iustificantem gratiam, & per donum Spiritus suavitate iustitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.* Vbi justificans gratia sicut plurimis aliis locis vocatur ab Augustino, gratia actualis adjuvans, qua justitia legis impletur. Vnde mox addit, legem *fidei esse qua credidit, nullo modo sua infirmitate ad implenda ea, quæ lex factorum iubet, nisi divina gratia subveniri.* Et adhuc inferius in eodem libro: *Per legē cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum.* Et lib. 1. ad Bonif. dicit Pelagianos coactos esse concedere *ad cognitionem peccati, & ad ipsius legis prævaricationem valere legem, ut cognito auctoque peccato per fidem gratia requiratur.* Et in libro quarto ad eundem Bonifacium. *Ideò sic expressum est legis imperium, ut infirmitas hominis in seipsa deficiens ad facienda quæ lex imperat de gratia Dei potius ex fide; quæreret adiutorium cuius misericordiá etiam fides donatur.* Quod ipsum plurimis aliis locis tradit.

Lib. de Spir. & litt. c. 9.

Ibid. cap. 10.

Lib. de Spir. & litt. c. 30.

Lib. 1. ad Bonif. c. 8.

Lib. 4. ad Bonif. c. 5.

Hoc denique sibi vult, quoties ordinem rerum ipsarum secutus apertissimè dicit, legem suâ difficultate ad fidem compulisse. Nam ad gratiam quærendam nemo compelli potest, nisi primo ad fidem gratiæ ac largitoris ejus adigatur. Itaque cùm Augustinus ex Apostolo Iacobo citasset illa verba: postulet in fide (sapientiam) sic subjungit: *Hæc est fides ad quam præcepta compellunt, ut lex imperet & fides impetret.* Et in libro proximè citato ad Bonifacium: *Non ergò legem evacuamus per fidem, sed legem statuimus quæ terrendo ducit ad fidem. Ideò quippe lex iram operatur, ut territo atque converso ad iustitiam legis implendam, Dei misericordia gratiam largiatur per Iesum Christum &c.* Et in epist. ad Anastasium accuratiùs: *Lex itaque docendo & iubendo, quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, à quo sanata voluntas possit quod infirma non potest.* Sed quo ordine ista fiant, accipe breviter & perspicuè: *Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat Spiritum largiorem, diffundit Spiritus charitatem iustitiæ, implet charitas legem.* Et in libro octoginta trium quæstionum quasi ex professo explicandum suscepisset, quod lex non aliter compellit ad gratiam nisi quia compellit ad fidem Salvatoris & adjutoris, gratiæ & fidei nominibus utitur promiscuè eo quod gratia qua infirmitas ad facienda præcepta roboratur, non nisi fidei præcedenti invocantique tribuatur. *Verissimè dictum est, legem ergò evacuamus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.* Qua ratione, obsecro? *Hoc enim efficit fides quod lex iubet. Statuitur ergò lex per fidem. Quæ fides si non sit, iubet tantùm lex, & non implentes iussa, reos tenet, ut eos gementes & non valentes implere quæ iussa sunt, ad gratiam liberatoris aliquando convertat.* Quam scilicet sibi jam per experientiam imbecillitatis propriæ videntes esse necessariam, fide liberatorem & adjutorem invocando, concilient. Et uberius adhuc paulò post: *Aucta concupiscentia, quam lex prohibet, ubi non erat fides & ad cumulum peccatorum prævaricationis crimen adiectum est.* Et ut intelligeremus apertissimè non aliud significari per hoc quod dixit, *Vbi non erat fides*, quam ubi nondum erat illa gratia adjutrix operationis bonæ, quæ per solam fidem præcedentem datur, statim adjicit: *Sub istis passionibus tanquam sub viro dominante agebat anima,* ANTEQUAM VENIRET GRATIA PER FIDEM. Et inferius: *Sub lege actio est, cum iam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine eius victi peccamus, quoniam* NOS NONDUM ADIUVAT FIDES, scilicet invocans gratiam liberatoris & adjutoris. Nam ideò subjicit: *Tertia actio est quando* IAM PLENISSIME CREDIMUS LIBERATORI NOSTRO. Et planissimè in fine quæstionis istius, quasi recapitulando omnia definit: *Neque lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis iaceat, ut* PER FIDEM IMPLORATO LIBERATORIS AUXILIO, *& solvi & erigi, & firmissimè constitui mereatur.* Et quæstione decima quinta super Deuteronomium: *Deus facit per gratiam suam opus legis in homine, & homo per fidem suam suscipiens gratiam Dei pertinens ad Testamentum novum cooperator est adiuvantis Dei.* Et inferius: *Deus est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: hoc est in eis qui ex fide gratiam suscipiunt.* Et libro de fide & operibus explicans illam sententiam Apostolicam: *Lex subintravit ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum superabundavit gratia*, jam dictum ordinem fidei & gratiæ qua peccata superantur, accuratissimè tradit: *Quod*, inquit, *ideò verum est, quia legem accipientes, homines qui de suis viribus superbissimi præsumebant,* NEC DIVINUM ADIUTORIUM *vincendarum malarum concupiscentiarum* RECTA FIDE *impetrantes pluribus gravioribusq; delictis, etiam lege prævaricata onerati sunt. Ac sic magno reatu compellente* CONFUGERUNT AD FIDEM *qua misericordiam indulgentiæ mererentur, & auxilium à Domino qui fecit cælum & terram, ut diffusa per Spiritum sanctum charitate in cordibus nostris, cum dilectione agerent quæ contra sæculi huius concupiscentias iuberentur.* Vbi charitatem atque dilectionem non intelligit aliam, quàm illam in ejus omnibus lucubrationibus celeberrimam *Iustitiæ dilectionem*, quam paulò post definit: *Gratia Spiritus sancti diffusâ charitate donat* IUSTITIÆ DILECTIONEM *qua immoderatio concupiscentiæ superetur.* Et alibi: *Vt sic dicam ipsam quodammodo legem vivit, qui cum dilectione iustitiæ iustè vivit, non proprio ac transitorio, sed communi ac stabili gaudens bono.* Videlicet & ipso Deo qui est justitia. Nam ut alibi dicit

Lib. de nat. & grat. c. 6.

Lib. 4. ad Bonifacium cap. 5.

Epist. 144. ad Anast.

Lib. 83. qq. quæst. 66.

Lib. 83. qq. quæst. 66.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Quæst. 15 super Deut.

Lib. de fide & operibus cap. 14.

Ibid. c. 23.

In epist. ad Galatas.

Orat. [illegible] *super D*[illegible]*teronom.*

dicit: *Cùm verè fit opus legis, charitate fit non timore, quæ charitas est gratia novi Testamenti.* Et quæ charitas: *Quia homo potest facere opus legis per charitatem iustitiæ, quod non potest per timorem pœnæ.*

Quod si tum alios libros Augustini tum Commentarium Epistolæ ad Galatas excutere necesse esset testimoniorum ejus vix ullus esset finis. Nam undiq; cõcinentibus sibi documẽtis constat, certissimam doctrinam ejus esse, quod lex difficultate suâ non aliter ad adjutorium gratiæ & ad concupiscentias oppugnandas vincendasque compelleret, quam quia primitus compellebat ad FIDEM, per quam illud adjutorium necessarium esse crederetur & peteretur. Nam hoc ipso quo se sentiebant esse sub lege reos, infirmitate concupiscentiarum suarum non nisi præcepti prævaricationem operante, manuducebantur ut crederent esse sibi adjutorium Dei præcipientis comminantisque necessarium, & ut ex illa fide peterent gratiam diligendi justitiam legis, quam implere jubebantur. Nam ut ex Aug. diximus: *Ad fidem pertinet credere quod Deus in nobis operetur & velle*, utpote qui per concupiscentiæ nostræ infirmitatem legem facere, justitiam præceptorum diligendo, non possumus. Hinc alibi *fidem* illam, qua gratia benè operandi impetratur, definit esse *Qua credidit, nullo posse suæ infirmitati ad implenda quæ lex factorum iuberet, nisi Dei gratia subveniri.*

Lib. 1. contra Iul. oper. imp. c. 3. & 8 — *Lib. de Spir. & lit. c. 10.*

Ex ista igitur constantia & consonantia doctrinæ proficiscitur primo, quod illam gratiam faciendi quod lex jubet, subinde vocat *gratiam fidei*: ut in epist. ad Gal. *Vt per ipsam gratiam fidei spiritalia opera legis eos implere posse cognoscerent.* Et inferius: *Vt iustificarentur*, videlicet per operationem justitiæ, *venerunt ad gratiam fidei.* Et in initio, *Iustam scilicet legem iniustis hominibus dando, ad demonstranda peccata eorum non auferenda*, videlicet per legis impletionem. Nam ut adjicit: *Non enim aufert peccata nisi* GRATIA FIDEI, *quæ per dilectionem operatur.* Similiter vocat eam subinde, a *Gratiam quæ est in fide Christi.* Subindè, *Gratiam per fidem*, ut quando dicit quod b *Iosue fuit typus Christi, id est, gratia per fidem.* Cujus locutionis testimonia etiam supra vidimus.

In epist. ad Galatas. — *Ibidem.* — *a Quæst. 55. super Exod. & in epist. ad Galat. Enchir. c. 108.* — *b Quæst. 53. super Num.*

Hinc proficiscitur secundò, quod quia non quælibet fides intelligitur ex qua illa boni operis gratia impetratur, sed fides Christi mediatoris, qui propter nos infirmus factus est, ut nos ejus gratiâ firmaremur, sæpè gratiam illam vocat *Christianam* qua Christiani sumus, ut in epist. ad Sixtum: *Cum fama iactaret inimicus Christiana gratiæ te favere*; quam phrasim & alibi repetit. Sæpius verò nominat *Gratiam qua Christiani sumus*, hoc est, per quam & propter quam impetrandam in Christum infirmitatis adjutorem credimus; ut in Epist. PP. Carthag. ad Innocen. Papam, ubi tractatur de illa gratia bonæ operationis, quæ ad concupiscentias tentationesq; vincẽdas pertinet. *Nullum*, inquiunt, *relinquunt locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus.* Et

Epist. 105. initio. — *Lib. de corr. & grat. c. 15*

A exponentes illam gratiam indicant esse eam, qua contra concupiscentias dimicamus, ut aliquid boni possimus operari, *qua*, inquiunt, *& ipsum nostræ libertatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.* Et mox illam *gratiam Christianam* vocant, *qua cõdelectamur legi Dei secundum interiorem hominem*, hoc est, ipsi justitiæ legis, quam diligendã esse ubiq; Aug. inculcare solet. Vtriusq; verò appellationis ratio est, quæ ibidem inculcatur, quia fides Christiana impetrat gratiam illam: *Quod*, inquit, *auxilium fides impetrat, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Vnde hoc auxilium etiam appellat, *Gratiam Christianorum, & gratiam Dei per Iesum Christum.* Et alibi August. *Gratiam fidei Christianæ.* Nam illa gratia non datur humano generi nisi per Christum Iesum, & idcircò quoque non nisi per fidem ejus.

Epist. 90. apud Aug. — *Lib. 83. qq. quæst. 61.*

B Quæ cùm ita sint, quid aliud potuit de infidelibus docere, nisi quod omni gratia qua vel legem observare, vel benè operari vel prævaricationẽ legis evadere queant, prorsùs careant? Nam quid aliud indicat id quod in quæstionibus super Deuteronomium docet, quod *ideò nullum opus hominis ibi commemoratur*, quando Deus Moysi secundas tabulas dedit, *quia infideles non contemperãtur adiutorio gratiæ*, per quam videlicet justitiam lege Dei præscriptã possint operari? Vndè, ut addit, *lex illis ad condemnationem valet, quod significat contritio tabularum.* Ideò autem non contemperantur adjutorio gratiæ, quia fide carent, de qua ibidem dixerat, quod *Deus facit per gratiam suam opus legis in homine*, quatenus videlicet, ei *charitatem iustitiæ inspirat*, ut præmiserat, *& homo per fidem suam suscipiens gratiam cooperator est adiuvantis Dei.* Quid aliud indicat id quod de Paganis; hoc est, de infidelibus docet, *Pagani non habent gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quid aliud in- C dicat id quod de prima gratiæ operatricis perceptione docet, *hominem benè operari non posse nisi perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit credere Deo vel internâ vel externâ admonitione motus ad fidem.* Denique quid aliud indicat id quod apertissimè docet, adversus Pelagianos volentes legem, naturam & similia esse gratiam illam qua possimus cavere peccata, & prævaricationẽ legis evadere? *Non hæc*, inquit, *est gratia quam commendat Apostolus, per fidem Iesu Christi. Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum est nobis esse communem: gratia verò Iesu Christi*, EORUM TANTUMMODO *est quorum est ipsa fides.* Quam gratiam Christi ad cavenda peccata cùm Pelagiani exhorrescerent, in illud abruptum præcipitati sunt ut *dicerent, Gratiam Dei quæ data est per fidem Iesu Christi, quæ neque lex est neque natura, ad hoc tantum valere ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur vel repugnantia superentur.*

Quæst. 15. super Deuteronomium — *Serm. 5. de verb. Apost. cap. 11.* — *Lib. 1. q. 2. ad Simplic.* — *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 13.* — *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 13.*

D Hæc igitur vera ratio est, cur indifferenter usurpentur apud Augustinum, esse sine gratia, esse sine fide, esse sine fide gratiæ, esse sine gratia quæ est in fide, & similia. Et rursum prò iisdem sumantur, facere aliquid per fidem, & facere

Digitized by Google

ex fide gratiam, & ex gratia dilectionem justitiæ ducebantur.

Quæ sanè in infidelibus longè certius & efficacius locum habent, utpotè qui neque præceptum *Non concupisces* acceperunt aut norunt, neq; præceptorum naturalium difficultatem intelligunt, neque Deum verum quoquo modo credunt, neque liberatorem vel carnaliter venturum esse aut venisse sciunt, neque gratiam legis adjutricem vel per somnium cogitarunt. Quo fit ut gratiæ dilectionis & agnoscendæ & capiendæ prorsus incapaces, neq; per terrores atq; prævaricationes legum naturalium ad fidem Christi, & ad invocandum ejus adjutorium spiritale, & ad justitiæ præceptorum dilectionem capiendā duci possint. Itaque de infidelibus Augustinus: *Quando illos videmus & tam steriles eos invenimus, ut difficile nobis appareat in eis aliquid, unde possint duci ad fidem rectā vel ad bona opera, vel ad spem futuri seculi, vel ad concupiscentiam liberationis à captivitate mortalitatis Scripturas novimus, quas eis dicamus. Sed quia nullum fructum in eis invenimus, avertimus ab eis faciem & dicimus, adhuc isti non sapiunt, non capiunt, quia quicquid illis dixeris sinistrum & adversum habent.* Et multò inferius de iisdem non credētibus Christum, quando audiunt Christum & ejus opera commendari: *Irrident*, inquit, *isti quasi stultos &c. Quid ergo facies? Bona Christi non capis, alius te implevit qui adversarius est Christo.* Et in alio loco tradit eos idolis esse similes, quia *aures habent & non audiunt; oculos non habent & non vident. Nares habent & non odorantur. Non sentiunt illum odorem, Christi bonus odor sumus, sicut dicit Apostolus, in omni loco. Quid prodest quia nares habent & non odorantur tam suavem odorem Christi?* & in alium Psalmum docet, quod in Infidelibus nomine tenebrarum significatis, *Occulta tua gratia non operatur, qua homines trahuntur ut credant.* Quique mortui *nihil bonum valent credere atque sentire.* Vt profectò supra modum paradoxa mihi doctrina videatur, quæ talibus hominibus etiam sufficientem gratiam, & quidem ad facienda Dei præcepta naturalia, quæ naturæ corruptæ omnium difficillima sunt adesse constituit. Iam verò ex istis omnibus quæ protulimus, & istud perspicuè Lectori intelligenti patet, non Augustini tantum opinionem sed Apostolicam istam doctrinam esse, ac tanquam ab Apostolo Christianis propinatam eam ab Aug. tradi. Singula quippè vel pænè singula probationum capita, quæ à nobis ex Aug. producta sunt, in Apostolo suas radices habent & ex verbis ejus pullulant. Et sanè si vel sola epistola ad Rom. & ad Galat. conscripta ponderetur, imò leviter percurratur, videbit Lector non aliud sibi aspirari quam fidem Christi prorsus esse necessariam ut possint ab hominibus, non solum infidelibus, sed & Iudæis naturalia benè vivendi præcepta servari. Vnde cùm in Epist. ad Rom. fusè declarasset & Iudæos & gentes omnes declinasse, omnes sub peccato esse; omnes indigere gloria Dei, tandem subjungit: *Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legē fidei.* Non pè quia ut Aug. exponit, *quod operum lex minando imperat, fidei lex credēdo impetrat.* Et conformiter in sequentibus: *Lex Spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Lex autem Spiritus vitæ eadem est quæ lex fidei; quia à Spiritu vitæ inspirata, ut per virtutē S. Spiritus internas concupiscentias vincat. Hinc etiam ad Galatas idem Apostolus clamat: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Quid est autem aliud promissio, nisi gratia in novo Testamento promissa, qua lex impleatur, cupiditas superetur, in pace regnetur? In hisce & hujusmodi Apostolicis documentis quibus utraque epistola referta est, fundavit August. doctrinam istam suam, & velut Ecclesiæ Christianæ basin posteris tradidit, quam ideò & Prosper & Fulgentius ad amussim secuti sunt, & Concil. Arausic. Can. sanxit, quando definivit quod *Deus nobis fidem & amorem sui prius inspirat, ut cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus.*

In Psal. 136

In Psal. 134

In Psal. 87. in fine.

Rom. 3.

Lib. de Spir. & lit. c. 13.

Rom. 7.

Galat. 3.

Conc. Arausic. can. ult.

CAPVT XII.

Infideles non habent gratiam sufficientem ordinis naturalis. Gratia sufficiens infidelium à Semi-pelagianis excogitata.

QVAPROPTER quid ad perspicuam doctrinam August. responderi possit, equidem non satis video. Nisi fortè illud quod apud ipsos perquam familiare est: Infideles & Iudæos illos sub lege constitutos gratia quidem Christi quæ ex fide est, ac dilectione caruisse, qua naturalis legis præcepta servarent; sed aliam eis adesse gratiam ordinis naturalis. Miror equidem viros eruditos, tam curiosam responsionem probare potuisse. Nam in primis quando de gratia sufficienti ad operandum disputatio est, de illa quæritur quæ per Christum hominibus allata est ad custodiendam naturalem legem, quæ in decalogo Iudæis data est. Talis autem nulla est in Aug. scriptis, nisi quæ per fidem datur, quæ per dilectionem operatur. Non enim putandum est, gratiam Christi apud August. & Scripturas sacras vocari, quamcumque gratiam, quæ quoquo modo ex meritis Christi hominibus datur, sed illam quam ad carnis concupiscentias reprimendas atque superandas, cum legis agnitione vehementius exardescunt, Christus Iesus mediator Dei atque hominum per crucem attulit: illa verò non est neque natura neque liberum arbitrium, neque lex neq; doctrina, neq; terror, neq; blandimentum alterius terreni boni, neq; protectio, neq; quicquam omninò ordinis naturalis, sed sola illa gratia dilectionis justitiæ inspiratrix quæ sola facit facere quod lex jubet, non solum tota, sed vel unica: nulla enim lex prorsus fieri potest, nisi legis justitia diligatur, quod non fit nisi magna & supernaturali gratia Dei. Et

rursum

Digitized by Google

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 13.

rursum non esse communem cum impijs & infidelibus, sed *eorum tantummodo quorum est fides.*

Denique quæcumque illa gratia naturalis ordinis fuerit, quæ infidelibus ad servandam quamcumque naturalem legem detur, nullo modo sufficiens est, ut illam sine peccati labe intercurrente custodiant. Nam sive occasio tentationis auferatur, sive minuantur vires adversarij, sive timor pœnarum irruat, sive aliud objectum blandiatur, sive injiciatur naturalis ordinis cogitatio, *nihil eorum dicitur*, ut cum Aug. contra Pelagianos loquar, *Quod per subministrationem Spiritus S. pertinet ad concupiscentias, tentationesq; vincendas.*

Epist. 95.

Nam hæc omnia libenter à Pelagianis concessa sunt, quæ non solum non sufficere putavit Aug. ut peccata caverentur, sed ne quidem in operatricis gratiæ classem admittere voluit. Nam nihil istorum idoneum est, ut peccatũ ab infidelibus quamcumque legem servare conantibus evitetur. Quamdiu enim fide atq; justitiæ præceptæ dilectione carent, servandiq; præcepti occurrit circumstantia, impossibile est concupiscentiæ tentationem tolli. Nam ipse timor pœnæ, ipsa objecti blandientis illecebræ, ipsa animi qualiscumque in quamcumque partem per quamcumque cogitationem naturalem inclinatio, est tentatio. Non enim intelligere videntur Scholastici, quid sit concupiscentiæ terrenæ sive carnalis motus, & consequenter quid sit tentatio, cui Spiritu repugnandum est. Nam quæcumque terreni boni appetitio undecumque nata, concupiscentiæ nobis inolitæ tentatio est, ut alibi latè declaravimus, à qua non potest animus expediri, nisi per illam solam justitiæ charitatem quam meruimus. Illa enim sola Spiritum avellit ab omni terreno, hoc est, creato bono, & facit illum gaudere ipsâ legis justitiâ & veritate tanquam communi & stabili & incommutabili bono, quod est Deus ipse benedictus in secula. Talis autem justitiæ charitas seu dilectio non potest haberi naturaliter, quasi esset aliqua charitas naturalis, sed per solam eamq; magnam Spiritus S. gratiam atq; infusionem, ut alibi dictum, dari potest, sive illa perfecta sit, ut nihil omninò præferat æquitati, sive imperfecta, ut homo justitiæ pulchritudine saltem tenuiter delectetur, atq; ex illa delectatione operetur.

Vide dicta fusè lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 10 & aliquot sequentibus.

Vide lib. 1. de statu naturæ puræ c. 10.

Hoc si Scholastici juxta profundissimam, solidissimam, castissimamq; S. Præsulis doctrinam intelligerent, non afferrent pro gratia infidelium, blandicias objectorum, timores pœnarum, ex amore creaturæ pullulantes & hujusmodi, quibus tentatio non effugitur, sed vel eadem vel alia occultius animo implicatur. Quam ob causam sexcentis locis Aug. docet, quando animus timore pœnæ, non amore justitiæ præceptum facit, nõ facere in animo id quod facit opere, ideoq; peccati interius esse reum, quantùmvis sibi innocens esse videatur. Qua de re tanquã certissima ex professo alibi diximus & adhuc dicturi sumus. Cùm ergò impossibile sit extra justitiæ ac Dei dilectionem aliter præceptum facere, nisi vel timore pœnæ, vel amore creaturæ, ex quo timor quoq; pœnarum nascitur, & neuter animum à peccato vel contra præceptum illud quod observare videtur, vel contra aliud perpetrato aut perpetrando liberare possit, perspicuum est nullam gratiam ordinis naturalis esse sufficientem ad custodienda præcepta naturalia.

Vide l. 2. de statu naturæ lapsæ & infra lib. 5. de grat. Christ. Salvat. Vbi late de timore pœnæ.

Vndè quoque ista Scholasticorum doctrina tantâ liberalitate gratiam largientium, in Augustino, Prospero, Fulgentio, ceterisq; veræ gratiæ defensoribus prorsus inaudita est: ut non immerito dici possit, eam à Massiliensibus ceterisq; Semi-pelagianis ortum habuisse, & in Catholicorũ scholas esse translatam. Cùm enim Aug. nihil frequentius inculcasset, quam gratiam Dei secundùm sapientissimam ejus voluntatem *dari quibus vult*, quoniam misericors est, *& non dari quibus non vult*, ut notas faciat divitias in vasa misericordiæ: itémq; Deum unum *adjuvare*, alterum *non adjuvare*; ac denique inter duodecim sententias capitales, de quibus Catholica non dubitaret fides, illas tres in primis collocaret: *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari.* Et, *Scimus eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari*; Et, *scimus eis quibus non datur justo judicio Dei non dari*; Massilienses doctrinam illam veluti fatalium decretorum auctricẽ respuentes, quibus Deus unum ab altero discerneret, voluntatem generalem salutis omnium in Deo fabricarunt, & ex illa gratias sufficientes ad assequendam salutem, maximèque ad legem naturalem custodiendam in omne genus hominũ diffuderunt.

Vide lib. de dono pers. c. 12. & ep. 107. [illegible] de pers. c. 5. &c.

Epist. 107.

Quod ex Prospero ad Aug. scribẽte & ex Fausto productis testimonijs clarissimis probavimus: multoq; plura ad eandem veritatem tanquam indubitatam asserẽdam proferri possent. Vnde Faustus Catholicam doctrinam eversurus, ita auspicatur: *Nunc veniendũ est ad illos, qui dum gratiam alijs dari, alijs negari asserunt, manus gratiæ cum Pelagio perdiderunt.* Quibus verbis istam celeberrimam Aug. & Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, quam jam diximus, taxari damnariq; manifestum est. Vndè continuò subjungit *Gratiæ beneficia in totum genus humanum extendi.* Denique *gratiam omnibus offerri atq; ingeri ad salutẽ*: fusèque probat, quemadmodum etiam nunc recentiores quidam magnoperè contendunt, per istam restrictam gratiæ largitionem, qua unum adjuvat, alterum non adjuvat, uni eam dat, alteri non dat, fatalem necessitatem invehi, desperationem adduci, orationem tolli, quæ jam similiter tam invidiosè jactantur.

Lib. 1 de hæresi Pelag. cap. 11.

Lib. 1 de grat. & lib. arb. c. 3.

Ibid. c. 3.

Ibid. c. 4.

Vndè valdè verisimile est, dum quidam Scholastici, in illa profunda Aug. de Dei gratia quæstione minus versati, Faustum velut Catholicum auctorem legunt (quod à multis factitatum esse novimus) sententiam illam cum alijs valdè multis perniciosisque imbibisse, atque ad posteros transmisisse. Quanto satius fuisset, si doctrinam August. non satis penetrarent, saltem Prosperum auctorẽ probatissimum cum Semipelagianis luctantem attendere, qui cùm sententiam illam quam amplectuntur, latè retulisset, refellit exsertissime, & ea STULTA vocat, quæ credi cupiebant. Sed jam ad argumenta quædam dissolvenda transeamus.

Lib. de ingrat. c. 10. 11 & 12.

Cap. 13.

CAPUT

CAPVT XIII.

Proponuntur duo argumenta pro asserenda gratia sufficiente. Dissesritur fusè de possibilitate & impossibilitate præceptorum Dei. Esse quandam voluntatis infirmitatem, qua non potest certas tentationes superare, nec adest gratia qua superentur, nec Spiritus orationis, quo vires impetrentur.

PRIMUM omnium tanquam inexpugnabile munimentum asserunt, quod Deus jubeat homines credere, pœnitere, legem naturalem decalogi, cæterasque sub æternæ perditionis pœna servare: Deus autem non jubet impossibilia, ergò dat omnibus sufficiens auxilium ad ea facienda quæ jubet. Deindè peccant homines etiam infideles, quando fidei & pœnitentiæ præcepta, legesque naturales violant, ergò sufficiens auxilium habent ad vitanda illa peccata: nemo enim peccat in eo quod vitare non potest. In his difficultatibus ex ratione petitis pœnè fundantur omnia cetera quæ de consilio, hortatione, suasione ad faciendum præceptum afferuntur, ut omnibus gratiam sufficientem adesse persuadeant. Et ipsæ istæ tres difficultates ex eodem fonte fluunt, ex impotentia scilicet præcepta faciendi. Si enim infidelis & obduratus aut excæcatus non potest præceptum facere, ergò Deus præcipit impossibile, ergò infidelis peccatum vitare non potest, ergò non est peccatum, ergò non est liber ad bonum.

Respondetur de istis omnibus objectionibus alibi multa diximus. De duabus quidem primis in libro quarto de statu naturæ lapsæ. De tertia verò in libro tertio. Quæ si rectè intelligantur, nihil difficultatis in earum solutione remanebit. Nihil tamen vetat ad pleniorem intelligentiam, quædam indè delibando repetere, & quædam ex Aug. addere, quo clarius ostendatur, non eum istorum argumentorum velut insuperabiles moles veritũ declinasse, sed sæpenumero solvendo disjecisse.

Respondetur igitur primam illam sententiam qua dicitur Deum non jubere id quod homini est impossibile, nunquam sic intellexisse Augustinum, ut Deus non possit homini præcipere id quod proprijs viribus suis implere non potest: sed solum quod ita impossibile est, ut neque proprijs neque alienis viribus, si illas in auxilium advocaverit, possit implere. Vnde sæpenumero ex professo docet, Deum jubere quædam quæ non potest homo facere, ipsumque auxilium suum subtrahere non ut desperet homo, sed ut faciendi vires & auxilium quibus se carere sentit, sibi imploranda esse doceatur. Quod ex ijs quæ fusè diximus de lege Iudæis data, quam implere non poterant, ut ipsa legis prævaricatione ad auxilium gratiæ invocandum ducerentur, manifestissimè constat. In quibus tamen, si quid obscuritatis alicui fortasse superesset, ex alijs perspicuis locis illustrari potest. Nam hoc idem sibi vult Augustinus, quando contra Pelagianos præceptorũ possibilitatem cõtentiosissimè inculcantes dicit: *Itaque præcepto facere commonemur quod conantes & nostris viribus non valentes adiutorium divinum precemur.* Et inferius post aliquot capita: *Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et multis in eodem libro interjectis: *Eo quippe ipso quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum, impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Et in libro de Spiritu & littera: *Ideò enim lex iubet, ut admoneat quid faciat fides, ut cui subditur, si* NONDUM POTEST, *sciat quid petat. Si autem continuò* POTEST, *& obedienter facit, debet etiam scire quo donante possit.* Et in libro de perfectione justitiæ, summis viribus Celestius contendit, præcepta esse debere possibilia. *Nam cur*, inquit *præciperetur, quod fieri omninò non posset?* Respondet ei Augustinus similitudine: *Consultissimè homini præcipi, ut rectis passibus ambulet; ut cum se non posse perspexerit, medicinam requirat.* Quam similitudinem paulò ante lucidius declaraverat: *Cum videmus claudum, qui sanari potest, rectè utique dicimus debet homo iste esse sine claudicatione: & si debet, potest. Nec tamen cum vult continuò potest, sed cum fuerit adhibita curatione sanatus, & medicina adiuverit voluntatem.* Et libro de gratia & libero arbitrio, eandem objectionem Augustino Pelagiani movent: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non iuberet Deus quod sciret non* POSSE *ab homine fieri.* Quomodo igitur retundit illud eorũ acutissimum telum? *Quis hoc, ait, nesciat? Sed ideo iubet aliqua,* QUÆ NON POSSUMUS, *ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Quam Augustini doctrinam Aug. verbis paulò ante citatis Tridentina Synodus tanquam Catholicam sancxit: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod* POSSIS, *& petere quod non* POSSIS.

Lib. de nat. & grat. c. 15. *Ibid. c. 43.* *Ibid. c. 69.* *Lib. de perf. iust. c. 3.* *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.* *Conc. Trid. sess. 6. c. 11. ex Aug. libro de natura & gratia c. 43.*

Ex hac indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur & clarescunt. Primum quidem, esse quædam homini præcepta secundùm statum & vires in quibus constitutus est, impossibilia. Hoc enim non solum ista loca exsertè profitẽtur, cum dicũt Deum aliqua *iubere quæ non possumus*, sed etiã ipsa oratio, qua petimus ut possimus, perspicuâ attestatione confirmat. Si enim jam possumus ad quid petimus ut possimus.

Secundum, non adesse semper gratiam qua possumus, hoc est, qua illa eadem præcepta implere sufficiamus. Si enim jam adest gratia, qua præcepta implere sufficientes simus & possimus, stultum est orando satagere, ut possimus.

 Nam

Lib. de nat. & grat. Nam quid stultius, ut Aug. ait, quam orare ut possis id quod jam habes in tua potestate? *Mendaciter enim petuntur*, inquit *si ea* quæ præcepta sunt, *non adjuvante eius gratia facere possimus.* *Lib. de sancta Virginit. cap. 41.*

Tertium hanc impotentiam reperiri non solum in excœcatis & obduratis, & infidelibus, de quibus nunquam vel Augustinus vel Ecclesia, sed solum Scholastici nonnulli ex humanis rationibus, dubitarunt, sed etiam fideles & justi, qui & fidem Christi & charitatem justitiæ susceperunt. Nam de fidelibus in omnibus istis locis Augustinus loquitur, utpote qui soli ad petendum auxilium idonei sunt. Infideles enim *quomodo invocabunt in quem non crediderunt*? *Rom. 10.* Nam ut sanctus Doctor ait: *Ad hoc credunt qui rectè credunt, ut invocent in quem crediderunt & VALEANT FACERE, quod in præceptis legitimis acceperunt.* *Epist. 89.* Tridentinum verò de Iustificatis expressè loquebatur, ut id ostenderet, quod præmiserat, Dei præcepta homini IUSTIFICATO ad observandum non esse impossibilia, eo quod jubendo Deus moneat petere quod non possis; & si exaudiat, adjuvet ut possis.

Quartum hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt. Perspicuum est enim eos qui Deum pro impetranda gratia deprecantur, ut valeant facere quod jubetur, jam habere præcepti implendi voluntatem, sed deesse potestatem. Nam de volentibus Augustinus loquebatur, quandò dicebat, *Nec tamen cùm vult continuo potest, sed cùm fuerit adhibitâ curatione sanatum & medicina adjuverit voluntatem.* *Supra lib. de perf. Iust. cap. 3.* Et in eodem libro paulò inferius, indicans hoc ex præcedentium peccatorum sive actualium sive originalis pœna proficisci, *Sub quibus*, inquit pœnis *positi vel NON POSSUMUS, quod volumus, intelligere, vel quod intellexerimus, VOLUMUS, NEC VALEMUS IMPLERE.* *Ibid. c. 4.* De volentibus quoque loquebatur, quando dicebat: *Surge & ambula. Forte conaris ambulare & non potes, quia dolent pedes. Vnde dolent pedes? An iubente avaritia per aspera incurrerunt?* *Tract. 34. in Ioannem.* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Est & hic unde illi placeamus eius misericordiam in his deprecando à peccatis nos, quantum possumus abstinendo: in quantum autem non possumus, confitendo atque plangendo.* *Tract. de verb. c. 1.* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Volumus ô Domine, volumus & non possumus: aut fortè nec volumus, premente sarcina gravamur, & nolumus.* *Serm. 97. de diversis c. 4.* De volentibus loquebatur quando dicebat Iuliano similem perpetuam sufficientiam homini adesse prædicanti: *Quando secundùm eam* (qualitatem malam animo firmiter inhærentem) *dicitur animus malus, vel potiùs homo malus, nonne metuis ne voluntas bona, aut non ibi esse possit, aut VALERE NIHIL POSSIT?* *[...]6. contra [...] cap. 18* De volente Apostolo loquebatur, quando dicebat eum fuisse *iam præcepti capacem, sed non efficacem & ideò prævaricatorem legis.* *Lib. 1. ad Bonif. c. 8.* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Sufficit tibi gratia mea, non sufficit tibi voluntas tua.* Et cur quæso non sufficit? Audi: *Volo ut velis, sed* *Serm. 3. de verb. Apost. cap. 8.*

A *non sufficit ut velis. Adiuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.* *Cap. 10.* De volentibus loquebatur quando dicebat. *Sunt necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere & non potest.* *Lib. 3. de lib. arb. c. 18.* Et quando dicebat quod nunc post peccatum, *non habet homo in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo & NON VALENDO ESSE, qualem debere esse se videt*: *Ibid.* quia ut infra subjicit, *Illa est enim pœna iustissima, ut qui sciens rectè non facit amittat, scire quod rectum fit: & qui rectè facere cùm posset noluit amittat POSSE cùm velit.* *Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Qui cogenti cupiditati BONA VOLUNTATE resistere NON POTEST, & ideò facit contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* *Lib. 1. retract. c. 15.* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Invenit ergò se ligatum difficultatibus cupiditatum, & NON POSSE viam propter compedes ambulare.* *In Psal. 106* B *Inclusum se sentit difficultate vitiorum, & tanquam MURO IMPOSSIBILITATIS erecto, portisq; clausis quà evadat ut rectè vivat, non invenit.* Et inferius: *Conatur & NON POTEST, ligatum se sentit, exclamat ad Dominum.* Et iterum: *Si enim primitus CÙM VELLET POSSET & non sentiret adversum se obnitentes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima collideretur, suis viribus tribueret quod se POSSE sentiret.* Cui sanctus Prosper discipulus ejus in eundem Psalmum succinit, esse enim dicit *vincula quædam IMPOSSIBILITATIS*, & illa *cupiditatum* contrariarũ impedimenta, quæ à Deo *rumpenda sint, ut ad rectè agendum accipiat facultatem.* *Prosp. in Ps. 106.* Itaque humilitatem doceri hominem *per EXPERIENTIAM IMPOSSIBILITATIS suæ*, ut videlicet, *sic inveniant se sine adiutorio* DEI NIHIL POSSE. De volentibus loquebatur, quando dicebat Augustinus Bonifacio, *Serva saltem pudicitiam coniugalem & roga Deum, ut quod non POTES MODO POSSIS* aliquando. *Epist. 70.* C Quam doctrinam fundatissimam, si accersitis undique testimonijs confirmare vellemus, integrum pœnè volumen ex ejus verbis excresceret.

Hinc ergò fit ut non semel de sancto Petro etiam volente dicat, cùm Christum negaret, invalidas infirmasque fuisse vires ejus, imò non potuisse mortem ferre pro Christo, quamvis hoc & vellet, & se posse judicaret: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et illi, etiam in hoc superbi, POSSUMUS. Quomodo Petrus, Tecum usque ad mortem. Fortis vir, donec fœmina diceret. Et iste cum illis erat. Sic & isti POSSUMUS. POTESTIS? POSSUMUS. Et ille, Calicem quidem meum bibetis; & si modo NON POTESTIS, tamen bibetis. Quomodo ait Petro, NON POTES me sequi modo: sequeris autem posteà.* *In Psal. 103. Conc. 3.* Et in tractatibus in Ioannem: *Quid festinas Petre? Nondum te suo Spiritu solidavit Petra. Noli extolli præsumendo, NON POTES modo. Noli deijci desperando: sequeris postea.* D Sed *quid adhuc ille dicit?* Quare te non possum sequi modo? Animam meam pro te ponam: *Quid in animo eius esset cupiditatis videbat; quid virium non videbat &c. quantum sibi assumpserat* *Tract. 66. in Ioannem.*

Petrus

Tract. 96.

Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid posset. Et A tractatu nonagesimo sexto: *Mori pro Christo nondum erant idonei tunc Apostoli, quibus dicebat,* NON POTESTIS *me sequi modo. Unde primus eorum Petrus, qui hoc iam se posse præsumpserat aliud expertus est, quam putabat.* Et in sermonibus de diversis: a *Nondum poterat*, mori pro Domino, *quia infirmus erat.* Et in alio sermone: b *Secutus est Dominum passurum, sed tunc* NON POTUIT *sequi passurus. Secutus est pedibus, nondum idoneus sequi moribus. Promisit se moriturum pro illo &* NON POTUIT *nec cum illo. Plus enim ausus erat, quam eius capacitas sustinebat, plus promiserat quam* POTERAT. Quibus omnibus locis & aliis multis passim docet, Petrum cùm se pro Christo moriturum polliceretur, propter defectum virium voluntatis præstare non potuisse quod promiserat: voluntas enim ejus, hoc est vis, volendi divinitus ei data adhuc parva erat, quam oportebat esse maximam, B ne mortis oblatæ terrore frangeretur. Itaque causam alibi prodens præsumptuosæ pollicitationis Petri, quod non distingueret inter velle & posse voluntatis, inter parvam magnamque voluntatem & charitatem, *Quamvis parva & imperfecta* (charitas) *non deerat Petro, quando dicebat Domino animam meam pro te ponam. Putabat enim se* POSSE, *quod se velle sentiebat.*

a Serm. 44. de diversis c. 2.
b Serm. 106 cap. 1.
Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17.

Hinc ergò fit iterum, ut subinde doceat Augustinus, quarundam cupiditatum tentationes, aliquorum hominum vires superare, ita ut eas superare non possint. Nam hoc est illud quod jam ante ex libro tertio de libero arbitrio produximus, quod nunc *videat* homo, *quod rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Et quod amiserit posse cùm velit*; quod *errat invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi,* id est concupiscentiæ, NON POSSIT *à libidinosis operibus temperare*; quod sint *necessitate* impellentis concupiscentiæ *facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, &* NON POTEST. Quod & Persium Poëtam Ethnicum agnovisse, in libro de Magistro tradit, quando hanc unam anteponebat pœnam, *qua cruciantur homines, qui vitia quæ vitare* NON POSSUNT, *coguntur agnoscere.*

Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.
Lib. de Magistro cap. 9.

Ex quo fit ut illum Apostoli locum quo dicit, *Fidelem esse Deum, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut* POSSITIS *sustinere,* nullo modo tam indiscretè intelligat, ut hoc in omnibus omninò fidelibus observetur. Noverat enim hoc non exiguum esse divinæ gratiæ beneficium, quod propterea quia gratia est, non promiscuè cuilibet etiam credentium tribuat, sed tantum orantibus ac de divino adjutorio, sicut oportet, confidentibus, adeoque ferè electis: *Tantum pro conditione mortalitatis huius adversari sinitur*, diabolus, *quantum eis expedire novit, de quo sacra latera personant per os Apostolicum: Fidelis Deus qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet &c. Sed circa eos ista servantur de quibus Apostolus dicit, Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* Et in libro de cate- D

1. Cor. 10.
Lib. 13. de Trinit. c. 19

A chizandis rudibus: *Humilis esto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas.* Et in fine libri: *Opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino, ut non permittat servos suos tentari plus quam possunt sustinere.* Et in libro de sancta Virginitate, *De viribus vestris experti cavete, ne quia ferre aliquid potuistis, inflemini: de inexpertis autem orate, ne supra quam potestis ferre tentemini.* Et in tractatu de urbis excidio: *Plane oremus & gemiscamus ad Dominum ut servetur erga nos quod Apostolus dicit, Fidelis Deus qui non vos sinet tentari supra id quod potestis.* Quibus omnibus locis apertè significat, hoc beneficium non promiscuè quibuslibet tribui, sed humilibus orantibus, satagentibus: frustra enim oratur si omnibus præsto est. Nam revera sicut non omnibus tribuitur, ut non inducantur in tentationem, ita non omnibus datur, ut non tententur supra id quod possunt. Idem enim B utriusque sensus est orationis, juxta id quod docet Augustinus; illam partem dominicæ precationis exponens: *Aliud est tentari, sine quo nullus probatus est iustus, aliud in tentationem induci, id est, à tentatore induci. Hoc est ergò quod oramus, ut non permittat nos Deus tentari supra id quod* POSSUMUS, *sed faciat cum tentatione proventum, ut* POSSIMUS *sustinere.*

Lib. de catechiz. rudibus cap. 25.
Cap. ult.
Lib. de sancta Virginit. cap. 52.
Tract. de urbis excidio c. ult.
Serm. 182 de Tempore

Hæc igitur quoque ratio est, cur multos Deus tentari sinat & cadere. Nempe, ut virium suæ voluntatis capiant experientiam, & qui illas valdè magnas esse decepti putant, discant vel statu, vel lapsu, vel imminenti periculo suo, quid facere possint, quid ferre non possint. Sic enim Petrus experientia doctus, deposuit perniciosam præsumptionem, quam de suæ voluntatis viribus seu potestate conceperat. *Nam illa probatio* (Abrahæ) ut inquit Augustinus, *ideò facta est, ut nos nosceremus quod Deus iam noverat &c. Et fortassis ipse Abraham nondum noverat, quas vires haberet fides. Unusquisque enim se tentatione, tanquam interrogatus agnoscit:* C *sicut Petrus, quas vires haberet fides eius, utique nesciebat quando dixit Domino, Tecum paratus sum usque ad mortem. Dominus autem qui noverat eum, prædixit ubi deficeret, prænuncians illi infirmitatem eius tanquam tacta vena cordis. Proinde Petrus qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se.* Et in Psalmum quadragesimum tertium: *Ipse Abraham se non cognovit, quia in ipsa tentatione ipse sibi innotuit. Plerumque enim homo putat se posse, quod non potest, aut putat se non posse, quod potest. Accedat ad illum interrogatio ex divina dispensatione, & per interrogationem notus fit sibi, dicitur Deus cognovisse quod illum fecit nosse. Numquid Petrus noverat se, quando dixit medico, Tecum sum usque ad mortem, Medicus noverat vena inspecta quid intus ageretur in ægroto, ægrotus non noverat. Venit accessio tentationis & probavit medicus sententiam suam, perdidit æger præsumptionem suam.* Et in Psalmum quinquagesimum D quintum: *Omnis tentatio probatio est, & omnis probationis effectus habet fructum suum: quia homo plerumque etiam sibi ipsi ignotus est. Quid ferat, quidve non ferat ignorat, & aliquando præsumit se ferre quod* NON POTEST, *& aliquando desperat*

In Psal. 30.
In Psal. 43.
In Psal. 55.

perat se posse ferre, quod potest. Accedit tentatio quasi interrogatio, & invenitur homo à seipso, quia latebat & seipsum, sed artificem non latebat. Proinde Petrus præsumpsit nescio quid, quod in illo nondum erat &c. vires suas Petrus ignorabat &c. Et eleganter admodum in libro de sancta Virginitate docet, virginem ita præferre virginitatem conjugali bono, *ut tamen nesciat utrum illa vel illa conjugata iam pati pro Christo possit, adhuc verò ipsa non* POSSIT, *& in hoc ei parcatur, quia infirmitas eius tentatione non interrogatur.* Nonnunquam enim accidit, ut conjugatæ possint mortem ferre pro Christo, virgines autem *nondum valeant talia, vel pro iustitia, vel pro ipsa pudicitia sustinere.* Vnde subjungit saluberrimè: *Latent ista in facultatibus & viribus animorum, tentatione panduntur, experientiâ propalantur. Vt ergò quisque non inflettur ex eo quod videt se posse, humiliter cogitet quod ignorat aliquid præstantius se fortasse non* POSSE: *aliquos autem qui illud, quo sibi gloriosè notum est, nec habent, nec profitentur, hoc quod ipse non* POTEST, POSSE. Ecce quoties, quàm sollicitè, quàm solidè, quàm instanter sanctissimus Antistes populum, & eruditissimus Doctor Doctores docet, etjam eos qui credunt Deo, & jam justificati sunt, etjam volentes conantesque multa Christianæ disciplinæ præcepta implere non posse, & idcircò cœlum precibus tundere ut possint.

Lib. de S. virginit. c. 47.

Quo fit ut juxta castissima principia doctissimi Præsulis, Christianæ gratiæ regulis inhærendo, nimis enormiter, & supra quam dici potest à tramite veritatis exorbitent, qui humanæ Philosophiæ nimium creduli, dicere & scribere non verentur. Quamdiu ratio non perturbatur, liberam potentemque manere voluntatem ad quamlibet tentationem superandam, cum illa sola cogitatione, quam secum tentatio affert necessario. Quo sanè nihil pœnè à Pelagianis libertatem potestatemque humanæ voluntatis extollentibus audacius & superbius dictum fuit. Nam quod à Iuliano jactatum & ab Augustino acriter confutatum fuit, hominem *sufficere ingenitis sibi motibus dare leges*, non alium sensum habuit, quàm quod homo vi liberæ manentis voluntatis posset quemcunque tentationis impetum vincere. Consensum quippe voluntati liberæ extorqueri non posse, nec eam quoquam captivam duci, fixum inter Pelagianos principium tenebatur. Hinc illa eorum in libro secundo de peccatorum meritis & remissione, celebrata cantilena, qua sibi concinnè acutèque dicere videbantur. *Quod si nolumus non peccamus, nec præciperet Deus homini quod esset humanæ impossibile voluntati.* Quasi diceret, cum peccatū ex libera voluntate nascatur, profectò si solum nolumus, non peccamus, & proinde possumus quamcunq; tentationem repugnantem nolendo superare. Eodem enim prorsus modo Scholastici isti arguunt; sed neutri vident, non esse satis velle vel nolle, ut magna quædam præcepta impleantur, tentationesque superentur, sed

Vasq. in 1. p. Disp. 97. n. 24. & alij

Vide lib. 1. cont. Iul. op. imperf.

Lib. 2. de pec. merit. c. 3.

A propter libidinem internarum & consuetudinum arctissimarum pertinacem resistentiam opus esse, ut ardenter & fortiter velit: quod non est semper in hominis potestate. Talis enim ardor vel fortitudo voluntatis, non ex sola libertate hominis proficiscitur, aut haberi potest, sed ex delectationis magnitudine, quam animus ex objecto circa quod versatur capit; atque ideò cœlitus inspirari debet: *Quis enim animo*, inquit Augustinus, *amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit. Cùm ergò nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum inspiratur hoc & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro & industria aut operum meritis comparatur.*

Lib. 1. q. 2. ad Simp. c.

Hoc est igitur, quod Augustinus ad illam quam dixi à Pelagianis jactatam vocem, *quod si nolumus non peccamus*, breviter veraciterque
B respondet; *quod ad nonnulla superanda, quæ vel malè cupiuntur vel malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis.* Has autem vires ad faciendum quod præcipitur, homo etjam fidelis & justus, non semper habet integras, sed ex ipsa tentatione divisas. Concupiscentiis enim carnalibus pravisque consuetudinibus vulneratus, earumque motibus distractus, bonum quod vult, non fortiter atque integrè vult, sed ut Augustini voce loquar, semi-sauciam hac atque illac versat, jactatque voluntatem, parte assurgente cum alia parte cadente luctantem. Quam luctam sanare & integras volendi vires sibi reddere libertas voluntatis, vel natura ipsa sauciata non potest, sed hoc ad solam pertinet medicinam gratiæ Dei. Hanc igitur doctrinæ istius veritatem, tanquam indubitatam intuebatur Augustinus in verbis quæ produxi-
C mus, quod *ad quædam superanda magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis.* Nam istæ magnæ totæque vires voluntatis, sunt effectus magnæ & non passim usitatæ gratiæ. *Vt enim sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ille tribuit, ille largitur.* Hanc intuebatur & in illis verbis in Epist. ad Rom. *Gratia efficit ut non tantum velimus rectè facere, sed etiam possimus.* Et in illis quibus inferius dicit, *Non sufficere velle nostrum, nisi adiuvet Deus.* Et aliis verbis, *quod cùm voluerimus non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi Deus vires currentibus præbeat.* Hanc & in illis intuebatur in sermone quodam ad populum: *Volo ut velis, sed non sufficit ut velis; adiuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.* Hanc & in illis intuebatur, in libro de perfectione justitiæ: *Non igitur potest homo esse sine peccato, etiamsi velit, nisi adiuvet gratia Dei per* IESUM *Christum Dominum nostrum.* Et multis interjectis in eodem opere: *Non aliam ob causam Scriptura commemorat, non esse gravia divina præ-*
D *cepta, nisi ut anima quæ illa gravia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta qualia commendantur, levia scilicet atq; suavia, & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis* quo videlicet ea facere possit ac sufficiat. Hanc intue-

Vide l. 2. de pec. mer. c. 3.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

In Expos. quarund. Prop. ex Ep. ad Rom. n. 18.

Num. 62.

Serm. 3. de verbis Apost. c. 10.

Lib. de perf. iust. c. 7.

Ibid. c. 10.

intuebatur & in illis, in libro de Spiritu & littera: *Fieret enim perfecta justitia*, id est, opus justitiæ, *si tanta voluntas adhiberetur quanta sufficit tantæ rei*, hoc est, plena & integra. *Esset autem tanta*, non si nomo suâ libertate conetur, & extendat se, sed quòd *si & nihil eorum quæ pertinent, ad justitiam nos lateret, & ea sic delectarent animum, ut quicquid aliud voluptas sive dolor impedit, delectatio illa superaret. Quod ut non sit, non ad impossibilitatem, sed ad judicium Dei pertinet.* Hoc est, non judicat illud opus justitiæ esse prorsus impossibile, sed opus esse gratia Dei, quæ ex judicio Dei profundo distribuitur, per quam magnitudo tantæ voluntatis quanta sufficit, & operis justi possibilitas datur. Hoc enim perspicuè docet in sequentibus statim verbis: *Quis enim nesciat, non esse in hominis potestate quid sciat; nec esse consequens, ut quod appetendum cognitumque fuerit, appetatur, nisi tantum* DELECTET, *quantum diligendum est.* Quasi diceret id quod nos diximus, quod scilicet ille ardor tantæ voluntatis ex magna justitiæ delectatione nascatur, quam tribuit nobis, non voluntas libera, sed gratia Dei. Hanc intuebatur & in Confessionum suarum libris, quibus unius voluntatis divisionem & impotentiam mirificè exponit: *Ego cum deliberabam ut jam servirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram. Ego eram qui volebam, ego qui nolebam, ego ego eram. Nec plene volebam, nec plene nolebam. Ideo mecum contendebam & dissipabar à meipso. Et ipsa dissipatio me invito quidem fiebat nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ.* Sed cur voluntatem sibi renitentem non illa decantatâ libertate superabat? Nonne volebat? Nonne satagebat? Nonne conabatur quando dicebat: *Quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam ut sequeretur* CONANTEM *post te?* Et tamen tanto conatui *renitebatur, recusabat & non se excusabat.* Cur ergò non voluntas illa prior voluntate mutata atque superata est, sicut Scholastici illi & olim Pelagiani fieri posse decernunt? Dicat causam ille qui expertus est conatum luctamq; satagentis animæ, & videbis eum hanc ipsam quam hic trado intuitum esse veritatem: *Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas*, NONDUM ERAT IDONEA *ad superandam priorem vetustate roboratam.* Hoc est, nondum poterat eam quocumque liberæ voluntatis conatu superare, eo quod videlicet ipse conatus defectu virium languidus esset, cui cœlestem delectationem atq; ardorem nondum inspirasset Deus, ideoque similis conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Hanc intuebatur & in libro de gratia & libero arbitrio, quando istam voluntatis infirmitatem qua fit ut quicquid suis viribus conetur homo, non tamen possit adversantes bonæ voluntati suæ cupiditates superare, donec gratia Dei majorem uim ardoremque volendi aspiraverit, tam discertè explicat, ac si

Lib. de Spir. & lit. c. 36.

Ibid.

Ibid.

Lib. 8. Confess. c. 5.

Lib. 8. Confess. c. 10.

Vide lib. de perf. just. cap. 6.

Lib. 8. Confess. c. 5.

A istas quorundam imaginationes de libertate & fortitudine voluntatis, quamdiu ratio viget, ex professo expugnandas suscepisset. *Per hanc* gratiam *fit*, inquit, *ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit,* AUGEATUR, *&* TAM MAGNA *fiat, ut* POSSIT *implere divina mandata quæ voluerit,* CUM VALDE PERFECTEQUE *voluerit.* Et adhuc uberius statim pòst, adversus eos qui ista quasi indomita libertate voluntatis, volendo tantummodo se quælibet repugnantia superare posse putant; *Ad hoc enim valet quod scriptum est, si volueris conservabis mandata*, non ut quidlibet se posse volendo arbitretur, sed *ut homo qui voluerit, & non* POTUERIT, *nondum se* PLENE *velle cognoscat.* Et ne aliqua Philosophiæ Aristotelicæ opinione seductus plenam istam voluntatem conando tantum allequi se posse B crederet, *Et oret*, inquit, *ut habeat tantam voluntatem quanta* SUFFICIT *ad implenda mandata. Sic quippe adiuvatur ut faciat quod iubetur.* Et iterum inculcans illam voluntatis etiam justæ & bonæ adversus cupiditates insufficientiam: *Tunc enim utile est velle* CÙM POSSUMUS *& tunc utile est* POSSE *cum volumus. Nam quid prodest si quod non* POSSUMUS, *volumus, aut si quod possumus nolumus.* Et ne quis in hujus doctrinæ intelligentia caligaret, & isto jam dicto Recentiorum argumento terreretur, adhuc idem planius exequitur: *Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua quia dicitur si* VOLUERIT *conservabit mandata?* Et ad singularia quæque mandata contra superbiam luxuriamque delabendo, ad singula subjungit, *velit ergò & faciat mandata, quoniam si* VOLUERIT *conservabit mandata.* Sed ut ostenderet illum volendi conatum non semper esse C plenum atque integrum, neque eum conando, sed tantum cœlitus inspirando posse plenum atque integrum fieri, præclarissime solidissimeque subtexit: *Certum est enim nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur*, hoc est datur, *voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum* VELIMUS *quantum* SUFFICIT, *ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum &c. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo* VIRES EFFICACISSIMAS *voluntati.* Per quas videlicet POSSIMUS & *justificamus* renitentes nobis contrariæ voluntatis carnalis impetus vincere. Hanc denique veritatem intuebatur in eodem libro quando planissimè brevissimeque rem totam in summam contrahendo atque elucidando addit: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non* POTEST, *iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc* PARVAM & INVALIDAM: *poterit autem, cùm* MAGNAM *habuerit, &* ROBUSTAM. D Et istum fontem ex quo Petri lapsus fluxit quasi digito ostendens, *Ipsam charitatem*, hoc est, magnam voluntatem bonam qua posset, *Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit &c. Et tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino,*

Animam

Lib. de grat. & lib. arb. c. 15.

Ibid. cap. 16

Ibid.

Ibid.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.

Ibid. c. 17.

Digitized by Google

Animam meam pro te ponam. PUTABAT ENIM SE POSSE QUOD SE VELLE SENTIEBAT. Non dissimili nempè errore, quam quo Philosophi, laborabat, qui quicquid volendo dumtaxat, seu solâ volitione effici sciunt hoc ipso quo se velle sentiunt, etiam se posse arbitrantur, ne videlicet liberæ voluntati fiat injuria. Quasi verò non esset inter velle & posse etiam in ipsa voluntate seu in volitione differentia. Quam sanè libro de gratia & libero arbitrio etiam sanctus Bernardus expressit: *Nec aliunde*, inquit, *noster iste defectus venit, de quo Apostolus, ut non quæcumque vultis illa faciatis. Velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio non etiam posse quod volumus; non dico velle bonum aut velle malum, sed tantum velle.* Et multò inferiùs: *Neque enim ad liberum arbitrium (quantum in se est) pertinet aut aliquando pertinuit, posse vel sapere, sed tantum velle; nec potentem facit creaturam nec sapientem, sed tantum volentem. Non ergò si potens aut sapiens, sed tantum si volens esse desierit, liberum arbitrium amisisse putanda erit. Ubi enim non est voluntas, nec libertas. Non dico si velle bonum; sed si velle omninò creatura desierit* &c.

Bernard. lib. de grat. & lib. arb.

Hæc igitur omnia plenissime planissimèq; demonstrant, nihil esse in sancti August. doctrina certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis, volentibus, conantibus secundum præsentes quas habeat vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia: hoc enim sancti Petri exemplo aliisq; multis quotidiè manifestum esse, qui tentantur ultra quam possint sustinere; nec illam implendi talia præcepta difficultatem inde proficisci, quod actus implendi debeat esse supernaturalis vel meritorius, vel aliquid simile (quæ Augustino nunquam in mentem venerunt) sed ex eo quod vires voluntatis infirmæ sunt, propter concupiscentiam a volendo bono retrahentem; cujus renisu fit, ut vires voluntatis distrahantur, atque ita homo non plenè velit, non integre velit, non totâ voluntate velit. Talem autem voluntatem non esse idoneam ut superet alteram vetustate roboratam, quia per illam nondum potest homo tantum velle, quantum sufficit ut volendo faciat: poterit autem cum habuerit magnam & robustam. Hanc verò sibi tribuere, non esse potestatis humanæ, sed solius gratiæ Dei, quam propterea assiduè ex fide invocamus. *Ut si fortè tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adjutorio ejus non deseramur, ut in eo* POSSIMUS *vincere, ne abstrahamur illecti.* Nam postquam semel homo in peccatum præcipitatus est, vitium quoddam volendi suâ voluntate contraxit, *sibi amissis viribus, non ea qua vulneratus est, voluntatis* seu volendi *facilitate sanatur.* Ad hanc igitur sanitatem voluntatis assequendam, ut quemadmodum subinde necessarium est, fortiter, plenè atque integrè velle possimus, repugnantesque libidinis seu contrariæ voluntatis motus vincere, gratiam invocamus, hoc ipso clarissima voce profitentes, deesse nobis sufficientem ad illa præcepta facienda potestatem.

Lib. 2. de pec. merit. c. 4.

Ibid.

Quintum itaque ex eodem principio consectaneum est, plurimis non dari istam faciendi præcepti possibilitatem quæ precibus implorari solet. Quod ex tribus quoque capitibus indubitatum est. Primò quidem, quia multi fideles non convertuntur ad invocandam gratiam è qua sola vires illæ voluntatis nasci possunt, atque exspectari debent. Plurimi quippe præsumptione pleni se satis fortes esse putant ad præcepta facienda, si tantum velint; qua superbia occulta implicati non invocant adjutorem Deum. Hinc Augustinus: *Habes & adjutorem qui te exspectat pugnantem, sublevat laborantem, sed si invenit sperantem, odit enim superbientem.* Quod multis Augustini testimoniis non esset difficile confirmare, nisi res esset per se perspicua. Hoc itaque proprium sancti Petri malum fuit, quamvis & fidelis esset & bonus, quando non solum jam VOLEBAT pro Christo mori, sed etiam de sua fortitudine multa promittebat, pro qua impetranda orare debuisset. Itaque gratia deserens implere non POTUIT, quod se velle sentiebat. *Quid enim*, inquit, *homo sine gratia Dei possit, timor beati Apostoli evidenter ostendit. Per solum enim liberum arbitrium non addito etiam Dei adjutorio promiserat se pro Domino moriturum. Sed quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum?* Ut ita videlicet *totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere.* Hujusmodi hominum infinitus in Ecclesia, proh dolor, est numerus. Tales autem per frequentes lapsus ad infirmæ voluntatis suæ agnitionem perducuntur; si tamen eis miseretur Deus, ut vel sic confusi ipsaque confusione humiliati in timore ac tremore discant operari salutem suam, & ab ipso solo faciendi vires exspectare. Deus enim *hoc ipsum eis facit proficere in bonum, quia humiliores redeant atque doctiores.* Quemadmodum latiùs sanctus Augustinus exsequitur. Simili malo & ipse Propheta licet mitius, laborabat quando dicebat, *in abundantia mea non movebor in æternum*, Et ut Augustinus, *sibi tribuebat quod à Domino habebat.* Itaque Deus avertit faciem suam ab eo, & factus est conturbatus. Nempè *ostendendum ei fuerat, unde haberet, ut reciperet humilis quod superbus amiserat.* De qua desertione Dei, & impotentia aliisque eo spectantibus, cùm lex insonat foris & intus deficit gratia, & nos in superioribus multa diximus: Secundò quia non omnes etiam qui petunt à Deo vires illas magnas præcepta faciendi & cupiditatem superandi, impetrant id quod petunt, prout nimis experientia & ex ipsa oratione Dominica manifestum est. Nam quamvis Apostolus Iacobus dicat, quod Deus *dat omnibus affluenter*, ut sapientiam ita & potentiam ardoremque voluntatis, illis tamen dat *qui postulant in fide nihil hæsitantes.* Unde Augustinus explicans, quibus omnibus det

In appendix Serm. 3.

Serm. 124. de temp.

Vide latius lib. de Cor. grat. c. 9. & lib. de nat. & grat. cap. 23. 24. & 25.

Lib. de nat. & grat. c. 24

Iacobi 1.

Digitized by Google

Lib. de nat. & grat. c. 17. det Deus affluenter sapientiam, *Vtique his omnibus*, inquit, *qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantū res tanta petenda est.* Non enim quidlibet quælibet impetrat oratio, sed fervens, fide immobilis, perseverans. Qua de re tanquam in Christianæ disciplinæ regulis fundatissima multa dici possunt. Ex quo etiam nascitur, ut etiam illis quibus Deus istam voluntatis fortitudinem tribuere constituit, diu tamen sæpe differat gratiam suam, partim ut eis adjuvantis gratiæ necessitas magis ipsa subtractione commendetur, juxta illud sancti Doctoris:
Lib. 2. de pec. merit. c. 19. *Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse sed humiles, commendans nobis eandem gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod eius est:* partim ut probet hominem quantis polleat viribus voluntatis, non ut ipse, sed ut homo instruatur & innotescat sibi;
Serm. 2. in expos. *Bene ergò*, inquit, *aliquando Deus differt adiutorium suum, ut probet hominem, ut exerceat hominem, ut ipse sibi homo innotescat. Nam Deum nihil latet.* Itaque subinde subtrahit auxilium suum ut eis propriæ infirmitatis agnitio profundius imprimatur, sinens eis interea identidem longoque tempore cadere & surgere.
In ep. ad Rom. ad 5. partes. Nam de talibus dicit: *Voluerunt sanari quia cognoverunt se laborare, quod non cognoscerent nisi datam legem implere NON POSSENT.*
In Psal. 106 Nimirum ut alibi perspicaciter notat, *Si primitus homo cum vellet, posset, & non sentiret adversus se militantes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima c... deretur, suis viribus tribueret, quod se POSSE sentiret, & non confiteretur Domino miserationes eius.* Vtriusque verò radicis assignatæ causa est, quia & *orare Deum gratiæ spiritalis est*, ut Ambrosius ait; & ut Augusti-
Apud Aug. 4. ad Bonif. c. 11. Lib. de dono perseu. 23. nus, *& hoc ipsum est donum Dei, ut veraci corde & spiritaliter clamemus ad Deum.* Ex quo efficitur ut & istam gratiam orandi seu postulandi vires voluntatis Deus cui voluerit & quantum voluerit largiatur. Spiritus enim qui ubi vult spirat, sicuti *Spiritum gratiæ & precum effundit* ubi vult.
Zachar. 12. Qua de causa nec orare delectat aut lubet, nisi Deus ut lubeat inspiraverit, & quando jam lubet non tanto semper ardore lubet, quanto necessarius est, ut *sic petamus ac tantum petamus, quomodo & quantum res tanta petenda est.* Non enim exigua quorundam hallucinatio est, qua putant semper adesse homini gratiam ut petat, ac tam ardenter petat, ut infallibiliter impetret id quod petit. Vnde, ut & alibi diximus & sæpius dici necessarium est, non sine causa di-
Lib. 1. q. 2. ad Simplic. xit Augustinus: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & penè nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut ne hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia si vel hoc doleremus, iam oramus. Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia & petere, & quærere, & pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus, iubet?* Cùm ergò plurimi vel non petant gratiam illam qua possint ac sufficiant præcepta facere; vel non ita petunt ut ad impetrandum necessarium est, nec omnibus gratiam vel ferventer petendi vel omninò petendi Deus largiatur, apertissimum est fidelibus multis deesse illam sufficientem gratiam, & consequenter illam perpetuam, quam quidam prædicant faciendi præcepti potestatem. Itaque sanctus Thomas Augustini vestigia secutus; aperte ac resolutè dicit:
Si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo ad quæ non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, vel saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit lib. de Correptione & gratia. — S. Tho. 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1.
Cùm enim idem dixisset Augustinus, Angelos & Adamum recenter conditum non fuisse peccaturos cadendo, si gratia ad standum defuisset, de nostro jam lapso adiecit: *Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* — Aug. lib. de cor. & grat. c. 11.
Et sanctus Thomas libro tertio contra Gentes de peccatis illorum quibus per culpam gratia subtrahitur, dicit: *Nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia iste defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur. Sicut ebrius ab homicidio non excusatur quod per ebrietatem committit quam sua culpa incurrit.* — S. Thom lib. 3. con. Gent. c. 160.
Ex quibus conficitur non aliter verum esse, quod Deus non jubeat impossibilia, nisi quia quæcumque jubet, hominis voluntate per omnipotentem gratiam Dei adjutâ fieri possunt, juxta illud responsum Augustini, quando eadem quæstione petebatur. *His atque huiusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid IMPOSSIBILE homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adiuvandum, quo fiat quod iubet, IMPOSSIBILE aliquid esse.* — Lib. 2. de pec. merit. c. 6.
Ex quibus duobus principiis concludit responsionem quam dedimus; AC PER HOC POTEST HOMO, SI VELIT, ESSE SINE PECCATO ADIUTUS A DEO.

CAPVT

Digitized by Google

attendunt, si nondum regenerati sunt, primam esse causam cur obiurgati quod sint inobedientes Deo, sibi debeat displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. Et in libro de Perfectione justitiæ cùm propter peccandi necessitatem se excusatos à peccatis esse crederent, non gratiam sufficientem præsto esse respondet, sed *ideo esse culpam hominis, quod non est sine peccato, quia solâ hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntate superare non possit.* Et in quæstionibus super Matthæum, excæcatos ideo culpandos profitetur, quamvis jam excæcati videre non possint, quia impotentiam illam excæcationis sua culpa meruerunt. Nam quasi recentiorem aliquem idipsum quod nunc objicitur, objecturum vidisset: *Quod si ita est*, inquit, quod videlicet credere non poterant, *quis non exsurgat in defensionem Iudæorum, & eos* EXTRA CULPAM *fuisse proclamet, quod non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum.* Sed audi jam solutionem, non per gratiæ sufficientis apparatum, qui à posteris excogitatus est, sed per culpam hominum ac justitiam Dei: *Sed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse, qua tamen excæcatione non potuerunt credere.* Et in libris contra Faustum, de eadem excæcatione credendique impotentia: *Quod si diceret, quid ergo peccaverunt Iudæi si Deus illos excæcavit, ne agnoscerent Christum?* Audi non gratiam sufficientem ad Christum agnoscendum, vitandumque peccatum, sed culpam hominis & judicium punientis Dei: *Quantum possumus imbuendo, rudi homini responderemus, ex aliis occultis peccatis Deo cognitis, venire iustam pœnam huius cæcitatis.* Itaque latiùs ibidem probat, *non excusatos fuisse Iudæos, quia non cognoverunt Christum*, quia videlicet *occulti eorum meriti fuit, quod non cognoscerent.* Ex qua Sancti Augustini doctrina toties iterata perspicuum est, ut ipse probet peccatores Dei mandata prætereuntes, esse culpæ reos, sive illa facere possint, sive excæcatione vel obduratione non possint, nihil omnino gratiam sufficientem esse curæ, nec unquam vel verbulo illam tangere, sed hoc unicum duntaxat veluti peremptorium proferre, quia homo in illam impotentiam suâ voluntate lapsus est, quam justo judicio suo & gratiæ desertione & excæcatione & obduratione persequitur Deus.

Lib. de perf. iust. c. 6.

Quæst. 14. super Matth.

Lib. 13 cont. Faust. c. 11.

Quod ut apertissimè constare possit, illam ipsam objectionem, quæ nobis facta est, quod homines à peccato excusati erunt, si vel obduratione vel excæcatione, vel aliâ quâqua ratione careant viribus, quibus Dei præcepta custodiant, ex Apostolo & Augustino in medium proferamus, videamusque quid homines culpabiles demõstrando respondeant.

Ecce Apostolus in Epistola sua ad Romanos docet, quod Deus, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Cui doctrinæ cùm statim validissimè opponi posse cerneret, excusatos esse homines qui non obtemperant mandatis Dei; quia obdurati à Deo & excæcati, mandatis ejus obtemperare non possunt, mox ipse sibi objicit: *Dicis itaq; mihi quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit.* Hoc est, quid conqueritur Deus de hominibus, quod peccando malè vivant, cùm voluntati ejus obduranti quem voluerit nemo resistere possit? Ad quam quæstionem facillimè respondent recentiores, rectè meritoq; de peccantibus conqueri Deum, quia quamvis obdurati & excæcati sint, sufficientem tamen habent gratiam, quâ peccata devitent. Quis istam tam obviam, tam planam, tam peremptoriam responsionem defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantibus objectâ quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, tamq; ut ipsi putant, certum absolutumq; respondit. Cùm enim rem terribilem docuisset, quod Deus, cujus vult misereatur, & quem vult induret, & hoc ipsum exemplo induratissimi Pharaonis illustrasset, in quo Deus ostenderat virtutem suam, ut annuntiaretur nomen suum in universa terra, ipse sibi objectâ quæstione motum exprimens auditoris, *Dicis itaq; mihi*, inquit, *quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit?* Hic profectò locus erat, ut diceret quod ipsi sentiunt divinæq; querimoniæ justitiam liquidissimè patefaceret, quod quamvis obdurati sint, sufficientem tamen eis gratiam largiatur. Sed multum abest ut hoc Apostolus diceret. Tantum enim respondet, id quod Augustinum jam sæpè respondisse diximus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Nam hoc dicendo, nihil aliud profectò dixit, quam idcircò rectè de peccatoribus conqueri Deum, quia de hominibus ex eadem massa meritò justèque damnatâ fabricatis, facere potest quod voluerit, sive illis gratiam benè vivendi tribuat miserendo, sive subtrahat obdurando. Quo namque modo Apost. vel alius quisquam sanæ mentis tali objectioni respondere posset, quod gratiam sufficientem habeant obdurati ad cavenda peccata, de quibus conqueritur Deus, cum hac tali responsione, doctrinam à se traditam, adversus quam objectio formabatur, apertissimè jugulare, & argumentum adversarij invictum esse fateretur? Nam illa verba, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, propter quæ difficultas movebatur, non aliũ sensum habent, quam, cui vult gratiam miserendo tribuit & cui vult gratiam non miserendo non tribuit. *Non enim*, inquit, *obdurat Deus impartiendo malitiã, sed non impartiendo misericordiam.* Vel ut alibi dicit, *Obdurare dicitur peccantes, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent.* Quo modo igitur Apost. objectioni hominũ de illa Dei obduratione conquerentiũ respon-

Rom. 9.

Epist. 105. vel 7. ad Sixt.

respondere posset, quod adhuc gratiam Dei habeant, cùm eos obduratos esse docendo, nihil aliud docuisset, quam gratiam qua bene viverent eis justo judicio esse subtractam? Itaq; Augustinus istum Apostoli locum, *Quid adhuc conqueritur*, quo se excusant peccatores, tractaturus, ita loquitur in Epistola ad Sixtum: *Sed excusabunt se, inquit, homines qui nolunt rectè & fideliter vivere dicentes; Quid nos fecimus, qui malè vivimus, quandoquidem gratiam unde benè viveremus non accepimus?* Et hunc ipsum esse sensum ipsissimum istius objectionis, quam Apostolus sibi fecerat statim adjicit: *Postremo quonam se isti excusabunt modo? Nempe illo, quem breviter tanquam ex eorum voce sibi objecit Apostolus, ut dicant;* QVID ADHVC CONQVERITVR? *Nam voluntati ejus quis resistit? Hoc est enim dicere: Quid de nobis fit querela, quod Deum offendamus male vivendo, cùm illius voluntati nemo possit resistere, qui nos obduravit,* MISERICORDIAM, id est, gratiam, ut ante dixerat, NON PRÆSTANDO. Et eundem sensum verborum istorum reddit, in Enchiridio ad Laurentium.

Epist. 105.

In Enchir. cap. 99.

Quapropter quandocunq; Augustinus istius querimoniæ qua de male viventibus conqueritur Deus, æquitatem nititur asserere, & excusationem istam delinquentium retundere, quod frequenter facit, nunquam illi in mentem venit, ut isto tam expedito & facili, & peremptorio Scholæ recentioris remedio, hoc est, gratiâ sufficiente cunctas querelas eorum suffocaret, sed semper ad duas gratiæ negatæ causas recurrit, videlicet ad illam ipsam gratiam Dei, quæ quia gratis omnino datur, sine iniquitate subtrahitur; & ad culpam eorum sive originalem, sive propriam, qua justissimam adversum se Dei deserentis obdurantisque severitatem, hoc est, subtractionem gratuitæ gratiæ, qua bene viverent, provocarunt. Nam in eadem Epistola, cùm eorum ista verba protulisset: *Quid adhuc conqueritur Deus?* Ita subjicit: *Talibus itaque dicamus cum Apostolo, non enim melius illo invenire possumus quid dicamus; O homo tu quis es qui respondeas Deo? Quærimus namque meritum obdurationis & invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est; nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*, hoc est, gratiam, misericordiæ effectum. *Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: at potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, quia nullum est,* NE GRATIA EVACVETVR, *Si non gratis donatur, sed meritis redditur.* Et rursum inferius in eadem Epistola, cùm peccatores conqueri dixisset, quod *gratiam unde bene viverent, non accepissent*, eandem iterat responsionem quam prius dederat: *Non possunt veraciter dicere nihil mali se facere, quia malè vivunt*, nempe quamvis obdurati sint. *Si enim nihil mali faciunt, bene vivunt: si autem male vivunt, de suo malè vivunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod insuper addiderunt. Sed si vasa sunt iræ sibi hoc imputent, quia ex ea massa facti sunt,*

Epist. 105.

Ibid.

quam propter unius peccatum meritò Deus justèque damnavit. Si autem vasa sunt misericordiæ ipsum glorificent, qui eis MISERICORDIAM NON DEBITAM, *hoc est, gratuitam gratiam præstitit.* Et paulo inferiùs tertio repetitæ excusationi, tertio eandem responsionem reponit: *Si ergo illos non pudet hac excusatione non nobis, sed Apostolo contradicere, cur nos pigeat eis quod dixit Apostolus, hoc idem atque identidem dicere: O homo tu quis es qui respondeas Deo? &c. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa, utique meritò recteque damnata, facere aliud vas in honorem indebitum propter* MISERICORDIÆ GRATIAM, *aliud in contumeliam propter* IRÆ SVPPLICIVM? Et nonnullis interjectis eidem excusationi peccantium quarto iteratæ, quarto idem divinæ gratiæ justitiæque scutum objicit: *Ac per hoc universi qui se in nequitiis & iniquitatibus excusatos volunt, ideo justissimè puniuntur, quoniam qui liberantur non nisi* GRATIA *liberantur. Nam si excusatio illa justa esset, non inde gratia, sed justitia liberaret. Cum vero non liberet nisi* GRATIA, *nihil justum invenit in eo quem liberat non voluntatem, non operationem, non saltem ipsam excusationem. Nam si hæc justa est quisquis ea utitur merito non gratia liberatur. Novimus enim liberari per gratiam Christi quosdam etiam eorum qui dicunt, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit? Quæ si justa est excusatio, non jam gratuita gratia, sed propter hujus excusationis justitiam liberantur. Si autem* GRATIA EST, QVA LIBERANTVR, PROFECTO HÆC EXCVSATIO IVSTA NON EST. Et in Enchiridio ad Laurentium ejusdem excusationis injustitiam adhuc luculentius ex iisdem causis interimit: *Hoc autem quoquo modo audit ut dicat, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit? Tanquam propterea malus non videatur esse culpandus, quia Deus cujus vult miseretur*, hoc est, gratiam tribuit, *& quem vult obdurat: absit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse videmus Apostolum; O homo tu quis es qui respondeas Deo? &c. Si enim non capit hæc, quis est qui respondeat Deo? Si autem capit magis non invenit, quid respondeat. Videt enim si capit, universum genus humanum tam justo judicio divino in Apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam* nimirū quia ut addit statim, *indebitâ misericordiâ*, hoc est, gratuitâ gratiâ liberantur.

Ibid.

Ibid.

In Enchirid. cap. 99.

Ex quibus profectò vides quam procul à sancti istius Doctoris cogitationibus recedat recentior quidam Scriptor, quando fidenter *communem sanctorum doctrinam vocat, qui Pelagio interroganti, quomodo sumus liberi ad opera supernaturalia præstanda, si ad illa est gratia Dei necessaria & nobis non datur, vel quomodo nobis imputetur horum operum omissio; respondent, quia in potestate nostra est habere hanc gratiam, quam Deus nemini denegat.* Nihil enim capitalius Augustino adversatur, nihil directius ab ipso destruitur, quam quod Deus nemini post lapsum gratiā deneget, vel in hominis lapsi, de quo sermo est, potestate sit habere hanc gratiam, quam à Dei solius potestate

potestate & voluntate tanquam veram gratiam pendere justoque propterea judicio denegari multis instantissimè docet.

Hanc igitur salutationem Apostoli & S. August. adversus omnium querimonias murmurantium qui de defectu gratiæ vel vel de ignorantia, vel de benè vivendi impotentia conqueruntur, tam crebro repetitam, qua meliorem ab hominibus dari posse negat, quisquis diligenter, intelligenterq; ponderaverit, videbit profectò esse absurdissimam, si vera est, illa recentiorũ doctrina, quam de gratia sufficiente tradunt. Tradunt enim non solum omnibus eam dari, sed ita esse necessariam, ut nisi detur, peccatores excusati sint, imo peccata delinquentium non possint peccata deputari. Nemo enim peccat, inquiunt, in eo quod vitare non potest. Quid ergo si hæc ita sint, insulsius & ineptius quam hominibus peccata sua contra Dei querelas excusantibus, quòd ab ipso excœcati atque obdurati, & à gratia deserti sunt, per quæ supplicia, fatente docenteque hoc Aug. tam impotentes ad benè vivendum facti sunt, ut ne quidem videre possint, quod eligendum est bonum, *voluntatemq́ habeant du... ...mam, & adversus Deum omnino inflexibilem*: talibus, inquam, excusationibus nihil aliud Dei conquerentis patrocinio proferre, quam GRATIAM esse quæ subtrahitur, justamq; peccatorum pœnam quæ infligitur? Nam esto gratia sit, sine qua præceptum implere non possunt, an ideo tenentur ad impossibile? Esto justa pœna sit, an ideo id peccatum erit quod vitari nequit? Imo verò quid ex parte peccantium insanius quam excusationem adversus Deum de peccatis hominum conquerentem ex subtracta sibi gratia prætexere, si ut recentiores volunt, gratiam ad peccata vitanda sufficientem habent? Nonne ex utroque capite responsum oportebat; stultè de supplicijs istis murmuratis adversus Deum; relinquit enim sufficientem vobis gratiam qua ejus præcepta faciatis & peccata caveatis, ideoque justè de vobis malè viventibus con-

In verbis supra citatis ex Epist. 105.

Lib. de grat. & lib. arb.

A queritur Deus? Solutionẽ igitur istam quando Scholastici verissimam esse planissimamque putant, quid aliud tacitè indicant, quam Apostolum & Augustinum adversus querelas peccantium exclamando, *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* &c. in responsione defecisse, sicut & olim primi gratiæ sufficientis architecti dicere ausi sunt? *Hoc enim loco*, inquit Augustinus, *quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, & inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam.* Deficit enim profectò & Apostolus & Augustinus, si Deo de peccatis hominum conquerente, & homine identidem responsante, Deum abstulisse sibi gratiam, sine qua peccata vitare non potuit, clamat solummodo, *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Voluntati enim eius quis resistit?* Respondet enim: non ego quidem resisto voluntati ejus, quin me supplicijs desertionis, excœcationis, & B obdurationis persequatur; sed non idcirco de me rectè & justè tanquam peccante queritur, qui gratia ipsius destitutus, præceptum implere & peccatum vitare non potui, ideoque nec peccare. Quapropter si gratia sufficiens ita necessaria est, ut quemadmodum Scholastici tradunt, sine illa ne quidem peccent qui peccare dicuntur, planissimè defecerunt in respondendo & Apostolus & Augustinus, sive gratia illa adsit peccantibus sive desit. Si enim adest, impudentia querelarum exprobranda erat murmurantibus, & non quasi vera dicerent admittenda: sin autem desit, causa Dei deserenda est. Frustra enim clamatur, *O homo tu quis es?* Sum enim homo, inquiet, qui video insulsam de me jactari querimoniam, quasi peccarem, qui ablatâ mihi gratia, vitandique peccati potestate, peccare non possum. Quod si igitur excusatio ista malè viventium de subtracta sibi gratia est impia & injuriosa Deo, C profectò non est gratia sufficiens ad malè vivendum necessaria; eaque etiam penitus sublata Dei querimonia de peccantibus est justissima; responsioque Apostoli & August. rectissima, verissima, plenissima.

In Enchirid. ad Laurent. cap. 99.

CAPVT XV.

Multis modis præcepta dicuntur possibilia etiam sine gratia sufficiente. Quænam impossibilitas excuset peccantem, & quæ non: ex quibus solvuntur duo argumenta cap. 13. proposita.

VT igitur sufficientia solutionis istius, A quam Apostolus & Augustinus toties dedit, & possibilitas præceptorum Dei, unde pendet & libertas arbitrij, & ratio peccati plenius intelligatur, memoriâ repetenda sunt ea quæ in alio libro fusè diximus. Quibus ut hic etiam nonnulla addamus, observandum est in primis, in rebus ad vitam bonam seu pietatem spectantibus, multipliciter hominem dici POSSE aliquid. Primo remotissimè, per solam liberi arbitrij flexibilem facultatem ad bonum & malum. Hæc potestas in natura nuda liberi arbitrij constituta est, quamdiu nondum ad malè faciendum per supplicium æternæ damnationis obduruit. Sic ergo soli dæmones ac damnati dicuntur non amplius posse credere, diligere, benefacere, juxta illud Augustini: *Quod* (arbitrium) *neque ipse diabolus habet liberum ad bene faciendum, sed ad maximam malevolentiam pœna sui sceleris obduratum. Vnde nemo sanæ fidei credit aut dicit hos Apostatas Angelos ad pristinam pietatem correctâ aliquando voluntate converti.* Et libro undecimo de genesi ad litteram: *Factumq́, est in illo pondere meritorum ut nec iustitia* POSSIT *lumine delectari.* Et è contrario omnes homines dicuntur posse credere,

Videndus est liber 4. de statu naturæ lapsæ à c. 19 usque ad 26.

Epist. 107.

Lib. 11. de genesi ad lit. cap. 23.

credere, posse diligere Deum &c. Hæc enim ætas non est aliud nisi fidei, dilectionis, bonæque vitæ flexibilis capacitas, per quam possunt credere seu suscipere fidem, charitatem, & vitam bonam. Hoc POSSE tangit Augustinus ubi dicit: *Vt enim sit natura fidem* POSSE *habere, numquid & habere? Non enim omnium est fides, cùm fidem* POSSE *habere sit omnium.* Et iterum: *Proinde* POSSE *habere fidem sicut* POSSE *habere charitatem, natura est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratia est Fidelium. Illa itaq; natura in qua nobis data est* POSSIBILITAS *habendi fidem, non discernit ab homine hominem.* Vbi posse habere fidem & charitatem, nihil omninò aliud est, quam posse credere ac diligere Deum, qua phrasi etiam dixit in libro de gratia Christi: *Sed planè illa possibilitas* (liberi arbitrij ad utramque partem) *utriusque radicis est capax; quia non solum potest homo habere charitatem, qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem, qua sit arbor mala.* Hoc sensu sæpè docet Augustinus a *Fidem*, hoc est credere, b *rectè facere*, c *rectè vivere*, d *peccatum cavere*, e *voluntatem in melius mutare*, & hujusmodi *esse in hominis potestate*, quod est hominem posse ista facere, quia videlicet libero voluntatis arbitrio istos & similes pietatis actus facere potest. Quod ne quis necessitati divinæ gratiæ repugnare crederet, plerumque præcautionis loco adijcere solet, quod ista potestas sine gratia Dei efficere nihil potest. Aliquando etiam adijcit, homines ista *posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino*, hoc est, illud velle per gratiã ei dandum. Ita ut istæ locutiones eo redeant, quod *voluntas sit, qua & peccatur, & rectè vivitur, quod*, inquit, *his verbis egimus.* Nempe quia voluntas seu voluntatis arbitrium est remota quædam possibilitas, per quam homo potest, ut peccare, ita & rectè vivere, quamuis sine gratia in istum actum exire non possit.

Lib. de prædest. Sanctor. cap. 5.
Lib. de grat. Christi c. 10.
a *Lib. de Spiritu & litt. cap. 31.* b *Lib. 1. Retract. c. 26.* c *Lib. 2. de lib. arb. c. 1.* d *Lib. 3. c. 16* e *Lib. 1. Retract. c. 22.*
Lib. 1. Retract. c. 10.

Secundò, paulò propinquius dicimur, posse benè vivere, omnibusq; tentationibus resistere & peccata cavere, per fidem, quamvis dilectione Dei, & actuali Dei adjutorio, internisq; viribus voluntatis, de quibus ante multa diximus, careamus. Nam quamvis fides ista omnia per se nullo modo possit, quia tamen est semen orationis, per quam charitatem & gratiam adjuvantem & voluntatis vires impetrare solemus, hinc per ipsam fidem ista posse dicimur. Vnde Augustinus; *Per quam fidem scit diabolus eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissimè liberos, quod eis vehementer invidet in æternitate regnare.* Vnde & alibi: *Si credis, ipsa tibi potestas data est ut sis inter filios Dei &c. Ergo fides tua id est potestas quæ tibi data est, ut sis inter filios Dei &c.* Sed quia fides non operatur observationem mandatorum nisi per dilectionem, hinc

Epist. 107.
In Ps. 110.

Tertiò, dicimur multò plenius propinquiusq; posse per charitatem, per quam homo justificatur. Nam charitas seu dilectio non est aliud Aug. quam voluntas, hoc est volitio bona; quæ quamdiu deest nobis, impossibile est benè vivere, cùm autem adest, posse dicimur. Hinc in Epist. ad Rom. dicit accipi Spiritum S. *Per quem infusâ charitate bona* POSSIT OPERARI. Et infra, *Quo bona* POSSIT *per dilectionem operari.* Et iterum: *Illius est dare credentibus & volentibus* FACULTATEM *benè operandi per Spiritum S. per quem charitas Dei diffunditur.* Et in omnibus operibus Aug. nihil familiarius, quam per charitatem dari POTESTATEM benè operandi, concupiscentijs resistendi, tentationesq; superandi: quia ut dicere solet, *incipit homo amore iam* POSSE *quod timore non poterat.* Vbi libratâ circumspectione dicit, *incipit amore iam* POSSE; quia voluntas illa bona, quæ per charitatem datur, initio infirma est, & multa Dei magna præcepta implere non potest, nisi paulatim usque adeo munere ardentioris charitatis augeatur, ut possit. Vnde sunt illa quæ supra ex Aug. adduximus: *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non* POTEST, *iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam. Poterit autem cùm magnam habuerit & robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt* MAGNA UTIQUE VOLUNTATE, *hoc est magna charitate fecerunt.* Et Epist. 143. *Sed utique tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere Spiritu sapientiæ qui* SUFFICERET *ad implendam magnitudinem continentiæ.* Et in lib. Retract. *Verum est enim omninò omnes homines hoc posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino & tantum augetur munere charitatis ut* POSSINT. Veritas ista in Aug. scriptis exploratissima est, quam probant innumera pœnè testimonia, quorum non pauca paulò ante produximus. Voluntas enim bona initio infirma est, paulatimq; gratia Dei abundantius effusa instar arboris crescit, donec eo-usq; virium adolescat, ut cuncta invitantia, cuncta minantia, cuncta cruciantia superentur. Et ista quidem quę de posse diximus, quod per fidem & charitatem datur, de donis istis habitualibus potissimum intelligenda sunt. Nam per illa dicuntur justi orare, diligere, benè vivere, tentationesq; superare posse, etiam quando nihil istorum agunt, imo dormiunt. Sunt enim virtutes habitualiter in animo permanentes, quæ hoc ipso robustum animum efficiunt (unde & virtutes dictę sunt) ad opera quædam peragenda, quamvis si adhuc imperfectæ sint, ad opera sublimioris ordinis non sufficiant, quemadmodum jam jam de charitate diximus. Est enim in Aug. principijs paradoxum, id quod ex nonnullis quandoque audisse memini; quod charitas quamvis minima sufficiat ad quamcumque tentationem superandam, vel quæcumque præcepta sine transgressione servanda. Quid enim est charitas, nisi, ut Aug. loquitur, bona volũtas? Quid autẽ absurdius quam voluntatem quamlibet bonã ad omnes cupiditates devincendas satis robustam esse? Hoc enim non solum omnibus istis Aug. testimonijs refragatur, quæ supra allegavimus, ubi sexcenties docuit, multos etiam volentes benè vivere, mandata tamen quædam implere non posse: sed etiam omnes justorũ orationes extinguit, quibus vires sibi adversus tentationes dari, charitatemq; augeri petunt. Vt quid enim petunt, si jam sibi in prima justificatione datas vires

In Exposit. quarundam prop. ex Epistola ad Romanos 60.
Ibid. 61.
Serm. 10. de divers. c. 1.
Lib. de grat. & lib. arb. cap. 17.
Epist. 143.
Lib. 1. Retract. c. 10.
Vide c. 43.

vires accepêre? Falluntur in eo, quod quia charitate qualibet super omnia Deũ diligi sciunt, ideoq; hoc ipso etiam putant omnia eâdẽ charitate posse superari. Quasi verò non super omnia Deus ab infirmis ante tentationẽ diligatur, qui ingruente ingenti tentatione vires eorum superante vincuntur, quam tamen fortiori charitate, hoc est, voluntate præditus non magno labore superat, imò magnâ facilitate cõtemnit. Nam hinc est quod hujusmodi peccatorum occasiones tentationesque fugere jubentur, quibus perferendis vel ipsi, vel illi qui curam conscientiæ illorum gerunt, vident vires ipsorum non esse pares. Tentationis enim superandæ duplex modus est, fugiendo, & obviando. Ille infirmis, hic perfectis convenit; non alia sane causa, nisi quia dispares sunt vires incipientis, adultæq; voluntatis seu charitatis. Quanquam & ipsi qui jam in fastigio virtutum collocati sunt, quasdam violentissimas tentationes suspectas habere debent, nisi illas crebra victoriarum experientia exploraverint. Tantum interest, quanto robore quisque præditus sit habitualis charitatis, hoc est, bonæ voluntatis.

Quartò itaque, completissimè dicimur posse, quando sancti Spiritus inspiratione sic voluntas præparatur, ut non nudè possit sed etiam velit. Tali gratiâ non solum posse, sed etiam ipsum agere adjuvatur. Dat enim non solum posse, si velis, sed & velle quod potes. Hoc posse nunquam habetur, nisi quando reipsa quoque agitur, & est proprius effectus non fidei aut charitatis seu bonæ voluntatis habitualis, sed illius gratiæ actualis quam Christus attulit hominibus infirmis per crucem suam. Nam quantacumque fide, & charitate, seu habituali voluntate præditus aliquis fuerit, etiam robustissimâ; nisi tentatione quamvis levi oboriente tali Spiritus inspiratione muniatur, sine dubitatione succumbet. Nam inde proficiscitur quod etiam illi qui ad fortissimæ charitatis apicem enixi sunt, per quam præcepta quæq; maxima gravissimaque implere habitualiter possunt, actuali ista gratia sese paulisper abscondente, seu ut Psalmus loquitur, Deo faciem avertente, conturbentur, ut sese in singulis actibus aliunde, quam suâ robustâ voluntate sanctificari sciant, & ad illum assiduè respiciant, qui in voluntate sua præstat decori eorum virtutem. Inde illa quotidiana iustissimorũ peccata, inde lapsus etiam subinde graviores, si eis subinde ex robustæ suæ voluntatis sensu, qua sibi omnia videntur posse, motus aliquis fortasse vanitatis obrepserit.

Hæc igitur actualis gratia completũ POSSE tribuit, hoc ipso quo velle tribuit, sine qua voluntas seu charitas habitualis, quantumcumque magna, post lapsum primi hominis in actum exire non potest. Nisi enim mirabili & insuetatâ gratiâ fomes extinguatur (qui non est aliud quam generale quoddam pondus, ad creata diligenda) semper animum languentem deorsum premit; semper visibilibus objectis

A undequaq; intus & foris sese offerentibus proritatur, nisi Spiritus sancti munere motus ejus vel præveniantur, orituri vel comprimantur exorti. De tali posse tanquam vero effectu gratiæ Christi actualis, quod cùm velle indisjunctè sociatum est, sæpè August. mentionem facit. Vt quando in libro de correptione & gratia dicit: *Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam* actualem Christi *non solum* POSSE *quod volumus, sed etiam velle quod possumus.* Et aliquanto inferius: *Tantum quippe Spiritu S. accenditur voluntas eorum ut ideo* POSSINT, *quia sic volunt, ideoq; sic velint, quia Deus operatur ut velint.* Et inferius: *Si Deus in eis non operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.* Et alibi ostendens gratiam Christi esse illam quę dat homini utiliter posse,

Lib. de corr. & gra. cap. 11.

B quia simul dat velle, *Tunc enim*, inquit, *utile est velle cùm possumus, & tunc utile est posse cùm volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus.* Itaque in libro de gratia Christi expressè docet, gratiã Christi esse illam qua non solum possibilitas adjuvatur, ut videlicet possimus agere, sed etiam *ipsa voluntas & actio, id est, ut bene velimus & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quando bene vult & bene agit.* Et sine *illa gratia omnino nihil boni quod ad pietatẽ spectet fieri posse.* Itemq; quod per Christi gratiam homo *non solum potest venire sed venit*; ita videlicet ut ibi *iam sit, & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis effectus.* Et in libro de gratia & libero arbitrio, dicit: *Nec tamen sufficit*, hoc est potest, *liberum arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino ipsa victoria concedatur oranti*, hoc est, non potest vincere nisi Deus det ipsum vincere seu victoriam. Et paucis adjectis infra, docere volens ipsum venire

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 15.

Lib. de grat. Christi c. 47.

Ibid. c. 26.

Ibid. c. 14.

Lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 4.

C ad Christum seu credendo converti ad Christum, dari à Deo probat ex illo loco, quo Christus Iudæis dicit, *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei*, ipsum videlicet venire *à Patre meo.* Quod sanè genus proximæ completæque potestatis ex duobus principijs Augustini, quæ tanquam totius doctrinæ suæ basim jecit, necessario sequitur. Docet enim primò gratiam Christi non illam esse, *sine qua non volumus aut agimus*, cujusmodi est omne solius possibilitatis adjutorium, quale primi hominis fuit, sed *qua volumus atque agimus*, ut latissimè supra demonstravimus. Docet secundò sine gratia Christi nihil omnino boni ab homine cogitando, volendo, agendo, POSSE fieri. Ex quibus sibi succurrentibus necessario sequitur, gratiam Christi simul afferre quod & ipse in terminis dixit, POSSE *quod volumus*, & *velle quod possumus*; ideoque nos POSSE, *quia sic volumus*, ut jam paulò ante ex ipso recitatum.

Ioann. c. 5.

D Cùm igitur tot sint modi quibus præceptum dicimur posse facere, totidem etiam erunt, quibus non posse dicamur. Quod & exemplis nonnullis in præcedenti discursu declaratum est. Nec difficile esset ex Augustino singula pluribus astruere, nisi res esset per se perspicua.

 Ad

Ad argumentum igitur initio capitis decimi-tertij propositum veniendo, respondemus, præcepta Dei esse homini possibilia, seu posse ab homine fieri, & consequenter hominem ea posse facere. Etenim si jam justificatus est, habet charitatem seu bonam voluntatem, per quam Deum diligere, & consequenter totam legem implere potest. *Plenitudo enim legis dilectio*, inquit Apostolus. Si autem fidelis quidem, sed nondum justificatus est, habet aliquid bonæ voluntatis, quatenus credit, nam ubi est *initium fidei, est etiam initium bona, hoc est, pia voluntatis:* per hanc autem potest mundari, potest uberius auxilium invocare, & consequenter rectè pièque vivere, quod si etiam fide Christi caret habet liberum voluntatis arbitrium, per quod uti carni titillanti, ita & Spiritui illuminanti consentire; uti peccare ita & rectè vivere potest. Quocumque vero possibilitatis modo ex illis tribus quos jam diximus, homo possit præcepta Dei facere, etsi alio modo proximè non possit, satis est, ut si non fecerit, sit inexcusabilis. Quod enim imaginantur quidam excusari hominem à transgressione præceptorum Dei, quando non habet istum postremum possibilitatis modum, hoc est, quando non habet auxilium istud, quod omnium propinquissimè ad volendum sufficiens est, ex eo falsum esse convincitur, quod alioquin tale auxilium non aliquando, sed semper esse deberet in hominis potestate: & consequenter quod infidelis deberet semper, quando se jam vidit ad credendum obligatum esse, intus in mente illuminari, & in voluntate attrahi, hoc enim nisi fiat, certum est illo proximo potestatis modo non posse credere, nec posse converti, multoque minus posse naturalia Dei præcepta facere. Talem autem gratiam semper intus eis præsentem esse, quemadmodum dubio procul falsum est, ita & falsum est, eos semper ad Deum verum posse converti, posse præcepta implere naturalia, & consequenter excusatos esse.

Epist. 107.

Sed quomodo, inquies, non sunt excusati sive fideles sive infideles, qui illo postremo sufficienti adjutorio carent, quandoquidem sine illo præceptum absolutè implere non possint. Nam reliqui tres possibilitatis modi imperfecti sunt, quibus præsentibus, si postremus qui per actualem gratiam datur, non affuerit, non magis hic & nunc & absolutè fieri posse præceptum dici potest, quam si sine alis volare diceretur. Quomodo igitur non excusat tanta implendi præcepti impotentia? Respondent aliqui, verè peccare eos qui adjutorio sufficientis gratiæ carent, quia eorum impotentia non est antecedens, sed concomitans, hoc est, non est causa cur homo non impleat præceptum efficiendo involuntarium, sed per accidens conjuncta est, non attingens actum voluntatis. Non enim ideo peccant, quia non possunt abstinere à peccato, quamvis revera non possint: sed idcirco peccant, quia non volunt, neque vellent abstinere, etiamsi possent. Quod ex eo perspicuum esse dicunt, quia nesciunt se non posse. Quam ob causam dicit Hugo de sancto Victore: *Quando homo non potest, si vult, propter voluntatem impossibilitas non imputatur: si autem non vult, propter impossibilitatem voluntas non excusatur.* Simile accidere volunt in ignorantia antecedente & concomitante, quarum illa purgat peccatum cujus causa est, ista non purgat, non causat aut attingit actum voluntatis adjunctum, sed per accidens ei copulatur. Si hoc alicui sufficiat, nihil superest præterea satagendum. Plenius tamen fortassis alio modo quæstioni satis fieri potest.

Hugo de S. Vict. l. 1. de sacr. par. 14. cap. 6.

Itaque respondetur, duplicem esse præcepti faciendi impotentiam. Vna est ex defectu alicujus, quod non potest quàtumlibet magnâ voluntate, hoc est, quantumlibet fortiter volendo, suppleri. Talis est impotentia illius qui caret breviario ad horas, quas ignorat, recitandas, & illius qui caret rebus temporalibus ad largiendam eleemosynam, & scientia ad eum docendum qui defectu instructionis perit, & hujusmodi infinita. De tali impotentia verissimum est, quod Deus non jubet impossibilia. Nam hoc ipso quo talis oritur impossibilitas, vel præceptum exstinguitur, vel certè ad illud implendum is, cui præcipitur, non amplius obligatus est. In hujusmodi etiam impossibilibus, voluntas pro facto reputatur. Non est enim culpa voluntatis quod non fiat, sed pura inopia potestatis. Altera impotentia est, quæ ex defectu ipsius voluntatis seu volitionis oritur, quæ si adesset, quanta adesse debet, præceptum facillimè impleretur. Tantummodo enim fortiter volendo impletur, unde si fortiter vult, hoc ipso jam impletum est, & non impletum esse non potest. Ex *quo conficitur*, inquit Augustinus, *ut quisquis rectè honesteque vult vivere, si id se velle pra fugacibus bonis velit, assequatur tantam rem tantâ facilitate, ut nihil aliud ei quam ipsum velle, sit habere quod voluit.* Talis enim voluntas sicut necessariò secum affert plenum velle, ita & posse quod voluit: *Ibi enim facultas ea, qua voluntas, & ipsum velle, iam facere est.* Nam quemadmodum paulò ante dixerat, *non solum ire, verum & pervenire illuc*, multoque magis posse ire, *nihil erat aliud quam velle ire, sed* VELLE FORTITER ET INTEGRE, *non semisauciam hac atque illac versare & iactare voluntatem, parte assurgente, cum alia parte cadente luctantem.* Hæc impotentia non faciendi nullo modo excusat eum, qui non implet, quod præcipitur. Posset enim implere si vellet. Quod si noluerit atque ideo non potuerit, quis non eum dixerit, pro ipsa tam perversa obduratàque voluntate culpandum? Duplicem istam impotentiam insinuavit Augustinus quando dicit: *Cogitatur & fit: aut ideo non fit, non quia nolumus, sed quia non possumus, Quicquid vis & non potes,*

Lib. 1 de lib. arb. c. 13

Lib. 8. Confess. cap. 8.

Lib. 8. Confess. cap. 8.

In Psal. 57.

potes, factum Deus computat. Rectissimè omnino non dixit, quicquid non potes, factum Deus computat; multa sunt enim quæ propterea non possumus quia nolumus, eo quod contrarium fortissimè obstinatissiméque volumus: sed circumspectissimè dixit: *Quicquid vis & non potes, factum Deus computat.*

Ex hac igitur duplicis impotentiæ distinctione facile apparet, quid ad objectionem istam quam diu volvimus, respondendum sit. Nimirum impotentiam divina mandata faciendi quæ in peccatoribus reperitur, esse talem, ut non desinant ea implere posse, si voluerint. Velint enim pleneque velint, mox ut voluerint, implebuntur. Si autem nolint, ideoque non possint, quis nisi nolentibus vitio vertat duritiam iniquæ voluntatis secutumque defectum potestatis? Nam revera defectus talis potestatis non est aliud quam duritia malæ voluntatis, à qua suscepta recedere non posse, non est aliud quam tenaciter nolle. Tradidit hanc doctrinam pœnè iisdem verbis Augustinus in Tractatibus in Ioannem. Nam illum Evangelij edisserens locum, ubi ex Isaia narratur *quod non poterant credere*, quia dixerat *excæcavit* oculos eorum &c. cùm præmisisset esse laborandum, quomodo illorum culpam, quia non crediderunt, posset ostendere, de quibus dicebatur non poterant credere, sic difficultatem istam explanat: *Quare autem non poterant credere, si à me quæratur, cito respondeo, quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus.* Et objectionem sibi proponens adversarij: *Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum* videlicet excæcationem eorum. *Etiam hoc*, inquit, *eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic obdurat Deus deserendo & non adiuvando.* Nam isti supplicio proprium est, ut qui illo plectitur malum immobiliter velit, ideoque amplecti non possit bonum. Quamobrem inferius ostendens illam non solum voluntatem malam, sed etiam impotentiam ex magnitudine malæ voluntatis proficisci, adjicit: *Non itaque mirum est, quia non poterant credere quorum voluntas* SIC SUPERBA *erat, ut ignorantes Dei iustitiam &c.* Et post pauca rursum: *Sic autem dictum est, Non poterant, ubi intelligendum est, quod nolebant, quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro, si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. De omnipotente dictum est, non potest. Sicut ergo quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ, ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ.* Disertius profectò expressiusque non posset nobis patefacere, quàm ex voluntatis perversæ magnitudine atque stabilitate nasci mutationis impotentiam, quæ tantum abest, ut excuset culpam ejus, ut potius cumulatiorem esse demonstret. Quibus vestigijs insistendo, sanctus Bernardus eandem radicem istius dissolvendæ difficultatis detegit, planissiméq; declarat: *Et sicut cælestis Angelus aut etiam Deus*

Tract. 53. in Ioann.

Ibidem.

Lib. de grat. & lib. arb.

A *ipse permanet liberè bonus propriâ videlicet voluntate non aliquâ extrinsecâ necessitate* (quæ videlicet quemadmodum diximus non potest volendo superari) *sic profecto diabolus æquè liberè in malum & corruit & persistit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu.* Et multis interpositis tandem adjicit: *Ceterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam quod ille esse non potest malus* (malum scilicet agendo mala voluntate) *non infirma facit necessitas* (hoc est non impotentia) *sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas; quodque iste* NON VALET *in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio* (quam videlicet volẽdo superare non posset) *sed sua ipsius in malo obstinata voluntas & voluntaria obstinatio.*

Ibid.

Ex qua sancti Augustini & Bernardi doctrina planum est, talem implendorum præceptorum impotentiam ex duritia volendi B profectam, sicut non abstergit culpam voluntatis humanæ, sed auget potius, ita quoque nullo modo tollere libertatem. Quod secundum Augustini principia nihil verius dici potest. Nam apud ipsum nihil est aliud voluntatem esse liberam, quam actum suum habere in sua potestate, & habere in potestate nihil aliud, quam eum facere si voluerit. Quis autem dubitet peccatorem obstinatissime malum velle si voluerit, quod eò facilius in hominibus ac dæmonibus intelligitur, quod eorum obstinatissima, voluntas, & ut Augustinus dicit, *ad bonum omnino inflexibilis* non sit aliud quam quædam continuatio primæ electionis qua mali facti sunt. Sicut ergo non tollit à Deo libertatem, voluntaria illa firmitas, qua non potest à suscepta semel volitione retrocedere, ita nec immobilitas illa peccantium hominum aut Angelorum, qua non possunt recipere voluntatem bonam, C nullo modo eorum libertatẽ infringit. Qua de re qui plura desiderat, consulat ea quæ de simili difficultate alibi diximus.

Vide l. 4. de statu naturæ lapsæ c. 24.

Ex his etiam illud intelligitur quàm perperam Scholastici gratiam sufficientem postulent, ad hoc ut homines peccare dici queant. Peccabunt enim sine gratia sufficiente, non minus quam si illius adjutorio munirentur. Nam & actus liber est, & facient si voluerint. Quod si noluerint, non hoc efficit impotentia quæ destruat libertatem, sed quæ supponat & augeat potius. De quibus loco citato, totisque pœnè libris de libertate arbitrij disputabitur. Ex præcedenti, secundi argumenti capite decimo tertio propositi solutio liquet. Constat enim eodem planè modo etiam peccata à non habentibus gratiam sufficientem posse vitari, non quidem illâ proximâ potestate, quæ dat simul velle D quod possumus, & posse quod volumus, nec illâ quæ potestatẽ voluntatis velut in æquilibrio ad utramque ponit, qualem libertatem solam Scholastici sibi conceperunt, solamq; post lapsum & hominum & Angelorum, sive in bonis sive in malis nusquam inveniunt; sed

Vide infra lib. 6. & 7. de grat. Christi Salvat.

sed illa remotiore potestate qua possunt ea vitare si voluerint. Si enim noluerint defectus est voluntatis non potestatis, quam voluntas supplere non possit. Sed de ista difficultate quomodo peccata vitari possint, vide latius dicta in alio loco. Hinc igitur etiam fit, ut quemadmodū ea vitare possunt, ita quoque non committant necessario, eâ videlicet necessitate, quæ repugnet libertati, culpamque abstergat exorbitantis voluntatis. Est enim necessitas quæ ex duritia & obstinatione volendi nascitur, quæ non auget neque minuit culpam pertinaciter volentium sed accumulat, quia firmius adhærescit malo. Ex quo principio confidentissimè dixit Augustinus: *Multum erras qui necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nullâ necessitate commissum est.* Et alio in loco adversus eundem adversarium Iulianum, ne putaret culpam voluntatis ex ista necessitate esse sublatam: *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi.* Qua de re fuse in alio libro dictum est. Quomodo vero ista peccata quæ tali modo ex ista voluntatis duritia & voluntaria, ut ita dicam impotentia, etiam libera sint, non solum in sensu sancti Augustini, de quo jam nonnihil diximus, sed etiam in sensu Scholasticorum, latius in eodem libro explicatum vide.

Vide lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 22 & 23.

Lib. 3. cont. Iul. oper. imperf. c. 155.

Ibid. c. 159.

Lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 19. 20. & 21.

Ibid. c. 24.

Sed adhuc oppones Augustinum dicere in libro de correptione & gratia: *Si autem hoc adjutorium Angelo vel homini quamprimum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Ergo impotentia volendi, etiam illa quæ voluntate superaretur abstergit culpam volentis, & hominem reddit excusabilem, nempe quia tollit ab illa volitione libertatem.

Lib. de cor. & grat. c. 11

Respondetur verissimum esse quod in Augustini casu impotentia voluntatis reddat hominem excusabilem & culpam auferat. Cujus rei ratio non est illa, quasi illo deficienti adjutorio, non libera voluntate unumquemque actū circa singula objecta mala voluisset. Tam enim liberè, non solum illâ libertate ab Augustino agnitâ atque traditâ, sed etiam illâ libertate Scholasticorum, hoc est, contradictionis seu exercitij hunc & illum actum elicuisset, quam nunc eliciunt dæmones & beati. Sed ideo defectus adjutorij culpam delevisset, quia talis actus profectus fuisset ex institutione Dei, atque ita necessario fuisset bonus. Nam illâ consideratione adjicit Augustinus: *Quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet:* quasi diceret, quia ei naturale erat, sine adjutorio manere non posse si vellet, hinc impossibile erat, ut hoc ei vitio verti posset, sed necessariò sine culpa cecidisset. Quod si verò talis defectus adjutorij homini aut Angelo non ex naturæ institutione, sed ex aliqua culpa contingeret, profectò tunc Augustinus actum inde secuturum non solum liberum, sed & culpabilem esse posse fateretur. Nam hoc est illud ipsum quod ibidem statim adjicit: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium*, videlicet sine quo manere non possunt, *pœna peccati est.* Quasi diceret, nunc quia istud adjutorium non ex naturæ institutione, sed vitiatione sublatum est, actus qui ex libera voluntate sequitur, non desinit esse vitiosus, cumque perpetrans culpæ reus.

Ex quo sane jam vera panditur intelligentia tot testimoniorum, quæ supra vidimus, in quibus eis qui de Deo obdurante quem voluerit, & gratiam subtrahente querebantur, cum Apostolo respondebat, *O homo tu quis es* &c. ostendens eos ex peccatis præcedentibus illam ablationem gratiæ, excæcationem obdurationemque meruisse. Vis enim responsionis istius non isto nititur cardine, quasi postquam homines peccaverunt, ablato sufficienti adjutorio, vel peccata non sint libera, vel quæ non sunt libera, possint esse peccata, hoc enim impossibile est: nec unquam Augustino in mentem venit, quod non essent libera illa peccata quæ ab obduratis, excæcatis, divinâ gratiâ sufficiente destitutis committuntur; sed per peccatum à recta naturæ institutione discessum est, juxta quam impossibile erat, ut actus ad quem vitandum deerat adjutorium, peccatum diceretur, cùm esset potius actus bonus tanquam naturæ optimè constitutæ consentaneus, propter hanc ipsam omnino causam dicente Augustino: *Nam si non est ista pœna hominis sed natura* (quod vult & non potest rectè facere) *nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit cùm hæc facit.* Hinc itaque ne quis miraretur, quomodo posset esse actus malus, quem obduratus & excæcatus & gratiâ sufficiente destitutus perpetrat, semper eo recurrit, quod ille defectus gratiæ sit pœna peccati. Nam si non esset ista peccantis pœna voluntatis, sed Dei hominem cæcum ac durum & adjutorio destitutū creantis institutio, vel pro suo arbitrio deserentis, non possent actus excæcatorum, obduratorum, & adjutorio sufficienti carentium, peccata nuncupari, sed ut dictum est actus boni; non defectu libertatis, sed malitiæ, qua necesse est careat actus, qui ex Dei naturam humanam ita instituentis vel reformantis voluntate atque ordinatione, committuntur. Nam ut jam tetigi, nunquam in omnibus scriptis suis illo scrupulo laborat Augustinus, quod hujusmodi actus non esset liber & liberæ voluntatis. Semper agnoscit esse liberum, libertate quæ ad peccatum sufficit, quamvis identidem & constanter neget esse liberum illâ libertate indifferentiæ ad faciendum bonum & malum, quam Scholastici postulant, & Augustinus in solo primi hominis & Angelorum primo peccato locum habuisse profitetur. Sed de istis omnibus alibi ex professo dictum est.

Vide suprà c. 48.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18.

CAPUT

CAPVT XVI.

Locus Augustini exponitur, ubi dicere videtur, quod Pharaoni *non imputabatur quod obduratus obtemperare non poterat.*

In expos. quarundam Propos. ex Epist. ad Rom. n. 62.

PRÆDICTIS omnibus objicitur Augustini locus ex libro expositionis quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos, ubi sic loquitur de peccatis Pharaonis qui & obduratus fuit & gratia sufficiente caruit. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaverit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur præcedenti infidelitate.* Ergo ex Augustini mente, peccata obduratorum, qui secundum ipsum gratia sufficienti carent, non sunt peccata quæ ad culpam imputentur: Quod non alio ex capite contingere potest, nisi quia potestate ea vitandi carent, & consequenter non sunt liberi: sed quia valdè absurdum est obduratos & excœcatos in actibus malis quos committunt carere libertate & culpâ quæ illis imputari possit, absurdum etiam erit eos gratia sufficienti destitutos esse, nec Augustinus in ista sententia sequendus erit. Ita ferè recentiores quidam, qui ex isto potissimum loco se invictè concludere putant, Augustinum in ea sententia fuisse, quæ obduratis gratiam sufficientem negat; quamvis eam ipsi se improbare profiteantur. Alij alijs modis Augustinum non parum ab ejus mente recedentibus explicant, ne quid absurdum docere videatur.

In expos. quarundam Propos. ex Epist. ad Rom. n. 62.

Vasq. in 1. part. disp. 97

Vide Bellar. li. 2. de grat. & lib. arb.

Respondetur merito ignoscendum est ijs, qui in illius loci intelligentia falluntur: in qua profectò falli pœnè necessarium est, nisi quis Doctoris istius lucubrationes multum versaverit, & principia ejus non mediocriter penetraverit. Dico igitur sensum verborum istorum longè alium esse quam verba præ se ferre videantur. Nam in primis quamvis inde rectè colligatur, quod sufficienti gratia omnino careant, qui *obdurato corde omnino obtemperare non possunt*, quod nunquam dubitavit Augustinus, malè tamen infertur, illum obdurati cordis actum, quem ei non imputari dicit, non fuisse peccatum. Nam excœcatorum atque obduratorum actiones malas, qui præceptum vel cœcitate vel impotentiâ implere non possunt, esse vera peccata, pœnis etiam adeoque damnatione persequenda semper & post scriptum illum librum, & in ipso eodem libro satis apertè docuit. Nam quid significat aliud quod ibidem dicit, *obduratum deserendo relinqui ut malè operetur*? Nam in Augustini doctrina inauditum est, ut aliquis malè operetur & non peccet, quia ex ejus doctrina, *omne factum, si rectè factum non est, peccatum est.* Quid item significat aliud, quod ibidem docet quod *infidelitas & impietas*, propter quam obdurantur, *inchoat pœna meritum, ut per ipsam pœnam etiam malè operentur*; itemque, quod sit *primum meritum* pœnæ. Si enim impietas inchoat meritum non credendo, obduratio profectò perficit malè operando. Et si ex infidelitate *primum* supplicij meritum proficiscitur, profectò ex obduratione secundum. Post istum verò librum, obduratos & excœcatos verè propriéque peccare sæpius ex professo tradidit. Nam libro de natura & gratia, cùm dixisset quod luce veritatis desertus ac cœcus, *plus necesse est cadat*, quod non est aliud, quam id quod de Pharaone dixerat, quod *obtemperare non poterat*, statim addit: *Et tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cœcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ in plura & gravia peccata collapsi sunt.* Et ex Apostolo ad Romanos primo, multipliciter probat esse peccata licet pœnalia, esse *opera tenebrarum*, esse majoris merita desertionis & vindictæ Dei. Et tractatu quinquagesimo tertio in Ioannem, cùm docuisset ex Evangelio, Iudæos non credendo peccavisse, & tamen excœcatos credere non potuisse, monet postea, *Ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum.* Toto disputandi conatu hoc agit, & tanquam certissimam doctrinam asserit adversus Iulianum: *Ista*, inquit, *cæcitas fuit Iudæis grande incredulitatis malum, & grandis causa peccati, ut occiderent Christum.* Et inferius docet hujusmodi tam propriè esse peccata, ut *inde etiam rei fiant, unde damnati.* Quod pauló post ipse sic explicat, *Vtique damnati*, Deo videlicet excœcante & obdurante, *ut tanta operarentur mala, & tamen ista damnatio etiam reatus est, quo gravius implicantur.* Et multò post evidentissimè dicit, per hujusmodi pœnas *fieri eadem peccata & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum.* Vt profectò dubitari nullo modo possit, quin Augustinus illa vera peccata esse senserit, ad quæ homines deserti gratia Dei, ex justa obdurationis & excœcationis pœna damnantur.

Lib. de utilit. credend. cap. 12.

Lib. de nat. & grat. c. 22

Tract. 53. in Ioannem.

Lib 5. contra Iul. c. 3.

Ibidem.

Ibid. c. 4.

Quapropter qui locum Augustini objectum rectè & genuinè intelligere cupit, quorundam principiorum ejus recordari debet. Primum est, quo constantissimè docet, primum hominem fuisse institutum cum summa quadam arbitrij libertate & indifferentia ad bonum & malum: usque adeo ut nihil ejus bonæ voluntati intrinsecus vel extrinsecus repugnante, solo nutu voluntatis, auxilio gratiæ sufficientis adjutus, sine quo nihil poterat, in bono posset permanere si vellet. Ipsum quippe velle, ubi intus nihil concupiscentialiter resistebat, erat posse quod vellet: cujus contrarium experimur, postquam

sed iudicio Dei retribuenti incredulitati eius debitam pœnam, scilicet ut obtemperare non posset, ac nihil aliud nisi malum posset operari; sicut illi qui libero arbitrio credidit, retribuitur ut per gratiam tanquam donum Dei operetur bonum. Nam istam comparationem adjicit quando dicit: *Sicut enim in ijs quos elegit Deus, non opera, sed fides liberi arbitrij inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur; sic & in ijs quos damnat, infidelitas & impietas* liberi arbitrij qua nolunt credere, *inchoat pœna meritum, ut per ipsam pœnam etiam malè operentur.*

Ex quibus patet Augustinum ex illo jam dicto errore suo revocare totam seriem bonorum operum ad fidem tanquam ad meritum liberi arbitrij nostri. Nam uti dixerat: *Liberum arbitrium habet* homo *ut credat Liberatori suo.* Et è contrario totam seriem malorum operum, quæ ex obduratione sequuntur, ad infidelitatem illam primam, qua nolunt credere; tanquam ad meritum liberi arbitrij. Reliqua vero opera sive bona sive mala, non tam vult esse nostra, quam divini *muneris*, & *supplicij*, quo bona opera, & mala ex promerito divinæ gratiæ beneficio, & obdurationis judicio consequuntur.

Hinc jam elucet verborum illorum intellectus quæ nobis opposita, & jam citatis intertexta sunt: *Non ergo hoc illi* Pharaoni *imputatur, quod tunc non obtemperavit, quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* Non vult enim significare quod non fuerit ei imputata tanquam peccatum illa inobedientia, quam in eo gravissimè Scriptura reprehendit; sed quod non fuerit ei imputatum tanquam *liberum*, seu tanquam *meritum liberi arbitrij*, illo libertatis genere, quod liberæ voluntatis motum, nullo supplicio cogente vel gratia dante provocatum sonat. Nam quando gratia vel supplicium facit facere voluntatem, actus qui sequitur non est liber Augustino, illo libertatis genere, nec fit *per liberum arbitrium*, tanquam per id quod impellit & flectit ad velle voluntatem, sed *per gratiam* vel *per supplicium*. Sic enim seipsum statim explicat, quando dicit, quod post fidei meritum, quod est liberi arbitrij, *per munus Dei bene operantur*; & post meritum infidelitatis, quod similiter est liberi arbitrij, *per ipsam pœnam etiam male operantur*. Et rursum, quando dicit, quod *illa misericordia* qua Deus facit bonum operari, *præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti impietati; ut & bona* PER DONVM DEI OPERETVR, *& mala* PER SVPPLICIVM: Neutrum videlicet per liberum arbitrium quod post illud donum Dei & supplicium non est amplius liberum, eo qui jam explicatus est, libertatis modo: quamvis liberum ei fuerit, ut sola libertate sua crederet & non crederet, neque gratia donante credendi voluntatem, neque supplicio non credendi. Nam hoc sibi vult illa adversativa, quam statim adjicit: *Cùm tamen homini non auferatur liberum voluntatis arbitrium sive ad credendum Deo, ut consequatur, nos misericordia, sive ad impietatem*, id est, incredulitatem, *ut consequatur nos supplicium.* Hoc sibi vult & illud quod ante discursus illius inchoationem præmiserat, & refutando falsum esse demonstraverat, quod quidam putarent, *Paulum abstulisse liberum voluntatis arbitrium, quo promeremur Deum bono pietatis*, id est, credulitatis; *vel malo impietatis*, id est, incredulitatis, *offendimus*: hoc est, eum abstulisse libertatem credendi & non credendi. Negat enim hoc expertè, utpote quos ad credendum & non credendum liberum voluntatis arbitrium habere profitetur, non tamen liberum ad bene operandum, quod munus gratiæ omnibus largiri debet, neque semper liberum ad malè operandum quod in quibusdam ad malè operandum ex obdurationis supplicio captivatum est. Hæc meo judicio est vera germanaque loci illius explicatio, principijs Augustini omnibus conformissima; quę quamvis falsa sint & ab ipso retractata, eo quod arbitrium, post peccati originalis infirmitatem, non magis liberum sit ad credendum quam ad operandum, sed utrumque per spiritum fidei & charitatis dari debeat; neque minus prima infidelitas, quàm obduratio ex peccati originalis supplicio consequatur, genuinam tamen Augustiniani sensus expositionem continent. Quâ si quis meliorem invenerit, gratulor, & si eam scire meruero, ex animo gratias agam; dummodo tamen non ex ea confici velit, non imputari obduratis peccata sua, quæ Deo non obtemperando committunt. Hoc enim scio perpetuæ constantique sancti Antistitis doctrinæ repugnare.

Lib. Expos. quarumd. Propos. Epist. ad Rom. n. 62.

Ibid.

CAPVT XVII.

Non frustra dantur præcepta, consilia, exhortationes, correptiones ijs qui gratia sufficiente destituti sunt. Absurdum quod homini post lapsum Deus illam gratiam debeat, & quare.

SED addunt aliud frustra fore præcepta, frustra consilia, frustra exhortationes atque correptiones nisi gratia sufficiens omnibus detur. Nam hujusmodi præcepta, consilia & exhortationes non peccandi & bene vivendi & convertendi sese ad Deum vivum ad omnes pertinent, quibus tamen bene uti nemo sine gratia sufficienti potest. Quis igitur istorum stimulorum usus fuerit, quorum usus non potest sequi?

Respon-

Digitized by Google

Respondetur præceptum consilium & hujusmodi nihil aliud probant, quam non esse solum Deum aut gratiam quæ operetur. Si enim solus Deus aut gratia operaretur, id quod præcipitur frustra diceret, convertimini, bene vivite, operamini, &c. Significatur igitur esse in homine liberum voluntatis arbitrium, sine quo non possunt ea, ad quæ præcepto, consilio, hortatione, suasione, correptione stimulantur, impleri; qua de re & nos alio in loco quædam diximus quæ videri possunt. Ratio quippe præcepti aut consilij &c. nullo modo inferunt aut supponit id quod proponitur, sola libertate non adjuta posse fieri, vel etjam auxilium quo debet fieri esse in hominis potestate. Itaque nunquam aliud ex præcepto colligit Augustinus, quam id quod præcipitur non fieri sine libero voluntatis arbitrio; seu quod idem est, possibile esse, ut id quod præcipitur, actu liberi arbitrij impleatur. B Nam in Epistola ad Valentinum: *Nisi libero arbitrio intelligeremus atque saperemus non nobis præciperetur dicente Scriptura: Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite. Eo ipso quippe quo præceptum & imperatum est, ut intelligamus atque sapiamus, obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio.* Et in Epistola secunda quam ad eundem Valentinum scripsit: *Si non esset liberum arbitrium, non diceretur: Rectos cursus fac pedibus tuis.* Et in ipso libro de gratia & libero arbitrio, cum plurima præcepta protulisset: *Innumerabilia*, inquit, *talia quid ostendunt nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ.* Et ibidem superius: *Ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens*, hoc est, quo si ea faceret, *ad promissa præmia perveniret.* Et libro primo de nuptijs & concupiscentia: *Unde intelligimus cum hæc præcipiuntur ut fiant*, NIHIL ALIUD OSTENDI QUAM INESSE NOBIS OPORTERE *ad hæc accipienda & habenda etiam propriam voluntatem.* C Quo significat Augustinus nihil aliud præcepto indicari homini, quam eum cui præcipitur, velle debere, seu adhibere debere, nutum suæ voluntatis, sine quo præceptum fieri nullo pacto potest. Eadem autem & consilij, & admonitionis, & hortationis, & suasionis, & correptionis est ratio. An autem illa per alterius adjutorium debeant, & an illud præsto sit; & in hominis potestate, vel non sit, præceptum neque asserit neque negat.

Epist. 1. ad Valent. — *Epist. 2. ad Valent.* — *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.* — *Lib. de nupt. cap. 3.*

Quapropter quando sanctus Augustinus à Pelagianis eodem præceptorum telo petebatur, ut ea possibilia esse fateretur: fatetur quidem esse possibilia per gratiam Dei, nunquam tamen admittit quod recentiores volunt, illam gratiam semper præsentem esse, seu solum esse possibilia, quia Deus adjuvando hoc facere potest, vel esse possibilia si adsit gratia adjuvantis Dei. D Qua de re supra testimonia quædam dedimus, & ex alijs locis non est difficilè producere. *Respondemus*, inquit, *vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur, gratia Dei &c.* Quod nihil aliud significat quam præceptum vitandi peccatum posse per liberum arbitrium

Lib. de perf. just. c. 2.

A fieri, si gratiâ adjuvetur. Et de præcepto charitatis implendo loquens, *& tamen vitari*, inquit, *potest*, peccatum quod committitur carendo caritate quæ requiritur, *Non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.* Hoc est, si humilis adjuvatur. Et in Enchiridio ad Laurentium: *Si autem respexerit Deus ut ad implenda quæ mandat adjuvare credatur.* Cujusmodi conditionalibus sæpè utitur ad significandum præcepta ab homine impleri posse, *si Deus per gratiam juvet.* Et è contrario vicissim sæpe docet, præcepta non nisi transgressionem operari, *si non adjuvet* Deus, qua de re latius supra diximus. Itaque subinde vim præcepti & gratiæ distinctè explicat, & nihil aliud præcepto tribuit quam ut rem per liberum arbitrium fieri oportere demonstret: *Ideo hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligamus, quod & nos ea faciamus, & Deus facit ut illa faciamus.*

cap. 6. — *In Enchirid. c. 118.* — *Vide supra.* — *Lib. de prædest. Sanct. cap. 11.*

Quapropter quamvis homini desit gratia sufficiens, qua præcepta possit implere, non propterea dicendum est, frustra esse præcepta, consilia monitiones; habent enim usum suum non contemnendum, qui propriè signis competit, nempe significandi homini, quid ab eo fieri debeat per propriam voluntatem, ut si forte possit faciat quod jubetur; si non possit infirmitatem propria culpa contractam doleat, oretque pro viribus impetrandis.

Itaque prima utilitas quam Augustinus præceptis tribuit, illa est ut sciat homo, quid sibi faciendum sit, neque peccatis suis prætexat ignorantiam, dicendo se nescivisse quid à se peteret Deus: *Dominus*, inquit, *ostendit non solum à quo malo declinemus & quod bonum faciamus, quod solum potest legis littera, verum etiam adjuvat nos ut declinemus à malo, & faciamus bonum, quod nullus potest sine spiritu gratiæ.* Et ne quis eam semper adjuvare arbitretur, salubriter addit: *Quæ si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat & occidat.* Et in eodem libro paulo pòst: *O homo in præceptione cognosce quid debeas habere in correptione, cognosce tuo te vitio non habere.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Nec prædestinationis prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseverantis & proficientis ut quæ oportet audiant, & quibus datum est ut obediant.* Et inferiùs: *Ad divina præcepta instanter hortati sunt, ut qui haberent donum obedientiæ, quibus jussis obediendum esset, audirent.* Hic est ergo fructus Præcepti, ut homo sciat, quid sibi agendum sit, & quo se debeat voluntas alioquin cœca convertere: fructus Consilij ut sciat, quid ex pluribus præstet eligere: fructus admonitionis, ut quod sciebat, recordetur esse faciendum; fructus hortationis, ut sciat, quanti intersit, quam magnum, quam utile, quàm honestum sit facere, quod novit esse faciendum: fructus correptionis, ut quemadmodum dicit Augustinus, *sciat se suo vitio non habere*, hoc est, ut sciat vitium suum esse quod non fecerit.

Lib. de Cor. & grat. c. 1. — *Lib. de Cor. & grat. c. 3.* — *Lib. de dono persev. c. 14.* — *Ibid c. 19.*

Secunda utilitas est, ut si homo simul cum præcepto faciendi gratiam acceperit, faciat quod præcipitur, Deoque gratias agat: sin autem

autem non acceperit, præcepto admonitus sentiat infirmitatem suam, ut illo sensu suæ infirmitatis, velut adjutorio quodam adjutus, ad implorandum adjutorium gratiæ stimuletur. Qua de re superius diximus, cùm de lege tractaremus. Hic unus aut alter sufficiet Augustini locus. Nam inde est illud Augustini: *Ipsa lex in hoc adiutorium data est illis, qui ea legitimè utuntur: ut per illam sciant, vel quid iustitiæ iam acceperint, unde gratias agant, vel quid adhuc eis desit quod instanter petant.* Quod inverso modo inferius dicit: *Iubet ideo ut facere iussa conati, & nostrâ infirmitate sub lege fatigati, adiutorium gratiæ poscere noverimus; & si quid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuvat non simus ingrati. Quia*, ut statim adjicit: *Etsi possit*, acceptâ videlicet jam gratiâ, *antequam petat, quid ei prodest, nisi illi agat gratias ex eo quod potest, à quo petendum est, quod nondum potest?* Et in libro de Correptione & gratia: *Ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est; id est, cum dilectione & delectatione iustitiæ, suavitatem quam dedit* Dominus (id est, gratiam) *ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent, accipiant.* Et libro primo contra Iulianum operis imperfecti pressius: *Convenit autem Scriptura plerumque hominis voluntatem*, præcipiendo videlicet, consulendo monendo, hortando corripiendo, *ut quod non habet, & NON POTEST, ADMONITVS SENTIAT, & ab eo à quo sunt bona omnia, indigens poscat.* Quid autem hoc sibi velit, quod præcepto admonitus se non posse sentiret, statim explicando subjungit: *Propterea ergo per Prophetam dictum est: SI NOLVERITIS, & non audieritis me, gladius vos comedet, & cetera huiusmodi, ut cum invenissent in se-ipsis victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent a quo deberent poscere auxilium.* Præceptum est enim instar tacitæ cujusdam interrogationis, qua liberum hominis arbitrium quodammodo exploratur, quantis ad faciendum præceptum viribus polleat, quasi homini à Deo diceretur, Tu viribus tuæ voluntatis seu potius vanitatis inflatus, te satis fortem firmumq; putas, ut impleas quod præcipio, dummodo agnoveris voluntatem meam: ecce quod jubeo age, experire vires arbitrij tui. Hoc enim idcirco facit Deus, ut detur elcente fastu, gratiæ sufficientis à se largiendæ capax fiat: *Demonstranda enim fuerat*, inquit August. *homini fœditas languoris eius, cui contra iniquitatem suam, nec præceptum sanctum & bonum profuit quo magis aucta est iniquitas quam minuta, quandoquidem lex subintravit ut abundaret delictum, ut eo modo convictus atque confusus, videret non tantum Doctorem sibi necessariũ sed etiam adiutorem Deum.* Et præceptori suo succinens sanctus Prosper: *Nec ob aliud unquam datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium.* Quam diversa sit ista doctrina, & quam ex diametro repugnans eorum imaginationibus, qui divinæ severitatis & œconomiæ ad perficiendos homines prorsus imperiti, nil nisi gratias sufficientes ubique præsentes imaginantur, ipsa verborum facies per se clamat, & latè suprà demonstravimus & in eodem loco subjicit, cùm statim inter illos ipsos, quibus ista & hujusmodi à Dei ministris generatim dicebantur, dicit: *Plures fuisse quos obduratione & desertione iudicaverat dignos occulto iudicio, iusto tamen.* Et plurimis alijs locis disertè tradit non solùm inculcando, quod *Lex ipsa SINE GRATIA NON NISI PRÆVARICATORES faciat*; & quod non solum, *Nemo possit declinare a malo & facere bonum sine spiritu gratiæ*, sed etiam quòd, *si illa desit, ad hoc lex adsit, ut reos faciat & occidat;* Imò verò quod *si gratia desit, videamus etiam obesse doctrinam.* Quis ita procax & pervicax esse possit, ut cum qui talia in omnibus libris suis docet, asserat sensisse illam ipsam gratiã (sine qua legẽ dicit inflammare concupiscentiam, prævaricationes majoresque doctrinæ inimicos efficere, quatenus per ipsas prævaricationes ad gratiam non solum habendã, sed vel agnoscendã ducerêtur) omnibus donatam esse, omnibus adfuisse?

Epist. 89.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Lib. 1. oper imperf. f. 134

Ibid.

Lib. de Spir. & litt. c. 6.

Prosp. in Ep. ad Demet.

Lib. 1. oper. imperf.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 19.

Lib. de Cor. & grat. c. 1.

Epist. 107.

Tertia utilitas est, ut non solum sciant tam boni quàm mali quid sibi faciendum sit, sed etiam qui non faciunt, sint inexcusabiles: *Ideo data sunt præcepta, ut homo excusationem de ignorantia non haberet.* Nam idcircò & Christus Dominus de Iudæis dicit: *Si non venissem & locutus eis fuissem peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, illo videlicet, *quo cum audissent eum, non crediderunt in eum*; & ex ista incredulitate crucifixerunt eum. Et Apostolus ad Romanos dicit eos *inexcusabiles* esse quibus manifestata per creaturam veritas innotuerat. *Quomodo dicit inexcusabiles, nisi de illa excusatione, qua solet dicere humana superbia: si scissem, fecissem, ideo non feci quia nescivi. Aut si scirem, facerem ideo non facio, quia nescio? Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur.* Itaq; per præcepti cognitionem fiunt inexcusabiles peccatores, non tam judicio Dei quàm suo. Dei enim judicio etiam illi inexcusabiles sunt, qui lege non audita ignorando peccarunt. Nam ut idem docet: *Dei iustum iudicium nec illis parcit qui non audierunt. Quicunque enim sine lege peccaverunt sine lege peribunt.* Cujus divinæ severitatis ratio est, quia & *ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati*, quo tota hominis posteritas inquinata justissimaque cæcitatis pœna punita est. Quapropter præcepti scientia excusationem humanis oculis tollit, ut & ipsi peccantes se inexcusabiles esse videant, dum etiam cognitam legem prævaricantur, quam si scirent, se impleturos esse jactabant: *Ideò autem*, inquit, *divina eloquia eos inexcusabiles dicunt, qui non ignorantes sed scientes peccant ut secundum iudicium superbiæ suæ, quo multum confidunt de viribus propriæ voluntatis, se inexcusabiles videant, quia de ignorantia iam non habent excusationem, dum non est iustitia, hoc, est opus justitiæ,*

Lib. de grat. & lib. arb. c. 2.

Epist. 105

Lib. de grat. & lib. arb. c. 2.

Epist. 105.

Ibid.

cui præsumebant sufficere voluntatem. Merito quippe se omni excusatione carere sentiunt, qui vident non scientiam, sed solam sibi deesse faciendi voluntatem. Quod si voluntas præ duritia carnalium appetituum, ex quibus omnis inobedientiæ pervicacia proficiscitur, flecti nolit, quis excuset? Quis non vehementer arguendum arbitretur? Tanto quippe culpabilior est, quanto duriore fastu ita noluerit, ut nec potuerit. Quapropter si durissima peccantium voluntas præcepto non corrigatur, non tamen idcirco præceptum inutile censeri debet. Si enim defectu voluntatis non cedit homini in beneficium, nascitur

Quarta utilitas: quia justo Dei judicio vertitur in supplicium. Non enim voluntas superba mediocriter torquetur, quod scientia rerum agendarum instructa, probitatis larvam, quam sibi habere videbatur, sibi detractam proprioque se judicio ream damnatamque videt. Vnde quidam olim *omnibus pœnis*, inquit Augustinus, *quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia quæ vitare non possunt, coguntur agnoscere.* Itaque de correptione quæ quoddam exhortationis genus est, & similis operationis & efficaciæ ut præceptum alibi dicit: *Patiantur ergò homines se corripi quando peccant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumenentur, nec de gratia contra correptionem: quia & peccatis justa pœna debetur,* ET AD IPSAM PERTINET IVSTA CORREPTIO, *quæ medicinaliter adhibetur, etiamsi salus ægrotantis incerta est, ut si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit correptio salubre medicamentum: si autem non pertinet,* SIT CORREPTIO PŒNALE TORMENTVM.

Lib. de Magistro c. 9.

Lib. de Cor. & gr. c. 14

Propter hujusmodi igitur considerationes & causas lex vocata est olim testimonium, ut supra diximus. non solùm gratiæ implorandæ, sed etiam duritiæ detestandæ quæ nullâ justitiâ excusari potest. Quæ sanè testificatio non est inutilis humano generi aut ipsi Deo, quamvis opere non sequente quod præcipitur, quodammodo frustra lex præcepisse videatur. Vnde sanctus Gregorius: *Plerumque fit ut cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratiâ non repletur, incassum exterius a prædicatore moneatur: quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur.* Et paulò pòst explicans tamen quomodo non omninò incassum etiam tum loquatur Deus: *Hinc est enim,* inquit, *quod Cain & divina voce admoneri potuit & mutari non potuit, quia exigente culpa malitia iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.* Porrò in istis verbis Augustini quæ paulò superius ex capite decimo quarto libri de correptione & gratia citavimus, insinuatur nobis

Lib. 1. de grat. Christi Salvat. c. 12.

Greg lib. 11 Moral. c. 5.

. Quinta præcepti, consilij, exhortationis & correptionis utilitas. Nam quandoquidem ista omnia dirigendæ vel corrigendæ voluntatis adjutoria communia sint reprobis & prædestinatis & eorum discretio nobis prorsus ignota sit, etiamsi nullum omninò eorum quos recensuimus in obduratis hominibus assequerentur fructum, non tamen idcirco frustra adhibita esse censerentur. Prodessent enim ijs quibus. Dei gratia ut prosint, facit, quod quia nobis incertú est, omnibus ista adjutoria adhiberi debent: *Nescientes enim*, ut Aug. ait, *quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu ut omnes velimus salvos fieri.* Et consequenter admovere omnibus remedia salutis assequendæ generalia. Vnde ibidem: *Sub isto ergò incerto ex charitate adhibenda est* correptio, præceptio, exhortatio, *cuius exitus ignoratur, & pro illo cui adhibetur, orandum est ut sanetur.* Quod si nec orantem exaudit Deus, inde in electis nascetur

Ibid. c. 15.

Ibid. c. 14.

Sexta utilitas eaque multiplex, primo quia ex præceptis, consilijs & ceteris quæ plantando & rigando extrinsecus adhibentur, planissimè discent nihil illa proficere correctioni, nisi Deus per gratiam dederit intrinsecus incrementum, juxta illud Augustini: *Spiritus sanctus operatur intrinsecus ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus. Alioquin etiamsi Deus ipse utens creatura sibi subdita, in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, sive istos corporis sive illos, quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiore gratiâ mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis.* Vnde illud quod alijs non paucis locis tradit: *Nisi divina gratia subveniat adiutorium, quid ei prodest copiosum & ornatum cuiuslibet exhortantis eloquium.*

Lib. 15. de Civit. c. 6.

Lib. 2 cont. Iul. oper. imperf. c. 118

Secundo & illud discent quàm cœca, quàm dura, quàm inflexibilis sit voluntas quam Dei gratia deserverit. Ex quo tertiò colligent, quantâ animi submissione divinæ misericordiæ gratias agere debeant, quod eos intus ab illorum societate discreverit, quos frustra foris ijsdem præceptis & consilijs instrui, ijsdem exhortationibus & minis pulsari vident. Sic enim Deus ex vasis iræ *notas facit divitias suas in vasa misericordiæ.* Itaque istud Psalmi tractans, *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis*; *hoc est*, inquit exponendo Augustinus, *quantam circa me habuit misericordiam, in illis mihi demonstravit, circa quos non habuit. Nisi enim debitor suspendatur, minus agit gratias, cui debitum relaxatur.* Cùm verò nec illos quos excœcatos & obduratos & à divina gratia desertos Scriptura testatur, non desinat jubendo, minando, increpando percellere, accusare, redarguere. Hinc quartò discunt, defectum gratiæ Dei nihil omninò ad innocentiam, sed ad cumulandum potius reatum valere. De quo præclarè sanctus Aug. tanquam de re inter antiquos gratię patronos indubitatâ: *Quod verò dicit: Et non dedit Dom. Deus vobis: nullo modo increpans & arguens hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam pertinere intelligi vellet,* NE QVISQVAM SE EX HOC EXCVSABILEM PVTET. *Simul enim ostendit sine adiutorio Domini Dei eos intelligere & obedire non posse oculis cordis & auribus cordis, & tamen si* ADIVTORIVM

In Psal. 58.

Ibid. ... sup. Deuteron.

RIVM DEI DESIT, NON IDEO ESSE EXCVSABILE HOMINIS VITIVM, *quoniam judicia Dei quamvis occulta, tamen justa sunt.* Cujus occultæ radicem justitiæ, ut aliquo modo Scholasticis tantopere de re certissima litigantibus patefaceret, alio in loco non gratiã sufficientem protulit, qua etjam cœci oculis, & lapidei corde, hoc est, *durissimam* habentes *voluntatem, & adversus Deum omnino inflexibilem*, intelligere & obedire possint. Hæc enim nihil occultæ justitiæ Dei continet, sed potius apertissimam hominis consentire renuentis, injustitiam probat; & non solum supra citatis verbis ejus ex Deuteronomio, sed etiam toti doctrinæ Augustinianæ moli refragatur: sed illam affert occultæ justitiæ rationem, quam suprà dedimus, quia scit Deus, *se fecisse hominem rectum ab initio creatura*: scit Deus, eum *a rectitudine, sua malâ voluntate decidisse, pravumque effectum esse*: scit Deus, *solâ hominis voluntate factum esse ut ad istam necessitatem veniret, quam solâ voluntate superare non potest*: scit Deus esse *justissimam peccati pœnam*, quamvis carnalium oculis mira videatur, *ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet.* Et quid tandem istud est? *Id est autem ut qui sciens recte non facit, amittat scire quod rectum sit.* Ecce excœcatio: *Et qui recte facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit.* Ecce obduratio & utramque divinæ gratiæ derelictio qua deserti peccatores, non possint non esse cœci corde, durissimi & inflexibiles voluntate. Hæc igitur primi hominis absque vitio conditi & ejusdem culpa propria depravati consideratio, præclarissima illa verba peperit, quibus rationalis creatura stans, à labente discernitur, eademque Dei justitia in danda negandaque sufficienti gratiâ aperitur: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio* POSSET MANERE SI VELLET, *non utique sua culpa cecidissent, Adjutorium quippe defuisset*, SINE QVO MANERE NON POSSET. *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.*

Lib. de grat. lib. arbit. cap. 14.

Vide supra cap. 10.

Lib. 3 de lib. arb. c. 18.

Lib. de Corrept. & grat. cap. 11.

Quapropter cum sanctus Augustinus (quem Prosper Fulgentius, & quotquot antiquitus germani gratuitæ gratiæ defensores fuerunt, magno consensu secuti sunt) nunquam dubitaverit, quin peccatores justissimè à divino adjutorio deserantur, desertique intelligere & obedire non possint, nec ideo excusabile sit hominis vitium, quod non intelligendo, vel non obediendo committit, magnopere mirari soleo, quid sibi Scholastici velint, quod tam intrepide assumunt, Deum debere homini conferre gratiam sufficientem, eamque auferre non posse, eo quod alioquin homo alteri, hoc est, Deo tribuere posset inobedientiam suam, qui adjutorium ei necessarium denegasset. Nec enim satis videntur modum advertere quo Deus peccatoribus gratiam sufficientem negat. Non enim hoc ita fit, quasi Deus debitum aliquid auferret, sed quia negat indebitum, nec illud quidem quod ante peccatum conferebat, & naturæ rationali ad diligendum Deum eoque fruendum conditæ, quodammodo connaturale erat, sed aliud alterius generis, quo natura perdita reparetur. Nam illud primum integri hominis adjutorium, jam post inflictum peccati vulnus insufficiens factum est, non propter auxiliantis gratiæ mutationem aut substractionem, sed propter naturæ læsionem, quæ non potest amplius illa gratia etjam præsente adjuvanteque bonum facere quod ante fecit, nec bonum velle quod voluit. Malum enim volendo, boni volendi languorem sibi contraxit, qui concupiscentia seu creatarum rerum dilectio nuncupatur, *nec est aliud*, ut August. ait, quam *desiderium peccati.* Est itaque languor ille quoddam genus voluntatis, quæ libentissimè pertinacissimèque malum, hoc est, res creatas diligit, nec bonum quod est Deus diligi sinit, nec aliter potest nisi bonum diligendo exui atque superari. Ex quo efficitur ut tale gratiæ adjutorium jam necessarium sit, quo renisus voluntatis oppositæ superetur, & ipsum bene velle reddatur, quod per pristinam illam gratiam nequaquam restitui potest. Dicatur itaque tolerabiliter quod Deus homini, ut primum sine vitio creatus fuit sufficiens deberet adjutorium, aut alioquin sine culpa cecidisset. Sed postquam seipsum impotentem fecit, non gratiæ diminutione, sed naturæ violatione nec amplius Deo, etiam idem auxilium largiente, idem jam læsâ voluntate potest, quod illæsa potuit. Quis ferat ut Deus homini sufficientem volendi boni faciendique gratiam debere dicatur? Hoc enim nihil est aliud dicere, quam quod Deus debeat homini peccatori, non solum eandem illam gratiam suppeditare quam ante peccatum contulit, sed etjam naturæ lapsæ vires quibus concupiscentiam malę voluntatis comitem superet, restituere, vulnus inflictum tollere, bonam voluntatem reddere, atque ut velit & faciat, operari; aut certè nisi tanta indebita beneficia peccatori largiatur Deus, quocunque sese mala damnataque verterit, per omne libidinum genus sine culpa rapiendam? Non enim, ut dixi, ullo modo sufficit prior gratia, quam ante peccatum Deus homini conferebat, & etjamnum omnibus conferre paratus est si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret; sed alia redemptionis gratia lapsis viribus propria impartienda est, quæ nisi ipsum bonum velle reddat & facere, propter inhærentem mali semel suscepti voluntatem, peccator amissum bonum velle non potest. Quod si Scholastici falsissimum, absurdissimum, & impiissimum, & Christianæ fidei contrarium esse concedant, quid aliud consequetur quam peccatorem sibi magnum privilegium peccando meruisse, ut qui ante peccatum culpabiliter diligebat & faciebat malum, post peccatum Deo idem auxilium conferente, sine culpa per scelera, facinoraque volutetur, eoque minus peccet quo malum ardentius ac tenacius diligat?

Suar. in opusc. brevis Resol. n. 30.

Vasquez in prima parte Disput. 37. n. 23.

Lib. de perf. just. cap. 6.

diligat? Nisi fortè per aliud præcipitium evadere velint, ut dicant, Deum commisso jam peccato, leges suas æternas de diligendo & faciendo bono, cavendoque malo abrogare debuisse, ne fortè eadem prævaricatoribus, quæ innocentibus præcipiendo, jam impossibilia jubere, tyrannicâ crudelitate censeretur. Quod si tales imaginationes suâ se satis absurditate refellendo interimant, agnoscant atque fateantur, posse Deum idipsum homini post peccatum æternâ suâ lege jubere, quod ante peccatum jusserat; quamvis ei jam propria culpa factum sit impossibile; nec teneri ipsi conferre magnum illud redemptionis adjutorium, quod hominem nolentem velle facit & facere, quamvis propter contractam voluntatis ægritudinem, nullum aliud jam sufficiens sit; nec peccatorem jam sine culpa peccaturum, quamvis sine illo magno adjutorio peccatum jam vitare propriâ & culpabili volendi infirmitate non possit.

Quapropter non est illusoria quoque Dei vocatio, & admonitio, & increpatio, & correptio, quam peccatoribus vel per seipsum, vel per Prophetas suos, vel per visibilem cœli terræque machinam, divinæ sapientiæ, potentiæ, bonitatisque testimonijs plenam adhibet. Tribuit enim quidquid creaturæ rationali à se conditæ ad audiendam sequendamque vocem suam necessarium fuit. Quod si ipsa merito propriæ iniquitatis obduruit, & ita pervicaciter in rebelli voluntate persistat, ut reverti nolit, nisi alio potentiori auxilio ipsum velle tribuatur, quis nisi imperitus atque impius dicat, Deum vocando, monendo, corripiendo illudere peccatoribus? Culpa enim ipsorum est, qui in suscepta semel voluntate malâ, durissimè permanent; quòd admonitiones suo effectu carent.

CAPVT XVIII.

Solvuntur quædam Scripturæ loca, quæ pro asserenda gratia sufficienti proferuntur, ut, *Quid debui vltra facere vineæ meæ &c.* Et, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.*

EX his etiam non est difficile quædam Scripturæ loca exponere, quibus nonnulli istam perpetuam gratiæ sufficientis assistentiam probari putant. In quibus istud primum est, quod Deus apud
Isaiæ 5. Isaiam dicit: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci ei?* Vbi in primis miror quo judicio locus iste ad hoc propositum adducatur. An fortè. Vt gratiam novi Testamenti, sine qua nullus Deo credere, à peccato resurgere, divinisque mandatis de Deo diligendo, beneque vivendo obtemperare potest, peccatoribus etiam debitam esse probent? Si enim non est debita sed gratuita & absque injustitia negari potest, ut quid urgentur verba, quibus Deus per Prophetam clamat: *Quid debui ultra facere vineæ meæ?* Si enim hoc rectè urgetur, manifestum est Incarnationis gratiam per quam à lapsu suo resurgere possint, peccatoribus esse debitam; nec potuisse Deum humanum genus sub propria iniquitate derelinquere, vel derelictum de duritia iniquæ voluntatis increpare, quam sibi male volendo pepererat. Nam secundum Doctorum istorum intelligentiam, Deo timendum erit, ne respondeant; Quid nos objurgas, qui pro nobis noluisti mori, ut nobis gratia bonæ voluntatis, quam abjecimus, redderetur? Quod si stultum est cogitare vel dicere, agnoscant non sapienter pro gratia peccatoribus asserenda illa verba proferri, *Quid debui facere vineæ meæ?* Attendantque verissi-
Lib. de Corrept. & grat. cap. 6. mè profundissimèque dixisse Augustinum; *Primam esse causam cur objurgati, quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua cum Deus primitus fecit, suâ malâ voluntate decidens, pravus effectus est.* Non enim defectus vel subtractio gratiæ, quam homini recto Deus tribuebat, non difficultas interna præceptorum, non operum supernaturalitas, extra ordinem requisita, sed sola pravitas illa voluntatis vera causa est, cur homo præcipienti Deo obtemperare non possit. Hæc enim efficit ut quamdiu non redditur homini voluntas bona, quam petulanter abjecit, quæque sine maxima & gratuita gratia reddi nequit, illa eadem pristina gratia etiam præsente, præcepta sint ei difficilia naturamque corruptam superent, ita ut ea velle & implere non possit. Duritia quippe, hoc est constantia seu pervicacia susceptæ pravitatis, malæque voluntatis facit, ut præ dulcedine mortifera qua perfunditur, eam in bonum retorquere non velit, aut non ita velit ut possit. Quod tantum abest ut excuset peccatoris voluntatem, ut majori potius objurgatione & increpatione & pœna dignam esse convincat.

Adferunt & illum locum sancti Ioannis:
Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non *Ioan. 15.*
haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et rursum: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem*
meum. Ex his inquiunt & similibus locis col- *Franc. Suarez lib. 3. de*
ligitur, homines accusari non potuisse de pec- *auxiliis c. 6.*
cato, si à Deo non habuissent auxilia quæ ad operandum sufficerent.

Sed

Sed respondetur loca ista obtorto collo ad sufficientiam gratiæ significandam trahi. Sensus plenissimus est, quem diversis occasionibus Augustinus indicavit, excusabiles fuisse futuros Iudæos à peccato, non quolibet, sed isto magno quo Christo præsenti & loquenti & miracula facienti non crediderunt, eumque ex tali incredulitate peremerunt. Excusaret enim eos ignorantia, quemadmodum & in hodiernum usque diem ab incredulitatis peccato excusat eos, qui nihil de Christi doctrina & miraculis perceperunt. De hoc loco, id est, de hac peccati excusatione disserentem audiamus : *Non utique*, inquit, *peccatum nullum haberent, qui pleni erant alijs magnis multisque peccatis: sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo, cum audissent eum, non crediderunt in eum. Hanc eos excusationem non habere asserit, qua possint dicere, Non audivimus, ideo non credidimus. Humana quippe superbia, tanquam præsumens de viribus liberi arbitrij, excusatam se putat, quando ignorantia, non voluntatis est, quod peccat, secundum hanc excusationem inexcusabiles dicit Scriptura divina, quoscumque scientes peccare convincit.*

Epist. 105. ad Sixtum.

Et in libris ad Bonifacium eodem allegato Ioannis loco, quo peccatum non habituri esse dicuntur : *Non enim*, inquit, *peccatum antea non habebant: sed ipsam voluit intelligi diffidentiam, qua nec præsenti & loquenti crediderunt.*

Lib. 3 ad Bonif. c. 3.

Et in libro de gratia & libero arbitrio: *De quo peccato dicit, nisi de illo magno quod præsciebat eorum futurum quando ista dicebat, id est, quo eum fuerant occisuri*, Ex illa infidelitate, qua præsenti non crediderunt: Et paulo pòst : *Quomodo dicit inexcusabiles, nisi de illa excusatione qua solet dicere humana superbia: si scissem fecissem, ideo non feci quia nescivi. Aut si scirem facerem ideo non facio quia nescio.*

Lib. de gr. & lib. arb. cap. 2.

Ibid.

Et in Tractatu octogesimo nono in Ioannem, ubi locum ex professo explicat : *Quid est ergo: Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent? Numquid sine peccato erant Iudæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem quia non crediderunt in Christum qui propterea venit, ut credatur in eum. Hoc peccatum si non venisset, non utique haberent.* Et simili modo statim adijcit & illas gentes ad quas non venit, sive per seipsum sive in Discipulis Christus, hoc est, quibus nullo modo prædicatus est Christus, *excusationem habere de peccato; non de omni*, inquit, *peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt; ad quos non venit, & quibus non est locutus.* Sed non in eo sunt numero, si ad quos in Discipulis venit, & quibus per discipulos est locutus. Ex qua sanè doctrina manavit illa Scholasticorum regula, qua dicunt. Infidelitatem purè negativam non esse peccatum.

Tract. 89. in Ioannem.

Ibid.

Hæc sanè perspicuè demonstrant locum istum Ioannis, qui objicitur, nihil omnino ad propositum facere. Quod si fortè velint à simili arguere, quod, si ignorantia excusat, & impotentiam excusare debere. Respondetur, impotentiam quæ ex culpabili defectu gratiæ proficiscitur, etiam esse culpabilem, sicut & ignorantiam quæ ex culpabili defectu cognitionis. Nam hinc oritur quod juxta constantissimam Augustini & Ecclesiæ doctrinam, etiam illa vera peccata sunt, quæ ex ignorantia legis naturalis, sive jam illa facta sit homini vincibilis, sive invincibilis, proficiscuntur, prout alibi fusissimè ex ijsdem Augustini & Ecclesiæ principijs declaravimus. Quod si ignorantia vel impotentia non sit culpabilis, quod ex eis nascitur desinet esse peccatum. Talis est enim illa ignorantia, qua quis non credit Christo, de quo nihil audivit. Talis & impotentia si homini primo sufficiens adjutorium defuisset, sine quo permanere non posset. Nam utraque tam ignorantia quam impotentia talis, à libera Dei pependisset voluntate, utpote cujus neque consilium scire per seipsam creatura rationalis potest, nisi reveletur, neque adjutorium sine quo nihil potest, sibi dare nisi ejus bonitate tribuatur. Nunc autem quod homo naturalis legis ignarus, & cœcus, & carnis; hoc est, carnalium rerum cupiditati subditus nascitur, ex quibus fit ut neque quid agendum sit videat, neque quod agendum videt velit aut possit implere, pœna peccati est; nec ita pœna quasi adjutorium, quod ei antea largiebatur Deus, subtrahendo tolleretur, sed quia potentius crucis & mortis Christi adjutorium, quod ei nunc post vulnera necessarium est justissimâ æquitate non datur. Nam illud pristinum primævæ integritatis auxilium, quo veritatem agendorum cernere, & agenda implere sufficiebat, quantumlibet nunc fractis viribus abundaret & superflueret, nullo pacto ad faciendam justitiam sufficeret aut congrueret; sed potentissima illa sanguinis Christi & redemptionis medicina, quæ vulnerato quassatoque sola sufficit, necessaria est, quemadmodum latius alibi disseruimus. Vt sanè nihil mihi absurdius, & à Christiana regula alienius dici posse videatur, quam quod Deus hominibus etiam peccatoribus sufficiens adjutorium dare teneatur, aut nisi dederit, peccando jam esse excusabilem peccatorem, aut Deum leges suas quas ei integro dedit debere temperare aut abrogare.

Digitized by Google

CAPVT XIX

Quomodo Deus neminem deserit nisi deseratur.

OBIICI & illud solet, quòd Deus *non deserat si non deseratur.* Ergo nemini denegat auxilium sufficiens si non ante desertus fuerit. Respondetur sententiam illam haberi in Concilio Tridentino & ex divo Augustino desumptam esse. Tam verò Tridentinum quàm Augustinus perspicuè indicant se sic illam intelligere, quod Deus neminem deserit ab eo discedendo, ipsâ scilicet subtractione justitiæ, nisi homo prius Deum per inobedientiam deserat. Quod ex diversis Augustini locis, ubi illam sententiam vel fundamentum ejus tangit, evidenter liquet. Nam Augustinus in illo ipso loco ponit hanc differentiam inter animæ nostræ medicum Deum, & inter medicum corporum; quod medicus corporum *cùm sanaverit hominem,* ABSCEDIT AB EO, AC DEO DIMITTIT: cùm verò *Deus,* inquit, *spiritaliter sanat ægrum vel vivificat mortuum, id est, iustificat impium,* NON DESERIT SI NON DESERATVR, *ut piè semper iustèque vivatur;* Hoc est, non discedit ab eo quem justificat, sicut medicus corporum, sed manet in eo, quia ipsemet est vita ejus, sine qua impossibile est animam esse justam aut vivam. Hunc esse genuinum Augustini sensum, tum per se-ipsum liquet, tum ipse perspicuè in alijs declarat locis, ubi easdem corporalis & spiritalis medici corporaliter & spiritaliter vivificantis comparationes adhibet. Nam libro octavo de Genesi ad litteram fusè similiter tradit, non sic hominem à Deo justum & sapientem fieri, *ut cùm ab eo* FACTVS FVERIT IVSTVS ABSCEDAT, *sicut à corporis medico* SANATVR ET ABIT. *Non ita,* inquit, *Deus operatur hominem iustum, id est iustificando eum, ut si* ABSCESSERIT *maneat in absente quod fecit: sed potius sicut aër præsente lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret: sic homo à Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.* Et in Psalmum septuagesimum radicem diversitatis istius detegit, nempe quia medicus corporum non est ipsa vita & sanitas corporum, Deus est autem ipsa vita animæ. Vnde ut corpus vivat, non est necesse, ut medicus ejus præsto maneat, aut ut corpus eo discedente moriatur, quemadmodum necesse est ut anima moriatur discedente Deo. Et ideo nunquam deserit, nisi hominis aversione deseratur: *Qui suscitat mortuum,* inquit, *secundum corpus reddit eum luci huic videndæ, & huic aëri ducendo: non autem suscitator eius ipse illi lux & aër est. Incipit videre quemadmodum videbat antea. Anima non sic exsuscitatur. Anima enim exsuscitatur à Deo, quanquam & corpus exsuscitetur à* A *Deo. Sed Deus quando exsuscitat corpus mundo reddit. Si recedat aër mundi istius, moritur corpus: si recedat Deus moritur anima. Cùm ergo animam suscitat Deus, nisi adsit qui suscitavit, suscitata non vivit. Non enim suscitat & dimittit ut vivat sibi, sicut Lazarus quando resuscitatus est &c. Resuscitatus est est Domino præsente, sed vixit & Domino absente &c. Discessit de ipsa civitate Dominus, vel de illo loco, numquid Lazarus non vixit? Non sic anima suscitatur. Suscitat illam Deus; moritur si discesserit Deus. Dicam enim audacter fratres, sed tamen verum. Duæ vitæ sunt: una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus, sic anima moritur, si deserat Deus. Ipsa est enim gratia eius, ut resuscitet, & sit nobiscum.* Vides hic easdem comparationes, quod videlicet medicus vel suscitator corporum deserit suscitatum, suscitator animæ non deserit, quia cùm sit ipsa vita B & lux ejus, mox iterum moreretur. Secundum hunc igitur deserendi modum, Deus neminem deserit, nisi prius deseratur. Itaque tractans illum locum Genesis: *In quocunque die comederis ex eo morte morieris,* & quæ ibi mors intelligatur exponens: *Si eam,* inquit, *solam intelligamus, quæ fit cum anima deseritur sua vitâ, quod illi Deus est* (NON ENIM DESERTA EST VT DESERERET, SED VT DESERERETVR DESERVIT) *tanquam diceret quâ die me deserueritis per inobedientiam deseram vos per iustitiam &c.* Vbi declarat per exemplum Adami quomodo Deus non deserat nisi ante deseratur. Nempe quia non discedit ab anima Deus tanquam vita ejus, nisi ipsa peccando discesserit. Sic enim statim Adamo peccante & pudenda tegente, *sensa est,* inquit, *mors una, in qua deseruit animam Deus.* Et alibi cùm explicuisset ita Deũ esse vitam animæ quâ ipsa vivit, sicut anima corporis vita est, & si corpus læthaliter percutiatur, anima deserat corpus C suum, adjicit: *Non times Deum dicentem tibi:* PECCAS ET DIMITTO TE? Peccatum est enim velut læthalis ictus, quo vita animæ Deus pellitur. Sicut ergo perspicuum est, Augustinum ita suam sententiam intelligere, ita etiam Concilium Tridentinum. Agebat enim de justificatis, quos tradit propterea non desinere esse justos, quia subinde venialiter peccant. sed è contrario, hoc ipso magis esse obligatos ad ambulandum in via iustitiæ, quo liberati à peccato sobriè, justè, & piè viventes proficere possint per IESVM Christum, *per quem accessum,* inquit, *habuerunt in gratiã istam,* videlicet liberationis à peccato & justificationis: & statim adjicit: *Deus namque suâ gratiâ semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Per hoc probans id quod præcesserat, *eos propterea non desinere esse iustos,* quod quotidie peccata

Trid. Sess. 6. cap. 11.
Aug. lib. de nat. & grat. c. 26.
Loco citato.
Lib. 8. de gen. ad lit. cap. 12.
In Psal. 70. Conc. 2.
Gen. 2.
Lib. 13. de Civit. c. 15.
Ibid.
Lib. 18. de verb. Apost. cap. 6.
Sess. 6. c. 11.

Digitized by Google

peccata committant venialia, quia Deus non abscedit ab anima per gratiam suam justificata, nisi anima eum ante mortaliter peccando deseruerit.

Hunc ergo verum sensum esse Concilij, maximèque sancti Augustini, ex quo phrasis ista & verba derivata sunt, facilè judicabit quisquis consideraverit, cum hoc loquendi modo significare voluisse differentiam, quæ est inter Deum bonum animæ nostræ, & inter alia creata bona, quæ ab hominibus diligi solent. Nam ista creata bona hujusmodi sunt, ut quantumlibet ea vehementi amaveris voluntate, & retinere volueris, invitissimos sæpè deserant; Deus vero tale bonum est, ut invitum nullo modo deserturus sit; non enim deserit hominem nisi ipse ab homine prius propria voluntate deseratur: *Hoc est, bonum*, inquit, *quod non potes invitus amittere. Potes enim aurum perdere & nolens; potes domum; potes honores, potes ipsam carnis salutem bonū verò quo vere bonus es, nec invitus accipis nec invitus amittis.* (Serm. 12. de verb. Dom. cap. 5.) Et in libris confessionum suarum cum late descripsisset dolorem suum quo cruciabatur quando morte amicum rapiente, ab eo desertus fuerat, Deum alloquens: *Te*, inquit, NEMO AMITTIT *nisi qui* DIMITTIT. (Lib. 4. Confess. cap. 9.) Hoc est tu non deseris quemquam, nisi te voluntate sua deseruerit. Et evidentius adhuc paulo pòst: *Verbum ipsum* (Deus) *clamat ut redeas* ad te, *& ibi est locus quietis imperturbabilis* VBI NON DESERITVR AMOR, *si ipse non deserat.* (Ibid. cap. 11.) Hoc est ubi amor amantis non deseritur ab objecto quod amat, nisi ipse amor mutetur, ut propria voluntate Deum amatum deserat. Ecce hanc ipsam sententiam bis terve clare repetitam eo sensu à sancto Augustino, quem tetigimus. Nempe discrimen inter Deum & bona creata statuit; quod hæc deserant amantem discedantque quamvis nolit, ille neminem amantem deserat, nisi ultro velit, imo nisi ultro discedat unde statim nullis verbis interjectis adjicit: *Ecce illa* (creata) *discedunt, ut alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima universitas*, (Ibid.) quia modulus eorum est, quemadmodum ibidem docet, ut oriantur & occidant, & quanto magis crescunt ut sint, eo magis festinant, ut non sint. Sic ergo ut infima constet universitas, quæ omnia complecti debet, necessarium est ut nos illa deserant, quantumlibet ea nobiscum permanere desideremus. Deus autem non sic, quia nusquam discedit: ex quo etjam fit ut neminem deserat, nisi ab ipso ante malâ voluntate deseratur. Iste verus & genuinus est sensus istius locutionis quam Augustinus vel expressis verbis vel tacitis non semel & ex ipso discipuli ejus & Synodus Tridentina usurpavit.

Nam si desertionem Dei, quæ fit actualis gratiæ subtractione, spectare voluerimus, nimis enormiter ab Augustini mente discedunt, qui ei istud paradoxum, & quidem postquam per Adami lapsum, in statum damnationis & iræ Dei, præcipitati sumus, imponere volunt. Tota quippe mole doctrinæ hoc agit, Deum adjuvare, & non adjuvare hominem, hoc vel illo modo, plus aut minus deserere aut non deserere, prout ei visum fuerit, quia spiritus ubi vult spirat. Qua de re multa in superioribus dicta sunt. Nihil enim celebrius in Augustino quam quosdam à divino adjutorio deseri etjam justos ex occultis judicijs Dei. Nam ad quid quæso fideles omnes tanta instantia orant Deum, ne inferantur in tentationem, hoc est, ne deserantur adjutorio ejus, si nemini justo accidit, ut Dei adjutorio deseratur? Stultum est enim orare ne eveniat quod nunquam evenit; sicut stultum esset orare ne Christus nos in hostia consecrata deserat, quam nunquam deserit. Hinc Augustinus explicans vim istius orationis: *Vt non consentiamus* (concupiscentiæ) *deprecamur adjutorium dicentes: Et ne nos inferas &c. ut si forte tentari cœperimus à concupiscentia nostra adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus vincere ne abstrahamur illectі.* (Lib. 2. de pec. meritis. c. 4.) Et sermone nono de diversis: *In illa tentatione qua quisque decipitur, & seducitur, neminem tentat Deus, sed plane judicio suo alto & occulto quosdam deserit. Cum ille deseruerit, invenit quid faciat tentator. Non enim invenit adversum se luctatorem, sed continuo illi se exhibet possessorem, si deserat Deus. Ne deserat ergo nos, ideo dicimus, ne nos inferas in tentationem.* (Serm. 9. de divers. c. 9.) De qua desertione superius.

Sed hoc est quod hac de re, non ut oportet, cogitantes fallit homines, & admirari quodammodo facit severitatem Dei. Non enim animadvertunt, gratiam Christi medicinalem quæ post humanæ naturæ lapsum ad bene vivendum sufficit, non esse talem qualem primi hominis fuit; quæ videlicet afferret quandam bene vivendi potestatem, qua tamen per solum nutum voluntatis liberum, nulla concupiscentiali repugnantia præpeditum, uteretur aut non uteretur ut vellet; sed esse talem, quæ quando datur, ipsum velle & operari tribuit, non amplius quasi nutum voluntatis expectando sed ipsum invictè largiendo. Non est enim amplius adjutorium, *sine quo non* possimus velle vel operari, sed *quo* volumus & *quo* operamur; hoc est, ut Augustini phrasi utar, non solum ut sine isto dono volentes & operantes esse non possint, verum etjam ut per hoc donum non nisi volentes & operantes sint. Hanc Augustini doctrinam si recte apprehenderent, statim cernerent, nihil absurdi esse, si talis gratia sufficiens non detur justis, sed potius perquam absurdum esse si omnibus detur, multoque absurdius (ut quidam ex ipsis putant) quod omnibus etjam debeatur. Hoc enim nihil est aliud, quam omnibus quibus Deus justitiam dedit, perseverantiam simul esse conferendam. Non cogitant etjam, ad hoc ut infidelis peccet, aut fidelis ex justitia cadat, nullo modo Dei gratiam in statu naturæ lapsæ esse necessariam multoque minùs debitam, ut impediatur casus ejus. Quæ quia alio loco latiùs dicta sunt, non est repetitioni cum tædio lectoris immorandum.

CAPVT XX.

Exponitur locus Apostoli: *Deus omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

Ad Timoth. 2.

SED omissis alijs authoritatibus Scripturarum tanquam quæ non magni momenti sint, præcipuè locus Apostoli ex Epistola prima ad Timotheum urgeri solet, ubi dicitur quod Deus *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Nam istum locum de omnibus omnino intelligi volunt, ex duplici probatione. Prima, quia ut ait Apostolus, *unus est Deus,* videlicet, omnium; quo nomine cura & providentia paterna in omnes significatur. Secunda, quia *unus mediator Dei & hominum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; quo videtur indicari, sufficiens auxilium omnibus esse præparatum. Quomodo enim, inquiunt est omnium redemptor, si non impetravit omnibus auxilium quo possint liberari?

1. Timoth. 2.

Quod si ab auctoribus istis quæratur, quomodo ergo non omnes salvi fiunt, si Deus velit omnes salvos fieri, cum ejus omnipotentissimæ voluntati nihil resistere possit? Respondent. Deum omnes velle salvos fieri, [a] *si & ipsi homines velint*, hoc est, *si divinæ gratiæ cooperari velint.* Dicunt enim divinam istam voluntatem [b] *includere conditionem in objecto* quia salvare vult hominem, *si homo velit.* Quod [c] idem & alij dicere solent, Deum omnes homines velle salvos fieri, *quantum in ipso est.* Cùm enim gratiæ efficaciam in actu secundo à libero arbitrio, seu à voluntatis consensione pendere sentiant, nihil mirum est, si homo consentire nolit, hominem non fieri salvum, quamvis Deus eum, quantum in ipso est, salvum fieri velit.

a Ita Bellar. lib. 2. de gra & lib. arbit. cap. 5.
b Suarez lib. 4 de prædest. cap. 2. n. 11.
c Ibid n. 5. & c. 1. n. 4. Item Lessius lib. de prædest. & reprob Sect. 6. n. 06. & alij communiter.

Sed contra istam istius Apostolici loci explicationem multa dici possunt quibus probetur eam non esse genuinam, imo contrariam divinæ gratiæ sinceritati. Nam primo, quod non exiguum isti interpretationi præjudicium facit, sic explicuerunt eum hostes gratiæ Pelagiani & Semi-Pelagiani. Fons enim erroris istius Pelagius, in commentario Epistolæ istius ad Timotheum explicat, Deum velle omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, *si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint.* Et Ambrosiaster, seu commentator in Epistolas pauli, qui nomine Ambrosij circumfertur, & hæresi Pelagiana undique refertus est: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim sic vult ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si & ipsi velint.* Et Iulianus eundem sensum non obscure tangit quando adversus Augustinum dicit: *Ab eo pulsantibus aperiri qui omnes homines vult salvos fieri & in agnitionem veritatis venire.* Indicat enim idcirco voluntatem illam Dei effectu suo destitui, quia deest conditio quæ ab hominis libera voluntate suspenditur, ut videlicet & ipse velit, petendo, quærendo, pulsando quod in ipsius potestate.

In c. 2. Epist. 1. ad Timot.

In illum locum.

Lib. 4. cont Iul. cap. 8.

situm est potestate. Sic enim exponit ejus verba sanctus Augustinus; *ut videlicet intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes salvos fieri & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere cum Deus velit dare, nolunt quærere cum Deus velit ostendere; nolunt pulsare cum Deus velit aperire.* Eodem modo exposuerunt Massilienses apud Prosperum & Hilarium & Faustus Regiensis, ut alibi demonstravimus, & ipse sanctus Augustinus, quando in Semi-Pelagianorum errore fuit. Nam ex illo errore loquitur, quando jam correctus ex objicientis ac disputantis persona dicit: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium &c.* Quod non aliud est quam si diceret vult omnes salvos fieri, si tamen ipsi suo arbitrio velint. De quo loco ex errantium sententia prolato superius plura diximus. Hoc est igitur primum expositionis istius non leve præjudicium quod omnibus de gratia errantibus placeat. Hoc ipso namque quo divinæ operationis efficaciam ab ab humana voluntate suspendunt, id est, hoc ipso quo gratiam Christi volunt non esse *quo fit*, opus, sed *sine quo non* fit; in illam expositionem coguntur incidere, ut Deus *quantum in ipso est* omnium salutem velit & operetur, salutis tamen effectus homine dissentiente non sequatur. Quam propterea phrasim etiam Vitalis Carthaginensis cum Semi-Pelagiano errore teneretur, caute usurpavit, & diligenter expressit: *Operatur quippe ille,* QVANTVM IN IPSO EST *ut velimus, cum nobis nota fiunt ejus eloquia: sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis prosit, efficimus.*

Lib. 4. cont. Iul. cap. 8.

Vide lib. 8. hæresi Pelag. c. 2. & 3.

Lib. de Spirit & litt. c. 33.

Vide supra lib. præced. cap. 30.

Apud August Epist. 107.

Secundum ejus præjudicium est, quod omnes antiqui & genuini defensores gratiæ illam expositionem tanquam dissonantem à veritate reprobarent. Inter quos primus est Sanctus Augustinus, qui nunquam illam nisi quando Semi-Pelagiano errore fallebatur, admittere voluit. Hinc eam ex professo impugnat in libro quarto contra Iulianum, in Enchiridio ad Laurentium, & in præfata Epistola ad Vitalem, ubi dicit eos qui hoc tam generaliter de omnibus exponunt, *Non intelligere omnino qua locutione sit dictum, quod Deus omnes vult salvos fieri.* Secundus est Prosper divinæ gratiæ patronus integerrimus: *Et ubi est illud quod nobis quasi contrarium* A NON INTELLIGENTIBVS *semper opponitur quod Deus omnes homines velit salvos fieri? &c.* Ecce audis, non intelligentes, qui locum in ista quæ per liberum arbitrium côtrahitur, generalitate premunt. Tertius est sanctus Fulgentius Prospero & Augustino consentiens: *Illud vero Apostolicum ubi dicitur:*

Lib. 4. cont. Iul. cap. 8.

Epist. 107.

Prosper in Epist. ad Rufin.

Fulgent. in lib. de incar. & grat. c. 29

dicitur: Qui vult omnes homines &c. non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem sicut in vasis misericordiæ, sic & in vasis iræ accipiendam existimat. Omnes tres uno consensu profitentur, eos non intelligere Scripturam, qui illam salvandi voluntatem indifferenter ad universos, sine exceptione protendunt. Vt sanè mirum sit, recentiores tam pervicaciter tres istos præcipuos gratiæ defensores abjicere tantumque non condemnare & eorum sententiæ opinionem errantium anteferre. Quod enim existimant Augustinum tandem expositionem eorum in libro de Spiritu & littera amplexum esse, jam supra diversis locis eos falli, & objectionem Pelagianam pro solutione arripuisse, demonstravimus. Prosper quoque nunquam eorum opinionem, ne quidem in libris de vocatione gentium docuit, ut fusius alibi quoque declaratum est.

Vide lib. præd. c. 30. & lib. 2. de Hæres. Pel. c. 15. Eorum cap. 15. lib. 8. de Hæres. Pel.

Tertium istius expositionis præjudicium est, quod ejus falsitas gravibus argumentis refelli potest, & passim ab Augustino refellitur. Primò quidem, quia illa ipsa conditio quam adjiciunt, *si homines velint aut consentiant*, non minus pendet à voluntate Dei quam ipsa salus. Non enim potest ab humana voluntate præstari, nisi divina voluntate præstetur, hoc est, nisi à Deo detur, ut velint, ut gratiam acceptent, ut consentiant. Vnde illud Augustini: *Qui tamen utuntur voluntatis arbitrio nisi eo volente ac subveniente a quo præparatur*, hoc est, *dicitur volunta*s, *velle non possunt.* Vnde alibi similem expugnans conditionem, quam Pelagiani divinæ gratiæ operationibus adjiciebant: *Quare, inquiunt, non omnes docet? Si dixerimus quia nolunt discere, quos non docet, respondebitur nobis: & ubi est quod ei dicitur, Domine tu convertens vivificabis nos? Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secundum præceptum Domini pro persecutoribus suis? &c. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus operetur in illis & velle?* Cùm igitur ista conditio, propter cujus defectum non omnes salvi fiunt, Deo misericorditer dari debeat, frustra dicitur, Deum omnes omnino velle salvos fieri, si ipsi velint, si ipsi consentiant, si ipsi divinæ gratiæ cooperentur.

Lib. 4. cont. Iul. c. 8.

Lib. de præd. sanct. c. 8.

Deinde ista expositio refellitur, ex causa parvulorum qui sine baptismo, & consequenter sine salute & veritatis agnitione moriuntur. Constat enim eos per ætatem velle aut consentire non posse, quibus tamen non providet de baptismo, sine quo salvi fieri nequeunt. Quod argumentum sæpius adversus istam loci Apostolici explicationem Augustinus urget: *Sed hunc sensum vestrum*, ait adversus Pelagianos, *infantes illi ipsa sua taciturnitate convincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulsant; imò etiam cum baptizantur reclamant, repugnant, renituntur; & accipiunt tamen, & inveniunt, & aperitur eis, & intrant in regnum Dei ubi sit eis æterna salus, & agnitio veritatis, longe pluribus infantibus in istam gratiam non adoptatis ab eo qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quibus dicere non potest, volui & noluistis: quia si voluisset,*

Lib. 4. cont. Iul. c. 8.

A *quis eorum qui nondum habent voluntatis suæ arbitrium, voluntati ejus omnipotentissimæ restitisset.* Et paulo pòst: *Si Deus omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi nolunt: cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, ubi est certa agnitio veritatis? Numquid aut homines non sunt, ut non pertineant quod dictum est, omnes homines? Aut aliquis potest dicere; Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nondum velle seu nolle ista noverunt?* Et in Enchiridio ad Laurentium id ipsum argumentum premit: *Quando quæritur causa, cur non omnes salvi fiant, responderi solet quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem de parvulis dici non potest, quorum nondum est, velle seu nolle.* Ex quo constat Augustini judicio prorsus falsam esse in parvulis istam recentiorum expositionem, qua dicunt, Deum omnes homines velle salvos fieri, si homines velint; cum isti parvuli qui non salvantur, homines sint, nec Deo volenti salvos facere propriæ voluntatis arbitrio reluctentur, utpote qua prorsus carent. Caret ergo Deus illa salvandi cunctos parvulos voluntate.

In Enchirid. cap. 97.

B Hæc igitur considerans Augustinus, non solum negat habere Deum istam omnium parvulorum salvandorum voluntatem, sed etiam sæpius expertis verbis docet, hominibus volentibus quosdam parvulos salvos facere, nolle Deum ut salvi fiant, quos justo judicio à regni sui felicitate secludit: *Et quod multo est mirabilius*, inquit, *aliquando adoptat in filium quem format in utero immundissima fœmina; & aliquando NON VVLT esse suum filium, quem formas in utero filia sua. Ille quippe ad baptismum nescio qua promissione pervenit; ipse repentina morte non pervenit. Atque ita Deus in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in diaboli dominatio. & NON VVLT esse in regno suo quem formavit in templo suo. Aut si vult, cur non facit quod vult? Non enim quod soletis de majoribus dicere, Deus vult & parvulus non vult &c.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Quid dicam quod parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis succurri POSSIT exspirat? Plerumque festinantibus parentibus & paratis ministris, ut baptismus parvulis detur*, DEO TAMEN NOLENTE *non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur. Quid est quod aliquando parvulis infidelium filiis POTVIT ne irent in perditionem, & filiis fidelium NON POTVIT baptismate subveniri?* Et in Epistola centesima septima ad Vitalem: *Quomodo dicitur*, inquit, *omnes homines eam* (gratiam) *fuisse accepturos, si non illi quibus non donatur eam sua voluntate respuerent, quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri, cum multis non detur parvulis & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem; & aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus ministris quoque, volentibus ac paratis*, DEO NOLENTE *non datur, cùm repentè antequam detur exspirat, pro quo ut acciperet currebatur.* Et iterum ibidem consequenter adjungit: *Vnde manifestum est, eos qui huic resistunt, tam perspicuæ veritati, non intelligere omnino, qua locutione sit dictum, quod omnes homines velit Deus salvos*

Lib. 8. cont. Iul. c. 14.

Lib. de dono pers. c. 12.

Epist. 107. ad Vitalem.

Ibid.

C

D

salvos fieri; cum tam multi, salvi non fiant, non quia ipsi, sed QUIA DEUS NON VULT. *Quod sine caligine manifestatur in parvulis.* Et iterum in eodem loco monet, cum tam multos Deus NOLIT *salvos fieri*, sic exponendum esse verba Apostolica, *ut hunc apertissimæ veritati; in qua videmus, tam multos* VOLENTIBUS *hominibus, sed* DEO NOLENTE *salvos non fieri, contraria esse non possint.* Quibusdam vero in locis loco, nolendi dare, utitur verbo *negandi*, non minus ad expressionem istius veritatis efficaci: *Cur aliquando piorum filiis* NEGATUR, *hoc bonum, & filiis tribuatur impiorum?* Et iterum: *Quæ igitur causa hunc parvuli baptismum procuravit, illi* NEGAVIT? Videt, arbitror, lector, quanta contentione sanctissimus Doctor Catholicis persuadere conetur, falsam expositionem esse, qua dicitur, Deum omnes omnino homines velle salvos fieri, quanta certitudine & asseverantia hoc ex parvulis probet, quoties & quam instanter inculcet, Deum *non velle, Deum nolle* quosdam esse filios suos, talibusque baptismum hominibus volentibus, DEO NOLENTE non dari: Deum *non velle, Deum nolle* tales salvos fieri: cursum rerum sic ejus providentiâ & voluntate gubernari, ut eis ministerio baptizantis *succurri non possit*, ut filijs etjam fidelium, festinantibus hominibus, sed DEO NOLENTE NON POSSIT baptismate subveniri: Vnde tam de parvulis quam adultis alibi dicit: *Qui hominibus dat gratiam* QUIBUS VULT *quoniam misericors est: & non dat* QUIBUS NON VULT &c. Et rursum in eodem libro: *Parvulis quibus* VULT, *etiam non volentibus & currentibus, subvenit: Et maioribus, etiam his, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros*, QUIBUS NON VULT *subvenire non subvenit.* Et in libro quarto contra Iulianum: *Vtrique profundum sit, cur & in maioribus, & in minoribus Deus velit alteri &* NOLIT *alteri subvenire.* Et alijs in locis pari modo de solis maioribus. *Quibus hoc Dominus dare voluerit, eius misericordia est non meritum illorum; quibus autem* NOLUERIT *veritatis est.* Vbi de prima hominum conversione loquitur sine qua nemo adultus salvus fieri potest. Et de Tyrijs & Sidonijs, quos Deus præsciebat si apud eos factæ fuissent virtutes, in cinere & cilicio acturos fuisse pœnitentiam: *Nec utique Deus iniustè* NOLUIT *salvos fieri, cum possent salvi esse si vellent.* Nam ut alibi generalissimè & securissimè dicit: *Deo* VOLENTI *salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium.* Cujus doctrinæ evidentia exclamare cogit modestissimum Præsulem, *quod manifestum sit*, eos qui tam perspicuæ resistunt veritati, NON INTELLIGERE OMNINO (quod ijsdem pœnè verbis Prosper & Fulgentius imitati sunt) qua locutione sit dictum, quod Deus omnes homines velit salvos fieri.

Ibid. — Lib. 2. de Bapt. c. 6. — Ibid. — Lib. de dono pers. c. 11. — Cap. 11. — Lib. 4. cont. Iul. c. 8. — Lib. 2. de pecc. meri. cap. 18. — In Enchirid. c. 95. — Lib. de corr. & grat. c. 14.

Denique refellitur ista expositio, quia scopo Apostoli manifestè repugnat: Hortatur enim ut orationes pro hominibus omnibus fundantur Deo, utpote qui vult omnes homines salvos fieri. Quod si ergo sensus est, Deum omnes velle salvos fieri quantum in se est, aut, si etjam ipsi velint, profectò jam non sequitur esse pro omnium salute, rogandum Deum, utpote qui quod suarum est partium jam præstiterit, dato omnibus sufficienti adjutorio, sed admonendi tantum erunt homines, ut auxilio sibi dato uti velint. Vt quid enim dari petas, quod semper præsto, imo jam datum est, & positum in hominis potestate? Hac igitur prætermissa verborum sacrorum expositione, tanquam quæ neque veris defensoribus gratiæ unquam placuit, sed graviter improbata est, neque verbis Apostolicis congruat, sed ab errantibus introducta & pertinaciter defensa fuit; respondemus plures & veras & antiquioribus probatas expositiones dari posse, quibus Deus intelligatur, velle omnes homines salvos fieri, nec tamen istiusmodi sufficiens adjutorium, quod recentioribus placuit, contulisse credatur.

Prima igitur expositio est ut Deus dicatur omnes homines velle salvos fieri, accommodata scilicet distributione, omnes, qui videlicet salvantur; seu quod idem est, quia nemo fit salvus nisi quem Deus voluerit salvum fieri, ideoque rogandus est Deus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit, omnipotens enim inaniter velle non potest. Nam de orando Deo agebatur; quem orandum esse pro omnibus, nemine excluso, ex eo rectè probat, quia ipse est ille qui vult, & volendo facit omnes salvos fieri, qui salvantur. Simili locutione dicitur Ioannis primo, *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non quod omnes illuminentur à Deo, sed quia nemo nisi per ipsum illuminatur. Et primæ ad Corinthios decimo quinto: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Id est, sicut omnes qui moriuntur, per Adam moriuntur, ita omnes qui vivificabuntur, non nisi per Christum vivificabuntur. Hanc primam loci nobis propositi expositionem tradit sanctus Augustinus diversis locis, ut libro quarto contra Iulianum: *Sic ergo debet intelligi quod dictum est: omnes homines vult salvos fieri &c. quemadmodum intelligitur quod dictum est: per unius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ. Quod Apostolicum testimonium si eo modo intelligendum putas, ut dicas, omnes, positum esse pro multis qui iustificantur in Christo, multi quippe alij non vivificantur in Christo; respondebitur tibi, sic etiam illic, ubi dictum est, omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, omnes positos esse pro multis quos ad istam gratiam vult venire. Quod multo convenientius propter hoc intelligitur dictum, quia nemo venit nisi quem venire ipse voluerit, &c. Omnes ergo qui salvi fiunt & in agnitionem veniunt veritatis, eo volente salvi fiunt, eo volente veniunt. Quia etsi nondum, sicut parvuli, utuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerantur, quo creante generantur. Et qui iam utuntur voluntatis arbitrio, nisi eo volente ac subveniente, a quo præparatur voluntas, velle non possunt.* Et in Epistola centesima septima ad Vitalem: *Sicut illud quod dictum est, omnes in Christo vivificabuntur, cum tam multi æterna morte puniantur, ideo dictum est quia omnes quicumque vitam*

Ioan. 1. — 1. Cor. 15. — Lib. 4. cont. Iul. c. 8. — Epist. 107.

vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo, ita quod dictum est omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multos nolit salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt. Et in Enchiridio ad Laurentium uberius ea de re reddita expositionis istius ratione disserit: *Ita intelligere debemus quod scriptum est, qui vult omnes homines salvos fieri, tanquam diceretur nullum hominem, fieri salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat nisi velit, & ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Evangelio scriptum est: Qui illuminat omnem hominem: non quia nullus est, hominum, qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.* Eundem sensum probat & in fine vitæ in libro de prædestinatione Sanctorum, ex alterius loci explicatione, quam & familiari illustrat similitudine: *Sicut ergo integre loquimur, cum de aliquo litterarum magistro, qui in civitate solus est, dicimus. omnes iste hic litteras docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumque ibi litteras discit: ita recte dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.* Illi autem eo docente veniunt, qui sunt electi ante constitutionem mundi, de quibus post pauca verba subtexit: *Hos omnes docet venire ad Christum Deus, hos omnes vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Quo loquendi modo exponit illud Propheticum à Christo Domino usurpatum: *Erunt omnes docibiles Deo*, hoc est, docti à Deo. Et alibi illud Apostolicum: *Per unius iustitiam in omnes homines, in iustificationem vitæ*, non quia per Christum omnes iustificantur, sed quia nemo nisi per Christum. Qua phrasi rectè dici tradit, *Per unam ianuam in aliquam domum intrare omnes, non quia omnes intrant, sed quia nemo intrat nisi per illam.* Sequitur hunc sensum & probat etjam sanctus Prosper in Epistola ad Ruffinum, & ipse atque ex professo sanctus Fulgentius, itemque sanctus Anselmus ac sanctus Thomas in illum locum. Nec est difficile illi subjectas Apostoli probationes adaptare, *Unus est enim Deus &c.* significat enim, ut rectè observat ac docet sanctus Anselmus in istius loci commentario, vere Deum omnes velle salvos fieri, quia *unus est Deus* creator omnium, cujus participatione fieri debent, salvi omnes qui salvabuntur: *Unus & mediator Dei & hominum*, qui omnes salvandos uni Deo reconciliet, ut fiant salvi.

In Enchirid. c. 103.

Lib. de præd. Sanct. c. 8.

Lib. 6. cont. Iul. c. 24.

Prosp. in Epist. ad Ruff. Fulgent. lib. de incarn. & grat. c. 31.

Ansel. in c. 2. Epist. 1. ad Timoth.

Secunda expositio est, quam etjam præformasse videtur sanctus Augustinus, in verbis Apostolicis, intelligendam esse distributionem non pro singulis generum, hoc est, pro omnibus omnino singularibus hominibus, sed pro generibus singulorum, hoc est, pro omni genere hominum; pro Iudæis & gentibus, servis, & liberis, principibus & privatis, doctis & indoctis, adultis & parvulis, viris ac mulieribus &c. quia ex omni hominum genere aliqui prædestinati sunt, ac salvi fiunt. Omnium enim, ut subjungit Apostolus, unus Deus creator est, omnium & mediator Christus Iesus, ut merito nullum genus hominum desperare debeat. Iuxta quem sensum Augustinus in sermonibus de diversis: *Habet hortus ille Dominicus non solum rosas martyrum, sed & lilia virginum; & conjugatorum hederas, violasque viduarum. Prorsus nullum genus hominum de sua vocatione desperet: pro omnibus passus est Christus. Veraciter de illo scriptum est; Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et in libro de Correptione & gratia luculentiùs: *Hic unum dicam: ita dictum est: Omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominum in eis est, sicuti dictum est Pharisæis, decimatis omne olus; ubi non est intelligendum nisi omne quod habebant. Neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe, decimabant. Secundum istum locutionis modum dictum est: sicut & ego omnibus per omnia placeo &c.* Latius explicat ac deducit hunc sensum, in Enchiridio ad Laurentium, ubi cum præmisisset, illum alterum sensum quem jam dedimus sic subjungit: *Aut certe sic dictum est: Qui omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit, apud eos, quos dicit acturos fuisse pœnitentiam si fecisset: sed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascunque differentias distributum, reges privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles; doctos, indoctos; integri corporis, debiles; ingeniosos, tardicordes; mares, fœminas; infantes, pueros, adolescentes, iuvenes, senes, in linguis omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum unde non Deus per unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, & ideo faciat, quia omnipotens velle inaniter non potest, quodcumque voluerit?* Et ne quis istam expositionem veluti licenter excogitatam redargueret, eam contextui sacro congruentem esse, apteque cohærere demonstrat: *Præceperat enim Apostolus ut oraretur pro singulis hominibus, & specialiter addiderat: Pro Regibus & iis qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu & superbia seculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere: Proinde dicens: hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo, id est, ut etiam pro talibus oretur: statim ut desperationem tolleret, addidit: Qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Hoc quippe Deus bonum iudicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium. Quod utique iam videmus impletum. Isto locutionis modo, & Dominus est usus in Evangelio, ubi ait Pharisæis? Decimatis mentham & rutam & omne olus. Neque enim Pharisæi & quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic omne olus, omne olerum genus: ita & illic omnes homines, omne hominum genus intelligere possumus.* Quem sentit tangit & probat etjam Fulgentius in eodem loco quem citavimus. Quod sicui fortè neuter præsentis loci commentarius satisfaciat.

Serm. 27. de diversis c. 3.

Lib. de Corrept. & grat. cap. 13.

In Enchirid. cap. 103.

Ibid.

Tertia expositio erit illa, quam Augustinus etjam

etjam pluribus locis tradit, ut Deus dicatur omnes homines velle salvos fieri, quia facit ut sancti homines salutem omnium velint & optent, & orando desiderent, non tantum voluntate signi, præcipiendo ut omnium salutem velint, sed etjam eis hanc ipsam voluntatem, hoc desiderium, hanc sollicitudinem inspirando. Cùm enim voluntas Dei de salute hominum sit nobis occultissima, merito istud velle dici potest, quod in amicis & per amicos vult, dum in eis operatur ut velint. Nam ex isto præcepto & inspiratione sanctus Ambrosius de seipso dicit: *Volumus offendere divites, qui volumus, si fieri potest, sanare omnes.* Et sanctus Paulus de seipso dicit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* De quo volendi modo quo Deus dicitur velle, quod in sanctis facit ut velint, præclare disputat Augustinus in libris de Civitate Dei: *Secundum hanc voluntatem quam Deus operatur in hominibus, etiam velle dicitur, quod ipse non vult, sed suos id volentes facit, sicut dicitur cognovisse, quod ut cognosceretur facit, à quibus ignorabatur.* Et aliquanto inferiùs: *Secundum hanc ergo voluntatem, qua Deum velle dicimus, quod alios efficit velle, à quibus nesciuntur futura, multa vult nec facit. Multa enim volunt fieri sancti ejus ab illo inspiratâ voluntate, nec fiunt; sicut orant pro quibusdam piè, sancteque, & quod orant non facit, cum ipse in eis hanc orandi voluntatem sancto spiritu suo fecerit. Ac per hoc quando secundum Deum volunt, & orant sancti, ut quisque sit salvus, possumus illo modo locutionis dicere, vult Deus, & non facit, ut ipsum dicamus velle, qui, ut velint isti, facit.* Iuxta istum igitur loquendi & volendi modum docet Augustinus, explicari posse phrasin Apostolicam qua dicit, Deum velle omnes homines salvos fieri: *Quia ergo nos qui salvi futuri sint nescientes, omnes quibus prædicamus hanc pacem, salvos fieri, velle Deus jubet, & ipse in nobis hoc operatur, diffundendo istam charitatem in corde nostro per Spiritum sanctum qui datus est nobis; potest etiam sic intelligi, quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle. Sicut misit spiritum filij sui clamantem, Abba pater, id est, nos clamare facientem. De ipso quippe spiritu alio loco dicit: Accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem spiritum recte dixit Scriptura, à quo efficitur, ut clamemus: recte etiam & volentem Deum, à quo efficitur ut velimus.* Secundum hanc explicationem etjam valde concinnum erit Apostoli argumentum, quo pro omnibus hominibus orandum esse probat, quia videlicet, id bonum est & acceptum Deo, utpote qui vult omnes homines salvos fieri, id est, vult ut omnium salutem desideremus, non jubendo tantum, sed & operando. Nam ex præcepto & inspiratione talis desiderij recte sequitur, pro omnibus orandum esse ut salvi fiant. Propter cujus explicationis congruentiam, doctissimus inter recentiores Epistolarum interpres, eam ceteris præfert. Lector ex tribus eligat, quam voluerit. Nam singulas earum textui Apostolico non mediocriter congruere, satis ex

Lib. 8. in Lucam ante Hist. Zachæi

1. Cor. 9.

Lib. 22. de Civit. c. 2.

Ibid.

Ibid.

Lib. de corr. & grat. c. 15.

Guilliel. Estius in illum locum

A Augustino declaravimus. Ut nulla sanè necessitas sit, ad illam Pelagianis omnibus probatam expositionem fugere, quasi omne alioquin effugium interclusum esset.

Nam quod pro ista recentiorum interpretatione, multi veteres proferuntur, non multum ei conciliat auctoritatis. Quid enim juvat, quod istum *sensum Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, aliique græci* secuti esse dicantur, cum Chrysostomus quem sequi solent, ante subortas de divina gratia difficultates, commentarios suos exaraverit, nec ulli imperfectius de gratia quam græci locuti sint, nec ulla difficultas de gratia magis lubrica sit, quam ista, in cujus intelligentia & ipse Augustinus usque ad Episcopatum hallucinatus est? Quod vero addit *Hieronymum, Ambrosium & alios Latinos* ibidem commentantes Apostoli locum, partim B falsum est, partim capitaliter recentioribus nocet. Nam ille Hieronymus, qui expositiones breves in Epistolas omnes commentatus est, est ipsissimus errorum omnium fons de gratia Pelagius, quemadmodum fuse suo loco comprobavimus. Ambrosius vero iste non est Ambrosius, sed multorum similiter errorum Pelagij reus, ut à doctis jam animadversum est. Quod sane recentiores ab illis allegandis & à tali sententia ipsorum tenenda merito deterrere deberet. Alios vero Latinos antiquiores, qui ita locum commentantur, ut Pelagio & recentioribus visum est, needum ullos vidi. Nam inter antiquos sanctus Remigius duas priores Augustini expositiones ad amussim secutus est. Ita & Beda, sanctus Anselmus, sanctus Thomas in commentarijs istius loci. Qui adjungitur [a] *sanctus Athanasius libro tertio de assumptione hominis*, nihil hujusmodi toto libro tradit [b] *Prosperum libro secundo de vocatione gentium capite decimo nono & vigesimo quinto*, non C intelligit. Veram ejus mentem alibi declaravimus. Quod autem ad extremum additur: *Maximè vero Damascenus libro secundo de fide orthodoxa capite vigesimo nono. Divus Thomas prima parte quæstione decima nona articulo sexto, & tertio contra gentes capite centesimo quinquagesimo nono*, non satis mentem eorum assecutus est. Nam sanctus Damascenus nihil aliud eo loco docet, quam quod libenter amplectimur: duplicem in Deo esse voluntatem, *antecedentem*, quam & *primariam* dicit, & *consequentem*: quas ita exponit, ut *primaria quidem Deus bonitate præstans, omnes homines servari, ac regni sui compotes esse velit (neque enim supplicij ac cruciatus causa, verum ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos finxit:) ut justus autem*, hoc est, voluntate consequente, *ijs quoque qui peccant, pœnam inferri nihil minus velit.* Quibus verbis antecedentem seu primariam voluntatem vult esse *bonitatis*, quam Deus videlicet ex seipso in creaturis condendis concipit, consequentem vero seu secundariam *justitiæ* quam propter superinductas D ab hominibus circumstantias habere compellitur. Sic enim alibi semetipsum explicat. Hæc vero doctrina recta & sana est quam & sanctus Thomas probat & sequitur & comparatione

Franc. Suar. lib. 4. de prædest. c. 3. n. 5.

Suarez. ibid.

Videlicet in Hæres. Pel. seu historiam nostram Pelagianam.

a Suarez. lib. 4. de prædest. c. 3. n. 9.

b Ibid.

Ibid.

Damasc. lib. 2. de orthod. fidei. c. 29.

Lib. 2. contra Manich.

rationem Iudicis explicat, qui ex se homines servari cupit, quatenus homines sunt, quatenus autem peccatores absolute damnari. Significat ergo Damascenus voluntatem quam Deus ex se concepit quando humanum genus instituit, quæque omnia peccata hominis antecessit, fuisse bonitatis, ut homo gratiæ salutis felicitatisque particeps fieret. Nam idcirco addidit: *Neque enim supplicij ac cruciatus causa, verum ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit.* Voluntatem autem consequentem esse justitiæ, qua peccatores diversis supplicijs plecti vult ac jubet. Sed talis antecedens voluntas, quamdiu res sine accessorijs circumstantijs consideratur, aliquid ad causandam gratiam sufficientem, aliaque media necessaria procurandæ saluti facit, utpote ex qua gratia primorum hominum sufficiens fluxit. Sed postquam peccata jam ab hominibus inducta considerantur, antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ causante consistere potest. Quod ex eo manifestissimè patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas sive hominum sive Angelorum Deus habet. Qui non obstante sicut potest consequente voluntate justitiæ, Angelos omni gratia sufficiente & salute spoliare, excæcare, obdurare damnare; ita non obstante eadem antecedente voluntate, quibusdam hominibus originali labe damnatis, consequente voluntate justitiæ, gratiam sufficientem, fidem, justitiam, salutem, felicitatemque negare potest, eosque nolle salvos fieri. Sic enim & Iudex præcisione intellectus, & inde subnascente quadam velleitate, quæ nihil operatur, vult hominem esse salvum, quem tamen propter homicidium, omnibus assequendæ salutis remedijs ipsaque vita privat, quam voluntatem antecedentem propterea Ecclesia Lugdunensis in eruditissimis illis libris quos tempore Concilij Valentini de quibusdam articulis prædestinationis & gratiæ exaravit, vocat *voluntatem bonitatis creatoris,* quia neminem Deus creavit ut perderet, quamvis *induta æquitate* velit, ut pereat. Nihil omnino igitur doctrina Damasceni de antecedente salutis omnium voluntate recentioribus prodest, ut quæ optimè cum neganda salutis & gratiæ sufficientis voluntate consistit. Nisi fortè & Angelis & hominibus damnatis, antecedente voluntate salutis, gratiam sufficientem aliaque redemptionis instrumenta suppeditari & erogari putent.

Eccles. Lug. in lib. de tribus Epist. in Auctar. bibliot. SS. PP. tom. 2.

Quantum vero ad illum locum, quem objici quoque video: *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti,* difficultate caret. *2. Pet. 3.* Præcessit enim, *Non tardat Dominus promissum suum,* de adducendo judicij die, eum differendo diutius quam oporteat *sed patienter agit propter vos*, hoc est, propter electos. Nam Apostoli & Ecclesiastici Scriptores compellare solent auditores suos, quasi omnes electi essent, quod facilè multis exemplis posset explicari. Nam & inde est, quod in ipso exordio Epistolæ suæ primæ sanctus Petrus dicit; *Petrus Apostolus electis advenis dispersionis*, *1. Pet. 1.* ad quos eosdem se testatur & *secundam Epistolam scribere*, hoc ipso tertio capite ex quo deprompta est objectio. Itaque patienter Deus agit, adventum suum differendo *propter vos*, hoc est, propter electos, ne quisquam eorum pereat, qui per pœnitentiam ad Deum convertendus, & in societatem justorum colligendus est. Quomodo & Paulus dicit, *omnia se sustinere propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.* *2. Timoth. 2.* Nam si Deus præstitutum judicij tempus anticiparet, perirent aliqui electorum, quos perire non vult; sicut è contrario, *propter electos breviabuntur dies* tribulationis extremæ, ne magnitudine oppressi pereant. Itaque simili sensu hic dictum est, *Nolens aliquem perire,* scilicet electorum sicut apud Matthæum dicit Christus: *Matth. 18.* *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis* hoc est, electis. Sensus alios illius loci, non esset difficile ex præcedentibus exsculpere, sed unus iste & clarus est, & genuinus, & sufficiens.

CAPVT XX.

Quomodo Christus sit redemptor omnium, pro omnibus crucifixus & mortuus.

SED aliud argumentum pro gratia sufficienti omnium proferri solet, quia Christus est redemptor omnium, juxta illud primæ ad Timotheum secundo capite: *Qui dedit semet ipsum redemptionem pro omnibus.* Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur esse posse, nisi gratiam saltem sufficientem omnibus præparaverit. *Quomodo enim est omnium redemptor*, ut ait quidam, *si non impetravit omnibus auxilium quo possint liberari?*

in lib. prædest. & reprob. sect. 6. n. 66.

Respondetur & hoc argumentum, sicut omnia præcedentia, jam olim ad nauseam usque à Pelagianis, præsertimque Massiliensibus inculcatum fuit, ut mirum sit recentioribus tanto studio trita hæreticorum arma colligere, & obsoleta recudere. Quin potius nihil mirum, si ad eundem scopum collimantes eâdem eadem via pervenire contendunt. Cùm enim Massilienses divinæ benevolentiæ propositum erga quosdam subvertere, ac penitus ex hominum animis tollere conarentur, tanquam Gentilium fatum, libertatis excidium, necessitatis azylum, desperationis ignaviæq; barathrum, præcepti, exhortationis, correptionis, orationis interitum, deniq; tanquam quo duæ partes, duæ massæ, duæ naturæ insania plusquàm manichæa inducerentur, quemadmodum fusè

demon-

Vide lib. 7. de Hæresi Pelag. a cap. 5. usque ad 18.

demonstravimus, tanquam firmissimam basin errori suo collocarunt ista Scripturæ loca, quibus Deus dicitur omnes velle salvos fieri, atque esse redemptor omnium. Nam inde fabricarunt, primo adversus illud peculiare & rigidum propositum Dei, quandam generalem & indifferentem erga universos voluntatem: deinde ex illa generali voluntate salutis omnium, vocationem quoque generalem, sufficientemque omnibus gratiam derivarunt; quam qui vellet, arriperet aut abjiceret, atque operationem ejus, consentiendo aut dissentiendo, fructuosam aut cassam redderet, pro suæ liberæ arbitrio voluntatis. Ita generali istâ voluntate Dei & gratiâ sufficienti velut basi jacta, totam divini propositi & prædestinationis efficaciam, totam hominum discretionem ad humanum arbitrium revocabant, ut subversâ istius propositi duritie atque incertitudine, in placidissima propriæ voluntatis libertate, pro libitu suo oblata gratia utentis aut non utentis conquiescerent. Hic scopus Massiliensium ipsissimus fuit, ut accuratè suo loco ex ipsis fontibus comprobavimus, & ipsissimus quoque multorum recentiorum. Vt nihil mirum eis videri debeat, si idem iisdem morbis præparemus antidotum, hoc est, si iisdem argumentis quibus Massilienses usi sunt, easdem Augustini & Prosperi solutiones opponamus.

Ibidem fere toto libro.

Respondeo igitur, quando Christus ab Apostolo dicitur *redemptionem semet ipsum dedisse pro omnibus*, in cruce videlicet pro omnibus moriendo, ab aliquibus intelligi, quod se dederit redemptionem, seu ἀντίλυτρον, id est, pretium pro omnibus omnino sufficienter, quia sufficiens pretium obtulit, non tamen pro omnibus omnino efficienter, quia non omnibus applicatur ista redemptio: idque juxta regulam à sancto Prospero diversis in locis traditam, ut ad objectionem primam Vincentianam: *Quod ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt redemptionis alieni sunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam a Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.* Et interjectis nonnullis: *Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit: sed si non bibitur non medetur.* Quibus consentanea loquitur in responsionibus ad Capitula Gallorum: *Cùm itaque rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Et in sententia nona responsionis præcedentis recapitulatoria: *Qui dicit, quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus, non ad* SACRAMENTI VIRTVTEM, hoc est, sufficientiam ac potentiam, *sed ad infidelium respicit partem: cum sanguis Domini nostri* IESV *Christi pretium totius mundi sit: à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate, redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi.* Cui conformiter dicere Scholastici solent, Christum omnes redemisse sufficienter, non efficienter. Solutio ista facilis est, ex qua nullo modo sequitur, sufficiens adjutorium omnibus ex tali redemptione omnium esse præparatum.

1\. Timoth. 2.

Prosp. resp. ad object. primam Vincent.

Respon. ad c. 9. Gallor.

Sent. 9.

Sed quia in istis verbis apertè profitetur Prosper, *redemptionis proprietatem haud dubie penes illos esse* qui sanctificantur in sanguine Christi; & quia ipsa phrasis qua quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videatur redemptionem, ex redimentis animo, in usum ac liberationem captivorum efferri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Christi inanis esse non potest: & quia alioquin etiam pro dæmonibus se dedisse redemptionem dici posset, quibus redimendis sine dubio pretium sanguinis ejus est sufficiens: ac denique quia Prospero antiquior ac doctior Augustinus, nunquam in scriptis suis fatetur, Christum pro omnibus, nullo excepto, se dedisse redemptionem, vel crucifixum esse, vel mortuum; sed tantummodo pro illis, quibus mors ejus profuit, qui certo modo multi & omnes sunt, hinc genuiniùs, veriùsque respondemus, Christum dici *se dedisse redemptionem pro omnibus*, hoc est, pro universa sua Ecclesia toto orbe dispersa, & consequenter pro omnibus hominum generibus, regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus, &c. prout superiori capite ex Augustino declaravimus; itemque pro omnibus, hoc est, pro hominibus omnium nationum, linguarum & gentium, Iudæis videlicet ac gentilibus, ex quibus congregatur universus populus Dei, secundum illud Apocalypseos: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione.* Simili universalitate dicit sanctus Ioannes in Epistola sua prima: *Et ipse est propitiatio*, seu hostia propitiatoria Dei Patris *pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, hoc est, non pro nostris tantum, quibus istam Epistolam scribo, sed pro universo populo fidelium seu Ecclesia toto mundo dispersa; vel, quod in idem redit, non pro nostris tantum Iudæorum, sed etiam Gentilium, ex quibus una constituitur toto mundo fidelium Ecclesia. Sic enim tradit diversis locis Augustinus, ut Tractatu octogesimo septimo in Ioannem, cùm illa verba exponeret: *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret*, ita loquitur: *Vniversa utique hoc dicit Ecclesia, quam plerumque etiam ipsam mundi nomine appellat; sicut est illud: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Itemque illud: Non venit filius hominis ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Et in Epistola sua Ioannes ait: Ipse pro-*

Apoc. 5.

1\. Ioan. 2.

Aug. Tract. 87. in Ioan.

A *Ipse propitiator est peccatorum nostrorum: non tantum nostrorum, Sed etiam totius mundi. Totus ergo mundus Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum.* Et illum ipsum locum sancti Ioannis exponens, quo IESVS dicitur propitiatio pro peccatis totius mundi: *Quid est hoc,* inquit, *Fratres? Certe invenimus eam* (Ecclesiam *in campis saltuum* (id est sylvæ) *invenimus Ecclesiam in omnibus gentibus. Ecce Christus propitiatio est peccatorum nostrorum, sed & TOTIVS MVNDI. Ecce habes Ecclesiam per totum mundum: noli sequi falsos iustificatores & veros præcisores. In illo monte esto, qui impleuit orbem terrarum: quia Christus propitiatio est peccatorũ nostrorũ, non tantum nostrorũ, sed & TOTIVS MVNDI quem suo sanguine comparavit.* Et Tractatu quinto in eandem sancti Ioannis Epistolam, assignat diversas acceptiones mundi, ut significet in B malo, *dilectores mundi*; in bono vero, vel *cælum & terram*, vel *plenitudinem terræ*, quo significat Augustinus Ecclesiam non unius regionis, ut Africæ iuxta Donatistas, sed omnium gentium: *Mundus*, inquit, *est plenitudo terræ, sicut dixit ipse Ioannes non solum autem nostrorum propitiator peccatorum est, sed & totius mundi. Mundi dicit omnium FIDELIVM PER ORBEM SPARSORVM.* Ex quibus clarum est non aliter Augustini iudicio Christum se redemptionem pro omnibus dedisse, seu propitiationem esse pro peccatis totius mundi, nisi quia pro peccatis omnium fidelium, ex quibus una Catholica constituitur Ecclesia, redemptio atque propitiatio est. Nec in universis Augustini operibus, nisi fallor, locus est, ubi doceat Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro illis se dedisse redemptionem. Contrarium vero C non semel significavit. Nam quodam loco in Tractatibus in Ioannem: *Qui ita confitetur Christum Deum, ut hominem neget, nec pro illo mortuus est Christus.* Et alibi discrimen ponens inter Iudam & ceteros Apostolos, quod pro his Dominus esset moriturus, non pro illo: *Tota illa eius passio*, inquit, *nostra purgatio est, passurus igitur exitia, præmisit obsequia: non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui fuerat eum traditurus ad mortem.* Et alio in loco docet pro illis tantùm esse passum Dominum, quos passione suâ oves fecit: *Omnes fecit suas oves, pro quibus est omnibus passus: quia ut ipse pro omnibus pateretur, ovis est factus.* Et Tractatu quadragesimo septimo: *Fecit ipse etiam sacrum sanguinem pretiosum, pro quibus dedit sanguinis pretium.*

[*Tract. 1. in Epist. Ioan.*] [*Tract. 5. in Epist. Ioan.*] [*Tract. 55 in Ioannem.*] [*Tract. 47. in Ioannem.*]

Quam doctrinam sanctus Augustinus ex sacris litteris videtur didicisse, quæ frequentissimè inculcant, Christum pro fidelibus D suis, ovibus suis, populo suo salvando mortem subiisse: *Animam*, inquit, *meam pono pro ovibus meis.* Et alibi: *Redemptionem misit Dominus pro populo suo.* Et Angelus ad sanctum Ioseph: *Vocabis nomen eius IESVM: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Vnde & ipse Dominus indicans, pro quibus omnibus sese redemptionem obtulerit, ait: *Exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et hos ipsos esse totum mundum seu omnes, pro quibus se redemptionem dedit, satis indicat dum subiungit: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, pro eo videlicet redimendo. Et quis iste mundus pro quo Filium suum unigenitum dedit? *Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Apostolus Paulus in Epistola ad Ephesios: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

[*Ioan. 10.*] [*Psal. 110.*] [*Matth. 1.*] [*Ioan. 3.*] [*Ibid.*] [*Ephes. 5.*]

Quæ sanè cùm considerasset ab octingentis circiter annis Remigius Archiepiscopus cum sua Ecclesia Lugdunensi, in illis eruditis libris quos de tenenda Scripturæ veritate scripsit, ex professo docet, Christum fidelium Ecclesiam passione suâ redemisse, nullo verò modo pro illis infidelibus, qui per quatuor annorum millia ante adventum Salvatoris in carnem, in infidelitate sua mortui atque damnati sunt, vel aliis similiter post ejus adventum in sua infidelitate perseverantibus passum esse: *Catholica*, inquit, *fides tenet, & Scriptura sancta veritas docet, quod pro omnibus credentibus, & per gratiam Baptismi ex aqua & Spiritu sancto regeneratis & Ecclesiæ incorporatis verè Dominus & Salvator noster sit passus. De infidelibus verò eadem constantia definit: Cesset hæc nova & inaudita præsumptio, ut nullus hominum etiam impiorum & apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non fuerit. Cùm pro solis illis defunctis passionem sustinuerit, qui eum dum in corpore viveret, fideliter venturum & mundum sua passione redempturum crediderunt. Hoc itaque est Catholicum, hoc fidei Ecclesiæ ab initio commendatum.* Et utramque partem iterum inferius tangens ac disputationem prolixiorem concludendo complectens: *Ex his igitur omnibus*, inquit, *diligenter ac fideliter consideratis, certissime & clarissime ostenditur, pro omnibus fidelibus Christi, qui fuerunt aut sunt, vel erunt, factam esse passionem Christi, pro corpore Christi immolari corpus Christi: De his verò qui adhuc in infidelitate atque impietate detinentur, manifestum est ex hac regula fidei, quod quicumque ex ipsis per Dei gratiam fuerint ad fidem conversi, & in Christo regenerati, etiam pro ipsis confitendum sit, factum esse quod pro omnibus fidelibus factum constat. De ceteris verò qui in ipsa infidelitate atque impietate sua perseverantes sunt perituri, si de Scriptura sancta auctoritate quod etiam de talibus Dominus passus sit, certissimis & clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerint boni viri, qui talia definierunt, dignum omnino est ut credamus & nos. Si vero non potuerint, cessent contendere pro eo quod non legunt. Pudeat eos definire quod nesciunt: timeant statuere quod nullum sanctorum Patrum Concilium, nullum Apostolica Sedis*

[*Eccles. Lug. in libro de tenẽda Scrip. veritat. in Auctario Biblioth. SS. Patrum tom. 2.*] [*Ibid.*]

Digitized by Google

licæ Sedis Pontificum, nullum Ecclesiasticorum dogmatum decretum hactenus inveniant statuisse. Quam doctrinam non minori asseverantia in alio libro de tribus Epistolis exarato tradit. Distinguit enim tres ordines eorum, pro quibus se Christus redemptionem dedit. Primum eorum qui prædestinati etiam fide baptismoque sanctificati sunt. Secundum eorum, qui similiter sanctificati in suscepta Dei gratia non perseuerando pereunt. Tertium eorum qui adhuc in posterum cum duplici isto discrimine sive perseverando sive non perseverando, crediturі sunt, divinàque gratiâ donandi. Quartum infidelium in infidelitate mortuorum aut morientium aut moriturorum, pro quibus *verissimè*, inquit, *credimus*, & *verissimè novimus, quod nunquam Dominus passus, nunquam mortuus est, nec ad eos salvandos ullatenus venit, nec pro eis pretiosum sanguinem fudit.* Non quod ullo pacto negatum velit pretium istud infinitum, non esse sufficiens ad redemptionem omnium omninò infidelium, imò etiam dæmonum omniumque damnatorum, sed quod esse passum, crucifixum, mortuum, se redemptionem dedisse, vel propitiatorem esse pro omnibus, plus aliquid dicat, quàm nudè pretium sufficiens obtulisse, quod ijs applicari nolit. Illud enim indicat, intentione morientis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus pater eos reipsa de servitute liberaret, non sub ista conditione, *si ipsi velint*, qui nisi Deo donante velle non possunt, sed *ut velint* & credant potenter in eorum voluntatibus operando.

Ecclesia Lugd. lib. de tribus Epist.

Quapropter Concilium Valentinum, eodem planè tempore quo eruditissimi isti libri scripti sunt, in Gallia celebratum, cum istius doctrinæ soliditatem perspexisset, eam tanquam Catholicæ fidei sanctionem definivit. Nam capite quarto: *Item*, inquit, *de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impijs, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum definiant, contra illud propheticum. Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne: illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Euangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, quibus ipse Dominus noster dixit: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et capite quinto uberius declarat, fideles omnes baptismo sanctificatos in sanguine Christi redemptionem assequi, sive acceptâ redemptione perseverent sive ab ea excidentes sanguinem Testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt. In quibus capitibus ad amussim totam illam doctrinam quam hic tradimus ex Augustino, & ex Ecclesiæ Lugdunensis libris confirmavit, ac tanquam Catholicam approbando definivit: Scriptoresque qui contraria etiam

Concilium Valentinum cap. 4.

A in Concilio quorundam fratrum suscepta, libris exaratis sparserant, tanquam *inutilia, noxia erronea* propinantes improbat, *& à pio auditu fidelium penitus explodit.* Quis autem Scriptorum istorum Coriphæus fuerit (nempe Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis) & quantopere in proscribendis quibusdam articulis tanquam hæreseos Prædestinatianæ dogmatibus aberraverit, cùm eos Catholica fides tanquam vel vera, vel à Patribus tradita veneretur, latius in fine dogmatum Semi-Pelagianorum diximus.

Vide lib. 8 de hæresi Pelag. c. ult.

Ex quibus omnibus jam satis arbitror patere, argumentum istud quo Christus pro omnibus passus & mortuus, vel redemptionem se pro omnibus dedisse dicitur, nihil omninò pro auxilio sufficienti omnibus nemine excepto, suppeditando facere. Nec enim juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omninò Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tam generaliter sanguinem fudit, cùm hoc potius tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum: Omnibus verò illis pro quibus sanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donat, quo non solùm possint, sed etiam reipsa velint & faciant, id quod ab eis volendum & faciendum esse decrevit. Nam per illa occultissimè justa & justissimè occulta consilia sua, quibusdam hominibus dare prædestinavit fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem, quos absolutè prædestinatos electos & salvandos dicimus; alijs charitatem sine perseverantia, alijs fidem sine charitate. Pro primi generis hominibus, tanquam veris ovibus suis, vero populo suo tanquam absolutè salvando, semet-ipsum dedit, ac tradidit; pro istorum peccatis omnibus omninò delendis, & æterná oblivione sepeliendis propitiatio est; pro istis in æternum vivificandis mortuus est; pro istis ab omni malo liberandis rogavit patrem suum, non pro ceteris, qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur. Pro his enim in tantum mortuus est, & in tantum propitiatio peccatorum est, & in tantum rogavit patrem, in quantum temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt. Cùm enim non possit esse inanis oblatio mortis, & propitiationis, & orationis Christi, qui de seipso dicit. *Ego sciebam quia semper me audis.* Et Apostolus Paulus, quod *exauditus est pro sua reverentia*, fieri quoque non potest, ut pro quo sanguinem fuderit Christus & mortuus fuerit, & rogaverit patrem suum, eam ob causam ut sanguis suus propitiatio peccatorum ejus fieret, non assequatur istius mortis, & propitiationis, & deprecationis effectum: Effectum verò in istis jam dictis non assequuntur alium, nisi temporalis fidei, aut charitatis, sive perseverantiæ; eatenus igitur, & non aliter, pro illis Christus mortuus est, & sanguinem fudit, & propitiatio peccatorum est, &

Joan. 11. Heb. 5.

Digitized by Google

est, & rogavit patrem suum, ut videlicet illos temporales effectus propitiationis, hoc est, mortis, & sanguinis, & orationis consequantur. Quæ respiciens sanctissimus & profundissimus Doctor, cum adversus Iulianum tractaret istum Apostoli locum, *quo Christus pro omnibus mortuus esse* dicitur; *Illi ergo vivunt*, inquit *pro quibus, ut vivant, mortuus est, qui vivebat. Quod apertius ita dicitur: Illi sunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus est inter mortuos liber. Vel sic multo apertiùs: Illi sunt liberati à peccato, pro quibus mortuus est qui nunquam fuerat in peccato.* Per quæ significat fieri nullo modo posse, ut Christus pro aliquo mortuus sit ut vivat, quin ille vitam assequatur. Nam pro aliquo mortuum esse vel fudisse sanguinem suum, insinuant voluntatem Christi quam habet, ut ei mors sua patri oblata & sanguis prosit. *Omnipotens autem velle inaniter non potest quodcunque voluerit.* Proderit igitur illi necessariò Christi sanguis & mors, pro quo sanguinem illum fuderit & mortuus fuerit: Et cui nullo modo prodest, pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus fuit; eatenus autem prodest quatenus prodesse voluit, qui aliquid inaniter velle non potuit; ut credat quidem vel ut justificetur, vel ut perseveret atque salvetur, si pro illo ut credat, vel ut justificetur, vel ut perseveret atque salvetur mortuus fuerit.

Lib. 6. contra Iul. c. 15

In Enchrid. c. 103.

Cùm igitur utilitas illa mortis & passionis & redemptionis valde exigua sit, qua quispiam temporaliter tantum ab infidelitate per fidem, aut ab iniquitate per justitiam defectu perseverantiæ redimitur; & hujusmodi instabilis & imperfecta sanctificatio, potius aliis quos elegit Deus ante constitutionem mundi, quam illis ipsis qui accipiunt eam temporaliter prosit; hinc fit, ut proprietas quoque redemptionis & propitiationis istis electis & reipsa salvandis maximè competat, & pro illis etiam plerumque Christus absolutè mortuus fuisse, & sanguinem fudisse, aliavè redemptionis beneficia fecisse dicatur. Quod usque adeò in ipsius doctrina verum est, ut passim omnes locutiones sacrarum litterarum quæ quandam universitatem effectuum passionis, aut mortis, aut redemptionis aut divinæ gratiæ insinuant, ad solos prædestinatos revocet ac restringat. Nempe quia ipsorum liberationem ex massa perditionis & salutem absolutè voluit, reliquorum eatenus dumtaxat, quatenus aliquo temporali sanctificationis gustu nonnihil ex ista salute & liberatione participant. Hinc illud in Epistola quadragesima octava: *Christus propitiator est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed totius mundi, propter triticum, quod est per totum mundum.* Hoc est, locus ille verus est propter prædestinatos, qui totus mundus dicuntur, quia per totum mundum seminati sunt & crescunt inter zizania usque ad messem, quemadmodum in eodem loco fusiùs docet. Et in libris de Civitate Dei, id quod Apostolus dicit: *Conclusit omnes in infidelitate, ut omnium misereatur*, ad solos prædestinatos limitat: *Quid est omnium? Et eorum scilicet, quos ex gentibus & eorum quos ex Iudæis prædestinavit, vocavit, iustificavit, non omnium hominum.* Et in alio libro: *Vnde Apostolus de ipsis in illud regnum prædestinatis loquens: Qui proprio, inquit, filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Et in Tractatibus in Ioannem de eodem loco: *Quibus nobis? Præscitis, prædestinatis, iustificatis* &c. Ecce illum ipsum locum, quo pro omnibus Christus traditus asseritur, de prædestinatis omnibus intelligendum, ex Apostoli mente confirmat. Et in libris contra Faustum satis manifestè locum illum Apostoli, quo *unus pro omnibus mortuus* dicitur, de solis quoque beatâ resurrectione salvandis videtur intelligere: *Itaque eorum*, inquit, *pro quibus Christus mortuus est, & resurrexit, & qui iam non sibi sed illi vivunt, neminem secundum carnem Apostolus noverat.* Et illud Psalmi: *Erigit omnes elisos*, Exponens; *Omnes*, ait, *ad se pertinentes*; per quos, electos intelligit. Et in illud Christi Domini: *Omnia traham post me*, seu *ad me*, ut in vulgato Textu legitur: *Si omnia, ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere. Ex quibus omnibus ait nihil esse periturum, cùm suprà de suis ovibus loqueretur.* Ex exponens pro quibus Deus miserit Filium suum: *Ergò & hic misit Deus Filium suum, propter præscitos & prædestinatos, vocandos, iustificandos, glorificandos.* Et aperiens quæ sint oves domus Israël quæ perierint, & ad quas quærendas Christus venit, & pro quibus crucifixus oravit: *Christus* IESVS *ad gentem Iudaicam venire debuit videndus, occidendus & lucrandus eos inde quos ante præscivit*, qua phrasi Apostolica prædestinatos intelligit, quos non semel in scriptis suis præscitos vocat: & hoc ipsum ex sequentibus patet: *Non enim damnata illa plebs est, sed ventilata. Ibi erat palea multitudo, ibi granorum occulta dignitas. Ibi quod incenderetur, ibi unde horreum repleretur.* Et paulò inferius oves istas ad quas venit Christus describens coloribus suis accuratius. *Et erat, illis*, inquit, *sicut scriptum est, anima una & cor unum in Deum. Ecce oves de quibus dixit: Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Illis enim exhibuit præsentiam suam: pro illis in se sævientibus crucifixus orabat dicens: Pater ignosce illis* &c.

Lib. 21 de Civit. c. 24.

Lib. 22 c. 24

Tract. 45. in Ioan.

2. Cor. 5.

Lib. 11. cont. Faust. c. 8.

In Ps. 144.

Tract. 52. in Ioan.

Serm. 6. de verb. Apost. c. 8.

Serm. 74. de temp. c. 2.

Serm. 34. de temp. c. 3.

Et ne quis fortè suspicaretur, ita phrases hujusmodi affirmativas de prædestinatis intelligendas esse, ut tamen alij justi qui de beato illo numero non sunt, non excludantur, non uno in loco invertit istjusmodi locutiones, ita ut eas negativè efferendo dicat Christum pro ceteris qui non fuerint prædestinati, non esse mortuum, non orasse, non semetipsum dedisse redemptionem. Hoc enim in Epistola ad Evodium sine ulla ambiguitate pronuntiat: *Non perit unus ex illis pro quibus mortuus est Christus.* Quod si nullus ex illis perit, pro quo Christus mortuus est, profectò quisquis perit, sive aliquando justus fuerit, sive non justus,

Epist. 48.

Epist. 99. ad Evodium.

non est pro illo mortuus Christus. Et in sermone de natali sancti Vincentij: *Etsi laniatur caro, etsi laceratur: quando perit qui sanguine Christi redemptus est? Potens homo non potest perdere, quod emit auro suo, & Christus perdit quod emit sanguine suo?* Quasi diceret, nullo pacto. Quisquis ergò perit, non ille, ex Augustini mente, Christi sanguine redemptus est. Et utramque simul phrasin in eadem oratione conjungens, ita Christum pro prædestinatis ovibus orasse docet, ut pro ceteris non oraverit; secundum doctrinam quam ei Christus ipse præformavit quando dixit: *Non pro mundo rogo*, hoc est pro mundo reprobato atque damnato, *sed pro his quos dedisti mihi*, quos omnes esse prædestinatos constanter Augustinus docet. Sic ergò loquitur: *Mundum vult modo intelligi, qui vivunt secundùm concupiscentiam mundi & non sunt in ea sorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo*, hoc est de sorte Electorum. *Non itaque pro mundo sed pro his quos ei Pater dedit, rogare se dicit*: Et in alio tractatu in Ioannem, enucleans illum locum quo Christus Patrem rogando dicit: *Vt mundus credat quia tu me misisti*. & cum præcedente comparans: *Ecce qui dixerat: Non pro mundo rogo, pro mundo rogat, ut credat. Quoniam est mundus de quo scriptum est: Ne cum hoc mundo damnemur.* PRO ISTO MVNDO NON ROGAT, *neque enim quò sit prædestinatus ignorat. Et est mundus de quo scriptum: non enim venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Vnde & Apostolus: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Pro isto mundo rogat dicens: Vt credat mundus, quia tu me misisti*: Ecce quàm disertis verbis iterum iterumque tradit, non perire eum qui sanguine Christi redemptus est, non perire pro quo Christus mortuus est, non rogare pro mundo Christum, qui ad damnationem prædestinatus est. Nec causam supprimit, cur pro tali mundo non roget Christus: *Neque enim*, inquit, *quò sit prædestinatus ignorat*. Hoc est, quia novit eum ad perditionem æternam pro meritis prædestinatum. Vanum est autem & stultum, pro eo irritando vel avertendo rogare Deum, quod immutabili decreto sancitum & prædestinatum esse jam nosti; vanum etiam pro talibus salvandis seria voluntate pati ac mori, vanum pro talibus à perditione decretá liberandis offerre patri vota, preces, mortem, ac sanguinem suum. mortis enim & sanguinis oblatio est quoddam efficacissimum rogandi genus.

Inter Paris. sensi. Ser. 8.

Ioan. 17.

Tract. 107 in Ioan.

Tract. 100. in Ioan.

Ex quo principio, in sancti Præsulis istius doctrina fluit, ut non solum à judice aut mediatore omnia præsciente, sed etiam à nobis ipsis, qui sinceram omnibus proximis nostris debemus salutis procurandæ charitatem, non magis Deum pro reprobatis, quàm pro diabolo deprecandum esse pronuntiet, si nobis ita istius secreti mysterium panderetur, ut *quò prædestinatus esset* quisque nosceremus. Nunc verò quia istud profundissimè ab oculis nostris abstrusum est, deque omnium salute incerti sumus, pro omnibus quoque Deum non

A solùm temporaria per justitiam, sed etiam æternâ per gloriam salute deprecamur. Sed Augustinum securissimè tanquam de re sibi certissimè pronuntiantem audiamus: *Denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, & filij efficiantur Ecclesiæ.* Et in libro de Correptione & gratia, cùm rationem dare conaretur quodam loco, cur apud omnes monendo, operando, corripiendo instandum esset, ut omnes salvi fierent, cùm nonnulli non sint per prædestinationem Dei à perditionis massa discreti, quibus inutilis est omnis labor, non semel illam tangit rationem, quia de prædestinatorum numero incerti sumus. *Proinde quantum ad nos pertinet qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus* ET OB HOC *omnes salvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est, à nobis medicinaliter severa correptio. Dei est autem illis eam facere utilem, quos ipse præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Ecce OB HOC omnes salvos fieri velle debemus, quia prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, apertissimè significans, nos non debere omnes salvos fieri velle, si prædestinatos à non prædestinatis discernere valeremus. Vnde in eodem loco, hanc ipsam nostræ discretionis ignorantiam iterum velut causam istius laboris erga salutem omnium generalis inculcans: *Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.* Et iterum iterumque: *Ad nos ergo qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut non sit.* prædestinatione scilicet, *pertinet nullum exceptum facere, nullumque discernere: sed velle omnes salvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem.*

B

C

Lib. 21. de Civit. c. 24.

Lib. de Cor. & grat. c. 15

Ibid.

Ibid.

Quæ sane cum in Augustini doctrina, perspicua certaque sint, nullo modo principijs ejus consentaneum est, ut Christus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorũ non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, patrem orasse sentiatur. Scivit enim quò quisque jam ab æterno prædestinatus erat, scivit hoc decretum neque ullius pretij oblatione mutandum esse, nec seipsum velle mutare. Ex quo factum est, ut juxta sanctissimum Doctorem, non magis patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit patrem, pro temporalibus quibusdam justitiæ, effectibus rogavit, & pro ijsdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum. Cujusmodi oratio & oblatio, quia valde diminuta est, parumque reprobis, multum vero prædestinatis prodest, ut

D

infrà

infrà declarandum est. hinc fluxit, ut passim in scriptis suis Augustinus oblationem sanguinis & mortis & orationum Christi, ferè ad solos electos restringere soleat. Quemadmodum jam abunde declaravimus. Hinc etjam fluxit id de quo supra jam fusius disseruimus, quod nunquam locum illum Apostolicum, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ad omnes omnino homines extendi passus fuerit, sed semper ita (quamvis per diversas interpretationes) intelligendum esse contenderit, ut in solis prædestinatis effectum suum voluntas illa sortiretur. Quod quidem tanta docuit securitate atque vehementia, ut qui locum de omnibus omnino hominibus exponerent generaliter, dicat *non intelligere omnino qua locutione* hoc ab Apostolo dictum fuerit. Sicut ergo non voluit voluntatem Dei ad salutem omnium omnino hominum extendi, sed illorum dumtaxat, qui ex omni gente & lingua, ex omni hominum genere prædestinati sunt, ita nec voluit effectus istius voluntatis, hoc est, mortem sanguinem,

In Epist. 107

A redemptionem, propitiationem, orationem Christi ad omnes homines dilatari, sed vel ad solos illos qui prædestinati sunt, quatenus pro æterna & totali eorum salute offeruntur; vel certe aliquatenus quoque ad illos qui ratione temporalis fidei aut charitatis, effectus aliquos redemptionis & propitiationis assequuntur. Nam illa extensio tam vaga modernorum scriptorum non alio ex capite, quam ex illa generali & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis, gratiæ omnibus conferendę pręparatione fluxit; quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam à Semi-Pelagianis introductam repudiavit: eo quod non alia ex causa excogitata esset; quàm ut Deo erga quoslibet indifferenter se gerente, & arbitrio, velut in innocentiæ statu, per sufficientissimam gratiam ad æquilibrium redacto, tota discretio hominum, ultimo ex hominibus, hoc est, ut olim Prosper dixit, *ex fonte volendi* peteretur.

Corn. de ingrat.

FINIS.

Digitized by Google

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS LIBER QVARTVS.

Qui est de gratia Christi quantum ad essentiam & divisiones ejus.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit medicinale Christi adjutorium secundùm substantiam. Esse cœlestem *suavitatem* seu *delectationem* juxta mentem sancti Augustini, ostenditur primo ex Scripturis, quibus ipse utitur, & alijs diversis ejus testimonijs.

DE gratia Dei medicinali quantũ ad operandi modum, tam de illa cui vulgò nomen *Efficacis*, quam cui *sufficientis* nomen tribui solet, satis diximus. Nunc aliquid adjungendum est de substantia seu natura efficacis. Non enim exigua inter Doctores recentiores controversia est, quid illa gratia sit, qua Deus cor hominis convertit, & in eo bonum operatur. Alij namque putant esse sanctam cogitationem, cujus perditam esse facultatem sancti tradunt; alij esse quosdam indeliberatos motus amoris, timoris, spei, vel similis cujuspiam affectionis, qua voluntas ad amandum, timendum, sperandum excitatur: alij esse physicam prædeterminationem potentiæ voluntatis ad operandum; quam ita declarant alij, ut sit prænotio quædam actualis per modum qualitatis transeuntis cum operatione voluntatis; alij ut sit realiter ipsa operatio causæ secundæ ut procedit ex influxu Dei promovente; alij denique ut sit aliquid habens esse incompletum per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis, quod à solo Deo in secunda causa producitur, & proprio vocabulo dici posse putant, motionem virtuosam, qua primus agens efficit ut voluntas operetur. Quid de singulis istis, & si quæ fortassis aliæ sunt, opinionibus, arbitrandum sit juxta divi Augustini sententiam,

A non est opus longo discursu sigillatim patefacere. Res enim per seipsa loquitur, cum veritas ex ejus scriptis innumeris testimonijs suffragantibus apparuerit. *Nam cognitio veritatis, ut idem ait, omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius audita erant, & dijudicare & subvertere idonea est.* *Epist. 56 ad Dioscorum*

Vestigijs igitur sanctissimi & securissimi Doctoris inhærere qui statuerit, non multum in ista difficultate quæ tantopere recentiorum industriam exercuit, laborabit. Videbit enim perspicuè ex omnibus operibus ejus ac locis inter se concinentibus, gratiam istam Christi Salvatoris medicinalem, quam efficacem schola vocat, non aliud esse, quam cælestem quandam atque ineffabilem suavitatem; seu spiritalem delectationem, qua voluntas prævenitur & flectitur, ad volendum faciendumque quicquid eam Deus velle & facere constituerit.
B Testimoniorum quibus hoc Augustinus tradit, immensa pœnè seges est. Ne tamen inconfusa sui mole, lectoris fatigent intentionem, in certas classes ea partiemur: ex quibus vel omnibus vel singulis, liquidò constabit, nullum esse genus actionis aut voluntatis bonæ, nullum effectum efficacis gratiæ, qui non isti cælesti delectationi tanquam veræ gratiæ Christi veræque causæ tribuatur.

In primis igitur hoc probat, quod quando Augustinus illam veram Christi gratiam qua Deus in nobis & velle operatur & facere, ex Scripturis astruit, plurimis locis illam Scripturam

Digitized by Google

pturam velut evidentissimam allegat, *Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructũ suum.* Hoc enim facit in libro secundo de peccatorum meritis & remissione. Nam quærens unde contingat, quod homines aliquando nolunt id quod justum est facere, inter cetera sic respondet: *Ideo quisquis nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis sed divini muneris esse vel quod scit vel quod delectatur. Ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quam vere non de terra illa, sed spiritualiter dictum est; Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et inferiùs: *Nos autem quantum concessum est sapiamus & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere, vel certam scientiam vel victricem* DELECTATIONEM, *ut cognoscant non a seipsis, sed ab illo sibi esse lumen, quo illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, qua det fructum suum terra eorum.* Hanc autem esse verissimam illam & sincerissimam & efficacem gratiam, quæ in omnibus Ecclesiæ precibus postulatur, ibidem perspicuis verbis adjicit: *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur quam ut aperiat quod latebat, &* SVAVE FACIAT QVOD NON DELECTABAT: *quia & hoc ab illo esse deprecandum ejus gratia didicimus dum antea lateret, ejus gratia dileximus,* DVM ANTEA NON DELECTARET. Nam illa delectatione deficiente, statim anima ab operibus bonis refrigescendo, torpescit, sicut ibidem tradit: *Idcirco etiam sanctos & fideles suos, in aliquibus vitijs tardius sanat, ut in his eos minus quam implendæ ex omni parte justitiæ sufficit* DELECTET BONVM, *sive cum latet, sive etiam cum manifestum est ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens.* Et in sermone undecimo de verbis Apostoli eandem gratiam nomine suavitatis in Scriptura significatam docet. *In eo quod accepimus; illi gloriam demus, ipsum honoremus, semina sua ipse compluat. Quid haberet terra nostra nisi ipse seminasset? Sed dat & pluviam, non deserit quod seminavit. Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et in sermone decimo quinto: *Ergo fratres mei habet delicias suas iniquitas, & justitia non habet? Delectat malum & non delectat bonum? Delectat omnino: sed Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Ille nisi prior det suavitatem, terra non habebit nisi sterilitatem.* Et in sermone 4. de verbis Domini: *Suavia sunt, dulcia sunt, delectabilia sunt* (secularia) *sed audi meliora: Narraverunt mihi injusti delectationes suas, sed non ut lex tua Domine. Felix anima, quæ hujusmodi delectationibus oblectatur, ubi turpitudine nulla inquinatur, & veritatis serenitate purgatur. Quem autem delectat lex Dei, & sic delectat ut omnes delectationes lasciviæ vincat, non sibi arroget istam delectationem; Dominus dabit suavitatem.* Quid dicam? *Domine da mihi illam suavitatem vel illam? Suavis es Domine, & in tua suavitate doce me justitias tuas: In tua suavitate doce me, & doces me.* TVNC DISCO VT FACIAM, *si in suavitate tua doces me. Ceterum quamdiu blanditur, iniquitas, & dulcis est iniquitas, amara est veritas. In tua veritate doce me: ut suavis sit, veritas:* DVLCEDINE TVA CONTEMNATVR INIQVITAS. Quas Scripturas: *In suavitate tua doce me.* Et, *narraverunt mihi iniqui delectationes suas, sed non ut lex tua*, etjam alijs in locis ad eandem veritatem inculcandam adhibet, ut ostendat, Deum cum ita docet, ut homo faciat, hoc ipsum ineffabili quadam dulcedine trahente operari. Et in Psalmum octogesimum quartum, unde locus ille sumptus est: *Quid est quod dixit: Justitia de cœlo prospexit? Etenim Dominus dabit*, inquit, *suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum: nos ergo respiciamus nos; & si nihil in nobis invenerimus nisi peccata, oderimus peccata, & desideremus justitiam &c. Et confitentis illa peccata tua merceberis ab illo* DELECTATIONEM, *& suavitatem justitiæ faciendæ, dabit tibi, ut incipiat te delectare justitia, quem primo delectabat iniquitas: ut qui primo gaudebas in ebrietate, gaudeas in sobrietate: & qui primo gaudebas de furtis, ut tolleres homini, quod non habebas, quæras donare non habenti, quod habebas. Et quem delectabat rapere, delectet donare, quem delectabat spectare, delectet orare: quem delectabant cantica nugatoria & adulterina, delectet hymnum dicere Deo, currere ad Ecclesiam, qui primo currebat ad theatrum. Unde nata est ista suavitas, nisi quia Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum?* Et mox: *Suscepistis semen* (prædicationis meæ) *cogitate de verbo quod audistis, tanquam glebas frangentes, ne semen rapiant volatilia, ut possit ibi germinare quod seminatum est. Et nisi Deus pluerit, quid prodest quod seminatur? Hoc est, Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et ostendens pluviam istam germinare & crescere facientem verbum Dei, esse suavitatem illam cælitus depluentem: *Ille enim*, inquit, *visitationibus suis, in otio, in negotio, in domo, in lecto, in convivio, in collocutione, in ambulatione visitet corda vestra, ubi nos non sumus. Veniat imber Dei & fructificet quod ibi seminatum est. Et ibi non sumus nos, & securi quiescimus, aut aliud agimus.* DEVS *det incrementum seminibus quæ sparsimus, ut attendentes postea bonos mores vestros etiam de fructu gaudeamus; quoniam* DOMINVS DABIT SVAVITATEM, *& terra nostra dabit fructum suum.* Simili modo tractat, & usurpat ad eandem veritatem asserendam alijs locis; quibus congerendis frustra immorer, cum ista sententiam ejus declarent apertissimè.

Sic & illum locum: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* (quo gratia præveniens hominis voluntatem, & retorquens eam à malo ad bonum; indicatur) nonnunquam ad eandem suavitatem astruendam accersit, tanquam gratiam qua voluntas ad bonum concupiscendum volendumque transfertur. Vt in libro secundo ad Bonifacium: *Misericordia ejus præveniet me; & ipse est cui fideliter veraciterque cantatur: quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur quam ipsa de qua loquimur cupiditas boni?* TVNC ENIM BONVM CONCVPISCI INCIPIT CVM DVLCESCERE

Margin notes: Lib. 2. de pec. merit. c. 17. — Ibid. c. 19. — Ibid. — Ibid. — Serm. 11. de verb. Apost. c. ultimo — Serm. 4. de verb. Apost. c. 8. — Enarr. in Psal. 84. in fine. — Lib. 2. ad Bonif. c. 9. — Ibid.

homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum, id est adjutorium Spiritus sancti, *quo fiat in animo ejus* DELECTATIO, *dilectioque justitiæ summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est, etiam nunc cum adhuc per fidem, ambulatur, non per speciem: ut hac sibi velut arrha data gratuiti muneris inardescat inhærere Creatori atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, ut ex illo ei bene sit à quo habet ut sit.* Vbi perspicacissimè delectationi dilectionem, ardorem inflammationemque subnectit. Sunt enim effectus, qui immediatè ex illa cælesti suavitate germinant ut infrà latius. Et necessitatem talis adjutorij ad omnes actiones explicans: *Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via:* Scientia enim seu cognitio objecti ad bene agendum omnino necessaria est: *Et cum id quod agendum est, cœperit non latere nisi etiam* DELECTET *& ametur non agitur, non suscipitur, non bene vivitur.* Et in eodem libro inferiùs: *Confugiant per fidem ad justificantem gratiam, & per donum Spiritus sancti* SVAVITATE *justitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.* Vbi gratia justificans Augustino est adjutorium quo ad justitiam legis implendam; hoc est, ad justè agendum vivendumque perducimur. Quæ vocis acceptio in isto libro & alijs Augustini lucubrationibus receptissima est: Vnde & in eodem capite decimo quinto. *Hic autem Spiritus Domini cujus dono justificamur, quo fit in nobis ut non* PECCARE DELECTET, *ubi libertas est: sicut præter hunc spiritum peccare delectat, ubi servitus, à cujus operibus abstinendum &c.* Et inferiùs adhuc manifestiùs: *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ* SVAVITATE *per Spiritum Sanctum, faciat* PLVS DELECTARE *quod præcipit, quam delectat quod impedit.* De quo loco & similibus paulo latiùs infrà disputandum est. Et in libro de Correptione & gratia. Verissimam illam voluntatis & actionis gratiam tangens: *Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant: & eis hoc vix ostenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est cum dilectione & delectatione justitiæ,* SVAVITATEM *quam dedit Dominus ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Et homilia vigesima nona: *Quomodo te à te liberat Deus? Dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires pugnandi adversus concupiscentias tuas.* Et quomodo, quo adjutorij genere efficit istud Deus? Subjungit Augustinus: *Inspirando virtutem, dando menti* CÆLESTEM DELECTATIONEM, *qua omnis terrena delectatio superetur.*

Lib. de spir. & litt. c. 3.

Ibid. c. 10.

Ibid. c. 15.

Ibid. c. 29.

Lib. de Corr. & gra. c. 2.

Serm. 29.

CAPVT SECVNDVM.

Idem ostenditur.

Secundò inductione, seu enumeratione cujusvis generis bonarum operationum voluntatis, ad quas eam prærequirit Augustinus.

QVÆ quidem quanquam sufficere possent, ut mens Augustini de natura medicinalis adjutorij liquido capiatur, quia tamen ad inopinatam veritatem animus inveteratarum sententiarum præjudicijs gravidus non facile cedit, operosius eadem ex Augustini monumentis demonstranda sunt; ut evulso omni scrupulo nemo de mente sancti Præsulis incertus hærere possit, nisi qui quicquid semel opinionum præoccupaverit, tueri quoquo modo malit, quam susceptam à suis magistris mutare sententiam.

Itaque suavitatem seu delectationem cælitus infusam esse ex Augustini sententia veram illam gratiam, de qua tanta inter Scholasticos controversia est, secundo demonstrari quasi inductione potest. Nullum est enim boni operis genus, quod ipse non ad istam divinæ suavitatis inspirationem tanquam ad adjutorium revocet, quo Deus id in homine operatur. Et quidem diversas actiones singulares per delectationem tanquam per veram gratiam in hominis voluntate à Deo effici, ex præcedenti etiam capite utcumque liquet. Quid enim in actionibus bonis prius est, quam ut bonum quod prædicatur nobis, incipiamus concupiscere? Et tamen da bonis cupiditate dixit: *Tunc bonum concupisci incipit, cum dulcescere incipit.* In qua dulcedinis gratia, *si nos non prævenit* Deus, non solum non perficitur bonum, *sed nec inchoatur ex nobis.* Quod si sine tali suavitatis gratia nec inchoari bonum potest, profecto neque cogitari potest, quod etiam expertis verbis apud sanctum Fulgentium Petrus Diaconus profitetur, quando dicit non per naturalem libertatem nos posse jam cogitare divina, sed tantum attracti ad veram libertatem non violenta necessitate, sed *infusione suavitatis* per Spiritum sanctum.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Pet. Diacon apud S. Fulgent. c. 6.

Postquam autem bonum jam cogitatum, vel eatenus saltem concupitum est, restat ut pia voluntate credatur. Sed nec illud nos posse sine cælesti delectatione Augustinus tradidit, quando dixit, quod quando veritas cœperit non latere, *nisi etiam delectet non suscipitur;* ergo neque creditur. Nam suscipere veritatem nihil est aliud profecto nisi credere veritati. Vnde alibi luculentius exponens gratiam, qua trahimur, ut ad Christum credendo veniamus, tam diserte de ejus natura disputat, ut omnes

Lib. de spir. & litt. c. 3.

ut omnes omnium scrupulorum uncos ex omnium animis eximere, omnesque ambiguitatis nebulas ab omnium oculis tergere voluisse videatur. Nam propositis illis Christi verbis: *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum*, quibus Dominus gratiæ divinæ necessitatem ad fidem asserebat: *Magna*, inquit Augustinus, *gratiæ commendatio. Nemo venit nisi tractus.* Quæ tamen quia libertati humanæ voluntatis, tractus violentia nocere videbatur, difficultatem istam objicit: *Si trahitur ait aliquis invitus venit: si invitus venit, nec credit: si non credit, nec venit. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo. Quomodo ergo voluntate credo si trahor?* Respondet solvendo quæstionem & tractus illius seu divini adjutorij naturam exponendo Augustinus: *Ego dico, Parum est voluntate, etiam* VOLVPTATE *traheris. Quid est trahi voluptate?* DELECTARE *in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam* VOLVPTAS CORDIS *cui panis dulcis est ille cælestis. Porrò si Poëtæ dicere licuit,*

Tract. 26. in Ioannem.

Tract. 26. In Ioan.

A

B

Trahit sua quemque VOLVPTAS.

Virgil. Eclogæ 2.

Non necessitas sed VOLVPTAS; *non obligatio sed* DELECTATIO; *quanto fortius nos dicere debemus trahi debemus ad Christum, qui* DELECTATVR *veritate,* DELECTATVR *beatitudine,* DELECTATVR *justitia,* DELECTATVR *sempiterna vita* (quando illi prædicantur) *quod totum Christus est? An vero habent corporis sensus* VOLVPTATES *suas, & animus deseritur a* VOLVPTATIBVS *suis? Si animus non habet* VOLVPTATES *suas unde dicitur: Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente* VOLVPTATIS *tuæ potabis eos.* Et inferiùs rem profundissimam, familiarium exemplorum facilitate declarans: *Ramum viridem ostendis ovi; & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur. Et quia quò currit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* Sed quo incentivo amor ille quo currit ac trahitur, provocatur? Audi cetera: *Si ergo ista quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est:*

C

Trahit sua quemque voluptas:

Non trahit revelatus Christus a Patre? Quid enim fortius desiderat anima quam veritatem? Quod quamvis verissimum sit, nunquam tamen animus desiderabit veritatem, nisi cum cælestis delectationis infusione doceatur. Itaque subjungit paucis adjectis Augustinus: *Omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me. Videte quomodo trahit Pater: docendo* DELECTAT, *non necessitatem imponendo. Ecce quomodo trahit: Erunt omnes docibiles Dei, trahere Dei est.* Vnde de tali veritatis docendæ trahendique modo superiùs dicentem audivimus: *Hæc gratia si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius & interius* (quam per aures) *eam Deus* CVM INEFFABILI SVAVITATE *credatur infundere.* Nam ista suavitas delectationis ita necessaria est, ut non solum de credendo, sed etjam de audiendo verbo prædicationis Augustinus asserat; *Quis teneatur ut audiat, si* NON DELECTATVR?

Ibid.

Lib. Agrat. Christi c. 13.

D

Lib. 4. de doct. Christ. c. 26.

A Iam vero quid post fidem est prius obvium ac magis necessarium, quam oratio? Oratio quippe primus est fructus fidei, quo spiritus adjutorium invocatur, ut concupiscentiarum bonæ voluntati rebellantium exercitus debellari possit, & justitiæ seu bonæ vitæ mandata compleri. Sed nec ipsa oratio, sine isto DELECTATIONIS cælestis adjutorio fundi potest: *Intra cor tuum & gaudebis ibi. Cum ibi cœperis* GAVDERE *ipsa munditia cordis tui* DELECTABIT *te & faciet orare.* Et in Psalmum centesimum sextum istius delectationis necessitatem exprimens: *Quisquis*, inquit *probabiliter iam conversatur inter homines sine ulla querela malorum morum, excipitur tertia tentatione tædij cujusdam in mora hujus vitæ, ita ut aliquando eum nec legere nec orare* DELECTET. *Tertia tentatio priori contraria. Prius enim periclitabatur fame, postea fastidio. Vnde & hoc nisi de quodam languore animæ?* &c. B non est & ista levis tentatio. Sed an forte ista tentatio fastidij ac tædij aliter quam ista suavitatis infusione superari potest? Audi Augustinum: *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur quam ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod* NON DELECTABAT: *quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratia didicimus, dum antea lateret: ejus gratia dileximus, dum antea non* DELECTARET, *ut qui gloriatur non in se sed in Domino glorietur.*

In Psal. 33.

In Psal. 106.

Lib. 2. de pec. merit. c. 19.

Post fidem atque orationem sequitur amor seu dilectio boni, atque ipsius Dei, sed nec illa in hominis corde nascetur, nisi eam delectationis gratia suscitaverit. Nam ideo capite præcedenti dixit, ad bene vivendum necesse esse *ut accipiat* homo *Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus* DELECTATIO *dilectioque summi illius atque incommutabilis boni*: ut videlicet ex DELECTATIONE dilectionem sequi, ipsa verborum connexione patefaceret. Et similiter C statim: *Nisi etiam* DELECTET *bonum & ametur, non agitur, non suscipitur &c.* Et in libris contra Faustum amorem nasci ex delectatione significat: *bonum quod amaverat ejus specie delectata.*

Lib. de Spir. & lit. c. 3.

Lib. 9. cont. Faust. c. 30.

Ex eodem delectationis ac dilectionis ordine fit, ut magnum illud donum Dei, libertatem scilicet illam animi à dominatione cupiditatis, qua Deo non serviliter sed liberaliter servit, isti divinæ suavitati, tanquam adjutorio gratiæ voluntatem liberantis tribuat. *Sancti Angeli id sibi agendum imperant, quod ille quem contemplantur, jubet; cujus æterno imperio liberaliter quia suaviter serviunt.* Et in tractatibus in Ioannem cum illa citasset Apostoli verba: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*; statim attexit, *Ecce unde liberi unde condelectamur legi Dei. Libertas enim delectat. Nam quamdiu timore facis quod justum est, non Deus te delectat. Quamdiu adhuc servus facis, non te delectat.* D *Delectet te & liberet.* Et adhuc uberius in eodem loco: *Ergo jam ille ex parte superiore liberum se esse sentiebat: Vnde dicebat: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Delectat me lex, delectat me quod jubet lex, delectat me ipsa justitia.*

Lib. 22. cont. Faust. c. 27.

Tract. 41. in Ioan.

Hoc

A Hoc est usitatissimâ sancti Augustini phrasi, delectat me ipse Deus, cujus delectatione sum liber ac diligo eum. Unde de ista condelectatione dicit in libro de nuptiis & concupiscentia: *Ista condelectatio legi Dei de magna nobis venit gratia Dei. Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti.* Et in Psalmum sexagesimum:

Lib. 1. de nup. cap. 30.

In Psal. 67.

Hæc est illa suavitas de qua alibi dicitur: Dominus dabit suavitatem & terra nostra dabit fructum suum, ut bonum opus fiat non timore, sed amore, non formidine pœnæ, sed delectatione justitiæ. Ipsa est enim vera & sana libertas. De qua suavitatis ac delectationis libertate, alibi pluribus disseremus.

Isti dilectioni ac liberationi animi à lege peccati conjunctum est aliud beneficium, ut videlicet cupiditatum nostrarum tentationibus nullum consensum præbeamus: quod ut fiat, sola delectatio quoque tanquam genuinum divinæ gratiæ adjutorium facit. B *Lex non illa in vetustate literæ, sed lex Spiritus vitæ in Christo* IESV *liberavit te à lege peccati & mortis*, hoc est, à tentationibus concupiscentiæ. Et quæ illa lex Spiritûs vitæ, & quo pacto liberat? Audi: *Ut enim* CONDELECTERIS *legi Dei secundum interiorem hominem, unde haberes nisi Spiritus vitæ in Christo* IESV *liberaret te à lege peccati & mortis. Ideo, mens humana ne tibi tribuas, ne multum superbias, imo ne omnino superbias ô mens humana, quod non consentis desideriis carnis, quod lex peccati non te de arce deponit.* Et in Sermone præcedente multo manifestius. Ibi enim respondet ille qui tentatur titillationibus suis: *Nolo, inquit, non facio puta quia* DELECTAT, *non facio; habeo* CUI CONDELECTOR. *Condelector enim legi Dei. quid tu de carne tumultuaris.* Et in libro sexto de Musica: *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Et Petrus: Si gustatis quoniam suavis est Dominus. Non enim amor temporalium expugnaretur, nisi aliqua suavitate æternarum.* Et in libro primo ad Bonifacium cum Apostolum exponendo dixisset: *Consentio legi quia nolo quod non vult*, ut videlicet concupiscentiæ tumultuanti consensum denegemus adjicit: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Quid est* NUNC *autem, nisi jam nunc sub gratia quæ liberavit* DELECTATIONEM *voluntatis à consensione cupiditatis?* Ubi rectius fortasse legeretur, quæ liberavit DELECTATIONE *voluntatis* à consensione iniquitatis. Nam & sensus ineptus est, ut gratia dicatur liberare delectationem, totiq; doctrinæ Augustini dissentaneus; & ipsa consequentium connexio aliud postulat. Nam in eodem capite paulo inferius explicans quomodo à consensione cupiditatum animus liberetur, hoc ipsum disertis verbis delectationi tribuit & delectationi gratiæ Dei: *Cum ipsa* DELECTATIO *boni quæ etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ* (hoc est enim CONDELECTARI) *non nisi gratiæ deputanda sit.* Et in illa verba Psalmi sexagesimi quarti: *Exitus mane & vespere delectabis* hoc est ut ipse tradit, Exitus è tentationibus tam prosperitatis quam adversitatis *delectabiles facis*, nempe per delectationem rerum

Serm. 18. de verb. Apost. cap. 3.

Serm. 5. de verb. Apost. cap. 9.

Lib. 6. de Musica c. 16

C

Lib. 1. ad Bonif. cap. 10.

Lib. 1. ad Bon. cap. 10.

D

In Psal. 64.

A cælestium: *Magnificè sic posuit; Delectabis exitus mane & vespere. Si enim non te delectet ipse exitus, non laborabis exire inde; mittis caput in luctum promissum, si non te* DELECTET *promissio Salvatoris. Et rursum cedis tentanti & terrenti, si non te* DELECTET *ille qui prior passus est, ut tibi exitum faceret.* Nam istud est quod in superius allegatis dixit; Deum liberare seu exitum facere, *inspirando virtutem, dando menti tuæ* CÆLESTEM DELECTATIONEM, *qua omnis terrena delectatio superetur.* Et in illa verba Psalmi centesimi trigesimi-septimi. *Qui manducatis panem doloris*; rerum tristium tolerantiam divinæ suavitati tribuit: *Iste est labor fructuum, panis doloris. Nisi enim manducaretur, non diceretur panis. Nisi autem haberet aliquam* SUAVITATEM *prius iste, nemo illum manducaret. Cum quanta suavitate plorat, in gemitu quo orat? Dulciores sunt lacrymæ orantium quam gaudia theatrorum.*

Homil. 20. cap. ult.

In Psal. 137

B Sed quia non est Christiano satis non consentire tentationibus, hoc est, declinare à malo, sed opus est etiam facere bonum, nulla omnino gratia istud præstat voluntati, nisi istud cælestis suavitatis auxilium. Per hoc enim solum efficitur, ut homo non timore pœnæ, sed amore justitiæ bonum operetur: quod quamdiu non fit, nunquam, juxta constantissimas Augustini regulas, est opus bonum, & quando fit, impossibile est non esse bonum. Hoc igitur suavitatis adjutorium, esse gratiam illam, qua bonum operamur, sexcentis testimoniis Augustinus expressit. Nam inde est quod toties jam audivimus inculcata illa Scripturæ verba: *Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Quis enim venter est terræ nostræ per se sterilis, quàm bonorum operum fructus? Inde est quod toties jam cum Propheta superius deprecantem audivimus: *Suavis es Domine, & in tua suavitate doce me justitiam tuam.* Hic enim, ut idem ait, docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt; *simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere.* Nam & alibi dicit: *Tunc disco ut faciam si in tua* SUAVITATE *doceas me.* Inde est quod plurimis locis, quorum nonnulla jam citavimus passim docet Deus *delectatione justitiæ* opus esse faciendum, & hanc ipsam delectationem nobis tribuendam esse à Deo: *Suavitatem*, inquit, *justitiæ faciendæ dabit tibi, ut incipiat te delectare justitia, quem primo delectabat iniquitas.* Et in Psalmum centesimum vigesimum-nonum: *Est sermo Dei* (id est, lex Dei) *adversarius tuus quamdiu cum illo non concordas. Concordas autem cum cœperit te* DELECTARE, *facere quod dicit sermo Dei.* Et in alium Psalmum: *Clama ad illum infelix ego quis me liberabit de corpore mortis hujus? Veniet enim gratia Dei.* & quænam gratia? UT DELECTET *te justitia, sicut delectabat iniquitas. Et homo qui ex vinculis resolutus es exclamabis ad Deum. Dirupisti vincula mea &c.* nempe per illam solam & unicam gratiam Dei DELECTATIONEM justitiæ, quam toties prædicat. De qua delectatione seu suavitate justitiæ

Psal. 24.

C

Psal. 118.

Lib. de corr. Christi c. Serm. 4. de verbis Apost. cap. 8.

Enarr. Psal. 8. fine.

In Psal.

In Psal.

D

Digitized by Google

aut legis aut operis boni, aut recte facti, quæ apud Augustinum in idem redeunt, qui plura volet videat ea quæ in capite superiori, & in alijs non nullis diximus.

Vide lib. 1. de pura nat. à c. 5. usque ad 10.

Sed quid opus pluribus? Illud DELECTATIONIS cælestis adjutorium tam est in hac mortali vita necessarium, ut nisi istud operibus nostris Deus aspergeret, deficeremus in via, qua ad Patriam tendimus: *Si nulla* IVCVNDITAS, *deficimus, si plena securitas male exultamus, Ergo & IVCVNDITATEM aspergat, & timorem incutiat, ut de* DVLCEDINE IVCVNDITATIS *perducat nos ad sedem securitatis.* Tantæ est etiam efficaciæ, ut cujus mens eo inebriata, Deo miserante fuerit, præstet hoc ipso terrenorum omnium quibus immergimur ac tentamur

In Psal. 85.

A oblivionem, & per omnes temporales prosperitates atque adversitates rapit eum ad ipsam domum Dei: *Gustemus saltem*, inquit sanctus Doctor. *quam suavis est Dominus, qui dedit nobis pignus Spiritum, in quo sentiamus eius* DVLCEDINEM, *& desideremus ipsum vitæ fontem, ubi sobriâ ebrietate mundemur & irrigemur sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, & dat fructum*, bonorum operum, *in tempore suo. Inebriabuntur enim ab ubertate domus tuæ &c. Talis ebrietas non evertit mentem, sed tamen rapit sursum, & oblivionem præstat omnium terrenorum.* Qua de re plura dici possent nisi ex istis quæ adduximus istius adjutorij natura & potestas & necessitas ad omne bonorum operum genus satis perciperetur.

Lib. de agone Christ. cap. 9.

CAPVT TERTIVM.

Idem probatur.

Tertiò ex contrario, hoc est, ex peccatis quæ ex simili delectatione terrenâ, tanquam ex causa proficisci tradit.

TERTIO delectationem istam cælestem esse verum ex Augustini sensu medicinalis gratiæ adjutorium, quod Deus ad justitiam operandam voluntati tribuit, ex eo demonstrari potest, quia similiter docet, delectationem terrenam esse causam cur ab Adami posteris justitia deseratur ac deserendo peccetur. Cùm enim peccatum & recte factum omnino contraria sint, hoc ipso quo docet ita peccata perpetrari, ut voluntas terrenâ quâdam delectatione præcedente præparetur & impellatur, lectoribus intelligendum relinquit, id quod toties de cælesti delectatione atque suavitate ad justitiam operandam conferente tradit, ex generaliori quadam & arcana ratione ad voluntatem tam sublimibus operibus præparandam, multo magis esse necessarium, ut eo tanquam adjutorio sancti Spiritus adjuta & elevata, & concupiscentiarum suarum visco expedita, in operationes cælo dignas prorumpere & evolare possit.

Hanc igitur delectationem peccatorum antecedere & ex illa proficisci quod ab hominibus peccetur, non uno loco sanctus Augustinus profitetur. Quid enim apertius dici potest, quam id quod contra Manichæos de ordine quo peccavit Adam tradit, nempe per mulierem veluti nos per tentationem qua tentamur: *Sed tamen*, inquit, *per mulierem* diabolus perversitatis persuasor *decipit: non enim etiam ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum* DELECTATIO *mota fuerit in illa parte animi, quo debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cùm ad peccatum quisque delabitur, quam tunc actum est in illis tribus serpente,*

Lib. 2. de gen. contra Manich. cap. 14.

A *muliere, & viro.* Quod uberius declarat. Quid vero absolutius quam id quod adversus eosdem Manichæos cum Fausto eorum Coryphæo disputans, docet: *Quapropter hominis alteri serviens fides serviens Deo refrenat omnes mortales* DELECTATIONES *& eas coercet ad naturalem modum meliora inferioribus ordinata dilectione præponens.* SI ENIM NIHIL DELECTARET ILLICITVM, NEMO PECCARET. *Peccat ergo qui* DELECTATIONEM *illicitis relaxat potius quam refrenat.* Ad quam doctrinam tam generaliter pronuntiatam passim in omnibus operibus suis respicit; ut quando dicit contra Secundinum qui putabat malam esse creaturam cujus dilectione peccatur: *Quæro quid alliciat animam consensionem, an irruat illa cassatam & propterea consentire ducatur, quia eius aliquâ* DELECTATIONE *moveatur ad fruendam.* Et quando contra Donatistas ex persona peccantium generaliter promit: *Quid aliud sermoni veritatis in fittaque respondent omnes flagitiosi & facinorosi homines, luxuriosi &c. Quid aliud respondent cum eos veritas arguit, nisi hoc volo, hoc me* DELECTAT? Vbi posterius prioris ratio est delectatio voluntatis, quia ut ante dixit, si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Et quando in quæstionibus octoginta tribus dicit, quod sub lege vincimur, sub gratia vero *iam non vincimur* DELECTATIONE *consuetudinis seu* cupiditatis *mala*. Nam ante gratiam ideo non implebatur lex, *quia ipsius*, inquit, *iustitiæ nondum erat charitas quæ dilectione teneret interiora mentis ne ad peccatum* DELECTATIONE *rerum temporalium traheretur.* Et quando contra Pelagianos ad Bonifacium scribit: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non perijt, ut per illud peccent, maxime omnes qui cum* DELECTATIONE *peccant,*

Lib. 22. cont. Faust. c. 28.

Lib. contra Secundin. cap. 16.

Lib. 2 de Bapt. c. 10.

Lib. 83. qq. q. 66.

Lib. 1. ad Bonif. cap. 2.

Digitized by Google

peccant, & amore peccati hoc eis placet quod eis libet. Quod iterum iterumque inculcat paulo post: *In malo*, hoc est, ad mala agendum; A

Ibid. *liberum habet arbitrium cui delectationem malitiæ, vel occultus vel manifestius deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit &c. Sed hæc voluntas quæ libera est in malis, quia* DELECTATVR *malis, ideo libera in bonis non est*, hoc est, ad bene agendum, *quia liberata non est*, per similem videlicet justitiæ delectationem. Vbi quod primo loco dicit, *maxime* propter ignorantiæ peccata adjectum est, in quibus homo non videtur delectari rebus quas ignoranter appetendo, peccat; quamvis & illa ipsa peccata, occultiori aliâ delectatione committantur. Et quando in Psalmis ad populum dicit: *Nocet tibi* (ma-

In Psal. 39. initio. lus) *saltem vel exemplo, quia vivit tecum, & ad quod agit invitat. Nonne cum eum vides forte in illis sordibus prosperari duceris talium delectatione factorum? Et si non consentis, saltem inuenisti quod expugnes.* Et quando in alium Psalmum ex- B

In Psal. 146 pressius loquens ait: *Quando* (in futura vita) *nihil erit quod ex carnis labe sollicitet, non solum nihil cui consentiamus, sed nihil quod suggeratur ex carne. Etenim modo fratres mei, quanta illicita delectationes animum tangunt, quamvis eis non consentiamus, ut membra nostra iustitiæ serviant non iniquitati; tamen vel* DELECTARI *talibus, etsi non consentis, nondum est perfecta sanitas.* Et quando in Tractatibus in Ioannem

Tract. 49. in Ioannem. scribit: DELECTAVIT *quod malum est, consensisti, peccasti. Consensio illa occidit te &c.*

A Et ut pluribus congerendis supersedeam quibus Augustini scripta passim referta sunt, unicaque sententia absolutissima rem absolvam, quando in Sermone sexto de verbis Apostoli regulam figit: QVICQVID EST PECCATORVM IN DICTIS, IN FACTIS, IN CO- Serm. 6. de

GITATIONIBVS NON EXORIVNTVR NISI EX verb. Apost.

MALA CVPIDITATE, NON EXORIVNTVR cap. 6.

NISI EX ILLICITA DELECTATIONE. Ex istis testimonijs tam dense sparsis in Augustino, manifestissimum esse puto, nullum peccatum fieri ab hominibus, quin voluntas, quamvis per seipsam ad peccandum prompta sit, quâdam delectatione prius titillante & proritante provocetur, ut ita quodam quasi diaboli adjutorio, ut ita loquar, impulsa ad ruinam pertrahatur: nec illud ipsum ex alio capite juxta doctrinam sancti Doctoris fluit, quam quod apud ipsum principium est certissimum, nulla post Adami ruinam peccata nisi pœnalia, hoc est, vel ignorantia fallente, vel concupiscentia cui consentimus vincente perpetrari. Quod nos alio in loco uberius declaravimus. Quid ergo mirum & non vide lib. 2.

potius maxime naturis rerum consentaneum, de statu puræ

si vicissim infirmitas voluntatis, per peccatum naturæ c. 24.

temeratæ ad opera naturæ vires superantia, & 25.

similis delectationis cælestis adjutorio ad consentiendum, volendum, faciendumque sublevetur? Quod liquidius ex istarum duarum delectationum colluctatione, quam sæpe tangit Augustinus percipi poterit.

CAPVT QVARTVM.

Idem demonstratur.

Quartò ex lucta duarum delectationum terrenæ ac cælestis, quarum Postrema nisi vicerit, peccatur.

QVARTO itaque demonstrari potest, suavitatem illam cælestem esse verum illud Christi adjutorium quo juvamur ad non peccandum, rectéque faciendum, quia creberrime docet Augustinus, quamdiu in hac vita mortali vivimus, esse in homine luctam quandam duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ atque cælestis; quarum utralibet vicerit animum secum consentientem ac pronum trahit. Tunc verò hominem à peccato liberari & opus bonum effici, cùm cælestis illa suavitas de cælo venerit atque adversariam suam superaverit. Hoc enim perspicuè docet in libro de continentia, cùm ordinem tradit, quo homo ex profundo peccati emergit, ut gratiam accipiat & justitiam ope-

Lib. de Continent. c. 3. retur. *Si autem lex factum prævaricatorem, tanquam ad hoc gravius vulneratum ut desideret medicum, tanquam pædagogus perducit* AD GRATIAM *contra* SVAVITATEM NOXIAM

A *qua vincebat concupiscentia, Dominus dat* SVAVITATEM BENEFICAM, *qua* DELECTETVR AMPLIVS *continentia, & terra nostra det fructum suum quo pascitur miles, qui debellat Deo iuvante peccatum.* Quod & inferius indicat quando adjicit: *Bonum fit cùm id quod male libet* VINCENTE BONA DELECTATIONE *non fit.* Et in Psalmum trigesimum-quintum. *Antequam hoc fiat* (immortalitas) *est* DELECTATIO *iniquitatis in corpore, sed maior est* DELECTATIO VOLVPTATIS *verbi, sapientiæ, præcepti Dei. Vince peccatum &* VOLPTATEM *eius.* Et in Psalmum septuagesimum-quintum: *Indicitur tibi quadam nova vita, & tu vetus es. Novitatis* GAVDIO *suspenderis vetustatis onere prægravaris.* Quod statim exponit; quia *non desunt suggestiones &* DELECTATIONES *malæ: sed ex eo, quod mente iungeris Deo*, hoc est, ex eo quod novitatis gaudio suspenderis, *vincis quod in te non vult sequi te.*

Digitized by Google

Serm. 6. de verb. Apost. cap. 9.

Et in Sermonibus de verbis Apost. DELECTAT UXOR *aliena & non domus, mentem avertis, in secretarium mentis intras. Vides foris strepentem concupiscentiam, profer adversus eam sententiam mundans conscientiam. Nolo, inquis, non facio. Puta quia* DELECTAT *non facio; habeo cui* CONDELECTER. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Quid tu de carne tua tumultuaris? Quid* DELECTATIONES *stultas, temporales, fluxas, vanas, noxias tumultuosè suggeris, & eas quasi garrula mihi narras. Narraverunt mihi iniusti* DELECTATIONES. *Inde est & ista concupiscentia. Narrat mihi* DELECTATIONES, *sed non sicut lex tua Domine.* CONDELECTOR *enim legi Dei, non de me, sed de gratia Dei.* Et aliquanto inferius: *Mens repugnat & condelectatur legi Dei. Iam ergo si mens non consentit peccato titillanti, suggerenti, blandienti, si mens non consentit, quoniam habeat alias interius* DELECTATIONES SUAS, DELECTATIONIBUS *carnis ex nulla parte conferendas &c.* Et elegantissime in Sermone decimo septimo de verbis Apostoli: *Præ omnibus voluptatibus, hoc est delectationibus etiam licitis amanda est iustitia. Si enim habes sensus interiores, omnes illi interiores sensus* DELECTANTUR DELECTATIONE *iustitiæ &c.* Et inferius: *Interroget & respondeat, quid dicturus sum, utrum sic* DELECTETUR *iustitia, ut eam ceteris ad hos sensus corporis pertinentibus* DELECTATIONIBUS *anteponat. Ecce* DELECTAT *te aurum tuum, oculos tuos* DELECTAT. *Metallum est pulchrum, fulgentissimum,* DELECTAT *&c. Decertant in te duæ* DELECTATIONES, *modo interrogo te, quid præponas, quid te plus* DELECTET, *aurum an veritas, aurum an verum testimonium?* Et post nonnulla interjecta adjicit: *Longum est per singulos corporis sensus excurrere, sed quod de oculis dixi, hoc de ceteris intelligite & præponite* DELECTATIONI *carnis* DELECTATIONEM *mentis. Carnem quippe vestram delectant illicitæ voluptates; mentem vestram* DELECTET *invisibilis, pulchra, sancta, casta, dulcis iustitia, ut non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimini,* NONDUM DELECTAT. *Peccare non debes non timore pœnæ, sed amore iustitiæ.* Ubi statim post delectationem, amoris mentionem facit, quia cælestis amor, cælestis delectationis tanquam veræ gratiæ est fructus: sicut ipsemet in eodem Sermone paulo superius dixerat: *Constituamus ante oculos exemplum certaminis. Interrogo te utrum ames iustitiam: respondebis amo,* QUOD NON RESPONDERES VERACITER, NISI TE ALIQUATENUS DELECTARET. NON ENIM AMATUR, NISI QUOD DELECTAT. *Delectare in Domino Scriptura dicit. Dominus autem iustitia est.*

Ibid, cap. 10

Serm. 17. de verb. Apost. cap. 4.

Ibid.

Ibid. cap. 5.

Serm. 17. de verb. Apost. cap. 3.

CAPUT QUINTUM.

Eadem lucta & victoria cælestis delectationis uberius declaratur, ex libris quos ex professo contra hostes gratiæ Christi scripsit.

QUIS vero ista & similia duntaxat populariter dicta putet, secus vero atque accuratius cum contra Pelagianos hostes gratiæ disputaret, locutum esse, sensisse atque docuisse, non abs re fuerit, eandem ejus sententiam, ex posterioribus ejus operibus depromere, in quibus ex professo vim gratiæ & adjutorij medicinalis explicuit. Itaque liber de Spiritu & littera inter primas lucubrationes adversus hæresim Pelagianam exaratus fuit: ubi tamen de cœlesti illa delectatione, qua omnis oppositus dolor ac delectatio superanda est ut opus bonum possit sequi, loquitur in hunc modum: *Sub quo timore* pœna *laborans, quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor ille quasi custos severus abscesserit, per fidem confugiat ad misericordiam Dei: ut det quod iubet atque inspirata gratiæ* SUAVITATE *per Spiritum sanctum faciat* PLUS DELECTARE *quod præcipit, quam* DELECTAT *quod impedit, hoc est, quodcumque bonum temporale, cuius delectatione peccamus.* Et multis interpositis in eodem opere, cum hoc ipsum ageretur, unde fiat, ut aliquis non perfectè justitiam in operibus suis operetur, accuratissimè causam tradit. *Ecce quemadmodum sine exemplo est in hominibus perfecta iustitia & tamen impossibilis non est. Fieret enim si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei; esset autem tanta, si & nihil eorum quæ pertinent ad nos lateret, & ea sic* DELECTARENT *animum, ut quidquid aliud* VOLUPTAS *aut dolor impedit,* DELECTATIO *illa superaret. Quod ut non sit non ad impossibilitatem, sed ad iudicium Dei pertinet.* Ecce ad judicium Dei pertinet, quod non adsit illa gratia qua omnis voluptas ac dolor temporalis impediens superetur; & illa gratia non est alia nisi magna DELECTATIO cœlestis cui cedant cuncta repugnantia. Nam ut inculcatius adhuc subjicit: *Quis enim nesciat, non esse in hominis potestate quid sciat, nec esse consequens, ut quod appetendum cognitum fuerit appetatur, nisi* TANTUM DELECTET *quantum diligendum est? Hoc autem sanitatis est animæ.* Enchiridium vero ad Lauren-

Lib. de spir. & lit. c. 28.

Ibid. c. 35.

Lib. de spir. & lit. c. 35.

ed by Google

Laurentium post damnatam hæresim Pelagianam jam sub finem vitæ scriptum est, in quo non minus luculente illud adjutorium cœlestis delectationis qua delectatio terrena superatur, asseruit. & quicquid de illa vel ipse vel nos ex ipso hactenus diximus, expresso calculo comprobavit: *Hoc nunc dicam quod quidem & in alijs opusculorum meorum locis* SÆPE IAM DIXI. *Duabus ex causis peccamus, aut non videndo quod facere debeamus aut non faciendo quod debere fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit, sed profecto* VINCIMVR *nisi divinitus adjuvemur.* En quam festissimè assertam divini adjutorij necessitatem, non cujuslibet, sed illius quo nisi divinitus adjuvemur, profecto pugnando vincimur. Quod igitur illud adjutorium, quo juvandi sumus? Audi reliqua: *Vt non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente suavitate* DELECTATIO *justitiæ* VINCAT IN NOBIS *earum rerum* DELECTATIONES *quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo scientes videntesque peccamus.* Cujus peccati exemplum etiam statim subjicit, in quo justitiæ delectatio à terrena delectatione superatur: *Et* PVDOR, inquit, *timor est displicendi, dum* PLVS DELECTAT *hominum æstimatio quàm justitia, qua se quisque humiliat pœnitendo.* Nihil profecto clarius, nihil absolutius, nihil plenius desiderari potest. Ex professo quippe de adjutorio gratiæ disputat, atque illo adjutorio, quo tentationes superantur, & sine quo superamur, & expressissimis verbis dicit, præter scientiam (de qua non est hic disputatio) esse DELECTATIONEM *justitiæ* qua delectationes aliarum rerum devincendæ sunt. Et hanc ipsam doctrinam se sæpius in alijs opusculorum suorum locis tradidisse confirmat. Præcipuus autem locus quem illis verbis respicit, habetur in libris ad Marcellinum de peccatorum meritis & remissione, qui contra Pelagianos etiam exarati sunt. Nam ibi doctrinam eandem prorsus ijsdem pene verbis, non minus accuratà perspicuitate consignat: *Cum voluntate*, inquit, *humana, gratiâ adjuvante divinâ, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime & verissime respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum.* Ecce radicem quæsitam, cur nolint homines, ut ea cognita contrarium requiramus cardinem ex quo volentes fiant. Audi igitur profundam ejus de voluntatis humanæ motibus & motrice gratia Theologiam: *Verumtamen etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod justum, sive quia latet an justum sit, sive quia* NON DELECTAT. TANTO ENIM QVIDQVE VEHEMENTIVS VOLVMVS, QVANTO CERTIVS QVAM BONVM SIT NOVIMVS, EOQVE DELECTAMVR ARDENTIVS. *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem, ne moveamur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, &* SVAVE FIAT, QVOD NON DELECTABAT, GRATIÆ DEI EST QVÆ HOMINVM ADIVVAT VOLVNTATES: *quæ ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Ac deinde subjicit illa præclara verba jam superius à nobis commemorata, quibus quam sit gratuita ista DELECTATIONIS gratia commendatur: *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc* DELECTATVR, *nunc non* DELECTATVR, *ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse, quod scit, vel quod* DELECTATVR, *ac sic ab elationis vanitate sanetur & sciat quam vere non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit. Dominus dabit* SVAVITATEM *& terra nostra dabit fructum suum.*

In Enchirid. cap. 81. — *Ibid.* — *Lib. 2. de peccat. merit. c. 17.* — *Ibid.*

CAPVT SEXTVM.

Nomen VICTRICIS DELECTATIONIS inde tractum, atque impositum Gratiæ medicinali Christi.

EX his jam perspicuè intelligitur, tantopere esse necessariam istam DELECTATIONIS divinę gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut nisi major fuerit quam terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sanè delectatione minore superabitur, sed eam sequetur animus, quæ magis eum afficiendo suavitate detinuerit. Quod quidem in hoc eodem capite multis modis August. insinuat, imo clarissimis verbis exprimit. Quid est enim aliud quod dicit: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus*, EOQVE DELECTAMVR *ardentius.* Quid illud? *Vt* DELECTATIO *justitiæ vincat earum rerum* DELECTATIONES &c. Quid illud? *Vt quidquid voluptas aut dolor impedit,* DELECTATIO *ista superaret.* Quid illud item: *Faciat* PLVS DELECTARE *quod præcepit, quam delectat quod impedit.* Quid illa denique quibus postulat, ut PLVS DELECTET *veritas quam aurum*, sic animus DELECTETVR *justitia ut eam cæteris delectationibus anteponat: ut major sit delectatio sapientiæ: ut* quod

Ibid. — *Locis præcit. capite citato*

CAPVT SEPTIMVM.

Delectationis necessitas oritur ex *infirmitate* voluntatis, qua fit ut nihil boni amplecti possit, nisi delectet.

QVÆ cum juxta sancti Augustini sensum perspicua & certa sint, merito quæri potest, propter quid delectatio victrix esse debeat, ut tentatio superari possit, vel opus justitiæ ab humana voluntate fieri? Liberum enim voluntatis arbitrium videtur sua naturali indifferentia posse se vertere quo voluerit, viresque suas exserere quantas voluerit, quamvis vel nulla vel non tanta delectatione, quanta opposita est mulceatur.

Ad quæstionem istam respondetur, jam olim, visum fuisse Philosophis gentilibus, & quotquot inter Christianos eorum principia nimis profundè imbiberunt, non posse voluntatis libertatem ad unam partem trahi, quamdiu rationis usus integer manet. Ex quorum placitis Iulianus dixit: *Hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges*: hominem *non posse abduci voluntate captiva*, quibus tanquam hæreticis dogmatibus Christiana libertate reclamabat Augustinus, utpote quibus divinæ gratiæ necessitas, qua tentationibus & ingenitis motibus resistimus, ne ipsis voluntas nostra consentiat, funditus evertatur. Ex iisdem placitis nunc libertas illa voluntatis humanæ à nonnullis tam superbè prædicatur, ut putent eam vigente ratione, nulla posse tentatione superari. Sed juxta sancti Doctoris castissima principia, de quibus alibi latius diximus, per ista dogmata in fundamenta Christianæ religionis impingitur. Nam istud μονομελ-χιον inter eos tam decantatum, quod alioquin libertas arbitrij destruatur, juxta propria eorum principia, quibus docent ad libertatem arbitrij contrarietatis indifferentiam non esse necessariam velut inane ludibrium ab intuentium consideratione disparet.

Lib. 5. cont. Iul. c. ult. Lib. 1. cont. Iul. op. imp.

Dico itaque juxta sancti Augustini mentem constantissimam & sæpè declaratam, idcirco in illa cum tentationibus dimicatione, magnam adeoque majorem ac *victricem delectationem cælestem* esse necessariam, ut delectatio terrena superetur, quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non potest, seu, ut schola loquitur, tam intense ac fortiter velle non potest, quantum necesse est ut tentatio seu delectatio opposita superetur. Nimis enim absurdum est, existimare quod voluntas suâ sola volendi libertate possit quodlibet internum voluptatis dolorisve impedimentum superare. Hoc enim ipsis fidei fundamentis adversatur, quæ docet, hominem per peccatum in infirmitatem voluntatis collapsum esse: ex qua factum est, ut plus quam dici possit, ad superandos animi motus imbecillis sit, & ad hoc imprimis gratia Salvatoris ei

A necessaria. Quid autem ineptius, & à veritate alienius, quam homini fractis viribus imbecilli tantas vires dare, quantas vix sanus habuit? Quid enim sano excellentioris roboris tribui potest, quam ut quidquid ei foris & intrinsecus in ipsa voluntate repugnaverit, sola sua libertate devincat? Hoc & ipsi repugnat experientiæ quotidianæ qua testatissimum esse sentimus & scimus, hominem optimo proposito contra libidines suæ carnis armatum, dum titillationibus destituitur, mox libidine sæviente gementem & flentem præbere manus, & ingenuè confiteri se nisi gratia subveniat, tam sævis tentationibus non posse resistere. Hoc & solemnissimæ, & per universas Augustini lucubrationes sparsæ & densissimè assertæ doctrinæ repugnat directissimè, qua sexcenties tradit, hominem ante gratiam sub lege constitutum, non solum non posse concupiscentiarum carnalium vincendis motibus esse parem, B sed etjam legis accessu, quo juvari posse videtur, gravius fieri peccatorem. Hoc & ipsi scopo Dei, quo genus humanum sub lege, cum concupiscentijs per peccatum accersitis pugnare permisit, ut per peccatorum multitudinem, illa humana & Philosophica superbia frangeretur, qua de liberi arbitrij viribus contra tentationes exerendis fidunt, ut agnita propriæ voluntatis infirmitate, consequenter necessitatem gratiæ medicinalis agnoscerent. Nam *quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, ut justificatio legis impleretur, in nobis.* Hoc & Ecclesiæ totius precibus refragatur, quæ nihil ardentius orat, quam ut voluntas roboretur, cujus unusquisque imbecillitatem, resistendo carnalibus motibus, experitur. Vnde Augustinus: *Per hanc* (gratiam) *etiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit augeatur: & tam magna fiat ut* POSSIT *implere divina mandata,* C *quæ voluerit,* CVM VALDE PERFECTEQVE *voluerit. Ad hoc enim valet, quod scriptum est: si volueris, conservabis mandata: ut homo qui voluerit, &* NON POTVERIT, *nondum se plene velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur ut faciat quod iubetur.* Ecce oratur ab Ecclesia non ut faciat quod jam possit & in sua jam sit potestate, hoc enim orare juxta sapientissimum Doctorem stultorum est; non ut voluntas fiat supernaturalis, non ut facilius faciat, quod per se possit, sed ut voluntas augeatur, ut voluntas tam magna fiat ut possit, ut plene velit, ut tantum velit quantum sufficit, ad implenda mandata. SIC ENIM ADIVVATVR, ut faciat quod IVBETVR. Et quid orat aliud, quando adjuvari orat ut faciat quod jubetur, nisi ut

Rom. 8.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 15.

Aug. lib. de nat. & grat. sapientissimum

non

non DELECTABAT? Illa enim est gratia qua [A] quis adjuvatur ut faciat quod jubetur, juxta *Lib. de pec. merit. c. 19.* illud Augustini quod supra diximus: *Cum ab illo illius adjutorium deprecamur, ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, ut* SUAVE FACIAT, QUOD NON DELECTABAT? Itaque sanctissimus Doctor singularia quæque, non supernaturalia, sed moralia mandata percurrens, à quibus faciendis per oppositas terrenarum concupiscentiarum delectationes revocamur, quasi ex professo, superbissimam illam Philosophorum opinionem refutandam suscepisset, qua putant se suæ voluntatis libertate, posse tentationibus ad transgressionem impellentibus resistere, atque ingenitis motibus dare leges, quamdiu rationis usus perduraverit, elegantissimè ipsos solidissimèq; redarguit: *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.* *Cum ergo verum sit quod dixit: si volueris conservabis mandata, quare quærit in ore suo dari custodiam, similis ei qui dicit in Psalmo: Pone Domine custodiam* [B] *ori meo? Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua: quandoquidem si voluerit, conservabit mandata? Quam multa Dei mandata sunt contra superbiam?* IAM NOVIT EA; SI VOLUERIT, *conservabit mandata. Quare ergo paulo post dicit: Domine Pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorum ne dederis mihi? Iam dixerat ei lex: Non concupisces, velit ergo & faciat quod jubetur: quoniam si voluerit conservabit mandata. Quare sequitur & dicit: Concupiscentiam averte à me? Contra luxuriam Deus quam multa mandavit? Faciat ea, quia si voluerit conservabit mandata. Quid est quod clamat ad Deum, ventris appetitio, & concubitus ne apprehendat me?*

Iam vide quid ad istam difficultatem dissolvendam respondeat Augustinus, in qua postulat aliquis adjutorium Dei, quasi SINE ILLO NON POSSIT facere quod jubetur, & tamen hoc ipsum si voluerit, facit; si hæc ei [C] præsenti diceremus, rectissimè nobis responderet & diceret: *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.* *Ex ista oratione mea qua hoc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim:* SI VOLUERIS CONSERVABIS MANDATA. *Certum est enim nos mandata servare si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est,* UT TANTUM VELIMUS, QUANTUM SUFFICIT, *ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum. Certum est nos facere cum facimus sed ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati qui dixit, faciam ut in justificationibus meis ambuletis & faciatis.* Quibus præclarissimis verbis divina veritate lucentibus nos docere vult Augustinus, quando Scripturæ de quocumque præcepto dicunt: *Si volueris, conservabis mandatum,* nullo modo sensum esse ut Pelagiani, & hisce quoque temporibus multi putant, quod jam hoc ipso quo mandatur, & homo habet liberum voluntatis arbitrium, possit illud mandatum facere, [D] tantummodo si voluerit; *Lib. de nat. & grat. c. 18* *Nam quid stultius quam orare ut facias quod in potestate habeas?* Sed sensus est quod mandatum illud non nisi libero arbitrio voluntatis implendum sit, quamvis reipsa nunc neque faciendi potestatem habeas, neque voluntatem, adeoque per teipsum quantumlibet conatus fueris, habere non possis. Nam idcirco vocibus & gemitibus pulsamus Deum, ut si non possumus, tribuat potestatem, hoc est, plenam fortemque voluntatem; aut si nec volumus, tribuat voluntatem. Sic enim tribuit & velle, & posse, & facere quando miseretur. Nam & velle mandatum, & posse, & facere, non est aliud quam fortiter plenèque velle. Nimis autem exorbitant à tramite veritatis, qui talia, quia voluntate, seu volendo tantum peragenda sunt, à seipsis fortiter tantum conando, se habere posse delirant, & adhuc intolerabilius, qui etjam Ethnicos & Paganos, quamdiu rationis vigor durat, hoc posse sui arbitrij libertate contendunt. Nam ad hoc ipsum præstandum imbecillibus gratia Salvatoris in mundum venit: *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.* *Ideo tamen jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus, ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat.* Et quid est illud quod non possumus, nisi Deus adjuverit? Quid est quod ab illo petere debemus? Quid est quod fides orando impetrare? Nempe hoc ipsum quod lex imperat; quod non est aliud, quam velle, & fortiter velle. Hoc ipsum ergo non possumus, nisi orando impetretur, juxta illud Augustini toties interatum: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum. Certum est nos facere,* & consequenter posse *cum facimus; sed ille facit ut faciamus* & consequenter *ut possimus, præbendo vires efficacissimas voluntati:* Nempe *ut qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata. Sic enim adjuvatur ut faciat quod jubetur.*

Hæc igitur volendi imbecillitas quæ ex terrenarum rerum delectationibus deorsum voluntatem ad creata atque carnalia diligenda deprimentibus nascitur, vera causa est, cur delectatio contraria justitiæ seu operis boni quod præcipitur, necessaria sit, qua sublevatus animus vel fortiter velle possit, quod jam tenuiter vult, vel etjam velle quod non vult. Cujus delectationis suavitate, nisi Deus voluntatem deliniverit, nunquam poterit, ipsius præcepti justitiam vel implere vel velle: sed si quos actus circa præceptum exercere videatur, non nisi in terrenarum concupiscentiarum ac delectationum, vel proprij fastus fructum terminabuntur. Cælestis enim illa suavitas mollit viam, ut voluntas ex carnalium rerum visco emergere possit, & seipsam in justitiam diligendam figere. Cùm enim non possit motus nisi ab immobili fieri, suavitas illa immobilem quodammodo, reddit animum, ut possit in motum liberum spiritalis voluntatis ac dilectionem erumpere. Ex quo consequenter fit ut si illa desit, voluntas veluti torpens ac mortua nihil omnino boni amplecti possit: quemadmodum etjam è contrario, nihil in carnalibus diligendis prosequi potest, nisi quod eam ante delectaverit. Quæ quidem omnia non solum ex principijs quæ supra de delectatione sanctus Augustinus tradidit, manifestè conse-

A consectanea sunt, sed etjam apertissimis verbis aliis in locis ex professo docet. Nam in libro secundo de peccatorum meritis, disputans unde fiat, quod homines nolint benefacere, causam unam dicit esse *ignorantiam* boni, cui contraria est *cognitio* boni, sed ista quamvis sit etjam gratia Dei, non tamen illa propriè dicta per quam fit ut voluntas velit & operetur id quod per legem instructa jam bonum & faciendum esse cognoscit. Alteram & propinquiorem causam assignat, *infirmitatem* voluntatis. *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius.* Ex quo statim concludit: *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* Et in Enchiridio ad Laurentium:

Lib. 2. de pecc. merit. c. 17.

B *Duabus ex causis peccamus aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis.* Et in utroque loco veram infirmitatis medicinam docet, esse *delectationem iustitiæ*, quæ facit nos eo ardentius velle quo ardentius delectamur. In quæstione vero secunda libri primi ad Simplicianum, cum accuratè investigaret, unde contingat quod unus præ alio credit, cum omnibus liberum arbitrium datum sit, rem totam in divinam voluntatem & ex ea profluentis cardinem *delectationis* refert: *Præcipitur ut credamus*, inquit Augustinus, *ut dono accepto Spiritus sancti per dilectionem bene operari possimus. Sed quis potest credere nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur?* Sed quia responderi posset illa testificatione posita, jam liberæ voluntatis esse credere, si voluerit pergit profundius radicem quærere:

In Enchirid. cap. 81.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic. in fine.

Ibid.

C *Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam quo eius voluntas moveatur ad fidem?* QVIS AVTEM ANIMO AMPLECTITVR ALIQVID QVOD EVM NON DELECTAT? *Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat quod eum* DELECTARE POSSIT, VEL DELECTET CVM OCCVRRERIT? *Cum ergo nos ea* DELECTANT *quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & industria, aut operum meritis comparatur.* Ecce clarissimè & expressissime traditum, neminem posse amplecti aliquid quod eum non delectet, hanc delectationem non esse in hominis potestate; hanc inspirari gratia Dei, non nutu nostro aut operum meritis comparari. Vt liquidissimè intelligeremus, idcirco delectationem tanquam gratiam Dei tantoperè ab Augustino commendari, quia est animo instar olei aut pinguedinis cujusdam, sine qua cardo voluntatis torqueri aut moveri nullo pacto ad bonum potest. Vnde istam fortassis attendens Propheta similitudinem in Psalmo dixit: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea:* Nam & effectus statim jungitur: *Et labijs exultationis laudabit os meum.* Ne vero sanctus Augustinus temere tam absolutam de re tanta sententiam, quæ universos humanæ voluntatis motus tangit,

Psalm. 26.

D

A pronuntiasse videretur iterum interjectis paucis eundem scrupulum movet fortassis videlicet ex aliqua voluntatis distantia contingere, quod unus præ alio fidem apprehendat sibi prædicatam: *Restat ergo ut voluntates eligantur*, sed istud tanquam sibi perspectissima retundens veritate, quæstionem adhuc absolutiori auctoritate definiens: SED VOLVNTAS IPSA, NISI ALIQVID OCCVRRAT QVOD DELECTET ATQVE INVITET ANIMVM, MOVERI NVLLO PACTO POTEST. *Hoc autem ut occurrat*, NON EST IN HOMINIS POTESTATE.

Et ista quidem scripsit Augustinus, cum primo fidem esse donum Dei, Deo revelante percepit: cum tamen delectationis necessitatem ad omnes humanæ voluntatis effectus, nunquam non asseruisse atque ex professo tanquam rem certissimam docuisse videatur. Nam unde alioquin verum est id quod in sermone

Ita testatur lib. de præd. SS. cap. 4.

B quarto de verbis Apostoli dicit: *Tunc disco ut faciam si* IN TVA SVAVITATE *doceas me*; nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Vnde alioquin verum est quod in sermone quinto dicit: *Nolo, non facio. Puta* QVIA DELECTAT, *non facio. Habeo cui condelector*; nisi quia nemo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum est quod in sermone decimo quinto dicit: ILLE NISI PRIOR DET SVAVITATEM *terra nostra non habebit nisi sterilitatem*; nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum est, quod in sermone decimo-septimo dicit: *Interrogo utrum ames iustitiam: responderes amo. Quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret.* Et resolutissime causam subjicit: NON ENIM AMATVR NISI QVOD DELECTAT, nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum

Serm. 4. de verb. Apost. cap. 8.

Serm. 5. c. 9.

Serm. 15. c. 7

Serm. 17. c. 3.

C est, quod in Psalmum sexagesimum quartum dicit: *Cedis tentanti & terrenti, si non te* DELECTET *ille, qui prior passus est ut tibi exitum faceret.* Et in Psalmum octogesimum quartum: *Nisi Deus placerit suavitatem delectationis quid prodest quod seminatur? Hoc est Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum?* Et in Psalmum octogesimum quintum: *Si nulla iucunditas, deficimus; ergo iucunditatem aspergat & de dulcedine iucunditatis perducat nos ad sedem securitatis.* Et in Psalmum centesimum vigesimum septimum: *Nisi haberet aliquam suavitatem panis ille* (doloris) *nemo illum manducaret*; unde hæc, inquam, vera sunt, nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum est, quod in libro sexto de musica dicit: *Non enim amor temporalium expugnaretur nisi aliqua suavitate æternarum*: Et in libro quarto de doctrina Christiana: *Quis tenetur ut audiat si non delectetur?* Et libro secundo ad Bonifacium: *Tunc bonum concupisci incipit,*

In Psal. 64.

In Psal. 84.

In Psal. 85.

In Psal. 127.

Lib. 6. de musica cap. 11.

Lib. 4. de doct. Christ. cap. 26.

D *cum dulcescere incipit.* Et in libro de gratia Christi: *Hoc modo quisquis discit per suavitatem omnino agit, quicquid agendum didicerit.* Et in libro de Spiritu & littera: *Cum id quod agendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur,*

Lib. 2. ad Bonif. cap. 9.

Lib. de grat. Christi c. 13.

Lib. de Spir. & lit. c. 3.

non

non agitur, non suscipitur; nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum est, quod in libro secundo de peccatorum meritis dicit: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat*; Nisi quia nemo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Denique ut paucis multa comprehendendo finiam, unde alioquin verum est, quod paulo ante toties repetivit, in conflictu tentationum necessarium esse, si victores esse volumus, ut *quicquid delectatio, aut dolor impedit, delectatio ista* cælestis superet; ut Deus *faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit; ut plus delectet veritas quam aurum*; ut *maior sit delectatio sapientiæ*: ut quod malè libet, *vincente bona delectatione non fiat*; ut contra suavitatem noxiam *suavitate benefica delectetur amplius continentia*; denique, quid dicit *nos profecto vinci nisi accedente suavitate delectatio iustitiæ vincat in nobis aliarum rerum delectationes*; nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat, & nisi delectet, ut ait, voluntas moveri nullo pacto potest? Ex eadem enim radice nascitur ut in conflictu delectationum, non aliud animo amplecti, nec ad aliud amandum, sequendumque moveri possit, nisi quod vehementius delectaverit. Hac enim se niti lege consequentiæ, non semel ipsemet disertis verbis explicat, ut quando dicit: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius.* Et quando dicit: *Non est consequens ut quod appetendum cognitumque fuerit appetatur nisi* TANTVM DELECTET, QVANTVM DILIGENDVM EST: Postremo quando ut nobis omnem scrupulum ambiguitatis eximeret, delectationem omnis operationis secuturæ mensuram statuit, succinctissimè clarissimè, absolutissimèque pronuntians: QVOD AMPLIVS NOS DELECTAT, SECVNDVM ID OPEREMVR NECESSE EST. Nimirum quia id quod amplius nos delectat, etjam amplius velimus ac diligamus necesse est, tanto enim quidque vehementius volumus, quanto delectamur ardentius; quod autem magis volumus ac diligimus, secundum id operemur necesse est. Vnde quemadmodum hic dicit necesse esse, ut secundum id operemur quod amplius nos delectat; ita paucis interjectis in eodem loco adjicit, necesse, esse ut id operemur atq; sectemur, quod amplius dilexerimus, quia videlicet naturali ordine, ex delectatione dilectio, ex dilectione operatio consequitur: *Manifestum est certe secundum id nos vivere, quod sectati fuerimus, sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso consistant duo, præceptum iustitiæ & consuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius dilexerimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur, sed aut timore inviti trahemur, in alterutram partem; aut si utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu delectionis & timoris alternante quassati.*

Lib. 2. de pec. merit. c. 17.

Ibid.

Lib. de spir. & lit. c. 35.

Expos. in Ep. ad Gal.

Expos. in Ep. ad Gal.

Quæ cum ita sint, principijs prædictis Augustini consentaneum & consectaneum esse quisque facile observare potest, quod delectatio, ut quis bonum velit, non ex natura boni aut supernaturalis operis, sed potius ex conditione volendi necessaria est. Voluntas enim sine delectatione velle aut moveri, ut Augustinus loquitur, nullo pacto potest, quod sanè respectu cujuslibet operationis locum habet. Vnde etjam in peccatis eadem necessitas delectationis ad volendum, ac majoris delectationis ad superandam oppositam delectationem reperitur. Nam hoc est quod ipse toties dicit: *Ratio nostra deduci ad consentionem peccati non potest, nisi cum delectatio mota fuerit.* Et: *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.* Et, *quicquid est peccatorum in dictu, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex illicita delectatione.* Et, animus *delectatione morbida vincitur.* Et, pudore pœnitendi peccari, *dum plus delectat hominum æstimatio, quam iustitia pœnitendi.* Et similia. Quod & ex ipso certamine delectationum oppositarum, in quo vehementior superat, ut suprà vidimus, manifestum est.

Lib. 1. de Gen. contr. Manich. 14.

Lib. 22 cont. Faust. 28.

In Enchirid. cap. 14.

Ibid.

CAPVT OCTAVVM.

Quinto ostenditur, delectationem esse veram gratiam Christi, ex adjutorio perseverantiæ in hac vita, & impeccabilitatis in cœlo. Epilogus probationum præcedentium.

QVINTO denique, suavitatem cælestis delectationis esse veram Christi gratiam, qua medetur imbecillitati nostræ, inde quoque perspicuè ostenditur, quod quemadmodum velle & fortiter velle ac vincere, ita etjam constanter ac perseveranter velle, imo impeccabiliter velle ex eadem delectatione proficiscitur. Quod eadem, perspicuitate atque doctrinæ securitate diversis locis Augustinus tradit. Nam istam humanæ perseverantię radicem innuit, quando de liberrima, fortissima, invictissima, perseverantissima Petri voluntate, quam dederat ei gratia, disputando concludit: *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret* DELECTABILEM *perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem.* Istam Angelicam immobilitatis & consequenter impeccabilitatis radicem apertissimè designat in operibus contra Faustum. Cum enim tanquam

Lib. de Cor. & grat. c. 8.

tanquam perspicuum & certum statuisset istud principium quod supra diximus: *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret*, quo tota quæstio ista absolvitur; tamen indagandæ veritatis methodo, sic pergit August. *Verum autem sit aliqua rationalis creatura, quam nihil possit illicitum delectare, magna quæstio est.* Ex quo genere removet & Angelos & homines qui ceciderunt, & bruta quæ delectationes coercere, & proinde etjam peccare non possunt. De Angelis vero sanctus subtexit in hunc modum: *Angelica sublimis natura non peccat, quia ita particeps est legis æternæ, ut solus eam* DELECTET DEVS, *cujus voluntati sine ullo impedimento tentationis*, hoc est, delectationis *obtemperat.* Quod paulo ante ad sanctæ delectationis perpetuitatem respiciens dixerat: *Cujus æterno imperio liberaliter, quia* SVAVITER *serviunt.* Hanc & impeccabilitatis humanæ radicem tangit quando dicit: *Tunc non peccabimus non solum factis, sed nec concupiscentijs, cum illam faciem viderimus, quæ vincit omnes concupiscentias.* Et causam reddens, cur non peccabimus: *Tam enim* DVLCIS *est, fratres mei, tam pulchra, ut illa visa* NIHIL ALIVD POSSIT DELECTARE? Quod alibi dicit: *Non aliquid aliud* DELECTABIT *nos, quia nihil est melius Deo, qui fecit omnia quæ delectant.* Et in libro decimo quarto de Trinitate: *Erit* (mens hominis) *in abscondito vultus ejus, tanta ubertate ejus impleta ut eam nunquam peccare* DELECTET. Et in eodem libro statuit temperantiæ, quæ in hac vita *coercendis* DELECTATIONIBVS *pravis occupatur*, officium in cælo futurum *nullo defectu noxio* DELECTARI, hoc est, ita divino amore ac delectatione plenum esse, ut nunquam noxie deficere seu peccare delectet. Ex quibus relinquit intelligendum, non posse etjam ad aliud moveri peccando voluntatem, quia ut constituit supra tradidit, nemo animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat; & voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo pacto potest. Quapropter quia nihil aliud ibi delectare voluntatem poterit, nihil aliud etjam amari poterit voluntate; & è contrario quia ibi sempiterna erit de Deo delectatio, sempiternus erit etjam amor atque laudatio. Quod egregie declaravit in Psalmos: *Si refrigescit amor noster, refrigescit actio nostra.* Et mox declarat quod in beatitudine cælesti *hæc erit actio nostra laus Dei, Amas & laudas; desinis laudare si desinis amare. Non autem desines amare, quia talis est quem vides, qui te* NVLLO OFFENDAT FASTIDIO, hoc est, circa quem nullus oritur defectus delectationis atque dulcedinis. Sic enim subjiciendo explicat hoc fastidium: *Si ergo illa & ineffabilis & sempiterna dulcedo erit &c.* Sed omnium apertissime ac disertissimè radicem istam indicat impeccabilitatis humanæ, quando de libero arbitrio ex professo tractans dicit: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia* PECCATA EOS DELECTARE NON POTERVNT. MAGIS QVIPPE ERIT LIBERVM A DELECTATIONE PECCANDI VSQVE AD DELECTATIONEM NON PECCANDI INDECLINABILEM LIBERATVM. Nempe quia nulla ibi erit peccandi delectatio, & delectatio non peccandi seu benè agendi erit indeclinabilis, ideo peccare non poterunt. Hanc denique radicem tangit immobilitatis ad peccandum, qua diaboli detinentur, quando humanam naturam à peccato reparabilem, cum illa peccatrice creatura, damnataque comparans: *Habet ordinem suum etiam ista peccatrix* (creatura, hoc est, humana natura) *amissa in peccatu beatitudine, sed non dimissa recuperanda, beatitudinis facultate, quæ profecto superat eam, quam peccandi* PERPETVA VOLVPTAS *tenet.* Per hoc insinuans ex perpetuitate voluptatis, perpetuam peccandi voluntatem in dæmonibus nasci. Quanquam quædam exemplaria loco (voluptas tenet) legant, *voluntas tenet* & ita locus nihil probat. Sed si verum est id quod Augustinus generaliter de voluntate docuit, quod nisi delectet aliquid atque invitet animum, eam moveri nullo pacto posse, rationis profecto immobilis consequentia invictè conficit, dæmones duplici capite, ex defectu scilicet cælestis delectationis non peccandi, & assidua peccandi delectatione, etjam perpetua peccandi, seu in peccato quo ceciderunt, persistendi voluntate detineri.

Sed ut ad Angelos bonos revertamur, eorum impeccabilitatem, non ex illa nuda clara visione Dei, ut passim putant, proficisci, veritas apud Augustinum receptissima est & constantissimè tradita. Docet enim frequenter idcirco hominem in futura vita peccare non posse, quia conspectæ veritati & sapientiæ Dei immobili amore conjungitur, ex cujus vinculi firmitate fiat, ut omnia inferiora bona præ illius charitate contemnat, & ab ejus contemplatione averti non possit aut velit. Nam hoc est quod de Angelis viatoribus dicit: *Erat quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summa beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est,* VT MAGNA PER SPIRITVM DATA ABVNDANTIA CHARITATIS DEI, CADERE VLTERIVS OMNINO NON POSSENT, *& hoc de se certissimè nossent.* Hoc etjam significat id quod contra Iulianum tradit de mente rationali: *Quam vero periculose, imo perniciose sibi placeat* (mens rationalis) *cum per hoc tumescit typho & morbo inflationis extollitur, quamdiu non videt, sicut videbit in fine, summum illud & incommutabile bonum,* IN CVIVS COMPARATIONE SE SPERNAT SIBIQVE ILLIVS CHARITATE VILESCAT: *Tantoque spiritu ejus impleatur, ut id sibi non ratione sola* (hoc est, visione seu cognitione veritatis) *sed* ÆTERNO QVOQVE AMORE *præponat, multum est disputando velle monstrare.* Et paulo inferius: *Quando tanta satiabitur visione* ET TANTA INFLAMMABITVR CHARITATE SVPERIORIS BONI, *ut ad seipsum sibi placendo deficere ab illius* DILECTIONE *non possit.* Quod si ad seipsum diligendum deficere mens rationalis præ summi boni, dilectione non poterit, profecto multo minus ad alia inferiora. Nam ut ibidem, quia

Margin notes: Lib. 22. cont. Faust. c. 28. — Ibid. — Ibid. cap. 27 — Serm. 40 de temp. cap. 9. — In Psal. 75. — Lib. 14. de Trinit. c. 14 — Ibid. cap. 9. — In Psal. 85 — Lib. 22. de Civit. c. 30. — Lib. 3. de lib. arbit. c. — Lib. de Corr. & grat. c. — Lib. 4. cont. Iul. cap. 9. — Ibid.

quia nihil est in creaturis rationali mente præstantius, inde fit consequens, ut etjam mens bona magis sibi placeat, quam quælibet alia creatura. Hoc est, quod etjam ad Bonifacium de salutis humanæ provectu dicit: *Salus hominis tanta esse poterit, ut peccare omnino non possit.* Salutem vero hominis fieri per charitatem, imo esse charitatem, est in Augustino manifestum, apud quem axioma usitatum est; *Charitas, sanitas.* Unde alibi: *Tunc erit plena iustitia,* quam non peccando perfici docet, *quando plena sanitas, tunc plena sanitas, quando plena charitas;* usque adeo ut ibidem dicat: *Donec fiat perfecta iustitia, tanquam sanitas plena.* Hoc est, quod significat etjam in libris de Genesi ad litteram: *Sancti Angeli illam incommutabilem substantiam creatoris ita conspiciunt, ut visione atque* AMORE *eam præponant omnibus.* Et luculentius in libris de Civitate Dei ubi tradit corporalium rerum scientiam sanctis Angelis esse vilem ut non inflentur, *Non quod earum ignari sint, sed quod illis, Dei qua sanctificantur charitas chara est, præ cujus non tantum incorporali, verum etiam incommutabili & ineffabili pulchritudine,* CUIUS SANCTO AMORE INARDESCANT, *omnia quæ infra sunt, quod illud est non sunt,* SEQUE IPSOS INTER ILLA CONTEMNUNT, *ut ex toto quod boni sunt, eo bono, ex quo boni sunt perfruantur:* Hoc est denique, ut alia ipsius testimonia prætermittam, quod in libro decimo quarto de Civitate Dei significat apertissimè: *Ubi boni adepti amor immutabilis est, profecto si dici potest mali cavendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine, ea voluntas significata est, qua non necesse erit nolle peccare: & non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, sed* TRANQUILLITATE CHARITATIS *cavere peccatum.* Ex quibus & similibus locis, quæ ex Augustino accersi possent, perquam evidens est, impeccabilitatem hominum atque Angelorum non tam ex visione tanti boni, quam ex consummata ejus dilectione proficisci.

Lib. 3. ad Bonif. c. 3.

Lib. de perf. iust. c. 3.

Lib. 12. de Gen. ad lit. c. 36.

Lib. 9. de Civit. c. 22.

Lib. 14. de Civit. c. 9.

Cujus quidem veritatis duplex esse radix videtur, prima quia charitatis delectatio, absorbet omnes omnino terrenæ atque carnalis, hoc est, cujuslibet oppositæ dilectionis motus, qua voluntas ad aliud diligendum & per hoc peccandum pellici ac perduci posset. Nam hæc absorptio omnium libidinum infimarum, cælestis charitatis effectus est, juxta illud Augustini: *Verum ecce iam talem constituamus animam humanam, in hoc corruptibili corpore, quæ etsi nondum illa* SUPEREMINENTI PERFECTIONE CHARITATIS DEI, *omnes motus terrenæ libidinis absorbuerit atque consumpserit &c.* Et illud libro sexto contra Iulianum: *Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente; concupiscentia minuitur charitate magis magisque fervente.* Illi autem concupiscentiæ motus, sunt tanquam delectationes quæ ad creaturas diligendas alliciunt, quibus à Dei amore ad peccata retorquemur. Unde in Psalmos Augustinus Christi fideles de illarum delectationum ablatione consolans: *Audi,* inquit, *promissionem quia non semper erunt in carne desideria illicita. Etenim resurget & mutabitur, & cum mutata fuerit caro ista*

Lib. de spir. & lit. c. ult.

Lib. 6. cont. Iul. c. 26.

In Psal. 75.

A *mortalis in spiritale corpus, iam nullis concupiscentiis secularibus, iam nullis terrenis* DELECTATIONIBUS *titillabit animam, nec avertet à contemplatione Dei.* Quæ contemplatio Dei apud Augustinum, non est nuda cognitio Dei tanquam supremæ veritatis, sed cum ardentissimo amore juncta, qui mentem figit in videndum Deum. Itaque in libris octoginta trium quæstionum, absorptionem hanc omnium terrenarum delectationum, quibus ad peccata potentissimè concitamur, tribuit cælestis delectationis abundantiæ, quæ charitati propria est: *Tunc itaque absorpta erit mors in victoriam, cum per sanctificationem in omni parte hominis perfecta* DELECTATIONE *spiritualium,* DELECTATIO *carnalis obruetur.*

Lib. 83. qq. q. 70.

Itaque secunda radix est, quia charitatis illa superefluens abundantia figit non solum voluntatem, sed & intellectum ipsum, immobiliter in Deum, ut eum sine cessatione contempletur. Nam quemadmodum ab initio
B spiritalis inchoationis in hac vita, voluntas est, quæ bonitatem inchoat, utpote quæ facit intellectum credere imbutum lumine spiritali quod requiritur, quamvis fide jam radicata fortius diligat: ita etjam in fine spiritalis consummationis, voluntas est, quæ bonitatem felicitatemque consummat, applicans & figens intellectum lumine gloriæ perfusum in objectum suum, ne velit unquam ab ejus contemplatione divertere. Ex quo intuitu claro veritatis nascitur, ut etjam ferventius diligat. Præclare tradit hoc idem Augustinus, in quibusdam scriptorum suorum locis. Nam in soliloquijs de illis disputans, quæ tam ante Dei visionem, quam adepta visione necessaria sunt; *Ergo,* inquit, *cum animæ Deum videre, hoc est Deum intelligere contigerit, videamus utrum adhuc ei tria illa sint necessaria. Fides quare sit necessaria, quum iam videat? Spes nihilo minus, quia iam*
C *tenet. Charitati vero non solum nihil detrahitur, sed additur etiam plurimum. Nam & illam singularem, veramque pulchritudinem cum viderit plus amabit:* ET NISI INGENTI AMORE OCULUM INFIXERIT, NEC AB ASPICIENDO USQUAM DECLINAVERIT, MANERE IN ILLA BEATIFICA VISIONE NON POTERIT. Et non multo inferiùs: *Sed cum post hanc vitam tota* (anima) *se in Deum collegerit, charitas restat,* QUA IBI TENEATUR. Et elegantissimè describens ordinem inchoandæ & inveniendæ sanctitatis, & in illa perpetuo permanendi: *Nam si sapientia & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quæratur ut dignum est, subtrahere sese atque abscondere à suis dilectoribus non potest &c. Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur.* Et in libro tertio de libero arbitrio, cum docuisset
D animum quamvis aliquid sit quod possit placere post Deum, esse tamen meliorem, cum obliviscitur sui præ charitate incommutabilis Dei, vel seipsum pœnitus in illius comparatione contemnit, ita ut ab illo nullius inferioris rei dilectione deprimatur, subjicit modum,

Lib. 1. soliloq. c. 7.

Ibid.

Lib. de mori. Eccles. c. 17.

modum quo istud in nobis fieri solet, nempe *quod post labores miseriasque ineffabiles* TANTA CHARITATE LIBERATORI NOSTRO INHÆREAMUS, ET TANTA IN EUM CHARITATE RAPIAMUR, UT NULLA NOS VISA EX INFERIORIBUS A CONSPECTU SUPERIORE DETORQUEANT. Ex quibus Augustini contestationibus, perspicuum est, non ex visione Dei proficisci, quod creatura rationalis tam constanter Deum diligit, ut ab eo deflectere & peccare non possit. Charitas enim velut pondus intensissimum ex magnitudine beneficæ suavitatis mentis oculum rapit, in intuitum tanti boni, & in illud fixum immobiliter tenet, ut reciprocante in invicem refusione, semper conspiciendo diligat, ac diligendo conspiciat. Qui diligentis impetus, si adulterina cujusdam delectationis permixtione laxaretur, mens illa beata iterum refrigescendo tenebresceret & peccaret. Unde præclare S. Augustinus in Confessionibus suis: *Est idonea* (mens rationalis beata) *faciem tuam semper videre, nec usquam deflectitur ab ea, quo fit, ut nulla mutatione varietur: inest ei tamen ipsa mutabilitas, unde tenebresceret & frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens semper meridies luceret & ferveret ex te.*

Lib. 3 de lib. arb. c. 25.

lib. 12. Confess. c. 15.

Quod si esset ad rem præsentem magnopere necessarium, non difficulter sane etiam aliis argumentis, & in primis ex illa ipsa celebri sententia, quam ex Augustino perperam intellecto, schola sumpsit, beatitudinem collocans in visione Dei, & ex illa causas impeccabilitatis eruens, probari posset. Nam nihil quidem in scriptis Augustini celebratius est, quam creaturam rationalem Dei clara cognitione, visione, contemplatione, & siquid aliud æquipolleat, beatam fieri: sed nunquam hoc intellexit Augustinus de illa arida visione vel contemplatione, quæ dilectioni condistinguitur & quodammodo ei prævia concipitur, velut objecti propositio, ut voluntas in illud ferri possit. Talis enim visio vel contemplatio, si voluntas etiam justa iisdem terrenis delectationibus tangeretur, cum quibus in hac vita dimicat, non solum eam non redderet impeccabilem, sed etiam peccare sineret. Non enim nuda visio quantumcumque clara veritatis (Deus enim veritas est) sed ejus delectatio ac dilectio frænat infirmas delectationes, mentemque ab earum consensione suspendit. Hæc autem delectatio & dilectio non contemplatione quantumcunque manifesta, sed alia longe majori sancti Spiritus misericordia infunditur, per quam diffundit charitatem in cordibus nostris. De illa igitur clara visione & contemplatione doctrinam suam sanctus Præsul intelligit, quæ partim ex ipso luminosissimo Dei amore jam fruente nascitur, quod divinissimum charitatis lumen sexcenties prædicat; partim amorem quodammodo sequi intelligitur, dum ipsemet, ut supra vidimus mentis aciem illuminatam figit in Deum, quo ejus contemplatione irretorte perfruatur. Ex illa enim regula sancti Augustini doctrina metienda est, quam ipse tum alibi, tum evidentissime in libro octoginta trium quæstionum tradit: *Fieri potest ut habeat quisque aliquid, quod habere, hoc sit quod nosse, neque amet tamen*, verbi gratia numeros arithmeticos. *Quanquam bonum quod non amatur, nemo potest perfecte habere vel nosse. Quis enim potest nosse, quantum sit bonum quo non fruitur? Non autem fruitur si non amat: nec habet igitur quod amandum est, qui non amat: etiamsi amare possit, qui non habet. Nemo igitur vitam beatam novit, & miser est: quoniam si amanda est sicuti est, hoc est eam nosse, quod habere. Quæ cum ita sint, quid est aliud beate vivere, nisi aeternum aliquid cognoscendo habere? Æternum est enim de quo solo recte fiditur, quod amanti auferri non potest: idque ipsum est, quod nihil sit aliud habere quam nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est, quod æternum est: & propterea id habere non possumus, nisi ea re qua præstantiores sumus, id est mente. Quicquid autem mente habetur, noscendo habetur, nullumque bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur.* Et mox vult etiam ceteros appetitus *mentis rationique consentire debere, ut in tali pace & tranquillitate vacet mente contemplari quod æternum est. Ergo*, inquit, *etiam ceteris suis partibus amare animus debet, hoc tam magnum quod mente cognoscendum est.* Hæc est igitur contemplatio & cognitio perfecta, qua beata vita perficitur, cognitio Dei, quæ ex perfecto amore ceteros omnes animi appetitus ac delectationes vel absorbente, vel in sui rationisque conformitatem rapiente, & ea perfruente proficiscitur: ad cujusmodi cognitionem claram Dei in eodem loco Scripturam illam accersit: *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum &c.* Doctrina ista pluribus aliis Augustini principiis firmari posset ac testimoniis cumulari: Sed quia non est hujus loci, & locus ille unicus instar omnium sufficit, secure ex iis quæ toto illo capite deducta sunt, asserere posse videor; solum amorem esse, quo in futura vita tam fortiter atque immobiliter inhæretur Deo, ut & omnium terrenarum rerum appetitus ac delectationes absorbeat, & ab ipsa beatissima contemplatione non possit ad inferiora diligenda detorqueri: in quo vera ejus impeccabilitas sita est. Unde vero tantus, inquies, charitatis ardor & immobilitas, quæ utrumque præstet, ut & absorbeat omnes terrenæ delectationis motus, & intellectum tam potenter in illum objectum velit figere? Et unde putas, nisi ex illo torrente voluptatis totas vires voluntatis ad se rapiente, quo cælestis civitas potatur? Nam ille tam assidue rapideque fluit, ut nihil aliud eam delectare possit, & consequenter nihil aliud amari. Quem fontem digito demonstrat Augustinus cum dixit: *Angelica sublimis natura non peccat*, hoc est, non diligit inferiora, *quia ita particeps legis æternæ ut* SOLUS EAM DELECTET DEUS, *cujus voluntati sine ullo experimento tentationis*, hoc est, delectationis, *obtemperet*. Et omnium apertissime quando de libero arbitrio beatorum dicit in libris de Civitate Dei, quod

ib. 83. q. 35.

Ibid.

Ibid.

Lib. 22 cont. Faust. c. 27.

Lib. 22. de Civit. c. 30. quod ideo peccare non poterit, quia A DELECTATIONE PECCANDI USQUE AD DELECTATIONEM NON PECCANDI INDECLINABILEM LIBERABITUR.

Cùm igitur hæc ita sint, quæ de ista cælesti delectatione secundum Augustini mentem disseruimus, ut videlicet etiam quando agnoscitur quid faciendum sit, ipsa sit, quæ in omnibus Ecclesiæ precibus postulatur, quatenus dignetur Deus suave facere, quod non delectat; ipsa sit illa suavitas in qua terra nostra, hoc est, mens nostra det fructum suum; ipsa magnum Dei donum sit, in quo renovatur homo noster interior; in ipsa nos doceat, ut non solum sciamus, sed etiam faciamus; ita videlicet ut hoc modo quisquis didicerit, omnino agat, quicquid agendum didicerit; per ipsam alijs extrinsecus plantantibus & rigantibus det incrementum Deus; quam nisi ipse plueret, nihil prodit quicquid prædicando seminatur; tunc bonum concupisci incipiat, quando dulcescere incipit; ipsa ad omnia voluntatum & actionum genera tantopere necessaria sit, ut nisi delectet, nihil etiam quando agendum esse scitur, agatur aut suscipiatur, imo nisi delectet voluntas nihil amplecti, imo nec moveri ullo pacto possit; In conflictu tentationum per ipsam nos liberet Deus, dando cælestem delectationem, qua omnis terrena delectatio superetur; ipsa faciat nos ardenter & fortiter velle, tantoque vehementius, quanto delectamur ardentius; ipsa nos faciat perseveranter & immobiliter & impeccabiliter velle, quia secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectaverit; cùm hæc, inquam, ita sint, aliaque plura quæ ex Augustino demonstravimus, profectò rectissimè & invictissimè secundum eundem Augustinum concludere posse videor, ipsam esse verissimum illud adjutorium, quod Christus attulit, & quo ipse in nobis operatur velle atque perficere. Hanc enim conclusionem ipse non solum nobis aliqua ratiocinationis adhibito subsidio colligendam reliquit, sed ipsissimis penè verbis præformavit, quando contra Pelagianos de adjutorio gratiæ omnibus nervis & subtilitate disputans definivit: *Ut suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* Et quando argumentando concludit: *Ergo benedictio Dei est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis: in qua si nos non præveniat Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Et quando omnia adjutoria Pelagiana accuratè distinguens & velut adulterina repudians, Catholicum adjutorium sustinendo pronuntiat: *Nos autem dicimus humanam voluntatem* SIC DIVINITUS ADIUVARI *ad faciendam justitiam*, id est, ad bene volendum & operandum, *ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus* DELECTATIO *dilectioque summi illius atque incommutabilis boni &c. Nam cùm id quod agendum est cœperit non latere*, NISI ETIAM DELECTET ET AMETUR, NON AGITUR, NON SUSCIPITUR, NON BENE VIVITUR. Quam sanctissimi Præsulis & profundissimi Doctoris doctrinam, etiam Canone expressit Concilium Arausicanum, nè quemadmodum in ceteris quæ tradidit capitibus ad amussim sancti Augustini sensa, imo verba sectatum est, ita nec isto articulo ad latum unguem ab ejus præformatione recederet. Nam cùm primum *hæretico falli spiritu dixisset, siquis per naturæ vigorem, bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti*; statim exponit modum, quo ista illuminatio & inspiratio, nos prædicationi consentire & credere facit: *Qui dat*, inquit, *omnibus* SUAVITATEM IN CONSENTIENDO ET CREDENDO VERITATI. Quibus verbis Augustini doctrina de delectatione ad volendum & consentiendum requisita, succinctè, dilucideque comprehenditur. Conc. Araus. Can. 7.

CAPUT NONUM.

Necessitas delectationis cælestis ad bene volendum & operandum, non ex natura voluntatis, sed ex ejus pœna proficiscitur.

QUÆRI hic verò potest, unde oriatur tanta necessitas delectationis cælestis ad opus bonum, ut citra ipsam nec moveri ad bonum voluntas possit, nisi quid delectaverit, nec inter duo quæ delectant aliud eligere, nisi quod delectando superaverit: utrum ex eo quod viso objecto necessario tangatur voluntas aliqua delectatione; an ex natura voluntatis quæ non possit liberè bonum objectum prosequi, nisi prius delectaverit; an aliunde?

Sed prima necessitatis illius radix nullo pacto vera esse potest. Est enim perspicuum multa proponi bona objecta voluntati, quibus non delectatur, sed offenditur, eaque ex offensione fugit: plausibilior videtur altera necessitatis illius causa, natura voluntatis, præsertim cùm etiam in actionibus malis eadem necessitas reperiatur. Cui videtur experientia suffragari, qua quisque sentit se nihil omnino prosequi posse, nisi non solum præcesserit objecti apprehensio & propositio, & judicium de convenientia speculativum ex parte intellectûs, sed etiam complacentia quædam delectabilis, seu suavitas ex parte voluntatis.

Sed quamvis ista experientia omnino vera sit, non

fit, non tamen illâ ratione nititur, videlicet naturâ voluntas. Repugnant enim ei duo principia ab Augustino constantissimè tradita, quorum alterum est Catholicæ fidei, alterum tantæ certitudinis, ut etiam tanquam fidei doctrinam asserere videatur. Primum principium est respectu actionis malæ, quod Catholica fides doceat, pœnas peccati, ignorantiam & concupiscentiam, ex qua delectatio rerum terrenarum nascitur, ex originali peccato prodijsse. Cui veritati nitens Augustinus, consequenter adversus Pelagianos tradit, peccatum primi hominis sine delectatione præcedente perpetratum esse; delectatio quippe prima secuta est perversam voluntatem, non voluntas delectationem. Omnis quippe repugnantia bonæ voluntatis, supplicium est malæ; quod Deus creaturæ rationali non infligit immeritæ. Hæc diversis locis ex Augustino tanquam certissima probavimus. Ex quibus sane sequitur non potuisse primum peccatum ex præcedente delectatione, sive superbiæ sive gulæ proficisci, & proinde non nasci necessitatem delectationis ex natura voluntatis.

Alterum principium est respectu actionis bonæ. Docet enim Augustinus, gratiam primi hominis non fuisse talem ut faceret velle atque operari. Non ergo potuit esse talis victrix delectatio; non enim dominabatur voluntati, sed ei potius dominanti subjacebat, ut cum ipsa voluntas ageret aut non ageret, prout ipsi videretur. Nam delectatio illa cælestis victrix, est medicina ægrotæ ac prostratæ, non adjutorium sanæ stantisque voluntatis. Ergo ex natura voluntatis non potest talis gratiæ seu delectationis necessitas peti.

Vera itaque ratio cur cælestis delectatio ad actus bonos necessaria sit, ex natura medicinæ seu medicinalis adjutorij petenda est. Voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata est, ex quibus fit ut in omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam libidinosâ præeunte ac titillante provocetur, cui consentiendo peccat; prout hoc plurimis Augustini testimonijs, tanquam rem ex ipso certam; & experientiâ suffragante suo loco demonstravimus. Est enim istud libidinum imperium, non naturalis hominis constitutio, qui antea plenâ libertate & pace secum sua fruebatur, sed pœna damnati. Itaque ista libidinosa delectatio vocatur subinde *difficultas* ab Augustino, quia ipsa repugnantia sua, qua renititur spiritui, reddit operationem justitiæ difficillimam: *Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse a libidinosis operibus temperare non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Ita etiam appellat eam libro de Natura & gratia, & libro de Dono perseverantiæ sæpius. Subinde vocatur, & valde quidem sæpe, *infirmitas*, quia hoc ipso quo formaliter

Lib. 3. de lib. arbit. c. 18. Vide & cap. 19. & 20.

Lib. de nat. & gra. c. 68. Lib. de dono persev. c. 11. & 12.

A inest, ipsa distractione virium voluntatis, quatenus eam trahit & moveri facit in terrenum bonum, facit eam infirmam, quia non potest totis suis viribus converti in Deum, nisi ipsa auferatur: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet, sive quia non delectat* & unde concludit; *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Duabus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc* INFIRMITATIS. Et in utroque loco opponit Infirmitati *Delectationem* boni seu *iustitiæ*, eamque adversus istud malum tanquam unicam ægrotæ voluntatis medicinam de cœlo missam esse, qua tanquam directè contraria morbo quo B affligitur, extorqueatur consensus ejus delectationi repugnanti, & retorqueatur sursum, ut sic blandienti delectantique spiritui affixus & quasi suspensus ex Deo, non amplius in veterem libidinis servitutem detrahatur. Et in eo consistit captivi arbitrij seu voluntatis vera liberatio & effectus liberationis, vera libertas ejus; qua fit, ut quæ ante propter dominantem sibi libidinem terrenamque delectationem, à qua consensus ejus captivus tenebatur, non poterat nisi malum agere, ad quod solum libertas ejus expedita ferebatur; nunc liberata per oppositam cœli suavitatem, etiam diligere & agere possit bonum. Et quia quamdiu in hac vita vivimus, terrenis delectationibus undique titillantibus ad creaturarum dilectionem à dilectione creatoris avocamur (quod propriè omnium tentationum sive blandientium, sive sævientium est munus) hinc ille conflictus delectationum; de quo diximus ex Augustino, qui sopiri non potest, nisi altera alteram delectando C superaverit, & eò totum animæ pondus vergat. *Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse est.* Vigente enim delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat, nisi quemadmodum Augustinus loquitur, *tantum delectent ut ipsa teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruant.* Et hæc similiter causa est, cur jam absorpta omni carnali delectatione, ac dominante solâ suavitate spiritus, ardentissimè voluntas Deum in cœlo diligat, atque ita immobiliter diligat, ut peccare non possit: quia ut idem Augustinus loquitur, *Solus eam delectat Deus*; imo *nihil aliud delectare potest.* Nam quemadmodum hic ante gratiam istius cælestis delectationis, non poterat quicquam agere boni, dominante ei solâ delectatione creaturæ; ita post eam absorptam exstinctamque penitus, nihil potest agere mali, dominante ei solâ delectatione Creatoris. Inter quæ duo extrema D quamdiu in hac vita post acceptam gratiam militat Deo, alternante creaturæ & Creatoris delectatione nunc rectè, nunc perperam facit, prout cœli aut terræ delectatio consensum ejus abripuerit.

Lib. 2. de pec merit. c. 17.

In Enchirid cap. 81.

In Epist. ad Galat.

Ibid.

Lib. 22. cont. Faust. c. 28. Serm. 49. de Temp.

T 2 CAPVT

CAPUT DECIMUM.

Inferuntur Corollaria, quibus multa principia sancti Augustini de libero arbitrio, & potestate bene operandi & similibus declarantur.

EX his quæ hactenus de Dilectionis gratia disseruimus, multa principia divi Augustini de libero arbitrio, & potestate bene operandi, quæ in superioribus libris tacta sunt, & iis valde nova forsan videbuntur, qui Philosophiæ Aristotelicæ innutriti sunt, neque radices doctrinæ ipsius perspectas habent, clarescere possunt.

In primis enim hinc patet, cur statui innocentiæ & primo homini tanquam proprium assignaverit, ita liberum esse ut bene velle possit & male, cùm id Scholasticorum judicio omnibus hominibus, nisi beati fuerint, ex vi liberæ voluntatis competere videatur. Nam Augustinus altius rerum radices penetrans, suppliciaque ac præmia liberæ voluntatis ab ejus naturali conditione distinguens, animadvertit ita Deum Dominumque rerum omnium ordinasse Angelorum atque hominum vitam, *ut prius experiretur quid posset eorum liberum arbitrium*, deinde quid *posset sua gratia* liberatricis *beneficium*, *justitiaque* remuneratricis *judicium*. Itaque ut isti experientiæ daretur idoneus locus, dedit eis non solum liberam voluntatem, quæ neque ad bonum, neque ad malum urgenti quodam pondere raperetur, sed etiam sufficientissimam facultatem. Sic enim adjuvabantur gratia Dei, sine qua permanere non poterant; ut cum illa bene operarentur si vellent, eam tamen quoq; si vellent desererent. Quo fiebat, ut cum tali adjutorio, & potentia liberi arbitrij monstraretur, & simul tamen bene velle possent & male, in utramvis partem nutu liberæ voluntatis impulsi. Deerat enim dominatus ille delectationis quæ consensum libertatis in alterutram partem flecteret. Itaque in illo æquilibrio primævæ conditionis liberum arbitrium se suæ libertatis indifferentia utramlibet partē posse, experientia comprobavit. Nam sancti Angeli suâ illâ libertate, non sine gratia tamen, in veritate steterunt, reprobi verò & primi homines eadem illâ libertate ex veritate ceciderunt.

Hinc secundò patet, quâ ratione verum sit, quod in homine lapso ante gratiam (cui, & multo potentiori ratione dæmones addi possunt) non sit amplius illa primæva flexibilitas, qua benè velle possit & malè, hoc est, cur non possit alteram libertatis partem promere, quæ bene agendo exercetur. Boni agendi quippe libertatem ante gratiam esse perditam, & peccandi inductam esse servitutem, Augustinus, ut ante declaratum fuit, ex professo sexcenties docet. Hujus rei radix est, quia ex divinæ justitiæ judicio persequente peccatorum, *factum est* in libero arbitrio *ex debita justa pœna tale vitium, ut jam molestum sit obedire justitiæ. Quod vitium nisi adjuvante gratiâ superetur, ad justitiam nemo convertitur; nisi operante gratiâ sanetur, justitia pace nemo perfruitur.* (Lib. 2. de pecc. merit. c. 17.) Hoc autem vitium est medullis voluntatis inhærens quædam libido fruendæ creaturæ, quasi vestigium quoddam primæ dilectionis, qua Creatorem deserendo & creaturam amplectendo peccavit. Hæc libido ad singulas occasiones, per omnia peccatorum genera concitata motibus delectationum suarum, voluntatem premit, nec eam sinit ad redamandum bonum surgere quod amisit. Hinc ergo fit, quod liberum arbitrium ante gratiam, ex Augustini doctrina non sit amplius liberum ad agendum bonum; sed tantummodo ad malum. Nam illa primæva integræ libertatis gratia, non est ullo modo accommodata ad liberandam à tam immani delectationum pondere voluntatem, quæ solummodo prona est ad sequendum nutum, atque impulsum ejus. Non potest autem eâ se facilitate sursum erigere, qua deorsum cecidit. Ita quippe delectabiliter captiva detinetur, ut neque libeat, neque velit, neque possit, neque sciat surgere. Nam hæc omnia per aliud gratiæ genus ægrotæ & mortuæ dari debent.

Hinc tertiò patet, cur Angelis ac sanctis in cælo tribuat Augustin. tale liberum arbitrium, quod jam alteram primæ libertatis partem exserere, hoc est, malè agere seu *peccare non possit*. (Lib. de Cor. & gra. c. 11 & lib. 22. de Civit. c. 30.) Nam sicuti delectatio creaturę stabiliter inhęrens, possidens, & huc illuc ad malum rapiens arbitrium peccatoris, malę cadentisque voluntatis supplicium fuit, ita delectatio incessabilis creatoris, perpetuo sursum ad bonum rapiens justum, bonæ & perseverantis voluntatis est prœmium, ex quo fit ut *à delectatione peccandi usq; ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum sit.* (Ibid.) Et quidem cum istam partem velint nolint cogantur Scholastici admittere, & consequenter confiteri partis unius, quam bicornis illa innocentis creaturæ libertas continebat, amissionem non officere libero arbitrio; mirum sanè est, cur liberum arbitrium labefactari putent, si altera quoque ipsius pars, alterâ salvâ, perimatur. Nam eadem quantum ad actionis liberæ naturam, prout ipsi intelligunt actionem liberam, utriusque ratio est.

Hinc patet quarto, jam postquam gratia post lapsum nos adjuvare cœperit, esse quidem in homine liberum arbitrium ad utrumlibet faciendum, bonum ac malum; sed non ita sicut ante lapsum in innocentiæ statu atque Angelis

Angelis fuit. Illorum enim sic liberum erat, ut suo se nutu, nihil impediente vel urgente libertatem, flecteret ad utrumlibet, solum, si malè, non sine Dei adjutorio, si faceret bene. Nunc autem ipsum adjutorium beneficæ suavitatis facit, ut bonum velit; quo si desertum fuerit, ipsum adjutorium, ut ita loquar, noxiæ suavitatis facit, ut malum velit. Illam quippe suavitatem quæ superaverit, voluntas consentiendo sequitur, ut Augustinum jam sæpius inculcantem vidimus. Nec ullum hic periculum destructæ libertatis. Si enim libertas arbitrij manet, ubi non potest arbitrium aliud nisi bonum agere, quod Schola nullo pacto diffiteri potest, quanto minus periculum erit, ubi arbitrium agere potest & bonum & malum? Sed de hac concordia gratiæ & libertatis infra pluribus.

Quintò hinc facile & illud intelligitur, quod tam constanter Augustinus docet, cur nulla sit ei gratia bonæ voluntatis & operationis ante fidem, sed in ipso initio fidei sit etiam initium bonæ voluntatis. Nempe quia gratia qua fit bonum, non est alia nisi delectatio de incommutabili bono, quod est Deus benedictus in sæcula. Hic autem non nisi per fidem cognosci incipit, sicuti cognoscendus est. Et hinc etiam nascitur, cur infideles apud ipsum nihil omnino boni possint velle aut operari.

Sextò hinc etiam claret, cur Augustinus omnem omnino gratiam purè sufficientem, sive ante fidem sive etiam post fidem auferat. Ratio enim perspicua est, quia cùm ei nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur; sin autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur: *Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio ne quidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. Quanquam ex alio capite ipsa ratio gratiæ sufficientis integræ naturæ ac libero arbitrio seipsum viribus suis discernenti propria est, & propterea inepta naturæ læsæ vel reparandæ, vel adjuvandæ.

In Epist. ad Galat.

CAPVT XI.

Delectatio ista cælestis, secundum Augustini mentem, est actus vitalis & indeliberatus animæ: & quidem amoris ac desiderij, præcedentis consensum, ac delectationem illam quæ & quies animi & gaudium dicitur.

CONSEQVENS nunc est, ut ulterius despiciamus, quidnam sit ista delectatio cælestis, quam veram gratiam Dei esse jam satis demonstravimus. Constat enim delectationem creaturæ rationalis, quando propriè sumitur, esse particularem actum, qui etiam gaudium dicitur, per quem animus in bono præsente, cum quadam satisfactione & fruitione conquiescit. De isto delectationis actu non loqui Augustinum, perspicuum est. Est enim terminus desiderij, tanquam cujusdam motus, quo voluntas ad delectationem istam tanquam ad quietem suam tendit. Delectatio vero seu suavitas, de qua multa sanctus Doctor tradidit, etiam ad desiderandum & amandum Deum libero voluntatis motu necessaria est; cum & illi sint actus boni, qui sine suavitatis gratia non possint à voluntate proficisci. Cujuslibet quoque præcepti observatio, ac tentationis expugnatio delectationem postulat, ad quam tamen hujusmodi delectationem, quæ sit fruitio seu gaudium, certum est non semper antecedere. Quapropter omissâ istâ delectatione, alij actus explorandi sunt. Nam eam esse quendam vitalem actum voluntatis, non videtur posse dubitari. Quid est enim delectari hominem justitiâ, vel mendacio, nisi actu aliquo in justitiam vel mendacium tanquam sibi convenientia & jucunda moveri? Motus autem hujusmodi voluntatis, non fit nisi actu quodam vitali.

Hoc igitur præsupposito, quod puto nemo facile diffitebitur, dico breviter: Delectatio ista quam ad omnia opera bona sanctus Augustinus exercenda postulat, non est aliud, quam actus quidam indeliberatus cœlitus immissus in voluntatem, per quem ei bonum propositum vel suaviter tantum placet (qui actus subinde *simplex voluntas* dicitur, aut etiam *complacentia*, aut *amor voluntatis*, respondens passioni amoris sensitivi) vel etiam in bonum appetendum commovetur. Iste autem primus actus est principium motus tendentis in bonum, quia est prima boni complacentia, per quam affectus bono tanquam sibi convenienti & connaturali primum coaptatur. Nam quemadmodum in rebus naturalibus, primo datur forma, deinde motus formam consequens (ut corpori naturali datur gravitas aut levitas, quæ est velut naturalis amor convenientis loci, & prima quasi ad locum coaptatio, ex qua deinde motus ad eundem naturalem locum fluit;) ita voluntati

Digitized by Google

voluntati & generaliter appetitui datur primo quædam coaptatio appetitûs ad bonum appetibile, quæ est quædam complacentia appetibilis, atque *amor* nuncupatur, ex qua sequitur motus in appetibile, qui vocatur *desiderium*, ac deinde quies, nempe *gaudium* seu delectatio, tertius ille actus animæ de quo suprà.

Dicimus igitur, delectationem istam seu suavitatem in Augustino celebrem, esse partim primum illum & indeliberatum affectum animæ qui actualis complacentia est, partim etiam & crebro secundum qui desiderium indeliberatum dicitur, quibus anima ita suaviter ac delectabiliter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu libero consentiat ac bonum diligat, tanto vehementius, quanto fortius illis actibus rapitur. Nam illis actibus inesse delectationem etiam Philosophi profitentur. Inde est enim quod sanctus Thomas dicit, *Amor præcipua causa delectationis est.* Et in eadem quæstione alio loco: *Amor & concupiscentia* (hoc est, desiderium) *delectationem causant: omne enim amatum fit delectabile amanti, eo quod amor est quædam unio, vel connaturalitas amantis ad amatum. Similiter etiam omne concupitum est delectabile concupiscenti, cùm concupiscentia sit præcipue appetitus delectationis.* Et in alio articulo docet: *In ipso augmento desiderij fieri augmentum delectationis: Et, inquisitiones esse quandoque delectabiliores, secundum quod ex maiori desiderio procedunt.* Nempe quia cùm omnis amor ad delectationem tanquam ad quietem ac centrum suum per desiderium tendat, ut sæpenumero Augustinus tradit, fieri non potest, quin ipse motus quoque aliquid ex illa suavitate participet, juxta illud sancti Thomæ: *Id quod movetur, etsi nondum habeat perfecte id ad quod movetur, incipit tamen iam aliquid habere eius ad quod movetur, & secundum hoc ipse motus habet aliquid delectationis.* Nam simulatque motus incipit, participat de quiete, quatenus etiam primum momentum motus habet partialem terminum suum. Quod tamen in amore ac desiderio spiritualium rerum, hoc est, in dilectione incommutabilis illius *sapientiæ, & veritatis, & sanctitatis, & iustitiæ, & charitatis, & siquid aliud tale dicitur* (*quomodo* juxta sancti Augustini mentem *amandus est Deus*, quia hoc est Deus) multo maximè locum habet. Nam qui diligit res creatas, non hoc ipso quo eas diligit etiam adipiscitur, nec tanquam in adeptis conquiescit, neque quasi fruens animo delectatur. Quisquis verò istam æternam veritatem, & istam, inquam, incommutabilem justitiæ & castitatis & sapientiæ formam quæ Deus est, diligit, hoc ipso eum adipiscitur, habet ac possidet: & per hoc etiam cum delectatione fruitur, & cum fruitione delectatur. *Si uxorem alienam amaveris*, inquit Augustinus, *non continuo habebis, si castitatem amaveris, mox habebis.* Et Tractatu decimo in Epistolam Ioannis: *Quid iubet tibi Deus? Dilige me. Aurum diligis, quæsiturus es aurum, & forte non inventurus. Quisquis me quærit cum illo sum. Me ama dicit tibi Deus, non ad me ambitur per aliquem: ipse amor præsentem me tibi facit.* Cujusmodi apud Augustinum frequentia sunt. Nam Deus non arca aut manibus, ut aurum, non oculis, ut lux, non auribus, ut sonus; sed solâ dilectione, ut veritas, ut justitia, ut castitas, ut sapientia possidetur. Ex quo fit vt amans Deum, ipso quoque dilectionis actu, tanquam objectum suum possidente fruatur ac delectetur Deo. Vt justissima proinde ratione ipse amoris ac desiderij actus, delectabilis ac delectatio ab Augustino nuncupetur. Vnde idem cùm dixisset: *Ipse amor præsentem me tibi facit*, statim adijcit, *Quid dulcius dilectione istâ Dei fratres?* Et in Tractatu septimo: *Tenete eam charitatem, amplectimini eam;* DVLCIVS EA NIHIL EST. Et in Sermonibus de verbis Domini tractans illa verba amantis Ecclesiæ: *Vbi pascis ubi cubas*, sic loquitur: *Videte quemadmodum, quo affectu hic erigatur amor spiritualis. Melius isto multo affectu delectantur, qui aliquid ex huius amoris dulcedine gustaverunt.* Nempe quia ex præsentia Dei dilecti, quem amor ipse facit præsentem, necesse est suavitas quædam delectationis & fruitionis fluat. Nam ut idem: *Deus nullius bonum cupiens, cum ipso fruatur omnis voluntas bona.* Et in libro de Fide & Symbolo: *Ideo Spiritus sanctus Dei donum dicitur, quia eo quod quisque novit, non fruitur, nisi & id diligat. Frui autem sapientia Dei, nihil aliud est quam ei dilectione cohærere.* Cujus veritatis tanquam certæ & perspicuæ, quæque multis Augustini testimonijs facile confirmari posset, consideratione factum est, ut in libro de Spiritu & Anima, itemque in libro de Substantia dilectionis, qui nomine sancti Augustini circumferuntur; & si non sunt, multa tamen ex ejus libris capita doctrinæ sumpta continent, Amor non aliud esse definiatur, quàm DELECTATIO *cordis alicuius ad aliquid propter aliquid per desiderium currens, & per gaudium requiescens.* Vt sane meritò sanctus Augustinus actus illos indeliberatos amoris ac desiderij quibus anima suaviter in Deum deliberato actu diligendum suscitatur, invitatur, trahitur, rapitur, nomine dulcedinis, suavitatis, ac delectationis designaverit.

Hos autem actus revera delectationis nomine ab eo expressos esse multis indicijs atque argumentis claret. Et primo quidem, quia hæc delectatio qua ad consentiendum faciendumque aliquid sollicitamur, reperitur juxta sanctum Augustinum, non tantum ad opera bona, sed etjam ad mala, quamvis ibi non sit donum inspirantis Dei. Atqui delectatio ex qua peccata profluunt, non est illa propriè dicta delectatio, quæ est tertius actus animæ, & tanquam quies desiderij etjam gaudium appellari solet; sed est vel ipse primus concupiscentiæ motus, quo bono terreno quasi coaptatur animus, vel desiderium indeliberatum, quo urgetur ad malum. Nam distinguit illam à suggestione præcedente & à consensione consequente. De quo luculentissimè libro primo de sermone Domini in monte disserit: *Tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione, & consensione. Suggestio sive per memoriam fit, sive*

Marginal notes: 1. 2. q. 32. art. 6. — Ibid. a. 3. ad 3. — Ibid. a. 8. — 1. 2. q. 33. a. 2. ad 2. — Lib. de Catechiz. rudib. c. penult. — Serm. 2. in append. — Tract. 10 in Ep. 1. Ioan. — Ibid. — Tract. 7. in Epist. Ioan. — Serm. 50. de verb. Domini cap. 6. — Lib. 22. cont. Faust. c. 9. — Lib. de Fide & Symb. c. 9. — Lib. de Spir. & anima c. 45. & lib. de substant. dilect. c. 2. & seqq. in tomo 3. & 4. Aug. — Lib. 1. de Ser. Dom. in monte c. 12.

A *ſe, ſive per corporis ſenſus, cum aliquid videmus aut audimus, vel olfacimus, vel guſtamus, vel tangimus. Quo ſi frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda eſt. Velut cum jejunamus & viſis cibis palati appetitus aſſurgit, non fit niſi delectatione: ſed huic tamen non conſentimus, ſi eam dominantis rationis jure cohibemus. Si autem conſenſio facta fuerit, plenum peccatum erit.* Quod ipſiſſimum docet etjam in libro ſecundo de Geneſi contra Manichæos, ubi delectationē exponit eſſe motū, quo *cupiditas* ex ſuggeſtione *movetur* ad peccandum; qui non eſt alius niſi primus amor quo concupiſcitur peccatum, vel certè deſiderium ejus. Et iterum in eodem ſermone Domini in monte conſequenter: *Tria ergo hæc ut dicere cœperam, ſimilia ſunt illi geſta rei, quæ in Geneſi ſcripta eſt, ut quaſi à ſerpente fiat ſuggeſtio & ſuaſio: in appetitu autem carnali tanquam in Eva delectatio; in ratione vero tanquam in viro conſenſio.* Et iterum: *Verumtamen delectatio ante conſenſionem vel nulla eſt, vel tam tenuis ut prope nulla ſit, cui conſentire magnum peccatum eſt, cum illicita eſt. Cum autem quiſque conſenſerit, committit peccatum in corde ſuo. Si autem etiam in factum proceſſerit, videtur ſatiari & exſtingui cupiditas. Sed poſtea cum ſuggeſtio repetitur* MAIOR ACCENDITVR DELECTATIO, *quæ tamen adhuc multo minor eſt, quam illa quæ aſſiduis factis in conſuetudinem vertitur.* Et apertius adhuc inferiùs: *Quiſquis carnalem* DELECTATIONEM *adverſus rectam voluntatem rebellare ſentit per conſuetudinem peccatorum, cujus indomita violentia trahitur in captivitatem, recolat quantum poteſt, qualem pacem peccando amiſerit.* Et in Pſalmum quadrageſimum-octavum non minùs perſpicuè: *Quando* (diabolus) *incipit mala ſuggerere, tunc repelle, antequam ſurgat* DELECTATIO *& ſequatur conſenſio.* Et in Pſalmum octogeſimum-quartum: *Date mihi hominem, qui nihil tentationis patitur in carne ſua, & poſſit mihi dicere quia jam pax eſt. Nihil quidem tentationis forte patitur in illicitis voluptatibus, ſaltem ſuggeſtiones ipſas patitur, vel ſuggeritur illi quod deſpuit: vel* DELECTAT *unde contineat. Sed ecce jam nihil delectat illicitum &c.* Et evidentiſſimè in ſermonibus de verbis Domini, de gradibus quibus ad conſuetudinem peccandi pervenitur, tractans: *Prima eſt,* inquit, *titillatio* DELECTATIONIS *in corde, ſecunda conſenſio, tertium factum, quarta conſuetudo: Sunt enim qui res illicitas obvias cogitationibus ſuis prorſus ita objiciunt, ut nec* DELECTENTVR *ſimul qui* DELECTANTVR, *& non conſentiunt. Nondum perfecta mors eſt, ſed quodammodo inchoata.* DELECTATIONI *accedit conſenſus.* Quibus ſimilia non eſſet difficile proferre plura, niſi iſta ſola evidenter patefacerent delectationem quæ conſenſum in peccata præcedit, & ſuggeſtionem ſequitur, non aliud eſſe niſi deſiderium illicitum indeliberatum quo animus etjam repugnans in peccatum inhiat; vel certe primum ipſum concupiſcentiæ motum tanquam amorem quendam indeliberatum, per quem homini etjam invito peccare lubet, quamvis conſenſio non ſequatur.

Lib. 2. de Gen. contra Manich. c. 14

Lib. 1. de Ser. Domini in monte c. 12.

Ibid.

Ibid.

In Pſal. 48.

In Pſal. 84.

Serm. 44. de verb. Dom. cap 6.

Secundo, quia ſanctus Auguſtinus diverſis in locis ubi de delectatione voluntatem ad conſenſum provocante diſſerit, apertiſſimè declarat eam idem eſſe, quod deſiderium quoddam quo propellimur, ut velimus, conſentiamus & operemur. Oſtendit hoc in Pſalmum ſexageſimum-quartum: *Modo cum morte quanta contendimus? Inde ſunt enim* DELECTATIONES *carnales, quæ nobis etiam illicitè multa ſuggerunt, quibus non conſentimus, ſed tamen non conſentiendo contendimus.* Et manifeſtius in Pſalmum centeſimum-ſecundum & ſæpius: *Poſt remiſſionem peccatorum corpus infirmum geris, neceſſe eſt, ſint quædam* DESIDERIA *carnalia quæ te titillent & quæ tibi ſuggerant delectationes illicitas. Sed de languore tuo veniunt. Adhuc quibuſdam perturbationibus etiam ipſa anima quatitur poſt remiſſionem peccatorum; adhuc in periculis tentationum verſatur, quibuſdam* SVGGESTIONIBVS DELECTATVR, *quibuſdam* NON DELECTATVR, *& in eis quibus* DELECTATVR, *aliquando quibuſdam conſentit, capitur.* Ecce aperte vides deſideria titillantia, quæ ſtatim vocantur aliquoties delectationes, quibus conſentimus, vel non conſentimus. B Et in Pſalmum centeſimum trigeſimum-nonum, explicans quid mali pariant exempla ſcelerum: *Nonne duceris,* inquit, *talium delectatione factorum? Et ſi non conſentis, ſaltem inveniſti quod expugnes.* Et adhuc luculentius in Pſalmum quadrageſimum-tertium: *Suggeritur aliquod lucrum,* DELECTAT: *habet fraudem, ſed magnum eſt lucrum,* DELECTAT, *non conſentis, pugnam vide: adhuc ſuadetur, adhuc inſtatur, adhuc deliberatur. Ergo qui pugnat periclitatur &c. Sed etiam ille qui vicit, numquid omnino egit in ſe, ut prorſus cum pecunia non attentet, aut nihil in eo* EXCITET DELECTATIONEM, *quamvis ſuperabilis, quamvis contemptibilis, quamvis non ſolum cui non conſentiat, ſed cum qua nec pugnare dignetur? Ineſt tamen aliqua* DELECTATIONIS *titillatio.* Et in Pſalmum centeſimum quadrageſimum ſextum: C *Etenim modo fratres mei, quamvis illicitæ delectationes animum tangunt, quamvis eis non conſentiamus; tamen vel delectari talibus, etſi non conſentis, nondum eſt perfecta ſanitas.* Et in Pſalmum centeſimum quadrageſimum-octavum: *Contendunt nobiſcum quotidie tentationes, contendunt nobiſcum quotidie* DELECTATIONES, *etſi non conſentiamus tamen moleſtiam patimur &c. Si autem non conſentiendo vincimus moleſtias tamen patimur reſiſtendo* DELECTATIONIBVS. Et tractatu quadrageſimo-nono in Ioannem: *Aliquando in cogitatione peccatur. Delectavit quod malū eſt; conſenſiſti, peccaſti: Conſenſio illa occidit te &c. Si autem non ſolum malæ* DELECTATIONI *conſenſiſti, ſed etiam &c.* Et in Sermone nono de diverſis quæ eſt de Oratione Dominica: *Non ſentis hoſtem tuum, ſed ſentis concupiſcentiam tuam: diabolum non vides, ſed quid te* DELECTET *vides. Vince intus quod tu ſentis.* Talia ſexcenta ex Auguſtino proferri poſſent, niſi faſtidium lectoris pertimeſcerem, quibus ſignificat delectationi tentanti vel titillanti conſentiri, vel non conſentiri: quam certiſſimum eſt nihil aliud D eſſe, quam cupiditatis motum, qui primus objecti amor eſt; vel ſi tentatio increverit, vehemens deſiderium per quod rebus delectabilibus

In Pſal. 64.

In Pſal. 102.

In Pſal. 43.

In Pſal. 146.

In Pſal. 148.

Tract. 49. in Ioannem.

Serm. 9. de diverſ. c. 9.

bilibus appetendis inardescimus, & ad consensum tractus ejus suavitate provocamur. Nam eas tentationes quas toties delectationes vocavit, non aliud esse quam illicita desideria, innumeris locis tradit, sed quia satis res ista in confesso est, nos paucis côtenti erimus, ne quid diversum hic Augustinus à communi existimatione sentire videatur. Illud ergo significat
… 5. cont. Iul. c. 3. in libris contra Iulianum: *Numquid autem consequens est, ut si habet aliquis cordis desideria mala, iam etiam consentiat eis ad committenda eadem mala? Ac per hoc aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis, utique ut consentiendo eis, possideatur ab eis; quod fit cum divino iudicio traditur eis. Alioquin frustra dictum est, post concupiscentias tuas non eas. si iam quisque reus est, quod tumultuantes & ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur, si non eis traditus, exercens adversus eas gloriosa certamina.* Et in libro secundo adversus eundem adver-
… 2. c. 9. sarium: *Quomodo peccatum* (id est, concupiscentia peccati) *mortuum est, cum multa operetur in nobis? quæ multa? Nisi desideria stulta & noxia, quæ consentientes mergunt in interitum & perditionem: quæ utique perpeti eisque non consentire, certamen est, conflictus est, pugna est.* Et sermone sexto de verbis Apostoli, cum dixisset omnia peccata non exoriri nisi ex *illicita delectatione.*
Serm. 6. de … Apost. … *Hinc* ergo, inquit, *illicitæ delectationi si resistamus, si non consentiamus, si membra velut arma non ministremus, non regnat peccatum.* Et statim post adjicit exponens, quid sit illicitæ delectationi
c. 3. non consentire, *illicitæ* videlicet *concupiscentiæ manum non dare.* Et in eodem loco vocat hoc, *non consentire desiderijs carnis.* Et iterum in eo-
… 4. c. 9. dem sermone sexto de verbis Apostoli: *Quid est secundum carnem ambulare? Carnalibus* CONCVPISCENTIIS id est desiderijs *consentire. Quid est secundum spiritum ambulare? Adiuvari spiritu in mente, & CONCVPISCENTIIS carnis non obedire, &c. Restat cum carne conflictus; inest, titillat* DELECTATIO *illicitæ concupiscentiæ; pugna, resiste, noli consentire, & impletur hic: post concu-*
… 13. c. 9. *piscentias tuas non eas.* Et in sermone decimotertio: *Quam multa proficientes iam non delectant, quæ antea delectabant. Quando ergo delectabat, & non ei consentiebatur, mortificabatur. quia iam non delectat, mortificatum est. Calca tacentem, confige cum resistente. Mortua est enim una delectatio, sed vivit altera. Et illam, dum non consentis, mortificas; cum cœperit omnino non delectare, mortificasti &c. Cum ergo dixisset Apostolus: Si autem spiritu actiones carnis mortificaveritis vivetis, id est, illas concupiscentias carnis quibus non consentire magna laus est &c.* Et sermone duodecimo in eundem Apostolum:
Serm. 12. de verb. Apost. … *Ego fateor tibi quicquid me rebellat adversus mentem meam & litigat mecum* DELECTATIONE *contraria interficere volo.* Quam delectationem contrariam sæpius ibidem declarat ex eo fieri,
c. 5. quod *caro concupiscit*, vocatque *desideria quibus non sit obediendum. Ecce*, inquit, *concupiscit caro mea adversus spiritum meum concupiscit adulterium, sed non consentio.*

In his locis & infinitis quæ produci facilè est, liquet evidenter ex ipsissimis Augustini verbis, delectationes quibus toties dixit con-

A sentiri vel non consentiri, esse concupiscentias ac desideria, quibus ad peccandum incitamur, & consensum negamus aut damus. In quo Apostolicam doctrinam exprimit, qua dicitur: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs eius*: pro quo Rom. 6. plerumque legit Augustinus, *desiderijs eius*; & istæ concupiscentiæ istaque desideria sunt illæ ipsæ delectationes, quibus tam instanter non obediendum, hoc est, non consentiendum esse commendat. Ex quo intelligendum superest, quando similiter delectationem cælestem prædicat, quæ nos velle & consentire & operari facit, non aliam significari, quàm istiusmodi amoris desideria, quibus delectabiliter ad consensum trahimur.

Tertiò denique, hoc ipsum elucet ex pugna carnis & Spiritus, quam juxta Scripturarum doctrinam, sanctus Augustinus in ho-
B mine vigere testatur. Nam sæpè docet, pugnam illam exerceri, quatenus delectationes duæ carnis & spiritus inter se decertant, utram utra superatura & animi consensum post se tractura sit, quemadmodum supra toto capite & in multis testimonijs Augustini vidimus. Hanc tamen pugnam non aliter committi, quam per amores seu concupiscentias seu desideria, quibus invicem sibi caro & spiritus adversantur, & Augustinus non semel indicat, & ipse Apostolus verbis perspicuis tradit, quando ad Galatas dicit: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Ecce apertè carnis Galat. 5. desideria quibus resistere debet spiritus ne perficiat. Et ut ostenderet non aliter istis resisti desiderijs carnis, quam per alia spiritus desideria, quæ sibi mutuo concupiscendo adversentur, statim ratione subjecta explicat: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adver-* Ibid.
C *santur, ut non quæcumque vultis illa faciatis.* Quid est enim, *spiritus autem adversus carnem*, nisi spiritus concupiscit adversus carnem? Et quid est, *hæc enim sibi invicem adversantur*, nisi hæc contrarijs concupiscentijs seu desiderijs luctantur inter se, ut animi consensum post se abripiant. Delectationes ergo carnis & spiritus quas Augustinus inter se pugnantes prædicat; ut animum in consensionem trahant, non sunt aliud nisi istæ concupiscentiæ ac desideria carnis & spiritus. Nam ex isto potissimum Apostoli loco sanctus Augustinus, istam duarum delectationum carnis & spiritus resistentiam, quam toties commemorat, pugnamque didicit. Qua de re operæ pretium est ipsummet Augustinum in uno aut altero saltem loco clarissimo audire disserentem, ne quid illi imponere videar. Itaque libro decimo de Genesi ad litteram propositis Apostoli verbis: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem* Galat. 5.
D *adversus carnem*, sic illam pugnam delectationum describit, ut non nisi desideriorum esse declarat: *Ipsius concupiscentiæ carnalis causa non est in anima sola, sed multo minus est in carne sola.* Lib. 10. de Gen. ad lit. *Ex utroque enim fit, ex anima scilicet, quod sine illa* c. 12. DELECTATIO *nulla sentitur: ex carne autem* quod

quod sine illa carnali DELECTATIO *non sentitur. Carnem itaque concupiscentem adversus spiritum dicit Apostolus carnalem procul dubio* DELECTATIONEM, *quam de carne & cum carne spiritus habet adversus* DELECTATIONEM *quam solus habet.* Ecce clarissimè concupiscentias carnis & spiritus adversantes invicem sibi vocatas DELECTATIONES carnis & spiritus. Iam vide, utrum non exponat eas esse desideria carnis & spiritus. Adjungit enim nullis verbis interpositis: *Solus quippe habet nisi fallor, illud* DESIDERIVM, *non cum carnis* VOLVPTATE, *vel carnalium rerum* CVPIDITATE *commixtum, quo* DESIDERAT *& deficit anima in atria Domini. Solus habet etiam* ILLVD (supple DESIDERIVM) *de quo ei dicitur:* CONCVPISTI *sapientiam, serva mandata, & Dominus præbebit illam tibi. Nam cum spiritus imperat membris corporis, ut huic* DESIDERIO *serviant, quo solus accenditur, velut cum assumitur codex, cum aliquid scribitur, legitur, disputatur, auditur cum denique panis frangitur audienti, & cætera humanitatis ac misericordiæ præstantur officia, obedientiam caro exhibet non* CONCVPISCENTIAM *movet. His atque hujusmodi* DESIDERIIS, *quibus sola anima* CONCVPISCIT, *cum adversatur aliquid quod eandem animam secundum carnem* DELECTAT, *tunc dicitur caro* CONCVPISCERE *adversus spiritum & spiritus adversus carnem.* En tibi planissime expositum, quid sit illa delectatio carnis & spiritus quam ipse solus habet, nempe desideria carnis & spiritus, quæ sibi invicem adversantur. Et hæc esse indeliberata statim adjicit quando dicit: *Non esse in potestate, ne concupiscat caro, quamdiu inest peccatum in membris, id est violenta quædam carnis illecebra in corpore mortis hujus, veniens de vindicta peccati*, quam continuo iterum PECCATI DELECTATIONEM vocat.

[Margin: Ibidem. — Lib. 10 de Gen. ad lit. c. 12.]

Nec minus luculente pugnam istam carnis & spiritus quæ DELECTATIONIBVS contrarijs collidantur, non nisi per contraria desideria concupiscentiasque divelli, in sermonibus de verbis Domini tradit: *Videte quale bellum proposuit* Apostolus, *qualem pugnam, qualem rixam intus, intra teipsum. Caro concupiscit adversus spiritum. Si non* CONCVPISCIT *& spiritus adversus carnem, fac adulterium. Si autem spiritus concupiscit adversus carnem, luctam video, victum non video. Pugna est, concupiscit caro adversus spiritum.* DELECTAT *adulterium. Fateor quia* DELECTAT. *Sed spiritus concupiscit adversus carnem;* DELECTAT *& castitas. Ergo vincat spiritus carnem: aut certe non vincatur à carne.* Ubi clarissimè vides adulterium delectare, quia concupiscitur; & è contrario castitatem delectare, quia concupiscitur, dum cum adulterij delectatione certatur. Et in sequenti capite paucis interjectis: *Sed* DELECTAT *& adulterium: contradicatur, resistatur, repugnetur. Non enim non habes unde pugnes. Deus tuus in te est, spiritus bonus datus est tibi. Et tamen permittitur ipsa caro concupiscere* DELECTATIONIBVS *genuinis.* Ecce caro non solum delectatur, sed etiam CONCVPISCIT DELECTATIONIBVS

[Margin: Serm. 43. de verb. Domini. — Ibid. c. 6.]

A genuinis, ut intelligeremus concupiscere ac delectari indifferenter sumi, quia ipsa concupiscentia rerum jucundarum delectabilis est. Talibus autem delectationibus statim resisti docet per spiritum, quatenus & *spiritus concupiscit adversus carnem.* Nam & ista concupiscentia spiritus contra carnem non est aliud, quam spiritus delectatio, qua condelectatur legi secundum interiorem hominem. Quod in plurimis locis significat Augustinus, ut libro de continentia: *Contra suavitatem noxiam, qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam, qua delectetur amplius continentia.* Et in eodem libro: *Bonum sit cum id quod male libet,* hoc est, concupiscitur, *vincente bona delectatione non fit.* Et sermone sexto de verbis Apostoli, ubi eandem pugnam carnis concupiscentis adulterium, & spiritus castitatem concupiscentis adducit, & per delectationes utrimque fieri docet: *Delectat uxor aliena, & non annuis, mentem avertis, in secretarium mentis intras. Vides foris strepentem concupiscentiam, profer adversus eam sententiam. Nolo, inquis, non facio. Puta, quia* DELECTAT, *non facio. Habeo cui condelector; Condelector enim legi Dei.* Et quæ

[Margin: Lib. de continent. c. 3. — Ibid. c. 8.]

B sequuntur fusius. Et inferius capite decimo explicans, quomodo spiritus concupiscat adversus carnem mentemque suspendat, ne in consensum desiderij carnalis ruat: *Mens, ait, repugnat & condelectatur legi Dei. Iam vero si mens non consentit peccato titillanti, suggerenti, blandienti, si mens non consentit, quoniam habet alias interius delectationes suas, delectationibus carnis ex nulla parte conferendas &c.* Qua de re plura testimonia qui voluerit, conferat ea quæ supra de lucta carnis & spiritus diximus. Videbit enim illa conferendo cum ijs quæ præsenti capite protulimus, nihil verius esse, quam pugnam carnis & spiritus promiscue apud Augustinum describi per contrarias delectationes, & per contrarias concupiscentias ac desideria. Ex quo

[Margin: Serm. 6. de verb. Apost. — Ibid. c. 10. — Sup. c. 4. & 5.]

C consequenter constabit, id quod huc usque demonstravimus, delectationem illam cælestem, qua carnis desideria spiritui rebellantia coërcentur, non esse aliud nisi amorem vel desiderium à Spiritu sancto inspiratum, quo mens hominis; improvise & indeliberate, ac delectabiliter tangitur & suaviter afficitur legi Dei seu justitiæ: atque ita contra impetus blandientium concupiscentiarum roborata ijs consentire renuit, sed delectabiliter concupiscit ac diligit, & operatur bonum. Propter quem delectabilem dulcemque tractum, idem amoris ac desiderij motus, *delectatio* & *suavitas*, ac *dulcedo* ab Augustino nuncupatur.

Alia quæ ad vim agendi istius delectationis pertinent, tum multa diximus libro secundo de gratia Christi Salvatoris, cum de gratia Christi, quantum ad operandi modum dispu-

D taremus, eamque à gratia primi hominis distingueremus; tum vero aliquid, utrum prædeterminet voluntatem, etiam inferius dicturi sumus, cum ad conciliationem gratiæ cum libero arbitrio ventum fuerit. Nunc gratiæ istius divisiones percurramus.

[Margin: Vide lib. 2. de grat. Christ. Salvat.]

CAPVT

CAPVT XII.

De gratiæ Divisionibus.

Tres divisiones gratiæ afferuntur. Quid sit gratia præveniens.

POSTQUAM de gratiæ natura satis superque disseruimus, superest ut de ejus divisionibus pauca dicamus. Nam & in illis intelligendis non mediocriter à vera sancti Augustini mente plerique Scholastici discesserunt.

De illa igitur capitali divisione, qua gratia à recentioribus dividitur in *sufficientem* & *efficacem* nihil est quod uberius hic dicamus, cum abunde in superioribus explicata sit. Dividitur igitur ulterius gratia in *prævenientem* & *subsequentem*; itemque in *operantem* & *cooperantem*: denique in *excitantem* & *adjuvantem*. Omnes istas divisiones Augustinus ex Scripturis haustas tradidit, vel certe vestigia quædam earum expressit. Sed, ut dixi, plerique recentiores magis attenti, quid istis nominibus, filum philosophiæ suæ sequendo, significari oportunè possit, quam quid eis Augustinus ac discipuli ejus Prosper & Fulgentius significarint, mentem eorum nullo modo assecuti sunt.

Itaque in explicanda vocabulorum istorum significatione non conveniunt. Aliud enim divus Thomas cum suis sectatoribus, aliud Vega, aliud Gregorius Ariminensis, aliud alij volunt. De quibus non est necesse per singula discurrere. Plerique tamen eo redeunt ut velint gratiam esse quosdam indeliberatos intellectus & voluntatis motus, quibus potentia voluntatis quasi dormiens excitatur ut in actum surgat, & ita prævenitur. Motus istos dicunt non esse liberos, quos Deus in ipsa voluntate non libere, sed physice tamen concurrente operatur. Talibus motibus voluntas mollitur & allicitur & roboratur, ut ijs consentiendo libere velit, consentiat, atque operetur supernaturaliter bonum. Vocantur igitur isti motus gratia *operans*, inquiunt, quia Deus eam in nobis sine nobis libere cooperantibus operatur, vel certe, quia per eam Deus solus operatur in nobis ut velimus, sine nobis videlicet libere cooperantibus. Eadem vocatur *excitans* quia excitat voluntatem ad volendum vel agendum: itemque *præveniens*, quia prævenit nostrum liberum consensum. Cùm vero cooperatio & adjutorium gratiæ, juxta notissimam Etymologiam, dicat simultaneam quandam conjunctionem gratiæ & voluntatis in eandem actionem ad quam cooperantur, ita ut non una antecedat vel impellat, sed simul operentur, hinc gratia *cooperans* est illa quę voluntatem accedendo ei jam libere consentienti cooperatur. Eodem sensu eadem

Videndus Franc. Suar. lib. 3. de concursu c. 5. Vasquez 1.2. disp. 185.c.9.

A *adjuvans* dicitur, quia adjuvat infirmitatem voluntatis respectu supernaturalis operis: eadem & *concomitans* dicitur respectu consensus, quia consensum liberum comitatur, nos ad illum præstandum adjuvando: *subsequens* vero respectu prioris gratiæ quatenus prævenientem sequitur. Nec vero solum gratia operans & excitans & præveniens, juxta illos auctores, eadem omnino diversâ solum consideratione gratia est (sicut etjam cooperans, concomitans, adjuvans, & subsequens;) sed etjam operans & cooperans, excitans & adjuvans, præveniens & subsequens eędem sunt inter se. Nam idem vitalis intellectus & voluntatis motus, qui voluntatem excitat, consensumque prævenit, simul in consensum liberum voluntatis influendo cooperatur voluntati, eamque ad consentiendum & volendum & agendum adjuvat. Ita fere de gratijs istis multi recentiores, quamvis in nonnullis parvi momenti quidam ab alijs discrepent. B

Sed ista gratiarum istarum explicatio, sive in re ipsa vera sit, sive non, ab Augustini mente ac discipulorum ejus longe discrepat. Quod ut planissimè intelligatur, initium ab illa celebri divisione sumemus, qua gratia dividitur in *prævenientem* & *subsequentem*.

Præveniens igitur, & subsequens nomina respectiva sunt, quorum terminus est, non gratia, quasi una gratia aliam præveniret aut subsequi diceretur, sed actus voluntatis. Pręveniens enim dicitur, quia prævenit omnem omnino etjam primum bonum voluntatis humanæ motum; subsequens, quia bonum voluntatis humanæ motum sequitur. Motum intelligo liberum voluntatis consensum quo aliquid pręmij homo à Deo sive de congruo, sive de condigno promeretur: Primum autem, quem nullus omnino præcesserit, sed quo C incipit homo mutari ex malo in bonum. Est enim sumpta illa divisio, non ab illa metaphysica speculatione, qua gratia intelligitur excitare potentiam voluntatis ad quoscunque consensus liberos per totam vitam hominis, & voluntati consentienti volentique adjuvando cooperari, sed ab illa celeberrima controversia, ad fidem Catholicam pertinente, maximeque qua Pelagiani & Semi-Pelagiani Ecclesiam ac defensores ejus fatigarunt, utrum voluntas per se incipiat operari bonum, ita ut gratia subsequatur motum bonum voluntatis, quo ipsa sibi gratiam promeretur ac parit; an vero è contrario gratia præcedat omnem bonum motum voluntatis, fidei, spei, orationis, dilectionis

Digitized by Google

ctionis, ita ut hæc omnia Dei gratia in voluntate operetur. Nam istis aut similibus verbis Augustinus cardinem controversiæ subinde exprimit, sive quæstionem proponendo, ut quando dicit Vitali qui Semi-Pelagiano errore tenebatur: *Epist. 107.* *Recognoscis me, ut puto, in iis quæ nos scire dixi, non omnia quæ ad fidem Catholicam pertinent commemorare voluisse, sed ea tantum quæ ad istam, quæ inter nos agitur de Dei gratia quæstionem, utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, ut planius id eloquar, utrum ideo nobis datur quia volumus, an per ipsam etiam hoc Deus efficiat ut velimus.* Sive quæstionem veritatis eruendæ causa ventilando, ut quando dicit: *Ibid.* *Quomodo voluntatis humanæ meritum sequitur gratia, cum detur & parvulis, qui hoc nondum possunt velle seu nolle? Quomodo gratiam velut in maioribus dicuntur præcedere merita voluntatis, si gratia, ut vera sit gratia, non secundum merita nostra datur?* Et rursum inferiùs: *Ibid.* *Quomodo Deus exspectat voluntates hominum, ut præveniant eum, quibus det gratiam, cum gratias ei non immerito agamus de iis, quibus non ei credentibus & eius doctrinam voluntate impia persequentibus* MISERICORDIAM PRÆROGAVIT, *eosque ad seipsum omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit?* Sive quæstionem constituta veritate absolvendo, ut quando concludit: *Ibid.* *Nempe manifestum est, ex illis duodecim sententiis quas pertinere ad Catholicam fidem negare non sineris, non solum omnibus, sed etiam singulis id confici, ut confiteamur gratia Dei* PRÆVENIRI *hominum voluntates & per hanc eas potius præparari, quam propter earum meritum dari.* Et rursum paulo post luculentissimè: *Ibid.* *Hæc & alia testimonia divina ostendunt, Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, &* PRÆVENIRE *in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per* ANTECEDENTEM *gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis* ANTECEDENTE *donetur.* Et in fine tandem Epistolæ: *Ibid.* *Si sentis atque consentis, debere nos etiam Deo agere gratias, ac solere pro talibus, quod ad fidem eius doctrinamque conversi volentes ex nolentibus fiant, oportet sine dubitatione fatearis, voluntates hominum Dei gratia* PRÆVENIRI, *& ut bonum velint homines, quod nolebant, Deum facere qui rogatur ut faciat.*

Ex quibus profecto manifestissimè constat, quando de præveniente gratia & subsequente disputatur, non hic quæri, utrum gratia potentiam voluntatis in operibus quibusque bonis quasi excitando præcedat, cum qua deinde in actum influat; sed illud, utrum gratia præcedat omnes actus bonos voluntatis, etiam primum illum quo incipit ex nolente velle bonum, an è contrario bonus aliquis motus voluntatis præcedat gratiam, ita ut eum gratia veluti merces meriti illius subsequatur. Non enim vocatur gratia *præveniens* respectu bonorum operum quæ justificati per totam vitam operantur, quamvis ad ea voluntatem excitet; sed tantum respectu illius mutationis ex mala in bonum, per quam incipit justificari, hoc est, ex nolente volens, ex aversa conversa, ex injusta justa fieri: respectu vero operum jam à credente ac diligente profluentium gratia vocatur *subsequens*, quia sequitur meritum jam conversæ & justificatæ voluntatis. Hanc esse verissimam & genuinam intelligentiam gratiæ prævenientis & subsequentis, prout de illis Augustinus ac discipuli ejus & Ecclesia, ipsæque adeo Scripturæ sacræ, unde eas deprompserunt, locuti sunt, ex multis indiciis atque locis apertissimum est. Nec enim aliud sibi vult cum in Epistola ad Vitalem scribit: *Epist. ad Vitalem* *Quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est quæ non secundum merita nostra datur, sed dat meritum ipsa cum datur, quia* PRÆVENIT *hominis voluntatem bonam*, id est, volitionem ejus bonam, *nec eam cuiusquam invenit in corde sed facit.* Nec aliud cum libro secundo ad Bonifacium probat primam boni cupiditatem, hoc est, etiam initium charitatis seu bonæ voluntatis esse nobis ex Deo præveniente voluntatem: *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.* *Avertat enim Deus hanc amentiam ut in donis eius nos priores faciamus, posteriorem ipsum; quoniam misericordia eius* PRÆVENIET ME. *Et ipse est, cui fideliter veraciterque cantatur:* *Quoniam* PRÆVENISTI *eum in benedictione dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quam ipsa de qua loquimur cupiditas boni? Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere cœperit &c. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis; in qua si nos non* PRÆVENIT *Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere, profecto nec incipere nec perficere; quia ut* INCIPIAMVS DICTVM EST, MISERICORDIA EIVS PRÆVENIET ME; *ut perficiamus dictum est,* MISERICORDIA EIVS SVBSEQVETVR ME. Et nec aliud libro primo contra Iulianum operis imperfecti: *Lib. 1. cont. Iul. oper. imp. f. 185.* *Gratia quippe hominem prævenit, ut diligat Deum, qua dilectione operetur bona. Quod & Ioannes Apostolus apertissimè ostendit, ubi ait: Nos diligamus, quoniam* PRIOR *dilexit nos. Non ergo diligemur, quia dileximus; sed quia dilecti sumus diligimus.* Hoc est, non nos prævenimus nostra dilectione gratiam Dei, sed gratia Dei prævenit dilectionem nostram. Et in eodem libro iterum: *Ibid. f. 190.* *Si non* PRÆVENIT gratia voluntatem seu volitionem *ut operetur eam, sed prius existenti voluntati*, id est volitioni, *gratia cooperatur, quomodo verum est Deus in nobis operatur & velle? Quomodo præparatur voluntas à Domino?* Nec aliud in Enchiridio ad Laurentium: *Enchir. 33.* *Præcedit enim bona voluntas*, id est volitio *hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis, & misericordia eius* PRÆVENIET *me, & misericordia eius subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus piè vivere, nisi Deus in illis operetur ut velint? Item cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus. Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia Dei præveniat eos, sicut prævenit & nos*, antequam videlicet ullo bono voluntatis motu nos prævenissemus Deum; *oramus autem pro nobis ut misericordia eius subse-*

subsequatur nos. Quid autem sit istud, *ne frustra veles*, de quo aliqui multum contendunt, infra clare demonstrabimus. Nec aliud voluit quando dixit in Psalmos: *Dic Domino Deo tuo, Deus meus misericordia ejus præveniet me. Prævenit enim te, utique prævenit, quia nihil in te boni invenit.* Hoc est, nullum omnino bonum voluntatis motum, quo animus esset jam conversus ad Deum: *Prævenisti supplicium ejus superbiendo, ille prævenit supplicium tuum peccata delendo.* Quod eodem sensu paulo aliter expressit in Psalmum decimum septimum: *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam bonæ voluntatis: qui prior præbuit misericordiam antequam haberem bonam voluntatem.* Nam sive Deus gratia, seu misericordia sua bonam voluntatem prævenire, sive prior misericordiam præbere dicatur, antequam habeamus bonam voluntatem, idem omnino dicitur, eaque gratia exprimitur, quæ omnem bonum voluntatis motum, omniaque merita nostra prævenit, ut per eam opposita seu mala merita nostra peccataque deleantur. Unde in præfatione in Psalmum trigesimum-primum vocatur Psalmus ille, *Psalmus gratiæ Dei & justificationis nostræ, nullis præcedentibus meritis nostris sed præveniente nos misericordia Domini Dei nostri.* Et concione secunda in Psalmum trigesimum secundum: *Opus est in tectu accipere prædicationem Evangelii: plena sunt horrea. Hæc ipsa plenitudo & abundantia non te venientem expectaverunt, sed ad dormientem ipsa venerunt.* Hoc est, misericordia & gratia Dei te aversum in peccatisque dormientem prævenerunt. Nec aliud sibi vult in Psalmum quinquagesimum-octavum, ubi etjam exserte adjicit, prævenientem gratiam Pelagianis capitaliter esse contrariam: *Quid in me invenisti nisi sola peccata? Tuum nihil aliud nisi natura quam creasti, cetera mala mea quæ delevisti. Non ego prior ad te exsurrexi, sed tu ad me excitandum venisti. Nam misericordia ejus præveniet me. Antequam aliquid boni ego faciam, misericordia ejus præveniet me. Quid hic respondebit infelix Pelagius?* Et ex professo explicans Scripturæ locum ex quo gratiam prævenientem Ecclesia & Augustinus hausit: *Deus meus misericordia ejus præveniet me: hoc est ante omnia merita mea bona* (quod nihil est aliud quam ante omnem motum voluntatis bonum, cum adhuc essem aversus à Deo) *prævenit me misericordia ipsius, etsi nihil in me boni invenerit, ipse me facit bonum, & ipse justificat conversum, & ipse admovet ut convertatur aversum.* Et in fine illius concionis multo luculentius: *Opus est ut tu curari velis, opus est ut manus ejus non refugias. Sed etsi nolis curari vulnus tuum admovet ut curetur: & aversum revocat, & refugientem quodammodo ad se redire compellit, & attrahit. In omnibus impleat quod dictum est: Misericordia ejus præveniet me. Cogitate quod dictum est* PRÆVENIET ME. SI ALIQUID TUUM PRIMUM ATTULISTI, ET EX TUO ALIQUO BONO PRIMO DEI MISERICORDIAM MERUISTI, NON TE PRÆVENIT. *Quando autem vel intelligis, quia præventus es, nisi intelligas quod ait Apostolus: Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hoc est, misericordia ejus præveniet me.* Nihil sane manifestius dici potest, quo intelligamus, non alio sensu Scripturas & Augustinum vocasse gratiam prævenientem, nisi quia prævenit omnes voluntatis actus bonos, hoc est, omnia merita bona, eo quod nullus in Augustini doctrina sit actus bonus, quin aliquid mercedis à Deo mereatur. Et illa ratio est, cur sæpius explicat illam rationem præveniendi, per hoc quod gratia antecedit omnes actus bonos, vel per oppositum, quia nihil boni nostri gratiam præcedit, vel, ut Scriptura loquitur, quia nemo *prior dedit* Deo *ut retribuatur ei*: ut quando dicit in sermonibus de verbis Apostoli: *Quis prior dedit, cum totum gratis accepit? Quis prior dedit illi & retribuetur ei? Si Dominus retribuere vellet, nihil nisi pœnam debitam retulisset. Nihil dederunt ut eis retribueretur: pro nihilo salvos faceret illos. Quis prior dedit illi quasi suorum gratia meritorum? Quis prior dedit illi? Quis prævenit gratiam quæ gratis datur? Si aliquid meritorum antevenit gratiam, jam non gratis datur sed ex debito redditur. Si autem gratis non datur, gratia quare vocatur? Quis ergo prior dedit illi, & retribuetur ei.* Et in libris adversus Iulianum: *Quia imago Dei est, meretur hanc gratiam, non tamen ut ejus bona voluntas possit* PRÆCEDERE *præter gratiam, ut vel ipsam prior det, ut retribuatur ei, ac sic gratia jam non sit gratia, dum non datur gratuita sed redditur debita.* Quod cum tanquam gratiæ veræ ex diametro adversum refellisset, veram rationem gratiæ prævenientis adjungit: *Non ergo quia est illis voluntas bona, sed ut convertatur in bonam voluntas mala, quoniam præparatur,* id est, donatur & efficitur, *voluntas à Domino: & Deus est, ut ait Apostolus qui operatur in vobis & velle.* Quæ etjam vera causa est, cur ratio gratiæ evidentissimè appareat, non tam in gratia consequente, quæ consequitur bonos voluntatis motus, quam in præveniente, quæ omne meritum omnemque actum bonum præveniendo præcedit.

Secundo hæc ratio prævenientis gratiæ ex opposito Pelagianorum sensu perspicuè patet. Illi cum Augustini & Catholicorum disputationibus & Conciliorum auctoritate quibus damnati fuerant, tandem aliquam gratiam admittere cogerentur, consequente admissâ qua ad facilius operandum assequendamque perfectionem, juvarentur, prævenientem tamen, per meritum antecedens funditus sustulerunt. Quam sententiam postea Semi-Pelagiani, velut hæreseos suæ fundamentum amplexi studiosissimè defenderunt. Hunc Pelagianorum sensum, gratiæ prævenienti ex diametro adversum, non semel Augustinus expressit, ut in libris contra Iulianum: *Nam & studium sanctitatis sine adjutorio Dei vultis in hominis voluntate* PRÆCEDERE, *quod merito Deus debeat adjuvare non gratis.* Et in Epistola ad Paulinum Pelagianos aliquid quoquo modo prævium gratiæ quæritantes increpans: *Cur,* inquit, *meritis præveniri gratia perhibetur, quæ gratia non esset, si secundum meritum imputaretur?* Nam de ista præveniente gratia post damnatos Pela-

Psal. 18. — in Psal. 18. — Psal. 17. — In præfat. in Psal. 31. — Conc. 2. in Psal. 32. — Conc. 1. in Psal. 58. — Conc. 2. in Psal. 58. — Conc. 2. in Psal. 58. — Conc. 11. de verbis Apost. c. 13. — Lib. 4. c. 3. — Lib. 4. cont. Iul. c. 3. — Epist. 106.

A Pelagianos ei fuisse controversiam, in præcedentibus abunde manifestat: Ibid. *Cùm ergo fides impetrat iustificationem non gratiam Dei aliquid meriti* PRÆCEDIT *humani; sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, hoc est, sequente, non ducente, pedissequa non praviâ voluntate. Vnde ille qui dixit: Fortitudinem meam ad te custodiam, causamque reddit dicens, quoniam Deus susceptor meus es: tanquam requirens, quibus id meritis fuerit consecutus, nihilque in se inveniens* ANTE GRATIAM DEI; *Deus meus, inquit, misericordia eius* PRÆVENIET ME. Et quid illud? *Quantumcunque, inquit, cogitavero antecedentia merita mea misericordia eius præveniet me.* Et inferius in eadem Epist. 106. Epistola: *Sive sit gratia qua iustificantur impij, de qua nobis dubitare fas non est, sive ut quidam volunt* (Pelagiani) *semper* PRÆCEDAT *liberum arbitrium, cuius meritum sequatur pœna vel præmium.* Et eundem Pelagianum sensum exclu- B dens cùm contra Vitalem scriberet: Epist. 107. *A Domino gressus hominis diriguntur & viam eius volet: non dixit, & viam eius discet aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid huiusmodi, quod posset dicere, à Domino quidem dari, sed homini iam volenti, ut scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam eius discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate* PRÆCEDAT, *& hoc Dei donum sua homo voluntate mereatur; sed ideo dixit a* DOMINO *gressus hominis diriguntur & viam eius volet, ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam qua incipimus velle credere, quoniam Dei via quid est nisi fides recta, illius esse donum qui gressus nostros propterea dirigit primum ut velimus.* Et in libris ad Bonifacium: Lib. 2. ad Bonif. c. 8. *Isti enim volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni,* id est, primam bonam voluntatem, *ut huius cœpti meritum etiam perficiendi* GRATIA CONSEQVATVR. Et inferius adhuc: Ibid. c. 10. *Hoc ita dicunt velut homo a seipso sine adiutorio Dei habeat propositum bonum studiumque virtutis quo merito* PRÆCEDEN- C TE *dignus sit adiuvari Dei gratia subsequente.* Et iterum paulo post eorum hæresim perstringens: *Hominis autem propositum bonum adiuvat quidem* SVBSEQVENS GRATIA, *sed nec ipsum esset nisi* PRÆCEDERET GRATIA. Et lib. 4. ad eundem Lib. 4. ad Bonif. c. 6. Bonifacium: *Si enim volunt intelligi quod dictum est: Si volueritis & audieritis me, tanquam in ipsa* PRÆCEDENTE VOLVNTATE *sit* CONSEQVENTIS *meritum gratiæ, ac sic gratia iam non sit gratia, quæ non est gratuita cùm redditur debita. Si autem sic intelligerent quod dictum est, Si volueritis, ut etiam ipsam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo scriptum est, Præparatur voluntas a Domino, tanquam Catholici uterentur hoc testimonio.* Vnde mox eis veræ gratiæ puritatem tradendò subtexit: Ibid. *Sed intelligerent & confiterentur etiam ipsum bonum propositum, quod* CONSEQVENS *adiuvat gratia, non esse potuisse in homine, si non* PRÆCEDERET *gratia. Quomodo enim est hominis* D *bonum propositum sine miserante* PRIVS DOMINO? *Cumipsa sit bona voluntas quæ præparatur a Domino?* Itaque paucis interiectis cum Pelagiani faterentur bonum propositum jam ab homine inchoatum, Dei Gratiâ adjuvari, quibus verbis *consequentem* gratiam satis aperte fatebantur, non esse hoc satis ad veræ gratiæ confessionem, qua etiam ipsum bonum propositum *præveniri* gratia non dubitamus, ostendit: Lib. 4. ad Bonif. c. 6. *Veruntamen in omnibus quæ quisque agit secundum Deum, misericordia eius* PRÆVENIT EVM. *Quod isti nolunt, quia non esse Catholici, sed Pelagiani volunt. Multum enim delectat impietatem superbam, ut etiam id quod cogitur confiteri a Domino datum non sibi donatum videatur esse, sed redditum: ut scilicet filij perditionis non promissionis ipsi credantur se bonos fecisse,* videlicet primam ex se proferendo bonam voluntatem atq; propositum, *& Deus iam bonis a seipsis effectis, pro isto eorum opere debitum præmium reddidisse.* Quod mox divinæ gratiæ prævenienti capitaliter inimicum esse declarat: Ibidem. *Quid rem ansit pelli morticina unde possit inflari, & dedignetur, quando gloriatur, in Domino gloriari? Quid ei remansit, quando quicquid dixerit se fecisse, ut eo* PRÆCEDENTE *hominis merito ab homine exorto Deus* SVBSEQVENTER *faciat, quod dignus est homo, respondetur, reclamatur, contradicitur: Ego facio sed propter nomen meum sanctum, non propter vos ego facio, dicit Dominus. Nihil sic evertit Pelagianos dicentes gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Itaque istius erroris falsitatem meritaque quælibet ex homine pullulantia prævenientis gratiæ sinceritate & profunditate destruens: Ibid. *Nos quidem ambulamus, verum est; nos observamus, nos facimus; sed ille facit ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus. Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc misericordia* PRÆVENIENS *nos.* Et quia error iste Pelagianus, quo prævenientem gratiam, retenta consequente, destruebant, Semi-Pelagianorum postea peculiaris & proprius fuit, ut qui libentissime gratiam ad opera bona fatebantur, dummodo consequeretur ipsa fidem ac voluntatem suam bonam quam à seipsis inchoari sentiebant, hinc eum eodem modo Au- C gustinus luculentissime scilicet prævenientis gratiæ puritate subvertit. Quod quia operæ pretium ex ipso fonte intelligere, totus locus quo admodum clarè & præclarè veritas ista traditur, ex libro de Dono perseverantiæ ascribendus est: Lib. de dono persev. c. 16. *A Pelagianorum porro hæretica perversitate tantum isti remoti sunt,* Massilienses, *propter quos hæc agimus, ut licet nondum velint fateri prædestinatos esse, qui per gratiam Dei fiant obedientes,* videlicet per fidem obediendo prædicationi, *atque permaneant, iam tamen fateantur quod eorum* PRÆVENIAT *voluntatem,* nempe ad bene operandum, *quibus datur hæc gratia. Ideo utique ne non gratis dari credatur gratia, sicut veritas loquitur, sed potius secundum* PRÆCEDENTIS *merita voluntatis, sicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur.* PRÆVENIT *ergo & fidem gratia: alioquin si eam fides,* ab homine scilicet exorta PRÆVENIT, *procul dubio prævenit & voluntas,* id est, volitio, *quoniam fides sine vo-* D *luntate non potest esse. Si autem gratia* PRÆVENIT *fidem, quoniam prævenit voluntatem profectò* PRÆVENIT *omnem obedientiam,* PRÆVENIT *etiam charitatem, quâ una Deo veraciter & suaviter obeditur. & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cuius hæc omnia* PRÆVENIT, *operatur.*

V Quæ

Quæ quidem tam prolixè accersita & in unum locum digerenda censui, ut cuilibet in Augustini scriptis minus versato ad oculum claresceret, certissimum esse quod diximus. Nempe veram gratiam prævenientem non esse quamlibet gratiam, qua potentia voluntatis ad opera sua bona prævenitur, sed illam qua Deus prævenit omnia merita nostra bona, sive omnem etiam primum voluntatis motum bonum, utpote quæ ex nolente volentem facit, qua voluntas hominis præparatur ac datur, qua Deus in homine operatur & velle, qua hominis voluntas primo eruitur ex potestate tenebrarum, & convertitur in Deum vivum, qua denique incipit credere veritati. Nam ut Augustinus docet, *ubi est initium fidei, est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis*: quod Pelagiani maximeque Semi-Pelagiani nolebant esse beneficium prævenientis gratiæ, sed humanæ voluntatis officium. Adversus istum enim errorem militat gratia præveniens, sicut adversus illum, qui opera bona fidem sequentia soli humanæ voluntatis arbitrio tribuunt, gratia quam consequentem Scripturæ & Patres dicunt. *Epist. 107. ad Vitalem.*

Ex quo etiam facile intelligitur, quomodo A subinde Augustinus gratiæ prævenienti tribuit, quod nos justificat, seu justos & bonos faciat. Nam apud Augustinum sexcentis locis justificari & bonum fieri, non ita accipitur, ut jam vulgò solet, ut sit idem quod perfecta peccatorum omnium remissione mundari; sed ut idem sit quod quoquo modo à voluntatis malitia & perversitate mutari; quod etiam fit per quemcunque etiam primum motum quantumcunque exiguum bonæ seu piæ voluntatis. Nimirum quia vera illa & perfecta justitia, à bona voluntate & fide ei conjuncta sumit initium, juxta illud ejusdem Augustini: *Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, sed gratuitum donum esse fateamur, si veram gratiam, id est, sine meritis cogitamus*: ut merito justificari, hoc est, justus & bonus fieri saltem inchoatè dici debeat, quisquis per prævenientem gratiam, ab injusta & mala voluntate convertitur. Gratia vero justificans istâ consideratione non est gratia habitualis aut remissio peccatorum, sed gratia potius actualis effectivè justificans non formaliter, quomodo innumeris locis ab Augustino accipitur, prout & recentiores aliqui advertunt. *Epist. 105.* *Lib. de spir. & lit. sæpius.* *Vasq. 1. p. Disput. 88. c. 1. & Disp. 196. c. 3. & 1. 2 Disp. 211. & 212. n. 14. & 15. Et Lessius de gratia efficaci c. 12. n. 10.*

CAPUT XIII.

Quid sit gratia consequens, seu subsequens.

QVÆ quidem quisquis rectè intellexerit nihil jam laborabit ut intelligat quid in Scripturis & Patribus gratia *Consequens* nominetur. Est enim illa gratia quæ consequitur illa inchoata studia bonæ voluntatis, eaque tanquam adhuc infirma fovet, juvat, roborat, donec ita perfecta robustaque voluntas efficiatur, ut nullis blandientium rerum amoribus cedat, nullo comminantium pœnarum terrore frangatur. A qua sanè perfectione bonæ voluntatis ij qui à peccatis incipiunt resipiscere, conflictumque cum diversarum cupiditatum suarum exercitu meditantur, plerumq; longe distant. Recolendum est enim id quod latissime superius tradidimus, & in scriptis Augustini, Prosperi, Fulgentii, exploratissimum est: esse quandam bonæ voluntatis infirmitatem, quam homo nullo conatu suo, nisi per gratiam coelitus infusam roboretur, superare aut exuere potest. Oritur enim ex rebellantis pertinacissimeque sævientis concupiscentiæ motibus, quam non est in solius hominis potestate frangere, mansuetamq; reddere, multo minus funditus exuere. Adversus istam infirmitatem homo per totam vitam, post conversionem suam ad Deum quam gratia PRÆVENIENS operata est, gratiâ CONSEQUENTE juvatur ac roboratur; cujus beneficio paulatim bona voluntas crescit orando, bene operando, mandata complendo, donec ita robusta fiat, ut etiam reluctantes concupiscentiæ impetus vincat ac domet. Nam ista est pro- *Lib. 2. de grat. Christi Salvat. c. 13.*

A priè illa gratia qua Deus voluntatem jam bonam adjuvando perficit, quam præveniendo inchoavit. Qua de causa cum ista gratia libertatem arbitrij satis apertè servare videretur, utpote quæ voluntati jam volenti conantique donabatur, libenter eam Pelagiani postquam à Zozymo Pontifice Africanisq; Patribus damnati essent, amplexi sunt. Prævenientem vero quæ nolentem reluctantemq; hominem velle faciebat; pertinaciter contemnebant. Ex quo fonte fluunt illa verba Iuliani: *Gratiam quoque confitemur adjuvare uniuscujusque bonum propositum*, videlicet jam ante gratiam inchoatum; *non tamen reluctanti studium virtutis immittere.* Per quæ volebant, ut exponit Augustinus *in homine ab ipso homine incipere cupiditatem* seu voluntatem *boni, ut hujus cœpti meritum etiam perficiens gratia* CONSEQVATVR. Aduersus quam eorum perversam opinionem ita B commendandam gratiam consequentem censuit Augustinus, ut nequaquam gratiæ prævenientis dignitas læderetur. Itaque de hac consequente gratia dixit in præcedenti capite: *Vt incipiamus dictum est. Misericordia ejus præveniet me, ut perficiamus dictum est, misericordia ejus subsequetur me.* De hac gratia consequente dixit: *Hoc autem bonum propositum adjuvat quidem* SVBSEQVENS *gratia, sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia.* De hac gratia consequente dixit: *Ipsum bonum propositum* CONSEQVENS *adjuvat gratia.* De hac gratia cùm exponeret illa Scripturæ verba: *Misericordia ejus præveniet me: & misericordia ejus subsequetur me*, unde ista divisio *Lib. 2. ad Bonif. cap. 5. & lib. 4. c. 6.* *Lib. 2. c. 8.* *Lib. 4. c. 6.*

gratiæ

In Enchirid. ad Laurent. cap. 32.

gratiæ deprompta est: *Nolentem prævenit ut velit: volentem subsequitur ne frustra velit.* Hoc est, ne tantummodo in generali & imperfecta voluntate seu velleitate bene vivendi hærendo, propter infirmitatem bonæ voluntatis, & reluctantes concupiscentiæ suæ motus perficere non possit quod facere cupit, juxta illud Apostoli: *Caro concupiscit adversus spiritum, ut non quæcunque vultis illa faciatis.* Spiritus igitur consequente gratiâ adjuvat infirmitatem nostram etiam volentium, ne frustra velimus. De hac iterum gratia consequente ibidem dixit: *Oramus pro inimicis nostris, ut misericordia Dei præveniat eos sicut prævenit & nos: oramus autem pro nobis ut misericordia eius subsequatur nos.*

In Enchirid. ad Laurent. cap. 32.

Hæc est enim essentialis inter utramque gratiam propriè sumptam differentia, ut pro præ- A veniente gratia sibimet ipsi danda nullus oret aut orare possit: consequens autem ab ipso homine pro seipso orante impetretur. Cujus differentiæ causa utramque gratiam ponderanti manifesta est. Nemo enim Deum rogare potest pro impetranda ejus gratia ante fidem ac bonam seu piam qualemcunque voluntatem: *Initium enim corrigendi tot, fides est.* Pia ergo voluntas ac fides prius per prævenientem gratiam dari debet, ut ijs acceptis possit orare. Nam & *desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est*: &, *Fides non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur.* Quicquid ergo gratiæ homo precando postulat, non potest esse alia nisi consequens bonam voluntatem, quam jam ante per prævenientem Dei gratiam accepit.

Lib. de perf. ... cap. 19.

Lib. de Cor. & grat. c. 1.

Lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 14.

CAPVT XIV.

Declaratur uberius natura gratiæ prævenientis & consequentis ex Prospero, Fulgentio, & ex Concilijs Arausicano ac Tridentino.

ET ista quidem ad intelligendum gratiæ prævenientis & consequentis discrimen, abundè sufficere possent, veruntamen ne quis istum solius Augustini sensum esse arbitretur, non abs re fuerit ostendere, quod eadem discipulorum ejus, adeoque Ecclesiæ Catholicæ & Conciliorum ejus semper fuerit mens; à qua viderint Scholastici, utrum sit expediens ac tutum, in Philosophica talium vocabulorum interpretatione hærendo discedere. Itaque imprimis sanctus Prosper non aliam gratiæ prævenientis consequentisque naturam intellexit, nisi illam quam superius explicuimus; ut illa præveniens dicatur, quæ prævenit bonam voluntatem, seu bonum voluntatis motum; nec enim invenit in cujusquam corde, sed facit ut gratia vere sit gratia hoc est, gratuita. Consequens vero quæ jam sequitur bonam voluntatem, quam homo ex gratia præveniente concepit. Vnde sic exprimit Massiliensium presbyterorum sententiam, qui servatâ gratia consequente prævenientem auferebant: *Qui illis resistunt, hoc scripto apertissime probantur, quod fides (unde incipit voluntas bona) non sit donum Dei, & quod gratia non præveniat liberum arbitrium,* dando ei videlicet etiam ipsam fidem, ubi est initium bonæ voluntatis, *sed sequatur, & quod gratia Dei secundum merita nostra detur.* Itaque statim prolixè probat, ita liberum arbitrium gratia præveniri, ut operetur in eo etiam ipsam fidem, hoc est, ipsum etiam initium bonæ voluntatis. Et libro contra Collatorem, improbat errorem ejus, quo putabat gratiam non in omnibus prævenire voluntatem: *Quasi ita utrumque recipiendum sit,* juxta Cassianum, *ut in alijs hominibus, voluntas gratiam in alijs GRATIA PRÆVENIAT voluntatem, & non ita ut in omnibus vo-*

In Respons. ad 8. Excep. Genuens.

Lib. contra Collat. c. 39.

A *luntas gratiam SVBSEQVATVR.* Hoc est, admittebat respectu quorundam gratiam *prævenire* voluntatem, quos ex malis scilicet bonos, ex nolentibus volentes faciebat, respectu aliorum vero gratiam tantum *consequi* voluntatem, utpote qui per seipsos crederent.

Sed gratias istas multo luculentius explicuit sanctus Fulgentius, diversis operum suorum locis, ex quibus prolixitatis vitandæ causa pauca delibabimus. Sic ergo de illis disserit libro primo ad Monimum: *Ipse donat gratis indigno gratiam qua justificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis; ut PRÆVENIENTE misericordia bonum velle incipiat & SVBSEQVENTE misericordiâ bonum quod vult facere valeat.* Et paucis interpositis uberius: *Vt hoc mereantur, ipsa præveniendo misericorditer incipit, ipsa subsequendo custodit. Ista gratia in Scripturis etiam misericordia nominatur, De qua dicit David: Deus meus misericordia eius præveniet me. Et alio loco: Misericordia tua subsequetur me per omnes dies vitæ meæ. Prævenit igitur impium ut fiat iustus: subsequitur iustum ne fiat impius. Prævenit cæcum ut lumen, quod non invenit, donet: subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit, servet. Prævenit elisum ut surgat; subsequitur elevatum ne cadat. Prævenit donans homini bonam voluntatem: subsequitur bene volentem, operando in illo boni operis facultatem. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præveniens ipsa largitur.* Et iterum post multa. *Prædestinavit ad regnum quos ad se præscivit misericordiæ PRÆVENIENTIS auxilio redituros, & in se misericordiæ SVBSEQVENTIS auxilio esse mansuros.* Et in libro de Incarnatione & gratia: *Cùm ergo Paulus esset blasphemus & persecutor & contumeliosus, non ideo est adiutus Dei gratiâ, quia credere voluit,* id est, gratiâ cõsequente, *sed ut credere*

Lib. 1. ad Monimum c. 13.

Ibid. c. 20.

B

Ibid. c. 52.

Lib. de Incar. & grat. c. 18.

Digitized by Google

credere velles, donum gratiæ PRÆVENIENTIS *accepit.* Et in eodem isto loco inferius explicans clarius officium utriusque gratiæ: *Quia revera & ut velimus misericordia* PRÆVENIENTIS *illuminamur dono;* & *ut curramus* per viam videlicet mandatorum bene operando, *misericordia* SUBSEQUENTIS *fulcimur auxilio.* Et præclarissimè lib. 1. de Veritate prædestinationis & gratiæ, quos contra Semi-Pelagianos elaboravit: *Sicut ergo bona voluntatis initium nemo potest habere, nisi fuerit misericordia Dei* PRÆVENIENTE *illuminatus, quia præparatur voluntas à Domino, & rursum scriptum est: Deus meus misericordia eius præveniet me: ita eandem bonam voluntatem nemo usque in finem poterit obtinere, nisi fuerit iugiter, eadem misericordiâ* SUBSEQUENTE *servatus. Dicit enim Deo beatus David: Misericordia tua* SUBSEQUETUR *me, omnibus diebus vitæ meæ. Misericordia igitur quæ gratis malum hominem* PRÆVENIT *ut mutet in melius, & ipsa quem bonum facit* SUBSEQUENDO *regit, ne mutetur in peius. Omne igitur bonum voluntatis & operis tunc inesse potest homini, si* PRÆVENIENTIS *gratiæ largitate detur, eiusdemque gratiæ* SUBSEQUENTIS *opitulatione servetur: quæ malum* PRÆVENIT, *ut bonam Deo largiente voluntatem habere incipiat, quam ante quia per se habere non poterat, non habebat.* SUBSEQUITUR *autem bonum ut perseveret & proficiat in bona voluntate, quam ex se habere non potuit, sed gratis accepit.* PRÆVENIT *ergo dirigendo cor hominis pravum, quia scriptum est: Dirigit autem corda eius.* SUBSEQUITUR *autem custodiendo cor rectum &c.* Et post multa in illo libro interposita: *Non autem* PRÆVENIENDO *illuminaretur liberum arbitrium, si non esset: nec* SUBSEQUENDO *adiuvaret* (forte adjuvaretur) *si illuminatum ad aliquid sibi bonæ cogitationis aut operis esse posset idoneum.* Et iterum paulo post: *Tunc salubriter discimus quid facere debeamus, quando nos misericordia* PRÆVENIENS *illuminat & sanamur, ut quod illâ* PRÆVENIENTE *discimus eâdem* SUBSEQUENTE *faciamus.* PRÆVENIT *enim nos dum propitius fit Dominus omnibus iniquitatibus nostris:* SUBSEQUITUR *nos dum sanat omnes languores nostros,* variarum videlicet concupiscentiarum cum bona voluntate dimicantium. PRÆVENIT *misericordia liberum hominis arbitrium, dum in nondum bene volente sola operatur exordium bonæ voluntatis:* SUBSEQUITUR *dum bene volenti subministrat auxilium, ut bene operando perveniat ad bonæ voluntatis effectum,* voluntatem videlicet infirmam roborando, efficacemque reddendo: *Misericordia igitur* PRÆVENIENS *cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat:* SUBSEQUENS *autem cooperantem sibi voluntatem iuvat.* Quod latius ibidem prosequitur declarando, quod gratiæ prævenientis officium sit mutare malam hominis voluntatem in bonam faciendo *ex infideli fidelem, ex superba humilem &c.* per mutationem dexteræ excelsi: consequentis vero [illegible] quod fecit. Et in libro secundo ejusdem operis docet quod sancti Patres indubitanter asseruerint, in hominis voluntate *nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficio gratiæ* PRÆVENIENTIS *infunditur; nihil in melius augeri, nisi quod* SUBSEQUENTIS *iuvamine roboratur.* Et

Ibid. — Lib. 1. de veris prædest. & gratia f. 57. — Ibid. f. 93. — Ibid. f. 96. — Lib. de veritate prædest. & gratia f. 97. — Ibid. f. 127.

A in libro de Trinitate clarè explicat paucis verbis & officium gratiæ prævenientis & subsequentis, & ipsa S. Augustini verba quibus obscurius illud expresserat: *Quapropter*, inquit, *ipsum liberum arbitrium Gratia Dei liberatur ut bonum velit & possit. Ita enim quidam ex Patribus ait, quod Gratia Dei præveniat nolentem ut velit; subsequatur volentem, ne frustra velit.* Nempe hoc sentit quod supra explicando hæc verba diximus, prævenientem gratiam facere ut homo velit, subsequentem facere id quod voluit, ne volendo & propter infirmitatem novæ voluntatis non valendo, frustra velit. Multa præterea ad prævenientis & subsequentis gratiæ explicationem ex Fulgentio proferri possunt; sed quia ista sufficiunt, prætermittimus. Ex his enim evidenter constat, proprium prævenientis gratiæ beneficium in eo situm esse, quod hominem faciat bonum velle quod noluit, quod ex
B nolente volentem facit, ex infideli fidelem, ex injusto justum, hoc est, quod in eo operetur primam illam voluntatis perversæ mutationem. Unde merito præveniens dicitur non quod præveniat potentiam voluntatis (hoc enim etiam omnis consequens gratia facit) sed quia prævenit omnem omnino bonum voluntatis motum, quo cogitari posset homo jam suis viribus sese convertisse ad Deum, aut credidisse Deo, aut diligere Deum. Consequens vero dicitur omnis illa gratia, quæ sequitur illam voluntatis mutationem, ideoque proprium ejus munus est illam bonam voluntatem accendere, ut quod voluit possit; fovere & custodire ne pereat, juvare ne qua illam cōcupiscentiarum tempestas frangat; augere & roborare ne luctando superetur. De qua duplici gratia S. Gregorius: *Sancti viri sciunt post primi parentis lapsum, de corruptibili stirpe se editos, & non virtute propriâ, sed* PRÆVENIENTE *super-*
C *nâ gratiâ Dei ad meliora se vota* (id est, voluntates seu desideria) *vel opera commutatos &c. Eique de accepto munere debitores fiunt, qui & PRÆVENIENDO dedit eis bonum velle, quod noluerant, & SUBSEQUENDO dedit bonum posse quod volunt.*

Quæ cùm ex scriptis SS. Patrum, qui ex professo hæreses divinæ gratiæ inimicas debellarunt, perspicuè constent, non erit jam difficile eandem mentem in Ecclesiæ decretis intelligere. Nam istiusmodi prævenientem gratiam instantissimè tradit Concilium Arausicanum Canone tertio, quarto, quinto, sexto, sed quia illam non exprimit illo ipso nomine, reluctantibus non ita perspicuè persuaderi potest. Canone vero vigesimo quinto, apertissimè contra Semi-Pelagianos dicit, qui saltem nos credere posse sine gratia præveniente sentiebant, ita attenuatum esse liberum arbitrium, *ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bo-*
D *num est possit, nisi gratia eum & misericordia divina* PRÆVENERIT. Quod paulo post dicit, *non nos incipere & postea per Dei misericordiam adiuvari, sed nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem Dei prius inspirari ut baptismum requiramus, & ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.*

Aug. in Enchir. c. 31. Fulgent. lib. de Trin. 160 — S. Greg. lib. 22. moral. c. 5. alias 10

possimus. Quibus verbis præveniens gratia explicatur. Ista est enim qua propriè fides & pius affectus erga Deum inspiratur, sine qua fides esse nequit, tanquam justificationis exordium, ut ad justificationem ipsam perducatur. Quod similibus ferè verbis non solum officium, sed etiam nomen prævenientis gratiæ exprimendo Synodus Tridentina Sessione sexta declaravit: *Declarat præterea*, inquit, *ipsius justificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum* PRÆVENIENTE *gratia sumendum esse: hoc est, ab ejus vocatione qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur.* Disertius, distinctius & accuratius non

Conc. Trid. sess. 6. c. 5.

posset gratia præveniens propriè dicta & munus ejus exponi. Nam ex illa dicit sumendam esse non justificationem, sed justificationis exordium. Nempe quia illa propriè est, qua omnia omnino bona hominis merita præveniuntur, hoc est, qua homo nolens & à Deo aversus primo prævenitur, antequam quicquam omnino boni operetur, vel quicquam gratiæ mereatur. Sic enim exponit eam gratiam quam prævenientem dixerat: *Hoc*, inquit, *est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur*, nempe, ut primitus credant, & à peccatis seu à perversa sua voluntate convertantur ad Deum, secundum id quod adjicit: *Vt qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum & c. disponantur.*

CAPVT XV.

Quid sit gratia operans & cooperans, juxta Augustinum & Fulgentium.

QVOD si quis ista quæ de præveniente & subsequente gratia ex Patribus antiquis diximus, ut oportet ponderaverit nihil etiã difficultatis in percipienda natura gratiæ *Operantis* & *Cooperantis*, *Excitantis* & *Adjuvantis* inveniet. Nam gratia operans non est alia quàm præveniens, sed diversa nonnihil consideratione. Præveniens enim dicitur, quia prævenit liberam hominis voluntatem antequam quicquam boni vel operata sit, vel à Deo promeruerit. Operans vero, quia ipsa sola primam bonam voluntatem in homine operatur. Sola dico non quasi homo non simul in illam voluntatem, hoc est, in voluntatis motum atq; consensionem influat, sed quia eam operatur, nobis nihil ad eum habendum conferentibus petendo, desiderando, studendo, meditando, atq; ita nihil omnino boni meriti respectu illius voluntatis afferendo. Hoc enim impossibile est, hoc ipso quo statuitur, esse prima voluntas bona, ad quam ex mala convertitur. Illam enim nec fides, nec oratio, nec studium, nec ullum omnino meritum antecedere potest; atque ita necessario Deus eam solus, seu gratia sola operans ac præveniens dicto jam sensu operatur. Cooperans gratia vicissim non est alia quam subsequens; quæ quidem subsequens nuncupata est, quia subsequitur illam bonam voluntatem, quam sola præveniens gratia inspiravit atq; operata est, sequitur vero tanquam quædam retributio bonæ voluntatis, aut fidei, aut orationis. Cooperans autem dicta est, quia operatur aliquid in nobis non sola, sed nobis simul cooperantibus, non per simultaneum tantum influxum, ut recentiores intelligunt (sic enim etiam cooperamur gratiæ operanti) sed præviè ad effectum illius gratiæ, volendo, credendo, desiderando, petendo, pulsando, fatigando, adeoq; etiam promerendo, ita ut ejus effectus sit universum primæ voluntatis illius bonæ incrementum usq; ad apicem perfectionis humanæ. Nam ut Augustinus ait: *Constat Deum alia etiam non orantibus, sicut initium fidei: alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam.*

Lib. de dono pers. c. 16.

Hanc esse veram genuinamque gratiæ operantis & cooperantis notionem, facile ex Augustino ac discipulis ejus demonstrari potest. Quod antequam præstemus, declarandum imprimis est, constantem Augustini & sectatorum ejus sententiam esse, quod gratia præveniens atque operans sola conversionem hominis, seu primam bonam voluntatem & ipsum velle operatur, cooperans vero non sola, sed voluntate hominis concurrente, ad eum scilicet quo dixi modum. Hoc enim cùm verum esse nullo pacto possit eo sensu, ut sine simultaneo influxu voluntatis fieri intelligatur; per seipsum quodammodo consequens erit (etiamsi Patres non exprimerent) quod sola operans gratia operetur velle, quia non potuit ad illud velle assequendum quicquam studij præviè contribuere, sicut accepta jam fide bonaque voluntate, desiderando, & petendo ad incrementum virtutum operaque bona facienda, aliquid conferre potest. Sic igitur ea de re loquitur Augustinus in libro de Gratia & libero arbitrio: *Vt ergo velimus* SINE NOBIS OPERATVR, *cùm autem volumus & sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur.* Sine nobis, nempe petendo, pulsando, merendo cooperantibus, quamvis simul cum gratia in actum voluntatis influamus. Hunc esse sensum declarat manifestius in eodem libro multo superius, quando de Paulo jam post vocationem primamque voluntatem bonam bene operante ac laborante scribit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Hæc de gratia cooperante. De operante vero conversionem statim adjicit: *Vt autem de cælo vocaretur & tam magna & efficacissima*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 17.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 5.

Digitized by

efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola; qui sic, cum voluntas Pauli simul influeret? Audi rationem: *Quia merita eius erant magna sed mala.* Nempe manifestum est quod ideo sola gratia conversionem ejus operata dicatur, quia ante conversionem nihil omnino Paulus cooperatus est boni, sive petendo, sive desiderando, sive quaqua ratione merendo, ut ei talis vocatio donaretur, sed eam sola gratuita prorsus sine meritis gratia Paulo nihil
Epist. 107. boni operanti dedit. Vnde alio in loco: *Quod* (credere) *ut fiat in eis oratio, oratur pro eis, quamvis non oretur ab eis.*

Hanc magistri sui doctrinam sanctus Fulgentius multis expressit locis, ut libro de Incarnatione & gratia: *Et hoc in parvulis salutis opus sine propria voluntatis assensu gratia Dei operante perficitur, quod bonæ voluntatis exordio divinitus dato in maioribus inchoatur, ut opere* SOLIVS GRATIÆ *voluntas quæ mala fuit, bona fiat, & deinceps gratia* SECVM *operanti servitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.* Quid ergo, an voluntas dum ex mala efficitur bona, operanti gratiæ non cooperatur? Cooperatur plane Scholasticorum sensu, cum gratia scilicet concurrendo, sed non cooperatur, aliquo prævio studio aut oratione bonam voluntatem sibi pariendo. Hoc enim eum velle, ex alio loco apertissimum est: *Vt noverimus omnes qui salvantur, non nisi ex eius gratuita* (nullis meritis aut orationibus acquisita) *bonitate salvari.* Quare obsecro? *Vt enim quisque salvetur, nulla præcedunt humana voluntatis bona merita, sed* SOLA *Dei voluntas humanæ salvationis est causa.* Qua phrasi etiam in eodem libro dicit: *Sicut etiam ut caro vivat solius opus est animæ; ita quoque ut homo credat,* ubi involuitur bonæ voluntatis seu conversionis initium SOLIVS *opus est gratiæ.* Et in libro de veritate prædestinationis & gratiæ, de gratia præveniente quæ proprie est operans: *In nondum bene volente* SOLA *operatur exordium bonæ voluntatis.* Et rursum: *Misericordia igitur præveniens cooperaturam sibi hominis voluntatem* SOLA PRÆPARAT, id est, facit. Et in eodem opere aliquanto inferius, & seipsum & Augustinum, & Scripturam qua dicit Paulus jam sanctificatus, *Gratia Dei mecum*, exponit: *Vt esset igitur Paulus ex infideli fidelis* SOLA *gratia* OPERATA *est* Quomodo sola? *Quia aversum convertit, & infideli fidem cum infidelitatis suæ merito fidem accipere non mereretur, attribuit.* Ecce (SOLA) non excludit concursum voluntatis, sed meritum. Nam statim seipsum explicat: *Atque ita voluntariè quidem Paulus*, id est, voluntate concurrente, *credidit, voluntariè abundantius illis omnibus laboravit, sed & credere & laborare non posset, nisi desuper donum gratiæ* IN SE, *ac* SECVM *operantis acciperet.* Vbi quod dicit (IN SE) gratiam propriè operantem respicit, quæ in homine fidem bonamque voluntatem, nihil petitoriè aut meritoriè cooperante, operatur; illud vero (SECVM) gratiam cooperantem, quia cum illa simul homo confert, ut diximus, studium suum. Quam distinctionem tam accuratam Fulgentius ex Augustino didicit, qui cum similiter omne meritum humanum ad assequendam fidem totis viribus disputandi excludere satageret, simili modo dixit: *opera quippe bona fiunt* AB HOMINE, *fides autem fit* IN HOMINE, *sine qua illa à nullo fiunt homine.* Qui locus quorundam studia multum torsit, significat autem fidem à Deo solo in homine fieri, nihil videlicet voluntate hominis ad eam impetrandam petendo, merendove cooperante. Opera vero ab illo, studium desiderandi & poscendi ex parte sua conferente.

Fulgent. lib. de Incar. & grat. c. 30.

Ibid. c. ult.

Ibid. c. 24.

Lib. de Veritate prædest. & grat. f. 97.

Epist. 105. circa init.

His itaque de operantis gratiæ natura præmissis, facilè intelliguntur ea loca quibus præfati Patres gratiam operantem & cooperantem exprimunt, & earum officia quæ supra diximus, depingunt. Quod videlicet operans est illa quæ sola sine studio, sine oratione, sine merito hominis præcedente voluntatem seu velle operetur, per quod voluntas ex mala fit bona, & ex injusta fit justa. Cooperans vero quæ homini jam volenti, conantique cooperatur, firmam illam augendo roborandoque voluntatem, ut id efficiat & perficiat quod voluerit, & conatur. De quibus Augustinus, cùm præmisisset, quod ille *qui vult facere Dei mandatum & non potest*, concupiscentiâ videlicet reluctante, *iam quidem habeat voluntatem bonam*, id est, ut explicat, charitatem, *sed adhuc parvam & invalidam. Poterit cum magnam habuerit & robustam*, ita in libro de Gratia & libero arbitrio clarissimè loquitur: *Parva & imperfecta* (charitas seu bona voluntas Petro) *non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam. Putabat enim se posse quod se velle sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem &* COOPERANDO *perficit, quod* OPERANDO *incipit? Quoniam ipse ut velimus* OPERATVR *incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet in diem Christi Iesu. Vt ergo velimus* SINE NOBIS *operatur, cum autem volumus & sic volumus ut faciamus* NOBISCVM COOPERATVR. *Tamen sine illo vel operante ut velimus, vel* COOPERANTE *cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, Dictum est, Deus est enim qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cum iam volumus & volendo facimus; Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia* COOPERANTVR *ad bonum. Quid est omnia nisi & ipsas terribiles sævasque passiones?* Nihil evidentius quam gratiam operantem esse, qua cum ante nollemus, efficitur ut velimus: cooperantem, quę quando jam actu volumus, efficitur ut fortius velimus, ita ut superando quęvis obstacula etiam reipsa faciamus. Illam operari, ut quoquo modo voluntatem bonam seu velle quantumcunque infirmum atque imperfectum habeamus; hanc ut illa bona voluntas augeatur & roboretur. Non tantum ut ex inefficaci fiat efficax, sicut nonnulli volunt, sed ita ut etiam efficax, efficiatur fortior, atque ita fortior ut tandem omnibus amoribus & terroribus fiat insuperabilis; cujusmodi sanè non est qualibet voluntas

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 17.

luntas bona, etiam efficax. Multæ quippe efficaces voluntates, cum nulla tentatione pulsantur, sæviente tempestate franguntur atque superantur. Efficax enim erat voluntas Petri cum diceret, *Animam meam pro te ponam*, sed tenera & infirma; cum vero postmodum ad crucem duceretur, adulta ac robustissima. Nam quemadmodum plantæ & animalia paulatim crescendo ad justam ducuntur magnitudinem, ita & voluntates: quæ quidem per solam gratiam operantem, sine hominis labore prævio inchoantur, inchoatæ vero per cooperantem gratiam ac studium hominis incrementum capiunt, adolescunt, perfectaque fiunt. Ex quo perspicuum est, cooperantem gratiam nunquam dici respectu primæ voluntatis bonæ quando in eam erumpit potentia voluntatis (nam illa est solius gratiæ operantis effectus;) sed solum respectu bonæ voluntatis postquam homo jam velle cœpit, ut illud velle perseveret, augeatur, bonisque operibus velut fructibus cumuletur. Vnde alio loco contra Julianum Augustinus: *Si non prævenit* (gratia voluntatem) *ut operetur eam, sed* PRIVS EXISTENTI *voluntati gratia cooperatur, quomodo verum est, Deus in nobis operatur & velle.* Julianus enim gratiam cooperantem voluntati bonæ jam existenti sine difficultate fatebatur.

Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. c. 140.

Sed de ista operante & cooperante gratia propriè dicta, etiam sanctus Fulgentius disserit duobus locis quæ paulo ante jam aliam ob causam allegavimus. Nam in libro secundo

A de Veritate prædestinationis & gratiæ: *Prævenit misericordia liberum hominis arbitrium, dum prius in nondum bene volente sola operatur exordium bonæ voluntatis: subsequitur dum bene volenti subministrat auxilium, ut bene operando perveniat ad bonæ voluntatis effectum. Misericordia igitur præveniens cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat: subsequens autem cooperantem sibi voluntatem juvat.* Vbi cùm cooperationem voluntatis humanæ solummodo tribuit gratiæ consequenti, clarè indicat eandem solam gratiam consequentem esse cooperantem voluntati. Operans enim gratia sola velle operatur sine illa cooperatione voluntatis tali quam modo diximus. Quo etiam modo in libro de Incarnatione & gratia dicit: *Vt opere solius gratiæ voluntas quæ mala fuit, bona fiat, & deinceps gratiæ* SECVM OPERANTI, hoc est, cooperanti, *servitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.* Vbi perspicuè docet nullam esse obedientiam hominis

Lib. de veri. præd. & grat. c. 97.

Lib. de Incar. & grat. c. 30.

B cooperatricem respectu gratiæ cooperatricis, qua ex mala fit bona, sed solummodo respectu gratiæ cooperantis; utpote quæ simul cum homine cooperante modo jam superius explicato operatur. Cooperans enim cooperantem, veluti correlativum suum ita respicit, ut si gratia sit cooperans voluntati, necessario etjam voluntas gratiæ cooperetur: Et è contrario, si sola gratia velle operetur, non possit voluntas ad illud velle cooperari. Quod quo pacto verum sit, jam ante satis diximus.

CAPVT XVI.

Quid sit gratia excitans & adjuvans.

EX ijsdem etiam quæ de gratia præveniente & consequente disseruimus, itemque de operante & cooperante satis perspicuè elucet, quid de gratia *Excitante & Adjuvante*, sentiri debeat. Nam & illas plerumque longe alio sensu recentiores accipiunt, quam à veteribus veris gratiæ divinæ intellectoribus ac defensoribus acceptæ sunt. Quemadmodum enim divisio gratiæ prævenientis & subsequentis, ex illa celebri controversia maximè innotuit, qua Catholici cum Pelagianis disceptabant, utrum gratia præveniret omnem actum voluntatis bonum, omneque meritum ejus; an vero è contrario, gratia semper post meritum voluntatis, seu post ejus velle sequeretur; hoc est (ut idem ipsum alia divisione exprimam) utrum gratia sic præveniret velle voluntatis, ut operaretur illud, an è contrario gratia tali actui voluntatis præcedenti cooperaretur duntaxat, illum consequendo & roborando: ita quoque divisio gratiæ in excitantem & adjuvantem, eandem illam difficultatem tangit. Pelagiani enim volebant voluntatem ex se primo emergere, & per se excitari, & ex se ipsa bonum velle, cujus tamen motibus tanquam infirmis Deus subjungeret ex isto merito gratiæ adjuvantis auxilium. Catholici vice versa sentie-

A bant, gratiam non tantum *adjuvare*, quando jam bonum vult, sed etjam gratis excitare, ut bonum primitus velit. Quo fit ut in ista divisione excitatio gratiæ non tam videatur esse quælibet incitatio vel provocatio ad actum, quæ cuilibet gratiæ competit; quam prima suscitatio seu excitatio, seu emicatio sopitæ, mortuæ, exstinctæque volitionis seu voluntatis bonæ, prout voluntas phrasi veterum volitionem seu motū voluntatis denotat. Qua phrasi etjam voluntas, hoc est, volitio seu propositum hominis tanquam infirmum *adjuvari* dicitur. Juxta illud Pauli, quod de jam credentibus & volentibus dixit: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Quæ quidem omnia luculente constant vel ex unica disputatione Sancti Augustini cum Juliano & quibusdam Episcopis Pelagianis, quando asserebant: *Non ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi: sed propria voluntate aut bonum facere aut malum.* Vbi de prima bona voluntate sermo est, quam si à gratia fieret excitante, coactam fore calumniabantur: *In bono vero opere* jam volentis hominis, *à Dei gratia semper* ADIVVARI; *in malum vero diaboli suggestionibus incitari.* Adversus ista Pelagianorum verba sic scribit Augustinus, ut quid inter gratiam excitantem & adjuvantem sit discri-

Lib. 1. ad Bonif. c. 18.

B

 minis,

Digitized by Google

Ibid. c. 19. minis, nosceremus: *Vos*, inquit, *in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda eius ad ipsum bonum opus voluntate nihil eam credatis operari.* Quod satis ipsa tua verba declarant. *Cur enim non dixisti, hominem Dei gratia in bonum opus* EXCITARI, *sicut dixisti, In malum diaboli suggestionibus* INCITARI? *Sed dixisti, In bono opere à Dei gratia semper* ADIVVARI, *tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso iam opere divinitus* ADIVVETVR, *pro meritis videlicet voluntatis* seu volitionis *bona, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita, ac sic gratia jam non sit gratia.* Ac mox ex exemplo divi Pauli probans homines sive ullo merito repentina & gratuita vocatione converti, ipsamque malam voluntatem mutari in bonam, non interrogando sed instando adjicit:

Ibid. *Vtrum iam volenti credere pro meritis bona voluntatis hoc datur, an potius ut credat, ipsa voluntas, sicut Pauli desuper* EXCITATVR, *etiamsi tam sit aversus à fide, ut credentes etiam persequatur?* Ecce manifestum est gratiam non tantum adjuvare hominis propositum postquam fuerit, & bonum opus aggressus sit: sed ipsam desuper excitare seu dare volitionem ut aggredi possit, quod Pelagiani fateri recusabant.

Nam ut istam excitandi significationem adhuc planiorem faciamus, alijs quoque locis eodem sensu verbum illud Augustinus usurpat. Nam de peccatorum ad vitam revocatione, velut excitatione à somno illo lætifero ad vigilandum in Deo, loquens juxta illud Apostolicum quod allegat: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus,* ita loquitur: *Apostolus excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, ut illuminaretur à Christo. Ergo secundum ipsas vigilias dicit iste, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Non enim vigilares in te, nisi oriretur lux tua quæ te de somno* EXCITARET. *Illuminat enim animas Christus & facit eas vigilare.* Et in alio Psalmo naturam gratiæ excitantis explicans, hoc est prævenientis meritum & suscitantis mortuam voluntatem ut velit: *Non ego prior à d te exsurrexi voluntate, sed tu ad me* EXCITANDVM *venisti. Nam misericordia eius præveniet me. Antequam aliquid boni ego faciam, misericordia eius præveniet me. Quid hic respondebit infelix Pelagius?* Et in Psalmum octogesimum-septimum iterum conjungens gratiam, quæ omnia merita prævenit, & eam quæ idcirco excitat mortuam voluntatem ut bonum velit: *Quomodo crederem nisi audirem? Sed ut audita crederem ipse me attraxit; quia in occulto à morte cordis non quilibet med cus, sed ipse* EXCITAVIT *&c. ac per hoc nec credere potuissem, nisi me Dei misericordia* PRÆVENISSET, *& quia mortuos suscitat, & vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, me in occultis vocando, & suscitando & trahendo, à tenebris eduxisset & ad lumen fidei perduxisset.* Et in Psalmum centesimum-sextum excitationem Dei propriè usurpat, quando Deus hominem incredulum *nihil putantem aliud esse post hanc vitam, socordem obrutum cor habentem illecebris mundi, & nefariis delectationibus consopitum* prævenit, ut inquit, EXCITETVR *iste ad quærendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, & tanquam de somno evigilet. Nonne manus Dei* EXCITAT *eum? Sed à quo sit excitatus ignorat.* Et postea ponit respectu hominis jam volentis adjutorium seu gratiam adjuvantem. Et sermone nonagesimo-quarto de tempore, objectionem retundens Pelagianam, quibus maximè excitans gratia displicebat: *Sed voluntas*, inquit, Pelagianus quispiam, *bona mea est. Fateor tua, sed & ipsa à quo data? A quo* EXCITATA? Et sanctus Fulgentius probans hominum voluntates primas non exspectari ut ex hominis conatu emicent, sed per gratiam prævenientem & excitantem ex nolentibus volentes fieri: *An ergo*, inquit, *ad salvandos homines, sicut isti volunt non* EXCITAT *neque mutat, sed exspectat hominum voluntates quemodo infantibus donat æternam salutem &c?* Vbi semper EXCITANS gratia non nisi respectu primæ voluntatis commendatur, quæ per eam tanquam omnes liberi arbitrij bonos motus prævenientem excitatur & creatur, sicut ignis è silice excitari dicitur, ubi nullus ante fuit.

Ephes. 5.

In Psal. 62.

In fine conc. 2 in Psal. 58.

In Psal. 87. vers. finem

In Psal. 106.

Ser. de temp. 94. c. 3.

Fulgent. lib. de Incarnat. & gratia.

Quemadmodum igitur hæc propriè vocatur EXCITANS, quæ bonum voluntatis motum in potentia voluntatis excitat, ubi non erat nisi malus, vel quæ excitat potentiam voluntatis mortuam sopitamque Deo, ut accepto bene volendi motu incipiat vivere & vigilare; ita ADIVVANS illa propriè ab Augustino & Patribus vocatur, quæ jam excitato, acceptoque bonæ voluntatis motu, hominem jam volentem conantemque adjuvat, ut vel efficiat quod voluerit, vel ut fortius velit quod velle cœpit, carnisque concupiscentiam acceptæ voluntati pertinacissimè resistentem superet. Quam adjuvantis gratiæ proprietatem, & apud Pelagianos & Catholicos confessam indubitatamque fuisse, plurimis Augustini demonstratur locis, in quibus semper adjutorium Dei respectu infirmæ voluntatis seu volitionis, hoc est, respectu propositi hominis jam conantis sed non satis potentis prædicatur: *Dixisti, tu Iuliane*, inquit Augustinus, *hominem in bono opere à Dei gratia semper adjuvari tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso iam opere divinitus* ADIVVETVR. Quem adjuvandi voluntatis modum non reprehendit sed probat Augustinus, quamvis excitandæ voluntatis abnegationem improbet. Et in secundo ad Bonifacium libro, Pelagianorum Antistitum verba sunt: *Gratiam adjuvare uniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere*, hoc est, non facere ex nolente volentem, per quod excitantem gratiam, admittunt adjuvante, negant. Nam eorum sensum explicans paulo post: *Hoc ita dicunt*, inquit, *velut nemo à seipso sine adjutorio Dei habeat propositum bonum studiumque virtutis*, hoc est, bonam voluntatem, *quo merito præcedente dignus sit* ADIVVARI *Dei gratia subsequente.* Et paulo superiùs alio vocabulo gratiã adjuvantem vocat, *gratiam perficiendi*, prout opponitur gratiæ inchoandi, quæ non est nisi excitans, seu præveniens: *Isti volunt in homine ab ipso homine incipere cupidi-*

Lib. 1. ad Bonif. c. 19.

Lib. 2. ad Bonif. c. 5. & 10.

Ibid. c. 10.

cap. 8.

cupiditatem boni, hoc est, voluntatem bonam, *ut bonus cœpti meritum* PERFICIENDI GRATIA *consequatur*, hoc est, gratia, qua ut perficiant bonum quod cupiunt, ADIVVANTVR. Et in libro quarto ad Bonifacium: *Lib. 4. ad Bonif. c. 11.* *Pelagiani dicunt ab homine incipere meritum per liberum arbitrium*, hoc est incipere propositum bonum, ut suprà vidimus, *cui Deus subsequens gratiæ tribuat* ADIVMENTVM. Et libro quarto contra Iulianum: *Lib. 4. cont. Iul. c. 3.* *Nam & studium sanctitatis sine adiutorio Dei, vultis in hominis voluntate præcedere, quod merito Deus debeat* ADIVVARE *non gratis*. Quibus locis evidenter constat Pelagianos illam gratiam propriè ADIVVANTEM propositi seu voluntatis, seu ut Scholastici loqui solent, volitionis infirmæ concessisse. Nec in ista confessione reprehendit eos Augustinus, sed potius semper calculo suo probat, quamvis improbet quod illam solam exclusa illa, quæ voluntatem *excitaret*, hoc est, quæ ex nolente volentem faceret, faterentur; quasi voluntas bona per se conatu hominis satagentis emergeret, ejusque merito Deus gratiam illam propriè ADIVVANTEM largiretur. Nam in eodem libro quarto ad Bonifacium, prolatis eorum verbis quibus dicebant, quod gratia adjuvaret uniuscujusque bonum propositum, sic subjungit censuram suam: *Lib. 4. ad Bonif. c. 6.* *Hoc sine scrupulo acciperetur Catholicè dictum si non in bono proposito meritum ponerent &c. sed intelligerent & confiterentur etiam ipsum bonum propositum, quod consequens* ADIVVAT *gratia, non esse potuisse in homine si non præcederet gratia.* Et in libro secundo ejusdem lucubrationis: *Lib. 2. c. 10.* *Hominis autem propositum bonum* ADIVVAT *quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia.* Et rursum: *Studium quoque hominis quod dicitur bonum quamvis cum esse cœperit* ADIVVETVR, *non tamen incipit sine gratia, sed ab illa inspiratur &c.* *Lib. 3. c. 4.* Et in libro tertio: *Tempore igitur veteris Testamenti Spiritum Sanctum non solum* ADIVTOREM *(quod isti suo dogmati sufficere existimant) verum etiam largitorem dicimus fuisse virtutis, quod isti negant.*

Hanc esse *adjuvantis* gratiæ proprietatem ut respiciat studium hominis, postquam jam esse cœpit, mutatamque in melius voluntatem, plurimis aliis testimoniis sancti Augustini ostendi potest. Nam hoc indicat illud quod breviter ad eundem Bonifacium, quasi Catholico aphorismo scripsit: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet; ad iustitiam vero nisi divinitus liberatum* ADIVTVMQVE *non valet.* Liberans enim gratia denotat illud auxilium quod efficit primam voluntatis mutationem à mala in bonam, cum ex nolente fit volens, & à diabolo eam captivante liberatur; adjuvans vero illud jam volentis voluntatis adjutorium quo imbecillitas ejus luctando contra concupiscentias & vitia adjuvatur. Sic enim hanc phrasim suam in libris Retractationum explicat: *Lib. 1. Retract. c. 9.* *Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratia liberetur à servitute qua facta est serva peccati, & ut vitia superet* ADIVVETVR, *rectè pieque vivi à mortalibus non potest. Et hoc divinum beneficium quo liberatur, nisi eam* PRÆVENIRET, *iam meritis eius daretur.* Et clarissimè in libro de gratia & libero arbitrio: *Lib. de grat. & lib. arb. c. 20.* *Qua gratia voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam*, id est ex nolente fit volens, *& cum bona fuerit* ADIVVATVR. Hoc indicat etjam id quod in libro de gratia Christi scripsit: *Lib. de grat. Christi c. 19.* *Facit homo arborem bonam* (hoc est, voluntatem bonam) *cum Dei accipit gratiam, sed etiam ut faciat fructum bonum, eadem gratia necesse est* ADIVVETVR. *Ipse quippe in bonis arboribus*, hoc est hominibus jam habentibus bonam voluntatem, COOPERATVR *fructum qui per se dat intrinsecus incrementum.* Hoc in Epistola ad Hilarium: *Iubet ideo ut & facere iussa conati & nostra infirmitate sub lege fatigati,* ADIVTORIVM *gratiæ poscere noverimus, & si quid facere potuerimus operis boni, ei qui* ADIVVAT *non simus ingrati.* Et paucis adjectis infra iterum: *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur quia iuvatur, sed ideo iuvatur, quia non tollitur*, hoc est, quia jam actu supponitur velle quamvis infirmè. Hoc enim probat id quod subjicit: *Qui enim Deo dicit: Adiutor meus esto, confitetur se velle implere quod iussit sed ab eo qui iussit* ADIVTORIVM *poscere, ut possit. Sic & iste cum sciret neminem esse posse continentem nisi Deus det, adiit Dominum & deprecatus est, utique volens adiit, volens deprecatus est, nec petisset nisi esset voluntas, sed nisi petisset quantum posset voluntas.* Nihil clarius quam ADIVTORIVM propriè esse respectu voluntatis iam volentis conantisque, sed adolescentis adhuc & infirmæ, quæ ut possit id quod volut, gratià debet adjuvante roborari. Quod etjam agit in sermone decimo-tertio de verbis Apostoli quando dicit: *Serm. 13. de verb. Apost. c. 9.* *Ipsum nomen* ADIVTORIS *præscribit tibi quia & tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas.* ADIVTOR *meus esto. Nemo adiuvatur, si ab eo nihil agatur.* Hoc indicat & illud in Enchiridio ad Laurentium: *In Enchirid. c. 32.* *Deus voluntatem bonam* (id est volitionem seu propositum hominis bonum) *& præparat adiuvandam, & adiuvat præparatam.* Hoc idem indicat & illud in Epistola centesima trigesima-tertia ad Pammachium, qui Donatistas ad unitatem Ecclesiæ revocaverat, quando agit gratias Deo, *quo*, inquit, *inspirante hoc* VOLVISTI; *& quo* ADIVVANTE *potuisti.* Et in Psalmum decimum-octavum: *Domine adiutor meus tendentis ad te*, nempe adepta jam bona voluntate qua quis cõvertitur ad Deum, *quoniam redemptor meus es tu, ut tenderem ad te: ne quisquam vel sapientiæ suæ tribuens, quod ad te convertitur, vel viribus quod ad te pervenit, magis repellatur abs te.* Vnde in Psalmum trigesimum-secundum dicit, quod *Deus adiutor noster est, dum conamur ad eum.* *In Psal. 32.* Et in Psalmum septuagesimum *In Psal. 70.* cantat magnitudinem Dei, *cum peccassem*, inquit, *quia ignovisti cum conversus essem*, mutata videlicet jam voluntate, *quia* ADIVVISTI, *cum perseverassem quia coronasti.* Et in Psalmum octogesimum-nonum dicit ADIVVARI *volentis fidem.* Hoc indicat & illud in sermonibus de verbis Apostoli: *Serm. 3 de verb. Apost. c. 10.* *Non sufficit ut velis,* ADIVVANDVS ES *ut plene velis, & impleas quod velis.* Ex quibus profecto & hujusmodi pluribus quæ adijci possent, perspicuum est, gratiam

ADIV-

ADIUVANTEM propriè locum habere respectu hominis jam volentis, studentis ac satagentis bene vivere & cum concupiscentiis dimicare. Nam nisi infirmitas voluntatis adjuvetur, nihil eorum quæ voluit perficere potest, juxta illud Augustini in Psalmos: *Bene facit Dominus aversum convertere, pugnantem* ADIUVARE, *vincentem coronare.* Et illud in fragmentis sermonum de præcepto continentiæ: *Contine teipsum, jussio est, præceptio est, audiendum est, faciendum est: sed nisi Deus* ADIUVET *remanemus. Conamur quidem facere voluntate, & nitatur aliquid voluntas, non præsumat potestas, nisi* ADIUVETUR *infirmitas.*

In Psal. 149. *Fragm. 1.*

Nec solius Augustini doctrina ista de gratia adjuvante propriè dicta respectu voluntatis jam volentis, currentis luctantisque fuit, sed eam sexcentis locis sanctus Fulgentius discipulus ejus expressit. Nos paucis ejus testimoniis contenti erimus. Nam in libro de Incarnatione & gratia: *Cujus gratia nobis & initium bonæ voluntatis donatur ad fidem, & ipsi voluntati* ADIUTORIUM *tribuitur, ut quod bene vult bene operetur.* Adjuvando videlicet infirmitatem ejus, ne in conatibus suis imperfectis cassa maneat & inanis. Et in libro de veritate prædestinationis & gratiæ: *Bonam voluntatem ipse gratis præparat,* prædestinando, prout ipse loqui solet; *gratis donat; ipse* ADIUVAT, *ipse consummat.* Et mox ait homines *divina justificatione præventos, & ut accepta bona voluntate non decidant,* OPITULATIONE *Dei,* id est gratia opitulante seu adjuvante, *profectum eis vel perseverantiam tribui.* Et iterum in eodem libro paulo post: *Ipse enim & gratuitâ voluntati humanæ bonitatem donat,* hoc est tribuit primam bonam voluntatem, *& bonam voluntatem in operibus* ADIUVAT. Et iterum: *Qui & voluntatem parentum* EXCITAT, ut scilicet velint, *& volentibus* ADIUTORIUM *donat.* Et adhuc aliquibus interjectis: *Ideo enim in nobis gratia Dei bonam efficit voluntatem, ut habeat quam in nobis* ADIUVET, *non solum volentem sed etiam operantem.* Multa ex eodem Sancto pro ista veritate, quam constantissimè tradit produci possent, si ista non sufficerent. Quibus consentit ad unguem sanctus

Lib. de Incarnat. et grat. c. ult. *Lib. de verit. prædest. & grat. f. 33.* *Ibid.* *Ibid. f. 34.* *Ibid. f. 62.*

Bernardus, quando in libro de gratia & libero arbitrio dicit: *Conatus liberi arbitrii cassi sunt ad bonum si non* ADIUVENTUR, *nulli, si non* EXCITENTUR.

Bernard. lib. de grat. & lib. arbit.

Ex istis, quantum arbitror, liquidissimè patet, excitantem gratiam propriè respectu bonæ voluntatis esse statuendam, quatenus eam Deus gratia præveniente largitur, adjuvantem vero postquam jam bona voluntas homini data est qua jam cœpit velle rectè vivere, proficere, permanere, rebellesque cupiditates GRATIA SUBSEQUENTE superare. Nam gratiam adjuvantem seu opitulantem non esse aliam quam illam jam supra dictam SUBSEQUENTEM, hoc est, quæ bonam voluntatem sequitur, tum ex prædictis manifestum est, tum disertis verbis idem sanctus Fulgentius docet: *Omne igitur bonum voluntatis & operis tunc inesse potest homini si præveniente gratia largitate detur eiusdemque gratiæ subsequentis opitulatione,* id est gratia adjuvante *servetur.* Et in libro secundo ejusdem operis: *Voluntas quæ in nobis dono Dei miserantis efficitur, ipsa in nobis ut bene operari valeat* ADIUVATUR. Et: *Sicut ad surgendum beneficio misericordiæ prævenientis erigitur, sic ad perseverandum misericordiæ subsequentis* IUVAMINE *custoditur.* Et post multa: *Non autem præveniendo illuminaretur* arbitrium, seu voluntas, *si non esset: nec subsequendo* ADIUVARET, *si illuminatum ad aliquid sibi bonæ cogitationis aut operis esse posset idoneum.* Et respective ad gratiam excitantem seu prævenientem, itemque adjuvantem seu consequentem referri debet, quod ibidem breviter dicit: *Sine dono atque* ADIUTORIO *Dei, nunquam potest bonum velle vel facere.* Donum est enim excitantis & prævenientis gratiæ qua velle donatur; adjutorium adjuvantis & subsequentis qua velle juuatur & custoditur. Et post multa iterum atque iterum eandem doctrinam inculcando inter cetera dicit, quod *gratia voluntates hominum malas præveniendo mutat in bonas ut impiis & iniquis peccata donantur: eas demque bonas voluntates* ADIUVANDO SUBSEQUITUR. Sed ad istas divisiones ex mente veterum percipiendas, ista plus quam satis.

Fulgent. lib. 1. de prædest. f. 98. *Lib. 2. f. 30.* *Fol. 93.* *Fol. 88.* *Fulgent. lib. 2. de prædest. f. 115.*

CAPUT XVII.

Sensus multorum Scholasticorum in explicandis gratiarum divisionibus à sensu Patrum quam diversus sit.

QUÆ cum ita sint, jam facilè intelligit consequenter prudens lector, quam procul illi Scholastici, quos capite primo demonstravimus, ceterique non pauci qui cum ipsis eandem de divisionibus istis doctrinam tradunt, à mente veterum Patrum aberraverint. Nempe in nullo membro trium istarum divisionum, sensum eorum attigere, sed quas Patres illi prævenientes, isti jam consequentes nominant; quas illi consequentes, isti prævenientes. Quas illi operantes, isti cooperantes; quas illi cooperantes, isti operantes. Quas illi excitantes, isti adjuvantes; quas illi adjuvantes, isti excitantes. Ita enim omnia confusa sunt, ut Augustinum ac discipulos ejus, unde vera intelligentia divisionum istarum petenda erat, nec legisse videantur. Quod non est difficilè breviter perspicuèque patefacere. Nam Scholastici illi prævenientes gratias & operantes & excitantes, omnes illas esse putant, quæ potentiæ voluntatis sive nolenti sive jam volenti, sive

sive aversæ sive jam conversæ, sive infirmæ sive perfectæ ad volendum actu faciendumq; previè tribuuntur. Ex quibus tamen sola illa præveniens, operans, excitans, in antiquorum sensu est, quæ ex nolente volentem, ex aversa conversam, ex injusta justam facit. Subsequentes vice versa, cooperantes, ac subsequentes Scholastici nominant gratias illas omnes, quæ post indeliberatos motus voluntati immissos in eliciendum consensum voluntatis, sive primum, sive quoslibet alios per totam vitam cum ipsa potentia voluntatis influunt & concurrunt. Cùm tamen Patres nullas gratias subsequentes, aut cooperantes, aut adjuvantes vocent, quæ cum potentia voluntatis sese primum à tenebris ad lumen, à creatura ad creatorem, ab injustitia ad justitiam convertentes sive præveniendo, sive comitando ac simul influendo concurrunt. Omnis enim illa gratia, qualiscumque fuerit, sive eadem omnino cum ea quæ potentiam voluntatis prævenit eam excitando, sive diversa, non nisi præveniens, operans, excitans dicitur: Omnis alia quæ volentibus & currentibus datur, sive prævié incidat suscitando voluntatem, sive simul in consensum influendo concurrat, subsequens, cooperans, & adjuvans appellatur. Distinctio enim ista gratiarum illarum, quam Scholastici invenerunt, ut respectu ejusdem consensus voluntarij, una vocetur præveniens, operans, excitans, quæ videlicet consensum præeundo, potentiam voluntatis excitet & quasi gravidam faciendo, ad præstandum ipsum consensum præparet; alia vero seu ipsa eadem, quatenus cum eadem voluntate simul in istum consensum aut actum influit, subsequens, cooperans, adjuvans nominetur, antiquis illis Patribus incognita est. Nam sive præparet ad consensum, sive simul influat in consensum, semper ab eis dicitur ac dici debet præveniens, operans, excitans, quando primo bonam voluntatem nolentibus donat: & vice versa, semper subsequens, cooperans, adjuvans dicenda est, quando arbitrij jam volentis conatum subsequendo, & cooperando adjuvat. Etenim in istorum Patrum scriptis doctrinaque inauditum est, veram gratiam Christi, hoc est gratiam quam præter intellectus illustrationes ad flectendam emolliendamque voluntatem Christus per crucem suam hominibus dedit, ita in potentia hærere voluntatis otiosam, ut alia sit opus gratia, qua potentia voluntatis ad consensum præstandum adjuvetur; sed illa ipsa gratia quæ potentiam voluntatis ad agendum præeundo suscitat in consensum influendo (eo modo quo gratia influere debet) cum ipsa voluntate concurrit, idque tam respectu primi motus bonæ voluntatis, quam omnium tota vita subsequentium, pariter locum habet. Nec enim alia de causa gratia Christi respectu voluntatis dicitur, nisi ut ad consensum eliciendum simul cum voluntate influente concurrat, quod sine prævia potentiæ excitatione seu suscitatione & quasi præparatione fieri nequit.

CAPVT XVIII.

Gratia præveniens, subsequens; operans, cooperans; excitans, adjuvans; generalius quandoque usurpantur à Patribus, sensu tamen etjam à Neotericis diverso.

HOC tamen etjam fatendum est, antiquos illos Patres, ipsi, quando illas gratias prævenientem & subsequentem, operantem & cooperantem, excitantem & adjuvantem tanquam opposita membra dividunt, sic eas accipiant ut diximus, aliàs tamen quando de istarum divisionum proprietate non curant, sed solam istorum nominum sequuntur Etymologiam, in significatione longè latiori ista vocabula usurpare. Ex quo fit ut præveniens gratia subinde accipiatur pro omni actuali gratia, quæ in hac vita datur, non solum ut velimus aut credamus sed etjam ut bene divinorum mandatorum observatione vivamus. Et sic opponitur gratiæ subsequenti in altera vita: *Prævenit autem gratia*, inquit Augustinus, *ut sanemur, quia & subsequetur, ut etiam sanati vegetemur. Prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur. Prævenit ut piè vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus.* Vbi vides quod sanari & piè vivere tribuantur gratiæ prævenienti, cum utrumque per totum decursum præsentis vitæ duret; unde ei opponitur vegetatio jam sanati hominis & perpetua vita cum Deo, hoc est, prout in secundo membro dicit, glorificatio. Hoc etjam fere modo Synodus Tridentina prævenientem gratiam generatim accipit quando dicit: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet.* Nam & sperare, & diligere, & pœnitere prævenienti gratiæ adscribuntur. Quanquam, ut verum fatear, etjam propriè hoc loco accipi possit; quemadmodum & ille locus Concilij Arausicani, non minus propria quam generali significatione accipi possit: *Vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum aut operari propter Deum, quod bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* Generalis enim erit significatio, si gratia etiam illa per quam operamur, præveniens appelletur: speciali,

Lib. de nat. & grat. c. 3.

Trid. Sess. 6. can. 3.

Conc. Arausic. can. 25.

specialis vero, si tantummodo significetur neminem bene operari posse, nisi antea eum gratia divina prævenerit, ex nolente volentem faciendo. Nam de gratia operum nulla cum Semi-Pelagianis erat quæstio, sed tantummodo, an illi etjam qui bene per gratiam Dei operantur, aliâ gratiâ jam antea eis bonam voluntatem tribuente debuerint præveniri; ita videlicet ut non ipsi Deum, sed ipsos Deus misericorditer prævenerit.

Eadem significationis generalitas nonnunquam in gratia operante & cooperante reperitur. Operantem enim, juxta vocabuli latitudinem, vocant aliquando omnem gratiam, quæ aliquem actum quemcumque in voluntate vel cum voluntate operatur, quemadmodum in isto notissimo Pauli Apostoli loco sumitur: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere*, seu ut Augustinus subinde legit, operatur in vobis *& velle & operari*. Similiter generalis usurpatio est, quãdo dicit quod *tumor* (superbiæ) *nisi operante gratia sanetur, institia pace nemo perfruitur*. Respicit enim ad pacem in æterna vita, antequam tota superbia per gratiam operantem sanari debet. Tunc autem gratia operans non opponitur cooperanti, sed absolute sumitur.

Ad Philip. 2. *Lib. de grat. Christ. c. 25 & aliis locis.*

Nec dissimiliter cooperans gratia latissimè usurpatur, prout omni omnino gratiæ etjam prævenienti & excitanti & operanti competit, quatenus non sola consensum voluntatis, sed una cum ipsa voluntate concurrente & confluente operatur. Cujus usurpationis plura occurrunt testimonia. Vt quando dicit libro de gratia Christi: *Non significans possibilitatis profectum sed cooperationis effectum.* Et in eodem libro sanctus Ambrosius: *Vbique Dei virtus, id est gratia, studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino.* Ecce Dei virtus ubique, id est, in omnibus operibus cooperatur, ita ut nec incipere possit homo sine Domino, id est, gratia cooperante. Nam sicut in omni actu voluntatis, etjam illo primo quo ex nolente fit volens, & ex infideli fidelis, voluntas cooperatur gratiæ juxta illud Augustini: *Hoc opus credendi operatur in nobis non utique sine nobis.* Et illud alibi: *Sic Deus in nobis operatur ut & nos operemur*; ita vice versa gratia qualiscumque etjam illa prima, quæ operans propriè dicitur, cooperatur voluntati.

Ibid. c. 25. apud Aug. cap. 43. *Tract. 72. In Ioan.*

Denique gratia excitans nonnunquam, adjuvans vero sexcentis locis, ita generaliter usurpatur, ut omni prorsus gratiæ actuali competat. Omnis enim hoc ipso quo potentiam voluntatis tangit, excitans dicitur: omnis item hoc ipso quo potentiæ voluntatis ad actum naturales vires excedentem, etjam primum quo convertitur ad Deum, suum auxilium præbet, adjuvans nuncupatur. De excitante in illa diffusa significatione dicit Augustinus: *Quid enim debet esse jucundius pigris gratia qua excitantur?* De adjuvante in Epistola ad Sixtum: *Spiritus aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans, nondum inhabitans adjuvat ut sint fideles, inhabitans adjuvat jam fideles.* Et ad Paulinum: *In iis qui salvi fiunt adjutor Deus operatur & velle & operari.* In libro de gratia Christi improbat id quod Pelagius asserebat, Quod *Deus non adjuvat ut velimus.* Et in Epistola ad Iulianam: *Proprium arbitrium nisi Dei gratia juvetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest.* Et in libro secundo de peccatorum meritis & remissione: *Etiam ut convertamur ipse adjuvat.* Et multo inferiùs: *Quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante & adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona.* Quem locum Concilium Tridentinum videtur expressisse vel imitatum esse quando sessione sexta dicit: *Vt per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se &c. disponantur.* Vnde & in sequenti capite: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* In his omnibus locis adjuvans gratia adhibetur homini non solum postquam voluit atque credidit, quemadmodum solet quando propriè usurpatur; sed etjam ad primam ejus conversionem, ut velit & credat.

Epist. 105. ad Sixtum. *Epist. 106.* *Lib. de grat. Christ. c. 5.* *Epist. 143. ad Iul.* *Lib. 2. de pec. meritis c. 5. cap. 18.* *Conc. Trid. sess. 6. can. 5.* *cap. 6.*

Omnes tamen istæ latiores significationes gratiæ prævenientis & subsequentis, operantis & cooperantis, excitantis & adjuvantis, quamvis ad mentem Scholasticorum supra expositam nonnihil accedere videantur, ab ipsorum tamen sensu multum differunt. Nam ipsi cooperantes & adjuvantes gratias ita respectu primæ conversionis, seu primæ bonæ voluntatis adhibent, ut eas etjam tunc distingui putent, velut opposita divisionis membra contra operantem & excitantem. Nam operantem & excitantem esse putant gratiam, quatenus potentiam voluntatis incitant atque præparant: cooperantem & adjuvantem, quatenus vel ipsæ vel aliæ reipsa in actum voluntatis influunt. Augustinus vero è contrario, easdem illas gratias operantem & excitantem, vocat cooperantem & adjuvantem respectu concurrentis voluntatis. Non enim aliud est officium gratiæ quo cooperatur voluntati eamque juvat, quàm quo operatur & excitat, utpote quæ non nisi operando in voluntate & excitando cooperatur & juvat; & è contrario, non nisi cooperando operatur & excitat: *Sic enim Deus operatur ut & nos operemur*, inquit Augustinus, hoc est, ut nos cooperemur; & consequenter sic Deus operatur, ut nobis cooperetur. Idem judicium est de gratia operante & excitante. Nam etjam quando illa usurpantur generaliter pro omni gratia qua per totam vitam voluntas prævenitur, non opponuntur tunc gratiæ cooperanti & adjuvanti, sed usurpantur absolutè, & ipsæmet illæ gratiæ quas operantes & excitantes vocat Augustinus, sunt illæ quæ propriè etjam adjuvando cooperantur voluntati. Nam ut supra etjam diximus, distinctio ista duarum gratiarum respectu unius & ejusdem consensus seu actus cujuscumque voluntatis, sive primi respectu convertentis sese voluntatis, sive proficientis, sive perfectæ, quarũ una vocetur operans, excitans, præve-

præveniens, prout à Deo venit inciditque in potentiam voluntatis, altera quatenus cum voluntate concurrit, non ab antiquis auctoribus fluxit, sed eam subtilitas Philosophiæ peperit. Veteres enim auctores sive vocabula gratiarum usurpent specialiter, juxta primum sensum supra datum, sive generaliter juxta secundum, non agnoscunt nisi unam gratiam respectu consensus voluntatis, ita videlicet, ut in primo sensu gratia præveniens, operans, excitans, nunquam possit esse subsequens, cooperans, adjuvans; quia ista respiciunt diversos actus voluntatis. Verumtamen illa eadem gratia præveniens, operans, excitans, ad hoc ut reipsa voluntas eis præventa & excitata consentiat, non habent aliam adjunctam gratiam, quæ ad eundem actum, juxta phrasim Scholasticorum, ac juvet & cooperetur. Nam illa ipsa gratia præveniens, operans, excitans istud officium præstant, quandoquidē non nisi propter istud ipsum tribuantur: ita videlicet ut sint simul præveniens, operans, excitans, juxta primum sensum Patrum, & subsequens, cooperans, adjuvans juxta sensum Scholasticorum.

A Nam quod ipsi putant contingere nonnunquam ut gratia Christi revera sit præveniens, operans, excitans, & tamen eadem non sit subsequens, cooperans adjuvans defectu videl. voluntatis, quæ gratiæ prævenienti consentire detrectat, jam supra satis excussum rejectumque fuit. Gratia enim Christi, juxta dogma à sancto Augustino constanter traditum, *a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur ut duritia cordis primitus auferatur.* Vnde quæcunque gratia defectu voluntatis effectu caret non est illa Christi gratia, de qua disputamus, sed sub lege atque doctrina comprehenditur. Christus enim ea de causa mortuus est, ut ceteræ quæcumque gratiæ, sive in intellectu, sive in voluntate, sive in sensibus collocentur, quæ propter duritiam voluntatis rebellesque carnis concupiscentias effectu carebant suo, ad operandum emollita flexàque voluntate rapiantur. Qua de re superius satis diximus. Et B inde nascitur quod nulla Christi gratia, juxta doctrinam istorum Patrum, præveniat operandoque excitet voluntatem, quin simul voluntati, phrasi in Scholis usitata, cooperetur, eamque vicissim cooperantem adjuvet.

CAPVT XIX.

Gratia præparans voluntatem quid sit, & quomodo secus ab Augustino quam à Scholasticis quibusdam intelligatur.

EX eadem vena fluit, quod illam gratiam, *qua præparatur voluntas à Domino*, quę tantopere à sancto Augustino decantata est, non rectè recentiores intelligent. Putant enim significari gratiam aliquam qua potentia voluntatis quodammodo proximè præparetur, ut in actum influat, ita videlicet ut voluntas à Domino præparata sit, quamvis nullus consensus ejus consequatur; quemadmodum etiam paratus ad iter esse dicitur, qui impedimento superveniente retinetur. Sed revera phrasim Scripturæ & Augustini non satis assequuntur. Voluntas enim non sumitur ab Augustino, quando de præparatione voluntatis loquitur, pro potentia, sed pro actu voluntatis, ut sit idem quod volitio. Itaq; præparari voluntatem à Domino, non est ei aliud, quam per gratiam voluntatem seu volitionem fieri seu effici à Domino: quod alià phrasi activè dicere solet: Deus *operatur ut velimus*, seu *Deus operatur & velle*, *Deus donat voluntatem*, & hujusmodi, quibus significatur Deus per gratiam non præparare potentiam voluntatis, vel in ea operari eo fine ut velimus, sed ut efficacissimè in alio loco exprimit, a *agere & peragere ut credamus*, hoc est, ut velimus. Qua de re fusè disseruimus b suo loco. Hoc ergo sensu præparari seu effici hominis voluntatem seu volitionem indicat passim Augustinus, ut quando dicit in Epistola centesima-septima: *Ex singulis* sententijs Catholicis à se prolatis, *id confici ut confiteamur gratiâ* A *Dei præveniri hominum voluntates*, id est, volitiones, *& per hanc eas potius præparari, quam propter earum meritum dari.* Et inferius; *Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum; ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur.* Quod alijs verbis in eadem Epistola de illa præveniente & præparante gratia loquens dicit: *Dat merita ipsa cum datur, quia prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam invenit in cujusquam corde, sed facit. Deus convertit corda hominum: sic agit corum sensum ut accommodent assensum. Deus & velle operatur & currere*, & similia. Et evidentissimè contra Iulianum: *Si non prævenit gratia voluntatem, ut operetur eam, sed prius existenti voluntati gratia cooperatur, quomodo verum est, Deus in nobis operatur & velle? Quomodo* PRÆPARATVR *voluntas à Domino?* Et in libro de Gratia & libero arbitrio: *Certum est nos mandata ser-* B *vare si volumus, sed quia* PRÆPARATVR *voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui,* PRÆPARATVR *voluntas a Domino; de quo dictum est: Deus est qui operatur in vobis & velle.* Et inferius: *Putabat enim Petrus se posse, quod se velle sentiebat. Et quis istam parvam dare cœperat charitatem* (hoc est, voluntatem bonam seu velle) *nisi ille qui præparat voluntatem*, id est velle, *& cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam qui ut velimus operatur,*

Suarez lib. 8. de Conc. c. 5. n. 5.
Lessius, lib. de grat. efficaci c. 11. n. 11.
a Lib. de prædest. SS. cap. 19.
b Vide lib. 2 de gra. Christi Salvat. cap. 14.
Epist. 107. Ad Vitalem.
Lib. 1. oper. imper cont. Iul. f. 140.
Lib. de grat. & lib. arbit. cap 16.
Lib. de grat. & lib. arbit. cap 27.

Digitized by Google

scientia, sicut & remissio peccatorum, revera quoque sunt dona & magna gratia, sed neutra est gratia illa quæ nos facit velle & facere bonum, vel qua facit Deus ut in justificationibus ejus ambulemus, de qua propriè controversia est.

Hanc igitur gratiam esse inspirationem amoris Dei, ex diversis Augustini principiis colligi & evidenter ostendi potest.

Primò quidem, quia gratia de qua sanctus Augustinus satagit, & de qua propriè cum Pelagianis controversia fuit, est illa qua fit ut homo qui ante fuit voluntatis malæ, habeat voluntatem bonam, sive quâ in homine inchoatur voluntas bona, ut per gratiam bonum velit, eademq; voluntas bona adjuvatur, augetur & accenditur, ut divina mandata possit implere. Nam in volendo bonum & fortiter volendo, tota perfectio vitæ bonæ seu Christianæ sita est. Hoc est quippe quod sexcenties utatur illa Scriptura Pauli: *Deus operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et illa Proverbiorum, *Preparatur voluntas a Domino*, quod tam de inchoata quam consummata voluntate bona S. Augustinus intelligit. Et illa: *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* Et hinc illud absolutum ejus pronuntiatum: *Orate pro nobis ut justi simus* (in quo tota perfectio bonitatis comprehenditur) *quod quidem homo non potest, nisi noverit, & velit, & erit continuo quum plene voluerit: sed hoc ipsum in eo non erit, nisi gratia Spiritus sanctificetur, & adjuvetur ut possit;* videlicet hoc ipsum ut plene velit. Vnus igitur aut alter locus Augustini apertissimus sufficiet ut probemus, totam gratiæ adjuvantis œconomiam, ad bonam illam voluntatem dandam, augendamque versari. Primus habetur in libro secundo de peccatorum meritis, ubi sic loquitur: *Quapropter nisi obtineamus, non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & male uti malus potest; sed etiam* VOLVNTATEM BONAM, *quæ jam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse, nescio quemadmodum defendamus, quod dictum est: Quid enim habes quod non accepisti?* &c. Et paulo clarius & generalius & expressius: *Si ergo voluntas aut bona est aut mala; & utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo: alioquin nescio cum ab eo justificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus. Et hinc scriptum arbitror, Paratur voluntas à Domino. Et in Psalmis: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Et quod Apostolus ait: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Quocirca quod à Deo nos avertimus nostrum est, & hæc est voluntas mala: quod vero ad Deum nos, nisi ipso excitante, atque adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona.* In quo loco quemadmodum & in aliis plerisque apud S. Augustinum sumitur voluntas pro volitione. Alius locus ad hoc propositum habetur in libro de Gratia & libero arbitrio, in quo totis viribus veram Christi gratiam conciliat cum libero voluntatis arbitrio. Itaque dividens

Ad Philip. 2

Proverb. 8.

Psalm. 36.

Epist. 95.

Lib. 2 de pec. merit. & remiss. c. 18.

1. Cor. 4.

A exactè humanas voluntates, ut sciretur quæná indigerent gratiæ adjutorio, officium & effectum gratiæ Christi accuratissimè definit in hunc modum: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à justitia libera est quando servit peccato, & tunc est mala, aut à peccato libera est, quando servit justitiæ & tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quæ jam adesse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Et cùm prope ad finem usq; libri fortissimè de Christi gratia disputasset, tandem officium ejus breviter concludendo tangens & repetens: *Satis*, inquit, *me disputasse arbitror adversus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur sed* EX MALA MVTATVR IN BONAM, ET CVM BONA FVERIT ADIVVATVR, ut videlicet ex invalida robustior fiat, accipiendo non solum velle bonum, sed etiam posse quod voluit: quod illos deficit qui inefficacibus voluntatibus volendo bonum, non possunt apud animum suum obtinere ut efficaciter bonum velint, & volendo etiam operentur. Cùm ergo perspicuum sit, veræ gratiæ officium circa voluntatem bonam vel dandam, vel adjuvandam, & augendam occupari, videamus nunc, nihil aliud per eam agi quam ut charitas Dei in eo seminetur & crescat. Nam inde sequitur evidenter, gratiæ adjuvantis unicum officium esse, ut Deum charitate diligamus. Quod quidem vel ex eo solo manifestum est, quia constantissima doctrina S. Augustini est, bonam voluntatem, seu voluntatem & cupiditatem boni, nihil aliud esse, quam veram illam & propriè dictam Dei charitatem. Nam in eodem illo libro de Gratia & libero arbitrio paucis interjectis, post illa verba quæ jam citavimus, definit hoc ipsum apertissime: *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robustam. Quid vero sit illud audi: Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate*, HOC EST, MAGNA CHARITATE *fecerunt. De qua* CHARITATE *ipse Dominus ait: Majorem hac* CHARITATEM *nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et paulo inferius de S. Petri invalida voluntate, id est, charitate subjungit: *Istam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Timor enim non est in charitate, sicut ait Ioannes Euangelista in Epistola sua, sed perfecta* CHARITAS *foras mittit timorem: & tamen quamvis parva & imperfecta non deerat quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam. Putabat enim se* POSSE, *quod se* VELLE *sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare cœperat* CHARITATEM, *nisi ille qui præparat* VOLVNTATEM; *& cooperando perficit quod operando incipit?* Quæ deinde tangit & citat statim Scripturas quæ de VELLE loquuntur. *Quoniam*, inquit, *ipse ut* VELIMVS *operatur incipiens, qui* VOLENTIBVS *cooperatur perficiens* &c. *Vt ergo* VELIMVS *sine nobis operatur;*

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.

Ibid. c. 20.

B

C

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17.

Ibid.

D

Ibid.

cum

cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, hoc est, cùm fortiter & efficaciter volumus, *nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante* VT VELIMVS, *vel cooperante cum* VOLVMVS, *ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum est: Deus est enim qui operatur in vobis &* VELLE. *De cooperante illo cum iam volumus & volendo facimus: scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et continuo ostendens hujusmodi tam locutiones suas quàm Scripturas quæ de voluntate qua volumus bonum loquuntur, de vera charitate loqui, subjicit: *Istam charitatem, id est, divino amore ardentissimam voluntatem commendans Apostolus, dicit: Quis nos separabit à Charitate Christi* &c. De qua charitate Dei, cùm octodecim circiter Scripturas apertissimas allegasset, tandem digito ostendens cardinem controversiæ quæ cum Pelagianis agebatur, dum de adjutorijs ad velle & facere necessarijs vigeret disputatio: *Vnde est*, inquit, *in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam* SI NON EX DEO, SED EX HOMINIBVS, VICERVNT PELAGIANI: SI AVTEM EX DEO VICIMVS PELAGIANOS. *Sedeat ergo inter nos Iudex Apostolus Ioannes & dicat nobis* &c.

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17.
Rom. 8.
Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 18.

Et quamvis ille locus unicus omnes omnium cavillationes suâ perspicuitate suffocare possit, pluribus tamen alijs locis contra Pelagianos idipsum evidentissimè tradit. Nam libro de Gratia Christi indagatur accuratè, quænam sit vera Christi gratia, & quidnam in hominibus operetur, usque adeo ut in ejus calce dicat: quod *si consenserit* Pelagius, *ipsam quoque voluntatem & actionem, id est, ut bene velimus & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quando bene vult & bene agit, divinitus adjuvari, & sic adjuvari ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus;* EAMQVE ESSE GRATIAM CHRISTI, *nihil de adjutorio gratiæ Dei, inter nos controversiæ relinquetur.* In hoc ergo libro manifestissimè ac exertissimè pronuntiat, istam bonam voluntatem quæ datur, aut ita adjuvatur ut pariat actiones tanquam fructus bonos, nihil esse omnino præter charitatem. Nam cùm sæpe contra Pelagium asseruisset, Deum in nobis per gratiam operari ut velimus & faciamus; itemque non solum adjuvare ostendendo homini, quid fieri debeat, sed etiam *dilectionem inspirando*, ut quod cognoverit faciat, evidentius explicans quid sit voluntas illa bona, qua volumus, & efficaciter volendo etiam operamur bonum; præmittit primum, quod quando Paulus Apostolus dixit, *radicem malorum omnium esse cupiditatem*, admonet utique *intelligi radicem bonorum omnium* CHARITATEM. Quibus deinde subjungit explicans illam charitatem nihil aliud esse, nisi voluntatem bonam: *Vnde si duæ arbores bona & mala duo sunt homines bonus & malus, quid est bonus homo nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala. Facit autem homo arborem bonam quando Dei accipit gratiam. Non enim se ex malo bonum per seipsum facit, sed ex illo & per illum, & in illo qui semper est bonum.* Et inferius: *Quare adhuc usque contendit* Pelagius, *quod ex illis tribus tantummodo possibilitatem habeamus ex Deo, bonam vero voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis?* QVASI VERO ALIVD SIT BONA VOLVNTAS QVAM CHARITAS, *quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo & à Patre datam, ut filij eius essemus.*

Lib. de grat. Christi c. 47
Ibid. c. 18.

Et in libro secundo ad Bonifacium cùm exorta esset inter Pelagianos & Augustinum disputatio, utrum CVPIDITAS *boni* (quæ nihil aliud est quā voluntas bona, utpote per quam, ut ibi dicitur fit homo *consentiens bono & volens bonum*) per gratiam inspiretur ac detur à Deo, sic explicat illam boni cupiditatem: *Proinde cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè atque incommutabiliter bonus est. Quid est enim boni cupiditas nisi* CHARITAS, *de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo est. Nec initium eius ex nobis & perfectio eius ex Deo, sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est*, hoc est, tota cupiditas aut voluntas bona ex Deo est, sive inchoata, sive perfecta. Doctrinam istam plurimis alijs locis docet, dum non aliter tradit nobis inspirari voluntatem bonam, hoc est, ut velimus atque faciamus (qui proprijssimus gratiæ Salvatoris effectus est) quam inspiratione charitatis, quæ est illa voluntas bona. Hinc in Epistola ad Iulianam, quæ ex professo de gratiæ adjutorio contra Pelagium scripta est, ut Demetrias virgo contra ejus insidias muniretur, cùm eum naturam atque doctrinam, tanquam adjutorium gratiæ, prædicare docuisset, quo bene vivamus: *Ad habendam vero*, inquit, *bonam voluntatem, ubi est hoc ipsum quod justè vivimus, &* IPSA CHARITAS, *quæ in omnibus Dei donis ita excellit, ut etiam Deus dicta sit; quæ una adimpletur in nobis, si quid divinæ legis & admonitionis implemus, noluit nos divinitus adjuvari.* Et inferius in eadē Epist. *Proprium quippe arbitrium nisi Dei gratiâ iuvetur, nec ipsa* BONA VOLVNTAS *esse in homine potest, Deus est enim, inquit Apostolus, qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate.* Et quid ista bona voluntas, quā Deus operatur, quando operatur in nobis velle? Audi consequenter exponentem Augustinum: *Non sicut isti sentiunt tantummodo scientiam revelando, ut noverimus quid facere debeamus, sed etiam* INSPIRANDO CHARITATEM, *ut ea quæ discendo novimus, etiam diligendo faciamus.* Et explicans preces Salomonis, quibus petebat à Deo continentiam: *Sed utique tantas*, ait, VOLVNTATIS VIRES. Et quid illud? *Tantum delectationis ardorem volebat accipere spiritu sapientiæ qui sufficeret ad implendam magnitudinem continentiæ.* Vnde contra Iul. qui putabat liberum arbitriū per se ipsum velle posse bonum, tanquam de re certissima exclamat: *Homo Pelagiane, charitas vult bonum & charitas ex Deo est, non per legis litteram, sed per spiritum gratiæ.* Et nonnihil inferius: *Charitas sola vult bonum.*

Lib. 2. ad Bonif. cap. 8.
Ibid. c. 9.
Epist. 143. ad Iulianam.
Epist. 143. ad Iulianam.
Ibidem.
Lib. 1. oper. imper. c. 139.

Secundò

Secundò idem probatur ex eo, quia sanctus Augustinus adversus Pelagianos disputans, semper gratiæ illius confessionem postulat, & illam ipse asserit, qua fit ut operemur justitiam seu bonum opus, quod Deus præcipit nobis, atque adeo qua legem quam propter carnis infirmitatem implere non possumus, voluntate atque actione impleamus. Sexcentis hoc locis ipse tradit, ut in Epistola octogesima-nona: *Illud vero quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratiâ & Spiritus sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum.* Et in Epistola Patrum Concilij Carthaginensis ad Innocentium Papam, quam contra Pelagianum errorem ediderunt: *Generaliter quicumque dogmatizat & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda, sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ Dei quæ sanctorum evidentius orationibus declaratur adversarius invenitur, anathema sit.* Et Patres Concilij Milevitani dicunt Pelagianos illam impietatem docuisse, *non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam justitiam sit noster adjutor.* Nec arbitror ad hoc probandum opus esse pluribus, cùm res ista sit certissima planissimaque. Iam vero gratiam seu adjutorium Dei, quod facit ut operemur bonum ac Dei mandata jam nobis cognita impleamus, non esse aliud, quam id quod Deus diffundit, charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum, atque ita vi istius dilectionis donat nobis ut velimus atque faciamus, sexcentis in locis Augustinus tradit. Vt quando dicit in expositione quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos: *Quoniam Spiritus sanctus non datur nisi credentibus, non quidem Deus elegit opera quæ ipse largitur cum dat Spiritum sanctum ut per charitatem bona operemur.* Et statim iterum: *Quapropter nisi quis credat in eum, & in accipiendi voluntate permaneat non accipit donum Dei, id est Spiritum sanctum per quem infusâ charitate bonum possit operari.* Et inferius: *Nemo ergo sibi audeat tribuere quod misericorditer,* hoc est, bene *operatur, quia Deus illi per Spiritum sanctum dedit* DILECTIONEM, *sine qua nemo potest esse misericors &c.* Quia videlicet ut addit, *illius est dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum per quem Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris.* Et in libro de Gratia Christi, qui totus in vera Christi gratia quam Pelagius abstulit, asserenda versatur, non semel hoc ipsum docet: *Cogitationem & electionem*, qua scilicet reipsa eligimus & volumus bonum facere, *sicut sunt discernenda discernat, quia scientia*, quam nomine cogitationis admittebat Pelagius, *inflat, Charitas ædificat. Et tunc scientia non inflat quando charitas ædificat. Et cum sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum maius; non sic justitiam nostram super laudem justificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est, divino tribuat adjutorio. Et si consenserit nos gratia Dei accipere charitatem, non sic sentiat tanquam ulla merita bona nostra præcesserint. Nam quæ merita bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus?* Et paulo inferius: *Quid autem boni faceremus nisi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus si diligamus? Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando non à diligentibus, sed à timentibus fieri, tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur nec rectè bonum opus vocatur; quia omne quod non est ex fide peccatum est, Et, Fides per dilectionem operatur.* Et concludens disputationem de Gratiæ Christi necessitate: *Ac per hoc gratiam Dei, quæ* CHARITAS *Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam fieri posse non dubitet.* Et in opere contra Iulianum: *Gratia quippe prævenit hominem ut diligat Deum, qua dilectione operetur bona.* Et in Epistola centesima-sexta ad Paulinum: *Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua* IMPETRENT CHARITATEM, QVÆ SOLA BENE OPERATVR. CHARITAS *autem usque adeo donum Dei est, ut Deus dicatur.* Et in Epistola ad viduam Iulianam ait, dici non posse quantum cupiat in Pelagianorum scriptis apertam confessionem illius gratiæ reperiri, *quam Apostolus commendat vehementer*; ut videlicet fateantur, *non solâ revelatione scientiæ nos divinitus adjuvari ut piè justeque vivamus quæ sine charitate inflat: verum etiam inspiratione charitatis, quæ plenitudo legis est*: antequam ut paulo ante dixerat, *& sine qua omnino nulla cujusquam bona opera existimanda sunt.* Et in Epistola centesima quadragesima-quarta ad Anastasium: *Quæ charitas Dei, quod perpetuâ cogitatione tenendum est, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum &c. Cum ergo nos hujus charitatis, qua lex verissimè impletur, pauperes egentesque sentimus.* Et in Psalmum sexagesimum-septimum cùm docuisset legem infirmos homines fecisse *minando pœnam, nec adjuvando per gratiam*: eo quod *caro non implet, quod per Spiritum impletur, id est, per gratiam spiritalem*, statim explicat quæ sit illa gratia spiritalis: *Hoc est ergo*, inquit Augustinus, *tu perfecisti eam, quia plenitudo legis est charitas; & charitas Dei diffusa est per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et in libris contra Faustum exaratis: *Illam charitatem quia veniens Christus per Spiritum sanctum quem promissum misit, in manifestatione donavit, qua* SOLA CHARITATE *justitia legis posset impleri, propterea dixit: Non veni solvere legem, sed adimplere. Hoc est novum Testamentum &c.* Quòd si omnia testimonia sancti Augustini exequi vellem, quibus istam doctrinam in scriptis suis celebravit, liber integer citra hyperbolem, exsurgeret. Nihil enim in operibus ejus certius, frequentius, inculcatius, quo hoc tanquam Catholicam fidem ab Apostolo traditam docet, quando dixit: *Plenitudo legis est dilectio.*

Epist. 89. q. 2. — *Epist. 90.* — *In Exposit. quarund. propos. ex Epist. ad Rom. n. 60.* — *Ibidem.* — *Ibid.* — *Lib. de grat. Christi c. 26.* — *Ibid.* — *Lib. de grat. Christi c. 26.* — *Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 165.* — *Epist. 106.* — *Epist. 143. in fine.* — *Epist. 144.* — *In Psal. 67.* — *Lib. 19. cont. Faust. c. 2.*

zed by Google

est dilectio. Ex quo securè concludere possum, gratiam seu suavitatem illam qua diffunditur charitas seu dilectio Dei in cordibus nostris, esse verum & unicum istud adjutorium, quo ad bene operandum & mandata Dei facienda divinitus adjuvamur.

Tertiò suavitatem, qua fiat ut diligamus Deum, esse veram & unicam gratiam adjutorij medicinalis Christi, probatur ex eo quod Augustinus cum Pelagianis dimicando gratiæ illius confessionem ab eis quærit, qua fit ut peccata caveantur, tentationesque superentur: quemadmodum hoc ex diversis ejus locis perspicuum est. Nam in primo scripto contra Pelagianos ita loquitur: *Frustra rogantes Deum dicimus: Ne nos inferas in tentationem, si hoc in nostra sic positum est potestate, ut nullo illius adjutorio id valeamus adimplere.* Et paulo inferius: *Qui a item sic audiunt, quod ait lex: Non concupisces, ut hoc quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei* &c. Et in alia Epistola ad eundem Hilarium: *Nova quadam hæresis inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conatur exsurgere, hominum scilicet, qui putant, cavendis futuris, vincendisque peccatis, omnibusque tentationibus virtute superandis, sine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei naturali possibilitate humanam sufficere voluntatem.* Ex quibus patet hæresin apertissimam esse, quod concupiscentia, tentationesque possint sine auxilio gratiæ superari. Atqui hoc auxilium gratiæ non est aliud, quam quo Deus dilectionem charitatis inspirat, cujus ardore mens roborata, concupiscentiæ delectationes premat & superet. Audi Augustinum disertè istud profitentem contra Iulianum: *Ambo eam* (concupiscentiam carnis) *& debere & posse dicimus vinci; tu viribus proprijs, ego gratia Salvatoris, ut non aliâ reprobâ cupiditate, sed Dei charitate vincatur, quæ non viribus nostris diffunditur in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et in libro sexto contra eundem adversarium: *Verum tu à vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, & desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris* &c. Et in libro de Spiritu & littera, quem ad Marcellinum de gratiæ necessitate scripsit, loquens, de vincendis concupiscentiæ tentationibus; *Ubi,* inquit, *sanctus non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris, profectò illa lex* (non concupisces) *quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum* &c. Quo desiderij mali incremento, etiam peccati reatus infirmitati superadditur, si iste spiritus charitatis abfuerit; quemadmodum hoc expressè tradit in libris de Civitate Dei ad eundem Marcellinum exaratis: *Nam si lex jubens adsit, & spiritus juvans desit, per ipsam prohibitionem desiderio crescente atque vincente peccati, etiam reatus prævaricationis accedit.* Et quis ille spiritus juvans ab Augustino intelligatur, sine quo reatus prævaricationis accedit, accipe ex eodem loco: *Tunc vera vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat.* Hanc etiam doctrinæ partem plurimis Augustini testimonijs cumulare possem, tanquam qua nihil in ejus sententia verius sit, nisi pauca ista sensum ejus planissimum facerent, & nisi fallor alibi plura protulissem, sed ex solis istis satis elucet, verissimum esse quod proposui, verum adjutorium gratiæ Christi, quo peccata, tentationesque superantur, non aliud esse nisi quo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Quartò id ipsum astrui certissimis documentis ex eo potest, quod illud sit verum adjutorium Christi, quo divinitus adjuvamur, ut in declinando à malo & faciendo bono, quibus duobus universa justitia hominis comprehenditur; ipsâ rectitudine, ipsâque justitiâ, quæ in præceptis emicat, delectemur, hoc est, ut illa faciamus, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Nam nisi sic operemur nec bene operamur, nec alieni sumus à voluntate peccandi, juxta illud Augustini: *Sub lege est, qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi.* Et in alio loco: *Quando autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere.* Itaque definit alibi voluntatem, quæ *nullo modo justitiam diligit esse pessimam voluntatem.* Ad istius justitiæ dilectionem, qua præcepta faciamus, ut ea verè sine peccato fecisse censeamur, semper postulat adjutorium gratiæ Dei, secundum id quod ad Bonifacium dicit: *Ipsa delectatio boni, qua etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, non nisi gratiæ deputanda est.* Iam vero hoc ipsum adjutorium quo justitia diligitur, sæpissimè definit Augustinus, non aliud esse, quam quo diligitur Deus, seu quo diffunditur charitas in cordibus nostris. Vnde in libro de Spiritu & littera, quem contra Pelagianos de gratiæ adjutorio scripsit: *Mandatum,* inquit, *si fit timore pœnæ non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, & ideo non fit. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Et in eodem libro: *Charitas ejus,* hoc est Dei, *conscripta in cordibus atque diffusa perficitur sperantibus in eum, ut anima sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum.* Et in Epistola ad Honoratum: *Accepisti Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater, id est, ut fides in nobis sit quæ per* DILECTIONEM *operatur,* per quam obsecro dilectionem? *Non tam timendo pœnam, quam* AMANDO IUSTITIAM. Quam justitiæ dilectionem ac delectationem esse effectum charitatis magis explicat in consequentibus in eodem loco: *Perfecta charitas foras mittit timorem, sed illum servilem, quo cum se quisque ab opere malo abstinet, pœna terretur, non* IUSTITIA DELECTATUR. *Hunc charitas foras mittit quam non delectat iniquitas, etiamsi proponatur impunitas. Non illum quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam* (hoc est, ipsam charitatem) *qua in illa factum est ut eam non*

PECCARE

Margin notes: Epist. 89. ad Hilar. — Ibidem. — Epist. 94. ad Hilar. — Lib. 5. cont. Iul. c. 8. — Lib. 6. c. 23. — Lib. de Spir. & litt. c. 4. — Lib. 21. de Civit. c. 16. — Ibidem. — Lib. de nat. & grat. c. 57. — Lib. 2. ad Bonif. c. 9. — Lib. 1. de pecc. merit. c. 18. — Lib. 2. ad Bonif. c. 10. — Lib. de Spir. & litt. c. 14. — Epist. 120.

PECCARE DELECTET &c. *Hic timor castus est, non eum* CHARITAS *foras mittit, sed adsciscit.* Vbi perspicuè significatur similiter prorsus à charitate, velut proprium ejus effectum, proficisci, ut non timeat pœnam, & ut amet justitiam, ut pœna non terreatur & ut justitia delectetur, ut eam non delectet iniquitas, ut eam non peccare delectet. Et in libro de fide & operibus: *Ab hoc reatu graviore liberat gratia Spiritus sancti per Christum, qua diffusa* CHARITATE *in cordibus nostris* DONAT IVSTITIÆ DILECTIONEM, *qua immoderatio concupiscentiæ superetur.* Qui plura volet, consulat ea quæ de ista justitiæ dilectione, tanquam vera Dei charitate, ex qua quodlibet præceptum fieri debeat, ut rectè fiat de pura natura disserentes diximus. Nam istud doctrinæ caput in Augustini scriptis celeberrimum est, quo tota doctrina de præceptorum divinorum observatione & gratiæ adjutorio nititur.

Lib. de fide & operibus cap. 23.

Vide lib. 1. de statu puræ naturæ c. 4. § 6.7.8.9.

Quinto denique, ne ex pluribus principijs accersendis deducendisque lectori molesti fortasse simus, hanc esse verissimam Augustini doctrinam, quod scilicet illud solum sit unicum & verum gratiæ Christi & gratiæ novi Testamenti adjutorium, contra naturam, legem, doctrinam, præcepti cognitionem, peccati remissionem distinctum, illud, inquam, quo dilectio justitiæ seu charitas diffunditur in cordibus nostris, ut ex ista Dei dilectione præcepta faciamus, unde invictissimè probatur, & certissimè convincitur, quia hoc ipsum beatus Augustinus non semel expressissimis & clarissimis verbis asserit, & ex professo tradit. Et quidem totus liber de spiritu & littera, nihil aliud à capite ad calcem usque spirat. Vno tantum aut altero contenti erimus ejus testimonio, quibus tamē cujuslibet repugnantis contradictio superetur. Sic enim loquitur in capite vigesimo-quinto tanquam recolligens quæ multis disseruerat: *Cum igitur hæc appareat distantia veteris & novi Testamenti, quod lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribitur, ut quod ibi forinsecus terret hic* DELECTET *intrinsecus, ibique fiat prævaricator per occidentem litteram, hic* DILECTOR *per vivificantem spiritum: non ideo dicendum est quod Deus* ADIVVET NOS AD OPERANDAM IVSTITIAM, ATQVE OPERETVR IN NOBIS ET VELLE ET OPERARI PRO BONA VOLVNTATE, QVIA PRÆCEPTIS IVSTITIÆ FORINSECVS INSONAT SENSIBVS NOSTRIS, SED QVIA INTRINSECVS INCREMENTVM DAT, DIFFVNDENDO CHARITATEM IN CORDIBVS NOSTRIS PER SPIRITVM SANCTVM QVI DATVS EST NOBIS. Et in sequenti capite ejusdem libri: *Vt hoc sit pertinere ad Testamentum novum,* hoc est ad gratiam Testamenti novi, *legem Dei habere non in tabulis sed in cordibus scriptam, hoc est in intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur.* Et adhuc manifestius nonnullis interpositis: *Constat gratiam Dei promissam esse Testamento novo etiam per Prophetam:* EANDEMQVE GRATIAM IN EO DEFINITAM, *ut scribantur leges Dei in cordibus hominum perveniantque ad eam cognitionem Dei, ubi non docebit unusquisque civem suum &c.* HOC DONVM SPIRITVS SANCTI EST, QVO DIFFVNDITVR CHARITAS IN CORDIBVS NOSTRIS: *charitas non qualibet sed charitas Dei de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Et nonnihil inferius docens, quo pacto anima tentationibus quassata per adjutorium Dei ad operandam justitiam perducatur: *Per fidem,* inquit, *confugiat ad misericordiam Dei ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum faciat* PLVS DELECTARE *quod præcepit, quam delectat quod impedit. Ita multa multitudo dulcedinis ejus, hoc est lex fidei* CHARITAS *ejus conscripta in cordibus atque diffusa, perficitur sperantibus in eum, ut anima sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum.* In libro vero de gratia Christi, quem ex professo de vero & propriè dicto adjutorio Christi ad volendum & operandum, contra Pelagium exaravit, hoc ipsum adjutorium quo fit ut id quod præcipitur, hoc est, justitiam legis, seu Deum ipsum charitate diligamus, veram gratiam Christi esse, quam Pelagius ac Celestius sustulerunt, apertissimè sæpissimèque probatur. Nam in primis cum in initio libri non semel docuisset contra Pelagium, veram Christi gratiam talem esse, ut non solum *possibilitatem*, hoc est, potestatem agendi adjuvet sed etiam *voluntatem & actionem* hoc est, ut explicat, qua nos *adjuvet ut velimus & agamus*, itemque qua Deus *secundum sanam doctrinam operatur in nobis velle & perficere* seu *velle & operari*, Pelagium redarguit, quod Deum negaret adjuvare hominem, DILECTIONEM INSPIRANDO *ut id quod faciendum esse noverit faciat.* Vnde conqueritur quod *istam gratiam qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*, in Pelagij & Celestij scriptis nusquam eos invenerit, sicut confitenda est, confiteri. Quapropter ne quisquam dubitaret, quænam sit illa tantopere necessaria & controversa gratia, primo definit eam non esse liberum arbitrium, non legem atque doctrinam, non Christi exemplum, præmiorum pollicitationem, non oculorum cordis vel insidiarum diabolicarum apertionem, non futurorum demonstrationem, non illuminationem vel sapientiæ revelationem; sed illam quam Deus *infundit cum ineffabili suavitate*, ita videlicet ut sic per istud *gratiæ beneficium non sit terribile, sed suave mandatum.* Et quia amoris est proprium ut supra diximus, conferre suavitatem seu delectationem, declarat iterum atque iterum per eam sic suavitate ineffabili perfundi hominem à Deo, *ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem*: ut hominis *voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret.* Et illam ipsam charitatis naturam explicat eam esse, ut homo *quod lex imperat, faciat non timore pœnæ, sed amore justitiæ, ut libera charitate* DELECTET *esse cum lege.* Hanc istam gratiam nunc vocat *inspirationem charitatis per Spiritum sanctum, qua fiat ut non peccemus;* nunc *adjutorium bene agendi per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ charitatis.* Nunc gratiam *qua agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum*

Lib. de spir. & lit. c. 25. — *Ibid. c. 26.* — *Ibid. c. 28.* — *Lib. de spir. & lit. c. 29.* — *Lib. de grat. Christi c. 5.* — *Cap. 6.* — *Cap. 3.* — *Cap. 30.* — *Vide cap. 7. & 10. & 39* — *Cap. 13.* — *Lib. de grat. Christi c. 13.* — *Cap. 6.* — *Cap. 13.* — *Cap. 39.* — *Cap. 35.* — *Cap. 12.*

solum ut DILIGENDA *credamus, verum etiam ut credita* DILIGAMUS. Nunc gratiam *qua adjuvatur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit* DILECTIONE *& actione perficiat.* Itaque illam gratiam in Pelagij & Celestij *confessione requirit, qua dat Deus non solum scientiam legis, sed spiritum* CHARITATIS *qua non est consequens ut qui habet donum scientiæ quo novit quid agere debeat, habeat etiam* CHARITATIS *ut agat.* Deniq; seriò & graviter monet eum *qui velit veraciter gratiam confiteri, ut eam confiteatur gratiam,* QUA CHARITAS DEI DIFFUNDITUR IN CORDIBUS NOSTRIS: *& sic confiteatur ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet.*

Cap. 41. *Cap. 33.* *Cap. 26.*

Eandem gratiam qua diffunditur charitas tanquam adjutorium quo Deus velle & operari operatur in nobis sexcentis alijs inculcat locis; ut in libro 1. ad Bonifacium: *Lex iubere novit, cui succumbit infirmitas,* GRATIA IUVARE *qua infunditur* CHARITAS. Et in libro secundo versus finem, disputationem de adjutorio gratiæ sic concludit: *Ergo benedictio dulcedinis est* GRATIA DEI, QUA FIT IN NOBIS UT NOS DELECTET ET CUPIAMUS, *hoc est,* AMEMUS QUOD PRÆCIPIT NOBIS; *in qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Et in libro quarto omnes omnium contradictiones absolutissima veritatis istius definitione suffocat: *Legem diversis locutionum modis, & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam ut scilicet à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt noverimus, non* INSPIRATIONEM DILECTIONIS UT COGNITA SANCTO AMORE FACIAMUS, QUÆ PROPRIE GRATIA EST. Ecce disertis verbis definitum, inspirationem charitatis, ut cognita sancto amore faciamus, esse propriè gratiam.

Lib. 1. ad Bonif. c. 8. *Lib. 2. c. 9.* *Lib. 4. ad Bonif. c. 5.*

Quæ quidem doctrina sancti Augustini scriptis, imo in Catholicæ Ecclesiæ sensu tam celebris atque certa est, ut eam Concilium Carthaginense Canone expresso sanxerit, & sub anathemate contra Pelagianos definierit: *Quisquis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsum nobis aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus etiam facere* DILIGAMUS *atque valeamus, Anathema sit.* Ecce gratia Christi necessaria definitur, ut facere diligamus id quod faciendum cognovimus. Nam istis verbis Concilium exprimit doctrinam sancti Augustini qua toties docet, gratiam *esse inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Nam quid est cognita sancto amore facere, nisi diligere facere quod faciendum cognovimus? Unde sicut Augustinus ubique docet, istam inspirationem dilectionis esse charitatem, quæ diffunditur per Spiritum sanctum qui datus est nobis; ita in eodem loco, ipsissimo etjam sancti Præsulis utitur argumento & pœnè verbis ejus, ut probet esse gratiam, ut facere diligamus quod cognovimus esse faciendum. *Cum enim,* inquit Concilium, *dicat Apostolus, Scientia inflat, charitas vero ædificat, valde impium est, ut credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi; & ad eam quæ ædificat, non habere: cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus &* DILIGERE *ut faciamus, ut ædificante* CHARITATE *scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, Qui docet hominem scientiam: ita etiam scriptum est:* CHARITAS EX DEO EST. Quo sanè argumento sanctus Augustinus non semel usus est, ut libro de gratia & libero arbitrio, & libro quarto ad Bonifacium, & libro de gratia Christi videre licet: & ex eo nihil manifestius esse potest, quam Concilium idcirco gratiam ad facienda Dei mandata postulare, quia opus est gratia ad conferendam nobis charitatem, sine qua non possumus DILIGERE ut faciamus, quod nos facere debere jam scimus.

Con. Carth. can. 3. *Lib. de grat. & lib. arb. c. 19.* *Lib. 4. ad Bonif. c. 5.* *Lib. de grat. Christ. c. 26.*

CAPUT SECUNDUM.

Quo modo sit intelligendum, quod sola gratia qua diffunditur charitas in cordibus nostris, sit gratia qua Deus operatur in nobis velle & operari, & præceptorum omnium impletionem. Et quæ doctrinæ istius radix sit.

QUOD si ex me quæras, quo pacto sola *inspiratio charitatis* seu sola illa gratia qua, ut ipse loquitur, *infunditur charitas*, sit illa gratia quæ ad velle & operari, ad declinandum à malo & faciendum bonum, ad justè rectèque vivendum, & consequenter ad omnia bona opera facienda & mala vitanda, totamque legem implendam, contra Pelagium necessaria est, non est difficilè ex præcedentibus explicare. Nam apud Augustinum nullum est bonum, quamdiu fit formidine pœnæ, non amore justitiæ. Ipsa quippe justitia quæ in præcepto bene vivendi, sive affirmativo, sive negativo elucet, sincere diligenda est, ut esse possit opus bonum. Qua de re plura dicta sunt cum de operibus bonis infidelium, & maximè cum de pura natura tractaremus. Est enim ista doctrina tam certa & fixa & immobilis in Augustino, ut nihil in ipso contra Pelagianos inculcatius & cele-

Vide lib. 3. de statu nat. lapsæ c. 16 & lib. 1 de statu nat. puræ c. 4. 5. & seq.

Digitized by Google

& celebratius inveniri possit. Hæc autem justitia quam in operibus quibuscumque bonis diligendam esse docet, non est aliquis habitus, vel actus animæ, sed est illa æterna & incommutabilis justitia quæ supra mentes hominum fulget, quandocumq; vident aliquod præceptum esse justum, & aliquod opus quod præcepto consonat aut dissonat esse bonum aut malum. Quod etjam prolixè plurimis Augustini testimonijs luculentissimis asseruimus, ut proinde qui illam dilexerit, nihil aliud diligat nisi verum Deum. Quod ipse de præceptorum impletione disputans ex professo etjam populum docet: *Interrogo*, inquit, *utrum ames justitiam. Respondebis amo &c. Dominus autem justitia est.* Multum enim aberrant à vero concipiendi Dei modo qui eum concipiunt vel instar corporis, vel lucis, vel alterius rei cujuscumque quod ipse non est, sed ut ipsa justitia, ut ipsa veritas sempiterna, ipsa sapientia, ipsa æquitas & rectitudo concipiendus & amandus est, ex qua omnis rectitudo & æquitas & sapientia & veritas & justitia, quæ in rectis regulis seu præceptis agendæ vitæ fulget, expressa est. Unde consequenter Augustinus: *Non enim tibi fingere debes Deum quasi idolum. Invisibilibus enim similis est Deus.* Et rudibus catechizandis prima rudimenta Christianæ Religionis instillans, Deum commendat amandum esse gratis: *Sed amandus est*, ait, *non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia & veritas, & justitia & charitas, & si quid aliud tale dicitur, non quemadmodum sunt ista in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ.*

Vide ibid. c. 8

Serm. 17. de verb. Apost. cap. 3.

Serm. 17. de verb. Apost. c. 3.

Lib. de Catechiz. rudibus c. uls.

Secundum hæc igitur principia, quicquid Augustinus toties dixit, de inspiratione dilectionis & charitatis quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, non de alia intelligit charitate, quam de charitate justitiæ, quæ in omnibus præceptis tanquam ex illa ipsa in æternum supra mentes nostras fulgente profluentibus micat, intelligi debet. Nam idcirco id quod sæpius inculcat ex Dei dilectione implenda esse præcepta, hoc sæpius itidem alijs verbis tradit, ex charitate justitiæ faciendum, quam nobis Spiritus sanctus inspirat: *Gratia*, inquit, *diffusa charitate in cordibus nostris donat justitiæ delectationem, qua immoderatio concupiscentiæ superetur.* Quod paulo ante dixerat: *Per quem* (Spiritum sanctum) *diffusa charitate in cordibus nostris, lex non timore pœnæ, sed justitiæ amore completur.* Et alibi tradit eos qui à concupiscente contra spiritum carne vincuntur, non se tenere *connexos in charitate justitiæ.* Et quod in eandem Epistolam scribens docet, *sola spiritali charitate legem impleri*, eo quod *plenitudo legis sit charitas*, plenissimè explicat de qua charitate intelligi debeat. Nam in eodem ipso loco ubi tradit, charitate impleri legem & prudentiam carnis charitati spiritali adversari, statim istum conflictum prudentiæ carnis, hoc est, concupiscentiæ & spiritalis charitatis exponit in hunc modum: *Ante gratiam prohibetur quidem & conatur homo à peccato abstinere, sed vincitur: quia nondum* JUSTITIAM PROPTER DEUM ET PROPTER IPSAM JUSTITIAM *diligit, sed eam sibi vult ad conquirendum terrena servire. Itaque ubi viderit ex alia parte* IPSAM, *ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis & relinquit* JUSTITIAM. *Quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit. Tertia est vita sub gratia quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur, quod* NISI CHARITATE SPIRITALI *quam Dominus exemplo suo docuit, & gratia donavit, fieri non potest.* Et eundem conflictum inter concupiscentiæ & justitiæ delectationem, paulo ante in materia castitatis adducit, eo quod justitia hic generaliter intelligatur, prout Deus est universaliter justitia, ex qua omnis quorumlibet præceptorum æquitas expressa est: *Verbi gratia*, inquit, *occurrit forma speciosa fœmina, & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat* PULCHRITUDO ILLA INTIMA, ET SINCERA SPECIES *castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus & secundum hanc operamur: ut non regnante in nobis peccato* (id est concupiscentia quam Apostolus peccatum vocat) *ad obediendum desiderijs eius, sed* REGNANTE JUSTITIA, *per charitatem cum magna delectatione faciamus, quicquid in ea Deo placere cognoscimus. Quod autem de castitate & fornicatione dixi, hoc de ceteris intelligi volo.* In quibus verbis *illa pulchritudo intima & sincera species castitatis*, non est aliud nisi quod toties justitiam, imo & in eodem loco vocat. Nam Deus ut Augustino est justitia, *sic & sapientia, sic veritas, sic castitas*, nempe non habitus creati animi, sed castitas illa prima & sempiterna, quam utcumque velut æternam legem conspicit, quisquis non adulterandum esse, velut æternam & immobilem regulam conspicit. Et quemadmodum hic commendat diligendamque præcipit, intimam illam pulchritudinem & sinceram speciem castitatis; ita in alio loco pulchritudinem ac lumen justitiæ: *Carnem vestram*, inquit, *delectant illicitæ voluptates, mentem vestram delectet invisibilis, pulchra, casta, sancta, canora, dulcis justitia, ut non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimini, nondum delectat. Peccare non debes non timore pœnæ sed amore justitiæ.* Et tamen de præcepto & justitia refrenandarum delectationum carnalium agebatur, atque in eodem loco *Dominum justitiam esse* disertis verbis definierat, totoque sermone vehementissimè inculcat, justitiam illam supra omnium sensuum voluptates doloresque diligendam, illam esse *Dominum ac Deum*, qui *non instar idoli*, sed ut *justitia* cogitandus sit, illam esse *lumen*, eoquod scriptum sit: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: illam gustandam commendare quando dicitur: *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus*: illam se *ostendere oculis cordis*, illam *inspirare fervorem amatoribus suis.* Quæ perspicuè ostendunt de qua justitia sermo sit, quando toties tradit, cum DILECTIONE JUSTITIÆ præcepta esse facienda, & ad illam dilectionem opus esse gratia charitatis, & hoc esse facere præcepta quem-

Lib. de fide & oper. c. 23

Cap. 21.

In Epist. ad Galat.

Ibid.

In Epist. ad Galat.

Serm. 4. de diversis c. 6.

Lib. 17 de verb. Apost. c. 5.

Serm. 17. de verb. Apost. c. 5.

quemadmodum facienda sunt: sicut hæc omnia breviter definivit adversus Pelagianos disputans: *Ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est cum* DILECTIONE ET DELECTATIONE IUSTITIÆ, *suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Et in Psalmũ nonagesimum-tertium vocat suam *istam simplicem veracemque doctrinam, qua insinuatur hominibus bonis, ut* IPSAM IUSTITIAM *diligant, & ex ea placere Deo velint; & ab illa intelligant luce quadam intelligibili perfundi animam suam ut faciant iusta opera, &* ILLAM LUCEM SAPIENTIÆ *omnibus quæ in seculo diliguntur, præponant.* De qua justitiæ dilectione, quòd per veram gratiam illius decantatæ ac divinæ charitatis inspirari debeat & quòd omnia præcepta ex illius delectatione facienda sint, & quòd illa sit verus Deus benedictus in secula, fusissimè disseruimus ex Augustino, & pœnè innumeris testimonijs astruximus, cum statum puræ naturæ ponderaremus. Quæ consulat quisquis plenius ista intelligere desideraverit.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

In Psal. 93.

Vide c. 4. usque ad 13. illius lib. 2.

Iam igitur facilè quoque cuilibet attentiori patet, necesse prorsus esse, ut quanto magis diligimus Deum, tanto suavius, promptius, ardentius, ad præcepta facienda rapiamur, secundum id quod August. dicit: *Tanto autem magis delectat opus bonum quanto magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum & auctor qualiumcumque bonorum omnium.* Nempe quia Deus justitia est, quæ in præcepto quolibet justitiæ diligitur tanquam exemplar summum & norma cuiuscumque actionis justæ, cujus ipsa quædam effigies est. Vnde necesse est, ut quo ardentius ista diligitur, tanto libentius opus quod illa præscribit & jubet, & quod ejus lumine perfunditur, operemur. Propter quam causam lex ipsa seu præceptum ipsum tali dilectione dicitur *in corde scribi*: juxta illud Augustini quo dicit, quod cum adest vivificans spiritus, *hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum, lex faciebat timeri.* Nempe justitiam legis. Nam idcirco proprium hoc est gratiæ Testamenti novi, prout idem ibidem tradit, *intimo affectu iustitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur*: quod alijs verbis in eodem libro exprimit: *Intrinsecus habitantem ipsam legis iustitiam diligere.* Quibus periphrasibus explicat prophetica Ieremiæ verba, quibus legem ex novi Testamenti gratia in visceribus dandam per veram spiritalem charitatem prophetabat. Lex enim, ut alibi latius dictum est, in visceribus eatenus & non aliter per charitatem datur, nisi quia charitate diligitur justitia legis æternæ, quæ non est alia, nisi sapientia & veritas æterna, Deus noster. Et ex tali charitatis inscriptione contingit necessario id quod idem Augustinus ait: *Per donum charitatis delectat legis esse factorem.* Nam quo maior est *charitas iustitiæ*, eo magis ipsa delectat animum. *Quod autem amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est,* prout de hac ipsa justitiæ dilectione & præcepti impletione

Lib. 2. de pec. merit. c. 17.

Lib. de Spir. & lit. c. 19.

Ibid. c. 26.

Ibid. c. 21.

Vide lib. 1. de statu puræ nat. c. 5.

Lib. 4. ad Bonif. c. 5.

In Epist. ad Galat.

Sanctus Doctor tradit. *Nam voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum,* MOVERI NULLO PACTO POTEST.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Iam vero per seipsum liquet, quomodo per illam gratiam dilectionis qua diffunditur charitas, seu qua Deum diligimus, Deus in nobis operetur velle atque perficere, seu velle & operari. Operatur enim per eam velle, quando infusa suavitate facit ut nobis justitia placere incipiat, ita ut eam velle incipiamus. Nam hæc ipsa prima cupiditas seu voluntas boni, non est aliud nisi prima justitiæ & inchoata dilectio quantumcumque tenuis; & hæc nihil aliud, nisi inchoata charitas Dei. Qua de re cum Pelagiani, primam boni imperfecti cupiditatem non à Deo inspirari, sed à nobis esse contenderent; sic Augustinus loquitur: *Quid est boni cupiditas nisi charitas? De qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo est. Nec initium eius ex nobis, & perfectio ex Deo: sed si charitas ex Deo tota nobis ex Deo est.* Et ut sciremus nihil aliud esse, istam boni imperfecti cupiditatem, seu istud initium charitatis, nisi qua incipimus diligere justitiam, seu id amare quod præcipit nobis, adjicit consequenter: *Tunc bonum concupisci incipit; quando dulcescere cœperit: quando autem timore pœnæ, non* AMORE IUSTITIÆ *fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere; quando mallet homo non facere, si posset impunè. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est amemus quod præcipit nobis*, ipsa videlicet præcepti iustitia delectati. Et alibi dicit, *Si iustitiam diligimus, bona est voluntas, & si magis diligimus magis bona, si minus minus bona.* Eam vero quæ nullo modo iustitiam diligit, esse *pessimam voluntatem.* Cum ergo conclusisset, bonam istam voluntatem, quæ ut sæpè ex Augustino demonstravimus, non est alia *nisi charitas, nos habere ex Deo,* quando ad eum gratia adjuvante convertimur, statim addit: sic istas Scripturas suam habere veritatem quibus dicitur: *Paratur voluntas a Domino. A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Deus est qui operatur in vobis & velle & operari.* Nam velle operatur, dum volumus bonum, quantumvis languide justitia nobis placeat: operari vero operatur dum fortiter seu efficaciter volumus. Per eandem quippe *gratiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur; & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Et in eodem loco consequenter tradit, istam bonam voluntatem non minus *parvam & invalidam,* quam *magnam & robustam,* qua justitiam diligendo Dei mandata implere volumus, non aliud esse quam *charitatem* quam ideo plurimis commendat oraculorum divinorum testimonijs.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Lib. 2. de peccat. merit. c. 18.

Lib. de gra. & lib. arb. c. 15.

Ibid. c. 17.

Quod si quis radicem primam istorum doctrinæ capitum scire velit, cur videlicet sola gratia qua nobis inspiratur dilectio Dei, seu qua diffunditur charitas in cordibus nostris, sit illa gratia volendi & operandi, quæ Scripturis testibus contra Pelagianos ab Augustino

& Con-

& Conciliis asserta fuit, recordetur ille principiorum illorum quæ de originalibus pœnis & liberi arbitrii tractantes, tanquam immobilia ex Augustino collocavimus. Cum enim creatura rationalis ad aliquid necessario sua voluntate tanquam pondere inclinetur, alterutrum necesse est sit id in quo motus, voluntarius requiescat, aut Creator aut creatura, aut mundus aut Deus. Nam sub mundo quicquid creatum & à Deo distinctum est, comprehenditur. Principium per se illud manifestum est, certæque veritatis. Nec minus indubitatæ certitudinis, juxta Augustinum, est illud alterum, quod si in creatura diligenda requiescat, vitiosus, reprehensibilis, adeoque culpabilis amor sit, fons, fomes ac radix omnium peccatorum. Est enim illa vitiosa cupiditas quæ in omnibus peccatis dominatur; cui contraria est

A sola charitas Dei. nullum quippe medium inter ista duo datur aut dari potest. Quæ quidem omnia cum fusè ex Augustini principiis diversis in locis declaraverimus, superfluum esset, & lectori ingratum, hoc repetere. Cùm igitur ad creaturæ dilectionem & fruitionem nulla sit opus gratia Dei, sed ad utramque vires voluntatis abundè sufficiant, per se perspicuum evadit, ad solam dilectionem Creatoris, qui veritas & justitia est, gratiam esse necessariam. Si enim efficaciter ejus præcipientis justitia diligatur, quicquid ipse mandaverit, aut vetuerit, libentissimè, & suavissimè, & facillimè voluntas operabitur; eaque una justitiæ dilectione implebit universam legem Dei, secundum illud Apostoli, quod sexcenties ab Augustino ad hoc ipsum probandum repetitum fuit: *Plenitudo legis dilectio.* *Rom. 13.*

Vide lib. 2. de statu naturæ lapsæ a c. 12. usque ad 21. Item c. 10. & maxime 19. lib. 3.

CAPUT TERTIUM.

Virtus non est aliud nisi amor Dei. Ostenditur ex diversis principiis.

EX his principiis jam alia non parvi momenti doctrina incipit dilucescere, quam Augustinus constantissimè tradidit. Docet enim virtutem creaturæ rationalis non esse prorsus aliam, quam amorem Dei. Quæ quidem doctrina philosophiæ moralis Aristotelicæ sectatoribus valde exotica videbitur sed si bene suis ponderibus, hoc est, Christianis trutinetur, castissima, dignissima, verissima, & ex intimis penetralibus Christianæ Religionis prompta. Cujus antequam rationem à priori demus, ex ipsius monumentis demonstrandum est, hoc ipsum non à me aliqua industria ratiocinationis colligi, atque autoritati tanti Doctoris imponi, sed ab ipso fixe creditum & ex professo traditum esse. Quid enim absolutius & manifestius asseri potest, quam id quod Augustinus postquam & ratione & Scripturarum auctoritate docuisset, summum hominis bonum quo referenda sunt omnia, & cui inhærere beatissimum sit, esse solum Deum, nec ei inhærere nos posse, *Lib. de mori. Eccl. c. 15.* nisi *dilectione, amore, charitate*, tandem subjungendo dicit: *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi* SUMMUM AMOREM DEI. Quod ipsum quoque nonnihil superius valida ratiocinatione *Ibid. c. 6.* collegerat: *Si non placet vocare virtutem nisi habitum ipsum & quasi sapientem animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse non potest, oportet ut aliquid aliud sequatur anima, ut ei virtus possit innasci: quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequendo potest, quantum ratio mea fert, ad sapientiam pervenire. Hoc igitur aliud, quod sequendo anima virtutis atque sapientiæ compos fit, aut homo sapiens est aut Deus.* Et cum docuisset non esse hoc hominem sapientem, quia invitis nobis auferri potest; *Deus igitur*, inquit concludendo, *restat quem si sequimur, bene: si assequimur non tantum bene sed etiam*

A *beate vivimus.* Deum vero non aliter sequimur nisi diligendo, prout in sequentibus tradit. Quid vero planius dici potest, quam id quod de illa eadem Dei dilectione tanquam virtute dicit: *Et ut generaliter breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet*, VIRTUS EST CHARITAS, *qua id quod diligendum est diligitur. Hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est.* *Epist. 29.* Ecce absolutissimè definitum, virtutem esse charitatem, qua id quod diligendum est diligitur, hoc est, Deus. Est enim fixissimum apud Augustinum, non mundum, hoc est, non creaturas, sed Deum esse diligendum, juxta illud Apostoli: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* *1. Ioan.* Itaque in eodem loco sanctus Doctor eatenus aliis virtutibus præditum esse quempiam docet, quatenus charitatis magis aut minus est particeps: *Si, quod puto esse verius*, inquit, *sacrisque litteris congruentius ita sunt animæ intentiones* *Epist. 29.*
B *ut corporis membra, non quod videantur locis, sed quod sentiantur affectibus, & aliud* (corporis membrum) *illuminatur amplius, aliud minus, aliud omnino caret lumine, & tenebroso inumbratur obstaculo; profecto ita ut quisque illustratione piæ charitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minus, in aliquo nihil, sic potest dici habere aliam, & aliam non habere, aliam magis aliam minus habere virtutem. Nam & major est in isto charitas quam in illo, rectè possumus dicere; & aliqua in isto nulla in illo quantum pertinet ad charitatem quæ pietas est.* Quid illis verbis doctius & apertius postulari potest, quibus in libris de Civitate Dei cum Philosophis de virtute disputando pronuntiat. *Bonum nostrum de cujus fine inter Philosophos magna contentio est, nullum est aliud quam illi* (Deo) *inhærere: cujus unius anima intellectuali incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur fœcundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere in toto corde, in tota anima,* *Lib. 10. de Civit. c. 4.*

anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ. Quid denique, ut paucis multa complectar, accuratius dici potest, quam id quod Macedonium eruditum & in hoc seculo clarum virum instituendo dicit. *Quanquam & in hac vita* VIRTUS *non est nisi diligere, quod diligendum est. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus:* HOC DEUS EST, *cui si diligendo aliquid vel præponimus vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando.*

Epist. 52. ad Macedon.

Quod si nonnulla principia consulere & excutere voluerimus, quibus incumbens, doctrinam istam sanctissimam tradit, perspicuum fiet, nihil verius ac rectius ab eo adversus Aristotelis Philosophiam tradi potuisse. Nam Primum principium cui innititur, est illud lumine naturali notum, quod jam semel & iterum in superiori ius tetigit: *Virtus non est nisi diligere quod diligendum est*, seu ut in alia Epistola dixit: *Virtus est charitas*, id est, dilectio *qua id quod diligendum est diligitur.* Virtus est enim in proposito voluntatis; unde necesse ut per eam aliquid diligatur. Hoc autem, ut vel diligendum vel non diligendum sit, necesse est. Diligere quod non est diligendum, impossibile est ut virtus esse possit, hoc enim est potius vitium & omnium vitiosorum voluntatis motuum seu peccatorum scaturigo. Ergo necesse est, ut virtus sit propositum seu dilectio, qua id quod diligendum est diligitur. Iam vero, quid est creaturæ rationali diligendum, nisi unus & solus Deus? Hoc enim juxta sancti Augustini doctrinam diligimus, quod non transitoria quadam electione ad aliud referimus, sed in quo animus conquiescit. Qua de re alibi multa diximus. Manifestum est igitur, nihil creatum creaturæ rationali diligendum, hoc est, per se appetendum esse, sive illud substantia creata fuerit, sive qualitas delectabilis, sive actio ipsa quam Philosophi prædicarunt. Nam in omnibus istis diligendis, virtutem aliqui non nisi errando collocarunt. Sola igitur dilectio Dei vera virtus est, quia per illam id quod diligendum est diligitur. Ex quo factum est, ut & Epicureorum virtus sive corpora pulchra sive delectationes inde perceptas diligentium, & Stoicorum & Peripateticorum, & aliorum quorumlibet ipsas virtutum actiones per se appetentium, ab Augustino velut vitia proscribantur. Qua de re quia fusè in alio loco disseruimus, non est hic uberius dicendi locus.

Epist. 52.

Epist. 29.

Videlib. 4. de statu nat. lapsæ.

Secundū principiū est, quia virtus non est aut esse potest aliud nisi voluntas bona, seu quod idem est, propositum voluntatis bonum. Propositum enim adhuc indifferens ut sit bonum aut malum, nullo pacto virtus est, cum virtus faciat hominem bonum & actum ejus bonum, ex illa sancti Augustini regula: *Nemo dubitaverit quin virtus animam faciat optimam.* Multo

Lib. de morib. Eccles. cap. 6.

A vero minus propositum hominis malum virtutem quisquam dixerit. Restat igitur, ut virtus sit propositum voluntatis bonum, quod Augustinus latinè loquentium phrasi & more, *voluntatem bonam* dicere solet. Quam ita definit aliquoties in libro primo de libero arbitrio, ut sit, *voluntas qua appetimus rectè honestèque vivere, & ad summam sapientiam pervenire*; aliquando simplicius & absolutius, *voluntas qua appetimus rectè honestèque vivere*: declaratque talem voluntatem bonam non modo virtutem esse, sed etiam quatuor virtutes comprehendere capitales, unde ceteræ fluunt, eo quod *illas virtutes habere, illud ipsum sit rectè honestèque vivere.* Iam vero, nihil omnino aliud est Augustino bona voluntas, quam Dei charitas: *Quasi vero*, inquit contra Pelagium asserentem ex nobis esse bonam voluntatem, *aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo.*

Lib. 1. de lib. arbit. c. 12.

Ibid. cap. 13.

Ibidem.

Lib. de grat. Christi c. 21.

B Quod alibi plurimis testimonijs ejus astruximus, tanquam doctrinam in Augustini scriptis usitatam & celebrem. Cùm ergo non sit aliud bona voluntas nisi charitas, profectò virtus hominis quæ bona voluntas est, nihil est aliud nisi charitas. Quod in eodem citato loco disertis verbis exprimit: *Aliud est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum. Tantumque inter se differunt, quantum virtus & vitium.* Et iterum paulo inferiùs: *Charitas quæ virtus est ex Deo nobis est.*

Lib. de grat. Christi c. 20.

Cap. 21.

Tertium Augustini principium est, quia quisquis rectè vivere constituit, quod & inchoatæ & provectæ & perfectæ virtutis officium est, necesse est ut animum regulis quibusdam incommutabilibus, in quibus videat quid cavendum & faciendum sit, adhibeat, easque diligat & sequatur. Ut verbi gratia quisquis ab adulterijs & alijs carnis corruptelis abstinere cupit, quod proprium castitatis munus

C est, videt regulam quandam in æterna veritate stabilem, ex cujus rectitudine velut irreprehensibilis normæ morum, culpat adulteros, laudat eos, qui carnem ab omni hujusmodi fœditate custodiunt: atqui tales regulæ & quasi lumina virtutum immutabilia & sempiterna, non sunt aliud quam lex æterna, quæ in ipsa æterna Dei veritate splendet; quam proinde diligendo, non aliud diligit nisi ipsum Deum seu veritatem & justitiam ejus incommutabilem à qua promanat, & ex cujus refulgentia lucis fulget, quicquid velut justum & rectum approbamus sive facimus. Omnis igitur virtus in Dei ipsius tanquam veritatis & justitiæ incommutabilis dilectione versatur, & ex illa rationem virtutis trahit. Cuncta ista non est difficile ex Augustino patefacere. Nam in libro de libero arbitrio, ubi de virtute tractat, quam in rectè vivendi, ut vidimus, voluntate constituerat, sic ad Evodium

D loquitur: *Dic mihi primò, utrum qui rectè vivere diligit, eoque ita delectatur, ut non solum ei rectum sit, sed etiam dulce atque jucundum, amet hanc legem æternam, habeatque charissimam qua videt tributam esse bonæ voluntati beatam vitam, malæ miseram?* Respondet Evodius, *Amat omnino, ac vehementer:*

Lib. 1. de lib. arbit. c. 15.

menter: NAM IPSAM SEQVENS ita vivit. *Quid cum hanc amat*, inquit Augustinus, *mutabile aliquid amat ac temporale, an stabile aliquid amat, ac sempiternum?* Respondet, *æternum sane atque incommutabile*; atque ita talis legis æternæ dilectorem nominat amatorem rerum æternarum, ideoque beatum. Nempe quia notissimum est in Augustini doctrina, æternam legem non aliud esse nisi ipsam rationem ac voluntatem Dei, qua justum est omnia esse ordinatissima. Et in secundo libro de libero arbitrio prolixè & ex professo tradit, esse quasdam æternas regulas ad sapientiam pertinentes, quas omnes homines supra se in æterna veritate communiter vident, ut *studendum esse sapientiæ; juste esse vivendum; deteriora melioribus esse subdenda; propria suis quibusque tribuenda; æternum temporali esse melius; à corruptione ad incorruptionem convertendum animum, hoc est incorruptionem diligendam esse; vitam quæ nullis adversitatibus de certa & bona sententia dimovetur, esse meliorem, quam eam quæ facilè incommodis temporalibus frangitur atque subvertitur.* Quas tanquam *regulas & quasi lumina virtutum* sæpius vocat, & vera & *incommutabilia* & omnibus communiter ad contemplandum exposita esse *certissimum* esse definit: has regulas ad sapientiam pertinere; *ad eas animum recte viventis* ita converti; *ut quanto magis quisque ad agendam vitam eis utatur, & secundum hæc agat vitam, tanto magis vivat faciatque sapienter.* In quibus sane regulis jam dictis omnium præcipuarum virtutum officia præscribuntur. Quo expedito pergit ostendere regulas istas *in æterna veritate contineri*: veritatem istam *omnibus incommutabilia vera cernentibus tanquam miris modis secretum & publicum lumen præsto esse*: esse *mentibus nostris excellentiorem* esse *sempiternam sapientiam*, esse *summum bonum*, esse *Deum nostrum, quæ cum hominibus locuta est, quando dixit: Veritas liberabit vos.* Ad postremum concludit in hujus veritatis amore tanquam incommutabilis boni dilectione esse beatitudinem ac virtutes omnes: *Voluntas*, inquit, *cum inhæret incommutabili bono, eique communi non proprio, sicuti est illa de qua multum locuti sumus, & nihil dignè diximus*, VERITAS, *tenet homo beatam vitam: eaque ipsa vita beata id est animi affectio inhærentis incommutabili bono proprium & primum est hominis bonum.* IN EO SVNT ETIAM VIRTVTES OMNES, *quibus male uti nemo potest.* Et statim adjicit homines fieri prudentes, fortes, temperantes, justos, COAPTANDO ANIMVM ILLIS INCOMMVTABILIBVS REGVLIS, LVMINIBVSQVE VIRTVTVM, QVÆ INCORRVPTIBILITER VIVVNT IN IPSA VERITATE SAPIENTIAQVE COMMVNI, *quibus & ille coaptavit & fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit.* Ecce apertissimè & ab ipsis fundamentis expositum id quod in omnibus operibus sexcenties clamat, in implendis quibuslibet legibus, justeque vivendo ipsam *justitiam* esse divinâ charitate diligendam. Nam ista justitia est illa ipsa æterna veritas, quam tantopere commendavit: in qua tanquam in incommutabili luce super mentes nostras fulgente, omnes regulæ vitæ justæ ac bonæ, & quasi lumina virtutum omnium continentur, quibus amore coaptandus est animus, ut agendo vivendoque in moribus exprimantur. Vt proinde cesset omnis admiratio, quæ Scholasticos nonnullos tenet, cur ista justitia non possit naturæ viribus diligi. Est enim illa ipsa justitia, non qualitas temporaria humanorum animorum, sed sempiterna vivens substantia, Deus verus ac veritas, quæ secundum Catholicam fidem ab Augustino explicatam & inculcatam, nullo pacto nisi diffusa per Spiritum sanctum in cordibus nostris charitate diligi potest.

Lib. 2. de lib. arbit. cap. 10

Ibid. aliquoties & c. 19.

Ibid. c. 10.

Cap. 12.

Cap. 13.

Cap. 19.

Ibid.

Quæ quidem si quis intellexerit, jam non laborabit in alijs loquendi modis, quibus eandem doctrinam Augustinus, alijs in locis nonnunquam exprimit. Nam quod hic dixit virtutes obtineri, & homines bonos fieri coaptando animum incommutabilibus illis regulis in veritate viventibus, hoc alibi dicit fieri, convertendo animum ad incommutabile bonum: *Rationalis creatura ita facta est, ut sibi ipsa bonum, quo beata sit, esse non possit, sed mutabilitas ejus, si convertatur ad incommutabile bonum fiat beata: unde si avertatur misera est: aversio ejus vitium est, &* CONVERSIO EIVS, VIRTVS EIVS *est.* Nam illud incommutabile bonum, quò convertitur conversione quæ virtus est, non est aliud nisi æterna justitia, illa æterna veritas regulas & lumina virtutum omnium continens, quas diligendo juste vivit. Nec ista conversio aliud quicquam, nisi dilectio charitatis, quam per gratiam Dei in nobis fieri profitemur, quando dicimus illi: *Converte nos Deus salutaris noster.*

Epist. 120. cap. 13.

Alibi vero dicit homines bonos fieri, cõvertendo animũ, non ad hoc vel illud bonũ, quod participatione sit bonũ, sed ad ipsum incõmutabile bonũ quod est ipsa veritas, simplex bonum. Nam lib. 8. de Trin. tractans quo pacto animus fiat bonus, non illâ bonitate qua est animus in quantum omni corpore melior, sed illa ex qua dicitur bonus animus, quam videlicet bonitatem ei virtus tribuit: *Ideo*, inquit, *nondum dicitur bonus animus* (tametsi videlicet jam sit anima) *quoniam restat ei actio voluntatis, qua sit præstantior: quam si neglexerit, iure culpatur, recteque dicitur non bonus animus. Distat enim ab eo qui hoc agit. Et quia ille laudabilis, profecto iste qui hoc non agit, vituperabilis est.* Quibus verbis describitur actio studiosa, quâ virtutem sibi animus parit, & neglectus ejus. Iam igitur audi quo pacto, qua animi conversione, cujus rei dilectione virtus animo inferatur: *Cùm vero agit hoc studio & fit bonus animus, nisi se ad aliquid convertat, quod ipse non est, non potest hoc assequi. Quo se autem convertat ut fiat bonus animus* NISI AD BONVM, *cum hoc* AMAT ET APPETIT *& adipiscitur? Vnde si rursus se avertit, fiatque non bonus, hoc ipso quod se avertit à bono, nisi maneat in se illud bonum, unde se avertit, non est quo se iterum, si voluerit emendare, convertat. Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum.* Vbi tradit non aliter fieri bonum animũ, hoc est, virtute præditum, nisi ad incommutabile bonũ sese amore convertat. Hoc vero bonum incommutabile non

Lib. 8 de Trin. cap. 3.

Lib. 8. de Trin. c. 3.

non aliud esse nisi Deum, consequenter exponit, dum jubet, ut non quæcunque particularia bona quæ participatione sunt bona, sed ipsum bonum simplex, quo animus convertendus est, attendamus: *Si ergo potueris illis detractis* (quæ participatione bona sunt) *per se ipsum perspicere bonum, perspexeris Deum. Et si amore inhæseris, continuo beatificaberis*, beatificatione videlicet viæ & imperfecta quæ ex virtute nascitur, de qua sermo est: *Pudeat autem cum alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo non amare* BONVM IPSVM, *unde bona sunt.* De quo bono statim addit: *Hac est veritas & simplex bonum. Non enim est aliud aliquid quam ipsum bonum, ac per hoc etiam summum bonum. Non enim minui vel augeri bonum potest, nisi quod ex alio bono bonum est. Ad hoc se igitur* ANIMVS CONVERTIT *ut bonus sit, à quo habet ut animus sit. Tunc ergo voluntas naturæ congruit, ut perficiatur in bono animus, cùm* ILLVD BONVM DILIGITVR CONVERSIONE VOLVNTATIS, *unde est & illud, quod non amittitur nec aversione voluntatis.* Vides hic perspicuè descriptum ac traditum, ac ratione probatum, non aliter fieri bonum animum, hoc est, virtute præditum (nam *nemo dubitaverit, quin virtus animam faciat optimam*) quam dilectione veritatis, simplicis boni, incommutabilis boni, & ideo summi boni: hoc enim à creatura rationali magis magisq; participatur diligendo. Nimirum quia in ista simplici & æterna & summa veritate vivunt, quemadmodum supra dixit, regulæ quædam & quasi lumina virtutum omnium quibus animum per amorem coaptando rectè honesteq; vivimus, quod proprium virtutis est, & boni efficimur, dum sempiternas regulas istas amando sequimur, & moribus nostris imprimimus, & exprimimus. Nam ista cóversio ad ipsum bonum, iste amor simplicis veritatis, ista dilectio regularum ejus æternarum & quasi luminum non est aliud quam dilectio justitiæ sempiternæ, quam toties charitate à sancto Spiritu diffundenda diligi, & sine cujus dilectione nihil boni fieri posse, tradit.

Ibid. — Lib. de morib. Eccles. c. 6.

Itaque ut lectores operum suorum ab omni scrupulo, qui ex istis diversis explicandi modis, in idem tamen redeuntibus nascitur, Augustinus liberaret, in alio ejusdem libri loco prolixè & ex professo explicat, quo pacto justus fiat animus dilectione justitiæ, quam in omnibus scriptis suis tantopere prædicavit. Nam justum fieri & bonum fieri, prorsus idem Augustino sunt. Vt igitur id quod in libro 1. & 2. de libero arbitrio dixerat, nos virtute præditos fieri dilectione regularum veritatis & luminum virtutum omnium, & quod jam dixit nos bonos fieri dilectione ipsius bonitatis & simplicis veritatis, nihil diversum esse sciremus ab eo quod passim tradit, opera bona & actiones justitiæ, non aliter esse bona & justa nisi fiant dilectione justitiæ; primum docet animos etiam injustos videre quid sit justus animus, nec illud videre extra se, sed in se, nec illud quod vident esse imaginem vel phantasma rei corporeæ, qualis est, cum Car-

A thaginem aut Alexandriam cogitamus, sed aliquid quod apud se invenit animus, quod & alij vident & probant. Itaq; ad rei definitionem accedens: *An illud quod vident* VERITAS EST INTERIOR *præsens animo, qui eam valet intueri, nec omnes valent? Et qui intueri valent hoc etiam quod intuentur, non omnes sunt; hoc est, non sunt etiam ipsi justi animi, sicut possunt videre ac dicere, quid sit justus animus. Quod unde esse poterunt* NISI INHÆRENDO EIDEM IPSI FORMÆ QVAM INTVENTVR, *ut inde formentur, &* SINT IVSTI ANIMI, *non tantum cernentes aut dicentes justum esse animum, qui scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit, sed etiam* VT IPSI IVSTE VIVANT IVSTEQVE MORATI SINT *sua cuique distribuendo, ut nemini quicquam debeant, nisi ut invicem diligant?* ET VNDE INHÆRETVR ILLI FORMÆ NISI AMANDO? *Cur ergo alium diligimus, quem credimus justum & non* DILI-

Lib. 8. de Trinit. c. 6.

B GIMVS IPSAM FORMAM, *ubi videmus quid sit justus animus, ut & nos justi esse possimus? An vero nisi &* ISTAM DILIGEREMVS, *nullo modo eum diligeremus, quem diligimus ex ista?* Vnde ergo contingit quod non sumus etiam justi, si justū animum non nisi ex ista diligimus? Respondet Augustinus: *Sed dum justi non sumus minus eam diligimus, quam ut justi esse valeamus. Homo ergo qui creditur justus,* EX EA FORMA ET VERITATE DILIGITVR, *quam cernit & intelligit apud se ille qui diligit:* IPSA VERO FORMA ET VERITAS NON EST QVOMODO ALIVNDE DILIGATVR. NEQVE ENIM INVENIMVS ALIQVID TALE PRÆTER IPSAM, VT EAM CVM INCOGNITA EST CREDENDO DILIGAMVS EX EO QVOD IAM TALE ALIQVID NOVIMVS. QVICQVID ENIM TALE ALIQVID PERSPEXERIS IPSA EST; ET NON EST QVICQVAM TALE, QVONIAM SOLA IPSA TALIS EST QVALIS IPSA EST. Vides hic luculentissimè expositum,

C quid sit illud quod videmus & quod diligimus, cùm diligimus justum animum, & cùm ita diligimus, ut etiam ipsi justè vivamus; nempe formam quandam interiorem ipsam videlicet veritatem sempiternam & incommutabilem, cui nihil simile reperiri potest; quia videlicet ipsa sola est verus Deus, quem quasi coruscatione perstricti in ænigmate cernimus, cùm istam formam ac veritatem cernimus. Ista eadem forma, ista veritas est, ista justitia incommutabilis, quam sexcentis locis in operando diligendam esse commendavit. Hoc enim exserte in consequentibus istius ejusdem libri statim tradit. Nam cum normam Apostolicæ vitæ ex Epistola secunda ad Corinthios retulisset, quam sanctus Paulus Christianæ Religionis ministris figit, ita subjicit: *Quid est quod accendimur in dilectionem Pauli Apostoli cum ista legimus, nisi quod credimus eum ita vixisse? Vivendum tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed*

2. ad Corinth. cap. 6. — Lib. 8. de Trinit. c. 9.

D INTVS APVD NOS, VEL POTIVS SVPRA NOS IN IPSA VERITATE CONSPICIMVS. *Illum ergo quem sic vixisse credimus, ex hoc* QVOD VIDEMVS, DILIGIMVS. ET NISI HANC FORMAM QVAM SEMPER STABILEM ATQVE INCOM-

INCOMMVTABILEM CERNIMVS, *præcipuè diligeremus, quia eius vitam, cum in carne viveret*, HVIC FORMÆ COAPTATAM, ET CONGRVENTEM FVISSE, *fide retinemus. Sed nescio quomodo amplius, & in* IPSIVS FORMÆ CHARITATEM *excitamur per fidem, qua credimus vixisse sic aliquem &c. Ita & ipsorum vitam facit à nobis diligi* FORMÆ ILLIVS DILECTIO, *secundum quam vixisse creduntur; & illorum vita credita in* EANDEM FORMAM FLAGRANTIOREM EXCITAT CHARITATEM, *ut quanto flagrantius* DILIGIMVS DEVM, *tanto certius sereniusque videamus: quia* IN DEO CONSPICIMVS INCOMMVTABILEM FORMAM IVSTITIÆ SECVNDVM QVAM HOMINEM VIVERE OPORTERE IVDICAMVS. Ecce jam habes expositum lucidissimè, quid sit ipsa veritas quam conspicimus ac diligimus, cùm vel ipsi rectè vivimus, vel alios diligimus, quos ita vixisse credimus, quid sit ista forma, quam stabilem & semper incommutabilem cernimus, Nempe INCOMMVTABILIS FORMA IVSTITIÆ, quam in Deo conspicimus. Et ideo impossibile est eam diligi nisi illa flagranti charitate quam Spiritus sanctus inspirat ac diffundit in cordibus nostris: nec enim est aliud ipsa veritas & forma justitiæ quæ est in Deo nisi ipse Deus. Cùm ergo bene vivere non possit animus, nec bonus, nec justus esse, nisi talem formam justitiæ, quæ Deus est, diligat, perspicuum est, virtutem & bonitatem & justitiam hominis inhærentem non esse aliud quicquam nisi dilectionem Dei.

Quartum principium Augustini est, quia virtus non est aliud quam affectio animæ bona. Sic enim ipse virtutem aliquoties in operibus suis circumloquitur, ut libro duodecimo de Genesi ad litteram: *Propter animæ affectionem bonam qua desiderio meliore mundata multas interficit cupiditates &c. Propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in somnis quadam eius merita clarent.* Hanc verò affectionem virtutem esse declarat inferius, quando dicit: *Omnis animæ affectio bona, cui contraria sunt eius vitia, quæ rectè culpantur, atque damnantur in hominibus.* Iam vero affectio amoris erga creaturam non potest esse bona, sed potius est mala, & magnum animæ vitium: necesse est igitur virtutem esse affectionem animæ erga Creatorem. Nam propter malitiam affectionis animæ erga creaturas generaliter Augustinus tradit: *Amor inferioris pulchritudinis animam polluit*, non quasi inferior quæcunque pulchritudo sive substantiarum, sive qualitatum, sive actionum passionumve mala sit, sed quia illis dilectione affici malum est, sicut Augustinus ibidem docet: *Quod illam sordidat, non est malum, quia etiam corpus creatura Dei est, & specie suâ, quamvis infima decoratur; sed præ animæ dignitate contemnitur; sicut auri dignitas etiam purgatissimi argenti commixtione sordescit.* Res enim bona amari potest, amore non bono. Affectio igitur animæ erga creaturam non est bona, & ideo virtus hominis postquam in creaturarum affectiones per peccatum primi hominis præcipitati sumus, non est aliud nisi perpetua quædam illius affectionis mundatio per affectionem erga creatorem: *Hæc quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus sordidatur.* Sed de istis affectionum erga creaturas quaslibet immunditijs, plura superius, cùm de affectibus animæ tractaremus diximus. Itaque sanctus Augustinus gradus & actus percurrens quibus anima pertingit ad summam sapientiam, de actu quarto dicit: *Quartus virtus dicatur*, quem in eo constituit, ut *sese abstrahat à sordibus, totamque emaculet ac mundissimam reddat.* Et in libro sexto Musicæ postquam exposuerat inquinationem & aggravationem animæ, quam creaturarum affectionibus contraxerat, liquidissimè docet, non aliter emundari posse, nisi per dilectionem Dei: *Videamus*, inquit, *quatenus illi actio divinitus imperetur, qua purgata atque exonerata revolet ad quietem* &c. Et illam actionem asserens: *Quid me putas hinc diutius debere dicere, cum divina Scriptura tot voluminibus, & tantâ auctoritate & sanctitate prædita, nihil nobiscum aliud agant, nisi ut diligamus Deum* &c. Cùm igitur virtus sit affectio animæ bona; affectio vero erga creaturam non sit bona, sed unicum ejus vitium, quo sordidata polluitur, à qua pollutione per dilectionem Dei mundatur, perspicuum est, virtutem non aliud esse; aut esse posse, nisi amorem Dei.

Lib. 12. de Gen. cap. 15.

Ibid. c. 24.

Lib. 6. de musica c. 14.

Ibidem.

Lib. de musica cap. 14.

Videlicet lib. 2. de statu nat. lapsæ.

Lib. de quantitate animæ cap. 33.

Cap. 33.

Lib. 6. musica cap. 13.

Cap. 14.

CAPVT QVARTVM.

Virtutes Cardinales Amor Dei quadruplex.

HIs ita constitutis non operosum fuerit declarare, qua ratione virtus ista quæ est amor Dei, in quatuor virtutes cardinales, sub quibus omnium aliarum moralium exercitus militat velut in membra dividatur. Nam ista divisio à diverso operandi modo ejusdem amoris sumitur, sive ab alio & alio amoris affectu, quem vel in discernendis bonis ac malis, vel in coercendis libidinibus, vel in tolerandis difficilibus, vel in suo cuique distribuendo exserit. Ex quibus operandi modis, quos idem amor parit, quatuor virtutes oriuntur, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Nam amor conspectæ veritatis ac justitiæ, quatenus discernere facit bonum quod diligit à malo quod non diligit, itemque quid bono suo dilecto congruat vel non congruat, prudentia vocatur: idem

quatenus inhærendo veritati coërcet animum à terrenis voluptatibus, dicitur temperantia: quatenus fortiter adhæret veritati, ne aliquâ adversitate inde divellatur, fortitudo: quatenus hoc faciendo se-ipsum sub Deo amato collocat, & juxta creaturas rationales, & supra mundum corporeum, justitia nuncupatur. Quisquis enim aliquid fortiter diligit, hoc ipso perspicaciter id discernit ab eo quod non diligit, & ab eo neque blandiendo neque terrendo revocatur, & hoc ipso ad illud quod diligit, aliquo ordine sese habet. Iuxta doctrinam igitur S. Augustini, divisio ista quadripartita non est in virtutes tanquam diversas ab amore Dei, sed ejusdem amoris in diversos afficiendi & operandi modos. Quod cùm ex ipso evidenter ostenderimus, multo luculentius elucescet id quod capite præcedente demonstravimus, virtutem creaturæ rationalis non aliud esse quàm amorem Dei.

Itaque in libro de Moribus Ecclesiæ, ubi naturam virtutis ex proposito persequitur, postquam, ut ante diximus, nihil aliud virtutem esse definivisset *nisi summum amorem Dei*, de divisione virtutis in quatuor cardinales, quæ aliud postulare & clamare videbatur, consequenter disserit in hunc modum: *Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut* TEMPERANTIA *sit amor integrum se præbens ei quod amatur:* FORTITUDO *amor facile tolerans omnia propter quod amatur, Iustitia amor soli amato serviens, & propterea rectè dominans: Prudentia amor ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut Temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem; fortitudinem, amorem, omnia propter Deum facile perferentem: Iustitiam amorem Deo tantum servientem, & ob hoc bene imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt: prudentiam amorem bene discernentem ea quibus adjuvetur in Deum ab iis quibus impediri potest.* Et inferius sigillatim virtutum singularum exequens officia, ex eisque vivendi modum trahens: *Prius*, inquit, *temperantiam videamus, quæ nobis amoris illius quo innectimur Deo, integritatem quandam & incorruptionem pollicetur. Munus enim ejus est in coërcendis, sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt a legibus Dei, & à fructu bonitatis ejus.* Hæc autem nos avertentia docet esse omnium sensuum voluptates, gloriam popularem, cetera visibilia quibus quodam blanditiarum lenocinio à veritate revocamur. Et fortitudinem explicans: *De fortitudine vera, non multa dicenda sunt. Amor namque ille, de quo loquimur, quem totâ sanctitate inflammatum, esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur.* Quod in laborum dolorumque corporeorum explicat tolerantia, quos eo facilius ferimus, quo majori impetu amoris sursum rapimur: *Nisi vero amatores auri*, ut addit, *amatores laudis, amatores feminarum, amatoribus suis Deus sinat esse fortiores, cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In quo tamen apparet, quantus sit impetus animæ ad ea quæ diliguntur indefesso cursu per immania quæque tendentis, argumentoque nobis est, quam sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi ut deserant perferunt.* De Iustitia & Prudentia post aliqua ex Scripturis attexta subjicit: *Hanc ergo justitia vitæ regulam dabit, huic amatori de quo sermo est, ut Deo, quem diligit, id est summo bono, summæ sapientiæ, summæ paci libentissimè serviat, ceteraque omnia partim subjecta sibi regat, partim subjicienda præsumat. Quæ norma vivendi ut docuimus utriusque Testamenti auctoritate roboratur. Nec de prudentia diutius disserendum est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum, & vitandorum. Quæ si desit, nihil eorum, de quibus jam dictum est, effici potest.* Et omnia jam dicta in unum colligens planissimèque definiens, quid sit virtus, quid singulæ species ejus, quas morales vocant: *Quid amplius*, ait, *de moribus disputem? Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis, sequitur profecto, quoniam summum bonum appetere, est bene vivere, ut nihil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere; à quo existit, ut incorruptus in eo amor, atque integer custodiatur, quod est* TEMPERANTIÆ: *ut nullis frangatur incommodis, quod est Fortitudinis: nulli alii serviat, quod est justitiæ: vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim, dolusque subrepat; quod est prudentiæ. Hæc est hominis una perfectio qua sola impetrat, ut veritatis sinceritate perfruatur; hæc nobis Testamento utroque concinitur, hæc nobis hinc atque inde suadetur.*

Hinc profectò perspicuè advertit Lector intelligentior, quam fixa & rata in Augustino ista doctrina sit, quam tanta asseverantia contra Manichæos asserit. Et ex ea quoque non obscurè patet, frustra omnino præter charitatem alias virtutes morales à Scholasticis quæri, quibus charitas ad officia temperantiæ, & fortitudinis, & similium virtutum adjuvetur. Nam, ut ex Augustino vidimus, & experientia quotidiana evidenter probat, hoc ipso quo quis aliquid fortiter diligit, fieri non potest, quin & blanditias & dolores, non solum aspernetur, & ferat, sed etiam amoris ipsius magnanimitate contemnat. Hoc in amore pecuniæ, laudis, fœminarum, honorum, ceterarumque rerum visibilium est certissimum. Tanto quippe facilius propter eorum dilectionem omnia vel blandientia vel cruciantia toleramus, quanto ea diligimus vehementius. Amor igitur Dei solus est, qui animum à voluptatibus & libidinibus dilectioni Dei repugnantibus cohibet, amor qui dolores fortiter tolerat. Quid si quis in ipsis passionibus ex earum coërcitione ordo & facilitas iterum cohibendi nascitur, nullo modo ista virtus est, sed bona duntaxat consuetudo, quæ

Lib. de morib. Eccles. cap. 15.

Lib. de moribus Eccles. cap. 21.

Cap. 22.

Cap. 24.

Ibid. cap. 25.

quæ ad virtutis altitudinem attingere non potest, & præsente virtute abesse potest, & destructâ virtute permanere.

Ne quis vero existimet semel tantum, & in isto duntaxat lib. de Moribus Ecclesiæ, quem sub initium suæ conversionis Augustinus exaravit, doctrinam istam de moralibus virtutibus in amore Dei comprenensis, esse traditam, non est difficile demonstrare, quod eam Augustinus & ab initio conversionis, & jam provectior etiam Episcopus, plurimis locis docuit: quorum aliqua producere operæ pretium fuerit, ut ejus constantia in ista asserenda tam magni momenti veritate constet. Nam in libris de Musica quos Catechumenus inchoavit, baptizatus absolvit, dilucide docet, quod *actio illa qua se anima, opitulante Deo ab amore inferioris pulchritudinis extrahit, debellans adversus se militantem consuetudinem suam,* hoc est, delectationum terrenarum concupiscentiam, *fit virtus temperantia*; & quod *illa affectio, qua nullas adversitates mortemve formidat, fit fortitudo; & ipsa eius ordinatio qua nulli servit nisi uni Deo, nulli coæquari nisi purissimis animis, nulli dominari appetit, nisi naturæ bestiali atque corporea, fit iustitia.* Hoc autem totum effici ex illa sola conversione amoris in Deum, per quem simul avellitur ab omnibus huius mundi voluptatibus, quibus coërcendis Temperantia incumbit, statim in prudentiæ descriptione subnectit: *Illud iam quæro*, inquit, *cum prudentiam superius eam esse constiterit inter nos qua intelligit anima ubi ei consistendum sit* (hoc est, quid ei eligendum sit ut eo pertingere conetur) *quo sese attollit per temperantiam, id est*, CONVERSIONEM AMORIS IN DEVM, *quæ* CHARITAS *dicitur, & aversionem ab hoc sæculo, quam etiam fortitudo & iustitia comitantur* &c. Nimirum perspicuè in isto discursu tradit ex illa sola conversione amoris in Deum, hoc ipso effici ut avertatur animus ab hujus sæculi voluptatibus, quod est munus temperantiæ, & fortiter adversa ferat quod fortitudinis, & hoc ipso reddat unicuique quod suum est, seipsum videlicet Deo & sub Deo, juxta alias animas supra naturam bestialem atq; corpoream. Vnde statim adjicit: *Hoc esse arbitror quod agatur in his virtutibus*, QVÆ IPSA CONVERSIONE (amoris in Deum) ANIMAM PVRGANT. NON ENIM AMOR TEMPORALIVM RERVM EXPVGNARETVR, NISI ALIQVA SVAVITATE ÆTERNARVM. Et lib. 1. de libero arbitrio virtutem collocat in bona voluntate, qua, quemadmodum suprà declaravimus, appetimus rectè honesteque vivere, legem æternam ac veritatem, hoc est, Deum ipsum diligendo. Itaque ex ista voluntate statim docet sequi, imo in ista voluntate contineri quatuor virtutes istas, de quibus hic disputamus: *Ego*, inquit, *fateor in hoc homine qui suam bonam voluntatem magni pendit & diligit, omnes quatuor virtutes, quæ abs te paulo ante me assentiente descriptæ sunt esse compertas.* Descripserat vero eas, & in ista bona voluntate contineri demonstraverat, hocce modo, *quia quisquis bonam habens voluntatem hanc unam dilectionem amplexetur*, ille prudentiam habet, quia *hoc bonum appetendum & vitanda ea, quæ huic inimica sunt, videt*; & fortitudinem, quia *non amat ea quæ in nostra potestate non sunt, ideoque non dolet amissa, & omnino contemnit*: & Temperantiam, quia *iste bonæ voluntatis amator resistit omni modo atque adversatur libidinibus, tanquam inimicis bonæ voluntatis*; & Iustitiam, quia *qui diligit voluntatem bonam & obsistit eis quæ huic inimica sunt, male cuiquam velle non potest & nemini facit iniuriam, quod nullo pacto potest, nisi qui sua cuique tribuerit.* Ita Augustinus in isto libro primo, qui hoc ipsum alio modo in secundo libro repetit. Et in epist. quinquagesima secunda ad Macedonium, ubi de natura virtutis, fusè & ex professo disputat: *Quanquam & in hac vita virtus non est nisi diligere quod diligendum est. Id eligere prudentia est; nullis inde averti molestiis, fortitudo est; nullis illecebris temperantia est; nulla superbia iustitia est. Quid autem eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus.* Et nonnihil inferius, cùm docuisset, nos debere diligere Deum & proximum propter Deum, in quibus duobus præceptis tota lex pendeat & Prophetæ, *Hæc*, adjicit, *qui sobria discretione eligit, prudens est; qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est; qui nulla alia delectatione, temperans est; qui nulla elatione, iustus est.* Et in libro octoginta-trium quæstionum, quæstione sexagesima prima quatuor virtutes in Euangelio significatas esse statuit, *prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & iustitiam. Quarum prima est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. Secunda refrenatio cupiditatis ab iis quæ temporaliter delectant. Tertia firmitas animi adversus ea quæ temporaliter molesta sunt. Quarta quæ per cæteras diffunditur, dilectio Dei & proximi.* Plura de hac constantissime asserta veritate afferri possent, sed ex istis intelligi satis sentissimè potest, hoc ipso quo Dei charitas animum hominis occupavit, quatuor istas virtutes continuo hoc ipso esse conjunctas, eo quod necesse sit, quisquis aliquid diligit, hoc ipso id quod consonat ac dissonat prudenter discernere, & ab eo quod dilexerit, nec illecebris, terroribus, nec doloribus velle recedere, in quibus officiis prudentia, temperantia, & fortitudo constituitur. Iustitia vero tam perspicuè juxta sancti Augustini mentem in charitate comprehenditur, ut in isto postremo testimonio perspicuè dicat, *Iustitiam esse dilectionem Dei & proximi, quæ per cæteras omnes diffundatur.* Quod sane & aliis nonnullis locis docet. Nam libro de Continentia, cum justitiæ tribuisset bonis operibus lucere atque fervere, statim illud charitatis esse testatur: *Dominus nos remunerabit qui continuimus nos ab iis, quæ cupiditas, & ea quæ imperavit charitas fecimus.* Et in Psal. octogesimũ tertiũ quatuor virtutes afferens; *Iustitia dicitur*, inquit, *quæ sua cuique*

Margin notes (left): Lib. 6. Musicæ cap. 15. — Lib. 6. Musicæ cap. 16. — Ibid. — Lib. 1. de lib. arbit. c. 13.

Margin notes (right): Lib. 2. de lib. arbit. c. 10. — Epist. 52. ad Maced. — Ibid. — Lib. 83. qq. q. 61. — Lib. de Continent. c. — In Psal. 83.

cuique tribuimus nemini quicquam debentes, sed omnes diligentes. Quibus verbis tacite reddi ratio videtur, cur justitiam cum charitate confundat, quia videlicet cum sua cuique tribuimus, quod fit præcipuè cùm bene ergà Deum & proximum & nosipsos operamur, hoc ipsum non rectè fit, ideoque nec fit, nisi charitate faciamus. Nam in omnibus operibus nostris dilectionem justitiæ debere dominari, jam satis superque sæpius declaravimus.

Quod si de singulis istis virtutibus ad voluntatem pertinentibus, id demonstrare vellemus, quod de omnibus simul tam densis testimonijs aperuimus, quicquid videlicet per eas operamur, Dei dilectione velut cardine suo niti, non esset hoc magnopere operosum. De justitia quidem sola id jam jam ostendimus. De temperantia istud apertè in libro de Continentia præclarèque profitetur: *Nam & ipsa continentia,* inquit Augustinus, quæ maxima ex parte temperantiæ commixta est; *cùm frenat cohibetque libidines, simul & appetit bonum ad quod immortalitatem tendimus, & respuit malum cum quo in hac mortalitate contendimus. Illius quippe amatrix & spectatrix, huius vero hostis & testis est, & decus eius appetens, & dedecus fugiens.* Pulcherrimè sanè, nam ex boni appetitione mali oppositi refrenatio proficiscitur. Ex quo fit ut quo robustius diligitur continentiæ decus, eo facilius libidines refrenentur: *Non enim amor temporalium rerum expugnaretur, nisi aliqua suavitate*, hoc est, amore *æternarum*. Fortitudinem vero non nisi ex sola charitate inflammata robustam esse, non semel exserte tradit. *Persecutionibus sola charitate resistitur,* inquit in Psalmum nonum. Et in libris adversus Faustum: *Bitumen atque ferventissimum & violentissimum gluten, significans dilectionis ardorem vi magna fortitudinis ad tenendam societatem spiritualem omnia tolerantem.* Quod quidem in Augustini sententia tam certum atque fundatum est, ut hoc ipso quo fortitudo non ex amore Dei, sed ex amore alterius cujuscunque quod hoc mundo continetur, pullulaverit, non jam fortitudo, sed immane vitium sit, quod duritia vel obstinatio nuncupatur. Audi disertissimis verbis istius veritatis assertionem: *Non intelligunt,* ait Augustinus, *& quemque iniquorum tanto esse ad quæcunque mala perferenda duriorem, quanto in eo maior est cupiditas mundi; & quemque iustorum tanto esse ad quæcunque mala perferenda fortiorem, quanto in eo est maior charitas Dei.* Et paulo post in eodem loco: *Quanto ergo maior est in sanctis Charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur, omnia tolerantur: & quanto maior est in peccatoribus cupiditas mundi, tanto magis pro eo, quod concupiscitur omnia tolerantur. Ac per hoc inde est patientia vera iustorum, unde est in eis charitas Dei: & inde est patientia falsa iniquorum, unde est in eis cupiditas mundi* &c. Nam concupiscentiam mundique dilectionem cùm non ex Patre, sed ex mundo esse dixisset, adjicit: *Hæc igitur concupiscentia, quæ non est ex Patre, sed ex mundo, quanto fuerit in homine vehementior & ardentior, tanto fit quisque pro eo quod concupiscit, omnium molestiarum, dolorumque patientior.* Utriusque ratio manifesta est, quia quo amor qualiscumque vehementior est, eo necesse est fortius adhæreat bono quod diligitur, & eo difficilius nexus abrumpatur; in qua adhæsionis firmitate tota ratio fortitudinis constituta est. Itaque rem istam tanquam Catholicæ fidei veritatem, proprijs Augustini verbis Concilium Arausicanum sanctificavit & sanxit: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quod autem de fortitudine definit, idem prorsus de prudentia, de temperantia, de justitia sentiendum est. Nam quemadmodum ideo adversa ferunt, quia mundana cupiditate possessi sunt, ita etiam ideirco cupiditates quasdam temperant, quia mundum diligunt, & ideo opera quædam justitiæ videntur facere, quia mundum diligunt. Cui cupiditati quia prudentia ipsorum militat, non jam prudentia, sed astutia dici debet. Ut sanè in re tam perspicua me admiratio subeat non mediocris, quid multi auctores sibi velint, qui veram fortitudinem, verasque virtutes in hominibus infidelibus collocarunt; cùm evidens atque certum sit, virtutem nullam nisi ex alicujus objecti dilectione posse proficisci, omnemque dilectionem quæ non est Dei, mundi dilectionem & cupiditatem esse, Deique charitati contrariam. sicut Apostolus tradit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in eo.* Quid enim diligit sive fidelis sive infidelis, quando non diligit Deum, si non est mundus, vel non aliquid quod in mundo est? Hinc ergo efficitur, ut neque justitia, neque fortitudo, neque temperantia, neque prudentia virtus ullo modo esse possit, sed verum vitium sit, si non ex Dei charitate nascatur. Necesse est enim ut ex mundi cupiditate ab Apostolo & Augustino damnatâ fluat. Sed de his alibi plura diximus.

Marginal notes: Lib. de Continent. c. 3. — Lib. 6. Musica c. 14. — In Psal. 9. — Lib. 12. cont. Faust. c. 14. — Lib. de Patientia c. 17. — Conc. Arauf. Can. 17 ex lib. 1. oper. imper. cont. Iul. — 1. Ioan. 2. — Vide lib. 3. de statu pure nat.

Margin letters: A, B, C

CAPUT

CAPVT QVINTVM.

Etiam ceteræ virtutes quidam affectus sunt dilectionis Dei. Ostenditur hoc de virtute Religionis.

QVOD de quatuor istis virtutibus moralibus ostendimus, non aliud eas esse, nisi varios charitatis affectus, hoc idem in ceteris omnibus moralibus locum habet. Omnes enim ad illas quatuor velut quosdam cardines revocantur, & in operandi modo planè similes sunt. Quam ob causam videtur mihi Augustinus alias sub illis quatuor cõplexus esse. Religionem enim quæ præcipuè inter morales eminet, sub justitia collocare solet. Itaque virtutem Religionis, non solum generali ista consideratione, quia justitia quædam est creaturæ rationalis erga Deum, juxta illud Augustini pronuntiatum: *Justitia porro ea virtus est, quæ sua cuique distribuit. Quæ igitur justitia est hominis, quæ ipsum hominem Deo vero tollit, & immundis dæmonibus subdit? Hoccine est sua cuique distribuere? An qui fundum aufert eius, à quo emptus est, & tradit ei qui nihil in eo iuris habet, iniustus est; & qui seipsum aufert dominanti Deo, à quo factus est, & malignis spiritibus subdit, iustus est?* Non hac ergo tantum consideratione, quia justitia est, sed etiam speciali respectu quia Religio est, semper Augustinus eam nihil aliud nisi AMOREM DEI esse definit. Alibi hoc, nisi me fallit, diversis ex Augustini locis demonstravimus; ut hic unum aut alterum ejus testimonium sit futurum satis. Itaque in libro decimo de Civitate, de amore Dei & proximi disputans, qui duplici dominico præcepto commendatur: *Hic*, inquit, *est Dei cultus, hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus.* De quo paulo antè quoque præmiserat: *Ei suavissimum adolemus incensum, cum in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus.* Et in Epistola de gratia novi Testamenti ad Honoratum, ad ista verba Psalmi: *Qui timetis Dominum, laudate eum, Quis autem veraciter*, inquit, *laudat, nisi qui sinceriter amat? Tantundem ergo est, ac si diceret: Qui timetis Dominum, amate Deum. Dicit enim homini sicut scriptum est: Ecce pietas est sapientia. Porro pietas* CVLTVS DEI EST, NEC COLITVR ILLE NISI AMANDO. Et libro duodecimo de Trinitate: *Quis cultus eius* (Dei) *nisi* AMOR EIVS, *quo nunc desideramus eum videre, credimusque & speramus eum nos esse visuros.* Et Epistola vigesima nona ad Hieronymum: *Quid autem est pietas nisi Dei cultus? Et unde ille colitur nisi charitate.* Quæ sententia apud Augustinum sæpe, nec immerito celebrata est. Quisquis enim quempiam colit ac veneratur, quem non diligit, non ipsum sed id quod diligit colit. Id quippe colit quod ab alio, quem non dilectum colere videtur, nititur obtinere. Hinc præclarè sanctus Augustinus: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum sed illa quærebant; quia eo modo, timore seculi, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur.* HOC ENIM COLITVR QVOD DILIGITVR. *Vnde quia Deus rebus omnibus maior & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur.* Et quia nõ minimus religionis actus Deique cultus est oratio, de illa, quando non ex Dei sed rerum temporalium dilectione fluit, vide quid sentiat: *Nonne quotidie tales* terrena diligentes, *rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite si possumus hoc dicere adiuvante ipso Deo. Deus gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est, castè amari; non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Qui ergo invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat. Hoc enim invocat, quod ad se vult venire*, hoc est, quod diligit & habere cupit. Qua de re plura dici possent. Sed ista satis patefaciunt, nullam esse veram Religionem, aut cultum Dei, sed simulationem tantum & larvam ejus, nisi Deus sincere, & castè, hoc est, gratis & propter seipsum ex vera charitate diligatur.

Lib. 10. de Civit. c. 21.

Lib. 10. de Civit. c. 4.

Epist. 120. c. 18.

Lib. 12. de Trinit. c. 14.

Epist. 29.

In Psal. 77.

In Psal. 52. in fine.

CAPVT SEXTVM.

Idem declaratur in virtutibus Theologicis. Et primo in fide ex diversis Augustini principiis & locis.

QVOD si vero ad ipsas duas primas virtutes Theologicas fidē ac spem, animum advertamus, videtur quidem aliqua esse difficultas quomodo & istæ possint esse amor Dei; sed in Augustini doctrina res ista quoque certa est. Nullam enim & ipse agnoscit fidem veram atque Christianam, nullam itidem spem, nisi ex Dei charitate dimanet. Quod quidem ex Augustini principiis pluribus quam decem facilè probaretur, nisi paucioribus expediri posset; aut pervicaci alicujus contestatione labor ille necessarius esse videretur. Tota quippe Augustini doctrina in hoc ipsum consonat. Paucis igitur contenti erimus, quibus tamen & quod istud revera docuerit Augustinus, & radix cur docuerit, sufficienter aperiatur.

Augustinum igitur revera docuisse, quod

voluntas

voluntas illa ex qua credimus Deo, & speramus in Deum, non alia sit, quam verus amor seu charitas Dei, diversis ex capitibus demonstrari potest. Et primo quidem ex ipso fundamento totius controversiæ cum Pelagianis. Totius enim disputationis cardo cum istis inimicis gratiæ fuit, unde bonæ & sanctæ voluntates nascerentur, utrum ex libero voluntatis arbitrio, an ex gratia Dei, juxta Prosperum qui dicit fuisse disputatum, *de sanctarum origine voluntatum, & fidei charitatisque principijs*, quam disputationem paulo ante fuisse dicit, *de bonarum initijs voluntatum*. Hoc autem initium bonæ voluntatis à fide incipit, & in voluntate credendi continetur, dicente perspicuis verbis Augustino ad Vitalem, cum quo controversiam de bonæ voluntatis initijs versabat: *Tu initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis, non vis donum esse Dei.* Iam vero nullam agnoscit bonam voluntatem Augustinus, nisi charitatem, sicut hoc in præcedentibus aliquoties, ex perspicuis ejus multisque testimonijs demonstravimus. Nam ideo cum Pelagio disputans, qui bonam voluntatem nobis ex nobis esse contendebat, tanquam rem certissimam proferret, adversario suo dicit: *Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & à Patre datam, ut filij eius essemus.* Quid quod in fide continetur initium non solum bonæ, sed etjam *piæ voluntatis*, prout in verbis ex Epistola ad Vitalem productis manifestum est. Pietas vero & secundum Augustinum & secundum veritatem nulla est, nisi Deus charitate diligatur. Hoc enim in præcedenti capite disertis verbis Augustini patefecimus, ergo necesse est in fide, multoque magis in spe, quæ provectior fide est, esse initium charitatis. Vnde quemadmodum Prosper totam cum Pelagianis controversiam ad bonam voluntatem revocavit, an esset ex Deo, ita sanctus Augustinus ad charitatem: *Vnde est*, ait ipse, *in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Si per hoc vincuntur Pelagiani quod charitas sit ex Deo, ergo necesse est in voluntate esse charitatem. Nam de voluntate credendi an esset ex Deo, summa erat tunc temporis, cum librum illum scriberet cum Pelagianis disputatio.

Lib. contra Collat. c. 6.

Cap. 5.

Epist. 107.

Lib. de grat. Christ. c. 21.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 18.

Secundo, Deus nos jubet primitus in se credere, & sperare, quemadmodum ex præceptis quæ in Scriptura continentur perspicuum est. Propter quod Apostolus se Apostolum vocatum dicit, *ad obediendum fidei in omnibus gentibus*, hoc est, ut omnes gentes præcepto fidei obediant. Sed nemo potest præceptis Dei obedire sine charitate; quemadmodum Augustinus non semel tradit. Nam Semi-Pelagianis negantibus à Deo donari fidem, & tamen simul profitentibus, quod Deus gratia sua præveniret hominis voluntatem, inferendo concludit Augustinus: *Prævenit ergo & fidem gratia: alioquin si fides eam prævenit, procul dubio prævenit & voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profecto prævenit omnem obedientiam*, videlicet etjam ad obediendum præcepto fidei, & per hoc consequenter *prævenit etiam charitatem*, QVA VNA VERACITER ET SVAVITER OBEDITVR. Ecce manifestè conclusum ex eo quod gratia prævenit voluntatem & obedientiam, sine qua fides esse non potest, etjam prævenire charitatem, quia per charitatem Deo veraciter obeditur. Ergo necesse est obedientiam quæ in fide, multoque potius quæ in spe continetur, ex charitate proficisci. Vnde libro de correptione & gratia, cum corriperentur quidam, quod Dei præcepta non facerent, respondebant *orandum* esse Deum, *ut det quod non dedit, id est, ipsam qua præcepta eius fiant, fidelem Dei & proximi charitatem.* Vt sic cum bona voluntate facerent quæ præciperet. Et Augustinus fatetur obedientiam præcepti esse *munus Dei, quia necesse est, ut insit ei cui charitas inest, quæ sine dubio ex Deo est.* Vnde istud ex Apostolo in Augustino celebratissimum: *Plenitudo legis charitas.*

Lib. de dono Persev. c. 16.

Lib. de Corr. & grat. c. 3.

Ibid. c. 6.

Rom. 13.

Tertio, quia docet Augustinus contra Pelagianos, cupiditatem boni etjam imperfecti per quam homo ex reluctante consentit bono, & ex nolente fit volens, esse ex gratia Dei, ne gratia quoquo modo secundum merita tribueretur. Quod ex professo libro secundo ad Bonifacium tradit. Sed ista prima cupiditas boni, quæ maxime in credendi voluntate manifestatur, est initium charitatis: *Proinde cupiditas boni*, inquit Augustinus, *non homini à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summe atque incommutabiliter bonus est.* QVID EST ENIM BONI CVPIDITAS NISI CHARITAS, *de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo est.* Et cum charitatis istius tam initium quam perfectionem ex Deo esse docuisset, ostendens quo pacto charitas illa initialis, qua bonum cupere incipimus, etjam ad fidem & spem in Deum & ad quodcumque præceptum concurrat adimplendum: *Benedictio dulcedinis*, inquit, *est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet*, ET CVPIAMVS, *hoc est*, AMEMVS QVOD PRÆCIPIT NOBIS. *In qua si nos non prævenit Deus non solum non perficitur bonum, sed nec inchoatur ex nobis.* Cum ergo sine illa cupiditate boni neque credere neque sperare, neque quicquid omnino boni inchoare possimus, profecto etjam sine charitate neque credere, neque sperare, neque quicquam omnino boni inchoare possumus. Itaque eandem illam Scripturam, qua semper uti solet, ut voluntatem credendi probet esse ex Deo, ibidem adhibet ut probet illam cupiditatem seu charitatem boni esse ex Deo, *misericordia* videlicet *eius præveniet me*, quia sicut ista misericordia præveniente inchoamus bonum dum concupiscimus bonum, ita etjam inchoando & concupiscendo bonum, credimus & speramus.

Lib. 2. ad Bonif. c. 8.

Ibid. c. 9.

Ibid.

Psalm. 58.

Quarto initium justificationis nostræ inchoatur à fide & spe, de quo tum alibi sæpius, tum

tum in libro primo ad Simplicianum: *Nisi ergo vocando praecedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat iustificari.* Sed nulla omnino nec inchoata justificatio hominis absque charitate: (*Lib. de nat. & grat. c. 68.*) *Charitas enim inchoata, inchoata iustitia est, charitas provecta, provecta iustitia, charitas magna, magna iustitia est.*

Quinto, certissimum in Augustino principium est, nullum praeceptum ab homine impleri nisi justitia diligatur, quemadmodum hoc iam saepius ac diversis in locis ex multis Augustini locis ostendimus. Ergo neque praeceptum credendi Deo & sperandi in Deum, sine justitiae dilectione impleri potest. Non enim minus justitia & aequitas & rectitudo sempiterna in praecepto credendi & sperandi, quam in alio quocumque proponitur. Sed justitia diligi non potest, sine vera & propriè dicta charitate, quod etiam saepius jam ostendimus; non igitur potest praeceptum fidei & B spei sine eadem illa charitate servari. Vnde sunt illa generalia sancti Augustini pronuntiata de cujuscumque legis, sive fidei, sive spei, sive temperantiae, sive justitiae, sive fortitudinis observatione: (*Lib. 1. ad Bonif. c. 8.*) *Lex iubere novit cui succumbit infirmitas; gratia iuvare qua infunditur charitas.* Et, (*Lib. 1. cont. Iul. oper. imp.*) *Charitas sola vult bonum.* Et, *Per donum charitatis delectat legis esse factorem.* Et, (*Lib. 4. ad Bonif. c. 5.*) *Praeceptum generale est charitas.* Et, (*Lib. de perf. iust. c. 10.*) *Praecepta dilectionis id est charitatis tanta & talia sunt; ut quicquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene,* quia videlicet (*Lib. de grat. & lib. arb. c. 18.*) *non est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Et similia quae manifestè ostendunt nihil omnino neque credi, neque (*Lib. de Spir. & lit. c. 14.*) sperari rectè posse, nisi charitas moveat voluntatem. Idque eo magis quia fides non docet, neque credi, neque sperari posse sine gratia Dei; (*Lib. 4. ad Bonif. c. 5.*) *Inspiratio* vero *dilectionis ut cognita sancto amore faciamus, propriè gratia est,* quae contra Pelagianos defensa fuit, & à Concilijs C definita. Qua de re latius in praecedentibus.

Denique, ut alia sancti Augustini principia praetermittam, hoc ipsum aliquando claris verbis Augustinus asserit. Nam de modo disputans quo aliquis trahitur ut ad Christum veniat, hoc est, sicut ipse exponit, *ut credat,* expressè docet hoc fieri amando. Trahitur enim animus, inquit, (*Tract. 26. in Ioan.*) *voluptate. Est enim quaedam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille caelestis.* Et paulo pòst hominem ad Christum trahi explicat, A quia *delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est.* Quibus verbis verus & genuinus amor veritatis & justitiae, nomine dilectionis exprimitur. Nam talis dilectionis effectum explicans paulo inferiùs: *Nuces,* inquit, *puero demonstrantur, & trahitur. Et quia quo currit, trahitur,* AMANDO *trahitur.* Et hoc applicans fidei qua venitur ad Christum: *Si ergo ista quae inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniā verū est trahit sua quemque voluptas, non trahit revelatus Christus à Patre? Quid enim fortius desiderat anima quam veritatem?* Christus enim, ut praemiserat, est veritas. Et amando desiderandoque veritatem trahimur, id est, credimus. Vnde addit infra, quod Deus docet nos credere DELECTANDO, *non necessitatem imponendo.* Notum est autem quod B Augustino delectatio amoris est causa: Nisi enim delectet voluntas moveri nullo pacto potest.

Quod si ratio hujusce doctrinae quaeritur, ea ex sancti Augustini principijs non obscurè fluit. Non enim agnoscit sanctissimus Doctor in universis operibus suis nisi duos amores creatoris & creaturae, ex quorum alterutro necesse est ut quaecumque actio voluntatis oriatur. Ille charitas est, iste cupiditas, quarum illa de caelo est Deo plantante, ista ex mundo diabolo seminante: *Nemo enim volens aliquid* (*Lib. de Trin. c.*) *facit,* inquit Augustinus, *quod non in corde suo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur, sive creaturae sive creatoris, id est, aut naturae mutabilis aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate aut charitate.* Notum est autem sanctum Augustinum, cupiditatem omnem, tanquam omnium vitiorum & peccatorum radicem exsertè damnare, *radix enim omnium malorum cupiditas;* C quod ipse de ista generali cupiditate, quae in universis peccatis dominatur, intelligere solet. Haec ergo ab omnibus operibus bonis maximèque fidei & spei actibus, quam longissimè ex Augustini mente removenda, ut sanè monstri similis videretur, qui nos fide & spe Christianâ ex cupiditate creaturae credere ac sperare fateretur. Charitate igitur, hoc est, dilectione creatoris opus est, quae voluntatem ad adhibendam fidem Deo & in eo spem figendam inclinet & flectat.

CAPVT SEPTIMVM.

Dilectio ista ex qua nascitur fides, charitas imperfecta est, & quo sensu.

SED ne quis in hac doctrina fallatur, sciendum est, non semper ita sumi ab Augustino charitatem, quemadmodum hoc tempore passim & ferè semper in scholis usurpari solet. Nunc enim per charitatem nihil aliud intelligimus, quam virtutem illam dilectionis in tam perfecto gradu, ut su- A per omnia diligatur Deus. Quo sanè sensu, certum est, ex Augustini mente, fidem & spem non supponere charitatem ex qua nascantur, sed è contrario fidem & spem charitati isti perfectae, sicut & peccatorum remissioni viam sternere. Vnde saepissimè docet, quod *fides impetrat charitatem.* Vt in Epistola ad Paulinum

Epist. 106. num: *Hanc fidem volumus habeant qua impetrent charitatem.* Augustinus igitur charitatem accipere plerúmque solet pro dilectione qua verè, sincere, & gratis ex animo propter seipsum, nullius creaturæ sed ipsius solius intuitu diligitur Deus, sive ad illam pertingat perfectionem ut supra omnia creata diligatur, sive in simpliciori & inferiori affectu hæreat. Nam talis amor quantumcumque remissus, exilis ac tenuis, est verissimus & castissimus fructus charitatis Dei sive dilectionis amicitiæ, nulla concupiscentiæ ad se reflexæ perversitate distortus. Talis igitur amor Dei, nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Christiana, sed vel dæmonum ex pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore; quarum neutra est fides, ex qua fideles nuncupamur. Illa quippe ex quodam imperfecto saltem dilectionis affectu erga Deum nascitur, quo fit ut intellectum humiliter submittat B auctoritati Dei & captivet in obsequium Christi. De tali imperfecto charitatis seu dilectionis actu, qui non sufficiat ut justificetur homo, quia nondum super omnia diligitur Deus, loquitur Augustinus diversis in locis, ut libro octavo de Trinitate, loquens de dilectione sempiternæ veritatis, quæ est ipsa justitia Dei, & exemplar humanæ ac forma justitiæ: *Unde*

Lib. 8. de Trinit. c. 8. *inhæretur* ILLI FORMÆ NISI AMANDO? *Cur ergo alium diligimus, quem credimus justum & non diligimus* IPSAM FORMAM, *ubi videmus quid sit justus animus, ut & nos justi esse possimus? An vero nisi & istam diligeremus, nullo modo eum diligeremus, quem diligimus ex ista?* SED DUM JUSTI NON SUMUS, MINUS EAM DILIGIMUS: QUAM UT JUSTI ESSE VALEAMUS? Ecce dilectionem justitiæ seu veritatis istius exemplaris, quam sexcenties in scriptis suis prædicat, sed MINOREM *quam ut justi esse valeamus.* Nempe quia est quædam dilectio justitiæ quasi C simplex ejus complacentia, quæ non eo usque increverit, ut adversantia isti bonæ voluntati valeat superare. Itaque in libro nono ejusdem operis de Trinitate, de ejusdem justitiæ dilectione sed perfectiori disserens: *Qui verbi gra-*

Lib. 9. de Trinit. c. 9. *tia*, inquit, *perfecte novit, perfectèque amat justitiam, jam justus est, etiamsi nulla existat secundum eam foris per membra corporis operandi necessitas.* Ubi magna cum circumspectione dicit, *qui perfectè amat.* Est enim amor justitiæ imperfectus, quo non fit statim justus homo, sed instar infantis in utero concipitur, ut tandem crescente paulatim super omnia justitiæ dilectione nascatur. Quæ perfecta & imperfecta justitiæ dilectio tunc maximè proditur, quando duæ dilectiones Dei & mundi, justitiæ & injustitiæ in eodem animo, utra utram superet, colluctantur. Cujus rei exemplum suppeditat nobis luculentum Augustinus: *Si ex adverso*

In Epist. ad Gal. 5. *existant duo, præceptum justitiæ & consuetudo carnalis, & utrumque diligatur id sectabimur quod amplius dilexerimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur sed aut timore vitii trahemur in alterutram partem &c.* Vides hic exemplum D certaminis, in quo justitiæ & carnalis delectatio seu consuetudo simul diligitur. Si justitiæ dilectio tam remissa fuerit, ut carnalem suam consuetudinem homo superare non possit, perspicuum est, justitiæ dilectionem tam imperfectam esse, ut non super omnia diligatur. Unde in eodem Commentario dicit, quod quidam *non se tenent conjunctos in* CHARITATE JUSTITIÆ, *sed à concupiscente adversum se carne vincuntur*: Quorum infinitus inter Christianos *Ibid.* etjam bonos est numerus. Non enim cum carnalibus delectationibus se certare simulant, sed serio nonnihil imperfectis luctandi motibus pugnant. Verum dum languida tantum & infirma voluntate justitiam diligunt, voluptati dantes manus, à sæviente cupiditate superantur. Itaque de similibus jam habentibus voluntatem bonam dicit Augustinus: *Volo* *Serm. 3. de verb. Apost. n. 10.* *ut velis, sed non sufficit ut velis, adjuvandus es ut plenè velis & impleas quod velis.* Ubi clare duplex bona voluntas ad implenda præcepta cernitur, una perfecta & plena, altera imperfecta & semiplena, quarum neutra culpatur quod non diligat, sed altera tantum quod imperfectè diligat. Et in sermone decimo septimo, ubi de illa vera & charitativa justitiæ dilectione tantopere laudata loquitur: *Amanda est justitia, &* *Serm. 17 de verb. Apost. c. 3.* *in hac justitia amanda gradus sunt proficientium. Primus est ut amori justitiæ non præponantur omnia quæ delectant.* Ecce justitiæ dilectionem perfectam quæ justificat; quia super omnia delectantia justitia diligitur. Sed dum tam sollicitè hortatur, toto pœnè sermone, *ut inter omnia quæ delectant, plus nos delectet ipsa justitia.* *Ibidem.* Itemque ut *justitia sic delectet ut vincat etiam licitas delectationes: & ei delectationi, qua licitè delectamur, justitiam præponamus*: profecto evidenter *Ibidem.* significat subinde justitiam non minus delectare, quam cetera quæ delectant, atque inde fieri ut alijs rebus amplius nos delectantibus justitia postponatur. Hos enim delectationis gradus indicat etjam paulo inferius, quando dicit: *Interrogo utrum ames justitiam? Respondebis, Amo. Quod non responderes nisi te* ALIQUATENUS *delectaret.* Et in sermone tertio eorum qui *Ibid. n. 9.* in appendice collocati sunt, quosdam introducit aliquantulum *condelectari legi Dei*, hoc est ex Apostoli phrasi & Augustini perpetua explicatione, diligere justitiam legis, & tamen adhuc non posse suas concupiscentias superare, sed ab eis captivos possideri: *Quid enim est quod ex* *Serm. 3. in Append.* *aliquantula jam gratia Dei* CONDELECTARIS LEGI DEI *secundum interiorem hominem sed vides alium legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ: non repugnantem & nihil valentem, sed captivum te ducentem in lege peccati.* Sed omnium apertissimè tenuem illam & imperfectam Dei seu justitiæ dilectionem exprimit in libro de gratia & libero arbitrio: *Qui ergo vult facere* *Lib. de grat. & lib. arbit. c. 17.* *Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam*, id est, charitatem, *sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est magna charitate fecerunt.* Quam paulo inferius vocat *parvam & imperfectam charitatem.* Et adhuc

tium

adhuc inferius de illo loquens qui propter infirmitatem virium voluntatis, qua vellet mandata facere, ea cupiditatibus quassatus nondum facit: *Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet* ALIQVID DILECTIONIS *ut adde sibi quæreret, unde quod iubebatur impleret.* Nimirum tantillum ut sentiens suæ voluntatis imbecillitatem, saltem Deum rogare possit, quatenus tantam tribuat legis & justitiæ suavitatem, ut eam implendo terra det fructum suum. Ad quod voluntatis incrementum respicit, in sermone quarto de verbis Apostoli: *Quem delectat* LEX DEI, ET SIC DELECTAT, *ut omnes delectationes lascivias vincat, non sibi arroget istam delectationem. Dominus dabit suavitatem.*

Ibid. c. 18.

Serm. 4. de verb. Apost. c. 8.

Ex his perspicuum est, esse quandam imperfectam legis & justitiæ, & veritatis, hoc est, Dei dilectionem, seu ut Augustinus loquitur, parvam & imperfectam charitatem quæ non pertingat eò, ut omnia delectantia vincente justitiæ delectatione superentur, *quamq; minus iustitiam diligimus, quam ut iusti esse valeamus.* Et ista est ex qua virtutes istæ Theologicæ nascuntur fides & spes, antequam perfecta illa charitate, quæ super omnia Deum diligit, superveniente formentur. Quæ quidem doctrina, ne quidem Scholasticis Doctoribus incognita, quantum ad fidem videtur. Nam quando docent necessarium esse piam voluntatis affectionem erga Deum, qua inclinante fiat ut intellectus revelanti assentiatur, nihil profecto diversum ab Augustino dicunt, si intelligunt, quid sibi pius affectus velit. Nam & ista sententia de pia voluntate intellectui fidem imperante ex Augustino sumpta est: *Cum fidei comparanda cor tantum admoverunt* PIVM, *non & palpantem manum.* Nulla vero prorsus Augustini judicio est pietas erga Deum, nisi dilectio Dei: *Cor quod recte petit*, inquit, *recteque pulsat, & quærit*, PIVM ESSE DEBET, PRIMO AMARE DEVM GRATIS: HÆC EST ENIM PIETAS. Quod alibi pluribus declaravimus, & plurimis facili negotio probari potest. Nam cum pietatis sit propriè colere Deum, nullum etiam ejus verum cultum agnoscit, nisi qui impenditur diligendo. Hoc enim colitur quod diligitur. Si ergo necesse est fidem ex pia affectione proficisci, necesse est ex Dei dilectione proficisci. Nam ex cujus alioquin dilectione pia ista affectio & fides ipsa promanabit? Aliquid enim diligat necesse est, dum vult credere, si se vel quicquam aliud quod creaturarum ambitu continetur non ista profecto pietas, sed potius impietas erit, ex creaturarum, hoc est, hujus mundi dilectione, credere velle Deo. Nimirum, ut fides ad id quod extra Deum diligit distortæ voluntatis perversitate referatur. Itaque pia ista erga Deum affectio, nihil est aliud quam amor quidam quo homini æterna veritas revelans placet; ex quo timor quidam reverentialis pullulat.

Lib. 8. de Trinit. c. 8.

Serm. 8. de verb. Domini c. 2.

Serm. 234. de Temp. c. 3.

Hoc eodem lib. c. 5.

Hæc igitur imperfecta dilectio Dei, plerumque in peccatoribus perfectam charitatem antecedit. Sentiunt enim quosdam sincere dilectionis motus, ex quibus fit, ut quamvis nondum implere se posse sentiant quæcumque Deus præcipit, eo quod terrenis cupiditatibus se ligatos esse videant, quæ ipsos in perfectæ charitatis omnia superantis amplexus evolare non sinant, se bene tamen affici erga Deum sentiant, bene de ipso ex animo loquantur, desiderent rectè vivere, justitiæ & rectitudinis splendore perstricti. Cujusmodi status in eis subinde menses & annos integros durat, donec Deo vincula eorum dirumpente, tandem dilectio charitatis omnes victrices hactenus cupiditates, vincente justitiæ delectatione, superet Deumque dilectum omnibus delectationibus præferat. Et quamvis actus illi præcedentes imperfecti sint, non tamen propterea desinunt esse veræ & sinceræ charitatis, non ab illo quidem perfecto habitu, qui nondum adest animo, sed à Spiritu sancto excitante suscitati. Idem enim prorsus objectum habent, quod perfecta charitas, justitiam scilicet propter justitiam, seu Deum propter Deum, nullius alterius distinctæ mercedis consideratione dilectum. Quod esse sincerissimæ charitatis objectum nemo peritus rerum istarum diffiteri potest. Vnde & Franciscus Suarez in libro secundo de gratia tales imperfectæ charitatis actus ante justificationem hominis agnoscit & probat.

Suarez lib. 2. de grat. c. 15.

Vtrum vero verius sit, quod istiusmodi dilectionis motus ab assistente spiritu, an simul etiam ab interna aliqua dispositione permanente suscitentur, parum ad propositum nostrum refert. Augustino tamen magis congruere videtur, ut ab interna simul permanente dispositione fluant. Nam huiusmodi animi compositio imperfecta, qua placet eis justitia, qua optant castè, temperatè vel justè vivere, nec tamen obtinere à se possunt, ut hoc plena arripiant voluntate, sæpè ad multum tempus durat. Sentiunt etiam subinde se in istiusmodi affectibus paulatim Deo miserante proficere, & firmiores adversus impetus concupiscentiarum suarum, crescente justitiæ delectatione fieri: quæ videntur esse indicia alicujus dispositionis internæ, quam eis infundit Deus. Si enim fides cum suo affectu reverentiali & pio quem Scholastici probant, multis mensibus & annis esse in homine habitualiter potest, ante justificationem, hoc est, ante perfectam illam charitatem; quid miri aut novi, si talis imperfecta dilectionis qualitas quædam permanens in peccatore statuatur? Nam revera ex Augustini mente pius ille affectus non est aliud nisi quædam dilectio seu complacentia Dei, propter quam intellectus veritati ejus pronus ac libens acquiescit.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Idem de spe ostenditur.

QVOD si intelligimus, quomodo A fides ex sincera Dei charitate seu dilectione nascatur, nulla de spe reliqua difficultas erit. Cùm enim spes quælibet sit quidam appetitivus motus, necesse est ut ex amore proficiscatur; utpote qui sit illa prima coaptatio animi ad bonum, quo placere incipit. Hic igitur amor cum abest bonum, fertur in illud per desiderium, quod si fuerit arduum, etjam in adipiscendi spem erigitur, ut in eo adepto per gaudium fruendo requiescat. Amor igitur ille Dei, quo jam veritas & justitia diligi cœpit, in spem fruendi veritate vertitur, hoc ipso quo bonum istud magnum & arduum, quadam adipiscendi possibilitate blanditur. Itaque Augustinus in Enchiridio ad Laurentium de *fide, spe & charitate* disputans, ut sciremus, *quid credendum scilicet, quid sperandum, quid amandum sit*, sæpius tradit spem sine amore esse non posse. Nam cum de fide dissereret & spe, ad tertiam istam virtutem charitatis veniens: *Iam*, inquit, *de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes vero sine amore esse non potest. Denique ut ait Apostolus Iacobus: Et dæmones credunt & contremiscunt, nec tamen sperant vel amant, sed potius quod speramus & amamus credendo, venturum esse formidant. Propter quod Apostolus Paulus fidem quæ per dilectionem operatur approbat atque commendat, quæ sine spe esse non potest. Proinde nec amor sine spe est,* NEC SINE AMORE SPES, *neque utrumque sine fide.* Vbi manifestum est, Augustinum de vero amore ac dilectione charitatis loqui. Quod vero ad fidem non postulat istum amorem charitatis, ratio est quia de fide loquitur generalius, prout & dæmonibus competit. Et in fine ejusdem Enchiridij: *Quamvis* SPERARE SINE AMORE NON POSSIT, *fieri tamen potest, ut id non amet, sine quo ad id quod sperat non potest pervenire*, hoc est, ut non amet opera bona. Et in Epistolam ad Galatas dicit opera esse facienda *sine* CHARITATIS *æterna* SPERANTIS HINC PRÆMIA, *& ex fide exspectantis.* Quamobrem de utraque, tam fide quam spe in libro de perfectione justitiæ: B *Charitas in cælo augebitur & implebitur contemplata quod credidit, & quod sperabat adepta.* Eadem ergo charitas est, quæ contemplatur & credit & sperat.

In Enchirid. c. 3.

In Enchirid. c. 117.

In Epist. ad Galat.

Lib. de perf. iust. c. 10.

CAPVT NONVM.

Spes Christiana non oritur ex amore concupiscentiæ, sed genuinæ charitatis.

SED hic occurrunt Scholastici Doctores, quorum opinione non videtur charitas parere posse spem, eo quod hoc ipso quo frui cupimus ac speramus Deo, Deus non secundum seipsum ametur, sed ut obveniat nobis, sic autem amamus res quas concupiscimus. Ergo amor ex quo nascitur spes, non est amor ille charitatis, qui Deum non nisi secundum seipsum, sive perfectè sive imperfectè diligit; sed potius concupiscentiæ: ut proinde perperam dicatur spem ex vera Dei charitate proficisci.

Respondetur sæpè mihi admirationi fuisse, quod vulgò in scholis dicitur, spem hoc ipso quo frui rebus amatis cupimus, esse amoris concupiscentiæ fœtum, quasi amor amicitiæ sua spe & fruitione careat. Hoc enim principijs etjam Philosophiæ ex diametro repugnat. Amor enim quilibet non est aliud, quam prima illa coaptatio animi ad quodcumque bonum, seu complacentia ipsius boni; ad quod movetur per desiderium quando abest, in quo quiescit per gaudium seu fruitionem, quando præsto est. Hoc in amore tam concupiscentiæ quam amicitiæ est certissimum. Quid est enim A manifestius, quam amorem amici hoc ipso quo est amici amor, parere præsentiæ ipsius desiderium cum absuerit, & gaudium cum adfuerit? Quasi vero amatores auri torqueantur auri fruendi desiderio, & amici amicorum absentias indifferenter ferant, vel amor amicitiæ desiderijs rei amatæ omnibus, & consequenter purissimis gaudijs destitutus sit. Et Vnde igitur Apostolus inter fructus sancti Spiritus, hoc est, charitatis, ponit *gaudium & pacem*, nisi quia & sincera charitas objecto suo præsente quiescit, delectatur & gaudet? Si quiescit profecto etjam mota fuit, & unde mota nisi ex desiderio? Impossibile est enim ut is qui diligit vehementer aliquid, non desideret sibi præsto esse quod diligit, & gaudeat cum præsto fuerit, nec alio amore quam illo ipso quo diligit. Nam de amore quo mens seipsam diligit, qui maximè est amicitiæ, imo plus quam amicitiæ, quia radix omnis amicitiæ, qua quempiam à se distinctum diligit, B loquens Augustinus: *Quid est amare se*, inquit, *nisi sibi præsto esse velle ad fruendum se?* Nullo igitur modo amor amicitiæ & concupiscentiæ ista ratione distinguuntur, quod hic objectum suum

Galat. 5.

Lib. 9. de Trinit. c. 3.

suum absens præsto esse desideret, ac speret, & frui cupiat, ille non. Nam & ille objectum suum desiderat, & sperat ardentissimè, nec aliud quicquam desiderat, nisi ut re dilecta perfruatur. Omnis quippe amor, & maximè qui est amicitiæ, includit essentialiter quod cum dilecto uniat, & ad perfectiorem unionem, spe ac desiderio impellente, moveatur. Vnde Augustinus charitatis naturam definiendo exprimens præclarissimè: *Quid est*, ait, *dilectio vel charitas quam tantopere Scriptura divina laudat & prædicat, nisi amor boni?* AMOR *autem alicuius* AMANTIS *est*, & *amore* ALIQVID *amatur. Ecce tria sunt*, AMANS, ET QVOD AMATVR, ET AMOR. *Quid est ergo amor nisi* QVÆDAM VITA, id est, vitalis motus, DVO ALIQVA COPVLANS VEL COPVLARE APPETENS, AMANTEM SCILICET ET QVOD AMATVR? *Et hoc etiam in externis carnalibusque amoribus ita est.* Ecce etiam charitas est vita seu motio vitalis copulans amantem cum amato, quando videl. eo fruitur; vel copulare & unire appetens, quando videl. eo adhuc absente frui cupit. Quid est *appetens copulare*, nisi appetẽs obtinere, adipisci, possidere & proinde sperans & appetens ut obveniat sibi? Vnde alibi clarius naturam amoris seu dilectionis explicans atque ejus definitionem tradens: *Dilectio nihil est aliud quam voluntas fruendum aliquid appetens, vel tenens.* Qua de causa plurimis locis Augustinus tradit, non illo degeneri concupiscentiæ appetitu, sed genuinis charitatis desiderijs, Dei præsentiam & possessionem & fruitionem ardenter expeti, & sperari. & ex casto timore, Dei præsentia nolle destitui: *Magno*, inquit, *desiderio rapimur, & amore eius quem non videmus, desideramus. Inhærebimus amplexibus visis, si nondum visis fide cohæremus.* Et in Psalmum centesimum quartum: *Charitas & invenit Deum per fidem, & eum quærit habere per speciem.* Mox autem exponit illud *quærere*, ut non sit aliud quam desiderare, optare, sperare, præsentiam Dei: *Si fide*, inquit, *inventus non adhuc esset perquirendus, non diceretur; si enim quod non videmus speramus, per patientiam expectamus &c. Est sine fine quærendus, quia sine fine amandus. Dicimus enim præsenti alicui: Non te quæro, id est, non te diligo. Ac per hoc qui diligitur etiam præsens quæritur, dum charitate perpetuâ ne fiat absens optatur.* Et de Davide verba illa, (mihi adhærere Deo bonum est) pronuntiante: *Ipse sacrificium eius factus fuerat, cuius igne intelligibili corruptus ardebat & in eius ineffabilem incorporeumque complexum sancto desiderio ferebatur.* Et in Tractatibus in Ioannem: *Creditus desideratur, ut desideratus habeatur. Desiderium dilectionis, præparatio est mansionis.* Et in libris de Genesi ad litteram: *Differtur charitas ut illuc feramur appetitu desiderij, quò cum pervenerimus requiescamus, id est, nihil amplius requiramus.* Itaque genuinæ charitatis verus & inseparabilis effectus est, desiderare & optare possessionem atque fruitionem, non minus quam concupiscentiæ; usque adeo ut ita definiat charitatem: *Charitas est motus animi* ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Cupiditatem vero esse *motum animi ad fruendum se & proximo & quolibet corpore non propter Deum.* Ideoque omni dilectioni amicitiæ intrinsecum est, inhiare ac desiderare præsentiam ejus qui diligitur, ut eo perfruatur. Nam carnalis amoris esse dicit, *nolle discedere ab invicem, suis collocutionibus conciliari, desiderare se absentes, gaudere ad præsentiam suam.* Et spiritalis charitatis, timere absentiam, fruique desiderare: *Cum times Deum* (timore casto charitatis) *ne te deserat præsentia eius, amplecteris eum, ipso frui desideras*; quod mulieris castæ virũ diligentis exemplo probat. Certissima est ista veritas & sexcentis testimonijs astrui potest. Omnis igitur amor, sive amicitiæ sive cõcupiscentiæ appetit objectum suum amatum obvenire sibi, ut eo præsente possit frui; nec esset amor nisi hoc appeteret. Nam omnis amor qualiscunque fuerit, pro sua objecti varietate in mille figuras vertitur. Amat, odit, desiderat, fugit, sperat, desperat, audet, irascitur, gaudet seu fruitur, ac tristatur. Itaque describens istos amoris, tam charitatis quam cujuslibet alterius motes Augustinus: *Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est* (hoc est, desiderium) *id autem habens eoque fruens, lætitia. Fugiens quod ei adversatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor, bona si bonus.* Et de tristitia charitatis loquens: *Verba Dei tanquam sagittæ excitant amorem non dolorem. An quia & ipse amor non potest esse sine dolore? Quicquid enim amamus, & non habemus necesse est ut doleamus. Nam ille & amat & non dolet qui habet quod amat. Qui autem amat ut dixi, & nondum habet quod amat necesse est ut in dolore gemat. Inde illud in persona Ecclesiæ sponsæ Christi in Cantico Canticorum: Quoniam vulnerata charitate ego sum. Vulneratam se dixit charitate. Amabat enim quiddam & nondum tenebat. Dolebat quia nondum habebat.* Sicut ergo necesse est ut doleamus, cùm non habemus quod amamus, ita necesse est ut desideremus habere & speremus habere, & gaudeamus habere. Nam ex desiderio habendi non impleto dolor, ex impleto gaudium seu fruitio nascitur. Perabsurdum est igitur existimare, quod amor charitatis non appetat aut desideret, aut speret objectum suum, ut eo præsente gaudeat ac fruatur: vel quod amor dum incipit appetere, desiderare, sperare dilectum suum, in alterius rationis amorem mutetur, aut ita mutet naturam suam, ut ex amore amicitiæ in amorem concupiscentiæ convertatur. Hoc, inquam, perabsurdum est, sed idem amor immutabilis, permanens, eo ipso quo amor est, desiderat, sperat, gaudet, fruitur, sicut idem pondus gravitatis movetur ad centrum, quasi loco amato frui appetens, & in eo adepto quasi fruendo requiescit. Distinctio igitur istorum amorum, non ex exspectatione vel obventione objecti petitur, sed ex ratione sub qua feruntur in objectum suum. Amor enim concupiscentiæ sive desideret,

Z sive

Lib. 8. de Trinit. c. 10. — *Lib. 14. de Trinit. c. 6.* — *In Psal. 145* — *In Psal. 104 initio.* — *Lib. 10. de Civit. c. 18.* — *Tract. 48. in Ioannem.* — *Lib. 4. de Gen. cap. 9.* — *Lib. 3. de doct. Christ. c. 10.* — *In Psal. 140* — *Tract. 9. in Epist. Ioan.* — *Lib. 14. de Civit. c. 7.* — *In Psal. 37.*

sive speret, sive fruatur, rem ita concupitam ultimo ad ipsum amantem refert, sicut hoc in amore divitiarum & voluptatum cuivis perspicuum est. Amor verò sinceræ charitatis & amicitiæ, tam carnalis, quam spiritalis, sive desideret rem dilectam, sive speret, sive fruatur præsentia ipsius, ultimò torquet omnia ad id quod diligit, ut illi bene sit, non sibi; quantumvis inde se beatitudinem quoque suam consecuturum esse cernat. Est enim duplex omnis dilectionis finis, *qui* videlicet appetitur, & finis *cui* appetitur. Inter quos ille ordo est, ut finis qui, cedat in utilitatem finis cui, & hic illius alterius quodammodo sit ultimus finis. Nam idcirco aliquid appetimus, ut tandem alicui tanquam prius & radicalius amato cedat. Vnde Augustinus de amoribus hominum vulgaribus loquens: *Amores omnes & dilectiones prius sunt in hominibus de se, & sic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis, & sic aurum: quia si mortuus fueris, nullus erit qui aurum possideat. Ergo dilectio unicuique à se incipit.* Ipse igitur homo cùm aurum diligit, est finis cui ultimo diligit, quantumvis perfectè avarus fuerit, & aurum ut finem ultimum qui diligere videatur. Ex quo etiam fit, ut *finis cui* amore amicitiæ diligatur, *finis qui* amore concupiscentiæ. Id enim cui cedit res quæ diligitur, propter se diligitur; alterum verò amato propter se dilecto concupiscitur. Illa igitur est vera distinctio inter amorem cupiditatis seu concupiscentiæ, & amorem benevolentiæ seu sinceræ charitatis, quod amor concupiscentiæ quidquid appetierit, id ultimo appetat propter se, tanquam finem *cui* ultimo totum cedat: amor benevolentiæ seu charitatis, quidquid appetierit, aut speraverit, aut adeptus fuerit, id totum quasi oblitus sui in hoc ipsum velut finem cui retorquet, quem ista benevolentiæ charitate dilexerit.

Homil. 37.

Hanc igitur distinctionem vigilantissimè attendit Augustinus quando tradidit, nos ipsos nos diligere debere & proximos propter Deum, Deum vero propter ipsum Deum. Nam cum Deus ab homine diligendus dicitur, significatur esse fruendum Deo. Nam ad fruitionem amore tenditur. Cùm vero additur *propter Deum*, significatur hoc ipsum quod & Deum & nos & proximum diligimus, non ad nos ipsos esse retorquendum, sed in ipsum Deum ut finem *cui*, hoc est, in cujus honorem & gloriam nos & amor, & fruitio nostra cedere debet. Sic enim diligens & seipsum propter Deum, & proximum tanquam se-ipsum, totam *dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Cum ergo Deo adepto beati sumus, fruimur quidem Deo, sed tamen ita fruimur, ut & nos & fruitionem nostram in ipsum Deum, tanquam in finem cui omnia serviant, referamus. Diligimus enim eum atque ejus adeptione gaudemus, quod nobis bonum & optimum est, non tamen ut ultimo nobis bene sit, prout in concupiscentiæ amore semper fit, sed ut ei, tanquam supremæ veritati, regulæ rectrici omnium, Deo ac Domino nostro, cujus totum est quicquid sumus, nos & omnia nostra perfectè subjiciamus, atque ipsi nos isto amore & fruitione velut holocaustum immolemus. Cujus rei clarius vestigium in amore proximi cernitur, quem tanquam nos ipsos diligere jubemur. Nam & illi sicut nobis Deum & fruitionem ejus appetimus ac speramus, sed ita tamen ut proximum Deo velut fidum mancipium Domino velimus esse subjectum, non Deum quasi retorquendo ad nos; sed nos in Deum efferendo, ut illa nostra fruitione quasi perfectissima participatione Dei Deus ipse quasi indutus totâ creaturâ suâ rationali, tanquam veste ac membris suis in illa operetur, per illam resplendeat, ex illa glorificetur & laudetur, & ita plenissimè cuncta subjecta regat, ut *fit Deus omnia in omnibus*. Itaque si dicere liceret, in ista sublimi dilectione charitatis & fruitione Dei, potius nos-ipsos concupiscentiæ amore diligimus, quam Deum. Non enim Deum ad nos, ut *finem cui*, sed è diverso nos ad Deum referimus, eo ipso quo Deo ut ultimo fine tam *quo* quàm *cui*, ut rectore & regulâ supremâ, ut summâ veritate frui volumus, cui jure dominatus in omnes & omnium servitus competit: & illi nos-ipsos suâ fruitione perfectos, perficiendosque subjicimus, ut ille regnet in omnibus, ut Ecclesia sua tanquam sponsa sua sponsus ornetur, & ipsa ejus glorificatione celebretur. Totus igitur ab iis amoris ordo pervertitur qui putant Christianos hoc ipso quo desiderant contemplari Deum, & re-ipsa quoque contemplando fruuntur Deo, in concupiscentiæ amorem cadere, quasi per hoc Deus ad nos, & non potius nos ad Deum charitatis sinceritate referamur. Charitas enim semper est charitas, sive desideret præsentiam dilecti sui, sive reddendam sibi ardenter & fideliter speret, sive præsente perfruatur. Concupiscentia vero respectu Dei amor vitiosus est: nam ille semper quicquid concupiscit, sive utendum, sive fruendum, hoc ultimo ad ipsum amantem refert. Ex quo fit, ut si sic etiam Deo frui cupimus aut speramus, revera nos-ipsos non Deum diligamus. Illud enim propriè amatur cui ultimo totum cedit. Quæ causa est, cur tam sollicitè semper commendet Augustinus, ut Deus diligatur gratis, ipso purissimæ bonitatis ejus intuitu, nullo promanantis inde in nos commodi, aut mercedis, aut voluptatis consideratione atque retorsione. Sinceritas enim charitatis, id est, divini amoris adulteratur, hoc ipso quo extra amatum oculus figitur. Cujus hallucinationis causa ex eo nascitur, quod non advertunt, quam Deū in æterna felicitate perfruendum seu desideramus, seu concupiscimus, seu speramus, amorem istum & desiderium & spem elici propter Deum ipsum, tanquā genuinæ charitatis eos producentis affectus, quem ut

gratis

Lib. 3 de doct. Christ. c. 10.

Ibid. cap. 22.

1. Cor. 15.

gratis amamus, ita gratis desideramus, & gratis concupiscimus, & speramus, ut gratis ipso propter ipsum præsente gaudeamus, cujus absentia ex amoris languore tristabamur. Nam ipsi Deo non nobis tam, animus quam omnes affectus ejus, & amor ejus, & spes, & contemplatio, & fruitio ex ista charitate ultimò refunditur, reddendo nos-ipsos istâ perfectâ nostri reformatione non nobis, sed Deo, cui nos ab ejus recedendo veritate, & voluntate, & potestate subtraximus. Vnde Augustinus: *Magis mihi me debeo hominibus ceteris, quamvis Deo magis quam mihi.* Fini quippe ultimo qui cardo rei est, repugnat, ut ulterius quòquam referatur, nec aliò, nisi amandi perversitate referri potest.

Lib. 1. Retract. c. 8.

Hinc jam perspicuè constare arbitror, non mediocriter eos falli qui spem Christianam tantopere deprimunt, ut eam subtrahant charitati, quasi ille qui diligit charitate, hoc ipso quo desiderat & sperat præsentiam dilecti sui, ab unico & vero objecto suo in se-ipsum resiliret, & quodam sinceritatis adulterio, puritatem divinæ & gratuitæ charitatis, in concupiscentiæ amorem aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem verteret. Absit ista puerilis imaginatio. Charitas desiderat aut cupit *dissolvi & esse cum Christo*; charitas gaudet & gaudebit in Domino semper, quòd sit cum Christo, Charitas dolet, quòd non sit cum Christo, charitas sperat esse cum Christo. *Et omnino*, ut Augustinus ait, *pro varietate rerum quæ appetuntur atque fugiuntur, sicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos vel illos affectus mutatur & vertitur.* Est enim quilibet amor cardo affectuum omnium, quos Philosophi in voluntate statuerunt. Vsque adeo, ut ubi amor fuerit, necesse sit prout rerum varietas voluntatem offendat aut mulceat, animum in omnes voluntatis affectus, desiderij, gaudij, odij, fugæ, tristitiæ, spei, desperationis, iræ, audaciæ, prosilire. Quo fit ut si amor iste charitas fuerit, omnes isti voluntatis motus è charitate prodeant, omnes boni sint atque laudabiles, omnes puri atque gratuiti, non minus proles atque ipsa mater unde nascuntur. Itaque Augustinus de quatuor istis affectibus celeberrimis, sub quibus Philosophi veluti ducibus alios omnes complecti solent: *Cives*, ait, *sanctæ Civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent.* Rectus enim amor Augustino in isto loco non est nisi charitas. Nam in sancto Paulo velut Archetypo gratuiti amoris, singulorum affectuum exempla demonstrans, *Non solum*, inquit, *propter semet-ipsos hi moventur affectibus, verum etiam propter eos quos liberari* CVPIVNT, *&* DOLENT *si pereunt, &* GAVDENT *si liberantur.* Nam addit, *libentissimè spectant* Paulum boni viri *gaudere* cum gaudentibus, *flere* cum flentibus; foris habentem pugnas, intus *timores. cupientem* dissolvi & esse cum Christo; *desiderantem* videre Romanos, *æmulantem* Corinthios, & ipsa æmulatione *metuentem* ne seducantur, magnam *tristitiam* & continuum *dolorem cordis* de Israëlitis habentem. Quis vero nesciat quam fervido desiderio alijs quos charitate diligebat, emendationem *speraverit* & salutem, qui etiam optabat anathema esse à Christo pro fratribus suis, vel hujusmodi ecstaticos impetus, non de amore concupiscentiæ, sed charitatis profectos esse? Nam ne quis existimaret hujusmodi affectus ex alio amore quam verâ charitate promanasse, statim ibidem occurrit Augustinus ac dicit: *Hi motus, hi affectus de amore boni, & de sancta charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus ut ea quæ vere vitia sunt, virtutes vocentur.*

Lib. 14. de Civit. c. 6.

Lib. 14. de Civit. c. 9.

Ibid.

CAPVT DECIMVM.

Charitati gratis diligenti Deum non repugnat respectus mercedis aut retributionis.

QVEMADMODVM vero non satis naturam charitatis attenderunt qui spem non putaverunt esse motum ejus, ita non minus hallucinati sunt, qui mercedis seu retributionis intuitum ab ejus puritate removerunt. Nam sicut æternæ vitæ spem, seu beatitudinis expectationem, ita mercedis aut præmij appetitum amori concupiscentiæ proprium esse credidére. Sed in utroque non dissimiliter lapsi sunt. Non enim solus amor concupiscentiæ, sed & amor charitatis quam maxime præmium respicit, quod fortasse nec Scholastici negaturi sunt, si attendere velint, quid sit præmium ejus. Cùm enim charitatis proprium sit & unica voluptas diligere Deum, non quia hoc sibi suave, vel utile, vel gloriosum est, vel alia quacunque consideratione redundat in se, sed quia ita est ordo creaturæ sub creatore, qui suâ supereccellenti bonitate & veritate dignus est, ut propter semet-ipsum super omnia ardentissimè diligatur, ita quoq; unicum præmium est, veritatem & bonitatem Dei facie ad faciem contemplando ardentius amare & laudare Deum. Nec istud quia utile & beatificum est diligentis; sed quia æternæ veritati congruum, dilecto debitum, atque in seipso dignum & justum est. Amoris enim inchoati quo in hac vita tepemus, amor consummatus, quo in futura flagrabimus, unica merces est. Horum

uterque

Digitized by Google

uterque summè gratuitus est, quia est amor Dei propter Deum; eoque magis gratuitus, quo magis imperfectus amor, amore perfecto, veluti præmio, perfici & remunerari cupit. Itaque in Sermonibus de verbis Apostoli: *Opera faciat in charitate non expectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei.* Et alibi non veretur Augustinus dicere, quod *liberos*, id est, filios novi Testamenti, *opera bona facere decet sine charitatis, quæ æterna sperat hinc præmia & ex fide exspectat.* Et in Psalmum centesimum trigesimum-quartum divinissimè: *In ærumnis, in laboribus, in vulneribus constituti* (Sancti) *laudaverunt Deum. Non eis displicuit nec torquens. Hoc est,* GRATIS AMARE, *non quasi propositâ acceptione mercedis, quia ipsa* MERCES TUA SUMMA DEUS IPSE ERIT QUEM GRATIS DILIGIS. ET SIC AMARE DEBES UT IPSUM PRO MERCEDE DESIDERARE NON DESINAS QUI SOLUS TE SATIET; *sicut Philippus desiderabat cùm diceret, Ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* Ecce quid sit gratis diligere, ipsum indesinenter mercedem expectare, nimirum in clara contemplatione ferventissima, purissima, sincerissima gratuiti amoris charitate diligendum. Ista merces eo purius exspectatur speraturque, quo ferventius. Quod si charitas ista etiam corporis sui reformationem & immortalitatem respicit, non alio fine respicit, nisi ut mens à dirissimis concupiscentiarum stimulis & corruptionis miserijs animam aggravantibus liberata, nulla concupiscentialis amoris cœcitate aut resistentia interpellante, à contemplationis divinæ charitate & ardore revocetur. Ita quicquid mercedis expectat charitas, gratis exspectat, quia propter istud solum expectat quod solum puræ & gratuitæ charitatis est præmium. Vnde in Psalmum septuagesimum-secundum ad illa verba: *Pars mea Deus in sæcula* præclarè dicit: *Factum est cor castum, gratis tum amatur Deus. Non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea servire vult Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipsum à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei?* NULLUM PRÆTER IPSUM. PRÆMIUM DEI, IPSE DEUS EST. HOC AMAT, HOC DILIGIT: SI ALIUD DILEXERIT NON ERIT CASTUS AMOR. RECEDIS AB IGNE IMMORTALI, FRIGESCIS, CORRUMPERIS. Error est enim non mediocris, opinari quod salus propria & visio Dei, totiusq; fælicitatis nostræ complexus non possit sincerâ charitate diligi. Cùm potius è contrario, non debeat à Christiano alio amore diligi, nec in universis Augustini operibus Scripturisve sacris ullum vestigium sit, quod alio sit amore quam veræ charitatis appetenda. Quasi vero aliter Christianus jussus sit se diligere, nisi diligendo Deū propter Deum. Hoc enim faciendo quam maximè seipsum diligit, nec verè diligit si aliter diligit. Nam sui-ipsius profundissimè obliviscendo, altissimè sese diligit: *Bonum enim nostrum nullum est aliud quam illi inhærere.* Itaque *ut homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia ut beatus esset. Non enim qui se diligit vult aliud esse quam beatus. Hic autem finis est adhærere Deo.* Et in Tractatibus in Ioannem; *Nescio quo inexplicabili modo quisquis seipsum non Deum amat, non se amat: Et quisquis Deum non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se. Non ergo se amat qui ne vivat se amat. Cùm vero ille diligitur, de quo vivitur non se diligendo magis diligit, qui propterea non se diligit, ut eum diligat de quo vivit.* Nec enim & corpus si diligere quippiam posset unquam perfectius se diligeret, quam si sui oblitum, arctissima sibi dilectione astringeret animam quæ ipsi vitam & motum præbet.

Serm. 16. de verb. Apost. cap. 7.

In Epist. ad Galat.

In Psal. 134

In Psal. 72.

Lib. 10. de Civit. c. 4.

Tract. 123. in Ioan.

Nam si rectè ponderare voluerimus, quisquis delabitur ab illa charitatis puritate, ut amore concupiscentiæ incipiat velle & concupiscere sibi Deum, totum dilectionis ordinem, quem natura docet & lex æterna præcipit, diligendi perversitate perturbat. Nam & Deum ad se ipsum refert, & se-ipso fruitur, quorum utrumque æterna & indispensabili lege proscriptum est. Quicquid enim nobis in nobis sistendo concupiscimus, hoc ultimò refertur ad nos, quos prius diligimus, & quibus tanquam carne diligendi fruimur. Vnde Augustinus: *Si diligis aurum, prius te diligis & sic aurum.* Dico & ego, si diligis ita Deum, tibi concupiscendo Deum, prius te diligis & sic Deum. Frueris ergo te, quia te-ipsum propter te-ipsum diligis; Deum vero non nisi propter te. Si enim vel te vel Deum propter Deum, jam egredimur hypothesis notas, quia non concupiscentiæ, sed charitatis amor fuerit. Perversa est igitur illa cupiditas Dei; quia perversum est Deum ad nos-ipsos amore referendo, nobis-ipsis frui. Vnde eleganter appositèque S. Augustinus: *Sed nec se-ipso quisquam frui debet, si liquido advertas, quia nec se-ipsum debet, propter se-ipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est. Tunc quippe est optimus homo, cum tota sua vita pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit non se refert ad Deum, sed ad se-ipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur. Et propterea iam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cum totus hæret atq; constringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad se-ipsum relaxatur.* Sui-ipsius igitur vera dilectione constituta, pergit Augustinus ad dilectionem proximi: *Si ergo te-ipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula divinitus constituta est: Diliges proximum sicut te-ipsum: Deum vero ex toto corde* &c.

Homil. 31.

Lib. 1. de doct. Christ. c. 22.

Ibidem.

Quapropter si quis fortè non satis adhuc liquido capit, quomodo nobis & beatitudinem nostram seu beatificum nostrum bonum non amore concupiscentiæ, sed verâ charitate appetamus, intueatur ille quid sit illud quod vera charitas proximo & procuret & optet, & speret. Videbit enim & æternam in contemplando amandoque Deo felicitatem, & corporis immor-

immortalitatem, sine qua illa perfecta esse non A
potest, charitate proximis desiderari, charitate procurari. Si enim esurienti cibus, potusque sitienti, ac nudo vestis ex charitate appetitur, si dum satagimus ut ab errore & iniquitate conversus credat Deo, credendoque diligat, & ex fide per dilectionem operante operetur, non nisi sinceræ charitatis in veris Christianis est virtus; quis dubitare sinitur, quin ei vitam æternam, hoc est, summam Dei cum ejus contemplatione charitatem, eâdem puritate charitatis appetamus? Nec enim ibi spectamus, si viri boni simus, ut inde ad nos utilitas ulla redeat, sed ut ipse velut fidum mancipium subiiciatur Deo. Quod si proximo æternam salutem animæ & corporis ex vera charitate cupimus, profectò & nobis; nam & nos ipsi maximè proximi sumus nobis; nec proximum supra nos, sed sicut nos ipsos diligere jussi sumus. Unde de utriusque salute ex charitatis B
dilectione appetenda S. Augustinus: *Nec misceat se cupiditas sæculi, quando aliquid boni de dilectione operamur. Vide quid ibi appetisti; salutem tuam, an laudem hominum ventosam.* Et rursum: *Germana dilectio est in nobis, non ficta, sed sincera salutem fraternam quærens, nullum emolumentum expectans nisi salutem ipsius.* Et fides igitur, & spes, & charitas ex charitate nobis appetitur, ex charitate proximo, ex qua eadem charitate desideratur utrisque, & merces ejus. Sed illa merces non est alia nisi ipse Deus luminosissima & ardentissima charitate in gloriæ æternitate diligendus. Nam ut charitas charitatis meritum est, parva majoris; ita charitatis charitas merces est, magna minoris, nullo detrimento, sed magno incremento gratuitæ servitutis. Nec enim dilectio gratuita esse desinit, si ea mercede Deum diligat, ut in æternum gratuito diligat. Ita mirabili modo fit, ut sit nobis utilitatis nostræ contemptus in diligendo gratis Deo C
utilissimus. Quo respexit S. Augustinus quando dixit: *Nec ita sentiendum quod dicimus nos illi (Deo) ad utilitatem nostram salutemque servire, tanquam aliud aliquid ab ipso exspectemus, quam eum ipsum qui summa utilitas & salus nostra. Sic enim eum gratis secundum illam vocem diligimus: Mihi autem adhærere Deo bonum.*

Tract. 6. in Epist. Ioan.

Lib. 8. de Genad lit. cap. 11.

Ex quibus etiam satis intelligitur, quid sit Christianis operari *propter retributionem*: quem operandi modum multi tanquam non satis perspectum perfectis abjiciendum putant. Amoris enim Dei ex quo cuncta justitiæ operatio proficisci debet, nulla est digna retributio nisi ipse Deus. Ex quo fit ut propter retributionem seu mercedem operari, non sit oculos à Deo ad se reflectere, & vel aliquid extra Deũ, quod valde vitiosum est vel etiã ipsum Deum mercedem tanquam sibi utilem expectare, ut amor ejus & opus amoris ultimo tandem ad nos ipsos terminetur. Absit, ut ita Christianus propter retributionem operetur; sed hoc est D
propter retributionem operari, ut operis boni quod propter justitiam, hoc est, Deum gratis dilectum operatus, Deus ipse magis adhuc gratuito diligẽdus in æternitate, sit merces. Amor enim amoris retributio erit. Quod non est imperfectè, sed perfectissimè servire Deo, & omnibus Christianis omnibus viribus commendandum. Tota quippe vita Christiana perturbatur, dum iste amor concupiscentiæ, quo quis se-ipsum non Deum amat, in charitatis locum quodammodo substituitur. Nam totus Christiani hominis cursus à prima divini amoris inspiratione usq; ad extremum vitæ spiritum, non nisi amoris, hoc est, charitatis est cursus, ex qua & vivere & mori velle debet. Hoc enim velle debet Christianus, propter quod Christus in hunc mundum venit: qui non propterea venit, ut Deum amore concupiscentiæ, hoc est, sub nomine Dei nos ipsos diligeremus, sed ut qui Deo mortui eramus, ex unica Dei charitate viveremus: *Iesus*, inquit, *non opus erat ut veniret, nisi propter charitatem. Fons est quem voluit Dominus hic ponere, ne deficiamus in via: & abundantius eum bibemus cum ad patriam venerimus.* Quod si non opus erat ut veniret Iesus nisi propter charitatem, profectò non venit ut eum concupiscentiæ amore concupisceremus. Talis enim amor Dei ex amore fælicitatis, qui omnibus naturaliter insitus est, per se-ipsum fluere potest. Quisquis enim se beatum esse cupit (quod quilibet cupit) hoc ipso necesse est cupiat, quicquid id sit, quo se beatum futurum putet; sed non illo amore limpidissimo, quo sui quodammodo oblitus extra se gratis feratur in Deum, sed illo turbido qui in se ipso manens, Deum amando feratur in se. Ex quo amore nascitur ut etiam pœnas timeat, sed sicut ex illo timore nunquam aliquis justitiam Dei operabitur, quæ fieri non potest timore pœnæ, sed amore justitię, ut sexcenties Augustinus docet; ita etiam ex illo concupiscentiæ amore, nunquam iustitia diligetur, sed homo manebit in se, quicquid tandem id fuerit quod propter se-ipsum diligere videbitur.

Tract. 7 in Epist. Ioan.

Quapropter ut tandem aliquando finiam, & ad susceptũ de virtutibus moralibus ac Theologicis institutum redeam, quemadmodum Christianorum prudentia, temperantia, fortitudo, & justitia, non ex alio amore prudenter eligunt bonum, & libidines temperant, & adversa tolerant, & sua cuique distribuunt quam gratuito amore Dei, qui quo est vehementior & ferventior eo solertius prospicit, & integrius temperat, & robustius perfert, & æquius tribuit; ita quoque fides Theologica non alio amore reveranti Deo pium præbet affectum, nec spes alio Dei contemplationem exspectat & sperat, nisi illo genuinę charitatis, cujus quędam quasi scintillæ perfectum illum ignem qui super omnia Deum diligit, antecedunt. Quam Augustini doctrinam Apostolus satis perspicuè, vel potius Apostoli Augustinus expressit, quæ ad Corinthios continetur. *Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperã, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malũ: non gaudet super iniquitate, congaudet autẽ veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

1. Cor. 13.

Quibus

Quibus verbis Apostolus docet charitatem Dei & proximi, hoc ipso quo animum penetravit, statim per se immediatè in omnium istarum virtutum actus erumpere, sicut hoc ex Augustino superius declaravimus. Quod si quid adjutorij sive facilitatis adferat, passionum quarundam acquisita moderatio (quemadmodum hoc fieri experientia certa probat) A nec ab Augustino unquam negatum fuit, nec ista virtus ullo pacto vocari potest. Vnde multis in locis commendare solet, ut saltem ex timore bona faciamus, quatenus isto externorum operum rudimento malæ consuetudinis, bona succedat, atque ita ex timore ad charitatem atque opera verè bona transeamus.

CAPVT XI.

Quid sit opus fieri SICVT OPORTET, juxta sancti Augustini, Concilij Arausicani, ac Tridentini phrasin.

GRATIAM Christi medicinalem esse propriè *inspirationem charitatis*, cum reliquis videlicet affectibus ex ea naturaliter profluentibus, desiderio, gaudio, odio, fuga, tristitia, spe, audacia & ceteris; idque respectu quorumlibet actuum, ex quacumque virtute prodeant, & quo pacto istud verum sit, & intelligi debeat, multis demonstravimus. Dubitatio vero consequenter suboriri posset, quid sit opus aliquod bonum fieri SICVT OPORTET, prout Augustinus, & ex ipso Concilia Ecclesiæ quibusdam in locis locuta sunt: ut quando Tridentinum dicit: *Hominem credere, sperare, diligere aut pænitere non posse* SICVT OPORTET *sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio.* Et quando Arausicanum definit: *ut credamus, velimus, desideremus, petamus* &c. *vel hæc omnia* SICVT OPORTET *agere valeamus per infusionem & inspirationem Spiritus sancti fieri.* Itemque sic attenuatum esse liberum arbitrium per peccatum primi hominis, *ut nullus postea aut diligere Deum* SICVT OPORTVIT, *aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* Dum igitur tam studiosè adjiciunt istam limitationem, videtur certum quendam operandi modum designare velle ad quem opus gratia sit; & alium quo absque gratia per naturæ vires opus bonum exerceri possit.

Conc. Trid. sess. 6. can. 3.

Conc. Arausi. can. 6.

Conc. Arausi. can. ult.

Ista itaque limitatio magnas lites apud Scholasticos & opinionum diversitatem pepérit, quid per istum operandi modum etjam Augustinus intellexerit, qui sic subinde quoque locutus est. Hoc enim si constiterit, constabit etjam quid sibi Concilium Arausicanum ac Tridentinum velint. Expresserunt enim verbotenus doctrinam ejus. Nam Canones Arausicani non aliud plerique sunt, quam sententiæ ex Augustini libris excerptæ. Quidam igitur existimant verbis istis restringi bonos actus, ad eos qui participant aliquo modo bonitatem supernaturalem. Sed quid mirum, si ad actum supernaturalem seu supernaturaliter operandum sit opus gratiâ? Hoc enim neque Pelagius negaret, aut negavit unquam, aut negari potest. Nam hoc ipso quo super- A naturale dicitur, vires naturæ superat, & à supernaturali principio effici debet. Quare hujusmodi interpretatio talibus verbis concepta ridicula videtur esse, nec idonea ut aliquid certi de istis operibus & isto operandi modo hauriri possit. Itaque propius accedentes alij significari volunt, opus esse gratia ad opera bona quæ sunt *meritoria vitæ æternæ*, sive de condigno, ut quidam statuunt, sive generaliter etjam de congruo; quale est meritum impetratorium, dummodo verè sit meritorium alicujus doni supernaturalis. Nam opera moraliter bona, quæ naturæ viribus absque gratia fieri possunt, nullius auxilij aut doni supernaturalis meritoria sunt, sed tantummodo quorundam donorum naturalium. Ita & isti videntur gratiam requirere, non tam ad operis naturam, ut bonum sit, sed ad modum quendam, ut supernaturale sit. Nam B hoc ipso quo statuunt opera quædam naturaliter & moraliter bona, quæ nihil gratiæ promereri possunt, indicant hoc provenire ex eo quod non sit supernaturale; quasi supernaturalitas adduceret istam rationem meriti & non bonitatis operis. Alij dicunt, per istud SICVT OPORTET, significari opera *pietatis atque religionis* seu *iustitiæ*, ad quæ sæpius se restringit Augustinus: ut significetur opus esse gratia ad illa opera quibus vera & religiosa pietate colitur Deus, & quibus homo fit justus coram Deo. Nam talia opera supponunt fidem atque dilectionem Dei. Omnes auctores isti aliquid veri dicunt, sed radicem veritatis non videntur assecuti. Verum est enim, gratiam Christi necessariam esse ad opera supernaturalia, & ad meritoria etjam de congruo, & ad opera pietatis & religionis & justitiæ; sed per ista non explicatur, cur istiusmodi opera fiant, SICVT OPORTET, & non alia quæ C fuerint omni ex parte bona. Itaque hoc solum videntur spectasse auctores isti, ut eo modo limitationem istam, SICVT OPORTET, exponerent, quatenus relinqueretur locus operibus naturaliter bonis, sive moralibus, sive etjam fidei, spei, ac dilectionis Dei; quæ prioribus istis supernaturalibus tam affinia & vicina sunt ipsorum judicio, ut vix alio indicio quam

quam quod principio operandi differant, discerni queant. Qua philosophandi methodo duplex homo in eodem homine constituitur, unus naturalis, alter supernaturalis; quorum ille credat, speret, diligat, velit, atque operetur bona naturaliter & moraliter, iste supernaturaliter. Ille proinde non indigeat gratiæ auxilio, quia talia bona opera non superant naturæ vires, iste indigeat. Et quamvis in Augustino, Fulgentio, Prospero, vel Concilijs Ecclesiæ nullum talis Philosophiæ vestigium sit, ad hoc tamen Conciliorum & Patrum verba torquere volunt, ut sub illa limitatione, SICVT OPORTET, huiusmodi operum distinctio ab ipsis inventa facilè delituerit.

Dico igitur, in sancti Augustini doctrina fieri opus aliquod bonum SICVT OPORTET, non est aliud quàm agi sicut agendum est, ut opus sit vere rectum & bonum. Hoc ipsum B autem non est aliud quam opus agi, non ex timore pœnæ, non ex aliqua terrena vel reproba cupiditate seu intentione carnali, sed ex dilectione justitiæ; ita videlicet, ut in agendo ipsa justitia legis diligatur, prout istam dilectionem justitiæ ex ipsius verbis explicuimus. Nam talis justitiæ dilectio, nulla est alia, nisi qua gratis diligitur Deus, qui non instar idoli in corde collocandus & amandus est, sed tanquam ipsa justitia & æquitas & veritas & sapientia. Hunc esse verum & genuinum verborum istorum sensum, tam apertum est, ut nemo qui veritatem in auctoribus, non contentionem quærit, id, meo judicio, diffiteri possit. Nam in primis in Enchiridio ad Laurentium ita evidenter hoc tradit, ut nullam dubitandi ansam cuiquam relinquat: *Omne itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod vero ita fit vel* TIMORE PŒNÆ, VEL ALIQVA INTENTIONE CARNALI, *ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris nondum fit* QVEMADMODVM FIERI OPORTET, *quamvis fieri videatur.* Ecce, quidquid fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali ita ut non referatur ad illam charitatem, hoc est, ut non referatur ad Deum, sive non fiat ex dilectione Dei, nondum fit quemadmodum oportet fieri; perspicue significans, tunc fieri sicut oportet, quando fit ex illa charitate Dei, quæ sancto Augustino est *charitas justitiæ*, prout istis ipsis verbis eam nonnunquam vocat. Et sanè quid amplius ad opus bonum, quod nulla extrinsecus adjacente circumstantia vitiatur, postulaveris, nisi ut fiat ex vera charitate Dei? Sic ergo fieri est fieri *quemadmodum oportet fieri.* Nam ex illo loco ista phrasis à Concilijs desumpta fuit. Itaque hunc sensum suum alijs multis loquendi modis idem omnino significantibus, Augustinus expressit. Quandoq; enim hoc æquipollenti phrasi exprimit, per *recte fieri.* Nam in eodem ipso loco, cum ea dixisset *non fieri quemadmodum oportet*, quæ fiunt ex intentione carnali, non referendo ad charitatem, sic statim

Enchir. cap. 121. (C)

In Epist. ad Galat. & alibi. (D)

A è contrario explicat *quemadmodum oportet*, quæ rectè fiunt: *Quæcunque ergo mandat Deus, ex quibus unum est; Non mœchaberis: & quæcumque non jubentur, sed spiritali consilio monentur, ex quibus unum est, Bonum est homini mulierem non tangere, tunc* RECTE FIVNT, CVM REFERVNTVR AD DILIGENDVM DEVM ET PROXIMVM PROPTER DEVM. Quasi diceret tunc fiunt quemadmodum oportet fieri: nam quid est aliud rectè fieri, nisi quemadmodum oportet fieri? Et hoc ipsum explicat per fieri ex charitate Dei & proximi propter Deum: quod sanè usitata sua phrasi dicere potuisset, ex dilectione justitiæ; nam ea semper eadem est Augustino quæ dilectio veri Dei: unde in libris contra Iulianum: *Hoc enim totum* (superare concupiscentiam & perferre molestiam) RECTE FIT, *quando fit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse, qualis amor nobis esse non potest nisi ex ipso.* — *Ibidem.* — *Lib. 5. cont. Iul. cap. 3.*

Nonnunquam vero, sicut oportet fieri, circumloquitur per *agere sicut agendum est.* Vt in libro de Correptione & gratia. *Ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id* AGVNT, SICVT AGENDVM EST, ID EST, CVM DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ, *suavitatem*, id est, gratiam, *quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum accepisse se gaudeant.* Quid enim est agere sicut agendum est, nisi agere *sicut oportet* agere? Et hoc ipsum disertis verbis exponit per agere cum dilectione justitiæ. Et ne quis adhuc hæreret, verbis immediatè sequentibus interpretatur clarius, per, EX CHARITATE FACERE. Sic enim illustrat doctrinam à se traditam per oppositum ejus quod jam dixerat: *Quando autem non agunt sive omnino non faciendo, sive* NON EX CHARITATE *faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant.* — *Lib. de Cor. & grat. c. 2.* — *Lib. de Corr. & grat. c. 2.*

Aliquando hoc exprimit per *ex animo, & cum bona voluntate facere.* Vt in eodem libro paulo post, cùm intelligerent illi quibus eum scribit, agere sicut agendum est bonum non aliud esse, quàm agere ex charitate ac dilectione justitiæ, respondent Augustino: *Ora ergo pro me ut hanc* (charitatem) *accipiam, & per hanc* EX ANIMO CVM BONA VOLVNTATE *quæ præcipit faciam.* Quod etiam nonnunquam vocat, EX CORDE, ID EST, EX VOLVNTATE, videlicet bona facere, quæ Augustino nulla est nisi charitas. *Non ergo ex corde, hoc est, ex voluntate obedissent, nisi præpararetur voluntas à Domino.* Quisquis enim vel timore obedit, vel cupiditate carnali, nullo modo ex corde obedit, quia non ipsam legis obedientiam, sed aliud prorsus diligit. — *Ibid. c. 4.* — *Lib. 2. cont. Iul. oper. imper. f. 453*

Nonnunquam hoc explicat per, BONVM BENE FACERE, ut quando dicit in libro secundo ad Bonifacium: *Tunc bonum concupisci incipit, quando dulcescere cœperit. Quando autem timore pœna, non amore justitia fit bonum, nondum* BENE FIT BONVM. Ratio est illa quam statim dedi, *nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impune.* Quid est enim BENE FIERI BONVM, nisi fieri sicut oportet? Quod enim sicut oportet — *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.*

oportet fit, hoc bene fit. Et hoc ipsum exponit per fieri non timore pœnæ, sed amore justitiæ, & hoc ipsum fieri ex charitate. Nam ibidem dicit: *Quid est enim cupiditas boni, nisi charitas?*

Subinde hoc circumloquitur per VERE BENE FIERI: ut quando dicit in Psalmum centesimum decimum-octavum: *Hæc est illa suavitas* (hoc est gratia) *quam Deus dat, ut terra nostra det fructum suum, ut* BONVM VERE BENE, ID EST NON MALI CARNALIS FORMIDINE, SED BONI SPIRITALIS DELECTATIONE FACIAMVS. Nam quid est VERE BENE FACERE nisi quemadmodum oportet facere? Et hoc ipsum interpretatur facere non mali carnalis formidine, sed boni spiritalis delectatione, hoc est, delectatione justitiæ. Illa quippe justitia est bonum maxime spiritale, ipsa videlicet lex æterna Dei seu ipse Deus; de qua verbis immediate præcedentibus dixerat quod Deus *legem suam in corde scriberet, ut eam casto timore ut filius diligerem & dilectione casta timerem.* Timor autem castus, & dilectio casta, est illa vera charitas, prout in Augustini scriptis ubique celebratur. Subinde phrasis istius vim denotat per *facere opus bonum eo fine quo liberos decet.* Vt quando in Commentario in Epistolam ad Galatas dicit: *opera legis pertinere quoque ad novum Testamentum, sed alio fine quo liberos ea* FACERE DECET. Nam quid aliud esse potest facere sicut oportet, quam facere sicut liberos, non servos facere decet? Et hoc nihil omnino aliud esse, quam facere non timore pœnæ, sicut servi sub veteri Testamento legem faciebant, sed *amore justitiæ*, plenissime in eodem loco consequenter tradit. Nam exponens id quod dixerat eo fine quo liberos ea facere decet, adjicit: *Id est charitatis æternæ speratis hinc præmia, & ex fide expectantis. Non sicut Iudæi qui timore ista implere cogebantur, non illo casto permanente in sæculum sæculi, sed quo timebant præsenti vitæ suæ & ideo quædam opera legis implebant, quæ in sacramentis sunt, illa vero quæ ad bonos mores pertinent, implere omnino non poterant. Non enim implet ea nisi charitas.* Et quod illa charitas non sit aliud nisi ista tam prædicata dilectio justitię legis, continuo adjungit: *Quia & hominem si propterea non occidat aliquis, ne & ipse occidatur,* hoc est timore pœnæ, *non implet præceptum justitiæ: sed si ideo non occidat* QVIA INIVSTVM EST *etiamsi id facere possit impune, non solum apud homines sed etiam apud Deum.* Ecce quid sit facere præceptum aut opus sicut oportet. Nempe facere quia justum est, vel non facere quia injustum est.

Quandoque etiam quemadmodum oportet fieri circumloquendo, exponit per *veraciter & suaviter fieri.* Vt in libro de dono perseverantiæ: *Qua una* (charitate) *Deo* VERACITER ET SVAVITER OBEDITVR. Nam quid aliud esse potest Deo suaviter & veraciter obedire, quam quemadmodum oportet obedire? Hilarem enim datorem diligit Deus, hilaritas enim ex suavitate nascitur. Nam istis duobus verbis brevissimè denotat obedientiam illam fieri ex amore, & ex gratuito amore. Tunc enim Deus amari incipit, cum dulcescere cœperit, & tunc gratis amatur quando veraciter amatur, ipse videlicet & non aliud pro ipso.

Psalm. 118. ad illũ versum Quam dulcia faucibus &c.

In Epist. ad Galat.

Lib. de dono persev. c. 16.

Subinde eandem limitationem (quemadmodum oportet fieri) nobis ingerit per *veraciter atque sinceriter fieri.* Quomodo enim potest veraciter fieri atque sinceriter, nisi quemadmodum oportet fiat: NEQVE ID FIT VERACITER ATQVE SINCERITER (vitiorum videlicet superatio) NISI VERÆ DELECTATIONE IVSTITIÆ. Et quid istud veræ delectatione justitiæ? Audi sequentia: *Tunc itaque victa vitia deputanda sunt,* CVM DEI AMORE *vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat.* Nam nisi vitia Dei amore, seu veræ delectatione justitiæ superentur, jam non superabuntur, sicut ipsemet in Enchiridio dixit, *quemadmodum oportet*, sed quod ibidem ei directe opponitur, *timore pœnæ vel aliquâ intentione carnali.* Vnde in libro quinto contra Iulianum, vult opus esse *gratia* ad vitiorum victoriam, VT NON ALIA REPROBA CVPIDITATE, *sed Dei* CHARITATE *vincantur*, quasi diceret, ut quemadmodum oportet, vincantur. Est enim impossibile, ut si vel vitiorum superatio, vel legis operumque bonorum operatio, non fiat veræ delectatione justitiæ seu vero amore & charitate Dei, quin fiat secundum mundum vel timore pœnæ, vel aliqua reproba cupiditate vel intentione carnali. Vnde & Apostolus, ex quo primo videtur phrasis ista emanasse, ista duo pro iisdem sumit, *sicut oportet*, & *secundum Deum*, quando dicit in Epistola ad Romanos: *Nam quid oremus* SICVT OPORTET NESCIMVS: *sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* Et quo modo postulat? *Quia* SECVNDVM DEVM *postulat pro sanctis.* Et Augustinus utrique opponit, orare *secundum mundum*, hoc est, ex aliqua mundi intentione, quæ non potest esse nisi alia reproba cupiditas intentioq; carnalis: *Non ergo scimus per nos ipsos quid oremus* SICVT OPORTET; *sed ipse Spiritus interpellat, id est interpellare nos facit, quæ sunt* SECVNDVM DEVM. QVOD NISI FACIAT NON ORAMVS NISI SECVNDVM ISTVM MVNDVM, *ad expectandam concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & ambitionem sæculi, quæ non sunt a Patre sed ex mundo sunt.* Quis vero dubitet, quin id quod oratur ad explendam ex istis concupiscentiis tribus unam, quam non Deus sed diabolus in homine seminavit, hoc ex alia intentione carnali, seu reproba cupiditate postuletur? Nam secundum mundum postulare, est ex dilectione mundi postulare. Dilectio vero mundi qua quis in mundo requiescit, non potest cupiditas esse proba, sed reproba. Vnde Augustinus, multo pejores videntur qui intus videntur & foris sunt: *Amant enim mundum & ideo mali sunt.* Ex quibus omnibus satis perspicuè colligitur, opus bonum quemadmodum oportet fieri, nihil aliud

Lib. 21. de Civit. c. 16.

Civit. 21. de Civit. c. 16.

Lib. 5. cont. Iul. c. 8.

Rom. 8.

Lib. cont. Serm. Arian. c. 25.

Serm. 335 de verb. Dom.

Digitized by Google

aliud esse, quam opus ita fieri quemadmodum eam ex parte officij, quam finis debet fieri, ut sit opus bonum, sive non malum. Ad hoc autem necesse est, ut non solum officium quod agimus, bonum sit, sed etjam finis propter quem agimus. Hic autem finis non est alius nisi justitia seu verus Deus, vera charitate ex fide gratis diligendus. Vnde cum acerrimus inter Augustinum & Julianum conflictus intercederet, utrum infideles efficere possent aliquod opus verè bonum, totis viribus Augustinus hoc impossibile esse contendit, quia quantumvis officia quæ faciunt bona ac laudabilia esse videantur, sola tamen absentia finis boni quem intendere debent, omnia ipsorum opera peccata esse convincit. Ille autem finis, ut identidem inculcat Augustinus, non est alius nisi Deus, vera dilectione ex fide diligendus. Quod fusè suo loco demonstravimus.

Iam vero consequenter satis patet cur Concilium Arausicanum & Tridentinum peculiariter tradant gratiam atque inspirationem Dei necessariam, ut quis *velit, desideret, credat, speret, pœniteat, diligat Deum*, atque *operetur sicut oportet*: possumus enim velle ac desiderare bonum, itemque credere, sperare, diligere, pœnitere, operari, adeoque colere Deum non spiritaliter sicut oportet, sed carnaliter ut mox dicturi sumus.

CAPVT XII.

Ostenditur, Scholasticos Doctores multum hallucinari de operibus quæ fiunt, vel non fiunt SICVT OPORTET.

Hinc jam facilè apparere potest, quam commentitium sit, quod quidam Augustino imponere volunt, idcirco bonum aliquod opus non fieri sicut oportet, quia non est supernaturale, cum è contrario, ideo supernaturale esse debeat, ut fiat sicut oportet. Idcircò quippe opus gratia est naturam superante, quia impossibile est ut legitimus finis operis boni (hoc est, Deus atque justitia, sine quibus nequidem moraliter bonum esse potest) nisi vera dilectione attingatur, impossibile etjam ut ista dilectio, sine gratiæ adjutorio habeatur. Nam de ista conditione operis requisita, ut sit supernaturale, quasi aliqua essent non supernaturaliter bona, in universis Augustini aut veterum scriptis, nulla mentio est, sed à Scholasticis introductum, quia opinionibus eorum Augustini nomine introducendis vestiendisque congruebat.

Hinc etjam vera ratio aperitur, cur toties Augustinus dicat gratia opus esse ad *opera pia, opera pietatis, veræ pietatis, religionis, ad colendum rectè Deum, ad veram justitiam*, ut *bene & piè vivamus* & similia. Nempe quia inter Christianos, nulla est vera pietas, nullus verus cultus Dei, nisi amor Dei, quemadmodum ex pluribus ejus testimonijs, superius declaravimus. Nullum vero est aut esse potest Augustino opus bonum, nisi ex vero & gratuito Dei & justitiæ amore nascatur. Ex quo fit ut etjam nullum sit aut esse possit opus bonum, nisi simul sit veræ pietatis, veræ religionis, veri cultus Dei, veræque justitiæ. Quæ omnia satis superque ex præcedentibus clarent. Cur ergo addat veræ pietatis, recti cultus, veræ justitiæ, & hujusmodi, non est ista ratio, quasi esset aliqua pietas, cultus, justitia, religio, naturalis, quod universis ejus principijs repugnat, sed quia est aliqua pietas, cultus, religio, justitia, fides, spes, pœnitentia, Dei dilectio terrena atque carnalis, qualis est in hominibus scelestissimis, qui ut Augustinus subinde dicit, Deum diligunt propter nummum, non nummum propter Deum. Colunt enim Deum devotissimè ex avaritia, vel superbia, vel alia reproba cupiditate dominante, quemadmodum in hæreticis Deum pro Ecclesiæ subversione, & Iudæis pro temporali quacumque prosperitate deprecantibus, manifestum est. De quo ex Augustino facillimum est quamplurima proferre. Vnum sufficit quod generaliter de carnalibus hominibus quibuscumque Deum gratis non diligentibus dicit: *Sive ergo carnaliter vivens & talibus gaudens in hoc tempore, & talia de illo sperans, qualia habent & mali, & totam felicitatem suam in ipsa ponens, de quibus gaudent & iniqui: aut certe contemnens istam præsentem, & talem sperans in futuro*, CARNALIS EST, CARNALEM FIDEM HABENS, CARNALEM SPEM, CARNALEM CHARITATEM. Talis fides, spes, charitas, erat olim & nunc omnium carnalium Iudæorum & hæreticorum. Nam & illi credebant, aut credere videbantur Deo, sed vel ex timore, vel ex carnali amore, ex quo etjam sperabant in hac vel futura vita talia qualia diligebant. Ex tali charitate pietas congrua nascebatur, & opera quæ videntur hominibus oculum carnis advertentibus bona, sed sordibus terreni amoris infecta, & ideo non bona, sed mala. Nam de veteris Testamenti filijs loquens Augustinus, qui hæreticis & infidelibus magis pij & boni esse videbantur: *Illi etiam quicumque ibi orant, sola quæ sibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes & eorum adipiscendorum* AMORE, ET TIMORE AMITTENDORVM, DEI PRÆCEPTA SERVABANT, IMO NON SERVABANT, SED SIBI SERVARE VIDEBANTVR. Et quare non servabant? Nimirum *Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur*, ex qua tanquam legitimi finis intentione officia bona & opera debe-

Serm. 43 de diversis c. 5.

Serm. ...

debebant fieri, SED TERRENA CVPIDITAS, METVSQVE CARNALIS. *Sic autem præcepta qui facit procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit.* Et paulo inferius: *Faciunt ista sub lege positi*, hoc est omnes qui gratia dilectionis justitiæ ac Dei carent, *quos littera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi vel timore amittendi: Et ideo non verè faciunt, quoniam carnalis cupiditas qua peccatum augetur cupiditate alia non sanatur.* Ex talium hominum fide, spe, charitate, carnalis Dei dilectio & pietas nascitur, quæ non est pietas sed larva pietatis. Non enim Deum sed cupiditatum suarum objecta colunt, quorum adipiscendorum, vel non amittendorum causâ Deum, velut satellitem eo devotius colunt, quo potentius eas potest terrena largiendo, vel custodiendo satiare. Talia hominum opera videntur bona & non sunt, videntur esse legis justitia & mala sunt. A quibus ut Euangelicam fidem, spem, charitatem, pietatem, opera, iustitiamque discernat, addit illas particulas quibus postulat ut opera sint *pia*, *pietatis*, *veræ pietatis*, *religionis*, ut valeant *ad colendum rectè Deum*, ad *veram justitiam*, ut *verè faciant legem*, *verè bona* sint. Denique propter hujusmodi charitatem & opera adulterina exigit, ut *rectè* fiant, ut agatur *sicut agendum est*, ut homines *ex animo* cum *bona voluntate faciant*, ut *bonum bene faciant*, ut *bene fiat*, ut *vere bene fiat* bonum, ut *veraciter & suaviter*, ut *veraciter atque sinceriter* fiat: denique ut *quemadmodum oportet* fiat, hoc est, sicut exponit, ut fiat *non timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali*, non ex *aliqua reproba cupiditate*, sed ex *boni spiritalis delectatione*, cum *dilectione & delectatione justitiæ, ex Dei amore, ex Dei charitate.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 9.

Ad postremum hinc etjam aperitur, cur de operibus bonis loquens, meritorum subinde mentionem faciat, & ad ea facienda gratiam postulet. Non enim hoc ideo facit, quasi sint opera vere bona, quæ non sint merita supernaturalis ullius gratiæ aut doni, sicut ipsi ex suis principiis Augustini doctrinam non satis perspectam metiuntur, sed quia nulla omnino sunt aut esse possunt opera vere bona, hoc est, non mala, quin illa sint simul merita veræ pietatis & gratiæ, si non perfecta saltem decoloratiora, qualia & Scholastici de congruo esse profitentur. Ex quo fit, ut Augustinus, cum Pelagiani quædam opera statuerent naturalis ordinis bona, quæ tamen essent ita sterilia, ut ad vitam æternam promerendam nihil conducerent (ubi nihil aliud intelligebât nisi opera illa moralia quæ in Philosophorum & Scholasticorum scholis prædicantur) ipse ex professo tradat, fieri non posse ut sterile sit opus bonum ac nihil ad vitam conferat, quemadmodum à nobis alibi fusè demonstratum est.

Vide lib. 4 de statu nat. lapsæ, c. 3.

Itaque cum Pelagiani postquam ab Ecclesia damnati essent, maximèque Semi-Pelagiani invidiam declinare niterentur, quod meritum ante gratiam inducerent, sæpè convincit eos ex eo sanctus Augustinus, quod ex hoc ipso meritum gratiæ constituerent, quo quippiam operis boni gratiam antecederet. Impossibile quippe esse, ut opus bonum, etjam hoc ipsum quod volebât esse steriliter bonum, non esset gratiæ atque æternæ vitæ meritorium. Hinc libro secundo ad Bonifacium, ubi cum Pelagianis dimicat, Apostoli citans locum: *Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*, statim explicans ejus verba subjicit, *gratia utique, ut per illam fiant bona opera*, NE SI PRÆCESSERINT BONA OPERA, *tanquam operibus reddatur gratia, ac sic gratia jam non sit gratia.* Et capite octavo ejusdem libri, cum nihil dixissent Pelagiani aliud, nisi quod Deus non inspiraret homini cupiditatem imperfecti boni, sed hoc ex ipso homine nasceretur, quod postea Deus adiuvaret, concludit Augustinus, eos dicere quod homo dignus fiat gratia, eamque secundum merita dari statuant. Nempe quia nihil boni præcedere potest ante gratiam, cui non tanquam merito gratia tribuatur: *Fortassis*, inquit, *ergo ipsi eo modo saltem servant locum gratiæ, ut sine ea putent hominem posse habere boni sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non facilius per eam posse, sed nisi per illam omnino non posse.* VERVM ET SIC GRATIAM DICVNT SECVNDVM MERITA NOSTRA DARI. *Quod in oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnari timendo damnavit. Si enim sine gratia per nos incipit cupiditas boni* IPSVM CŒPTVM ERIT MERITVM, *cui tanquam ex debito gratiæ veniat adjutorium; ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur.* Vbi simul vides Pelagianos meriti neque mentionem fecisse, imo declinasse, & tamen Augustinum eos tanquam meriti gratiæ architectos, ex ipsa boni cujuscumque etjam imperfecti præcessione convincere. Et libro quarto ad Bonifacium, similiter ex prioritate cujuscumque boni, meritum gratiæ colligit: *Quis prior dedit ei & retribuetur ei &c. Non itaque istam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam, & ideo jam contra gratiam defendentes, priores dare volunt Deo, ut retribuatur eis: priores utique dare quodlibet ex libero arbitrio, ut sit gratia retribuenda pro præmio: & sapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod se putant priores dedisse, ab illo eos quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia, percepisse.* Et libro primo retractationum: *Hoc divinum beneficium nisi eam* voluntatem PRÆVENIRET, IAM MERITIS EIVS DARETVR, *& non esset gratia quæ utique gratis datur.* Et libro quarto contra Iulianum, cum ille ex Philosophorum placitis vellet homines etjam infideles posse aliquid boni facere quo essent *steriliter boni*, nec *amplitudine cælestis præmii ditarentur*, quod ipsissimum Scholastici ex ijsdem Philosophis docent, partem verborum ejus repetendo, respondet Augustinus: *Dici non potest, quantum te ista fallat opinio, qua dixisti omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus. Fieri enim non potest ut steriliter boni simus, sed boni non sumus, quicquid steriliter sumus.* Et aliquanto superius ostendens quicquid boni talis præcesserit gratiam, hoc ipso id esse, velit

Rom. 11.

Lib. 2. ad Bonif. c. 8.

Ibid. c. 8.

Lib. 4. ad Bonif. c. 9.

Lib. 1. retract. c. 23.

Lib. 4. contr. Iul. c. 3.

Ibid.

velit nolit, meritum gratiæ: *In quo vis*, inquit, *hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc enim non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari*, AC SIC PRIOREM DARE, *ut retribuatur illi, eoque modo gratia iam non sit gratia, quia non est gratuita.* Et paulo inferiùs: *Non tamen ut eius bona voluntas possit* PRÆCEDERE PRÆTER GRATIAM; NE VEL IPSAM PRIOR DET, VT RETRIBVATVR EI, *ac sic gratia iam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita.*

Ibid.

Contra Semi-Pelagianos vero, qui gratiam salvare, nec ullo modo per meriti rationem infringere conabantur, eos ex ipsa cujuscumque boni naturalibus viribus facti antecessione ad agnoscendum gratiæ meritum cogit: *Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo nisi ex ipso (Deo) est? Quis autem dicat eum qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit*, NIHIL MERERI? *Unde fit, ut iam merenti cetera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod obiectum sibi Pelagius, ne damnaretur ipse damnavit.* Et paucis interpositis cum Semi-Pelagiani initium fidei, quo incipimus Deo credere, ex liberi arbitrij potestate esse contenderent: *Videte*, inquit, *si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia iam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis*, DEBETVR ENIM CREDENTI, *ut a Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœpta fides aucta*: NEC ATTENDITVR CVM HOC DICITVR, NON SECVNDVM GRATIAM, SED SECVNDVM DEBITVM ISTAM MERCEDEM CREDENTIBVS IMPVTARI. Et sanctus Prosper contra Collatorem, qui dicebat aliquos sine gratia naturaliter credere posse Deo: *Quoquoversum ergo te conferas à temetipso & vinceris & vinceris. Si enim gratiam merita nulla præcedunt, & fides non potest esse sine meritis, fides gratiam non præcedit.* Et in principio ferè ejusdem libri: *Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur, affirmas?* Et quia responderi poterat, hoc non esse gratiæ meritorium, tanquam ex naturali libertate prosiliens, præoccupat verba respondentis: NON ENIM NVLLIVS MERITI HABERI POTEST PETENTIS FIDES, QVÆRENTIS PIETAS, PVLSANTIS INSTANTIA. Qua de re qui plura ex Augustino & ex ipsis Semi-Pelagianis volet, videat ea quæ fusè diximus in libris de hæresi Pelagiana. Quanquam in istis quæ hic retulimus evidenter docet Augustinus & Prosper, impossibile esse, ut quodlibet quantumvis imperfectum opus bonum, quamvis sterile, & æternæ vitæ ineptum Dei gratiam antecedat: & eos qui talia opera quæcumque bona machinantur, hoc ipso inducere meritum gratiæ, quia fieri non potest, ut ullum opus bonum sterile sit, aut nihil gratiæ ab omnis boni auctore mereatur. Vt sanè perspicuè pateat Scholasticos Doctores vehementer falli, qui Augustinum putant, non ad omnia opera bona gratiam constituere necessariam, sed tantum ad opera quæ fiant SICVT OPORTET, hoc est, quæ sint supernaturalis gratiæ æternæque vitæ meritoria; cum ex opposito Augustinus inde inferat fore meritum gratiæ æternæque vitæ si fuerit quocumque modo opus bonum, non enim potest esse sterile opus bonum.

Lib. de præd. Sanct. c. 2.

Ibid.

Lib. cont. Collat. c. 37.

Ibid. c. 3.

Vide lib. 8. de hæresi Pelag. c. 16. & 17.

CAPVT XXI.

Timor gehennæ secundum se consideratus licitus, bonus, rectus est.

SATIS explicuimus, quomodo gratia Christi medicinalis ad opera solius dilectionis, quæ in virtutibus omnibus Christianis implicatur, necessaria sit. Hinc vero dubium alicui subnasci posset, quid de operibus ex timore damnationis seu gehennæ profectis existimandum sit. Nam illa videntur esse opera verè bona, quandoquidem attritio ex isto timore nata etiam sit dispositio ad justificationem dummodo sit conjuncta Sacramento pœnitentiæ. Hæc igitur difficultas ut paulo planius clarescat, de ipso timore gehennæ, utrum sit bonus an malus, itemque de peccati detestatione, quæ inde pullulat, aliquid nobis juxta sancti Augustini principia dicendum esse video.

Dico igitur timorem gehennæ sive pœnæ in se consideratum, sive parvum, sive magnum, sive remissum, sive intensum esse utilem ac bonum. Definit hoc Concilium Tridentinum, cum dicit: *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit.* Quæ definitio conformis est doctrinæ sancti Augustini qui dicit in sermone decimo octavo de verbis Apostoli: *Cùm timorem correxeris* (malorum temporalium) ET VTILITER TIMERE *cœperis, non temporales cruciatus, sed æterni ignis supplicia* &c. Et paulo inferiùs: *Modo cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum? Malè times? Vane times? Non audeo; quandoquidem ipse Dominus ablato timore subiecit timorem: & ait, ubi dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, postea non habent quod faciant: sed eum timete qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. Cum ergo Dominus timo-*

Conc. Trid. sess. 6. can. 8.

Serm. 18. de verb. Apost. c. 7.

Ibid. c. 8.

by Google

timorem incusserit & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego sum, MALE TIMES? *Ista non dicam* PLANE TIME. *Nihil melius timet. Nihil est quod magis timere debeas.* Et libro primo contra adversarium legis & prophetarum: *Si ergo salubriter non solum bonitatem, verum etiam severitatem Dei sancta Scriptura commendat, quoniam & amatur Deus* VTILITER ET TIMETVR &c. Et in Psalmum centesimum vigesimum septimum: *Ille timor nondum castus præsentiam Domini, & pœnas timet: timore facit quicquid boni facit, non timore amittendi bonum illud sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam.* BONVS EST ET ISTE TIMOR, VTILIS EST. Itaque in libro de catechizandis rudibus dicit quod *severitate Dei corda mortalium* SALVBERRIMO TIMORE *quatiuntur.* Hinc est quod Augustinus exemplum Domini secutus, qui hortatur ut eum timeamus, qui potestatem habet & corpus & animam perdere, frequenter monet, optat, inculcat, ut pœnas gehennæ timeamus, quemadmodum in diversis ejus locis videre licet: quod sanè non faceret, si timor in seipso consideratus esset malus, vel Deum judicem, pœnasque gehennæ quas comminatur non nisi peccando formidare possemus.

Ratio quoque veritatis istius manifesta est. Timor enim est quædam fuga mali: *fuga animi timor est*, inquit Augustinus, non utique boni, sed mali. Fuga vero mali rationem suam sumit ex bono, cui opponitur illud malum: cum malum odio haberi ac fugi non possit, nisi quia adversatur bono. Ex appetitu quippe & desiderio boni, fuga mali & consequenter timor proficiscitur. Vnde de timore casto sanctus Augustinus: *Castus timor venit de amore.* Et de timore rerum temporalium: *Quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam.* Et de timore generaliter: *Amor fugiens quod ei adversatur timor est.* Iam vero bonum illud cui adversatur gehenna tanquam malum, licito, bono, rectoque desiderio appeti potest. Est enim naturalis integritas atque unitas & quies naturæ, quam nemo sanæ mentis dixerit non posse rectè appeti, desiderari, procurari; nisi eò dementiæ forte quisquam veniat, ut dicat neque licitum aut bonum esse comedere aut bibere, aut se adversus frigus ac tempestates tegere aut alia naturæ sustentacula sufficere, aut denique naturalem corporis atque animi integritatem unitatemque servare. Quod si illud omni sano judicio licitum, bonum & rectum est, licitum igitur, bonum ac rectum est gehennam tanquam oppositum ei malum timendo fugere. Nam per gehennæ pœnas illa naturalia violantur bona, totaque naturalis constitutio ac salus tam corporis quam animi labefactatur ac tollitur, juxta illud sancti Augustini: *Hoc in extremo supplicio rectè fit, ut iniqui & impii naturalium bonorum damna in cruciatibus defleant, sentientes eorum ablatorem justissimum Deum, quem contempserunt benignissimum largitorem.* Vnde, sicut ibidem Augustinus dicit, *salus ac pax naturæ bonum est, bonique amissione dolendum est potius quam lætandum.* Nihil enim includit vel objectum ejus proprium, vel ulla circumstantia quod malitiam implicet, vel repugnet rationi, sed potius multum congruit, cùm pœnâ, odio fugâque digna sit, & illa fuga pœnæ ad ultimum finem, in quo semper animus creaturæ rationalis côquiescere debet subordinata sit, & voluntatis intentione referri possit. Non enim qui pœnam corporis aut animi timet, hoc ipso excludit à sua voluntate vel actione debitum finem ultimum, ad quem omnis amor, ac desiderium, & gaudium, & fuga, & tristitia rationalis voluntatis retorqueri debet. Quapropter si quis in pœna fugienda velut in termino hæreat, per quam tanquam viam transire debuisset, non illa timoris sed timentis culpa est. Hoc enim ipsum in appetitu omnium naturalium bonorum accidere potest, quem tamen idcirco nemo qui rectè sentiat, improbaverit. Cùm enim licita bonaque sit voluntas assumendi cibi & potûs, appetitus tuendæ salutis corporalis, concubitus inter conjuges, scientiæ comparandæ studium, & infinita similia, quis tamen ignoret ab iis qui in hujusmodi rerum delectationibus hærent, per quas eis transeundum erat, gula, luxuria, curiositate, vanitate peccari? Nam hoc ipso quò in rebus istiusmodi velut jucundis ac delectabilibus animus commoratur, per quas tanquam peregrinus ad patriam delectationum omnium fontem tendere debet, nullius alterius malitiæ adjunctione delinquit. Nam ista & non alia est omnium perversitas fruentium rebus illis quibus utendum est. Quod alibi fusè demonstravimus. Sicut igitur quando in rebus istis naturalibus appetendis finium ordo perturbatur, peccatur quidem, sed non propterea cibi potusque sumptio, concubitus conjugum, scientiarum studia, ceteraque rerum licitarum delicieria damnanda sunt, ita quoque si quis mala naturalia velut ultima timendo peccet, nec ad finem ultimum debitum timorem referat, non ideo timor malorum illorum improbandus est. Hoc enim non timoris sed timentium vitium est, qui sicut amore hæreant colligati creaturis, nec amando transeunt, quo eos transire lex Dei incommutabilis & æterna jubet, ita nihil mirum est, si etjam timendo in malis ipsis velut extremis hæreant, timendoque delinquant. Nam ut profundè optimèque sanctus Augustinus, de cupiditate, timore, lætitia, tristitiaque dicit: *Mala sunt ista si malus est amor, bona si bonus.* Et in alio loco: *Cupiunt, timent, lætantur, & boni & mali; sed illi bene, isti male, sicut hominibus seu recta seu perversa voluntas est.* Timor igitur gehennæ secundum seipsum bonus est, sive dicatur ordinatus sive inordinatus. Ordinatum dicunt, quando plus culpa timetur quam pœna, inordinatus quando plus pœna quam culpa; quem etjam servilem dicere solent. Nam ille excessus oritur non

Lib. 1. cont. advers. legis & proph. c. 16.

Psal. 127.

Lib. de Catechiz. rudibus c. 5.

Tract. 43. in Ioan. Tract. 3. in Ep. Ioan. Serm. 13. de verb. Apost. c. 13. Serm. 15. c. 10. Serm. 114. de temp. c. 5. & 2. c.

In Psal. 67.

In Psal. 127.

Tract. 43. in Ioan.

Lib. 14. de Civit. c. 7.

Lib. 19. de Civit. c. 13.

Vide lib. 2. de statu nat. lapsæ à c. 12 usque ad 21.

Lib. 14. de Civit. c. 7.

Ibid. c. 8.

non ex parte timoris Dei punientis, qui nunquam nimium timeri potest, sed ex parte subjecti seu hominis qui charitate caret. Ex charitatis enim defectu accidit, ut non tantum culpam timeat, quantum timenda est ab eo qui vehementer pœnam timet.

CAPVT XXII.

Timor pœnæ initium sapientiæ externum, qui ab ipsa sapientia, id est, charitate excluditur.

Psal. 110. Proverb. 1.

DE hoc igitur timore Sanctus Augustinus ista verba Davidis ac Salomonis dicta intelligit: *Initium sapientiæ timor Domini.* Nam in Psalmum trigesimum, juxta solemnem suam doctrinam tradit, *timentibus* videlicet pœnam, absconditi dulcedinem Dei, & servari sperantibus, *ut timendo perveniant ad bonum quod justis & impijs non potest esse commune.* Et addit: *Quamdiu enim adhuc timent, nondum & ipsi pervenerunt, sed credunt se perventuros; sed a timore incipiunt. Nihil enim dulcius immortalitate sapientiæ: sed initium sapientiæ timor Domini.* Et in Psalmum septuagesimum-septimum: *Initium est vetus Testamentum, finis novum. Timor enim prævalet in lege, & initium sapientiæ timor Domini.* Et in Psalmum penultimum disputans de *timore gehennæ & cruciatuum*, quem ferrea vocat vincula: *Nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem; initium sapientiæ timor Domini. Incipit ergo a vinculis ferreis, finitur ad torquem auream.* Vocatur autem initium quia ab isto timore incipit homo converti à peccatis ad diligendum Deum, in quo vera totaque nostra sapientia. Itaque Augustinus in libro de Catechizandis rudibus: *Rarissime accidit: imo vero nunquam ut quisquam veniat volens fieri Christianus qui non sit aliquo Dei timore percussus.* Cum igitur sapientia Sanctorum Dei non sit alia, nisi dilectio seu charitas Dei, juxta illud Augustini certissimum ex Scripturis haustum documentum: *Ecce pietas est sapientia. Porro pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando. Summa igitur & vera sapientia est in præcepto illo primo: Diliges Dominum Deum tuum &c. Ac per hoc sapientia est charitas Dei. Initium autem sapientiæ timor Domini;* profecto perspicuum est, timorem esse initium sapientiæ extrinsecum, eo quod non sit pars sapientiæ intrinseca, sed ad sapientiam sternendo viam ducit, ut cum sapientia charitatis intraverit, ipse recedat. Quod eleganter exponit in Tractatibus in Epistolam Ioannis: *Si nullus timor non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: Sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.*

Conc. 3. in Psal. 30.

In Psal. 77.

In Psal. 149.

Lib. de Catechiz. rudib. c. 5.

Epist. 120. c. 18.

Tract. 9. in Epist. Ioan.

Bellar. lib. 2. de pœnit. cap. 17.

Quapropter non parum ab Augustini mente exorbitant, qui putant timorem pœnæ, quam Deus peccatoribus comminatur, à charitate nequaquam excludi. Contrarium enim passim in operibus suis ex professo docet. Nam ex eodem ipso loco, quem jam jam attuli, hoc perspicuè patet, & in eodem loco uberius hoc ipsum ex professo tradit, locumque Apostoli, *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*, de isto timore pœnæ, seu gehennæ seu judicij semper intelligit. Nam de hominibus non in futura beatitudine, sed in hac vita constitutis dicit: *Timor non est in charitate. Quid ergo dicimus de illo qui cœpit timere diem judicij? Si perfecta in illo esset charitas, non timeret. Perfecta enim charitas faceret perfectam justitiam, & non haberet, quare timeret: imo haberet quare desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo timor non est in charitate, sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem.* Itaque planius explicans, quomodo timor cum crescente charitate decrescat aut crescat, & cum perfecta totus mittatur foras: *Ergo*, inquit, *incipiat timor; quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati: cum autem cœperit charitas habitare*, PELLITVR TIMOR *qui ei præparavit locum.* QVANTVM ENIM ILLA CRESCIT, ILLE DECRESCIT: ET QVANTVM ILLA FIT INTERIOR, TIMOR PELLITVR FORAS. MAIOR CHARITAS, MINOR TIMOR: MINOR CHARITAS, MAIOR TIMOR. Et nonnihil inferius in eodem Tractatu: *Sunt homines qui propterea timent Deum ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant, cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille qui introducit charitatem: sed sic venit ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times.* Et in eodem Tractatu prolixe docet, quod statim atque aliquis *cœperit credere, cœpit & timere diem judicij*, hoc est, ne veniat ad judicandum Deus; sed quod veniente crescenteque charitate, *incipit desiderare quod timebat.* Timebat enim ne veniret Christus, & inveniret impium quem damnaret, desiderat ut veniat, quia inventurus est pium, quem coronet. Et paulo post, *Ergo Fratres date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem judicij: aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari.* Quam doctrinam constantissimè in alijs multis locis tradit, ut in Epistola ad Honorat. *Præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum & servat charitati locum: quæ tanquam domina veniente ut illa*

Tract. 9. in Epist. Ioan.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Epist. 120. cap. 18.

ut illa insideat, abscedit. Quod paulo inferius A iterum atque iterum repetit. Et in Psalmum centesimum vigesimum-septimum, de Timore gehennæ loquens: *Habent timorem & per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus: & iam incipit homo iustè vivere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.* EXCLVSVS EST ERGO TIMOR A CHARITATE, *sed successit timor castus.* Nempe ille filialis qui ex ipsa charitate nascitur, ut ibidem tradit. Et in Sermone decimo-octavo de verbis Apostoli: *Custodiat te timor iste quo, ut dixerat, gehennam times dum non facis timendo, & veniat charitas: intret in cor tuum, &* QVANTVM ILLA INTRAT, TANTVM TIMOR EXIT. Et inferius iterum: *Illa charitate, ut dicere cœperam intrante, incipit timor exire. Quanto plus illa* B *intraverit tanto timor minor erit, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Intrat ergo charitas, pellit timorem.* Pluribus locis, quæ sanè plurima sunt, allegandis supersedeo. Nam ista perspicuè ostendunt, alienissimum ab ejus esse mente quod ei nonnemo tribuit, quod timor pœnæ nequaquam à charitate excludatur.

In Psal. 127

Serm. 18. de verb. Apost. cap. 8.

Ibid. cap. 9.

Bellar citat.

Neque refert quod in libro de sancta Virginitate dicat, *perfectam charitatem non mittere foras timorem divini in fine iudicij.* Nam quamvis Augustinus plerumque per timorem judicij, timorem damnationis, sive sempiternorum in igne cruciatuum soleat intelligere, quia tamen in divino judicio fiet etiam separatio à Deo, quam potissimum perfecta charitas horret, hinc est quod in isto loco per timorem judicij, timorem castum quo timemus ex charitate, ne à Deo dilecto separemur, intelligere videatur. Nam in eodem ipso loco bis terve repetit, timorem æternæ perditionis à charitate mitti foras: *Si non amas*, inquit, *time ne pereas; si amas, time ne displiceas. Illum timorem* (ne scilicet pereas) *charitas foras mittit; cum isto intrò currit.* Et cùm ibidem docuisset, non esse perfectæ charitatis propter devitandum ignem æternum servire Deo, statim adjungit: *Illis vocibus*, videlicet peccatorum ex timore dicentium, Quo ibo à Spiritu tuo &c. quo à facie tua fugiam, *comitatur timor qui tormentum habet, quem perfecta charitas foras mittit: His autem vocibus*, videlicet (desiderat & deficit anima mea in atria Domini) *comitatur timor Domini castus permanens in seculum seculi.*

Lib. de sanct. Virgin. c. 38

Ibid.

Ibid.

CAPVT XXIII.

Timor pœnæ ex gratia quadam generali, non ex illa propriè & strictè dicta gratia Christi nascitur.

QVOD si quis quæat, utrum ti- A morem sempiterni interitus seu gehennæ Deus immittat homini, an naturaliter ex naturæ viribus fluat, diffiteri non videmur posse, quin Deus eum in animo timentibus operetur. Hoc enim satis perspicuè tradit Augustinus, quando verba Prophetæ: *Dominus molliuit cor meum* explicans dicit, *Et ipsum timere, quo cavet futuras pœnas, misericordiæ Dei deputat. Non enim sciret superventuras pœnas & tenebras malis, nisi Dominus mollisset cor eius præsentibus tribulationibus, adversus illud quod indurat Deus cor Pharaonis.* Misericordiæ igitur Dei est, quod futuras pœnas formidamus. Quod & Apostolus videtur in Epistola ad Romanos tradere de timore, quo Iudæi timebant in veteri lege præcipientem & comminantem Deum: *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater.* Vbi opponit Spiritum timoris B quo Iudæi Deo tanquam Domino serviebant, Spiritui amoris, quo filij ad Deum veluti Patrem clamant. Ille Testamento veteri; hic novo proprius est. Vterque tamen à Deo datus atque acceptus. Imo idem ipse Spiritus

In Annotat. in Iob. c. 23.

Rom. 8.

fuisse significatur, qui propter diversos effectus utroque nomine nuncupatus sit: Spiritus servitutis seu timoris, quia timorem per Testamentum vetus, Spiritus amoris, quia amorem per novum operatur. Qua de re sanctus Augustinus eundem Apostoli tractans locum, quo dicit, *Non accepistis iterum Spiritum servitutis &c. Quid est*, inquit, *iterum? Quo modo terrente molestissimo pædagogo.* Hoc est, eo modo quo quando per Moysis legem, velut per molestissimum pædagogum, Iudæi terrebantur: *Quid est iterum? Sicut in monte Sina accepistis Spiritum servitutis. Dicet aliquis, Alius est Spiritus servitutis, Alius Spiritus libertatis. Si alius esset, non diceret Apostolus iterum. Idem ergo Spiritus, Sed in tabulis lapideis, in timore; in tabulis cordis, in dilectione.* Et in quæstionibus super Exodum: *Proinde non arbitror alium quam eundem* (Spiritum sanctum) *significari, ubi dicit Apostolus, Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater: quia eodem Spiritu Dei, id est, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conscripta est, timor incussus est eis; qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, & lex illis fieret pæda-*

Serm. 12. de verb. Apost. cap. 13.

Quæst. 55. sup. Exod.

A *ret pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam quæ est in fide Iesu Christi.* Quibus duobus locis apertè tradit Augustinus, eundem Spiritum servitutis in timore seu Spiritum timoris & Spiritum adoptionis seu amoris, ab effectu videlicet, quia utrumque operatus est. Sic enim dicitur Spiritus sanctus ab Apostolo, *Spiritus fidei,* itemque *Spiritus timoris, Spiritus virtutis, & veritatis, & continentiæ.* Et ab Isaia, *Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & Spiritus timoris Domini.* Et à Moyse *Spiritus iræ*, juxta sanctum Augustinum: *Non quia tot sunt Spiritus*, inquit Augustinus, *sed omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique sicut vult.* Itaque Spiritum timoris & adoptionis & amoris &c. Sanctus Augustinus appellatum censet ipsum Spiritum sanctum, quia ut amorem nunc, ita & timorem olim Iudæis operatus est, prout in eadem citata quæstione exsertè docet. *Vnde significatur propter diversas operationes & effectus Spiritum Dei dissimiliter appellari, cum sit unus atque idem ille duntaxat, qui etiam Spiritus sanctus in unitate Trinitatis accipitur.* Cujus pronuntiati sui veritatem, ex illo Apostoli loco de Spiritu servitutis ac timoris ostendit. B

1. Cor. 4. Rom. 8.

Quæst. eadem 55. super Exod. Epist. 105. ad Sixt.

Ead. quæst. 55. super Exod.

Quamvis igitur fatendum sit, Deum in cordibus hominum timorem pœnarum futurarum operari, nullo tamen modo arbitrandum est, quod eum per illam veram Christi gratiam, propter quam infirmis hominibus largiendam crucifixus est, operatur. Nam ista gratia effectum prorsus oppositum in voluntate facit. Est enim inspiratio cœlestis delectationis, qua Deus incipit dulcescere quem timebat, quaque dulcedine perfusus animus, jam non formidine pœnæ, sed justitiæ dilectione operatur bonum. Vnde vera Christi gratia spiritalis dilectionis & charitatis est gratia, quæ charitas cùm intraverit, timorem velut servum ejicit, ut supra declaravimus. Vnde Augustinus pœnarum formidinem, & justitiæ dilectionem semper opponit. Operatur igitur Deus pœnarum timorem per aliam longe inferioris notæ gratiam, quæ postquam infixa fuerit in animo judicij divini sempiternæque pœnæ fides, fortassis gratiam peculiaris cujusdam, sive internæ, sive externæ providentiæ & operationis non excedit. Quod etiam recentioribus placuisse video. Nam Vasquez quodam loco dicit: *Quis dicat tristitiam de pœnis inferni ut sunt malum nostrum esse actum supernaturalem tristitiæ etiamsi privationem gloriæ comprehendat? Nam malum quodcunq; nostrum odisse possumus odio naturali secundum substantiam, & fide semel creditum timere, etsi odium & timor sit donum Dei & gratia ipsius.* Nempe immissa, ut ipse tradit, alicujus cogitationis naturalis, quæ nullo pacto est ista gratia Christi quam nos quærimus (licet vehementer hallucinando hoc auctor iste putet) sed interioris ordinis. De cujusmodi gratijs Augustinus quodam loco, erga illos qui vel credunt, vel C D

Vasquez 1. 2. disp. 104. c. 4. n. 32.

A etiam nondum credunt, ita loquitur: *Adulter non fuisti, in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumq; discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi. Vt adulterium non committeres suasor defuit, & ut hæc deessent ego feci. Locus & tempus defuit; & ut hæc deessent ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentires ego servavi. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti.* Ecce ut suasor peccati desit, ut locus ac tempus perpetrandi peccata non arrideat, ut illis blandientibus homo terreatur, gratiæ Dei sunt, in hominibus infidelibus, quanto magis in fidelibus? Sed nullo modo sunt illa occulta & propriè dicta Christi gratia, per quam inspirata justitiæ charitate duritia cordis auferatur. Nam illa nemini datur, nisi B cui fides datur, qua de re alibi jam latissimè disseruimus. Sic etiam in Psalmum centesimum-secundum multa divinæ misericordiæ & vocationi tribuit, etsi nullum eorum efficiatur ista occulta gratia Dei: *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficijs creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis longanimis & multæ misericordiæ.*

Homil. 23. cap. 6.

In Psal. 102

Timor igitur gehennæ Dei gratiæ & misericordiæ deputandus est multis modis. Primo quidem, quia non potest in homine nasci, nisi præcedat judicij divini & sempiterni interitus fides, quæ cùm perspicue Dei donum sit, sine dubio eatenus etiam timor iste futurarum pœnarum, quas sola fides apprehendit formidabiles, divinæ donationi deputandus est. C

Secundo, quia Deus efficit ut homini jam futura credenti occurrat opportuno tempore & loco divini judicij pœnarumque comminatio, prædicatio, recordatio, ex qua commovetur animus, peccatumque cavet, ne in pœnas illas Dei severitate præcipitetur. Sed quia multis accidit, ut gehennæ recordati nihil timeant, hinc

Tertio, timorem istum efficit, molliendo cor hominis, sive temporalium tribulationum immissione, sive carnalium deliciarum ablatione, quibus obduratur animus & ita afficitur præsentibus, ut futura nec cogitet nec formidet. Nam opposito modo Pharao induratus fuit. Tangit hunc modum Augustinus quando dicit, id quod ante commemoravimus; *Ipsum timere quo cavet futuras pœnas, misericordiæ Dei deputat.* Et cui misericordiæ Dei: *Non enim sciret superventuras* D *pœnas & tenebras malis, nisi Dominus molliret cor ejus præsentibus tribulationibus, adversus illud quod indurat Deus cor Pharaonis.* Hi vero modi omnes supposita fide externi sunt, nec ad ipsa interiora voluntatis, nisi objecti formidabilis propositione pertingunt. Quibus

Annotat. in Iob. c. 23.

profectò

profecto modis semper Augustinus pœnarum timorem qui sub veteri lege in Iudæis dominabatur Deo tribuit. Nempe quia foris in tabulis lapideis legem dedit, quarum observationem gravissimarum pœnarum comminatione sanxit. Timor enim ex illa ipsa lege foris auribus insonante & comminante nascebatur. De qua legis operatione timorem afferente, sæpissimè Augustinus: *Lib. de Spir. & lit. c. 17.* *Ibi populus accedere ad locum ubi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur: hic autem in eos supervenit Spiritus sanctus. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ibi ergo lex extrinsecus posita est, qua injusti terrerentur, hic intrinsecus data est, qua iustificarentur.* Et inferius, cum ex Apostolo docuisset legem in tabulis lapideis fuisse scriptam à Deo: *Ibid.* *Ecce*, inquit, *quemadmodum ostendit, quia illud extra hominem scribitur, ut eum forinsecus terrificet: hoc in ipso homine ut eum intrinsecus iustificet.* Et iterum paulo pòst: *Lib. de Spir. & lit. c. 19.* *Cum adest vivificans Spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri.* Et adhuc nonnullis interpositis: *Ibid. c. 21.* *Unde significavit eos non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis iustitiam dilecturos.* Et multis interiectis: *Cap. 29.* *Ex lege timemus Deum; ex fide speramus in Deum, sed timentibus pœnam absconditur gratia.* Et in Sermone sexto de verbis Apostoli: *Serm. 6. de verb. Apost. c. 6.* *Ibi plebs longè stabat, timor erat, amor non erat.* Quod explicans tantum extrinsecus factum fuisse, partim terribili Dei præsentia, partim lege in lapidibus scriptâ: *Plebem*, inquit, *longè stantem territans, & digito suo scribens in lapide, non in corde.* Et in eodem capite paulo inferiùs: *Si ergo scribatur lex Dei in corde tuo, non foris terreat, sed intus mulceat, tunc lex Spiritus vitæ in Christo Iesu liberabit te a lege peccati & mortis.* Quibus testimonijs in Augustino frequenter occurrentibus perspicuè docet timorem illum Dei, ex quo legem Iudæi servare conabantur, non aliter Deum in eorum animis effecisse, nisi legem terribilem, supplicia transgressoribus comminantem, tabulis lapideis insculpendo, & extrinsecus promulgando. Ex quo efficitur ut etjam non semel timorem istum legi ipsi tribuat, quatenus ipsa sua promulgatione, minarumque cognitione terrebat, ut quod jam statim dixit: *Ex lege timemus Deum; ex fide speramus in Deum.* Et in libro de gratia Christi: *Lib. de grat. Christ. c. 8.* *Iustitia Dei est quæ nobis non ex lege fit, sed ex Deo, non qua illo imperante cognoscendo timeatur, sed qua illo donante diligendo teneatur.* Et in libro de peccato originali: *Lib. de pec. orig. c. 25.* *Erant & legis tempore homines Dei non sub lege terrente, convincente, puniente: sed sub gratia delectante, sanante, liberante.* Quam ob causam propriâ locutione sæpius ab Augustino *Timor legis* vocatur, tanquam qui esset proprius effectus legis, prout lex opponitur gratiæ Dei. *Lib. de corr. & gra. c. 11.* *Hanc itaque iustitiam Dei, non in præcepto legis quo* TIMOR INCUTITUR, *sed in adiutorio gratiæ Christi* AD QUAM SOLAM UTILITER LEGIS VELUT PÆDAGOGI TIMOR DUCIT, *constitutam esse qui intelligit, ipse intelligit quare sit Christianus.* Et libro quarto ad Bonifacium: *Lib. 4. ad Bonif. c. 5.* *Ad quam Dei gratiam lex de prævaricatione terrendo, tanquam Pædagogus perducit, ut sic conferatur homini, quod conferre ipsa non potuit.* Et ibidem inferiùs: *Lib. 4. ad Bonif. c. 5.* *Quæ lex terrendo ducit ad fidem*, id est gratiam, *ideo quippe lex iram operatur, ut territo atque converso ad iustitiam legis implendam Dei misericordiam gratia largiatur per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Dei sapientia, de qua scriptum est: Legem & misericordiam in lingua portat, legem* QUA TERREAT, *misericordiam qua subveniat.* Ex quibus Augustini testimonijs & alijs quæ produci possent, perspicuè patet, timorem legis non modo non esse effectum gratiæ, sed potius distingui contra gratiam, & propterea cordibus adhuc terrenis incuti ut ad gratiam perducantur.

Hinc etjam fit, ut Augustino, quisquis ex divinæ legis pœnas comminantis timore præcepta justitiæ facit, non ex gratia Dei, sed ex proprijs viribus ea implere velle censeatur. Nempe quia quamvis & lex & pœnarum comminatio sit ex Deo, non aliter tamen ista juvant nisi cognitionem afferendo, quâ percepta, si timore percellatur, propriæ voluntatis viribus facit quicquid facit. *Lib. de nat. & grat. c. 19.* *Ut acciperet homo*, inquit Augustinus, *præcepta superbè de suis viribus confidens, in quibus deficiens & factus etiam prævaricator, liberatorem Salvatoremque requireret: atque ita eum* TIMOR LEGIS *humilem factum, tanquam Pædagogus ad fidem gratiamque perduceret.* Et in libro primo quæstione prima ad Simplicianum: *Lib. 1. q. 1. ad Simplic.* *Usitatius vocatur lex quando minatur & terret & vindicat. Itaque idem præceptum* TIMENTIBUS *lex est, amantibus gratia est. Inde est illud in Evangelio, Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Eadem quippe lex, quæ per Moysen data est ut* FORMIDARETUR, *gratia & veritas per Iesum Christum facta est, ut impleretur.* Itaque statim adijcit talem legem quæ lecta formidatur non amatur, nihil esse omnino nisi solam litteram sine gratia: *Ibid.* *Lex enim quid aliud quam sola littera eis qui eam legere noverunt, & implere non possunt? Non enim ignoratur ab eis, quibus conscripta est; sed quoniam in tantum nota est, in quantum scripta legitur, non in quantum dilecta perficitur, nihil est aliud talibus nisi littera, non est adiutrix legentium, sed testis peccantium.*

CAPUT

CAPVT XXIV.

Occurritur objectioni; & ostenditur eandem esse rationem de quolibet timore pœnarum etjam gehennæ. Nascitur ex amore creaturæ & sui.

RESPONDEBIT ad hoc fortasse quispiam, Augustinum loqui de pœnarum timore temporalium, qui Iudæorum proprius erat. Illum vero ex sola legis comminatione, & sui-ipsius seu creaturæ amore proficisci, sine gratia Dei certum est: sed aliud de timore gehennæ sentiendum esse, utpote qui fidem, & propter peculiarem difficultatem, gratiam Dei postulet.

Respondetur, Augustinum sæpissimè loqui generaliter de timore suppliciorum quæ lex quælibet sive vetus sive nova comminatur, inter quæ sane gehenna non est minima. Vnde etjam expressis verbis, timorem gehennæ, timorem legis & litteram & pædagogum nominat, quo ad gratiam perducamur: *Si faceres peccatum Deo non vidente, ergo pœnam times, castitatem nondum amas, charitatem non. non habes: serviliter times, formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis. Littera est minans, nondum gratia iuvans.* Ecce timor iste gehennæ, pædagogus legis est, est littera tantum minans, non gratia juvans nempe quia litteræ minantis, non gratiæ juvantis effectus est; haud secus atque timor malorum temporalium, quæ Iudæi, ex legis divinæ comminatione formidabant.

Serm. 18. de verb. Apost. c. 8.

Nam quod ad ostendendam utriusque timoris differentiam affertur: primò, quòd ad gehennæ timorem fides necessaria sit; etiam timor pœnarum quas Iudæi ex lege formidabant fidem postulabat. Docet hoc expressis verbis Augustinus: *Et illi qui sub lege sunt & timore pœnæ iustitiam suam facere conantur, & ideo non faciunt Dei iustitiam, quia charitas eam facit, quæ non libet nisi quod licet, non timor qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate quo mallet, si fieri posset licere quod non licet. Et illi ergo credunt Deo. Nam si omnino non crederent nec pœnam legis utique formidarent.* Vides hic generaliter ad timendam pœnam quam comminantur leges Dei, fidem esse necessariam; quo tamen non obstante cum semper doceat, timorem non ex gratia sed legis cognitione proficisci, perspicuum est, nihil obesse quo minus timor gehennæ ex lege seu naturæ viribus nasci dicatur, quamvis necesse sit, ut eum fides antecedat, & catenus Deo tribui debeat.

Lib. de Spir. & lit. c. 32.

Quod vero secundo dicitur, pœnas temporales ex amore sui-ipsius seu creaturæ proficisci, & idcirco ex liberi arbitrij viribus gigni posse, quod ad amandam creaturam sibi sufficit, hoc ipsum invictè probat etjam timorem gehennæ supposita fide, ex iisdem naturalibus voluntatis viribus posse pullulare. Est enim certum & perspicuum, ex eodem sui-ipsius & creaturæ non creatoris amore timorem gehennæ prosilire. Quid est enim timor gehennæ nisi timor cruciatuum, quibus post hanc vitam, naturalis corporis atque animi constitutio, integritas ac salus tollitur: quam sicut omnis homo naturaliter diligit, simulatque sibi vel divina fide vel humana opinione, vitam aliquam corporis atque animæ futuram esse persuaserit, ita quoque naturaliter violationem ejus per dolores atque cruciatus exhorrescit? Nihil enim vetat ex supernaturali aliqua cognitione præeunte naturaliter aliquos timores tristitiasque sequi, dummodo objectum eorum naturalis ordinis fuerit. Itaque sanctus Augustinus apertissimè tradit, timoré gehennæ cruciatuum ex amore creaturæ quæ diligitur proficisci. Nam rationem reddens, cur timor castus qui ex amore creatoris oritur, permaneat in seculum seculi, timor vero pœnæ mittatur foras: *Quare*, inquit, *nisi quia ille timor, quem foras charitas mittit, propterea pungit animam* NE AMITTATVR ALIQVID, QVOD IN CREATVRA DILIGITVR, VEL IPSA SALVS ET REQVIES CORPORALIS AVT ALIQVID TALE POST MORTEM? PROPTEREA ENIM TIMENTVR ET APVD INFEROS PŒNÆ ET DOLORES AC TORMENTA GEHENNARVM. Inauditum est autem in Augustini principijs, ad diligendam creaturam, aut salutem quietemque corporalem, esse Christi gratiam necessariam, præsertim cum recentiores etjam dilectionem Dei audeant naturæ viribus attribuere, & Augustinus in hoc ipso loco doceat, timorem pœnæ à charitate pelli foras, propterea quia ex creaturæ amore nascitur. Quo enim anima rationalis à creaturarum etjam sui-ipsius amore purior est, eo est castior, sanctior, melior, Deoque gratior.

Serm. 214. de Temp. c. 3.

CAPVT XXV.

Amplius declaratur, timorem pœnæ non esse ex Christi gratia, quia facit justitiam inde natam, *ex lege*, & *justitiam nostram*, non ex Deo.

HÆC est igitur causa, cur sexcentis A locis Augustinus doceat, eos qui sola legis cognitione, hoc est, timendo supplicium quod lex minatur, præcepta Dei implere conantur, non habere aliud nisi *justitiam ex lege*, *justitiam suam*, non Dei, hoc est, justitiam proprijs viribus factam non per gratiam Dei datam, ut per hoc significet pœnarum timorem quem lex incutit & quicquid ex lege seu ex illo pœnarum timore operamur; non id ex gratia Dei, nempè illa strictè dicta, sed supposita fide ex proprijs viribus proficisci. Tunc enim incipimus ex gratia Dei præcepta facere, cum non ex justitiæ seu legis formidine, sed ex justitiæ dilectione operamur. Et hæc est justitia non ex lege, non nostra, seu nostris viribus facta, sed Dei: *Qui novit*, inquit, *quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem: non secundum spiritum, sed secun-* B *dum litteram; quamvis multi quod imperat lex facere videantur* TIMORE PŒNÆ, *non amore justitiæ, quam dicit Apostolus* IVSTITIAM SVAM, QVÆ EX LEGE EST, *tanquam sit imperata*, NON DATA. *Si autem data est, non dicitur justitia nostra, sed* DEI, *quia sic fit nostra, ut sit nobis ex Deo.* Quod explicans accuratius, in eodem loco adijcit: *Tantum igitur inter legem distat & gratiam, ut cum lex esse non dubitetur ex Deo*, IVSTITIA *tamen quæ* EX LEGE EST, *non sit ex Deo, sed justitia quæ per gratiam consummatur ex Deo.* QUÆ EX LEGE IVSTITIA *dicitur, quæ fit* PROPTER LEGIS MANDATVM, cujus videlicet terrore ad agendum cogimur; *justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non sit* TERRIBILE *sed suave mandatum, sicut oratur in Psalmo, Suavis es Domine, & in tua suavitate doce me justitiam tuam: id est, ut* NON FORMIDINE PŒNÆ *serviliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege.* Ecce luculentissimè assertum, quod justitia hoc est opus justitiæ, quod ex pœnarum legis timore fit, non sit justitia ex Deo, neque detur à Deo, sed illud solummodo, quod ex infusione suavitatis ac dilectionis operamur. Et sermone decimo quinto de verbis Apostoli præclarissimè & exactissimè: *Lege Dei proposita* (Non concupisces) *quisquis timuerit & suis viribus eam implere se posse putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, sed* TIMENDO PŒNAM, *fuit quidem secundum justitiam quæ* EX LEGE EST *homo sine querela, non furatur, non adulterat, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium, non concupiscit rem proximi sui. Potest hoc, potest fortassis. Unde?* TIMORE PŒNÆ. *Quanquam* A *qui* TIMORE PŒNÆ *non concupiscit, puto quia concupiscit &c. Si talis es, adhuc justitia* (tua) *est, qua justitia tibi consulis,* NE TORQVEARIS. *Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter* TIMOREM TVVM, *timoremque latronis, quod latro timet leges hominum &c. tu autem leges eius* TIMES, *eius* PŒNAM TIMES, *quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo & concupiscentiam tuam non amor tollit, sed* TIMOR PREMIT *&c.* Quod explicat similitudine lupi qui quamvis terreatur latratu canum, tamen manet lupus, nisi in ovem vertatur: *Facit enim*, inquit, *& hoc* DOMINUS. SED IPSA EST IVSTITIA EIVS NON TVA. NAM QVAMDIV HABES TVAM, POTES TIMERE PŒNAM NON AMARE IVSTITIAM. Et iterum cum pauca quædam attexuisset ita scribit: *Gentes quæ non sectabantur justitiam quæ* EX LEGE EST, QVASI PROPRIAM SVAM, QVÆ SIT DE TIMORE POENÆ, NON DE AMORE IVSTITIÆ, *quia non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem quæ ex fide est.* Et paulo pòst docet Saulum in lapidem offensionis Christum offendisse de ista justitia superbiendo: *Et totum hoc non videre* (id est cœcitas Pauli) *unde erat? De tumore superbia. Quid est de tumore superbia? Quasi* DE IVSTITIA SVA. *Ex lege quidem sed sua. Quid est,* EX LEGE? *Quia in mandatis legis. Quid est,* DE SVA? *Tanquam de viribus suis. Amor deerat, amor justitiæ, amor charitatis Christi. Et unde illi amor?* SOLVS POSSIDEBAT TIMOR, *sed charitati venturæ locum in corde servabat*, Vides profectò in isto sermone plenissimè, exactissimè, satiatissimèque ab Augustino tanquam rem sibi perspectissimam tradi, quicquid paulo antè de timore & operibus inde proficiscen- C tibus asseruimus. Nempe, justitiam, hoc est, opus justitiæ, non aliam esse quam justitiam EX LEGE, hoc est, justitiam, quam solo legis præcipientis ac terrentis adjutorio operamur, esse justitiam nostram, hoc est nostris viribus factam, non divinitus datam, quantumvis lex ipsa à Deo data fuerit. Denique quamdiu habemus talem justitiam ex lege & nostram, nos posse timere pœnam, non amare justitiam. Quibus omnibus apertissimè significat, supposita fide Dei pœnarumque quas transgressoribus legis comminatur, timorem supplicij intentati, justitiamque ex lege seu operum, ex isto timore propter legis minas concepto pullulantem, ex viribus arbitrij naturalibus proficisci, non per Dei gratiam inspirari. Quod sanè tam est in Augustini operibus tritum ut mirum

Lib. de grat. Christi c. 13.

Ibid.

Serm. 15. de verbis Apost. cap. 6.

Ibid. c. 7.

mirum sit in dubium posse revocari. Tradit enim non semel hujusmodi justitiam nostram, quæ ex lege est, hoc est, ut jam audivimus, quam ex legis seu pœnarum timore operamur, non gratiæ Dei, sed nostris viribus esse tribuendam, eamque opponere solet justitiæ Dei, hoc est, quam tribuit per gratiam suam
Epist. 106. Deus. *Quæ ex Deo est justitia, in fide utique est, qua credimus nobis justitiam divinitus dari, non a nobis in nobis nostris viribus fieri. Nam cur illam justitiam* QVÆ EX LEGE EST, SVAM *dixit Apostolus,* NON EX DEO, *quasi lex non sit ex* DEO? *Quis hoc nisi impius senserit? Sed quia per litteram jubet, non per Spiritum juvat, quicumque sic audit litteram* A *legis, ut ei sufficere videatur cognovisse quid jubeat, aut prohibeat, quo id se arbitrij sui virtute, impleturum esse confidat, nec fide confugiat adjuvandus ad Spiritum vivificantem, ne reum factum littera occidat, profecto zelum* DEI *habet, sed non secundum scientiam. Ignorans enim* DEI *justitiam, id est, eam quæ datur ex* DEO, *&* SVAM *volens constituere,* VT TANTVMMODO EX LEGE SIT, hoc est, ex doctrina & terrore legis, *justitiæ* DEI *non est subjectus.* Nam ut alibi dicit: *Ex lege timemus* DEUM, *Lib. de Spir.*
ex fide speramus in DEUM. Cujusmodi testimonia *& lit. c. 29.*
in Augustino passim obvia sunt, & paulo ante nonnulla allegavimus.

CAPVT XXVI.

Vberius ostenditur ex Augustino, Timorem pœnæ, & opus ex isto timore factum, non esse ex Gratia Christi, sed naturæ viribus supposita fide.

EX istis igitur Augustini documentis clarum est, timorem pœnæ, & opus justitiæ quod ex timore imperatur, fidem quidem prærequirere, sed ea jam in animo radicata propriè strictèque dictam Christi gratiam non exigere, sed ex proprij arbitrij viribus posse prosilire. Quod si Deus timorem istum sua providentia in animis peccatorum vel semper vel subinde concitet, vel etiam, si ita libet, interius inspiret, ea longè alterius rationis est, quam ea Christi gratia, de qua hactenus disseruimus. Limites enim naturalis providentiæ, quantum ad substantiam, non excedit, cujusmodi gratiam etjam Pelagiani multis modis agnoverunt & confessi sunt. Ex quo fit, ut Augustinus ijs qui ex timore operantur, gratiam disertis ver-
Lib. de Spir. bis dari neget: *Timentibus*, inquit, *pœnam ab-*
& lit. c. 29. *sconditur gratia*, hoc est, non datur, *sub quo timore anima laborans, quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor ille quasi custos severus abscesserit, per fidem confugiat ad misericordiã Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate* &c. Et alio ejusdem libri loco: *Quicunque faciebant*
Cap. 8. *quod lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ,* TIMORE PŒNÆ *faciebant, non amore justitiæ.* Et libro secundo contra Iulianum: *Multa multi-*
Lib. 2. cont. Iul. cap. 1. *tudo dulcedinis Domini quam profecto non invidit, & tamen abscondit timentibus eum.* Nam per dulcedinem illam, ex solemni more suo, Dei gratiam intelligere solet. Et in libro primo ad
Lib. 1. q. 1. ad Simplic. Simplicianum: *Vsitatius vocatur lex, quando minatur & terret, & vindicat. Itaque idem præceptum timentibus lex est, hoc est, non nisi sola lex, amantibus gratia est. Inde est illud in Evangelio: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Eadem quippe lex, quæ per Moysen data est, ut* FORMIDARETVR, *gratia & veritas per Iesum Christum facta est, ut impleretur.* Et in
Serm. 32. de Temp. c. 2. Sermonibus de tempore: *Lege terruit, Evangelio,* hoc est, gratiæ, *conversos sanavit: quos ut con-* A *verteret lege terruerat.* Et in Sermone decimooctavo de diversis, cùm tradidisset sub lege timorem esse non amorem, subjicit: *Qui autem* *Serm. 18. de*
sub gratia est, non sub lege implet legem: quia non est *divers. c. 1.*
ei pondus, sed decus; nec TIMENTI *tormentum, sed amantis ornamentum.* Et in Sermone tertio eorum quos in appendice collocarunt: *Alij timent, alij sperant, & de sperantibus & timentibus* *Serm. 3. in Append.*
volo aliquid dicere. Lex timorem habet, gratia spem. Quid autem interest inter legem & gratiam, quandoquidem unus dator & legis & gratiæ? Lex terret de seipso præsumentem, gratia juvat in DEUM *sperantem.* Et enumeratis quibusdam legibus, atque inter ceteras illa quæ dicit non concupisces, effectum ejus exprimit quem ante gratiam in homine facit: *Audivisti*, inquit, *timuisti, tentasti pugnare, non potuisti superare.* Causam quærit & simul reddit: *Quare hoc*, ait, *nisi quia mandato accepto* TIMVISTI, *non dilexisti,* TIMVISTI PŒNAM, *non amasti justitiam. Qui timet pœnam* B *optat si fieri potest facere quod jubeat, & non habere quod timeat.* Et ut intelligeremus neque timorem istum, neque compressionem adulterij quam pœnæ timor imperat, ex gratia Dei proficisci, sed illam tantum quæ ex justitiæ dilectione nascitur: *Iam*, inquit, *gratia est, hoc tibi noli assumere, viribus tuis noli tribuere; delectatione facis, bene, charitate facis, bene, annuo, consentio. Iam gustas dulcedinem*, hoc est, gratiam, *si speras in* DOMINUM. Hoc est, si non amplius ex timore adulterium caves, sed spe gratiæ. Et in quæstionibus super Exodum: *Digito* *Quæst. 55. su-*
Dei quo lex in tabulis conscripta est, TIMOR IN- *per Exod.*
CVSSVS *est eis, qui gratiam nondum intelligebant &c. ut lex illis fieret pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam quæ est in fide Christi.* Et in Psalmum nonagesimum iterum iterumq; fidelibus commendat, timorem legis & pœnæ, quo quod jubetur impleri non potest esse sine gratia, sine qua amor justitiæ, qua lex impletur, esse non *In Psal. 90*
potest: *Data est illa lex ad timorem, non ad amorem.* *Conc. 2.*

Ut autem timor converteretur in amorem, occisus est A *justus* &c. Et post quinquaginta dies, *venit Spiritus sanctus tam in plenitudine amoris, nova pœna timoris.* Et paulo post ut ostenderet, timorem esse sine gratia, amorem cum gratia, in ejusdem propositi pertractatione subnectit: *Ne ergo rei legis fierent.* NON ACCEPTA GRATIA, *& in lege rei tenerentur* &c. *ne pedes hujus capitis incurrerent in legis reatum, missus est Spiritus sanctus, ut amorem faceret & solveret a timore. Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, & non impleverunt, & amaverunt & impleverunt.* Quia ut alibi dicit: *Homo potest facere opus legis per charitatem justitiæ, quod non potest per timorem pœnæ: quæ charitas est gratia novi Testamenti*, hoc est, effectus gratiæ novi Testamenti. In his vides apertissimè traditum eos qui timebant ex lege, non accepisse Spiritum sanctum, non accepisse gratiam, & propterea non implevisse legem: neque enim timor legis, sed amor est gratiæ, & ideo amor non timor implet legem. Unde alibi: *Quid prodest legem accepisse* MINANTEM, id est, incutientem

In Psal. 90. Conc. 2.

Quæst. 15. super Deuter.

Serm. 12. de verb. Apost. cap. 6.

B

suis minis timorem, & non adjuvantem, ut sub illa esse mereatur ante gratiam? Frustra lex minatur, ubi iniquitas dominatur. Et in alio Sermone: *Si vis ergo evadere legem* MINANTEM, seu minis terrentem, *ad Spiritum fuge vivificantem*, hoc est, ad gratiam qua timor legis caret: quia ut statim de eadem lege prohibente minanteque dixerat: VEL GRATIA NON ERAT AUXIT *prohibitio desiderium.* Et in Epistola centesima quadragesima-quarta: *Tantum quisque peccatum odit quantum justitiam diligit: quod non potest lege* TERRENTE *per litteram, sed Spiritu servante per gratiam.* Sed quid isti veritati asserendę multis immorer? Quicquid superius de lege diximus, quod adjutorium legis non sit gratia, hoc simul probat, terrorem ac timorem legis non esse gratiam, & quod ex tali timore operamur, non esse opus gratiæ, sed potius ad gratiam adipiscendam viam sternere. Nam legis adjutorium in eo propriè situm est, quod minando terrendoque instar Pædagogi parvulos ad gratiam ducit.

Serm. 3. in Psal.

Epist. 144.

Vide libr. de grat. Christi Salvat. ... & lib. ... de grat. primi ... statu ... libr.

CAPUT XXVII.

Ex puro timore pœnæ non potest ita fugi peccatum, ut nullum aliunde peccatum incurratur.

CUM igitur hujusmodi sit pœnæ timor, merito quæri potest, utrum ex timore pœnę vere aliquis fugere posset ac detestari peccatum, ita ut cum peccatum timendo cavet, nullo peccato, sive externo sive interno maculetur. Cujus difficultatis veritas, ut planius pleniusque percipiatur, duo hic supponi volumus; primum de homine sermonem esse, qui jam tenetur peccandi delectatione & voluntate; sed per pœnarum timorem inde revocandus est. Secundo si aliunde peccare nolit, nihil est quod in eo timor pœnarum advocetur aut agat. Alterum nullo prorsus alio motivo, quam timore pœnæ ab eo peccatum fugi. Si enim id ex alio capite adversetur, jam vis timoris per[illegible], & extra hypothesis nostræ limites egredimur; non enim timore, sed alia ex causa peccatum declinabitur. Doctores igitur Scholastici plerique docent, omnino nos posse, in aliquo actu ex solo timore pœnæ omne peccatum fugere ac detestari, ita videlicet ut intentio vitandi pœnas, fugam omnis peccati ac detestationem velut medium assumat. Quam etiam tanquam attritionem ex timore pœnæ conceptam, dispositionem idoneam esse volunt, cui cum Sacramento pœnitentiæ, peccatorum remissio & justificatio tribuatur, prout Concilium Tridentinum videtur tradere.

B

Sed si secundum divi Augustini principia de ista difficultate sentire volumus, omnino statuendum est, impossibile esse, ut ille qui in peccandi proposito constitutus est, sola pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatum-

A

que detestetur, ut non peccet. Docet hoc divus Augustinus, & ab initio susceptæ fidei usque ad extremum vitæ tanta docuit constantia, quanta quicquam in universis operibus suis. Nunquam enim videtur dubitasse, quin in illo qui timore solo coërcet manus, ne malum faciat, malefaciendi tamen voluntas qua sit reus vigeat, quæ tunc in opere quoque sese proderet si pœna comminata tolleretur. Hoc enim apertissimè docet in libro de Spiritu & littera: *Unde illis (Iudæis) lex iram operabatur abundante peccato quod ab scientibus perpetrabatur. Sed et qui cumque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ*, TIMORE PŒNÆ FACIEBANT, *non amore justitiæ; ac* PER HOC CORAM DEO NON ERAT IN VOLUNTATE, *quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illo* REI TENEBANTUR, *quod eos noverat malle si fieri posset impunè, committere.* Et in eodem opusculo: *Nec audiunt quod legunt: Quia non justificabitur ex lege omnis caro coram Deo. Potest enim fieri coram hominibus*, NON AUTEM CORAM ILLO QUI CORDIS IPSIUS ET INTIMÆ VOLUNTATIS INSPECTOR EST, *ubi videt etiamsi aliud faciat, qui legem timet, quod tamen mallet facere si liceret.* Et inferius in eodem libro: *Ex hac promissione, hoc est, Dei beneficio ipsa lex impletur, sine qua promissione* PRÆVARICATORES FACIT, *vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit, vel certe* IN SOLA VOLUNTATE, *si timor pœnæ suavitatem libidinis vicerit.* Et iterum circa finem illius libri: *Quoniam & illi qui timore pœnæ militiam suam facere conantur, & ideo non faciunt justitiam*

Lib. de Spir. & litt. c. ...

Lib. de Spir. & litt. c. ...

Ibid. cap. 32.

Digitized by Google

justitiam Dei, quia charitas eam facit, quæ non libet nisi quod licet; non timor qui cogitur in opere habere quod licet, cum ALIVD HABEAT IN VOLVNTATE, QVA MALLET SI FIERI POSSET LICERE, QVOD NON LICET. *Et illi ergo credunt Deo. Nam si omnino non crederent, nec pœnam legis utique formidarent.* Et in fine illius libri docet, etiam in homine ipso justo contingere, ut si aliquod solo pœnæ formidine peccatum veniale vitet, venialiter peccet, si videlicet *in ipso corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum* (quod omni timenti proprium est) *quod male delectat, & per præceptum sciunt illicitum*: ETIAM ISTA QVIPPE CONSENSIO EST AD PECCATVM, QVOD VTIQVE FIERET, NISI PŒNA TERRERET. Et in libro de Natura & gratia idem exprimit exactissimè: *Sub lege est qui timore supplicii quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati,* NONDVM LIBER NEC ALIENVS A VOLVNTATE PECCANDI. IN IPSA ENIM VOLVNTATE REVS EST, QVA MALLET SI FIERI POSSET, NON ESSE QVOD TIMET, VT LIBERE FACIAT QVOD OCCVLTE DESIDERAT. Et in libro primo ad Bonifacium non minus luculentè de ipso sancto Paulo tradit, eum antequam Christo crederet, cùm jam etiam in lege versari sine querela videretur, fuisse tamen prævaricatorem legis: *Nec moveat quod ad Philippenses scripsit, secundum justitiam quæ in lege est quod fuerit sine querela. Poterat enim esse intus* IN AFFECTIONIBVS PRAVIS PRÆVARICATOR LEGIS, *& tamen conspicua opera legis implere, vel* TIMORE HOMINVM VEL IPSIVS DEI; SED PŒNÆ FORMIDINE, NON DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ. *Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret si hoc posset impune permitti. Nam* SIC PROFECTO IN IPSA INTVS VOLVNTATE PECCAT, QVI NON VOLVNTATE, SED TIMORE NON PECCAT. Et in libro secundo ad eundem Bonifacium: *Quando autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum;* NEC FIT IN CORDE QVOD FIERI VIDETVR IN OPERE, QVANDO MALLET HOMO NON FACERE, SI POSSET IMPVNE. Et iterum libro tertio ad Bonifacium hoc ipsum asseverantissimè tradit: *Illi etiam qui quicumque ibi erant, sola quæ ibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, & quid pro novo Testamento ea ipsa significarent ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta servabant, imo non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas,* METVSQVE CARNALIS. *Sic autem præcepta qui facit,* PROCVL DVBIO INVITVS FACIT, AC PER HOC IN ANIMO NON FACIT. *Mavult enim omnino in animo non facere si secundum ea quæ* CVPIT ET METVIT PERMITTATVR IMPVNE. AC PER HOC IN IPSA VOLVNTATE INTVS REVS EST, *ubi ipse qui præcipit inspicit Deus.* Et in Epistola centesima quadragesima-quarta ad Anastasium: *Inaniter autem putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis*, id est, malæ voluntatis, *ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur,* QVI VVLT FIERI QVOD VETATVR, SI SVBTRAHAS QVOD TIMETVR? AC PER HOC IN IPSA VOLVNTATE REVS EST, QVI VVLT FACERE *quod non licet fieri, sed ideo non facit quia impune non potest.* Et in Psalmum septuagesimum-septimum, hoc ipsum uberius agit: *Poterat putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cum ea quæ præcipiuntur forinsecus fiunt ab eis hominibus qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt, ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare; non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ. Nam quantum attinet ad facta quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant justitiam non furantur: & ideo pares sunt manu, dispares corde, pares opere, dispares voluntate.* Et Concione vigesima-quinta in Psalmum centesimum decimum-octavum, ad illa Davidis verba: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui,* ita loquitur: *Timor iste quo non amatur justitia sed timetur pœna servilis est, quia carnalis est, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas: quæ tunc apparet in opere quando speratur impunitas. Cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere & dolet non licere quod lex vetat: quia non spiritaliter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur.* Plura non addo quia ista est doctrina ejus perpetua; & ex tot adductis testimoniis undique sibi consonantibus plenissimè percipitur, constantissimæ veritatis dogma indicari ac teneri ac tradi ab Augustino, quod voluntate reus sit, quantumcunque aliquis ex timore peccatum declinare videatur.

Ibid. cap. ult.

Lib. de nat. & grat. c. 57

Lib. 1. ad Bonif. cap. 9.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Lib. 3. c. 4.

Epist. 144.

In Psal. 77.

Conc. 25. in Psalm. 118.

CAPVT XXVIII.

Né quidem ex timore gehennæ.

NEQVE responderi hic potest, loqui fortassis Augustinum de timore pœnarum temporalium, non autem de gehennæ divinique judicii metu, eo quod ille tantum externum factum comprimat, iste voluntatem etiam peccandi, quæ non minus quam peccatum externum sempiterno est plectenda supplicio. Hoc, inquam, responderi non potest. Nam illa loca quæ citavimus, si unus solus excipiatur, de natura timoris loquuntur generaliter, ejusque naturam talem esse declarant, ut sub illo peccandi voluntas

voluntas vivat, pondere timoris pressa potius quam extincta. Quæ loca si cui percurrere libeat, videbit eum sæpius ex ipsa natura timoris generaliter, non ex natura timoris pœnæ temporalis arguere. Vnde etiam subinde concludit, per hoc non erat coram Deo in voluntate, quia ex timore faciebant; subinde dicit; Timor aliud habet in voluntate: Non potest opus ex timore fieri coram illo qui intimæ voluntatis inspector est: timens non est alienus à voluntate peccandi: Timidus procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit & reus est: Timor non crucifigit carnem, quia vivit peccandi voluntas, & hujusmodi. Aliquando etiam expressis verbis se de timore Dei loqui profitetur, deque illo timore, quo etiam justi judicia divina pœnasque transgressoribus legis intentatas timent. Denique non desunt alia diversa loca, quibus eandem doctrinam expressis verbis de timore B gehennæ tradit. Sic enim loquitur in Psalmum quadragesimum nonum: *Quam multi sunt qui propterea nolunt malè facere, quia gehennas timent, quia cruciatus timent, & nondum amant justitiam. Si illis promitteretur impunitas, & diceretur eis: facite quod vultis facere, impunitum erit vobis, emitterent progressus libidinum suarum in quæque nequissima.* Et in sermone tertio in appendice legem, quando timetur pœna ejus, operari mortem, ex Apostoli scriptis docet: *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Quare hoc, nisi quia mandato accepto* TIMVISTI, NON DILEXISTI, TIMVISTI POENAM, NON DILEXISTI IVSTITIAM? QVI TIMET POENAM, OPTAT SI FIERI POTEST, FACERE QVOD LVBEAT, ET NON HABERE QVOD TIMEAT. Ad Christianos Augustinus loquitur, de timore gehennæ loquitur, & tamen eodem prorsus modo peccandi voluntatem sub timore vivere profitetur. C Nam exemplo adulteri gehennas formidantis doctrinam suam popularem efficiendo declarat: *Prohibet Deus adulterium, concupisti uxorem alienam, non accedis, non facis, occasio data est, habet tempus, patet locus, deest conscius, tu tamen non facis, unde?* QVIA TIMES POENAM. *Sed nullus sciet. Numquid nec Deus? Ita plane, quia scit Deus quia facturus es, non facis: sed & ipsum Deum minantem tremis, non præcipientem diligis. Quare non facis? Quia si feceris, in gehennam mitteris, ignem times. O si castitatem amares, non faceres, etsi omnimodo impunitus excederes.* Quæ sanè causa est, ut quando timorem illum gehennarum Christianis explicare conatur, quo nonnulli à peccatis quæ committerent retinentur, plerumque exemplum mulieris non diligentis sed timentis virum adhibere solet: ut sic ostendat Christianos qui timore pœnarum peccata fugiunt, instar adulteræ flagitium perpetraturæ, nisi viri timore frenaretur, D adulterinam peccandi voluntatem intus gerere. Nam tractatu nono in Epistolam Joannis cum ad Christianos verba faceret, *qui propterea timent Deum ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno*, & simul ad illos

In Psal. 49.

Serm. 3. in append.

Ibid. immed. post.

Tract. 9 in Epist. Ioan.

A qui Deum castè timent ex dilectione, *ne deserat præsentia ejus*, qualem animum utrique gerant explicans dicit: *Non potest melius explanari quid intersit inter duos istos timores, unum quem foris mittit charitas* (id est gehennæ) *alterum castum qui permanet in seculum seculi, nisi ponas duas mulieres maritatas, quarum unam ita constituas* VOLENTEM FACERE ADVLTERIVM DELECTARI NEQVITIA, SED TIMERE NE DAMNETVR A MARITO. TIMET MARITVM, *sed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum; huic non grata sed onerosa est mariti præsentia. Et si fortè vivit nequiter, timet maritum ne veniat.* TALES SVNT QVI TIMENT NE VENIAT DIES IVDICII. Ecce quis sit animus eorum qui diem judicij & gehennas timent, & ex illo timore sese à peccando custodiunt. Nempe adulterinum animum gerunt & sine dubio in factum erumperet, nisi pœna premeretur. Et eodem B modo in Epistolam ad Honoratum Christianis de timore loquens, *ne incidatur in tormentum supplicij; nam & conjux*, inquit, *quæ adulterinum animum gerit, etiamsi timore viri non adulterium perpetrat*, TAMEN QVOD DEEST OPERI INEST VOLVNTATI. *Casta vero aliter timet: nam & ipsa timet virum, sed castè. Denique timet illa, ne vir infestus adveniat, ista ne offensus abscedat. Non amanti enim præsentia viri molesta est, amanti autem absentia.* Itaque nequitiam in voluntate timentium gehennæ pœnas vivere, etiam alijs diversis locis ex professo tradit. Nam in sermone quarto de diversis ad Christianos item de timore pœnæ & amore justitiæ seu charitate disserens: *Nam multi faciunt ex timore. Sed qui faciunt legem timendo pœnam, mallent non esse quod timerent. Qui autem faciunt legem amando justitiam, gaudent & ibi quia non habent inimicam.* Et in sermone decimo nono de verbis Apostoli: *Audeo dicere si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, qua credis futurum Dei esse judicium, gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ.* C Nempe quia ut in eodem capite latius explicuerat, cor timentis nullo pacto ex timore mutatur: *Deus enim*, inquit, *cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, quærit jugulare, quærit devorare. Vigilant pastores, latrant canes, nihil poterit, non aufert, non occidit, sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, & ovis rediit?* LVPVS VENIT FREMENS, LVPVS REDIT TREMENS, LVPVS EST TAMEN ET TREMENS ET FREMENS. Et in sermone decimo quinto de verbis Apostoli luculentissimè ipsum illud exemplum tractat, & de timore pœnarum quas Deus infert se loqui, malamque voluntatem non posse solo timore corrigi profitetur. Audi eum elegantissimè de timoris potestate disserentem: *Lege Dei proposita quisquis timuerit, & suis viribus eam implere se posse putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando* D *justitiam, sed* TIMENDO POENAM, *fuit quidem secundum justitiam quæ in lege est sine querela, non furatur, non adulterat, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium.* Hactenus externa facta vides, quæ non tantum amore justitiæ, sed etiam

Epist. 120. c. 21.

Serm. 4. de diversis. c. 7.

Serm. 19. de verb. Apost. c. 3.

Ibid.

Serm. 15. de verb. Apost. c. 6.

etjam timore comprimi possunt, nunc accedit A ad ipsam malam voluntatem: NON CONCVPISCIT REM PROXIMI SVI. *Potest hoc, potest fortassis. Unde?* TIMORE POENÆ. QVANQVAM QVI TIMORE POENÆ NON CONCVPISCIT, PVTO QVIA CONCVPISCIT. Explicat hoc & probat exempli sensibilis ac notissimi comparatione: *Terrore ingenti armorum atque telorum, & circumdantu forsitan multitudinis vel obviam euntis, etiam leo revocatur a præda: & tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit*, NON MALITIAM POSVIT. *Si talis es, adhuc iustitia* (tua) *est, qua iustitia* TIBI CONSVLIS NE TORQVEARIS. *Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum: Tu autem leges ejus times, cujus pœnam times, quem fallere non potes.* NAM SI FALLERE POSSES, QVID NON FECISSES? ERGO ET CONCVPISCENTIAM TVAM MALAM NON AMOR TOLLIT, SED TIMOR PREMIT. B

Ibid. Quod iterum alterius non minus appositi exempli productione declarat: *Ad ovile venit lupus, latratu canum, & clamore pastorum ab ovili reversus est lupus; ipse tamen semper est lupus. In ovem* A *versatur. Facit enim & hoc Dominus, sed ipsa est iustitia eius non tua. Nam quamdiu habes tuam potes timere pœnam non amare iustitiam.* Ecce perspicuè assertum & planissimè traditum, exactèque explicatum, quod ille qui non concupiscit rem proximi, non solum timore hominum, sed etjam timore Dei, revera adhuc concupiscit rem proximi sui, quia timor ille non tollit concupiscentiam, hoc est, voluntatem malam, sed tantum premit, ne in externum scelus erumpat: Quod iste nefarijs ac sceleratis, ac latronibus par sit, qui cum nequissimam habeant voluntatem, timore compressi nihil exterius nocent: quod si fallere posset Deum, voluntas illa factis sese proderet: Quod voluntas atque animus ejus perinde mutentur atque leo & lupus, qui sive fremant, sive tremant, sive furore rapiant, sive timore reprimantur, sive eant ad caulam, sive redeant, B semper manent leo ac lupus. Ex quibus omnibus undequaque sibi concinentibus manifestissimum est in Augustini doctrina, impossibile prorsus esse, ut ex puro timore pœnæ, sive hominum, sive Dei aliquod justitiæ præceptum impleatur, vel peccatum ita caveatur, ut animus prævaricationis non sit reus.

Ibid.

CAPVT XXIX.

Radix prima istius doctrinæ, quia qui nudo timore pœnæ peccatum fugit, invitus & animo repugnanti fugit, ideoque non fugit peccatum sed aliud quippiam.

QVOD si principia quibus Augustini doctrina tam asseveranter consignata nititur, ponderare voluerimus, fortassis etjam ratio sublucebit, cur alicui sic omnino sentiendum esse, videri posset. Primum igitur principium Augustini videtur esse, quia Philosophorum omnium unanimis & certa sententia est, ea quæ aguntur purè ex metu, nulloque alio ex capite suscipiuntur (de quibus nobis sermo est) esse involuntaria secundum se spectata, prout vero hic & nunc aguntur, voluntaria; hoc est, esse ex utroque mixta. Ita Aristoteles, Nemesius, quem alij Gregorium Nyssenum vocant, Damascenus, divus Thomas, & ad unum omnes. Ex quo fit ut hujusmodi voluntatis actum conjunctum habeat, nollem hoc facere vel nollem abstinere, nisi mali impendentis metu cogerer. Res enim secundum se considerata, non B continet ullam rationem boni aut commodi propter quam appeteretur, vel si quam continet, illa non spectatur, sed potius animus ab eo aversus est, ut supponimus. Si enim alia consideratione, quam solius mali evadendi causa, hoc est alia quam purè ex metu appetatur, jam extra hypothesin evagamur, qua constituimus purè aliquem ex metu pœnæ A evadendæ præceptum affirmativum aut negativum facere aut non facere. Qui ergo purè ex metu facit, necessario talem sentit animi repugnantiam ad id quod metu facit. Unde sanctus Thomas assignans differentiam ejus qui aliquid ex concupiscentia & metu agit, *in* D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 7. ad 2. *eo, inquit, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, secundum quod in se consideratur. Sed in eo qui agit aliquid per concupiscentiam, sicut est incontinens, non manet prior voluntas, qua repudiabat illud quod concupiscitur, sed mutatur ad volendum id quod prius repudiabat, & ideo quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium. Sed quod per concupiscentiam agitur nullo modo. Nam incontinens concupiscentia agit contra id quod prius proponebat, non autem contra id quod nunc vult:* SED TIMIDVS AGIT CONTRA ID QVOD ETIAM NVNC SECVNDVM SE VVLT.

B Quod igitur sanctus Thomas de omni illo qui purè ex metu agit, generaliter tradit, eum scilicet etjam tunc cum aliquid ex metu agit, habere contrariam voluntatem, hoc ipsum sanctus Augustinus non semel specialiter de illo docet, qui præceptum timore pœnæ observare vel peccatum evitare conatur, & ex hac ipsa voluntate effici reum. Nam quid

clarius

Digitized by Google

clarius dici potest, quam id quod de hujusmodi homine ex timore pœnarum operante dicit: *Vivit peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere quando speratur impunitas.* Et iterum: *Cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit voluntas peccandi, vivit tamen.* Quid isto luculentius? *Qui timet pœnam* OPTAT *si fieri possit, facere quod jubeat, & non* habere *quod timeat.* Quid isto prægnantius? *Etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, id est voluntatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis.* Hoc autem sine reatu esse, fieri nullo pacto potest, ut statim addit: *Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est* &c. Quid isto expressius & asseverantius? *Sic autem præcepta qui facit,* timore pœnæ, *procul dubio* INVITUS, id est, animo repugnante & contrarium volente, FACIT, *ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino in animo non facere* &c. An vero hoc sine peccati reatu? Audi: *Ac per hoc* IN IPSA VOLUNTATE INTUS EST REUS, *ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus.* Quid isto confidentius quod de sancto Paulo pœnarum timore legem observante tradit, quod esset *intus in affectionibus pravis prævaricator legis & tamen conspicua opera legis impleret,* & quod ille qui sic operatur, *ad malefaciendum sic voluntate inclinetur, ut etiam faceret, si hoc posset impune committi.* Sed audi quo fructu: *Sic profecto in ipsa voluntate peccat, qui* NON VOLUNTATE SED TIMORE NON PECCAT. Quid isto absolutius & manifestius: *Timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ:* AC PER HOC CORAM DEO NON ERAT IN VOLUNTATE QUOD CORAM HOMINIBUS APPAREBAT IN OPERE. An ergo tales innocentes? *Potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat malle si fieri posset impunè committere.* Quid isto limatius & exactius pro asserenda cujuslibet purè timentis repugnantia? *Timor cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate, qua mallet si fieri posset, licere quod non licet.* Itemque isto: *Potest fieri* tale opus legis ex timore *coram hominibus, non autem coram illo qui cordis ipsius,* ET INTIMÆ VOLUNTATIS *inspector est, ubi videt etiamsi aliud faciat, quid* LEGEM TIMET, *quod tamen mallet facere si liceret.*

In Psal. 118. conc. 25.
Serm. 3. in Append.
Epist. 144.
Lib. 1. ad Bonif. c. 9.
Lib. 1. ad Bonif. c. 9.
Lib. de Spir. & lit. c. 8.
Cap. 32.
Cap. 8.

Quæ sanè omnia sancti Augustini apertissima testimonia & plura quæ produci possent, luculentè ostendunt, verissimum esse quod diximus in omnibus illis qui solo timore pœnæ peccatum cavere volunt, manere voluntatis repugnantiam qua nollent facere, si pœna tolleretur, & ex illa ipsa conjuncta voluntate omnes coram Deo peccati esse reos. Nam Augustinus illud non ex peculiari alicujus timentis dispositione, sed ex ipsa natura timoris colligit: PROCUL DUBIO INVITUS, inquit, *facit, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino* &c. Et iterum: *Ac per hoc coram Deo non erat in voluntate,* quia scilicet timore faciebant. Et rursum generalissimè: *Timor cogitur habere in opere, cum aliud habeat in voluntate,* & similia quibus ex ipsa natura timoris colligit timentis aversam & adversam, ideoque ream esse voluntatem. Quod divus Thomas generalissimis & accuratissimis & clarissimis verbis dicit: TIMIDUS AGIT CONTRA ID, QUOD ETIAM NUNC SECUNDUM SE VULT.

Quod quidem sancti Thomæ pronuntiatum, itemque ceterorum Philosophorum doctrina, qua generaliter docent, id quod ex metu fit, esse involuntarium secundum quid, seu mixtum ex voluntario & involuntario, quatenus voluntas id amplectitur, sed cum repugnantia, qua illud simul aversatur & ut Augustinus loquitur, mallet aliud, non mediocriter Scholasticos Doctores torquet. Difficulter enim possunt cum ista doctrina conciliare opinionem suam, qua docent observantiam præceptorum, & pœnitentiam ex gehennæ metu profectam nihil malæ voluntatis admixtum continere. Hinc in varias istius difficultatis solutiones distracti sunt. Alij ista Philosophorum atque Theologorum dicta volunt solum particulariter esse vera, & quasdam exceptiones pati, quas tamen ipsi tanquam doctrinales regulas ideoque generales indubitanter ex ipsa natura metûs tradunt. Alij regulas figunt, quando ei quod metu fit repugnantia voluntatis misceatur, & quando non. Inter quos qui probabilius ratiocinantur & fundamentalem afferre volunt rationem tunc aiunt nihil admisceri repugnantiæ vel involuntarij, *quando id quod metu fit, simul habet aliam rationem boni sive honesti, sive utilis præter evasionem mali quod metuitur, etiamsi simul aliquid molestiæ contineat.* Iam vero observantia mandatorum Dei, & pœnitentia peccatoris non tantum habent illam rationem boni, quod conducant ad evadendas pœnas inferni, sed etjam sint consentanea rectæ rationi & justitiæ, ideoque licet ex metu præstentur, non est necesse ut sint involuntaria secundum quid. Cujus rationem esse dicunt, quia tunc licet metus occasionem det, tamen concurrit aliud motivum potius, quod etjam non concurrente periculo mali obtinet locum suum aut vigorem, quod proinde tollit aut impedit illam imperfectam repugnantiam voluntatis, quæ quasi per se tunc nascitur, quando tota ratio boni est tantum fuga & evasio mali. Ad generalem igitur ac doctrinalem propositionem illam Philosophorum ac divi Thomæ respondent, hoc sensu veram esse, quod metus causet involuntarium secundum quid, ubi opus simpliciter & tantum ex metu ut totali motivo fit, non autem de eo ubi forsitan metus aliquod dedit initium tantum, vel occasionem operi, quod alioquin continet aliam rationem boni per se gratam & acceptabilem à voluntate.

Ioan. Wigg. in 1. 2. q. 6. art. 6. q. 1.

Quæ quidem doctrina Scholasticorum videtur esse valdè rationabilis: sed non solvit nodum, qui proponitur. Nam quemadmodum Philosophi istam doctrinam de metu tradunt, ipsam naturam ejus intuentes, & quando solus, nullo alio motivo temperatus ad agendum impellit, partesque suas agit; ita nos cum

Augustino

Augustino de illo loquimur, qui non nisi metu pœnæ Dei præcepta custodit, & peccata detestatur. Quid enim ad impediendam voluntatis repugnantiam facit, quod præceptorum observantia, & pœnitentia peccatoris continent aliam rationem honestatis per se gratam voluntati, si illa non spectetur, nec moveat animum, nec à voluntate appetatur? Si enim ista moveat jam eatenus non fit ex metu, sed ex honestatis internæ desiderio, hoc est, ex dilectione justitiæ, ut Augustinus loqui solet, quæ in præcepti observatione & pœnitentia effulgens animum non serviliter terrendo, sed liberaliter delectando trahit. Sed hujusmodi præceptorum quorumlibet etiam de pœnitendo custodia, jam non est illa de qua nos & ante nos Augustinus loquitur, sed ei potius quę ex timore pœnarum nascitur, est contraria, Nam inde est quod Augustinus in illis locis quæ citavimus, pœnæ timorem, justitiæ dilectioni semper opponit: *Timore*, inquit, *pœnæ faciebant, non amore justitiæ, ac per hoc non erat in voluntate: Qui timore supplicij non amore justitiæ sentit se abstinere nondum liber nec alienus à voluntate peccandi: Potuit conspicua opera legis implere, sed pœnæ formidine, non dilectione ac delectatione justitiæ. Sic profecto in ipsa intus voluntate peccat: quando timore pœnæ non amore justitiæ fit bonum. Non fit in corde quod fieri videtur in opere*, & similia sæpius ab ipso repetita. Dilectio verò justitiæ non est aliud Augustino, quam appetitus illius rectitudinis & æquitatis & honestatis quam repræsentat oculis præceptum Dei, sive de bene vivendo sive de pœnitendo. Ac de omnibus universim qui sic præcepta custodiunt, timore videlicet pœnæ, non amore justitiæ, generatim tradit, quod *non voluntate* custodiunt, quod *procul dubio inviti faciunt, ac per hoc in animo non faciunt*: quod *coram Deo non fit in voluntate quod coram hominibus apparet in opere*: quod *potest fieri coram hominibus, non autem coram illo qui intimæ voluntatis inspector est*; quod *mallent si fieri posset, non esse quod timeant*; quod *mallent non facere si possent impunè*: quod *malunt omnino in animo non facere si permitterentur impunè*: quod *mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt*: quod *mallent licere & dolent non licere quod lex vetat*: quod *latenter vivit peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere quando speratur impunitas*: quod *timor cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate*, & hujusmodi. Quæ sanè perspicuè declarant, omnem illum qui ex timore præcepta custodit, planè talem voluntatis repugnantiam persentiscere, nec esse rationes alias honestatis, quibus animus ex timore operantis incitetur. Nam quando de illis disputatur, qui ex timore præcepta faciunt, non de illis sermo est, quibus timor pœnæ aliquod initium aut occasionem præcepta faciendi aut pœnitendi præbet, sed de illis quibus timor est ratio benè vivendi aut pœnitendi, hoc est, in quibus efficax timor habet rationem voluntatis finis, ex cujus intentione præcepti observatio aut pœnitentia, velut me-

A dium assumitur. Nam illo priori modo, timor non est circumstantia alterius actus, videlicet observationis aut pœnitentiæ, sed est tantum quædam occasio & quasi causa extrinseca ejus; & ideo non potest ei defectum aliquem aut malitiam affricare. Nam ad operandum id quod bonum est, aut ad pœnitendum, etiam ex peccato licitum & bonum est occasionem sumere: non quod peccatum ideo perpetrandum sit, sed quod eo perpetrato, bonum sit ad faciendam justitiam aut pœnitentiam ejus occasione commoveri. Quo sane modo pœnæ timor etiam ad contritionem & dilectionem Dei occasio esse potest & solet; sed in illo priori modo tota ratio faciendi, est metus, & ideo nihil mirum est, si id quod metui proprium est, in animo præcepta sic facientis aut pœnitentis operetur, hoc est, si relinquat animum involuntarium, invitum & repugnantem.

B Hinc igitur proficiscitur id quod Augustinus consequenter tradit, eum qui ex timore pœnæ præcepta facere conatur, non voluntate duci, sed timore cogi ad ea facienda: *Timor*, inquit, *cogitur in opere habere quod licet*. Et in Epistolam ad Galatas: *Timore ista implere cogebantur*. Et inferius: *Qui per charitatem servit, liberè servit, & sine miseria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur*. Vnde divus Thomas quodam loco vim illam qua cogi ad aliquid faciendum aut volendum dicimur, cum timore confundit: *Hæc*, inquit, *coactio* (videlicet non absoluta, sed secundum quid sive conditionata) *fit ex hoc quod timetur aliquod periculum imminens; ideo ista vis idem est quod metus, qui voluntatem cogit quodammodo*. Et infra iterum: *Quantum ad propositum pertinet, idem est coactio quod metus*. Ex quo efficitur impossibile esse,

Lib. de Spir. & lit. c. 12. In Epist. ad Galat.

D. Thom. in 4. dist. 29. q. 1.

C ut præceptum ad quod aliquis faciendum timore cogitur, volenter aut libenter faciat, hoc est, ut non sit invitus animoque repugnanti. Nam coactio, (non illa plena qua voluntas libera cogi nequit) sed illa temperata, qua quippiã coacti facere dicimur, essentialiter repugnat voluntati, prout à voluntate dicimur volentes & non inviti facere; & intrinsecè involvit, ut animus invitus & prorsus repugnans & involuntarius, quasi obtorto collo ad agendum pertrahatur, nolletque facere si per metum liceret. Vnde Iuliano dicenti hominem cogi velle quod bonum est, respondet Augustinus: *Si cogitur non vult*, id est, invitus est & nolens: *Et quid absurdius quam ut dicatur nolens velle quod bonum est*. Sed hoc ipsum ex professo cum hæreticis de voluntate disputans, tanquam rem certissimam notissimamque tradens docet: *Nobis*, inquit, *voluntas nostra* (à qua videlicet volentes & non coacti facere quippiam dicimur) *notissima est. Neque enim scirem*

Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 151.

Lib. de duab. animab. c. 10.

D *me velle, si quid sit voluntas ipsa nescirem. Definitur itaq; isto modo: Voluntas est animi motus* COGENTE NVLLO *ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendũ. Cur ergo ita tunc* (cum in hęresi errarem) *definire non possem? An erat difficile videre* INVITVM

 VOLENTI

VOLENTI *esse contrarium, ita ut contrarium sinistrum dextro esse dicimus, non ut nigrum albo? Nam eadem res simul & nigra & alba esse non potest: duorum autem in medio quisque positus ad alterum sinister esse, ad alterum dexter; simul quidem utrumque unus homo potest, sed simul utrumque ad unum hominem nullo modo potest. Ita invitus & volens simul esse quidem unus animus potest, sed unum atque idem nolle simul & velle non potest. Cum enim quisque* INVITUS *aliquid facit, si eum roges, utrum id facere velit? Nolle se dicet. Item si roges, utrum id velit non facere? Velle respondet. Ita* INVITUM *ad faciendum, ad non faciendum autem* VOLENTEM *reperies; id est enim unum animum uno tempore habere utrumque, sed aliud atque aliud ad singula referentem.* Iam vide quomodo ista per se certissima notissimaque ad propositum de coactione referat, quam malorum imminentium comminatio & metus facit. *Cur hæc dico?* inquit, *Quia si rursum quæramus quam ob causam id invitus faciat,* COGI SE DICET. NAM ET OMNIS INVITUS FACIENS COGITUR, ET OMNIS QUI COGITUR, SI FACIT, NON NISI INVITUS FACIT. *Restat ut volens à cogente sit liber, etiamsi se quispiam cogi putet. Et hoc enim modo, omnis qui* VOLENS FACIT NON COGITUR; ET OMNIS QUI NON COGITUR, AUT VOLENS FACIT, AUT NON FACIT. Quod non esse abstrusæ Philosophiæ documentum, sed ubique manifestum, & non doctrinâ, sed naturâ omnibus promptum, quod in omnibus hominibus, quos non absurdè interrogare possemus, à puero usque ad senem, à ludo litterario usq; ad solium sapientis natura proclamet, in eodem loco consequenter tradit. Cum igitur omnis qui purè ex timore pœnæ præceptum facit, cogatur, & omnis qui cogitur essentialiter sit invitus & nolit, impossibile est, ut ille qui præceptum aut pœnitentiam ex timore pœnæ facit, non sit invitus, non animo nolenti & non repugnanti, & non mallet non facere, si impune liceret. Quod si

Lib. de duab. animab. c. 10

forte præceptum ex alio simul motivo quam ex timore pœnæ amplecti & facere dicatur, non repugno; sed cessat hypothesis nostræ controversiæ, qua ipsum duntaxat pœnæ timore facere, non honestatis aut justitiæ dilectione supponimus.

Hinc igitur illæ toties repetitæ sententiæ nascuntur, quod si pœnæ timore præceptum fiat, *coram Deo non fit in voluntate*; quod *aliud habent in voluntate*; quod *malunt si fieri posset non esse quod timeant*; quod, *volunt fieri quod vetatur*; quod *mallent non præcipi*; quod *non ex corde faciunt*: quod *mallent licere, & dolent non licere*; denique *quod qui sic præcepta faciunt,* PROCUL DUBIO *inviti faciunt, ac per hoc in animo non faciunt.* Quod *qui timore pœnæ opus legis facit, profecto invitus facit.* Quæ omnia pronuntiata generalia sunt, ex ipsa timoris pœnarum, & ex timore facientis consideratione profecta. Inde consequenter nascitur ista iterum iterumque conclusa ratiocinatio: *Ac per hoc potius ex illo rei tenentur, quod eos noverat malle. Profecto in ipsa voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat: ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest.* Quæ omnia sicut ostendunt impossibile esse, ut ille qui ex metu supplicij præceptum facit, non sit invitus, adjunctamque non habeat voluntatem malam, ita etiam ostendunt, impossibile esse, ut ex illa mala voluntate latenter vivente non sit reus. Hinc illa sancti Augustini sententia generalis *Quantum ad opera attinet quæ forinsecus aguntur, & qui timet pœnam, & qui amat justitiam non facit contra mandatum: & ideo pares quidem sunt manu, sed dispares corde, similes actione, dissimiles voluntate.* Et illa, quæ clarius istam disparitatem voluntatis juxta principia ipsius identidem inculcata proponit: *Qui timore non peccat, quamvis non noceat, cui vult nocere, sibi tamen plurimum nocet: & abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate.*

Sent. Aug. apud Prosp. 245 desumpta ex Aug. Commentar. in Psalm. 77

Sent. 119.

CAPUT XXX.

Secunda radix, quia timor pœnæ non potest mutare voluntatem malam, sed solus amor justitiæ.

SED ut uberius ac planius eadem ista veritas elucescat, alterum Augustini principium proferamus, cui ipse incumbens docuit, non posse timore pœnæ voluntatem ita mutari, ut præceptum ex illo timore observando non peccet. Secundum igitur principium est, quod impossibile est, eum qui peccandi voluntate detinetur, solo pœnæ timore mutare voluntatem, sed hoc proprium officium est charitatis, qua animus à peccati tanquam injustitiæ dilectione, ad justitiæ dilectionem transferatur. Timor enim premit, non exhaurit cupiditatem, continet manum non animum, qui eodem modo ac si non timeret, peccato alicui affixus manet. Tradit hoc ipsum non semel Augustinus: *Timor*, inquit, *id agebat, ne faceres, charitas id agit, ne velis facere, etiamsi impunè possis admittere*, ubi expressè de *timore gehennæ* loquebatur. Et Sermone decimo-quinto de verbis Apostoli: *Concupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit*; ubi de *timore* DEI, non hominum sermonem facit. Et Sermone trigesimo-nono de Tempore: *Quisquis vetus peccatum vis extinguere mandato novo extingue cupiditatem, & amplectere charitatem.* Et in Epistola ad Anastasium, ubi de timore pœnæ & justitiæ dilectione ex professo disputat: *Pœna corporis*, ETSI NON A VOLUNTATE, *tamen revocat ab opere peccati.* Itaque in eadem Epistola

Serm. 18. de verb. Apost. cap. 9.

Serm. 15. c. 6

Serm. 39. de Temp.

Epist. 144

Ibid. Epistola eodem loco addit: *Inaniter victorem se putat esse peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis.* Vnde alibi supplens istam sententiam addit: *Lib. 21. de Civit. c. 16.* *Neque id fit veraciter atque sinceriter nisi vera delectatione, justitia. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur. Quem nisi Deus ipse non donat.* Et in libro de Moribus Ecclesiæ hoc ipsum tanquam Ecclesiæ sensum ac doctrinam tradit: *Lib. de morib. Eccl. c. 30.* *Merito apud te* (Ecclesiam Catholicam) *visum est, quam sit sub lege operatio vana, cum libido animum vastat, & cohibetur pœnæ metu non amore virtutis obruitur.* Nam ibi exprimitur status omnium eorum qui timore pœnæ quasi ex lege solum terrente, non charitate justitiæ delectante, præceptum observare conantur. Vnde & illa absoluta sententia: *Epist. 54.* *Non bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ.* Nam boni efficimur sola mutatione voluntatis.

Cujus quidem rei causam si quis Augustini principijs inhærendo investigare velit, non difficile fortassis ad ipsum latentis veritatis cubile perducetur. Nam ratio videtur esse, quod voluntas peccandi qua quispiam detinetur non potest exui vel deponi, ita ut ipsum peccatum, & non aliquid aliud avertetur atque oderit, nisi contrariâ voluntate benefaciendi; illa autem voluntas non potest ullo pacto haberi ex terrore legis, hoc est, ex timore pœnæ quam lex minatur, sed est proprius effectus charitatis, hoc est, dilectionis justitiæ. Nam per istam justitiæ dilectionem ipsum benefactum, quatenus bene seu justè factum est, diligitur: quod nisi diligatur, semper animus quicquid direxerit, malè diligit, & in perversa voluntate manet. Audi hac de re sanctum Augustinum asseverantissimè securissimeque pronuntiantem: *Lib. 2. cont. Advers. legis & Proph. cap. 7.* *Prohibitio peccati, quod est lex, auget profecto desiderium peccandi, quod non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur. Hoc autem non præstat littera jubens, sed Spiritus juvans, non ergo lex, sed gratia.* Quid sit autem illa dilectio per quam fides operatur, & quod lex aliquid facere dicitur, quatenus timor pœnæ quam lex minatur aliquid facit, statim eandem sententiam repetendo subjungit: *Lib. 2. cont. Adver. legis & Proph. cap. 7.* *Virtus peccati lex est, cum per illam operatur omnem concupiscentiam, inflammando* desiderium peccati per *prohibitionem*: QVOD NON EXTINGVITVR PER IVBENTEM LITTERAM TIMORE POENÆ, SED PER IVVANTEM SPIRITVM DILECTIONE IVSTITIÆ. Hoc ipsum etiam cum Pelagianis dimicans exsertè tradit: *Lib. de Spir. & lit. c. 4.* *Sed ubi sanctus non adjuvat Spiritus*, INSPIRANS PRO CONCVPISCENTIA MALA CONCVPISCENTIAM BONAM, *hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris, profecto illa lex* (quantumcumque videlicet terrorem incutiat) *quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum: sicut aqua impetus, si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito; cujus molem cùm vicerit, majore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur.* Ecce quoties asserit, fieri non posse, ut timore vel aliâ ullâ ratione peccandi cupiditas nisi solâ charitatis justitiæ diffusione tollatur: quandoquidem lex cum omnibus terroribus pœnæ quos incusserit, augeat potius quàm auferat peccandi voluntatem, quantumvis aliquando externi operis executionem comprimat. Quem coërcendi peccati modum tanquam timori proprium, relictâ semper peccandi voluntate, post multa interposita, luculente subjicit: *Ibid. cap. 19.* *sine qua promissione*, hoc est, Dei beneficio dilectionem justitiæ tribuentis, *lex prævaricatores facit: vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris, concupiscentiæ flamma transcenderit: vel certè in sola voluntate*, SI TIMOR POENÆ SVAVITATEM LIBIDINIS VICERIT. Quisquis igitur vult animum ab eo in quod voluntate ferebatur peccato, pœnarum timore refrenare, videtur quidem ab eo abstrahere & mutare voluntatem, sed revera non mutat. Quod non solum ex ista conjuncta voluntate, de qua supra diximus, quâ videlicet mallet id ipsum facere si impunè liceret, sed etiam ex ipsa ratione formali objecti, sub qua peccatum declinare nititur, perspicuum esse potest. Timens enim non ideo peccatum horret, quia peccatum est, sed quia corpori dolorificum; quod non est peccatum odisse, sed dolores. Vnde animus erga peccatum, erga justitiam qua vetatur idem prorsus manet. Quod ex operibus bonis peccato diversis, quæ per præcepti observationem ex timore supplicij operatur, luculentius patet. Qui enim exilio timore facit eleemosynam, non eleemosynæ justitiam aut bonitatem diligit, sed à pœnis liberationem, hoc est, incolumitatem suam. Ergà justitiam vero eleemosynæ prorsus idem ipse permanet, sive eam ex timore faciat, sive non faciat, & consequenter erga peccatum quo antequam pœnas formidaret, eleemosynam horrescebat. Disertis verbis tradit etiam hoc ipsum Augustinus; *Epist. 144. ad Anast.* *Amicus erit justitiæ* (hoc est, diliget justitiam operis boni) *si enim amore non peccet. Tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Et iterum paulo post: *Ibid.* *Tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, quod non poterit lege terrente*, id est, pœnæ timorem incutiente, *per litteram, sed Spiritu sanante per gratiam.* Itaque ut peccatum quod aliquis diligebat odisse, & opus præcepti quod oderit, dilexisse, & ita voluntatem animique constitutionem mutasse censeatur, non est satis ut illud quoquo modo declinet, & illud faciat, sed opus est ut peccati malitiam oderit, & boni operis justitiam diligat. Hæc est enim vera ratio, & quasi anima medullaque operis & mali & boni. Quas quamdiu voluntate non odit aut diligit, non peccatum aut opus bonum odit aut diligit, sed prorsus aliud, quamvis exterius faciendo, utriusque quasi cadaver operetur. Ex quo fieri potest, ut peccatum

ita fugiendo maximè diligere, & opus bonum ita diligendo, maximè odisse possit. Hoc enim odio habetur aut diligitur, propter quod quippiam oderis aut dilexeris. Et ex ista ratione pretium odij vel amoris trahitur, & coram Deo ponderatur. Nam eandem materialem actionem, eodem adversus ipsam animo permanente, propter eandem rationem, & abjicere & assumere; & propter diversas & odisse possumus & diligere. Sic enim qui jejunium præcepto mandatum odit, ex epulandi desiderio & jejunare & commessari potest: & jejunium propter internam ejus difficultatem odisse, propter externam incolumitatem aut timorem gehennæ diligere, eâdem perseverante erga jejunium in se spectatum aversione voluntatis. Qua consideratione dixit Augustinus de illis qui jejunant epulaturi, ne videlicet ventrem præoccupent vilia, & non possint admittere pretiosa; *Magnum opus, Christianum opus jejunium. Noli cito laudare, quære causam, negotium ventris agitur, non religionis.* Et paulo post: *Continent se majori incontinentiâ.* Quâ consideratione dixit de illis qui non propter Deum quærunt Deum, quod hujusmodi non quærunt Deum; hoc enim quæritur, propter quod aliquid quæritur: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant, quia eo modo timore servili non liberali dilectione Deus colitur.* SIC ERGO DEVS NON COLITVR. HOC ENIM COLITVR QVOD DILIGITVR. Et de similibus Deum ad obtinendum aliquid ab eo colentibus ibidem loquens: *Ea potius diligebant, propter quæ Dei adjutorium requirebant.* Et alibi: *Propterea serviunt, vel potius propterea servire nolunt.* Qua consideratione, ut ad rem propius accedatur, dixit de Iudæis qui opera bona ex rei temporalis dilectione facere videbantur: *Propter mercedem terrenam atque carnalem Dei mandata facere conabantur,* NEQVE FACIEBANT, QVIA NON IPSA SED ALIVD DILIGEBANT. *Unde illa non erant opera volentium, sed opera potius invitorum.* Quod sane multo majori ratione de operantibus bonum, vel peccatum fugientibus ex timore pœnæ dicere poterat. Nam istâ prorsus eâdem consideratione dixit, quod superius retulimus: *Qui gehennas metuunt, non peccare metuunt, sed ardere.* Qua consideratione dixit in Epistolam ad Galatas, quod Iudæi præcepta, quæ ad bonos mores pertinent, timore implere non poterant; *Quia & hominem si propterea non occidit aliquis, ne & ipse occidatur, non implet præceptum justitiæ;* SED SI IDEO NON OCCIDAT QVIA INIVSTVM EST, *etiamsi facere possit impunè, non solum apud homines, sed etiam apud Deum.* Quisquis ergo peccatum homicidij, vel quodcumque tandem quod perpetrare cupiebat, ex timore gehennæ aut cavet aut dolet, non hoc spectat, quia injustum est, (hoc est enim illius cælestis charitatis, quam sexcentis locis Augustinus justitiæ dilectionem vocat) sed tantummodo quod gehennas in se veluti semen continet, hoc est, quod incolumitatem corporis doloribus destruit; cujusmodi peccati devitatio & horror & detestatio, nullo modo mutat animum aut voluntatem, sed cum perfecta peccati dilectione consistere potest. Sic enim & nos homines quotidie gravium pœnarum metu, consuetudinem eorum fugimus quos diligimus, & ijs quos oderimus benefacimus, eâdem prorsus dilectionis & odij, quæ præcedebat perseverante voluntate. Non enim repugnat rem quatenus delectabilis est diligere & facere velle, & quatenus pœnas continet, velle vitare. Sicut ergo peccati in se spectati dilectio, cum ejus detestatione propter pœnas consistere potest, ita in ijs qui incipiunt à timore pœnæ etiam consistere solet. Quod tunc appareret, si subito timor omnis pœnæ, datâ securitate, tolleretur. Tolleretur enim ratio tota cur vitabatur, & nisi ex alio capite voluntas mutata sit, statim iterum in eadem facta prorumperet quæ diligebat. Quod Augustinus alibi dixit: *Si illis promitteretur impunitas, & diceretur eis, facite quod vultis securi, impunitum erit vobis, emitterent progressus libidinum suarum in quæque nequissima.* Vivit enim in eis voluntas mala, ut supra dixit Augustinus, utpote quæ timore pœnæ constricta non exhausta, premitur, non extinguitur: *Aliud est enim exhausta pestis, aliud consopita.*

Hæc est igitur vera ratio, cur ille qui puro timore pœnæ conatur præceptum aut bonum facere, *procul dubio*, prout supra locutus est sanctus Doctor, *invitus fit.* Et alibi: *Qui timore pœnæ non amore justitiæ opus legis facit, profecto invitus facit.* Timor enim pœnæ non interficit præexistentem peccati voluntatem, sed illa vivente, aliam adjicit ejus detestandi rationem, quæ cum priore simul morari potest. Similiter non tollit aversionem animi ab opere bono, quia utrumque charitatis est, sed adjicit aliam ejus appetendi rationem, ut per boni operis exhibitionem pœna caveatur. Et inde fit ut utrobique invitus maneat. Inde fit, ut quicquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo, sed tantum in speciem coram hominibus operetur, hoc est, non animo & voluntate peccatum fugit, aut bonum facit, sed utrobique gehennas fugit. Hoc enim facimus quod animo spectamus & cupimus. Nam inde sunt illa quæ supra sæpius Augustinus dixit: *Ac per hoc coram Deo non erat in voluntate: Ac per hoc in animo non facit. Timor aliud habet in voluntate &c.* Et illud: *quasi videntur ambulare in lege Dei, sed* NOLVNT AMBVLARE, NON ENIM EX CORDE FACIVNT. EX CORDE AVTEM NVLLO MODO FIERI POTEST, *quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ. Nec fit in corde quod fieri videtur in opere.* Nam ut aliquis qui præceptum sive affirmativum sive negativum quod non faciebat ex animo, ex corde, ex voluntate, hoc est, ut qui nolebat legem facere, velit eam, & non aliquid aliud sub specie legis, facere, nullo pacto timor pœnæ, sed sola justitiæ charitas efficere potest, prout in eodem

In Psal. 86. — *In Psal. 77.* — *In Psal. 67.* — *Conc. 26. in Psalm. 118.* — *In Epist. ad Galat.* — *In Psal. 119.* — *Lib. 1. Soliloq. cap. 1.* — *Conc. 11. in Psalm. 118.* — *In Psal. 118.*

Ibid.

eodem loco Augustinus dicit: *Hanc voluntatem non timor, sed charitas habet.* Nam illa sola est quæ spectat ipsum præceptum, seu ipsam præcepti rectitudinem & justitiam. Vnde in quæstionibus super Deuter.

Quæst. 54. super Deuter.

Si forinsecus ea quæ Deus jubet manibus fiant, & in corde non fiant, nemo tam insulsus est qui præcepta arbitretur implere. Nam quicquid tandem Doctores recentiores dicant, in Augustini doctrina, præceptum sine præceptâ dilectione, hoc est, sine vera justitiæ præcepti, seu Dei dilectione, non solum impleri non potest secundum modum, sed neque secundum substantiam. Aliud enim quod timendo animus intuebitur, non ipsum præceptum faciet, si sine tali dilectione operetur. Hoc enim ipsum sæpius jam superius inculcavit sanctus Augustinus, & exserte quoque in libro de Spiritu & littera:

Lib. de Spir. & lit. c. 14.

Mandatum si fit timore pœnæ non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter: ET IDEO NON FIT. NON ENIM FRVCTVS EST BONVS QVI DE CHARITATIS RADICE NON SVRGIT. Et alibi.

Lib. 3. ad Bonif. cap. 2.

Procul dubio invitus facit, AC PER HOC IN ANIMO NON FACIT.

Hinc igitur consequenter nascitur, ut tales homines qui coacti timore pœnæ justitiam legis operantur, aut operari videntur, non sint amici rectitudinis seu justitiæ, hoc est, ipsius Dei, qui est justitia, sed potius hostiles adversus eum animos gerant:

In Psal. 67.

Timendo qui facit serviliter facit. Nec est amicus recti, quando noller, si fieri posset quod rectum est non jubere. Et multo plenius in Epistola ad Anastasium, de illo disserens, qui pœnæ formidine peccatum cavet, etiam inimicum eum justitiæ præcipientis esse docet:

Epist. 144.

Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit quod eam si posset auferret? Ac per hoc quomodo justus est, justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? INIMICVS ERGO IVSTITIÆ EST, QVI PŒNÆ TIMORE NON PECCAT: AMICVS AVTEM ERIT, SI EIVS AMORE NON PECCET. TVNC ENIM VERE TIMEBIT PECCARE. NAM QVI GEHENNAS METVIT, NON PECCARE METVIT, SED ARDERE. ILLE AVTEM PECCARE METVIT, QVI PECCATVM IPSVM SICVT GEHENNAS ODIT. Quæ omnia si bene attenteque ponderentur, facilè judicabitur, quàm rectè ac merito tantâ securitate & asseverantiâ & instantia sanctus Augustinus doceat, eum qui timore tantum pœnæ præceptum facit, ad faciendum non amore allici, sed timore cogi; procul dubio invitum esse; aliud proinde habere in voluntate, quam id quod facit, ideoque in animo & coram Deo non facere, sed aliud malle facere, si impune liceret; ac propterea in ipsa voluntate peccare & reum esse, qui non voluntate, sed timore non peccat, non solum si opera externa, sed etiam ipsam internam voluntatem ex timore coërcere conetur. *Qui enim timore pœnæ rem alienam non concupiscit, puto,* inquit, *quia concupiscit.* Nam etiamsi poneres rei alienæ voluntatem timore comprimi, velleitas viveret, qua reus efficeretur. Est enim infallibile pronuntiatum, quod quisquis nudo timore quippiam, sive animo, sive corpore facit, coactus, & idcirco invitus facit, & animo non facit, sed aliud mallet plene velle & facere si impunè liceret. Quam ob causam etiam necesse est, ut ipsius legis quam facere videtur, & justitiæ tam præcipientis quàm punientis inimicus sit, quam de medio si posset auferret. Quæ omnia tanquam ex invicem connexâ quanquam jam sæpius in ijs quæ citavimus Augustinus dixerit, alio tamen quodam loco mira brevitate, simul & profunditate complexus est, qui aureis characteribus exarari mereretur:

Conc. 11. in Psal. 118.

QVI TIMORE PŒNÆ, NON AMORE IVSTITIÆ OPVS LEGIS FACIT, PROFECTO INVITVS FACIT. QVOD AVTEM INVITVS FACIT, SI POSSET FIERI, MALLET VTIQVE NON IVBERI. AC PER HOC LEGIS, QVAM VELLET NON ESSE, NON EST AMICVS, SED POTIVS INIMICVS: NEC MVNDATVR OPERE QVI IMMVNDVS EST COGITATIONE ET VOLVNTATE. Idem itaque manet, qualis ante pœnæ timorem cogitatione & voluntate fuit. Nam uti lupus sive fremat sive tremat, sive ad caulam eat, sive timore pressus redeat, semper est lupus, nisi in ovem convertatur, ita animus lupinâ perversitate perversus, sive liber in suos motus ruat, sive timore reprimatur & ad bonum adigatur, semper est lupus, malletque sine dubio, ut Augustinus loquitur,

Lib. de nat. & gr. c. 57.

non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè desiderat: nisi fortè, alio sublucente motivo in eo quod invitus facit, incipiat diligere id quod antea pœnæ timore facere cogebatur. Sed istud jam non est timoris pœnæ, sed justitiæ dilectionis officium.

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

Radix tertia, quia timor pœnæ ab amore justitiæ disjunctus, nascitur ex amore sui-ipsius, quatenus in creatura ultimò requiescit.

ET quamvis per ista jam satis ex Augustino ostensum esse videatur, animum qui solo timore detinetur, non ita posse peccatum declinare aut detestari, quin coram Deo adhuc in ipsa voluntate sit reus; hoc ipsum tamen ex alio capite declarari potest. Quod ut liquidius intelligatur, memoria repetendum est id quod supra dictum est, & omnis vera Theologia & Philosophia confitetur: rerum ad hominis naturalem incolumitatem pertinentium appetitum esse licitum ac bonum. Sic enim ex naturæ præscripto comedere, bibere, vestire, scientias artesque varias addiscere, & adversus omnia irruentia corporis mala sese tueri licet. Quemadmodum igitur ista naturalia hominis bona, absentia expetere & procurare, & de præsentibus gaudere licet; ita vice versa, de oppositis malis præsentibus tristari ac dolere possumus, eaque absentia formidare. Ex quo principio paulò superius, timorem pœnæ licitum esse ac bonum, rationis ductui inhærendo confecimus. Verumtamen ne quis fallatur, non ita hæc omnia intelligi debent, quasi aliquis hoc ipso quod sibi hujusmodi bona expetit, procuratque naturalia, vel mala timet, ab omni peccato liber esse censeatur; sed si eo hæc omnia faciat modo, quo recta ac divinitùs illustrata ratio docet. Quanquam in istorum objectorum appetitu & fugâ, quatenus talium, nulla delitescat ratio mali, sed potius boni; aliunde tamen appetentis aut fugientis animus inquinari potest; idque non solum si ista faciat non eo tempore aut loco, aut occasione, aut modo, quibus moralis Theologia vel Philosophia præcipit esse facienda; sed in primis & ante omnia, si animus in ijs appetendis aut fugiendis amore ac delectatione hæreat, per quæ transitoriâ quadam appetitione ad aliud pergere debuisset. Ex hoc igitur capite fluit, ut quamvis licitum sit comedere & bibere, quando fame laboramus, pecuniam acquirere velle & scientiæ operam dare, & honorem dignitatemque procurare; illicitum tamen sit animo in rerum talium quarumcumque appetitione conquiescere, & earum delectationibus velle frui; quemadmodum non solum impijs sed etjam justis frequenter, in rerum creatarum cupiditatibus accidit. Nam inde omnia etjam justorum peccata fluunt, sive gulæ, sive luxuriæ cum coniugibus, sive tenacitatis aut avaritiæ, sive ambitionis atque vanitatis, sive curiositatis & hujusmodi, quæ rerum talium delectationibus inhærendo committuntur, per quas ad veri & A ultimi finis delectationem, cum animi libertate transeundum erat. Tradita sunt ista fusè & ex proprijs Augustini principijs alio in loco, quæ superfluum esset hic repetere.

Hoc si de appetitu talium rerum naturalium rectè intelligitur, jam facilè sublucebit, quid de fuga malorum seu timore statuendum sit. Nam & iste secundum se licitus est & bonus, quemadmodum in præcedentibus latè declaratum est: non tamen si quolibet exseratur modo. Timor enim malorum conformis est amori bonorum, ex quo essentialiter nascitur, sicut & quilibet alius affectus animi qui ex amore velut causâ suâ fluit. Ex quo fit, ut si amor boni, quoquo modo vitietur, timor oppositi mali continuò inde labem similem contrahat, tanquam qui in amore veluti fonte suo vitiatus est. Si quis igitur bona temporalia vel seipsum, cui illa sibi placendo appetit, diligere cœperit, non tanquam utens, sed C tanquam fruens, hoc est, animo in illis bonis, vel in seipso inhærendo, non transeundo ad Deum, in quo solo delectando se, deberet conquiescere; non est mirum, si timor inde nascens mali parenti suo similis, hoc est, vitiosus oriatur. Timebit enim vel temporalia, vel etjam æterna mala, non quatenus impediunt, ne animus liberè in Deum fruendum transeat, sed quatenus ea sibi tantum incommoda sunt & in ista consideratione requiescet, nihil ulterius de illo satagendo, propter quem ea formidare debuisset. Quod sanè non tam timoris quàm timentis est vitium: qui in seipso sibi placendo seque amando stat, ex quo pergendum erat in Deum. Nam ut optimè sanctus Augustinus tradit, non solum rebus omnibus temporalibus, & corporis nostri & animi bonis, sed etjam ipsâ *dispensatione Christi Domini temporali debemus uti, non quasi* MANSORIA QUADAM DILECTIONE ATQUE DELECTATIONE, SED TRANSITORIA POTIUS, TANQUAM VIÆ, *tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum, aut si quid congruentius dici potest*, UT EA QUIBUS FERIMUR, PROPTER ILLUD AD QUOD FERIMUR, DILIGAMUS. Quod breviter alio in loco & generaliter dicit, ita nos proximum & nos-ipsos diligere debere UT TOTA DILECTIO PROXIMI ET NOSTRI REFERATUR IN DEUM. Quod si se diligens in seipso manet, jam vitium est, quod æterne ac divinitus latæ legis proscriptione reprobatur. Unde Augustinus: *Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur, & propter-*

Lib. 1. de Doct. Christ. c. 35.

Lib. 1. c. 22.

Lib. 1. c. 22.

B

& propterea iam cum defectu aliquo se fruitur. Qui defectus cujusmodi sit, proprio eum appellans nomine nonnunquam tradit, ut quando dicit quodam Sermone de tempore: *Non quacumque dilectione foras mittendus est timor, sed rectâ dilectione, quâ totâ diligimus Deum, & propterea proximum, ut sic & ipse diligat Deum.* SE AVTEM IN SE DILIGERE, ET SIBI PLACERE NON EST IVSTITIÆ CHARITAS, SED SVPERBIÆ VANITAS. Quæ latius alibi deducta & explicata sunt. Quapropter quisquis cum isto defectu diligit se, sibi volendo ut bene sit per quodcumque bonum, cum simili prorsus defectu timebit sibi, nolendo ut malè sit per quodcumque malum. Nam ut rectè sanctus Augustinus: *In eo quod amas vis ut benè tibi sit, & in eo quod times, non vis ut male tibi sit.* Quæ ex eadem omninò radice nascuntur. Nam & esse sine malo est quoddam bonum, & malum non est aliud quàm privatio boni: ex quo efficitur, ut quantum diligimus bonum, tantum privari bono timeamus, juxta illud Augustini: *Quantum amat pecuniam, tantum times ne perdat pecuniam.*

Serm. 214. de Temp. c. 2.

In Psal. 79.

Tract. 43. in Ioannem.

Quibus ita constitutis, jam facilè apparet, animum qui solo pœnæ timore, nullo Dei aut justitiæ amore peccatum vitat, non hoc ita vitare posse ut omni ex parte caveatur. Nam præterquam quod eo modo voluntate reus est, quo supra ex Augustino diximus, quatenus invitus est, malletque facere nisi pœna terreret; ex alia quoque consideratione labem contrahit, quatenus pœnas timendo in suiipsius amore requiescit, cujus malum ita formidare, sicuti bonum appetere debuisset, ut in utroque tam amoris quàm timoris affectu seipsum referret in Deum, qui sicut omnium actionum creaturæ rationalis, ita & omnium voluntatis motuum & affectuum est quies & finis. Quod qui non in omnibus actibus suis & affectibus facit, sine dubitatione delinquit. Nam ut generalissimè & clarissimè, & confidentissimè Augustinus tradit: *Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit* (hoc est, ut præmiserat, verum Deum) *etsi officio videatur bonum,* IPSO NON RECTO FINE PECCATVM EST. Hoc autem nemo sive amando sive timendo facit, nisi jam aliquo Dei amore, saltem illo imperfecto, qui etiam in peccatoribus esse potest, animus moveatur. Quod sanè nullo pacto fit in eo qui non nisi pœnas timendo, peccatum aut cavet aut dolet. Nihil enim spectat ille aliud, nisi ut ipse ille quem unicè diligit & amplectitur corpore & animo sine molestia sit, & utriusque imperturbatâ pace perfruatur. Timor enim ille malorum pœnalium sive præsentium sive futurorum, in puro sui-ipsius amore velut cardine suo vertitur, non prout hujusmodi amor sui refertur in Deum, quod neque fit neque fieri potest nisi amore Dei, à quo timor ille disiunctus esse ponitur, sed prout per eum animus in se-ipso requiescit, nihil de Dei aut justitiæ amore satagendo. Vnde Augustinus: *Timor pœnarum propterea pungit*

Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.

Serm. 214. de Temp. c. 3.

A *animam ne amittatur aliquid, quod in creatura diligitur, vel ipsa salus & requies corporalis, aut tale aliquid post mortem. Propterea enim timentur, & apud inferos pœna & dolores, ac tormenta gehennarum.* In ista vero requie, salute, & pace corporali, non debet ullo pacto animus rationalis permanere, sed per ipsam transire debet in Deum. Nam quemadmodum in hac vita temporalium malorum fuga & metus eò dirigendus est, ne per ista nostrum iter, quo in Deum tendimus impediatur, dum pœnarum dolor functiones animæ divina meditantis, ac diligere & exercere & agere satagentis premit & intercipit; ita futurorum malorum timor eò referendus est, ne per corporis mortalitatem & concupiscentiarum tumultuantium perturbationes, multòque magis per ineffabilium dolores tormentorum, Dei dilectio & fruitio & laus impediatur, quatenus illâ summâ cor-

B poris & animi pace quieti, & imperturbati in æternum inhæreamus Deo. Quod profundissimè significavit Augustinus, quando in libris de Civitate Dei finem expressit propter quem hujus vitæ mala fugere debeamus: *Ad hoc,* inquit, *velle debet, nec dolore molestari nec desiderio perturbari, nec morte dissolvi, ut aliquid utile cognoscat, & secundum eam cognitionem, vitam moresque componat.* Quo tacitè indicat proprium finem cur in futura vita velle debeamus, nec dolore corporis molestari, nec desiderijs animæ perturbari, nec amplius utriusque separatione, hoc est, morte dissolvi, quæ omnia in illa futura immortalitate continentur, non esse alium nisi ut Deum summum bonum nostrum, sine concupiscentiarum tenebris cótemplemur, sine molestiarum perturbatione perfruamur. Vnde ibidem: *Ac per hoc omnem pacem vel corporis vel animæ, vel simul corporis & animæ refert ad illam pacem, quæ homini mortali est cum Deo immortali.*

Lib. 19. de Civit. c. 14.

Ibid.

C Quod non minus, imò multò magis comparatione futuræ immortalitatis, quàm præsentis mortalitatis verum est, & locum habet. Sed ab hujusmodi consideratione quæ creaturæ rationali in appetendis bonorum commodis fugiendisque pœnarum molestijs, ex æternæ & naturalis legis ordinatione præscripta est, longè adhuc remoti sunt, qui nullâ justitiæ dilectione, sed solo gehennarum timore, à peccatis committendis cavent, & de commissis dolent. In solas istas corporis molestias animus eorum defixus hæret, quibus cavendis nullâ justitiæ curâ tactus, sed sui-ipsius, tanquam sui-ipsius amore ebrius occupatur. Non enim tales adhuc amant Deum, ex cujus amore vel bonorum temporalium appetitus, vel malorum timor possit fluere. Vt enim Augustinus: *Si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times.* Nam *ille timor ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, non est castus; non enim venit ex amore Dei.* Vnde nihil mirum est, si ta-

Tract. 9. in Epist. Ioann.

D lis ex æternæ legis violatione, qua ex se-ipso in Deum surgere & transire, sive diligendo, sive formidando præcipitur, nonnullâ peccati fœditate maculetur.

Hæc igitur vera causa est, cur idem August. alio

alio in loco timoris istius defectum exprimens: *Cum ideo, ait, adulter esse non cœperis, quia times ardere in igne sempiterno*, NONDUM LAUDANDUS ES: *non quidem ita dolendus, ut ante, sed tamen* NONDUM LAUDANDUS. *Quid enim magnum est timere pœnam?* Quam interrogationem alibi idipsum tractans perficit: *Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Nam & latro timet malum & ubi non potest, pœnarum timore, non facit & tamen latro est.* Et sanctus Prosper Augustini in hac doctrina discipulus individuus: *Alter quis timet, ne malum quo puniatur, incurrat, alter ne bonum* (id est justitiam vel Deum) *quo delectatur amittat. Non igitur omnis timor* HABERI DEBET IN VITIO, SED ILLE TANTUM, DE QUO SCRIPTUM EST; QUIA TIMOR PŒNAM HABET. Quod vitium ut ostendimus, non ex ipsa natura timoris, sed ex timentis inordinatione proficiscitur.

Serm. 13. de verb. Apost. cap. 7.
Serm. 15. c. 6.
Serm. 19. c. 8.
Lib. 3. de vit. contempl. cap. 31.

CAPUT XXXII.

Justitia ex timore pœnæ, est justitia *ex lege & nostra*, quam Apostolus arbitratus est detrimentum ac stercora.

EX istis igitur tribus principiis utcumque patet cujusmodi sit animus & voluntas eorum qui pœnas timent, & ex isto timore justitiam legis facere, & injustitias suas dolere & abjicere meditantur. Patet etiam cujusmodi esse possit ista justitia, quam non amore justitiæ sed formidine pœnæ legem implentes, vel potius non implentes, operantur. Nempe justitia *sua*, hoc est, *propria*, non *Dei*, justitia *ex lege*, non *ex gratia*: quia justitia ex legis terrentis mandato profecta, non ex legislatoris largientis beneficio; quemadmodum supra ex Augustino declaravimus. Nam *justitia ex lege*, & *propria sua est, quæ fit de timore pœnæ, non de amore justitiæ.* Quanti vero pretii talis justitia apud Deum habeatur, & apud homines haberi debeat, Apostolus docet, qui timore pœnæ *conversatus in lege, sine querela*, talem *justitiam suam quæ ex lege est, arbitratus est detrimentum ac stercora*, prout sæpius Augustinus annotat. Nempe ideo, quia talis justitia non est vera justitia coram Deo, sed externorum operum tantum, quæ similitudinem justitiæ præ se ferunt, cum ex affectu inquinato & prævaricatore legis oriantur, quo mallet facere quod eum formido pœnæ perpetrare non sinit. Quod perspicuis sanè verbis de Apostolo Paulo sanctus Augustinus tradit: *Nec moveat*, inquit, *quod ad Philippenses scripsit, secundum justitiam quæ in lege est, quod fuerit sine querela*, POTUIT ENIM ESSE INTUS IN AFFECTIONIBUS PRAVIS PRÆVARICATOR LEGIS, ET TAMEN CONSPICUA OPERA LEGIS IMPLERE, VEL TIMORE HOMINUM, VEL IPSIUS DEI; SED PŒNÆ FORMIDINE, NON DILECTIONE ET DELECTATIONE JUSTITIÆ. Quia, ut ibidem statim adjicit, *sic profecto in ipsa mente voluntate peccat, qui non voluntate sed timore non peccat.* Et continuo enarrans illa peccata, quibus pœnam formidando intus in voluntate peccaverit, inter ea ponit stultitiam, incredulitatem, errores, servitutem desideriorum & voluptatum, malitiam, invidiam, odium proximi & similia: *Talis, ait, Paulus fuit, quando secundum justitiam quæ in lege est, sine querela fuisse se dicit.* Concinit sancto Augustino ad amussim sanctus Fulgentius, Magistro discipulus. Nam libro de Incarnatione & gratia docet, Justitiam ex lege, secundum quam Paulus conversatus fuit sine querela, cum *ex Deo non habuisse*. Quod cum ex Apostoli loco ad Philippenses probavisset, ubi dicit, *arbitror omnia ut stercora ut Christum lucrifaciam & inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Christi*, tandem adjicit: *Quis non his verbis Apostolicis videat Justitiam quæ ex lege est, esse ex homine: justitiam vero quæ ex fide Christi est, non esse nisi ex Deo? Illa est igitur justitia per quam impius erigitur, ut cadat in pœnam; ista autem est, per quam justificatus humiliatur, ut exaltetur ad gloriam. Ideo cum in illa quæ ex lege est, sine querela conversaretur Apostolus, fuisse se impium non negat.*

Serm. 15. de verb. Apost. c. 7.
Philipp. 3.
Serm. 15. de verb. Apost. c. 7. Lib. de grat. Christ. c. 48. lib. 2. de pec. merit. c. 15.
Lib. 1. ad Bonif. c. 9.
Ibid.
Philipp. 3.
Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. c. 39.

Digitized by Google

CAPVT XXXIII.

Repugnat magnopere Augustino doctrina, qua docetur dolorem peccati propter gehennæ metum, seu attritionem quorundam Scholasticorum, excludere posse omnem peccandi voluntatem, & continere propositum bonæ vitæ, seu servandi totam legem Dei, itemque esse dispositionem sufficientem ad justificationem cum Sacramento obtinendam.

CVM igitur talis sit operum justitia, quæ ex pœnarum timore nascitur, qualem hoc toto tractatu declaravimus, non satis profecto intelligere queo, quid sibi Scholastici nonnulli volunt, dum dolorem peccati ex pœnarum timore pullulantem tantopere extollunt, ut eum etiam omnem peccandi voluntatem excludere, & bene vivendi propositum includere putent. Quo nihil in Augustini doctrina, absurdius & falsius dici potest. Nam juxta principia ipsius, ac testimonia plurimis locis repetita, timor pœnæ non solum peccandi voluntatem semper sibi conjunctam habet, sed etiam, omnem peccandi voluntatem excludere proprius effectus divinæ charitatis est, qua justitia diligitur: *Qui timore supplicij quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati,* NONDVM LIBER, *nec alienus à voluntate peccandi est.* Et in Epistola ad Honoratum: *Charitate factum est ut eam non peccare delectet.* Et de Spiritu sancto justitiæ amorem, legisque dilectionem diffundente loquens: *Non peccare*, inquit, *sanctificationis est, hoc est muneris Dei per Spiritum sanctum.* Et inferiùs: *Hic Spiritus Domini cujus donò justificamur, quo fit in nobis* VT NON PECCARE DELECTET, id est ut non velimus peccare, *ubi libertas est;* SICVT PRÆTER HVNC SPIRITVM PECCARE DELECTAT, *ubi servitus.* Vnde in præcedentibus in eodem libro docet, quod *nisi nos adjuvet spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris, lex quamvis bona, augeat desiderium malum, & occidat cum accedit etiam prævaricatio.* Et alibi: *Lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus charitatem.* Quod aliis sexcentis locis constantissimè docet. Tantum abest ut solo timore legis, omnis peccandi cupiditas, id est, voluntas possit excludi.

[Lib. de nat. & grat. c. 57.]
[Epist. 120. c. 11.]
[Lib. de Spir. & lit. c. 15.]
[Ibid.]
[Ibid. c. 4.]
[Lib. de perf. just. c. 6.]

Quod vero propositum emendationis aut bene vivendi ex timore pœnarum concipi posse dicunt, principiis Augustini solidissimis, ex quibus Pelagiana hæresis expugnata est, directè refragatur. Nam quid est propositum bene vivendi aut emendandi se, nisi initium bonæ voluntatis, seu ipsa prima cupiditas boni, nisi dilectio boni? Hæc autem non est aliud, nisi charitas, quæ sola vult bonum tam inchoando, quam consummando: *Homo Pelagiane*, inquit Augustinus. *charitas vult bonum, & charitas ex Deo est, non per legis litteram sed per Spiritum gratiæ.* Vbi quod dicit non per legis litteram, non est aliud Augustino, quam non per legis terrorem aut timorem. Et rursum, *Charitas sola vult bonum.* Et libro secundo ad Bonifacium: *Quid est boni cupiditas, nisi charitas?* Et ne quis imaginaretur nescio quas bonitatis præcisiones, illam ipsam bonitatem intelligit, ex qua dicitur opus præcepti bonum, *tunc bonum concupisci incipit, quando dulcescere*, id est, amari seu appeti *cœperit. Quando autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum.* NEC FIT IN CORDE, hoc est, in animo & voluntate, *quod fieri videtur in opere.* Causa est, quia sine charitate justitiæ, non solum bonum non fieri, sed ne quidem voluntate appeti potest, sed aliud quippiam pœnæ videlicet immunitas, vel corporis integritas, sub specie boni quod præcipitur, appetetur. Sic enim statim adjungit: *Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis.* Hoc est, ut præcepti justitiam diligamus: *In qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Ecce præceptum bonum ex timore pœnæ, ne quidem voluntate concupisci potest, sed sola charitate. Nam illa præcepti concupiscentia, quâ amamus id quod præcipit nobis, non est aliud quam illa, quem vocaverat amorem justitiæ, hoc est dilectio charitatis.

[Lib. 1. cont. Jul. oper. imperf. c. 139.]
[Lib. 2. ad Bonif. c. 9.]
[Ibid.]

Quomodo igitur ex solo timore pœnæ habebitur voluntas emendationis, & propositum non solum qualecumque bonum, sed universa peccata relinquendi, & observandi totam legem Dei? Hoc enim est unum ex difficillimis quod charitas præstare potest, sed sine Dei seu justitiæ dilectione possideri impossibile est. Cujus mirabilis paradoxi novitas, si ex omnibus Augustini principiis evertenda esset, prolixius quam huic loco necessarium est, nos occuparet. Nam primo repugnat hoc illi principio sancti Augustini, quod virtus Augustino non est aliud, quam *voluntas qua appetimus rectè honestèque vivere*, & hæc sit ei voluntas bona, eaque non alia nisi charitas, prout hæc latius alibi demonstrata sunt. Quid ergo? an virtus etiam ex timore pœnæ, ipsaque charitas fluet? Secundo, impossibile est propositum bene

[Lib. de lib. arb. c. 12. & 13.]
[Vide dicta sup. c. 3. huj. lib.]

bene vivendi & peccata emendandi animo A concipere, nisi voluntas velit regulam quandam immutabilem sectari, quâ videt rationali creaturæ divinitus præscriptum esse ut declinet à malo, & faciat bonum. Sed hujusmodi regulam sectari velle, sine istius incommutabilis regulæ dilectione esse non potest: *Manifestum est enim*, inquit Augustinus, *secundum id nos vivere quod sectati fuerimus, sectabimur autem quod dilexerimus.* (In Epist. ad Galat.) Ista vero talium regularum incommutabilium & sempiternarum dilectio, non est Augustino prorsus aliud quam illa prædicata toties justitiæ dilectio, quæ timori pœnæ semper opponitur & ab ipso vera charitatis dilectio esse definitur. Est enim dilectio æternæ legis, quæ non est aliud nisi ipsa sempiterna veritas & justitia Dei, hoc est, ipse Deus. Vnde Augustinus hoc ipsum fusè probaturus: *Dic mihi*, inquit, *prius, utrum qui rectè vivere diligit, eoque ita delectatur, ut non solum ei rectum sit sed etiam dulce atque jucundum, amet hanc* B *legem, æternam habeatque charissimam* &c. (Lib. 1. de lib. arb. c. 15.) Cui respondet Evodius: *Amat omnino ac vehementer. Nam ipsam sequens ita vivit.* Quam statim ulterius declarat esse sempiternam veritatem ac Deum. Sicut ergo quisquis rectè vivit, hanc legem cernit, sectatur ac diligit; ita quisquis universa peccata declinare & præcepta facere decrevit, hanc legem sectari cupit ac diligit: Atqui illa dilectio est dilectio justitiæ, & verissimus fœtus charitatis. Ergò impossibile est, ut ex pœnarum timore concipiatur. Quæ qui plenius probata sibi & intellecta cupit, legat ea quæ superius de charitate diximus. Et sanè quo pacto fieri potest, ut timore pœnæ voluntas omnis peccandi excludatur, cum talem hominem frequenter pronuntiet & probet Augustinus inimicum esse justitiæ? (Epist. 144.) *Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat, amicus autem erit, si ejus amore non peccet.* TVNC ENIM C VERE TIMEBIT PECCARE. Quam quæso ob causam, cum & ille qui ex pœnæ timore peccatum vitat, peccatum timere, odisse, ac detestari videatur? Audi rationem: (Ibid.) *Nam qui gehennas metuit*, NON PECCARE METVIT SED ARDERE. *Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum*, hoc est, ipsam peccati iniquitatem, in qua essentia & ratio peccati sita est, *sicut gehennas odit.* Hoc autem est impossibile sine charitate fieri, cujus sicut proprius est actus est, justitiam diligere, ita peccatum ipsum seu injustitiam detestari: (Ibid.) *Tantum enim quisque peccare odit, quantum justitiam diligit. Quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.* Vnde & alibi: (Lib. de Corr. & grat. c. 1. & 2.) *Declinare à malo & facere bonum nullus potest sine spiritu gratiæ.* Hoc est, ut explicat sine inspiratione dilectionis bonæque voluntatis. *Quæ gratia si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat & occidat.* Falluntur igitur sine dubio, & rerum obscurarum anfractus D non satis penetrant, quotquot adversus fundatissimam istam doctrinam timorem pœnæ nimis imprudenter extollunt. Non enim ista de lana caprina aut re exigua disceptatio est, sed de præcipuo Augustinianæ doctrinæ Christianæque disciplinæ fundamento. Nam inde pendet illa tam operosa cum Pelagianis tractata controversia, utrum Christianus fide Christi imbutus, sola lege terrente, hoc est, timorem incutiente possit cavere malum aut operari bonum. Nam profectò si timor pœnæ, quam lex minatur, omnem peccandi voluntatem eximere potest, certissimum est sola lege minante, nos operari posse bonum. Nec enim exiguum bonum est, omnem peccandi abjicere voluntatem.

Sed majori fortassis admiratione dignum est quod iidem docent, dolorem quo quis de peccatis ex solo timore pœnarum infernalium dolet, eaque detestatur, quam attritionem vocant, esse sufficientem dispositionem ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ aut baptismi recipiendam. Dolor enim iste cum ex amore sui ipsius, & salutis suæ corporalis oriatur, non majoris pretij est apud Deum, neque majorem ad justitiam acquirendam proportionem habet, quam amor quo quis integritatem sui corporis diligit. Quo verò pacto talis amor sui ad justificationem disponere possit, fateor, prorsus non intelligo. Nec enim animam convertit in Deum, à quo per peccatum aversus erat: nec avertit eum ab injustitia peccatorum sed à doloribus, quos paritura sunt, cum tamen utrumque ad justificationem prorsus necessarium sit. Nam quod ipsi dicunt, attritionem hujusmodi in se continere voluntatem omnia peccata relinquendi, & falsum est & impossibile, ut latè supra declaravimus: & quamvis verum esset, non tamen hujusmodi dolor dispositio ad justificationem esse posset. Non enim dolor aut qualiscumque peccati declinatio, sed causa intuenda est. Quicquid enim ex aliquo motivo feceris, non majoris aut meriti aut pretij est in oculis Dei, quàm causa quam intueris. Ex quo fit, ut si non tantum aliqua, sed etiam omnia peccata vitare poneretis, quia ex fide didicisses ea Deo vindice infamiam in hoc mundo, paupertatem, dolores intolerabiles corporis, ipsamque mortem esse paritura, totus ille peccatorum dolor ac detestatio, quamvis fide præcedente nasceretur, non plus valeret judicio Dei, quàm amor ille, quo sine infamia, & paupertate & doloribus corporis in hoc mundo vitam propagare concupisceres. Nec enim existimandum est, idcirco dolorem aliquem aut affectum supernaturalem esse, quia fides proponit objectum ejus. Etiam fide aliquid proponente, dolor aut amor naturalis exserere potest affectus & actus suos. Nam & Gentiles aut Mahometani, qui supplicia futura crediderunt, verissimo & ejusdem rationis pœnarum terrore percelluntur; quia verissimo sui ipsius & ejusdem rationis amore detinentur. Et si pœnæ inferni corporalibus oculis in hac vita cernerentur sine fide, eodem prorsus modo amor sui concussus, timore, vehementi pœnas istas exhorresceret. Sed quid magnum est corporis integritatem diligere & pœnas ejus formidare? Ipsa peccata, Deique offensæ

offensæ detestandæ sunt: erga quas etjam cùm omnia peccata timendo cavet, eodem se habet prorsus modo, atque antequam ea devitare cœpisset. Quod enim offendunt Deum, & ab eo avertunt animum, nulla timentibus pœnas cura est, sed tantummodo quod sibimetipsis nocent. Ex quo fit ut non solum inviti sint & mallent aliud, & per hoc voluntate rei A sint, sed etjam perspicuè in sui-ipsius amore hæreant, nihil omnino de ulla sui finis ad quem omnes affectus & actus nostri retorqueri debent, dilectione satagentes. Cujusmodi animi dispositio, quomodo ad justificationem disponere possit, fateri cogor, captum meum omninò superare.

CAPVT XXXIV.

Concilium Tridentinum isti doctrinæ multis locis adversatur.

A Nam quod isti Scholastici dicunt, istam sententiam suam in Concilio Tridentino satis evidenter tradi, quando dicit, quod Attritio *quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*; non mediocriter mihi hallucinari videntur. Tridentinum enim potius vice versa, multis locis evidenter significat, nunquam justificationis gratiam sive extra Sacramentum, sive in Sacramento tam pœnitentię quam baptismi adultis dari, nisi contritio antecedat. Quod quamvis non sit hujus instituti mei, breviter tamen ostendendum est, ut totam sententiam istam in mera hallucinatione fundatam esse, patefiat. Nam in primis, disertis verbis docet, materiam Sacramenti pœnitentiæ esse contritionem, eamque ad peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri. Et Canone quarto damnat eos anathemate B qui negaverint *contritionem, confessionem, & satisfactionem* non esse *tres partes pœnitentiæ*. Et ne quis ignoraret, quid esset ista cõtritio statim definit eam esse *animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*. Ejusque motum QVOVIS TEMPORE *ad impetrandam veniam peccatorum fuisse necessarium.* Hanc eandem contritionem non solum *vitæ novæ propositum & inchoationem*, sed & *veteris odium continere*. Quod probat ex illis Scripturis quæ postulant, ut *faciamus nobis cor novum & spiritum novum*, & alijs pluribus quæ probant, ut ait, Voces pœnitentium, *ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse*. Hactenus perspicuum est, Concilium veram contritionem descripsisse. Nam illa est quæ cor novum & spiritum novum facit. Illa odium anteactæ vitæ, vehementemque peccati detestationem continet. Quibus præmissis C adjicit, quod *contritionem hanc*, videlicet hactenus descriptam, *aliquando charitate perfectam esse contingit* ante Sacramentum; hoc ipso indicans, sæpè non esse charitate perfectam ante Sacramentum. Quod non alia ex causa dicit, nisi quia quædam est contritio veri nominis & rationis & essentiæ, quæ tamen non-nisi cum Sacramento ad justificationem acquirendam sufficit. Et quæ illa contritio imperfecta, A quam etjam attritionem vocat? Ecce immediatè subjicit: *Illam verò contritionem imperfectam quæ attritio dicitur &c. Declarat esse donum Dei &c. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Significat ergò Tridentinum, istam attritionem esse veri nominis & rationis contritionem, sed uti nominat, *imperfectam*. Nam quidquid ad contritionem in definitione requisiverat, isti imperfectæ contritioni seu attritioni convenit. Duo quippe ad contritionem necessaria postulaverat, *animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, & propositum non peccandi de cetero.* Vtrumque vero disertis verbis illi attritioni tribuit. Nam primò, in eodem loco postulat, ut *voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*: Et Canone quinto, qui ex illo decreto sumptus est, *detestationem peccatorum* ei tribuit, *cum proposito melioris vitæ*; quæ B sunt ipsissima quæ ad contritionem requisiverat, & quibus duabus conditionibus ab hujus imperfectæ contritionis seu attritionis essentia rejicitur omnis illa attritio, quæ ex solo timore pœnæ sive temporalis, sive æternæ proficiscitur. Nam timor ille, omnium etjam Scholasticorum judicio, servilis est. Timor autem servilis, sicut non corrigit voluntatem, ita non excludit etjam peccandi voluntatem. Nam ad utrumque necessarium est, ut omnibus anteponat rebus dilectis Deum. Hoc enim quamdiu non fit, vel actu vel affectu, persistit voluntas in peccato, dum adhuc aliquid supra Deum diligit, & aliquid magis quam Dei offensam timet. Nam inde veniunt illa sancti Augustini: *Qui timore pœnæ* rem alienam *non concupiscit, puto quia concupiscit*. Et: *Inimicus iustitiæ est, qui pœnæ timore non peccat*. Hinc igitur vera ratio patet, cur Concilium Tridentinum non quamlibet attritionem donum Dei & im- C pulsum Spiritus sancti esse definierit sed *si voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniæ conjuncta sit*. Nam tale propositum omnes vires humanas superat, nec nisi à Spiritu sancto per veram & propriè dictam Christi gratiam operante inspirari, aut haberi ullo pacto potest, quia charitatis quidam sive jam perfectæ, sive saltem imperfectæ fœtus est, sine qua justificari nemo potest.

Conc. Trid. sess. 14. c. 4.

Sess. 14. c. 3.

Can. 4. sess. 14.

Ibid. c. 4.

Serm. 19. de verb. Apost.

Epist. ad Anast. 144.

Ita tradit & Alvar. disp. 52. n. 2.

Sess. 14. c. 4.

Hinc

A Hinc ergo fit, ut idem Concilium Tridentinum istam Dei dilectionem etjam ad baptismum tanquam necessariam dispositionem postulet, ubi tamen minor, vel certè non maior dispositio, quam ad pœnitentiam, videretur esse necessaria. Nam sessione sexta requirit ad *eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet*, id est, quæ requiritur tanquam dispositio necessaria, *fidem, spem, dilectionem Dei tanquam fontis omnis justitiæ.* Et *ut propterea*, hoc est, quia Deum ut justitiæ fontem diligit, *adversus peccata moveantur*, idque non quolibet modo, sed *per odium aliquod & detestationem.* Denique postulat *propositum inchoandi novam vitam & servandi divina mandata.* Qui tam perspicuè sunt effectus divinæ cælestisque charitatis, ut nullo colore probabilitatis negari queant. Nam dilectio justitiæ sexcentis locis ab Augustino vocatur charitas Dei, & timori pœnæ opponitur. Nec unquam aliud postulat, ut divina mandata impleantur sicut oportet, quam ut impleantur

Conc. Trid. sess. 6. cap. 6.

B dilectione justitiæ: *Quando id agunt sicut agendum est. id est, cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus accepisse se gaudeant.* Et continuò vocat eam *charitatem.* Et libro de fide & operibus: *Gratia Spiritus sancti per Christum diffusa charitate in cordibus nostris donat justitiæ dilectionem, qua immoderatio concupiscentiæ, superetur.* Et alibi post ista Apostoli verba: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Sic interpretando subnectit: *Charitate igitur Christo, non pœnæ timore cohæremus* &c. *Et unde nisi à charitate nisi à charitate justitiæ?* Non enim ut alibi dicit, *Deum tibi fingere debes quasi idolum, invisibilis est Deus, & Dominus justitia est.* Quam veritatem in Augustino celeberrimam, alibi innumeris penè locis demonstravimus. Si igitur Deus ut *fons justitiæ*, à baptizandis diligi debeat, ac *propterea moveantur* adversus peccatum *eâ pœnitentiâ, quam ante baptismum agi oportet, per odium ac detestationem* eorum, quis dubitet ita

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Lib. de fide & oper. c. 23.

Epist. 144.

Serm. 17. de verb. Apost. c. 3.

Lib. 1. de statu pura nat. c. 5. & seq. & sup. hoc libro.

C etjam Deum à pœnitentibus esse diligendum, ut eâ pœnitentiâ, quam ante Sacramentum pœnitentiæ agi oportet, adversus peccata moveantur. Itaque capite decimo-quarto eadem Synodus conformiter isti principio, expressis verbis docet, & à Pastoribus docendum esse præscribit: *Christiani hominis pœnitentiâ post lapsum contineri non modo cessationem à peccatis & eorum detestationem, aut* COR CONTRITVM ET HVMILIATVM, *verum etiam eorum sacramentalem confessionem* &c. quam statim vocat *secundum Deum tristitiam.* Itaque universa Concilij doctrina de justificatione, clamat veram contritionem, ex qua fiat cor contritum & humiliatum, verum peccatorum, non gehennarum aut dolorum odium ac detestationem, veram non peccandi voluntatem, veram justitiæ dilectionem, ex qua oritur tristitia secundum Deum, justificationem quamlibet antecedere debere.

Sess. 6. c. 14.

D Quorum profectò nullum ex dolore peccati propter solum gehennæ metum, sed ex sola illa contritione, quæ ex offensionis Dei pio dolore proficiscitur. Fallitur enim quisquis putat, per Sacramentum pœnitentiæ effectum esse, ut jam duplex sit justificationis modus, unus per contritionem, alter per illam attritionem, quæ ex solo pœnarum timore de peccatis dolet; sed unus & idem semper est & fuit justificationis modus, per dolorem de offensione Dei; quamvis pœnitentiæ Sacramenti institutio facilitatem assequendæ remissionis attulerit. Ex qua consideratione illud ipsum Concilium Tridentinum dicit, quod *fuit pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui baptismali gratia ablui petivissent*; Et qualis tandem pœnitentia? *Vt perversitate abjectâ & emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Vnde Propheta ait, Convertimini & agite pœnitentiam* &c. Ecce qualis pœnitentia quovis tempore, etjam baptizandis necessaria fuit: quæ videlicet continet abjectionem perversitatis & emendationem, quæ detestetur magnitudinem offensionis Dei, quæ peccati odium inferat, quæ *pium animi dolorem* complectitur, qua denique animus convertatur ad Deum: quorum ne unum quidem attritio ex solo gehennæ metu profecta comprehendit. Nam neque abjicit emendatque perversitatem, sed diversis modis explicatis, animum peccato affixum esse sinit aut facit; neque quicquam de Dei offensione curat, neque peccati odium affert. *Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Sed unde hoc nisi ex charitate justitiæ? *Tantum enim quisque peccatum odit quantum justitiam diligit.* Vnde consequenter fit, ut neque animum convertat *ad Deum*, sed ad seipsum, neque *pium animi dolorem* afferat; nulla enim pietas animi, nisi affectus feratur in Deum; neque quolibet adhuc modo, sed benevolâ dilectione. Vnde sæpè ex Augustino demonstravimus, nullam Christianis esse pietatem nisi charitatem, secundum illud frequenter ab eo traditum: *Pietas cultus Dei est, nec colitur nisi amando.* Quæ omnia, quantum arbitror, perspicuè declarant, doctrinam istam quam Scholastici quidam tradunt de dolore peccatorum ex solo gehennæ metu, non solum Augustini principijs fundatissimis, & per omnes ejus lucubrationes diffusis ex diametro repugnare, sed etjam à Synodi Tridentinæ Patribus multis modis proscriptam esse; quam non perspecta veritas, sed sola inutilis imo perniciosa erga peccatores misericordia peperit. Nam quod illam etjam divo Thomæ & alijs nonnullis gravioris notæ scriptoribus imponere volunt, hoc falsum esse non difficulter ostendi potest, quemadmodum à nonnullis qui sententiam istam tanquam alienam à veritate rejecere, demonstratum est.

Sess. 14. c. 1.

Epist. 144.

Epist. 120. ad Honorat. c. 18.

Vide Guill. Estium in 4. Sent. dist. 15. & 17. Ioan. Syl. in supplem. q. 1. art. 3. & q. 5. art. 1.

CAPVT

CAPVT XXXV.

Multi fructus timoris pœnæ recensentur, ex quibus veritas doctrinæ à Concilio Tridentino de timore pœnæ traditæ patescit & confirmatur.

QVANDOQVIDEM hujusmodi sit timoris pœnarum ac doloris inde nascentis ratio & effectus, facile in mentem cuipiam venire posset, nullum esse timoris gehennæ fructum. Cujusmodi cogitationibus respondeo, multum esse per omnem modum. Nam quamvis perfectius longe sit justitiam diligere, non tamen propterea timor pœnarum exterminandus est.

Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra.

Ad fastigium rerum excelsarum non uno saltu scanditur, sed paulatim à primis radicibus ascendendum est. Timor autem Domini non fastigium, sed initium sapientiæ, hoc est charitatis, quæ sola Christianorum sapientia esse definitur. Vnde Augustinus: *Quisquis Regibus jubentibus obtemperat timore incipiens, & ad dilectionem proficiens, a Domino accipit pacem.* Vt igitur ad sapientiam sive dilectionem justitiæ proficiamus,

Lib. 2. cont. Gaud. c. 12.

Primus fructus timoris pœnæ est, quod quamvis à peccato animum non contineat, manum tamen ceteraque coërcet membra, ne in facta prosiliant. Longe vero mitius ac minus est, sola voluntate peccare, quam ruptis timoris repagulis in apertam legis erumpere prævaricationem: *Pœna corporis*, inquit Augustinus, *etsi non à voluntate peccandi, tamen revocat ab opere peccati.* Et libro secundo contra litteras Petiliani: *Timor pœnæ etsi nondum habet delectationem bonæ conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis coërcet malam cupiditatem.* Ex hac ergo malæ voluntatis compressione nascitur

Epist. 144.

Lib. 2. cont. litt. Petil. cap. 83.

Secundus fructus qui profecto maximus est, quod eodem modo pœnarum timore impeditur homo ne peccata delectabilia sæpius perpetrando catenas concupiscentiæ sibi nectat ineluctabiles. Hoc enim habet externi operis delectabilis designatio præ sola voluntate, quod animum fortissime affigat desideratis expertisque delectationibus, ex quibus postea nullo conatu voluntatis, sed sola & inusitatâ gratiâ Dei expedire se potest. *Cum fraudulentam actionem consecuta fuerit delectatio, cum eos tradiderit Deus in concupiscentiam cordis eorum jam illa delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem, & ad utilia conferre non audeant: quia cum conati fuerint, dolebunt animo, tanquam pedem de compede exuere cupientes. Cui dolore succumbentes, à perniciosis delectationibus nolunt abscedere.* Nam isto modo exteriorum peccatorum frequentatione consuetudo, adeoque necessitas peccandi gignitur, juxta illud Augustini: *Ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Qua sane nihil in moribus pejus inveniri potest. Ex quo principio fit, ut cui Deus iratus est, eum tradat in desideria cordis sui, ut faciat etiam externis factis quæ non conveniunt, atque ita consuetudine perversâ captivus arctissimè sub diaboli potestate vinciatur. Nam ut idem Augustinus: *Quæ duo scilicet natura* (naturalis libido) *& consuetudo conjuncta, robustissimam faciunt, & invictissimam cupiditatem.* In hoc ergo tam magnum malum ne incidat homo, etiam qui est malæ voluntatis, pœnarum timor impedit fortissime, quia timor pœnæ, voluptatum desiderio fortior est: eaque de causa nihil verius esse dicit Augustinus, quam quod dictum est: *Initium sapientiæ timor Domini: Nemo est quippe qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem: quandoquidem videmus, etiam immanissimas bestias à maximis voluptatibus absterreri dolorum metu.* Et his duobus modis vocatur ab Augustino timor pœnæ custos à malo, ut tandem ad dilectionem justitiæ perducatur: *Time tamen*, inquit, *ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem.* Et inferius: *Adhuc timor ille servilis est, custos quidem malorum, ut abstineant se à malo, & abstinendo digni sint ad se admittere charitatem.*

In Psal. 9.

... 1. Con... cap. 5.

Lib. 1. q. 1. ad Simplic.

Lib. 83 qq. q. 36.

Serm. 18. de verb. Domini cap. 8.

Ibid. cap. 10.

Tertius fructus est, & is valde quoque singularis, quod timor pœnæ, externa saltem opera non frequentando, malorum operum tollit consuetudinem, quæ maximum bene vivendi impedimentum est; quatenus facit ut opera bona, tanquam contraria insolitæ consuetudini suæ, gravissima esse videantur. Augustinus: *Proinde præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum, quæ tanquam domina veniente, ut illa vestigia abscedit.* Et in Psalmum centesimum vigesimum-septimum: *Timent quidem sed non amant justitiam. Cum autem per timorem continent se à peccato,* externo scilicet, *fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus: & jam incipit homo juste vivere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.* Hinc ergo nascitur

Epist. 120. cap. 18.

In Psal. 127.

Quartus fructus, quod timor externorum actuum bonorum frequentatione pellens consuetudinem malam, inducit quandam benefaciendi facilitatem, quæ proximus gradus est ut justitia diligatur. Incipit enim dulcescere opus bonum ac dilectione dignum videri, & quodammodo sentiri quod antea molibus arenarijs intolerabilius cupiditati videbatur.

Lib. 83. qq. q. 36.

Vnde Augustinus cum homines pœnis à peccatis deterrendos esse docuisset, *Iam verò*, subjicit, *cum aliqua non peccandi consuetudo, quod onerosum putabatur, facile esse persuaserit, incipiat gustari dulcedo pietatis, & commendari pulchritudo virtutis, ut charitatis libertas præ servitute timoris emineat.* Qui gustus dulcedinis, quomodo ex nonnulla abstinentia à peccatis oriatur, quam pœnæ timor efficit, alibi præclara & obvia usus comparatione rudioribus Christianis explicat: *Qui iniquitate usus est, & pastus peccatis in corde, incipit non posse manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit. Vnde non facit? Quia cum cœperit facere laborat, quomodo sentimus laborare dentes post uvas acerbas, cum cœperimus panem manducare. Sed quid faciunt illi quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab uvis acerbis, & redeunt dentes ad stabilitatem suam & incumbunt pani. Sic & nos laudemus iustitiam. Sed si nos volumus manducare iustitiam*, hoc est, facere, ut statim explicat, *temperemus nos ab iniquitatibus; & nascitur in corde non solum delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facilitas manducandi.* Hanc ergo nonnullam à peccatis abstinentiam pœnæ timor operatur, ut paulatim justitiam operandi facilitas redeat.

In Psal. 48. Conc. 2.

Quintus fructus est, ut dum peccatores timent vehementer pœnas, quas Deus transgressoribus legis comminatur, timore pressi & coarctati, ad Dei misericordiam supplices fugiant, quatenus misso cœlitus adjutorio ad faciendam legem, ab intentata pœna liberentur: *Legem*, inquit, *terrendis imposuit iniustis, ut cum & ipsis cœperit insolita concupiscentia morbus incentivo prohibitionis & cumulo prævaricationis augeri confugiant per fidem ad iustificantem gratiam, & per donum Spiritus suavitate iustitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.* Et alibi breviter & nervosè; *Lex iram*, id est, supplicium, *operatur, ut ad iram evadendam Dei gratia requiratur.* Qui fructus ita magnus est ut Augustinus hunc unum ex præcipuis esse fateatur, propter quem lex vetus comminationibus ac terroribus plena, data fuerit: *Vt videlicet timor legis humilem factum ad fidem gratiamque perduceret.* Vnde alibi audet ac dicit, quod *ad solam Christi gratiam* agnoscendam & invocandam, *utiliter legis velut pædagogi timor ducit.* Qua de re alibi plura dicta sunt. Quam occultam cum peccatoribus œconomiam, etiam nunc Deus cum Christianis observat. Gravissimas enim gehennæ pœnas intentat transgressoribus, ut mins-territi, ac de propriis diffisi viribus quas imbecilles esse ad concupiscentias ardentissimas vincendas esse sentiunt, piâ humilitate divinæ gratiæ adjutorium petant, quo justitiâ præceptorum delectati pœnam litteræ minantis evadant.

Lib. de Spir. & lit. c. 10.

Lib. 2. oper. imper. cont. Iul. f. 366.

Lib. de perf. iust. cap. 5.

Lib. de nat. & grat. c. 1. Vide dicta lib. 1. de grat. Christi Sal. vat. c. 11.

Cùm igitur isti fructus sint, quos timor legis in peccatoribus iter sapientiæ arripere incipientibus parit, meritò sanè sanctus Augustinus de timore dicit, *quod magnum sit præsidium procedentibus ad salutem.* Meritò timorem pœnæ *bonum, utilem, saluberrimum* vocat: hortaturque Christianum: *Fac, fac vel timore pœnæ si nondum potes amore iustitiæ:* Et alibi: *Noli timere pœnam, sed ama iustitiam: nondum potes amare iustitiam time vel pœnam, ut pervenias ad amandam iustitiam.* Nimirum quia nemo fere, vel nemo à perfecto incipit. Vnde etiam sanctum Paulum tradit ad diligendum Deum timore perductum: *Quem*, inquit, *maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras misit timorem.* Vbi ad hoc respicit, quod Paulus terribiliter divinâ potestate prostratus fuit, tremensque ac stupens dixit: *Quid me vis facere?* Timor ergo plerumque, vel ut Augustinus in libro de Catechizandis rudibus tradit, prius hominem ad arripiendum bonum concutit, ut iter ad charitatem paret. Vnde Tractatu nono in Epistolam Ioannis: *Si nullus timor, non est quà intret charitas.* Et in Psalmum centesimum quadragesimum-nonum: *Nisi timore incipias homo Deum colere, non pervenies ad amorem.*

In Psalm. 5.

In Psal. 127. Lib. de Catechiz. rud. cap. 5. Tract. 41. in Ioan.

Epist. 50.

Act. 9.

Lib. de Catechiz. rudib. cap. 5. Tract. 9. in Epist. Ioan.

In Psalm. 149.

Ex his perspicuum fit, quam sit sacris litteris & Augustino consentaneum, quod Concilium Tridentinum docet; *peccatores à iustitia divinæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem erigi.* Et de contritione loquens imperfecta, quæ ex formidine pœnæ hominem ad abrumpendam peccandi voluntatem, & arripiendum vitæ melioris propositum convertit: *Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt.* Liquet etiam quam providè definierit, *gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum non esse aut peccatores peiores facere.* Quod tamen observandum est, à Concilio non de quolibet gehennæ metu dici, sed de illo duntaxat, *per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus: vel à peccando abstinemus.* Quo significatur ille metus qui veram contritionem quamvis imperfectam parit & cum ea conjunctus est. Nam per illum gehennæ metum, qui tantummodo attritionem illam Scholasticorum quorundam efficit, non tam de peccatis quam de pœnis peccatorum homo dolet: *Non enim peccare metuit, sed ardere.* Nec per illum à peccando abstinemus aut abstinere possumus, quia per illum inviti facimus quicquid boni facere videmur. *Nemo autem invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit.* Quanquam nec iste servilis pœnarum timor, quatenus timor, sit peccatum aut malum. Bonus enim est timor quatenus timor, & eo quo supra diximus modo datur à Deo, quamvis servilitas ejus adjuncta mala sit. Sic enim & anima peccatrix, non quatenus peccatrix, sed quatenus anima & bonâ est & creatura Dei. Ex quo consequitur, ut etiam ille timor, peccatores nequaquam pejores, sed meliores potius facere dicendus sit. Continet enim saltem opus, si non animum. Vnde habere facit *innocentiam manuum, si non cordis.* Itaque timor iste servilis hominem ad justitiam præparat, non quidem

Conc. Trid. Sess. 6. c. 6.

Sess. 14. c. 4.

Sess. 6. Can. 8.

Lib. 1. Confess. cap. 12.

In Psal. 77.

dem in quantum servilis, hoc est, ab amore justitiæ separatus est, & in ipso homine ultimo requiescit, peccandique voluntatem ex eo capite conjunctam habet, sed in quantum est timor pœnæ, cujus exspectatione si non ex toto, saltem aliqua ex parte, is qui serviliter timet à peccato revocatur, & ad justitiam diligendam ijs quos recensuimus modis præparatur. Amplius à timore pœnarum exposcere, est officium Domini à pedissequo, libertatem à servo postulare: unoque verbo hoc exigere, ut timor pœnæ sit charitas justitiæ: *Timor enim servus est, charitas libera est, & ut sic dicamus timor est servus charitatis.* Vnde fit ut timor charitati serviendo, *id agat ne facias, charitas id agat ne velis facere, etiamsi impune possis admittere.*

A Quantò satius & utilius timori tribuas quod timoris est, ne præposterè suffectus in charitatis locum, nec ista retineat dignitatem suam, nec ille utilitatem suam: atq; ita utrimque & peccator & justus perniciosissimè fallantur, dum neque diligens quid sibi à Deo donatum adsit, neque timens quid sibi adhuc donandum desit, agnoscit. Ex quo non raro forsan accidit, ut ex hujusmodi ignorantia, salute sua sempiterna peccatores excidant, dum securi ad pœnitentiæ Sacramentum cum dolore bonæque vitę proposito, propter solum gehennę metum concepto accedere jubentur, cum quo eos Augustinus invitos esse & nondum liberos aut alienos à voluntate peccandi securissimè constantissimèque profitetur.

FINIS.

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS

LIBER SEXTVS.

Qui est primus de libero arbitrio.

PRÆFATIO.

ORDO postulat ut jam de concordia gratiæ istius medicinalis & liberi arbitrij paulo accuratius disseramus. Quod quia difficulter fieri potest, nisi natura libertatis utcumque percepta sit, operæ pretium fuerit ad rem totam planius intelligendam, ab ovo ordiri naturamque liberi arbitrii universam, quemadmodum ab antiquis gratiæ defensoribus contra Pelagianos luctantibus intellectum fuit, lectorum oculis subijcere. Qua de re non possumus quoque tutiorem ducem aut peritiorem sequi, quam illum, quo neminem hujusce rei Ecclesia peritiorem habuit, nemo majori gloriâ ejus adversarios protrivit, nemo acrius in hoc ipso argumento exagitatus fuit, nemo constantius & uniformius libertatem arbitrij ab initio conversionis ad finem vitæ usque defendit. Falluntur enim toto cælo, qui ut liberrimas suas opiniones à Christiana gratia non mediocriter dissonantes, ab Augustini censura

 subtra-

Digitized by Google

subtrahant, causantur eum cum hostibus nimium liberæ voluntatis vires tuentibus luctatum esse, & propterea in alteram partem obnixius tetendisse, ut facilius adversarios suos depressa humanæ voluntatis libertate deprimeret. Quæ cantilena passim ab ijs frequentata est, qui se ab ejus doctrinæ tramite recessisse forsan conscij sunt. Sic enim & illi qui contra Augustini sensum pœnas parvulorum post hanc vitam, non multo modestius quàm ipsi Pelagiani elevant, hoc ipsum velum suis conatibus præferunt. Ita fit ut illo specioso prætextu Augustini doctrina tam de peccato originali, quàm de libero voluntatis arbitrio, adeoque de Christi gratia, quæ sine libero arbitrio intelligi nequit, in præsentissimum periculum adducatur. Sed boni isti viri duplici ex capite hallucinari videntur: tum quia nihil de libero arbitrio Augustinus adversus Pelagianos docuit, quod non diu ante nullo adhuc adversario secum litigante, vel Ecclesiam lacessente tradiderit: tum quod ignorare videantur, nullam acerbiorem sæpiusque & invidiosius repetitam calumniam fuisse impactam Augustino, totique Ecclesiæ Catholicæ, cujus partes ipse solus in illo conflictu litterario, ex ejusdem Ecclesiæ autoritate sustinebat, quam quod ex liberi arbitrij destructione, tum ipse esset, tum Ecclesia tota Manichæa. Audite adversus strenuissimum Ecclesiæ pugilem totamque Ecclesiam intonantem Iulianum: *Dicunt illi Manichæi quibus modo non communicamus, id est, toti isti, cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est, Adæ liberum arbitrium perierit.* Et in opere postremo, cui refellendo immortuus est Augustinus, hæretica impudentia insultans adversario suo: *Ceterum duo ista quæ iungis, liberum & non liberum, id est, liberum & captivum, illi quidem rei de qua agimus,* (id est, libero arbitrio) *convenire non possunt. Tibi vero stultitiam singularem, impudentiam novam, impietatem veterem* (id est, Manichæorum) *adesse testantur.* Et paulo ante: *Hic intellectus est* (liberi arbitrij) *qui cum illis quos enumeravimus vos etiam* (id est, Catholicos) *à Christo monstrat alienos.* Et rursum inferius disputationem suam totam in summam colligens: *Quo collecto convinceris inficiari dogmata tua, ut promittas te liberum arbitrium non negare, quod ante mali, postea boni necessitate subvertis.* Quapropter tantis conatibus prolixissimæ disputationi suæ immoratum esse protestatur: *Vt ostenderemus,* inquit, *certissimum esse quod dixeram, quia negarent liberum arbitrium homines, qui vestro fuissent sermone deterriti, & in verum exitium vanâ formidine truderentur, teque esse præcipuum arbitrij liberi negatorem.* Ex quibus & alijs plurimis locis, quæ proferre in promptu est, manifestissime patet, quam immerito nonnulli dicant, Augustinum propter Pelegianos liberum arbitrium depressisse; cum è contrario nullam ipse totaque Ecclesia calumniam graviorem passa sit, quam quod everteret arbitrij libertatem, & ipse non semel fateatur, quęstionem illam fuisse sibi explicatu perdifficilem. Ex quo fit, ut ipse potius liberum arbitrium magnopere extollere debuisset, vel potius via regia incedere, ne libero arbitrio favendo Pelagianus, adversando Manichęus esse videretur. Nos vero potius, si illa regula recentiorum locum habere posset, in tradenda veritate liberum

Lib. 1 ad Bonif. c. 2.

Lib. 1. oper. imper. f. 124

Ibid. f. 161.

f. 164.

Digitized by Google

liberum arbitrium deprimere deberemus. Nam quemadmodum tempore Augustini male audiebat Ecclesia, quod Manichæismum traderet, ita nunc propter quorundam recentiorum novas opiniones traducitur, quod Pelagij sensa de arbitrij libertate & potestate docet; unde quanto maiori omnibus curæ est, tueri salutem suam, quam alienam offendere, tanto diligentiori sollicitudine Augustinus Ecclesiam à Manichæismo destructæ libertatis, nos à Pelagianismo enecatæ gratiæ purgare deberemus. Astruendo enim dominatricem gratiam destruebat quidem Pelagium, sed non purgabat seipsum à Manichæo: nos vice versâ defendendo illam indifferentem libertatem, Calvinum quidem subvertimus, sed Pelagij maculam non diluimus. Sed quæcumque tandem Ecclesiam erroris pestis oppugnet, quæcumque calumnia desertæ veritatis, impingatur, absit ut quicumque Doctor Catholicæ veritatis ita unum declinet errorem, ut in alterum incidat. Absit multo magis, ut profundissimus ille Ecclesiæ Magister Pelagianos ita debellaverit, ut in depressione humanæ libertatis excesserit, aut suspectus sit. Antiquæ sunt illæ & usu tritæ omnium eorum voces, qui cælesti ejus doctrinæ, & à sanctissimis Ecclesiæ Romanæ Præsulibus sæpenumero comprobatæ, obtrectare statuerunt, vel alteram inducere. Adversus cujusmodi, *qui pyssimis Disputatoribus obviare præsumunt, & Magistris nostris tanquam necessarium modum excesserint*, *obloquuntur*, jam olim à divi Petri throno Celestinus intonuit. *Nec unquam hunc* (Augustinum) *sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos, etiam à meis prædecessoribus semper haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori. Unde resistendum talibus quos male crescere videmus.* Nam in disputando cum hæreticis ita fugere errorem, ut vel in minimo regulam veritatis excedas, non est veritatem defendere, sed evertere, non Ecclesiæ causam protegere, sed prodere. Vnde in hac eadem omnino causa similes hominum præveniens suspiciones, in medio duorum errorum sine utriusvis labe, illibato tramite incedendum esse definiens præclarissime dicit: *Possunt duo errores inter se esse contrarij, sed ambo sunt detestandi, quia sunt ambo contrarij veritati. Nam si propterea diligendi sunt Pelagiani quia oderunt Manichæos, diligendi sunt Manichæi quia oderunt Pelagianos. Sed absit ut Catholica mater propter alterorum odium, alteros eligat amare, cùm movente atque adiuvante Deo debeat utrosque vitare, & cupiat utrosque sanare.* Absit igitur ut Augustinus, qui istum tuendæ veritatis modum tam diserte in hoc eodem argumento tradit, sui-ipsius oblitus ita gratiam asseruerit, ut vel in minimo liberum arbitrium læserit. Noverat ipse quæstionem esse perquam delicatam, difficilem, ancipitem, in pondere & mensura tractandam, verba, syllabas, apicesque in statera ponderandos. Fuerat pulsatus eâdem calumniâ, jam verba ipsius in præjudicium libertatis, ut ipse testis est, rapta fuerant: *Asseris*, inquit adversus Iulianum, *me in alio libro meo dixisse, Negari liberum arbitrium si gratia commendetur: & iterum negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium.* Vnde promittebat Iulianus quod

In Epist. Celest. ad Gallorum Episcopos.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Lib. 4. c. 8.

cum

cum *libri ipsi* Augustini *ventilari cœpissent*, *à se illa sententiarum nudaretur & confoderetur impietas.* Sed reponit ei cautissimus Doctor: *Calumniaris. Non hoc à me dictum est: sed propter ipsius quæstionis difficultatem videri hoc potest dictum esse & putari* &c. *Quis non exspectet sapientiam disserentis, qui fidem cognoverit mentientis?* Cùm igitur tantopere hâc eversæ libertatis calumniâ vexatus fuerit Augustinus, quis mente sobriâ suspicari audeat, eum in deprimendo voluntatis arbitrio debitum excedere voluisse modum? Cùm si ullus hujusmodi cogitationibus detur locus, tota doctrina de gratia & libero arbitrio, de quorum conciliatione librum ex professo scribere compulsus fuit, periclitetur. Ille quippe cardo est in quo tota causa vertitur. Quem tam feliciter attigisse & enodasse visus est universæ Ecclesiæ in hunc usque diem, ut nemo de doctrinæ istius veritate, sive gratiam sive liberum arbitrium arctissimo vinculo inter se colligata spectes, ausus fuerit dubitare. Nec mirum sanè cum Romæ sanctissimi Præsules diversis sanctionibus profundissimam cautissimamque doctrinam ejus in hac parte comprobaverint & Ecclesia suam fecerit. Hinc illa Ioannis secundi Romani Pontificis verba auctoritate plena, quæ adversus Acœmetas Monachos Nestorianos protulit: *Sanctus Augustinus, cuius doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia.* Vt non immeritò magnopere dolendum sit, nonnullos ita humanis & plerumque fallacibus ratiocinationibus deditos esse, ut liberi arbitrij intelligentiam tutius ab Aristotele & è Gentili Philosophia, quam ex antiquæ Ecclesiæ promptuarijs hauriendam esse arbitrentur. Nempe quia res ista cum naturalis intelligentiæ terminos non excedat, ratione quoque metienda est. Quasi vero ullus ab Ecclesia peregrinus sublimitate rationis Augustino præferendus vel conferendus sit; qui sine Magistro solâ cælestis doni prærogativâ, se adolescentem non tantum Aristotelis Categorias difficillimas legisse, & ita intellexisse coram Deo teste profitetur, ut postea cum eruditis conferens, nihil ab eis audiret quod non ante solus apud se-ipsum legens percepisset; sed omnes libros artium, quas liberales vocant, per se-ipsum legit, & intellexit, quoscumque legere poterat. Cujusmodi ingenij prodigium, nescio an quisquam unquam viderit, aut in ullis Historijs legerit. Quo sanè non paulo mirabilius est, quod cum Theologiam nunquam didicisset aut sacras litteras vel à limine salutasset, solâ cælestis gratiæ infusione subitò institutus, statim à Baptismo stylum arripuerit, tantâque eruditione & firmitate profundissima quæque mysteria Catholicæ fidei enodaverit, divinamque imprimis gratiam & liberum arbitrium adversus Manichæos asseruerit, ut ante exortos etiam Pelagianos, correcto per divinam *revelationem* errore de initio fidei (quem aliqui recentiores neque post tot disputationes Augustini & Ecclesiæ definitiones advertere, nedum corrigere potuerunt) nihil de doctrina sua liberum arbitrium spectante, nec senex potuerit emendare, neque posterorum quisquam de emendatione cogitare. Nec mirum sane, cum Ecclesia doctrinam ejus hac in parte non tantum approbaverit, sed amplexa fuerit, nec ullum penè Canonem,

Epist. 3 ad Senatores.

Lib. 4. Confess.

nonem, nisi proprijs Augustini verbis de gratia & libero arbitrio expresserit. Vt sine temeritate dicere liceat, eum qui sanctissimi Doctoris hujus sententiam de libero arbitrio eruere potuerit, Ecclesiæ Catholicæ sensum producturum. Neque enim alium ipsa novit, nisi qui in sponsi sui scriptis, hoc est, in sacris litteris, & in suis precibus inculcatur, quas Augustinus ad amussim cum Pelagianis dimicando sectatus est. Desinat hic obstrepere Aristotelica Philosophia, quæ in ista causa cum Pelagio atque Iuliano plenis buccis eam crepante, damnata est. Neque enim aliud est quicquam hæresis Pelagiana de gratia & libero arbitrio, quam pura puta Aristotelica Philosophia, sicut suis locis ostendimus. Quid vero Aristoteles, vel quisquam alius Gentilis Philosophus de gratia in ipsam voluntatem operante vel audivit unquam vel suspicari potuit? Quid de arbitrij infirmitate, de plagis illis horrendis, propter quas sola Christi gratia necessaria est, illi cogitare potuerunt? Nonne præsumptione liberi arbitrij sui tumescentes, omnes omnino passiones corporisque dolores & voluptates atque animi motus sui superbissimi sapientis arbitratui subdiderunt? Quo nihil falsius in vera Philosophia, nihil capitalius Christi gratiæ in Christiana Philosophia de libero arbitrio dici potuit. Horum tamen voce arrogantissime clamabat Iulianus, *Hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges.* Ex quo fit ut nihil magis in hoc argumento de libero arbitrio suspectum esse debeat, quam Aristotelica illa Philosophia, cujus solius armis instructus Iulianus & Pelagius libertatem humani arbitrij defenderunt.

Facessat & ista hinc invidiosa querimonia, quod Augustini sententia Calvino aut Luthero favere videatur. Si enim Augustini est, illorum error esse non potest. Sed quia non usque adeo hæretici exorbitare solent, quin sæpe in aliquibus articulis veritatem, in alijs nonnulla veritatis lineamenta retineant, si quid fortè hac in re cum Augustino senserint, veritas amplectenda est, sin dissenserint, error corrigendus. Sub hujus sanctissimi Doctoris auspicijs mihi constitutum est, sensum ejus, quantum Deus vires dederit, indagare, & quicumque ille fuerit, cum omni Christiana sinceritate proponere, nullius erroris invidiam aut mihi timens aut alteri quærens. Quo conatu meo si genuinum sensum ejus attigero & propalavero, nemo, spero, tam iniquus erit rerum arbiter, qui in tanta doctissimorum scriptorum concertatione, non utilem operam me in publicum contulisse fateatur; sin aberrasse, & aliud Augustinum sensisse ex scriptis ejus demonstrari potest, uberrimum fructum laborum meorum quibus per multos annos assidua diligentia ejus monumenta pervolvi, me tulisse, libentissime profitebor.

CAPUT PRIMUM.

De nomine liberi arbitrij & voluntatis.

VT autem ab ipso nomine incipiamus, liberum arbitrium quidam propriè dici putant de actu rationis simul & voluntatis, ut arbitrium idem sit, quod judicium, sicut arbitrari pro judicare nonnunquam usurpari solet, & ita dicatur arbitrium propter rationem, liberum propter voluntatem. Hinc sanctus Bernardus: *Is ergo talis consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem & rationis quod semper secum portat ubique indeclinabile judicium, non incongrue dicitur, ut arbitror, liberum arbitrium, ipse liber sui propter voluntatem, ipse judex sui propter rationem.* Et paulò pòst: *Quapropter hujusmodi voluntarium consensum puto non incongrue esse, quod solet liberum arbitrium appellari, ut liberum referatur ad voluntatem, arbitrium ad rationem.* Idem videntur sentire Autor hypognostici antiquus ac doctus, dum dicit *arbitrium ab arbitrando rationali consideratione vel discernendo quid eligat, quidve recuset, puto quod nomen accepit: ideo liberum dictum quod in sua positum sit potestate, habens agendi quod velit possibilitatem.* Et Magister sententiarum: *Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis &c. Liberum quantum ad voluntatem quæ ad utrumlibet flecti potest, arbitrium verò quantum ad rationem, cujus est facultas vel potentia illa, cujus etiam est discernere inter bonum & malum.* Hanc discretionem rationis indicat ibidem, sicut & Auctor hypognostici jam citatus, antecedere ante voluntatis electionem, utpotè quæ velut lucem voluntati præferat ut eligere possit: Bernardus verò, quod mirum videri queat, potius vult eam voluntatis esse pedissequam, ut de ipsa voluntatis electione bona vel mala judicet: Sic enim loquitur: *Et merito libertatem comitatur judicium, quoniam quidem quod liberum sui est, profectò ubi peccat, ibi se judicat. Est autem judicium quia juste profecto, si peccat, patitur quod nolit, qui non peccat, nisi velit.* Et interiùs: *Quapropter voluntarium liberumque consensum, ex quo & omne sui constat pendere judicium &c. puto liberum arbitrium appellari.* Et multis interpositis: *Ex hac ergo tantum libertate, qua liberum est voluntati seipsam judicare, vel bonam si bono, vel malam si malo consenserit, quippe quæ in neutro nisi certe volendo consentire se sentit, liberum arbitrium credimus nominari.* Sed quicquid sit de sancti Bernardi mente & aliorum sententia, ex Augustini scriptis satis manifestum est, per liberum arbitrium non nisi solius voluntatis potentiam vel actum significari, utpote qui solus propriè & immediatè liber sit, ratio verò non nisi mediante voluntate. Patet hoc ex eo quod passim Augustinus liberum arbitrium sine discrimine vocare soleat, liberum voluntatis arbitrium, voluntatis arbitrium, arbitrium libertatis, liberam voluntatem. Hinc Epistola centesima septima: *Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem &c. non nisi sua libera credere voluntate.* Et Epistola centesima-sexta: *Quod eis ad magnum imputaretur sacrilegium, si iam in eis aliquid valeret voluntatis arbitrium.* Et paulò pòst negat asinis *liberum voluntatis arbitrium* esse tribuendum. Et libro secundo de peccatorum meritis dicit quosdam tantum præsumere *de libero humanæ voluntatis arbitrio*, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitus opinentur, semel ipsi naturæ *concesso libera voluntatis arbitrio.* Et in Epistola octogesima-nona: *Lex est etiam in ratione hominis, qui iam utitur arbitrio libertatis naturaliter in corde conscripta.* Et ibidem cum præmisisset; *ad hoc se intelligant habere quantum possunt liberum arbitrium* &c. statim subjungit apertissimè: *Hæc enim voluntas libera, tanto erit liberior quanto sanior* &c. Et evidentissimè in libris de libero arbitrio disputans cum Evodio, utrum debuerit homini à Deo liberum arbitrium dari, indifferenter id semper nominat, liberum arbitrium, & *liberam voluntatem*, & liberum voluntatis arbitrium. Hinc in libro de gratia & libero arbitrio, ut probet in homine esse liberum arbitrium, non aliud probat quam inesse homini voluntatem, hoc est, motum volendi. Vnde prolatis multis divinarum Scripturarum testimonijs quæ jubent hominem velle vel nolle, concludit Augustinus: *Nempe ubi dicitur noli hoc & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Et rursum interiùs: *Vtique cui dicitur noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis ejus convenitur: velle enim & nolle propriè voluntatis est.* Nam arbitrium voluntatis seu liberæ voluntatis nihil significat aliud in ista phrasi apud Augustinum usitatissima, quam arbitrium volendi. Quid quod alios expressis verbis liberum arbitrium à ratione distinguit? *Ecclesia in omnibus ad eam pertinentibus hominibus, qui iam ratione mentis utuntur, & voluntatis arbitrio ei veraciter dicit: Dimitte nobis* &c. Vnde quod paulò superiùs in eadem Epistola præmiserat: *Porro si iam uterentur* (parvuli) *rationis & voluntatis arbitrio*, non significat liberum arbitrium ex ratione & voluntate esse compositum, sed potius contrarium insinuatum cupit. Nam per arbitrium rationis, significat rationem mentis, ut suprà dicentem audivimus, per arbitrium voluntatis, propriè liberum arbitrium: utrumque enim arbitrium vocari potest, etsi non utrumque liberum. Vel certè indicat liberum voluntatis arbitrium, nunquam sine ratione præeunte in suum actum surgere. Et ista sententia eodem modo à prospero & Fulgentio docta fuit, qui Augustinum sequi solent: sed omnium

Marginal notes: A; B; C. — *Lib. de lib. arb. non procul ab initio.* — *Lib. 3. hypogn. c. 4.* — *In 2. dist. 24.* — *Loco supracit.* — *Epist. 107.* — *Epist. 106.* — *Vide lib. 12. 18. supra.* — *Lib. de grat. & lib. arb. c. 2.* — *Cap. 3.* — *Epist. 89.*

omnium apertissimè à sancto Ioanne Damasceno, qui etiam Patrum antiquorum definitionem non aliam fuisse tradit, quam quod liberum arbitrium sit voluntas: *Cum divina natura*, inquit, *suapte natura liberum arbitrium, volendique facultatem habeat, homo quoque ut ipsius imago arbitrij libertate volendique facultate naturaliter præditus erit. Quippe Patres liberum arbitrium voluntatem esse definierunt.*

[margin: ...Ortho...]

Observatione verò dignum est, quod quamvis in phrasibus supradictis liberum voluntatis arbitrium, potentiam ipsam voluntatis quatenus liberam significet, sæpè tamen voluntas non ipsam facultatem, sed actum liberum facultatis denotat. Testimonia sunt innumera in scriptis ejus passim obvia: usque adeo ut rara exempla sint, quamvis nonnulla sint, in quibus pro potentia sumatur. Nam & ubi ipsis phrasibus, liberum arbitrium voluntatis, arbitrium voluntatis, & similibus idem significari videtur, ac si diceres, arbitrium liberum volendi. Hinc in libris de libero arbitrio: *Quid tam in voluntate, quam ipsa voluntas* (id est, ipsum velle) *sita est?* Quo loco & paulò pòst facilè decies consequenter, voluntas & bona voluntas, pro volitione sumitur. Et illa in libris de Trinitate: *Eadem volentium est voluntas una: cum & in ipsis qui hoc idem volunt, sua voluntas sit cuique conspicua, alterius autem lateat, quamvis idem velit.* Et mox latè disputat, quænam sint eædem voluntates, id est, eædem seu earundem rerum volitiones & appetitiones in hominibus. Hinc illud sæpissime in Augustino repetitum, quod charitas non sit aliud quam bona voluntas: *Quid est*, inquit, *aliud charitas quam voluntas?* Et alibi: *Ipsa est charitas quæ dicitur voluntas bona.* Et in Epistola ad illustrem viduam Iulianam: *Proprium arbitrium nisi Dei gratia juvetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest.* De cujus charitatis & bonæ, itemque malæ voluntatis causâ, quam & defectionem vocat, ex professo disputatur, & sexcenties in illo sensu voces illæ repetuntur in libro duodecimo de Civitate. Hinc illa ejus expositio frequenter iterata, quod illæ duæ arbores de quibus Christus mentionem facit, quando dicit, *Non potest arbor bona malos fructus facere* &c. significent bonam & malam voluntatem, quarum bona sit charitas, mala cupiditas. Hinc omnes affectiones animi, cupiditatem, lætitiam &c. voluntates quasdam esse definit, in libro decimo quarto de Civitate Dei: *Rectamque voluntatem esse bonum amorem, & voluntatem perversam malum amorem.* Hinc denique voluntatem hoc modo definit: *Est animi motus cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum.* Quod idcircò admonendum duxi, ut quando Augustinus bonam & malam voluntatem nominat, sciamus quid loquatur, nec putemus, potentiam voluntatis ab eo, sed ipsos motus animi seu proposita designari. Quidam enim phrasibus Philosophorum recentium assueti, qui voluntatem volitionem vocare solent, antiquorum Patrum, imo ipso genuino latinæ linguæ usu minus periti, cum voluntatem nominari audiunt, nihil aliud suspicari possunt nisi potentiam voluntatis, & ideo in alienos nonnunquam sensus, planissima auctorum verba detorquent.

[margin notes, left: Lib. 1. de lib. arb. c. 12. 13. & 14. — Lib. 13. de Trinit. c. 2. — Lib. 15. de Trin. c. 20. & c. 36. — Epist. 143. — Cap. 6. 7. 8. 9. &c. — Matth. 7. — Lib. de grat. Christi c. 20. — Lib. 1. cont. Advers. legis & Proph. c. 42.]

[margin notes, right: Cap. 6. & 7. — Lib. de duab. animab. c. 10.]

Nec tamen ille generalis usus voluntatis pro motu animi sive malo sive bono apud Augustinum perpetuus est. Nam subinde voluntatem peculiari acceptione vocis, pro solo bono motu voluntatis usurpat, cui cupiditas opponatur, tanquam voluntas mala: *Quantum est*, inquit, *quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas, alioquin tutius cupiditas, quam voluntas propriè nuncupanda est.* Iuxta quam acceptionem alibi docet Christum locutum esse quando dixit: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Notat enim nonnullos interpretes addidisse, quæcumque vultis *bona*, ne quis mala quæ vult sibi fieri etiam alijs velit. Sed in græco nihil tale additum invenitur, sed nudè, quæcumque vultis ut faciant &c. *Et hoc unde*, inquit Augustinus, *nisi quia hoc loco, modo quodam proprio voluntas posita est, quæ in malo accipi non potest?* Vsurpatio illa à Stoicis quibus peculiaris fuit, fluxisse mihi videtur. Nam sapientes dicebant velle, stultos cupere: *Voluntas quippe*, inquiebant, *appetit bonum, quod facit sapiens.* Vnde quas Cicero constantias nominavit, Stoici tres esse voluerunt, pro tribus perturbationibus nempe vitiosis, in animo sapientis: pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. Sapientem ergò dicebant velle, gaudere, cavere; stultum non nisi cupere, lætari, metuere, contristari. Sed de istis vocum acceptionibus satis.

[margin notes, right: Lib. 1. retract. c. 15. — Matth. 7. — Lib. 14. de Civit. c. 8.]

CAPVT SECVNDVM.

Liberum opponitur servo, captivo, dominationi alterius subjecto. Est esse inalligatum, inimpeditum &c.

[margin: Lib. de Spir. & lit. c. 30.]

VT autem ad veram liberi arbitrij intelligentiam à notioribus ad ignotiora nitamur, manifestum est *in ipso nomine liberi arbitrij, libertatem sonare.* Libertas autem in consuetudine latinæ linguæ, duobus modis dicitur. Vsurpari enim hoc verbum ita solet, ut penè quicumque liberatur, intelligatur periculum aliquod evadere, carere molestijs, ut cum liberari dicitur à morte, infirmitate, naufragio. *Vsitatè dicitur*, inquit Augustinus, *non tamen propriè.* Propriè verò liberare est liberum facere. Libertas autem

[margin: Tract. 41. in Ioan.]

autem opponitur servituti, quod nisi omnium hominum judicio esset verum, innumeris pæne testimonijs Augustini perfacilè esset ostendere. Ostendit hoc luculentè colloquium Christi & Iudæorum apud Ioannem. Cùm (Ioan. 8.) enim dixisset Christus, *Et veritas liberabit vos*, responderunt Iudæi: *Neminiservivimus unquam, quomodo tu dicis, liberi eritis?* Quibus iterum Christus: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati.* (Tract. 41. in Ioan. & Serm. 48. de verb. Dom.) In quem locum Augustinus notat, & ex græcæ locutionis proprietate Iudæorumque responsione constare, quod *liberabit*, de libertate propriè dicta intelligi debeat, nec aliter possit. Origo autem vocabuli servorum in latina lingua inde creditur ducta, quod hi qui belli jure possent occidi, à victoribus cum servabantur captivi, servi fiebant, à servando dicti. Ex quo fit ut servus & captivus pariter opponantur libero. Vtrumque non solùm in ista vulgari libertate, quæ ingenuis conditione propria est, locum habet, dicente Augustino: (Serm. 48. de verb. Dom. c. 3.) *Ingenuus est aliquis, captivatur a barbaris, ex ingenuo factus est servus*; sed inprimis in ista propriè dicta arbitrij libertate de qua sermo est. Opponitur enim ei non minus captum esse, quam servum. Nam de captivitate declarat hoc (Epist. 107) Augustinus multis locis: *Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam &c. ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum.* Et Iulianus cum Augustino disputans hanc oppositionem liberi arbitrij & captivi, quam Augustinus arbitrio libertatis semel tribuisse videbatur, vehementer inculcat: (Lib. 1. oper. imperf. c. 123.) *Vt ipsa*, inquit, *verba jungamus quod liberatur captivum est, quod captivum liberum non est, quod liberum est, captivum non est.* Quod mox iterum repetit, & Augustinus verum esse concedit. Servitutis vero & libertatis repugnantiam sæpissimè idque in singulis pęnè libris adversus Pelagianos exaratis inculcat, & res per seipsa perspicua est.

Cùm ergò servus, ut talis, essentialem rationem ad Dominum ipso nomine suo denotet, libertas verò respuat omninò servitutem, hinc fit ut consequenter etjam libertas ut talis dominationem alterius respuat. Qui enim Dominum habet in cujus est potestate, ille ut talis non est liber, sed potius sub ejus dominatione captivus ac servus. Qua de causa sæpissimè Augustinus liberum opponit ei quod est esse sub dominatione alterius, ut quemadmodum liberum dicitur, id quod à captivitate (Epist. 90.) & servitute exemptum est, ita & quod ab alterius dominatione: *Arbitrium*, inquit, *verè fit liberum, cum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.* Et in libris de spiritu & littera: (Cap. 30.) *Ante sunt liberi ut nec illum velint habere Dominum, qui eis dicit sine me nihil potestis* &c. (Lib. 2. c. 6.) Et in libris de peccatorum meritis, utramque immunitatem & à servitute & à dominatione conjungens, velut oppositam libertati: *Ab hujus eccecanda dominatione servitutis liberantur quibus Dominus Iesus* &c. (Lib. 1. de lib. arb. c. 15.) Et vim nominis explicans in libertate vulgari: *Eam nunc dico libertatem qua se liberos putant, qui Dominos homines non* habent, *& quam desiderant ij qui à Dominis hominibus manumitti volunt.* Vnde in libro Iob: (Iob. 3.) *Parvus & magnus ibi sunt, & servus liber à Domino.* Pluribus testimonijs allegandis in hac dominationis, servitutis, captivitatis, & libertatis explicanda notione supersedeo, quod sæpissimè in sequentibus de singulis mentionem facturus sit Augustinus, dum libertatis arbitrij significationem & rationem explicare sataget. Certissimum enim esse debet secundum Augustini doctrinam sexcenties inculcatam, non alia significatione arbitrium liberum dici, quam quatenus liberum dominanti, captivo, servo, & similibus famulandi necessitatibus contrarium est. Ex eadem quoque causa, quia quicquid est sub alterius dominatione, & captivum & servum, id quoque ad alterum refertur, ac est alterius, & in alterius potestate, hinc liberum subinde exponit Augustinus, per non esse in alterius potestate. (Epist. 107.) *Responde quomodo ad declinandum à malo & faciendum bonum liberum habemus arbitrium, quando eras sub potestate tenebrarum: unde nos si Deus eruit, ipse utique liberum fecit?* Et infrà: *Vt eadem doctrina arbitrio liberato à tenebrarum potestate consentiant.* Cujusmodi locutiones eodem loco sæpius repetit.

Ex qua usurpatione liberi fluit, ut consequenter liberum sit quasi non ligatum, seu inalligatum, inimpeditum. Vnde liberas habere manus dicitur, cui nullis impedimentis, vel vinculis astrictæ coërcentur. Impedimenta namque & vincula libertatem agendi impediunt, & si sunt in ipsa voluntate, etjam volendi. Nec enim alia de causa non est liberum peccatoribus, imo & justis in hac vita tantum amare Deum, quantùm amandum esse cernunt, nisi quia intus in ipsa mente quædam impedimenta & vincula sunt, quibus voluntas ab ejus dilectione retrahitur ac deorsum premitur: & vice versa idcircò sanctis in cælo non est liberum velle peccare, quia vinculis quibusdam voluntas innodata est, quibus magna cum delectatione ab illa perversa voluntate retrahitur & impeditur. Qua consideratione etjam nonnulli Scholastici recentiores liberum opponi dixerunt alligato; alij impedito. Hinc Augustinus, etsi de impropriè dicta libertate loquatur, vim tamen nominis exprimens: *Quid est quod oculi, labia &c. ut ad opera sibi congrua moveantur, positum in potestate est* (id est, liberum nobis est) *cum ab impedimentis corpus liberum habemus & sanum?* (Lib. 1. de nupt. c. 6.) De vinculis vero libertatem arbitrij impedientibus, & quasi retrahentibus à volendo & agendo: *Quam sit autem liberum, & ab omnibus difficultatis vinculis expeditum in ipsa sanitate sapientia constituto* (id est, Adamo) *non cedere visis inferioris illecebra* &c. (Lib. 3. de lib. arb. c. 25.) Et de Manichæorum Deo loquens, qui animas non arbitrij libertate, sed necessitate mittit: *Si ergo*, inquit, *possetis invenire alterum judicem qui liber vinculo necessitatis, moderator existeret a jactatu* &c. (Lib. 22. cont. Faust. c. 22.) De cujusmodi vinculis & compedibus libertatem arbitrij impedientibus frequenter aliàs mentionem facit. Servitus enim, captivitas, dominatio alterius, vincula sunt quibus

quibus libertas, sive illa vulgaris, sive alia quæcumque illa fuerit, impeditur ab actibus suis, qui sive hominibus liberis, sive arbitrio libero conveniunt: à quibus cum expediuntur, liberi fiunt. Ista ergò est vulgo notissima liberi significatio. Sed quia sic magis aliquid negativum sonat, quid videlicet non sit, nempè non servum, non captivum, non subditum, impeditum, inalligatum &c. quam aliquid positivum, merito adhuc quæri potest, an genuina vocis istius significatio, non aliquid positivum inferat. Sublimius enim aliquid & nobilius ista voce, quam pura servitutis negatio insinuari videtur, quamvis indissolubiliter talem negationem conjunctam habeat.

CAPVT TERTIVM.

Liberum aliquid positivum sonat. Esse Dominum, esse sui juris, esse in potestate nostra, esse gratia sui.

ITAQVE libertas, & liberi ratio potius in illis quærenda videtur, quæ servituti, captivitati, & impedimentis & vinculis, & in aliena esse potestate, opponuntur: hæc autem sunt esse Dominum, esse suum seu sui non alterius gratia, esse seu habere in sua potestate. Hæc enim planè positivum aliquid resonant, tametsi per negationem plerumque explicari & facilius vulgo intelligi soleant, ut plerumque in attributis valdè eminentibus contingit. Sic enim infinitum, immutabile, æternum, & similia perfectissima Dei attributa, per negationes ferè exponimus. Cùm enim eorum eminentiam mentis acie non facilè penetremus, per negationes imperfectionum creaturarum ea exprimimus. Ita & hic; quia quid sit servum, captivum, ligatum, in aliena potestate, facilè vulgus intelligit; per negationes illarum conditionum exprimit libertatem; cum aliud revera sit quam pura imperfectionum istarum negatio.

Quapropter Augustinus libertatem aliquando per dominationem & imperium indicat; nempè quia servum cui liberum opponitur, est esse sub Domino: *Sic*, inquit, *homo peccavit, cum vult esse par Deo, id est, liber esse ab eius dominio, sicut ille ab omni dominio liber est, quoniam ipse est Dominus omnium.* Vbi idcirco liberum ab omni dominio vocat, quia est Dominus omnium. Et alibi libertatem quam servituti opposuerat, per regnum explicat: *Bonus etiamsi serviat liber est: malus autem etiamsi regnet* (hoc est, dominetur omnibus) *servus est: nec unius hominis, sed quod est gravius, tot Dominorum, quot vitiorum.* Placuit ista notio nonnullis recentioribus, qui vehementer urgent, in arbitrij libertate, quod per illud homo sit Dominus actuum suorum: quod verissimum esse postea declarabimus. Et quia Dominus non est alterius, sed suus, seu sui gratia, servus verò sit alterius, hinc illa solemnis definitio liberi apud Aristotelem: *ἄνθρωπος ἐλεύθερος ὁ αὑτοῦ ἕνεκα, καὶ μὴ ἄλλου. Homo liber, qui sui-ipsius & non alterius gratia est*: quam sæpè divus Thomas probavit.

Lib. 2. de Gen. cont. Manich. c. 17.

Lib. 14 de Civit. c. 3.

Franc. Suar.

Lib. 1. Metaphys.

1. p. q. 21. a. 1. & in 2. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 4. & alibi.

Porrò quia id quod ab omni servitute, captivitate, & subjectione, & alligatione, & vinculis impedimentisque liberum dominatur, non est in aliena potestate, sed sua, non alieni juris, sed sui, hinc Augustinus cum libertatem generaliter, & libertatem arbitrij accuratè vult exprimere & explicare, libenter illa utitur notione, ut dicat illud *esse in sua potestate*, seu *sui iuris*, habere actum *in sua potestate*; quæ prorsus idem sunt: Nec aliud indicant quam esse Dominum sui, non obnoxium alienæ potestati, & idcircò liberum. Qua de causa docet Augustinus, Adamum peccando libertatem appetisse; & illam in eo semper statuit, quod suæ potestatis esse voluit, uti Deus. Nam in libris de Civitate Dei, cum dixisset, Deum homini brevissimo præcepto adminiculatum esse, *quo eam creaturam cui libera servitus expediret, se esse Dominum commonebat*, statim contrariam libertatem tangens quam Adam expetivit, adjicit: *Et quia sua superbia sibi placuerat, Dei iustitia sibi donaretur, nec sicut affectabat,* IN SVA ESSET OMNINODO POTESTATE, *sed à seipso quoque dissentiens, sub illo cui peccando consensit, pro libertate quam concupivit, duram miseramq; ageret servitutem.* Vbi libertatem concupiscere & affectare, in sua esse potestate, pro iisdem prorsus habet; unde & servitutem libertati capitaliter inimicam ei opponit. Et in opere de moribus Ecclesiæ: *Ipsa est* (audacia) *qua legibus Dei obtemperare detrectat, dum sua potestatis esse cupit ut Deus est* &c. hoc est, liber ut supra, *dilectione ergo redit ad Deum qua se illi non componere sed supponere affectat, quod quanto fecerit instantius atque studiosius, tanto erit beatior atque sublimior, & illo solo dominante liberrimus.* Et in Psalmis: *Quia illi aderat ut tangeret, nisi quia sua potestate uti voluit, præceptum implere delectavit, ut nullo sibi dominante fieret sicut Deus*, scilicet liber, ut suprà dixit, *quia Deo nullus utique dominatur.* Quod in libris de Genesi ad litteram iisdem penè verbis sed apertioribus dixit: *Noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata.* Et in sermonibus de verbis Domini, eandem libertatem, quam affectavit Adam, explicans dixit: *Primus homo dominari voluit, qui Dominum habere noluit. Quid est dominari nisi propria potestate gaudere? Est maior potestas: illi subdamur ut tuti esse valeamus.* Et hac de causa noxiæ hujusmodi libertatis affectationem vetans Augustinus: *Noli*, inquit, *esse velle quasi proprius & in tua potestate*, id est, liber, *sed eius clementissimi & utilissimi Domini te servum esse profitere*; quasi dicat, Noli esse

Lib. 14. de Civit. c. 15.

Lib. de morib. Eccles. c. 12.

In Psal. 70.

Lib. 11. de Gen. c. 31.

Lib. 33. de verb. Domi. c. 2.

Lib. 1. Soliloq. c. ult.

ita

Lib. de quantitate animæ cap. 34. Lib. 1 Soliloq. c. ult.

ita liberi arbitrij ut nemini serviat, sed soli Deo serviat, *in cuius servitio placere perfectè sola libertas est*. Quod alibi in eodem libro Soliloquiorum his verbis exprimit: *Tibi soli servire paratus sum, quia tu solus justè dominaris, tuius tu esse cupio*. cùm præmisisset *Dei legibus arbitrium animæ esse liberum.*

Ex quibus perspicuum est Augustinum, cum rationem libertatis explicare nititur, indifferenter uti phrasibus illis, esse Dominum, esse sui juris, habere in potestate sua: sed omnium apertissimè & directè ad propositum, generalem liberi rationem in actibus voluntatis

Lib. 3. de lib. arb. c. 3.

ex professo explicat in libris de libero arbitrio: *Voluntas igitur nostra* (id est volitio seu voluntatis actus, de qua ibi quæstio versatur) *nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.* Et mox adjungit: B *Nec voluntas* seu volitio scilicet libera, *esse poterit si in potestate non est*. Et iterum inferiùs dicit ita Deum peccata præscire, *ut maneat tamen nobis voluntas libera*, quod ut sciremus quid sibi vellet, rationem libertatis juxta præmissa explicans, addit, *atque in nostra posita potestate*. Et

Lib. de nat. & gratia c. 47.

adversus Pelagianos: *De odoratu autem quod dicit, nonne parum attendit, non esse in nostra potestate posse odorari, vel non posse, sed in nostra potestate esse, hoc est, in libera voluntate, odorari vel non*

Quæst. 1.

odorari? Et in libro primo ad Simplicianum explicans Apostoli verba: *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*, movet hanc difficultatem, quod Apostolus his verbis videatur non rectè intelligentibus auferre liberum arbitrium. *Sed*, inquit, *quomodo aufert cum dicat velle adjacet mihi? Certè ipsum velle in potestate est, quoniam adjacet mihi. Sed quod perficere bonum non est in potestate, ad meritum pertinet* C *originalis peccati*. Quibus verbis apertè docet homini videlicet sub lege constituto (velle) esse in libero arbitrio, non autem (perficere bonum) quia illud est in potestate, non istud, propter originalis videlicet peccati noxam, quæ læserit perficiendi boni potestatem, ideoque libertatem. Vt sanè ex omnibus istis testimonijs apertissimum sit, illa duo, liberam videlicet esse voluntatem, & *esse in hominis potestate*, prorsus esse reciproca, hoc est, convertibilia, ut Philosophi loqui solent; & ex Augustini mente, hoc quod est *esse in potestate*, ipsissimam rationem libertatis, unde arbitrium liberum esse dicitur, exprimere.

Quapropter Augustinus passim, esse liberum voluntatis arbitrium, & esse in potestate nostra, pro iisdem usurpat. Nam libro quinto de Civitate Dei contra Stoicos ac Ciceronem de arbitrij libertate disserit, id quod capite nono dixerat esse vel non esse *liberum* arbitrium, hoc capite decimo dicit, esse vel non D

Cap. 13.

esse *in potestate*. Et in libro de sancta virginitate: *Fœcunditas non est in potestate &c. Fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium.* Et in sermonibus de diversis explicans per similitudinem, quomodo peccare sit in libero arbitrio:

Serm. 34. c. 1. & 2.

A *In ipso corpore in potestate habet homo ægrotare, convalescere autem non ita habet in potestate*: & ad propositum applicans: *Sic etiam secundum animam, ut peccando in mortem caderet homo &c. fuit in eius libero arbitrio.* Et in alio sermone de filio prodigo primi parentis typo: *Voluit in potestate habere, quæ bene illi apud patrem servabantur, habere illa voluit in arbitrio suo.* Et in sermone de

Serm. 47 de diversis c. 2.

Esau figura peccatorum ita loquitur: *Quid est quod dictum est: & erit tibi sic, cum solveris jugum eius à cervice tua; nisi quia ostendit illos, quos Esau præfigurabat, sic esse peccatores, ut in potestate haberent & in libero arbitrio, mutare se & fratri commungi?* Quod eundem locum alijs verbis exprimens dicit alibi: *Quid est: Erit autem cum deposueris & solveris jugum de collo tuo? Liberum tibi est si volueris converti.*

Serm. 44. de diversis c. 18.

Neque vero tantum Augustinus, sed & Pelagiani liberi arbitrij patroni fidelissimi, istam B libertatis seu liberi arbitrij notionem diversis locis indicarunt. Nam Pelagius in libro de natura & gratia cum Augustino de viribus liberi arbitrij toto conatu disputans, crebro pro iisdem sumit, *esse liberi arbitrij* & *esse in nostra potestate*, & Augustinus respondendo eadem in iisdem locis sæpè confundit. Vnde & Iulianus gravissimè queritur, hæreticos dici, *qui asserant Dominum ad bonum opus liberum hominem condidisse, & esse in uniuscuiusque potestate recedere à malo, ac studijs splendere virtutis.* Et ipse Cicero latinæ linguæ præcipuus cultor, dum docere nititur virtutem & vitium esse in hominis arbitrio libero, dicit ea esse in hominis potestate. Nimirum juxta Augustini regulam supra traditam, quia *non est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.* Hoc est, nullus actus est nobis liber seu liberi arbitrij, quem non habemus in potestate, & vice versa omnis actus quem habe- C mus in potestate est nobis liber. Quæ notio liberi nec à recentiorum sensu aliena est. Nam inde illud Lessij: *Quid aliud est non esse in potestate hominis, quam non esse liberum?* Nec aliud significatur per illud Dominium sui, quod recentiores in explicanda ratione libertatis inculcare solent.

Cap. 45. & sequentibus.

Lib. 1 oper. imperf. c. 115

Lib. 4. de Academ. quæst.

Lib. de grat. efficac. c. 19. n. 10. Suarez, proleg. 1. c. 3.

Sed nullis ea explicatio & ratio libertatis est familiarior quam scriptoribus Græcis: usque adeo ut vim liberi arbitrij genuinè exprimere volentes, non aliud liberum vocent quam τὸ ἐφ' ἡμῖν, id est, *id quod est in nostra potestate*; sicut videre licet frequentissime apud omnes Scriptores Græcos, qui de libero arbitrio aliquid litteris mandaverunt. Ipsam autem liberam voluntatem vocaverunt τὸ αὐτεξούσιον, quasi dicerent sui juris, suæ potestatis, seu habens in sua potestate actus suos. Vim enim istam nominis breviter tetigit Basilius, cum dixit, τὸ ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπου δυνάμει αὐτεξούσιον, D *liberum quod in potestate hominis est arbitrium.* Et explicuit Nyssenus clarius, cur dicatur arbitrium esse in sua potestate, nempe ut intelligatur non esse in aliena potestate, illud trahente ad scopum suum: *Est enim solum*, inquit, *inanimorum, aut eorum quæ sunt expertia rationis, alienâ voluntate*

Serm. de lib. arb. initio.

Nyss. in orat. Catech. c. 31.

voluntate ad id quod videtur, adduci. Vnde si & ista est hominis conditio, statim infert sequi, quod nihil eorum quæ nostro arbitratu statuimus, in nostra est potestate: *maiori enim potentia* (id est, alienâ potestate) *trahuntur instituta & proposita ad id quod lubet ei qui dominatum obtinet.* Et vim libertatis ponens in eo quod aliquid sit in nostra, non aliena potestate: *Qui in universitatem liberam habet potestatem, propter summum in homines honorem, dimisit etiam aliquid in nostra potestate, cujus unusquisque nostrum solus est Dominus. Hoc autem est liberi arbitrij characterismus, quæ subjici nequit & sui juris esse.* Hoc est, quæ non est in aliena potestate & jure, sed suo. Quam vim græci nominis αὐτεξούσιον, acutissime brevissimeque expressit Basilius dum τὸ αὐτεξούσιον, opponit τῷ ὑπεξουσίῳ, hoc est, *id quod est suæ potestatis, ei quod est sub aliena potestate.* Sed apertissimè doctrinâ illam tradit Damascenus multis locis. Nam in lib. 2. Orthodoxæ fidei: *Cum liberi arbitrij participes a summo illo opifice conditi simus, hinc efficitur, ut actiones nostræ in nostra potestate sint.* Et mox unum per alterum explicans: *Si nulla actio in nostro arbitrio & potestate sita est* &c. Et alibi eodem prorsus modo: *Relinquitur hominem operum suorum auctorem esse, eaque in arbitrio suo ac potestate habere.* Et inferius: *Aut enim rationis particeps homo non erit, aut si ratione præditus sit, penes eum quoque actionum arbitrium ac potestas futura est.* Et iterum: *Ea quæ sunt partim in nostra potestate sita sunt, partim minime sita. In nostra potestate sunt ea quæ liberum est nobis facere vel non facere.* Respectu quorum dicit postea in nobis esse, *liberam potestatem.* Et adversus Manichæos: *Nam cum ita conditi simus ut nobis arbitrij libertas insit, in nostra potestate hoc situm est, ut* &c. Hinc & D. Thomas Græcos imitatus, Deum vocat *liberum & per se potestativum.* Ad cujus imaginem hominem conditum esse dicit, quatenus & ipse suorum operum principium, *quasi liberum habens arbitrium, & suorum operum potestatem.* Et mox illam liberi arbitrij rationem explicat per hoc quod est homo *actuum suorum Dominus per rationem & voluntatem*, seu *per liberum arbitrium*, hoc est, quod eos habet in potestate. Ex quibus consequens est, arbitrium & hominem esse liberum, quatenus est suæ, non alienæ potestatis, quatenus est sui, non alieni juris, quatenus est Dominus & gratia sui, non serviens alteri, in cujus videlicet potestate & jure sit res vel actio, respectu cujus libertas exploratur. Nam quod alienæ potestati & juri obnoxium est, illâ consideratione non est liberum, quia nec sui juris nec suæ potestatis est, sed alienæ potestatis terminis coërcetur. Nec dominatur, sed eatenus servit alteri, nec gratia sui est, sed alterius causa.

Marginal notes: Cap. 30. — Lib. 4. cont. Eunom. — Damasc. lib. 2. Orthod. fidei cap. 7. — Cap. 25. — Cap. 27. — Cap. 26. — Fol. 43. — D. Thom. in 1. 2. in præfat. & art. 1.

CAPVT QVARTVM.

Quid sit esse in nostra potestate, seu actum habere in potestate, juxta Augustinum.

QVÆ cùm ita sint, nunc diligentius ex Augustino explorandum est, quid sit aliquem actum aut rem esse in nostra potestate, seu nos habere aliquid in potestate; ut accuratius constare possit, quid sit esse aliquid in libero arbitrio, & consequenter, quid sit arbitrium esse liberum respectu alicujus. Recentiores enim imaginantur, illum tantummodo actum esse in nostra potestate, hoc est, in libero nostræ voluntatis arbitrio, & illius tantum nos esse Dominos, quem pro libitu nostro positis omnibus ad agendum necessarijs possumus facere & non facere. Qua in re, juxta Augustini sententiam creberrimè nobis explicatam, sine dubitatione falluntur. In eodem igitur loco, ubi de natura liberæ voluntatis ex professo disputans, id liberum nobis esse constituerat ut supra vidimus, quod est seu quod habemus in potestate, mox definit id esse seu habere nos in potestate, *quod cum volumus, facimus.* Quam definitionem in eodem loco sæpius iterat. Et quamvis eam paulo post conversionem suam adversus Manichæos tradiderit, eam tamen ad finem vitæ usque servavit, & crebro adversus omnes hæreticos, veluti doctrinam certissimam inculcavit & explicuit. Iam enim Episcopus cum Ariano Episcopo Maximo disserens: *Hoc habemus in potestate quod cùm volumus, possumus. Præceptum vero id nobiscum agit, ut quod iam est in potestate faciamus. Si autem nondum est in potestate, oremus nobis potestatem dari* &c. Et cum Pelagianis aperto Marte confligens cum sibi quæstionem proposuisset, utrum fides hoc est, credendi actus esset in nostra potestate ita loquitur: *Quid igitur mira quærimus, quandoquidem hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi? Vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod* SI VVLT, FACIT, SI NON VVLT, NON FACIT. Quam definitionem ejus ut rectè intelligeremus, differentiam voluntatis & potestatis accuratissimè tradit, quam ipsis ejus verbis potius quam meis hic subjiciam: *Cum duo quædam sint velle & posse, unde nec qui vult continuo potest, nec qui potest continuo vult: quia sicut volumus aliquando quod non possumus, sic etiam possumus aliquando quod nolumus, satis evoluto etiam ipsis vocabulis resonat, quòd ab eo quod est velle voluntas: ab eo autem quod est posse potestas nomen accepit. Quapropter sicut qui vult habet voluntatem, ita potestatem qui potest. Sed ut potestate aliquid fiat, voluntas aderit*, id est, adesse debet. Et hinc est, quod præsentia voluntatis infallibiliter arguit, utrum facere sit in nostra potestate. Si enim voluntate faciendi imperante fiat, actio illa est in nostra potestate, si non fiat, extra potestatem nostram, & proinde libertatem constituta est. Et jam senex retractans libros suos, crebro eandem illam definitionem repetivit. Nam libro primo Retractationum: *Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus facimus, nihil tam in nostra potestate* &c. *Quia in* [potestate]

Marginal notes: Lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. — Lib. 3. cont. Maximin. c. 14. — Lib. de Spir. & litt. c. 31. — Ibidem. — Lib. 1. Retract. c. 3.

potestas

potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem. Et libro secundo Retractationum illam exponens sententiam suam, qua dixerat esse in cujusque potestate quod velit, non tamen esse in cujusque potestate, quod possit: *Quod ideo*, inquit, *dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit.* (Lib. 2. c. 1.) Quopropter ex hac doctrina toties iterata patet, ut cognoscamus, utrum aliquid in potestate nostra, seu nobis liberum sit, hoc intuendum esse, utrum fiat quando volumus. Si enim fiat quandocumque volumus, & non fiat quando nolumus, liberum est; si vero cum volumus, non fiat, vel si nolumus, fiat, certissimum est, non esse nobis liberum, quia non est in nostra potestate.

Hinc igitur fit, ut imprimis passiones seu id quod patimur minimè soleant nobis esse liberæ, quia minimè in potestate, dum plerumque nolentibus fiunt. Vnde Augustinus, *Homo in eo quod patitur potestas tua non est: in eo quod facis voluntas tua non est.* (De urbis excidio cap. 3.) Et libro octavo de Civitate Dei, ubi ex professo de libertate voluntatis humanæ, seu de libero arbitrio disputat, cum dixisset, voluntates nostras in eo apparere, quod volendo facimus, mox de passionibus adjicit: *Quicquid autem aliorum hominum voluntate nolens quisque patitur, etiam sic voluntas valet, etsi non illius tamen hominis voluntas, sed potestas Dei est.* (Lib. 5 de Civit. cap. 10.) Quo indicat, passionem illam non esse liberam homini patienti, quia non est in ejus potestate, dum fit quando non vult, sed homini eam inferenti, vel Deo. Actiones verò cum aliæ sint nostræ, aliæ non nostræ: & ex nostris aliæ sint imperatæ, aliæ elicitæ, in omnibus illis libertas invenitur, gradatim major & minor, quo magis ad ipsum fontem libertatis, ipsos, inquã, elicitos actus voluntatis acceditur. Nam quantum ad alienas actiones attinet, illę in potestate nostra sunt, & consequenter liberæ, quæ fiunt quando volumus: ut combustio domus, motus brutorum, & similes quarumcumque creaturarum irrationalium actiones, in potestate nostra sunt, quando nobis imperantibus fiunt: si vero nobis volentibus non fiunt, vel nolentibus fiunt, in potestate nostra non sunt. Idem judicium de actionibus imperatis, extra voluntatem. Nunc enim, verbi gratia, ambulare, manus movere, loqui, videre, & similes actiones in potestate sunt, cùm voluntate imperante membra sequuntur, cùm vero non sequuntur voluntatis imperium, ita ut homine nolente fiant, vel volente non fiant, non sunt amplius in potestate, & proinde non liberæ. Vnde de motibus genitalium jam non amplius in arbitrio nostro sitis Augustinus: *Quid est quod oculi, labia, lingua, manus, pedes &c. et ad opera sibi congrua moveantur, positum in potestate est* (hoc est, in liberi arbitrij potestate situm est) *quando ab impedimentis habemus liberum & sanum: ubi autem ventum fuerit ut filij seminentur ad voluntatis nutum membra in hoc opus creata non serviunt, sed exspectatur ut ea velut sui juris, id est, sui arbitrij, libido commoveat, & aliquando hoc facit animo volente, cum aliquando faciat & nolente?* (Lib. 1. de nupt. cap. 6.) Vbi esse in potestate & ad nutum voluntatis seu quando volumus nobis servire, idem est: sicut vice versa, fieri animo nolente, idem est quod esse extra liberi arbitrij potestatem & imperium. De cujus libertatis amissione subjicit: *Hinccine non erubesceret humani libertas arbitrij, quod contemnendo imperantem Deum, etiam in membra propria proprium perdidisset imperium?* (Ibid.) Quia scilicet non moventur aut quiescunt nutu libertatis, sed ardescente vel frigescente libidine. Idem prorsus & in internis facultatibus, intellectu, memoriâ, phantasiâ &c. locum habet. Nam earum actiones sæpenumero non sunt nobis liberæ; quia extra potestatem nostram positæ: *Nemo habet*, inquit, *in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis*, hoc est, liberi-arbitrij: per hoc enim explicat quid ante dixisset, *esse in potestate*. (Lib. de Spir. & litt. c. 34.) Et mox: *Quis nesciat non esse in hominis potestate quid sciat?* (Cap. 35.) Et illud solemne Ambrosij crebroque ab Augustino repetitum: *Non est in potestate nostra cor nostrum & nostræ cogitationes.* (Lib. de dono persev. c. 13. 2 Contra Jul. cap. 8.) Quid quod & in ipsa potentia voluntatis hoc idem videre licet? Nam quamvis fons totius libertatis, quę in omnibus nostris emicat actionibus, ex voluntate extrorsum fluat, ut jam diximus, tamen in ipsa voluntate multæ volitiones sunt certis temporibus, & certa consideratione extra potestatem, & ideo tunc eatenus etiam extra libertatem. Nam & ibi voluntas potest velle actiones quæ tunc quando vult eas, extra potestatem constitutæ sunt, atque ita tunc homini non sunt liberæ. Sic enim potest homo velle, velleitate quadam amare Deum tanto amore quanto S. Paulus amavit, & nondum potest, quia hoc nondum datum est, quemadmodum quotidie videmus, peccatores velle continere, & nondum posse: quia continere nondum est in eorum potestate, ideoq; nec libertate. Qua de causa Christus dixit: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Dantur enim impotentiæ seu infirmitates etiam in voluntate, ut experientiâ imo & Catholicâ fide certum est: ad quas superandas non sufficit velle, sed requiritur posse, quod homini divinitus dari debet. Hac igitur consideratione, quia non fit aliquid, quando vult homo; etiam in ipsa potentia voluntatis quædam actiones certis temporibus non sunt liberæ. Vnde August. vehementer Pelagium reprehendit, qui dicebat, *in nostra esse positum potestate*, hoc est, ut additur, *solam sufficere voluntatem hominis, ut in peccatum tentati non incidamus.* (Epist. 95. initio.) Et libro 3. de libero arbitrio dicit, *hominem*, secundum se videlicet consideratum, *non habere in potestate ut bonus sit*, nempe propter ignorantiam & infirmitatem. (Lib. 3. de lib. arbit. c. 18.) Vnde addit explicans quid dixerit, non esse in potestate: *Nec mirandum est, quod vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quod rectè faciat &c.* (Ibid.) Sed de his alias ex professo disputandum erit. Hic sufficit annotasse, etiam quasdam voluntates seu volitiones in certo statu non esse in potestate seu arbitrij libertate, quemadmodum non est Deo aut beatis liberum velle peccare, nec dæmonibus aut hominibus infidelibus

Deum

Deum diligere, aut credere articulos quos nunquam audiverunt, August. dicente: *Nullo modo dici potest id quod non audieras, crederes si velles.* Hoc est, non potest dici hoc esse in hominis potestate seu arbitrio, hoc enim in potestate & arbitrij libertate est, quod *si volumus facimus.*

Liquet igitur facile ex his quæ diximus, omnium interiorum facultatum & sensuum A externorum, adeoque membrorum & rerum quarumcumq; actiones eatenus esse in nostra potestate, & consequenter nobis liberas, quatenus voluntati nostræ subjacent, sive quatenus eas facimus quando volumus, eoque magis aut minus, quatenus imperium voluntatis in his eliciendis & coërcendis plus juris & potestatis obtinet.

CAPVT QVINTVM.

Omnis voluntas quo modo sit in potestate, & libera.

NVNC ipsum cubile totius libertatis lustrandum est; ipsa inquam voluntas nostra, hoc est, volitio, quam sequendo liberum nobis est, quicquid liberum est, & in potestate nostra quicquid in potestate est. Nam quamvis una voluntas seu volitio aliam imperare possit voluntatem, quæ idcirco libera nobis sit quia in potestate nostra, & idcirco in potestate nostra quia sequendo imperantem voluntatem elicimus eam cum volumus, & cum nolumus non elicimus; prima tamen illa voluntas imperans, quam imperata velut in potestate nostra, ideoq; libera sequitur, per quam aliam volitionem erit in nostra potestate? Respondeo per nullam aliam, sed per se ipsam: unde etiam ratione nullius alterius volitionis libera nobis est, sed ratione sui. Quod ex definitione *liberi* supra tradita perspicue patet. Nihil enim magis facimus quando volumus, quam ipsam volitionem: & ideo nihil magis in potestate nostra quam ipsa voluntas, id est, volitio constituta est. Est enim ipsa radix totius libertatis quæ in omnibus omnino actionibus sive externis sive internis apparet, propter quam solam illæ in nostra potestate sunt. Itaque libera est voluntas, hoc est, volitio ratione sui, quia est essentialiter libera. Implicat enim contradictionē ut voluntas non sit libera, sicut implicat ut volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus: hoc est, ut voluntas non sit voluntas. Hoc enim in plerisq; simplicissimis locum habere solet, ut quod alijs competit per accidentalia & extra essentiam posita, hoc ipsis per se-ipsa competat. Quicquid enim differt ab alio, per differentiam differt, ipsa vero prima differentia se-ipsa differentia est; & quicquid visum disgregat albedinis participatione disgregat, sed ipsa albedo per se: & quicquid unitur alteri, unione velut vinculo unitur, sed ipsum vinculum unionis rebus unione unitis per se unitum est. Ita quicquid liberum & in potestate nostra est, per voluntatem, id est, volitionem nobis liberum & in potestate est, sed ipsa volitio per se; quia per se-ipsa fit, quando volumus.

Sed ipsum jam D. Augustinum accuratissime hoc ipsum explicantem, & velut rem in primis intellectu necessariam crebro inculcantem audiamus. In libro igitur tertio de libero arbitrio, ubi totâ disputationis mole istud A agitur, quo pacto per præscientiæ divinæ necessitatem, non perimatur libertas voluntatum nostrarum, cùm necesse sit omnino fieri quicquid prævideri futurum Deus, ita libertatem voluntatis, id est, volitionis asserit, ut nihil aliud probet, quam eam esse voluntatem, & consequenter eam fieri quando volumus, & idcirco esse in potestate nostra & liberam nobis. Cùm enim Evodius quicùm disputat, dixisset, se nunc beatum esse velle, sed nondum esse, eo quod hoc non esset in potestate sua: sed penderet à voluntate Dei, & proinde sibi hoc non esse liberum, respondet Augustinus: *Optime de te veritas clamat: Non enim posses aliud sentire, esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est: Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est.* Et ideo contradictionem illam, quam supra sequi ex eo diximus, quod voluntas seu volitio nostra esse diceretur, & non tamen in nostra potestate, nec libera, luculenter ostendens: *Et ideo,* inquit, *rectè possumus dicere, non voluntate vivimus, sed necessitate, aut non voluntate morimur, sed necessitate, & si quid aliud hujusmodi. Non voluntate autem,* hoc est, volitione *volumus, quis vel delirus audeat dicere?* Et paulo inferius idē instantius agens: *Quod si non hoc modo dixeris, sed dixeris se, quia necesse est* vi divinæ præscientiæ, *ut velit, ipsam voluntatem,* id est, volitionem, *in potestate non habere* (id est, non esse liberam nobis) *occurretur ex eo quod ipse dixisti, cum quærerem, utrum invitus beatus sit futurus. Respondisti enim quod jam esses beatus si potestas esset in te: velle enim, sed nondum posse dixisti. Ubi ego subjeci, de te,* id est, de ore tuo, *clamasse veritatem: non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi cum nobis quod volumus deest. Dum autem volumus, si ipsa voluntas,* id est, volitio, *deest nobis, non utique volumus. Quod si fieri non potest ut dum volumus non* C *velimus, adest utique voluntas volentibus: nec aliud quicquam est in potestate, nisi quod volentibus adest: voluntas igitur nostra,* id est, volitio, *nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate,* LIBERA NOBIS EST. NON ENIM EST NOBIS LIBERVM, QVOD IN POTESTATE NON HABEMVS, AVT POTEST NON ESSE QVOD HABEMVS. Ecce à radicibus ostensum impossibile esse, ut volitio non sit in nostra potestate, vel non sit libera: quia impossibile, ut cùm volumus non velimus, impossibile, ut cùm fit quod volumus, si non

Lib. 3. de lib. arbit. c. 3.

Ibid.

si non sit in nostra potestate, impossibile ut quod ita est in nostra potestate, non sit liberum nobis. Et mox ostendere volens, præscientiam futuræ voluntatis non tollere nobis, sed potius inferre libertatē ejusdem voluntatis, hoc unicum tantum ostendit, quod præscientia ista non impedit quin voluntas ista seu volitio maneat in nostra potestate, hoc est, quin maneat voluntas, ipsa enim voluntas per se-ipsam voluntas est, & in nostra potestate, & libera: *Ita fit*, inquit, *ut & Deum non negemus esse præscium omnium futurorum, & nos tamen velimus quod volumus. Cum enim sit præscius voluntatis nostræ*, id est, volitionis, *cujus est præscius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Non igitur per ejus præscientiam mihi voluntas adimitur*, scilicet volendi, hoc est, non fit ut voluntas non sit amplius mihi in potestate & proinde libera, *quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præscientia falli non potest, affuturam mihi esse præscivit.* Non potuit evidentius, fortius, magisque peremptoriè ex ipsis definitionibus astrui contradictionis absurditas, quæ in eorum dictis latet, qui dicunt voluntatem, id est, volitionem esse posse quæ tamen non sit in nostra potestate nec libera. Hoc ipso quippe quo voluntas est, utiq; voluntas est, hoc est, eo ipso quo volumus, utiq; volumus. Hoc ipso vero quo voluntas est, jam est in potestate, quia hoc ipso fit cum volumus: hoc ipso igitur etiam libera est: hoc enim, & nihil præterea, liberum est quod est in nostra potestate. Vnde rem legitimè confectam esse concludens: *Ecce*, inquit, *jam non nego, ita necesse esse fieri quæcumque præscivit Deus, & ita eum peccata nostra præscire, ut maneat tamen nobis voluntas libera atque in nostra posita potestate*; hoc ipso videlicet quo voluntatem nostram, & non aliud quippiam, futuram esse præscivit.

Lib. 3 de lib. arbit. c. 3.

Nec in illo solum loco, & in illo 1 conversionis fervore rem illam docuit, sed in provectiore ætate jam Episcopus in decrepita senectute sæpius, tam Manichæos quam Pelagianos ista doctrinæ sanitate retundendo semper intuens, à quibus de libertate voluntatis tam sub divina gratia elevante, quam sub cupiditate deprimente voluntatem invidiosissimè scptissimeque pulsabatur. Itaque cum Felice Manichæo disputans, ut ostenderet Manichæum ipsum libertatem arbitrij imprudenter confessum esse, verba profert ex libro qui Thesaurus dicebatur, ubi dicit aliquos Dei legem *servare noluisse. Vides*, inquit, *in his verbis confirmatum esse etiam à nesciente quod loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim servare legem non vult, IN POTESTATE ejus est si velit. Non enim dixit non potuerunt, sed noluerunt.* Vbi ex solo *nolendi* verbo arbitrij libertatem asserit. Nimirum quia hoc liberum nobis, quod cum volumus, facimus, seu quod est in potestate ut fiat si velis, non fiat si nolis. Hinc evidentius & accuratius Pelagianos intuens libro primo Retractationum: *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi a Deo detur*, hoc est, non est in potestate, nec adest potestas, nisi Deus per gratiam dederit; *Cum enim hoc sit in potestate*

... de ... cum ... Felice. 5.

Lib. 1 Retract. c. 22.

A QUOD CUM VOLUMUS FACIMUS, *nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est*, nempe quia statim ipso momento adest cum volumus, *sed præparatur voluntas à Domino; eo modo ergo dat potestatem*, scilicet dando bonam voluntatem seu volitionem. Et continuo post: *Sic intelligendum est & quod dixi postea. In nostra potestate esse, ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi ejus severitate mereamur, quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem*, hoc est, quod facimus quando volumus. *Quæ cum fortis & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impossibile videbatur.* Hoc est, cùm voluntas seu volitio fortis & potens datur, datur etiam potestas, & ea tam voluntas quam opus pietatis fit in nostra potestate, & liberum. Et adhuc manifestius initio libri secundi, ut exponeret id quod ad Simplicianum dixerat: *Quamvis sit in cujusque potestate quod velit* (id est, liberum cuique quod velit) *non est tamen in cujusquam potestate*, seu liberum, *quod possit*, ita Commentarij loco subjungit: *Quod ideo dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra*, hoc est, liberum, *nisi quod CUM VOLUMUS fit; ubi primum & maxime est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas*, id est, volitio, *ipsa cum volumus. Sed hanc quoque ad bene vivendum desuper accipimus potestatem, cum præparatur voluntas à Domino.* Hoc est, Deus hoc ipso quo dat talem voluntatem, dat etiam potestatem, ratione cujus voluntas in nostra potestate sit, & consequenter dat libertatem illius voluntatis, eo quod hoc ipso libera sit, quo in potestate, & hoc ipso in potestate quo est voluntas, hoc ipso quippe adest quo volumus. Nec Augustinus tantum, sed & S. Anselmus eandem omnino doctrinam tradit & magis explicat. Sic enim loquitur: *Omnis potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico quia possum loqui vel ambulare, subauditur, si volo. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas. Cùm enim dico quia nolens possum trahi & vinci, non est mea potestas, sed necessitas, & potestas alterius. Quippe non est aliud possum trahi vel vinci, quam alius me trahere vel vincere potest.* Vbi manifestissime tradit, id quod Augustinus dixerat, id esse in potestate nostra, quod cùm volumus facimus, sive ut ipsissimis Anselmi verbis Augustinus dixit primo Retractationum. *In potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatē.* Ex quo sequitur nihil tam esse in nostra potestate quam ipsam voluntatē, cum sit impossibile eam ab ipsa voluntate, hoc est, seipsa separari. Sed sancti Anselmi sensum paulo inferius latius declaraturi sumus.

Lib. 2. Retract. c. 1.

S. Ansel. lib. 2. Cur Deus homo c. 10.

Cap. 22.

C

Hinc ergo proficiscitur, Primo, quod apud Augustinum esse liberum arbitrium, & esse aliquam hominis vel Angeli voluntatem seu volitionem, pro iisdem prorsus usurpantur. Nimirum quia juxta doctrinam ejus apertissimè traditam, voluntas seu volitio & libera voluntas idem sunt, sicut velle & liberè velle, & impossibile sit ut velle non sit liberum. Patet hoc, primo ex ipso illo libro tertio de libero arbitrio uberrimè. Cùm enim difficultatem illam enodandam suscepisset, *quomodo sit vo-*

D

Lib. 3. de lib. arbit. ca.

sit voluntas libera, ubi tam inevitabilis apparet necessitas præscientiæ, nihil aliud probat capite tertio, quam Deum ex ipsa hypothesi quæ tractatur, præscire voluntatem, hoc ipso vero præscire liberam voluntatem; quia non esset voluntas si non esset in nostra potestate, seu si non fieret cum volumus. Hoc vero, & aliud nihil, est esse liberam voluntatem. Secundo, quia in libris itidem de Civitate Dei, ubi totis viribus arbitrij libertatem cum præscientia divina conciliat adversus Tullium qui eam labefactare disputatione detestabili nitebatur, hoc unicum tantum astruit, & Deum præscire quæ facimus, & tamen aliquid homines voluntate suâ seu volendo facere, quod non fieret, si nollent: quod perinde est, ac si diceret, hoc ipso quo volunt est etiam liberum arbitrium, quia non nisi liberè volunt: *Nos*, inquit, *adversus istos sacrilegos ausus atque impios, & Deum dicimus omnia scire, antequam fiant, & voluntate nos facere quicquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus & novimus.* Et iterum adversus imaginationes ac metum Tullij, qui verebatur ne præscientia perimeret libertatem, ideoq; homines ut faceret liberos, fecit sacrilegos: *Nec timemus*, inquit, *ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate*, id est, volendo, *facimus, quia id nos facturos ille præscivit, cuius præscientia falli non potest.* Et paulo inferius: *In has angustias Cicero coarctat animum religiosum, ut unum eligat è duobus; aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum.* Quæ sanè Augustini disputatio frivola & inanis est, si voluntas esse possit quæ non sit libera. Statim quippe respondebitur, voluntates illas quas Deus præscit non esse liberas voluntates, sed necessarias. Corruit igitur funditus Augustini responsio, nisi illo fundamento fulciatur, quod ipse tam operosè, ut supra vidimus, in libris de libero arbitrio collocaverat; quod nulla omnino voluntas præsciri possit à Deo, quin hoc ipso sit libera, cum hoc ipso sit voluntas, ideoque hoc ipso in hominis potestate, quia fit cum vult. Qua de causa generalissime dicit alibi: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona.* Nam revera illam ipsam esse basin totius disputationis istius cum Cicerone, in libris de Civitate Dei, quæ fuerat antea in libris de libero arbitrio, inde manifestum est, quod eodem modo etiam hic, esse in voluntate, & in libero arbitrio voluntatis, pro iisdem usurpet. Nam argumentum Ciceronis adversus præscientiam cum protulisset, inde concludit: *Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullum est arbitrium voluntatis*, nulla de libertate voluntatis factâ mentione, de qua tota Ciceronis erat difficultas. Et infra torquens & reciprocans aliquoties idem argumentum, subinde concludendo repetit, *nihil esse in nostra voluntate*, & rursum, *nihil in arbitrio voluntatis.* Quę sanè ratio est, cur in universis operibus Augustini liberum arbitrium, & voluntatis arbitriũ, & voluntas, pro iisdem omnino indifferenter usurpentur, sicut supra exemplis declaravimus & innumeris facile ostendi potest: idque præcipuè in illis ipsis locis, ubi ex professo liberum voluntatis arbitrium & liberam voluntatem astruere, adversus Manichæorum deliria, & adversus præscientiæ necessitatem, & fatorum impietatem, vel etiam adversus Pelagianas calumnias nititur. Nam in libro de Gratia & libero arbitrio, cum demonstrandũ suscepisset, esse liberum voluntatis arbitrium, inter argumenta cætera & unum istud format; quòd ipsa quodammodo *nominatim voluntas conveniatur humana*, quando dicitur: Noli vinci à malo: Qui vult venire post me &c. Ex quibus concludit: *Nempe ubi dicitur, noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Nam per hoc eum nihil aliud velle, nisi opus fiat voluntate, satis inde patet, quod statim adjicit: *Neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate* (sicut Pelagiani intelligebant hoc per gratiam fieri:) *Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum.* Et paulo post: *Utique cui dicitur: Noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis eius convenitur: velle enim & nolle propriæ voluntatis est.* Quę ratiocinatio manifestè eâdem basi nititur, qua illa in libris de libero arbitrio, nempe quia si velle & nolle propriæ voluntatis est, necessario etiam in potestate est, quia fit cum volumus aut nolumus, & hoc ipso liberum est. Et nisi nitatur isto disputatio fundamento, non stringit neque Pelagianos, neque Adrumetinos Monachos, qui quando *gratia defenderetur, negari existimabant liberum arbitrium.* Statim enim respondebitur, gratiam efficere quidem ut opus fiat voluntate sed non liberâ voluntate. In Augustini autem sensu, conclusio solidissima est, omnibus argumenti machinis inconcussa, utpote quæ in ipsa essentia voluntatis seu volitionis incumbit, ut jam aliquoties explicuimus.

Lib. 5. de Civit. cap. 9. — *Lib. 5. de Civit. cap. 9.* — *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.* — *Ibid. c. 2.* — *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 3.* — *Ibid. c. 1.*

Hinc proficiscitur secundò, ut sicut volitionem nostram liberam esse probat, quia est in nostra potestate & fit cum volumus, ita è contrario omne id non liberum sed necessarium esse docet, quod est extra potestatem, hoc est, quod fit cum nolumus, vel non fit cum volumus: *Times quod etsi nolis erit, & non times quod si nolis non erit.* Hoc est, times quod non est tibi liberum, scilicet mortem, & non times quod tibi liberum est, mortem scilicet æternam. Nam explicans quid dixisset: *Times*, inquit, *mortem ad momentum veniet etsi nolis: time pœnas in æternum, non venient, si nolueris. Multo magis est quod timere debes, & in potestate habes, ne veniat tibi quod times.* Multo luculentius in illa disputatione supra citata contra Tullium, ubi voluntatis libertatem tueri nititur adversus necessitates fatorum & præscientiæ, id solum perimere libertatem voluntatis docet, quod facit ut actio non sit in nostra potestate, hoc est, ut fiat nobis nolentibus, si autem fiat quando volumus, & non fiat quando non volumus, satis hoc ipso probatam esse putat arbitrij libertatem: *Si necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus*

Lib. 50. de diversis sermonib. — *Lib. 5. de Civit. c. 10.*

esset id quod potest, fieret, est necessitas vestra, manifestum est voluntates nostras, quibus recte vel perperam vivitur sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus QUÆ SI NOLLEMUS *non utique faceremus. Quo primitus pertinet & IPSUM VELLE. Nam* SI VOLUMUS EST; SI NOLUMUS NON EST. *Non enim vellemus si nollemus.* Ecce eandem iterum contradictionis absurditatem sequi tradit, si voluntas esset sub necessitate, hoc est, si non esset libera, nempe quod volendo nollemus. Nam hoc ipso non est in potestate nec liberum nobis, quo fit nobis nolentibus, sicut hoc ipso est in potestate & liberum quo fit nobis volentibus. Unde mox probans esse liberum nobis arbitrium, nihil aliud probat, quam aliquid à nobis volendo fieri, quod non fieret, si nollemus. Sic enim non esset in libero arbitrio, quia extra nostram potestatem, utpote, quæ id nolendo impedire non posset: *Sunt igitur*, inquit, *nostræ voluntates*, scilicet liberæ nulla necessitate libertatem adimente constrictæ, ut nullis interjectis præcucurrat, *& ipsæ faciunt, quicquid volendo facimus, quod non fieret, si nollemus.* Et mox, ut probet etiam tunc superesse libertatem arbitrij, cum voluntas potentiore voluntate præpeditur, ne possit implere quod velit, non aliud profert, nisi etiam tunc superesse voluntatem (seu volitionem) quæ non potest aliud esse quam voluntas: *Nam si voluntas tantum esset*, id est, nudum velle, *nec posset quod vellet, potentiore voluntate impediretur. Nec sic tamen voluntas nisi voluntas esset, nec alterius, sed ejus esset, qui vellet etsi non posset implere quod vellet.* Quod similiter, ut de alijs argumentis Augustini supra declaravimus, nihil omnino ad propositum facit, imo non sine insigni absurditate producitur, si fieri potest, ut voluntas adsit quæ non sit libera. Sed si secundum illud immobile Augustini principium, tantâ sedulitate tot locis adversus omnes penè hæreses quibuscum luctatus est, traditum & inculcatum, omnia intelligantur, quemadmodum rerum evidentiâ & nexu nos compellente intelligere cogimur, quod videlicet hoc ipso aliquid liberum sit, quo est in potestate, & hoc ipso in potestate, quo fit cum volumus, hoc ipso vero extra potestatem arbitrij & non liberum, quo fit cum nolumus, mirabilis apparet in ejus disputationibus contextus rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus, & ratiocinationes ejus manent insolubiles. Quæ sane ipsissima ratio est, cur non solum Augustinus, ut supra diximus, liberum arbitrium nihil aliud nisi voluntatem esse definiat, sed sanctus Damascenus apertissimè dicat, quod *Patres liberum arbitrium, voluntatem esse definierunt.* Quæ sanè tam ipsius Damasceni quàm Augustini & aliorum doctissimorum Patrum mens, multo lucidius ex ijs patefiet quæ mox de necessitate docturi sumus. Hoc interim admonitum lectorem velim, nos cum voluntatem dicimus, non hoc isto nomine intelligere quod illis motibus indeliberatis subjacet, quibus subito concupiscimus, irascimur, trepidamus, antequam ratio vigilet; sed id quod motibus istis resistit aut cedit, hoc est, ipsum illum supremum apicem, cujus est irruentibus undecumque motibus præbere nutum suum, sive assentiat sive dissentiat. Nam illi motus, secundum Augustini mentem, non in ipso mentis apice qui illis supereminet, sed in inferiore quadam ejus parte tumultuantur, ipsumque voluntatis apicem ad se, sive in malo sive in bono blandiendo, aut aliter afficiendo trahunt, aut retrahunt. Tunc enim velle aut nolle dicimur, non cum illis motibus percellimur, sed cum illis assentimus aut dissentimus.

Lib. 5. de Civit. cap. 10.

Ibidem.

Lib. 3. Orthod. fidei cap. 14.

CAPUT SEXTUM.

Duplex necessitas Augustino, *coactionis*, & *simplex* seu *voluntaria*: illa, non hæc repugnat libertati.

IAM videndum est, quo pacto ad libertatem arbitrij se habeant necessitas in sententia Augustini, ex qua tanquam opposita libertati multo clarius intelligetur, quo pacto libertatem arbitrij accipiendum esse velit. Duplex autem in doctrina ejus necessitas reperitur, una quæ operatur effectum suum etsi nolis, seu quantumcumque renitaris, altera qua simpliciter necesse est aliquid fieri sine renisu voluntatis. Prima illa necessitas, qua fit aliquid etsi nolis, semper apud Augustinum opponitur voluntati. Impossibile est enim ut id quod fit voluntate nostra, fiat nobis etiam nolentibus; & è contrario, ut id quod fit necessitate seu nobis nolentibus, fiat nostra voluntate. Testimonia istius acceptionis plurima & passim obvia sunt: Hinc illa, *Deus omnia bona facit voluntate, nihil mala necessitate. Cujus enim voluntas superat omnia, nulla ex parte quicquam sentit invitum.* Et in Epistolis: *Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas.* Et in Psalmis: *Præstet nobis Deus ut bene serviamus. Nam velimus nolimus* (id est, necessitate) *servi sumus: & tamen si volentes sumus, non necessitate sed charitate*, id est, bona voluntate, *servimus.* Et in Psalmum trigesimum, ponit necessitatem nesciendi cor alterius & nostrum: *Quid tam dicam de necessitatibus ipsius mortalitatis? Mori necesse est, & nemo vult. Nemo vult quod necesse est. Nemo vult quod erit velis nolis. Dura necessitas, nolle quod non potest evitari.* Et contra Faustum: *Hoc autem eum* (Christum) *voluisse, ideo certum est quia hoc fecit qui nihil necessitate, sicut Deus noster, faceret sed omnia voluntate.* Et in tractatibus in Ioannem: *Ut omnes nascerentur ex Adam, necessitatis fuit ex damnatione, nasci per Christum, fuit voluntatis*

Lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. ult.

Epist. 105.

In Psal. 103.

Lib. 29. in fine.

Tract. 3. in Joan.

voluntarioque & gratia. Et quia voluntatis esse & potestatis, seu voluntate posse fieri & potestate, idem Augustino sunt, quia hoc dicitur esse in potestate, quod facimus cum volumus; Hinc sæpissimè talis necessitas opponitur non solum voluntati, sed & potestati, & consequenter (quod idem est Augustino) arbitrij libertati. Nam tractans illud Christi: *Potestatem habeo ponendi animam meam*, quo significavit mortem suam in sua libera voluntate esse, sic Augustinus: *Non ergo mali necessitate amisit eam &c. Potestate & voluntate verbum caro factum est, & natus, & passus, & mortuus, & resurrexit, nulla sua necessitate, sed voluntate & potestate.* Et mox quid distet inter necessitatem & voluntatem, exemplo eius declarat, qui invitus in carcerem truditur, & ejus qui intrat propria voluntate: *Nullam ergo necessitatem patitur Deus, nec jam necessitate facit quæ facit, sed summa & ineffabili voluntate & potestate.* Et contra Faustum Manichæum, Christum Dominum dicit affectiones humanas, tristitiam, gaudium, esuriem, sitim subiisse, *sane non necessitate conditionis* (scilicet naturæ mortalis) *sed magisterij voluntate, & divina etiam potestate. Nam homo plerumque etsi nolit irascitur, etsi nolit contristatur, etsi nolit dormit, etsi nolit esurit ac sitit: ille autem omnia ista fecit, quia voluit. Sic etiam nascuntur homines atque patiuntur, non quia volunt, nec quod volunt: ille autem etiam ista quia voluit.* Ecce clarissimè expositum, quid sit aliquid subire necessitate: scilicet etsi nolis, undecumque contingat ista necessitas, sive ex naturæ impetu, sive externa violentia. Quod egregiè declarat in libro octoginta trium quæstionum: *Nec illa nos terret inanis atque inepta calumnia, quia invidiose resistentes aiunt: Ergo sub necessitate positus fuit, si has affectiones animi veras habuit: Facilè quippe respondemus, ergo sub necessitate positus fuit, quia comprehensus, flagellatus, crucifixus, & mortuus fit: ut tandem sine pertinacia, si volunt, intelligant, sic eum passiones animi, hoc est, affectiones, voluntatis dispensatione, veras tamen, ut placuit, suscepisse, quemadmodum passiones corporis, eadem dispensationis voluntate sine ulla necessitate suscepit. Quemadmodum nos non voluntate morimur, sic & non voluntate irascimur. Ille autem &c.* Denique Augustinus hujusmodi locutionibus refertus est, quibus semper indicat, se necessitatem opponere voluntati, ut ea sit necessitas, qua fit aliquid etsi nolis, ut de vita, morte, somno, esurie, siti, & similibus jam suprà patuit.

Lib. de fide cont. Manic. c. 26.

Cap. 28.

Lib. 26. cont. Faust. c. ult.

Lib. 83. qq. q. 80. in fine.

Et quia talis necessitas hujusmodi est, ut numquam cedat voluntati, sed potius eam renitentem velut pondus urgeat atque premat; hinc est, quod hujusmodi necessitatem sæpissimè dominantem, prementem, pondus, & similibus nominibus vocet. Hinc in libris de libero arbitrio: *Vbi natura necessitasque dominatur.* Et contra Faustum, de necessitate fatali stellæ loquens quæ nascente Christo apparuit, *Non*, inquit, *ad decretum dominabatur.* Et contra Iulianum: *Noli istum sub gravi necessitatis pondere ingemere.* Et infrà, *Dicturus es Deum necessitate premi: Hac necessitate Angeli non premuntur* &c. Hinc est, quod necessitatem nunquam sine aliqua præfatione audet usurpare in Deo, sicut ex duobus exemplis jam jam prolatis liquet, eo quod apud ipsum necessitas aliquid contra voluntatem sonet: *Nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.* Quæ tamen phrasis, quia in alia significatione usurpatur, apud nos tritissima est. Et istam tunc temporis fuisse communem usurpationem ex eo perspicuum est, quod illo invidioso nomine, ut suprà vidimus, hæretici deterrent Catholicos, ne affectiones humanas in Christo ponerent, ne sub necessitate esse videretur. Vnde Augustinus: *Nec illa nos terret inanis atque inepta calumnia, quia invidiose resistentes aiunt: Ergo sub necessitate positus fuit Christus.* Vnde mox subjungit: *Sicut ergo necessitatis nomine nec nos nec illos quisquam avellet a fide verissimæ passionis &c. sic & nos ipso nomine necessitatis nemo deterret à fide verissimæ affectionis.*

Lib. 3. c. 1.

Cont. Faust. c. 5.

Cont. Iul. imperf. l. 1. 50.

Lib. de nat. & grat. c. 46.

Lib. 83. qq. q. 80.

Ex quo fluxit & illud, quod veteres adversus Arianos dimicantes, Deum Patrem negant filium suum tam ex necessitate quam voluntate generasse, qua tamen locutione nihil apud nos usitatius. Ambrosius: *Sicut bonus Pater non aut ex voluntate aut necessitate, sed super utrumque, hoc est, natura, ita non generat ex voluntate aut necessitate Pater.* Quam Arianorum objectionem clarioribus verbis solvit Epiphanius dum dicit & in Ancorato & hæresi sexagesima nona, οὔτε θέλων ἐγέννησεν, οὔτε μὴ θέλων, ἀλλ' ἐν τῇ ὑπὲρ βουλὴν φύσει, *Neque volens genuit neque nolens, sed in natura quæ consilio superior est.* Et eodem modo Augustinus libro decimo quinto de Trinitate, ab Arianis quærentibus: *Vtrum Deus volens an nolens*, id est, necessitate *genuerit*, quærit ipse vicissim, *utrum Deus Pater volens an nolens*, id est, necessitate, *sit Deus, ut si responderent, nolens, sequeretur illa miseria &c.* Cujus rei causa non est alia, nisi quod necessitas coactionem & vim & miseriam conjunctam habeat, & nolentem faciat, quod sæpissimè Augustinus diversis locis indicat, & ex supradictis facilè intelligi potest. Quod enim fit etsi nolis, profectò coactè fit, quando non vis: *Hoc certe*, inquit, *quod nolunt servare legem, non a gente tenebrarum coguntur.* Quod statim reddit: *Hoc ergo quod in eorum voluntate est, ut nolint: peccatum est certe sine aliqua necessitate gentis tenebrarum.* Et in libro de natura boni: *Eligerit utrum necessitate compulsus ut diligeret tenebras, an voluntate seductus.* Hæc ergo necessitas valdè generalis est, & sub ea naturales omnes impetus comprehendit, quæ non possunt volendo impediri. Nam & illi quantumcumque naturales sint, renitente tamen voluntate, suum effectum operantur. Nam velit nolit, homo nascitur, vivit anima, nutritur, crescit, dormit, moritur. Ex quo fit ut quemadmodum necessitas & necessarium apud Augustinum, ita & natura & naturale opponetur voluntati & voluntario sive libero: *Nulla culpa*, inquit, *deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur.* Hinc motum lapidis & animi, quo uterque deorsum

Lib. 4. de fide c. 4.

Epiph. in Anc. & hæresi 69.

Aug. lib. 15. de Trinit. c. 20.

Lib. de Act. cum Felice c. 5.

Lib. de nat. boni c. 41.

Lib. 3. de lib. arb. c. 1.

deorsum cadit, in eo discrepare docet, quod *lapidis naturalis est motus, animo vero iste involuntarius.* Et explicans quid hoc sit, naturale idem valere vult, quod non habere in potestate, hoc est, fieri etsi nolis. *In eo*, inquit, *dissimilis est motus animi & lapidis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius, animus vero dum non vult, non ita movetur.* Et ideo *lapidis naturalis est ille motus, animo vero voluntarius.* Quam oppositionem inter naturale & voluntarium, & quod voluntarium sit idem quod habere in potestate, seu fieri cum volueris, ibidem sæpius videre licet. Hinc & in libro contra Secundinum: *Erit ergò* (consensio) *aliqua natura, quæ nec anima naturalis sit, quoniam si nolit non erit, nec illi malo, cui anima voluntate consentit.* Et adversus Felicem Manichæum illa exponens verba Christi apud Matthæum: *Aut facite arborem bonam* &c. quibus liberum arbitrium convenitur. *Cùm ergo dicit*, inquit, *aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat non naturam.* Vbi per potestatem id significat, quod jam suprà toties dixit, habere in potestate, seu facere si volueris, cum natura sit immutabilis, & operetur etsi nolueris. Hæc de genuino usu istius vocis (necessitas) tam prolixè cum tædio forsan Lectoris explicata volui, ne cum nomen istud necessitatis audiunt, fortè fallantur, sicut multos viros doctos falli certum est, qui cum necessitatem audiunt, nihil aliud suspicari possunt, quam determinationem ad unum, cum sit certissimum aliter ab Augustino & penè omnibus antiquis scriptoribus usurpari. Quod usque adeo verum est, ut cum de illa necessitate sermo incidit, quæ significat nudam determinationem voluntatis ipsius ad unam partem, non audeat eam nomine necessitatis exprimere nisi explicando quid sibi velit, ut infrà ex ipsis testimonijs ejus oportuniore loco producendis patefiet.

Lib. 3. de lib. arb. initio.

Ibid.

Lib. cont. Secundin. c. 14.

Doctrina igitur Augustini est, necessitatem illam primam, prout etjam naturam sic explicatam complectitur (nec aliud est respectu voluntatis, quam quædam vis aut violentia aut coactio, qua operatur id quod potest, etjam nolente voluntate) capitaliter repugnare libertati eamq; funditus perimere, non autem illam necessitatem quæ est simul voluntaria, qua scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri non repugnante sed immutabiliter volente voluntate. Mira videbitur Scholasticis ista doctrina, & tamen in Augustini principijs est indubitata. Quæ quamvis apertissimè sequatur ex principijs jam prolatis, juxta quæ esse liberum arbitrium, non est aliud quam habere actum in sua potestate, & in potestate habere, non est aliud, quam fieri quando volumus, quod omnium maximè in quacumque volitione locum habet (quemadmodum instantissimè docentem & inculcantem Augustinum audivimus) operæ pretium tamen est, ipsum illum Doctorem proprijs verbis ex proprijs principijs id ipsum deducentem intelligere, ne quis fortè aliquibus ratiocinationis præstigijs

A sibi illudi putet. In libro igitur quinto de Civitate Dei, ubi adversus cujusuis fati aut præscientiæ necessitatem arbitrij & voluntatis libertatem ex professo asserit ac tuetur, ita rem expeditissimam juxta principia sua usitata jam deducta facit, ut nulla tergiversatione eludi posse videatur. Locus integer producendus est, ut liquidius quid sibi velit pateat: *Vnde nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici laboraverunt causas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent. Itaque in his quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati. Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit, quod potest, sicut est necessitas mortis; manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperam vivimus, sub tali necessitate non esse. Nam si volumus, est: si nolumus non est. Non enim vellemus si nollemus.* B *Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis auferat libertatem voluntatis. Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vivere & cuncta præscire; sicut nec potestas ejus minuitur, cum dicitur mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minoris esset utique potestatis. Rectè quippe omnipotens dicitur; qui tamen mori & falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Vnde propterea quædam non potest quia omnipotens est. Sic etiam cum dicimus, necesse est ut cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus quæ adimit libertatem. Sunt igitur nostræ voluntates, & ipsæ faciunt quicquid volendo facimus, quod non fieret si nollemus.* Ecce clarissimis verbis distinguit hic duplicem illam C quam diximus necessitatem, unam quæ non relinquit actum in nostra potestate, hoc est, ut ipsemet explicat, quæ nobis etjam nolentibus seu invitis & coactis operatur effectum suum; alteram qua simpliciter aliquid est necesse fieri, sicut vivere, præscire, non mori, non falli respectu Dei; illam repugnare docet libertati, istam minimè. Repugnantiam autem illam ostendit ex eo, quod sequeretur nos velle simul & nolle. Cùm enim necessitas illa talis sit, quæ nolente voluntate, hoc est, renitente voluntate perficit effectum suum, quando vult autem non renitatur, apertissimè sequitur, eam velle simul & nolle, si voluntas seu velle sub tali necessitate poneretur. Qua de causa de illa necessitate loquens, semper utitur verbis subjiciendi, subdendi necessitati, esse sub necessitate, videlicet dominante, premente, cogente voluntatem. Hac autem submota necessitate nullam aliam timet libertati voluntatis, quantumvis dicatur esse necessarium ut D velimus. Vbi de necessitate determinationis ad unum eum in primis loqui, ex multis manifestissimè liquet. Primo, quia ut intelligeremus quam necessitatem voluntatis non exhorreat,

Lib. 5. de Civit. c. 10.

horreat, profert necessitatem vitæ & præscientiæ in Deo, in quibus intelligendis, ne liberè falleremur, sicut quidam multum hallucinati sunt, exponit ea per oppositum nimirum quia mori & falli ipse non potest; quæ sane ita sunt impossibilia, & eorum opposita ita necessaria, ut nulla possint ratione mutari. Secundò per ipsam naturam voluntatis, quia *quicquid volendo facimus, non fieret si nollemus.* Quo significat necessitatem talem, qua quomodocumque necessariò velle dicimur, non efficere ut non velimus, si volumus, & proinde tale velle non esse sub illa necessitate quam libertati timet. Nempe sub illa necessitate premente, compellente ad effectum suum, quamvis nolimus. Sub illa quippe propriè id esse dicitur, quod dominando alteri prævalet. Sub cujusmodi necessitate nec illam esse voluntatem, statim adjicit, cujus effectus impeditur: quamvis enim effectus ejus impediatur, non tamen per hoc efficitur ut non sit voluntas seu volitio: *Nec sic tamen*, inquit, *volunt si nisi voluntas esset, nec alterius sed eius esset qui vellet.* Ex quibus apertè consectaneum est, omnem omninò voluntatem quantumcumque ad unum determinatam, nulla tali necessitate, qua dicitur necesse esse ut velit, desinere esse liberam, quia non desinit esse voluntas, quæ non esset si nollemus. Sicut enim omnis voluntas necessario est voluntas, ita juxta hoc principium, etiam liberi arbitrij. Neque enim quisquam eò absurditatis erupturum arbitror, ut qui ad unum volendum determinatus est, non velle suspicetur: cùm ardenter, tenaciter, constanter velle, & ita velle aliquid, ut contrarium ejus velle non possit, sit maximè velle & idcircò maximè in potestate, & maximè liberum. Nam sicut libertas esse non potest sine voluntate, ita nec voluntas ulla sine arbitrij libertate, juxta id quod Augustinus ipse concludendo subjungit: *Necesse est ut cum volumus libero velimus arbitrio.*

Hinc esse genuinam verissimamque loci illius de Civitate Dei intelligentiam, quod sola videlicet necessitas illa violenta sit, qua arbitrium premitur atque cogitur, seu necessitas coactionis libertati arbitrij adversetur, non autem determinationem ad unum, non solum omnia Augustini principia quæ tradidimus fateri cogunt, & omnes circumstantiæ illius loci clamant, sed etiam ipse divus Thomas multis locis apertè confitetur. *D. Thom. q. 22. de verit. a 3. in corp.* Nam quæstione vigesima-secunda de veritate, quæ est de appetitu boni, articuli secundi resolutionem ita inchoat: *Dicendum, quod sicut potest accipi ex verbis Augustini de Civitate Dei, duplex est necessitas. Necessitas scilicet coactionis, & hæc in voluntatem nullo modo cadere potest; & necessitas naturalis inclinationis, sicut dicimus Deum de necessitate vivere.* Et ad quartum argumentum ejusdem articuli, quo jam exposita sibi objecerat ipsissima verba Augustini: *Si illa definitur esse necessitas secundum quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus.* Sic respondet sanctus Thomas: *Ad 4.* *Ad quartum dicendum quod Augustinus loqui-*

A *tur de necessitate naturali, quam à voluntate non excludimus, respectu aliquorum. Et hæc necessitas in divina voluntate invenitur, sicut in divino esse.* Et ad primum in contrarium, ubi Augustinus libro quinto de Civitate docuisse dicitur, quod voluntarium non potest esse necessarium, hoc est, sub necessitate, ut Augustinus loquitur, respondet, *quod auctoritas illa est intelligenda de necessitate coactionis quæ repugnat voluntati, non autem de necessitate naturalis conditionis, quæ secundum Augustinum in quinto de Civitate Dei, voluntati non repugnat.* Et mox ad tertium: *dicendum quod libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Et quæstione decima de potentia articulo secundo ad quintum: *Qu. q. 10. de potent. art. 2. ad 5.* *Ad quintum*, inquit, *dicendum, quod naturalis necessitas, secundum quod voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem libertati voluntatis non repugnat, ut Augusti-*

B *nus docet in quinto de Civitate Dei. Libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur.* Et in ultimo suo opere ceterorum operum ac Theologiæ summa, sic respondet Augustini loco sibi objecto, quod voluntarium non possit esse necessarium: *1. p. q. 82. a 1. ad 1.* *Ad primum dicendum, quod verbum Augustini est intelligendum de necessitate coactionis. Necessitas autem naturalis, non aufert libertatem voluntatis, ut ipsemet in eodem libro dicit.*

Ex his vides quam enormiter aberrent illi, qui ut probent ad libertatem arbitrij requiri indifferentiam, & abesse debere necessitatem, illo loco utuntur Augustini de Civitate Dei, cùm non tantum ex usu vocis *necessitas*, quem apud Augustinum & veteres Scriptores habet, sed ex ipsa contextus evidentia perspicuum sit, eum de *necessitate coactionis* loqui. Nec ista eorum hallucinatio in solis Augustini libris stetit, sed ubicumque in sequentibus Patribus illud necessitatis nomen à libertate secludi viderunt, statim illam necessitatem voluntatis

C ad unum determinatæ suspicati sunt, eoque notissimam illam libertatis divisionem à necessitate, à peccato, à miseria, quæ ab Hugone, Bernardo, Magistro sententiarum, & aliis traditur, traxere; cum Scholasticorum antiquorum unanimi judicio necessitas coactionis in illa divisione intelligenda sit. Sed hoc suo loco reservandum.

Nunc verò in Augustini sensu astruendo pergamus. Nam eadem illa doctrina, quod sola necessitas coactionis adimat libertatem, non necessitas illa simplex & voluntaria, ex aliis ejus locis non difficile demonstrari potest. Nam libro tertio de libero arbitrio, cum similiter necessitas ad destruendam libertatem arbitrij urgeretur, duplicem distinguit necessitatem: unam quæ nobis invitis & nolentibus efficit id quod potest, nempe coactionis; alteram simplicem. Illam dicit tollere volunta-

D tem liberam, hanc non tollere. Adversus primam enim necessitatem respectu voluntatis, sic disputando eam tollit: *Lib. 3 de lib. arb. c. 3.* *Attende quæso quanta cæcitate dicatur si præscivit Deus futuram voluntatem meam quoniam nihil aliter potest fieri quam præscivit, necesse est ut velim, quod ille præscivit,* id est, cogor id velle,

id velle ut ex eo quod sequitur liquet: *Si autem necesse est, non iam voluntate sed necessitate*, id est, coactum *id me velle fatendum est*. Hoc erat argumentum oppugnantium libertatem arbitrij: quod sic retundit Augustinus, ut contradictorium præscientię sequi dicat ex præscientia, quia videlicet qui necessitate cogitur, non vult, sed potius resistit voluntate, cum tamen præscientia cum velle supponat. *O stultitiam*, inquit, *singularem! Quomodo ergo non potest aliud fieri quam præscivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram esse præscivit? Omitto illud æque monstruosum, quod paulò ante dixi eundem hominem dicere, necesse est ut ita velim, qui* NECESSITATE SVPERPOSITA instar scilicet ponderis cogentis *auferre nititur voluntatem. Si enim necesse est ut velit, unde volet cum voluntas non erit?* Nempe quia ut alibi dicit, *qui cogitur non vult*. (Lib. 1. oper. imp. f. 251.) Hæc est prima necessitas violentię seu coactionis quæ omnem omninò adimit libertatem. Nunc de secunda illa simplici necessitate, qua sine coactione simpliciter aliquid necessarium A esse dicitur, quæ libertatem non lædit, sed potius hoc ipso quo voluntatem affert, statuit. *Quod si*, pergit Augustinus, *non hoc modo dixerit, sed dixerit se, quia necesse est ut velit, ipsam voluntatem in potestate non habere*, hoc est, voluntatem quidem futuram, sed necessariam non liberam, *occurretur ex eo quod ipse dixisti*, videlicet tunc *non habere nos potestatem, cum nobis quod volumus deest. Dum autem volumus, si ipsa voluntas deest nobis, non utique volumus* &c. *Voluntas itaque nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in potestate libera est nobis* &c. quæ suprà deduximus. Nescio quid manifestius urgentiusque proferri posset ad demonstrandum volitionis cujusque libertatem, etjam illius quam nos habere necesse est. Non enim negari potest, illam esse & quidem præcipuam potentissimamque volitionem, & ideo maximè esse in potestate, quia maximè fit cum volumus, & idcircò maximè libera est, B juxta definitionem Augustini jam sæpè repetitam.

CAPVT SEPTIMVM.

Idem ostenditur ex libertate Dei.

CONSTABVNT verò hæc omnia A (de duplici ista necessitate, una violentiæ, alterâ simplici, cum qua libertas voluntatis maneat integerrima) longè evidentius, si sensum Augustini de libertate ipsius Dei & beatorum hominum Angelorumque protulerimus. Nam quod ad libertatem Dei attinet, sæpissimè docet, id quod sine testimonijs ejus per seipsum est manifestum, Deum esse liberum, etsi peccare non possit. Cùm enim Iulianus urgeret liberum id tantum esse quod facere potest bonum & malum, id est, peccare & non peccare, respondet ei Augustinus: (Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 158.) *Non est ergo liber Dominus, de quo dictum est, negare seipsum non potest. Et de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest*. Et alio in loco ejusdem operis: (Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 150.) *Liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum. Liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle; de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* B Subijciendo scilicet necessitati boni: *An potius intelligere debes, esse quandam beatam necessitatem, qua Deus iniustus non potest esse*. Porrò necessitas illa non peccandi in Deo non est aliud quam firmissima, indeficiens, æterna, & immutabilis voluntas non peccandi, seu potius firmissima, indeficiens, æterna & immutabilis voluntas seu amor justitiæ, æquitatis, atque fidelitatis. Omnis enim impotentia deficiendi seu mutandi se de bono in malum, non est aliud quam potestas justissimæ & rectissimæ voluntatis. Juxta illud Augustini: (Con. Serm. Arrian. c. 14.) *Quod ait se non posse, non deficientis est, sed in eo quod de Patre natus est, permanentis, tamque laudabile est, omnipotentem non posse mutari, quam laudabile est, quod omnipotens non possit mori, hoc autem quia non potest, non deficienter non potest, sed potenter*. Quia scilicet, ut est ibidem *natura immutabiliter bona est*. Et alibi: (Lib. 3. cont. Maximin. 12.) *Deus natura sua nec potuit nec poterit aliqua conversione mutari, nec potuit nec poterit aliqua mutatione peccare*. Igitur non posse peccare non est aliud, quam voluntatem justitiæ ita firmam esse, ut non possit mutari. Iam verò in hac ipsa perpetua voluntate, qua potenter & immutabiliter vult justitiam, vel si mavis, non vult peccatum & injustitiam, Deum liberum esse docet. Cùm enim Pelagius objecisset Augustino, *voluntatis arbitrio* hoc est, libertate, de qua ibi disceptatio est, *privari quicquid naturali necessitate constringitur*; refutat hoc Augustinus his verbis: (Lib. de nat. & grat. c. 46.) *Et hic nonnulla quæstio est. Perquam enim absurdum est ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus quia id omnino nolle non possumus, nescio qua & bona constrictione naturæ: nec dicere audemus, ideo* B *Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare*. Vbi duobus exemplis docet, libertatem cum illa simplici necessitate consistere: Primò quidem ex voluntate beatitudinis, quæ in hac vita caret indifferentia contrarietatis, in futura etjam contradictionis; secundo ex voluntate justitiæ quam habet Deus, quam certissimum est esse ad justitiam omnimodo determinatam & indifferentia carere contradictionis. Quod enim quidam observant, Augustinum non dicere libertatem, sed voluntatem justitiæ, nullius momenti est; tum quod nec Pelagius libertatis mentionem fecerat, sed arbitrij voluntatis, tum quod ex mille locis sit certissimum, voluntatem, arbitrium voluntatis, & liberum arbitrium voluntatis,

by Google

luntatis, prorsus eadem esse apud Augustinum, tum denique, quod responsio sit inepta, si Pelagio libertatem negante cum naturali necessitate consistere, Augustinus de voluntate respondeat, de qua cum Pelagio nulla quæstio est. Non voluntatem igitur tantum, sed libertatem voluntatis justitiæ Deo asserit Augustinus; imo hoc ipso libertatem quo voluntatem; juxta definitionem Augustini jam sæpè traditam. Vnde alibi comparat illam voluntatem qua Deus se negare, hoc est, peccare non potest, cum voluntate obdurata peccatorum qui non possunt credere, quia firmiter nolunt: *Sicut ergo*, inquit, *quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ, ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ.* Nempè quia utraque liberrima voluntas est, etsi per seipsam neutra possit ullâ omnino ratione mutari.

Tract. 53. in Ioan.

Hoc igitur modo doctrinam illam Augustini de libertate Dei, quatenus peccare & injustus esse non potest, intellexerunt Veteres qui eam imitati sunt. Nam sanctus Anselmus volens ostendere Angelos atque Deum non necessitate sed libertate suaque voluntate justos esse, non recurrit ad hoc quod possint hoc vel illud bonum facere, ut communiter recentiores solent, sed ad radicem altiorem; ipsam scilicet voluntatem justitiæ tempiternam. Cùm enim dixisset Angelos esse justos & laudabiles libertate non necessitate, quia justitiam semper tenent, de Deo subjicit: *Quapropter quoniam Deus perfectè habet à se, quicquid habet, ille maximè laudandus est de bonis quæ habet & servat, non ulla necessitate, sed propria & æterna immutabilitate*, scilicet voluntatis. Et expressius alibi: *Nihil ibi operatur necessitas non facilitas aut impossibilitas faciendi, sed Deus sola voluntate quâ veritatem semper, quia & ipse veritas est, sicut est, esse vult.* Et sanctus Ioannes Damascenus volens probare creaturam rationalem, esse *non necessitate constrictam, sed liberum voluntate*, pro-

Lib. 2. Cur Deus homo c. 10.

A bat ex Deo: *Id quod hinc*, inquit, *perspicuum est. Nam cum Deus natura bonus sit, & naturæ conditor & natura Deus, haudquaquam hæc necessaria est. Ecquis enim hanc ei necessitatem imposuerit.* Vbi non necessitatem sed liberam voluntatem respectu bonitatis ac deitatis ponit, quatenus illa Dei libera voluntate non necessitate diliguntur. De arbitrij quippe libertate, non naturâ sermo est, quomodo Ioannes Scotus similem Augustini locum exponit. Et sanctus Bernardus: *Cœlestis Angelus aut etiam Deus ipse permanet liberè bonus, propria sed cet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate.* Et iterum: *Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quomodo id quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas & voluntaria firmitas. Quod iste non vult in bonum respirare non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio.* Et iterum evidentissime: *Quemadmodum ipse* (Deus) *jus sibi erat, suaque ipsius voluntatis* (id est, libertatis) *non necessitatis erat quod bonus erat, ita &c.* Et inter Scholasticos sanctus Thomas: *Deus sua voluntate liberè amat seipsum licet de necessitate amet seipsum.* Et Ioannes Scotus: *Voluntas divina necessario vult bonitatem suam, & tamen in volendo eam est libera.* In quibus testimonijs divi Augustini doctrinam genuinè consignantibus, certissimum est, non venisse veteribus in mentem, ut libertatem Dei qua peccare & injustus esse & seipsum negare non potest, in eo ponerent, quod potest hoc vel illud bonum facere, ut recentiores putant, sed in hoc ipso quod liberrimè, quamvis necessario, justitiam bonitatemque suam diligit. Eodem prorsus modo quo beatos Angelos, non eatenus liberos esse volunt, quatenus possunt hoc vel illud bonum facere (sicut Scholastici Scriptores veteres renitentes ex privatis suæ doctrinæ principijs torquere volunt) sed in hoc ipso quod immobili voluntate Deum ita diligunt, ut peccare non possint, ut jam dicendum est.

Lib. 2. orth. fid. c. 14.

In sin. quæst. 16.

Lib. de grat. & lib. arb.

B

Quæst. 10 de potent. a. 2. ad 5.

Quodlib. 16.

CAPVT OCTAVVM.

Item ex libertate beatorum hominum & Angelorum.

SED libertas beatorum sive hominum sive Angelorum, multò invictius demonstrat, simplicem illam necessitatem, sublata omni omnino indifferentia & contrarietatis & contradictionis, non officere, in doctrina sancti Doctoris, libertatis arbitrio. Pro quo intelligendo notandum est, doctrinam Augustini esse constantissimam adversus Pelagianos, primum hominem quidem fuisse liberi arbitrij, sed ita ut bene velle posset & male, sed in futura vita arbitrium fore liberrimum in bono, usque adeo ut malè velle non possit, idque non aliquâ metaphoricâ libertate, sed illâ omnino, qua dicitur liberum arbitrium. Qua de re sic Augustinus: *Sic enim*

In Enchirid. cap. 105.

A *oportebat prius hominem fieri ut & benè velle posset & male, nec gratis si bene, nec impune si male. postea vero sic erit, ut male velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multò quippe liberius erit arbitrium quod omnino non poterit servire peccato.* Et in libro de Correptione & gratia: *Posset enim* (Adam) *perseverare etiam si vellet; quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut benè velle posset & male. Quid erit autem liberius libero arbitrio quando non poterit servire peccato: quæ futura erat homini sicut facta est & Angelis sanctis, merces meriti.* Et paulò post: *Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare*, id est, non deficere ab amore boni, *novissima erit multo maior; non posse peccare*, id est, non posse deficere. Quod continuo

Lib. de Cor. & grat. c. 11.

Lib. de Cor. & grat. c. 12.

continuò verbis aliis eodem sensu exprimit: *Prima erat perseverantia potestas, bonum*, id est, Deum, *posse non deserere; novissima erit felicitas perseverantiæ bonum non posse deserere.* In eo quippe peccatum situm est, quod à bono, hoc est, à Deo deficitur. Et in libris de Civitate Dei luculentissimè: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit.* Arbitrium istud manere tamen liberum etsi peccare non possit, id est, etsi infirmitas illa deficiendi & cadendi ex voluntate bona seu amore Dei auferatur, probat ex libero arbitrio ipsius Dei: *Certè Deus ipse numquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Pluribus testimoniis id astrui posset uberius si res postularet, sed in re manifesta non est immorandum. Nam ex istis valde luculentis apertissimum est, de propriissimè dicta libertate esse sermonem, à qua scilicet & ipse Deus liberi arbitrii esse dicitur, & quam Pelagiani acerrimè oppugnabant, contendentes nec antè gratiam, neque post gratiam esse liberum arbitrium, juxta doctrinam Augustini, eo quod ante gratiam libertas mali necessitate, post gratiam boni necessitate & mali impossibilitate tolleretur, ut latius infrà dicturi sumus. Hunc enim eorum errorem perculit Augustinus, cum tam sollicitè liberum arbitrium in futura vita, cum indeclinabili illa non peccandi voluntate permansuram esse contendit.

Lib. 22. de Civit. c. ult.

Hanc igitur doctrinam cum sit certissima, quamvis & Scholastici admittere videantur, in ejus tamen intelligentia non mediocriter hallucinantur. Arbitrantur enim, nihil aliud hic Augustinum tradere, quam quod liberum arbitrium idcirco liberum in beata vita futurum sit, quia erit indifferens ut hoc bonum eligat vel non eligat; vel etiam eligat hoc vel illud. Quod enim in pluribus aliis doctrinæ capitibus eis contigit, & sæpius in hoc opere demonstrabitur, hoc etiam in præsenti argumento eis usu venit, ut Augustini verba in sensus à se præoccupatos, quamvis alienissimos ab ejus mente, detorqueant. Cùm enim ipsi nullam suspicari possint libertatem arbitrii, nisi semper hæsitantem & quasi in bivio quodammodo fluctuantem ut eligat vel non eligat, eligat hoc aut illud, putant & Augustinum cum liberum arbitrium nominat, de simili semper indifferentia loqui. Quo sanè nihil absurdius dici potest. Nam quamvis non neget Augustinus talem indifferentiæ statum etiam sub arbitrii libertate, quamvis infimum & abjectissimum, comprehendi, solum tamen istum eo nomine designari, capitaliter ejus doctrinæ adversatur. Quod ita verum est, ut cum tot libros exaraverit Augustinus de libero arbitrio adversus Manichæos, de gratia non tollente libertatem adversus Pelagianos, vix ullum vestigium reperiri possit, ubi de ista libertate loquatur. Sed de hoc alias uberius. Nunc tantum dico, dum Augustinus docet liberum arbitrium beatorum ita liberum esse ut peccare non possit, nullo modo istud velle quod Scholastici imaginantur, de indifferentia ad hoc vel illud bonum, sed quod liberum arbitrium erit liberrimum in illo ipso affectu & voluntate non peccandi, hoc est, in illa stabili, perpetua & immutabili voluntate non deficiendi ex amore Dei. Quæ voluntas non est aliud, quam amor firmissimus æquitatis & justitiæ sempiternæ, quæ est Deus noster. Peccare namque Augustino non est aliud, quam à bono, hoc est, à Deo seu Dei amore qui est veritas & justitia deficere, sicut pluribus testimoniis commonstrare facillimum est. Vnde illud in libro duodecimo de Civitate Dei: *Cùm se voluntas relicto superiore ad inferiora convertit, efficitur mala.* Et inferius: *Deficere ab eo quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam.* Et rursum: *Nec talem voluntatem facit nisi defectio qua deseritur Deus, cujus defectionis etiam causa utique deficit.* Et clarissimè paulò pòst de Angelis loquens: *Et à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, cohæserunt. Eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem bona voluntate*, id est, amore, *manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt*, malâ scilicet voluntate, *hoc ipso quo à bono defecerunt.* Vnde in libro primo contra adversarium legis & Prophetarum, quod sæpè docuit, Adamum potuisse peccare si vellet, hoc vocat, *posse deserere Deum*, & in cælestibus rebus esse creaturam, *quæ numquam deserit Deum.* Ex quibus constat, sicut peccare est ab amore Dei seu bona voluntate deficere, ita non peccare, est in amore stabilem & immobilem permanere, & peccare non posse est, non posse ab amore seu bona voluntate deficere. Vnde illud tritissimum August. *Caritas est quæ non peccat*, quia caritas est bona voluntas seu amor Dei. Hinc est enim quod illam voluntatem non peccandi in Angelis vocat voluntatem *qua semper incommutabili eius veritate perfrui, numquam autem peccare volunt*; *qua perseverantissimâ voluntate non peccant*; &, *perpetuam tuendæ justitiæ voluntatem*; imo *liberam voluntatem qua non peccant.* His ergo tanquam certissimis præjactis fundamentis, docet Augustinus, arbitrium Beatorum esse liberrimum, in hoc ipso quod peccare non possunt, hoc est, in illa ipsa immobili voluntate non peccandi, seu non deficiendi ab amore Dei, seu, quod idem est, in illa stabilissima æternaque voluntate fruendi incommutabili ejus veritate atque justitia. Impotentia quippe deficiendi non est aliud, quàm potentia permanendi, seu immobilis firmitas semper amandi. Hunc igitur esse verissimum indubitatumque sensum Augustini, ex pluribus capitibus evidentissimè demonstrari potest.

Lib. 12. c. 6. *Cap. 7.* *Cap. 9.* *Lib. 1. cont. Advers. legis & Prophet. c. 14.* *Lib. 3. de lib. arb. c. 5.* *Ibid.*

Primò ex ipsa illa comparatione utriusque libertatis, primi hominis & Beatorum, & ex phrasibus quibus utitur. Nam cùm dicit, primum

mum hominem ita liberum fuisse ut bene velle posset & male, non hoc vult Augustinus, quasi male velle seu peccare posse, pars esset libertatis ejus, sed hoc, quod ita esset libera voluntas in bono, ut tamen in eo voluntas non esset stabilis, sed deficere posset; postea vero voluntas illa tam erit stabilis ut deficere seu peccare non possit, & idcirco liberior. In qua comparationis istius intelligentia, nulla ratio habetur potestatis peccandi, quasi pars esset libertatis, sed tantummodo potestatis benefaciendi seu bonæ voluntatis, quam in Adamo & Beatis differentem in eo fuisse tradit, quod in Adamo esset adhuc mobilis & infirma, in beatis immobilis, robusta, perpetua, & idcirco liberior. Patet hoc in primis ex illis ipsis locutionibus allegatis, quibus dicit ante ita liberum fuisse, ut *posset non peccare, non deserere Deum*, id est, ut alibi dicit, ut *posset perseverare in bono, perpetuam habere voluntatem ad permanendū cum Deo.* Postea vero liberius futurum, quia peccare non poterit, quia peccato servire non poterit, quia bonum deserere non poterit. Quæ perspicuè significant, non in eo majorem esse libertatem, quod tunc poterit eligere hoc vel illud bonum (de quo nunquam vel verbulo Augustinus mentionem fecit) sed quia non amplius poterit voluntas bona mutari. Quod clarius adhuc significatur in ultimo loco ex libris de Civitate Dei. Cùm enim dixisset, nec ideo liberum arbitrium habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt, statim adjicit: *Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* Hoc est, in eo erit arbitrium, seu voluntas liberior, quod eo usque crescet libertas non peccandi seu non deficiendi ex amore Dei, quod cum ante tantummodo non delectaretur peccare (hoc est, ut nulla deficiendi delectatione seu titillatione tangeretur) tunc ita idem arbitrium seu voluntas in libertate roborabitur, & implebitur cælestis amoris delectatione, ut neque delectatione peccandi seu deficiendi tangi possit, sed potius indeclinabiliter Deo delectetur. Significatur ergo, libertatem arbitrij in illa ipsa non peccandi seu bene volendi voluntate crescere, nec umbra est ulla, vel ibi, vel in omnibus scriptis ejus, quod libertatem in eo majorem fieri velit, quod possit eligere vel non eligere, hoc eligere vel illud bonum. Quid enim hoc ad majorem non peccandi libertatem facit, quod in illis arbitrium indifferens maneat, cum & in hujusmodi electione & non electione, vel in electione hujus vel illius boni tanto fuerit indifferentior, quanto minus intellectus acie penetrabat, quod bonū cum summo bono inseparabili vinculo necteretur. Hoc enim quo penetratur magis, eo minor est indifferentia electionis alterius, & quo minus, eo major. Sed, ut dixi, nullum vestigium est vel ibi vel usquam alibi quod in ista indifferentia posuerit Augustinus majorē arbitrij libertatem, cùm ad propositum ejus nihil prorsus faciat, sed arbitrium in illo ipso amore justitiæ liberum fieri docet, dum ab illo non

Lib. de Cor. & grat. c. 11 & 12.

In Enchir. cap. 104.

potest amplius peccando deficere. Hoc enim ipsum in eodem loco manifestat id quod uberius adjicit: *Sed quia peccavit ista natura cum peccare potuit, largiore gratiâ liberatur, ut ad eam perducatur libertatem in qua peccare non possit.* Ecce in eo ipso ponit majorem illam libertatem arbitrij, quod gradatim voluntas eadem liberior in non peccandi potestate fiat, dum fit robustior, immobilis & perpetua, quæ mutari non possit succedente voluntate peccandi, sicut in Adamo non fuit perpetua, sed deficiendo mutata est. Quod apertius dicit in Enchiridio, dum docet, quod Deus voluisset primum hominem *ad meliora perducere ubi eam nec possit voluntatem habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset.* Vbi apertissimè indicat in eo minus liberum fuisse primi parentis arbitrium, quod voluntas non peccandi seu justitiæ non erat tanti roboris, ut maneret perpetua; & ad illam libertatem arbitrium esse perducendum, ut non possit ab illa voluntatis bonæ perpetuitate deflectere. Sed sicut immobiliter & perpetuo bonum, id est, Deum seu justitiam volet ac diliget; ita immobiliter & perpetuo malum, id est, peccare nolet. Quod eleganter expressit alio in loco alijs verbis eodem sensu, in iisdem libris de Civitate Dei: *Timor ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit & in futuro sæculo, non est timor exterrens a malo, quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amitti non potest. Vbi enim boni adepti amor immutabilis est, profectò si dici potest, mali cavendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine ea voluntas significata est, qua* NOS NECESSE ERIT NOLLE PECCARE: *& non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, sed tranquillitate caritatis cavere peccatum.* Ecce quod alibi toties dixit arbitrium tunc ita liberum futurum ut peccare non possit, per hoc explicatum, quod necesse erit nolle peccare: quod ut intelligeremus non aliter fieri nisi robore bonæ ac immotis voluntatis justitiam caritate diligētis, addit, hoc fieri non sollicitudine seu timore infirmitatis, sed tranquillitate caritatis, videlicet Deum ac justitiam immobiliter diligentis. Libertas ergo ab Augustino in ipsa illa voluntate perpetua non peccandi, seu justitiam diligendi apertissimè collocatur. Vnde & de Angelis loquens, qui neque viatores peccavere, neque beati peccabunt unquam: *Et ratio quidem si certa conspicitur qua manifestum fiat, esse oportuisse creaturam, quæ nunquam peccaverit, nunquam peccatura sit, etiam illud eadem ratio renuntiat, à peccato illam libera voluntate abstinere, neque coactam non peccare, sed sponte.* Hic apertissime liberam voluntatem vocat, illam ipsam voluntatem, qua Angeli semper & immobiliter abstinent à peccato; quæ voluntas non est alia quam ipsa perpetua voluntas caritatis, quæ justitiam semper diligens, semper à peccato abstinere facit, hoc ipso quo robusta & immutabilis permanet.

In Enchir. cap. 104.

Lib. 14. de Civit. c. 9.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 12.

Sed ut nemini dubium remaneret, hanc esse genuinam ipsissimamque Augustini mentem,

 non

non vero illam quę circumspectissimo Doctori à Scholasticis attribuitur, hoc ipsum ex eodem omnino loco, ubi liberum arbitrium non interiturum in cælo boni necessitate, sed liberius futurum asserit, perspicuè patet. Cùm enim præmisisset, *primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare*, ita consequenter nullo verbo interjecto adjicit, velut rationem majoris libertatis: *Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis & æquitatis*, id est, voluntas diligens justitiam seu Deum *quomodo est felicitatis. Nam utique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus, voluntatem vero felicitatis nec perdita felicitate perdidimus.* Ecce perspicuè explicat quo pacto velit intelligi, liberius esse arbitrium beatorum, nempe quia voluntas non peccandi, seu, ut ipse loquitur, *voluntas pietatis & æquitatis erit inamissibilis*, hoc est, quia beatificus amor justitiæ stabilis erit & perpetuus. Tantum ergo abest, ut potestas amittendi bonam voluntatem fuerit pars libertatis etiam in primo homine, ut potius hac unâ & solâ causâ fuerit libertas ejus minor. Quis enim nisi fatuus dixerit, tunc esse liberiorem voluntatem bonam cùm amitti potest? Vt enim ipse Augustinus addit: *Certe Deus ipse numquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Nam & ipse non aliter peccare non potest, nisi quia voluntas qua justitiam, hoc est, seipsum diligit, æterna, immutabilis, & indefectibilis est. Quapropter uberius adhuc & ab omni ambiguitate remotis verbis explicans, quam voluntatem beatorum, & quo pacto liberam esse sentiat, subjungendo concludit: *Erit ergo Civitatis illius* (cælestis) *& una in omnibus & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum.* Ecce iterum voluntas impleta omni bono, voluntas fruens indeficiente æternorum jucunditate gaudiorum, est illa voluntas libera quæ peccare non potest, quia illa est ipsissima ista voluntas inamissibilis pietatis & æquitatis, quæ idcirco hic alio nomine idem omnino significante, vocatur *voluntas inseparabilis*, scilicet ab arbitrio voluntatis, quia inamissibilis. Voluntas enim non hic sumitur pro potentia voluntatis, sed ut initio monui, pœne semper ab Augustino & latinitatis autoribus sumitur pro ipso voluntatis actu, quam volitionem dicimus.

Lib. 22. de Civit. c. ult.

Lib. 22. de Civit. c. ult.

Ibid.

Sed ex eodem illo loco aliud non leve argumentum sumitur. Nam Augustinus, ut explicaret liberum arbitrium beatorum esse liberrimum, non solum dicit voluntatem pietatis & æquitatis, hoc est, dilectionem Dei seu justitiæ, ut ipse loqui solet, esse *inamissibilem* & *inseparabilem*, atque *liberam*, sed ita inamissibilem, sicut est voluntas felicitatis, indicans consequenter ita eam esse quoque liberam. Nam semper docet Augustinus, maxime cum de illa ipsa libertate beatorum loquitur, voluntatem felicitatis esse liberam omnino voluntatem. Hinc enim illud adversus Pelagium, qui libertatem negabat esse, ubi naturali necessitate constringimur: *Perquam absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua & bona constrictione naturæ.* Vbi per voluntatem intelligit liberam voluntatem seu liberum arbitrium, de quo ibi disputatio est. Nam istam de voluntate beatitudinis esse Augustini mentem apertissime patet ex Enchiridio ad Laurentium, ubi cùm similiter libertatem beatorum assereret istis verbis: *Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato*; statim illam libertatem eodem modo probat ex libera voluntate felicitatis quam nolle non possumus: *Neque enim*, inquit, *culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam velle possimus.* Quibus verbis evidenter docet, non minus liberam esse voluntatem beatorum qua peccare non possunt, quia semper & stabiliter nolunt à Dei dilectione deficere dum semper diligunt, quam est voluntas qua miseri esse velle non possumus.

Lib. de nat. & grat.

Ench. c. 105.

Et quia responderi potuisset voluntatem illam qua beati esse volumus, esse culpandam voluntatem, vel etiam non esse vocandam voluntatem, aut denique non esse liberam voluntatem, & idcirco non rectè proferri ad asserendam libertatem in illa perpetua voluntate beatorum, objectiones illas occupans, triplicem nodum tribus verbis brevissime secat: *Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est.* Quasi diceret, nam & illa est laudanda voluntas, ergo & in beatis multo magis voluntas perpetua & immutabilis pietatis. Nam applicans exemplum ad propositum suum: *Sicut ergo nunc*, inquit, *etiam anima nostra nolle felicitatem, ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est.* Vbi nolle iniquitatem, seu, ut ita dicam, voluntas iniquitatis, eadem est quæ superius vocata fuit *inamissibilis voluntas pietatis & æquitatis*, itemque *inseparabilis* in singulis *voluntas libera*; voluntas ab *omni malo liberata*, voluntas *impleta omni bono*, voluntas *fruens indeficiente æternorum jucunditate gaudiorum.*

Nec quicquam ad rem præsentem facit, quod voluntas felicitatis sit indifferens quantum ad exercitium. Nam quamvis istud ita esse concedatur, hoc tamen non attendi voluit Augustinus in illa similitudine, sed hoc tantum quod astrictio ad unam partem nihil omnino impediret arbitrij libertatem. Vnde fit ut illa indifferentia exercitij per accidens omnino se habeat, ad illam liberi arbitrij rationem, quam Augustinus in his exemplis consideratam & assertam cupit, & idcirco confidenter docet voluntatem perpetuam pietatis in futura vita, & qua semper nolunt iniquitatem, non minus liberam esse quam voluntatem beatitudinis in hac vita, cùm tamen illa sit perpetua perpetuitate exercitij, hæc non item. Nam peccare non posse seu inamissibiliter velle pietatem & æquitatem, & nolle iniquitatem, non est aliud

quam

oogle

quam inamissibiliter & inseparabiliter amare justitiam. Idcirco enim peccare non possunt, quia ab amore justitiæ, hoc est, Dei cessare non possunt. Hanc autem voluntatem beati non in potentia, sed in perpetuo exercitio actus habent. Accedit denique paradoxum in Augustini doctrina inauditum esse, quantum ego eam perscrutari potui, quod actus aliquis voluntatis propterea liber sit, quia ab illo desistere voluntas & non agere potest; cum potius diametraliter è contrario, semper ab eo propterea libertas alicujus actus asseratur, quia voluntas eam agere potest. Ex quo fit ut in illo acerrimo diuturnoque conflictu, quo cum Pelagianis de gratia & voluntatis libertate decertatum est, in nullis ejus libris vel semel inveniri queat unus textus vel vestigium opinionis istius, quod idcirco voluntas sub gratia quæ facit eam facere, maneret libera, quia cessare potest; sed potius conspirant omnia idcirco esse liberam, quia gratia voluntatem nihil agentem potentissime velle & operari facit. Nam quamvis verissimum sit, voluntatem sub gratia Dei ab agendo posse cessare (sicut & in Adamo & Angelis sine ulla dubitatione cessare potuit) hoc tamen, ut dixi, veræ libertati voluntatis humanæ, juxta Augustinum, per accidens conjunctum est, & nihil omnino ad libertatem volendi & operandi facit; usque adeo, ut ego ingenuè loquendo, miraculi loco habiturus essem, si in Augustini doctrina ostendi posset, voluntatem quę potentissimè & immobiliter & perpetuo justitiam diligit & operatur, non esse in ista volitione & operatione liberam: sed potius è contrario, prout ejus doctrinam & principia perlustravi, nihil ipse invenire posset, nisi solum Deum, quod majori arbitrij libertate gauderet. Vnde istud August. celeberrimum, cui omnis ejus reliqua doctrina consentit, *Hæc voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior, tanto autem sanior quanto divinæ misericordiæ gratiæque subiectior.* (Epist. 89.) Quam sententiam sicut perfectissimè in illa perpetua voluntate pietatis seu amore Dei, impleri nemo sanæ mentis dubitare sinitur; ita ab illa valde remotum est illud indifferentiæ philosophicæ æquilibrium, juxta quod tanto fit liberior voluntas, quanto magis sub gratia cessare, vel aliud quam gratia instigat facere potest. Vnde nihil mirum, si juxta horum sententiam, gratia cum in summo fuerit, qualis est beatorum, indifferentem libertatem directè destruat, juxta Augustinum verò, directè astruat. Quæ duo quemadmodum tantum à se discrepant, quantum arcticus polus ab antarctico, ita ratio libertatis quam Augustinus docet à recentiorum libertate dissentit.

CAPVT NONVM.

Ex libertate Christi Domini.

NEC dissimile est præcedenti argumento, id quod de Christi Domini libertate sæpe contra Pelagianos Augustinus tradit. Cùm enim illi invidiosissime de gratia quasi libertatem arbitrij destruente, quererentur, sæpe obturat illis os Augustinus proferendo urgentissimam de Christi Domini libertate similitudinem, cujus arbitrium, quamvis non posset ullum peccatum ullumque malæ voluntatis motum admittere, liberrimum tamen in non peccando fuit: (Lib. de Cor. & grat. c.11) *Neque enim metuendum erat ne isto ineffabili modo in unitatem personæ à verbo Dei natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ista susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Quod in Enchiridio dicit: (Enchirid. cap. 36.) *ut nullum posset habere peccatum.* Itemque (Ibid. cap. 40.) *ut fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.* Et in libro de Prædestinatione Sanctorum: (Lib. de præd. SS. c.15) *Numquid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat?* Ex quibus testimonijs tria colliguntur. Primum, non hic agi de libertate Christi ad faciendum bonum. Sicut enim differunt toto cælo, abstinere à malo & facere bonum, Spiritu sancto etiam illa duo distinguente, *Declina à malo, & fac bonum*; ita quoque libertas arbitrij ad non faciendum malum, & ad faciendum opera bona. Vnde de faciendo bono præmiserat: *Illam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt.* (Lib. de Cor. & grat. c.11) Et mox de non peccando: *Neque enim metuendum erat* &c. Augustinus hic igitur asserit liberam fuisse Christi voluntatem, non solum qua peccare nollet, sed quâ peccare non posset, aut motum aliquem malæ voluntatis admittere. Quamvis autem facilè intelligi possit, indifferentiam aliquam ad opera diversa bona remanere potuisse, quomodo tamen indifferentia ad non peccandum remanserit non apparet. Illa quippe voluntas, sicut in contrarium non poterat immutari, ita nec à detestanda iniquitate cessare: cùm non esset alia voluntas illa, quam qua justitiam Dei peccato repugnantem sine cessatione diligebat; vel si eam ab illa distinguere voluerimus, tam est perpetua, quàm voluntas immutabilis justitiæ, quam indivulsa comitatur.

Secundò colligitur, determinationem voluntatis Christi perpetuam ad non peccandum, seu ad malæ voluntatis motum repellendum, nullo modo libertatis ejus officere, sed proficere. Expressè quippe dicit, tanto magis Christi voluntatem esse liberam, quanto magis peccato servire non potest. Certissimum autem est, multo minus peccato servire posse, qui perpetuo & immutabili actu capitaliter

repugnante detestatur iniquitatem, vel diligit æquitatem, quam qui per intervalla tantum in hujusmodi motus voluntatis erumpit.

Tertiò, nec hic ullum elucere vestigium, quod Augustinus cogitaverit in eo Christi, ut neque beatorum libertatem collocare, quod possit hoc vel illud bonum eligere, multo minus istud eligere & non eligere. Sed tam in isto libertatis Christi argumento, quam beatorum ac Dei, doctrina ejus tota toto impetu tendit eò, ut quo potentius & immutabilius voluntas justitiam diligit, & peccata detestatur, eo liberiore feratur Christus, vel beati, vel Deus ipse, voluntate. Quod nisi secundum Augustini doctrinam verum esse fateamur, quo pacto Christus libera voluntate præcepta Patris ut præcepta compleverit, hoc est, secundum illas omnes circumstantias, quæ sive positiva Dei voluntate, sive æternæ sapientiæ immutabili præscripto, actiones omnes faciendas & circumstantias determinante præscribuntur, fateor me videre non posse; & neque Scholasticos videre potuisse, satis interminabilis eorum pugna & lucta testatur. Quod ipsum fortasse non leve signum est, eos longissime ab explicanda veræ libertatis ratione, quam Augustinus tenuit recessisse. Nam quo alioquin pacto fieri potest, ut vir acutissimus, profundissimus, toties à Pelagianis de libertate lacessitus, nullam vel tenuem umbram, in tot scriptis suis reliquerit, quod libertas arbitrij in hujusmodi indifferentia collocanda sit? Vt tantâ facilitate libertatem Beatorum & Christi expediat? Sub cujus premente mole tota Scholasticorum multitudo fatigata suspirat, & tanto conatu nihil aliud agit quam quod principijs suis proprijs arctitata & ligata sibi difficultatem insolubilem esse confitetur? Hoc videtur sanctus Thomas liquido vidisse, quando dicit in Commentarijs super Magistrum Sentētiarum: *Etiamsi esset determinatum* liberum arbitrium Christi *ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti.* In 3. dist. 18. q. 2. ad 5.

CAPVT DECIMVM.

Idem ostenditur ex voluntate fruente summo bono clarè viso, juxta principia Augustini.

VERUM quia sic natura comparatum est, ut animus ad insuetam doctrinam, præsertim si inveteratis opinionibus præoccupatus fuerit, semper hæsitet, & quantumcumque palpabiliter Augustini esse demonstretur, subtilitatis alicujus præstigias vereatur, non gravabor adhuc uberius hanc Augustini mentem ostendere; quod videlicet nullam simplicis necessitatis determinationem, sed tantummodo illam primam instar ponderis prementem cogentemque libertati voluntatis metuat. Hoc autem in illa voluntate ostendemus, quæ Scholasticorum omnium judicio, maxime determinata est, voluntate scilicet illâ qua homo post hanc vitam beatus est. Hanc enim ita liquidè sentit Augustinus, ac docet esse liberam, ut ex ejus libertate sumat argumentum pro astruenda libertate culpabilis voluntatis, quam divina præscientia futuram esse prænovit. In illo quippe libro tertio de Libero arbitrio jam sæpe citato, ubi liberum voluntatis arbitrium ad amussim excutitur, cum Evodius quicum disputat, omnia quæ in creaturis fiunt, propter Dei præscientiam dixisset, necessitate non voluntate fieri, hoc est, coactè, non liberè, ut ex circumstantia loci patet, refutandum eum suscipit Augustinus ex voluntate beatitudinis, qua scilicet eum Deus beatum facturus est, quem facturus est. Hanc enim voluntatem præscit Deus, nec tamen voluntas esse desinet, cùm futura erit, quia non invitus beatus erit, sed utique volens. Hoc autem ipso quo volens erit, voluntas erit, & idcirco in potestate, quia fiet cum volet, & consequenter libera. Quamvis enim nunc quando vult beatus esse, nondum sit beatus, neque illa voluntas beatitudinis adhuc sit in potestate; quando tamen Deus eum beatum faciet, voluntatem illam ardentissimæ caritatis dabit, & eam dando etiam potestatem dabit, & ita voluntas illa erit in potestate & libera. Hic est discursus Augustini, de voluntate beatitudinis, seu qua temporibus suis, cum Deo visum fuerit nos beatos facere, beati futuri sumus. Sed ipsum dialogum ad rem accuratius intelligendam audiamus. Sic igitur Augustinus: *Numquid neminem beatum facit?* Respondet Evodius: *Facit vero.* Augustinus: *Tunc itaque facit quando ille fit.* Evodius: *Ita est.* Augustinus, *Si igitur verbi gratiâ, post annum beatus futurus es; post annum te beatum facturus est.* Evodius: *Etiam.* Augustinus: *Iam vero præscit hodie quid post annum facturus est.* Evodius: *Semper hoc præscivit: nunc quoque hoc eum præscire consentio, si est ita futurum.* Augustinus: *Dic quæso, num tu creatura eius non es, aut tua beatitudo non in te fiet.* Quæ instantia tendit eo, ut declaret ex voluntate ista beatitudinis quam præscit Deus, falsum esse quod Evodius asseruerat, omnia in creatura fieri necessitate. Itaque respondet Evodius, quasi ignarus quo res tenderet. Evodius: *Imo & creatura eius sum, & in me fiet quod beatus ero.* Augustinus: *Non ergo necessitate, sed voluntate in te fiet beatitudo tua Deo faciente*, hoc est, dante tibi beatitudinem, quæ sine voluntate seu amore beatifico esse non potest. Quæ Augustini verba continent instantiam ad hominem, illationem videlicet illius velut per-

Lib. 3. de lib. arbit. c. 3.

ut perspicuæ absurditatis quam admiserat Evodius, quod omnia fierent necessitate non voluntate in creaturis. Unde continuo patefaciens rei ineptiam ex proposita voluntate beatitudinis: *Tu ergo*, inquit, *invitus beatus eris?* Evodius: *Voluntas illius mihi est necessitas* Hoc est, non ero quidem invitus beatus, sed tamen voluntas illa qua beatus ero, est respectu mei necessitas, quia non est in mea potestate, sed Dei. Hunc enim sensum esse declarat, id quod adjicit: *Si enim mihi esset potestas, ut essem beatus, tam profecto essem: volo enim etiam nunc* esse beatus, *& non sum; quia non ego, sed ille me beatum facit*, dando videlicet visionem & amorem immutabilem seu beatificum, atque ita tali utriusque potentissima operatione faciens de me quod ipse vult, non id quod est in mea potestate. Quæ objectio cùm capitaliter voluntatis libertati repugnare, & necessitatem voluntatis beatitudinis afferre videretur, ex ipsa tamen fidentissimè Augustinus totam disputationem conficit, totamque decidit controversiam. Sic enim pergit Augustinus: *optime de te*, id est, de ore tuo, *veritas clamat: Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus: quopropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas est*, videlicet etiam illa beatitudinis, seu qua beatus futurus es, utpote quam potissimum ibi respicit. *Ea enim prorsus nullo intervallo mox ut volumus, præsto est. Et ideo rectè possumus dicere non voluntate virimus, sed necessitate, aut non voluntate morimur, sed necessitate, & si quid aliud hujusmodi. Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere?* Ex hac igitur definitione illius quod esse dicitur in potestate nostra, & quod maximè hoc voluntati competit, sic absolvit Augustinus controversiam: *Quamobrem quamvis præsciat Deus nostras voluntates futuras: non ex eo tamen conficitur, ut non voluntate aliquid velimus*, id est, ut non libertate velimus, de qua tota disputatio est. *Nam & de beatitudine quod dixisti, non abs te-ipso beatum fieri; ita dixisti quasi ego hoc negaverim*: quasi dicat, admitto verum esse quod dixisti, nos Deo in nobis operante beatitudinem, beatos fieri, sed eo non obstante libera nostra voluntate. Nam ita pergit: *sed dico cum futurus es beatus non te invitum, sed volentem futurum.* Iam igitur concilians libertatem voluntatis illius cum præscientia, quæ scopus erat totius disceptationis: *Cum igitur præscius Deus sit futuræ beatitudinis tuæ, nec aliter aliquid fieri possit, quam ille præscivit, alioquin nulla præscientia est, non tamen ex eo cogimur sentire, quod absurdissimum est, & longe à veritate seclusum, non te volentem*, id est, libera voluntate, *beatum futurum. Sicut autem voluntatem beatitudinis, cum esse cœperis beatus, non tibi aufert præscientia Dei*, afferendo scilicet necessitatem, *quæ hodie de tua futura beatitudine certa est: sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, non propterea voluntas*, id est, libera *non erit, quoniam Deus eam futuram esse præscivit.* Quod statim tam efficaciter demonstrat, ut contradictionem implicare doceat, hominem velle & esse necesse ut velit, *unde enim*, inquit, *volet cum voluntas non erit?* Ne vero quisquam cogitationibus atque phrasibus hujus ætatis assuetus existimaret aliud apud Augustinum esse voluntatem & liberam voluntatem, atque ita responderi posse, quod rectè probet Augustinus voluntatem beatitudinis, qua beati erimus, esse quidem voluntatem non tamen liberam, occurrit ipse Augustinus ex propria Evodij definitione concludens, voluntatem omnem ita esse liberam, ut aperta sit repugnantia, voluntatem esse & liberam non esse: *Quod si*, inquit *non hoc modo dixeris, sed dixeris se, quia necesse est, ut velit, ipsam voluntatem in potestate non habere.* Ecce hoc ipsum argumentum quod Scholasticos deterret, ne voluntatem illam beatitudinis seu beatificam liberam esse fateantur. Non enim videtur in potestate nostra esse, non sumus domini illius, non possumus illam suspendere cùm libet. Respondet Augustinus illa omnia esse falsa. Est enim in potestate nostra, sumus ejus domini, suspendimus eam quando volumus: sed si nolumus & constanter nolumus eam suspendere, hoc propriè non arguit defectum potestatis, sed voluntatis. Talis enim naturæ est essentialiter voluntas, seu velitio, ut fiat cum volumus, non fiat cùm nolumus: quod si constanter volumus, quid conquerimur de defectu potestatis cùm hoc sit in potestate quod fit cùm volumus? Objectioni ergo isto modo satisfacere volens Augustinus, attexit illa verba quæ in præcedentibus etiam allegata sunt: *Occurreret*, inquit, *ex eo, quod ipse dixisti, cùm quærerem utrum invitus beatus sis futurus: Respondisti enim quod jam esses beatus, si potestas esset in te. Velle enim sed nondum posse dixisti. Ubi ego subjeci ex te clamasse veritatem: non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi cum nobis cùm volumus deest. Dum autem volumus, si ipsa voluntas deest nobis, non utique volumus. Quod si fieri non potest, ut dum volumus non velimus, adest utique voluntas volentibus.* Sed esto, inquies; adsit voluntas beatitudinis, seu si malis nostræ ætatis phrasi loqui, adsit voluntas beatifica volentibus, vel amor beatificus, vel quocumque nomine perpetuam illam & immutabilem voluntatem quæ fruitur Deo, adsit volentibus, quia contradictionem implicat non adesse, quid inde conficies? An propterea sequetur eam esse in potestate? Eos esse ejus dominos? Audi reliqua: *Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate.* Sed esto, an idcirco libera, de quo tota controversia est? *Porro quia est in potestate, libera est nobis.* NON ENIM EST NOBIS LIBERUM, QUOD IN POTESTATE NON HABEMUS, AUT POTEST NON ESSE QUOD HABEMUS. Et quia res magna est, & juxta mentem Augustini irrefragabiliter & à fundamentis essentialibus demonstrata, ne semel dicta lectoris minus attenti vel periti aciem fugeret, breviter totum colligit & inculcat repetendo: *Ita fit ut & Deum non negemus esse præscium omnium futurorum,*

& nos

& nos tamen velimus quod volumus. Cùm enim sit præscius voluntatis nostræ, id est, volitionis, *cujus est præscius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius.* Ecce quàm sollicitus est August. de sola voluntate, hoc est, volitione nihil curando de libertate, eo quod essentialiter libertas sit conjuncta voluntati, nulloque pacto ab ea separari queat. Quod statim iterum inculcans: *Nec voluntas*, inquit, *esse poterit si in potestate non erit.* Nam hoc est esse liberum. *Ergo & potestatis est præscius*, quam scilicet vel homo à se habebit, vel ipse Deus ei per gratiam suo tempore largiturus est, cùm eam à se ipso habere non possit: *Non igitur per ejus præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præscientia non fallitur, affuturam mihi esse præscivit.* Quibus verbis respicit Augustinus ad illam difficultatem, qua non libera cuipiam esse videri posset voluntas beatitudinis seu fruitionis beatificæ, eo quod illam habere B nunc non sit in nostra potestate. Iam enim beati essemus, si nunc esset in nostra potestate, cùm etiam nunc beati esse velimus. Respondet ergo tacitè Augustinus, cùm Deus præscit voluntatem beatitudinis nostræ, seu fruitionis beatificæ, hoc ipso etiam præscit potestatem, hoc est, eam futuram in potestate; quia Deus beatos nos faciendo, etiam potestatem illam dabit hoc ipso quo voluntatem beatificæ fruitionis dabit, hoc enim est in potestate quod fit cùm volumus. Quare Evodius rem confectam esse videns, tam de voluntate illa beatitudinis, quàm de quacumque omnino voluntate; subjungit Evodius: *Ecce iam non nego ita necesse esse fieri quæcumque præscivit Deus, & ita eum peccata nostra præscire ut maneat tamen nobis voluntas libera, atque in nostra posita voluntate.* Locum integrum tam prolixè deductum volui, quamvis quædam ejus laciniæ jam ante à corpore avulsæ, & suis locis allegatæ fuerint, ne quisquam C sibi fucum fieri putet; sed ipsum Augustinum audiat de beatitudinis voluntate quam habituri sumus, quando beati erimus, disputantem, eumque velut clarioris exempli loco producentem, quo fidem faceret, Deum nostras præscire posse futuras voluntates, ut tamen propterea non desinant esse liberæ. Qua tergiversatione locus eludi possit nescio: cùm perspicuis verbis libertatem voluntati beatitudinis asserat, non illi qua nunc beatus esse Evodius volebat, sed illi qua volens beatus futurus erit, cùm beatus erit. Quæ sanè voluntas non est alia, quàm illa, qua volens beatitudine, id est, beatifico bono fruitur. Hanc autem esse perpetuam & immutabilem, determinatissimamq; voluntatem etiam apud Augustinum extra controversiam est. Nam paulo post de beatitudine Angelorum loquens, hanc beatitudinis voluntatem multis efficacissimis nominibus exprimit, non solùm eam vocans *voluntatem* (quo solo vocabulo tota controversia, ut vidimus, dirimitur) sed *liberam voluntatem. perseverantissimam voluntatem*, qua non peccat angelica creatura: voluntatem qua *semper incommutabili eius veritate perfrui, nunquam autem peccare volunt: perpetuam* denique *tenenda justitiæ voluntatem.*

Lib. 3 de lib. arbit. cap. 5.

A

Ita vero ex definitione potestatis & libertatis rem istam asserit, ut quamvis nihil omnino de illa beatificæ fruitionis voluntate loqueretur, res ipsa per se clamet, in nulla omnino voluntate creaturæ doctrinam istam esse posse veriorem. Per nullam enim voluntatem magis volumus, ideoque nulla magis adest cùm volumus, nullaque magis in nostra potestate, adeoque nulla magis libera. Et illa est ratio fundamentalis & à priori totius doctrinæ supra traditæ, qua docuit & beatorum omnium sive hominum sive Angelorum, & Christi Domini & ipsius Dei arbitrium eo magis esse liberum, quo magis peccare non potest. Cùm enim nulla voluntas sit in eis promptior, ardentior, stabilior, immutabilior, durabilior, ex pleniori judicio & circumstantiarum omnium cõsideratione profecta, quam illa *voluntas*, id est, volitio *perpetua ad permanendum* cum Deo, voluntas *qua necesse erit nolle peccare*, voluntas *inamissibilis pietatis & æquitatis*, voluntas quæ *nolle iniquitatem semper habitura est.* Quibus nominibus Augustinus eam vocat, necesse est eam esse maximè omnium in nostra potestate, & ideo (nisi omnia sua principia de libertate arbitrij Augustinus retractare velit) esse maximè liberam. Quod ne vi rationis duntaxat expressum videretur, ipsemet voluntatẽ illam quã habebimus cùm beati erimus, trutinandam, & suis principijs metiendam suscipit, ipsemet liberam esse concludit ipsemet multipliciter asserit, arbitrium hoc ipso quod illam perpetuam inamissibilemq; voluntatem pietatis & æquitatis habiturum est, maximè fore liberum, ipsemet denique sine ambiguitate; de illa voluntate dicit, *Erit una in omnibus & inseparabilis*, quia amplius amitti non potest, *in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum æternitate gaudiorum.* Qua de causa principijs istis congruentissimè dixit in iisdem libris: *Libertas nulla vera est nisi beatorum, & legi æternæ adhærentium*, hoc est, æternam Dei voluntatem amantium. Neque quicquam omnino terretur Augustinus, illâ simplici necessitate voluntatis, qua, ut fatetur ipse, *Necesse erit nolle peccare, & quam semper habituri sumus*; Nam ut ipse loquitur eâdem invidiosâ objectione pulsatus: *Intelligere debemus esse quandam beatam necessitatem qua Deus injustus esse non potest. Imo vero si necessitas dicenda est; qua necesse est aliquid vel esse vel fieri, beatissima ista omnino necessitas, qua necesse est feliciter vivere, & in eadem vita necesse est non mori; necesse est in deterius non mutari. Hac necessitate si necessitas etiam ipsa dicenda est, non premuntur sancti Angeli, sed fruuntur; nobis autem est futura non præsens. Nec enim dicere audemus Deum non voluntatem*; id est, liberam dilectionem, *sed necessitatem habere justitiæ, qua non potest velle peccare.*

Lib. 22. de Civit. c. ult.

Lib. 1. de lib. arbit. c. 15.

Lib. 1. oper. imper. f. 152 & 154.

Lib. de nat. & grat. 46.

CAPUT

CAPVT XI.

Idem probatur juxta principia propria Scholasticorum.

ET revera, si principia inter Scholasticos etjam certa explorare voluerimus, difficulter ab eis ratio dari poterit, cur non voluntatem illam perpetuam retinendæ justitiæ & fruentem Deo, quam Augustinus liberrimam esse docet, non liberam esse fateantur. Admittunt enim ipsi id quod Catholica fides fateri cogit, veram arbitrij libertatem nullo pacto indifferentiam contrarietatis (hoc est, boni & mali) postulare, sed defectum esse libertatis, posse peccare, hoc est, à bona voluntate posse deficere, secundum illud sancti Anselmi ab omnibus postea approbatum: *Nec libertas est nec pars libertatis, potestas peccandi.* Superest igitur exercitij indifferentia, qua scilicet possit arbitrium varias bonarum actionum species agere, vel certè agere & non agere. Sed indifferentia ad species diversas bonarum actionum libertati essentialis esse non potest. Quid si enim arbitrium justissimis Dei legibus unam tantum determinatam speciem agere jubeatur, quam nisi faciat, peccati reum sit, manifestum est, nullam ad cæteras, nisi peccare velit, quod jam exclusimus, indifferentiam superesse. Ipse Deus, si loqui velit, non potest nisi verum dicere, si promittit, fidelis est, & se negare non potest; sola igitur indifferentia agendi & non agendi restat, quæ propriè est exercitij. Sed & ista in Deo prorsus perijt, hoc ipso quo semel immobili voluntate voluit atque statuit quid in singulis circumstantijs agendum sit, quam retractare non potest. Quapropter si hoc duntaxat est esse liberum, indifferentem esse ad agendum & non agendum, liber fuisse Deus dici potest, liber vero esse non potest. Imò vero nec liber fuisse dici potest. Quando enim liber fuerit, cum ab æterno, hoc est, sine ullo initio semper ad agendum vel non agendum determinatus fuerit? An ad instantia rationis veniendum erit, ut realem in Deo libertatem invenire possimus? Sed salebras istas rationis imaginantis transeamus, & velut veram illam responsionem amplectamur, qua dicunt idcirco Deum nunc esse liberum, quia in illo instanti rationis liber, hoc est, indifferens fuit, & ex propria se libertate determinavit; in qua determinatione, propter naturæ voluntatisque constantiam, immutabilis permanet. Hoc si Scholasticis sufficit, nulla ratio superest, cur non & perpetuam illam justitiæ voluntatem, seu amorem beatificum, quo beati Angeli & homines peccare non possunt, liberrimam voluntatem esse concedant. Est enim certissimum Angelos & homines qui beati fiunt, ita libera indifferentique voluntate justitiam elegisse propriaque se libertate determinasse ad diligendam justitiam, vel in ea perseverandum, sicut Deus ad opera quibus vel creaturas vel aliquid in creaturis operatur. Si ergò immutabilitas naturæ non extinguit illam primigeniam electionis libertatem, multo minus immutabilitas gratiæ interimet. Longè quippe determinatior ac stabilior est natura ad firmandam liberam voluntatem, quam est gratia. Gratia quippè in bono est instar consuetudinis, quæ secunda quidem natura dicitur, non tamen natura. Significatur enim hoc nomine minus esse determinata ac stabilis quam natura. Imò proprius ille est effectus divinæ gratiæ, ut nos divinæ naturæ similes in justitia, puritate, scientia, bonitate, libertate faciat, ut qui propriæ naturæ tanquam ex nihilo extractæ mutabilitate in voluntatibus & electionibus nostris instabiles sumus, Deo similes per gratiam facti, non amplius in placita electaque semel bona voluntate mutemur. Si igitur interna & naturalis immutabilitas Dei, qua electio semel determinata firmatur in æternum, nihil officit electionis illius libertati, profectò immutabilitas gratiæ minus efficiet. Non enim imaginandum est animam beatis illis cum beatitudine voluntatem, quæ propter perpetuam determinationem non sit libera, sed eadem omnino voluntas libera seu amor justitiæ liberrimus sit tempore in hac vita, sine ulla mutatione sed [illegible] & jucundior permanet: Eodem planè modo quo voluntas mala peccantium Angelorum seu semetipsos amantium, in æternum, sive naturæ constantia, ut quidam volunt, sive damnationis æquitate & pondere stabilis perseverat; quam tamen idcirco nemo dixerit esse minus liberam etsi non alia quam illa ipsa quam dixi consideratione, qua dicitur Deum esse liberum, quia seipsum libere sua voluntate determinavit. Hinc divus Thomas expressissimè docet, quod voluntas Angelorum *naturaliter sit immutabilis circa ea quæ ad ordinem naturæ pertinent*, & ideo etiam consequens esse, *ut immobiliter perseverent, vel in aversione vel in conversione respectu supernaturalis boni. Nam*, inquit, *secundum modum naturæ suæ competit ei, ut immobiliter inhæreat ei quod per propriam voluntatem elegit.* Vnde statim adjicit, quod *sicut motus aversionis à Deo, fuit in diabolo voluntarius, ita etiam & quies in eo quod voluit est voluntaria. Nam voluntariè perseverat in malo: sed tamen voluntas ejus in hoc immutabiliter manet.* Porrò voluntatem illam reproborum Angelorum in perpetuo esse actu proprij amoris, esse videtur indubitatum. Cùm enim naturali mentis vivacitate semper in actu sint, & ad aliquid voluntate moveantur, amisso jam amore

S. Bonavent. in 2. dist. 7. in qu. 2. de lib. arb. conf.

quæst. 16. de malo, a. 5. in corpore.

Ibid. ad 6.

Ad 8.

amore superioris boni, non aliud amant quam seipsos. Nam quicquid amant seu volunt, alicui volunt, nec alteri quam sibi, dum cuncta quæ volunt, eo referunt, ut sibi bene sit. Finis enim cui, in omnibus finibus qui amantur præcellenti modo dominatur. Cùm ergò solus amor ille purissimus superioris boni à seipsa creaturam extrahat, dum hoc operatur, ut neque seipsam diligat propter se, sed ille ipse amor etiam naturalis, quo se complectitur & id quod diligit & ipse qui diligit, in Deum velut finem, non solum qui diligitur, sed etjam cui cedant & cedere debeant, profectò amissa illa dilectione Dei, nihil superest, nisi ut ad seipsos referant, quicquid diligunt, & per quæcumque sceleratissima desideria amori illi sui superbissimo satisfactum velint. Vnde in perpetuo actu esse videtur ille amor sui stabilis, immutabilis; & quicquid variarum cupiditatum ad blasphemandum, dominandum, nocendumque hominibus erumpit, instar variarum electionum sese habere respectu præconcepti & semel stabiliter prædilecti & electi finis, in quem Deum deserendo ceciderе. Vnde sanctus Bonaventura afferens exemplum de avaro qui quamvis naturaliter appetat beatitudinem, tamen propter perversitatem voluntatis, appetit eam in divitijs & ideo peccat: *Sic intelligendum*, inquit, *quod diabolus naturaliter diligat Deum ut conservatorem: sed voluntas diaboli illam dilectionem refert ad propriam utilitatem & ideo peccat.* Et mox: *Diabolus cum non obdormiat, semper in eo vigent interiores virtutes, & ita semper sunt in actu velit nolit, sicut in homine vigilante.* Et de continuatione ejusdem illius voluntatis malæ qua ceciderunt dæmones: *Omnis qui peccat liberè vult, ideo continuatio peccati usum liberi arbitrij non excludit, sed includit.* Et divus Thomas in quæstionibus de veritate, quærens utrum voluntas possit facere ut liberum arbitrium hæreat immobiliter in peccato, respondet: *Dicendum quod per se causa peccati voluntas est, & per ipsam peccatum conservatur. Quæ quamvis à principio ad utrumque se haberet æqualiter; tamen postquam se peccato subiecit, efficitur ei peccatum quasi naturale, & ex hoc ei immutabiliter quantum est de se, manet in illo.*

In 2. dist. 7. q. 2.

Ibid. q. 1. de immutabilit. Ang.

Quæst. 24. a. 10. ad 3.

Rursum illud certum est, beatos homines & in primis Angelos indifferenti voluntate Deo cohæsisse, & in illa ipsa eadem cohæsione, hoc est, illius primæ voluntatis electione stabiles permanere; stabilitatem illam præstante Dei gratia, quam natura non poterat: ut qui natura immutabiles electione, quemadmodum Deus est, esse nequeunt, immutabilitatem eligendi ex Dei bonitate sortiantur. Vtrumque significavit non obscurè Augustinus. Nam quod eadem omnino sit voluntas Angelorum in via & in patria, sive stantium

A sive cadentium, in ejus doctrina manifestum est, dum de bonis Angelis ab initio huc usque non peccantibus dicit: *Meliorem esse creaturam quæ quamvis habeat liberam voluntatem, Deo tamen semper infixa nunquam peccaverit.* Et paulò post: *Si te delectat creatura, quæ perseverantissima voluntate non peccat.* Et iterum: *Habet illa sublimis* (creatura) *perpetuam beatitudinem suam, in perpetuum fruens creatore suo, quem perpetua tenenda iustitia voluntate promeretur.* Ac deinde comparat creaturam *quam peccandi perpetua voluntas vult*, & eam quæ *permanet in voluntate iustitiæ.* De quibus identidem repetit quod Deus præviderit illam *non solum peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram*; hanc in *legibus iustitiæ permansuram.* Quæ apertissimè clamant Augustinum hoc sentire, quod eadem omnino voluntas libera, qua justitiam vel peccata delegerunt, in eisdem immutabilis permanet. Nam

Lib. 3. de lib. arb. c. 5.

B revera præmium rectè viventium, & pœna peccantium, illa prima & præcipua & capitalis est, quod cuique creaturæ rationali id stabiliter amare detur, quod amare delegerit. Hoc est enim ejus beatitudo atque damnatio. Nam nihil æquius quam ut in præmium dilectionis, unicuique res dilecta non auferatur, sed cuique concupita sua beatitudo tribuatur; per hoc enim ipsum quisque beatus fieri cupit, quod velut finem amandum constituerit. Quod verò hujusmodi immutabilem voluntatem gratia & pœna tribuat, ut videlicet in bono divinæ naturæ similes efficiamur, Augustinus non minus apertè indicat quando dicit: *Cuicumque creaturæ rationali præstatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ. Ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratia sed natura sua nec potuit nec potest aliqua conversione mutari, nec potuit nec poterit aliqua mutatione peccare.* Peccare quippe non est

Lib. 3. cont. Maxim. c. 12.

C aliud quam ab habita bona voluntate mutari. Vnde damnatis Angelis dicit; quod habent *arbitrium ad maximam malevolentiam in pœnam sui sceleris obduratum, nec eos sana fide dici posse, ad pristinam pietatem correcta aliquando voluntate converti.* Quæ cum ita sint, ut amor beatorum & voluntas obdurata damnatorum, non sint aliud quam voluntas seu electio illa prima libera, majori & stabiliori robore per gratiam pœnamque perseverans, ut in immutabili bona voluntate beati Deo similes efficiantur, damnati vero in mala voluntate defectivam & fugitivam quandam Dei, quemadmodum & in peccatis omnibus, similitudinem gerant, nulla profectò ratio dari poterit, contra libertatem istarum remuneratarum voluntatum, quæ non tanto violentius libertatem divinæ voluntatis impediat, quanto naturalis electionis immutabilitas gratuitam superat.

Epist. 105.

CAPVT

ed by Google

CAPVT XII.

Eandem distinctionem indicarunt ante Augustinum ac ipso vivente multi, Dionysius Areopagita, Clemens, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Hilarius, Epiphanius, Macarius, Basilius, Seleuciensis, Eusebius, Chrysostomus, Cyrillus.

EX his quæ hactenus disseruimus satis patuit, non aliud esse liberum generaliter, juxta doctrinam sancti Augustini, quam *quod est in nostra potestate*, & nihil ei repugnare, nisi *quod fit cum nolumus*, hoc est, necessitatis illius prementis cogentisque violentiam. Quam doctrinam quamvis apertissimè Augustini esse ex immobilibus crebroque inculcatis principijs ejus demonstratum sit, quia tamen recentioribus inaudita est, & non mediocriter mira videbitur, non erit abs re explorare, quid alij veteres etjam Scholastici de essentiali & genuina arbitrij libertate tum post, tum ante Augustinum judicaverint. Quanquam enim, quia divinæ gratiæ necessitas & cum libertate conciliatio ante Augustini tempora ventilata non fuit, nihil mirum esse debeat, si etjam libertatis natura minus accuratè tradita fuerit; non tamen desunt diversorum diversa testimonia, quibus eandem ipsorum sententiam fuisse satis perspicuè colligi videatur.

Inter quos primus occurrit Dionysius Areopagita, qui libertatem arbitrij opponit vi, necessitati, coactioni, cum rationem dat, cur homines post cor suum abeant, hoc est, faciant quod voluerint, οὐδὲ γὰρ ἠναγκασμένην ἔχομεν ζωήν. *Neque enim vita nobis data est vi vel necessitate coacta.* Si enim illa vera ratio est, profecto quandocumque non cogitur, facit id quod voluerit, & consequenter liberè operatur.

Dionys. lib. de cælest. hierarch. c. 9.

Post sanctum Dionysium Clemens Papa in Epistola tertia, ubi primo dicit, quod Augustinus toties tradidit, nos esse liberi arbitrij, quia *velle & nolle habemus in potestate.* Quo nihil certius dici potest, quia fit cum volumus, non fit cum nolumus. Deinde explicat hoc per oppositum libertati, quod est *vi cogi* ad aliquid. Si enim hoc non esset, jam *vis*, inquit, *erat quædam natura, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc natura vis erat, quæ unum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum.*

Clemens Papa in Epist. 3.

Alter est Irenæus qui simili ratione libertatem per immunitatem à vi & coactione declarat: *Liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententia Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit.* Et alio in loco tradit hominem *liberi arbitrij suæque potestatis* factum. Quid autem hoc sit exponit ut Augustinus: *Neque lumen cum magna necessitate subjiciet sibi quemquam.* Et quid ista necessitas? Audi: *Neque Deus cogit eum qui nolit continere eius artem.* Quod est ipsissimum quod Augustinus toties dixit illam vim & coactionem & necessitatem repugnare libertati, qua fit aliquid nolentibus nobis.

Iren. lib. 4. c. 71.

Ibid. c. 76.

Tertullianus item explicans libertatem arbitrij, ex professo semper in eo sitam docet, quod homo *sponte, voluntariè, voluntate* non *necessitate* agit: *Si caperet hoc iure, & bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate.* Et iterum addit *libertatem arbitrij in utramque partem concessam ut bono sponte servando, & malo sponte vitando, sui Dominus constanter occurreret.* Item: *Nec boni nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* Iam autem ostendimus, latè suprà, necessitatem nihil aliud antiquis esse nisi vim & coactionem.

Lib. 2. cont. Marc. c. 6.

Vnde & sanctus Hilarius Scriptor Latinus eodem modo necessitatem arbitrij libertati contrariam per vim & coactionem exponit: *Nam unicuique nostrum libertatem vitæ sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum malumve lex cogeret.* Et clarius paulo pòst: *Quid autem honoris ac premij bonitatis necessitas mereretur, cum malos nos esse vis quædam nobis conserta non fineret?* &c. Et iterum: *Vt esset nobis æterna huius beatitudinis profectus, & usque ex merito, non necessitas indiscreta per legem.*

Hilar. in Psal. 2.

Similiter & Origenes Scriptor Græcus, clarissimis verbis illam opponit necessitatem libertati voluntatis, qua fit, ut aliquid fiat *etsi nolumus*; quod est ipsissimum quod ex Augustino tradidimus: *Vnde & consequens est intelligere, non nos necessitati esse subiectos, ut omni modo* ETSI NOLIMVS *vel bona vel mala* AGERE COGAMVR. Quid manifestius? Audi tamen idipsum inculcatius: *Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliqua virtutes ad peccatum, & alia iuvare ad salutem: Non tamen* NECESSITATE COGIMVR *vel agere rectè vel malè.* Et in Epistolam ad Romanos, cum sæpius tradidisset hominem in manu & potestate habere bonum & malum; sicut & August. hoc sæpè docet, & eo sensu verum esse tradit, quia utrumlibet facit, si voluerit, statim explicat quo modo istud intelligendum sit, nempe *quia sponte fit: Nam ipsi nos exhibemus nullo cogente, vel peccato servire, vel iustitiæ per obedientiam nostram.*

Orig. in proemio libri Periarchon.

In Epist. ad Rom.

Nec minus evidentius Epiphanius removet illam

illam necessitatem velut libertati contrariam, quæ tanquam vis & coactio dominatur. *δίκαιοι δὲ μᾶλλον τίνουσιν οἱ ἀνάγκην ἐπιτιθέντες ἀστέρες, ἤπερ ὁ ἀναγκαζόμενος δράσαι τὸ ἐπιχείρημα, Sanè quidem iustius ab stellis quæ necessitatem pariunt, pœnæ repetantur, quam ab eo qui quod agit omnino coactus aggreditur.* Similiter & alibi, sponte facere & vi coactum veluti libertati ex diametro contrarium opponit. *Qui committit aliquid* (fato) *non id sua sponte facit, sed fatorum vi ac tyrannide compulsus.*

Epiphan. hæresi 5.

Hæresi 16.

S. Macarius id ipsum aliquoties tradit, ut cum dicit hominis naturam & boni & mali esse capacem, ἀλλ' οὐκ ἀναγκαστικὴν id est, *sed non cogibilem*, nam Græci ἀναγκάζειν, dicunt quod Latini *cogere*. Et liberũ exponit aliquoties per *facere quod voluerit*; quod est idipsum quod Aug. dicit, id esse *in potestate quod facit aliquis cũ voluerit. Qui divinitate inebriati sunt nulla necessitate tenentur, sed libera petiuntur potestate ut convertantur & faciant quod voluerint in hoc sæculo.* Et alio in loco dicit, quod *Apostolos non prohibuit gratia quo minus agerent quæ vellent.* Et exponens hoc in eo situm esse, quia non cogit, declarat ex opposito. *Boni malique capax est natura nostra, ac potestas adversaria exhortandi vim habet, non cogendi; in reliquo liberum habes arbitrium inclinandi quo volueris.* Vnde in alia Homilia de incogibilitate in bonum & malum tanquam in qua libertas arbitrij posita sit: *Exhortari enim possunt ambæ facultates, tum ad bonum tum ad malum, non tamen necessario compellere. Huic igitur arbitrio digna datur remuneratio.*

S. Macarius homil. 15.

Ibid.

Homil. 27.

Ibid.

Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus eandem doctrinam accuratè de libero arbitrio tradit: *Arbitrij libertate refulgens consilij vim habet, quæ nulla teneatur voluntatis servitute mentionemque habeat sui Dominam, & inviolabili* (græcè nulla violentia domabili) *gloriatur agendorum electione.* Et inferius idipsum explicans, sæpius repetit quod *Deus necessitatem non imponit*; & quam necessitatem? *Neque necessitatis legibus vincit inobsequentem, neque gratiam per vim aufert, neque intra necessitatem ullam contrahit.*

Basilius Seleuc. or. 3.

Ibid.

Eusebius Cæsariensis Episcopus, in libris illis eruditis de præparatione Euangelica, naturam liberi arbitrij fusè tractat, in eoque sitam esse declarat, quod homo sit *libera potestatis* ad eligendum utrum velit. Quod Augustini principijs prorsus consonat, qui docet esse in hominis libera potestate, quod fit cum voluerit. Sed cùm Eusebius necessitatem ei capitaliter contrariam esse sentiret, plus quam decies illam necessitatem nihil aliud esse indicat, quam vim, coactionem, violentiam. Nam illa perpetuo apud illum opponuntur, *ex necessitate & ex voluntaria meditatione: volens, & externa necessitate compulsus: sua voluntate facere, & externa necessitate: arbitrio & coactione: voluntario voluntatis nostræ motu ferri, & alterius causa necessitate cogi: huc illuc externa vi trahi, quasi quibusdam funibus circumvinctos, & sponte impetuque nostro: nostri compotes manere, & vim aliunde nobis afferri: pro arbitrio consilioque agere, & non citra vim: suopte nutu & aliqua extrinsecus necessitate cogente: voluntarium & illata vi coactum atque invitum: voluntate utente iure suo, & coactum,* & similia. Quæ luculentè patefaciunt quam necessitatem formidet Eusebius liberæ voluntati. Nec in illo opere dumtaxat, sed & in libro contra Hieroclem sibi concinit, dum *voluntatem* opponit *necessitati*, & exponens quid utrumque sit, agere voluntate declarat idem esse, quod *agere arbitrio suo, agere vi propria & motu proprio*: Et è contrario agi necessitate exponit per *invitum, velut inanimum corpus exterius agitatum, & velut alienis nervis mobilem huc & illuc perpetuo motu urgentem duci.*

Euseb. lib. de præparat. Euang. c. 6.

Idem lib. contra Hieroclem f. 542.

Sanctus Chrysostomus eodem modo liberum arbitrium & necessitatem opponit, eamque nihil aliud interpretatur nisi vim quæ coactum & invitum facit: *Dæmon dicis non est in te situm porrigere manum, sed necessitate quadam & vi hoc fit.* Et in Euangelium secundum Ioannem clarè docet hoc fieri libero arbitrio, quod fit si velis, hoc est non vi, non coactè, non invitè. *Corporis natura quocumque ipsam opifex ducere velit eò sequitur, neque resistit: anima autem sui iuris vim in se habet operandi, neque ulla in re* NISI VELIT *obtemperat.* INVITAM ENIM ET COACTAM *minime vult Deus bonam & virtutibus præditam reddere: neque id animæ virtuti esset ascribendum, sed sponte sua bona fit, & sibi virtutem complectendam persuadeat oportet.* Nihil accuratius omni ex parte cum Augustini doctrina, quam ista sententia sancti Chrysostomi quadrat. Nam & vim *sui iuris*, seu ut græcè est, *Dominum sui* (quod Augustino est habere actum in sua potestate) exponit per nihil facere *nisi velit*, hoc est, *facere si voluerit.* Et hoc ipsum dicit *sua sponte* fieri, & hoc animæ ascribendum esse, bonamque facere. Illius vero contrarium statuit, non quamlibet necessitatem, sed illam quæ facit *invitam & coactam*, græcè *invitam & vi coactam.* Denique nihil sancto Chrysostomo familiarius est, quam necessitatem, hoc est, vim, violentiam, coactionem opponere libero arbitrio: atque ideo docere hominem esse liberum, suæque potestatis, quia cogi non potest. Vt sermone de proditione Iudæ: *Sed hæc omnia ille contempsit: Deus vero illum non traxit invitum.* Et cur non traxit invitum? *Et quoniam bona atque mala in nostra Deus posuit potestate, electionis liberum donavit arbitrium, & nos invitos non retinet, sed volentes amplectitur.* In hoc vero ipsissimam liberi arbitrij violationem esse sitam alibi manifestè declarat: *Nos vero qui semel Dominatum nostri adepti sumus, non in cunctis Deo subditos esse nos patimur: qui si traheret* INVITOS, *eriperet ipse quod contulit, id est, arbitrij potestatem.* Quam oppositionem liberæ voluntatis & coactionis tanquam capitaliter eam interimentis, alio loco de eodem Sancto Paulo disserens, frequenter inculcat, nec aliter probat Paulum libero arbitrio sine necessitate esse conversum, nisi quia voluntas ejus affuit, quia volens fecit, quia non invitus, non necessitate coactus, quæ omnia perspicua sunt indicia, quod nullum vereatur liberæ voluntati

Chrysost. Homil. 62. ad populum Antiochen.

Homil. 11. in Ioan.

Serm. 30. de diversis novi Testam. locis tom. 5.

Ibid. Ser. 43 de laudibus S. Pauli.

Digitized by Google

tati niſi ex neceſſitate coactionis prejudicium. A Cùm enim objeciſſet ſibi quorundam verba dicentium de vocatione ſancti Pauli: *Quod Deus vocem illam quaſi funem cervici eius iniecerit, vique illum ad ſe traxerit.* Et infrà: *Vi & neceſſitate ipſum* (Paulum) inquit, *attraxit Deus.* Reſpondet ea refutando Chryſoſtomus, quod non violavit liberum ejus arbitrium, quia & ipſe Saulus aliquid egit propria voluntate: *Non tamen deſtituit eum à ſuis operibus, & ſua propria voluntatis laude* (id eſt, reliquit eum ipſum aliquid operari propria voluntate) *neque nocuit eius libero arbitrio; ſed voluntarius advenit ipſe atque ſua bona voluntate.* Vnde inferius aliquoties: *Paulus voluntariè & ex propoſito voluntatis venit. Deus nolentes non cogit ſed volentes trahit. Qui trahit, volentem trahit. Nullum cogit, ſed ſi ipſe vult. Nullum vi & neceſſitate Deus adigit. Non omnium voluntas eius voluntati obſequitur neque ab eo aliquis cogitur. Si ſpontanei & volentes fuerimus: involuntarios enim & reſilientes, neque vi neque neceſſitate cogit.* B Nimirum, ut præmiſerat, *ne noceat libero arbitrio,* quo hominem in ſua inſtitutione donavit. Eodem modo & alijs locis. *Quomodo igitur, inquis peccant animæ? Volentes, ſponteque ac ſeipſas iniuria afficientes peccant, non coacta neque tyrannide oppreſſa.* Nunquam videlicet interitum libertati timet, niſi à neceſſitate violentiæ atque coactionis: qua abſente, ſatis ei eſt, quod ſponte volenteſque peccant & benefaciunt. Nam illa abſente ſemper eſt homo ſui Dominus, ſemper habet actum in ſua poteſtate, quia fit ſi voluerit: quæ eſt juxta ſanctum Auguſtinum ipſiſſima deſcriptio libertatis. Qua conſideratione ſtatim iterum adjicit: *Vnde perſpicuum eſt quod in nobis ſitum eſt, ut vel obtemperemus, vel non obtemperemus illius* (diaboli) *conſilijs, nec ullam neceſſitatem neque tyrannidem patimur ab illo.* Multa ſimilia ex eodem Chryſoſtomo produci poſſent, ſed iſta ſufficere videntur, ut intelligamus eum non aliam neceſſitatem, niſi violentiæ & coactionis liberæ voluntati formidaſſe.

Chryſoſt. ſerm. 13. de ferendis reprehenſ.

Serm 2. eiuſdem tomi de Lazaro.

Vid. Serm. de verb. Hier. tom. 3. f. 920.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus eandem quoque ſolam neceſſitatem coactionis à libera voluntate ſeparat, quando primum dicit: *Omnis quæ in cœlis eſt rationalis & mentalis creatura, liberum habet motum ad faciendum quæcumque voluerit, & propenſio in unoquoque à* NECESSITATE *libera eſt.* Et à qua neceſſitate? Audi: *Itaque ut & nos quoque ad quodvis bonum ſponte incederemus conſilio, non coactè vivere ſuper terram hominem permiſit Deus.* Itaque latius ſeipſum exponens declarat libertatem ſublatam iri, ſi Deus hominem ineffabili poteſtate flecteret atque cogeret, quantumvis aliquo impetu vel cupiditate voluntaria in bonum ferri videretur: *Itaque ſi ineffabili quadam & divina virtute & efficacia uſus mutaſſet ſingulorum mentem ad benè agendum, & indidiſſet poſtea bonum à quo ægerrimè diſcedere poſſet,* ET NON SPONTE, *ultra non eſſet fructus mentis, neque res digna laude, ſed neceſſitatis & cupiditatis non voluntariæ.* Quia videlicet impetus ille impreſſus non procederet à voluntate, & ideo non eſſet liberi arbitrij motus ſed vi neceſſitatis extortus. Vnde ſubjungit, quod ſi Deus ſic facit, *Tardè quaſi dato conſilio vix tandem reducit ut ſervet genus* (hominum) *& transfert* NON LIBERE, SED COACTE *potius ad hoc ut videri debeant fideles.* Verè enim non B eſſent fideles, ſed eſſe viderentur, quia non ſponte & ſua voluntate crederent, ſed coactitio impulſu rapti credere viderentur, cum tamen animo ferrentur aut ferri ponerentur invito. Cujuſmodi impetum & coactionem repugnare libertati ſæpe tradit, in libris de adoratione in Spiritu & veritate. Nam frequenter ibi inculcat illas actiones homini liberas eſſe, *quæ ſunt in hominis poteſtate, quarum penes nos facultas eſt, quarum arbitrium & nutus eſt in hominis poteſtate, quod facit cum viſum fuerit:* quæ eſt ipſiſſima definitio ſancti Auguſtini. Semper vero illi opponit, *non eſſe nobis voluntarium, agi tanquam neceſſario quodam vinculo quò imperantibus placet; ab aliorum nutu pendere; eſſe à noſtra poteſtate alienum; præter voluntatem & ex neceſſitate impelli: per vim impelli ad bonum aut malum;* ac *non eſſe in noſtra poteſtate:* quæ nihil aliud ſignificant quam id ipſum quod idem Auguſtinus tradidit liberæ voluntati repugnare, nempe ita ex neceſſitate C fieri, ut fiat nolentibus nobis: *Vbi auditus diſciplina doctrinaque adeſt, non vi ſed perſuaſione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris quod ex charitate dignis præſtatur, non vi Chriſtum fideles agnoſcunt. Non enim poſſumus ſecundum Eccleſiæ veritatiſque dogmata liberam poteſtatem hominis* (*quod liberum arbitrium appellamus*) *ullo modo negare. Ita iuſti quidem premijs propter iuſtitiam afficiuntur; qui vero malè vixerunt, non iniuria puniuntur.* Quod ſanè nullo modo ſequitur, ſi libertas aliter niſi ſola vi & coactione tollatur.

Cyrill. Alex. lib 8. contra Iul. in fine.

Lib. 4. de ador. in ſpir. & verit. fol. 406. & 407.

Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 7.

CAPVT XIII.

Poſt Auguſtinum idem docuerunt omnes uſque ad Scholaſticos, & primo ſanctus Proſper & Fulgentius.

SED poſt Auguſtini tempora ita conſtans fuit omnium illa ſententia ſuperius explicata, quam Auguſtinus antè tradidit, ut nemo, quod ſciam, inventus fuerit in Eccleſia latina per annos octingentos qui diſſenſerit. De Proſpero & Fulgentio A non poteſt eſſe dubitatio. Cùm enim eſſent acerrimi & accuratiſſimi doctrinæ cœleſtis ejus defenſores, nec ab ejus tramite quantum ad gratiam & liberum arbitrium attinet, vel ad latum unguem diſceſſiſſe reperiantur, fieri non poteſt ut eam in re præcipua deſeruerint.

Et

Digitized by Google

Et quamvis coacti non fuerint eam tam ex professo tradere ut Augustinus fuit, eo tamen tota eorum doctrina collimat. Hinc illud quod ex fonte doctrinæ istius haustum est: *Divino iustoque iudicio actum, ut qua fuit* (Angelis) *manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria felixque necessitas.* Nam ipsa pænè verba sunt, quibus a Augustinus libertatem beatæ fruentisque voluntatis Angelorum explicuit. Hinc illa definitio liberi arbitrij: b *Liberum arbitrium est rei sibi placita spontaneus appetitus.* Quæ definitio non requirit aliud ad libertatem, nisi ut rem placitam sponte velit aut appetat, nulla cujusquam indifferentiæ habita ratione. Quæ sanè definitio ab Augustini principijs hausta videtur, & à plurimis approbata. Nam illa quam Magister & alij multi Augustino tribuunt, *facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, vel malum eadem desistente*, non aliud indicat. Omissis enim illis particulis, *gratia assistente*, & *eadem desistente*, quæ ad explicandam libertatis essentiam nihil faciunt, remanet illa definitio, qua bonum vel malum eligitur. Quod Augustinus etiam sæpè confitetur. Sed hoc etjam Deo & Angelis jam beatis & damnatis convenit. Illi enim eligunt bonum, hi malum, utrique maximè voluntario electionis motu. Nec aliud sibi vult illa Auctoris hypognostici, arbitrium ideo liberum dictum, *quod in sua sit positum voluntate, habens agendi quod velit possibilitatem, quod est vitalis & rationalis animæ motus.* Nec aliud illa Bernardi: *Est potestas faciendi quod vult*, quam Albertus etjam magnus ut Bernardi profert; alibi Boetio tribuit. Nec aliud illa Sancti Petri ex itinerario Clementis apud eundem Albertum: *Facultas se convertendi ad quos voluerit actus*; nec aliud illa communis, *Facultas rationis & voluntatis*; nec aliud illa Hugonis qua libertas arbitrij dicitur esse, *ut in sua substantia eligat cogitatione quod vult.* Quæ ex Auctore libri de Spiritu & anima apud Augustinum sumpta est; ex quo fit ut Augustino à nonnullis licet perperam tribuatur. Nec aliud illa Alexandri de Hales, dum Angelum dicit esse liberum, *quia potest facere quod vult, vel quia potest velle quod vult.* Omnes enim isti volunt, omnem rationalem voluntatis motum esse liberum, quia est motus quem voluntas habet in potestate, utpote per eum eligens & faciens id quod vult; ubi primo & maximè est ipsum velle, ut Augustinus loqui solet. Quod ergò dicit Prosper, rei placitæ appetitus, nihil est aliud quam voluntas ejus quod rationali consideratione expensum placet. Per quod omnes illi primi motus sive boni sive mali concupiscentiæ à voluntate libera separantur. Nam placere juxta phrasin Augustino frequentissimam, est considerationis rationalis, ut distinguitur contra id quod lubet, seu quod impetu quodam irrationali & motu primo, ut nos loquimur, allubescit: ut patet ex illo libri primi ad Bonifacium: Vt per illud (liberum arbitrium) *peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet quod*

Prosp lib. 2. de vita contemplativa.
a Lib. 1. op imperf. cont. Iul. f. 154.
b Contra Collat. c. 18.
Lib. 3. c. 4.
Albert. Magnus in 2. dist. 25. a. 3. in 2. parte sum. de lib. arbit.
Hugo lib. 2. de anima c. 31.
Lib. de Spir. & anima c. 48.
De Hales 2. parte q. 29. memb. 1. a. 5.
Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

A *eis lubet.* Id est, hoc rationali voluntatis motu approbant & eligunt, quod eis irrationali impetu lubet. Et infrà: *Absit ut carnis concupiscentiam inordinata commotione surgentem aut illi menti placeret consentiendo satiare, aut illi quasi necesse esset dissentiendo exhibere.* Et paulò antè in eodem libro: *Peccata fiunt sive eius* (concupiscentiæ) *consensionibus cum ab eo quod lubet, vincitur id quod placet, sive cum per ignorantiam malum quasi bonum placet.* In quibus locis placitum refertur ad consensum voluntatis in id quod rationali consideratione comprobaverit. Vt non sit opus illa terreri larva, qua nonnulli verentur, ne primi motus fiant liberi, neve homines in bruta redigantur, & similes consequantur absurditates, quæ tam parvi momenti sunt, ut refutationem non mereantur. Quis enim sine extrema stoliditate imaginetur, beatos Angelos & homines si ab illa instabilitate libertatis & voluntatis extrahantur,
B quæ malorum omnium causa fuit, & plenissima, luminosissima, consideratissima summèque complacita voluntate immobiliter adhæreant summo liberi arbitrij bono, in bruta brutalesque impetus commutari? Deumque denique ipsum justitiam suam incommutabili voluntate diligentem instar bruti incitari, quo nihil magis blasphemum dici potest. Hebetes illæ cogitationes sunt hominum non satis penetrantium, quod voluntas quæ in bono per indifferentiam electo fit immutabilis, non bruta sed maximè rationalis redditur. Nam etjam tum cum voluntas lucidissima præeunte ratione in bono immobiliter figitur, longè major est distantia à brutali impetu animantium, quam quando cum indifferentia ferebatur. Tunc enim maximè rationabiliter id eligit, quod eligendum esse Dei ipsius lumine, hoc est, ipsa æterna veritate illustrata judicat,
C & super ipsum actum reflectendo, quod bruta nequeunt, seipsam ad eligendum movet, & omne contrarium detestatur. Vsque adeo, ut idem planè sit in tali arbitrio, voluntatis & electionis modus, ac si esset adhuc eadem, quæ in hac vita adhærebat, indifferentia. Nisi forte velint hujusmodi Auctores cogitationum, modum agendi voluntarium in brutalem magis magisque commutari, quoties crescente pietatis & virtutis, vel etjam improbitatis habitudine, vel gratia cælitus potentissimè radiante, in bonum aut malum tanta stabilitate figuntur, ut altera pars eis pænè impossibilis esse videatur. Impossibilis, inquam, non illa impossibilitate quæ nolendo superari nequeat, sed illa qua summa considerationis rationalis deliberatione præcedente, judicat constantissimè appetendum esse quod antè inconstanter appetebat. Dum enim crescit cognitio boni & convenientis appetenti, & cessat aversio quæ antè voluntatem à volendo
D retrahebat, crescit & judicium practicum appetendi, & rationalis impetus hoc volendi. Sed de his alias fortasse latius. Nunc satis sit ostendisse Prosperi doctrinam eandem esse quæ fuit Augustini, dum ad veram libertatem arbitrij,

Cap. 15.
Cap. 13.

arbitrij, nullam omnino indifferentiæ rationem habet. Quem sensum ejus qui plenissime perspectum habere velit, legat ea quæ prolixe ex ipso infra prolatum sumus libro octavo de gratia Christi.

Vide lib. 8. de gratia Christi Salvat. cap. 10.

Neque vero sanctus Fulgentius dissentit ab Augustino. Nam & ipse doctrinæ istius quamvis non expressa verba, quia necessitas non postulabat, lineamenta tamen quædam non obscura in scriptis suis expressit, dum & ipse sicut Augustinus, eò perducendum esse docet A liberum arbitrium per gratiam Christi, ut *peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret donec peccare potuisset.* Nam Augustiniana phrasi adjicit: *Primus homo accepit quidem gratiam, qua posset non peccare si peccare nollet, nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec posset.* Vbi verbis utitur Augustini libertatem futuræ vitæ commendantis, sed loco vocabuli (libertatem) ponit (gratiam) idem tamen omnino utriusque sensus est.

Lib. de incor. & grat. c. 12.

CAPVT XIV.

Venerabilis Beda.

INTER Latinos Venerabilis Beda non postremus est, qui à libertate arbitrij, solam illam necessitatem violentiæ, quæ scilicet velimus nolimus operatur effectum suum, excludit: idque non semel aut iterum quasi per transennam ei excutiat, sed iterum iterumque diligenter inculcat. Nam de primi hominis libertate tractans: *Videndum est,* inquit, *quæ libertas illius arbitrij fuerit. Arbitrium certe liberum fuit, quamdiu suæ potestatis extitit, ita ut nulla vi cogente nec Dei nec diaboli, quod vellet bonum seu malum faceret. Sed cùm liberum esset hoc respectu, quod a nullo Domino suo à vi poterat ut vellet aliquid aut nollet, per se tamen debile erat.* Et cùm dixisset per peccatum primi parentis totum orbem servum esse factum peccati, sic pergit: *Venit Dominus nos pristino restituens gradui, reddens arbitrium patris mei, liberum sicut prius à vi extranea, sed non à debilitate propria, ut nemo sit qui de se præsumat.* Ecce asserit libertatem à B vi extranea, admittens infirmitatem qua in alteram partem homo pronus urgetur, ut ostendat ei constare arbitrij libertatem.

In lib. veritat. quæst.

Hinc statim ad illam veterem quæstionem dissolvendam venit, quomodo libertas arbitrij possit cum divina prædestinatione consistere, nec aliam in ea difficultatem movet, nisi quia videtur afferri necessitas violentiæ: *Si,* inquit, *præordinat vitam bono, & mortem malo videtur vim inferre libero arbitrio, quia cùm prædestinatio sua falli non possit, necesse est, ut malus sit, quem prædestinavit ad mortem, & bonus sit quem prædestinavit ad vitam.* Vides hic libertatis interitum à necessitate formidari. Sed à qua necessitate? *Et si necesse est hunc esse bonum, & illum malum, perijt ergo liberum arbitrium, quod ne-* A *cessitate cogitur.* Vis planius? *Quod si arbitrium non est liberum, sed cogitur necessitate.* Vis adhuc inculcatius & invictius? *Non est culpandus ille qui velit nolit peccat; neque laudandus qui velit nolit bene agit, sed laus & culpa soli cogenti est imputanda.* Et aliquanto inferius objectionem ita solvit, ut solam vim cogentem ab arbitrij sive bonorum sive malorum libertate submoveat, nihil omnino de quavis alia Dei in humanum arbitrium operatione sollicitus: *Prædestinatio Dei,* inquit, *nullâ vi cogit nos ad bonum vel malum.* Itaque paulo post de malorum arbitrio: *Coëgit nos Deus ut mali sibi videremur ab æterno? Absit. Nam potius nos coegimus eum ut nos malos videret.* Et de libertate bonorum iterum: *Sicut ergo prædestinatio ad mortem non cogit malos ut pereant, sic etiam prædestinatio ad vitam non cogit bonos ut salventur. Sed cum Dominus bonos ad vitam prædestinavit, ita eos prædestinavit, ut ipsa sua prædestinatio meritis & precibus eorum obtineatur.* Quibus ultimis verbis divinæ gratiæ operationem in liberum arbitrium tangit, cujus Beda studiosissimus adversus Pelagianos & castissimus assertor fuit. Nec tamen aliam libertati ruinam timet nisi per vim, qua velint nolint salute potiantur. Vix potuisset evidentius Beda sensum suum de necessitate & libertate promere, etiamsi de industria suum omne studium eo contulisset. Nominat *vim, violentiam, coactionem, necessitatem,* non quamlibet, sed quæ *velimus nolimus* operatur effectum suum, ut ijsdem pene verbis quibus Augustinus suam sententiam exprimat. Ille enim, ut sæpe diximus, illam solam necessitatem libero arbitrio timet, *quæ etsi nolumus, efficit id quod potest.*

Ibid.

Lib. 5. de Civit. cap. 10.

CAPVT XV.

Sanctus Ioannes Damascenus.

SED nullus est pænè antiquorum qui magis existimatur esse adversarius isti sententiæ, cujus auctorem sanctum Augustinum esse diximus, quam sanctus Ioannes Damascenus, quare sententia ejus paulo accuratius exploranda est: fortassis enim patebit, vix quenquam esse anti- A quorum qui magis ad Augustinum accesserit. Nemo igitur quasi adversus Augustinum, proferat, quod dicat sæpius, per liberum arbitrium nos habere actus nostros in nostra potestate, in nobis, in arbitrio nostro, vel quod in idem redit, esse nos dominos actuum nostrorum per arbitrij libertatem. Hæc enim non solum

admittit

Digitized by Google

admittit libenter Augustinus, sed expresse docet, & ut late vidimus, in hoc ipso principio ita exposito ut divinæ gratiæ non repognet, velut basi suam sententiam collocat. Per hæc ergo ipsa nihil aliud indicat Damascenus, nisi liberum arbitrium actus suos cùm vult, exserere, cùm vult, cohibere; ubi maximè & primitus est ipsum velle & nolle, prout supra in Augustini sententia exposuimus. Quapropter Augustino non dissentire Damascenum patet

Primò quia liberum arbitrium nihil aliud esse docet quam voluntatem, ita ut eodem modo quo Augustinus passim liberum arbitriũ voluntatis, & voluntatem idem omnino existimare videatur: *Cum divina natura suapte natura liberum arbitrium, volendique facultatem habeat, homo quoque ut ipsius imago, arbitrij libertate volendique facultate naturaliter præditus erit. Quippe Patres liberum arbitrium voluntatem esse definierunt.*

Lib. 3. Orth. fidei cap. 27.

Quod enim voluntatem in sua generalitate sumptam liberum arbitrium esse sentiat, ex eo liquet quod statim ita subjungat: *Enimvero cùm voluntatem dicimus, non eam coactam ac necessitate constrictam, sed liberam dicimus* &c. Necessitatem autem intelligit coactionem. Nam statim dicit, neque divinam, neque creatam naturam intellectualem *quid coactum habere*: neque Deum etsi natura Deum, & bonum, necessario esse Deum & bonum: *Ecquis enim ei hanc necessitatem imposuerit?* Ex quo fit ut expressissimis verbis dicat: *Arbitrij porro libertas nihil est aliud quam voluntas.*

Ibid.

Secundò quia docet, hominem hoc ipso esse liberum, quo rationalis, quia videlicet ex hoc ipso quo utitur consideratione rationali non sensitiva, necesse est voluntatis motum consequentem esse liberum: *Arbitrij libertas rationi annexa sit necesse est. Aut enim rationis particeps homo non erit, aut si ratione præditus sit, penes eum quoque actionum arbitrium & potestas futura est.* Quod nisi de singulis actionibus quibus prælucet ratio, non est verum, nihil efficit. Et paulo post: *Ad hoc sciendum Angelos utpote ratione præditos, liberi arbitrij esse.* Et libro tertio: *Nam si voluntas*, quam ut jam citavimus, non coactam, & liberam esse definierat, *rationis particeps est, utique & libera.* Et apertissime in libro de duabus Christi voluntatibus: *Voluntas est appetitio cum sensu* (græce vitalis) *atque ratione*, id est, vitalis & rationalis. *Ac porro quidem animantia quæ ratione carent, cum sensu non cum ratione, neque libere appetunt. Homo autem qui rationis est particeps, qua ex parte animal est, cum sensu appetit; qua rationis particeps, rationem ducem in appetendo sequitur, liberosque habet appetitus.* Hinc est quod voluntatem seu volitionem semper definiat esse motum rationalem, ut à brutorum impetu distinguat. Nam in eodem libro: *Est igitur voluntas naturalis quædam appetitio rationi sensuique consentanea* &c. Et libro secundo Orthodoxæ fidei: *Voluntas est rationalis & vitalis appetitus. Quocirca θέλησις quidem nihil aliud est quam ipsa naturalis vitalis & rationalis earum omnium rerum quibus natura constituitur atque conservatur appetitio ac simplex tantummodo facultas. Etenim brutorum animantium appetitus, rationis expers cum sit, voluntas nullo pacto dici potest.* Et expresse βούλησις (quam, inquit, *deliberantem voluntatem vocant*) ab electione proprie dicta distinguit. Ex quibus valde manifestum est, autore Damasceno, cur impetus illi non rationales, quibus homo percellitur non sunt ullo modo liberi, quia videlicet non sunt rationales. Eandem doctrinam ibidem iterum, sicut & alibi sæpius tradit.

Lib. 2. Orth. fidei cap. 27.

Lib. 3. c. 14.

Lib. de duab. Christi voluntatibus.

Lib. 2. Orth. fidei c. 22.

Tertiò non solum docet, hominem hoc ipso quo rationalem, esse liberum, sed etiam motus ejus hoc ipso quo rationales esse liberos, & à brutorum actionibus distingui. Nam cùm libro secundo docuisset bruta solâ naturali appetitione & impetu duci, & propterea eorum appetitionem, non posse vocari *voluntatem*, neque *naturalem* videlicet, quam ipse ibidem docet esse finis, neque *deliberantem* quæ est mediorum, rationem adjicit: *Voluntas siquidem est rationalis & naturalis atque à libera potestate manans appetitio. At in hominibus utpote ratione præditis, naturalis appetitio non tam ducit quam ducitur. Mota enim ac liberâ potestate, & cum ratione movetur, quod videlicet vitales* (id est, appetitivæ) *& in cognitione sitæ facultates in homine conjunctæ sint. Ac proinde liberâ potestate appetit, vult, quærit, considerat, deliberat, judicat, afficitur, eligit, ad agendum fertur* &c. Ubi nihil apertius dici posset, quam omnes omnino motus hominis, quà rationalis à primo appetitu finis usque ad executionem mediorum, esse liberos, idque ideo quia potestas appetitiva & cognitiva rationalis junctæ sunt. Et libro tertio ejusdem operis: *Peculiaris porro vegetativæ est motus ille in quo inest vis alendi, augendi, ac gignendi: sensitivæ, internus motus: rationalis atque intellectualis, agitatio ea quæ in arbitrij libertate sita est. Quare si vegetativæ naturaliter inest motio ea, in qua vis alendi inest, & sensitivæ item internus motus, naturaliter etiam & rationali & intellectuali inest motus ille, qui ex arbitrij libertate existit.* Et mox subjungit: *Arbitrij porro libertas nihil aliud est quam voluntas.* Et libro de duabus voluntatibus, definiens voluntatem quæ est facultatis ipsius motus, *Voluntas*, inquit, *appetitio est ejus quod ratione utitur*, hoc est, naturæ rationalis, *naturæ consentanea.* Et aliâ definitione: *Itemque mentis imperatricis liber motus.* Non posset clarius declarare Damascenus, etsi hoc ex professo declarandum suscepisset, quod omnis voluntatis cum ratione motus, sit hoc ipso liber; sicut hoc ipso libera creatura, quà rationalis, ut proinde si quæ necessitas in motu voluntatis reperiatur, dummodo non sit violentia, nullo modo libertati ejus adversetur, dummodo rationalis motus voluntatis esse perseveret. Hoc ipsum tamen quod diximus eum sentire, adhuc uberius declaratur

Ibid.

Lib. 3. c. 14.

Lib. de duab. voluntatibus.

Quartò, quia liberum eo modo definit esse id quod est in nostra potestate, sicut hoc Augustinus solemniter docuit, & supra quoque ex Damasceno vidimus. Quid sit autem in potestate, ex Augustino supra constitit. Porro ut etiam Damascenus declararet, quid esse, vel habere

Digitized by Google

habere in sua potestate, suę significationis amplitudine comprehenderet, docet ipse.

Quintò id esse in nostra potestate, quod ultrò & sponte fit, scilicet voluntate atque ratione. Nam alioquin agnoscit aliquid & in brutis esse spontaneum, quod scilicet libenter, sed sine rationali consideratione faciunt. Sic ergo loquitur de spontaneo, & eo quod est in potestate seu arbitrij libertate. *Ea quæ fiunt, partim in nostra potestate sita sunt, partim minime sita. In nostra potestate sunt ea quæ liberum est nobis facere vel non facere.* Id est, quæ facimus si volumus, ut definit Augustinus, sed quia hoc strictius vulgi sensu dictum esse videbatur, explicationis loco adjicit: *Hoc est, ea omnia quæ ultro & sponte facimus. Neque enim ea sponte a nobis fieri dicerentur*, scilicet rationalibus ratione utentibus & agentibus (nam actio apud ipsum definitur *operatio rationalis*, ita ut brutorũ actio non sit actio, quia non agunt sed aguntur) *si actio in arbitrio nostro minime posita esset.* Et hæc est causa cur Damascenus tum in eodem loco, tum alibi in eodem libro, id quod homo spontaneè facit, laudem & vituperationem comitem habere tradit. Porro ab hoc genere liberi & existentis in nostra potestate, statim distinguit, aliud genus liberi quod magis proprie tale vocari solet, de quo scilicet deliberamus: *Propriè autem*, inquit, *in nostra potestate consistunt ea omnia, quæ ad animum spectant, & de quibus deliberamus.*

Lib. 2. Orth. fidei cap. 26.

Ibid. c. 24.

Sextò ut intelligeremus, quid sit illud spontaneum; expresse opponit illud *coacto & invito.* Nam libro secundo fidei orthodoxæ: *Quoniam id quod sponte fit in quadam actione*, scilicet rationali, ut statim dicit, *positum est, id quoque quod invitè fieri censetur, in quadam etiam actione versetur necesse est. Et plerique sunt, qui id quod non sponte quis invitus facit* &c. Et mox adjicit id quod sponte fit habere laudem vel vituperationem; & id quod invitè fieri per vim vel per ignorantiam à principio quod est extra. Sponte vero *quod nec per vim, nec per ignorationem perficitur.* Vnde definitionem ejus afferre subjicit, qua declaret se solum loqui de spontaneo, quo aliquid sponte facit creatura rationalis: *Sponte id fieri dicitur cuius principium & causam continet is qui agit resque singulas per quas actio geritur & in quibus versatur, quas Rhetores circumstantias appellant, compertas & exploratas habet.*

Ibid.

Septimò sicut coactum & invitum opposuit isti spontaneo creaturæ rationalis, ità eodem modo coactum seu violentiam opponit libero. Nam libro secundo cùm hominem voluntate liberum creatum esse docuisset, ut esset capax virtutis & vitij, rationem adjicit: *Neque enim virtutis nomen obtinere potest, quod quis per vim atque invitus efficit.* Quasi diceret, quod non efficit voluntatis libertate. Et libro tertio cum tradidisset, Christum habere voluntatem; *Enimvero* inquit, *cùm voluntatem dicimus, non eam coactam ac necessitate constrictam, sed liberam dicimus* &c. *Neque enim divina solum & increata natura coactum nihil habet, sed ne intellectualis quidem & creata. Id quod hinc perspicuum est, nam cum Deus*

Lib. 2. Orth. fidei c. 12.

Lib. 3. cap. 14

A *natura bonus sit, & natura conditor, & natura Deus, haudquaquam hoc necessario est. Ecquis enim hanc ei necessitatem imposuerit?* Nihil luculentius afferri potest ad demonstrandum, quod liberam voluntatem opponit ei quod coactum est, & necessitate constrictum. Necessitate, inquam, non determinationis ad unum, sed illa quæ contra voluntatem est, ut ex declaratione de necessitate quam à Deo separat, apertissimum est. Quod ex illa significatione antiquis usitata fluit, qui non solent adhibere imo abhorrent nomen *necessitatis* in divinis, etiam respectu actionum quas nos quam maxime necessarias, hoc est, ad unum determinatas dicimus, ut supra ex Augustini doctrina diximus. Quod quia non advertitur à recentioribus, in multas hallucinationes cadunt, dum audito nomine necessitatis, statim putant determinationem ad

B unum indicari. Sed opponunt Veteres *necessitatem* ei quod *est in nostra potestate.* Vnde Damascenus: *Hinc efficitur*, quia liberi arbitrij sumus, *ut actiones nostræ in nostra potestate sint. Alioquin si ex siderum motu cuncta facimus, sequitur ut ea quæ facimus, necessitate faciamus.* Et mox: *Et quidem omnia necessitate aguntur & feruntur, & supervacanea erit in nobis ea pars animi, in qua ratio est. Nam si nulla actio in nostro arbitrio & potestate sita est* &c. In qua oppositione quam & Augustinus fecit, necessitas est ea quam in simili argumento definivit Augustinus ut salvaret libertatem; *quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit id quod potest.* Eadem de causa sicut Augustinus (ut supra diximus) ita & Damascenus, naturam & id quod naturale est, opponit voluntati & illi quod est in nostra potestate: quia videlicet natura suum effectum etiam nobis nolentibus operatur: *Vires naturales & vitales hæ sunt, quæ ab animi inductione ortum non habent*, ubi naturales vocat vegetativas, vi-

C tales, ut arteriarum inquit, pulsus: *Hæ namque*, addit ipse, *velimus nolimus, munus suum exequuntur.* Qua de causa paulo ante dixit, Deum esse *natura bonum, & natura Deum, haudquaquam tamen necessario.*

Lib. 2. c. 7.

Lib. de Civit. cap. 10

Lib. 2. de fide Orth. c. 12.

Hæc arbitror ad oculum ostendunt (tantùm studium contentionis absit) ovum ovo non esse similius quam Damascenum Augustino in hoc argumento de essentiali arbitrij libertate, imo nonnulla luculentius quam Augustinum expressisse, cùm tamen à recentioribus quam longissime ab illa sententia recessisse videretur. Sed jam non semel, neque sine animi dolore expertus sum, veteres auctores à quibusdam hominibus non discendi causa in-

D differenti animo legi, sed hoc uno duntaxat scopo ut suas præoccupatas opiniones, & quoquo modo defendendas, eorum auctoritatibus muniant. Ex quo fieri solet, ut quicquid quærunt in eis inveniant. Non enim id quod ipsi sentiunt, sed quod sensibus suis quaqua ratione blandiatur, arripiunt & obtorto collo in suas opiniones trahunt.

Neque vero quisquam isti doctrinæ contrarium putet, quod subinde Damascenus dicat, liberi arbitrij esse deliberare & delibe-

Digitized by Google

tatum eligere, vel non eligere, in potestate esse in hanc vel illam partem declinare, esse bonum vel malum prout visum fuerit, & similia; nam & Augustinus eadem, & forte instantius quam Damascenus docet. Nec tamen propterea sibi Augustinus adversus est. Nam A vel de quodam genere actionum loquuntur in humanis moribus celeberrimo: vel si de omnibus intelligi malis, de omnibus vera sunt, eo modo quo supra ex Augustino exposuimus, & infra fortasse dicturi sumus.

CAPUT XVI.

Sanctus Anselmus.

VENIAMUS ad sanctum Anselmum, eruditionis & sanctitatis gloria celebrem. Nam & ipse istius doctrinæ sancti Augustini quam aperuimus sectator non postremus est. Docet enim & ipse aliquoties, necessitatem illam esse proprie, quæ est coactionis & nolentem premit: si qua sit vero quædam voluntaria necessitas & immobilitas, illam non esse proprie necessitatem, nec ullo modo repugnare libertati voluntatis. Itaque in libro secundo, Cur Deus homo, de immutabili, necessaria, & tamen libera Angelorum justitia cùm loqueretur: *Improprie dicitur necessitas ubi nec coactio ulla est nec prohibitio.* Hoc est, vis cogens nolentem & prohibens seu impediens volentem. Et multo inferius de Deo: *Nec dicimus Deum necessitate facere aliquid eo quod in illo sit ulla necessitas, sed quoniam est in alio sicut dixi, impotentia quando dicitur non posse. Omnis quippe necessitas est aut coactio aut prohibitio: quæ duæ necessitates & convertuntur invicem contrarie, sicut necesse & impossibile.* Et fundamentum istius doctrinæ suæ tangens, cur scilicet ubi voluntas est, non sit necessitas & è contrario, ubi non est voluntas, ibi sit necessitas: *Omnis*, inquit, *potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico quia possum loqui vel ambulare, subauditur, si volo. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas. Nam cùm dico, quia nolens possum trahi aut vinci, non est, nec mea potestas, sed necessitas & potestas alterius.* Ecce apertissime non agnoscit, eodem modo ut Augustinus, ullam proprie necessitatem quam illam, quæ ut Augustinus loquitur, etiamsi nolumus, efficit id quod potest. Ex quo principio infert Angelos etiam nunc libere servare justitiam, hoc est, bonam voluntatem suam, qua justitiam æternam hoc est, Deum diligunt, nec enim alia est Angelorum justitia. *Hoc igitur modo*, inquit, *habet* (Angelus qui peccare non potest) *à se justitiam* (quia scilicet non abjecit eam quando abjicere poterat) *quia creatura eam aliter à se habere nequit. & idcirco laudandus est de sua justitia, & non necessitate, sed libertate justus est: quia improprie dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est nec prohibitio.* Id est, vis cogens nolentem vel impediens volentem.

Ansel. lib. 2. Cur Deus homo cap. 10

Cap. 17.

Cap. 10.

Secundo ex eodem principio deducit, Deum voluntate non necessitate esse justum, etsi peccare non possit, & inde laudandum esse, quia illud à se-ipso habet non ab alio: *Quapropter quoniam Deus perfecte habet à se quicquid habet, ille maximè laudandus est de bonis* A *quæ habet & servat, non ullâ necessitate, sed sicut supra dixi, propria & æternâ immutabilitate.* Et alibi declarans hoc non tantum esse verum respectu operum temporalium, sed etiam respectu voluntatis istius qua suam veritatem diligit; *Nihil ibi* (in Deo respectu præteritorum) *operatur necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed Dei sola voluntas quæ veritatem semper* (*quia ipse veritas est*) *sicut est, esse vult.* Ibid. cap. 17.

Tertio concludit, Christum Dominum justum esse proprie libertate non necessitate, cùm tamen justitia Christi in eo sita sit, quod æternam justitiam divinæ voluntatis à primo suæ conceptionis initio immutabiliter diligat: *Sic ergo homo ille qui idem ipse Deus erit, quoniam omne bonum quod ipse habebit a se habebit* (nempe quia simul Deus est, ut statim explicat) *non necessitate, sed voluntate & libertate & à se-ipso justus est, & idcirco laudandus erit.* Et rursum de eadem B Christi voluntate qua non potuit velle mentiri, velle servare vitam suam, præcepto de subeunda morte dato, ita loquitur: *Quoniã cùm Christus mentiendi potestatem haberet* (si scilicet vellet etsi velle non posset, juxta doctrinam de potestate supra traditam) *hoc à seipso habuit, ut non posset velle mentiri: idcirco de sua justitia, qua veritatem servavit, esse eum laudandum.* Et de potestate Christi servandi vitam suam: *Semper habuit potestatem servandi, quamvis nequiverit velle servare ut nunquam moreretur. Et quoniam hoc à seipso habuit, ut scilicet velle non posset, non necessitate, sed liberâ potestate animam suam posuit.* In quibus omnibus nihil ad libertatem Christi requirit, quam quia à seipso habet quod velle non potest, hoc est, quia immutabiliter amat veritatem, justitiam, præceptum Patris à quorum non potest dilectione deficere, proinde non necessitatem sed immutabilitatem esse propriè voluntatis, quod in eodem capite sæpius repetit. C Unde tandem in fine: *Si ergo ideo vere erat moriturus, quia hoc ipse sponte & immutabiliter voluit, sequitur illum non ob aliud non potuisse non mori, nisi quia immutabili voluntate voluit mori.* Et rursum inferius: *Non necessitate aut impotentiâ fieri vel non fieri dici debet aliquid, ubi neque necessitas neque impotentia quicquam operantur, sed voluntas.* Omnia ista duntaxat hoc scopo à me adducta sunt, ut ostendam sanctum Anselmum, nihil esse de Christi libertate sollicitum, dummodo ostendere possit eum suscepisse mortem, & non esse mentitum, non necessitate cogente vel prohibente, sed propria voluntate, quamvis impossibile fuerit, ut vel mentiretur, vel non morere-

Lib. 2. Cur Deus homo cap. 16.

Cap. 18.

Digitized by Google

moreretur. Talis enim necessitas, si, ut Augustinus loquebatur, necessitas dici debet, non est premens sed fruens bono, quod diligit: non est necessitas sed volendi immobilis firmitas. Vnde Anselmus explicare volens quomodo Christus non necessitate, sed *sponte & indeclinabiliter* mortem sustinere voluerit, affert simile de iis, qui potentissimo Dei tractu indeclinabiliter bonum volunt: *Quoniam*, inquit, *voluntati quisque ad id, quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non inconvenienter trahere vel implere dicitur Deus, cum talem voluntatem dat in quo tractu vel impulsu, nulla intelligitur violentia necessitas, sed accepta bonæ voluntatis spontanea & amata tenacitas.* Et hæc esse videtur causa, cur & in isto loco, & in eodem capite sæpius, & in primis libro secundo, & libro de Casu diaboli, sicut liberam voluntatem, ita spontaneam opponit necessitati.

Lib. 1. c. 10.

B Et perpetuo libertatem Christi explicans, liberum cum eo quod fit sponte à voluntate confundit. Hinc explicans etiam libertatem Angelici casus: *Per suum arbitrium peccavit, quod sic liberum erat ut nulla alia re cogi posset ad peccandum, & ideo iuste reprehenditur, quia cum hanc haberet arbitrij sui libertatem, non aliqua re cogente, non aliqua necessitate, sed sponte peccavit.* Quibus verbis solam necessitatem coactionis, velut libertati capitaliter adversantem, ab arbitrij libertate removet, quemadmodum hoc & ab antiquis Scholasticis eum sequētibus intellectum est, & ex ipsis verbis & ex subiuncta auctoris explicatione manifestum est. Solvens quippe objectam sibi difficultatem, quod homo cogente tentatione, & ideo non per liberum arbitrium justitiam deserere videatur, hoc totis viribus inculcat, quod non

Lib. de lib. arbit. cap. 2.

Alex. Halē. 2. p. q. 29. memb 1. a. 1. ubi illa verba citat.

A invitus ac nolens deserit: *Nemo illam deserit nisi volendo. Si ergò invitus dicitur nolens, nemo deserit illam invitus. Ligari enim potest homo & invitus, quia nolens, potest torqueri invitus, quia nolens, potest occidi: velle autem non potest invitus, quia non potest velle nolens velle. Nam omnis volens ipsum suum velle vult.* Vbi clarissimum est, eum libertatem arbitrij explicando, solam contradictionem quæ oritur non ex simplici necessitate voluntaria, sed ex necessitate coactionis voluntatis expromere. Et cùm hoc uberius explicasset, tandem subijcit: *Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subijcere non potest?* Ecce iterum libertatem in immunitate cogentis necessitatis collocatam. Et rem confectam iterum repetens, dicit à se ostensum: *Omnino rem liberam esse, ab ea re, à qua cogi non volens vel prohiberi non potest* &c. Et *quod tentatio*

B *rectam voluntatem non nisi volentem aut ipsâ rectitudine prohibere, aut ad id quod non debet cogere potest* &c. *Cum ergo vincitur non aliena vincitur potestate sed suâ.* Et infra: *Impugnare namque potest invitam voluntatem, expugnare nequit invitam.* In quibus semper libertas voluntatis in eo constituitur, quod nihil vult invita vel nolens, hoc est, quod expers sit omnis cogentis necessitatis.

Cap. 6.

Neque vero quicquam refert, quod sanctus Anselmus alibi libertatem illam humanæ voluntatis explicans, subinde indifferentiæ ad opposita mentionem faciat. Idem quippe sæpissimè Augustinus docet. Nec enim in omnibus actionibus & hominum statibus est idem libertatis modus, ut alibi dicturi sumus: quamvis eadem sit semper essentialis ratio libertatis.

CAPVT XVII.

Sanctus Bernardus.

IAM vero videamus, quid sanctus Bernardus, quem de gratia & libero arbitrio sanissimè sensisse, & in hac materia ab Augustini, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ doctrina non recessisse constat, de arbitrij libertate docuerit. Quod eo studiosius præstandum est, quod sanctus Bernardus inter præcipuos auctores à plerisque recenseatur, qui distinguendo triplicem libertatem, à necessitate, à peccato, & à miseria, primamque docendo esse naturæ, alteram gratiæ, postremam gloriæ, veram naturalemque arbitrij libertatem, in sola immunitate à necessitate collocaverit. Quapropter quemadmodum distinctionem illam à sancto Bernardo traditam esse perspicuum est, ita nullum auctorem ab Augustini temporibus hucusque magis apertè, disertè, accuratè & efficaciter sancti Augustini doctrinam, quam supra demonstravimus, in omnibus ad unguem tradidisse certum est, & ita mani-

A festum est, ut mihi nullo evidentiori exemplo ostendi posse videatur, quid valeat in indagandis & eruendis genuinis auctorum quorumcumque sensibus præoccupata sententia. Fatemur igitur ex S. Bernardi sententia, necessitatem repugnare libertati, & istam esse ipsius naturæ, non gratiæ, non gloriæ libertatem. Hoc enim sæpius in libro de Gratia & libero arbitrio docet. Sed qui hoc afferunt, attendere, imo vel oculos tantum aperire debuissent, ut intelligerent quam necessitatem Bernardus intelligeret. Plurimis enim evidentissimisque argumentis ostendi potest, non aliam intellexisse necessitatem, quam eam quam S. August. definivit, *quæ non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus efficit id quod potest*, hoc est, necessitatem quę voluntati repugnat essentialiter, neque aliud est nisi vis, violentia, coactio.

Lib. 5 de Civit. c. 10.

Nam in primis sæpissimè sanctus Bernardus docet, necessitatem illam, à qua liberum arbitrium dicitur, efficere ut non sit volunta-

Digitized by Google

rium. Quam necessitatem certissimum est, non esse illam simplicem necessitatem qua simpliciter aliquid necessarium esse dicitur, & qua beatificus voluntatis amor necessarius est: *Si horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas iam non esset. Vbi quippe necessitas iam non voluntas.* Et aliquanto inferius: *Est vero quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus à necessitate, eo quod necessarium voluntario contrarium esse videatur. Si quidem quod ex necessitate fit, non iam ex voluntate, & è converso similiter.* Et adhuc inferius: *Vtrobique voluntas & ubique libertas, cedit quippe voluntati necessitas.* Hæc autem prorsus falsa sunt, si simplex necessitas intelligatur, cum illa, juxta divi Augustini & ipsius Bernardi sententiam in eodem libro, beatorum voluntati competat, qua jam amplius peccare non possunt, & Deum clare visum voluntariâ quadam necessitate diligunt.

Lib. de grat. & lib. arb.

Secundo hanc ipsam necessitatem disertissimis verbis declarat sæpe esse violentiam, qua fit ut homo cogatur velle & consentire, hoc est, ut invitus velit. Quod cùm implicet contradictionem, implicat similiter voluntatem sua spoliari libertate. Nam statim in initio libri sui, cùm dixisset, consensum voluntarium nos à bestijs discernere, esseque habitum liberum sui, statim explicat uberrime & clarissime quo pacto hoc accipi velit: *Siquidem*, inquit, *non cogitur* (scilicet consensus) *non extorquetur. Est quippe voluntatis non necessitatis. Nec negat se, nec præbet cuiquam nisi ex voluntate. Alioquin si compelli valet invitus, violentus est non voluntarius. Vbi autem voluntas non est, nec consensus. Non est enim consensus nisi voluntarius. Vbi ergo consensus, ibi voluntas. Porro ubi voluntas ibi libertas. Et hoc est quod dici puto liberum arbitrium.* Etiamsi nihil diceret amplius sanctus Bernardus, non deberet ulla de sensu ejus esse dubitatio. Sed eandem suam mentem tanta inculcat diligentia, ut omnino ne quis perperam necessitatem quam à libertate excludit, intelligeret, sollicitus esse videatur. Quam enim aliam necessitatem libertati contrariam, nisi violentiæ, seu quæ præter voluntatem accidit, intelligi sinit id quod dicit? *Nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec sensus obtusus, nec vita languens, reum per se statuunt hominem, sicut nec contraria innocentem, & hoc non ob aliud, nisi quia hæc necessario*: & quid istud? *Ac præter voluntatem posse provenire probantur. Sola ergo voluntas quoniam pro sui ingenita libertate aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire nullâ vi, nullâ cogitur necessitate, non immerito iustam vel iniustam, beatitudine seu miseriâ dignam ac capacem creaturam constituit.* Ecce ingenita libertas est nullâ vi, nullâ necessitate cogi, ut consentiat, quin ipsa sit quæ consentiat sibi, ac non dissentiat sibi. Ipsa enim erit quæ volet si vult. Et quam aliam necessitatem tanquam libertati inimicam intelligi sinit id quod iterum dicit? *Quomodo namque ad bonum conversus, per gratiam humanæ voluntatis consensus, eo liberè bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non invitus pertrahitur: sic sponte devolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum quam spontaneum constituit, suaque utique voluntate ductum, non aliunde coactum, ut malus sit.* Et quam aliam necessitatem tanquam inimicam libertati, quam illam extrinsecus cogentis violentiæ intelligi sinit, id quod mox adhuc manifestius dicit? *Et sicut cælestis Angelus aut etiam Deus ipse permanet liberè bonus, propriâ scilicet voluntate, non aliquâ extrinsecâ necessitate, sic profecto diabolus æque liberè in malum & corruit & persistit, suo nimirum voluntario motu, non alieno impulsu.* Quam vero aliam intelligi sinit necessitatem, nisi illam jam dictæ violentiæ, id quod statim sequitur? *Quod autem homines solent conqueri & dicere volo habere bonam voluntatem & non possum, nequaquam huic præscribit voluntatis libertati, ut quasi vim aut necessitatem in hac parte patiatur voluntas, sed plane illâ libertate qua dicitur à peccato, se carere testantur.* Quod probat ex eo: *Nam qui vult habere bonam voluntatem, probat se habere voluntatem.* Hoc est, habet voluntatem ergo, non necessitatem. Et quam aliam necessitatem nisi cogentis violentię vel pervicacissimum quemque intelligi sinit, id quod de Deo ipso ac dæmonibus profert, ut eos probet habere arbitrij libertatem? *Ceterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas ac voluntaria obstinatio.* Et quam aliam nisi violentiæ necessitatem intelligi sinit id quod de Dei libertate explicationis loco adjungit? *Hac sanè dignitatis prærogativa rationalem singulariter creaturam conditor insignivit, quod quemadmodum ipse sui iuris erat, suaque ipsius voluntatis* (id est, libertatis) *non necessitatis erat, quod bonus erat: ita & illa quoque sui quodammodo iuris in hac parte existeret, quatenus non nisi suâ voluntate*, id est, libere, *aut mala fieret & iustè damnaretur, aut bona maneret & merito servaretur.* Et ut intelligeremus quo pacto suâ voluntate seu libertate, audi id quod sequitur: *Non quod ei propria posset sufficere ad salutem voluntas, sed quod eam nullatenus sine sua voluntate consequeretur. Nemo quippe salvatur invitus.* Et quam aliam necessitatem intelligi sinit, id quod explicando Scripturas Euangelicas, *Trahe me; Invenio aliam legem in membris captivum me ducentem* &c. Exponendo dicit: *Hæc omnia putari possunt cogere voluntatem & præripere voluntatem. At vero quantislibet quis intus forisve tentationibus urgeatur, libera profecto semper, quantum ad arbitrium spectat, voluntas erit: libere quippe de suo nihilominus sensu iudicat.* Et quam aliam necessitatem libertatis inimicam, quam illam cogentis violentiæ intelligi sinit id quod sibi contra totam suam præcedentem de libertate disputationem velut contrarium objicit? *Quid ergo? Forte dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis; quia nimirum inventa est cogi potuisse voluntas*, scilicet quia Petrus compulsus fuit Christum negare. Cui difficultati respondet: *Est plane* (hoc est, tota disputatio præce-

præcedens qua probavi voluntatem à necessitate esse liberam dissoluta est, & plane corruit) *sed si cogi ab alio potuit quam à seipsa. Quod si seipsa coëgit compulsa & compellens: ubi amittere, ibi recipere visa est libertatem. Vim quippe quam ipsa sibi intulit, à se pertulit. Porrò quod à se voluntas pertulit, ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, iam non ex necessitate sed voluntarium. Si autem voluntarium, & liberum.* Ne verò quisquam quantumlibet tardus, obtusus, ac pervicax de Bernardi mente dubitet, quam aliam necessitatem [illegible]tati contrariam nisi violentiæ intelligi [illegible] id quod denique rem à fundamentis ex[illegible]ticando subjungit: *Est sanè gemina compulsio* (id est, coactio) *secundum quod aut pati aliquid aut agere contra propriam cogimur voluntatem. Quarum passiva quidem (sic enim prior illa rectè nominatur) potest nonnunquam fieri absque consensu voluntario patientis sed activa nunquam. Proinde malum quod fit in nos sive de nobis, non est imputandum nobis, si tamen inviti. Ceterum quod fit & a nobis, iam non sine culpa est voluntatis. Velle planè convincimur, quod non fieret si nollemus. Est ergo compulsio quadam etiam activa, sed non habet excusationem, cum sit & voluntaria.* In his tot & tam evidentibus testimonijs quibus totus ille liber plenus est, accuratissimè satiatissimèque declarat sanctus Bernardus, quam necessitatem excludat à libertate, nempe vim, violentiam, compulsionem, coactionem eam qua quis invitus est, qua non vult, qua non est voluntarius. Quæ sanè causa est; ut in solis illis adductis locis creberrimè necessitatem illam opponat voluntati, & necessarium voluntario, ut attentè lector per se facilè sine mea repetitione observaverit. Quamobrem ut neminem latere posset, quam necessitatem à libertate secludat, declarat ipse.

Tertiò illam se removere, quæ faceret ut duo contradictoria se non perimerent, sed simul in sua veritate consisterent, videlicet, ut homo simul vellet & nollet, consentiret & non consentiret. Hoc autem certissimum est non esse necessitatem illam (si tamen necessitas dici debet) qua dicitur voluntas velle necessario, sed solam necessitatem coactionis, quę semper invitum & nolentem esse supponit. Hoc clarè indicat locus iste quem proximè produximus: *Ceterum quod fit & à nobis* (dum scilicet cogi dicimur aliquid facere) *iam non sine culpa est voluntatis. Velle planè convincimur quod non fieret si nollemus.* Verba sensumque usurpat sancti Augustini, quem ex libris de Civitate Dei sumit, ubi de voluntatis libertate disputat. Quasi diceret Bernardus: Non cogitur hoc ipso quo volumus, & proinde non est verum quod coacti sumus & volumus. Hoc clarius indicat quando dicit: *Si horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas iam non esset. Vbi quippe necessitas iam non voluntas.* Quomodo, quâ ratione, quo pacto, nisi quia necessitas illa Bernardi est coactio? Illa quippe sola non illa voluntaria excludit consensum voluntatis; quod ipse explicat cum statim annectit: *Quod si ex necessitate*

A *& absque consensu propriæ voluntatis malâ bonave fieri possit rationalis creatura* &c. Ecce quid sit ex necessitate, videlicet absque consensu propriæ voluntatis. Hoc denique apertissimè declarat, quando rei ipsius radices tangens, dicit: *Vita, sensus, appetitus, memoria, ingenium, & si qua talia sunt, eo ipso subiacent necessitati quo non planè subdita sunt voluntati. Ipsam vero* (voluntatem) *quia impossibile est de seipsa sibi non obedire (nemo quippe non vult, quod vult, aut vult quod non vult) etiam impossibile est sua privari libertate. Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, ut nunquam amittat libertatem. Tam ergo non potest privari illa* (libertate) *quam nec seipsa. Si poterit homo aliquando aut nihil omnino velle, aut velle aliquid & non voluntate, poterit & carere libertate.* Et rursum idem repetens: *Sola ergo voluntas, quoniam pro sui ingenita libertate aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire, nullâ vi, B nullâ cogitur necessitate, non immeritò iustâ* &c. Et alio in loco interpositis multis evidentissimè: *Videamus* &c. *ne fortè iuxta hanc assertionem, aut culpa non fuerit, quod vel voce negaverunt, aut cogi in culpam & voluntas potuerit, ut vellet videlicet homo quod eum & nolle constiterit, & sic perierit liberum arbitrium. Quod quia impossibile erat (velle quippe & nolle idem eodem tempore non poterat) quæritur* &c. Vereor ne quicquid adjecero obscuriorem Bernardum faciat. Tantâ quippe manifestatione sensum suum aperit, ut mihi nulla videatur subtilitatis arte tegi, nulla tergiversatione eludi, nulla impudentia negari posse. Nam & hic iterum Augustini verbis utitur, qui similem omnino necessitatem involuntariam, velut libertati repugnantem removere volens, & eandem omnino contradictionem sequi docens, si *sub tali necessitate* voluntas poneretur: *Multa enim facimus*, inquit, *quæ si nollemus non utique faceremus. Quo primitus pertinet &* (*Lib. 5. de Civit. c. 10.*) C *ipsum velle. Nam si volumus est, si nolumus non est. Non enim vellemus, si nollemus.* Et quamvis ista meritò cuivis non præfractæ sententiæ abundè videantur esse satis, ut tamen totius doctrinæ sancti Bernardi consonantia plenius percipiatur, non gravabor adhuc paulisper sensibus ejus enodandis immorari. Nam si quis diligenter attenderit ea sola quæ produximus, facile videt, quæ corollaria ex eis nexa consequantur. Etenim si talis est libertas voluntatis *ut tam non possit privari illa*, sicut Bernardus loquitur, *quam nec seipsa*, quia quicquid voluerit semper erit cum aliqua voluntate, ideoque cum libertate, manifestum profectò erit, talem libertatem ex hoc ipso nasci quo creatura rationalis est; esse liberum omnem voluntatis rationalis motum, hoc ipso quo voluntarius, amitti à voluntate non posse libertatem, in Deo Angelis & hominibus esse parem, quia pariter coactionis, hoc est, contradictionis expertem. Quæ sicut certissimo sequi, quisquis D non est cœcus, perspicuè videt, ita & sanctus Bernardus ipse, suæ doctrinæ inseparabiliter juncta esse non dubitavit, non negavit, non occultavit, sed expressis verbis docuit, ne quis nos in ejus doctrina intelligenda vel propo-

proponenda fortasse falli arbitretur. Itaque

Quartò indicat modum seu consensum voluntatis hoc ipso esse liberum quo rationalem. Nam hoc ipso potest velle. Sic igitur definit voluntatem: *Voluntas est motus rationalis & sensui præsidens & appetitui.* Bernar. ibid.

Quintò quod ex priori sequitur, motum voluntatis hoc ipso quo voluntatis est, esse liberum: *Quod ex voluntate fuit, iam non ex necessitate, sed voluntarium fuit. Si autem voluntarium & liberum.* Et inferius: *Vt nec salus nec damnatio ulla ratione sine præcedenti consensu voluntario possit haberi: ne qua forte ex parte præscribi videatur libertati arbitrij.* Et alio in loco: *Ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono sive in malo æquè liberam facit voluntatem, cum nec bonus quispiam nec item malus dici debeat, nisi volens.* Et initio libri: *Vbi consensus ibi voluntas. Porrò ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc est quod dici puto liberum arbitrium.* Vnde consensum voluntatis ita definit: *Est nutus voluntatis spontaneus.*

Sextò libertatem voluntatis prorsus esse inamissibilem, cum fieri non possit quin voluntas semper velit si velit: ipsum autem velle hoc ipso est liberum quo est velle voluntatis: *Hic ergo talis consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis quod semper secum portat & ubique, indeclinabile iudicium, non incongrue dicitur, ut arbitror, liberum arbitrium, ipse liber sui propter voluntatem, ipse iudex sui propter rationem: neque enim ad liberum arbitrium quantum in se est pertinet, aut aliquando pertinuit posse vel sapere, sed tantum velle: nec potentem facit creaturam, nec sapientem sed tantum volentem. Non ergo si potens aut sapiens sed tantum si* VOLENS *esse desierit, liberum arbitrium amisisse putanda erit. Vbi enim non est voluntas nec libertas.* Quod ut magis adhuc explicaret adjungit: *Non dico si velle bonum, sed si velle omnino creatura desierit, fatendum sine contradictione, ubi non iam ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas perijt, etiam liberum perire arbitrium in bonum & malum.*

Septimò æquè liberam esse voluntatem, quantumcumque in malo superando difficultatem patiatur. *Si ergo liberum arbitrium ita ubique sequitur voluntatem, ut nisi illa penitus esse desinat, isto non careat, voluntas vero sicut in bono, ita etiam in malo æque perdurat; æque profecto & liberum arbitrium tam in malo quam in bono integrum perseverat.* Et rationem petens ex ipsa natura voluntatis seu volitionis, hoc est, consensus voluntarij, seipsum magis explicando subnectit: *Et quomodo voluntas etiam posita in miseria, non desinit esse voluntas, sed dicitur & misera voluntas, sicut & beata voluntas: ita nec liberum arbitrium desinuere, sive quantum in se est aliquatenus imminuere poterit quæcumque adversitas vel necessitas.*

Octavò in Deo, Angelis, ac dæmonibus æqualiter esse omnino illam arbitrij libertatem, quæ est à necessitate: *Verum libertas à necessitate æquè & indifferenter Deo universæque tam malæ quam bonæ rationali convenit creaturæ. Nec peccato nec miseria amittitur vel minuitur, nec maior in iusto est quam in peccatore, nec plenior in Angelo quam in homine.* Et paulo inferius: *Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam fit captivitas mentis, tam plena quidem in malis quam & in bonis, sed in bonis ordinatior. Tam integra quoque pro suo modo in creatura, quam in creatore, sed in illo potentior.* Et inferius eandem confirmans doctrinam: *Cæterum libertas arbitrij (ut suprà liquidò apparuit) cunctis pariter ratione utentibus convenit: non minor quantum in se est in malis, quam in bonis, tam plena in hoc seculo quam & in futuro.* Et iterum multo pòst: *Cùm ergo libertas arbitrij de ipso quo condita est statu aliquatenus non mutetur, sed æqualiter semper quantum in se est, à cælis, terris, inferis possideatur* &c. Quæ doctrina nullo modo potest esse vera, nisi de illa libertate naturali quæ est à necessitate coactionis intelligatur; sicut ipsemet Bernardus in illo quem primum citavimus loco, adjicit dum rationem dat, cur in bono & in malo consensus liber sit, quia *voluntarius efficitur non invitus pertrahitur*; & quia *sua voluntate ducitur non aliunde cogitur.* Nam quamvis ab uno contradictorio ad alterum in quibusdam rebus, videlicet mutabilibus facilius transitus detur, quam in alijs quæ non mutantur, æqualis tamen in omnibus est contradictionis repugnantia. Æquè namque se mutuo interimunt esse album & non album (quamvis album fieri possit non album) quam immutabile esse mutabile, quamvis immutabile nullam habeat suscipiendæ mutationis capacitatem. Hanc doctrinam sanctus Bernardus constanter ad mortem usque docuit. Nam in sermonibus super Canticum Canticorum, quod opus ultimum mors abrupit, eadem omnino lineamenta libertatis illius naturalis expressit. Quapropter sermone octogesimo primo, hoc est, ante ultimum quinto, in quo libri de gratia & libero arbitrio, velut antè jam conscripti meminit, jam in vitæ termino constitutus, simili planè modo docet, hoc ipso esse liberum hominem quo homo est, hoc est, quo rationalis est: *Miser ego homo*, inquit, *miser sed liber. Liber quia homo; miser quia servus. Liber quia similis Deo.* Bernardus Serm. 81. super Cantic. Docet voluntatem, hoc est, volitionem hoc ipso esse liberam, quo voluntas est: *Interveniente peccato patitur quandam vim & ipsa, sed à voluntate non à natura, ut nec sic quidem ingenita libertate privetur. Quod enim voluntarium & liberum.* Et causantibus se propter peccati pondus non esse liberos, ita respondet: *Vbinam quæso hanc necessitatem sentis? Nonne in voluntate? Non ergo parum firmiter vis, quod & necessario vis. Multum vis quod nolle nequeas, nec multum obluctans. Porrò ubi voluntas*, id est, volitio, *ibi libertas. Quod tamen dico de naturali non de spirituali, qua libertate Christus nos liberavit.* Docet necessitatem nullam repugnare libertati aut voluntati, nisi quæ nolenti accidit, non quæ est ipsius voluntatis: sicut jam ex loco quem proximè adduximus liquet, ubi magis liberum esse insinuat quo magis firmiter voluntarium. Et alibi in eodem sermone de necessitate qua peccatrix facta voluntas inhæret necessa-

necessario malis, nec ullo modo potest surgere: *Nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria.* Docet necessitatem quæ vis est, hoc est, ut Augustinus, quæ etsi nolumus efficit id quod potest, repugnare libertati. *Hanc vim à natura solus homo non patitur, & ideo solus inter animantia liber.* Cui mox annectit id quod jam antè citavimus. *Quod enim voluntarium & liberum.* Docet hanc necessitatem ita non cadere in voluntatem & libertatem, ut contradictio, si in eam caderet, sequeretur. Nam cum docuisset liberam voluntatem esse, qua servus peccati, & surgere jam non potens in peccato detinetur; objicit sibi: *Tunc voluntatem dicis quod tam necessarium constat esse? Verum est quod voluntas seipsam addixit, sed non ipsa se retinet, magis retinetur & nolens*, id est, invita & coacta. Quod est ipsissimum argumentum quo recentiores fatigantur, quo scilicet pacto liberum queat esse peccatum, si gratia surgendi denegetur? Respondet igitur: *Bene nec saltem das quia retinetur. Sed vigilanter retine voluntatem esse quam retineri fateris. Itaque voluntatem nolentem dicis?* Id est, coactam, invitam per illam necessitatem, quam prætexebas? *Non utique*, inquit, *voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis est, non nolentis. Quod si volens retinetur, ipsa se retinet. Quid ergo dicit? Servam se fecit &c. sed sit libera; si non adhuc facit. Facit autem in eadem servitute se retinens.* Et quomodo se adhuc servam voluntas facit: *Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim est: ergo quia volens servam seipsam fecit, non modo fecit, sed facit.* Quibus statim annectit concludendo id quod suprà allegavimus; *Non ergo parum firmiter vis, quod & necessario. Porro ubi voluntas ibi & libertas* &c. Quæ sanè ipsissima est doctrina Augustini, ut suo loco trad... uri sumus, & manifestissimum facit, voluntatem hoc ipso quo voluntas est, esse liberam, & contradictionem esse manifestam, voluntatem esse non liberam, etiam illam quæ mutari non potest; quia maxima & firmissima voluntas est. Quo nihil efficacius proferri posset, ut probet voluntatem, sive hominum peccatorum, sive dæmonum, qua indeclinabiliter semel plus amant, sive Angelorum Deum in clara visione diligentium, esse liberam voluntatem, sicut hoc ipso in libro de gratia & libero arbitrio commendaverat.

Hæc ex sancto Bernardo tam prolixè operoseque deducenda esse censui, ut omnibus ad oculum liqueret, eum nullam omnino necessitatem à libertate semovisse, nisi eam quam Augustinus dicit, *non esse in potestate nostra, sed etiam si nolumus, efficit id quod potest.* Qualis est omnis necessitas violentiæ, & coactionis, & naturæ: illa quippe sequitur impetum suum, & quantumvis renitente voluntate facit effectum suum. Qui sanè sensus ita manifestè in toto libro sancti Bernardi quem de gratia & libero arbitrio condidit & in singulis pœnè periodis lucet, ut omnes pœnè veteres Scholastici eum in divi Bernardi scriptis agnoverint candideque fassi fuerint, & plerique ejus doctrinam suo calculo comprobaverint, Alexander Halensis, Albertus magnus, divus Thomas, Sanctus Bonaventura, Richardus de media villa, Durandus, Thomas de Argentina, Gabriel & alij plures, quemadmodum de plerisque infrà dicturi sumus, Marsilius qui dicit, *Bernardum libro suo de libero arbitrio per totum ferè determinare, quod voluntas nulla re possit cogi.* Mihi verò, ut ingenuè loquar, non mediocriter admirationi fuit, qui fieri potuerit, ut plerique Scholastici hujus ævi illam sancto Bernardo sententiam imposuerint, quod ab arbitrij libertate omnem omnino determinationem ad unum excluserit etjam voluntariam. Nimis profectò est illa Scriptoris istius somnolenta lectio. Sed idem omnino quod in Augustino & Damasceno legendo eis contigit. Verbum enim illud *necessitatis* eis sine dubitatione hallucinandi causa fuit. Etenim cum vocabulum istud ex hujus ætatis & aliquot præcedentium seculorum usu, id omne significare soleat quod quoquo modo necessario fieri dicitur, sive impetu sic ferente naturæ, sive violentia, sive firma & immobili voluntate fiat, non animadverterunt longè alia significatione ab Augustino, Damasceno, Bernardo, Magistro Sententiarum & pœnè omnibus eius primis interpretibus, in explicanda arbitrij libertate usurpari. Necessitas enim apud ipsos impetum & pondus quoddam significare solet, odiosum libertati, quod nolendo removeri nequeat. Ex quo fit, ut non audeant illud voluntati bonæ beatorum sive hominum, sive Angelorum, nisi cum quadam præfatione ac diminutione tribuere, sicut suprà diversis testimonijs ab Augustino comprobavimus.

Alex. 2. p. q. 72. mem. 2. a. 2. § 2. ad prim. & a. 3. § 3. & mem. 3. a. 3. & mem. 4. & 5. Et q. 29. mem. 1. a. 3. & 5.
Albert. 2. p. summa de lib. arbit. q. 3. & in 2. dist. 25. a. 7.
D. Thom. q. 24. de veritate a. 8. ad 5.
Bonavent. in 2. dist. 25. ad textum B. & q. 1. in corp. & q. 5. in fol. arg. & in 2. dist. 7. q. 3. in corp.
Richard. de media Villa in 2. dist. 25. a. 1. q. 1. & q. 2.
Durand. in 2. dist. 25. q. 2. ad 2.
Thomas de Argent. in 2. dist. 25. a. 4. & dist. 38. a. 1.
Gabriel in 2. dist. 25. a. 1. ad 4. conclusionem.
Marsilius q. 16. a. 3.

CAPUT XVIII.

Hugo de sancto Victore.

HÆC igitur divi Bernardi sententiam ad unguem, usque ad ipsa verba secutus est, & in quibusdam clarius expressit coætaneus & amicus ejus Hugo de sancto Victore. Nam in primis, in quæstionibus Miscellaneis hoc modo describit liberum arbitrium, seu effectum ejus: *Est in rationali voluntate spontaneus appetitus boni, qui nec coacto dari, nec invito auferri potest.* Vbi quod voluntatem rationalem nominat, intelligere

Lib. 1. Misc. tit. 175.

ligere videtur voluntatem quæ cum pleno judicio rationis operatur, ut motus indeliberati ab actibus liberis separentur. Vides ergo nihil omnino ad actum liberum requiri, nisi ut sit actus voluntatis cum ratione deliberata agentis, spontaneus non coactus. Sed uberius hoc agit in summa sententiarum tractatu tertio, ubi liberi arbitrij naturam ex professo tractat, constanterque docet idcirco esse liberam quia necessitatis expers est, & necessitatem illam clarissimè docet esse vim, violentiam, coactionem: *Cùm itaque habeamus cum pecoribus communem sensum & appetitum, liberum arbitrium nos ab eis discernit, penes quod omne meritum consistit. Cùm enim nulla vi, nulla necessitate cogatur, non immeritò beatitudinem seu miseriam promeretur. Ingenium quoque & memoria & cætera similia nec justum nec injustum constituunt.* Et sancti Bernardi verbis sensa sua promens & probans: *Siquidem*, inquit, *nec tardum ingenium nec labilis memoria imputatur. Sola itaque voluntas quæ semper libera est, & nunquam cogi potest, meritò apud Deum judicatur. Ea semper à necessitate libera est. Ubi enim necessitas, ibi non est libertas, nec voluntas, & ideo nec meritum.* Ecce apertissimè oppositam necessitatem libertati, & necessitatem expositam per coactionem, & idcircò conclusum, sicut & sanctus Bernardus concluserat, ubi est necessitas, ibi non est libertas, & ubi non est libertas, nec voluntas. Quia in eorum sensu sola & omnis voluntas repugnat isti necessitati; quod de simplici & voluntaria necessitate prorsus falsum est.

Hugo de S. Vict. in summa sent. tract. 3. c. 8.

Secundo itaque, ne quis verba Hugonis & Bernardi quaqua via in alium sensum raperet, auctor ipse suspiciones prævenit. Nam sequenti statim capite rem accuratius explicans celebrem illam divisionem ponit à Bernardo traditam, & à Magistro receptam, & ab omnibus Magistri interpretibus uniformiter explicatam. Est namque triplex libertas, *à necessitate, à peccato, à miseria.* A necessitate & ante peccatum & post æqualiter liberum est. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modo. Et verbis sancti Bernardi rursus utens: *Hæc libertas æqualiter est in omnibus non minor in malis quam in [illegible]is, tam plena post peccatum sicut & ante peccatum.* Quæ Bernardi verba penè omnes interpretes magistri qui ea citant, de sola libertate à coactione intellexerunt. Quod ut apertius adhuc nobis constaret, & nemini de mente Hugonis superesset ambiguitas, apertissimè docet

Ibid. Cap. 9.

Tertiò liberum idem esse, quod voluntarium aut spontaneum, non alieno sed suo impulsu motum. Nam in eodem loco, cum neque bonos neque malos Angelos libero arbitrio carere tradidisset, quamvis illi non possint esse mali, neque isti boni, sic concludit: *Liberum itaque arbitrium ex eo dicitur quod est voluntarium. Quod enim boni Angeli non possunt esse mali, non facit necessitas, sed confirmata per gratiam voluntas. Quod mali non possunt boni esse, non facit ulla coactio sed voluntas obstinata in malo. Et tamen isti natura & illi mutabiles sunt.* Et alibi rursum cum idem omnino tradidisset de bonis & malis Angelis, objicit sibi: *Ad hoc opponitur quod liberum arbitrium habent, ergo in utramque partem possunt flecti.* Respondet: *Sed inde non dicitur liberum arbitrium, ut in suo loco ostendemus, sed liberum, id est, voluntarium, & boni non necessitate cogente sed libera voluntate à malo abstinent, similiter & mali à bono.* Ecce clarissimè definitum liberum arbitrium esse quia voluntarium, necessitatem oppositam esse voluntati, etiam immutabili per pœnam aut præmium, eandemque necessitatem aliquoties expositam per coactionem.

Tract. 2. summæ sent. c. 4.

Hinc quarto ipsam naturam liberi in motibus liberis explicans, nihil aliud ad essentiam ejus explicat, quam ut per se suo motu non alieno impulsu vel coactu moveatur: *Ex quo autem voluntate movebatur, velle erat, & à voluntate erat, quæ libere movebatur, quia per se movebatur & non impulsu alieno. Et hoc ipsum meritum erat, & vocabatur bonum vel malum, quia liberum erat, & ex se erat &c.* Et iterum: *Ex quo autem voluntas erat, libertas erat, quia voluntatis est libertas, quoniam potens erat per se moveri, ut ultra vel huc vel illuc sine coactione vel adjuta vel derelicta; quoniam libertas est voluntatis, ex quo est voluntas ipsa in primo principio.* Et quasi definitionem liberi arbitrij tradens: *Quoniam spontaneus motus vel voluntarius appetitus liberum arbitrium est. Liberum quidem in eo quod est voluntarius, arbitrium vero in eo quod appetitus. Sed & ipsa potestas & habilitas voluntatis est libertas qua movetur ad utrumque* (scilicet bonum & malum) *& liberum arbitrium dicitur voluntatis. Voluntariè autem moveri & ferri spontaneo appetitu, hoc est, potestate eligere & libertate judicare, in quo constat liberum arbitrium. Et propter hoc facti sunt liberi arbitrij, ut voluntario appetitu moverentur, sed secundum electionem voluntatis, & inclinationem desiderij sui sine coactione.* Non est opus pluribus de Hugonis mente satagere. Tam enim evidenter seipsum explicat, ut si illam sententiam de industria proponere voluissem, non potuissem apertioribus eam verbis promere.

Lib. 1. de Sacram. part. 5. c. 20.

Ibid. c. 21.

CAPUT

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Richardus de Sancto Victore.

ÆTATE, doctrina, & amicitia sancto Bernardo conjunctissimus fuit Richardus de Sancto Victore, celebris ingenij acumine, & sanctitate. Hic divi Bernardi & Augustini sententiam luculentissimè & multis modis expressit. Nam primo apertissimè & inculcatissimè docet, in hoc sitam esse arbitrij libertatem, quod nulla vi aut potestate cogi potest, adeoque in hoc ipso Dei similitudinem gerere:

Tract. de statu inter. hom. c. 3.

Vultu, inquit, *& maiestatu similitudinem in ipsa perspicere, & quomodo eius imagine impressa sit, evidenter agnoscere? Deus superiorem non habet nec habere potest; & liberum arbitrium dominium non patitur nec pati potest; quia violentiam inferre ei nec creatorem decet, nec creatura potest. Totus infernus, totus mundus, totus denique militia cælestis exercitus in unum concurrat, in hoc unum conjuret, unus ex libero arbitrio consensus in qualicumque re invito extorqueri non valet.* Et in progressu tractatus istius uberius:

Ibid. c. 22.

Sed si diligenter attendimus, puto quod inveniemus hominem non modo libertate non carere, sed magnam imo summam libertatem possidere. Primus siquidem libertatis gradus est, nulli coactioni subiacere. Secundus autem nulli subjici debere. (non pe peccato) *Tertius vero & ipse summus, nulli penitus subjici posse*, hoc est, ut Augustinus loqui solet, peccare non posse. *Quomodo ergo arbitrium hominis vere imo summè liberum non est, quod sua libertate nulla vi, nulla potestate privari potest? Nam hoc nec creatura valet, nec creatorem decet. Sed quomodo vel creator hoc potest, qui nihil quod non decet facere potest? Si igitur nulla violentia arbitrium potest sua privari libertate, constat illud summam libertatem habere.* Et paucis interpositis adhuc subjungit: *Sed sicut est miranda arbitrij libertas ab alio cogi non posse; sic miseranda prorsus infirmitas in seipso ad omne bonum torpere.* Vnde in alio ejusdem libri loco, est illa eius definitiva sententia: *Illud in potestate est, quod pro arbitrio voluntatis fieri vel prætermitti potest.* ILLVD IN POTESTATE HABEMVS, AD QVOD ALIENA VIOLENTIA COGI NON POSSVMVS.

Ibid. c. 33.

Hinc prorsus consentaneè eidem illi libertati, tradit libertatem arbitrij esse penitus immutabilem, nec in bonis augeri, nec in malis minui; sed in omnibus parem persistere: Sic enim loquitur in ipso limine:

Cap. 3

Quid quæso in homine sublimius, quid dignius inveniri potest quam illud in quo ad imaginem Dei creatus? Habet sanè libertas arbitrij imaginem non solum æternitatis, sed & divinæ Maiestatis. Quantum putamus in hoc incommutabili æternitati præ cæteris omnibus liberum arbitrium vicinius accedit, eiusque in se imaginem expressius gerit; quod nulla unquam culpa, nulla demum miseria non dicam destrui, sed nec minui poterit. Et iterum paucis capitibus post:

Cap. 13.

Potestatem itaque promerendi peccando amittere potuit, libertatem vero arbitrij, sicut nunquam non habuit, sic nunquam non habebit, quia nunquam, ut superius iam dictum est, qualicumque peccato vel pœna amitti vel minui poterit. Et rursum: *Hæc itaque arbitrij libertas nec in bonis maior, nec in malis est minor quæ nec per peccatum minuitur, nec per meritum augetur.*

Cap. 23.

Quia vero multos in intelligenda creati arbitrij libertate turbare solet, quod fide edocti, nos per peccatum boni volendi potestatē perdidisse sciunt, libertatem præclarè cum ista infirmitate conciliat. In quo labore crebrò inculcat, ideo humanum arbitrium esse liberum, quia coactionis expers, & omni violentia indomitum:

Ibid. c. 12.

Sed quomodo, inquis, *conveniunt tanta libertas cum tanta infirmitate, vel tanta infirmitas cum tanta libertate?*

Cap. 13.

Profecto aliud est esse liberum, aliud est esse robustum. Et liber & infirmus esse potes, sicut e contra, & sanus & servus esse potes. Qui sanus & robustus est, multa & magna facere potest. Sed qui liber est ad aliquid cogi nisi iniuste non potest. Non autem arbitrium hominis ideirco liberum dicimus, quia promptum habeat bonum vel malum facere, sed quia liberum habet (id est, non cogitur) *bono vel malo non consentire. Posse quidem facere malum, est infirmitatis, posse facere bonum est potestatis, neutrum autem libertatis. Libertatis vero est quod consensus eius extorqueri vel cohiberi non potest.* Quod supra dixit, *invito extorqueri non potest.*

Cap 3.

Potest enim consentire, vel non consentire aspirationi divinæ, similiter & suggestioni diabolicæ. Vtrumque quidem ex potestate, neutrum oportet ex necessitate. Et qua quaso necessitate? *Libertatis est quod ad aliquid volendum cogi non potest: privatio autem potestatis, quod ad aliquid boni faciendum sufficiens non est.* Et istud omnino sibi velle Richardum, convincit id quod inferius eandem sententiam illustrans repetendo subjicit:

Cap 20.

Amisit itaque potestatem primus homo, *non autem libertatem. Nam bonum posse est vere posse: sicut cogi non posse, est vere liberum esse. Si enim ad bonum seu ad malum ab alio cogi posset, iam omnino liber non esset; & si bonū facere vel malum declinare posset, non solum liber, sed & potens esset.* Nihil manifestius dici posset à Richardo, quo libertatem arbitrij in illa impatiente coactionis potestate constituerit. Notissimum est enim, liberum arbitrium dæmonum ad malum esse obduratum, & beatorum Angelorum atque hominum ad bonum determinatum, sed utrumque citra coactionis necessitatem. Notum etjam hujusmodi determinationis immunitatem in bonis & malis augeri ac minui, prout plus minusve gratiâ eriguntur aut deleruntur. Deus enim inclinat efficacissime corda nostra in testimonia sua, sicut pondus violentissimæ consuetudinis in peccatum; cum tamen Richardus ibidem dicat, quod sæpius alijs verbis dixerat:

Cap. 22.

Manet itaque infirmitas cum libertate, & libertas cum infirmitate, in tantum ut neutra præiudicet

iudicet alteri, nec infirmitas libertati, nec libertas infirmitati: quia nec infirmitas minuit libertatem, nec libertas aufert infirmitatem. Ecce nec minui quidem in ullo sentit arbitrij libertatem, per quamcumque peccati vel consuetudinis infirmitatem. Quod usque adeo verum esse censet, ut si vel tantillum diminueretur, arbitrium non amplius dici posset liberum. *Constat itaque,* adjicit, *quia hominis arbitrium liberum dici non possit, si vel ex parte libertatem amisit.* Quæ sane de libertate coactionis sunt verissima; ac de illa sola sibi sermonem esse statim docet, dum tantum sentit abesse ut homo libertatem amiserit, ut potius adhuc possideat summam; & ejus primum gradum ponit *nulli coactioni subiacere*, ut ex ejus verbis suprà citatis liquet.

Cap. 22.

Cap. 23.

Sed in alio quodam opere quod de interioris hominis eruditione scripsit, adhuc evidentius, si evidentius dici potest, eandem arbitrij libertatem in coactionis immunitate constitutam esse, ac differentiam inter libertatem & potestatem tradit. Cùm enim præmisisset, potestatem liberi arbitrij, videlicet ad bonum, non aliud esse nisi gratiam, tantumque non habere potentiæ quantum gratiæ, & illa pereunte *simul perire & potentiam*, statim adjicit: *Patet itaque ex his quod aliud est arbitrij potestas, atque aliud est arbitrij libertas. Aliud est enim magna posse, atque aliud est liberum esse. Et liber & infirmus esse potes, sicut è contrario & sanus & servus esse potes. Si sanus & robustus es, & multa & magna facere potes: Verumtamen si liber es, ad nihil cogi potes, vel debes. Et si amittis sanitatem, amittis pretiumus potestatem, non tamen & libertatem. Potestatis itaque est quod bonum facere possumus, quamdiu id facere valemus; libertatis autem, quod ad nullum seu bonum seu malum inviti cogi possumus. Quare multi in definitione liberi arbitrij errant, qui inter potestatem & libertatem distinguere ignorant vel dissimulant. Vide tamen quid intersit, cum potestatem homo sæpè amittat, libertatem vero nunquam amittere possit. Item nemo ad omnia bona accipit potestatem: sed omnis homo ad omnia bona vel mala accipit libertatem. Nam uti dictum est ad nullum bonum vel malum* INVITUS COGI POTEST.

Lib. de erud. interioris hom. c. 30.

Quibus principijs congruentissimè Richardus non aliter nostri consensus libertatem explicuit, quam quod sit spontaneus & voluntarius. Illud quippe spontaneum & voluntarium intelligit, quod à sancto Damasceno suprà definitum fuit, hoc est, quod ex voluntate rationali cum finis & omnium circumstantiarum plena cognitione fluit: *Quid est, erit sub te (* appetitus *) nisi sub arbitrio tuo? Eo quod quivis appetitus in actum non prodeat sine nutu spontaneo & voluntario.* Et rursum: *Nihil tamen horum omnium (* scilicet appetituum *) ad conatus sui exit effectum, nisi ad liberi arbitrij nutum, voluntariumque consensum. Principatur itaque omnibus liberi arbitrij ultroneus consensus.*

Lib. de stat. inter. hom. c. 2.

Ibid. c. 6.

Ex istis lineamentis facile est agnoscere Richardum in omnibus usque adeo consentire Bernardo & Hugoni, ut sententiam eorum subinde ad ipsa usque verba exprimere videatur; & quamvis strictius quam Bernardus, omnia tamen ejus doctrinæ capita, quædam apertius, alia latentius velut in principijs comprehenderit. Nam & istas tres species libertatis, à necessitate, à peccato, & à miseria, quam Bernardus & Hugo tanquam discipuli Augustini, expressis verbis tradidere, ipse alijs significandi modis designavit, dum primam vocat *à coactione*; alteram *à subjectione*, tertiam *à possibilitate subjectionis*, sicut paulo antè allegavimus. Ex his igitur auctoribus hausit Magister sententiarum illam divisionem triplicis libertatis, *à necessitate, à peccato, & à miseria*, quam omnes antiqui Commentatores ejus celeberrimam reddiderunt.

Cap. 23.

CAPUT XX.

Magister Sententiarum

POST sanctum Bernardum & amicos ejus duos Hugonem & Richardum, Primus occurrit Magister sententiarum, qui & istos & Augustinum accuratè secutus est; nec aliter nomen illud necessitatis accepit, quam sicut tunc temporis & multis ante seculis communiter usurpabatur. Apertissime quippe docet liberum arbitrium dici liberum, quia necessitatis, hoc est, coactionis immune est: *Si diligenter,* inquit, *inspiciatur, liberum videlicet dici arbitrium, quia sine coactione & necessitate valet appetere vel eligere, quod ex ratione decreverit.* Nequis vero scriptorum recentiorum falleretur, qui necessitatis nomen longè aliter quam ipse accipere solent, omnem ambiguitatis nebulam abstergit, id quod explicando subjicit: *A necessitate & ante peccatum & post, æquè liberum est arbitrium.* Ecce verba sancti Bernardi: *Sicut enim tunc cogi non poterat ita nec modo.* Et rursum idem repetendo inculcans: *Ideoque voluntas merito apud Deum iudicatur, quæ semper à necessitate libera est, & nunquam cogi potest.* Nam de necessitate coactionis loqui Magistrum in illa divisione, unanimis est omnium veterum Scriptorum & Commentatorum ejus sententia, ne uno quidem, quod sciam, dissentiente; Alexandri Halensis, Alberti Magni, Sanctorum Thomæ, Bonaventuræ, Guilielmi Antissiodorensis & Parisiensis, Ægidij Romani, Richardi de media villa, Durandi & ceterorum ingenti numero. Quo fit ut non sine stupore etiam hic legerim nonnullos recentiores, qui ut libertatem à necessitate sicut ipsi eam intelligunt, libero arbitrio adversus Calvinum vendicent, Bernardum, Hugonem, & Magistrum Sententiarum pro se stare suspicari & proferre ausi sunt. Non est opus armis tam adulterinis, ut Calvi-

2. parte dist. 25.

ut Calvinus evertatur. Veritas, non falsitas errores destruere debet. A

Hinc est igitur quod consequenter isti principio Magister apertissimè, voluntarium & spontaneum, liberum atque voluntarium in rationali creatura confundit, imo idcirco liberum esse tradit quia voluntario spontaneoque motu fertur in objectum suum: *Liberum ergo dicitur arbitrium quantum ad voluntatem quia voluntariè moveri & spontaneo appetitu ferri ad ea potest, quæ bona vel mala iudicat, vel iudicare velit.* Hinc est quod hoc ipso quo libertas arbitrij tollitur, etjam voluntatem tolli doceat; *ubi necessitas*, (qua dixerat cogi non posse voluntatem) *ibi non est libertas, ubi non est libertas, nec voluntas.* Quæ doctrina sicut & verba ex sancto Bernardo sumpta sunt, falsissima sanè esse perspicuum est, si necessitas pro simplici firmaque ipsius voluntatis determinatione capiatur, cum nunquam sit magis voluntas, B hoc est, nunquam magis aliquid velit, quam cum ita firmiter vult, ut nolle non possit.

Hinc ex eodem principio, allegatisque Augustini verbis quibus dixerat, beatorum arbitrium esse liberum, longèque liberius cum peccare non potest, consequenter docet, idcirco esse liberius, quia ad bonum pronius, hoc est, quia longe firmiori, imo immutabili voluntate diligit bonum, quemadmodum Augustini mentem in supradictis exposuimus: *Ecce his verbis* (Augustini) *evidenter astruitur quod post beatitudinis confirmationem, erit in homine liberum arbitrium quo peccare non poterit, & nunc in Angelis est & in sanctis, qui cum Domino sunt, & tanto utique liberius, quanto à peccato immunius & ad bonum pronius.* Et mox illa verba subjungit, quod idcirco dicitur liberum arbitrium, *quia sine coactione & necessitate valet appetere vel intelligere quod ex ratione decreverit.* C Quæ verissimam aptissimamque illationem & rationem continent, pronitatis illius quam præmiserat; ad indifferentiam vero nihil prorsus faciunt. Istum vero genuinum esse Magistri sensum, tum tota contextús & rerum rationumque ejus consonantia ita prorsus clamant, ut non nisi obtorto collo, imo glossis textui aperte repugnantibus aliò torqueri queant, tum omnes veteres ejus interpretes confitentur, ut mox ostensuri sumus.

Hanc itaque sententiam suam de libertate arbitrij spectavit & melius explicuit idem Magister distinctione septima, ubi rationem reddens, cur Angeli mali & boni liberi sint, quamvis illi bene agere, isti peccare non possint: *Dicimus*, inquit, *quod boni tanta gratia confirmati sint, ut nequeant fieri mali: & mali in malitia adeo obdurati sint, ut non valeant fieri boni: & tamen utrique habent liberum arbitrium,* D *quia & boni non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate per gratiam quidem adiuti bonum eligunt & malum respuunt: & mali similiter spontanea voluntate à gratia destituti, bonum vitant & malum sequuntur.* Nihil evidentius ad explicandam plene sententiam Magister proferre potuisset, quam propterea in isto eodem sensu plerique veteres interpretes secuti sunt.

Lib. 2. dist. 7.

Neque quicquam ad illam sententiam reprobandam facit, quod in eadem distinctione dicit, liberum arbitrium esse liberum ad utrumlibet videlicet bonum & malum, sicut eum hoc intelligere tum ibidem, tum ex distinctione vigesima quarta certum est: hoc enim & Augustinus, & Bernardus, & Damascenus creberrimè dicunt, & sine fidei læsione negari nequit. Sed alio longè sensu quam Scholastici putant, hoc intelligunt: & in Deo, Angelis, tam damnatis quàm beatis non habere locum, nemo dubitat, & Magister in eadem illa distinctione profitetur. Multo minus ad propositum facit id quod Magister dicit, ea tantum sub potestate liberi arbitrij venire, *quæ per liberum arbitrium possunt fieri vel non fieri.* Quis enim ea de re dubitaverit? Sed inter ea quæ à libero arbitrio possunt fieri vel non fieri, imprimis est ipsum velle, sive firmiter & obstinatè, sive hæsitanter velit. Per illa quippe verba nihil aliud voluit, quam id quod Augustinus sæpe ac diserte explicuit, ea sub liberum arbitrium venire quæ sunt in nostra potestate, hoc est, quæ fiunt cum voluerimus; sive, ut ait in libris de Civitate, quæ *si nollemus, non utique faceremus. Quo primitus*, inquit, *pertinet & ipsum velle. Nam si volumus, est, si nolumus non est. Non enim vellemus, si nollemus.* Quod de omni omnino voluntate, sive nostra, sive beatorum, sive damnatorum verum est. Hoc enim Magistrum velle ex verbis mox subjectis liquet: *Si quis enim tale quod velit ac disponat facere, quod in eius nullatenus sit potestate, vel quod sine ipsius dispositione æque fieret*, id est, quod æque fieret etiamsi nollet, C cujusmodi est effectus naturæ & cujuscumque violentæ potestatis, *ipse in hoc liberum arbitrium non habet.* Quo nihil verius & Augustino Bernardoque conformius cogitari potest. Hinc est igitur quod Magister bis in eadem distinctione vigesima-quinta repetat, arbitrium in bonis & malis, & ante & post peccatum æque liberum esse. Quam sententiam mutuatus est à Bernardo, qui non aliam quam libertatem à necessitate coactionis intellexit, ut supra vidimus, neque juxta Scholasticos antiquos, qui Bernardum citaverunt & secuti sunt, ipsamque rerum evidentiam, aliter intelligi potuit. Cùm perspicuum sit, libertatem ab illa voluntaria & amata vel damnata necessitate longe minus in beatis damnatisque, quam in hominibus viatoribus & maxime primo homine reperiri, ubi voluntas erat penitus in æquilibrio, quam neque quicquam à bono retraheret, neque instigaret ad malum, quemadmodum in eodem loco ex professo Magister docet.

Lib. 5. de Civit. c. 10.

Quapropter nemini dubium esse puto ex ijs quæ produximus, quis Patrum antiquorum sensus fuerit de illa libertate, unde liberum arbitrium generaliter appellatum est, prout viato-

Digitized by Google

viatoribus, beatis, damnatisque, sive hominibus, sive Angelis, atque adeò ipsi Deo commune est. Neque quisquam ex eo consectaneum esse putet, nullam superesse libero arbitrio indifferentiam: in Deo quidem beatisque creaturis ad opera bona, in damnatis ad mala, in viatoribus ad bonum & malum. Absit ut hoc vel Augustinus, vel quisquam illorum scriptorum, quos protulimus, suspicatus fuerit: cujus contrarium ex Augustini scriptis infra adversus hæreticos nostri temporis probaturi sumus. Nam secundum diversitatem statuum creaturæ sive naturæ rationalis, indifferentia quoque in operando diversa est, sive ad bonum tantum, sive ad malum tantum, sive simul ad bonum & malum. Sed hoc tantum asserimus, non in illis indifferentijs, quocunque modo tandem ipsæ illæ intelligi debent, esse sitam, juxta scriptores illos, essentialem arbitrij libertatem ex qua liberum nuncupatum est, atque ita dari posse in aliquo B creaturæ statu nonnullos actus liberos, qui à voluntate liberrima, proprieque dicta arbitrij libertate quamvis determinatissima proficiscantur. Hoc enim illi antiqui Patres apertè docent, & ex principijs eorum invictè sequitur, & exemplis astruunt. Peritissimi sunt, sanctissimi sunt, ab omni erroris suspicione remotissimi: qui temporibus suis domum Dei velut A immobiles columnæ fulcierunt, doctrinæque Catholicæ sanitatem ab omnibus hæreticorum erroribus tutati sunt.

Neque quicquam ad illam eorum sententiam infringendam valet, quod sæpe dicunt hominem in sua potestate habere ut faciat bonum aut malum, hoc vel istud, agat aut non agat. Certa ista veritas est, fateor, & sine errore negari nequit. Sed quia veritas non repugnat veritati, neutra excludit alteram, ut paulo post dicendum erit. Quod quia non satis attente à nonnullis ponderatur, hallucinandi multis occasio fuit. Hanc interim quam produximus doctrinæ faciem, quæ libertatem arbitrij proprie dictam in immunitate à necessitate coactionis collocat, Scholastici vetustissimi, quanto Patribus istis ætate, tanto etiam doctrinę lineamentis propinquiores, ad unguem expresserunt. Sed paulatim ab illa primæva libertatis intelligentia declinari cœpit, eoque rerum nostra ætate ventum est, ut illa Augustini, Bernardi, Magistri & ceterorum doctrina, vix auribus quorundam ferri, vix sine erroris suspicione tradi possit. Non quod isti recentiores liberi arbitrij peritiores facti sint, sed à tradita majorum doctrina remotiores. Quod ne temerè dictum judicetur quid Scholastici Patribus istis vicinissimi de libertate senserint, tantisper videamus.

CAPUT XXI.

Alexander de Hales.

SIQUIDEM istam Magistri & Bernardi sententiam, ut à nobis explicata est, vel potius Augustini & antiquorum Patrum, primi interpretes Magistri, imo & ceteri Theologi non interpretes ejus pleno consensu secuti sunt. Inter quos primus à Magistro occurrit doctissimus ille doctissimorum discipulorum sancti Thomę & Bonaventuræ institutor Alexander Halensis. Tantâ enim luce, firmitate, fiducia, hanc doctrinam tradit, ut contraria tunc temporis prorsus inaudita fuisse videatur. Itaque in secunda parte summę quęstione septuagesima-secunda sic loquitur: *Ad primum dicendum quod est triplex libertas, scilicet natura, gratia, & gloria. Libertas natura libera est a coactione, libertas gratia a culpa. Quando ergo dicitur quod separatum auget, & additum minuit, non est pars illius: non intelligitur de libertate natura, quia illa non potest augeri vel minui (Bernardus: sicut in bono ita & in malo a que perdurat voluntas) sed dicitur respectu eius quod est à culpa & à miseria.* Et articulo tertio membri secundi: *Respondeo*, inquit, *quod liberum arbitrium tripliciter consideratur, uno modo secundum quod non cogitur, & hoc modo dicitur liberum, quia indifferenter est boni & mali.* Quod statim iterum repetit: *Illa autoritates*, inquit, *qua concludunt quod liberum arbitrium est indiffe-*

Alexander Halensis 2. p. q. 72. mem. 1. a. 2. ad 1. in editione antiquissima.

art. 3. mem. 2.

A *renter boni & mali, intelliguntur de libero arbitrio secundum naturam illam, secundum quam non cogitur.* Et eodem articulo 3. quo queritur à qua libertate liberum arbitrium nomen sortiatur, an à libertate naturæ seu coactionis, an gratiæ, an gloriæ, sic resolvit: *Libertas aliquando dicitur habitus naturalis, aliquando accidentalis. Secundum vero quod libertas dicitur habitus naturalis rationalis natura qua cogi non potest, non recipit magis & minus, sed aque est in omnibus rationalibus creaturis. Vnde Bernardus dicit: Libertas à necessitate Deo & universa creatura rationali indifferenter convenit, nec magis bona quam mala* &c. *Et secundum quod libertas sic dicitur liberum arbitrium, dicitur liberum principaliter ratione libertatis natura. Secundum vero quod libertas est habitus accidentalis, sic est liberum arbitrium diminuibile vel etiam amissibile, & recipit magis & minus.* &c. Et in alio loco ejusdem quęstionis: B *Liberum arbitrium est commune homini & Angelo bono & malo. Bernardus: Libertas a necessitate, id est coactione non maior est in iusto quàm in peccatore, nec plenior in Angelo quam in homine.* Et iterum: *Diabolus libere corruit in malum & persistit suo voluntario motu non libero impulsu.* Resolutionem autem istam probavit ibi hoc argumento: *Vbi est coactio non est ibi laus vel vituperatio, sed in malis Angelis vel bonis est laus vel vituperatio, quia boni Angeli laudantur, mali vituperantur, ergo non est in eis coactio*

art. 3. ibid.

memb. 3. a. 3.

Digitized by Google

nis coactio, ergo est in eis liberum arbitrium. In quo vero major est laus vel vituperatio Angelorum, nisi in eo quod alij in malo quod elegerunt, hoc est, amore sui, alij in amore Dei, immobiles & perpetuo perseverant. Et quia sibi locum Bernardi objecerat dicentis: *Vbi est necessitas, non est libertas*: ita pergit: *Ad obiecta autem in contrarium dicendum est quod est duplex necessitas inevitabilitatis & coactionis. Necessitas coactionis tollit liberum arbitrium, sed non necessitas inevitabilitatis. Licet ergo in Angelis sit necessitas inevitabilitatis, nihilominus tamen liberum arbitrium. Vnde Bernardus: Quod diabolus non potest bonum non est ex aliena oppressione, sed ex voluntaria obstinatione & obstinata voluntate.* Et mox docet, hoc quod dæmones non possunt eligere bonum, non privari libertate voluntatis, imo eam magis ostendi, sed tantum libertate gratiæ. Et addit: *Licet ratio liberi arbitrij quam ponit Augustinus non conveniat quoad hoc quod dicitur (quæ bonum eligitur) convenit tamen ratione reliquæ partis: bonis vero Angelis ratione primæ partis.* Et articulo quarto in quo quæritur, an liberum arbitrium in omni statu innocentiæ, culpæ & gratiæ commune fuerit homini, sic respondet: *Dicendum est quod liberum arbitrium commune est in his statibus. Nec est contrarium quod obiectum est: quia illa prima ratio libertatis est propria secundum statum innocentiæ, & non dicitur illa libertas naturæ, qua homo liber dicitur à coactione.* Et rursum in Christo qui peccare non poterat, sic liberum arbitrium statuit, ut *fuerit in illo electio, prout eligere dicitur definire seu determinare inter aliqua duo, non prout est determinatio rei dubiæ*, quomodo *& consilium ab eo abest*; ac tandem adjicit: *Quod vero dicitur quod Christus non potuit peccare, hoc dicitur ratione gratiæ. Vnde libertas naturæ quæ est à coactione communis fuit Christo & alijs hominibus.* Et iterum membro quarto cùm quæreretur, an æqualiter sit liberum arbitrium in omnibus in quibus reperitur, quæstionem sic determinat: *Liberum arbitrium in hoc æque dicitur de quibus dicitur quod in nullo cogitur. Licet enim Deus de sua creatura possit facere quod vult, non tamen cogit voluntatem, sed eam liberam esse permittit. Secundum hoc ergo quod (æque) dicitur contra magis & minus liberum arbitrium à servitute naturæ dicitur de omnibus intellectualibus substantijs æque.* Ne quis vero scrupulus remaneret lectori quam coactionem intelligeret, de qua tota illa quæstione locutus erat, cùm distinxisset, sicut Bernardus, coactionem passivam quæ potest fieri absque voluntario consensu facientis, ab activa quæ est respectu actus mixti, tandem adjicit de coactione respectu actus interni: *Si vero compulsio dicatur respectu actus interioris, nullatenus dicendum est quod liberum arbitrium respectu actus interioris omnino coactionem recipiat, & ideo dicitur simpliciter liberum arbitrium a coactione.*

Art. 4. — Memb. 4. — Memb. 4. §. 1.

Iuxta hæc principia idem Halensis non veretur illam libertatem arbitrij vocare quasi essentialem. *Ad tertio obiectum dicendum est quod in omni statu liberum arbitrium æqualiter dicitur quantum est de libertate à coactione, quæ vocatur quasi essentialis libertas: non tamen æque dicitur libertas in quantum ordinatur ad gratiam: secundum hoc enim dicitur secundum magis & minus.* Hæc omnia in ista una quæstione Alexander, ubi constantissimè semper docet libertatem naturæ, libertatem à necessitate, quam sanctus Bernardus ab eo sæpissime ad doctrinam istam stabiliendam allegatus inculcaverat, libertatem à qua dicitur liberum arbitrium, non aliam esse quam libertatem à coactione; reliquas omnes libertates à libero arbitrio sine ejus interitu abesse vel adesse posse.

Memb. 4.

Quam doctrinam non in isto tantum summæ suæ loco, sed & passim alibi tradit: Nam de Angelorum libertate disputans, similiter docet liberum arbitrium *vel liberum esse à coactione, vel à miseria.* Iuxta primum modum esse liberum arbitrium in Angelis, & *similitudinem habere liberi arbitrij divini in hoc quod non cogitur ad bonum.* Et ex sancto Anselmo probat. Et rursum: *Triplex est libertas, prima est libertas à coactione sive à necessitate, secunda à peccato, tertia à miseria.* Prima quæ est à coactione est æque in homine & Angelo tam bono quam malo. Et hanc doctrinam testimonio Magistri sententiarum & sancti Bernardi astruit, ut perspicuum sit eum sic utrumque auctorem sicut exposuimus, accepisse. Ita vero in illa tota quæstione loquitur, ut non sit umbra alterius libertatis unde propriè liberum dicatur arbitrium, sive in Deo, sive Angelis, sive hominibus, nisi *quod nullus eorum cogitur; liberi enim sunt a coactione æqualiter.*

2. p. q. 29. memb. 4. 1. — Ibid. a. 9.

CAPVT XXII.

Guilielmus Parisiensis.

EIVSDEM ætatis & sententiæ fuit Guilielmus Parisiensis, qui libertatem arbitrij nostri tractans, non aliud ad eam postulat quam ut aliquid nostra voluntate fieri possit, non prohibente naturæ impossibilitate cum volumus, neque rapiente violentia cum nolumus: *Si vel naturæ intentio, vel vis invincibilis libertatem voluntatis hominum abstulisset, vana esset omnium legum institutio, nihil imputandum esset homini: Cum vel necessitate naturæ prohiberetur quo minus faceret, aut in vinculū ratione invitum ad faciendum traheretur. Quare nec bene nec male quicquam fieri posset ab homine. Supervacui etiam essent Magistratus & magisteria morum.*

Lib. de [illegible]nis. initio.

Digitized by Google

Non enim agendum esset cum hominibus de morum suorum emendatione, sicut cum brutis animalibus aut lapidibus. Cum per eos aut impossibilitas naturæ premeret, aut violentia raperet ad agendum. A
Et rem istam experientia probans, quam de se quisque sumere potest: *Inquirens*, inquit, *anima rationali inquisitione perscrutata & interrogans seipsam, utrum liberum sit ei facere bene vel male, vel utrum voluntarie operetur & voluntarie declinet opera; Respondebit enim non utique per signa quæ plerumque fallere solent; Sed ipsa pœnitentia veritatem, quam inter se pœnitentes conspiciunt, se nullatenus trahi ad operandum nisi voluntate, & se non desistere ab omnibus operibus nisi voluntate. Non quæres igitur extra te-ipsum an tui iuris & tuæ voluntatis sis, an tibi subditus sit tuæ voluntatis consensus, ut in illud quod te stimulat ipsum declinare possis si velis, aut ab eodem avertere si velis.*

Hinc mox eos refutans qui objectionem illam de consuetudinis violentia reddere solent: *Quod si quis*, inquit, *victura consuetudine, & ea tanquam altera natura trahitur ad consueta, licet consuetudini reluctetur & obviatur. Interroget se utrum delectet eum facere, quod de consuetudinis necessitate facere se diceret, an non delectet? Quod si delectat igitur libenter, quia delectabiliter facit. Si vero non delectat, non ergo est amore vel desiderio obligatus huiusmodi operi. Quare enim trahitur amore vel desiderio ad illud. Non ergo est ei consuetudinarium opus illud. Consueta enim omnia necessario amantur.* Ne vero de mente Guilielmi inaniter contenderemus ipsemet in alio suo opere totam dubitationem sustulit. Nam in Tractatu de virtutibus, de voluntate ejusque libertate scribit: *Utrum autem eadem vis se-ipsam movere, vel in se ipsam agere possit, quæstionem habet, ut supra tetigimus. Et de ipsa voluntate videtur quod operationem suam quæ est velle, ipsa de se eliciat. Non enim velle naturaliter ex voluntate sine volendi actu vel habitu, sicut est ex calore calefacere, vel calere, imo voluntariè & liberè. Impossibile est enim ipsam velle aliquid invitam, hoc est, nolentem velle illud. Declaratio autem huiusmodi facilis est. Sit A volitum, & voluntas nolit se velle A. Dico igitur si nolit se velle A, non ultra ipsum A* (supple vult) *velle enim nec quæritur nec fugitur nec recusatur nec oditur nisi propter volitum. Quare si velle A est recusatum vel oditum, vel fugitum propter ipsum A, multo fortius ipsum A est recusatum vel oditum, vel fugitum. Quare si ipsum velle A est volitum, multo fortius ipsum A erit volitum. Manifestum igitur est, quod apud quemcumque est nolitum se velle A, est nolitum ipsum A. Declaratum igitur est, impossibile esse aliquem velle ad invitum, id est nolentem se velle illud. Quare quicumque vult aliquid, aut vult se velle illud aut sustinet, Manifestum igitur est quod ex voluntate, sive ex vi volendi non procedit velle per modum naturæ, quod est serviliter, ut supra diximus, & non libere. Liberum enim est volenti & voluntati ipsum velle, super quodcumque volitum cadat.* NON ENIM POTEST *ad illud cogi aut trahi invitum, ut diximus. Eodem modo declarabimus tibi quia non potest voluntas sive volens prohiberi vel impediri quin velit; imo qui vult se velle A, ex necessitate statim vult ipsum A. Et hoc est, quoniam non vult se velle, nisi propter ipsum A, quare magis vult ipsum A: velle enim non quæritur nisi propter volitum. Propter quod autem unumquodque ipsum magis.* Et paucis interjectis concludit ex præcedentibus ratiocinationem suam: *Manifestum igitur factum est tibi quod voluntas liberrima est in nobis à coactione* (scilicet ut agamus) *& impedimento seu prohibitione* (scilicet ne agamus) *& hæc est una de excellentiis quibus homo præcellit ceteris animalibus, & anima rationalis ceteris animabus.*

[Margin: B, C, D]

[Margin: Lib. de fide & Tract. de virtutibus p. 88.]

Sed accuratissime & à fundamentis rem istam decidit in ejusdem operis alio loco. Primo namque distinguit quadruplicem necessitatem, primam violentiæ, & quicquid ex ea agitur non agenti sed violentiam inferenti imputandum est. Secundam stabilitatis & immutabilitatis, qualem dicimus, inquit, Dei esse necessitatem qua immutabiliter bonus est. Et quicquid est hac necessitate necesse est ipsum bene agere semper & contrarium impossibile, & ista necessitas non aufert libertatem, sed perficit. Tertiam extraneam sive forinsecam, quam nonnulli vocare solent necessitatem per accidens. Et easdem distinctiones facit de impossibilitatibus. Quartam Aristotelis, determinatam, ut qua necesse est verbi gratia Socratem sedere dum sedet. Tandem post multa interposita sic attexit: *Secundum errorem illorum qui dicunt omnia ex necessitate evenire, non est necesse, ut propter hoc nemo peccare possit aut bene agere. Et hoc apparet per ea quæ diximus de necessitate & impossibilitate. Videlicet quæ & quando excusant à culpa & obligatione, & quatenus sicut ostendimus. Quia necessitas qua necesse est Deum semper bene agere, & impossibilitas qua impossibile est ipsum male agere in nullo prohibent, vel impediunt quo minus bene & laudabiliter agat utrumque. Et hoc est quia nec violenter ipsum impellant ad bene agendum, nec violenter ipsum impellunt aut avertunt tunc à male agendo. Nec ullo modorum resistit ista impossibilitas, aut contradicit voluntati eiusdem, sicut necessitas virtutis calestis aut fati, quam secundum eos impossibile est averti vel impediri, & quia etiam movent animas humanas, ut ipsi opinantur, movent, inquam, ad cogitationes & affectiones, quæ in eis sunt, & per illas ad operationes, & operum declinationes: quoniam non movent eas violenter imo voluntariè, non excusat animas humanas à peccatis & culpis. Et hoc est quoniam à quocumque principio fit opus voluntarium, dummodo voluntarium sit, id est volitum quocumque trium modorum, quos diximus, id est, affectatum vel toleratum, vel neglectum, semper imputandum est voluntati & agenti per voluntatem. Nec sequitur si non potest aliud agere vel etiam velle, quod propter hoc excusatus fuit, qui nec vult aliud posse vel agere, nec aliud velle. Propter quod Seneca: quia omne peccatum adeo est voluntarium, ut si non sit voluntarium, non sit peccatum. Quare necessitas vel impossibilitas, quæ non aufert operi quin sit voluntarium, hoc est, ex voluntate, quam impossibile est non esse*

[Margin: Guilel. Parisiens. de vitiis & peccatis f. 215.]

[Margin: Fol. 213.]

non esse liberam, nec culpam aufert. Revera autem *si totum quod movet animas nostras extra nos esset, & non haberemus principium motuum & operum nostrorum intra nos, vel in nobis, totum attribuendum videretur extrinseco motori vel motoribus si plures essent.* Et in consequentibus adhuc uberius docet, hoc tantum sufficere quod volitio fit in nostra potestate, & non ex solo motore extrinseco. Et in præcedentibus se declarasse dicit quod *tanta sit libertas voluntatis, ut nec cogi possit ad operationem suam propriam quod est velle vel nolle, neque prohiberi ab ea.* Imo necesse est, ut si velit operari operationem suam, quod operetur eam, quicquid ipsam ad hoc moveat vel impellat. Nihil addo, quia perspicuitati qua sensum suum explicuit, nihil penè addi potest.

Vide pulchre f. 81. p. 2.

CAPVT XXIII

Guilielmus Altissiodorensis.

ADIVNGAMVS Guilielmo Parisiensi conterraneum & coætaneum Guilhelmum Altissiodorensem. Hic in quæstione qua quærit, quid sit libertas arbitrij, sic loquitur: *Est autem triplex notanda libertas in libero arbitrio. Generalis scilicet libertas necessitatis sive a necessitate, a peccato, a miseria. Libertas a necessitate duplex est, scilicet à necessitate inevitabilitatis, & hæc libertas non est in diabolo, quia inevitabiliter peccat. Et à necessitate coactionis extrinsecæ. & hæc est in omni habente liberum arbitrium.* Et explicata libertate à peccato & à miseria subjicit: *Patet ergo quid sit libertas arbitrij.* Significans omnino nullum aliud libertatis genus se agnoscere, unde liberum arbitrium appellatum sit. Deinde paulo post in eadem illa quæstione: *Dicimus quod hæc facilitas sive habilitas potentiæ libertas prædicta est, quia est sine coactione in omni habente liberum arbitrium.*

In summa aurea lib. 2. tract. 11. q. 3.

CAPVT XXIV.

Sanctus Thomas.

NEC vero sanctus Thomas ab illa communissima antiquorum sententia alienus est, sed eam diversis locis clarissimis verbis multisque modis expressit. Nam in primis docuit

Primo, arbitrium hominis dictum esse liberum, quia non cogitur. Hinc in secundo Sententiarum ita scribit: *Dicendum quod liberum arbitrium dicitur ex eo quod cogi non potest.* Quam sententiam in eadem distinctione sæpius repetit. Et in quæstionibus disputatis: *Liberum arbitrium secundum quod dicitur liberum à coactione non suscipit magis & minus.*

In 2. dist. 25 a. 4. — q. 24 de Veritate a. 10. ad 7.

Secundo necessitatem simplicem voluntatis non repugnare libertati: *Naturalis necessitas secundum quod voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Augustinus docet in primo de Civitate Dei. Libertas enim voluntatis, violentiæ vel coactioni opponitur. Non est autem violentia vel coactio in hoc quod aliquid secundum ordinem suæ naturæ movetur, sed magis in hoc quod naturalis motus impeditur: sicut cum impeditur grave ne descendat ad medium. Unde voluntas libere appetit felicitatem, licet necessario appetat illam. Sic autem & Deus suâ voluntate libere amat se ipsum, licet de necessitate amet se ipsum.*

q. 10. de Potent. a. 2. ad 5.

Tertio tradit hanc esse sententiam Augustini: *Ad tertium dicendum quod libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.*

q. 22 de Verit. a. 5. ad 7

Quarto sæpe docet arbitrium liberum idcirco non esse amissum per peccatum, quia remansit liberum à coactione, quamvis sit peccati servum: *Servitus peccati non dicit coactionem, sed vel inclinationem, in quantum peccatum præcedens aliquo modo inducit ad sequentia vel defectum virtutis naturalis, quæ non potest se a macula peccati eripere, cui se semel subdidit: & ideo semper in homine remanet libertas a coactione, per quam naturaliter est liberum arbitrium.* Et alibi quæstione sextâ de malo, ubi probare nititur esse in homine liberum arbitrium, cum objecisset sibi ex Augustino quod homo perdidisset liberum arbitrium, respondet: *Homo peccans liberum arbitrium perdidit quantum ad libertatem quæ est à culpa & a miseria: non autem quantum ad libertatem quæ est a coactione.* Et in prima parte summæ ad idem argumentum ex Augustino petitum: *Dicendum,* inquit, *quod homo peccando liberum arbitrium dicitur perdidisse, non quantum ad libertatem naturalem quæ est a coactione, sed quantum ad libertatem quæ est a culpa & a miseria.*

q. 24 de Verit. a. 1. ad 7 — Ad 23. — 1. p. q. 83. a. 2. ad 3.

Quinto docet Magistrum sententiarum & sanctum Bernardum, quando necessitatem removent à libero arbitrio, de necessitate coactionis loqui, sicut hoc de Magistro manifestum est ex multis locis Commentarij in distinctionem vigesimam-quintam secundi Sententiarum, præsertim articulo quarto & quinto: de Bernardo vero quæstione vigesimâ-quartâ inter disputatas de veritate. Nam cùm objecisset verba Bernardi: *Dicendum,* inquit, *quod Bernardus loquitur de libero arbitrio quantum ad necessitatem a coactione, quia nec intensionem nec remissionem recipit.* De quo etiam videre licet articulum decimum ad decimum-quintum.

q. 24. a. 1. ad 5.

Sextò, opus esse laude vel vituperio dignum, meritorium vel demeritorium ex hoc quod est voluntarium, spontaneum non coactum, tametsi sit determinatum ad unum.

 Nam

Digitized by Google

A Nam disputans, utrum Christus peccare potuit, cùm sibi objecisset ex Augustino, quod nullus peccat in eo quod non potest vitare, & proinde nullus etiam mereatur vel laudetur de hoc quod dimittere non potest, respondet: *In 3. dist. 12 q. 2. a. 1. ad 3* *Impotentia coactionis quæ opponitur voluntario tollit rationem meriti & demeriti, non impotentia quæ est ex perfectione in bonitate vel malitia, quia hoc voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam ad unum.* Et paulo superius in eodem articulo: *Ad 2.* *Quod posse peccare pertinet ad laudem, est per accidens: in quantum ostendit opus quod laudatur ex necessitate* (id est, coactione) *factum non esse: sed quamvis removeatur à Christo potentia peccandi, non tamen ponitur coactio quæ voluntario contrariatur & laudis rationem tollit.* Et in distinctionem decimam-octavam ut explicaret quomodo Christus mereri potuerit per liberum arbitrium determinatum ad unum numero B scilicet ad diligendum Deum: *In 3. dist. 18. a. 2. ad 5.* *Dicendum,* inquit, *quod etiamsi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest: tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est actus sui Dominus.* Eandem suam mentem satis manifestè indicat scribens in distinctionem vigesimam-quintam secundi sententiarum, ubi dicit, *nunquam liberum arbitrium ad peccandum compelli seu cogi, quia tum sibi in peccatum non imputaretur.* *In 2. dist. 25 a. 4. ad 4.* Quasi indicans hoc sufficere ut in peccatum imputetur, quia non cogitur. Et in articulo sequenti: *Libertas à coactione & necessitate* (quam ibi pro iisdem habet) *per se & semper liberum arbitrium sequitur.* *a. 5. in corp.* *Unde in littera* (Magistri sententiarum) *dicitur, quod in omnibus invenitur, sine qua peccatum imputari non posset.*

Hinc septimo, cùm constans ejus doctrina sit liberum arbitrium esse respectu electionis, expresse tamen docet electionem Beatorum qua volunt amare Deum, esse liberam, & proinde in beatis esse liberum arbitrium: *Illud quod est ad finem est duplex: quoddam enim est distans à fine, & quoddam est coniunctum fini.* *In 2. dist. 25 a. 1. ad 4.* Quod declarat de calore disponente ad formam ignis & perfecto, qui non excluditur per formam: *Ita dico,* inquit, *quod quædam ordinata sunt ad finem ultimum beatitudinis, quæ ipsi fini coniungunt, ut videre, amare, & huiusmodi; & respectu horum erit sempiterna & libera electio, non autem imperfectorum, quæ à fine distant, ut fides, spes, & huiusmodi.*

CAPUT XXV.

Ioannes Scotus.

A SED nemo est veterum Scholasticorum post divum Bernardum, qui, quod sciam, evidentius, resolutius, constantiusque summam libertatem cum necessitate summa constare posse & reipsa constare docuit, magisque expresse eam quam exposuimus sententiam Augustini tradidit, quam ille totius Scholasticæ subtilitatis Coryphæus Ioannes Scotus. Usque adeo ut non mediocriter admiratus fuerim, cum omnibus quæ scripsi in hunc usque locum absolutis, tandem Doctorem illum quem nondum legeram, omniumque Scholasticorum remotissimum credideram ab illa doctrina sancti Augustini, fortissimum ejus defensorem, & ipsius Augustini interpretem esse deprehendi. Nam docet sine ambagibus quatuor articulos de libertate voluntatis.

Primus est ille capitalis, libertatem voluntati omnino consistere posse cum necessitate. B Hæc ejus verba sunt: *In quodlib. 16.* *De secundo articulo principali dico, quod cum necessitate ad volitionem stat libertas in voluntate.* Et auctoritatibus non solum Anselmi & Augustini dicentis, quod in futura vita liberius erit arbitrium cùm peccare non poterit, sed etiam efficacissimis rationibus prolixe probat. Causam vero & modum tradit, cur & quo necessitas consistat cum summa libertate, quia *voluntas propter firmitatem libertatis suæ, sibi-ipsi necessitatem imponit in eliciendo actum, & in perseverando sive figendo se in actum.*

Secundus est, voluntatem sive necessario A sive contingenter agat, semper agere liberè, nunquam naturaliter: *Voluntas semper habet suum modum causandi proprium, scilicet liberè.* Et rursum: *Voluntas ut voluntas est principium activum libere. Non magis igitur voluntas potest esse naturaliter activa, quam natura, ut est principium distinctum contra voluntatem, potest esse liberè activa.*

Tertius est, non solum in creaturis, sed & in ipso Deo hoc habere locum, quod & ipse diligat se-ipsum liberrima quamvis necessariâ voluntate, eodem prorsus modo quo Augustinus docet, Deum voluntate esse justum, & quamvis se negare non possit, esse liberum: *Voluntas divina necessario vult bonitatem suam, & tamen in volendo eam est libera.* Imo ex hoc ipso, quod Deus circa creaturas eligendas liber est, concludit necessario esse liberum ad amorem sui. Hinc est, quod locum illum celeberri- B mum ex libro quinto de Civitate Dei, ubi Augustinus contra Philosophos disputat de proprie dicta humanæ voluntatis libertate, & exemplum ex divina libertate petens dicit: *Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse est Deum semper vivere & cuncta præscire.* Eodem modo explicat sicut explicuimus, nempe Augustinum excludere necessitatem violentiæ, non autem aliam à divina voluntate, quia libere quantumvis necessario, diligit se, & illam esse vitam de qua loquitur. Cùm enim locum de præscientia explanasset, & ab ea necessitatem violentiæ exclusisset; *De qua,* inquit,

quit, *ait*, *etiamsi volumus efficit id quod potest*, de vita subjicit: *Sed difficilius est quod addit vitam & præscientiam. Sed ibi potest esse duplex responsio, una quod vita accipiatur ibi pro actu beatifico sicut accipitur vita Ioannis decimo-septimo: Hæc est vita æterna ut cognoscant te. Et sicut loquitur Philosophus*, duodecimo Metaphysicæ, *intellectus actus est vita. Et pari ratione actus voluntatis est vita: vita ista non cadit sub necessitate excludente libertatem etiam in Deo. Si autem intelligatur vita pro vita naturali ipsius Dei, tunc non debet intelligi de illa vita secundum se accepta, sed de ipsa ut a voluntate divina acceptata: potest autem aliquid esse bene in se necessarium & necessitate repugnante libertati, quamvis tamen sit libere imo contingenter acceptatum.* Quod exemplo liberè sese præcipitantis & semper liberè acceptantis casum jam necessarium illustrat.

Quartus est, connexionem terminorum istorum, voluntas semper agit liberè & non naturaliter, quantumvis necessario agat, tam esse immediatam & quasi primo-veram, ut nequidem ejus ratio dari possit, sicut nullius essentiæ ratio vel demonstratio dari potest: *Si quæras*, inquit, *quomodo stat libertas cum necessitate. Respondeo secundum Philosophum quarto Metaphysicæ, non est quærenda ratio eorum, quorum non est ratio. Demonstratio enim principij non est demon-*

A *stratio.* Et multis interpositis disputans de actu voluntatis necessario, & motu gravis deorsum, cur unus non alius sit liber, sic dicit: Respondeo: *illa causatio gravitatis est naturalis, illa libera, quia hoc est hoc, & istud est istud. Breviter igitur, posset dici quod esse forma & modus essendi, agere & modus agendi sunt immediata. Ideo sicut non est alia ratio quare hoc habet talem modum essendi, nisi quia est tale ens; sic non est aliqua ratio, quare hoc habet talem modum agendi, puta libere vel naturaliter, nisi quia est tale principium actionum, scilicet liberum vel naturale.* Nihil expressius & aptius excogitari potest ad explicandam Augustini mentem de libertate voluntatis, quam quæ in illa tota quodlibetica quæstione Scotus tradit. Nam hinc jam patet vera ratio cur Augustinus semper voluntatem & libertatem, arbitrium voluntatis & libertatem confundat, & naturæ opponere soleat, ut supra diximus, &

B ex omnibus ejus scriptis constantissimè pro iisdem illa usurpantibus manifestum est. Nempe quia voluntas est principium agendi distinctum contra naturam seu agens naturale. Ex quo fit ut impossibile sit voluntatem rationalem aliter agere, quam per modum voluntatis, hoc est, semper liberè non naturaliter: ut infrà latius dicturi sumus.

CAPVT XXVI.

Sanctus Bonaventura.

SANCTVS vero Bonaventura Magistri Sententiarum & Alexandri Præceptoris sui doctrinam accuratissimè docuit, & ad amussim diversis in locis suorum scriptorum expressit. Nam in secundum distinctione vigesima quinta sæpius clarissimèque docet, arbitrium esse liberum dictum, non libertate ab illa voluntaria necessitate, vel culpa, vel miseria, sed illa libertate necessitatis cogentis sive coactionis. Et ita ex professo exponit Magistrum Sententiarum & sanctum Bernardum non uno loco. Nam in explicatione textus Magistri triplicem distinguentis libertatem, à necessitate, à peccato, à miseria, sic divisionis illius rationem reddit: *Est considerare libertatem arbitrij quantum ad esse, & quantum ad bene esse. Si quantum ad esse, sic vocatur à Magistro, libertas a coactione,* (quod per necessitatem Magister intellexerit) *& à Bernardo libertas arbitrij, ab uno positive, ab altero privativè, si quantum ad bene esse &c.* Et ad explicationem textus alterius, quo Magister dicit libertatem ad malum esse etjam libertatem arbitrij: *Dicendum*, inquit, *quod cum nomen imponatur rei à proprietate quæ est sibi inhærens inseparabiliter & essentialiter, & libertas essentialiter liberi arbitrij non sit libertas a culpa, vel a miseria, sed libertas a coactione, ab illa liberum arbitrium habet denominari. Et quoniam hæc in creaturis, quantum est de se, indifferens est ad bonum & malum. Ideo Magister de hac intelligens dicit in littera, quod li-*

In 2. dist. 25. ad textum: Est namque libertatis &c.

Ad textum: Verum nobis magis placet &c.

A *bertas à qua liberum arbitrium denominatur liberum, non est libertas ad bonum tantum, sed etiam ad malum.* Qua de causa in explicanda Magistri & Bernardi sententia, dixeram solam esse libertatem à necessitate coactionis, quam æqualem in bonis & malis beatis ac damnatis ponunt. Nam & quæstione prima super textibus illis allegatis, ubi illa Magistri & Bernardi sententia excutitur, sic rem definit: *Ad prædictorum intelligentiam est notandum quod cum quæritur utrum liberum arbitrium sit æqualiter in omnibus, non est quæstio de ipso secundum quod dicitur liberum ea libertate, quæ est a miseria vel à culpa. Hoc enim modo planum est, quod liberius est in uno quam in alio. Sed est quæstio de libero arbitrio secundum quod dicitur liberum à coactione. Sic enim videntur autoritates sanctorum sibi invicem repugnare. Et propterea ad contrarietatem quæ videtur de medio diminuenda, intelligendum est quod liberum arbitrium sive libertas arbitrij, & dicit comparationem ad illud à quo,*

q. 1. in corp.

B *& ad illud ad quod. Per comparationem ad illud à quo dicitur privative sive negativè. Dicitur enim liberum à coactione pro eo quod est ab omni coactione immune. Per comparationem ad illud ad quod dicitur positive pro eo quod libertas arbitrij est quædam facultas sive potestas servandi rectitudinem. Hæc autem facultas prout privationi coactionis coniuncta est, habet quandam dignitatem. Dignitatis enim est & potestatis non posse cogi. Et sic in liberi arbitrij intellectu tria clauduntur videlicet & à coactione immunitas, excellentia dignitas, & potestas sive facultas.*

 Quantum

Digitized by Google

Quantum ad primum liberum arbitrium in omnibus in quibus est, æqualiter se habet, sicut dicunt auctoritates Bernardi, & ostendunt rationes ad hoc inductæ pro eo quod in omni in quo ponitur simpliciter & universaliter omnem excludit coactionem. Propterea dicit Bernardus quod ita plene est arbitrium liberum in creatura suo modo sicut in creatore. Quod etsi non possit intelligi veraciter esse dictum de aliquo quod dicitur per positionem, potest tamen intelligi de eo quod dicitur per omnimodam privationem. Quam Bernardi sententiam esse docet etiam quæstione quinta in argumentorum solutione, & quæstione quarta respondendo ad argumenta: *Impedimentum privat actum libertatis, sed coactio ponit actum liberi arbitrij & simul cum hoc ponit, quod non sit libertatis, & illa sunt incompossibilia, sicut si poneretur aliquis actus esse voluntatis & non esse voluntarius.* Et quæstione quinta qua quæritur utrum liberum arbitrium cogi possit à Deo, respondet: *Illud potest intelligi dupliciter, aut ita quod intelligatur quod possit auferre libertatem, & auferendo libertatem superinducere coactionem, & hoc modo nulli dubium esse debet quin Deus possit hoc facere quantum est de immensitate suæ potentiæ. Alio modo ut intelligatur quod Deus cogat liberum arbitrium salva proprietate libertatis & eius natura, & hoc modo non solum est impossibile sed etiam non intelligibile pro eo quod implicat in se duo contradictoriè opposita. Ex hoc enim quod liberum arbitrium est, si aliquid vult liberè vult. Et ex hoc quod voluntarium est si aliquid vult voluntariè vult: & seipso movente vult. Ex hoc autem quod cogitur, si aliquid vult serviliter vult, & si quid vult invitè vult, & si aliquid vult ab alio vult, quia violentum est cuius principium est extra, nihil conferente vim passo. Ergo liberum arbitrium cogi non est aliud quam actum liberum arbitrij simul & semel esse liberum & servilem, esse voluntarium & non voluntarium, esse à se & non a se.*

Dist. 25. q. 4. in solut. argument.

Ex istius constantis doctrinæ principijs docet consequenter sanctus Bonaventura, necessitatem solius coactionis repugnare libertati, non autem illam quæ est voluntaria, quantumcunque sit immutabilis. Nam in secundum librum sententiarum scribens de liberi arbitrij immutabilitate quæstione secunda: *Ad illud*, inquit, *quod obijcitur quod liberè velle & necessario opponuntur, dicendum quod duplex est necessitas quædam à causa extrinseca utpote necessitas coactionis: & hæc opponitur ei quod est liberè velle Quædam vero est à dispositione intrinseca & hæc huic non opponitur: imo stat simul cum libertate. Talis est in libero arbitrio dæmonum qui ita conglutinant sibi malum ut nullo modo velint ab eo separari.* Et quæstione tertia qua quæritur, utrum confirmatio (scilicet beatorum) vel obstinatio diminuat libertatis dominium, quia confirmatus dicitur habere necessitatem, sic rem definit: *Respondeo dicendum quod necessitas immutabilitatis ad bonum nullo modo repugnat libero arbitrio, nec in quantum liberum à coactione, quia coactio est ab extrinseco, nec in quantum liberum à culpa vel miseria, & ideo non diminuit. Illa ergo propositio solum habet veritatem de necessitate coactionis vel pronitatis ad malum.* Et distinctione vigesima quinta quæstione secunda: *Liberum arbitrium dupliciter potest considerari: aut secundum quod liberum, aut secundum quod deliberativ. Si loquamur de ipso secundum quod liberum, sic concedo quod potest esse non solum respectu contingentis sed etiam necessarij, sicut patet in Deo, & in Christo, & in Angelis, & in hominibus beatis. Cùm enim duplex sit necessitas videlicet coactionis & immutabilitatis, Necessitas coactionis repugnat libertati arbitrij, Necessitas vero immutabilitatis, non, pro eo quod liberum arbitrium dicitur liberum, non quia sic velit hoc ut possit velle eius oppositum sed quia omne quod vult, appetit ad sui-ipsius imperium, quia sic vult aliquid ut velit se velle illud; & ideo in actu volendi seipsum movet & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.* Et paulo inferius: *Actus liberi arbitrij ut liberum est non solum potest esse circa necessarium, sed etiam necessarius in se.* Et hoc sensu vult locutum esse Augustinum cum dixit in Enchiridio, quod homo male velle non poterit, nec tamen carebit libero arbitrio; & quod voluntas qua beati esse volumus, sit voluntas libera. Imo admittit actum voluntatis necessarium, esse meritorium, quia qui fecit bonum, vult se fecisse. Et in tertium Sententiarum ad distinctionem duodecimam, quæstione, utrum Christus peccare potuerit, sic solvit objectionem, quod nemo esset laudabilis in his quæ facit de necessitate: *Dicendum*, inquit, *quod est necessitas quæ repugnat voluntati, sicut necessitas coactionis quæ venit ab extrinseco. Et est necessitas quæ venit ex voluntatis immutabilitate. Cùm ergo dicitur quod laus non est in operibus necessitatis, dicendum quod verum est de necessitate primo modo dicta, sed non de secundo.* Quibus similia dicit distinctione decima octava quæstione secunda, potentiam videlicet determinatam ad unum non per naturam, ut sunt potentiæ naturales, sed per gratiæ confirmationem, ut in Christo contigit, posse exire *in actum meritorium, quia esset voluntarius*. Sed quid multis? Omnes penè quæstiones quas in vigesimam quintam distinctionem secundi Sententiarum scripsit, nihil aliud spirant quam veram rationem liberi in eo sitam esse, quod liberum arbitrium expers est cogentis, non immutabilis & voluntariæ necessitatis.

In 2. dist. 7. q. 2.

Quæst. 3.

In 2. dist. 25. q. 2.

In 3. dist. 12.

CAPUT

CAPVT XXVII.

Henricus à Gandavo.

HENRICVS à Gandavo multa tradit in quibus vestigia doctrinæ ab Augustino traditæ manifestè lucent, dum libertatem arbitrij ex illo considerari vult, quod coactionis impatiens est, sed delectabiliter in actum suum prodit: *Potest*, inquit, *liberum arbitrium duplici respectu considerari. Vno videlicet in quantum respicit voluntatem ut elicientem actum volentem; alio in quantum respicit obiectum ut terminum eius. Et secundum utrumque respectum iudicanda est ipsa arbitrij libertas, sed essentialius secundum primum: quia est dispositio voluntatis ut subiecti, licet in respectu ad obiectum, in quantum tendit in ipsum per suam actionem. Si ergo consideretur liberum arbitrium in primo respectu, sic dico quod voluntas dicitur liberum arbitrium, quia absoluta est ab omni coactione ipsam impediente & contristante in sua actione. Voluntas enim omnis ut liberè tendit in suam actionem, delectabilis est: necessitas coactionis contristans, quia est contra voluntatem, & omne quod cogit, necessario est contristabile ut dicit commentator super quintum Metaphysica. Et hoc modo homo & omnis rationalis & intellectualis natura liberi arbitrij sive liberæ voluntatis est, quia voluntas rationalis cogi non potest, coactione dico impellente iuxta illud quod dicit Anselmus de concordia prædestinationis &c. voluntatis arbitrium ut rectitudinem deserat, nulla cogitur necessitate, quamvis mortis impugnetur difficultate.* Hanc impellentem coactionem mox distinguit contra inducentem, qualis est metus, qui est coactio secundum quid. Et mox adijcit: *Tali voluntate liberi arbitrij utentur beati qui cum desiderio & amore volunt quidquid volunt, non aliqua* A *coactione, quia illa necessario esset contristans: neque enim aliquo impulsu naturali, vel supernaturali, sed sola allectione boni voluntas fertur in id quodcumque volet.* Et multis interiectis, cum docuisset in Deo & beatis esse liberum arbitrium, etsi peccare non possent. *In hoc*, inquit, *consistit ratio libertatis quod nulla coactio potest impedire quin in bonum vergat si volet, nec in hoc solo, sed quod non impetu naturæ præcedente motum voluntatis, & voluntatem in actum impellente vult homo quæ vult & quæ appetit, quemadmodum appetunt bruta; sed desiderio & complacentia voluntatis præcedente, & naturali impetu voluntatem concomitante. Voluntas enim est instrumentum seipsum movens in obiectum bonum tanquam primum principium motus &c.* Et paulo post: *Et per hunc modum patet, quomodo voluntas erit liberrima in beatis, ubi natura omnino erit obediens bonæ voluntati, quæ proprio desiderio & complacentia naturalem impetum naturæ liberè trahet* B *in finem suum: à quo quia in se continet omnem rationem omnis boni, propter naturam concomitantem nullo modo potest se divertere &c.* Quod autem ibidem multa dicit de indifferentia voluntatis, ea intelligit de voluntate deliberativa respectu eorum quæ sunt ad finem, sive prout consultationem sequitur, quemadmodum ipse satis clarè significat alio in loco. Sed talis indifferentia non requiritur in appetendis omnibus bonis, neque ad voluntatis libertatem, sicut ipse expresse docet quodlibeto duodecimo quæstione vigesima sexta, ubi dicit quod voluntas respectu finis omnis boni rationem continentis *movetur ex se libertate & immutabili necessitate.*

Henricus quodlib. 3. q. 17.

quodlib. 3. q. 17.

quodlib. 11. q. 21. & quodl. 12. q. 26.

CAPVT XXVIII.

Richardus de Media Villa.

NEC postremus est in hac doctrina asserenda Richardus de Media Villa, coætaneus Henrico à Gandavo. Docet enim multipliciter arbitrij libertatem in eo sitam esse, quod sit liberum omnino à coactione, & hoc divum Bernardum & Magistrum, dum libertatem à necessitate asserunt asseruisse. Nam in secundum distinctione vigesima quinta articulo secundo quæstione prima sic loquitur: *Liberum arbitrium liberum est ab aliquo, & ad aliquid. Primo modo secundum Bernardum de libero arbitrio longè post principium, triplex est liberi arbitrij libertas scilicet à necessitate cogente, à culpa inclinante, & à miseria impellente: quam etiam distinctionem ponit Magister in littera, & sicut dicit Bernardus ibidem: inter has tres libertates, libertas à necessitate cogente, maximè convenit libero arbitrio; & secundum ipsum ibidem libertatem à necessitate contulit nobis in conditione* A *natura &c.* Et ibidem quæstione secunda: *Libertas arbitrij coactione absoluta est inamissibiliter ubicumque est, hæc enim libertas essentialis est libero arbitrio. Libertas vero accidentalis, quæ est à servitute peccati, amissibilis est &c.*

Richard. de Media Villa in 2. dist. 25. a. 2. q. 1.

Ibid. q. 2.

Secundò, hinc consequenter docet nullam creaturam posse auferre liberum arbitrium, quia non potest illud cogere: *Libertas arbitrij consequitur naturam ipsius animæ intellectivæ vel ipsius Angeli: fundatur enim immediate in natura rei cuius est. Illud ergo quod non potest transmutare naturam rei habentis liberum arbitrium, non potest sibi auferre liberi arbitrij potestatem, neque simpliciter neque ad tempus: sed nulla creatura potest naturam rei transmutare in qua immediatè fundatur libertas arbitrij &c. Et ex consequenti nec ab ea auferre liberi arbitrij potestatem: sed libertas & cogibilitas opponuntur, ergo liberum arbitrium non est cogibile ab aliqua creatura.* Et rursum paulo post: *Cogere liberum*

Art. 4. q. 2.

Digitized by Google

liberum arbitrium esset auferre liberi arbitrij potestatem; quia potestas liberi arbitrij fundatur in natura rei cum est immediate, usus autem eius in nobis dependet etiam ex corporis dispositione.

Hinc tertio docet, omnes omnino actus humanos, id est, qui sunt hominis ut homo est, c. 3. q. 1. esse actus liberi arbitrij: *Omnes*, inquit, *actus humani sunt actus liberi arbitrij quia omnes actus humani aut à libero arbitrio eliciuntur aut imperantur: quia non omnes actus qui sunt in homine, actus humani dici debent propriè loquendo, sed tantum illi qui sunt hominis ut homo est: sicut sunt actus intellectus & voluntatis* &c.

Quarto consequenter docet, etiam actus qui versantur circa finem esse liberos, quamvis non eliciantur deliberatione praecedente: c. 3. q. 2. *Nostrum liberum arbitrium & est liberum in quantum per ipsum possumus liberè velle: & deliberativum in quantum per ipsum possumus liberè consiliari: Et est defectibile in quantum est ex nihilo. Si consideretur in quantum est liberum sic omne bonum est objectum eius, quia per ipsum possumus omne bonum liberè velle, etiam finem loquendo de libertate à coactione: quamvis finem in generali velimus naturali necessitate, quia in volendo finem voluntas sine coactione movet se*, & quia nullus actus humanus est ultimus finis, hinc consequenter, quemadmodum & sanctus Thomas,

Docet quinto, esse electionem respectu eorum, quibus manent beati conjuncti fini: c. 3. q. 2. ad 6. *Etsi in beatis non sit electio respectu eorum quae sunt ordinata ad finem, in quantum sunt, ducentia ad finem distantem, tamen eligunt perseverare in illis bonis, sine quibus non possent manere coniuncti cum fine.* Vnde alibi tractans verba Bernardi quibus dicit: *Voluntas pro sui ingenita libertate nulla cogitur necessitate*, cùm tamen Angeli de necessitate velint bonum, ideoque nec liberi esse videantur, respondet; *quod Bernardus ibi loquitur de necessitate coactionis, illa autem necessitas qua Angeli non diligant nisi bonum, non est necessitas coactionis, quia non obstante illa necessitate liberrimè motu delectationis movent se. Et simili ratione docet quod obstinatio libertatem à necessaria coactione non tollit, nec minuit: sed obstinati* (daemones) *per suum liberum arbitrium ad malum movent se liberè.* Et ita concludit manere liberum arbitrium. In 2. dist. 7. q. 2. a. 2. & 3.

Sexto conformiter tradit necessitatem quae est ex perfectione bonitatis non tollere rationem meriti, dum modo absit coactio. Nam de impeccabilitate Christi disputans, cum proposuisset hoc argumentum, quod peccatum & meritum sint voluntaria; nullus autem peccet in eo quod vitare non potest & proinde quod nec mereatur Christus in declinando malum quod facere non potest, sic respondet: *Dicendum quod quamvis necessitas coactionis tollat rationem meriti vel demeriti, necessitas* In 3. dist. 12. a. 2. q. 1. ad 4. *tamen quae est ex perfectione bonitatis non tollit rationem meriti in viatore.* Haec omnia Richardus, quibus apertè sentit necessitatem illam voluntariam, utpote quae ex plenitudine volendi proficiscitur, non tollere vel libertatem arbitrij vel rationem meriti vel demeriti.

CAPUT XXIX.

Thomas de Argentina.

EAMDEM doctrinam verbis perspicuis tradidit Thomas ab Argentina in diversis locis. Nam in distinctione vigesima quinta secundi Sententiarum In 2. dist. 25. a. 1. articulo primo sic scribit: *Potentia quae est essentialiter libera aliquo modo est sui ipsius motiva, sed voluntas est essentialiter libera ut inferius intendo declarare distinctione trigesima octava.* Et inferius articulo quarto concludit, Deum posse immutare liberum arbitrium, non tamen cogere, quia contradictionem implicat: esset enim involuntarium & voluntarium, nolitum & volitum: art. 4. *Et hac est intentio*, inquit, *Bernardi in libro de libero arbitrio, ubi ait voluntas pro ingenita nobilitate, nulla cogitur necessitate.* Et ibidem ad argumentum respondet; *Deus non potest cogere liberum hominis arbitrium, eo quod non sit capax coactionis. Nam eius coactio esset contradictionis implicatio: quia coactum non est liberum. Igitur si liberum arbitrium cogeretur, tunc idem esset liberum & non liberum.* Et in distinctionem trigesimam octavam articulo primo: Dist. 38. a. 1. *Illa potentia est principaliter libera quae nullo modo potest cogi, seu libertate privari: sed sola voluntas sic est libera, quod necessitati nullatenus potest necessitate coactionis: quia secundum Bernardum in libro de libero arbitrio, voluntati datus est intellectus, ut illum instruat, non ut destruat, destrueret autem si ei ullam necessitatem imponeret.* Et in tertium distinctione duodecima objicit libertati Christi, quod sicut nemo peccat ita nec meretur in eo quod vitare non potest. Respondet autem, *quamvis necessitas coactionis tollat rationem meriti, necessitas tamen immutabilitatis proveniens ex perfectione virtutum non tollit rationem meriti sed auget.* In 3. dist. 12. Et distinctione decima octava articulo tertio adversus meritum Christi sibi opposuerat, quod Christus in omni actu suo determinatus esset ad bonum, & proinde non magis mereri posset, quam agens naturale determinatum ad unum. Respondet autem; *Agens naturale non prohibetur à merito ex hoc quod est determinatum ad unum, sed* In 3. dist. 18. a. 3. *ex modo determinationis, puta quod necessario & non voluntariè tendit in illud unum. Sed Christus & quilibet in gratia confirmatus, licet determinatè tendat in bonum, tamen voluntariè & liberè tendit in ipsum. Huiusmodi enim determinatio non minuit voluntatem & libertatem sed potius auget & ideo talis determinatio non repugnat merito.*

Digitized by Google

CAPUT XXX.

Dionysius Carthusianus.

DIONYSIUS Carthusianus, quamvis temporibus nostris longè propinquior, satis luculentè ostendit in eadem illa veterum scriptorum sententia se fuisse. Nam in commentarijs in secundum distinctione vigesima quinta quæstione quarta ita loquitur: *Quatuor sunt status libertatis seu liberi arbitrij in homine. Vnus ante peccatum, secundus sub peccato, tertius sub gratia, quartus in gloria. Atque in omnibus his judicio meo, libertas à coactione seu necessitate, æqualiter manet in homine propter libertatem voluntatis, quam si homo amitte-* A *ret, peccatum eius non esset peccatum.* Et paulò post, ad quæstionem qua quærebatur, utrum homo peccet coactè & necessario, quia non potest non peccare, respondet: *Si quis habeat plura deprimentia ad peccandum, & nihil elevans contra ea, necesse est quod deprimentia vincant & faciant eum labi deorsum. Ita est in libero arbitrio, gratiam elevantem non habente, sed propriam infirmitatem & culpam trahentem inferius, tamen non cadit nisi electione propria voluntatis, non necessitate coactionis. Ideo dicit Gregorius, peccatum quod per pœnitentiam non deletur pondere suo mox trahit ad aliud.*

Dionys. in 2. dist. 25. q. 4.

In 2. dist. 25. q. 4.

CAPUT XXXI.

Marsilius de Inghen.

MARSILIUS etiam ex professo doctrinæ sancti Bernardi & Magistri insistit. Nam in quæstione decimâ sexta super secundum Sententiarum articulo secundo sic loquitur: *Cum Magister dicat distinctione vigesima quinta triplicem esse libertatem scilicet à necessitate, à peccato, & à miseria, vocans libertatem à necessitate libertatem à coactione &c. De sola libertate quæ est à necessitate est principaliter ad præsens, & est materia præsentis articuli. Vbi primo est notandum quod libertas creaturæ rationalis est ipsamet creatura, ut libertas Angeli est ipse Angelus. Quod patet quia solo Angelo remanente omnibus alijs ab eo seclusis, maneret ipse liber: & non esset tunc liber per libertatem superadditam, cum omnia alia sint seclusa. Ergo est liber libertate quæ ipse est: sequitur enim libertas essentiam creaturæ rationalis. Sed rationabiliter quæritur utrum sic libertas hominis sit homo? Ad quod, (quia quid nominis est) dicitur communiter quod libertas hominis est sua voluntas quæ per suam essentiam libera est: quia sicut non stat essentiam Angeli remanere sine libertate ita nec essentiam voluntatis.* Mox docet, libertatem dici analogicè de Deo, Angelo, & homine, quia Deus liber est simplicitate sine actibus superadditis; Angelus est sua libertas, sed cum actibus superadditis; homo non est sua libertas, sed anima vel voluntas ejus; ac deinde varios libertatis modos distinguit juxta varios hominis status.

Marsil. in 2. q. 16. a. 2.

Et in eadem distinctione decima sexta articulo quinto, succinctis conclusionibus suam de libertate sententiam exprimit. Prima propositio: *Libertas voluntatis non attenditur penes hoc quod potest deficere sive peccare. Patet quia tunc Deus non esset liberæ voluntatis, quia utique peccare non potest.*

Ibid. a. 5.

Secunda *nec libertas voluntatis attenditur penes hoc quod omne quod potest velle, possit perficere. Patet quia potest velle quod est supra se ut suum suppositum esse Papam vel Regem. Vnde Philosophus tertio Ethicorum ait, voluntas est impossibilium, sed non* A *electio.*

Tertia, *nec libertas creatæ voluntatis attenditur penes hoc quod non possit immobilitari in bonum vel in malum. Patet ex dictis in tertio articulo quæstionis quintæ huius secundi: quia completo statu in eo in quo finaliter se posuit, de lege communi immobiliter perseverat &c.*

Quarta. *Nec libertas, ut æstimo, in hoc consistit quod ultimum finem beatificum clarè visum de lege communi possit non velle: sicut beatitudinem suam clarè visam non posset non appetere. Et de hoc dictum fuit in secundo articulo &c.*

Quinta, *videtur quod naturaliter libertas sit sua essentia. Hæc est prius posita in primo notabili secundi articuli.* Et statim adjicit de libertate viæ & de potentia Dei ad auferendam libertatem, nempe *quod non sit possibile ut voluntate remanente Deus eius libertatem auferat, quia ut dictum est, voluntas est sua libertas.*

B Ex his perspicuum est, quid sentiat Marsilius de libertate essentiali voluntatis, tum angelicæ, tum humanæ. Nam quod diversos libertatis status exponat, quæ vel in via, vel in patria aliud postulant, non repugnat generali illi doctrinæ, sicut infrà declaraturi sumus. Quemadmodum enim in viatoribus postulat indifferentiam, ita in beatis admittit necessitatem. Et cum objiceretur ex Philosopho tertio Ethicorum, quod de necessarijs nullus laudaretur vel vituperaretur, Christus autem in omni bono opere tam impeccabilis, fuisset necessitatus, distinguit triplex necessarium. *Primo quia coactum & in hoc nullus meretur. Secundo quia à natura inexsistens sic quod aliter fieri nequit, sicut gravis inclinatio ad deorsum, & hominis inclinatio in scire per intellectũ, & in bonum per affectum, & in talibus homo etiam non meretur. Tertio modo dicitur necessarium, quia inevitabile, non tamen per naturam, sed per gratiam in bonum confirmantem. Et hoc contingit generaliter in comprehensoribus.* Et statim declarat quod Christus opera bona quæ fecit, fecit necessitate inevitabilitatis,

In quæst. 12. super 3. sent. art. 2.

Digitized by Google

tis, per gratiæ plenitudinem eum in bonum confirmantem, & quod fuerit simul viator. Philosophus autem in tertio Ethicorum loquitur de necessario primo vel secundo modo dicto. De talibus enim necessarijs nullus laudatur.

CAPVT XXXII

Nicolaus de Orbellis & Stephanus Brulefer

Nicolaus de Orbell. in 2. dist. 25.

NICOLAVS de Orbellis commentario in secundum sententiarum distinctione vigesima quinta: *Dicitur liberum arbitrium simpliciter non quod sic velit hoc ut possit velle oppositum, sed quia omne quod vult, appetit ad sui-ipsius imperium, quia sic vult aliquid ut velit se velle illud, & ideo in actu volendi seipsum movet & sibi dominatur; & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.*

Stephanus Brulefer commentator Magistri Sententiarum ex ordine Seraphico, scribens in secundum distinctione vigesima quinta quæstione octava: *Actus liberi arbitrij deliberantis quamvis possit esse circa necessarium, semper est contingens. Actus vero liberi arbitrij ut liberum est, non solum potest esse circa necessarium, sed etiam necessarium in se.* Et quæstione septima non nisi tria vult includi in libero arbitrio, *immunitatem à coactione, excellentiæ dignitatem, & potestatem.* Quantum ad primum esse æqualiter in omnibus in quibus est, *sicut dicit Bernardus*, inquit, *in libro de libero arbitrio. Manet libertas arbitrij tam plena in beatis &c.*

Steph. Brulefer. in 2. dist. 25. q. 8.

Petrus Capulleius Episcopus Conversanus Ordinis Seraphici scribens in secundum Sententiarum sancti Bonaventuræ: *Quædam sunt ordinata ad finem beatitudinis quæ ipsi ultimo fini beatitudinis coniunguntur, ut videre & amare, & respectu horum est sempiterna & libera electio: alia autem sunt imperfecta, eo quod ab ultimo fine distant, ut fides & spes, & hæc excluduntur nec est sempiterna electio respectu horum.*

Petrus Capul. in 2. dist. 7. in a. 1. q. 1. post. 11.

CAPVT XXXIII.

Gabriel.

Gab. in 3. dist. 18. a. 3.

GABRIEL in tertium scribens distinctione decima octava articulo tertio expresse docet, actum beatificum esse posse meritorium, si ad hoc solum à Deo acceptetur. Quod autem obijcitur de libertate beatificæ dilectionis, respondet; *Negetur quod actus beatitudinis sit simpliciter necessarius, quia sive sit immediate à Deo, sive elicitus a voluntate est liberè elicitus & ita contingens. Est tamen immutabilis & perpetuus, contingenter non necessario, quia à voluntate divina perpetuo conservatur, cuius certitudinem habet beatus per divinam revelationem. Est ergo beatitudo immutabilis, quia non mutabitur. Non autem immutabilis id est impossibilis mutari. Posset enim Deus eam mutare de potentia absoluta.* Hæc est ergo contingentia quam in ea Gabriel ponit per potentiæ externæ considerationem. Et ibidem docet, quod *voluntas per actum beatificum liberè, complacenter tendit in obiectum beatificum licet non liberè contradictoriè, & hæc libertas sufficit ad rationem meriti.*

Hæc arbitror, aliaque plura, quæ si res ita posceret, proferri possent satis evidenter ostendunt, quid primi Scholastici de doctrina Magistri Sententiarum, Hugonis, Richardi, imprimisque Bernardi, & Augustini à quibus eam didicerant, judicaverint. Passim enim inculcant, libertatem ab illa necessitate quam Magister explicat, hoc est, coactione, à vera arbitrij libertate repellendam esse, nihil omnino solliciti, utrum voluntas immutabili firmitate quippiam velit. Nec aliam omnino libertatem plerique cum illis antecessoribus suis agnoverunt, nisi illam triplicem, à necessitate coactionis, à peccato, à miseria, quarum duas posteriores, velut spurias respectu libertatis generalis, quæ communis est bonis & malis, abjecere. Neque esset difficile ostendere quibus gradibus ab illa doctrinæ face paulatim deflexum est, dum quidam cœperunt primo liberum arbitrium distinguere in liberum & liberativum; tum alij libertatem respectu finis imminuere, alij deinde prorsus tollere: alij respectu mediorum, mox indifferentiam urgere; alij denique nullam libertatem, nisi illam agnoscere. Quod usque adeo verum est, ut eosdem omnino Scholasticos nonnullos veteres videre liceat, initio ad amussim cum Magistro sentientes, imo longè audacius & apertius illius sensa promentes quam ipse prompserat, deinde sub finem vitæ in alterum extremum, quamvis nonnihil vacillando vergentes. Quæ sane posteriorum scriptorum declinatio, multoque magis præcedentium improbatio, evidentissimo argumento est, aliam doctrinam à posteris tradi, quam à majoribus accepta fuerit. Sed quia non sine magna ratione credendi sunt declinasse, operæ pretium me facturum puto, si paulisper præcipua eorum argumenta excussero, & Bernardi, imo & Scholasticorum veterum verbis & sensu solvero, vel soluta demonstravero.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXIV.

Solvuntur generaliter Scripturæ, Patres, & Concilia quæ requirunt indifferentiam ad utrumlibet.

Eccles. 15. PRIMO igitur objiciuntur Scripturæ sacræ quæ dicunt, *Deus reliquit hominem in manu consilii sui, adiecit mandata & præcepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit dabitur illi.* Vbi Scriptura satis explicat quid sit esse in manu consilii, cum dicit hominem si voluerit mandata servare, & consequenter non servare si noluerit. Rursum ex duobus oppositis vita & morte, bono & malo, eligere posse quod placuerit. Ergo in homine est libertas & contrarietatis & contradictionis, & non sola libertas à coactione. Idem convincunt omnia mandata, quibus aliquid vel jubetur vel vetatur. Significant enim hominem ad utrumvis posse flecti, ad bonum ad malum, ad agendum, ad abstinendum. Quibus consentanea Patres omnes clamant, indicantes passim hominem posse quæ jubentur facere & non facere, ut visum fuerit, & habere ut Nazian- *In Apolog.* zenus, *τὰ ἐπ' ἄμφω τῆς αὐτεξουσίου κινήματα, in utramque partem liberi arbitrii motus.* Neque *In Psal. 2* Deum homini *necessitatem* ut Hilarius *in alterutrum affigere.* Loca plura non est opus operosè proferre. Nam ex hujus unius argumenti solutione facile patefiet quid de ceteris dicendum sit.

Itaque respondeo argumentum esse verissimum, quod ab ipso Augustino, Damasceno, Bernardo, & ceteris non solum admittitur, sed velut Catholicæ fidei immobilis basis adversus Manichæos aliasque pestes veritatis & libertatis inimicas invictissimè defenditur, ac defendi debet. Verum ad propositum nostrum nihil facere facilè videt, quisquis oculos habeat, quibus apertas veritates videat. Quis enim nesciat Scripturas istas ac similes de viatorum hominum libertate loqui? Illi quippe sunt quibus præcipitur bonum ac vetatur malum: illi sunt quibus ignis & aqua, vita & mors apposita sunt, illi sunt qui parem in utramque partem habent voluntatis motum: illi denique qui possunt præcepta facere & non facere, servare vel trasgredi. Sed sicut ex istiusmodi Scripturæ testimoniis perperam concluderetur, ergo Deus libero arbitrio caret; ergo Angeli, ergo beati homines, ergo dæmones libertatis expertes sunt, ergo ipse Christus Dominus, dum in via ad patriam tenderet, libertate caruit; cum neque beati, neque Christus Dominus præcepta transgredi possit aut potuerit, nec Deus eligere malum, nec dæmones bonum: ita neque rectè concluditur, actum rationalis voluntatis solius coactionis expertem, non esse liberum. Inter actum quippe liberum & statum libertatis per magna differentia est. Aliter Deus, aliter Angeli viatores & primus homo, aliter beati, aliter damnati, aliter homines reparandi, aliter Christus Dominus in via constitutus liber fuit. Nec ullo pacto quæ in uno statu libertatis adsunt aut etiam requisita sunt, ad alterum extendenda sunt. Hominum igitur viatorum non solum coactionis expertem esse libertatem sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumque indifferentem esse cum Scripturis, Augustino, & Patribus, & Catholica fide fatemur perlibenter: sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrii libertatem iidem Patres pernegarent. Neque enim quisquam spero ita desipuerit, ut hominem etiam viatorem libertatem amissurum putaret, si liberrima & liberatrice charitate in humanum liberaretur & firmaretur arbitrium, ut quod beatis jam in præmium retributum est, in hac vita constitutus amplius jam peccare non posset. Ex alio igitur capite quam ex natura libertatis, oritur indifferentia ad agendum & non agendum, item q; ad bonum & malum. Nam quamvis istud certissimum in creatura rationali libertatis indicium sit, non tamen libertatis est causa vel ratio. Et propterea adesse vel abesse potest voluntatis arbitrio, sine dispendio libertatis. Deus quippe (ut prætermissis Angelis tam beatis quam damnatis, de re notissima duntaxat loquar) juxta Catholicam fidem est liberrimus, qui tamen nec malum unquam eligere, neque ab eligendo bono, quod ab æternitate sibi eligendum præfixit, ullâ mutatione desistere potest: ne vel imprudens videatur id eligendo, quod postea propter alias non prævisas rationes mutandum esse judicaret, vel certè inconstans ac levis, sine nova ratione respuendo quod semel prudenter elegisset. Quid si hoc ipsum igitur Deus, quod sibi per naturam competit, angelicis humanisque voluntatibus per gratiam tribuere velit, ut propter similem licet imparem lucis illustrantis magnitudinem, non sinantur novas rationes electionis mutandæ cernere, nec propter prudentissimæ voluntatis constantiam sine ratione mutare, quod sibi semel & semper sine ulla cessatione diligendum elegerant? Quis, quæso, nisi iniquus rerum apertarum judex, non eos tanto in illa electione liberiores putet, quanto propius ad illam immobilem firmitatem divinæ libertatis & electionis accesserint? Vt propterea meritò dixerit S. Thomas, quod *respectu amare, erit in beatis sempiterna & libera electio*, atque inde *In 2. dist. 25 q. 1. art. 4.* concluserit in eis esse liberum arbitrium. Quapropter liberum arbitriū in omnibus, sive beatis, sive damnatis, sive viatoribus; sive Deo, sive creatura, vniformem libertatis rationem

obtinet,

obtinet, etsi difformem statum. In Deo per naturæ constantiam, in beatis per gratiæ beneficium ad bonum semper determinatum est, in damnatis ad malum, cùm tamen neutris quicquam de illa libertate, à qua dictum est liberum arbitrium detrahatur. Rursum in Angelis & primo homine viatore indifferentissimum fuit ad bonum & malum; in hominibus lapsis viatoribus itidem indifferens, sed longe minus; utpote qui vident aliam legẽ in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem eos in lege peccati. In Christo Domino viatore nullo pacto ad malum flecti potuit: ita fit ut liberum arbitrium pro naturæ cujusque, vel ordinis divinitus instituti, vel meritorum diversitate, diversum statum sortiatur, in quo ad diversa actionum genera potens, promptum & expeditum fiat, citra tamen ullam ipsius liberi, seu formalis rationis libertatis varietatem. Eadem quippe ratio libertatis in omnibus istis actionum & cessationum generibus dominatur, sive voluntas ita in alteram partem fixa sit, ut non possit velle nisi vel tantum bonum; vel tantum malum, vel ita indifferens, ut adhuc in utramque partem flecti queat. Hoc est enim in omnibus liberum *quod habent in sua potestate*, hoc est, *quod fit cùm volunt*, sive sit bonum duntaxat, sive malum, sive utrumlibet, sive sit ad agendum, sive ad cessandum, sive ad utrumlibet. Fortitudo enim & amplitudo liberi arbitrij peccatis aut benefactis ita amitti potest, ut quædam actionum & voluntatum genera non possit, quæ ante poterat, aut possit quæ ante non poterat, atque ita ad plures actiones extendatur aut contrahatur: ipsa tamen libertas arbitrij amitti non potest, quamdiu vigente rationis consideratione, vel bene, vel male tantum, vel utrumque facere potest. Quamobrem quando Scripturæ, vel Patres, vel Concilia indifferentiam illam agendi boni & mali, & arbitrij flexibilitatem ad utramlibet partem urgent, aut judicant, aut provocant, per quam videlicet possimus si volumus benè vel malè vivere, velle vel nolle, divinæ inspirationi liberè consentire, eamq; abijcere, Deo vocanti consentire vel dissentire, certum liberi arbitrij statum respiciunt, cui hujusmodi flexibilitas propria & semper præsto est, non autem quasi continuo non esset liberum quicquid hujusmodi flexibili in utrumlibet potestate caret. De quibus tamen locutionibus alibi, cùm ad concordiam gratiæ & liberi arbitrij ventum fuerit, plura dicturi sumus; quo videlicet pacto hoc ipso veræ sunt, quatenus etiam tum cum alterum eorum facit, potest non facere, quantumvis ad alterutrum, sive per gratiam, sive absente gratiâ per concupiscentiâ determinetur.

Vide lib. 8. de gra. Chri. Salvat. cap. 11. & 12.

Difficultas quæ moveri posset, quod ista doctrina Patrum Calvini opinioni concinat, oportunius etiam reservabitur alteri loco, ubi gratiæ concordia cum libero arbitrio, juxta sancti Augustini principia demonstranda est.

Vide ibid. cap. ultim.

CAPUT XXXV.

Actus voluntatis deliberatæ necessarius, est in potestate & dominio voluntatis.

SED potissimum hic difficultatem facit, quod actus illius voluntatis, qui solâ libertate à coactione liber fuerit, non videamur esse domini, nec eum habere in nostra potestate, quod ad actum liberum omnino necessarium est. Nam ut Augustinus de libera voluntate dicit: *Nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas sita est.* Quo vero pacto intelligi potest, quod illum actum in nostra potestate habeamus, & ejus domini simus, à quo propter volendi necessitatem abstinere non possumus? Illius quippe Domini videmur duntaxat esse, quod facimus, & non facimus, quando lubet. Accedit quod in hujusmodi actu potius agi quàm agere videamur. Hoc autem repugnare libertati arbitrij extra controversiam est. Omnium enim Doctorum judicium est, voluntatem liberam se-ipsam agere & movere, & in hoc à brutis, pueris, insensatis, agens liberum distinguitur. Prima hujus objectionis pars nonnullis antiquioribus Scholasticis qui illum Augustini locum citaverunt, hallucinandi causa fuit, posterior illis qui magis Aristotelis Philosophiæ dediti sunt.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 3 & 1. Retract. cap. 9.

Itaque ad priorem respondeo, non rationis illius vim, sed imaginationis imbecillitatem esse causam, ut homines in percipienda voluntariorum actuum libertate fallantur. Nam intuentes omnes actiones hominum quas imperatas dicimus, & magis notæ sunt, nullam eorum omnino liberam esse vident, nisi quam possumus facere & non facere, quando volumus. Simulatque enim actio vel cessatio actionis non sequitur nostram voluntatem, hoc ipso est extra nostram potestatem adeoq; libertatẽ. Omnibus enim à natura indita est illa notio qua liberum dicitur, quod fit cum volumus, non fit cum nolumus: ita ut regula omnis libertatis, quæ in actionibus imperatis quarumcumq; facultatum reperitur, sit ipsum velle, cui nisi mox adsit actio cujuscumq; potentiæ, vel cessatio actionis, mox etiam actio illa vel non actio, cancellos libertatis egreditur. Quod in petulcis illis imaginationis, concupiscentiæ, genitalium motibus, in intellectus nutibus, quibus claræ assentit veritati, & quibuscumq; sensuum, vegetativæ facultatis, adeoq; externis actionibus, vel cessationibus apertissimum est: hoc ipso namq; quod nobis volẽtibus non sequuntur, vel nobis nolentibus prosiliunt, extra potestatẽ nostram sunt, & ideo quoque extra libertatem. Ex quo fit ut etiam Tullius, solo naturalis Philosophiæ lumine

Digitized by Google

In paradoxis

lumine instructus dicat: *Quid est enim libertas? Potestas vivendi ut velis.* Ecce velle statuitur velut immobilis norma libertatis. Quicquid enim amplius potest ut quippiam agamus vel non agamus, patiamur vel non patiamur, quam velle nostrum, istud funditus destruit hoc ipso illius actionis vel cessationis libertatem. Vnde adjunxit idem: *Nec est ulla res quæ plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque judicium.* Et hinc profectæ sunt illæ quas ante delibavimus doctissimorum virorum definitiones, quibus liberum arbitrium per potestatem faciendi quod volueris, vel inclinandi se ad quos volueris actus, vel aliquid quod æquipolleat, descripserunt. Sic enim optimè & ex Augustini quoque mente expresserunt illud dominium liberi arbitrij super actus nostros liberos hoc ipso quo illos ita in voluntatis potestate statuerunt, ut illos faciat vel non faciat, cum placuerit.

Cùm igitur illa potestas agendi & non agendi, quam libertatem seu indifferentiam contradictionis vulgo dicimus, in omnibus actionibus imperatis, libertatis arbitrio subjectis, valde manifesta sit, perrexerunt ad ipsum cubile libertatis, voluntatem sive volitionem, & ibi similem indifferentiam semper & ubique necessariam esse judicarunt, respectu cujuscumque motus liberi. Cùm enim hoc habeat definitio actus liberi, ut eum agamus & non agamus, quandocumq; voluerimus, ita ut cum indifferentia contradictionis operemur (nam indifferentia contrarietatis judicio quoque Scholasticorum parvi momenti est, & in solis viatoribus, propter alias causas quam libertatis, locum habet, & semper in usu suo indifferentiam contradictionis involuit) fieri non posse censuerunt ut id quod libertati essentiale est, ab ullo actu libero separetur. Rectè hactenus. Sed in eo imaginandi imbecillitas & imbecillitatis error est, quod quemadmodũ illam contradictionis indifferentiam quę in omnibus actibus imperatis lucet, voluntatis jussu metiuntur, cui ad nutum eos laxando vel cohibendo, subsunt, ita motuum volendi libertatem, alia voluntate quam seipsa metiri volunt; ut sic videlicet in metienda libertate volitionis, nunquam in ipsa illa volitione maneamus, sed sine fine sursum semper ad alteram priorem ascendamus, ratione cujus hæc postrema sit libera, dum priorem sequitur, aut non sequitur, prout jusserit aut vetuerit. Iste imaginandi modus, citra dubitationem, in Augustini principijs, secundum quæ hic semper loquimur, falsus est. Voluntas enim, hoc est, volitio deliberata, de qua sola tractamus seipsa libera est, & contradictionem implicat non esse liberam, quia *fit cum volumus, non fit cum nolumus*, non alia volitione sed seipsa. Nec est vitiosus aut nugatorius iste librandæ libertatis modus. In illum enim necessario inciditur, cum ratio essentiarum petitur. Essentiarum quippe non datur ratio. Velle autem & nolle, essentialiter liberum est, quod subtilissime Ioannes Scotus vidit, & rationem à priori dat,

A si tamen aliqua dari potest. Nam rogatus, cur grave non æque libere se movet, quam voluntas ad illud velle suum quod causat necessario, respondet: *Illa causatio gravitatis est naturalis, ista libera, quia hoc est hoc, & istud est istud. Nam esse forma & modus essendi, agere & modus agendi sunt immediata.* Quod est ipsissimum quod hic cum Augustino de essentiali libertate voluntatis, quantumvis necessariæ, asserimus. Itaque sicut Scholastici, quando audiunt Synodum Tridentinam dicentem, voluntatem *posse dissentire si velit*, & Augustinum, hominem Deo vocanti posse consentire si velit, putant & rectè putant, significari humani arbitrij libertatem, sic etiam intelligunt eadem prorsus ratione, libertatem indicari, si diceretur voluntas posse velle si velit, posse non velle si velit. Nam quid est posse consentire nisi velle? Quid est dissentire nisi non velle? Si ergo phrases istæ infallibiliter B demonstrant humani libertatem arbitrij profecto liberum erit arbitrium, etiamsi immutabiliter velit aut immutabiliter nolit. Facit enim illa si vult, eodem modo sicut consentit si vult. Siquidem omnis voluntatis deliberatæ motus essentialiter quoque talem indifferentiam contradictionis quodam sensu, secum trahit. Nec enim aliud est ista indifferentia libertatis, quam tantopere Scholastici admirantur, quam potestas agendi & non agendi ad libitum voluntatis, seu cum voluerit. Quod si voluntas forte vel agere vel cessare nolit, & firmiter nolit, & immutabiliter nolit; vel è contrario, agere velit & firmiter velit, & immutabiliter velit, quodnam hic fingi potest detrimentum libertatis? Cùm hæc ipsa firmitas libertatis sit exercitium, ac testimonium libertatis ejus, & hoc est quod acutissimè vidit & profũdissime divino suo ingenio penetravit Augustinus, cum toties adversus obtusiores C hominum imaginationes inculcavit, hoc esse in nostra potestate & liberum, *quod cum volumus facimus.* Et ne quis ab illa regula libertatis voluntatem ipsam seu volitionem excluderet, ratione cujus in nostra potestate & liberum nobis est, quicquid liberum est, statim adjicit & crebrò repetit: *Quapropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas*, hoc est, volitio. Et quare tandem Doctor sanctissime, cum teipso judice & Magistro quędam sint perpetuæ & immutabiles voluntates in Deo & Angelis bonis ac malis quæ cum mutari aut cessare nequeant, non videntur amplius esse in eorum potestate? *Ea enim*, respondet ipse, *prorsus nullo intervallo mox ut volumus præsto est.* Et rursum: *Non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit, ubi primum & maxime est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas ipsa cum volumus.* Si præsto est cum volumus, & non præsto est cum nolumus, ergo libera est nobis, Si vero perpetuo & stabiliter velit, perpe- D tuo & stabiliter præsto est, perpetuo & stabiliter libera est, tantoque liberior, quo magis inseparabiliter præsto est cum volueris, divinæque & genuinæ voluntatis libertati consimilior. Quemadmodum enim voluntas

Quodlib. 16.

Lib. de lib. arb. c. 3. Lib. 1. retract. c. 9. [illegible]

rationes habet volendi aliquid, sine periculo libertatis, ita nonnunquam rationes habet fixè volendi & nunquam mutandi sine periculo libertatis. Non minus enim continuatio & stabilitas & non mutatio voluntatis seu volitionis, quam ipsa prima voluntas libera est: & ita in potestate habet diu, stabiliter, & sine mutatione velle, quam velle. Quid ergo conquerimur de libertate voluntatis immutabilis, si ipsa sapientissima, plenissimaque voluntate mutari nolit? Tantasque non mutandi causas in æternis Dei rationibus contempletur, ut nihil stultius judicans quam desistere, voluntatis firmitate mutari nolit, & semper nolendo mutari non possit? Quid vero desultoria ista volendi inconstantia, quam in nobis experimur, perfectioni liberæ voluntatis quicquam conferat, cùm sit non libertatis, sed ægritudinis animi certissimum argumentum. Oritur quippe partim ex imperitia rationum & circumstantiarum omnium, propter quas aliquid prudenter amplectendum est, partim ex inconstantia non perseverandi in eo quod prudenter amplexi sumus, quarum altera facit ut priorem voluntatem justa ratione, altera, ut sine justa ratione mutemus. Si enim nova lux oritur quæ antè latuit, voluntas imprudens vel mutari vel cessare debet; si non oritur voluntas prudens, ut mutare nec cessare debet. Quæ duo vitia quemadmodum absint Deo, si beatis quoq; creaturarũ voluntatibus detraxeris, sicut perpetua agendi vivacitate vigent, ita in imperitiam & inconstantiam [illegible], immutabilis & incessabilis erit [illegible], & eadem semper libertate [illegible] voluit & amavit, id quod [illegible] & constanter & incessanter volen[illegible] amandum esse judicaverat. Sic fit [illegible] tas æquitatis, quæ Deus noster est, & voluntas iniquitatis, inamissibilis & incessabilis. Propter easdem quippe rationes, quibus æquitatem super omnia & in omnibus & semper prudentissimo judicio sibi diligendam constituerant, torpore & inconstantia & imperitia liberati, eandem æquitatem super omnia, in omnibus, & semper diligunt, nec umbram rationis cujusquam vident, propter quam abrumperent illam quam prudentissimè liberèque inchoaverant voluntatem. Præsto est illis ergo voluntas ista cùm volunt, & quantum volunt, & quamdiu volunt: & quia multum volunt, & semper volunt, & nunquam desistere volunt, hinc semper, nullo temporis intervallo, est præsto cùm volunt, hinc semper & maximè omnium est in eorum dominio & potestate, hinc semper & maximè libera. Sed quia nihil in hac vita omnino simile experimur, hinc nescio quis nobis scrupulus semper manet, quod voluntas beatorum impetu quodam qui cohiberi voluntate nequeat, in clare visum feratur aut rapiatur Deum, atque ita libertas voluntatis auferatur. Veruntamen si quis humanas voluntates diligenter attendat, videbit luculenta veritatis istius expressa vestigia. Statuamus enim virum tanta sanctitate sublimem, quanta quenquam in hac vita fuisse vidimus vel audivimus, vel citra claram visionem Dei esse posse cogitamus: qui præterquam quod naturali corporis atque animæ constitutione ebrietatem aversetur, virtutis insuper magnitudine fœdissimum istud vitium instar mortis abhorreat. Si quis à tali viro quæreret, utrum se inebriare posset; responderet utique possem, si vellem. Sed si ulterius instes, velis igitur & facias; nunquam animum quibuscumque promissis, blanditiis, rationibus, minisque provocatum eò adducere posset. Nec tamen ideo, quod sentiat bruto in contrarium impetu rapi voluntatem, sed quia tantæ absurditatis, fœditatis & impietatis istud flagitium ei videtur, ut nisi mens ei passione vehementissima tolleretur, nunquam posset se ipsum ex nolente volentem facere. Et tamen ei semper videtur, & sic revera est, quod hoc posset perpetrare si vellet. Sed nunquam rationes volendi invenit, & ideo prudentem istam voluntatem mutare non potest. Idem & simili prorsus modo in cælo accidit. Possent enim volitionem suam mutare si vellent (quia sentiunt non se aliter nisi prudentissimè volendo ferri, quod velle, non aliter nisi per, nolle, mutatur) sed ratio mutandi nulla præsto est, & ideo nunquam mutare volunt, quæ nolitio mutationis, quia semper cum nolunt præsto est, & maximè semper præsto est, hinc maximè quoque est in eorum potestate, & maximè libera. Quâ consideratione videtur dixisse unum Scholasticæ Theologiæ lumen, sanctus Thomas, *Erit sempiterna & libera electio*, respectu amoris beatifici. Et alterum Ioannes Scotus, *Voluntas respectu cujuscumque actus est libera, & à nullo objecto necessitatur.* Et alibi: *Voluntas elevata non necessario fruitur, quantum est ex parte sua*, necessitate scilicet naturæ quam repugnare docet voluntati.

In 4. dist. 49. q. 10.
In 1. dist. 1. q. 4.

Sed hoc est quod fallere videtur cogitantes, quod quia beatos ab illa felicissima voluntate desistere non posse vident, nescio quo illos pondere libertatem præpediente ferri imaginantur, ut quadam quasi naturalis necessitas oriatur, quæ voluntate sisti vel abrumpi nequeat. Sed imperfectus & falsus est iste imaginandi modus. Cùm enim juxta Augustinum, hoc tanquam ratione & arbitrio præditi posse dicamur, *quod nostram sequitur voluntatem*, & juxta Anselmum, *omnis potestas*, scilicet rationalis, *sequatur voluntatem. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas*, hinc fit, ut illo sensu etiam abruptio seu cessatio illius voluntatis sit in potestate, quia fit cùm volunt. Sed si non velint, defectus oritur ex voluntate, non potestate. Quæ solutio quamvis Augustini sit, si tamen alicui necdum faciat satis, sciat ille, quod sicut nunc omnis omnino voluntas juxta naturam voluntatis ex aliqua delectatione proficiscitur, sine qua præeunte esse non potest, ita quoque stabilitas voluntatis ex eadem delectatione nascitur. Quo enim vinculo voluntas primo in objectum amandum figitur, illo eodem nectitur

1. Retract. cap. 22.
Lib. 2. Cur Deus homo cap. 10.

& ita

& ita alligatur ut neque ad momentum abrumpi aut diverti velit. Quod certissimum esse deprehendet quisquis attente profundèque fibras & flexus propriæ voluntatis attenderit: sed si cui obscurior incertiorque videatur ista experientia de præeunte semper delectatione, credat tantisper (donec illud legitima probatione alibi asseramus) Augustino securissimè pronuntianti de causis ad volendum concitantibus: *Quis animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit?* Quemadmodum igitur nulla voluntas, seu volitio exsert potest, nisi delectatione aliquâ suscitetur, ita nec persistere, nisi delectatione nectatur. Neutrum impedit, sed provocat & efficit arbitrij libertatem. Non enim est impetus voluntati extraneus, vel intus eam per modum naturæ quasi brutali impetu concitans, ut vulgus imaginatur, sed illo pacto quo solo voluntas excitari & provocari & perdurare & stabiliri potest, & sine quo non potest. Est enim modus ejus naturæ, prout nunc constituta est, prorsus instar proprietatis, consentaneus. Hæc ergo delectatio sicut facit voluntatem velle, & sine qua non potest velle quia non lubet, ita facit eam liberè velle; & quemadmodum delectatione illa rationali sublevata liberè vult, ita stabilita liberè constanterque permanet, nec permaneret si nollet, juxta id quod Augustinus dicit: *Voluntas gratiâ consequitur libertatem, & ut perseveret delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem.* Non enim lubet ei abrumpere voluntatem suam, & ideo non potest abrumpere, si constanter illa delectatio perseveret, quia constanter ei non lubet. Sed hæc breviter tetigisse satis est, quod alibi ex professo velut certissima Augustinianæ basis pertractavimus. Nunc ad alteram objectionis partem veniamus, quo modo seipsam voluntas etiam comparatione æterni & beatifici amoris moveat.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Lib. de Cor. & grat. c. 8.

Vide dicta lib. 4. de grat. Christi Salvat. late.

Itaque respondemus, seipsum agere & movere, dominium quoddam super actum indicat, ut pro arbitrio sese moveat vel compescat; alioquin enim quantumvis internum sui motus principium habeat, agi & moveri potius quam se-ipsum movere dicitur. Hoc autem omnino postulat ut super actum suum reflectere possit, non solum appetendo, sed etiam judicando. Nam sive potestas appetitiva super se-ipsam sola reflecteretur, sive sola cognitiva, semper eodem modo istud agens sicut bruta moveretur vel refrenaretur. Hæc ergo potestas reflectendi sese super actum suum, propter immaterialitatem, qua nulli materiæ alligata est, objectique vastitatem rationi & voluntati creaturæ rationalis propria est. Ex ratione habet, ut possit de fine & medijs judicare, ea conferre, utrorumque proportionem expendere, & per hoc ipsum, de proprio suo judicio judicare, num rectè judicaverit. Ex voluntate habet, ut possit non solum appetendo movere, sed etiam super motum suum se reflectendo velle movere. Et in hoc propriè sita est potestas movendi se. Et quia in omni rationali motu semper adest expressè vel tacitè hujusmodi super se reflexio, semper etiã in omni rationali motu seu cõsensu suo movet se ac dominatur sui. Hoc est igitur propriè quod bruta, pueros, & insensata, deficit. Impetu enim concitantur, & refrenantur, non judicio, & approbante motum vel quietem suam voluntate: idque sive idem semper obvium appetant aut fugiant, sive pro diversis imaginum occursibus diversa. Et hoc est quod Græci communiter vocant liberum arbitrium *ἀδούλωτον*, & indomabile, & incogibile, quia quicquid voluptatis etiam ex clara Dei visione profluentis, aut timoris, aut cujuslibet affectus quantumcumque vehementis in voluntatem incidit, semper arbitrium B superius manet, quia semper de istis tanquam de præparatorijs ad consentiendum aut dissentiendum judicat hoc ultro & sponte esse volendum, istud respuendum: & sic facit id quod ei videtur, id quod ei lubet, id quod ei placet, quæ propriæ veræ libertatis indicia sunt. Si vero vehementissime placet aut displicet, nihil mirum si arbitrium vehementissime quoque constantissimeque sibi esse volendum aut nolendum arbitretur. Sic ergo ratio, cùm plenissimo, tranquillissimo, serenissimoque judicio judicet sibi diligendum esse Deum, & se sanissime judicare judicet; voluntas vero amando, rationem sequi velit, & hoc se velle velit, & cessare nolit, perfectissime beati se ipsos movent, & sui actus perfectissimum dominium habent. Necessitas enim quæ in actu apparet, ab ipsa voluntate & dominij & libertatis ejus perfectione proficiscitur, quia ipsa sibi necessitatem facit, non per modum naturæ, C sed perfectissimæ libertatis movendo & determinando se. Vnde succincte & fortiter de hac ipsa re S. Bonaventura: *Necessitas coactionis repugnat libertati arbitrij, necessitas vero immutabilitatis non: pro eo quod arbitrium dicitur liberum, non quia sic velit hoc ut velit eius oppositum, sed quia omne quod vult, appetit ad sui-ipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud, & ideo in actu volendi se ipsum movet, & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.* Et Ioannes Scotus tractans, cur actus necessarius non sit naturalis, sed liber: *Voluntas*, inquit, *numquam potest esse determinata naturaliter ab aliquo agente superiori* &c. *Et posito actu primo, quo voluntas est voluntas, si ipsa sibi relinqueretur, etsi possit contingenter habere, vel non habere, hoc velle* (id est, sive contingenter, sive necessario haberet) *tamen se-ipsam determinaret ad hoc velle.* Et Henricus à Gandavo: *Voluntas est primum principium movens in finem seipsum* &c. *Et hoc convenit ei ex naturali* D *proportione voluntatis, ut cum vult ex se, per se sic moveatur sicut lapidis quod semper deorsum nitatur.*

In 2. dist. 25 q. 2.

Quodlib. 16.

Quodlib. 1. q. 17.

CAPUT XXXVI.

Explicantur propositiones ex Bulla Pij Quinti: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.* Et, *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

OBIICIUNTUR & illæ propositiones quæ in Bulla Pij Quinti & Gregorij decimi quinti proscriptæ sunt: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.* Item, *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Eò vero videtur tota hæc doctrina tendere, sicut ex allegatis testimonijs Dionysij Carthusiani, Thomæ de Argentina, Henrici à Gandavo, Richardi de Media Villa, Sanctorum Bonaventuræ & Thomæ, Alberti, Alexandri Halensis, Guilielmi Altissiodorensis, Parisiensis, Petri Lombardi, Richardi, Hugonis, Bernardi, Damasceni, Bedæ, & Augustini manifestum est.

Respondeo incredibile est, tot doctissimorum magna ex parte Sanctissimorum virorum doctrinam à duobus Pontificibus esse damnatam, vel notatam, de quorum integritate nulla unquam accusatio aut suspicio fuit. Neque in tota illa contentione quæ Lovanij ferbuit, unquam illorum auctorum doctrina vel in querelam tracta, vel proscripta fuit. Unde necesse est aliud omnino esse quod Pontifices illi proscripserint. Hoc certè constat, neutram propositionem in libris typo vulgatis illius auctoris de quo erat controversia, contineri. An vero ex manuscriptis vel dictatis collectæ fuerint, me equidem latet. Cùm igitur ex ijs quæ extant scriptis non possit exsculpi genuinus eorum sensus, dupliciter responderi potest. Primo, respectum haberi ad significationem hujus temporis, quo liberum nihil dicitur à Scholasticis, nisi quod fit cum indifferentia saltem contradictionis. Et quicquid non ita fit, non liberum vocant. Illam autem significationem non ita fuisse à Patribus veteribus usurpatam, ex allegatis testimonijs id expresse contestantibus apertissimum, & multo pluribus demonstrari posset. Hoc ergo sensu vulgatissimo certum est, utramque propositionem esse falsam. Non enim sufficit ad illam libertatem, quod sit voluntarium, nec ei sola repugnat violentia, sed opus est, ut qui liber dicitur, possit opus facere & non facere. Idcirco vero utramque propositionem damnandam censuerunt, quia tendebant eò, ut motus illi concupiscentiæ qui rationem antevertunt, essent liberi; quod sine dubio falsum est, & non Scholastici modo, sed & ijs ipsis auctoribus quos citavimus, adversum. Eò autem in istis propositionibus collimari indicat Vasquez in prima Secundæ, ubi dicit auctorem propositionum illarum, *putasse hominem peccare in omnibus affectibus & motibus suis qui non essent virtutis, ut etiam in his qui sine libertate fiunt, peccatum esse diceret.* (Hoc est in istis motibus concupiscentiæ indeliberatis, quos non esse liberos constat) quod ex prædictis propositionibus de quibus agimus, & ex sexagesima quinta, quam statim afferemus probat. Idipsum probabile & satis perspicuum faciunt alia nonnulla pronuntiata, quibus eadem censura inflicta est. Articulus enim quadragesimus octavus dicit: *Prava desideria quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces.* Et quadragesimus nonus: *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* Et sexagesimus quintus: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.* Libertas enim in faciente, basis est & præcepti inobedientiæ & damnabilis peccati. Unde ad muniendas istas propositiones, illæ de libertate videntur viam sternere.

Vasquez. disp. 190. c. 18.

Quanquam secundò etiam à ceteris avulsæ, & de libertate generatim, sicut eam exposuimus intellectæ, per seipsæ adhuc sine illa interpretatione vel mitigatione falsæ sunt. Constat enim hujusmodi improvisos voluntatis motus esse voluntarios & sine violentia ex voluntate fluere, nec tamen etiam illo sensu esse liberos. Deest illis quippe id quod præcipuum est, quia non sunt in hominis potestate, non sumus eorum Domini, fiunt sine plena rationis advertentia, profluunt invita repugnanteque voluntate; quæ singula essentialiter repugnant libertati. Amplius ergo sine dubio requiritur, quam esse voluntarium & sine violentia, ut sit liberum. Hoc Pontifices stabilire voluerunt, ne tales spontanei necessarij motus liberi putarentur, & in perniciosum humanæ vitæ errorem iretur, quem hæretici hujus temporis protulerunt: De amore autem beatifico, quem plures auctores veteres liberrimum cum Augustino esse docuerunt, nulla Pontificibus cura fuit. De illo vero solo nostra quæstio est: Nam ceteras humanæ vitæ actiones, quamvis etiam juxta tradita jam Augustini principia, sine indifferentia nihil vetaret esse liberas, reipsa tamen non solum sine violentia, sed & cum quadam indifferentia contradictionis, imo contrarietatis, ex Augustini & veterum citatorum mente ante dictum est, fieri credimus.

CAPVT XXXVII.

Quomodo potentiæ rationales se habeant ad opposita, & actus liber possit esse necessarius.

SED alia opponi potest difficultas, quod potentiæ rationales se habeant ad opposita, ergo necesse est, ut voluntas quæ in ratione est, agens ut potentia rationalis, ad opposita, hoc est, ad bonum & malum, vel certè ad agere & non agere, sese indifferenter habeat, & non ad unum tantum determinata sit, ut fit in actu necessario. Rursum libertas voluntatis est respectu contingentium saltem actuum, si non objectorum, ergo non potest esse respectu actus necessarij: contingenter enim fieri & necessario fieri se mutuo interimunt.

Respondeo non premere hoc argumentum, quatenus amoris beatifici libertatem petit, nisi simul divinæ voluntatis libertatem in periculum conjectam velimus. Liberi enim arbitrij Deus est, tametsi in oppositum flecti nequeat, quia electio ejus est immutabilis. Quod si sufficiat, ad alterutrum se flectere eligendo potuisse, quamvis post electionem nulli mutationi in alterum oppositorum supersit locus, profecto satis erit etjam beatos Angelos aut homines indifferenti ad alterutrum voluntate Deum adamasse, quamvis electio jam per gratiam facta sit immutabilis. Nec ulla omnino ratio dari poterit deficientis in illo amore libertatis, quæ non longè magis in divina voluntate locum habeat, ut etjam supra tactum est. Sed ut doctrina sit generalior, statuamus hominem vel Angelum ita divina gratia in primo instanti præveniri, ut non alia indifferentia ad oppositum eligat amare Deum, quam nunc à beatis beatifico amore diligitur.

Dico igitur etjam juxta casum propositum, varijs modis à veteribus libertatem amoris beatifici defendentibus responsum esse, sanctus Bonaventura precise negat generaliter esse verum, quod potestas rationalis se habet ad opposita, *sed hoc est verum*, inquit, *de potestate rationali secundum statum mutabilitatis & vertibilitatis, secundum quem statum intelligitur verbum Philosophi.* Et expresse do et liberum arbitrium, si consideretur ut deliberans, utrum hoc fiat, vel non fiat, sic esse respectu contingentium, quia de necessarijs non deliberatur. Sin autem ut liberum, esse respectu actus non *tantum contingentis sed etiam necessarij. Sicut patet*, inquit, *in Deo, & in Christo, & in Angelis, & in hominibus beatis*; eo quod necessitas immutabilitatis non repugnet libero arbitrio. Alexander Hales sufficere indicat, ut liberum arbitrium in se spectatum se habeat ad opposita, & *de se sit causa contingentium*, quia nempe de se vertibile est in bonum, & malum, in hoc vel illud, in agere & non agere: *Quod autem in futuro erit causa necessariorum, hoc est, ex superadditione determinationis qua est à iustitia causa prima retribuentis.* Propius magisque propriè videtur tetigisse veritatem Albertus Magnus; cum eodem peteretur argumento libertas Christi Domini, respondit: *Potentia rationalis ut est potentia* (hoc est, prout purè consideratur in ratione potentiæ) *est ad opposita, & sic semper fuit in Christo; sed in ipso numquam fuit ut potentia indifferenter se habens ad utrumque contrariorum*, eo quod illa potentia de se indifferens, in ipso ad alteram partem determinata est.

Bonavent. in 3. dist. 25. q. 1. & 3. ad 6. Alexander de Hales 2. p. q. 1. memb. 4. a. 2. Albertus in 3. dist. 12. a. 7.

Itaque ut res ex suis principijs constet, responderi uberius potest; potentias rationales, qualis est intellectus & voluntas, ita se habere ad opposita, ut tamen cum agendum est, non eis repugnet, sed maximè conveniat, ad alterum per proprium appetitum determinari, ut Aristoteles nono Metaphysicorum docet. Alioquin enim potentia rationalis, hoc est, ratio contraria faceret, sicut ad contraria sese habet. Hoc vero impossibile, ἀνάγκη ἄρα ἕτερον τι εἶναι, τὸ κύριον. λέγω δὲ τοῦτο ὄρεξιν ἢ προαίρεσιν. ὁποτέρου γὰρ ἂν ὀρέγηται κυρίως τοῦτο ποιήσει. *Necesse est igitur aliud quoddam esse quod dominetur. Hoc autem dico appetitum seu electionem*, scilicet alterutrius oppositorum. *Quodcumque enim principaliter appetierit hoc faciet.* Sicut ergo non repugnat, sed congruit potentiæ rationali, ut unum ex oppositis principaliter κυρίως, id est, per modum dominantis actui suo appetat, altero relicto; ita non repugnat, sed congruit, si eadem dominativa potestate, alterum eorum fortiter, stabiliter, incessanter eligat, propter rationes maximas, quibus ita judicat fortiter, stabiliter, incessanter esse appetendum, & alterum respuendum. Duplex enim necessitas cogitanda est, altera præcurrens actum, & dominans actui, quem in alteram partem figat. Talis est necessitas omnis agentis naturalis. Et quod illam habet, non agit, sed agitur; qua consideratione dixit Augustinus: *Corporales causæ quæ magis fiunt quam faciunt, non sunt inter causas efficientes annumerandæ, quoniam hoc possunt quod ex ipsis faciunt, spirituum voluntates.* Alia necessitas est sequens voluntatem, & ab ipsa manans, & sub ipsa manens, quam sibi ipsi voluntas facit. Sub ipsa quippe voluntate cadit, non solum sui determinatio ad alterum oppositorum, sed etiam determinationis modus, quando propter pondus rationum evidentissimè cognitarum, & rationalis dilectionis magnitudinem, nunquam cessare eligit. Et ita etiam in illo motu tantum distat à necessitate naturali, necessitas illa voluntaria, quantum à natura voluntas, ab astrictione premente libertas

Arist. 9. Metaphys. text. 10. Lib. 5. de Civit. c. 9.

fruens. Hinc Ioannes Scotus communi omnium judicio Scholasticorum subtilissimus, actum voluntatis simul necessarium & liberum esse posse tradens, generosius & resolutius quàm quisquam veterum dicit, duplicem esse necessitatem, unam quæ *pravia est ad voluntatem, ut voluntas intelligatur cadere sub necessitate tanquam impellente in actum, & figente in actu. Si autem sic esset, voluntas ageretur & non ageret, nec staret in tali actu libertas.* Alteram quæ est *necessitas concomitans, ita quod ipsa intelligatur cadere sub voluntate, sic quod voluntas propter firmitatem libertatis suæ sibi ipsi necessitatem imponit in eliciendo actum, & in perseverando sive figendo se in actum.* Hujusce autem rei ratio est, quod agens necessarium & agens liberum non sint opposita, sicut nec opposita sunt agens naturale & agens contingenter. Sed illæ sunt primæ differentiæ principij activi, seu membra opposita immediatæ divisionis principij activi, *agens naturale & agens liberum*, seu *natura & libertas*; itemque *agens necessario & agens contingenter.* Nam Aristoteles secundo Physicorum dividit causam activam in naturam & propositum; ad quas duas causas per se reducit alias per accidens causas, scilicet casum & fortunam. Vnde & Augustinus simili plane modo causas universaliter dividit in *fortuitas, naturales, & voluntarias. Est*, inquit, *causa fortuita, est naturalis, est voluntaria*, quæ apud ipsum eadem est quæ libera. Vbi si subtrahas causam fortuitam, causa per se dividetur eodem modo ut divisit Aristoteles, in *naturam & voluntatem* seu *propositum.* Et alibi disputans de libertate voluntatis, sæpius naturale opponit voluntario, hoc est, libero: *Ideo*, inquit, *lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius.* Et rursum: *Qui motus si culpæ deputetur non est utique naturalis sed voluntarius.* Cùm igitur voluntas seu libertas non opponatur necessitati, sed naturæ, neque contingentia naturæ sed necessitati, nihil vetat membra duplicis istius divisionis in se incidere; ut scilicet quemadmodum actio naturæ seu naturalis potest esse contingens dum impeditur, ita etiam actio libera sit necessaria. Sed hoc est impossibile ut actio libera, hoc est, actio voluntaris sit naturalis, & consequenter impossibile est ut voluntas duplicem habeat actionem, liberam & naturalem. Cùm enim potentia libera & naturalis directè sint oppositæ potentiæ, non magis potest voluntas considerari ut libera & naturalis, quam si hominem considerare velis ut hominem & brutum, vel idem distinguere in seipsum & oppositum sui; cum agere libere & naturaliter sint modi oppositi immediatè dividentes, ut diximus, potentiam activam. Quemadmodum igitur natura semper servat suum operandi modum, qui est agere per modum naturæ, agi non agere, determinari ab alio ad unum; ita voluntas semper & essentialiter servat proprium suum operandi modum à natura distinctum, qui est agere non agi, movere ac determinare seipsam, agere per modum libertatis, sive contingenter agit sive necessario. Quod apertissimè docet idem subtilissimus Doctor Scotus: *Non est*, inquit, *eadem divisio in principium naturale & liberum, & in principium necessario activum & contingenter: aliquod enim naturale potest contingenter agere, quia potest impediri: igitur pari ratione possibile est, aliquod liberum, stante libertate necessario agere.* Et ad articulum tertium principalem: *Esse naturaliter activum & esse liberum activum, sunt prima differentia principij activi; & voluntas ut voluntas est principium activum liberè. Non magis igitur potest voluntas esse naturaliter activa, quam natura ut est principium distinctum contra voluntatem potest esse liberè activa.* Vnde paulo superius dicit; *Voluntas semper habet suum modum causandi proprium scilicet libere.*

Quodlib. 16. ad q. 1.

Lib. 5 de Civit. c. 9.

Lib. 3. de lib. arb. c. 1.

Quodl. 16. ad 1. principale.

Ibid. ad 3. principium.

CAPVT XXXVIII.

Profertur epilogicè consensus antiquorum Scholasticorum & Scriptorum usque ad Augustinum.

HANC ergo maximam diversitatem inter agens liberum & naturale veteres perspectam habentes, cum voluntas quantumcumq; aliquid immutabiliter necessarioque velit, semper sibi ipsi & actui suo dominando velit, semper seipsam agat & moveat, nunquam ab alio agatur & moveatur, semper per modum eligentis alteram partem velit, quæ ab omni agente naturali remotissima sunt, nihil omnino de necessitate actus voluntarij curaverunt: Sed non obstante immutabili necessitate, omnem omnino rationalem voluntatem (hoc est, voluntatis motum) & liberam & electivam obiecti sui posuerunt, sola exclusa violentiæ coactionisque necessitate.

Hinc Petrus Capulleius Episcopus Conversanus: *Respectu amare* (in beatis) *est sempiterna & libera electio.* Et Stephanus Brulefer: *Actus liberi arbitrij ut liberum est, non solum potest esse circa necessarium sed etiam necessarius in se.* Et Nicolaus de Orbellis: *Dicitur liberum non quod sic velit homo, ut possit velle oppositum; sed quia omne quod vult appetit ad suum ipsius imperium, quia sic vult aliquid ut velit se velle illud, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.* Et ante Nicolaum Gabriel Biel in tertium Sententiarum: *Actus beatitudinis est libere elicitus, & ita contingens, etsi immutabilis & perpetuus. Liberè, inquam, complacenter, licet non liberè contradictoriè, quæ libertas sufficit ad rationem meriti.* Et ante Gabrielem Marsilius ab Inghen: *Necessarium & inevitabile* non

In 2. dist. 5. a. 1. q. 1. puncto 1.

In 2. dist. 25. q. 8.

In 2. dist. 25.

Dist. 18. q. 1.

Inq. 12. in 3. Sent. a. 1.

A *non per naturam, sed per gratiam non tollit rationem laudabilis.* De quo Philosophus tertio Ethicorum. *In 2. q. 16.* Nam *libertas est essentia creaturæ rationalis.* Et ante Marsilium Thomas de Argentina: *In 3. dist. 12.* *Necessitas coactionis tollit rationem meriti, necessitas immutabilitatis proveniens ex perfectione virtutum non tollit sed auget.* Et ante Thomam Argentinensem subtilissimus Doctor Scotus: *quodlib. 16.* *Cum necessitate ad volendum stat libertas in voluntate. Nam in eo est libertas volendi, quia delectabiliter & eligibiliter elicit actum & permanet in actu.* Et ante Scotum Henricus à Gandavo: *quodlib. 12. q. 26.* *Movetur voluntas respectu finis omnem boni rationem continentis libertate & immutabili necessitate.* Et Richardus de Media Villa: *In 2. d. 7. a. 1. q. 2.* *Non obstante illa necessitate, qua Angeli diligunt bonum liberrime motu dilectionis movent se: Eligunt quippe perseverare in illis bonis, sine quibus non possent manere coniuncti cum fine.* *In 2. dist. 15. a. 3. q. 2.* Et ante Richardum Sanctus Bonaventura: *In 2. dist. 7. q. 2.* *Quædam est necessitas a causa disponente intrinseca & hæc non opponitur ei quod est libere velle, imo stat simul cum libertate. Nam actus liberi arbitrij ut liberum est non solum potest esse circa necessarium sed etiam necessarius.* B Et sanctus Thomas Aquinas: *In 3. dist. 18. a. 2. ad 5.* *Etiamsi esset liberum arbitrium Christi determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti &c.* *In 2. dist. 25. a. 1. ad 4.* *Nam respectu amare, est sempiterna & libera electio.* Et ante sanctos Thomam & Bonaventuram Alexander de Hales præceptor utriusque: *2. p. sum. q. 72. memb. 5. a. 3.* *Necessitas coactionis tollit liberum arbitrium, sed non necessitas inevitabilitatis.* Et ante Alexandrum Guilielmus Parisiensis Episcopus: *Necessitas vel impossibilitas qua non aufert operi quin sit voluntarium, hoc est ex voluntate, quam impossibile est non esse liberum, nec culpam aufert.* Et ante Guilielmum brevissimè & nervosissimè alius Episcopus Parisiensis Petrus Lombardus Magister sententiarum: *2. dist. 25.* C *Vbi non est libertas nec voluntas.* Et ante Petrum Lombardum Richardus de Sancto Victore identidem repetit: *Lib. de inc. hom. erudit. c. 30.* *Libertatis est quod ad nullum seu bonum seu malum inviti cogi possimus.* Et eruditione, pietate, sodalitio, & ætate par Richardo, Hugo de Sancto Victore: *In sum. sent. tract. 3. c. 8. & 9.* *Liberum arbitrium ex ideo dicitur, quia est voluntarium. Nam ex quo voluntas est liberum est, quia voluntatis est libertas. Vbi autem non est libertas nec voluntas.* Et coævus istis sanctus Bernardus *Tract. 2. 4.* qui Richardo, Hugoni, Magistro Sententiarum ceterisque Scholasticis Magistri Commentatoribus, sententiam istam & ipsa verba præcinuit & præformavit, velut præsultor totius chori. *Lib. de grat. & lib. arb.* *Quod ex voluntate iam non ex necessitate* (id est, coactione) *sed voluntarium. Si autem voluntarium & liberum. Nam ubi consensus ibi voluntas. Porro ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc est quod puto dici liberum arbitrium. Ipsam enim voluntatem quia impossibile est de seipsa sibi non obedire, etiam impossibile est sua privari libertate.* D Et ante sanctum Bernardum Sanctus Anselmus: *diaboli c. 5.* *Velle non potest invitus, quia nemo potest velle nolens velle. Nam omnis volens ipsum suum velle vult &c.*

A *Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subijcere non potest?* Et ante sanctum Bernardum sanctus Ioannes Damascenus: *Lib. 3. fidei orthod. c. 14.* *Arbitrij libertas nihil aliud est quam voluntas.* Et voluntas nihil aliud est quam *mentis imperatricis liber motus.* Et ut verbo absolvam, ante sanctum Damascenum Magister omnium posteriorum profundissimus Augustinus: *Lib. 3. de lib. arb. c. 3.* *Voluntas nostra nec voluntas esset nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis.* *Lib. 22. de Civit. cap.* *Vnde & in beatis erit una in omnibus & inseparabilis in singulis voluntas libera, fruens indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum.* Habes lector consensum admirabilem tot sanctissimorum & eruditissimorum virorum, de quibus nulla unquam erroris in hoc argumento suspicio fuit. Vnanimiter constantissimeque docent, voluntatem hoc ipso quo rationalis voluntas est, esse liberam; sua non posse privari libertate; B nec voluntatem, id est, volitionem futuram, nisi esset libera & in potestate, nullam immutabilitatis, inevitabilitatis, vel quocumque voces nomine, sed solam coactionis necessitatem ei repugnare. Quæ longa Scriptorum series, ad duo subalterna principia, veluti fontes doctrinæ ceterorum, revocari potest, sanctum Bernardum & Augustinum. Omnes enim sancto Bernardo coætanei & successores Scholastici doctrinam ejus, veluti normam suæ sæpissimè citant, & æmulantur, & suam etiam ipsius verbis exprimunt. Tam vero istius sancti doctrina de arbitrij libertate manifesta est, ut si solis radijs eam scribere voluisset, non potuisset nobis luculentius aperire sensum suum, quo omnem omnino voluntatem, hoc est, volitionem, liberam esse docet, inculcat, repetit, impossibile esse ut non sit libera, solamque coactionis necessitatem inimicam esse libertati. Augustinus vero, C velut primum in ista principium Magisterque generalis omnium, quanto eruditior, tanto succinctior & profundior, una radicali invictaque definitione, omnes aliter sentientium præcidit argutias, omnes querelas resistentium sopit: *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.* Et quid est esse in potestate Doctor sublimissime & securissime? *Nec aliud quicquam est in potestate nisi quod volentibus adest* (id est quod præsto est simul ac volumus) *Quod si fieri non potest ut dum volumus non velimus, adest utique voluntas volentibus.* Fidenter dico, quicumque doctrinam istam à nobis traditam erroris insimulare ausus fuerit, non Augustinum, non Bernardum, sed Philosophiam fortassis Aristotelis ducem ac patronam habiturus est, & in ista D Catholicæ doctrinæ culmina & columina (ut nihil de ceteris eorum sectatoribus eruditis & sanctis loquar) necesse est ut anathema primum dicat.

FINIS

CORNE-

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS.

DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS

LIBER SEPTIMUS.

Qui est secundus de libero arbitrio.

CAPUT PRIMUM.

Brevis recapitulatio præcedentium & propositio sequentium

HACTENUS declaravimus generalem libertatis rationem, à qua dictum est liberum arbitrium, commune bonis ac malis, in eo sitam esse quod immune sit à necessitate coactionis, ut sanctus Bernardus, Magister Sententiarum, & ceteri locuti sunt, vel à *necessitate quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit id quod potest*, ut sanctus Augustinus, quamvis idem diceret, loqui maluit. (Lib. 5. de Civit. c. 10.) Nam sive aliquid coactè fieri dicatur, sive invitè, sive nolente renitenteque voluntate, sive quod non est in nostra potestate, ut fiat vel non fiat, idem omnino dicitur. Omnibus enim istis modis exprimitur id quod fit à principio extrinseco, nihil agente seu renitente voluntate, quæ est coacti definitio. Porro ista consideratio libertatis privativa est, quasi respectu termini *à quo* sit liberum. Cùm vero arbitrium non dicatur liberum nisi respectu sui actus, quasi termini *ad quem*, hinc non contentus Augustinus privative expressisse libertatis naturam, eandem etjam positive explicuit, illum actum esse nobis liberum dicens, *qui est in nostra potestate*, sive quod idem est, sicut ipse interpretatur, *qui fit cum volumus*; quasi hoc liberum esse diceret quod habet actum in sua potestate: quam omnium Græcorum definitionem esse diximus, dum simpliciter liberum arbitrium vocant, τὸ αὐτεξούσιον, & liberum τὸ ἐφ' ἡμῖν. Porro valde legitima & oportuna est ista Augustini expositio, quia exprimit contradictorium ejus à quo dicebatur esse liberum, scilicet cogentis necessitatis. Cùm enim coactum sit id quod non est in arbitrij potestate, *quod fit cum nolumus* (id est renitente passo) merito A liberum dixit id esse, quod est in nostra potestate, *quod fit cum volumus*; qua de causa sanctus Bernardus & Scholastici veteres magno consensu dixerunt, voluntatem in omnibus Deo, Angelis, hominibus, beatis, damnatis æqualiter esse liberam, quia omni cogente necessitate superiorem, ut hanc ob rem Græci liberum arbitrium ἀδούλωτον id est, indomitum seu servitutis impatiens appellaverint.

Sed quamvis ita sit, ut voluntas semper à necessitate cogente libera sit, non tamen idcirco existimandum est, voluntatem quoslibet actus etjam voluntatis habere semper reipsa in sua potestate. Ad quosdam enim actus voluntas in certo statu prorsus impotens est, etsi ad oppositos non cogatur. quod in Deo, & beatis, in damnatis & infidelibus apertissimum est. Nec enim illi Deum odisse, vel quoquo modo peccare, nec hi diligere possunt. Per hoc ergo quod dicitur actus privative li- B ber à cogente necessitate, exprimitur quidem quod non fit extra potestatem, non tamen sic explicatur, per quid positive ponatur in nostra potestate, vel unde fiat quod illam potestatem respectu unius actus voluntas habeat, respectu alterius careat, cum quoquò sese verterit, semper à coactione sit expedita. Dantur enim quædam impedimenta, vel quasi vincula voluntatis, à quibus subinde se expedire non potest; vel quia nunquam vult, vel velle potest; vel quia non satis fortiter vult, nec fortius velle potest. Dantur & adjumenta voluntatis quibus fit ut velit, vel si jam velit, ut robustius velit. Quicquid ergo vel dissipat impedimenta, vel confert adjumenta voluntatis, hoc voluntatem non privative respectu coactionis (hoc enim semper & quasi essentialiter possidet) sed quasi positive liberam respectu certorum actuum facit, ad quorum oppositos

by Google

oppositos est liberrima. Quanquam & in ipsa A considerationem aliquid negativi necessario includatur. Nec enim intelligi potest, quod voluntas ad certum genus actuum sine coactione exercendorum fiat expedita, nisi simul ab impedimentis & vinculis eorum intelligatur liberari. Quamobrem duo hic disquirenda sunt. Primum quid sit illud quod voluntatem potentem ad actus liberos facit, seu quid sit quod facit actum in arbitrij potestate: alterum circa quos actus & objecta versetur libertas voluntatis, finem an media, bonum an malum, & quam actuum suorum indifferentiam postulet.

CAPVT SECVNDVM.

Est aliquid, præter nudam facultatem voluntatis, quod actum etjam voluntatis ponit in arbitrij potestate & illud facit velle.

QVÆRIMVS hic igitur, quid sit illud quod nos velle vel nolle facit, quo actus aliquis voluntatis (de actibus enim imperatis nulla difficultas est) ponitur in potestate voluntatis, seu, quid voluntatem ad actus aliquos liberam & potentem facit. ita ut sine eo velle non possit. Nam si nihil aliud est præter ipsam potentiam voluntatis, nulla ratio est, cur beati Angeli, & (quod absit) Deus ipse jam peccare non possit; nulla ratio cur damnati Deum diligere non possint, vel ipsi homines in hac vita non tantum diligant, quantum à se diligendum esse, & in hac vita diligi posse, totis visceribus optant & clamant. Aliquid est igitur præter voluntatem, quod voluntatem ipsam vel impedit vel potentem facit, ut unum objectum omnino velit, & quantum satis est velit, & ut alterum nolit, vel non quantum satis est nolit.

B Dico igitur sancti Augustini principijs insistendo, aliquid omnino esse præter nudam facultatem voluntatis, quod eam facit velle vel nolle, quo omnino absente fit impotens, præsente potens, sive ad bonum sive ad malum. Hoc qui negat prima Christianæ fidei fundamenta concutit, quæ indubitanter docet, actus quosdam esse omnino extra potestatem voluntatis, nisi Deus potestatem ipsam voluntati per suam gratiam largiatur: esse quædam impedimenta voluntatis, quæ nisi dissipentur, fieri nullo modo posse ut voluntas velit, multo minus ut fortiter velit. Ita quippe firmiter, quamvis mirabiliter, quibusdam viscosis & voluntarijs vinculis voluntas certis objectis implicari potest, ut ea nulla omnino sua propria potestate dirumpere possit aut velit. Probat hoc invictè experientia quotidiana, qua videmus aliquos incredibiles difficultates perpeti, ut alio suam voluntatem transferant, quo transferendam esse judicant, & omnibus medullis voluntatis quantas habent volunt. Neque tamen obtemperat voluntas voluntati. Quid ita, nisi quia voluntas pennas visco ligatas habet, quod non potest adhuc contraria C voluntate dirumpere? Poterit autem cum potestatem ille qui solus potest, voluntati dede- A rit. Cujus rei nullum illustrius exemplum occurrere potest, quam illa celeberrima lucta sancti Augustini, cujus ipse testis est irrefragabilis: *Ego fremebam spiritu indignans turbulentissima indignatione quod non irem in placitum & pactum tecum Deus meus, in quod eundem esse, omnia ossa mea clamabant, & in cælum tollebant laudibus: Et non illuc ibatur navibus aut quadrigis* &c. *Nam non solum ire, verum etiam pervenire illuc, nihil erat aliud quam velle ire, sed velle fortiter & integrè, non semisauciam hac atque hac versare & iactare voluntatem.* Et adhuc uberius: *Tam multum ergo feci, ubi non hoc erat velle quod posse, & non faciebam, quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat, & mox ut vellem possem, quia mox ut vellem utique vellem.* Ex quo conatu Augustini facile videt quilibet, quantum vinculum fuerit, quod tam seriò volentem voluntatem detinebat & ligabat, ut illud non posset rumpere. An fortè non erat vinculum quod retrahebat à fortiter B volendo voluntatem? Dicat ille qui expertus est: *Sic ægrotabam & excruciabar accusans meipsum solito acerbius nimis, ac volvens, ac versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar sed tenebar tamen.* Et iterum: *Sentiebam me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu, cras & cras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam & flebam amarissima contritione cordis mei.* An forte non conabatur voluntate vinculum voluntatis abrumpere? Quid sibi vult ergo tantus fletus, tanta indignatio, tantus fremitus ejus adversum se, quid incomparabilis ille affectus vinculi dirumpendi? Ipse testis sit conatus sui: *Dicebam enim apud me intus: Ecce modo fiat, modo fiat.* Ecce propositum voluntatis & conatus imperium. *Et item conabar & paulo minus ibi eram, & paulo minus iam iamque attingebam, & tenebam & non ibi eram.* Ecce luctam, ecce conatum, si quis unquam peccator adhibuit, obnixissimum. Sed vinculum vo- C luntatis vetus fortius erat, quam ut omnibus voluntatis illius novæ viribus cederet: *Plusque in me valebat deterius insolitum, quam melius insolitum. Vinculo* enim *desiderij concubitus*, inquit, *arctissimè tenebar.* Et utramque voluntatem comparans inter se: *Velle meum tenebat inimicus, & inde*

Lib. 8. conf. c. 8.

Lib. 8. conf. c. 11.

Ibid. c. 12.

Cap. 5.

& inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me. Vides arbitror vinculum quod à volenda seu diligenda fortiter castitate retrahebat & impediebat. Nunc intuere conantis in contrarium voluntatem: *Voluntas autem nova quæ mihi esse cœperat, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Nescio an quippiam afferri possit evidentius, ad ostendendum quædam esse vincula seu impedimenta viscosa voluntatis quibus fortissimè ligatur, ne in certos actus liberos possit surgere. Dices forte, ea rumpere potuisse Augustinum si voluisset: nihil verius, sed ad habendam tantam voluntatem nondum idoneus erat, quia nondum data erat. Ipsum enim *velle*, ut ibidem dicit, *erat posse*. Sed quia tantum velle non habebat, ideo & potestate carebat, secundum quod ipse dicit: *Voluntas nova nondum erat idonea ad superandam priorem*, donec (?)itus paulo post inspiraretur efficacior.

Cap. 5.

Cap. 8.

Sed hoc exemplum est hominis jam volentis, qui glutinosis vinculis impeditur, ne satis fortiter velit. Sunt alia vincula seu impedimenta, quæ nec tenuiter velle sinunt. Qui res humanas attentius exploraverit, nihil inveniet manifestius. Vnde enim alioquin in hominibus fide destitutis tam voluntarius, tam præceps, tam pertinax animi motus in carnales voluptates, ut non solum non habeat potestatem exuendi se, sed nec tenuissimam voluntatem, imo summam felicitatem putet, illis tanquam bonis, quibus ignorat meliora, frui; summam miseriam exui? Ipsa fides nos docet neminem non solum ex eis posse sine fide, qua carent, surgere, sed nec velle surgere. Quo enim pacto ex eo surgere volent, ex quo surgendum nesciunt? Nam ut optimè sanctus Prosper Christianæ fidei fundamentis canit:

Prosp. carm. de ingratis v. 40.

Nec iam captivos oculos extollere in altum.
Sponte potest: quoniam hoc etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto iaceat sub vulnere norit.

Magis autem amisit, ut velit surgere, multoque maximè, ut possit, ut in eodem libro non semel docet. Nihil igitur evidentius est, quam esse vincula quædam voluntatis, quæ voluntatem ipsam à volendo certum genus actuum retrahunt & impediunt, ita ut tale velle non sit in ipsius potestate nisi tunc tantum quando illa potestas aliunde datur, Scriptura propter illam causam dicente: *Dedit illis potestatem filios Dei fieri*, quod non fiunt nisi voluntate. Sed in dæmonibus ac damnatis res omni prorsus controversia caret. Certissimum est enim, eos illud bonorum actuum genus nec velle, nec posse velle propter insolubilia voluntatis vincula, quæ deficiente illo principio, quod voluntatem facit hujusmodi actus velle, rumpere nec possunt neque unquam volunt:

Joan. 1.

Iam vero in beatis creaturis res ista æquè perspicua est. Nam quod nec illæ à diligenda æterna veritate cessant, aut cessare possunt, aut volunt, nec vanitatem creaturarum diligere possunt, aut volunt, non aliunde accidit, nisi quia vinculo quodam delectabili constrictæ sunt, quod abrumpere neque voluntas neque potestas est; ut hac de causa non sit amplius in earum potestate, & proinde nec liberum. Sed quid illud est, quod tantam vim habet in liberam voluntatem, ut quantumvis nunquam cogi possit, vel in ullos actus nisi libero prosilire motu, hoc tamen vinculo impedita in illos ipsos actus ad quos cogi nequit, liberè se flectere & progredi nequeat, hoc est, quod sit illud juxta doctrinam sancti Augustini, quo deficiente actus aliquis non est reipsa in voluntatis potestate, & quo præsente ponitur in ejus potestate, ita ut ejus præsentia nos velle faciat, absentia nolle?

CAPVT TERTIVM.

Delectatio efficit voluntatem & libertatem, hoc est, facit velle & liberè velle.

Qvapropter lustratis diligenter fundamentis Augustini, quibus tota doctrina de arbitrij libertate nititur, nihil aliud existimamus quam cognitionem ac delectationem, seu delectabilem objecti complacentiam, esse id quod tantam potestatem in liberum arbitrium habet, ut eam faciat velle vel nolle, seu, ut ea præsente actus volendi sit reipsa in ejus potestate, absente non sit. De cognitione hic non multum solliciti sumus. Illam enim ad volendum esse necessariam, vix quisquam dubitat. Nam inde est illud Aristotelis ac Damasceni ab omnibus admissum, quod ignorantia non minus quam coactio, seu violentia faciat involuntarium, vel certe quod huic loco sufficit, non voluntarium. Nemo quippe velle potest quod ignorat, de delectatione tota quæstio est. Rem tamen istam etjam de delectatione creberrimè Augustinus tanquam certissimam sibique exploratissimam docuit. Nonnulla tamen delibaturi hoc loco sumus, quia multa in alium locum opportunius & fusius digessimus.

3. Ethic. 5. Damasc. lib. 2. orthod. fid.

Vide librum de grat. Christ. Salvat. a … usque ad 13

Igitur

Igitur libro primo ad Simplicianum quęstione secunda ex professo disquirit, unde contingat quod voluntas unius ad rem aliquam sibi propositam non moveatur, ultimam radicem illam esse tradit, quia delectatione destituitur: ut autem amplectatur aliquid quod non delectet, fieri nullo pacto potest: *Quis habet*, inquit, *in potestate tali viso attingi mentem suam quo eius voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit?* Ecce rem ab ipsis fundamentis resolutam, defectum delectationis esse causam, cur voluntas non moveatur nec moveri possit ad amplectendum aliquid. Quod instantius paulo post iterum repetit: *Restat ergo ut voluntates eligantur. Sed voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque mutet animum, moveri nullo pacto potest. Hoc autem ut occurrat non est in hominis potestate.* Et in libro de Spiritu & littera, tanta hoc asseverat certitudine, ut nemini ignotum esse posse declaret: *Quis nesciat non esse in hominis potestate quod sciat, nec esse consequens, ut quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, nisi tantum delectet quantum diligendum est?* Vbi magnitudo delectationis mensura dilectionis asseritur. Quod evidentius inculcans ibidem dicit: *Fieret enim*, perfecta scilicet vita, sine ullo omnino peccato, *si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei.* Sed quid causæ est, ut tanta voluntas non adhibeatur tantæ rei? *Esset autem tanta si & nihil eorum quæ pertinent ad iustitiam nos lateret, & ea sic delectarent animum, ut quicquid aliud voluptas sive dolor impedit delectatio illa superaret.* Vbi pari prorsus modo defectum delectationis, sicut defectum scientiæ causas ponit, cur voluntas tanta non sit, quanta sufficit ut quælibet impedimenta superentur. Quare in eodem libro de utraque causa similiter dicit: *Cùm id quod agendum est cœperit non latere, nisi etiam* DELECTET *& ametur, non agitur, non suscipitur.* Imo si etiam agitur & suscipitur, deficiente delectatione mox deficitur, juxta id quod alibi dicit: *Si nulla iucunditas, defecimus.* Et in libris de peccatorum meritis & remissione cùm causas volendi nolendique similiter indagaret, duas illas similiter profert, *sive quia latet*, inquit, *sive quia non delectat.* Et rationem subjicit: *Tantò enim quidque vehementius volumus, quantò certius quam bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas* (id est defectus delectationis) *vitia sunt quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum* &c. Nihil evidentius tradi posset, quàm istam doctrinam Augustinus tradit, & in omnibus operibus suis ab initio vitæ suæ Christianæ usque ad finem uniformiter. Vnde in Tractatibus in Ioannem illud Poëtæ tanquam ex fundo veritatis haustum, *trahit sua quemque voluptas*, approbat. *Porro si Poëta*, inquit, *dicere licuit, trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio; quanto magis nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita.*

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Lib. de Spir. & lit. c. 35.

Lib. de Spir. & lit. c. 3.

In Psal. 85.

Lib. 2. de peccat. mer. c. 17.

Tract. 26. in Ioan.

Cùm igitur vera causa, cur arbitrium ad appetendum aliquid moveatur, sit delectatio qua intrinsecus in ipsa voluntate mulcetur, hinc est, quod consequenter Augustinus tradit tam in appetendo, quam in omittendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri. Cùm enim hoc sit liberum Augustino, quod est in potestate seu quod fit cum volumus, necesse est illud ipsum quod arbitrio volendi nolendique causa fuerit, etiam causam esse libertatis. Sic igitur de libertate ad peccandum, seu quæ in peccatis eligendis apparet, Augustinus loquitur, cum liberum arbitrium in peccatoribus juxta doctrinam ejus perijsse diceretur: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non perijt ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis lubet.* Et iterum in eodem loco: *In malo liberum habet arbitrium cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit.* Et rursum enucleatius: *Neque enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo & cæcitatis & infirmitatis*, id est, vitiosa delectatione qua mens ad bonum infirma redditur. Et adhuc instantius & apertius: *Hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est quia liberata non est*, id est, non est expedita duobus illis vinculis quæ impediunt ne velit bonum, hoc est, ne illud velle habeat in potestate. Vtrumque eodem modo docet in Enchiridio ad Laurentium: *Quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit qui sui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccatum liber est.* Et cum ostendisset eum qui talis est, nondum esse ab illis vinculis liberatum à Deo, adijcit: *Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere, qui nondum liber est ad operandum bene.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Cap. 3.

Ibid.

Cap. 30.

Ex hoc generali principio ulterius Augustinus sæpe docet, idcirco voluntatis consensum ad peccandum tribui vel non tribui, quia voluntas delectatione peccati mollitur aut destituitur, aliâque fortiore possidetur: *Quæro*, inquit, *quid allectas animæ consensionem, an iterum illa cassatim & propterea consentire dicatur, quia eius aliqua delectatione movetur ad fruendum. Quod si ita est non est consequens ut propterea malum dicatur, quia non recte diligitur.* Et tractatu quadragesimo sexto in Ioannem: *Delectavit quod malum est, consensisti, peccasti.* Et in sermonibus de verbis Apostoli dicit quod *quicquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriatur nisi ex illicita delectatione.* Hinc alibi de peccatoribus causâ peccandi rogatis: Quid, inquit, *aliud sermoni veritatis respondent omnes flagitiosi & facinorosi*

Lib. cont. Secund. c. 15.

Cap. 1.

Lib. 2. de Baptis.

facinorosi homines, cùm eos veritas arguit, nisi hoc volo, hoc me delectat? Et in dæmonibus ipsis in perpetua peccati voluntate permanentibus, eandem delectationem ejus rei causam esse satis evidenter exprimit, quando dicit, quod *eos perpetua peccandi voluptas tenet.*

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 5.

Nec solum, ut voluntas peccet, sed etiam ut peccare nolit, eadem efficacia bonæ delectationis vel defectus malæ operatur: *Delectat uxor aliena & non annuis, mentem avertis in secretarium mentis intras* &c. *Nolo, inquis, non facio. Puta, quia delectat non facio. Habeo cui condelecter.* Et paulo post: *Si mens non consentit peccato titillanti, blandienti, si mens non consentit, quoniam habet alias interius delectationes suas, delectationibus carnis ex nulla parte conferendas.* Et alibi: *Et bonum fit, cum id quod male lubet, vincente bonâ delectatione non fit.* Quæ doctrina usque adeo apud Augustinum certa est, ut hac de causa nec beatorum arbitrium in cælo peccare posse testetur, quia illos peccata amplius delectare non poterunt, & ipsa delectatio non peccandi erit in eis perpetuâ stabilitate firmata: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* Qua de causa dicit in libris de Trinitate: *Temperantia erit in cælo nullo defectu noxio delectari.* Et de Genesi ad litteram: *Sicut ergo vera ratio docet meliorem esse naturam, quam prorsus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet etiam illam bonam esse, quæ habet in potestate illicitam delectationem, si extiterit, ita cohibere, ut non solum de ceteris licitis recteque factis, verum etiam de ipsius pravæ delectationis cohibitione lætetur.* Nempe per aliam delectationem cælitus defluentem. Quemadmodum enim voluntas sine præeunte delectatione, velle vel consentire nequit, ita nec pravam delectationem sine aliqua majore delectatione & meliore compescere. Ex eadem quippe radice utrumque pari necessitate nascitur, pari certitudine ab Augustino traditur: *Regnant ista bona* (id est, fructus Spiritus) *si tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentationibus ne in peccati consensionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Ut verbi gratia occurrit forma speciosæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulchritudo illa intima & sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus & secundum hanc operamur.* Et causam reddens cur in quibusdam non regnent seu dominentur opera carnis, hoc est, peccata: *Maior enim & præpollentior eorum delectatio justitia est.* Ex quo fit ut in libro de Nuptijs in hac pravæ delectationis immunitate verissimam arbitrij libertatem à volendis actibus malis, & ad volendos bonos collocet, quæ immunitas obtineri nequit, nisi per præpollentem justitiæ delectationem, altera deleatur: *Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti.* Nimirum quia delectatio non solum arbitrium liberum ad actus malos facit, ut in præcedentibus ex Augustino demonstravimus, quos sine delectatione velle non potest, sed etiam ad actus bonos juxta illud brevissimum & verissimum: *Libertas delectat, delectet te, & liber es.* Qua nobilissima fulgentissimaque sententia hic contenti erimus. Nam propter peculiares difficultates quæ libertatem arbitrij ad bonum opus implicatam tenent, alibi hac de re fusius tractaturi, & eam innumeris testimonijs, si opus fuerit ex Augustinianæ doctrinæ fundamentis asserturi sumus.

Serm. 5. de verb. Apost. cap. 9. Cap. 10.

Lib. de Contin. cap. 8.

Lib. 22. de Civit. c. 30.

Lib. 14. c. 9.

Lib. 11. de Gen. ad litt. c. 7.

In cap. 5. Epist. ad Galat.

Ibid.

Lib. 1. de nupt. cap. 30.

Tract. 41. in Ioann.

Hæc igitur omnia, nisi fallor, perspicuum generaliter faciunt, quid Augustinus de voluntate sentiat. Nimirum non aliter posse moveri voluntatem ad bonum, nisi quia delectatur bono, quia dulcescit, quia arridet & placet; qua delectatione & complacentia si destituitur, velle nullo pacto potest. Quod quamvis Augustinus non toties tamque asseveranter & indubitanter diceret, quis experientia convictus propria non fateatur? Nam quis aliquid amplecti potest quod non delectat, quod animo aversatur? Unde & Aristoteles, ἀκούσιον ἐπίλυπον, *Involuntarium est cum tristitia.* Indicans ibidem voluntarium esse quod fit cum voluptate. Quod si delectatio boni velle facit, delectatio quoque ponit actum in potestate voluntatis, hoc enim est in nostra potestate quod fit cùm volumus, & hoc ipso etiam liberum facit, ut non solum ex Augustini principijs jam ab initio hujus Tractatus fusius explicatis patet, sed etiam, ut jam audivimus, disertissimis & sæpe repetitis verbis Augustinus inculcat. Quæ si vera sunt, sicut juxta sanctissimi Doctoris principium verissima sunt, non poterit amplius de eius mente dubitari, qua eum sentire & constanter docere diximus, libertati arbitrij solam necessitatem coactionis, seu quæ etsi nolumus, efficit id quod potest, esse contrariam, omnemque actum voluntarium seu spontaneum, hoc ipso esse liberum. Hoc enim ipsum quod voluntatem sponte velle seu consentire facit, hoc eam, ut vidimus, etiam liberam facit.

3. Ethic.

Si vero seposita tantisper Augustini auctoritate, rem ratione metiri voluerimus, inveniemus eam huic ipsi suffragari quod docuit, ut voluntatem ita & libertatem ex delectationis fonte proficisci. Nam omnium judicio, quod Philosophus expressit, id liberum est, *quod est gratia sui.* Hoc est enim oppositum servi, qui non est gratia sui, sed Domini, ut idem in politicis tradit. Iam vero nihil omnino fingi in natura humana potest, quod magis sit gratia sui, quam delectari bono, seu bonum placere & arridere voluntati. Nam si quempiam interroges, cur hoc vel istud velit aut agat, per circuitus eò tandem veniet, quia placuit, quia arrisit mihi, quia delectabar. Quod si perrexeris rogare, cur eligat id quod placet, vel quo

1. Metaph.

Lib. 1. Polit.

vel quo delectatur, inepta & ridicula censebitur interrogatio, nec responso digna, ut quod non habeat nec habere debeat aliam causam, per se enim notum est complacere & delectari bono, esse *gratia sui*: & idcirco liberum & causa omnis libertatis in actibus voluntatis. Et inde nascitur, quod sicut delectationi opponitur tristitia, & complacentiæ displicentia, ita etiam secundum Augustini mentem, A liberum coacto. Nam ad quod aliquis coactè trahitur, hoc fit cum displicentia, & vice versâ, quod fit cum displicentia, eò coactè trahi, non liberè ire dicitur; & pari passu, quo major est displicentia, eò magis coactum est, quò minor, eò minus. Et hinc dicimus, coactus sui, non fuit mihi liberum, hoc est, non fuit in potestate.

CAPVT QVARTVM.

Libertas Augustino maximè versatur circa finem, & quare.

VT vero mens Augustini adhuc uberius de ista libertate pateat, operæ pretium est disquirere, circa quid libertas Augustino nota, velut objectum versetur, circa finem, an ea quæ sunt ad finem. Recentioribus enim plerisq; nulla omnino libertas nota est nisi quæ circa ea quæ sunt ad finem exseratur. Quod si quos ejus motus erga finem esse concedatur, finem in ordinem ejus quod ad finem est, transire profitentur.

Augustinus vero directissimè contrariâ incedit via, quia contrarijs, quam recentiores principijs nititur. Docet enim esse maximam circa finem voluntatis libertatem; nec aliter, nisi retractando principia sua quibus arbitrij libertatem asseruit, docere potest. Cùm enim hoc sit ei liberum, quod fit cùm volumus, ibique primitus & maximè fit ipsum velle, sicut ipse loquitur; profecto necessarium est, maximam circa finem esse libertatem; finem enim maximè volumus; B quia propter se volumus. Rursum cùm id sit liberum, quod est *gratia sui* & non servit alteri; necesse est in appetitu finis maximam esse libertatem; quia maximè est gratia sui; cui motus in ea quæ sunt ad finem necessario servire debet. Deinde cùm id sit liberum quod delectat: *Delectat te*, inquit, *& liber es. Ibi enim sumus veraciter liberi; ubi non delectamur inviti*, ut supra latius vidimus: necesse est motum illum esse maximè liberum; qui maximè delectabilis est. Talis est autem citra dubitationem omnem voluntatis motus in finem; omnis quippe motus in ea quæ sunt ad finem, quatenus talis, tristitiam admixtam habet; quia nollet id quod est ad finem, si sine illo posset pertingere ad finem. Denique quod ex præcedenti nascitur, cùm id sit maximè liberum Augustino, quod minimè coactum, seu vi necessitatis extortum est, necesse est motum in finem esse maximè C liberum, quia maximâ voluntate, minimâ necessitate provocatum. Medium enim, ut medium, non tam voluntarium quàm necessarium est, respectu alterius concupiti, ut nonnunquam Augustinus monet. Hæc principia perpetuò Augustinus intueri solet, quando de libertate loquitur, ideoque semper libertatem collocans respectu finis, & ejus quod per se & quod delectabiliter appetitur. Nam hinc illæ locutiones profectæ sunt, per quas supra vidimus libertatem arbitrij, sive benè agentis, sive peccantis, in motu voluntatis delectabili collocari. Hinc alibi surgens altius usque ad ipsam beatificam contemplationem, quæ juxta doctrinam ejus maxima ex parte voluntatis fruentis opus est: *Ad istum*, inquit, *fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis. Solus est enim liber, quoniam propter se appetitur, & non refertur ad aliud. Huic servit actio. Ad hunc refertur quicquid bene agitur, quia propter hunc agitur: ipse autem non propter aliud, sed propter semet ipsum tenetur & habetur, ibi enim finis qui sufficit nobis.* Et quia præter illum ultimum omnium nostrarum actionum finem, non desunt alij fines ultimo subordinati, hinc est, quod alibi, & in alijs finibus qui propter delectabilem sui complacentiam appetuntur, similiter libertatem tribuit. Nam de illis loquens qui membra non ob aliud assequendum movent, sed solum ut ipso motu delectentur, sic interrogat discipulum quicum disputat: *Quando ergo censes aliquam rem præstare, & quasi dominari eum propter se ipsam, an cum propter aliud appetitur?* Cui alter: *Quis negat cum propter se ipsam?* Rursum Augustinus: *Vide utrum magis habere fidem debeat hoc nomen* (scilicet peritia movendi) *in eo motu qui velut liber est; id est, propter se ipse appetitur, & propter se ipse delectat: an in eo qui servit quodammodo. Nam quasi serviunt omnia, quæ non sibi sunt; sed ad aliquid aliud referuntur.* Quam doctrinam in sexto libro repetens: *Ratio*, inquit, *primo, quid sit ipsa bona modulatio, consideravit, & eam in quodam motu libero, & ad sui pulchritudinis finem converso esse perspexit.* Quia igitur finis maximè appetitur, maximè delectabilis est; & motus in finem maximè voluntarius, & sponte non externæ considerationis extortus è voluntate fluit; hinc est, quod ille quoque motus Augustino maximè liber est; & in illo motu arbitrium maximè liberum. Et vice versâ quia motus in ea quæ sunt ad finem, ipsâ finis expetiti necessitate extorquetur, quem nisi finis sui quodam

[Left margin notes:] Lib. 3. de lib. arbitr. cap. 3. & alijs. — Locis supra citatis. — Tract. 41. in Ioannis Evangel. cap. 30.

[Right margin notes:] Tract. [illegible] in Ioann. — Lib. 1. de Musica. — Cap. [illegible]

quodam modo flagitaret, nullo modo voluntas vellet, hinc fit quod ille quoque non tam liber neq; tam voluntarius ab Augustino, sed *necessarius* appelletur; sicut & ipsa media ab ipso non bona, sed necessaria nuncupari solent. Nam de voluntate quam quispiam ad malum evadendum, seu quod idem est, ad bonum, cujus ablatio periclitatur, conservandum suscipit, qui alteri voluntati servit ut fini: *Si facit*, inquit, *non quidem plenâ & liberâ voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate.* (Lib. de Spir. & litt. c. 31.) Ecce plena voluntas quæ scilicet in bonum per se fertur, libera voluntas dicitur, quia maxime libera, non extorta per necessitatem, seu non coacta. Alteram vero non liberam vocat, quia non plene libera est, sed extorta aliquâ necessitate. Nam aliquo modo esse simul liberam in eodem loco satis aperte profitetur, dum docet quid sit aliquam actionem habere in potestate, quam scilicet *si vult facit, si non vult non facit.* (Ibid.) Sed quia motum in finem maxime omnium si vult facit, quia cùm vult utique vult, illum quoque maxime idcirco ponit in potestate voluntatis & maxime liberum. Sed præclarissimè, quod libertas voluntatis circa finem, non circa ea quæ sunt ad finem occupetur, in Psalmum centesimum trigesimum-quartum disserit, ut id exponeret quod de Deo Psalmus dicit: (In Psal. 134.) Omnia quæcumque voluit fecit: *Non omnia quæ fecit coactus est facere, sed omnia quæcumque voluit fecit. Causa omnium quæ fecit, voluntas ejus est. Facis tu domum: quam si nolles facere sine habitatione remaneres. Necessitas* (scilicet finis liberè desiderati) *coëgit te facere domum, non libera voluntas. Facis vestem, quia si non faceres, nudus ambulares. Ad faciendam ergo vestem necessitate duceris, non liberâ voluntate. Conseris montem vitibus, semen spargis, quia nisi feceris, alimenta non habebis. Omnia hæc necessitate facis, Deus bonitate fecit* (id est voluntate amante) *& nullo quod fecit eguit. Ideo omnia quæcumque voluit fecit.* Et adhuc uberius atque planius: (Ibid.) *Putas habemus & nos quod liberâ voluntate faciamus; ea enim quæ diximus ex necessitate facimus: quia si non faceremus egentes & inopes remaneremus. Invenimus aliquid quod liberâ voluntate faciamus? Invenimus planè cùm ipsum Deum amando laudamus. Hoc enim liberâ voluntate facis quando amas quod laudas. Non enim ex necessitate, sed quia placet.* Vis amplius, inculcatius, sufficientius? *Unde justis & sanctis Dei placuit Deus etiam flagellans eos &c. hoc est gratis amare non quasi propositâ acceptione mercedis* (quasi scilicet ex necessitate illam assequendi) *quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit quem gratis diligis: & sic amare debes ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet. Sicut Philippus desiderabat cùm diceret: Ostende nobis patrem & sufficit nobis. Merito quia hoc de libera voluntate facimus, & de libera voluntate facere debemus, quia* DELECTATI *facimus, dehinc amando facimus.* Istam ipsam liberam voluntatem exponit per esse voluntariam non necessariam seu necessitate extortam. Voluntas enim opposita tali necessi-

A tati, & libera voluntas idem Augustino sunt. Sic ergo pergit in explicanda illa libera laudandi Dei voluntate: *Voluntariè sacrificabo tibi. Quid est voluntariè sacrificabo? Voluntariè laudabo te, quia sacrificium laudis*, inquit, *glorificabit me.* Et in alium Psalmum eundem versiculum planius explicans: (In Psal. 53. in fine.) *Voluntariè sacrificabo tibi non ex necessitate. Si enim propter aliud laudas Deum ex necessitate laudas. Si adesset tibi quod amas, non laudares Deum. Vide quid dicam. Laudas Deum verbi gratia ut det tibi amplam pecuniam. Si haberes aliunde amplam pecuniam, non à Deo, numquid laudares Deum? Si ergo propter pecuniam laudas Deum, non voluntariè sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas; quia propter illum nescio quid amas*, scilicet ut finem quem Dei laude consequaris. Non arbitror aliquid apertius & explicatius Augustinum afferre potuisse, ut declararet mentem suam, B qua sentit illam esse maximè *voluntatem & liberam voluntatem* quæ rem per se placentem ac delectabilem, hoc est, finem expetit: illam contra esse minimè liberam, sed necessitate aliquâ seu coactione necessitatis extortam, quæ medium assumit ut assequatur finem. Qua de re plurima afferri possunt testimonia, tum ex libris de Sermone Domini in monte, tanquam in Augustino vulgatissima, tum alijs locis, nisi quæ protulimus omnem tergiversationem suâ claritate superarent. Mirantur hæc qui nullam libertatem cogitare consueverunt, nisi illam fluctuantem indifferentiam, apud Augustinum sub libertatis nomine prorsus incognitam, cùm tamen mirâ consensione principiorum omnium Augustini cohæreant. Cùm enim *necessitas* quæ nobis invitis, seu ut Augustinus loquitur, *etsi nolumus efficit id quod potest*, hoc est, coactio, repugnet diametraliter arbitrij libertati, eamque prorsus in actibus imperatis voluntatis evertat (nam in elicitos nunquam cadit aut cadere potest) hinc fit, ut quo actus, sive imperatus, sive etiam elicitus voluntatis, magis nobis invitis seu nolentibus fit, eo minus liber sit, ut qui plus participet illius cogentis necessitatis. Ex quo ulterius proficiscitur, ut omnis voluntatis motus qui in medium ad finem necessarium fertur, hoc ipso minus liber sit, quia quadam necessitate moraliter, seu secundum quid cogente voluntatem, extorquetur, cùm aliter finem per se delectabiliter expetitum assequi nequeat. Non enim nunc voluntate medium diligente atque volente, sed purâ necessitate fertur in medium. Hoc enim, ut Augustinus ait, *liberà voluntate facimus quod delectati facimus; non enim ex necessitate, sed quia placet.* Hujusmodi vero motus in medium adhuc dupliciter cōtingit, vel ad assequendum D bonum quod voluntas per se diligit, vel ad cavendum malum quod bono dilecto adversatur. De primo modo proximè locuti sumus, & causas dedimus, cur juxta sanctissimum Doctorem minus participet libertatis. Alter modus est, cùm timor mali ad aliquid

(Lib. 5. de Civit. c. 10.)

ample-

amplectendum incitat, quod in se spectatum voluntas odit, ut cùm projicit merces timore naufragij, vel servit Deo timore supplicij. Hoc secundum genus, quamvis Aristotele auctore, absolute voluntarium sit & liberum, quia tamen multo magis ab invitis seu nolentibus fit, quam istud primum quod jam diximus, multo minus etiam liberum est, quam cùm simpliciter medium ad adipiscendum bonum eligitur. Qua de causa Augustinus dicere solet, quod ex timore fit, non fieri liberâ voluntate, qualem videlicet respectu finis per se dilecti explicuimus. Sed de hac re inferius plura dicturi sumus. Vtriusque autem rei eadem ratio est. Nam sive timore mali; sive amore alterius boni aliquid assumitur à voluntate, non illud per se, sed aliud quippe diligitur, delectat & placet: & idcirco Augustini sensu & phrasi, non libera. hoc est, non plene libera voluntate fertur in medium, quia non plena voluntate. Quidquid enim invitè facimus, nec nisi alterius amore vel timore nos compellente facimus, hoc non liberè facimus, hoc est, ut Augustinus loquitur, *non plenâ & liberâ voluntate.* Quæ sanè omnia non ex alio principio fluunt, nisi quia, ut toto hoc tractatu demonstravimus, hoc est Augustino liberum, quod voluntarium, quod non necessitate coactionis extortum, quæ si fuerit absoluta, absolute destruit libertatem, sicut & voluntatem; sin tantum secundum quid atque moralis, secundum quid etiam & moralem destruit libertatem, qua non liberè, sed inviti, coacti, nolentesque facere dicimur quod non per se diligimus, sed alterius rei necessitate nos compellente facimus. Quicumque aliam libertatem arbitrij (qualis præsertim post Magistri Sententiarum tempora sub nomine libertatis defendi cœpit) in Augustini scriptis quæris, oleum & operam perdet, nec exitum ex labyrintho inextricabili plurimarum difficultatum inveniet. Et hæc sufficiant de natura libertatis generatim; nunc ad ejus divisiones intelligendas aliquid dicamus.

Ethic. — Lib. de spir. & litt. c. 31.

CAPVT QVINTVM.

Divisiones libertatis, in libertatem à necessitate, à peccato, à miseria. Item in libertatem à peccato, & à justitia. Quomodo se habeant ad veram arbitrij libertatem.

CELEBRIS divisio libertatis est non solum apud Scholasticos veteres, sed & apud Magistrum Sententiarũ quem secuti sunt, itemque Bernardum & Hugonem de Sancto Victore, in libertatem à *necessitate, à peccato, & à miseria.* Prima vocatur libertas naturæ, quia naturam in omni statu comitatur, altera gratiæ, tertia gloriæ. De duabus primis Augustino crebra mentio est, de tertia non item; ut quæ ad arbitrij libertatem parum faciat, nisi quatenus ad libertatem à peccato aliquo modo reducitur, & in eam redundat. Augustinus igitur Scripturarum sanctarum doctrina & phrasibus delectatus, bimembrem fere arbitrij libertatem facit: Divisit enim eam in *libertatem à peccato, & libertatem à justitia.* Libertas enim à necessitate seu coactione, seu naturæ quę idem sunt, non est membrum à duabus illis libertatibus diversum, ut à plerisque existimatum video, sed aliquid ad utramque commune, & ab utravis inseparabile, sicut genus à speciebus suis. Nihil enim omnino vel à peccato, vel à justitia liberum esse potest, nisi simul naturali illâ arbitrij libertate, à coactionis necessitate sit liberum. Neque quicquam vice versâ, à necessitate liberum est; quin in alterutrum istorum membrorum incidat. Ex quo fit ut in ista duo jam dicta membra sit divisio illius veræ & naturalis libertatis à necessitate coactionis, quam hactenus tractavimus, & præcipuè circa finem versari diximus. De duobus illis membris, prętermissa libertate à miseria, necessario nobis disserendum est, tum quod in Augustini lucubrationibus sint celeberrima, tum vero in primis quod Scholastici, cùm libertatem à peccato, de qua præcipue quæstio est, nominari vel ex Augustino allegari audiunt, nescio quam mysticam libertatem, & quæ nihil ad veram & naturalem arbitrij libertatem faciat, concipere solent; ut eam propterea in scriptis suis vix dignentur attingere, & si quid pro libero arbitrio de illa libertate ex Augustino proferatur, solemnis responsio sit, eum loqui de libertate à peccato; quasi hoc ipso per se notum sit, nihil hoc spectare ad veram arbitrij libertatem. Qua in re vel ipsos, vel Augustinum falli necesse est: cùm in omnibus voluminibus ejus, quæ contra invidiosissimas Pelagianorum querimonias, de destructa per doctrinam ejus arbitrij libertate, exaravit, nulla penè unquam, vel nunquam alterius libertatis, quàm à justitia & à peccato mentio reperiatur. Hausit eam divisionem ex sacris literis Augustinus. Nam apud Ioannem Euangelistam Christus dicit: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati* &c. *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Et in Epistola ad Romanos Paulus: *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc vero liberati à peccato servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem.* In quem locum Augustinus: *Ecce ostenditur etiam peccato minime potuisse nisi aliâ libertate serviri*, libertate scilicet à justitia. Nam de libertate à peccato, utroque in loco perspicua mentio est, dum Paulus eos *à peccato liberatos*, & Christus *verè liberos* futuros esse promittit. Hinc divisionis istius amplitudinem atq; sufficientiam

cientiam tradens: *Sẽper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona.* Vbi apertè docet inter libertatem à peccato & à justitia, nullam omnino liberam voluntatem esse mediam, & proinde plenam esse & adæquatam liberæ voluntatis divisionem. Quod non solum de potentia voluntatis Augustinus verum esse sentit, quasi illa semper alterutri sive peccato, sive justitiæ subjecta sit, sed maxime de voluntate ut significat motum voluntatis, de qua ibi sola quæstio est. Nam illa nunc semper in omni humano motu suo, vel peccato male agendo servit, vel benefaciendo, justitiæ. Nullum quippe indifferentem actum in individuo dari (quod & præcipui Scholasticorum docent) tanquam rem exploratam in ista divisione supponit.

Vt igitur divisionis illius natura percipiatur, memoriâ repetendum est id quod tam prolixe ex Augustino, Bernardo, ceterisque tum Patribus tum Scholasticis asseruimus, libertatem arbitrij generalem & naturalem non esse aliam nisi à necessitate, quam eos solam coactionem intellexisse demonstravimus. Ex quo fit ut apud eos liber actus sit idem, qui non coactus, qui non fit nobis nolentibus seu invitis, & qui hoc ipso est in nostra potestate. Hoc autem non est aliud, quam actus voluntarius seu spontaneus, prout voluntas voluntarium & spontaneum, juxta Damasceni doctrinam supra traditam, motum rationalem cum rationis advertentia & circumstantiarum cognitione designat, nec oriri potest in homine renitente voluntate. Solum hæc est differentia, quod *non coactum, & non extra potestatem nostram*, designent motum illum privativè, prout non fit ab extrinseco; voluntarium, spontaneum, & in nostra potestate, significent eum positive prout fit ab intrinseco. Carere enim causa extranea cogente, non est satis ut actus voluntatis fieri intelligatur, nisi etiam suam causam internam habeat à qua fiat: quod magis nomine spontaneæ & in potestate positæ, quam non coactæ voluntatis exprimitur. Liberum autem utrumque indicat, ut videlicet & privativè non cogatur quasi sit extra arbitrij potestatem, & positive sponte fluat, & sit in arbitrij potestate. Actus porro liber quatenus positive spontanea, & in potestate posita voluntatis inclinatione fluit, quamvis semper sine ulla coactionis necessitate fiat, impediri tamen & promoveri potest, & magis minusve poni in arbitrij potestate, prout animi pronitas & repugnantia respectu actus, seu id quod voluntatem ad velle vel nolle provocat & avocat, itemque potentem & infirmam facit, crescit atque decrescit. Hoc est autem, ut supra juxta constantem Augustini mentem declaravimus, delectabilis quædam attrisio seu complacentia objecti, quæ motus omnes voluntatis antegreditur & viam parat, sine qua omnino velle non potest, quantumvis sive velit sive nolit, sive velle possit sive velle non possit, semper in ea generalis & naturalis illa ratio libertatis quam explicuimus, integra sit, nullaque in alterutram partem necessitate cogatur: prout hoc accuratè in suo libro de gratia & libero arbitrio sanctus Bernardus tradit. Hoc igitur quod potentiam voluntatis ad volendum allicit, & quo magis accenditur implicaturque voluntati, eo ardentius constantiusque allicit, duplicis duntaxat rationis est, respectu boni scil. vel mali. Bonum enim & malum in moribus, ad quos ex veritate & honestate formandos, ut tandem ultimo & vero suo fruatur bono, voluntas naturaliter condita est, adæquatè totum objectum voluntatis exhauriunt, ut propterea necesse sit, voluntatem rationalem alterutro delectari, vel bono vel malo. Bonum istud est justitia, malum peccatum, prout affectiones ipsas voluntatis denotant, vel si objecta malumus, bonum est justitia sempiterna, hoc est, Deus, malum creatura, quatenus illa rectâ, hæc perversâ voluntate diliguntur. Cùm ergo voluntas justitiá delectatur, oritur libertas à peccato: cum creaturis, à justitia. Impossibile enim est ut voluntas justitiam diligat, nisi prorsus ab illo delectabili affectu peccati, quo mens impeditur, & deorsum premitur, liberetur: vel ut creaturam perverse diligat, nisi à dilectione justitiæ, sursum animum retorquente, se liberet. Ad hoc enim mens ipsa sufficit sibi, nec est opus auxilio Dei: *Liberi a justitia non sunt*, inquit Augustinus, *nisi arbitrio voluntatis: liberi autem a peccato non sunt nisi gratiâ Salvatoris.* Et rursum: *Liberos dixit* (Apostolus ad Romanos sexto) *justitiæ, non liberatos. A peccato autem non liberos, ne sibi hoc tribuerent, sed vigilantissime maluit dicere liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam: Si vos filius liberaverit tunc vere liberi eritis.*

Ep. 1. ad Bonif. c. 2.

Ibid.

Quia vero creatura rationalis non ita condita est, ut seipsa felix seu beata esse queat, hinc sive veram beatitudinem suam ex Deo quærat, sive falsam & verisimilem ex creatura, semper per amorem alicui servit, illi scilicet ex quo beata esse cupit. Quidquid enim ut beatitudinis causa diligitur, illi non potest animus non servire, juxta illud Augustini: *His rebus quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est, velit nolit. Nam quocumque duxerint sequitur, & quisquis eas visus fuerit auferre posse metuitur.* Duplex igitur libertas ista duplicem oppositæ servitutem secum trahit, sine qua esse non potest. Qui enim à justitia liber est, sibi ipsi servit, & omnibus temporalibus quibus diligendo subjectus est: *Cum enim omnia temporalia manifestatia mundus iste concludat, omnibus mundi partibus serviunt, qui propterea putant nihil colendum esse, ne serviant.* Vitia enim sua sibi *dominantur, patiuntur vel libidine vel superbia vel curiositate damnati.* Qui vero à peccato liber est, hoc ipso servit vero Domino suo justitiæ sempiternæ. Vtramque illam libertatem sæpè Augustinus cum opposita sibi servitute conjungit. Nam illum Apostoli locum ponderans, cum essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ,

Damasc. lib. 2. orthod. fid. c. 22. & 24.

Lib. de vera Relig. c. 38.

Ibid.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2. justitiæ, sic loquitur: *Ecce ostenditur etiam peccato minime potuisse nisi alia libertate servire.* Et in *Enchirid. c. 30.* Enchiridio ad Laurentium: *Ad illè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, justitiæ cœperit esse servus.* Et in illa verba *captivasti captivitatem*, *In Psal. 67.* sicut ipse legit: *Captivati ergo quia capti, & capti quia subiugati. sub leve illud iugum missi, liberati à peccato enim servi erant, ut justitiæ servi facti essent liberi erant.* Et optime sanctus Prosper cum citasset Scripturæ locum: *Qui facit peccatum servus est peccati.* Et: *A quo quis superatus est, ei & servus addictus est*, Augustini, Apostoli, & Christi doctrinam explicans: *Nemo*, inquit, *servit* *Cont. Collat. c. 19.* *nisi cum aliqua libertate; & nemo liber est nisi cum aliqua servitute dicente Apostolo: Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo* &c. *Quisquis servit diabolo, liber est à Deo. Qui autem liberatus servit Deo liber est à diabolo.*

B Quapropter quia semper libertas à peccato cum servitute justitiæ juncta est, & vice versâ libertas à justitia cum servitute peccati, hinc fit quod istud liberum hoc est, voluntarius seu liberæ voluntatis actus, ad duplicem quasi terminum quasi comparari possit, *a quo* & *ad quem*. Terminus à quo liber dicitur, est ille, à quo tanquam impediente & retrahente ne in actum exire possit, liber & immunis voluntas nominatur, sive sit peccatum, in vera libertate, sive justitia, in defectiva & falsa. Terminus ad quem est ille cui libertas operatur, seu propter quem operandum voluntas liberatur, sive peccatum in falsa libertate, sive justitia in vera. Idcirco enim liberatur à peccato ut justitiæ serviat, seu ut actiones justitiæ possit operari; & è contrario idcirco à justitia se voluntas liberam facit, ut peccato serviat. Terminus enim ad quem, est ille cui duplici illa quam protulimus, servitute servimus. C Qua de re nonnulla in præcedentibus diximus, & in Augustino testimonia passim obvia *In Enchirid. c. 30.* sunt, ut cum dicit in Enchiridio: *Ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad illè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus*: Et mox: *Sed ista libertas ad benefaciendum, unde erit homini addicto & vendito.* Et iterum: *Quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere, qui nondum liber est* (scilicet à peccato) *ad operandum bene.* Et ad- *Lib. 1 cont. 2. resp. imperf. c. 124.* versus Iulianum: *Liberos dicimus ad facienda opera pietatis eos quibus dicit Apostolus: nunc autem liberati à peccato, servi facti Deo* &c. Cujusmodi locutiones plures videre licet in Epistola ad Vitalem. Quod autem hic vocat liberum ad bonum & malum, hoc alibi vocat liberum in bono & malo, quia videlicet operatio voluntatis utrovis modo liberæ, versatur in operi- *Lib. 1. ad Bonif. c. 2.* bus bonis aut malis: *Nec liberum in bono, opere* A *scilicet, erit quod liberator non liberaverit: sed in malo liberum habet arbitrium.* Et iterum ibidem: *Sed hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.*

Cùm igitur justitiæ vel peccati delectatio sit illud vinculum quo liberum arbitrium in justitia vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiu isto stabiliter possidetur & constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non possit, nemini mirum videri debet, quod Augustinus cum Pelagianis de arbitrij libertate disputans, semper de libertate à peccato mentionem facit. Peccatum enim est illud ipsum quod ponit actum voluntatis bonum extra arbitrij potestatem; & è contrario gratia est id quod ponit illum in potestate, quia voluntatem velle facit, sine qua bene velle nullo pacto potest. Hoc est enim liberum quod est in arbitrij potestate, seu quod fit cùm vult: ut proinde illa Augustini disputatio, veram, genuinam, proprijssimè dictam arbitrij libertatem accuratè & profundè tangat & explicet, non solum quatenus vera, genuina, & propriè dicta libertas illa dicitur, ad quam in Dei amore & fruitione possidendam conditus est, sed etiam quatenus vera & genuina, & proprijssime dicta libertas arbitrij vocatur, illa naturalis quæ coactionis immunitatem, & electionis liberæ facultatem sonat. Hoc enim ipso, ut jam diximus, quo gratia facit arbitrium velle & operari bonum, sine qua velle non potest, etiam ponit actum in ejus potestate, & citra coactionis necessitatem ex ea sponte fluere: quæ apud Augustinum veræ & genuinæ & naturalis istius libertatis notio est. Quod eodem modo cum proportione in libertate peccandi locum habet. Nam in peccando, non minus quàm in benefaciendo, ex Augustini mente, naturalis illius libertatis ratio apparet, cùm actus peccati ponitur in arbitrij potestate, qua creatura rationalis in statu perfectæ beatitudinis caret. Sed ideo recentiores mirantur, cur semper Augustinus de libertate à peccato, & servitute justitiæ cum Pelagianis veram libertatem oppugnantibus differat, & nescio quid mysticum, eorum judicio, in libero arbitrio quærat, cùm de libertate arbitrij naturali satagendum esse videatur; quia quid sit liberum arbitrium Augustino, non satis penetrant, nec unquam, ausim dicere, penetrabunt aut intelligent, quantumvis sese fatigaverint, quamdiu non aliam in Augustino libertatem, quam illam philosophicam indifferentiam quærendam esse censuerint.

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM

Quid sit libertas à peccato in Scripturis celebrata, juxta recentiores, & Pelagianos, & Augustinum, secundum terminum à quo.

SED alia non minima hallucinatio est quæ recentiores ab intelligenda & amplectenda illa libertate à peccato, tanquam propriè dicta arbitrij libertate, aversos detinet, quia sub illis vocabulis rem ab Augustini mente & arbitrij libertate valde remotam significari putant. Cùm enim arbitrium à peccato liberum fieri vel à peccati servitute liberari audiunt, nihil aliud suspicari possunt, quam peccati duntaxat remissionem deletâ culpâ fieri. Quod quia perperam videtur facere ad veram arbitrij libertatem, hinc consequenter non finuntur intelligere, quo pacto illa libertas à servitute peccati, propriè dicta libertas dici queat.

Burrez. prol. 3. cap. 1.

Eodem prorsus modo intellexit olim, & ad solam peccati remissionem torsit istam libertatem à peccato Iulianus Pelagianorum *ὑπερασπιστὴς* pervicax, ut Scripturarum laqueos quibus eum astringebat Augustinus & veritatis effugeret. Nihil enim eas prorsus ab liberum arbitrium pertinere contendebat. Cùm enim illa verba Christi: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*, citasset Augustinus in libro suo de nuptijs & concupiscentia, & eis probasset arbitrium non esse liberum ea libertate, ex qua liberum arbitrium dicitur, nisi per gratiam liberetur, sic respondet ei Iulianus: *Manifestum est Christum in illo loco ad captivam conscientiam* (scilicet sub culpa) *verba fecisse: quam liberum non esse prodebat, sed obnoxiam ei ultioni, quæ condemnat peccata liberâ voluntate commissa. Quam sententiam tu non intelligens, aut fortè intelligens & huic naturæ suæ repugnantem trahens in eo posuisti loco ubi a tuis sermonibus* (de libero arbitrio) *tota sui proprietate discordat.* Hôc est, nihil ea sententia ad liberum arbitrium, sed tantum ad peccati remissionem, vindictæ relaxationem pertinet. Et paulo post de eisdem Christi verbis adjicit: *Hic ergo non arbitrij libertatem Dominus dicit esse liberandam, sed illa integra permanente convenit Iudæos, ut accipientes indulgentiam liberentur à reatibus, & cum quæ apud Dominum maxima est, libertatem occupent, ut incipiant nihil debere criminibus.* Et rursum idem Iulianus: *Hic ergo ubi dixit Dominus, si vos filius liberaverit vere liberi eritis, promisit indulgentiam eis qui peccantes non arbitrij libertatem sed conscientiam justitiæ perdiderunt.* De alio vero Apostoli loco: *Cum essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ, tunc vero liberati à peccato* &c. quem Augustinus potissimum urserat & urgere solet, ut probet gratiam afferre naturalem, non mysticam, veramque & propriè dictam arbitrij libertatem ad actus bonos, sic idem Iulianus: *Sed absit hoc* (ut Apostolus senserit quod tu sentis) *sensum intelligimus Apostoli, & elocutionum simpliciter prolatarum officio contenti sumus. Nihil aliud dixit Magister gentium, nisi liberi fuistis, id est non servistis justitiæ: liberati estis, peccatorum veniam suscepistis, manente arbitrij libertate per quam potuerunt & ante peccatum & postea obedire justitiæ.* Quem sensum in illa disputatione sæpius repetit, totisque nervis firmare contendit: ut liquidissimè sanè pateat Iulianum non agnovisse aliam à peccato libertatem, quam quæ per culpæ deletionem, seu per peccati remissionem obtinetur. Nec ea loca scripturarum alio sensu intelligere, quam quod Christus & Apostolus libertatem à peccati reatu & à pœna suo sermone commendaverint.

Apud Aug. lib. 1. cont. Iul. imperf. c. 112.

F. 116. *F. 131.* *F. 163.*

A

Sed adversus istam perversam tum Scripturarum, tum libertatis à peccato intelligentiam, Augustinus in eadem illa dissertatione vehementer insurgit, & in scriptis suis omnibus adversus Pelagianos contrarium docet. Doctrina quippe sancti Augustini est, duplex esse peccati malum: unum, reatum ipsum, quo mens est culpabilis coram Deo pœnæque obnoxia, quoad peccati remissione deleatur: alterum, ipsum concupiscentiæ malum, quod per peccatum originis à parentibus in posteros hæreditario jure transfusum est, & peccatis actualibus multiplicatis, instar consuetudinis magis magisque crescit, & ita roboratur, ut tandem in quandam peccandi necessitatem & quasi naturam transeat, nisi divinæ gratiæ potestate superetur. Quod quamdiu non fit, mens sub illo malo serviliter captiva detinetur; non hoc sensu solum, quod peccati rea sit, & peccati præteriti remissione indigeat, sed isto potius, quod mens ab illo delectabili glutine consensum suum expedire nequeat, ut à futurorum peccatorum commissione liberetur. Malum enim concupiscentiæ dominatur homini, & mentem ita serviliter sibi subjectam tenet, ut ei servire & perpetrare quidquid illa jubet; videatur esse delectabile & magnum bonum, donec per gratiam, non solum remissionis, sed actualis adjutorij, ab ejus nexibus liberetur. Quæ gratia postmodum ad singulos actus bonos iterum necessaria est, ut mens jam etjam justificata, peccati, hoc est, concupiscentiæ remanentis, violentiæ repugnare possit, & cum eo libera præliari, ne iterum in servitutem illius mali pertrahatur. Duplex ergo, juxta sanctum Doctorem, Dei auxilium necessarium est, alterum pro peccatis præteritis, quod peccati remissionem diximus, alterum

B

C

alterum pro futuris, quo mens eruitur à dominatione concupiscentiæ & ejus quodammodo domina constituitur, ut ei ipsa jam serviat cui mens ante serviebat: & in ista dominatione per singulos dies roboratur, ne sub concupiscentiæ servile jugum iterum cadat. Hæc est ergo gratia liberatrix arbitrij gratia, inquam, non remissionis, sed actualis adjutorij ad singulos omnino actus necessarij, per quod actus bonus ponitur in arbitrij potestate, ut benè velle possit & facere: & ista ratione arbitrium voluntatis, proprie dicta libertate ad actus bonos gratia liberum facit: sine qua, quantumvis peccatum remissione deletum sit, nec liberum erit ad volendos aut faciendos actus bonos, nec à dominante rursum concupiscentia se tueri poterit, sed citra dubitationem ullam, miserabili rursus concupiscentiæ servitute subjugabitur. Itaque gratia remissionis peccatum præteritum respicit, gratia liberationis futurum. Illa delet ex arbitrio quod factum est, hæc liberat arbitrium ne iterum faciat. Illa ignoscit quod arbitrium peccato, hoc est, concupiscentiæ serviendo peccavit, hæc liberum facit, ne rursum peccato, hoc est, concupiscentiæ serviendo peccet. Illa remittit, quicquid per ignorantiam & infirmitatem, malorum actuum fecit, hæc lumen & potestatem tribuit, ut actus bonos faciat. Et idcirco liberatrix ista gratia, voluntatis arbitrium proprie dicta libertate liberum facit, non quidem generaliter (quasi facultas illa libera per peccatum de hominum natura perijsset) sed liberum ad alteram libertatis partem, hoc est, ad actus duntaxat bonos; cum sine tali gratia non nisi altera pars bicornis libertatis, hoc est, ad actus malos ei incolumis permaneret. Nam quemadmodum beatis in cælo perit potestas arbitrij ad actus malos, & si substracta quovis casu beatificæ visionis felicitate in illum redirent statum, in quo Adam recenter conditus fuit, vera & proprie libertas arbitrij, nempe ad peccandum, reddita diceretur: ita vicissim in mortaliter peccantibus, sine gratia liberante consideratis, perit libertas arbitrij ad actus bonos: quia peccato ratione adjunctæ concupiscentiæ mentem seu consensum captum detinente subjugantur. A quo quis enim devictus est, huic & servus addictus est. Quæ si per gratiam non remissionis, sed liberationis eis restituatur, ut non solum à præterita purgentur labe, sed etiam à dominatione concupiscentiæ consensus liberetur & præservetur, & ad bonos actus adjuvetur, arbitrium libertatis propria dicta libertate, sed ad actus bonos tantum, dicendum est liberari. De hac libertate à peccato, qua scilicet voluntatis arbitrium, non à peccati præteriti reatu, sed à peccati, hoc est, concupiscentiæ dominatione liberatur, ne vel imperet actus malos, vel impediat actus bonos, intelligit Augustinus Scripturas istas in scriptis ejus celebratissimas: *Veritas liberabit vos.* Et: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Et: *Nunc autem liberati à peccato &c.* De

Joan. 8.
Rom. 6.

A opposita vero peccati, hoc est, concupiscentiæ servitute, qua servus peccati facit quicquid illa jusserit exponit illas: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati.* Et: *A quo quis devictus est huic & servus addictus est.* Et: *Cùm servi essetis peccati liberi fuistis justitiæ.* Et illam apertissimam: *Non ergo regnet peccatum* (id est concupiscentia) *in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*, id est, concupiscentiæ. *Peccatum enim*, id est, concupiscentia, *vobis non dominabitur.* Non enim *sub lege estis sed sub gratia*, consensum videlicet retinente, ne peccato, hoc est, concupiscentiæ serviat, ut impleat quod dominatrix illa jubet. Hæc est vera & genuina basis doctrinæ cælestis Doctoris de arbitrij servitute & opposita libertate, per quam actus bonos velle possit & facere: à qua qui tantillum aberraverit, nunquam

B veram intelligentiam vel servitutis arbitrij, vel libertatis, quam ipse in scriptis suis tradit, assequetur.

Joan. 8.
Rom. 6.

Hæc est igitur servitus illa peccati, hoc est, concupiscentiæ, non ut proprie culpa duntaxat vel culpabilis est, sed quatenus animo seu consensui hominis peccatoris velut imperatrix, & per illam diabolus suo jure dominatur, ut nullum actum bonum possit velle vel facere, nisi gratia tribuat potestatem, quam passim sanctus Augustinus inculcat: *Nam nec grandibus*, inquit, *hoc præstatur in baptismo, ut lex peccati quæ inest in membris repugnans legi mentis, penitus extinguatur, & non sit: sed ut quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cum eidem concupiscentiæ subjecta mente serviret totum aboleatur.* Et quæstione prima libri primi ad Simplicianum de homine sub lege constituto: *Delectatur*, inquit, *contra legem facere, cum tanto magis libeat quanto minus licet. Qua suavitate frui non* C *potest, quasi pretio conditionis* (id est servitutis) *suæ, nisi cogatur tanquam emptum mancipium servire libidini. Sentit enim se servum dominantis cupiditatis qui prohibetur, & se recte prohiberi cognoscit & tamen facit.* Et iterum paulo inferius: *Quæ duo scilicet, tanquam natura & consuetudo coniuncta robustissimam faciunt & invictissimam cupiditatem quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne sua, id est, dominatum quendam & quasi regnum obtinere.* Et in Enchiridio: *Cum per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum divinus adjuvat Spiritus, secundum legem volens vivere vincitur, & sciens peccat peccatoque subditus servit. A quo enim quis devictus, huic & servus addictus est: id agente scientia mandati ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam.* Et paulo ante: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Et libro primo retractationum: *Ille qui concupiscente adversus Spiritum carne, non ea quæ vult facit concupiscit quidem nolens, & in eo non facit quod vult. Sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens,* D *& in eo non facit nisi quod vult, liber scilicet justitiæ servusque peccati*, id est, illius ejusdem concupiscentiæ. Et libro de continentia: *Sic deponuntur* (scilicet desideria peccati seu libidinis) *dum continuata continentia, ne resurgant premuntur.*

Cap. 1. de pecc. meritis, c. ult.
Lib. 1. ad Simplic. q. 1.
Cap. 118. Enchirid.
Ibid. c. 117.
Lib. 1. retract. c. 13.
Lib. de contin. c. ...

Quisquis

quisquis quasi securus ab hac earum depositione cessaverit, illico in certamen nobis prosiliunt, ut nunquam inde ipsam deponentes, atque in suam redigant SERVITUTEM *turpiter deserviturque* CAPTIVAM. *Tunc regnabit peccatum in hominis mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. Tunc sua membra exhibebit arma iniquitatis peccato.* Quem eundem Apostoli locum, ex quo doctrinam istam suam sumpsit Augustinus, cum superius in eodem libro citasset: *Id ergo,* inquit, *nunc agitur,* *Lib. de contin. c. 3.* *quamdiu est mortalis hæc vita nostra sub gratia, ne peccatum, id est, concupiscentia peccati (hanc enim hoc loco peccati nomine appellat) regnet in nostro mortali corpore. Tunc autem regnare ostenditur si desideriis ejus obeditur*, id est, servitur. Nam isti regno concupiscentiæ respondet arbitrij servitus. Unde in libro primo de libero arbitrio: *Ergo relinquitur ut quocumque regnantem menti* *Lib. 1. de lib. arb. c. 11.* *compotemque virtutis, quidquid par aut prælatum est, non enim facit servam libidinis propter justitiam* &c. Et paucis interjectis: *Num ipsa ipsa poena parva* *Ibid.* *existimanda est, quod ei libido dominatur exspoliatamque virtutis opulentia per diversa inopem atque indigentem trahit, nunc falsa pro veris approbantem* &c. *Cum interea cupiditatum illud regnum crudeliter sæviat, & variis contrariisque tempestatibus totum hominis animum vitamque perturbet* &c. De quo regno & servitute libidinis quam peccatum Apostolus vocat, ibidem late disserit. Et in *Epist. 70.* Epistolam septuagesimam: *Anima malignis cupiditatibus captiva* (id est, serva). Et Epi- *Epist. 48.* stola quadragesima octava: *Aliis serviunt cupiditati, bonis charitati.* Et Epistola ducentesima *Epist. 211.* undecima: *Parva enim & quasi nulla tibi videntur, quæ tam mala sunt ut quando te domina cupiditas te considerare permiserit viges lacrymis terram.* Infinita sunt hujusmodi loca quibus semper Augustinus peccati servitutem, qua arbitrium ei velut dominanti servit, non aliter explicat, quam qua libidini, cupiditati, carnalibusve desiderijs servit, dum ut Apostolus loquitur, regnat *Ad Rom. 6.* peccatum in eorum mortali corpore ut obediant concupiscentijs ejus.

E contrario vero simili prorsus modo libertatem, qua liberum arbitrium à peccati servitute liberatur, non illam intelligit, qua unde culpa deletur è conscientia, sed qua arbitrium eruitur è servitute libidinis seu concupiscentiæ. Et mens restituto sibi consensu qui sub ejus tyrannide prostratus erat, captivusque tenebatur cum eodem illo peccato seu concupiscentia jam liberata fortiter dimicat ne iterum in servitutem captiva ducatur. Hinc illum Apostoli prolixum tractans locum, ubi inter cetera dicit, *Quis me liberabit de cor-* *Rom. 7.* *pore mortis hujus.* Et, *Lex Spiritus vitæ liberavit me* &c. Quibus verbis gratiam à concupiscentiæ consensione liberantem implorabat; & nomen gratiæ liberatricis expressit, quo sæpè postea Augustinus usus est, sic liberationem *Lib. 1. ad Bonif. c. 10.* illam explicat: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Quid est nunc autem, nisi jam nunc sub gratia, quæ liberavit* *Lib. 1. ad Bonif. c. 10.* *delectationem voluntatis à consensione cupiditatis?* Et pauculis interpositis: *Lex spiritus vitæ in* *Christo Iesu liberavit te à lege peccati & mortis* (id est, concupiscentia) *ne scilicet consensionem tuam concupiscentia sibi vendicet carnis.* Et rursum: *Dici-* *Cap. 11.* *mus Apostolos à consensione pravarum libidinum liberos fuisse.* Qua de causa alibi dicit, eum esse *sub lege*, hoc est, sub passionibus peccatorum seu concupiscentiæ, quæ per legem sunt, ut Apostolus loquitur, qui *nondum liber est, nec* *Lib. de nat. & grat. c. 57.* *alienus à voluntate peccandi*, hoc est, cujus consensus nondum à libidinis servitute liberatus est, ut voluntas illi, non illa voluntati dominetur. Hinc in libro de correptione & gratia: *In bono liber esse nullus potest nisi fuerit liberatus ab eo* *Lib. de Cor. & grat. c. 1.* *qui dixit: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. Nec ita ut cum quisque fuerit à peccati* DOMINATIONE *liberatus jam non indigeat sui liberatoris auxilio sed ita potius* &c. Et adversus Faustum Manichæum: *Et denique peccato* (id est, con- *Lib. 19 cont. Faust. c. 9.* cupiscentiæ) *quem diu esset adhuc in eorum mortali corpore per spiritum gratiæ liberi dominabantur.* Et in opere imperfecto contra Iulianum: *Nunc vero* *Lib. 1. oper. imperf. c. 21.* *in ruina sua liber est justitia, servusque peccati; Nec potest esse servus justitiæ, & liber à dominante peccato* (concupiscentia) *nisi eum filius liberaverit.* Et libro secundo de peccatorum meritis & cum citasset Scripturam: *Non dominetur mihi* *Lib. 2 de pecc. mer. c. 6.* *omnis iniquitas* sic attexit: *Ab hujus execranda dominatione servati te liberantur quibus Dominus Iesus cum recipientibus eum dedit potestatem filios Dei fieri. Ab ista horrenda dominatione liberandi fuerant quibus dicit: Si vos filius liberaverit* &c. Et Epistola centesima quadragesima quarta: *Nec libera vo-* *Epist. 144.* *luntas dicenda est, quamdiu est vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus.* Et, *Si vos filius liberaverit, ait ipse Dei filius, tunc vere liberi eritis.* Et Epistola octogesima nona: *Quomodo libera est* *Epist. 89.* (voluntas) *cui dominatur iniquitas?* Et Concilij Carthaginensis Patres Epistola apud Augustinum nonagesima ad Innocentium Papam: *Qua* (gratiâ Christianâ) *& ipsum* *Epist. 90.* *nostræ voluntatis arbitrium, vere fit liberum dum à carnalibus concupiscentiarum dominatione liberatur dicente Domino: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Quæ doctrina tam familiaris est Augustino, ut vix liber ullus adversus Pelagianos exaratus sit, in quo non passim sparsa reperiatur. Tota enim moles disputationis de Christi gratia cum Pelagianis & necessitatis ejus, huic veluti cardini innititur, eoque substracto eam tueri impossibile est.

Porro istud peccatum à quo liberatur arbitrium, hoc est, ista imperiosa concupiscentia, quando dominatur arbitrio, in omnes creaturas appetendas exardescit, easque maxime quibus animus aliquo amoris vinculo colligatus est, sicut latè supra declaravimus. Ex cujus doctrinæ consequentia fit, ut hanc libertatem à peccato exprimens, subinde dicat per eam hominem à creaturis seu amore creaturarum liberari. Nam qui creaturis amore subditus est, hoc ipso peccato seu libidini subditus est, nec ullo modo liber, ut justitiam quæ hoc vetat, diligere possit. Unde Augu- *Lib. de vera Relig. c. 46.* stinus: *Quem ergo delectat libertas ab amore mu-*

tabilium

tabilium rerum (id est, omnium creaturarum, quia sola veritas incommutabilis est) *liber esse appetat. Et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat, plus eum diligendo quam seipsum.* Et in quæstionibus supra Matthæum: *Ad eam* (margaritam) *possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis* &c. scilicet amorem dissolvendo. *Quia talibus implicati, nostri non eramus*, id est, non nostri juris seu liberi. Et in Psalmos: *Moneamus ne mundum ametis, ut eum qui fecit mundum liberè ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis; volare non potest*, scilicet, quia non habet pennas seu amorem liberum.

quæst. 13. sup. Matthæum.

In Psal. 121. in præfat.

Hæc igitur causa est, cur tam vehementer insurgat Augustinus adversus Iulianum, cum Scripturas illas quę libertatis & servitutis peccati mentionem faciunt, & à nobis paulo ante productæ sunt, ad peccati remissionem torquere conaretur, sicut initio capitis hujus demonstravimus. Qua de re cum illo dimicans, expositiones ejus falsitatis arguit, & veram simul arbitrij libertatem à peccato, præclarè docet in eo sitam esse, non quod arbitrium preteriti peccati remissionem accipit, sed quod à dominante concupiscentia qua justitiam agere, & in justitia permanere non sinitur, liberatur magis & magis, ut ita magis & magis opera justitiæ in sua habeat potestate. Nam Euangelij locum: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati*; his verbis Catholicæ veritati vendicat: *Attende quod dictum est, omnis qui facit peccatum, non enim ait, qui fecit, sed qui facit: & non vis eum ab hoc malo liberare homines: Non vis eum hoc loco talem promittere libertatem qua peccatum non faciamus, sed ideo tantummodo liberare, quia fecimus.* Et adhuc eandem suam expositionem premente Iuliano replicat Augustinus: *Conveniunt plane ideo facientes peccatum, quia servi sunt peccati, ut accepta libertate quam promittit, deserant facere peccatum. Regnabat namque peccatum in eorum mortali corpore, ita ut obedirent concupiscentijs eius, & exhiberent membra arma iniquitatis peccato. Contra hoc ergo malum quo peccatum faciebant, libertate indigebant quam promittebas. Omnis enim non qui fecit sed qui facit peccatum servus est peccati.* Et statim adhuc luculentius atque expressius: *Quid verba lucida caliginosis disputationibus obscurare conaris? Erumpunt omnino & te licet obsistente, fulgore suo vincunt tenebras tuas. Omnis, ait, qui facit peccatum servus est peccati. Audis qui facit, & tu non exponere sed supponere vis qui fecit. Audiant ergo quibus ipse aperit sensum ut intelligant Scripturas, audiant: Omnis qui facit peccatum servus est peccati: & quærant accipere libertatem ut non faciant peccatum clamantes ad eum cui dicitur: Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mei omnis iniquitas.* Iulianus vero cum iterum repeteret, arbitrium esse liberum post peccatum, ad justitiam seu virtutis opera facienda, ex proprijs eum convincit principijs Augustinus: *Te audi saltem ubi dicis propter consuetudinem peccatorum scriptum esse, non quod volo ago sed quod odi*

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul.

Ibid. f. 128.

Lib. 1. operis imp. f. 128.

Ibid. f. 131.

A *hoc facio. Quomodo ergo post peccata liberum est? Quorum etsi non propaginè, quia non vultis, certe tamen consuetudine, quam solam huic necessitate victa contortique conceditis, sic perdidit libertatem ut gemitus eius feriat aures, frontemque collidat cum auditis, non quod volo ago. Et, non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago.*

Iam vero alterum locum quem ex Apostolo producere solet, *Cùm essetis servi peccati, liberi fuistis iustitiæ, nunc autem liberati à peccato* &c. non minus præclarè adversus Iuliani corruptelas asserit, & veram arbitrij libertatem in eo expressam esse confirmat: *Tu nega dixisse Apostolum, Cum essetis servi peccati liberi fuistis iustitiæ. Aut si hoc ab eo dictum esse non negas, non eum rectè dixisse redargue. Si autem non audes, nega si potes eos quibus hoc dixit habuisse in malis liberam voluntatem quando fuerunt liberi iustitiæ: aut habuisse liberam in bonis quando fuerunt servi peccati: & ab*

Ibid. f. 149.

B *hac servitute eos aude dicere per seipsos non per Dei gratiam liberatos quibus dicitur: Nunc autem liberi à peccato, servi facti estis iustitiæ. Si autem dicis à reatu præteritorum malorum, non à dominatu peccati quo quisque iustus esse non sinitur, eos fuisse Dei gratia liberatos: ut autem in eis non dominaretur peccatum, ipsos facere potuisse si vellent, neque ad hoc indiguisse gratia Salvatoris, ubi ponis eum qui dicit, non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago: si enim sub lege non sub gratia constitutus hæc loquitur, istum nega sub gravi necessitatis pondere ingemere, hunc ad bene vivendum, & ad rectè agendum per voluntatis arbitrium, assere liberum clamantem tibi, mentiris aut falleris; non quod volo ago. Si autem sicut melius sensit Ambrosius, hoc etiam de seipso dicit Apostolus, nec iustorum est in hac vita ad perficiendum bonum tanta libertas propria voluntatis, quanta erit in illa vita ubi non dicitur non quod volo ago.* Et hanc libertatem à peccato, hoc est, à delectatione concupiscentiæ cui arbitrium miserabili servitute subjectum est, &

C male agendo servit, adhuc uberius explicans: *Si ob hoc solum dicti sunt homines liberi fuisse iustitiæ, quod detrectassent eius præcepta servare, ergo antequam acciperent præcepta iustitiæ quæ detrectarent servare* (id est, ante acceptam, vel agnitam legem peccata prohibentem) *non erant liberi iustitiæ servique peccati. Quis hoc dixerit? Ab hac ergo necessitate servitutis ille liberat, qui non solum dat præcepta per legem, verùm etiam donat per Spiritum charitatem cuius delectatione vincatur delectatio peccati: alioquin perseverat invicta & servum suum tentat. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Et paulo post declarans quanti momenti sit, duplicem istam arbitrij libertatem intelligere, unam à peccatis præteritis quæ delentur indulgentia; alteram à dominatione concupiscentiæ ne futura perpetrentur, & ut opera justitiæ possimus operari, graviter erumpit in Iulianum: *Ex isto hæretico*

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 16.

D *sensu, quo dicitis non fieri per gratiam liberationem à peccato, nisi cum de præterito accipitur venia, non autem ne dominetur, cum quisque à concupiscentia sua trahitur in eius assensum, etiam sanctorum orationibus contradicitis: Vt quid enim Deo dicitur, Ne nos inferas in tentationem, si ut hoc non fiat in liberi arbitrij*

Ibid. f. 163.

arbitrij est potestate, quod nobis naturaliter insitum est? Ut quid dicit Apostolus: Oramus autem ad Deum ne quid faciatis mali, si Dominus non liberat à peccatis, nisi veniam dando præteritis? Qua de causa clarissimis verbis duplicem illam arbitrij libertatem paulo superius adversus Iulianum inculcaverat, cum vellet illa verba Christi: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis,* ad solam peccatorum remissionem detorquere: *Alia est,* inquit, *remissio peccatorum in eis quæ mala facta sunt, alia charitas* (ita solet Augustinus appellare gratiam actualis adjutorij vel A effectum ejus) *quæ facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt. Vtroque modo liberat Christus, quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit charitatem.* Hæc igitur & similia apud Augustinum passim frequentata manifestissime docent, quid in ejus doctrina sit libertas à peccato & quam procul ab ejus intelligentia sint recentiores, qui solam peccati remissionem eo nomine significari putant; ut nihil mirum sit, quod eam sub nomine veræ libertatis non agnoverint.

Ibid. f. 123

CAPVT SEPTIMVM.

Libertas à peccato, secundum terminum ad quem, est vera & propriè dicta libertas arbitrij ad opus bonum. Fit per charitatem justitiæ & delectationem.

SED eam verissimam & proprijssime dictam esse libertatem arbitrij, non quidem generalem respectu quorumlibet actuum (quandoquidem in actibus malis efficien lis non habeat locum, sed tantummodo in actibus bonis) evidentius apparebit, si præter terminum à quo fit liberatio, de quo hactenus diximus, etjam terminum ad quem istius libertatis à peccato, attenderimus & modum quo Deus eam in arbitrio voluntatis operatur.

Terminus igitur quem respicit libertas à peccato, velut finem & scopum liberationis à libidinis dominatu, duplex est, unus negativus, alter positivus. Negativus est, non consentire concupiscentiæ ad peccandum, positivus consentire iustitię seu veritati ut voluntas bonum velit & operetur. Quæ duo Scriptura pręcipit cum dicit, *Diverte à malo & fac bonum.* Et in eis totius legis iustitia & Christiani hominis perfectio comprehenditur.

Psalm. 33.

Primus igitur effectus quem ista libertas à concupiscentię dominatione operatur, est valde singularis summique beneficij, ut videlicet voluntas non amplius ei consentiendo peccandoque serviat, sed ea titillante alliciente atque trahente, firma consistat, velut retinaculo quodam sursum religata, ne iterum deorsum præceps in antiquam servitutem ruat. Expressit effectum istum pulcherrime Augustinus, quando dicit: *Quo* (spiritu) *fit in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est, sicut præter hunc spiritum peccare delectat, ubi servitus, à cuius operibus abstinendum.* Vbi clare libertatis istius effectus ponit, *ut non delectet peccare,* in quo propriè peccati servitus constituta est. Vnde in eodem libro eundem effectum libertatis & servitutis per peccati antithesin explicans: *Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij utique libertatem sonare. Vbi autem spiritus Domini ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Si autem liberati sunt quid se iactant de opere proprio*

Lib. de spir. & lit. c. 16.

Ibid. c. 30.

A &c. Et in libris de Civitate Dei: *Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum cum vitiis peccatisque non servit &c. Vnde veritas dicit. Si vos filius liberaverit &c.*

Lib. 14. de Civit. c. 11.

Porro hic effectus negativus, qui est non consentire concupiscentiæ surgenti, & imperiose blandienti, oritur ex alio priore positivo, quo scilicet mens amore jungitur justitiæ, & tam tenaciter agglutinatur, ut nullis blanditijs aut minis inde possit avelli. Nihil enim ut malum fugitur, nisi quia bono concupito adversatur, cum fuga mali nascatur ex amore boni: *Ipsa continentia,* inquit Augustinus, *cumfrenat cohibetque libidines, simul & appetit bonum ad cuius immortalitatem tendimus & resistit malum cum quo in hac mortalitate contendimus. Illius quippe amatrix & spectatrix, huius vero hostis & testis est, & decus eius appetens & dedecus fugiens.* Libertas igitur à peccato, quamvis nomine tenus præcipue negativum effectum sonet, re tamen ipsa potissi- B mum spectat positivum, quem primo & per se voluntas, vi impertitæ sibi libertatis, quasi cujusdam potestatis, operatur. Hic autem omnes omnino actiones bonas in quibus iustitia Christiana sita est, ambitu suo complectitur. Inter quas omnium prima, ex infidelitatis captivitate in libertatem gratiæ respirantibus occurrit fides. Nam arbitrium ante gratiam tam profunde carnalibus concupiscentijs submersum jacet, ut neque credendi libertatem & potestatem habeat, hoc est, ut non possit voluntatem concupiscentijs terrenis depressam sursum elevare ut credat, nisi cælitus Deus voluntatem potestatemque largiatur. *Intrat mediator in domum fortis, id est, in quo dominatu habentem genus humanum &c. Et sic eripit vasa eius quæcumque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab eius potestate liberans, ut illo non impediente credant in istum libera voluntate.* Qua de causa paulo ante dixerat orari ut infideles *doctrinæ arbitrio li-* C *berato à tenebrarum potestate consentiant.*

Lib. de continent. c. 3.

Epist. 107.

Post fidem, qua justitia & veritas pręceptorum Dei ac Deus ipse justitia sempiterna noscitur,

cur sequitur amor ipsius Dei, veritatis, & iustitiæ, qui præcipuus omnium istius libertatis fertus est. Per hunc amorem, iustitiæ Deique seruus fit, sicut ante per amorem terrenum & huius mundi, peccato seu concupiscentiæ seruiebat. Quantumuis enim animus siue vera, siue seruili libertate sit liber, alicui tamen seruiat necesse est. Vel enim est liber à iustitia & seruit peccato, vel liber à peccato & seruit Deo. Nam ipse amor dei, & iustitiæ, & veritatis, est seruitus eius; Deo enim, seu quod idem est, iustitiæ & veritati seruiri sine amore non potest. Qui enim tantum timore Deo seruit & iustitiæ, adhuc liber à iustitia & peccati seruus manet. Hæc ergo seruitus Dei & iustitiæ, liberrima seruitus veri Domini est, quia liberrimus amor est, & nobilissimus fructus positiuus istius libertatis à peccato, si non potius ipsa libertas arbitrij dici debeat, de qua sæpissimè Aug. *Liberum arbitrium non euacuatur per gratiã, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatẽ qua iustitia liberè diligatur.* Et in libro de vera Religione: *Non enim per seipsum quisquam hominũ inuictus est, sed per incommutabilem legem* (id est veritatẽ seu Deum) *cui quicumque seruiunt soli sunt liberi.* Et libro de quantitate animæ: *Qua se libertate dignam facit. Nam ille ab omnibus liberat, cui seruire omnibus vtilissimum est, & in cuius seruitio placere perfectè sola libertas est*, Et in libro de moribus Ecclesiæ: *Dilectione redit in Deum* (animus) *qua se illi non componere sed supponere affectat. Quod quanto fecerit instantius ac studiosius, tanto erit beatior, atq; sublimior, & illo solo dominante liberrimus.* Nimirum quia & ipse animus cum sola ei veritas Deus seu iustitia dominatur, fit vt ipse etiã omnibus dominetur, quod libertatis est. Vnde in eodem libro paulo post: *Iustitia est amor soli amato seruiens & propterea rectè dominans, quo amoris igne cum se anima rapit in Deum, super omnẽ carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis pennis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur.*

Lib. de spir. & lit. c. 30. — *Lib. de vera Rel. c. 46.* — *L. de quan. anima cap. 34.* — *Lib. de morib. Eccles. c. 12.* — *Cap. 22.*

Et quia iste amor iustitiæ facit hominem esse non sub lege puniente; sed in lege & cum lege delectante spiritũ hominis, hinc est, quod esse in lege seu cum lege, velut effectum istius libertatis ponat: *Consumpto mortis metu, non timoris necessitate sub lege sed libera voluntate cum lege, confitebantur qui credunt.* Et in Psalmum primũ: *Iusto non est lex posita vt dicit Apostolus, sed aliud est esse in lege, aliud sub lege. Qui est in lege secundum legem agit: qui est sub lege secundum legem agitur, ille ergo liber est, iste seruus.*

In Psal. 22. — *In Psal. 1.*

Modus vero quo Deus illam libertatem veram in arbitrio voluntatis operatur, non alius est, nisi quia operatur in eo dilectionem iustitiæ ac veritatis ac Dei, per quam erigitur anima super omnes concupiscentiæ titillationes ac delectationes, ut magis delectata splendore iustitiæ incipiat liberè velle bonum, liberè credere, liberè esse in lege, liberè operari iustitiam, liberè diligere Deũ, liberè frui Deo: quorum omnium ante aduentum gratiæ, deerat arbitrio voluntatis, non minus libertas, quã potestas, quia ingenti pondere terrenarum libidinum deorsum grauabatur vinctumque

A tenebatur. flante autem Spiritu Dei, ad omnia ista præstanda liberatur arbitrium, quia viscosum illud vinculum rumpitur, paulatimque magis magisq; Dei amore sursum erigente, succenditur. Ex quo fit vt sexcenties Aug. libertatem illam charitati tribuat: *In rectè faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Et in libris contra Iulianum: *Charitas facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt.*

Lib. de nat. & grat. c. 65. — *Lib. 3. oper. imperf. c. 112.*

Et quia timor pœnæ hominibus imperitis eadem opera videtur posse facere; quæ facit charitas Dei, & idcirco animæ quoque bene operandi libertatem voluntatis arbitrio posse conferre, ut illam præposteram tollat opinionem, timori solet opponere charitatem, illique soli prærogatiuam illam libertatis dare, timori seruitutem. Quisquis enim solo timore B bonum facit, hoc ipso animam rei terrenæ cupiditate possessam esse declarat, quam ut retineat, bonum opus quod nondũ diligit, timore & primitus cupiditate stimulatus facit: *Facit eos*, inquit Augustinus, *carnalis timor & cupiditas seruos, non Euangelica Fides, Spes, & Charitas liberos.* Quod paulo post clarius explicans: *si propter illam* (terrenam felicitatem) *colatur Deus, seruilis est iste cultus pertinens ad filios ancillæ. Si autem propter ipsum Deum, ut in æterna vita sit Deus omnia in omnibus, liberalis est seruitus pertinens ad filios liberæ.* Et in libris de sermone Domini in monte: *Ibi ex maiori parte seruientes timore premebantur: hic autem maxima dilectione liberi nutriebãtur.* Quod in initio libri dixerat quod Iudæos adhuc *timore alligari oportebat*, Christia- C nos vero *charitate liberari.* Et in tractatibus in Ioannẽ: *Hæc spes nostra est fratres, ut à libero liberemur, & liberando seruos nos faciat: serui enim eramus cupiditatis* (id est peccati) *liberati serui efficimur charitatis.* Et declarans quomodo charitas illa liberans seruitutem Dei faciat, sic reprimit Christianum de libertate adepta gloriantem: *Non dicat Christianus liber sum, in libertatem vocatus sum &c. faciam quod volo, nemo me prohibeat à voluntate si liber sum sed si ista voluntate peccatum facis, seruus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum, sed utere ad non peccandum. Erit enim voluntas tua libera si fuerit pia* (scilicet charitate Dei) *eris liber, si fueris seruus: liber peccati, seruus iustitiæ, nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo &c.* Et in sermonibus de diuersis: *Seruitus pertinet ad timorem, libertas ad amorem.* Et alibi. *Si Dominus es auri, facis de illo quod bonum est: si seruus facit de te quod malum est. Seruum autem te fecit cupiditas, liberum* D *charitas &c. Quare non sit sursum cor liberum, sed vide si non amas &c.* Et libro de continentia: *Ecce nobis peccatum* (id est concupiscentia peccati vt paulo ante explicuit) *non dominabitur. Non enim sumus sub lege bonum quidem iubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quæ id quod lex iubet, faciens nos amare, potest liberis imperare* Et in Psalmos: *Saluam fecisti de necessitatibus timoris animam meã, ut tibi charitate libera seruiat.* Vnde in libro de natura & gratia: *Hæc est* inquit, *lex libertatis non seruitutis quia charitatis utiq; non timoris, de qua Iac. Apost. ait: Qui autem perspexerit in legem*

Lib. 3. ad Bonif. c. 4. — *Lib. 1. de Serm. dom. in monte c. 10.* — *Ibid. c. 1.* — *Tract. 41. in Ioan.* — *Ibid.* — *Serm. 18 de diuersis cap. 1.* — *Serm. 10 in Appnd.* — *Lib. de continent. c. 3.* — *In Psal. 30.* — *Lib. de nat. & grat. c. 57.*

in legem perfectam libertatis. Ex quibus patet, è scripturis & litteris Apostolicis hanc doctrinam suxisse Augustinum, non suo ingenio commentum esse. Illæ enim sunt, quæ libertatem charitati tribuere solent, illo clamante de charitate per os Iacobi: *Qui perspexerit in legē perfectam libertatis: sicut per legem libertatis incipientes iudicari.* Et per os Apostoli Pauli: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas: Non est is ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit. Vos in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* Et quæ obsecro ista libertas in quam vocati sumus? *Sed per charitatem servite invicem.* Et per os Apostoli Petri: *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem,* quam libertatem? *Sed sicut servi Dei,* cui non timore, sed sola charitate servitur. *Perfecta enim charitas foras mittit timorem.* Porrò quia tunc summa charitas est, quæ eo fruitur veritate, quam diligit (amor enim summo impetu in fruitionem rapitur) hinc in fruitione incommutabilis veritatis summa voluntatis libertas erit. Augustinus: *Facilè potest demonstrari captivos nos esse. Non enim respiramus iam in auras illius libertatis: non enim fruimur puritate veritatis & illa sapientia, quæ in seipsa manens innovat omnia. Delectationibus temporalium rerum tentamur, & colluctamur quotidie cum suggestionibus illicitarum voluptatum: Vix respiramus vel in oratione: captivos nos esse intelligimus.* Et in libris de libero arbitrio veram arbitrij libertatem & summā explicans: *Hæc est libertas nostra, cùm isti subdimur veritati per amorem, & ipse est Deus noster, qui nos liberat à morte, id est, à conditione seu servitute peccati. Ipsa enim veritas etiam homo cum hominibus loquēs ait credentibus sibi: Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatē & veritas liberabit vos. Nulla enim re fruitur anima cū libertate, nisi quā fruitur cum securitate.*

Porrò nihil omninò ardentiùs anima, quàm delectationem appetit, hæc enim ratio est, cur omnes animæ motus, siue appetat, siue fugiat, in delectationem velut in requiem omnium ponderum ejus terminētur, ut meritò delectatio & suavitas omnium desideriorū fugarumque requies dici possit: *Amant requiem,* inquit Augustinus, *sive pia anima, sive iniqua, sed quà perveniant ad illud quod amant, plurimæ nesciunt: nec aliquid appetunt etiam ipsa corpora ponderibus suis, nisi quod animæ amoribus suis. Nam sicut corpus tamdiu nititur pondere, sive deorsum versùs, sive sursum versùs, donec ad locum, quo nititur veniens conquiescat: pondus quippe olei, si dimittatur in aërem, deorsum, si autem sub aquis, sursum nititur: sic animæ ad ea quæ amant, propterea nituntur, ut perveniendo requiescant.* Quam requiem tum ibi, tum alibi declarat esse delectationem. Hinc ergo proficiscitur, quod Augustinus frequentissimè libertatem istam charitatis delectationi tribuit, ut tunc hominem in operibus bonis liberum esse dicat, cùm Deo, justitiâ, veritate delectari cœperit, cùm suauia sunt diuina præcepta, cùm Deus & justitia placet. Quod eodem modo intelligendum est, quo supra diximus ex Aug. tunc arbitrium ad peccandum esse maximè liberū, quando peccata cum quadam suavitate seu delectatione perpetrantur. Non enim intelligitur illa delectatio, quam anima velut sui desiderij requiem ac terminū appetit, sed illa potiùs, quâ delectabiliter & suaviter in objectum rapitur. Hæc enim delectatio seu suavitas non distinguitur ab ipso primo motu amoris, ex quo desiderium & gaudium fluit. Qua de causa dici solet, nihil esse amore delectabilius. Et August. *Tenete ergo charitatem, amplectimini eam; dulcius illa nihil est.* Cùm enim iste primus amoris indeliberatus motus sit quædam appetibilis complacentia, & quasi coaptatio & congruentia amantis cum bono suo, sicut similis cum eo, quod sibi simile est, fieri non potest, quin hoc ipso sit amanti delectabilis; unde August. *Fac quæ facta sunt intuere, mirare, quære auctorem: si dissimilis es repelleris: si similis exultabis.* Hæc autem similitudo ex charitate, quia & Deus est charitas, ut Apostol. ait. *Et cum,* addit ibidē *accedere cœperis similis & perceperis Deū, quantum in te caritas crescit, quia & caritas Deus est, senties quiddam* & quod dici non potest, cum ex ipso, & in ipso primo motu amoris seu cōplacentia magna sentiatur suavitas, quâ ipse actus delectabilis est. Quod ita generaliter verum est, ut non solùm in motibus animorum, sed etiam corporum, ex congruentiâ sive similitudine suavitas atque delectatio fiat. *Ita enim,* inquit Aug. *se res habent, ut pro uniuscuiusque corporis congruentia, vel delectet esca vel offendat: Si delectat dulcis aut suavis dicitur: si autem offendat, amara, sive aspera sive aliqua sui ravitate offensa.* Ex quo fit, ut nonnullis morbis hominum mel amarum sit, & pecoribus quibusdam, ut capris, suavis oleaster. *Nam procul dubio suavitatem ipsa congruentia facit.*

Hæc ergo ratio est, cur August. quem toties paulò ante dicentem audivimus, animam charitate liberam fieri, eandem libertatem delectationi, suavitati, complacentiæque tribuat, ut tunc arbitriū dicatur liberum in bono quādo delectabiliter & lubenter opus bonum facit. De delectatione sexcenta suppetunt testimonia. Nam in Tractat. in Ioan. cùm citasset illud Apost. *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem* sic subiungit Augustinus: *Ecce unde liberi, unde condelectamur legi Dei. Libertas enim delectat. Nam quamdiu timore facis quod iustum est, non Deus te delectat. Quamdiu adhuc servus facis, non te delectat: delectet te & liber es.* Et ut ostenderet in ipso amoris motu hāc esse delectationē: *Noli,* inquit *timere pœnam, sed ama iustitiā: nondum potes amare iustitiam, time vel pœnā, ut pervenias ad amandam iustitiam.* Et rursus de libertate delectationis. *Ergo iam ille ex parte superiore liberū se esse sentiebat, unde dicebat: Condelector legi Dei secūdùm interiorem hominem. Delectat me lex, delectat me quod iubet lex, delectat me ipsa iustitia. Video autem aliam legem in membris meis &c.* Et iterum de eadem libertate delectationis: *Ex hac parte sentit captivitatem ubi non est impleta iustitia. Nā ubi condelectamur legi Dei non captivus, sed legis amicus est, & ideo liber, quia legis amicus.* Et in Psalmum sexagesimum septimum tractans illa Scri-

Iacob. 1.
2. Cor. 3.
Galat. 5.
1. Petri 2.
1. Ioan. 4.
In Psal. 136
Lib. 2. de lib. arbitr. c. 3.
Epist. 119.
Tract. 1. in Epist. Ioan.
In Psal. 33. in præfat.
Lib. 11. contra Faust. cap. 13.
Aug. ibid.
Tract. 41. in Ioan.
ibid.

la Scripturæ verba: *Parasti in tua suavitate egeni Deus*, pro quo nos legimus: Parasti in dulcedine tua pauperi Deus; in hunc modum ait: *Hæc est illa suavitas, de qua alibi dicitur Dominus dabit suavitatem; & terra nostra dabit fructum suum vt bonum opus fiat non timore sed amore, non formidine pœnæ sed delectatione iustitiæ. Ipsa est enim vera & sana libertas.* Et in libro de Spiritu & litera: *Quo spiritu fit in nobis vt non peccare delectet vbi libertas est.* Et libro primo de nuptijs & concupiscentia pulcherrimè simul & libertatem & delectationem & amorem complectitur: *Ista delectatio legis Dei secundum interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei. In ea quippe interior homo noster renovatur de die in diem cum in eo proficit perseueranter. Non enim timor est torquens, sed amor libens. Ibi sumus veraciter liberi, vbi nõ delectamur inuiti.* Vbi veracẽ libertatem, quæ est in operibus bonis opponit libertati seruili, quæ exercetur in operibus malis. Nam & illa libertas delectatione perficitur ut supra declaravimus. Sed hæc est differentia, quod illa seruilis peccati delectatio etiam invitos maximeque repugnantes tentat servos suos, cœlestis autem delectatio, quæ veraciter liberos facit, illa quoscumque invitos invenit, hoc ipso quo liberos etiam volentes facit.

In Psalm. 67.

Lib. de Spir. & lit. c. 15.

Lib. 1. de nupt. c. 31.

Hanc ipsam delectationem subinde lætitiam vocat effectricem libertatis, in Enchiridio: *Ad iuste faciendum liber non erit nisi a peccatis liberatus, esse iustitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti lætitiam simul & pia servitus propter præcepti obedientiam.*

In Enchirid c. 31.

Eandem libertatem exprimit aliquoties eodem sensu per hoc, quod aliquis opus bonum cum complacentia & libenter facit, sic enim paulò ante dixit: *Non enim est timor torquens sed amor libens.* Et libro de gratia Christi præclarissimè: *Iustitia ex Deo dicitur quæ datur per gratiam beneficium vt non sit terribile sed suave mandatum, sicut oratur in psalmo, Suavis es Domine, & in tua suavitate doce me iustitiam tuam: id est vt non formidine pœnæ seruiliter cogar esse sub lege sed libera charitate delecter esse cum lege. Præceptum quippe liber facit qui libens facit.* Et libro de quantitate animæ: *In cuius seruitio placere perfectè sola libertas est.* Pluribus allegandis August. testimonijs supersedeo. Nam hæc abundè satis sunt, vt omnibus innotescat vera, sincera & genuina sententia sancti Augustini de libertate arbitrij ad opus bonum. Hoc enim securè post longum istius rei laboriosumque studium assero, non aliam in vniuersis operibus eius repertum iri libertatem lapsi hominis, nisi quatenus arbitrium ex vna parte à dominante peccato, id est, ab imperantis & sævientis concupiscentiæ iugo liberatur, ex alia verò, suavi, delectabili, ideoque libera caritate subiugatur Deo, vt opus bonum superatâ per delectationem spiritus, concupiscentiæ delectatione, non timore pœnæ sed amore iustitiæ, non invitè sed amanter, suaviter & libenter velit & faciat. Omnium quippe sententiarum ejus complexio est, *Præceptum liber facit qui libens facit.*

Lib. 3. de nupt. c. 30.

Lib. de grat. Christ c. 13.

Lib. de quãt. animæ c. 34.

Lib. de grat. Christ. c. 13

A *cit.* Hoc autem duplex beneficium nisi voluntatis arbitrio per gratiam conferatur, ipsa voluntas bonum opus neque velle, neque facere potest, hoc est, nullo modo habet opus bonum in potestate. Cùm verò hoc sit propriè liberum, ipso Augustino teste, *quod liberè mus in potestate* seu *quod facimus cum volumus*, apertissimè sequitur, istam libertatem à peccato, hoc est, à concupiscentijs peccatorum, quam semper Scriptura sacra & Augustinus inculcant, non mysticam, non impropriè dictam, non Christianam tantum, seu esse veram genuinam & proprissimè dictam arbitrij libertatem ad opus videlicet bonum: ad quod

B illa libertas tribuit potestatem, qua per se voluntas sicut prorsus caret, ita & boni operis libertate caret. Quod ipsum multipliciter in omnibus operibus suis Augustinus docet: *Ad iuste faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus esse iustitiæ cœperit seruus.* Et continuo: *Sed ipsa libertas ad bene faciendum, vnde erit homini addicto & vendito, nisi redimat ille, cuius illa vox est, si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere qui nondum liber est ad operandum bene?* Et rursum: *Tunc ergo efficimur verè liberi* (scilicet ad operandum bene) *cum Deus nos fingit, id est format & creat, non vt homines, quod iam fecit, sed vt boni homines*

In Enchirid c. 30.

C *simus*, hoc est amantes bonum. *Quis enim est bonus nisi amet bonum?* Vt alibi dicit. Et in Psalmos: *Non monemus vt nihil ametis, sed monemus ne mundum ametis: vt eum qui fecit mundum, liberè ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis volare non potest.* Nimirum quia ut addit pennæ non sunt *resolutæ ab omni impedimento.* Terrenus enim iste & concupiscentialis amor quem supra diximus, in in omnes creaturas totumque mundum exardescere, impedit ne arbitrium res cœlestes, hoc est, Creatorem amare possit. Vnde de tali homine concupiscentiâ subiugato, & sine gratia liberante considerato dicit Augustinus: *Si bonus homo esset, aliter esset. Nunc autem quia* (ante gratiam) *ita est, non est bonus, nec habet in potestate vt bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, siue videndo & non valendo esse, qualem debere esse se*

In Tract. in Ioan.

Lib. 3. de lib arb. c. 18.

D *videt.* Quid est, non habet in potestate vt bonus sit, nisi non habet arbitrium adhuc liberum vt bonus sit, & bonum operetur? Quod ipse statim disertis verbis seipsum exponens adjicit, & admirationem tollit hominum minus intelligentium illam arbitrij libertatem, & se liberos ad opus bonum ante gratiam opinantium: *Nec mirandum est quod vel ignorãdo non habeat liberũ arbitriũ voluntatis ad eligendũ quid rectè faciat: vel resistente carnali consuetudine* (id est cõcupiscentia) *quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inoleuit, videat quid rectè faciẽdum sit & velit nec possit implere.* Ignorãtia quippe illa & concupiscentia vincula, impedimenta, compedes, quibus nominibus ea solet vocare Augustinus, potẽtissima sunt, quę nemo nisi sola gratia dirripere, & ab eis arbitriũ liberare potest. Quod antequã fiat, nulla omnino

Ibid.

 potestas

potestas est in arbitrio ut bonum spiritualiter velit aut operetur. Quæ sanè cum ex Scripturis Sacris & Christianæ fidei cardinibus cuncta fluant, apertissimè verum est, idquod ex Augustino demonstrauimus, libertatem istam à peccato, secundum utrumque terminum à quo & ad quem spectatam, esse veram & proprissimè dictam libertatem, qua voluntatis arbitrium verè & propriè liberum fit, non ad quaslibet actiones, sed ut iustitiam & opus bonum velle possit & facere: quantumuis interim per se alia quadam seruili libertate gaudeat, per quam simili planè modo peccato seu concupiscentiæ libenter seruiat, & opera iniquitatis liberè, quia lubenter ac delectabiliter, operetur, quæ à Scriptura & Augustino seruitus peccati, & libertas iustitiæ dici solet, quemadmodum supra fusè ex ipsius verbis sententiam eius explicuimus.

CAPVT OCTAVVM.

Vberius declaratur natura libertatis. Quid sanitas, quid potestas arbitrij. Vnde nascuntur, ortus, incrementum, fastigium libertatis.

VT vero accuratius intelligatur, quomodo libertas illa à peccato, seu à delectationibus peccandi, tribuat bonæ voluntatis & operis potestatem ut arbitrium in bono faciat quod velit, ideoque vera propriéque dicta libertas arbitrij sit ac dici debeat, sciendum est, hanc libertatem non esse aliud quam voluntatis seu arbitrij sanitatem. Sanitatis vero in omnibus rebus illa natura est, vt sit vigor, robur, potentiaque naturarum, eamque potestas operandi cuique naturæ congrua consequatur: Animus vero seu voluntas rationalis habet etiam quam maximè sanitatem suam, habet ægritudinem suam, habet operis boni ex sanitate potestatem, habet eiusdem operis ex ægritudine infirmitatem. Sanitas voluntatis, amor est creatoris, ægritudo cupiditas seu delectatio creaturæ. Vnde diuinissimum istud Augustini de sanitate vitæ præsentis: *Charitas, sanitas.* Et de sanitate futuræ: *Tunc plena sanitas, quando plena charitas.* Et illa sexcenties iterata doctrina, quod concupiscentia quæ non diligit nisi creaturam sit morbus, ægritudo & infirmitas voluntatis. Qua de re non pauca diximus in tractatu de concupiscentia. Porro perfecta sanitas quantum ad ægritudinis immunitatem in indiuisibili sita est. Omnem enim ægritudinem prorsus excludit: vnde & sanitas perfecta voluntatis nullam omnino ægritudinem cupiditatis admittit. Hoc ipso quippe, quo vel tantillum vitiosi amoris aut delectationis in voluntate irrepit, aut reliquum est, perfectæ charitatis perfectæque sanitatis vigor violatur, & hoc ipso succedit loco potestatis infirmitas. Voluntas enim diuiditur, & ipsa diuisione fit infirma quia resistit sibi. Nec enim plenè vult, nec plenè non vult, hinc lucta, hinc labor, quia ex luctá discerpitur graui molestia. Vna enim tota non est, & hoc deest alteri quod adest alteri. Vnde optimè August. *Cum inhæsero tibi ex omni me* (exhausta scilicet omni cócupiscentiæ peste quæ aliquid nostri hic semper captiuum tenet) *nusquã erit mihi dolor & labor. Et viua erit vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, sublevas eum, quoniam tui plenus non sum oneri mihi sum.* Et alibi orat ut anima sua sequatur se ad Deum *concupiscentiæ visco expedita, ut non sit rebellis sibi.* Et per illam dominicæ precationis partem: *Libera nos à malo*, hoc à nobis postulari docet, ut liberemur *à nobis ipsis* ut nihil habeamus in nobis, *quod resistat charitati quod repugnet veritati, quod subiaceat infirmitati.* Nimirum vt ita recollectis in unũ Deum viribus voluntatis, quas infirmitas concupiscentiæ distraxerat, fiat voluntas sanitate caritatis vt potentissima, ita liberrima ad opus bonum. Nam ipsa sanitas caritatis sicut est potestas eius, ita & libertas, & ideo libertas quia potestas. Hoc enim liberum, quod habemus in nostra potestate, & quod facimùs quando volumus.

Tract. 9. in Epist. Ioan. — *Lib. de perfect. iust. c. 3.* — *Lib. 2. de statu naturæ lapsæ.* — *Lib. 10. Confess. c. 28.* — *Cap. 30.* — *Serm. 30. de verbis Apost. c. 4.*

Ex hâc igitur radice nascitur, quod Augustinus libertatem arbitrij ad opus bonum, sæpius ex sanitate proficisci docet, imo ipsam sanitatem esse libertatem eius: *Per gratiam sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iustitiæ dilectio.* Quod statim explicans addit; *gratia sanat voluntatem, qua iustitia liberè diligatur.* Et libro de peccato originali: *Erant & legis tempore homines Dei sub gratia delectante, sanante, liberante.* Quibus locis præclarissimè & breuissimè ordinem exponit quo libertas in arbitrio gignitur, ut ante omnia delectetur, delectatione sanetur, sanitate liberetur: quæ quamuis simul fiant, non tamen sine ordine aliquo naturæ vel rationis videntur fieri. Vnde & alibi Pelagiũ arguit, quod *tanquam saluam*, id est, sanam & *liberam naturam defenderet*, quasi diceret sanam, ideoque liberam. Istum tamen siue naturæ siue rationis ordinem non semper seruat Augustinus, sed sicut reipsa idem sunt, ita nõnunquam illa promiscuè exprimere solet. Nam alibi aduersus eundem orandum esse docet, *ut absolutissima cui nihil addi possit, sanitate, perfecta Dei suauitate, plena libertate perfruamur.* Sanitatem anteponens suauitati cui eam præcedentibus locis quasi effectum postposuerat. Sed ut sanitatem arbitrij quam charitas ac suauitas tribuit, reipsa libertatem eius esse significaret, peregregiè contra Celestium dicit: *Sicut non est*

Libr. de Spir. & Lit. c. 30. — *Lib. de peccato orig. c. 24.* — *Epist. 106.* — *Lib. de natura & gratia c. 58.* — *Libr. de perf. iust. c. 4.*

non est opus sanis medicus, sed male habentibus, ita non est opus liberis liberator, sed servis, ut ei dicat gratulatio libertatis, salvasti de necessitatibus animam meam. IPSA ENIM SANITAS EST VERA LIBERTAS, *quæ non perisset, si bona permansisset voluntas* id est caritas, hoc est enim Augustino bona voluntas, ut alibi dictum est.

Cùm igitur arbitrij sanitas sit libertas ejus, & sanitas ex ipsa ratione sanitatis robustissima sit, ægritudo verò infirmissima, imò ipsa & re & nomine infirmitas sit, hinc fit ut Augustinus doceat libertatem arbitrij ad opus bonum dare, vel etiam esse potestatem ejus, hoc est, idcircò voluntatis arbitrium aliquid posse, quia liberum, siue liberatum est. Hoc enim indicat, quando in lib. de correptione & gratia dicit: *Quid aliud rogavit* (Christus Petro) *nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, perseverantissimam voluntatem?* Hoc indicat quod mox iterum dicit: *Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potiùs libertatem & inseparabilem fortitudinem.* Vnde paulò post dicit electos *accipere tantam per istam gratiam libertatem, ut quamvis pugnent contra concupiscentiam peccatorum, non tamen ultra serviant peccato, quod est ad mortem*: tantam libertatem, hoc est, tam potentem libertatem, quia videlicet accipiunt tantum liberrimæ charitatis ardorem, *quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superentur.* Hoc denique indicat quod in retractationibus dicit: *Quando tale est* (peccatum) *ut idem sit & pœna peccati, quantum est quod* VALET, id est potest, *voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.* Perspicuè enim dicit piam voluntatem, quamdiu dominatur ei cupiditas sicut in omnibus peccatoribus dominatur, saltem orare posse; quia in talibus ad orandum tantùm libera est, quia eo usque saltem per gratiam liberata est.

Lib. de Cor. & grat. c. 8.

Ibid. c. 12.

L. 1. retract. cap. 15.

Ex eadẽ radice nascitur, quod juxta doctrinam S. Aug. sicut sanitas arbitrij paulatim, justitiâ proficiẽte crescit, ita etiam libertas arbitrij magis atque magis augeatur. Sanitas autẽ arbitrij, cùm nulla sit, ut jam diximus, nisi charitas, quodcumque fuerit charitatis incrementum idem & libertatis erit. Hinc ergo fit, ut quemadmodùm sanitas & charitas, hoc est, bona voluntas hominis erga Deum, à prima credendi & orandi voluntate sumit exordium, pariter etiam libertas arbitrij ad bonum, cùm eadem illa bona voluntate reuiuiscat. Nam hoc significatum voluit Augustinus illo ex retractationibus loco: *Nisi forte si pia est ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.* Pietas enim incipit à prima bona, id est, credendi voluntate, per quam etiã ex fide orare potest, juxta illud Augustini: *Initium fidei, ubi est etiam initium boni, hoc est piæ voluntatis* &c. Hanc libertatis enim bona seu piæ voluntate inchoationem expressit alibi luculentiùs *Ad hoc se intelligant habere quantum possunt liberum arbitrium, non ut superba voluntate respuant adjutorium, sed ut piâ voluntate invocent Dominum.*

Epist. 107. in fine.

Epist. 89. q. 2.

Quam sanctissimi præceptoris mentem, quamvis per se perspicuam, lucidissimis verbis discipulus eius sanctus Fulgentius explicat: *hæc libertas* (à peccato) *quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, a bona voluntate sumit exordium, & per fructum sanctificationis in vita æterna plenum sortitur effectum.*

Lib. de incarn. & grat. c. 19.

Neq; verò tantùm libertas incipit cũ sanitate, id est caritate, siue bona volũtate, sed cum eadẽ etiam iisdẽ planè gradibus crescit. Cùm enim dixisset August. in hoc intelligendũ esse liberum arbitrium, ut piâ voluntate invocent Dominum, velut rationem reddens præclarissimam illam sententiam subjicit: *Hæc enim voluntas libera, tantò erit liberior, quantò sanior, tantò autem sanior, quantò divinæ gratiæ misericordiæque subjectior.* Sanitas autem, charitas, ut ex ipso jam audiuimus, res ipsa clamat. Et statim iterum cùm à Propheta fideliter orari dixisset, ne dominaretur sibi omnis iniquitas, *precatur*, inquit, *non pollicetur: confitetur, non profitetur. Optat plenissimam libertatem, non jactat propriam potestatem.* Qui optat plenissimam, nisi quia nullis justis, nec Apostolis quidem, ita plena est, quin possit crescere, & plenior fieri? Vnde de simili Apostoli oratione, quâ se liberari postulabat à corpore mortis hujus, hoc est, ut sæpiùs exponit, corporis vitijs, concupiscentiæ videlicet delectationibus: *Neque enim sibi sufficit, qui dicit, infelix homo, quis me liberabit, aut plenam libertatem habere dicendus est, qui se adhuc postulat liberari.* Et hac de causa, quamuis voluntas Petri jam à peccato esset libera, Christus Dominus precando, ne deficeret fides ejus liberiorem volebat fieri. Hoc enim teste Augustino precabatur, ut *haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam perseverantissimam voluntatem.*

Epist. 89. q. 2.

Lib. de nat. & grat. c. 55.

Lib. de corr. & grat. c. 8.

Sed nullibi quod sciam euidentiùs totam istam libertatis gradationem à basi usque ad fastigium ejus tradit, quam in tractatibus in Ioannem: *Intendite*, inquit, *fratres mei, intendite: ne forte possim perducere vobis ad sensum, & qualis modo sit, & qualis futura sit ista libertas.* Intendamus igitur & nos, quia ita postulat, & res magna est, ut plenissimè sententiam ejus capiamus. *Prima libertas est carere criminibus* Hoc est, post peccatorum remissionem vivere sine peccatis grauibus, ut statim explicat, *quia sine omni peccato hîc vivit nemo, nisi ille solus, qui fuit in mortuis liber. Qui igitur ita vivit ut criminibus careat, incipit caput erigere ad libertatem: sed ista inchoata est non perfecta libertas.* Ecce ergo primus libertatis gradus. Sed *quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas?* An fortè quia non est satis indifferens ad bonum & malum? Ad hoc vel illud bonum? *Quia video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Non enim quod volo, hoc ago* &c. *Caro enim concupiscit adversus spiritum* &c. Ecce peccatum à quo paulatim liberamur. Ecce unde dicitur libertas à peccato: *Ex parte libertas ex parte servitus: nõdum tota, nondum pura, nondũ plena libertas, quia nondum plena*

Tract. 41. in Ioann.

plena aeternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem &c. *Audeo dicere ex qua parte seruimus Deo liberi sumus: ex qua parte seruimus legi peccati adhuc serui sumus.* Ecce sauciam nostram in hac vita libertatem, sed crescentem cum decrescente illa peccati lege de die in diem, si bene proficimus. *Quando igitur plena & perfecta libertas erit?* Audi ipsum interrogationi suae respondentem: *Quando nulla inimicitia*, carnis concupiscentis contra spiritum & spiritus aduersus carnem, *quando nouissima inimica destruetur mors.*

Tota ista doctrina ex Augustini principiis supra deductis liquidissime fluit. Cum enim libertas à peccato non sit aliud nisi libertas à dominante & in peccatum nos vrgente concupiscentia, & per hoc ipsum detur potestas diligendae iustitiae, & ex illa dilectione potestas faciendi operis boni, necessarium prorsus est, vt quo magis ab illo peccati morbo liberamur, eo magis liberetur arbitrium pleniorque ad bonum libertas potestasque conferatur. Porro ab illo peccato nihil aliud nos magis magisque liberat nisi charitas, secundum verissimam constantissimamque doctrinam Augustini, unde necesse est ut iisdem gradibus crescat & decrescat libertas arbitrii, quibus sanitas charitatis qua ab illo peccato liberamur: *Ignorantia*, inquit, *minuitur veritate magis magisque lucente: concupiscentia minuitur, charitate magis magisque feruente.* (*Lib. 6. cont. Iul. c. 16.*) Charitatis enim venenum est cupiditas, ut idem docet: *Nutrimentum eius imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas.* (*Lib. 83. qq. q. 36.*) Vnde iubemur detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, donec illud consumatur, hoc perficiatur.

CAPVT NONVM.

Quatuor Corollaria ex istis principiis Augustini declarantur, & in primis quomodo arbitrium liberum erit in coelo.

EX qua summa doctrinae principiorumque consonantia, multa in Augustini sensu valde perspicua, sed miris tenebris iuxta recentiores nonnullos, adoperta intelliguntur.

Nam primo hinc perspicitur, quid sibi velit Augustinus quando docet, arbitrium non esse liberum, cum concupiscentia hominem subiugatum tenet: *Quomodo*, inquit, *libera est* (voluntas) *cui dominatur iniquitas?* (*Epist. 89.*) Qua de re multis postea acturi sumus. Nimirum, quia hoc ipso quo arbitrium à concupiscentia superatum est, ei seruum addicitur, vt Sanctus Petrus loquitur, & vt ipse Christus, Augustino sapissime interpretante: *Qui facit peccatum seruus est peccati.* (*Ioan. 8.*) Vnde Augustinus: *Nec libera voluntas dicenda est, quae adhuc est, vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita. A quo quis enim deuictus est, huic & seruus addictus est.* (*Epist. 44.*) Et alibi: *Si aduersus eam pugnare destiteris, vinceris, vincieris, & ad immunda omnia pertraheris* &c. (*Lib. 3. cont. Iul. c. 21.*) Quem ideo mox *captiuum concupiscentiae, deserentem continentiam* vocat. Captiuitas enim arbitrii sub malo, & libertas eius ad bonum ex diametro sibi in Augustini doctrina aduersantur.

Hinc secundo perspicitur vera ratio, cur Augustinus doceat libertatem arbitrii in Adamo fuisse maximam, neque quenquam in hac vita esse cuius arbitrium ita liberum sit: *Multa quippe sunt*, ait Augustinus, *quae agunt homines mala à quibus eis liberum est abstinere; sed nullius tam liberum est quam illi fuit.* Quid ita? *Qui Deo suo à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio deprauatus astabat.* (*Lib. 1. cont. Iul. oper. imp. c. 40.*) Nimirum quia omni concupiscentiae captiuitate arbitrium eius prorsus vacuum fuit. Et haec est etiam vera ratio, cur Adami arbitrium seu voluntatem Augustinus saepe dicat absolute fuisse liberam, & nostram neget: *Quis enim nescit sanum & inculpabilem factum: & libero arbitrio, atque ad iuste viuendum potestate libera constitutum.* (*Lib. de nat. & grat. c. 43.*) De nobis vero in hac ruina constitutis dicit: *Nunc ei qui dicit* (id est, etiam Apostolo Paulo) *quod volo malum hoc ago* (id est concupisco inuitus) *abstinere inde liberum non est.* (*Lib. 1. operis imperf. c. 41*) Et in eodem libro multo post: *Nunc ad bene viuendum & ad recte agendum per voluntatis arbitrium, assere liberum, clamantem tibi, mentiris, non quod volo ago*, (*c. 149.*) quasi dicat non sum liber, vt alibi dicit. Nimirum quia Adam omni peccato sibi concupiscentialiter dominante vel blanditiis arbitrium proritante prorsus caruit, vt pote *cui nihil concupiscentialiter resistebat*, à quo malo nemo in hac vita penitus ita liberatur, ut nihil pestis istius arbitrium per interualla, magis aut minus fatigantis reliquum sit. Deplorat itaque iacturam istius magnae libertatis in libro de correptione & gratia: *Nunc vero posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas.* (*Lib. de Corr. & grat. c. 12.*)

Hinc tertio intelligitur, cur in Augustini principiis libertas ista per solam gratiam dari & augeri & compleri possit, hoc est, cur nemo liber arbitrio ista libertate peccati esse potest, nisi filius liberauerit. Nimirum, non quia peccati remissio per gratiam dari debet (vt Pelagiani quoque voluerunt) non quia inde opera bona quae quis operari debet, supernaturalia sunt (vt ii qui doctrinae sancti Augustini non satis periti sunt, suspicantur) sed quia non est potestas in coelo vel in terra quae voluntatis arbitrium ab horrendo illo concupiscentiae iugo

iugo, captiuitate, dominatione, blanditijs illud superantibus si sibi etiam iustificati relinquantur, liberare potest, nisi solum gratuitum adiutorium gratiæ Dei. Hæc est enim vera ratio, cur dicat Augustinus. *Ad iuste faciendum, liber non erit nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit servus*: & iterum: *Quid enim boni operari potest perditus, nisi in quantum fuerit, à perditione liberatus?* Nempe quia etiam iustus ab ista perditione victoris peccati illius magis magisque liberatur. *Victore enim*, vt addit, *peccato amissum est liberum arbitrium. A quo quis enim devictus est, huic & servus addictus est*. Et iterum in retractationibus: *Voluntas ipsa* id est arbitrium voluntatis, *nisi Dei gratia liberetur à servitute, à quâ facta est serva peccati, & ut vitia superet, adjuvetur, recte pièque vivi à mortalibus non potest*. Et iterùm: *In tantum enim libera est, in quantum liberata est* voluntas. Et hac de causa notat sæpè ab Apostolo non esse dictum: nunc autem liberi à peccato, sed nunc autem liberati à peccato: *Liberos*, inquit, *dixit iustitiæ* (id est à iustitia) *non liberatos. A peccato autem non liberos, sed vigilantissimè maluit dicere liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.*

In Enchirid. c.30.

L.1.retract. cap.9.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Hinc quartò vera & genuina causa elucescit, cur Augustinus semper doceat liberum arbitrium in sempiterna felicitate non periturũ, sed multò magis liberum futurum esse, quàm in hac vita fuit. Miros hic effingunt sibi, & Augustino offundunt fucos plerique recentiores, ut explicent, in quo maior illa libertas constituta sit: nempe, inquiunt, quia liberiùs eliget hoc vel illud bonum. Nec enim aliam arbitrij libertatem, quàm indifferentiæ suspicari possunt. Sed profectò quisquis ea, quæ hactenùs ex clarissimis principijs ejus derivavimus, intellexerit, jam me tacente palàm cernet, nihil insulsius, nihil ab ejus doctrinæ filo discrepantius dici posse. Nam huiusce solutionis (ut liberè dicam in explicanda libertate quid sentio) in universis operibus Augustini, quibus nihil frequentius & libentius, quàm de arbitrij libertate differit, non est vestigium; sed excogitata est, ut ejus doctrinam toto cœli cardine differentem, ad suam, torqueant; non suam ad ipsius normam corrigant. Itaque verus Augustini sensus est, arbitrium voluntatis in cœlo liberius futurum esse, cùm peccare non poterit; quia ab omni peccati, hoc est, concupiscentiæ servitute remotius, quia à tota illa exhaustâ peste liberatius, quia plenitudine charitatis sanius, quia ineffabili diuini amoris delectatione fortius, stabilius, & indeclinabilius. Nam ad utrumque libertatis terminum, & à quo liberatur arbitrium, & ad quem liberatur, & ad ipsius liberationis modum, in ista sua doctrina respexit Augustinus.

De respectu ad terminum à quo liberamur, dubitari nullo pacto potest. Nam non est alia libertas, nisi à peccato, quâ Augustinus adversus Pelagianos juxta scripturas jam sæpissimè repetitas propugnat, quâ scilicet libertate nos Christus liberauit. Vnde impossibile est, ut ab

A ea respectus ad terminum à quo fit liberatio, secludatur, cùm eam involvat essentialiter, sicut ex ejus tot testimonijs allegatis perspicuum est. Nam sicut in prima liberatione à peccato dominante non potest intelligi libertas ab eo sine respectu ad illum terminum, nec in secunda cum peccati illius tyrannis magis frangitur, ita nec in tertia. Nam hinc sunt illa sancti Doctoris verba de Propheta cùm liberationem plenam à dominante iniquitate implorare: *Optat plenissimam futuræ vitæ libertatem*, scilicet ne dominaretur iniquitas seu plenissimam libertatem à dominante iniquitate, *nam iacit at propriam potestatem*. Hinc illa de Apostolo liberationem à corpore mortis, id est, vitijs corporis plenam implorante: *Nec plenam libertatem* (qualis in cœlo erit) *habere se dicendum est, qui se adhuc postulat liberari*. Hinc illa perspicua de tali plena à peccato libertate: *Quid autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato?* Quasi dicat, quid à peccato liberius & remotius illo arbitrio, quod ei peccato, à quo liberatum est, jam amplius servire non poterit? Et alibi, cùm dixisset arbitrium hic malè velle, postea verò malè nolle, id est peccare peccatoque servire non posse, statim adjicit evidentius: *Nec ideò libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit servire peccato*. Quid est hoc, nisi, multo liberatius erit arbitrium, quod non amplius in servitutem peccati ruere potest? Et adhuc illustrius: *Nec ideò* (beati) *liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt*; id est, quia tentari peccati seu concupiscentiæ delectatione non poterunt. Hoc enim apud Augustinum est peccati delectatio; *magis quippe erit liberum à delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum*, id est, à concupiscentiæ delectatione, usque ad impossibilitatem habendi concupiscentiam delectationis. Non possem omni verborum delectu clariùs oculis subjicere eum, quem dixi esse Augustini sensum, quàm ipse subjecit. Vnde definitiva ejus sententia superius explicata, *Quando plena & perfecta libertas erit? Quando nullæ inimicitiæ* (carnis adversus spiritum concupiscentis quam latissimè declarauerat) *quando novissima destruetur mors*.

Epist. 89.

lib. de corr. & grat. cap. 11.

In Enchir. c.105.

Lib. 22. de Ciuit. c.30.

Tract. 41. in Ioan.

Ad terminum etiam ad quem liberationis seu libertatis ab Augustino respici, hoc est, ad non peccandi benèque vivendi potestatem, & ad ipsum liberationis modum, maiorem scilicet charitatis delectationem, res æque manifesta est, nam hoc ille ultimus locus clarè loquitur: non enim solum dicit beatorum arbitriũ magis liberum futurum à *delectatione peccandi*, hoc est, à peccato seu delectatione peccati, qui est terminus à quo arbitrium liberatur, sed eo usque progressuram istam liberationem ut delectetur indeclinabiliter non peccare, hoc est, ut justitiam peccato repugnantem delectabiliter & indeclinabiliter diligat. Et hinc est, quod statim istam maiorem beatorum libertatem in bono seu in termino ad quem, non in eo ponit quod arbitrium sit indifferentius ut

 hoc

hoc vel illud bonum diligat, sed quod sit potentius ad non peccandũ, hoc est, stabilius, & in justitiæ (quæ Deus noster est) dilectione confirmatius. Causam enim cur sit liberius illam reddit, quod cum Adami arbitrium ita liberum fuerit, vt potuerit non peccare; *Hoc autem*, inquit, *non, summonitio potentius erit quo peccare non poterit*. Nimirum, iuxta doctrinam quam ex eo paulò ante produximus, quod arbitrij libertas sit etiam potestas eius: & proinde quò liberius, eò potentius ad justitiam diligendam.

Lib. 22. de Ciuit. c. 30.

Sed omnia ista tria, & terminum à quo libertatis, & ad quem, & modum liberationis per delectationem caritatis simul eleganter in eodem illo libro de Ciuitate complexus est: *Erit ergo illius ciuitatis & vna in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera*. Et in quo libera? Num quia indifferentius ut eligat hoc vel illud bonum? *Ab omni malo liberata*. Ecce terminum à quo: *& impleta omni bono*. Ecce terminum ad quem, quia boni, id est, Dei dilectione plena est. *Fruens indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum*. Ecce liberationis modum. Hoc est enim quod ante alijs verbis expresserat *usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum*: quæ delectatio indeclinabilis non est alia, nisi fruitio indeficiens æternorum & iucunda gaudiorum. Hoc libertatis à peccato incrementum & felicissimum complementum & modum, alijs verbis eodem sensu circumscripsit alibi: *Pro sanandis* (membris) *orare debemus, ut absolutissima cui nihil addi possit sanitate* (quæ charitas est) *perfecta Dei suavitate plenâ libertate perfruamur*. Ecce absolutissima beatorum sanitas, perfecta suavitas, plena libertas est. Et rursum alibi, pari verborum evidentia & efficacia: *Quia peccauit voluntas secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat beatè viuendi voluntas, ita sit etiam bene viuendi & nunquam peccandi voluntaria felixq; necessitas*. Summam hic beatæ libertatis in tribus sitam esse declarat. Primò in eo quod tota sanetur infirmitas, quæ, iuxta perpetuam Augustini phrasin, est illud ipsum peccatum quod concupiscentiam dicimus, à quo propriè veluti termino à quo efficimur liberi, ea libertate qua nos Christus liberauit: secundo in eo quod perpetua sit voluntas beatè vivendi, quæ non est alia nisi voluntas fruens æternorum iucunditate gaudiorum, seu indeclinabilis plenaq; iustitiæ delectatio. Vbi propriè exprimitur modus liberationis per ineffabilem illam caritatis suavitatem, quæ facit ut nulla peregrina peccati vel concupiscentiæ delectatio amplius irrepere queat. Tertio in eo quod simul permaneat nō peccandi beneq; vivendi voluntaria felixque necessitas, hoc est, voluntas fœlix, immutabilis, & necessaria (ut ita nostri sęculi verbo & sensu loquar) non peccandi rectèq; vivendi; qui propriissimè est terminus ad quem fit illa suprema beatissimaq; liberatio. Omnia denique tria nō sunt aliud, quam id quod in libris de Ciuitate Dei dixerat, volūtas libera, liberata omni malo, & impleta omni bono, fruens indeficienter

Ibid.

Lib. de nat. grat. c. 58.

Lib. de perfect. iust. c. 4.

A æternorũ jucunditate gaudiorũ: vel, ut brevius ætatis nostræ phrasi loquar, *amor beatificus*, diversis respectibus quasi à diuersis lateribus cōsideratus. Nonne videtur August. quantum ex istis omnibus eius testimonijs liquet, ne sōniasse quidem unquam de absonis illis glossis verborum eius, quæ in nonnullis proferuntur? Si enim illas de industria declinare voluisset, nō potuisset ab eis longius recedere, non solùm in explicanda maiori libertate beatorum, sed etiam quacumque præsentis vitæ. Hoc enim confidenter mihi asserere licet, cuius probationem in suum locum differo, in universis voluminibus quæ contra Pelagianos exarata sunt, totoque illo conflictu de salua destructave per gratiam arbitrij libertate, non aliam vllam elucere libertatis arbitrij faciem, quàm produximus, nec esse vestigium ullum, quo Augustinus unquam de tali indifferentiæ libertate ad eligendum hoc vel illud bonum cogitasse, multo minus ad eam depellendæ calumniæ causa confugisse videatur. Constantissi-

B ma quippe doctrina eius, paucis verbis quicquid de libertate respectu termini à quo, ad quem, modi liberationis quorumcumque sive ægrotorum sive sanorum, dictum est, complectentibus, comprehenditur: *Hæc voluntas tanto erit liberior, quanto sanior, tanto autem sanior, quanto diuinæ gratiæ, misericordiaque subiectior*. Nam illa gratia est quæ sanitatem; id est, charitatem, illa est quæ suavitatem, hoc est, omnem charitatem, illa est quæ non peccandi necessitatem, hoc est, indeclinabilem charitatem, & per hoc summam à servitute peccati libertatem arbitrio voluntatis impertit. Hæc enim *est lex libertatis non seruitutis*. Qui sic Doctor beatissime & profundissimè? *Quia charitatis vtique non timoris*. Homines enim *facit carnalis timor & cupiditas seruos*; peccati seu cupiditatis, *Euangelica fides, spes, & charitas liberos*. Nam idcirco *in bene agendo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis*.

Epist. 89.

Lib. de nat. & grat. c. 57.

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

Lib. de natura & gratia c. 63.

CAPVT DECIMVM.

C **Triplex liberi arbitrij status, ad bonū, vel malum, & ad utrumque. Vnde hæc restrictio ad unum, vel indifferentia contrarietatis nascatur.**

HActenus duo illa membra libertatis explicuimus quibus terminus à quo libertatis exprimitur, libertatem à *iustitia, & à peccato*, seu; ut hoc sæculo loquuntur usitatius, comparatione termini *ad quem*, libertatem ad malum & ad bonum. Nunc aliquid breuiter dicendum est, quomodo illæ libertates arbitrij à diuersis statibus eius participentur. Nam quamuis liberum arbitrium seu libertas eius, illa generalis, quam initio tractatus huius explicuimus, sit in universum proprietas creaturæ, imo naturæ rationalis & intellectualis, non tamen in omni

D supposito eandem suorum actuum latitudinem habet. Generatim quippe tam latè patet liberum seu libertatis arbitrium, quam voluntatis arbitrium, quia liberũ arbitrium & volūtatis

tatis arbitrium apud Augustinum idem esse declarauimus. Voluntas autem, prout natura quam afficit, diuersa fuerit, vel etiam prout in eadem natura pœnis præmijsque ex præuio proposito profluentibus se discreuerit, ad actuũ plura pauciораque genera dilatatur aut restringitur.

Quamobrem sicut diuina natura, bonitas immutabilis est, & indefectibilis quia simplex, ita voluntas æque simplex, ad quam bonitas propriè spectat, ab amando hoc bono, hoc est seipso, neque mutari neque deficere potest: ita vt quicquid amaverit præter se, non nisi sub eadem illa suprema bonitate, & ad eandem illam supremam bonitatem referendo amare possit: quæcumque vero creata natura, hoc ipso quo ex nihilo facta, neque simplex est, etiam mutari & deficere potest: *Est bonum solum simplex*, inquit Augustinus, *& ob hoc solum incommutabile quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia & ob hoc mutabilia.* Et alibi: *Vnde colligitur non ob aliud res deficere, vel posse deficere, nisi quod ex nihilo facta sint.* Ex hac igitur defectibilitate, qua ad nihilum, tanquam ad solum patrium vergit, omnis creatura rationalis hoc habet, vt etiam voluntas eius à veri & summi boni dilectione, aliud inferius bonum, quod non debuit, amando deficere, hoc est, peccare possit: *Voluntarius enim defectus, quo anima rationalis ad ea quæ infra sunt condita, conditore suo deserto declinat affectum, hoc est quod peccatum vocatur.* Ex illa igitur naturarum diuersitate nascitur duplex arbitrij status naturis ipsis congruus & adnatus, ut arbitrium naturæ incommutabilis peccare non possit, mutabilis possit. Hæc enim uti voluntatem ita etiam libertatem ad malum declinare potest, illa non potest. Ista utriusque naturæ & arbitrij proprietas, si naturam spectes, immutabilis, & in beatis damnatisque permanet. Nam etiam nunc beati & dãnati mutabiles natura sua sunt, quandoquidẽ Deo volente mutarentur, sed remuneratione dãnationeq; factũ est, ut illa naturalis in utramvis cõtrarietatis partem flexibilitas amplius flecti nequeat. *Aliud est esse enim Deum, aliud participem Dei. Deus natura sua peccare nõ potest: particeps vero Dei ab illo accipit vt peccare non possit.* Sic igitur Creatoris arbitrium liberum est, sed ita ut non nisi bonum velle possit: creaturæ itidem liberum, sed ita vt & bonum velle possit & malum. Nam hoc ipsum, à bono scilicet increato, cui amore adhærebat, deficere posse, hoc est, ei posse velle malum.

Lib. 11. de Ciuit. c. 10.

Epist. 56.

Lib. 2. cont. Secund. c. 15.

Lib. 22. de Ciuit. c. 30.

Cum tali ergo arbitrio in utramque partem libero & flexibili conditus est angelus & primus homo; sicut hoc accuratius ex Augustino in initio demonstrauimus. Nam quamuis angelus, & in primis Adam, Scriptura teste, rectus conditus fuerit, hoc est, cum voluntate rectitudinem æternæ veritatis amante, nec in creaturas adhuc ullâ concupiscentiâ vel amore curvatâ, talis tamen fuit, vt deserere posset rectitudinem suam, vt pote in quo nondum illa bona voluntas qua diligebat istud incommutabile bonum, ita torrente voluptatis inebriata & firmata fuerit, quin adhuc beatum illud amoris vinculum posset abrumpere, & ita *bene velle posset & male*. Quamobrem iste primus est in creatura liberi arbitrij status, ad vtramque non solum contradictionis, sed & contrarietatis partem prorsus flexibilis & indifferens: ita diuina iustitia præmiũ & supplicium liberorũ voluntatis mutuum temperante, vt quod quisq; sibi fruendũ liberè delegisset, siue creaturã, siue creatorẽ, siue peccatum, siue iustitiam, hoc ipsum ei permittendo vel donando, stabiliter velut præmium retribueret. Angelos itaque qui seruata voluntatis rectitudine sibi similes manserant, sibi similiores fecit, vt & ipsi ad illum libertatis apicem, quo peccare, hoc est, iustitiam adamatam amittere non possent, suo auxilio condescenderent; eos vero qui iustitia derelictâ peccatum adamauerant, stabili ac perpetua peccati seruitute mulctauit. *Deus enim*, vt Augustinus, *iustè omnia moderatur, vt pro cupiditatibus & electionibus suis, seruitutes eorum, libertatesq; distribuat.* Ipse enim sicut naturarum omnium creator est, *ita voluntatum bonarum adiutor & remunerator, malarum autem relictor & damnator.*

Lib. 83. qq. q. 79.

Lib. 14. de Ciuit. c. 26.

Ex hac igitur spontanea creaturæ rationalis in vtramque partem liberrimæ discretione, illa æquabilis libertatis indifferentia, velut bilancis æquilibrium perijt. Magno enim impetu voluntatis pars altera creaturæ rationalis sursum rapta, deorsũ altera præcipitata est; & iustitia vtramque prosequente, cum nihil esset quod utriusque ponderis impulsum auferret aut minueret, ubi voluntas uniuscuiusque cecidit, ibi mansit. Sic aliud duplex libertatis genus, vel duplex status potius exortus est, vnus in quo quemadmodum Deus, creatura Deo simillima & eiusdem boni amore stabilita, iam nihil mali amplius velle potest; alter in quo creatura Deo dissimillima & boni sui amore spoliata, nihil boni. Nam cùm concupiscentiâ peccati, sibi velut victo, & in servitutem ejus addicto dominante, se liberare non possit, non potest etiam ad illud æquilibrium per se redire, nisi gratia liberauerit. Nec tamen idcirco arbitrium liberum esse desinit. Non enim in eo libertas arbitrij sita est, ut utrumque genus actuum bonorum malorumque possit æqualiter, sed vt in quoscumque actus potestatem habeat, sive in bonos sive in malos, in illos liberâ feratur voluntate. Cùm enim hoc liberum sit, quod est in potestate voluntatis; actus illi alterius partis, quorum potestate caret, non sunt amplius in ipsius potestate, ideoque nec in ipsius libera voluntate; proinde nec liberi: sed respectu oppositi generis arbitrium est liberrimum, eoque liberius, sive vera, sive seruili libertate, quo minùs ab illis alterius partis amore retrahitur & impeditur, sicut hoc in ipso libertatis architypo creatore omnium, in beatisque creaturis eius, Augustino sæpius teste, & omnibus Theologis consentientibus perspicuum est.

Ex quo profectò consequenter liquet, quod

illa

illi maior quasi latitudo libertatis respectu tam boni quam mali, quæ in illo primæuo hominum & Angelorum statu apparuit, non ex natura, multo minus ex perfectione liberæ voluntatis fluxerit, sed potius ex ejus naturali & concreata imperfectione, qua ex perfectione veræ libertatis sua voluntate excidere potest, nisi Deus impediat vnde fieri non potest vt ista latitudo actuum liberæ voluntatis, sit natura vel perfectio libertatis, sicut fieri non potest, vt potestas claudicādi sit natura vel perfectio potestatis progressiuæ, vel potestas errandi intelligentiæ, vel mortalitas hominis, vel ægrotabilitas carnis. Nullius enim naturæ perfectio in eo sita est, quod possit in agendo vel essendo deficere, sic videlicet, ut si Creatoris beneficio impediatur, perfectio naturæ vel natura ipsa destruatur. Poterat igitur Deus talem humanam & angelicam instituere naturam, vt solus eam delectaret Deus, ejusque voluntati sine ullo non solum impedimento tentationis, sed etiam possibilitate defectionis obtemperaret, sicut nunc pars ejus quædam in cœlis immobiliter & indeficienter obtemperat. Non enim ideo liberum arbitrium non habet, quia peccata eos delectare non possunt. *Magis quippe esset liberum, à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* (Lib. 22. de Ciuit. c. vlt.) Nam Deum ab initio creaturæ suæ, conferre non potuisse sine præiudicio libertatis, quod ei postea sine præiudicio libertatis contulit, vt ei amoris perfectione simillima,

A nec ipsa posset sua libertate deficere, hoc est, bonam liberamque voluntatem amittere, perabsurdum est. Quapropter neque natura liberi arbitrij, neque perfectio libertatis, imo neque status viatoris fuisset violatus, si talem Deus hominem angelumve condidisset, vt cœlestis delectationis magnitudine & firmitate liberum eorum arbitrium non posset creaturam Creatori diligendo præponere. Hoc enim citra dubium in Christo Domino sine detrimēto libertatis ejus, sine interitu status viatoris, & quod est mirabilius, una cum ipsa beatifica visione & amore contigit; & in sanctissima ejus Matre eo facilius, quo inferiore gradu & alio ex capite contingere potuit. Nimirum vt etjam illa sublata concupiscentia, gratia que magnitudine voluntatem ejus inseparabiliter confirmante, etjam sine beatifica visione peccare non posset. Quod iuxta Augustini princi- B pia probare non est difficile, sed non est huius loci. Non ergo natura vel perfectio libertatis, sed connaturalis ordo rerum, quæ ab imperfectis ad perfectiora progrediendum esse præscribebat indifferentem illum libertatis gradum ad bonum & malum postulauit: *Seruandi gradus erant*, inquit Augustinus, *diuini muneris, vt primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo,* sicut & peccare: *Nouissimum quo peccare non posset, atque illud ad comparandum meritum hoc ad recipiendum præmium pertineret.* (Ibid. c. 30.)

CAPVT XI.

Error Pelagianus est, requiri ad libertatem, indifferentiam ad bonum & malum: sed potest esse libertas, destructa ad malum.

QVamobrem perperam de liberi arbitrij natura philosophantur, qui hominem vel angelum non liberi arbitrij futurum esse suspicantur, si non æqualiter eorum voluntas flecti potuisset aut etiamnum posset in bonum & malum. Error iste à Pelagianis patronis ejus fidelissimis originem ducit. Principium enim apud ipsos primo verum & indubitatum fuit, non esse liberum cui non in utrumque contrariorum, bonum videlicet & malum, par potestas est. Quod fuse à nobis in illo opere quo Pelagiani erroris dogmata lustravimus eorumque sensum explicuimus, demonstratum est. (Vide lib. 2. de hæresi Pelag. c. 1. & sequent.) Hic vnus aut alter Iuliani locus sit instar omnium: rem enim ibi fecimus exploratissimam. Sic ergo definit ipse libertatem arbitrij: *Libertas arbitrij in admittendi peccati & abstinendi à peccato, possibilitate consistit.* (Lib. 1. operis imperf. f. 118.) Ex qua regula, necessitatem omnem siue boni siue mali penitus excludendo, statim colligit; *Si ergo est, vt ratio prodidit, arbitrij libertas propulsatrix necessitatum, vt nemo* (f. 122.)

A *sit vel bonus vel malus, cui non sit liberum esse contrarium &c.* Et insultans fundatissimæ doctrinæ Augustini, qua in libris ad Bonifacium dixerat, voluntatem quæ libera est in malis, liberam non esse in bonis: *Non minore plane stultitia professione*, inquit, *quam profanitate liberum vocas, quod dicis nisi vnum velle, non posse*, hoc est, vel solum bonum vel solum malum. (fol. 130.)

Doctrinam istam hauserat ex Pelagio præceptore suo & istius erroris fonte Iulianus. Nam Pelagius in fidei suæ libello, quem ad Pontificem Innocentium sui purgandi causa destinauerat, his verbis sententiam suam de ista in utramque partem pari potestate comprehendit: *Nos vero dicimus hominem semper &* B *& peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij.* Quo nihil aliud significat, quam id quod clarius discipulus eius propalauit non esse liberi arbitrij hominem, nisi semper & peccare possit & non peccare. Sententia ista sub Hieronymi nomine citari subinde solet, & in opusculo quod inscribitur:

Symboli

Symboli explanatio ad Damasum continetur. Sed severa est Pelagij. Nam multas lacinias ex eo citat Augustinus libro de gratia Christi, quæ verbotenus in eo comprehensas videre licet, qua de re plura diximus alio in loco.

Tomo 4. operum incognito.

Sententiam istam velut fortissimam & erroris Pelagiani nidum sæpe & acerrimè refutauit Augustinus, & asseueranter docet ad libertatem arbitrij, non esse necessariam illam ad utrumque contrariorum, bonum videlicet atque malum indifferentiam; sed totam eius naturam in alterutro oppositorum duntaxat, siue in bono, siue in malo, sublata alterius oppositi potestate, posse salvari. Nam in libris ad Bonifacium, de illis loquens qui ab omni liberationis gratia sunt moti, sub peccato captiui sine fide detinentur: *Hæc*, ait, *voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* Quibus verbis perspicuè libertatem respectu solius mali asserentibus, cùm Iulianus illam indifferentiam boni & mali negatam cerneret, ideoque stultitiæ professionem & profanitatem adscripsisset Augustino, qui liberum diceret, quod nisi vnum velle non posset, respondet ei sanctissimus Doctor, quasi rem Iulianus perabsurdam protulisset, *Liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum? Liber Deus non est, qui malum non potest velle de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem? An potius intelligere debes esse quandam beatam necessitatem, qua Deus iniustus non potest esse?* In qua sententia exemplum quod de Deo profert Augustinus, apud omnes etiam recentiores Theologos indubitatum est; sed eo scopo ab Augustino producitur, vt probet simili modo, liberam esse posse voluntatem in malis, ut ante dixerat, quæ non est libera in bonis, falsumque esse quod illi sententiæ Iulianus opposuerat, liberum non esse, nisi quod duo potest velle, bonum & malum. Et cum Iulianus iterum istam indifferentem libertatem ad utrumque contrariorum postulasset negassetque eam cum potestate ad unum tantum posse consistere, eandem solutionem ei reponit Augustinus: *Ergo nec in Deo est arbitrij libertas, quia malum facere non potest, sicut negare seipsum non potest: qui & nobis summo illo præmio largiturus est; vt non quidem ipsi Deo, sed tamen angelis eius æquales, nec nos peccare possimus.* Sed Iulianus, cum invictam ratiocinationem suam arbitraretur, ei tertiò idem impingit confidentius, & apertam ei contradictionis absurditatem imputat, ut *qui iustificaret dogmata sua promittens se liberum arbitrium non negare, quod ante mali* (solius) *postea boni* (solius) *necessitate subverteret.* Sed respondet ei tertio Augustinus, necessitatem vnius contrariorum non repugnare libertati; *Dicturus es ut video Deum necessitate premi, ut peccare non possit, qui utique nec potest velle nec vult posse peccare.* Quâ beatissimâ necessitate & nos donandos esse profitetur.

Lib. 1. ad Bonif. c. 3.

Lib. 1. operis imperf. fol. 130.

fol. 133.

fol. 134.

Cùm vero hactenus exemplo divinæ libertatis, argumento quasi à simili convicisset, libertatem arbitrij etiam in sola ad malum potestate & libertate incolumem esse posse, & Iulianus eandem argumenti istius molem contra libertatem solius mali volveret & revolveret, tandem perspicuis verbis errorem eius notat & comprimit: *Multum erras qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam quod nulla necessitate commissum est.* Quod inductione variorum exemplorum probat. Et aliquanto inferius, cum retorsisset in eum Iulianus, quod *voluntas peccatoris potuerit tam bonum velle quam malum voluit, totumque figmentum necessitatis*, quam sanctus Doctor asseruerat, *evanuisse*: exemplis eum errare docet Augustinus, magnaque veritatis fiducia doctrinæque Catholicæ securitate concludit: *Non est igitur impœnitatis sententias in necessitate peccandi; sed ut non absit ista necessitas, donat ille cui dicitur, de necessitatibus meis erue me.* Ex quo sanè acerrimo conflictu Catholicissimi pugilis cum Iuliano Pelagiani erroris architecto, manifestissimum euasit, necessitatem, siue solius boni, qualis in Deo, angelis & hominibus beatis lucet, siue solius mali, qualis in hominibus, quos damnatio omnis gratiæ exortes fecit, reliqua est, nihil omninò repugnare libertati, sed reipsa tam perspicuè esse convictam, ut errorem eius opinionem vocet. Neque ibi propriè de libertate ad bonum, quamvis illius nonnulla exempla protulerit, sed præcipuè de libertate & potestate solius mali, certamen vertitur; altero velut stultam profanamque sententiam impugnante qua dictum erat, voluntatem esse liberam in malis, quæ non esset libera in bonis; altero velut sanissimam Catholicamque doctrinam omni Scripturarum & rationum apparatu defendente.

fol. 155.

Lib. 1. operis imperf. fol. 159.

Sed nullibi res ista illustrius patet, quam in dæmonibus, qui amissâ irreparabiliter bene volendi & bene faciendi potestate solius mali potestatē & libertatem habēt. Sunt enim perfectissimè liberi à iustitia servique peccati; nec ab illa peccati servitute in æternum à Deo liberandi sunt, nec à seipsis liberari possunt. Amiserunt itaque penitus libertatem ad bonum, retentâ tamen perfectissimè libertate ad bonum, retenta tamen perfectissimè libertate ad malum, juxta regulam generalem adversus Pelagianos de arbitrij libertate ad malum latam: *Nec liberum in bono erit* (arbitrium) *quod liberator non liberaverit: sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitia vel occultus vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit.* Et rursum: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant & amore peccati hoc eis placet quod eis lubet.* Ac tertio de peccatoribus qui mentis vtuntur arbitrio: *In peccato sua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur. Non enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi vt peccatum voluntate committant vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo, & cæcitatis & infirmitatis.* Denique genera-

Lib. 1. ad Bon. c. 3.

lissimè: *Hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* Quæ quamvis omnia de hominibus sub peccati dominantis potestate captivis dicta sint, eadem tamen prorsus; imò longè maiori ratione in spiritibus reprobis perfectissimè locum habent. Nam voluntas eorum maximè delectatur malis, maxima cum delectatione peccat, maximè hoc ei amore peccati placet, quod et lubet, omninoque minimè per liberatorem à peccato liberati sunt, à quo seipsi eò minùs suâ possunt potestate liberare, quò stabiliori damnationis & obdurationis obstricti sunt.

Ex eiusdem doctrinæ regulis, quas de libertate arbitrij ad peccandum generaliter Augustinus tradidit, etiam speciatim sententiam de dæmonum libertate pronuntiat. Nam utrumque caput bicornis illius libertatis, sive retentæ, sive perditæ in eius litteris æquè perspicuum est, dum & peccandi libertatem spiritibus damnatis tribuit, & benefaciendi negat. Nam de libertate bene volendi & benefaciendi Satanæ, sic loquitur in epistola ad Vitalem: *Rogens eos infideles ad arbitrium suum, quod nec ipse habet liberum ad benefaciendum, sed ad maximam malevolentiam pœna sui sceleris obduratum: Unde nemo sanæ fidei credit aut dicit hos Apostatas angelos ad pristinam pietatem correcta aliquando pietate converti?* De libertate verò peccandi nemo sanæ mentis inficiari posset, eam in dæmonibus vigere potentissimam. Quis enim nisi oculos apertissimæ veritati clauserit, non videat blasphemias illas in Deum horribiles gravissima sceleratæ mentis esse facinora? Nec enim quicquam ratio peccati continet, quod non maximè in eorum facta quadret, quæ contra legem æternam scientes, videntes, lubentesque dicunt, faciunt, concupiscunt. Hinc Augustinus tripartitam illam libertatem creaturæ rationalis, quam supra declaravimus, ad bonum tantùm, ad malum tantùm, & ad utrumque breviter exprimens: *Si nulla causa esset non ita dispertiretur creatura rationalis, ut alia nunquam peccet* in angelis bonis, *alia in peccando perseveret*, in angelis malis, *alia quasi media inter utramque, aliquando peccet, aliquando ad rectè faciendum convertatur*, in hominibus viatoribus. Et statim iterum: *Quæ causa in has tres partes eam distribuit? Sed nolo mihi respondeatur voluntas*, id est liberum arbitrium, de quo erat disputatio. *Ego enim causam quæro ipsius voluntatis. Non enim sine causa nunquam vult illa peccare, nunquam ista non vult, cùm eiusdem generis omnes sint.* Vbi evidenter dicit, reprobos illos spiritus nunquam non velle peccare, hoc est, semper velle peccare. Eandem trimembrem libertatis partitionem etiam in superioribus tetigit, dum de angelica beata creatura dixit, quod *in perpetuum fruitur creatore suo, quem perpetua tenendæ iustitiæ voluntate promeretur*: de damnata, *quod eam perpetua peccandi voluptas teret*; quod eam præsciuit Deus *non solùm peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram.* Et tamen etiã talem creaturam quæ liberâ voluntate peccat, excellentiorem esse, quàm quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem, sicut aberrans equus, lapide non errante melior est. Inter utramque verò medium ponit hominem, creaturam videlicet ita peccatricem, ut possit altitudinem suam pœnitendi humilitate recipere.

Ex istâ igitur liberæ voluntatis intelligẽtiâ, quâ arbitriũ Augustinus esse sẽtit ac docet liberum, quantùmvis sive in bono sive etiam in malo, ita firmatum sit, ut non sit amplius ad benefaciendum liberum, sed ad maximam malevolentiam pœnâ sceleris obduratum, passim gravissimorum certissimorumque peccatorum auctores dæmones facit. Invidiæ quidem frequentissimè: *Primum peccatum est quamvis bonam creaturam creatori in dilectione præponere: secundum autem, alterum quibusque ut id faciat vel suadendo vel cogendo tentare.* Vbi utrumque peccatum dæmonum digito ostendit, & quo cecidit, & quo damnatus hominem in peccatum labi fecit. De postremo genere, quod jam maximè in dæmonibus locum habet, statim attexit: *voluntate peccant, qui alios ad peccatum perducere cupiunt, vel stulta benevolentia vel malitiosa invidia.* Et cùm invidentiam ex immoderato honoris amore pullulare docuisset, cùm ne in eo superetur, cupit aliquos ad iniquitatis voraginem ex æquitatis arce deponi: *Hoc modo*, inquit, *diabolus suadere aut cogere ad peccata conatur.* Et mox uberius declarans utroque modo & suadendo, quod diabolus facit, & ei consentiendo peccari: *Ego*, inquit *ambas* (creaturas) *bonas esse assero, sed unam earum malefacere suadendo, aliam malefacere consentiendo.* Sed quomodò an fortè malefaciet absque peccato? nequaquam, sed sic *ut illi si non suadeat emendatior* futura sit. *Etsi enim bis illa peccat, quæ & committit & suadet; illa autem semel si tantummodo ad malefaciendum consentiat, tamen peccatis sunt malæ, non naturâ sunt malæ.* Quod ibidem latiùs prosequitur. Hoc invidentiæ peccatũ sæpissimè Augustinus in dæmonibus ponit: *Sanctis invidet diabolus honorem cœlestem, unde ipse deiectus est. Mutatus enim ipse alios mutare molitur*: nimirum iuxta illud Scripturæ: *Invidia diaboli mors intravit in Orbem terrarum.* Ex quo fit ut quemadmodùm sanctissimus Antistes dicit, *errore delectentur & quodammodò pascantur humano.* Neminem autem eò usque ineptiæ progressurum puto, ut invidiam fallendique voluntatem, peccatum non esse arbitretur. Quapropter non veretur eis non tantùm peccandi voluntatem, & vera peccata, sed etiam invidentiæ ceterorumque peccatorũm quæ in mundo damnati perpetrant, supplicium attribuere; ut non modò peccatorum, sed & pœnarum luendarum rei sint. *Illi principes contra quos habere nos colluctationem dicit Apostolus, pœnam peccatorum suorum priores patiuntur quam noceant; nullus enim invidus ut alterum lædat, non sibi tormento est.* Et in libro de naturâ boni: *Cùm per potestatem quam diabolo dedit, omnia iustè ipse Deus fecerit, non tamen pro his iustis factis, sed pro iniquâ nocendi voluntate quæ ipsius diaboli fuit, ei*

reddetur

Margin notes, left column: Epist. 107. — Lib. 3. de libero arbit. cap. 17. — Lib. 3. de lib. arb. c. 5.

Margin notes, right column: Lib. contra Secund. c. 17. — Ibid. c. 18. — Ibid. c. 24. — Sap. 2. — Epist. 49. q. 3.

redditur in fine supplicium. Sed quid multis? A Ipse Dominus Iesus apertissime diabolum post primum peccatum & homicidam facit, Ioan. 8. *ille homicida erat ab initio*, & mendacem, *Mendax est & pater ejus*; nec homicidium verò, nec mendacium esse peccata, vel peccata non esse liberæ voluntatis, nec ipsi quidem homicidæ aut mendaces inter surdos dixerint. Vnde Scripturis & Augustino succinentes veteres, non solum diabolo vera peccata tribuunt, sed etiam apertissimis verbis liberum arbitrium respectu solius mali; cujusmodi est beatorum Angelorum respectu solius boni. Qua de re Sanctus Bernardus: Bernard. de grat. & lib. arbit. *Sicut caletis Angelis, aut etiam Deo ipse permanet libere bonus, propria videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate; sic profecto diabolus æque libere in malum & corruit & persistit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu.* An forte est etiam dæmon liber in bono, & non captivus in malo? *Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam sit captivitas mentis, tam plena quidem in malis quam & in bonis, sed in bonis ordinatior.* Et iterum expressius: *Nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque iste non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio.* Et post Bernardum Magister Sententiarum: In 2. dist. 7. *Mali (Angeli) per malitiam adeo sunt obstinati, quod bonam voluntatem habere, sive velle non valent, etsi bonum sit quod aliquando volunt. Volunt enim aliquando fieri quod Deus vult fieri, & utique illud bonum est & iustum fieri, nec tamen bona voluntate illud volunt.* Et statim adjicit utrosque & bonos & malos angelos habere liberum arbitrium, etsi isti in bono confirmati sint, hi in malis obdurati; quia *non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate, illi bonum eligunt* C *& malum respuunt, hi bonum vitant & malum sequuntur.* Vtpote qui habeant *liberum arbitrium, sed depressum atque corruptum, quo surgere ad bonum non valent.* Quam doctrinam Augustini, Bernardi & Magistri Scholastici & Commentatores veteres communiter secuti sunt. In 2. dist. 7. Nam Bonaventura dicit non obstante obduratione *dæmones liberè velle quod volunt.* Itemque quod *continue peccat* etiam in timore quo n. 32. pœnas timet, & in amore quo ut conservatorem diligit Deum. Divus Thomas: n. 9. 11. 14. In 4. disp. ... de malo q. ... a. ... in corp. *Dæmones quamvis diversa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant, quia in omni eorum electione permanet vis primæ electionis ipsorum.* Quibus ad illa usque tempora nemo videtur contradixisse.

Nec sanè ulla ratio recentioribus esse potest, cur etiam ex propriis eorum principiis id ctrinam istam ponderando, de falsitate suspectam esse putetur. Ipsi enim ad libertatem beatorum atque ipsius Dei satis esse credunt D ac docent, ut quamvis peccare non possint, A eligant tamen liberè, hoc est, indifferenter hoc vel istud bonum. Sed hoc libertatis patrocinium plenissimè, planissimèque in damnatis spiritibus locum habet. Nam & ipsi quamvis voluntatem immobilem in malo, perversaque sui dilectione possideant; indifferenter tamen eligere possunt hoc vel istud malum, ad hoc vel istud peccatum homines impellere, hoc vel isto blasphemiæ convitio divinitatem incessere. Quod si ad libertatem sufficit, certissimum est & planissimum, liberum arbitrium in dæmonibus cum illa perpetua & generali, seu in confuso, peccandi necessitate cohærere; & proinde verissimam esse doctrinam sancti Augustini, qua constantissimè semper docet, *voluntatem quæ libera in malo est, quia delectatur malo, non esse liberam in bono, quia liberata non est*; juxta doctrinam Apostolicam B quam Augustinus illis verbis explicuit: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ: nunc autem liberati a peccato servi autem facti Deo* &c. Nam ex illis verbis & aliis Christi Domini Ioannis octavo, quæ sæpius à nobis allegata sunt, fluxit illa divisio libertatis apud Augustinum celebris, in *libertatem a peccato*, quæ est libertas ad bonum, & *libertatem à iustitia*, quæ est libertas ad malum. Et illud Catholicum ejusdem Doctoris pronuntiatum: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala, aut a peccato libera est, quando servit iustitiæ, & tunc est bona.* Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15. Et illud in Enchiridio: *Ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Vnde ad iuste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus esse cœperit iustitiæ servus.* In Enchirid. cap. 30. Vnde obduratissimis peccatoribus liberam planissimè voluntatem tribuens dicit: *Facile est ut infidelitatem accusemus Iudæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus* C *credere noluerunt.* Lib. de dono pers. c. 9.

Hæc de libertate tantum ad malum paulo fusius ex Augustini mente pertractanda fuerunt, propter miras quorundam recentiorum opiniones & veteribus inauditas, quibus rem planissimam tricis implicant, ut in hominibus qui peccato subjugati serviunt, multoque magis in dæmonibus, vel arbitrii libertatem, vel peccandi potestatem negent, vel ita fateantur, ut vel gratiam sufficientem in iis velut necessariam postulent, vel boni moralis agendi potestatem. Fœtus isti sunt non Ecclesiasticæ traditionis, sed humanæ vel potius vanæ speculationis. Quæ si ad normam doctrinæ veteris, & præcipue principis omnium Theologorum, & in hac materia ducis ac præceptoris gentium Augustini, expenderimus, invenientur esse paradoxa, quibus nec à Stoicis paria excogitata sunt. De duobus postremis jam fuit alibi dicendi locus.

CAPVT XII.

Libertas arbitrij quo sensu tribuenda, & neganda peccatoribus.

SEd quamvis Augustinus crebro libertatem arbitrij malos habere, & arbitrium ad peccandum liberum esse fateatur, ac definitiones quas de libertate tradidit, hoc ipsum sine ulla dubitatione convincant, non raro tamen idem Augustinus nullam omnino libertatem arbitrij, nisi in boni dilectione, atque in operibus bonis ex ea profluentibus, videtur agnoscere: *Ad male agendum habes sine adiutorio Dei liberam voluntatem. Quanquam non est illa libera. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Et omnis qui facit peccatum servus est peccati. Et, si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et in libro de Spiritu & littera: *Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij libertatem sonare. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Quasi dicat, ubi non est Spiritus Domini, non est libertas arbitrij, sed servitus. Ex qua vena fluunt innumera ejus testimonia quibus soli divinæ gratiæ, charitati ac dilectioni justitiæ tribuit libertatem voluntatis; utpote qua *tanto fit liberior, quanto divinæ gratiæ misericordiaque subiectior*: quemadmodum fuse supra declaravimus.

Serm. 13. de verb. Apost.

Lib. de Spir. & litt. c. 30.

Epist. 89.

Ex his atque hujusmodi Augustini locis quosdam Scriptores collegisse video, nullam ex Augustini mente esse arbitrij libertatem, nisi per quam adhæreretur Deo. Quam sententiam suam quomodo tueantur, ipsi viderint. Hoc tamen exploratissimum est, doctrinæ Augustini directe & ex pluribus capitibus esse contrarium. Quod ex ijs quæ toto hoc discursu de libero arbitrio tam prolixè diximus ita manifestum est, ut superfluum sit ijs qui tantillum ingenio pollent, repetendo velle declarare. Nam ut nihil dicam de tot testimonijs, in quibus expressis verbis libertatem arbitrij veri nominis peccatoribus tribuit, Et illud indifferenter se posse huc illuc flectere ad bonum & malum, de quibus infra adhuc dicendum erit, ipsa ratio liberi, quam tanto molimine Augustinus tradit, hoc convincit invictissimè. Liberum enim vocat quod est in nostra potestate: & in nostra potestate id quod facimus quando volumus: quod in peccatis citra omnem tergiversationem perspicue verum esse, nemo Catholicus diffiteri potest. Ex quarum definitionum veritate ex professo Augustinus docet, & *manifestum esse* docet, & adversus Philosophos constantissime defendit; *voluntates nostras* non solum *quibus recte*, sed etiam *quibus perperam vivitur non esse sub necessitate positas*, sed liberas, & à libero arbitrio proficisci. Qua de re supra satis multa generatim disputata sunt.

Lib. 5. de Civitate c. 10. & lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. & adversus Manichæos passim.

Sed hoc est quod viros eruditos videtur A fefellisse, quòd liberum in Augustini doctrina subinde magis actum respicit, qui libere fieri dicitur, quasi terminus ad quem libertatis; subinde vero solum vel maximè terminum à quo arbitrium dicitur liberum. Respectu actus liberi, tam est arbitrium liberum respectu actus mali, cum illum delectabiliter facit, quam boni: & utrisque univocè, ut cum Philosophis loquar, & nomen & ratio libertatis convenit. Vterque enim & bonus & malus, est in potestate voluntatis, eumque facit cum vult, & quidem magis malum quam bonum, quandoquidem ad malum agendum liberam habeat voluntatem etiam sine adjutorio Dei: Ad bonum autem non nisi divinitus liberetur & adjuvetur. Nec enim aliud est liberum Augustino, prout nude actum respicit, quatenus à potentia voluntatis fluit, quàm id quod ita est in nostra potestate, ut illud faciamus quan- B do volumus.

Sed voluntas quibusdam impedimentis volendi obnoxia esse potest, quibus velut vinculis & compedibus potestas ejus quodammodo ligetur, ut in actum bonum exire, hoc est, velle, vel id quod jam vult implere non possit. Vnde à vinculis illis per quæ diabolus captivum arbitrium tenet, tanquam termino à quo, expediri debet, ut velit, aut ut impleat id quod velit. Hinc ergo fit, ut libertas quatenus immunitatem ab istis volendi impedimentis & quasi vinculis sonat respectum quendam quasi ad terminum à quo arbitrium liberetur connotet, sicut initio tractatus hujus declaratum est. Quod quamdiu non fit, manet arbitrium servum, captivum & alterius dominationi subjectum, quæ ratione respectus illius repugnant arbitrio. Quo enim magis ab illa captivitate & servitute, & consequenter ab alterius dominatione liberatur, eo fit magis C magisque liberum, usque adeo ut cum in eam incidere non potest amplius, tunc sit liberrimum. Hoc volendi impedimentum Apostolus peccatum vocat, hoc Augustinus vero interpres Apostoli concupiscentiam; quæ non est aliud quam desiderium fruendi quacumque creatura. Liberatio igitur à dominatione peccati seu concupiscentiæ, hoc est, ab amore cujuscumque creaturæ, arbitrium vere liberum facit: quia cujus amore voluntas devincta, eidem & serva detinetur. Ex quo fit ut voluntas ab isto amore creaturarum tanquam delectabili visco, quo sub ea veluti dominante captiva tenebatur, expedita, non solum libera à creaturis fiat, sed etiam earum sub Deo, hoc est, sub æterna veritate domina, ut eis non fruendo subjiciatur, sed utendo superferatur, non uti libitum est, sed sicut æternæ veritati seu Deo placitum fuerit: Non enim vera libertas ab ipso veritatis præscripto libera esse debet.

Hæc

A Hæc breviter indicavit Augustinus in libro de vera Religione: *Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat*: ecce libertatem termini à quo: *Et quem regnare*, id est, Dominum esse *delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat plus eum diligendo quam seipsum*; & consequenter quam aliam quamcumq; creaturam. En terminum ad quem qui excusso servitutis earum jugo sequitur. Vnde paulo antè dixerat: *Rationalis anima si Creatori suo serviat, à quo facta est, per quem facta est, & ad quem facta est, cuncta ei cetera servient.* Et rursum: *Quem si subditus* (homo) *imitaretur, per eum haberet subdita cetera.* Non enim à creaturarū & sui ipsius jugo expedita, sine omni dominio; sicut nec sine omni amore esse debet. Nam sicut amor temporalium sine amore rerum æternarum ex animo pelli nequit, ita nec jugum creaturę sine jugo Dei: *Solve te hinc*, inquit Augustinus, *sed alliga ibi. periculosum est tibi in his tentationibus sine vinculo remanere.* B Et alibi: *Captivati ergo* (à Deo) *quia capti & capti, quia subjugati, sub leve illud jugum misi; liberati à peccato, cujus servi erant, & iustitia* (id est Dei) *servi facti cujus liberi erant.* Et quia creatura rationalis naturaliter ita instituta est, ut non debeat servire creaturæ, sed Creatori, tanquam naturali & vero Domino suo, hinc fit quòd illa servitus, quò arctior eò liberior sit: *Filius est ancillæ*, inquit Augustinus, *secundum quod omnis creatura subdita Creatori est, & verissimo Domino verissimum debet famulatum, quem cum exhibet libera est, hanc accipiens à Domino gratiam ut ei non necessitate, sed voluntate deserviat. Ergo iste filius est Ierusalem cælestis, quæ sursum est mater omnium nostrum libera. Et libera quidem à peccato, sed ancilla iustitiæ.* Si libera, servitutem illam exhibendo, ergo quò arctior ista servitus, eò liberior, quia vi charitatis à peccato liberatis liberatior. Eò quippe longius animus à peccato seu concupiscentia dominante recedit C & consequenter à creaturis liberior factus, eis ad nutū sub Deo sibi regnante dominatur, Nam hujusmodi augmentum libertatis & diminutio servitutis, ut supra latius exposuimus, semper respectum ad peccatum seu concupiscentiam rerum creatarum velut terminum à quo liberamur, involvit.

Ibid. cap. 44.

Ibid. cap. 45.

Serm. 10. in append. In Psal. 67.

In Psal. 115

Porro sicut umbra corpus, & vitium virtutem, & peccatum virtutis actum imitatur, ita & libertas à justitia seu Deo, libertatem à peccato. Nam & illa præter actum positivū quem respicit quatenus eum in potestate habet, etiam connotat respectum à justitia tanquam terminum à quo liberum fit arbitrium ne impediat actum ejus; veruntamen illa non est vera liberatio, sed captivitas, tyrannis & servitus sub amore creaturæ, quo fit dissimilis Creatori. Libertas enim cum termino à quo comparata, immunitatem significat, non à D quolibet, sed à malo, à tyrannide veraque servitute rationalis creaturæ, cui dominium quoddam potentissimum supra blanditias timoresque creaturarum adjunctum est. Qua de re præclarè sanctus Dionysius naturam dominationum cælestium explicans: *Sanctarum dominationum nomen declarare arbitror excitationem quandam ad supera, à servitute omnique terrestri submissione liberam quæ nulli tyrannicæ dissimilitudini ullo prorsus modo seipsam uti libero dignum est, subjicit, ut quæ dominatio sit nullis blanditijs cedens: omnémque servitutem diminutionis effectricem superat, & omni submissioni pertinaciter obsistit, & ab omni dissimilitudine exempta est, & vera dominationis ac dominantis principatus semper cupiditate tenetur, & ad veram ratamque illius similitudinem tum se, tum ea, quæ ipsum loquuntur, quantum licet probe fingit ac format; & ad nihil eorum quæ temere videntur & approbantur, sed ad id quod proprie est conversa est, & semper divinâ similitudine dominationis autore, quantum potest participat.* Describit enim veram libertatem sub eâ ratione qua terminum à quo, creaturæ blanditias, & amorem veluti veram à Deo dissimilitudinem, & servitutem diminutionis effectricem respicit ac respuit. Vnde & Augustinus alicubi dicit, se fuisse longè à Deo in *regione dissimilitudinis*: & iniquos aptos esse creaturis inferioribus, *quanto dissimiliores sunt tibi: aptos à superioribus, quanto similiores sunt tibi.* Ab illo malo tyrannicæ dissimilitudinis, servitutis, terrenæ submissionis, carnalis concupiscentiæ, & uno verbo peccati, ut Apost. loquitur, libertas eximit. Ex qua nobili & antonomastica libertatis significatione fit ut etiam vulgo translatâ significatione, sicut Augustinus dicit, *Quicumque liberatur, intelligatur periculum evadere, molestijs carere.* Sicut ergo corruptio rei positivæ destructionem sonat, *Nocet enim corruptio & nisi bonum minueret non noceret*; abusivè vero privationis aut negationis (non enim ignorantiam, sed scientiam corrumpi dicimus) ita libertas respectu termini à quo propriè libertatem à servitute naturæ rationalis inimicâ sonat, non à servitute veri Domini. Quod & in libertate civili pari modo locum habet. Nemo enim servus dicitur, qui vero Domino suo in patria sua amore servit; quo enim arctius ei servit & liberalius, eo liberior est; sed qui tyranno, à quo in servitutem abruptus est, subjugatur & servit.

De cælest. hierarc. c. 8.

7. Confess. cap. 16.

Serm. 48. de verb. Domini.

Lib. 7. Conf. c. 12.

Hinc igitur patescit ratio, cur liberum arbitrium, quatenus nudè actum respicit quem habeat in sua potestate ut eum faciat si velit, verè & propriè liberum ex Augustini definitione, dici debeat, & vere sit; & tamen passim in omnibus scriptis suis Augustinus ita de libertate loquatur, quasi arbitrium peccatorum nulla ratione sit liberum. Tunc enim libertatem non ad actum, sed ad terminum à quo comparat; qua ratione arbitrium concupiscentijs carnalibus subjugatum, non tam liberum quam servum, vera videlicet, tyrannicâ & inimicâ naturę rationali servitute, dicendum est: & non nisi umbratica quadam verę libertatis effigie liberū quatenus etiam tunc à suavissimo saluberrimoque justitiæ jugo liberatur, ut cùm quadam delectatione quasi liberaliter peccato serviat: *Qualis quæso potest*, inquit, *servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit qui*

In Enchirid. cap. 30.

qui sui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber, qui peccati servus est.

Hanc igitur veræ & adumbratæ libertatis differentiam & imitationem, quæ ex termini à quo fit liberum, & delectationis per quam fit liberum, quadam deficiente similitudine petuntur, Augustinus ut exprimeret, illis nominibus in asserenda vera libertate uti solet, quæ maximam ejus prærogativam denotent. Nunc enim vocat eam veram libertatem, & arbitrium per eam esse vere liberum: *Ipsa est vera libertas propter rectè facti lætitiam.* Et alibi

Ibid. rationem quam dedimus simul indicans, quia

Lib. 5. de Civit. c. 18 à malis eripit: *Vera libertas nos ab iniquitatis, & mortis & diaboli dominatu* (qui per peccati concupiscentiam arbitrio dominatur) *liberos facit.* Quam vocem veræ libertatis sexcenties in scriptis ejus frequentatæ, ex Christi Domi-

Ioan. 8. ni verbis hausit: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Nam ut sanctissimus Doctor

Epist. 90. quæ est Cæc. Carthag. ait, per gratiam Christi, *arbitrium fit verè liberum dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.* Subinde veram & sanam li-

In Psalm. 67 bertatem nuncupat: *Ipsa est vera & sana libertas, ut opus bonum fiat non timore* (scilicet rei temporalis quæ diligitur amittendæ) *sed amore.* Quandoque salubrem libertatem: *Nec ideo ta-*

Lib. 2. ad Bonif. cap. 3. *men potest captiva voluntas nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem.* Et rursum: *Non aliud intelligetis arbitrium laudabiliter liberum, nisi quod fuerit Dei gratia liberatum.* Aliàs summam liber-

Lib. 6. Musica cap. 5. tatem: *Deo uni summa libertate servitur.* Aliquando hanc veram, sanam, salubrem, laudabilem libertatem à peccati dominatûs malo, absolutè & antonomasticè libertatem appellat: *Voluntas*

Lib. de Cor. & grat. c. 8. *humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ potius libertatem.* Libertatem vero à justitia quæ est libertas in malo, ne quidem libertatis no-

Epist. 106. mine dignam censet: *Libertas sine gratia non est*

Lib. de Spir. & litt. c. 30 *libertas, sed contumacia.* Et in alio loco: *Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij utique libertatem sonare: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio?* Omnia ista elogia libertatis à peccato, & probra libertatis à justitia, quam servilem libertatem appellare solet, sicut servitutem Dei liberam servitutem, respiciunt utramq; libertatem purè & nude respectu termini *a quo.* In qua consideratione libertas ad malum seu à justitia, ita ferè à vera libertate arbitrij à peccato deficit, & eam fugitivâ quadam similitudine; sicut vitia virtutem ipsumq; Deum defectivâ quadam & umbraticâ specie æmulantur. Nam & superbia verâ virtutem, ac ipsius Dei celsitudinem imitatur, & stultitia innocentiâ & simplicitatem, & ignavia quietem, & effusio liberalitatem ejus: *Perversè enim*, inquit Au-

gustinus, *te imitantur omnes qui longe se a te faciunt.* 2. Confess. cap. 6.

Sed hoc non officit, quo minus aliâ ponderatione quæ nudum actum respicit, arbitrium etiam in malo sit vere liberum, ea libertate qua generatim bene vel perperâ vivitur, quatenus actum sive bonum sive malum habet in sua potestate; sicut ille vitiorum defectus à virtutis perfectione quam affectat, nihil obstat quo minus virtus & vitium secundum qualitates ponderata, communem veri habitus rationem, itemque peccatum & actus bonus, veri actus liberi naturam induant. Quapropter August. utramque considerationem simul jungens, præclarissimè voluntatem & liberam respectu peccati vocat, quatenus actum peccati perpetrare potest si voluerit, & simul non liberam, quia peccati ancilla est: *Agis quidem illa* Serm. 11. de verb. Apost. cap. 11.

non adjuvante libera voluntate, sed male. Adhoc idonea est voluntas tua quæ vocatur libera & male agendo fit damnabilis ancilla. Audis liberâ ad agendum male, & tamen non liberam fieri, quia peccati ancillam. Et iterum clarius: *Cùm dico tibi sine* Ibid.

adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico. Nam ad male agendum habes sine adiutorio Dei liberam voluntatem. Audin perspicuè voluntatem liberam ad male agendum statui. Iam audi, qua ratione terminum à quo respiciendo non libera: *Quanquam* Ibid.

non est illa libera. A quo enim quis devictus est, huic 2. Pet. 2.

& servus addictus est: &, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati; &, Si vos filius liberaverit tunc vere Ioan. 8.

liberi eritis. Hæc paulo uberius explicanda esse judicavi, ne quis forte non satis expensâ doctrinâ sancti Augustini, ex ea colligi putet, nullam in peccatoribus esse veri nominis libertatem, à qua liberum arbitrium appellatum est: quamvis alio sensu phrasis ista sit in scriptis ejus & antiquorum omnium, & Ecclesiæ Catholicæ precibus & monumentis, ipsisque sacris litteris frequentissima.

CAPUT XIII.

Quomodo se libertas arbitrij habeat ad libertatem seu indifferentiam contrarietatis, & contradictionis.

Quid de libertate, seu potius indifferentia contrarietatis dicendum sit, abundè ex dictis liquet. Ostendimus enim adesse & abesse posse sine ullo libertatis præjudicio. Adfuit Angelis & Adamo in Innocentiæ statu perfectissimè, nobis post peccatum imperfectius. Abest penitus ab inferis & superis illæsa in utrisq; permanente arbitrij libertate, in illis ad malum in his ad bonum. Indifferentia quippe ad utrumlibet, testimonium quidem libertatis est, quia sine liberi arbitrij usu neutrum exerceri potest, non tamen ad libertatem ullo modo necessaria. Oritur enim non ex natura, neque ex robore libertatis, sed ex infirmitate ejus qua fit ut animus imbecillè, solubiliter, & inconstanter dilectis rebus adhæreat, ita ut ab una quam velut ultimum finem diligit, in alteram

alteram, à bono in malum, à malo in bonum possit transilire. Quod qui ad naturam vel notionem libertatis pertinere contendit, necesse est fateatur eandem imbecillitatem etiam ad naturam charitatis pertinere. Nam in Augustini ac discipulorum ejus lucubrationibus ac documentis nulla est alia libertas ad bonum nisi charitas, quia illa est sanitas animæ rationalis. Sicut ergo absurdum est, naturam vel perfectionem sanitatis in eo sitam esse ut sit labilis, & ab ęgritudine succedēte violari possit, cùm potius talis sit perfectissima, qualis erit beata nostra immortalitas, quæ non sinet nos amplius morti, vulneri, ægritudinibus subjacere; ita paris absurditatis est, ad sanitatem adeoque libertatem charitatis, hujusmodi potestatem deficiendi ad malum poscere. Quæ quidem omnia ex eis quæ supra disseruimus perspicue patent.

De libertate contradictionis, hoc est, ad agendum & non agendum, paulo alia ratio est. Potest enim firmissima esse charitas, & cupiditas quæ à rebus amatis, nullis blanditijs, terroribus, avelli & in oppositum flecti queant, quamvis non semper in actum dilectionis erumpant. Potest ergo putari quod indifferentia exercitij, hoc est, agendi & non agendi (sub qua comprehenditur etiam indifferentia eligendi hoc vel illud) ad libertatē necessaria sit. Quod ut plenius intelligatur, sciendum est quod sicut objectum voluntatis distinguitur in finem, & in quod est ad finem, ita & actus ejus circa alterutrum occupantur. Finis est amor cum sua fruitione: ejus quod est ad finem, usus. Qui ita differunt, ut amor in fine hæreat, usus & quicquid cum utendi voluntate junctum est, à re circa quam occupatur in finem transeat, ut aptissimè vocaverit Augustinus affectum amoris *mansoriam dilectionem*; usum *transitoriam*; quia non manet in re, qua utitur, utentis affectus. Sicut enim propter finem homo conditus est, ita & propter amorem, quo fini jungitur: media propter ipsum hominem sunt, & ceteri affectus propter amorem velut omnium cardinem cui serviunt. Maxime vero omnium servus est, usus seu voluntas utendi. Est enim affectus purè puteque ministerialis respectu amoris finis, veluti plenissimo jure dominantis eumque trahentis in scopum suum. Ex quo fit ut consilium, electio, usus, imperium & similes ministeriales actus voluntatis, necessario tam bonitatem quam alias conditiones suas, imo & ipsum suum esse ab illo dominante mutuentur. Nam inde nascitur, quod hujusmodi affectus usuales tunc assumuntur, cùm amor finis postulaverit, tunc deponantur cùm non postulaverit: uti enim velle, cùm usum constiterit non esse necessarium, non est sapientis animi firmitas, sed re utenda frui volentis imbecillitas.

Lib. 1. de doctrin. Christ. cap. 35.

Ex isto igitur fonte proficiscitur, ut cùm amor finis ultimi sive boni sive mali stabilis & immutabilis fuerit, impossibile sit, electionem, usum, & similes affectus, qui ab illo amore imperantur, circa talia versari media quibus amor finis interimatur. Sic enim amor ipse finis quem stabilem supposuimus, semetipsum interimeret, hoc imperando quod se interimit; quod etiam tum cùm amor finis adhuc excidere potest, locum habet. Nam quamvis is qui Deo junctus est, eligere possit medium malum quo amor pereat, nunquam tamen electio illa ex illo ipso amore quem interficit, sed ex alio proficiscitur, vel ipse certè alius novus amor erit prioris inimicus. Ex quo facile intelligitur, eam libertatem arbitrij quæ circa res eligendas utendasque versatur, nullo modo postulare posse, ut ipsa electio ordinem finis egrediatur. Nam hoc ipso degenerat non solum à perfectione, sed à natura quoque electionis, sive ignoranter eligendo medium quod non est medium, sive scienter eligendo quod ei repugnare cernit, quod fieri non potest ex natura electionis, sed potius alterius novæ dilectionis, quæ rem illam non jam ut purum medium, sed ut aliquid per se amabile complectentem intuetur. Vt propterea rectissime dixerit sanctus Thomas Angelico more, *Quod liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus: sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis.*

1. p. q. 62. a. 8. ad 3.

Ex eadem illâ radice nascitur, ut mediorum assumptio totam suam necessitatem & indifferentiam ex eodem amore finis hauriat. Si enim medium, ut medium amori finis videatur esse necessarium (ut cùm non nisi unum superest) non potest prætermitti; si repugnare, non potest assumi; si pluribus vijs eòdem perinde perveniri, quodlibet præ quolibet arripi potest & non arripi, & sic de ceteris electionis usùsque conditionibus. Qua consideratione dixit idem sanctus Thomas: *Quando ad finem non posset perveniri, nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem, & ea quæ sunt ad finem.* Non enim potest in isto casu renunciare voluntas ei quod est ad finem, nisi renunciet ipsi fini.

q. 6. de malo ad 9.

Ex quibus electionis & usus regulis, naturæ lumine perspicuis, facile animadvertitur, unde tota illa indifferentia contradictionis, quæ in electione, usu, imperio, & similibus ministerialibus affectibus cernitur, oriatur & metienda sit; Nimirum non ex libertate arbitrij respectu illorum actuum, sed ex amore finis, herili potestate famulis suis dominante. Nam sive unum duntaxat ad sit medium sive plura, sive omittere possit electionem aut terutrius, ita finis amore postulante, sive non possit, salvâ libertate utrùmlibet facit. Nam ab ordine finis posse in eligendo deflectere, perinde ut in ratiocinando ab ordine principiorū, Thomæ & veritate judice, nō potestas est, sed imbecillitas; non libertas, sed defectus ejus, nō à Deo datus, sed ex ingenita naturæ infirmitate insitus, vel à diabolo seminatus. In eo quippe electionis natura & libertas posita est ut ...

potest te,

potestate, hoc est, ut eligat & non eligat cum voluerit, quod tunc perfectissime fit, cum sequitur ad amussim nutum Domini sui, qui est amor finis: ab illo quippe exseritur & comprimitur, prout finis dilecti ratio poposcerit, ab illo mutuatur esse suum, libertatem suam, indifferentiam suam. Est quippe affectuum omnium postremus, vilissimus, servilissimus, natus obedire, non imperare, & propterea minimè omniū libertatis capax: & si quā suscipit, illa non minus ac bonitas ejus, ex affectu principe derivatur, & expendi debet. Ut sanè mirandum sit, quid Philosophiæ sectatoribus in mentem venerit, qui libertatem arbitrij ex abjectissimo servilissimoque voluntatis actu ponderare voluerunt, quæ in principe collocanda est. Libertas enim, omnium hominum judicio, dominium non servitutem, atque id quod non alterius, sed sui gratia est, sonat. Unde quod sanctus Thomas præclarè de potentia voluntatis Aristotele suffragante dixit; *Voluntas imperium habet super omnes animæ vires, propter hoc quod eius obiectum est finis; unde convenientissime in ipsa summum libertatis invenitur. Liber enim dicitur qui causa sui est, ut in primo Metaphysicorum dicitur*; & vice versâ alibi: *Oportet ut ea* (potentia voluntatis) *quæ est liberrima super alias imperium & dominium habeat*: hoc, inquam, ipsissimum multò magis verissimeq; de primo, nobilissimo, imperiosissimoque voluntatis actu dici potest, & juxta Augustinum debet: amor imperium habet super omnes animæ vires, propter hoc quod ejus objectum est finis: unde convenientissime in ipso summum libertatis invenitur. Liber enim dicitur qui causa sui est. Nam alioqui unde nascitur quod ille solus omnibus affectibus, maximeque servilibus illis quos diximus, dominetur? Nisi ex illo principio quod sanctus Thomas tetigit, quia oportet ut qui est liberrimus, super alios imperium & dominium habeat. Quo sanè nihil congruentius Augustini principijs quæ deduximus, dici potest. Nam ista una causa est, cur libertatem in actibus, sive bonis, sive malis semper respectu finis attendat; atq; adeo, ut in universis operibus ejus vix reperiri possit libertatis mentio in actibus amori finis servientibus, nisi quatenus in illis amor finis emicat & attenditur. Nam hinc illa toties repetita de libertate charitatis in omniū præceptorum (quæ non finis, sed eorum quæ sunt ad finem rationem obtinent) observatione dominantis: *Liber enim præceptum facit*, ut ille loquitur, *qui libens facit*, id est, qui ipsam justitiam præcepti diligendo facit. Non enim aliter electionis præceptorum, & usus & cujuscumque voluntatis libertatem explorat Augustin. quam bonitatem. Nam utramq; ex amore finis in ea relucente pariter trahit.

In 2. dist. 25. a. 2. ad 4.

In 2. dist. 24 q. 1. a. 3. in corp.

Quapropter merito Scholasticis quibusdā eruditissimis, & contentiosæ Theologiæ Co-

A ryphæis, absurdum visum est, quod libera diceretur voluntas in eligendis ijs quæ sunt ad finem, & non in appetendo ipso fine, quantumcumq; appeteretur necessario, sententiamque suam non aspernandis rationibus probant. Non enim necessitatem libertati, sed naturam repugnare dicunt, & rectè dicunt. Nam Aristoteles in Metaphysica distinguit liberum à naturali, & secundo Physicorum causam activam in naturam & propositum, qua de re supra latius diximus. Proinde fieri non potest, ut eadem potentia voluntatis circa finem versetur ut natura, quantumvis in eum ferri ponatur necessariò, & in ea quæ sunt ad finem, ut potentia libera; sic enim distingueretur eadem activa potentia in se-ipsam & in oppositum sui. Tam enim impossibile est, ut una potentia duos oppositos operandi modos habeat, qui per se & primo & immediatè principium activum dividant, B quam ut in eadem specie insint duæ differentiæ quæ genus ejus dividunt. Neque vero refert, quod idem intellectus cum discursu & sine discursu comparatione diversorum operetur. Nam illi non sunt modi operandi ita oppositi, ut principium activum immediata & prima divisione dividant, non magis quam agere cum indifferentia & sine indifferentia contradictionis, quam agere cum deliberatione, & sine deliberatione, quam denique agere simpliciter volendo, & ad aliud simpliciter volitum referendo, respectu voluntatis.

Scotus in 2. dist. 10. q. unica n. 10.

Imo vero, ex hoc ipso quod voluntas liberè versatur circa ea quæ sunt ad finem, ut recentiores volunt, rectè omnino concludi videtur, eandem libertatem esse respectu finis. Nam eodem omnino actu attingit utrumque; ut proinde fatendum sit, utriusque comparatione voluntatem ferri liberè, vel certè in eo- C dem actu esse oppositos agendi modos. Vidit hæc omnia & breviter expressit Doctor subtilis: *Non sunt eiusdem potentiæ activæ oppositi modi agendi, & maxime isti, naturaliter & liberè, qui primo distinguunt potentiam activam. Quia si voluntas comparatur ad finem per modum naturæ, & ad entia ad finem per modum libertatis, ipsa non erit potentia activa una respectu istorum: & tunc nulla potentia erit, quæ eligat ens ad finem propter finem. Nulla enim potentia eligit hoc propter illud nisi velit utrumque extremum* &c. Eadem latius tradit, & iisdem pluribusque rationibus probat in quæstionibus quodlibeticis ex professo docens, *cum necessitate ad volendum stare libertatem*. Et illi sententiæ probandæ præter Augustinum profert sanctum Anselmum, quem sic loquentem inducit. *Qui sic habet quod decet & expedit, ut hoc amittere nequeat, liberior est quam ille, qui sic habet hoc ipsum ut possit perdere*. Et ex hoc concludit, inquit, *liberior igitur est voluntas quæ à rectitudine declinare nequit*.

Scotus loco citato.

Idem Scotus quodlib. 16. a. 1. a. 2.

Ansel. lib. de lib. arbit. citatus à Scoto

CAPUT

CAPVT XIV.

Afferuntur quatuor absurda, quæ ex necessitate talis indifferentiæ contradictionis sequuntur:

A ET sane si non est alia libertas vera voluntatis, quam agendi & non agendi, seu faciendi & non abstinendi abeo quod facis, gravissima absurda evitari nequeunt, quibus non solum tota doctrina sancti Augustini funditus concutitur, sed etiã sensus Christianæ pietatis læditur, & communis offenditur.

Primo namque sequitur operationem divinæ gratiæ ex diametro repugnare arbitrij libertati. Duplicia quippe præcepta sunt quibus implendis juvat gratia, negativa & affirmativa. Negativa implentur non faciendo quod prohibetur; cui contradictoriè opponitur facere quod prohibetur; affirmativa vero, faciendo quod jubetur. Effectus autem gratiæ est efficere, ut affectu volendi suscitato velis, quod torpore concupiscentiæ impediente non vis; & nolis facere, quod à stimulante concupiscentia urgeris ut facias. Nam ipsum, B non consentire & non facere, gratiæ victricis effectus est. Facit autem hoc gratia fortiter affigendo affectum ipsi justitiæ ne deorsum cadat, idque non aliter nisi cœlestis delectationis vehementia, quasi suavi amorosoque vinculo, ut non solum experientia ipsa testis est, sed sexcentis locis Augustinus docet: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius.* Et rursum: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat &c. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum: ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est quæ hominum adiuvat voluntates.* Nimirum non solum ut agant bonum & non malum generaliter, sed etiam ut justi agant hoc bonum quod non agebant, & abstineant ab hoc malo quod alioquin agerent, vel agebant. Vnde mox Augustinus adjicit: *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere agere, implere, nunc scit nunc nescit, nunc delectatur nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis sed divini muneris vel quod scit vel quod delectatur.*

Lib. 2. de peccat. merit. c. 17.

Res ista alibi operosius probata est. Est enim in Augustini scriptis exploratissima. Effectus igitur gratiæ est, delectando voluntatem facere ut actu velit, & faciat id quod ante languore vel torpore quodam non volebat, neque faciebat. Et ita diametraliter repugnat Philosophicæ libertati seu indifferentiæ libertatis; quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinatè facit agere vel non agere, velle vel non velle. Quæ quidem contradictio tanta est & tam præcisa, ut si perfecta cælestis gratiæ delectatio voluntati tribuatur, indifferentiam illam Philosophicæ libertatis funditus interimat, sicut hoc in animabus sua beatitudine fruentibus manifestum est: quia non amplius illo rore delectantis gratiæ asperguntur ut nos, sed ejus torrente inebriantur, qui affectum tantopere ad diligendam justitiam & non diligendam iniquitatem rapit, ut non possit illam non diligere, vel hanc diligere. Hoc autem certissimum signum est directæ repugnantiæ, etiam in infimo gradu. Nam si perfecta gratia perfectè indifferentiam libertatis tollit, imperfectior imperfectè tollet. Sic enim exploramus qualitatum repugnantiam, ut illas, in quocunque gradu fuerint, contrarias esse statuamus, quæ cum perfectæ fuerint ab eodem subjecto se exterminant, quantumvis in imperfectis gradibus se simul esse patiantur. Quod in calore & frigore, candore in nigrore, scientia & ignorantia, & infinitis exemplis videre licet. Gratia igitur quæ facit facere, directè repugnat libertati, si libertas in indifferentia agendi & non agendi sita est. Nam illa indifferentia perfecta instar bilancis est, quæ facillimo nutu in alterutram partem impelli potest. Hæc autem illo ipso diminuitur quo vel tantillum alterutri parti additur. Nam quo magis addideris, eo difficilius in alteram partem erigetur vel deprimetur, ita ut tandem amoto alterius partis pondere totius voluntatis & corporis vires in contrarium non sufficiant. Eadem prorsus est indifferentis voluntatis ratio. Minimus motus gratiæ tollit perfectum æquilibrium, major minuit, maximus penitus adimit. Hoc ita verum est, ut nec ipsi Scholastici, istius indifferentis patroni libertatis, hoc negare queant: *Dum per gratiam prævenitur*, inquit Suarez, *& inclinatur* liberum arbitrium, *quodammodo indifferentia eius minuitur.* Quod C quia libertatem vehementer infringere videbatur, idcirco addit, *quodammodo*, verbi suavitate absurditatem secuturam temperans. Sed res vel cæcis est perspicua, quod per inclinationem in alteram partem, indifferentia in utramque tollitur. Nam hinc est, quod fatentur aliquando tam vehementes esse divinæ gratiæ motus, quod in sancto Paulo & similibus perspicuum est, ut moraliter sit impossibile resistere, quamvis aliquid semper indifferentiæ remanere velint, ut videlicet difficile resistere possint, sed tamen possint. Hinc est, quod confirmatos in gratia dicant tractibus ejus moraliter resistere non posse, etsi physice possint. Qua terminorum obscuritate quantumvis sese tegant, hoc tamen aperte confitentur, eo magis imminui voluntatis indifferentiam, quò efficaciores fuerint gratiæ motus:

Suarez lib. 3. de concursu Dei c. 13. n. 18.

Vide lib. 4. de grat. Chri. Salvat. fuse.

quod

Digitized by Google

quod profectò evidentissimum est directæ contrarietatis argumentum. Egregia sane Philosophia, præclara gratiæ laus, mira defensio humanæ libertatis, recondita utriusque contributio, ut altera alteram perfecta destruat, & non nisi in diminutis gradibus consistere queant. Nimirum Deo vigilanter prospiciendum est, ne gratiam augendo libertatem subruat. Paradoxa sunt hæc, antiquitati & Ecclesiæ inaudita, quæ adversus Pelagianos libertatis interitum ex operatione gratiæ sequi clamantes, tanquam cælitus missum oraculum semper illud Augustini suspexit ac tenuit: *Hæc voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ gratiæque subiectior. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.* Quarum rerum evidentia exclamare compulit Augustinum: *Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei non contra eam libertas defenditur voluntatis.*

Epist. 89. *Lib. de corr. & grat. c. 8.* *Ibid.*

Secundo sequitur, multo magis omnem concupiscentiæ motum similiter directam habere repugnantiam cum libertate. Repugnat enim ex diametro indifferentiæ voluntatis, cum hoc efficiat blanditijs motus sui, ut qui ad agendum & non agendum, ante motum quoquò esset indifferens, ipso motu libidinis in alteram partem instar æquilibrij, cui pondus additur, impellatur. Quod certe tam evidenter uniuscujusque renunciat conscientia, ut omni probatione altius clamet. Quid enim alioquin causæ est, ut magis pulsati quam vacui tentatione peccemus? Quid sibi vult lucta tanto difficilior, quanto tentationis motus est violentior, quod tantis quotidie clamoribus poscimus: *Et ne nos inducas in tentationem*, si tentationis motus non tollit indifferentiam agendi & non agendi, quam ante sentiebamus? Vt quid dicit Apostolus unumquemque tentari à concupiscentia sua *abstractum & illectum*, si relinquit animum in eadem indifferentiæ libertate? Vt quid dicitur ab ejus Coapostolo, lex peccati, nisi quia, ut Augustinus exponere solet, animum indifferentem non verbis sed periculosissimis motibus iubet, & quodammodo *cogit* ut peccet? Vt quid denique recentiores ipsi profitentur tentationibus gravibus sine gratiæ adjutorio difficillimum esse resistere? Vt quid gravissimi peccatores totis medullis flagrante libidinis motu clamant, se voluntatis infirmitate non posse non cedere, & eos verum dicere non semel Augustinus docet; nisi quia gravissimus fit in alteram partem impulsus libertatis, cui ad æquilibrium reducendæ, par vel major gratiæ delectatio necessaria est? Ita vero augeri posse motum titillantis cupiditatis, ut non possit ei indifferentis libertatis nisu amplius repugnari, sine sanæ doctrinæ violatione negari nequit. Nam illa fuit superbissima Pelagiani dogmatis machina, Augustini disputatione contrita, hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges: *Quod vos dicitis*, inquit Augustinus, *Christiana doctrina non dicit, id est, (ut verba tua ponam) hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges.* Cùm igitur motus tentationis violentissimus victam opprimat indifferentiam, profectò minor minuet, & uterque perspicue demonstrabit, non minus carnalis concupiscentiæ titillationes, quàm gratiæ spiritualis delectationes capitalem ac diametralem cum indifferentiæ libertate hostilitatem exercere. Vnde de cōcupiscentiæ motibus Paulus: *Invenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantē me in lege peccati*, id est, captivare conantē. De gratiæ motibus Psaltes: *Inclina cor meum in testimonia tua.* De utrisque sapiens: *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Et Augustinus: *His & talibus testimonijs divinorum eloquiorum, satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum.* Inclinare autem & captivare cor, & voluntatem in testimonia, vel à testimonijs revocare, cujuslibet sani hominis sensus judicat, non posse fieri sine impulsu ac depressione indifferentis libertatis in alterum latus; quemadmodum stateræ æquilibrium inclinari in alterutram partem impossibile est, sine indifferentiæ illius æqualis præjudicio.

Lib. 5. cont. Iul. c. ult. *Rom. 7.* *Psal. 118.* *Proverb. 21.* *Lib. de grat. & lib. arb. c. 21.*

Tertio sequitur omnes habitus & consuetudines animi sive bonas, sive malas directe repugnare libertati, quia directe repugnant æquabilitati istius indifferentiæ. Hoc enim proprium habituum munus est, facilitatem operandi afferre facultati, & consequenter difficultatem operandi oppositum. Non enim potest facilitas unius partis crescere, nisi decrescat alterius. Nam inde nascitur quod avarus non possit, nisi summa difficultate, liberalitatis opus facere. Quod in omnibus habitibus similiter locum habet. Indicat hoc Scriptura cum dicit: *Perversi difficile corriguntur.* Et: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere cum didiceritis malum.* Et: *Quomodo potestis bona loqui cum sitis mali?* Et: *Quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem &c.* Agnovit hoc quantulumcumque fuerit indifferentis patronus libertatis Iulianus: sed eum propriâ jugulans confessione Augustinus: *Cùm dixeris*, inquit, *affectionalem qualitatem* (sub qua habitus comprehendi declaraverat) *ortam ex maioribus caussis, atque ita inhærescere, ut aut magnis molitionibus aut nullis separetur, quando secundum eam dicitur animus malus, aut potius homo malus, nonne metuis ne voluntas bona aut non ibi esse possit, aut valere nihil possit? Nonne concedis hominem miserum, quicumque ille sit vel fuerit, certe adversus talem clamasse qualitatem, velle adiacet mihi, perficere autē bonū non invenio? Hic saltem fatemini esse istorum verborum gemitum necessarium, Quis me liberabit &c.* Quapropter non veretur Augustinus hujusmodi consuetudines seu habitus malos, multis suorum scriptorum locis *peccandi necessitates*, & jacturam libertatis vocitare, ut superius declaratum est: quod non est aliud, nisi si claris verbis

Eccles. 10. *Ierem. 13.* *Matth. 12.* *Rom. 8.* *Lib. 6. cont. Iul. c. 18.* *Vide lib. 3. de statu nat. lapsæ.*

Verbis diceret, indifferentiæ interitum; affigit A enim ad alteram partem necessitas: *Dum servitur libidini facta est consuetudo & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas* &c. *Voluntas autem nova quæ esse cœperat, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Nonne multo efficacius exprimit id quod dico, quam si voluntatem non amplius indifferentem permansisse fateretur? Quid quod ipsos Pelagianos hoc idem in superiori illa quâ protulimus confessione, profiteri coactos dicit? *Tu quoq; ipse in libro novissimo tuo eorum, quos contra unum meum quatuor edidisti, ex affectionibus atque passionibus animi dicis evenire hominibus affectionalem qualitatem, atque ita inhærescere, ut aut magnis molitionibus, aut nullis omnino separetur? Quisquis ergo ea timiditate peccaverit, quæ ab illo non potest separari, quid aliud quam necessitate peccabit?* Et ostendens per talem consuetudinem, perijsse eam quæ ante fuerat non peccandi libertatem B seu indifferentiam: *Qui ut istam patiatur necessitatem, non nisi peccandi consuetudine premitur. procul dubio prius quam peccaret, nondum necessitate consuetudinis premebatur.* Et adhuc manifestius: *Ac per hoc etiam secundum vos peccandi necessitas, unde abstinere liberum non est, illius peccati pœna est, à quo abstinere liberum fuit, quando nullum pondus necessitatis urgebat.* Qua de causa eodem loco disertissimis verbis, de illis qui simili laborant qualitate aliquoties dicit: *Perijt libertas non peccandi: Non est eis liberum abstinere.* Quocumque vero modo illa intelligi debeant, de quo alio loco disputatum est, hoc saltem est ex Augustini sententia ut minimum apertissimum, certissimum, verissimum, etjam Pelagianis judicibus, quod indifferentia peccandi & non peccandi per similes habitus prorsus interimitur, eoque magis, quo magis consuetudine roborati fuerint. Cujus testis irrefragabilis est renisus eorum, quando expugnandi C sunt, eo pertinacior quo fuerint fixiores: *Tanto enim amplius*, inquit Augustinus, *in ea* (libidine) *superanda laborabit, quanto maiores ei consuetudo vires dedit.*

[Lib. 8. Confess. cap. 5.] [Lib. 1. cont. Iul. oper. impr. f. 150] [F. 154.] [Lib. 3. de stat. nat. lapsæ.] [Lib. 6. cont. Iul. c. 18.]

Nec vero hic dici potest habitus diminuere duntaxat aut tollere indifferentiam contrarietatis, hoc est, boni & mali, non autem contradictionis, hoc est, agendi & non agendi. Nam quamvis verum sit immediatè per habitus primam indifferentiam tolli, mediate tamen etjam secunda semper diminuitur, nonnunquam tollitur. Nam ex isto capite proficiscitur, quod luxuriosi, avari, superbi in perpetuis vitiorum istorum volvuntur cogitationibus ac desiderijs, & ea momentis omnibus vel corpore vel animo, quantum fieri potest operentur. Et in eo sita est ea quæ paulatim crescit animi sanitas, ut decrescente malâ qualitate non solum facilius operentur bonum, sed etjam languidius atque rarius incitentur ad malum. D Quod quamvis per se motuum ac statuum internorum peritis perspicuum sit, non erit tamen supervacuum Augustinum audire differentem: *Vellem mihi diceres utrum à morbo fornicationis sanior non sit, quem fornicari minus minusque delectat?* Et paucis interjectis: *Itemque post consuetudinem vinolentiæ baptizatus & nunquam se deinceps prorsus inebrians, vellem diceres utrum ab isto morbo non fiat in dies sanior, quam fuerat cum potationis gurgitem minus minusque desiderat quam solebat?* Et explicans rursus clarius quomodo motus minores rarioresque suscitentur, quibus ad illa peccata pellebantur: *Deinde si provectu concupiscentiæ bonæ quæ concupiscentias malas fornicandi, potandique debellas, talis efficitur qualis recenti conversione non fuit, ut illorum in eo desideria peccatorum minus minusque moveantur, ut adversus ea mala, non tanta, quanta prius, exerceat, sed minora certamina, non virium diminutione sed hostium, nec deficiente pugnâ sed crescente victoriâ, dubitabis eum pronunciare meliorem?* Vnde ex extinctione talium desideriorum, totos habitus, seu malas qualitates ablatas esse concludit: *Cum vero occurrit quod concupiscatur, nec desideria* B *mala nobis etiam nolentibus commoventur, sanitas plena est.* Habitus igitur non solum impotentiam adducit operandi boni, quod ei contrarium est, quasi solam contrarietatis indifferentiam tolleret, seu etiam potentissime creberrimeque urget ad operandum malum, ut ab eo abstinere non sit liberum, nec salva maneat indifferentia contradictionis quæ ante habitum fuit.

[Ibid.] [Ibid. c. 19.]

Quod vero de habitibus malis diximus, hoc simili fere modo & in bonis locum habet. Quanto enim magis auctus fuerit habitus bonus, tanto minus indifferens animus ad utrumque manet. Vnde subinde succendente bonos affectus charitate, & irrequieta divini amoris desideria suscitante, tam profundas subinde radices animus in bono agit, ut sibi certa peccatorum genera, quorum infirmitas magis curata est, non nisi vim inferendo consuetudini suæ, velut alteri naturæ, non posse C perpetrare videatur. Nam inde fit quod tantâ cum facilitate ac delectatione facit actus illius virtutis bonos. Ex quibus perspicue sequitur per quodcumque incrementum propensionis in alterutram partem, paulatim magis magisque minui indifferentiam, & consequenter libertatem, tunc vero eam possideri perfectissimam, cum homo fuerit quasi tabula rasa, hoc est, simul atque ex infantia ad usum rationis venerit. Tunc enim neutram in partem vehementer propensus est; vel certe cum per nonnullam virtutis aut vitij exercitationem ad illud æquilibrium perductus fuerit, ut perinde ad vitium virtutemque propendeat: vel si in alterutram magis vergit, cum per actuales timoris, concupiscentiæ, aut gratiæ motus sursum deorsumve vel in hanc vel illam partem rapitur; ut animus quasi æquâ lance libratus hæreat. Vnde principiorum novorum filum sequendo, eo usque quidam recentior progressus est, ut dicere ausus fuerit, D modum operandi liberè, *per gravem metum non impediri, sed potius augeri: Nam tunc*, inquit, *censetur esse maior libertas in agendo, quando ex utraque parte habes urgentem aliquam causam. Tunc enim non subito raperis in unam partem præ alia, sed*

[Becanus Theol. Schol. p. 2. tract. 1. q. 10. n. 19.]

magis

magis ad utramque indifferens es. Hoc autem vult contingere in metu. *Nam ex una velles non facere ex displicentia obiecti, ex altera velles facere propter metum alicuius mali.* Ecce præclarum libertatis genus, quod (ut asinus Buridani) propter rationes utrimque æqualiter fluctuet. Sed hæc & similia veteribus inaudita sunt, & in Augustini doctrina paradoxa, apud quem nunquam animus liberior est à libertate quæ liberum arbitrium dicitur, quæ contra Pelagianos ab Augustino defensa est, quàm cum perfectissimo charitatis vel iniquitatis habitu firmatus fuerit, & liber metu flagrantissimis delectationibus ac desiderijs habitum sequi solitis, fertur in bonum aut malum. Audi obsecro, quando arbitrium, juxta sanam doctrinam, sit maxime ad peccandum liberum: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non perijt, ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet quod eis libet.* Audi vicissim quando sit maxime ad benefaciendum liberum: *Hæc voluntas libera tanto est liberior, quanto sanior, tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ gratiæque subiectior.* Nemo autem dubitat, tunc maxima cum delectatione peccari, cùm consuetudo mala seu habitus malus quodammodo in naturam versus fuerit: Operatio enim secundum habitum est maxime delectabilis. Neque quidquam certius est, quam voluntatem tanto esse saniorem gratiæque subjectiorem, quanto firmius fuerit virtutum habitibus in bono, maximeque cælesti illa charitate stabilita. De isto verò æquilibrio libertatis quod fit per dilectiones vel timores ut utrimque animum divellentes, audi quid sentiat Augustinus: *Si ex adverso existant duo, præceptum iustitiæ & consuetudo carnalis & utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius dilexerimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur, sed aut timore inviti trahemur in alterutram partem: aut si utramque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis & timoris alternante quassati.* Quibus verbis æquilibrium istud libertatis, tantū abest ut ad liberā electionē aliquid conferre velit, ut potius nihil ei sentiat capitalius repugnare. Neutram enim in partem motibus reciprocis hàc illàc fluctuans se determinare potest. Alibi verò docet timorem tollere libertatem, extortamque metu voluntatem non esse liberam. Nam de illo loquens qui timore compulsus aliquid facit: *Si facit*, inquit, *non quidem plenâ & liberâ voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Epist. 89.

In Epist. ad Galat.

Lib. de spir. & lit. c. 31.

Quarto sequitur, meritum bonum & malum eo minus esse ac decoloratius, quo quis in bono vel malo fixioribus habitibus radicatus fuerit, vel efficacioribus gratiæ motibus tractus: gravissimorum proinde peccatorum delicta esse minora, sanctorumque actiones eo esse in promerendo præmio deterioris notæ, quo habitus aut gratiæ motus eos magis ex æquilibrio indifferentis illius libertatis extraxerint, & in alteram partem sive ad agendum, sive ad non agendum inclinaverint. Meritum enim ac demeritum ex arbitrij libertate quàm maximè ponderatur, omnium hominum judicio non Augustini modo, sed & Scholasticorum, quandoquidem intereunte libertate prorsus intereat. Necesse est igitur, ut imminutâ quoque libertate, minuatur, & eadem auctâ, augeatur. Iam autem declaratum est, indifferentiam libertatis per quidlibet quod in alterutram partem determinate trahit; minui, & per id solum augeri posse, quod eam ad illud libertatis ad utrumlibet indifferentis æquilibrium accedere facit.

CAPUT XV.

Aliæ tres absurditates ex ista indifferentia contradictionis consectaneæ aperiuntur.

QUINTO sequitur, Christum Dominum ac beatos vi amoris beatifici omnem omnino libertatem amisisse adimplendi præcepta naturalia & positiva, quatenus præcepta sunt. Difficultatem illam ineluctabilem esse Scholasticis, satis perspicue probat, quod illæ ipsæ solutiones quas tanquam probabiliores amplectuntur, ita difficultati satisfaciant, ut nec attingant quidem, vel auctores sub ea succumbere manifestum sit. Nam qui in ista materia plausibilius isti malo mederi volunt, dicunt, quamvis determinentur ad bonum, non tamen ad hoc vel illud bonum, quia substantiam præcepti actus ex varijs motivis possunt facere, charitatis, justitiæ &c. sub quibus præceptus non erat. Alij dicunt, libertatem fuisse quantum ad intentionem actus, aliasque circumstantias loci, temporis, modi, &c. Alij actus reflexos liberè exerceri posse circa actum præceptum etiam necessarium, & per illos tanquam honestissimos & liberrimos esse posse meritum, si status viatoris ferat. Alij conjungunt omnes modos simul, dum singulos suspectos habent, ut si forsan in uno cadant, altero subleventur. Sed, ut ante monui, nullus istorum modorum, nec omnes simul, vel nodum ipsum tangunt, & tacite clamant auctores hastam & clypeum abijcere, difficultatis mole superatos. Nam ex quocumque motivo non præcepto, vel circumstantia non præcepta præceptus actus fiat, vel quibuscumque reflexis actibus non præceptis, præceptus actus approbetur & offeratur Deo, nunquam ostenditur circa præceptum, ut præceptum, versari libertatem, sed tantummodo circa aliquid quod sub nullum præceptum cadit, quod sanè ad præcepti adimplendi rationem per accidens se

prorsus

prorsus habet. Quid si enim & motivum & omnes circumstantiæ precepto præscribantur? Profectò hic omnes cuniculi clausi sunt, nec ullus datur exitus. Nam illud de reflexis actibus nihil ad propositum libertatis circa actum preceptum facit. Quapropter fatentur prudentiores, si omnes circumstantiæ quam minutissimæ, Christo Domino vel beatis mentibus determinatæ fuerint, nullum vestigium libertatis eis in præceptis esse reliquum. Et hoc ipsum fatentur aliorum etjam non fatentium responsiones, dum libertatem præcepti actus ex circumstantijs quibuscumque non præceptis petunt.

Hinc sexto videtur sequi, etjam nullum consilium, ut consilium, à beatis cum indifferentia libertatis impleri; non enim liberum est beatis mentibus, nihil nisi Deum in omnibus & super omnia diligentibus, Dei consilium de meliori bono prætermittere. Deest enim illis torpor agendi, deest ille negotiorum vel circumstantiarum concursus qui nos subinde perplexos, & à consilijs adimplendis aversos tenet, quamvis ea Deo nobis dilecto, spectatis omnibus circumstantijs gratiora esse cognoscamus. Sed si talis nobis esset affectus ardentissimæ charitatis erga solum Deum, qualis viatorum quorundam mentes accendit, qui et am voto sibi agendum præfixerunt quidquid magis Deo placere cernerent, profectò neque nos fas nobis esse putaremus, Dei nobis dilectissimi consilia prætermittere.

Itaque septimo dubitari merito potest, an non omnia omnino quæ agenda sunt usque ad ultimas circumstantiarum fibras, beatis mentibus ab incommutabili veritate, sive precipiendo sive consulendo, præscribantur. Beati enim non sicuti nos voluntatem Dei per signa discunt, sed æternam ejus voluntatem in æterna ejus sapientia incommutabiliter radiante, & in immobili ejus veritate cognoscunt. Veritas autem pertingit usque ad ultimas actionum fibras & circumstantias & momenta, ita videlicet ut sicut præscribit hoc vel illud esse faciendum; ita etjam dictet hoc modo, hoc tempore, hoc loco, hoc motivo esse faciendum. Qui ergo ipsam lucem veritatis videt, ex qua nobis quidquid veri cernimus, patefit, videt in ea præscribente etjam ultimas agendi radices & circumstantias. Ab hujus autem veritatis amore deflectere non possunt, cum nihil sit charitas nisi æternæ veritatis amor: nihil igitur possunt quod illa præscripserit prætermittere. Carent igitur illa agendi & non agendi indifferentia in omnibus illis quæ incommutabili veritate præscribuntur: illa autem præscribit omnia, quæ quoquo modo beati secundum prudentiæ regulas agenda judicant. Unde enim alioquin agenda judicarent id quod ponderatis omnibus circumstantijs agunt; nisi in ista incommutabili veritate? Omnia ista in Augustino manifesta sunt: *Vident* (Angeli boni) *faciem tuam semper & ibi legunt sine syllabis temporum quid velit æterna voluntas tua* (scilicet per istos fieri) *legunt, eligunt & diligunt, semper legunt & nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui.* Et libro octavo de Genesi ad litteram: *Sublimibus Angelis Deo subditè fruentibus, & Deo beatè servientibus subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas, vel infirma vel prava, ut hoc de subditis vel cum subditis agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus jubente illo, cui subjecta sunt omnia.* Ecce Angeli beati in omnibus quæ in mundo faciunt jussum voluntatis, hoc est, veritatis ejus faciunt. Quod mox uberius & clarius & expressius explicat: *Proinde illi in illo veritatem incommutabilem vident & secundum eam suas dirigunt voluntates.* Quid manifestius? Sed audi iterum: *Fiunt ergo illi participes æternitatis, veritatis, voluntatem ejus semper facientes sine tempore & loco, moventur autem ejus IMPERIO etiam temporaliter, illo non temporaliter moto.* Ecce semper voluntatem Dei faciunt, semper secundum veritatem suam dirigunt voluntatem. Qua de re adhuc luculentius in libris de Trinitate: *Constituamus animo talem sapientem, cujus anima rationalis jam sit particeps* (instar beatorum videlicet) *incommutabilis æternæque veritatis, quam de omnibus suis actionibus consulat, nec aliquid omnino faciat quod non in ea cognoverit esse faciendum, ut ei subditus eique obtemperans recte faciat.* Et in libris contra Faustum: *Sancti ac sublimes Angeli habent contemplationem & actionem suam: id enim sibi agendum imperant quem ille quem contemplantur, jubet, cujus æterno imperio liberaliter quia suaviter serviunt.* In quibus omnibus locis, jussum veritatis non est aliud, quam præscriptum veritatis æternæ, quod nulla creaturæ actio vel omissio, nulla circumstantia subterfugere potest, quin semper verum sit omnibus ultimis circumstantiarum fibris ponderatis, hoc agendum esse vel omittendum, dummodo sit qui veritatis præscriptum cernere queat. Hoc enim sibi vult illud in libris confessionum: *Ubique veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt.*

Lib. 13. Confess. c. 15.

Lib. 8. de gen. ad litt. c. 24.

Lib. 3. de Trinit. c. 3.

Lib. 22. con. Faust. c. 27.

10. Confess. c. 26.

Quid, quod beati non tantum astricti sunt, ut divinæ voluntati pareant, sed etiam ut excellentiori quo ab unoquoque fieri potest modo pareant? Hoc enim ab eis exposcit illa ardentissima divinæ voluntatis veritatisque dilectio. Sed illa excellentia obediendi veritati in eo sita est, ut non quidem meliores vel sublimiores, sed tamen semper spectatis omnibus, aptiores circumstantiæ loci, temporis, personæ, modi agendi &c. qui in ipsa luce æternæ veritatis semper & immutabiliter eis patent, rejectis ineptioribus, seligantur. Ad illa igitur seligenda vi castissimi amoris alligati sunt, ne alioquin veritatis quam diligunt, & præter quam nihil diligunt, & propter quam cuncta diligunt, & supra quam nihil diligunt, & cui adhærere & quam indivulse sequi, sola eorum dilectio ac delectatio est, censeantur esse non sectatores, sed desertores, si non defectores. Etenim si hoc quod omnibus consideratis

deratis optimum ad agendum esse dictat veritas, possent prætermittere, in quo quæso id prætermittendum esse cernent, nisi rursus in ipsa incommutabili Veritate? Non autem dictabat Veritas hoc optimum esse ad omittendum, sed agendum. Ad agendum igitur astricti sunt, & ad non agendum non sunt liberi. Si autem Veritatem hoc habere dicas, optimum hoc esse ut beatus suam sequatur voluntatem & libertatem, ut id scilicet eligat quod voluerit; jam supremam statues regulam eligendi ipsam eligentis voluntatem: quod certe peralsurdum est, si non injuriosum veritati; cum veritatem sequi, non præcedere, creaturæ beatitudo sit. Imo vero illa ipsa libertatis seu indifferentiæ sibi relictæ determinatio, unde nascetur nisi lumen inextinguibilis sapientiæ huc vel illuc determinandum esse dictaverit? Non enim vel casui, ut fertur, vel fato, sed prudentiæ in beata creatura, determinatio ista tribuenda est. Prudentiæ autem, vel Angelicæ, vel humanæ lux nulla est, nisi æternæ veritatis præluxerit fulgor, quo non est illustrata verum cernere posset & sapere. Eò igitur semper revertimur, ut quidquid tandem agendum vel non agendum, hic & nunc spectatis omnibus circumstantiarum anfractibus, à beatis judicatum fuerit, hoc non nisi in ipsa incommutabili Dei veritate ac Sapientia incommutabiliter præscribente cernatur, à qua cùm eis deflectere non possit esse bonum, multo minus majus bonum, illi vero adhærere sit eis summum bonum, & summa jucunditas; sequetur, eos in omnibus actionibus & omissionibus, illâ Philosophicâ libertate, hoc est, agendi & non agendi indifferentia destitui. Tantum enim indifferentiæ manet in electione eorum quæ sunt ad finem, quantum in ea esse sinit ipsius finis intentio. Nam quemadmodum immobiliter stante finis intentione, fieri non potest, quin electio medij consequatur, ita si finis optimo excellentissimoque modo intendatur, necesse est aptissimi medij electionem sequi; nullum autem aptius eo esse potest, quod aptissimum esse consulentibus respondet æterna veritas. Hoc igitur non possunt prætermittere, nisi forte aliquod aptius medium ab eis eligi posse fingas, quam quod veritas aptissimum esse responderit. Porro excellentissimo modo à beatis intendi finem seu diligi Deum, illam ipsam, inquam, incommutabilem veritatem; nemo sanæ pietatis dubitare permittitur, cum etjam in hac vita iste fuerit sanctorum illorum sensus, qui purgatissimos habuerunt à rebus creatis animos, dum in omnibus majorem Dei gloriam sibi quærendam esse statuerunt.

CAPUT XVI.

Quomodo se habeat libertas arbitrij ad amplitudinem, eminentiam, independentiam, immensitatem, & similes voluntatis proprietates.

QUI libertatem à peccato, quam juxta doctrinam sancti Augustini explicuimus, intellexerit, facile videbit animum à peccato dominante, vel, ut Augustinus etjam loquitur, *ab amore mutabilium rerum liberum*, & vi charitatis liberantis in uno summo bono, incommutabili videlicet veritate defixum; amplitudinem quandam consequi divinæ similem. Nam si ille qui adhæret Deo, unus cum eo spiritus efficitur, ut testatur Apostolus; nihil mirum videri debet, si spiritus ejusdem cum quo unum efficitur, proprietates imbibit. Ex illius etenim castitate, quam charitate diligit, castus fit, ex illius justitia justus, ex illius invicta immutabilitate fit & ipse invictus & immutabilis; ex æternitate ejus, æternitate afficitur; sicut hæc omnia ex Augustino manifesta sunt. Ex immensa igitur amplitudine summi boni cui adhæret, maximam affectus amplitudinem consequitur; ex eminentia creaturis omnibus excelsiore summam eminentiam & independentiam, quatenus ejus affectus ab omnibus liberatus est, et eis instar dominantis, uti & non uti possit, prout dilecta veritas incommutabilis jubet. In hac igitur affectus amplitudine, universitate, immensitate, eminentia super omnes creaturas, & independentia ab omnibus, seu quocumque alio eam nomine nuncupare libet, sitam esse arbitrij libertatem nonnulli volunt, & Augustini sententiam esse non dubitant. De cujus opinionis probabilitate rogatus, ut qualecumque judicium meum, quatenus sanctissimo Augustino attribuitur, interponerem, non multum laboraturum arbitror eum, qui superius huc usque tradita intellexerit, quid juxta sancti doctoris principia statuendum sit. Ut tamen & illis quibus ejus doctrina minus fortasse penetrata est, liquidius & brevius constet, quid de ea recensendum putem, simplicissimo veritatis indagandæ & asserendæ candore ductus ita judico.

Lib. de vera Relig. c. 46. & c. 10.

In primis quatenus auctor illius doctrinæ in hac amplitudinis assertione satagit, necessitatem illam indifferentiæ ad bonum & malum, quam libertatem contrarietatis vocitant, à libertate secludere, sententia, juxta mentem Augustini, est verissima. Hoc enim non solum illa loca quæ ipse tangit, sed alijs plurimis, quæ produximus, probari potest. Secundo quod libertatem, seu indifferentiam illam Philosophicam contradictionis ad agendum & non agendum, non aliter putat esse necessariam, nisi prout ordo finis postulaverit, non minus

A minus Augustino consonat, qui summum humanæ libertatis in eo ponit, ut peccare, hoc est, à fine deviare non possit. Vtrumque supra juxta doctrinam Augustini fusius asseruimus. Tertio, quòd illum statum bonæ beatæque libertatis, quandam à creaturis omnibus avulsionem adjunctam habere traditur, in Augustini doctrina extra controversiam est. Nam hinc illa: *Quem dicit libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat.* Et similia quæ jam superius allegata sunt. Nam tota illa libertas à peccato quam Augustinus asserit, hoc ipsum postulat. Quarto, quod hinc oriatur quædam eminentia seu dominatio supra res creatas omnes, ut eis utatur vel non utatur, prout summi boni super omnia dilecti ratio postulaverit, secundum Augustinum non est dubium, quamvis in locis ab auctore citatis, eo non respiciat: *Non eis amore conglutinetur,* inquit sanctus Doctor, *neque velut membra sui* B *animi faciat, quod fit amando, ne cum resecari cœperint, cum cruciatu ac tabe fœdent, sed eis totus superferatur & habere illa ac regere, cum opus est, paratus, & amittere, ac non habere paratior.*

Lib. de vera Relig. c. 48.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 15.

At vero, quod Augustinus docere velit in illa formalitate amplitudinis, eminentiæ, universalitatis, infinitatis quam affectus ex amore summi boni induit, sitam esse arbitrij libertatem, à qua videlicet liberum arbitrium nominatum est, ita fateri nequeo, ita mihi novum visum esse, ut octodecim circiter annorum labores, quibus Augustini scripta non sine magna contentione, & veritatis investigandæ diligentia volvo & revolvo ad verã notitiã libertatis assequendã nunquam mihi in mentem venerit hujusmodi aliquid August. judicare potuisse. Cùm enim sexcentis locis libertatem arbitrij August. attingat, & multis ex professo contra errores inter se repugnantes C Manichæos & Pelagianos, rem excutiat, non est vel unus, quod sciam, in universis operibus ejus locus, qui naturam libertatis explicet per eminentiam, per amplitudinem, per universalitatem, & infinitatem, & similes proprietates voluntatis ex boni summi amore pullulantes. Aliud est enim istas conditiones adesse liberæ vel liberatæ voluntati, aliud in eis Augustinum collocare libertatem. Multæ quippe aliæ conditiones ex voluntate per charitatem justitiæ liberatã proficiscuntur, in quibus tamen propterea non est sita natura libertatis, multo minus in eis ab Augustino collocata est. Incredibile est enim tanto conatu sanctissimum virum pro libertate decertare, libertatem exponere, definire, dividere, & nunquam vel uno apice formalitatem illam exprimere, & cogitatio lectoris objicere. Nam quod sibi volunt illa loca; quod voluntas sit libera cùm peccare non potest; quod tanto D sit liberior quanto sanior, tanto sanior quanto divinæ gratiæ misericordiæque subjectior; quòd tunc veraciter vincantur vitia, cùm vincuntur delectatione justitiæ; quòd delectatio sive justitiæ sive peccati, libertatem facit, jam supra abundè ex plurimorum locorum accurata collatione & excussione declaravimus, & eorum genuinum sensum, quem Augustinianæ doctrinæ moles tota poscit, expressimus, sine ulla talis amplitudinis, universalitatis vel infinitatis umbra, quasi in eis esset sita ratio libertatis. Nam ille locus ex Commentarijs in Psalmos: *Arcta omnis malitia, sola innocentia lata est*; ad propositum vel tantam rem fundandam nihil facit. Non enim ibi agit Augustinus de arbitrij libertate, sed de cruciatibus conscientiæ, quibus fit ut animus afflictus & quasi arctatus fugiat foras in sensibilia. Amissâ quippe internâ tranquillitate, quietem in nugis quærit; cùm è contrario libenter intret in conscientiam innocentia, tanquam ubi nullas angustias patitur, quasi in latitudine constituta in suo corde lætetur. Sed quid ista ad libertatem arbitrij in universalitate vel amplitudine statuendam? Audite ipsum sanctissimum Augustinum sua sensa proferentem. Cùm enim versiculum illum explicaret: *Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ*: Inter cetera dicit quod homo qui alijs nocet *non deambulat quia non est, ubi angustias non patiatur.* Cui probando subjicit illam sententiam. *Arcta est omnis malitia, sola innocentia lata est.* Et hanc *innocentiam cordis* dicit in eodem versiculo à Psalte dici *medium domus meæ.* Sic ergo rem totam exponendo subjungit: *Hanc domum quisquis habet malam; pellitur ab illa foris; quisquis enim in corde premitur mala conscientia, quomodo quisquis ab stillicidio exit de domo sua, aut à fumo, non ibi se patitur habitare (quia domus videtur nimis arcta), sic qui non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest. Tales foras exeunt à seipsis animi intentione, & delectantur his quæ foris sunt circa corpus: quietem in nugis, in spectaculis, in luxuriis, in omnibus malis quærunt. Quare foris voluerunt sibi bene esse? Quia non est illis intus bene, unde gaudeant in conscientia sua.* Et paulo post de homine jam bene operante: *Iam eat in domum suam, intret in conscientiam suam; iam latam inveniet ubi deambulet, & psallat & intelligat.* Hoc est, non amplius cruciabitur & arctabitur conscientia, ut foras in sensus fugiat, sed potius lætabitur, & ut statim dicit: *In medio domus suæ & in corde suo requiescet.* Alia sunt profecto Augustini loca, per quæ vivacior color amplitudinis illi sententiæ affricari posset, apud illos præcipuè qui phrasibus Augustini & sensibus minus assueti sunt: sed quia nec illa revera quidquam ad illam sententiam fulciendam faciunt, satis fuerit eorum sensum patefacere quando producentur.

In vers. 2. Psalm. 100.

Quapropter illa opinio tribus in rebus ab Augustini sensu mihi videtur deviare. Primò quia quidquid Augustinus dixit de arbitrij libertate in bono seu à peccato, hoc illa sententia universim de illa arbitrij libertate intelligit, à qua liberum arbitrium & libera voluntas dicitur. Ex quo consequitur necessario eos qui peccatis mancipati sunt, carere arbitrij libertate. Eodem sensu doctrinam Augustini Iulianus accepit, & hac de causa doceri à Manichæis, hoc est, Catholicis dixit, *primi*

illi maior quasi latitudo libertatis respectu tam boni quam mali, quæ in illo primæuo hominum & Angelorum statu apparuit, non ex natura, multo minus ex perfectione liberæ voluntatis fluxerit, sed potius ex ejus naturali & concreata imperfectione, qua ex perfectione veræ libertatis sua voluntate excidere potest, nisi Deus impediat: vnde fieri non potest vt ista latitudo actuum liberæ voluntatis, sit natura vel perfectio libertatis, sicut fieri non potest, vt potestas claudicãdi sit natura vel perfectio potestatis progressiuæ, vel potestas errandi intelligentiæ, vel mortalitas hominis, vel ægrotabilitas carnis. Nullius enim naturæ perfectio in eo sita est, quod possit in agendo vel essendo deficere, sic videlicet, ut si Creatoris beneficio impediatur, perfectio naturæ vel natura ipsa destruatur. Poterat igitur Deus talem humanam & angelicam instituere naturam, vt solus eam delectaret Deus, ejusque voluntati sine ullo non solum impedimento tentationis, sed etiam possibilitate defectionis obtemperaret, sicut nunc pars ejus quædam in cœlis immobiliter & indeficienter obtemperat. Non enim ideo liberum arbitrium non habet, quia peccata eos delectare non possunt. *Magis quippe esset liberum, à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* Nam Deum ab initio creaturæ suæ, conferre non potuisse sine præiudicio libertatis, quod ei postea sine præiudicio libertatis contulit, vt ei amoris perfectione simillima,

Lib. 22. de Ciuit. c. vlt.

A nec ipsa posset sua libertate deficere, hoc est, bonum liberamque voluntatem amittere, perabsurdum est. Quapropter neque natura liberi arbitrij, neque perfectio libertatis, imo neque status viatoris fuisset violatus, si talem Deus hominem angelumve condidisset, vt cœlestis delectationis magnitudine & firmitate liberum eorum arbitrium non posset creaturam Creatori diligendo præponere. Hoc enim citra dubium in Christo Domino sine detrimẽto libertatis ejus, sine interitu status viatoris, & quod est mirabilius, una cum ipsa beatifica visione & amore cõtigit; & in sanctissima ejus Matre eo facilius, quo inferiore gradu & alio ex capite contingere potuit. Nimirum vt etjam illa sublata concupiscentia, gratiaque magnitudine voluntatem ejus inseparabiliter confirmante, etjam sine beatifica visione pec-
B care non posset. Quod iuxta Augustini principia probare non est difficile, sed non est huius loci. Non ergo natura vel perfectio libertatis, sed connaturalis ordo rerum, quæ ab imperfectis ad perfectiora progrediendum esse præscribebat indifferentem illum libertatis gradum ad bonum & malum postulauit: *Seruandi gradus erant*, inquit Augustinus, *diuini muneris, vt primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo*, sicut & peccare: *Nouissimum quo peccare non posset, atque illud ad comparandum meritum hoc ad recipiendum præmium pertineret.*

Ibid. c. 30.

CAPVT XI.

Error Pelagianus est, requiri ad libertatem, indifferentiam ad bonum & malum: sed potest esse libertas, destructa ad malum.

QVamobrem perperam de liberi arbitrij natura philosophantur, qui hominem vel angelum non liberi arbitrij futurum esse suspicantur, si non æqualiter eorum voluntas flecti potuisset aut etiamnum posset in bonum & malum. Error iste à Pelagianis patronis ejus fidelissimis originem ducit. Principium enim apud ipsos primo verum & indubitatum fuit, non esse liberum cui non in vtrumque contrariorum, bonum videlicet & malum, par potestas est. Quod fuse à nobis in illo opere quo Pelagiani erroris dogmata lustravimus eorumque sensum explicuimus, demonstratum est. Hic vnus aut alter Iuliani locus sit instar omnium: rem enim ibi fecimus exploratissimam. Sic ergo definit ipse libertatem arbitrij: *Libertas arbitrij in admittendi peccati & abstinendi à peccato, possibilitate consistit.* Ex qua regula, necessitatem omnem sive boni sive mali penitus excludendo, statim colligit; *Si ergo est, vt ratio prodidit, arbitrij libertas propulsatrix necessitatum, vt nemo*

Vide lib. 2. de hæresi Pelag. c. 1. & sequent.

Lib. 1. operis imperf. f. 118.

f. 122.

A *sit vel bonus vel malus, cui non sit liberum esse contrarium &c.* Et insultans fundatissimæ doctrinæ Augustini, qua in libris ad Bonifacium dixerat, voluntatem quæ libera est in malis, liberam non esse in bonis: *Non minore plane stultitia professione*, inquit, *quam profanitate liberum vocas, quod dicis nisi vnum velle, non posse*, hoc est, vel solum bonum vel solum malum.

fol. 150.

Doctrinam istam hauserat ex Pelagio præceptore suo & istius erroris fonte Iulianus. Nam Pelagius in fidei suæ libello, quem ad Pontificem Innocentium sui purgandi causa destinauerat, his verbis sententiam suam de ista in utramque partem pari potestate comprehendit: *Nos vero dicimus hominem semper &*
B *& peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij.* Quo nihil aliud significat, quam id quod clarius discipulus eius propalauit, non esse liberi arbitrij hominem, nisi semper & peccare possit & non peccare. Sententia ista sub Hieronymi nomine citari subinde solet, & in opusculo quod inscribitur:

Symboli

Symboli explanatio ad Damasum continetur. Sed A revera est Pelagij. Nam multas lacinias ex eo citat Augustinus libro de gratia Christi, quæ verbotenus in eo comprehensas videre licet, qua de re plura diximus alio in loco.

Tomo 4. operum sub nomine.

Sententiam istam velut fortissimam & erroris Pelagiani nidum sæpe & acerrimè refutauit Augustinus, & asseueranter docet ad libertatem arbitrij, non esse necessariam illam ad utrumque contrariorum, bonum videlicet atque malum indifferentiam; sed totam eius naturam in alterutro oppositorum duntaxat, sive in bono, sive in malo, sublata alterius oppositi potestate, posse salvari. Nam in libris ad Bonifacium, de illis loquens qui ab omni liberationis gratia sunt moti, sub peccato captiui sine fide detinentur: *Hæc*, ait, *voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* B Quibus verbis perspicuè libertatem respectu solius mali asserentibus, cùm Iulianus illam indifferentiam boni & mali negatam cerneret, ideoque stultitiæ professionem & profanitatem ascripsisset Augustino, qui liberum diceret, quod nisi vnum velle non posset, respondet ei sanctissimus Doctor, quasi rem Iulianus perabsurdam protulisset, *Liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum? Liber Deus non est, qui malum non potest velle de quo etiam ipse dixisti, Deum esse nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem? An potius intelligere debes esse quandam beatam necessitatem, qua Deus iniustus non potest esse?* In qua sententia exemplum quod de Deo profert Augustinus, apud omnes etiam recentiores Theologos indubitatum est; sed eo scopo ab Augustino producitur, vt probet simili modo, liberam esse posse voluntatem in malis, ut ante dixerat, quæ non est libera in bonis, falsumque esse quod illi sententiæ Iulianus opposuerat, liberum non esse, nisi quod duo potest velle, bonum & malum. C Et cum Iulianus iterum illam indifferentem libertatem ad utrumque contrariorum postulasset negassetque eam cum potestate ad unum tantum posse consistere, eandem solutionem ei reponit Augustinus: *Ergo nec in Deo est arbitrij libertas, quia malum facere non potest, sicut negare seipsum non potest: qui & nobis summo illo præmio largiturus est, vt non quidem ipsi Deo, sed tamen angelis eius æquales, nec nos peccare possimus.* Sed Iulianus, cum invictam ratiocinationem suam arbitraretur, ei tertiò idem impingit confidentius, & apertam ei contradictionis absurditatem imputat, ut *qui iustificaret dogmata sua promittens se Liberum arbitrium non negare, quod ante mali* (solius) *postea boni* (solius) *necessitate subverteret.* Sed respondet ei tertio Augustinus, necessitatem vnius contrariorum non repugnare libertati; *Dicturus es ut video Deum necessitate premi, ut peccare non possit, qui utique nec potest velle nec vult posse peccare.* D Quâ beatissimâ necessitate & nos donandos esse profitetur.

Lib. 1. ad Bonif. c. 3.

Lib. 1. operis imperf. fol. 130.

fol. 153.

fol. 154.

Cùm vero hactenus exemplo divinæ libertatis, argumento quasi à simili convicisset, A libertatem arbitrij etiam in sola ad malum potestate & libertate incolumem esse posse, & Iulianus eandem argumenti istius molem contra libertatem solius mali volveret & revolveret, tandem perspicuis verbis errorem eius notat & comprimit: *Multum erras qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam quod nulla necessitate commissum est.* Quod inductione variorum exemplorum probat. Et aliquanto inferius, cum retorsisset in eum Iulianus, quod *voluntas peccatoris potuerit tam bonum velle quam malum voluit, totumque figmentum necessitatis*, quam sanctus Doctor asseruerat, *evanuisse*: exemplis eum errare docet Augustinus, magnaque veritatis fiducia doctrinæque Catholicæ securitate concludit: *Non est igitur infirmitatis sententias in necessitate peccandi; sed ut non obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur, de necessitatibus meis erue me.* B Ex quo sanè acerrimo conflictu Catholicissimi pugilis cum Iuliano Pelagiani erroris architecto, manifestissimum euadit, necessitatem sive solius boni, qualis in Deo, angelis & hominibus beatis lucet, sive solius mali, qualis in hominibus, quos damnatio omnis gratiæ exortes fecit, reliqua est, nihil omninò repugnare libertati, sed reipsa tam perspicuè esse convictam, ut errorem eius opinionem vocet. Nec ibi propriè de libertate ad bonum, quamvis illius nonnulla exempla protulerit, sed præcipuè de libertate & potestate solius mali, certamen vertitur; altero velut stultam profanamque sententiam impugnante qua dictum erat, voluntatem esse liberam in malis, quæ non esset libera in bonis; altero velut sanissimam Catholicamque doctrinam omni Scripturarum & rationum apparatu defendente.

fol. 155.

Lib. 1. operis imperf. fol. 159.

Sed nullibi res ista illustrius patet, quam in dæmonibus, qui amissâ irreparabiliter C bene volendi & bene faciendi potestate solius mali potestatē & libertatem habet. Sunt enim perfectissimè liberi à justitia servique peccati; nec ab illa peccati servitute in æternum à Deo liberandi sunt, nec à seipsis liberari possunt. Amiserunt itaque penitus libertatem ad bonum, retentá tamen perfectissimè libertate ad bonum, retenta tamen perfectissimè libertate ad malum, juxta regulam generalem adversus Pelagianos de arbitrij libertate ad malum latam: *Nec liberum in bono erit* (arbitrium) *quod liberator non liberauerit: sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor inservit, vel sibi ipse persuasit.* Et rursum: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant & amore peccati hoc eis placet quod eis lubet.* Ac tertio de peccatoribus qui mentis vtuntur arbitrio: D *In peccato sua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur. Non enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi vt peccatum voluntate committant vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo, & cæcitatis & infirmitatis.* Denique genera-

Lib. 1. ad Bon. c. 3.

lissimè: *Hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* Quæ quamuis omnia de hominibus sub peccati dominantis potestate captivis dicta sint, eàdem tamen prorsus, imò longè maiori ratione in spiritibus reprobis perfectissimè locum habent. Nam voluntas eorum maximè delectatur malis, maxima cum delectatione peccat, maximè hoc ei amore peccati placet, quod ei lubet, omninoque minimè per liberatorem à peccato liberati sunt, à quo seipsi eò minùs suâ possunt potestate liberare, quò stabiliori damnationis & obdurationis obstricti sunt.

Ex eius doctrinæ regulis, quas de libertate arbitrij ad peccandum generaliter Augustinus tradidit, etiam speciatim sententiam de dæmonum libertate pronuntiat. Nam utrumque caput bicornis illius libertatis, sive retentæ, sive perditæ in ejus libris æquè perspicuum est, dum & peccandi libertatem spiritibus damnatis tribuit, & benefaciendi negat. Nam de libertate bene volendi & benefaciendi Satanę, sic loquitur in epistola ad Vitalem:

Epist. 107.

Regens eos infideles ad arbitrium suum, quod nec ipse habet liberum ad benefaciendum, sed ad maximam malevolentiam pœna sui sceleris obduratum: Unde nemo sanæ fidei credit aut dicit hos Apostatas angelos ad pristinam pietatem correctâ aliquando pietate converti? De libertate verò peccandi nemo sanæ mentis inficiari posset, eam in dæmonibus vigere potentissimam. Quis enim nisi oculos apertissimæ veritati clauserit, non videat blasphemias illas in Deum horribiles gravissima sceleratæ mentis esse facinora? Nec enim quicquam ratio peccati continet, quod non maximè in eorum facta quadret, quæ contra legem æternam scientes, videntes, lubentesque dicunt, faciunt, concupiscunt. Hinc Augustinus tripartitam illam libertatem creaturæ rationalis, quam supra declaravimus, ad bonum tantùm, ad malum tantùm, & ad utrumque breviter exprimens:

Lib. 3. de libero arbit. cap. 17.

Si nulla causa esset non ita dispertiretur creatura rationalis, ut alia nunquam peccet in angelis bonis, *alia in peccando perseveret*, in angelis malis, *alia quasi media inter utramque, aliquando peccet, aliquando ad rectè faciendum convertatur*, in hominibus viatoribus. Et statim iterum: *Quæ causa in has tres partes eam distribuit? Sed nolo mihi respondeatur voluntas*, id est liberum arbitrium, de quo erat disputatio. *Ego enim causam quæro ipsius voluntatis. Non enim sine causa nunquam vult illa peccare, nunquam ista non vult, cùm ejusdem generis omnes sint.* Vbi evidenter dicit, reprobos illos spiritus nunquam non velle peccare, hoc est, semper velle peccare. Eandem trimembrem libertatis partitionem etiam in superioribus tetigit, dum de angelica beata creatura dixit, quod

Lib. 3. de l. arb. c. 5.

in perpetuum fruitur creatore suo, quem perpetua tenenda iustitia voluntate promeretur: de damnata *quod eam perpetua peccandi voluptas tenet*; quod eam præsciuit Deus *non solùm peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram*. Et tamen etiã talem creaA

A

turam quæ liberâ voluntate peccat, excellentiorem esse, quàm eam quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem, sicut aberrans equus, lapide non errante melior est. Inter vtramque verò medium ponit hominem, creaturam videlicet ita peccatricem, vt possit altitudinem suam pœnitendi humilitate recipere.

Ex ista igitur liberæ voluntatis intelligentiâ, quâ arbitriũ Augustinus esse sẽtit ac docet liberum, quantùmuis siue in bono siue etiam in malo, ita firmatum sit, vt non sit amplius ad benefaciendum liberum, sed ad maximam malevolentiam pœnâ sceleris obduratum, passim grauissimorum certissimorumque peccatorum auctores dæmones facit. Inuidiæ quidem frequentissimè:

Lib. contra Secund. c. 17.

Primum peccatum est quamvis bonam creaturam creatori in dilectione præponere: secundum autem, alterum quoque vt id faciat vel suadendo vel cogendo tentare.

B

Vbi vtrumque peccatum dæmonum digito ostendit, & quo cecidit, & quo damnatus hominem in peccatum labi fecit. De postremo genere, quod jam maximè in dæmonibus locum habet, statim attexit: *voluntate peccant, qui alios ad peccatum perducere cupiunt, vel stulta benevolentiâ vel malitiosa invidia.* Et cùm inuidentiam ex immoderato honoris amore pullulare docuisset, etiam ne in eo superetur, cupit aliquos ad iniquitatis voraginem ex æquitatis arce deponi: *Hoc modo*, inquit, *diabolus suadere aut cogere ad peccata conatur.* Et mox vberius declarans vtroque modo & suadendo, quod diabolus facit, & ei consentiendo peccari:

C

Ibid. c. 18.

Ego, inquit *ambas* (creaturas) *bonas esse assero, sed unam earum malefacere suadendo, aliam malefacere consentiendo.* Sed quomodò an fortè malefaciet absque peccato? nequaquam, sed sic *vt illi si non suadeat emendatior* futura sit. *Etsi enim bis illa peccat, quæ & committit & suadet; illa autem semel si tantummodo ad malefaciendum consentiat, tamen peccatis sunt malæ, non naturâ sunt malæ.* Quod ibidem latiùs prosequitur. Hoc invidentiæ peccatũ sæpissimè Augustinus in dæmonibus ponit:

Ibid. c. 24.

Sanctis invidet diabolus honorem cœlestem, unde ipse deiectus est. Mutatus enim ipse alios mutare molitur: nimirum iuxta illud Scripturæ:

Sap. 2.

Invidia diaboli mors intravit in Orbem terrarum. Ex quo fit ut quemadmodùm sanctissimus Antistes dicit,

Epist. 49. q. 3.

errore delectentur & quodammodò pascantur humano.

D

Neminem autem eò usque ineptiæ progressurum puto, ut invidiam fallendique voluntatem, peccatum non esse arbitretur. Quapropter non veretur eis non tantùm peccandi voluntatem, & vera peccata, sed etiam invidentiæ ceterorumque peccatorum quæ in mundo damnati perpetrant, supplicium attribuere; ut non modò peccatorum, sed & pœnarum luendarum rei sint. *Illi principes contra quos habere nos colluctationem dicit Apostolus, pœnam peccatorum suorum priores patiuntur quam noceant, nullus enim invidus ut alterum lædat, non sibi tormento est.* Et in libro de naturâ boni: *Cùm per potestatem quam diabolo dedit, omnia iustè ipse Deus fecerit, non tamen pro his iustè factis, sed pro iniqua nocendi voluntate quæ ipsius diaboli fuit, ei*

reddetur

redderetur in fine supplicium. Sed quid multis? Ipse Dominus Iesus apertissime diabolum post primum peccatum & homicidam facit, *ille homicida erat ab initio*, & mendacem, *Mendax est & pater ejus*; nec homicidium verò, nec mendacium esse peccata, vel peccata non esse liberæ voluntatis, nec ipsi quidem homicidæ aut mendaces inter surdos dixerint. Vnde Scripturis & Augustino succinentes veteres, non solum diabolo vera peccata tribuunt, sed etiam apertissimis verbis liberum arbitrium respectu solius mali; cujusmodi est beatorum Angelorum respectu solius boni. Qua de rè sanctus Bernardus: *Sicut cælestis Angelus, aut etiam Deus ipse permanet liberè bonus, propria videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate; sic profecto diabolus æque liberè in malum & corruit & persistit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu.* An forte est etiam dæmon liber in bono, & non captivus in malo? *Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam fit captivitas mentis, tam plena quidem in malis quam & in bonis, sed in bonis ordinatior.* Et iterum evidentius: *Nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque iste non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio.* Et post Bernardum Magister Sententiarum: *Mali* (Angeli) *per malitiam adeo sunt obstinati, quod bonam voluntatem habere, sive velle non valent, etsi bonum sit quod aliquando volunt. Volunt enim aliquando fieri quod Deus vult fieri, & utique illud bonum est & juste fieri, nec tamen bona voluntate illud volunt.* Et statim adjicit utrosque & bonos & malos angelos habere liberum arbitrium, etsi illi in bono confirmati sint, hi in malis obdurati; quia *non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate, illi bonum eligunt & malum respuunt, hi bonum vitant & malum sequuntur.* Vtpote qui habeant *liberum arbitrium, sed depressum atque corruptum, quo surgere ad bonum non valent.* Quam doctrinam Augustini, Bernardi & Magistri Scholastici & Commentatores veteres communiter secuti sunt. Nam Bonaventura dicit non obstante obdurattione *dæmones liberè velle quod volunt*. Itemque quod *continue peccat* etiam in timore quo pœnas timet, & in amore quo ut conservatorem diligit Deum. Divus Thomas: *Dæmones quamvis diversa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant, quia in omni eorum electione permanet vis primæ electionis ipsorum.* Quibus ad illa usque tempora nemo videtur contradixisse.

Ioan. 8.

Bernard. de grat. & lib. arbit.

In 2. dist. 7.

In 2. dist. 7. n. 32 n. 9. 11 14.

In 4. disp. de malo q. 16. a. 5. in corp.

Nec sanè ulla ratio recentioribus esse potest, cur etiam ex propriis eorum principiis doctrinam istam ponderando, de falsitate suspectam esse putent. Iis si enim ad libertatem beatorum atque ipsius Dei satis esse credunt ac docent, ut quamvis peccare non possint, eligant tamen liberè, hoc est, indifferenter hoc vel istud bonum. Sed hoc libertatis patrocinium plenissimè, planissiméque in damnatis spiritibus locum habet. Nam & ipsi quamvis voluntatem immobilem in malo, perversaque sui dilectione possideant; indifferenter tamen eligere possunt hoc vel istud malum, ad hoc vel istud peccatum homines impellere, hoc vel isto blasphemiæ convitio divinitatem incessere. Quod si ad libertatem sufficit, certissimum est & planissimum, liberum arbitrium in dæmonibus cum illa perpetua & generali, seu in confuso, peccandi necessitate cohærere; & proinde verissimam esse doctrinam sancti Augustini, qua constantissimè semper docet, *voluntatem quæ libera in malo est, quia delectatur malo, non esse liberam in bono, quæ liberata non est*; juxta doctrinam Apostolicam quam Augustinus illis verbis explicuit: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ: nunc autem liberati a peccato servi autem facti Deo* &c. Nam ex illis verbis & aliis Christi Domini Ioannis octavo, quæ sæpius à nobis allegata sunt, fluxit illa divisio libertatis apud Augustinum celebris, in *libertatem a peccato*, quæ est libertas ad bonum, & *libertatem à justitia*, quæ est libertas ad malum. Et illud Catholicum ejusdem Doctoris pronuntiatum: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala, aut a peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona.* Et illud in Enchiridio: *Ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Vnde ad juste faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus esse cœperit justitiæ servus.* Vnde obduratissimis peccatoribus liberam planissimè voluntatem tribuens dicit: *Facile est ut infidelitatem accusemus Iudæorum de libera voluntate venientem, qui factas apud se tam magnas virtutes credere noluerunt.*

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.

In Enchirid. cap. 30.

Lib. de dono pers. c. 9.

Hæc de libertate tantum ad malum paulo fusius ex Augustini mente pertractanda fuerunt, propter miras quorundam recentiorum opiniones & veteribus inauditas, quibus res planissimas tricis implicant, ut in hominibus qui peccato subjugati serviunt, multoque magis in dæmonibus, vel arbitrii libertatem, vel peccandi potestatem negent, vel ita fateantur, ut vel gratiam sufficientem in iis velut necessariam postulent, vel boni moralis agendi potestatem. Fœtus isti sunt non Ecclesiasticæ traditionis, sed humanæ vel potius vanæ speculationis. Quæ si ad normam doctrinæ veteris, & præcipue principis omnium Theologorum, & in hac materia ducis ac præceptoris gentium Augustini, expenderimus, invenientur esse paradoxa, quibus nec à Stoicis paria excogitata sunt. De duobus postremis jam fuit alibi dicendi locus.

CAPVT XII.

Libertas arbitrij quo ſenſu tribuenda, & neganda peccatoribus.

SED quamvis Auguſtinus crebro libertatem arbitrij malos habere, & arbitrium ad peccandum liberum eſſe fateatur, ac definitiones quas de libertate tradidit, hoc ipſum ſine ulla dubitatione convincant, non raro tamen idem Auguſtinus nullam omnino libertatem arbitrij, niſi in boni dilectione, atque in operibus bonis ex ea profluentibus, videtur agnoſcere: *Ad malum agendum habes ſine adjutorio Dei liberam voluntatem. Quanquam non eſt illa libera. A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Et omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati. Et, ſi vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et in libro de Spiritu & littera: *Nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrij libertatem ſonare. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo ſervi ſunt peccati, quid ſe jactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.* Quaſi dicat, ubi non eſt Spiritus Domini, non eſt libertas arbitrij, ſed ſervitus. Ex qua vena fluunt innumera ejus teſtimonia quibus ſoli divinæ gratiæ, charitati ac dilectioni juſtitiæ tribuit libertatem voluntatis; utpote quæ *tanto ſit liberior, quanto divinæ gratiæ miſericordiæque ſubjectior*: quemadmodum fuſe ſupra declaravimus.

Serm. 13. de verb. Apost.

Lib. de Spir. & litt. c. 30.

Epiſt. 89.

Ex his atque hujuſmodi Auguſtini locis quoſdam Scriptores collegiſſe video, nullam ex Auguſtini mente eſſe arbitrij libertatem, niſi per quam adhæreretur Deo. Quam ſententiam ſuam quomodo tueantur, ipſi viderint. Hoc tamen exploratiſſimum eſt, doctrinæ Auguſtini directe & ex pluribus capitibus eſſe contrarium. Quod ex ijs quæ toto hoc diſcurſu de libero arbitrio tam prolixè diximus ita manifeſtum eſt, ut ſuperfluum ſit ijs qui tantillum ingenio pollent, repetendo velle declarare. Nam ut nihil dicam de tot teſtimonijs, in quibus expreſſis verbis libertatem arbitrij veri nominis peccatoribus tribuit, Et illud indifferenter ſe poſſe huc illuc flectere ad bonum & malum, de quibus infra adhuc dicendum erit, ipſa ratio liberi, quam tanto molimine Auguſtinus tradit, hoc convincit invictiſſimè. Liberum enim vocat quod eſt in noſtra poteſtate: & in noſtra poteſtate id quod facimus quando volumus: quod in peccatis citra omnem tergiverſationem perſpicue verum eſſe, nemo Catholicus diffiteri poteſt. Ex quarum definitionum veritate ex profeſſo Auguſtinus docet, & *manifeſtum eſſe* docet, & adverſus Philoſophos conſtantiſſime defendit, *voluntates noſtras* non ſolum *quibus recte* ſed etiam *quibus perperam vivitur non eſſe ſub neceſſitate poſitas*, ſed liberas, & à libero arbitrio proficiſci. Qua de re ſupra ſatis multa generatim diſputata ſunt.

Lib. 5 de Civitate c. 10. & lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. & adverſ. Manichæos ſæpius.

Sed hoc eſt quod viros eruditos videtur

A fefelliſſe, quòd liberum in Auguſtini doctrina ſubinde magis actum reſpicit, qui libere fieri dicitur, quaſi terminus ad quem libertatis; ſubinde vero ſolum vel maximè terminum à quo arbitrium dicitur liberum. Reſpectu actus liberi, tam eſt arbitrium liberum reſpectu actus mali, cum illum delectabiliter facit, quam boni: & utriſque univocè, ut cum Philoſophis loquar, & nomen & ratio libertatis convenit. Vterque enim & bonus & malus, eſt in poteſtate voluntatis, eumque facit cum vult, & quidem magis malum quam bonum, quandoquidem ad malum agendum liberam habeat voluntatem etiam ſine adjutorio Dei: Ad bonum autem non niſi divinitus liberetur & adjuvetur. Nec enim aliud eſt liberum Auguſtino, prout nude actum reſpicit, quatenus à potentia voluntatis fluit, quàm id quod ita eſt in noſtra poteſtate, ut illud faciamus quan-

B do volumus.

Sed voluntas quibuſdam impedimentis volendi obnoxia eſſe poteſt, quibus velut vinculis & compedibus poteſtas ejus quodammodo ligetur, ut in actum bonum exire, hoc eſt, velle, vel id quod jam vult implere non poſſit. Vnde à vinculis illis per quæ diabolus captivum arbitrium tenet, tanquam termino à quo, expediri debet, ut velit, aut ut impleat id quod velit. Hinc ergo fit, ut libertas quatenus immunitatem ab iſtis volendi impedimentis & quaſi vinculis ſonat reſpectum quendam quaſi ad terminum à quo arbitrium liberetur connotet, ſicut initio tractatus hujus declaratum eſt. Quod quamdiu non fit, manet arbitrium ſervum, captivum & alterius dominationi ſubjectum, quæ ratione reſpectus illius repugnant arbitrio. Quo enim magis ab illa captivitate & ſervitute, & conſequenter ab alterius dominatione liberatur, eo fit magis

C magiſque liberum, uſque adeo ut cum in eam incidere non poteſt amplius, tunc ſit liberrimum. Hoc volendi impedimentum Apoſtolus peccatum vocat, hoc Auguſtinus vero interpres Apoſtoli concupiſcentiam; quæ non eſt aliud quam deſiderium fruendi quacumque creatura. Liberatio igitur à dominatione peccati ſeu concupiſcentiæ, hoc eſt, ab amore cujuſcumque creaturæ, arbitrium vere liberum facit: quia cujus amore voluntas devincta, eidem & ſerva detinetur. Ex quo fit ut voluntas ab iſto amore creaturarum tanquam delectabili viſco, quo ſub ea veluti dominante captiva tenebatur, expedita, non ſolum libera à creaturis fiat, ſed etiam eurum ſub Deo, hoc eſt, ſub æterna veritate domina, ut eis non fruendo ſubjiciatur, ſed utendo ſuperferatur, non uti libitum eſt, ſed ſicut æternæ veritati ſeu Deo placitum fuerit: Non enim vera libertas ab ipſo veritatis præſcripto libera eſſe debet.

Hæc

A Hæc breviter indicavit Augustinus in libro de vera Religione: *Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat*: ecce libertatem termini à quo: *Et quem regnare*, id est, Dominum esse *delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat plus eum diligendo quam seipsum*; & consequenter quam aliam quamcumq; creaturam. En terminum ad quem qui excusso servitutis earum jugo sequitur. Vnde paulo antè dixerat: *Rationalis anima si Creatori suo serviat, à quo facta est, per quem facta est, & ad quem facta est, cuncta ei cetera servient.* Et rursum: *Quem si subditus* (homo) *imitaretur, per eum haberet subdita cetera.* Non enim à creaturarũ & sui ipsius jugo expedita, sine omni dominio; sicut nec sine omni amore esse debet. Nam sicut amor temporalium sine amore rerum æternarum ex animo pelli nequit, ita nec jugum creaturę sine jugo Dei: *Solve te hinc*, inquit Augustinus, *sed alliga tibi. periculosum est tibi in his tentationibus sine vincula remanere.* Et alibi: *Captivati ergo* (à Deo) *quia capti & capti, quia subjugati, sub leve illud jugum missi; liberati à peccato, cuius servi erant, & justitiæ* (id est Dei) *servi facti cuius liberi erant.* Et quia creatura rationalis naturaliter ita instituta est, ut non debeat servire creaturæ, sed Creatori, tanquam naturali & vero Domino suo, hinc fit quod illa servitus, quò arctior eò liberior fit: *Filius est ancilla*, inquit Augustinus, *secundum quod omnis creatura subdita Creatori est, & verissimo Domino verissimum debet famulatum, quem cum exhibet libera est, hanc accipiens a Domino gratiam ut ei non necessitate, sed voluntate deserviat. Ergo iste filius est Ierusalem cælestis, quæ sursum est mater omnium nostrum libera. Et libera quidem à peccato, sed ancilla justitiæ.* Si libera, servitutem illam exhibendo, ergo quò arctior ista servitus, eò liberior, quia vi charitatis à peccato liberatis liberatior. Eò quippe longius animus à peccato seu concupiscentia dominante recedit & consequenter à creaturis liberior factus, eis ad nutũ sub Deo sibi regnante dominatur, Nam hujusmodi augmentum libertatis & diminutio servitutis, ut supra latius exposuimus, semper respectum ad peccatum seu concupiscentiam rerum creatarum velut terminum à quo liberamur, involvit.

Ibid. cap. 44.
Ibid. cap. 45.
Serm 10. in append.
In Psal. 67.
B
In Psal. 115
C

Porro sicut umbra corpus, & vitium virtutem, & peccatum virtutis actum imitatur, ita & libertas à justitia seu Deo, libertatem à peccato. Nam & illa præter actum positivũ quem respicit quatenus eum in potestate habet, etiam connotat respectum à justitia tanquam terminum à quo liberum fit arbitrium ne impediat actum ejus; veruntamen illa non est vera liberatio, sed captivitas, tyrannis & servitus sub amore creaturæ, quo fit dissimilis Creatori. Libertas enim cum termino à quo comparata, immunitatem significat, non à quolibet, sed à malo, à tyrannide veraque servitute rationalis creaturæ, cui dominium quoddam potentissimum supra blanditias timoresque creaturarum adjunctum est. Qua de re præclarè sanctus Dionysius naturam dominationum cælestium explicans: *Sanctarum*

D

dominationum nomen declarans arbitror excitationem quandam ad supera, à servitute omnique terrestri submissione liberam quæ nulli tyrannica dissimilitudini ullo prorsus modo seipsam uti libero dignum est, subjicit, ut quæ dominatio sit nullis blanditijs cedens: omnemque servitutem diminutionis effectricem superat, & omni submissioni pertinaciter obsistit, & ab omni dissimilitudine exempta est, & vera dominationis ac dominantis principatus semper cupiditate tenetur, & ad veram ratamque illius similitudinem tum se, tum ea, quæ ipsum sequuntur, quantum licet probe fingit ac format; & ad nihil eorum quæ temere videntur & approbantur, sed ad id quod proprie est conversa est, & semper divinâ similitudine dominationis autore, quantum potest participat. Describit enim veram libertatem sub ea ratione qua terminum à quo, creaturæ blanditias, & amorem veluti veram à Deo dissimilitudinem, & servitutem diminutionis effectricem respicit ac respuit. Vnde & Augustinus alicubi dicit, se fuisse longè à Deo in *regione dissimilitudinis*: & iniquos aptos esse creaturis inferioribus, *quanto dissimiliores sunt tibi: aptos à superioribus, quanto similiores sunt tibi.* Ab illo malo tyrannicæ dissimilitudinis, servitutis, terrenæ submissionis, carnalis concupiscentiæ, & uno verbo peccati, ut Apost. loquitur, libertas eximit. Ex qua nobili & antonomastica libertatis significatione fit ut etiam vulgo translatâ significatione, sicut Augustinus dicit, *Quicunque liberatur, intelligatur periculum evadere, molestijs carere.* Sicut ergo corruptio rei positivæ destructionem sonat, *Nocet enim corruptio & nisi bonum minueret non noceret*; abusivè vero privationis aut negationis (non enim ignorantiam, sed scientiam corrumpi dicimus) ita libertas respectu termini à quo proprie libertatem à servitute naturæ rationalis inimicâ sonat, non à servitute veri Domini. Quod & in libertate civili pari modo locum habet. Nemo enim servus dicitur, qui vero Domino suo in patria sua amore servit; quo enim arctius ei servit & liberalius, eo liberior est; sed qui tyranno, à quo in servitutem abruptus est subjugatur & servit.

De cælesti hierarc. c. 8.
7. Confess. cap. 16.
Serm. 48. de verb. Domini.
Lib. 7. Conf. c. 12.

Hinc igitur patescit ratio, cur liberum arbitrium, quatenus nudè actum respicit quem habeat in sua potestate ut eum faciat si velit, verè & propriè liberum ex Augustini definitione, dici debeat, & vere sit; & tamen passim in omnibus scriptis suis Augustinus ita de libertate loquatur, quasi arbitrium peccatorum nulla ratione sit liberum. Tunc enim libertatem non ad actum, sed ad terminum à quo comparat; qua ratione arbitrium concupiscentijs carnalibus subjugatum, non tam liberum quam servum, vera videlicet, tyrannicâ & inimicâ naturę rationali servitute, dicendum est: & non nisi umbratica quadam verę libertatis effigie liberũ quatenus etiam tunc à suavissimo saluberrimoque justitiæ jugo liberatur, ut cùm quadam delectatione quasi liberaliter peccato serviat: *Qualis quæso potest*, inquit, *servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit*

In Enchirid. cap. 30.

qui sui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber, qui peccati servus est.

Hanc igitur veræ & adumbratæ libertatis differentiam & imitationem, quæ ex termini à quo fit liberum, & delectationis per quam fit liberum, quadam deficiente similitudine petuntur, Augustinus ut exprimeret, illis nominibus in afferenda vera libertate uti solet, quæ maximam ejus prærogativam denotent. Nunc enim vocat eam veram libertatem, & arbitrium per eam esse vere liberum: *Ipsa est vera libertas propter rectè facti lætitiam.* Et alibi rationem quam dedimus simul indicans, quia à malis eripit: *Vera libertas nos ab iniquitatis, & mortis & diaboli dominatu* (qui per peccati concupiscentiam arbitrio dominatur) *liberos facit.* Quam vocem veræ libertatis sexcenties in scriptis ejus frequentatæ, ex Christi Domini verbis hausit: *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Nam ut sanctissimus Doctor ait, per gratiam Christi, *arbitrium fit verè liberum dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.* Subinde veram & sanam libertatem nuncupat: *Ipsa est vera & sana libertas, ut opus bonum fiat non timore* (scilicet rei temporalis quæ diligitur amittendæ) *sed amore.* Quandoque salubrem libertatem: *Nec ideo tamen potest captiva voluntas nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem.* Et rursum: *Non aliud intelligetis arbitrium laudabiliter liberum, nisi quod fuerit Dei gratia liberatum.* Aliàs summam libertatem: *Deo uni summa libertate servitur.* Aliquando hanc veram, sanam, salubrem, laudabilem libertatem à peccati dominatis malo, absolutè & antonomasticè libertatem appellat: *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ potius libertatem.* Libertatem vero à justitia quæ est libertas in malo, ne quidem libertatis nomine dignam censet: *Libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia.* Et in alio loco: *Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij utique libertatem sonare: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio?* Omnia ista elogia libertatis à peccato, & probra libertatis à justitia, quam servilem libertatem appellare solet, sicut servitutem Dei liberam servitutem; respiciunt utramq; libertatem purè & nude respectu termini *à quo*. In qua consideratione libertas ad malum seu justitia, ita ferè à vera libertate arbitrij à peccato deficit, & eam fugitivâ quadam similitudine; sicut vitia virtutem ipsumq; Deum defectivâ quadam & umbraticâ specie æmulantur. Nam & superbia verâ virtutem, ac ipsius Dei celsitudinem imitatur, & stultitia innocentiâ & simplicitatem, & ignavia quietem, & effusio liberalitatem ejus: *Perversè enim*, inquit Augustinus, *te imitantur omnes qui longe se à te faciunt.* Sed hoc non officit, quo minus aliâ ponderatione quæ nudum actum respicit, arbitrium etiam in malo sit vere liberum, ea libertate qua generatim bene vel perperâ vivitur, quatenus actum sive bonum sive malum habet in sua potestate; sicut ille vitiorum defectus à virtutis perfectione quam affectat, nihil obstat quo minus virtus & vitium secundum qualitates ponderata, communem veri habitus rationem, itemque peccatum & actus bonus, veri actus liberi naturam induant. Quapropter August. utramque considerationem simul jungens, præclarissimè voluntatem & liberam respectu peccati vocat, quatenus actum peccati perpetrare potest si voluerit, & simul non liberam, quia peccati ancilla est: *Agis quidem illa non adjuvante libera voluntate sed male. Adeo ne idonea est voluntas tua quæ vocatur libera & male agendo fit damnabilis ancilla.* Audis liberâ ad agendũ male, & tamen non liberam fieri, quia peccati ancillam. Et iterum clarius: *Cum dico tibi sine adjutorio Dei nihil agis, nihil boni dico. Nam ad male agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem.* Audin perspicuè voluntatem liberam ad male agendum statui. Iam audi; qua ratione terminum à quo respiciendo non libera: *Quanquã non est illa libera. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est: &, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati; &, Si vos filius liberaverit tunc verè liberi eritis.* Hæc paulo uberius explicanda esse judicavi, ne quis forte non satis expensâ doctrinâ sancti Augustini, ex ea colligi putet, nullam in peccatoribus esse veri nominis libertatem, à qua liberum arbitrium appellatum est: quamvis alio sensu phrasis ista sit in scriptis ejus & antiquorum omnium, & Ecclesiæ Catholicæ precibus & monumentis, ipsisque sacris litteris frequentissima.

Ibid. — Lib. 5. de Civit. c. 18 — Ioan. 8. — Epist. 90. quæ est Cœl. Carthag. — In Psalm. 67 — Lib. 4. ad Bonif. cap. 3. — Lib. 6. Musica cap. 5. — Lib. de Cor. & grat. c. 8. — Epist. 106. — Lib. de Spir. & litt. c. 30 — 2. Confess. cap. 6. — Serm. 11. de verb. Apost. cap. 11. — Ibid. — Ibid. — 2. Petr. 2. — Ioan. 8.

CAPUT XIII.

Quomodo se libertas arbitrij habeat ad libertatem seu indifferentiam contrarietatis, & contradictionis.

QUID de libertate, seu potius indifferentia contrarietatis dicendum sit, abundè ex dictis liquet. Ostendimus enim adesse & abesse posse sine ullo libertatis præjudicio. Affuit Angelis & Adamo in Innocentiæ statu perfectissimè, nobis post peccatum imperfectius. Abest penitus ab inferis & superis illæsa in utrisq; permanente arbitrij libertate, in illis ad malum in his ad bonum. Indifferentia quippe ad utrumlibet, testimonium quidem libertatis est, quia sine liberi arbitrij usu neutrum exerceri potest, non tamen ad libertatem ullo modo necessaria. Oritur enim non ex natura, neque ex robore libertatis, sed ex infirmitate ejus qua fit ut animus imbecillè, solubiliter, & inconstanter dilectis rebus adhæreat, ita ut ab una quam velut ultimum finem diligit, in

alteram

alteram, à bono in malum, à malo in bonum possit transilire. Quod qui ad naturam vel notionem libertatis pertinere contendit, necesse est fateatur eandem imbecillitatem etiam ad naturam charitatis pertinere. Nam in Augustini ac discipulorum ejus lucubrationibus ac documentis nulla est alia libertas ad bonum nisi charitas, quia illa est sanitas animæ rationalis. Sicut ergo absurdum est, naturam vel perfectionem sanitatis in eo sitam esse ut sit labilis, & ab ægritudine succedẽte violari possit, cùm potius talis sit perfectissima, qualis erit beata nostra immortalitas, quæ non sinet nos amplius morti, vulneri, ægritudinibus subjacere; ita paris absurditatis est, ad sanitatem adeoque libertatem charitatis, hujusmodi potestatem deficiendi ad malum poscere. Quæ quidem omnia ex eis quæ supra disseruimus perspicue patent.

De libertate contradictionis, hoc est, ad ad agendum & non agendum, paulo alia ratio est. Potest enim firmissima esse charitas, & cupiditas quæ à rebus amatis, nullis blanditijs, terroribus, avelli & in oppositum flecti queant, quamvis non semper in actum dilectionis erumpant. Potest ergo putari quod indifferentia exercitij, hoc est, agendi & non agendi (sub qua comprehenditur etiam indifferentia eligendi hoc vel illud) ad libertatẽ necessaria sit. Quod ut plenius intelligatur, sciendum est quod sicut objectum voluntatis distinguitur in finem, & id quod est ad finem, ita & actus ejus circa alterutrum occupantur. Finis est amor cum sua fruitione: ejus quod est ad finem, usus. Qui ita differunt, ut amor in fine hæreat, usus & quicquid cum utendi voluntate junctum est, à re circa quam occupatur in finem transeat, ut aptissimè vocaverit Augustinus affectum amoris *mansoriam dilectionem*; usum *transitoriam*; quia non manet in re qua utitur, utentis affectus. Sicut enim propter finem homo conditus est, ita & propter amorem, quo fini jungitur: media propter ipsum hominem sunt, & ceteri affectus propter amorem velut omnium cardinem cui serviunt. Maxime vero omnium servus est, usus seu voluntas utendi. Est enim affectus purè puteque ministerialis respectu amoris finis, veluti plenissimo jure dominantis eumque trahentis in scopum suum. Ex quo fit ut consilium, electio, usus, imperium & similes ministeriales actus voluntatis, necessario tam bonitatem quam alias conditiones suas, imo & ipsum suum esse ab illo dominante mutuentur. Nam inde nascitur, quod hujusmodi affectus usuales tunc assumuntur, cùm amor finis postulaverit, tunc deponantur cùm non postulaverit: uti enim velle, cùm usum constiterit non esse necessarium, non est sapientis animi firmitas, sed re utenda frui volentis imbecillitas.

Lib. 1 de doctrin. Christ. cap. 35.

Ex isto igitur fonte proficiscitur, ut cùm amor finis ultimi sive boni sive mali stabilis & immutabilis fuerit, impossibile sit, electionem, usum, & similes affectus, qui ab illo amore imperantur, circa talia versari media quibus amor finis interimatur. Sic enim amor ipse finis quem stabilem supposuimus, semetipsum interimeret, hoc imperando quod se interimit; quod etiam tum cùm amor finis adhuc excidere potest, locum habet. Nam quamvis is qui Deo junctus est, eligere possit medium malum quo amor pereat, nunquam tamen electio illa ex illo ipso amore quem interficit, sed ex alio proficiscitur, vel ipse certè alius novus amor erit prioris inimicus. Ex quo facile intelligitur, eam libertatem arbitrij quæ circa res eligendas utendasque versatur, nullo modo postulare posse, ut ipsa electio ordinem finis egrediatur. Nam hoc ipso degenerat non solum à perfectione, sed à natura quoque electionis, sive ignoranter eligendo medium quod non est medium, sive scienter eligendo quod ei repugnare cernit, quod fieri non potest ex natura electionis, sed potius alterius novæ dilectionis, quæ rem illam non jam ut purè medium, sed ut aliquid per se amabile complectentem intuetur. Vt propterea rectissime dixerit sanctus Thomas Angelicus doctor; *Quod liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus: sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis.*

1. p. q. 62. a. 8. ad 3.

Ex eadem illa radice nascitur, ut mediorum assumptio totam suam necessitatem & indifferentiam ex eodem amore finis hauriat. Si enim medium, ut medium amori finis videatur esse necessarium (ut cùm non nisi unum superest) non potest prætermitti; si repugnare, non potest assumi; si pluribus vijs eodem perinde perveniri, quodlibet præ quolibet arripi potest & non arripi, & sic de ceteris electionis ususque conditionibus. Qua consideratione dixit idem sanctus Thomas: *Quando ad finem non possèt perveniri, nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem, & ea quæ sunt ad finem.* Non enim potest in illo casu renunciare voluntas ei quod est ad finem, nisi renunciet ipsi fini.

q. 6. de malo ad 9.

Ex quibus electionis & usus regulis, naturæ lumine perspicuis, facile animadvertitur, unde tota illa indifferentia contradictionis, quæ in electione, usu, imperio, & similibus ministerialibus affectibus cernitur, oriatur & metienda sit; Nimirum non ex libertate arbitrij respectu illorum actuum, sed ex amore finis, herili potestate famulis suis dominante. Nam sive unum duntaxat adsit medium sive plura, sive omittere possit electionem a terutrius, ita finis amore postulante, sive non possit, salvâ libertate utrumlibet facit. Nam ab ordine finis posse in eligendo deflectere, perinde ut a ratiocinando ab ordine principiorũ, Thoma & veritate judice, nõ potestas est, sed imbecillitas, non libertas, sed defectus ejus, nõ à Deo datus, sed ex ingenita naturæ infirmitate in sinus, vel à diabolo seminatus. In eo quippe electionis natura & libertas posita est ut in arbitrij potestate,

CAPUT XIV.

Afferuntur quatuor absurda, quæ ex necessitate talis indifferentiæ contradictionis sequuntur.

ET sane si non est alia libertas vera voluntatis, quam agendi & non agendi, seu faciendi & non abstinendi ab eo quod facis, gravissima absurda evitari nequeunt, quibus non solum tota doctrina sancti Augustini funditus concutitur, sed etiã sensus Christianæ pietatis læditur, & communis offenditur.

Primo namque sequitur, operationem divinæ gratiæ ex diametro repugnare arbitrij libertati. Duplicia quippe præcepta sunt quibus implendis juvat gratia, negativa & affirmativa. Negativa implentur non faciendo quod prohibetur; cui contradictoriè opponitur facere quod prohibetur; affirmativa vero, faciendo quod jubetur. Effectus autem gratiæ est efficere, ut affectu volendi suscitato velis, quod torpore concupiscentiæ impediente non vis; & nolis facere, quod à stimulante concupiscentia urgeris ut facias. Nam ipsum, B non consentire & non facere, gratiæ victricis effectus est. Facit autem hoc gratia fortiter affigendo affectum ipsi justitiæ ne deorsum cadat, idque non aliter nisi cœlestis delectationis vehementia, quasi suavi amorosoque vinculo, ut non solum experientia ipsa testis est, sed sexcentis locis Augustinus docet:

Lib. 2. de peccat. merit. c. 17. *Tanto quisque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius.* Et rursum: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat* &c. *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum: ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est quæ hominum adiuvat voluntates.* Nimirum non solum ut agant bonum & non malum generaliter, sed etiam ut justi agant hoc bonum quod non agebant, C & abstineant ab hoc malo quod alioquin agerent, vel agebant. Vnde mox Augustinus adjicit: *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere agere, implere, nunc scit nunc nescit, nunc delectatur nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis sed divini muneris vel quod scit vel quod delectatur.*

Vide lib. 4. de grat. Chri. Salvat. fuse. Res ista alibi operosius probata est. Est enim in Augustini scriptis exploratissima. Effectus igitur gratiæ est, delectando voluntatem facere ut actu velit, & faciat id quod ante languore vel torpore quodam non volebat, neque faciebat. Et ita diametraliter repugnat Philosophicæ libertati seu indifferentiæ libertatis; quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinatè facit agere vel non agere, velle vel non velle. Quæ quidem contradictio tanta est & tam præcisa, ut si perfecta cælestis gratiæ delectatio voluntati A tribuatur, indifferentiam illam Philosophicæ libertatis funditus interimat, sicut hoc in animabus sua beatitudine fruentibus manifestum est: quia non amplius illo rore delectantis gratiæ asperguntur ut nos, sed ejus torrente inebriantur, qui affectum tantopere ad diligendam justitiam & non diligendam iniquitatem rapit, ut non possit illam non diligere, vel hanc diligere. Hoc autem certissimum signum est directæ repugnantiæ, etiam in infimo gradu. Nam si perfecta gratia perfectè indifferentiam libertatis tollit, imperfectior imperfectè tollet. Sic enim exploramus qualitatum repugnantiam, ut illas, in quocunque gradu fuerint, contrarias esse statuamus, quæ cum perfectæ fuerint ab eodem subjecto se exterminant, quantumvis in imperfectis gradibus se simul esse patiantur. Quod in calore & frigore, candore in nigrore, scientia & ignorantia, & infinitis exemplis videre licet. Gratia igitur quæ facit facere, directè repugnat libertati, si libertas in indifferentia agendi & non agendi sita est. Nam illa indifferentia perfecta instar bilancis est, quæ facillimo nutu in alterutram partem impelli potest. Hæc autem illo ipso diminuitur quo vel tantillum alterutri parti additur. Nam quo magis addideris, eo difficilius in alteram partem erigetur vel deprimetur, ita ut tandem amoto alterius partis pondere totius voluntatis & corporis vires in contrarium non sufficiant. Eadem prorsus est indifferentis voluntatis ratio. Minimus motus gratiæ tollit perfectum æquilibrium, major minuit, maximus penitus adimit. Hoc ita verum est, ut nec ipsi Scholastici, istius indifferentis patroni libertatis, hoc negare queant: *Dum per gratiam prævenitur*, inquit Suarez, *& inclinatur* liberum arbitrium, *quodammodo indifferentia eius minuitur.* Quod quia libertatem vehementer infringere videbatur, idcirco addit, *quodammodo*, verbi suavitate absurditatem secuturam temperans. Sed res vel cæcis est perspicua, quod per inclinationem in alteram partem, indifferentia in utramque tollitur. Nam hinc est, quod fatentur aliquando tam vehementes esse divinæ gratiæ motus, quod in sancto Paulo & similibus perspicuum est, ut moraliter sit impossibile resistere, quamvis aliquid semper indifferentiæ remanere velint, ut videlicet difficile resistere possint, sed tamen possint. Hinc est, quod confirmatos in gratia dicant tractibus ejus moraliter resistere non posse, etsi physice possint. Qua terminorum obscuritate quantumvis sese tegant, hoc tamen aperte confitentur, eo magis imminui voluntatis indifferentiam, quò efficaciores fuerint gratiæ motus:

Suarez lib. 3. de convers. Dei c. 13. n. 18.

Digitized by Google

quod profecto evidentissimum est directæ contrarietatis argumentum. Egregia sane Philosophia, præclara gratiæ laus, mira defensio humanæ libertatis, recondita utriusque conciliatio, ut altera alteram perfecta destruat, & non nisi in diminutis gradibus consistere queant. Nimirum Deo vigilanter prospiciendum est, ne gratiam augendo libertatem subruat. Paradoxa sunt hæc, antiquitati & Ecclesiæ inaudita, quæ adversus Pelagianos libertatis interitum ex operatione gratiæ sequi clamantes, tanquam cælitus missum oraculum semper illud Augustini suspexit ac tenuit: *Hæc voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ gratiæque subjectior. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.* Quarum rerum evidentia exclamare compulit Augustinum: *Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei non contra eam libertas defenditur voluntatis.*

Epist. 89. Lib. de corr. & grat. c. 8. Ibid.

Secundo sequitur, multo magis omnem concupiscentiæ motum similiter directam habere repugnantiam cum libertate. Repugnat enim ex diametro indifferentiæ voluntatis, cum hoc efficiat blanditijs motus sui, ut qui ad agendum & non agendum, ante motum quoque esset indifferens, ipso motu libidinis in alteram partem instar æquilibrij, cui pondus additur, impellatur. Quod certe tam evidenter unicuique conscientia renunciat, ut omni probatione altius clamet. Quid enim alioquin causæ est, ut magis pulsati quam vacui tentatione peccemus? Quid sibi vult lucta tanto difficilior, quanto tentationis motus est violentior, quod tantis quotidie clamoribus poscimus: *Et ne nos inducas in tentationem*, si tentationis motus non tollit indifferentiam agendi & non agendi, quam ante sentiebamus? Vt quid dicit Apostolus unumquemque tentari a concupiscentia sua *abstractum & illectum*, si relinquit animum in eadem indifferentiæ libertate? Vt quid dicitur ab ejus Coapostolo, lex peccati, nisi quia, ut Augustinus exponere solet, animum indifferentem non verbis sed periculosissimis motibus *jubet*, & quodammodo *cogit* ut peccet? Vt quid denique recentiores ipsi profitentur tentationibus gravibus sine gratiæ adjutorio difficillimum esse resistere? Vt quid gravissimi peccatores totis medullis flagrante libidinis motu clamant, se voluntatis infirmitate non posse non cedere, & eos verum dicere non semel Augustinus docet; nisi quia gravissimus fit in alteram partem impulsus libertatis, cui ad æquilibrium reducendæ, par vel major gratiæ delectatio necessaria est? Ita vero augeri posse motum titillantis cupiditatis, ut non possit ei indifferentis libertatis nisu amplius repugnari, sine sanæ doctrinæ violatione negari nequit. Nam illa fuit superbissima Pelagiani dogmatis machina, Augustini disputatione contrita, hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges: *Quod vos dicitis*, inquit Augustinus, *Christiana doctrina non dicit, id est, (ut verba tua ponam) hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges.* Cum igitur motus tentationis violentissimus victam opprimat indifferentiam, profecto minor minuet, & uterque perspicue demonstrabit, non minus carnalis concupiscentiæ titillationes, quàm gratiæ spiritualis delectationes capitalem ac diametralem cum indifferentiæ libertate hostilitatem exercere. Vnde de cōcupiscentiæ motibus Paulus: *Invenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*, id est, captivare conantē. De gratiæ motibus Psaltes: *Inclina cor meum in testimonia tua.* De utrisque sapiens: *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Et Augustinus: *His & talibus testimonijs divinorum eloquiorum, satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum.* Inclinare autem & captivare cor, & voluntatem in testimonia, vel à testimonijs revocare, cujuslibet sani hominis sensus judicat, non posse fieri sine impulsu ac depressione indifferentis libertatis in alterum latus; quemadmodum stateræ æquilibrium inclinari in alterutram partem impossibile est, sine indifferentiæ illius æqualis præjudicio.

Lib. 5. cont. Iul. c. ult. Rom. 7. Psal. 118. Proverb. 21. Lib. de grat. & lib. arb. c. 21.

Tertio sequitur omnes habitus & consuetudines animi sive bonas, sive malas directe repugnare libertati, quia directe repugnant æquabilitati istius indifferentiæ. Hoc enim proprium habituum munus est, facilitatem operandi afferre facultati, & consequenter difficultatem operandi oppositum. Non enim potest facilitas unius partis crescere, nisi decrescat alterius. Nam inde nascitur quod avarus non possit, nisi summa difficultate, liberalitatis opus facere. Quod in omnibus habitibus similiter locum habet. Indicat hoc Scriptura cum dicit: *Perversi difficile corriguntur.* Et: *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere cum didiceritis malum.* Et: *Quomodo potestis bona loqui cum sitis mali?* Et: *Quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem* &c. Agnovit hoc quantulumcumque fuerit indifferentis patronus libertatis Iulianus: sed eum propriâ jugulans confessione Augustinus: *Cum dixeris*, inquit, *affectionalem qualitatem* (sub qua habitus comprehendi declaraverat) *ortam ex majoribus causis, atque ita inhærescere, ut aut magnis molitionibus aut nullis separetur, quando secundum eam dicitur animus malus, aut potius homo malus, nonne metuis ne voluntas bona aut non ibi esse possit, aut valere nihil possit? Nonne concedis hominem miserum, quicumque ille sit vel fuerit, certe adversus talem clamasse qualitatem, velle adjacet mihi, perficere autē bonū non invenio? Hic saltem fatemini esse istorum verborum gemitum necessarium, Quis me liberabit* &c. Quapropter non veretur Augustinus hujusmodi consuetudines seu habitus malos, multis suorum scriptorum locis *peccandi necessitates*, & jacturam libertatis vocitare, ut superius declaratum est: quod non est aliud, nisi si claris verbis

Eccles. 1. Ierem. 13. Matth. 12. Rom. 8. Lib. 6. cont. Iul. c. 18. Vide lib. 3. de Statu nat. lapsæ.

verbis diceret, indifferentiæ interitum; affigit enim ad alteram partem necessitas: *Dum servitur libidini facta est consuetudo & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas* &c. *Voluntas autem nova quæ esse cœperat, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Nonne multo efficacius exprimit id quod dico, quam si voluntatem non amplius indifferentem permansisse fateretur? Quid quod ipsos Pelagianos hoc idem in superiori illa quã protulimus confessione, profiteri coactos dicit? *Tu quoq; ipse in libro novissimo tuo eorum, quos contra unum meum quatuor edidisti, ex affectionibus atque passionibus animi dicis evenire hominibus affectionalem qualitatem, atque ita inherescere, ut aut magnis molitionibus, aut nullis omnino separetur? Quisquis ergo ea timiditate peccaverit, quæ ab illo non potest separari, quid aliud quam necessitate peccabit?* Et ostendens per talem consuetudinem, perijsse eam quæ ante fuerat non peccandi libertatem seu indifferentiam: *Qui ut istam patiatur necessitatem, non nisi peccandi consuetudine premitur, procul dubio prius quam peccaret, nondum necessitate consuetudinis premebatur.* Et adhuc manifestius: *Ac per hoc etiam secundum vos peccandi necessitas, unde abstinere liberum non est, illius peccati pœna est, à quo abstinere liberum fuit, quando nullum pondus necessitatis urgebat.* Qua de causa eodem loco disertissimis verbis, de illis qui simili laborant qualitate aliquoties dicit: *Perijt libertas non peccandi: Non est ei liberum abstinere.* Quocumque vero modo illa intelligi debeant, de quo alio loco disputatum est, hoc saltem est ex Augustini sententia ut minimum apertissimum, certissimum, verissimum, etjam Pelagianis judicibus, quod indifferentia peccandi & non peccandi per similes habitus prorsus interimitur, eoque magis, quo magis consuetudine roborati fuerint. Cujus testis irrefragabilis est renisus eorum, quando expugnandi sunt, eo pertinacior quo fuerint fixiores: *Tanto enim amplius*, inquit Augustinus, *in ea* (libidine) *superanda laborabit, quanto maiores ei consuetudo vires dedit.*

Lib. 8. Confess. cap. 5.

Lib. 1. cont. Iul. oper. imper. f. 150

P. 154.

Lib. 3. de stat. nat. lapsæ.

Lib. 6. cont. Iul. c. 18.

Nec vero hic dici potest habitus diminuere duntaxat aut tollere indifferentiam contrarietatis, hoc est, boni & mali, non autem contradictionis, hoc est, agendi & non agendi. Nam quamvis verum sit immediatè per habitus primam indifferentiam tolli, mediate tamen etjam secunda semper diminuitur, nonnunquam tollitur. Nam ex isto capite proficiscitur, quod luxuriosi, avari, superbi in perpetuis vitiorum istorum volvuntur cogitationibus ac desiderijs, & ea momentis omnibus vel corpore vel animo, quantum fieri potest operentur. Et in eo sita est ea quæ paulatim crescit animi sanitas, ut decrescente malâ qualitate non solum facilius operentur bonum, sed etjam languidius atque rarius incitentur ad malum. Quod quamvis per se motuum ac statuum internorum peritis perspicuum sit, non erit tamen supervacuum Augustinum audire disserentem: *Vellem mihi diceres utrum à morbo fornicationis sanior non fuit, quem fornicari minus minusque delectat?* Et paucis interjectis: *Itemque post consuetudinem vinolentiæ baptizatus & nunquam se deinceps prorsus inebrians, vellem diceres utrum ab isto morbo non fiat in dies sanior, quam fuerat cum potationis gurgitem minus minusque desiderat quam solebat?* Et explicans rursus clarius quomodo motus minores rarioresque suscitentur, quibus ad illa peccata pellebantur: *Deinde si provectu concupiscentiæ bonæ qua concupiscentias malas fornicandi, potandique debellat, talis efficitur qualis recenti conversione non fuit, ut illorum in eo desideria peccatorum minus minusque moveantur, ut adversus ea mala, non tanta, quanta prius, exerceat, sed minora certamina, non virtutum diminutione sed hostium, nec deficiente pugnâ sed crescente victoriâ, dubitabis eum pronunciare meliorem?* Vnde ex extinctione talium desideriorum, totos habitus, seu malas qualitates ablatas esse concludit: *Cùm vero occurrit quod concupiscatur, nec desideria mala nobis etiam nolentibus commoventur, sanitas plena est.* Habitus igitur non solum impotentiam adducit operandi boni, quod ei contrarium est, quasi solam contrarietatis indifferentiam tolleret, sed etiam potentissime creberrimeque urget ad operandum malum, ut ab eo abstinere non sit liberum, nec salva maneat indifferentia contradictionis quæ ante habitum fuit.

Ibid.

Ibid. c. 19.

Quod vero de habitibus malis diximus, hoc simili fere modo & in bonis locum habet. Quanto enim magis auctus fuerit habitus bonus, tanto minus indifferens animus ad utrumque manet. Vnde subinde succendente bonos affectus charitate, & irrequieta divini amoris desideria suscitante, tam profundas subinde radices animus in bono agit, ut sibi certa peccatorum genera, quorum infirmitas magis curata est, non nisi vim inferendo consuetudini suæ, velut alteri naturæ, non posse perpetrare videatur. Nam inde fit quod tantâ cum facilitate ac delectatione facit actus illius virtutis bonos. Ex quibus perspicue sequitur per quodcumque incrementum propensionis in alterutram partem, paulatim magis magisque minui indifferentiam, & consequenter libertatem, tunc vero eam possideri perfectissimam, cum homo fuerit quasi tabula rasa, hoc est, simul atque ex infantiâ ad usum rationis venerit. Tunc enim neutram in partem vehementer propensus est; vel certe cum per nonnullam virtutis aut vitij exercitationem ad illud æquilibrium perductus fuerit, ut perinde ad vitium virtutemque propendeat: vel si in alterutram magis vergit, cum per actuales timoris, concupiscentiæ, aut gratiæ motus sursum deorsumve vel in hanc vel illam partem rapitur; ut animus quasi æquâ lance libratus hæreat. Vnde principiorum novorum filum sequendo, eo usque quidam recentior progressus est, ut dicere ausus fuerit, modum operandi liberè, *per gravem metum non impediri, sed potius augeri: Nam tunc*, inquit, *censetur esse maior libertas in agendo, quando ex utraque parte habes urgentem aliquam causam. Tunc enim non subito raperis in unam partem prævalidè, sed*

Becanus Theol. Schol. p. 2. tract. 1. q. 10. n. 19.

magis

magis ad utramque indifferens es. Hoc autem vult contingere in metu. *Nam ex una velles non facere ex displicentia objecti, ex altera velles facere propter metum alicujus mali.* Ecce præclarum libertatis genus, quod (ut asinus Buridani) propter rationes utrimque æqualiter fluctuet. Sed hæc & similia veteribus inaudita sunt, & in Augustini doctrina paradoxa, apud quem nunquam animus liberior est à libertate qua liberum arbitrium dicitur, quæ contra Pelagianos ab Augustino defensa est, quàm cum perfectissimo charitatis vel iniquitatis habitu firmatus fuerit, & liber metu flagrantissimis delectationibus ac desiderijs habitum sequi solitis, fertur in bonum aut malum. Audi obsecro, quando arbitrium, juxta sanam doctrinam, sit maxime ad peccandum liberum: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non perijt, ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet quod eis libet.* Audi vicissim quando sit maxime ad benefaciendum liberum: *Hæc voluntas libera tanto est liberior, quanto sanior, tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ gratiæque subiectior.* Nemo autem dubitat, tunc maxima cum delectatione peccari, cùm consuetudo mala seu habitus malus quodammodo in naturam versus fuerit: Operatio enim secundum habitum est maxime delectabilis. Neque quidquam certius est, quam voluntatem tanto esse saniorem gratiæque subjectiorem, quanto firmius fuerit virtutum habitibus in bono, maximeque cælesti illa charitate stabilita. De isto verò æquilibrio libertatis quod fit per dilectiones vel timores ut utrimque animum divellentes, audi quid sentiat Augustinus: *Si ex adverso existant duo, præceptum justitiæ & consuetudo carnalis & utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius dilexerimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur, sed aut timore inviti trahemur in alterutrum partem: aut si utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis & timoris alternante quassati.* Quibus verbis æquilibrium istud libertatis, tantū abest ut ad liberā electionē aliquid conferre velit, ut potius nihil ei sentiat capitalius repugnare. Neutram enim in partem motibus reciprocis hàc illàc fluctuans se determinare potest. Alibi verò docet timorem tollere libertatem, extortamque metu voluntatem non esse liberam. Nam de illo loquens qui timore compulsus aliquid facit: *Si facit*, inquit, *non quidem plenâ & liberâ voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Epist. 89.

In Epist. ad Galat.

Lib. de Spir. & lit. c. 32.

Quarto sequitur, meritum bonum & malum eo minus esse ac decoloratius, quo quis in bono vel malo fixioribus habitibus radicatus fuerit, vel efficacioribus gratiæ motibus tractus: gravissimorum proinde peccatorum delicta esse minora, sanctorumque actiones eo esse in promerendo præmio deterioris notæ, quo habitus aut gratiæ motus eos magis ex æquilibrio indifferentis illius libertatis extraxerint, & in alteram partem sive ad agendum, sive ad non agendum inclinaverint. Meritum enim ac demeritum ex arbitrij libertate quàm maximè ponderatur, omnium hominum judicio non Augustini modo, sed & Scholasticorum, quandoquidem intereunte libertate prorsus intereat. Necesse est igitur, ut imminutâ quoque libertate, minuatur, & eâdem auctâ, augeatur. Iam autem declaratum est, indifferentiam libertatis per quidlibet quod in alterutram partem determinate trahit, minui, & per id solum augeri posse, quod eam ad illud libertatis ad utrumlibet indifferentis æquilibrium accedere facit.

CAPUT XV.

Aliæ tres absurditates ex ista indifferentia contradictionis consectaneæ aperiuntur.

QUINTO sequitur, Christum Dominum ac beatos vi amoris beatifici omnem omnino libertatem amisisse adimplendi præcepta naturalia & positiva, quatenus præcepta sunt. Difficultatem illam ineluctabilem esse Scholasticis, satis perspicue probat, quod illæ ipsæ solutiones quas tanquam probabiliores amplectuntur, ita difficultati satisfaciant, ut nec attingant quidem, vel auctores sub ea succumbere manifestum sit. Nam qui in ista materia plausibilius isti malo mederi volunt, dicunt, quamvis determinentur ad bonum, non tamen ad hoc vel illud bonum, quia substantiam præcepti actus ex varijs motivis possunt facere, charitatis, justitiæ &c. sub quibus præceptus non erat. Alij dicunt, libertatem fuisse quantum ad intentionem actus, aliasque circumstantias loci, temporis, modi, &c. Alij actus reflexos liberè exerceri posse circa actum præceptum etiam necessarium, & per illos tanquam honestissimos & liberrimos esse posse meritum, si status viatoris ferat. Alij conjungunt omnes modos simul, dum singulos suspectos habent, ut si forsan in uno cadant, altero subleventur. Sed, ut ante monui, nullus istorum modorum, nec omnes simul, vel nodum ipsum tangunt, & tacite clamant auctores hastam & clypeum abijcere, difficultatis mole superatos. Nam ex quocumque motivo non præcepto, vel circumstantia non præcepta præceptus actus fiat, vel quibuscumque reflexis actibus non præceptis, præceptus actus approbetur & offeratur Deo, nunquam ostenditur circa præceptum, ut præceptum, versari libertatem, sed tantummodo circa aliquid quod sub nullum præceptum cadit, quod sanè ad præcepti adimplendi rationem per accidens se prorsus

prorsus habet. Quid si enim & motivum & omnes circumstantiæ præcepto præscribantur? Profectò hic omnes cuniculi clausi sunt, nec ullus datur exitus. Nam illud de reflexis actibus nihil ad propositum libertatis circa actum præceptum facit. Quapropter fatentur prudentiores, si omnes circumstantiæ quam minutissimæ, Christo Domino vel beatis mentibus determinatæ fuerint, nullum vestigium libertatis eis in præceptis esse reliquum. Et hoc ipsum fatentur aliorum etjam non fatentium responsiones, dum libertatem præcepti actus ex circumstantijs quibuscumque non præceptis petunt.

Hinc sexto videtur sequi, etjam nullum consilium, ut consilium, à beatis cum indifferentia libertatis impleri; non enim liberum est beatis mentibus, nihil nisi Deum in omnibus & super omnia diligentibus, Dei consilium de meliori bono prætermittere. Deest enim illis torpor agendi, deest ille negotiorum vel circumstantiarum concursus qui nos subinde perplexos, & à consilijs adimplendis aversos tenet, quamvis ea Deo nobis dilecto, spectatis omnibus circumstantijs gratiora esse cognoscamus. Sed si talis nobis esset affectus ardentissimæ charitatis erga solum Deum, qualis viatorum quorundam mentes accendit, qui etiam voto sibi agendum præfixerunt quidquid magis Deo placere cernerent, profectò neque nos fas nobis esse putaremus, Dei nobis dilectissimi consilia prætermittere.

Itaque septimo dubitari merito potest, an non omnia omnino quæ agenda sunt usque ad ultimas circumstantiarum fibras, beatis mentibus ab incommutabili veritate, sive præcipiendo sive consulendo, præscribantur. Beati enim non sicuti nos voluntatem Dei per signa discunt, sed æternam ejus voluntatem in æterna ejus sapientia incommutabiliter radiante, & in immobili ejus veritate cognoscunt. Veritas autem pertingit usque ad ultimas actionum fibras & circumstantias & momenta, ita videlicet ut sicut præscribit hoc vel illud esse faciendum; ita etjam dictet hoc modo, hoc tempore, hoc loco, hoc motivo esse faciendum. Qui ergo ipsam lucem veritatis videt, ex qua nobis quidquid vert cernimus, patefit, videt in ea præscribente etjam ultimas agendi radices & circumstantias. Ab hujus autem veritatis amore deflectere non possunt, cum nihil sit charitas nisi æternæ veritatis amor: nihil igitur possunt quod illa præscripserit prætermittere. Carent igitur illa agendi & non agendi indifferentia in omnibus illis quæ incommutabili veritate præscribuntur: illa autem præscribit omnia, quæ quoquo modo beati secundum prudentiæ regulas agenda judicant. Unde enim alioquin agenda judicarent id quod ponderatis omnibus circumstantijs agunt; nisi in ista incommutabili veritate? Omnia ista in Augustino manifesta sunt: *Vident* (Angeli boni) *faciem tuam semper & ibi legunt sine syllabis temporum quid velit æterna voluntas tua* (scilicet per illos fieri) *legunt, eligunt & diligunt, semper legunt & nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui.* Et libro octavo de Genesi ad litteram: *Sublimibus Angelis Deo subdite fruentibus, & Deo beate servientibus subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas, vel infirma vel prava, ut hoc de subditis vel cum subditis agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus jubente illo, cui subjecta sunt omnia.* Ecce Angeli beati in omnibus quæ in mundo faciunt jussum voluntatis, hoc est, veritatis ejus faciunt. Quod mox uberius & clarius & expressius explicat: *Proinde illi in illo veritatem incommutabilem vident & secundum eam suas dirigunt voluntates.* Quid manifestius? Sed audi iterum: *Fiunt ergo illi participes æternitatis, veritatis, voluntatem ejus semper facientes sine tempore & loco, moventur autem ejus* IMPERIO *etiam temporaliter, illo non temporaliter moto.* Ecce semper voluntatem Dei faciunt, semper secundum veritatem suam dirigunt voluntatem. Qua de re adhuc luculentius in libris de Trinitate: *Constituamus animo talem sapientem, cujus anima rationalis jam sit particeps* (instar beatorum videlicet) *incommutabilis æternæque veritatis, quam de omnibus suis actionibus consulat, nec aliquid omnino faciat quod non in ea cognoverit esse faciendum, ut ei subditus eique obtemperans recte faciat.* Et in libris contra Faustum: *Sancti ac sublimes Angeli habent contemplationem & actionem suam: id enim sibi agendum imperant quem ille quem contemplantur, jubet, cujus æterno imperio liberaliter quia suaviter serviunt.* In quibus omnibus locis, jussum veritatis non est aliud, quam præscriptum veritatis æternæ, quod nulla creaturæ actio vel omissio, nulla circumstantia subterfugere potest, quin semper verum sit omnibus ultimis circumstantiarum fibris ponderatis, hoc agendum esse vel omittendum, dummodo sit qui veritatis præscriptum cernere queat. Hoc enim sibi vult illud in libris confessionum: *Ubique veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt.*

Lib. 13. Confess. c. 15.

Lib. 8. de gen. ad litt. c. 24.

Lib. 3. de Trinit. c. 3.

Lib. 22. con. Faust. c. 27.

10. Confess. c. 26.

Quid, quod beati non tantum astricti sunt, ut divinæ voluntati pareant, sed etiam ut excellentiori quo ab unoquoque fieri potest modo pareant? Hoc enim ab eis exposcit illa ardentissima divinæ voluntatis veritatisque dilectio. Sed illa excellentia obediendi veritati in eo sita est, ut non quidem meliores vel sublimiores, sed tamen semper spectatis omnibus, aptiores circumstantiæ loci, temporis, personæ, modi agendi &c. qui in ipsa luce æternæ veritatis semper & immutabiliter eis patent, rejectis ineptioribus, seligantur. Ad illa igitur seligenda vi castissimi amoris alligati sunt, ne alioquin veritatis quam diligunt, & præter quam nihil diligunt, & propter quam cuncta diligunt, & supra quam nihil diligunt, & cui adhærere & quam individuæ sequi, sola eorum dilectio ac delectatio est, censeantur esse non sectatores, sed discretores, si non desertores. Etenim si hoc quod omnibus consideratis

deratis optimum ad agendum esse dictat veritas, possent prætermittere, in quo quæso id prætermittendum esse cernent, nisi rursus in ipsa incommutabili Veritate? Non autem dictabat Veritas hoc optimum esse ad omittendum, sed agendum. Ad agendum igitur astricti sunt, & ad non agendum non sunt liberi. Si autem Veritatem hoc habere dicas, optimum hoc esse ut beatus suam sequatur voluntatem & libertatem, ut id scilicet eligat quod volet; jam supremam statues regulam eligendi ipsam eligentis voluntatem: quod certe perabsurdum est, si non injuriosum veritati; cum veritatem sequi, non præcedere, creaturæ beatitudo sit. Imo vero illa ipsa libertatis seu indifferentiæ sibi relictæ determinatio, unde nascetur nisi lumen inextinguibilis sapientiæ huc vel illuc determinandum esse dictaverit? Non enim vel casu, vel fortunæ, vel fato, sed prudentiæ in beata creatura, determinatio ista tribuenda est. Prudentiæ autem, vel Angelicæ, vel humanæ lux nulla est, nisi æternæ veritatis præluxerit fulgor, quo mens illustrata verum cernere posset & sapere. Eo igitur semper revertimur, ut quidquid tandem agendum vel non agendum, hic & nunc spectatis omnibus circumstantiarum anfractibus, à beatis judicatum fuerit, hoc non nisi in ipsa incommutabili Dei veritate ac Sapientia incommutabiliter præscribente cernatur, à qua cùm eis deflectere non possit esse bonum, multo minus majus bonum, illi vero adhærere sit eis summum bonum, & summa jucunditas; sequetur, eos in omnibus actionibus & omissionibus, illâ Philosophicâ libertate, hoc est, agendi & non agendi indifferentia destitui. Tantum enim indifferentiæ manet in electione eorum quæ sunt ad finem, quantum in ea esse sinit ipsius finis intentio. Nam quemadmodum immobiliter stante finis intentione, fieri non potest, quin electio medij consequatur, ita si finis optimo excellentissimoque modo intendatur, necesse est aptissimi medij electionem sequi; nullum autem aptius eo esse potest, quod aptissimum esse consulentibus respondet æterna veritas. Hoc igitur non possunt prætermittere, nisi forte aliquod aptius medium ab eis eligi posse fingas, quam quod veritas aptissimum esse responderit. Porro excellentissimo modo à beatis intendi finem seu diligi Deum, illam ipsam, inquam, incommutabilem veritatem; nemo sanæ pietatis dubitare permittitur, cum etiam in hac vita iste fuerit sanctorum illorum sensus, qui purgatissimos habuerunt à rebus creatis animos, dum in omnibus majorem Dei gloriam sibi quærendam esse statuerunt.

CAPUT XVI.

Quomodo se habeat libertas arbitrij ad amplitudinem, eminentiam, independentiam, immensitatem, & similes voluntatis proprietates.

QUI libertatem à peccato, quam juxta doctrinam sancti Augustini explicuimus, intellexerit, facile videbit animum à peccato dominante, vel, ut Augustinus etiam loquitur, *ab amore mutabilium rerum liberum*, & vi charitatis liberantis in uno summo bono, incommutabili videlicet veritate defixum; amplitudinem quandam consequi divinæ similem. Nam si ille qui adhæret Deo, unus cum eo spiritus efficitur, ut testatur Apostolus; nihil mirum videri debet, si spiritus ejusdem cum quo unum efficitur, proprietates imbibit. Ex illius etenim castitate, quam charitate diligit, castus fit, ex illius justitia justus, ex illius invicta immutabilitate fit & ipse invictus & immutabilis; ex æternitate ejus, æternitate afficitur; sicut hæc omnia ex Augustino manifesta sunt. Ex immensa igitur amplitudine summi boni cui adhæret, maximam affectus amplitudinem consequitur; ex eminentia creaturis omnibus excelsiore summam eminentiam & independentiam, quatenus ejus affectus ab omnibus liberatus est, & eis instar dominantis, uti & non uti possit, prout dilecta veritas incommutabilis jubet. In hac igitur affectus amplitudine, universitate, immensitate, eminentia supra omnes creaturas, & independentia ab omnibus, seu quocumque alio eam nomine nuncupare libet, sitam esse arbitrij libertatem nonnulli volunt, & Augustini sententiam esse non dubitant. De cujus opinionis probabilitate rogatus, ut qualecumque judicium meum, quatenus sanctissimo Augustino attribuitur, interponerem, non multum laboraturum arbitror eum, qui superius huc usque tradita intellexerit, quid juxta sancti doctoris principia statuendum sit. Ut tamen & illis quibus ejus doctrina minus fortasse penetrata est, liquidius & brevius constet, quid de ea re censendum putem, simplicissimo veritatis indagandæ & asserendæ candore ductus ita judico.

Lib. de vera Relig. c. 46. & c. 10.

In primis quatenus auctor illius doctrinæ in hac amplitudinis assertione satagit, necessitatem illam indifferentiæ ad bonum & malum, quam libertatem contrarietatis vocitant, à libertate secludere, sententia, juxta mentem Augustini, est verissima. Hoc enim non solum illa loca quæ ipse tangit, sed alijs plurimis, quæ produximus, probari potest. Secundo quod libertatem, seu indifferentiam illam Philosophicam contradictionis ad agendum & non agendum, non aliter putat esse necessariam, nisi prout ordo finis postulaverit, non

minus

minus Augustino consonat, qui summum humanæ libertatis in eo ponit, ut peccare, hoc est, à fine deviare non possit. Vtrumque supra juxta doctrinam Augustini fusius allegavimus. Tertio, quòd illum statum bonæ beatæque libertatis, quandam à creaturis omnibus avulsionem atque etiam habere traditur, in Augustini doctrina extra controversiam est. Nam hinc illa: *Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat.* Et innumera quæ jam superius allegata sunt. Nam tota illa libertas à peccato quam Augustinus asserit, hoc ipsum postulat. Quarto, quòd hinc oriatur quædam eminentia seu dominatio supra res creatas omnes, ut eis utatur vel non utatur, prout summi boni super omnia dilecti ratio postulaverit, secundum Augustinum non est dubium, quamvis in locis ab auctore citatis, eo non respiciat: *Non eis amore conglutinetur,* inquit sanctus Doctor, *neque velut membra sui animi faciat quod fit amando, ne cum resecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent, sed eis totus superferatur & habere illa ac regere, cum opus est, paratus, & amittere, ac non habere paratior.*

Lib. de vera Relig. c.48.

Lib. de lib. arbit. c.15.

At verò, quod Augustinus docere velit in illa formalitate amplitudinis, eminentiæ, universalitatis, infinitatis quam affectus ex amore summi boni induit, sitam esse arbitrij libertatem, à qua videlicet liberum arbitrium nominatum est, ita fateri nequeo, ita mihi novum visum esse, ut octodecim circiter annorum labores, quibus Augustini scripta non sine magna contentione, & veritatis investigandæ diligentia volvo & revolvo ad verã notitiã libertatis assequendã nunquam mihi in mentem venerit hujusmodi aliquid August. judicare potuisse. Cùm enim sexcentis locis libertatem arbitrij August. attingat, & multis ex professo contra errores inter se repugnantes Manichæos & Pelagianos, rem excutiat, non est vel unus, quod sciam, in universis operibus ejus locus, qui naturam libertatis explicet per eminentiam, per amplitudinem, per universalitatem, & infinitatem, & similes proprietates voluntatis ex boni summi amore pullulantes. Aliud est enim istas conditiones adesse liberæ vel liberatæ voluntati, aliud in eis Augustinum collocare libertatem. Multæ quippe aliæ conditiones ex voluntate per charitatem justitiæ liberatã proficiscuntur, in quibus tamen propterea non est sita natura libertatis, multo minus in eis ab Augustino collocata est. Incredibile est enim tanto conatu sanctissimum virum pro libertate decertare, libertatem exponere, definire, dividere, & nunquam vel uno apice formalitatem illam exprimere, & cogitationi lectoris objicere. Nam quid sibi volunt illa loca; quòd voluntas sit libera cùm peccare non potest; quòd tanto sit liberior quanto sanior, tanto sanior quanto divinæ gratiæ misericordiæque subjectior; quòd tunc veraciter vincantur vitia, cùm vincuntur delectatione justitiæ; quòd delectatio sive justitiæ sive peccati, libertatem facit. Jam supra abundè ex plurimorum locorum accurata collatione & excussione declaravimus, & eorum genuinum sensum, quem Augustinianæ doctrinæ moles tota poscit, expressimus, sine ulla talis amplitudinis, universalitatis vel infinitatis umbra, quasi in eis esset sita ratio libertatis. Nam ille locus ex Commentarijs in Psalmos: *Arcta omnis malitia, sola innocentia lata est*; ad propositum vel tantam rem fundandam nihil facit. Non enim ibi agit Augustinus de arbitrij libertate, sed de cruciatibus conscientiæ, quibus fit ut animus afflictus & quasi arctatus fugiat foras in sensibilia. Amissâ quippe internâ tranquillitate, quietem in nugis quærit; cùm è contrario libenter intret in conscientiam innocentia, tanquam ubi nullas angustias patitur, quasi in latitudine constituta in suo corde lætetur. Sed quid ista ad libertatem arbitrij in universalitate vel amplitudine statuendam? Audite ipsum sanctissimum Augustinum sua sensa proferentem. Cùm enim versiculum illum explicaret: *Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ*: Inter cetera dicit quod homo qui alijs nocet *non deambulat quia non est, ubi angustias non patiatur.* Cui probando subjicit illam sententiam. *Arcta est omnis malitia, sola innocentia lata est.* Et hanc *innocentiam cordis* dicit in eodem versiculo à Psalte dici *medium domus meæ.* Sic ergo rem totam exponendo subjungit: *Hanc domum quisquis habet malam; pellitur ab illa foras: quisquis enim in corde premitur mala conscientia, quomodo quisquis ab stillicidio exit de domo sua, aut à fumo, non ibi se patitur habitare* (quia domus videtur nimis arcta) *sic qui non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest. Tales foras exeunt à seipsis animi intentione, & delectis quæ foris sunt circa corpus delectantur: quietem in nugis, in spectaculis, in luxurijs, in omnibus malis quærunt. Quare foris voluerunt sibi bene esse? Quia non est illis intus benè, unde gaudeant in conscientia sua.* Et paulo post de homine jam bene operante: *Iam eat in domum suam, intret in conscientiam suam; iam latam inveniet ubi deambulet, & psallat & intelligat.* Hoc est, non amplius cruciabitur & arctabitur conscientia, ut foras in sensus fugiat, sed potius lætabitur, & ut statim dicit: *In medio domus suæ & in corde suo requiescet.* Alia sunt profecto Augustini loca, per quæ vivacior color amplitudinis illi sententiæ affricari posset, apud illos præcipuè qui phrasibus Augustini & sensibus minus assueti sunt: sed quia nec illa revera quidquam ad illam sententiam fulciendam faciunt, satis fuerit eorum sensum patefacere quando producentur.

In vers. 2. Psalm. 100.

Quapropter illa opinio tribus in rebus ab Augustini sensu mihi videtur deviare. Primò quia quidquid Augustinus dixit de arbitrij libertate in bono seu à peccato, hoc illa sententia universim de illa arbitrij libertate intelligit, à qua liberum arbitrium & libera voluntas dicitur. Ex quo consequitur necessario eos qui peccatis mancipati sunt, carere arbitrij libertate. Eodem sensu doctrinam Augustini Iulianus accepit, & hac de causa doceri à Manichæis, hoc est, Catholicis dixit, *primi hominis*

Lib. 1. ad Bonif. cap. 2. *hominis peccato liberum arbitrium periisse.* Quæ sane Iuliani sententia nihil verius, si nulla alia libertas est arbitrij, quam quæ in amore Dei, in avulsione à creaturis, in operanda justitia explicatur. Illam quippe libertatem perijsse exploratum est; & si non est alia, nullam profecto libertatem arbitrio superesse, manifestum est. Fatetur hæc ipsemet Augustinus, cum calumnias Iuliani respondendo retunderet: *Quis nostrum dicit*, inquit, *quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Sed quomodo non perijt, si non est alia libertas arbitrij quam qua uni adhæretur Deo: *Libertas quidem perijt*, inquit, *per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam.* Hoc est, ut adjicit, *ad bene justeque vivendum.* An igitur nulla est alia libertas arbitrij, quam illa benè justèque vivendi? Audi respondentem Augustinum: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non perijt, ut per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant.* Quod non est aliud dicere, quam peccatores verè habere liberum arbitrium, & quamvis aliâ, ut ibidem Augustinus loquitur, tamen arbitrij libertate peccare. Vnde mox voluntatem non minus vocat *liberam in malis* quam in bonis.

A

B

Secundo deviat hæc sententia ab Augustino, quia in hac ipsa bona beataque arbitrij libertate asserenda nunquam tangit Augustinus amplitudinem & similia, sed semper illa duo, liberationem à malo, & delectationem in bono, sicut fusissimè explicuimus. Ex quibus duobus quamvis amplitudo possit sequi, nunquam tamen ullum vestigium reliquit Augustinus ex quo colligi posset, eum libertatem in ista formalitate collocasse: sed è contrario, ubi maximè præcise loquitur, rationem liberationis & delectationis clarissimis verbis premit.

C

Tertio deviat hæc sententia, quia oculos in solam doctrinam Augustini dirigendo, quam contra Pelagianos tradidit, qui illam gratiæ libertatem naturæ viribus inserebant, minus attenditur, quid contra Manichæos & Philosophos asseruerit. Illi autem, maximè postremi, nihil sciverunt vel curaverunt de ista libertate per gratiam, qua adhæretur Deo, sed de illa qua juxta omnium hominum sensum, etiam Paganorum & eorum qui ignorant vel negant Deum, liberi arbitrij esse dicimur in quibuscumq; rebus civilibus & moralibus, seu bonis seu malis. Quapropter Augustinus adversus illos ita defendit & explicat arbitrij libertatem, ut nulla omnino facta libertatis à peccato mentione, eam in omnibus omnino actionibus nostris, quæ non nisi volentibus nobis fiunt, salvam & incolumem esse testetur; & illam actionem nobis liberam esse expresiè diversisque locis doceat, quam habemus in nostra potestate, illam non esse quam non habemus. Ex qua definitione Manichæos simul & Philosophos destruit, & quotquot suspicati sunt libertatem arbitrij qua peccamus & benefacimus, ex divinæ providentiæ necessitate subverti. Hæc est autem illa libertas, unde arbitrium liberum faciendi quod volumus habere dicimur, quam Manichæi & stoica fata subruunt, quam omnes homines ex seipsis esse sentiunt; denique, ut verbo dicam, de qua quæstio est, quando de liberi arbitrij natura cum Philosophis & Manichæis & Catholicis disceptamus. Qua de re non est opus hic laboriosius iterum satagere, cùm in præcedentibus latè disputata sit, & ex Augustini scriptis undique consonantibus stabilita. Illius libertatis arbitrij ramus, non totus truncus, est libertas à peccato, quam contra Pelagianos tradicit. Nam & in illa elucet ista generalis libertatis ratio, quam gratia liberans à peccato tribuit, quatenus actum bonum præsertim liberatricis charitatis ponit in nostra potestate, qua alioquin ille qui peccato dominanti subiugatus est, prorsus caret. Et de natura quidem liberi arbitrij hactenus eo scopo disputavimus ut accuratius percipere possimus, quomodo sanctus Augustinus efficaciam medicinalis gratiæ cum arbitrij libertate conciliaverit.

FINIS.

CORNE-

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS,
DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER OCTAVVS.
Qui est de concordia gratiæ & liberi arbitrij.

PRÆFATIO

ABSOLVTIS illis quæ de liberi arbitrij natura & gratia Christi medicinali dicenda videbantur, superest, ut aliquid etiam dicamus de modo quo vis ejus & operandi efficacia, cum humanæ voluntatis libertate consistat. Hæc enim difficultas ardua semper habita est & ad intelligendum perobscura. Vnde Augustinus in libro de gratia Christi: a *Ista quæstio ubi de libero arbitrio voluntatis & de Dei gratia disputatur, ita est* AD DISCERNENDVM DIFFICILIS, *ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia liberum arbitrium putetur auferri.* Alibi vocat, b *difficilem ad solvendum quæstionem*: c alibi, *difficillimam*: alibi, d *difficillimam & paucis intelligibilem.* Itaque in libro de peccatorum meritis & remissione, de quibuslibet, etiam de seipso loquens: e *Ipsa etiam ratio*, inquit, *quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur: rursus ne liberum sic asseramus arbitrium ut superba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur*; hoc est, ut gratiam abstulisse censeamur. Quapropter ex divinæ gratiæ prædicatione & modo operationis ejus quem tradebat, invidiosissimè Augustino à Pelagianis destructio libertatis objecta est. Nam inde est, quod ei hoc Iulianus frequenter exprobrat, eumque vocat, *præcipuum liberi arbitrij negatorem*; & hoc *certissimum esse* asseverat.

a Lib. de grat. Christi.
b Lib. de prædest. SS. c. 14.
c In Epist. 2 ad Valentin. & Epist. 105.
d Epist. 1. ad Valent.
e Lib. 2. de peccat. merit. cap. 18.
Lib. 1. cont. Iul. oper. imper. f. 163

Cum igitur omnibus Catholicis in confesso sit, rectè libertatem arbitrij, per illius gratiæ prædicationem & operationem, quam ipse, Ecclesia ipsius doctrinæ assentiente, docuit, non violatam, sed integerrimè servatam esse, necessarium est diligenter investigare, quo pacto ipse gratiæ efficaciam cum libertate conciliando copulaverit. Nam in isto conciliandi modo sitam esse veritatem, nemo prudens & Catholicus, arbitror, diffitebitur. Neque enim ab Augustini temporibus usque ad tempora Molinæ in Catholica Ecclesia dubitatum fuit, quin Augustinus rectè de gratia divina senserit, & humanæ voluntatis libertatem prædicatione gratiæ non exstinxerit.

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

Discrimen duarum opinionum de prædeterminatione physica, & gratia congrua. In quo sancti Augustini sententia cum utraque conveniat.

QVONAM modo divinæ gratiæ efficacia cum arbitrij libertate consentiat, summa hoc tempore & capitalis controversia est. In quorum conciliatione magnis viribus à Scholasticis Doctoribus laboratum est, quibus major, aut minor occurrit difficultas, prout actio gratiæ in voluntatem efficacior, aut remissior ab eis constituitur. Itaque diversis modis à diversis hoc tentatum est, & ad solum istum scrupulum declinandum, diversi & repugnantes operationis modi gratiæ Christi attributi sunt. In quorum explicatione atque defensione, quia omnes aut penè omnes modi, qui in ista conciliatione gratiæ & liberi arbitrij difficultatem ingerunt, à Scholasticis tacti aut soluti sunt, non abs re fuerit, eorum de gratia sententias, quæ fusius tractatæ passim reperiuntur, breviter perstringere, ut cum qua illarum, hæc doctrina de gratia medicinali Christi, quam ex Augustino hactenus proposuimus, affinitatem, & quantam & qualem habeat aut non habeat, perspicuè appareat. Sic enim simul statim elucebit, quibus difficultatibus obnoxia sit, & quo pacto ex eis expediri etiam secundum Scholasticorum doctrinam possit aut debeat.

Doctores igitur hujus temporis qui de gratia efficaci magno conatu disputant, in duas capitales opiniones distracti sunt. Alij naturam ejus in quadam Dei motione aut impulsu collocant, quæ ex se voluntatem efficaciter determinet ad consensum; ita scilicet & ut eâ positâ & passive receptâ in voluntatem, statim consensus ejus præsto sit, simulque stare non possit ut dissentiat. Hanc ut aliquis habeat dicunt non esse in hominis potestate, quia datur & negatur ex divino beneplacito; sine qua tamen fieri non possit, ut quicquam aut boni operetur aut mali. Necessitatem ejus tantam ex duplici capite proficisci; ex subordinatione secundæ causæ sub prima, & ex indifferentia liberæ voluntatis, quæ non est apta ut aliquid agat, nisi ab agente superiori determinetur. Alij existimantes istiusmodi operationis efficaciam directè evertere arbitrij libertatem, excogitarunt aliud gratiæ genus, cujus operationis modus isti priori ex diametro adversetur. Dicunt enim gratiam efficacem esse sitam non in tali motione voluntatem prædeterminante, sed in quadam illuminatione intellectus & motibus voluntatis; quibus Deus & allicit voluntatem ut velit; & vires volendi tribuit, simulque concurrit cum voluntate si voluerit. Vt autem cum illis adjutorijs velit, aut resistat eis, hoc non fieri ex aliqua prædeterminatione Dei A in hanc aut illam partem, sed ex libera optione voluntatis: quæ quantumcumque gratia alliciat atque blandiatur, consentit, dissentitque si velit. Primi vocant communiter gratiam illam suam *prædeterminationem physicam*, secundi *congruam*. Illa fere defenditur à sectatoribus sancti Thomæ; hæc à Francisco Suarez, Lessio, Molina, & alijs multis. Nam quamvis aliqua inter Suarez cum suis ex una, & Molinam, Lessium cum ceteris ex altera parte discrepantia sit, illa tamen magis divinam voluntatem ex qua gratia proficiscitur, quam diversum operandi modum quem habeat gratia, aut consentiendi quem voluntas, respicit. Vtrique enim statuunt Deum explorare per scientiam conditionatam, quid voluntas libera cum qualibet gratia, si daretur, vellet aut faceret; quo explorato illi volunt dari gratiam eum qua voluntas operatura prævidetur, ex decreto Dei prædefinientis, ut B talis effectus fiat; hi vero ex alijs considerationibus aut regulis providentiæ. Inter ista duo gratiæ genera generatim hoc discrimen est, quod illi qui prædeterminationem physicam defendunt, magnopere laborent ne arbitrij libertatem destruxisse videantur, alij ne Christianæ gratiæ veritatem. Nam ut illis vitio vertitur quod nimium extollunt gratiam, ita istis quod nimis deprimunt. Hinc adversariorum criminatione illis Calvinismus, ab aliquibus istis Pelagianismus impingitur.

Quod si quis discrimen istud duarum istarum sententiarum vel solum præ oculis habeat, non est difficile animadvertere, quid respondendum sit interroganti, cum utrâ tandem, doctrina de adjutorio medicinali Christi, quam tanquam veram Augustini sententiam ex ejus scriptis undique concinentibus produximus, convenire statuenda sit. C Dicendum est enim, ex integro cum neutra convenire, sed aliquid ab utraque sumere. Nam à priori accipit, quod voluntati consensum efficaciter inclinando atque adeo prædeterminando largitur; à posteriori, quod sit actus quidam vitalis, utpote cælestis, & Augustini phrasi, ineffabilis suavitatis delectatio; non tamen exspectat impulsum voluntatis ut secum influat, sed ei tribuit: nec hæret quodammodo ex arbitratu voluntatis eligentis ut velit aut nolit, sed arbitratum volendi, ad hoc ipsum determinando suavitatis efficacia voluntatem, efficit. Ex quo fit ut quod in gratia medicinali Salvatoris essentiale ac formale est, in Augustino illi animadverterint, hi vero quod quodammodo materiale.

Itaque

Itaque longè propius illi ad veritatem accesserunt. Ipsam quippe medullam gratiæ Christi respectu læsæ voluntatis, hoc est, ADJUTORII QUO tetigerunt, quæ in ista potenti consensionis efficientia ac donatione consistit; & per illam ab omni alia spuria gratia, quam Pelagiani & Semi-Pelagiani prædicarunt, maximeque ab illa gratia *sine qua non*, quæ stantis hominis & Angelorum voluntati pro- A pria est, separatur. Vt sane merito dici possit, doctissimos illos viros primæ sententiæ defensores, veram Augustini sententiam de gratia Salvatoris vidisse atque tenuisse. Quod si quid ei ulterius adjecerunt, ex superfluentibus humanæ Philosophiæ excessibus factum est, qui ad tuendam perspectam veritatem, satagentis animi conceptibus naturalem scientiam in subsidium rapientibus, ebullire solent.

CAPVT SECVNDVM.

Varia discrimina proferuntur inter adjutorium Dei medicinale & prædeterminationem physicam, prout à defensoribus ejus traditur.

SI enim iustis ponderibus totum illud quod physicæ prædeterminationis auctores ad Augustini sententiam explicandam tuendamque dicunt, metiri & excutere voluerimus; perspicuè deprehendemus nonnulla adjecta esse à recentioribus, quæ cum August. doctrina nullo modo congruunt.

A Et quidem quod Christi auxilium nomine prædeterminationis physicæ, quod Augustino ignotum est, nuncupaverint, nihil refert. Sufficeret si rem ipsam sanctus Doctor traderet. Cùm enim aliquid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum & accurate ab alijs distinguendum est, rem veterem novo vocabulo insignire nihil vetat. Sed etiam in rebus ipsis, operandi modo accessorijs, non mediocris discrepantia est.

Nam primo, juxta sententiam istorum recentiorum, prædeterminatio physica est motio nescio quæ virtuosa, quæ habet esse quoddam incompletum, & fit in voluntate per modum quo colores sunt in aëre, & impetus in re quæ impellitur. Cujus profectò speculationis in Augustino nullum vestigium esse video. Nam Augustino vera Christi gratia est verissimus motus voluntatis, ineffabilis videlicet delectatio objecti quod proponitur, quæ totum animum cum ingenti jucunditate sursum rapit, quemadmodum nos fusissimè supra demonstravimus. Vnde non est sicut color in aëre, aut virtus artis in instrumento, sed sicut verissimè & realissima voluntatis affectio in suo connaturali & propriè dicto subjecto esse solet.

Secundo prædeterminatio physica non est eis actus vitalis animi, sed aliquid cui voluntas tantum passivè subjacet; Christi adjutorium est actus verus & vitalis, quo anima haud secus afficitur, movetur in Deum, ac quando simili delectatione terrenis rebus inhæret. Idcirco quippe datur animo perniciosis desiderijs & voluptatibus implicato, ut earum impetus illa cælesti ac VICTRICE DELECTATIONE superetur. Nam ex illo effectu etetiam nomen victricis delectationis ei impositum est, de quo etiam supra loco suo satis dictum est. De hac igitur gratia sanante animum, ac vehementissimè delectante motibus suis delectationi carnis repugnantibus, & adjunctis ei intellectus illustrationibus, Augustinus innumeris locis loquitur, ubi de vera Christi gratia contra Pelagianos asserenda & explicanda occupatur. Nec ullus omninò locus ex universis Augustini Scripturis, quantum intelligere potui, proferri poterit, qui talem prædeterminationem tanquam Christi gratiam præ se ferat aut probet, sed loca solummodo quædam generalia, ut quod Deū dicit: [a] *Avellere cor lapideum.* [b] *Facere ut velimus bonum, facere ut faciamus, operari velle & perficere, præbere vires efficacissimas voluntati:* Eam [c] *ex mala mutare in bonam:* [d] *Cor regis occultissima & efficacissima potestate convertere, & transferre de voluntate nocendi ad voluntatem favendi:* [e] *trahere miris modis ut homines velint, & volentes ex nolentibus fiant:* [f] *interna atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari in cordibus hominum bonas voluntates:* [g] *vocatione alta atque secreta sic agere hominis sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodarent assensum:* [h] *duritiam cordis auferre:* [i] *ad se convertere hominum voluntates:* [k] *Mirabili modo & ineffabili operari velle:* [l] *Vocare secundum propositum ut fiat credens*, & hujusmodi, quæ quidem indicant Deum voluntates hominum inclinare atque determinare quo voluerit, sed in omnibus istis ac similibus testimonijs, non est unus apex, qui hoc significet, per hujusmodi prædeterminationem ex phylosophia profectam effici. Nam ea in alijs etiam eorundem librorum locis, ubi determinatius se explicat, ad eos quos diximus dilectionis motus restringuntur: quos cum ipsimet prædeterminationis auctores sub illa prædeterminatione comprehendi nolint, relinquitur, apertam vim inferri testimonijs Augustini, quibus sententiam illam suam assertam volunt.

Tertio prædeterminatio physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantijs voluntas collocetur, semper faciat facere & operetur effectum suum, omnemque superet resistentiam: Christi adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est victrix quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desiderijs hærebit animus, nec efficaciter unquam

Vide lib. 4. de rat. Salvat. c. 1. 2. & seq.

ibid. c. 3. 4. 5.

a Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 14.
b Cap. 16.
c Cap. 19.
d Lib. 1. ad Bonif. c. 20.
e ibid. c. 19.
f Lib. de grat. Christi c. 24.
g Epist. 107. ad Vitalem.
h Lib. de præd. SS. c. 8.
i Ibid. cap. 20.
k ibid.
l. ibid. c. 16.

unquam volet quod volendum est. Qua de re, vide quæ in iisdem locis à nobis dicta sunt.

Quarto quod prædeterminatio physica sit instar concursus cujusdam generalis Dei in ordine supernaturali: adjutorium Christi nullo pacto. Nihil enim ei respondet in agentibus naturalibus, ut ex sequenti discrimine magis patet.

Quinto prędeterminatio physica necessaria statuitur omnibus agentibus ex vi causę secundę quæ essentialiter tam in operari, quàm in esse suo subordinatur primæ, à qua ad agendum præmoveri debet: Christi adjutorium nequaquam, sed læsæ voluntati propter solum vulnus necessarium est, quod ei inflixit peccantibus voluntatis audacia. Quod etiam fusè declaravimus. Nam inde gratia Christi medicina, & adjutorium medicinale ab Augustino dicitur, & Christus Dominus Salvator & Medicus, ipsoque proprio nomine *Iesus*: unde si homo non peccasset, neque Christus neque adjutorium ejus fuisset opus.

Vide lib. 2. de gra. Christi Salvat. cap. 19? 3.

Sexto prędeterminatio physica in agentibus liberis insuper exigitur, propter naturalem indifferentiam voluntatis quam, ut aliquid agere possit, prædeterminare debet: Christi adjutorium neutiquam. Nam nisi concupiscentijs voluntas vulnerata, sicut in quædam corporis membra, ita etiam in appetitus suos proprium perdidisset imperium, nulla Christi gratia eam determinare debuisset; quemadmodum in sanctis Angelis plene & Adamo nonnihil patuit, qui diu absque Christi adjutorio in sanctitate manserunt.

Hinc septimo prædeterminatio physica expresse dicitur statui innocentiæ tam Angelorum quàm hominum fuisse necessaria: Christi adjutorium ei repugnat capitaliter; sicut Augustinus ex professo docet. Voluntas enim eorum sic erat instituta, ut cum adjutorio non Christi Salvatoris medicinali, quo fit ut velimus & agamus bene, sed cum adjutorio sine quo non volumus aut agimus bene, possent si vellent in sanctitate persistere; & Adamus multis horis, Angeli etiam absolutè in collata sanctitate perseveraverunt. Ex quo factum est, ut Augustinus dicat Angelos *per liberum arbitrium* in veritate stetisse, quod nunc hominibus conferri debet per gratiæ donum. Qua de re fusè in libro de gratia primi hominis, & iterum de modo operandi gratiæ Christi disputatum. Itaque Christi adjutorium non propter indifferentiam voluntatis determinandam, non propter generalem causæ secundæ à prima dependentiam, non propter actuum bonorum supernaturalitatem, sed propter solam liberi arbitrij impotentiam, & fractas voluntatis vires, quæ ex libidinum terrenarum dominatione prostratę sunt, hominibus lapsis Christi incarnatione & sanguine præparatum est: cujus quemadmodum neque passio & mors, neque incarnatio fuisset Angelis aut hominibus necessaria, si nemo peccasset, ita neque istud proprium incarnationis & mortis ejus adjutorium.

Quapropter qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum & innocentium ex vi causæ primæ & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici quàm Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio ejus probari potest, sed potius universam doctrinam ejus in innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat. Tollit enim differentiam integræ læsæque voluntatis, tollit necessitatem duplicis adjutorij, *quo*, & *sine quo non*, cum quorum altero Adamus velle stareque potuit, & Angeli reipsa voluerunt steteruntque, lapsi homines velle aut stare non possunt. Tollit obscuratque veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam ejus, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam. Denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis sacris, quæ singularem Dei gratiam actus nostros bonos operantem prædicant. Eadem quippe Scripturarum phrases ad actus quos ipsi statuerunt naturales, adeoque malos quantum ad materiale, aptari queunt. Si enim idcirco dixit Christus: *Sine me nihil potestis facere*, quia nihil sine ista generali Dei prædeterminatione facere possumus, cur non id ipsum quoque pro isto adjutorio ad actus naturales, & malos necessario proferamus? Cur non dicamus, nemo potest vineam plantare, aut pecuniam pauperi moraliter dare, nisi pater meus prædeterminando traxerit eum? Cur non de istis omnibus & similibus Dei concursum generalem probantes producamus? *Faciam ut faciatis*; *Deus enim operatur in vobis velle & perficere*; & similia. Quod si ista etiam rectè ad talis prædeterminationis physicę necessitatem astruendam proferuntur, quomodo ergo rectè gratiæ Christianæ & ex Christi passione nobis collatæ necessitatem probant, quemadmodum ad hoc probandum ab Augustino proferuntur? Nonne perspicuè sequitur, nihil omnino peculiare pro operibus gratiæ, ex hujusmodi Scripturis posse colligi? Nam solum sequitur nihil nos posse velle aut operari sine præmotione generali omnibus causis necessaria; propter subordinationem causæ secundæ sub prima, & propter indifferentiam liberæ voluntatis, quæ ad nihil omnino sine Dei pręmotione determinari potest. Quæ ratio perinde prorsus locum habet, etsi peccatum voluntati nullam inflixisset ægritudinem, nihil caro contra spiritum concupisceret. Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi funditus evertitur, & Scripturæ subnervantur; dum gratiæ necessitas, non ex vulnere voluntatis, sed ex naturali ejus indifferentia, & omnium causarum naturali subordinatione sub altiore, suspenditur. Quæ duplex ratio necessitatis gratiæ, sicut in universis Augustini operibus inaudita est, & repugnat principijs ejus, ita quoque indicat prædeter-

prędeterminationem physicam tanquam gratiam, eo modo & latitudine ad omnes humanæ naturæ status dilatatam, ab Augustini sensibus esse remotissimam, & potius vi humanæ Philosophiæ, quam Augustinianæ Theologiæ expressam & inventam esse. Nam apud ipsum nulla alia Christi gratia contra Pelagianos prædicatur, quam *gratia qua per incarnationem unigeniti revelata atque donata est*: Gratia *qua justificamur ab iniquitate & qua salvamur ab infirmitate*: Gratia *qua revelata est per passionem & resurrectionem Christi*: Gratia *qua ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur*: Gratia denique *liberationis*, quam *implorant quando sancti dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes* DARI SIBI PVGNANDI VINCENDIQVE VIRTVTEM PER CHRISTI GRATIAM POSCVNT. Hæc est vera gratia Christi, & ista genuina radix necessitatis ejus, prout eam Augustinus in omnibus suis lucubrationibus docuit. Vnde in eodem loco expressissimis verbis tradit Adamum tali adjutorio Christi non eguisse: ILLE NON OPVS

Epist. 95.

Epist. 90. Conc. Cart. Lib. de Cor. & grat. c. 11.

A HABEBAT ADIVTORIO QVOD IMPLORANT ISTI. Nempe quia *ille nulla tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur*. Tantum ergo abest, juxta sanctum Augustinum, gratiam Christi propter indifferentiam voluntatis esse necessariam, ut potius propter amissam indifferentiam ejus, & propter servitutem ac depressionem ejus sub libidinibus necessaria sit, à qua per potentem illam gratiam Christi liberanda est, & in indifferentiam suam primigeniam, vel potius supra indifferentiam suam primigeniam, in actualem determinationem in alteram partem retorquenda. Quod nullo pacto in statu innocentiæ integritas ejus postulabat. Vnde ibidem Augustinus tradit Adamum *dispare* gratiam habuisse, & *latiorem*; nos *indigere potentiore*. Sed de istis B iterum ex proprijs fundamentis disserere nihil opus est, cum alibi satis fuse demonstrata sint, quando de natura gratiæ primi hominis; itemque hominis lapsi, & utriusque differentia ex Augustini principijs disseruimus. Hic omnia breviter tantum tetigisse & memoriam refricuisse satis est, ut differentia gratiæ Christi prout ab Augustino ex Scripturis tradita est, ab illa prædeterminatione physica, prout ex generalibus illis Philosophiæ principijs astruitur, intelligi possit.

Lib. de Cor. & grat. c. 11.

Vide lib. de grat. primi hom. & lib. 2. de grat. Christi Salv. c. 1. 2. 3. usque ad 14.

CAPVT TERTIVM.

Adjutorium Christi determinat ac prædeterminat etjam physice voluntatem, ut velit & ardentius velit, & ex quo capite istud accidat.

QVÆ quamvis ita sese habeant, tantaque inter physicam prædeterminationem, prout à Scholasticis defendi solet, & medicinale Christi adjutorium discrepantia sit, in hoc tamen, uti diximus, cum ea convenit, quod officium physice prædeterminandi voluntatem ei vere competat, eoque vocabulo non abstractè sed concretè sumpto meritò appellari possit. Nam hoc ipso quo, secundum principia sancti Augustini, gratia vera Christi, est *adjutorium quo* fit velle atque perficere, prout ab *adjutorio sine quo non* distinguitur; itemque adjutorium non *potentiale*, quo velle & agere possumus, si volumus, sed *voluntatis & actionis*, quo Deus facit ut reipsa velimus & agamus, prout ea fuse suis locis demonstrata sunt; perspicue patet, istud adjutorium esse tale, ut voluntatem cum quacumque alia gratia in potentia constitutam ad actum protrahat; non si voluerit (quemadmodum gratiæ Adami & Angelorum, cum qua reipsa steterunt in veritate, proprium fuit) sed ei efficacissimè præbendo ut velit. Non enim exspectat ut voluntas secum influat, quemadmodum in adjutorio Ange-

Vide lib. de grat. primi hom. & lib. 2. de grat. Christi Salv.

A lorum etjam sanctorum accidebat, quorum voluntas ita fortis erat, ut quemadmodum, & quando, & quantum vellet, uteretur aut non uteretur adjutorio; sed facit secum influere voluntatem, applicans eam ad volendum agendumque, quicquid per eam Deus volendum agendumque constituerit. Cùm enim per terrenas cupiditates voluntas ad non volendum, imo ad repugnandum determinata sit, tollit istam depressionem atque determinationem in contrarium, & reflectit eam in bonum, non solum si libero arbitrio hoc videatur & velit, sed ineffabili sua luce atque suavitate faciendo ut ei sic videatur, & velit. Sic enim Deus avellit cor lapideum & dat cor carneum, sic animum efficacissima potestate convertit, sic duritiam cordis aufert, sic operatur velle atque perficere, sic ex nolentibus & repugnantibus volentes & consentientes facit. Non enim hoc aliter facit quam voluntatem inclinando, applicando, B determinando: & quia prævenit ipsam voluntatis prędeterminationem, etjam prædeterminando, non solũ moraliter, sed vera, reali & physica determinatione. Moralis enim prędeterminatio

terminatio illa dicitur, quæ tantum se habet A ex parte objecti, quemadmodum facit ille qui consulit, suadet, præcipit, rogat, blanditur sive extrinsecus sive intrinsecus; sed hæc se habet in ipsa potentia voluntatis, quam proprie suæ suavitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, utpote causans in ea hoc ipsum, ut se determinet, ideoque prædeterminat. Ut enim ex Augustino tanquam rem certissimam asserente declaravimus: *Quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat?* Nemo prorsus. *Voluntas enim ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo potest.* Ex quo etjam consequenter nascitur, ut quemadmodum idem tradit, *quod amplius nos delectat, secundum hoc operemur necesse est.* Quid autem? An ipsa voluntas facit ut delectet si voluerit? Absit: *Hoc enim ut occurrat*, inquit Augustinus, *non est in hominis potestate.* Et iterum: *Quis habet in potestate ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit.* Ex quibus principijs necessario sequitur id quod tam constanter docet Augustinus, adjutorium Christi esse adjutorium *quo* Deus donat ut voluntas velit, aut ex duobus unum præ altero velit, aut ardentius velit, efficiendo ut delectet, aut amplius delectet; quod enim amplius nos delectat, secundum hoc operemur necesse est. Unde in eodem loco adjicit: *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & indu-*

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

In Epist. ad Galat.

Loco citato ad Simplic.

Ibid.

stria aut operum meritis comparatur. Et quare non? *Quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Nempe infundendo delectationem objecti, qua amplius nos demulcente, hoc ipsum necesse est ut velimus & operemur. Quod enim amplius nos delectaverit, secundum hoc operemur necesse est. Ergo & quod volumus aliquid, ex delectatione nascitur, & quod vehementius volumus, ex ardentiore delectatione: *Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus eoque delectamur ardentius.* Si autem nulla delectatione tangit animum, etjamsi hoc bonum esse noverit, nulla etjam ratione hoc ipsum volet: *Nolunt enim homines facere quod justum est, sive quia latet, sive quia non delectat*, videlicet etiam cum non latet. Nam scientia objecti tantum ex generali ratione ad volendum B necessaria est, quia ignoti nulla cupido, neque concurrit aliter nisi ut *adjutorium sine quo non*; non ut *adjutorium quo* fiat ut velis. Ex quibus Augustini principijs quæ fusius jam ante declarata sunt, cum de delectationis necessitate tractaremus, perspicue apparet impossibile esse, ut adjutorium illud cælestis delectationis non determinet, imo prædeterminet voluntatem, quia facit ut velis, & sine illa velle non possis; facit etjam ut ardentius velis, & sine illa ardentius velle non possis; facit denique ut *necesse sit* animum istud sequi, & secundum istud operari quod amplius delectaverit.

Lib. 2. de peccat. merit. c. 17.

Ibid.

CAPUT QUARTUM.

Conciliatio gratiæ Christi quam Augustinus docuit, cum libero arbitrio, juxta principia Scholasticorum.

JAM si quis scire aveat, quo pacto hujusmodi medicinale adjutorium Christi consistere possit cum humani arbitrij libertate, quæ passim in Scholis tradi solet, atque in eo sita dicitur, quod positis omnibus ad agendum requisitis voluntas possit agere & non agere, vel agere unum & contrarium ejus; non est difficile ei satisfacere. Cum enim istud auxilium eundem habeat operandi modum, qui physicæ prædeterminationi tribui solet; ut capite præcedenti tactum est, & ex libro secundo de gratia Christi Salvatoris, & quarto de natura gratiæ medicinalis Christi latius intelligi potest; eodem modo libertas illa jam dicta voluntatis, sub illo Christi auxilio incolumis manet, quo sub physica prædeterminatione salvatur. Quapropter quicquid physicæ prædeterminationis defensores pro sua sententia protulerunt, ut liberum arbitrium sub ea salvum esse persuadeant; quicquid etjam ad dissolvenda oppugnantium argumenta, telaque repercutienda moliti sunt, pro hac sententia dictum puta. Eodem quippe modo libertatem illam arbitrij; de qua ipsi solliciti sunt, incolumem permanere sub illo auxilio medicinali quod A Augustinus docuit, ostendi ac defendi potest. Nam fere quicquid ab adversarijs objici potest, unica illa distinctione sensus compositi ac divisi, quam isti prædeterminationis physicæ defensores adhibent, solui ac dissipari potest. Non enim necesse est, ajunt, ut cum omnibus illis ad agendum requisitis, inter quæ etjam cælestis delectatio est, stet simul ut non agat voluntas, sed solum ut possit non agere. In libero enim arbitrio quantumcumque ad agendum præparato, imo determinato & actu operante, reperitur, ut ipsi docent, simultas potentiæ ad operandum & non operandum; non potentia simultatis, ut videlicet simul agat & non agat. Hoc est, ut clarius dicatur, in libero arbitrio est potestas ad opposita, non tamen potestas ad opposita simul in se habenda. Hoc enim nemo nisi fatuus dixerit. Hoc ergo sensu intelligendum esse docent id B quod adversarij ad libertatem postulant, ut videlicet positis omnibus ad agendum requisitis, etjam cælesti quacumque delectatione & prædeterminatione stet simul ut possit non velle; non autem ut simul non velit. Potentia enim non volendi non repugnat omnibus illis ad volendum requisitis; sed solum, quod

quod actualiter non velit. Itaque in sensu diviso potest voluntas non facere id quod Deus per gratiam efficacem in ea operatur, in sensu vero composito, nequaquam. Nam inde sunt istæ locutiones Augustini: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia* INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER *ageretur.* Hoc est, ita ut voluntas ab opere bono nulla tentatione declinari, nulla adversitate superari possit: ita videlicet ut actualis declinatio voluntatis & superatio unà cum Dei gratia jungeretur. Sic enim seipsum explicat cum immediatè subjungit: *Et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Simili sensus compositi phrasi, in eodem libro inferius dicit: *Cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium.* Et iterum manifestius: *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & terra omnia quæ voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere.* Et rursum in eodem loco: Nisi *forte quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere.* Et de dono perseverantiæ loquens: *Quomodo potest amitti, per quod fit ut non amittatur etiam quod possit amitti?* Vt perseverantia amittatur fieri nullo pacto potest. Et ipsa Scriptura sacra de renato ex Deo loquens: *Qui natus est ex Deo peccatum non facit &c. Et non potest peccare.* Sicut ergo in sensu composito veræ sunt hujusmodi phrases, quibus voluntas acta per divinam gratiam, dicitur non posse resistere Deo, non posse dissentire ab eo quod per eam vult operari Deus, non posse declinari, non posse superari; ita e contrario, in sensu diviso veræ sunt, quibus dicitur posse declinari, posse superari, posse dissentire. Eodem igitur modo locus Concilij Tridentini quo dicit, quod *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum possit dissentire si velit*: itemque quod *inspirationem recipiens illam & abjicere potest*, non difficulter ab eis & à nobis solvi potest. Concilium enim in sensu diviso, inquiunt, loquitur, quo significatur, ita hominem recipere Dei inspirationem, & motionem, & excitationem istius delectationis aut prædeterminationis (addo, si libet, etiam actualem ipsius voluntatis consensionem ac motum) ut nihil auferat ejus voluntati potestatem dissentiendi, si velit, quamvis actualis dissensus cum illis præsuppositis componi nequeat. Potestas enim dissentiendi non repugnat isti excitationi, aut delectationi, aut prædeterminationi, aut ipsi etiam consensui actuali voluntatis, sed tantum dissensus actualis; quemadmodum cum paries albus vere dicitur esse posse niger, non hoc significatur, quod albedine permanente, simul in eo nigredo reperiri possit, sed quod simul cum albedine sit in eo potentia ut fiat niger. Hæc & similia respondent ij qui physicam tuentur prædeterminationem, ut per eam non destrui libertatem patefaciant. Quæ sane omnia ad istam veram Augustini gratiam ab adversantium argumentis eripiendam, tuendamque illam arbitrij libertatem quam putant esse necessariam, mutatis tantum vocabulis, huc transferri possent. Sed cum istud cuivis facile sit, & nihil adversus libertatem ex hac doctrina objici possit, quod Scholastici non dissolverint, neque minus talium argumentorum solutiones, quam argumenta ipsa in promptu posita sint apud eos qui de physica prædeterminatione scripserunt, nolim hic actum agere, ac tempus illis proponendis solvendisque terere, præsertim cum non sit instituti mei rebus illis explicandis inhærere, quæ plene apud Scholasticos explicata sunt.

Lib. de Corr. & grat. c. 12. — *Cap. 14.* — *Ibid.* — *Lib. de dono persev. c. 6.* — *1. Ioan. 3.* — *Conc. Trid. sess. 6. can. 4. & c. 5. de justificatione.*

CAPVT QVINTVM.

Conciliatio genuina gratiæ cum libero arbitrio secundum Augustini mentem profertur: & probatur ex querelis Pelagianorum & modo quo eis Augustinus satisfecit.

VERUMTAMEN merito dubitari potest, utrum Augustinus eo modo intellexerit incolumem permanere libertatem, atque ita senserit influxum gratiæ cum libero arbitrio conciliandum esse, quatenus sub ejus efficacia determinante voluntatem ut velit & agat, simul potestas maneat, ut non velit & non agat: Nempe ut arbitrium voluntatis ea ratione liberum sub gratia esse censeat, quia semper per gratiam ita vult & agit, ut simul possit nec velle nec agere. Causa vero dubitandi multo maxima est, quia si Augustini monumenta lustremus universa, quæ contra inimicos gratiæ Pelagianos exaravit, nusquam vestigium apparet ullum, ex quo colliges ea ratione vel ab ipso defensam arbitrij libertatem, vel gratiam cum libero arbitrio esse conciliandam. Quod profecto incredibile & impossibile est, si iste verus atque genuinus est conciliandi modus. Sæpissime namque & acerbissime Augustinus & Ecclesia quam tuebatur ab adversarijs de destructa per gratiam libertate criminati sunt, invidiosissimeque traducti. Cùm enim Augustinus quodam loco dixisset adversarijs: *Non est ita ut loqueris, multum falleris vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium:* Respondet ei Iulianus: *Fidem vestram quæ à nobis oppugnatur, erubescitis profiteri, & ad nostræ sententiæ a qua deviatis verba confugitis. Tam enim scelestum est quod suscepit prævaricatio pudenda Babylonis* (id est, Ecclesiæ) *ut cum à vobis abjicitur a vobis negetur: &*

Lib. 1. de nupt. c. 3. — *Lib. 1. cont. Iul. oper. imperf. f. 113.*

aun

A *tam sanctum est, quod à nobis creditur, ut sub umbra ejus delitescere, licet adversa mente cupiatis.* Hæc & similia sancto Augustino Julianus & ceteri Pelagiani non semel tanquam de certissima victoria triumphantes exprobrant. Ad quas calumnias detergendas, non semel etiam totos ingenij nervos intendit, ostenditque se liberum arbitrium defendere integerrimum, & modum libertatis explicat, & qua ratione cum Dei gratia sit conciliandum docet: nec tamen unquam vel semel, nec ex professo tradit, nec per transennam insinuat, salvam eatenus manere sub gratia libertatem ejus, quatenus actum volendi sic exierit, ut cum possit suspendendo continere. Quis ita responderet, nisi vel malignissimus vel ignarissimus qui de cepis interrogatus de allijs loquatur?

Sed ne temerè istud pronunciasse videar, ex omnibus operibus quæ adversus Pelagianos composuit, demonstrandum est, nunquam B Augustinū respondere Pelagianis, de violata per gratiam libertate conquerentibus, illum conciliandi modum tetigisse, quod voluntas ita per gratiam velit ut possit non velle, sed semper illum, quod operante gratia non instar trunci, quem Deus moveat, feramur ad bonum, verum quod gratia non alium quempiam, sed nos ipsos faciat velle quod bonum est. Quodque mirabilius, ostendendum est, non aliud etiam in traducenda gratia criminatos esse Pelagianos, quam quod gratia secundum Catholicos, & Augustinum, sine voluntate nostra perficeret bonum, ita videlicet ut liberum arbitrium vel nihil prorsus ageret, vel certe invitum & reluctans ad bonum cogeretur; quorum utrumlibet contingeret, operis boni ratio funditus à voluntate tolleretur. Quam Pelagianorum opinionem nonnihil declaravimus in libris de Hæresi Pelagiana. Hic C tamen paulo inferius demonstranda est.

Vide dicta latè de querelis Pelag. contra aliment. voluntatis & actionis lib. 5. de Hær. Pelag. c. 13. & c. 16. & 17 seq. maxi. lib. 7. c. 10. & 11. ubi agitur de querelis Semi-p. Lib. de grat. Christ. c. 7.

Hoc enim imprimis perstringit Pelagius, quando Catholicorum querimonijs confessionem veræ gratiæ postulantibus satisfacere volens, itaque loquitur: *Hic nos imperitissimi hominum putas injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus* EAM SINE VOLUNTATE NOSTRA NEQVAQVAM IN NOBIS PERFICERE SANCTITATEM. *Quasi Deus gratia sua aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium submimistret*; videlicet non illam Augustini quæ operatur velle atque perficere, sed legem atque doctrinam, ut *quod per liberum homines* non gratia, *facere jubentur arbitrium, facilius possint* ipsi; non gratia, *implere per gratiam.* Ecce perspicue accusat in Catholicis gratiæ negationem in se accusantibus, quod vellent eam sine voluntate nostra perficere sanctitatem, quasi ipsi gratiæ, non hominibus Deus facere imperasset. Et ad hoc ipsum refellendum respicit Augustinus, quando inferius di- D cit: *Desinat, inquam, illa dicere. Non solum enim Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus.*

Aug. ... ...

A Hoc ipsum redarguunt Pelagiani, quando in libro primo ad Bonifacium dicunt: *Hominem Dei opus defendimus, nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi: sed propria voluntate aut bonum facere aut malum. In bono vero opere à Dei gratia adjuvari.* Et vice versa ut libertatem tueatur, non sine voluntate nostra ab invitis bonum fieri respondet Augustinus: *Ad hæc respondemus non ex Dei potentia vel in malum vel in bonum* INVITVM ALIQVEM COGI; *sed Deo deserente pro meritis ire*, videlicet sponte propriaque voluntate, *in malum, & Deo adjuvante sine meritis converti sua ipsius voluntate ad bonum.* NON ENIM EST HOMO BONVS SI NOLIT: SED GRATIA DEI ETIAM AD HOC ADIVVATVR VT VELIT. Et adhuc luculentius paulo post: *Quam multi inimici Christi quotidie subitò Dei occulta gratia* TRAHVNTVR *ad Christum. Quod verbum si non ex Evangelio posuissem, quanta de me propter hoc iste dixisset?* &c. *Quis trahitur si jam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis* VT VELIT *ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari*, NON VT HOMINES, QVOD FIERI NON POTEST, NOLENTES CREDANT, ut fieri in Catholica doctrina putabant & objectabant adversarii, SED VT VOLENTES EX NOLENTIBVS FIANT. Quod ita fieri Scripturis plurimis statim probat, & ex eis concludit, quod ipsam *Deus operatur in cordibus hominum* voluntatem: quod *voluntatem hominum occultissima & efficacissima potestate* convertit, & transfert ab indignatione ad lenitatem, *hoc est*, inquit, *de voluntate lædendi ad voluntatem favendi, secundum illud Apostoli, Deus est enim qui operatur in vobis & velle.* Quibus verbis ne Paulus Apostolus liberum arbitrium exstinxisse videretur, ut Pelagiani somniabant, ista C subjicit: *Numquid homines Dei qui hæc scripserunt, imo ipse Spiritus Dei, quo auctore per eos ista conscripta sunt, oppugnant liberum hominum arbitrium?* Sufficientissime putans se liberum arbitrium defendisse, quia quantumcumque Deus efficaciter per gratiam operetur, non nolens aut invitus homo facere cogitur, sed volendo id facit propria voluntate.

Lib. 1. ad Bonif. c. 18.

Ibid.

Ibid. c. 19

Ibid. c. 20.

Has enim ipsas querelas de labefactata per tractum Dei libertate Pelagiani ingeminant, quando sub adversantium nomine sibi dicit Augustinus: *Quid hic dicimus fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur.* Et iterū inferius: *Cum ergo in Christum corde credatur, quod nemo utique facit invitus: qui autem trahitur tanquam invitus cogi videtur, quomodo istam solvimus quæstionem: Nemo venit ad me nisi pater qui misit me traxerit eum? Si trahitur aut aliquis, invitus venit: si invitus venit, nec credit: si non cre-* D *dit, nec venit.* Hæc est enim ipsissima difficultas, quòd gratia liberum arbitrium tolleret, qua territi clamabant Pelagiani, gratiam cogere hominem ad bonum, quod autem coactè fit, non fit voluntatis arbitrio. Vis enim & coactio repugnant voluntati & liber-

Tract. 29. in Joan.

tati

Lib. 2. cont. lit. Petil. c. 84.

tati. Vnde alibi: *Quomodo attrahit* Pater ad Chriſtum, *ſi dimittit ut quiſ quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Nec aliter tamen Auguſtinus liberum arbitrium cum iſto tractu in concordiam redigit, niſi declarando quod iſte tractus *amantem*, hoc eſt, volentem facit: *Noli te cogitare invitum trahi, trahitur animus & amore,* id eſt, voluntate; nempe quia trahitur, ut ex invito fiat volens & amans.

Tract. 26. in Ioan.

Hanc ipſam libertatis violationem redarguunt Pelagiani, quando in libro ſecundo ad Bonif. dicunt: *Sub nomine gratiæ ita fatum aſſerunt,* Catholici, *ut dicant, quia niſi Deus invito & reluctanti homini inſpiraverit boni & ipſius imperfecti cupiditatem, nec a malo declinare nec bonum poſſet arripere.* Et quando ipſi veluti libertatis patroni ex adverſo ſtatuunt, *gratiam adiuvare uniuſcuiuſque bonum propoſitum, non tamen reluctanti ſtudium virtutis immittere.* Sic enim gratiam intelligebant illud ſtudium virtutis reluctantibus immittere, ut reluctantes & inviti facerent quicquid facerent. Nam Auguſtinus è contrario, ut liberum arbitrium ſalvet, non ſine voluntate noſtra ſtudium virtutis ab invitis, ſed volentibus ſuſcipi reſpondet: *Nunc illud eſt quod debemus advertere, utrum invito & reluctanti homini Deus inſpiret boni cupiditatem, ut iam non ſit reluctans, non ſit invitus ſed conſentiens bono & volens bonum.* Et in libro quarto ad Bonifacium eadem Pelagianorum verba ponderans: *Poſſet bene intelligi ſi non ab iſtis, quorum ſenſus notus eſt, diceretur,* putantium videlicet, hominem cum reluctans & invitus permanet ſine voluntate ſtudium virtutis arripere. Vnde ipſe ſenſum Catholicum libertati congruum aperiendo ſubijcit: *Reluctanti prius aditus divinæ vocationis ipſa Dei gratia procuratur,* faciendo videlicet ut velit: *Ac deinde in illo* IAM NON RELVCTANTE *ſed volente ſpiritus virtutis accenditur.* Et inferius cum ex precibus a Cypriano commendatis docuiſſet, Deum in nobis per gratiam operari totum quod bene vivimus: *Numquid iſte ſanctus,* inquit, *liberum arbitrium negat eſſe in hominibus, quia Deo totum tribuit, quod recte vivimus?* Et explicans quomodo non negetur, quaſi in invitis & reluctantibus per gratiam operaretur Deus: *Quid ergo petimus niſi ut fiant* EX NOLENTIBVS VOLENTES, EX REPVGNANTIBVS, id eſt invitis, CONSENTIENTES, EX OPPVGNANTIBVS AMANTES?

Lib. 2. ad Bonif. c. 5.

Ibid. c. 8.

Lib. 4. ad Bonif. c. 6.

Ibid. c. 9.

B

C

Hanc ipſam libertatis quaſi voluntatis extinctionem ex gratiæ operatione conſequi, in libro de correptione & gratia conqueruntur: *Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum,* SI HOC NOS NON AGIMVS, SED ID VELLE ET OPERARI DEVS OPERETVR IN NOBIS? Et ex oppoſito ſanctus Auguſtinus ut libertatem aſtruat, actionem quidem per gratiam fieri, non tamen ſine voluntate noſtra profitetur: *Potius intelligant ſi filij Dei ſunt ſe agi, ut quod agendum eſt* AGANT, ipſimet ſcilicet non ſolus Deus; *&* CVM EGERINT ipſimet, *illi à quo aguntur gratias agant. Aguntur enim ut* AGANT, NON VT IPSI NIHIL AGANT.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

D

Ibid.

A

Hanc ipſam liberi arbitrij ſubverſionem tanquam totius noſtræ voluntatis ſeu volitionis extinctionem arguunt ex gratia Dei ſequi, in ſermonibus de verbis Apoſtoli: *Dicit mihi aliquis* (Pelagianus, nam adverſus iſtos ex profeſſo diſputat) *ergo agimur non agimus.* Et è contrario non aliter libertatem arbitrij incolumem manere probat, niſi quia nos non otioſi ſumus aut nihil agimus, ſed ſimul aliquid agimus: *Reſpondeo,* inquit, IMO ET AGIS ET AGERIS. *Et tunc bene* AGIS, *ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit,* AGENTIBVS *adiutor eſt. Ipſum nomen adiutoris præſcribit tibi, quia &* TV IPSE ALIQVID AGIS. *Agnoſce quid poſcas. Adiutor meus eſto ne derelinquas me, adiutorem utique invocas Deum:* NEMO ADIVVATVR, SI AB ILLO NIHIL AGATVR. Et iterum: SI NON ESSES OPERATOR, ILLE NON ESSET COOPERATOR. Et paucis interiectis eandem libertatem & gratiæ concordiam repetens: *Prorſus hoc credite, hic* VOS AGERE BONA VOLVNTATE. *Quia vivitis, utique* AGITIS: *Non enim adiutor eſt ille,* SI NIHIL AGATIS: *Non enim cooperator eſt,* SI NIHIL OPERAMINI. Et inferius iterum omni ſole lucidius: *Iam nunc cum auditis quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij ſunt* DEI, *nolite vos dimittere;* quaſi videlicet Deus per gratiam totum ageret, & vos veluti trunci prorſus nihil propria voluntate ageretis: *Neque enim templum ſuum ſic de vobis ædificat,* QVASI DE LAPIDIBVS QVI NON HABENT MOTVM SVVM: *levantur, ab ſtructore ponuntur. Non ſic ſunt lapides vivi; Et vos tanquam lapides vivi coædificamini in templum Dei. Ducimini, ſed* CVRRITE VOS: *ducimini ſed* SEQVIMINI. *Quia cum* SECVTI FVERITIS, *verum erit illud, quia ſine illo nihil facere poteſtis.* Et in alio Sermone, de Iuſtitia operum loquens quibus impletur lex, ſimili omnino modo gratiam cum libertate conciliat, quia non illa ſola totum nobis dormientibus, ſed & nos ipſi noſtra voluntate volumus & aliquid operamur: *Sed totum ex Deo: non tamen* QVASI DORMIENTES, NON QVASI VT NON CONEMVR, NON QVASI VT NON VELIMVS. SINE VOLVNTATE TVA NON ERIT IN TE IVSTITIA DEI. *Voluntas,* id eſt, volitio, *quidem non eſt* NISI TVA, *iuſtitia non eſt niſi Dei. Eſſe poteſt iuſtitia Dei ſine voluntate tua* videlicet in alijs. *Sed in te non poteſt eſſe niſi* PER VOLVNTATEM TVAM. *Demonſtratum eſt quid agere debeas, iuſſit lex &c.* Et iterum: *Non enim adhibuiſti aliquem conſenſum, ut te faceret Deus. Quomodo conſentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te ſine te, non te iuſtificat* (per opera legis de quibus agit) SINE TE. *Ergo fecit neſcientem, iuſtificat* VOLENTEM.

Serm. 13. de verbis Apoſt. c. 18.

Ibid. c. 19.

Ibid.

Serm. 15. de verbis Apoſt. c. 11.

Ibid.

Hanc ipſam liberi arbitrij ſtragem per gratiam Dei, quaſi tolleret ex homine omnis voluntatis

luntatis motum, ac de nolente, bonum fieret,
graviter argitur in Augustini doctrina Iulia-
nus: *Interrogo ad quem modum libertati voluntas,*
secundum doctrinam tuam, *ut bonum semper*
VELLE COGATVR, *& malum velle non*
possit? an ut utrumque possit appetere? Hic si
responderis ut bonum semper velle cogatur quam sis
Iovinianus, ita etiam ipse cognosce. Sic enim ipse
putat eversa libertate Deum cogere hominem
ad bonum. Cui Augustinus: *Absit ut dicatur*
à nobis: SI ENIM COGITVR NON
VVLT. *Et quid absurdius quam ut dicatur* NO-
LENS VELLE *quod bonum est.*

Lib. 1. oper imp. cont. Iul. c. 151.

Hunc ipsum omnino liberi arbitrij interi-
tum tanquam omnis nostræ voluntatis mor-
tem, ex gratia Dei nasci concludunt Pelagia-
ni, in fragmento quodam præclarissimi ser-
monis quem contra istos hostes gratiæ scripsit;
Quid ergo NOS FACIMVS inquiunt, *si nihil habe-*
mus in potestate nisi Deus det omnia? ERGO NON
NOS CORONABIT DEVS SED SE CORONA-
BIT. Non poterant efficacius exprimere, quid
sibi de destructa per gratiam libertate vellent.
Sed audi quid respondeat Augustinus, & non
aliter salvam persistere libertatem doceat,
quam quia non instar lapidum agimur, sed
ei jam simul aliquid agimus nostra voluntate:
Iam videtis, ait, *quia de illa vena venit* (Pelagia-
na) *vena est sed venenum habet. Percussa est enim*
à serpente, sana non est. Et radicem detegens in
præcedentibus ex qua peti debeat, quod non
se sed nos coronabit Deus, quia nos ipsi ali-
quid agimus: *Nisi Deus adiuvet tenemenimus.*
CONAMVR *quidem facere* VOLVNTATE, ET
NITITVR ALIQVID VOLVNTAS, *non præsumat*
potestas nisi adiuvetur infirmitas. Et paucis inter-
positis multo evidentius: *Quicquid nobis iube-*
tur orandum est, ut impleatur, sed non sic ut dimitta-
mus nos, & quomodo ægri iaceamus supini, & di-
camus pluat Deus escas super facies nostras, ut
PRORSVS NOS NIHIL AGE-
RE VELIMVS; *& cum esca compluta*
fuerit super os nostrum, dicamus ETIAM DEVS
GLVTIAT DE NOBIS ALIQVID ET NOS
AGERE DEBEMVS, STVDERE DEBEMVS CO-
NARI DEBEMVS. Ex quibus omnibus Pela-
gianorum objectionibus de liberi arbitrij sub-
versione per Dei gratiam conquerentibus, &
Augustini responsionibus, nihil evidentius esse
potest quam Pelagianos, non aliter putasse
libertatem voluntatis violari, nisi quia Deus
per gratiam totum solus faceret adeoque ho-
minem invitum & reluctantem ad bonum co-
geret: nec aliter Aug. liberum arbitrium de-
fendere, & concordiam utriusque tradere, nisi
quia non sola in homine operatur, sed etiam
voluntas ex nolente & repugnante fit volens,
& volendo cum gratia aliquid facit.

Frag. 1.

Ibid.

CAPVT SEXTVM

Eadem ex alijs diversis locis Augustini asseritur.

QVOD si & alia divi Augustini lo-
ca excutere ac testimonia accersere
velim, quibus cuncta ejus opera
contra Pelagianos referta sunt, luce
meridiana manifestius apparebit, illam quam
diximus unicam gratiæ cum libera voluntate
conciliationem ab ipso agnitam, probatam,
traditam esse Christianis, & ejus solius expli-
catione hostibus Ecclesiæ satisfacere voluisse.
Semper enim hoc unum intuetur, ne solus, aut
gratia totum opus sine nostro consensu ac vo-
luntate nobisque invitis quasi cogendo effe-
cisse videatur. Nam ad prædictas Pelagiano-
rum de destructa libera voluntate querimo-
nias, allatamque à se concordiam respicit,
quando dicit, *Neque enim voluntatis arbitrium*
ideo tollitur, quia iuvatur, sed ideo iuvatur quia non
tollitur; hoc est, quia & ipsa voluntas vult
& agit. *Qui enim Deo dicit; adiutor meus esto,*
confitetur se velle implere quod iussit, sed ab eo qui
iussit adiutorium poscere, ut possit. Sic & ille cum
sciret neminem esse posse continentem nisi Deus det,
adijt Dominum & deprecatus est: VTIQVE VO-
LENS ADIIT, VOLENS DEPRECATVS EST;
NEC PETISSET NISI ESSET VOLVNTAS,
id est, volitio. *Sed si petisset; quantum posset vo-*
luntas? Eodem respicit, quando in Epistola
ad Sixtum dicit: *Quod enim putant* (Pelagiani)
auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam
voluntatem, id est, ipsum velle, *sine adiutorio Dei*
hominem habere consenserint, non intelligunt, non
se firmare humanum arbitrium, sed impellere, ut per
inania feratur, non in Domino tanquam in petra sta-
bili collocetur. PARATVR ENIM VOLVNTAS A
DOMINO: Hoc est, ipsum velle paratur à
Domino, & ita per gratiam non aufertur li-
berum volendi seu voluntatis arbitrium, quia
ipsum arbitrium vult. Eodem respicit aper-
tius in Epistola centesima sexta ad Paulinum
quando dicit: *Non volentis neque currentis sed*
miserentis est Dei, non quia NVLLVS EST HOMI-
NIS, ATQVE VOLVNTATIS CVRSVS, *sed quia*
nihil potest, nisi ille misereatur. Quasi videlicet
hoc ipso cursus propriæ voluntatis auferretur,
quo tribueretur gratiæ Dei. Nam illud erat
Celestij cognatum capitale: *Non esse liberum arbi-*
trium, si Dei indigeat adiutorio. Ratio erat, quia
aiebat *in propria voluntate habet unusquisque aut*
facere aliquid aut non facere. Et illud alterum
cognatum: *Victoriam nostram non ex Dei esse adiu-*
torio, sed ex libero arbitrio: quia videlicet vere-
batur, ne hoc ipso perderet opus propriæ vo-
luntatis, si alieno adjutorio & voluntate fieri
crederet. Itaque ad ista dogmata Pelagiana
respicit Aug. in illa jam citata Epist. ad Pau-
lin. cum directe ex opposito dicit: *Fateatur esse*
liberũ arbitrii, etiamsi divino indiget auxilio, tollens-
que lapidem istius offensionis adjicit: *Fateatur*
quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas
dimicamus, QVAMVIS ET ILLIC HABEAMVS
PROPRIAM VOLVNTATEM, *non tamen ex illa sed*
adiutorio Dei nostram provenire victoriã. Et aliquãto
interius: *Nam & illi* (Iudæi) *quibus isti* (Pe-
lagiani) *in hac causa omnino simillimi, professo*
sua

Epist. 89. ad Hilar.

Epist. 105. ad Sixtum.

Epist. 106.

Lib. de gest. Pelag. c. 18.

Epist. 106.

Ibid.

A SVÆ VOLVNTATIS *vitio non credebant*, hoc est propria voluntate non credebant, & ideo libera voluntate: *Non enim ut essent infideles* COGEBANTVR *in vitium, sed* NOLENDO CREDERE, *infidelitatis vitio non credebant.* Eodem respicit, quando in Epistola ad Vitalem explicans quomodo per Dei gratiam *liberetur arbitrium*, ita hoc fieri docet, quia efficit ut legi doctrinæque *consentiant*. Et post nonnulla, *non est volentis neque currentis* &c. NON QVIA VELLE NON DEBEMVS ET CVRRERE, *sed quia ipse in nobis & velle operatur & currere.* Vnde interius occurrendo murmuribus Pelagianis & hanc concordiam tangens: *Scimus eos qui corde proprio credunt in Dominum*, SVA ID FACERE VOLVNTATE, AC LIBERO ARBITRIO Et postquam quædam attexuisset iterum evidentius: *Quomodo dicuntur negare liberum arbitrium qui confitentur omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum* NON NISI SVA LIBERA CREDERE VOLVNTATE. *Cùm potiùs illi oppugnent arbitrium, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda & agenda sit liberum.* B Nempe quia per gratiam à terrenis cupiditatibus arbitrium liberatur, quibus impedientibus non potest bonum velle vel agere. Eodem respicit quando in libro de perfectione iustitiæ contra Celestium dicit: *Vt quid ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis & currentis & non miserentis est Dei?* NON QVIA HOC SINE VOLVNTATE NOSTRA AGITVR: *sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adiuvetur.* Nam ut nonnihil post subjungit: *Nec adiuvatur nisi qui & ipse* ALIQVID AGIT. Eodem respicit quando in libro de correptione & gratia, concordiam liberæ voluntatis & gratiæ traditurus, non solum id quod superius allegavimus dicit, *aguntur ut agant, non ut ipsi* NIHIL *agant*, sed uberius in decursu libri, Pelagianorum suffocans murmura, C nihil aliud profert nisi quod gratia fortiter *Domino præparante voluntatem*, nos velle facit: *Quando rogavit ergo* Christus pro Petro, *ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit nisi ut haberet in fide* LIBERRIMAM, FORTISSIMAM, INVICTISSIMAM, PERSEVERANTISSIMAM, VOLVNTATEM? Vbi *liberrima* non significat indifferentissimam. Absit illud: contrarium enim patet ex epithetis sequentibus, quæ omnia voluntatem uni parti astrictissimam sonant, sed familiarissima sancti Doctoris phrasi, liberrimum significat à concupiscentijs carnis nos captivos ducentibus in legem peccati liberatissimum, ut sine omni impedimento terrenæ libidinis retrahente, fortissimè & ardentissimè bonum velit. Itaq; subjungit. *Ecce quemadmodum secundum gratiã Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana, non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatẽ, & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem.* Quæ indifferentiæ sunt D prorsus contraria. Sic ergo gratia liberrimam facit voluntatem, quia vehementissimè voluntatem velle ardentissimeque facit. Nam eodem respicit, quando in eodem libro planius hoc ipsum explicans dicit gratiam efficere ut *Deo donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Et uberius de constituentibus Regem David liberum arbitrium cum Dei operatione concilians: SVA VOLVNTATE *utique isti constituerunt Regem David. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt.* Hoc est, non inviti & repugnantes Deo ipsos cogente fecerunt: *Et tamen hoc in eis egit qui in cordibus hominum, quod voluerit operatur.* Ad easdem Pelagianorum querelas suamque concordiam gratiæ & libertatis respicit, quando in libro de prædestinatione Sanctorum cùm vehementer gratiam quæ facit credere commendasset, statim occurrens adjicit: *Non quia* CREDERE VEL NON CREDERE *non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed præparatur voluntas à Domino.* Hoc est, sed Deus facit, ut voluntas velit credere. Et in libro secundo de peccatorum meritis & remissione, apertissimè loquens de adjutorio gratiæ Dei: *Nec adiuvari potest nisi qui etiam* ALIQVID SPONTE CONATVR: *quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem, voluntatemq; non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Easdem Pelagianorum imaginationes, ac sæpiùs traditam à se concordiã gratiæ & libertatis respicit, quando cum illa verba Apostoli citasset; *Omnis qui habet spem hanc in ipso, castificat seipsum*, tractatu quarto in Epistolam Ioannis dicit: *Videte quomodo non abstulit liberum arbitrium* per prædicationem gratiæ Dei, *ut diceret castificat semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus? Sed Deus te* NOLENTEM *non castificat. Ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum. Castificas te non de te, sed de illo qui venit, ut habitet in te. Tamen quia* AGIS IBI ALIQVID VOLVNTATE *ideo & tibi aliquid tributum est. Ideo autem tibi tributum est, ut dicas sicut in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis adiutor meus esto,* ALIQVID AGIS: *Nam si* NIHIL AGIS, *quomodo ille adiuvat.* Sic enim concipi volebant Pelagiani Deum per gratiam in homine operari bonum, ut homo quasi *dormiens*, aut *lapis*, aut *supinus iacens* (quibus cõparationibus jam antea sanctus Doctor usus est) invitus à gratia moveretur, *ipsoque* prorsus *nihil agente*, alius de seipso aliquid ageret; atque ut idem dicit, nobis quasi supinis jacentibus & cibo super os pluente, *Deus glutiret de nobis.* Cujusmodi Phantasmatum illusiones, etiam alio quodam excludit loco: *Moveri per se animam sentit, qui sentit in se esse voluntatem. Nam si volumus, non alius de nobis vult*, quemadmodum delirare videbantur Manichæi. Vnde & adversus ipsos istud ipsum inculcat, quod homines non aliena sed propria agant loquanturque voluntate: *Datum est*, inquit, *animæ liberum arbitrium: quod qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conantur; usque adeo cæci sunt, ut ne ista quidem vana, atque sacrilegia propria voluntate se dicere intelligant.* Quasi dicat, si intelligerent, propria voluntate ista se dicere, jam hoc ipso intelligerent liberum arbitrium.

Margin notes: *Epist. 107.* — *In medio.* — *Lib. de perf. iust. c. 19.* — *Lib. de Cor. & grat. c. 2.* — *Ibid. c. 8.* — *Ibidem.* — *Ibid. c. 12.* — *Cap. 14.* — *Lib. de prædest. Sanct. cap. 5.* — *Lib. 2. de pecc. merit. cap. 5.* — *1. Ioan. 3.* — *Tract. 4. in Epist. Ioan.* — *Vide supra citata ex fragmentis.* — *Lib. 83. qq. quæst. 8.* — *Lib. de quantitate animæ cap. 36.*

N n Qua-

Quapropter ut libertatem arbitrij salvam esse sub gratia manifestet, & utramque sibi invicem conciliet, nihil prorsus adversus Pelagianos unquam ostendere conatur, nisi Deum A gratiam non operari solum, sed ut voluntas divinitus adjuta velit, & ita non prorsus nihil, sed aliquid etiam ipsa simul agat.

CAPVT SEPTIMVM.

Eadem ostenditur ex alia querela Pelagianorum.

QVIA verò non exiguum compertæ veritatis argumentum est, quando doctrina quæpiam sibi ex omni parte consentit, ex alio quoque capite ostendi potest, hanc & non aliam tanquam veram & genuinam conciliandi rationem Augustinum agnouisse. Nam quemadmodum gratiam cum libero arbitrio non aliter consentire facit, nisi ostendendo quod gratia non sola facit, sed aliquid etiam voluntas agit; ita è contrario adversus eosdem Pelagianos, liberum arbitrium cum gratia conciliare volens, non aliud ostendit, nisi voluntatem non solam agere, sed gratiam simul afferre influxum suum. Sciendum est enim, quod quemadmodum Pelagiani liberum arbitrium inde colligebant, quia Deus per gratiam bonum opus facere ab Augustino dicebatur; ita è contrario inde colligebant nihil agere gratiam, quia Scripturæ disertis verbis voluntatis opus exigunt: nam ista duo utrimque directè repugnantia esse sentiebant. Hanc eorum ratiocinationé sæpius in Aug. scriptis invenire licet, ut in libro de perfectione justitiæ: *Magnum aliquid pro sua causa se invenisse arbitratus est apud Isaiam Prophetam quia Deus dicit:* SI VOLVERITIS *& audieritis me, quæ bona sunt manducabitis: si autem nolueritis* &c. Et Iulianus cùm plures hujusmodi Scripturas congregasset, ut, *Aut facite arborem bonam* &c. Et: *Si mihi non vultis credere operibus credite.* Et, *Si volueritis & audieritis me* &c. tandem concludit ex humana voluntate interitum gratiæ, quam Augustinus prædicaverat: *Quomodo ergo tu arbitrium liberum non negas*, dicendo videlicet id per gratiam esse liberandum? Cum his igitur locutionibus liberum voluntatis seu volendi arbitrium perspicuè profitentibus, non aliter conciliat gratiam Augustinus, nisi quia gratia facit velle voluntatem, nihil omninò de indifferentia præsente vel absente satagendo. Nam in libro de prædestinatione Sanctorum, cùm similem argumentationem Semi-Pelagiani adversus Augustinum verterent: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi*; ut sic ex eo quod homines ipsi volunt, gratiam ab actu voluntatis credendi tollerent, respondet Augustinus: *Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas a Domino, discernendum est utique, quid veniat de misericordia Dei, quid de iudicio.* Hoc est, cùm Deus alios faciat velle, alios non, discernendum est quid faciat gratia, quid non. Vnde paulò inferius: *Illi quia voluerunt crediderunt, illi quia noluerunt non crediderunt. Misericordia igitur,* hoc est A operatio gratiæ, *& iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt.* Quod multis interjectis eodem sensu conciliandi liberam voluntatem cum gratia, quo antea gratiam cum libera voluntate, ait: *Et si faciunt homines* & non aliquis alius sine nostra voluntate, *bona quæ pertinent ad colendum Deum ipse facit ut illi faciant.* Et rursum inferius: *Ideo hæc & nobis* ipsis non alijs, *præcipiuntur & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quod & nos ea facimus*, contrà quàm somniabant ex operatione gratiæ Pelagiani; *Et Deus facit ut illa faciamus.* Et in fine ejusdem libri ea quæ tradiderat in summam colligens: *Probavimus cùm Deus vult fieri, quod* NON NISI VOLENTIBVS HOMINIBVS *oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc* VELINT, *eo scilicet inclinante qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.* Et in libro de dono perseverantiæ, illum ipsissimum conciliandi modum intuetur, capite B decimo tertio: *Nos ergo volumus* (cujusmodi verbis hostes gratiæ, vim operationis ejus ex voluntatis actione subruebant) *sed Deus in nobis operatur & velle: Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.* Et circa finem libri docet credere Ecclesiam quod ita Deus habeat in potestate cor nostrum, *ut bonum quod non tenemus nisi* PROPRIA VOLVNTATE, *non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur & velle.* Quod etiam significatum cupit, quando non semel docet Spiritum sanctum dici ab Apostolo in cordibus nostris clamare quia clamare nos facit, *Nos enim*, inquit, *clamamus, sed in illo, hoc est in ipso diffundente charitatem,* id est voluntatem. Et in Epistola centesima quinta Christi Domini verba explicans, quibus dicit, *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, ut Pelagianas cavillationes liberum arbitrium tolli murmurantes præveniret: *Neque enim*, inquit, *& hoc ita fit* DE NOBIS, *tanquam* NIHIL FACIENTIBVS NOBIS. *Adjutorium igitur Spiritus sancti sic* C *expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit.* Et ita similiter exponit Spiritum sanctum dici *clamare quo efficitur ut clamemus*, & interpellare pro nobis, *quia interpellandi & gemendi inspirat affectum.* Et Concilium Arausicanum quando dicit: *Quamvis* VOLENTES AGVNT QVOD AGVNT, *illius tamen voluntas est, à quo præparatur* id est datur *& iubetur quod volunt.* Ecce vides etiam hinc, semper eò redire doctrinam Augustini, ut propterea nos voluntate velle bonum doceat, quia gratia facit velle: nec alia ratione esse opus liberæ voluntatis, nisi quia gratia nos propria voluntate aliquid volentes & agentes facit.

Lib. de perfect. iust. cap. 19.

Lib. 1. contra 2. oper. imperf. fol. 183.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 6.

Ibidem.

Ibidem.

Ibid. c. 10.

Cap. 11.

Cap. 16.

Lib. de dono pers. cap. 13.

Ibid. c. 23.

Serm. 11. de verbis Domini c. 18.

Epist. 105. ad Sixtum.

Conc. Araus. 2. can. 23.

CAPVT.

CAPVT OCTAVVM.

Eadem ex libro quem hanc solam ob causam Augustinus scripsit, ad oculum demonstratur.

QVOD ut remotâ omni ambiguitatis & obscuritatis nebulâ, manifestissimè cuilibet lectori pateat, cui oculos non clauserit pervicacia, liber de gratia & libero arbitrio perlustrandus est. Cùm enim illum Sanctus Augustinus sub finem vitæ iam diu cum Pelagianis luctatus & eorum assiduis pulsatus de suffocatâ per gratiam libertate querimonijs, ex professo composuerit, ut concordiam liberi arbitrij cum gratia patefaceret, fieri non potest quin omnes nervos in eruendâ demonstrandamq; veram conciliationis vtriusq; radicem exseruerit & quam legitimam arbitratus est, scripto consignaverit. Nam eo solo scopo librum hunc exaratum esse, statim in exordio protestatur: *Quoniã sunt quidam qui sic gratiã Dei defendunt ut negent hominis liberum arbitriũ. aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitriũ, hinc aliquid scribere, ad vestram charitatem Valentine frater, & ceteri qui simul Deo servitis, compellente mutuâ charitate curavi.* Quod etiam ita accuratè præstat, ut à capite usque ad calcem nil aliud agat nisi ut alternatim singula, nunc liberum arbitrium, nunc vicissim gratiam librando & utriusque officia trutinando, ipsa in eandem actionem concorditer, salva utriusque proprietate fluere demonstrentur.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 1.

A

Videamus igitur quam conciliandi rationem ipse excogitaverit, velut legitimam securissimè proposuerit, docuerit, Religiosis viris istis tanto studio commendaverit, & sub finem eos compellando dixerit: *Repetite assiduè librum istum; & si intelligitis Deo gratias agite: ubi autem non intelligitis orate ut intelligatis. Dabit enim vobis Dominus intellectum.* Quod propter quæstionis istius *difficillimæ*, quemadmodũ ijsdẽ scribens Monachis eam appellavit, tenebras dixit.

Ibid. c. ult.

Epist. 1. ad Valent. & Monachos eius.

Itaque in ingressu statim è sacris literis demonstrandum suscipit, esse in homine liberum voluntatis arbitrium, nec unquam vel semel quærit aut probat illud esse indifferẽs ad utrumlibet, sed hoc unum duntaxat, quod præcepta Dei postulant ab homine, sive tacitè sive expressè, ut *velit* aut *nolit*. Ex quo concludit: *Nempe ubi dicitur noli hoc, & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Et quomodo satis si indifferentia ad utrumlibet libertati necessaria est? Nonne tu ipse doces esse quandam in cælo beatam boni volendi, hoc est, Dei diligendi necessitatem quæ sine voluntate non fiat? Nempe de indifferentia, qualem Scholastici quidam exigunt, nihil omninò S. Doctor sollicitus est, dummodo non alienetur opus à *propria* voluntate. Nam hoc unicum ab ipso toto libro, à capite ad calcem usque respici, intendi, probari, inculcari, ut videlicet non separetur opus ab humana voluntate, quemadmodum vi gratiæ contingere Pelagiani delirabant, quasi alius, ut ipse loquitur, *de homine* vellet, vel homo *invitus* ac *reluctans* cogeretur. Et in hoc unico concordiam gratiæ & liberæ voluntatis, ab ipso statui, quod arbitrium non instar trunci vacet, aut cogatur invitum, sed simul etiam *aliquid propria voluntate* velit & agat tam est perspicuum & toties repetitũ, ut profectò necesse sit, vel cæcum esse qui non viderit, aut contentiosissimum qui negaverit.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.

Nam primò statim post illam conclusionem suam, qua collegerat ex *velle* & *nolle*, satis liberum arbitrium demonstrari, deliram jugulans Pelagianorũ opinationem, subjicit: *Neque cùm aliquid secundum Deum*, id est aliquid boni, operatur, ALIENET HOC A PROPRIA VOLVNTATE. *Quando enim* VOLENS *facit, tunc dicendum est opus bonum.*

B

Secundò hoc ipsum agit cap. 3. Nam liberum bitrium salvum esse probaturus: *Noli*, inquit, *vinci a malo, sed vince in bono malum. Et utique cui dicitur* NOLI VINCI, *arbitrium sine dubio voluntatis eius convenitur.* VELLE ENIM ET NOLLE PROPRIÆ VOLVNTATIS EST. Et initio capitis 4. indicat se istis verbis non tantum arbitrium voluntatis, ut aliquis suspicari posset phrasibus ejus non assuetus, sed etiam liberum arbitrium defendisse.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 3.

Tertiò hoc ipsum agit cap. 4. ubi liberum ararbitriũ ex præceptis non fornicandi assertus: *Numquid indicant aliud quam liberũ arbitrium?* Et quomodo indicant? *Neque enim præciperentur nisi homo haberet propriam voluntatẽ qua divinis præceptis obediret.* Et ideo nõ præcipitur ijs qui propriâ voluntate carent, & in præceptis implendis nihil omninò agere possũt, sicut nihil omninò nos agere, operante in nobis sola gratia, Pelagiani querebantur. Nam inde est quod

Cap. 4.

C

Quartò hoc ipsum agit ex Apost. verbis in Epist. 2. ad Corinth. *Rogamus ne in vacuum gratiã Dei suscipiatis.* Subijcit enim: *Vt quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem?* Hæc enim erat ipsissima Pelagianorum imaginatio, quod opus præceptum gratia sola, aut Deus per gratiam solus *perficeret sanctitatem sine voluntate nostra*, ut loquebantur, ideoq; *gratia sua aliquid imperasset*. prout Catholicis exprobrando dicebant, ut supra declaravimus.

Cap. 5.

Lib. de grat. Christi. c. 7.

Quintò hoc ipsum agit cap. 9. dum illa tractat Apost. verba *Deus operatur in vobis & velle & operari*, quæ maximè liberum arbitrium voluntatis læsisse videbantur: *Non enim*, inquit, *quia hoc dixit, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est.* Quo pacto igitur tanta Dei operatio cum libero arbitrio conciliari debet? Audi: *Quod si ita esset non superius dixisset: Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem* OPERAMINI vos videlicet non solum

Cap. 9.

Digitized by Google

Deus. *Quando enim iubetur ut operentur, liberum eorum conventur arbitrium.* Nempe quia impossibile est, ut hoc fiat nihil agentibus nobis, sine nostra propria voluntate. Nam hoc ipsum respicere tum ea quæ toties præcesserunt, tum ea quæ toties adhuc sequuntur, perspicuè probat.

A

Sextò enim hoc ipsum agit capite decimo quinto, ubi cùm præmisisset Deum ab hominibus auferre cor lapideum, hoc est durissimam voluntatem subtexit statim: *Ne autem putetur* NIHIL *ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur: nolite obdurare corda vestra* &c. Et concilians loca quæ postulant præceptum tanquam à libero arbitrio faciendum, & quæ Deum per gratiam hoc facturum pollicentur, non aliter hoc præstat, nisi *quia Deus dat quod iubet, cum adiuvat, ut faciat cui iubet.* Hoc est, gratia facit & facere (ut non alius quispiã de nobis, sed ipsũ liberum arbitrium velit & faciat) & hoc ipso liberè seu per ipsum liberum arbitrium, quia velle nisi liberè, juxta S. Augustinum, nemo prorsus potest. Hoc enim ipsum statim adjicit, *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona*; ubi voluntatem pro volitione sumi ex pluribus subjunctis per tria tota capita manifestissimum est.

B

Lib. de grat. Christ. c. 15.

Septimò hoc ipsum agit capite 20. ubi recolligens breviter id quod egerat, totoque libro sibi agendum proposuerat: *Satis me disputasse arbitror adversus eos qui gratiam Dei vehementer oppugnant, quæ* VOLUNTAS HUMANA NON TOLLITUR, *sed ex mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit adiuvatur.* Ecce quid in gratiæ operatione adversarijs displicebat, nempe quod voluntatem humanam prorsus tollere, & ideo liberum arbitrium violare videretur. Negat hoc Augustinus & utrumque conciliat, quia gratia mutat voluntatem in aliam, malam in bonam, & bonam adjuvat. Non igitur tollit sed relinquit voluntatem, & ita nullo modo liberum exstinguit arbitrium. Quod ut facilius de operatione Dei per gratiam perciperetur, prolixè probat multis, Deum etiam alijs modis potentissimis in homine operari; qui tamen non lædant liberum voluntatis arbitriũ. Non lædere autem sed incolume sub quacumque Dei operatione servari, non aliter probat nisi quia fiunt ea quæ per ipsos Deus operatur, sua ipsorum voluntate, propria voluntate, non sine voluntate, per voluntatem.

Cap. 20.

C

Octavò igitur hoc ipsum Augustinus agit eodem capite vigesimo, quando de hostibus Israëlitarum dicit: *Numquid non hostes Israëlitarum adversus populũ Dei quem ducebat Iesus nave,* SUA VOLUNTATE *pugnarunt? Et tamen dicit scriptura, quia per Dominum factum est confortari cor eorum &c.*

Ibidem.

Nonò hoc ipsum agit, quando ibidem de Semei dicit: *Numquid non* SUA VOLUNTATE *homo improbus filius Iemini maledicebat Regi David? Et tamen quid ait David plenus verá & altá & piá sapientiá? Dimitte eum ut maledicat, quia Dominus dixit illi maledicere David.*

Ibidem.

D

Decimò hoc ipsum agit in eodem capite, quando de Absalon dicit: *Numquid non* SUA VOLUNTATE *Absalon elegit consilium quod sibi obe[e]rat? Et tamen ideo fecit quia exaudierat Dominus eius patrem orantem ut hoc fieret.* Ibidem.

Undecimo hoc ipsum agit in capite vigesimo primo, quando de Roboam dicit: *Unde hoc* quod Roboam *respuit consilium salubre seniorum, nisi* PROPRIA VOLUNTATE? *Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus, ut itaus Dei voluntas fieret*; quia videlicet *conversio erat a Domino*, ut verbum Ahiæ Silonitæ impleretur. Quibus iterum subjungit Augustinus: *Nempe sic factum est & illud* PER HOMINIS VOLUNTATEM, *ut tamen conversio esset a Domino.* Cap. 21.

Duodecimò hoc ipsum agit in eodem capite paulò post, quando de Philistiim & Arabibus quorum spiritum Deus suscitaverat in Iudæam irrumpentibus dicit: *Numquid Philistiim & Arabes in terram Iudæam dissipandam* SINE SUA VOLUNTATE *venerunt? Aut sic venerunt* SUA VOLUNTATE *ut mendaciter scriptum sit, quod Dominus ad hoc faciendum eorum spiritum suscitavit?* Lib. de grat. Christ. c. 21.

Decimo-tertio hoc ipsum agit, quando difficultatem istam de Arabibus propositam, liberum arbitrium cum Dei operatione conciliando subnectit: *Imo utrumque verum est, quia &* SUA VOLUNTATE *venerunt, & tamen spiritum eorum Dominus suscitavit. Quod etiam sic dici potest, & eorum spiritum Dominus suscitavit, & tamen* SUA VOLUNTATE *venerunt.* Ratio conciliationis est, non quia arbitrium indifferens, sive ad contraria sive ad contradictoria permanet, sed quia per Dei operationem accipit ipsum voluntatis motũ, & sic ipsum arbitriũ, non alius operatur: *Agit enim, inquit, omnipotens in cordibus hominum etiam* MOTUM VOLUNTATIS *eorum,* ut non solus aut per alios, sed PER EOS AGAT, *quod per* EOS AGERE *ipse voluerit.* Quod prolixius probat in sequentibus, semper ita servans liberum arbitrium sub operatione Dei, quia Deus quodcumque vult, sive timorem sive fiduciam, quo *timent aut fidunt homines,* ETIAM IN CORDIBUS *hominum operatur.* Unde generali sententiâ concludendo docet, ex ijs quæ protulerat Scripturæ testimonijs manifestari: *Operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas* EORUM VOLUNTATES, *quocumque voluerit,* ne videlicet putaremus liberum arbitrium voluntatis seu volendi violari, ubi Deum audimus ipsas voluntates ipsumq; motum cordis operari. Ibidem. Ibidem.

Decimo-quartò hoc ipsum agit, quando de induratione Pharaonis, quem Deus indurasse legitur dicit: *Nec ideo feratis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: Ego induravi Pharaonem,* quasi videlicet istâ phrasi significaretur Deum hoc tantũ, nihil verò Pharaonẽ agere. Sic enim rationem reddit: *Non enim propterea* IPSE PHARAO *non induravit cor suum.* Quod cùm Scripturis probavisset: *Ac per hoc,* inquit, *& Deus induravit per iustum iudicium, &* IPSE PHARAO *per liberum arbitrium.* Cap. 23.

CAPUT

Digitized by Google

CAPVT NONVM.

Declaratur hoc ipsum ex concordia motuum concupiscentiæ & liberi arbitrij ab Augustino tradita, ex quibus Pelagiani similiter querebantur liberum arbitrium extingui.

NEc verò in bonis tantum actionibus, vi gratiæ Pelagiani liberum arbitrium tolli querebantur, sed etiam in malis. Augustinus enim, quemadmodum omnia bona ad Dei gratiam referebat, per quam Deus omnia quæ ad pietatem pertinent operabatur in nobis, ita quoq; omnia mala quæ post lapsum Adæ peccando perpetrantur, ad indomitam illam concupiscentiam & ignorantiam, quę supplicia primi peccati sunt, velut ad duos exitiales fontes reducebat. Ex quo fiebat, ut non minor Pelagianis occasio querimoniæ offerretur, quod concupiscentia tolleret peccandi liberum arbitrium, quàm gratia bene vivendi. Vtrimq; enim non ipse homo, sed vel Deus, vel diabolus de ipso homine, *nihil prorsus agente*, vel *invito* ac *nolente* operari videbatur, atq; ita tollere voluntatis, & per hoc etiam liberæ voluntatis arbitriũ. Hinc Iulianus Augustino sæpius ex isto capite liberi arbitrij subversionẽ exprobrat, quando eum docere asserit, quod *lex peccati habitans in membris captivũ hominem* COGAT *servire criminibus, nõ castigatione in turpitudinibus sed in fervoribus dignitorem, quandoquidem quod nos* (Pelagiani) *separare volũtatis esse dicimus, id in Ecclesia a viris & feminis, magnisq; Potestatibus criminali p. ß. o.* [illegible] *capatur.*

Lib. 2. cont. Iul. oper imperf. fol. 216.

Et alibi dicit Augustinũ *delectationem voluptatis* [illegible] *nature, ut nunquam quis emendare conetur, u d sperat* (vel ut Aug. ejus verba repetit) *quod* SCEL[illegible] IN SE ALTERVM PERPETRARE. Nempe hoc vult in Aug. sententia, non ipsum hominem, sed in ipso homine alterum quempiam perpetrare peccatũ, quemadmodum dicebant Manichæi non hominem, sed naturam malam homini commixtam peccata perpetrare. Quam ob causam Augustino etiam non semel Manichæismum destructæ libertatis imponit. Et multò inferius asserit Augustinum hac doctrinâ de concupiscentia ex Adamo transeunte per quam peccatur, *Ipsam arbitrij libertatem unius peccati impulsione subruere, ut nemo deinceps in potestate haberet, vetera crimina virtutis electione repurgare, sed uno omnes in condemnationem eversa humanitatis torrente raperentur.* Ad has acerbas Pelagianorum invectivas, nihil aliud iterum iterumq; respondet Aug. nisi falsum esse quod querebantur, eo quod non in homine alius, sed ipse homo propriâ voluntate ac delectatione peccaret. Sed propria tam objicientium quam respondentis verba videamus. Idem igitur Iulianus in eodem libro sic Augustino destructionem libertatis improperat: *Delectat* (Augustinum) *flagitiorum crimina officia vocare membrorum, Catholicam hanc fidem esse, ut liberum confiteatur arbitriũ, sed per quod homo malum facere cogatur, & bonũ velle nõ possit.* Sed quid pro peccandi libertate permanente Augustinus? Nihil

Ibid. f. 221.

Ibid. f. 292.

Lib. 2. contra Iul. oper. imperf. fol. 215.

aliud nisi: *In malum voluntas libens vergit vitiata, propter quod est sananda natura.* Et libro primo ad Bonifacium sic objicit idem iste Iulianus: *Dicunt isti Manichæi* (id est, Catholici) *quia primi hominis peccato, id est, Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo iam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ* NECESSITATE COGANTVR. Nec ad hoc ipsum aliud respondet Aug. ut liberum salvet arbitrium, nisi hominem non cogi, sed libenter cum delectatione, & ideo propriâ & liberâ voluntate peccare: *Liberum arbitrium,* inquit, *usq; adeo in peccatore non periit ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet quod eos libet.* Et longe manifestius in sequentibus expressis verbis eorum calumniâ suffocare contendens: *Sed in malo liberum habet arbitriũ.* Quomodo, qua ratione, qua indifferentia ad utrumlibet? Audi: *Cui delectationem malitiæ vel occultus, vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit.* Et concludendo, clarius colligens id quod dixerat, nec aliter liberum arbitrium in peccando quærendũ esse significans, nisi quia vi delectationis istius quam dixerat, non alius quispiam cogens hominem, sed ipse homo delinitus propriâ voluntate peccatum facit, continuo subjicit: *Non itaque sicut dicunt nos quidam dicere, & iste audet insuper scribere, omnes in peccatũ velut inviti carnis suæ necessitate coguntur: sed si iam in ea ætate sunt ut propriæ mentis utantur arbitrio, & in peccato* SVA *non aliena* VOLVNTATE *retinentur, & a peccato in peccatum* SVA VOLVNTATE *præcipitantur.* Et rursum causam istius edocens, & eandem concupiscentiæ cum libertate concordiam tangens: *Neque enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi ut peccatum*, non ipse diabolus vel caro hominum, sed ipsimet homines, VOLVNTATE *committant, vel ignorantiâ veritatis, vel* DELECTATIONE *iniquitatis, vel utroque malo & cæcitatis & infirmitatis.* Sed quomodo igitur, inquies, voluntas ista libera est ad peccandum & non peccandum, si solum eatenus libero peccatur arbitrio, quia homo peccato delectatur, atque ideo suâ voluntate delinquit? Respondebit Augustinus, se nihil omninò de tali indifferentiæ libertate esse sollicitum, sed eatenus liberam esse, ut ibidem dicit, quia est *libera a iustitia*, hoc est, quia arbitrium non impeditur à justitia, quin ipsummet voluptate peccandi delectatum propriâ suâ voluntate peccet.

Ibid.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Lib. 1. ad Bonif. c. 3.

Ibidem c. 3.

Ibidem.

Nam citatis Apostoli verbis: *Cum essetis servi peccati, liberi fuistis iustitiæ*, mox subjungit: *Ecce ostenduntur etiam peccato minime potuisse, nisi alia libertate servire. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis.* Et inferius: *Hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera*

Ibidem c. 2.

Cap. 3.

in bonis non est, *quia liberata non est*, videlicet à dilectione peccandi quæ impedit ne volendo versetur in bonis, & opus bonum ex cælesti delectatione, ideoque propriâ voluntate operatur. Quæ sanè sicuti capitaliter adversantur indifferentiæ ad utrumlibet, ita determinationem potiùs voluntatis ad unum evidenter probant. Delectatio quippè non indifferentem facit voluntatem, sed indifferentiam ad alteram partem vehementissimè trahit.

Hinc est igitur, quod cùm Iulianus cæterique Pelagiani postularent mordicus ab Augustino, ut indifferentiam ad bonum & malum libero arbitrio ante gratiam concederet, quatenus peccare posset & non peccare, atque istâ ratione libertas arbitrij salva esse posset, mordicus è contrario sanctus Augustinus concedendum neget. Quod usque adeo ipse verum esse putat, ut oppositum velut errorem improbet, apertissiméque aliquoties tradat esse in hominibus *peccandi necessitatem*, & in ista necessitate peccandi, *non esse securitatem*, conscientiæ, quasi non esset peccati rea, voluntatem jam ita peccare ut *non sit in liberum à peccato abstinere*, quod Adamo liberum fuit, nec tamen idcirco desinere esse peccatū. Hæc & hujusmodi apud Augustinum frequentissima sunt, & à nobis ex professo demonstrata, quibus propterea repetēdis non est hic immorandum, ne lector nimiâ prolixitate fatigetur.

Supr. lib. 3. de statu naturæ lapsæ à c. 1. usque ad 14. imo pene toto.

Ex quibus profectò omnibus, duo nisi me fallit, perspicuè colliguntur. Primum verissimum esse quod initio proposueram: Pelagianos non alia de causa adversus Augustini & Ecclesiæ doctrinam tantos clamores excitasse, quibus liberum arbitrium sive per gratiam, sive per concupiscentiæ vim subverti & exstingui querebantur, nisi quia ex utraque parte opus bonum & malum videbatur eis non ab ipso homine propriâ voluntate, sed homine *nihil agente*, *ab alio per ipsum operante sive cogente* fieri. Secundum non aliter Augustinum istas querimonias compescuisse, quam ostendendo deliram cogitationem eorum, eo quod gratia efficeret, ut homo non instar *lapidis, dormientis*, aut *supini iacentis*, invitus, nolens, repugnansque traheretur ad bonum, sed *propria voluntate* vellet & faceret; ita videlicet ut si ante esset invitus, & nolens & repugnans gratiâ operante volens fieret, atque ita *non nihil ageret*, nec *sine propria voluntate* bonum operaretur. Eodem modo Augustinum tradere, quod non ut Iulianus dixerat, homo *carnis necessitate peccare cogeretur*, vel *peccatum in homine alter perpetraret*, sed quod concupiscentiæ delectatione mulcente propriâ suâ voluntate peccaret. Quæ conciliandi ratio in Aug. scriptis ita perspicua est totiesque frequentata, ac tantum silentium istius indifferentiæ contradictionis, tanquam libertati necessariæ, de qua nunc vehemens disceptatio est, ut ad salvandam arbitrij libertatem sub gratia nunquam eam vel semel adhibuerit, in universis suis adversus Pelagianos lucubrationibus. Vt meritò suspicari aliquis posset, istam libertatis rationem, de qua tantoperè contenditur, esse meræ Philosophiæ fœtum, & à nullis antiquis gratiæ defensoribus, Augustino, Prospero, Fulgentio sub nomine libertatis arbitrij propugnatam, requisitam, agnitam fuisse.

CAPVT X.

Eandem concordiam gratiæ & liberi arbitrij ad vnguem docuerunt discipuli S. Aug. & in primis latissimè & clarissimè S. Prosper.

QVod ut uberius constare possit, operæ pretium est etiam ex S. Prospero, & Fulgentio, cæterisq; PP. omnibus, qui hostibus gratiæ restiterunt, non alio quoque pacto Pelagianorum querelas de subversâ libertate cōpressisse, quam quo Magister eorum Aug. cōpescuerat. Quod quidem S. Prosper tantâ claritate, & inculcandi assiduitate præstitit, ut mirū sit, si quis auditis tātummodo verbis ejus, amplius de sensu sive Pelagianorum, liberum arbitrium destrui vi gratiæ causantium, sive S. Augustini dubitationem amovere, quæstionemque possit.

Nam in primis in Epist. ad Rufinum, quam defendendi S. August. causa, & explicandi sensus ejus, præcipuè scripsit, cùm de hostibus gratiæ graviter questus esset, quod *scripta eius, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamarent, dicentes eum liberū arbitrium penitus submovere*, tandem sub finem Epist. ad illam calumniam abstergendam veniens *nimium verò ineptè*, inquit, *nimiumq́; inconsideratè ab adversantibus dicitur, quod per hanc Dei gratiam libero* NIHIL RELINQVATVR *arbitrio*. Ecce adversantium querimonia, quod libero nihil relinquatur arbitrio hoc est, ut Aug. dicebat, quod sine voluntate nostra per gratiam totum fieret. Quid verò ipse respondeat ad eorum ora obturanda porrò videamus. Primo fatetur hoc in parvulis esse verum, *In quibus*, inquit, *manifestissimè nullum opus, nullusq́; appetitus eorum voluntatis existit*. Deinde de majoribus ita subjicit: *Si eam filiorum Dei partem quæ ad pietatis opera reservatur pio consideremus intuitu, nonne in eis non peremptum inveniemus liberum arbitrium sed renatum?* Et quomodo non peremptum, dic sodes, sancte Prosper, explica, an quatenus manet indifferens sub gratia vt velit & nolit, ut agat & non agat? Neutiquam, sed ex eo quo S. Aug. explicuit modo, quatenus gratia efficit ut liberum arbitrium aliquid agat, donando ei ipsum velle & benè agere & perseverare: *Quod utique cùm solum esset sibiq; permissum, non nisi in suam perniciem movebatur. Ipsum enim se excæcaverat, & ipsum se illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitrium conversum est non eversum, & donatum est ei aliter sapere, aliter agere.* Et iterum uberius: *Proinde homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus: sed per se malus, per Deum bonus: qui eum ita in illum initialem honorē, alio initio reformavit, ut ei non solum culpā malæ voluntatis & actionis remitteret, sed etiam* BENE VELLE, BENE AGERE,

Prosp. in Epist. ad Rufinum non procul ab initio.

Ibid. sub finem Epist.

Ibidem. *Ibidem.* *Ibidem.*

ATQVE

ATQVE IN HIS PERMANERE DONARET. Ecce & hic non aliter liberum salvat arbitrium, nisi quia gratia sic operatur in ipso voluntatis arbitrio, ut non ipsum otiosum sit, ac nihil prorsus agat, sed ut ei velle & agere largiatur. Cui sensui conformiter eandem doctrinam sæpius pœnè in omnibus suis operibus tradit, ut in sententia 6. quam responsionibus ad Capitula Gallorum subjicit: *Arbitrium hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, & ab errore in viam revocat & reducit, ut quod sua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente sit rectum*, hoc est, per gratiam accipiat voluntatem, seu velle rectum. Sic enim seipsum explicat in ipsa responsione ad Capitulum 6. ex quo ista sententia explicata est: *Cùm in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas intelligenda sine gratia*: quibus verbis declarabat falsum esse capitulum quod objecerat secundum Augustini sensa: *Liberum arbitrium in homine nihil esse*, & verum esse quod ipse replicuerat: *Liberum arbitrium nihil esse vel non esse perperam dicitur*. Et in libro quem eruditissimo carmine de ingratis exaravit, plenissimè sensum querelæ Pelagianæ tradidit.

Sent. 6. post resp. ad Capit. Gall.
Resp. ad Cap. Gallor.
Cap. 6. Gall.
In resp. ibid.
Lib. de ingrat. c. 26.

His vanam insano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrij sublatum vociferantes,
Currere currentum, si non & velle volentum est,
Nec vitijs pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si vel naturam obstrictam mala velle necesse est,
Vel nostro ascribi nequeunt benè gesta labori.
Numquid non eadem sapiunt eademq; perorant,
Vestri illi quorum recitatis verba magistri?

Pelagiani videlicet. Cui querelæ sic respondet, ut dicat, tam in malis quàm in bonis nostram manere & agere aliquid voluntatem, & ideò non tolli liberum arbitrium:

Cap. 29.

—— *Manet ergò voluntas*
Semper amans (id est, volens) *aliquid quò se ferat &c.*

Et manifestius iterum sub finem istius operis.

Cap. ult.

Siquid enim recti gerimus, Domine auxiliante
Te gerimus, tu corda moves: tu vota petentis
Quæ dare vis, tribuis, servans largita, creansq;
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non tamen hoc curatu minui; studiumq; resolvi
Virtutum, aut opus ingenij torpere putandum est,
Quod bona sanctorũ tua sunt, aut quicquid in illis
Aut sanum aut validum est, de te viget, ut videatur
NIL ACTVRA HOMINIS, TE CVNCTA GERENTE, VOLVNTAS.

Ecce & hic luculentè exprimit, hoc adversarios gratiæ veritos conquestosq; quod voluntas hominis nihil actura, sed prorsus exstincta foret, si Deus cuncta gereret.

Simili planè modo declarat hoc ipsum in libris de vocatione gentium: *Nec quia Spiritu Dei agitur; ideò se putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, à quo judicium voluntatis depravatum est. Quod ergò non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus sanatur, non natura removetur.* Nimirum nihil aliud agit, nisi ne voluntas qua volumus aut peccato, aut gratiâ sublatâ crederetur, ut non nos, sed alius de nobis ageret. Sic enim utramq; partem declarat. Nam peccato non esse amissam voluntatem probat, quia *à diabolo cùm homo spoliaretur non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est, quia nec detrudi ab innocentiæ statu posset, nisi voluntate peccaret. Quæ ergò naturâ erat bona, qualitate facta est mala: & ille animi motus, qui nunquam potest sine* ALIQVO *esse* AMORE, *hoc est sine* ALIQVA VOLVNTATE *non perdidit appetitum, sed mutavit affectum*. Spiritu quoq; Dei agente non perdi liberum arbitrium ibidem probaverat, quia *sic sanat vulnera sauciati, ut quod in ipso agit, etiam* PER IPSVM *geratur*. Hoc est non sine ipsius propria voluntate. Quod inferius explicat, quia *transit animus de voluntate in voluntatem*. Vnde in alio loco adhuc evidentius hoc exponens: *Hanc abundantiorem gratiam ita credamus atq; experimur potentem ut nullo modo arbitremur* VIOLENTAM, *quò quicquid in sanandis hominibus agitur* EX SOLA DEI VOLVNTATE PERAGATVR: Vnde copiosè demonstrat, quod *nihil virtutis sine consensu nostræ voluntatis habeatur*, & quod *gratia præparat voluntatem*, hoc est facit velle. *Nam*, inquit, *virtus* NOLENTIVM *nulla est, nec potest asseri vel fidem vel spem vel charitatem eis inesse, quorum ab* HIS BONIS CONSENSVS ALIENVS EST. Quid apertius desiderari potest quo percipiamus, non aliter liberum arbitrium incolume permanere, quàm quia gratia non violenta est, ita ut opus bonum sine voluntate nostra, sine consensu nostro, non per nos, sed sola Dei voluntate peragatur?

Ibid. c. 7.
Ibid. c. 8.
Ibid.
Lib. 1. de vocat. gent. c. 16

Quæ quamvis manifestiora sint, quàm ut ullius amplius declarationis indigeant, hoc ipsum tamen non abs re fuerit ex libro quem contra Collat. scripsit patefieri. Nam in illo ex proposito, vim gratiæ & libertatis humanæ ponderat, & sæpius quomodo illa sine hujus præjudicio operetur, ostendit. Cùm itaque Collator passim dictitaret in Collatione 13. quasi vim gratiæ commendare volens, quod Deus quosdam *resistentes ac longè positos faceret invitosq; attraheret ad salutem*; atq; hinc astrueret Pauli & Matthæi *coactivam conversionem*, Zachæi & latronis *voluntariam*, ut ita quod Pelagiani generaliter per gratiam auferri liberum arbitrium querebantur; hoc ipse in quibusdã tantum fieri persuaderet, plurimis modis utrorumq; deliras suspiciones jugulat, & concordiam gratiæ & liberæ voluntatis tradit. Primò enim non procul ab initio libri, occurrere volens querelis adversantium, qui gratiam invitum nolentemq; cogere dictitabant, ita gratiam cum libera voluntate conciliat: *Qui Deus vocatum ad filium trahit, non resistentem, invitumq; compellit, sed ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, ut cor audientis obediendi delectatione generatâ, ibi surgat, ubi premebatur; ibi discat, ubi ignorabat, inde fidat, unde diffidebat*; INDE VELIT VNDE NOLEBAT. Et nonnullis interpositis hoc ipsũ expressius: *Non est periculum liberi arbitrij ex gratia Dei, nec* VOLVNTAS AVFERTVR, *cùm ut ipsa bene velle generatur. Nam si ideò non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur, spoliantur libertate filij Dei, perdunt vigorem rationalis animi, &*

Lib. contra Coll. c. 9.
Ibid. c. 15. & 33.
Lib. cont. Coll. c. 6.
Ibid. c. 13.

omni voluntariæ devotionis laude privantur quibus Ibid. c. 25. *datur spiritus sapientiæ.* Et iterum inferius: *Hac regula nulli hominum* AVFERTVR VOLVNTAS, *quia virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur* VT NON SINT, *sed ut ex malis bonæ, & ex infidelibus fiant fideles.* Et multo post, cùm Cassianus questus esset, Cap. 27. homini non permitti liberum arbitrium, si nihil posset velle bonum, sed ei totum gratia largiatur, occurrit illi Prosper querimoniæ, quod homo nec *ad principia salutis* propria virtute enitatur; sed *agit hoc,* inquit, *occulta & potens gratia Dei.* Modum adjicit sine liberi arbi- Cap. 26. trij læsione; *non ut invitum hominem subigat, sed ut subiectionis cupidum faciat, nec ut ignorantem trahat, sed ut intelligentem sequentemq; præcedat.* MANENS ENIM LIBERVM ARBITRIVM, *quod utique cum ipso homine Deus condidit, a vanitatibus & cupiditatibus suis, in quas neglecta Dei lege defluxit, non a seipso, sed a Creatore mutatur, ut quicquid in eo in melius reficitur,* NON SINE ILLO SIT, *qui sanatur, nec nisi ab illo qui medetur.* Rursum in fine libri capitalem querelam de prostrato per gratiam libero arbitrio refricans, explicans, refutans & gratiam cum libertate concilians: *Non conturbat nos sæpe bientium inepta querimonia, qua liberum arbitrium causantur auferri, si & principia & profectus & perseverantia in bonis usq; in finem Dei dona esse dicantur: quoniam opitulationes divinæ gratiæ, stabilimenta sunt voluntatis humanæ.* Hoc est, non auferunt, sed potius tribuunt ac stabiliunt liberũ arbitrium: quod non aliter verum esse declarat, nisi quia volentes operamur, quicquid gratia præstante operamur. VOLENTES *oramus, & tamen misit Deus Spiritum in corda nostra clamantem* Ibid. c. 38. *Abba Pater.* VOLENTES LOQVIMVR: *& tamen si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed Spiritus Patris nostri qui loquitur in nobis.* VOLENTES *diligimus Deum & proximum; & tamen charitas ex Deo est. Hoc de fide, hoc de tolerantia passionum profitemur &c. Et quod liberum arbitrium naturaliter homini inditum maneat in natura, sed qualitate & conditione mutata per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, qui ipsam voluntatem ab eo quod perversè volebat avertit, & in id quod ei bonum esset velle convertit* &c. Quam conciliandæ gratiæ & liberæ voluntatis methodũ etiam in Epist. ad Demetriadem virginem tradit: *An forte verendum est ne liberum tollere videamur arbitrium, cum omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda?* Prosp. Epist. ad Demet. Probat autem quod non tollatur, operante enim Spiritu Dei juvatur arbitrium, non aufertur, *& hoc agit gratia,* ut non aliud quippiam, sed ipsa, *voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis, sed per opera miserentis medici revalescat,* ut videlicet ipsa velit bonum, quæ ante volebat malum. Itaque cum declarasset, quod Dominus suâ potentiâ in homine operatur, ut bonum operemur, subdit: *Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus, alienari quidem non potest a* PROPRIA HOMINIS VOLVNTATE: *siquidem nihil rectè faciet, nisi quod* VOLENS *egerit: sed ut ad id quod a junum & utile est animi tendat intentio, de divinæ æternæ & incommutabilis voluntatis inspiratione concipitur.* Quam conciliandi utriusque rationem planissimâ illustrat similitudine, quæ nemini dubitationem aliquam de sensu conciliationis illius reliquam facit: *Et sicut arte medici fit in oculis caligantibus, ut possint videre quod non vident, nec tamen* NON IPSORVM EST *visio quam medicina contulerit: ita in cordibus tardis & hebetibus per Spiritum S. acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebrosæ iam & deficientes lucernæ lumen accipiunt,* NEC TAMEN NISI IPSARVM ERIT, *quicquid fulgoris acceperint.* Quod de illo dilectionis igne cœlitus misso, quo accenditur animus, statim explicat. Quæ omnia perspicuè sanè patefaciunt, nullam aliam in tot testimonijs concordiam gratiæ & liberæ voluntatis Prosperum tradere aut agnoscere, quando eam quæ secundùm Catholicam doctrinam vera legitimaq; est, ex professo tradit, nisi illam ipsissimam quam August. contra Pelagianos docuit, quatenus videlicet gratia non sola, neque Deus suâ voluntate solâ, sine voluntate nostrâ bonum operatur, quasi hominem invitum reluctantemq; per violentiam cogeret, sed ita agere in libero arbitrio, ut nostrâ propriâ voluntate velimus, volentesque operemur, ita ut nostra sit voluntas, non alterius, quia virtus nolentium nulla est.

CAPVT XI.

Item Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Fulgentius & Petrus Diaconus.

NEC alio modo gratiam cum libero arbitrio conciliandã putavit S. Cyrillus Alexandrinus, Augustino & Prospero coætaneus. Nam illa verba Ioan. 6. S. Ioannis tractans, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum,* quibus liberum arbitrium tolli videbatur, quemadmodum Pelagiani etiam contra Aug. vociferati fuerant, eodem prorsus modo, ut August. eos refutaverat, præoccupat suspiciones istas hominum Cyrill. Alex. l. in Ioan. c. 6. imbecillium, nec liquidè concordiam operationis simultaneæ penetrantium: *Non quum dicat, neminem posse ad se venire, nisi Pater traxerit eũ,* VI QVADAM COGI TRAHIQ; *credentes, putandum est, sed monitione, doctrinâ, revelatione ineffabiliter factâ.* Quomodo & August. alicubi loquitur, Aug. lib. de grat. Christi c. 13. dum gratiam vocat doctrinam, *quæ altius & interius cum ineffabili suavitate infunditur.* Et paulò post in eodem loco, eandem gratiæ & liberæ voluntatis cooperationem Cyrillus explicans: Cyrill. ibid. c. 7. *Vbi auditus, disciplina, doctrinaq; adest, ibi fides* NON VI, *sed persuasione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris, quod ex charitate dignis præstatur,* NON VI *Christum fideles agnoscunt.* Et quare non vi? Pergendo respondet: *Non enim possumus secundum Ecclesiæ veritatisq; dogmata liberam potestatem hominis (quod liberum arbitrium appellamus) ullo modo negare.*

Eandem

Digitized by Google

Eandem ipsam liberi arbitrij & gratiæ concordiam S. Fulgentius, Augustini genuinus discipulus docuit, & quotquot inter antiquos post eum, gratiam cum libertate conciliare studuerunt. Et quidem de S. Fulgentio res extra controversiam est. Sic enim lib. de incarnatione & gratia loquitur: *Qua gratia humanum non aufertur, sed sanatur, non adimitur, sed corrigitur, non removetur, sed illuminatur, non evacuatur, sed adiuvatur & servatur arbitrium: ut in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem: in quo errabat, eodem in viam redeat: in quo cæcus fuit, in eo accipiat lumen, & ubi fuit iniquus serviens immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratiâ præventus atque adiutus serviat iustitiæ in sanctificationem.* Ecce & hic nihil aliud ad concordiam postulat, nisi ut actio non minus bona quam mala, ab eadem voluntate proficiscatur. Sic enim efficaciter probatum putat, gratiâ humanum arbitrium non esse sublatum, quemadmodum tolleretur, si gratia hominem invitum violentè cogeret. Eodem modo Petrus Diaconus cum ceteris ex Oriente Romam destinatus, concordiam liberi arbitrij cum tractu gratiæ se intelligere profitetur, quando ad S. Fulgentium scribit, quod hominem *Pater ad veram attrahit libertatem* NON VIOLENTA NECESSITATE, *sed infundendo suavitatem per Spiritum S.* Vt videlicet quemadmodum præmiserat *falsa libertas voluntatis per gratiam ab occupationibus humanis aversa, posset ea cogitare & desiderare quæ pertinent ad vitam æternam.*

Fulgent. lib. de incar. & grat.

In lib. Pet. Diac. ad Fulgent. c. 6.

CAPVT XII

Sanctus Gregorius, Beda, Sanctus Anselmus.

SED quid pluribus opus hac de re, post tam densam testimoniorum omnis generis grandinem, quam Augustini, Prosperi, Fulgentij, trium videlicet integerrimorum gratiæ defensorum scripta subministrarunt? Quod si tamen ceterorum Latinorum excutere monumenta liberet alicui aut vacaret, usque ad ætatem Scholasticorum, ne unus quidem arbitror, inveniendus est, qui aliter gratiæ influxum cum libertate conciliarit, quam Aug. Prosp. & Fulgent. fecit hoc est, quia non sola gratia facit opus, renitente, invita, coacta voluntate, nec arbitrium instar trunci agitur aut vi necessitatis cogitur, sed gratia facit, ut etiam liberum arbitrium aliquid agat, & voluntario motu feratur in bonum. Ad me quod attinet, quotquot antiquiores hac de re tractantes videre potui, istum & non alium salvandæ libertatis & conciliandæ cum gratia modum tetigerunt.

In primis sanctus Gregorius Magnus in libris moralium, cum exponere vellet, quo pacto S. Paulus diceret se plus omnibus laborasse & mox adijceret: *Non ego autem sed gratia Dei mecum*, sic ista duo in concordiam adducit: *Non enim diceret mecum, si cum præveniente gratiâ subsequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo sine gratia nil esse ostenderet, ait: Non ego. Vt verò se cum gratia operatum esse, liberum arbitrium demonstraret, adiunxit, sed gratia Dei mecum.* Nempe nihil omninò aliud ostendit, quam Augustinus clarius dixit, liberum arbitrium operante gratia non fuisse perditum aut extinctum, sed simul aliquid cum gratia esse operatum.

Lib. 16. moral. c. 11.

Post sanctum Gregorium Venerabilis Beda solam coactionem tollit à gratia & prædestinatione, ut cum libero arbitrio cohærere posse credatur: *Prædestinatio Dei*, inquit, *nulla vi cogit nos ad bonum vel malum &c.* Et inferius: *Sicut ergò prædestinatio ad mortem non cogit malos, ut pereant; sic etiam prædestinatio ad vitam non cogit bonos, ut salventur. Sed cum Dominus bonos ad vitam prædestinavit, ita eos prædestinavit, ut ipsa sua prædestinatio meritis & precibus nostris obtineatur.* Quod nihil est aliud quam quod prædestinatio per gratiam quam largitur voluntati, non cogit eam, sed facit ut per eam ipsa voluntas operetur, & mereatur, & preces fundat Deo, & ita quod prædestinatum est, impleatur.

Beda lib. quæst. variar.

Sanctus Anselmus inter Scriptores acutiores non postremus, tam gratiæ quam concupiscentiæ motus, ita cum libera voluntate cõciliat, ut utrobique expers coactionis maneat: *Quoniam*, inquit, *voluntate quisq; ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non inconvenienter trahere vel impellere dicitur Deus, cum talem voluntatem dat, in quo tractu vel impulsu nulla violentia necessitas, sed accepta bona voluntatis spontanea & amata tenacitas.* Et in lib. de libero arbitrio, explicans quomodo tentationis vehementia cum libertate consistat: *Nemo illam (iustitiam) deserit nisi volendo. Si ergo invitus dicitur volens, nemo deserit illam invitus. Ligari enim potest homo & invitus, quia nolens, potest torqueri invitus, quia nolens potest occidi: velle autem non non potest invitus, quia non potest velle nolens velle nam omnis volens ipsum suum velle vult.* Et infra *Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subijcere non potest?* Vbi paucis nervosisq; verbis ipsissimam radicem tetigit, quam omnes isti quos allegavimus antiqui Scriptores respexerunt; ut ideò liberam voluntatem esse decernerent, quia cogi, quia domari, quia servitute deprimi, quia subjugari aliena potestate, sine proprio suo assensu & arbitrio, quo probet id quod accipiendum aut sequendum fuerit, nullo pacto potest. Vnde iterum infra declarat se patefecisse: *Omnem rem liberã esse, ab ea re à qua cogi non volens aut prohiberi non potest.* Et, *Quod tentatio rectam voluntatem non nisi volentem aut ipsa rectitudine prohibere, aut ad id quod non debet, cogere potest, ut illam velit, & istud nolit. Cum ergo vincitur, non aliena vincitur potestate sed sua. Impugnare namq; potest invitam voluntatem, expugnare nequit invitam.* Quæ omnia evidentissimè demonstrant, non aliter Anselmi judicio, prædestinationis, & gratiæ, & tentationis motus cum libertate conciliandos, nisi quia voluntatem non invitam cogunt, sed faciunt, ut ipsa

Anselm. lib. Cur Deus homo c. 10

Lib. de lib. arb. c. 5.

Ibid. c. 6.

Digitized by Google

ut ipsa suo quoque proprio motu & consensu aliquid velit, & ut arbitrium gratiam impellentem suâ consensione subsequatur. Quod alio in loco apte expressit: *Notandū quod superna pietas agit aliquid in nobis, sine nobis, ut subsequente quoq; nostro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus agat nobiscum*; non videlicet sola gratia A quasi volūtate instar lapidū careremus, iuxta quod Apostolica verba: *Gratia Dei mecum*, explicādo subjungit: *Non enim diceret* (mecum) *si cum praeveniente gratia subsequens liberum arbitrium non habeat.* Quæ verba ex sancto Gregorio desumpta sunt.

CAPUT XIII.

Sanctus Bernardus, & amici ejus duo, Hugo & Richardus de sancto Victore.

Sanctus Bernardus, Anselmo penè cōætaneus, hanc ipsam concordiam gratiæ tentationisq; cujuslibet quantumcunq; potentis cum libertate voluntatis, ex professo docet. Nā illas proferens Scripturas: *Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum. Trahe me post te: Compelle intrare: Invenio aliam legem in membris meis captivum me tenentem* &c. Quæ libero arbitrio videntur afferre præjudicium & omnes gratiæ & libertatis conciliatores torquent, ita loquitur: *Profectò quantoscunq; compellere vel trahere videtur ad salutem benignus Pater, nullum tamen iudicat salute dignum quem ante non probaverit* VOLUNTARIUM. *Hoc quippe intendit cum terret aut percutit, ut faciat* VOLUNTARIOS, NON SALVET INVITOS: *quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonam, transferat non auferat libertatem.* Ecce habes libertatem voluntatis cum gratia concinentem, quia gratia facit voluntarium, non salvat invitum. Quod B ut manifestius patefaceret, confestim addit: *Hæc omnia putari possunt* COGERE VOLUNTATEM *& præripere libertatem.* Et quomodo igitur non præripiunt? *Quia*, inquit, *quantislibet quis intus forisve tentationibus urgeatur libera profectò semper, quantum ad arbitrium spectat, voluntas erit: liberè quippe de suo nihilominus consensu iudicabit.* Hoc est, ipsa judicabit se esse quæ consentiat, & non aliū quempiam de se, quasi invita consentire cogeretur. Nam statim apertius istā libertatem, tanquam coactionis immunitatem explicans: *Quid ergò? Forte dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis: quia nimirum inventa est cogi potuisse voluntas?* Docuerat enim prolixissimè, & constantissimè voluntatem esse semper liberam, tam in bono quàm in malo, tam sub gratia quàm sub peccato, quia expers est violentiæ cogentisq; necessitatis. Respondet igitur isti interrogationi suæ: *Est plane*, supple C dissoluta tota ista superior doctrina mea, *sed si cogi ab alio potuit, quam à seipsa. Quod si sese ipsa coegit, compulsa & compellens, ubi amittere, ibi & recipere visa est libertatē. Vim quippe quā ipsa sibi intulit à se pertulit. Porro quod à se voluntas pertulit ex volūtate fuit. Quod ex voluntate fuit, iam nō ex necessitate* (scilicet coactionis, quasi involuntarium esset) *sed voluntarium fuit. Si autem voluntarium & liberum.* Et in alio ejusdem libri loco: *Quomodo ad bonum conversus per gratiam humanæ voluntatis consensus, eo liberè bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur non invitus pertrahitur: sic sponte devolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum quam spontaneum constituit suâ utiq; voluntate ductum, non aliunde coactum, ut* A *malus sit.* Cujusmodi sententijs plenus est ille totus Bernardi liber, utpote qui ex professo de ista libertatis notione scriptus est, qua libera voluntas dicitur, quia *nulla vi cogi potest.* Qua de re vide loca plurima, quæ quando de natura liberi arbitrij tractabamus, allegavimus. Hinc Bernardus generaliter: *Ipsam voluntatem quia impossibile est de seipsa sibi non obedire (nemo quippe non vult quod vult, aut vult quod non vult) etiam impossibile est suâ privari libertate.* Et rursum: *Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem ut nunquam amittat libertatem. Tam ergo non potest privari illa, quam nec seipsa.* Et iterum: *Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in se est, pertinet, aut aliquando pertinuit posse vel sapere,* SED TANTUM VELLE: *nec potentem facit creaturam* (ut videlicet possit quibuslibet motibus vehementissimorum affectuum sive bonorum sive malorum resistere) *nec sapientem, sed tantum volentem. Non ergò si potens aut sapiens, sed tantum si volens esse desierit, liberum arbitrium amisisse putandū erit. Vbi enim non est voluntas, nec libertas. Non dico si velle bonum, sed si velle omninò creatura desierit, fatendum sine contradictione, ubi iam non ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas periit, etiam liberum periisse arbitrium.* Ecce à fundamentis tactam radicem liberæ voluntatis, sive sub gratia, sive sub concupiscētia quantumcunq; sævierit permanentis. Semper enim velle permanet, sive gratia, sive concupiscentia istud velle operetur, nec ante libertas destruitur, quam funditus ipsum velle tollatur. Vbi vides etiam chimeram illam difflatam, quæ Recentiores aliquos in errores Christianis intolerandos compulit. Putant enim, quod & Pelagianorum dogma capitale fuit, voluntatem hoc ipso quo libera est, quibuslibet motibus sibi incidentibus dominari ac resistere suâ libertate posse. Quod Aug. tanquam paradoxum, Christianæ gratiæ ex diametro contrarium, certissima Scripturarum autoritate contrivit. Bernardus verò etiam radicem exscindit; quia libertas voluntatis non potentem, ut quibuslibet motibus resistere, & ut Iulianus loquitur, *leges dare* possit sed tantum volentem facit, ut sive ex infirmitate cesserit, sive gratiâ juvante repugnaverit, semper maneat ei velle salvum, neq; quicquam velle vi seu violentia compellente, quasi invita cogatur. Sic enim, ut Bernardus ibidē expressè docet, voluntas simul velle & nolle fingeretur. Quod cùm perspicuè sit impossibile, impossibile est etiam, ut per quemcunq; gratiæ torrentem, etiamsi tanta abundantia voluntatem inundaret, quantam in cœlo clara Dei visio largi-

Ibid. | Ibid. | Vide sup. lib. 6 de grat. Christi Salvat. c. 13.

largietur, voluntatis libertas violetur. Semper enim ipsa erit quæ volet, & hoc ipso liberè volet, quia quamdiu rationis usus viget, aliter nisi liberè, velle non potest. Quod tanta claritate, constantia, instantiaq; S. Bernardus tradit, quasi ex professo Recentiores aliud genus libertatis & concursus cum divina gratia aut aliis quibuscumq; motibus introducentes expugnare niteretur. Quisquis mihi fortè non credit, ipsum legat, ipsum terat, & videbit me nihil hyperbolicè, sed sincerâ veritate protulisse. Quæ quidem ad amussim ex Aug. scriptis, antiquâ ex Magistri sui & Magistrorum omnium Coryphæi, doctrina S. Bernardus expressit, cujus etiá verbis propterea quibusdá in locis usi sumus.

Hugo de S. Victore, Bernardo per quam amicus & coætaneus, doctrinam ejus usq; ad ipsa plerumq; verba secutus est. Qui cum nullam agnoscat aliam arbitrij libertatem, quemadmodú fusè & evidenter ex ejus operibus demonstravimus, nō potest etiam aliam gratiæ & liberi arbitrij concordiam agnoscere, nisi quia quantumcunq; gratia voluntatem efficaciter trahit, semper motus ejus manet voluntarius & expers violentiæ cogentisq; necessitatis, & proinde liber: idq; non solum in hac vita, sed etiam in cælo. Quare de ea loquitur in hunc modum: *Liberum itaq; arbitrium ex eo dicitur quia est voluntarium. Quod enim boni Angeli non possunt esse mali, non facit necessitas, sed confirmata per gratiam voluntas. Quod mali non possunt bona esse, non facit ulla coactio, sed voluntas obstinata in malo.* Et in alio loco: *Inde non dicitur liberum arbitrium* (quod scilicet in utramque partem flecti possit, *sed liberum, id est, voluntarium quia bonum non necessitate cogente, sed liberâ voluntate à malo abstinemus, & similiter & malo ab bono* &c. Quo nihil clarius dici potest, ut intelligi possit, gratiam qualemcunq; quæ etiam immutabiliter velle facit bonum, liberum retinere voluntatis arbitrium, quia liberè, nullà necessitate coactionis terri faciat in bonum. Seu, ut Aug. & Prosp. locuti sunt, quia gratia non alienat opus à nostra voluntate, non de nobis quasi dormientibus & invitis operatur, quasi alius de nobis vellet, aut quasi nos non vellemus aut curreremus, sicut fingebant Pelagiani, sed facit ut & nos velimus, ut nos curramus, ut nos faciamus, efficiendo videlicet ipsum nostræ voluntatis assensum, quia sicut unt, virtus volentium nulla est, & si cogitur voluntas, jam non vult.

Richardus de S. Victore doctrinam S. Bernardi & Aug. accuratissimè in ista conciliandæ libertatis & gratiæ ratione tradidit. Non enim ullam prorsus agnoscit aliam, nisi quia gratia non violenter cogit voluntatem, sed facit ut ipsa voluntas velit: *Libertatis est*, inquit, *quod consensus ejus* (voluntatis) *extorqueri vel cohiberi* (per violentiam) *non potest. Potest enim consentire vel non consentire aspirationi divinæ* (hoc est gratiæ Dei) *similiter & suggestioni diabolicæ. utrumq; unde ex libertate, neutrum oportet ex necessitate.* Vis scire ex quanecessitate? audi sequentia: *Aliud itaq; est habere libertatem & aliud est habere potestatem. Libertatis est quod ad aliquid volendum cogi non potest. Privatio autem potestatis quod ad aliquid boni faciendum sufficiens non est.* Sic igitur conciliat Richardus efficaciá gratiæ cum libertate voluntatis, quod quantumcunque fortiter operetur, non cogit voluntatem, nec extorquet consensum, sed efficit, ut ipsa voluntas ultroneè & sponte velit atq; consentiat. Nam sententiæ istæ apud Richardum sæpè frequentatæ sunt: a *Bonum posse est verè posse, sicut malum non posse est verè liberum esse:* b *Sum̄ uæ est enim arbitrium potest sua privari libertate, constat illud summam libertatem habere.* c *Miranda arbitrij libertas ab aliis cogi non potest.* d *Illud in potestate est quod pro arbitrio voluntatis fieri vel præteriri potest: illud in libertate habemus ad quod aliqua violentia cogi non possumus:* e *Aliud est ergo agnoscere, aliud liberum esse* &c. *Potestatis est quod bonum facere possumus, quando id facere valemus. Libertatis est quod ad nullum seu bonum seu malum invitis cogi possumus.* Ubi vides, quod etiam dilucidè aliquoties tollit ansam erroris illius, ex quo minus perspicaces imaginantur, hoc ipso quo aliquis liber est voluntate, continuò etiam habere potestatem. Quod & gentiles Philosophos & Pelagianos, & non paucos nostræ & præteritæ ætatis Scholasticos in controversiis de divina gratia transversos egit. Libertas enim hoc efficit, ut impossibile sit cogi voluntatem sive ad bonum sive ad malú, sed ipsa sponte illud consensu suo voluntario amplecti debet; potestas autem, ut illud etiam reipsa facere possit ad quod cogi non potest, quæ Richardus diversis locis & Bernardus latius prosequuntur.

Hugo de S. Victore in summa sent. tract. 3 c. 9.

Tract. 2. c. 4.

Richard. p. 1. tract. 1. de statu inter. hominis c. 13.

a Ibid. c. 10.

b Ibid. c. 13.

c Ibid.

d Ibid. c. 13.

e p. 1. de statu inter. hom. c. 30.

CAPVT XIV.

Magister Sententiarum, Alexander Halensis, Guilielmus Parisiensis.

MAGISTER Sententiarum Petrus Lombardus eandem prorsus concordiam gratiæ & liberi arbitrij ex professo docet. Nam lib. 2. Sententiarú Distinct. 7 sic loquitur: *Dicimus quod boni tanta gratia confirmati sunt, ut nequeant fieri mali: & mali in malitia obdurati adeo obdurati sunt, ut non valeant fieri boni. Et tamen utriq; habent liberum arbitrium, quia & boni non aliqua cogente necessitate, sed propria & spontaneá voluntate per gratiam quidé adjuti bonum eligunt, & malum respuunt: & mali similiter spontanea voluntate à gratia destituti bonum vitant & malum sequuntur.* Nec aliam sane concordiam docere potest, ut qui ex professo tradit libertatem arbitrij in eo sitam esse, *quod nunquam cogi possit* (ut suo nos loco latius vidimus, & omnes ejus antiqui Commentatores exposuerunt) & arbitrium beatorum tanto esse liberius, *quanto ad bonum pronius est*, quod nihil aliud est quàm, quantò gratia potentius in eo operatur, eò magis proprio judicio & voluntate & sensu appetit quicquid appetierit.

Alexander de Hales eundem ipsum conciliationis modum tradit. Nam in p. 2. de Angelorum voluntate loquens, qua propter vehementiá divinæ delectationis claritatemq; visionis immutabiliter diligunt Deum, cum sibi ex Bernardo objecisset, quod ubi necessitas est, non est

Magist. l. 2. dist. 7.

Ibid. dist. 25.

Vide sup. l. 6. de grat. c. 1. hel. st. salv. c.

Dist. 25. q. 2. Vnde alio in loco tradit exsertissimè *necessitatem coactionis repugnare libertati, non necessitatem quæ oritur à disponente intrinseco. Nec necessitatem inevitabilitatis: quia,* inquit *dicitur liberum non quia sic velit hoc ut possit velle eius oppositum sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid ut velit se velle illud. & ideo in actu volendi seipsum movet & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum quamvis immutabiliter ordinetur ad illud*. Quæ manifestissimè clamant gratiam quantumcumque efficacem, etiam talem qualis in cœlo cum summa delectatione dabitur, nullo modo tollere, Bonaventuræ judicio, libertatem, quia non tollit voluntatem, hoc ipso videlicet quo eam non cogit aut invitam rapit. Sic enim diligit Deum, ut velit se diligere, & ideo in actu volendi seipsum movet & sibi dominatur, & pro tāto dicitur liberum ut jam audivimus.

Hoc ipsum Ioannes Scotus ex professo docet, dum claris verbis tradit, necessitatem volendi consistere cum libertate volendi, quia, inquit, *voluntas propter firmitatem libertatis suæ sibi ipsi necessitatem imponit in eliciendo actum & in perseverando sive figendo se in actum.* Hinc ulterius tradit voluntatem semper servare modum causandi liberè, atque impossibile esse, ut ab ea ille modus ulla potestate tollatur, ut alibi latius declaratum est. Quæ satis ostendunt, qualiscumque gratia voluntati immittatur, non aliam posse actionem sequi nisi liberam, hoc ipso quo est actio voluntatis. Quodlib. 16. Vide dicta ex Scoto lib. 6. de gratia Christ. Salv. c. 25.

CAPVT XVI.

Henricus à Gandauo, Richardus de Media villa, Marsilius.

Henricus Quodlib. 9. q. 17. HEnricus à Gandauo non minus evidenter tradit libertatem arbitrij, in experte coactionis motu cæseri: *Homo enim,* inquit, *& omnis rationalis & intellectualis natura liberi arbitrij sive liberæ voluntatis est, quia voluntas rationalis cogi non potest.* Et iterū: *In hoc consistit ratio libertatis, quod nulla coactio potest impedire, quin in bonum vergat si velit &c.* ut latius alibi diximus. Vnde concludit *voluntatem esse liberrimam in beatis,* itemque moveri ex se libertate & immutabili necessitate respectu finis omnem rationem boni continentis. Quis igitur non videt quæ concordia gratiæ cum libero arbitrio ex tali doctrina consequatur?

Vide dicta lib. 6. de gra. Christ. c. 28. Richardus de Media villa instanter docet, vt alibi patefecimus, liberam dici voluntatem, quia *cogi non potest*, hanc libertatem esse *inamissibilem*: consequenter *omnis actus humanos esse actus liberi arbitrij*: Beatos *liberè manere continuos fini*, eosque eligere *perseverantiam in fine*, sicut Sanctus Thomas asseverat: *Angelos non obstante necessitate liberrimè motu dilectionis Dei merere se*, quia non est necessitas coactionis. Denique *talem necessitatem quæ est ex perfectione bonitatis non tollere rationem meriti in viatore*. Quid uberius, clarius, ac satiatius exspectari possit, ut sciamus gratiam non aliter cum libertate voluntatis copulandam, nisi quia non cogit voluntatem, sed facit eam vtille voluntario ideoque libero motu quo vult se velle, & ita se movet, ac dominatur sui? nulla quippe gratia hujus vitæ vehementissimam illam efficaciam cœlestis delectationis, quæ libertatem salvam esse sinit, juxta Richardum, ulla ex parte æquare potest. Eodem prorsus modo hoc ipsum astruit Thomas de Argentina latè docens, arbitrium *essentialiter esse liberum*, hoc ipso quo implicat *illud cogi*. Ex quo concludit alibi; *necessitatem coactionis tollere rationem meriti, non autem necessitatem immutabilitatis, provenientem ex perfectione virtutum, sed augere*. Et de Christi Domini libertate qui in omni actu erat determinatus ad bonum, multò magis quam quilibet viator, per gratiæ efficaciam ad agendum determinatur, sic rem decidit: *Agens naturale non prohibetur à merito ex hoc quod est determinatum ad unum, sed ex modo determinationis, quia quod necessario & non voluntariè tendit in illud unum. Sed Christus & quilibet in gratia confirmatus, licet determinatè tendat in bonum, tamen voluntariè & liberè tendit in ipsum. Huiusmodi enim determinatio non minuit voluntatem & libertatem, sed potius auget, & ideo talis determinatio non repugnat merito.* Cui jam non apertissimum est, non aliam eum agnoscere libertatis cum gratia efficacissima conciliandæ rationem, nisi quia gratia dum facit determinatissimè, suavissimeque, nullo modo cogere sed ad volendum potius inclinare, ideoque potius augere, quam minuere voluntatem? Quo nihil Augustino, Prospero, Fulgentio, Bernardo magis consentaneum excogitari potest. In 2. dist. 25. a. 1. q. 1. & q. 2. a. 3. q. 1. a. 3. q. 2. ad 6. In 3. dist. 18. a. 2. q. 1 ad 2. Thom. de Argent. in 2. dist. 25. a. 1. & 4. & dist. 38. In 3. dist. 18. In 3. dist. 18 a. 3.

Marsilius de Ingen consentit ei ad amussim similiter omninò docens, *voluntatem essentialiter esse liberam*; ita ut impossibile sit, libertatem *auferri à voluntate* etiam per omnipotentiam Dei, *quia est sua libertas: eamque esse libertatem à coactione*. Denique ex eo concludit, per actum necessarium neminem mereri si est coactus; sed si est tantum *inevitabilis per gratiam in bono confirmantem* posse esse meritorium; atque huiusmodi fuisse opera Christi. Quæ perspicuè clamant, gratiā, quantumcumq; potentis operationis, non lædere libertatem, quia non cogit voluntatem, sed eam suaviter velle bonum facit. Marsilius in 2. q. 16 a. 2.

Et in fragmentis sermonum: *non sic ut prorsus nos nihil agere velimus.* Quibus omnibus testimonijs tam densè repetitis conciliationē gratiæ cum libera voluntate non otiante, non nihil agente, ut Pelagiani querebantur asseruit, & Concilio Tridētino eandem ipsam, tanquā veram & genuinam gratiæ & libertatis concordiam usque ad ipsissima verba præcinuit. Hoc ergo Cōcilium voluit quod Augustinus sexcentis locis præformauerat; gratiā quidem tangere cor hominis, non tamen propterea hominem quasi vi gratiæ tantum ageretur, nihil omnino agere, vel *inspirationem illam* tantum *recipere,* quasi passiuè tantum haberet se, sicut ille qui cogitur, sed revera aliquid agere, utpote *liberè assentiendo & cooperando.* Quod ex opposito probat, quia *inspirationem illam etiam abijcere potest;* quod signum est eum non se habere merè passiuè, sed potius voluntate suā approbare, & assentire, sicut improbare posset ac dissentire si vellet.

Eundē omninò conciliandi modū etiam in canone 4. disertissimis verbis tradit, quādo exserte damnat eos qui dicunt: *liberum arbitrium à Deo motū & excitatū nihil coöperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti: neq́; posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereq́; passiuè se habere.* (*Trid. Sess. 6. can. 4.*) Nam & istæ fuerūt querimoniæ Pelagianorum aduersū Augustinum à Luthero in dogma cōversæ, & ab Augustino quoq; iam olim liberū arbitrium cum gratia conciliante damnatæ. Nam cōtra huiusmodi pestilentiā clamabat in concione Sanctus Præsul: *Sed non sic ut dimittamus nos & quemodo agri iaceamus supini & dicamus, pluat Deus escas super facies nostras, ut prorsus nihil agere velimus, & cum esca cōpluta fuerit super os nostrum, dicamus etiam Deus glutiat de nobis.* (*Aug. in fra. 5. serm.*) Nonne dānat illud ipsum quod Concilium damnat, *hominem nihil omninò agere, mereq́; passiuè se habere?* Quid est enim Deū glutire de nobis, nisi Deum totum agere nihil agētibus sed merè passiuè se habētibus nobis? In alio loco etiam rei exanimis mentionem contra Pelagianos, id fieri suspicantes facit: *non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemq́; non condidit salutem nostram Deus operatur in nobis,* (*Lib. 2. de pec. mer. c. 5.*) & alibi inferentibus Pelagianis *ergo agimur, non agimus* consecutionem negat Augustinus & rationem dat *Neque enim templum suum sic de nobis ædificat quasi de lapidibus, qui non habent motum suum: leuantur ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides vivi ducimini sed currite vos &c.* (*Serm. 13 de verb. Apost. c. 6.*) Quæ omnia manifestissimè demonstrant Concil. Tridentinum ad amussim eandem omnino concordiam gratiæ & liberi arbitrii tetigisse, quam Augustinus, Romani Pontifices & omnes veteres gratiæ defensores unanimi consensu tradiderunt. Nam quod Cōcilium addit arbitrium *vocanti Deo posse dissentire si velit*, itemque hominem *inspirationem sic recipere ut illam & abijcere possit;* etiam Augustinus admittit non tamen unquā in universis operibus eius extat vestigiū, quod in ista miserabili potestate vel potius infirmitate dissentiendi, & abijciendi inspirationem si

A velit, libertatem arbitrij collocauerit. Hoc enim oritur in hac vita, non ex natura libertatis arbitrij, sed ex instabilitate quam habet in bono. Vnde in cœlo ubi arbitrium erit liberrimum, eò minus inspirationem Dei abijcere poterit, quò liberiori motu in Dei dilectionem rapietur. Itaque si etiam in hac vita Dei inspiratio tam stabiliter ac delectabiliter Deo operante inhæreret volūtati, ut eam non posset abijcere, felicissimum, fortissimū, liberrimumq; meritò diceretur atq; esset arbitriū. Tunc enim verè per gratiam Dei haberet eam quam S. Augustinus tantopere extollit, *liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseuerantissimam voluntatem.* (*Lib. de cor. & gra. c. 8.*) Tunc verè *acciperet gratia libertatem & ut perseveraret delectabilem perpetuitatem & insuper ab.lem fortitudinem.* (*Ibidem*) Tunc vere fieret id quod infirmitati humanæ seruatū esse tradit, *ut diuinā gratiā indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur,* (*Ibid.*) nunquam enim tam indeclinabiliter agitur, quàm cùm non potest voluntate dissentire gratiæ Dei. Sed hoc in tanta perfectione, est alterius vitæ privilegium, quod si daretur etiam in præsenti exilio, non violaret, sed summè perficeret arbitrij libertatem. Arbitrari quippe quod perfectio gratiæ arbitrij libertatem destruat, stultitia singularis est. Concilium igitur istius potestatis abijciendi, ac dissentiendi meminit, non ut in eo libertatem arbitrij sitam traderet (quod veris gratiæ defensoribus & intellectoribus inauditum paradoxum est) sed ut ostenderet ex contrario, arbitrium sub

C gratiā *non nihil omnino agere non veluti inanime quoddam, non merè passiuè se habere,* sed aliquid agere instar rei animatæ, instar rei actiuè se habentis, motum quoque & vitam & consensum suum habere utpote quod motu opposito inspirationem abijcere posset, eique dissentire si vellet. Nam istud, *quippe qui illam & abijcere potest*, quod idem est cum illis alijs verbis, *posse dissentire si velit*, tanquam ratio assignatur à Concilio doctrinæ immediatè præcedentis, quā dixerat *quod homo ipse non nihil omnino agat inspirationem illam recipiens.* Nam quasi diceretur, unde istud probas? *Quippe* inquit, *qui illam & abijcere potest.* Quasi diceret, hoc est argumētum infallibile, quod homo nō nihil omnino agat velut inanime quoddā, nec

D merè passiuè sese habeat instar eius quod violētiā extrinsecùs illatā cōpellitur, quia id quod recipit potest etiā abijcere, seu dissētire si velit. Nam queadmodum ista duo, *inspirationē recipere,* & assentiri Deo excitanti atq; vocāti, idem sunt; ita quoq; idē sunt, *inspirationē abijcere posse,* & *Deo vocanti posse dissentire si velit.* Id enim ipsum quod in capite 5. per modū doctrinæ generalis Conciliū tradiderat, hoc in can. 4. per modū regulæ fidei sub anathemate credendū sancit. Itaq; posse dissentire Deo excitāti & vocanti, est posse inspirationē eius abijcere; & è cōtrario Deo vocāti assētiri est aliquid agere, & inspirationē Dei recipere. Neq; enim ibi agitur de qualibet actione sub gratia; vel qualibet receptione, sed de morali quæ exercetur, non

non tam sentiendo inspirationem atque vocationem, quàm consentiendo. Quo sanè pacto huiusmodi receptionem & abiectionem inspirationis seu vocationis Dei etiam recentiores intelligunt. Iste itaque est verus & genuinus Concilij sensus toti textui, totique antiquorum Pontificum & gratiæ defensorum doctrinæ vndique consentaneus.

CAPUT XVIII.

Epilogus Probationum præcedentium.

HÆc itaque sunt quæ de Pelagianis aduersus gratiam Dei murmurantibus, ac Catholicis pro libero arbitrio respondentibus, & pro concordia utriusque satagentibus, reperire in scriptis eorum potui. Quæ quidem pro captu meo tam perspicua sunt, ut homini sanæ mentis, & cui oculus ille quo videtur veritas, necdum libidine contentionum excæcatus est, nullum relinquat ampliùs ambigendi locum, quid Pelagianis in Christi gratia quasi liberum arbitrium extinguente displicuerit, & quo pacto defensores eius ad querelas aduersantium sopiendas, veramque gratiæ & liberi arbitrij concordiam conciliandam esse censuerint. Pelagianos enim, cùm audirent, nihil esse quòd non gratia Dei in nobis operaretur; mordebat unicè, quod per gratiam Deus sine nobis, sine nostra voluntate, & proinde nobis invitis ac reluctantibus bonum in nobis operari, ipsique proinde non nobis, utpote quiescentibus præmium deberi videretur. Hunc enim sensum suum exprimendo dicunt, gratiâ operante inviti ad bonum cogimur, inviti credimus; gratia invitos trahit, invitis & reluctantibus studium virtutis immittitur, violentia adhibetur, ideoque coactitia fit conversio. Currere non esse currentium, nec velle volentium, sine voluntate nostra bonum fieri, nihil nos agere, nihil hominis voluntatem agere, nos non agere, nihil nos facere, agi nos non agere, Deum cuncta gerere. Itaque Deum gratiæ suæ imperare, non nos sed se coronare debere. Cujusmodi dicta quid sibi velint, nemo nisi mente captus ignorare potest. Catholici Scriptores è contrario, importunissimas istas querimonias ita semper suâ responsione suffocant, & operationem gratiæ cum liberâ voluntate conciliant, ut nihil improbét in ipsis, nisi quod ipsorum perspicuæ reclamantium voces præ se ferre videbantur, & nihil pro concordia utriusque stabilieda probent & clament, quàm gratiam non tollere liberum arbitrium, quia relinquit nosipsos nonnihil omninò sed aliquid propriæ voluntatis motu velle & agere, nec aliquando gratia de nobis quasi dormientibus operatur, sed facit ut simul etiam nos ipsi aliquid operemur. Dicunt enim, sexcentisq; locis & modis iterum iterumq; clamát, per gratiam quidem operantem Dei opus bonum fieri, sed tamen non nos inuitos cogi, non nolentes credere, non esse inuitos homines & reluctantes, non reluctantibus studium virtutis immitti, non cogi voluntatem, non inuitum compelli, non violentam esse gratiam, quia virtus nolentiú nulla est, quia non est bonus homo si nolit, quia non possunt homines nolentes credere, quia si cogitur voluntas, non vult: itaque nulli auferri voluntaté, non putari debere quod non sit volútas nostra, non alienandú esse opus à propria voluntate, nó sic suscipi gratiá ut homines propriá perdant voluntaté, homines non sine sua voluntate, sed suâ propriâ volútate venire, suâ volútate pugnare suâ volútate eligere; quia, inquiunt, séper manet volútas, quæ nó potest esse sine aliquo motu, sine aliquo amore, velle & nolle propriæ voluntatis est, quæ voluntas in bonis de gratia est. Addunt & rationé, quia Deus per gratiá non ædificat téplum suum ut de lapidibus qui non habét motum suú, nec operatur ut in ijs qui ratione & volútate carét, vel quasi dormiremus, & nó vellemus aut conaremur; non quasi ut ægri supini jaceremus, cibos gratiæ ex speciádo pluentes super facié nostram, eosq; ipsos Deus glutiret de nobis, aut opus fieret de nobis nihil facientibus nobis, aut velut inanime quoddá nihil ageremus, merè passiuè nos haberemus, aut deniq; quasi alius vellet de nobis, & nos non vellemus, nó curreremus, nó conaremur aliquid, nil ageremus, nil faceremus, nullus esset hominis aut volútatis cursus: sed nos ipsi volumus, nos currimus, nos conamur, nos agimur & aliquid agimus, adjuvamur enim, & nemo adjuvari potest, si ab ipso nihil agatur. Deus cooperatur, quod fieri non potest si nihil operemur. Rectè ergo cósistere gratiá cum libero arbitrio, quia gratia facit ut velimus, facit ut faciamus, donat bene velle & bene agere, efficit enim ipsú motum volútatis eorú. Hæc & ejusmodi tam dése passim sparsa sunt, totiesq; repetita, ubi ex professo cótra hostes fidei insultátes pro humani arbitrij libertate decertát, tátá deniq; claritatis luce oculos lectorum tardissimorú ac dormitantiú feriunt ut læthargo pressum esse necesse sit, qui non evigilet, métis oculis orbatum, qui non intelligat. Quod si quis aliam concordiá in eorum scriptis quærat, quá Pelagianis obtrectantibus ingesserint, ut eorú querimonias contra gratiá pro libera voluntate sopirent, scrutetur ille per me licet, Ierusalé in lucernis, & si inuenerit & me participé facere dignatus fuerit, instructiorem in Augustini scriptis per ejus benevolentiam me esse factum libenter gloriabor. Sed nisi me multum fallit, cùm oleum & operam perdiderit inuestigando mecum fortasse confitebitur istum libertatis cum

cum gratia conciliandæ modū, quo nunc tantoperè Scholæ perſtrepunt, Doctoreſque fatigantur ut ſub nomine libertatis indifferentiam illam libratam contrarietatis aut contradictionis machinant & ſtabiliant, priſcis gratiæ defenſoribus vel ignotam contemptumque eſſe, & aliquot ſeculis pòſt, Scholaſticis ſubintrantibus, & liberi arbitrij vim, quam iſti veteres tanquam ſibi perſpectiſſimam tuebātur, non ſatis penetrantibus emerſiſſe.

CAPVT IX.

Redditur vera ratio principijs Auguſtini & aliorum Patrum ad amuſſim conſentanea, cur talem concordiam gratiæ & liberi arbitrij docuerint, nihilque in tradenda libertate curauerint illam indifferentiam & æqualitatem contrarietatis & contradictionis.

QVod ſi quis radices rerum, quibus iſta Sancti Præſulis, aliorumque Patrum doctrina nititur, diligenter attenderit, & intelligendo penetrauerit, non amplius mirabitur quod iſto modo de gratiæ & liberæ voluntatis conciliatione diſſeruerint ſed potiùs iudicabit hoc principijs eorum eſſe maximè, mirabiliter undequaque conſentaneum. Nam Auguſtino, diſcipulis & poſteris eius, definitio iſta liberi arbitrij, quā nunc Scholaſtici quidam id eſſe volunt, *quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere & non agere*; ita videlicet ut, ſicut ipſi intelligunt, tam agere quàm non agere, cum omnibus ad agēdū prerequiſitis, pro mero beneplacito voluntatis, coniungi diſiungique poſſit, ad multa ſecula fuit ignotiſſima, ſicut etiamnum ab, A omnibus qui gratiam phyſicè determinantem liberum arbitrium tuentur, velut Chriſti gratiæ capitaliter inimica reprobatur. Nam iſta definitio, quæ recto ſenſu exponi poteſt, eâ, potiſſimùm de causâ in iſto prædicto ſenſu à quibuſdam recentioribus vrgetur & exaggeratur, ut ita Dei, hoc eſt gratiæ medicinalis operationem non minùs atque habituum, liberæ voluntati ſubiectā ad concurrendum, & non concurrendum eſſe tueantur, atq; ita ſi *ei acquieſcere nolumus, nos ut operatio eius nihil in nobis proſit efficiamus*, quemadmodùm olim Vitalis ab Auguſtino refutatus, de ſua gratia ſemipelagiana docuit. (Epiſt. 107.) Sic enim totum diſcrimen concurrentis cum gratia & non concurrentis, à voluntate hic & nunc (ut loquitur) ſe cum B gratia determinante vel non determinante, ſuſpendere volunt, ut non ampliùs gratiam Chriſti medicinalem, infirmitati noſtræ opitulantem, ſed gratiā ſtatus innocentiæ & Angelorum, tanquàm vegetos robuſtoſq; iuuantē ſi voluerint, habeamus Hic enim præcipuus, & ferè unicus eorū ſcopus eſt, cur iſtam liberi arbitrij definitionē, & iſtud jam dictū æquilibrium ad utrumq; tantopere ſaluum eſſe velint. Huiuſmodi verò libertatis ratio & indifferens ad utrumq; æquilibriū læſæ libertati, ſecundū Auguſtinum, è diametro contrarium eſt, quāuis ut dixi veriſſimo, gratiæque medicinali congruentiſſimo ſenſu, liberū arbitrium etiā peccato læſum, tam ante quàm poſt ſuſceptam gratiā poſſit velle & nolle, agere & non agere, conſentire ac diſſentire, agere bonum ac malum ſi voluerit.

Quapropter Auguſtinus ac diſcipuli eius, nō ad iſtas quorundā recentiorū de libera voluntate conceptiones reſpexerunt, quādo gratiā cum libero arbitrio conciliādo dicunt eam idcirco non tollere liberum arbitriū, quia facit ut liberū arbitrium nō inſtar lapidis otioſū ſit & nihil agat, nec ut inuitum cogatur ad bonū, ſed ut etiā ipſum velit & agat. Verū intuebantur iſtud principium quod Auguſtinus explicuit, inculcatque frequentiſſimè: liberū hoc eſſe, *quod eſt in noſtra poteſtate*: hoc autē in noſtrâ eſſe poteſtate, *quod fit quando volumus*, ſeu ut alibi dicit quod aliquis, *ſi vult facit, ſi nō vult non facit*. (Lib. de Spir. & lit. c. 31.) Hâc autē definitione quā Auguſtinus velut immobilis ac certiſſimę veritatis regulā tenet, & omnes diſcipuli eius tenuerūt, omnis omninò voluntas ſeu volitio rationalis, libera eſt, quia quēadmodùm impoſſibile eſt ut non fiat quādo volumus, & fiat quando nolumus, ita conſequēter impoſſibile eſt, ut nō ſit in noſtra poteſtate, & hoc ipſo libera. Vnde Auguſtinus: *Quod ſi fieri non poteſt ut dum volumus nō velimus, adeſt utique voluntas volentibus* hoc eſt, fit quādo voluerint: *Nec aliud quicquā eſt in poteſtate niſi quod volentibus adeſt*, hoc eſt, quod adeſt quando volūt, *voluntas igitur noſtra*, id eſt volitio *nec voluntas eſſet niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porro quia eſt in poteſtate, libera nobis eſt. Non enim eſt nobis liberū quod in poteſtate nō habemus, aut poteſt non eſſe quod habemus.* (Lib. 3. de lib. arb. cap. 3.) Quæ fuſiùs loco ſuo diſputata & enucleata ſunt. (Libr. 6. de gra. Chriſti) Iuxta hoc igitur principiū, quod Auguſt. Proſper, Fulgen, & omnes priſci & veri defenſores gratiæ Dei, nō dubitauerūt certiſſimū eſſe, Pelagianorū os obturarunt, & libertatē arbitrij cum gratia rectiſſimè cōſiſtere docuerūt. Gratia quippe efficit ut nō aliud quippiam, ſed ipſa voluntas, id eſt, volitio bona habeatur, quā liberum arbitrium formaliter velit. Voluntas autem talis, ſeu volitio hoc ipſo quo eſt volitio, eſt in noſtrâ poteſtate, quia fit quando volumus: *non enim fieri poteſt ut dum volumus non velimus*: hoc ipſo igitur quo volitio eſt, etiam libera eſt. (Lib. 3. de libero arb. c. 3.) *Non enim eſt nobis liberum quod in poteſtate non habemus; aut poteſt non eſſe quod habemus.* (Ibid.)

Lib. 6. de gra. Christi Sal. Quæ si quis accuratiùs tradita, & plurimis Augustini testimoniis confirmata videre velit, legat ea quæ toto pænè tractatu de natura liberi arbitrij iuxta sanctum Augustinū ac discipulos ejus disseruimus.

Hinc itaque statim elucet vera ratio, cur semper Augustinus, Prosper, & ceteri Patres, nihil aliud concordiam gratiæ & libertatis explicando postulent aut urgeant, aut postulandum putent, quàm ut arbitrium sub gratia, non minùs quam gratiâ destitutum *velit*. Nihil enim conformiùs ejus doctrinæ dici poterat, quâ constanter sæpiùs tradiderat, fieri non posse ut velle non sit liberū nobis. Quod si velle non potest nobis non esse liberum, profectò si gratia facit ut arbitrium velit, facit etjam ut liberè velit, & nulla inter gratiam & liberum arbitrium est repugnantia. Quapropter quemadmodū principia de libera voluntate (quę non solùm senex, sed etiam presbyter diu antequam ebulliret hæresis Pelagiana, jecerat) hoc omninò postulabant, ut arbitrium suo quacumque vel Dei vel diaboli operatione liberum diceretur, quatenus ei non tolleret velle, sed hoc semper in eius relinqueret potestate, ut fieret quando vellet; ita illa ipsa exactissima conformitas, quam postea ab ipso & omnibus discipulis eius observatā cernimus, dum nihil aliud ad libertatem saluandam exigunt, nisi ut arbitrium non nihil agat, sed propriâ voluntate velit, euidentissimum argumentum est, hunc esse genuinum sensum Augustini quem produximus. Quæ conciliandi ratio cùm ab ipso toties adhibita probataq; fuerit, & à discipulis ac posteris ad aliquot annorum centurias propagata, qua etiam Pelagiana & Semipelagiana hæresis prostrata, & omnes querelæ reclamantiū sopitæ sunt, frustra profectò videtur nunc alia tanto philosophiæ humanæ strepitu quæri.

Hinc etiam elucet consequenter, cur tantū silentium apud veteres istius exacti æquilibrij voluntatis ad agendum & non agendum, quod nonnulli tanto studio quærunt. Ratio quippe est, non solùm quia falsum est, & ab ijs excogitatum qui liberi arbitrij peccato violati statum, & gratiæ medicinalis operationem non satis assequuntur, sed etiam quia ad liberi arbitrij naturam nullo modo necessarium, quēadmodum ex illa liberi definitione ab Augustino iam iam traditi, manifestum est: nam siue cum indifferentiâ utrumque velit, siue alterutrum cum tanta determinatione ita ut oppositum velle non possit, hoc ipso quo voluntas est quæ vult, necesse est eam esse in potestate, & hoc ipso quo est in potestate, esse liberam. Fortiter enim & constanter & immutabiliter cum pleno iudicio velle id quod rectè sapienterque iudicamus sic esse volendum aut diligendum, non ponit actum extra potestatem nostram, sed quam maximè in nostra potestate, quia in nostrâ voluntate.

A Hinc ergo consequenter nascitur, cur Augustinus, Prosper, Fulgentius, & omnes isti antiqui toties inculcent contra Pelagianos, qui liberi arbitrij interitum ex gratiâ sequi conclamabant, quod gratia non cogat voluntatem, non invitam trahat, non inferat vim aut violētiam. Nempe quia juxta principia eorum nulla gratiæ efficacia, nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, & necessitas violentiæ, quæ videlicet ut ipse loquitur, *non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus* (hoc est nobis inuitis & nolentibus & reluctantibus) *efficit id quod potest, sicut est necessitas mortis*. *Libro 5. de Ciuit.* Reliquam verò quamcumque & quantamcunque necessitatē, *secundùm quam* *Ibidem* B *dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio, inquit, cur timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis*: nempe quia etiam per talem, tale velle in nostra plenissima est potestate: *si enim*, inquit ibidem, *volumus est, si nolumus non est; non enim vellemus si nollemus*. *Ibidem.* Quod & alijs multis locis tradit ut supra latè vidimus. Cùm igitur *Vide lib. 6. de gra. Chr. Sal. cap. 5. 6 & seq.* hæc omnia ad amussim ex omni parte principijs ab eo traditis de libero arbitrio conueniāt, profectò ipsa rerum admirabilis consonantia altissimè clamat, hanc ipsam esse veram genuinamque diuinæ gratiæ cum libera voluntate concordiam.

CAPUT XX.

Agnouit Augustinus sub gratiâ & ante gratiam indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu; non tamen tanquam libertatem aut partem eius. Explicatur ista indifferentia conformiter principijs Augustini.

Quæres fortassis utrùm igitur nulla indifferentia, siue contrarietatis, siue contradictionis sit in libero voluntatis arbitrio post peccatum, quamdiu in mortalitate vivimus? Si enim non adest indifferentia contrarietatis, quomodo possumus hic semper bene & male vivere? si non adest indifferentia contradictionis, quomodo ergo dicitur: *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit?*

Respondetur quàmdiu hic vivimus, siue in infidelitate ante gratiam, siue jam sub gratiâ, indiffe-

Digitized by Google

indifferentiam ad contraria, hoc est, ad volendum faciendumque bonum & malum semper inesse libero arbitrio: sed non eo modo, quo isti Scholastici putant quos supra diximus, qui quocumque modo arbitrium, sive gratiæ, sive peccati delectationibus imbuatur, semper existimant cum utravis ejus dispositione posse fieri, ut utrumlibet velit sive bonum sive malum, pro illa sola scilicet innata indifferentia voluntatis, quæ sub quacumque dispositione actum præveniente sese suâ libertate in utrâvis partem flectit. Talis enim indifferentia contrarietatis ab Augustino constantissimè negata fuit, & à Pelagianis contentiosissimè postulata, prout utrumque suis locis demonstravimus. Illâ quippe datâ nihil facilius est, quàm totam Pelagianam hæresim defendere, ipsumque peccatum originale de medio tollere. Nam illa sola ratio fuit, cur istam indifferentiam contrarietatis, tam importunè flagitarint isti, & ille pernegarit. Videbant enim, si talis indifferentia adhuc post peccatum superest, liberum arbitrium non esse peccati iniquitate violatum, integras adhuc persistere voluntatis vires, nullam contractam esse peccandi infirmitatē, imo fortius esse voluntatis arbitrium, quàm ante lapsum fuit. Quid enim amplius à sanissima voluntate virium postulari potest? Quæ cum capitaliter Christianæ fidei adversentur, & gratiæ medicinalis Christi Salvatoris necessitatem auferant, mordicùs quoque defendit Augustinus, talem indifferentiam contrarietatis esse perditam inductamque pro tali libertate peccandi necessitatem. Ad alteram quippe partem contrarietatis, liberum arbitrium post lapsum, ipsâ peccandi perpetuâ cupiditate ac delectatione determinatum fuit, amissâ benefaciendi potestate; nisi denuò per gratiam inseratur. Alio igitur sensu liberum arbitrium ante gratiam, quemadmodum etiam alio sensu sub gratia, indifferentiam contrarietatis & contradictionis habet; ita videlicet, ut quibuscumque positis, quæ ad agendem bonum aut malum requisita sunt, possit liberum arbitrium in hac vita facere bonum & malum, facere alterutrum, & non facere. Quod quamvis ex ijs quæ supra de potestate non faciendi sub gratia nos determinante diximus, utcumque intelligi potest; hîc tamen breviter pro utraque parte annotandum est.

Dicimus igitur liberum arbitrium, quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum non tantùm non facere, sed etiam malum. Verum est enim istud non quidem in sensu composito, ut vulgò dici solet, sed in sensu diviso. Nimirum quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium sub gratiæ delectatione efficaciter eam movente positum est, imò quo etiam actum voluntatis bonum facit, est in eadem voluntate potestas illud non faciendi imò peccandi, non quod cessatio ab actu quem tunc elicit, aut actuale peccatum

A cum gratiæ delectantis influxu consistere possit (quod sensus compositus postularet) sed quia cessandi & peccandi potestas cum eadem gratia simul in eodem voluntatis arbitrio coniungi potest. Nam quamvis duo actus contrarij sint oppositi, & in eadem voluntate simul esse non possint; potestates tamen ad opposita non sunt oppositæ, nec sibi invicem nec actibus oppositis & in eodem simul subiecto, sive agente, sive quiescente commorantur. Sic ergo voluntas quantumcumq; gratię suavitate capiatur, potest non agere id quo rapitur, quia veram non agendi potestatem etiam sub gratia rapiente retinet, quamvis fieri nequeat, ut ipsa non actio cum gratię operatione in eadem simul voluntate copuletur. Sic Deus, quamvis nihil omninò faciat, nisi conformando se judicio sapientiæ, rectè tamē dicitur hoc liberè B facere, quia potest etiam contrarium facere, quia potestas faciendi contrarium ejus, quod hîc & nunc dictat æterna sapientia, cum actione opposita non repugnat. Sic etiam iuxta Tridentinum, homo *recipiens inspirationem, illam abjicere potest*; & *liberum arbitrium à Deo motum potest dissentire, si velit*. Qua de re qui plura volet, auctores qui de physica prædeterminatione tractant consulendi sunt. Sic enim illi indifferentiam contradictionis atque contrarietatis; quam ij si libertatem arbitrij vocant, cum illa prædeterminatione conciliant. Sess. 6. cap. 5. & can. 4.

Hoc est igitur quod sanctus Augustinus tradit, quando toties docet concupiscentiam & ignorantiam, per quam nunc omnia peccata committuntur, non auferri ex nobis, quamdiu in hac mortali vita versamur. Hinc fit C enim quod in nobis non solùm ipsa potentia voluntatis, quæ de se ad malum flexibilis est, sed etiam pondus ad peccandum remanet, quod est peccandi potestas perfectissima. Quæ sanè non solùm adest inestque voluntati, quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intimâ ejus suavitate efficaciter trahitur. Propter quam sanè liberum arbitrium qualicumque gratiâ ad agendum rapiatur, rectissimè dici potest posse peccare; licet fieri nequeat, ut ipsum peccatum simul in sensu composito cum gratiæ operatione societur. Hoc sensu sanctus Prosper: *Qui ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam muta-* D *bilitatem, quæ potest nolle, non auferat.* Quibus verbis significat manere in sāctis illam *mutabilitatem quæ potest in tentatione mutari*, propter pugnam videlicet carnis & spiritus. Nam ut infra dicit: *In cæteris hominibus* præter Christum *donec caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, & donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri, quoniam non huius, sed alterius vita est.* Hæc est ergo peccandi potestas, quæ etiam sub gratia quantumcumque ad bonum determinante manet. Vnde ibidem sanctus Prosper adijcit: *Et licet innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert, quod ipsis repugnat ex ipsis: ut in omnibus studijs eorum atque co-* Lib. 2. de voc. gent. c. 28. Ibid. Ibid.

 natibus,

A *natibus ſemper inter ſe velle & nolle decertent.* Quã concupiſcentię tumultuationem & repugnantiam, cùm in eodem loco latiùs tradidiſſet, tandem adjicit: *ut quamuis auxilio Dei ſteterint, tamen quia in ſe habebant unde caderent, ipſorum ſit meritum quod ſteterunt.* Et in eodem libro multò ſuperiùs: *multis qui iam iudicio rationis utuntur ideo liberum eſſe diſcedere, ut non diſceßiſſe ſit præmium, & ut quod non poteſt niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate fieri.* Quam mutabilitatem etiam continuò revocat ad *vitium quod per malam voluntatem irruit in naturam.* Hoc ergo modo ſentit Auguſtinus & Proſper ſub gratia manere peccandi poteſtatem, quia præter naturalé flexibilitatem ad malum, manet etiam concupiſcentia per cujus tentationes animus mutari poteſt quòd quia in cœlo accidere non poteſt, conſequenter etiam beatus ampliùs peccare non poteſt. Vnde idem Auguſtinus: *non poterunt ibi* (in regno) *eſſe peccata, ubi ſpiritus non dico, non conſentit concupiſcentijs carnis, ſed nec concupiſcit aduerſus carnem,* atque ita in cœlo indifferentia contrarietatis per magnitudinem atque perpetuitatem intimæ delectationis ablata eſt.

Ibid.

Ibid. c. 12.

Lib. 6. con. Iul. c. 15.

Quemadmodum igitur qui ſub gratia ad opus bonum determinante operatur, ſimul etiam peccare poteſt, ita quoque è contrario, qui iſtâ gratiâ deſtituitur, ſiue fidelis ſiue infidelis, & peccandi tentationibus quatitur, poteſt bene facere. C Non quidem quaſi ſemper etiam ante ſuſceptam Chriſti aut Dei fidem, gratiâ ad non peccandum ſufficiente muniatur (quo nihil alienius ab Auguſtini doctrina dici poteſt) aut arbitrium etiam ante gratiam ſit in illius indifferentiæ æquilibrio, quæ ſe ad utrùmlibet, nullâ mutatione factâ in requiſitis ad agendum, pro libero voluntatis nutu flectat (quod non minùs capitaliter principijs Auguſtini aduerſatur) ſed quia quantumcunque ad peccandum peccati voluptate, hoc eſt, voluntatis infirmitate trahatur, manet in arbitrio non ſolùm fides & habitus boni in fidelibus, ſed in infidelibus etiam illa ſaltem naturalis flexibilitas ſeu capacitas, quâ liberum arbitrium credere, ſperare ac Deum diligere poteſt. D Liberum enim arbitrium quantumuis peccato corruptum, ſicut in hac vita reparari poteſt, ita etiam credere & juſtitiam diligere, & bene operari poteſt. Quæ credendi aut benefaciendi operatio, licet cum infidelitate vel determinatione ad peccandum jungi in eadem voluntate nequeat, potentia tamen illa credẽdi & benefaciendi cum infidelitate ſimul manet: quam ob cauſam rectè dicuntur infideles poſſe credere, poſſe diligere, poſſe benefacere, in ſenſu ſimiliter diuiſo, non compoſito, quãdiu in hac vita conſtitutis gratia Dei & illuminatio eis conferri poteſt. Nam hanc ob cauſam diabolus ac damnati dicũtur non amplius poſſe benefacere: *Non oremus,* inquit, *contra illum* (diabolum) *qui corrigi non poteſt, ſed pro ipſis* (hominibus) *qui poßunt.* Quam differentiã tangit & ſanctus Proſper quando contra objectiones vincentianas dicit: *Hoc inter malos homines diſtat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſeratur reconciliatio; dæmonibus autem nulla eſt in æternum ſeruata converſio.*

Auguſt. In Pſal. 139.

Proſper ad obj. 6. Vin.

Hoc ergo ſenſu ſanctus Auguſtinus de Iudæis excæcatis & obduratis dicit: *Hinc licet advertere etiam ipſis Iudæis quorum blaſphemiam Deus arguit, non fuiſſe clauſum corrigendi ſe & pœnitendi locum: quod quidem Dominus in ea reprehenſione ait illis; aut facite arborem bonam & fructum eius bonum: aut facite arborem malam & fructum eius malum. Quod utique nulla ratione diceretur eis ſi propter illam blaſphemiam iam commutare animum in melius, & rectè factorum fructus generare non poſſent.* Et in libro annotationum in Prophetam Iob: *in hac vita cùm arguitur, habet corrigendi poſſibilitatem.* B Poſſunt ergo infideles credere, quiã ut Auguſtinus dicit, *mutari in melius homines poßunt,* ſed per gratiam Dei: poſſunt peccatores & obdurati & excæcati benefacere, quia ut idem de peccatoribus ſceleratiſſimis & incredulis quos Apoſtolus tenebras vocat: *Hæ tenebræ non naturales ſunt, non incõmutabiles ſunt, mutantur & lumen efficiuntur: credunt & credendo illuminantur,* ſed à Domino, quia ut Apoſt. ait: *fuiſtis aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hoc ſenſu alloquimur homines etiam infideles ut credant, credentes ut diligant, ut operentur, omniaque præcipiendi conſulendi, hortandi, corripiendi incentiva adhibemus, non ut ſignificetur adeſſe illam immediatam C operandi poteſtatem, quam tribuit gratia, ut nutu voluntatis ei tantùm accedente, influxus ejus ſequatur, aut non ſequatur: ſed (quod ſæpiùs ex profeſſo ſanctus Auguſtinus docet) ut ſignificetur eos quibus loquimur, habere liberum voluntatis arbitrium, quò præceptum, aut conſilium fieri poteſt, & non fieri, & per noſtrum illud adminiculum ſciant, quò debeant ſuam convertere voluntatem. Sed ſi deſit gratia, quæ voluntatem peccato inhiantem flectat in bonum, poteſtas illa benefaciendi effectu ſuo caſſa remanebit, nec tamen quáliſcumque poteſtas benefaciendi eſſe deſinet, quâ ſub peccandi, & non credendi delectatione ac determinatione conſtituti, poſſunt credere & benefacere. D Hoc enim in eorum natura liberi arbitrij conſtitutum eſt, & quamdiu hîc vivitur, mutari in utramlibet partem poteſt. Nam ut Auguſtinus: *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem natura eſt hominum.* Quod perinde eſt ac ſi diceret, homo naturaliter per liberum arbitrium habet poteſtatem, quá dici poteſt poſſe credere, nam poſſe habere fidem, nihil aliud eſt, quàm poſſe credere. Et in libro de gratia Chriſti: *Planè illa poßibilitas* (liberi arbitrij malis) *utriuſque radicis eſt capax, quia non ſolùm poteſt homo habere charitatem quâ fit arbor bona, ſed poteſt etiam cupiditatem quâ fit arbor mala.* Et Hugo de S. Victore, non indiligens S. Auguſtini diſcipulus, rem accuratiùs & planiùs ſcholaſtico modo explicans: *modo antequã per gratiam liberatum ſit à peccato* liberum arbitrium *nec velle nec perficere bonum poteſt. Sicut diceremus de aliquo compedito: non poteſt hic ambulare, id eſt in poteſtate ſua non habet, tamen concederemus poßibile*

In expoſit. inchoata Epiſt. ad Rom. in fin.

Annotat. Iob c. 5.

Tract. 53. in Ioan.

Serm. 8. de verbis Do. c. 3.

Lib. de gra. & lib. arb. & alibi

Lib. de prædeſt. Sanct. c. 5.

Lib. de gra. Chri. c. 20.

possibile esse hunc ambulare, quia potest evenire, ut solvatur & ambulet. Et infra, cùm sibi objecisset, quod liberum arbitrium etiam in peccato constitutũ esset liberum, *ideoq. possit bonum velle antequam daretur gratia*, respondet pleniùs & planiùs: *Sed ita est hic sicut in compedito illo qui scilicet non potest ambulare antequam solvatur: & tamen per se verum est, possibile est hunc ambulare, vel hic potest ambulare. In eodem sensu similiter non negamus de illo peccatore vel pagano, vel quolibet alio, quin possibile sit eum bonum velle, vel quin possit* BONUM VELLE; SED NON NISI HOC MODO SCILICET, SI DETUR GRATIA PER QUAM LIBERETUR, ET QUÆ EI COOPERETUR. Et sanctus Bernardus ejus coætaneus. *[Bernar. lib. de gra. & libero arbit.]* *Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breviter respondeo salvatur. Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur. Deus author est salutis, liberum arbitrium tantùm capax, nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium* &c. Ne autem se tantùm passivè habere crederetur, explicat *salvari esse consentire.* Sed istud consentire, nisi per gratiam, quæ liberum arbitriũ in malum pronum retorqueat in Deũ voluntati reipsa tribuatur, frustra adhibebitur qualecunque præcipientis & consulentis, & exhortantis, & increpantis eloquium. Unde Augustinus, cùm per illa præcepta, quibus aliquid jubemur velle aut nolle, liberum arbitrium demonstrari docuisset, ne quis putaret, ut illi Scholastici putant hoc statim propterea pro ista indifferentia voluntatis, quasi præsente semper gratiâ, posse fieri & non fieri, circumspectè adjicit: *[Lib. de gra. & lib. arb. cap. 4.]* *Quid tamen ut fiat adjuvat gratia, quæ nisi adjuverit nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia & majores vires accipit lege prohibente, nisi adjuvet spiritus gratia*: Et in alio loco: *[Ibid. c. 18.]* *præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum: quod quidem sine suo fructu prorsus admonetur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.* Significat enim quando non adest præceptis gratiæ adjutorium, non solùm non adesse illud indifferens agendi & non agendi æquilibrium, quod pro nutu tantùm voluntatis sursum ac deorsum impellatur, verùm nõ solùm nihil boni facturum, sed etiam majori impetu in malum esse rapiendum, quamvis interea non peccandi potestas seu flexibilitas semper in hac vita cum qualibet peccandi delectatione, imò peccati voluntate ac perpetratione maneat.

Et quamvis talis non peccandi seu benefaciendi facultas concupiscentiâ sæviente, & gratiâ non juvante, nullius fructûs sit; ad hoc ut reipsâ peccati reatus effugiatur, utilitate tamen suâ nequaquam caret. Est enim saltem propriæ malitiæ peccantium certissimum testimonium, quo Deus extra omnem culpæ suspicionem constituitur. Nam hoc ipso quo homini, quâcumque ipse cupiditate ac delectatione in peccata rapiatur, interna illa non peccandi facultas quamvis impedita ligataque permanet, satis intelligitur non Dei aut cujusquam alterius, sed ipsius hominis culpam esse, quod illâ facultate ad bonum diligendum faciendumque datâ, utatur ad malum. Pondus enim istud, quo nunc premitur, ac delectabiliter, imò insuperabiliter, gratiâ absente, ad peccandum trahitur, non isti facultati ex creatione Dei, sed ex supplicio malæ voluntatis accessit; quo fit, ut si quid inde peccati proficiscitur, non potestatis defectus afferat patrocinium, sed perversæ voluntatis culpa supplicium. Habuit enim potestatem plenam evitandi peccata, si vellet; quod si noluerit, peccandoque sibi peccandi facilitatem, ac talem benefaciendi impotentiam comparaverit, cui nisi nolenti imputaveris? Itaque sanctus Augustinus hujusmodi peccata, quæ ex ista contracta peccandi necessitate contingunt, semper vera peccata esse profitetur, quamvis ea voluntas ita constituta vitare non possit, & semper simul docet, si talis impotentia homini sine culpa ex natura contigisset, ab omni reatu fore liberum: *[Lib. 3. de liber. arb. cap. 18.]* *Sed hæc omnia*, inquit, *hominem sunt voces ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista pœna hominis sed natura, nulla ista peccata sunt.* Nempe quia non receditur à statu quo homo naturaliter factus est, sed ei conformiter potiùs vivitur, dum naturalibus ejus inclinationibus morem gerit. Quod & aliis locis constanter docet, ut pluribus loco suo demonstravimus.

Huc accedit, quod hujusmodi pondere delectationum, quibus efficitur, ut voluntas rationalis actu velit bonum aut malum, non tam posse aliquid facere, quàm velle tribuant: & ideo consequenter posse, quia tribuunt velle, quo fit ut etiam tunc cùm jam pondere malarum cupiditatum ac delectationum ad peccandum trahitur meritò voluntas magis quàm potestas, ideoque potestas, quia voluntas, deesse censeatur. Delectatio quippe suaviter voluntatem provocat, & provocando facit velle, & ipsum velle dando, etiam posse largitur. Quò enim quisque vehementiùs vult eò robustior est, sive in bonum, sive in malum: quia in libero arbitrio posse non præcedit, sed sequitur voluntatem. Unde illud Augustini: *[Lib. 1. retract. c. 22.]* *In potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem.* Et alibi: *[Lib. de corr. & grat. c. 12.]* *tantùm quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic velint, ideoq. sic velint, quia Deus operatur, ut velint.* Et iterùm: *[Ibid.]* *Ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.* Unde cùm alio in loco dixisset, *omnes homines ad Dei præcepta se convertere posse si velint*, ut intelligeremus istam potestatem proximam convertendi se non præcedere, sed sequi seu comitari ipsam bonam voluntatem, & in ipso primo & forti bene velle constitutam esse loco explicationis adjungit: *[Lib. 1. retra. cap. 10.]* *Verum est omninò omnes homines hoc posse si velint, sed præparatur* illa *voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis ut possint.* Et rursum cùm tanquam rem certam statuisset, *[Ibid. c. 22.]* *in nostra potestate positum esse, mutare in melius voluntatem*, & hoc ex Christi verbis astruxisset, quibus dicit, *Aut facite arborem bonam* &c. ne quis sibi persuaderet hanc mutandi potestatem

testatem plene inesse homini, antequam rursus ipsa bona voluntas detur, explicat sese in eundem hunc modum: *In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ex potestas nulla est nisi detur à Deo.* Hanc autem potestatem in ipsa collatione mutationis seu bonæ voluntatis esse sitam etiam hic statim adijcit: *Cum enim hoc sit in potestate* (id est cum hoc possimus) *quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est. Sed præparatur*, id est datur *voluntas à Domino. Eo modo ergo dat potestatem.* Et mox addit aliud non dissimile: *Sic intelligendum est & quod dixi postea: In nostra potestate esse ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi cum seueritate mereamur. Quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem, quæ cum fortis & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis etiam quod difficile atque impossibile fuit.* Qua redditione bonæ voluntatis etiã ipsã bene agendi, imo bene volendi potestatem reddi nemo mirari debet. Cum enim potestas illa proxima bene volẽdi hoc ipso amissa sit, quod illud voluntatis imperium ac nutus, quo seipsam solebat volũtas (cum gratia *sine qua non*) ad bonũ, prout ei videretur, flectere, & non flectere per introductæ concupiscentiæ delectationẽ captiuum sit & miserabili seruitute depressum, ita ut nihil ei libeat, nisi terrenis delectationibus titillantibus consentire; non aliter quoque redditur, nisi ex illa captiuitate per victricis delectationis cœlestis infusionem sibi consensum vindicantis, eruatur; qua sicuti hoc ipso bona voluntas, ita etiam potestas bene agendi redditur. Nã ista victrix delectatio, sicut hoc ipso quo datur, è captiuitate consensũ eruit, ita hoc ipso semper cum bona voluntate & potestate coniuncta est. Velle ergo dat posse, & fortiter velle, fortiter posse; quia quanto vehementior est voluntas, eo robustior & insuperabilior est potestas. Quemadmodum igitur cum voluntas fortis gratiæ delectatione præparatur, vt ardenter diligat bonum, non potestas propriè peccandi aufertur, sed voluntas, & eatenus tantum potestas, quatenus voluntas, quæ à malo per istam gratiæ delectationem avocata, vehementer affigitur bono; ita vice versa, cum liberum arbitrium concupiscentiarum delectationibus rapidissimè præcipitatur in malum, ut ardentissime illud diligat, non tam benefaciendi potestas ei tollitur, quam voluntas, & ideo potestas, quia voluntas, posse enim sequitur voluntatem. Ex quo illud Augustini verissimum fluxit: *Hanc dicimus potestatem vbi voluntati adijcit facultas faciendi. Vnde hoc quisque in potestate habere*, hoc est posse, *dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* Quam sententiam sæpius apud ipsum videre licet, & superius à nobis latius explicatam. Iuxta hoc

Ibid.

Lib. de Spir. & lit. c. 31.

Vide lib. de grat. Christ. Saluat. fusè.

A principium Augustinus impotentiam illam benefaciendi, quam in incredulis & quibusque obduratis, excœcatisque cernimus, quantumcumque gratiã destitutis, certissimæ culpæ deputat; tum quia ipsam sibi ipsi volendo pepererunt, tum quia ipsa eorum impotentia in vehementissimè nolendo sita est, quam nolendi vehementiam & inde impotentiam ardentissima concupiscentiæ delectatio facit. Itaque alibi de excœcatis loquens: *Quare autem non poterant credere, si à me quæratur, ita respondeo quia nolebant malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus.* Et cum obiecisset eam ex excœcatione prouenisse, qua positã videre non potest, respondet: *Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo.* Et inferius: *non itaque mirum est, quia non poterant credere, quorum voluntas sic*

B *superba erat.* Et iterum: *Sicut ergo quod Dominus seipsum negare non potest, laus est voluntatis diuinæ, ita quod illi non poterant credere culpa est voluntatis humanæ.* Hæc ergo firmitas ardorque voluntatis malæ, vehementi delectatione concupiscentiarum adiuta & incitata, parit benefaciendi impotentiam, quam sola voluntas superare non potest, quia velle non potest, idque ideo quia fortiter stabiliterq; non vult: cum qua tamen quia manet facultas illa liberi arbitrij interna & flexibilis benefaciendi, mala voluntas propter causam iam dictam rea est, quamvis nulla ei detur gratia, & habet quandam ad contraria indifferentiam, quamdiu in hac vita viuitur, ratione cuius si spiritus sanctus aspirauerit, bonam voluntatem seu velle, quod petulanter amissum est, iterum suscipere potest.

Tract. 53. in Ioan.

Ibidem.

C Quod si ista declaratio permanentis in hac vita indifferentiæ, seu, vt loquuntur, libertatis ad contraria intelligitur, iam facilè patet, quid de indifferẽtia contradictionis æstimandum sit. Nam hoc ipso quo semper adest libertas talis ad contraria, siue ante gratiam, siue sub gratia delectante atque determinante, necessariò quoque libertas ad contradictoria adesse debet. Posse namque facere malum tanquam contrarium boni illius quod gratia facit facere, est multo magis posse non facere hoc ipsum bonum. Quanquam & ipsum bo-

D num, simili modo sub gratia delectante constituta, quando etiam reipsa facit, possit non facere, sicut potest & facere aliud malum. Sed sicut vtrumque contrariorum potest in sensu diuiso, non composito, ita quoque vtrumque contradictoriorum posse dicendum est. Quod ex ijs quæ iam dicta sunt, tum isto præsenti capite, tum alio, vbi de libertate ad vtrumque sub physica prædeterminatione, aliquid secundum aliorum sententiam diximus, satis superque intelligi potest.

Cap. 4. sup. hoc libro.

CAPVT XXI.

Digitized by Google

CAPVT XXI.

Quomodo differat iſta concordia gratiæ & liberi arbitrij ab opinione Calvini?

OBijcietur fortaſſis adverſus illam gratiæ & liberi arbitrij concordiam, eam à ſententia Calvini non differre. Sic enim utrumque invicem conciliat, ut dicat hominem vi gratiæ non ita trahi, ut ſine motu voluntatis quaſi extraneo impulſu feratur, ſed intus affici, ut ſuâ voluntate obſequatur. Hoc eſt voluntariè tantùm, non liberè influere in opera bona voluntatem. Quæ ſententia à Concilio Tridentino diſſonat.

Reſpondetur, non omnia quæ hæretici docent, ſunt hæretica. Mos enim ſolemnis omnium hæreticorum eſt, ut falſis vera miſceant, miſcendoque perturbent omnia, quò venenum quaſi melle circumlitum ab incautis cum ſecuritate hauriatur. Vnde Auguſtinus: *Lib. 2. qq. evang. q. 40* *Nulla falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat.* Itaque hæreſis, eodem authore, veluti lepra eſt, quæ quemadmodum veris falſiſque colorum fucis corpora humana variando maculat, B ita hæreſis vera falſis inordinatè permiſcendo, totum doctrinæ vel ſermonis corpus inficit: ut multa circumſpectione opus ſit, quâ mundũ ab immundo, verum à falſo ſeparetur. Quod enim Eccleſia de hæreticis juxta ſanctum Auguſtinum dicit: *In Pſal. 54.* *In multis erant mecum, in paucis non mecum ſed in his paucis in quibus non mecum, non eis proſunt multa, in quibus non mecum.* Hoc Auguſtinus inverſo ordine de Calivino dicere poſſet: *In paucis mecum, in multis non mecum.* Quod ſi qua in re Calvinus cum Auguſtino & antiquis PP. ſenſerit, non propter Calvinum Auguſtino indignandum eſt, ſed propter Auguſt. Calvino potiùs gratulandum: cujus mentem ſi in omnibus dignatus fuiſſet ſequi, C non veterum catalogum hæreticorum opprobrio ſuæ damnationis auxiſſet. Hæc igitur ſunt, quæ Eccleſia in Calvino quantum ad hanc materiam gratiæ & liberi arbitrij improbavit, cenſuræque ſuæ ſecuritate damnavit.

Primum eſt, quod Calvinus negat eſſe in homine boni & mali electionem: quam tamen ſemper Auguſtinus libero arbitrio aſſerit. Sic enim loquitur Calvinus in lib. 2. Inſtitut. *Lib. 2. Inſtitut. c. 2.* *Liberi arbitrij hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, ſed quia malè voluntate agit.* Et §. præced. reprehendit illam ſaniſſimam ſententiam ſancti Proſperi, quam lib. 2. de vocat. gent. tradit: *Ibidem.* *Liberum eſſe iis, qui rationis judicio utuntur, à gratia diſcedere, ut non diſceſſiſſe ſit præmium; & ut, quod non poteſt niſi ſpiritu cooperante fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Tacitè carpit id quod Proſper Auguſtino concinens, multis ſententijs cap. præcedent. tradidit, Deum ſic A in homine operari velle atque perficere, ut tamen idipſum poſſit ſi vellet non facere, ſeu ut Proſper loquebatur, *Vt à perſeveraturis illam mutabilitatem, quæ poteſt nolle non auferat.* Hinc & cap. 5. Calvinus dicit, *Cap. 5.* *ſe evinciſſe voluntariè fieri, quod liberæ tamen electioni non ſubiaceat.* Quod ex diametro cum ſancti Auguſtini ſenſu pugnat, qui docet hominem liberè eligere non ſolùm malum, ſed etiam bonum, atque ita eligere utrùmlibet, ut illud, ſi nollet, non eligeret; quamvis bonum non niſi gratiâ præſtante eligatur.

Secundum eſt, quod Calvinus doceat gratiam ita movere hominem, ut non ſit ei liberum reſiſtere. Sic enim loquitur: *Lib. 2. Inſtit. cap. 3.* *Voluntatem Dominus movet, non qualiter multis ſeculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari.* Auguſtino verò Dominus ita movet voluntatem, ut quamvis infallibiliter convertatur & operetur, poſſit tamen motioni Dei refragari, aut obtemperare, ſeu ut Concilum Tridentinum loquitur, *illi diſſentire ſi velit.* Potentia quippe diſſentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni & conſenſui, quamvis fieri nequeat, ut actualis diſſenſus cum actuali Dei motione jungatur.

Tertium eſt, quod nolit hominem gratiæ moventi pediſſequâ voluntate conſentire. Hęc enim expreſſa ſunt ejus verba: *Ibidem.* *Hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ prævenienti pediſſequâ voluntate obſequatur.* Hoc autem à modo, quo ſanctus Auguſtinus gratiam cum libera voluntate conciliat, prorſus alienum eſt. Nam ipſius verba ſunt: *Epiſt. 106.* *Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pediſſequâ non prævia voluntate.* Et ne quis hoc in alienum ſenſum detorqueret, ut Calvinus facit, quaſi homo, quamvis pediſſequam præberet voluntatem, non tamen obſequeretur gratię, declarat alibi quid ſibi velit, quando dicit: *Lib. de Spir. & lit. c. 34.* *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propria voluntatis eſt.* Vbi per vocationem nihil aliud niſi gratiam vocantem quâ fit ut credat, intelligit. Et in eodẽ lib. dicit, quod *juſtitiam*, hoc eſt opus juſtitiæ, *Ibidem. c.* *operatur Deus, cooperantibus creaturæ ſuæ voluntatibus.* Et Gelaſius Papa in epiſtola ad Epiſcopos per Picenum, docet Apoſtolum quando ait: *Gelaſ. epiſt. 5. ad Epiſc. Picen.* *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, hoc monſtraſſe, *quod cooperator fuerit gratiæ ſubſequendo.*

Quartum & principium omnium iſtorum præcedentium eſt, quod exſertè docet virtutem & vitium, bene agere & malè, non eſſe in noſtra poteſtate. Nam in lib. 2. reprehendit illam

Lib. 2. instit. cap. 2.

illam sententiam Philosophorum, quâ dicunt *virtutes & vitia esse in nostra potestate.* Itemque *agere & non agere esse nostræ electionis.* Paulò inferiùs carpit illam Chrysostomi sententiam tanquam falsissimam:

Ibid.

Quoniam bona & mala in nostra Deus potestate posuit, electionis liberum donavit arbitrium, & invitos non retinet, sed volentes amplectitur. Et in cap. 5. damnat Chrysostomum dicentem, quod *hæc sit voluntatis nostræ facultas bonum aut malum eligere.*

Cap. 5.

Et sanctum Prosperum, quem ipse Ambrosium vocat, asserentem, *Neminem unquam à fide recessurum fuisse, nisi mutabilitatis conditionem Dei gratia nobis relinqueret,* quod superiori etiam capite pro arbitrij potestate ad bonum & malum allegavimus. Hæc & huiusmodi, quibus Calvinus passim sensus suos prodit, liberum arbitrium à fundamentis suis convellunt. Quid enim ad liberum arbitrium radicitùs exstirpandum capitalius excogitari potest, quàm bene & malè agere, virtutem & vitium non esse in hominis potestate? Nam secundùm Augustini principia, liberum non est aliud, nisi quod est in nostra potestate, ut supra breviter, & alibi latissimè demonstravimus.

Vide lib. 6. de gra. Chr. Salv. latiss.

Ex quo capite sanctus Doctor exsertè docet, non solùm id quod per se perspicuum est, quod vitia seu peccata sunt in nostra potestate, sed etiam de actionibus quibuscumque bonis: *In potestate hominis est, mutare in melius voluntatem.* Et alibi: *Vide nunc, utrùm quisque credat, si noluerit; aut non credat, si voluerit, profectò fides in potestate est.*

Lib. 1. retract. c. 22. Lib. de spir. & lit. c. 31.

Et in libris contra Faustum: *Sive autem iniquitas, sive iustitia, nisi esset in voluntate, non esset in potestate, porrò si in potestate non esset, nullum præmium, nulla pœna iusta esset: quod nemo sapit, nisi qui desipit.* Unde alibi generaliter eodem planè sensu: *Homo rectè vivere cùm vult potest.*

Lib. 2. de liber. arb. cap. 1.

Hoc enim est Augustino esse in potestate, quod *cùm vult facit,* ut sæpiùs jam ex ipso declaratum est. Ex hoc igitur immobili principio sancti Augustini sæpiùs repetito & inculcato, necessariò sequitur, non solùm falsum esse & Augustino directissimè contrarium, quod proximè Calvinus dixit, sed etiam omnia illa præcedentia quæ notavimus. Nam hoc ipso quo justitia, & bene vivere & credere, & mutare in melius voluntatem est in nostra potestate, etiam est in potestate nostra eligere bonum & malum, gratiæ Dei resistere & non resistere, obtemperare aut refragari: & hoc ipso illa eadem sunt nobis libera; quia liberum esse nobis non est, ut diximus, aliud quàm esse in nostra potestate. Nam esto gratia ad bene vivendum necessaria sit, non tamen propterea negandum est, aut Augustinus negat, bene vivere, non esse in nostra potestate.

Quintum denique est, quod fronte retectâ tandem docet, non esse in homine liberum arbitrium, ipsumque nomen inane & exterminandum esse. Itaque quemadmodùm etiam recentiores notant, Calvinus ex mo-

A do agendi, quo pollet gratia prædeterminando voluntatem, liberum arbitrium apertè destitui dixit, cùm potiùs libertatem cum gratia conciliare debuisset. Itaque succumbens difficultati, quod hæreticorum proprium est, & in apertam hæresim erumpens, nomen quidem liberi arbitrij carpens, ita loquitur:

Alvar. de auxil. disp. 11. 31. n. 5. disp. 92. 94. 98. & 100. Suarez lib. 3. de concurs. Dei c. 31. Calv. lib. 2. Instit. c. 2.

Semper apud Latinos liberi arbitrij nomen exstitit. Græcos verò non puduit multò arrogantiùs usurpare vocabulum. Siquidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac si potestas suiipsius penes hominem. Et tamen arrogantius vocabulum nihil omninò aliud sibi vult, quàm quod Augustinus dicit, actus hominis *esse in eius potestate,* ut suo loco explicatum est. Et in eodem capite vocat *inane nomen,* quod inquit, *sine ingenti periculo non posse*

B *retineri censeo; magno contrà Ecclesiæ bono futurum, si aboleatur: neque ipse usurpare velim, & alios, si me consulant abstinere optarim.*

Vide latè Libr. 6. de gra. Christ. Sal. à cap. 3 usq; ad 7. Calvin. lib. 2. inst. c. 2.

De re verò ipsa censorium ejus decretum habes lib. 1. Institut. *Qui Christi se discipulos esse professi, in homine perdito & in spirituale exitium demerso* LIBERUM ARBITRIUM ADHUC QUÆRUNT, *inter Philosophorum placita & cælestem doctrinam partiendo,* PLANE DESIPIUNT, UT NEC COELUM, NEC TERRAM ATTINGANT.

Lib. 1. c. 15.

Hi sunt ergo errores illi multi, & crassi, & graves, qui meritò sacræ Tridentinæ synodo displicuerunt, quibus jugulandis illud decretum conditum est, in quo sancit, quod homo *gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponitur* ad justificationem suam, quod *homo ipse non nihil omninò agit inspirationem*

Trid. sess. 6. c. 5.

C *illam recipiens,* quod *illam & abjicere potest.* Itemque vetitum sub anathematis comminatione, ne quis dicat: *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum* NIHIL COOPERARI *assentiendo Deo excitanti, neque posse dissentire si velit.*

Ibid. can. 4.

Quod si inter omnes istos errores de concordia gratiæ & liberi arbitrij, qui à sancti Augustini principijs dictisque prorsus remoti sunt, Calvinus illam quoque philosophicam tetigerit quæstionem de natura liberi arbitrij, in quo sita sit; an sanctus Augustinus propter Calvinum luere debet? An ideo negandum est, quod apertissimum ac certissimum est, Augustinum videlicet & discipulos ac posteros ejus sanctos Patres, ita conciliasse gratiam cum libero arbitrio, ut gratia non cogat violentè voluntatem, sed sua-

D viter ei velle tribuat; atque ita non nihil instar lapidis agat, sed aliquid etiam proprio motu cooperetur, nec alius de ipso homine, sed ipse homo velit; an, hoc inquam, ideò negandum est, Augustinum sensisse, ac docuisse, quia Calvinus etiam in immunitate coactionis, libertatem videtur voluisse collocare? Noverat sancta Synodus Augustinum rectissimè de gratia & liberæ voluntatis concordia sensisse, ut cui ex ipsius Augustini doctrina totum istud, quod contra illa Calvini paradoxa definierat præformatum fuit. Noverat non potuisse talem concordiam præformari, nisi ab eo qui rectè quoque

de

de libertate sensisset. Noverat Philosophicam esse quæstionem, utrum libertatis ratio, à qua liberum arbitrium dicitur, in experte coactionis voluntate sita, an in indifferentia ad bonum & malum, ad agendum & non agendum; an verò nonnulla indifferentia, & qualis, libertati arbitrij in certis vitæ statibus per accidens juncta sit, & in quibus, & quousque se extendat. Itaque cùm accuratè quoque nosset, quicquid Calvinus de libero arbitrio gratiaque tradidisset, circumspectè selegit, quicquid de gratia liberoque arbitrio errorem saperet, Philosophicam verò de natura libertatis quæstionem tacitam intactamque præterivit. Nempe perspectum omninò Concilij Patribus fuisse credo, Augustinum ac discipulos ejus (quicquid tandem aut verè dici aut subtiliter fingi possit eos sensisse) reverà tandem non aliter illam de concordia gratiæ & libertatis dissolvisse quæstionem, quam asserendo & multipliciter assiduèque inculcando contra Pelagianas querimonias, quod arbitrium *tangente Deo cor hominis, non nihil omninò agit*; quod arbitrium, *non nihil cooperatur* assentiendo Deo, quod *non velut inanime quoddam nihil omninò agit*, quod non invitum cogitur aut alius de ipso, sed ipse homo proprio motu vult. Nimirum & istud eos nullo pacto latuisse puto, responsionem istiusmodi non ex ignorantia veræ libertatis arbitrij, sed ex ipsissimis eorum principijs quæ de libero arbitrio constituerant profluxisse, & verò profluere debuisse. Vnde & ipsum Concilium ijsdem omninò phrasibus ex Augustino desumptis usum est, ut illam gratiæ cum voluntate concordiam quæ ab Augustino tradita est, se probare testaretur. Quisquis enim Augustini veterumque monumenta paulò attentius volutaverit, ignorare difficulter potest, quantâ orationis luce tum S. Augustinus, tum S. Bernardus cum duobus eruditissimis amicis suis Hugone & Richardo de S. Victore (ut nihil de intermedijs dicam) ipseque adeò Magister Sententiarum cum illis primis doctis ac sanctis Commentatoribus suis, solam coactionis necessitatem ab arbitrij libertate submoverint, quamvis ei in hac vita quandam agendi & abstinendi, boni faciendi ac mali indifferentiam alio ex capite adesse non negaverint. Scio equidem nonnullos Recentiores, ut suas

Sunt verba Conc. Trid. Sess. 6. c. 5. & Can. 4.

A liberas de divina gratia ac de dominatu voluntatis super ejus influxu & efficientia, opiniones plausibiles reddant, ad nomen incoactæ voluntatis exhorrescere: sed scio etiam intolerabili antiquitatis imperitia eos in sententias illas lapsos esse, & ab illa liberi arbitrij & gratiæ intelligentia, quam Augustinus ac discipuli ejus cum tota Ecclesia antiqua tradiderunt esse remotissimos. Ex quo effectum est, ut non pauca, neque exigua doctrinæ capita à suis pulpitis proscripserint, de quibus veteres haud secus ac de principijs primo-veris non dubitabant. Argumenta quibus vel ea improbant, vel sua probant, sola doctrinæ à majoribus traditæ ignoratione, & humanæ ratiocinationis libertate nituntur. Horum vocibus voces Patrum nostrorum præponendas esse duxi, majoremque doctrinæ antiquitus constanter traditæ à sanctissimis eruditissimisque

B viris, & extra omnem improbæ suspicionis aleam constitutis, habendam esse rationem, quam præoccupatarum opinionum, quam Philosophia peperit, educavit, ac fovit. Ad Ecclesiæ Romanæ Canones, doctrinamque sive antiquitus sive recentius ejus calculo cõprobatam veniendum est. Quicquid ab hac dissenserit, non novâ disputatione ventilandum, sed novâ damnatione comprimendum est. His neglectis quisquis arenam ingredi voluerit, ut de gratiæ & liberi arbitrij natura cum Hæreticis vel Catholicis disputet, & humanis opinionibus maximeque Philosophicis, quæ juxta temporum & geniorum varietatem oriuntur & occidunt, figuntur & refiguntur, omnia aptando & metiendo, probabilia aut verisimilia potiùs quàm vera dicat, magnorum lapsuum periculo non carebit, gravissimas perturbationes in Ecclesiasticam doctrinam invehet, ludibrij ab Hæreticis perpetiendi locupletissimum argumentum dabit. Vt

C planè multò satiùs fuisset, nonnullos de isto argumento prorsus tacuisse, quam doctrinam Ecclesiæ plausibilibus suspicionibus accommodando tuendoque, talem ei vultum induere velle, ut periti antiquitatis Catholici gemant, Hæretici rideant; utpote quam ita deformatam, certissimò norint ab antiquæ doctrinæ lineamentis discrepare. Quemadmodum non pauca in præcedentibus demonstrata sunt.

FINIS.

Digitized by Google

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS.

DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS

LIBER NONVS.

Qui est de prædestinatione hominum & Angelorum.

PRÆFATIO

EXPEDITIS iis quæ de medicinalis gratiæ natura, effectibus, diversitate, & concordia cum libero voluntatis arbitrio dicenda videbantur, reliquum est ut nonnihil etiam de causa ejus, hoc est, de prædestinatione, itemque de reprobatione, utriusque status comparatione, innocentis damnatique dicamus. Disputatio quippe de prædestinatione tam conjuncta est ei quæ de gratia instituitur, ut natura unius ad unguem sciri sine alterius cognitione non possit. Vnde proficiscitur, ut quot in partes Neotericorum scholæ de gratiæ operatione distractæ fuerint, totidem etiam opinionum dissensionibus inter se de prædestinatione contenderint. Nam alii de salute totius creaturæ rationalis, ante prævisa ulla merita vel bona vel mala, decretum immutabile sancitum esse volunt, quo quibusdam præteritis, quidam in gloriam assumerentur: alii tale decretum de nullis assumendis aut relinquendis, ante prævisa merita esse conditum: alii aliter de rebus istis disserunt, suo quisque modo, prout gratia quam tuentur, postulaverit. Ex quo effectum est, ut non exiguis quoque tricis ista materia implicata sit; dum suos pars quæque nervos intendit ut opinionem suam, vel Dei magnificentiæ & libertati, ac dominatrici potestati, vel hominum illorum consolationi accommodet; qui nihil impatientius ferunt, quam salutem suam in aliena potestate esse constitutam. Vtrimque philosophia non mediocriter suas partes egit, cujus principiis magis utraque pars, quam antiquæ & Augustinianæ doctrinæ nititur. Hanc enim si magna ista ingenia vel indagando penetrassent, vel tanta sedulitate indagare statuissent, quanta subtilium & plausibilium rationum argumenta sectati sunt, invenissent, quantum mihi conjicere licet, aspera in vias planas. Nam præcipuæ difficultates in hanc materiam, ex nimia ratiocinationum philosophicarum contentione accersitæ sunt. Nos igitur Deo conatibus nostris aspirante, de præcipuis nodis, sanctissimi Doctoris mentem, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ sensum, quàm fieri poterit fidelissime, brevissimeque declarabimus. Nam de omnibus istis subtilitatibus disserere, quæ nunc in scholis disputantur, nec nostri instituti est, nec verò necessarium. Nam ex iis quæ dicturi sumus, pleraque per seipsa consequentur.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De nomine prædestinationis. Scripturis & Patribus non est aliud, nisi prædefinire, prædecernere, præstituere.

VT igitur à nomine prædestinationis ordiamur, notant scholastici communiter, dupliciter verbum *destinare* sumi; aliquando promittere; aliquando pro *animo proponere* seu *decernere* quo sensu dicitur de Elezaro: *Destinavit non admittere illicita.* Et ad Corinthios: *Vnusquisque prout destinavit in corde suo.* Machab. 26 / 2. Cor 9.

Quidam igitur à prima significatione prædestinationem sumptam esse volunt, ut prædestinare sit idem, quod præmittere aliquem ad vitam æternam, antequam videlicet reipsa fiat; atque ita secundum illam significationem nominis, definivit prædestinationem esse rationem transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ. Vbi cum videatur includi via & terminus, quasi medium & finis, orta est disceptatio nonmediocris, utrum prædestinatio tantũ esset respectu finis, an medij, an utriusque, singulæ quippe partes istæ suos defensores validos inuenerunt.

Sed quid de ratione nominis *prædestinatio*, adeoq; de tota materia prædestinationis sentiri debeat, & quid respiciat, gratiam, an gloriam, medium, an finem, aliaque similia ex scripturis illis, ad amussim congruente veterum sententia, eruere non est difficile. Et ex scripturis quidem apertissimum est, verbum prædestinandi, prout illud in rebus theologicis usurpari cœpit, non esse sumptum à mittendi significatione, sed proponendi, statuendi, decernendi; ut prædestinare nihil aliud sit, quam proponere, decernere, seu, ut tota vocis significatio exprimatur, prædecernere, prædefinire, prædeterminare aliquid, quod latini propriè dicunt *præstituere*, ita ut illa vocula, *præ* superaddat tantummodo antecessionem æternitatis, in qua propositum conceptũ est, ad tempus quo Deus exequitur ea quæ proposuit. Hanc esse genuinam verissimamque nominis significationẽ, inde claret, quod verbum prædestinandi, cum sit scriptoribus latinis inusitatum, sed Ecclesiasticum scripturisq; proprium in tota earum latitudine non aliter usurpatum est, quam ut exprimeret id quod græco textu dicitur ὁρίζειν & προορίζειν. Est autem certissimum nec ὁρίζειν, nec προορίζειν, ullam omnino habere mittendi significationem. Nam ὁρίζειν, præter significationem terminandi seu finibus suis circũscribendi aliquid (ὅρος enim terminus seu limen est) propriè significat definere, statuere, constituere: & προορίζειν, prædefinire, prædecernere, præfigere, quod latinis est *præstituere*, secundum id quod Poëta dixit,

Dij summum præstituere diem. Ovid.

Hoc enim Theologi dicerent: Deus summum prædestinavit diem. In hac igitur significatione usurpatur verbum prædestinandi, ubicumque in scripturis occurrit: ut in Epistola ad Romanos: *Nam quos præscivit & prædestinavit.* Et ad Corinthios: *Loquimur Dei sapientiam inter perfectos, quam prædestinavit Deus ante sæcula.* Et ad Ephesios: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* Et rursus ibidem: *Prædestinati secundum propositum ipsius*; in quibus omnibus locis est græce verbum προώρισε & προορίσας, id est prædefinivit, prædecrevit, & προορισθέντες, prædefinit. Et quia omnis Dei prædefinitio, hoc ipso quo Dei est, præcedit æternitate sua effectus temporales, qui ex ea proficiscuntur, hinc fit, quod loco προορίζειν, prædestinare, prædefinire, prædecernere, usurpetur aliquando ipsum simplex ὁρίζειν, definire, decernere, ut in eadem Epistola ad Romanos: *Qui prædestinatus est filius Dei*, græce, τοῦ ὁρισθέντος, id est, qui definitus seu decretus est esse filius Dei: Itaque sicut noster interpres isto loco simplex, ὁρίζειν, id est, definire accepit & reddidit per compositũ, προορίζειν ita multis aliis in locis idẽ simplex verbum eodem modo ac sensu reddere potuisset, ut apud sanctum Lucam: *Et quidem filius hominis secundum quod definitum est vadit*, græce, κατὰ τὸ ὡρισμένον. Et in actis Apostolorum: *hunc definito consilio & præscientia Dei traditum*, græcè, τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ. Et alio in loco, *definiens statuta tempora*, græce ὁρίσας quod alibi redditur clarissime per, statuit, constituit. *Iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit*, græce; ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε. Et alibi: *Testificari quia ipse constitutus est à Deo iudex vivorum* &c. grecè, ὡρισμένος. In quibus omnibus locis verbum simplex, ὁρίζειν non aliam habet significationem, quam ad Romanos primo versu quarto, ubi nihil aliud significat quam definitus, decretus; & tamen redditur per *prædestinatus*, & eodem modo in omnibus istis citatis locis reddi potuisset, si Interpreti illam antecessionem æternitatis, quæ per particulam (*præ*) significatur, & in omni Dei decreto ac definitione involuitur exprimere placuisset. Nam hinc etiam nascitur è contrario, ut verbũ προορίζειν prædefinire seu prædestinare, prædecernere, aliquando reddatur in scripturis per simplex *decernere*, ut in actis Apostolorum: *Convenerunt facere quæ manus tua & consilium decreverunt fieri*, græce singulariter, προώρισε γενέσθαι, id est, prædecrevit, seu prædestinavit fieri. Nam sic jam olim legit sanctus Augustinus libro de prædestinatione sanctorum: *Facere*, inquit, *quanta manus tua & consilium prædestinavit fieri*. Quod etiam statim eodem verbo repetit: *Tanta*

Rom. 8. v. 29. / Cor 2. v. 7. / Ephes. 1. v. 5 / Ibid. v. 11. / Rom. 1. v. 4. / Luc. 22. v. 22. / Act. 2. 23. / Act. 17. v. 26. / Act. 17. v. 31. / Act. 10. v. 42. / Act. 4. / Aug lib de præd. SS. c. 16

Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei & consilii prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerunt Euangelio &c. Et post aliquot interiecta capita in eodem opere: *Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum vel adiuvando, vel iudicando, ut etiam per eos impleatur quod manus eius & consiliū prædestinauit fieri.* Nempe quia hoc ipso quo est decretum Dei, antecedit æternitate temporalem eventum, qui decretus est, & hoc ipso prædestinatus. Nam quando de Dei decretis loquitur respectu effectuū temporalium sive dicas, ὁρίζειν, siue, προορίζειν id est siue dicas decernere, siue prędecernere siue definire, sive prædefinire, sive statuere, siue constituere, sive præstituere, sive destinare animo, sive prædestinare, in idem redit, & idem omnino significatur. Nam quando Deus aliquid decrevit seu destinavit facere, hoc ipso etiam prædecreuit, seu prædestinavit facere.

Lib de prædest Sanct. c. 20.

Hoc igitur est ratio cur sanctus Augustinus, qui notitiam prædestinationis non ex Philosophia, sed ex scripturis sacris, vbi vsurpari & nobis insinuari cœperat, hauriendam esse sciebat, quando de illa loquitur, indifferenter verbis, prædestinandi, definiendi, præfigendi, statuendi, constituendi ordinandi, disponendi vtitur; quibus omnibus nihil aliud significatur quam quod Deus decernit hoc vel illud isto vel illo modo, hac vel illa hora facere, quod facere prædestinauit: ut in tractatibus in Ioannem, de horis ac momentis operum Christi loquens, quæ Deus prædestinauit ut fieret, sæpius dicit, *Omne tempus, quid & quando faceret vel fieri sineret à DEO esse dispositam horā Deo ordinante venisse*; Patrem cum filio *tempus nativitatis & clarificationis constituisse*; & hujusmodi, hoc est prædestinasse. Nam de eadē clarificatione tract. sequēti loquens *Ad hoc* inquit *valet quod ait Et nūc clarifica me, hoc est sicut tūc ita & nūc: sicut tunc prædestinatione; ita & nunc perfectione. Fac in mundo, quod apud te iam fuerat ante mundum; Fac in tuo tempore, quod ante omnia tēpora* STATUISTI. Et adhuc de eadē clarificatione, tractatus cētesimo sexto, quod ante dixit *statutum, & constitutum, dispositum, ordinatum,* hic dicit, *qui sciret prædestinatum esse ut id fieret.* Itemque explicans, quo pacto scriptura dicat aliquando, Deum fecisse, quæ tamen nondū facta sunt respondet hoc dici prędestinatione, verbumque prædestinandi, & præfigendi indifferenter usurpat: *Qui certis & inmutabilibus causis omnia futura prædestinavit quod facturus est fecit.* Et tractatu sequente: *Loquebatur quasi fecisset, quod immobiliter esse præfixū sciebat ut faceret.* De qua re paulo superius loquens dixerat: *Illud prædestinandum erat, quod nondū erat: ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat ut fieret.* Pro quo alibi verbū *præfiniendi* adhibet quando dicit, quod, Deus nulla tēpora *brevius vel productius, quā modulatio præcognita & præfinita deposcit, præterire permittit.* Alibi verbū *definiendi. Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei.* Alibi verbum *seruandi*, itemque *præparandi in voluntate*; seruare vero & præparare aliquid in voluntate, nihil prorsus aliud est quam velle, statuere, vel decernere. Nam de Ezechia loquens: *Id utique faciens Deus, quod ante constitutionem mundi se facturum præsciebat, & in sua voluntate seruabat.* Et alibi: *Dicimus, fiet si Deus voluerit: non quia Deus nouam voluntatem quam non habuit, tunc habebit, sed quia id quod ex æternitate in eius immutabili præparatū est voluntate tūc erit.* Quod paulo ante per verbum *præsciendi ac disponendi* itemque per *voluntatem cum præscientia sempiternam* expresserat, quibus ipse sexcenties in libris duobus ad Prosperum & Hilarium naturam prædestinationis comprehendit.

Tract. 104. in Ioan.

Tract. 105.

Tract. 106.

Tract. 105.

Tract. 106.

Tract. 105.

Epist. 28.

Lib. de dono pers. c. 22.

Lib. 6 de Gen. ad litt. c. 17.

Lib. 22. de ciuit. c. 2.

Similiter S. Prosper, quoties de prædestinatione Dei tractat, indifferenter verbis *prædestinationis, constitutionis, dispositionis* vtitur. Nam cum galli quidam referrent infidelitatem hominum ad prædestinationē Dei: *Infidelitas, inquit, non ad constitutionem Dei sed ad præscientiam referenda est*, quod aliquoties repetit. Alibi vero loco prædestinare, dicit *disponere.*

Ad Capit. 14. Gall. vide ibid & sentent. 3. vide ad obiect. 10. vincent.

Quæ quidem tam prolixe ex Augustino adduxi, ut pateret, non aliam eum agnoscere significationem verbi, *prædestinare*, nisi illam quam ex scripturis hauserat: in scripturis vero nullā omnino aliam usurpari, nisi eam quæ in gręco textu unde latinus expressus est apertissimè reperitur. Ibi vero non significat aliud, *prædestinare*, quam prædefinire, prædecernere, præstituere, & hoc ipsum non significat aliud respectu Dei, quam definire, statuere, decernere, sicut ipsemet sacer textus latinus hoc ipsum verbum προορίζειν quod *prædestinare*, plerumque vertitur, subinde reddidit.

Quemadmodum & contrario, τὸ ὁρίζειν quod plerumque pro definire seu statuere usurpatur, aliquando per *prædestinare* vertitur.

CAPVT SECVNDVM.

Inferuntur ex prædictis quatuor Corollaria. Et in primis, quod prædestinatio non magis ex ratione sua respiciat & includat medium quam finem, nec magis finem quam medium Fusè, quod gloria sit etiam obiectum prædestinationis.

Ex hoc itaque tam simplici & aperto principio, non est difficile multas quæstiones quarum aliquas ingenij sui subtilitate scholastici implicuerunt, expeditissimos reddere quemadmodum in Augustino & antiquis Patribus, veris Ecclesiasticæ prædestinationis

Digitized by Google

nationis interpretibus, omni difficultate carent. Nam in primis hinc patet, prædestinationem non esse de rebus æternis & immutabilibus, sed de illis quæ temporibus suis fieri debent. Decreta quippe & prædefinitiones Dei de rebus in tempore decurrentibus sanciuntur, iuxta illud Augustini: *Recte dicitur filius Dei, non prædestinatus secundum id quod est verbum Dei, Deus apud Deum. Vt quid enim prædestinaretur cum iam esset, quod erat sine initio, sine termino sempiternus? Illud autem prædestinandum erat, quod nondum erat ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat ut fieret.*

Tract. 105. in Ioan.

Hinc secundo patet, prædestinationē Dei non esse de rebus alienis hoc est quæ ab alio fieri debent, quatenus ab alio, sed de suis, hoc est, de iis quæ in tēpore Deus ipse facturus est. Illa quippe decernimus propriè, quæ nos ipsi facturi sumus, & si quid forte de rebus alienis constituimus, decretum istud non aliter efficaciam & effectum suum habet, nisi quatenus nos ipsi facimus, siue suadendo siue minando, sive cogendo, sive aliter operando ut ab alio fiat. Hinc est igitur, quod plurimis locis tradit Augustinus prædestinationē de iis esse quæ Deus ipse facturus est. *Hæc* inquit, *se Deus facturum esse præscivit. Ipsa est prædestinatio sanctorum.* Et multo post, cum præscientiam pro prędestinatione subinde accipi docuisset: *Sed prædestinasse, inquit, hoc est, præscisse, quod fuerat ipse facturus.* Et in lib. de prædestinatione sanctorum: *Prædestinatio sine præscientia non potest esse; potest autē esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuit ipse facturus.* Et inferius: *Hæc se Deus facturum esse præscivit, ipsa est igitur prædestinatio sanctorum.* Et iterum paucis interjectis: *Cum ergo nos prædestinavit, opus suū præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit.* Vnde illa sancti Doctoris definita & absoluta sententia: *In sua quæ falli mutarique non potest præscientia* OPERA SUA FUTURA *disponere, id omnino, nec aliud quicquam est prædestinare.* Quo fit ut apud Augustinum reciproca sint, seu ut loqui solent, convertibilia, Deum aliquid ab æterno prædestinare, & in tempore facere, seu prædestinatio & opus Dei, quia videlicet quicquid Deus prędestinat ab æterno, hoc in tempore facit, & vice versa, quicquid in tempore facit, hoc ab æterno prædestinavit ut faceret. Non enim aut ignarus, aut casu, aut fortuna quicquam, sed omnia ex proposito seu decreto deliberato, æterno & immutabili facit, secundum *suam secretissimam, eandemque iustissimam & sapientissimam voluntatem.*

Lib. de dono pers. c. 7.

Cap 18.

Lib. de præd. ss. sanct. c. 10.

Ibid. c. 15.

Ibid. c. 19.

Lib. de dono pers. c. 17.

Hinc tertio patet, prædestinationem Dei in sua ratione, non magis respicere medium quā finem, nec magis finem quam medium. Decreta quippe seu prædestinationes Dei indifferenter cadunt super omnibus omnino quæ Deus facit, siue medium id fuerit, sive finis. Vnde si Deus alicui cœco constituerit oculos

A reddere, vel lumen solis præbere, ut pro sua nativa libertate illis utatur, sive aperiendo & cernendo, sive claudendo, prædestinatio eius cadit super medium visionis, non super ipsam visionem quæ est veluti oculorum & luminis finis. Et è contrario, si prædestinaverit alicui cujuspiam operis ex libertate perpetrati mercedem reddere, prædestinatio est circa finem, non circa medium. Ex quo etiam proficiscitur, &c.

Quarto patet, prædestinationem prout de illa scripturę sacrę & sancti Patres locuti sunt, non minus esse de gloria Sanctorum, quam de sanctitate, hoc est, non minus esse de meritis liberationis, quam de præmio ejus, non minus de mercede bonorum operum, quam de bonis operibus, non minus de gratia, quam de gloria, & contra. Tam est enim necessarium, ut Deus decernat ac prædefiniat unum dare quam alterum. Neutrum

B enim quisquam suis viribus sibi comparare aut obtinere potest, sed utrumque est opus & munus Dei, gratia & gloria, meritum & præmiū, medium & finis, & consequenter utrumq; prędestinatum, juxta illud *gratiā & gloriam dabit Dominus*; & illud Augustini generaliter de donis & beneficiis Dei: *Quod si & dantur à Deo, & ea se daturū esse præscivit, profecto prædestinavit*: quod toto libro de dono perseverātię, de quibuslibet donis Dei instanter inculcat. Cujus sane apertissimi principij sui filum sequens, innumeris locis non solum gratiam illam qua bene operamur, seu opera bona fidei, spei, & charitatis, sed & ipsam vitam æternā ac gloriam à Deo prædestinatam esse decernit. De operibus bonis seu gratia, nulla in scriptis ejus dubitatio esse potest; qui præterquam quod ex professo totis libris de prædestinatione ac de dono perseverantiæ, docet fidem ipsumq; cre-

C dere & converti ad Deum, itemq; perseverare & bene operari, esse opera ac dona Dei, ab ipso homini prędestinata & collata diversis verbis dicit: *Inter gratiam & prædestinationē hoc tantū interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia vero ipsa donatio.* Itemq; *gratia est prædestinationis effectus.* Vnde illud sexcenties in libris repetitum: *Prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus.* Quid verò est quod Deus in hominibus facit in hac vita tota, nisi gratiam, & per gratiam opera bona? Itaq; locum illum Apostolicum exponens, *ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio*, apertissimè dicit, quod istis verbis Apostolus, *non de nostra volūtatis potestate, sed sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, ut ipse faciat quod promisit.* Et generali-

Lib. de dono pers. c. 17.

Lib. de præd. sanct. c. 10.

Ibid.

Ibid.

D ter aduersus Massilienses de omnibus divinæ gratiæ donis loquens, per quæ in operibus bonis & exordio vitæ bonæ in finem vsque ambulamus: *An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum*

Lib. de dono pers. c. 17.

daturum esse nescivit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse praescivit, profectò praedestinavit. Quam doctrinam non ex alio hausit quam Apostolo Paulo, qui clare dicit: *Qui praedestinat nos in adoptionem filiorum Dei.* Et: *Loquimur sapientiam Dei quam praedestinavit.* Et: *Qui praedestinatus est filius Dei.* Super quo loco sanctus Doctor: *Ea gratia fit ab initio fidei sua homo quisque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus &c. Haec se Deus esse facturum praescivit. Ipsa est igitur praedestinatio sanctorum quae in sancto sanctorum maximè claruit &c. Praedestinatus est ergo Iesus ut qui secundum carnem futurus erat filius David, esset tamen in virtute filius Dei &c. Praedestinata est ista naturae humanae tanta & tam celsa & summa provectio &c. Sicut ergo praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi praedestinati sumus, ut membra eius essemus.* Et Ananias de Paulo ad credendum noscendumque Christum praedestinato: *Deus Patrum nostrorum praedinavit te ut cognosceres voluntatem eius, & videres iustũ & audires vocem ex ore eius.*

Ephes. 1. *1 Corinth. 2.* *Rom. 1.* *Lib de dono pers. c. 15.* *Act. 22.*

De gloria vero quod & ipsa homini praedestinetur, disertissimis verbis idipsum Augustinus multis locis ac modis tradit. Nam in primis manifestum est in scriptis Augustini, quod, ut iam paulò antè diximus, quicquid in hominibus facit, iisque donat Deus; hoc Deus praedestinavit ut faceret ac donaret. Nam ut ipse semper argumentatur, Deus non nescius id se facturum daturumque facit ac donat; ergo praedestinavit: *Praedestinatione quippe* DEUS *ea praescit, quae est ipse facturus.* Et vice versa, si aliquid eorum quod donat, non est praedestinatum inferre solet: *Ergo nec datur à Deo, &c. si se daturum esse praescivit, profectò praedestinavit.* Iam vero certum est, Deum qui dat gloriam, Deum esse qui eam in hominibus facit; nam ut quid alioquin dicit; *Eripiam & glorificabo eum?* Vt quid dicit, *Quos praedestinavit &c. illos & glorificavit?* Vt quid dicit: *Gloria & honore coronasti eum?* Vt quid omnium in agone certantium animos tam instanter excitando, iterum iterumque clamat: *Esto fidelis vsque ad mortem, &* DABO *tibi coronam vitae: Vincenti* DABO *manna absconditum, &* DABO *illi calculum candidum. Qui vicerit* DABO *illi potestatem super gentes; &* DABO *illi stellam matutinam. Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Denique qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo.* Vt quid inquam ista toties scriptura dicit, si non est Deus qui gloriam coelestem & coronam vitae donat, & columnam immobilem in templo Dei facit? Quod si eã ipse Deus donãdo in hominibus facit, profectò eã donare ac facere praedestinavit.

Lib de praedest Sanct. c. 15. *Lib de dono pers. c. 17.* *Psal. 50.* *Rom. 8.* *Psal. 8.* *Apoc. 2.* *Ibid c. 3.*

Illud ipsum ex natura quoque orationis manifestum est. Constat enim Ecclesiam non solum pro gratia, sed pro ipsa quoque gloria & regno Dei vehementer orare, ut illius quandoque potiatur. Hoc enim petit, quando quotidie clamat ad Deum: *Adveniat regnum tuum,* quemadmodum & Augustinus non uno loco exponit, ex ipsisque verbis perspicuum est. Hoc in orationibus missae petit frequẽtissime. Oratio vero signum praedestinationis est certissimum. Nam ex illa fidem praedestinationis gratiae & bonorum operum semper in Ecclesia Dei fuisse, arguit Augustinus invictéq; concludit. *Haec igitur,* inquit, *quae poscit à Domino, & semper ex quo esse coepit poscit Ecclesia ista Deus vocatis suis daturum se esse praescivit. & in ipsa praedestinatione iam dedit.* Et infra vim orationis, fidei & operum ponderans: *Ille itaq; dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem praedestinationis huius & gratiae, qui dicere audet, aliquando eam non* ORASSE, *vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverent fideles;* addere potuisset nisi hoc ipsi haeretici credidissent, sive ut eis *adveniret regnum Dei, ut acciperent regnum decoris & diadema speciei de manu Domini: ut perfectam libertatem consequi; ut pervenire ad gaudia aeterna mereantur, ut resurrectionis gratiam consequantur, ut eos Deus gaudijs faciat perfrui sempiternis.* De quibus Dei beneficijs quę ab Ecclesia poscuntur à Deo, concludendo pro eorum praedestinatione subiungit: *quae bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit, nec ab illo esse praecognita, nunquam ei negare fas fuit. At per hoc praedestinationis huius fidem, nunquam Ecclesia Christi non habuit.* Quae sanè perspicuè convincunt, non solum regnum & gloriam Dei sanctis esse praedestinata, sed illius doctrinae Catholicam fidem, tam de gratia quam de gloria, tam de medijs quam de fine, semper Ecclesiam in suis precibus habuisse. Semper enim fide credidit, illa precibus à Deo esse postulanda; ergo semper credidit esse dona Dei; ergo semper Deum esse ea daturum praescivisse; ergo praedestinasse.

Lib de dono pers. c. 23. *Ibid.* *In orationibus quae tempore paschali dicuntur.*

Et sane si definitionẽ Augustini ab omnibus receptissimam consulamus, nihil euidentius, quam utramque à praedestinatione pariter respici, utramque hominibus praedestinatione conferri. Cum enim praedestinatio sit *praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur,* quis sanae mentis vel dubitare sinitur, quin homines non minus immortalitate corporis & lumine gloriae visionis Dei à miserijs, quàm à gratia liberentur? An forte istud grave mortalitatis iugum, quod hominibus in poenam impositum est, non est miseria, non est malum? A quo igitur etiam iusti & morti proximi petunt liberari, quando cum tanto gemitu quotidie clamant: *Libera nos à malo?* Vt quid clamat Christi: *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Vt quid omnium fidelium in se personam exprimens dicit: *Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes & ipsi intra nos gemimus.* Cur; quare, quam ob causam? *Redemptionẽ expectantes corporis nostri.* Quod etiã certo futurũ spondẽs: *sed & ipsa creatura,* inquit, *liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei.* Cũ ergo corpus mortis & servitus illa corruptionis, sub quo imprimis durus ille assiduusq; stimulus inquietae concupiscentiae compre-

Lib de dono pers. c. 14. *Rom. 7.* *Rom. 8.*

ized by Google

comprehenditur, tam magnum malum sit, ut Apostolus Christi & universa Ecclesia, tanto gemitu ab eis liberari petat, fieri profectò nequit, quin illa libertas gloriæ, per quam certissime ab eis liberantur sit immensum Dei beneficium. Hoc ergo imprimis prædestinatur. Nam prædestinatio, non est aliud, nisi præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.

Hinc ergo nascitur quod Augustinus, ut omnem nobis ambiguitatem tolleret, sæpissimè exsertis verbis indicet, prædestinationem non solum fidem, opera, perseverantiam, sed ipsam quoque gloriam respicere, idque tot modis, ut nemo possit, nisi pervicax de veritate dubitare. Nam subinde dicit nos prædestinari *ad vitam æternam*, quæ non est aliud nisi gloria per claram visionem Dei: *Lib. 20. de civit. c. 7.* *Nam seducere illum* (diabolum) *gentes etiam nunc & secum trahere in æternam pœnam, sed* B *non prædestinatos in æternam vitam quis fidelis ignorat?* *Tract. 54. in Ioan.* Et in tractatibus in Ioannem: *Quidam crediderunt prædestinati in vitam æternam, quos etiam vocavit oves suas.* Et alijs in locis. Subinde prædestinari in æternam salutem: *In Psal 87.* *Quia solis prædestinatis in æternam salutem eius* (Christi) *bona opera profuerunt.* Et alibi *Advocantur ad pœnitentiam qui vocati sunt ad salutem.* Subinde prædestinari regno, in regnum, ad regnum: *Lib. de cor. & gratia c. 13.* *Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam, Dei regno prædestinatus, donatâ sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integer perducetur.* Et ibidem. *Ibid. c. 12.* *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei.* Et paulo antè: *Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adiutorium datur* &c. quos in eodem libro vocat *electos ad regnandum, ad obtinendum regnum*, & huiusmodi. *Serm. de cavendis scandalis in append.* Subinde prædestinari ad hæreditatem cœlorum: *Si aqua & spiritu renati sit ad hæreditatem cælorum prædestinati, utique filij Dei.* Subinde prædestinari in regnum & gloriam: *Lib. de dono pers. c. 22.* *Si qui in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, neque usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Et in eodem libro dicit perseverantiam ab eo donari, *Ibid. c. 21.* *qui nos prædestinavit in suum regnum & gloriam.* Et in psalmum centesimum quintum: *In Psal. 105.* *Diabolus & Angeli eius captivaverant prædestinatos in Dei regnum & gloriam.* Et in libris de Civitate Dei: *Lib. 9. de civit. c. 21.* *Ex quorum tyrannica quodammodo potestate fuerat liberaturus prædestinatos in suum regnum & gloriam semper veracem & veraciter sempiternam.* De quibus alibi dicit: *Lib. de dono pers. c. 17.* *Prædestinatos esse quos liberat & coronat.* Denique cum tractaret Apostoli verba quibus dicit: *Rom. 8.* *Quos prædestinavit hos & vocavit &c. iustificavit, glorificavit*, & glorificationem non minus, ac vocationem, & iustificationem ex prædestinatione fluere significat, una sententiolâ discernens & complectens omnia quæ sub prædestinationem Dei cadunt: *Lib. de Cor. & gratia. c. 9.* *Verba*, inquit, *præteriti temporis posuit* (Apostolus) *de rebus etiam futuris, tanquam iam fecerit Deus, quæ iam ut fierent ex æternitate disposuit*, hoc A est, prædestinavit. Sic enim prædestinationem non uno loco exprimere solet. *Vide lib. de dono pers. c. 17. & tract. 104.* Vbi & glorificationem nostram tradit jam Deum in sua prædestinatione fecisse, hoc est, prædestinasse. Nam statim uberius id ipsum explicans: *in loco.* *Quicumque ergo in Dei providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, iam filij Dei sunt, & omnino perire non possunt.* *Eodem loco de Cor. & gratia.* Vbi sicut perspicuum est, quod in Dei providentissima dispositione vocari, & justificari, non sit aliud, quam vocationem, & justificationem hominis prædestinari, ita non minus perspicuum est, quod in Dei providentissima dispositione glorificari, sit glorificationem prædestinari.

Hæc itaque & hujusmodi, quibus Augustini lucubrationes plenæ sunt, profectò evidenter ostendunt, prædestinationem veram Dei, quæ antiquæ Ecclesiæ innotuit, non minus gloriam quam gratiam, non m[illegible]us meriti præmium, quam præmij meritum respicere, cum utrumque Deus debeat in prædestinatis suis operari, ut non solum de gratiæ & meritorum, sed etiam de regni & gloriæ & cœlestis hæreditatis collatione, non in seipsis aut viribus suis, sed in Domino glorientur. Vt sanè vehementer mirandum sit de illa Scholasticorum libertate, qua tanquam de re parvi momenti, confidenter asserunt, alij prædestinationem non versari circa gloriam, sed tantum circa gratiam, alij circa solam gloriam, non circa gratiam. Est enim, juxta Augustini doctrinam, non opinio, sed Catholica fides, prædestinari homini non solum gratiam sed & gloriam & regnum Dei, non solum gloriam, sed & gratiam Dei, eamque ab initio inchoationis fidei, usque ad finem consummationis perseverantiæ: idque hoc ipso C quo Catholica fides docet, & Ecclesia in precibus suis quotidianis professa est semper, & huc usque cum scriptura profitetur, *gratiam & gloriam dabit Dominus*: *Psal. 83.* quòdque Deus utrumque & meritum & præmium in homine debet misericorditer operari. In qua professione intrinsecè & essentialiter continetur, quod Deus utrumque se donaturum & facturum præsciverit, & proinde prædestinaverit. Nam Deum prædestinare non est aliud, ut sæpissime inculcat Augustinus, quam in sua præscientia opera sua futura disponere, hoc est, in sua præscientia decernere id quod in tempore ipse facturus est.

Quam ob causam sanctus Fulgentius, Augustini discipulus, eandem doctrinam tanquam certissimam, & ex scripturis haustam inculcat graviter & crebrò repetit, ut in libro primo ad Monimum: *Lib. 1. ad Monimum ibid.* *Quos prædestinavit ad gloriam prædestinavit ad iustitiam.* Et paulò an- D tè: *Hæc autem omnia, id est & vocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit: quia & in vocatione, & in iustificatione, & in glorificatione sanctorum, gratia sua opera futura præscivit.* Et in libro tertio de veritate prædesti-

Lib. 3. de verit. prædest. & gratia.

prędestinationis & gratiæ, cum Apostoli locū adduxisset, *Quos prædestinavit hos & vocavit* &c. sic subjungit: *Omnes isti prædestinati sic vocantur ut iustificentur, sic iustificantur ut glorificentur. Ac per hoc prædestinavit quos voluit & ad opera bona & ad præmia sempiterna; prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam; prædestinavit ad fidem, prædestinavit ad speciem; prædestinavit adoptandos in seculo, prædestinavit glorificandos in regno* &c. *Hac omnia sicut in se continet prædestinationis æternitas, sic implet prædestinantis* Dei *misericordia & iusta Maiestas. Neque enim ignarus filiorum unquam esse potuit* &c. Ne vero existimaret quispiam doctrinam istam ex philosophica tantum speculatione profectam esse, parumque interesse, quid ea de re quisque sentiret, in capite libri regulam illam fixerat: *Quos filios Dei secundum vera fidei regulam sanctarum scripturarum auctoritate firmatam, non solum ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam iustificationis, nec solum ad æternam beatitudinem, quæ non mutatur, verum etiam ad fidem qua per charitatem operatur; neque ad æterna tantum præmia, sed etiam ad bona merita gratuita bonitate Dei ante mundi constitutionem in Christo prædestinatos, & huius prædestinationis beneficio secundum propositum vocatos & iustificatos* Nullus ambigere debet Christianus.

Initio l. b. 1.

Ex prædictis etiam facilè colligitur, naturam diuinæ prædestinationis non includere in sua ratione, quod magis respiciat finem quam medium, vel magis medium quam finem, sed abstrahere ab vtroque. Sicut enim decretum & propositum operandi aliquid supernaturale in creatura rationali, indifferenter se habet ad id quod per modum finis aut medij, præmij aut meriti Deus operaturus est, ita etiam divina prædestinatio; quæ prout à scripturis & Patribus usurpata & explicata est, utrumlibet indiscriminatum respicit. Ex quo efficitur, ut non minus propriè ille qui reprobatus est, prædestinetur ad fidem charitatemque temporalem, quam electus ad perpetuam; nec minus propriè infans quispiam ad gloriam, immediatâ infusione donandam prædestinaretur sine ulla prævia fide, si sic placeret Deo, atque ille qui per ordinata merita ad istum apicem duceretur. In effectibus enim prædestinationis esset differentia, non in natura propositi seu decreti prædestinationis, quod illos effectus operaretur. Etenim non minus propriè id prædestinat Deus quod unico impetu causarum omnium præparantium seriem prætereundo supplendoque operatur, quàm id quod longo causarum secundarum concursu, prolixàque mediorum catenâ cooperantium perficit.

CAPVT TERTIVM.

Prædestinatio Dei respicit non solum bonum, sed etiam malum, non culpæ, sed pœnæ. De duplici prædestinatione, *ad vitam*, & *ad mortem*.

EX eadem explicatæ prædestinationis natura jam facile patet, quid ad illam quæstionem dicendum sit, utrum prędestinatio respiciat bonum duntaxat, an etiam malum. De malo culpæ non vertitur ista controversia, quia Catholica fides docet, Deum culpæ auctorem esse non posse, & per hoc neque illam prædestinare posse: *Prædestinatione quippe*, ut jam ex Augustino sæpè diximus, Deus *ea præscivit quæ fuerat ipse facturus*. Hoc est, prædestinatio respicit opus, quod Deus ipse facturus est. Culpam autem non potest facere, ergo neque decernere ut faciat, hoc est, prædestinare. Vnde sanctus Prosper: *Nullo modo prædestinatio* Dei *iniquos facit, neque cuiusquam est causa peccati.* Quem errorem multis alijs sententiis jugulat. De malo igitur pœnæ sermo est. Sed ex iis quæ superius disservimus perspicuè liquet, prædestinationem omnino etiam respicere malum. Fides enim Christiana docet, Deum justo judicio suo inferre pœnas peccatoribus, sive temporales in hac vita, sive in altera sempiternas, ergo & illas ab æterno ex præscientia meritorum præparare, decernere, prædefinire; hoc autem & nihil aliud est prædestinare, juxta regulam ab Augustino ex scripturis fixam: *In sua quæ falli, mutariq; non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quicquam est prædestinare.* Ex qua sanè norma dicit in libris de libero arbitrio *Deum prævidere quid de iustis impijsq; facturus sit*, istudque præsciendo, *præscire opera bona, & quid sit facturus certissime prævidere.* Quibus verbis prædestinationem damnationis impiorum apertissimè circumscribit. Nam vt ait in libris duobus ad Prosperum & Hilarium, & jam sæpè diximus, *Potest esse sine prædestinatione præscientia*, ut qua peccata præsciuntur, *prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.*

Lib. de prædest. Sanct. c. 10.

Sentent. 1 super capit. Gallor.

Lib. de dono persev. c. 17.

Li. 3 de lib. arb. cap. 3.

Lib. de prædest. Sanct. c. 10.

Hinc est quod Augustinus, non solum ex illa generali certaque regula nobis id colligendum reliquit, sed etiam clarissimis crebroque iteratis verbis multis in locis docuit. Nam in libris de civitate Dei dicit, spiritus malignos niti, *ut humanas mentes ad prædestinatum secum supplicium trahant.* Itaque hujusmodi homines peccatores ac reprobos quandoque dicit prædestinari ad mortem æternam: *Deus est illis quos prædestinavit ad æternam mortem iustissimus supplicij retributor.* Quandoque prædestinari ad pœnam: *bene utens & malis tanquam summè bonus ad eorum damnationem quos iustè prædestinavit ad pœnam.* Quandoque prædestinari ad interitum æternum:

Lib. 2. de Civit. c. 10.

Lib. 4. de anima c. 11. In enchiri. c. 100.

Epist. 253. ad Bonifa.

Quos sibi ad interitum prædestinationis æternum consociare potuerit. Aliquando prædestinari ire in ignem æternum:

Lib. 21 de civit. c. 24.

Qui licet adhuc in vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum Diabolo. Subinde supplicio sempiterno, morti sempiternæ, perditioni, damnationi, pœnis gehennæ prædestinari:

Epist. 49. q. 3.

Iniqua spiritalis creatura prædestinata est supplicio sempiterno. Et in tractatu quadragesimo tertio in Ioannem:

Tract. 43.

Filii morti sempiternæ prædestinati. Et tractatu centesimo septimo:

Tract. 107.

Filius perditionis dictus est traditor Christi, perditioni prædestinatus. Et in tract. centesimo decimo:

Tract. 110.

Ne cum hoc mundo damnemur. Pro isto mũdo non rogat, neque enim quo sit prædestinatus ignorat. Et in quæstionibus super libro Iudicum:

Quæst. 49. super iudic.

Inimici omnino pœnis gehennæ prædestinati ubi erit fletus & stridor dentium. Quibus omnibus locutionibus Augustinus indicat, verè & propriè juxta definitionem prædestinationis traditæ & à se definitæ naturam, non minus æternam damnationem prædestinari malis, atque bonis beatitudinem sempiternam; ut proinde sicut simpliciter dicimus aliquos prædestinari salvandos, ita etiam Augustinus dicat simpliciter aliquos prædestinari damnãdos:

B

Lib. 2. de peccat. merit. c. 17.

Sunt damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ &c. Et quidni quæso prædestinaret reprobis interitum seu supplicium sempiternum Deus; cum hujusmodi præparatio quam & scriptura prædicat necessario fieri debeat per decretum Dei, & illud ipsum decretum, ut omnis malitiæ species abstergatur, non fiat nisi prævolante criminum præscientia, juxta illud Augustini,

Matth. 25.

Lib de perf. iust. c. 13.

In eo hominum genere quod prædestinatum est ad interitum super hoc respexit Dei præscientia, protulitque sententiam; Et Deus hoc ipsius damnationis iudicium suum, tanquam verum & rectum & iustum necessariò diligat, quemadmodum & liberationis beneficia, quæ in filijs prædestinationis benignioris operatur? Nam ut idẽ sanctissimus & profundissimus doctor ait:

C

Tract. 100. in Ioan.

Deus *Amat suum etiam in vitiosis sanationis beneficium vel damnationis iudiciũ.* Si amat profectò nihil mirum si illud etiam operatur, prout ibidem dicit: *De malis ysdem vel sanando ea per misericordiã, vel ordinando per iudicium, bona sunt ipsa quæ fecit.* Si ergo amat istud damnationis iudicium suum, si tanquam bonum operatur, id quod illo damnationis iudicio constituit, quis non videt, necessario dicendum esse, quod illud ipsum iustissimæ damnationis bonum prædestinavit? Bonum est quippe omnino, quia iustum est, quamvis illi malum sit, cujus peccata illo supplicio in iustitiæ ordinem rediguntur.

Ejusdem plane doctrinæ orbitam sanctus Prosper indeclinabiliter terit. Definit enim diversis in locis, prædestinationem Dei, quamvis semper in bono sit, non minus tamen justam bonorum & pravorum operum retributionem, quam gratiam operari. Iusta quippe retributio, siue cœlestis præmij, sive supplicij magnum bonũ est, quod non minus

A

debet aut potest à Dei prædestinatione, quam ab eius directa & voluntaria operatione disjungi:

Resp. ad c. 14. Gallor.

Prædestinatio Dei, inquit, *semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut donationem pertinens gratiæ: Vniversæ enim viæ domini misericordia & veritas.* Et ad Capit. decimum quintum:

Ad Capitulum 15. Gallor.

Dubium non est sine ulla temporali differentia Deum & præscisse simul & prædestinasse quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda. Et ad obiectionem decimam Vincentianam:

Ad obiectio 10. Vincent.

Cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est &c. Sed plane prædestinavit iudicium suum, quo unicuique retributurus est sive bonum sive malum.

Sanctus vero Fulgentius idipsum docet multo maximè. Nam in libro ad Monimum:

Lib. ad Monim. f. 12.

Quod nunquam est in opere eius, nunquam fuit in prædestinatione eius. Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc quod male operantur, à concupiscentia sua abstracti & illecti, sed ad hoc quod iustè patiuntur inviti. Et in eodem libro inferius ex professo docet, & sæpius diversis locutionibus inculcat,

F. 25. f. 27. 30 & 31

Quosdam prædestinati ad pœnam, prædestinari supplicio, prædestinari ad supplicium, quos à se præsciuit voluntatis mala vitio discessuros. Et in libro de veritate prædestinationis & gratiæ:

Lib 3. de verit. prædest. & grat.

Deus sicut nunquam futurarum rerum fuit inscius, ita nec misericordiæ aut iudicij sui fuit ignarus: sed sicut semper omnia futura & bona & mala præscivit; sic omnia opera gratiæ atque iustitiæ suæ incommutabili prædestinatione disposuit. Et paulo post: *Non solum ea disposuit,* prædestinando *quæ ipse gratis quibus vellet donaret, ut bonus, verum etiam illa quæ & bonis & malis redditurus esset ut iustus.* Quam doctrinam suam de prædestinatione malorum ad interitum in scripturis sacris apertissime doceri, libro primo ad Monimum tradit:

Lib ad Monimũ versus finem.

Tales ad interitum prædestinavit quia talibus iusta punitionis supplicium præparavit. Quod utique manifesto dominus ipse sermone perdocuit, quod à se ostendit non solum paratum non solum regnum ubi lætentur boni, sed & ignem æternũ, ubi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est, Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Malis autem dicturus est. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus diabolo & angelis eius. Ecce, inquit, *ad quod dominus iniquos & impios prædestinavit id est ad supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum, ad pœnam non ad culpam.* &c. Et mox ad illum Apostoli locum, quo dicit vasa iræ aptatã ad interitum, sic explicando subiungit.

Lib 1 ad Monimũ versus finem.

In hoc itaque istu vasa Deus aptavit hoc est in interitum. Cuiusmodi documentorum consideratione Synodus Valentina, quæ sub Lothario celebrata est tanquam fidei Catholicæ dogma tradit duplicem prædestinationem hominum, ad vitam, & eam quæ est ad mortem.

D

Conc. Valent. sub Lothario can. 3.

Sed & de prædestinatione Dei, inquit canone tertio, *placuit & fideliter placet iuxta auctoritatem Apostolicam quæ dicit: An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem aliud in contumeliam.* Etcum

adiecisset

adjecisset illa quæ posuimus: *Vasa iræ aptata sive preparata ad interitum* &c. subjungit: *Fidenterque fatemur prædestinationem electorum ad vitam & prædestinationem impiorum ad mortem. In electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere iustum Dei iudicium. Prædestinatione autem Deum ea tantum statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel iusto iudicio facturus erat, secundum scripturam dicentem qui fecit quæ futura sunt.*

CAPVT QVARTVM.

Inferuntur aliquot Corollaria. Iterum de prædestinatione in bono & malo. Alia duplex prædestinatio *gratiæ*, & *iustitiæ*. De prædestinatione simpliciter dicta, & quod respiciat actiones Dei.

CVM igitur ista in scripturis sacris & Conciliis & Patribus veris prædestinationis intellectoribus, tam fundata & perspicua sint, multa inde, ad rem istam quam tractamus pertinentia, de prædestinatione clarescunt. Nam primo sequitur, non esse verum quod quidam recentiores dicunt, istud prædestinationis genus ad aliquod malum, nusquam in sacris litteris reperiri. Reperitur enim omnino secundum sanctum Fulgentium, Matthæi vigesimo quinto, ubi Christus dicit, ignem æternum *paratum diabolo & angelis eius*, hoc est, prædestinatum, quemadmodum de regno cœlorum ibidem dicitur, *quod vobis paratum est ab origine mundi*. Reperitur etiam ad Romanos nono, ubi dicuntur *vasa iræ parata*, vel aptata vi prædestinationis *in interitum*, reperitur & expresso ipso prædestinationis nomine Actorū quarto: QVÆ MANUS *tua & consil. ü decreverit* græcè, προώρισε quod in Apostolo Paulo, prædestinavit, vertitur, & in hoc ipso loco Augustinus, ut supra diximus. Quid enim refert, quod istud malum à Deo in salutem aliorum referatur, cum & quorundam, imo & omnium hominum æterna damnatio, à Deo in electorum profectum salutemque torqueatur? Hoc enim ex professo sanctus Augustinus docet, ut infra declarabitur.

Math. 25.

Rom. 9.

Act. 4.

Secundo sequitur, non esse verum quod ijdem recentiores tradunt, ut aliquid sub prædestinationem cadat, esse necessarium ut sit supernaturale bonum: cum ne quidem necesse sit ut sit bonum, nisi quatenus à Deo efficiente proficiscitur.

Tertio sequitur, non esse verum quod etiam dicunt, non esse in sensu rigoroso verum, quod homo prædestinetur ad pœnam. Est enim in sensu proprijssimo & rigorosissimo verum, quod Deus pœnarum auctor sit justo judicio suo, & per hoc prædestinatione sua, quamvis cassimul creatura rationalis sua culpa mereatur. Quis enim dæmones igne sempiterno, ineffabili ratione torqueret, nisi sic Deus æterno suæ prædestinationis judicio decrevisset, & temporaliter id quod decrevit inferret? Non enim illa repugnāt inter se, sed cohærent optimè, ut & creatura supplicium peccando mereatur, & illud ipsum Deus decernat atque inferat vindicando. Nam & *causa mortis*, inquit Augustinus *est diabolus, quam non ut primus auctor eius, sed ut peccati ultor intulit Deus.* Simili ratione *non sunt inter se duo ista contraria, quod in pœna sua & ipse* homo peccando *auctor est & ultor Deus.* Quo denim hujusmodi prædestinatio præsupponat alicujus demeriti præscientiam, ut ei supplicium prædestinari possit, non tollit ab illo decreto veram prædestinationis rationem; haud secus atque non tollit veram prædestinationis rationem à decreto, quo angelis perseverantibus corona gloriæ decreta fuit. Nam & istud decretum seu ista prædestinatio perseverantiæ præscientiam præsupposuit; sicut & hominum lapsorum prædestinatio, iuxta multorum recentiorum existimationem.

Lib. 6 contra Iul. c. 9

Quarto sequitur, rectissime à sanctis Patribus diuisam fuisse prædestinationem Dei circa creaturæ rationalis administrationem, id prædestinationē quæ est *in bono*, & eam quę est *in malo*: quod aliter dici potest usitatius, in eam quæ est ad bonum, & eam quæ est ad malum. Indicavit istam diuisionem Augustinus quando dixit: *Prædestinatio quæ in bono est gratiæ est præparatio*, ipsa expressione indicans eam distingui contra eam quæ est in malo, seu ad malum, hoc est, ad pœnam. Expressit eam alibi aliter, in *benignam*, & *iustam*: *Ad eorum damnationem quos* IUSTE *prædestinavit ad pœnitentiam, & ad eorum salutem, quos* BENIGNE *prædestinavit ad gratiam.* Vbi sub gratia etiam gloria comprehenditur, juxta illud Apostoli, *gratia Dei vita æterna* ut sit adæquata sit divisio. Simili sensu subinde dividitur in prædestinationem ad *vitam* & ad *mortem*; ubi sub vita comprehenditur tota illa peccatoris in hac vita usque ad beatam corporis immortalitatem vivificatio. Sic eam expressis verbis divisit Concilium Valentinum: *Fidenter fatemur prædestinationem impiorum ad mortem.* Et insinuavit Augustinus adversus Iulianum: *Absit at prædestinatus ad vitam sive Sacramento mediatoris finire permittatur hac vitam.* Nam hoc ipso indicat aliam esse ad mortem, prout eam alibi sæpe nominavit. Posset & alio modo vocari prædestinatio *misericordiæ*, & prædestinatio *iudicij*, prout judicium punientis severitatem subinde denotat.

Lib. de præd. Sanct. c. 10.

In Enchirid. c. 100.

Conc. Valent. can. 3.

Lib. 5. contra Iul. c. 4.

Subinde vero alia divisione dividunt Patres prædestinationem, in præstinationē *gratiæ*, & *iustitiæ*. Tunc vero aliquando non sumūnt gratiam tam latè, ut contineat quicquid etiam in radice continet, videlicet gloriam sed gratiam tantum proprie, dictam: justitia vero tunc significat remunerationem quamlibet sive rectè, sive perperam operantium. Sic

ea

Lib. de verit. prædest. & gratia.

ea membra usurpavit sanctus Fulgentius, quando paulo antè citatus dixit: *Omnia opera gratia atque iustitia incommutabili prædestinatione disposuit.* Nam sic eum intelligere ex eo constat, quod subjungit ea Deum ista prædestinatione disposuisse, *quæ gratis quibus vellet donaret ut bonus, & quæ bonis & malis redditurus esset ut iustus.* Sic & Prosper videtur usurpasse ad obiectionem decimã Vincentianam.

Quæ quamvis, juxta scripturæ & sanctorum sensum, ita sint, verum est tamen prædestinationẽ per se ac solitarie sumptam, pro prędestinatione ad sanctitatem & gloriam antonomastice usurpari: idq; non ea de causa, quasi non detur prædestinatio ad malum, vel illa non esset vera & propriè dicta prædestinatio, juxta quod vox illa in scripturis sacris usurpatur (neutrũ enim verũ esse demonstravimus) sed quia illo vocabulo in eo sensu uti solemus, quo quis absolutè sine addito prædestinatus dici potest, ut sit abstractum vocis *prædestinati. Prædestinatus*, autem absolute sumptum sine additione contrahente, significat illum, cuius & universam viam & viæ terminum Deus prędestinatione sua operatur, usque adeo ut illum ab initio ad finem usque inclusivè, etiam per peccata quibus humiliatus erigitur, prędestinatione sua in creaturę rationalis terminũ dirigat. Talis enim absolutè prædestinatus nominatur, & ista Dei prędefinitio, hominis prædestinatio, nempe in bono, absoluta, totalis, usque adeo ut quamvis omnes actiones vitæ ipsius, Deus prædestinatione sua fuisset operatus, nisi eum simul glorificare proposuerit, numquam prædestinatus dici poterit, nisi secundum quid. Argumento est, quod prædestinatio bonorum operum quæ Deus in reprobis operatur, respectu istorum operum est veri nominis & propriè dicta prędestinatio, prout ab Augustino, Prospero, Fulgentio, ipsisque adeo sacris literis descripta est, nec tamen illã intelligimus cum absolutè de prædestinatione disputamus, neque ab illa quisquam dicitur prædestinatus.

Quod ergo probant aliqui, prædestinationem ad pœnam non esse propriè dictam prædestinationem, quia Augustinus eam definit *præparationem beneficiorum Dei* &c. nihil probat; ipse enim expresse dicit se definire tantum alterum membrum prædestinationis generaliter dictæ, nempe prædestinationem in bono: *Quocirca*, inquit, *prædestinatio Dei quæ* IN BONO EST, *gratiæ est ut dixi præparatio*, de qua totis illis duobus libris adversus Massilienses agit. Per hoc ipsum ergo indicat, aliã esse in malo, deque illa se non suscepisse tractandum. Hæc ergo prędestinatio in bono, & quidem totalis, à qua quispiã absolutè prędestinatus appellatur, per antonomasiã sola nunc prædestinatio vocari solet; alia vero quæcumq; prædestinatio, sive ad malum, sive etiam ad bonum, ut fidem charitatemque temporalem, quæ subinde ad tempus in reprobatis viget, absolutè prædestinatio non vocatur, nisi cum particula restringente, prædestinatio ad fidem, ad charitatem, ad mortem &c. propter causam quam nunc diximus.

Sed & istud advertendum, antequam ad alia divertamus: prędestinationem istam, propriè velut objectum suum respicere actionem aliquam Dei circa salutem creaturæ rationalis. Est enim propositum operandi in vel per creaturam rationalem, utpote decretum & præscientia eorum quæ Deus ipse facturus est seu præparatio gratiæ aut beneficiorum Dei quibus homines à perditione liberantur, sicut utrumque sæpissime inculcat Augustinus; gratiam vero aut beneficia liberationis nemo operatur, nisi Deus. Ex quo fit ut propriè prædestinari dicantur actiones temporales Dei: quæ si fuerint simul hominis, prędestinantur, non quatenus ab homine proficiscuntur, sed quatenus à Deo. Quæ præterquam, quod ex natura jam dicta prædestinationis manifesta sunt, Augustinus etiam non semel perspicuè ex natura promissionis docet. Nam promissio non eorum est quæ Deus simpliciter futura præscivit, aut prædicit (sic enim etiam peccata promitteret) sed eorum bonorum quæ Deus ipse facturus est. Vnde filij promissionis sunt quos Deus filios suos, eis fidem, charitatem, perseverantiam, gloriam conferendo generaturus est, in eis ipsis efficiendo, ut ipsi credant, diligant, perseverent, & glorificati fruantur Deo. Hæc vero promissio non est, nisi propositi prædestinationis filiorum explicatio: ergo & ipsa prædestinatio non est nisi eorum quæ Deus ipse facturus est. Sed ipsum audiamus: *Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi præparatio: gratia vero est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gentium dicens: Patrem multarum gentium posui te: unde dicit Apostolus, ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia etsi faciant homines quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant, quæ præcepit; non illi faciunt ut ille faciat quod promisit: alioquin ut* Dei *promissa compleantur, non in Dei sed hominum est potestate; & quod à* Domino *promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic credidit Abraham; sed credidit dans gloriam Deo: quoniam quæ promisit potens est & facere. Non ait, prædicere, non ait præscire: nam & aliena facta potest prædicere atque præscire: sed ait, potens est & facere: ac per hoc facta non aliena sed sua.* Nihil apertius dici potest. Quam doctrinam & alijs in locis sæpe tradidit, ut ad Monachos Adrumetinos, & contra Iulianum. Quamvis igitur propriè prædestinatio, haud secus ac promissio, sit eorum quæ Deus ipse facturus est, quia tamen illa in creaturæ rationalis voluntate & per voluntatem operaturus est, ita ut & ipsa vere dicatur operari, hinc fit ut etiam ipsa creatura prædestinari dicatur; videlicet ut illa ipsa quæ Deus prædestinavit promisitque facere, ipsa faciat: Nam illa sunt reciproca, Deum prædestinare donũ aut

Lib. de præd. Sanct. c. 10.

Lib. de cor. & grat. c. 12. Et lib. 2. contra. Iul. operis imp. f. 163. & 164.

aut opus aliquod homini, aut per hominem operandum, & hominem ad hoc ipsum prædestinari. Ex quo fit, ut si Deus prædestinavit homini fidem, aut charitatem, homo iam consequenter prædestinatus sit credere aut diligere: sin autem prædestinavit homini, non solum hujus vitæ justitiam & perseverantiam, sed etiam gloriam, homo absolutè prædestinatus sit. Reciprocationem istam non semel Augustinus explicuit. Nam inde est quod in libro de dono perseverantiæ dicit, dono Dei, fidem, castitatem, charitatem, perseverantiam, esse hominibus a Deo *prædestinata*, quia ea se daturum esse præscivit, & tamen in eodem loco dicit: *Quem castum futurũ prædestinavit, agit ut castus sit; quoniam Dei dono* (Lib. de dono pers. c. 17) *se audit futurum esse quod quærit.* Itemque sicut eodem libro dicit *prædicandam esse prædestinationem beneficiorum Dei*, obedientiæ, fidei pietatis, perseverantiæ &c. ita etiam, *prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant*, itemque *prædestinatos ab illo esse, quos liberat & coronat.* Cujusmodi absolutè vocantur prædestinati. Et quemadmodum alicubi dicit hominibus *prædestinatum esse supplicium*; ita sæpissime alijs in locis eos *supplicio, pœnis gehennæ, morti, vel ad supplicium, ad pœnas, ad interitum prædestinatos.* Sed jam ad ipsam quæ absolutè & antonomasticè prædestinatio dici solet, unde simpliciter prædestinati vocantur, accedamus. (Cap. 20. Cap. 18. Cap. 17. Lib. de civit. c. 10. Vide sup. locos citatos.)

CAPUT QUINTUM.

Prædestinatio, dilectio, electio, propositum, præparatio gratiæ, discretio, quid in scripturis & Augustino differant.

PRædestinatio in scripturis sacris multis nominibus æquipollentibus exprimitur. Nam subinde dicitur, *dilectio, electio, propositum*; apud Augustinum etiam *præparatio, discretio*; nec aliter ista nisi certo respectu aut formalitate differunt. Cum enim ista prædestinatio non sit aliud, nisi prædefinitio seu decretum donandi creaturæ rationali salutis æternæ beneficia, quæ ab isto Dei actu circa se versante prædestinata dicuntur, necesse est ut ille ipse actus sit dilectio, electio, propositum, præparatio, discretio. Dilectio quidem quia per illam Deus vult isti creaturæ suum tantum bonum: Electio quia ex omnibus eam diligit, cui illud beneficium præ cæteris quas negligit, largiatur: Propositum, quia non est sterilis dilectio sed efficax decretum volendi & conferendi beneficium: Præparatio, quia mens Dei illo proposito est quasi gravida, ut suo tempore in operationem erumpat. Hoc enim animo præparasse dicimur, quod jam parati sumus dare vel facere. Discretio, quia est propositum discernendi unum ab altero, talis tantiq; donationi beneficij. Itaque Apostolus Paulus ad Ephesios, cum dixisset: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti* &c. statim repetit *qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* Et ut intelligeremus, hanc electionem fieri ex libero proposito voluntatis Dei, adeoque beneplacito ejus, addit eum nos prædestinasse, *secundum propositum voluntatis suæ*; itemque *secundum beneplacitum ejus*, quod & *consilium voluntatis ejus* nuncupat; ut voluntatis istius beneplacitum, propositum, prædestinationem, electionem speciali consilio regi nosceremus. Idem propositum exprimitur, quando Apostolus dicit quosdam *secundum propositum vocatos*; quod quid sit statim pro ratione subjungit: *Nam quos præscivit & prædestinavit hos & vocavit*, videlicet secundũ propositum illud, prout sæpe Augustinus exponit. Eosdem infra vocat *electos. Quis accusabit adversus electos Dei?* Et inferius fontem omnium dilectionem esse indicans: *In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et ad Colossenses utrumq; coniungit. *Electi Dei & dilecti.* (Ephes. 1. Rom. 8. Coloss. 3.)

Sed in Augustino ista promiscua vocabulorum usurpatio multo maxime patet. Nam aliquando dicit, quod Deus hominem à massa perditionis diligẽdo discernit, ut in ista obiectione quæ ex eius doctrina formabatur: *quomodo non est iniquitas apud Deum si* DILIGENDO DISCERNIT, *quos merita operum nulla discernunt?* Aliquando verò & sæpius istam discretionem dicit prædestinando fieri: *Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia & Dei prædestinatione discreti.* Et in illo ipso loco, ubi prædestinationem definit, *Si Dei altiore iudicio à perditionis massa nõ sunt, gratiæ prædestinatione discreti.* Subinde electionẽ adscribit dilectioni, dum videlicet docet neminẽ eligere posse nisi diligat: *Si non elegissis sine dubio nec dilexisses; quomodo enim eum eligerent quem non diligerent?* Rursus electionem non semel tribuit prædestinationi tanquam quæ per illam fiat: *Elegit nos ante mundi constitutionem, prædestinando utique non vocando. Quos autem prædestinavit illos & vocavit, elegit prædestinando ante mundi constitutionem, elegit vocando ante mundi consummationem.* Et omnium planissimè: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione in qua Deus sua futura præscivit: Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit implevit.* Quibus duobus in locis, habes etiam duplicem electionem, unã æternam ante mundi constitutionem, quæ est ipsa Dei prædestinatio, & aliam temporalem quæ est vocatio secundum propositum Dei. Nam hic etiam duplicem agnoscit præparationem beneficiorum Dei, unam æternam quæ in mente Dei, est ipsa beneficiorũ prædestinatio, quemadmodum in eius definitione cernitur, quando dicitur prædestinatio est scientia & præparatio beneficiorum Dei: alteram, (Epist. 106. Lib. de corr. & gratia c. 7. Lib. de dono pers. c. 14. Lib. de grat. & lib. arb. c. 18. Tract. 68. in Ioan. Lib. de præd. Sanct. c. 17.)

teram, quę fit in tempore per vocationem, iustificationē, & glorificationem: *Sic & mansiones* inquit *praparavit & praparat nec alias sed quas praparavit, has praparat qui fecit qua ventura sunt. Quas praparavit pradestinãdo, praparat operãdo.*

Tract. 68. in Ioan.

Aliquando *propositum* Dei, secundum quod prædestinatos vocat, prædestinationis propositum esse docet: *Hoc propositum*, inquit, *ad prascientiam & pradestinationem Dei pertinet.* Aliquando vero promiscue omnibus istis utitur vocabulis, tanquam quibus eadem omnino prædestinatio significatur. Nam illa Ioannis Apostoli tractans verba: *Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum,* quibus quædam inter illos discretio indicatur qui simul ab eodem illo creati, vocati, iustificati, renati fuerant. *Quænam est tandem ista discretio? Patent libri Dei non avertamus aspectum &c. Non erant ex eis quia non erant* SECUNDUM PROPOSITUM *vocati: nam erant in Christo electi ante constitutionem mundi: non erant in eo sortem consecuti: non erant pradestinati secundum propositum eius qui universa operatur.* Vbi vides haud secus dici prædestinatos SECUNDUM PROPOSITUM, quam vocatos: nempe quia electio, dilectio, discretio, prædestinatio fit secundum liberrimum beneplacitũ seu propositum Dei, quemadmodũ & vocatio.

In expos. quarund. propos. ex Epist ad Rom.

Lib de dono Pers. c. 9.

Hausit istam doctrinam ipsamque phrasim Augustinus ex Apostolo ad Ephesios, cuius locum & phrases imitando, doctrinamque de natura prædestinationis, & electionis, & beneplaciti, & propositi exprimendo dicit: *Quomodo* ELIGERET *eos qui nondum erant nisi* PRÆDESTINANDO? ELIGIT *ergo* PRAEDESTINANS *nos* &c. *Nempe manifestum est, ideo tales,* (SANCTI) *eramus futuri, quia* ELEGIT *ipse* PRÆDESTINANS *ut tales per gratiam eius essemus* &c. *Elegit ergo nos* DEUS, *non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed* ELEGIT PRÆDESTINAVITQUE *ut essemus. Fecit autem hoc secundum* PLACITUM VOLUNTATIS SUÆ, *ut nemo de sua, sed illius erga se voluntate glorietur* &c. *In quo sortem consecuti sumus,* PRÆDESTINATI SECUNDUM PROPOSITUM *non nostrum sed eius qui universa operatur &c.* EX HOC PROPOSITO *est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia* SECUNDUM PROPOSITUM *vocati sunt sancti.* Ecce iterũ Apostolicis verbis electionē, & prædestinationem secundum placitum voluntatis Dei, secundum propositum eius, hoc est, prout ipsi placuit, prout ipse proposuit. Quam ob causam Apostolus etiam invertit istam locutionem, cum dicit, *ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Hoc est, ut propositum Dei, quo unum præ altero prædestinavit, stabile maneret ac firmum, non propter opera prævisa vel facta, sed quia sic Deo libere ac gratis unum præ altero eligere placuit.

Lib. de præd. Sanct. c. 18.

Rom. 9.

Sed nusquam apertius ista nominum confusio & promiscua significatio & usurpatio elucet, quam in Epistola Prosperi ad Augustinum, ubi mentem ejus in libris de prædestinatione & perseverantia contentam explicat, prout à Massiliensibus accepta fuit, consentaneé prorsus ad ea, quæ jam ex ipsis iisdem Augustini scriptis diximus: *Hoc autem* PROPOSITUM *vocationis Dei*, inquit Prosper, *quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reiciendorum dicitur facta* DISCRETIO, *ut secundum quod* PLACUIT *creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ fierent, curam resurgendi adimere &c. Quoque enim modo egerint non posse aliud erga eos quam definitu decidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat* PRÆDESTINANTIS ELECTIO, *cassa sit annitentis intentio. Removeri itaque industriam, tollique virtutem, si* DEI CONSTITUTIO *humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine* &c. Et paulo pòst dicit quod Massilienses *propositum & prædestinationem secundum præscientiam receperunt.* Et Hilarius ad eundem Augustinum æque luculente, dicit enim *secundum propositũ eligendos* ab Augustino vocari. Vnde conformiter quoq; in suo sensu Massilienses *præscientiam* cum prædestinatione semper junxerãt, *& prædestinationem vel propositum ad id valere contendunt ut eos præsciverit vel prædestinaverit, vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri.* Ex quibus profectò omnibus liquidissimum est in doctrina sancti Augustini, propositum secundum quod vocari & prædestinari & eligi dicimur, electionem, discretionem, definitionem, constitutionem Dei & hujusmodi, etiam secundum intelligentiam adversariorum eius, idem prorsus esse, quod prædestinationem. Quod paulo latius dictum oportuit, ne quis in istorum vocabulorum quasi obscuritate forsan hæreat; & facilius in cæteris, ubi illa promiscuē usurpat, mentem ejus assequatur.

Prosp. in Epist ad Aug.

Hilarius in Epist. ad Aug.

CAPUT SEXTUM.

Prædestinatio, electio, & discretio alia *gratiæ*, alia *meritorum*. Quid singulæ sint & respiciant. Augustinus olim etiam recte de gratia sentiens, nullam agnovit electionem gratiæ, & quare. Quid electio, juxta Manichæos.

HÆC igitur electio, seu *prædestinatio*, seu discretio creaturæ rationalis *in bono*, quocumque eam appelles nomine, bifariam adhuc, juxta sanctissimi Præsulis doctrinam, dividitur, in electionem, prædestinationem, discretionem *gratiæ*, & *meritorum*. Electionis gratiæ sæpius Augustinus mentionem facit, & ei electioni semper opponit qua quis eligitur ex operibus, sive ex meritis: *Quia elegit nos in filio suo*, inquit quodam loco, *ante mundi constitutionem per electionem gratiæ.* Et quid istud? *Si autem*

Lib de Corr. & gra. c. 7.

autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Et statim iterum clariùs: *Quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò electi sunt, per electionem, ut dictum est gratiæ, non præcedentium meritorum; quia gratia est illis omne meritum.* Et adversus Iulianum dicit quod *Regenerati à damnatione liberantur debita, sed gratuita miseratione non debita, quos elegit ante constitutionem mundi per electionem gratiæ, non ex operibus vel præteritis, vel præsentibus vel futuris. Alioquin gratia iam non est gratia.* Quod non est opus pluribus confirmare testimonijs, quia sexcentis in Augustino occurrunt locis, sed ex istis vel solis perspicuum est, toto eos aberrare cœlo, qui quando audiunt *electionem gratiæ*, significari ab Augustino putant electionem, quam *ad gratiā* Scholastici vocant, ut opponatur ei qua quis eligitur *ad gloriam.* Nam Augustinus eam electionem gratiæ vocat quia est gratuita, non ex merito, vel ex opere, vel dignitate aliqua propter quæ quispiam eligatur. Vnde subinde vocatur electio *per misericordiam. Illos debemus intelligere electos per misericordiam.* Aliquando *ex gratia* ut contra Iulianum argumentando concludit: *Ergo ad incurvandam circumcisorum arrogantiam sub nomine gratiæ mentitur Apostolus. Nam Deus ex operibus elegit, non ex gratia. Quis ita sapiat nisi hæreticus inimicus gratiæ, amicus superbiæ?*

Lib. de cor. & grat. c. 7. *Lib. 6. cont. Iul. c. 19.* *Lib. de corr. & grat. c. 7.* *Lib. 1. cont. Iul. op. imp fol. 186.*

Desumpsit phrasim istam ex Apostolo, qui sic gratuitam electionem primus appellavit ad Rom. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Quem locum sæpissime ad hoc propositum citat. Vnde contra Iulianum: *Electi per electionem gratiæ. Vnde dicit idem Doctor & de Israhel; reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt. Et ne forte ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi secutus est & adiunxit: si autem gratia iam non ex operibus* &c. Simili quoque sensu vocatur non uno in loco *prædestinatio gratiæ*, ut libro de dono perseverantiæ: *Si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti* &c. quo non significatur prædestinatio dandi gratiam, vel *ad gratiam*, prout eam Scholastici vocant, opponentes ei prædestinationi quæ est ad gloriam; sed significatur prædestinatio gratuita; quam proinde quandoque vocat prædestinationem *per gratiam: Nunc vero sanctis in regnum Dei prædestinatis non tantùm tale adiutorium datur* &c. Et in epistola ad Sixtum dicit hoc *apertum* fuisse *postea per Prophetam, quod erat in Dei prædestinatione per gratiam.* Quo sensu etiam dicit alibi: *gratiâ prædestinatus, gratiâ electus, gratiâ peregrinus deorsum, gratiâ civis sursum.* Porro eadem quoque apud Augustinum est ratio & sermo de *discretione gratiæ & meritorum*, quæ de prædestinatione & electione. Nam de æterna discretione hominum in mente Dei loquens: *Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam mediatoris.* Sed apertiùs paulò post: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione, ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium* &c. Et inferiùs: *Facturo Deo aut misericordiam aut iudicium. Misericordiam quidem, si à massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est.* Et in libris de Civitate Dei, de lapsorum hominum discretione loquens; *Non eos*, inquit, *iam meritis sed gratiâ discernens.* Alibi de electionis gratia disputans, loco *gratiæ* ponit *dilectionem Dei* qua homines *discernuntur*; dilectio enim radix est omnis discretionis & gratiæ: *Sed quomodo, inquiunt, non est iniquitas apud Deum, si* DILIGENDO DISCERNIT parvulos, *quos merita operum nulla discernunt?*

Rom. 11. *Vide lib. 5. contra Iul. c. 4. & epist. 105. & epist 106. & alibi.* *Lib. de dono pers. c. 14.* *Epist. 105.* *Lib. 5. de Civit. c. 1.* *Lib. de cor. & gra. c. 7. Ibidem.* *Lib. 14. de Civit. c. 16.* *Epist. 106.*

Electio, vero ista, aut prædestinatio, aut discretio gratiæ, sive per gratiam, non solum respicit collationem gratiæ temporalem, hoc est, bonorum operum, quæ ipsa prædestinatio in homine operatur, sed etiam gloriam. Quod ex eo manifestum, quia in plerisque citatis locis de electione ad regnum aut gloriam expresse loquitur. Vnde cum capite septimo de correptione & gratia, nominat *in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatos.* Item de electione gratiæ ex professo loquens eamque nominans, simul dicit, quod ex talibus electis *nemo perit*, itemque: *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo:* item cùm dixisset eos electos per misericordiam, addit: *Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum.* Et cùm de gratiæ electione ac prædestinatione multa disservisset, tandem adijcit: *Hac de his loquor qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus* &c. Itaque in Augustino intelligendo recentiores illi multum falluntur, qui quando audiunt electionem gratiæ in Augustini scriptis, non putant de gloria seu electione ad gloriam esse sermonem. Nam ipsi electionem distinguunt in electionem ad gratiam, & ad gloriam, & eodem modo Augustinum loqui putant. Hallucinationis causa est, quod non animadvertunt, unam & eandem electionem gratiæ in Augustino & Apostolo, ad omnia gratuita protendi beneficia, sive sit gratia, sive gloria, solique electioni meritorum repugnare.

Lib. de corr. & gra. c. 7. *Gabriel Vasquez 1. p. 1. disp. 89. c. 8. n. 70 vide & c. 13. n. 110.*

Alterum membrum, electio videlicet meritorum seu ex operibus, iam perse ipsa intelligitur. Est enim illa qua quis eligitur ex operibus, tanquam meritis electionis quam supra sæpe audivimus; & ipso nomine vocatur *electio meritorum*, libro sexto contra Iulianum: *Venit Christus in mundum, non de mundo eligendos, sed electurus non meritorum electione, sed gratiæ*, idque non propriè, quasi ipsa merita eligantur, sed quia sunt causa, cur homo ad aliquid eligatur. Est enim phrasis Augustino pervsitata, vt id eligi dicatur, quod electionis est ratio. Vnde aliquoties dixit, antequam intelligeret electionem gratiæ, Deus *non elegit opera quæ ipse daturus est, sed fidem.* Quam etiam appellabat electionē *ex præscientia*, nempe quia *quem sibi crediturum esse præsciebat, illum eligeret Deus, cui Spiritum Sanctum daret.* Nam quando sanctus Augustinus illo errore tenebatur, ut putaret initium fidei esse ex nobis, non illud operante gratia Dei, nullam agnoscebat consequenter electionem gratiæ,

Lib. 6. cont. Iul. c. 1. *In expos. quarund. propos. ex epist. ad Rom. n. 60. Ibid. & in q. 2. lib. 1 ad Simplic.*

sed tantummodo electionem fidei seu ex fide. Neminem enim putabat eligi ad accipiendam gratiam seu Spiritum sanctum, quo bene posset vivere & operari, nisi qui ante Deo suis viribus credidisset. Vnde retractans illum eundem quem citauimus locum: *Nondum*, inquit, *diligentius quæsieram, nec adhuc inveneram qualis sit electio gratiæ, de qua idem dicit Apostolus: Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Quæ utique non est gratia, si eam merita ulla præcedant.*

lib. 1. retra c. 23.

Propter duas igitur causas hoc dicit Augustinus, quod tunc nondum inuenerat, qualis esset electio gratiæ. Prima est, quia putabat hominem non præueniri gratuita gratia Dei, sed potius gratiam ab hominis fide præueniri, atque ita tacitè gratiam nonnullo fidei merito destruebat, ut non esset gratia. Altera, quia non poterat intelligere quomodo, *electio* vocari posset, quando in personis eligendis nulla omnino esset vel peccati, vel boni operis, vel certè fidei differentia, saltem in præscientia Dei. Esto enim Deus assumat unum præ altero prorsus gratis, illa assumptio ne quidem electio poterit dici. Vide ipsũ cum isto scrupulo luctantem: *Quid ergo elegit Deus? Si enim cui vult donat Spiritum sanctum, per quem dilectio operatur bonum, quomodo elegit cui donet? si enim nullo merito, non est electio: æquales enim omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari.* Ex quo concludit eligi saltem fidem, propter quam Spiritus sanctus detur. Scrupulus iste hæsit in Augustino ex errore illo, quo ante Episcopatum laborauit, de initio fidei ex viribus humanis prosiliente. Nam propter eandem causam etiam Pelagiani nullam electionem agnoscere poterant, ubi non esset aliqua eligendorum distantia: *Quæ electio*, inquit ipse Pelagius, *ubi nulla diuersitas meritorum?* Qua de re plura diximus cùm de dogmatibus Pelagianis tractaremus.

In exposit. quar. propos ex epist. ad Rom. n. 60.

Pelagius in Com. c. 11. ad Rom. n. 11

Vide lib. 6. de her. Pel. c. 9.

Inhæsit autem scrupulus iste sancto Augustino etiam postquam iam reperisset initium fidei, ipsamque primam voluntatem bonam esse donum Dei. Nam in quæstione secunda primi libri quem ad Simplicianum scripsit, asseueranter docet, etiam fidei & bonæ volũtatis initiũ per Dei vocationem & gratiam esse conferendum, quod tunc sibi à Deo *reuelatum* esse testatur: nec tamen percipiebat, quomodo talis assumptio unius, cui bonam voluntatem & fidem largiretur Deus, præ altero quem præteriret, *electionis* nomine appellanda videretur.

Lib. de prædest. Sanct. c. 4.

Putabat enim Etymologiam istius nominis, distantiam aliquam in eligendo postulare. Sed ipsum vide, cùm iam rectè de diuina gratia, & de gratuita hominum assumptione saperet, de isto tamen adhuc nomine secum disceptantem: *Quomodo est enim iusta, aut qualiscumque omnis electio, ubi nulla distantia est?* Hoc est, quomodo vel electio vocari poterit, siue iusta siue iniusta, si in eligendis nulla meriti cuiusquam differentia? sic enim seipsum explicat: *Si enim nullo merito electus est Iacob nondum natus & nihil operatus, nec omnino eligi potuit nulla existente differentiâ quâ eligeretur.* Et rursum paulò post: *Vnde igitur ista electio, vel qualis electio, si nondum natis, nondumque aliquid operatis, nulla sunt momenta meritorum?* Et iterum inferius argumentando concludit: *Nulla ergo electio, antequam esset quod eligeretur*, id est, antequam esset aliqua ratio electionis, seu differentia in eligendis.

Lib. 1. q. 2. ad Simpl.

Et multis interjectis, definitiuè rem absoluit: *Nemo eligitur nisi iam distans ab illo qui rejicitur.* Itaque præpositionem unius præ alio gratuitam, noluit vocari electionem (ut quæ necessariò videbatur esse meritorum, seu meriti cuiuspiam distantiam supponere) sed assumptionem quæ fiat *liberalitate donorum Dei.* Sic enim exponit ista Apostoli verba: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori*; quibus maximè electio gratiæ commendatur: *Hoc*, inquit, *non electione meritorum, quæ post iustificationem gratia proveniunt, sed liberalitate donorum Dei, voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.*

Hinc igitur in fine illius quæstionis cùm ille locus Apostoli: *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*, quodammodo ipsum cogeret ut isti gratuitæ præpositioni seu assumptioni unius præ alio, nomen ELECTIONIS accommodaret, respondet se istius electionis rationem ignorare: *Quod si electio hic fuit aliqua*, ratione cuius videlicet dictum fuerat, non est volentis neque currentis sed miserentis Dei, *ut sic intelligatur quod dictum est: Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt; non ut iustificatorum electio fiat ad vitam æternam*, ubi electionis ratio facilè apparet, *sed ut eligantur qui iustificentur: certè ita occulta est hæc electio, ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit: aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor.* Nempe quia ut explicat fusius, non poterat ullam idoneam invenire rationem, cur hic, non ille eligeretur. Indicans hoc ipso iterum apertissimè se rationem electionis nullam intelligere posse, ubi nulla distantia, quæ unum præ altero eligendum seu electione dignum faciat: *Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliquâ cogitatione permittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam si placet honestas utilesque doctrinas.*

Ibid. in fin.

Ibid.

Quas ob causas icùm velut idoneas ad electionem rejecisset, colligendum relinquit, non videri esse ullam electionem ad gratiam salutarem, quia non necessaria, atque ita gratiam à Deo miserente cuius voluerit, donorum liberalitate, non electione conferri.

Quem Augustini sensum paulò fusius explicui, ut verus genuinusque sensus aliorum verborum elucesceret, quæ ex eadem quæstione à nonnullis obtorto collo trahuntur, ut conficiant neminem eligi ad vitam æternam gratis, sed tantùm ex præuisis meritis. Accipe verba: *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia*

Lib. 1. q. 2 ad Simpl.

Deo

Deus invenit opera bona in hominibus, quæ eligit, ideo manet propositum iustificationis ipsius, sed quia illud manet ut iustificet credentes, ideo invenit opera quæ iam eligat ad regnum cælorum.

Quorum germanus sensus ex ijs quæ deduximus, per se ipse statim emicat. Significat enim electionem sub ratione electionis, locum habere non posse, antequam Deus gratiâ hominem propriaque liberalitate iustificauerit, sed tantummodo post iustificationem; tunc enim per opera invenitur distantia quam electio postulat. Nam ideo postquam dixisset: *Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio*; nempe ratione operum quæ ex iustificatione proficiscuntur, & iam eligi possunt; statim nullo interposito pro ratione subjungit: *Nemo enim eligitur nisi iam distans ab illo qui reijcitur.*

B Ecce apertissimè in sensu Augustini, nulla electio sub ratione electionis cuiusquam esse potest, nisi iam distantium. Et tamen in illo ipso loco, non (sicut isti contra quos agimus putant) agitur de electione ad gloriam, sed de illa quæ est ad gratiam, quam Augustinus constantissimè negat ullam esse posse nisi distantium.

Nam sic de electione Iacob ad gratiam salutarem præ Esau fratre præmiserat: *Nulla ergo electio est, antequam esset quod eligeretur. Si enim bonus factus est Iacob ut placeret, unde placuit antequam fieret ut bonus fieret,* id est, quid fuit illud propter quod Iacob electus fuit ad gratiam, quâ bonus fieret? quasi diceret, nihil tale fuit. Nam statim destruens etiam ipsam electionem, quâ homo gratis sine merito ac C distantia ad gratiam eligitur, concludendo subtexit: *Non itaque electus est ut fieret bonus,* scilicet per gratiam, *sed bonus factus,* per gratiam scilicet, *eligi potuit,* propter opera quæ sequûtur.

Ecce Iacob non potuit eligi, ex mente Augustini, à Deo nequidem ad gratiam quâ bonus fieret; sed solùm tunc eligi potuit, cùm iam bonus factus fuerat. Quod sanè est illud ipsum, quod in verbis nobis objectis dixerat: *Non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius,* id est conferendi gratuitam gratiam quâ iustificetur: *sed quia illud manet, ut iustificet credentes, ideo invenit opera quæ iam eligat ad regnũ cælorum.* Et quomodo non potuit eligi ad gratiam ante gratiã cùm fides doceat homines gratis à Deo eligi ad ipsam gratiam? nempe quia Augustinus non poterat tunc temporis intelligere *electionem gratiæ sub ratione electionis*; quam sentiebat non posse esse æqualium, sed distantium: illam tamen eodem loco intelligebat optimè docebatque instantissimè sub alio nomine, videlicet *liberalitatis donorum Dei* vel *Dei misericordis cuius misereretur*, hoc est, cuius vellet.

Sicut ergo tunc nullam intelligebat electionem gratuitam ad gratiam, sub nomine videlicet electionis, sed etiam potius refellebat; ita nihil mirum, si nullam intelligeret electionem gratuitam ad gloriam; sed eam potius oppugnaret. Eadem enim est utriusque

A gratuitæ electionis ratio ac difficultas. Vtraque est enim æqualium, non distantium; quæ distantia Augustino ad naturam electionis essentialiter pertinere videbatur, ideoque nullam electionem reperire poterat, nisi postquam gratia idem iustificasset hominem, ut aliquid bene operando, à non operante distaret.

Hæc est igitur ratio, cur Augustinus simulatque peritior factus, *electionem gratiæ*, seu gratuitam, sub ratione electionis, etiam in æqualibus locum habere posse didicisset, plurimis in locis explicat, id eatenus esse verum, quia Deus per suam gratuitam electionem illam ipsam distantiam facit, atque ita eligit atque diligit, non aliquid aliud quod in hominibus eligendis invenit, sed id quod in illis ipsemet facit. Nam eundem illum versans locum; de electione Iacob; *Vt secundum electionem propositum Dei maneret*, qui tantopere ipsum Simpliciano scribentem, torserat; *electionem scilicet gratiæ*, inquit, *non debiti; electionem qua eligendos facit ipse, non invenit; non ex operibus sed ex vocante* &c. *Quid enim diligebat in Iacob antequam fecisset aliquid boni, nisi gratuitam misericordiæ suæ donum?* Et ad Bonifacium de eodem illo loco disserens: *Electionem quippe dixit, ubi Deus non ab alio factum quod eligat invenit, sed quod inveniat ipse facit, sicut de reliquijs Israel scriptum est, Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ sunt.* Et in sermonibus de diversis: *Christus autem venit & elegit; quid fecit quod non invenit: Nam omnes malos invenit, & gratia suâ bonos fecit.*

Ep. 105. ad Sixtum

Lib. 1. ad Bonif. c. 7.

Lib. 47. de divers. c. 6.

C Secundum istum ergo electionis gratuitæ modum, quæ non antecedentem postulat distantiam, sed eam ipsa efficacia talis electionis facit; sæpissimè docuit homines eligi gratis ad ipsa illa dona, quæ gratis in ipsis vi talis electionis suo tempore operaturus est; non solùm gratiam, sed etiam gloriam. Nam de gratia loquitur quando dicit: *Si quæstio proponatur, utrum hos eligat, impios & immundos, an potius sanctos & immaculatos, quid horum respondeat qui requiratur, ac non statim ferat pro sanctis immaculatisque sententiam?* &c. *manifestum est, ideo quippe tales futuri eramus, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam eius essemus.*

Lib. de præd. SS. c. 18.

De utraque verò in eodem libro superius: *Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint Apostolus Iacobus dicit: Non Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Eligendo ergo facit divites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.* Quo sensu subinde dicit Augustinus: *Tales nos amat Deus quales futuri sumus, non quales sumus. Quales enim amat tales in æternum conseruat.*

Lib. de præd. Sanct. c. 17.

Porro ut aliquid adhuc de altero membro, electione *meritorum* dicamus, obseruandum est non quamlibet electionem quâ quis ad aliquid ex qualicumque merito eligitur, esse electionẽ meritorũ, seu ex meritis prout electioni gratiæ opponitur. Nã si ipsum meritum alicui per

gratuitam gratiam gratis donetur à Deo, electio ex isto merito non propterea erit *electio meritorum*, aut desinet esse *gratiæ*. Quod euidenter patet in ista electione, quâ lapsi homines ex massa damnationis, non solùm ad fidem seu bonam voluntatem, sed etiam ad remissionem peccatorum, ad charitatem, ad perseuerantiam, ad gloriam prædestinantur & eliguntur. Omnes enim istæ electiones sunt *ex gratia*, non *ex meritis* seu *operibus*, prout illa duo in Augustino & Apostolo opponi solent; quamuis ad solam bonam voluntatem seu ad fidem sine vllo omnino merito eligamur. Nihil enim omnino præcedit meriti, cur alicui prima bona voluntas credendi seu initium fidei detur: illo verò iam dato remissio peccatorũ & charitas, & opera bona, & in ijs perseuerantia usque in finem, & gloria ex aliquibus meritis conferuntur. Vnde Augustinus: *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, quâ fide ille dicebat. Deus propitius esto mihi peccatori* &c. Et sæpius in scriptis suis: *Fides impetrat charitatem*, impetrat *Spiritum sanctum*, impetrat *Spiritum largiterè*, per quem infusâ charitate bonum operetur. Item *donum perseuerantiæ suppliciter emereri potest*, & huiusmodi quibus docet omnia ista præter initium fidei, ex meritis dari, & consequenter homines ad illa dona ex aliquibus meritis eligi. Sed quia ipsum initium fidei, unde omnia pendent cætera, ex gratuito Dei munere omnino gratis datur, quicquid ex illa fide gratuita impetratur orando, gemendo, pulsando, hoc ipsum etiam gratis datur, iuxta illud Augustini, cùm dixisset remissionem peccati non esse sine aliquo merito: *Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis iustitia sumit initiũ, non humano quo illi extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniã inde incipiunt bona quæcũque sunt merita, sed gratuitũ donum Dei esse fateamur, si gratiã verã, id est sine meritis cogitamus.* Nempe quia nisi fides esset ex pura gratia, nihil cæterorum dici posset ex pura gratia, sed omnia quodam præcedente merito adulterarentur. Quamuis igitur fides, peccati remissionem, charitatem, opera, virtutes omnes, perseuerantiam, gloriamque mereatur, non tamen propterea existimandum est, homines ad remissionem peccati, ad charitatem, ad Spiritum sanctum, opera, virtutes, perseuerantiam, ipsamque fælicitatis æternæ gloriam, non ex gratia, sed ex meritis eligi atque prædestinari. Nam meritum in ista phrasi intelligitur [a] *meritum liberi arbitrij*, [b] *meritum humanum*, [c] *meritum voluntatis humanæ*, [d] *meritum nostrum* seu *ab homine exortũ*, meritum quod *homo* [e] *ex seipso habet*; non illud quod simul est donum gratiæ Dei. Qui enim ad aliquid ex tali merito gratiæ eligitur siue prædestinatur, ille eligitur electione gratiæ; non meritorum; quemadmodum sexcentis locis docet Augustinus remissionem peccati, charitatem, Spiritum sanctum, virtutes & perseuerantiam esse dona gratiæ Dei, quantumuis ex fide orante atque ita promerente tribuantur. Ex ipse Psalmus dicit, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, itemque *Dedit dona hominibus*; per quæ imprimis virtutes quibus post fidem bene viuimus, intelliguntur; & Apostolus, *Gratia Dei vita æterna*, quæ tamen maximè omnium ex meritis, sed gratuitis datur, ideoque ipsa vita æterna meritò gratia nuncupatur. Itaque consonantiam istam gratiæ, & meriti quod ex gratia datur, tangere volens Augustinus: *Sed cùm dicant Pelagiani*, inquit, *hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua hominis peccata dimittuntur; illam verò quæ datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa Dei dona*, hoc est gratuitæ gratiæ beneficia, *esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita* HUMANA *sic prædicant ut ea* EX SEMETIPSO HABERE *hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à teipso non ab alio ipsa merita tua.* Itaque ex isto principio & verbis Apostolicis consequenter docet *vitam æternam* esse *gratiam*, *quia vita bona nostra*, cui ista merces redditur, *nihil aliud est quàm Dei gratia*. Quo sensu alibi dicit eligi homines *electione gratiæ, non meritorum, quia gratia est illis omne meritum.*

Epist. 105.
Ibid.
Lib. de dono perse. c. 6.
Epist. 105.
a Epist. 106
b Ibidem
c Epist. 107
d Lib. 4. ad Bonifa. c. 6. & 7.
e Lib. de gra. & lib arb. c. 6.
Psal. 83.
Lib. de gra. & lib. arb. c. 6.
Ibid. c. 8.
Lib. de corr. & gra. c. 7.

Hinc igitur perspicuum est electionem *ex operibus* seu *ex meritis*, prout *electioni gratiæ* opponitur, non esse quamlibet electionem ex qualicumque merito profectam, sed ex merito humano, quod ex liberi arbitrij viribus ita proficiscitur, ut illud non donet gratia Dei. Quam ob causam Augustinus ex Apostolo docet, hominem gratis eligi & prædestinari ad immaculatam sanctitatem, ad adoptionem cœlorum, ad hæreditatem regni, non minùs quàm ad ipsam fidem, cuius tamen merito adoptio, sanctitas, hæreditas regni retribuitur: *Eligendo*, inquit, *facit diuites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.* Vbi de electione & prædestinatione puræ gratiæ fortissimè disputatur. A cuius puritate quo quis longius digreditur, eo profundius in electionem ex meritis cadit. Itaque Semipelagiani cum virtutes atque opera bona diuinæ gratiæ dona esse concederent, sed solum initium fidei humanis viribus reseruarent, dixerunt homines eligi *ex fide*, seu ex nonnullo merito fidei: Pelagiani cùm omnia vitæ bonę merita libero arbitrio tribuerent, dixerunt eligi *ex operibus*, quæ perfecta sunt merita. Manichæi qui naturam humanam ex mali & boni mixtione temperabant, dicebant eligi ex meritis *naturæ*, videlicet bonæ, quæ liberationem istam merebatur. Catholica fides, quæ nihil naturæ perditæ (nisi impotentiam exserendæ bonæ voluntatis, & fidei, & operum) damnationique reliquum esse tradit, eligi docet homines ex pura gratia Dei. Ex quibus fontibus nascitur ELECTIO GRATIÆ; itemque

Vide loca sup. cit. ex c. 18. & 17. de præd. SS. & alijs locis.

que

que triplex eius adulteratio, electio *ex fide*, electio *ex oper.bus*, ac denique *electio ex natura*.

Tres primæ electiones, ex ipsa sententiarum diversitate, Catholicæ, Sempelagianæ, & Pelagianæ satis intelliguntur, & in Augustini scriptis passim obviæ sunt.

Quarta verò electio naturæ, quæ Manichæorum propria est (utpote qui naturam bonam tanquam particulam Dei, miserijs ex commixtione mali oppressam, inde mereri liberationem statuebant) insinuatur in illa secunda ad Simplicianum quæstione, quam supra delibavimus. *Vnde ig.tur*, inquit Augustinus, *ista electio* Iacob, neglecto Esau *vel qualis electio si nondum natis nondumque aliquid operatis nulla sunt momenta meritorum? An forte sunt aliqua naturarum? Quis hoc intelligat ex uno patre, & ex una matre, & ex uno concubitu, & ex uno creatore?* sed apertissimè traditur in libris ad Bonifacium: *Iam verò gratiam Christi simul oppugnavit &c. sed etiam hac modis causisque diversis. Nam Manichæi meritis* NATVRÆ BONÆ: *Pelagiani autem merito voluntatis bona perhibent divinitùs subveniri. Illi dicunt, debet hoc Deus laboribus*, id est miserijs *membrorum suorum: Isti dicunt, debet hoc virtutibus servorum suorum. Vtrisque ergo merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Quibus de prædestinatione, discretione, seu electione gratiæ & meritorum expeditis, iam quid sit prædestinatio seu electio gratiæ, & quibus utraque, sive gratiæ, sive meritorum conveniat, explorandum est.

Lib. 1. q. 2. ad Simpl.

CAPVT VII.

Definitio Prædestinationis gratiæ seu gratuitæ ab Augustino tradita, nonnihil enodatur. Quænam sint illa *beneficia*, & illa *præscientia*, de quibus in ea fit mentio?

PRædestinatio gratiæ definitur ab Augustino quodam loco hisce verbis: *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quam præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Nam totis illis duobus libris ex professo de ista sola gratiæ seu gratuita prædestinatione disputat: quam ex eo invictè contra Semipelagianos concludere putat, quia invictè probat, fidem nobis & perseverantiam nullis meritis præcedentibus, sed ex sola gratuita Dei gratia dari. Nam immediatè ante præmiserat illa verba ex quibus istam definitionem prædestinationis intulit: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse, quibus esset* per gratiam *daturus ut crederent? Aut quos daturus esset filio suo ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit profectò beneficia quibus nos dignatur liberare præscivit.* Et paulò post cùm de obedientia perseverante ex Sancti Cypriani verbis docuisset, non esse tanquam de nostra, sed tanquam de gratuito Dei beneficio in Domino gloriandum: *Et ipsa igitur Dei donum est, quod se daturum Deus vocatis suis, omni Christiano confitente præscivit. Hæc est igitur prædestinatio, quam fideliter atque humiliter prædicamus.* Denique præparatio beneficiorum Dei non est aliud nisi præparatio gratiæ Dei, per quam dantur ipsa beneficia, quæ propterea etiam sæpissimè vocat *Dona Dei*. Donum autem ipso suo nomine est gratuitum.

Lib. de dono persev. c. 14.

Quænam verò sint illa beneficia Dei gratuita, non est operosum ex præcedentibus intelligere. Diximus enim esse non solùm vitam bonam, quam in hac vita ducimus, sed etiam vitam æternam quæ vitæ bonæ retribuitur. De vita bona nemo Catholicus dubitat. Est enim ingens divinæ gratiæ beneficium ac donum, quod non omnes accipiunt, sed quibus datum est.

Comprehendit illa verò & fidem & charitatem & opera bona seu merita, & perseverantiam usque in finem, quæ esse vera Dei dona, nullâ liberi arbitrij potestate, sed solâ Dei gratiâ comparanda, in omnibus contra Pelagianos lucubrationibus, & ex professo duobus libris de prædestinatione ac de dono perseverantiæ Augustinus inculcat. Per illa namque beneficia, à debita cum qua nati sumus dãnatione liberamur, iuxta illud eiusdẽ sancti de ascensu cordis, quo sive colẽdo, sive orãdo, sive operando quæ sursum sunt sapimus, non quæ super terram: *Cui de hac tanta re agenda sunt gratiæ, nisi hoc facienti Domino Deo nostro qui nos per tale* BENEFICIVM LIBERANDO, *de profundo huius mundi elegit, & prædestinavit ante constitutionem mundi.* *Ibid. c. 13.*

Sed quantumvis istud liberationis nostræ beneficium Deus in hac vita impertiret nobis, nisi tamen sequeretur corona gloriæ, quâ reliquiæ tenebrarum nostrarum, quibus mens ex peccato obscurata mansit, & languores voluntatis non exigui, & ista miserabilis corporis mortalitas, & ipse stimulus peccati mors, beatæ resurrectionis beneficio deleretur, non solùm non essemus ex massa damnationis certissimè liberati, sed iuxta pronunciatum Apostolicum, *miserabiliores omnibus hominibus.* Nam ut nihil de ceteris malis dicam, nemini durior molestiorque est ille stimulus concupiscentiæ qui non nisi morte extinguitur quàm viris bonis. Per istud igitur beatæ resurrectionis & immor- *1. Co. 15.*

Digitized by Google

immortalitatis, & beatificæ contemplationis beneficium, maximè omnium certissimèque liberamur; quemadmodum etiam alio loco in hoc tractatu diximus. ut proinde maximè in definitione prædestinationis istud beneficium, sine cæterorum tamen exclusione, intelligi debeat. Quod enim veluti merces meritorum bonorum redditur, nihil vetat quo minus uti beneficium liberationis, adeoque uti donum gratiæ à Deo hominibus tribuatur, *quia*, ut Augustinus ait, *gratia est illis omne meritum*: unde & *gratia Dei vita æterna*, de quo fusiùs capite præcedenti.

Lib. de Cor. & grat. c. 7. Rom. 6.

Præcipua difficultas est, in intelligenda illa præscientia, quæ ab Augustino in prædestinationis definitione tangitur. Quidam ab eo putant intelligi scientiam simplicis intelligentiæ, tanquã quæ necessariò Dei voluntatē, objecta proponendo, dirigat, ut rem aliquam prædestinare possit: & hoc putant Augustinum istis phrasibus significasse, quibus dicit, quod Deus *dona sua in præscientia præparavit*: itemque quod prædestinare, sit *in suâ, quæ falli mutarique non potest, præscientiâ opera sua futura disponere*. Cùm enim prædestinatio sit actus Dei non necessarius, sed liber & voluntarius, necesse est ut eum in Deo aliqua cognitio antecedat; tum quia nihil volitum nisi præcognitum; tum etiam, quia libertatis ratio quandam judicij indifferentiam exigere videtur: Hæc autem cognitio antecedens actum voluntatis liberum, non potest esse alia nisi simplicis intelligentiæ: quia ista necessaria est, atque ita omne liberum decretum prævolat. In hac ergo præscientia videtur, iuxta sanctum Augustinum, Deus *opera sua futura disposuisse & præparasse*. Alij existimant intelligendam scientiam illam mediam, quam præscientiam *conditionatam* vocant: quâ videlicet Deus noverit, quæ gratia & quis ordo gratiarum unicuique salutem allaturus sit, si ei conferatur. Itaque scientiam, sive simplicis intelligentiæ, sive conditionatam adjungi putant præparationi de qua fit mentio in definitione, tanquam conditionem prævium ac necessariam ad præparandum, sive prædestinandum aliquid.

Lib. de dono persev. c. 17.

Quæ quidem scientiæ utrum ad prædestinationis decretum formandum necessariæ sint alia quæstio est; neutram tamen ab Augustino in ista definitione intellectam esse, tam perspicuum est in scriptis eius, ut ab eis qui ista diligenter legerunt, nullo modo dubitari posse videatur. Indicat enim pluribus quàm viginti locis, esse scientiã visionis, rerũ scilicet reipsâ futurarum, quas Deus ipse facturus est, de qua loquitur. Nam libro de prædestinatione Sanctorum, explicaturus præscientiam illam, quam prædestinationi copulaverat: *Prædestinatio sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia*. Et quenam ista præscientia? An fortè simplicis intelligentiæ possibilium? An conditionata rerum nunquam futurarum, quas homo facturus esset, si talis gratia conditione poneretur? Audi ipsũ sine fuco sensa sua detegentem: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est, fecit quæ futura sunt: præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata*. Et rursum in eodem loco de promissione loquens, quâ Deus Abrahæ filios promiserat, ut intelligeremus eum non de præscientia conditionata loqui, quâ præscit Deus quid homo positâ conditione facturus est, non etiam de scientia simplicis intelligentiæ rerum quarumlibet possibilium, sed de vera visione rerum futurarum: *Non*, inquit, *de nostra voluntatis potestate sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim* QVOD IPSE FACTVRVS ERAT, *non quod homines*. Nam istam prædestinationis præscientiam quâ Deus præscit id quod ipse facturus est, enucleatius explanans paucis capitibus interpositis: *Hoc*, ait, *præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto: non quod peccaturus esset qui mansurus in tentatione non esset*. Et capite sequenti ubi de prædestinatione disserit, quã effectum, ut homo ille Iesus esset unigenitus filius Dei, & ut nos essemus, per eius gratiam & spiritum datâ peccatorum remissione, Christiani: *Hæc se Deus esse facturum profectò præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum &c*. In libro verò de dono perseverantiæ, ubi prædestinationis definitionem, de qua quæstio est, tradit, ad singulas fere paginas hanc præscientiam visionis se prædestinationi sociare significat: *Orat*, inquit (Ecclesia) *ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem*. Quis hic dubitare sinitur, quin actiones reipsâ futuræ significentur? sic ergo consequenter adiungit: *Hæc Deus facturum se esse præscivit. Ipsa est prædestinatio Sanctorum quos elegit in Christo ante constitutionem mundi ut essent Sancti &c*.

Lib. de præd. Sanct. c. 10.

Ibid.

Ibid. c. 14.

Cap. 15.

Lib. de dono persev. c. 7.

Et in illo ipso loco ubi, definitio prædestinationis cum illa præscientiæ adjunctione tradita est: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent? Aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam?*

Ibid. c. 14.

Quæ præscire sine præscientia visionis, hoc est, qua reipsâ in tempore futura prævidentur, impossibile est. Et tamen adjungit: *Quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua quibus nos dignatur liberare præscivit*.

Ex quibus verbis definitio prædestinationis in eodem loco concinnata est. Hanc ergo visionis præscientiam iterum atque iterum toto reliquo decursu totius libri atque identidem repetit: Et *ipsa igitur* (obedientia perseverans) *Dei donum est; quod se daturum Deus vocatis suis illâ vocatione de qua dictum est, sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, omni Christiano confitente præscivit. Hæc est igitur prædestinatio*. Et de alijs quibuslibet muneribus Dei, quæ hominibus tempore cuique suo per gratiam conferuntur: *An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo non dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit*. Quod

Lib. de dono persev. c. 14.

Quod si & dantur, reipsa tempore suo, *& ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit.* Pluribus supersedeo, quia cui ista non sufficiunt ad percipiendum sensum sancti Præsulis de præscientia, nec alia multa, quæ proferri possent, sufficient testimonia.

Cur ergo, inquies, istius præscientiæ visionis Augustinus tam sollicitè mentionem facit, cùm nihil ad naturam ejus facere videatur. Supponit enim decretum Dei, seu, ut in eodem libro loquitur, *definitam sententiam voluntatis Dei*, in qua vera prædestinationis ratio sita est. Hac enim in Deo posita sententiâ, seu decreto, seu proposito, jam hoc ipso novit, quæ & quibus beneficia liberationis impertiet. Respondetur causam esse, quia cum semipelagianis ei disceptatio erat, qui volebant fidem & perseverantiam, de quibus propriè in illis duobus libris agitur, ita pertinere ad præscientiam Dei, ut à Deo quidem præscirentur, non tamen donarentur; hoc est, ista duo divinæ præscientiæ, non prædestinationi submittebant, ita ut ipsorum judicio non essent beneficia Dei, quibus liberemur, sed humanæ voluntatis officia. Adversus illum errorem nimium perniciosum instantissimè docet, fidem atque perseverantiam ad Dei quidem pertinere præscientiam, sed sic tamen ut simul essent ad ejus prædestinationem referenda, eo quod ea præsciat ex illa ipsa sua prædestinatione, vi cuius fiat ut id quod ipsemet facturus est, ea dona largiendo, ignorare non possit. Ista vera & genuina videtur esse causa, cur istam præscientiam toties cum prædestinatione coniungat. Cuius veritatis quibusdam librorum istorum locis, non obscura impressa sunt vestigia. Nam hoc apertè loquuntur prima ista loca, quæ jam paulò ante ex cap. 10. libri de prædestinat. Sanct. promspsimus. Massiliensibus enim existimantibus fidem, quâ filij Abrahæ fiunt, ex nostra proficisci potestate, ita ut ad Dei tantummodò præscientiam, non prædestinationem referrentur: *Non de nostra voluntatis*, inquit, *potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines.* Et in alio loco ejusdem operis apertissimè: *Ipsi enim putant, acceptis præceptis iam per nos ipsos fieri libero voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos in conspectu eius in charitate: quod futurum Deus quoniam præscivit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit in Christo: cùm dicat Apostolus: Non quia futuros tales nos esse præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ* &c. *Cùm ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit*, non nostrum, *quo nos sanctos & immaculatos facit.* Et in libro de dono perseverantiæ, cùm vellet ostendere, quod in isto Apostolico loco, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, prædestinatio nomine præscientiæ notaretur, in hunc modum adversus Massiliensium erroneas opiniones ait: *Atque ut ostenderet Dei gratiâ*, hoc est Dei operatione, *fuisse relictas reliquias, non meritis operum eorum, secutus adiunxit* &c. *Reliqui mihi septem millia* &c. Quo verbo significatur, Deum non solùm prævidisse simpliciter, quid homines essent suâ potestate facturi, sed quid ipse in eis gratiâ atque opere suo facturus esset. Itaque concludit Augustinus: *Nullus igitur qui hæc intellexit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus, non repulit Deus plebem suam, quam præscivit prædestinationem significare voluisse. Præscivit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus, hoc est ergo prædestinavit. Sine dubio enim præscivit, si prædestinavit: sed prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.* Egerat hoc eodem prorsus modo jam olim adversus Pelagianos, qui opinionem illam de fide ex potestate naturali liberæ voluntatis profluente Massiliensibus presbyteris præformaverant, idque occasione loci Euangelici, quem citaverat: *Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes*, quo fides ad solam Dei præscientiam, non prædestinationem referri videbatur: *Et ne quisquam existimaret credentes sic ad eius præscientiam pertinere, id est, ut non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodo voluntas eorum prænosceretur, mox adtexit* &c. Quem ipsissimum errorem in libris de prædestinatione Sanctorum, donoque perseverantiæ Massiliensibus eximere, jam accurata prædestinationis ac præscientiæ distinctione, ac toties iteratâ coniunctione conatur.

Ad illud igitur opinionis primæ fundamentum, quod necessariò scientia simplicis intelligentiæ antecedat decretum liberum prædestinationis, respondemus hoc verissimum videri, & consequenter si Augustini mentem tantisper seponamus, rectissimè dici posse, quod Deus *in illa præscientia dona sua præparaverit, operaque sua futura disposuerit.* Sed tamen eo non obstante alium sensum istis verbis ab Augustino significatum esse, perspicuè, nisi fallor, demonstravimus. Cuius etiam indicium est, quod istam phrasim non ita constanter usurpet, ut non eam subinde invertat, ut videlicet significet, non se scientiâ simplicis intelligentiæ isto loquendi modo, sed visionis intelligere. Nam quemadmodum dixit, Deum dona vel opera sua in sua præscientia præparare atque disponere; ita quoque non unâ vice dicit, quod illa ipsa opera bona, *in ipsa sua prædestinatione* præscivit. *Propterea Deus ut omnia futura opera in prædestinatione præsciverit, sic illa disposuit* &c. Et in libro de prædestinatione Sanctorum: *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et post multa interjecta: *Electi sunt ante mundi constitutionem eâ prædestinatione*, IN QUA *Deus sua futura facta præscivit.* Quâ phrasi indicat, Deum in ipso suo decreto libero, quo prædestinat aliquid facere vel donare, præscire se illud ipsum facturum aut donaturum. Sicut enim decretum Dei liberum faciendi vel donandi, est causa ut aliquid in tempore à Deo fiat aut detur, ita quoque est ratio, quod Deus id futurum esse, adeoque se facturum vel daturum esse præsci-

Ibid. c. 11.

Lib. de prædestinat. Sanct. c. 10

Ibid. c. 19.

Epist. 105. ad Sixtum

Epist. 107. ad Vital.

Lib. de prædestinat. Sanct. c. 10

Ibid. c. 17.

Digitized by Google

præsciverit. Nam ante decretum istud nostro concipiendi modo, non erit in Deo præscientia rerum istarum, quas eum facturum ponimus, nisi simplicis intelligentiæ, tanquam possibilium, quarum futuritio ex decreto solo faciendi proficiscitur. Hoc enim quemadmodum est prima causa faciendi, ita cæterarum omnium causarum, ex quibus illa res habet quod futura est, determinationem antecedit. Ex quo etiam accidit, ut sicut istud decretum est prima causa productionis rerum, ita scientia ista visionis, vi decreti istius ad eas producendas, in executione concurrat. Scientia enim pura possibilium nihil causat sed illa quæ causat, necessariò est voluntate Dei decernente posterior: quæ sane per hoc ipsum, quod eam præcedat voluntatis decretum, iam non est simplicis intelligentiæ, sed libera & consequenter visionis quemadmodum & recentiores quidam hoc ipsum tradunt. (Alvar. disp. 13. & 16.)

Altera opinio, quæ scientiam conditionatam ab Augustino significatam asserit, ex illis ipsis Augustini testimonijs huc usque à me prolatis per se ipsa corruit.

Adversus quam istud generaliter capitale est, quod non dicat Augustinus, Deum per istam præscientiam prænoscere, quid homo hâc vel illâ gratiarum serie datâ, facturus sit (quomodo si illam conditionatam scientiam intelligeret, debuisset loqui) sed per eam præscire Deum *opus suum*, præscire *quid ipse facturus sit*.

Imò expertissimè dicit, Deum vi prædestinationis præscire, imò promittere (quod est prædestinationis effectum patefacere) *quod ipse facturus fuerat, non quod homines*. Quocirca sive scientia illa conditionata, secundùm Augustini sententiam, Deo tribui debeat (quemadmodum non est difficile ostendere) sive fortè non debeat, non esse tamen ab ipso in ista prædestinationis definitione significatam, ex ijs quæ iam diximus satis liquet: nec significari potuisse ex natura gratiæ liberatricis & Christianæ, quam supra uberius explicuimus; abundè intelligitur. Est enim talis in voluntatem efficaciæ, tantâque potestate libero arbitrio dominatur, ut nihil hostilius ei quàm ista præscientia conditionata, prout eam isti authores explicant, excogitari posse videatur. De quo alibi latius. (Lib. de præd. SS. c. 10.)

Porro (ut istud etiam breviter dicam) quamvis toties Augustinus præscientiæ mentionē ingerat, quando de prædestinatione disputat, ut nonnulli arbitrati fuerint, prædestinationis naturam in actu intellectus præcipuè collocatam esse, ex diversis tamen ipsius locis manifestum est eam in divinæ voluntatis decreto esse sitam. Quod inde inprimis claret, quia sæpiùs prædestinationem electionem vocat; usque adeo ut dicat: *electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in quâ Deus sua futura facta præscivit*. Et *eligere ut credant* homines, nihil ei sic nisi prædestinare ut credant. *Quomodo enim eligeret eos qui non erant nisi prædestinando?* Alibi utitur verbo, *statuendi, constituendi, decernendi*; hæc autem sunt voluntatis. Nam ut est in libro Esther: *Non est qui possit resistere voluntati tuæ si decreveris salvare nos.* (Lib. de præd. SS. c. 10. — Cap. 18. — Esther. 13.)

Imò prædestinationem vocat Augustinus *definitam sententiam voluntatis Dei*. De quibus vide latiùs capite primo. Sic intellexerunt etiam Augustini doctrinam Massilienses adversarij eius, itemque Prosper & Hilarius discipuli eius, nam de prædestinatione Augustini in controversiâ tracta disputantes, vocant eam passim & sæpius *propositū Dei quo fit hominū discretio destinationem, prædestinantis electionem cōstitutionem Dei, propositum & consilium voluntatis Dei*, quo vas in honorem conditur, ita videlicet ut præscientia ex ipso proposito seu decreto Dei proficiscatur. Hoc idem S. Fulgentius docet apertissimè & sæpissimè. *Utrumque prædestinando Deus præparavit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renovandi dispoſuit ut eius voluntas in opere novo nova esse non possit*. Et multò inferiùs: *Vera igitur immutabilitas dignè vera vocatur æternitas, in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ creator ille iam fecisse dicitur, quod in creatura mutabili, prout opportunè faciendum disposuit, sic ritè dispositum facit*. Et multis interiectis iterum: *Tales itaque Deus aptavit in interitum punitionis, quem peccatori iustus iudex prædestinatione iustâ decrevit*. Nec dissonat ab ista doctrina in alijs libris suis. Nam in illis quos de veritate prædestinationis & gratiæ scripsit, diversis locis idem docet, nunc dicens Deum *prædestinare secundùm propositum voluntatis suæ*; nunc neminem *vincere prædestinationem, sicut nullus potest eius vincere voluntatem*, & similia quibus prædestinationis naturam eum in voluntate collocare, manifestissimè liquet. (Fulgent. lib. 1. ad moni. — Lib. 24. — Fol. 13. — Fol. 61. — Lib. 3. de ver. præd. & gra.)

CAPUT OCTAVUM.

Effectus adęquatus prędestinationis gratuitę est liberatio. Quid illa, & à quibus. Prędestinatio gratię facta est pręviso peccato, non aliter.

QVantum ad primam huius quæstionis partem, iam ex antedictis utcumque intelligitur, effectum prædestinationis gratuitæ esse gratiam. Ita disertis verbis Augustinus: *Inter gratiam porro & prædestinationem hoc tantùm interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò iam ipsa donatio*. Et rursum paulò inferius. *Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est gratia est, ut dixi præparatio; gratia verò ipsius prædestinationis effectus.* (Lib. de præd. SS. c. 10.)

Porro

Porrò per gratiam non intelligitur ipsa præcisè gratia, prout distinguitur ab effectu suo, sed præcipuè ipse effectus, quem Deus per gratiam in homine operatur, hoc est, ipsum opus bonum quod Deus homini per gratiam donat, & in homine per gratiam operatur. Hoc est enim propriè quod Deus se in hominibus facturum esse præscivit, & per hoc prædestinavit. Declarat hoc infinitis locis Augustinus, loco gratiæ semper proferens ipsa merita bonorum operum, quæ suæ gratiæ liberalitate & operatione largitur, ut in illo ipso loco quem citavimus, explicans id quod primo loco dixerat: *Quod itaque ait Apostolus non ex operibus, ne fortè quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, gratia est. Quod autem sequitur, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, prædestinatio est.* (Ibid.) Et statim simpliciter explicans idipsum quod secundo loco repetiverat: *Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens: patrem multarum gentium posui te, unde dicit Apostolus: Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. Alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* (Ibid.) Ecce utroque explicat loco per gratiam se effectus gratiæ intelligere. Gratia quippe operandi non datur à Deo ut in ipsa stetur, sed ut Deus per ipsam gratiam in homine velle & perficere operetur. Vnde facta illa sua, quæ per prædestinationem Deus præscire dicitur, sæpè exponit Augustinus esse fidem, charitatem, pietatem, obedientiam, perseverantiam, hoc est, ipsum credere Deo, diligere Deum, colere Deum, obedire Deo perseverare in Deo, quæ etiam dona ac munera Dei, quæ suis electis se donaturum esse præscivit. Cui asserendæ veritati non est opus pluribus, cùm totus uterque liber de prædestinatione sanctorum ac perseverantiæ dono, nihil aliud clamet.

Porrò sub ista gratia, hoc est, sub istis effectibus gratiæ, etiam gloriam intelligendam esse, jam satis superque in præcedentibus confirmavimus. Vnum hic adjicio, utraque ista tam gratiam, quàm gloriam, hoc est, tam merita seu opera bona, quàm operum præmium, sub prædestinationem gratuitam cadere, non sub qualibet consideratione, sed quatenùs sunt *beneficia liberationis*. Nam hoc est, quod Augustinus dicit, prædestinationem esse præparationem *beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*. Porrò liberatio respicit essentialiter libertatem. *Liberari quippe propriè dicitur*, inquit idem, *liberari fieri, quomodo salvari, salvum fieri; sanari, sanum fieri; sic liberari liberum fieri.* (Serm. 48. de verbis Dom. cap. 2.) Neque ista propriè dicta libertate quisquam liber fit, nisi à servitute, quemadmodum satis intellexerunt Iudæi, quando respondebant Christo liberatori: *Nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis: Veritas liberabit vos?* Hoc est, inquit Augustinus hoc explanans: *Quos vides non habere servitutis necessitatem, quomodo eis polliceris libertatem?* (Ibid.) Hæc ergo servitus, à qua homines liberantur per illa Dei beneficia, non est servitus hominum visibilium, nec propriè & immediatè diaboli, sed *peccati*. Quod & Christus eodem sermone demonstravit Iudæis, cùm eis libertatem polliceretur: *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati &c. Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Quasi diceret peccati servitute servi estis, qui vos liberos venditatis. Si ergo vos Filius ab hac servitute peccati liberaverit, verè liberi eritis. Quid sit verò illa peccati servitus, cui genus humanum ex Dei æquitate & propria iniquitate damnatum est, alio loco uberiùs diximus. (Vide lib. 7. de gra. Chr. Salv. c. 6.) Hoc loco satis fuerit intelligere, non esse solam peccati culpam sive ex origine, sive propria operatione contractam, à qua peccatorum omnium remissione liberamur. Quisquis enim tali remissione liberatus est, non continuò beneficia certissimæ liberationis, de quibus Augustinus loquitur, assecutus est: sed esse in primis præter peccati culpam servitutem concupiscentiæ, sive servitutem sub lege peccati & mortis, quæ phrasi Apostolicâ PECCATUM, & *lex peccati & mortis* dicitur, & à qua Christus liberat nos per gratiam suam. (Rom. 6. & 8.) Denique ipsum corpus mortis, à quo tanto gemitu Apostolus liberari petit, quando dicit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7.) Hoc est, de vitijs corporis mortis. Nam de ipso *corpore mors corporis separat, sed contracta ex illo vitia cohærent, quibus justa pœna debetur, quam etiam in inferno ille dives invenit. Hinc se non poterat utique liberare, qui dicit: Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Lib. de nat. & gra. c. 55.) Nam de talibus *vitijs carnalibus*, quæ ex originis corruptione inundarunt, & proprijs magis magisque crescunt iniquitatibus, *Non liberatur homo sine gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis liberatur à corpore.* (Ibid. c. 55.) De quibus etiam latiùs alibi dictum est. Servitus igitur ista qua spiritus hominis dominanti servit cupiditati, & carnalium vitiorum exercitui, unde fomes tentationum omnium, quæ vel sponte ex homine, vel ex diabolo concupiscentias quibus conspersi sumus, commovente proficiscuntur, non tollitur ex homine, nisi & culpa tota per perfectam justitiam; & illæ densæ tenebræ, quibus ex peccato involuti sumus, per luminosissimam sapientiam; & concupiscentiæ vetustas, per ipsam mortalis corporis innovationem resurrectionemque deleatur. Ex quo sanè fit, ut libratissimè rectissimèque dixerit Augustinus, effectum adæquatum prædestinationis gratiæ describendo, esse *beneficia Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*: hoc est breviter, esse beneficia liberationis perfectæ, seu liberationis, ut Christi verbis loquar, quâ *si nos Filius hominis liberaverit, verè liberi erimus.* Verè namque seu perfectè liberi nō erimus nisi & ipsū corpus

in quo

in quo omnium incentiva vitiorum circumferimus, *liberetur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, per redemptionem videlicet corporis nostri*, ubi græcè est ipsissimum verbum, δουλεία, id est, servitus, & ἐλευθερία & ἐλευθερόειν, quę Aug. *in græca lingua evidentius sonare tradit propriè dictā libertatē*, quatenus opponitur servituti. Nam alioquin liberatio magis diffusâ & impropriâ significatione extenditur ad omnem cuiuslibet hostis aut molestiæ, aut omnis mali depulsionem, ut observat ibidem Augustinus: *In consuetudine latinæ linguæ liberari duobus modis dicitur. Et maximè in eo consuevimus audire hoc verbum, ut quicumque liberatur intelligatur periculum evadere, molestiis carere. Liberari autem propriè dicitur liberum fieri.* Vna significatio igitur *maximè usitata* est altera verò *propria*. In Augustini definitione intelligimus valde convenienter, iuxta principia ipsius alibi latius deducta, propriè dictam liberationem, quæ usque ad beatam corporis redemptionem, ipsamque spiritus felicitatem gloriosam se protendit, sine quibus perfecta spiritus liberatio, omnisque depulsio servitutis obtineri nequit. Hanc verò propriè dictam perfectamque liberationem quisquis fuerit assecutus, hoc ipso quoque iuxta vulgarem & maximè usitatam significationem liberandi, liberatus erit: nempe ab omni interno externoque hoste, ab omni interna externaque molestia, ab omni denique interno externoque malo.

serm. 48. de verb. Dom.

Ibid.

Etenim utraque liberatio hic justitiæ dilectione, & concupiscentiæ refrænatione ac diminutione inchoatur, & in beata corporis resurrectione atque animi perfecta sapientia perficitur. Quapropter si quis maluerit *liberationem* per Dei beneficia quibus certissimè liberamur, vulgariter intelligere ab omni videlicet malo, nihil fuerit inconveniens. Nam & pro tali liberatione malorum omnium ad quæ ex peccato condemnati sumus, depulsionem complectēte, tantis gemitibus tota deprecatur Ecclesia, quando quotidie clamat ad Deum: *Sed libera nos à malo*. Hoc enim dicendo nos ipsos, ut Augustinus docet, *admonemus nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum quod in dominica oratione positum est, tam latè, tamque evidenter & manifestè patet, ut homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem suam.*

Epist. 121. ad Probam c. 11.

Cùm verò genus humanum, & in illam propriè dictam animi servitutem, & in universam malorum seriem consequentem non inciderit nisi ex peccato, propter quod nascimur omnes filij iræ, totaque natura in radice vitiata atque damnata est; rectissimè quoque dicitur in Augustini definitione, libertatem intelligi, quâ à *damnatione liberamur*, cui obligati nascimur. Itaque prædestinatio gratuita, seu electio & discretio gratiæ, iuxta Sancti Augustini definitionem, non est aliud, nisi propositum liberandi aliquem à damnatione cuius reus nascitur. Nam ex isto proposito gratuito fluunt illa beneficia Dei, quibus ille quem voluerit liberare, certissimè liberatur.

Ex qua profectò vel sola definitione perspicuum evadit, electionem seu prædestinationem hominum gratuitam, iuxta Sancti Augustini doctrinam, à Deo factam esse post prævisum peccatum, cuius inquinatione damnati videbantur, & à cuius erant damnatione liberandi. Decretum enim liberationis concipi non potest, nisi prævisâ servitute, sicut nec decretum sanandi aliquem, nisi prævisâ ægritudine, quas essentialiter liberatio sanatioque supponunt. Vnde passim in operibus suis adversus hostes gratiæ Dei, disertis verbis docet, vi prædestinationis divinæ homines ab originali massa seu damnatione discerni. Nam de diversis gratiæ donis quæ plurimis negantur loquens, causam istius denegationis in æternam illam prædestinationem & discretionem, ascendendo refert, quâ homines in mente Dei ab invicem discernuntur, hoc est, à communis damnationis massa seligendi, discernendique æternæ prædestinationis proposito discernuntur. *Ac per hoc*, inquit, *& qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui credere noluerunt, & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Et paulò inferius ordine reciproco, descendendo ex illo æterno prædestinationis proposito, quo homines à communis massæ humanæ damnatione discernuntur, omnium donorum Dei diversitatem velut ex fonte derivat:

Lib. de Corr. & grat. c. 7.

Quicumque ergo ab illa originali damnatione istâ divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur usque in finem perseverant, & si quando exorbitant, correpti emendantur &c. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionē mundi per electionē gratiæ. Et sine ulla omnino ambiguitate apertissimè: *Qui verò perseveraturi nō sūt & sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ huius finis inveniat, procul dubio nec illo tempore quo benè pieque vivunt, in isto numero* (electorum & prædestinatorum) *computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi.* Et rursus in eodem illo libro: *Faciat ipse cum charitate quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam aut iudicium: misericordiam quidem si à massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est.*

Lib. de corr. & gra. c. 7.

Ibid. infer.

Cap. 9.

Hinc igitur proficiscitur è contrario, ut apud eundem Augustinum reprobari à Deo, non sit aliud, quàm in illa ipsa originali damnatione relinqui.

Hoc

Hoc ipso quippe, quo Deus aliquem A non constituit ex damnatione iam contracta debitaque liberare, necessariò reprobatus, & æternâ damnatione plectendus est: *Cùm dicuntur,* inquit, *omnes ex uno in condemnationem, ipsa massa significatur, ex qua fiunt à figulo alia vasa in honorem, id est, quæ assumuntur in gratiam, alia in contumeliam, id est quæ ad supplicium relinquuntur.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Tunc* (in futura vita) *non latebit quod nunc latet, cùm de duobus parvulis unus esset assumendus per Dei misericordiam, alius per iudicium relinquendus, in quo is qui assumeretur, agnosceret, quid sibi per iudicium deberetur, nisi misericordia subveniret.* Et in libris de peccatorum meritis: *Deo per summam præscientiam iudicante, qui parvuli etiam ab isto reatu non mereantur absolvi.* Quod & alijs non paucis B locis tradit: Vnde utrumque coniungit, & electionem prædestinantis alios ex massa damnationis, & in eadem alios reprobando, relinquentis in illo ipso loco, ubi definitionem gratuitæ prædestinationis expresserat. Nam ut ex antithesi ostenderet quid dixisset, *eos certissimè liberari, quicumque liberantur,* & quis sit ille terminus, unde prædestinatio gratiæ eos istâ beneficiorum præparatione liberare decrevit, statim nullis verbis interjectis adjicit: *Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis, justo divino judicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent.* Et radicem detegens, cur talibus hominibus non adhibeantur illa signa, per quæ si adhiberentur, præsciuntur esse credituri: *Et tamen si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent.* Et in eodem capite de Iudæis: *In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus.*

Lib. 1. contra Iulian. imperf. fol. 280.
In Enchir. ad Lauren. c. 95.
Lib. 2. de peccat. merit. c. vlt.
Lib. de dono perseveran. c. 14.
Ibid.
Ibid.

Hæc denique causa est, cur sexcentis locis Augustinus terminum seu effectum prædestinationis, qui in ejus definitione tangitur per verbum *liberandi*, explicet per liberationem à massa perditionis, à morte, à supplicio, à damnatione: & è contrario effectum reprobationis, per non liberari, sive puniri, sive damnari, & huiusmodi. Et in epistola ad Six- D tum: *Parum attendunt quod debita redditur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur; atque ita potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis & offensionis involuit; ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret nisi gratia subveniret.* Quod in eodem loco uberiùs & instantiùs agit & ulteriùs: *Cur autem illum potius, quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum &c.* Et adhuc in eadem epistola de prædestinatione atque electione Iacob præ fratre Esau disputans, propterea Prophetam dixisse docet: Iacob dilexi Esau autem odio habui: *Vt intelligeretur hoc apertum postea per Prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam.* Et quid tandem istud? *Quid enim diligebat in Iacob antequam natus fuisset aliquid boni, nisi gratuitæ misericordiæ,* quod essentialiter misericordiam respicit, *sua donum? Et quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Quod uberius & enodatius explicat paulo post: *Vt cum ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu, antequam aliquid boni egissent boni aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Iacob, ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem suum cum quo habuit communem causam, videt per iustitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam potuisse discerni.* Vbi Deum diligere Iacob & odisse Esau, nihil est aliud quam prædestinare & reprobare, seu prædestinatione sua à perditionis massa discernere, & in illa relinquere seu damnare, iuxta illud eiusdem in epistola ad Paulinum: *Sed quomodo, inquiunt, non est iniquitas apud Deum si diligendo discernit, quos merita nulla discernunt?* Et paulo post effectum istius æternæ dilectionis siue discretionis à massa perditionis, siue simplicius prædestinationis exprimens phrasi solita: *Quid nos hic docuit, nisi ex illa massa primi hominis, cui meritò mors debetur, non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinere, quod quisque liberatur, atque ita non esse iniquitatem apud Deum, quia neque remittendo, neque exigendo quod debetur, injustus est? Ibi enim gratuita est indulgentia, ubi justa posset esse vindicta. Et hinc evidenter apparet, à pœna debita liberato & gratis justificato, quantum beneficij conferatur, quod alter æqualiter reus sine puniente iniquitate* C *punitur.* Nunquam finirem, si omnia sancti Doctoris loca congererem, quibus effectum illum prædestinationis in definitione memoratum verbis istis: *Quibus certissimè liberantur* &c. per liberationem à massa perditionis exponit ut sanè fastidium potiùs, quam instructionem allaturus mihi videar, si pluribus accersendis immorer. Consulenda, si cui plura videre libet, libri 2. ad Bonif. caput 4. & lib. 4. cap. 6. lib. de natura & gratia cap. 5. & 6. lib. 3. contra Iulianum cap. 17. & libri 4. cap. 8. & alia innumera. Quæ sanè causa est, ut illa gratia, quæ gratuitæ [a] *prædestinationis effectus* esse dicitur ab Augustino, vocetur ab ipso [b] *gratia liberatrix*; gratia [c] *liberationis*; gratia quâ [d] *liberamur à concupiscentiarum dominatione*; gratia quâ [e] *liberamur à corpore mortis huius*, hoc est vitijs ejus; denique gratia quâ [f] *à damnatione liberamur, quâ jam tenemur obstricti*, & similibus nominibus. Quæ apertissimè clamant, non aliter Deum homines prædestinando respexisse, quàm ut à massa damnationis liberandos, quâ justissimo Dei judicio tota humani generis massa vitiata premebatur.

Epist. 105.
Ibid.
Ibid.
Ibid.
Epist. 106.
Ibid.

Quod etiam ex alio capite non minus evidenter constat. Nam, ut Apostolus docet, & ex Apostolo sanctus Augustinus, hominum electio atque prædestinatio, non nisi *in Christo* facta est: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Et iterum: *Qui prædestinavit* nos

a Lib. de prædestin. sanct. c. 16.
b Epist. 105 ad Sixtum & Serm. 8 de verbis Apost. c.
c Lib. de corr. & grat. c. 11.
d Epist. 90.
e Lib. de gest. Pelag. c. 6.
f Lib. de corr. & grat. c. 10.
Ephes. 1.
Ibid.

nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ. Sive intelligatur *in ipso* tanquam in corporis ejus plenitudine, cujus ipse caput, nos membra facti sumus, ut subinde Sanctus Doctor videtur intelligere, juxta illud Apostoli: *In quo etiam nos sortem consecuti sumus* (ut Augustinus legit) *prædestinati secundum propositum eius*; sive *in ipso*, hoc est, per ipsum, aut per meritum eius; quæ diuersitas ad præsens propositum nihil facit. Iam verò, juxta Sancti Augustini principia, Christus non erat ullo modo venturus in mundum, nisi Adami peccato tota humana natura perijsset: *Attende Euangelium: venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat. Si homo non perisset Filius hominis non venisset.* Et in eodem sermone: *Quare venit in mundum? Peccatores salvos facere. Alia causa non fuit quare veniret in mundum. Non enim de cælo ad terram merita nostra bona sed peccata duxerunt. Hæc est causa cur veniret peccatores salvos facere.* Et in sermone nono de verbis Apostoli eadem illa verba quamvis planissima, populo plana faciens: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.* Ergo non aliter facta est hominum prædestinatio, nisi posita prævisione damnationis seu massæ humani generis ex peccati iniquitate vitiatæ, ut vi prædestinationis possent per gratiam ab ista damnatione liberari. Nam inde venerunt ista elogia Christi Domini celeberrima, quibus Redemptor & Salvator mundi, & Iesus dicitur, quia *salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Prædestinare quippe homines seu populum suum, non est aliud quam *velle salvum facere* seu *liberare*, populum suum à peccatis eorum.

Ibidem

Serm. 8. de verbis Dom. c. 1.

Ibid. c. 7.

Serm. 9. c. 1

Matth. 1.

CAPVT NONVM.

Vnde phrases istæ, massa, & discretio à massa perditionis, & quid significent apud Augustinum.

EX his igitur Augustini densis contestationibus, simul etiam non obscurè colligi potest, primò vnde phrases istæ de *massa* & *discretione* venerint, quæ tam libenter Augustinus usurpat. Hausit enim vtramque ex Apostolo, qui ad Romanos dicit: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* vbi Augustinus semper subintelligit massam illam humani generis, quæ similitudine massæ, sive luteæ, sive farinaceæ, significatur peccati fermento corrupta esse. Nã φύραμα, quod ibi massa vertitur, ab Apost. aliquoties vsurpatur, pro conspersione farinæ, quæ fermento misceri ac temperari solet: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et, *expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio*, seu massa, φύραμα. Phrasim verò de discretione Apostolus ei ad Corinthios suppeditavit: *Quis enim te discernit?* Quæ verba, sicut, Augustinus docet ad Valentinum scribens *Ideo dicit, quia de massa illius perditionis quæ facta est ex Adam non discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus.* Et ad Bonifacium docet, homini tanquam de semetipso & de suo proprio bono glorianti dici: *Quis enim te discernit? utique ab ira vasis, à massa perditionis, quæ per unum omnes misit in damnationem &c.* ergo ille discernit, qui vnde discernaris impertit, pœnam debitam remittendo, indebitam gratiam largiendo.

Rom. 9.

Galat. 5.

1. Cor. 5.

Epist. ad Valent.

Lib. ad Bonif. c. 7.

Hinc etiam *secundò* colligitur & perspicuum fit, quo sensu dicatur, *massa perditionis, massa damnata &c.* Nempe quia totum humanum genus velut eiusdem cum Adamo naturæ, & ex ipso deriuatum, instar conspersionis, seu massæ farinaceæ, peccato veluti fermento vitiatum, perditum atque damnatum est; non solum quia ratione culpæ, quam peccatum attulit, sed & concupiscentiæ, qua in prolem culpa transfunditur, animus inquinatur, dominantique carni subditus nascitur: *Tunc facta est una massa omnium, veniens de traduce peccati & pœna mortalitatis.* Et inferius: *Concupiscentia carnalis de peccati pœna iam regnans, universum genus humanum tanquam totam & unam conspersionem originali reatu in omnia permanente confuderat.* Vnde alibi dicit: *Vniversa massa tanquam in vitiata radice damnata est.* Alibi Pelagianos *nolle credere, quod in uno homine tota est massa vitiata, & tota damnata, à quo vitio & damnatione sola sanat & liberat gratia.*

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Lib. 14. de Civit. c. 26.

Lib. 2. cont. Iul. oper. imperf. f. 147.

Tertiò utcumque patet, quid sit illa discretio temporalis, seu *liberatio à massa damnationis*, quam respicit discretio æterna, seu prædestinatio gratuita saluandorum, velut adæquatum effectum suum. Quidam enim non satis periti principiorum Augustini, difficulter possunt acquiescere, quod prædestinationem Augustinus, discretionem à massa damnationis vocet: multi enim videntur per peccatorum remissionem iam à damnationis massa discerni, qui tamen nullo pacto prædestinati sunt, quia relapsi pereunt. Sed sciendum est, quod cum discretio à massa perditionis apud Augustinum ipsa prædestinatione fiat, iuxta illud ipsius: *Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, æterna illa discretio*

Lib. de corr. & grat. c. 7.

Dei

Dei effectus eosdem respicit quos prædestinatio. A *Prædestinationis* autem *effectus est gratia*, ut idem ait, hoc est, quicquid gratia in homine ad perficiendam salutem ac liberationem ejus operatur, non merita solum seu opera bona, sed & eorum perseverantiam & ipsam gloriam, sine cujus præparatione nemo simpliciter prædestinatus dici debet aut potest; prout latius in superioribus demonstravimus. Itaque æterna illa prædestinationis discretio à massa perditionis respicit adæquate discretionem seu liberationem temporalem ab illa massa per gratiam: *Gratia*, inquit Augustinus, *liberat a totius massa damnatione quos liberat.*

Lib. 1. oper. imper. cont. Iul. c. 179.

Quæ sane liberatio nullo modo solam peccati remissionem respicit, sed omnium omnino malorum depulsionem, quæ pœnaliter ex originali damnatione toti massæ perditionis inflicta sunt: nimirum non solum culpæ, sed & ignorantiæ illius profundæ & cæcitatis, cum qua nascimur, B & concupiscentiæ tam importunæ atque periculosæ, cum quibus duabus originalibus pœnis ad mortem usque dimicamus, & ex quibus pœnis omnia peccata proficiscuntur, & ipsius mortalitatis, quam *grave jugum* Scripturæ vocant; æternæ denique damnationis, in quam nemo jam semel justificatus relabitur, nisi ex illius damnationis supplicio quo tota massa premitur. Ab istis omnibus damnationis originalis malis, nisi quis gratia liberetur, nunquam ille juxta sensum sanctissimi Præsulis, à perditionis massa discretus fuerit. Itaque discretioni sive liberationi à massa perditionis, non semel damnationem Augustinus opponit, ut in libro quarto contra Iulianum, ubi de *massa originis damnata atque vitiata* fecisset mentionem:

Lib. 4. cont. Iul. c. 8.

Ac per hoc, inquit, *damnatus ex debito de supplicio iuste queritur; nec liberatus gratis de merito superbe gloriatur.* C Et libro de natura & gratia:

Lib. de nat. & grat. c. 5.

Universa igitur massa pœnas debet: & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non iniuste procul dubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur &c. Et terminos liberationis illius circumscribens, quæ per misericordiam discernentis Dei & gratiam tribuitur:

Lib. de Cor. & grat. c. 13.

Misericordia eius prævenit hominem ut liberetur à malis, & quæ facit & quæ facturus fuerat, nisi gratia Dei regeneretur, & quæ passurus fuerat in æternum nisi erueretur à potestate tenebrarum, & transferretur in regnum filij claritatis Dei. Et adversus Iulianum accuratius:

Lib. 6. cont. Iul. cap. 14.

Qua gratia liberatus sum à reatu omnium peccatorum, vel quæ nascendo traxeram, vel quæ male vivendo contraxeram: qua gratia liberor, ut scio, ne intrem in tentationem à concupiscentia mea abstractus & illectus, atque ut exaudiar dicens cum consortibus meis: Dimitte nobis debita nostra: qua D *gratia liberabor ut spero in æternum, ubi iam nulla lex in membris meis repugnet legi mentis meæ.* Ecce triplicem liberationem à malis, quæ omnia omnino vel proximè vel remote ex originali totius massæ damnatione contracta sunt, à malis culpæ sive originalis sive propriæ; à malis tentationum, cum quibus ut assiduè luctemur, propter totius massæ culpam damnati sumus, atque ita damnati, ut nisi gratuita Dei gratia in singulis adjuvemur, nec unam quidem superaturi simus; à malis denique ipsius fomitis atque mortalitatis: quæ tentationum omnium seminarium. Quod triplex beneficium contra triplex supplicium perditionis massæ irrogatum, triplici oratione petitur ab Ecclesia, quando jam etiam ab originis culpa mundata rogat: *Dimitte nobis debita nostra; Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo*, juxta illud Augustini: *Sic ergo totum hoc in tribus beneficijs positum breviter peti potest: Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti à concupiscentia; adiuva ne abstrahamur à concupiscentia; aufer à nobis*, beatâ resurrectione, *concupiscentiam.*

Lib. 2. de per. merit. c. 4.

Quamobrem quisquis non ex omnibus istis malis quæ ex originali damnatione contracta sunt, eruitur, sicut non liberatur in tempore, nec discernitur reipsa à massa perditionis, sed in illa tametsi semel justificatus, perit; ita nec ab æterno ab illa massa perditionis Dei prædestinatione discretus fuit. Massæ quippe damnatio, non in eo tantum sita est, quod post mortem, ad æternum supplicium deputandi sumus, sed in omnibus omnino malis quæ in hoc mundo sufferuntur, & in omnibus malorum sufferendorum debitis atque necessitatibus, quæ tamen per misericordiam Dei non sufferuntur. Divinæ quippe misericordiæ est, à quocumque malo liberamur, Concilio Arausicano nobis pronuntiante: *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur.*

Conc. Arauf. can. 14.

Inter quæ mala non est minimum, quod homo qui in illa massa damnatus fuit, neque credere, neque velle bonum, neque pœnitere mali; neque diligere Deum, neque operari, neque quicquam boni quo piè vivitur, neque tantillum suis viribus perseverare possit, sed ei totum istud gratuita gratia dari debeat, quam propterea, quibus & quando & quantum voluerit, tribuit & negat Deus. Non enim culpâ est opus nova ut hoc alicui subtrahatur, sive non detur quod nemini debetur. Ex illa igitur originalis massæ damnatione proficiscitur, ut aliquibus non detur quidem ipse auditus fidei, sine quo non possunt credere: *Fides enim ex auditu*; alijs non detur fides, sine qua justi esse non possunt; alijs non detur pœnitentia, magnum donum Dei; alijs non detur dilectio, qua bene operentur; alijs non detur firmitas persistendi in tentatione, sive perseverantiæ donum, quod Deus tribuit & non tribuit, quibus vult. Iustè autem non tribuit quod non debet: si igitur sua malitia in peccata relabantur, non est illa culpa Dei sed propria; sicut & infirmitas & cæcitas ex qua nascitur ista instabilitas propria est, ex massæ damnatione cótracta. Hoc est igitur, quod Augustinus in istud velut principium refert, quod aliqui vel non perseveraverint,

vel baptismo caruerunt, vel non crediderunt, vel non audito Evangelio, neque credere potuerunt; quia videlicet non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam: *Non enim fuit*, inquit, *a massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo non secundum propositum vocati.* Nam sub illa vocatione, secundum propositum, non solum fides & pœnitentia, sed, ut infra latius, & perseverantia ipsa comprehenditur. Quemadmodum igitur qui ex puteo in quem

Lib. de Cor. & grat. c.7.

A cecidit ab alio gratis liberari debet, non est liberatus dum ei funis datur, & extrahi ex parte cœpit, si propria malitia vel infirmitate ex casu voluntario contracta relabatur; ita nec ille in sensu Augustini à massa discretus est, qui tantummodo peccati remissione decernitur purgandus; sed qui omnium pœnarum ex damnatione originali inhærentium abolitione justificandus, & in antiquum statum reparandus, in quo innocens massa ex Dei creatione & sanctificatione fuit.

CAPUT X.

Electio, seu prædestinatio gratiæ non habuit in Angelis locum, & quo sensu.

PRÆDESTINATIONEM illam A gratuitam, de qua nos hactenus disseruimus, circa homines qui perierant, suos effectus operari tam in futura quam in præsenti vita, ex iis quæ tractavimus, satis patet. Ratio quoque certa duobus ex capitibus peti potest. Una ex natura liberationis, de qua in definitione mentio fit, quia quotquot ad æternam salutem perducendi sunt ex justissima massæ damnatione, non solum culpæ remissione, sed omnium pœnarum abolitione liberandi sunt. Quam liberationem, quia nullum omnino meritum sive operis, sive voluntatis, sive cogitationis præcedit, neque præcedere potest, sed mere per gratuitam gratiam dari debet, necesse est, ut gratuito tantum beneficium præparetur, & proinde prædestinetur. Cùm prædestinatio gratuita non sit aliud, nisi præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque B liberantur. Unde Augustinus: *Quotquot ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, qua tam tenentur obstricti. Unde etiamsi nullus liberaretur, justum Dei judicium juste nemo reprehenderet. Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo vero numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ sunt agendæ quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur in Domino glorietur.*

Lib. de Cor. & grat. c.10

Altera ratio ex natura *beneficiorum Dei* fluit, quibus peragitur ista liberatio. Illa vero sunt, tam meritum vitæ bonæ in hac vita, quam ejus præmium in futura, quorum utrumque Deus per gratiam Christi medicinalem, homini per peccatum perdito donat. Est enim arbitrium hominis post lapsum non solum ita culpæ & pœnæ reum, ut illud debeat a reatu hæreditario & proprio, illius agni sanguis absolvere; sed etiam sub con- C cupiscentia peccandi sibi dominante captivum; à cujus vinculis & ferrea servitute nullo pacto potest erui, & in bene agendi libertatem surgere, nisi per gratuitam Christi Salvatoris gratiam liberetur. De qua servitute, consule quæ fusè in aliis locis diximus. Hæc porro gratia non est quodlibet adjutorium læsæ potestatis arbitrii, sed adjutorium voluntatis & actionis. Hoc est, non est adjutorium sanæ voluntatis, quo detur ei *posse* si velit, & *sine quo non* potest velle quod præcipitur; sed est adjutorium Salvatoris medicinale, *quo* Deus ægræ voluntati invicte donat ipsum velle & operari, idque ab initio inchoationis vitæ bonæ, usque ad finem consummationis. Donat ergo Deus homini per istud gratuitum & medicinale adjutorium, omnia opera ac merita quibus erigitur ad salutem, velle, credere, pœnitere, diligere, operari, & in istis omnibus perseverare usque in finem, *non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* De quo genere gratuiti adjutorii medicinalis, & quo pacto per illud omnia opera lapsi hominis sint proprie & specialiter dicta munera seu, *dona* Dei late diximus, cùm de gratiæ medicinalis natura tractaremus.

Lib. de Cor. & grat. c.11

Vide lib. 2. de gr. Christi Salvat. totum præsertim à cap. 3. usque ad 15.

Hinc ergo irrefragabiliter consequitur, omnia hujusmodi beneficia quibus peragitur perditorum hominum liberatio, sicuti gratuita & speciali donatione dantur infirmis, per adjutorium non solum *sine quo non possunt* præcepta facere, sed *quo* Deus eis ipsum velle largitur & facere; ita quoque ea beneficia ipsis per gratuitam benevolentiam & gratiam præparari, hoc est, danda prædestinari. Ut proinde nullo pacto in dubium revocari possit, quin prædestinatio gratiæ circa lapsos homines versetur. Hoc ipso namque quo ista beneficia liberationis, aliquibus gratis præparata atque prædestinata sunt, illi ipsi gratis prædestinati sunt, juxta illius consecutionis legem quam format Augustinus, quando in hunc modum arguit: *Initium fidei & usque in finem perseverantia Dei dona sunt, nec ulla futura sua dona, & qui danda essent, & quibus danda essent Deus non præscire potuit*: *Ergo*, inquit, *per hoc prædestinati ab illo sunt quos liberat & coronat.*

Lib. de dono pers. cap.17.

Sed de beatis Angelis major quæstio est, utrum & illi electione seu prædestinatione gratiæ electi seu prædestinati sint. Quod etiam de hominibus, si in primæva perstitissent innocen-

innocentia, quæri potest. Nam eadem omnino, juxta sanctum Augustinum de hominibus innocentibus atque illæsis, quæ de Angelis ratio fuit. Angelos igitur etiam gratis ad salutem electos & prædestinatos esse, plerique recentiores & fere omnes, si non prorsus omnes, unanimiter docent. Ratio quoque manifesta & certa ipsis suffragari videtur. Est enim juxta Catholicam fidem indubitatum, Angelos vera Dei gratia indiguisse, qua possent opera bona facere, & in justitia perseverãdo cœlestis beatitudinis meritum comparare. Non minus enim opera veræ pietatis & charitatis, quibus æterna gloria promerenda est, quam ipsa gloria, quæ erat merces operum, naturales Angelorum vires, & hominum quantumvis innocentium superat. Ergo & illa eis gratis danda, & per hoc prædestinanda fuerunt; ergo consequenter illi qui reipsa beatitudinem assecuti sunt, juxta dictum S. Augustini argumentum gratis respectu utriuslibet, sive meriti, sive præmij, prædestinati sunt. Nam quod Augustinus in definitione sua liberationis mentionem facit materialis tantum videtur esse differentia, quia de hominibus lapsis ex professo loquebatur. Gratuita verò esse potest præparatio atque prædestinatio beneficiorum, quamvis aliquis per illa non à promerita jam damnatione, sed ab imminente; si deesset gratia liberaretur.

7. Et ista quidem, juxta recentiorum principia, videntur valde consequenter dici; qui ne semel quidem de gratuita sanctorum Angelorum prædestinatione dubitant. Sed juxta S. August. longe aliter de rebus istis ratiocinandum est; utpote cum cujus principijs ista jam dicta modernorum argumentatio, & conclusio capitaliter pugnat. Dicendum est enim Angelos, qui æternâ felicitate potiuntur, non esse prædestinatos *electione* seu *prædestinatione gratiæ*, sed eâ quam supra diximus, *meritorum*. Idemque omnino de hominibus si perstitissent in statu innocentiæ, sentiri debet.

Vide hoc Tract. supra cap. 6.

Quod ut rectè intelligatur, sciendum est nos non agere de sanctitate vel charitate cum qua Angeli & primi homines creati sunt, cùm Deus esset in eis *condens naturam & largiens gratiam*; hanc enim non est dubium eis gratis esse prædestinatam atque donatam: non etiam de ipso præcisè adjutorio gratiæ, quod eis ad perseverandum datum est. Nam & istud certissimum est, gratuita Dei voluntate prædestinatum ac datum; sed de perseverantia, & actibus meritisque Angelorum, & de gloria quæ perseverantiæ & meritis retributa est.

Itaque ratio diversitatis inter innocentis lapsæque naturæ statum, ex discrimine duplicis adjutorij gratiæ, quod creaturis stantibus, & lapsis ad volendum agendumque necessarium est, proficiscitur. Aliud enim sanæ, aliud ægrotæ voluntati, aliud fractæ, aliud integræ libertati congruit. Itaque unum est simile adjutorijs, quæ robustæ sanitati con-

A servandæ adhibentur, aliud medicinalibus, quæ infirmitati roborandæ. Inter quæ adjutoria, quanta differentia sit, & quo pacto id quod integritati ad agendum sufficit, alteri plerumque nihil omnino conferat, imo noxium sit, videnda, si placet, ea quæ latè superius ex professo disputata sunt. Præsenti scopo satis est recolere, Angelorum adjutorium non fuisse tale ut per illud eis velle, & facere, & perseverare largiretur Deus, sed tantummodo, posse facere, & perseverare si vellent. Non enim erat adjutorium *quo* fieret, ut vellent & perseverarent, sed *sine quo* velle & perseverare non possent. Non ergo Deus eos esse voluit sine gratiæ suæ adjutorio, sed illud reliquit in eorum libera voluntate, ita videlicet, ut illud desererent cùm vellent, & in quo permanerent si vellent, non quo fieret ut vellent; ut enim vellent, in eorum libero reliquit arbitrio, quod ita liberum tunc erat, ut quemadmodum Augustinus notat, *bene velle posset & male*. De quo discrimine duplicis adjutorij, stantis, lapsæque creaturæ, quantum ad operandi modum, fusè ex mente Augustini disputavimus, tum superius cum de gratia medicinali Christi, tum illo libro ubi de statu primi hominis diximus.

Lib. 2. de gra Christi Sal. à c. 1. usque ad 4.

Vide lib. 2. citato c. 4. & 5.

Vide lib. de statu primi hominis pene toto & maxime c. 14. & 15.

B Hinc ergo nascebatur primo, ut usus perinde uti non usus istius adjutorij, non ab ipso adjutorio, sed à voluntate peteretur. Adjutorium enim non se habebat, tãquam id quod voluntatem ad agendum impelleret, sed ita dumtaxat ut sine quo se ad volendum determinare non posset. Nam quemadmodum habitibus & oculorum luce utitur voluntas nutu suo, & non utitur quando vult, nec est lux aut habitus, quæ velle vel non velle, videre vel non videre nos faciunt, sed tantummodo sine quibus actus volendi & videndi non fit; ita Angelorum adjutorium non erat hujusmodi influxus, quo fieret ut vellent, sed è contrario nutus voluntatis erat, quo fieret, ut adjutorium influeret.

C

Vide dicto lib. de statu primi hominis c. 14. & 15 latissime.

Hinc secundo nascebatur, ut non deberet discrimen volentium à non volentibus, agentium à non agentibus, perseverantium à non perseverantibus, adjutorio, sed nutui voluntatis tribui; quamvis voluntas, aut actio, aut perseverantia sine adjutorio influente non fieret. Nam quando ad eundem actum liberum concurrunt plura sine quibus libertas agendi in actum suum exire non potest, non illi causæ tribui debet exercitium actus aut voluntatis, *sine qua* non potest fieri, sed illi quæ nutu suo totam machinam ad motum impellit, aut otiosam esse sinit.

Vide ibid. ex Aug.

D Hinc tertio nascebatur, ut neque volitiones, neque actiones Angelorum, hoc est, neque merita, neque perseverantia meritorum, essent specialia Dei dona, hoc est, non eis Deus speciali donatione seu gratiâ largiretur. Tantummodo enim donabat ea in radice, quatenus eis adjutorium quoddam gratiæ tribuebat, sine quo simul influente & cooperante velle, agere, & perseverare, non po-

 terant.

terant: sed ipsum velle, agere, & perseverare, non eis dabat adjutorium gratiæ, sed propria voluntas; quamvis non sine gratia eo prorsus modo; quemadmodum si quis cum gratia sufficiente, pro sua libertate vellet aut ageret, prout recentiores aliqui, Molina & Lessius, ex professo docent. Fit enim, secundum illos, efficax gratia, quantum ad actum secundum, si voluntas cum ea cooperari velit, si non, tantum sufficiens & inefficax in actu secundo, hoc est, sine effectu aut sine actu manet. Tunc igitur velle & agere bonum, non erat speciale donum Dei, sed tantum generale. Nunc è contrario, & generale est & speciale, quia non solum sine adjutorio, & sine potentia voluntatis (quorum utrumque à Deo datum est) homo non potest velle aut operari bonum, sed etiam Deus per ipsum adjutorium gratiæ, ipsum velle donando, donat & meritum, & ipsum perseverare operando, donat perseverantiam.

Vide dicta illius toto c. 20. ubi ex professo probatur ex Aug.

Hinc nascebatur quarto, ut quamvis non sine gratia rectè viverent, & in bonitate starent, per vires tamen liberi arbitrij rectè vivere & stare dicerentur, quod Augustinus ex professo multis locis docet.

Vide lib. illo 1. de statu Adæ c. 7. 8. 9. toto.

Hinc nascebatur quinto, ut merita Angelorum essent merita *liberi arbitrij*, & *humana*, & *sua*: non quasi puris naturæ viribus sine influxu supernaturalis gratiæ parerentur. Absit istud ab Augustini mente. Omnia quippe merita status innocentiæ tantopere, imo magis tribuebat ipse gratiæ Dei, quam plurimi recentiores merita status lapsæ. Docuit enim, nulla omnino merita, imo nec opera bona sine gratiæ adjutorio, etiam ab innocenti natura, ullo modo proficisci potuisse. Sed quia altioris & purioris veritatis intuitu vidit, non fuisse tunc gratiæ sed voluntatis facere, ut innocentes vellent; quemadmodum nunc è contrario, non est voluntatis, sed gratiæ facere ut lapsi velint, quamvis neque tunc fieret sine gratia, neque nunc sine voluntate; Vidit consequenter, non solum merita status illius non esse dicenda specialia Dei dona, quemadmodum nunc sunt, sed esse dicenda merita *naturæ*, *liberi arbitrij*, humana; quemadmodum è contrario nunc sunt *merita gratiæ*, quia gratis à gratia donata humanæ voluntati.

Vide late lib. [illegible] toto c. 19.

Vide dicto lib. ut c. 16.

Hinc nascebatur sexto, ut neque vita æterna esset Angelis gratia specialis, sed *merces meriti*. Nunc è contrario, gratia Dei est non solum meritum, sed & vita æterna: quia *gratia est nobis omne meritum*, cui vita æterna datur. Meritum enim, & meriti præmium se invicem ita respiciunt, ut si meritum sit specialis gratiæ donum, etiam præmium donum sit; & è contrario, si meritum non sit speciale donum sed generale, & in radice tantum datæ potestatis, præmium quoque non sit speciale donum, sed propriè merces meriti, quod item ex Augustini doctrina latius stabilivimus. Quo vero pacto etiam per ista nihil Augustinus divinæ gratiæ derogat, vide

Vide eodem cap. 16.

A loco citato, libro primo. Nam in illo libro, ex professo & fusè deducuntur ex Augustini principijs omnia, quæ hic de industria tantum breviter tetigimus, ne forte eadem repetendo lectorem lassaremus.

Vide toto cap. 19. maxime in fin.

Ex his jam liquido cuivis patet, verissimum esse, juxta Augustinum, non esse prædestinatos vel electos Angelos ad merita quibus beatitudinem adepti sunt, *prædestinatione* vel *electione gratiæ*, & idem judicium esse, de primo homine, si in bonitate mansisset. Causa quippe istius veritatis est, non quod Angeli vel primus homo, non indiguerint gratia ad merita sua vel opera vel voluntates bonas, sed quia talis erat gratia qua indigebant, ut non donaret eis merita, sed relinqueret ea in potestate & libertate voluntatis, hoc est, ut Augustinus etiam de primo homine dicit, *ut perseverare & non perseverare in eius relinqueretur*

B *arbitrio*. Et illius ulterius ratio fuit, quia *tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium.* Ex quo fiebat consequenter, ut ipsum perseverare, seu velle, & operari bonum, quod in eorum libero relinquebatur arbitrio, non esset eis donandum à Deo, sed à propria voluntate, non sine adjuvante gratiâ, requirendum; & consequenter, non esset eis prædestinandum aut meritum, aut perseverantia meritorum. Hoc enim gratis prædestinat Deus, quod ipse gratis facturus, aut donaturus est; non quod homines; quemadmodum sæpius supra diximus. Quemadmodum igitur morale opus bonum, quod à sola voluntate sine gratia fieri posse arbitrantur, vel visionem cælorum, vel auditionem sonorum, vel pro-

Lib. de Cor. & grat. c. 11.

Ibid.

C gressionem de loco ad locum, vel intellectionem seu contemplationem rerum naturalium, non gratis Deus homini donat, neque dandum prædestinavit, quantumvis potentias & adjutoria universa, sine quibus influentibus nullâ ratione exerceri possunt, gratuitâ voluntate donaverit, quia ab ipsa libera voluntate, sine alia speciali donatione aut prædestinatione fiunt; ita quoque prorsus de donatione ac prædestinatione gratuita meriti & perseverantiæ hominum innocentium Angelorumque statuendum est. Nempe, ea non fuisse gratuitò Angelis prædestinata, quia non gratuitò donata. Vnde nec ea se Angelis sanctis daturum esse præscivit. Sic autem describit prædestinationem gratiæ sanctus Augustinus, ut per eam præsciat Deus, non quid homines etiam cum adjutorio Dei, sed *quid ipse facturus sit*. Quid enim est, quod homines faciunt sine adjutorijs Dei, non solum poten-

Lib. de dono pers. cap. 14. & 17. & alibi sæpius.

D tialium (quæ sunt instar cujusdam assistentis perpetuo potestatis, quales sunt habitus, luces, species, & ipsum quoque adjutorium status innocentiæ) sed etiam actualium influxuum? Nec tamen idcirco quicquid homines Deo simul concurrente & influente faciunt, à Deo donari, & prædestinari dicen-

dicendum est. Nam & actus materiales peccatorum, ea ratione donarentur, ac prædestinarentur voluntati, quo nihil falsius dici potest. Tunc ergo donatur volitio actus, aut opus, aut meritum, quando ipse in voluntate operatur ut velit; non solum sic ut sine adjutorio isto velle non possit, sed ut cum isto adjutorio non nisi velit.

CAPVT XI.

Electio gratiæ in Angelis, ex alio capite destruitur.

QVÆ veritas ex alio capite certò côvinci potest. Nam Semi-Pelagiani fatebantur homini à Deo dari talem gratiam ad initium fidei & ad perseverantiam in fide, qualis primo homini in innocentiæ statu data fuit. Disertis verbis hoc asserit Hilarius ad Augustinum scribens: *Vnde in hoc solo volunt à primo homine omnium dissare naturam, ut illum integris viribus voluntatis iuvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem amissis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes.* Itaque in hoc ponebant differentiam, quod Adam cum illa gratia quam Augustinus tradit, posset perseverare volens, hoc est, si vellet: lapsi autem credere tantum, de cetero fractæ vires gratia Christi essent erigendæ; quod nos alibi latissimè demonstravimus. *(Vide dicta lib. de hæresi Pelag. c. 6. 7. 8. & seq.)* Hac ergo de causa, quia ista gratia Adami talis erat, ut per eam non donetur meritum à Deo, sed in libero arbitrio relinquatur, nolebant initium fidei & in ea perseverantiam donari, & per hoc neque prædestinari à Deo. Et hoc verissimum esse, in eorum sensu, profitetur Augustinus. Nam ideo de illis dicit, *Solum initium fidei & usque in finem perseverantiam, sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cetera vero ipsum dare concedunt.* *(Lib. de dono pers. cap. 17.)* Ex qua duplici confessione, duplicem quoque consequentiam format Augustinus. Vnam, si cetera præter fidei initium & perseverantiam Deus donat, ergo ea se daturum esse præscivit, ergo prædestinavit; quam passim secundo libro de dono perseverantiæ crebrò repetit, & in primis in fine libri postquam dixisset, quod Massilienses *cetera bona ad vitam piam qua Deus rectè colitur pertinentia, etiam ipsi propter quos hæc agimus, Dei dona esse concedant.* *(Ibid. cap. 24.)* Regulam figit inde generalem: *Omnia porrò dona sua, & quibus illa fuerat largiturus Deum præscisse negare non possunt.* Altera consequentia est, si initium fidei & perseverantia non dantur à Deo, ergo nec ea se daturum esse præscivit: falsum enim præscivisset, si se daturum præscivisset, quod ipse non dabit. Ergo neque prædestinantur. Reciproca quippe sunt prædestinare, & præscire, non quid homines facturi sint, sed quod ipse daturus. Vnde illa: *(Ibid. cap. 17.)* *An forte nec ipsa opera pietatis dicunt prædestinata?* quemadmodum videlicet initium fidei prædestinari negant? *Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si & dantur & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit.* Itaque initio libri de prædestinatione sanctorum, quia Massilienses fidei initium & perseverantiam vellent ab humana voluntate proficisci, cum ista Adami gratia, quæ naturæ quamvis lapsæ superstes manserat, de ipsis dicit: *Adhuc in quæstione caligant de prædestinatione Sanctorum.* *(Lib. de præd. SS. c. 1.)* Hoc enim ipso tollebant eam, quia fidem, non sicut opera, per gratiam Christi donari, sed ab homine gratia Adami adjuto fieri crederent. Et inferius reprehendit, quod Deus juxta Massilienses præscivisset, non se fidem, sed *homines esse facturos*; hoc est, quod prædestinationem fidei tollerent, quia ut eodem capite dixerat, *Prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus.* *(Ibid. cap. 10.)*

Ex ista igitur Massiliensium opinione & Augustini argumentatione concludimus, Massilienses hoc ipso quo statuebant hominem Adami gratia adjutum posse saltem credere, sustulisse prædestinationem Dei gratuitam respectu fidei utpote quam Deus non se daturum, sed homines ipsos facturos esse præsciebat; ergo & Augustinus, hoc ipso quo docet Adamum & Angelos gratia primi status adjutum in credendo & operando perseverare potuisse si vellent, tollebat prædestinationem Dei gratuitam respectu operum & perseverantiæ; quia ea non se daturum esse, sed homines & Angelos facturos esse præsciebat. Deum autem non dedisse Angelis opera & perseverantiam, nec Adamo datum fuisse, Augustinus ex professo toto capite decimo, undecimo & 12. de Correp. & gratia docet, & ex natura adjutorij *sine quo non* invictè sequitur. Vnde etiam expressè dicit; *Vt ergo non acciperet*, hoc est, non opus esset accipere, *hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio; tales vires habebat eius voluntas &c. ut dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* *(Lib. de Corr. & grat. c. 11.)* Nam istis verbis respondet ad quæstionem quam initio capitis decimi proposuerat. Cùm enim capite septimo instantissimè tradidisset, propterea non dari quibusdam hominibus donum perseverandi, quia non sunt à massa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, hoc est, quia in massa per peccatum perdita concreti & cum damnatione nati sunt, quibus Deus non tenetur tantum donum prædestinare eosque à ceteris prædestinando discernere, gravis quæstio nascebatur; *Quid ipse Adam*, quem non perseverasse constabat; *non perseverando peccaverit, qui perseverantiam etiam non accepit?* *(Ibid. in fine cap. 12.)*

Hoc est, cui Deus etiam tantum donum dare noluit. Causa difficultatis est: *Neque enim dici potest*, quemadmodum antea de hominibus lapsis ac damnatis dixerat, *ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratia largitate.* Et quare istud dici non potest? *Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata.*

Hanc igitur præclarissimam ac difficillimam quæstionem (in qua intelligenda, atque ut oportet penetranda, omnes penè recentiores hallucinantur, dum perseverantiam hominibus atque Angelis innocentibus, per gratiam donandam, ipsosque gratis prædestinatos aut prædestinandos fuisse contendunt) solvit divinissime profundissimeque Augustinus, dum gratiam quidem respectu utriusque status agnoscit necessariam, non tamen talem, qua Deus utrisque & integris & lapsis perseverantiam daret; sed talem per quam lapsis quidem propter fractas per concupiscentiales motus liberæ voluntatis vires, ipsum velle & perseverare largiretur, integris vero & stantibus neutrum, sed tantummodo posse perseverare si vellent; velle autem & nolle in eorum libero relinqueretur arbitrio; ita videlicet, ut si qui talis gratiæ adjutorium arripere vellent, illi, non per acceptum cælitus perseverandi donum, sed per liberam voluntatem, quamvis non sine gratia concurrente starent. Quod quomodo fieret etiam exemplo declarat apertissimo: *Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* [Lib. de Corr. & grat. c. 11.] Hanc differentiam utriusque gratiæ inculcat urgentissimè, & identidem repetit. Ex qua, & per seipsam emicat solutio propositæ quæstionis, & ipsemet eam satis apertis verbis indicat; nimirum non opus fuisse, ut acciperet Adam à Deo perseverantiæ donum, sed illud fuisse in ejus libero arbitrio constitutum; quia jam potens erat, ut gratia longè debiliori, non actum perseverandi, sed potestatem dumtaxat perseverandi donante juvari deberet, actus autem perseverandi, seu perseverantia ab ipsa libera voluntate peteretur. Hominibus autem lapsis ipsa perseverantia propter infirmitatem damnationisque meritum in quod inciderunt, gratis donari debet. Ex quo discursu Sole meridiano clarius liquet, merita primi hominis & Angelorum, quæ in perseverantia includuntur, non fuisse specialia dona Dei, & consequenter non esse gratis à Deo prædestinata. Non enim ea se gratis daturum Angelis sanctis aut homini primo, si in veritate stetisset, sed ipsos ea facturos esse, quamvis non sine gratia sua, præscivit.

CAPUT XII.

Augustinus Angelorum perseverantiam non prædestinatam, sed præscitam tradit; eosque non gratia, sed meritis discretos.

HÆC ergo ratio cur Augustinus in universis operibus suis nusquam tradat, sanctorum Angelorum perseverantiam aut merita fuisse prædestinata, seu ipsos prædestinatos ut in bona voluntate persisterent. Sed è contrario, quia perseverare & non perseverare, in libero voluntatis arbitrio relictum fuerat; quemadmodum Angelorum deficientium casum, ita stantium quoque perseverantiam, tantummodo divinæ subjecit præscientiæ. Quo præsciendi verbo tam studiosè in utrisque & bonis & malis utitur, ut de industria tanquam isti materiæ propriissimum selegisse videatur. [Lib. 3. de lib. arbit. c. 5.] Ut in libro tertio de libero arbitrio: *Si bonitatem conditor præbuit ad eam* (creaturam) *condendam, cuius prævidit futura peccata, nullo modo non præberet eam bonitatem, ut creaturam conderet, quam peccaturam non esse*, hoc est, perseveraturam esse PRÆSCIVIT. [Lib. 3. de lib. arbit. c. 12.] Et post multa capita interjecta: *Quanquam non peccavit* (creatura Angelica quæ beata facta est) *sicut eam non peccaturam* PRÆSCIVIT DEUS. De qua creatura paulo ante capite præcedenti dixerat: [Ibid. cap. 11.] *Nec ideo in bona voluntate permanet, quia hoc accepit officium* (continendi omnia) *sed ideo accepit quoniam ab illo qui dedit, permansura* PRÆVISA EST. Et inferius: *Scire vellem si fieri posset, quare illa natura non peccet, quam non peccaturam*, hoc est perseveraturam PRÆSCIVIT DEUS. [Cap. 17.] Quam sentiendi & loquendi cautissimam circumspectionem servavit exactissimè in Enchiridio ad Laurentium. Ubi cùm ex professo de divina voluntate disputans assereret, omnino fieri quodcumque ipsa vellet, & statim occurreret, cur ergo primum hominem, quem bonum & rectum instituerat, non custodierit in ea salute in qua creatus fuerat; itemque, cur non eum ad meliorem immortalitatis beatitudinem transtulerit, ad quam eum condidisse & transferre velle videbatur? Utrumque ab Adami voluntate pependisse respondet: *Quapropter etiam primum hominem Deus in ea salute in qua conditus fuerat, custodire voluisset, eumque oportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, ubi iam non solum peccatum non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset. Quia vero eum male usurum libero arbitrio, hoc est, peccaturum esse præscivit, ad hoc potius præparavit voluntatem suam, ut bene ipse* [In Enchirid. ad Laurent. cap. 104.]

ipse faceret etiam de malefaciente. Et rationem istius rei eandem prorsus reddit, quam nos reddidimus; quia tunc & velle & nolle, perseverare & non perseverare, propter maximam status istius libertatem, relictum erat in libero voluntatis arbitrio: *Sic enim*, inquit, *oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle posset & male:* Nunc vero, ut statim addit, voluntas sub servitute peccati detinetur, qua fit ut bene velle non possit, sed voluntas per Christi gratiam debeat liberari & præparari.

In Enchirid. ad Laurent. c. 105.
Ibid. c. 106.

Similiter ista ratio est, cur Augustinus nunquam discretionem quæ vel in Angelis facta est, vel in hominibus innocentibus futura fuisset, gratiæ vel prædestinationi sed potius *meritis* tribuat, quibus videlicet ipsi seipsos, sponte sua bene vel male operando, discernerent. Quod sicut ex ejus principijs jactis apertissime sequitur, ita in libris de Civitate Dei ipse non obscure propalavit, quando de hominibus jam peccato perditis dixit: *Non eos iam meritis, quandoquidem universa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernens.* Vbi duplici modo indicat, in statu innocentiæ fuisse meritis discernendos, tum ex eo quod dicat, non eos IAM discernens, tum quia causam affert, quia massa videlicet damnatione vitiata est, hoc ipso nimirum palam indicans, olim cum esset massa integerrima, non opus fuisse ut eos gratia discerneret, qui proprijs meritis, hoc est, propria voluntate & libertate, quamvis non sine gratia, discerni potuissent. Nam inde fluit, quod locum illum Apostolicum: *Quis enim te discernit?* nunquam nisi de hominibus lapsis, de quibus & Apostolus intellexit, intelligas.

Lib. 14. de Civit. c. 26.

Et sane cum Augustinus tam sollicite tradat, adjutorium primi hominis & Angelorum non fuisse tale *quo* fieret ut perseverarent, sed tantummodo *sine quo* perseverare non possent, hoc est, non fuisse tale quo Deus Angelis aut hominibus velle & perseverare donaret, sed tale quo velle & perseverare in eorum proprio relinqueretur arbitrio, ut sua sibi ipsi voluntate, quamvis non sine adjutorio, velle & perseverare donarent; impossibile profecto est, etjam solo naturali lumine rem istam metiendo, ut per ipsum adjutorium gratiæ discernerentur. Nam usque ad ipsum nutum voluntatis accedentem, nulla adhuc discretio est, sed omnes in hæsitando pares; ipsum vero nutum voluntatis quo discretio fit, non tribuit aut facit adjutorium, quia non est tale, quo fiat ut velint, seu, quo Deus donat ut velint, sed tantummodo, sine quo non velint, aut velle non possint. Ergo ex ipsa natura talis adjutorij, implicat contradictionem, ut adjutorium istud unquam eam discretionem afferat. Nam afferre discretionem non est aliud, quam efficere ut velint; istud autem adjutorio Angelico & primi status ex diametro adversatur. Est enim ipsissima natura adjutorij status lapsi; per quod ideo nunc discrevit hominem ab homine Deus, quia per illud operatur ac donat ut velit. Necesse est igitur ut Angeli sancti non *gratia adjutorio*, sed *meritis suis*, seu propria voluntate discreti sint.

CAPVT XIII.

Angeli ad gloriam electi sunt, non electione gratiæ, sed meritorum.

QVOD si electio seu prædestinatio gratiæ non habuit in Angelis locum comparatione perseverantiæ, respectu gloriæ multo minus. Gloria enim proprie in ipsis fuit merces meriti, quo in veritate steterunt. Si ergo meritum non fuit ipsis specialis gratiæ donum, nec merces meriti esse potest. Nam in ipsa etjam ratione mercedis quædam oppositio includitur ad gratuitum donum. Vnde Apostolus de electione gratiæ, vi cujus fit gratuitum donum: *Quod si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Merces ergo operum, hoc ipso quo debetur operibus, non potest esse gratia, nisi opus cui merces debetur ipsum sit gratia, juxta quod Augustinus dicit: *Electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum, quia gratia est illis omne meritum.* Nam ista sola consideratione dictum ab Apostolo vult Augustinus respectu lapsorum hominum: *Gratia Dei vita æterna*, quia videlicet *vita bona*, cui redditur, *nihil aliud est nisi Dei gratia.* Ex hoc ergo principio concludit hoc ipsum Augustinus, de quo satagimus: præmium scilicet permansionis, id est, (non posse servire peccato) quod in vita æterna datur, non fuisse sanctis Angelis, nec Adamo, si perstitisset, futurum gratiæ donum, sed meriti mercedem, quamvis nunc è contrario, lapsis sit gratuitum gratiæ beneficium: *Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est Angelis sanctis merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito*, hoc est, potestate habendi meritum per liberum arbitrium, non sine gratia ut explicatum est, *in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Hoc est, gloria nunc est homini donum gratiæ, quia meritum cui redditur, donum gratiæ est. Tunc autem gloria non erat futura donum gratiæ, sed, quamvis non absque gratia, humanæ libertatis officium. De qua natura mercedis, & quod præmium non esset Angelis specialis gratiæ donum, plura diximus, cum de meritis primi hominis ageremus.

Lib. de Cor. & grat. c. 7.
Lib. de grat. & lib. arb. c. 9.
Lib. de Cor. & grat. c. 11.
Vid. latè libr. de stat. primi hom. c. 16.

Ex his ergo conficitur quod prætendimus:

gloria in Angelis non fuit gratuitum gratiæ donum, sed merces quæ merito non donato debebatur, ergo non fuit Angelis prædestinata prædestinatione gratiæ. Nam illa sese invicem consequuntur, per gratiam dari & per gratiam efficaciter prædestinari. Si enim in Angelis aliquid ex merito liberi arbitrij, hoc est, ex tali merito quod non est gratiæ donum, attribuitur; profecto ex tali merito efficaciter prædestinatur. Hoc enim est argumentum, quod contra Massilienses format Augustinus, ut supra diximus.

Nec vero hic opponi potest, gloriam posse gratis prædestinari, quamvis in tempore ex meritis detur; eo quod nunc in hominibus ita reipsa fieri videatur. Hoc enim tunc tantummodo verum est, quando simul ipsa merita quibus gloria in tempore reddenda est, gratis prædestinantur. Tunc enim illa tota series beneficij, quo quis vult huic, non alteri, gloriam tanquā præmium meritorum, quæ ipsa gratis donanda præparantur, prorsus gratuito prædestinatur. Sed hoc in præsenti casu non potest habere locum. Iam enim demonstravimus merita non esse Angelis gratis data aut prædestinata, sed propria libertate, quamvis non sine gratiæ adjutorio comparata. Ergo propter illa non potest Angelis gloria ex gratia prædestinata dici, sicut nec in tempore gratis data est, sed merces meriti fuit.

Cum ergo gloria non fuerit Angelis gratis prædestinatione præparata vel data, necesse est, illius prædestinationem fuisse *meritorum*. Nam gloriam ipsis aliqua ratione prædestinatam esse, juxta divi Augustini principia, negari nullo pacto potest. Si enim damnatio impijs Angelis prædestinata fuit, quanto magis justis & sanctis gloria? Quod ex ipsa quoque prædestinationis notione, quam ex Augustino & Fulgentio supra dedimus, non minus certum quam perspicuum est. Quis enim Angelis in cælo gloriam contulit nisi Deus? Nec enim ipsi seipsos sublimis illius contemplationis & beatifici amoris beneficio glorificare & beare potuerunt. Itaque non uno loco sanctus Augustinus tradit, Deum esse qui non solum homines, sed & Angelos beatos facit & eis beatitudinis præmium tribuit, ut in libro decimo quarto de Civitate Dei: *Donec*, hominibus in statu innocentiæ, *alia maior felicitas daretur, qua beatissimis Angelis data est.* Et in libro vigesimo secundo ejusdem operis: *Qui casum*, inquit, *Angelorum voluntarium iustissima pœna sempiternæ infelicitatis obstrinxit, atque in eo summo bono permanentibus cæteris, ut de sua sine fine permansione certi essent, tanquam ipsius præmium permansionis dedit.* Itaque alibi generaliter dicit, quod *Deus prævidet quid de iniusto impijsque facturus sit.* Quibus verbis ipsa

Vide lib. 3. de lib. arb. c. 3.

Lib. 14. de Civit. c. 10.

Lib. 22. de Civit. c. 1.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 3.

A prædestinationis definitio, prout ab August. sæpe tradita est, comprehenditur. Si ergo Deus eos glorificavit, hoc est, gloriam contulit, si Deus eis præmium permansionis dedit beatosque fecit, profecto se gloriam ut præmium eis daturum, & beatos facturum esse præscivit, ergo gloriam eis prædestinavit. Non autem prædestinatione gratiæ, propter causam quam diximus, ergo prædestinatione meritorum: qualis est etiam prædestinatio damnationis, sed hæc in malo, illa in bono. Hæc igitur videtur esse ratio, cur in omnibus operibus Augustini nusquam reperiatur, Angelos esse prædestinatos. Nam, ut supra diximus, prædestinatio alicujus simpliciter dicta illa dicitur, qua Deus creaturam rationalem, ab initio usque ad finem, per donum aut opus suum beatificandam suscipit. Quod si qua tamen de Angelis hujusmodi locutio reperiretur illa

B intelligenda esset, ut significaretur Deus eis vel sanctitatem illam in qua creati sunt, (de qua, quia res aperta est nos non agimus) electione *gratiæ*; vel certe beatitudinem *electione meritorum* prædestinasse: quo sensu dixit impios non solum *ad interitum*, *ad mortem*, *ad supplicium*, sed etiam *dæmones prædestinatos*, ut supra vidimus. Multo ergo potius dici possent sancti Angeli, non quidem ad perseverantiam, quæ volendo retinetur, sed prædestinatione gratis ad sanctitatem, cum qua conditi, vel ad gloriam, ad vitam æternam, ad præmium beatitudinis, adeoque beandi, prædestinati, prædestinatione non *gratiæ* sed *meritorum*, quæ Angelos ipsos sua voluntate, non sine gratia facturos, non se per gratiam specialiter facturum aut donaturum esse præscivit. Et sic fortassis locus iste de Civitate Dei intelligendus est, ubi sanctus Augustinus dicit, quod si felicitas in primis hominibus mansisset

C *donec prædestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia maior eis daretur, quæ beatissimis Angelis data est.* Vno enim ex tribus modis exponi potest, vel ut prædestinatio respiciat sanctitatem, & numerus sanctorum *prædestinatorum* dicatur, quia omnes omnino beatificandi ad sanctitatem gratuito prædestinati sunt; quia gratuito vel in ipsa creatione, vel in restauratione sanctificati: vel secundo, ut sancti omnes prædestinati etjam ad gloriam asserantur. Nam & illud verum est, partim electione gratiæ, partim vero meritorum. Vel denique tertio prædestinatorum sanctorum numerus dicatur, pro prædestinatus sanctorum numerus, ut non sancti omnes generaliter prædestinati, prædestinatione videlicet gratiæ, dicantur ad gloriam seu beatitudinem, sed numerus tantum; quod inde valde verisimile est, quia hoc in eodem illo libro aliquoties, & in alijs locis asserit, ut paulo latius inferius dicturi sumus.

Lib. 14. de Civit. Dei c. 10.

CAPVT

CAPVT XIV.

Angeli non sunt electi efficaciter ad gloriam, ante prævisionem perseverantiæ, seu meritorum absolutam.

QVISQVIS itaque Augustini principia jam declarata, & propriâ luce satis manifesta penetraverit, facile videt quid ad aliam quæstionem responderi debet, qua quæri solet, utrum Angeli absoluta & efficaci voluntate ad obtinendam gloriam electi atque prædestinati sint, ante absolutam prævisionem meritorum? Nam quamvis recentiores aliqui affirmativam partem fidenter asserát, juxta tamen Aug. mentem oppositum sine dubitatione teneri debet. Cujus ratio ex natura gratiæ fluit, quæ ad perseverandum, gloriamque perseverando promerendam ipsis data est. Modus quippe electionis & executionis indicat modum intentionis. Gratia vero, quæ velut medium ad procurandam Angelis gloriam eligebatur, non eis dabat perseverantiam aut meritum, sed ab ipsorum voluntate, quamvis non sine gratiæ adjutorio, suspendebatur. Ex quo consequenter nascitur, ut gloria non nisi illis esset decernenda, quos spontaneâ voluntate sub gratiæ adjutorio perseveraturos esse prævidebat, non Deo per istam gratiam ut perseverarent, seu ipsam perseverantiam donante, sed Angelica, tametsi non sine gratia, præstante voluntate. Nam alioqui Dei prædestinatio de cõferenda gloria valde fuisset temeraria & incerta, sicut Angelo forte gloriam decrevisset, cui nec ipse meritum dare voluisset (quia nullis dedit) & qui propria esset voluntate peccaturus. Ex quo & aliud incommodum non exiguum sequeretur, quod ut Dei prædestinatio impleri non posset, non in Dei sed hominis foret potestate. Si enim Angelus isti gratiæ adjutorio cooperari sponte voluisset, prædestinatio Dei de danda gloria fuisset impleta; sin autem noluisset, cassa decretique effectus consecutione frustrata; ut ita non nisi conditionata esse potuisset voluntas, decretum ac prædestinatio Dei. Quæ sanè divus Augustinus, tanquam absurda vehementer abhorret. Nam contra Massilienses disputans, qui similiter initium fidei & perseverantiam in hominis potestate statuebant, non Deo ut vellent & crederent donante, sed humana libertate faciente, absurdum esse tradit, quod Deus opera hominibus per gratiam donanda promisisset, & consequenter prædestinasset, & tamen non daret eis initium fidei, sine qua opera bona habere nequeunt, sed hoc ab humana libertate exspectaretur: *Sic enim*, inquit, *ut impleat, quod promisit Deus, in hominum est potestate. Nisi enim homo faciat, quod Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet. Hoc est nisi habeat homo fidem ex seipso, non implet Deus quod promisit, ut opera justitiæ dentur ex Deo. Ac per hoc ut promissa sua Deus possit implere, non est in Dei sed in hominis potestate. Quod si veritas & pietas nos credere vetat, credamus cum Abraham, quoniam quæ promisit potens est & facere. Promisit autem filios Abrahæ; quod esse non possunt si non habeant fidem: ergo ipse donat & fidem.* Vbi vides Augustinum ex natura divinæ promissionis, quæ non est aliud nisi prædestinationis explicatio, sic arguere: si Deus promisit opera donanda, ergo donat & fidem, sine qua opera esse non possunt; quia alioquin si Deus promittit opus, & ab homine petenda est fides, ut Deus impleat quod promiserat, in hominis non Dei erit potestate, quod eodem prorsus modo in promissione & prędestinatione glorię respectu Angelorum, & perseverantiæ, sine qua præeunte dari non potest, locum habet.

Franc. Suar. lib. 1. de prædest. c. 9. & alij non pauci

Lib. de præd. Sanct. c. 10.

Hunc ergo ordinem gloriæ, meritis præcedentibus prædestinandæ, perspicaciter viderunt omnes illi recentiores, qui gratiæ adjutorium, per quod homines aut Angelos æterna felicitate potiri volunt, non aliud esse statuunt, quantum ad operandi modum, quam quod Augustinus pro Angelis & statu innocentiæ proposuit, & à lapsorum hominum adjutorio tam accurata descriptione distinxit. Statim enim hoc ipso necessario consequens esse vident, ut nemo tali munitus adjutorio ad gloriam efficaciter eligatur, nisi postquam prævidérit Deus, eum non esse tali adjutorio sua voluntate defuturum. Nam in istiusmodi adjutorio nulla omnino secuturi meriti certitudo est, sed omnimodo, quantum ad actualem influxum, instar habitus dominanti subditur voluntati. Vnde tota influxus effectusque certitudo ex ipsa eadem voluntate, per præscientiam sic hauriri debet, ut nihil omnino certi de dando præmio, ab homine, aut Deo promitti, decerni, aut prædestinari possit, nisi prævolante præscientia, nutum, flexum, determinationemque voluntatis adjutorium secum ad agendum rapientis inspexerit. Sed aliter se res habet eo casu, quo si viderit Deus voluntatem adjutorio defuturam, alterius generis adjutorium assumere potest, quo faciat voluntatem velle & facere, quod volendum & faciendum est. Tunc enim gloria secure decerni ac prædestinari potest, etjam non prævisa absoluta determinatione voluntatis. Scit enim se in sua habere potestate voluntatem, ut ipsam per efficacissimum adjutorium flectere possit quo voluerit. Sed hoc in hypothesi supponitur non habere in Angelis locum, utpote qui non adjutorio illo potentissimo ad implendam Dei voluntatem ac propositum tracti raptique statuuntur, sed suæ propriæ & liberę relicti voluntati, non adjutorio ut velint donante, sed ipsa Angelica voluntate, pro sua liberrima indifferentia, faciente.

Ita Lessius, Molina, A. Lapi. & alij.

Quod

Quod vero à recentioribus, pro illa sua sententia asserenda, sumuntur omnia testimonia Scripturæ & motiva, quibus Augustinus probet electionem gratiæ respectu hominum eodem modo in Angelis procedere, à veritate prorsus alienum est, & non vulgarem doctrinæ sancti Augustini & principiorum ejus imperitiam prodit: Nam illa Scriptura *non est volentis neque currentis sed miserentis Dei*, nunquam Augustinus nisi circa miserabiles, hoc est, lapsos usus est, circa quos solos misericordia locum habet. Illam vero *Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*, nunquam etjam Angelorum voluntatibus aut primi hominis applicuit, sed potius expresse multis modis & constanter negat, Deum fecisse in Angelis bonis velle atque perficere pro bona voluntate, sed potius eorum arbitrio reliquisse, prout diversis locis fusè diximus. Vnde & istud à veritate remotissimum est, quod Suarez dicit, istud principium quo contra Massilienses utitur, initium fidei & omnium bonorum operum ex Deo esse, *etiam in Angelis esse verissimum*. Angeli namque in gratia cum bona voluntate conditi habebant adjutorium quo crederent si vellent, non quo fieret ut uellent. Nec aliter nisi isto modo docebantur à Deo, vel trahebantur à Patre. Ex quo fit, ut illæ interrogationes, in quibus hæret Augustinus, *Cur hunc trahat & illum non trahat? Cur hunc ita suadeatur ut persuadeatur non alteri?* Non possint de duobus Angelis bono & malo fieri, sicut ipsi putant, nec ab Augustino unquam de ipsis factæ sunt. Angelis enim neque bonis neque malis, ita suasum fuit ut persuaderetur; quia per hoc in Augustini phrasi gratiæ Christi efficacia designatur; sed persuasus à non persuaso, non ex gratia, sed ex sola voluntate, non sine gratia, discrimen accepit. Nec Angeli jam semel sanctificati, ad patrem tracti sunt, vel secundum *propositum vocati*, prout illæ phrases in Scripturis sonant. Significant enim illum impulsum vocationis, quo agitur & peragitur id ad quod trahimur & vocamur, quod gratiæ Christi proprium est, à gratia vero Angelorum & primi hominis extraneum. Vnus est in Augustino locus, quo suam sententiam aperte confirmari putant, quia in libris de Civitate Dei dicit *Angelos* bonos *amplius adjutos ad beatitudinis plenitudinem pervenisse*. Sed locus iste non recte ab eis intelligitur; quem quia nos alibi ex professo declaravimus, hic explicationi ejus supersedemus.

Suarez lib. 1. de prædest. c. 9. n. 7.

Lib. 12. de Civit. c. 9.

Vide dicta lib. de statu primi hom. c. 18.

CAPVT XV.

Homines efficaciter electi sunt, non solum ad merita, sed etjam ad ipsam gloriam, ante prævisionem absolutam meritorum: & cur magis quam Angeli. Tres hallucinantium classes; quia radicem diversitatis non agnoverunt.

Ex omnibus quæ de Angelorum electione ac prædestinatione disseruimus, jam satis etjam elucescit, quid de hominum lapsorum electione statuendum sit, utrum & illi non aliter ad gloriam eligantur, nisi ex prævisione fidei, meritorum atque perseverantiæ: an vero vice versa, quia Dei efficaci voluntate ad adipiscendam gloriam, electione gratiæ electi sunt; fides dilectio, merita, ipsis à Deo, efficacem intentionem suam per gratiam exequente, donentur. Quæ quidem quæstio, tanquam quæ obscura ac difficilis videtur, magna Scholasticorum contentione celebrata est. Sed revera in Augustini principijs plana & facilis est. Nam simul atque divinissimum istud discrimen duplicis adjutorij *quo fit actio*, & *sine quo non fit*, seu *possibilitatis*, & *voluntatis*, quod tam sollicitè atque operosè & perspicuè sanctus Augustinus tradidit, animo perceptum ac stabilitum est, omnes confestim Scholasticorum nebulæ diffugiunt, patetque lucidissime primos homines & eorum posteros, si in sanctitate & veritate stetissent, non fuisse aliter eligendos efficaciter ad gloriam, quam Angelos electos diximus; hoc est, non nisi ex præscientia absoluta meritorum; lapsos vero & ex lapsu isto justissime damnatos, efficaciter eligi ad gloriam, antequam eos ulla merita prævideret habituros. Eo quod illa ipsa ad gloriam efficax electio, omne meritum in illis gratis operetur. Discriminis istius ratio, non est alia, nisi discrimen adjutorij, quo Deus medium quod ad gloriam ducit, hoc est, fidem & opera bona seu merita, in utrisque operatur. In stantibus, sive hominibus, sive Angelis non aliter ea Deus facit, nisi quia dat eis posse si velint, velle vero in eorum libero relinquit arbitrio. In lapsis vero, sic ea Deus facit, ut non exspectet ab eis ut velint, cum aliquo adjutorio, *sine quo* velle non possunt; sed ita, ut eis ipsam procuret præparetque voluntatem, non solum ut stent ac faciant si voluerint, sed operando invictè per *adjutorium quo*, ut non nisi stent, & faciant, & velint. Quod usque adeo in Augustini sensu verum, est ut si Deus prævideret per aliquod hujusmodi adjutorium nondum flectendam esse voluntatem, aliud assumeret, quo victore flecteretur. De qua istius adjutorij natura non est hic disserendi locus, sed eam hic tanquam alibi fusè stabilitam supponimus. Ex isto ergo principio non est difficile doctrinam istam asserere. Nam quis sit intentionis modus, efficax an inefficax,

Vide dicta toto 2. prim lib. de grat. Christ. Salv. & c. 31.

inefficax, non potest clarius quam ex electionis modo nobis innotescere. Sed talis medij electio, quo certissime directissimeque finis assequendus est, evidenter clamat, agens efficaciter & infallibiliter ad propositū sibi finem velle pertingere; ergo per illud medium efficaciter illum intendit; ergo etjam ante prævisionem absolutam medij, quia ipsum medium, ex vi tam efficacis intentionis excogitatur, quæritur, & eligitur. Ex quo fit ut ista quæstio à solis illis qui adjutorij medicinalis Christi naturam non intelligunt, in dubium revocetur. Quotquot enim vel physicam istius adjutorij prædeterminationem docent, vel certe tantam ejus efficaciam ut cuicumque adhibetur sine ulla dubitatione prorsus velit & faciat, non autem in ista indifferentia voluntatis relinquatur, ad usum aut non usum ab illo determinandum; nihil omnino de ista quæstione dubitant. Quod & ipsi contrariæ opinionis auctores profitentur.

Vide Less. lib. de præd. & reprob. n. 55.

Sed merito quæri potest, quæ sit causa à priori, cur nunc non olim tale medium, tam efficax assumatur, & consequenter, unde fiat, quod illa tam efficax intentio, nunc magis quam olim præcedat in Deo. Multi se fatigant frustra in assignanda ratione. Qui enim assumunt intentionem finis præcedere debere voluntatem circa media, verum est, sed non est necesse talem intentionem absolutam esse & efficacem. Nam in Angelis aliter factum est. Quod vero ijdem ipsi vel alij assumunt, totum salvandorum numerum ex divina & efficaci intentione præfixum esse, verum est, ut ex Augustino late declarabimus; sed non inde sequitur quod inferunt, talem intentionem Deum habere ex se necessario circa omnes qui futuri erant cives in illo regno. Numerus enim decreto ex se concepto definiri à Deo potuit, quamvis per solos illos, quos adjutorio *sine quo non* libera voluntate cooperaturos esse cerneret, impleretur; vel si qui deficerent per efficacem intentionem ex ipsis qui defecerant, aliqui seligerentur & vocarentur, ex quorum substitutione prædestinati numeri plenitudo consurgeret: Sic enim reipsa, ut patebit, factum est: ideo dicit, quod si in paradiso peccatum non fuisset, *usque ad certum numerum sanctorum quem prædestinavit Deus, nascerentur homines*; itemque quod tantus fuisset hominum numerus, si in illa felicitate nemo peccasset, *quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum*. Nempe quia ille numerus præcise sufficiebat implendis sedibus, quas Deus implendas præstituerat.

Ratio igitur, cur homines magis quam Angeli tam efficaci intentione, ante prævisionem operum eligantur ad gloriam, non est alia nisi quia sic placuit Deo. Placuit autem quia hic rerum status & congruus rebus ordo postulare videbatur. Erat enim congruentissimum, ut cum creaturas rationales, cum summa arbitrij libertate & potestate sine ulla concupiscentiali resistentia & pronitate condidisset, experiretur prius ac patefa-

A ceret, quid eorum liberrima voluntas posset, nempe perseverare in collata sibi bonitate si vellet; quia non deerat adjutorium per quod, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Hoc ergo factum ac demonstratum est in Angelis & hominibus; quorum illi cum per liberum arbitrium partim in veritate stetissent, partim excidissent; hi vero penitus cum tota posteritate per idem liberum arbitrium perijssent; quid erat naturalius & congruentius, quam ut jam etjam ostenderet, quid posset gratiæ suæ potentissimæ beneficium. Quem duplicis gubernationis rationem & modum profunde tetigit & propalavit nobis Augustinus, quando tanquam de re sibi certissima pronunciat: *Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectissime credimus, Deum Dominumque rerum omnium sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius*

Lib. de Corr. & grat. c. 10.

B *ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* Nam quid posset liberum arbitrium in bonis Angelis patuit, *qui per liberum arbitrium in veritate steterunt*, ut ibidem adjiciendo declarat. Et alibi: *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt.* Gratia enim non fecit, ut in veritate starent, sed ut possent stare si vellent: liberum arbitrium fecit ut actu vellent & starent. Et ita apparuit primo quid posset liberum arbitrium. Nunc vero si quis salvandus est, necesse est, ut ostendatur, quid possit *gratiæ beneficium*. Nam ex ipso lapsu nostro *Liberum arbitrium ad diligendum Deum peccati granditate perdidimus*; non solum ut sine gratiæ adjutorio jam non posset homo diligere Deum, quod nec integra libertate potuit, nec perfecta etiam beatus poterit, sed sic ut nisi Deus infirmo & captivo arbitrio, per aliud

Lib. de dono persev. c. 7.

Epist. ad Vital.

C potentius gratiæ adjutorium ipsum velle & diligere & venire, & non recedere seu perseverare largiretur, nec velle posset nec diligere bonum, neque venire ad Deum, neque permanere cum Deo: *Non est hoc omnino* (videlicet accedere ad Deum & non recedere à Deo) *in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt. Fuerat in homine antequam caderet &c. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo.* Tanta ergo infirmitas hominis, imo oppressio libertatis ad agendum pietatis bonum, & servitus durissima peccandi, cui mancipatus est, causa fuit, cur Deus potentiorem gratiam elegerit ad salutem perditorum; quæ non amplius frustraretur effectu suo, sicut in tanto numero Angelorum totoque genere humano frustrata fuerat; nec amplius ab illa desultoria arbitrij levitate ac libertate penderet, sed ipsam libertatem à dominante

Lib. de dono persev. c. 7.

D peccato & voluntatem daret, operando non solum posse si velit, sed ipsum velle atque perficere. Nimirum voluit Deus salutem captivorum hominum, non amplius in illa infirma reponere libertate, sed sibi ipsi tanto adjutorio

præsciverit. Nam ante decretum istud nostro concipiendi modo, non erit in Deo præscientia rerum istarum, quas eum facturum ponimus, nisi simplicis intelligentiæ, tanquam possibilium, quarum futuritio ex decreto solo faciendi proficiscitur. Hoc enim quemadmodum est prima causa faciendi, ita cæterarum omnium causarum, ex quibus illa res habet quod futura est, determinationem antecedit. Ex quo etiam accidit, ut sicut istud decretum est prima causa productionis rerum, ita scientia ista visionis, vi decreti istius ad eas producendas, in executione concurrat. Scientia enim pura possibilium nihil causat, sed illa quæ causat, necessariò est voluntate Dei decernente posterior: quæ sane per hoc ipsum, quod eam præcedat voluntatis decretum, iam non est simplicis intelligentiæ, sed libera & consequenter visionis quemadmodum & recentiores quidam hoc ipsum tradunt.

Alvar. disp. 13. & 16.

Altera opinio, qua scientiam conditionatam ab Augustino significatam asserit, ex illis ipsis Augustini testimonijs huc usque à me prolatis per se ipsa corruit.

Adversus quam istud generaliter capitale est, quod non dicat Augustinus, Deum per istam præscientiam prænoscere, quid homo hâc vel illâ gratiarum serie datâ, facturus sit (quomodo si illam conditionatam scientiam intelligeret, debuisset loqui) sed per eam præscire Deum *opus suum*, præscire *quid ipse facturus sit*.

Imò exsertissimè dicit, Deum vi prædestinationis præscire, imò promittere (quod est prædestinationis effectum patefacere) *quod ipse facturus fuerat, non quod homines*. Quocirca sive scientia illa conditionata, secundùm Augustini sententiam, Deo tribui debeat (quemadmodum non est difficile ostendere) sive fortè non debeat, non esse tamen ab ipso in ista prædestinationis definitione significatam, ex ijs quæ iam diximus satis liquet: nec significari potuisse ex natura gratiæ liberatricis & Christianæ, quam supra uberius explicuimus, abundè intelligitur. Est enim talis in voluntatem efficaciæ, tantâque potestate libero arbitrio dominatur, ut nihil hostilius ei quàm ista præscientia conditionata, prout eam isti authores explicant, excogitari posse videatur. De quo alibi latius.

Lib. de præd. Sa. c. 10.

Porro (ut istud etiam breviter dicam)

A quamvis toties Augustinus præscientiæ mentioné ingerat, quando de prædestinatione disputat, ut nonnulli arbitrati fuerint, prædestinationis naturam in actu intellectus præcipuè collocatam esse, ex diversis tamen ipsius locis manifestum est eam in divinæ voluntatis decreto esse sitam. Quod inde inprimis claret, quia sæpiùs prædestinationem electionem vocat: usque adeo ut dicat: *electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in quâ Deus sua futura facta præscivit*. Et *eligere ut credant homines*, nihil ei sit nisi prædestinare ut credant. *Quemodo enim eligeret eos qui non erant nisi prædestinando?* Alibi utitur verbo, *statuendi, constituendi, decernendi*; hæc autem sunt voluntatis. Nam ut est in libro Esther: *Non est qui possit resistere voluntati tuæ si decreveris salvare nos.*

Lib. de præd. Sa. c. 10. Cap. 12. Esther 13.

B Imò prædestinationem vocat Augustinus *definitam sententiam voluntatis Dei*. De quibus vide latiùs capite primo. Sic intellexerunt etiam Augustini doctrinam Massilienses adversarij eius, itemque Prosper & Hilarius discipuli eius, nam de prædestinatione Augustini in controversiâ tractâ disputantes, vocant eam passim & sæpius *propositũ Dei quo fit hominũ discretio desinitionem, prædestinantis electionem cõstitutionem Dei, propositum & consilium voluntatis Dei*, quo vas in honorem conditur, ita videlicet ut præscientia ex ipso proposito seu decreto Dei proficiscatur. Hoc idem S. Fulgentius docet apertissimè & sæpissimè. *Vtrumque prædestinando Deus preparavit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renovãdi disposuit ut eius voluntas in opere novo nova esse*
C *non possit*. Et multò inferiùs: *Vera igitur immutabilitas dignè vera vocatur æternitas, in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ creator ille iam fecisse dicitur, quod in creatura mutabili, prout opportunè faciendum disposuit, sic ritè dispositum facit.* Et multis interjectis iterum: *Tales itaque Deus aptavit in interitum punitionis, quem peccatori iustus iudex prædestinatione iustâ decrevit*. Nec dissonat ab ista doctrina in alijs libris suis. Nam in illis quos de veritate prædestinationis & gratiæ scripsit, diversis locis idem docet, nunc dicens Deum *prædestinare secundùm propositum voluntatis suæ*; nunc neminem *vincere prædestinationem, sicut nullus potest eius vincere voluntatem*, & similia quibus prædestinationis naturam eum in voluntate collocare, manifestissimè liquet.

Fulgent. lib. 1. ad moni. Lib. 24. Fol. 13. Fol. 61. Lib. 3. de ver. præd. & gra.

CAPVT OCTAVVM.

Effectus adęquatus prędestinationis gratuitę est liberatio. Quid illa, & à quibus. Prędestinatio gratię facta est pręviso peccato, non aliter.

QVantum ad primam huius quæstionis partem, iam ex antedictis utcumque intelligitur, effectum prædestinationis gratuitæ esse gratiam. Ita disertis verbis Augustinus: *Inter gratiam porro & prædestinationem hoc tantùm interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò iam ipsa donatio*. Et rursum paulò inferius. *Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est gratiæ est, ut dixi præparatio; gratia verò ipsius prædestinationis effectus.*

Lib. de præd. Sa. c. 10.

Porro

Digitized by Google

Porrò per gratiam non intelligitur ipsa præcisè gratia, prout distinguitur ab effectu suo, sed præcipuè ipse effectus, quem Deus per gratiam in homine operatur, hoc est, ipsum opus bonum quod Deus homini per gratiam donat, & in homine per gratiam operatur. Hoc est enim propriè quod Deus se in hominibus facturum esse præscivit, & per hoc prædestinavit. Declarat hoc infinitis locis Augustinus, loco gratiæ semper proferens ipsa merita bonorum operum, quæ suæ gratiæ liberalitate & operatione largitur, ut in illo ipso loco quem citavimus, explicans id quod primo loco dixerat: *Quod itaque ait Apostolus non ex operibus, ne fortè quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, gratia est. Quod autem sequitur, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, prædestinatio est.* (Ibid.) Et statim simpliciter explicans idipsum quod secundo loco repetiverat: *Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens: patrem multarum gentium posui te, unde dicit Apostolus: Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. Alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* (Ibid.) Ecce utroque explicat loco per gratiam se effectus gratiæ intelligere. Gratia quippe operandi non datur à Deo ut in ipsa stetur, sed ut Deus per ipsam gratiam in homine velle & perficere operetur. Vnde facta illa sua, quæ per prædestinationem Deus præscire dicitur, sæpè exponit Augustinus esse fidem, charitatem, pietatem, obedientiam, perseverantiam, hoc est, ipsum credere Deo, diligere Deum, colere Deum, obedire Deo perseverare in Deo, quæ etiam dona ac munera Dei, quæ suis electis se donaturum esse præscivit. Cui asserendæ veritati non est opus pluribus, cùm totus uterque liber de prædestinatione sanctorum ac perseverantiæ dono, nihil aliud clamet.

Porrò sub ista gratia, hoc est, sub istis effectibus gratiæ, etiam gloriam intelligendam esse, jam satis superque in præcedentibus confirmavimus. Vnum hic adjicio, utraque ista tam gratiam, quàm gloriam, hoc est, tam merita seu opera bona, quàm operum præmium, sub prædestinationem gratuitam cadere, non sub qualibet consideratione, sed quatenùs sunt *beneficia liberationis*. Nam hoc est, quod Augustinus dicit, prædestinationem esse præparationem *beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Porrò liberatio respicit essentialiter libertatem. *Liberati quippe propriè dicitur*, inquit idem, *liberum fieri: quomodo salvari, salvum fieri; sanari, sanum fieri: sic liberari liberum fieri.* (Serm. 49. de verbis Dom. cap. 1.) Neque ista propriè dicta libertate quisquam liber fit, nisi à servitute, quemadmodum satis intellexerunt Iudæi, quando respondebant Christo liberatori *Nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis: Veritas liberabit vos?* Hoc est, inquit Augustinus hoc explanans: *Quos vides non habere servitutis necessitatem, quomodo eis polliceris libertatem?* (Ibid.) Hæc ergo servitus, à qua homines liberantur per illa Dei beneficia, non est servitus hominum visibilium, nec propriè & immediatè diaboli, sed *peccati*. Quod & Christus eodem sermone demonstravit Iudæis, cùm eis libertatem polliceretur: *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati &c. Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Quasi diceret peccati servitute servi estis, qui vos liberos venditatis. Si ergo vos Filius ab hac servitute peccati liberaverit, verè liberi eritis. Quid sit verò illa peccati servitus, cui genus humanum ex Dei æquitate & propria iniquitate damnatum est, alio loco uberiùs diximus. (Vide lib. 7. de gra. Chr. Salv. c. 6.) Hoc loco satis fuerit intelligere, non esse solam peccati culpam sive ex origine, sive propria operatione contractam, à qua peccatorum omnium remissione liberamur. Quisquis enim tali remissione liberatus est, non continuò beneficia certissimæ liberationis, de quibus Augustinus loquitur, assecutus est: sed esse in primis præter peccati culpam servitutem concupiscentiæ, sive servitutem sub lege peccati & mortis, quæ phrasi Apostolicâ PECCATUM, & *lex peccati & mortis* dicitur, & à qua Christus liberat nos per gratiam suam. (Rom. 6. & 8.) Denique ipsum corpus mortis, à quo tanto gemitu Apostolus liberari petit, quando dixit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7.) Hoc est, de vitiis corporis mortis. Nam de ipso *corpore mors corporis separat, sed contracta ex illo vitia cohærent, quibus justa pœna debetur, quam etiam in inferno ille dives invenit. Hinc se non poterat utique liberare, qui dicit: Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Lib. de nat. & gra. c. 55.) Nam de talibus vitiis carnalibus, quæ ex originis corruptione inundarunt, & propriis magis magisque crescunt iniquitatibus, *Non liberatur homo sine gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis liberatur à corpore.* (Ibid. c. 55.) De quibus etiam latiùs alibi dictum est. Servitus igitur ista qua spiritus hominis dominanti servit cupiditati, & carnalium vitiorum exercitui, unde fomes tentationum omnium, quæ vel sponte ex homine, vel ex diabolo concupiscentias quibus conspersi sumus, commovente proficiscuntur, non tollitur ex homine, nisi & culpa tota per perfectam justitiam, & illæ densæ tenebræ, quibus ex peccato involuti sumus, per luminosissimam sapientiam, & concupiscentiæ vetustas, per ipsam mortalis corporis innovationem resurrectionemque deleatur. Ex quo sanè fit, ut libratissimè rectissimèque dixerit Augustinus, effectum adæquatum prædestinationis gratiæ describendo, esse *beneficia Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*: hoc est breviter, esse beneficia liberationis perfectæ, seu liberationis, ut Christi verbis loquar, quâ *si nos Filius hominis liberaverit, verè liberi erimus.* Verè namque seu perfectè liberi nō erimus nisi & ipsū corpus

in quo

in quo omnium incentiua vitiorum circumferimus, *Liberetur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, per redemptionem videlicet corporis nostri*, ubi græcè est ipsissimum verbum, δουλεία, id est, servitus, & ἐλευθερία & ἐλευθεροῦν, quę Aug. *in græca lingua evidentius sonare tradit propriè dictā libertatē*, quatenus opponitur servituti. Nam alioquin liberatio magis diffusâ & impropriâ significatione extenditur ad omnem cuiuslibet hostis aut molestiæ, aut omnis mali depulsionem, ut observat ibidem Augustinus: *In consuetudine latinæ linguæ liberari duobus modis dicitur. Et maximè in eo consuevimus audire hoc verbum, ut quicumque liberatur intelligatur periculum evadere, molestiis carere. Liberari autem propriè dicitur liberum fieri.* Vna significatio igitur *maximè usitata* est altera verò *propria*. In Augustini definitione intelligimus valde convenienter, iuxta principia ipsius alibi latius deducta, propriè dictam liberationem, quæ usque ad beatam corporis redemptionem, ipsamque spiritus felicitatem gloriosam se protendit, sine quibus perfecta spiritus liberatio, omnisque depulsio servitutis obtineri nequit. Hanc verò propriè dictam perfectamque liberationem quisquis fuerit assecutus, hoc ipso quoque iuxta vulgarem & maximè usitatam significationem liberandi, liberatus erit: nempe ab omni interno externoque hoste, ab omni interna externaque molestia, ab omni denique interno externoque malo.

Serm. 48. de verb. Dom.

Ibid.

Etenim utraque liberatio hîc justitiæ dilectione, & concupiscentiæ refrænatione ac diminutione inchoatur, & in beata corporis resurrectione atque animi perfecta sapientia perficitur. Quapropter si quis maluerit *liberationem* per Dei beneficia quibus certissimè liberamur, vulgariter intelligere ab omni videlicet malo, nihil fuerit inconveniens. Nam & pro tali liberatione malorum omnium ad quæ ex peccato condemnati sumus, depulsionem complectēte, tantis gemitibus tota deprecatur Ecclesia, quando quotidie clamat ad Deum: *Sed libera nos à malo*. Hoc enim dicendo nos ipsos, ut Augustinus docet, *admonemus, nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum quod in dominica oratione positum est, tam latè, tamque evidenter & manifestè patet, ut homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem suam.*

Epist. 121. ad Probam c. 11.

Cùm verò genus humanum, & in illam propriè dictam animi servitutem, & in universam malorum seriem consequentem non inciderit nisi ex peccato, propter quod nascimur omnes filij iræ, totaque natura in radice vitiata atque damnata est, rectissimè quoque dicitur in Augustini definitione, libertatem intelligi, quâ à *damnatione liberamur*, cui obligati nascimur. Itaque prædestinatio gratuita, seu electio & discretio gratiæ, iuxta Sancti Augustini definitionem, non est aliud, nisi propositum liberandi aliquem à damnatione cuius reus nascitur. Nam ex isto proposito gratuito fluunt illa beneficia Dei, quibus ille quem voluerit liberare, certissimè liberatur.

Ex qua profectò vel sola definitione perspicuum evadit, electionem seu prædestinationem hominum gratuitam, iuxta Sancti Augustini doctrinam, à Deo factam esse post prævisum peccatum, cuius inquinatione damnati videbantur, & à cuius erant damnatione liberandi. Decretum enim liberationis concipi non potest, nisi prævisâ servitute, sicut nec decretum sanandi aliquem, nisi prævisâ ægritudine, quas essentialiter liberatio, sanatioque supponunt. Vnde passim in operibus suis adversus hostes gratiæ Dei, disertis verbis docet, vi prædestinationis divinæ homines ab originali massa seu damnatione discerni. Nam de diversis gratiæ donis quæ plurimis negantur loquens, causam istius denegationis in æternam illam prædestinationem & discretionem, ascendendo refert, quâ homines in mente Dei ab invicem discernuntur, hoc est, à communis damnationis massa seligendi, discernendique æternæ prædestinationis proposito discernuntur. *Ac per hoc, inquit, & qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui credere noluerunt, & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Et paulò inferius ordine reciproco, descendendo ex illo æterno prædestinationis proposito, quo homines à communis massæ humanæ damnatione discernuntur, omnium donorum Dei diversitatem velut ex fonte derivat:

Lib. de Cor. & grat. c. 7.

Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur usque in finem perseverant, & si quando exorbitant, correpti emendantur &c. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos qui & elegit eos in filio suo ante constitutionē mundi per electionē gratiæ. Et sine ulla omnino ambiguitate apertissimè: *Qui verò perseveraturi nō sūt & sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ huius finis inveniat, procul dubio nec illo tempore quo benè pieque vivunt, in isto numero* (electorum & prædestinatorum) *computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi.* Et rursus in eodem illo libro: *Faciat ipse cum charitate quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam aut iudicium: misericordiam quidem si à massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est.*

Lib. de corr. & gra. c. 7.

Ibid. infer.

Cap. 9.

Hinc igitur proficiscitur è contrario, ut apud eundem Augustinum reprobari à Deo, non sit aliud, quàm in illa ipsa originali damnatione relinqui.

Hoc ipso quippe, quo Deus aliquem non constituit ex damnatione iam contracta debitaque liberare, necessariò reprobatus, & æternâ damnatione plectendus est: *Cùm dicuntur*, inquit, *omnes ex uno in condemnationem, ipsa massa significatur, ex qua fiunt à figulo alia vasa in honorem, id est, quæ assumuntur in gratiam, alia in contumeliam, id est quæ ad supplicium relinquuntur.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Tunc* (in futura vita) *non latebit quod nunc latet, cùm de duobus parvulis unus esset assumendus per Dei misericordiam, alius per iudicium relinquendus, in quo is qui assumeretur, agnosceret, quid sibi per iudicium deberetur, nisi misericordia subveniret.* Et in libris de peccatorum meritis: *Deo per summam præscientiam iudicante, qui parvulorum ab isto reatu non mereantur absolvi.* Quod & alijs non paucis locis tradit: Vnde utrumque coniungit, & electionem prædestinantis alios ex massa damnationis, & in eadem alios reprobando, relinquentis in illo ipso loco, ubi definitionem gratuitæ prædestinationis expresserat. Nam ut ex antithesi ostenderet quid dixisset, *eos certissimè liberari, quicumque liberantur*, & quis sit ille terminus, unde prædestinatio gratiæ eos ista beneficiorum præparatione liberare decrevit, statim nullis verbis interjectis adjicit: *Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis, justo divino judicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent.* Et radicem detegens, cur talibus hominibus non adhibeantur illa signa, per quæ si adhiberentur, præsciuntur esse credituri: *Et tamen si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent.* Et in eodem capite de Iudæis: *In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus.*

Lib. 1. contra Iulian. imperf. fol. 180.

In Enchir. ad Lauren. c. 95.

Lib. 1. de peccat. merit. c. vlt.

Lib. de dono perseveran c. 14.

Ibid.

Ibid.

Hæc denique causa est, cur sexcentis locis Augustinus terminum seu effectum prædestinationis, qui in ejus definitione tangitur per verbum *liberandi*, explicet per liberationem à massa perditionis, à morte, à supplicio, à damnatione: & è contrario effectum reprobationis, per non liberari, sive puniri, sive damnari, & huiusmodi. Et in epistola ad Sixtum: *Porrò attendunt quod debita redditur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur; atque ita potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis & offensionis involvit; ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret nisi gratia subveniret.* Quod in eodem loco uberiùs & instantiùs agit & ulteriùs: *Cur autem illum potius, quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum &c.* Et adhuc in eadem epistola de prædestinatione atque electione Iacob præ fratre Esau disputans, propterea Prophetam dixisse docet: *Iacob dilexi Esau autem odio habui*: *Vt intelligeretur hoc apertum postea per Prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam.* Et quid tandem istud? *Quid enim diligebat in Iacob antequam natus fuisset aliquid boni, nisi gratuitū misericordiæ*, quod essentialiter misericordiam respicit, *sua donum? Et quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Quod vberius & enodatius explicat paulo post: *Vt cum ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu, antequam aliquid boni egissent boni aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Iacob, ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem suum cum quo habuit communem causam, videt per iustitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam potuisse discerni.* Vbi Deum diligere Iacob & odisse Esau, nihil est aliud quam prædestinare & reprobare, seu prædestinatione sua à perditionis massa discernere, & in illa relinquere seu damnare, juxta illud eiusdem in epistola ad Paulinum: *Sed quomodo, inquiunt, non est iniquitas apud Deum si diligendo discrevit, quos merita nulla discernunt?* Et paulo post effectum istius æternæ dilectionis siue discretionis à massa perditionis, siue simplicius prædestinationis exprimens phrasi solita: *Quid nos hic docuit, nisi ex illa massa primi hominis, cui merito mors debetur, non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinere, quod quisque liberatur, atque ita non esse iniquitatem apud Deum, quia neque remittendo, neque exigendo quod debetur, injustus est? Ibi enim gratia est indulgentia; ubi justa posset esse vindicta. Et hinc evidenter apparet, à pœna debita liberato & gratis justificato, quantum beneficij conferatur, quod alter æqualiter reus sine puniente iniquitate punitur.* Nunquam finirem, si omnia sancti Doctoris loca congererem, quibus effectum illum prædestinationis in definitione memoratum verbis istis: *Quibus certissimè liberantur* &c. per liberationem à massa perditionis exponit ut sanè fastidium potiùs, quam instructionem allaturus mihi videar, si pluribus accersendis immorer. Consulenda, si cui plura videre libet, libri 2. ad Bonif. caput 4. & lib. 4. cap. 6. lib. de natura & gratia cap. 5. & 6. lib. 3. contra Iulianum cap. 17. & libri 4. cap. 8. & alia innumera. Quæ sanè causa est, ut illa gratia, quæ gratuitæ [a] *prædestinationis effectus* esse dicitur ab Augustino, vocetur ab ipso [b] *gratia liberatrix*; gratia [c] *liberationis*; gratia quâ [d] *liberamur à concupiscentiarum dominatione*; gratia quâ [e] *liberamur à corpore mortis huius*, hoc est vitijs ejus; denique gratia quâ [f] *à damnatione liberamur, quâ jam tenemur obstricti*, & similibus nominibus. Quæ apertissimè clamant, non aliter Deum homines prædestinando respexisse, quàm ut à massa damnationis liberandos, quâ justissimo Dei judicio tota humani generis massa vitiata premebatur.

Epist. 105.

Ibid.

Ibid.

Epist. 106.

Ibid.

a Lib. de prædestin. sanct. c. 10.
b Epist. 105 ad Sixtum
c Serm. 8 de verbis Apost. c. ...
e Lib. de corr. & grat. c. 11.
d Epist. 90.
f Lib. de gestis Pelag. c. 6.
g Lib. de corr. & grat. c. 10.

Quod etiam ex alio capite non minus evidenter constat. Nam, ut Apostolus docet, & ex Apostolo sanctus Augustinus, hominum electio atque prædestinatio, non nisi *in Christo* facta est: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Et iterum: *Qui prædestinavit*

Ephes. 1.

Ibid.

nos

nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ. Sive intelligatur *in ipso* tanquam in corporis ejus plenitudine, cujus ipse caput, nos membra facti sumus, ut subinde Sanctus Doctor videtur intelligere, juxta illud Apostoli: *In quo etiam nos sortem consecuti sumus* (ut Augustinus legit) *prædestinati secundùm propositum eius*; sive *in ipso*, hoc est, per ipsum, aut per meritum eius; quæ diuersitas ad præsens propositum nihil facit. Iam verò, juxta Sancti Augustini principia, Christus non erat ullo modo venturus in mundum, nisi Adami peccato tota humana natura perijsset: *Attende Euangelium: venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat. Si homo non perisset Filius hominis non venisset.* Et in eodem sermone: *Quare venit in mundum? Peccatores salvos facere. Alia causa non fuit quare veniret in mundum. Non enim de cœlo ad terram merita nostra bona sed peccata duxerunt. Hæc est causa cur veniret peccatores salvos facere.* Et in sermone nono de verbis Apostoli eadem illa verba quamvis planissima, populo plana faciens: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.* Ergo non aliter facta est hominum prædestinatio, nisi posita prævisione damnationis seu massæ humani generis ex peccati iniquitate vitiatæ, ut vi prædestinationis possent per gratiam ab ista damnatione liberari. Nam inde venerunt ista elogia Christi Domini celeberrima, quibus Redemptor & Salvator mundi, & Iesus dicitur, quia *salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Prædestinare quippe homines seu populum suum, non est aliud quam *velle salvum facere* seu *liberare*, populum suum à peccatis eorum.

Ibidem. — Serm. 8. de verbis Dom. c. 2. — Ibid. c. 7. — Serm. 9. c. 1. — Matth. 1.

CAPVT NONVM.

Vnde phrases istæ, massa, & discretio à massa perditionis, & quid significent apud Augustinum.

EX his igitur Augustini densis contestationibus, simul etiam non obscurè colligi potest, primo vnde phrases istæ de *massa* & *discretione* venerunt, quæ tam libenter Augustinus usurpat. Hausit enim vtramque ex Apostolo, qui ad Romanos dicit: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in cõtumeliam?* vbi Augustinus semper subintelligit massam illam humani generis, quæ similitudine massæ, sive luteæ, sive farinaceæ, significatur peccati fermento corrupta esse. Nã φύραμα, quod ibi massa vertitur, ab Apost. aliquoties vsurpatur, pro conspersione farinæ, quæ fermento misceri ac temperari solet: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et, *expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio*, seu massa, φύραμα. Phrasim vero de discretione Apostolus ei ad Corinthios suppeditavit: *Quis enim te discernit?* Quæ verba, sicut Augustinus docet ad Valentinum scribens: *Ideo dicit, quia de massa illius perditionis quæ facta est ex Adam non discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus.* Et ad Bonifacium docet, homini tanquam de semetipso & de suo proprio bono glorianti dici: *Quis enim te discernit? utique ab ira vasis, à massa perditionis, quæ per unum omnes misit in damnationem* &c. ergo ille discernit, qui vnde discernaris impertit, pœnam debitam remittendo, indebitam gratiam largiendo.

Hinc etiam *secundo* colligitur & perspicuum fit, quo sensu dicatur, *massa perditionis, massa damnata* &c. Nempe quia totum humanum genus velut eiusdem cum Adamo naturæ, & ex ipso deriuatum, instar conspersionis, seu massæ farinaceæ, peccato veluti fermento vitiatum, perditum atque damnatum est; non solum quia ratione culpæ, quam peccatum attulit, sed & concupiscentiæ, qua in prolem culpa transfunditur, animus inquinatur, dominantique carni subditus nascitur: *Tunc facta est una massa omnium, veniens de traduce peccati & pœna mortalitatis.* Et inferius: *Concupiscentia carnalis de peccati pœna iam regnans, universum genus humanum tanquam totam & unam conspersionem originali reatu in omnia permanente consuderat.* Vnde alibi dicit: *Vniversa massa tanquam in vitiata radice damnata est.* Alibi Pelagianos *nolle credere, quod in uno homine tota est massa vitiata, & tota damnata, à quo vitio & damnatione sola sanat & liberat gratia.*

Tertio utcumque patet, quid sit illa discretio temporalis, seu *liberatio à massa damnationis*, quam respicit discretio æterna, seu prædestinatio gratuita saluandorum, velut adæquatum effectum suum. Quidam enim non satis periti principiorum Augustini, difficulter possunt acquiescere, quod prædestinationem Augustinus, discretionem à massa damnationis vocet: multi enim videntur per peccatorum remissionem iam à damnationis massa discerni, qui tamen nullo pacto prædestinati sunt, quia relapsi pereunt. Sed sciendum est, quod cum discretio à massa perditionis apud Augustinum ipsa prædestinatione fiat, iuxta illud ipsius: *Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, æterna illa discretio* Dei

Rom. 9. — Galat. 5. — 1. Cor. 5. — Epist. ad Valentin. — Lib. 1. ad Bonif. c. 7. — Lib. 1. q. 2. ad Simplic. — Lib. 14. de Civit. c. 26. — Lib. 2. cont. Iul. oper. imperf. §. 147. — Lib. de cor. & grat.

Dei effectus eosdem respicit quos prædestinatio. *Prædestinationis* autem *effectus est gratia*, ut idem ait, hoc est, quicquid gratia in homine ad perficiendam salutem ac liberationem ejus operatur, non merita solum seu opera bona, sed & eorum perseverantiam & ipsam gloriam, sine cujus præparatione nemo simpliciter prædestinatus dici debet aut potest; prout latius in superioribus demonstravimus. Itaque æterna illa prædestinationis discretio à massa perditionis respicit adæquate discretionem seu liberationem temporalem ab illa massa per gratiam: *Gratia*, inquit Augustinus, *liberat a totius massa damnatione quos liberat.* Quæ sane liberatio nullo modo solam peccati remissionem respicit, sed omnium omnino malorum depulsionem, quæ pœnaliter ex originali damnatione toti massæ perditionis inflicta sunt: nimirum non solum culpæ, sed & ignorantiæ illius profundæ & cœcitatis, cum qua nascimur, & concupiscentiæ tam importunæ atque periculosæ, cum quibus duabus originalibus pœnis ad mortem usque dimicamus, & ex quibus pœnis omnia peccata proficiscuntur, & ipsius mortalitatis, quam *grave jugum* Scripturæ vocant; æternæ denique damnationis, in quam nemo jam semel justificatus relabitur, nisi ex illius damnationis supplicio quo tota massa premitur. Ab istis omnibus damnationis originalis malis, nisi quis gratia liberetur, nunquam ille juxta sensum sanctissimi Præsulis, à perditionis massa discretus fuerit. Itaque discretioni sive liberationi à massa perditionis, non semel damnationem Augustinus opponit, ut in libro quarto contra Iulianum, ubi de *massa originis damnata atque vitiata* fecisset mentionem: *Ac per hoc*, inquit, *damnatus ex debito de supplicio juste queritur; nec liberatus gratis de merito superbe gloriatur.* Et libro de natura & gratia: *Universa igitur massa pœnas debet: & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur* &c. Et terminos liberationis illius circumscribens, quæ per misericordiam discernentis Dei & gratiam tribuitur: *Misericordia ejus prævenit hominem ut liberetur à malis, & quæ facit & quæ facturus fuerat, nisi gratia Dei regeneretur, & quæ passurus fuerat in æternum nisi erueretur a potestate tenebrarum, & transferretur in regnum filij claritatis Dei.* Et adversus Iulianum accuratius: *Qua gratia liberatus sum à reatu omnium peccatorum, vel quæ nascendo traxeram, vel quæ male vivendo contraxeram: qua gratia liberor, ut scio, ne intrem in tentationem à concupiscentia mea abstractus & illectus, atque ut exaudiar dicens cum consortibus meis: Dimitte nobis debita nostra: qua gratia liberabor ut spero in æternum, ubi jam nulla lex in membris meis repugnet legi mentis meæ.* Ecce triplicem liberationem a malis, quæ omnia omnino vel proximè vel remote ex originali totius massæ damnatione contracta sunt, à malis culpæ sive originalis sive propriæ; à malis tentationum, cum quibus ut assiduè luctemur, propter totius massæ culpam damnati sumus, atque ita damnati, ut nisi gratuita Dei gratia in singulis adjuvemur, nec unam quidem superaturi simus; à malis denique ipsius fomitis atque mortalitatis: quæ tentationum omnium seminarium. Quod triplex beneficium contra triplex supplicium perditionis massæ irrogatum, triplici oratione petitur ab Ecclesia, quando jam etiam ab originis culpa mundata rogat: *Dimitte nobis debita nostra; Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo*, juxta illud Augustini: *Sic ergo totum hoc in tribus beneficijs positum breviter peti potest: Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti à concupiscentia; adjuva ne abstrahamur a concupiscentia; aufer a nobis*, beatâ resurrectione, *concupiscentiam.* Quamobrem quisquis non ex omnibus istis malis quæ ex originali damnatione contracta sunt, eruitur, sicut non liberatur in tempore, nec discernitur reipsa à massa perditionis, sed in illa tametsi semel justificatus, perit; ita nec ab æterno ab illa massa perditionis Dei prædestinatione discretus fuit. Massæ quippe damnatio, non in eo tantum sita est, quod post mortem, ad æternum supplicium deputandi sumus, sed in omnibus omnino malis quæ in hoc mundo sufferuntur, & in omnibus malorum sufferendorum debitis atque necessitatibus, quæ tamen per misericordiam Dei non sufferuntur. Divinæ quippe misericordiæ est, à quocumque malo liberamur, Concilio Arausicano nobis pronuntiante: *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur.* Inter quæ mala non est minimum, quod homo qui in illa massa damnatus fuit, neque credere, neque velle bonum, neque pœnitere mali; neque diligere Deum, neque operari, neque quicquam boni quo piè vivitur, neque tantillum suis viribus perseverare possit, sed ei totum istud gratuita gratia dari debeat, quam propterea, quibus & quando & quantum voluerit, tribuit & negat Deus. Non enim culpâ est opus novâ ut hoc alicui subtrahatur, sive non detur quod nemini debetur. Ex illa igitur originalis massæ damnatione proficiscitur, ut aliquibus non detur quidem ipse auditus fidei, sine quo non possunt credere: *Fides enim ex auditu*; alijs non detur fides, sine qua justi esse non possunt; alijs non detur pœnitentia, magnum donum Dei; alijs non detur dilectio, qua bene operentur; alijs non detur firmitas persistendi in tentatione, sive perseverantiæ donum, quod Deus tribuit & non tribuit, quibus vult. Iustè autem non tribuit quod non debet: si igitur sua malitia in peccata relabantur, non est illa culpa Dei sed propria; sicut & infirmitas & cœcitas ex qua nascitur ista instabilitas propria est, ex massæ damnatione cõtracta. Hoc est igitur, quod Augustinus in istud velut principium refert, quod aliqui vel non perseveraverunt,

Lib. 1. oper. imper. cont. Iul. c. 179.

Lib. 4. cont. Iul. c. 8.

Lib. de nat. & grat. c. 5.

Lib. de Cor. & grat. c. 13.

Lib. 6. cont. Iul. cap. 14.

Lib. 2. de pec. merit. c. 4.

Conc. Arauf. can. 14.

vel baptismo caruerunt, vel non crediderunt, vel non audito Evangelio, neque credere potuerunt; quia videlicet non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam: *Non enim sunt*, inquit, *a massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo non secundum propositum vocati.* Nam sub illa vocatione, secundum propositum, non solum fides & pœnitentia, sed, ut infra latius, & perseverantia ipsa comprehenditur. Quemadmodum igitur qui ex puteo in quem cecidit ab alio gratis liberari debet, non est liberatus dum ei funis datur, & extrahi ex parte cœpit, si propria malitia vel infirmitate ex casu voluntario contracta relabatur; ita nec ille in sensu Augustini à massa discretus est, qui tantummodo peccati remissione decernitur purgandus; sed qui omnium pœnarum ex damnatione originali inhærentium abolitione justificandus, & in antiquum statum reparandus, in quo innocens massa ex Dei creatione & sanctificatione fuit.

Lib. de Cor. & grat. c. 7.

CAPVT X.

Electio, seu prædestinatio gratiæ non habuit in Angelis locum, & quo sensu.

PRÆDESTINATIONEM illam gratuitam, de qua nos hactenus disseruimus, circa homines qui perierant, suos effectus operari tam in futura quàm in præsenti vita, ex iis quæ tractavimus, satis patet. Ratio quoque certa duobus ex capitibus peti potest. Vna ex natura liberationis, de qua in definitione mentio fit, quia quotquot ad æternam salutem perducendi sunt ex justissima massæ damnatione, non solum culpæ remissione, sed omnium pœnarum abolitione liberandi sunt. Quam liberationem, quia nullum omnino meritum sive operis, sive voluntatis, sive cogitationis præcedit, neque præcedere potest, sed mere per gratuitam gratiam dari debet, necesse est, ut gratuito tantum beneficium præparetur, & proinde prædestinetur. Cùm prædestinatio gratuita non sit aliud, nisi præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Vnde Augustinus: *Quotquot ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obstricti. Vnde etiamsi nullus liberaretur, justum Dei judicium juste nemo reprehenderet. Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo verò numero liberantur multi gratia fit, gratis fit, gratiæ sunt agendæ quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur in Domino glorietur.*

Lib. de Cor. & grat. c. 10

Altera ratio ex natura *beneficiorum Dei* fluit, quibus peragitur ista liberatio. Illa vero sunt, tam meritum vitæ bonæ in hac vita, quam ejus præmium in futura, quorum utrumque Deus per gratiam Christi medicinalem, homini per peccatum perdito donat. Est enim arbitrium hominis post lapsum non solum ita culpæ & pœnæ reum, ut illud debeat à reatu hæreditario & proprio, illius agni sanguis absolvere; sed etiam sub concupiscentia peccandi sibi dominante captivum; à cujus vinculis & ferrea servitute nullo pacto potest erui, & in bene agendi libertatem surgere, nisi per gratuitam Christi Salvatoris gratiam liberetur. De qua servitute, consule quæ fusè in aliis locis diximus. Hæc porro gratia non est quodlibet adjutorium læsæ potestatis arbitrij, sed adjutorium voluntatis & actionis. Hoc est, non est adjutorium sanæ voluntatis, quo detur ei *posse* si velit, & *sine quo non* potest velle quod præcipitur, sed est adjutorium Salvatoris medicinale, *quo* Deus ægræ voluntati invictè donat ipsum velle & operari, idque ab initio inchoationis vitæ bonæ, usque ad finem consummationis. Donat ergo Deus homini per istud gratuitum & medicinale adjutorium, omnia opera ac merita quibus erigitur ad salutem, velle, credere, pœnitere diligere, operari, & in istis omnibus perseverare usque in finem, *non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* De quo genere gratuiti adjutorij medicinalis, & quo pacto per illud omnia opera lapsi hominis sint propriè & specialiter dicta munera seu, *dona* Dei late diximus, cùm de gratiæ medicinalis natura tractaremus.

Lib. de Cor. & grat. c. 12

Vide lib. 2. de gra. Christi Salvat. totum ferè pene à cap. 3. usque ad 13.

Hinc ergo irrefragabiliter consequitur, omnia hujusmodi beneficia quibus peragitur perditorum hominum liberatio, sicuti gratuita & speciali donatione dantur infirmis, per adjutorium non solum *sine quo non possunt* præcepta facere, sed *quo* Deus eis ipsum velle largitur & facere; ita quoque ea beneficia ipsis per gratuitam benevolentiam & gratiam præparari, hoc est, danda prædestinari. Vt proinde nullo pacto in dubium revocari possit, quin prædestinatio gratiæ circa lapsos homines versetur. Hoc ipso namque quo ista beneficia liberationis, aliquibus gratis præparata atque prædestinata sunt, illi ipsi gratis prædestinati sunt, juxta illius consecutionis legem quam format Augustinus, quando in hunc modum arguit: *Initium fidei & usque in finem perseverantia Dei dona sunt, nec ulla futura sua dona, & quæ danda essent, & quibus danda essent Deus non præscire potuit: Ergo,* inquit, *per hoc prædestinati ab illo sunt quos liberat & coronat.*

Lib. de dono pers. cap. 17.

Sed de beatis Angelis major quæstio est, utrum & illi electione seu prædestinatione gratiæ electi seu prædestinati sint. Quod etiam de hominibus, si in primæva perstitissent innocen-

innocentia, quæri potest. Nam eadem omnino, juxta sanctum Augustinum de hominibus innocentibus atque illæsis, quæ de Angelis ratio fuit. Angelos igitur etiam gratis ad salutem electos & prædestinatos esse, plerique recentiores & fere omnes, si non prorsus omnes, unanimiter docent. Ratio quoque manifesta & certa ipsis suffragari videtur. Est enim juxta Catholicam fidem indubitatum, Angelos vera Dei gratia indiguisse, qua possent opera bona facere, & in justitia perseverãdo cęlestis beatitudinis meritum comparare. Non minus enim opera veræ pietatis & charitatis, quibus æterna gloria promerenda est, quam ipsa gloria, quæ erat merces operum, naturales Angelorum vires, & hominum quantumvis innocentium superat. Ergo & illa eis gratis danda, & per hoc prædestinanda fuerunt; ergo consequenter illi qui reipsa beatitudinem assecuti sunt, juxta dictum S. Augustini argumentum gratis respectu utriuslibet, sive meriti, sive præmij, prædestinati sunt. Nam quod Augustinus in definitione sua liberationis mentionem facit materialis tantum videtur esse differentia, quia de hominibus lapsis ex professo loquebatur. Gratuita verò esse potest præparatio atque prędestinatio beneficiorum, quamvis aliquis per illa non à promerita jam damnatione, sed ab imminente; si deesset gratia liberaretur.

Et ista quidem, juxta recentiorum principia, videntur valde consequenter dici; qui nec semel quidem de gratuita sanctorum Angelorum prędestinatione dubitant. Sed juxta S. August. longe aliter de rebus istis ratiocinandum est; utpote cum cujus principijs ista jam dicta modernorum argumentatio, & conclusio capitaliter pugnat. Dicendum est enim Angelos, qui ęternâ fęlicitate potiuntur, non esse prędestinatos *electione* seu *prædestinatione gratiæ*, sed eâ quam supra diximus, *meritorum*. Idemque omnino de hominibus si perstitissent in statu innocentiæ, sentiri debet.

Vide hoc Tract. supra cap. 6.

Quod ut recte intelligatur, sciendum est nos non agere de sanctitate vel charitate cum qua Angeli & primi homines creati sunt, cùm Deus esset in eis *condens naturam & largiens gratiam*: hanc enim non est dubium eis gratis esse prędestinatam atque donatam: non etiam de ipso precisè adjutorio gratię, quod eis ad perseverandum datum est. Nam & istud certissimum est, gratuita Dei voluntate prædestinatum ac datum; sed de perseverantia, & actibus meritisque Angelorum, & de gloria quæ perseverantiæ & meritis retributa est.

Itaque ratio diversitatis inter innocentis lapsæque naturæ statum, ex discrimine duplicis adjutorij gratiæ, quod creaturis stantibus, & lapsis ad volendum agendumque necessarium est, proficiscitur. Aliud enim sanæ, aliud ægrotæ voluntati, aliud fractæ, aliud integræ libertati congruit. Itaque unum est simile adjutorijs, quæ robustæ sanitati conservandæ adhibentur, aliud medicinalibus, quæ infirmitati roborandæ. Inter quæ adjutoria, quanta differentia sit, & quo pacto id quod integritati ad agendum sufficit, alteri plerumque nihil omnino conferat, imo noxium sit, videnda, si placet, ea quæ latè superius ex professo disputata sunt. Præsenti scopo satis est recolere, Angelorum adjutorium non fuisse tale ut per illud eis velle, & facere, & perseverare largiretur Deus, sed tantummodo, posse facere, & perseverare si vellent. Non enim erat adjutorium *quo* fieret, ut vellent & perseverarent, sed *sine quo* velle & perseverare non possent. Non ergo Deus eos esse voluit sine gratiæ suæ adjutorio, sed illud reliquit in eorum libera voluntate, ita videlicet, ut illud desererent cùm vellent, & in quo permanerent si vellent, non quo fieret ut vellent; ut enim vellent, in eorum libero reliquit arbitrio, quod ita liberum tunc erat, ut quemadmodum Augustinus notat, *bene velle posset & male*. De quo discrimine duplicis adjutorij, stantis, lapsæque creaturæ, quantum ad operandi modum, fusè ex mente Augustini disputavimus, tum superius cum de gratia medicinali Christi, tum illo libro ubi de statu primi hominis diximus.

Lib. 2. de gra. Christi Sal. à c. 1. usque ad 4.

Vide lib. 2. citato c. 4. & 5.

Vide lib. de statu primi hominis pene toto & maxime c. 14. & 15.

Hinc ergo nascebatur primo, ut usus perinde uti non usus istius adjutorij, non ab ipso adjutorio, sed à voluntate peteretur. Adjutorium enim non se habebat, tãquam id quod voluntatem ad agendum impelleret, sed ita dumtaxat ut sine quo se ad volendum determinare non posset. Nam quemadmodum habitibus & oculorum luce utitur voluntas nutu suo, & non utitur quando vult, nec est lux aut habitus, quæ velle vel non velle, videre vel non videre nos faciunt, sed tantummodo sine quibus actus volendi & videndi non fit; ita Angelorum adjutorium non erat hujusmodi influxus, quo fieret ut vellent, sed è contrario nutus voluntatis erat, quo fieret, ut adjutorium influeret.

Vide dicta lib. de statu primi hominis c. 14. & 15. latissime.

Hinc secundo nascebatur, ut non deberet discrimen volentium à non volentibus, agentium à non agentibus, perseverantium à non perseverantibus, adjutorio, sed nutui voluntatis tribui; quamvis voluntas, aut actio, aut perseverantia sine adjutorio influente non fieret. Nam quando ad eundem actum liberum concurrunt plura sine quibus libertas agendi in actum suum exire non potest, non illi causæ tribui debet exercitium actus aut voluntatis, *sine qua* non potest fieri, sed illi quæ nutu suo totam machinam ad motum impellit, aut otiosam esse sinit.

Vide ibid. in Aug.

Hinc tertio nascebatur, ut neque volitiones, neque actiones Angelorum, hoc est, neque merita, neque perseverantia meritorum, essent specialia Dei dona, hoc est, non eis Deus speciali donatione seu gratiâ largiretur. Tantummodo enim donabat ea in radice, quatenus eis adjutorium quoddam gratiæ tribuebat, sine quo simul influente & cooperante velle, agere, & perseverare, non po-

dicendum est. Nam & actus materiales peccatorum, ea ratione donarentur, ac prædestinarentur voluntati, quo nihil falsius dici potest. Tunc ergo donatur volitio actûs, aut opus, aut meritum, quando ipse in voluntate operatur ut velit; non solum sic ut sine adjutorio isto velle non possit, sed ut cum isto adjutorio non nisi velit.

CAPVT XI.

Electio gratiæ in Angelis, ex alio capite destruitur.

QVÆ veritas ex alio capite certo cõvinci potest. Nam Semi-Pelagiani fatebantur homini à Deo dari talem gratiam ad initium fidei & ad perseverantiam in fide, qualis primo homini in innocentiæ statu data fuit. Disertis verbis hoc asserit Hilarius ad Augustinum scribens: *Vnde in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis iuvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem amissis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes.* Itaque in hoc ponebant differentiam, quod Adam cum illa gratia quam Augustinus tradit, posset perseverare volens, hoc est, si vellet: lapsi autem credere tantum, de cetero fractæ vires gratia Christi essent erigendæ; quod nos alibi latissimè demonstravimus. Hac ergo de causa, quia ista gratia Adami talis erat, ut per eam non donetur meritum à Deo, sed in libero arbitrio relinquatur, nolebant initium fidei & in ea perseverantiam donari, & per hoc neque prædestinari à Deo. Et hoc verissimum esse, in eorum sensu, profitetur Augustinus. Nam ideo de illis dicit, *Solum initium fidei & usque in finem perseverantiam, sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cetera vero ipsum dare concedunt.* Ex qua duplici confessione, duplicem quoque consequentiam format Augustinus. Vnam, si cetera præter fidei initium & perseverantiam Deus donat, ergo ea se daturum esse præscivit, ergo prædestinavit; quam passim secundo libro de dono perseverantiæ crebrò repetit, & in primis in fine libri postquam dixisset, quod Massilienses *cetera bona ad vitam piam qua Deus rectè colitur pertinentia, etiam ipsi propter quos hæc agimus, Dei dona esse concedant.* Regulam figit inde generalem: *Omnia porrò dona sua, & quibus illa fuerat largiturus Deum præscisse negare non possunt.* Altera consequentia est, si initium fidei & perseverantia non dantur à Deo, ergo nec ea se daturum esse præscivit: falsum enim præscivisset, si se daturum præscivisset, quod ipse non dabit. Ergo neque prædestinantur. Reciproca quippe sunt prædestinare, & præscire, non quid homines facturi sint, sed quod ipse daturus. Vnde illa: *An forte nec ipsa* opera pietatis *dicunt prædestinata?* quemadmodum videlicet initium fidei prædestinari negant? *Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si & dantur & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit.* Itaque initio libri de prædestinatione sanctorum, quia Massilienses fidei initium & perseverantiam vellent ab humana voluntate proficisci, cum ista Adami gratia, quæ naturæ quamvis lapsæ superstes manserat, de ipsis dicit: *Adhuc in quæstione caligant de prædestinatione Sanctorum.* Hoc enim ipso tollebant eam, quâ fidem, non sicut opera, per gratiam Christi donari, sed ab homine gratia Adami adjuto fieri crederent. Et inferius reprehendit, quod Deus juxta Massilienses præscivisset, non se fidem, sed *homines esse facturos*; hoc est, quod prædestinationem fidei tollerent, quia ut eodem capite dixerat, *Prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus.*

Vide ista lib. de hæresi Pelag. c. 6. 7. 8. & seq.

Lib. de dono pers. cap. 17.

Ibid. cap. 24.

Ibid. cap. 17.

Lib. de præd. SS. c. 1.

Ibid. cap. 10.

Ex ista igitur Massiliensium opinione & Augustini argumentatione concludimus, Massilienses hoc ipso quo statuebant hominem Adami gratia adjutum posse saltem credere, sustulisse prædestinationem Dei gratuitam respectu fidei utpote quam Deus non se daturum, sed homines ipsos facturos esse præsciebat; ergo & Augustinus, hoc ipso quo docet Adamum & Angelos gratia primi status adjutum in credendo & operando perseverare potuisse si vellent, tollebat prædestinationem Dei gratuitam respectu operum & perseverantiæ; quia ea non se daturum esse, sed homines & Angelos facturos esse præsciebat. Deum autem non dedisse Angelis opera & perseverantiam, nec Adamo datum fuisse, Augustinus ex professo toto capite decimo, undecimo & 12. de Corrept. & gratia docet, & ex natura adjutorij *sine quo non* invictè sequitur. Vnde etiam expressè dicit; *Vt ergo non acciperet*, hoc est, non opus esset accipere, *hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio; tales vires habebat eius voluntas &c. ut dignè tantæ bonitati & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* Nam istis verbis respondet ad quæstionem quam initio capitis decimi proposuerat. Cùm enim capite septimo instantissimè tradidisset, propterea non dari quibusdam hominibus donum perseverandi, quia non sunt à massa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, hoc est, quia in massa per peccatum perdita concreti & cum damnatione nati sunt, quibus Deus non tenetur tantum donum prædestinare eosque à ceteris prædestinando discernere, gravis quæstio nascebatur; *Quid ipse Adam*, quem non perseverasse constabat; *non perseverando peccaverit, qui perseverantiam etiam non accepit?*

Lib. de Corr. & grat. c. 11

Ibid. initio cap. 12.

Hoc est, cui Deus etiam tantum donum dare noluit. Causa difficultatis est: *Neque enim dici potest*, quemadmodum antea de hominibus lapsis ac damnatis dixerat, *ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratia largitate.* Et quare istud dici non potest? *Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata.*

Hanc igitur præclarissimam ac difficillimam quæstionem (in qua intelligenda, atque ut oportet penetranda, omnes penè recentiores hallucinantur, dum perseverantiam hominibus atque Angelis innocentibus, per gratiam donandam, ipsosque gratis prædestinatos aut prædestinandos fuisse contendunt) solvit divinissime profundissimeque Augustinus, dum gratiam quidem respectu utriusque status agnoscit necessariam, non tamen talem, qua Deus utrisque & integris & lapsis perseverantiam daret; sed talem per quam lapsis quidem propter fractas per concupiscentiales motus liberæ voluntatis vires, ipsum velle & perseverare largiretur, integris vero & stantibus neutrum, sed tantummodo posse perseverare si vellent; velle autem & nolle in eorum libero relinqueretur arbitrio; ita videlicet, ut si qui talis gratiæ adjutorium arripere vellent, illi, non per acceptum cælitus perseverandi donum, sed per liberam voluntatem, quamvis non sine gratia concurrente starent. Quod quomodo fieret etiam exemplo declarat apertissimo: *Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* Hanc differentiam utriusque gratiæ inculcat urgentissimè, & identidem repetit. Ex qua, & per seipsam emicat solutio propositæ quæstionis, & ipsemet eam satis apertis verbis indicat; nimirum non opus fuisse, ut acciperet Adam à Deo perseverantiæ donum, sed illud fuisse in ejus libero arbitrio constitutum; quia jam potens erat, ut gratia longè debiliori, non actum perseverandi, sed potestatem dumtaxat perseverandi donante juvari deberet, actus autem perseverandi, seu perseverantia ab ipsa libera voluntate peteretur. Hominibus autem lapsis ipsa perseverantia propter infirmitatem damnationisque meritum in quod inciderunt, gratis donari debet. Ex quo discursu Sole meridiano clarius liquet, merita primi hominis & Angelorum, quæ in perseverantia includuntur, non fuisse specialia dona Dei, & consequenter non esse gratis à Deo prædestinata. Non enim ea se gratis daturum Angelis sanctis aut homini primo, si in veritate stetisset, sed ipsos ea facturos esse, quamvis non sine gratia sua, præscivit. (Lib. de Corr. & grat. c. 11)

CAPUT XII.

Augustinus Angelorum perseverantiam non prædestinatam, sed præscitam tradit; eosque non gratia, sed meritis discretos.

HÆc ergo ratio cur Augustinus in universis operibus suis nusquam tradat, sanctorum Angelorum perseverantiam aut merita fuisse prædestinata, seu ipsos prædestinatos ut in bona voluntate persisterent. Sed è contrario, quia perseverare & non perseverare, in libero voluntatis arbitrio relictum fuerat; quemadmodum Angelorum deficientium casum, ita stantium quoque perseverantiam, tantummodo divinæ subjecit præscientiæ. Quo præsciendi verbo tam studiosè in utrisque & bonis & malis utitur; ut de industria tanquam isti materiæ proprijssimum selegisse videatur. Vt in libro tertio de libero arbitrio: *Si bonitatem conditor prabuit ad eam* (creaturam) *condendam, cuius pravidit futura peccata, nullo modo non praberet eam bonitatem, ut creaturam conderet, quam peccaturam non esse*, hoc est, perseveraturam esse PRÆSCIVIT. Et post multa capita interjecta: *Quanquam non peccavit* (creatura Angelica quæ beata facta est) *sicut eam non peccaturam* PRÆSCIVIT DEVS. De qua creatura paulo ante capite præcedenti dixerat: *Non ideo in bona voluntate permanet, quia hoc accepit officium* (continendi omnia) *sed ideo accepit quoniam ab illo qui dedit, permansura* PRÆVISA EST. Et inferius: *Scire vellem si fieri posset, quare illa natura non peccet, quam non peccaturam*, hoc est perseveraturam PRÆSCIVIT DEVS. Quam sentiendi & loquendi cautissimam circumspectionem servavit exactissimè in Enchiridio ad Laurentium. Vbi cùm ex professo de divina voluntate disputans assereret, omnino fieri quodcumque ipsa vellet, & statim occurreret, cur ergo primum hominem, quem bonum & rectum instituerat, non custodierit in ea salute in qua creatus fuerat; itemque, cur non eum ad meliorem immortalitatis beatitudinem transtulerit, ad quam eum condidisse & transferre velle videbatur? Vtrumque ab Adami voluntate pependisse respondet: *Quapropter etiam primum hominem Deus in ea salute in qua conditus fuerat, custodire voluisset, eumque oportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, ubi iam non solum peccatum non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse prascisset. Quia vero eum male usurum libero arbitrio, hoc est, peccaturum esse prascivit, ad hoc potius praparavit voluntatem suam, ut bene ipse*

Lib. 3. de lib. arbit. c. 5.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 12.

Ibid. cap. 11.

Cap. 17.

In Enchirid. ad Laurent. cap. 104.

ipse faceret etiam de malefaciente. Et rationem istius rei eandem prorsus reddit, quam nos reddidimus; quia tunc & velle & nolle, perseverare & non perseverare, propter maximam status istius libertatem, relictum erat in libero voluntatis arbitrio: *Sic enim*, inquit, *oportebat primum hominem fieri, ut & bene velle posset & male*; Nunc vero, ut statim addit, voluntas sub servitute peccati detinetur, qua fit ut bene velle non possit, sed voluntas per Christi gratiam debeat liberari & præparari.

In Enchirid. ad Laurent. c. 105. Ibid. c. 106.

Similiter ista ratio est, cur Augustinus nunquam discretionem quæ vel in Angelis facta est, vel in hominibus innocentibus futura fuisset, gratiæ vel prædestinationi sed potius *meritis* tribuat, quibus videlicet ipsi seipsos, sponte sua bene vel male operando, discernerent. Quod sicut ex ejus principijs jactis apertissime sequitur, ita in libris de Civitate Dei ipse non obscure propalavit, quando de hominibus jam peccato perditis dixit: *Non eos iam meritis, quandoquidem universa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernens.* Vbi duplici modo indicat, in statu innocentiæ fuisse meritis discernendos, tum ex eo quod dicat, non eos IAM discernens, tum quia causam affert, quia massa videlicet damnatione vitiata est, hoc ipso nimirum palam indicans, olim cum esset massa integerrima, non opus fuisse ut eos gratia discerneret, qui proprijs meritis, hoc est, propria voluntate & libertate, quamvis non sine gratia, discerni potuissent. Nam inde fluit, quod locum illum Apostolicum: *Quis enim te discernit?* nunquam nisi de hominibus lapsis, de quibus & Apostolus intellexit, intelligat.

Lib. 14. de Civit. c. 26.

Et sane cum Augustinus tam sollicite tradat adjutorium primi hominis & Angelorum non fuisse tale *quo* fieret ut perseverarent, sed tantummodo *sine quo* perseverare non possent, hoc est, non fuisse tale quo Deus Angelis aut hominibus velle & perseverare donaret, sed tale quo velle & perseverare in eorum proprio relinqueretur arbitrio, ut sua sibi ipsi voluntate, quamvis non sine adjutorio, velle & perseverare donarent; impossibile profecto est, etiam solo naturali lumine rem istam metiendo, ut per ipsum adjutorium gratiæ discernerentur. Nam usque ad ipsum nutum voluntatis accedentem, nulla adhuc discretio est, sed omnes in hæsitando pares; ipsum vero nutum voluntatis quo discretio fit, non tribuit aut facit adjutorium, quia non est tale, quo fiat ut velint, seu, quo Deus donat ut velint, sed tantummodo, sine quo non velint, aut velle non possint. Ergo ex ipsa natura talis adjutorij, implicat contradictionem, ut adjutorium istud unquam eam discretionem afferat. Nam afferre discretionem non est aliud, quam efficere ut velint; istud autem adjutorio Angelico & primi status ex diametro adversatur. Est enim ipsissima natura adjutorij status lapsi; per quod ideo nunc discrevit hominem ab homine Deus, quia per illud operatur ac donat ut velit. Necesse est igitur ut Angeli sancti non *gratia adjutorio*, sed *meritis suis*, seu propria voluntate discreti sint.

CAPVT XIII.

Angeli ad gloriam electi sunt, non electione gratiæ, sed meritorum.

QVOD si electio seu prædestinatio gratiæ non habuit in Angelis locum comparatione perseverantiæ, respectu gloriæ multo minus. Gloria enim proprie in ipsis fuit merces meriti, quo in veritate steterunt. Si ergo meritum non fuit ipsis specialis gratiæ donum, nec merces meriti esse potest. Nam in ipsa etiam ratione mercedis quædam oppositio includitur ad gratuitum donum. Vnde Apostolus de electione gratiæ, vi cujus fit gratuitum donum: *Quod si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Merces ergo operum, hoc ipso quo debetur operibus, non potest esse gratia, nisi opus cui merces debetur ipsum sit gratia, juxta quod Augustinus dicit: *Electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum, quia gratia est illis omne meritum.* Nam ista sola consideratione dictum ab Apostolo vult Augustinus respectu lapsorum hominum: *Gratia Dei vita æterna*, quia videlicet *vita bona*, cui redditur, *nihil aliud est nisi Dei gratia.* Ex hoc ergo principio concludit hoc ipsum Augustinus, de quo satagimus: præmium scilicet permansionis, id est, (non posse servire peccato) quod in vita æterna datur, non fuisse sanctis Angelis, nec Adamo, si perstitisset, futurum gratiæ donum, sed meriti mercedem, quamvis nunc è contrario, lapsis sit gratuitum gratiæ beneficium: *Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est Angelis sanctis merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito*, hoc est, potestate habendi meritum per liberum arbitrium, non sine gratia ut explicatum est, *in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Hoc est, gloria nunc est homini donum gratiæ, quia meritum cui redditur, donum gratiæ est. Tunc autem gloria non erat futura donum gratiæ, sed, quamvis non absque gratia, humanæ libertatis officium. De qua natura mercedis, & quod præmium non esset Angelis specialis gratiæ donum, plura diximus, cum de meritis primi hominis ageremus.

Lib. de Cor. & grat. c. 7.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 8.

Lib. de Cor. & grat. c. 11.

Vid. latè lib. de stat. primi hom. c. 16.

Ex his ergo conficitur quod prætendimus: gloria

gloria in Angelis non fuit gratuitum gratiæ donum, sed merces quæ merito non donato debebatur, ergo non fuit Angelis prædestinata prædestinatione gratiæ. Nam illa sese invicem consequuntur, per gratiam dari & per gratiam efficaciter prædestinari. Si enim in tempore aliquid ex merito liberi arbitrij, hoc est, ex tali merito quod non est gratiæ donum, a Deo datur; profecto ex tali merito efficaciter prædestinatur. Hoc enim est argumentum, quod contra Massilienses format Augustinus, ut supra diximus.

Nec vero hic opponi potest, gloriam posse gratis prædestinari, quamvis in tempore ex meritis detur; eo quod nunc in hominibus ita reipsa fieri videatur. Hoc enim tunc tantummodo verum est, quando simul ipsa merita quibus gloria in tempore reddenda est, gratis prædestinantur. Tunc enim illa tota series beneficij, quo quis vult huic, non alteri, gloriam tanquã præmium meritorum, quæ ipsa gratis donanda præparantur, prorsus gratuito prædestinatur. Sed hoc in præsenti casu non potest habere locum. Iam enim demonstravimus merita non esse Angelis gratis data aut prædestinata, sed propria libertate, quamvis non sine gratiæ adjutorio comparata. Ergo propter illa non potest Angelis gloria ex gratia prædestinata dici, sicut nec in tempore gratis data est, sed merces meriti fuit.

Cùm ergo gloria non fuerit Angelis gratiæ prædestinatione præparata vel data, necesse est, illius prædestinationem fuisse *meritorum*. Nam gloriam ipsis aliqua ratione prædestinatam esse, juxta divi Augustini principia, negari nullo pacto potest. Si enim damnatio impijs Angelis prædestinata fuit, quanto magis iustis & sanctis gloria? Quod ex ipsa quoque prædestinationis notione, quam ex Augustino & Fulgentio supra dedimus, non minus certum quam perspicuum est. Quis enim Angelis in cælo gloriam contulit nisi Deus? Nec enim ipsi seipsos sublimis illius contemplationis & beatifici amoris beneficio glorificare & beare potuerunt. Itaque non uno loco sanctus Augustinus tradit, Deum esse qui non solum homines, sed & Angelos beatos facit & eis beatitudinis præmium tribuit, ut in libro decimo quarto de Civitate Dei: *Donec*, hominibus in statu innocentiæ, *alia maior felicitas daretur, qua beatissimi Angeli data est.* Et in libro vigesimo secundo ejusdem operis: *Qui casum*, inquit, *Angelorum voluntarium iustissima pœna sempiternæ infelicitatis obstrinxit, atque inde summo bono permanentibus ceteris, ut de sua sine fine permansione certi essent, tanquam ipsius præmium permansionis dedit.* Itaque alibi generaliter dicit, quod *Deus prævidet quid de iniustis impijsque facturus sit.* Quibus verbis ipsa

Vide lib. 3. de lib. arb. c. 3.

Lib. 14. de Civit. c. 10.

Lib. 22. de Civit. c. 1.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 3.

prædestinationis definitio, prout ab Augustino sæpe tradita est, comprehenditur. Si ergo Deus eos glorificavit, hoc est, gloriam contulit, si Deus eis præmium permansionis dedit beatosque fecit, profecto se gloriam ut præmium eis daturum, & beatos facturum esse præscivit, ergo gloriam eis prædestinavit. Non autem prædestinatione gratiæ, propter causam quam diximus, ergo prædestinatione meritorum: qualis est etjam prædestinatio damnationis, sed hæc in malo, illa in bono. Hæc igitur videtur esse ratio, cur in omnibus operibus Augustini nusquam reperiatur, Angelos esse prædestinatos. Nam, ut supra diximus, prædestinatio alicujus simpliciter dicta illa dicitur, qua Deus creaturam rationalem, ab initio usque ad finem, per donum aut opus suum beatificandam suscipit. Quod si qua tamen de Angelis hujusmodi locutio reperiretur illa intelligenda esset, ut significaretur Deus eis vel sanctitatem illam in qua creati sunt, (de qua, quia res aperta est nos non agimus) electione *gratiæ*; vel certe beatitudinem *electione meritorum* prædestinasse: quo sensu dixit impios non solum *ad meritum*, *ad mortem*, *ad supplicium*, sed etiam *damnandos prædestinatos*, ut supra vidimus. Multo ergo potius dici possent sancti Angeli, non quidem ad perseverantiam, quæ volendo retinetur, sed prædestinatione gratis ad sanctitatem, cum qua conditi, vel ad gloriam, ad vitam æternam, ad præmium beatitudinis, adeoque beandi, prædestinati, prædestinatione non *gratiæ* sed *meritorum*, quæ Angelos ipsos sua voluntate, non sine gratia facturos, non se per gratiam specialiter facturum aut donaturum esse præscivit. Et sic fortassis locus iste de Civitate Dei intelligendus est, ubi sanctus Augustinus dicit, quod si felicitas in primis hominibus mansisset *donec prædestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia maior eis daretur, quæ beatissimis Angelis data est.* Vno enim ex tribus modis exponi potest, vel ut prædestinatio respiciat sanctitatem, & numerus sanctorum *prædestinatorum* dicatur, quia omnes omnino beatificandi ad sanctitatem gratuito prædestinati sunt; quia gratuito vel in ipsa creatione, vel in restauratione sanctificati: vel secundo, ut sancti omnes prædestinati etjam ad gloriam asserantur. Nam & istud verum est, partim electione gratiæ, partim vero meritorum. Vel denique tertio prædestinatorum sanctorum numerus dicatur, pro prædestinatus sanctorum numerus, ut non sancti omnes generaliter prædestinati, prædestinatione videlicet gratiæ, dicantur ad gloriam seu beatitudinem, sed numerus tantum; quod inde valde verisimile est, quia hoc in eodem illo libro aliquoties, & in alijs locis asserit, ut paulo latius inferius dicturi sumus.

Lib. 14. de Civit. Dei c. 10.

CAPVT

CAPVT XIV.

Angeli non sunt electi efficaciter ad gloriam, ante prævisionem perseverantiæ, seu meritorum absolutam.

QVISQVIS itaque Augustini principia jam declarata, & propriâ luce satis manifesta penetraverit, facile videt quid ad aliam quæstionem responderi debet, qua quæri solet, utrum Angeli absoluta & efficaci voluntate ad obtinendam gloriam electi atque prædestinati sint, ante absolutam prævisionem meritorum? Nam quamvis recentiores aliqui affirmativam partem fidenter asserāt, juxta tamen Aug. mentem oppositum sine dubitatione teneri debet. Cujus ratio ex natura gratiæ fluit, quæ ad perseverandum, gloriamque perseverando promerendam ipsis data est. Modus quippe electionis & executionis indicat modum intentionis. Gratia vero, quæ velut medium ad procurandam Angelis gloriam eligebatur, non eis dabat perseverantiam aut meritum, sed ab ipsorum voluntate, quamvis non sine gratiæ adjutorio, suspendebatur. Ex quo consequenter nascitur, ut gloria non nisi illis esset decernenda, quos spontaneâ voluntate sub gratiæ adjutorio perseveraturos esse prævidebat, non Deo per istam gratiam ut perseverarent, seu ipsam perseverantiam donante, sed Angelica, tametsi non sine gratia, præstante voluntate. Nam alioqui Dei prædestinatio de cōferenda gloria valde fuisset temeraria & incerta, sicut Angelo forte gloriam decrevisset, cui nec ipse meritum dare voluisset (quia nullis dedit) & qui propria esset voluntate peccaturus. Ex quo & aliud incommodum non exiguum sequeretur, quod ut Dei prædestinatio impleri non posset, non in Dei sed hominis foret potestate. Si enim Angelus isti gratiæ adjutorio cooperari sponte voluisset, prædestinatio Dei de danda gloria fuisset impleta; sin autem noluisset, cassa decretique effectus consecutione frustrata; ut ita non nisi conditionata esse potuisset voluntas, decretum ac prædestinatio Dei. Quæ sanè divus Augustinus, tanquam absurda vehementer abhorret. Nam contra Massilienses disputans, qui similiter initium fidei & perseverantiam in hominis potestate statuebant, non Deo ut vellent & crederent donante, sed humana libertate faciente, absurdum esse tradit, quod Deus opera hominibus per gratiam donanda promisisset, & consequenter prædestinasset, & tamen non daret eis initium fidei, sine qua opera bona habere nequeunt, sed hoc ab humana libertate exspectaretur: *Sic enim*, inquit, *ut impleat, quod promisit Deus, ut hominum est potestate. Nisi enim homo faciat, quod Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet. Hoc est nisi habeat homo fidem ex seipso, non implet Deus quod promisit, ut opera justitia dentur ex Deo. Ac per hoc ut promissa sua Deus possit implere, non est in Dei sed in hominis potestate. Quod si veritas & pietas nos credere vetat, credamus cum Abraham, quoniam qua promisit potens est & facere. Promisit autem filios Abrahæ; quod esse non possunt si non habeant fidem: ergo ipse donat & fidem.* Vbi vides Augustinum ex natura divinæ promissionis, quæ non est aliud nisi prædestinationis explicatio, sic arguere: si Deus promisit opera donanda, ergo donat & fidem, sine qua opera esse non possunt; quia alioquin si Deus promittit opus, & ab homine petenda est fides, ut Deus impleat quod promiserat, in hominis non Dei erit potestate, quod eodem prorsus modo in promissione & prędestinatione glorię respectu Angelorum, & perseverantiæ, sine qua præeunte dari non potest, locum habet.

Franc. Suar. lib. 1. de prædest. c. 9. & alij non pauci

Lib. de præd. Sanct. c. 10.

Hunc ergo ordinem gloriæ, meritis præcedentibus prædestinandæ, perspicaciter viderunt omnes illi recentiores, qui gratiæ adjutorium, per quod homines aut Angelos æterna felicitate potiri volunt, non aliud esse statuunt, quantum ad operandi modum, quam quod Augustinus pro Angelis & statu innocentiæ proposuit, & à lapsorum hominum adjutorio tam accurata descriptione distinxit. Statim enim hoc ipso necessario consequens esse vident, ut nemo tali munitus adjutorio ad gloriam efficaciter eligatur, nisi postquam pręviderit Deus, eum non esse tali adjutorio sua voluntate defuturum. Nam in istiusmodi adjutorio nulla omnino secuturi meriti certitudo est, sed omnimodo, quantum ad actualem influxum, instar habitus dominanti subditur voluntati. Vnde tota influxus effectusque certitudo ex ipsa eadem voluntate, per præscientiam sic hauriri debet, ut nihil omnino certi de dando præmio, ab homine, aut Deo promitti, decerni, aut prædestinari possit, nisi prævolante præscientia, nutum, flexum, determinationemque voluntatis adjutorium secum ad agendum rapientis inspexerit. Sed aliter se res habet eo casu, quo si viderit Deus voluntatem adjutorio defuturam, alterius generis adjutorium assumere potest, quo faciat voluntatem velle & facere, quod volendum & faciendum est. Tunc enim gloria secure decerni ac prædestinari potest, etjam non prævisa absoluta determinatione voluntatis. Scit enim se in sua habere potestate voluntatem, ut ipsam per efficacissimum adjutorium flectere possit quo voluerit. Sed hoc in hypothesi supponitur non habere in Angelis locum, utpote qui non adjutorio illo potentissimo ad implendam Dei voluntatem ac propositum tracti raptique statuuntur, sed suæ propriæ & liberę relicti voluntati, non adjutorio ut velint donante, sed ipsa Angelica voluntate, pro sua liberrima indifferentia, faciente.

Ita Lessius, Molina, à Lugo, & alij

Quod

Quod vero à recentioribus, pro illa sua sententia asserenda, sumuntur omnia testimonia Scripturæ & motiva, quibus Augustinus probet electionem gratiæ respectu hominum eodem modo in Angelis procedere, à veritate prorsus alienum est, & non vulgarem doctrinæ sancti Augustini & principiorum ejus imperitiam prodit: Nam illa Scriptura *non est volentis neque currentis sed miserentis Dei*, nunquam Augustinus nisi circa miserabiles, hoc est, lapsos usus est, circa quos solos misericordia locum habet. Illam verò *Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*, nunquam etjam Angelorum voluntatibus aut primi hominis applicuit, sed potius expresse multis modis & constanter negat, Deum fecisse in Angelis bonis velle atque perficere pro bona voluntate, sed potius eorum arbitrio reliquisse, prout diversis locis fusè diximus. Vnde & istud à veritate remotissimum est, quod Suarez dicit, istud principium quo contra Massilienses utitur, initium fidei & omnium bonorum operum ex Deo esse, *etiam in Angelis esse verissimum*. Angeli namque in gratia cum bona voluntate conditi habebant adjutorium quo crederent si vellent, non quo fieret ut vellent. Nec aliter nisi isto modo docebantur à Deo, vel trahebantur à Patre. Ex quo fit, ut illæ interrogationes, in quibus hæret Augustinus, *Cur hunc trahat & illum non trahat? Cur huic ita suadeatur ut persuadeatur non alteri?* Non possint de duobus Angelis bono & malo fieri, sicut ipsi putant, nec ab Augustino unquam de ipsis factæ sunt. Angelis enim neque bonis neque malis, ita suasum fuit ut persuaderetur; quia per hoc in Augustini phrasi gratiæ Christi efficacia designatur; sed persuasus à non persuaso, non ex gratia, sed ex sola voluntate, non sine gratia, discrimen accepit. Nec Angeli jam semel sanctificati, ad patrem *tracti* sunt, vel secundum *propositum vocati*, prout illæ phrases in Scripturis sonant. Significant enim illum impulsum vocationis, quo agitur & peragitur id ad quod trahimur & vocamur, quod gratiæ Christi proprium est, à gratia vero Angelorum & primi hominis extraneum. Vnus est in Augustino locus, quo suam sententiam aperte confirmari putant, quia in libris de Civitate Dei dicit *Angelos* bonos *amplius adjutos ad beatitudinis plenitudinem pervenisse*. Sed locus iste non rectè ab eis intelligitur; quem quia nos alibi ex professo declaravimus, hic explicationi ejus supersedemus.

Suarez lib. 1. de prædest. c. 9. n. 7.

Lib. 12. de Civit. c. 9.

Vide dicto lib. de statu primi hom. c. 18.

CAPVT XV.

Homines efficaciter electi sunt, non solum ad merita, sed etjam ad ipsam gloriam, ante prævisionem absolutam meritorum: & cur magis quam Angeli. Tres hallucinantium classes, quia radicem diversitatis non agnoverunt.

EX omnibus quæ de Angelorum electione ac prædestinatione disseruimus, jam satis etjam elucescit, quid de hominum lapsorum electione statuendum sit, utrum & illi non aliter ad gloriam eligantur, nisi ex prævisione fidei, meritorum atque perseverantiæ: an vero vice versa, quia Dei efficaci voluntate ad adipiscendam gloriam, electione gratiæ electi sunt, fides dilectio, merita, ipsis à Deo, efficacem intentionem suam per gratiam exequente, donentur. Quæ quidem quæstio, tanquam quæ obscura ac difficilis videtur, magna Scholasticorum contentione celebrata est. Sed revera in Augustini principijs plana & facilis est. Nam simul atque divinissimum istud discrimen duplicis adjutorij *quo fit actio*, & *sine quo non fit*, seu *possibilitatis*, & *voluntatis*, quod tam sollicitè atque operosè & perspicuè sanctus Augustinus tradidit, animo perceptum ac stabilitum est, omnes confestim Scholasticorum nebulæ diffugiunt, patetque lucidissime primos homines & eorum posteros, si in sanctitate & veritate stetissent, non fuisse aliter eligendos efficaciter ad gloriam, quam Angelos electos diximus; hoc est, non nisi ex præscientia absoluta meritorum; lapsos vero & ex lapsu isto justissime damnatos, efficaciter eligi ad gloriam, antequam eos ulla merita prævideret habituros. Eo quod illa ipsa ad gloriam efficax electio, omne meritum in illis gratis operetur. Discriminis istius ratio, non est alia, nisi discrimen adjutorij, quo Deus medium quod ad gloriam ducit, hoc est, fidem & opera bona seu merita, in utrisque operatur. In stantibus, sive hominibus, sive Angelis non aliter ea Deus facit, nisi quia dat eis posse si velint, velle vero in eorum libero relinquit arbitrio. In lapsis vero, sic ea Deus facit, ut non exspectet ab eis ut velint, cum aliquo adjutorio, *sine quo* velle non possunt; sed ita, ut eis ipsam procuret præparetque voluntatem, non solum ut stent ac faciant si voluerint, sed operando invictè per *adjutorium quo*, ut non nisi stent, & faciant, & velint. Quod usque adeo in Augustini sensu verum, est ut si Deus prævideret per aliquod hujusmodi adjutorium nondum flectendam esse voluntatem, aliud assumeret, quo victore flecteretur. De qua istius adjutorij natura non est hic disserendi locus, sed eam hic tanquam alibi fusè stabilitam supponimus. Ex isto ergo principio non est difficile doctrinam istam asserere. Nam quis sit intentionis modus, efficax an inefficax,

Vide dicto toto a . . . lib. de grat. Christ. Salv. 4. c. 3.

Digitized by Google

inefficax, non potest clarius quam ex electionis modo nobis innotescere. Sed talis medij electio, quo certissime directissimeque finis assequendus est, evidenter clamat, agens efficaciter & infallibiliter ad propositũ sibi finem velle pertingere; ergo per illud medium efficaciter illum intendit; ergo etjam ante prævisionem absolutam medij, quia ipsum medium, ex vi tam efficacis intentionis excogitatur, quæritur, & eligitur. Ex quo fit ut ista quæstio à solis illis qui adjutorij medicinalis Christi naturam non intelligunt, in dubium revocetur. Quotquot enim vel physicam istius adjutorij prædeterminationem docent, vel certe tantam ejus efficaciam ut cuicumque adhibetur sine ulla dubitatione prorsus velit & faciat, non autem in ista indifferentia voluntatis relinquatur, ad usum aut non usum ab illo determinandum; nihil omnino de ista quæstione dubitant. Quod & B ipsi contrariæ opinionis auctores profitentur.

Vide Less. lib. de præd. & reprob. n. 55.

Sed merito quæri potest, quæ sit causa à priori, cur nunc non olim tale medium, tam efficax assumatur, & consequenter, unde fiat, quod illa tam efficax intentio, nunc magis quam olim præcedat in Deo. Multi se fatigant frustra in assignanda ratione. Quod enim assumunt intentionem finis præcedere debere voluntatem circa media, verum est, sed non est necesse talem intentionem absolutam esse & efficacem. Nam in Angelis aliter factum est. Quod vero iidem ipsi vel alij assumunt, totum salvandorum numerum ex divina & efficaci intentione præfixum esse, verum est, ut ex Augustino late declarabimus; sed non inde sequitur quod intendunt, talem intentionem Deum habere ex se necessario circa omnes qui futuri erant cives in illo regno. Numerus enim decreto ex se concepto definiri à Deo potuit, quamvis per solos illos, quos adjutorio *sine quo non* libera C voluntate cooperaturos esse cerneret, impleretur; vel si qui deficerent per efficacem intentionem ex ipsis qui defecerant, aliqui seligerentur & vocarentur, ex quorum substitutione prædestinati numeri plenitudo consurgeret: Sic enim reipsa, ut patebit, factum est: ideo dicit, quod si in paradiso peccatum non fuisset, *usque ad certum numerum sanctorum quem prædestinavit Deus, nascerentur homines*; itemque quod tantus fuisset hominum numerus, si in illa felicitate nemo peccasset, *quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum.* Nempe quia ille numerus præcise sufficiebat implendis sedibus, quas Deus implendas præstituerat.

Ratio igitur, cur homines magis quam Angeli tam efficaci intentione, ante prævisionem operum eligantur ad gloriam, non est alia nisi quia sic placuit Deo. Placuit autem quia hic rerum status & congruus re- D bus ordo postulare videbatur. Erat enim congruentissimum, ut cum creaturas rationales, cum summa arbitrij libertate & potestate sine ulla concupiscentiali resistentia & pronitate condidisset, experiretur prius ac patefa- A ceret, quid eorum liberrima voluntas posset, nempe perseverare in collata sibi bonitate si vellet; quia non deerat adjutorium per quod, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Hoc ergo factum ac demonstratum est in Angelis & hominibus; quorum illi cum per liberum arbitrium partim in veritate stetissent, partim excidissent; hi vero penitus cum tota posteritate per idem liberum arbitrium perijssent; quid erat naturalius & congruentius, quam ut jam etjam ostenderet, quid posset gratiæ suæ potentissimæ beneficium. Quem duplicis gubernationis rationem & modum profunde tetigit & propalavit nobis Augustinus, quando tanquam de re sibi certissima pronunciat: *Quapropter saluberrime confitemur, quod rectissime credimus Deum Dominumque rerum omnium sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum Liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* Nam quid posset liberum arbitrium in bonis Angelis patuit, *qui per liberum arbitrium in veritate steterunt*, ut idipsum adjiciendo declarat. Et alibi: *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt.* Gratia enim non fecit, ut in veritate starent, sed ut possent stare si vellent: liberum arbitrium fecit ut actu vellent & starent. Ecce ita apparuit primo quid posset liberum arbitrium. Nunc vero si quis salvandus est, necesse est, ut ostendatur, quid possit *gratiæ beneficium.* Nam ex ipso lapsu nostro *Liberum arbitrium ad diligendum Deum peccati granditate perdidimus*; non solum ut sine gratiæ adjutorio jam non posset homo diligere Deum, quod nec integra libertate potuit, nec perfecta etjam beatus poterit, sed sic ut nisi Deus infirmo & captivo arbitrio, per aliud potentius gratiæ adjutorium ipsum velle & diligere & venire, & non recedere seu perseverare largiretur, nec velle posset nec diligere bonum, neque venire ad Deum, neque permanere cum Deo: *Non est hoc omnino* (videlicet accedere ad Deum & non recedere à Deo) *in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt. Fuerat in homine antequam caderet &c. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo.* Tanta ergo infirmitas hominis, imo oppressio libertatis ad agendum pietatis bonum, & servitus durissima peccandi, cui mancipatus est, causa fuit, cur Deus potentiorem gratiam elegerit ad salutem perditorum; quæ non amplius frustraretur effectu suo, sicut in tanto numero Angelorum totoque genere humano frustrata fuerat; nec amplius ab illa desultoria arbitrij levitate ac libertate penderet, sed ipsam libertatem à dominante peccato & voluntatem daret, operando non solum posse si velit, sed ipsum velle atque perficere. Nimirum voluit Deus salutem captivorum hominum, non amplius in illa infirma reponere libertate, sed sibi ipsi tanto adjutorio

Lib. de Cor. & grat. c. 10.

Lib. de dono persev. c. 7.

Epist. ad Vit.

Lib. de dono persev. c. 7.

Lib. de Corr. & grat. c. 12. jutorio procurandum sumere: *Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, quemadmodum olim factum fuerat, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis ut possent.* Hæc ergo vera ratio fuit cur Deus adjutorium istud potentissimum, hoc est, medium ad procurandum lapsorum salutem ita infallibile deligeret, ut nulla resistentia aut pertinacia aut tentatione effectu suo frustraretur. Nam ut idem præclarissime notat: *Major libertas est necessaria adversus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus.* Ibid. Cui libertati asserenda & munienda, adjutorium delectum est potentissimum, quo ipsa fieret indeclinabilis & insuperabilis: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma,* Ibid. *non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur: sed cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superaret.* Quemadmodum igitur captivitas libertatis ad agendum pietatis bonum, causa erat, cur tantum adjutorium Deus perditis revocandis ac salvandis adhiberet, ita causa fuit, cur Deus non amplius finem illum confusa quadam & inefficaci voluntate volentibus proponeret, sed efficaciter illis vellet atque intenderet, quibus ipsum velle & perseverare dandum esse cernebat. Medij quippe tam efficacis & infallibilis, &, ut Augustinus loquitur, indeclinabilis & insuperabilis electio, efficacissimæ intentionis effectus certissimum argumentum est. Ex quo fit, ut si quis recte de gratiæ adjutorio, quod lapsis erigendis & salvandis datur, juxta divi Augustini doctrinam sentiat, in ista quæstione errare non possit; vel si erraverit, in Philosophiæ magis quam in Theologiæ lumen impinget, ut qui distorte de mediorum & finium connexione & causalitate sentiat. Adjutorij vero utriusque status ignoratio & permixtio Theologiæ propria est, quæ maximas confusiones opinionum peperit, & plus quam cymmerijs tenebris universam doctrinam de gratia & prædestinatione complevit.

Nam hinc accidit quod cum Doctores rem ab humana & philosophica consideratione remotissimam vi ingenij penetrare ac discernere conantes, ab Augustini principijs vel non intellectis vel neglectis, recessissent, in tres classes aberrantium distracti sint. Primi repudiantes primum adjutorij genus, quo non Auct. præd. physic. datur velle voluntati, sed sine quo velle non potest; solumque secundum amplexi, quo voluntatem prædeterminante ipsum velle & perseverare, sive Angelis, sive hominibus datur, recte & consequenter, ex vi medij tam efficacis intulerunt, Deum omnibus creaturis rationalibus quæ ad beatitudinem perducuntur, absoluta & efficace voluntate, ante omnem meriti cujusquam præscientiam, finem ipsum voluisse & volendo prædestinasse. Alij abjecto secundo adjutorij genere, tanquam, quod funditus destruat libertatem, retento solo primo quod Angelis & hominibus primis datum Less. Molina à Lapide. est, inde quoque ulterius rectissime ratiocinando concludunt nemini neque Angelis neque hominibus, neque stantibus, neque lapsis, Deum efficaci voluntate intendisse ac prædestinasse beatitudinis æternæ finem, ante præscientiam cooperaturæ voluntatis: sed tantummodo inefficaci voluntate omnibus proposuisse gloriam, velut certaminis futuri præmium, omnibusque generaliter voluisse, si non propria libertate adjutorium Dei desererent, & à sanctitate deficerent. Utrique isti in Augustini principia veramque Theologiam impegerunt, sed in ipsa tamen sua hallucinatione rectissimum & clarissimum Philosophiæ filum, de medij & finis connexione, tenuerunt.

Sed alij timidiores, cum ex una parte istud ipsum solum integræ voluntatis adjutorium ipsis arrideret, tanquam libertati maxime contentaneum, in cujus indifferentia usus ejus & cessatio relinquitur, ex alia vero cernerent Augustinum in Deo ponere vel supponere efficacissimam salvandorum quorundam voluntatem; duplici aberratione Theologiam simul atque Philosophiam violarunt. Suarez, cum suis. Illam quidem, quatenus verum adjutorium Christi medicinale prorsus destruunt, illo tantum solo reservato quod Adami & Angelorum fuit; hoc est, uti illud describit Augustinus, *sine quo non potest homo in bono perseverare, si velit, ut autem velit in ejus libero relinquit arbitrio.*

Hanc vero, quatenus Deum efficaci voluntate intendere finem ante præscientiam meritorum statuunt, quam per tale medium ab aliena suspensum flexibili voluntate exsequatur: Sic enim, quod Augustinus notat veritati & pietati esse contrarium, *ut promissa*, & Lib. de præd. SS. c. 10. quod pejus prædestinata sua *Deus possit implere, non erit in Dei sed hominis potestate.* Non enim ipse per istam gratiam donat, ut perseverent, hoc enim repugnat essentialiter tali adjutorio (quicquid ipsi tandem in contrarium dicant) sed hoc humana voluntas quamvis non sine adjutorio concurrente facit. Apud nullos igitur istarum trium classium auctores veritas de prædestinatione reperiri potest, sed apud illos solos, qui distinctionem illam duplicis adjutorij, tutissimam solidissimamque complexi, nec Angelis illam infirmitatem libertatis tribuunt, quam damnatis hominibus; nec istis infirmis tantam fortitudinem, quantam fortissimis Angelis; sed in medio cum Augustino gradientes, Angelis tribuunt adjutorium quod dat *posse si velint*, totumque secuturæ glorificationis eventum ab eorum liberrima voluntate suspendunt; damnato vero generi humano adjutorium, *non solum sine quo accidere*

cedere & permanere non possumus si velimus, verum etiam tantum ac tale ut velimus. Et duplici isti creaturarum statui & adjutorio, juxta veram & simplicem Philosophiam, duplicem intentionem Dei suam cuiq; proportionatam respondere dicunt: priori quidem statui simplicem quodammodo affectum, quo cælestem gloriam velut finem, omnibus ex animo desideret, & veluti certaminis bravium proponit, & ad assequendum *voluntatem liberam & sufficientissimam facultatem dedit*; posteriori verò affectu efficacem, quo illi qui sub priori statu & adjutorio ab illo præmio, vitio liberæ voluntatis exciderant, ad hocipsum efficaciter perducere decernit; & ex illa intentionis efficacia, medium infallibile & insuperabile assumit *adjutorium* scilicet *quo fiat ut invictissimè quod bonum est velint, & hoc ipsum deserere invictissimè nolint.* Hanc esse veram & genuinam D. Augustini mentē, de efficaci intentione, qua Deus prædestinatis hominibus gloriam cupit, ante meritorū præscientiam, quæ ipse ex vi istius intentionis tribuit, non aliunde magis clarescere & probari potest, quam ex natura gratiæ medicinalis Christi, quam suo loco asseruimus. Hanc si quis fortè admiserit, & nescio quo tamen opinionis conceptæ præjudicio, electionem efficacem talis adjutorij & operum inde profluentium priorem esse putet, quam efficacem intentionem gloriæ tanquam finis, ex qua talis medij assumptio fluat, bonus profectò Theologus, malus Philosophus fuerit; cum quo de ista tanquam non ita magni momenti quæstione non contenderim.

Lib. 3. de lib. arb. c. 16

Lib. de Cor. & grat. c. 12

CAPVT XVI.

Breviter perstringuntur quædam Scripturæ, quibus illa doctrina asseritur. Fusius solvitur ex Augustino, quo pacto Scripturæ Christianos omnes electos & prædestinatos vocent.

Qvam ob causam nec explicandis urgendisq; pro hac sententia Scripturis immorabor, quod à recentioribus quibusdam satis accuratè factū est. Nam illæ Scripturæ apud S. Marcum: Sed propter *electos, quos elegit, breviabit dies illos.* Et apud S. Lucam: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et apud S. Ioannem: *Nemo rapiet eas* (oves, id est prædestinatos) *de manu mea.* Et: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere & vocem meam audient.* Et apud Apost. Paulum ad Rom. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui* &c. *quos autem prædestinavit hos & vocavit* &c. Et in eadē Epist. *Non repulit Deus plebem quam præscivit.* Et in Epistola ad Ephes. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum secundum propositū voluntatis suæ.* Et in Epist. S. Ioannis: *Exierunt ex nobis, quia non erāt ex nobis. Nam si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum.* Et in actis Apostolorum: *Crediderunt quotquot erant prædestinati ad vitam æternam*, & hujusmodi significant manifestè ex peculiari Dei diligentis, & sibi complacentis, & eligentis, ac prædestinantis affectu & proposito, tanquā cardine proficisci, ut quidam præ ceteris credant, ut adducantur ad ovile Christi, ut vocē ejus audiant, ut brevientur tentationum dies, ne fortè pereant, ut non repellat eos, ut non rapiat eos quisquam de manu ejus, ut permaneant nobiscum; deniq; ut vocentur, ut justificentur, ut glorificentur, ut eis omnia cooperentur in bonum. Ex quo intelligitur, istam electionem, non præscientiam fidei & perseverantiæ & superatarū tentationū præsupponere, sed è contrario, ipsorum fidem, & fortitudinem contra tentationes, & perseverantiam, & omnium rerum cooperationem, & glorificationem, in electionem eorum & propositum & complacentiam Dei, tanquam originem & fundamentum ultimum resolvendum. Hæc igitur & similia satis accuratè apud recentiores quosdam explicata & inculcata sunt, & objectiones quoq; dissolutæ quæ ex Scripturis afferuntur, ut quæstionem istam possemus sic intactam prætermittere.

Marci 13.

Lucæ 12.

Ioann. 10.

Rom. 8.

Cap. 11.

Ephes. 1.

Ioann. 2.

Act. 13.

Duo tamen duntaxat hic nobis præstanda esse video: Primum, ut objectionem quandam ex Scripturis, qua multum niti videntur aliqui, ex Aug. principijs dissipemus; alterum ut hanc ipsam quam diximus Augustini mentem esse, paulò operosius astruamus.

Quantum ad Scripturas attinet, distinguunt aliqui prædestinationem & electionem, in *incompletam*, quæ immediatè est ad fidem & gratiam justificationis, & ad omnes justos pertinet; & *completam*, qua quis non solum ad justitiam, sed etiam ad gloriam efficaciter eligitur. Dicunt igitur, quod ista verba electi, prædestinati, præsciti, à Deo vocati secundum propositum &c. itemq; electio, prædestinatio, præscientia, propositum passim in sacra Scriptura accipiantur pro incompleta electione & prædestinatione, quæ omnes justos respicit. Sic enim omnes fideles ad quos Apostoli scribunt, vocari sanctos, electos, prædestinatos: *Nec usquam*, inquit quidam, *puto restringi ad solos salvandos.* Proinde doctrina ista videtur à Scripturis esse penitus aliena, multò minus ex eis probari posse.

Less. lib. de præd. & reprob. sect. 3. n. 31. & 38.

Respondetur, cum D. Augustini scripta nihil aliud spirent, nisi completam hominum prædestinationem ad gratiā & gloriam, quam ex sacræ Scripturæ verbis se collegisse profitetur, mirabili audacia dici, quod nusquam in Scripturis prædestinatio aut electio ad solos salvandos restringatur. Hoc est enim, uno verbulo

bulo totam Aug. doctrinam de prædestinatione reprobare: utpote cujus sensus tam remotus est ab ista recentioris istius sententia, ut fortè in universis ejus operibus, electio aut prædestinatio non significet illam incompletam, quam ipse prædicat. Nam in rei veritate electio, & prædestinatio, à qua quispiam electus & prædestinatus dicitur, non potest esse incompleta sed completa tantum. Nemo enim nec ab Aug. nec à Scripturis, nec ab Ecclesia unquam vocatus est, aut vocari debet electus, aut prædestinatus, nisi qui sic ad gratiam & fidem eligitur, ut simul etiam ad perseverantiã & gloriam eligatur. Est enim unus actus Dei, quo cuipiam salus tota per gratiam Dei acquirenda & largienda decernitur: usq; adeo, ut si tantum gratiam ei largiri constituerit, non electus ille aut prædestinatus, aut secundum propositum Dei vocatus, sed reprobatus potiùs nuncupandus sit. Nam quamvis effectus prædestinationis, & electionis, & propositi incompletus esse possit: nunquam tamen electio ipsa aut prædestinatio incompleta esse potest aut vocari debet; quia esse incompletum respectu salutis, alienat vocabulum electionis & prædestinationis, ut ab ea non possit absolutè prædestinatus atq; electus dici, sed tantùmodo cum particula restringente, electus aut prædestinatus ad fidem, ad justitiam, ex quo efficitur è contrario, ut juxta S. Augustini mentem prædestinatio, electio, & propositum vocationis, nusquam in Scripturis usurpentur pro prædestinatione & electione incompleta; neq; prædestinati, electi, vocati secundum propositum, pro illis qui tantummodo ad justitiam ordinati & vocati sunt.

Dico itaq; non esse verum, quod ita generaliter sumitur. Nam imprimis verba Christi quibus apud Matthæum aliquoties electos nominat: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.* Matth. 24. Itemque *Dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Ibidem. Et apud Marcũ. *Sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.* Marci 13. Satis apertè significat eos solos qui salvandi sunt. Nam ideo dicit breviandos dies, ut electi salvi fiant. Ideo quoq; indicat uterq; fieri non posse, ut in errorem inducantur electi cùm nihil sit familiarius & possibilius, quam ut fideles quique non electi in errorem inducantur, ideo denique de ijsdem electis loquens in eodem omninò sermone Christus per Matthæum dicit; *Congregabunt Angeli electos eius à quatuor ventis.* Matth. 20. Et per Marcum: *Mittet Angelos suos & cõgregabit electos suos à quatuor ventis.* Quis sanæ mentis unquam aliter nisi de solis ad salutem æternam electis accepit. Sic & illa verba Christi: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi,* perspicuum est non posse intelligi, nisi de illis electis qui salutem consequuntur. Nam illos designat electos esse Christus, qui induti veste nuptiali in convivio permanserunt, ceteris in tenebras exteriores missis, ubi est fletus & stridor gentium. Vnde nihil in ore Christianorum familiarius, quam electos illos paucos, esse numerum salvandorum. Loco quoq; D. Pauli ad Romanos nihil manifestius, quando dicit: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* & quæ sequuntur. Rom. 8. Nam ne quibuscumque Deum quoquo modo diligentibus beneficium istud fieri putaremus, statim restringens adijcit: His qui secundum propositum vocati sunt; *Nam quos præscivit,* inquit, *& prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui* &c. id est quos ipse diligẽdo approbavit, etiam prædestinavit, ut fiant conformes filio, nempe in gloria? Nam ex ista prædestinatione conformitatis imaginis filij sui, statim docet, omnes effectus gratiæ, vocationem, justificationem, & ipsam quoque glorificationem sequi. Sic enim pergit: *Quos autem prædestinavit: hos & vocavit & quos vocavit hos & iustificavit illos & glorificavit.* Lib. de præd. Sanct. cap. 17. Vbi August. observat eosdem illos quos Deus prædestinavit, & non alios Deum vocasse, justificasse, & glorificasse, ut significetur istos omnes esse veræ prædestinationis effectus. Vnde ejusdem tractationẽ loci præ manibus habens: *Illi ergo electi, ut sæpè dictum est qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atq; præsciti. Horum si quisquam perit fallitur Deus: sed nemo eorum perit quia non fallitur Deus* &c. Lib. de corr. & grat. c. 7. Non igitur sensus iste, ut objicitur, vim Apostolicæ exhortationis exstinguit, sed efficacissimũ addit robur. Cùm enim Romani propriæ infirmitatis conscij, quæ & ab Apostolo explicata fuerat, & neq; gentium Philosophiã, neq; peccati cognitione seu lege, fracta, sed magis aucta fuerat, merito diffidere posse viderentur, ne ingenita tamque inveterata vitia superare non possint, ostendit eis Apostolus, unde vires & victoriã contra peccatum & liberationem à corpore mortis sperare deberent; nempe à gratia Dei quæ est per Iesum Christum, & ab illa singulari dilectione & cura quam circa suos electos & prædestinatos gerit. Quæ quidem tanta est, ut quos illo proposito dilectionis complexus fuerit, vocando eos, ad se venire faciat, justificari, & perseverare, & conformes fieri filio in gloria, ita ut nihil eos possit à charitate Dei separare. Itaq; Apostolus, post explicatã illam catenam vocationis, justificationis, & glorificationis, quæ ex prædestinatione nascuntur, statim adijcit: *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* &c. Rom. 8. *Quis accusabit adversus electos Dei?* &c. *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Ad quę verba sic Aug. *Merito sequitur vox ad regnum electorum. Si Deus pro nobis quis contra nos?* &c. Lib. de corr. & grat. c. 7. *Quam fortis autem perseverantia usque in finem munus acceperint, sequantur & dicant: Quis nos separabit à charitate Christi* &c. Cùm igitur Apostolo justum esset sentire de Romanis, quod magna ex parte de isto numero prædestinatorum essent, & ipsimet hoc prudenti fiducia de se sperare possent, ut qui jam primitias spiritus acceperãt, profectò doctrina ista de tanta Dei erga electos dilectione, maximum robur exhortationi adijcit, ut fideles isti sperarent, se futuros in omnibus tentationibus ac difficultatibus, eodẽ Deo adjuuante victores. Sic enim & Apostolus ibidẽ in ejusdem exhortationis calce concludit, & August. eleganter & solidè eadem prorsus formula exhorta-

tionis

tionis ad quoscumq; Christianos usus est: *Spera*, inquit, *in Domino qui te prædestinavit, qui te elegit, qui te iustificavit, qui tibi glorificationem sempiternam promisit, qui pro te mortē non debitam sustulit &c. ad illum pertines & times? Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non & cum illo omnia nobis donavit? Resiste perturbationibus, ne consentias amori seculi.* Non ergo doctrina de tali prædestinatione ad nihil utilis est, *nisi ad licentiam vitæ & desperationem*, ut imprudenter dicitur, sed prudenter adhibita, summam fiduciam infirmis ingerit, se non obstantibus tot periculis, tentationibus, infirmitatibus, per omnipotentis atq; diligentis Dei adjutorium, æternâ salute potituros. Vt sanè illi qui ad miseriam suam, libertatem arbitrij hominem respicere docent, qua se toties prosterni vident & sentiunt, nihil aliud nisi certissimam desperationis portam aperire videantur.

Serm. de S. Laurent. in append.

Testim. n. 31

Sed, inquiunt, ex Scriptura perspicuum est, hujusmodi nuncupationes, electi, prædestinati, vocati secundum propositum, sancti &c. ad integras Ecclesias sæpe dirigi, ex quibus multi non sunt electi & prædestinati, prout non nisi salvandos comprehendit. Nam ad Ephesios dicit Apostolus: *Sicut elegit nos &c. Qui prædestinavit nos. In quo & nos sorte vocati sumus, prædestinati &c.* Vbi ad omnes Ephesios ac de omnibus loquitur. Et ad Romanos: *Salutate Rufum electum in Domino.* Et ad Colossenses: *Induite ergo vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ.* Et S. Petrus scribit: *Electis advenis secundum præscientiam Dei.* Et ibidem: *Vos autem genus electum.* Et similia, ergo electi & prædestinati dicuntur ab electione & prædestinatione incompleta, videlicet ad justitiam.

Ephes. 1.

Rom. 16. Coloss. 3. 1. Petr. 1. Cap. 2.

Respondetur, electi & prædestinati semper in istis locis idem significant, illos videlicet qui ad salutem æternam reipsa consequendam à Deo diligente præordinati sunt: sed non animadvertunt qui ista objiciunt, congruentissimum esse modum & usitatissimum loquendi communitatibus, ut in commendando sic eas alloquamur, quasi omnes essent boni, & in reprehendendo vice versa, quasi omnes essent mali; cùm tamen laus ista & vituperium non nisi in quosdam tantum propriè cadat; qui loquendi tropus synecdoche vocari solet. Tota Scriptura exemplis plena est, & Augustinus regulam istam frequenter tradit: *Scriptura*, inquit, *mos est, ita loqui de parte tanquam de toto; sicut Corinthios in prima Epistola sua partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cùm essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis Epistola ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant. Istam divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum eius creberrimè sparsam, quisquis diligēter advertarit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria.* Et hoc declarat exemplo illius *electionis*, de qua loquimur, quia Apostolus quasi de omnibus Iudæis loquens, dicit eos *secundum electionem dilectos propter Patres*: cùm tamen hic *ostendat*, inquit Augustinus, *non illos inimicos* Iudæos, *sed electos esse dilectos*. Et

Epist. 59.

Ibidem.

A in libro quem ad Donatistas post collationem scripsit, eandem regulam tradit: *More suo Scriptura loquitur, quæ sic arguit malos, tanquam omnes in eo populo mali sint, & sic consolatur bonos tanquam omnes ibi tales sint.* Quod ne quis ad vetus tantum Testamentū, non etiam ad novum pertinere crederet: *Ecce & ad Corinthios*, inquit, *sic Apostolus loquitur: Paulus vocatus Apostolus Ecclesiæ quæ est Corinthi sanctificatis in Christo Iesu vocatis sanctis &c. Gratias ago Deo meo qui in omnibus divites facti estis, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia. Quis hæc audiens credat in Ecclesia Corinthiorum esse aliquos reprobos, quandoquidem verba ista sic sonant, velut ad omnes directa sit ista laudatio? Et tamen paulo post dicit: Obsecro autem fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Rursus tanquam in hoc horrendo vitio velut omnes arguens, atque increpans dicit: Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* &c. Ecce omnes ita laudantur, & sancti vocantur Corinthij quasi

Lib. ad Donatist. post Collat. c. 20

Ibid. c. 21.

B nulli inter eos *essent reprobi*. Et in quæstionibus super Genesim, cùm disquireret, quo pacto duodecim filij Iacob in Mesopotamia nati dicerentur, ubi Beniamin non erat natus, ita respondet, ac si præsentem nostram difficultatem sibi solvendam suscepisset: *Nulla*, inquit, *est facilior solutio quæstionis huius, quam ut per synecdochen dictum accipiatur. Vbi enim pars maior est, aut potior solet eius nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet. Eo modo locutionis puto & illud à Domino dictum: Nonne ego vos duodecim elegi. & unus ex vobis diabolus est? Vt non ad electionem etiam ipse pertinere videatur. Non enim facile invenitur electorum nomen in malo, nisi ubi mali eliguntur à malis.* Vides hîc duodecim electos dici, ubi tamen unus diabolus esset. Vnde adjungit iterum Aug. *Illud attendamus ubi ait: Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegi: Vbi declarat ad electionem non pertinere nisi bonos. Ac per hoc*

Quæst. 17. super Genes.

Ibidem.

C *illud quod dictum est, Ego vos duodecim elegi: per synecdochen dictum est, ut nomine maioris meliorisq; partis, etiam illud complecteretur, quod ad ipsum nomen non pertinet.*

Cùm ergo sit sacrarum litterarum consuetudo ista generalis, peculiariter tamen, quando populo Dei, hoc est, Christianis loquimur locum habet & habere debet, ut eos ita conveniamus, quasi omnes fideles & sancti, & in regnum Dei prædestinati haberentur. Nam reprobatum à Deo esse, res est non solum nobis ad dijudicandū vehementer ardua & occulta sed etiam auditoribus ingratissima, ut non debeat eis proinde quasi in faciem ingeri. Ita de hac ipsa re nos Aug. docuit: *Si & de ijs qui non perseverant, aliquid placet dicere vel necesse est, cur non potius ita saltem dicitur, ut paulò ante à me dictum est: primum ut non de ipsis qui in populo audiunt, hoc dicatur, sed de alijs ad ipsos, id est ut non dicatur, Si qui obeditis, si qui prædestinati estis reijciendi: sed si*

Lib. de bono persev. c. 22

D *qui obediunt, & cetera per verbi personam tertiam, non per secundam? Res enim non optabilis sed abominabilis dicitur, & durissimè atque odiosissimè quasi in audientium frontem compellando dicitur, quando quis eis quibus loquitur, dicit: Et si qui obeditis, si prædestinati estis reijciendi &c. Quid enim sententia dixerit si ita dicatur: Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam*

gloriam

by Google

gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonne & verius eadem res & congruentius dicitur, ut non ipsis tantum malum tanquam optare videamur, sed de alijs referre quid oderint, nec ad se existiment pertinere sperando optandoq́; meliora? Ex qua regula paulò superius vehementer improbat & illum loquendi modum, quo quis populum Dei compellans diceret; Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, *ut alij ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem vel accepta perseverantia maneatis in fide*, quantumvis verissimum sit quod dicitur alios accepta perseverantia manere & alios non manere. Causam reddit: *Si enim Ecclesia Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem venisse dicentes, ceteris facere videamur injuriam, cùm possimus congruentius dicere: ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut ex infidelitate veneritis ad fidem, accepta voluntate obediendi, & accepta perseverãtia maneatis in fide.* Ecce omnes quos alloquitur vult haberi tanquam credẽtes, & tanquam perseverantes, accepto perseverantiæ dono, ex definita sententia prædestinationis Dei. Nimirum, quoniam æquum est, ut speremus optemusque meliora. Ex qua consideratione & Apostolus dixit, cùm omnes reprehendisse videretur: *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur.* Et ad Philippenses alloquens universos: *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Iesu. Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis.*

Lib. de dono persev. c. 22

Heb. 6.

Philip. 1.

His igitur verissimis, & rationi, humanitati, prudentiæque maximè consentaneis fundamentis nixus Augustinus, non uno loco docet, omnes Christianos, quos piè in Christo vivere videmus, tanquam electos & prædestinatos tractandos & habendos esse, & Scripturas sacras in eundem hunc modum de omnibus locutas, & nobis ipsis earum imitatione loquendum. Nam in libro de correptione & gratia, Scripturæ locum tractans quo dicitur multos discipulorum ejus abijsse retro: *Numquid non & isti*, inquit, *discipuli appellati sunt, loquente Evangelio, & tamen non erant verè discipuli, quia non manserunt in verbo eius; secundum id quod ait: si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis.* Et illam quodammodo repugnantiam solvens: *Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergo eos & electos Christi discipulos & Dei filios quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus; sed tunc verè sunt, quod appellantur, si manserint in eo propter quod sic appellantur?* Et in eodem libro paulò superius: *Et tamen quis negat eos electos cùm credunt & baptizantur, & secundum Deum vivunt? Plane dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam quæ ad beatam vitam perducit electos, sciteq́; illos ita stare ut præsciret esse casuros.* Ex qua norma dicit in Psalmos: *Electi quidem*

Lib. de corr. & grat. c. 9

Ibidem.

Ibid. c. 7.

In Psal. 140.

A *Dei sunt omnes sancti, & habemus hoc in Scripturis sanctis.* Et in libris de Civitate Dei: *Cum omnes boni fideles electi meritò nuncupentur.* Et in libro de ovibus, apertè docet, quamvis in populo Dei quidam sint hirci, hoc est, reprobati à Deo, tamen omnes tanquam oves habendas & compellandas, & à Scripturis compellatas esse: *Postea de hircis nullam facit mentionem*, Deus apud Prophetam, *semel illos nominavit, ut sciremus illos esse. Ipse enim illos benè novit. Postea sic loquitur tanquam omnes sint oves. Primo quomodo ipse videt; postea quomodo nos videmus locutus est*, hoc est, quasi omnes essent oves prædestinatæ: *Nam scit prædestinatione & præscientiâ oves & hircos ille solus qui prædestinare potuit, qui præscire. Modo quia omnes sub iugo Christi sunt, & omnes ad gratiam Dei accedunt, ovem te putas, hircum te fortè Deus novit: sed tanquã ovis audi quod audis.* Hic non solum Scriptura sed & Augustinus ipse in illo
B ipso loco, ubi in populo Dei alios prædestinatos, alios reprobatos esse tradit, omnes tamen tanquam prædestinati essent, suâ oratione compellat. Et in sermonibus de diversis, competentes universos tanquam sanctos & prædestinatos convenit: *Excitamini ergo ad hæc concreti, discreti. Concreti bonis, discreti à malis. Electi, dilecti, præsciti, vocati, iustificati, glorificandi, ut crescentes iuvenescentes ac senescentes in fide* &c. Et in sermonibus de verbis Apostoli, & se & omnes auditores prædestinatos vocat: *Prædestinati enim iam sumus, & antequam essemus: vocati sumus, quando Christiani facti sumus.* Et iterum: *Filij Dei sumus, prædestinati, vocati, iustificati: Filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.* Nempe quia de omnibus credentibus hoc piè credendum est. Vnde de omnibus alibi dicit: *Vsque in æternum præparabo semen tuum, non tantum illam carnem Christi natam ex Maria Virgine, sed etiam nos omnes cre-*
C *dentes in Christo.* Et de singulis personis aliquando alio in loco: *Spera in Domino qui te elegit ante mundi constitutionem, qui te prædestinavit, qui te vocavit, qui te impium iustificavit, qui tibi glorificationem sempiternam promisit, qui pro te mortem non debitam sustulit, qui pro te sanguinem fudit, qui te in se transfiguravit quando dixit: Anima mea turbata est. Ad illum pertines & times? Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quo modo non & cum illo omnia nobis donavit?* Et de semetipso verba Psalmi tractans: *In manibus tuis sortes meæ: In potestate tua*, inquit, *sunt sortes meæ. Non enim ullum video meritum, quo de universa impietate generis humani me potissimum elegisti ad salutem. Et si est apud te iustus & occultus ordo electionis meæ, ego tamen quem hoc latet, ad tunicam Domini mei fortè perveni.* Ex quibus omnibus alijsque non paucis, quæ ex Augustino depromi possent, perspicuum
D est, Scripturas sacras quando de omnibus Christianis tanquam electis & prædestinatis loquuntur, non loqui de prædestinatione vel electione incompleta, quæ nulla est, sed de electione & prædestinatione vnica, quæ in Ecclesia Dei nota est, vera atque completa, à qua simpliciter, Christianorum omnium

Lib. 7. de Civit. c. 1.

Lib. de ovibus cap. 10.

Lib. 2. de divers. c. 4.

Serm. 16. de verb. Apost. cap. 3. & 7.

In Psal. 11.

Serm. de S. Laurent. in append.

In Psal. 30.

omnium phrasi, electi & prædestinati dicuntur, illi qui salvandi sunt. Sed ita de illis omnibus loquuntur, quamvis inter eos multi reprobi sint, quia æquum est, nos de omnibus sentire & loqui, quos piè in Christo vivere cernimus, donec Deus aliud patefaciat, quando illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium. Quid enim de Sanctis recentiores isti dicturi sunt? Nam & Apostolus Corinthios omnes *Sanctificatos in Christo Iesu, vocatosq́; sanctos* nominat. Et ad Romanos: *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei vocatis sanctis*. Et ad Ephesios: *Omnibus sanctis qui sunt Ephesi*. Et ita in omnibus ferè Epistolis. Sicut igitur omnes Sanctos vocat, quorum

1. Corint. 1. Rom. 1. Ephes. 1.

A non pauci erant sancti, sic etiam ex illa regula jam ante tradita, omnes electos & prædestinatos vocat, quamvis ex eis in eorum numero pauci sint. Vt sanè novitas mihi magna esse videatur, quia recentior ille Scriptor, ut illas ignotissimas Augustino sententias, quæ tuetur asserat, confidenter dicit, nusquam electos & prædestinatos restringi ad solos salvandos; cum potiùs nusquam ad alios significandos extendantur.

Et hæc ad illam objectionem quæ ex Scripturarum sacrarum phrasi petebatur, abunde satis sunt. Nunc ad alterum caput, quod à nobis præstandum esse supra diximus, accedamus.

CAPVT XVII.

Prima probatio istius sententiæ ex varijs Augustini locis, quibus generaliter talem voluntatem efficacem electionis ad gloriam, ante meriti præscientiam statuit.

Nam, quia nonnulli qui non satis recto voto sanctissimi Doctoris scripta percurrunt, ut eum in præconceptas suas sententias quaquà viâ trahant, etiam in hoc eum sibi favere gloriantur, quod nullam in Deo agnoverit efficacem intentionem gloriæ alicui conferendæ, ante præscientiam meritorum, operæ pretium fuerit ex alijs diversis capitibus & locis, quàm eis quæ libavimus, sententiam ejus, adjutorio medicinali potentissimo, quod tantoperè prædicavit, consentaneam patefacere. Nam quamvis ipse difficultatem istam nunquam ex professo disputaverit, ut quam per se supposita tali medicinalis adjutorij natura, cuilibet mediocris Philosophiæ vel communis judicij viro perspicuam esse crederet; non tamen propterea de hac re nihil ei subinde per transennam excidit, ex quo mens ejus manifesta, & certa intelligi posse videatur.

Inprimis enim docet Augustinus diversis in locis, quod quando Deus vult aliquem ad salutem, & ad regnum cælorum adducere; tanta tunc efficacia hoc in hominum voluntatibus exequatur, ut nihil eum impedire possit, quo minus finem suum quem obtinere voluit, assequatur. Hoc autem apertè significat, præcedere tunc in Deo efficacem intentionem assequendi finis, qui est constitutio in regno cælorum, & ex illius efficacia fieri, ut omnia obstacula perrumpantur: *Deo*, inquit, *volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat nec superet potestatem*. Vbi clarè significatur efficacem voluntatem salvandi, causam esse, cur tantâ fortitudine omnia impedimenta dissiliantur, & voluntates ipsæ quantumvis pertinaces torqueantur ad assequendum scopum Dei, qui est *salvum facere*. Nam salvum facere non esse aliud Augustino, quam constituere salvum in regno Dei, ex ipso eodem certum est, qui hoc ipsum declarat similitudine à Saule sumpta; quem cùm voluit constituere Deus Regem in

Lib. de Cor. & grat. cap. 14.

A regno Israhel, omnium voluntatem inclinavit ut fieret quod decreverat. Nam in eodem capite declarans, id quod verbis citatis dixerat: *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult cum vult facit*. Quis non videt hic voluntatem Dei efficacissimam de assequendo intento fine, causam esse cur talia ad convertendas voluntates eligat instrumenta, ut non possint resistere? Finem autem illum esse quem dixi, *salvum facere*, hoc est, constituere salvum in regno Dei, ex subjunctis patet similitudinibus. Prima quidem de Saule: *Nisi forte quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israhelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiã Deo valerent resistere*. Altera verò de Davide, quem ut ibidem ait, Dominus in regnum successu prosperiore cõstituit. Cùm enim Deus eum vellet Regem facere, fecit ut hoc ipsum Israhelitæ vellent, quia inquit, *Deus hoc in eis egit qui in cordibus hominum quod voluerit operatur*. Et ut indicaret quanta potestate hoc fecerit, ne fortè intento fine suo frustraretur: *Numquid ille* (Amasai) *posset adversari voluntati Dei, & non potiùs eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per Spiritum S. quo indutus est ut hoc vellet, diceret, & faceret?* Nempe, ut quemadmodũ subjicit, *constituerent Regem David super omnem Israhel*. Itaque cõcludens discursum suum eo prorsus quo dixi modo, quod cùm Deus intendit aliquem in regno cælorum constituere, nihil impedire possit, quo minus obtineat finem suum, sic subjungit: *Si ergo cùm voluerit Reges in terra Deus constituere; magis habet in potestate voluntates hominũ quam ipsi suas, quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut CÆLESTI CONSTITVATVR IN REGNO?* Et cùm ista ipsa exempla propter aliam causam à Massiliensibus impugnata fuissent; omnem ambiguitatem, quæ cuipiam adhuc super-

Ibidem. B Ibidem. Ibidem.

esse

esse posset, abstersit. Nam resumens in libro de prædestinatione Sanctorum, id quod in alio jam citato de Correptione & gratia dixerat: *Scripturâ teste*, inquit, *probavimus cum Deus* VULT *fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.* Quid sit autem illud quod Deus VULT, hoc est, intendit fieri, & tamen non nisi per homines oporteat fieri, statim adjicit: *An fortè quia ostendimus hoc* DEUM *egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse quorum ei placuit voluntates,* UT REX CONSTITUERETUR SAUL, SIVE DAVID, *ideò hæc exempla causæ huic convenire non putant, quoniam non hoc est tēporaliter* REGNARE *in hoc seculo, quod est in* ÆTERNUM REGNARE CUM DEO. Et adhuc manifestius addit consequenter: *Ac per hoc existimant* AD REGNA TERRENA FACIENDA *Deum inclinare*, AD REGNUM VERO CÆLESTE OBTINENDUM *Deum non inclinare quorum voluerit voluntates.* Et statim probat etiam cum Deus vult Reges in cœlo fieri, sic eorum corda converti: *Sed puto*, inquit, PROPTER REGNUM *Cœlorum non propter regnum terrenum esse dictum: Inclina cor meum* &c. *Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam.* Quibus & alijs adductis litterarum sacrarum locis, tandem concludit: *Audiant hæc & alia quæcunque non dixi, quibus ostenditur Deus ad* REGNUM ETIAM CÆLORUM *& ad* VITAM ÆTERNAM PARARE *& convertere hominum voluntates.* Et adhuc inferius: *Cogitate autem quale sit, ut credamus ad constituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capessendum regnum cælorum homines operari voluntates suas.* Et de Davidis ad regnum, tanquam ad intentum finem,

[Margin: L. de prædest. sanct. c. 20. — Ibid. — Ibid. — Ibid. — Ibid.]

A electione, & ejus à tribulationibus, liberatione, per quam finem istum assequi debebat, alio in loco: *Cùm ergò David Deus elegisset, & prælegisset & prædestinasset ad regnum, noluit & ipsum* DAVID *ante regnum tenere, quam primo à persequentibus liberaret, ut etiam in hoc ipso figuraret nos, id est corpus eius cuius corporis caput Christus:* hoc est, ut figuraretur, quod Deus ad istum modum etiam eligit, & prælegit, & prædestinat homines ad regnum cœlorum, & hanc voluntatem liberando eos à tribulationibus exequitur. Si quisquam non delirus de rebus humanis ita loqueretur, ut diceret, quando Princeps supremus vult aliquem constituere tribunum militum, vel provinciæ gubernatorem, ita hoc exequitur fortiter, ut nihil ei resistere possit, quin ita fiat, nemo nisi stolidus, dubitare posset, quin volūtas illa Principis esset efficax & antecederet prævisionē absolutā futuritionis mediorū, quibus hoc exe- B quitur. Ipsa est enim causa, cur media tam certa & infallibilia deligantur & adhibeantur, & futura sint ne fortè propositū voluntatis istius irritum fiat. Ex quo sanè necesse est, plus Deū & efficacius finem diligere, æternam vitam & gloriam & regnum, quam ea quæ adhibet media, & mediorum assumptionem, non alia ex causa fluere, quam ex præconcepta efficaci intentione istius finis. Quod etiam apertè ac disertè dicit alio in loco, ubi de solo cœlesti regno mentio fit: *Ipse nos minus diligit quales nunc sumus; & hinc ideò liberat, ne semper tales simus.* Quod cùm obscurius dictum esset, explicans quid hoc sibi velit: *Ipse* DOMINUS *illam quæ futura est vitam nostram, qualis in nobis futura sit sciens*, hoc est æternam gloriam *prædestinatione plus amat, ut ad eam nos amando perducat.*

[Margin: In Psal. 51 initio. — Tract. 110. in Ioan.]

CAPUT XVIII.

Secunda, ex voluntate singulari salutis parvulorum.

SECUNDO sæpè Augustinus in particulari de parvulis docet, quod quando vult omnes salvos facere in regno cœlorum, impedit mortem omnesque causas, quibus inane fieret decretum voluntatis ejus, denique procurat oportunè baptismum, quo in sanctitate moriantur, ne alioquin in eis prædestinata salus adimatur. In quo sane agendi & procurandi modo, velle quod finis ille salutis æternæ non efficaciter diligatur, antequam ista media adhibita esse videat, nec ex illo tanquam scopo fiat quod omnia cooperentur implendæ intentioni Dei, nimiæ videtur esse pervicaciæ. Sic ergò loquitur Aug. *Quam quæso allaturi sunt causam, quod alius sic gubernatus, ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, prius quam ab eis baptizandus offeratur, exspiret?* Et instantius paulò post: *Et cur providentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt, sine cuius voluntate non cadit passer in terram quæ nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec ulla iniquitate corrūpitur, ut renascantur ad hæreditatem cælestem non consulit*

[Margin: Epist. 105. — Ibid.]

A *omnibus parvulis filiorum suorum, & nonnullis consulit etiam parvulis impiorum?* Quod declarat exemplo parvuli ex stupro nati, qui casu baptizatus, *fit æterni consors & particeps regni.* Quam quæstionem & alijs nonnullis locis facit, ita ut dicat, quod *quibusdam parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus subvenit,* & alijs, quibus *non vult subvenire*, non subvenit, itemque quod *parvulis* fidelium pereuntibus, *si vellet huius lavacri gratiam procuraret, in cuius potestate sunt omnia.* In ista igitur expedienda quæstione reddendaque istius diversitatis ratione plerumque Augustinus recurrit ad altitudinem judiciorum Dei, quam in eo positam esse indicat, quod unum elegerit atque prædestinaverit, alterum non. Nam libro 4. contra Iulianum, cum eandem ventilasset quæstionem, eo tandem venit: *Novit Dominus qui sunt eius; & in eorum salute atque in suum regnum introductione certa est voluntas eius,* certa, quia nullis impedimentis obstantibus certò assequitur id quod vult, videlicet introductionem in regnum. Nam & in illo loco, *Novit Dominus qui sunt*

[Margin: Lib. 2. ad Bonif. c. 7. 4. cont. Iul. c. 8. Vide lib. de dono pers. c. 11. Lib. de Cor. & grat. c. 8. — Lib. 4. cont. Iul. c. 8.]

qui sunt eius, quem ex Apostolo citat, semper illam decantatam Dei prædestinantis præscientiam intelligere solet. Unde & alibi, cum diu prędestinationem illam & electionem gratiæ, id est, gratuitam, tanquam radicem diversitatis gratiæ negatæ vel datæ prædicasset, exprimens, quid illa electio respiceret: *Ex his*, inquit, electis ante constitutionem mundi, *nemo perit, quacunque ætate moriatur. Absit enim, ut prædestinatio ad vitam, sine sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam.* Quæ prædestinatio ad vitā nempe æternam sive beatitudinem significatur esse radix, cur sacramentum acquirendæ istius vitæ quoquo modo ei procuretur, antequam ex hac vita discedat.

Lib. 5. cont. Iul. c. 4.

CAPUT XIX.

Tertia, ex voluntate illa, quæ velut radix est gubernationis mirabilis circa adultos.

TERTIO non tantum comparatione parvulorum istam causam esse tradit, cur eis in tempore baptismus procuretur, sed etiam eandem illam gratuitam electionem ad gloriam, radicem unicam statuit, cur alios tantâ benignitate, alios tantâ severitate tractet; usque adeò, ut ex isto fonte omnium donorum divinorum collationem atque diversitatem fluere ac pendere fateatur. Tanta enim omnipotentissimæ gubernationis vigilantia, semper ad illius voluntatis impletionem collimat in omnibus, quæ circa electos facit, aut fieri sinit, ut sive stent sive cadant, omnia eis cooperentur in bonum. Quod si ita est, profectò impossibile est, non esse istam electionem ad regnum efficacissimam, quæ mediorum assumptionem tam efficacium & infallibilium illi scopo consequendo parit: impossibile etiam, ut eam præscientia absoluta meritorum aut mortis in gratia antecedat, cum ipsa sit illa per quam & fides, & merita, & perseverantia, & mors in gratia procuratur.

Et quamvis de omnibus bonis quæ in hac vitâ electis præ reprobis conferuntur, simul & semel hoc patefacere (ut mox facturi sumus) facilius sit, multoque compendosius, non inutile tamen fuerit, hoc etiam sigillatim de omnibus demonstrare, ut quanta sit in doctrina S. Augustini constantia, & in omnibus lucubrationibus uniformitas, luculentius pateat. Nam inprimis hæc est in Augustini scriptis ratio, cur uni præ alio detur fides, quæ est initium donorum Dei: *Non enim omnium est fides, tanquam diceret: Non enim apud omnes etiam nobis orantibus glorificabitur verbum Dei, quia ipsi utique fuerant credituri, qui ordinati erant in vitam æternam, prædestinati in adoptionem filiorum per Iesum Christum, & electi in ipso ante mundi constitutionem.* Hanc autem ordinationem in vitā æternam eorum esse dumtaxat, qui tandem accepto perseverantiæ dono in gratia morituri sunt, Augustinus alibi expresse tradit: *Quis*, inquit, *in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono? Quandoquidem qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Qua salute nisi æterna?* Hæc est ratio, cur uni, non alteri, non solum ex parvulis, sed etiam ex majoribus baptisma quo salvandus est, conferatur. Nam de majoribus mox accepto baptismo morientibus, non minus ac de parvulis, locus ille intelligitur, quem produximus: *Ex his nemo perit quacunque ætate moriatur. Absit enim ut prædestinatus ad vitam sine sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam.* Hęc est ratio, cur uni, non alteri baptizatorum delinquentium detur spiritus pœnitentiæ. Nam Apostoli locum objiciente Iuliano, quo dicit: *Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, ut universorum pœnitentiam Deum procurare convinceret, respondet Augustinus: *Verum esse constat, sed quem prædestinavit, adducit.* Prædestinatus autem *ad vitam* æternam intelligit, ut jam in eodem loco diximus. Et uberius hoc idem ibidem agens: *Quod præbendo patientiam dat locum pœnitentiæ nolens aliquem perire, Novit Dominus qui sunt eius; & omnia cooperantur in bonum, sed his qui secundum propositum vocati sunt.* Hoc autem *propositum*, esse decretum prædestinationis ad æternam gloriam infra laborosius ostensuri sumus. Itaque ibidem sensu sibi cohærente, subtexit: *Ex isto numero electorum & prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam, non sunt huic vita in ipsa scelerum perpetratione subtracti.*

Epist. 107.

Lib. de Cor. & grat. c. 6.

A

Lib. 5. cont. Iul. c. 4.

Ibid.

Ibid.

B

Ibid.

Hæc est causa, cur incarnationis, & passionis, & mortis dominicæ medicina, cum alijs inaudita & inexperta sit, alijs tamen innotescat, peccata deleat, ad justificationem æternæ vitæ prosit, quos videlicet in regni sui cœlestis gloriam prædestinavit: *Idem ipse Dominus noster hanc suam medelam nullis generis humani temporibus ante ultimum futurum iudicium denegavit eis, quos per certissimam præscientiam & iustissimam beneficentiam secum regnaturos in vitam prædestinavit æternam.* Quasi diceret, nemini subtraxit medium istud medicinæ necessarium, cui finem perfectæ sanitatis prædestinavit.

Lib. 2. de pec. merit. c. 29.

Hæc est ratio, cur quibusdam eorū qui à tramite justitiæ & veritatis exorbitant, correctio utiliter adhibeatur, ita (ceteris obdurescētibus in malitia) spiritu compuncti redeant, ne prædestinatā sibi vitæ æternæ salute priventur: *Si secundum propositum vocatus est iste, procul dubio illi etiam quod corripitur Deus cooperatur in bonum.* Et paulò post: *Scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam aut iudicium. Misericordiam quidem si à massa perditionis ille qui corripitur gratiæ largitate discretus est; & non inter vasa quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ,*

C

Lib. de Cor. & grat. c. 9.

ized by Google

quæ præparavit Deus in gloriam. Nam & propositum, & præparatio in gloriam apud Augustinum, non sunt aliud, nisi æterna gloriæ prædestinatio; quæ significatur hic esse causa, cur correptus emendetur. Et multò apertiùs: [Ibid. c. 14.] *Correptio medicinaliter adhibetur etiamsi salus ægrotantis incerta sit, ut si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum, si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum.* Dixerat autem aliquoties se de illis loqui qui [Ibid. c. 7. & 13.] *prædestinati sunt in regnum Dei.* Et in eodem loco probans hoc ipsum quod hic dixerat, correptionem prædestinato fieri salubre medicamentum, assignat rationem, [Cap. 14.] quia *Deo* VOLENTI SALVUM FACERE, *nullum resistit hominis arbitrium.* Quid enim velle salvum facere, nisi velle salvum in regno cœlorum constituere? Sic enim ipse met statim se exponendo concludit: *Si ergò cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas, quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cœlesti constituantur in regno?* Nonne apertissimum est, efficacem illam servandi, hoc est, regni cœlestis conferendi voluntatem, causam constitui, cùm tam potenter in cordibus operetur Deus, ut fracta duritia corrigantur? Quod & paulo inferius iterũ repetit: [Cap. ult.] *Proinde quantum ad nos pertinet qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus, omnibus ne pereãt, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter severa correptio: Dei est autem illis eam facere utilem, quos ipse præscivit & prædestinavit conformes imaginis filij sui,* id est quos ei in gloria conformes fieri prædestinavit. Hoc enim Apostoli verba sibi volunt, utpote ex quibus ipsemet Apost. docet eos, quos Deus ita conformes filio prædestinavit, non solum vocari & justificari, sed & glorificari à Deo.

Hæc est ratio, cur non solum admonitiones & correptiones peccatoribus quibusdam fiant utiles, sed etiam cur justis Deus perseverantiam in justitia & sanctitate largiatur, ut videlicet per certam istam & ineffabilem viã ad prædestinatam salutẽ & gloriam perducantur. Hoc enim ex professo in libro de correptione & gratia tradere videtur: [Lib. de Corr. & grat. c. 9.] *Nec nos moveat,* inquit, *quod filijs suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiã. Absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secũdum propositum vocati, qui verè sunt filij promissionis.* In cujus etiã veritatis probationem ista S. Ioannis verba: *Ex nobis exierunt* &c. accuratà consideratione perpendit: *Non ait ex nobis exierunt sed quia non manserunt nobiscum, iam non sunt ex nobis: Verum ait, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: hoc est & quando videbantur in nobis non erant ex nobis. Et tanquam ei diceretur, unde id ostendis? Quod si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Quod infra sic dictum exponit, quasi diceretur: *Non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum: quoniam qui verè filij sunt, præsciti & prædestinati sunt conformes imaginis filij & secundum propositum vocati ut electi essent:* Vnde rursus adjungit: *Igi-*

A *tur filijs suis non prædestinatis Deus perseverantiam non dedit: Haberent enim eam, si in eo filiorum numero essent, & quid haberent quod non accepissent, secundum Apostolicam veramq́; sententiam? Ac per hoc tales filij, filio Christo dati essent, quemadmodum ipse dicit ad Patrem: ut omne quod dedisti mihi non pereat, sed habeat vitam æternam.* Itaque colligens quinam sint illi qui Christo dantur, ut perseverando non pereant, causamque reddens, cur ipsis istud mirabile perseverantiæ munus detur, quia certissimè à perditione liberandi sunt: *Hi ergò Christo intelliguntur dari qui ordinati sunt in vitam æternam.* Hoc est, istis solis hoc magnum tribuitur donum, ut Christo dentur & perseverando non pereant, qui ad salutem & gloriam ordinati, electi, & prædestinati sunt. Itaque subnectit iterum perspicuis verbis: *Ipsi sunt illi prædestinati & secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nul-* B *lus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quæ profectò sancti Augustini argumentatio tam est manifesta & peremptoria, quam si limatissimà subtilitate Scholasticus quispiam concluderet: ideò justis quibusdam datur donum perseverantiæ in justitia, quia à Deo ordinatum ac decretum est, ut ille habeat vitam æternam. Vbi nemo sani cerebri dubitaret istud decretum vitæ æternæ largiendæ, esse intentionem finis efficacissimam & causam cur isti donum perseverantiæ largiatur Deus, tanquam medium, quo ad adipiscendum finem decretum pertingere possit. Hoc idem agit Augustinus & in sequentibus, in eodem libro non minus luculentè. Nam postquam & multa & mira de dono perseverantiæ, quod quibusdam justis datur, asseruisset, causam tangens, unde fiat, quod C istud aliquibus largiatur. *In qua justitia stabunt,* inquit, *usque in finem, donante sibi illo perseverantiam, qui eos præscivit & secundum propositum vocavit, & iustificavit, & glorificavit, quoniam illa quæ his promisit etiã futura iam fecit.* [Lib. de Cor. & grat. c. 13.] Quasi diceret, in eo tribuit eis tantum donum, quia prædestinavit eos. Quid verò sit illa prædestinatio, sine ulla ambiguitate subjungit: *Hæc de his loquor qui prædestinati sunt in regnum Dei.* [Ibid. init. c. 13.]

Sed ne singula percurrendo prolixiores simus, & omnia complectendo finiamus, hæc denique vera & unica radix est, unde tanta diversitas gubernationis hominum proficiscitur; hæc inquam causa, cur universa Deus torqueat, sive bona sive mala in salutem eorum quos elegit: videlicet ut per quascumque prosperitates, & adversitates, tentationes, & lapsus in prædestinatum efficaciter gloriæ portum inferantur. Docet hoc tam luculentè sanctus Augustinus, ut nisi D quis de industria nervos contentionis intendat ut tueatur præconceptam opinionem suam, nullà ratione negari posse videatur. Agit hoc toto studio in eodem libro de Correptione & gratia, ubi per instantiam eorum qui gratiæ repugnabant, causam ultimã tam diversorum effectuum

effectuum qui in ipsa humana voluntate contingunt, quærere & propalare cogebatur: [Ibid. c. 7.] *Quicumque ergò*, inquit, *ab illa originali damnatione, ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod &, procuratur eis audiendum Euangelium: & cùm audiunt credunt & in fide quæ per dilectionem operatur usque ad finem perseverant. Et si quando exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt, & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ,* id est gratuitam. *Non enim hic sunt vocati, ut non essent electi, sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem, ut dictum est gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia est illis omne meritum.* Hic manifestum est, discretionem à massa perditionis poni in Deo antecedentem omnes effectus temporales, non solum reipsa ex causis suis defluentes, sed etiam eorum præscientiam. Ponitur enim causa, cur omnia ista quibusdam & vocatio, & fides, & dilectio, & lapsorum emendatio per homines, & si illi desint, per ipsas internas monitiones Dei, & perseverantia & mors ipsa procuretur. Et ista discretio à massa perditionis electio dicitur, non temporalis, sed æterna, *ante constitutionem*, ut ait, *mundi.* Et esse electionem efficacissimam, qua posita electus perire, Deo impediente, non potest, & ex ipsis jam recensitis effectibus quos producit, patet, & Augustinus statim iterum iterumque declarat: [Lib. de Cor. & grat. c. 7.] *Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt, propositum autem non suum, sed Dei, de quo alibi dicit, ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Et iterum instantius: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur.* Ecce tantam discretionis à massa electionis, & propositi istius divini efficaciam, ut nullo vitio humano, nulla omninò re possit superari. Vnde in eodem illo discursu sequitur ipsa *vox electorum*, de tam efficaci Dei proposito & electione gloriantium: *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Et: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames &c. sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos.* Et quæ tandem ista electio, quod propositum Dei, quæ dilectio? Res ipsa clamat, non esse electionem ad gratias congruas, & hujusmodi, sed tam altum ac generale propositum Dei, ut omnes effectus jam recensiti, & ipsorum utilitas dilectorum, & mors ipsa in gratia, in quacumque ætate, sive parvulorum, sive majorum, inde possint tanquam ex fonte fluere. Nam inde est quod in eodem loco dicit: [Ibid.] *Horum fides*, quæ *per dilectionem operatur, profectò aut omninò non deficit, aut si qui sunt quorum deficit reparatur, antequam vita ista finiatur, & deletâ quæ intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur.* Et interpositis multis iterum: [Ibid. c. 9.] *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, usque adeò prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* Quod etiam sancti Petri, qui unus Electorum erat, exemplo declarat: *Etiam hoc*, quod Dominum ter negasset, *ei profecit in bonum, faciente illo qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonum.* Et unde istud? *Quia secundum propositum vocatus erat, ut nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus.* Et in Epistola ad Vitalem: [Epist. 107.] *Habentes consentientem doctrinæ salutari in qua nutriti sunt voluntatem, & in ea finientes istam vitam, si electi sunt in Christo ante constitutionem mundi, ut essent sancti & immaculati in conspectu eius prædestinati in adoptionem filiorum.* Et in alio loco clarius explicans, quo pacto Deus omnia torqueat in usum eorum, erga quos tale propositum cepit, & quot modis efficere possit, ne istius propositi frustrentur intentio & efficacia. [Lib. de dono pers. c. 9.] *Si hoc essent*, hoc est, ut præcedit, *si secundum propositum vocati, si in Christo electi ante constitutionem mundi, si in eo sortem consecuti, si prædestinati secundum propositum eius essent, ex illis essent* (qui manserunt) *& cum illis sine dubitatione mansissent. Vt enim non dicam quam sit possibile Deo aversas & adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliquâ superati tentatione discedant; cùm possit, & quod ait Apostolus facere, ut non eos permittat tentari supra id quod possunt: ut ergò non dicam, certè poterat illos Deus præsciens esse lapsos, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Ecce tres modos Deo, assequendi effectum efficacis propositi, munire contra tentationes, temperare tentationes, subtrahere tētationibus ipsâ mortis acceleratione præventis. Cùm ergò toties sanctissimus & profundissimus Doctor, ex tali Dei electione, dilectione, proposito nasci doceat, ut & Euangelij prædicatio, & fides, & dilectio donetur eis, ut peccata ipsa fiant utilia, ut post omnes hujus vitæ gratias, sive congruas, sive incongruas, ipsa mors in gratia procuretur & immittatur, quod tandem igitur poterit istud propositū esse, quęnam illa electio, nisi gratuita electio ad ipsum finem, gloriam æternam in regno Dei, cujus solius efficax intentio mortem ipsam in gratia parit? Sed à probandi molestia nos ipse sanctus Doctor liberat, qui cum ingenij sublimitate forsan cerneret, homines qui de rebus etiam per se perspicuis contendere solent, velut nodum in scirpo, in verbis suis quæsituros, uno verbo apertissimo & sæpius repetito, in eodem ipso loco, ubi de ista electione disputat, totam controversiam absolvit: [Lib. de Cor. & grat. c. 7.] *Electi sunt autem ad regnandum cum Christo.* Vis evidentius? [Ibid.] *Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum.* Vis inculcatius? [Ibid.] *Sequitur vox ad regnum cælorum.* De quibus cum multa disseruisset, iterum

Ibid. c. 13. iterum adjungit: *Hac de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei.* Et ad quod regnum, gratiæ in hac vita, an gloriæ in futura? Exponit ipse in eodem loco, cum dicit quod *numerus electorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam usque in finem perseverantia illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus servabitur.* (Lib. de Cor. & grat. c. 13) Et rursum cùm dicit, quod *illos prædestinatos, Dei gratia perducit ad Regnum*, (Ibid.) ad quod videlicet prædestinati & electi sunt.

Ex hac igitur *ad Regnum electione*, & hoc *proposito* Dei, quo ad *Regnum prædestinati* sunt, tanquam efficacissima *salvandi & liberandi* voluntate, necesse est fluere, quicquid ad electorum salutem, quæ non nisi in regno & gloria est, reipsa obtinendam pertinet, fides, baptismus, dilectio, opera, mors in gratia: Ex hoc proposito necesse est, quicquid prosperitatis, aut adversitatis, aut dæmon, aut mundus adversus electos concitet, omnia minantia, omnia invitantia, omnia cruciantia, cum omnibus quos intus in eorum pectoribus excitant, amoribus, timoribus, erroribus, disjici atque superari, ne alioqui non homines, sed, quod absit, Deus ipse qui proposuit, decrevitque superetur. Quod & ipsi, ut Augustinus notat, Electi ad regnum suâ profitentur voce: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis nos separabit à charitate Christi?* (Ibid. c. 7. Rom. 8.) Quasi diceret id quod Isaias clamat: *Dominus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare.* (Isaie 14.) Et verò, ne quis existimaret in repetita toties prædestinatione ad regnum, non aliam intelligi, quam eam quæ sit ex prævisione meritorum, sicut Recentiores quidam hujusmodi loca torquere solent, ipsemet Augustinus distortum hujusmodi sensum interimit, dum eam gratuitam esse declarat. Nam ideò numerum electorum *per Dei gratiam regno Dei prædestinatum* tradit. (Lib. de Cor. & grat. c. 13) Et alio in loco de Massiliensibus dicit, quod nollent fateri *prædestinatos esse qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant.* (Lib. de dono pers. c. 16.) Si ergò & gratia prædestinantur ad perseverantiam, & gratia ad regnum, profectò impossibile est, ut de prædestinatione post prævisa merita loquatur Augustinus. Apud ipsos enim Recentiores certa regula est, ita regnum prædestinari sicut dari; non autem datur nisi meritis, igitur neque prædestinatur nisi meritis; non ergò gratis, sed ex justitia. Augustinus è contrario, utrumque per gratiam prædestinari dicit, non ergò ex illa prædestinatione, quæ concipitur post meritorum prævisionem loquitur.

CAPUT XX.

Quartò, & voluntate illâ, quæ veluti radix & cardo est gubernationis reproborum.

HÆc est ratio, cur vice versâ in illis qui ad regnum non sunt electi, nec à massa perditionis prædestinatione discreti, omnia contraria accidant, usque adeo, ut Deo illos pro meritis deserente, omnia in malum eis cooperari videantur. Quod eâdem evidentiâ & securitate sanctus Augustinus tradit. Hinc enim secundum ipsum proficiscitur primo, ut quibusdam, quibus & fidem Deus dedit & charitatem, non tamen donetur perseverantia in justitia; qua deficiente fit, ut in iniquitate moriantur & pereant: (Lib. de Cor. & grat. c. 7.) *Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, procul dubio nec illo tempore quo bene pièque vivunt, in isto numero* (electorum ad regnum, quod præcessit) *computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideò nec secundum propositum vocati.* Ecce ideò non vocati secundum propositum (quæ vocatio perseverantiam ex Aug. mente comprehendit) quia non sunt discreti à massa perditionis. Et in libro de dono perseverantiæ interrogat adversarius: *Cur quibusdam qui eum coluerunt bonâ fide, perseverantiam usque in finem non dedit?* (Lib. de dono pers. c. 8.) Et respondet Augustinus: *Cur putas nisi quia non mentitur qui dicit: Ex nobis exierunt, sed sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Quam rationē S. Ioannis paucis interjectis exponit, *quia non erant secundū propositum vocati, non erant electi in Christo ante constitutionem mundi, non erant prædestinati secundū propositum eius:* (Cap. 9.) sub qua prædestinatione ipse semper electorum ad gloriam comprehendit. Nam inde est, quod in eodem libro inferius, eandem rationem perseverantiæ denegatæ sic producit: *Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt:* (Ibid. c. 11.) Et iterum eadem phrasi paulò post: *Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem gratia permanebunt.* Nam in Aug. scriptis, prædestinatio, discretio, electio, à qua absolutè prædestinati, discreti, & electi dicimur, nunquam accipitur, nisi pro electione & prædestinatione ad gloriam in regno Dei; quod sicut diversis in locis, quæ in hoc discursu citavimus, perspicuum est, ita ubique intelligi debet. Nam illa distinctio, qua vera prædestinatio & electio, à quibus electi & prædestinati vocamur, dividitur in prædestinationem aut electionem ad gloriam, & ad gratiam, apud Augustinum, postquam adversus Pelagianos luctari cœpit, inaudita est. Omnis enim vera hominum prædestinatio, & electio ad gloriam est, & sicubi ad gratiam eligi aut prædestinari dicimur, gratia totam beneficiorum seriem complectitur, quibus gratis à dam-

à damnatione liberamur, Itaque electio ad gratiam Augustino, non est aliud nisi electio ad gratuita Dei dona, inter quæ gloria est præcipua & caput; quo sensu etiam dicitur, ut notatum est, prædestinatio & electio gratiæ, nempe quia gratuita est, ideoque gratuita quia ad gratiam seu gratuita dona Dei.

Hinc ergò ex isto defectu electionis ad gloriam seu regnum Dei, proficiscitur secundò, ut si qui talium à justitia ceciderint, non detur eis à Deo spiritus pœnitentiæ, quantacunque in sceleribus patientia, tribuatur. Cùm enim dixisset Augustinus: Ex his (electis & secundum propositum vocatis) nemo perit, quâcumque ætate moriatur de ceteris non electis adjicit: *Ceteri autem mortales qui ex isto numero non sunt &c. ad utilitatem nascuntur istorum. Istorum neminem adducit ad pœnitentiam salubrem & spiritalem, qua homo in Christo reconciliatur Deo, sive illis ampliorem patientiam sive non imparem prabeat,* Cujus rationem supra dederat, quando dicebat: *Et quod prabendo patientiam dat locum pœnitentiæ nolens aliquem perire, novit Dominus qui sunt ejus, & omnia cooperatur in bonum, sed his qui secundum propositum vocati sunt.* Tantum enim abest, ut talibus Deus omnia cooperetur in bonum, ut si corripiantur propter defectum pœnitentiæ, ipsa correptio eis non ad profectum, sed in tormentum cedat, juxta id quod Augustinus docet adhibendam esse omnibus correptionem: *Vt si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit correptio salubre medicamentum, si autem non pertinet, sit correptio pœnale tormentum.*

Lib. 5. cont. Jul. c. 4.

Ibidem.

Lib. de Cor. & grat. c. 14

Hinc tertiò proficiscitur, quod alijs quoq; quos non elegit ad regnum suum, nequidem Euangelium prædicari, vel signa coram eis patrari sinit: non quia scit eos prædicationi & miraculis non esse credituros, sed neque tunc quando eos credituros videt. Nempè, quia noluit eis intendere finem, salutem videlicet in regno suo, noluit eos eligere ad medium, hoc est ad fidem qua sola salvari potuissent, & quia noluit eis tribuere & istum finem, videlicet fidem, noluit eis etiam prædicationem & miracula fieri, quibus permoti crederent; quamvis videat eos Euangelio sic prædicato credituros. Docet hæc omnia satis evidenter, & ex ipso Euangelio Augustinus. Nam de Tyro & Sidone disputans: *Si apud illas facta essent* (signa mirabilia) *in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, sicut se habent eloquia veritatis. In quibus verbis suis Dominus* IESVS, *altius nobis mysterium prædestinationis ostendit.* Hoc est, idcirco non fuisse coram eis facta ista mirabilia, quibus pœnitendo credidissent, quia prædestinati non erant. Nam cum aliquando docuisset, Deum aliquibus prædicari noluisse, quia *nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat*, in Tyrijs & Sidonijs tradit hoc locū non habuisse: *Hæc certè de Tyro & Sidone non possumus dicere, & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc divina judicia pertinere.* Sed uberius in sequentibus, manifestiusque declarat: Nam cum prædestinationem nihil aliud, nisi præparationem beneficiorum Dei esse docuisset, quibus electi à prædestinationis massa liberantur, sub quibus beneficijs ostendimus maximè gloriam ab Augustino comprehendi, de ceteris non prædestinatis annectit: *Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis justo judicio divino relinquuntur? Vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent, sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum.* Hoc est, quia Deus non elegerat eos ad istum particularem finem, qui est fides Euangelij, noluit eis adhibere medium quo consequerentur finem, etsi medio adhibito consecuturos esse cerneret. Sic enim clarissimè seipsum statim Augustinus explicat: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso judicio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant. Et tamen si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere si audirent utique talia vel viderent.* Ecce in utroque loco perspicuè docet, propterea non adhiberi hominibus, etiam quos Deus prævidet esse credituros, illa media per quæ crederent, quia non decrevit eis finem illum quem per ista media obtinerent. Nam ideò non adhiberi eis ista dicta divina, vel facta, *quia non sunt à perditionis massa, gratiæ*, seu gratuita *prædestinatione discreti*, non est aliud, quàm ideò non adhiberi, quia non sunt electi ad obtinendum regnum Dei. Nam ut in præcedentibus demonstravimus, discretio à massa non est aliud, quàm electio ad regnum Dei; non solum quia nemo à massa perditionis discretus ab Augustino dicitur, nisi sit electus ad regnum Dei, sed etiam quia ipsemet Augustinus, ita explicat à massa discretionem, ut eam alijs verbis aliquoties vocet *electionem, & prædestinationem ad regnum*, ut supra vidimus. Hæc ergò electio seu discretio à massa perditorum, sicut facit, ut Deus in sic electis omnia impedimenta dissipet, ipsámque animi cœcitatem ac duritiam cordis perrumpat atque auferat ut ad decretum istud liberatricis gloriæ beneficium pertingere possint; ita è contrario, defectus istius electionis ac discretionis à massa perditionis, qui non est aliud, quàm ira Dei manens super perditos peccatores quæ eos decrevit ab isto liberationis beneficio secludere, hoc operatur, ut qualiscunque indolis ac naturæ sint, quantumvis videat eos, adhibitis miraculis credituros, subtrahat eis & prædicationem & miracula, quorum subtractione in massa damnationis relinquuntur ac pereunt. Quod in eodem loco consequenter Augustinus tradit: *Non erant ergò sic excæcati oculi nec sic excæcatum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent. Sed nec illis* (Tyrijs & Sidonijs) *profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ: nec istis* (Iudæis excœcatis & obduratis) *obfuisset quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret,*

Lib. de dono pers. c. 9.

Lib. de dono pers. c. 14.

Ibidem.

Ibidem.

illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. A Hoc ergò inde proficisci, quia non sunt prædestinati ad obtinendum *regnum* Dei, ex eo capite perspicuum est, quia ut ante diximus, ex eodem defectu nascitur, quod eis perseverantia & mors in gratia quibus proximè ad regnum introducimur, denegatur.

Hæc igitur omnia & prædicationem, & fidem, & perseverantiam, & quæcunq; ad assequendum regnum Dei conducere possent, idcirco reprobis non dari à Deo, quia non sunt à perditionis massa, ipsius regni prædestinatione seu electione discreti, compendio complectens sanctus Augustinus & alijs locis tradit: *Proinde sicut Apostolus ait: non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: qui & parvulis quibus vult etiam non volentibus, neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo &c. Et majoribus etiam his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non* B *vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed justè aliud judicavit.* Vbi utrobiq; subventionem, & non subventioné, in prædestinationem & non prædestinationem ad regnum refert. Sic enim Augustinum dicta sua intelligere, ex alijs locis evidenter patet. Nam in libro de Corr. & grat. *Ac per hoc & qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui Euangelio audito venire ad Christum, hoc est in eum credere noluerunt, & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam.* Quia, ut adjicit, si essent à perditione discreti, sine dubio *procuraretur eis audiendum Euangelium* &c. Et quid sit illa discretio à massa perditionis, cujus præsentia & absentia, tam diversa & adversa in hominibus operatur, statim explicat, per *electionem gratiæ ante constitutionem mundi*, & illam C ipsam bis terve inculcat electionem esse, qua eligit *ad obtinendum regnum suum*, quæ loca supra ipsis Augustini verbis allegavimus. Hinc & in eodem libro inferius, omne auferens ambiguitatis obscurum, & simul judicans, quibus calamitatibus & iniquitatibus ex isto justo judicio Dei, quo eos ab ista electione seclusit, implicētur, postquam dixisset, quod numerus eorum qui Dei *regno prædestinatus* est, donatione perseverātiæ, illuc integer perducatur, de ceteris addit: *Hi verò qui non pertinēt ad hunc prædestinatorum numerū quos Dei gratia sive nondum habentes ullum liberum suæ voluntatis arbitrium sive cum arbitrio voluntatis, ideò verè libero quia per ipsam gratiam liberato perducit ad regnum: hi ergò qui non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum, pro meritis justissimè judicantur.* Et vide quot modis: *Aut enim iacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunte, quod non est regeneratione dimissum: aut per liberum arbitrium alia addiderunt; arbitrium inquam liberum sed non liberatum, liberum justitiæ, peccati autem servum, quo volvuntur per diversas noxias cupiditates &c. aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo & occulto.* Ecce ille defectus prædestinationis *ad regnum*, quid in desertis operetur; nempe quod *dimittantur libero arbitrio*, cui dimissi fieri non potest, quin vel nunquam ab iniquitatibus surgant, vel à perseverantia decidant, & utroque modo pœnam æternæ damnationis incurrant. Vnde de Majoribus in Epistola 59. *Non sunt in ista vocatione* (secundum propositum & sine pœnitentia) *qui in fide quæ per dilectionem operatur, etiamsi aliquantulum ambulant, non perseverant usque in finem: & utique potuerunt rapi, ne malitia mutaret intellectum eorum, si ad illam prædestinationem & vocationem, quæ secundum propositum & sine pœnitentia est, pertinerent.* Et de parvulis causam quærens, cur baptizati etsi in illa ætate morerentur, etiam ad regnum cœlorum pertinentes, crescere sinantur & nonnulli etiam apostatę fiant: *Vnde*, inquit, *nisi quia non pertinent ad illam prædestinationem & secundum propositum ac sine pœnitentia vocationem?* Ecce in utrisq; oritur mutatio illa & jactura sanctitatis usque ad mortem, nec rapiuntur ex hac vita, ne malitia mutaret intellectum eorum, quia non pertinent ad illam prædestinationem & vocationem secundum propositum. Illa quippe si erga ipsos esset in Deo, removeret omnia quibus sanctitas per iniquitatem supervenientem interit, efficeretque ne ipsi in iniquitate morerentur.

Nec verò hic ullo pacto responderi potest, eos ex illo beato numero electorum ad regnum exclusos esse, post prævisionem peccatorum finalium in quibus in hac vita rapiuntur, quia hæc ipsa peccata finalia ex illo exclusionis decreto, velut ut minimum removente prohibens, promanare significantur. Nam inde indicat fieri, quod quidam parvuli pro peccato in quo nasci supponuntur, & ex quo alij liberātur, hinc sine lavacro regenerationis eximūtur & justissimè judicantur, majores verò dimittantur libero arbitrio suo, hoc est, tradantur desiderijs suis, quibus per peccata præcipitati in æternū exitium ruant. Nam ut sanctus Doctor de hac ipsa re alibi dicit: *Absit ut ij qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, suo ut pereant desiderio dimittantur.* Hoc ipso igitur quo non sunt prædestinati, hoc est ad regnum electi, suo ut pereant libero arbitrio ac desiderio dimittuntur, quod ne fiat in prædestinatis, ipsum propositum electionis ad regnum vetat.

Lib. de dono pers. c. 11.

Lib. de Cor. & grat. c. 7.

Lib. de Cor. & grat. c. 13

Epist. 59.

Ibid.

Lib. de gestis Pelag. c. 3

CAPVT

CAPVT XXI.

Quinta, ex vocatione secundum propositum.

NEc dissimile argumentum *ex vocatione secundum propositum*, de quo frequens ex Apostolo in Augustini scriptis mentio est, trahi potest. Docet enim sæpissimè Augustinus solos prædestinatos vocari secundum propositum, & ita secundum illud vocari, ut nemo ad istam pertineat vocationem, nisi vel parvulus cum baptismo moriatur, vel adultus credat, diligat, perseveret; reliquos omnes sive sequantur vocationem, sive negligant vocationem, non secundum propositũ vocatos esse. Ergo necesse est istud propositum, esse aliquid reciprocum cum prædestinatione & electione, non qualibet sed illa, ex qua tanquam ex causa possit illa vocatio & omnes effectus quos supponit, ad perseverantiam usque, fluere. Quod si ita est, profectò propositũ istud non potest esse aliud, nisi electionis ad gloriam, ex quo vocentur prædestinati, & alij non vocentur. Nam ex illo solo illa diversitas effectuũ istorum omnium nasci potest. Ergo istud propositum præcedit in prædestinatis præuisionem meritorum utpote, ex qua ipsa voluntas dandi merita proficisci debet. Primum istud pronuntiatum, quod solis electis vocatio secundum propositum conveniat, veritas est in scriptis Sancti Præsulis exploratissima, & sexcentis testimoniis astrui potest. Nos paucis contenti erimus. Quid enim evidentius illo ex libro de correptione & gratia? *Quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem ut dictum est gratiæ*, hoc est gratuitã &c. *Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt, electi sunt autem quia secundum propositũ vocati sunt, propositũ autem non hominis sed Dei.* Et mox: *Cum ergo audimus quos autem prædestinavit, illos & vocavit secundũ propositum vocatos debemus agnoscere, quoniam inde cœpit dicens, Omnia coöperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati, ac deinde subiunxit, quoniam quos ante præscivit & prædestinavit &c. quos autem prædestinavit illos & vocavit. Eos itaq; vult intelligi quos secundũ propositũ vocavit, ne putentur in eis esse aliqui vocati, non electi.* Quid isto testimonio ex libris contra Iulianum luculentius? *Deus omnia cooperatur in bonum, sed his qui secundum propositum vocati sunt. Non enim omnes qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt. Multi enim vocati, pauci vero electi. Qui vero electi, hi secundum propositum vocati &c. denique & hic cum dixisset: omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt, continuo subdidit: quoniam quos ante præscivit & prædestinavit &c. quos autem prædestinavit illos & vocavit &c. Hi sunt secundum propositum vocati. Ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem.* Hujusmodi testimoniis Augustinus plenus, ut ex infra dicendis plenius apparebit. Nam ut etiam supra ex ipso diximus, hoc *propositum ad præscientiam & prædestinationem Dei pertinet.* Et secundum Augustinum & Apostolum, non minus dicimus *prædestinati secundum propositum Dei*, quam *vocati*. Ergo necesse est ut propositum electionis, non solum gratiam, fidem, opera, perseverantiam, sed etiam ipsam gloriam respiciat, sine cujus adeptione nemo electus aut prædestinatus dici potest.

Lib. de corr. & grã. c. 7.

Lib. 5. contra Iul. c. 4

In expos. quarundam propos. ex Epist. ad Rom.

Ephes. 1.

Lib. de dono pers. c. 9.

Nec tamen propositum istud quolibet modo fidem, opera & ipsam finalem perseverantiam, & gloriam respicit, quasi videlicet jam in prævisione præcedentia, & alio ex fonte data sed sic ut ipsum sit principium ex quo emanent & vocatio ista tantæ efficaciæ, & cuncti effectus istius vocationis. Quod de singulis non est difficile perspicuis documentis patefacere. De fide res certa est: *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici filij sui, non ea vocatione qua vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias*, sed ut paulò post addit, *vocatione secundum propositum*, de qua dictum, *non ex operibus sed ex vocante; non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens.* Et inferius eandem vocationem vocat ex Apostolo, *sine pœnitentia*, hoc est stabilem & immutabilem, *qua id prorsus agitur & peragitur ut credamus.* Et inferius: *Deus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa secundum propositum suum, de qua multum locuti sumus, ut non inaniter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur & credant.* De cæteris omnibus ipsaque perseverantia, res non minus ex Augustino luculentè patet, ut in libro de correptione & gratia, cum vocatos secundum propositum præmisisset: *Ex illis*, inquit, *nullus perit, quia omnes electi sunt, electi sunt autem quia secundum propositum vocati.* Nam ut alibi dicit, hoc est ipsum propositum quo Deus *quos præscivit & prædestinavit, elegit ante constitutionem mundi.* Et in eodem libro inferius: *Sed quia didicit non de seipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, quia secundum propositum vocatus erat ut nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus erat.* Vbi apertissime propositi efficatia tanquam propositi omnipotentis Dei, statuitur causa, cur nemo possit eum eripere de manu Christi. Et adhuc inferius. *Si enim secundum propositum vocatus est iste procul dubio illi etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum.* Ex libro de dono perseverantiæ: *Vnde satis dilucide ostenditur & inchoandi & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam eandemque iustissimam, benesapientissimam, sapientissimam voluntatem.* Et explicans quænam sit illa voluntas: *Quoniam*, inquit *quos prædestinavit, ipsos & vocavit vocatione illa de qua dictum est sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa*

Ibid. c. 17.

Lib. de cor. & gratia c. 7.

Lib. 2. ad Bonif. c. vlt.

Ibid. c. 9.

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Ibid. c. 13.

asseveratione dicendus, nisi cum de hoc sæculo exierit. Vocationem autem sine pœnitentia prorsus eadem esse cum vocatione secundum propositum, libro de prædestinatione sanctorum, & in Epistola quinquagesima nona ex professo docet: *Quos prædestinavit inquit, illos & vocavit. Hæc vocatio est secundum propositum, hæc est sine pœnitentia.* Iuxta hæc igitur consequenter in libro de prædestinatione sanctorum, vocat hoc *propositum, eius qui universa operatur*, & propositum *secundum quod prædestinati sumus*, ut significaret Deum universa per hoc propositum in electis operari, *usque adeo*, inquit, *ut in nobis operetur & velle*; itemque hoc *ut simus sancti & immaculati.* Vnde subjungit: *Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperatur in bonum, quia secundum propositum sunt sancti.* Ex qua phrasi *ex proposito Dei*, vides istam præpositionem (secundum) cum dicitur vocatio secundum propositum Dei, significare non tam conformitatem cum proposito, quã habitudinem principii & efficientis causæ. Quam ob causam eam vocationem vocat alibi, *quæ per Dei propositum fit, quæ tantum est electorum.* Sed quid mirum quod istud propositum sit principium & causa omnis bonæ voluntatis, conversionis, fidei, perseverantiæ, & gloriæ, cum ut sæpius jam ex Augustino diximus, sit ipsum propositum prædestinationis Dei, & consequenter ipsa electio ad regnũ Dei, quæ est, ut etiam diximus, ipsa prædestinatio Dei? Nam prædestinationem ad regnũ, quam maxime sub prędestinationis definitione comprehendi, late alibi demonstravimus. Cũ ergo prædestinatio sit causa fidei, justitiæ, charitatis, perseverantiæ, imo & mortis in gratia, quia omnia ista sunt dona Dei, Augustino etiam dicente de tali morte: *Neque enim non donat hoc Deus quibus voluerit, in cuius potestate est, quamdiu quisque in hac vita maneat.* Quæ proinde se filiis suis daturum esse præscivit, & proinde prædestinavit, necesse est ut etiam ipsum propositum vocantis Dei sit omnium istorum origo & fons, ipsaq; vocatio secundum propositum, sit prædestinationis adimpletio, juxta illud Augustini: *Electi sunt itaq; ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit: electi sunt autem de mundo ea vocatione qua Deus id quod prædestinavit implevit. Quos enim prædestinavit ipsos & vocavit, illa scilicet vocatione secundũ propositum. Non ergo alios sed quos prædestinavit & vocavit, nec alios sed quos ita vocavit ipsos & iustificavit, nec alios sed quos prædestinavit, vocavit, iustificavit, ipsos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem.* Itaque prædestinationem, & vocationem secundum propositum & sine pœnitentia, non semel permiscet atque confundit, & ad universos effectus, quos Deus in electis per gratiam operatur pertinere contendit, ut in Epistola quinquagesima nona: *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. Vides certe illos significari qui pertinent ad numerum prædestinatorum de quibus alio loco dicit:*

Lib. de prædest. sanct. c. 16. & 17.
Epist. 59.
Lib. de prædest sanct. c. 18.
Ibid. c. 3. & lib. 1. retract.
Lib. de corr. & grat c. 8.
Lib de prædest sanct. c. 17.
Epist. 59.

A *scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti: Et iterum: Multi enim sunt vocati pauci vero electi. Qui vero electi ipsi sunt secundum propositum vocati, in quibus procul dubio præscientia falli non potest.* Et paulò post luculentius: *Non sunt in ista vocatione* (secundum propositum & sine pœnitentia) *qui in fide quæ per dilectionẽ operatur etiamsi aliquantulum ambulant non perseverant usque in finem: & utique potuerunt rapi ne malitia mutaret intellectum eorum, si ad illam prædestinationem & vocationem quæ secundum propositum & sine pœnitentia est pertinerent.* Vnde consequenter tradit, plerosque parvulos baptizatos, qui si parvuli morerẽtur, pertinerent ad vitam æternam, regnumque cœlorum, permitti crescere & nonnullos Apostatas fieri: *Vnde*, inquit, *nisi quia non pertinent ad illam prædestinationem, & secundum propositum ac sine pœnitentia vocationem.*

Ibid.
Ibid.
Ibid.

B Ex his igitur satis perspicue demonstratur, propositum istud, ex quo dicta est vocatio secundum propositum, ad omnes sese effectus prædestinationis & electionis, etiam parvulorum extendere, utpote qui ex ipso tanquam ex causa fluant, ergo necesse est esse propositum absolutum beatificandi homines in regno suo, seu liberandi à perditione, hoc est, cõferendæ salutis & gloriæ, tanquã finis videlicet ad quem solũ omnes effectus isti allegati, & ipsa mors in gratia referri, & velut ex causa fluere possunt; nimirum quia est ipsum propositum electionis & prædestinationis ad gloriam.

Nec vero hic responderi potest, prout aliquos respondisse video: esse quidem electionem seu propositum absolutum quod Deus concepit, sed prævisa eorum cooperatione & C perseverantia. Sed non rectè hoc dicitur: August. enim, ut vidimus, dilucide tradit, propositum istud esse causam vocationis, qua fiat ut credat, ut diligat, ut perseveret. Nam ideo dicit *ex hoc proposito, per propositum* istud fieri: Ex isto vero proposito & per istud propositum electionis ad gloriam, quod tali prævisa hominum cooperatione & perseverantia constituitur, non potest fieri ut homo actu credat, diligat, perseveret, sive in reipsa temporaliter, sive in Dei præscientia: sed è contrario, ex eo quod homo vocari ut credat, diligat, perseveret, imo credere, diligere, perseverare prævidetur, consurgit in Deo propositum absolutum quo ad gloriam eligatur. Sic enim ipsimet ex professo docent.

Itaque quod Augustinus proposito Dei respectu effectuũ ejus, hoc ipsi effectibus respectu propositi tribuunt. August. vult ex propo-D sito nasci fidem & perseverantiam in justitia; ipsi ex fide & perseverantia in justitia nasci propositum; ut nihil mirum sit, sed congruentissimum, eos qui tota sententia ab Augustino discrepant, phrasibus quoque discrepare. Nec etiam juvat, quod dicunt propositum istud electionis ad gloriam, ante

Lessius lib. de præd. & reprob. sect. 6. 80.

positam

Valsius lib. de prædest. & reprob. sess. 6. n. 80.

positam conditionem, hoc est, determinationem nostræ voluntatis ad credendum & perseverandum, non esse absolutum sed conditionale; posita vero illa conditione transire in absolutum, & influere simul temporaliter in actualem vocationem fidem ac perseverantiam. Istud enim postremum quod assumitur, falsum est. Nam quamvis juxta eorum opinionem verum sit, propositum electionis ad gloriam, ante præscientiam cooperationis nostræ ad credendum & perseverandum, esse tantùm conditionatum, & illis prævisis transire in absolutum: falsum est tamen; istud propositum in vocationem & fidem & perseverantiam influere, vel quodlibet istorum ex isto proposito aut per istud propositum fieri, sicuti Augustinus docet. Nam quando Deus istud propositum absolutum concipit, jam supponitur prævidisse & vocationē & fidem, & perseverantiam, & omnes causas reipsa influentes, quemadmodum & ipsi disertis verbis tradunt. Est enim propositum electionis ad gloriam, secundum ipsos, propositum remunerandi labores, quos Deus jam eos fecisse, & consequenter ad illos vocatos esse absolutè prævidet. Unde tam impertinenter ad vocationem temporalem & fidem & perseverantiam sese habet, atque propositum absolutum damnationis ad opera mala. Hoc enim quamvis opera mala æternitate præcedat, non tamen propterea malorum operum causa est, aut ea ex isto vel per istud propositum fiunt, sed ea jam ante formatum istud propositum facta esse, & omnes causas in ea jam influxisse præsciuntur: ex qua tandem

A præscientia, ne peccata sine supplicio remaneant, istud propositum fluit. Cum igitur Augustinus directe contrarium tradat, dum vocationem & fidem & perseverantiam per istud propositum electionis, & ex isto proposito proficisci docet, necesse est istud propositum electionis ad gloriam non præsupponere, quod vocatio, fides, & perseverantia sint absolute prævisa à Deo, sed potius quod ex illo proposito nascantur, ut absolute prævideri possint: ut non præscientia vocationis & perseverantia præcedat propositum electionis, sed propositum electionis præcedat eorum præscientiam; juxta id quod præclare sanctus Prosper dixit: *Ut sic & dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito. Et sicut nihil est quorumcumque negotiorum, quod non scientia divina prævenerit, ita nihil bonum sit quod in nostram participationem non Deo auctore defluxerit.* Ex quibus etiam vera ratio patet, cur vocatio secundum propositum semper efficax sit, seu ut Augustinus loquitur, *ut agat & peragat* effectum suum, fidem, conversionem, pœnitentiam, dilectionem &c. Nimirum quia ex tali proposito proficiscitur; quod nulla hominis infirmitate deficere, nulla mundi adversitate superari potest; sed potestate tam invicta perficit id quod Deo vocanti propositum atque prædestinatum est, ut faciat vocatos suos cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superare. Est enim radix omnis efficaciæ, quæ in gratiæ divinæ operationibus lucet.

CAPUT XXII.

Declaratur, hoc propositum antecedere omnem præscientiam absolutam meritorum, ex prædefinitionibus multorum effectuum liberorum, ante præscientiam absolutam consensus voluntatis.

Hoc ergo propositum electionis ad gloriam absolutum, ex Augustini mente, omnium præscientiam meritorum antecedere, ex aliis duobus indiciis, quantum arbitror, perspicuis colligi potest. Primum est, quia auctores qui contrarium sentiunt, ex iisdem principiis putant, non solum Deum non efficaciter hominibus velle gloriam, nisi supposita prævisione meritorum sive cooperationis nostræ, sed nec ullos effectus, qui liberi nostri arbitrii concursum supponunt, absolute prædefinire, hoc est, efficaciter intendere ac velle, nisi postquā cooperationem atq; consensum nostrum ante præviderit, atque hoc ipsum sanctum Augustinū consequenter sentire putant; iisdē quippe difficultatibus premitur, utrumlibet quisquis teneat. Sed certum est contrarium assertionis posterioris Augustinum docuisse, ergo verisimile est & prioris. Multis modis veritas illa manifestari potest, tam in effectibus, ad quos per consensus indifferentis voluntatis, quam per consensus bonæ pertingendum est.

A Nam quantum ad effectus, qui liberam indifferentis voluntatis consensionem prærequirunt, Deum illos non raro efficaciter intendere, antequam absolutè illam voluntatis inclinationem futuram videat, inde patet; quia Deus aliquando efficaciter punire decernit homines malos illa pœna, quæ sine libera eorum voluntate adimpleri nequit; præcedit igitur decretum Dei ante liberam eorum voluntatem prævisam, utpote per quod fiat ut ista in homine oriatur, & absolutè oritura provideatur: *Scriptura divina*, inquit Augustinus, *si diligenter inspiciatur ostendit non solum bonas hominum voluntates, sed etiam illas quæ cōservant sæculi creaturam ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda vel ad pœnas quibusdam ingerendas.* Et exemplis hoc ostendens: *Quid est, non poterant subsistere*, quod scriptura dixerat. *Quare non subsistebant per liberum arbitriū, sed per timorem turbata voluntate fugiebant, nisi quia Deus dominatur voluntatibus hom-*

L. de grat. & lib. arb. c. 20.

hominum, & quos vult in formidinem convertit iratus? Et de Roboam consilium seniorum respuente: *Roboam respuit consilium salubre seniorum respondendo inimiciter, quibus leniter debuit. Unde hoc nisi propria voluntate? sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israhel, & alium sibi Regem constituerunt Ieroboam, ut irati Dei voluntas fieret.* Quod etiam statim ex manifesta scriptura probat: *quid enim scriptura dicit? Et non audivit Rex plebem, quoniam erat conversio à Domino ut statueret verbum suum quod locutus est in manu Abiæ Silonitæ de Ierobaam filio Nabath. nempe sic factum est & illud per hominis voluntatem, & tamen conversio esset à Domino.* Et de Philistijm & Arabibus terram Israhel depopulantibus: *Hic ostenditur Deum suscitasse hostes eis terris vastandis, quas tali pœna judicat dignas. Numquid tamen Philistijm & Arabes in terram Iudeam sine sua voluntate venerunt, aut sic venerunt sua voluntate, ut mendaciter scriptum sit, quod Dominus ad hoc faciendum eorum spiritum suscitavit? Unde concludit: Imo utrumque verum est, quia & sua voluntate venerunt, & tamen eorum spiritum Dominus suscitavit. quod etiam hic dici potest, & eorum spiritum Dominus suscitavit, & tamen sua voluntate venerunt. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit.* Et adhuc inferius æque manifeste: *Ecce Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in ejus corde, cui utique juste irascebatur, ut admonitionem salubrem non audiret, sed iret ad bellum, ubi cum suo exercitu caderet.* Et luculentissime in quæstionibus super librum Iudicum ad ista verba: *Et panefecit Dominus Sisaram & omnes currus ejus*, annotat in hunc modum: *Ecce quemadmodum commendat scriptura agere Deum in cordibus ut det exitum quem constituit. Utique enim pavescere vel obstupescere Sisaram ut traderet eum.*

Ibid. c. 20.

Quæst. 29. in Iudicum.

In his omnibus apertissime significat Augustinus, Deum efficaciter subinde velle præcedentia vindicare peccata, quando videlicet mensura impleta fuerit, illamque peccatorum vindictam tanquam finem efficaciter intendere. Et ex hac Dei punientis efficaci voluntate applicare media, quibus actus liber fiat, quò ad constitutam vindictam perveniat. Quis autem non videat hujusmodi punitionis decretum, quamvis supponat jam absolute prævisum esse peccatum quod vindicandum decernitur, antecedere tamen actuum illorum absolutam prævisionem, per quos ille effectus obtinendus est? Esto enim non decernat hujusmodi pœnas, vel etiam præmia Deus, nisi præsupposita præscientia conditionata talis actus liberi futuri, si talem aut talem inclinationem aut inspirationem tribuat; non tamen propterea absolute futurum actum illum prævidet, antequam punire vel remunerare constituerit; cum idcirco actus ille liber quem posita tali inspiratione, futurum videt, reipsa suscitetur à Deo, & inspiratio reipsa voluntati immittenda sta-

A tuatur, ut finem illum decretum præmii aut vindictæ consequatur. Nam hoc est, quod in illis citatis locis dicitur, *volens vindicare, hoc operatus est in ejus corde ut iret ad bellum.* Hoc quod dicitur, *ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit*, hoc est, efficaciter intenderit. Hoc quod dicitur: *Erat conversio à Domino, ut statueret verbum suum*, id est, ut exequeretur id quod constituerat. Hoc quod dicitur: *Regem constituerunt Ieroboam, ut irati Dei voluntas fieret.* Hoc quod dicitur: *Ut det exitum quem constituit; obstupefecit ut traderet.*

Quod ad effectus bonos attinet, nonminus perspicuè docet Augustinus illos subinde Deum intendere, antequam eos futuros absolute prævideat; sed è contrario, idcirco illos à voluntate fieri, quia efficaciter decrevit ut fiant. Nam Religiosum esse, effectus liberæ voluntatis est, & tamen Augustinus cum Ambrosio non semel dicit: *Deus quem dignatur vocat, & quem vult Religiosum facit.* Hoc B est, quem ipse vult esse Religiosum, illum etiam facit talem, ubi evidenter efficax voluntas ejus causa statuitur, cur Religiosus fiat, ergo non supponit futuritionis ejus absolutam præscientiam ante decretum, sed ipsum decretum est prima radix absolutæ futuritionis ejus. Credere Deo est actus liber, & tamen Augustinus dicit: *quia electi sunt elegerunt*, scilicet credendo, *non quia elegerunt electi sunt.* Et clarius: *Intelligamus vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant.* Nam per illud *quia* electi sunt crediderunt, *eliguntur ut credant*, significatur actum fidei sequi, quia, Deus eos elegit, hoc est, decrevit ut credant. Nam ex illo decreto, media per quæ credant, Deo miserante, tribuuntur. Quod ex opposito apertissime patet, quando de Tyriis dicit: *Quoniam ut crederent; non erat eis datum, etiam* C *unde crederent est negatum.* Quomodo non erat eis datum ut crederent, nisi quia efficaci decreto voluntatis dare noluit; ex quo secutum est, ut eis miracula signaque non fierent, quibus si facta fuissent, prævidebantur esse credituri? Denique ipsum velle, effectus est liberæ voluntatis: quod ita Christus in quibusdam hominibus intendit efficaciter, ut etiam Patrem rogaverit, ut fieret antequam futurum esse prævideret. *Quid moliturus es contra verba dicentis, Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si eam Petrus deficere voluisset, hoc est si eam usque in finem perseverare noluisset? Quasi aliud Petrus ullo modo vellet quam pro illo Christus rogasset ut vellet.* Quam seria, quam certa, quam efficax illa voluntas Christi fuit, ut Petrus vellet, per quam ita rogavit ut vellet, ut oratio illa effectu suo carere non posset. Nec tamen illam D tunc futurum prævidebat, sed illa voluntas & oratio Christi origo fuit ut fieret, & ut causa, qua fieri posset, in Petro poneretur. Quod consequenter ibidem Augustinus expressit: *Nam quis ignorat tunc fuisse perituram*

Lib. de prædest. sanct. c. 18.

Lib. de prædest. c. 17.

Lib. de don. pers. c. 14.

Lib. de Corr. & grat. c. 8.

ibid.

fidem

fidem Petri, si ea qua fidelis erat voluntas ipsa deficeret, & permansuram si eadem voluntas maneret? sed quia preparatur, hoc est efficitur, *voluntas à Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio.* Nempe qua volebat, & intendebat, & orabat, ut firmiter & stabiliter vellet. Nam hoc ipsum, & nihil aliud efficaciter intendisse rogasseque Christum, consequēter indicat: *Quando rogavit ergo ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?*

Sed ne singulis affectibus hujusmodi percurrendis diutius immorer, hoc sæpius generalioribus verbis, velut rem certissimam tradidit. Vt quando dixit in Enchiridio: *Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere.* Vbi etiam absurdum esse putat, *vt infirmis nolendo impedientibus, non potuerit facere potentissimus quod volebat.* Et quando de eadem Dei voluntate alibi loquens, atque ipsissimò Philosophorum vocabulo *Intentionis* vtens dicit: *Absit vt impediatur ab homine omnipotentis & cuncta scientis intentio. Parum de re tanta cogitant. vel ei excogitando non sufficiunt, qui putant* Deum *omnipotentem aliquid velle,* id est, intendere, *& homine infirmo impediente non posse &c. Deus enim quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Hic perspicue ponit intentionem Dei, nempe *velle convertere* voluntatem, eamque profecto tam efficacem, ut nihil eum impedire possit juxta id quod alibi luculentius explicando dicit: *Cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas.* Et hæc præcedit absolutam prævisionem inclinationis voluntatis, quia vi istius decreti, sicuti futura est inclinatio, ita etiam ex tunc absolute, non ante futura prævidetur. Similiter idipsum significavit Augustinus quando dixit: *Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quam certa & immutabilis & efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit & non velit, nihil autem velit & non possit; quamque sit verum quod in psalmo canitur: Deus autem noster in cælo & in terra, omnia quæcumque voluit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit & non fecit.* Et hoc etiam de hominum voluntatibus convertendis se intelligere probat, quod sequitur: *Quod utique non est verum si aliqua voluit & non fecit: & quod est indignius ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, vo-*

Lib. 1. contra Iul. oper. imp. f. 133.

Lib. de Cor. & gratia c. 14.

Enchirid. c. 95.

A *luntas hominis impedivit.* Itaque subjungit inferius: *Ideo est rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit.* Id ipsum significat aliis multis locis. Vt quando toties dicat in rebus illis humanæ voluntatis inclinationem spectantibus: *Liberat quos vult: quos vult vivificat: An non licet mihi quod volo facere.* Et peculiariter quando dicit esse Deum, qui homines *salvos fieri velit, & ideo faciat, quia omnipotens inaniter velle non potest, quodcumque voluerit.* Et illo in libro de correptione & gratia: *Cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium.* Et illo in eodem libro: *Non est dubitandum voluntati Dei, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipsa quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominū voluntatibus quod cū vult facit.* Hęc enim omnia luculentissime designant, Deum efficaciter quod voluerit in ipsis hominum voluntatibus, seu quem voluerit effectum liberæ voluntatis intendere, B etiam antequam absolute futurum præsciat: cum ipsa efficacissimæ voluntatis divinæ intentio sit radix totius futuritionis ejus. Ridiculum est enim, tot encomiis divinæ omnipotentiæ potestatem extollere, si nihil aliud in hominum voluntate & salute intendit ac vult, nisi quod præsciat jam futurum. Sic enim & infirmissimus homo, si tanta polleret præscientia, omnipotenter faceret in cœlis atque in terra quod vellet, nec voluntatem ejus nihil in cœlo ac terra impediret. Nam sic aliquid velle facere, quod jam futurum vides, non est velle ut aliquid fiat, sed approbare quod factum est. Quod si futile & ridiculum est, ridiculum est etiam quod tam perspicuis Augustini testimoniis enervandis quispiam opponere vellet, quod de efficaci Dei voluntate, præsupposita eventus jam futuri absoluta præscientia, loqueretur. Cum igitur tam sit in Augustini C doctrina certum & ratum (contra quàm quidam recentiores putant) Deum effectus plurimos, qui per liberam voluntatem fieri debent, efficaciter intendere antequam absolute futuri esse noscātur, sed ita ut ipsa intentionis ejus efficacia sit primus fons absolutæ futuritionis, nihil mirum, sed principiis Augustini summopere consentaneum si docuerit Deum etiam salutem hominum lapsorum, hoc est, liberationem à damnatione, seu perpetuam eorum beatitudinem ac gloriam in regno suo efficaciter voluisse, & intendisse, antequam eos merita quibus comparatur, habituros esse præsciverit.

CAPVT XXIII.

Sexta, ex querelis Massiliensium.

DEnique revera istud Sanctum Augustinum docuisse, ex alia per quam evidenti indicio patet, murmuribus videlicet, invectivis calumniis, quas à semi pelagianis, propter hanc de electione doctrinam, passus est. Longum esset omnia hic recensere, quod alibi satis accurate factum est. Legat illa, cui hæc nosse curæ fuerit. Nam ad oculum vide- A bit, veram originem semipelagiani erroris apud Massilienses nullam aliam fuisse, nisi quod capere non possent, & credere non vellent illam *discretionem* Dei, illud prædestinantis & vocantis *propositum*, quo *secundum quod placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint create*, omnem humanæ voluntatis præscientiam antecedere. *Removeri enim indu-*

Prosp. in Epist.

 striam

nationis aut electionis antecedat, sed quæ ex ipso decreto nascitur, ejus videlicet rei quam ipse prædestinando & eligendo facturus est, ut fusius suo loco explicatum.

Vide supr. 7

Secundo itaque conjecturas aliquas afferunt, quibus ostendant, esse verisimile, quod Augustinus sententiam istam non tradiderit. Quarum prima est, quia nunquam Augustino cum Pelagio aut aliis quæstio de electione ad gloriam ex operibus per gratiam factis fuit, sed de electione seu præparatione gratiæ, & de electione ad gloriam ex operibus naturæ. Vnde ostendens se ab aliis Patribus non dissentire, probat fidem & opera esse dona Dei & non solius liberi arbitrii, itemque doctrinam suam certa fide esse tenendam: *Hoc*, inquit, *scio neminem contra istam prædestinationem, quam secundum scripturas sanctas defendimus nisi errando disputare potuisse.*

Respondetur, verum esse, quod de ista præcise quæstione non fuerit Augustino cum Pelagianis aut aliis controversia; sed ex iis quæ cum istis hostibus gratiæ de ipsa gratia & effectibus ejus disputavit, etiam ista quæstio per se solvitur, & intelligitur. Nam supposita vera divinæ gratiæ, quam asseruit Augustinus, intelligentia, controversia ista de electione ad gloriam sese ex ipsa natura rei & qualicumque Philosophiæ cognitione manifestat. Et ille causa est, cur nec Augustinus difficultates de gratia contra Massilienses exhaurire potuit, nisi quæstionem istam sæpe tangendo, nec Massilienses gratiam Augustini repudiare potuerunt, nisi electionem ad gloriam ante prævisa merita fieri, ut ipsi loquuntur, *Constitutionem Dei, quæ humanas præveniat voluntates*, detestando. Quisquis enim talem gratiam astruit, qua sic dominatur Deus voluntati, ut consensum ejus quem intendit, invictè operetur, idque quia voluit istum consentire, non alium, ab initio fidei usque ad vitæ finem, fieri non potest (nisi valde distortis imaginationibus res apertas disturbare delectetur) quin electionem ad gloriam tanquam finem ad quem talis gratiarum potestas & series directè ducit, meriti præscientiam antecedere fateatur. Vnde & ego fateor, non esse fidei, nec tanquam fidei ab Augustino ex professo traditum; sed tanquam quod ex naturæ lumine ex tali gratiæ natura consectaneum est. Quod igitur objiciendo dicitur, Augustini cum Patribus ex eo consensionem probari, quod fides & opera essent dona Dei, & non solius liberi arbitrij, si rectè intelligitur, est verissimum: sed ut Molina, Lessius & similes accipiunt, prorsus falsum est. Ipsi enim putant, se præclarè ostendisse, quod fides & opera sunt dona Dei, & non solius liberi arbitrij, quando tradunt gratiam suam congruã simul cum libero arbitrio in consensum voluntatis influere, sic tamen ut gratia instar habitus sit subiecta voluntati, nec voluntatem ad hic & nunc influendum trahat, sed ad influendum hic & nunc, à voluntate trahatur. Hoc vero, secundum Augustinum, nihil est aliud, quam opera naturæ & merita solius liberi arbitrij prædicare; non quasi non intelligeret, quod in ista opinione, gratia simul ad opus cum voluntate concurrat, (hoc enim ipsemet in Angelis & homine primo factum esse docet) sed quia solius liberi arbitrij est, quod voluntas hic & nunc tali gratia utatur, aut non utatur; sicut solius liberi arbitrij est, quod voluntas quocumque habitu naturali, quibuscumque organis & adjutoriis, speciebus, luce, medio utatur aut non utatur, quantumvis sine habitu, luce, specie, medio, nec velle quippiam, nec intelligere, nec cernere, nec audire posse statuatur; quod alibi latius declaratum est. Qui ergo talem gratiam tenent ac docent, nihil mirum, si quemadmodum consensum voluntatis, ita & gloriæ consecutionem ab humana voluntate suspendunt, & constitutionem Dei de danda gloria, quæ humanam præveniat voluntatem abjiciant, atque ægerrime ferant. Hanc enim etiam abjecit Augustinus, quando similiter primis hominibus in innocentiæ statu, & Angelis istud idem gratiæ genus dedit. Sed quando hoc docuit, simul docuit, non esse opera talia, sive hominum, sive Angelorum, specialia dona Dei, sed merita liberi arbitrij; non enim ipsa merita donabat gratia, sed merendi tantummodo facultatem per adjutorium, *non quo* haberetur meritum, sed *sine quo* libera voluntate meritum haberi non posset. Sed ubi consensus voluntatis, & quodlibet meritum est peculiariter donum Dei, quo ipse usus gratia donatur, ab initio fidei usque ad ultimum perseverantis voluntatis nutum, nemo sanæ mentis intelliget, hæc à Deo cuiquam dari, nisi intelligat esse præfixum Deo beatitudinis æternæ scopum, quem efficaciter talibus, tam efficacibus, tam infallibilibus gratiis, homini sic adjuto donandum proposuerit. Ex natura igitur gratiæ quam prædicabat Augustinus, ordinem electionis ad gratiam aut gloriam, tanquam per se perspicuum, colligendum supponebat, & aliud agens sæpius indicabat. Quod cum intelligerent, tanquam rem perspicuam certamque Massilienses, doctrinam ejus à nobis traditam, iisdem prorsus quibus recentiores argumentis vellicando, infamare studuerunt. Nihil enim aliud & nunc adversus istam doctrinam intonant, nisi quod fatum, fatalesque necessitates asseramus, liberum arbitrium evertamus, sollicitudinem, laborem, & zelum animarum auferamus, correptionem, exhortationem, orationem extinguamus, Deum non omnium salutem velle statuamus, denique desperationem fidelibus afferamus. *Incredibilis enim consolationis esse putant*, quod omnia ex humanæ voluntatis, libero flexu gratiam arripiente, aut respuente religari credantur. O consolatio superborum in se confidentium! qui tanquam ad angustias mortis horrent, quando audiunt totum omnino quod boni sumus, & erimus pendere ex benigna erga nos voluntate Dei. *Hoc est enim dicere*, quemadmodum adversus similes omnino

quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.

Cum igitur istos omnes naturalis luminis sectatores & æquitatis trutinatores, scripturarum auctoritate compressisset Ecclesia, domestici timidiores & cautiores effecti, merita de condigno abhorrere cœperunt, & eorum loco substituerunt opera quædam naturalia moraliter bona, quæ essent dispositiones quædam, sive propinquæ, sive remotæ ad accipiendam primam gratiam, & consequenter quasi per concatenationem omnes prædestinationis effectus. Alii vitantes dispositionis cujuslibet vocabulum, mitius dixerunt, Deum facienti quod in se est per naturæ vires, gratiam daturum esse, qua posset bene vivere & salvus fieri. Quarum opinionum duarum, quas Catholici condiderunt, nulla etiam alia ratio fuit, nisi quia naturali lumini inhærentes, discretionis initium ab arbitrio proprio, non ab aliena voluntate, petendum esse censuerunt. Omnes enim isti, quamvis alii crassius, alii subtilius quasdam scalas excogitare conati sunt, per quas primo ejus gradu, ad liberi arbitrii potestatem, quaqua ratione revocato, per seipsos à natura in gratiam pertingerent, dum id collocant in humana potestate, à qua gratiæ donatio vel negatio pendere decernitur. Ita totius discretionis, adeoque felicitatis, & infelicitatis fons liberum arbitrium constituitur; quamvis alii meritum de condigno, alii de congruo, alii etiam rationem dispositionis, ne palam in fidem impingant, abhorrere videantur.

Quod si vero isti omnes attentius considerare voluissent, aut potuissent, non esse jam liberum arbitrium in eo statu in quo, quando condebatur ab auctore suo, institutum fuit, non ita difficulter se, Deo iuvante, ab istis hallucinationibus liberare potuissent. Nam quamvis verissimum sit, æquum esse, ut creaturæ rationalis felicitas & infelicitas, bonum ac malum ab ipsius proprio arbitrio suspendatur, *& ante eum* posità *vita & morte, bono & malo, quod placuerit ei detur illi*: postquam jam tamen in manu consilii sui positus, alterutrius partis electionem semel fecit, non est æquum, ut in istam iterum boni ac mali indifferentiam revocetur sed, potius, ut istius electionis bonitatem aut malitiam, præmium aut supplicium consequatur. Nam hoc est ipsissimum illud, quod scriptura tangit, dum dicit, *quod placuerit ei dabitur illi*, *vita* scilicet, aut *mors*, *bonum* aut *malum*: quibus nihil aliud significatur, quam præmium aut pœna istius electionis, quam manus consilii in quo homo ab initio constitutus est, propria sua libertate fecit. Est autem proprium præmium electionis bonæ & malæ, ut arbitrium in eo quod sibi delegit utrimque firmetur, atque hoc ei stabiliter diligendum detur, quod sibi diligendum eligendumque iudicavit. Quod ex utraque parte, sive in bonũ sive in malum reipsa ita in Angelis bonis,

A dæmonibus atque hominibus factum est, & hoc ipsum Augustinus luculentissime tradit; nam quantum ad electionem boni dicit: *Quod arbitrium tunc*, in statu innocentiæ, *ita liberum erat, ut bene velle posset & male. Quid erit autem liberius libero arbitrio quando non poterit servire peccato.* Hoc est, quando ita firmatum erit in bono quod elegit, ut non possit amplius ad malum eligendum declinare: *Quæ futura erat & homini sicut facta est & Angelis sanctis, merces meriti.* Et paulo inferius: *Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare: novissima prima premium, erit multo maior, non posse peccare.* Quantum vero ad electionem mali, non minus asseveranter dicit: *Per arbitrij libertatem factum*, hoc est, per liberam electionem ab illa indifferenti voluntate profectam, *ut esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem.* Et rursus: *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem* B *peccatum habendi dura necessitas.* Et rectissimam istius ordinis æquitatem assignans & probans: *Illa est enim peccati pœna iustissima ut amittat quisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit; & qui recte facere cum posset noluit, amittat posse cum velit.* Ex qua sane justitiæ norma Angelorum arbitrio datum est ut præmium, *non posse peccare*, hoc est, *non posse nisi rectum velle*; dæmonum vero arbitrium eo supplicio punitum est, ut non possit velle nisi malum. Nam & in eo proprio sita est malæ voluntatis eorum obduratio.

Lib. de Cor. & grat. c. 11.

Cap. 12.

Lib. de perf. iust. c. 4.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18.

Quæ cum ita sint, quisquis causam prædestinationis creaturæ rationalis ad beatitudinem ejus quærere suscepisset, ante omnia intuendum ei fuerat, cujus esset status libertas C ejus, de cujus prædestinatione quærebatur. Si enim libertas ei stabat illibata, quemadmodum ex officina conditoris prodiit, profectò nihil æquius erat, quam ut ipsa se discerneret, hoc est, ut voluntas quæ sic per gratiam constituta erat, ut nihil ei omnino concupiscentialiter resisteret; sed ex mirabili quodam æquilibrio & indifferentia, solo nutu in utramvis partem flexibilis bene velle posset & male, semetipsam in alterutram partem impelleret ac determinaret, eligendo, Deo simul concurrente non determinante, bonum vel malum. In tali ergo creatura, quæ beatitudinem suam adipiscitur, non est obscurum aut difficile, causam ex parte creaturæ, prædestinationis ejus quærere. Nam causa est libera electio & perseverantia, hoc est, meritum liberi arbitrii, quamvis non sine adjutorio Dei obtentum, quo sese ipsa ab alia malum per similem libertatis flexum eligente, D discernit. Nam quicquid illum libertatis nutum antecedit, natura corporis & animæ, libera voluntas, charitas qua sanctificati sunt, adjutorium sine quo velle & perseverare non poterant, communia sunt eligentibus bonum ac malum, neque sunt effectus, sed præambula prædestinationis: neque per illa quisquam

quam ab altero discernebatur, sed illis omnibus iam suppositis, tanquam per quæ omnes in agone ponebantur, discretio unius ab alio, ab aliquâ superveniente differentia exspectabatur. Quæ prima omnium differentia non fuit alia, quam quod unus istis omnibus (& natura, & gratia, & adiutorio suppositis) sua libertate uti voluit, alter noluit. Nam quemadmodú in rebus naturalibus est clarissimum discretionem videntis à non vidente, bene moraliter operantis à non operante, non ab oculis, lumine, medio, non ab habitu moralis virtutis aut similibus (quæ utriq; communia esse supponuntur) sed à solo arbitrii nutu petendam esse, quamvis sine oculis, luce, medio, videre non possit, nec sine habitu virtuosè non velit, vel velle non posse statuatur, ita discretio duarum voluntatum, quæ per gratiam sanctificatæ sunt, & quasi coram Agonetheta in agone collocatæ, non ab habitu gratiæ non ab adiutorio Dei (quod utriq; præsto, & in utriusque arbitrio relictum est) sed à solo nutu libertatis, quamvis non sine concursu adjutorii aut gratiæ, peti debet. Qua de re latius aliis diversis locis diximus. Hæc ergo causa est, cur talis creatura prædestinatur. Non enim isto casu meritum eligentis bonum sed præmium duntaxat; sicut econtrario, non peccatum eligentis malum, sed supplicium prædestinatur, quamvis neutrum sine potentia & concursu Dei fieri possit.

Vide lib. de statu primi hominis & lib. 2. de gratia Christi Saluat.

Hoc igitur, quemadmodum dixi, primum intuendum erat utrum libertas eius de cuius prædestinatione quæritur, illibata sit, an ab illa primæva & fœlici institutione dimota. Si enim iam bene agendo, vel peccando in proprium suum præmium subiecta, vel in supplicium præcipitata est, ut accepta sententia vel male amplius, vel bene velle non possit, æquitati & rationi prorsus dissentaneum est, discretionem iterum respectu boni ac mali, ab utriusvis flexili libertate petere. Iam enim ex hypothesi, discretio illa semel in eis facta est, & illa flexili indifferentia pereunte, facta est stabilis necessitas boni aut mali: nec primævum æquilibrium recuperare potest, nisi per novam judicis voluntatem, sententia utrimque retractetur; ut & illis auferatur præmium suum, hoc est, beatis Angelis beatitudo sua, & damnatis dæmonibus atque hominibus supplicium suum, quod utrorumque inhærens stabiliter voluntati, per seipsos sibi auferre non possunt.

Secundum istam igitur Theologiam, quæ totius doctrinæ Sancti Augustini de divina gratia & prædestinatione fundamentum est, iam facile patet, quid de morali causa prædestinationis arbitrandum sit. Nam si de Angelis est sermo, causa prædestinationis ipsorum, sicut & reprobationis, est meritum propriæ libertatis, quia *Angeli sancti cadentibus aliis per liberum arbitrium per liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum*

Lib. de Cor. & gratia 11.

A *sit semper se in illa esse mansuros.* Nam Angeli sancti non ad meritum sed tantummodo ad præmium prædestinati sunt, prædestinatione non gratiæ, sed meritorum: non quasi sine gratiæ, sive habitualis, sive actualis adiutorio, sibi meritum peperissent, sed quia gratia neque habitualis, neque actualis, causa fuit, ut unius potius, quam alterius arbitrium staret, aut caderet, sed liber uniuscuiusque & spontaneus nutus; quamvis non fieret ille sine gratiæ tam habitualis & actualis, quam etiam sine naturæ, adiutorio. Sin vero de hominibus ista quæstio instituitur, certissimum est, non posse amplius causam prædestinationis moralem à liberæ voluntatis arbitrio peti: *Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.* Hoc est, illa libertas flexibilis ad volendum bonum & malum periit, & justa damnationis sententia liberum arbitrium in malo quod elegit obduruit, nec potest B iterum per se ipsum sine gratia Saluatoris retorqueri in bonum. Quod quemadmodum de dæmonibus verissimum est, ita etiam de hominibus non dubitat Catholica fides, prout ab Augustino tradita & explicata est. Vnde Prosper audet ac dicit:

Lib. de perfect. iustit. c. 4.

Carm. de ingrat. c. 30.

Nec iam captivos oculos extollere in altum
Sponte potest: quoniam etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto iaceat sub vulnere norit.

Ex quo fit, ut inter homines & dæmones illa differentia sit sibi reliquantur, sicut dæmones sibi relicti sunt, ut gratia ad homines in hac vita adhuc pertingere possit, ad dæmones nullo pacto, sed sine illa neutri possint facere aut eligere bonum iuxta illud eiusdem Prosperi: *Hoc inter malos homines distat & dæmones quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio.* Hunc igitur læsæ C libertatis statum quisquis penetraverit, videt prorsus impossibile esse, ut inde ullum prædestinationis meritum, sive de condigno, sive de congruo, sive dispositio, sive vlla omnino moralis ratio alicuius boni (quocunque appelletur nomine) peti possit. Cuius ratio est quia tota libertas ad bonum, seclusa gratia (quæ in quærenda radice prædestinationis ex parte hominis, seponi debet) funditus periit, nec relicta est, nisi illa sola libertas moralis, quæ urget ad malum. Quod usque adeo juxta Sancti Augustini doctrinam, verum est, ut nec unum quidem opus moraliter bonum, sed tantummodo malum (quod peccatum proprie dictum & pœna dignum dicimus) ab illa fracta libertate propriis viribus fieri possit. Quod hic non probamus, sed supponimus, quia loco suo, cum de statu liberi arbitrii post peccatum tractaremus, innumeris Augustini testimoniis diversisque principiis eius confirmavimus.

Prosp. ad ob iect. 6. Vincent.

Vide lib. 3. & 4. fere tota de statu naturæ lapsæ.

D Ex quo profecto evidéter sequitur, purissimã gratiam esse quod arbitrium ex illo statu erigatur, non solum ad faciendum, sed etiam ad volendum, per singulos actus, bonum. Non enim placuit Deo liberum arbitrium ad illum indiffe-

indifferentiæ statum restituere, in quo ante peccatum fuit: Hoc enim si fieret, eodem modo sicut antea semet ipsum, quamvis non sine Dei adjutorio, sua se libertate discerneret. Sed ita restituitur, ut quoddam libertatis principium iustificatis detur; propter tamen medullitus inhærentem voluntati rerum terrenarum quarumlibet libidinem, Deus in eo per singulos actus operari debeat velle & perficere, pro bona voluntate: Quamvis præsenti instituto satis sit, primum bonæ voluntatis motũ ita in captivo arbitrio fieri oportere, ut nisi Deus in eo operetur ac donet velle, velle non possit. Hoc ergo quia pura & puta gratia est, impossibile est quicquã in homine moralis operis reperiri, quod Deum ad eam largiendam invitet ac trahat. Hanc gratiæ altitudinem quisquis penetrat, omnes huiusmodi cogitationes, de meritis, siue præsentibus, siue futuris, siue absolutis, siue conditionatis, siue de condigno, siue de congruo, omnes de dispositione ac gratiam, de operibus moraliter bonis præcedentibus, de faciente quod in se est, cui detur gratia; velut incerta, vel inania mentis humanæ machinamenta, procul abiicit; quibus nihil aliud agitur, quam ut discretionis radix unius ab alio non ex puro beneplacito miserentis ac distribuentis cui vult, ac spirantis ubi vult, & unicuique dantis sicut vult, & quando vult, & quantum vult; sed ex qualicumque humanæ libertatis motitatione, licet mortuã religetur. Quid enim fecerit ille, qui quod in se facit, ad obtinendam gratiam, qui aliud citra gratiam qua caret nisi peccare, non potest? Nec enim arbitror, eo fatuitatis quisquam venerit, ut peccata prædestinationis causam esse deliret. Hunc ergo fontem errorum, quibus prædestinatio ac discretio hominum diversis ex causis diversimodè suspensa fuit, non rarò sanctus Augustinus indicavit: ut quando contra Pelagianos dicit: *Ignorantes altitudinem gratiæ fabulas improbabiles texuerunt*: Et in Enchiridio ad Laurentium tractans Apostoli verba quibus dicit Iacob dilexi, Esau autem odio habui, sic subjungit: *Sentiens autem quemadmodum posset hoc quod dictum est permouere eos, qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ, quid ergo dicemus, ait, Numquid iniquitas est apud Deum?* Et in Epistola ad Honoratum: *Habet enim gratia adversarios, qui eius profunditate turbati, non Deo tribuere sed potius sibi volunt arrogare quod boni sunt. Nec tales sunt quos facile contemnas, sed continenter viventes, atque in bonis operibus laudabiles.* Itaque profunditas gratuitæ gratiæ causa est, cur tot opinionibus veteres & recentiores, tam hæretici quam Catholici distracti fuerint, ut radicem detergerent ex qua nasceretur, ut unus ab alio, prædestinatione & eius effectu, gratiã discernatur. Non enim intelligendo penetrare potuerunt, hoc ipso quo bonus quicumque voluntatis motus, siue moralis, siue veræ pietatis appelletur, ex gratuita gratia datur,

Lib. 1. de peccat. merit. c. 21.

In Enchirid c. 98.

Epist. 120. c. 37.

A eum ex puro dari divinæ bonitatis beneplacito, & proinde illi cujus voluerit ex sua liberrima & sapientissima bonitate misereri. Itaque profunditas distributionis gratuitæ gratiæ, seu cardo distributionis eius, quod Deus tribuit cui vult, nobis inscrutabilis est; hoc excepto, quod in damnato genere, ex perdito, ut Augustinus loquitur, ante gratiam liberæ voluntatis arbitrio, non posset amplius peti. Quam profunditatis huius inscrutabilitatem jam olim Apostolus declaravit, quando de hac gratuitæ misericordiæ altitudine exclamans dixit: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ eius!* Et alio in loco, eos qui moleste ferebant, id quod dixerat: *Non esse volentis neque currentis sed miserentis Dei*, itemque quod Deus, *cuius vult miseretur & quem vult indurat*, his verbis retundit, quibus ad suæ capacitatis
B modulum revocantur: *O homo tu quis es qui respondes Deo.* Quamobrem Apostolum imitatus Augustinus, sæpe profundum illud, cur hic, non ille à damnationis massa discernatur, prædestinetur, gratiam accipiat, scrutari vetat: *Totum hoc*, inquit, *non nobis sed illius misericordiæ tribuentes, cuius profunda iudicia omnem scrutatorem fatigant.* Et in Epistola ad Sixtum: *Cur autem illum potius quam illum liberet aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum; veruntamen caveat præcipitium.* Et in libro de spiritu & litera: *Tam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet: cur illi ita suadeatur ut persuadeatur; illi autem non ita, duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placet: O altitudo divitiarum; Et: numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptores.*
C Qui videlicet ferre non possunt, ut exclusis quibuslibet meritis & operibus, humiliter ex solo Deo peccatrix creatura pendeat, tanquam ex cujus solius occultissimæ misericordiæ nutu, electio & prædestinatio ad gratiam revincta sit. Itaque profunditatem discretionis humanæ, etiam per lignum crucis, cuius pars terræ infixa tegebatur, designatam esse sæpius docet: *Illud ex ligno quod fixum occultatur, profunditatem significat gratuitæ gratiæ: in quo multorum ingenia conteruntur id vestigari conantia, ut ad extremum eis dicatur, ô homo tu quis es qui respondeas Deo.* Et in sermone septimo de verbis Apostoli præclarissime: *Quare ergo illi datum est, & illi non est datum? Non me piget dicere, hoc est profundum crucis. De profundo nescio quo iudiciorum Dei, quæ perscrutari contemplarique non possumus procedit omne quod possumus. De profunditate, in-*
D *quam nescio qua iudiciorum Dei, quæ inscrutabilia contemplari non possumus, perscrutari non valemus procedit omne quod possumus. Quod possum video, unde possim, non video: nisi quia & hoc hactenus video, quod novi esse à Deo. Quare autem illum & non illum; multum à me abyssus est; profundum crucis est, admiratione ex-*

clamare

Rom. 11.

Ibid.

Epist. 120. ad Honorat. c. 36.

Epist. 105.

Lib. de spir. & lit. c. 34.

Epist. 120. ad Honorat. c. 36.

Serm. 7. de verb. Apost.

clamare possum. Quam salubriter hæc audirent, qui ingenia sua tam pertinaciter conterunt, ut rationem inveniant per opera moralia, per facere quod in se est, & hujusmodi humana cogitata, quare illum & non illum assumit Deus, quam Augustinus inscrutabilem profunditatem esse definit. Vnde subjungit adhuc luculentius, ut saltem intelligant isti scrutatores, vel profundum esse quod quærunt: *Quid possum exclamare de ista profunditate? Quam magnificata sunt opera tua Domine! Gentes illuminantur, Iudæi excæcantur, quidam parvuli sacramento baptismatis abluuntur, quidam vero parvuli in morte primi hominis relinquuntur. Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ! Et sequitur: Vir imprudens non cognoscit & stultus non intelligit hæc. Quid non intelligit stultus & imprudens? Quia vel profundum est. Nam si stultus non intelligit, & sapiens intelligit, non est nimis profundum. Sed si sapiens intelligit, quia profundum est, stultus non intelligit quia vel profundum est. Ideo multi de isto profundo quærentes reddere rationem, in fabulas vanitatis abierunt.* Quod utrum non ij quoque fecerunt, qui rationem datæ gratiæ, opera moraliter bona quæ nulla sunt, dispositiones nescio quas, & conatus hominum quantum in ipsis est, esse volunt, & utrum non in fabulas vanitatis abeant, ipsi spero considerare dignabuntur.

Ibid.

Quid enim certe vanius, quam opera moraliter bona, vel conatus quibus homines faciunt quod in se est, rationem existimare, cur illis stabili lege detur gratia, cum non solum sine gratia, nulli tales conatus boni sint, at omnes mali; sed etiam ex æqualiter bonis aut malis, unus assumatur, alter relinquatur, imo ex inæqualiter malis, pessimus convertatur ad Deum, optimus repellatur? Quod & experientia quotidiana certaque verissimum esse constat, & ab Augustino plurimis assertum locis. Nam de paribus utriusque meritis malis sic loquitur in libro de dono perseverantiæ, tam de majoribus quam de parvulis: *Investigabilis est ergo misericordia, qua cuius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis: & investigabilis, qua quem vult obdurat eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cuius miseretur plerumque communibus.* Quod cum in parvulis declarasset: *Hoc*, inquit, *& in maioribus fieri nequaquam cunctemur, sive pares qui liberantur atque puniuntur sive dispares habeant causas malas.* Et in Epistola ad Vitalem: *Quomodo in hac re merita pensantur voluntatis humanæ quandoquidem illis quibus gratia ista non datur, nullo plerumque merito, nulla voluntate distantibus, sed similem cum eis quibus datur habentibus causam iusto plerumque iudicio Dei non datur? Non enim est iniquitas apud Deum ut intelligant quibus datur, quam gratis eis detur quando iustè utique non daretur, quoniam similem habentibus causam, iustè non datur.* Et libro primo de peccatorum meritis & remissione ad Marcellinum: *Valde ergo parvum sensum habemus ad discutiendam iustitiam iudiciorum Dei, ad discutiendam gratiam gratuitam nullis meritis præcedentibus, non iniquam, quæ non tam movet cum præstatur indignis, quam cum æque indignis alijs denegatur.*

Lib. de dono perf. c. 11.

Epist. 107.

Lib. 1. de pecc. merit. c. 21.

De habentibus vero impares causas, sive malas, sive moraliter bonas, quorum deteriori detur gratia, meliori vero subtrahatur, multo manifestius: *Vnde enim fit ut homo ab ineunti pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, & ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat, & tamen eo loco sit ubi ei prædicari gratia Christiana non possit: Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitijs ac facinoribus coopertus, ita gubernetur ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur aut si detentus hic fuerit laudabiliter vivat?* Haud scio, utrum ullum exemplum adduci possit ab iis auctoribus, qui facientibus quod in se est, gratiam dari putant, isto præsenti luculentius, in quo, citra fidem Christi, tantus moralis bonitatis fulgor luceat. Et hæc tamen tanquam ad gratiæ collationem prorsus inutilis & importuna præteritur, & moralium penitus expers meritorum, imo flagitiis & facinoribus coopertus assumitur. Quod non minus perspicue ad Simplicianum docet: *Certe tam occulta est hæc electio* (ad gratiam salutarem) *ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quid intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit, quam minimis peccatis irretitus atque maculatus (nam nullis quis potest) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille qui infirma mundi elegit ut confundat fortia, ut eum intuens & pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores.* Quod & exemplis hæreticorum, & Catholicorum, & histrionum, & meretricum verum esse declarat. Ecce Augustinus inscrutabilem sibi quæstionem illam esse testatur, se nihil invenire ante gratiam, nisi ingenium, doctrinas, & minora peccata; se pudore suffundi dum ista ratione diversitatis esse cogitat, cur unus eligatur ad gratiam, alter relinquatur, quia experientia hoc falsum esse deprehenditur. Vt hinc recentiores videant, quam procul ab Augustini modestia & opinione discedant, qui opera, nescio quæ, bona præter minora peccata, in infidelibus & paganis fingũt, & quod deterius & audacius illa ipsa rationem esse volunt, cur talia habentibus opera

Ibid.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic. in fine.

Deus gratiam largiatur.

Etenim, si verum dici liquido debet, quid hujusmodi moralium trutinatores operum aliud faciunt, cùm eis, ubi reperta fuerint, alligant gratiam Dei, quam quod non solum Augustinum deceptum, sed Apostolum ipsum fallacem aut falsum esse declarant? Nam si talis aliqua datæ gratiæ, vel negatæ ratio assignari potest, profectò falsum est, inscrutabilem esse quæstionem, imo verum est, nullam esse quæstionem, cur huic, non illi gratia tribuatur. Est enim in aperto, diversitatem illam ex meritorum, vel dispositionum, vel operum quorumcumque moralium, vel operantium quod in se est, vel voluntatum humanarum diversitate, proficisci. Non autem sic Apostolus, sed exclamat: *O homo tu quis es qui respondeas Deo? O altitudo divitiarum!* Et Augustinus: *Quam altitudinem non aperit, sed clausam miratur Apostolus clamans, ò altitudo divitiarum &c.* Et in libris de peccatorum meritis: *Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, injusta non potest &c. Iudicia enim tua abyssus multa. Cujus abyssi altitudinem veluti expavescens exclamat Apostolus: O altitudo divitiarum &c.* Et inferius: *Cujus profunditatis velut horrore percussus, ô altitudo inquit divitiarum.* Quod sexcenties in scriptis suis adversus Pelagianos inculcat.

Epist. 105. initio.

Lib. 1. de peccat. merit. c. 21.

Qua sane consideratione, cum Pelagiani merita quædam futura se invenisse crederent, cur Deus Iacob dilexisse & Esau odio habuisse diceretur, aperte profitetur, si tale quid inveniri potest, nullam jam esse quæstionem, quæ tanquam implexa esset & mirabilis dissolvi mereretur: *Qua in re si futura opera vel bona hujus vel mala illius quæ Deus utique præsciebat velles intelligi &c. nullam quam solvi opus esset facere quæstionem.* Et in opere imperfecto contra Iulianum: *Nam si inscrutabilis quæstionis hujus illa esset solutio, quam tu sapis, secundum merita voluntatum, manifesta esset ut nulla ejus difficultate compelleretur Apostolus dicere: O homo tu quis es qui respondeas Deo?* Nam quæcumque tandem ratio discretionis alicujus proferri potest, sive ex parte meritorum, sive quorumcumque operum, sive cujuscumque conatus quo faciat suis viribus quod in se fuerit, sive voluntatis, jam soluta est ista quæstio, jam judicia Dei in isto mysterio non sunt inscrutabilia, nec investigabiles viæ ejus: Unde & Petrus Diaconus ad Fulgentium, cum à quibusdam Deus humanam voluntatem expectare diceretur, ut volentibus daretur gratia: *Hæc*, inquit, *si ita sunt, ut hæretici jactant, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia & incomprehensibilia Dei judicia. Si enim, ut ipsi volunt, nolentes damnat, salvat autem volentes, nihil est omnino quod quæratur ulterius, & quantum ad ipsos fallit scriptura divina, quæ incomprehensibilia Dei testatur judicia.* Et generaliter Prosper de bona qualicumque voluntate: *Profunditas illius quæstionis quam secun-*

In Enchirid. c. 98.

Lib. 1. oper. imperf. contra Iul. f. 179.

Petrus Diac. Ep. de incarn. & gratia ad Fulgent. c. 7.

A *dum admirationem Apostoli inscrutabilem confitemur, per liberi arbitrij velle & nolle non solvitur*, cujus causa est, illa quam ex Augustino latissime suo loco declaravimus, & a sancto Prospero ibidem datur: *Quia etsi insit homini bonum velle, non tamen habet nisi donatum.* Quasi dicat, quia hoc ipsum velle, jam provenit ex discernente hominem Deo. Impossibile est enim damnatam peccato voluntatem à peccato erigere & flectere in bonum, seu ab omni creaturæ dilectione retorquere in solum Deum, nisi divinitus per gratiam inspiretur. Quod donec factum fuerit, nullum ex homine orietur faciente quicquid in se fuerit, aut opus aut conatus, aut voluntas sive supernaturaliter, sive moraliter bona, sed sola, quæ Augustinus paulò ante infideli voluntati tribuebat, *mera peccata*. Quibus electionem ad gratiam salutarem asscribere tam absurdum ei videbatur,

Prosp. lib. 1. de vocat. gent. c. ult.

Ibid.

Li. 1. q. 2. ad Simplic.

B ut à Deo se *videndum & pudore corrigendum* esse fateretur. Nihil ergo salubrius istiusmodi divinorum judiciorum scrutatoribus, qui quodlibet ex se præmittere volunt unde gratia religetur; nihil Christiano Doctore damnati generis indignitatem, & gratiæ gratuitæ profunditatem credente vel penetrante dignius, quam ut præclarum sanctissimi & modestissimi Præsulis monitum non surdis auribus prætereat: *Sed quare istos homines oves facit, & istos non facit, apud quem non est acceptio personarum? Ipsa est quæstio quam Beatus Apostolus curiosius, quam capacius proponentibus ait: O homo tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? Ipsa est quæstio quæ ad illam pertinet altitudinem quam perspicere volens idem Apostolus quodammodo expavit & exclamavit: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus &c.*

Li. 4. ad Bonif. c. 6.

C Et paulò post: *Non itaque istam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem &c.* Itemque: *Grata sit ergo nobis ejus gratuita miseratio, etiamsi hæc profunda insoluta sit quæstio.*

Nam ipsa gratuitæ gratiæ natura & profunditas postulat, ut non sit ex hominibus quibus datur, sed ex ipso dantis beneplacito petenda ratio diffusionis aut subtractionis ejus, qui de suis bonis quæ indignis damnatisque distribuit creaturis, id facit quod vult, & earum nemini per hoc injuriam facit. Quod identidem notavit Augustinus adversus eos qui se hujusmodi inscrutabilis quæstionis indagatione macerantes, quidlibet ex parte creaturæ præmittere nituntur, ex quo gratia gratuitæ liberationis, ad hunc

D præ illo derivetur: similes profectò illis murmuratoribus Euangelicis, qui de simili patrisfamilias liberalitate & inæqualitate conquesti sunt. Sed quid dicit eis divinum responsum? *Amice non facio tibi injuriam. Tolle quod tuum est, & vade. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* Unde & Augustinus hujusmodi curiosulis scrutatoribus: *Quid di-*

Matth. 20.

Homil. 19. & 54. *ctus es Deo dicenti, hoc volo? Ergo Domine ille qui tanta fecit, tanta mala in sanctos tuos facere cupiebat, tali eum misericordia dignum existimasti? Hoc volo. An oculus tuus nequam quia ego bonus sum?* Et in alio loco explicans uberibus quam sit illa recta & iusta responsio, cum quærerent Massilienses, qui eadem ista quæstione turbati sunt: *Cur in eadem causa tam diversum iudicium?* Lib. de dono pers. c. 8 *Respondet eis: Nonne similis quæstio, cur in diversa causa idem iudicium? Recolamus igitur illos o-* A *perarios in vinea &c. Numquid & hic audierunt murmurantes a patre familias, nisi* HOC VOLO? *Ita quippe eius erga alios fuit largitas, ut erga alios nulla esset iniquitas. Et isti quidem utrique in bonis sunt: verumtamen quantum ad iustitiam spectat & gratiam, potest & de reo qui liberatur recte dici* VOLO: *potest & de eo qui damnatur: Tolle quod tuum est & vade. Huic autem volo, quod non debetur donare. An non licet mihi facere quod volo?*

CAPUT XXVI.

Numerus prædestinatorum quo pacto certus, præscientia, an præfinitione, tam respectu Angelorum, quam hominum. Aliqui supra numerum.

Quapropter ut rem de causa prædestinationis breviter absolvamus, ista est inter prædestinationem sive electionem innocentium Angelorum, & lapsorum hominum differentia: quod Angeli quia sua voluntate, quamvis non sine gratia, steterunt, non ad meritum beatitudinis, sed ad præmium ipsam beatitudinem prædestinati sunt, hi vero non minus ad meritum, quam ad præmium. Ex quo fit ut illi ex meritis, non ex gratia; si ex pura gratuita gratia, non ex meritis electi sint. Illorum proinde prædestinationis causa sit propriæ voluntatis electio, horum solum misericordia prædestinantis Dei. Quæ videtur etiam esse ratio, ut in universis Augustini scriptis, nisi fallor, nusquam habeatur Angelos fuisse prædestinatos à Deo. Nam quamvis aliquo sensu hoc verum esse posset, quia saltem ex meritis ad gloriam prædestinati sunt, plus tamen indicatur quando aliquis absolutè prædestinatus dicitur. Nam quia Dei prædestinatio, tanquam efficax decretum operandi, rei prædestinatæ causa est, nemo absolute prædestinatus dicitur, nisi quem sua voluntate Deus ad creaturæ rationalis terminum, æternam fœlicitatem eius, perducendum suscipit, viamque simul ac terminum, meritum scilicet & præmium, in ea, vi suæ prædestinationis operatur. Quod sane in Angelis, ut explicuimus, non habuit locum. Nam illa quoque ratio est, cur dæmones, quamvis propria locutione, Deus eos ad æternam damnationem prædestinaverit, utpote quam non alium quempiam, sed se in eis propter merita facturum esse præscivit, non dicantur à Deo prædestinati, quia non viam in eis sed terminum tantum damnationis operatus est. Hinc fit igitur, ut Angeli, sive beati, sive damnati potius præsciti, quam prædestinati esse censeantur, quia meritum quod fœlicitatis & infœlicitatis moralis causa est, eos propria volũtate habituros, non sua se efficaci voluntate & prædestinatione in eis operaturum esse præscivit. Sed in hominibus ex dãnato genere salvãdis, propter causam sæpé repetitam, aliter accidit.

Propter hanc igitur prædestinationis Angelorum stantium, & lapsorum hominum di- A fferentiam, fieri videtur, quod Augustinus, quando de totius creaturæ rationalis prædestinatione loquitur, prout Angelis atque hominibus communis est, nusquam asserat, quod sciã, omnes illos qui in cœlesti civitate utrisque constante collocandi sunt, à Deo prædestinatos esse, quamvis aliquo sensu, saltem prædestinatione seu electione meritorum, verum esse possit, ut supra diximus; sed circumspectissime aliquoties dicat, *Numerum Sanctorũ prædestinatum esse, qui ex Angelis & hominibus impleri debet.* Vide lib. 14 de Civit. c. 1. 21. & 26 & lib. 9. de gen. c. 20. quæ infra citantur. Multum enim differunt, numerum sanctorum, & singulas personas sanctorum seu singulos sanctos prædestinatos esse. Nam numerus definitus ex Dei sapientissima voluntate esse potest, qui nec minui nec augeri possit, etsi singuli sancti quibus implendus est, in illum numerum non efficaci Dei, sed propria voluntate, quamvis non sine B gratia, transferantur, atque inde propria similiter voluntate excidant. Sic enim personarũ certitudo erit ex præscientia Dei, quã quis eas suam perseverantiam merituras esse videt, numerus ipse ex prædestinatione.

Quapropter si secundum sancti Augustini mentem, de re ista sentire ac loqui volumus, prædestinatio creaturarum rationalium videtur esse peracta in hunc modum. Cum Deus cœlestem quandam civitatem cõdere decrevisset ex creaturis rationalibus, quæ ipsum tanquam regem atque artificem suum per totam æternitatem amaret & coleret, certum civium numerum qui scopo eius congrueret, ex infinita sua sapientia definivit. *Novit quippe,* ut Augustinus ait, *quid agat & quantus numerus esse debeat, primitus omnium hominum, deinde sanctorum sicut siderum, sicut Angelorum, atque ut de terrenis loquamur, sicut pecorum, piscium, volatilium, sicut arborum & herbarum, sicut denique foliorum, capillorum nostrorum.* Epist. 106. Hunc C ergo cœlestis civitatis numerum ita præfixit, ut si qui ex illis caderent quos ad sedes prædestinatas condere, & in via velut agone constituere decreverat, alii vel conderentur, vel ex ipso damnato genere suscitarentur qui lapsorum implerent locum. Nam duplicem istum suppletionis modum Augustinus diversis in locis tetigit: Primum quidẽ in libris de libero

Lib. 3. de lib. arb. c. 11. libero arbitrio, ubi de Angelis loquitur: *Non enim vel bonitas eius quasi aliquo tædio, vel omnipotentia difficultate deficeret, ad creandos alios quos in eis sedibus collocaret, quas peccando alij deseruissent.* Alterum in libris de Civitate Dei: *Non defuit utique consilium quo certum numerum civium in sua sapientia prædestinatum, etiam ex damnato genere humano sua civitatis impleret.* (*Lib. 14. de Civit. c. 26.*) Vtrum igitur utrumque modum servaverit Deus, ut videlicet ad supplenda tantum loca cadentium Angelorum condiderit genus humanum (quo simul, haud secus atque Angelis, prolapso, ex eodem damnato genere mundum resarserit) vel tantum posteriorem, ita videlicet ut homines perinde atque Angelos per se ad prædestinati numeri impletionem ordinaverit, ruinasque tam Angelorum quam hominum, ex damnato humano genere resarserit, non ita perspicuè ex Augustino cerni potest. Nam utrique opinioni loca fortassis quædam favent, quamvis posterior magis ejus sententiæ consentaneus esse videatur.

Itaque cum Angeli plurimi à perseverantia deficiendo cecidissent, restabat hominum genus, ex quo non solum lapsorum ruinæ, sed etiam quicquid deerat implendo præstituto divinitus numero, supplendum erat. Quam ob causam tam diu fuissent homines in paradiso generando multiplicati, si omnes in collocata sibi sanctitate stetissent, donec numerus ille cœlestis civitatis impleretur, ut illo impleto ad immortalem vitam, æternamque beatitudinem transferrentur. Nam in libris de Genesi ad litteram tradit, tam diu homines in paradiso immortaliter victuros fuisse, *Donec certo numero impleto, si iuste omnes obedienterque viverent, tunc fieret illa commutatio* &c. (*Lib. 9. de gen. ad lit. c. 3.*) Et in libro primo retractationum: *Ac per hoc & in parentibus, & in filijs fœcunditas, fœlicitasque mansisset, usque ad certum sanctorum numerum quem prædestinavit Deus, nascerentur homines non parentibus successuri morientibus, sed cum viventibus regnaturi.* (*Lib. 1. retract. c. 13.*; *Lib. 14. de Civit. c. 10.*) Atque hoc ipsum etiam in aliis locis tradit.

Ex quo colligendum relinquitur, tantum tunc hominum numerum nasciturum fuisse, si omnes ipsi in sanctitate perstitissent, quantus nunc post peccatum prædestinatorum hominum ex hominibus lapsis congregabitur. Et è contrario, tantum nunc hominum numerum ex lapsorum progenie ad æternam beatitudinem colligi, quantus tunc ex innocentibus, si omnes in innocentia perseverassent, fuisset natus. Quod quemadmodum ex ejus principiis tanquam consectaneum nos colligimus, ita & suis verbis Augustinus expressit: *Illud potius*, inquit, *est credendum quod sanctorum numerus, quod complenda illi suffecit beatissima civitati tantus existeret, etsi nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum.* (*Lib. 14. de Civit. c. 23.*) Nam si vel illo iste, vel isto ille fuisset major, aut minor, necessario numerus sanctorum civium in Dei sapientia prædestinatus, videtur fuisse contrahendus aut ampliandus.

Hoc interim in Augustini doctrina dubitatione prorsus caret, quod Angelorum ruinæ, hoc est, sedes illæ quibus assequendis Angeli, qui prolapsi sunt, creati fuerant, per homines essent in utrolibet statu reparandæ, ut ita suppleta Angelorum societate, quæ cadentium lapsu minuta erat, numerus ille sanctorum prædestinatus, nulla Angelorum defectione turbaretur: *Placuit universitatis creatori atque moderatori, ut creatura rationalis, quæ in hominibus erat quoniam peccatis atque supplicijs & originalibus & proprijs tota perierat, ex eius parte reparata quod Angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret.* (*In Enchirid. c. 29.*) Et uberius clariusque paulò post: *Et utique noverunt sancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis expectet. Propter quod ait Apostolus, instaurari omnia in Christo quæ in cælis sunt, & quæ in terris. In ipso quippe instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in Angelis lapsum est ex hominibus redditur.* (*Ibid. c. 62.*) Sed utrum ille numerus qui vel ex hominibus innocentibus tunc fuisset colligendus, vel ex peccatoribus nunc colligitur, æquet precise numerum Angelorum qui superbia ceciderunt, an vero etiam superet, statuere perdifficile est; quod & Angelorum cadentium, & hominum ad beatitudinem resurgentium numerus humanæ ignorantiæ sit incertus. Quam incertitudinem & Augustinus non uno loco profitetur. Nam in libris de Civitate Dei dicit: *De mortali progenie merito iusteque damnata tantum populum per gratiam suam colligit ut inde suppleat & instauret partem quæ lapsa est Angelorum; ac sic illa dilecta & superna civitas non fraudetur suorum numero civium* QUIN ETIAM FORTASSIS ET UBERIORE LÆTETUR. (*Lib. 22. de Civit. c. 1.*) Et in Enchiridio jam citato, cum ruinas illas angelicas, seu Angelorum societatem ruentium defectione mutilatam, ex hominibus instaurandam esse statuisset, adjicit: *Itaque superna illa Hierusalem mater nostra civitas Dei, nulla civium suorum* (ex lapsu Angelorum) *numerositate fraudabitur, sed* UBERIORE ETIAM COPIA FORTASSE REGNABIT. (*Enchirid. c. 29.*) Vbi quod utroque loco dubitantis animi voce (fortassis) utitur, duplex videtur esse causa. Vna quia nobis incertum est, quantus sit numerus universorum civium cœlestis Ierusalem, itemque quantus Angelorum cadentium aut hominum resurgentium, ut ex eorum collatione certi aliquid decernere possemus. Quid si enim numerus cœlestium civium tantus à Deo prædestinatus sit, ut etiam angelica suppleta societate, magnus occupandarum sedium numerus vacet? Quam suæ dubitationis causam Augustinus ibidem indicat. *Neque enim*, (*Ibid.*)

inquit, *numerum aut sanctorum bonorum aut immundorum dæmonum novimus in quorum locum succedentes filii sanctæ matris Ecclesiæ, quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace de qua illi ceciderunt sine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum civium numerus sive qui est, sive qui futurus est, in contemplatione est ejus artificis qui in mensura, numero & pondere cuncta disponit.* Altera fortassis etiam fuit, quia si præcisus ille numerus hominum, sive innocentium, sive lapsorum ad beatitudinem pertingeret, quantus cadentium Angelorum fuit, videretur profecto genus humanum tantum per accidens esse conditum, & quasi intrusum universo, ut Angelorum societati, per quorundam superbiam diminutæ, sua constaret integritas. Quid si enim non nisi decem aut viginti angeli à perseverandi stabilitate descivissent, an idcirco non nisi decem aut viginti homines in paradiso perseverantes nati fuissent, aut post peccatum totidem tantummodo per Christi mortem reparandi? Quid si omnes Angeli in veritate stetissent, an propterea genus humanum in isto corporali cœli terræque complexu, neque condendum fuisse arbitrabimur, ut tanta rerum corporalium, tam ordinata universitas, nullius creaturæ rationalis usibus serviens, inutilis permaneret, vel ne quidem instituenda fuisse credatur? Quod si merito absurdum videri potest, hinc existimo sanctum Augustinum significare voluisse, cœlestem civitatem non esse fraudatam numero suo, sed uberiore fortassis copia, quam si omnes perstitissent angeli, lætaturam; nempe quia fortassis ab initio ante constitutionem mundi tantus beandorum civium numerus prædestinatus est, ut non tantum præcise angelorum ruina restaurada, sed præter eos qui lapsorum Angelorum suppleant locum, plurimi prædestinatis à Deo sedibus invehendi sint.

Cum igitur propter creaturas rationales, quæ tanquam cæteris omnibus præstantiores, immediate sub Deo collocatæ & ipsius ineffabili contemplatione beandæ sunt, tota cœli terræque machina sit condita, & sæculorum transvolantium cursus ad suum terminum properet, ab istius beatissimi numeri impletione, tota temporalis ejus administratio regulam sumit; ut prout paucitas aut multitudo liberandorum beandorumque postulaverit, tardius aut celerius terminetur. Quod tam liquido verum est, ut si subito tota humani generis jam viventis multitudo, castitatis veræque pietatis cultu recte viveret, & hujusmodi repentina conversione prædestinatus ille civium sanctorum numerus impleretur, confestim hujus mundi impenderet occasus: Vnde quibusdam conquerendo dicentibus quomodo? *Quomodo subsistet genus humanum si omnes fuerint continentes?* Respondet Augustinus: *Quasi propter aliud retardetur hoc sæculum, nisi ut impleatur prædestinatus numerus ille sanctorum, quo citius impleto, profecto nec terminus sæculi differetur.* Et in alio libro de bono conjugali, similibus respondet querimoniis: *Vtinam omnes hoc vellent* (ab omni concubitu abstinere) *duntaxat in charitate de corde puro & conscientia bona & fide non ficta: multo citius Dei civitas compleretur & acceleraretur terminus sæculi.* Quapropter sæculi huc usque retardati ratio, juxta sanctissimi Præsulis principia, non est alia quam ut cives illi qui ad implendum prædestinatum numerum cœlo ascripti sunt, & adhuc peregrinantur in sæculo, dilationis istius beneficio colligantur: *Iudex noster non tædio sed amore differt salutem nostram, ratione non inopia, non quia non potest & modo subvenire, sed ut numerus omnium nostrum usque in finem possit impleri.*

Lib. de bono viduitatis c. 23.

Lib. de bono conjugali c. 10.

In Psal. 35.

Sed numerus iste secundarius qui ex humano lapsorum genere colligitur, ut Angelorum ruinas, illumque primarium numerum cœlesti civitati præstitutum impleat, non tantum secundum numerum & formaliter, sed etiam secundum personas & materialiter prædestinatus ac certus est, non tantum ex præscientia per quam & alter angelorum stantium atque cadentium certus fuit, sed etiam ex immutabili decreto prædestinantis Dei. Non enim nunc promiscue, sicut olim velle atque perseverare, libero cujusque arbitrio constitutum, sed ipsa voluntas eorum liberanda, ipsum velle & perseverare peculiari & gratuita donatione singulis largiendum. Ex quo efficitur, ut quamvis ad implendum primarium illum numerum, toti cœlesti civitati divina præfinitione præfixum, satis esset ut numerus duntaxat eorum ex quibus conflabitur istud supplementum, prædestinaretur à Deo; propter istius ruinæ tamen magnitudinem qua libertas arbitrii ad surgendum ac standum attenuata & infirmata est, necesse est, ut etiam singulæ personæ ex illa ruina suscitandæ, divini operis beneficentia liberentur, & per hoc divina prædestinatione seligantur. Vtrumque sæpissime sanctus Augustinus docet, de numeri materialis seu de personarum prædestinatione, libri duo postremi ad Prosperum & Hilarium exarati pleni sunt. Nam quod toties dicit, Deum præscivisse quibus dona sua daturus esset, non aliud probat, quam eos ipsos esse prædestinatos secundum regulam ex qua Augustinus ipse concludit: *Prædestinatos à Deo esse quos liberat & coronat.* Numeri vero formalis prædestinatio, quamvis ex personarum omnium prædestinatione consequatur, per se tamen ipsa crebris testimoniis astrui potest: *Quorum* (qui videlicet prædestinati sunt in regnum Dei) *ita certus est numerus ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.* Et inferius: *Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integer perducetur.* Et iteram:

Lib. de dono persev. c. 17. & 21.

Ibid. c. 17.

Lib. de corr. & grat. c. 13

Ibid.

Hi

Digitized by Google

Ibid. *Hi ergo qui non pertinent ad istum certissimum &* A *felicissimum numerum pro meritis iustissime iudicantur.* Et in Epistola ad Paulinum: *Certus est* *Epist. 106.* *ergo Dei præscientia definitus numerus & multitudo sanctorum, quibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Deus autem melius esse iudicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum* &c. Et in libris de baptismo contra Donatistas: *Omnis pulchritudo filiæ regis intrinsecus, in quibus* (justis) *est numerus certus sanctorum prædestinatus ante mundi constitutionem.*

Lib. de dono perseu. 8.

Lib. 5. de bapt. contra Donat. c. 27.

Cujus doctrinæ principiis consentaneè docet ulterius Augustinus, quicquid sive justorum sive injustorum hominum, extra illum beatissimum ac prædestinatum numerum in Ecclesia congregatum est, esse *super numerum*, quos etiam *supernumerarios* appellare solet. Nam in eodem loco adjicit: *Illa vero multitudo spinarum sive apertis sive occultis separationibus forinsecus adiacet super numerum.* Quem certum prædestinatorum numerum, in tractatibus in Ioannem, significatum docet illis centum quinquaginta tribus piscibus, qui post resurrectionem ejus capti sunt: *Sic post resurrectionem videlicet, non sunt aliqui super numerum, sed certus est numerus, centum quinquaginta tres.* Et in sermonibus ad populum: *Miserunt, ceperunt; certus est numerus, nemo est ibi super numerum. Modo autem quanti super numerum accedunt ad altare, qui in populo Dei videntur, & in libro vitæ non scribuntur. Ibi ergo certus est numerus.* Et in alio sermone citat scripturas unde illius doctrinæ occasionem sumpsit: *In congregatione christiana, quantum pertinet, ad participationem & communionem sacramentorum multiplicati sunt super numerum. Alius est ergo numerus; alij super numerum. Numerus est de quibus dicit Apostolus: novit Dominus qui sunt eius. Super numerum autem: quoniam in magna domo non solum vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia &c. Numerus ergo vasa in honorem, super numerum vasa in contumeliam.*

Ibid.

Tract. 122. in Ioan.

Serm. 248. de temp. c. 2.

Serm. 252. de Temp. c. 1

Hæc igitur doctrina divi Augustini constantissima, qua numerum salvandorum certum & immutabilem esse tradidit, non tantum ex præscientia perseveraturæ sub gratia voluntatis, sed etiam ex prædestinatione Dei Massiliensium presbyterorum superbia ferre non potuit, quibus molestissimum fuit, eum ex divina definitione tam immobiliter prædestinatum esse, ut neque augeri, nec minui posset, nec quisquam in eum exclusus irrepere: *Nec acquiescunt*, inquit Prosper ad Augustinum, *prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant: ac superflua sit industriæ & laboris indictio, cuius studium cessante electione frustrandum sit.* Et similiter Hilarius eorum proponens querimonias: *Si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?* Et inferius: *Inde est quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum rejiciendorumque esse definitum numerum velint.* Quarum verba querelarum perspicue manifestant, quo pacto sanctus Augustinus certitudinem istius numeri intellexerit, nempe non ex præscientia duntaxat, sed ut loquuntur, ex definitione & prædestinatione Dei. Nam numeri certitudinem ex sola præscientia diffiteri aut ignorare non poterant, utpote quam ipsi maxime circa futura tam conditionata quam absoluta prædicabant. Vnde prosper de ipsis profitetur, quod *propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt.* Item quod *ob hoc Deum alios vasa honoris, alios contumeliæ facere* fatebantur, *quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset voluntate præscierit.* Illam igitur numeri certitudinem libenter agnoscebant respectu salvandorum hominum, quam circa stantes & beandos angelos Deus habuit, quorum numerum vel personas non prædestinavit ipse, ut in gratiæ adjutorio & sanctitate perseverarent, sed eos, *sub ipso gratiæ adiutorio in qua futuri essent voluntate præscivit.* Enimvero quid stultius, hominibus Dei prædestinationem juxta præscientiam prædicantibus, quàm ut certitudinem inde resultantem, industriæ ac laboribus & exhortationibus repugnare putent, cum illa numeri certitudo ex exhortationibus, laboribus & industria præsupposita prævisaque nascatur? Itaque valde mirum est, recentiores adversus istius numeri definiti ac prædestinati certitudinem, hoc est, adversus apertissimam sancti Augustini doctrinam, tanto studio adversus hæreticos inculcatam, priscas querimonias tanta animositate refricare, ut omnem sollicitudinem bonorum operum & salutis plane tolli clament.

Prosp. ad Aug.

Hilar. in Epist. ad Aug.

B

Prosp. in Epist. ad Aug.

C

Vide Less. de prædest. & reprob. s. 3. n. 14.

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS

LIBER DECIMUS.

Qui est de reprobatione hominum & Angelorum.

CAPUT PRIMUM.

Quis ordo reprobationis quorumdam Angelorum negativæ & positivæ; ante, an post prævisa merita.

Ex iis quæ de prædestinatione angelorum & hominum diximus, non est difficile de nonnullis quæstionibus, quæ de reprobatione creaturarum rationalium agitantur, maximè de causa ejus, certi aliquid, juxta S. Augustini sententiam, statuere. Nam ut ab Angelis & primis hominibus in statu innocentiæ constitutis inchoemus,

Quemadmodum Deus neminem angelorũ (& idem est in omnibus judicium, de hominibus innocentibus) prædestinavit ad gloriam efficacem, ante prævisionem operum, & perseverantiæ in charitate, ita quoque neminem reprobavit, nisi postquam eum a justitia defecturum esse præscivit. Habuit igitur Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes; ex qua, quantum in se B est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est. Non enim solum ipsis liberum arbitrium, sed etiam bonam voluntatem, hoc est, charitatem dedit, & addidit adjutorium per quod in suscepta charitate perseverare possent, & sine quo perseverare non possent: ita tamen ut perseverare & non perseverare in eorum libero relinqueretur arbitrio. *Tale quippe erat*, ut Augustinus ait, *adjutorium quod quilibet eorum desereret cum vellet, & in* (Lib. de Cor. & grat. c. 11.) A *quo permaneret si vellet non quo fieret ut vellet.* Ex quo fiebat, ut instar Agonothetæ, qui omnibus indifferenter præmium proponit, & vires & media consequendi tribuit, quorum usum libero relinquit arbitrio, ut unicuique tandem rependat juxta meritum suum; ita Deus seriam haberet erga omnes quos condiderat beatitudinis impartiendæ, quantum in se est, voluntatem; ita videlicet, ut sicut ab ea neminem secludebat, sic etiam nemini peculiariter & efficaciter vellet, nisi postquam voluntatis inclinationem utriusque præsciebat. Sic ergo positus quicunque angelus perfectissime in manu consilii sui, statum, & salutem, permansionem cum Deo, & defectionem à Deo, gloriam, ac damnationem, prædestinationem, & reprobationem suam in sua habebat positam potestate. Nihil enim, efficaciter angelicas præveniendo voluntates, non solum de dando præmio aut pœna, sed nec de favendo uni præ altero, in statu Deus utrimque constituerat; sed erant omnia liberrima & potentissima, non tamen sine Dei gratia & adjutorio relicta voluntati; ut non sit opus multis, de signis divinæ voluntatis erga prædestinatos & reprobatos hic satagere. Nam erga omnes æqualiter ante prævisa merita sese habuit: neminem ad præmium & pœnam efficaciter, neminem ad meritum vel demeritum prædestinavit aut reprobavit, omnibus æternam vitam simplici affectu voluit, ex quo omnibus gratiam & adjutorium sufficientissimum

dedit:

dedit: sed postquam quarundam voluntatum inclinationes in malum & consensiones vidit, ex illa & post illam præscientiam decretū reprobationis ad damnationem sanxit.

Et istum quidem reprobationis eorum fuisse ordinem, ex Angelorum prædestinatione superius tractata, & maxime ex natura adjutorii angelici & primorum hominum, satis intelligitur. Nullum quippe fuit respectu Angelorum, aut hominum innocentum, efficax auxilium, quo in eis operaretur velle, sed omne auxilium sufficiens tantùm, cum quo de facto angeli permanere voluerunt & permanserunt. Non enim efficax idcirco dicitur, quia reipsa cum voluntate in effectum influit, sed quia operatur ut velit, ut faciat, ut perseveret. Cum ergo nullum esset hujusmodi adjutorium, sed omne qualecunque tandem esset, in libero voluntatis nutu relinqueretur, nulla etiam in Deo fuit voluntas efficax, qua uni Angelo præ altero salutem efficaciter voluit, antequam eum perseverare præscivisset. Nulla proinde consequenter voluntas in Deo fuit reprobandi quemquam, ante prævisum cujusque finem, sive de reprobatione positiva, sive de negativa loqui velis. De positiva, res aperta, quia peccatū præcessisse supponit, cui pœna rependenda decernitur. De negativa, non minus evidenter patet. Nam negativa reprobatio, A non est aliud, nisi prædestinationis privatio. Iam vero ante prævisionem perseverantiæ, nullus Angelorum sive ad gloriam, sive ad perseverantiæ meritum prædestinatus fuit; ergo nec negative reprobatus, nisi omnes Angelos ante peccati & meriti prævisionem negative reprobatos dici velis, quod nemo sanus dixerit. Nam talis negativa reprobatio, seu non prædestinatio, si quem locum ibi habuisse dici debeat, in illo signo respectu omnium pariter locum habuit.

Vnde nec permissio primi peccati cadentium Angelorum, reprobationis negativæ effectus esse potuit, ubi nulla talis reprobatio fuit, sed illa fluxit ex alia generaliori circa creaturam rationalem providentia, quam S. Augustinus detexit, quando dicit; quod Deus prius voluit ostendere, *quid posset eorum liberum arbitrium*, deinde quid suæ gratiæ bonum, justitiæque judicium. Hic ergo reprobationis Angelorum ordo & ratio, juxta D. B Augustinum fuit. Quod etiam cum hominibus primis ante peccatū actum fuisse, & cum tota posteritate agendum consequenter sentiendum est. Vniversum quippe humanum genus ex peccati futuri prævisione, perinde prorsus ac dæmones, fuisset tam negative etiam positive reprobatum, nisi divini judicii severitatem misericordia indebita temperasset.

Lib. de corr. & gra. c. 10

CAPVT SECVNDVM.

Quis ordo reprobationis lapsorum hominum.

Postquam igitur primi homines ab illa mirabili libertate & potestate lapsi sunt, justissimamque damnationem, sub corporis & animi gravissimis suppliciis, in hoc mundo, & æternam in altero meruerunt, illa Dei æquabilitas erga omnes & singulos, quam ante diximus, non amplius locum habuit; quamvis id nonnulli recentiores, nimis enormiter ab Augustino & veritate aberrantes, persuadere moliuntur. Ex quo consecutum est, ut aliam quoque prædestinandi rationem cum illis sibi Deus ineundam esse iudicaverit, quemadmodum hoc tractatu fusè diximus; quę quisquis intellexerit, non difficilè perspicit, quid de reprobatione hominum lapsorum arbitrandum sit. Vt igitur profundissimi Doctoris mens liquidius perspiciatur, memoria repetendum est, id quod de electorum æterna prædestinatione & temporali adjutorio quod ad ejus executionem datur, tam hoc libro, quam cum de gratia voluntatis, libro secundo tractaremus, & alibi sæpè diximus. Multis enim asseruimus, electionem earum non solum ad merita liberationis à damnatione, sed etiam ad ipsam liberationem seu gloriam esse factam, ante præscientiam ullius meriti, sive operis, sive voluntatis bonæ, & adjutorium, quo fit executio, jam esse tale, ut per hoc Deus in eis velle, & operari; surgere & A stare, meritum & perseverantiam, vitam & mortem in eis sua charitate operetur; nec ullum præterea nunc dari medicinale Christi quasi potentiale adjutorium, quod sufficiens dicunt, cum quo, tanquam in libera sua voluntate constituto, possit surgere, aut stare, aut operari, aut perseverare si velit.

Hæc igitur S. Augustini principia quisquis perceperit, jam facile videt

Primo, non posse statui, quod recentiores plerumque solent, voluntatem quandam generalem, qua Deus velit omnes homines in damnatione primi peccati positos salvos fieri, ex qua voluntate, non solum generalia redemptionis remedia, sed etiam sufficientia adjutoria, omnibus etiam reprobis præparaverit. Sicut enim talia sufficientia adjutoria non dantur omnibus, imo nulla omnino post lapsum sunt, ita nec voluntas illa generalis ex qua promanare dicuntur. Quæ quidem causa vera est, cur S. Augustinus in scriptis suis B universis talem voluntatem, qua Deus velit omnes omnino salvos fieri nunquam ab initio conversionis usque ad vitæ terminum agnoverit, sed semper constanter impugnaverit, illumque Apostoli locum, Deus *vult omnes homines salvos fieri*, quo Recentiores id expressum volunt, de efficaci voluntate, quam circa prædestinatos habet, semper explicuerit: eosque insignis *absurditatis* & ineptiæ redarguerit,

Vid. dicta lib. 3.

De grat. Christi Salvat. c. 20. & 21.

tatem Dei, qui distribuat bona sua sicut vult. Positivæ vero reprobationis causam dicunt esse, prævisum peccatum, quo creatura indicatur indigna & regno & gratia Dei. Sed juxta doctrinam S. Augustini facile ex iis quæ diximus animadvertitur, nullam respectu Angelorum aut hominum negativam reprobationem esse fabricandam. Nam si statum in quo utrique conditi sunt, respicias, neutri ante prævisa merita prædestinati, neutri negative reprobati; nisi hoc ipso etiam beatos Angelos negative reprobatos, hoc est, non prædestinatos dicere velis, quæ non est mens eorum qui negativam reprobationem in medium protulere: si vero statum reprobationis ex quo liberandum est genus humanum (unde proprie hominum prædestinatio & reprobatio incipit) jam hoc ipso, ut diximus, quo quis à Deo, alios liberandos prædestinante, præteritur, etiam velut indignus reiicitur, & proinde positive reprobatur. Vnde in S. Augustini doctrina, etsi recte dici possit, aliquos non esse prędestinatos, nullus tamen istius negativæ reprobationis est usus; quia semper ei, in omni signo divinæ rationis, positiva conjuncta est, propter conditionem obiecti seu personæ, super quam utralibet cadit. Secundum hoc igitur non est obscurum, quid de causa reprobationis positiva dicendum sit. Nam si de illa loquamur, qua Deus in eo signo, quo aliquos à perditione liberandos elegit, cæteros tanquam indignos liberatione, vult in perditione relinquere, & ab æterna vita excludere; vera reprobationis istius causa est, peccatum originale, quo periisse & damnationem istiusmodi meruisse prævidentur. Quod convenietissime in Augustini principia quadrare, vel inde patet, quia ex mente ipsius, Angelorum & hominum in innocentiæ statu, prorsus eadem fuisset prædestinationis & reprobationis ratio; ita videlicet, ut unusquisque ex prævisione meriti ac demeriti fuisset prædestinatus ac reprobatus, quemadmodum reipsa in Angelis factum est. Quapropter si Deus universum genus humanum in illa primæ prævaricationis iniquitate relinquere, & propter illam damnare statuisset, nulla amplius de quorumlibet reprobatione quæstio esset reliqua. Nam perspicuum esset, omnes ex illa prima quæ omniũ fuit prævaricatione, velut vera causa fuisse reprobatos, ubi nulla alia causa fuit. Cum igitur Deus quosdam tantum ex illo genere, in illa primæ iniquitatis damnatione relinquere, altissimo iustissimoque judicio suo constituerit, profecto sic se cum istis relictis gerit, ac si neminem inde liberare voluisset, & proinde ipsos ibi relictos ex illa primæ originalis iniquitatis culpa reprobavit. Nam quod Scholastici plerique putant, Deum post hominum lapsum habere adhuc voluntatem salvandi omnes omnino, nemine excepto, & ex illa volũtate omnibus etiam reprobis sufficientem non solum redemptionem sed etiam gratiam præparasse, ab Augustini doctrina prorsus dissentaneũ est. Quod si vero loquamur de illa positiva reprobatio-

A ne quã præviso vitæ fine & peccatorum omnium multitudine, suppliciis æternis eos Deus cruciandos esse constituit, istius causa formaliter sunt peccata omnia cum quibus & in quorum reatu morituri sunt radicaliter, etjam originale peccatum. Nam ex illius suppliciis concupiscentia, & cæcitate, ac desertione Dei (qua, ut Augustinus loquitur, *dimittuntur libero arbitrio ac desideriis suis, & traduntur in desideria cordis eorum*) quicquid peccatorum à reprobato perpetratum est accessu liberæ voluntatis, fluxit; quod alio in loco ex Augustino multis demonstravimus, ut proinde tota illa suppliciorum concatenatio usque ad ultimam damnationem in ignem æternũ, radicaliter & mediate in peccati originalis meritũ referendũ videatur. Immediatè tamen prima pœnarũ istarum promeretur secundã, & ita deinceps, donec ultima tandem, velut præcedentium complementum, inferatur. Omissa igitur istius pœnæ ultimæ & completæ B reprobationis causa, quam omnes Catholici peccata in quibus peccator moritur, sive actualia, sive originalia, sive utraque esse profitentur, de causa primæ istius jam memoratæ, paulo latius dicendũ est. Nam eam S. Doctoris indubitatam esse sententiã, justo pene volumine ostendi potest, qua de re supra nonnihil diximus, cum de prędestinatione ex massa perditionis ageremus. Nũc paucis testimoniis contẽti erimus. Sic ergo loquitur in quęst. 2. lib. 1. ad Simplicianũ: *Quis enim discutiat opera Domini ex eadem conspersione alium damnantis, alium iustificantis.* Conspersionẽ vero istam seu massam per originale peccatum, damnationis esse factam, paulò ante docuerat, & in eadem quæstione tradit, in illo loco; *Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui* (quo tanquã typo hominũ prædestinatio & reprobatio figuratur) non posse odium nisi propter iniquitatem peccati origi- C nalis intelligi. Non enim, inquit, *Deus odit Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorẽ.* In Adam enim, *universum genus humanum* factũ est *una quædam massa peccati, supplicium debens divinæ summæque iustitiæ quod sive exigatur sive donetur, nulla est iniquitas.* Et in Epistola ad Sixtum, cũ citasset eundem de Iacob dilecto & Esau odio habito locum, docet hoc esse dictũ: *ut intelligeretur hoc apertũ postea per prophetam quod antequam illi nascerentur erat in* DEI PRÆDESTINATIONE *per gratiam.* Cum ergo sic de prędestinatione sermonẽ esse docuisset, adiicit: Quid enim diligebat in Iacob antequam fecisset aliquid boni, nisi gratuitũ misericordiæ suæ donũ? Quod videlicet eum prędestinando facere decernebat. *Et quid oderat in Esau antequam fe-* D *cisset aliquid mali, nisi originale peccatũ?* Propter quod eum velut odio dignũ reprobabat, & in eadem Epistola inferius: *Vt cum ex eodem patrè, eadem matre, uno concubitu, antequã aliquid egissent boni vel mali, alterũ Deus diligit odit alterũ, intelligat Iacob, ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrẽ suum, cum quo habuit communẽ causam, videt per iustitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni.* Discretio autem ista-

Lib. de correp. & grā. c. 13. & lib. de gest. Pel. c. 3. Rem.

Lib. 1. q. 2. ad Simp.

Ibid.

Ibid.

Epist. 105.

Ibid.

S. Au-

S. Augustino, est ipsa *prædestinatio*, seu *electio*, quam in eodem loco nominat. Et in Enchiridio ad Laurentium, hoc ipsum multis agit:

Enchirid. c. 95. *Tunc non latebit quod nunc latet, cum de duobus parvulis unus esset assumēdus per Dei misericordiā, alius per judicium relinquendus, cur ille potius quā iste fuerit assumptus, cum causa una esset ambobus.* Assumptio autē & relictio ista in mente Dei, non est aliud, nisi prędestinatio gratuita & reprobatio per judicium, quo quis damnandus esse decernitur; hoc enim judicium apud Augustinū significare solet. Vnde aliquanto inferius:

Cap. 98. *Ambo itaq; gemini natura filij iræ nascebantur, nullis quidem operibus proprijs, sed originaliter ex Adam vinculo dānationis obstricti, sed qui dixit miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per judicium debitum.* Et in lib. 2. ad Bonifacium, idē exemplū ex professo tractat. Nam in illis duobus omniū *Electorum* & *reproborum* typus, ex Augustini & Apostoli mente, constitutus est. Itaq; generaliter ibidem dicit:

Lib. 2. ad Bonif. c. 7. *Cum secundum propositum Dei* (quod Augustino est ipsum prædestinationis propositū) *vocatur alius, alius non vocatur; vocato datur gratuitum bonum, cuius boni est vocatio ipsa principium; non vocato redditur malum* (hoc ipso scilicet quo non vocatur) *quia omnes rei sunt ex eo quod per unum hominem peccatum intravit in mundū.* Et inferius paucis interjectis æque generaliter:

Ibid. *Vbi dicitur cuius vult miseretur & quē vult obdurat, qui facit aliud vas in honorem aliud in contumeliam, bonum quidem immeritò & gratis datur, quia ex eadem massa est cui datur: malum verò meritò & delictum redditur, quia in massa perditionis malū malo nō malè redditur.* Et adhuc ibidē:

Ibid. *Quis enim te discernit utiq; ab ira vasis à massa perditionis qua per unum omnes misit in dānationē.* Et mox de duobus parvulis: *Redit ad vos frater ille geminus baptizatus nō baptizatus, & tacite quærit à vobis, unde fuerit à fraterna felicitate discretus, cur illa infelicitate punitus, si nullum est gratia sine meritis donū, nullū originale peccatum?* Et in libro de correptione & gratia, dicit non solū eos qui non crediderunt aut nec audierunt Euangeliū aut baptismo caruerunt, sed etiam justos, qui non perseverant,

Lib de corrept. & grat. c. 7. *Non esse ab illa conspersione discretos, quā constat esse damnatam euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Itemq; tales justos non perseveraturos, non esse in numero prędestinatorum filiorū Dei, quia,

Ibid. *non sunt à massa illa perditionis præsciētia Dei & prædestinatione discreti.* Et lib. de prędest. Sanct.

Lib de prædest Sanct. c. 8. *Cur autem omnibus detur* fides, *fidelē movere non debet qui credit ex uno omnes isse in condemnationem sine dubitatione iustissimam; ita ut in nullo Dei esset iusta reprehensio etiamsi nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscūt.*

Lib de dono Perseu. c. 8. Et libro de dono perseverātię: *Non itaq; simus ingrati quod secundū placitū voluntatis suæ* (quod est placitum gratuitę prędestinationis) *in laudē gloriæ gratiæ suæ tā multos liberat misericors Deus de tā debita perditione, per* Adam facta, *ut si inde neminē liberaret, non esset iniustus. Ex uno quippe* A *omnes in condemnationē non iniustā iudicati sunt ire, sed iustam. Qui ergo liberatur, gratiā diligat, qui non liberatur debitu agnoscat.* Et id quod jā superius præcedenti cap. ex eod. lib. allegavimus, ubi præmissa prędestinatione liberandorum subjicit:

Cæteri autem ubi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerūt, si mira illa Christi signa vidissent. Ibid. c. 14. Et de iisdem qui possent credere si talia signa viderēt: *Et tamē si Dei altiore iudicio à perditionis massa nō sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta per quæ possent credere.* Lib. de dono Perseu. c. 14. Et de Iudæis quāvis essent ab originali culpa per circumcisionis beneficiū liberati, quia tamen præsciebantur esse perituri dicit similiter: *In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisq; virtutibus.* Ibid. Ex quibus testimoniis aliisq; pluribus, quę produci non est opus, B manifestissimū est, non aliam agnoscere S. Augustinum reprobationis causam, nisi massæ perditę meritum, seu peccatum originale quo tota massa periit. Et hoc esse causam nō tantū negativæ reprobationis, seu non prædestinationis, sed etiam positivæ, qua videlicet tamquam indignus repellitur ab æternæ vitæ seu regni cælestis beneficio, sive iste parvulus vel adultus fuerit, sive ad tēpus justificandus, sive in iniquitatibus tota vita mansurus. Nā ut aliquis ex perditionis massa liberetur, ita videlicet, ut nō pereat, nec à regno Dei realiter adipiscēdo, divinæ reprobationis decreto, exclusus esse censeatur, ad tempus justitiā accepisse non est satis, sed eam ad finem usq; vitę retentam esse oportet. Hoc autem est unum ex pręcipuis liberationis beneficiis, quod Deus non omnibus justificatis tribuit, sed iis dumtaxat, quos ab illa perditionis massa sic discernēdos judicavit, ut nō cum cæteris pereuntibus pereant, C sed reipsa ab omnibus istius massæ suppliciis, quibus impellentibus iterū in peccatū ruunt, Dei gratia liberentur. Nā ista liberatio multos gradus habet, inspirationem, fidē, remissionem peccatorū, infusionem charitatis, & efficax adjutoriū quo rectè operetur, perseverantiam qua in bonis operibus ad finē usq; permaneat; omnis denique concupiscentiæ & cæcitatis abolitionem, quarum si vel unam pro beneplacito suo Deus donare nolit illi, cui nihil eorum debet, non solum in massam perditionis, sed etiam in statum perditionis, sine dubitatione relabetur.

Quod igitur objiciunt quidā, adversus illā divini Augustini sententiam, ex Conc. Trid. & Catholica fide, per baptismū homines totius originalis culpę deletione purgari, *nihilq; dānationis esse ijs qui sunt in Christo Iesu*, ac proinde non posse dici quod reprobi quibus istud peccatum dimissum fuerit, propter peccatum D originale damnētur, nihil isti doctrinæ nocet. Nam quamvis verum sit, in multis culpā originalem, Christi baptismate deleri, culpamq; semel deletā non iterū relabendo reviviscere, nec propter illam jam deletā, immediate posse eos

eos regno cælestis hæreditatis excludi, simul tamen stabile verissimumq; manet, propter illã culpã cui obnoxius homo jacuit, noluisse Deũ ipsi totale beneficiũ liberationis decernere, & à perditione, sic ut eam reipsa evadat, liberare hoc est, secundum Augustini phrasim, noluisse ipsũ à perditionis massa, gratiæ seu beneficiorũ suorũ prædestinatione discernere; & proinde voluisse eũ finaliter in perditione relinquere. Accedit, quod ut ex reliquiis istius peccati, quas non abstersit Christi gratia, fiat, quemadmodũ diximus, ut in statum perditionis iterũ cadat, in eoque maneat & moriatur. Quod eo magis originali peccato, secundum Augustini doctrinã, imputari debet, quia concupiscentia, ex qua relapsus ille pereuntiũ nascitur, ex ipsius mente, sic est originale peccatũ, ut quãvis *reatu trãsierit, actu tamẽ maneat*, & hac de causa, & quia ex peccato nata est, & ad peccatũ provocat, peccatum etiã ab Apostolo nominetur.

Lib. de nup. & conc. c. 27.

Falluntur igitur, qui putãt hoc esse à perditionis massa discerni temporaliter, quod in tẽpore, peccati remissione justificari, vel hoc esse, æterno Dei decreto à perditione discerni, quod ad peccati remissionem eligi aut prædestinari. Hoc enim non est nisi una, eaq; exigua, quãvis præcipua discretionis utriuslibet pars; sed tẽporaliter à massa discernere, est omnia discretionis temporalis beneficia largiendo, reipsã à perditione per remissionis & justificationis datæ perseverantiã, liberare: prædestinatione discernere, est per omniũ beneficiorũ collationẽ velle quempiã totaliter a perditionis massa liberare, sic videlicet, ut neq; culpa maneat, qua damnatione sit dignus, neq; ulla pœna, per quã semel culpa extractus novũ iterum reatũ perditionis incurrat. Hoc enim significat Augustin. clarissime, quando dixit: *Quicunq; ergo ab ista originali damnatione istæ divinæ gratiæ largitate discreti sunt*, in mẽte scilicet ac prædestinationẽ Dei, *non est dubiũ quod & procuratur eis audiendũ Evangeliũ, & cũ audiunt credũt, & in fide quæ per dilectionem operatur usque in finem perseverant.* Et paulo superius, ostendẽs quo pacto ex defectu talis discretionis æternæ, videlicet totalis à massa damnationis, beneficiorũ temporaliter discernentiũ vel omniũ vel quorundã sequatur denegatio, quibus fiat, ut in massa perditionis, aut maneat, aut in eam iterũ cadat: *Ac per hoc*, inquit, *& qui Evangelium non audiunt, & qui eo audito perseverantiã non acceperunt, & qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est, in eum credere noluerunt, & qui per ætatem parvulã nec credere potuerunt sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt non sunt ab illa perditione discreti quia constat esse damnatã.* Et hoc in omnibus originali culpa cõtingere, vel immediate, vel saltem mediate, declarat id quod subjicit: *Euntibus omnibus ex uno in condemnationem*, sive mediate, sive immediate. Nam ira contra peccatũ istud concepta, jam ab æterno factum est, ut multos eorum noluerit Deus ex integro liberandos à perditione discernere, & ex eadẽ etiamnum fit, ut si quos temporaliter inde per fidem, aut peccati istius remissionem aliqua ex parte discreverit, in eundem statum damnationis relabantur.

Lib. de cor. & gra. c. 7.

CAPVT QVARTVM.

Causa reprobationis, secundum considerationem comparativam, est voluntas Dei.

QVod si vero comparative, de reprobationis causa, disquirendum est, cur ex duobus, quorũ uterque originali culpa maculatus est, hic, non iste reprobetur à Deo, rei illius nulla omnino causa ex parte hominis à nobis dari potest, sed pendet à puro beneplacito Dei. Nam ex duobus, sive æqualiter, sive inæqualiter, reis, si quis utrique, vel uni, vel neutri, vel magis vel minus reo dimittat liberaliter debitum, vel retineat, nemo iuste conqueri potest. Quisquis enim de illo quod sibi debetur, facit quod vult, quandoquidẽ gratis & liberaliter facit, debitũ remittendo; juste, repetendo. Quamvis igitur nemo nisi pro culpa prævisa reprobetur à Deo, cur tamen ex multis eidẽ culpæ obnoxiis, hic, nõ ille à liberatione repellatur, quæstio est humano ingenio inscrutabilis, & alteri sæculo reservata, ut in clara divinæ veritatis ac sapiẽtiæ luce videatur. Hic sufficit, ut hoc juste à Deo fieri, & pro ejus beneplacito fieri, sine vacillatione credamus. Nã hoc Apostolus Paulus perspicue tradit, quando disputans, cur Iudæis repudiatis ad tempus, gentilibus Evangelii lux oborta sit, ad inscrutabilẽ divini consilii altitudinem fugit: *O altitudo divitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius. Quis enim cognovit sensum Domini* &c. Causã item cur ex duobus, Iacob & Esau, qui prædestinatorũ ac reproborũ typũ gerunt, major minori serviturus esse prædicatur, antequam quisquam eorũ egisset aliquid boni aut mali, ad solã Dei voluntatẽ, velut ultimũ cardinẽ refert: *Quia non ex operibus sed ex vocante dictũ est ei, quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et ostendens in eo irreprehensibilẽ esse Dei discernentis æquitatem: *quid ergo dicemus*, inquit, *nunquid iniquitas apud Deũ?* si videlicet, ut Augustinus notat, *diligendo discernat, quos merita operum nulla discernunt.* Respondet Apostolus: *Absit: Moysi enim dicit, miserebor cuius misereor, & misericordiã præstabo cuius miserebor.* Ex quo discursu concludit: *Igitur non volentis neq; currentis sed miserentis est Dei.* Et post exemplum Pharaonis allatum: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

Rom. 11. Rom. 9. Epist. 105.

Apud Augustinũ vero veritas ista innumeris inculcatur locis, tum adversus alios, tũ præcipue Pelagianos, qui crimen acceptionis personarũ inferebant Deo, si tã indiscretã, ut ipsis videbatur, discretionis istius inæqualitatẽ nulla in personis ipsis diversitas provocaret. Sæpe enim admirãtibus, cur id contingat, respõdet, hoc esse inscrutabile: quia erga unum servatur miseri-

misericordiã, & justitiã adversus alterũ, quarũ utraq; peccati iniquitatẽ præcessisse supponit. *Epist. 105.* *Cur autem ille credat, ille non credat cum ambo idẽ audiunt, & si miraculũ in eorũ conspectu fiat, ambo idẽ vident, altitudo est divitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia & apud quem non est iniquitas dum cuius vult miseretur & quem vult obdurat.* Quod infra exprimit nomine liberationis à massa, videlicet perditionis, ut ipse loqui solet: *Ibid.* *Cur autem illũ potius quam illũ liberet, scrutetur qui potest iudiciorũ eius tã magnũ profundũ, verumtamẽ caveat præcipitiũ.* Et in lib. de peccat. meritis: *Lib. 2. de pecc. merit. c. 18.* *Quare autẽ illos velit convertere, illos pro aversione punire, quamquã & in beneficio tribuendo nemo iuste reprehẽdat misericordẽ, & in vindicta exercenda nemo iuste reprehẽdat veracem,* id est justũ, *& consiliũ tamen occultioris iustitiæ penes ipsũ est.* Quod in initio istius libri, *Ibid. c. 5.* in hunc modum generaliter dixerat: *Cur autẽ illum adiuvet, illum non adiuvet, illum tantũ, illum autem non tantum, istum illo, illum isto modo, penes ipsum est & æquitatis tam secreta ratio & excellẽtia potestatis.* Et in lib. 1. ad Bonif. *Lib. 1. ad Bonif. c. 20.* *Iam quomodo ista dispenset faciens alios secundum meritũ vasa iræ, alios secundum gratiã vasa misericordiæ, quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Et in lib. de prædest. Sanct. *Lib. de prædest. Sanct. c. 8.* *Cur autẽ istũ potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ eius. Melius enim & hic audimus & dicimus: O homo tu quis es ut respondeas Deo, quam dicere audeamus quasi noverimus quod occultũ esse voluit, qui tamẽ aliquid iniustum velle non potuit.* Et in lib. de dono persever. *Lib. de dono persev. c. 8.* *Cur in eadem causa me potius quam illum puniet, aut illum potius quam me liberabit? Hoc non dico: si quæris quare: quia in hac re sicut iusta est ira eius sicut magna est misericordia eius, ita inscrutabilia iudicia eius.* Et inferius: *Lib. de dono persev. c. 8. 9 & 11.* *In eo ergo quod alijs eam dat* baptismi gratiam, *alijs nõ dat, cur nolunt cantare Domino misericordiã & iudiciũ, cur autem illis potius quã illis detur, quis cognovit sensum Domini? Quis inscrutabilia scrutari valeat? Quis investigabilia vestigare?* Et in tract. in Ioan. *Tract. 26. in Ioan.* *Nemo venit ad Christũ nisi tractus. Quem trahat, & quẽ non trahat: quare illum trahat & illũ non trahat, noli velle iudicare si non vis errare.* Cujusmodi testimonia passim legentibus Aug. scripta, in oculos incurrunt. Sed hæc sufficiãt huic loco; plura diximus cum de causa prędestinationis ageremus, quę consulat qui plura velit.

CAPUT QUINTUM.

Effectus reprobationis damnatio, excæcatio, obduratio: non tamen primi peccati, sive angelici, sive humani permissio.

IAm de effectibus reprobationis nõ est difficile, secundum jacta S. Antistitis principia, certi aliquid statuere. Nã in primis manifestum est, primum ejus effectum esse exclusionem à regno Dei æternamque dãnationem; nam ista proprie reprobatio, tanquam sententia iudicis reprobantis ac dãnantis, respicit. De quo effectu non est inter doctores magna controversia. *Matth. 25.* Nam & scripturæ sacræ illud planissime docent dum *ignis æternus* dicitur *paratus diabolo & Angelis eius*. *Rom. 9.* Et reprobi vocantur *vasa iræ aptata* seu *præparata in interitum*. *Iudas.* Et quidam ab Apostolo Iuda dicuntur olim *præscripti in iudicium*. *Ecclus. 26.* Et apud Ecclesiasticum dicitur Deus, transgressorem *paravisse ad Rompheam*. Hinc illa quæ tam late ex Augustino supra adduximus, quibus aliquos ad mortem æternã, interitũ, suppliciũ prædestinatos esse tradit. Unde in libris de Civit. Dei docet, *Lib. 15. de Civit. c. 1.* duas esse *societates hominũ quarũ est una quæ prædestinata est in æternũ regnare cũ Deo: altera æternum suppliciũ subire cũ diabolo.* Quę omnia probant, reprobos ad ęternã pœnã à Deo prędestinatos esse, sive quod in idẽ redit, æternã pœnam eis prędestinatã & prępparatã. Cuiusmodi ad pœnã prędestinatio, cũ nõ sit aliud quã reprobatio, pœna ista necessario est effectus ejus.

Prę ter hanc tamẽ, & alię occultiores pœnę sunt de quibus dubitari potest, utrum ex Augustini mente reprobationis effectus sint. Et primò occurrũt excęcatio & obduratio illorũ qui ad interitum parati sunt. Sed certa veritas est, & illos ex Augustini sententia, esse in eis reprobationis effectus, quod & de desertione & derelictione peccatoris existimari debet. Hoc significat Augustin. quoties vel excæcationis, vel obdurationis, vel derelictionis huiusmodi, ut subtracta gratia, fiat homo cæcus aut durus, ad vindictam Dei refert, qua vel peccatũ originale cui massæ merito involuti sunt, vel alia peccata inde pullantia, judicij sui ęquitate persequitur. Nam istud iudiciũ punitionis, non est aliud, nisi decretum reprobationis. Cum enim aliquem Deus propter iniquitatem in qua natus est puniendũ esse decernit, & per hoc ipsum reprobat, quicquid pœnarum in hac vita sequitur vel immediate vel mediate, iudicij istius reprobationis effectus est. Hinc Augustinus in epistola ad Sixtum: *Epist. 105.* *Cuius vult miseretur non iustitiæ sed misericordiæ gratia: & quem vult obdurat, non iniquitate sed veritate vindictæ.* Et aliquantũ inferius: *Ibid.* *Quærimus meritũ obdurationis & invenimus. Merito namq; peccati universa massa dãnata est. Nec obdurat Deus impertiẽdo malitiã, sed nõ impertiẽdo misericordiã, quibus enim non impertitur nec digni sũt nec merẽtur: ac potius ut nõ impertiatur hoc digni sũt, hoc merẽtur.* Et in lib. de gratia & lib. arb. *Lib. de gratia & lib. arb. c. 21.* *At per hoc, quando legitis in literis veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorũ, ut iuste ista paterentur.* Unde hoc ibidem dicit iuste à Deo fieri, quia eorũ *malitiam nõ ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per propriam voluntatẽ.* Et illum Apostoli consequenter tractans locũ, quo gratuitã prædestinationẽ, justamq; reprobationẽ expressit, *Ibid. c. 23.* *Quãdo ergo auditis quod ait Apostolus: Cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, in eo quẽ seduci permittit aut obdurari, mala eius merita credite.* &c. Et in lib. 1. ad Simpl. ubi de eadem scientia & obduratione reprobantis Dei loquitur, multo

Lib. 1. q. 2. ad Simpl. multo luculentius: *Ob hoc dicitur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent; eorum autem non miseretur quibus misericordiam non esse prabendam aquitate occultissima & ab humanis sensibus remotissima iudicat.* Cujusmodi plura multis alijs locis docet.

In hoc autem postremo loco palam vides, ipsam quoque derelictionem seu desertionem, qua Deus non miseretur nec gratiam tribuit, qua peccata caveantur, esse effectum reprobantis Dei. Nam ideo talibus misericordiam & gratiam in tempore negat, quia æquitate occultissimâ abjecit eos, ne perveniant ad regnum suum. De qua derelictione seu desertione, & alibi: Qua gratia *ut non adiuventur* (homines) *in ipsis illa causa est, non in Deo damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbia* &c. Et in libro de gestis Pelagij: *Absit autem ut ij, qui secundum propositum vocati sunt quos præscivit & prædestinavit conformes imagini filij sui, suo ut pereant desiderio dimittantur. Hoc enim patiuntur vasa iræ quæ perfecta sunt ad perditionem.* Et mox: *Illis ergo fit quod scriptum est, tradidit illos Deus in desiderijs cordis eorum: non autem prædestinatis quos regit Spiritus Dei.* Cùm ergo reprobi patiantur omnia ista, & obdurationem, & cœcitatem, & traditionem in desideria cordis sui, & ipsam quoque desertionem ex qua illa nascuntur. juxta illa quæ jam audivimus, & istud Augustini: *Nec cogitat prævaricatorem legis quam dignè lux deserat veritatis, qua deserente utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat* &c. necesse est omnes istas pœnas à divino judicio punientis reprobantisque proficisci, ut non immerito de illis profecto dici possit, quod, quemadmodum *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt*, ita & è contrario, talibus reprobis non secundum propositum vocatis, *omnia cooperantur in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum*, prout habetur in libro Soliloquiorum, qui sub Augustini nomine circumfertur. Quod non ita quisquam acceperit, quasi ipsa eorum opera bona, vere peccata fiant aut vocari debeant, sed quod ex operum bonorum jactura, quando ex justitia cadunt, supplicium augeatur. Quid enim justius, quam ut voluntas propter spontaneam sanctitatis & bonorum operum abjectionem, graviori pœna plectatur.

Lib. 2. de pec. merit. c. 17.

Lib. de gestis Pelag. c. 3.

Rom. 8.

Lib. Soliloq. c. 28. tom. 9.

Superest permissio peccati, etiam primi, quod Angeli & homines in paradiso perpetrarunt: utrum effectus reprobationis dici debeat. De permissionibus peccatorum quæ à reprobatis, post contractam originalis noxam fiunt, nulla difficultas est, si enim derelictio est reprobationis effectus, & obduratio, & excœcatio, multo magis peccandi permissio, quam istæ ceteræ pœnæ secum ferunt. Et si subinde in electis, prædestinationis sunt effectus, quanto magis in reprobis, reprobationis.

De primi peccati permissione, sive hominum sive Angelorum, magis inter se Scholastici pugnant. Nam qui Angelos ante ullam bonæ malæve voluntatis præscientiam, prædestinatos ac reprobatos esse volunt, etiam primi peccati angelici permissionem, & gratiæ, ut ipsi vocant, congruæ subtractionem, reprobationis eorum negativæ effectum statuunt. Sed ex prædictis, juxta sanctum Augustinum, liquido & istud falsum esse patet. Diximus enim, ante peccati & meriti absolutam præscientiam, nullam respectu Angelorum fuisse prædestinationem aut reprobationem, & nullam, nec ante nec post prævisa merita vel demerita, negativam. Ex quo consequenter impossibile est, primi peccati permissionem fuisse reprobationis effectum, cùm potius è contrario, post peccati non solum permissionem, sed etiam perpetrationem absolute prævisam, reprobationis decretum conditum fuerit. Cùm igitur omnino similis hominum innocentium fuerit ratio, nec prima transgressio eorum, reprobationis ullius effectus fuit, sed generalis tantummodo providentiæ, quæ prædestinationis & reprobationis decreta præcessit. Ex quo consequenter dicendum est: illam permissionem, qua Deus, non solum ipsos parentes primos, sed etiam omnes posteros ex eis generando propagatos, peccati labe infici permisit, non esse reprobationis effectum; utpote quæ similiter decretum reprobationis quorumcunque hominum antecessit. Quod eo casu maxime perspicuum esset, si Deus nullum hominum ex illo lapsu & peccati transfusione maculatum, redimere statuisset. Tunc enim clarum esset, Adamum atque omnes homines, eodem modo atque Angelos, ex prævisione peccati, sive personæ, sive naturæ, futuros reprobatos, sicut & prædestinatos, si in veritate mansissent. Quod igitur nunc ex illo lapsu aliqui, ceteris reprobatis, prædestinatione revocantur, non potest efficere, ut permissio peccati illius, reprobationis effectus sit: quia quemadmodum ante prædestinationem ipsorum, ita etiam ante horum reprobationem, in Dei præscientia præcurrit & supponitur.

Ex quibus etiam non obscure colligi potest, multo enormius eos ab Augustini mente discessisse, qui ipsam quoque summi Angeli, & hominum quoque reproborum creationem, reprobationis effectum esse sibi & alijs persuadere moliuntur.

Vide Estium in 1. dist. ... §. ...

zed by Google

CAPUT SEXTUM.

Tria solvuntur argumenta, quibus ista sancti Augustini doctrina de prædestinatione & reprobatione impetitur: quod Deus non videatur esse Salvator omnium hominum: nec Redemptor totius mundi: neque congrue promittere vitam æternam, sub conditione servandi mandata.

SED adversus istum divinæ reprobationis & prædestinationis ordinem, non pauca aut levia ab ijs opponuntur, qui lapsos homines, non aliter atque Angelos, prædestinatos & reprobatos esse volunt. Molestissimè quippe ferunt, quod quidam certo numero ex Dei electione ac decreto comprehensi, qui neque augeri possit nec minui, ad salutem dicantur prædestinati efficaciter, ante omnem absolutam cujuslibet meriti præscientiam, omnesque ceteri ex originalis perditionis merito, ante omnem actualis peccati præscientiam, à gloria quæ est in regno Dei efficaciter exclusi.

Lect. de prædest. & reprob. Sect. 2.

Et primò dicunt, doctrinam istam non satis consistere cum sincera voluntate Dei salvandi omnes homines, maxime fideles.

Secundò, quod non videbitur Christus esse redemptor totius mundi, neque pro omnibus hominibus crucifixus & mortuus. Sed quid ad istas duas objectiones dicendum sit, ex ijs quæ de gratia disputando diximus satis colligi potest. Hoc tantummodo annotamus, eandem fuisse prorsus objectionem Semi-Pelagianorum, adversus doctrinam sancti Augustini, in qua nihil molestius ferebant, quam illud propositum Dei, quo quosdam homines à ceteris in massa perditionis relinquendos, à damnatione discerneret. Ex illo enim sequi videbatur, quod illos nollet salvos fieri, nec eorum redemptor dici posset. Nam illud ipsissimum propositum efficacis electionis quorundam, præ ceteris, ad salutem plenam & ultimam, quæ est in regno Dei, fuisse ipsissimum lapidem offensionis Massiliensium, latissime, cum de dogmatibus ageremus, demonstravimus.

Vide utramque solutam Lib. 3. de grat. Christi Sal. c. 20. & 21. Vide object. 8 & 9. Gall. qui in ijsdem terminis hoc objiciunt. Itemque 1. Vincent.

Vide lib. 7. de Hæresi Pelag.

Objiciunt itaque tertiò; iste modus electionis non videtur consentaneus promissionibus divinis quæ generales sunt, & ad omnes pertinent. Promissiones enim vitæ æternæ sunt conditionatæ, & semper tacitam vel expressam continent hypothesim, nimirum, si omnia mandata servaveris, si perseveraveris, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Ergo etiam voluntas, qua vult nobis vitam æternam ante prævisionem perseverantiæ, est conditionata, ergo non eligit absolute ante prævisionem meritorum. Addunt & confirmationem, quod in ista sententia, cum Deus salvandis promittit vitam æternam sub conditione, si hoc vel istud faciant, vel si perseverent, perinde esset, ac si diceret: promitto vobis vitam æternam, si ego ex meo beneplacito vobis perseverantiam decrevi. Cùm enim conditio pendet à promittente, vel à causa principali, vel saltem ut causa sine qua non, rectissime totum negotium in ipsius arbitrium resolvitur, & conditio in re idem valet ac ipsius beneplacitum.

Lectione libr. 3. tato Sect. 2. n. 12.

Matth. 19.

Lectione loco citato n. 12.

Respondeo eandem objectionem reipsa fecisse Massilienses olim adversus illud propositum Dei, quod Augustinus prædicabat. Nam scopus eorum erat, statuere electionem ad regnum, post prævisionem fidei, quam multò immediatius recentiores statuunt, etiam post prævisionem operum. *Præscientiam, prædestinationem & propositum,* inquit Hilarius, *ad id valere contendunt, ut eos præscierit vel prædestinaverit vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri.* Quod nostri dicunt, qui fuerunt mandata servaturi. Et Prosper ex mente Massiliensium: *Eos prædestinasse Deum in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse praviderit.* Quod nostri dicunt, quos perseveraturos esse præviderit. Ad hunc scopum consequenter asserebant Massilienses, promissa esse generalia tacitamque includere conditionem, si volueris, si credideris &c. Nam statim adjicit Prosper: *Ideoque omnem hominem ad credendum & operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio sit parata:* hoc est, cùm remuneratio vitæ æternæ sit promissa sub conditione ab ipsis pendente, si voluerint. *Ad hoc donum salutis* (Baptismum) *omnes homines universaliter, sive per naturalem sive per scriptam legem, sive per Euangelicam prædicationem vocari. Et ut qui voluerint fiant filij Dei:* quod idem est ac si dicerent, *si voluerint.* Et inferius adhuc apertius: *Itaque quantum ad Deum attinet omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint.* Et Hilarius: *Quod enim dicitur: Crede & salvus eris unum horum exigi asserunt,* conditionem scilicet; *alterum offerri,* promissionē scil. *ut propter id quod exigitur,* SI REDDITUM *fuerit id quod offertur deinceps tribuatur.*

Hilar. in Epist. ad August.

Prosp. in Epist. ad Aug.

Ibid.

Hilar in Epist. citata.

Respondetur itaque, nihil in eo esse vel repugnans vel incongruum, ut Deus absoluta & efficaci voluntate, ad liberationē à massa sive ad regnum eligat, & tamen ad istum propositum finem eos per observationem mandatorum, hoc est, per merita & perseverantiam, à seipso tribuendam, perducere velit. Quando enim absolutâ voluntate alicui finis

finis decernitur dandus, non intelligitur hoc futurum, sine medio ad illum finem, ex natura rei vel institutione auctoris ordinato, quod in sua potestate & voluntate se habere cognoscit. Iam vero promissio regni, & medij seu conditionis exactio, non pertinet ad illum ordinem, quem agonotheta intendendo, sed quem exequendo servat: in quo ordine non à fine incipere oportet, sed à medijs, per quæ finis obtinendus est. Rectissime proinde dicitur hominibus liberandis, hoc est, ad salutem regni perducendis, serva mandata & dabo tibi regnum cælorum, seu quod idem est, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; quia sicut id quod ei absoluta voluntate, juxta viam intentionis, decretum est, non tamen nisi per observationis meritum, juxta viam executionis, conferendum est; ita quoque non ei, nisi si observaverit mandata, promittitur conferendum. Nimirum ut sciat liberandus liberationem suam non sibi, nisi ab observatione mandatorum auspicandam esse: ut si, audita illa conditionis exactione, se propter infirmitatem eam nondum præstare posse sentiat, postulet ab ipso Deo promittente etiam conditionem quæ exigitur, ut posita id ipsum quoque quod promisit, ipse etiam largiatur. Vnde Iuliano similes Scripturas objicienti, *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis* &c. Respondet August. *Convenit* (id est alloquitur) *autem Scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet, & non potest, admonitus sentiat, & ab eo à quo sunt bona omnia, indigens poscat* &c. Vtraque igitur est finis & medium & res promissa & conditio sub qua promittitur, & vita æterna & observatio mandatorum pariter prorsus à Deo danda sunt, sed eo ordine danda & promittenda quo executionis ordo postulat; quamvis hoc nihil vetet, imo congruentissimum sit, ut finem efficaciter intenderit, antequam conditionem (hoc est medium, quo comparari debet) à se datam esse absolute præviderit.

Lib. 1. oper. imper. contra Iul. f. 134.

Sed in eo fallitur hominum imaginatio, quod putent ita promitti à Deo sub conditione præstanda præmium, sicut ab hominibus promitti solet, ut videlicet conditio, ab eo cui fit promissio, præmium vero, à promittente conferatur. Nam in præsenti materia, quantumvis ab homine Deus postulet, ipse tamen eam homini largiri debet: quam nisi ipse dederit, nunquam ab homine præstabitur, aut præstari potest. Notavit hoc accurate S. Augustinus, quando Massiliensium similes imaginationes ita expressit: *Sed cùm dicitur, inquiunt, si credideris salvus eris, unum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate.* Et respondet eis in hunc modum: *Cur non utrumque in Dei est potestate & quod iubetur & quod offertur? Rogatur enim ut det quod iubet. Rogant credentes ut sibi augeatur fides; rogant pro non credentibus ut eis donetur fides, ut & in suis incrementis, & in suis initijs Dei donum sit fides*: Et inferius: *Sicut ergo quamvis*

Lib. de prædest. SS. c. 11.

A *Dei donum sit facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis proposito præmio vitæ: ita donum Dei est & fides, quamvis & ipsa cùm dicitur, si credideris salvus eris, proposito præmio salutis exigatur à nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur & dona Dei esse monstrantur: ut intelligatur quod & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem apertissime dicit, quid enim apertius quàm ubi dicit: Ego faciam ut faciatis? Locum ipsum Scripturæ fratres charissimi attendite, &* VIDEBITIS ILLA, DEVM PROMITTERE FACTVRVM SE VT FACIANT, QVÆ IVBET VT FIANT. Quo nihil sane directius atque aptius, adversus illam confirmationem recentioris illius, quam supra expressimus, dici potest. Prævideret eam etiam antequam à Massiliensibus formaretur, & propter apparentem quandam absurditatem, quam iste Scriptor, quasi novum aliquid proferret, pressius ponderavit;
B anticipando dissolverat: *Meminimus ipsum dicere, facite vobis cor novum & spiritum novum; qui dicit: Dabo vobis cor novum & spiritum novum dabo in vobis. Quomodo ergo qui dicit facite vobis, sic dicit: dabo vobis?* Nonne est hoc, quod nobis objicitur? Quomodo conditio ista exigitur à nobis, cum pendeat à promittente, cum totum negotium in ipsius promittentis arbitrium resolvatur, & conditio idem in re valeat, quod ipsius bonaplacitum? Et tamen nil territus talibus umbris, respondet cum fiducia Augustinus: *Quare iubet si ipse daturus est? Quare dat si homo facturus est*, NISI QVIA DAT QVOD IVBET, CVM ADIVVAT, VT FACIAT CVI IVBET. Quo significat Augustinus consequenter, nihil absurdum esse, ut Deus promittat vitam æternam sub conditione, quam ipsemet similiter etiam promittere, ac dare, & consequenter ab æterno decernere debet. Non enim ideo tales conditiones ab homine postu-
C lantur, quasi illæ essent in hominis potestate, & præmium in potestate Dei, cum ut statim audivimus utrumque sit in potestate Dei; sed ideò *ut intelligamus inesse nobis oportere ad hæc accipienda & habenda etiam propriam voluntatem.* Præceptum enim, tanquam exactio conditionis, hoc tantum præstat, ut faciamus quod facere debemus, sed Deus hoc ipsum quod jubendo & exigendo scire nos fecit, efficere ac donare debet ut faciamus, juxta illud Augustini: *Ideo hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur, quod & nos ea facimus. & Deus facit ut illa faciamus.* Hoc est, quod & nos conditionem à Deo postulatam asserimus, & Deus facere, ac dare, ac promittere, ac prædestinare seu decernere debet, ut eam faciamus. Nolo autem exaggerare & lectoribus cogitandum relinquo, quam sit ab Augustini doctrina, ne dicam à Christiana religione, alienum, quod
D significatur conditionem illam quæ exigitur, hoc est, perseverantiam & observationem mandatorum, non pendere *à promittente Deo, ut causa principali*, imo nec, ut à *causa sine qua non*

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.

Ibid. c. 16

Lib. 1. de nupt. cap 3.

Lib de præd. SS. c.

CAPUT SEPTIMUM.

Solvitur argumentum quartum, quo dicitur, Deum insidiari saluti eorum qui reprobati sunt.

Lessius lib. de prædest. & reprob. Sect. 2 n. 11. & Sect. 5 n. 51.

OBIICIUNT quarto, quod sicut ex illo absoluto proposito perducendi ad regnum cælorum contingit, ut dentur efficaces gratiæ quibus eo perducantur, ita fatendum erit, Deum impedire debere ne quis cælorum adipiscatur justitiam, vel procurare si eam adeptus fuerit, ut ab ea rursus excidat, distribuendo videlicet eis gratias incongruas, quo fiat ut in iniquitate moriantur. Insidiatur igitur saluti eorum, qui non electi fuerint, ne qua ratione in salvandorum numerum irrepant.

a Obiect. 3. Gallorum. b Obiect. 5. Gallorum. c Obiect. 14. Gallorum. d Obiect. 12 Gallor. & Massil. apud Aug. lib. de dono pers. cap. 22. e Obiect. 7. Vincent. f Obiect. 8. Vincent. g Obiect. 11. Vincent. h Obiect. 12 Vincent. i Obiect. 13. Vincent. Prosp. in Epist. ad Aug. Ibid.

Respondetur hac ipsa quoque à Massiliensibus adversus Augustini doctrinam jam olim multis modis objecta sunt. Nam quicquid Galli & Vincentius apud Prosperum expostulant querimonijs a *Quod Deus reservat non prædestinatos ad vitam donec ruant & pereant.* b *Quod aliqui vocentur ut credant, alij ut non credant.* c *Quod homines ex Dei constitutione non credant.* d *Quod quibusdam jussis obedientia subtrahatur ut obedire desistant.* e *Quod hæc sit voluntas Dei ut magna pars Christianorum salva esse nec velit nec possit.* f *Quod velit ut a fide Catholica magna Catholicorum pars apostatet,* g *& à sanctitatis proposito ruat.* h *Quod ex Dei prædestinatione efficiantur de filijs Dei filij diaboli.* i *Quod illis latenter subtrahat bonas voluntates.* Quod igitur hæc, & hujusmodi tam invidiosè expostulant, nullum alium scopum habebant, nisi ut everterent illud assertum ab Augustino propositum Dei, *quo humanas prævenit voluntates*; eoque tandem veniretur, quod & recentiores volunt, & Massilienses unice spectabant, ut *eos prædestinaverit in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse previderit.* Nempe quod & nunc urgetur instantissime, *Si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio.*

Itaque respondeo, non esse periculum ne quis irrepat in salvandorum numerum, vel si secundum temporalem justitiam in illo ordine collocatus forte tantisper fuerit, ut in eo maneat, nisi Deus eum arrepta manu in istum numerum introducat, vel eum ibidem perpetuo fulciendo teneat, ut permaneat. Nimium abiectæ & à Catholica regula alienæ cogitationes istæ sunt, quibus imaginantur, hominem posse aliquem suis diligentijs ac sollicitudine, quam identidem ille Scriptor inculcat, vel intrare in salvandorum numerum, vel in justitia permanere. Deus est, ut ait ex Ambrosio Augustinus: *Qui quem dignatur vocat & quem vult religiosum*, & perseverantem *facit.* Quod ipse nisi fuerit, nemo quantumvis vocatus veniet, nemo, quantumvis excitatus, religiosus fiet, nemo quantumvis admonitus, rogatus, jussus perseverabit. Nam ut Augustinus *liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est nisi adiuvetur ab omnipotenti bono.* Ex quo factum est ut cum primos homines tanta gratia, tanta corporis & animi intus & foris tranquillitate fruerentur, ac Deus quodammodo omnem industriam conatus adhibuisse videretur ut starent, unicâ tacti suggestione, illa serpentis, hic mulieris, caderent, absque ullis Dei præcipitantis insidijs. Quam igitur puerile, imo à fidei nostræ principijs alienum est, insidiantis Dei sollicitudinem, aut conatus fingere, ne homo videlicet cæcus viam veritatis inveniat, vel ne fractis viribus eam arripiat, vel ne infirmissimus & diaboli insidijs, ac tentationibus assiduis oppugnatus, eam inoffense constanterque gradiatur. Quasi vero non continua ei opus esset protectione & sustentatione ut perseveret, vel oculorum apertione ut veritatem videat, vehementissimo patris tractu ut eam teneat. *Nam post casum hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere ut homo non accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo.* Quam gratiam nisi Deus benevolentissimâ & gratuitâ voluntate suâ, sive ad accedendum sive ad non recedendum dederit & ingesserit (sicut multis nunquam dedit) pondere suo libens in malum verget vitiata. Vnde sanctus Prosper similibus objectionibus in eundem occurrit modum: *Etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid uniuscuiusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem aut voluntatem intulit delinquendi, si ergo à justitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentiâ trahitur, sua persuasione decipitur, nil ibi Pater, nil Filius, nil agit Spiritus sanctus, nec tali negotio quicquam divinæ voluntatis intervenit; cuius opere multos scimus ne laberentur retentos, nullos autem ut laberentur impulsos.* Et ad objectionem tertiam Gallorum: *Igitur sicut bona opera ad inspiratorem Deum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt à Deo ut relinquerent Deum: sed reliquerunt & relicti sunt, & ex bono in malum propriâ voluntate mutati sunt.* Et ante Prosperum S. Aug. in libro de Corrept. & gratia: *Hi ergo qui non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum, pro meritis iustissime iudicantur. Aut enim iacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt; arbitrium inquam liberum non liberatum, liberum iustitiæ, peccati autem servum, quo volvuntur per diversas noxias cupiditates &c.* aut gra-

Lib. de Cor. & grat. c. 11. — Lib. de dono pers. cap. 7. — Lib. 1. oper. imper. cont. Iul. f. 115. — Ad obiect. 13 Vincent. — Prosp. ad obiect. 3. Gall. — Lib. de Cor. & grat. c. 13

aut gratiam Dei recipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt & deseruntur. DIMISSI ENIM SVNT LIBERO ARBITRIO, NON ACCEPTO PERSEVERANTIÆ DONO, *iudicio Dei iusto & occulto.* Quibus omnibus Patres isti significant, nullo modo necesse esse, ut Deus insidietur homini, aut quaqua ratione, sive directè, sive indirectè impediat eum à justitia: sed abunde satis esse, ut ei non tribuat illud maximæ & gratuitæ misericordiæ donum, quo in justitia teneatur. Quod si Deus cuilibet tribuere tenetur, profectò non est gratia, si autē est gratia, nemini eam debet, sed justo judicio negat cuicumque negaverit. Quod & Prosper notavit quando dixit: *Non est calumniandum Deo quare istis non dederit, quod aliis dedit: sed confitendum est & misericorditer dedisse, quod dedit, & justè non dedisse quod non dedit: ut quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso videatur & standi, cum illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere.*

Prosp. ad obiect. 7. Gall.

Quod igitur in objectione dicitur, Deum debere gratias incongruas ijs qui reprobati sunt, de industria seligere ac tribuere, quo fiat, ut vel non justificentur, vel justificati cadant, hoc ex duplici capite nullas vires habet. Primo quia eadem prorsus difficultas in Scriptoris istius opinione solvenda est. Quæritur enim ex ipso id quod ipse ex alijs quærit; si Deus non quærit de industria ut gratia non sit incongrua, quam reprobatis tribuit, quomodo non accidit aliquando dari congruam, & hominem salvari? *Incredibile est enim,* inquit, *si absque consideratione congruitas vel incongruitas detur pro occasione oblata, non aliquando accidat esse congruam.* Quod comparatione pomorum, quæ indifferenter bona & mala distribuuntur, explicat. Sicut igitur ad istam quæstionem ipse respondet, hoc ex eo contingere, non quod gratia, quam eis Deus tribuit non sit sufficiens, vel incongruitas ejus à Deo intendatur, sed quia talem dari cursus rerum & oportunitas circumstantiarum postulat, non curando sitne congrua, an incongrua: ita & ipsi respondebitur, in ea sententia fieri quæ statuit aliquos efficaciter ante cooperationem prævisam, esse ad gloriam prædestinatos. Sicut enim ipsi fateri coguntur, potuisse Deum assumere post Adæ lapsum, alium ordinem providentiæ, juxta quem, quamvis gratiam sufficientem Deus omnibus largiretur, paucissimi tamen, quemadmodum in veteri Testamento, vel omnino nulli cum ea gratia salvarentur (quemadmodum & ante & post adventum Christi in multis gentibus nulli omnino etiam cum tali, ut ipsi ponunt, gratia salvati sunt;) sic fateri coguntur, & ego consequenter secundum istam confessionem eorum dico: si Deus in tali ordine providentiæ, misertus tamen fuisset aliquorum, & eos ad salutem efficaciter præ ceteris elegisset, nihil injuriæ intulisset, nihilque gratiæ abstulisset ceteris, nec opus fuisset ut eos impediret à justitia, vel ad casum impelleret, vel gratias eis de industria incongruas destinaret, sed hoc eventurum similiter fuisset, ex eo quod talem ordinem providentiæ justis de causis, pro ut rerum oportunitas postulabat, elegisset. Sed hæc omnia de distributione generali gratiæ congruæ vel incongruæ, quarum utraque vere sit sufficiens, ex falsis fundamentis & imaginationibus originem ducunt.

Testim supra n. 11.

Secundo itaque dico, juxta sancti Augustini mentem, nullius momenti esse quod objicitur. Nam quamvis vocatio vel gratia exterior (sub qua omnis gratia quæ non imbuit ipsam voluntatem comprehenditur) affectibus hominis incongrua esse possit, nulla tamen vera Christi gratia, quæ voluntatem afficit atque trahit, incongrua esse potest. Imaginationes istæ sunt, quas Neoterici ex male intellectis Augustini locutionibus pepererunt. Nam in universis operibus ejus non est vestigium, quod Christi gratia cuiquam sit incongrua, sed omnis congrua est, omnis operatur ac perficit effectum suum. Omnis enim delectat voluntatem, & omnis hoc ipso ad operandum effectum illum ad quem datur trahit. Regula enim in Augustino certissima est, de Christi Salvatoris gratia: *Hæc gratia si doctrina dicenda est certe sic dicatur ut altius, & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* Nempe ut addit, quia *simul donat & quid agant scire & quod sciunt agere.* Et: *Qui novit quid est quod fieri debeat, & non facit nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem: non secundum spiritum, sed secundum litteram.* Extra hanc gratiam Christi, quæ per charitatem & per ineffabilem suavitatem, cum qua illabitur, semper congrua est, & incongrua esse non potest, nullam novit Augustinus quam velut incongruam, sed sufficientem, reprobatis destinet; nisi forte homines per litteram legis sufficienter ad agendum instructos adjutosque esse statuamus. Quidquid enim sufficientis gratiæ, vel à Neotericis, vel Pelagianis vel Massiliensibus præter istam agendi gratiam excogitatum est hoc totum Augustino ad legem pertinet, nec extra limites gratiæ Pelagianæ constitui debet.

Lib. de grat. Christi c. 13.

Ibid.

Ibid.

Digitized by Google

CAPVT OCTAVVM.

Soluitur quintum argumentum, quo dicitur, hanc sententiam afferre socordiam electis, & reprobis desperationem.

Less de præd. & reprob. sect. 2. n. 5.

QVINTO objiciunt, quod ista sententia tollat omnem sollicitudinem bonorum operum & salutis. Quisque enim apud se ita ratiocinari potest. Vel sum de numero electorum vel non sum: si sum de illo numero, impossibile est ut damner; non est ergo quod metuam damnationem, vel de bonis operibus, vel perseverantia sim sollicitus. Si vero non sum de numero sic electorum, frustra etjam sum sollicitus, frustra præcepta servo &c. Quia certissimus sum omnia mihi nihil profutura ad salutem, omnibus enim istis non possum intrare in istum numerum, extra quem nemo salvatur. Quid ergo sequi potest, nisi in primis socordia, in secundis desperatio.

Respondetur idem incommodum ursisse fortissime Massilienses. Nam de utraque parte, tam de sollicitudinis ademptione, quam de desperatione apud Prosperum dicunt: *Hoc propositum vocationis Dei quo eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Deo creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi ad.metur*, propter desperationem videlicet quia frustra laborarent, *& sanctis occasionem teporis afferre, eo quod utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla neglegentia possit excidere. Quoquo enim modo sese egerint non posse aliud erga eos quam Deus definivit accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, cum si aliud habeat prædestinantis electio cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas preveniat voluntates*; Vides hic ipsissimas quæ objectæ sunt, querimonias adversus istud propositum Dei quo humanas præveniendo voluntates, eligendorum & reijciendorum discretionem fecit. Vnde etjam inferius addit: *Nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui ne superflua sit industria ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit*; hoc est, quæ superflua erunt si non fuerimus electi intra istum numerum, quia ut noster dixit, *omnibus istis non possumus intrare in istum numerum; extra quem nemo salvatur.*

Prosp. in Epist. ad Aug. — *Ibid.*

Dico itaq; in primis nihil facilius esse, quam res verissimas hominibus maxime imperitis ita proponere, ut non ædificentur, sed scandalizentur auditores, sicut nihil facilius quam optima medicamenta sic applicari, ut noceant potius quam ut prosint ægrotantibus. *Dolosi vel imperiti medici est*, inquit Augustinus, *etiam utile medicamentum sic alligare ut aut non prosit aut obsit.* Nam idem dilemma pari prorsus modo ad auferendam bonorum operum sollicitudinem inferendamque desperationem, de præscientia intorqueri potest. Vel nunc sum de illorum numero, quos Deus ab æterno prævidit esse salvandos, vel non sum. Si sum, nulla mea in posterum dissolutio aut legnities faciet, ut inde excidam: ut quid igitur sollicitus sum? Si non sum, nulla sollicitudine efficiam ut in illo numero comprehendar: quid igitur restat nisi desperatio? Quod tamen argumentum & istis omnibus Catholicis dissolvendum est. Vnde Augustinus istam prædestinationis ac præscientiæ similitudinem, quantum ad sollicitudinem ac socordiam bene vivendi notans, docet nos non magis deterreri debere à confitenda prædestinatione Dei, qua decernit aliquos facere bonos, quam à præscientia quod ex seipsis sint futuri boni, si quis de illa populo hic loquatur: *Sive nunc recte vivatis, sive non recte, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni si bonos, vel mali si malos.* Vnde consequenter addit: *Numquid enim si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur & à labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur?* Et adfert exemplum cujusdam fratris in monasterio qui isto argumento tantum profecerat, ut deserta monasterij societate, velut canis ad vomitum suum reverteretur. Et inferius, cum illo modo contra reprobationem à regno Dei Massilienses arguerent, ut nunc isti arguunt: *Et si qui estis, qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi*, (qua phrasi significare volunt illam derelictionem in massa perditionis, quam Augustinus prædicabat) *subtrahentur obediendi vires ut obedire cessetis*; respondet eis Augustinus, invertendo idipsum argumentum adversus præscientiam, quam libentissime fatebantur: *Illo autem modo*, inquit, *quo id dicendum putant eadem sententia, ysdem pene verbis etiam de præscientia Dei quam certe negare non possunt, pronunciari potest, ut dicatur: Et si qui obeditis, si præsciti estis rejiciendi, obedire cessabitis, nempe hoc verissimum est; ita sane, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito.*

Lib. de dono persev. c. 22. — *Lib. de dono persev. c. 15.* — *Ibid. c. 22.*

Dico igitur, utramque consequentiam esse vitiosam, quia voluntas absoluta dandi gloriam, & consequenter operandi gratiam non magis tollit sollicitudinem boni operis prædestinatis, quam præscientia. Neutro quippe modo merita seu bona opera, sine sollicitudine ac diligentia, & voluntatis cooperatione

secutura

secutura sunt. Sed in hoc est differentia, quod qui crediderit primum, humillimâ voluntate sollicitudinem illam exspectandam esse judicabit & rogandam à Deo, qui nisi sollicitum faciat, se nunquam sollicitum esse posse, non dubitat: qui vero secundum, sollicitudinem istam à seipso superbâ voluntate petiturus est. Nam eam gratiæ Dei sic tribuere, ut illam ipsam gratiam humanæ subjicias voluntati, quatenus eam in actu secundo efficacem aut inefficacem reddat, ut opus sequatur, si homo gratiæ velit acquiescere, sin autem nolit, ipse, ut operatio Dei nihil in se efficiat, operetur; non est aliud quam sollicitudinem atque operationem à se ipso seu ab humana voluntate petere. Ex quo fit ut hujusmodi Scriptorem non pudeat etiam palam dicere: *non esse investigabile, cur vocatio in illo sit inefficax, in actu secundo, in isto efficax, id enim pendet ab arbitrij libertate in cuius manu est facere, ut sit efficax vel inefficax.* Et alibi: *Noluit Deus dare tantam gratiæ copiam ut omnia sint natura facilia, itaque natura sit secura: sed eam dumtaxat mensuram, quæ multam nobis relinquat sollicitudinem, ut animadversa rei difficultate & ancipiti eventu excitemus naturam eique vim inferamus, ut quantum potest gratiæ cooperetur.* Quasi vero ista excitatio naturæ, ista sollicitudo quam nobis relinqui putat, ista vis inferenda naturæ, ista cooperatio ab ipsa gratia nobis non inferatur, juxta illud Augustini: *Vt sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit ille largitur. Propterea petere jubemur ut accipiamus* &c. Itaque Massilientibus simili prorsus modo fidem existimantibus à se petendam esse, cum tali gratia sufficiente, *sine qua non* (ut fusè alibi demonstratum est) non autem ex decreto, & prædestinatione Dei esse largiendam, qui quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit, in eundem modum respondet Augustinus: C *Sicut ille quem* Deus *castum futurum esse præscivit, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit, ita ille quem castum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut castus sit*, hoc est, non ideo non est sollicitus agere ut castus sit, *quoniam Dei dono se audit futurum esse quod quærit, imo etiam gaudet eius charitas nec inflatur, tanquam id non acceperit. Non solum ergo prædicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verum ad hoc adjuvatur ut cum gloriatur in Domino glorietur.* Hoc est, ut similiter agnoscat, non à se provenisse castitatem, sed sibi cælitus esse datam. Vterque igitur qui de numero electorum est, sive ex prævisione, sive ex prædestinatione, sollicitus de bonis operibus ac salute esse debet, quia & prædestinatio & præscientia habet, per sollicitudinem & opera bona electionis effectum reipsa esse conferendum. Nec enim ulla ratio est, cur minus solliciti simus ut præstemus id quod per nosipsos Deus fieri prædestinavit, quam id quod Deus nos facturos esse præscivit. Nam sicuti non fieret id quod Deus præscivit esse futurum, nisi adhiberentur ea media, per quæ id futurum esse præscivit, ita non fieret id quod

Lessius lib. de prædest. & reprob. Sect. 4. n. 46.

August. lib. 1. q. 2. ad Simpl.

Lib. de dono pers. c. 17.

A præordinavit, decrevitque talibus medijs fieri, nisi quoque talia media, per quæ istud fieri decrevit, adhibeantur.

Quod vero ad alteram dilemmatis partem spectat, si non sum de numero electorum, frustra sum sollicitus, frustra præcepta servo &c. nihilq; restat nisi desperatio, nimis insipienter dicitur. Quid enim stultius dici potest, quam à creatura rationali frustra coli Deum & ejus præcepta servari, ad quem solum colendum & obediendum condita est? Nimis est mercenarius ille affectus; qui non coleret aut diligeret Deum, nisi ab eo se salutem assequi posse judicaret. Et qui non nisi tali modo coluerit creatorem suum, vereor ne eum nunquã assequatur, quidquid ipse tandem de sua sollicitudine & sanctitate præsumpserit. Quasi vero esset aliud diligere & colere Deum, quam diligere & colere veritatem, quia Deus veritas B est; aut ulla major creaturæ rationalis miseria esse possit, etiam in inferno, quam quod non diligat & faciat id quod veritas dictat, semperque vanis falsisque delectetur. Semper ergo & hic & ubique veritas diligenda, colenda, facienda est, sive ab ea quippiam aliud assequi posse speres, sive non speres. Tanta enim est pulchritudo & felicitas in eius dilectione & cultu, & custodia mandatorum veritatis, ut etiam in hac vita nulla major felicitas dari possit ei, qui in perpetuum condemnandus est. Si enim non diligat veritatem, & non faciat id quod jubet, non solum necesse est, ut falsum diligat & operetur, quo nihil infelicius, sed etiam ut longe graviores in damnatione pœnas luat. Stultissimum est igitur dicere, hoc frustra fieri à creatura, quod ubique arctissime tenetur facere; & quo nihil melius aut facere aut dicere aut cogitare in hac vita, aut futura potest; Et quod si constanter faceret, nihil ea esset in tempore prudentius, & in æternitate felicius. Quisquis tali fuerit animo, non desperabit, sed magnâ fiducia ibit in Deum, magnisque precibus poscet perseverantiam talis dilectionis. Vnde etiam magnâ tranquillitate fruetur, securissimus, Deum non posse talem animum abjicere: & si abjecerit, hoc certissimè sua culpa sibi futurum esse persuadet, nec alia culpa, nisi quia non in ista veritatis dilectione perseverat. De cetero ab arcanorum judiciorum, quibus alterutrum decrevit Deus, perscrutatione curiosa temperat humiliter, sperans, & ex tali constitutione animi confidens, se non esse à Dei prædestinatione præteritum. Quo sane modo sanctus Augustinus omnes umbras ac tentationes desperationis abstergit, quando adversus similes indisciplinatas cogitationes opponendum tradit: *Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam à Patre luminum à quo descendit omne datum optimum & omne donum perfe-* D *ctum sperare debetis & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere non vos esse à prædestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc ut faciatis ipse largitur.*

Lib. de dono pers. cap. 22.

Sed hoc vehementer sane mirabile est, quod

hujus-

Digitized by Google

hujusmodi scriptores tantum remedium desperationis in ista præscientia, qua Deus noverit non quid illi sed quid ipsi cum ista gratia sufficienti pro sua indifferenti libertate facturi sunt, positum esse putant. Quasi non esset satis experientia comprobatum, quid in Angelis acciderit, quid in humano genere toto, quod in duobus hominibus constitutum erat, quid denique, juxta ipsorum quoque sententiam, jam post lapsum in humani generis incomparabiliter majori parte contigerit. Et sane quid sibi volunt hujusmodi scriptores aliud, quam tunc homini esse maximam spem, cum homo in se speraverit? Quo quid profanius dici potest? Et tamen spes illa, quam ipsi prædicant, non est alia quam qua homo, supposita sufficienti ubique gratia, in seipso & arbitrij sui libertate sperat se semper in Dei dilectione mansurum. Adversus cujusmodi præsumptionem, & similes omnino cogitationes quibus iste Scriptor ad istam doctrinam impugnandam utitur, sæpe graviter intonat Augustinus: *Sane*, inquit, *cum Apostolus dicat ideo* (Lib. de præd. SS. c. 11.) A *ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio, mirum homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi de teipso voluntas certa est, nec times? Qui videtur stare videat ne cadat. Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem suam spem charitatemque committit.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo ut videant quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quam exhortationis afferri: hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere.* (Lib. de dono persev. c. 17.) Et multo inferius: *Absit autem a vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis.* (Ibid. c. 22.) Et in eodem loco paulo post: *An vero timendum est ne tunc de se homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret.* (Ibid.) B

CAPUT NONUM.

Soluitur sextum argumentum, quo urgent istam doctrinam tollere zelum animarum, & inutiles facere prædicationes & correptiones. Et utrum scandalum ac dissolutionem vitæ pariat.

(Less. lib. de. sect. 2. n. 15.) SEXTO objiciunt, tolli zelum animarum. Si enim inquiunt, omnes salvandi ante omnem prævisionem sunt jam absolute electi & præfiniti, cur de illorum salute sim sollicitus? Nam etiamsi ego quiescam, æquè bene omnes illi & soli salvabuntur. Cur sum anxius de eo, quod ex vi decreti divini certissime est eventurum? Nunquam aliquis in illum numerum intrabit; nunquam inde aliquis excidet, nulla ei fiet accessio aut detractio. Ita ille. Addunt etiam inutiles consequenter fore omnes exhortationes & prædicationes & correptiones, per quas iste zelus animarum exerceri & animarum salus promoveri solet.

Responderetur, ista quoque Massiliensium & aliorum querela quondam adversus Augustini doctrinam fuit, quam ex adversantium persona sibi obijcit Augustinus: *Nec argumentemur contra ista præcepta* de monendis & corripiendis hominibus *salubremque terrorem dicentes: & corrumpant bonos mores colloquia mala & pereat infirmus quid ad nos? Firmum fundamentum Dei stat & nemo perit nisi filius perditionis.* (Lib. de Cor. & grat. c. 15.) Hoc est, decretum Dei de salvandis fixum est, illi soli salvabuntur; nunquam inde aliquis excidet, sicut objectum fuit. Unde & ad præcedentem objectionem audimus querentes Massilienses, quod *utraque parte superfluus labor esset, eo quod non posset aliud quam Deus definit accidere.* (Apud Prosp. in Epist. ad Aug.) Itemque & apud Prosperum: *Non acquiescunt* (ibid.) A *prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant.* Et apud Hilarium in Epistola ad Augustinum: *Si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem ut de alijs ad alios nullus possit accidere quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia.* (Apud Hilar. in Epist. ad Aug.)

Dicimus igitur per istam Augustini doctrinam tolli zelum animarum *qui non est secundum scientiam*, adulterinum scilicet, ex errore profectum, quo putant homines se sua diligentia perfecturos, ut aliqui qui non sunt in illo certo decretoque numero electorum à Deo, ad salutem perducantur, alioquin æterna morte perituri: Non tolli tamen verum illum sincerumque zelum animarum, in ea quam Augustinus tradidit veritate fundatum, ex qua ferventes cooperatores esse debemus voluntatis Dei, fraternæque salutis adjutores. Nam primo novimus Deum velle & jubere, ut B quandoquidem eos qui illo numero comprehensi sunt, à ceteris discernere non possumus, omnes homines velimus, & quantum possumus conemur salvos facere. Ex quo fit, ut quamvis nemo nisi illo numero exclusus pereat, nostræ tamen socordiæ, si salutem ejus neglexerimus imputanda sit. Itaque cum Augustinus illa supra dicta quorundam verba sibi objecisset, quibus dicebant; *Pereat infirmus quid ad nos? Firmum fundamentum Dei stat & nemo perit nisi filius perditionis* (Lib. de Cor. & grat. c. 15.)

ditionis, & zelum fraternæ salutis suo & aliorum animis eximebant, retundit ea non sine Ibid. c. 16. insigni acrimonia: *Absit ut ista garrientes securos nos in hac negligentia esse debere credamus. Verum est enim quia nemo perit nisi filius perditionis: sed ait per Ezechielem Prophetam: Ille quidem in peccato suo morietur, sanguinem vero eius de manu speculatoris requiram* Vnde regulam tradens exerendi zeli & actionum quibus eum ad salutem fratrum nostrorum procurandam declaramus admonendo, exhortando, corri- Ibid. c. ult. piendo, prædicando, subjungit: *Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos a non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant vel ne alios perdant, adhibenda est a nobis medicinaliter severa correptio. Dei est autem illis eam utilem facere quos ipse præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Si enim aliquando timore non corripimus ne aliquis inde pereat, cur non etiam timore corripimus ne aliquis inde plus pereat?* Quod etjam superius nonnullis antepositis luculente tradi- Ibid. c. 15. derat: *Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu* qui non est alius nisi animarum zelus, *ut omnes velimus salvos fieri. Hoc quippe fit cum singulos quosque ut occurrerint cum quibus id agere valeamus ad hoc conamur adducere ut iustificati ex fide pacem habeant ad Deum.* Ex qua sancti Augustini doctrina manifestum est, velle Deum, ut ad omnium qui occurrerint salutem acquirendam charitatis ardore flagremus: sed Dei est *utilem*, inquit, *illis eam facere, quos ipse præscivit & prædestinavit conformes imaginis filii sui.* Sed quid opus, inquies, ut etjam propter prædestinatos tanto zelo charitatis ardeamus, cum æque bene omnes illi & soli salvandi sint?

Respondeo quia prædestinatio effectum suum non sine hominum aliorum cooperatione sortietur. Non minus est autem, imo vero multo magis, hominum actio & studium & zelus necessarius ad ea quę Deus decrevit humanis actionibus concurrentibus fieri, quam ad ea quæ tantum futura prævidit. Neutra quippe fierent, nisi illa per quæ sunt futura concurrerent. Cùm ergo nesciamus, utrum per diligentiam atque operam nostram Deus fratrum nostrorum salutem in æternæ felicitatis portum adducere velit, merito sane, si filialis erga patrem nostrum, & fraternæ erga proximos viscera charitatis gerimus, in salutem eorum zelandum inardescimus. Ita diversis in locis istum zelum intellexit & opera ex zelo pullulantia sanctus Augustinus. Nam ad preces pro proximis fundendas, incitans, quibus nihil efficacius ad proximorum Lib. de dono persev. c. 22. salutem obtinendam zelus habet: *Si qui sunt*, inquit, *nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt ut nostris orationibus concedantur & accipiant eandem gratiam qua velint & efficiantur electi.* Quasi dicat fortassis enim prædestinatum est, ut salus eorum per tale medium orationis, quam pro eis fundimus, procuranda sit. Et de excommunicationis anathemate, quod pastoralis aliquando

A zelus infligit: *Pastoralis tamen necessitas habet ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsan separatione sananda. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu ut omnes velimus salvos fieri.* Et sui quoque zeli, ex Lib. de Corr. & grat. c. 15. quo post tot exarata volumina, duos illos postremos libros adversus errores de Dei prædestinatione scripsit, eandem fuisse basim indicat. Nam quamvis Deum non dubitaret Massiliensibus veritatem posse revelare: *Tamen*, inquit, *etiam nos impendamus eis dilectionis affectum*, hoc est, zelum nostrum quo liberationem eorum ab erroribus concupiscimus, Lib. de præd. SS. c. 8. *ministeriumque sermonis, sicut donat ille quem rogamus ut in his litteris ea quæ illis essent apta & utilia diceremus. Vnde enim scimus ne forte Deus noster id per hanc nostram velit, efficere servitutem, qua eis*

B *in Christi libera charitate servimus.* Denique istam esse debere basim zeli quo servus Dei salutem errantium jubetur quærere, sanctus Paulus satis perspicue similibus verbis docet: *Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem & resipiscant à diaboli laqueis.* 2. Timoth. 2. Quasi dicat cum Augustino, unde enim scimus, ne forte Deus id per hanc vestram velit efficere correptionis modestæ servitutem? Hac sana & sancta divi Augustini doctrina quisquis institutus fuerit, quamvis non credat quemquam opera sua salvandum esse, quem Deus non salvare decreverit, non tamen idcirco minori zelo Deo jubenti prædicare, monere, corripere, orare, & hujusmodi salutis ministeria fratribus exhibere morem geret; fortasse enim sic prædestinatos esse cum Augustino cogitat, ut nostris ministerijs concedantur. Vnde cum illam electionem quo-

C rundam ad regnum, ac discretionem à massa perditionis per propositum Dei, instantissime docuisset, eo tamen non obstante, utilitatem correptionis inculcans, *Nemo igitur dicat*, inquit, *non esse corripiendum qui exorbitat de via iusta, sed ei reditum & perseverantiam à Domino tantum esse poscendam: Nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositum vocatus est iste, procul dubio illi etiam quod corripitur Deus cooperatur in bonum. Vtrum autem hic sit vocatus, quoniam qui corripit nescit, faciat ipse cum charitate* (hoc est, cum zelo de quo loquitur) *quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam aut iudicium. Misericordiam quidem si à massa perditionis ille qui corripitur gratia largitate discretus est* &c. Et multo inferius monet Lib. de Corr. & grat. c. 9. præpositos ut corripiant subditos fratres correptionibus de charitate venientibus: *Nos*, Cap. 15.

D ait, *agamus sine desperatione quod agimus. Si filius pacis est qui corripitur requiescet super eum pax nostra: sin autem, ad nos revertetur.* Quibus præclarissime subjungit: *Quamvis itaque etiam dum quorundam fides subvertitur firmum Dei fundamentum stet, quoniam scivit Dominus qui sint eius non tamen ideo nos pigri & negligentes esse debemus in corripiendis qui corripiendi sunt. Neque enim frustra* Ibid. dictum

dictum est, Corrumpunt bonos mores colloquia mala, & peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est. Non argumentemur contra ista præcepta salubremque terrorem &c. Quæ supra diximus. Et in libro de dono perseverantiæ respondens Massiliensibus, qui dicebant, ut supra vidimus, si sic prædestinati ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia? Ac propterea clamabant prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam: *Quasi vero*, inquit, *adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille doctor gentium in fide & veritate prædestinationem toties commendavit, & verbum Dei prædicare non destitit?* Et utrumque Scriptura declarans: *Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat Scriptura divina, existimamus inutilem definitionem prædestinationis, quam commendat eadem Scriptura divina?* Nempe quia, ut supra ex eo diximus, sic fortassis prædestinatum est, ut nostris orationibus aut alijs ministerijs concedantur. Quod præclare exserteque sanctus Prosper expressit: *Quamvis ergo quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi*, adde & prædicandi, & monendi, & corripiendi, quia similis omnium ratio est. *Nec per electionis propositum liberi arbitrij devotio relaxatur, cum implendæ voluntatis Dei ita sit prædestinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum & qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.*

Lib. de dono persev. c. 14.

Prosp. lib. 2 de vo. at. Gent. c. 36.

Ex quo etiam sequitur, non recte dici, quod hæc doctrina explicata populo ac diligenter expressa, scandalum pareret, & licentiam vitæ. Scandalum enim non parit, nisi apud distortos animos qui pravis opinionibus, vel sui ipsius fiducia pleni, simul atque ad submissionem sub Deo & ad suspendendam perditæ creaturæ spem ex divinæ voluntatis decreto revocantur, omnis devotio refrigescit & ad sequendas veteris hominis cupiditates relaxantur. Nihil enim horrent istiusmodi homines magis, quam revocari ad *divinæ voluntatis incertum*, quasi de sua cooperatione cum sua sufficienti gratia certiores. Hanc enim submissionem horrebant etiam, eamque pejus & angue oderant, Prospero & Hilario testibus, Massilienses: *Sub incerta*, aiebant, *spe cursum non posse esse constantem. Cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio.* Et Hilarius: *Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, eo quod* &c. *de desperationem sibi vererentur*, si fulcrum istud propriæ diligentiæ subtraheretur.

Prosp. in Ep. ad Aug.

Hilar. ad Aug.

Quapropter non est inutilis ista doctrina prædicationi, dummodo coram imperitis,

A lapsus humani corruptionisque naturæ magnitudinem non penetrantibus (& ideo plerumque plus quam fas est humano conatui & liberæ voluntati tribuentibus) sobrie prudenterque prædicetur. Sed si invidiose proponatur, quid mirum si scandalum imperitis, maximeque superbis ista summæ humilitatis doctrina pariat? Etiam præscientiam rudibus sic proponere, ut horrescant, scandalizentur, dissolvantur, non est difficile: *Quæ tamen prædestinatio*, inquit Aug. *non ita populis prædicanda est ut apud imperitā vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædicatione videatur sicut redargui videtur & præscientia Dei (quam certe negare non possunt) si dicatur hominibus; sive curratis sive dormiatis quod vos præscivit qui falli non potest hoc eritis.* Quod dolosi vel imperiti medici medicamentum utile perperam allegantes comparatione declarat. Qua
B de re supra nonnihil egimus.

Lib. de dono pers. cap. 22.

Quod si tamen ex doctrina ista recte explicata quispiam in scandalum, vitæque dissolutionem aut desperationem cadat, scandalum est Pharisaicum, ex distortis opinionibus vel affectibus profectum, & ideo, si sanari non potuerit, negligendum. *Dicatur ergo verum*, ut monet hac ipsa de re disputans humillimus Doctor, *maxime ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit, & capiant qui possunt: ne forte cum tacetur propter eos qui capere non possunt non solum veritate fraudentur, verum et a falsitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falsitas possunt.* Non est veritas Lesbia regula, ut ad infirmorum, vel de se præsumentium affectus aptari debeat: sed si necessitas postulat integerrime prædicanda, si non postulat, & imbecillium capacitatem postulat, supprimenda. Vera, solida, & humilis pietas valde rara est, etiam in illis qui sibi de religione blādiuntur. Quot-
C quot eam tamen, Deo miserante, consecuti sunt, non est periculum, ut illi in barathrum desperationis aut dissolutionis incidant, dum omnem spem suam in gratuitam Dei prædestinantis ac liberantis quos voluerit, misericordiam transferre, ac baculum arundineum liberæ suæ voluntatis abjicere docentur; qua tot Angelorum myriades, nulla tentatione pulsatas, totumque genus humanum semel in paradiso, & nunc infinitis pene partibus majorem ejus numerum, sufficienti (ut ipsi clamant) gratia communitum, iterum cecidisse, & quotidie cadere non possunt ulla ratione diffiteri. Quibus iterum illud Augustini etiam atque etiam cogitandum relinquo; *An vero timendum est, ne tunc homo desperet quando spes eius ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret?*

Ibid. c. 16.

Lib. de dono persev. c. 22.

CAPUT

CAPVT X.

Solvitur septimum argumentum, quo existimatur ista doctrina non esse divinæ clementiæ consentanea, eo quod reprobos non nisi ad damnationem creare & conservare videatur.

A DENIQVE objici potest, non videri sententiam istam sancti Augustini divinæ bonitati & clementiæ cõsentaneam. Non enim ad aliud illi quos ex perditionis massa liberare noluit, creari videntur, nisi ut in æternum pereant, nec eorum creatio esse beneficium, sed summum maleficium. Quis enim fructus propter quem tanta reproborum multitudo nascatur, ex qua nemo salvandus esse prævidetur, neque supposita illa gratiæ potentissimæ negatione salvari potuit?

Respondetur: & ista objectio à Massiliensibus Augustino facta est, quando ejus doctrinæ, tanquam inde consectaneum objecerunt: *Quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creet ut illam perdat in æternum.* Itemque, *quod major pars generis humani ad hoc creetur a Deo, ut non Dei sed diaboli faciat voluntatem.* Ad eam igitur dico, Deum ex immensa bonitate creasse non minus hominum quam Angelorum naturam, B eosque in manu liberi arbitrij collocasse, cum adjutorio quo sempiternam sibi beatitudinem possent comparare si vellent. Quod ergo creati sunt, creantis beneficium, quod ceciderunt, peccantis meritum. Nec æquum erat, ut illâ spontaneâ deficientis voluntatis pervicaciâ statutus ordo turbaretur, ut videlicet propterea neque peccatrix natura dæmonum amplius permanere deberet, neque peccatrix primorum hominum natura propagari. Quod enim dæmonibus & hominibus reprobis hoc in malum cedit, non est ex voluntate creatoris, sed malitia spontanea peccatoris. Ille enim conservat dæmones sub tantis criminibus & cum tantis supplicijs, & ex semine vitiato propagat homines reprobos, in usus maximos Deo cognitos; quamvis ij si propria iniquitate, non nisi malum facturi atque perituri sint. Ex quo fit, ut quicquid ipse conservat aut creat, non nisi bonum sit; & ex natura C sua magnum beneficium, gratiarum actione dignissimum, quamvis per accidens, ex aliena perversitate cedat in malum. Hinc Augustinus cum ei simile quid objiceretur: *Bonitate sua*, inquit, *Deus facit homines & primos sine peccato, & ceteros sub peccato in usus profundarum cogitationum suarum. Sicut enim de ipsius diaboli malitia novit ille quid agat & quod agit iustum est & bonum, nec eum propterea creare* (adde & cõservare) *noluit quia malum futurum* & permansurum *esse præscivit, ita de universo genere humano quamvis nullus omnino sine peccati sorde nascatur bonum ille qui summe bonum est operatur.* Et infra: *Sic itaque* A *creat malos quomodo pascit & nutrit malos, quia quod eis creando tribuit ad naturæ pertinet bonitatem; & quod eos pascendo & nutriendo dat incrementum, non utique malitiæ eorum, sed eidem bonæ naturæ quam creavit bonus bonum tribuit adjumentum.* Ex quo patet, hanc Augustini solutionem non minus ad hominum ac dæmonum sub peccato & pœnis conservationem, quam creationem pertinere; idque quamvis non aliqui tantum reprobi, sed omnes omninò homines & Angeli per se & in æternum perituros esse fingeremus. Itaque & Prosper eandem objectionem solvens: *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est ut periret: quia alia est causa nascendi & alia est pereundi. Vt enim nascantur homines conditoris est beneficium: ut autem pereant prævaricatoris est meritum.* Sed hujusmodi imaginationes hominum adversus quas hactenus dimicavimus, ex eo fere proficiscuntur, quod de humana natura ad eum philosophantur modum, ac si innocens ex opi- B ficis manibus prodiret. Tunc enim re vera, si Deus absque ulla operum prævisione, alios ad beatitudinem elegisset, alios ad perditionem, sine auxilijs dimitteret, atque interim illos vocaret ad fidem, hortaretur ad sollicitudinem, præmia proponeret, exitium minaretur, negata omni faciendi bonum & cavendi malum facultate, merito durissimum iniquissimumq; videretur tales condere; quia non eos nisi ad interitum destinare videretur. Sed in Augustini sententia se res longe secus habet. Propria voluntate violata, fracta, infirmata natura est, & perditioni obnoxia, quid querimur adversus judicem quod aliquos liberando, reliquos propriæ relinquat infirmæque libertati? An ut mutet æternas leges suas, quas naturales dicimus, & hominibus haud secus ac dæmonibus in eorum institutione proposuit, ne amplius earum transgressione delinquant, vel gratias ubique & semper etiam ad inferos diffundat, ut possint eas transgrediendo delinquere? Quod si utrumlibet perabsurdum est, ut vel aboleantur naturales circa Deum & proximum leges, vel adimplendi gratia ad damnatos inferosque diffundatur, nec tamen alio ullo pacto lex naturalis, nisi per magnam Dei gratiam, præcipuè à peccatoribus, sine peccato custodiri possit, desinant murmurare adversus Deum, quod ex perdito genere quosdam tantum liberando, ceteros sine gratuitis liberationis adjutorijs, in perditione dereliquerit.

Obiect. 3. Vincent. Obiect. 4. Vincent.

E. li. 2. de nupt. c. 16.

E. li. 2. de nupt. c. 16.

Prosp. ad Obiect. 3. Vincent.

CAPVT

CAPUT XI.

Reprobati non tam propter suam, quam electorum utilitatem nascuntur & conservantur.

A QVÆ tamen vel expressa vel tacita murmura, quibus viri boni adversus istam assertam ab Augustino divinæ justitiæ severitatem contestantur, magna ex parte placarentur, si causas illas profundas, propter quas Deus istum ordinem providentiæ adhibendum judicavit, intelligendo penetrarent. Sunt enim ab oculis hominum maximè carnalium vehementer abstrusæ. Quam ob causam Augustinus paulo ante dixit, quod Deus malos creat *in usus profundarum cogitationum suarum*. Cujus profunditatis consideratione alibi dicit, quod *illa inscrutabilia judicia ejus, hinc fidelibus cordibus magnam ingerant admirationem, qui de illius sapientia pertingente à fine usque ad finem fortiter & omnia suaviter disponente non dubitant, quid sit quod ei placet ut nascantur ac multiplicentur hi, quos etsi malos ipse non fecit tamen malos futuros esse præscivit.* Addit itaque; *Nimis enim consilium ejus in abdito est,* B *quo etiam malis bene utitur ad profectum bonorum, etiam in hoc mirificans omnipotentiam bonitatis suæ.* Quæ providentia adhuc multo apparet mirabilior, quando tantam cogitamus, aut etiam videmus hominum non liberandorum ad æterna destinatorum supplicia multitudinem: *Quare sint isti plures quam illi,* ait Augustinus, *consilium Dei velle nosse multorum est, nosse autem vel paucissimorum hominum vel omnino nullorum.* Hæc igitur divinæ providentiæ profunditas, & ex profunditate obscuritas, facit homines qui non murmurant, aut non mirantur, peccatores Angelos universos, in ictu oculi, sine spe reparationis, judiciaria Dei severitate damnatos, aut innumeros parvulos, qui omni prorsus baptismi potestate caruerunt, ad inferos præcisa spe liberationis expelli, de majoribus præcipuè mirentur & conquerantur, quod absque ulla futurorum operum consideratione, in perditione relicti sint, & à divina mi- C sericordia reprobati, vitam istam gratiæ cælestis adjutorijs destituti transeant. Quasi vero & ista eorum desertio ac derelictio non esset, aut esse deberet pars illius supplicij, quod sua iniquitate meruerunt, aut non mirandum esset, si eos omnes confestim extremis illis supplicijs addiceret: aut magis mirandum sit, quod Deus in hac vita quandam iræ istius magnæ, quæ peccato debita est, & propter quam à divina misericordia exclusi & à justitia reprobati sunt, particulam exequatur. Sed quia causę istius gubernationis reproborum tam alta caligine tectæ sunt, ut frustra in hoc mundo vivere & non nisi ad cumulanda sibi supplicia derelicti esse videantur, hinc homines vel ad ista consideranda tardiores, vel præoccupatis opinionibus distorti, quibus abjecta justitię severitate, nil nisi gratiarum profusiones cogitant, patrocinandis ijs qui reprobati ac derelicti sunt, & redarguendo reprobanti ac derelinquenti Deo, exercent facundiam suam. Qui ut vel paululum erga doctrinam istam sancti Præsulis severam quidem, sed tamen ipsius judicio nimis veram, mitescere dignentur, causas nonnullas, Deo juvante, proferemus, quas ipse sanctus Augustinus prodidit, cur Deus eos quos alto suo judicio reprobavit, & à damnationis liberatione seclusit, in hac vita sæpius sine gratiæ ullius beneficio vivere sinat, alios ex ipsa collata gratia quam subinde tribuit graviores accumulare cruciatus. Quas quisquis bene ponderaverit, judicabit fortassis id quod Augustino visum fuit, non aliter debuisse prædestinatos ex eodem genere liberari, nisi reprobi ipsis permixti cum tanta Dei severitate tractarentur.

Epist. 59.

Lib. 2. oper. impers. cont. Iul. c. 146.

In primis igitur sancto Augustino indubitatum fuit, homines illos quos Deus justo judicio noluit à damnationis massa discernere, non tam propter ipsos ut æternam vitam assequantur, quam propter alios, quos ei ab eadem massa misericordiæ liberalitate discernere placuit, creari, & in hac vita servari, & gubernari. Testatur hoc sanctus Doctor diversis locis. Nam cum adversus Iulianum declarasset, Deum suis prædestinatis pœnitentiam beatumque finem sua liberalitate largiri, de reprobatis addit: *Ceteri autem mortales qui ex isto numero non sunt, & ex eadem quidem massa ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum.* Et in Epistola ad Paulinum: *Ipsis super quos ira Dei manet bene utitur ad docendos alios quos liberare dignatur.* Et libro decimo sexto contra Faustum: *Ad aliquem namque usum sanctorum ordinatur omnis cæcitas impiorum à summo Deo qui pro sui regiminis æquitate bene utitur etiam malis ut qui suo arbitrio injuste vivunt illius judicio juste disponantur.* Ex quo fit ut quantum Dei dilectio erga reprobos minuitur, quos in perditione relinquere statuit, tantum erga prædestinatos, quos liberandos destinavit augeatur, ut in eos toto impetu collata fluat. Alij quippe sua in qua jacent iniquitate meruerunt, ut quia sibi inutiles facti sunt, non amplius gubernentur à Deo propter se, sed in illum ordinem providentiæ, in quo serviant alijs, referantur.

Lib. 5. cont. Iul. c. 4.

Epist. 105

Lib. 16. cont. Faust. c. 21

CAPUT.

Digitized by Google

CAPVT XII.

Fructus quos electis afferunt ad tria capita generalia revocantur. Explicatur primus: quod sint ornamentum terrarum, & quo sensu.

PORRÒ istæ utilitates, quas electis Dei filijs conferunt reprobi, sunt innumeræ, sed ferè ad duo aut tria capita generalia reduci possunt: ut videlicet sint quidam seculi præsentis ornatus, cujus utilitas in corporalem electorum fructum redundet; ut electi multis modis doceantur; denique ut exerceantur atque proficiant.

Primus igitur fructus est, quem ex reprobis elicit Deus, ut saltem seculi præsentis cursus, vel sola talis tantæque naturæ præsentia, & infinitis ejus operibus humanæ vitæ utilibus decoretur. Tetigit eum sanctus Augustinus contra Iulianum, ubi cum de prædestinatis ac reprobis disputando dixisset, quod reprobi ad *utilitatem electorum nascerentur*, pressius eam utilitatem explicans, confestim adjicit: *Non enim quemquam eorum Deus temerè ac fortuito creat, aut quid de illis boni operetur ignorat. cum & hoc ipso bonum operetur, quod in eis humanam creat naturam & ex eis ordinem seculi præsentis exornat.* Et in libris de libero arbitrio de parvulis disputans, cur cum peccato ex homine jam peccatore nasci augerique mererentur aut curarentur: *Non enim damnato primo homine sic adempta est beatitudo ut etiam fœcunditas ad meretur. Poterat enim & de prole ejus quamvis carnali & mortali aliquod in suo genere fieri decus ornamentumque terrarum.* Et in libro de vera religione: *Ita de peccato nostro quod in homine peccatore ipsa natura nostra commisit, & genus humanum factum est magnum decus ornamentumque terrarum & tam decenter divinæ providentiæ procuratione administratur ut ars ineffabilis medicinæ ipsam vitiorum fœditatem in nescio quam sui generis pulchritudinem vertat.* Quæ pulchritudo in eo ipso magna ex parte sita est, quod in illa magna generis humani societate, non solum reprobi electorum utilitati serviunt, ut mox dicendum est, sed & ipsa in profectum virtutum vitia convertuntur. Et in libris de Genesi ad litteram: *An verò ita quis cæcus est mente ut non cernat quanto terris ornamento sit genus humanum etiam cum à paucis rectè laudabiliterq; vivatur? Quantumque valeat ordo reipublicæ in cujusdam pacis terrenæ vinculum coercens etiam peccatores? Neque enim tantum depravati sunt homines ut non etiam tales pecoribus & volatilibus antecellant, quorum tamen omnium generibus hanc infimam mundi partem pro suis locis sortè decoratam quem non considerare delectet?* Quis verò quantusque sit iste orbis terrarum ornatus, & ad prædicandam conditoris majestatem, quam admirabilis, brevius Prosper tetigit, cùm istam Augustini doctrinam defendere cogeretur: *Ornari autem etiam talium conditione mundi hujus varietatem, quis non intelligat, qui videat studijs & operibus quorumdam impiorum tot*

commoda vitæ præsentis instructa in inventione artium, in extructione urbium, in constitutione legum, in confœderatione populorum? Sed & ipse Augustinus præclarissimè fusissiméque in libris de Civitate Dei ostendo declarat: *Ipse* (Deus) *incorpoream corporeamq; naturam, illam præpositam, istam subiectam miris modis copulans & connectens animantem facit. Quod opus ejus tam magnum & mirabile est ut non solum in homine, quod est animal rationale, & ex hoc cunctis terrenis animantibus excellentius atq; præstantius, sed in qualibet minutissima muscula benè considerantis stuporem mentis ingerat, laudemq; pariat Creatoris. Ipse itaque animæ humanæ mentem dedit, ubi ratio atque intelligentia in infante sopita est quodammodo, quasi nulla sit, excitanda scilicet atque exercenda ætatis accessu, qua sit scientiæ capax, atque doctrinæ, & habilis perceptioni veritatis & amoris boni. Qua capacitate hauriat sapientiam virtutibusq; sit prædita, quibus prudenter, fortiter, temperanter & justè adversus errores & cætera ingenerata vitia dimicet, eaq; nullius rei desiderio nisi boni illius summi atque incommutabilis vincat. Quod etsi non faciat, ipsa talium bonorum capacitas in natura rationali divinitus instituta, quantum sit boni, quam mirabile opus omnipotentis, quis competenter effatur aut cogitat? Præter enim artes benè vivendi & ad immortalem perveniendi felicitatem, quæ virtutes vocantur, & sola Dei gratia quæ in Christo est, filijs promissionis regniq; donantur, nonne humano ingenio tot tantæq; artes sunt inventæ & exercitæ, partim necessariæ, partim voluntariæ, ut tam excellens vis mentis atque rationis in his etiam rebus quas superfluas imo & periculosas perniciosasq; appetit, quantum bonorum habeat in natura, unde ista potuit vel invenire vel discere vel exercere testetur? Vestimentorum & ædificiorum ad opera quam mirabilia quam stupenda industria humana pervenerit, quò in agricultura, quò in navigatione profecerit: quæ in fabricatione quorumvis vasorum, vel etiam statuarumque & picturarum varietate excogitaverit & impleverit: quæ in theatris mirabilia spectantibus, audientibus incredibilia facienda & exhibenda molita sit: in capiendis, occidendis, domandis irrationalibus animantibus, quæ & quanta repererit: adversus ipsos homines tot genera venenorum tot armorum tot machinamentorum, & pro salute mortali tuenda atque reparanda, quot medicamenta atque adiumenta comprehenderit: pro voluptate faucium, quot condimenta & gulæ incitamenta reperit: ad indicandas & suadendas cogitationes, quantam multitudinem varietatemque signorum, ubi præcipuum locum verba & litteræ tenent: ad delectandos animos, quos elocutionis ornatus, quam diversorum carminum copiam: ad mulcendas aures, quot organa musica, quot cantilenæ modos excogitaverit: quantam peritiam dimensionum atque numerorum: meatusq; & ordines siderum, quanta sagacitate comprehenderit: quam multa rerum mundanarum cognitione se impleverit; quis possit eloqui, maximè*

Lib. 5. cont. Iul. cap. 4.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 20.

Lib. de vera relig. c. 28.

Lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 9.

Lib. 22. de Civit. c. 24.

Prosper ad Obiect. 13. Gall.

Digitized by Google

maximè si velimus non asservatim cuncta congerere, sed in singulis immorari. In ipsis postremo erroribus & falsitatibus defendendis quam magna claruerint ingenia Philosophorum atque hæreticorum quis existimare sufficiat? Loquimur enim de natura mentis humanæ qua ista vita mortalis ornatur, non de fide atque itinere veritatis qua illa immortalis acquiritur. Hic igitur tam magnus ac varius vitæ hujus mortalis ornatus, qui ex hominum improborum institutione & conservatione consurgit, quamvis non nisi paucissimi prædestinati misceantur, quantam in istis benè pièque considerantibus artificis admirationem excitat, laudemque creatoris? Præter quam tamen ad filios promissionis innumeræ corporis animæque redūdant utilitates, quas vel ex industria mentis rationalis quæ in reprobis viget, vel ex terrenis laboribus in quibus assiduè versantur, hauriunt, ut ipsi altius sublata mente colendo Deo liberatori suo, sine molestissimis rerum secularium occupationibus, quibus alioquin distinerentur, incumbant. Quam ob causam Psalmus notat, Israëlitis datos fuisse Chananæorum tanquam impiorum labores ac facultates ut ex eis ad colendum Deum rectèque vivendum acciperent adjutorium: *Et dedit eis*, inquit, *regiones gentium & labores populorum possederunt.* Nimirum, *ut custodiant justificationes eius & legem eius requirant.* In quæ verba sanctus Augustinus, & ex ipso Prosper discipulus ejus: *Ubi intelligendum est Dei servos & electos filios promissionis verum & germanum semen Abrahæ imitantes semen Abrahæ, propterea ista bona terrena sumere à Deo, non ut in eis luxu diffluant, sive perversâ securitate torpescant: sed ideo habeant divina misericordiâ hæc omnia præparata, in quibus quærendis possent negotiosissimis laboribus occupari ut ad hoc vacent undè bonum æternum posset acquiri, hoc est ut custodiant iustificationes eius & legem eius requirant.* Ita igitur ex innumeris artibus quas exercent impij, & operibus quæ excogitant, viri ac mulieres religiosæ infinita corporeis necessitatibus emolumenta capiunt, ex eorum velut jumentorum rationalium ministerijs adjumenta, ex agrorum & animantium cultu & pastu alimenta & vestimenta, ex reipublicæ terrenæ qualicunque ordine & sceleratorum castigatione securitatem, ex defensione tranquillitatem; ut expeditius atque securius vacent Deo, quo finem sibi solis prædestinatum, etiam reproborum adjutorio consequantur. Profunda sanè multumque mirabilis est ista Dei providentia, qua, quemadmodum in totius humani generis institutione, totam creaturam corpoream quæ ratione caret ad rationalem, hoc est, hominem referendo condidit, servamque subjecit; ita in ejusdem reparatione, reprobos omnes, à maximo usque ad minimum, prædestinatorum filiorum suorum servos fecit, ut & corporeis eorum necessitatibus & eorum spiritali profectui, æternæque vitæ potiundæ, sive sciendo, sive nesciendo famulentur.

Psalm. 104

August. & Prosp. in illa verba Psalmi

CAPVT XIII.

Fructus secundus, ut multis modis doceantur electi. Septem documenta proferuntur.

SECVNDVS igitur fructus est, ut electi multa & magna & summoperè necessaria documenta ex reprobis percipiant. Quorum primum est, ut eis ad oculum in ista reproborum abjectione & maledictione ostendatur, quid valeat liberum arbitrium, quando à Dei gratuita gubernatione & adiutorio desertum est. *Ceteri autem homines*, ait Augustinus, *ad istam societatem* (prædestinatorum) *non pertinentes propter hoc à Deo præsciente creati sunt, ut in his ostenderet liberum desertoris arbitrium sine sua gratia quid valeret.* Nihil videlicet aliud nisi ut à Deo deficiendo magis magisque terrenis cupiditatibus & peccatis implicetur. Nam ut alibi dicit: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet, ad iustitiam verò nisi divinitus liberatum adiutumque non valet.* Sed quia scopus Dei non in eo sistitur, ut nudæ cognitionis istius fructus exurgat, sed in primis, ut per eam electorum suorum voluntas virtutibus imbuatur, hinc in eodem loco, aliam non mediocrem utilitatem ex reproborum abjectione Augustinus assignat: ut ista liberi arbitrij ostensione, *in eorum iusto & debito pœna vasa misericordiæ quæ non suorum operum meritis sed gratuita Dei gratia sunt ab illa excretione discreta, quid sibi collatum esset addiscerent ut omne os obstruatur & qui gloriatur in Domino glorietur?*

Epist. 106.

Epist. 3. ad Bonif. c. 8.

Epist. 106.

Alterum itaque documentum est, ut electi ex abjectione & pœna reproborum, quæ etiam in hac vita sæpè manifesta est, discant quid etiam sibi & alijs consortibus suis debeatur ac redderetur, nisi ipsorum misereretur Deus. Vnde Augustinus ex duobus parvulis unum dicit *assumendum* fuisse *per misericordiam, alium per iudicium relinquendum, in quo is qui assumeretur agnosceret quid sibi per iudicium deberetur nisi misericordia subveniret.* Ex quo sanè sequitur

Enchirid. cap. 95.

Tertium utilitatis maximum documentum, ut electi agnoscant gratiæ seu beneficij sibi collati magnitudinem, dum vident alios æqualiter aut minus reos, cœcis oculis in hac vita ad interitum sempiternum ruere, & in altera severissimæ justitiæ æquitate damnari. De quo documento sanctus Augustinus: *Ibi gratia est indulgentiæ, ubi iusta posset esse vindicta. Et hinc evidentius apparet à pœna debita liberato & gratis iustificato, quantum beneficij conferatur, quod alter*

Epist. 106.

Digitized by Google

alter æqualiter reus sine punientis iniquitate punitur. Et in Epistola ad Vitalem notat idem beneficium istius gratiæ nullo plerumque merito,
Epist. 107. ad Vitalem. nullâ voluntate distantibus, *sed similem cum eis quibus datur habentibus causam iusto tamen iudicio Dei non dari ut intelligant quibus datur, quam gratis eis detur, quando iustè utique non daretur, quoniam similem habentibus causam iustè non datur.* Et in libro de dono perseverantiæ, cùm quære-
Lib. de dono persev. c. 8. retur, cur non omnibus daretur gratia? *Quoniam*, inquit, *Deus iudex est. Ac per hoc & ab eo gratis datur gratia: & iusto eius in alijs iudicio demonstratur, quid eis quibus datur conferat gratia.* Et in libris de Civitate Dei docet, quod Deus
Lib. 14. de Civit. c. 26. jam *gratia discernit* homines *& liberatis non solum de ipsis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur ostendit.* Ratio est quia ut subiungit: *Non enim debita sed gratuita bonitate tunc se quisque agnoscit erutum a malis, cum ab eorum hominum consortio fit immunis cum quibus illi iusta esset pœna communis.* Quod præclarissimè in Psalmis etiam significatum esse tradit, quando Propheta di-
Psalm. 58. xit, ut in vulgato textu legimus, *Deus ostendet mihi super inimicos*, hoc est, Deus ostendet mihi suæ in me misericordiæ magnitudinem in ipsis inimicis meis, quos ab eo video deseri ac pu-
In Psal. 87. niri. *Occurrebat autem quæstio*, inquit Augustinus, *quisnam sit usus istorum mortuorum, quid ex his agat Deus ad utilitatem corporis Christi quod est Ecclesia? Vt in eis demonstretur quæ sit Dei gratia in prædestinatis, qui secundum propositum vocati sunt. Vnde ipsum corpus in alio Psalmo dicit: Deus meus misericordia eius præveniet me. Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis.* Vnde in Epist. ad Optatum
Epist. 157. ad Optat. dicit, quod si illi soli crearentur ex Adam, qui essent per gratiam recreandi, *& præter illos qui in Dei filios adoptantur, nulli alii homines nascerentur lateret beneficium, quod donaretur indignis: quia nullis ex eadem damnabili stirpe venientibus debitum supplicium redderetur.*

Ex quo quartum consequitur in electis documentum, quod Deus unicè spectat, in istis occultis providentiæ suæ vijs: ut videlicet commendata sibi medullitus humilitate, discant non esse in suis meritis, quæ damnatis inveniunt paria sed in sola Dei gratia glorian-
In Enchirid. cap. 98. dum: *Quod iudicium cum deberetur ambobus in altero alter agnovit non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit sed de divina gratia largitate quia non volentis neque currentis sed miserentis est Dei.* Et in libris de nuptijs & concupiscentia docet, ex
Lib. 2. de nupt. c. 17. maledicto semine Deum etiam reprobos creare atque eis bene uti, *Ne meritis suis tribuat si ad eandem massam quisque pertinens liberetur, sed qui gloriatur in Domino glorietur.* Et in libris contra Iulianum docet, in ipsis iræ vasis ostendi misericordiam qua Deus prosequitur electos suos,
Lib. 6. cont. Iul. cap. 10. *Ne glorientur tanquam de meritis vitæ suæ, cùm cognoscant hoc sibi iustissimè reddi potuisse quod vident reddi paribus consortibus meritis suæ.* Hinc nascitur ulterius

Quintum pro prædestinatis documentum, ut sciant quantam gratitudinem debeant sese liberanti Deo cùm alios vident in eadem perditione derelinqui. Itaque ad ista Apostoli verba quibus dicit, quod Deus ex eadẽ massa *aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* condit, Lib. 4. cont. Iul. cap. 8.
sic Augustinus: *Ideo non utrumque in honorem ne hoc meruisse se existimet tanquam incidpata natura. Ideo non utrumq; in contumeliã ut iudicio superexaltet misericordia. Ac per hoc nec damnatus ex debito, de supplicio iustè queritur, nec liberatus gratis de merito superbè gloriatur, sed potius humiliter gratias agit quando in illo à quo debitum exigitur quid in eadem causa sibi debeatur agnoscit.* Et non minus perspicuè quam nervosè in Psalmum 58. cùm de illis verbis: *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis*, ad populum disserendo tractaret, *id est*, In Psal. 58.
inquit, *quantam circa me habuit misericordiam in illis mihi demonstravit circa quos non habuit, nisi enim debitor suspendatur minus agit gratias cui debitum relaxatur.*

Sextum documentum est, ut Deus quosdam iusta reprobationis sententia pœnaque percellendo, timorem utilem prædestinatis incutiat, ne incidant iterum in idem superbiæ & incredulitatis exemplum: *quod vasa eos facit* Lib. 1. q. 2. ad Simplic.
perditionis, inquit, *ad usum correctionis aliorum facit*; nempe, ut explicat, quia iusti concepto ex pœnis timore corriguntur, juxta illud Psalmi: *Iustus lavabit manus in sanguine peccatoris*, Ibidem.
hoc est, *mundatur ab operibus malis per timorem Dei, cùm videt supplicia peccatorum.*

Septimum documentum est, ut Deus electis ostendat potentiam suam esse tantam, ut non solum damnare possit peccatores, sed illis ipsis etiam in hoc seculo benè uti ad eorum quoque fructum, quos acerbis odijs persequuntur. Nam ut quodam loco Augustinus: *Neque enim* Enchirid. cap. 11.
Deus omnipotens cùm summè bonus sit ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus ut benefaceret etiam de malis. Nam ea de causa etiam dæmonibus ipsis subministrat vitam, vivacemque potentiam, quamvis nulla in eis in æternum emendatio expectetur, quia *melius iudicavit de malis benefacere quam mala nulla esse permittere.* Ibid. c. 27.
Itaque in Epistola quinquagesima nona cum *nimis consilium Dei in abdito esse* dixisset, *quo etiam* Epist. 59.
malis bene utitur ad profectum bonorum, mox addit quod etiam in hoc mirificat omnipotentiam bonitatis suæ, quia sicut illorum nequitiæ est male uti bonis operibus eius sic illius sapientiæ est bene uti malis operibus eorum.

Hæc igitur pleraque & similia documenta saluberrima, quæ Deus ex reprobis in prædestinatis suis operatur, ex Scripturis sacris Augustinus prompsit, ubi Apostolus dicit: *Quod si Deus volens ostendere iram*, quanta Rom. 9.
videlicet pœna damnatæ massæ debeatur, ut inde in electis timor exurgat, *& demonstrare potentiam suam*, qua benè uti novit etiam malis, *sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*, non ut eos corrigeret quos despexit, sed *ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Quantum scilicet ipsis conferat, & quam gratuitum beneficium, quibus nihil nisi simile supplicium iustissimè debebatur. Quos Apostolici loci sensus

Digitized by Google

sensus frequenter profundus Doctor tetigit, ut in libris ad Bonifacium, cùm ex Apostolo docuisset, Deum ex eadem massa posse vas aliud facere in honorē, aliud in contumeliam, *Deinde*, inquit, *secutus tam magnum abditumq; secretum quantum aperiendum esse hominibus iudicavit, aperuit dicens: Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam &c. ut notas faceret divitias gloriæ &c. hoc est, gratiæ Dei non solum adiutorium sed etiam documentum. Adiutorium in vasis misericordiæ in vasis autem iræ documentum. In eis non ostendit iram & demonstrat potentiam suam, quia tam potens est bonitas eius ut bene utatur etiam malis: & in eis notas facit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quoniam quod à vasis iræ exigit iustitia punientis, hoc vasis misericordiæ dimittit gratia liberantis; nec beneficium quod quibusdam gratis tribuitur appareret, nisi Deus alijs ex eadem massa pariter reis iusto supplicio condemnatis, quid utrisque deberetur ostenderet.* Et in libri primi quæstione secundâ ad Simplicianum, eadem omninò Apostoli verba explicans: *Hæc demonstratio potentiæ Dei, & annunciatio eius in universa terra prodest eis ut timeant, ut vias suas corrigant quibus vocatio talis congruit.* Et inferius ad illa consequenter verba, quibus divitias gloriæ dicitur ostendere per vasa iræ in vasa misericordiæ: *Quid enim prodest vasis perfectis in perditionem quod ea patienter Deus sustinet, ut ordinatè disperdat, atq; illis ad instrumentum salutis alterum, quorum miseretur? Sed illis utique prodest ad quorum salutem ijs ille utitur.* Et inferius: *Quod ergo volens Deus ostendere iram attulit vasa iræ valet ad utilem alijs præstandū timorem, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam. Etenim obduratio illa impiorum utrumque demonstrat, & quid timendum sit, ut quisque pietate convertatur ad Deum, & quantæ agendæ sint gratiæ misericordiæ Dei qui in alterum pœna quod alijs donet ostendit. Si autem illa quam de alijs exigit non est iusta pœna nihil donat alijs à quibus eam non exigit, quia verò illa iusta est, & nulla est iniquitas apud vindicantem Deum, quis sufficiat agere gratias ei qui hoc remittit, quod si vellet exigere nemo se rectè diceret non debere.*

Lib. 2. ad Bonif. c. 7.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Ibidem.

Ibidem.

CAPVT XIV.

Cur tantus numerus reprobatorum præ prædestinatis.

QVOD siquis forsan quæret, cur ergo tantum hominum numerum ab isto liberationis beneficio repulerit, cùm ex paucis abiectis eadem potuissent pro electis documenta gratitudinis, humilitatis, aliarumque virtutum trahi? Respondebit Augustinus, & hoc ipsum ad magnam prædestinatorum utilitatem, à Deo de industria esse provisum, ut etiam ex ipsa reprobatorum copia necessaria quædam documenta filij promissionis hauriret.

Primum quidem, ut sic ex rebus ipsis addisceret, quid humanum genus meruisset universum, ex quo tantam cernerent deperdi multitudinem. Vnde cùm quidam stulti, non intelligentes divini consilij altitudinem, quo facit vas in honorē vel in contumeliam, quodcunque voluerit, existimarent Apostolum clamando, *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* in responsione defecisse & inopiâ reddendæ rationis repressisse victoris audaciam, rectissimè observat Augustinus, *magnum habere pondus quod dictum est ô homo tu quis es?* In talibus enim quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocat hominem, verbo quidem brevi, sed quod reipsa magna est redditio rationis: *Si enim non capit hæc*, inquit, *quis est qui respondeat Deo? Si autem non capit magis non inveniet, quid respondeat. Videt enim si capit eos qui liberantur* ex universa generis humani damnatione *sic oportuisse liberari ut ex pluribus non liberatis atque in damnatione iustissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, & quò etiam istos debitum iudicium Dei duceret nisi eius indebita misericordia subveniret.* Ecce sic etiam *oportuit* electos liberari, ut simul tanta esset multitudo in eorum comparatione pereuntium. Quod fuisse exquisitum divinæ voluntatis consilium etiam non obscurè docet, in libris de Civitate Dei, dum tradit, propter peccati primi magnitudinem massam universam esse damnatam; *atque ita dispertitum à Deo genus humanum, ut in quibusdam demonstretur quid valeat misericors gratia, in ceteris quid iusta vindicta, neque enim utrumque demonstraretur in omnibus: quia si omnes remanerent in pœnis iustæ damnationis in nullo appareret misericors gratia redimentis: rursum si omnes à tenebris transferrentur in lucem in nullo appareret severitas ultionis. In qua propterea multo plures quam in illa sunt, ut sic ostendatur quid omnibus deberetur, quod si omnibus redderetur iustitiam vindicantis iustè nemo reprehenderet.* Et in libris contra Iulianum: *Quis non videat plures esse in genere humano, in quos non abundavit* gratia *ut ex pluribus ostenderetur quid universæ massæ iusto iudicio deberetur, nisi ubi velit spiritus spiraret & Deus quos dignaretur vocaret, & quem vellet religiosum faceret.*

Alterum documentum addit alibi Augustinus, ut videlicet ex tanta reprobatorum copia demonstretur, nihil omninò in conspectu Dei esse multitudinem quantamcunque prævaricantium, ex quo contemptu derelinquentium Deum accidit, ut prævaricatores Angelos universos iustissimâ severitate damnaverit. *Tam multos autem creando*, inquit, *nasci voluit quos ad suam gratiam non pertinere*

præscivit

Rom. 9.

In Enchirid. cap. 99.

Ibidem.

Lib. 21. de Civit. c. [illegible]

Lib. 3. c. Iul. op. imper. 28.

Epist. 107. ad Optatum.

Digitized by Google

præscivit ut in multitudine incomparabili plures sint illis quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est; ut etiam ipsa reiectorum multitudine ostenderetur quam nullius momenti sit apud Deum iustum quantalibet numerositas iustissimè damnatorum, atque ut hinc quoque intelligant qui ex ipsa damnatione redimuntur, hoc fuisse debitum massæ illi universæ quod tam magnæ parti eius redditum cernerent, non solum in eis qui originali peccato multa addunt mala voluntatis arbitrio verum etiam in tam multis parvulis qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur.

CAPVT XV.

Tertius fructus, exercitium, & profectus, probatio, & eminentia seu manifestatio electorum.

TERTIVS fructus generalis est, quem ex reprobis in prædestinatos divina providentia redundare facit, ut eorum improbitate exerceantur in virtutibus ac de virtute in virtutem eundo proficiant. Marcessit enim sine exercitatione virtus ac semper debilis manet, quassata verò tempestatibus, profundiores firmioresque radices agit. Difficulter autem exerceri possent multa virtutum genera, nisi reproborum impietate lacesserētur. Itaq; Aug. in libris de genesi ad litteram, admirantibus, cur vel esse sinerentur qui præsciuntur futuri mali scitissimè respondet: *Cùm ergo etiam per iniustos iusti, ac per impios pij proficiant, frustra dicitur; non crearet Deus quos præsciebat malos futuros, cur enim non crearet quos sciebat bonis profuturos; ut & utiles eorum bonis voluntatibus exercendis admonendisq; nascantur, & iustè pro sua mala voluntate puniantur?* Et in quæstionibus super Exodum: *Novit ergo Deus benè uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed eos perferre patienter quo-usque scit oportere non inaniter, sed utendo eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum.* Ecce in utroque loco admonitioni, quæ ad docendum pertinet, & præcedenti capite latius pertractata est, exercitationem jungit. Ex qua regula Pharaonem ad utilitatem aliorum à Deo servatum esse commemorat. Et in illum Evangelij locum. *Ne fortè colligentes zizaniam eradicetis simul & triticum*, similiter exhortationi, quæ ad præbendum documentum spectat, exercitationes addit. Sic enim in quæstionibus super Matthæum: *Vtrum quia etiam boni cùm adhuc infirmi sunt opus habent in quibusdam malorum permixtione: sive ut per eos exerceantur. sive ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat ut nitantur ad melius, quibus sublatis altitudo charitatis quasi evulsa marcescat quod est eradicari.* Hinc illud generale sancti Præsulis pronunciatum ex intimo divinæ providentiæ penu haustum: *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo & nihil boni de illis agere Deum. omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur.*

Lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 6.

quæst. 32. sup. Exod.

quæst. 12. sup. Matt.

In Psal. 54.

Quod si verò ad singulas exercitationum & profectuum species descendere necesse esset, quas ex reprobis adhibet prædestinatis suis filijs Deus, tot utilitates nobis orirentur, ut non aliter electos liberari oportuisse, sicut Augustinus dixit quam tanta reprobatorum relicta multitudine, fructuum ubertate convicti, ultro etiam fortassis qui aliter sentiunt, faterentur. Sed quia res prolixa est, iisque perceptis quæ hactenus disseruimus, non ita multum necessaria, paucorum exemplorum & pessimorum hominum perstrictione contenti erimus. Quid enim Paganis, Hæreticis, Schismaticis, Iudæis, persecutoribus, inimicis pestilentius? Ex his tamen omnibus vide quanta in Ecclesiam electorum proficiscatur utilitas. *Vtitur*, inquit, *gentibus* Paganis *ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ.* Et in libris de Civitate Dei, de profectu verorum Ecclesiæ filiorum quos prædestinatos ibidem vocat, in hunc modum loquitur: *Inimici omnes Ecclesiæ quolibet errore cæcentur, vel malitia depraventur, si accipiant potestatem corporaliter affligendi exercent eius patientiam: si tantummodo malè sentiendo adversantur, exercent eius sapientiam: ut autem etiam inimici diligantur, exercent eius benevolentiam aut etiam beneficentiam sive suasibili doctrina, sive terribili disciplina.* Et in Psalmo centesimo-sexto de iisdem hæreticis foras ex Ecclesia prorumpentibus; *Poterat illos pati intus semper sed nos de illis non proficeremus. Cùm autem separati sint & per quæstiones malignas inquietent nos, propositum est nobis ex illis & inquisitionis studium & timoris exemplum. Vnusquisque tremit cùm alterum videt exisse tanquam ex illius exitu dicatur illi quapropter qui se putat stare videat ne cadat. Prosunt ergo quia exierunt. Nam si intus essent & tam mali essent nihil de illis prodessent.* Similia de exercitatione profectuque filiorum Dei per filios diaboli reprobatos, ipsumque adeo diabolum jam damnatum, per universas sancti Doctoris lucubrationes sparsa sunt.

Lib. de vera relig. cap. 6.

Lib. 18. de Civit. c. 51.

In Ps. 106.

Qui & alium fructum indicat, qui ex reprobis proficiscitur, & *Quartus* generalis dici posset ut videlicet electi ex impugnatione reproborũ probentur, & ex ipsa eorum oppositione magis emineant. Contrarium enim contrarij sui oppositione lucet luculentius. Vnde illa verba citati Psalmi: *Vt excludantur hi qui probati sunt argento;*

In Ps. 106.

argento; in hunc modum idem Augustinus: *Quid, ut excludantur? Ut appareant & emineant illi qui sunt probati in eloquio Dei. Cùm enim responde-tur hæreticis ex necessitate ædificantur Catholici ex utilitate hanc sententiam plane Paulus expressit: Oportet enim, inquit, hæreses esse ut probati manifesti fiant in vobis. Oportet & tauros seducentes esse ut qui probati sunt argento manifesti sint, hoc est excludantur.* Et in Epistola ad Maximum: *Sicut ergo ipsi benignitate & patientiâ id est bonis Dei male utuntur, dum non corriguntur: Sic contra Deus etiam malis eorum benè utitur non solum ad justitiam suam qua eis digna in fine retribuet, sed etiam ad exercitationem & profectum sanctorum suorum ut ex ipsa etiam malorum perversitate boni proficiant & probentur, & manifestentur, sicut Apostolus ait: Oportet hæreses esse ut probati manifesti fiant inter vos.* Quæ sanè manifestatio bonorum eo fit luculentior, quod non solum propriæ virtutis luce, sed etiam ex malorum contrapositione splendidius micant. Oritur inde quippe in hoc mundo quædam quasi antithesis non verborum, qua præcipuè dicentium sermo ornari solet, sed rerum ipsarum, quasi colorum oppositorum, ex quibus candidus nigro stipatus magis eminet: *Pictor*, inquit Augustinus, *novit ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura, & Deus nescit ubi ponat peccatores ut sit ordinata creatura?* Vel certè, quasi motuum atque pausarum ex quibus decenter sibi connexis, magna concinnitas modulationis exurgit. De quo eleganter ad hoc propositum: *Neque enim Deus ullum non dico Angelorum sed vel hominum crearet quem malum futurum esse præscisset nisi pariter nosset* QUIBUS EOS BONORUM USIBUS COMMODARET *atque ita ordinem seculorum tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* Nam sicuti contraria verba contrarijs opposita sermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam, non verborum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione seculi pulchritudo componitur.

Epist. 141. — Serm. 110. de divers. cap. 5. — Lib. 11. de Civit. c. 18.

CAPUT XVI.

Quo scopo & fructu reprobati misceantur prædestinatis, & juxta Scripturas, servituti destinati sint.

PRopter hujusmodi igitur maximi momenti commoda quæ prædestinatis Dei filijs ex reproborum hominum improbitate nascuntur, Deus etiam quosdam ex eis quibus justitiam & sanctitatem dedit, quia tamen non sunt ab originalis perditionis massa discreti, non vult ejusdem sanctitatis perseverantiam tribuere, ut illi quibus per aliorum lapsus erudiri expedit, inexspectata eorum prolapsione territi, sub divina gratia suspensius cautiusque gradiantur, nec de ipsa securitate superbiant. Quod perspicaciter vidit & præclarissimè diversis in locis tradidit sanctus Augustinus: *Propter hujus ergo utilitatem secreti* (quo regitur in hac vita quis de prædestinatorum numero sit) *credendum est quosdam de filijs perditionis non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter ac justè vivere & postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat, auferri. Quorum si nemini contigisset, tam diu haberent homines istum saluberrimum timorem quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam qua piè vivitur pervenirent, deinceps iam securi nunquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Et in libro de dono perseverantiæ, doctrinam istam saluberrimam aliquoties repetit: *Hominibus autem videtur omnes qui boni apparent fideles, perseverantiam usque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse judicavit miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas non possint esse securi: multos enim a perniciosa elatione reprimit quod ait Apostolus: Quapropter qui videtur stare videat ne cadat.* Et in libro de sancta Virginitate: *An verò propter aliud credendum est permittere Deum ut misceantur numero professionis vestræ multi & multæ, casuri & casuræ nisi ut his cadentibus timor vester augeatur quo superbia vestra comprimatur quam sic odit Deus ut contra hanc unam se tantum humiliaret altissimus.* Et ne quis existimaret hoc solà Dei permissione fieri, alibi apertè tradit, hoc *providentissima Dei voluntate* contingere: *Ideo quippe sicut iam supra diximus, non perseveraturi perseveraturis providentissimâ Dei voluntate miscentur ut esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur.* Alibi indicat etiam Dei provisione ac dispositione fieri: *Propter hujus timoris utilitatem, ne regenerati & piè vivere incipientes tanquam securi alta sapiamus, quidam non perseveraturi perseveraturis Dei permissione vel provisione ac dispositione miscentur, quibus cadentibus territi cum timore & tremore gradiamur viam justam, donec ex hac vita, quæ tentatio est super terram transeamus ad aliam, ut iam non sit elatio comprimenda nec contra eius suggestiones tentationesque luctandum.* Alibi verò, etiam esse necessarium propter profectum quem jam sæpius tetigit, ut infirmi non perseveraturos reprobos in medio sui ferant. *In omni congregatione multitudinis necesse est ut inveniantur mali. Deus enim qui novit exercendos, nos miscet nobis & non perseveraturos aut certè ita simulatos ut nec inchoaverint in quo perseverare debeant. Novit enim necessarium esse nobis ut feramus malos & proficiat quod boni simus.* Ecce quantâ fiduciâ docet Augustinus, non perseveraturos perseveraturis, hoc est, reprobos prædestinatis, Dei non solum permissione,

Lib. de corr. & grat. c. 13. — Lib. de dono persev. c. 8. — Lib. de sanct. Virginit. cap. 40. — Lib. de dono persev. c. 13. — Epist. 107. ad Vital. — In Ps. 54.

ne, sed etiam provisione ac dispositione, ac providentissimâ voluntate, & nostrâ hoc ipsum postulante necessitate misceri, ut videlicet si noluerint ipsi servare stabilitatem peccata vitandi, valeant ad exemplum quo possint peccata vitari. Arcana sanè multumque mirabilis est ista Dei cum reprobis providentia, cujus radices nemo profundius quàm Augustinus penetravit detexitque luculentius: nimirum, ut ex tot tantisque testimonijs ejus nosceremus, quod quemadmodum in humani generis institutione, totam creaturam corpoream, quæ ratione caret ad eam quæ rationis compos est, hoc est, hominem referendo condidit servamque subjecit, ita in ejusdem reparatione reprobos omnes à minimo usque ad maximum, prædestinatorum filiorum suorum servos fecit, ut corporeis necessitatibus & admonitioni eorum, sive doctrinæ, & exercitationi, & spiritali profectui, sive scientes, sive nescientes quomodocumque famulentur.

Quæ ferè omnia utilitatum genera simul complexus est sanctus Prosper sancti Augustini studiosissimus imitator: *Quod si quæritur an de istis quos à vera religione impius error avertit aliquod boni profectibus sanctorum & incrementis Ecclesiæ providentia divina contulerit, inspiciatur primum ipsa crux Christi in qua magno scelere Iudæorum* &c. *inspiciatur Apostolorum gloriosa tolerantia* &c. *inspiciantur denique innumerabilium Martyrum palmæ quibus de crudelissima infidelium sævitia felix est collata victoria.* Ac statim de hæreticis alijsque reprobis Augustini mentem explicando subjicit: *De illis quoque erroribus consulens nobis Dei bonitas sentiatur, quos Deus in Ecclesia contra Ecclesiam permisit exurgere, non utique eos creans aut fovens, sed per ipsos diligentiam filiorum suorum ad inquisitionem & custodiam veritatis exercens dicente Apostolo: Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis. Quis autem respiciens ad tenebras impiorum & ad illuminationem fidelium non ad gratias agendas Deo ex ipsa fiat collatione ferventior; & in ruina pereuntium discat, in qua mala per liberum arbitrium rueret nisi ei per Dominum nostrũ* IESVM *Christum Dei gratia subveniret?* Hæc ergò tanta utilitas, imò necessitas eruendæ, exercendæ, probandæ, & manifestandæ virtutis, vera ratio est, cur & singuli prædestinati & singulæ congregationes proborum hominum, & universa prædestinatorum filiorum Ecclesia tanto infidelium & hæreticorum & malorum omnis generis hominum numero extrinsecus & intrinsecus, velut insula Oceano, cingatur & perluatur: ut omnes & singuli ex reprobatorum, velut jumentorum, servitute recipiant adjutorium; ex omnibus discant magnitudinem gratiæ Dei, omnes exerceantur, omnes probentur, & ipsâ comparatione ferventiores & humiliores fiant.

Prosp. ad Obiect. 13. Gall.

Ibid.

Quod quidem olim in Chanaan, reprobatorum omnium typo, expressum est, cum ei nomine maledicendo prophetabat: *Maledictus Chanaan servus servorum erit fratribus suis.* Et in Esau, figura luculentiore luculentius, quando Rebeccæ consulenti respondit Dominus: *Populusque populum superabit, & maior serviet minori.* Nam sive populus ille major Iudaicus intelligatur, qui Christiano, sive reproborum universa societas, quæ prædestinatorum civitati servitura prophetetur, utrolibet modo sibi plenissimè figura constat. Nam juxta primum allegoricæ significationis typum, dixit Augustinus: *In quibus parvulis quasi ludentibus & Sacramentum ut dixi magnum exhibentibus, & reprobi in Esau demonstrantur Iudæi & prædestinati in Iacob apparent Christiani. Ille enim Iacob unus parvulus sic gestiens multos in se prædestinatos etiam parvulos demonstrabat.* Iuxta alterum verò, alio in loco: *In eo quod Dominus respondit Rebeccæ &c. maior serviet minori; spiritali intelligentia carnales in populo Dei significantur per maiorem populum & spiritales per minorem.* Quos in Tractatibus in Ioannem vocat *Populum qui eligitur & populum qui reprobatur; bonum populum, malum populum*; quorum *unus succedit in hæreditatem*, alter *exhæredatur*, quamvis in visceribus unius Ecclesiæ utrique luctentur. De Iudæorum spiritali servitute, qua Christianis, tanquam filio minori in adoptionem assumpto, major ex divina condemnatione famulatur frequenter Augustinus: *Iudæi sparsi per orbem terrarum, facti sunt quasi custodes librorum nostrorum, quomodo servi quando eunt in adiutorium Domini ipsorum portant post illos codices & foris sedent. Sic factus est filius maior filio minori. Nam aliquando movent nos aliqua in Scripturis, & de Iudæorum codicibus certi aliquid cognoscimus ideò ergò sparsi sunt, ut nobis libros servent. Maior ergò minori servit.* Quos propterea *capsarios nostros* vocat, quia *studentibus nobis* Scripturæ sacræ *codices portant.* Simili prorsus modo & populus reprobatus electo servit, ut jam satis superque ex diversis servitutum generibus per Augustinum declaratis intelligi potuit, & breviter ab eo figuram illam explicante, sed inadæquato sensu tangitur: *Quo, inquit, ordine*, major populus serviet minori? *Illo utique quo mali serviunt bonis, non utique obsequendo sed persequendo. Quomodo ergò mali serviunt bonis? Quomodo persecutores Martyribus, quomodo lima vel malleus auro, quomodo mola serviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, ut illi coquantur, illi consumantur. Quomodo, inquam, mali serviunt? Quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, & aurum probatur.* Et brevissimè in Sermonibus de verbis Domini: *Videtis ergò quia & mali necessarij sunt bonis. In fornace quodammodo aurificis sumus, hoc est in hoc mundo. Si aurum non es, simul ardes. Si aurum es, palea tua est malus.*

Genes. 9.

Genes. 25.

Lib. 1. de Symb. c. 2.

q. 73. in Genes.

Tract. 11. in Ioan.

Serm. de lucta Iacob. in append.

In Psal. 40.

Serm. 78. de temp.

Serm. 53. de verb. Dom. c. 3.

CAPUT XVII.

Quam conveniens, imò post lapsum necessarius fuerit iste divinæ providentiæ modus.

EX his itaque fructibus tam multiplicibus & magnis & necessarijs, quos reprobi prædestinatis famulando afferunt, sufficientissimè liquet, nemini debere mirum videri, si Deus tantum reproborum hominum numerum creet, nutriat, conservet, & regat, quamvis neminem eorum salvum facere vel ab originali perditione liberare constituerit. Ad aliud enim serviunt, ad quod idonei sunt, & valde hoc rerum statu necessarij. Nempe ut in ipsis divinæ vindictæ qua peccatum plecti meruit, severitas ac justitia, & in electos misericordiæ magnitudo monstretur. Nam qui istud exoticum prædestinationis & liberationis genus commenti sunt, quo Deus omnibus paratus & expositus introducitur gratias suas in omnes indifferenter effundere, ut qui voluerit seipsum liberet, dum omnibus viscera electionis videntur velle patefacere, totam illam tam decantatam in Scripturis & Augustino dilectionem, qua prædestinatos filios suos complectitur Deus, prorsus evacuant. Nam & gratias illas congruas sine quibus vix audent, etsi multum velint, libero arbitrio sufficiente tantum gratia munito, consensum voluntatis ascribere, ex peculiari Dei in eos quibus dantur electione proficisci negant, sed ex nescio quibus regulis providentiæ, rerum etiam corporalium & brutarum, quarum ne statutus ordo violetur, creaturæ rationalis perditio negligenda est. Ita dilectionem Dei augere satagendo, minuunt, ad omnes extendendo, contrahunt, & imperitè amplificando, suffocant. Et quæ tandem gratiarum actio quam tantopere commendat electis Augustinus, debebitur ab eis Deo, si nullum eis beneficium præ ceteris excellentius, ipsorum intuitu ac dilectione donatum est? Regulis enim providentiæ, quibus anseres & muscæ, vinum & oleum gubernantur, non peculiari sui dilectioni debent, si quid fortè fortuna in ipsorum caput ex manibus Dei lapsum fuerit, inter spargendum quaquaversum adjutoria. Sed absit, ut illud *divinæ severitatis & bonitatis æternum altumq; consiliũ*, illa sapientissima & beneficentissima voluntas in rationalis creaturæ salute procuranda, rerum naturalium regulis astringatur, atque inde gratiarũ divinarum distributio pendeat, cum Augustinus dicat: *Dei gratia non solum omnia sidera & omnes cælos, verum etiam omnes Angelos supergreditur.* Sed istud per digressionem dictum sit.

Vide Less. l. 4. de præd. & reprob. sect. 4. n. 45. & sect. 5. n. 51. & 52. & 57.

Lib. 2. ad Bonif. c. 6. Vide & lib. de dono pers. c. 12.

Vnum superest, quod adversus istam Dei providentiam opponi potest. Quid enim, inquies, opus est, ut Deus ad ista prædestinatis commoda procuranda reproborum opera cum A tanto eorum dispendio utatur, cum illa documenta quæ protulimus per lympidissimam sapientiæ lucem cordibus eorum sine creaturarum rationalium perditione posset infundere? Respondeo, altius esse istud consilium Dei, quam ut ab homine forsan investigari possit. Quamquam non importunè responderi possit, id quod Augustinus Pelagio reposuit, cum simili misericordia motus quæreret, cur Deus non potius ipsam superbiam sanaret, cum omnia sanare possit, quam ut ad eam comprimendam tot hominum peccatis uteretur: *Hoc utique*, replicabat Augustinus, *agit, ut sanet omnia, sed agit judicio suo nec ordinem sanandi accipit ab ægroto.* Ita planè Deus omnia suos electos docere potest, cum sint omnes docibiles Dei, & omnes itidem aliter exercere potest, sed agit judicio suo, nec ordinem docendi & exercendi accipit à discipulo, sed magistro. B Ipse judicat in hoc lapsorum hominum statu nihil esse convenientius, quam & sensibilibus exemplis eorum sensus adhuc carnales ferientibus, & luce simul divinitus affusa, mentis adjuvetur tarditas & pedetentim ruditas expellatur. Hoc enim in rebus etiam secularibus experimur, nullas aptius doctrinas, tenaciusque memoriæ commendari, quam quas proprij vel alieni commodi vel incommodi experientia comprobaverit; nulla beneficia gratius coli, quam ea quibus cum alij careant, ingentibus eos calamitatibus implicari cernimus. Quæ quidem tarditas mentis rationalis non est natura instituti hominis, sed pœna damnati: ex qua factum est, ut non solum per sensibilia doceri debeat, quod ei semper naturale fuit, sed quod sensibilia signa non sufficiant, nisi experientia insinuatæ veritatis, observatæ præmium, contemptæ pœna, seu propria seu aliena suffragetur. Qua de re C Augustinus adversus Iulianum: *Cur tanta mentis obtusio, ut etiam plagis erudiatur tarditas eius? Quousque Iuliane gravis es corde? Nunquid si nemo peccasset; si natura humana in qua condita est bonitate mansisset, etiam in paradiso ad istas homo miserias, ut alia taceam nasceretur?* Et in alio loco: *Cum qua enim vanitate nasci, non solum veridica scriptura qua plangitur, verum etiam laboriosa & ærumnosa cura qua eruditur, ostendit.* Hæc igitur humani generis miseria postulabat, ut illi quos reparandos in æternam vitam Dei gratia suscepisset, ex aliorum comparatione, quos in perditione relictos esse cernerent, multifariam multisque modis quos deduximus, docerentur, atque ita alterius videndo supplicium, quid sibi collatum esset ac liberatori suo deberetur, addiscerent. Cardinem istum divinæ providentiæ perspicaciter vidit, & in huius rei quam

Lib. de nat. & grat. c. 25.

Lib. 1. oper. imp. c. 62.

Ibid. c. 8.

rei quam tractamus declarationem luculentissimè divinissiméque Augustinus exposuit. Cùm enim quidam olim, quemadmodum etiam nunc, nescio qua misericordiæ perversitate, moleste ferre viderentur; quod Deus crearet eos quos malos futuros mansurosque esse præsciebat, respondet primum, non esse tales inutiles Deo, quia novit eos aliorum qui similiter lapsi sunt corrigendorum usibus adhibere: *Habent enim*, inquit, *& ipsi locum suum quem in rebus impleant pro utilitate Sanctorum. Quis autem sobriâ consideratione ducat, melius non crearet quem præsciebat ex alterius iniquitate posse corrigi, quam crearet etiam quem præsciebat pro sua iniquitate debere damnari? Hoc est enim dicere, melius non esset, qui alterius malo bene-utendo misericorditer coronaretur, quam esset etiam malus qui pro suo merito justè puniretur.* Et quia statim occurrere poterit, id quod hoc loco nobis objectum est, videlicet creaturam illam peccatricem quam Deus liberare statuisset, sine alterius supplicij cõparatione posse corrigi, & proinde non opus esse, ut alia quæ peccatura & punienda prævisa est, crearetur, aut iniquitatibus iniquitates cumulatura servaretur, respondet, homines qui ex perditione liberandi sunt, jam esse tales, ut aliter nisi alieno conspectu supplicio corrigi nequant: *Ita si excellentior est creatura illa rationalis, quæ sine ullius pœnæ comparatione, sine ulla superbia Deo subditur,* hoc est, beati Angeli, *aliqua vero in hominibus ita creata est, ut in se Dei beneficium non possit agnoscere, nisi alterius videndo supplicium, ut non altum sapiat sed timeat, id est non de se præsidat, sed confidat in Deum quis recte intelligens ducat talis esse ista, qualis illa* (in Angelis) *nec videat se nihil aliud dicere quam non esset ista, sed sola esset illa?* Itaque cum Apostoli verba protulisset, quod Deus in talibus malis hominibus vult ostendere iram ac demonstrare potentiam suam, eosque patienter sustinere, ut ostendat divitias gloriæ suæ, seu bonitatem in vasa misericordiæ, tandem subnectendo concludit: *Nimis itaque importunè dicitur, non essent quibus Deus tantam beneficentiam misericordiæ suæ tribueret, si aliter esse non possent nisi essent & hi, in quibus vindicta justitiam demonstraret. Cur enim non utrique potius essent, quando in utrisque & bonitas Dei & æquitas prædicatur?* Nimirum quia & reprobi, quamvis à seipsis habeant voluntatẽ malam, à Dei tamen bonitate & æquitate habent *& naturam bonam & justam pœnam; sibi debitum locum, alijs exercitationis adminiculum, & timoris exemplum.*

Lib. 11. de Genes. ad litt. c. 7. — *Ibid. c. 8.* — *Lib. 11. de Genes. ad litt. c. 8.* — *Ibid. c. 9.*

Cùm verò objiceretur iterum ab adversantibus, quod Deus etiam istorum voluntatem posset convertere in bonum, non respondet, ut nunc responderi solet, eum dare sufficientem conversionis gratiam, vel eos convertere quantum in se est, verum eum hoc *posse*, sed *nolle*; & hoc ipsum nolendo Deum providentissimè sese gerere, quia hæc ipsa severitas alijs in bonum cedit: *Puto*, inquit, *paulò ante satis nos ostendisse non parvi boni esse rationalem creaturam etiam istam quæ malorum comparatione cavet malum. Quod genus bona creatura utique non esset, si omnium* A *malas voluntates in bonum Deus convertisset & nulli iniquitati pœnam debitam infligeret, ac sic non esset nisi solum illud genus, quod nulla vel peccati vel supplicij malorum comparatione proficeret. Ita velut aucta numerositate excellentioris generis, ipsorum generum bonorum numerus minueretur.*

Ibid. c. 10.

Hic ergò tandem occurrebat objectio capitalis, esse igitur creaturas aliquas rationales, quæ alterius malo indigeant, ut corrigantur: *Ergò*, inquiebant, *est aliquid in operibus Dei quod alterius malo indigeat, quo proficiat ad bonum?* Quæ objectio eodem prorsus fundamento nititur quod supra diximus; quod Deus posset eis veritatem solà sapientiæ infusione persuadere, sine alienæ perditionis exemplo. Sed vide, quanta vi spiritus eam & orationis infringat, & illum divinæ gubernationis ordinem in creaturæ lapsæ natura fundatam esse declaret: *Itane obsurduerunt & excæcati sunt homines, nescio* B *quo studio contentionis, ut non audiant, quibusdam punitis quam plurimi corrigantur? Quis enim Paganus, quis Iudæus, quis Hæreticus non hoc in domo sua quotidie probet? Verum cum venitur ad disputationem inquisitionemque veritatis, nolunt advertere sensus suos homines ex quo opere divinæ providentiæ in eos veniat imponenda commotio disciplinæ: ut si non corriguntur, qui puniuntur, eorum tamen exemplo ceteri metuant, valeatque ad eorum salutem justa pernicies aliorum. Nunquid enim malitiæ eorum vel nequitiæ Deus auctor est, de quorum justa pœna consulit, quibus hoc modo consulendum esse constituit? Non utique: sed cum eos proprijs vitijs malos futuros esse præsciret, non eos tamen creare destitit, utilitati destinans eorum quos in hoc genere ita creavit, ut* AD BONVM PROFICERE NISI MALORVM COOPERATIONE NON POSSENT. *Si enim non essent, nulli rei utiq; prodessent, parumne boni est actum ut sint, qui certe illi generi utiles sunt: quod genus quisquis non vult ut sit, nihil aliud agit, nisi ut ipse in eo non sit?* Ecce quoties C repetit Augustinus esse aliquas creaturas, quæ *in se Dei beneficium* NON POSSINT *agnoscere, nisi alterius videndo supplicium*: quæ *aliter esse non possint* corrigendæ, *nisi essent & hi in quibus justitiam demonstraret*; quæ denique *ad bonum proficere nisi malorum cooperatione non possent.* Nempe quia tanta eorum est ruditas, tarditas, & in carnales sensus depressio post peccatũ, ex quo erigi debent, & proficere in bonum, ut nisi naturali rerum ordini vim perpetuam velit inferre Deus, non possint à miseria sua, nisi alienæ calamitatis consideratione & comparatione revocari. Quæ sanè ratio est, cur toties Augustinus istius comparationis utilitatem prædicet, inculcetque necessitatem. Nam inde est quod explicans istam comparationis necessitatem, ex peccato pullulasse, & in creaturæ lapsæ reparationem pulcherrimè adhiberi, in libris de Civitate Dei dicit: *Nunc verò omnis quidem humana natura per peccatum primi hominis in vanitatem de veritate collapsa est &c. sed non vanè Deus constituit omnes filios hominum. Quia & quos à vanitate liberat per mediatorem Iesum, & quos liberandos non esse præscivit ad utilitatem liberandorum & comparationem duarum inter se à contra-*

Ibid. c. 11. — *Ibid.* — *Lib. 17. de Civit. c. 11.*

itized by Google

contrario civitatum, non utique vana in totius rationalis creaturæ pulcherrima atque justissima ordinatione constituit. Hinc est quod in quæstione 2. ad Simplicianum dicit: *Intuere omnia opera altissimi, duo contra duo, unum contra unum, utique ut ex deteriorum comparatione eminentius proficiantque aliorum, quæ tamen per gratiam meliora fuer.* Hinc est, quod in Psalmos dicit: *Mirum est & verum quanto studio bona spei parvuli accendantur ad rectè vivendum comparatione peccantium. Quo mysterio agitur ut etiam hæreses esse permittantur: non quia ipsi Hæretici hoc volunt, sed quia hoc de peccatis eorum divina operatur providentia; quæ lucem & facit & ordinat, tenebras autem tantum ordinat, ut sit earum comparatione lux gratia, sicut hæreticorum comparatione iucundior est inventio veritatis. Ex quippe* A *comparatione probati manifesti fiant inter homines qui Deo noti sunt.* Hinc est denique, quod illius providentiæ non tantum utilitatem, sed & necessitatem, non solum jam ante uberrimè declaravit, sed etiam in superioribus sæpe tetigit, dum nonnunquam dicit, bonos dum adhuc infirmi sunt, *opus habere malorum permixtione*, ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat: aliquando eos qui liberantur *sic oportuisse liberari*, ut ex pluribus non liberatis ostenderetur &c. aliquando, quod *non appareret misericors gratia* redimentis, quod *lateret beneficium*, & similia quibus ostenditur, istum divinæ providentiæ modum esse naturæ corruptæ liberandorum prorsus consentaneum.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic. versus finem

In Psal. 9.

CAPUT XVIII.

Ostenditur injustitia querimoniæ contra istam sancti Augustini doctrinam.

Ex quo jam evanescit illa multorum, divina judicia non penetrantium, querimonia, qua Dei severitatem erga reprobos molestè ferunt. Non enim animadvertunt, quanta suâ iniquitate in damnatione constituti sunt, quanta Dei æquitate denegato ipsis gratuitæ liberationis beneficio, in damnatione relinquantur, quanta & quam multiplicia per eos præstetur liberandis documenta ac beneficia. Cur enim non mirantur Angelis peccantibus non pepercisse Deum, sed statim à commisso peccato rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidisse cruciandos? Cur non mirantur Deum parvulos non solum non liberasse, sed abrupto spatio clausoq; stadio liberationis, continuò ad inferorum pœnas ex hac vita rapuisse? Cur non mirantur dæmones etiam damnationis pœnam undique circumferentes, ad electorum documentum, & exercitationem & ad majus reproborum B supplicium adhiberi? Cum ergò de istis & similibus divinæ severitatis exemplis neq; mirandum, neque conquerendum esse fateantur, desinant mirari & conqueri adversus Deũ aut Augustinum, quod frequenter dicat, Deum *nolle* eos ex perditione *liberare, nolle* eis *subvenire*, nolle *eos salvos fieri*, & hominibus volentibus & festinantibus *nolle eis baptismum dari*, & similia, quibus voluntas Dei deliberata & fixa & immutabilis significatur, non liberandi eos illo postremo perfectæ liberationis beneficio, quotquot non sic liberandos esse judicavit. Desinant igitur consequenter mirari & conqueri, quod cùm eos confestim Deus ad suppliciũ, sine nota iniquitatis rapere potuerit, ac tandem rapere destinaverit, sinat illos tamen sine liberationis gratia diutius in hac vita in cupiditatibus varijs peccatisq; volutari, & merita suppliciorũ, supplicijs meritorũ cumulare. Nam & hoc ipso, quod ab ineunte ætate usque A ad decrepitam senectutem, reprobos nonnullos Deus in desideria cordis sui tradit, ut fidei & gratiæ prorsus expertes, faciant ea quæ non conveniunt, quisquis piè prudenterque de rebus istis cogitat, justissimam originalis iniquitatis pœnam esse videt. Nam sicut ex illa totum humanum genus confestim in pœnam damnationis præcipitari merebatur, ita etiam meretur, ut qui diutius ex eis viverent, per errores, amores, doloresque diversos tandem ad illud extremum cum desertoribus Angelis, vitiatoribus & possessoribus & consortibus suis, sine fine supplicium raperetur. Verissimum est quippe illud sanctissimi & profundissimi Doctoris pronuntiatum: *Ad iram Dei pertinet ista, quicquid cæca & indomita concupiscentia faciunt libenter, & mali quæ quid manifestis opertisque pœnis patiuntur inviti.* Sicut igitur nemo justè conqueri potest, quod infideles ante adventum Christi in profundissima idololatriæ cæcitate permiserit impiæ defectionis originalis, per innumera peccata, pœnas luere, & æterna magis magisque exaggerare supplicia, dum in hac vita interim ordinem seculi præsentis exornant; ita nemo justè murmuraverit adversus Deum, quod etiam post adventum Domini, reprobos in medio populi sui, quem cœlesti prædestinavit Civitati, oberrare, & peccata peccatis cumulare permittat, quibus beneficium liberationis à massa perditionis impendere non decreverit: sed potius magnopere gratulẽtur Deo, quod ex tam impia & inutili hominum perditissimorum societate, tam admirabilem seculi præsentis ornatum, tam magna multaque filijs suis prædestinatis documenta tradat, tam utile comparationis speculum ob oculos ponat, tam necessariam virtutum quarumlibet exercitationem exhibeat, tam multifaria corporis & spiritus adjutoria largiatur.

Videbet & similia fusè supra declarata ex Aug.

Enchir. c. 27.

Epilogus

Epilogus omnium.

ET ista quidem quæ hactenus ex Augustini mente, quantum eam Deo adjuvante capere datum fuit, de primi hominis gratia, & statu, & lapsu, de posteritatis ejus pœnis, de liberi arbitrij prostrati viribus & supplicijs, de pura natura, de damnatæ naturæ liberatione, de Christi Salvatoris medicinali adjutorio, de primæ & secundæ gratiæ differentia, de utriusque cum libero arbitrio concordia, de prædestinatione denique ac reprobatione hominum atque Angelorum disseruimus, nova multumque forsan miranda videbuntur eis, quibus antiqua, quia incognita sunt, etiam videntur nova. Nihil in eis eruendis aptandisque indulsi genio vel ingenio, ut ea in cujusquam invidiam concinnarem, nihil sententijs à me præoccupatis quasi abreptus tribui; sed filum doctrinæ cœlestis, ex omni parte sibi consonantis humiliter secutus, cum præoccupatis Theologicæ scholæ hujus temporis opinionibus perpetuo luctari coactus fui. Nec precibus ad Deum fusis peperci, nec laboribus multorum annorum pertinacibus, ut sensum sanctissimi Præsulis ac Doctoris assequerer; ne fortè vel defectu pietatis ab ostio inveniendæ veritatis repellerer, vel defectu lectionis diuturnæ ac sæpius repetitæ ac ponderationis omnium quæ undequaque consideranda videbantur, temerè ferrem de inventa quasi veritate sententiam. Vidi enim non paucos, nec exigui nominis Recentiores, qui se duces opinionum hoc tempore capitalium profitentur, incredibilem in modum ita lapsos esse, ut objectiones errantium pro solutionibus Augustini arripuerint, in illis capitibus doctrinæ, ubi de summa rerum agebatur. Paucis enim vacat, universam doctrinam ejus tantâ mole diffusam, tantis perplexitatibus impeditam volvere & revolvere, adhuc paucioribus libet, sine qua tamen animi obfirmatione & constantia, non posse profundissimi Doctoris hujus doctrinam sensusque penetrari, fidenter ac sine temeritate dixero. Nec verò mihi ipse arrogaverim, me nulla ex parte ab ejus aberrasse sententia. Homo sum, humanorum lapsuum periculis obnoxius: quæ sicuti cavi quantum potui, ita ignoscet Lector ubi non potui, ut & assidui laboris consideratio temeritatis labem auferat, & sinceritatis intuitus, errnadi simplicitati patrocinetur. Quod sicubi hallucinatus fuerim, hoc scio, me non in Catholica veritate, sed Augustini sententia asserenda cecidisse. Nec enim ego quid verum aut falsum, quid tenendum aut non tenedum in Catholicæ Ecclesiæ doctrina tradidi, sed quid Augustinus tenendum asseruerit ac docuerit. Quod si ejus obscuritas me fefellerit, maximi beneficij loco ducam, laborumque plurimorum compendium faciam, si quis aliud ex Augustini scriptis demonstraverit. Quod donec humiliter ac desideranter exspecto, quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis, non juxta meam, sed juxta S. Doctoris mentem pronunciavi, ex Apostolicæ Sedis Ecclesiæque Romanæ matris meæ judicio, sententiaque suspendo, ut illud jam nunc teneam si tenendum, revocem si revocandum, damnem & anathematizem, si damnandum & anathematizandum esse judicaverit. Nam quemadmodum istius Ecclesiæ ac Sedis mysterijs infantulus initiatus, & ejus fide cum lacte matris imbutus fui, & crevi, & adolevi, & senui, nec ab ea ad latum unguem, quod sciam, animo, aut facto, aut sermone deflexi; ita porrò ad extremum usque spiritum vivere, ac Deo adjuvante mori, divinoque judiciô sisti, mihi constitutum est; ut juxta sacratissimam ejus regulam, quæ à temporibus Apostolorum per successionem continuam Romanorum Pontificum per universum Orbem prædicata & credita est, referam à Dei misericordia aut justitia bonum aut malum.

FINIS.

ERRO-

ERRORIS MASSILIENSIVM ET OPINIONIS QVORVNDAM RECENTIORVM ΠΑΡΑΛΛΗΛΟΝ ET STATERA.

In qua discrimen utriusque sententiæ παραλλήλως indagatur, & compluribus notis perspicuè ostenditur.

PRÆFATIO.

In quo causa, & fructus hujus scriptionis; Propositio, & partitio dicendorum.

Sententias vestras prodidisse, superasse est. Hieron. Ep. ad Ctesiph.

QVIA hæreses novisse, refutasse est, ut jam olim rectè S. Hieronymus dixit, errorem totum Semi-Pelagianum, prout à Presbyteris Massiliensibus assertus fuit, articulatim, quasi anatomicè dissectum, Lectorum oculis duobus postremis libris de Pelagiana hæresi exposuimus: difficiliora quoque capita, ex quibus nervorum, venarum, artuum reliquorum textura nectitur, & vigor aut virus in totum corpus fluit, sigillatim & spatiim explicuimus & refutavimus: ut non difficilè Lector perspicax ex ijs ratiocinando deprehendere & concludere possit, quid de singulis commentis, quibus instructus fui, existimari debeat. Ex quo & alius fructus colligi poterit; ut de affinibus quibusdam opinionibus hujus temporis, faciliùs judicium ferri queat. Morborum enim veterum cognitio, non eam ob causam tantùm utilis est Medicis, quòd mentem rerum antiquarum disciplinis imbuat; sed in primis quòd ex similium aut dissimilium symptomatum serie, quæ nostrâ quoque ætate in corporibus sese manifestant, certi aliquid de sanitate eorum & ægritudine, de medicinis adhibendis prohibendisque statuant. Sed quia non est cujuslibet, symptomatum omnium, quæ in erroribus illis antiquis, & opinionibus novis apparent, similitudinem aut dissimilitudinẽ animadvertere, hinc contingit, ut antequam ad amussim singula excusserint, & contulerint, error ab eis non semel pro veritate capiatur, & tanquam error veritas fugiatur.

Cui malo, ut pro illa charitate, quam Ecclesiæ filijs fratribus meis infirmioribus debeo, remedium aliquod afferam, non abs re fore credidi, si examen instituerem erroris veteris Massiliensium, & opinionis cujusdam novæ, quæ hàc ætate viget. Duæ quippe sunt hoc tempore capitales opiniones de gratia & prædestinatione Sanctorum, quæ inter se de sancti Augustini sensu, ipsâque veritate magnâ contentione confligunt. Vna decretum in Deo ponit absolutum, quo certos sibi per Christum liberandos ex massa damnationis elegit ante omnem prævisionem operum sive meritorum, quos velit salvos facere, quosque ad salutem efficaci quadam gratiâ consensum ipsum secum afferente perducit. Alia ex opposito statuit, nemini adulto Deum decernere salutem ante prævisionem meritorum, nemini ulla merita ante prævisum consensum & cooperationem voluntatis ejus cum gratia: cujus quidem influxum esse talem tradit, ut sit in potestate voluntatis, eam efficacem vel inefficacem reddere pro suo beneplacito: esse quippe instar habitus subjectam voluntati, ita ut eâ uti vel non uti possit, eam efficientem aut cassam reddere,

Digitized by Google

reddere, ut visum fuerit. Opinio videtur à Ludovico Molina excogitata aut expolita; quam Lessius, Vasquez, & alij non pauci celebres Scriptores amplexi sunt è Societate Iesu: cui etiam ipsa, si Scriptori Societatis credimus, in publico Theatro totius orbis Romæ adversus Antagonistas patrocinata est: ut non immeritò Societatis opinio vocari possit. Nam ea de re Iacobus Fuligattus è Societate Iesu Auctor vitæ Eminentissimi Cardinalis Bellarmini: *Quam sententiam etsi aliqui, eò quòd ex unius privati Scriptoris nata ingenio erat, minimè censebant defendi debere à Societate universa: attamen ij qui tum præerant, aliter declararunt; tum quia nostrorum Professorum pars major in Academijs eam tuebatur; tum vero quia iudicabatur imprimis idonea ad nostri ævi hæreses pervincendas.* Lessius quoque de eadem ista sententia, quatenus gratiæ influxum tangit, in opusculo de gratia efficaci, dicit: eam *tenet Molina, & nostra Societatis Theologi.* Franciscus etiam Suarez, & alij plures, quamvis de Electione ad beatitudinem aliquid diversum ab istis dicant, ut propterea mediam quasi sententiam teneant, in modo tamen influxus explicando, quem habet gratia, nihil quod quidem spectet ad propositum nostrum, discrepant. Nam illa prædefinitio divinæ voluntatis, quam respectu operum ante prævisionem absolutam cooperationis humanæ voluntatis ipse ponit, modum influendi gratiæ, neque mutat, neque attingit. Vnde Lessius opusculum Suarez de auxilijs, *erudito Lectori ad rei intelligentiam abunde sufficere posse tradit*: Et ipse Suarez Molinæ opinionem profitetur *non esse falsam, sed diminutam.* Nimirum quia & ipse verissimū esse sentit, quod gratiæ efficientia à voluntatis nutu & cooperatione dependet, ita videlicet, ut ea quam tradit gratia, non sit aliud nisi adjutorium quoddam potentiale *sine quo non*; quod quantum ad usum ita sit subditum voluntati, sicut ipsa sibi potentia vel habitus ejus: & quod ipsa possit efficax in actu secundo, seu efficiens, vel cassum reddere. Q*uod*, inquit, *gratia congrua non sit, neque efficax, non aliunde quam ex eorum voluntate provenit.* Quibus similia frequenter tradit. Vnde Tannerus de sententijs istis, quantum ad istum articulum, judicium ferens dicit, *Fortè ad modum potius loquendi, quam ad rem ipsam pertinere* differentiam, quæ inter eas intercedit. Itaque juxta istum explicandæ gratiæ modum auctores isti liberum arbitrium cum prædestinatione & gratia tanta facilitate conciliant, ut propter facilitatis magnitudinem sententiam suam etiam veram esse concludant: *Quod tam facile ac perspicuè illa quatuor, ex capite præscientiæ media, cum arbitrij libertate cohæreant, signum est manifestum, nos integram legitimamque rationem conciliandi ea omnia tradidisse.* Et apertè profitentur non majorem esse difficultatem conciliandi *liberum arbitrium cum prædestinatione, quam cum præscientia*: quamvis quando à se amoliuntur Semi-Pelagiani erroris invidiam, rem facillimam & omnibus obviam intelligere non potuisse Massilienses, persuadere conentur. Atque istam quidem de concordia gratiæ & liberi arbitrij sententiam, ex unius hominis Molinæ ingenio natam, ille quem dixi Fuligattus non immeritò tradit. Nam ipse Molina ingenuè quodam loco profitetur: *Quia res est magni momenti, ac valde lubrica; & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divina prædestinatione,* A NEMINE QVEM VIDERIM, *huc usque tradita, ideò fatiùs hæc duxi paulò fusiùs explicare.* Augustinum verò *sub quasi caligine* constitutum non advertisse veram istam conciliandi rationem, ideoque *multos ex fidelibus mirum in modum turbasse sententiam suam.* Quòd si tamen hæc sententia sua de prædestinatione sancto Augustino ceterisque Patribus proposita fuisset, non dubitat, *quin unanimi consensu fuisset comprobata.* Ita vir de sententiæ suæ novitate candidè, & forsan verè. Sectatores tamen ejus cùm perpenderent, quicquid in hac materia novi extra sanctum Augustinum traditur, non minùs de falsitate, quàm novitate esse suspectum; eaque de causa invidiam difficulter ferre possent, quod in re tam lubrica & magni momenti sententiam afferrent, quam nec sanctus Augustinus, nec sanctus Thomas, nec sancti Patres ad Molinam usque tradidissent; summo conatu nisi sunt eam sancti Augustini pallio supponere, in eamque rem eò usque processerunt, ut eam opinionem, quam primus inventor ejus se suo ingenio peperisse gloriatur, ipsissimam Augustini mentem esse non dubitent; in quam proinde necesse est, imprudentem casu Molinam incidisse. Demonstrant hoc plerumque tam infeliciter, ut ijs qui Augustini principia paulò penitius imbibere, miseratione haud scio an indignatione digniores esse videantur. Tantopere quippe à vera sancti illius Doctoris mente discrepant, ut ad evertenda omnia ejus principia, quæ immobiliter adversus hostes gratiæ fundaverat, interpretationes eorum collimare crederes: atque ipse Augustinus, si reviviscerct, vix in eorum scriptis de gratia & prædestinatione, ullum vestigium doctrinæ suæ cælestis agnósceret; sed eam fortè in omnibus capitibus nobilioribus, imò in omnibus penè membris minutioribus, arterijs, atque venis, cum sententia à se repudiata consentire judicaret. Quod ne temerè dixisse videar, utriusque sententiæ varia pronuntiata παραλλήλως afferam, & in quo conveniant, differant, (in nonnullis enim differunt) se invicem superent, & superentur, ex Augustinianæ doctrinæ norma, quanta potuero sinceritate & veritate patefaciam.

Iac. Fuligat. è Soc. Iesu lib. 3. c. ult. vitæ Cardin. Bellarm.
Lib. de grat. efficaci c. 2. n. 9.
Less. in præfat. ad lectorem libri de grat. effic.
Suarez lib. 3. de auxil. c. 7.
Suarez lib. 3. de auxil. c. 15 n. 11.
Tanner disp. 6. de grat. q. 2 dub. 2.
Molin. q. 14. a. 13. disp. 53. memb. 2.
Less. lib. de præsc. sec. 6.
Molin. q. 23 a. 4. & 5. disp. 1. memb. ult.
Ibid. mem. 6. & mem. 11.

Proderit hic labor meus tam sapientibus quàm insipientibus, ut spero, plurimùm. Nam illi qui sciunt utriusque sententiæ convenientiam aut discrepantiam, habebunt in promptu utriusque testimonia verbis ipsorum Auctorum expressa: & in ijs ipsis, universam ejus anatomiam uni oculorum obtutui expansam: qui vero nesciunt, habebunt utrimque haud mediocre arripiendæ veritatis & fugiendæ falsitatis adjutorium. Ex quo & alia utilitas non contemnenda consequetur, quòd, quia quædā non satis maturè ponderata istius opinionis patronis imponuntur; & ab ipsis vicissim quædam tanquam Augustini sensa securè animoseque propugnantur, erroris invidia pariter & periculum dissipabitur. Itaque totum opusculum in quinque capita,

 quasi

quasi in generalia membra partiemur. Ex quibus declarabitur,

Primum, *Quo pacto in oppugnanda electione hominum, seu completa prædestinatione discrepent aut conveniant.*

Secundum, *Quomodo in oppugnanda gratia efficaci.*

Tertium, *Quæ sit inter gratiam ab utrisque traditam convenientia, aut discrepantia.*

Quartum, *Quid prædestinationi apud utrosque commune, quid proprium.*

Quintum, *Quibus utrique armis pugnaverint, quibus gradibus in illam sententiam lapsi sint.*

Studui, quantum licuit, brevitati, ut instar succincti compendij seu Commonitorij hoc opusculum esse possit multarum rerum, quæ sparsim & fusius in Augustino nostro ex Augustino disputata & prolata sunt. Quam ob causam ne eadem cum tœdio forsan repeterentur, ad ea loca istius operis latioris frequenter remitto, ubi latius discussa sunt: quæ ne pigeat, quæso, consulere, quisquis plenius forsan alicui difficultati satisfactum esse velit. Argumenta, quibus utrique veram Prædestinationem & Gratiam impugnant, profero tantum, non discutio, neque solvo; eo quod alijs locis in totius operis decursu hoc abunde præstitum sit.

CAPVT PRIMVM.

Quo pacto in oppugnanda Electione hominum, seu completa prædestinatione discrepent, aut conveniant.

NOTA I.

Vtrique ex horrore prædestinationis illius absolutæ, aliam sententiam excogitarunt molliorem.

AD primum igitur quod spectat, vera ratio cur Massilienses novam viam sibi aperiendam judicaverint, ad declarandam prædestinationem & gratiam Dei, non fuit alia nisi horror *propositi divini, seu constitutionis Dei humanæ prævenientis voluntates*: qua ipse definitum salvandorum numerum sibi eligit pro suo beneplacito. Si enim aiebant apud Prosperum, quod *utraque parte superfluus esset labor, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ulla negligentiâ possit excidere: quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit, accidere.* Sub hoc ergo prædestinationis nomine dicebant, *fatalem quandam induci necessitatem.* Qua de re videnda sunt quæ diximus latè libro septimo de Hæresi Pelagiana: ubi perspicuè per multa capita patefecimus, unicam causam erroris à Massiliensibus excogitati, esse fugam illius divinæ constitutionis, seu prædestinationis de salute hominum, quæ præveniendo eorum voluntates, alios ex massa eligit ad salutem, alios pro meritis damnando rejicit, prout placuit Creatori. Quod propositum à Deo intelligebant conceptum, præveniendo voluntates hominum, non solum de conferenda fide, sed etiam & maximè omnium, de ipsa æterna salute, seu beatitudine. Nam ideo conqueruntur, *sub incerta spe*, pertingendi scilicet ad finem totius stadij jam definitum, *cursum non posse esse constantem: cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio.* Ideo conqueruntur, quod *utraque parte superfluus labor futurus sit, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit excidere* à

Apud Prosp. in epist. ad Aug.

Ibidem. Vide lib. 7. de hæresi Pelag. c. 5. 6. 7.

A salute, quam ei dandam Deus definiverat. Hoc enim pacto doctrinam S. Augustini accipiebant. In quo utrum fortassis hallucinati sint, mentem profundi Doctoris non satis assequendo, an rectè senserint, alia quæstio est, de qua suo loco diximus. Hoc saltem constat, istâ veluti teterrimâ larvâ, quæ in Augustini scriptis esse videbatur, territos, aliam sententiam fabricandam suscepisse.

Idem omnino est lapsus offensionis illis recentioribus. Ægerrimè quippe ferunt id quod à multis traditur, Deum præveniendo voluntates hominum pro suo beneplacito, de æterna eorum salute & perditione, adeoque de omnis operibus eorum decernere, prout placuit Creatori. Itaque passim sententiam Augustini *duram* vocat Molina. Qua de re integros libros ipse, Lessius, & alij scripserunt. Vt enim B absurda vitent, quæ ex illa sententia videntur eis perspicue & magno numero sequi, gratiam quandam protulerunt congruam voluntati, cum qua operetur aut cesset, prout libet: & isti gratiæ prædestinationem congruentem, qua nihil Deus non solùm de æterna hominum salute, sed neque de fide, vel perseverantia, vel meritis, vel ullo opere bono hominibus largiendo quicquam statuit, nisi vel absolutè, vel certè conditionatè prævisâ singulorum voluntate. Vnde alicubi Lessius: *Modus electionis indicat modum intentionis: sed tota gratia præveniens, quam Deus prædestinatis præparavit, talis est, ut ea positâ opus bonum relinquatur libero arbitrio sic instructo, adeo ut tam facile sit illi se inclinare ad malum, vel omissionem eius, quam ad eius effectionem; sicut in Angelis & primo homine proportionaliter loquendo factum. Rursus gratia præparata electis non distinguitur à gratia reproborum, nisi effectu & cooperatione, quæ pendet a libertate nostra: atqui talis* C *præparatio mediorum non indicat intentionem Dei absolutam, sed conditionalem, sicut ostensum est in causa Angelorum.*

Lib. de præd. & reprob. sect. 5. n. 30.

NOTA

NOTA II.

Nasci ex ea fatum causantur.

CAusæ verò, cur illi quos diximus recentiores Scholastici tantopere propositum ipsum abhorreant, multæ profectò sunt, & eis valdè videntur graves: inter quas ista non postremo loco ab eis numeratur, quod hujusmodi prædestinatio salvandorum, non aliud quàm Gentilium *fatum* esse videatur. Hanc esse unam abhorrescentiæ suæ causam passim profitentur. Vasquez disputans de decreto talis prædestinationis, seu electionis: *Tale decretum non dubitarent Augustinus & Patres FATALE appellare, quod similem nolu necessitatem imponeret.* Augustinum nominat, quia sensum ejus non assequitur. Lessius: *Nihil videtur magis inducere torporem, mœrorem, & desperationis motus, quam persuasio illa, de omnibus & singulis absque ullo operum intuitu, tam firmiter esse statutum: & res omnes sic disponi, ut omnia eveniant, sicut absolutis illis, & INFLEXIBILIBUS ET PLUSQUAM ADAMANTINIS DECRETIS EST sancitum.* Cujusmodi decreta locis aliis nominant [a] *fatum*, [b] *fatum plusquam adamantinum*, [c] *fatum inevitabile*, [d] *fatalem necessitatem*, [e] *& vitam hominis fato alligatam esse.*

Vasq. 1. p. disp. 89. c. 10.
Less. de præd. sect. 6. n. 79.
a Less. de grat. efficaci c. 3.
b ibid. c. 16.
c ibid. c. 3.
d Molina q. 23. a. 4. & 5. disp. 1 mem. 12.
e Less. sup. c. 3 n. 12.

Eadem prorsus fuit querela Massiliensium, de eadem illa prædestinationis constitutione, quæ humanas prævenit voluntates. Vocabant enim eam fatale decretum, & fatalem legem: *Sub pietatis fronte*, inquit Faustus, *gentilitatis malum, & inter gratiæ vocabulum absconditum erit fatale decretum.* Et capite duodecimo: *Recedat hinc originalis definitio, vel fatalis.* Et de Massiliensibus Prosper: *Ea quæ de fato jactitant, neque ipsum quidem onerant* (sanctum Augustinum) *in cujus libris copiosissimè hujusmodi destruuntur errores.* Qua de re qui plura cupit, videat quæ libro septimo de Hæresi Pelagiana diximus.

Faust. lib. 1. cap. 4.
Cap. 12.
Prosp. Epist. ad Rufin. in fine.
Lib. 7. c. 8. & 9.

NOTA III.

Tolli libertatem arbitrij.

SEcunda horroris ratio est læsio libertatis, ut quæ per hujusmodi decretum prorsus pereat. Vrget eam Lessius vehementer, putans omnino per hujusmodi decreta, quæ ante omnem prævisionem futurorum gloriam & merita hominibus prædefinit, *Tolli perfectam libertatem*, sive homo decreta illa sciat sive nesciat. Et Molina: *Certè non video, quanam ratione patentissima libertas arbitrij nostri, quam experimur, quæque tam apertè in Scripturis sanctis traditur, cum divina prædestinatione ita explicata cohærere valeat.* Eundem interitum libertatis ex ista prædestinatione secuturum conficit Vasquez: quia, inquit, *omnino liberum non manet iis qui electi sunt, non consequi coronam, ac proinde libertas eorum læditur, & impeditur.* Quod ibidem exequitur latius. Gregorius de Valentia idem saxum volvit.

Vide Less. de præd. sect. 6. n. 17. & seq.
Molina q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. mem. 6.
Vasq. 1. p. disp. 89. c. 10.
To. 1. p. disp. 8. q. 23. punc. 4.

Massilienses etiam in ista eadem texenda querimonia præsultores fuerant. Ita Faustus in libris suis: *Apertè ostendit Paulus, statum hominis non pro constitutione Dei, sed pro arbitrij libertate posse versari.* Et alibi: *Dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædestinatione statuta & definita esse pronuntiat.* Sed de ista querela infrà pluribus, cùm ad gratiam, prædestinationis effectum, ventum fuerit.

Faust. lib. 1. cap. 12.
A
Ibid. c. 4.

NOTA IV.

Afferri desperationem.

TErtia abhorrendæ istius prædestinationis ratio est, quia talis Dei constitutio, quæ prævenit hominum voluntates, nihil aliud nisi desperationem quandam salutis afferre nata est. Quod incommodum tanquam gravissimum sæpius recentiores & vehementer inculcant. Nam Lessius de hujusmodi prædefinitione loquens: *Gravissima profectò est ista animi afflictio; & interdum tanta, ut homines ad desperationem, & mortem spontaneam adigat.* B Et in eodem libro alio loco: *Persuasio de absoluta electione, ante omnem operum prævisionem, nescio ad quid sit utilis, nisi ad licentiam vitæ, & desperationem.* Et mox: *Quorsum ista doctrina pertineret, nisi ad injiciendam hominibus desperationem?* Molina similiter queritur, *Quod hæc sententia occasionem præbet hominibus despondendi animo, ne dicam desperandi.*

Less. lib. de præd. præfat. ad Lector.
Ibid. sect. 3. n. 31.
n. 31.
Molina q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. membro. 6.

Fluxit & ista ex Massiliensium fonte querimonia. Nam apud Prosperum dicunt: *Ex utraque parte superfluum laborem fore, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit excidere. Quoquo enim modo se egerit, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit accidere, & sub incerta spe, cursum non posse esse constantem.* &c. De qua desperationis querela identidem Augustinus, & Hilarius ad Augustinum: *His sanctitatis tuæ verbis ita moventur, ut dicant quandam desperationem hominibus exhiberi.* Et Faustus: C *Quid enim ultra speret, quem tam gratia suum fecit? In quo è contrario non desperet, quem præfinitio violenta damnavit?* Ipsissimum videlicet, quòd in ista prædestinatione quam dixi, recentiores malè habet.

Prosp. ad Aug.
Aug. de dono pers. c. 17.
Hilar. Epist. ad Aug.
Faust. lib. 1. de lib. arbitr. cap. 4.

NOTA V.

Induci socordiam, torporem, & ignaviam.

PRæcedenti querelę vicina prorsus alia est; quòd ista de prædestinatione persuasio socordiam, torporem, ignaviam afferat hominibus Christianis. Quid enim laboret aut sollicitus sit, qui se prædestinatum, inquiunt, esse putet? Audi Lessium sæpè stomachantem; *Nihil videtur magis inducere torporem, mœrorem, & desperationis motus, quam persuasio illa de omnibus & singulis absque ullo operum intuitu iam firmiter esse statutum, & res omnes sic disponi, ut omnia eveniant, sicut absolutis illis, inflexibilibus, & plusquam adamantinis decretis est sancitum.* Et multo D superius: *Videtur planè hic modus electionis tollere omnem sollicitudinem bonorum operum, & salutis, &c. Rursus non est quod sim sollicitus de bonis operibus, aut perseverantia, quia hæc omnia mihi cum omnibus suis circumstantiis sunt decreta.* Et infra:

Less. de præd. sect. 6. n. 79.
Ibid. sect. 2. n. 14.

Digitized by Google

Ibid. Et infra: *Cur ergo sim sollicitus? Sit potius (ut humano more loquar) sollicitus ille, ut decreta ipsius impleantur.* Addit & ratiocinationem: *Vel sum de numero Electorum vel non sum* &c. & concludit utrimque nullam sollicitudinem adhibendam esse. Consentit & in refricanda ista querimonia Ludovicus Molina in loco quem citavimus: ubi dicit, quod *hæc sententia occasionem præbet hominibus segnius operandi.* Loco supra citato.

Idem ipsum & Massiliensibus permolestum fuit. Nam ideo dicunt apud Prosperum, *hoc propositum vocationis & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre*: quod est ipsissimum istud, quod Molina dixit. Et causam addunt, quam jam supra dedimus, *Eo quod utraque parte superfluus labor sit* &c. *Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit accidere.* Nonne est illa ipsa Lessij ratiocinatio? Et uberius: *Removeri itaque industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.* Vnde & Faustus dicit, in illa sententia *illustres viros per quietem & desidiam coronari.* Prosp. Epist. ad Aug. Lib. 1. c. 11.

NOTA VI.

Studium virtutis retundi.

SIcut autem in animo sollicitudo, ita in opere conatus omnis ex ista electionis persuasione retundi videtur. Inculcant & istud incommodum in hac sententia recentiores aliquoties. *Omne studium*, inquit Lessius, *bonorum operum eluderetur.* Et alibi: *Nullâ incuriâ excides; nullâ diligentiâ intrabis.* Less. de præd. sect. 2. In præfat.

Et hoc ipsum ex Massiliensibus desumptum est, qui conquerebantur, quod *si aliud habeat prædestinantis Electio, cassa sit annitentis intentio.* Et in eadem Epistola dicunt, quod *superflua erit industria & laboris indictio, cuius studium cessante Electione frustrandum sit.* In Epist. Prosp. ad Aug. Ibid.

NOTA VII.

Incitari homines ad licentiam ac dissolutionem vitæ.

QVod si homines à studio laboris ac virtutis ista sententia retrahere eis videtur, non minus justè se conqueri putant, quod ad licentiam ac dissolutionem vitæ potenter incitet: Qua de re ita Lessius: *Audivi multos doctissimos & optimos viros eam* (sententiam de electione ante prævisa opera hominis) *hoc nomine graviter accusare, quod metuerent sibi effrenem vitæ licentiam, si eam in animum demisissent.* Et ibidem, quod expensa ista sententia *pareret scandalum & vitæ licentiam.* Vrget istud incommodum pressè Gregorius de Valentia hoc syllogismo: *Si prædestinatus sum quicquid hoc tempore faciam, certissimè tandem salvabor. Consultum igitur erit perfrui quibuscumque potero voluptatibus. Si autem non sum, similiter etiam quicquid iam faciam, certissimè tandem condemnabor. Fruar igitur iam quibus potero voluptatibus* &c. Less. lib. de prædest. sect. 2. ratione 10. Ibid. Disput. 1. q. 23 in 1. parte punct. 4. in Coroll.

Sed ista quoque querimonia ex illa ipsa Massiliensium officina prodijt, unde etiam Gregorius de Valentia & socij ejus didicisse videntur. Commemorat enim ipse in eodem loco Monachum quendam simili argumentatione commotum ex Augustini Monasterio, teste ipso sancto Augustino, velut canem ad vomitum, ad sæculi voluptates esse conversum. Vbi memor esse debuisset, sanctum Augustinum ibidem adversus Massiliensium similem syllogismum prædestinationi à se traditæ objectum acriter disputare: *Ista cùm dicuntur*, inquit Augustinus, *ita nos à confitenda Dei vera gratia, & à confitenda secundum eam prædestinatione sanctorum, deterrere non debent: sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos.* Lib. de bono pers. c. 15.

NOTA VIII.

Laudem detrahi operibus bonis.

DEinde etiam illud in hac sententia prædestinationis istius molestè ferunt, quod omnis laus ab operibus bonis tolleretur, quæ tam omnipotenti Dei voluntate hominibus ex vi prædestinationis decreta sunt. De justis dicent, inquit Lessius: *Quid mirum, si isti bona opera fecerunt, si perseveraverunt, si salvati sunt? Deus enim illos præ cæteris absolutâ voluntate ad gloriam selegit: Deus omnia & singula eorum bona opera cum omnibus suis circumstantijs, & perseverantiam in gratia ante omnem prævisionem futurorum prædefinivit. Quid laudis habet talia bona facere, quæ spectato Dei decreto, impossibile erat omittere?* Et alibi contendit per istam electionem & operum præfinitionem derogari: *Laudi & gloriæ sanctorum, quæ in eo sita est, quod absolute potuerint transgredi, & omittere bona quæ fecerunt, & tamen non sunt transgressi, ut Ecclesiastici trigesimo primo dicitur. Parva enim videtur laus facere bona, quæ tantis decretis, & tanta providentia cura sunt præparata & vallata, ut absolutè omitti nequeant.* Quæ querela ex ista tacite nascitur, quasi libertas arbitrij ex Dei prædefinitione læderetur. Antiqua & raucida est etiam ista objectio. Lib. de præd. sect. 2. n. 13. Ibid. n. 17.

Quæ jam olim in Semi-Pelagianorum adversus prædestinationem luctantium solo nata fuit. Sic enim Faustus, quo nemo molestius ejus immobilitatem tulit: *Erga hominem nostrum non poterimus laudi conferre palmam, si volumus necessitate servare naturam.* Præmiserat enim paulo superius: *Cui natura prima ista sit laudis occasio, ut peccare possit & nolit.* Ex prædestinatione enim necessitatem nasci, & libertatis istius indifferentis interitum, eodem modo, ut recentiores, æstimat, & non semel docet, ut infra cum de gratiæ efficacis incommodis loquemur, ostendendum est. Faust. lib. 1. cap. ult.

NOTA

Digitized by Google

NOTA IX.

Orationes refrigescere, aut extingui.

NEc minus malum ex parte orationum, quas frequentat Ecclesia, recentiores ex ista prædestinatione, quæ voluntates hominum antegreditur, sequi putant. Illas enim vel frigidas fore, vel extinctum iri, si vera est illa sententia, arbitrantur. Qua de re Vasquez in illa citata disputatione octogesima nona in primam partem adversus electionem istam ante prævisa opera: *Frustra diceremus: Adveniat regnum tuum, si illud consequi aut amittere in nostra positum non est libertate, nec ex nostra oratione ullo modo pendet.* Sed umbram suam timet, quasi verò nihil à libertate vel oratione nostra penderet, quod à Deo ut fiat constitutum sit. Eodem quippe modo ratiocinabantur Massilienses, prout ipsemet in eodem loco testis est, hallucinando putans alio se, aliò Massilienses collimasse, ac diversam ideo utrorumque esse rationem. Illos tamen hujus querelæ ingeminandæ auctores & præceptores sibi fuisse adjiciendo testatur: *Sic inferebant Massilienses*, inquit, *contra Augustinum, dum de electione ad gratiam esset sermo.* Quod quamvis esset verum, nihil fertilitati illius querimoniæ officeret. Sed quid Faustus potidissimus ille Semi-Pelagianus? Nonne contra totam prædestinationem ad æternam vitam, tanquam immobili decreto & nullius orationis instantiâ violabili firmatam, eandem querelam recentioribus iterum iterumque tecequendo præcinuit? *Quid orare homini proderit, in una harum duarum conditione omnimodis constituto? Nam etsi ad quam partem fuerit deputatus ignorat; utramque tamen partem defixam & immutabilem non ignorat.* Et infra: *Alterutrum ergo faciat, aut fructum orationis neget, aut legem statuta perditionis excludat.* Et iterum paulo post: *Qui unum in origine perditum, alterum in prædestinatione affirmat electum, vide quò improba persuasione declinet. Quid enim aliud dicit, nisi quod adjutorio orationis nemo indigeat?* Causam accipe ipsissimam illam Vasquez: *Nam iam præordinatis ad vitam oratio necessaria non erit, deputatis ad mortem prodesse non poterit.* Quod adhuc latius prosequitur, & aperto marte sententiam sancti Augustini de prædestinatione, qua pro ejus beneplacito, alij ex origine damnati ad æternam mortem, alij ad vitam deputantur, eodem illo à Massiliensibus intorto telo quatit.

Vasquez, disp. 89. in 1. p. cap. 10.

Ibid.

Faust. lib. 1. de lib. arbit. cap. 4.

NOTA X.

Spem impetrandi tolli ex incertitudine divini illius propositi.

ET quia oratio nititur spe impetrandi, ipsam quoque spem obtinendi dona quibus homines salvi fiunt, funditus ex animo tolli recentiores putant; eò quod incertum sit, an & cui Deus illa, præveniendo voluntates hominum, donare constituerit. Non enim videtur esse sapientiæ, confidere te acceptu- A rum gratiam, aut auxilium, quod incertum est, utrum alter dare velit. Itaque Lessius: *Quomodo omnes possunt & debent firmissimam spem in Dei auxilio reponere, cum omnino sint incerti, an Deus illis illud auxilium præordinaverit? Non enim possum firmam spem ponere in eo auxilio, quod an mihi præparatum sit, ignoro. Fatuum esset & stultitiæ, qui firmam spem poneret in auxilio & suppetijs incertis.*

Less. lib. de gratia effic. cap. ...

Ipsissimo isto scrupulo de incertitudine voluntatis Dei laborarunt Massilienses, eoque pressi prædestinationem Augustini repulerunt: *Nec ad incertam voluntatem dedi ei se volunt*, inquit Hilarius ad Augustinum. Et Augustinus ipse cum se mirari dixisset, homines *infirmitati sua se malle committere, quam firmitati promissionis Dei*, Massiliensium scrupulum & verba sibi refellenda proponens: *Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei:* quibus B continuo reponit: *Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipso certa est, nec times? Qui stat, videat ne cadat. Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit?* Et in libro de dono perseverantiæ Massiliensium timorem simillimum illi, quem paulo ante expressit Lessius, à prædestinatione abhorruisse testatur, eo quod vererentur, *ne plus desperatio, quam exhortatio videretur afferri, dum cogitant qui audiunt, INCERTUM ESSE HUMANÆ IGNORANTIÆ, cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.*

August. lib. de præd. SS. cap. 11.

Lib. de dono pers. c. 17.

NOTA XI.

Exhortationes, & correptiones languescere, & auferri.

NEc orationes tantum nostras pro nobis ipsis inanes effici, sed etiam exhortationes & correptiones, quibus alios ad bo- C num incitamus, aut revocamus à malo, prorsus languidas fieri, & extingui criminantur. Hinc Lessius adversus ista decreta Dei, quibus absolute ante prævisionem operum aliquis beandus constituitur, concludit neminem verbis Apostolicis ad patientiam excitantibus multum excitandum esse, si de absolute electis intelligantur: *Diceret enim*, inquit, *quisque fidelium: Ego sum iam vocatus, & iustificatus; absolute mihi decreta est gloria; quid opus ut multum patiar in posterum? Non enim possum frustrari eo, quod mihi absolutè ante omnem operum prævisionem est præparatum.* Et simili sensu tradit multis interpositis, electos solos insulsè Apostolicâ exhortatione compellari: *Quia non solum frigida, sed etiam insulsa esset talis exhortatio: Estote patientes in persecutionibus, quia ille omnes cedent vobis in gloriam, si estis ex illis absolute electis ante operum prævisionem.* Sed insulsi medici est, etiam bonum D medicamentum præposterè applicare, sicut hic auctor facit. Nam quo pacto hujusmodi exhortationes ad omnes fideles tanquam electos non insulsè, sed aptissime dirigantur, ac dirigendæ sint, Augustinus præclarè tradit: prout nos etiam in libro decimo de Gratia Christi Salvatoris diximus.

Less. de præd. sect. 3. n. 5.

Aug. lib. de dono persev. c. 13.

Vide lib. 10. cap. ...

Sed

Sed iam advertat lector quam accurate questus illos de exhortatione per prædestinationem refrigerata recentioribus Massilienses præformaverint: *Nam si sic prædestinati sunt,* [Hil. Epist. ad Aug.] inquiunt Massilienses apud Hilarium querelas eorum exponentem Augustino, *ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?* Et Prosper ad Augustinum scribens: [Prosp. Epist. ad Aug.] *Nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant.* Et apud Augustinum eorum verba sibi refutanda proponentem, [Aug. lib. de dono persev. c. 15.] *Neminem*, inquiunt, *posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alij &c.* Itaque Prosper sciens esse imperitorum hominum inanes voces, & levi flatu Augustini dissipandas, movet ei quæstionem: [Prosp. ibid.] *Quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, nec occasionem negligentiæ habeat, si se prædestinatos esse desperent.*

NOTA XII.

Sollicitudinem ac zelum animarum evelli.

EIusdem farinæ est & alia querimonia recentiorum, quod per istam sententiam non solú vigor exhortationibus & correptionibus, sed etjam sollicitudo & zelus lucrandis animabus impendendus ex hominum pectoribus tolleretur. [Less. de præd. sect. 2. n. 15.] *Videtur*, inquit Lessius, *tollere zelum animarum. Si enim omnes salvandi ante omnem prævisionem, sunt iam absolute electi & præfiniti, cur de illorum salute sim sollicitus? Nam etiamsi ego quiescam, æque bene omnes illi & soli salvabuntur* &c. Et similia plura in hanc sententiam contexit.

Sed audi similes apud Augustinum querimonias: [Aug. lib. de Cor. & grat. c. ult.] *Non argumentemur contra ista præcepta,* quærendi salutem proximorum per correptiones, hortationes, excommunicationes, &c. *salubremque terrorem dicentes: Et corrumpant bonos mores colloquia mala; & pereat infirmus, quid ad nos? Firmum fundamentum Dei stat: & nemo perit, nisi filius perditionis:* hoc est, prædestinatio electorum firma & immutabilis est, & qui perierit, jam olim perditioni prædestinatus est. Audi jam Lessi & quisquis hujusmodi argutias refrigerando zelo alienæ salutis tibi prætexis: *Absit ut ista garrientes securos nos in hâc negligentiâ esse debere credamus.* Quod pluribus ibidem agit. Et ista quidem objectio non in isto libro quidem à Massiliensibus Augustino proposita fuit, sed Prosper testis est, Augustino loquens: [Prosp. Epist. ad Aug.] *Quicquid in libro hoc* (de correptione & gratia) *ex contradicentium sensu sanctitas tua sibi opposuit, hoc totum ab istis sanctis* (Massiliensibus presbyteris) *intentiosissime,* fortè, contentiosissime, *conclamatum fuisse.*

NOTA XIII.

Deum non velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.

SEd adhuc contexunt graviora, non modò adversus homines, sed etjam adversus ipsum Deum, quem multis quoque modis, quemadmodum & Massilienses reprehendi posse murmurant. Et primo quidem apertissime arbitrantur sequi, quod *Deus non velit omnes homines salvos fieri*, sicut Apostolus docet. *Hic modus*, inquit Lessius, [Less. de præd. sect. 2. nu. 4.] *electionis non videtur satis consistere, cùm sincera voluntate salvandi omnes homines, maxime fideles; neque cum illo amore, & illâ curâ, quâ omnes ad salutem excitat, quæ Scriptura tantopere commendat.* Quod fusè tractat & exaggerat. Nec segnius Molina hoc ipsum agit: [Mol. q. 23. a. 4 & 5. disp. 1. memb. 8.] *Certe si is fuit modus prædestinationis quosdam adultos, non item alios, qui ex horum auctorum sententiâ iuxta suas præfiniones relatum est, non video quâ ratione verum sit, Deum velle omnes homines salvos fieri, si per ipsos non steterit.*

Eadem ista decantatissima Massiliensium & Pelagij & omnium Pelagizantium cantilena adversus eandem absolutam prædestinationem fuit. Nam in objectione octavâ, quam isti Galli Prospero & Augustino impegerunt, clamitant, *quod* in Augustini sententiâ, [Obiect. 8. Gal. apud Prosp.] *non omnes homines Deus velit salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.* Et in Epistolis ad Augustinum scriptis eadem tacite refricatur. Vnde sanctus Prosper Massiliensium & simul recentiorum objectionem propter falsitatis & absurditatis evidentiam quasi irridens: [Prosp. Epist. ad Ruffin.] *Et ubi est illud, quod nobis quasi contrarium à non intelligentibus semper opponitur, quod Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Probat itaque duobus istud capitibus præbere latus, & ex parte adultorum, qui à præteritis generationibus usque in hoc tempus, sine Dei cognitione perierunt; & ex parte parvulorum quorum plurimi sine baptismo pereunt: *Numquid*, inquit, *non sunt de omnibus hominibus* &c.

NOTA XIV.

Christum non pro omnibus esse mortuum, nec omnium redemptorem esse.

ADdunt aliud sequi non minus impium, quam præcedens, Christum non pro omnibus esse mortuum, nec omnium hominum fore redemptorem. Vnde Molina probat, [Mol. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 8.] Deum omnes omnino homines velle salvos fieri, quia *Christus omnibus in redemptorem datus est:* hoc ipso indicans, non fore datum in redemptorem omnibus, si Deus nollet omnes omnino salvos fieri, sed eos dumtaxat, quos pro suo beneplacito absque operum respectu ad vitam delegisset. Et Gregorius de Valentia inter cetera absurda ex istâ sententiâ consectanea reponit, [Disp. 1. q. 23. punct. 4. prob. 6.] *ut Christus non pro salute omnium omnino hominum mortuus sit, vel certe Deus iniustus sit.*

Expressa

Expressa est ista criminatio Massiliensium verbis, hoc ipsum ex Augustini prædestinatione sequi, invidiosissimè conclamantium. Objectio enim Gallorum nona erat: *Quòd non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.* Et prima Vincentiana: *Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.* Imitatus est eam infeliciter Faustus, qui Christum pro omnibus mortuum esse, adversus quorundam prædestinationem ad vitam, invidiosissimè premit.

Faust. lib. 1. cap. 16.

NOTA XV.

Deum futurum acceptorem personarum.

ACcedit, quòd, Gregorio de Valentia judice, Deus esset acceptor personarum, si non nisi certos absque operum prævisione ad vitam prædestinasset: *Si in hominibus*, inquit, *ut à Deo prædestinentur, non requiritur pia cooperatio, quæ à Deo tanquam effectus unus prædestinationis fuerit præscita; Deus, quod absit, esset aliquo modo acceptor personarum, quòd non omnes prædestinet.* Et mox addit quod illud beneficium omnibus ex justitia propter merita Christi deberetur.

Loco statim cit. punct. 7.

Hæc, fateor, querela non est à Massiliensibus profecta, quod sciam; sed Pelagianis propria fuit, & non semel adversus Augustinum vibrata. Sed Massilienses tanquam peccati originalis, atque universalis damnationis inde consecutæ conscij, probè noverant liberationem à damnatione nemini prorsus esse debitam: sed esse maximè gratuitæ misericordiæ beneficium. Prout autem executioni per dona gratiæ mandatur, etiam sic respectu liberandi aut liberati esse prorsus gratuitam; nec alios Christi meritis deberi, quàm quos Pater ei salvandos dedit, pro quibus etiam salvandis, *non pro mundo rogavit*, & pretium redemptionis obtulit. Vnde puduit ipsos falsam & putidam Pelagianorum vocem ab inferis revocare: quò magis profectò mirum est, virum Catholicum, quem fides imbuerat, omnes ex uno in condemnationem lapsos esse, nec nisi gratuitâ gratiâ inde liberari, in hac re personarum acceptionem, & injustitiam Dei adversus Christum somniare potuisse.

NOTA XVI.

Peccata reproborum Christianorum in Deum redire.

SEd adhuc magis immania proferunt secutura contra justitiam Dei: nempe peccata reproborum Christianorum quibus à justitia cadunt, & extra felicissimum prædestinatorum numerum ruunt, in Deum reditura: eò quòd ipse, insidias hominum saluti struendo, curaturus sit ne vel lapsi redeant, vel ut stantes cadant; ne alioquin decretæ prædestinationis immobilitas & certitudo violetur. Itaque Gregorius de Valentia ex isto prædestinationis modo infert: *Deum reddere quantum ex se est, impossibilem salutem ijs hominibus, quos non*

Disp. 1 q. 23 de prædest. puncto 4. Coroll. 5.

A *prædestinat.* Disertius exequitur querelam illam obsoletam Lessius: *Sicut ad providentiam Dei pertinet, ut salvetur numerus sic electorum: ita ad eandem pertinere videtur, ut alij, qui ab illa electione sunt exclusi, non fiant salvi: quia alioquin posset fieri ut aliquis ex illis in numerum illum intraret, quod est absurdum. Quare cùm ex tam immensa multitudine nemo salvetur, signum est, id aliqua particulari providentia provisum.* Et inferius exprimit veluti ratione nixas impiorum voces: *Ipse nos implanavit, ipse nostræ saluti insidiatus est; ipse eam nobis impossibilem reddidit; alioquin qui fieret, ut ex tam immensâ multitudine nemo salvus fieret?* Et alijs in locis aliquoties repetit, quod in isto prædestinandi modo, qui fit ante prævisa merita, *ad providentiam Dei pertinet curare, ne non electus in numerum illum intret; & impedire, ne salvetur.* In quibus imaginationibus iste auctor tantopere sibi placet, ut quæ ante oculos sunt, non videat; non esse videlicet opus, ut quemquam B Deus impediat, quemquam impellat, quemquam deturbet è justitia, quemquam arceat, ne irrepat in numerum electorum, ut ipse loquitur: sed opus esse, ut ipse petenti gratiâ mortuum suscitet, infirmum roboret, justum teneat, diabolum comprimat, & opitulatricem manum diu noctuque adhibeat: alioqui, veluti dux in præceps, mox suopte propriæ infirmitatis pondere deorsum in peccata ruiturus est. Sed istiusmodi chimericæ phantasiæ ex ista congruarum & incongruarum gratiarum assidua dispersione cogitandi libertate fabricatâ, proficiscuntur.

Less. de præd. sect. 5. rationes.

Ibid. n. 8.

Less. Sect. 5. n. 61. & n. 58. & 59. & n. 51.

Sect. 5. n. 58.

In quibus profectò comminiscendis Massilienses ante se architectos isti recentiores habuerunt. Nam & illi apud Augustinum querebantur, ex ejus prædestinatione sequi, quòd *qui obedirent, si prædestinati non essent rejiciendi, subtraherentur obediendi vires, ut obedire cessarent.* Quod C & Galli apud Prosperum repetunt: *Quòd quibusdam vocatis, & piè justèque viventibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.* Nonne est ipsissimum illud, quod Lessius dixit, *insidiari Deum ipsorum saluti*? Et quod Vincentius apud eundem Prosperum clamat: *Quod hac sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit*; nonne id ipsum est, quod dixit Lessius, Deum impedire ne salventur, providere ne salvi fiant, reddere salutem impossibilem? Et quod in alia objectione dicitur: *Quòd velit Deus, ut magna pars sanctorum à sanctitatis proposito ruat; quod velit, ut magna pars Catholicorum à fide apostatet*; nonne est illud, quod Lessius intulit, dici posse Deo: Ipse nos implanavit? Ita nihil pænè tam absurdum à Massiliensibus excogitatum est, quod non vel imprudentes, vel etiam prudentes isti sibi vendicarint.

Apud Aug. lib. de dono persev. c. 15. Obiect. 12. Gall.

Obiectio 7. Vincent. apud Prosp.

Obiect. 8. & 9. ibid.

NOTA XVII.

Homines condi, ut pereant.

D NAm etiam istud sequi arbitrantur, quod Deus homines condat, ut pereant. Sic enim Lessius: *Addo in hac sententia difficile esse explicari,*

explicare, quomodo maxima hominum pars non sit divina potestate prædestinata ad malum, & creata, ut pereat. Quod latius tum ibi, tum inferius declarat, ostendendo parum interesse ad praxim, sive dicatur positive reprobari, quod hæretici nostri volunt; *sive negative, si æque infallibiliter sequatur damnatio.*

Sed ista querela proprijs Massiliensium verbis expressa est, qui objiciunt Augustino apud Prosperum: *Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternũ.* (1. Vinc.)

NOTA XVIII.

Errorem Prædestinatianorum verum futurum.

ADdit ad ista gravius aliquid Gregorius de Valentia, quod sequeretur ex ista sententia error Prædestinatianorum, *qui ita, inquit, nominabantur, propterea quod dicerent, nihil bona opera ad salutem prodesse prædestinatis, quasi non essent salvi futuri absque illis. Quod recte videtur sequi, si ante omnem respectum ad opera, firmum de æterna salute sit decretum. Tunc enim ex vi eius firmi decreti fierent salvi, quamvis pie non operarentur.* (Disp. 1. q. 23. de præd. punc. 4. … 8.) Sed non advertit, Prædestinatianos illos, quos vocat hæreticos, non alios esse, quam Augustinum, Prosperum, & sectatores eorum, imo Catholicam Ecclesiam, cujus doctrinam de prædestinatione Massilienses calumnioso dicterio hæresim Prædestinatorum, sive Prædestinatianorum esse dictitabant. Vnde primus omnium Gennadius Massiliensium non postremus illos in hæreticorum catalogo collocavit. Quâ de causâ etiam Faustus, ubi apertissimo marte sancti Augustini doctrinam nititur proterere, capita sententiarum ejus, tanquam hæreticorum dicta, vellicat & oppugnat. Quâ de re cui plura videre libet, videat ea quæ fusè de Prædestinatianis libro postremo de hæresi Pelagiana disseruimus. (Lib. 8. c. ult.) Gregorius igitur si observasset se Massiliensium obsoletas adversus Augustini doctrinam refricare querimonias, paulo timidius forsan ad eorum verba confugisset, quorum sensus ei probari videtur. Atque ista quidem sunt potissima querelarum capita, quas eodem modo adversus prædestinationem presbyteri Massilienses & nostri recentiores ingeminant. Eas vero tanquam adversus prædestinationem, quæ præscientiam operum, seu humanæ cooperationis supponit, fusas comminisci, quasi ex ea sequeretur, homines ad perditionem condi, quorum peccata in Deum redeant; Deum non esse redemptorem omnium, acceptorem esse personarum, sollicitudinem, zelum, correptiones, exhortationes, spem, orationes, libertatem arbitrij, studium virtutis funditus tolli; desperationem, torporem, socordiam, dissolutionem ac licentiam vitæ, denique fatalem afferri vitæ humanæ necessitatem, insipientiæ profecto singularis est, tam in eis qui hoc de Massiliensibus acutis viris fingere potuerunt, quam in eis, de quibus hoc persuadere conantur. Delirum est enim aliquid hujusmodi de tali prædestinatione somniare, cujus decretum omni ex parte in hominis potestate constituitur; insanum vero, istas ab eis profundi posse querimonias, qui ultro plena voce & professione protestantur se, *prædestinationem secundum præscientiam* recipere; se illos ponere prædestinari atque eligi, *quos Deus præsciverit credituros*: denique qui disertis verbis dicunt: *Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* (In Epist. Prosp. Hilar. in Epist. Faust. lib. 1. c. 3.) Quid ergo recentiores hujusmodi prætextus comminiscendo aliud faciunt, quàm suæ causæ imbecillitatem produnt, quæ talibus fulcris sustentari debet, ut cum aliquo colore, aliam à se prædestinationem defendi, aliamq; oppugnari, quàm à Massiliensibus defensa & oppugnata fuit, hominibus quoquo modo videatur. Quod si tamen ita se res habet ut Massilienses prædestinationem Lessij, Vasquez, Molinæ; gratiasque sufficientes & congruas, quas tum ipsi, tum ceteri tradunt, & ab Augustino traditas fuisse arbitrantur, tam invidiosis vocibus pulsaverint; quid causæ est, cur eisdem querimonijs nunc nemo adversus ipsos utatur? Nemo ipsorum sententiam in tot portentorum invidiam vocet? Cur nullus queritur, Lessium, Molinam, Vasquez prædestinatione sua, unàque cum ceteris gratiæ suæ prædicatione studium virtutis infringere? Libertatem, sollicitudinem salutis, exhortationes, orationes, animarum zelum tollere? Fatum, mœrorem, socordiam, dissolutionem, desperationem afferre? Cur nunc, mutatâ velificatione, omnia contraria symptomata de ista sua tanquam Augustiniana gratia & prædestinatione prædicant? An ita repente omnia commutata sunt ut quod tunc atrum; nunc album sit? Vt quod tunc intellectu, fatente Augustino, difficillimum; nunc facillimum dici debeat? Quod tunc torporem, mœrorem, horrorem, desperationem, licentiam vitæ, fatalesque necessitates animis ingerebat; nunc è contrario, tanquam solatio & spe plenum, castigandis fluxis moribus efficacissimum, libertati omni ex parte congruum, sanandis mœroribus ac desperationi remedium præsentissimum commendandum sit? Quod tunc ab incerta de voluntate pendere; nunc totum in hominis potestate constitutum esse videatur? O rerum insusitatas metamorphoseis Ovidianis profecto mirabiliores! Sed nimirum durum telum necessitas. Sic enim, cum in illas sententias bono studio, sed non satis cauto, incidissent, tota scena subinde concinnanda fuit, ut & caliginosus Augustinus, & bruti Massilienses fuerint: ne forte, si illam veram Augustinianam gratiam & prædestinationem adhuc pristinum illum vultum benignitate & severitate temperatum proferre faterentur, blandula & mollicula sententia recentiorum, ex Massiliensium cineribus resuscitata, & adversus Augustinum iterum arietare crederetur.

Nunc itaque videamus an & quo etiam pacto in oppugnanda gratia, quæ est proprius effectus Augustinianæ prædestinationis, invicem similes aut dissimiles ostendantur.

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo in oppugnanda gratia efficaci conveniant, aut differant.

NOTA XIX.

A

Repudiant gratiam quæ humanam sibi subjicit voluntatem

IN oppugnanda vera Dei gratia, quæ per Augustinum nobis tradita est, non minor profectò similitudo reperitur. Eadem quippe & Massilienses tunc, & recentiores isti nunc adversus operationem divinæ gratiæ obmurmurant. Et quamvis ijs pleraque similia sunt, quæ prædestinationi ab eis objecta vidimus, ex alio tamen capite prædestinationi, ex alio efficaci gratiæ opponuntur. Illi maxime propter immutabilitatem, quâ voluntates ab æterno præveniendo, de salute quorundam, nullâ operum consideratione, decerneret: huic præcipue propter temporalis operationis efficaciam.

In primis igitur gratiam illam rejecerunt Massilienses, *quæ humanam sibi subjicit voluntatem*, ut Prosper notat: Hoc est, illam quæ voluntati efficaci potestate ita dominatur, ut in ea ipsum etiam primum velle operetur; non eam cui voluntas ita dominatur, ut eam efficacem vel inefficacem & cassam reddat, si voluerit. Quod verum esse, alibi late aperuimus, & infra forsan aliquid dicturi sumus.

In Epist. ad Aug.

B

Prudentia l. 8. ubi de Massil. c. 6. & 7.

Quid vero recentiores nonne illam ipsam omnibus oppugnandi viribus expugnare nituntur? Profitentur enim palam, se illam aversari gratiam, quæ determinat voluntatem, hoc est, cujus usus vel non usus non dependet à voluntatis dominantis nutu, sed ipsa infert usum sui, *humanam sibi subjiciens voluntatem. Efficit enim primùm, ut velimus, & ex nolentibus volentes facit.* Illam vero se amplecti gratanter confitentur, cujus usus voluntati subditur, & facit aliquid aut non facit, prout voluntatis arbitrio placet. Vnde illud Lessij: *Neque gratiam subjicimus voluntati, sed usum gratiæ.* Quasi vero aliter gratia subjiceretur voluntati, quam cum usus ejus & non usus, actio ejus & cessatio à voluntate suspenditur. Hinc frequens eorum phrasis: *Liberum arbitrium cooperando posse facere auxilium Dei: Gratia dicitur efficax vel inefficax ab effectu*, & hujusmodi; quibus evidenter illa subjectio exprimitur. Et quamvis ipsi verissima hæc esse patent; nos tamen alibi non obscure patefecimus, nullum in his sententijs relinqui gratiæ Christi locum, sed solam eis liberi arbitrij naturam superesse, quæ velle in eis & operari operetur.

C

Less. de grat. efficaci c. 12. n. 2.

Mol. in concor. passim.

NOTA XX.

Ratio repudiandi, quia uni datur, alteri negatur.

CAusæ vero, cur hujusmodi gratiam tantopere aversentur, prorsus ipsissimæ sunt, quibus Massilienses ad eam detestandam oppugnandamque moti sunt. Et prima quidem illa fuit, quod gratia à sancto Augustino prædicaretur talis esse, quæ non omnibus promiscue accipere volentibus offerretur, sed judicio Dei occulto daretur uni, alteri negaretur; sicut in Augustini scriptis identidem inculcatur.

Hinc illud Fausti adversus istam solemnem sancti Augustini & Prosperi doctrinam: *Nunc,* inquit, *veniendum est ad illos, qui cum gratiam alijs dari, alijs negari asserunt, gratiæ nomen cum Pelagio perdiderunt.* Et in eodem libro inferius: *Quis tam immemor salutis suæ sit, qui attrahentis misericordiam negare præsumat? sed ille vere impius est, qui eam non omnibus ingerit, non omnibus testatur impendi.* Simili modo Massilienses de quibus Prosper & Hilarius, molestissime ferebant in hunc sensum illud ab Augustino usurpari: *Sicut unicuique partitus est mensuram fidei, quasi uni daretur ut velit, retractis ab hoc dono alijs pariter reis.*

Faust. lib. 1. c. 3.

Ibid. c. 17.

Hil. in Epi. ad Aug.

Hoc ipsum graviter istis recentioribus displicet. Nec enim ferre possunt, gratiam ita dispensari à Deo, ut eam uni det, alteri neget: sed omnibus communiter eam impendi volunt. Itaque pari prorsus modo gratiam sufficientem quandam omnibus omnino hominibus quantumcumque perversis expositam tradunt. Quæ doctrina quia ex eorum libris notissima est, nullis testimonijs opus est. Videat qui volet Lessium, Suarez, Molinam.

Less. lib. de præd. sect. c. n. 65. & 66.
Suarez de auxil. lib. 3. c. 6.
Mol. in Concord. q. 14. a. 13. disput. 10. & q. 23. a. 4. & 5. disp. 4.

NOTA XXI

Quia destruit libertatem quando datur.

ALtera eaque celebratissima fuit, quod destrueret libertatem arbitrij nostri, idque sive nobis à Deo donaretur, sive negaretur. De primo nunc, de altero sequenti observatione id ostendendum est.

Perire itaque libertatem arbitrij per gratiæ istius, quam prædicabat Augustinus, efficaciam, sexcentis tundebant cælum & terram querimonijs. Vnde Prosper ad Ruffinum: *Scripta eius* (sancti Augustini) *quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant; dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere.* Et inferius: *Nimium vero impie, nimiumque inconsiderate ab adversantibus dicitur, quod per hanc Dei gratiam*

Prosp. Epist. ad Ruf.

Ibid. in fine.

Fauſt. lib. 2. de lib. arb. c. 6. *Lib. 1. c. 11.* *Fauſt. lib. 1. de lib. arb. c. 8.*

tiam, libero nihil relinquatur arbitrio. Itaque *coactionem* per gratiam inferri voluntati, & *neceſſitatem*, gratiamque *ſolitariam* ſine concurſu videlicet voluntatis, operari ſalutem, incunctanter aſſerebant. Imo *brutis animantibus* hominem ſimilem, vel potius pejorem fieri; quandoquidem *ſicut mare magnum, quod huc atque illuc ventis agitantibus volutatur, ita ad quodcumque bonum vel facinus, ſine ullo affectu ſuo, ſolo divinæ poteſtatis impulſu, mens humana verſaretur. Ecce hæreticus* (quem non alium quam ſanctum Auguſtinum cum ſuis intelligit) *ſub prætextu gratiæ, qualem vult hominem eſſe poſt gratiam.* Vbi perſpicue vides, quo ſenſu Fauſtus gratiam Chriſtianam ac veram in voluntate operari crederet. Nonne inſaniæ ſimile videretur, ſi de gratia cujus uſus inſtar cujuſlibet potentiæ, inſtar habitus, inſtar ſpecierum, innſtar lucis, inſtar concurſus illius indifferentis Dei, voluntatis nutui ad amuſſim ſubditur, tales expoſtulationes & ejulatus, non ab ignaro vulgo, ſed ab acutiſſimis viris, funderentur? Nonne recentiores graviſſime adverſus eos moverentur, à quibus tam brutus ſibi ſtupor affingeretur, ut gratiam illam ab ipſa cooperatione voluntatis efficacem, quam ipſi docent, libertati voluntatis adverſam credere putarentur? Et hoc tamen de Maſſilienſibus quoquo modo credi volunt, ne alioquin ab eis doctrinam ac ſenſa ſua derivaſſe credantur.

Quam vero ſint ipſis in hac expoſtulatione ſimiles, res ipſa clamat, & voluminibus plenis ubique proteſtantur, Molina, Vaſquez, Gregorius à Valentia, Suarez, Leſſius, & alij. Nihil enim invidioſius paſſim inculcant, quam per gratiam, quæ ad volendum, conſentiendum, agendum prædeterminat voluntatem, funditus everti libertatem: ut non ſit opus teſtimonijs eorum corrogatis hoc aſtruere.

NOTA XXII.

Quia destruit eam etjam cum negatur.

QVod vero libertatem etjam everteret illa gratia, quando divino judicio ſubtrahitur, non minus invidioſe Maſſilienſes queſti ſunt. Nam apud Auguſtinum *extra culpam ſe videri volunt, qui non obediunt Deo*, quia *obedientia*, hoc eſt, gratia ad obediendum, *munus Dei eſt. Hanc*, inquiunt, *non accepimus. Quid itaque corripimur, quaſi nos eam nobis dare poſſimus, & noſtro arbitrio dare nolimus?* Iſtas enim Adrumetinorum querelas fuiſſe quoque Maſſilienſium, in Epiſtola ſua Proſper affirmat. Hinc & Fauſtus: *Dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædeſtinatione ſtatuta & definita eſſe pronunciat, etiam ſuprema remedia pœnitentiæ ſenſu abruptæ pietatis evacuat.* Ita vero inſcribit libros ſuos: *Profeſſio fidei adverſus eos, qui dum per ſolam voluntatem Dei, alios dicunt ad vitam attrahi, alios in mortem deprimi, hinc fatum cum gentilibus aſſerunt, inde liberum arbitrium cum Manichæis negant.* Nam duplex in eis verbis Auguſtinianæ doctrinæ caput impetit, pri-

Lib. de Cor. & grat. c. 6.

Fauſt. lib. 1. c. 11.

mum, quod Deus per ſolam voluntatem, hoc eſt, per gratiam ſuam, alios ad vitam attrahere diceretur; alterum, quod alios in morte relinqueret, vel reprobaret.

Idem omnino non ſemel adverſus gratiam illam ex ſe efficacem, quæ non omnibus datur, recentiores ingeminant. Leſſius: *Antequam detur motio efficax, non eſt in ipſius poteſtate eam habere, ut ſæpe oſtenſum eſt, ac proinde nec opus bonum facere: Vnde nullum inſtans dari poteſt, in quo ſit potens ad utrumlibet; quod tamen ad rationem libertatis requiri, ſupra capite quinto oſtendimus.* Idipſum docet & alijs locis. Nec ceterj diſſentiunt. Putant enim nullo modo imputandum eſſe peccatum, tanquam non liberá voluntate factum, ſi gratia, ſine qua vitari non poteſt, negaretur.

Leſſ. de grat. effic. c. 9. n. 9. *Vide c. 3. & 11. latius.* *Suarez lib. 3 de auxil. c. 6.*

NOTA XXIII.

Quia præceptum fit hominibus impoſsibile.

DEinde, quod ex præcedenti ſequitur, ſi ſubtrahitur gratia illa vitando peccato, vel faciendo operi, quod præcipitur, neceſſaria, jam præceptum fit hominibus impoſſibile. Ita conqueruntur in ſuperiori obſervatione Monachi Adrumetini: *Cur corripimur, arguimur, reprehendimur, accuſamur? Quid facimus, qui non accepimus?* Quaſi dicerent, impoſſibile eſt nobis facere quod præcipitur, quia gratiam non accepimus, qua fieri poſſit. Vnde & Fauſtus: *Quomodo prædicat gratiam, qui miſericordiam negat? Quomodo videtur aſſerere Dei donum, cuius tollit auxilium &c. Quomodo mihi dicitur, Declina à malo & fac bonum, ſi iam malum declinare non poſſum?* Per iſtius videlicet miſericordiæ ſeu gratiæ ſubtractionem.

Lib. de Cor. & gra. c. 6. *Fauſt. lib. 1. c. 11.*

Accuratè hoc imitatur Leſſius: *Si præter cetera auxilia requiritur ad ſingula opera motio* (id eſt gratia) *quædam determinans, quam habere non ſit in poteſtate, utpote quam Deus pro paucis prædeſtinavit; plurimi profecto ſunt, quibus præcepta Dei ſunt impoſſibilia.* Idipſum docent alij multo majori, ut eis videtur, ratione, ſi gratia ſufficiens ad implenda præcepta ſubtrahatur. Concludunt enim eadem quâ Maſſilienſes ratione ſubnixi: præcepta fore impoſſibilia: *Offert ergo Deus hoc auxilium*, inquit Leſſius, *alioquin ſequeretur, & Deum iubere impoſſibilia, & nos peccare in eo quod vitare non poſſumus: vel certe violando divina præcepta nos non peccare.*

Leſſ. de grat. effic. c. 3. n. 3. *Leſſ. de præd. ſect. 6. n. 61. Vide Suarez l. 3. auxil. c. 6*

NOTA XXIV.

Quia fruſtra erunt præcepta, exhortationes, correptiones.

EIuſdem rationis eſt, eodemque fundamento innixum, quod conquerebantur, fruſtra futura præcepta, exhortationes, & correptiones. De quo in præcedentibus duobus capitibus audivimus Maſſilienſium voces. Similes paſſim fundunt etjam recentiores: *Denique fruſtra erunt præcepta, fruſtra conſilia, fruſtra exhorta-*

Leſſ. lib. de grat. effic. c. 9. n. 11.

exhortationes, & correptiones. Nemo enim his bene uti poterit, sine auxilio efficaci, quod non est in eius potestate. Ita Lessius.

NOTA XXV.

Quia naturæ vires nimium deprimuntur.

ALia ex causa Massilienses putabãt superfluam fore exhortationem, correptionem, & similia, ex eo quod Augustinus traderet, ita per peccatum primi hominis prostratas esse naturæ vires, ut nihil boni velle, aut agere, aut periculum æternæ mortis timere posset, nisi per gratiam bona ista voluntas inspiraretur. Vnde stomachantes apud Hilarium excludi putant *omnem prædicationis vigorem, si nihil, quod per eum excitetur, remansisse dicatur.* Et paulo post: *Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio valeat excitare.*

Hil. Ep. ad Aug.

Idipsum refricant sine fuco recentiores: *Noluit*, inquit Lessius, *dare tantam gratiæ copiam, ut omnia sint naturæ facilia, ipsaque natura sit secura: sed eam dumtaxat mensuram, quæ multam nobis relinquat sollicitudinem; ut animadversâ rei difficultate & ancipiti eventu excitemus naturam, eique vim inferamus, ut quantum potest gratiæ cooperetur. Hoc sæpe monet Scriptura, ut cum hortatur ad vigilantiam, ad assiduam orationem, ad redimendum tempus, ad caute ambulandum, ad operandum salutem cum timore & tremore. Non decebat, ut vires naturæ à creatore acceptæ essent otiosæ, & quasi passive se ad gratiæ vires haberent, earum impulsum tantummodo exspectantes, & sinentes se ab illis moveri* &c. In quibus verbis tacite indicat, alioquin non recte illas Scripturæ monitiones fieri, nisi natura seipsam excitaret: nec attendit, hujusmodi excitationes naturæ, & sollicitudines, & timores esse unum ex primis & præcipuis gratiæ operibus prævenientis voluntatem. Ex quo fit, ut ubi ipse se naturam excitare putat, ad cooperandum gratiæ, gratia e contrario præveniens naturam sopitam ac somnolentam, eam ad cooperandum excitet. Nunquam hujusmodi verbis quisquam gratiæ intellector uteretur, nisi existimaret, aliquid in natura relictum esse, quod ipse suâ diligentiâ ad gratiam excitaret. Sed hoc ex illa opinione venit, quâ putant hominem, quantum in se est operando, multa facere, quæ vere bona sunt, quibus se postea interponat gratia, ut ad supernaturales actus perducatur. Hoc aperte profitetur Molina; cujus doctrina Lessio mirifice probatur, ideoque *de Scholastica Theologia optime meritus* pronunciatur. Nam in concordia sua aperte profitetur; *quo homines avidius, sincerioriique animo veritatem cognoscere volunt, eo plures à Deo vocari ad fidem, & illuminari.* Quasi ista aviditas, & sincerus animus, & cognoscendi voluntas, non esset donum gratiæ Dei. Addit adhuc, ita se Deum accommodasse homini, *ut sicut per gratiam hominis naturam ex se liberam perficiebat, ita etiam ante receptionem gratiæ, & in ipsa receptione gratiæ, ac postea in augmento illius, suum locum libero relinqueret arbitrio: quatenus ita ipse auctor esset omnium bonorum, omnia que ei accepta referrentur, ut nihilominus libero arbitrio propria industria, & laus servaretur.* Ecce & ante receptionem gratiæ libero relinquitur arbitrio locus, ut ei industria & laus sua servetur. Vnde ulterius pergit, idipsum afferens, quod & Lessius de exhortatione dixit: *Atque prædicta omnia exigere videtur Deus à peccatore illis verbis Zachariæ, id est: Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Quasi videlicet Deus illis verbis naturales liberæ voluntatis conatus exigeret, quibus sese gratia postea insereret, prout ibidem ex professo docet, & Massilienses ex propria sui erroris professione statuebant.

Less. lib. de præd. sect. 6. n. 71.

In periochæ tract. ante lib. de grat. Molin. q. 14. a. 13. disp. 9.

Ibid.

Molina ibid.

NOTA XXVI.

Quia solâ erit opus oratione.

HInc ulterius Massilienses inferebant, tantummodo orandum esse pro illis, qui non recte vivunt, si totum est gratiæ. Nam & illud ipsum, *totum gratiæ dari*, permoleste ferre solebant. De oratione audi: *Si non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus, ut det quod non dedit.* Et mox: *Cum ergo & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potius ipsum rogas, ut in me operetur & velle?* Monachorum Adrumetinorum verba sunt, quæ à Massiliensibus frequentata quoque fuisse, Prosper ad Augustinum testatur.

Apud Aug. lib. de Cor. & grat. c. 4.

Eadem quoque eandem ob causam propter illa scilicet auxilia efficacia ex prædestinatione proficiscentia, usurpant recentiores. *Imo vero*, inquit Molina, *data ea sententia locus apertissime datur errori illorum Monachorum, qui dicebant neminem corripiendum esse, quod non operetur bonum; sed orandum esse Deum, ut illi largiatur gratiam, auxiliumve efficax, quo bene operetur.* Sed non advertit, arbitror, illas Monachorum accusationes adversus gratiam, presbyteros quoque Massilienses, *contentiosissime conclamando*, fecisse suas, ut jam ex Prospero sæpius diximus.

Mol. q. 14 a 13 disp. 53. mem. 2.

NOTA XXVII.

Quia absurdum est, ut Deus petat ab homine fieri, quod ipse Deus per talem gratiam debet facere.

IStud quoque perabsurdum esse Massiliensibus videbatur, quod Deus ab homine præcipiendo aut exhortando peteret id, quod ipse dare deberet. Hinc Monachi Adrumetini, quorum omnes querelas tanquam justissimas Massilienses quoque amplexos esse, Prosper tradit, valde serio querebantur: *Ut quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo & faciamus bonum si hoc nos non agimus, sed id velle & operari* DEUS OPERETUR *in nobis?* Et Augustinus ex similium persona ad eosdem istos Monachos: *Quare iubet, si ipse daturus est?* Quod statim solvit, quia *dat quod iubet, cum adiuvat, ut faciat cui iubet.*

In Epist. ad Aug.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 15.

Simili prorsus modo Lessius ficulneam hanc

hanc machæram non semel adversus illam gratiam vibrat, quæ non est in hominis potestate & adversus illa Dei dona, quæ talis gratia in hominis voluntate operatur: *Cur enim pulsaret* Deus ad ostium cordis, *si non possent aperire? Quomodo diceret: Si quis mihi aperuerit, si ipsemet deberet aperire, per quendam impulsum, qui non est in eorum potestate?* Et accuratius hoc argumentum explicans ac diducens: *Si enim*, inquit, *qui intus est, non potest aperire, nisi tu foris illud impellas, non recte ei dixeris: Si aperias, intrabo, cum ipse aperire nequeat sine tuo impulsu, & tu illum impulsum non statueris facere. Vnde meritò respondebitur tibi: Impelle tu prius, & tunc aperiam: Nam nisi prior impulsum feceris, aperire non potero.*

Less. lib. de grat. effic. c. 6. refut. 3. n. 7.

NOTA XXVIII.

Quia totum isti gratiæ tribuitur, nihil naturæ.

IAm verò istud alterum, quod *totum gratiæ*, nihil naturæ tribueretur, Massiliensibus non minus invisum fuit. Nam Faustus reprehendit, quod adversarij dicerent *totum solius esse gratiæ*, quibus verbis Augustini doctrinam & Cypriani, quibus tradunt, *nostrum nihil esse*. Et, *Tutiores nos vivere, si totum Deo datur.*

Cyprian. in expositione orat. Dom. & lib. 3. ad Quir. c. 4.

Hoc ipsum & Lessius videtur reprehendere, quando dicit: *Non decebat, ut vires naturæ à creatore acceptæ essent otiosæ, & quasi passivè se ad gratiæ vires haberent, earum impulsum tantummodo exspectantes, & sinentes se ab illis moveri, & sic* TOTVM *à gratiæ motione penderet.* Vbi tria simul capita doctrinæ Fausti, & Massiliensium tangit, & objicit; primum, quod totum esset gratiæ: secundum, quod vires hominis essent otiosæ, Nam & hoc arguere Catholicis objicere sibi videbantur. Vnde apud Faustum frequens est istius otij reprehensio: *Audi*, inquit, *Apostolum non tua otia prædicantem*; Et ex Augustini sententia vocat procurationem salutis *otiosum negotium*; & homines *per quietem & desidiam coronari*. Tertium, homines in ista gratiæ prædicatione, tantum impulsum gratiæ exspectare, sinentes se ab ea moveri. Nam supra reprehendentem Faustū audivimus, quòd *sicut mare magnum, quod huc atque illuc ventis agitantibus volutatur, ita solo divinæ potestatis impulsu, mens humana per gratiam versaretur.*

August. de dono pers. c. 6.
Less. lib. de præd. sect. 6. n. 71.
Faust. lib. 1. c. 10.
Cap. 11.
Faust. lib. 1. c. 8.

NOTA XXIX.

Quia fatalis sequitur in vitam humanam necessitas.

HInc itaque fati fatalisque necessitatis operationem induci per gratiam, tanquam indubitatum conclamabant. *Inter gratiæ vocabulum*, inquit Faustus, *absconditum erit fatale decretum.* Quod non semel in eisdem libris refricat, & Pelagiani omnibus gratiæ efficaciter operantis adversarijs propinaverant. Fatum enim non solùm ex prædestinatione, quod supra dictum, sed etjam ex ipsa efficaci gratiæ operatione sequi arbitrabantur.

Faust. lib. 1. c. 4.

Apud recentiores istos nihil istâ expostulatione invidiosius & frequentius: *Fateor*, inquit Lessius, *nullâ ratione me posse assequi, quomodo per eam*, doctrinam de determinatione voluntatis per gratiam efficacem, *non inducatur fatum plusquam adamantinum.* De quo & alibi aliquoties. Et Molina profitetur, si secludatur præscientia, qualiter arbitrium pro sua libertate deberet se determinare, se, supposito auxilio determinante, *non intelligere, qua ratione eius sententiæ assertores evadere possint fatalem necessitatem in eo effectu, humanaque libertatis eversionem.* Ex quibus perspicuum esse puto, quam accuratè sibi etjam recentiores isti & Massilienses in gratiæ ex se efficaciter operantis oppugnatione, & argumentorum omnium, aut penè omnium apparatu concinant.

Less. lib. de grat. c. 18. n. 6.
Vide cap. 3.
Mol. q. 14. a. 4. & 5. disput. 1. memb. 11.

Quapropter prudens quisque, qui non contentionem, sed veritatem in scriptoribus quærit, consideret velim, quo colore istæ tot querimoniæ adversus illud adjutorium voluntatis intorqueri possunt, quod à recentioribus defenditur, & ab Augustino contra Massilienses traditum fuisse credi volunt. Qua vel specie verisimili de adjutorio, quod instar habitus omni ex parte subditum est nutui liberæ voluntatis, dici, vel cogitari, vel somniari potest, quòd fatum afferat, quod evertat libertatem, cui semper obtemperat? Quòd præceptum reddat impossibile; quod frustranea efficiat præcepta, exhortationes, correptiones, quibus implendis nutui voluntatis præsto est? Quòd solâ sit opus oratione, quod totum gratiæ tribuatur; cùm nihil omnino illa operetur, nisi ad operandum voluntate concitetur? Quod absurdè Deus ab homine petat, ut velit, cum per istam gratiam non det velle, nisi ipsa voluntas velit? Quis ita stupidus, tardus, blennus, & caudex est, ut illos homines acutissimos ita delirasse credat, qui ultro vociferantur se agnoscere, intelligere, probare gratiam illam ab Augustino traditam, quâ adjutus primus homo poterat perseverare & non perseverare si vellet? Hoc est, gratiam quæ obtemperat in agendo & non agendo liberæ voluntati? Dicat hoc ergo qui voluerit, credat qui potuerit. Ego puto neminem eorum, qui hoc de Massiliensibus persuadere conantur, vel apud seipsum in animo suo posse credere: sed ad hujusmodi vela sententiæ suæ prætexenda, ipsâ susceptæ semel defensionis necessitate compelli.

Testis. Hil. in Epist. ad Aug.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Quæ sit inter gratiam ab utrisque traditam convenientia, ac discrepantia.

CVm igitur satis declaratum sit, pariter & iisdem de causis utrosque & prædestinationem & gratiam, quibus tunc Augustini doctrina, & nunc vehementer oppugnatur, aversatos esse, & iisdem querimoniis expostulasse; nunc præcipuè videndum est, quam utrique prædestinationem & gratiam, & quibus ex causis excogitaverint, quo colore induxerint, quibus argumentis asseruerint, & plausibiles fecerint. Ex hoc enim in primis constare poterit, quid convenientiæ ac discrepantiæ in eisdem pateat aut lateat.

NOTA XXX.

Vtrique omnia spectra desperationis, fati, ignaviæ &c. ex magna facilitate conciliandi gratiam & prædestinationem cum libero arbitrio facilè fugant.

MAssiliensibus, ut alibi dictum est, duo B generaliter in sancti Augustini doctrina displicebant, prædestinatio ab ipso prædicata, & efficacius ejus gratia. Illa, quod præcurreret omnem humanæ voluntatis motum: hæc, tum quòd nimis discretè daretur, & negaretur; tum quòd nimis efficaciter in voluntatem influeret. Ex hisce fontibus omnes eorum querelæ, & insuperabiles, ut eis videntur, difficultates fluunt. Medendis omnibus novum prædestinationis & gratiæ genus ita machinati sunt, ut causa effectui, & effectus causæ suæ accuratissimè responderet, & utraque ad amussim libero arbitrio attemperata, nullam umbram desperationis, ignaviæ, necessitatis, fati, & similium terriculamentorum retineret. Id-ipsum recentiores tam dexterè imitati sunt, ut de ingenti illa, quam attulerunt, conciliandæ prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio facilitate, deque solatio C animorum quod pepererunt, non semel glorientur. Molina enim: *Quid tam facile ac perspicuè illa quatuor* (præscientia, providentia, prædestinatio, & reprobatio) *ex capite præscientiæ mediæ cum libertate cohæreant, signum est manifestum, nos integram legitimamq; rationem conciliandi omnia tradidisse.* Et Lessius concludit: *Non esse majorem difficultatem in conciliandа prædestinatione cum libertate arbitrii, quam in conciliandа præscientia cum eadem libertate.* Et crebrò inculcat, se solidum animabus *solatium* attulisse.

Molin. q. 14 a. 13. disp. 53 memb. 2.

Lib. de prædest. sect. 2. num. 8c.

Vide præfat. ad Lector.

Sanè præstiterunt hoc ipsum non minus feliciter Massilienses, & recentioribus viam straverunt in omnibus, quæ se velut magna conciliationis istius mysteria reperisse venditant. Quod ut ad oculum cuivis apparere possit, Deo juvante demonstrabimus, quàm brevissimè fieri possit, aut penè nihil, aut nihil A omninò in recentiorum esse sententiâ, quod non Massiliensibus tanquam inventoribus & magistris debeant: & si quid iis fortè non debent, hoc causam eorum non mediocriter deteriorem facere. A voluntate Dei, tanquam temporalium effectuum causâ, quos per gratiam in humana voluntate operatur, auspicabimur.

NOTA XXXI.

Statuunt in Deo propositum generale restaurandi totum genus humanum.

PRimò igitur recentiores, ut omnia illa immania, terricula ex gratia & prædestinatione fugent quæ fatalitatem, libertatis eversionem, mœrorem, desperationem, mortem, ut Lessius putat, hominibus nonnunquam afferunt, statuunt in Deo voluntatem quandam seu propositum generale, quo genus humanum in Christo restaurare, & salvum fieri voluit: idque non hos vel illos liberandos, relictis ceteris, suâ solâ voluntate decernendo; sed omnes omninò, nemine excepto.

Id-ipsum eodem modo tradiderunt Massilienses apud Prosperum & Hilarium. Vtrumque notius est, quàm ut accersitis testimoniis confirmandum sit; & ex sequentibus patebit manifestiùs.

NOTA XXXII.

Cujus basin collocant locum Apostoli: Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2.

SEcundò doctrinæ istius basin quasi immobilem recentiores Apostoli Pauli locum collocant: eò quòd perspicuis verbis dicat: *Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* De quo Molina: *Quo fit, ut universim verum sit, Deum ex parte sua velle omnes absque ulla exceptione salvos fieri.* Et alibi: *Meditandus est Deus voluisse ex animo promiscuè omnes homines tam in Adamo lapsos in vitam æternam perducere.* Idem eodem modo & Suarez, & Lessius, & ceteri docent.

1. Tim. 2. Quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 1. memb. ... Ibid. memb. 8 Suar. lib. ... de prædest. cap. 1. Less. de prædest. sect. 6.

Id-ipsum fundamentum tanquam suæ sententiæ inconcussum statuerunt Massilienses, & semper eodem modo, ut nunc recentiores, Augustino, Prospero, & veris gratiæ defensoribus objecerunt. *Et ubi est illud*, inquit Prosper, *quod nobis quasi contrarium à non intelligentibus semper opponitur, quòd Deus omnes homines velit salvos fieri?* &c. Hoc ipsum verò nullis Catholicorum argumentis expugnabile esse apud eundem Prosp. significant. *Nec vacillare illud, quod Deus vult omnes homines salvos fieri.*

Prosp. Epist. ad Rufinum.

In Epist. ad August.

Digitized by Google

contrario civitatum, non utique vana in totius rationalis creaturæ pulcherrima atque justissima ordinatione constituit. Hinc est quod in quæstione 2. ad Simplicianum dicit: *Intuere omnia opera altissimi, duo contra duo, unum contra unum, utique ut ex deteriorum comparatione emineant proficiantque aliora, quæ tamen per gratiam meliora fiunt.* Hinc est, quod in Psalmos dicit: *Mirum est & verum quanto studio bonæ spei parvuli accendantur ad rectè vivendum comparatione peccantium. Quo mysterio agitur ut etiam hæreses esse permittantur: non quia ipsi Hæretici hoc volunt, sed quia hoc de peccatis eorum divina operatur providentia; quæ lucem & facit & ordinat, tenebras autem tantum ordinat, ut sit earum comparatione lux gratior, sicut hæreticorum comparatione jucundior est inventio veritatis. Ea quippe*

Lib. 1. q. 2. ad Simplic. versus finem

In. Psal. 9.

A *comparatione probati manifesti fiunt inter homines qui Deo noti sunt.* Hinc est denique, quod illius providentiæ non tantum utilitatem, sed & necessitatem, non solum jam ante uberrimè declaravit, sed etiam in superioribus sæpe tetigit, dum nonnunquam dicit, bonos dum adhuc infirmi sunt, *opus habere malorum permixtione*, ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat: aliquando eos qui liberantur *sic oportuisse liberari*, ut ex pluribus non liberatis ostenderetur &c. aliquando, quod *non appareret misericors gratia* redimentis, quod *lateret beneficium*, & similia quibus ostenditur, istum divinæ providentiæ modum esse naturæ corruptæ liberandorum prorsus consentaneum.

CAPUT XVIII.

Ostenditur injustitia querimoniæ contra istam sancti Augustini doctrinam.

EX quo jam evanescit illa multorum, A divina judicia non penetrantium, querimonia, qua Dei severitatem erga reprobos molestè ferunt. Non enim animadvertunt, quanta suâ iniquitate in damnatione constituti sunt, quanta Dei æquitate denegato ipsis gratuitæ liberationis beneficio, in damnatione relinquantur, quanta & quam multiplicia per eos præstêtur liberandis documenta ac beneficia. Cur enim non mirantur Angelis peccantibus non pepercisse Deum, sed statim à commisso peccato rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidisse cruciandos? Cur non mirantur Deum parvulos non solum non liberasse, sed abrupto spatio clausoq; stadio liberationis, continuò ad inferorum pœnas ex hac vita rapuisse? Cur non mirantur dæmones etiam damnationis pœnam undique circumferentes, ad electorum documentum, & exercitationem & ad majus reproborum B supplicium adhiberi? Cum ergò de istis & similibus divinæ severitatis exemplis neq; mirandum, neque conquerendum esse fateantur, desinant mirari & conqueri adversus Deũ aut Augustinum, quod frequenter dicat, Deum *nolle* eos ex perditione *liberare, nolle eis subvenire*, nolle *eos salvos fieri*, & hominibus volentibus & festinantibus *nolle eis baptismum dari*, & similia, quibus voluntas Dei deliberata & fixa & immutabilis significatur, non liberandi eos illo postremo perfectæ liberationis beneficio, quotquot non sic liberandos esse judicavit. Desinant igitur consequenter mirari & conqueri, quod cùm eos confestim Deus ad suppliciũ, sine nota iniquitatis rapere potuerit, ac tandem rapere destinaverit, sinat illos tamen sine liberationis gratia diutius in hac vita in cupiditatibus varijs peccatisq; volutari, & merita suppliciorũ, supplicijs meritorũ cumulare. Nam & hoc ipso, quod ab ineunte ætate usque

Vide hæc & similia fusè supra declarata ex Aug.

ad decrepitam senectutem, reprobos nonnullos Deus in desideria cordis sui tradit, ut fidei & gratiæ prorsus expertes, faciant ea quæ non conveniunt, quisquis piè prudenterque de rebus istis cogitat, justissimam originalis iniquitatis pœnam esse videt. Nam sicut ex illa totum humanum genus confestim in pœnam damnationis præcipitari merebatur, ita etiam meretur, ut qui diutius ex eis viverent, per errores, amores, doloresque diversos tandem ad illud extremum cum desertoribus Angelis, vitiatoribus & possessoribus & consortibus suis, sine fine supplicium raperetur. Verissimum est quippe illud sanctissimi & profundissimi Doctoris pronuntiatum: *Ad iram Dei pertinet istam, quicquid cæca & indomita concupiscentia faciunt libenter, & mala quæ quid manifestis opertisque pœnis patiuntur inviti.* Sicut igitur nemo justè conqueri potest, quod infideles ante adventum Christi in profundissima idololatriæ cæcitate permiserit impiæ defectionis originalis, per innumera peccata, pœnas luere, & æterna magis magisque exaggerare supplicia, dum in hac vita interim ordinem seculi præsentis exornant; ita nemo justè murmuraverit adversus Deum, quod etiam post adventum Domini, reprobos in medio populi sui, quem cœlesti prædestinavit Civitati, oberrare, & peccata peccatis cumulare permittat, quibus beneficium liberationis à massa perditionis impendere non decreverit: sed potius magnopere gratulêtur Deo, quod ex tam impia & inutili hominum perditissimorum societate, tam admirabilem secul præsentis ornatum, tam magna multaque filijs suis prædestinatis documenta tradat, tam utile comparationis speculum ob oculos ponat, tam necessariam virtutum quarumlibet exercitationem exhibeat, tam multifaria corporis & spiritus adjutoria largiatur.

Enchir. c. 27.

Epilogus

Epilogus omnium.

ET ista quidem quæ hactenus ex Augustini mente, quantum eam Deo adjuvante capere datum fuit, de primi hominis gratia, & statu, & lapsu, de posteritatis ejus pœnis, de liberi arbitrij prostrati viribus & supplicijs, de pura natura, de damnatæ naturæ liberatione, de Christi Salvatoris medicinali adjutorio, de primæ & secundæ gratiæ differentia, de utriusque cum libero arbitrio concordia, de prædestinatione denique ac reprobatione hominum atque Angelorum disseruimus, nova multumque forsan miranda videbuntur eis, quibus antiqua, quia incognita sunt, etiam videntur nova. Nihil in eis eruendis aptandisque indulsi genio vel ingenio, ut ea in cujusquam invidiam concinnarem, nihil sententijs à me præoccupatis quasi abreptus tribui; sed filum doctrinæ cœlestis, ex omni parte sibi consonantis humiliter secutus, cum præoccupatis Theologicæ scholæ hujus temporis opinionibus perpetuo luctari coactus fui. Nec precibus ad Deum fusis peperci, nec laboribus multorum annorum pertinacibus, ut sensum sanctissimi Præsulis ac Doctoris assequerer; ne fortè vel defectu pietatis ab ostio inveniendæ veritatis repellerer, vel defectu lectionis diuturnæ ac sæpius repetitæ ac ponderationis omnium quæ undequaque consideranda videbantur, temerè ferrem de inventa quasi veritate sententiam. Vidi enim non paucos, nec exigui nominis Recentiores, qui se duces opinionum hoc tempore capitalium profitentur, incredibilem in modum ita lapsos esse, ut objectiones errantium pro solutionibus Augustini arripuerint, in illis capitibus doctrinæ, ubi de summa rerum agebatur. Paucis enim vacat, universam doctrinam ejus tantâ mole diffusam, tantis perplexitatibus impeditam volvere & revolvere, adhuc paucioribus libet, sine qua tamen animi obfirmatione & constantia, non posse profundissimi Doctoris hujus doctrinam sensusque penetrari, fidenter ac sine temeritate dixero. Nec verò mihi ipse arrogaverim, me nulla ex parte ab ejus aberrasse sententia. Homo sum, humanorum lapsuum periculis obnoxius: quæ sicuti cavi quantum potui, ita ignoscet Lector ubi non potui, ut & assidui laboris consideratio temeritatis labem auferat, & sinceritatis intuitus, errandi simplicitati patrocinetur. Quod sicubi hallucinatus fuerim, hoc scio, me non in Catholica veritate, sed Augustini sententia asserenda cecidisse. Nec enim ego quid verum aut falsum, quid tenendum aut non tenendum in Catholicæ Ecclesiæ doctrina tradidi, sed quid Augustinus tenendum asseruerit ac docuerit. Quod si ejus obscuritas me fefellerit, maximi beneficij loco ducam, laborumque plurimorum compendium faciam, si quis aliud ex Augustini scriptis demonstraverit. Quod donec humiliter ac desideranter exspecto, quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis, non juxta meam, sed juxta S. Doctoris mentem pronunciavi, ex Apostolicæ Sedis Ecclesiæque Romanæ matris meæ judicio, sententiaque suspendo, ut illud jam nunc teneam si tenendum, revocem si revocandum, damnem & anathematizem, si damnandum & anathematizandum esse judicaverit. Nam quemadmodum istius Ecclesiæ ac Sedis mysterijs infantulus initiatus, & ejus fide cum lacte matris imbutus fui, & crevi, & adolevi, & senui, nec ab ea ad latum unguem, quod sciam, animo, aut facto, aut sermone deflexi; ita porrò ad extremum usque spiritum vivere, ac Deo adjuvante mori, divinoque judicio sisti, mihi constitutum est; ut juxta sacratissimam ejus regulam, quæ à temporibus Apostolorum per successionem continuam Romanorum Pontificum per universum Orbem prædicata & credita est, referam à Dei misericordia aut justitia bonum aut malum.

F I N I S.

Digitized by Google

ERRORIS MASSILIENSIUM ET OPINIONIS QUORUNDAM RECENTIORUM ΠΑΡΑΛΛΗΛΟΝ ET STATERA.

In qua discrimen utriusque sententiæ παραλλήλως indagatur, & compluribus notis perspicuè ostenditur.

PRÆFATIO.

In quo causa, & fructus hujus scriptionis; Propositio, & partitio dicendorum.

Sententias vestras prodidisse, superasse est. Hieron. Ep. ad Ctesiph.

QUIA hæreses novisse, refutasse est, ut jam olim rectè S. Hieronymus dixit, errorem totum Semi-Pelagianum, prout à Presbyteris Massiliensibus assertus fuit, articulatim, quasi anatomicè dissectum, Lectorum oculis duobus postremis libris de Pelagiana hæresi exposuimus: difficiliora quoque capita, ex quibus nervorum, venarum, artuum reliquorum textura nectitur, & vigor aut virus in totum corpus fluit, sigillatim & spatsim explicuimus & refutavimus; ut non difficile Lector perspicax ex iis ratiocinando deprehendere & concludere possit, quid de singulis commentis, quibus instructus fui, existimari debeat. Ex quo & alius fructus colligi poterit; ut de affinibus quibusdam opinionibus hujus temporis, faciliùs judicium ferri queat. Morborum enim veterum cognitio, non eam ob causam tantùm utilis est Medicis, quòd mentem rerum antiquarum disciplinis imbuat; sed in primis quòd ex similium aut dissimilium symptomatum serie, quæ nostrâ quoque ætate in corporibus sese manifestant, certi aliquid de sanitate eorum & ægritudine, de medicinis adhibendis prohibendisque statuant. Sed quia non est cujuslibet, symptomatum omnium, quæ in erroribus illis antiquis, & opinionibus novis apparent, similitudinem aut dissimilitudinē animadvertere, hinc contingit, ut antequam ad amussim singula excusserint, & contulerint, error ab eis non semel pro veritate capiatur, & tanquam error veritas fugiatur.

Cui malo, ut pro illa charitate, quam Ecclesiæ filiis fratribus meis infirmioribus debeo, remedium aliquod afferam, non abs re fore credidi, si examen instituerem erroris veteris Massiliensium, & opinionis cujusdam novæ, quæ hac ætate viget. Duæ quippe sunt hoc tempore capitales opiniones de gratia & prædestinatione Sanctorum, quæ inter se de sancti Augustini sensu, ipsâque veritate magnâ contentione confligunt. Una decretum in Deo ponit absolutum, quo certos sibi per Christum liberandos ex massa damnationis elegit ante omnem prævisionem operum sive meritorum, quos velit salvos facere, quosque ad salutem efficaci quâdam gratiâ consensum ipsum secum afferente perducit. Alia ex opposito statuit, nemini adulto Deum decernere salutem ante prævisionem meritorum, nemini ulla merita ante prævisum consensum & cooperationem voluntatis ejus cum gratia: cujus quidem influxum esse talem tradit, ut sit in potestate voluntatis, eam efficacem vel inefficacem reddere pro suo beneplacito: esse quippe instar habitus subjectam voluntati, ita ut eâ uti vel non uti possit, eam efficientem aut cassam reddere,

reddere, ut visum fuerit. Opinio videtur à Ludovico Molina excogitata aut expolita; quam Lessius, Vasquez, & alij non pauci celebres Scriptores amplexi sunt è Societate Iesu: cui etiam ipsa, si Scriptori Societatis credimus, in publico Theatro totius orbis Romæ adversus Antagonistas patrocinata est: ut non immeritò Societatis opinio vocari possit. Nam ea de re Iacobus Fuligattus è Societate Iesu Auctor vitæ Eminentissimi Cardinalis Bellarmini: *Quam sententiam etsi aliqui, eò quòd ex unius privati Scriptoris nata ingenio erat, minimè censebant defendi debere à Societate universa: attamen ij qui tum præerant, aliter declararunt; tum quia nostrorum Professorum pars major in Academijs eam tuebatur; tum vero quia judicabatur in primis idonea ad nostri ævi hæreses pervincendas.* Lessius quoque de eadem ista sententia, quatenus gratiæ influxum tangit, in opusculo de gratia efficaci, dicit: eam *tenet Molina, & nostra Societatis Theologi.* Franciscus etiam Suarez, & alij plures, quamvis de Electione ad beatitudinem aliquid diversum ab istis dicant, ut propterea mediam quasi sententiam teneant, in modo tamen influxus explicando, quem habet gratia, nihil quod quidem spectet ad propositum nostrum, discrepant. Nam illa prædefinitio divinæ voluntatis, quam respectu operum ante præ visionem absolutam cooperationis humanæ voluntatis ipse ponit, modum influendi gratiæ, neque mutat, neque attingit. Vnde Lessius opusculum Suarez de auxilijs, *erudito Lectori ad rei intelligentiam abunde sufficere posse tradit*: Et ipse Suarez Molinæ opinionem profitetur *non esse falsam, sed diminutam.* Nimirum quia & ipse verissimū esse sentit, quod gratiæ efficientia à voluntatis nutu & cooperatione dependet, ita videlicet, ut ea quam tradit gratia, non sit aliud nisi adjutorium quoddam potentiale *sine quo non*; quod quantum ad usum ita sit subditum voluntati, sicut ipsa sibi potentia vel habitus ejus: & quod ipsa possit efficax in actu secundo, seu efficiens, vel cassum reddere. *Quod*, inquit, *gratia congrua sive sit, neque efficax, non aliunde quam ex eorum voluntate provenit.* Quibus similia frequenter tradit. Vnde Tannerus de sententijs istis, quantum ad istum articulum, judicium ferens dicit, *Forte ad modum potius loquendi, quam ad rem ipsam pertinere* differentiam, quæ inter eas intercedit. Itaque juxta istum explicandæ gratiæ modum auctores isti liberum arbitrium cum prædestinatione & gratia tanta facilitate conciliant, ut propter facilitatis magnitudinem sententiam suam etiam veram esse concludant: *Quod tam facile ac perspicuè illa quatuor, ex capite præscientiæ media, cum arbitrij libertate cohæreant, signum est manifestum, nos integram legitimamque rationem conciliandi ea omnia tradidisse.* Et apertè profitentur non majorem esse difficultatem conciliandi *liberum arbitrium cum prædestinatione quam cum præscientia*: quamvis quando à se amoliuntur Semi-Pelagiani erroris invidiam, rem facillimam & omnibus obviam intelligere non potuisse Massilienses, persuadere conentur. Atque istam quidem de concordia gratiæ & liberi arbitrij sententiam, ex unius hominis Molinæ ingenio natam, ille quem dixi Fuligattus non immeritò tradit. Nam ipse Molina ingenuè quodam loco profitetur: *Quia res est magni momenti, ac valde lubrica; & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divina prædestinatione,* A NEMINE QVEM VIDERIM, *huc usque tradita, ideò satiùs hæc duxi paulò fusiùs explicare.* Augustinum verò *sub quasi caligine* constitutum non advertisse veram istam conciliandi rationem, ideoque *multos ex fidelibus miris in modum turbasse sententiam eius.* Quòd si tamen hæc sententia sua de prædestinatione sancto Augustino ceterisque Patribus proposita fuisset, non dubitat, *quin unanimi consensu fuisset comprobata.* Ita vir de sententiæ suæ novitate candidè, & forsan verè. Sectatores tamen ejus cùm perpenderent, quicquid in hac materia novi extra sanctum Augustinum traditur, non minùs de falsitate, quàm novitate esse suspectum; eaque de causa invidiam difficulter ferre possent, quod in re tam lubrica & magni momenti sententiam afferrent, quam nec sanctus Augustinus, nec sanctus Thomas, nec sancti Patres ad Molinam usque tradidissent; summo conatu nisi sunt eam sancti Augustini pallio supponere, in eamque rem eò usque profecerunt, ut eam opinionem, quam primus inventor ejus se suo ingenio peperisse gloriatur, ipsissimam Augustini mentem esse non dubitent; in quam proinde necesse est, imprudentem casu Molinam incidisse. Dein ostrant hoc plerumque tam infeliciter, ut ijs qui Augustini principia paulò penitius imbibere miseratione haud scio an indignatione digniores esse videantur. Tantopere quippe à vera sancti illius Doctoris mente discrepant, ut ad evertenda omnia ejus principia, quæ immobiliter adversus hostes gratiæ fundaverat, interpretationes eorum collimare crederes: atque ipse Augustinus, si revivisceret, vix in eorum scriptis de gratia & prædestinatione, ullum vestigium doctrinæ suæ cælestis agnosceret; sed eam fortè in omnibus capitibus nobilioribus, imò in omnibus penè membris minutioribus, arterijs, atque venis, cum sententia à se repudiata consentire judicaret. Quod ne temerè dixisse videar, utriusque sententiæ varia pronuntiata παραλλήλως afferam, & in quo conveniant, differant, (in nonnullis enim differunt) se invicem superent, & superentur, ex Augustinianæ doctrinæ norma, quanta potuero sinceritate & veritate patefaciam.

Iac. Fuligat. è Soc. Iesu lib. 3. c. ult. vita Cardin. Bellarm.

Lib. de grat. efficaci c. 2. n. 9.

Less. in præfat. ad c. 1. libri de grat. effic.

Suarez lib. 3. de auxil. c. 7.

Suarez lib. 3. de auxil. c. 15 n. 11.

Tanner disp. 6. de grat. q. 1 dub. 2.

Molin. q. 14. a. 13 disp. 53. memb. 2.

Less. lib. de præd. sec. 6.

Molin. q. 23 a. 4. & 5. disp. 1. memb. ult.

Ibid. mem. 6. & mem. u. s.

Proderit hic labor meus tam sapientibus quàm insipientibus, ut spero, plurimùm. Nam illi qui sciunt utriusque sententiæ convenientiam aut discrepantiam, habebunt in promptu utriusque testimonia verbis ipsorum Auctorum expressa: & in ijs ipsis, universam ejus anatomiam uni oculorum obtutui expansam: qui vero nesciunt, habebunt utrinque haud mediocre arripiendæ veritatis & fugiendæ falsitatis adjutorium. Ex quo & alia utilitas non contemnenda consequetur, quòd, quia quædā non satis maturè ponderata istius opinionis patronis imponuntur; & ab ipsis vicissim quædam tanquam Augustini sensa securè animoseque propugnantur, erroris invidia pariter & periculum dissipabitur. Itaque totum opusculum in quinque capita,

quasi in generalia membra partiemur. Ex quibus declarabitur,

Primum, *Quo pacto in oppugnanda electione hominum, seu completa prædestinatione discrepent aut conveniant.*

Secundum, *Quomodo in oppugnanda gratia efficaci.*

Tertium, *Quæ sit inter gratiam ab utrisque traditam convenientia, aut discrepantia.*

Quartum, *Quid prædestinationi apud utrosque commune, quid proprium.*

Quintum, *Quibus utrique armis pugnaverint, quibus gradibus in illam sententiam lapsi sint.*

Studui, quantum licuit, brevitati, ut instar succincti compendij seu Commonitorij hoc opusculum esse possit multarum rerum, quæ sparsim & fusius in Augustino nostro ex Augustino disputata & prolata sunt. Quam ob causam ne eadem cum tædio forsan repeterentur, ad ea loca istius operis latioris frequenter remitto, ubi latius discussa sunt: quæ ne pigeat, quæso, consulere, quisquis plenius forsan alicui difficultati satisfactum esse velit. Argumenta, quibus utrique veram Prædestinationem & Gratiam impugnant, profero tantùm, non discutio, neque solvo; eo quod alijs locis in totius operis decursu hoc abunde præstitum sit.

CAPVT PRIMVM.

Quo pacto in oppugnanda Electione hominum, seu completa prædestinatione discrepent, aut conveniant.

NOTA I.

Vtrique ex horrore prædestinationis illius absolutæ, aliam sententiam excogitarunt molliorem.

AD primum igitur quod spectat, vera ratio cur Massilienses novam viam sibi aperiendam judicaverint, ad declarandam prædestinationem & gratiam Dei, non fuit alia nisi horror *propositi divini*, seu *constitutionis Dei humanas prævenientis voluntates*: qua ipse definitum salvandorum numerum sibi eligit pro suo beneplacito. Sic enim aiebant apud Prosperum, quod *utraque parte superfluus esset labor, si neque rejectus ullâ industriâ posset intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit excidere: quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit, accidere.* B Sub hoc ergo prædestinationis nomine dicebant, *fatalem quandam induci necessitatem.* Qua de re videnda sunt quæ diximus latè libro septimo de Hæresi Pelagiana: ubi perspicuè per multa capita patefecimus, unicam causam erroris à Massiliensibus excogitati, esse fugam illius divinæ constitutionis, seu prædestinationis de salute hominum, quæ præveniendo eorum voluntates, alios ex massa eligit ad salutem, alios pro meritis damnando rejicit, prout placuit Creatori. Quod propositum à Deo intelligebant conceptum, præveniendo voluntates hominum, non solum de conferenda fide, sed etiam & maximè omnium, de ipsa æterna salute, seu beatitudine. Nam ideo conqueruntur, *sub incerta spe*, pertingendi scilicet ad finem totius stadij jam definitum, *cursum non posse esse constantem: cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio.* Ideo conqueruntur, quod *utraque parte superfluus labor futurus sit, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit excidere* à C

Apud Prosp. in epist. ad Aug.

Ibidem.
Vide lib. 7. de hæresi Pelag. c. 5. 6. 7.

A salute, quam ei dandam Deus definierat. Hoc enim pacto doctrinam S. Augustini accipiebant. In quo utrum fortassis hallucinati sint, mentem profundi Doctoris non satis assequendo, an rectè senserint, alia quæstio est, de qua suo loco diximus. Hoc saltem constat, istâ veluti teterrimâ larvâ, quæ in Augustini scriptis esse videbatur, territos, aliam sententiam fabricandam suscepisse.

Idem omnino est lapis offensionis istis recentioribus. Ægerrimè quippe ferunt id quod à multis traditur, Deum præveniendo voluntates hominum pro suo beneplacito, de æterna eorum salute & perditione, adeoque de omnis operibus eorum decernere, prout placuit Creatori. Itaque palam sententiam Augustini *duram* vocat Molina. Qua de re integros libros ipse, Lessius, & alij scripserunt. Vt enim absurda vitent, quæ ex illa sententia videntur eis perspicuè & magno numero sequi, gratiam quandam protulerunt congruam voluntati, cum qua operetur aut cesset, prout libet: & isti gratiæ prædestinationem congruentem, qua nihil Deus non solùm de æterna hominum salute, sed neque de fide, vel perseverantia, vel meritis, vel ullo opere bono hominibus largiendo quicquam statuit, nisi vel absolutè, vel certè conditionatè prævisa singulorum voluntate. Vnde alicubi Lessius: *Modus electionis indicat modum intentionis: sed tota gratia præveniens, quam Deus prædestinatis præparavit, talis est, ut ea positâ opus bonum relinquatur libero arbitrio sic instructo, adeo ut tam facile sit illi se inclinare ad malum, vel omissionem eius, quam ad eius effectionem; sicut in Angelis & primo homine proportionaliter loquendo factum. Rursus gratia præparata electis non distinguitur à gratia reproborum, nisi effectu & cooperatione, quæ pendet à libertate nostra: atqui talis præparatio mediorum non indicat intentionem Dei absolutam, sed conditionalem, sicut ostensum est in causa Angelorum.*

Lib. de prædest. & reprob. sect. 5. n. 34.

NOTA

NOTA II.

Nasci ex ea fatum causantur.

CAusæ verò, cur illi quos diximus recentiores Scholastici tantopere propositum ipsum abhorreant, multæ profectò sunt, & eis valdè videntur graves: inter quas ista non postremo loco ab eis numeratur, quod hujusmodi prædestinatio salvandorum, non aliud quàm Gentilium *fatum* esse videatur. Hanc illi unam abhorrescentiæ suæ causam passim profitentur. Vasquez disputans de decreto talis prædestinationis, seu electionis: *Tale decretum non dubitarent Augustinus & Patres* FATALE *appellare, quod similem nobis necessitatem imponeret.* Augustinum nominat, quia sensum ejus non assequitur. Lessius: *Nihil videtur magis inducere torporem, mœrorem, & desperationis motus, quam persuasio illa, de omnibus & singulis absque ullo operum intuitu, tam firmiter esse statutum; & res omnes sic disponi, ut omnia eveniant, sicut absolutis illis, &* INFLEXIBILIBVS ET PLVSQVAM ADAMANTINIS DECRETIS EST *sancitum.* Cujusmodi decreta locis alijs nominant [a] *fatum*, [b] *fatum plusquam adamantinum*, [c] *fatum inevitabile*, [d] *fatalem necessitatem*, [e] *& vitam hominis fato alligatam esse.*

Vasq. 1. p. disp. 89. c. 10.

Less. de præd. sect. 6. n. 79.

a Less. de gra. efficaci c. 3. b ibid. c. 16. c ibid. c. 3. d Molina q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. mem. 12. e Less. sup. s. 3 n. 12.

Eadem prorsus fuit querela Massiliensium, de eadem illa prædestinationis constitutione, quæ humanas prævenit voluntates. Vocabant enim eam fatale decretum, & fatalem legem: *Sub pietatis fronte*, inquit Faustus, *gentilitatis malum, & inter gratiæ vocabulum, absconditum erit fatale decretum.* Et capite duodecimo: *Recedat hinc originalis definitio, vel fatalis.* Et de Massiliensibus Prosper: *Ea quæ de fato tacitant, neque ipsum quidem onerant* (sanctum Augustinum) *in cujus libris copiosissimè hujusmodi destruuntur errores.* Qua de re qui plura cupit, videat quæ libro septimo de Hæresi Pelagiana diximus.

Faust. lib. 1. cap. 4. Cap. 12. Prosp. Epist. ad Rufin. in fine. Lib. 7. c. 8. & 9.

NOTA III.

Tolli libertatem arbitrij.

SEcunda horroris ratio est læsio libertatis, ut quæ per hujusmodi decretum prorsus pereat. Vrget eam Lessius vehementer, putans omnino per hujusmodi decreta, quæ ante omnem prævisionem futurorum gloriam & merita hominibus prædefinit, *Tolli perfectam libertatem*, sive homo decreta illa sciat sive nesciat. Et Molina: *Certè non video, quanam ratione patentissima libertas arbitrij nostri, quam experimur, quaque tam apertè in Scripturis sanctis traditur, cum divina prædestinatione ita explicata cohærere valeat.* Eundem interitum libertatis ex ista prædestinatione secuturum conficit Vasquez: quia, inquit, *omnino liberum non manet ijs qui electi sunt, non consequi coronam, ac proinde libertas eorum læditur, & impeditur.* Quod ibidem exequitur latius. Gregorius de Valentia idem saxum volvit.

Vide Less. de præd. sect. 6. n. 17. & seq.

Molina q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. mem. 6.

Vasq. 1. p. disp. 89. c. 10.

In 1. p. disp. 2. q. 23. punc. 4.

Massilienses etiam in ista eadem texenda querimonia præsultores fuerant. Ita Faustus in libris suis: *Apertè ostendit Paulus, statum ho-*

Faust. lib. 1. cap. 12.

A *minis non pro constitutione Dei, sed pro arbitrij libertate posse versari.* Et alibi: *Dum liberi intercemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædestinatione statuta & definita esse pronuntiat.* Sed de ista querela infrà pluribus, cùm ad gratiam prædestinationis effectum, ventum fuerit. Ibid. c. 4.

NOTA IV.

Afferri desperationem.

TErtia abhorrendæ istius prædestinationis ratio est, quia talis Dei constitutio, quæ prævenit hominum voluntates, nihil aliud nisi desperationem quandam salutis afferre nata est. Quod incommodum tanquam gravissimum sæpius recentiores & vehementer inculcant. Nam Lessius de hujusmodi prædefinitione loquens: *Gravissima profectò est ista animi afflictio; & interdum tanta, ut homines ad desperationem, & mortem spontaneam adigat.* Less. lib. de præd. præfat. ad Lector.

B Et in eodem libro alio loco: *Persuasio de absoluta electione, ante omnem operum prævisionem, nescio ad quid sit utilis, nisi ad licentiam vitæ, & desperationem.* Ibid. sect. 3. n. 31. Et mox: *Quorsum ista doctrina pertineret, nisi ad injiciendam hominibus desperationem?* n. 32. Molina similiter queritur, *Quod hæc sententia occasionem præbet hominibus dejiciendi animo, ne dicam desperandi.* Molina q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. membro. 6.

Fluxit & ista ex Massiliensium fonte querimonia. Nam apud Prosperum dicunt: *Ex utraque parte superfluum laborem fore, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerit, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit accidere, & sub incerta spe, cursum non posse esse constantem.* &c. Prosp. ad Aug. De qua desperationis querela identidem Augustinus, & Hilarius ad Augustinum: *His sanctitatis tuæ verbis ita moventur, ut dicant quandam desperationem hominibus exhiberi.* Aug. de dono pers. c. 17. Hilar. Epist. ad Aug. Et Faustus:

C *Quid enim ultra speres, quem jam gratia suum fecit? In quo è contrario non desperet, quem præfinitio violenta damnavit?* Faust. lib. 1. de lib. arbit. cap. 4. Ipsissimum videlicet, quòd in ista prædestinatione quam dixi, recentiores malè habet.

NOTA V.

Induci socordiam, torporem, & ignaviam.

PRæcedenti querelę vicina prorsus alia est; quòd ista de prædestinatione persuasio socordiam, torporem, ignaviam afferat hominibus Christianis. Quid enim laboret aut sollicitus sit, qui se prædestinatum, inquiunt, esse putet? Audi Lessium sæpè stomachantem; *Nihil videtur magis inducere torporem, mœrorem, & desperationis motus, quam persuasio illa de omnibus & singulis absque ullo operum intuitu iam firmiter esse statutum, & res omnes sic disponi, ut omnia eveniant, sicut absolutis illis, inflexibilibus, & plus quam adamantinis decretis est sancitum.* Less. de præd. sect. 6. n. 79. Et multo

D superius: *Videtur planè hic modus electionis tollere omnem sollicitudinem bonorum operum, & salutis, &c. Rursus non est quod sim sollicitus de bonis operibus, aut perseverantia, quia hæc omnia mihi cum omnibus suis circumstantijs sunt decreta.* Ibid. sect. 2. n. 15.

 Et infra

Digitized by Google

Ibid. Et infra: *Cur ergo sim sollicitus? Sit potius (ut humano more loquar) sollicitus ille, ut decreta ipsius impleantur.* Addit & ratiocinationem: *Vel sum de numero Electorum vel non sum* &c. & concludit utrimque nullam sollicitudinem adhibendam esse. Consentit & in refricanda ista querimonia Ludovicus Molina in loco quem citavimus: ubi dicit, quod *hæc sententia occasionem præbet hominibus segnius operandi.* *Loco supra citato.*

Idem ipsum & Massiliensibus permolestum fuit. Nam ideo dicunt apud Prosperum, *hoc propositum vocationis & lapsis curam resurgendi ad mere, & sanctis occasionem teporis afferre*: quod est ipsissimum istud, quod Molina dixit. Et causam addunt, quam jam supra dedimus, *Eo quod utraque parte superfluus labor sit* &c. *Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit accidere.* Nonne est illa ipsa Lessij ratiocinatio? Et uberius: *Removeri itaque industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.* Vnde & Faustus dicit, in illa sententia *illustres viros per quietem & desidiam coronari.* *Prosp. Epist. ad Aug.* B *Lib. 1. c. 11.*

NOTA VI.

Studium virtutis retundi.

SIcut autem in animo sollicitudo, ita in opere conatus omnis ex ista electionis persuasione retundi videtur. Inculcant & istud incommodum in hac sententia recentiores aliquoties. *Omne studium*, inquit Lessius, *bonorum operum eluderetur.* Et alibi: *Nullâ incuriâ excides; nullâ diligentiâ intrabis.* *Less. de præd. sect. 1. In præfat.*

Et hoc ipsum ex Massiliensibus desumptum est, qui conquerebantur, quod *si aliud habeat prædestinantis Electio, cassa sit annitentis intentio.* Et in eadem Epistola dicunt, quod *superflua erit industria & laboris indictio, cuius studium cessante Electione frustrandum sit.* *In Epist. Prosp. ad Aug.* *Ibid.*

NOTA VII.

Incitari homines ad licentiam ac dissolutionem vitæ.

QVod si homines à studio laboris ac virtutis ista sententia retrahere eis videtur, non minus justè se conqueri putant, quod ad licentiam ac dissolutionem vitæ potenter incitet: Qua de re ita Lessius: *Audivi multos doctissimos & optimos viros eam* (sententiam de electione ante prævisa opera hominis) *hoc nomine graviter accusare, quod metuerent sibi effrenem vitæ licentiam, si eam in animum demisissent.* Et ibidem, quod expensa ista sententia *pareret scandalum & vitæ licentiam.* Vrget istud incommodum pressè Gregorius de Valentia hoc syllogismo: *Si prædestinatus sum quicquid hoc tempore faciam, certissimè tandem salvabor. Consultum igitur erit perfrui quibuscumque potero voluptatibus. Si autem non sum, similiter etiam quicquid iam faciam, certissimè tandem condemnabor. Fruar igitur iam quibus potero voluptatibus* &c. *Less. lib. de prædest. sec. 2. ratione 10.* *Ibid.* *Disput. 1. q. 23 in 1. parte punct. 4. in Coroll.* D

Sed ista quoque querimonia ex illa ipsa Massiliensium officina prodijt, unde etiam Gregorius de Valentia & socij ejus didicisse videntur. Commemorat enim ipse in eodem loco Monachum quendam simili argumentatione commotum ex Augustini Monasterio, teste ipso sancto Augustino, velut canem ad vomitum, ad sæculi voluptates esse conversum. Vbi memor esse debuisset, sanctum Augustinum ibidem adversus Massiliensium similem syllogismum prædestinationi à se traditæ objectum acriter disputare: *Ista cùm dicuntur*, inquit Augustinus, *ita nos à confitenda Dei vera gratia, & à confitenda secundum eam prædestinatione sanctorum, deterrere non debent: sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, et dicat: Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel bonos, si bonos, vel malos, si malos.* A *Lib. de bono pers. c. 15.*

NOTA VIII.

Laudem detrahi operibus bonis.

DEinde etiam illud in hac sententia prædestinationis istius molestè ferunt, quod omnis laus ab operibus bonis tolleretur, quæ tam omnipotenti Dei voluntate hominibus ex vi prædestinationis decreta sunt. De justis dicent, inquit Lessius: *Quid mirum, si isti bona opera fecerunt, si perseveraverunt, si salvati sunt? Deus enim illos præ cæteris absolutâ voluntate ad gloriam selegit: Deus omnia & singula eorum bona opera cum omnibus suis circumstantijs, & perseverantiam in gratia ante omnem prævisionem futurorum prædefinivit. Quid laudis habet talia bona facere, quæ spectato Dei decreto, impossibile erat omittere?* Et alibi contendit per istam electionem & operum præfinitionem derogari: *Laudi & gloriæ sanctorum, quæ in eo sita est, quod absolutè potuerint transgredi, & omittere bona quæ fecerunt, & tamen non sunt transgressi, ut Ecclesiastici trigesimo primo dicitur. Parva enim videtur laus facere bona, quæ tantis decretis, & tantâ providentiæ curâ sunt præparata & vallata, ut absolutè omitti nequeant.* Quæ querela ex ista radice nascitur, quasi libertas arbitrij ex Dei præde finitione læderetur. Antiqua & raucida est etiam ista objectio. *Lib. de præd. sect. 2. n. 13.* *Ibid. n. 17.* C

Quæ jam olim in Semi-Pelagianorum adversus prædestinationem luctantium solo nata fuit. Sic enim Faustus, quo nemo molestius ejus immobilitatem tulit: *Erga hominem nostrum non poterimus laudi conferre palmam, si volumus necessitate servare naturam.* Præmiserat enim paulo superius: *Cui natura prima ista sit laudis occasio, ut peccare possit & nolit.* Ex prædestinatione enim necessitatem nasci, & libertatis istius indifferentis interitum, eodem modo, ut recentiores, æstimat, & non semel docet, ut infra cum de gratiæ efficacis incommodis loquemur, ostendendum est. *Faust. lib. 1. cap. ult.*

NOTA

Digitized by Google

NOTA IX.

Orationes refrigescere, aut extingui.

NEc minus malum ex parte orationum, quas frequentat Ecclesia, recentiores ex ista prædestinatione, quæ voluntates hominum antegreditur, sequi putant. Illas enim vel frigidas fore, vel extinctum iri, si vera est illa sententia, arbitrantur. Qua de re Vasquez in illa citata disputatione octogesima nona in primam partem adversus electionem istam ante prævisa opera: *Frustra diceremus: Adveniat regnum tuum, si illud consequi aut amittere in nostra positum non est libertate, nec ex nostra oratione ullo modo pendet.* Sed unaquamque suam timet, quasi verò nihil à libertate vel oratione nostra penderet, quod à Deo ut fiat constitutum sit. Eodem quippe modo ratiocinabantur Massilienses, prout ipsemet in eodem loco testis est, hallucinando potius alio se, alio Massilienses collimasse, ac diversam ideo utrorumque esse rationem. Illos tamen hujus querelæ ingeminandæ auctores & præceptores sibi fuisse adjiciendo testatur: *Sic inferebant Massilienses*, inquit, *contra Augustinum, dum de electione ad gratiam esset sermo.* Quod quamvis esset verum, nihil futilitati illius querimoniæ officeret. Sed quid Faustus putidissimus ille Semi-Pelagianus? Nonne contra totam prædestinationem ad æternam vitam, tanquam immobili decreto & nullius orationis instantiâ violabili firmatam, eandem querelam recentioribus iterum iterumque recoquendo præcinuit? *Quid orare homini proderit, in una harum duarum conditione omnimodis constituto? Nam etsi ad quam partem fuerit deputatus ignorat; utramque tamen partem defixam & immutabilem non ignorat.* Et infra: *Alterutrum ergo faciat, aut fructum orationis neget, aut legem statuta perditionis excludat.* Et iterum paulo post: *Qui unum in origine perditum, alterum in prædestinatione affirmat electum, vide quo improba persuasione declinet. Quid enim aliud dicit, nisi quod adjutorio orationis neuter indigeat?* Causam accipe ipsissimam illam Vasquez: *Nam jam præordinatis ad vitam oratio necessaria non erit, deputatis ad mortem prodesse non poterit.* Quod adhuc latius prosequitur, & aperto marte sententiam sancti Augustini de prædestinatione, qua pro ejus beneplacito, alij ex origine damnati ad æternam mortem, alij ad vitam deputantur, eodem illo à Massiliensibus intorto telo quatit.

Vasquez, disp. 89. in 1. p. cap. 10.

Ibid.

Faust. lib. 1. de lib. arbit. cap. 4.

NOTA X.

Spem impetrandi tolli ex incertitudine divini illius propositi.

ET quia oratio nititur spe impetrandi, ipsam quoque spem obtinendi dona quibus homines salvi fiunt, funditus ex animo tolli recentiores putant; eò quod incertum sit, an & cui Deus illa, præveniendo voluntates hominum, donare constituerit. Non enim videtur esse sapientiæ, confidere te acceptu-

A rum gratiam, aut auxilium, quod incertum est, utrum alter dare velit. Itaque Lessius: *Quomodo omnes possunt & debent firmissimam spem in Dei auxilio reponere, cum omnino sint incerti, an Deus illis illud auxilium præordinaverit? Non enim possum firmam spem ponere in eo auxilio, quod an mihi præparatum sit, ignoro. Fatuum esset dicere dictæ, qui firmam spem poneret in auxilio & suppetijs incertis.*

Less. lib. de gratia efficaci cap. 7. n. 1.

Ipsissimo isto scrupulo de incertitudine voluntatis Dei laborarunt Massilienses, eoque pressi prædestinationem Augustini repulerunt: *Nec ad incertum voluntatis Dei dedi se volunt*, inquit Hilarius ad Augustinum. Et Augustinus ipse cum se mirari dixisset, homines *infirmitati sua se malle committere, quam firmitati promissionis Dei*, Massiliensium scrupulum & verba sibi refellenda proponens: *Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei:* quibus continuo reponit:
B *Quid ergo? Tuane tibi voluntas de te ipso certa est, nec times? Qui stat, videat ne cadat. Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit?* Et in libro de dono perseverantiæ Massiliensium timorem simillimum illi, quem paulo ante expressit Lessius, à prædestinatione abhorruisse testatur, eo quod vererentur, *ne plus desperatio, quam exhortatio videretur asseri, dum cogitant qui audiunt, INCERTUM ESSE HUMANÆ IGNORANTIÆ, cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.*

August. lib. de præd. SS. cap. 11.

Lib. de dono pers. c. 17.

NOTA XI.

Exhortationes, & correptiones languescere, & auferri.

NEc orationes tantum nostras pro nobis ipsis inanes effici, sed etiam exhorta-
C tiones & correptiones, quibus alios ad bonum incitamus, aut revocamus à malo, prorsus languidas fieri, & extingui criminantur. Hinc Lessius adversus illa decreta Dei, quibus absolutè ante prævisionem operum aliquis beandus constituitur, concludit neminem verbis Apostolicis ad patientiam excitantibus multum excitandum esse, si de absolute electis intelligantur: *Diceret enim*, inquit, *quisque fidelium: Ego sum jam vocatus, & justificatus; absolute mihi decreta est gloria; quid opus ut multum patiar in posterum? Non enim possum frustrari eo, quod mihi absolute ante omnem operum prævisionem est præparatum.* Et simili sensu tradit multis interpositis, electos solos insulsè Apostolicâ exhortatione compellari: *Quia non solum frigida, sed etiam insulsa esset talis exhortatio: Estote patientes in persecutionibus, quia illæ omnes cedent vobis in gloriam, si estis ex illis absolute electis ante operum prævisionem.* Sed insulsi medici est, etiam bonum
D medicamentum præposterè applicare, sicut hic auctor facit. Nam quo pacto hujusmodi exhortationes ad omnes fideles tanquam electos non insulsè, sed aptissimè dirigantur, ac urgendæ sint, Augustinus præclarè tradit: prout nos etiam in libro decimo de Gratia Christi Salvatoris diximus.

Less. de præd. sect. 3. n. 3.

Aug. lib. de dono persev. c. 15.
Vide lib. 10. cap. 9.

Sed

Expressa est ista criminatio Massiliensium verbis, hoc ipsum ex Augustini prædestinatione sequi, invidiosissimè conclamantium. Objectio enim Gallorum nona erat: *Quòd non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.* Et prima Vincentiana: *Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.* Imitatus est eam infeliciter Faustus, qui Christum pro omnibus mortuum esse, adversus quorundam prædestinationem ad vitam, invidiosissimè premit.

Faust. lib. 1. cap. 16.

NOTA XV.

Deum futurum acceptorem personarum.

ACcedit, quòd, Gregorio de Valentia judice, Deus esset acceptor personarum, si non nisi certos absque operum prævisione ad vitam prædestinasset: *Si in hominibus,* inquit, *ut à Deo prædestinentur, non requiritur pia cooperatio, quæ à Deo tanquam effectus unus prædestinationis fuerit præscita; Deus, quod absit, esset aliquo modo acceptor personarum, quòd non omnes prædestinet.* Et mox addit quod illud beneficium omnibus ex justitia propter merita Christi deberetur.

Loco statim cit. prox. 37.

Hæc, fateor, querela non est à Massiliensibus profecta, quod sciam; sed Pelagianis propria fuit, & non semel adversus Augustinum vibrata. Sed Massilienses tanquam peccati originalis, atque universalis damnationis inde consecutæ conscij, probè noverant liberationem à damnatione nemini prorsus esse debitam: sed esse maximè gratuitæ misericordiæ beneficium. Prout autem executioni per dona gratiæ mandatur, etiam sic respectu liberandi aut liberati esse prorsus gratuitam; nec alios Christi meritis deberi, quàm quos Pater ei salvandos dedit, pro quibus etiam salvandis, *non pro mundo rogavit,* & pretium redemptionis obtulit. Vnde puduit ipsos falsam & putidam Pelagianorum vocem ab inferis revocare: quò magis profectò mirum est, virum Catholicum, quem fides imbuerat, omnes ex uno in condemnationem lapsos esse, nec nisi gratuitâ gratiâ inde liberari, in hac re personarum acceptionem, & injustitiam Dei adversus Christum somniare potuisse.

NOTA XVI.

Peccata reproborum Christianorum in Deum redire.

SEd adhuc magis immania proferunt secutura contra justitiam Dei: nempe peccata reproborum Christianorum quibus à justitia cadunt, & extra felicissimum prædestinatorum numerum ruunt, in Deum reditura: eò quòd ipse, insidias hominum saluti struendo, curaturus sit ne vel lapsi redeant, vel ut stantes cadant; ne alioquin decretæ prædestinationis immobilitas & certitudo violetur. Itaque Gregorius de Valentia ex isto prædestinationis modo infert: *Deum reddere quantum ex se est, impossibilem salutem ijs hominibus, quos non prædestinat.* Disertius exequitur querelam illam obsoletam Lessius: *Sicut ad providentiam Dei pertinet, ut salvetur numerus sic electorum: ita ad eandem pertinere videtur, ut alij, qui ab illa electione sunt exclusi, non fiant salvi: quia alioquin posset fieri ut aliquis ex istis in numerum illum intraret, quod est absurdum. Quare cùm ex tam immensa multitudine nemo salvetur, signum est, id aliqua particulari providentia provisum.* Et inferius exprimit veluti ratione nixas impiorum voces: *Ipse nos implanavit, ipse nostræ saluti insidiatus est; ipse eam nobis impossibilem reddidit; alioquin qui fieret, ut ex tam immensâ multitudine nemo salvus fieret?* Et alijs in locis aliquoties repetit, quod in isto prædestinandi modo, qui fit ante prævisa merita, *ad providentiam Dei pertinet curare, ne non electus in numerum illum intret; & impedire, ne salvetur.* In quibus imaginationibus iste auctor tantopere sibi placet, ut quæ ante oculos sunt, non videat; non esse videlicet opus, ut quemquam Deus impediat, quemquam impellat, quemquam deturbet è justitia, quemquam arceat, ne irrepat in numerum electorum, ut ipse loquitur: sed opus esse, ut ipse potenti gratiâ mortuum suscitet, infirmum roboret, justum teneat, diabolum comprimat, & opitulatricem manum diu noctuque adhibeat: alioqui, veluti dux in præceps, mox suopte propriæ infirmitatis pondere deorsum in peccata ruiturus est. Sed ejusmodi chimericæ phantasiæ ex ista congruarum & incongruarum gratiarum assidua dispersione cogitandi libertate fabricatâ, proficiscantur.

Disp. 1 q. 23 de prædest. puncto 4. Corell. 3.

Less. de præd. sect. 2. n. ... tione ...

Ibid. sect. ...

Less. Sect. 5. n. 61. & n. 58. & 59. & n. 51.

Sect. 5. n. 58.

In quibus profectò comminiscendis Massilienses ante se architectos isti recentiores habuerunt. Nam & illi apud Augustinum querebantur, ex ejus prædestinatione sequi, quòd *qui obedirent, si prædestinati essent rejiciendi, subtraherentur obediendi vires, ut obedire cessarent.* Quod & Galli apud Prosperum repetunt: *Quòd quibusdam vocatis, & piè justèque viventibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.* Nonne est ipsissimum illud, quod Lessius dixit, *insidiari Deum ipsorum saluti?* Et quod Vincentius apud eundem Prosperum clamat: *Quod hac sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit;* nonne id ipsum est, quod dixit Lessius, Deum impedire ne salventur, providere ne salvi fiant, reddere salutem impossibilem? Et quod in alia objectione dicitur: *Quod velit Deus, ut magna pars sanctorum à sanctitatis proposito ruat; quod velit, ut magna pars Catholicorum à fide apostatet;* nonne est illud, quod Lessius intulit, dici posse Deo: Ipse nos implanavit? Ita nihil pænè tam absurdum à Massiliensibus excogitatum est, quod non vel imprudentes, vel etiam prudentes isti sibi vendicarint.

Apud Aug. lib. de dono persev. c. 15. Obiect. 12. Gall.

Obiectio 7. Vincent. apud Pros.

Obiect. 8. & 9. ibid.

NOTA XVII.

Homines condi, ut pereant.

NAm etiam istud sequi arbitrantur, quod Deus homines condat, ut pereant. Sic enim Lessius: *Addo in hac sententia difficile esse explicare,*

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo in oppugnanda gratia efficaci conveniant, aut differant.

NOTA XIX.

A

Repudiant gratiam quæ humanam sibi subjicit voluntatem

IN oppugnanda vera Dei gratia, quæ per Augustinum nobis tradita est, non minor profectò similitudo reperitur. Eadem quippe & Massilienses tunc, & recentiores isti nunc adversus operationem divinæ gratiæ obmurmurant. Et quamvis ipsi pleraque similia sint, quæ prædestinationi ab eis objecta vidimus, ex alio tamen capite prædestinationi, ex alio efficaci gratiæ opponuntur. Illi maxime propter immutabilitatem, quâ voluntates ab æterno preveniendo, de salute quorundam, nullâ operum consideratione, decerneret: hinc præcipue propter temporalis operationis efficaciam.

In primis igitur gratiam illam rejecerunt Massilienses, *quæ humanam sibi subjicit voluntatem*, ut Prosper notat: hoc est, illam quæ voluntati efficaci potestate ita dominatur ut in ea ipsum etiam primum velle operetur; non eam cui voluntas ita dominatur, ut eam efficacem vel inefficacem & cassam reddat, si voluerit. Quod verum esse, alibi late asseruimus, & infra forsan aliquid dicturi sumus.

B

Quid vero recentiores nonne illam ipsam omnibus oppugnandi viribus expugnare nituntur? Profitentur enim palam, se illam aversari gratiam, quæ determinat voluntatem, hoc est, cujus usus vel non usus non dependet à voluntatis dominantis nutu, sed ipsa inferit usum sui, *humanam sibi subjiciens voluntatem. Efficit enim primum, ut velimus, & ex nolentibus volentes facit.* Illam vero se amplectî gravanter confitentur, cujus usus voluntati subditur, & facit aliquid aut non facit, prout voluntatis arbitrio placet. Unde illud Lessii: *Neque gratiam subjecimus voluntati, sed usum gratiæ.* Quasi vero aliter gratia subjiceretur voluntati, quam cum usus ejus & non usus, actio ejus & cessatio à voluntate suspenditur. Hinc frequens eorum phrasis: *Liberum arbitrium cassum potest facere auxilium Dei: Gratia dicitur efficax vel inefficax ab effectu*, & hujusmodi; quibus evidenter ista subjectio exprimitur. Et quamvis ipsi verissima hæc esse putent; nos tamen alibi non obscure patefecimus, nullum in his sententiis relinqui gratiæ Christi locum, sed solam eis liberi arbitrij naturam superesse, quæ velle in eis & operari oberetur.

C

In Epist. ad Aug.

In Apologia Sancti Aug. lib. 6. c. 7.

Less. de grat. efficaci c. 12. n. 2.

Mol. in concor. passim.

NOTA XX.

Ratio repudiandi, quia uni datur, alteri negatur.

CAusæ vero, cur hujusmodi gratiam tantopere aversentur, prorsus ipsissimæ sunt, quibus Massilienses ad eam detestandam oppugnandamque moti sunt. Et prima quidem illa fuit, quod gratia à sancto Augustino prædicaretur talis esse, quæ non omnibus promiscue accipere volentibus offerretur, sed judicio Dei occulto daretur uni, alteri negaretur; sicut in Augustini scriptis identidem inculcatur.

Hinc illud Fausti adversus istam solemnem sancti Augustini & Prosperi doctrinam: *Veniendum*, inquit, *veniendum est ad illos*, *qui cum gratiam alijs dari, alijs negari asserunt, gratiæ inimicum cum Pelagio perdiderunt.* Et in eodem libro rursus: *Quàm tam immemor salutis suæ sit, qui attrahentis majestatem illam negare præsumat? Sed ille vere impius est, qui eam non omnibus ingerit, non omnibus testatur impendi.* Simili modo Massilienses de quibus Prosper & Hilarius, molestissime ferebant in hunc sensum illud ab Augustino usurpari: *Sicut unicuique partitus est mensuram fidei*, quasi uni *data sit ut velit, tradita ab hoc dono alijs pariter reus.*

Hoc ipsum graviter istis recentioribus displicet. Nec enim ferre possunt, gratiam ita dispensari à Deo, ut eam uni det, alteri neget: sed omnibus communiter eam impendi volunt. Itaque pari prorsus modo gratiam sufficientem quandam omnibus omnino hominibus quantumcumque perversis expositam tradunt. Quæ doctrina quia ex eorum libris notissima est, nullis testimonijs opus est. Videat qui volet Lessium, Suarez, Molinam.

Faust. lib. 1. c. 3.

Ibid. c. 17.

Hil. in Epi. ad Aug.

NOTA XXI

Quia destruit libertatem quando datur.

ALtera eaque celebratissima fuit, quod destrueret libertatem arbitrij nostri, idque sive nobis à Deo donaretur, sive negaretur. De primo nunc, de altero sequenti observatione id ostendendum est.

Perire itaque libertatem arbitrij per gratiæ istius, quam prædicabat Augustinus, efficaciam, sexcentis tundebant cælum & terram querimonijs. Unde Prosper ad Ruffinum: *Scripta eius* (sancti Augustini) *quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant; dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere.* Et iterius: *Nimium vero impie, nimiumque inconsiderate ab adversantibus dicitur, quod per hanc Dei gratiam*

Less. lib. de præd. sect. c. 1. q. 5. & 10. Suarez de auxil. lib. 3. c. 6. Mol. in Concord. q. 14. a. 13. d. Sept. 10. & q. 23. a. 4. & 5. disp. 4.

Prosp. Epist. ad Ruf.

Ibid. in fine.

Digitized by Google

Faust. lib. 2. de lib. arb. c. 6. *Lib. 1. c. 11.* *Faust. lib. 2. de lib. arb. c. 8.*

tiam, libero nihil relinquatur arbitrio. Itaque *coactionem* per gratiam inferri voluntati, & *necessitatem*, gratiamque *solitariam* sine concursu videlicet voluntatis, operari salutem, incunctanter asserebant. Imo *brutis animantibus* hominem similem, vel potius pejorem fieri; quandoquidem *sicut mare magnum, quod huc atque illuc ventis agitantibus volutatur, ita ad quodcumque bonum vel facimus, sine ullo affectu suo, solo divinæ potestatis impulsu, mens humana versaretur. Ecce hæreticus* (quem non alium quam sanctum Augustinum cum suis intelligit) *sub prætextu gratiæ, qualem vult hominem esse post gratiam.* Vbi perspicue vides, quo sensu Faustus gratiam Christianam ac veram in voluntate operari crederet. Nonne insaniæ simile videretur, si de gratia cujus usus instar cujuslibet potentiæ, instar habitus, instar specierum, innstar lucis, instar concursus illius indifferentis Dei, voluntatis nutui ad amussim subditur, tales expostulationes & ejulatus, non ab ignaro vulgo, sed ab acutissimis viris, funderentur? Nonne recentiores gravissime adversus eos moverentur, à quibus tam brutus sibi stupor affingeretur, ut gratiam illam ab ipsa cooperatione voluntatis efficacem, quam ipsi docent, libertati voluntatis adversam credere putarentur? Et hoc tamen de Massiliensibus quoquo modo credi volunt, ne alioquin ab eis doctrinam ac sensa sua derivasse credantur.

Quam vero sint ipsis in hac expostulatione similes, res ipsa clamat, & voluminibus plenis ubique protestantur, Molina, Vasquez, Gregorius à Valentia, Suarez, Lessius, & alij. Nihil enim invidiosius passim inculcant, quam per gratiam, quæ ad volendum, consentiendum, agendum prædeterminat voluntatem, funditus everti libertatem: ut non sit opus testimonijs eorum corrogatis hoc astruere.

NOTA XXII.

Quia destruit eam etjam cum negatur.

QVod vero libertatem etjam everteret illa gratia, quando divino judicio subtrahitur, non minus invidiose Massilienses questi sunt. Nam apud Augustinum *extra culpam se videri volunt, qui non obediunt Deo*, quia *obedientia*, hoc est, gratia ad obediendum, *munus Dei est. Hanc*, inquiunt, *non accepimus. Quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, & nostro arbitrio dare nolimus?* Istas enim Adrumetinorum querelas fuisse quoque Massiliensium, in Epistola sua Prosper affirmat. Hinc & Faustus: *Dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædestinatione statuta & definita esse pronunciat, etiam suprema remedia pœnitentiæ sensu abrupta pietatis evacuat.* Ita vero inscribit libros suos: *Professio fidei adversus eos, qui dum per solam voluntatem Dei, alios dicunt ad vitam attrahi, alios in mortem deprimi, hinc fatum cum gentilibus asserunt, inde liberum arbitrium cum Manichæis negant.* Nam duplex in eis verbis Augustinianæ doctrinæ caput impetit, pri-

Lib. de Cor. & grat. c. 4. *Faust. lib. 1. c. 1.*

A mum, quod Deus per solam voluntatem, hoc est, per gratiam suam, alios ad vitam attrahere diceretur; alterum, quod alios in morte relinqueret, vel reprobaret.

Idem omnino non semel adversus gratiam illam ex se efficacem, quæ non omnibus datur, recentiores ingeminant. Lessius: *Antequam detur motio efficax, non est in ipsius potestate eam habere, ut sæpe ostensum est, ac proinde nec opus bonum facere: Vnde nullum instans dari potest, in quo sit potens ad utrumlibet; quod tamen ad rationem libertatis requiri, supra capite quinto ostendimus.* Idipsum docet & alijs locis. Nec ceteri dissentiunt. Putant enim nullo modo imputandum esse peccatum, tanquam non liberâ voluntate factum, si gratia, sine qua vitari non potest, negaretur.

Less. de grat. effic. c. 9. n. 4. *Vide c. 5. n. 11. latius.* *Suarez. lib. 3. de auxil. c. 6.*

B

NOTA XXIII.

Quia præceptum fit hominibus impossibile.

DEinde, quod ex præcedenti sequitur, si subtrahitur gratia illa vitando peccato, vel faciendo operi, quod præcipitur, necessaria, jam præceptum fit hominibus impossibile. Ita conqueruntur in superiori observatione Monachi Adrumetini: *Cur corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus?* Quasi dicerent, impossibile est nobis facere quod præcipitur, quia gratiam non accepimus, qua fieri possit. Vnde & Faustus: *Quomodo prædicat gratiam, qui misericordiam negat? Quomodo videtur asserere Dei donum, cum tollit auxilium &c. Quomodo mihi dicitur, Declina à malo & fac bonum, si jam malum declinare non possum?* Per istius videlicet misericordiæ seu gratiæ subtractionem.

Lib. de Cor. & gra. c. 6. *Faust. lib. 1. c. 11.*

C Accurate hoc imitatur Lessius: *Si præter cetera auxilia requiritur ad singula opera motio* (id est gratia) *quædam determinans, quam habere non sit in potestate, utpote quam Deus pro paucis prædestinavit; plurimi profecto sunt, quibus præcepta Dei sunt impossibilia.* Idipsum docent alij multo majori, ut eis videtur, ratione, si gratia sufficiens ad implenda præcepta subtrahatur. Concludunt enim eadem quâ Massilienses ratione subnixi; præcepta fore impossibilia: *Offert ergo Deus hoc auxilium*, inquit Lessius, *alioquin sequeretur, & Deum jubere impossibilia, & nos peccare in eo quod vitare non possumus: vel certe violando divina præcepta nos non peccare.*

Less. de grat. effic. c. 7. n. 3. *Less. de præd. sect. 6. n. 65.* *Vide Suarez. l. 3. auxil. c. 6.*

NOTA XXIV.

Quia frustra erunt præcepta, exhortationes, correptiones.

D EIusdem rationis est, eodemque fundamento innixum, quod conquerebantur, frustra futura præcepta, exhortationes, & correptiones. De quo in præcedentibus duobus capitibus audivimus Massiliensium voces. Similes passim fundunt etjam recentiores: *Denique frustra erunt præcepta, frustra consilia, frustra exhorta-*

Less. lib. de grat. effic. c. 9. n. 16.

exhortationes, & correptiones. Nemo enim his bene uti poterit, sine auxilio efficaci, quod non est in ejus potestate. Ita Lessius.

NOTA XXV.

Quia naturæ vires nimium deprimuntur.

ALia ex causa Massilienses putabât superfluam fore exhortationem, correptionem, & similia, ex eo quod Augustinus traderet, ita per peccatum primi hominis prostratas esse naturæ vires, ut nihil boni velle, aut agere, aut periculum æternæ mortis timere posset, nisi per gratiam bona ista voluntas inspiraretur. Vnde stomachantes apud Hilarium excludi putant *omnem prædicationis vigorem, si nihil, quod per eum excitetur, remansisse dicatur.* Et paulo post: *Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio valeat excitare.*

Hilar. Epist. ad Aug.

Idipsum refricant sine fuco recentiores: *Noluit*, inquit Lessius, *dare tantam gratiæ copiam, ut omnia sint naturæ facilia, ipsaque natura sit secura: sed eam dumtaxat mensuram, quæ multam nobis relinquat sollicitudinem; ut animadversâ rei difficultate & ancipiti eventu excitemus naturam, eique vim inferamus, ut quantum potest gratiæ cooperetur. Hoc sæpe monet Scriptura, ut cum hortatur ad vigilantiam, ad assiduam orationem, ad vedimendum tempus, ad caute ambulandum, ad operandum salutem cum timore & tremore. Non deceba, si vires naturæ à creatore acceptæ essent otiosæ, & quasi passive se ad gratiæ vires haberent, eatum impulsum tantummodo exspectantes, & sinentes se ab illis moveri* &c. In quibus verbis tacite indicat, alioquin non recte illas Scripturæ monitiones fieri, nisi natura seipsam excitaret: nec attendit, hujusmodi excitationes naturæ, & sollicitudines, & timores esse unum ex primis & præcipuis gratiæ operibus prævenientis voluntatem. Ex quo fit, ut ubi ipse se naturam excitare putat, ad cooperandum gratiæ, gratia e contrario præveniter dormituram sopitam ac somnolentam, eam ad cooperandum excitet. Nunquam hujusmodi verbis quisquam gratiæ intellector uteretur, nisi existimaret, aliquid in natura relictum esse, quod ipse suâ diligentiâ ad gratiam excitaret. Sed hoc ex illa opinatione venit, quâ putant hominem, quantum in se est operando, multa facere, quæ vere bona sunt, quibus se postea interponat gratia, ut ad supernaturales actus perducatur. Hoc aperte profitetur Molina; cujus doctrina Lessio mirifice probatur, ideoque *de Scholastica Theologia optime meritus* pronuntiatur. Nam in concordia sua aperte profitetur; *quo homines avidius, sinceriorique animo veritatem cognoscere volunt, eo plures à Deo vocari ad fidem, & illuminari.* Quasi ista aviditas, & sincerus animus, & cognoscendi voluntas, non esset donum gratiæ Dei. Addit adhuc, ita se Deum accommodasse homini, *ut sicut per gratiam hominis naturam ex se liberam perficiebat, ita etiam ante receptionem gratiæ, & in ipsa receptione gratiæ, ac postea in augmento illius, suum locum libero relinqueret arbitrio: quatenus ita ipse auctor esset omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur, ut nihilominus libero arbitrio propria industria, & laus servaretur.* Ecce & ante receptionem gratiæ libero relinquitur arbitrio locus, ut ei industria & laus sua servetur. Vnde ulterius pergit, idipsum afferens, quod & Lessius de exhortatione dixit: *Atque prædicta omnia exigere videtur Deus à peccatore illis verbis Zachariæ, id est: Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Quasi videlicet Deus illis verbis naturales liberæ voluntatis conatus exigeret, quibus sese gratia postea insereret, prout ibidem ex professo docet, & Massilienses ex propria sui erroris professione statuebant.

Less. lib. de præd. sect. 4. n. 71.

In perioche tract. ante lib. de grat.

Molin q. 14. a. 13. disp. 9.

Ibid.

Molina ibid.

NOTA XXVI.

Quia solâ erit opus oratione.

HInc ulterius Massilienses inferebant, tantummodo orandum esse pro illis, qui non recte vivunt, si totum est gratiæ. Nam & illud ipsum, *totum gratiæ dari*, permoleste ferre solebant. De oratione audi: *Si non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus, ut det quod non dedit.* Et mox: *Cum ergo & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle, & non potius ipsum rogas, ut in me operetur & velle?* Monachorum Adrumetinorum verba sunt, quæ à Massiliensibus frequentata quoque fuisse, Prosper ad Augustinum testatur.

Apud Aug. lib. de Cor. & grat. c. 4.

Eadem quoque eandem ob causam propter illa scilicet auxilia efficacia ex prædestinatione proficiscentia, usurpent recentiores. *Imo vero*, inquit Molina, *data hac sententiâ locus apertissime datur errori illorum Monachorum, qui dicebant neminem corripiendum esse, quod non operetur bonum; sed orandum esse Deum, ut illi largiatur gratiam, auxiliumve efficax, quo bene operetur.* Sed non advertit, arbitror, illas Monachorum accusationes adversus gratiam, presbyteros quoque Massilienses, *contentiosissime conclamando*, fecisse suas, ut jam ex Prospero sæpius diximus.

Mol. q. 14 a. 13. disp. 53. mem. 2.

NOTA XXVII.

Quia absurdum est, ut Deus petat ab homine fieri, quod ipse Deus per talem gratiam debet facere.

IStud quoque perabsurdum esse Massiliensibus videbatur, quod Deus ab homine præcipiendo aut exhortando peteret id, quod ipse dare deberet. Hinc Monachi Adrumetini, quorum omnes querelas tanquam justissimas Massilienses quoque amplexos esse, Prosper tradit, valde serio querebantur: *Vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo & faciamus bonum si hoc nos non agimus, sed id velle & operari* DEVS OPERETVR *in nobis?* Et Augustinus ex similium persona ad eosdem istos Monachos: *Quare jubet, si ipse daturus est?* Quod statim solvit, quia *dat quod jubet, cum adjuvat, ut faciat cui jubet.*

In epist. ad Aug.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 15.

Simili prorsus modo Lessius ficulneam hanc

hanc machæram non semel adversus illam gratiam vibrat, quæ non est in hominis potestate & adversus illa Dei dona, quæ talis gratia in hominis voluntate operatur: *Cur enim pulsaret* Deus ad ostium cordis, *si non possent aperire? Quomodo diceret: Si quis mihi aperuerit, si ipsemet deberet aperire, per quendam impulsum, qui non est in eorum potestate?* Et accuratius hoc argumentum explicans ac diducens: *Si enim*, inquit, *qui intus est, non potest aperire, nisi tu foris illud impellas, non recte ei dixeris: Si aperias, intrabo, cum ipse aperire nequeat sine tuo impulsu, & tu illum impulsum non statueris facere. Vnde meritò respondebitur tibi: Impelle tu prius, & tunc aperiam: Nam nisi prior impulsum feceris, aperire non potero.*

Less. lib. de grat. effic. c. 6. refut. 3 n. 7.

NOTA XXVIII.

Quia totum isti gratiæ tribuitur, nihil naturæ.

IAm verò istud alterum, quod *totum gratiæ*, nihil naturæ tribueretur, Massiliensibus non minus invisum fuit. Nam Faustus reprehendit, quod adversarij dicerent *totum solius esse gratiæ*, quibus verbis Augustini doctrinam & Cypriani, quibus tradunt, *nostrum nihil esse*. Et, *Tutiores nos vivere, si totum Deo datur.*

Cyprian. in expolit. orat. Dom. & lib 3 ad Quirin. c. 4

Hoc ipsum & Lessius videtur reprehendere, quando dicit: *Non decebat, ut vires naturæ à creatore acceptæ essent otiosæ, & quasi passive se ad gratiæ vires haberent, earum impulsum tantummodo exspectantes, & sinentes se ab illis moveri, & sic* TOTUM *à gratia motione penderet.* Vbi tria simul capita doctrinæ Fausti, & Massiliensium tangit, & objicit; primum, quod totum esset gratiæ: secundum, quod vires hominis essent otiosæ, Nam & hoc argute Catholicis objicere sibi videbantur. Vnde apud Faustum frequens est istius otij reprehensio: *Audi*, inquit, *Apostolum non tua otia prædicantem*; Et ex Augustini sententia vocat procurationem salutis *otiosum negotium*; & homines *per quietem & desidiam coronari*. Tertium, homines in ista gratiæ prædicatione, tantum impulsum gratiæ exspectare, sinentes se ab ea moveri. Nam supra reprehendentem Faustū audivimus, quòd *sicut mare magnum, quod huc atque illuc ventis agitantibus volutatur, ita solo divinæ potestatis impulsu, mens humana per gratiam versaretur.*

August. de dono pers. c. 6.
Less. lib. de grat. sect. 6. n. 71.
Faust. lib. 1. c. 10.
Cap. 11.
Faust. lib. 1. c. 8.

NOTA XXIX.

Quia fatalis sequitur in vitam humanam necessitas.

HInc itaque fati fatalisque necessitatis operationem induci per gratiam, tanquam indubitatum conclamabant. *Inter gratiæ vocabulum*, inquit Faustus, *absconditum erit fatale decretum.* Quod non semel in eisdem libris refricat, & Pelagiani omnibus gratiæ efficaciter operantis adversarijs propinaverant. Fatum enim non solùm ex prædestinatione, quod supra dictum, sed etiam ex ipsa efficaci gratiæ operatione sequi arbitrabantur.

Faust. lib. 1. c. 4.

Apud recentiores istos nihil istâ expostulatione invidiosius & frequentius: *Fateor*, inquit Lessius, *nullâ ratione me posse assequi, quomodo per eam*, doctrinam de determinatione voluntatis per gratiam efficacem, *non inducatur fatum plusquam adamantinum.* De quo & alibi aliquoties. Et Molina profitetur, si secludatur præscientia, qualiter arbitrium pro sua libertate deberet se determinare, se, supposito auxilio determinante, *non intelligere, qua ratione eius sententiæ assertores evadere possint fatalem necessitatem in eo effectu, humanæque libertatis eversionem.* Ex quibus perspicuum esse puto, quam accuratè sibi etiam recentiores isti & Massilienses in gratiæ ex se efficaciter operantis oppugnatione, & argumentorum omnium, aut penè omnium apparatu concinant.

Less. lib. de grat. c. 16. n. 6.
Vide cap. 1.
Mol. q. 14. a. 4. & 5. disput. 1. memb. 11.

Quapropter prudens quisque, qui non contentionem, sed veritatem in scriptoribus quærit, consideret velim, quo colore istæ tot querimoniæ adversus illud adjutorium voluntatis intorqueri possunt, quod à recentioribus defenditur, & ab Augustino contra Massilienses traditum fuisse credi volunt. Qua vel specie verisimili de adjutorio, quod instar habitus omni ex parte subditum est nutui liberæ voluntatis, dici, vel cogitari, vel somniari potest, quòd fatum afferat, quod evertat libertatem, cui semper obtemperat? Quòd præceptum reddat impossibile; quod frustranea efficiat præcepta, exhortationes, correptiones, quibus implendis nutui voluntatis præsto est? Quòd solâ sit opus oratione, quod totum gratiæ tribuatur; cùm nihil omnino illa operetur, nisi ad operandum voluntate concitetur? Quod absurde Deus ab homine petat, ut velit, cum per istam gratiam non det velle, nisi ipsa voluntas velit? Quis ita stupidus, tardus, blennus, & caudex est, ut illos homines acutissimos ita delirasse credat, qui ultro vociferantur se agnoscere, intelligere, probare gratiam illam ab Augustino traditam, quâ adjutus primus homo poterat perseverare & non perseverare si vellet? Hoc est, gratiam quæ obtemperat in agendo & non agendo liberæ voluntati? Dicat hoc ergo qui voluerit, credat qui potuerit. Ego puto neminem eorum, qui hoc de Massiliensibus persuadere conantur, vel apud seipsum in animo suo posse credere: sed ad hujusmodi vela sententiæ suæ prætexenda, ipsâ susceptæ semel defensionis necessitate compelli.

Testis. Hil. in Epist. ad Aug.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Quæ ſit inter gratiam ab utriſque traditam convenientia, ac diſcrepantia.

CVm igitur ſatis declaratum ſit, pariter & iiſdem de cauſis utroſque & prædeſtinationem & gratiam, quibus tunc Auguſtini doctrina, & nunc vehementer oppugnatur, averſatos eſſe, & iiſdem querimoniis expoſtulaſſe; nunc præcipuè videndum eſt, quam utrique prædeſtinationem & gratiam, & quibus ex cauſis excogitaverint, quo colore induxerint, quibus argumentis aſſeruerint, & plauſibiles fecerint. Ex hoc enim in primis conſtare poterit, quid convenientiæ ac diſcrepantiæ in eiſdem pateat aut lateat.

NOTA XXX.

Vtrique omnia ſpectra deſperationis, fati, ignaviæ &c. ex magna facilitate conciliandi gratiam & prædeſtinationem cum libero arbitrio facilè fugant.

MAſſilienſibus, ut alibi dictum eſt, duo generaliter in ſancti Auguſtini doctrina diſplicebant, prædeſtinatio ab ipſo prædicata, & effectus ejus gratia. Illa, quòd præcurreret omnem humanæ voluntatis motum: hæc, tum quòd nimis diſcretè daretur, & negaretur; tum quòd nimis efficaciter in voluntatem influeret. Ex hiſce fontibus omnes eorum querelæ, & inſuperabiles, ut eis videntur, difficultates fluunt. Medendis omnibus novum prædeſtinationis & gratiæ genus ita machinati ſunt, ut cauſa effectui, & effectus cauſæ ſuæ accuratiſſimè reſponderet, & utraque ad amuſſim libero arbitrio attemperata, nullam umbram deſperationis, ignaviæ, neceſſitatis, fati, & ſimilium terriculamentorum retineret. Id-ipſum recentiores tam dexterè imitati ſunt, ut de ingenti illa, quam attulerunt, conciliandæ prædeſtinationis & gratiæ cum libero arbitrio facilitate, deque ſolatio C animorum quod pepererunt, non ſemel glorientur. Molina enim: *Quid tam facile ac perſpicuè illa quatuor* (præſcientia, providentia, prædeſtinatio, & reprobatio) *ex capite præſcientiæ mediæ cum libertate cohæreant, ſignum eſt manifeſtum, nos integram legitimamq; rationem conciliandi omnia tradidiſſe.* Et Leſſius concludit: *Non eſſe majorem difficultatem in concilianda prædeſtinatione cum libertate arbitrii, quam in concilianda præſcientia cum eadem libertate.* Et crebrò inculcat, ſe ſolidum animabus *ſolatium* attuliſſe.

Molin. q. 14 a. 13. diſp. 53 memb. 2.

Lib. de prædeſt. ſect. 6. num. 8c.

Vide præfat. ad Lector.

Sanè præſtiterunt hoc ipſum non minus feliciter Maſſilienſes, & recentioribus viam ſtraverunt in omnibus, quæ ſe velut magna conciliationis iſtius myſteria reperiſſe venditant. Quod ut ad oculum cuivis apparere poſſit, Deo juvante demonſtrabimus, quàm breviſſimè fieri poſſit, aut penè nihil, aut nihil A omninò in recentiorum eſſe ſententiâ, quod non Maſſilienſibus tanquam inventoribus & magiſtris debeant: & ſi quid iis fortè non debent, hoc cauſam eorum non mediocriter deteriorem facere. A voluntate Dei, tanquam temporalium effectuum cauſâ, quos per gratiam in humana voluntate operatur, auſpicabimur.

NOTA XXXI.

Statuunt in Deo propoſitum generale reſtaurandi totum genus humanum.

PRimò igitur recentiores, ut omnia illa immania, terricula ex gratia & prædeſtinatione fugent quæ fatalitatem, libertatis everſionem, mœrorem, deſperationem, mortem, ut Leſſius putat, hominibus nonnunquam afferunt, ſtatuunt in Deo voluntatem quandam ſeu propoſitum generale, quo genus humanum in Chriſto reſtaurare, & ſalvum B fieri voluit: idque non hos vel illos liberandos, relictis ceteris, ſuâ ſolâ voluntate decernendo; ſed omnes omninò, nemine excepto.

Id-ipſum eodem modo tradiderunt Maſſilienſes apud Proſperum & Hilarium. Vtrumque notius eſt, quàm ut accerſitis teſtimoniis confirmandum ſit; & ex ſequentibus patebit manifeſtiùs.

NOTA XXXII.

Cujus baſin collocant locum Apoſtoli: Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *1. Tim. 2.*

SEcundò doctrinæ iſtius baſin quaſi immobilem recentiores Apoſtoli Pauli locum collocant: eò quòd perſpicuis verbis dicat: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* De quo Molina: *Quò fit, ut univerſim verum ſit, Deum ex parte ſua velle omnes abſque ulla exceptione ſalvos fieri.* Et alibi: *Meditandus eſt Deus voluiſſe ex animo promiſcuè omnes homines tam in Adamo lapſos in vitam æternam perducere.* Idem eodem modo & Suarez, & Leſſius, & ceteri docent.

1. Tim. 2. Quæſt. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. memb. 11. Ibid. memb. 8. Suar. lib. de prædeſt. cap. 1. Leſſ. de prædeſt. ſect. 0.

Id-ipſum fundamentum tanquam ſuæ ſententiæ inconcuſſum ſtatuerunt Maſſilienſes, & ſemper eodem modo, ut nunc recentiores, Auguſtino, Proſpero, & veris gratiæ defenſoribus objecerunt. *Et ubi eſt illud*, inquit Proſper, *quod nobis quaſi contrarium à non intelligentibus ſemper opponitur, quòd Deus omnes homines velit ſalvos fieri?* &c. Hoc ipſum verò nullis Catholicorum argumentis expugnabile eſſe apud eundem Proſp. ſignificant. *Nec vacillare illud, quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri.*

Proſ. Epiſt. ad Ruf.

In Epiſt. ad Auguſt.

 NO-

Digitized by Google

NOTA XXXIII.

Augustini expositiones pariter repudiant.

HInc recentiores Augustini interpretationem qua solos prædestinatos Apostolicâ istâ sententiâ significatos putat, exponendo vel per distributionem pro generibus singulorum, vel causaliter, incongruam esse censent, & apertè repudiant, ut in Francisco [a] Suarez & [b] Molina videre licet.

a Suarez l. 4. de prædestin. c. 1. num. 2. & 3.
b Molina q. 1. a. 6. disp. 1.
c Epist. Hilar. ad August.

Massilienses eandem Augustini expositionem, & eadem de causa veluti nimis duram rejecerunt: [c] *Inde est*, inquit Hilarius ad Augustinum, *quod illius sententiæ expositionem, non eam quæ à te est deprompta, suscipiunt, id est, ut non nisi omnes homines salvos fieri velit, & non eos tantùm qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omninò, ut nullus habeatur exceptus.*

NOTA XXXIV.

Voluntas illa Dei generalis conditionata est respectu majorum.

SEd quia manifestum est, non omnes homines salvos fieri, quamvis id velle Deus dicatur, ne ipsâ veritatis evidentiâ in Augustini sententiam cogantur, voluntatem quandam conditionatam in Deo ponunt; juxta quam propositum salvandi omnes homines ita temperant, ut dicatur id velle *quantum in ipso est*, seu, quod in idem redit, *si & homines ipsi velint.* Deum itaque sincerè velle omnes salvos fieri: sed ideò non salvari omnes, quia ipsi nolunt. Quam quidem conditionatam voluntatem habere Deum censent, non modo erga finalem illam salutem in regno Dei, sed etiam erga quoslibet actus bonos, quibus ad salutem promoventur. Suarez: *Verus sensus est, Deum, quantum in se est, velle ac cupere omnium salutem.* Et infra dicit, *voluntatem illam includere conditionem in objecto, si homo velit.* Idem Molina & Lessius tradunt. Vnde illud ipsius: *Intentio, quatenus ferebatur in gloriæ communionem in genere, erat quodammodo confusa nostro modo intelligendi: ut verò applicabat gloriam singulis hominibus, non erat absoluta, sed conditionata.* De medijs verò ad salutem tendentibus, hoc est, de consensione nostræ voluntatis, quæ in omnibus bonis operibus, fide, spe, dilectione necessaria est, sic decernit generaliter: *Consensus & cooperatio nostra, non est prædefinata* (id est volita à Deo) *decreto absoluto, antequam sit futura, sed sub conditione & desiderio quodam. Desiderat enim nostram cooperationem, sed non vult absolutè ut extet, nisi nos sponte velimus.*

Loco citato.
Ibid. c. 7.
Molin. quæstione 23. a. 4. & 5. disp. 1. membro 8.
Lessius de prædest. sect. 5. num. 49.
Idem sect. 5. num. 55.

Massilienses istud ipsum eodem modo præformaverant. Nam apud Prosperum dicunt: *Itaque quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantùm autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi qui Deo sponte crediderint.* Et apud Hilarium: *Nec hoc timendum quòd quidam eo invito perire dicantur: sed quomodo, aiunt, non vult a quoquam peccari, vel deseri justitiam, & tamen jugiter illa deseritur contra ejus voluntatem, committunturque peccata, ita enim salvari velle omnes homines, nec tamen omnes homines salvari.*

In Epistola ad August.

Quam voluntatẽ Dei conditionalem salvandi omnes homines eâdem explicat similitudine Molina: *Vult enim ejusmodi volitione omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salutem assequuntur. Vult item sua præcepta & consilia observari, quæ tamen passim contemnuntur.* Vt nemini dubium esse possit, Massiliensium sensum, qui hoc dicebant, & explicationem ei placuisse.

Molin. q. 16. art. 1. disp. 1.

NOTA XXXV.

Etiam respectu parvulorum, qui salvantur.

CVm verò parvulis nulla voluntas sit ratione cujus conditionalis illa Dei voluntas vera esse possit, & tamen quosdam eorum salvari constat, & alios perdi; utrimque profectò magnis coarctantur angustijs. Solâ quippè Dei voluntate ante omne meritum eos prædestinante, vel reprobante, videtur salus eis vel perditio destinari; atque ita rursus eisdem plus quàm adamantinis fati vinculis constringuntur. Rimam igitur sibi facere conati sunt recentiores, per quam ab illa decreti fatalitate persequente elabantur. Dicunt enim, quòd sicut respectu adultorum involvitur in illa voluntate Dei conditio, si & ipsi adulti velint; ita respectu parvulorum, *si alij remedium eis adhibere velint.* Vnde Molina: *Cùm nulli adultorum voluerit sempiternam beatitudinem, nisi dependenter à proprio usu liberi arbitrij cujusque eorum; imò neque parvulis, nisi dependenter à remedio contra peccatum originis per usum liberi arbitrij aliorum exhibito.* Nulla est igitur etiam respectu parvulorum absoluta voluntas Dei prædestinantis eos salvare, nisi positâ prævisione libertatis, sive propriæ, sive aliorum. Et Vasquez eandem rationem in parvulis & adultis esse tradit, servatâ videlicet proportione.

Molin. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 8.
Vasq. disp. 89. c. 9. in 1. part.

Torsit ille scrupulus diu multumq; Massilienses. Nam initio stomachabantur, quòd causa parvulorum ad adultos traheretur: *Parvulorum autem causam*, inquit Hilarius, *ad exemplum majorum non patiuntur asseri.* Alij non secerni eos volebant ex nuda voluntate Dei, sed ex meritis, quæ prævidebantur habituri, *si viverent.* Faustus multis annis post, in primo sui operis libro statuebat, rem illam *obscuram & incertam* esse. Sed in secundo peritior factus, acutissimum istud effugium Molinæ & recentioribus commentus est. Nam cùm ei objectum esset, quòd puerorum innocentium populus in Bethlehem *tam beatam mortem ex sola Dei prædestinatione consecutum esset*, respondet: *Non ita est: sed decreti sorte cessante mors pueris pro diaboli infertur furore &c. Nõ ergo eos prædestinatio morti addixit,*

Epist. ad August.
Apud Prosp. in Epist. ad August.
Faust. l. 1. cap. 14.
Lib. 2. c. 3.

xit, sed causæ occasio consecravit. Illud ipsum nimirum est, quod Molina dixit: Deum decrevisse parvulis istis beatitudinem *dependenter à remedio per usum liberi arbitrij aliorum exhibito.* Nam mors illa per Herodem allata, remedium parvulorum fuit: quo libertate Herodis exhibito, dependenter ab illo Deus beatitudinem sempiternam eis voluit.

NOTA XXXVI.

Item respectu eorum, qui damnantur.

IAm quisquis tantillùm in principijs conclusiones latentes inspicere potest, facilè videt, in his verbis aliam recentioribus doctrinam Faustum aperuisse. Si enim ipse rogatus fuisset, utrum Deus non æterno reprobationis decreto parvulos illos, qui vel in utero matris, vel improvisâ morte abripiuntur, reprobaverit, & noluerit salvos fieri; obviam jam responsionem habuisset ad manum: Non propterea hoc contingere, quòd aliquid de perditione parvulorum illorum Deus constituerit, eos nolendo salvos fieri, sed quòd occasio causarum naturalium vel liberarum eis mortem procuraverit, quâ prævisâ Deus eos damnationi tradiderit. Eadem quippe contrariorum est ratio, & eorum præcipuè, in quibus eadem ratio majori ratione locum habet. Nam longè Deus ad beandum, quàm puniendum ex se propensior est. Latentem illam responsionem recentiores ex principijs suis evolverunt. Petentibus enim, quomodo Deus tales serio velit salvos fieri, qui nullo ei resistunt voluntatis arbitrio, respondent: Deum quidem velle ut salvi fiant, sed *quantum cursus rerum naturalis & providentiæ ratio statui lapso conveniens patiatur.* Quod idem est ac si Faustus etiam de damnandis illis parvulis diceret: *Decreti forte cessante mors pueris pro diaboli infertur furore. Non ergo eis prædestinatio mortem addixit, sed causæ occasio consecravit.* Quid enim est diaboli furor, & causæ occasio, nisi cursus rerum, & providentiæ ratio statui lapso conveniens? Nam ideo ibidem addit Lessius, post peccatum non ita Deum compescere *vim diabolicam, aut causarum naturalium actiones, aut injurias avertere,* quin multi per earum violentiam pereant etsi eos velit Deus salvos fieri.

Less. de præd. sect. 6. n. 65.

Ibidem.

NOTA XXXVII.

Gratiam attemperant isti proposito generali Dei, & libero arbitrio hominis.

SIc ergo stabilitâ illâ generali, & conditionatâ Dei voluntate salutis omnium, atque elisâ illâ durissimâ ac fatali, ut putant, decreti prædestinantis reprobantisque sorte, progrediuntur ulteriùs recentiores ad excogitandam talem gratiam, quæ & isti universalitati divinæ voluntatis, & conditioni quam involvit, hoc est humanæ voluntatis libertati attemperata sit, ut cum ea videlicet agat vel non agat, si voluerit; non autem potenter flectatur ut agat. Utrumque à Massiliensibus istius gratiæ architectis didicêre, ut in sequentibus particulatim demonstrandum est.

NOTA XXXVIII.

Statuunt beneficia remotiora omnibus ex æquo communia, Christi mortem, baptismum &c.

PRimùm itaque cùm vehementer aversentur recentiores illam gratiarum tenacitatem, nimiumque scrupulosam discretionem, quâ uni datur à Deo, alteri non; inducunt ipsi è contrario Deum gratiarũ effusorem in omnes quaquaversum liberalissimum. Quod ut obtineant plausibilius, etiam atq; etiam commendant, beneficia Christi, mortem, passionem, baptismum, & similia remotiora salutis adipiscendæ remedia, pro omnibus omninò hominibus, nullo excepto, exhibita esse. Quod intelligunt non tantùm quoad sufficientiam, quod nemini in Catholica fide dubium esse potest, sed etiam quantùm ad aliquam efficaciam, ex qua quædam propinquiores gratiæ ad omnes omnino homines quantumcumque barbaros fluant. Doctrina ista in recentiorum scriptis notissima est, nec testimonijs eget, videndus Lessius, Suarez, Molina, & ceteri passim.

Idipsum eodẽ sensu Massilienses strenuissimè veluti basim erroris sui sollicitè inculcãdo commendabant. Nam apud Prosperum iterum iterumque dicunt: *Pro universo humano genere mortuum esse Dominum nostrũ Iesum Christum, neminem prorsus à redemptione sanguinis eius exceptũ, etiamsi omnem hanc vitam alienissimâ ab eo mente pertranseat; quia ad omnes homines pertineat divinæ misericordiæ Sacramentum* (baptismus) *itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam.* Vnde Faustus exprobrat Catholicis, quod asserant, *Christum humanam carnem non pro omnium salute sumpsisse.* Et Galli Augustino, *quod*, in eius sententia, *non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.*

Prosp. in Epist. ad August.

Faust. l. 1. cap. 16.

Vide lib. de hæres. Pelag. cap. 7. Obiect. 9 Gallor.

NOTA XXXIX.

Beneficia etiam propinqua, gratiam scilicet sufficientem, omnibus effundunt liberalissimè.

ISti fundamento recentiores aliam doctrinam imponunt solemnissimam, quâ Deum gratiam quandam sufficientẽ omnibus hominibus impertiri tradunt. De qua tanquam celeberrimâ vide, si libet, eundem Lessium, Suarez, Molinam, & alios. *Quomodò est omnium redemptor,* inquit Less. *si non impetravit omnibus auxilium, quo possint liberari?* Sed prodijt ea, qualis à recẽtioribus prædicatur, ex officina Massiliensium: qui studiosissimè istam gratiæ sufficientis generalitatem inculcabant, sine qua in ista fatalia, quæ vocabant, decreta, de salute paucorum procurandâ, neglectis ceteris, se revolutum iri cernebant. Audite Faustum Augustini doctrinæ, quæ *totum gratiæ* tribuere solet, insidiantem atq; calumniantem: *Cùm responderimus: totum planè gratia est, sed omnibus*

Less. ubi sup. de præd. sect. 6.

Suarez l. 4. de prædest. c. 14. 15. & 16.

Mol. in Concord. disp. 1. loc.

Aug. lib. de dono persev. cap. 6. & 7.

Faust. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 17.

Lib. de præd. & Sanctor. sect. 6. n. 80.

pondet negando consequentiam: *Quia per prædestinationem habemus vires, & AVXILIVM, SINE QVO NON POSSVMVS ad bonũ opus cooperari.* Vnde alio in loco categoricâ & absolutâ definitione:

Lib. de grat. effic. c. 10. num. 13.

Hanc conditionem (hîc & nunc fieri) *contrahit actus directè à libero arbitrio; à gratia autem solum indirectè, seu concomitanter, & tanquam à causa SINE QVA NON. Nisi enim gratia simul naturæ influeret, & iuvaret, liberum arbitrium non posset hanc conditionem actui tribuere.* Haud scio an scrupulosiùs & accuratiùs naturam *adiutorij sine quo non* depingere posset: quod Augustinus statui innocentiæ hominum atq; Angelorum, integrisq; viribus liberæ voluntatis proprium facit, & ab *adiutorio quo* distinguit, quod fractæ oppressæ & liberãdæ voluntati Christus Iesus Salvator mundi per crucem suam dedit. Quisquis autem ista duo adjutoriorum genera ita confundit, ut quod sanæ arbitrio voluntatis convenit, hoc ægroto tribuat; quod libero, hoc

B

captivo, ut cum eo per vigorem suæ libertatis naturalem, seu ut Celestinus Papa loquitur,

Celestin. in Epist. ad Episc. Gall. cap. 3.

per *naturalem possibilitatem* operetur, ille *naturalem illam possibilitatem non esse perditam*, contra ejusdem Celestini definitonem profitetur; multoq; magis arbitrium peccato non esse cæsum, imò longè robustiùs factum esse decernit, utpotè quod ante lapsum vehementissimarum passionum impetus, illamq; ingentem miseriarum catervam cum eodem adjutorio declinare quidem poterat, nullo verò pacto, si irruissent, superare: nunc verò post lapsũ universę mortalitatis hujus ærumnas, tantarumq; cõcupiscentialium perturbationum tempestates ferre, vincere, domare potest. Quæ sine comparatione superant, quicquid integræ libertatis vires in humana angelicaq; natura potuerunt. Quod si vigor primævæ libertatis tantoperè illæsus perstitit, profectò peccatũ originale funditùs tollitur, & gratis Christus mortuus est. Liberum enim arbitrium per seipsum, cum solo pristino adjutorio *sine quo non*, non solùm rectè operari, sed etiam ab ipso peccato resurgere potest, juxta illud S. Prosperi, quod in isto immobili Augustini principio fundatum est.

Prosp. carm. de ingrat. cap. 32.

Nam si nunc etiam illæsus vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit: sua quemq; voluntas
Conciliare Deo, pœnaque absolvere posset:
Nequicquam Christus mortem moriendo perem̃it:
Peccatum & mundi sanguis non tolleret Agni &c.

Et quare non?

——— *Quoniam sapientia sana,*
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo
Vitam agerent æquam summorum participatu.

Hoc autem nunquam vel Prosper vel Augustinus aliter intellexit fieri posse, quàm cum *adjutorio illo sine quo non*, quod instanter & constanter profundissimus Doctor etiam Adamo & Angelis ad omnia opera & voluntates prorsus necessarium fuisse tradidit. Ex quo Christianus lector cernit, quò ista doctrina recentiorum istorum porrigat manus. Nec enim solius Lessij aut Molinæ ista de *adiutorio sine quo non* sententia est, sed omnium qui istas gratias sufficientes & congruas sine *adiutorio Christi* [illegible] potenter determinante voluntatem, tuen-

A

tur. Vnde similiter & Franciscus Suarez ut ostenderet Deum esse causam principalem discretionis unius ab alio, quamvis homo suâ liberâ determinatione bonum, quo discernitur, accipiat; rationẽ reddit: *Quia hanc ipsam liberam determinationẽ* SINE DEO INSPIRANTE ET ADIVVANTE HABERE NON POTEST. In quo & omnes ceteri istius gratiæ defensores consentiũt. Prorsus eodem modo hunc ipsum operãdi modum gratiæ suæ Massilienses tribuerunt. Nam in Epist. Hilarij in illa divisione gratiæ, quam Aug. tradidit, ut alia sit, *qua fiat, ut homo perseveret*; alia *sine qua per liberum arbitrium perseverare non potest*, posteriorem ejus partem tanquam aptisimam verissimamq; probant, alteram in prima voluntate credendi detestantur, tanquam per quæ *desperatio hominibus exhiberetur*. Quod alio in loco, qui à Lectore omninò consulendus, fusè demonstravimus. Neque enim sæpiùs eadem augẽdis voluminibus, cùm Lectorum tœdio, repetenda sunt.

Suarez l. 3. de auxil. c. 15. num. 9.

Hilarius et Augustinum.

Vide l. 8. de hæres. Pelag. c. 6. & seqq.

NOTA XLIV.

Dat posse, si velit; non, ut velit.

ITaq; consequenter talem gratiam homini tribuunt, quæ det POSSE *si velit*, id est cum qua operetur homo, si velit, non quâ fiat ut velit. Quam sæpissimè recentiores velut palmarem gratiæ suæ distinctionem, ab eâ quam alij nimis rigidam & potentem prædicant, inculcare solent. Vnde Lessius dicit: *Voluntatem nostram posse gratia uti vel non uti, in opus eam intendere vel negligere.* Et exponens illa verba: *Trahe me* &c. *significatur* inquit *plurimos per illum tractũ imitaturos Christum, & omnes per illum* POSSE, *si velint.* Ejusmodi phrasibus lucubrationes eorum refertæ sunt.

Lib. de grat. effic. cap. 12. num. 1.

Ibid. c. 12. num. 11.

Hoc ipsum gratiæ genus summoperè probaverunt Massilienses, & quicquid potentiùs in

C

voluntatem influeret velut libertatis interitũ, & desperationis ansam apertissimam detestati sunt. Nam in Epist. Hilarij ad Aug. probant illud adjutorij genus, cum quo voluntas *persistendi & desistendi obtineat liberam potestatem*: abjiciunt illud, quo secundùm Augustinum *nunc ita Sancti iuvantur, ut declinare non possint.*

NOTA XLV.

Quam liberum arbitriũ efficacem, vel inefficacem, seu cassam reddere potest.

PRoinde rerum ipsarum nexu ducti docent ulteriùs gratiã suam esse talem, ut eam liberum arbitrium possit reddere efficacem aut inefficacem, efficientem aut cassam, prout liberrimo nutui ejus visum fuerit. Vnde Molina non semel dicit, quòd in potestate liberi arbitrij sit, *auxiliũ efficax & cassum inefficaxq; reddere*. Item *vel cassum reddere, vel efficere ut transeat in gra-*

D

tiam cooperantem. Et Lessius, quòd in potestate sit *reddere gratiam prævenientem efficacem vel inefficacem in actu secundo*, ubi & Molinam citat, & explicat in hæc verba, quæ produximus: quibus nihil aliud significatur, quam humanæ voluntatis esse, ut gratia operetur cum voluntate, aut cesset, agat aut otiosa sit.

Molina in Conc. q. 14. art. 13. disp. 40.

Ibid. disp. 43

Lessius de grat. c. 10. num. 9.

Idipsum eis præcinuerunt Massilienses. Cùm enim ejusdem rationis auxilium tribuerint voluntati, cum quo operaretur si vellet, utpote quam *ad hoc tantum liberam asserebant, ut vellet aut nollet admittere medicinam*, cogebantur talem exspectationem tribuere isti auxilio seu Deo. Tale est enim, ut à nutu voluntatis pendeat, & illum ad influendum prærequirat. Itaque eodem verbo (exspectandi) etiam ipsi usi & propterea Arausicana in Synodo anathemate percussi sunt: *Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, &c. resistit ipsi Spiritui Sancto.* Nam quòd ipsi putant, Massilienses hujusmodi gratiam in talibus actibus bonæ voluntatis, & fidei, & orationis, non agnovisse, hallucinatio est non vulgaris, ex qua in istum labyrinthum falsarum opinionum præcipitati sunt. Sed de ista locutione aliquid adhuc inferius.

Hilar. in Ep. ad Aug.

Con. Arausi can. 4.

NOTA XLVIII.

Gratia ista pendet à libero arbitrio, & ab ejus nutu & usu causaliter præeunte, ut influat.

Ex eadem radice & alius recentioris doctrinæ frutex nascitur, quòd Christi gratiam à libero arbitrio pendere dicunt, & consequenter, quod gratiam subjiciunt voluntati, & ejus pedissequam esse faciant. Impossibile est enim, ut gratia cui est talis operandi modus, non sequatur per omnia in agendo nutum voluntatis. Itaque Lessius audet ac dicit: *Cùm influxus gratiæ aliquo modo à libero arbitrio pendeat, etiam ab eo pendet, quòd gratia dicatur efficax vel inefficax.* Et alibi: *Fatemur liberum arbitrium directè esse causam cur hic & nunc Deus influat in opus tum per dona sua, tum per seipsum: non autem Deum aut gratiam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat.* Et mox: *Nos quodammodo trahere Deum ad cooperandum.* Et in alio loco: *Quòd conversio hic & nunc potiùs fiat, quam aliàs & alio modo, hujus causa directa & principalis est liberum arbitrium, quamvis* NON SINE AVXILIO GRATIÆ. Item: *Gratia potest dici determinari ad operandum hic & nunc à libero arbitrio, quia liberum arbitrium potest eâ uti vel non uti.* Et rursum: *Liberum arbitrium quodammodo determinat gratiam, quatenus eâ utitur, ut hic & nunc influat in opus.* Quasi verò magnum amoliendæ invidiæ mysterium in eo lateret, quòd *hic & nunc* fieri dicatur. Quid est enim aliud hîc & nunc fieri per liberum arbitrium, quàm per ipsum fieri, ut qui non volebat, velit; qui non agebat, agat; qui aversus erat, convertatur? Nam nihil omninò fit, nisi hîc & nunc fiat. Et quisquis causa est, ut hîc & nunc fiat opus cum auxilio gratiæ, ipse absolutè causa est, ut cum gratia, vel non sine gratia fiat. Non enim verborum istorum (HIC ET NVNC) ille sensus est, quem alioquin præ se ferunt, & auctor ille, ad frangendam invidiam, intelligi percuperet, quòd liberum arbitrium sit causa tantùm istarum circumstantiarum, hoc loco, & hoc tempore potius quam alio, seu, ut ipse loquitur, potiùs quàm *aliàs & alio modo*; quasi alioquin non minùs futurus sit actus per gratiam istam aliàs videlicet & alio modo: sed sensus est, quod liberũ arbitrium sit causa, cur actus absolutè cum suis individuis omnibus circumstantiis in rerum natura ponatur, hoc enim Scholastici omnes passim istâ usitata phrasi significare solent. Itaque quòd gratia pendeat à libero arbitrio, incunctanter dicunt: *Neque gratiam, sed usum gratiæ subjicimus voluntati.* Item: *Interdum & rectè Molina dicit, quod gratia sit efficax vel inefficax, (in actu secundo) pendere à libero arbitrio.* Quod non video quâ ratione negari possit, nisi quis nodum in scirpo quærat. Et Franciscus Suarez lib. 3. de auxiliis gratiæ: *Hoc ipsum, quod auxilium sit aut non sit habiturum effectum pendet ex libero arbitrio.*

Less. c. 20. n. 11.

Cap. 11. n. 12

Num. 12.

Cap. 18. c. 3.

Cap. 11. n. 3.

Ibid. n. 7.

Cap. 11. n. 1.

Cap. 10. n. 11

Suar. lib. 3. de auxil. c. 14. n. 14.

Et sane si iste modus operandi gratiæ competit, non malè auctor iste ratiocinationis istius filum sequitur. Sed in eo fallitur, quòd non advertit, se gratiam primi hominis & Angelorum fractis perditæ voluntatis viribus attribuere: quod qui facit, velit nolit, in Massiliensium sensus labitur: qui cum tali gratia tanquam subjectâ & pedissequa voluntatis, à cujus arbitrio & nutu pendere ponebatur, hominem velle credere, gemere, desiderare, orare posse crediderunt. Hinc & isti jam dicti sensus, & phrases de gratia Christi usurpatæ omninò improbandæ sunt, quæ à Prospero in Epistola tanquam Christianæ gratiæ injuriosæ rejiciuntur: quod *voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Talis enim gratia primi hominis, & sine qua non, nullo pacto voluntatem sibi subjicit, sed subjicitur; quia quocunq; voluntas sese verterit, subjectæ & pedissequæ instar sequitur, ut agat, ut otietur, ut influat, ut non influat, ut multum, vel parum, vel nihil omninò operetur. Talis gratiæ sibi voluntas opem parit, quia concursum elicit, ac Deum, ut auctor iste loquitur, trahit ad cooperandum per gratiam. Hanc ergo intelligentiæ perversitatem amoliri, non est nodum, ut ipse putat, in scirpo quærere, sed injuriam capitalem à Christo avertere, & immobilia Christianæ fidei fundamenta defendere. Quod enim sæpè alibi ex S. Leone & Prospero allegavimus, omni acceptione dignum est, ita connexos esse hæresis istius Pelagianæ errores, ut si vel minimum dederis, tota hæresis istius mole opprimaris. Si enim arbitrium hominis post lapsum ita liberum est, ut cum primi hominis & Angelorum stantium auxilio *sine quo non*, possit adhuc credere, sperare, diligere, facere mandata, & perseverare si velit, & non Deus in ipso per *auxilium quo* operetur ut velit, in quascunque sese facies verterit, Lessius, Molina, Suarez, Vasquez, & quotquot istâ opinione præoccupati sunt, nunquam efficient, quin invictè Augustinus illaturus sit; ergò liberi arbitrij vires integræ sunt; ergò contra Arausicanum liberum arbitrium non est amissum; ergò peccatum originale non violavit libertatem: ergò non est peccatũ originale, quia per illud solum natura humana universim labefactata est; ergò Christus gratis mortuus est, quia per naturã est justitia: ergò non est mortuus; ergò non est incar-

Prosp. ad Aug.

Leo Ep. ad Nicet.

Prosp. carm. de ingrat. c. 8

incarnatus. Ecce quo nos ducat extena illa perditionis, ex quocunq; dogmate Pelagiano, vel extremâ ac tenui fibrâ dogmatis, eligetur.

Atque istæ quidem postremæ hallucinationes Recentiorum ac Massiliensium, quas proximis capitibus tetigimus, reverà sic se habent, & in vera Christi gratia, quam August. explicuit, nullo pacto admitti possunt. Verba tamen quibus in sensu Massiliensium, *Deus expectare dicitur, ut purgari velimus; & voluntas divina gratiæ sibi parere opem, non gratia sibi humanam subjicere voluntatem*; alium verisimiliorem sensum habent, juxta quem, ut infra dicturi sumus, non minus Recentiores à tramite veritatis exorbitant.

NOTA XXXXIX.

Causa excogitandi talis adjutorij, ne alioquin opus nullius sit laudis.

B Istud verò gratiæ sufficientis & congruæ genus, eadem omninò ex causa Massilienses & Recentiores sibi machinati sunt. Vtrique enim potentem illam gratiam, quæ facit facere, & voluntatem inclinando determinat, duplici ex causa timent. Prima est, ne opus quod Deus attulerit, vel donaverit voluntati, nullius sit laudis, tanquam quod non à nobis, sed ab ipso Deo perpetratum sit. Cassianus formidinem illam nobis propalavit, & utramque causam tetigit: *Miratur Dominus atque collaudat* (Centurionis fidem) *cunctisque illis, qui ex Israelis populo crediderant, præfert, dicens: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Dominus, quod ipse donaverat, prætulisset.*

Cassian. Col. 13.

Hoc ipsum ex utraque causa Recentioribus magnopere formidolosum est: *Si Deus ipse per se hæc* (fidem & opera bona) *debet in eis operari, & non exspectat eorum voluntates per auxilium sufficiens præparatas, quomodo credere, & bonum operari est illis liberum? Quomodo laudem merentur, si credant & bene operentur, cùm Deus hoc totum in ipsis faciat* &c. quasi non definiret Celestinus Pontifex quod *nemo aliundè Deo placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit.*

Less. lib. de grat. effic. art. c. 17. & 18.

In Epist. ad Episc. Gall. c. 7.

C

NOTA L.

Item ne meritum operibus detrahatur.

Secunda, ne opus desinat esse meritorium. Hoc Cassianus superiùs junxit, dum dixit: *Nullius enim laudis esset ac meriti; si id in eo Dominus quod ipse donaverat, prætulisset.*

Ea omninò causa Recentiores vehementer terret. Molina: *Perit namque libertas in prædestinato per auxiliũ efficax, comparatione mediorum seu operum ad beatitudinem & per consequens ratio propriorum meritorum.* Et membro 4. *bonitatem moralem ac meritum* tolli queritur. Et utrãque complexus causam in alio loco: *Si namque arbitrium nostrum ab efficacia aut inefficacia auxilij divini habet, quod consentiat, aut non consentiat Deo vocanti, certè non ab innata libertate dependet, sed à qualitate auxilij & motionis divinæ; atque adeo neque est quod illi cedat in laudem ac meritum.* Idipsum non semel urget Lessius.

Molin. q. 14. a. 13. disp. 53. memb. 2.

Molin. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6.

Vide lib. de grat. effic. c. 5. n. 13. & 17. etc.

D

NOTA LI.

Discrepant in operibus moraliter bonis.

Recentiores verò, quamvis gratiam istam actualem internam, quam jam diximus, tanquàm ad opera bona necessariam plerumque requirere soleant, arbitrantur tamen etiam sine tali gratiâ, multa verè bona, nullusque peccati foeditate inquinata opera per solum liberum arbitrium exerceri posse. Nam inter eos receptissimum est, opera moralia verè bona per solum liberum arbitrium exerceri posse absque omni interna gratia, quemadmodum in Francisco Suarez, Molina, Lessio, videre licet, quorum verbis istam doctrinam tanquã vulgatissimam non opus est astruere.

In hoc verò Massilienses non habent sibi similes. Nam quamvis ipsi naturæ viribus multos bonos actus, ut fidei, & orationis, fieri posse censerent, gratiam tamen illam *sine qua non*, de qua jam diximus, non excludebant; quemadmodũ etiam superius declaratum est.

NOTA LII.

Gratia discernens propriè unum ab altero, est utrisque natura liberi arbitrij divinitus data.

Sed cùm viderent Massilienses, nullo pacto satis esse gratiam istam internam *sine qua non*, ut initium seu primus actus fidei, desiderij, orationis, & similes possent vocari actus gratiæ seu dona Dei; ad aliam commiscendam gratiam, cui opus tanquam veræ causæ qua fiat, attribuerent, rei naturâ id postulante, compulsi sunt. Esto enim, coinfluat ista gratia cum voluntate in actum fidei, clamat tamen ipsa perspicuæ veritatis evidentia, non esse isti gratiæ tribuendum quod actus fiat, sed alteri causæ, quæ potentiam voluntatis & gratiam simul ad actum rapit, aut determinat. Nam positâ istâ gratiâ quantumcunque magnâ in voluntate, nunquam in æternum sequetur actio voluntatis, nisi voluntas ultrò ei det manus, atque ad agendum se determinando velit. Ipsa igitur, non gratia, est illa causa quæ facit facere, seu quæ potentiam voluntatis ex actu primo in secundum extrahendo, ex non agente agentem facit. Gratia verò instar habitus accommodando sese nutui voluntatis, instar pedissequæ, *sine qua non* fieret, imperatricem suam sequitur. Itaque quemadmodum si quis calamo aureo scribat, nequaquam auro vel calamo, sed Scriptoris voluntati scriptio tribui debet, qui ejus vera & propriè dicta causa est, & nuncupari debet, quamvis non sine calamo coinfluente, quem ad actũ secum rapit, scriptio exerceatur: ita si quis per talem gratiam credit, sperat, aut diligit, non tali gratiæ, sine qua non fiunt, sed credentis, sperantis, diligentis voluntatis nutui actus isti tribui debent. Qua ex causa jam paulò ante de tali gratia Lessium rectissimè dicentem audivimus: *Quod conversio hic & nunc potius fiat, quam alias, aut alio modo, huius causa directa & principalis est liberum arbitrium, quamvis non sine auxilio*

Vide l. 8. de hæres. Pelag. c. 11. in hoc latius.

Less. lib. de grat. eff. c. 18. n. 1.

Digitized by Google

auxilio gratiæ. Vnde ulterius invictè colligit Augustinus, eum qui tali gratiâ adjutus credit, sperat, diligit, perseverat, per liberum arbitrium, non per gratiam, credere, sperare, diligere, perseverare, si velit. Non enim talis gratia, sine qua non fit, sed voluntas ipsa seipsam facit credere, sperare, diligere, perseverare, & illos sibi actus ipsa, non tamen sine gratia, tribuit, si voluerit. Et inde phrases illæ libratissimæ S. Augustini, quibus dicit, quòd in primævæ illius conditionis felicitate Angeli, quamvis tali gratia juvarentur, per vires tamen liberi arbitrij, seu *per liberum arbitrium in veritate steterunt*, quod nunc per aliam Christi gratiam, qua datur ipsa perseverantia, concedi debet. Quæ omnia fusius & radicitus a alibi explanata & probata sunt. Hæc igitur cùm accuratè penetrarent Massilienses, non contenti illâ gratiâ internâ *sine qua non* aliam gratiam, qua fieret actus, sibi quærendam esse censuerunt: ne alioquin in Pelagianam impietatem apertè cecidisse dicerentur. Itaque cùm nihil occurreret, ratione cujus tales actus initiales tribuerentur Deo, dixerunt reliquias libertatis arbitrij, quæ hominibus in sua conditione liberaliter & gratis à Deo data est, esse donum Dei; cui proinde tanquam gratiæ QVA FIVNT, actus illi tribui debent. Hoc est igitur quòd dixerunt, initium fidei ad *naturæ integræ reliquias*, tanquam ad gratiam, esse referendum, gratiam, inquam, illam discretivam unius ab altero, de qua quæstio erat, & quâ fit, ut unus vocatus credat & veniat, alter credere & venire nolit, sed in infidelitate persistat. Hoc enim ad illam *gratiam, sine qua non*, referre velle, quasi illa discretionis istius primum cardinem impelleret, insipientiæ singularis esse cernebant. Hanc ergò discretivam gratiam assignando dicunt apud Hilarium: *Nec de hac fide posse dici: Quid habes, quod non accepisti? cum in eadem natura remanserit licet vitiata, quæ prius sana ac perfecta donata sit.* Et in alio ibidem loco: *Consequens putant exhibendam ab eo fidem, cuius natura id voluntate conditoris concessum est.* Et Prosper alibi notat, *ideò ipsos fidem ad Deum retulisse, quia ab ipso sit creata natura, cui rationabilem inseruit voluntatem, per quam unusquisq; & credere, & non credere in sua habeat potestate.* De quibus reliquijs integritatis primæ, tanquam gratiâ discretivâ Massiliensium, & Augustinus agit, & Cassianus à Prospero repressus: *Manet in homine liberum arbitrium, quod gratiam Dei negligere possit vel amare.* De quo Massiliensis doctrinæ capite fusè tractatum est in libris de hæresi Pelagiana.

a Vide lib. de grat. primi hō. luculentissimè c. 6. & 7. & 15. & l. 2. de gratia Christi Salv. c. 6. 7. & c.

Massil. in Ep. Hilar. ad August.

Ibid.

Prosp. ad excerpt. à Genuens.

Lib. de prad. SS. c. 5. Cass. Coll. 13.

Vide l. 8. c. 10

Hoc ipsum igitur à Massiliensibus ad Recentiores nostros derivatum est. Nam & ipsi apertissimè profitentur causam illam discretivam credentis à non credente, quando uterq; gratia illa sufficiente, *sine qua non*, præventus est, esse liberum arbitrium, seu naturam hominis cui Deus rationabilem inseruit voluntatem, qua se possit indifferenter in utramvis partem flectere: *Quod ex duobus similiter vocatis, alter oblatam gratiam acceptet, alter respuat, rectè dici potest ex sola libertate provenire: non quod is qui acceptat solâ libertate suâ acceptet, sed quia ex sola libertate illud discrimen oritur.* Quod ibidem latius exequitur. Et in libro de prædestinatione & reprobatione: *Quod hic sequatur & perseveret, causa vera & propria est libertas arbitrij auxilio divino instructa: quæ sicut in naturalibus, ita in supernaturalibus, potest se in utramque partem flectere.* Et jam sæpius eum supra dicentem audivimus, causam cur fiat actus hic & nunc, & quidem directam & principalem, esse liberum arbitrium. Hoc ceteri omnes ejusdem doctrinæ patroni astipulando profitentur, quando datâ jam gratiâ sine qua non, ultimum flexum, quo credens à non credente discernitur, tribuunt unanimiter libertati, quamvis non sine gratia. Hoc enim est ipsissimum illud, quod Massilienses reliquijs naturæ tribuebant.

Less. lib. de grat. efficaci cap. 18. n. 7.

Ibid. 4. n. 46

NOTA LIII.

Causa commendandi istam discernentem gratiam, ne voluntas alioquin non læsa, sed penitus extincta videatur.

CAusa quoque quæ utrosque in istam opinionem impulit, prorsus eadem est: ne alioquin, inquiebant Massilienses, liberum arbitrium ac natura voluntatis rationalis, non læsa aut infirmata, sed penitus exstincta credatur. Hilarius: *Nullam naturam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari.* Et ibidem molestissimè ferunt, *nihil quod prædicatione excitetur, in hominibus remansisse*; hoc est, perijsse libertatem amplectendi boni, & ipsis hominibus, ut ibidem dicitur, *nolle iustitiam inevitabili necessitate esse coniunctum.*

Hilar. ad August.

Recentiores istud ipsum altè imbiberunt, & accuratè imitati sunt. Audi Lessium: *Si Adam poterat se flectere in utramq; partem, nec egebat gratiâ determinante* (quam Augustinus vocat gratiam, quâ fit opus) *ut fatentur ij, qui solum ratione debilitatis ex peccato originis contractæ hanc gratiam requirunt, cur non etiam post lapsum poterit homo ita corroborari per gratiam* (supple SINE QVA NON seu congruam & sufficientem) *ut possit opus bonum facere vel omittere absq; determinatione? Debilitas enim illa facilè potest instaurari ad singula opera per gratiam sufficientem, quæ non determinat. ALIOQVIN SI ITA EST PROSTRATVM LIBERVM ARBITRIVM, ut nulla corroboratio ei facta sit, ad hoc ut verè & propriè possit opus præstare, nisi ita impellatur, ut ex vi impulsus prædeterminetur, perspicuum est, NON TAM ESSE DEBILITATVM, QVAM PENITVS EXTINCTVM.* Non potuisset Massiliensis aliquis Presbyter accuratioribus verbis sensum suum exprimere. Ea ipsa quoque ceterorum doctrina est, qui omnes unanimiter putant, liberum arbitrium extinctum esse, si non potest se cum gratia sufficiente ad bonum flectere, quemadmodum ad malû. Sed non advertunt, non esse gratiæ sufficientis officium, quantumcunq; magna & sexcenties millenis gradibus aucta fuerit, voluntatê ita roborare ut determinatione non indigeat. Hæc enim determinatio essentialiter repugnat læsioni voluntatis, quam peccatû attulit. In eo quippe læsio ista sita est, ut seipsam ad bonum

Less. lib. de grat. effic. c. 9. n. 14.

bonum cum tali gratia ferre non possit, sed aliâ potentiori egeat, quâ vel primaria illa libertas redeat, exhausta totius concupiscentiæ peste, quod in cœlo fiet; vel ea manente, ita per gratiam voluntas inclinetur ad bonum, ut eam faciat velle & operari. Quod per gratiam sufficientem quantumcunque magnam fieri impossibile est, utpote cui essentiale est, dare dumtaxat, POSSE SI VELIS: velle verò quod potes, aliundè quàm ab ista gratia peti debet. Si à voluntate, jam non est peccato læsa libertas; quia idem, quod Adamus & Angeli cum gratia, sine qua non, potuerunt, potest. Extinctam autem esse libertatem ad bonum, non ægrè ferant Recentiores si Augustinus admittat, & ut alibi diximus accuratius, tanquam Christianæ Religionis basin apertè fateatur. Sed recordentur verborum Cassiani, quæ à S. Prospero castigata sunt: *Cavendum nobis est ne ita ad Dominum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi quod malum atque perversum est, humanæ ascribamus naturæ.* Et illorum, quæ præcedentium ex mente Cassiani rationem continent: *Idcircò manet in homine liberum semper arbitrium; quod gratiam Dei possit vel negligere vel amare.* Quibus verbis illam liberi arbitrij indifferentiam ad utrumlibet, quam Lessius postulat, superesse testatur; alioquin extinctum esse videretur.

Vide l. 3. de stat. nat. lapsæ per multa capita à 3 usq; ad 13.

Cass. Coll. 13.

Ibid.

NOTA LIV.

Sibi tribuunt initium fidei, credere, desiderare, orare, &c.

PEr istas ergò naturæ reliquias, seu superstitem à peccati ruina libertatem, hominem dicebant posse credere, posse orare, posse desiderare medicum. Atque ita initium fidei, seu primos actus fidei, & orationis in sua potestate collocabant. Quæ sententia Massiliensium celeberrimè apud Recentiores innotuit, nec hoc loco probationis eget, quia copiosè alibi tradita est.

Lib. 8. de hæresi Pelag. c. 12. & 13.

Et quamvis eam tanquam proscriptam jam olim hæresin detestentur, quia tamen non satis circumspectè Massiliensium sensa ponderant, id quod generatim & in confuso ex Catholica fide damnant, in particulari inter opiniones suas capitales recepisse videntur. Ex professo quippe eodem quo Massilienses modo docent, hominē ex istis primævæ libertatis reliquijs posse credere, sperare, medicum desiderare, & implorare, si velit. Nam quod per illam gratiam *sine qua non*, seu sufficientem & congruam, se extra erroris aleam constitutos putant, idipsum non potuit Massilienses ab errore defendere, ut jam alibi diversis locis explicatum est. Talis enim gratia, sicut & habitus bonus nulla ratione impedire potest, quò minus opus quod sequitur, sit opus liberi arbitrij; & humanæ voluntatis effectus, non donum spiritale gratiæ Dei. Quod etiam alijs locis abundè demonstratum est.

Vide sup. Nota 41. & l. 8. de hæresi Pelag. c. 6. 7. & seqq. Vid. l. de grat. primi hom. c. 15. & 16. & lib. 2. de grat. Christi Salvat. c. 6.

A

NOTA LV.

Multiplex discrimen. Primum quod Massilienses initium fidei, & in ea perseverantiam sibi asscriberent: recentiores omnes virtutes. In quo dupliciter gravius Massiliensibus hallucinantur.

SEd Massilienses cùm divinæ gratiæ præjudicium se facturos vererentur, solum initium fidei, & in ea perseverantiam, aliosque quosdam imperfectos actus, orandi, gemendi, timendi, dolendi de infirmitate virium, timidè suæ libertati se potestati tribuerunt. Quod ex Epistolis Prosperi & Hilarij perspicuum est, & nos alibi latè declaravimus.

Vide l. 8. de hæresi Pelag. c. 12. & 13.

Recentiores multo gravius, idque duplici ex capite hallucinantur. Primò, quòd actus fidei, spei, dilectionis, & similes, etiam absque omni gratia sufficiente, seu sine qua non, ex solis libertatis nativæ viribus prosilire posse docent. Quæ doctrina à Molina & Lessio cōfidenter traditur, dum uterque ex professo docet: *Annis à prædicatione Evangelicâ summa probabilitate per omnes fidei notas propositâ, possunt decernere apud se illam perpendere, & ubi perpenderint, fide quadam humana credere. Si enim potest*, inquit Lessius, *mens humana credere permissa, n. illam sanè veri specioni latentia, cur non potest credere salutaria, summè probabilia?* Ita ille miserabibiliter conjectando palpans in tenebris, quia veram rationem differentiæ istius non advertit. Vnde ibidem nudis naturæ viribus tribuit, *concipere ingens desiderium beatitudinis, & petere à Deo ad illam perduci.* Et Molinam similia disputantem approbat ac tuetur. Nam quod præclarè se excusatos putant ex eo quod actus illi non sint supernaturales, vel meritorij, vel non ut oportet, baculo nituntur arundineo: nisi aliter, quàm soleant istud, *ut oportet*, explicare velint. De quo alibi latius.

B

Les. l. 1. de grat. efficaci c. 10. n. 4. Molina in concord. q. 14. art. 13. disp. 10.

C

Secundò hallucinantur, quòd non tantùm initium fidei & reliquos imperfectos actus Massiliensium, sed fidem integram, dilectionem Dei, omnium virtutum opera, ipsamque perseverantiam usque in finem viribus naturalibus tribuant, cum eadem illa gratia sine qua non, quam ad solum initium fidei Massilienses libero arbitrio sociabant. Nam nihil operis boni tam excellens in quacunque virtute reperiri potest, ad quod gratiam alterius ordinis necessariam putent, quàm istam sufficientem, seu gratiam sine qua non: quę non magis ad ea perficienda in ista virium infirmitate accommodata est, ac si homini fractis cruribus prostrato baculum dares, quo rectus graderetur, quemadmodum & hoc ipsum abundè suis locis explanatum est. Hoc cùm animadverterent Massilienses, horruerunt enormem istam exorbitantiam: adeoq; etiam in ipso initio fidei præstando horruissent, nisi putassent, tam imbecilles actus, non esse partem sanitatis, aut nomen operis boni non mereri. Vnde Hilar. *Ceterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quenquam sibi sufficere posse consentiunt:* Neque

Vide l. 1. de stat. nat. p. c. 11. & l. de gra. Christ. Salv. c. 11. & 12.

D

Vide l. ... de gra. Christ. Salvat. c. 1. & 3.

Hilar. in Ep. ad Aug.

Digitized by Google

Neq; enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, e cœteritā & supplici voluntate, unumquemque ægrotum velle sanari. Nempe ex ægritudinis corporeæ similitudine fallebantur, in qua velle sanari nō est opus vel pars ulla sanitatis.

NOTA LVI.

Secundum, quod illi initium salutis; hi totam suæ potestati vendicent.

Ex quibus alia dissimilitudo aut similitudo proficiscitur. Massilienses enim per istam fidei revocationem ad arbitrium suum, totius etiam salutis divinæ constitutioni extorquere nitebantur, ut ita fractis illis fatalibus tabulis non dependeret ab incerto voluntatis Dei, sed ab humana libertate. Quod notat Prosper in Epistola ad August. quando finem erroris eorum fuisse tradit, *ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat.* Et rursum: Quod per hoc *principium salutis in homine collocatur; quod divinæ voluntati humana pareat.* Et alibi notat Massilienses haurire voluntate salutem

——— *Ex fonte volendi.*

Prosp. de ingrat. c. [illegible]

Nam per illud auxilii genus, *sine quo non fit* [illegible], tota fati, temporis, mœroris, desperationisque scena disparet, atq; ita expeditus & sui juris, homo constituitur, ac si nulla prorsus gratia indigeret, & sola nudaque voluntatis potestate operaretur salutem suam, ita ut *e fonte volendi*, gratiâ illâ positâ, omne discrimen salutis & perditionis oriatur.

Recentiores non contenti salutis initium suæ potestati fracto fato, vindicasse, totam perfectamque salutem ad se revocant, quia nihil amplius ex Deo se habere profitentur, quam sufficientissimam potestatem, per quam possint credere, operari, & perseverare, si velint. Cùm autem *non ut consequeris*, quod perspicaciter observavit August. *ut qui potest venire ad Christum etiam veniat, nisi id voluerit atq; fecerit*, ipsum velle & facere, sine quo nemo adultus salvus erit, aliunde a [illegible] ipsa humana voluntate peti debet. Hoc ergò in omnibus operibus sibi ipsis tribuendo, salutem universam sibi tribuunt, & verè suspendunt atq; hauriunt *ex fonte volendi*; adversus Apost. qui *non ait*, ut idem Aug. notat, *quid autem potes habere, quod non accepisti, ut possis habere: sed ait, quid habes, quod non accepisti.* De quibus fusius alibi dicta consule.

Aug. de grat. Christi c. 14.

Lib. de præd. Sanct. c. [illegible] lib. 8 de hæresi Pelag. c. [illegible]

Cur autem Recentiores universam salutem sibi per istum gratiæ sufficientis modū tribuere voluerint, causa perspicacibus satis perspicua est. Nam nisi & opera & ipsa perseverantia tota in hominis potestate & libertate statuatur, difficulter larvę illę veteres resuscitatę, de fato ac desperatione, fugabuntur. Tali autem gratia quibuslibet operibus perficiendis à primo usq; ad ultimum concessâ, totum humanæ salutis mysterium ultirò ad cardinem liberæ voluntatis revocatur, & in eo vertitur; [illegible]; ita uno flatu omnes illæ chimeræ de fato, [illegible] desperatione dissipantur. Nihil enim de ope[illegible] [illegible] statuitur cum illa gratia, nisi quod quisq; [illegible] ante prævidetur: nihil de salute vel perditione, nisi cùm ipsa voluntas gratiam arripuisse vel neglexisse cernitur. Vnde proponens argumentum sibi Lessius, quod fatalitatem illam supponere, & desperationem afferre videbatur: *In nostra*, inquit, *sententia difficultatem non habet. Dicetur enim, te quidem esse prædestinatum, si es iustus, non tamen completè, nisi supposita præscientia tua perseverantia: quæ præscientia cum à tua perseverantia obiectivè pendeat, & perseverantia à tua diligentia divino auxilio adiuta* (sine quo non v[illegible] et) *conandum tibi omni ope, omnes vires naturæ & gratiæ intendende, ut perseverantiam præstes* &c. *Sanè nihil est quod hominem magis ad sedulitatem, sollicitudinem, studiumq; virtutis, & ad vincendas frangendasq; pravas naturæ cupiditates, quàm hæc prædestinationis ratio incitare possit.* Et infra de singulis operibus: *Per prædestinationem non sunt decreta singula opera bona absoluto decreto ante prævisionem nostræ cooperationis*: quod sæpius repetit, & simul exponit illud auxilium esse tale, *sine quo non possumus ad bonum opus cooperari.* Itaque fatuum est de fato urgente cavillari, cum unusquisq; sibi fabricet fatum suum; & stultitiæ plenum desperare, ubi *spes sibi quisq*; juxta Poëticam sententiam factus est, ut tantum ferat, quantum diligentiæ contulerit. Hoc igitur ut efficerent Recentiores, palam ad arbitrium voluntatis liberum opera cuncta revocarunt: quod Massilienses cum non auderent; solum motum fidei, & in fide perseverantiam suspenderunt à voluntate sua: sed indirectè hoc ipsum consecuti sunt. Nam quemadmodum fide à seipsis inchoata, gratiā, quam fide merebantur, de cœlo in terram devocabant; ita perseverantiam in eadem fide sibi tribuendo, donorum omnium perseverantiam & mercedem eorum vitam æternam, ab humana voluntate religabant. De quibus vide loco cit.

Less. lib. de præd. sect. 6 n. 79.

Ibid. n. 80.

NOTA LVII.

Tertium, quòd illi post initium fidei veram Christi gratiam actualem agnoverint; hi nullam.

Sed unus adhuc aut alter articulus est, in quo magnopere à Massiliensibus discrepant. Hi enim Catholicæ fidei regulâ, & Cœlestini Papæ declaratione perterriti, quibus apertè definitur, opera bona esse munera Dei, quę per inspirationē flagrantissimę gratię donando, in & cum libero arbitrio operatur, apertè veram gratiam post fidem, omniaque opera nostra bona Dei dona esse confessi sunt; quemadmodum nos alibi latè asseruimus, & ex toto lib. quem de dono perseverantiæ scripsit August. perspicuum est. Quod etiam Prosper & Hilar. non semel testantur; ut quando eos profiteri dicunt, quod *fides deinceps per Dei gratiam iuvanda sit*: item quod eis sit vita æterna, *qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Rursum Hilar. *Ceterum ad nullum opus vel incipiendum nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* Quæ sæpè & plurimis modis in illis Epist. repetuntur. Vnde Aug. exsertè testatur, quod *solum initium fidei & usque in finem perseverantiam in nostra*

Vide lib. 8. de hæres. Pelag. c. 29. toto.

Prosp. in Ep. ad Aug.

Hilar. in Epist.

Aug. lib. de dono pers. c. 17.

Digitized

in nostra constituerent potestate, & Dei dona esse non putarent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates: cætera vero ipsum dare concederent, cùm ab illo impetrantur credentiu fide. Si cetera dona à Deo dari concedebant, ergò catenus veram & Christianam gratiam agnoscebant.

Recentiores nec isti veraci rectæq; confessioni Massiliensium volunt acquiescere. Nam quemadmodū in ipso initio fidei nullum gratię Christi relinquunt locum, qua videlicet non solum posse credere, sed ipsum credere voluntati inspiretur ac detur; ita eandem gratiam ab omnibus operibus bonis removent, quæ solâ hominis libertate se quò voluerit flectente, quamvis non sine adjutorio *gratiæ sine qua non*, exhiberi ab homine, non à Deo donari putant. Qua de re si sententia & censura S. Augustini peteretur, opinionem illam non ad Massiliensium sed fortè ad Pelagianorum placita relegaret. Nam adversus Massilienses disputans ita loquitur: *Hæc ergo Dei dona sunt, id est, ut de alijs taceam, sapientia & continentia*, hoc est, sapienter & continenter vivere. *Acquiescant & isti* Ibid. Massilienses: *Neq; enim Pelagiani sunt, ut adversus istam perspicuam veritatem, dura & hæreticâ perversitate contendant.* Quo perspicuè significat, quod si opera pari modo ac fidem suæ potestati arrogassent, ac sua esse credidissent, perfectè futuros fuisse Pelagianæ hæresis reos. Cùm igitur fidem non aliter suæ potestati arrogarent, quàm statuendo, se sua libera voluntate quo voluerit se flectente cum gratia Adami, seu cum *auxilio potentiali sine quo non*, vocanti Deo posse credere, profectò simili modo suæ libertati opera vendicare, & sua putare secundum Aug. Pelagianum facit. Mirabuntur istam cōsequentiam Recentiores. Sed si tranquillè perpendere dignentur, non minus esse humanæ libertatis officium, auro & unionibus, quàm ferro ac terreis glebis uti; stylo argenteo, quàm æreo characteres pingere; habitu bono quàm vitioso agere: Deo eos illustrante forsan intelligent, etiam gratia ista sufficiente, seu adjutorio *sine quo non* ad operandum vel credendum uti, non minus *nostrum* esse & humanæ libertatis officium, quàm si motibus naturalibus sive ad bonum sive ad malum nostra voluntate utrolibet se flectente uteremur; atque ideò impossibile esse, ut opera aut fides quæ sic fiunt, sint specialia dona gratiæ Dei. Non enim donantur illa per adjutorium *quo possunt, si volueris, fieri*; sed per id, *quo reipsa fiunt.* Hoc autem non talis gratia donat voluntati, sed vice versa, voluntas tali gratiæ, licet neutra absq; altera operetur. Ex quo fit, ut perinde ac si nulla gratia sufficiens aut congrua cum voluntate concurreret, ad liberum arbitrium referenda, & perinde quoque (argumentando, non censendo loquor) juxta S. August. Pelagio Recentiorum opinio accensenda videatur. Vera enim gratia Christi medicinalis fractæ libertati cœlitus impertita, cujus solius confessio Pelagianismum excludit, longè alterius rationis est; nec ullius alterius gratiæ

Videl. 2. de grat. Christi Salv. latius.

A quantumcunque magnæ & plausibilis conjunctio cum voluntate, uti vires perditas reddere, ita Pelagianismi invidiam aut reatum diminuere aut abstergere potest. Pelagius enim ab Augustino & Patribus redargutus fuit, quòd gratiam, quæ propriè Christi est, negando tolleret, & per hoc adventum & crucem ejus evacuaret. Vnde gratiam, ad cujus confessionem urgebatur, vocabant, [a] *gratiam qua Christiani sumus*; [b] *gratiam Salvatoris*; [c] *gratiam Christianam*; [d] *gratiam Christi*, [e] *gratiam quæ revelata est per passionem & resurrectionem Christi*; [f] *gratiam quæ per incarnationem unigeniti donata est*; deniq; [g] *gratiam Dei per Iesum Christum*, quam ex Apostolo ad Romanos didicerant, [h] *liberare nos a corpore mortis hujus*, hoc est, à vitijs & passionibus corporis mortis hujus. Hæc autem gratia non est gratia illa sufficiens, qua etiam primus homo & Angeli indiguerunt, quando in primæ illius dignitatis præstantia creabantur: sed
B est gratia medicinalis, qua à vulneribus libero arbitrio inflictis per Salvatorem sanamur & liberamur. Quæ gratia tantùm proportione differt ab illa sufficiente, quantum morbus ab ægritudine. Itaque nullius gratiæ sive concursus Dei, sive gratiæ habitualis, sive sufficientis & congruæ, sive *sine qua non*, sive cujuscunque alterius confessione se quisquā ab errore Pelagiano liberare potest, nisi illam gratiam cōfiteatur ad singulos actus necessariam, quæ nec Adamo, nec Angelis tanquam sanis data est; sed quæ hominum lapsorum arbitrio tanquam ægro, & sub peccati, hoc est sub concupiscentię dominatione captivo ac servo, sanando, redimendo, liberando per crucem & mortem Iesv Christi Salvatoris revelata atq; donata est. Hæc non est sufficiens, non congrua, *sine qua non*, non concursus Dei, non habitus,
C sed illa tantum, qua depresso sub concupiscentiæ dominatu arbitrio fit ac datur actio. De hac sola August. & Patres disputant; hanc Augustinus explicuit; hanc gratiæ *sine qua non* opposuit: Hanc qui non admittit, etsi omnes alias fateatur, non Semi-Pelagiano, sed perfecto Pelagiano errore, si Augustini principijs credimus, detinetur. Omnium enim reliquarum gratiarum confessio, quod ad præsentis controversiæ cardinem spectat, perinde est, atque si nullam omninò fateretur.

a Patres Conc. Carth. in Ep. ad Innocent.
b Patres Conc. Milev. ad Innoc.
c Ibid.
d Ibid.
e Epist. 95. ad Innocent.
f Ibid.
g Patres Con. Carth.
h Rom. 7.

D

NOTA LVIII.

Quartum, illi intelligunt veram Christi gratiam cum libertate consistere; hi nequaquam.

QVemadmodum igitur in veræ medicinalis gratiæ confessione presbyteri Massilienses nostros recentiores longè superant: ita eos in adjutorij istius verè Christiani intelligentiâ

Digitized by Google

gentia procul post se relinquunt. Quo enim A pacto in operibus faciendis cum libertate cohæreret, exhortationes non extingueret, fatum excluderet, satis accuratè penetrarunt. Testis enim est Prosper in Epist. ad August. quod expressè dicerent: *Libertatem suam ab hoc Dei auxilio iuvandam, si quod Deus mandat, elegerit.* Hoc est, si electio voluntatis ad credendum Deo antecesserit. Et Hilar. tradit, quod illam gratiam in Scripturis commemorari dicerent, *qua unusquisque post voluntatem iuvatur.* Nempe volebant, hominem ex se incipere velle, non solum credendo, sed etiam cujuslibet virtutis opus facere desiderando: quam imperfectam voluntatem Deus postea quasi ignem sufflando roboraret. Vnde August. addit, quod ipsi *hortabantur quoque ad castitatem, charitatem, pietatem, & cetera, quæ Dei dona esse confitebantur, nec dicebant exhortationes suas impediri prædicatione prædestinationis Dei.* Quæ omnia latius in Semi-Pelagianæ hæresis B declaratione tanquam certa demonstravimus.

Lib. de dono pers. cap. 17.

Vide lib. 8. de hær. Pelag. cap. 20.

Recentiores isti nihil horum huc usque intellexerunt. Nam sive medicina illa efficax Salvatoris nostri Iesu Christi primam credendi voluntatem nolentibus & repugnantibus inspiret, in cujus intellectu peculiaris difficultas est, & Massilienses hallucinati atque turbati sunt; sive voluntatem, hoc est, volitionem jam existentem roboret, vehementiam atq; ardorē inspirando, virtutesq; singulas potenter operando, æquè ad fatum quasi imminens recentiores, & ad libertatis extinctionem, & hortationum correptionumq; interitum trepidant. Generaliter enim sentiunt, omnem talem gratiam, quæ non est *sine qua non*, sed *qua* fit actio; seu quæ non est talis, ut præbeat *posse si velis*; sed velle, quod potes, capitaliter inimicam esse libertati. Quod ex locis auctorum istorum superius annotatis liquido constat, & apud eruditos notorium est.

C

NOTA LIX.

Meritum agnoscunt pariter in initio fidei; illi inviti, hi palam.

IAm verò & alia nonnulla doctrinæ capita sunt, in quibus Massilienses atque recentiores vel omnino pares sunt, vel si quo discrepant, illos isti exorbitationis enormitate multùm superant. Vtriq; enim in initio fidei, quod cum gratia Adami *potentiali, seu sine qua non*, liberæ voluntati tribuunt, meritum agnoscunt. Nam illi dicunt, *convenient esse veritati, ut eo merito, quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Cujus plura testimonia in eadem Epistola videre licet.

Recentiores id ipsum fidei meritum palàm receperunt. Cùm enim putent se veros actus ex gratia donante factos prædicare, quamvis non nisi naturalis libertatis fœtus sint, nihil D mirum, si etiam eos gratiæ meritorios esse fateantur.

Sed in hoc nonnulla discrepantia est, quod Massilienses inviti ad illam confessionem pertracti sint; Videbant enim intelligendi perspicaciâ, non aliud hujusmodi fidei initium esse, quàm naturalis fructum voluntatis, per quod gratiam sibi ipsos parere ac dare posse, palàm profiteri formidabant. Hac igitur de causa, summopere meriti istius dignitatem extenuando elevabant: quod nos fusius loco suo declaravimus, & paulo post aliquid adhuc dicturi sumus. Recentiores verò non penetrantes cardinem difficultatis, sine ullo scrupulo meritum in tali fide constituunt, & velut Catholicæ doctrinæ caput liberrimè profitentur. Non enim animadvertunt, se naturæ viribus, gratiæ Christianæ meritum attribuere, ut gratia jam non sit gratia: atq; ita in illud toties proscriptum se incidere, quod *gratia secundum meritum detur.*

Vide lib. 8. de hær. Pelag. cap. 17.

NOTA LX.

Meritum utrique valde deprimunt; sed illi operum cum gratia factorum; hi operum purè naturalium.

SEd ex alio latere presbyteros Massilienses imitando, longè remotius quàm ipsi à veritate discedunt. Illi enim, ne gratiam gratuitam actibus fidei & orationis, quos non sine gratia per arbitrij sui libertatem proferre se posse statuebant, letali vulnere percuterent, dum non gratis daretur, sed quibuscumq; exiguis fidei & orationis meritis redderetur, meritum istorum actuum vehementissimè depresserunt. Dixerunt enim fidem, orationem, pulsationem suam, *non esse condignam*; esse tantum *occasionem* gratiæ conferendæ; *ne irrationabilis munificentia Dei largitas, neve penitus dormienti aut inerti otio dissoluto sua dona conferre videretur*; esse *solicitem* sub quo gratia daretur, atq; ideo *gratiam Dei semper gratuitam perseverare.* Quæ late in Semi-Pelagianę hæresis declaratione deduximus.

Coll. lib. 13. initio cap. 14.
Ibid.
Collat. 13.
Ibid.
Vide lib. 8. de hær. Pelag. cap. 17.

Easdem & similes phrases moderni illi Scholastici studiosè collegerunt, ut meritum actuū naturalium, quos infideles, faciendo viribus naturæ quod in se est, operantur, extenuando deprimant. Nam ut nihil de illis loquar, qui eos olim dispositionem, vel proximam, vel remotam ad gratiam vocavère, nostri de quibus agimus, qui istam phrasin ut injuriosam gratiæ declinarunt, dicunt eos [a] *non propriè mereri; non reddere hominem dignum*: esse tantum [b] *subordinationem ad gratiam*; esse [c] *occasionem*; [d] *maxime decere Deum, ut misericordiam in eos effundat*: [e] *infallibili lege dare gratiam*; hanc legem dandi gratiam *esse rationi maxime consentaneam*, quam Pater cum Christo inierit: alioquin *qua ratione verum erit, Deum velle omnes homines salvos fieri?* Videri quippe *incredibile & INDIGNVM infinitâ Dei clementia contrarium.* Quæ sane longè luculentiora sunt epitheta, quàm quibus paulò antè Cassianus usus est. Nam quid est meritum de congruo, nisi id propter quod DECET gratiam dari à Deo, & non dari *Deo indignum* est? Nec enim quisquam sanus Catholicus dixerit, indignum esse Dei clementia, si peccatoris cujusquam etiam Christiani preces non exaudiat, sicut multarum preces non exaudit, in quibus tamen meritum de congruo cōstituere solent.

a Less. de gra efficaci in append. ad c. 10. n. 30.
b Cap. 10. n. 3. & 4.
c Ibid. n. 29
d Ibid. n. 3.
e Molina apud Less. app. ad c. 10. n. 35.
Molin. q. 14 a. 13. disp. 10.
Ibid.

Veruntamen quòd Scholasticorum istorum exorbi-

exorbitantiam clariùs indicat, Cassianus de A actibus quidem naturalibus, qui tamen per gratiam primi hominis, qualem Scholastici isti norunt, fierent, loquebatur; ut suprà nonnihil, & alibi latè demonstratũ est: hi verò Scholastici de illis actibus bonis, qui absque omni omnino gratia, non solùm Christi Salvatoris, sed etiam primi hominis, per puras naturæ perditæ vires proferuntur: à cujusmodi bonis actibus Massilienses isti plerumq; horruerunt. Quapropter quantùm gratia primi hominis nostram naturam superat, tantùm hallucinationis enormitate Massilienses à recentioribus nostris superantur.

Lib. 8. de heresi Pel. c. 6. 7. & seq.

NOTA LXI.

Multæ propositiones apud utrosq; veræ. Prima: Gratia non sibi subjicit humanam voluntatem.

IAm verò ex his quę diximus funditus illarum propositionum damnatarum sensus B intelligitur, de quarũ aliquibus superiùs nonnihil locuti sumus. Prima est, quod *Voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pareret opem; non gratia humanam subjiceret voluntatem.* Significabât enim Massilienses, voluntatem hominis, dum naturali libertate, quamvis cum gratia *sine qua non*, credebat Deo, efficere ut eá sive occasione, sive colore, sive merito, Deus gratiam illam Christi largiretur, qua voluntas ad incrementum fidei, virtutesque omnes Christianas, Deo donante pertingeret. In qua sanè sententia gratia Christi non subjiciebat sibi voluntatem, sed illa jam ante subjecta Deo, gratiam sibi ipsa suâ potestate pariebat. Loquuntur enim de illa vera gratia medicinali Christi Salvatoris, quam solam vel penè solam, Augustino teste, universæ Scripturæ & Ecclesiastica monumenta prædicare videntur.

In Epist. Prosp. ad Aug.

Vid. Epi. 95.

In qua quidem priore sententiæ illius parte, C recentiores isti Massiliensibus dissimiles planè sunt. Nam quia veram illam Iesu Christi medicinalem gratiam non aliter norunt, quam ut oppugnent & expugnent, nunquam etiam in illorum sententia, voluntas hominis divinæ gratiæ sibi parit opem, utpote cujus nunquam se indigere profitentur. Miseram enim voluntatem suam tantâ libertate utrimq; præditam putant, ut cum sola illa Adami & Angelorum gratia, quę nullo pacto est Christi medici & Salvatoris auxilium, se non solum credere, ut Massilienses, sed & diligere Deum, & omnia omnium virtutum opera se perficere posse arbitrentur. Ex quo nascitur, ut propositionis quoque istius pars posterior, in istorum opinione non secus ac Massiliensium, verissima castissimaq; sit. Nunquam enim apud ipsos gratia sibi humanam subjicit voluntatem. Non illa Adami, quia illa nunquam habet, aut habere potest hoc officij, cùm nihil tribuit, nisi D *posse si velit*, & ipsa voluntas gratiam subjiciat sibi: non vera Christi gratia, quia illam quam possunt remotissimè ab omnium fide & sententia exterminant.

NOTA LXII.

Secunda: Vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deus exspectat.

ALtera à Massiliensibus asserta & à Concilio Arausicano damnata propositio est, quòd, *ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deus exspectat: non autem, ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fiat.* Quod eo sensu asserebant, quia censebant impertiri nolle Deum infidelibus peccatorum purgationem, sive remissionem, nisi priùs possibilitate seu libertate naturali crederent, eo modo quo istud Massilienses cum gratia Adami fieri posse statuebant, ut supra declaratum est.

Conc. Araus. can. 4.

Idem omnino recentiorum opinio velut certum & in confesso statuit. Neque enim putant, haud secus ac Massilienses, per S. Spiritus infusionem & operationem fieri, ut velimus; quasi Deus per verum adjutorium medicinale Christi Salvatoris ipsum velle largiretur; sed per auxilium *sine quo non* operari tantummodo posse si velit, ita ut velle purgari, naturali libertati superstiti relinqueretur. Hoc verò ipsum & nihil aliud est, exspectare Deum, ut purgari velimus; quemadmodum etiam supra exposuimus.

NOTA LXIII.

Tertia: Sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, &c. nobis misericordia confertur divinitus.

TErtia est, quòd *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordia conferatur divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fiat.* Quibus verbis hoc Massilienses intendebant, quod Dei misericordia gratiam tribuens daretur hominibus credentibus, & volentibus, & illos actus exercentibus sine gratia Christi Salvatoris, qua ipsum velle, credere, desiderare, petere, &c. inspiratur. In his enim actibus meritum divinæ misericordiæ collocabant. Putabant enim non esse opus gratiâ Christi Salvatoris voluntati actus illos infundente ac tribuente, sed satis ad eos efficiendos robustum esse liberũ arbitrium cum solo primi hominis adjutorio, quo donetur ei tantũ possesi ipsũ arbitriũ velit, quemadmodũ in præcedentibus à nobis paulò antè, & aliis locis ex professo explanatum fuit.

Conc. Araus. can. 6.

Hæc verò ipsissima est recentiorum sententia; quam ex professo in omnibus disputationibus suis hac de re passim tradunt. Nec isto adhuc contenti ulteriùs docent non solum petentibus & volentibus cum ista Adami gratia, divinitus conferri misericordiam; sed etiam petentibus, desiderantibus, conantibus per solã naturalis arbitrij potestatẽ, sine ulla gratia etiam *sine qua non*, misericordiam tribui, & oppositum indignum esse misericordiâ Dei. Nam verba Lessij sunt de faciente quod in se est per puras naturæ vires: *Maxime decere Deum, ut in primis in eos suam misericordiam effundat, qui ei impedimenta non objiciunt, & viribus naturæ rectè uti conantur.*

Vide lib. 8. de heres. Pel. c. 6. & seq.

Lib. de gra. efficaci. c. 14. n. 3.

Molin. q. 14 ar. 13. disp. 10. *conantur.* Et Molinæ: *Incredibile videtur, & indignum infinitâ Dei clementiâ clausisse eum viscera misericordiæ suæ, ut constitueret, quicquid talis peccator ex suis naturalibus facere attentaret, nunquam se opem laturum, ut à peccatis resurgeret.*

Quæ profectò Massiliensium dictis à Concilio damnatis, longè ac diversis ex causis jam supra tactis deteriora sunt. Nam consequenter in eodem loco nudis viribus naturalibus tribuit, *aggredi velle opus aliquod ex iis quæ ad justificationem spectant; desiderare ut filij Dei fiant; facere aliquid ut fidem amplectantur, vel ut à peccatis doleant; conatus aliquot edere; conari Evangelicæ doctrinæ assentiri*, & similia. Quibus addit excellentiora Lessius: *Flagitijs abstinere*, quo excellentiùs vix Christi gratia tribuit; *secundum dictamen rationis velle vivere, prædicationem Evangelicam perpendere, ut possint ad fidem & justitiam pervenire; concipere ingens desiderium cælestis beatitudinis, & petere à Deo ad illud perduci.* Denique *propositum rectè vivendi, sequendi dictamen rationis, emendandæ vitæ, nemini faciendi quod tibi nolis fieri, placendi Deo, & similes actus, absque ullo auxilio supernaturali conceptos.* De cujusmodi actibus &c. *cur non possint dici dispositiones remotæ ad auxilium gratiæ?* Quam ista & hujusmodi ex diametro S. Prosperi & Augustini doctrinæ repugnent, Recentiores isti nullo pacto vident, quia ab eorum principijs disjunctissimi sunt. Quod quia non est hic iterum demostrandi locus videat Lector ea quæ lib. 3. & 4. toto de Statu naturæ lapsæ diximus.

(Margin: Ibidem. — Ibid. disp. 11. — Less. loc. cit. — Num. 4. — Apud Less. in app. ad c. 10. n. 34. lib. cit.)

Nec verò sese præclarè tutatos putent, quod dicant hujusmodi opera: *non fieri sicut oportet*, prout ex eodem Concilio Massilienses hoc fieri voluisse, perspicuum est. Non enim satis attendunt isti Doctores, quid sit opus aliquod bonum fieri sicut oportet. Exponunt hoc ipsi quidem diversis ac miris modis, qui nunquam antiquis gratiæ defensoribus vel in mentem inciderunt, prout cujusq; sententiæ magis expedierit: sed si Aug. mentem assecuti essent, ex cujus doctrina verba ista sumpta sunt, jam intelligerent, opus fieri sicut oportet non aliud esse, quam rectè, sincerè, ex animo, non carnali intentione fieri. Quod qui accuratiùs assertum, & pleniùs sibi persuasum velit, legat ea quæ diversis locis diximus. Ista verò ratione posse naturæ nullæ viribus opera ista bona fieri, sententia inter ipsos explorata est.

(Margin: Vid. lib. 1. de statu tur. nat. cap. 11. & lib. 5 de grat. Christ. Salv. c. 11. & 12.)

NOTA LXIV.

Quarta: *Humilitati & obedientiæ humanæ subjungitur gratiæ adjutorium.*

QVarta est, quòd *humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungerent gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentirent.* Sentiebant enim gratiæ Christianæ adjutorium quo Deus operatur in nobis velle & perficere, non dari nisi postquam humiliando nos sub auctoritate primæ veritatis revelantis, obedivissemus fidei, credendo per humanæ voluntatis vires huc illuc cum adjutorio Adæ sese flectentis, propositæ veritati. Nam hoc est illud decantatum initium fidei, quod non nisi nos humiliando sub potenti manu Dei, & obediendo prædicationi, obtineri poterat. Hoc item quod adjungitur, quod nollent hujusmodi obedientiam esse DONVM GRATIÆ DEI. Non enim gratia Adami, sive sufficiens, sive congrua, sive *sine qua non*; sed sola medicinalis Christi Salvatoris gratia donat, velle, & obedire, & credere revelanti Deo. Quicquid aliter cum quocunq; gratiæ adjutorio fit humilitas & obedientia humana est, & liberi arbitrij fœtus.

(Margin: Conc. Arausic. can. 6.)

Recentiores multò longiùs recesserunt. Nam præter quàm quòd similiter sentiunt non esse ipsius gratiæ Christianæ (de qua semper sermo est) donum ut obedientes fidei atque humiles simus, sed hoc fieri cum solo adjutorio *sine quo non* flexibilitate, seu ut Celestinus Papa loquit, *possibilitate* voluntatis *naturali*, ne quidem subjungunt isti obedientiæ gratiæ veræ adjutorium, sed sicut obedientiam fidei, ita obedientiam quoq; omnium mandatorum fieri posse naturalibus iisdem viribus tradunt, Deo sublimen istam obedientiam per verâ Christi medici gratiam non inspirante, vel donante.

NOTA LXV.

Quinta: *Aliqui per liberum arbitrium ad gratiam baptismi venire possunt.*

QVinta est, quòd Massilienses, *aliquos per liberum arbitrium ad gratiam baptismi posse venire contenderent.* Nempe quia sentiebant, positâ solâ primi hominis gratiâ *sine qua non*, solum liberum arbitrium sufficere non minus nunc, quàm in Adamo suffecit, ut ad baptismi gratiam volendo accedamus. Nam ut ad Adamum istud potuisse Concilium nobis indicaret, statim adjecit, quod is qui hoc statuit, *Non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum*: quasi diceret, rectè hoc assereretur si liberum arbitrium per peccatum primi hominis non esset infirmatum, sed in suo naturali vigore & possibilitate persisteret. Quam ob causam etiam inferius dicit. *Per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuisse liberum arbitrium, ut* NVLLVS POSTEA *aut diligere Deum sicut oportet* (id est, non carnaliter) *aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum esse possit.* Apertissimè per illud (*postea*) significans, antea id primos homines per liberum arbitrium potuisse: quia quando nullâ interiùs concupiscentiali servitute premebatur, nullâ rixâ turbabatur, cum solo auxilio istius status proprio, *sine quo nihil* poterat, liberum arbitrium sese ipsum naturalibus viribus suis ad credendum, volendum, diligendumq; flectebat. Attenuatum verò & infirmatum nihil istorum postea potuit, sed medicinâ gratiæ potentiore ipsius imbecillitati opitulante, velle, credere, diligere voluntati fractâ primævâ libertate claudicanti largiendum fuit.

(Margin: Conc. Arausic. can. 8. — Can. vit.)

Recentiores nostri longè animosiùs & periculosiùs in hac re progressi sunt. Non enim solum ad baptismi gratiam per liberum arbitrium, sed ad justitiam, ad mandatorum omnium observationem, ad perfectionis apicem; ad ipsum cælum per liberum arbitriû se venire posse contendunt. Nam in omnibus istis sublimibus & heroicis operibus, nihil omninò ulterius postulant, quàm illam solam gratiam, cum qua primus homo ante peccatum per liberum arbitrium illa

illa omnia poterat præstare, si vellet; & Angeli reipsâ volendo præstiterunt, gratia non donante ut vellent. Absurdissimum enim putant, quòd præter posse credere, & perseverare, si velis, Deus per gratiam potentiorem etiam ipsum credere, & velle, & venire ad gratiam baptismi, & perseverare largiatur. Tam densæ tenebræ sunt, in quas ista cœlestis sanctissimi profundissimique Doctoris doctrina mersa atque abstrusa est.

A * Plures hujusmodi propositiones afferri possent, tum aliunde, tum ex Concilio Arausicano, quas non solum recentiores cum Presbyteris Massiliensibus amplexi videntur, sed plerumque deterius aliquid eis addidisse. Verum ex iis quas hîc declaravimus, ceteræ pene similes, & in iisdem principiis fundatæ sine difficultate intelligi possunt. Nunc tempus est, ut aliquid etiam de prædestinatione dicamus, quam utrique machinati sunt.

CAPUT QUARTUM.

Quid prædestinationi apud utrosque commune; quid proprium.

NOTA LXVI.

Unum Dei propositum in duo dividunt, in conditionatum & absolutum. Hoc postremum concipiunt post prævisionem fidei & meritorum.

GRatia & prædestinatio pari ferè passu se invicem consequi solent. Ex quo fit, ut quisquis in asserenda gratiâ hallucinetur, vix rectum iter tenere in prædestinatione possit. Itaq; quia gratia Massiliensium atque recentiorum istorum, de quibus hactenus; est prorsus eadem vel simillima; in prædestinationis etiam explicatione consentiunt. Quod paucis ad complementum hujus operis studioso talium rerum Lectori declarandum est.

Et primùm quidem unicum istud decretum Dei, quo homines ex massa perditionis ad æternam beatitudinem per gratiam seu per gratuita merita efficaciter, juxta sancti Doctoris mentem, prædestinantur, Massilienses duritie talis propositi prædestinantis territi in duo partiti sunt: quorum unum esset generale respectu universorum hominum, quos Deus pariter salvos fieri vellet; alterum speciale respectu certorum quibus beatitudinem actu dandam efficaciter decerneret. Illud conditionatum esse statuebant, si & homines vellent, & per ipsos non staret; hoc absolutum. Illud ante omnium operum etiam fidei præscientiam, à Deo, dum solâ misericordiâ lapsum genus humanum reparare vellet, conceptum esse: hoc ex præscientia fidei & meritorum. De primo illo generali & conditionato proposito, quod non habet rationem prædestinationis, sed præambuli cujusdam generalis ad redemptorem humano generi mittendum, & sufficientem, ut aiunt, gratiam assequendæ beatitudini præparandam, jam supra satis diximus, & summam utrimque convenientiam demonstravimus. Nunc de absoluto aliquid adjiciendum est.

Massilienses igitur omnes apertè decernebant, propositū absolutum largiēdi cuipiam beatitudinē, quod propriè ipsis prædestinatio est, & electio sæpiùs vocatur, nō nisi ex prævisione, & post prævisionem fidei & meritorum, & perseverantiæ in utrisque concipi. Expertis verbis hanc eorum sententiam Prosper expressit: *Qui autem* Prosp. Epist. ad August.

A *credituri sint, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuvanda, mansuri, præscisse ante mundi constitutionem Deum; & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse praviderit:* Sententia ista Massiliensium clara & certa est, de qua qui plura velit, legat ea quæ libro octavo de hæresi Pelagii ina diximus. Lib. 1. c. 11

Consentiunt ad amussim recentiores. Horrent enim velut mortem, quòd Deus proposito suo efficaci perducendi quempiam ad regnum suum, præscientiam fidei ipsius, & operum, & perseverantiæ anteverteret. Itaque ex professo istam Massiliensium doctrinam tradunt, & mordicus tenent. *Deus non statuit*, inquit Lessius, *absoluto decreto ante prævisionem operum aut finalis status, qui sint salvandi, aut damnandi.* Et in illa sectione crebrò repetit, in potestate hominis esse, ut sua prædestinatio compleatur, hoc est, ut Deus eum ad vitam æternam efficaciter eligat: nempe quia, ut explicat, efficere potest sua liberâ voluntate, ut Deus prævideat conditionem, quæ B ex parte hominis requiritur, fidem scilicet, & opera bona, & perseverantiam. Idem Molina, idem Vasquez, idem Valentia ut certum tradunt. Less. de præd. sect. 6. num. 11.

NOTA LXVII.

Illa fides & merita cum adiutorio gratiæ comparanda sunt.

NEc tamen Massilienses ita crudè istud intelligebant, quasi vel fides, vel opera, vel in utrisque perseverantia, tanquam puris naturæ viribus à se proferenda præscirentur à Deo; vel propter merita & perseverantiam purè humana, tanquam sine ullo gratiæ adjutorio comparata, eligerentur ad regnum Dei: sed sensus eorum erat, quòd propter fidem & merita cum adjutorio gratiæ comparata ad æternam vitam eligerentur. Nam ideo expresè dicit eos tenuisse Prosper, quòd qui in ea fide, *quæ deinceps per Dei gratiam sit iuvanda, mansuri sint, præscisse ante mundi constitutionem Deum*, & omnes eos C prædestinasse, quos *bono fine excessuros esse praviderit.* Nam bono fine, nihil aliud est, quàm in bonis operibus per Spiritus sancti gratiam proferendis. Quod idem Prosper declarat evidentiùs, quando eos sentire tradit, quòd *ob hoc Deus alios vasa honoris* In Epist. ad August.

honoris alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscuiusque præviderit, & sub ipsa gratiæ adiutorio in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit. Ex errore S. Augustini ante Episcopatum id ipsum liquet. *Hilar. in Epist. ad S. Aug.* Sentiebat enim, quod *quem Deus crediturum esse præsciverat, ipsum eligeret, cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Quæ Augustini verba ab Hilario relata Massilienses *se acceptare testantur.*

Arripuerunt eandem doctrinam recentiores. Notorium est enim hanc eorum esse sententiam, quod eos Deus eligit ad regnum suum, quos & credituros, & bene victuros cum adjutorio gratiæ Dei, & sub eodem adjutorio gratiæ bono fine excessuros esse præviderit. Quò fit ut Vasquez planissimis verbis dicat, *non errasse hac in re, & rectè sensisse Semi-Pelagianos.* *2. parte disp. 89. c. 5.* Nimirum, ne si errassent, ipsum quoque errasse sequeretur.

NOTA LXVIII.

Discrimen, quod Massilienses veram Christi gratiam intelligerent; recentiores non.

IN uno tamen à recentioribus Massilienses discrepant: quod hi fidem & perseverantiam in eadem fide cum solo adjutorio gratiæ primi hominis *sine quo non*, à se per liberum arbitrium afferri posse contenderent; opera verò per veram Christi gratiam, seu per *Spiritum sanctum*, ut Augustinus in eorum errore pressius loquebatur, sibi donanda fatentur. Hoc est enim illud quod dicunt, *sub adiutorio gratiæ*: item: *quæ deinceps per gratiam sit curanda.* Intelligunt enim illam veram & medicinalem Christi Salvatoris gratiam, quam Scripturæ, & Ecclesia, & Augustinus prædicabant: eò quòd palam *se abominari & damnare testarentur, si quis quicquam virium in aliquo remansisse, quo ad sanitatem progredi posset, existimaret.* *Hila. ad Aug.*

Recentiores è contrario nec istam quidem gratiam ad ullum opus bonum admittere volunt; sed solâ illâ gratiâ *sine qua non*, seu potentiali, & sufficiente contenti, qua Massilienses se tantummodò credere posse censebant, se satis liberos, & sanos, & potentes putant, ad efficienda quælibet opera quantumcumque difficilia. Atque ideò istos ad regnum eligi putant, quos Deus per liberum arbitrium credituros, & per liberum arbitrium operaturos, & per liberum arbitrium perseveraturos esse præsciverit. Nam illud adjutorium gratiæ *sine quo non*, nullo pacto impedit, quo minus opera quæ per liberum arbitrium eo concurrente producuntur, sint merita *humana*, & *liberi arbitrij*; non divinæ gratiæ aut sancti Spiritus munera quæ credentibus donet.

NOTA LXIX.

Vtrisque prædestinatio completa est ex præscientia fidei, & meritorum.

EX istis principijs Massilienses inferebant, prædestinationem completam ad regnum Dei esse ex præscientia: nempe fidei & meritorum. Attestatur eis Prosper, dum indicat eos *In Epist. ad Hilar.* *propositum & prædestinationem secundum præscientiam recepisse.*

Non diffitentur hoc ipsum de se isti recentiores: sed tanquam capitalem sui dogmatis sententiam tradunt.

NOTA LXX.

Prædestinatio utrisque retributio.

HInc ulterius Massilienses non aliud prædestinationem esse sentiebant, quàm retributionem, hoc est, non esse gratuitam voluntatem Dei, liberandi hominem: sed voluntatem retribuendi ei debitã mercedẽ: ut quemadmodũ in tẽpore regni Dei assignatio non erat nisi pura merces meritorum, non gratia Dei; ita & in præscientia, prædestinatio non esset aliud nisi talis mercedis retributio. Designat hoc Prosp. cum expositâ Genuensibus istâ prædestinationis naturâ dicit: *Vt ipsa Electorum prædestinatio non sit nisi retributio.* *In resp. ad 8. dubium Genuens.* Et evidenter Faustus: *Præscientia itaque gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda præscribit. Illa prævidet merita; hæc præordinat præmia. Præscientia ad potentiam; prædestinatio ad iustitiam pertinet. Præscientia de alieno subsistit actu, prædestinatio autem de iudicio suo &c. Ac sic nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* *Faust. lib. 2. cap. 3.*

Coguntur, velint nolint, idem ipsum sentire recentiores. Nam quia sentiunt, non Deum per *adiutorium quo* efficere ut homines velint, credant, operentur, & perseverent; sed hæc omnia humana (quamvis non sine *adiutorio sine quo non*) voluntate proferri: hinc necesse est, ut tota eorum prædestinatio, non sit aliud quàm pura retributio. Quisquis enim vel fidem, vel opera, vel perseverantiam humanæ libertati etiam sub & cum talis gratiæ adjutorio tribuit, omnem gratuitam prædestinationem radicitus tollit. Nihil enim relinquit, ratione cujus propriè & specialiter gratuita esse possit, neque formaliter neque in radice. Non formaliter, quia sic est actus justitiæ, qua meritis merces condigna retribuitur: quod neque recentiores isti negant. Non in radice, quia gratia illa primi hominis seu habitualis, seu sufficiens, seu congrua, seu quocumque nomine appellaveris, non tribuit ullo modo merita seu opera bona, aut perseverantiam, sed est adjutorium gratiæ tantummodò *sine quo non*, tribuens voluntati *posse si velit*; velle autem, & consentire, & operari, & perseverare in quo solum & propriè meritum situm est, ab ipsa hominis voluntate, non à tali adjutorio gratiæ, exspectandum est. Nam inde phrases illæ recentiorum apertissimæ: *Deus exspectat consensum voluntatis, cuius usui subest gratia, ita ut hæc efficacia gratia in actu secundo ab usu voluntatis quodammodo pendeat.* *Less. de grat. efficaci. c. 18. n. 1.* *Vbi hoc auxilium præveniens dedit, iam omnino exspectat, ut cooperemur suæ gratiæ.* *Cap. 12. n. 1.* Exspectat, *ut faciamus bona opera, alias regnum suum non daturus.* *Ibid.* *Totum relinquit nostræ libertati ut consentiamus.* Quod alibi declarat comparatione habituum & concursus Dei: *Habitus voluntatis, & auxilium præveniens solum exspectant, ut potentia voluntatis suum influxum in actum conferat. Simili modo ut Deus concursum suum conferat, exspectat concursum liberi arbitrij.* *Ibid. c. 4. n. 16*

Quæ manifestissime declarant, quantumcumque magna gratia istius ordinis & operationis ad credendum, ad operandum, ad perseverandum conferatur, nihil omnino esse in gratia, sicut nec in ipsa potentia liberi arbitrij vel in

vel in habitu fidei, aut charitatis, quo prædestinatus à reprobato, eligendus ad regnum cælorum ab excludendo differat: sed primam differentiam fieri per liberum flexum (non sine gratia) humanæ voluntatis: Et in illo esse meritum, propter quod ad regnum prædestinetur, aut eligatur. Vnde impossibile est, ut ista prædestinatio aut electio sit specialiter gratuita: sed mera, & propriè dicta merces humanorum est meritorum. Quod qui plenius intelligere desiderat, legat ea quæ de merito & præmio primi hominis & Angelorũ disputavimus. Hoc vero ita Massiliensibus perspicuum fuit, ut quamvis & fidem cum gratia Adami à se proferri, & opera per veram Christi gratiam à Deo sibi conferri fatrentur, quia tamen suum, non gratiæ esse sentiebant quod actu suâ libertate crederent, & in eadem fide suâ libertate persisterent, non gratiâ ut actu crederent & persisterent, sibi largiente; nunquam tamen ausi sunt fidem, vel perseverantiam in fide donum Dei, vel electionem ad regnum prorsus gratuitam profiteri. Quis enim nisi insipiens, qui nesciat quid loquatur aut de quibus affirmet, non statim advertat, non illius esse victoriam, qui militi equum, & arma, vel ipsam potentiam voluntatis dedit, quibus ignavi vel non utuntur vel abutuntur; sed illius qui strenuè pugnam armis istis adjutus capessivit, & hostem stravit? Illius ergo meritum est, illius præmium: quod ei nihil est aliud, quàm merces meriti, non speciale gratiæ donum.

NOTA LXXI.

Discrimen, quòd aliquid gratuiti involveret Massiliensium electio ad Regnum: recentiorum nihil omnino.

IN uno tamen aliquid est discriminis, quod Massilienses aliquid fateri in prædestinatione completa cogerentur, quatenus operum bonorum merita, etsi non fidem, per veram Christi gratiam sibi donari sentiebant. Quod Christi adjutorium cùm recentiores prorsus abjiciant, nihil gratuiti in prædestinatione agnoscant, necesse est.

NOTA LXXII.

Numerus Electorum non est eis definitus ex voluntate, & prædefinitione Dei.

EX isto igitur capite proficiscitur, quòd Massilienses omnino fateri nollent definitum esse ex voluntate Dei certum ac *prædestinatum electorum numerum, qui nec augeri posset nec minui.* Quod eos de numero illo non ex Dei præscientia, sed ex ejus voluntate & *constitutione humanam præveniente voluntatem* definito intelligere, perspicuè ex eorum principijs & verbis demonstravimus.

Prosp. in Epist. ad Aug.

Vide lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 22.

Toto corde & ore hoc ipsum recentiores isti clamant. Audi Lessium ceteris animosiorem: *Si numerus salvandorum, qui nec augeri nec minui potest, nullo operum vel laborum nostrorum habito respectu, immutabiliter est definitus, &c. perspicuum esse putant, tolli*

Less. in præf. lib. de præd. & reprob.

A *omnem sollicitudinem rectè vivendi.* Et quare tandem? Respondet: *Quia si illo numero es comprehensus, nulla incuria facies, ut excidas: si non es comprehensus, nulla sollicitudo juvabit ut intres.* Et alibi: *Si non sum de numero sic electorum, frustra præcepta servo &c. Omnibus enim istis non possum intrare in istum numerum, extra quem nemo salvatur.* Et aliquot sectionibus interpositis: *Nullum ex parte sua certum numerum definivit, neminem exclusit.* Et mox iterum: *Facessat ista imaginatio &c.* Nonne Massiliensium audire tibi videris voces, quibus *virtutes tolli* dicebant, *si Dei constitutio humanas præveniat voluntates?* Quibus *superfluum laborem* jactitabant, *si neque rejectus à tali numero, ullâ industriâ posset intrare, neque electus ullâ negligentiâ posset excidere?* Quibus molestissimè se ferre testabantur, quod, *quoquo modo se egerint, non posit aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere?* Quibus *partes constitui* nolebant, *quibus nec adjiciendum sit aliquid, nec detrahendum, ut de alijs ad alios nullus possit accedere.* Nam ipsi *prædestinationem & electionem secundum præscientiam recipiendo*, etiam consequenter certitudinem Dei ex præscientia non solùm absolutâ, sed etiam conditionatâ integerrimè fatebantur; prout ex præcedentibus liquere potest, & nos alibi latius explicuimus.

Ibid. sect. 8. n. 14.

Sect. 6. n. 81.

Prosp. & Hilar. in Epist. ad August.

B

Vide lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 22.

NOTA LXXIII.

Prædestinatianorum errorem utrique impingunt adversarij sui.

DEnique cum durissima Massiliensibus Augustini & Prosperi sententia videretur, Prædestinatianorum hæresin eis impudenter impegerunt: quod ex objectionibus Gallorum, sed maxime Vincentianis perspicue patet. Nam hæresin istam plerisque modernis Scriptoribus commemoratam non aliud esse nisi calumnias Massiliensium, quibus Augustinus, & Prosper, & Augustinianæ doctrinæ sectatores appetiti sunt, fusè & clarè, quantum arbitror, à nobis demonstratum est, cùm de Semi-Pelagiana hæresi tractaremus.

C

Ibid. c. ult.

Nec in hoc recentiores à Massiliensibus dissimiles esse voluerunt. Totis enim quibus possunt viribus, erroris istius invidiam doctrinæ alterius patronis affricant. Nam quid est aliud illa doctrina, quæ prædestinationis prædicatione tollit ab homine liberum arbitrium, fato humanam vitam premit, barathrum desperationis aperit, sollicitudinem aufert vitæ bonæ, exhortationes, correptiones, præcepta, consilia, merita, præmia è medio tollit; denique quæ Deo cum Calvino asscribit peccata reproborum, quàm error, & hæresis Prædestinatiana? Nam hæc & hujusmodi Prædestinatianis tribuuntur, & Augustino à Massiliensibus impacta sunt: quorum vestigia usque ad ipsas calumnias, quas ipsi veritatem esse sincerè putant, sibi terenda judicarunt. Hinc est illud planissimum Gregorij de Valentia, quo Prædestinatianorum errorem ex ista sententia prædestinationis consequi suprà dicentem audivimus.

Vide supra nota 16.

CAPVT

CAPUT QUINTUM.

Quibus utrique armis pugnaverint; quibus gradibus in illam sententiam lapsi sint.

NOTA LXXIV.

Iisdem rationibus utuntur ad prædestinationem & gratiam suam asserendam.

CUM ergo error Massiliensium, & opinio recentiorum tam accuratè inter se consentiant, ut exceptis iis quæ recentiores addiderunt, unam eandemque sententiam arbitrari quis posset, iisdem quoq; argumentis, & armis usi sunt ad eam fundandam tuendamq;, Rationibus, Scripturis, Patribus; eodem lubrico in præcipitium ducti. De rationibus nihil est quod ulterius fatigamus, cum eas abunde in præcedentibus, tetigerimus. Nam pleraq; quæ contra prædestinationem & gratiam utriq; eadem omnino protulerunt, humanæ ratiocinationis ebullimenta, & carnalis præsumptionis terriculamenta fuisse vidimus: quæ velut præsentissimum interitum suum à solo Deo & incertà ejus voluntate dependere formidat. In his igitur iisdem prorsus comminiscendis, simillimos eos fuisse demonstravimus.

NOTA LXXV.

Iisdem quoque Scripturis eodem modo explicatis.

QUòd si scripturas consulamus, quibus Christiana fides niti debet, liquidò profectò deprehendet quisque curiosior, Scripturas pleràsque, & pene omnes capitales & fundamentales, ex quibus prædestinationem suam, & gratiæ modulum utrique fabricarunt, eodem ab utrisque modo expositas esse: quarum explanationem, relicto Aug. duce gratiæ potissimo, vel ab ipso Pelagio, vel à Pelagianizantibus, vel auctoribus, quos ipsimet sibi suspectos esse profitentur, Græcis derivaverint. Quod nisi ad oculum ostendi posset, nemo modestior, facile crederet. Aliquas igitur operæ pretium est in medium adducere; ne quis verba potius, quam res ipsas sibi dari arbitretur.

Primus igitur locus de prædestinatione capitalis est apud Apostolum: *Iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Quem Lessius ita exponit, ut secundum propositum vocari nihil aliud sit, quàm *non secundum opera, sed ex gratuito Dei beneplacito*, hoc est, gratis. Quod quamvis etiam illo loco significetur, hoc tamen solū duntaxat significari, & non simul completam prædestinationē seu voluntatem conferendæ efficacem gloriæ, ab Aug. mente valde alienū est: sicut hoc ipse Lessius non diffitetur: *Quam vim habeat ista phrasis*, inquit, *juxta mentem sacræ Scripturæ, infra ostendetur; ut vero usurpatur à divo Aug. habet aliquid obscuritatis, & fatemur significare prædestinationem completam, & conventire solis salvandis.* Quasi Aug. non juxta mentem sacræ Scripturæ phrasin istam explicuisset, sed Lessius. At Pelagius hoc ipsum eodem modo sibi voluit, quando illum explicans in Commentario, *quos gratis*, inquit, *vocavit ad salutem* &c.

Rom. 8.

Lib. de præd. sect. 3. n. 30.

Lib. de præd. Sanct. Less. lib. de præd. sect. 4. n. 47.

Alter est ibidem: *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* De quo loco Lessius: *hic locus rectissime sic explicari potest: quos præscivit, id est, quorum præscivit fidem & dilectionem, eos prædestinavit ut essent similes filio*, citatque Origenem, qui Pelagii in Scripturis & rationibus excudendis, totiq; Pelagiana hæresi formandà Magister fuit, ut alibi declaratum est. Et eundem in obscura illa quæstione non pauci Græci in quibusdam infeliciter imitati sunt. Eodem igitur modo explicat Pelagius: *Ergo quos prævidit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria.*

Pel. in Com. loci.

Lib. de præd. sect. 2. n. 6.

Lib. 6. de hæresi Pel. c. 13. 14. 15. 16. 17.

Tertius: *quis accusabit adversus Electos Dei.* Ubi omnes omnino justos Lessius putat Electos dici, & non solos eos, qui ad gloriam destinati sunt, ut Aug. intelligere solet. Eodem modo intelligit & Pelagius & Ambrosiaster Semi-Pelagiana hæresi plenus: *Quos Deus elegit credentes*, inquit Pelagius, *ac signis & virtutibus justos ostendit*; & expressè aliquoties nectit de omnibus sermonem esse.

Pel. in Com.

Less. ibid. sect. 3. n. 30. & 31.

In Comm.

Quartus, *Miserebor cui misereor* &c. Lessius exponit, quòd *Deus potest suam gratiam dare cui placuerit, placet autem credentibus.* Pelagius vero: *Illius miserebor quem præscivi misericordiam posse promereri*, nempe per fidem ut de qua tractabat supplicium. Ambrosiaster tradit, & Faustus: *Quem justum esse perspexero.*

Less. sect. 3. n. 33.

Quintus: *Igitur cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Lessius: *Respicit ad incredulos Judæos, & gentes credentes; illos in peccatis & infidelitate obdurari sinit, horum vero vult misereri, quia fidem Christi amplectuntur.* Eundem Commentarium refricit Iulianus, quando locum sic interpretandum judicavit, ut dicendo, miseretur cui voluerit, significaret, cui debuerit: videlicet, quia miseretur credentium, obdurat incredulos. Et ipse Pelagius eundem insinuat in Commentario Epistolæ ad Romanos.

Faust. lib. 1. cap. 13.

Less. de præd. sect. 3. n. 34.

Vide lib. 1. operis imp. apud Aug.

Sextus: *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* De quo Lessius: *Loquitur de omnibus, qui ex Judæis crediderunt, quia non ex operibus legis ad fidem adducti.* Pelagius: *Electio gratiæ fides est, sicut opera Electio legis.*

Ad cap. 9. in fine vers. 43.

Ibid. n. 38.

Septimus: *Electio autem consecuta est.* Lessius: *omnes qui ex Judæis crediderunt, vocantur electi.* Pelagius: *Qui per fidem electi sunt.*

In Comment.

Octavus: *Liber vitæ*: in quo à Lessio intelliguntur scripti omnes justi; ne solis prædestinatis competeret: Eodem modo Ambrosiaster: *Erant scripta nomina eorum in libro vitæ propter justitiam, sicut dixi.*

Ibid. n. 40.

Nonus locus ille celebris: *Firmum fundamentum Dei stat.* Exponit Lessius fundamentum esse *Electos omnes ex operibus justitiæ seu justos, qui signati sunt ab æterno divina præscientia.* Et paulo post: *Mihi tamen valde verisimile est agi de omnibus, qui in fide firmi ab hæreticis non possunt perverti.* Pelagius, fundamentum firmum exponit eos, *In quorum corde fides Christi erat fundata non sunt seducti, vel moti, &c. Deo illos optimos cognoscente.* Ubi similiter vides & fidem & præ-

In Commen. c. 9. ad Rom.

Less. n. 42.

præscientiam; ut à similibus locis Dei prædestinatio, quam Aug. intelligere solet, excluderetur.

Decimus; *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Hanc omnes Massilienses unanimiter de omnibus omnino hominibus, sicut & recentiores exponunt.

Vndecimus: *Non ex operibus, sed ex vocante* &c. Totus ille locus à Lessio sic exponitur, ut significetur, Deum in conferenda salute non *habere rationem operum externorum, præsertim legis, qua Iudæi tantis jactabant & ob qua putabant sibi omnia deberi, & omnibus alijs esse præferendos; sed fidei tantum, & interni affectus in Deum & Christum.* Quod fusè Apostolum explicando declarat. Eadem est omnino expositio Iuliani Pelagianorũ hyperaspistis fidelissimi, qui eam adversus Aug. animosè verbosèq; defendit: *Comprimit*, inquit, *gentium Magister Iudæorum tumorem, & ostendit, non seminibus humani generis, sed in moribus esse distantiam, ut si illi agnoscerent, nisi fideles esse curassent, nullâ prærogativa circumcisi generis vindicandos.* Et mox addit, *Iudæis in Ceremoniarum & hostiarum observatione gloriantes, alys nationibus se præferendos putasse.* Cui expositioni suam opponens Aug. *Vt sciant qui intelligenter legunt, quemadmodum conatus fueris verba Apostolica obnubilare, clara & recta pervertere, huic disputationi tua ex eadem oportet Apostoli disputatione respondeam.* Eadem est & Fausti Semi-Pelagianorum deterrimi, qui totum locum refert ad *credituros, & non credituros*: & verba *non ex operibus*, eodem modo exponit, non ex operibus legis.

Quod si tempus hujusmodi locis colligendis impendere liberet, aut necesse esset, vix ullus locus alicujus momenti à recentioribus instituto eorum adhiberi forsan deprehenderetur, qui non ante à Pelagio, vel Iuliano, vel auctore aliquo in hac re suspecto, fuisset usurpatus. Non quod significatum velim, erroneas esse cunctas istas interpretationes, absit; sed hoc tantum, quod relictis interpretationibus August. quæ in isto obscurissimo & periculosissimo argumento versantibus erant amplectendæ, suspectas & à Pelagio, vel discipulis, vel Magistris eius, vel à Græcis in hac materia periculosissime loquentibus & sentientibus, excogitatas, arripere maluerint.

Less. sect. 3. n. 32.

Lib. 1. oper. imp. apud Aug.

NOTA LXXVI.

Eadem malo accersuntur in præsidium Græci Patres.

POst Scripturas sequuntur Patres, quorum in rebus theologicis conspiratio non parvum est veritatis argumentum. Hos Massilienses pene omnes adversus Augustinum stare invidiosissime contendebant. Nam inde sunt illa verba eorum apud Prosp. *Obstinationem suam vetustate defendunt; & ea quæ de Epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant.* Idipsum & Hilarius eos magnopere ursisse testatur. Itaque clamabant, ut ait ibidem Prosper, *Contrarium Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quicquid de vocatione Electorum secundum Dei propositum* Augustinus *disputaverat.* Quis autem fuerit iste Ecclesiasticus sensus, & qui Patres, non est difficile deprehen-

Epist. ad Aug.

Hilar. ad Aug.

dere. Nam sensum istum declarat Prosper in fine istius Epistolæ, cum dicit, quod *pene omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam*, voluntatis, vel fidei, vel orationis alicujus, vel operum *susceperunt.* Patres vero illi non alij fuerunt, quam Origenes, ceterique penè omnes Greci, qui ipsum propter ingenij excellentiam & explicationum ubertatem & varietatem avidissime imbiberunt, & prono consensu secuti sunt. Ipse vero in Epistolam ad Romanos, & in libros periarchon, errorem de prædestinatione secundum præscientiam, omnesque ceteros Pelagianorũ & Massiliensiũ tantâ copiâ & accuratione præcudit, ut post Pelagij ætatem vixisse videatur. Quod nos alibi pluribus patefecimus. Ex Latinis etjam Ambrosiaster non multo castius de gratia & prędestinatione scripsit: Ipse Augustinus ex incuriosa forsan Origenis, aut aliorum Græcorum lectione, in eundem errorem impactus fuit, nec inde nisi divinâ *revelatione* liberatus. Tam pronum est naturæ miserabili de se medullitus præsumenti aliquid prius dare velle Deo, ut retribuatur ei.

Vide lib. 4. de hæresi Pel. c. 13. 14. 15. 16. 17.

1 lib. de præd. SS. c. 4.

Recentiores nostri cum eandem sententiam de proposito & prædestinatione Dei secundum præscientiam avidissime susceperint, & ex professo tueantur, etjam in hoc dissimiles sibi Massilienses esse noluerunt, quod Græcorum sententiam tanquam sibi patrocinantem probant. Hinc est enim quod passim Lessius, Molina, & alij Origenem, cujus doctrina pestis est gratiæ Dei, aliosque Græcos pro se citent, & interpretationes eorum uti Massilienses, Augustino opponant, eoque rejecto exosculentur. Quod penè in singulis explicationibus Scripturarum apud Lessium libro de prædestinatione videre licet. Quasi non esset facillimum universam Semi-Pelagianam hæresin ex Origene & ceteris Græcis stabilire. Vnde Gabriel Vasquez ceteris nonnihil cautior in hac re, palam profitetur *Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophilactum, ceterosque Græces* Massiliensium opinionem tradidisse, quos tanquam columina suæ doctrinæ Lessius in hoc argumento, tam densè citat, ac tanti facit.

Vasq. in 1. p. disp. 89. c. 9

NOTA LXXVII.

Magni faciunt Augustinum, uno doctrinæ capite excepto.

ET quamvis Græcis Massilienses adhærescerent, magni tamen fecerunt Augustinum, & quasi inviti in isto doctrinæ capite reliquerunt: *Sed plane*, inquit Hilarius ad Augustinum, *illud tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari.*

Hilar. in Ep. ad Aug.

Nec dissimiliter recentiores Augustinum extollendo magni faciunt; sed cum ad rem venitur, in hoc articulo prædestinationis & gratiæ, ab eo discedendum putant. *Imò vero*, ait Molina, *esto hi duo Patres* (Augustinus ac Thomas) *in eam sententiam inclinassent, salvâ eorum reverentiâ, quæ eis debetur maxima, quoad illud secundum*, quod prædestinatio non est secundum præscientiam usus liberi arbitrij, *admittenda non esset.*

Mol. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6.

NOTA

NOTA LXXVIII.

Augustinum tanquam turbarum auctorem accusant.

NEc satis erat Massiliensibus Augustinum rejecisse, nisi etiam reprehenderent, & veluti qui fidelium conscientias nimiâ doctrinæ insolentiâ ac duritie perturbaret, acriter carperent. Testatur hoc Hilar. ad August. *Ad summam fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potius querela convertitur, ut dicant: Quid opus fuit hujusmodi disputationis incerto, tot minus intelligentium corda turbari?*

Et quidem, quòd satis moderatè Massilienses, non paulò immodestius Recentiores nostri hanc turbationis invidiam & inscitiæ notam Augustino impingunt. Quid enim si velint illâ Molinæ verba prudens quisq; facile videt: *Hac sententia* (Aug.) *multum sane eo tempore, nonnullos ex fidelibus turbavit, tum ob sui eo tempore novitatem, tum quod non addiderit August. prædestinationem fuisse non sine præscientia usus lib. arbitrij.* Iterum: *Suspicor August. non advertisse, quantum ad auferendam duritiem illam conduceret additio illa, de præscientia.* Vbi addit, *Aug. quasi sub caligine constitutum, arbitratum esse* id quod non erat. Itaq; subjungit: *se non mirari opinionem illam eo pacto intellectam, à multis nimis duram indignamq; divina bonitate & clementia iudicari.* Et inferius tradit, quòd quia Aug. non adverterat, prædestinationem esse *secundum merita qualitatemq; usus liberi arbitrij, doctrina eius plurimos ex fidelibus mirum in modum turbavit, ne dicam,* inquit, *illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam.* Et de victoria S. Aug. contra Pelagianos & Semi-Pelag. loquens: *Haud scio an explicata penitus, & abunde reddita ratio integra conciliandi libertatem arbitrij cum illis tribus, & hæreticis aditus, quo facilius ad pacem unitatemq; Ecclesiæ redirent, sit patefactus; & concertationes quæ ante mille annos inter viros Catholicos obortæ sunt, quantum par est, sint composita.* Et totum profundens spiritum suum de Augustini doctrina. & sua, quam de gratia & prædest. tradiderunt: *Quæ* (principia) *si data explanataq; semper fuissent, fortè neq; Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse; neque ex August. opinione, concertationibusq; cum Pelagianis; tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosq; defecissent, facileq; reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epist. Prosp. & Hilarij fit mentio fuissent extinctæ ut patet ex ijs in quibus homines illos cum Catholicis contendisse, & ab eis dissensisse, eædem Epistolæ testantur: concertationes deniq; inter Catholicos facile fuissent compositæ.* Sed cujusmodi illa principia Molinæ sint, quæ olim explicata fuisse desiderat, & quàm feliciter ex ijs extinctæ fuissent Pelagianorũ reliquiæ: quàm deniq; gloriosè pro Catholica Ecclesia concertationes inter Catholicos ex ijs componi potuissent, ex fundamentis quibus ista principia incumbunt ut jam jam sequenti notâ ostensuri sumus, manifestiùs elucescet.

Mol. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6

Ibid.

Ibid. memb. ultimo.

Ibid.

Ibid. memb. ultimo.

NOTA LXXIX.

Vtrique objectiones pro solutionibus, & errorem ab Augustino proscriptum pro doctrina Catholica capientes, sententiam suam excogitarunt; & finxerunt.

VNum itaq; supra modum animadversione & admiratione dignum est, quòd utrique, qui Aug. doctrinam & mirantur & carpunt, ex illa ipsa doctrina ijsdem vestigijs in præcipitium lapsi sunt. Massilienses quippe in errorem inde corruerunt, vel jã errantes confirmati sunt, quòd cùm oscitanter securèq; S. Aug. scripta legerent, partim obscuriuscula non satis intelligerent; partim objectiones errantium, assertiones docentis 1. esse crederent; partim hæreses ab August ipso 2. revocatas & refutatas pro Catholica doctrina 3. imprudenter acciperent.

Nam ex prima illa causa factum est, ut cum verba S. Doctoris contra Porphyrium scripta nõ intelligerent, Euangelij prędicationem secundum præscientiã Dei, quâ quando & ubi prænosceretur esse credendã, dispensari crederent. *Et hoc,* inquit Hilar. *non solum aliorum Catholicorum testimonijs, sed etiã sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur: ubi tamen eandem gratiam non minore veritatis perspicuitate docueris: ut est illud, quod dixit tua sanctitas in quæst. contra Porphyr. de tempore Christianæ Relig. Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suã, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Similiter Aug. disputationem de parvulis in libris de lib. arbit. non penetrantes, *de pœnis eorum* Augustinum *dubitare maluisse censuerunt.* Itaque vtrumque locum Augustinus, & genuinam ejus sententiam explicare, compulsus est.

Hilar. in Ep. ad Aug.

Ibid.

Lib. de dono persev. c. 9. & 11.

Ex secunda causa contigit, ut Presbyteri illi Genuenses, cum apud Aug. illa legissent verba in lib. de dono persev. *Sed aiunt, ut scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei* &c. putaverint Aug. ex persona sua sic locutum esse, atq; eo modo prędestinationem & gratiam defendendo prodidisse. Prosper disertus hujus hallucinationis testis est: *Stupeo sanctitatem vestram objectionem calumniantium à persona defensoris gratiæ non potuisse discernere. Et verba obtrectantium ei ipsi, qui obtrectationibus suis respondet aptasse.*

Prosp. ad dub. 10. Genuens.

Ex tertia causa Semi-Pelagianum errorem, quem ipse S. August. ante Episcopatum tenuit, & multis libris postea exaratis refutavit, pro ipsissimo Catholicæ doctrinæ dogmate amplexi sunt. Testatur hoc Hilar. in Epist. ubi S. August. verba illum errorem undique spirantia producit, *quæ se acceptare & probare testabantur, tanquam convenientia Euangelicæ veritati.* Sed antidotum illis Aug. proferens & Massiliensium lapsum notans: *Videris certè, quid tunc de fide atq; operibus sentiebam,* nempe similiter errabat, ut ante dixerat, *quamvis de commendanda Dei gratia laborarem: in qua sententia istos fratres nostros esse nunc video: quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum.*

Hila. in Ep. ad August.

Aug. lib. de præd. SS. cap. 4.

Tria ista hallucinationum capita, velut omniũ fontes errorum, quibus à Massiliensibus gratia & prædestinatio contaminata fuit, integerrima, plenissimaque Recentioribus nostris velut hæreditate tradiderunt.

Nam ad primum quod attinet, Aug. scripta eis tam densâ caligine tecta & involuta sunt, ut in hac materia non auctorem legere & exponere, sed tanquam de ænigmatibus divinare videantur. Vix enim quicquam occultioris doctrinę Augustinianę in scriptis eorum reliquũ esse videas; & ubi lectoris oculis eam exponere conantur, Less. inprimis, Molina, Vasq. Suar. opinionibus suis præoccupatis mordicus adhærentes, & Aug. sensa suis toto

cœlo

cœlo differentibus aptantes, sententiam ejus potius funditus eos evertere, quàm explanare dixeris. Quod in plurimis gravissimis argumentis, de actibus infidelium, de actibus moralibus, de gratia primi hominis & secundi, de prædestinatione & auxiliis Angelorum, quomodo aliqui magis adjuti sint, de pura natura & aliis non paucis capitibus suo quodque loco declaravimus.

In 2. & 3. hallucinationis capite, tam evidenter atq; enormiter tenentur, ut si de industria aberrare voluissent, non potuissent studio deliberato gravius & in scopulos periculosiores impingere. Quod ne temerè jactasse videar, rem paulò pressiùs explorando declarabimus.

Duo præcipuè cardines sunt, in quibus intelligentia gratiæ & prædestinationis, ut ab Aug. tradita est, vertitur natura adjutorij primi hominis *sine quo non*; & adjutorij secundi hominis, *quo* fit opus. Vnum accommodatum est viribus integerrimis & liberrimis; alterum fractis & sub libidine captivis & servis. Ex quo necesse est inter illa duo adjutoria, proportione quadam tantum discriminis esse, quantum inter sanitatem & ęgritudinem, imò quantum inter vitam & mortem. Illud enim viventi aptatum voluntati, robore ipsius incitatur & retinetur, torquetur & retorquetur quo voluerit: hoc verò mortuam ad vitam revocat, atq; ei tribuit vivere, sapere, velle operari. Qui hic lapsus fuerit alterum pro altero accipiendo, tantũ necesse est erret, quantùm in rebus istis errari potest: nec aliud Aug. scripta de gratia & prędestinatione esse judicabit, quàm confusum quoddam locutionum impropriissimarum chaos, errorumq; labyrinthũ, ex quo exire nequeas, nisi quemadmodum in densissima silva viam, obvia quæq; cædendo & prosternendo, aperueris. Discrimen istud latissimè, & nisi fallor, perspicuè declaravimus; quod verissimum esse & unicam aperiendæ doctrinæ S. Aug. clavem, admirabilis rerum omnium connexio, & à capite ad calcem usq; summa verborum sententiarumq; consonantia altissimè clamat. In utroque cardine seu utriusq; status adjutorio infelicissimè recentiores lapsi sunt. Cùm enim propter insolitas Philosophiæ suæ opiniones ab Aug. valde discrepantes, cernere non possent, quid sibi Aug. in isto discrimine tandem aliquando vellet, sententiam præcipitantes, partim objectiones adversariorum pro responsionibus Aug. partim errorem hæreticorum pro doctrina S. Doctoris arripuerunt. Ex quo factum est, ut in istis totius machinæ cardinibus hallucinantes, adjutorium stantis hominis pro adjutorio lapsi, & vice versâ, hoc est, auxilium sanitatis pro remedio ægritudinis, & è contrario; arcticum videlicet polum pro antarctico & antarcticum pro arctico acceperint, & super istâ basi universam doctrinæ suæ molem de gratia & prædestinatione collocaverint, singula ad oculum demonstrabimus.

Vide Suar. l. 10. de gra. c. 9 n. 6.

Et quidem Franc. Suarez, cùm non satis penetraret discrimen, quod inter gratiam primi hominis & secundi intercedit, locum Aug. arripuit, ex quo evidenter ostendi putat, primo homini quoq; per efficacis gratiæ donum, sive per adjutorium, *quo fit opus*, perseverantiã donari debuisse; quod ipse ex professo asserit, & ex August. etiam probari putat. Aug. enim de Adamo innocente loquens, his verbis usus est: *Non habuit perseverantiam, & si non habuit, non utiq; accepit* Ad quæ verba Suarez. *Supponit*, inquit, *non potuisse illum habere nisi acceptam*, à Deo videlicet, hoc est, nisi per efficacem gratiam ei à Deo donaretur. Ex quo concludit perseverantiam Angelorum in illo etiam statu fuisse, *specialis donum gratiæ, imo etiam Christi*, quod videlicet Adamus & Angeli non sibi-ipsis libero arbitrio parere, sed à Deo per specialẽ gratiam videlicet efficacem accipere debuissent; prout ipse ibidem ex professo probat. Eundem locũ Aug. eodem modo accepit Gabriel Vasq. *Idem esse*, inquit, *apud August. non habere, & non accipere à Deo, patet ex cap. 10. illius lib. Nam de eodem primo homine, inquit: Non ergò habuit in illo bono perseverantiam: etsi non habuit, non utique accepit*. Ita illi, sed non advertunt, illa verba non esse Aug. tradentis doctrinam suam, sed adversarij cujuspiam Pelagiani opponentis objectionem, qua evertere S. Præsulis sententiam conabatur, asserentis perseverantiã hominibus lapsis justè negari, quia in massa perditionis per peccatum Adæ constituti sunt; ideòq; per specialis gratiæ donum eis esse largiendam; & consequenter homines id à se *habere* non posse sed à Deo donante esse *accipiendũ*. Objiciebat enim adversarius: Adã non habuit perseverantiã, quia non perseveravit; ergò eã non accepit à Deo & tamen Adam nondum in massa perditionis peccaverat, ut ei meritò negaretur: ergò falsum est, quòd propter dãnationis massã hominibus à Deo negetur: ergò ulterius falsũ est, quòd perseverantia per specialis gratiæ donũ à Deo accipi debeat, sed perseverare & non perseverare est in hominis potestate ita ut ipse sibi possit hoc nolendo negare vel volendo dare. Hæc objectio jugulum petebat omniũ, quæ Aug. in præcedentibus capit. tradiderat, quod & fides, & opera, & perseverãtia, non solum veluti donum gratuitum à Deo accipiendum esset, sed etiam propter damnationis massam justè negaretur.

Aug. lib. de Corr. & gra. c. 10.
Suarez ibid.
Vasq. 1. p. disp. 98. c. 2.
Lib. de Corr. & grat.

Iam verò esse illa verba non assertionem, sed objectionem ex eo manifestissimè patet, quia immediatè disertis verbis præcesserat: *Hinc exoritur alia quæstio* &c. Et cũ ei nonnihil lucis proponendo addidisset, iterum repetit: *Sed illud magis quærendum est, operosiusq; tractandum, quid respondeamus eis, qui dicunt* &c. Et mox proponit eodem filo orationis ea verba, quæ duos illos Scholasticos deceperunt, iisq; propositis ad solutionẽ accedens; *Quapropter*, inquit, *saluberrimè confitemur quod rectissime credimus* &c. & quæstionem istam per tria integra capita profundissimè solidissimèq; dissolvit, totis disputandi viribus inculcans doctrinam ex diametro contrariam ei, quam Recentiores isti ex objectis verbis exsculpere conantur. Nempe tradit Adamũ non indiguisse adjutorio gratię, quo ei perseverãtia donaretur, sed per liberum arbitrium potuisse perseverare si vellet, cum adjutorio alterius generis, *sine quo* perseverare non posset, non tamen, ut perseveraret largiente. Quam eorum hallucinationem latius discussimus, & ostendimus, cùm de adjutorio primi hominis loqueremur.

Lib. de Cor. & grat.
Ibid.
Lib. de grat. primi hom. c. 17.

Eodem modo hallucinantur consequenter Suarez, Bellarminus, Vasquez, cum celebrem illum August. locum, ex libris de Civitate Dei citant, quo *Angeli boni magis adjuti dicuntur*: ut inde probent id quod ex August. sese hausisse putant, Angelos atque Adamum similiter ut lapsos ho-

Suar. loco sup. cit. Bellarm. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 17. Vasq. disp. 193. c. 4.

ſos homines, auxilio efficaci, quo fit opus, A eguiſſe: Sed latè oſtendimus, eos & in iſto loco, toto cælo ab Aug. mente aberraſſe, ut qui non ſtatuit majus auxilium, quod Angelis viatoribus datum ſit, ſed quod eis cum ipſa æterna beatitudine tanquam permanſionis præmium retributum ſit.

Vide lib. de grat. primi hom. toto c. 8

Sed ſicut iſti auctores objectionem Pelagianam pro Auguſtiniana aſſertione capiendo in primo diviſionis membro, lapſi ſunt, ut adjutorium primi hominis *ſine quo non*, in adjutorium *Christi quo* converterent: ita ex oppoſito iidem ipſi, & alij plures ejuſdem doctrinæ ſectatores, iterum Pelagianorum objectionem atque errorem, doctrinam Aug. exiſtimantes, ſecundum diviſionis illius membrum pervertendo, in primum converterunt; ut gratiam Chriſti ſalvatoris medicinalem *qua fit*, ac datur actio, in gratiam innocentis hominis & Angelorum verterent, atque ita tota Chriſtiana doctrina de adventu Chriſti, de cauſa afferendæ lapſis hominibus medicinæ à non advertentibus funditus everteretur. Ut enim probent gratiam, quæ nunc hominibus ad credendum divinitus datur, ita eſſe libero arbitrio attemperatam, ut inſtar gratiæ potentialis (quam Aug. adjutorium *ſine quo non* appellat) ea ſtante, in libero arbitrio, poſſit arbitrium indifferenter velle vel nolle; locum Aug. tanquam luculentiſſime ſibi faventem ex libro de Spiritu & littera producunt: ubi cauſam quærens Aug. unde voluntas ſeu volitio oriatur, an ex libero arbitrio ſe huc illuc flectente, an aliunde: *Liberum*, inquit, *arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt. Et ideo nec iſtam voluntatem, qua credit Deo, dici poteſt homo habere, quam non acceperit; quando quidem vocante Deo ſurgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit.* Ex quibus verbis iſtam indifferentiam voluntatis, quam cum gratia ſua congrua vel ſufficiente copulant, ſub adjutorio gratiæ remanere cõtendunt: ut videlicet gratia præveniens, det ſolummodo voluntati poſſe, ſi velit. Hic vero ſi tantillum vigilaſſent, advertiſſent profecto, hæc eſſe verba doctrinæ Pelagianæ poſtea Semi-Pelagianæ, quam ipſe ante Epiſcopatum tenuit. Nam iſta verba ſibi ipſe Aug. ventilanda proponit, ut auditâ repugnantium Pelagianorum ſententia, veritas tandem evidentius traderetur. Quod late & à fundamentis alibi tradidimus; hic quia res perſpicua eſt & certa, duo tantum animadvertere ſufficiat. Primũ, quod cum Aug. hæc ipſa, quibus ſe recentiores bene munitos putant, verba diſcutienda proponeret, hâc loquendi formâ utebatur: *Primũ igitur illud dicamus,* ET VIDEAMVS, VTRVM HVIC SATISFACIAT QVÆSTIONI, *quod liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore &c.* & ſubjungit omnia ipſiſſima eadem verba, quæ recentiores velut Aug. doctrinã arripuerunt. Secundum, cum verba iſta prolixe ventilaſſet ne quis per oſcitantiam ſibi ab Aug. ſolutionem doctrinamque Catholicam Epiſcopaliter ... eſſe crederet, tandem finita diſputatione ad ſolutionem accedens: *Hæc*, inquit, *diſputatio, ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſufficit, ſufficiat. Si autem reſpondetur, cavendum eſſe &c. attendat & videat, non ideo tantum iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt.* Ubi eadem verba reperit, quæ à Pelagianis objecta, & à recentioribus tanquam Aug. arrepta fuerant. Si Aug. de lectorum ſuorum ſanâ ſollicitus intelligentiâ ex profeſſo præcavere ſtuduiſſet, ne quis verba illa objecta tanquam ſua arriperet, & Pelagianam doctrinam earum cortice propinatam imbiberet, non potuiſſet manifeſtius objectionem à ſolutione, diſputationem ab aſſertione, falſam doctrinam ventilatione diſcuſſam à ſubjuncta refutatione diſcernere. Quid enim eſt iſtud, *videamus utrum ſatisfaciat*, quam non dari ſolutionem ſed proponi quæſtionem? Quid rurſum iſtud, *Si hæc diſputatio quæſtioni ſolvendæ ſufficit, ſufficiat*, quam diſputationem non aſſertionem fuiſſe traditam? Quid denique iſtud: *Si autem reſpondetur cavendum &c. Attendat & videat, non ideo tantum iſtam voluntatem divino muneri tribuendam* & cæteram propter illam cauſam, diſputationem iſtam ſolvendæ quæſtioni non ſufficere, ſed aliam eſſe quærendam? quam etiam ſtatim ſequentibus verbis accurate tradit.

Lib. de Spir. & lit. c. 33.

Lib. de Spir. & lit. c. 3

B

Tertia quædam totius ſententiæ recentioris iſtius baſis eſt, quam adverſus omnes adverſarios velut inexpugnabilem clypeum objicere ſolent; Locus ille videlicet Apoſtolicus: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri &c.* Nam ex iſto adverſus communem Aug. expoſitionem explicato, quod Deus omnes omnino homines nemine excepto velit ſalvos fieri, ſi & ipſi velint, deſiderium iſtud ſalutis omnium tribuunt Deo, & ex illo deſiderio, gratiam ſufficientem univerſis hominibus impertiri volunt, eamque talem, cum qua poſſint credere, operari, perſeverare, ſi velint: ita ut iſte locus ſic expoſitus, univerſam pene ipſorum doctrinam velut in ſemine continere videatur. Hanc igitur expoſitionem ut Aug. ex omnibus illis tribus partibus conſentire demonſtrent, omnes aut pene omnes iſtius ſententiæ recentiores unanimiter ſibi gratulantes putant, tandem Aug. quantumvis, alijs locis tam duras expoſitiones iſtius loci dederit, in ſuam ſententiam & explicationem conceſſiſſe. Dicit enim in libro de Spiritu & littera, inquiunt: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes juſtiſſime judicentur.* Quod nihil ſane eſt aliud, quam quod ipſi dicunt: Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quantum in ſe eſt, ſeu, ſi & ipſi libero ſuo arbitrio velint. Itaque tandem Aug. hanc expoſitionem ſecutum eſſe, Suarez gloriatur, tantumque Doctorem tanquam ſibi in hac expoſitione tandem faventem, diligenter notant, Leſſius, Molina, A Lapide, Bellarminus. D

C

Lib. de Spir. & lit. c. 33.

Vide late lib. 3. de grat. Christi Salvat. c. 3c.

Suarez lib. 4. de præd. c. 1. Leſſ. de præd. ſect. 6. Molin. Concord. q. 23. a. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. Cornel. à Lapide in illum locum 1. Timoth. 2. Bell. lib. 2. de grat. & lib. arb.

Sed bis aberraſſe non contenti, tertio æquè infauſto ſidere etiam iſtum locum ſibi in ſubſidium rapuerunt. Nam & iſte in eodem loco ventilandus proponitur, non reſolvitur; doctrinamque

Digitized by Google

ctrinamque puram putam Pelagianam continet, quam Augustinus & in eodem loco. & alijs pluribus, refutavit. Quod qui pluribus ostensum sibi velit, legat ea quæ ex professo de hac re scripsimus, cum de Semi-Pelagiana hæresi & de modo operandi gratiæ tractaremus. Hic tantum animadvertat Lector, locum totum in eadem, quam paulo ante diximus, ventilatione non asseri sed in favorem adversarij disputari, ut in sequenti capite, vera totius difficultatis solutione allata resolvatur.

Lib. 7. de hær. Pel. c. 15. & lib. 2. de grat. ... c. 30. toto.

Vt vero omnibus modis ostenderent isti recentiores, quantopere sibi sententia Massiliensium à Pelagianis derivata rationi consentanea videatur, tertio lapsui etjam quartum addiderunt, in re perinde capitali, à qua tota gratiæ medicinalis natura dependet. Nam ut persuadeant, veram Christi gratiam non alium habere operandi modum, quam ipsi gratiæ suæ sufficienti & congruæ tribuunt, ut Deus videlicet voluntatem eâ gratiâ præparatam exspectare dicatur & ab ejus tandem nutu pendeat indifferente velle vel nolle, locum ex quæst. 2. lib. 1. ad Simp. ic. sibi summopere, nec immerito, favere judicarunt. Sic enim ibid. Aug. ait: *Aliter Deus præstat, ut velimus, aliter præstat, quod voluerimus. Vt velimus enim & suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solus præstat, id est, posse bene agere, & semper beate vivere.* Ex quo conficiunt, gratiam esse talem, quæ mentem quidem excitet, consensus tamen nostræ libertati committatur, prout ipsi hoc intelligere solent. Sed etjam iste locus ab Aug. pro tuendo quoquo modo errore, quo ante Episcopatum laborabat, disputando profertur, & in eodem loco refutatur. Continet enim Semi-Pelagianum errorem, quo nondum Episcopus factus putabat primam voluntatem credendi, non aliter esse à Deo, nisi quia præcederet præconium veritatis, sive, ut hic loquitur, quia vocabat; voluntatem vero *sequendi nostram* esse, & nostræ libertatis, ita ut non peculiari gratiâ à Deo donaretur. Quod postmodum Deo revelante peritior detestatus est. Vnde in eodem loco, unde objecta verba avulsa sunt, error istis verbis implicatus refellitur. Quod qui perspicue intelligere velit, & objectionem Semi-Pelagianam loco Catholicæ doctrinæ arreptam esse non dubitet, legat ea quæ fusè & ex professo de isto loco alibi diximus.

Suar. 3. lib. 3. de auxil. c. 9. n. 6. Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 11. Less. de grat. effic. c. 6. n. 6.

Aug. lib. 1. q. 2. ad Simp.

Videlib. 2. de grat. Christi Salvat. c. 30. toto.

Et istas quidem tam enormes, & capitales hallucinantis mentis aberrationes, quis talibus viris crederet obvenire potuisse? Quis cum acciderint, non exhorrescat, ad illud doctrinæ recentioris ædificium, quod talibus fundamentis tam generalibus & per universam gratiæ Dei materiam sese diffundentibus impositum fuit? Cùm enim omnia ista principia, quæ Aug. esse opinatur, ex diametro Augustinianis adversentur, ut quod ille naturâ, hi gratiæ vocent; quod ille *adiutorium quo*, isti *sine quo non*; quod ille *sine quo non*, isti *quo*; quod ille per gratiam, hi per liberam voluntatem fieri; quod ille errores, isti Catholicâ ac traditam ab Aug. doctrinam putent; quis terram cælo misceri, & universam eorum doctrinam inexplicabiliter perturbari miretur? Sed malo Christiano prudenti Lectori hanc ataxiam, in quam viri docti & boni ex rei obscuritate ac difficultate imprudentes lapsi sunt, silentio potius perpendendam & gemendam relinquere, quam verbis asperioribus exaggerare.

NOTA LXXX.

Disputationes istas, arbitrantur fieri citra periculum lædendæ fidei.

AD postremū cùm animadverterent Massilienses sese Aug. & Ecclesiæ Catholicæ auctoritate ad deponendas periculosas opiniones suas posse premi, quæstiones istas esse subtiliores, ac citra Catholicæ fidei læsionem tuto agitari posse dixerunt. Vnde Prosper Augustino: *Ac primum quia plerique non putant, Christianam fidem hâc dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione, patefacias.*

Prosp. in Epist. ad Aug.

Ne quid perfectam similitudinem deficeret, etjam istud novis istis opinionibus libere tuendis velum prætexitur. Putant enim in omnibus illis, quibus à ceteris in hoc argumento dissentiunt magnam esse relictam à veteribus opinandi, disputandique libertatem, tanquam à quibus nihil adhuc definitū sit. Itaq; Lessius quodam loco, cum in ijs quæ expresse definita sunt, Catholicos Doctores convenire dixisset; *tamē*, inquit, *in nonnullis subtilioribus adhuc est controversia, quæ ante viginti annos non parum in Belgio, deinde in Hispania maiori concertatione viguit.* Sub quibus subtilioribus capitalia illa comprehendit, quibus Christi medicinale adjutorium ab adjutorio primi hominis distinguitur, ceteraque omnia, quæ tanta virium contentione de gratia & prædestinatione ventilantur. Quorum pleraque per antiquitatis incuriam aut imperitiam apud recentiores obliterata, iam olim accurate definita sunt. Et alibi *scholæ disputationem* vocat utrum gratia prius naturâ influat in opus, quam voluntas. Et quæcumque in scholis de hoc argumento tanquam nova vel periculosa redarguuntur, mox juxta illud vulgatū Celestini Pontificis *ad profundiores & difficiliores partes occurrentium quæstionum pertinere*, contendunt, *quas sicut non audebat ille contemnere, ita non necesse habebat astruere.* Sub quibus profundioribus occurrentium quæstionum partibus, longe aliud comprehendisse Celestinum, nos alibi declaravimus. Et de prædestinatione loquens: *Repudianda potius erunt huiusmodi principia, ex quibus talis ratiocinatio ducitur, quam quies animi perdenda*, CVM AB ECCLESIA NIHIL HIC DEFINITVM SIT.

In Epist. dedic. lib. de grat. effic.

Lib. de grat. effic. c. 10. n. 8

Vide Lessium ibid. & c. 15. n. 4.

Idem Lessius In præfat. ad Lector. libri de prædest.

Et hæc sufficient, arbitror, ut quæ sit inter Massiliensium & Scholasticorum istorum sententiam discrepantia & convenientia, dignosci possit. Legat, ponderet, judicet Lector Christianus: Et ita Massilienses caveat, ne forte specie doctrinæ subtilioris, per ambages unde egressus fuerit, revertatur.

FINIS.

ELENCHUS LIB. ET CAP.

TOMI TERTII

De gratia Christi Salvatoris.

LIBER I.

CAP. I. *Partitio dicendorum & ordo sequentium disputationum.* 9
2. *Notio liberationis arbitrij. Causa eius efficiens non est naturalis possibilitas liberæ voluntatis, sed gratia.* 10
3. *Nomina diversa gratiæ ex hoc effectu tracta.* 13
4. *Arbitrium per gratiam liberari debet, ut operetur actus, non solum supernaturales, sed etiam moraliter bonos.* 15
5. *Utrum aliquid possit arbitrium suis naturalibus viribus, ad hoc ut gratiam illam adipiscatur. Facienti quod in se est per naturæ vires, non datur ex aliqua stabili lege gratia.* 17
6. *Transitus à natura ad gratiam generaliter dictum. Divisio eius generalis: multiplex genus legis ac doctrinæ. Explicatur status causa.* 23
7. *Gratia divinæ legis ac doctrinæ arbitrium liberare non potest, ut velit & operetur iustitiam. Causa rei istius datur: & profertur primus effectus legis, dare cognitionem peccati.* 27
8. *Secundus effectus legis, reddere præcepti observationem difficiliorem sine gratia, propter incrementum concupiscentiæ.* 33
9. *Tertius effectus legis, graviorem ruinam afferre, arctiusque concludere hominem sub peccato.* 37
10. *Explicatur modus quo lex facit abundare peccatum, & iram operatur.* 41.
11. *Aperitur mysterium divini consilij, quo legem tulit, quæ non nisi prævaricationem & iram operatur.* 43
12. *Lex Pædagogus ad gratiam per terrorem: est & gratiæ testimonium, & quomodo.* 50
13. *Quo pacto lex ad hominis iustificationem & legis impletionem à Deo ordinata est.* 53
14. *Lex virtus peccati, & iram operatur, & in singulis hominibus etiam Christianis, & in toto populo Dei, qui instar unius hominis eruditur in quatuor statibus, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace.* 55
15. *Quæ fuerit radix talis œconomiæ populi Dei, quantum ad legem & gratiam.* 59
16. *Eadē vis cuiuscumq; doctrinæ, revelationis, scientiæ, sapientiæ, quæ legis, ad liberandam voluntatem. Opus inde proficiscens est opus naturæ, non gratiæ.* 63
17. *Aperitur hallucinatio cuiusdam recentioris, qui cogitationes congruas etiam naturales, illam veram gratiam Christi ad operandum statuit. Quid ab errore Pelagiano discrepet.* 67
18. *Vera & fundamentalis ratio cur nulla doctrina, vel revelatio, vel cogitatio, congrua liberare possit arbitrium: ex termino a quo, & ad quem liberationis petita.* 73

De gratia Christi Salvatoris

LIBER II.

Qui est de vera voluntatis gratia, quantum ad operandi modum. 79.

CAP. I. *Gratia voluntatis alia sanæ, alia ægrotæ. Cardo disputationis inter Ecclesiam & Pelagianos. De gratia medicinali contra vulnera naturæ inflicta.* 79
2. *Idem ostenditur ex alijs varijs capitibus. Nomina gratiæ inde derivata.* 90
3. *Discrimen gratiæ sanitatis & medicinalis à recentiorum notitia valde abstrusum, & quare. Iaciuntur fundamenta discriminis, libertas arbitrij ante peccatum, & captivitas post peccatum.* 93
4. *Affertur ex Augustino ac declaratur discrimen adiutorij sanæ voluntatis & ægrotæ, hoc est adiutorij sanitatis & medicinalis, seu adiutorij sine quo non, & quo.* 97
5. *Inferuntur duo corollaria quibus accuratius declaratur discrimen duplicis istius adiutorij. Reijciuntur lex, scientia revelatio, remissio peccatorum, gratia sufficiens, habitualis, congrua, efficax recentiorum extra limites adiutorij medicinalis Christi* 103
6. *Idem discrimen probatur secundo ex effectibus qui ex illo duplici adiutorio in Adamo ante & post lapsum; in Angelorum & hominum salvatione consecuti sunt. Proferuntur tres effectus illius diversitatis.* 111
7. *Profertur quartus effectus illius diversitatis.* 113
8. *Profertur quintus effectus eius.* 117
9. *Idem discrimen eadamque natura gratiæ Christi probatur tertio ex differentia adiutorij possibilitatis, quod Pelagiani condiderunt, & voluntatis atque actionis, quod horruerunt.* 121
10. *Responsio quædam Neotericorum refellitur.* 125
11. *Probatur quarto ex horrore, quo Pelagiani adiutorium voluntatis & actionis aversati sunt.* 129
12. *Quinto ex errore Massiliensium, qui licet adiutorium possibilitatis, & sine quo non, defenderent, tamquam gratiæ Christi destructores damnati sunt.* 131
13. *Ex præcedentibus infertur genuina declaratio multarum phrasium ac doctrinalium decisionum Augustini, Prosperi, Fulgentij, Conciliorum Ecclesiæ, & Pontificum.* 135
14. *Adiutorium gratiæ Christi esse revera tale quale hactenus declaratum est ostenditur diversis alijs modis; & sexto quidem ex eo quod faciat addonet velle & operari, & omnia merita.* 141
15. *Ostenditur tribus argumentis non esse satis quod gratia habitualis aut qualibet actualis influat in meritum, ad hoc ut istud meritum sit donum Dei, & non meritum liberi arbitrij & humanum ab Augustino damnatum: sed quod*

debeat esse gratia actualis dans operationem & meritum. 147

16. *Idem ostenditur quarto ex natura gratia ad singulos actus necessaria, qua ex diversis capitibus ostenditur non esse habitualis, sed actualis inspirans etiam iustis habitualiter velle & operari.* 151

17. *Idem ostenditur invictè iuxta doctrinam S. Augustini ex precibus Ecclesia qua actualem motionem datricem voluntatis & operationis implorant.* 157

18. *Eandem doctrinam Romani Pontifices tradunt, & Ecclesia tota profitetur.* 167

19. *Eadem actualis gratia seu motionis necessitas ad singulos actus, ostenditur ex diversis alijs locis Augustini.* 171

20. *Idem ostenditur ex illis August. & Hieronymi locis, ubi ex professo de gratia ad singulos actus necessaria disputatur cum Pelagio: & ex ipsa professione.* 175

21. *Concluditur argumentum capitis decimi quinti inchoatum, atque ostenditur non esse gratiam habitualem, vel aliam quamcumque in operandi modo ei similem, illam Christi gratiam qua inspirat ac donat velle agere, opus meritū &c.* 183

22. *Ostenditur eadem natura gratia medicinalis Christi, septimo ex orationibus Ecclesia, quibus ipsa voluntatis determinatio à Deo poscitur.* 187

23. *Ostenditur octavo ex eo quod post lapsum nihil omnino boni in homine, vel ab homine esse potest, nisi donetur à Deo, etiam ipsa sua voluntatis bona determinatio: nec in ullo laudari nisi in solo Deo.* 189

24. *Nono natura gratia medicinalis generaliter demonstratur ex orto proprietatibus ac notis, quibus ab Augustino passim describi solet.* 197

25. *Decimo eius efficacissima natura declaratur, ex eo quod nulla prorsus effectu caret, sed cum in omnibus quibus datur infallibiliter operatur.* 203

26. *Declaratur ratio diversitatis phrasium quibus utitur Augustinus, opus bonum olim voluntati tribuendo, nunc gratia.* 209

27. *Duobus scrupulis occurritur, quomodo nulla Christi gratia effectu careat: itemque cur Augustinus loquatur de sola gratia efficaci, non sufficiente.* 211

28. *Transitus ad argumentorum solutionem. Solvitur primum, quo discrimen gratia stantis & lapsa natura directè tollitur, quantum ad operandi modum.* 213

29. *Solvitur secundum quo similiter tollitur istud discrimen, subsituendo pro adiutorio medicinali gratiam habitualem, excitationes, protectiones, concursum generalem ordinis supernaturalis.* 215

30. *Solvuntur duo loca Augustini ex libro de spiritu & littera, in quorum utroque recentiores obiectionem errantium ceperunt pro solutione Augustini.* 219

31. *Solvitur alius locus ex libro primo quaestione secunda ad Simplicianum, ubi similiter hallucinati sunt.* 225

32. *Solvitur difficultas de vocatione congrua ex eadem quaestione secunda ad Simplicianum.* 229

33. *Alia difficultas tollitur ex duobus aequaliter tentatis ex libro duodecimo de Civitate Dei.* 237

34. *Explicantur alia quadam qua ex Augustino proferuntur quod velle, & nolle, consentire ac dissentire sint propria voluntatis; quod sint nostra; quod habere dona Dei sit accipientis & habentis &c.* 243

De gratia Christi Salvatoris

LIBER III.

Qui est de gratia sufficienti.

CAP. I. *Tangitur natura adiutorij sufficientis, & ostenditur nullum dari post lapsum quin simul efficax sit. Hoc enim repugnat multis principijs Augustini & Ecclesia.* 249

2. *Adiutorium pure sufficiens ad gratiam natura pertinet: lapsorum reparationi inutile & perniciosum, in quo sita sit lasio liberi arbitrij.* 255

3. *Quam monstrosa sit gratia sufficiens prout à recentioribus explicatur & quare excogitata. Gratia congrua authores non nisi sufficientem habent, sublatoque peccato Originali naturam liberi arbitrij integram & illasam inducunt.* 259

4. *Ex natura gratia Christi ostenditur, nonnullis dari sufficientem gratiam iuxta sensum Recentiorum, qui conantur directe contrarium eius persuadere, quod Augustinus de lege & gratia sufficiente.* 263

5. *Iudais lex data est, & Christianis plurima pracepta dantur sine ulla gratia sufficiente aut adiuvante. Probatur hoc multis modis & ostenditur illam gratiam repugnasse scopo legis* 267

6. *Quis fuerit status veteris testamenti & hominum sub eo viventium fuse declaratur.* 277

7. *Non affuisse hominibus sub lege viventibus gratiam sufficientem servandi legem vel ullum praceptum eius.* 285

8. *Status veteris testamenti figurativus & Propheticus non afferebat Iudais gratiam sufficientem sed potius impedientem. Quanta fuerit in Iudais servitus & ignorantia gratia & authoris eius.* 289

9. *Status veteris testamenti, ut talis non erat iustitia & salutis, sed potius peccati & mortis. Paucissimi iusti sub illo testamento, & gratia sufficiente muniti. Gratia illa sub natura & lege continetur.* 294

10. *Excacati & obdurati carent gratiâ sufficienti, quâ videant & moveantur ad bonum.* 301

11. *Infideles carent gratia sufficienti ad salutem tam proximâ quam remotâ & omnibus principijs eius.* 305

12. *Infideles non habent gratiam sufficientem ordinis naturalis. Gratia sufficiens infidelium à Semi-Pelagianis excogitata.* 321

13. *Proponuntur duo argumenta pro asserenda gratia sufficiente. Disseritur fuse de possibilitate, & impossibilitate praceptorū Dei. Esse quandā voluntatis infirmitatem, quā non potest certas tentationes superare, nec adest gratia qua superentur, nec spiritus orationis, quo vires impetrentur.* 325

14. *Idem nodus, quomodo talibus praceptum sit possibile etiam à Scholasticis solvendus est. Augustinus & Apostolus eo constricti, nunquam aliter solverunt, nisi quia gratia est qua negatur peccatori, & iustitia qua punitur.* 331

Multis

Digitized by Google

15. *Multis modis præcepta dicuntur possibilia etiam sine gratia sufficiente. Quanam impossibilitas excuset peccantem, & quæ non: ex quibus solvuntur duo argumenta capite decimo tertio proposita.* 337
16. *Locus Augustini exponitur ubi dicere videtur, quod Pharaoni* non imputabatur *quod* obduratus obtemperare non poterat. 349
17. *Non frustra dantur præcepta, consilia, exhortationes, correptiones iis qui gratia sufficiente destituti sunt. Absurdum quod homini post lapsum Deus illam gratiam debeat, & quare.* 352
18. *Solvuntur quædam Scripturæ loca quæ pro asserenda gratia sufficienti proferuntur, ut* Quid debui ultra facere vineæ meæ &c. *&,* Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. 361
19. *Quomodo Deus neminem deserit nisi deseratur.* 365
20. *Exponitur locus Apostoli:* Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 369
21. *Quomodo Christus sit redemptor omnium, pro omnibus crucifixus & mortuus.* 380

De gratia Christi Salvatoris
LIBER IV.

Quid est gratia Christi, quantum ad essentiam & divisiones ejus.

CAP. I. *Quid sit medicinale Christi adiutorium secundum substantiam. Esse cælestem* suavitatm *seu* delectationem *iuxta mentem S. Augustini, ostenditur primo ex Scripturis quibus ipse utitur, & aliis diversis eius testimoniis.* 393
Idem ostenditur.
2. *Secundo inductione, seu enumeratione cuiusvis generis bonarum operationum voluntatis, ad quas eam prærequirit Augustinus.* 399
Idem probatur.
3. *Tertio ex contrario, hoc est, ex peccatis quæ ex simili delectatione terrena, tanquam ex causa proficisci tradit.* 404
Idem demonstratur.
4. *Quarto ex lucta duarum delectationum terrenæ ac cælestis, quarum postrema nisi vicerit, peccatur.* 407
5. *Eadem lucta & victoria cælestis delectationis uberius declaratur, ex libris quos ex professo contra hostes gratiæ scripsit.* 408
6. *Nomen* VICTRICIS DELECTATIONIS *inde tractum, atque impositum gratiæ medicinali Christi.* 411
7. *Delectationis necessitas oritur* ex infirmitate *voluntatis, quâ fit ut nihil boni amplecti possit nisi delectet.* 415
8. *Quinto ostenditur delectationem esse veram gratiam Christi ex adiutorio perseverantiæ in hac vita & impeccabilitatis in cælo. Epilogus probationum præcedentium.* 420
9. Necessitas *delectationis cælestis ad bene volendum & operandum non ex natura voluntatis, sed ex eius pœna proficiscitur.* 428
10. *Inferuntur corollaria, quibus multa principia sancti Augustini de libero arbitrio, & potestate bene operandi & similibus declarantur.* 432
11. *Delectatio ista cælestis, secundum Augustini mentem, est actus vitalis & indeliberatus animæ: & quidem amoris ac desiderii, præcedentis consensum, ac delectationem illam, quæ & quies animi & gaudium dicitur.* 435
De gratiæ divisionibus
12. *Tres divisiones gratiæ afferuntur. Quid sit gratia præveniens.* 444
13. *Quid sit gratia consequens seu subsequens.* 452
14. *Declaratur uberius natura gratiæ prævenientis & consequentis ex Prospero, Fulgentio, & ex Conciliis Arausicano ac Tridentino.* 455
15. *Quid sit gratia operans & cooperans, iuxta Augustinum & Fulgentium.* 459
16. *Quid sit gratia excitans & adiuvans.* 463
17. *Sensus multorum Scholasticorum in explicandis gratiarum divisionibus à sensu Patrum quam diversus sit.* 468
18. *Gratia præveniens, subsequens; operans, cooperans; excitans, adiuvans; generalius quandoque usurpantur à Patribus sensu tamen etiam à Neotericis diverso.* 471
19. *Gratia præparans voluntatem quid sit, & quomodo secus ab Augustino quam à Scholasticis quibusdam intelligatur.* 475

De gratia Christi Salvatoris
LIBER V.

Qui est de effectibus gratiæ Christi.

CAP. I. *Transitus ad effectus gratiæ medicinalis Christi. Gratia Christi tantummodo ad diligendum in cuiusvis præcepti impletione Deum, necessaria est.* 484
2. *Quomodo sit intelligendum, quod sola gratia quâ diffunditur charitas in cordibus nostris, sit gratia quâ Deus operatur in nobis velle, & operari, & præceptorum omnium impletionem. Et quæ doctrinæ istius radix sit.* 488
3. *Virtus non est aliud nisi amor Dei. Ostenditur ex diversis principiis.* 494
4. *Virtutes Cardinales Amor Dei quadruplex.* 502
5. *Etiam ceteræ virtutes quidam affectus sunt dilectionis Dei. Ostenditur hoc de virtute Religionis.* 511
6. *Idem declaratur in virtutibus Theologicis. Et primo in fide ex diversis Augustini principiis & locis.* 511
7. *Dilectio ista ex qua nascitur fides, charitas imperfecta est, & quo sensu.* 514
8. *Idem de spe ostenditur.* 520
9. *Spes Christiana non oritur ex amore concupiscentiæ, sed genuina Charitatis.* 521
10. *Charitati gratis diligenti Deum non repugnat respectus mercedis aut retributionis.* 527
11. *Quid sit opus fieri* SICUT OPORTET, *iuxta sancti Augustini, Concilii Arausicani, ac Tridentini phrasin.* 532
12. *Ostenditur, Scholasticos Doctores multum hallucinatos de operibus quæ fiunt, vel non fiunt* SICUT OPORTET. 538
13. *Timor gehennæ secundum se consideratus licitus, bonus, rectus est.* 542
14. *Timor pœnæ initium sapientiæ externum, qui ab ipsa sapientia, id est charitate excluditur.* 546

15. *Timor pœnæ ex gratia quadam generali, non ex illa propriè & strictè dicta gratia Christi nascitur.* 548
16. *Occurritur obiectioni; & ostenditur eandem esse rationem de quolibet timore pœnarum etiam gehennæ. Nascitur ex amore creaturæ & sui.* 554
17. Amplius declaratur, *timorem pœnæ non esse ex Christi gratia, quia facit iustitiam inde natam,* ex lege, & justitiam nostram, *non ex Deo.* 556
18. *Uberius ostenditur ex Augustino, timorem pœnæ & opus ex isto timore factum non esse ex gratia Christi, sed naturæ viribus supposita fide.* 558
19. *Ex puro timore pœnæ non potest ita fugi peccatum, ut nullum aliunde peccatum incurratur.* 560
20. *Ne quidem ex timore gehennæ.* 562
21. *Radix prima istius doctrinæ, quia qui nudo timore pœnæ peccatum fugit invitus & animo repugnanti fugit, ideoque non fugit peccatum sed aliud quidpiam.* 566
22. *Secunda radix, quia timor pœnæ non potest mutare voluntatem malam, sed solus amor iustitiæ.* 572
23. *Radix tertia, quia timor pœnæ ab amore iustitiæ dissimilis, nascitur ex amore sui ipsius, quatenus in creatura ultimo requiescit.* 580
24. *Iustitia ex timore pœnæ, est iustitia* ex lege & nostra, *quam Apostolus arbitratus est detrimentum ac stercora.* 584
25. *Repugnat magnopere Augustino doctrina qua docetur dolorem peccati propter gehennæ metum, seu attritione quorundam Scholasticorum excludere posse omnem peccandi voluntatem, & continere propositum bonæ vitæ seu servandi totam legem Dei, itemque esse dispositionem sufficientem ad iustificationem cum Sacramento obtinendam.* 586
26. *Concilium Tridentinum isti doctrinæ multis locis adversatur.* 590
27. *Multi fructus timoris pœnæ recensentur, ex quibus veritas doctrinæ à Concilio Tridentino de timore pœnæ tradita patescit & confirmatur.* 594

De gratia Christi Salvatoris
LIBER VI.
Qui est primus de libero arbitrio

CAP. I. *De nomine liberi arbitrij & voluntatis.* 609
2. *Liberum opponitur servo, captivo, dominationi alterius subiecto. Est esse inalligatum, unimpeditum &c.* 610
3. *Liberum aliquid positivum sonat. Esse dominum, esse sui iuris, esse in potestate nostra, esse gratia sui.* 614
4. *Quid sit esse in nostra potestate, seu actum habere in potestate, iuxta Augustinum.* 618
5. *Omnis voluntas quomodo sit in potestate, & libera.* 622
6. *Duplex necessitas Augustino,* coactios & simplex *seu* voluntaria. *Illa, non hac repugnat libertati.* 628
7. *Idem ostenditur ex libertate Dei.* 636
8. *Item ex libertate beatorum hominum & Angelorum.* 638
9. *Ex libertate Christi Domini.* 646
10. *Idem ostenditur ex voluntate fruente summo bono clare viso, iuxta principia Augustini.* 648
11. *Idem probatur iuxta principia propria Scholasticorum.* 654
12. *Eandem distinctionem indicarunt ante Augustinum ac ipso vivente multi, Dionysius Areopagita, Clemens, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Hilarius, Epiphanius, Macarius, Basilius, Seleucienses, Eusebius, Chrysostomus, Cyrillus.* 659
13. *Post Augustinum idem docuerunt omnes usque ad Scholasticos, & primo sanctus Prosper & Fulgentius.* 662
14. *Venerabilis Beda.* 666
15. *S. Ioannes Damascenus.* 667
16. *S. Anselmus.* 672
17. *S. Bernardus.* 674
18. *Hugo de Sancto Victore.* 682
19. *Richardus de Sancto victore.* 686
20. *Magister Sententiarum.* 688
21. *Alexander de Hales.* 693
22. *Guilielmus Parisiensis.* 694
23. *Guilielmus Altissidiorensis.* 698
24. *Sanctus Thomas.* 699
25. *Ioannes Scotus.* 700
26. *Sanctus Bonaventura.* 703
27. *Henricus à Gandavo.* 707
28. *Richardus de Media villa.* 707
29. *Thomas de Argentina.* 708
30. *Dionysius Carthusianus.* 710
31. *Marsilius de Inghen.* 711
32. *Nicolaus de Orbellis & Stephanus Brulefer.* 712
33. *Gabriel.* 713
34. *Solvuntur generaliter Scripturæ, Patres & Concilia quæ requirunt indifferentiam ad utrumlibet.* 714
35. *Actus voluntatis deliberatæ necessarius, est in potestate & dominio voluntatis.* 716
36. *Explicantur propositiones ex Bulla Pij quinti:* Quod voluntariè fit etjamsi necessitate fiat, liberè tamen fit. Et sola violentia repugnat libertati hominis naturali. 724
37. *Quomodo potentiæ rationales se habeant ad opposita, & actus liber possit esse necessarius.* 727
38. *Profertur epilogice consensus antiquorum Scholasticorum & Scriptorum usque ad Augustinum.* 729

De gratia Christi Salvatoris
LIBER VII.
Qui est secundus de libero arbitrio

CAP. I. *Brevis recapitulatio præcedentium, & propositio sequentium.* 733
2. *Est aliquid, præter nudam facultatem voluntatis, quod actum etiam voluntatis ponit in arbitrij potestate & illud facit velle.* 734
3. *Delectatio efficit voluntatem & libertatem, hoc est, facit velle & libere velle.* 737
4. *Libertas Augustino maxime versatur circa finem, & quare.* 742
5. *Divisiones libertatis, in libertatem à necessitate, à peccato, à miseria. Item in libertatem à peccato, & à militia. Quomodo se habeant ad veram arbitrij libertatem.* 746
6. *Quid sit libertas à peccato in Scripturis celebrata, iuxta Recentiores, & Pelagianos, & Augustinum*

Digitized by Google

gustinum, secundum terminum à quo. 753
7. Libertas à peccato, secundum terminum ad quem est vera & propriè dicta libertas arbitrij ad opus bonum. Est per charitatem iustitiæ, & delectationem. 760
8. Vberius declaratur natura libertatis. Quid sanitas, quid potestas arbitrij? Vnde nascuntur, ortus, incrementum, fastigium libertatis. 768
9. Quatuor Corollaria ex istis principijs Augustini declarantur, & in primis quomodo arbitrium liberum erit in cælo. 772
10. Triplex liberi arbitrij status, ad bonum, vel malum, & ad utrumque. Vnde hæc restrictio ad unum, vel indifferentia contrarietatis nascatur. 777
11. Error Pelagianus est, requiri ad libertatem, indifferentiam ad bonum & malum: sed potest esse libertas destructa ad malum. 780
12. Libertas arbitrij, quo sensu tribuenda, & neganda peccatoribus. 788
13. Quomodo se libertas arbitrij habeat ad libertatem seu indifferentiam contrarietatis, & contradictionis. 792
14. Afferuntur quatuor absurda, quæ ex necessitate talis indifferentiæ contradictionis sequuntur. 798
15. Aliæ tres absurditates ex ista indifferentia contradictionis consectaneæ aperiuntur. 804
16. Quomodo se habeat libertas arbitrij ad amplitudinem, eminentiam, independentiam, immensitatem, & similes voluntatis proprietates. 808.

De gratia Christi Salvatoris.

LIBER VIII.

Qui est de Concordia gratiæ & liberi arbitrij.

CAP. 1. Discrimen duarum opinionum de prædeterminatione physica & gratia congrua. In quo S. Augustini sententia cum utraque conveniat. 817
2. Varia discrimina proferuntur inter adiutorium Dei medicinale & prædeterminationem physicam, prout à defensoribus eius traditur. 818
3. Adiutorium Christi determinat, ac prædeterminat etiam physicè voluntatem, ut velit & ardentius velit, & ex quo capite istud accidat. 822
4. Conciliatio gratiæ Christi quam Augustinus docuit cum libero arbitrio, iuxta principia Scholasticorum. 825
5. Conciliatio genuina gratiæ cum libero arbitrio secundum Augustini mentem profertur, & probatur ex querelis Pelagianorum & modo quo ijs Augustinus satisfecit. 826
6. Eadem ex alijs diversis locis Augustini asseritur. 832
7. Eadem ostenditur ex alia querela Pelagianorum. 836
8. Eadem ex libro quem hanc solam ob causam Augustinus scripsit, ad oculum demonstratur. 838
9. Declaratur hoc ipsum ex concordia motuum concupiscentiæ, & liberi arbitrij ab Augustino tradita, ex quibus Pelagiani similiter querebantur liberum arbitrium extingui. 842
10. Eandem concordiam gratiæ & liberi arbitrij ad unguem docuerunt discipuli S. Augustini, & in primis latissimè & clarissimè S. Prosper. 845
11. Item S. Cyrillus Alexandrinus, Fulgentius, & Petrus Diaconus. 848
12. Sanctus Gregorius, Beda, S. Anselmus. 850
13. Sanctus Bernardus, & amici eius duo Hugo & Richardus de sancto Victore. 852
14. Magister Sententiarum, Alexander Halensis, Guilielmus Parisiensis. 854
15. Sanctus Thomas, S. Bonaventura, Scotus. 856
16. Henricus à Gandavo, Richardus de media Villa, Marsilius. 874
17. Zozymus Papa, Celestinus, Tridentinum eandem concordiam definierunt. 860
18. Epilogus probationum præcedentium. 864
19. Redditur vera ratio principijs Augustini & aliorum Patrum ad amussim consentanea, cur talem concordiam gratiæ & liberi arbitrij docuerint, nihilque in tradenda libertate curaverunt illam indifferentiam & æqualitatem contrarietatis & contradictionis. 866
20. Agnovit Augustinus sub gratia & ante gratiam indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu; non tamen tanquam libertatem aut partem eius. Explicatur ista indifferentia conformiter principijs Augustini. 868
21. Quomodo differat ista concordia gratiæ & liberi arbitrij ab opinione Calvini. 878

De gratia Christi Salvatoris.

LIBER IX.

Qui est de Prædestinatione hominum & Angelorum.

CAP. I. De nomine prædestinationis. Scripturis & Patribus non est aliud, nisi præfinire, prædecernere, præstituere. 884
2. Inferuntur ex prædictis quatuor Corollaria. Et in primis quod prædestinatio non magis ex ratione sua respiciat & includat medium quam finem, nec magis finem quam medium fuse, quod gloria sit etiam obiectum prædestinationis. 886
3. Prædestinatio Dei respicit non solum bonum, sed etiam malum, non culpæ, sed pœnæ. De duplici prædestinatione, ad vitam & ad mortem. 894
4. Inferuntur aliquot Corollaria. Iterum de prædestinatione in bono, & malo. Alia duplex prædestinatio, gratiæ & iustitiæ. De prædestinatione simpliciter dicta, & quod respiciat actiones Dei. 898
5. Prædestinatio, dilectio, electio, propositum, præparatio gratiæ, discretio, quid in Scripturis & Augustino differant. 902
6. Prædestinatio, electio, & discretio, alia gratiæ, alia meritorum. Quid singula sint & respiciant. Augustinus olim etiam rectè de gratia sentiens, nullam agnovit electionem gratiæ, & quare. Quid electio iuxta Manichæos. 904
7. Definitio prædestinationis gratiæ seu gratuitæ ab Augustino tradita, nonnihil enodatur. Quænam sint illa beneficia, & illa præscientia, de quibus in ea fit mentio? 914

8. *Effectus adæquatus prædestinationis gratuitæ est liberatio. Quid illa; & à quibus. Prædestinatio gratiæ facta est prævisso peccato non aliter.* 920
9. *Vnde Phrases istæ, Massa, & discretio à massa perditionis, & quid significent apud Augustinum.* 928
10. *Electio, seu prædestinatio gratiæ non habuit in Angelis locum, & quo sensu.* 932
11. *Electio gratiæ in Angelis, ex alio capite destruitur.* 938
12. *Augustinus Angelorum perseverantiam non prædestinatam, sed præscitam tradit, eosque non gratiâ, sed meritis discretos.* 940
13. *Angeli ad gloriam electi sunt, non electione gratiæ sed meritorum.* 942
14. *Angeli non sunt electi efficaciter ad gloriam, ante prævisionem perseverantiæ, seu meritorum absolutam.* 946
15. *Homines efficaciter electi sunt, non solum ad merita, sed etiam ad ipsam gloriam, ante prævisionem absolutam meritorum: & cur magis quam Angeli. Tres hallucinantium classes, quia radicem diversitatis non agnoverunt.* 948
16. *Breviter perstringuntur quædam Scripturæ, quibus illa doctrina asseritur. Fusius solvitur ex Augustino, quo pacto Scripturæ Christianos omnes electos & prædestinatos vocent.* 954
17. *Prima probatio istius sententiæ ex varijs Augustini locis, quibus generaliter talem voluntatem efficacem electionis ad gloriam, ante merita præscientiam statuit.* 962
18. *Secunda ex voluntate singulari salutis parvulorum.* 965
19. *Tertia ex voluntate illa, quæ velut radix est gubernationis mirabilis circa adultos.* 966
20. *Quarta ex voluntate illa, quæ veluti radix, & cardo est gubernationis reproborum.* 972
21. *Quinta ex vocatione secundum propositum.* 978
22. *Declaratur hoc propositum antecedere omnem præscientiam absolutam meritorum ex prædefinitionibus multorum effectuum liberorum, ante præscientiam absolutam consensus voluntatis.* 982
23. *Sexta, ex querelis Massiliensium.* 986
24. *Solvuntur quædam argumenta ab Augustino petita.* 988
25. *De causa prædestinationis ex parte Angelorum, & hominum, eaque diversa. Cur huic, non illi detur gratia, Quæstio inscrutabilis, origo errorum quibus eius scrutatores lapsi sunt. Quædam de operibus moraliter bonis, & facienti quod in se est.* 992
26. *Numerus Prædestinatorum quo pacto certus, præscientia, an præfinitione, tam respectu Angelorum, quam hominum. Aliqui supra numerum.* 1004

De gratia Christi Salvatoris

LIBER X.

Qui est de reprobatione hominum & Angelorum.

CAP. I. *Quis ordo reprobationis quorumdam Angelorum negativæ & positivæ, ante, an post prævisa merita.* 1010
2. *Quis ordo reprobationis lapsorum hominum.* 1012
3. *Causa reprobationis, secundum considerationem absolutam, est massa damnationis sive peccatum originale, & quo sensu.* 1014
4. *Causa reprobationis, secundum considerationem comparativam, est voluntas Dei.* 1022
5. *Effectus reprobationis damnatio, excæcatio, obduratio: non tamen primi peccati, sive Angelici, sive humani permissio.* 1024
6. *Tria solvuntur argumenta, quibus ista sancti Augustini doctrina de prædestinatione & reprobatione impetitur; quod Deus non videatur esse Salvator omnium hominum: nec Redemptor totius mundi: neque congruè promittere vitam æternam, sub conditione servandi mandata.* 1028
7. *Solvitur argumentum quartum, quo dicitur, Deum insidiari saluti eorum qui reprobati sunt.* 1032
8. *Solvitur quintum argumentum, quo dicitur, hanc sententiam afferre socordiam electis, & reprobis desperationem.* 1036
9. *Solvitur sextum argumentum, quo urgent istam doctrinam tollere zelum animarum, & inutiles facere prædicationes & correptiones. Et utrum scandalum ac dissolutionem vitæ pariat.* 1040
10. *Solvitur septimum argumentum, quo existimatur ista doctrina, non esse divinæ clementiæ consentanea, eo quod reprobos non nisi ad damnationem creare, & conservare videatur.* 1046
11. *Reprobati non tam propter suam, quam electorum utilitatem nascuntur, & conservantur.* 1048
12. *Fructus quos electis afferunt ad tria capita generalia revocantur. Explicatur primus, quod sint ornamentum terrarum, & quo sensu.* 1050
13. *Fructus secundus, ut multis modis doceantur electi. Septem documenta proferuntur.* 1052
14. *Cur tantus numerus reprobatorum præ prædestinatis.* 1056
15. *Tertius fructus, exercitium, & profectus, probatio, & eminentia seu manifestatio electorū.* 1058
16. *Quo scopo & fructu reprobati misceantur prædestinatis, & iuxta Scripturas, servituti destinati sint.* 1061
17. *Quam conveniens, imo post lapsum necessarius fuerit iste divinæ providentiæ modus.* 1064
18. *Ostenditur iniustitia querimoniæ contra istam sancti Augustini doctrinam.* 1068

EPILO-

Erroris Massiliensium & opinionis quorundam Recentiorum παράλληλοι & Statera.

In qua discrimen utriusque sententiæ παραλλήλως indagatur, & compluribus notis perspicuè ostenditur.

PRÆFATIO.

In quo causa, & fructus hujus scriptionis; Propositio, & partitio dicendorum. 1073

CAPUT I.

Quo pacto in oppugnanda electione hominum, seu completa prædestinatione discrepent, aut conveniant, 1076.

NOTA I. *Vtrique ex horrore prædestinationis illius absolutæ, aliam sententiam excogitarunt molliorem.* 1077
2. *Nasci ex ea fatum causantur,* 1078
3. *Tolli libertatem arbitrij.* ibid.
4. *Afferri desperationem.* 1079
5. *Induci socordiam, torporem, & ignaviam.* ibid.
6. *Studium virtutis retundi.* 1080
7. *Incitari homines ad licentiam ac dissolutionem vitæ,* ibid.
8. *Laudem detrahi operibus bonis,* 1081
9. *Orationes refrigescere, aut extingui.* 1082
10. *Spem impetrandi tolli ex incertitudine divini illius propositi.* ibid.
11. *Exhortationes, & correptiones languescere, & auferri.* 1083
12. *Sollicitudinem ac zelum animarum evelli.* 1084
13. *Deum non velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* 1085
14. *Christum non pro omnibus esse mortuum, nec omnium redemptorem esse.* ibid.
15. *Deum futurum acceptorem personarum.* 1086
16. *Peccata reproborum Christianorum in Deum redire.* 1086
17. *Homines condi, ut pereant.* 1087
18. *Errorem Prædestinatianorum verum futurum.* 1088

CAPUT II.

Quomodo in oppugnanda gratia efficaci conveniant, aut differant.

19. *Repudiant gratiam, quæ humanam sibi subjicit voluntatem.* 1090
20. *Ratio repudiandi, quia uni datur, alteri negatur.* 1091
21. *Quia destruit libertatem quando datur,* ibid.
22. *Quia destruit eam etiam cum negatur.* 1092
23. *Quia præceptum fit hominibus impossibile.* 1093
24. *Quia frustra erunt præcepta, exhortationes, correptiones.* ibid.
25. *Quia naturæ vires nimium deprimuntur.* 1094
26. *Quia solicaerit opus orationis.* 1095
27. *Quia absurdum est, ut Deus petat ab homine fieri, quod ipse Deus per talem gratiam debet facere.* 1095
28. *Quia totum isti gratiæ tribuitur, nihil naturæ.* 1096
29. *Quia fatalis sequitur in vitam humanam necessitas,* 1096

CAPUT III.

Quæ sit in gratiam ab utrisque traditam convenientia ac discrepantia.

30. *Vtrique omnia spectra desperationis, fati, ignaviæ & cæ ex magna facilitate conciliandi gratiam & prædestinationem cum libero arbitrio facile fugant.* 1098
31. *Statuunt in Deo propositum generale restaurandi totum genus humanum.* 1099
32. *Cujus basin collocant locum Apostoli:* Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, ibid.
33. *Angustiores expositiones pariter repudiant.* 1100
34. *Voluntas illa Dei generalis conditionata est respectu majorum.* 1100
35. *Etiam respectu parvulorum qui salvantur.* 1101
36. *Item respectu eorum qui damnantur,* 1102
37. *Gratiam attemperant isti proposito generali Dei, & libero arbitrio hominis.* 1102
38. *Statuunt beneficia remotiora omnibus ex æquo communia, Christi mortem baptismum &c.* 1103
39. *Beneficia etiam propinqua, gratiam scilicet, sufficientem, omnibus effundunt liberalissime.* 1103
40. *Gratia quomodo sufficiens in Adam, Noe, Abraham, Patriarchis, Sapientibus gentilium; in cælesti machina & creaturis.* 1104
41. *Item in forma Ecclesiæ, & prædicatione Evangelij generali.* ibid.
42. *Gratiam actualem internam utrique tribuunt.* ibid.
43. *Gratia illa quantum ad operandi modum est admixtum sine quo non.* 1105
44. *Dat posse si velit; non ut velit.* 1106
45. *Quam liberum arbitrium efficacem, vel inefficacem seu cassam reddere potest.* ibid.
46. *Est similis gratiæ Adami, atq; Angelorum.* 1107
47. *Ea posita Deus expectat voluntatem nostram, ut purgari velimus.* 1108
48. *Gratia ista pendet à libero arbitrio, & ab ejus nutu, & usu causaliter præeunte, ut influat.* 1109
49. *Causa excogitandi talis adjutorij, ne alioquin opus nullius sit laudis.* 1111
50. *Item ne meritum operibus detrahatur.* ibid.
51. *Discrepant in operibus moraliter bonis.* 1112
52. *Gratia discernens propriè unum ab altero, est utrisque natura liberi arbitrij divinitus data.* ibid.
53. *Causa commendandi istam discernentem gratiam, ne voluntas alioquin non læsa, sed penitus extincta videatur.* 1114
54. *Sibi tribuunt initium fidei, credere, desiderare, orare, &c.* 1115.

55. *Multiplex discrimen. Primum, quod Maßilienses initium fidei, & ultra perseverantiam sibi attribuerent: recentiores omnes virtutes. In quo dupliciter gravius Maßiliensibus hallucinantur.* 1116.

56. *Secundum, quod illi initium salutis; hi totam suæ potestati vendicent.* 1117

57. *Tertium, quod illi post initium fidei veram Christi gratiam actualem agnoverint; hi nullam.* 1118

58. *Quartum, illi intelligunt veram Christi gratiam cum libertate consistere; hi nequaquam.* 1120

59. *Meritum agnoscunt pariter in initio fidei; illi inviti, hi palam.* 1121

60. *Meritum utrique valde depriment; sed illi operum cum gratia factorum; hi operum purè naturalium.* 1122

61. *Multæ propositiones apud utrosque vera: Prima:* Gratia non sibi subjicit humanam voluntatem. 1123

62. *Secunda:* Vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deus exspectat. 1124

63. *Tertia:* Sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus &c. nobis misericordia confertur divinitus *ibid.*

64. *Quarta:* Humilitati & obedientię humanæ subjungitur gratiæ adjutorium. 1126

65. *Quinta:* Aliqui per liberum arbitrium ad gratiam baptismi venire possunt. 1127

CAPVT IV.

Quid prædestinationi apud utrosque commune; quid proprium.

66. *Vnum Dei propositum in duo dividunt, in conditi[illegible] absolutum. Hoc postremum concipiunt post prævisionem fidei, & meritorum.* 1127

67. *Illa fides & merita cum adjutorio gratiæ comparanda sunt.* 1128

68. *Discrimen, quòd Maßilienses veram Christi gratiam intelligerent; recentiores non.* 1129

69. *Vtrisque prædestinatio completa est ex præscientia fidei, & meritorum.* ibid.

70. *Prædestinatio utrisque retributio.* 1130

71. *Discrimen, quòd aliquid gratuiti involveret Maßiliensium electio ad Regnum: Recentiorum nihil omnino.* 1131

72. *Numerus electorum non est iis definitus ex voluntate, & prædefinitione Dei.* 1131

73. *Prædestinatianorum errorem utrique impingunt adversariis suis.* 1132

CAPVT V.

Quibus utrique armis pugnaverint; quibus gradibus in illam sententiam lapsi sint.

74. *Iisdem rationibus utuntur ad prædestinationem & gratiam suam asserendam.* 1133

75. *Iisdem quoque Scripturis eodem modo explicatis.* ibid.

76. *Eodem modo accersuntur in præsidium Græci Patres.* 1135

77. *Magni faciunt Augustinum, uno doctrinæ capite excepto.* 1136

78. *Augustinum tanquam turbarum auctorem accusant.* 1137

79. *Vtrique objectiones pro solutionibus, & errorem ab Augustino proscriptum pro doctrina Catholica capientes, sententiam suam excogitarunt, & fundarunt.* ibid.

80. *Disputationes istas arbitrantur fieri citra periculum lædendæ fidei.* 1134

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM
TOMI TERTII.

A

ADAM.

ADAM cum plenissimâ libertate ejusque æquilibriali indifferentia conditus. 94. 95. 96. 349. 350. 432. 472. 772. 773. 778. 779. 792. 820. 821. 822.
Non accepit perseverantiæ donum, sed meram perseverandi possibilitatem. 100.
Cur Adamo collatum fuerit adjutorium possibilitatis, relicto *velle* in ipsius arbitrio: homini autem lapso conferatur ipsum *velle* & *operari*? 102. 109. 111. 432. 934.
Adam & Angeli in prima creatione, consimili prorsus adjutorio instructi fuerunt. 111. 112. 114. 432. 937.
Nec Adam nec Angeli absque cælestis gratiæ adjutorio perseverare potuerunt. 102. 112. 124. 136. 432. 933. 934. 935. 936. 946.
Nihil boni operari potuerunt absque gratiæ auxilio. 112. 136. 432. 935. 936. 946.
Adam aliquantulo tempore usus est suâ gratiâ in bono perseverans. 112.
Adam nullo vitio provocante prævaricatus est. 91.
Adam priùs deseruit Deum, quam à Deo desereretur. 366.
Adam ad benè agendum non eguit gratia Christi medicinali, sicut nec Angeli. 29.
Adam sui sceleris granditate possibilitatem boni tam sibi quam posteris ademit. 22. 23. 94. 95. 96. 136. 432. 433. 1012.
Adam per liberum arbitrium stare poterat, prout reipsa steterunt Angeli. 111. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 124. 150. 432. 934. 946.
Adam ante lapsum habuit adjutorium *sine quo non*: non adjutorium *quo*: item adjutorium possibilitatis, non voluntatis aut operis: & quomodo hæc differant? 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 203. 212. 213. 216. 933. 934.
Ea luculentissimè distinxit Augustinus. 219. 822. 823. 933. 934. 935. 943. 949. 991.
Adam non habuit adjutorium medicinale, sed adjutorium sanitatis. & qualiter hæc discrepent? 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 104. 105. 106. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 119. 203. 215. 259. 430. 933. 934.
Adam in statu innocentiæ: statum & casum, gloriam & damnationem, prædestinationem & reprobationem in sua habuit potestate, sicut & Angeli. 1010. 1011.
Adæ innocenti aut Angelis nusquam Augustinus accommodat illas Scripturas: *Non est volentis neque currentis sed Dei miserentis. Deus operatur in vobis velle & perficere*: & cur? 948.
Quamvis Adam in paradyso ante lapsum meruerit: non est tamen ad Patrem tractus, nec secundùm propositum vocatus. 949.
A discrimine adjutorij collati Adamo innocenti ab adjutorio hominis lapsi, totam controversiam de gratia adversùs Pelagianos suspendit Augustinus. 81. 91. 92. 93. 94. 480. 487.
Adamo collatum fuit adjutorium subditum nutui & determinationi liberi arbitrij. 95. 96. 97. 98. 111. 203. 213. 215. 430. 432.
Si Deus tale adjutorium hominibus lapsis largiretur quales largitus est Adamo, nullus omnium eo unquam uteretur: & cur? 211. 212. 258.
Gratiam Adami innocentis & hominis lapsi, non satis distinguunt Neoterici penes efficaciam. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 215. 216. 248. 259. 260. 432.
Earum confusio Semi-Pelagianismum genuit. 126. 131. 132.
Sententiam eas confundentem, Apostolico mucrone proscriptam testatur Augustinus. 122. 151. 152.
Gratia Adamo innocenti collata non fuit merè habitualis, non concursus concomitans causæ primæ, nec prædeterminatio physica. 92. 111. 112. 214. 215. 216. 217. 218. 821. 822. 823. 824.
Qui eam in prædeterminatione physica constituunt, totam basin doctrinæ Augustinianæ vellicant. 820. 821.
Adamo innocenti ultra habitualem gratiam & concursum ei debitum non deerat divina protectio, directio, & excitatio: quicquid reclamentur Neoterici. 217. 218.
Permissio lapsus Adami non fuit effectus reprobationis hominum, multò minus ipse lapsus. 1013. 1026. 1027.
Adæ lapsus à Deo prævisus, anterior est hominum prædestinatione & reprobatione. 925. 826. 1018. 1019.
Adam innocens disparem à nobis gratiam habuit, & lætiorem: nobis potentior gratia necessaria est, juxta Augustinum. 823.
Adamo perseverante prædestinatio Augustiniana in hominibus locum non habuisset. 945.
Adamo cum posteris in originali sanctitate persistente, ij omnes & soli præcarentur qui modo sunt prædestinati. 1006.
Omnes fuissent electi ex electione meritorum, non gratiæ: prout electi sunt sancti Angeli. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 1006. 1007. 1008. 1009.
Vide Angelus, electio, gratia, liberum arbitrium, prædestinatio, reprobatio.

ADIUTORIUM.

Adjutorium. Vide Adam, Angelus, gratia.

AMOR.

Amor quid? 520. 522.
Amor amantem amato copulat, & utrumque essentialiter respicit. 522.
Amor est vita secunda, motusque vitalis. 522.
Amor Augustino alius est mansorius circa finem, alius transitorius circa media. 794.
Amor finis necessariò subinfert amorem medij. 795.
Amor finis herili potestate dominatur amori mediorum. 795.
Amor mediorum, omnium humanorum affectuum vilissimus est & servilissimus. 796.
Amor creaturarum quantumvis bonarum vitiosus est si in Creatorem non refertur. 545.
Amor justitiæ malam voluntatem in bonam commutat, isque solus. 573. 574.
Ad amorem Dei non nisi per Dei timorem pertingitur. 546.
Amor concupiscentiæ semper oritur ex amore benevolentiæ. 523. 524. 525.
Amor concupiscentiæ erga Deum semper est vitiosus, & cur? 525. 526.
Hinc spes Theologica non ex amore concupiscentiali sed ex charitativo nascitur. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. & seqq.
Solo amore Deus veraciter colitur. 576. 577.
Amoris castitas non violatur expectatione mercedis retributionariæ. 527. 528. 529. 530. 531.
Amor Dei castus nullum rivulum extra se duci patitur, cujus derivatione decrescat. 524.
Amor Dei an & qualiter peccatoribus cum justis communis? 519.
Amoris ordo necessariò servandus is est, ut nos ipsos & proximos non nisi propter Deum: ipsum verò Deum propter seipsum amemus. 524. 525. 526. 581.
Quando censendus sit quispiam amare se aut proximum propter Deum? 524. 525.
Amare se propter se, non est laudabilis charitatis; sed superbæ vanitatis officium. 581. 582.
Vide Charitas, dilectio.

ANGELUS.

Angeli nec ullum bonum operari, nec in bono in quo conditi sunt perseverare potuerunt absque cælestis gratiæ adjutorio. 102. 112. 124. 136. 432. 933. 934. 935. 936. 946.
Angeli per liberum arbitrium steterunt, non tamen sine adjutorio gratiæ possibilitatis. 112. 114. 115. 116. 124. 150. 946.
Adjutorium Angelis collatum ad merendum & perseverandum suberat potestativo nutui liberi arbitrij, sicut adjutorium hominis integri; cum quo fuit ejusdem prorsus conditionis. 95. 97. 98. 111. 203. 212. 213. 214. 432. 934.
Angelos sanctos fuisse cæteris amplius adjutos, quo sensu asserat Augustinus? remissivè. 112. 949.
In Angelorum hominumque creatione Deus ostendere voluit primò quid possit eorum liberum arbitrium: deinde quid possit suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium. 116. 432.
Angeli non sunt electi aut prædestinati electione aut prædestinatione gratiæ sed meritorum. 932. 933. 934. 935. & seqq. usque ad 949.
Contrarium contendunt plerique recentiores, sed ex Augustini doctrinâ constantissimâ refelluntur. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945.
Angeli omnes in charitate & gratia conditi sunt. 934.
Ultra gratiam habitualem & virtutes pedissequas habuerunt auxilium gratiæ actualis, non quidem *quo* fieret ut vellent aut perseverarent, sed *sine quo* nec velle possent nec perseverare. 935. 936. 937. 938. & seqq.

INDEX RERUM ET VERBORUM

Angeli habuerunt in sua libera potestate statum & casum, gloriam & damnationem, electionem & reprobationem. 1011. 1012. 1013.
Angelorum meritum & perseverantia non fuerunt specialia Dei dona: & cur? 935. 936. 937. 938. 939.
Eorum merita juxta Augustinum fuerunt *liberi arbitrij, naturalia, Angelica, sua*: & cur? 935. 936. 937.
Eadem nihilominus gratiæ deputat Augustinus æquè aut magis quam Neoterici merita hominum lapsorum. 936.
Angelorum perseverantiam Augustinus prævisam affirmat: prædestinatam prorsus negat: & cur? 940. 941. 942.
Angelos fuisse prædestinatos in Augustini scriptis nusquam legitur. 945.
Angeli nec ad Patrem tracti sunt, nec secundum propositum vocati 949.
De Angelis nusquam Augustinus inquirit: cur hunc Deus traxerit, & illum non traxerit: item, cur huic ita suasum fuerit ut persuaderetur, non illi. 949.
Iisdem nusquam accommodat istas Scripturas: *Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei: Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* 948
Angelorum bonorum à malis discretionem non gratiæ sed meritis arbitrij adscribit Augustinus. 942. 943
Angeli non nisi post absolutam meritorum & finalis perseverantiæ prævisionem sunt efficaciter ad gloriam electi: quicquid renitatur Suarez. 946 948. 949.
Angelici lapsus permissio non fuit effectus reprobationis sive positivæ sive negativæ. 1013. 1026. 1027.
Angelorum reprobatio præsupponit prævisionem demeritorum perinde ac electio prævisionem perseverantium meritorum. 1010. 1011. 1012. 1013. (1018.
Circa Angelos frustra & gratis confingitur reprobatio negativa.
Angelorum lapsorum ruinæ, substitutione hominum electorum supplereæ sunt: & perseverante statu innocentiæ, supplendæ fuissent 1007. 1008. 1009.
Angelorum cognitio vespertina apud Augustinum quænam dicatur? 217.
Vide Adam, electio, gratia, prædestinatio, reprobatio.

ARBITRIVM.

Arbitrium quid? & an ad intellectum an ad voluntatem spectet? 608. 609. 610. 611.
Arbitrium liberari quid? & quid ista liberatio? 10. 922. 923.
Arbitrium liberari, in Schola Neotericorum penè inauditum. 9.
Arbitrij liberatio captivitatem pro termino à quo respicit, nec absque ejus notitia intelligi potest. 10. 611. 612. 922. 923.
Arbitrij lapsi liberatio præcedere debet omnem bonum ejus usum. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & seqq.
Arbitrij liberatio necessariò præcedit in adultis remissionem peccatorum; unde perperàm à Scholasticis constituitur formaliter in ipsa peccatorum remissione. 9. 10. 103. 104. & seqq. 151. 152. 153. 154. 167. 168. 177. 178.
Arbitrium hominis semper manere liberum ad benè & malè agendum falsò existimant Aristotelico Scholastici. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & seqq.
Arbitriu n hominis nondum per gratiam liberatum, ità manere captivum ut nihil boni possit operari, sed sub effrænis concupiscentiæ tyrannide gemat: non intra latitudinem opinionis, sed ut dogma Catholicum, Apostolicum & Evangelicum tradit Augustinus. 16.
Arbitrium hominis liberari nequit per legem, doctrinam, aut ullam gratiam ad merum intellectum spectantem. 27. 28. 29. 30. 31. & seqq. Item 64. 65. 66. 67. 68. & seqq.
Arbitrium sua primævâ libertate peccatum induxit: sed pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem. 88.
Vide libertas, liberum.

ARISTOTELES.

Aristoteles hominem liberum definit: qui sui ipsius & non alterius gratiâ est. 614. 741. 737.
Aristotelis Philosophia multorum errorum origo. 9. 604. 606. 882.
Aristoteles Pelagianorum prodromus & patronus. 9. 11. 606.
Aristotelici magis quam Augustiniani sunt qui prædeterminationem physicam ad Angelos viatores & protoplastos innocentes extendunt. 821.
Vti & ij qui positivam indifferentiam ad utrumlibet, libertati faciunt essentialem. 9. 10. 11. 12. 604. 606.
Aristotelica Philosophia quatenus libertatem arbitrij essentialiter adstruit bicornem, cum Pelagianismo proscripta est. 606.
Aristoteles causam voluntariam cum causa libera subinde confundit. 728.
Vide liberum arbitrium, Pelagiani, Philosophia, Scholastici.

ATTRITIO.

Attritio ex pœnarum timore orta à Neotericis plus æquo extollitur. 586. 587. 588. 589 590. & seqq.
Eam secum afferre propositi emendationis & observationis mandatorum: mirabile paradoxum est, Augustini principijs è diametro adversum. 587. 588.
Non disponit ad justificationem etiam cum actuali susceptione baptismi aut pœnitentiæ. 589 590. 591.
Fundamentum Scholasticorum ex Concilio Tridentino desumptur, evertitur & retorquetur in ipsos. 590. 591. 592. 593.
Frustra pro patrocinio sui paradoxi recurrunt ad D. Thomam aut alios gravioris notæ Scriptores remissivè. 593.
Attritio ista à Scholasticis obtrusa procul abest ab ea quam Concilium Tridentinum ut sufficientem partem pœnitentiæ commendat. 590. 591. 592. 593.
Attritio tamen ex pœnæ timore concepta non est omninò inutilis sed plures affert utilitates: quæ conformiter ad doctrinam Concilij Tridentini recensentur. 594. 595. 596. 597. 598. 599.
Vide Timor.

AVGVSTINVS.

Augustinus in materia de gratia tutissimus & fidelissimus Dux, quem omnes meritò sequantur. 599.
Ejus doctrinam servat & sequitur Romana Ecclesia, ipso Ecclesiæ capite attestante. 604
Ejus ingenium uberrimum & solertissimum, Philosophorum quorumcunque ingenijs sublimius. 81. 604.
Omnes disciplinas philosophicas proprio marte absque præceptoris adminiculo perdidicit. 604.
Errorem suum pristinum de initio fidei ex nobis, cælesti oraculo edoctus mox à baptismate deposuit; quem tamen errorem vix excutere possunt alij post tot Augustini lucubrationes & Ecclesiæ sanctiones. 220. 221. 224. 225. 227. 604. 907. 908.
Augustinus in duobus potissimùm erraverat; primò in fidei initio quod viribus naturæ arrogabat: secundò in electione divina, quam in rebus omninò paribus locum habere pernegabat. 907. 908. 909.
Post depositum priorem errorem adhæsit posteriori, deceptus etymologia vocis *electio*. 908. 909. 910. 988. 989.
Postremum errorem tandem deponit & electionem gratiæ constantissimè asserit. 911. 989.
Ex verbis & sensibus Augustini universos penè canones suos de gratia & libero arbitrio, formavit Ecclesia. 604. 606.
Doctrinam suam de gratia & libero arbitrio, ex Scripturis potissimùm & Ecclesiæ precibus hausit Augustinus. 606.
Augustini ac doctrinæ ejus encomia ex Pontificum verbis contexta. 602. 604.
Augustinum nimia liberi arbitrij depressione modum excessisse ut contrarium Pelagianorum dogma refelleret, calumniantur Neoterici. 599. 600. 601. 602.
In hoc imitantur Pelagianos, Manichæismi notam Augustino & Ecclesiæ per os ejus loquenti, inurentes. 600. 603. 604. 814. 827. 828. 829. 832. 864.
Si Augustino Pelagianos refutanti licuisset liberum arbitrium usque ad excessum mediocritatis deprimere; id nunc liceret ijs qui Scholasticos non minùs libertatem arbitrij extollétes, quam extollebant Pelagiani impugnant. 600. 602.
Augustinus ante exortum Pelagianismum idem de libero arbitrio docuit, quod post. 600. 604.
Sicut Augustinus astruendo dominatricem gratiam destruebat Pelagium sed non se purgabat à Manichæo: sic hodierni Scholastici astruendo bicornem libertatem, Calvinum quidem jugulant, sed incauti Pelagium induunt. 602.
Augustini doctrina de gratia & prædestinatione vindicatur à calumnijs Massiliensium, eosque imitantium Scholasticorum. 1028. 1029. 1030. & seqq. usque ad 1069.
Augustinus ante Episcopatum adhæsit errori quem postmodum amplexi sunt Massilienses, ipsomet attestante & retractante. 220. 221. 224. 225. 226. 258. 351. 358. 907. 908. 909. 910. 918. 989.
Augustinus oppugnando Pelagianos, in gratiæ intelligentia profecisse se fatetur. 229.
Quo tempore & qua occasione scripserit librum de Spiritu & littera? 408. 409.

Augusti-

Augustini sensum veraciter indagare & patefacere, unicus authoris scopus. 249. 1070.
Quo sensu asserat Augustinus: *accipere & habere, esse accipientis & habentis*. 246. 247.
Augustinus difficillimam causam gratiæ cum Pelagianis, à discrimine adjutorij hominis sani & hominis ægroti, dependit. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 480.
Semper voluit à Pelagio extorquere confessionem adjutorij voluntatis & operis. 184. 480. 482.
Augustinus adjutorium possibilitatis assimilat alimentis, lumini, navi, pedibus; sine quibus nequit homo vivere, videre, navigare, ambulare: cùm tamen ista actu non præstent nisi quando & quomodo lubet. 110. 173. 255.
Ab Augustiniana mente procul aberrant recentiores qui adjutorium hominis integri & lapsi non satis distinguunt penes efficaciam. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 215. 216. 248. 259. 260. 432.
Sententiam inter ea non distinguentem, Apostolico mucrone damnatam pronunciat Augustinus. 123. 151. 152.
Augustinus ipse inter ea adjutoria latissimum discrimen constantissimè aperuit. 219. 812. 813. 923. 934. 935. 942. 943. 991.
Augustinus gratiam cum libero arbitrio sufficienter conciliare se existimat, removendo necessitatem coactionis, quæ sola derogat libertati. 628. 629. 630. 631. & seqq.
Augustino quoad hoc punctum concinunt vetustiores Patres; Dionysius Areop. Clemens Papa, Ireneus, Tertullianus, Origenes, Hilarius, Epiphanius, Macarius, Basilius Seleuc. Eusebius, Chrysostomus, Cyrillus. 658. 659. 660. 661. 662. 663.
Item recentiores Patres; Prosper, Fulgentius, Beda, Damascenus, Anselmus, Bernardus, Hugo & Richardus Victorini 663. 664. usque ad 689.
Item Scholasticorum primipili, Magister, Hallensis, Guil. Parisiensis, Altissiodorensis, D. Thomas, Scotus, Bonaventura, Henricus, Mediavillanus, Argentinas, Carthusianus, Marsilius, Orbelius, Brulefer, Gabriel. 688. 689. & seqq. usque ad 713.
Augustino difficile semper visum est, auxiliantem Christi gratiam cum libertate arbitrij conciliare. 814. 830.
Augustino ob concordiam liberi arbitrij cum gratia liberatrice à se excogitatam, negati liberi arbitrij crimen affingunt Pelagiani 600. 603. 604. 614. 624. 628. 629. 630.
Ab Augustino usque ad Molinam per tot annorum centurias nemo de Ecclesia ausus fuit concordiam gratiæ & liberi arbitrij ab Augustino assertam improbare, aut in dubium revocare. 814.
Augustini methodum conciliandi gratiam cum libertate arbitrij, amplexi sunt, Cyrillus Alexand. Prosper, Fulgentius, Petrus Diaconus, Gregorius magnus, Beda, Anselmus, Bernardus, Hugo & Richardus Victorini. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854.
Eandem methodum tenuerunt Scholasticorum Coryphæi: Magister, Halensis, Guil. Parisiensis, D. Thomas, Scotus, Bonaventura, Henricus, Richardus Mediavillanus, Marsilius, 854. 855. 856. 857. usque ad 860.
Suffragantur Pontifices Zozimus & Cœlestinus, cum Synodo Tridentina. 860. 861. 862. 863. 864. 865.
Methodus illa Augustiniana à tot proceribus approbata, refertur & approbatur. 826. 827. 828. & seqq. usque ad 845.
Augustinus inter duos extremos errores de gratia, & libero arbitrio securus procedit medius. 93. 601.
Augustinus vires integræ libertatis longè altius quam recentiorum chorus extollit: fractæ libertatis ruinas longè humilius deprimit. 93.
Augustinus gratias victrices subinde appellat congruas: internam voluntatis gratiam nusquam vocat congruam. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235.
Augustinus ante depositum errorem de initio fidei & electione dispartam, gratiam sufficientem asseruit, post correctionem erroris, nusquam. 258.
Augustinus omnem gratiam Angelis & Protoplastis ante lapsum collatam, merè sufficientem facit: omnem gratiam Christi, efficacem. 254. 257. 258.
Augustinus omnem gratiam hominis lapsi quæ non habet inseparabiliter conjunctum suum effectum, ad legem & doctrinam foris sonantem rejicit. 235. 236.
Augustinus censet hominem gratia destitutum non magis posse operari bonum, quam possit cæcus videre, surdus audire, claudus rectè incedere. 81. 91. 92. 93. 94.
Augustinus voluntatem hominis lapsi pedissequam gratiæ Salvatoris. 107. 110. 199. 208. 209.
Augustinus refutando libros Iuliani defunctus. 600.
Vide Adam, Angelus, gratia, liberum arbitrium, prædestinatio, reprobatio, Scholastici.

B

BEATVS, BEATITVDO.

BEATVS caret possibilitate odiendi Deum, uti & damnatus, amandi. 733.
Beatus per quid præcisè reddatur impeccabilis: an per visionem, an per amorem? 422. 423. 424. & seqq.
Beatus habet plenissimam libertatem arbitrij, non obstante determinatione ad unum absque ulla indifferentia contrarietatis aut contradictionis. 636. 639. 640. 641. 642. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 714.
Imò juxta Augustini doctrinam nulla est vera libertas nisi beatorum, & legi æternæ constanter adhærentium. 653.
Beatis non est liberum, velle peccare. 613. 614.
Beatorum libertas in exequendis Dei præceptis & consilijs, difficillimè in Scholasticorum principijs salvari potest. 804. 805. 806. 807. 808. 809.
Beatitudo æterna Angelis sanctis fuit merces meriti, sicut & hominibus in primæva innocentia perseverantibus fuisset. 114. 936. 942. 943.
Eadem respectu hominis lapsi est vera gratia, non obstante gratioso merito. ibid.
Ab Apostolo appellatur gratia Dei, & cur? 943.
Beatitudinem æternam & electionem ad illam meruerunt Angeli, & mereri poterant protoplasti, non ita homo lapsus. 114. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. & seqq.
Beatitudinis formalis essentiam in nuda Dei visione constituunt quidam Scholastici, non satis consentaneè Augustinianæ doctrinæ. 426. 427.
Eorum opinio ex mala intelligentia verborum Augustini orta est. ibid.
Quid per visionem Dei intelligat Augustinus dum in ea beatitudinem sitam esse affirmat? ibid.
Quicquid ut beatitudinis causa diligitur, diligenti invictè dominatur, nec potest animus non ei servire. 749.
Beatificus amor in seipso liberrimus est, & qua ratione? 726. 727.
Beatitudinis adeptione non minuitur sed perficitur arbitrij libertas. 774. 775. 776. 777.
Beati longè perfectiorem arbitrij libertatem habent quam ullus viator sive Angelus sive homo lapsus aut integer: & in quo consistat illa major perfectio? 780. 781.
Beatorum libertas excellentiori modo participat libertatem divinam, quam libertas bicornis viatorum. 778. 779. 780. & seqq.

BELLARMINVS.

Bellarminus gratiam hominis integri & hominis lapsi non satis distinguit. 234.
Concursum Dei supernaturalem cum gratia habituali protoplastorum innocentium, pro adjutorio hominis integri obtrudere conatur. ibid.
Pelagianorum objectiones ab Augustino relatas, pro Augustini verbis arripit, ipsique sua dogmata munire contendit. 218. 219. & seqq.
Errores Augustini pristinos ab ipso Augustino emendato refutatos, pro genuina Augustini doctrina usurpat, ut hâc ratione Augustinum in suas partes quovis modo attrahat. 224. 348. & seqq.
Gratiam sufficientem paratam à Deo omnibus, etiam infidelibus, adstruit. 304. 305.
Verba illa Apostoli: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, cum conditione repugnante menti Augustini interpretatur. 369.
Timorem pœnæ à charitate superveniente negat expelli, contra dilucidam Augustini mentem. 546. 547. 548.

Digitized by Google

BENEFICIA DEI.

Beneficia Dei electis præparata per prædestinationem, fusè recensentur & expenduntur. 889. 890. 914. 915. 916. 933. 934. & seqq.

Beneficia illa non sunt adjutoria possibilitatis, sed voluntatis & operis: neque adjutoria *sine quibus non*, sed cum quibus fit illud ad quod ordinantur. 933. 934. 935. 936.

Non sunt beneficia gratiæ sanitatis, sed gratiæ medicinaliter liberantis. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 933. 934.

Ab adjutorio Angelis in sua creatione collato multis modis discrepant. 932. 933. 934. & seqq. Vide prædestinatio.

BONUM.

Bonum spirituale nemini aufertur invito: temporale invitis auferri potest. 367.

Sicut bonum spirituale non aufertur invitis, ita nec invitis confertur. 367.

Deum, qui plenissimè bonus est, nemo invitus amittit: nemo invitus accipit. ibid.

BRUTUM.

Brutum non tam seipsum ad agendum movet, quàm movetur. 716.

Bruta cur non agant liberè, cùm juxta solidam Augustini doctrinam libertati nihil deroget determinatio ad unam partem contrarietatis aut contradictionis? 722. 723. 725.

C

CALVINUS

CALVINUS impudenter negat hominibus electionem boni aut mali. 878.

Negat liberum esse homini resistere gratiæ. 879.

Negat voluntatem hominis gratia præventam, pedissequali obsequio consentire gratiæ. 879.

Negat virtutem aut vitium esse in potestate hominis. 879. 882.

Non solum per ambages, sed & disertis verbis negat hominem esse liberi arbitrij. 880.

Latinos ob usurpatum liberi arbitrij vocabulum præsumptuosè reprehendit, multòque magis Græcos: velletque ipsum vocabulum penitùs proscribi. 881.

Ejus dogma de hominis arbitrio, à sententia Augustini & Thomistarum physicam prædeterminationem astruentium, procul distat. 878. 879. 880. 881. 882. 883.

Ubicunque Calvinus cum Augustino & alijs antiquis Patribus concordat, non illis idcirco indignandum, sed Calvino potiùs gratulandum. 606. 878.

Neotericorum quorundam invidiosa querimonia de Augustino tanquam Calvini fautore, retunditur. 606.

Eorundem praxis reprehenditur, quâ ut Calvinum liberi arbitrij negatorem subvertant, Pelagium induunt. 602. 603.

CAUSA.

Causa ab Aristotele dividitur immediatè in naturam & propositum: & quid per hæc intelligat? 728.

Ad ista duo membra reducit causas per accidens, casum videlicet & fortunam. ibid.

Causa ab Augustino dividitur in naturalem, voluntariam, & fortuitam: & qualiter ea divisio divisioni Philosophi consonet? ibid.

Causæ divisio in necessariam & liberam nec est immediata nec in membra repugnantia. ibid.

Causæ quadrimembris divisio in materialem, formalem, efficientem & finalem: & qualiter omnes istæ causæ interveniant in arbitrij captivati liberatione? 9. 10.

COECUS, COECITAS.

Cœcus quis dicendus: & à nolente videre, qualiter differat? 302. 303. 304.

Cœco nihil prodest lucis adjutorium, uti nec crurifragium passo adjutorium scipionis. 110.

Eo exemplo ostenditur adjutorium sanitatis & *sine quo non*, nihil prodesse homini lapso nisi priùs per gratiam medicinalem sanetur vulnus peccato inductum. ibid.

Sicut non potest dici cœcus qui videre potest quantumvis nolit: sic non est dicendus spiritualiter excœcatus qui potest videre quid agendum sit. ibid.

Hinc ex ipso excœcationis vocabulo deducitur carentia gratiæ sufficientis in excœcatis. ibid.

Cœcitas spiritualis longè gravius malum est quam corporalis. 302. 303. 304. 305.

Cœcitatem spiritualem solus Deus removere potest illuminando mentem. 303.

Cœcitatis corporalis & spiritualis analogia. 302. 303. 304. 305.

Vide excœcatio, gratia sufficiens.

CHANAAN.

Chanaan nepos Noë à suo avo maledictus. 1063.

Fuit typus omnium reproborum. ibid.

Factus est servus fratrum suorum, sicut & reprobi electorum servituti deputantur. ibid.

CHARITAS.

Charitas, animæ sanitas: & plena charitas, plena sanitas. 758. 794.

Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia: charitas magna, magna justitia. 514.

Charitas est sapientia illa, cujus initium est timor Domini. 546.

Charitas nihil aliud est quam bona concupiscentia. 574.

Nullus datur fructus bonus, nisi qui de charitatis radice surgit. 574.

Charitas est arbor bona: cupiditas arbor mala. 610.

Charitas sola peccandi desiderium frænat & extinguit. 36.

Charitas sola vult bonum. 36. 481. 483. 578.

Charitas Augustino est gratia liberatrix arbitrij, imò ipsa libertas. 78. 482. 488. 489.

Charitas & cupiditas sunt duæ generales radices: illa omnium bonorum, hæc omnium malorum. 480. 481.

Charitas Augustino nihil aliud est quam bona voluntas. 481. 610.

Charitas quomodo omnium bonorum radix? 480. 481.

Charitas adeò excellenter bona est, ut Deus mereatur nominari. 481. 482. 483.

Charitas est legis plenitudo, nec absque ea ulla lex veraciter adimpletur. 482. 483.

Charitas est justitiæ sempiternæ dilectio. 486.

Charitatis inspiratio est unica gratia Salvatoris quæ operatur in nobis velle & perficere. 484. 487. 488. 489. 490. 491. & seqq. Item 760. 761. & seqq.

Charitas & cupiditas medio carent. 495.

Cupiditas boni etiam inchoata, est quædam charitas & gratiæ liberatricis effectus. 513.

Charitas vera & sincera in peccatoribus reperiri potest, sed imperfecta. 519.

Charitas pro objecto habet Deum propter se. 519.

Charitas Deum invenit per fidem, & habere desiderat per speciem. 522.

Charitas est radix fidei, spei, & religionis: imo harum virtutum actus sunt formaliter actus charitatis certo modo spectatæ. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. & seqq.

Charitas ex qua nascitur fides, imperfecta est: & quo sensu. 514. 515. 516. 517. 518. 519.

Charitati ex qua nascitur spes non repugnat respectus mercedis aut retributionis. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533.

Nullum opus fit *sicut oportet*, nisi fiat ex charitate. 632. 533. 534. 535. 536. 537. & seqq.

Virtutes cardinales sunt actus charitatis certo modo spectatæ, aliàs non sunt veræ virtutes: idque ostenditur de singulis. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 608. 509.

Charitatis actus qui in peccatoribus reperiuntur an procedant ex habituali aliqua dispositione ipsis peccatoribus inexistente, controvertitur: & ex Augustini principijs concluditur pars affirmativa. 519.

Charitatem non delectat iniquitas etiamsi proponatur impunitas. 485.

Charitas expellit timorem. 546. & seqq. Vide Timor.

CHRISTUS.

Christus qua ratione Redemptor omnium & pro omnibus crucifixus, cùm non omnibus detur gratia sufficiens? 380. 381. 382. 383. 384. & seqq.

Christi sanguis an pro reprobis effusus? 380. 381. 382. 383. & seqq. Item 1028. 1029. 1030. 1031.

Quid de hac quæstione decernat synodus Valentina? 385. 386. 387.

Christus habuit plenam & perfectam libertatem arbitrij, non obstante determinatione ad unum: unde colligitur, ejusmodi determinationem non repugnare libertati. 646. 647. 648. 649.

Christi libertas non facilè salvatur juxta principia Scholasticorum. 804. 805. 806.

CICERO.

Ciceronis de tribus Constantijs dogma perstringitur. 611.

Cicero libertatem definit, *potestatem vivendi ut velis*. 718.

Cicero detestabili argumento, ex libertate humani arbitrij divinam præscientiam destruebat. 626. 627.

COACTIO, COACTUM.

Coactio causat involuntarium & illiberum. 737. 743. 744. 832.

Sola coactio repugnat libertati arbitrij. 658. 659. 660. & seqq. Item 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 745. 748. 832. Propositio ista: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*, quo sensu à duobus

à duobus Pontificibus proscripta? 724. 725.
Coactum q. ..? 733.
Coactum directè opponitur libero seu spontaneo 743. 832.
Coactio in actus imperatos voluntatis cadere potest: in elicitos non potest. 745. Vide libertas.

COGITATIO.

Cogitatio congrua cujus necessitatem Patres deprædicant, non est nuda cognitio intellectiva, sed simul includit volitionem deliberatam 69.
Nulla cogitatio est congrua voluntati captivatæ nisi ipsa voluntas fuerit per intrinsecam ubi gratiam liberata & erecta: & cur? 74. 77. 78.
Cogitatio congrua non tam est gratia liberatrix, quam liberatricis gratiæ effectus. 69. 70.
Vide gratia, liberum arbitrium, Vasquez.

CONCVPISCENTIA.

Concupiscentia ab Augustino appellatur necessitas, difficultas, consuetudo carnalis. 28. 29.
Vocatur corpus mortis, lex peccati, malum. 15. 89. 92 931.
Concupiscentia ita interiorianam libertatè dicerpsit. 101. 102.
Concupiscentia voluntati humanæ infirmitatem intulit, non nisi medicinali Christi gratiâ sanabilem. 29. 30.
Concupiscentia & ignorantia sunt duo vulnera per peccatum inflicta, quæ arbitrij libertatem in servitutem commutarunt. 28. 29. 88. 218. 213.
Humani arbitrij captivitas, in subjectione voluntatis sub dominante concupiscentia consistit 10. 16.
Idque tradit Augustinus non ut humanum commentum, sed ut doctrinam Evangelicam, Apostolicam, Catholicam. 16.
Concupiscentia per legem inhibitivam non infertur sed detegitur. 30. 31. 32. 40. 41. 42. 43 & seqq.
Concupiscentiæ morbus per nullam legis aut doctrinæ gratiam sanari potest. 27. 28. 29. 30. 31. 32.
Concupiscentiæ morbus per legem non solum non tollitur, sed & augetur. 29. 33. 34. 35. 36. 268. 269. 270. 271.
Quomodo augmentum illud non sit imputandum Deo legem condenti? 41. 42. 43.
Lex concupiscentiam demonstrans & inhibens, non nisi per accidens est fomes ardoris concupiscentialis: per se autem est limes ejusdem. 42. 197.
Concupiscentiæ incrementum occasione legis inductum ab Augustino assimilatur augmento torrentis per obstructionem alvei. 35.
Concupiscentia quæ ante obicem legis modestè duxerat ignorantes, obice per violentiam disrupto immodicè obruit scientes. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. & seqq.
Concupiscentia ante legem constituebat peccatores, post legem prævaricatores: & qualiter hi differant? 37. 38. 39. 40. 356.

CONGRVVM, CONGRVITAS.

Congruum quid? & cur Augustinus externas vocationes appellet congruas: internam verò voluntatis gratiam nusquam vocet congruam? 228. 229. 230. 231. 232. 233. & seqq.
Congruam gratiam magnâ verborum pompâ in gratiam Christi efficacem commutarunt Scholastici: sed refelluntur. 105. 106. 120. 121. 122. 218. 227. 230. 231. 817.
Congruitatem istam in divina præscientia explorativa consensus sub conditione ponendi, statuunt. 817.
Ab Augustino magis recedunt istiusmodi congruitatis fabricatores, quam physicæ prædeterminationis assertores. 818.
Gratiam hominis lapsi à gratia Angelorum aut status innocentiæ non satis distinguunt. Ibid.
Congruas cogitationes ordinis naturalis pro gratiâ Christi ad benè agendum necessariâ obtrudit Vasquez, somniando magis quam Augustini doctrinam investigando. 67. 68. 69. 70. & seqq.
Vide cogitatio, gratia, Scholastici, Vasquez.

CONCVRSVS.

Concursus causæ primæ non ad gratiam Christi medicinalem, sed ad naturæ institutionem spectat. 218.
Præstò adest omnibus opera volentibus. 217.
Non suppeditat vires operandi, sed eas supponit 217.
Non facit ut creatura operetur, sed potiùs creatura operari parata efficit ut concursus à Deo præbeatur. 217.
Sicut non confert agendi vires, ita præexistentes non auget nec roborat, sed in eodem statu relinquit. 92.
Non minus Angelis & protoplastis innocentibus necessarius fuit quam hominibus lapsis. 218.
Nullo modo sanat vulnera per peccatum hominibus inflicta. 218.
Non pro eo promerendo hominibus Christus crucem subijt. 218. 219.
Nec Pelagiani eum detrectarunt: nec de eo Augustinus cum ijs disceptavit. 219.
Concursum Dei cum habituali gratia Angelorum & protoplastorum, pro adjutorio gratiæ innocentialis ab Augustino deprædicatæ obtrudere contendunt quidam Neoterici, sed gratis. 214. 215. 217. 218. 219. 248. 280. 487.
Multò turpius hallucinantur qui concursum divinum pro gratia Christi obtrudunt. 217. 218. 219.
Vide Bellarminus, gratia, Lessius, Scholastici, Vasquez.

CORREPTIO.

Correptiones reddi inutiles prædicatione gratiæ Augustinianæ calumniati sunt olim Massilienses. 1036. 1037. 1038. 1039. 1040. 1041. 1042. 1043. 1044. 1045.
Eandem cantilenam resumpserunt Scholastici, gratiæ præscientialiter congruæ, & prædestinationis postscientialis assertores. Ibid.
Retorque ut argumentum in authores, ostendendo utilitatem correptionum, exhortationum, præceptorum, & prohibitionum, non minus stare cum Augustiniana gratia & prædestinatione, quam cum divina præscientia, quam agnoscunt. Ibid.
Gratiam sufficientem cum Augustino negantes & solam efficacem astruentes, non reddunt correptiones inutiles aut frustraneas, uti nec exhortationes aut præcepta. 352. 353. 354. 355. & seqq.
Recensentur multiplices earum utilitates non obstante doctrina Augustiniana tollente omnem gratiam merè sufficientem in statu naturæ corruptæ. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362.
Correptiones sunt medicamenta extrinsecus adhibita, quæ ut correptis salutaria fiant, necesse est ut Deus operetur intrinsecus. 358.
Correptiones & exhortationes sunt charitatis obsequia nemini subtrahenda; eò quod electorum à reprobis discretio corripientibus & exhortantibus ignota sit. 357. 358. 1042. 1043.
Correptus correptionem respuendo fit inexcusabilis. 356.
Correptorum superbia multum reprimitur, dum vitia sua coguntur agnoscere, quamvis Deo auxilium subtrahente, ea vitare non possint. 357.
Correptio prædestinatis fit salubre medicamentum: reprobis pœnale tormentum. 357.
Correptio reproborum quamvis non prosit ipsis reprobis, prodest tamen multipliciter electis. 358. 359.
Correptiones non esse subtrahendas hominibus quantumvis desperatis, ostenditur exemplo Dei qui excæcatos & obduratos promiscuè redarguit. 362.

D

DANIEL.

DANIELIS miraculosa liberatio de lacu leonum, fuit Regi Babylonis vocatio congrua, sed foris pulsans. 235.

DEVS.

Deus mirabili providentiâ & totum mundum & singulos homines gubernat & ordinat. 58. 59. 60.
Modus regiminis à Deo observatus circa veterem Hebræorum rempublicam, accommodatur singulis hominibus etiam in lege Evangelica. 56. 57. 58. 59 60.
Deus quo potissimùm fine legem Moysaicam populo Israëlitico tradiderit? 43. 44. 45. 46. 47. 48. 53. 54. 55. 265. & seqq.
Deus in hominum Angelorumque creatione ostendere voluit primò quid possit eorum liberum arbitrium, deinde quid possit suæ gratiæ beneficium justitiæque judicium. 116. 208. 209. 250. 251.
Deus humanis cordibus dominatur, efficacissimè, potentissimè, omnipotentissimè. 196. 197. 212. 826. 863. 952.
Deus vita animæ, ut anima vita corporis. 366.
Deus dilectione possidetur, eâque solâ. 437.
Deus est summum bonum creaturæ rationalis. 505.
In solo proinde Deo figendus amor creaturæ rationalis. 495. 544. 580. 581.
Deus non veraciter colitur nisi dilectione. 576.
Deus est perfectissimè liber non obstante naturali determinatione ad unam partem contrarietatis. 636. 637. 638. 639. 778. 782.
Eo exemplo ostenditur quod libertas arbitrij ex generica sua ratione non includat indifferentiam ad bonum & malum. ibid.
Deus ex sua natura: creatura rationalis quantumvis beata non nisi ex participatione divinæ divinæ, habet quod peccare non possit. 778. 779. 780 781.
Deus nequit odio haberi à beatis, aut à damnatis amari. 732.
Deus nequit esse author culpæ, adeoque hæc nequit esse effectus prædestinationis. 894. 895.

 Deus

INDEX RERVM ET VERBORVM

Deus vulneratas & fractas humani arbitrij vires per gratiam sanans gerit se instar medici. 82. 83. 365. 366.
Deus hominem à se sanatum non deserit; medicus verò corporalis mox ut sanitatem restituit, abscedit. 365. 366.
Deum operari in nobis velle & perficere, quid? & cur Augustinus eam locutionem Angelis aut homini integro nusquam accommodet? 209. 210. 211. 948.
Deum velle omnes homines salvos fieri, qualiter interpretentur Pelagiani? 222. 223. 1013. 1014.
Qualiter item Semi Pelagiani & Scholastici nonnulli ijs succinentes? 222. 223. 369. 370. 371. 1013. 1014.
Qualiter item Augustinus ante depositum errorem de initio fidei, & de electione dignarum? 370. 378.
Qualiter denique Augustinus post correctionem sui pristini erroris? 374. 375. 376. 377. 1013. 1014.
Recentiores pro sua expositione citant Græcos; sed quorum authoritas in materia de gratia & prædestinatione longè cedit Augustinianæ. 378.
Allegant & Latinos; sed partim Pseudo-Catholicos, partim pravè intellectos, partim fictitiè citatos. 378. 379.
Deum neminem deserere nisi deseratur, quo sensu verum? & an id obstet doctrinæ neganti gratiam sufficientem in statu naturæ lapsæ? 365. 366. 367. 368.
Deum nihil præcipere impossibile, an & quo sensu verum? & an ea veritas præjudicet sententiæ neganti gratiam sufficientem? 324. 325. 326. & seqq.
Assignantur varij modi quibus observatio præceptorum divinorum potest dici possibilis homini destituto gratiâ sufficiente. 336. 337. 338. 339. 340. 341. & seqq.
Eadem difficultas de possibilitate observationis præceptorũ æquè premit assertores gratiæ sufficientis, ac ejus negatores. 330. 331. 332. 333.
Qualiter eam diluat Augustinus, Apostolo præeunte? 332. 333. 334. 335. 336. 337.
Deo volenti salvum facere, nullum resistere valet arbitrium. 962. 963. 964. 983. 984. 985. 986. 987.
Deus erga omnes creaturas rationales æquabiliter sese gessit ante lapsum. 1010. 1011. 1012.
Eandem æquabilitatem etiam ad homines lapsos extendunt recentiores ab August. semitis longissimè aberrantes. 1012. 1013.
Deus non aliter largitur homini gratiam medicinalem, quam inspirando charitatem. 481. 482. 488. 760. 761. 762. 763. 764. & seqq.
Deus si nobis non blandiretur, nulla esset utilis exhortatio: si non minaretur, nulla correctio. 234.
Deus concursum suum concomitantem creaturis exhibendo, non est causa cur creaturæ operentur: sed creaturæ operando sunt causa cur Deus concurrat. 217. 218. 219.
Deo adscribẽda sunt omnia bona opera creaturę rationalis, non ex eo præcisè quod liberam operandi facultatẽ donaverit: sed quia ipsum velle & operari largitur. 220. 221. 222. 223. 938. 948.
Si ob donatam operandi facultatem Deo adscribenda forent bona opera, eadem ratione adscribenda essent mala. Ibid.
Deum decernere, quid? quid item illud decretum, & qualiter se habet ad prædestinationem? 918.
Dei propositum quid? & qualiter se habeat ad electionem, prædestinationem, prædefinitionẽ, discretionem? 902. 903. 904. 905.
Dei propositum est proprium electorum. 981.
Dei propositum est causa vocationis quam Apostolus appellat *secundum propositum*. 980. 981. 982.
Ex isto proposito procedit fides & finalis perseverantia omnium electorum. 981. 982.
Propositum istud est absolutum & prævię independens à conditionata acquiescentia humani arbitrij, quicquid obganniant Massilienses & Neoterici ijs consonantes. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. & seqq.
Solvuntur objectiones desumptæ ex Augustino partim olim errante, partim malè intellecto. 988. 989. 990. 991.
Dei propositum generale salvandi omnes homines in statu innocentiæ, & omnes similiter Angelos ante prævisum lapsum, astruitur. 1010. 1011.
Simile propositum circa salutem omnium hominum post lapsum asseruerunt Pelagiani, Semi Pelagiani, & recentiores ijsdem suffragantes. 222. 223. 369. 370. 371. & seqq. Item 1013. 1014.
Assertores talis propositi Augustinus, absurditatis & insignis ineptiæ redarguit. 1013. 1014.
Istius propositi assertio est totius Semi-Pelagianæ hæreseos basis & fundamentum. 1014.
Deum lege stabili conferre gratiam hominibus *facientibus quod in est per vires naturæ*, quorundam dogma. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 993. 994. & seqq.
Refellitur dogma illud ex impotentia hominis gratiâ destituti ad faciendum quidquam quod non sit peccatum, & Lucianus. ibid.
Istius dogmatis assertores, scalas à natura ad cælestem gratiam machinantur, & totius salutis negotium ad naturale arbitrium per ambages revocant. 994. 995.
Deus cur uni per gratiam medicinalem subveniat & alterum prætermittat: quæstio est inscrutabilis. 992. 993. 994. 995. & seqq.
Deo ultra scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis absolutè futurorum, neganda non est præscientia conditionaliter futurorum. 916. 920.
Quænam ex his scientijs intelligenda est nomine præscientiæ in definitione Augustiniana prædestinationis? 916. 917. 918. 919. 920. 921.
Dei præscientiam cum libertate arbitrij qualiter conciliet Augustinus adversus Ciceronem? 623. 626.
Vide gratia, electio, prædestinatio, reprobatio.

DELECTATIO.

Delectatio præsupponit amorem, ex eoque nascitur. 436.
Delectatio inter omnes affectus maximè est gratia sui. 741. 742.
Delectationi è diametro opponitur tristitia. 742.
Delectatio potissimùm constituit actum in libera potestate ac dominio agentis. 736. 737. 738. 739. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. & seqq.
Delectationes terrenę cum cælestibus confligunt & luctantur. 406. 407. 408. 409. 410. 411. & seqq.
Hinc voluntas humana sub terrenis concupiscentię delectationibus captivata, non aliter liberari potest quam immissione cælestis ac spiritualis delectationis: & in hujusmodi delectatione consistit ratio gratiæ liberatricis & medicinalis. 394. 395. 396. 397. & seqq. Item 435. 436. 437. 477. 478. 479. 480. 484. 487. 488.
Voluntas nullum bonum veraciter prosequi potest, nisi illo delectetur. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. & seqq. Item 760. 761. 762. 763. 764. & seqq.
Delectationis necessitas ad prosequendum & operandum bonum, non oritur ex naturali conditione voluntatis humanę; sed ex pœnali ejus captivitate sub dominante concupiscentia. 429. 430. 431. 432.
Delectatio cælestis emancipans voluntatem à concupiscentię captivantis dominatu, est actus vitalis amoris aut desiderij; sed à Deo inspiratus absque nostro libero consensu; adeoque indeliberatus. 434. 435. 436. 437. 487. 488. 798.
Delectatio ista ex varijs functionibus respectivè obitis varia sortitur nomina: ut gratię prævenientis, operantis, excitantis, præparantis. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 454. 455. 458. 462. 463. 470. 474.
Sicut delectatio justitię voluntatem liberat à peccato & servam justitię constituit: sic delectatio injustitię aut cujuscunque creaturę, eandem liberat à justitia & peccati servam constituit. 749.
Vide gratia, liberum arbitrium, voluntas.

DIABOLVS.

Diabolus perfectissimè liber à justitia, servusque peccati. 783. 784.
Diabolus irreparabiliter amisit benè volendi ac benè faciendi potestatem. ibid.
Diabolus ad pristinam pietatem nunquam convertendus. 784.
Diabolus humanis erroribus pascitur & delectatur. 785.
Diabolus sanctis invidet honorem cælestem, unde dejectus est ipse. 785.
Diabolus in omnibus actibus suis peccat, & cur? 785. 786.
Primum diaboli peccatum, creaturam Creatori præponere: secundum, alios ad ipsum faciendum sollicitare. 785.
Diaboli invidiâ mors intravit in orbem terrarum. 785.
Diabolus patitur supplicium peccatorũ quæ ab hominibus in hoc mundo perpetrantur. & quale illud supplicium? 785.
Diabolum à peccatis non excusat impotentia operandi bonum; adeoque bicornis indifferentia ad bonum & malum non est essentialis libertati arbitrij ad peccandum requisitæ. 783. 784. 785. 786. 787.
Diabolus æquè liberè in malo persistit ac in illud primitùs corruit: sicut Angeli sancti liberè persistunt in bono quod liberè olim elegerunt. 786.
Erga diabolos ac Angelos sanctos Deus æquabiliter sese gessit ante lapsum. 1010. 1011. 1012.
Diabolus ex generali voluntate Dei ergà salutem omnium creaturarum rationalium, accepit in sua creatione & toto tempore viæ gratiam

gratiam possibilitatis per quam perseverare posset si vellet. 931. 1010. 1011. 1012.
Diabolus ante lapsum habuit in manu sua statum & lapsum, prædestinationem & reprobationem. 1010. 1011.
Permissio lapsus diabolici non fuit effectus reprobationis sive positivæ sive negativæ. 1013. 1026. 1027.
Diaboli reprobatio præsupponit absolutam prævisionem lapsus & demeritorum. 1010. 1011. 1012. 1018.
Diaboli reprobatio est positiva non negativa. 1018.
Diabolorum sedes occupant in cælo homines, easque occupassent etiam supposito lapsu Adami. 1007. 1008. 1009.
Diaboli suo libero arbitrio discrevit se ab Angelis perseverantibus. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 942. 943. 946.
Vide Deus, electio, Angelus, gratia, prædestinatio, reprobatio.

DILECTIO.

Dilectio quid? 522.
Dilectio Augustino alia est mansoria, alia transitoria: & quid utraque? 581. 582. 794.
Dilectio creaturæ si mansoria sit, illicita est: quantumvis bona sit creatura dilecta. 545. 582. 583.
Dilectio mansoria sui ipsius, non est justitiæ charitas: sed superbiæ vanitas. 581. 582.
Dilectionis ordo necessariò servandus is est, ut nos & proximos nostros propter Deum: Deũ verò propter se diligamus. 524. 581.
Dilectio nostrum propter Deum quid? quid item dilectio proximorum propter Deum? 524. 525.
Sola dilectione Deus veraciter colitur. 576.
Diligere Deum propter nos, vitiosum est: adeoque non rectè attribuitur spei Theologicæ. 520. 521. 522. & seqq.
Dilectio Dei casta nullum rivulum extra se duci patitur, cujus derivatione minuatur. 524.
Dilectio Dei casta non excludit respectum mercedis & retributionis. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533.
Dilectio Dei reperiri potest in peccatoribus, sed qualis? 522.
Dilectio prædestinativa Dei qualiter se habeat ad prædestinationem, electionem, propositum, decretum? 902. 903.
Vide amor, charitas, electio, prædestinatio.

DISCRETIO, DISCERNERE.

Discretio qua Deus suos discernit, qualiter differat ab electione, dilectione, proposito, prædestinatione. 902. 903. 904. 905.
Discretio illa vel est temporalis, vel æternalis; & quid utraque? 929. 930.
Discretio æternalis & prædestinativa præsupponit massam, peccati fermento conspersam. 928.
Discretio credentium ab incredulis non in cardinem liberi arbitrij hominis lapsi, sed in gratiam Christi medicinalem refundenda est: secus de homine integro & Angelis: & cur? 117. 118. 119. 120. 942. 943. 944.
Si gratia subesset nutui & determinationi liberi arbitrij in natura lapsa perinde ac in integra; discretio credentium ab incredulis non ei sed libero arbitrio adscribenda foret. 117. 118. 119. 120. 161.
Si gratia Christi non aliter discernat homines quam gratia status innocentiæ, gratis mortuus est Christus. 202. 203. 256.
Illa interrogatio Apostoli, *quis te discernit?* evertit assertionem gratiæ merè sufficientis. 252.
Ecclesiæ preces luculenter demonstrant discretionem credentium ab incredulis non à libero arbitrio sed à gratia expectandam esse. 252.
Ex dilectione divina in scripturis decantata ostenditur non in liberum arbitrium sed in Dei gratiam, refundendam esse discretionem hominum. 266.
Si gratia hominis lapsi pedissequali obsequio accommodaret se nutui voluntatis, nulla esset hominum discretio, sed omnes uniformiter gratiam respuerent. 211. 212. 258.
Discretionem credentium ab incredulis & cooperantium à resipuentibus idcircò gratiæ & non libero arbitrio adscribendam censent Neoterici, quod liberum arbitrium gratiâ destitutum nequeat discretionem ullam facere. 117. 118. 119. 120.
Responsio illa foliam ficulneum est, sub quo gratiæ innocentialis potestas quidem viget, sed gratiæ medicinalis lethale vulnus latet. 117. 118. 119.
Neque isti vulneri ullatenus medetur præscientiæ conditionalium confugium. 120. 121. 122.
Discretionem credentium ab incredulis humano arbitrio adscribit Augustinus, sed absque ullo præjudicio gratiæ præparativæ arbitrij. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 416.
Si liberum arbitrium gratia medicinali præinstructum sese discerneret etiam condeterminante gratiâ, tam foret verum; non Dei miserentis, sed volentis & currentis est hominis; quam, non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis; quod pro absurdissimo reputat Augustinus. 201. 202. 228. 237.
Ex eodem dogmate sequeretur, gratiam non dare nobis velle aut operari: sed nudum posse. 226. 947.
Sequeretur denique, immeritò reprehensos fuisse Semi pelagianos; utpote qui gratiam possibilitatis ad initium & progressum fidei ac justitiæ necessariam agnoverunt, non minus quam recentiores gratiæ congruæ propugnatores. 131. 132. 133. 134. 135. 226. 252. 542. 543. 938. 939. 946.
Vide Adam, Angelus, gratia, homo, Scholastici, Semi-Pelagiani.

DVACENSES THEOLOGI.

Duacenses Doctores Theologi Lessianam consequentiam à gratia hominis integri ad gratiam hominis lapsi, ut Augustinianæ doctrinæ contrariam condemnarunt. 213. 214.
Qualiter definiunt auxilium sufficiens? 250.
Gratiam sufficientem à Neotericis procusam, tanquam Augustinianæ doctrinæ adversam, cum Lovaniensibus proscribunt. 250. 251.
Eorum censura multis rationibus probatur & stabilitur. 251. 252. 253. 254. 255. 256. & seqq.
Vide gratia, Lessius.

E

ECCLESIA.

Ecclesia Augustinianam doctrinam servat & sequitur, ipso Ecclesiæ præsule testante. 604.
Ecclesia per os & calamum Augustini adversus hostes gratiæ liberatricis dimicavit, & de iisdem triumphavit. 599. 600.
Ecclesiam Manichæismi insimulant Pelagiani. 600. 602.
Ecclesia canones de gratia & libero arbitrio ex sensu & verbis Augustini deprompsit. 604. 606.
Ecclesiæ & Augustini de gratia & libero arbitrio, eadem prorsus est sententia. 606.
Ecclesia in suis precibus & obsecrationibus Augustinianam de gratia liberatrice sententiam se profitetur. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 187. 188. 189. 252.
Ecclesia in suis precibus nusquam à Deo postulat gratiam qua possimus benè agere si velimus agere: sed semper ipsum velle, ac determinationem actualem voluntatis implorat. 188. 189. 190. 252.
Qui zelo defendendi Ecclesiam excedunt regulam veritatis, Ecclesiæ causam non tam protegunt quam produnt. 602. 603.
Meritò proinde reprehenduntur Scholastici quidam controversistæ qui ut Calvinismum subvertant, Pelagianismum resuscitant. ibid.
Nec minus reprehendendi sunt qui Augustinum pro Ecclesia adversus Pelagianos decertantem, nimia liberi arbitrij depressione Manichæismum stabilivisse calumniantur. 599. 600. 601. 602. 603.
Ecclesiæ promptuarijs contemptis ad Philosophiæ Aristotelicæ cisternas recurrere pro haurienda genuina intelligentia liberi arbitrij, perniciosum est: Neotericis tamen Philosopho-Scholasticis usitatissimum. 604. 605. 606. 607.
Ecclesia Catholica à Pelagianis agnominatur Babylon. 817.
Ecclesiæ authoritas est certissima credendi ac veritatem prædicandi regula. 1070. 1071.
Ecclesia per continuam successionem Romanorum Pontificum ab Apostolis ad nostra usque tempora perpetuata. ibid.
Ecclesiæ Romanæ sub cujus obedientia ab ineunte ætate usque ad lectum mortis vixit, universa sua scripta humillimè submittit Author. ibid.
Ecclesia reprobos prædestinatis permixtos suo sinu complectitur. 1061. 1062. 1063. 1064. 1065. 1066.
Recensentur variæ utilitates ex illa permixtione redundantes in prædestinatos. 1050. 1051. 1052. 1053. & seqq.

ELECTIO.

Electio divina hominibus occultissima. 20. 21.
Electio juxta Augustinum alia est gratiæ alia meritorum: & quid utraque? 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914.
Electio qualiter se habeat ad dilectionem, prædestinationem, propositum, discretionem? 902. 903. 904. 905.
Electionem absque prævia disparitate eligendorum non agnoverat Augustinus olim errans. 907. 908.
Imo post excussum errorem de initio fidei ex nobis, scrupulus iste de electione disparium ei adhæsit: sed deceptus fuit nominis etymo-

etymologiâ. 908. 909. 910. 988. 989.
Petitor factus scrupulum illum excussit, & electionem gratiæ non obstante pari conditione eligendorum, constantissimè in hominibus lapsis asseruit. 911. 989.
Electio gratiæ in Angelis locum non habuit, uti nec in protoplastis ante lapsum, & cur? 932. 933. 934. & seqq. Item 1018.
Electio meritorum in Angelis locum habuit, habuissetque in hominibus seposito lapsu. 942. 943. 944. 945. 946. & seqq.
Electio meritorum & bonæ voluntatis à Pelagianis invecta, quid? 914. 915.
Electio naturæ à Manichæis conficta quid? & qualiter differt ab electione meritorum & bonæ voluntatis Pelagianorum? ibid.
Electio hominum præsupponit lapsum humanum & massam conspersam fermento peccati. 925. 926.
Electio hominum ad gloriam æternam peracta fuit ante omnem meritorum prævisionem: secus de electione Angelorum, & cur? 948. 949. 950. 951. 952. & seqq. Item 1012.
Electio mediorum prærequirit aliquam intentionem finis, sed non necessariò efficacem. 950.
Electio alia est per modum intentionis, alia per modum executionis: de posteriori quidam exponunt locum Augustini ad Simplicianum: sed expositio non est necessaria. 988. 989. 990.
Electio voluntatis non minus libera est in seipsa, quam intentio à qua imperatur: unde deducitur, ad libertatem non requiri indifferentiam ad opposita. 621.
Electioni mediorum herili potestate dominatur intentio finis, eamque necessariò infert: liberè tamen. 622. 795.
Electio mediorum inter omnes voluntatis affectus servilissima est & vilissima, & cur? 796.
Electi ad bonum proficere non possent absque reproborum cooperatione. 1067. 1068.
Electorum numerus longè minor quam reproborum. 1056. 1057. 1058.
Electis ex reproborum societate multiplices accedunt fructus & utilitates tam corporales quam spirituales. 1050. 1051. 1052. 1053. 1054. 1055. & seqq.
Electi per reprobos exercentur, probantur, erudiuntur, manifestantur, provehuntur. 1052. 1053. 1054. 1055. 1056. 1057. 1058. 1059. 1060. 1061.
Propter electos reprobi nascuntur & foventur. 1048. 1049.
Electorum servituti destinantur reprobi: idque præfiguratum fuit in mancipatione Chanaan & Esau. 1062. 1063.
Electis omnia cooperantur in bonum: reprobis in malum. 1026.
Vide Deus, prædestinatio, reprobatio.

ERROR.

Error errori contrariari potest: non ita veritas veritati. 602.
Error qui est pœna peccati, à peccato non excusat. 363. 364.
Error invincibilis causat non voluntarium in seipso. 737.
Vide cæcitas, excæcatio, ignorantia.

ESAV.

Esau reproborum omnium typus, sicut & Chanaan. 1019. 1062. 1063. Vide electio, prædestinatio, reprobatio.

ESTIVS.

Estius inter recentiores Paulinarum Epistolarum expositores doctissimus. 377.
Qua iter interpretetur verba Apostoli ad Timotheum: *Deus vult omnes homines salvos fieri?* ibid.
Negat attritionem conceptam ex timore pœnarum sufficienter disponere ad Sacramentum pœnitentiæ. 593.
Ejus sententia ut Augustino consentanea approbatur & stabilitur. 589. 590. 591. 592. 593.

EXCÆCATIO, EXCÆCATVS.

Excæcatio spiritualis quid? & in quo similis excæcationi corporali? 300. 301. 302. 303.
Excæcatio & induratio sunt effectus reprobationis. 1024. 1025. 1026. 1027.
Excæcati & indurati carent gratia sufficiente. 300. 301. 302. 303. 304.
Illa carentia non obstat eorum libertati necessariæ ad peccandum, nec eos à culpa excusat. 324. 325. 326. 327.
Solvitur objectio desumpta ex verbis Augustini de induratione Pharaonis Regis Ægypti. 348. 349. 350. 351. 352.
Solvitur objectio desumpta ex illo Patrum & Concilij Tridentini pronunciato: *Deus impossibilia non præcipit*. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. & seqq.
Difficultas de possibilitate impletionis præceptorum respectu excæcatorum & reliquorum gratia sufficiente destitutorum, non minus premit Scholasticos quam Augustinum. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. Vide cæcus, gratia.

F

FACIENS QVOD IN SE EST.

FACIENTI quod in se est per vires naturæ, infallibiliter conferri gratiam, contendunt quidam Scholastici. sed refelluntur. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 994. 995. 996. 997. 998.
Dogma illud adversatur capitalibus Augustini principijs de impotentia liberi arbitrij gratiâ destituti ad aliquid agendum quod non sit peccatum. ibid.
Ab Augustino lucidè appellatur, ridendum & pudore corrigendum. 1003.
Item fabulosum & improbabile. 998.
Adversatur Apostolo dicenti: *quis te discrevit*: item *ô homo tu qui es qui respondeas Deo*: item *ô altitudo divitiarum* &c. 994. 995. 998. 999. 1002. 1003.
Faciens quod in se est per vires naturæ nihil habere potest præ altero, nisi forte minora peccata; ob quæ non conferri gratiam Augustinus evincit ex desertione quorundam parvulorum quorum peccata sunt minima. 20. 1000.
Vide Deus, discretio, gratia.

FIDES.

Fides divina ad benè operandum adeò necessaria est, ut nullum opus bonum absque ea fieri possit. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. & seqq.
Fides rogando impetrat, ut humana infirmitas valeat operari quod præcipitur. 309. 310. 313.
A fide incipit omnis mutatio hominis ad bonum. 310. 311.
Ante fidem nulla præcedit in homine gratia, sed fidei initium est omnis gratiæ & bonæ voluntatis initium. 311. 312. 313. 434. 452.
Ante fidem non solum nequit homo operari bonum, sed nec ullam habere cupiditatem boni. 312. 313.
Fidei vis merendi expenditur & illustratur. 314. 315. 542.
Nullam fidem veram ac Christianam agnoscit Augustinus, nisi quæ ex Dei charitate dimanat. 510. 511. 512. 513.
Fidem à Deo nobis donari negarunt Semi-Pelagiani. 514.
Fatebantur nihilominus gratiam Dei necessariam esse tam ad initium fidei quam ad omnia pia desideria omnesque salutares orationes. 131. 132. 133. 150. 215. 312. 313. 938. 939.
Eidem errori adhæsit Augustinus ante Episcopatum: sed divinitùs edoctus errorem correxit. 220. 221. 224. 225. 226. 298. 350. 351. 604. 907. 908.
In eundem errorem incidere coguntur qui facienti quod in se est, infallibiliter conferri gratiam autumant. 994. 995. 998. 999. 1002. 1003.
Item qui gratiam Christi subijciunt nutui & determinationi voluntatis humanæ. 131. 132. 133. 542. 938. 939. 946.
Fides Theologica est actus charitatis, sed imperfectæ quæ in peccatoribus reperiri potest: & in quo sita illa imperfectio? 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519.
Fides Christiana quæ reperitur in peccatoribus, in quo differat à fide dæmonum? 516.
Ad exercendum actum fidei divinæ necessaria est pia voluntatis affectio intellectum captivans in obsequium divinæ authoritatis. 516. 517. 518.
Absque fide nequit esse spes vera aut charitas. 521.
Vide charitas, gratia, infidelis.

FINIS.

Finis divisio in finem *qui* & finem *cui*, perstringitur. 524.
Inter hos maximè principalis est finis *cui*: & ad eum ab intendente refertur finis *qui*. ibid.
Hinc cùm amor concupiscentiæ ordinet rem concupitam ad id cui concupiscitur, non potest Deus ab ulla creatura licitè amari amore concupiscentiæ: adeoque spes Theologica talem amorem non elicit. 521. 522. 523. 524.
Finis cui præcellenti modo dominatur amanti. 656.
Intentio finis electioni mediorum herili potestate imperat: & illam invictè determinat. 622. 795.
Amor finis appellatur fruitio: amor medij, usus. 794.
Amor finis ab Augustino appellatur *mansoria dilectio*: amor medij, *dilectio transitoria*: & cur? 794.
Vide amor, dilectio, charitas, spes.

FLVVIVS.

Fluvius objectu aggeris violentè cohibitus, disrupto obice vehementius fluit. 34. 35. 36.
Eâ similitudine Augustinus illustrat concupiscentiæ vehementiorem proritationem post semel disruptos aggeres legis prohibentis. ibid.
Vide concupiscentia, lex.

FOR-

FORTITUDO.

Fortitudo virtus cardinalis absque charitate esse nequit, uti nec aliæ virtutes. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509.

Fortitudo est ipsa divina charitas certa restrictione limitata. ibid.

Fortitudinis munus est, adversitates retrahentes voluntatem à casto amore veritatis & justitiæ sempiternæ æquanimiter tolerare, iisque non cedere. ibid.

Fortitudinis robur à charitate inflammante nascitur. 508.

Vide amor, charitas.

FRUITIO.

Fruitio. Vide amor, dilectio, Deus, finis, electio.

G

GRATIA.

Gratia, ab Augustino nonnunquam usurpatur pro opere bono à gratia proficiscente. 921 922.

Gratia varijs nominibus exprimitur, à liberatione arbitrij captivati desumptis. 13. 14. 15. 16. 17. 73. 24. 75. 76. 89. 90. 91. 92. 927.

Gratia Dei necessariò præerequiritur ad quodcunque opus honestum: nec per naturæ vires haberi potest ulla præparatio, dispositio, aut qualecunque meritum primæ gratiæ. 10. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 993. 994. 995. 996 997. 998. & seqq.

Gratia generatim sumpta alia ad intellectum alia ad voluntatem spectat. 24. 25. 26. 27. 28.

Gratia intellectus alia est exteriùs erudiens, alia interiùs illuminans: & expenditur utraque. Ibid.

Gratiam intellectus tam internam quam externam agnoverunt Pelagiani, veræ gratiæ inimici. 26.487.

Nulla gratia intellectus valet voluntatem sub peccato captivatam liberare: & cur? 27. 28. 63. 64. 65. 66. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80 487. 488.

Gratia Christi liberatrix expenditur, & ostenditur procul ab ejus intelligentia abesse eos, qui ejus necessitatem ad opera supernaturaliter bona coarctant. 29. 30. 61. 32.

Gratia voluntatis alia est habitualis, alia actualis. 79. 80.

Rursus alia est voluntatis sanæ ac liberæ, alia ægrotæ ac captivæ: quarum diversitas illustratur exemplis & similitudinibus. 79. 80. 81. 82. 430. 431. 432.

Ab harum discrimine totam controversiam de gratia contra Pelagianos suspendit Augustinus. 81. 91. 92. 93. 94. 480. 481. 487.

Gratia de qua inter Augustinum & Pelagianos ferbuit disceptatio: non est gratia habitualis, concursus divinus, physica prædeterminatio, externa protectio, directio aut excitatio Dei: sed gratia medicinalis arbitrij ægroti. 92. 157. 158. 159. 160. 161. 162. & seqq. Item 206. 207. 215. 216. 219. 248. 480 487. 828. 829. & seqq.

Gratiæ medicinalis natura & necessitas expenditur. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 430. 477. 478. 479. 480. 481. 482. & seqq.

Nullum prorsus opus bonum ab homine lapso fieri potest nisi per medicinalis gratiæ inspirationem à concupiscentiæ dominatu præviè fuerit sanatus. 158. 159. 160. 161. 162.

Impotentiam voluntatis captivæ ad velle aut operari bonum antequam per gratiam medicinalem fuerit sanata, Augustinus æquiparat impotentiæ cæcorum ad videndum, surdorum ad audiendum, claudorum ad rectè gradiendum. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 93. 94. 110.

Sicut medicina non est necessaria imò nec utilis sano, ita medicinalis gratia non est necessaria nec utilis homini integro. 82. 255.

Sicut lux non prodest cæco ad videndum, nec scipio pedibus destituto ad gradiendum: ita gratia sanitatis primævæ integritatis nihil prodesset homini lapso ad benè agendum. 80. 81. 82. 211. 212. 213. 258.

Gratiam medicinalem destruentes, incarnationem & passionem Christi exinaniunt, ipsum nomen IESVS abolent. 82. 83. 85. 86. 91. 92. 256.

Gratiæ medicinalis activitas circa duorum vulnerum per peccatum inflictorum curationem exercetur: & quænam illa vulnera? 28. 29 88. 91. 92 218. 219.

Gratia habitualis in justificatione infusa, non liberat nec sanat voluntatem à morbo concupiscentiæ, aut intellectum à vulnere ignorantiæ. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 159. 160. 167. 168. 170. 176. 183. 184. 188. 190. & seqq.

Gratiæ necessitatem ad tollenda præterita peccata agnoscunt Pelagiani, ad cavenda futura negant: & quo fundamento? 82. 83. 84. 85. 484. 487 621.

Dogma illud crucem Christi penitùs evacuat. 82. 83. 84. 85. 86. 89. 158. 159. 160. 161. 162. & seqq.

Gratia necessaria ad vitanda peccata & resistendum tentationibus, non est merè scientia legis, aut ulla gratia actualis intellectus, aut remissio peccatorum, aut gratia habitualis. 89. 90. 103. 104. 105. 406. & seqq. Item 477. 478. 487.

Gratiam Christi ex eo prædicare, quod donet possibilitatem volendi aut operandi bonum, non autem ipsum velle & operari Pelagianum est. 124. 125. 830. 831. 832. 833. & seqq.

Gratiam dare velle & operari, quid? 142. 143. 144.

Gratia status innocentiæ, & gratia Christi medicinalis qualiter differant? 93 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. & seqq. Item 203. 204. 205. 212. 213. 215. 216. 219. 259. 430. 822. 823. 933. 934. 935. 936. 943. 949. 991.

Earum discrimen Augustinus operosissimè astruxit. 219. 822. 823. 933. 934. 935. 943. 949. 991.

Priorem passim appellat adjutorium *sine quo non*: posteriorem, adjutorium *cum quo*. ibid.

Redditur ratio cur homini sano collatum fuerit adjutorium *sine quo non*, *possibilitatis*, & *sufficiens*: integro autem detur adjutorium *quo*, *voluntatis*, & *efficacissimum*. 102. 103 109. 111. 432. 937.

Nulla gratia subdita nutui & determinationi liberi arbitrij ad adjutorium Christi medicinale spectat. 103. 104. 108.

Adjutorium possibilitatis assimilatur habitibus & speciebus intentionalibus, quibus utimur cùm volumus. 117. 118. 158.

Ab Augustino assimilatur alimentis, lumini, navi, pedibus; sine quibus homo nequit vivere, videre, navigare, progredi: cùm quibus tamen non ea præstat nisi cùm lubet. 110. 173. 255.

Adjutoria ista à Neotericis non satis distinguuntur penes efficaciam. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 215. 216. 248. 259. 260. 432.

Ex eorum confusione nata est hæresis Massiliensium. 126. 131. 132.

Sententiam inter ea non distinguentem, Apostolico mucrone jugulatam testatur Augustinus. 123. 151.

Augustinus summoperè contendit à Pelagianis extorquere confessionem adjutorij *cum quo*; & agnitionem discriminis inter illud & adjutorium *sine quo non*. 148. 480. 481. 482.

Adjutorium *sine quo non* Angelis & protoplastis collatum, non fuit gratia habitualis, concursus concomitans, aut prædeterminatio physica: sed gratia actualis libero arbitrio subdita instar habitus. 111 112. 214. 215. 216. 248. 430. 432.

Scholastici extendentes prædeterminationem physicam ad gratiam possibilitatis Angelorum & protoplastorum innocentium, capitalia Augustini principia pervertunt: magisque sunt Aristotelici quam Augustiniani. 821. 822. 823. 824.

Recensentur varia discrimina adjutorij *sine quo non*, & adjutorij *quo*. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 111. 112. 113. 114. 115. 117. 131. 132.

Si adjutoria ista non differant penes modum influendi in actus liberi arbitrij, immeritò proscripti sunt Semi-Pelagiani. 131. 132. 133. 134.

Refertur & refellitur responsio Neotericorum ad loca Augustini. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 214. 215. 216. 217. 218. 219.

Diversitas adjutorij *sine quo non* ab adjutorio *quo*, non ab eventu effectus aut omissionis ipsius, sed à connaturali operandi modo desumenda est. nec potest unum in alterum commutari pro libitu voluntatis. 105. 106. 107. 108. 109. 216. 259. 260. 1012.

Adjutorium *quo* qualiter definiendum? 111. 121.

Adjutorium hominis integri & Angelorum ejusdem prorsus fuit naturæ & efficacitatis, quamvis in istis habuerit finaliter effectum, in illo non: adeoque nihil variat usus aut non usus naturam gratiæ. 110. 111. 112. 114. 432. 934.

Adjutorium possibilitatis nunquam potest donare ipsum velle; sed vires volendi suppeditat, si voluntas eo uti voluerit. 148. 183. 216. 430.

Si Deus universis hominibus lapsis conferret adjutorium *sine quo non* sicut contulit Adamo, nullus omnium eo unquam uteretur: & cur? 211. 212. 258.

Adjutorium hominis integri & lapsi à quibusdam Neotericis distingitur penes habituale & actuale: sed refelluntur. 214 215. 216. 217.

Si gratia Christi non aliter determinet liberum hominis arbitrium quam gratia status innocentiæ; gratis mortuus est Christus. 20. 203. 256.

Gratia Christi non operatur effectum suum dependenter à conditione, *si velimus*: sed ipsamet operatur ut velimus, juxta Concilium Arausicanum. 203.

Hinc nascitur præcipuum discrimen inter gratiam primi Adæ & secundi Adæ: illa dabat operari bonum si homo vellet: hæc dat insuper ut velit. 204. 205. 215. 216. 430. 432. 829. 830. 831. 832. & seqq. Item 937.

Illa

Illa liberat [illegible] voluntatis [illegible] tui [illegible] voluntatem subjicit. 95. 96. 97. 98. 111 [illegible]
[illegible]
[illegible] voluntatis [illegible] voluntatem [illegible] 244.
[illegible] & declinabiliter voluntatem per [illegible] inseparabiliter [illegible] voluntatem [illegible]
[illegible] gratia [illegible] humanæ [illegible] voluntati [illegible]
[illegible]
[illegible] voluntatis [illegible]
[illegible] gratia [illegible] quod voluntas [illegible]
Petelianus [illegible] quod [illegible] voluntas [illegible]
Rationem [illegible] Augustinus [illegible] adversus [illegible] gratiæ Christi [illegible] Augustinus [illegible] adversus. 111 [illegible] 113. 114. 115. 116. [illegible]
Item ex eo, quod [illegible] hominis [illegible] quod Augustinus [illegible] reputat. 917.
Item ex eo [illegible] *Dei, sed volunta & cui [illegible]* [illegible] Augustinus [illegible] 201. 2 [illegible]
Neque [illegible] quidquam [illegible] præscientiæ conditionata [illegible] Angelorum ante crearet, quam [illegible] hominum [illegible] 121. 122. 916. 920. 1004.
Gratiæ [illegible] voluntatis [illegible] peccato [illegible] liberi arbitrij vires attriuit, adeo ut [illegible] Pelagiani [illegible] 242.
Gratiam *congruam* magna verborum pompa in gratiam Christi [illegible] Neoterici. 105. 106. 120. 121. 122. 218. 225. 22 [illegible] 816. 817.
Congruitatem [illegible] in divina præscientia explorativa consensus sub conditione accommodationis [illegible] 227. 229. 261. 262. 817.
Hujus gratiæ congruæ præcipuus defensor Suarez, in sententiam Molinæ & [illegible] quoad gratiæ efficaciam necessariò relabitur, quantumvis ab [illegible] circa voluntatem Dei prædeterminantem. ibid.
Congruam [illegible] subinde adstruit Augustinus sed longè diversam [illegible] quam procuderunt Neoterici. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235 [illegible] 237.
Gratia quam Augustinus *congruam* appellat, non est internum auxilium voluntati cœlitus inspiratum; sed externa vocatio foris pulsans. 230. 231. 232. 233. 234. & seqq.
Quo sensu vocatio externa dicatur *congrua* juxta principia Augustini? 236. 237.
Nulla gratia quæ extra voluntatem peragit partes suas, est *congrua* voluntati, si ipsa voluntas per internam sibi inspirationem à captivitate concupiscentiæ mutetur, & vocationi gratiosæ accommodetur. 27. 28. 63. 64. 65. 66. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 235. 236. 237. 487. 489.
Sicut Augustinus internam voluntatis gratiam nunquam vocat *congruam*, sic nusquam eam vocat *incongruam*. 235.
Omnis gratia quæ non habet inseparabiliter adjunctum effectum à quoquam præterquam ab Augustino ad legem & doctrinam ablegatur: nec eam pro gratia Christi medicinali reputat. 235.
An & quo sensu in doctrina Augustini admitti possit gratia interior voluntatis esse *congrua*? 236. 237.
Gratiæ medicinalis varia epitheta ex Augustino recensentur, quibus ostenditur nunquam eam carere effectu. 196. 197. 198. 199. 200.
Eam Augustinus vocat *efficacissimam*. 196. 241. 253. 829.
Eandem appellat *potentissimam, & omnipotentissimam*. 196. 197. 253.
Item *victricem*, cui nemo valeat resistere. 200. 251. 410. 411. 412. 816. 954. 955.
Item voluntati humanæ *inseparabiliter* & *indeclinabiliter* dominantem. 102. 112. 820. 862. 952.
Eam *incrementi* vocabulo frequenter exprimit. & cur? 207. 236. 263. 264.
Eam semper esse bonum efficere, & quo sensu? 236.
Ex ejus præsentia colligit præsentiam effectus, & ex hujus absentia [illegible]
A [illegible] partem, quia ideo [illegible]
Nec relinquit voluntatem in æquilibrio, sed potentissimè secum [illegible]
Hinc voluntas gratiâ præventa non tam agit quam agitur. 197. 205.
[illegible] liberè & [illegible] agat & velit, neque [illegible] & spontaneum. 8 [illegible] 828. [illegible] 830. 831. 862. 863. 8 [illegible] 865. 884.
De gratiæ [illegible] natura & quidditate multiplices recentiorum opiniones [illegible] & seqq.
Consistit essentialiter in cœlesti suavitate ac spirituali delectatione qua [illegible] voluntas [illegible] ad id agendum quod Deus [illegible] 3 [illegible] 436. 472. 473. 479. 480. 481. 484. 485. 487 [illegible]
[illegible] Augustino [illegible] appellatur *victrix delectatio*. 410. 411. 412.
Est certa [illegible] & amoris, sed indeliberatus. 434. 435. 436. 437. 487 [illegible]
[illegible] voluntatem [illegible] prædeterminat ad agendum, & quidum [illegible] 822. [illegible] 825.
Conciliatur cum libertate arbitrij eodem modo quo Thomistæ [illegible] physicam prædeterminationem cum libertate componunt. 824. 825. 826. 827. 828.
Quidquid adversarij contra eam quasi libertatis destructivam machinantur, unica sensûs compositi & divisi distinctione dissipatur [illegible] 825. 826. 8 [illegible] 821.
Ad eam tamen distinctionem [illegible] Augustinus, cui ad salvandam libertatem arbitrij satis est quod voluntas absque violentia aut coactione in actum [illegible] 826. 8 [illegible] 830. 831. 8 [illegible] 833. 844. 845 [illegible] & seqq.
Gratiæ medicinalis necessitas cum infallibilitate prædestinationis [illegible] conjungitur. 58 [illegible]
Item cum necessitate [illegible] liberi arbitrij cui tanquam concausæ conjungitur. 590. 600.
Gratiæ actualis natura & divisiones à Scholasticis longè aliter quam ab Augustino exponuntur. 444. 445. 456. 458. 469. 470. 471.
Gratia excitans, operans, [illegible] qualiter à Scholasticis explicentur. 444. 445. 446.
Qualiter item *cooperans, concomitans, adjuvans, subsequens*? ibid.
An & qualiter eæ gratiæ differant in sua entitate physica? 445. 454. 455. 456. 458. 459. 463.
Gratia præveniens apud Augustinum & discipulos ipsius, quid? Et cujus respectu dicatur præveniens. 445. 446. 447. 470. 471. 472. 473. 474.
Gratia subsequens quid? Et cujus respectu dicatur subsequens. ibid. & 452. 453. 454. & seqq.
Gratia præveniens quo sensu justificet? 453.
Gratia operans & gratia cooperans quænam dicantur? & unde sic appellatæ? 458. 459. 460. 461.
Quo sensu gratia operans dicatur sola operari in nobis bonam voluntatem? ibid.
Gratia excitans quænam dicitur juxta Augustinum, quænam item adjuvans? 462. 463. 464. & seqq.
Gratia qua *præparatur voluntas à Domino* aliter ab Augustino & Scholasticis explicatur 474. 475. & seqq.
Gratiæ medicinalis inspiratio in solius divinæ dilectionis infusione consistit. 481. 482. 488. 489.
Gratia quem effectum habeat in nobis? 798.
Gratia est [illegible] necessaria est non solùm ad absolutam & efficacem volitionem boni, sed etiam ad velleitatem. 210.
Quando gratia à Deo confertur ad absolutum velle boni operis, operatur illud: quando ad imperfectam velleitatem, operatur eam: hinc ex eo quod quidam renuant venire vocati, non sequitur gratiam carere omni effectu. 210. 211. 212. 213.
Gratiæ levis afflatus quamvis non sufficiat ad absolutè credendum, sperandum, diligendum, orandum, aut legem adimplendum, sufficit tamen ad velleitates quasdam istorum effectuum. 210. 211.
Gratiam Christi cum libertate arbitrij humani conciliare, difficile visum fuit Augustino. 814. 830. 838.
Quia Augustinus rectè explicuerit ac tradiderit concordiam libertatis cum gratia, nemo Catholicorum usque ad Molinam revocavit in dubium. 814.
Concordia gratiæ cum libertate arbitrij, modernos Scholasticos in duas capitales factiones distraxit: Prædeterminatistas & Præscientistas. 816. 817.

Illi,

Illi violatæ gratiæ, invecti Pelagianismi, & nimis subvectæ libertatis arbitrij, crimen his impingunt. hi, violati liberi arbitrij, invecti Calvinismi, & nimis subvectæ gratiæ, crimen illis impingunt. 817.
Cum utrisque ex parte consonat Augustinus, cum neutris ex toto: minus tamen adversatur prioribus quàm posterioribus. 817. 818, 819.
Gratia *sufficiens* quænam dicenda? 249 250.254.
Gratiam sufficientem in statu innocentiæ agnovit & asseruit Augustinus, uti & in Angelis. 254.257 258.
Eandem in statu naturæ lapsæ asseruit olim errans cum Semi-Pelagianis: post resipiscentiam, nusquam. 250. 251, 252. & seqq. 485.1013.1035.
Idq; agnoverunt duæ facultates Theologicæ, Lovaniensis & Duacensis: & ideo contrariam assertionem censuris suis proscripserunt. 250.251.
Nec D. Thomas nec ullus à tempore Augustini usque ad recentiores Scholasticos meminit hujusmodi gratiæ sufficientis. 251.
Gratia sufficiens Neotericorum non tam ad gratiam Christi, quàm ad naturam, legem, aut doctrinam spectat; justa Augustini principia. 254.297.
Eam homini lapso debitam recentiores asserunt. 43.254.361.
Ejus effectus est potestas operandi bonum si volumus: veræ gratiæ effectus, volitio faciendi quod possumus. 253.
Ejus assertio extinguit orationem, accendit elationem 253.
Extenuat dilectionem divinam erga electos in Scripturis tantopere exaggeratam. 1064.
Adversatur Apostolo dicenti: *quis te discernit.* 253.
Repugnat quotidianis Ecclesiæ precibus. 252.
Enervat virus peccati originalis, & extollit vires liberi arbitrij magis quàm Pelagianismus. 254.255.256.
Evacuat crucem Christi Salvatoris 256.
Gratia sufficiens Neotericorum, non tam gratia est quàm gratiæ monstrum singulare; peccatis multiplicandis, majorique damnationi accersendæ serviens. 258.
Lapsis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitata: sed quo fundamento? 54.258 259.264.
Non solùm inutilis est hominibus, sed & perniciosa. 257.
Eâ, si daretur, homo lapsus nunquam uteretur, sed nec uti posset. 258.
Ejus assertioni non favet sed obstat Concilium Tridentinum. 325. 330.365.366.
Solvuntur objectiones pro ejus assertione ex Scripturis depromptæ. 361.362.363.364.369.370.371.372.
Solvitur objectio desumpta ex generalitate redemptionis Christi. 379.380.381.382 383 & seqq.
Diluitur objectio sumpta ex praxi corripiendi, exhortandi, consulendi ac præcipiendi; quæ prætenditur fore inutilis sublatâ gratiâ sufficiente. 351.352.353.354.355 356.357 358. & seqq.
Recensentur multiplices fructus & utilitates correptionum, exhortationum, consiliorum ac præceptorum, sublata gratiâ sufficiente. ibid.
Solvitur objectio desumpta ex verbis Augustini circa obdurationem Pharaonis. 348.349 350 & seqq.
Solvitur argumentum desumptum ex possibilitate observationis mandatorum. 324.325 & seqq. Item 336.337.338 339.340.& seqq.
Retorquetur illud argumentum in Scholasticos gratiæ sufficientis assertores. 330. 331.332.333. & seqq.
Evertitur gratiæ sufficientis assertio ex regimine populi Iudaici sub lege veteri 281. 285.286. & seqq.
Item argumento desumpto ex obduratione & excæcatione hominum. 300.301.302.303.304.305.
Item ex carentia istiusmodi gratiæ in infidelibus & Ethnicis. 304. 305.306.307 & seqq.
Gratiam sufficientem ordinis naturalis procuderunt olim Semi-Pelagiani: sed refelluntur. 320.321.322.323.
Cogitationes congruas ordinis naturalis pro gratia Christi obtrudit Vasquez, Massiliensibus & Pelagianis magis quam Augustino succinens. 67,68,69.70.71.72.
Gratiam sufficientem ab efficaci penes solum eventum distinguunt quidam recentiores. 259.
Hinc ulterius fateri coguntur: in liberæ voluntatis manu esse, quamcunque gratiam pro suo nutu efficacem reddere aut inefficacem: quo nihil magis capitaliter adversatur Augustini principiis. 259,260,261,262,263,264.265.
Solvitur objectio desumpta ex Augustino, de duobus æquali gratiâ præinstructis & æquali tentatione pulsatis, cum difformi tamen successu 236 237.238,239.
Solvitur alia objectio ex libro Augustini de spiritu & littera, arguendo inertiam recentiorum qui verba Pelagianorum pro verbis Augustini arripiunt. 218,219 & seqq.
Solvitur aliud argumentum ex libro quæstionum ad Simplicianum, similem recentiorum hallucinationem detegendo. 224. 225.226.227.228 229.
Diluitur alia objectio ex eodem libro, de vocatione congrua; ubi verba Augustini de vocatione externa, internæ gratiæ inspirationi accommodant. 228.229.230,231 232.233.234.335.236.237.
Vide, Adam, Angelus, delectatio, discretio, Deus, liberum arbitrium, Lessius, Molina, Suarez, prædestinatio, Vasquez.

GLORIA.

Gloria, Vide beatitudo, electio, prædestinatio.

H

HABITVS.

HABITVS subsunt nutui liberi arbitrij. 118 119.158.
Eorum similitudo cum adjutorio hominis integri ibid.
Habitus supernaturales in suos actus influunt, etiam in sententia inimicorum gratiæ. 151.152.168.
Habitualem gratiam ejusque cooperationem, pro adjutorio gratiæ ab Augustino & Concilijs deprædicato obtrudunt quidam Neoterici. 167.183.248.
Habitualis gratiæ adjutorium est in potestate hominis justificati; adeoque longè diversum est ab adjutorio quod Ecclesia quotidianis precibus implorat. 158.159.& seqq. Vide, gratia.

HOMO.

Homo ad imaginem Dei conditus: & qualiter D. Thomas id intelligat 2619.
Homo viator habet libertatem ad opposita bicornem: non ita constitutus in termino sive salutis sive damnationis. 714.715.
Ista proinde indifferentia ad opposita non est de ratione libertatis in genere: sed aliunde provenit: & unde? 715 793.794.
In potestate hominis omne illud & solum est situm, quod homo facit cùm vult: & quid hoc? 623, 624.625.626.627.628.629.630, & seqq.
Homo lapsus tunc demùm liber efficitur, cum filius eum liberaverit: & quomodo id intelligendum? 773.774.
Homo per gratiam Christi accipit liberrimam, fortissimam, invictissimam bene operandi & perseverandi voluntatem. 863.
Homo lapsus efficaciter electus est ad merendum, perseverandum, & æternam gloriam percipiendam, ante omnem prævisionem meritorum: non ita homo integer aut Angelus: & cur potius? 948.949.950.951 952.953.954.955.956. & seqq.
Homo licitè appetit ea quæ ad naturæ suæ incolumitatem spectãt: & de malis eidem incolumitati præjudicantibus licitè tristatur. 544. 580, 581.
Semper tamen in sublimiorem aliquem scopum tenetur aciem mentis dirigere. alioquin peccabit. ibid.
Quicquid homo facit, si non propter verum Deum facit; ipso non recto fine peccatum est. 582.
Homo efficitur bonus non convertendo animum ad bonum quodcunque finitum, sed ad bonum supremum in quo reliqua omnia continentur 499.
Homo lapsus obnoxius est interiori rixę delectationum carnalium adversus spirituales: quæ delectationes respectivè appellantur caro & spiritus. 406. 407. 408. 409. & seqq. Item 441.442. 443. 444.
Homo in nullo debet gloriari; cum nihil boni ex seipso habeat, sed totum ex Deo. 244.
Homo lapsus nihil prorsus boni habere potest nisi à Deo donatum fuerit, non solum in potentia sed etjam in ipso actu & exercitio. 190. 191.192.
Quicquid boni habet homo, ita est solius Dei ut nequidem pro parte adscribendum sit homini. 192.
Homini satius & salubrius est se totum indefectibili Deo committere, quam suæ industriæ quidquam reservare. 196. 197, 198.
Si homo ex seipso haberet actu velle bonum, quantumvis à Deo accepisset potestatem; posset in se gloriari, quia haberet aliquid quod non accepisset. 221.
Homo per gratiam agitur ut agat: non ut ipse nihil agat. 209. 399.
Homo per tremorem timoris ad amorem pertingit. 234.
Interroganti cur homo sine peccato non sit: rectè respondetur: quia non vult. Interroganti ulterius, cur id nolit? Respondet Augustinus: itur in longum. 239.
Hominis integri fœlicitas & lapsi miseria perstringitur. 94.95.
Homini integro datum fuit adjutorium *possibilitatis* & *sine quo non*; homini lapso datur adjutorium voluntatis, operis, *tum quo*: & cur ita? 102.109.111.112 432.937.

Homo in nullo statu bene agere aut perseverare posset absque superno adiutorio. 102. 112. 124. 130. 432. 933. 934. 935. 936. 946.

Homines discerni per liberum arbitrium post lapsum perinde ac ante lapsum, censent quidam Neoterici: sed somniando magis quàm Augustini vestigiis insistendo. 92. 117. 118. 119. 120. 184. 213. 214.

Homini etiam lapso à Deo deberi gratiam sufficientem præsertim quam urget præcepti impletio, sentiunt quidam Scholastici sed perperam 43. 259. 266. 267. 268. 269. 270. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 361.

Homo non est dicendus cæcus ex eo quod nequeat absq; lucis subsidio videre: aut ægrotus eò quod nequeat sine alimentis vivere: & hinc oppugnatur gratia sufficiens Neotericorum. 256.

Vide, Adam, Angelus, gratia.

I

IACOB.

IAcob electorum typus: uti & Esau ac Chanaan, reproborum. 1019. 1063. Vide Esau, prædestinatio, reprobatio.

IGNORANTIA.

Ignorantia quæ est pœna peccati à peccato non excusat, 28. 29. 300. 301. 302. 303. 304. & seqq. item 324. 325. 326. & seqq. item 363. 364.

Ignorantia per se tollit cognitionem objecti, per accidens cupiditatem ignoti. 28. 736.

Ignorantia & infirmitas duo vulnera per peccatum hominibus inflicta, arbitrij vires ita debilitarunt, ut non nisi medicinali Christi gratia restaurari possint. 28. 29. 68. 218. 219.

In eorum curationem tota virtus gratiæ impenditur 91.

Ignorantia causat involuntarium saltem negativè. 737. Vide, error, excæcatio.

IMPECCABILITAS.

Impeccabilitas Sanctorum in cœlo unde oriatur? 422. 423. 424. 425. 426. 427. & seqq.

Impeccabilitas Dei, Christi, Sanctorum, & confirmatorum in gratia; non obstat perfectæ libertati arbitrij: uti nec impotentia ad bonum in dæmonibus. Vide, Deus, Christus, beati, diabolus, libertas.

INDIFFERENTIA.

Indifferentia ad bonum & malum est essentialis libertati arbitrij, juxta Pelagianos. 11. 12. 781. 782. 783. 785. & seqq.

Dogma istud destruit rationem gratiæ liberatricis. ibid.

Scholastici illud amplectentes, Aristoteli & Pelagio magis suffragantur, quam Augustino. 604. 606. 781. 782. 783 & seqq.

Indifferentia contrarietatis potest adesse libertati, & ab eadem salva manente, abesse. 792. 813.

Eam habuisse Angelos in via & protoplastos ante lapsum, indubitatum est in doctrina Augustini. 792.

Eandem habet homo lapsus sed longè imperfectiorem quàm integer. 792. 869. 870. 871. 872.

Est certum testimonium libertatis: sed non ipsa libertas. 793.

Non resultat ex intrinseca conditione libertatis, sed ex alio capite: & quod illud? 793. 794.

Non est indicium perfectionis sed imbecillitatis & imperfectionis libertatis. 794

Sicut perfectio sanitatis non consistit in eo quod per subsequentem infirmitatem possit violari: ita perfectio libertatis non includit nec postulat possibilitatem peccandi 794.

Sicut beati feliciter amiserunt indifferentiam ad malum, sic homo lapsus infeliciter indifferentiam ad bonum. 95. 96. 433. 635. 636. 637. 638. 639. 640 & seqq.

Indifferentiam ad bonum & malum non requiri ad libertatem, ostenditur exemplo Dei cujus perfectissima libertas stat cum impossibilitate ad malum 636. 637. 638. 714. 776. 782.

Item ex plena libertate Christi viatoris. 646. 647. 648. 714. 781.

Item ex libertate beatorum Deo fruentium. 638. 639. 640. 641. & seqq.

Idem ostenditur ex libertate dæmonum & damnatorum carentium indifferentiâ ad bonum. 783. 784. 785.

Quo sensu Augustinus in homine ante gratiam & sub gratia agnoverit indifferentiam contrarietatis & contradictionis? 869. 870. 871. 872. 873.

Secundum sensum Scholasticorum recentiorum, ab Augustino constantissimè negata, & à Pelagianis contentiosissimè asserta fuit ista indifferentia. 870.

Indifferentia contradictionis non est de ratione libertatis arbitrij ut sic. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 780. & seqq.

Recensentur multiplicia incommoda quæ ex ejus assertione emergunt. 798. 799. 780. 781. 782. 783. 784. 789. 796. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. & seqq.

Ejus assertores totam machinam Augustinianæ doctrinæ concutiunt & vellicant. 798. 799. 800. 801. 802. & seqq. Vide gratia, liberum arbitrium, Pelagiani.

INFIDELES.

Infideles carent gratiâ sufficiente tam proximè quam remotè. 304. 305. 306. 307. 308. & seqq.

Nequidem habent gratiam sufficientem ordinis naturalis: & oppositum à Semi-Pelagianis excogitatum fuerat. 531. 532. & seqq.

Non excusantur per impotentiam ab observatione mandatorum: & quæ impotentia ad talem excusationem sufficeret? 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. & seqq.

Infideles in omni sua actione peccant 19. 306. 307. 309. & seqq.

Hinc nullam præparationem, dispositionem, aut meritum primæ gratiæ habere possunt: nisi quis usque adeò insanire velit ut dicat peccatum esse præparationem, dispositionem, aut meritum respectu gratiæ. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 993. 994. 995. 996. 997. 998. & seqq.

Infideles ex duplici capite carent possibilitate exercendi ullum actum verè virtutis, & quæ illa? 306. 307. 308.

Infideles nullam tentationem veraciter vincere possunt. 307.

Scholasticorum variæ hallucinationes circa gratiam sufficientem, quam infidelibus semper paratam esse proximè aut saltem remotè imaginantur. 304. 305.

Infideles ne quidem orare possunt ut Deus eis largiatur gratiam qua destituti sunt. 309. 310. & seqq. Vide, fides, gratia, philosophi.

INNOCENTIVS PAPA.

Innocentius Pontifex Augustinianam doctrinam de adiutorio voluntatis & operis homini lapso ultra meram possibilitatem necessario, approbat & amplectitur. 167. 168. 169. 170.

Necessitatem gratiæ medicinalis ad superandas quascunque tentationes, astruit. 170.

Eidem suffragantur Zozymus & Celestinus, cum Concilio Arausicano 170. 171. 172. Vide, Augustinus, gratia.

IVDÆI, IVDAISMVS.

Iudæi idololatriæ & polytheismo deditissimi: & unde orta ista perversa inclinatio? 60. 61.

Iudæorum cæcitas & ignorantia expenditur. 288. 289. 290. 291. 292. & seqq.

Iudæis quo potissimum scopo & fine data fuerit Lex Moysaica à Deo? 43. 44. 45. 46. 47. 48. 53. 54. 265. 266. 267. & seqq. 313.

Iudæorum status sub veteri lege perstringitur. 276. 277. 278. 279. 280. & seqq.

Iudæi caruerunt gratiâ sufficiente ad observanda præcepta legis Moysaicæ. 284. 285. 286. 287. 288. 289. & seqq.

Iudæorum paucissimi fuerunt justi & legis observatores. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301.

Iudæis Lex Moysaica per accidens fuit fomes ardoris concupiscentialis: per se autem limes ejusdem. 42. 297.

Iudæis Lex Moysaica data est ut Pædagogus ad gratiam per terrorem. 49. 50. 51. 52.

Iudæi per legis notitiam constituti sunt prævaricatores, qui ante acceptam legem fuerant peccatores: & qualiter hi differant? 37. 38. 39. 40. 41. 42.

Quomodo Deus tradendo Iudæis legem quæ iram operaretur gravioremque ruinam afferret, à culpa excusetur? 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50.

Iudæis data est lex scripta in tabulis lapideis: Christianis scripta in tabulis cordis carnalibus. 486. 487. 492.

In traditione tabularum legis cur nullius hominis sed solius Dei opus commemoretur? 317.

Contractio tabularum legis quid mysticè significet iuxta Augustinum? 317.

Lex Iudæis tradita cur testimonium appelletur. 52. 357.

Iudæorum Respublica à Deo ordinatissimè instituta ac gubernata; idque cum quadam analogia ad gubernationem tam totius humani generis, quam uniuscuiusque hominis in particulari. 57. 58. 59. 60.

Radix istius divinæ œconomiæ aperitur. 60. 61. 62. 63.

Iudaismus, Pelagianismi tertius status: & quid ille? 26. 27.

Iudæi in sua lege adeò gloriabantur, ut universa bene vivendi præcepta, ejus adminiculo implere se posse, jactarent 26.

Sicut ante legem latam homines vivebant sub gratia naturę; ita post datã legem Iudæi sub gratia intellectus vixerunt: Christiani in lege Euangelica vivunt sub gratia affectus. 26. Vide, gratia, lex, Pelagiani.

IVSTI-

IVSTITIA, IVSTVS.

Iuſtitia ab Auguſtino paſſim uſurpatur pro opere juſto ſeu conformi ſuis regulis. 183. 184. 208. 209.

Iuſtitia hominis univerſa in duobus conſiſtit: declinare à malo, & facere bonum. 485.

Juſtitiæ amicus is omnis & ſolus eſt, qui ex juſtitiæ amore facit bonum & vitat malum. 578. 579. 580.

Juſtitiæ amicus non eſt, ſed hoſtis; qui ex timore pœnæ à prævaricatione legis ſe cohibet. 578. 579. 580. 591.

Sola juſtitiæ dilectio voluntatem pravam in bonam cõmutat. 573. 574. 575. 576. 577. 578.

Iuſtitia veraciter diligi nequit abſque cæleſtis gratiæ adjutorio. 12. 400. 491. 578. 592. 749.

Iuſtitia cujus amorem deprædicat Auguſtinus, non eſt creata aliqua virtus, ſed increatus Deus. 18. 403. 491. 578. 592. 749.

Hinc dilectio juſtitiæ ad benè operandum ab Auguſtino requiſita, eſt actus Theologicæ charitatis. ibid.

Iuſtitia ex lege quænam dicatur? & quam ſit imperfecta? 556. 557. 558. 584. 585. 586.

Iuſtum eſſe & bonum eſſe, apud Auguſtinum pro eodem reputantur. 500.

Iuſtitiæ dilectio quàm neceſſaria ad honeſte operandum? 535. 536. 537. 538. 584. 585.

Carentia dilectionis juſtitiæ coinquinat univerſa opera infidelium. 306. 307.

Carentia iſta neceſſario conſequitur carentiã fidei 307. 308. 309. 310

Vide, amor, charitas, dilectio, Deus, infideles.

IVSTITIA VIRTVS CARDINALIS.

Iuſtitia quę eſt virtus cardinalis quodnam habeat obiectum, & quam functionem? 504.

Eſt filia amoris charitativi erga juſtitiam ſempiternam, quæ Deus eſt: imo eſt ipſa divina charitas certo modo reſtricta. 502. 503. 504. 505. & ſeqq. Vide, charitas, virtus.

L

LESSIVS.

Lessivs efficaciam gratiæ & diſcretionem credentium ab incredulis, in cardinem humanæ libertatis refundit. 106. 119. 141. 1038.

Gratiam Chriſti nutui libertatis ſubijcit inſtar habitus. 119.

Soli voluntatis arbitrio adſcribit determinationem ad agendum perinde ac omittendum. 193. 242.

Ex illo ejus dogmate ſequitur, hominẽ non tam in Domino quam in ſeipſo poſſe gloriari. 193.

Magis enormiter hallucinatur in materia de gratia, quam Maſſilienſes hallucinati fuerint. 214. 215.

Ejus conſequentia à gratia, hominis integri ad gratiam hominis lapſi, ut capitalibus Auguſtini principijs adverſa, à duabus facultatibus theologicis, Lovanienſi & Duacenſi, proſcripta. 213. 214.

Adjutorium hominis integri ab adjutorio hominis lapſi in eo diſtinguit, quod illud fuerit donum habitualis gratiæ: hoc inſuper includat curam ſingularem, protectionem, & crebras excitationes Dei: ſed refellitur multipliciter. 214. 215. 216. 217.

Auguſtinum in ſuas partes adducere contendit; ſed adeò ſupinè ut objectiones Pelagianorum pro verbis Auguſtini obtrudat. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. & ſeqq.

Vocationes externas quas Auguſtinus *congruas* appellat, pro interna voluntatis gratia venditat. 228. 229. 230. & ſeqq.

Internam voluntatis gratiam in *congruam* & *incongruam*, fruſtra implorato Auguſtini ſuffragio, dividit. 235.

Negat Deum aſtringere voluntatem noſtram in alterutram partem, ſed ſuæ indifferentiæ relinquere. 242.

Ejus dogma de gratia ſufficiente à duabus facultatibus theologicis cenſuratum. 250. 251.

Ex negatione gratiæ ſufficientis perperam colligit, ſubſequentem præcepti tranſgreſſionem non eſſe peccatum. 254. 255.

Dogma illud multipliciter refutatur 262. 263. 264. 265. 284. 285. 286. & ſeqq. item 300. 301. 302. 303. 304. & ſeqq.

Verba Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, non ſatis conſentaneè ad divinæ gratiæ ſinceritatem interpretatur. 369. 370. 371. 372. & ſeqq.

Magno ſtudio Pelagianorum & Semi Pelagianorum argumenta coacervat, & iam dudum obſoleta arma recudit. 379. 380. 381. 1011. 1028. 1029. 1030. 1031. & ſeqq.

Contendit Chriſti redemptionem adeo univerſalem eſſe, ut non ſolum pro fidelibus & prædeſtinatis; ſed & pro infidelibus & reprobis effuſus ſit ſanguis mediatoris; ut hac ratione gratiam ſufficientem cunctis paratam aſtruat 379. 380. 381. 382. 383. 1028.

Scripturæ & Auguſtini phraſin de gratia qua *præparatur voluntas à Domino*, non ſatis aſſequitur. 474.

Gratiam congruam magna verborum pompâ in gratiam Chriſti medicinalem ſubvehit. 105. 106. 119. 121. 219. 229. 817. 818.

Congruitatem illam in præſcientia conditionalium fundat: ſed nimis caducum eſt fundamentum illud. 106. 120. 121. 817. 916. 920.

Dicit quod in manu liberi noſtri arbitrij ſit: gratiam quæ ſecundum ſe eſt ſufficiens, reddere efficacem vel inefficacem in actu ſecundo. 106.

Electionem hominum lapſorum perinde ac Angelorum ſanctorum, non niſi poſt prævisionem meritorum & finalis perſeverantiæ peractam fuiſſe contendit: contra planam Auguſtini doctrinam. 947. 948. 949. 950. 953. 1011. 1028. 1029. 1030. 1031. 1032. 1033. & ſeqq.

Propoſitum divinum ſalvandi homines in completum & incompletum diſſecat; ſicut & electionem, ac prædeſtinationem. 955. 956. 981. 982.

Veracem Auguſtini doctrinam de prædeſtinatione, ad nihil utilem eſſe calumniatur, niſi ad licentiam vitę & barathrum deſperationis 958. 991. 1036. 1037. 1038. & ſeqq.

Homines ſuæ propriæ infirmitati committere mavult, quam divinę clementiæ ac beneplaciti firmitati: quod nihil aliud eſt, quam certiſſimam deſperationis portam miſeris aperire. ibid.

Ex locis quibuſdam Auguſtini olim cum Semi-pelagianis ſemi-errantis, præſidium ſuo dogmati acceſſit. 988. 989.

Electorum numerum ex Dei prædefinitivo propoſito certum ac determinatum eſſe, contentioſiſſimè pernegat. 1011. 1028. 1029. 1030. & ſeqq.

Antiquatas Maſſilienſium querimonias adverſus Auguſtinianæ gratiæ ac prædeſtinationis prædicationem, animoſiſſimè retricat. 991. 1011. 1028. & ſeqq.

Incommoda quæ ex Auguſtiniana ſententia ſequi contendit, ſingulatim recenſentur & diſſipantur. 1028. 1029. 1030. 1031. 1032. & ſeqq. uſque ad 1048.

Eadem incommoda in ipſum retorquentur, ob præſcientiam futurorum; quam nec Deo negat nec negare poteſt. ibid.

Aſſimilatur medico, qui vel doloſè vel imperitè utilia medicamenta ſic applicat; ut obſint, aut ſaltem non proſint. 1036.

Vide gratia, Scholaſtici, Semi-pelagiani, prædeſtinatio.

LEX.

Lex ſupplicandi legem ſtatuit credendi: adeò quæ orationes quotidianæ Eccleſiæ pro auxilio gratiæ, ſtatuunt legem credendi quod non detur gratia ſufficiens omnibus parata. 153.

Lex nulla veraciter impletur niſi diligendo 482. 483. 512. 513.

Lex non impletur ex timore pœnæ, ſed ex amore juſtitiæ? & quæ illa juſtitia? 485. 493. 578. 592. 749.

Gratia facit legis obſervatores: lex ſine gratia, prævaricatores. 268. 269.

Legis impletioni caro gratiâ expers invictè reſiſtit 268. 269.

Lex & doctrina foris pulſans aut intellectum illuſtrans, arbitrium captivatum liberare nequit. 27. 28. 29. 30. 74. 77. 78. 297.

Lex æterna quid? 497.

Lex decalogi univerſorum agendorum ſummam complectitur. 29.

Lex vetus ſcripta in tabulis lapideis: nova in tabulis cordis carnalibus. 486. 487. 492. 549. 553.

Confractio tabularum legis Moyſaicæ quid ſignificet? 317.

Cur nullum hominis opus in legis traditione commemoretur? ibid.

Quo potiſſimùm fine ac ſcopo Iſraelitis data fuit à Deo lex Moyſaica? 43. 44. 45. 46. 47. 48. 52. 54. 265. & ſeqq.

Lex vetus peccatum demonſtrabat: ſed vires declinandi ipſum, non ſuppeditabat. 27. 28. 29. 30. 297.

Lex foris pulſans, concupiſcentiam non inſerit quidem: ſed non aufert, imò non minuit. 29. 30. 297.

Lex non eſt per ſe fomes ſed limes ardoris concupiſcentialis: per accidens tamen eſt fomes ejuſdem. 42. 297.

Ante legem homines fuerant peccatores; adveniente lege cœperunt eſſe prævaricatores. 37. 38. 39. 40. 269. 297.

Lex Moyſaica augendo concupiſcentiam, præceptorum obſervationem fecit difficiliorem: & turpitudinem detegendo, ruinam reddidit graviorem. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 268. 269. 270. 574.

Lex Moysaica cur ab Apostolo dicatur *virtus peccati*? 37. 55 [illegible] [illegible]

Lex qua ratione fecerit abundare delictum? & quomodo Deus talem legem condendo [illegible] ob iniquitate? 41. 42. 43. 44. [illegible]

Lex Moysaica qua ratione fuerit Pædagogus ad gratiam? 49. 50. [illegible]

Cur dicta fuerit *testimonium*? [illegible]

Quomodo ad justificationem, & ad impletionem ordinata fuerit? [illegible]

Iudæi sub lege viventes [illegible] gratiam sufficiente ad adimplendam legem. & [illegible] justi & inculpati. [illegible] 326 & seq. item [illegible]

Quomodo illa carentia gratiæ [illegible] & inde orta impotentia [illegible] peccandum. 324. 325. 326. 32[illegible]. 328. 329. 330. & seq. item 337. 338. [illegible]

Legem observare intuitu mortalis honestatis operis præscripti, vitiosa superbia est. [illegible] 39.

Vide concupiscentia, gratia, Iudæi.

LIBERATIO, LIBERARI.

Liberatio præsupponit captivitatem & utrumque terminum *à quo* [illegible] absque hujus [illegible] intelligi potest. 10. 611. 612. 613. 922. 923.

Liberatio arbitrij humani in quo potissimum sita? 10. 922. 923.

Liberatio arbitrij necessario præexigitur ante [illegible] rectum ejus usum [illegible] & ante remissionem peccatorum in adultis; adeoque [illegible] perperam à [illegible] remissione peccatorum. [illegible] 177. 178.

Liberationis arbitrij vix ulla mentio in Scholis recentiorum. 9. 10.

Liberatio electorum à massa per prædestinationem Augustinianam, expenditur. [illegible] 922. 923. [illegible] 933 & seqq.

Liberatio includit ordinem ad duos terminos: unum *à quo*, alterum *ad quem*: & quinam illi in liberatione arbitrij? 73. 74. 75. 76. [illegible] 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 922.

Liberari quidpiam dicitur duobus modis: & quinam illi? 610. 611.

Liberari est liberum fieri: sicut sanari est sanum fieri; & salvari, salvum fieri. 922. 923.

Liberationem arbitrij recentiores quidam constituunt in adjutorio gratiæ habitualis in justificatione infusæ: sed refelluntur. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177.

Vide arbitrium, gratia, libertas, prædestinatio.

LIBERVM ARBITRIVM, LIBERTAS.

Liberi arbitrij nomen anatomizatur. 608. 609. 610. 611. 612. 732. 733.

Liberum opponitur servo, captivo, alligato, impedito. 612. 613. 741.

Liberum arbitrium aliter à priscis Patribus, aliter à modernis Philosophis Scholasticis usurpatur. 714.

Liberi arbitrij modernæ usurpatio non tam ex Ecclesiæ promptuariis, quam ex Aristotelicæ Philosophiæ cisternis hausta. 604. 605. 606. 607.

De libero hominis arbitrio eadem est Ecclesiæ, quæ Augustini sententia. 606. 607.

Liberi arbitrij intelligentia cum intelligentia gratiæ arctissimè connexa. 599. 600.

Liberum arbitrium, voluntas, voluntatis arbitrium: ab Augustino pro eodem reputantur. 608. 609. 626. 627. 777. 778.

Liberum opponitur coacto sive violento. 743.

Liberum ab Aristotele definitur: *quod est gratiâ sui*. 614. 741. 796.

Liberum esse, & liberari: ab Augustino Apostolum imitante, studiosè discernuntur ac distinguuntur. 744.

Homo liberâ justitia, sibi ipsi & omnibus quibus suâ dilectione subjicitur, servit: liber à peccato, servit justitiæ sempiternæ quæ Deus est. 749. 750.

Liberum quodlibet duos respicit terminos: unum *à quo*; alterum *ad quem*. 756. 789. 790. 791.

Liberum cuipiam id dicitur, quod is habet in sua potestate, & quid habere in sua potestate? 28. 29. 615. 616. 617. 618. 619. 620. & seqq. 734. 735. 736. [illegible] 738. 739. 74[illegible]. 748. 813. 867. 896.

Nihil magis constituit actum in libera potestate agentis, quam delectatio. 736. 737. 738. 739. 740.

Liberum, an & quidamplius postulet, quam esse voluntarium, seu procedere à voluntate absque violentia? 722. 725.

Liberum arbitrium à Prospero definitur: *rei sibi placitæ spontaneus appetitus*. 68[illegible]

Libero sola prementis cogentisque necessitatis violentia repugnat. 658. 659. 660. 661. 662. & seqq. item 732. 832.

Propositio illa: *quod voluntarium est, etiamsi ex necessitate fiat, libere fit*: quo sensu à duobus Pontificibus damnata? 731. 732

Liberum non opponitur necessitati [illegible] sed naturali: uti nec libertas necessitati, sed naturæ. 728. 729. 747.

Liberum arbitrium est causa cadendi, non verò standi. 212.

Liberum arbitrium creaturæ quantumvis integrum indiget adjutorio gratiæ ad bene operandum. 102. 112. [illegible] 934. 935. 936. 946.

Liberi arbitrij triplex status perstringitur: ad bonum tantum; ad malum tantum, ad utrumque. 77[illegible] 778. 779. 780. 781.

Liberi arbitrij negati crimen Augustino impegit Iulianus, Pelagianorum coryphæus. 600. 602. 603. [illegible] 14. 842. 843. [illegible]

Eamdem cantilenam invidiosè resumunt Neoterici, asserentes, Augustinum adversus Pelagianos dimicantem nimiâ liberi arbitrij depressione modum excessisse. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607.

Retorquetur ista querimonia in ipsos Augustini obtrectatores, qui in alterum extremum, deficiendo modum, hoc modo excedunt, dum ut Calvinismum subvertant Pelagianismum resuscitant. 602. 603.

Nec quicquam eos juvat Aristotelicæ Philosophiæ subsidium, utpote quæ in materia de libero arbitrio cum suo fœtu Pelagianismo, proscripta est. 606. 607.

Non minor est ratio deprimendi liberum arbitrium hac tempestate quam tempore Augustini; cum non minus nunc excelsiùs extollatur à Scholasticis, quam tunc à Pelagianis. 600. 601. 602. 603.

Quicquid de libero arbitrio adversus Pelagianos dimicans docuit Augustinus, id totum ante exortum Pelagianismum mentione secum litigante docuerat: adeoque [illegible] non excessisse [illegible] est excessisse. 600. 601.

Liberi arbitrij definitio Scholastico-Aristotelica, bicornem indifferentiam ad opposita importans, Augustino & Ecclesiæ per [illegible] 606.

Eam ejusmodi rei, etiam prædeterminationis physicæ assertores, nec immeritò. ibid.

Liberum arbitrium quibus phrasibus exprimant Græci Patres, & D. Thomas eos imitans. 619. 732. 733. 881.

Liberum hominis arbitrium disertis verbis negat Calvinus, & in Catholicos tam Græcos quam Latinos ob ipsius vocabuli (quod absolutum percuperet) usurpationem, impudenter stomachatur. 880. 881.

Augustini & Thomistarum de libero arbitrio sententiam, Calvinismi infamia notare: calumniosum est. 606. 607. 873. 879. 880. 881. 882. 883.

Libertas arbitrij in quo formaliter sita? 75. 76. 77. 78. 614. 615. 616. 617. 618. 628. 629. 630. & seqq. item 732. 748.

Non est formaliter carentia servitutis sed positiva perfectio eam carentiam indivulsè secum afferens. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 732. 733. 748. 749.

Libertas dominium alterius respuit & excludit. 612. 613. 732.

Libertatis totius cubile est voluntas. 622. 718.

Libertas arbitrij actiones à se procedentes respicit 620.

Libertas circa finem potissimùm versatur: quidquid reclament Neoterici asserentes eam principaliùs versari circa media. 742. 743. 744. 745.

Libertatis divisio trimembris in libertatem à necessitate, à peccato, à miseria. illustratur. 746. 747. & seqq.

Libertas à coactione quomodo aliter se habeat ad ista tria membra? 746. 747.

Libertas à peccato apud Augustinum quid: quid item libertas à justitia? 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753.

Libertas creaturæ tam à peccato quam à justitia, semper habet adjunctam aliquam servitutem: sed illa liceat & regalem, hæc miseram & mancipialem. 749. 750. 751. 752.

Libertas à peccato duos terminos respicit: unum *à quo*, alterum *ad quem*. 752. 756. 789. 790. 791.

Libertas à peccato secundum terminum *à quo*, longè aliter à Scholasticis quam ab Augustino exponitur. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760.

Libertas à peccato secundum terminum *ad quem*, juxta Augustini principia expenditur. 760. 761. 762. 763. & seqq.

Scholastici egregium suæ explicationis patronum habent Iulianum Pelagianismi architectum. 752. 753. & seqq.

Libertas operandi bonum Augustino & asseclis ipsius, nihil aliud est quam charitas. 760. 761. & seqq. item 794.

Sicut membra corporea vinculis constricta carent libertate se movendi: sic voluntas humana glutine terrenæ cupiditatis depressa, caret libertate prosequendi bonum. 613.

Sola charitatis inspiratione illud dissolvitur. 761. 76[illegible]

Libertas

Libertas hominis integri longè magis indifferens fuit ad bonum & malum, quam libertas hominis lapsi. 433. 434.
Libertas illa primæva status innocentiæ perstringitur. 94. 95. 96. 430.431.432.433.434. 1010.1011.
Libertas operandi bonum, primi peccati granditate amissa est, adeòque ejus carentia est supplicium delinquentis. 22. 23.94 95. 96.136.432.433.1012.
Vulnera duo per peccatum homini inflicta, concupiscentia & ignorantia: carentiam istam invexerunt. 28.29.38.218.219.
Libertas arbitrij an & quo sensu reperiatur in peccatoribus? 788. 789.790.791.792.793.812.813.
Libertas arbitrij adeptione beatitudinis in cælo non tollitur nec minuitur, sed perficitur. 774.775 776.777.
Libertas beatorum Deo fruentium multò perfectior est quam fuerit protoplastorum ante lapsum. 781.
Libertas non opponitur necessitati, sed naturæ: ut nec liberum necessario, sed naturali. 728.729.797.
Libertatem ex generica & essentiali sua ratione esse bicornem & ad bonum malumque indifferentem, pleuis buccis concrepant Pelagiani. 11.12.602.606.781.782. & seqq.
Eis proinde suffragantur quotquot hodie idem asserunt. 781. 782. 783.784.785.786.787.
Libertas viatorum est bicornis & ad utrumlibet indifferens; sed illa indifferentia non oritur ex generica ratione libertatis. 714. 715.716.717.725.726.727.
Libertas potest eam indifferentiam habere & rursus eadem carere absque ullo suæ naturæ præjudicio. 792. 793.
Non oritur ista indifferentia ex naturali perfectione libertatis; sed ex imperfectione adjuncta libertati viatrici: & quæ illa imperfectio? 793.794.
Non tam est naturalis conditio libertatis, quam testimonium infallibile eam præsupponens. 793.
Libertati derogat necessitas coactionis; non verò simplex & voluntaria; & qualiter hæ differant? 728.729 730.& seqq.
Libertati nihil derogat determinatio ad unicam partem contrarietatis cum carentia indifferentiæ ad alteram. 95.96.433.635. 636.637.638.639.640.& seqq. usque 713.
Id ostenditur ex libertate Dei carente omni indifferentiâ ad malum. 636.637.638. 639.714.778.782.
Item ex libertate creata Christi cui deerat indifferentia ad malum in via. 646.647.648.649.714.781.
Item ex libertate beatorum similiter ad bonum determinatâ. 638. 639.640.641.642.643.& seqq. item 714.779.780.
Item ex libertate dæmonum & damnatorum, quos liberè peccare indubicatum est; absque tamen indifferentia ad bonum. 783. 784.785.
Libertatem ex sua ratione non requirere indifferentiam ad bonum & malū, sed consistere cum necessaria determinatione ad unam partem; docuerant ante Augustinum plerique Patres. 658. 659. 660.661.662.663.
Idem constantissimè tradidit Augustinus tam ante exortum Pelagianismum, quam post. 590.600.604.624.628.629.630. & seqq.
Idipsum post Augustinum docuerunt communiter omnes usque ad Scholasticos 662.663.664.665 666.667. & seqq. usque 689.
Ex Scholasticis idem docuerunt: Magister, Halensis, Parisiensis, Altissiodorensis, Aquinas, Scotus, Bonaventura, Henricus, Medavillanus, Argentinas, Carthusianus, Marsilius, Orbellis, Brulefer, Gabriel, 688.689.690.& seqq. usque 713. item 728. 729.730.731.
Scripturæ Patres & Cōcilia quoties bicornē indifferentiā libertatis astruunt, de desultoria libertate viatorum intelligi debent: non de libertate in genere. 714.715.716.717.
Libertas arbitrij nec quidem includit aut postulat indifferentiam *contradictionis*, multo minus *contrarietatis*. 654. 655. 656.657. & seqq. 794.795.796.797.798.
Recensentur multiplices absurditates ex contraria assertione consequentes. 798.799.800.801.802.803.804.805.806.807.808.
Libertas cur minus brutis quam hominibus connaturalis; cum libertas non requirat indifferentiam ad ulla opposita? 722. 723. 724.725.
Libertatem arbitrij in quadam voluntatis *amplitudine* Neotericus quidam constituit: & quid de hujus sententiæ consonantiâ cum principijs Augustini sentiendum? 808.809.810.811.812.
Concordiam libertatis arbitrij cum gratia Christi stabilire, difficile semper visum fuit Augustino. 814 815.
Quin tamen ab Augustino rectè stabilita fuerit nemo orthodoxus post Augustinum usque ad *Molinam* in dubium revocavit. ibid.
Augustinianam methodum conciliandi gratiam cum libertate arbitrij, amplexi sunt Pontifices Zozimus & Celestinus, concinente Concilio Tridentino. 821.822.823.
Eandem disertè amplexi sunt Patres: Cyrillus Alex. Prosper, Fulgentius, Petrus Diaconus, sanctus Gregorius, Beda, Anselmus. Bernardus cum utroque Victorino. 845. 846. 847 848.849. 850 851.852.
Eidem adhæserunt Scholasticorum coryphæi. 855. 856. 857. 858. 859.
De concordia gratiæ cum libertate arbitrij summa inter Scholasticos nunc viget contentio, quæ Scholam in duas factiones distraxit. 814.815.816.817.818.819.
Vide Augustinus, gratia, Pelagiani, prædeterminatio.

LOVANIENSIS FACVLTAS THEOLOGICA.

Lovaniensis facultas Theologica Lessianam consequentiam à gratia hominis integri ad gratiam hominis lapsi, damnavit. 213. 214.
Ejus censura de gratia sufficiente Neotericorum. 250.

LVX.

Lux est adjutorium *sine quo non* videatur: non, *quo* videatur. 111.
Lux quæ sanis oculis est adjumentum: saucijs est tormentum. 80. 110. Vide homo, gratia.

M

MASSA.

MASSA quid propriè significet? & cur ab Augustino Apostolum imitante, tam crebrò usurpetur in materia de gratia & prædestinatione, pro hominibus originali labe infectis? 918. 919. 920.
Quo sensu humanum genus dicatur massa damnata, massa perditionis: & quo fermento conspersum fuerit: culpæne an concupiscentiæ? ibid.
Discretio seu liberatio temporalis à massa damnationis, est effectus prædestinationis æternæ, & quidem adæquatus. 929.
Quæ causa damnationis massæ humanæ? 929. 1010.
Massæ humanæ infectio est causa reprobationis hominum secundum considerationem absolutam: voluntas divina secundum comparativam. 1015. 1016. 1017. 1018. 1022. 1023. 1024. Vide, originale peccatum, prædestinatio, reprobatio.

MEDICVS.

Medicus per pharmaca restaurans ægros, assimilatur Deo per gratiam medicinalem sananti humanum arbitrium. 82. 83.
Medici necessitas cessat cessantibus morbis. ibid.
Medicus corporum restituta sanitate deserit ægrotos: Deus verò impios ad justificationem perductos nunquam deserit nisi prius deseratur 365.366.
Dolosi vel imperiti medici est, utilia medicamenta sic applicare ut aut obsint aut saltem non prosint. 1036.
Eum imitantur Theologi qui sanam & utilem doctrinam ita tradunt, ut desperationem lectoribus aut auditoribus ingerat magis quam confidentiam aut profectum. 1036. 1037.

MERITVM, MERCES.

Meritum & merces correlativè se respiciunt, & ejusdem ordinis esse debent. 114. 936.
Hinc ubi meritum non est liberi arbitrij sed gratiæ effectus, ipsa merces dicenda est gratia: alias non. ibid.
Sicut meritum hominis integri & Angelorum non gratiæ sed libero arbitrio adscribendum censet Augustinus, cum tamen absque gratiâ nullatenus obtineatur: ita meritū hominis lapsi non libero arbitrio sed gratiæ imputandum, quantumvis requirat influxum liberi arbitrij. 208.209.936.
Merita hominis integri & Angelorum ab Augustino appellantur merita *humana*, *sua*: & cur? 113.935. 936.937.
Merita hominis lapsi non sunt *humana*, *naturalia*; sed *divina*, *gratuita*. 113.
Merita omnia procedentia ex gratia possibilitatis subdita nutui humanæ voluntatis, sunt merita liberi arbitrij non gratiæ; humana, non divina; sua, non aliena. 125. 147. 148. 149. 150.
Meritum hominis integri & Angelorum magis adscribitur divinæ gratiæ ab Augustino, quam meritum hominis lapsi à modernis quibusdam Scholasticis. 936.

Merita Angelorum à Deo absolutè prævisa, sunt causa electionis bonorum Angelorum ad gloriam: & demerita similiter prævisa sunt causa reprobationis dæmonum ad gehennam. 943. 944. 945. 9... 1010. 1011. 1012.
Merita hominis ... causa electionis ad gloriam, sed potius effectus. ... 914. 915. 948. 949. 950. 951. 952. & seqq.
Merces importat quandam oppositionem ad donum gratuitum. 942.
Vide Adam, Angelus, electio, gratia, prædestinatio, reprobatio.

MOLINA.

Ludovicus Molina efficaciam gratiæ in cardinem humani arbitrij retrudit. 106. ...
Merita nostra & discretionem in bonum, libertati æquè adscribenda sentit; ac demerita & discretionem in malum. 120.
Vulneri quod per ejus dogma infligitur gratiæ Christi, non satis medetur præscientiæ conditionatæ emplastrum. 120.
Gratiam congruam magna verborum pompa in gratiam Christi medicinalem subvehit. 105. ...
Congruitatem illam in divina præscientia explorativa nostri consensus sub conditione præstandi, resolvit. ... 817.
Sententiam suam de concordia liberi arbitrij cum gratia, à seipso inventam gloriatur: Augustino & reliquis Theologis ignotam fuisse fatetur. 5...
Subsequentes tamen ejusdem sententiæ propugnatores, nihil verentur Augustinum obtorto collo in eandem sententiam adducere. ...
Usque ad Molinam nemo Catholicus Augustinianam gratiæ cùm libero arbitrio concordiam in dubium ausus est revocare. 814. 815.
Molina objectiones Pelagianorum Augustini scriptis immixtas, pro ipsius Augustini verbis arripit. 219. 220.
Electionem hominum lapsorum in prævisione meritorum fundat, perinde ac electionem Angelorum. 947.
Ab ejus dogmate quoad hoc punctum recedit Suarez, quamvis quoad punctum de efficacia gratiæ mirè cum eo concordet. 106. ... 161. 162. 163. 816.
Sententiam suam de efficacia gratiæ, ut dexterrimam & expeditissimam ad vitandas omnes perplexitates & angustias circa arbitrij libertatem, extollit: & Augustino adversus Semi-Pelagianos dimicanti probandam fuisse, si ei occurrisset, asseverat. 5... ...
Ex ejus dogmate sequitur discretionem in bonum non magis adscribendam esse gratiæ aut Deo gratiam inspiranti, quam discretionem in malum, tentationi aut diabolo tentationem immittenti. 120.
Adjutorium hominis lapsi ab adjutorio hominis integri aut Angeli ... non satis distinguit penes efficaciam. ibid.
In libera potestate humani arbitrij esse contendit, auxilium à Deo suppeditatum reddere efficax aut inefficax. 106.
Distinctionem gratiæ efficacis & sufficientis ab effectu sumendam esse affirmat. ibid. Vide Lessius.

N

NATVRA.

Natura non incongrua ratione appellari potest gratia. 254.
Gratia sufficiens recentiorum, natura potius dicenda est quàm gratia, & cur. 254. 255. 256. 257.
Naturam humanam peccato vitiatam aut viribus bene maleque agendi destitutam, contentiosissimè negavit Pelagius, constantissimè asseveravit Augustinus. 81. 82. 83. 85.
Si natura non fuisset peccato sauciata, Salvatoris opitulatio frustranea foret, & inanis passio mediatoris. 86. 87. 88. 89. 90. 91.
Vide, homo, Pelagius.

NECESSITAS.

Necessitas duplex, una coactionis, alia spontaneitatis: & quid utraque? 628. 629. 630.
Necessitas coactionis repugnat libertati, eaque sola. 29. 630. & seqq.
Necessitas & natura ab Augustino pro eodem reputantur: ac libertati æqualiter repugnare censentur. 631. 632. 683.
Qui necessitatem sumunt pro determinatione ad unum, tam Augustino quàm toti antiquitati adversantur. 632. 633. 634.
Augustinum per necessitatem oppositam libertati, non intellexisse determinationem ad unum agnovit præter alios D. Thomas. 634. 635.
Necessitas sumpta pro determinatione ad unum, nihil derogat libertati arbitrij. 93. 96. 433. 635. 636. 637. ... 640. 641. 642. & seqq.
Idque non solus Augustinus sensit, sed & plerique Patres vetustiores ipso. 658. 659. 660. 661. 662. 663.
Idem senserunt subsequentes Patres usque ad ætatem Scholasticorum. 663. 664. 665. 666. 667. & seqq. usque 684.
Idipsum senserunt Scholasticorum antesignani 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700 & seqq.

Dura necessitas, posse quod declinari nequit. ...
Vide coactum, coactio, liberum arbitrium, libertas.

O

OBDVRATIO, OBDVRATVS.

Obduratio quid; Quid item excæcatio. 300. 301.
Obdurati gratiam sufficientem non habent. 301. 302. 303.
Obdurati non excusantur à culpa, per impotentiam ortam ex carentia gratiæ sufficientis. ibid. & ... 322. 326. 327. 328. 339. 340. & seqq.
Solvitur objectio ex Augustino circa obdurationem pharaonis Regis Ægypti. 348. 349. 350. 351. 352. Vide, excæcatio, fides, gratia.

OPVS, OPERARI.

Opus fieri, *sicut oportet*, juxta phrasim Augustini & Conciliorum: quid? 532. 533. 534. 535.
Nullum opus fit *sicut oportet*, nisi ex justitiæ dilectione procedat. 534. 535. 536. 537.
Hinc opus factum intuitu honestatis moralis cujuscumque virtutis creatæ, non fit *sicut oportet*, 534. 535.
Hinc rursus opus factum ex timore pœnæ non fit *sicut oportet*. 540.
Concilia & patres additione particulæ *sicut oportet*, nihil favent Scholasticis operum moralium bonorum per vires naturæ eis civilium assertoribus: uti nec Pelagianis opera sterilia bona attribuentibus. 532. 533. 534. 539. 539. 541. 544.
Sicut nullum bonum ab homine gratia destituto fieri potest *sicut oportet*: ita nullum malum ad quod tentatur, vitari potest *sicut oportet*. 537.
Idcircò nullum opus fieri potest viribus naturæ *sicut oportet*, quia quicquid fit absque gratia, peccati labe aspersum est. 17. 18. 19. 2... 533. 534. 535. 536.
Inter opus factum *sicut oportet*, & opus vitiosum, Augustinus nullum agnoscit medium. 532. 533. 534. & seqq.
Scholasticorum hallucinatio circa particulam, *sicut oportet*; refertur & refellitur. 538. 539. 540. 541. 542.
Expenduntur aliæ phrases Augustinianæ eodem spectantes. 534. 535. 536. 537.
Possitne quis velle, desiderare, aut operari bonum, credere, sperare, pœnitere, Deum diligere, non *sicut oportet*: 536. 537. 541. 541. 542. 543.
Opera infidelium universim sunt peccata. 306. 307. & seqq. Vide, gratia, infideles, liberum arbitrium.

ORATIO, ORARE.

Oratio fidelium est clarissima gratiæ testificatio. 157. 158.
Oratio testatur rem petitam non esse in potestate orantis. 253. 265. 326. 327. 464.
Orare ut quis faciat quod habet in sua potestate, stultissimum est. 253. 265. 325. 326.
Hinc ex quotidiana oratione Ecclesiæ pro divino auxilio, evertitur assertio gratiæ sufficientis omnibus in manica paratæ. ibid.
Orare pro reprobis cognitis, an liceat? 388. 389. 390. Vide, gratia, reprobatio.

ORIGINALE PECCATVM.

Originale peccatum est causa reprobationis non solum eorum qui in eo decedunt: sed etiam eorum quibus per baptismum remissum fuerit. 1019. 1020. 1021. 1022.
Solvitur objectio ex verbis Concilij Tridentini. 1021. 1022.
Originalis peccati pœnas magis extenuant Scholastici quam Pelagiani. 600. Vide, reprobatio.

P

PANIS.

Panis quotidianus quem in oratione dominica petimus, qua ratione dicatur *panis noster*, cum sit donum Dei. 246.
Panis iste Deo donante fit noster: sed nobis superbientibus efficitur alienus. ibid.
Hinc illustrantur quædam phrases Augustini, quibus ait, *velle, nolle, consentire, dissentire*, esse nostræ propriæ voluntatis: absque ullo præjudicio gratiæ voluntatem præparantis. 242. 243. 244. 245. 246. 247.

PECCATVM, PECCATOR.

Peccati definitio Augustiniana perstringitur. 778. 779.
Peccandi potestas, nec libertas est nec pars libertatis. 654. 778.
Creaturis accidit eo quod ex nihilo factæ sunt. ... 777.
Peccatum nequit esse præparatio, dispositio aut occasio percipiendæ gratiæ: adeoque cum homo gratia destitutus nihil possit nisi peccare, nullo modo ad gratiam se disponere valet. 17. ... 21. 22. 23. 24. ...
Minora peccata non sunt regula distributionis gratiæ; ut patet in parvulis solo originali labe infectis, quos Deus nonnunquam absque gratia mori permittit. 19. 20.

Peccati

TOMI TERTII.

Peccata omnia hominis lapsi ex ignorantia aut concupiscentia procedunt. 91. 218. 219.

Peccatum non ex timore pœnæ, sed ex amore justitiæ vitari debet, alioquin non vitatur *sicut oportet*. 408. 409. 412. 537.

Sicut universa peccata hominis lapsi procedunt ex delectatione terrena: ita omne bonum opus ex delectatione cœlesti ac spirituali, quæ est gratia medicinalis. 404. 405. 406 406.

Peccatum primum protoplastorum & peccata personalia posterorum qualiter differant in modo perpetrandi? 91. 218.

Peccati justissima pœna est; ut is qui noluit velle bonum cùm posset, amittat posse cum vellet. 19.

Hinc excæcatos & obduratos non excusat impotentia benè agendi absque gratia sufficiente; quia hujus subtractio est pœna præcedentium peccatorum. 300. 301. 302. 324. 325. & seqq.

Peccatum nequit esse effectus prædestinationis, & cur? 894. 895 896. 897. 899. 900. (1016. & seqq.

Peccatum non est effectus reprobationis, sed causa. 1014. 1015.

Permissio primi peccati sive Angelorum sive hominum, non fuit effectus reprobationis Angelicæ aut humanæ: uti nec prædestinationis. 920. 921. 922. 923. & seqq. Item 1013. 1026. 1027.

Permissio peccatorum personalium hominis lapsi per excæcationem, obdurationem, desertionem, est effectus reprobationis. 1024. 1025. 1026.

Peccatum & prævaricatio qualiter differant? qualiter item peccator & prævaricator? 37 38. & seqq. (792 693. & seqq.

Peccator antiquo sensu policat liberum arbitrium. 768. 789. 790. 791.

Vide liberum arbitrium, prædestinatio, reprobatio.

PELAGIVS, PELAGIANI, PELAGIANISMVS.

Pelagius celeberrimi perspicacissimique ingenij fuit. 81. 82.

Ejus adversus Augustinum conflictus de humanæ naturæ integritate non obstante lapsu protoplasti, potissimum inchoatus fuit & continuatus. 81. 82. 1 84. 484. 580. 481. 482. 483. 484.

Adjutorium possibilitatis & *sine quo non*, lubens admittebat: sed sufficientiam ejus post Adæ lapsum non minus quam ante astruendo, pertinacissimè errabat. 81. 82. 124. 184. 480. 482. 484.

Gratiæ necessitatē ad tollēda præterita peccata admisit: ad cavēda futura, admittere detrectavit: & cur? 82 83. 84. 85. 484. 621.

Dogma istud crucem Salvatoris funditùs evacuat. 82. 83. 84. 85. 86.

Pelagij certamen cum Augustino de gratia, in duobus potissimùm consistebat: & quæ illa? 121. 125 126. 184. 480. 482. 484. 487.

Pelagius qualnam gratias generatim admiserit: & quas admittere detrectaverit? 121. 126. 127. 128. 151. 157. 487. 488.

Pelagij decantatissima cantilena: *Bene velle & nolle ex humani arbitrio fonte descendere.* 122. 621.

Hinc adjutorium voluntatis & operis summopere horruit agnoscere. 128. 129. 130. 131. 132.

Pelagiani Aristotelicam philosophiam plenis buccis concrepant, in materia de libertate arbitrij. 606. 607.

Catholicis fati assertionem calumniosè impingunt: & cur? 830.

Non solum in bonis actibus sed & in malis tolli libertatem abitrij in Augustiniana gratiæ prædicatione, calumniantur. 842. 843. 844.

Catholicis falsò imponunt, quod asserant voluntatem hominis gratiâ præventam nihil agere, sed solam gratiam operari effectus. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 862. (487. 488.

Pelagiani gratiam intellectus ultrò admittunt: & quid illa? 26. 27.

Vires liberi arbitrij nimis superbè extollunt. 129. 130. 617. 820. 821.

Liberum ipsum arbitrium pro gratia obtrudunt, ad eludendas Scripturas necessitatem gratiæ adstruentes. 222. 223.

Electionem nullam agnoscunt nisi quam præcesserit meritorum disparitas. 908. 909.

Victoriam tentationum libero adscribunt arbitrio. 145. 621.

Augustino tamen negatæ libertatis arbitrij affingunt: & cur? 600. 602. 603. 604. 814. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 864.

Adversus istam calumniam Augustinus scripsit librum de gratia & libero arbitrio. 838. 839.

Pelagiani à Neotericis traducuntur tanquam omnis internæ gratiæ negatores: sed traductio illa conficta est ab ijs eo fine ut se à Pelagianismi nota abstergant. 105.

Pelagiani veræ gratiæ hostes fuerunt, sed non adulteratæ. 81. 82. 124. 184. 408. 409. 480. 482. 484.

Pelagianismus Semi-pelagianismum peperit. 910.

Pelagianismi tertius status, Iudaismus: & quid ille? 26 27.

Pelagianismum resuscitant assertores bicornis indifferentiæ liberi arbitrij. 601. 606. 780. 781. 782. & seqq.

PHARAO.

Pharaonis flagellatio quamvis non habuerit rationem congruæ vocationis respectu ipsius jam obdurati: habuit tamen respectu aliorum quibus prædicata est. 231. 274.

Pharaonem à culpa an excusaverit impotentia obtemperandi orta ex obduratione? 348. 349. 350. 351. 352.

Expenduntur verba Augustini olim errantis, quibus ait: *Pharaoni non imputabatur quod obduratus obtemperare non poterat*. ibid.

Vide excæcatio, gratia, libertas, obduratio, peccatum.

PHILOSOPHIA, PHILOSOPHVS.

Philosophia præsertim Aristotelica seminarium multorum errorum. 604. 606. 882.

Eam plenis buccis concrepant Pelagiani: & cum ijs damnata est quoad assertionem libertatis ad utrumlibet bicornis. 606.

Ad eam nihilominus recurrunt passim recentiores pro haurienda notitia liberi arbitrij, contemptis Ecclesiæ promptuarijs. 604. 605.

Philosophorum virtutes sunt vitia. 19. 23. 496.

Vide Aristoteles, infideles, Pelagiani.

PERSEVERANTIA.

Perseverantia constituta fuerat in libera potestate hominis integri, uti & Angelorum. 109. 1010. 1011.

Nec homo integer nec Angelus absque gratiæ adjutorio perseverare poterat. 102. 112. 124. 126. 432. 933. 934. 935. 936. 946.

Cur homini integro datum fuerit posse perseverare si vellet: homini autem lapso datur velle. 102. 109. 111. 432. 937.

Homo integer aliquantulo tempore usus est sua possibilitate perseverandi. 112.

Angeli per liberum arbitrium steterunt perseverantes, & sive perseverantiæ arbitrariæ indefectibilitatis perpetuæ præmium receperunt. 113. 114. 115. 116. 124. 130. 781. 946.

Perseverantia Angelorum prævisa, fuit causa non effectus prædestinationis eorum ad gloriam. 940. 941. 942. 943.

Perseverantia hominis lapsi est effectus non causa prædestinationis & electionis ad gloriam. 915. 916. & seqq.

Vide Adam, Angelus, electio, gratia, prædestinatio, reprobatio.

PRÆDETERMINATIO PHYSICA.

Prædeterminatio physica & adjutorium gratiæ medicinalis ab Augustino assertum, in quibus conveniant & discrepent. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826.

Prædeterminationis physicæ primi assertores, Augustini sententiā de gratia salvatrice viderunt ac tenuerunt: sed posteriores multa ex philosophia peripatetica adjecerunt, Augustino capitaliter adversa. 819. 821. 822. 823.

Qui prædeterminationem physicā in generali subordinatione causæ secundæ ad primam fundant, adeò ut eam ad gratiam hominis integri & Angelorum extendant; Augustini doctrinam funditùs pervertunt. 820. 821. 822.

Magis sunt Aristotelici quàm Augustiniani. 822. 822.

Radicem necessitatis gratiæ medicinalis obscurant. ibid.

Prædeterminationis physicæ assertores, gratiæ congruæ propugnatoribus vitio vertunt quod divinam gratiam extenuent, & libertatem arbitrij nimis extollendo Pelagianismū resuscitent. 817.

Hi illis è contra improperant quod nimis extollant gratiam, & libertatem arbitrij plus æquo deprimendo, Calvinismum inve-hant. ibid.

Gratia Christi medicinalis voluntatem prædeterminat physicè juxta principia Augustini. 822. 823. 824. 825. & seqq.

Prædeterminationis physicæ ampliatores ad omnes effectus creaturæ rationalis etiā malos, Scripturas prædicantes singularem Dei beneficiā in nostris operibus bonis, obscurant & enervāt. 822.

Conciliatur prædeterminatio physica cum libertate arbitrij juxta principia Scholasticorum. 826. 825. 826. 827.

Recensentur 7. discrimina inter prædeterminationē physicā modernorū & gratiā medicinalē Augustinianā. 818. 819. 820. 821 822. 823.

Quicquid adversus prædeterminationem physicam tanquam libertatis vulnerativam adducitur, unica sensus compositi & divisi distinctione dissipatur. 825. 826.

Ad eam tamen distinctionem nusquam confugit Augustinus, gratiæ medicinalis prædeterminativam vim astruens. 826. 827. 828. 829. 830. 831. & seqq.

Assignatur genuinus modus conciliandi libertatem arbitrij cum gratia physicè prædeterminante, juxta principia Augustini: & fusè ex varijs capitibus probatur. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 735. 836. & seqq.

Augustinianū modum conciliandi gratiā physicè prædeterminantem cum libertate arbitrij amplexi sunt sequentes Patres usque ad Scholasticos. 844. 845. usque ad 855. (858. 859.

Eundem amplexi sunt Scholasticorum coryphæi 854. 855. 856. 857.

Favent Pontifices Zozimus & Celestinus, ac novissimè Concilium Tridentinum. 860. 861. 862. 863.

Vindicatur modus iste à calumnia Calvinismi. 878. 879. 879. 880. 881. 882. 883.

Prædeterminationis physicæ assertores etiamnum reprobant vulgatam definitionem liberi arbitrij ex Aristotelica philosophia haustam, nec immeritò. 866.

Definitio ista capitaliter inimica est gratiæ Christi medicinali, nec Augustino aut discipulis ipsius unquā nota fuit aut probata. 866.

Vide Augustinus, gratia, liberum arbitrium, Pelagiani, Philosophia.

phia, voluntas.

PRÆDESTINATIO. (887.

Prædestinationis nomen expenditur & anatomizatur. 845. 884. 886.
Prædestinatio, dilectio, electio, propositum, præparatio gratiæ, discretio; an & qualiter differant? 902. 903. 904. 905.
Prædestinatio Augustiniana & gratia medicinalis, se invicem respiciunt ut causa & effectus: nec altera sine altera intelligi potest. 882. 883. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. & seqq.
Varietas opinionum de gratia procreat similem varietatem opinionum de prædestinatione, & è converso 882. 883.
Doctrinam de prædestinatione & gratia, magis ex peripatetica philosophia quam ex Augustiniana Theologia hauserunt recentiores. ibid.
Prædestinatio non est de rebus æternis & immutabilibus, sed de temporalibus & contingentibus. 888.
Prædestinatio indiscriminatim respicit finem & media: gloriam & gratiam, præmium & meritum. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895.
Non respicit malum culpæ. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900.
Non respicit nisi ea quæ per ipsum Deum præstituentem, efficienda sunt. 888. 901. 937. 938. 939. 940.
Prædestinatio alia ad vitam alia ad mortem. 895. 898. 897. 898.
Eam divisionē non solum Augustinus cum suis discipulis Prospero & Fulgentio, sed & synodus Valentina tradit. 896. 897. 898. 899.
Falsò afferunt recentiores prædestinationem ad mortem carere fundamento in Scripturis. 898. 899. 900.
Falsò ijdem contendunt, sola supernaturalia bona cadere sub prædestinationem. 898.
Prædestinatio quo sensu à Patribus dividatur in prædestinationem gratiæ & prædestinationem justitiæ? 899. 900.
Item in prædestinationem ad bonum, & prædestinationem ad malum: sive prædestinationem misericordiæ & prædestinationem judicij? 89.
Falsò afferunt recentiores, non esse in rigoroso sensu verum, quod homo prædestinetur ad pœnam. 898. 899. 900.
Prædestinatio ad bonum temporaliter solùm duraturum, absolutè non est dicenda prædestinatio. 900. 902. 903.
Prædestinatio apud Augustinum alia est gratiæ alia meritorum: & quid utraque? 905. 906. 907. 908. 909. 910. & seqq.
Prædestinationis vulgata definitio ex Augustino desumpta membratim exponitur. 914. 915. 916. 917. 918. & seqq.
Eâ definitione non comprehenditur quævis prædestinatio, sed illa solùm quæ in bono est, ipso Augustino testante. 900.
Quænam ex tribus divinis scientijs intelligenda sit nomine præscientiæ in ea definitione? 916. 917. 918. 919. 920. 921. 989. 990.
Beneficia divina in quorum præparatione consistit prædestinatio, recensentur & expenduntur. 888. 889. 914. 915. 916.
Prædestinatio ex mente Augustini non consistit formaliter in præscientia sed in præparatione; adeoque non est actus intellectus divini sed voluntatis. 920. 921.
Id sensisse Augustinum, non solùm Prosper, Hilarius, & Fulgentius discipuli sed & Massilienses adversarij palàm agnoverũt. 921.
Prædestinatio non aliter respicit gratiam & gloriam nisi quatenus sunt beneficia liberationis. 922.
Prædestinatio Augustiniana præsupponit lapsum humani generis, & massam perditionis. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931.
Massa illa cur dicatur perditionis, damnationis, damnata? & quo fermento conspersa fuerit? 928. 929. 930. 931. 1019.
Prædestinationis Augustinianæ adæquatus effectus est liberatio: & quid hæc? quosque terminos respiciat? 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. & seqq. (bitudinem. 938.
Prædestinatio & præscientia reciprocam ad invicem important habitudinem. 938.
Prædestinatio gratiæ in Angelis non habet locum: & cur? 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939.
Nec in hominibus habuisset stante innocentiæ statu. 945.
Solvitur difficultas de prædestinatione hominum in statu innocentiæ, desumpta ex verbis Augustini. 945. 950.
Prædestinatio justitiæ & meritorum in Angelis habuit locum, habuissetque in hominibus persistentibus in statu innocentiæ. 942. 943. 944. 945. 946. & seqq.
Durante statu innocentiæ totidem homines fuissent prædestinati prædestinatione justitiæ, quod nunc prædestinatione gratiæ: id est soli nascerentur. 1006. 1007.
Prædestinatorum numerus longè minor est quam reprobatorum: & cur? 1056. 1057.
Prædestinatorum numerus quo pacto certus ac determinatus, an ex prædefinitione divina, an ex mera præscientia? 1004. 1005. 1006. 1007. 1008. 1009. 1010. 1011.
Prædestinati homines supplent ruinas Angelorum apostatantium, supplevissentque in statu innocentiæ. 1006. 1007. 1008. 1009.
Prædestinatio & reprobatio, status & lapsus, gloria & damnatio; suspensa fuerunt à libero arbitrio Angelorum & hominum innocentium. 1010. 1011.
Prædestinatio hominum ad gratiam & gloriam prior est omni prævisione meritorum. 948. 949. 950. 951. & seqq. (991.
Id tamen non est fidei, nec ut fidei dogma ab Aug. traditum. 990.
Solvitur difficultas ex verbis Augustini quibus ait, neminem contra eam prædestinationem quam ex Scripturis defenderet, disputare posse nisi errando. ibid.
Prædestinatio prævisione meritorum anterior, non est simpliciter necessaria salvandis hominibus. 950. 951.
Prædestinatio creaturarum rationalium quo ordine ac methodo generatim peracta fuerit? 1005. 1006. 1007. 1008. 1009.
Prædestinatio absoluta ad gloriam ante prævisionem meritorum astruitur ex Scripturis. 954. 955. 956. 957. & seqq. (965.
Eadē astruitur ex generalibus August. locutionibus. 962. 963. 964.
Item ex singulari providentia circa parvulos. 964. 965. 966. 967.
Item ex cura extraordinaria circa quosdam adultos. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972.
Item ex opposita voluntate Dei, quæ est cardo gubernationis reproborum. 972. 973. 974. 975. 976. 977.
Item ex divina vocatione *secundum propositum*: & ostenditur propositum istud antecedere omnem absolutam prævisionem meritorum. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986.
Item ex querimonijs semi-pelagianorum de Augustini doctrina; quę manifestè supponunt Augustinum non aliam agnovisse prędestinationem ad gloriam nisi eam quæ omnia merita prævisa antecedat. 986. 987. 988. 989.
Diluuntur objectiones ex Scripturis quas adversarij in suam partem obtorquent. 958. 959. 960. 961. 962. 963.
Solvuntur objectiones ex Augustino partim olim errante, partim malè intellecto, desumptæ. 988. 989. 990. 991. 992. 993.
Solvitur objectio desumpta ex sinceritate divinæ voluntatis, qua vult omnes homines salvos fieri: & explicatur illa voluntas, remissive. 1028. (remissive. ibid.
Diluitur objectio sumpta ex generalitate redemptionis Christi,
Satisfit argumento desumpto ex divinis promissionibus quibus promittitur gloria sub conditione observationis mandatorum absque ullius personæ exceptione. 1028. 1029.
Diluitur argumentum sumptum ex divina bonitate cui repugnat, humanæ saluti insidiari, eamque de industria impedire. 1032. 1033. 1034. 1035.
Retorquetur argumentum istud in suum authorem. 1034. 1035.
Solvitur objectio desumpta ex incommodis socordiæ ac desperationis, quas Augustiniana sententia patitura prætenditur. 1036. 1037. 1038. 1039.
Retorquetur argumentũ in authorem, propter divinam præscientiã, quam non negat nec negare potest. 1036. 1037. 1038. 1039. 1040.
Solvitur & retorquetur objectio petita ab incommodis sublati zeli animarum; invecti scandali; inductæ dissolutionis ac licentiæ vivendi; inutilitatis correptionum, exhortationum ac suasionum. 1040. 1041. 1042. 1043. 1044. 1045.
Solvitur objectio petita ex parte divinę bonitatis ac clementię cui repugnare prętenditur, creare & conservare reprobos ad meram damnationem & interitum sempiternum. 1046. 1047. 1048. 1049. & seqq.
Prædestinatio Augustiniana ijsdem argumentis à modernis Scholasticis impetitur, quibus olim à Massiliensibus impetita fuerat. 991. 1011. 1028. 1029. 1030. 1031. 1032. usque 1047.
Prædestinatis omnia cooperantur in bonum, sicut reprobis omnia in malum. 1026. (1050. & seqq.
Propter prædestinatos reprobi nascuntur ac foventur. 1048. 1049.
Expenduntur multiplices fructus & utilitates prædestinatis ex reproborum societate obvenientes. 1050. 1051. 1052. 1053. 1054. 1055. 1056. 1057. & seqq.
Prædestinatorum typum gessit Iacob: reproborum, Esau & Chanaan. 1019. 1062. 1063.
Vide Adam, Angelus, electio, gratia, Lessius, reprobatio.

PRÆSCIENTIA.

Præscientia divina alia est absoluta alia conditionata: & quid utraque? 916. 917. 918. 919. 920.
Præscientia conditionalium ordine rationis mediat inter scientiam simplicis intelligentię & præscientiam absolutè futurorum; & ob id *media* dicitur. 916.
Præscientia conditionalium nullatenus Deo deneganda est juxta Augustini principia. 920.
Magnus tamen ejus abusus viget apud gratiæ congruæ procusores. 105. 106. 120. 121. 228. 229. 230. 261. 262. 817. 916. 917. 918.
Præscientiam divinam detestabili argumento negavit Cicero, ut arbitrij libertatem salvaret. 626. 627.
Præscientiam divinam cum libertate arbitrij qualiter conciliet Augustinus adversus Ciceronem. 623. 626.
Præscientię divinę emplastrũ non satis medetur vulneri quod gratię Christi medicinali infligunt assertores gratię congruę. 120. 121.

Præ-

Præscientia divina conditionalium non facit ut gratia Christi humanam sibi subdat voluntatem, quod tamen ad veram gratiam requirit Prosper. 122.
Præscientia Dei quam in definitione prædestinationis Augustinus adjungit præparationi, expenditur. 916. 917. 918. 919. 920. 921.
Incommoda quæ ex prædestinatione Augustiniana sequi prætendunt adversarii, non magis ex ea sequuntur quam ex præscientia quæ ab ipsis agnoscitur & agnosci debet. 1037. 1038. 1039. 1040. 1041. & seqq. Vide Deus, electio, gratia, libertas, prædestinatio.

PROPOSITVM.

Propositum. Vide Deus, discretio, gratia, prædestinatio, vocatio.

PRVDENTIA.

Prudentia virtus cardinalis, in quo sita? quænam ejus functio, & quod objectum? 503. 504. 505.
Non tam ad intellectum quam ad voluntatem spectat. ibid.
Est ipsa Theologica charitas certo modo restricta. 502. 503. 504. 505.
Vide charitas, virtus.

R

REMISSIO PECCATORVM.

Remissio peccatorum est quidem gratia, sed non tam ad actualem quam ad habitualem gratiam reducenda. 29
Eam nomine liberationis arbitrii præcaptivati intelligi debere, concedunt Neoterici, sed rejiciuntur. 9. 10. 82. 83. 84. 85
Eam esse gratuitam, palam agnoverunt Pelagiani: quamvis ad cavenda futura peccata necessitatem gratiæ non agnoverint. 82. 151. Vide, arbitrium, gratia, liberum, Pelagiani.

REPROBATIO, REPROBVS

Reprobatio apud Augustinum quid? quid item reprobati. 925. 926.
Reprobatio alia negativa alia positiva. & quid utraque. 1012. 1013. 1014.
Reprobatio Angelorum tam positiva quam negativa præsupponit prævisionem lapsus Angelici: sicut & prædestinatio prævisionem perseverantiæ. 1010. 1011. 1012. 1013. 1014.
Hinc permissio lapsus Angelici non fuit effectus reprobationis sive positivæ sive negativæ. 1013. 1026. 1027.
Reprobatio hominum præsupponit lapsum Adæ & massam humani generis, originalis peccati fermento conspersam. 1012. 1013. 1014. 1015. 1018. 1019.
Non solum originale, sed & universa actualia peccata reproborum concurrunt ad completam eorum reprobationem. 1019.
Solvitur difficultas de peccatis per sacramenta plenè remissis non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam. 1021. 1022.
Causa reprobationis unius hominis lapsi præ altero, est merum Dei beneplacitum. 1022. 1023. 1024. 1025.
Reprobationis humanæ tam positivæ quàm negativæ ordo ac modus perstringitur. 1012. 1013. 1014. 1015. 1018. 1019.
Permissio primi lapsus Adæ non fuit effectus reprobationis hominum sive negativæ sive positivæ. 1024. 1026. 1027.
Reprobationis negativæ nullus est usus in doctrina Augustini, sive circa homines, sive circa Angelos. 1018. 1019.
Reprobationis effectus sunt excæcatio, obduratio, damnatio. 1024. 1025. 1026. 1027.
Reprobi an per Christum redempti? 380. 381. 382. 383. 384. & seqq.
Pro reprobis cognitis non magis licet nobis orare, quam pro dæmonibus: juxta Augustinum. 389. 390.
Pro reprobis præparatam esse gratiam sufficientem, & pro iis passum esse Christum, Scholastici plerique sentiunt: sed August. contrarium asseverat. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 489. 390. 1016. 1028.
Augustini doctrinam quoad hoc punctum, ut Catholicam approbavit synodus Valentina. 385.
Eandem amplexus est Prosper Augustini discipulus. 381.
Eidem suffragatur Remigius præsul Lugdunensis. 384. 385.
Reprobis omnia cooperantur in malum, perinde ac electis in bonum. 1026
Reprobi non tam propter seipsos quam propter electos, nascuntur, conservantur, gubernantur. 1048. 1049. & seqq.
Reprobi electorum servituti destinati sunt: & in quo sita illa servitus? 1062. 1063.
Servitutem illam præfiguravit servitus inflicta Chanaan & Esau, reproborum omnium typis. 1019. 1062. 1063. [1056. 1057.
Reproborum multitudo longè copiosior est quam electorum: & cur?
Absque reproborum cooperatione electi non possent in bonum adeò proficere. 1067.
Reprobi electos probant, exercent, erudiunt, manifestant, provehunt. 1058. 1059. 1060. 1063.
Recensentur varia documenta salutaria, quæ ex reproborum societate percipiunt electi. 1052. 1053. 1054. 1055. 1056.
Ex reproborum admixtione tres fructus in electos redundant: & quinam illi? 1050. 1051. & seqq. usque 1063.
Reprobi ornatum præsentis sæculi augent. 1050. 1054. 1064.
Vide electio, prædestinatio.

S

SAPIENS, SAPIENTIA.

Sapiens à stulto qualiter differat juxta Stoicos? 611.
Sapientia vera cujus initium est timor Domini, nihil est aliud Augustino nisi charitas. 546.

SCHOLASTICI.

Scholastici in duas factiones distracti circa efficaciam gratiæ salvatricis. 816. 817.
Scholastica Theologia agnominatur *contentiosa*. 796.
Scholasticorum ab Augustiniana doctrina passim deflectentium invidiosa cantilena de exorbitantia Augustini, refertur & retunditur. 599. 600. 606. 607.
Eorum os obstruitur oraculo Papæ Celestini. 602. 603.
Scholastici libertatem à peccato longè aliter exponunt quam Augustinus. 752. 753. 754. 755. & seqq.
Scholastici propriis opinionibus præoccupati, sanctorum Patrum verba quoquo modo in suas partes trahunt. 221.
Plus sudant pro conceptam suam opinionem in Patribus stabiliendo, quam genuinum sensum Patrum indagando. 242.
Scholastici gratiæ congruæ procuratores, vires liberi arbitrij lapsi, fortiores statuunt quam integri. 240.
Ab August. sensibus longissimè aberrant. 201. 213. 219. 947. 990. 991.
Pelagianorum objectiones pro Augustini verbis obtrudunt. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 1070.
Eorum crebræ hallucinationes circa adjutorium gratiæ ad benè vivendum, necessarium. 92. 93. 167. 168. 201. 202. 220. 228. 947.
Pro gratia inter Aug. & Pelag. controversia, varia somnia obtrudunt quæ disceptantibus nunquam venerunt in mentem. 167. 168. 240. Vide, Augustinus, Bellarminus, Lessius, Molina, Suarez, Vasquez.

SCOTVS.

Scotus totius Scholasticæ subtilitatis coryphæus. 700. 796. 797.
Scholasticorum subtilissimus, judicio omnium. 728. 729. 730. 797.
Determinationem ad unã partẽ contrarietatis aut contradictionis nihil derogare libertati arbitrij sentit; adeoque eundem actum voluntatis liberum & simul necessarium astruit. 700. 728. 797.
Augustinianam methodum conciliandi gratiam Christi cum libertate arbitrij amplectitur. 865.
Vide Augustinus, gratia, libertas, Scholastici.

SEMI-PELAGIANI, SEMI-PELAGIANISMVS.

Semi-pelagiani non fuerunt hostes alterius gratiæ quam illius quæ nutui voluntatis non subesset. 151. 938.
Necessitatem internæ actualisque gratiæ *sine qua non*, agnoverunt, tam respectu initij fidei, quam orationis & omnium piorum desideriorum. 131. 132. 150. 215. 938. 939.
Perseverantiam hominis lapsi in cardinem liberi arbitrij refuderunt, sine exclusione tamen gratiæ possibilitatis. 151. 938.
Ideo potissimùm proscripti sunt, quod gratiam sufficientem nutui voluntatis lapsæ subditam astruerent. 152.
Semi-pelagianismus unde ortus? 126. 131. 132. 1011. 1014
Perstringitur. 131. 132. 133. 134. 135. 226. 542. 543. 938. 939. 946.
Vide, Faciens quod in se est, gratia, Lessius, Molina, Pelagiani.

SERVVS, SERVITVS.

Servus à servando derivatus: & qualiter? 612.
Servus ut talis dominium alterius respicit. 612. 613. 614.
Servus opponitur libero, & servitus libertati. ibid.
Servitus arbitrij à qua per gratiam liberatur: in quo sita? 10. 11. 12. 16. 611. 612. 922. 923.
Vide arbitrium, gratia, liberatio, libertas.

SPES.

Spes theologica non fertur in Deum amore concupiscentiali sed charitativo. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527.
Præsupponit in sperante charitatem saltem imperfectam, aut potius ipsamet est charitas. 520. 521.
Potest ferri in Deum gratis, non obstante respectu mercedis adjuncto. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. Vide, charitas, fides.

STATVS

Status hominum triplex post lapsum: sub natura, sub lege, sub gratia & singuli perstringuntur. 26. 27. 28. & seqq.
Status hominum generatim quadruplex: ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. 57. 58. 59. 60.

STOICI.

Stoici res quasdam necessitati fatali subditas statuunt: quasdam ab ea eximunt. 633.
Voluntatem non nisi bonis & sapientibus tribuunt: stultis verò discolis non voluntatem sed cupiditatem dant. 611.
Tres *constantias* in animo sapientis pro tribus stultorum passionibus constituunt: voluntatem pro cupiditate, gaudium pro lætitia, cautionem pro metu. 611.

SVAREZ.

Suarez duplici aberratione Philosophiam & Theologiam uno

ictu

ictu jugulat. 933.
Docet determinationem ad agendum cum gratia, esse propriam voluntatis: Augustinumque pro se citat, sed ficticia citatione. 242. 243. 244. 245.
Pelagianorum objectiones Augustino adscribit, ipsique sua dogmata stabilire satagit. 219, 220, 221, 224.
In sententiam Molinæ & Lessij de efficacia gratiæ necessariò relabitur, quantumvis ab ijs recedat circa divinas prędefinitiones. 106. 107. 261. 262. 263. 816. 817.
Suarez præcipuus architectus gratiæ congruæ fundatę in præscientia conditionalium. 261, 262. 263. (gloriam. 946. 948.
Graviter hallucinatur circa electionem Angelorum sanctorum ad
Imperitiam suam in doctrina ac principijs Augustini insigniter prodidit more philosophandi modo. 948. (106. 107. 108.
De adjutorio quo datur nobis velle & operari, non rectè sentit. 105.
Liberum arbitrium constituit causam directam & principalem determinationis ad agendum hic & nunc. 106. 107. 108.
Vide Bellarminus, Lessius, Molina, Scholastici, Vasquez.

T

TENTATIO.

Tentatio an victoria non libero arbitrio, sed gratiæ adscribenda: quique id reclament Pelagiani. 82. 83. 89. 90. 484. 611.
Tentatio non reputatur veraciter victa, nisi Dei amore vincatur. 557.
Fideles & justi orantes ne inducantur in tentationem, adjutorium actuale voluntatis & operis postulant: non remissionem peccatorum, nec gratiam habitualem ejusve adjutorium. 90. 167. 168. 169.
Induci in tentationem quid? quid item non induci? 90.
Tentationis influxus in opus pravum à Neotericis assimilatur influxui gratiæ medicinalis in opus bonum: sed perperam. 120.
E duobus æq. ali tentatione pulsatis, & æquali gratiâ instructis, an possit alter tentationem vincere, altero succumbente? 236. 237. 238. 239. 240. 241.
Augustiniana ad istam interrogationem responsio, Neotericos gratiæ congruæ præcursores non adjuvat sed jugulat: quicquid ipsi in contrarium obnicantur. 240. 241.
Vide Augustinus, gratia, Lessius, liberum arbitrium, Molina.

TEMPERANTIA.

Temperantia quæ est virtus cardinalis, in quo consistat? quæ ejus functio, & quod objectum? 503. 504. 505. & seqq.
Est germen amoris charitativi justitiæ sempiternæ, sicut & reliquæ virtutes cardinales. 502. 503. Vide charitas, virtus.

TESTAMENTVM.

Testamentum. Vide Iudæi, lex.

S. THOMAS AQVINAS.

S. Thomas negat liberum arbitrium cogi posse. 698.
Quibus phrasibus exprimat liberum arbitrium, Græcis Patribus succinens? 619.
Qua ratione Dei imaginem homini impressam asserat? & in quo sita illa imago participata? ibid.
Beatis Deo fruentibus libertatem arbitrij attribuit. 701.
Negat simplicem necessitatem derogare libertati. 698.
Naturalem arbitrij libertatem in carentia coactionis constituit, Augustino suffragans. 698. 699. 700. 701. 730.
Augustinianam methodum conciliandi gratiam cum libertate arbitrij amplectitur. 795. 812. 858. 859.
Nec S. Thomas nec ullus post Augustinum usque ad recentiores Scholasticos meminit gratiæ sufficientis, quam moderni obtrudere contendunt. 251.

TIMOR.

Timor formaliter est amor fugiens quod sibi adversatur. 544.
Timor alius castus & filialis, alius spurius & servilis: ex solo priore salubriter implentur mandata. 485. 486.
Timor castus nascitur ex amore charitativo. 544. 548. 549. (& seqq.
Timor gehennæ per se spectatus, licitus, rectus & honestus est. 543.
Per timorem Dei ad Dei amorem pervenitur. 546. 597.
Timor pœnæ est initium sapientiæ sed extrinsecum, quod ab ipsa sapientia quæ charitas est, perinde ac seta à subsequente filo, expellitur. 546. 547. 548. 549. 557. 558.
Solvitur objectio ex verbis Augustini petita. 549.
An & qualiter timor pœnæ nascatur ex gratia Christi medicinali? 549. 550. 551. 552. 553. 554. & seqq.
Timor pœnæ justitiam operatur, non quæ ex Deo est per gratiam Christi, sed quæ ex lege & nobis est. 556. 557. 558. 559. 560. 584. 585
Timor pœnæ etiam æternæ oritur ex amore creaturæ, utpote ipsius timentis. 554. 555. 556. & seqq. Item 580. & seqq. (560.
Timor gehennæ est ex natura, sed præinstructâ fide divinâ. 558. 559.
Ex puro timore pœnæ nequit vitari unum peccatum quin incidatur in alterum. 560. 561. 562. 563. (punè. 562. 565.
Vitans peccatum ex timore pœnæ, mallet non vitare si posset im-
In eo viget peccandi voluntas, quæ se prodit in opere quando proponitur impunitas. 563. 564. 565. 566. 567.
Aperitur radix hujus doctrinæ. 566. 567. 568. 569. & seqq.
Opus bonum ex timore exercitum est mixtum ex voluntario simpliciter & involuntario secundum quid. 566. 567. 568.
An id obtineat etiam in casu quo opus ex timore factum habet aliunde honestatem? 569. 570. 571.
An & qua ratione timor sit coactus? 570. 571.
Qui ex timore pœnæ legem implet, invitus implet; adeoque non ex animo implet. 570. 571. 573. 577. 579. (574. 575. 576.
Timor pœnæ non mutat pravam voluntatem in rectam. 572. 573.
Timens gehennam, non peccare, sed ardere metuit. 575. 578. 597.
Timor gehennæ à Scholasticis procusus, procul distat ab attritione quam synodus Tridentina tanquam dispositionem ad pœnitentiæ Sacramentum approbat. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 597.
Timor est servus charitatis. 598. Vide attritio, charitas.

V

VALENTINA SYNODVS.

Valentina Synodus in Galliâ quando & qua occasione celebrata? 384. 385. 386.
Quid de universalitate redemptionis Christi senserit? 385. Vide. Christus, infideles, reprobus.

VASQVEZ.

Vasquez minus liberalis in admittenda vera Christi gratia quam, Pelagius. 70. 71. 72. 73. 74.
Cogitationes congruas ordinis naturalis pro gratia ab Aug. & Concilio Arausicano deprędicatâ obtrudit. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74.
Dogma istud non tam Augustini sententia, quam Vasquezij somnium est. 68. 69. 70.
Imò ab Augustino ad Pelagianismum rejicitur. 71. 72. 73. (78.
Refellitur ex ipsa gratiæ liberatricis notione & natura. 73. 74. 75. 76.
Vasquez Augustinum non tam exponit quam corrigit. 238.
Auxilium sufficiens homini à Deo deberi contendit. 254. 304.
Augustino palàm valedicit. 348. Vide, cogitatio, gratia, Lessius, Molina, Suarez.

VIRTVS.

Virtus Augustino nihil est aliud quam dilectio ejus quod diligendū est; adeoq; charitativus Dei amor. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500.
Virtus nisi animâ faciat optimâ, nō meretur virtutis nomē. 496. 497.
Virtutes philosophorum sunt vitia. 19. 23. 496.
Virtutis officium est, vitam rectè instituere. 497. 498.
Virtutum cardinalium amplitudo & varietas perstringitur. 502. 503. 504. 505. 506. & seqq.
Sub ijs militat omnium virtutum moralium exercitus. 502.
Omnis vera virtus est divini amoris affectus. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. & seqq. Vide, charitas, fides, justitia, fortitudo, temperantia, prudentia.

VOCATIO.

Vocatio alia interna alia externa: & quid utraque? 230. 231. 232.
Vocationes externę variæ exēpla recēsētur. 230. 231. 232. 233. 234. 235.
Augustinus externas vocationes passim vocat congruas: internas autem nec congruas vocat uspiam nec incongruas. & cur? ibid.
Vocatio externa nunquam est congrua, nisi per internam gratiam ei accommodetur voluntas. 69. 74. 77. 78. 230. 236. 237.
Vocatio *secundum propositum* est effectus ipsius propositi: & hoc propositum antecedit omnem prævisionem futuri consensus hominis vocati. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. & seqq.
Vocatio secundum propositum est propria electis: & illud propositum est ipsa eorum electio. 902. 903. 904. 978. 979. 980. 981.
Vocatio secundū propositum, sic agit ut invictissimè peragat. 983.
Ejus efficacia non in præscientiam, sed in ipsum propositum refundenda est. 982. 983. 984. & seqq. Vide, cogitatio, gratia.

VOLVNTAS.

Voluntas ab Aug. describitur: animi motus cogēte nullo. 571. 572. 611.
Voluntas est cubile totius libertatis. 622. 718.
Voluntas, voluntatis arbitrium, liberum arbitrium, apud Augustinum coincidunt. 608. 609. 610. 611.
Voluntatem non esse liberam tam implicat, quam nos non velle cum volumus: & cur? 622. 623. 624. & seqq. 731. 797. 829. 830. 838. 839. 840. 867. 868.
Volitio & volitio libera tam coincidunt, quam homo & homo rationalis. 622. 523. 625. 526. 797. 828. 829.
Voluntatis omnes deliberati actus quantumvis necessarij, sunt in potestate volentis; adeoque liberi. 716. 717. 781. & seqq.

FINIS.

ADMONITIVNCVLA.

Decem librorum qui de gratia Christi Salvatoris inscribuntur indicem huncque perduximus: ex supernumeraria statera *nihil adducimus eâ potissimum ratione permoti, quod hæc nihil pene novi contineat, sed meram recapitulationem eorum quæ in tribus Tomis sparsim adversus Semi-Pelagianos & Neotericos disseruntur.*

INDEX

Qui Sacræ Scripturæ loca omnia in tribus hisce Tomis explicata secundùm eum librorum & Capitum ordinem, qui in Biblijs cernitur ob oculos ponit.

Auctoritates ex libro Geneseos.

CAP. II. In quocumque die comederis ex eo, tomo 3. nu. 366. & tom. 2. num. 9. & 11. & 894.
Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, tom. 2. n. 79.
Cùm cognovissent se esse nudos consuerunt folia ficus, tom 2. n. 81.
CAP. III. Aperti sunt oculi amborum, tom. 1. n. 120.
Aperientur oculi vestri & eritis sicut Dij, tom. 1. n. 235.
Terra es, & in terram ibis, tom. 2. n. 89.

Ex libro Deuteronomij.

CAP. VI. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. tom. 2. num. 398.
CAP. XXX. Posuit ante faciem tuam elige, to. 1. n. 367.
CAP. XXXII. Ecce manus nostra excelsa & non Dominus, tom. 3. n. 6

Auctoritates ex libro primo Regum.

CAP. I. Abierunt potentes quorum tetigit Deus corda cum Saul, tom. 3. num. 203.

Ex tertio libro Regum.

CAP. VIII. Inclinet corda nostra ad se ut ambulemus in universis vijs ejus, tom. 3. n. 188.

Ex libro Esther.

CAP. XIII. Non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreveris salvare, tom. 3 n. 921.

Ex libro Iob.

CAP. III. Parvus & magnus ubi sunt? tom. 3. n. 613.
CAP. XIV. Nemo mundus à sorde, tom 1. n. 220.
Homo natus de muliere brevi vivens tempore, tom. 2. num. 921.

Auctoritates ex libro Psalmorum.

PSAL. VIII. Gloria & honore coronasti eum, tom. 3. num. 890.
PSAL. X. Qui amat iniquitatem odit animam suam, tom. 2. n. 400.
PSAL. XXXII. In Domino laudabitur anima mea, to. 2. num 402. & tom. 3 n. 104.
PSAL. XXXIII. Diverte à malo & fac bonum, tom. 3. num. 760.
PSAL. XXXVI. A Domino gressus hominis dirigentur, tom. 3. n. 478. (347.
PSAL. XLIV. O . . . . . . tom. 1. n. 309.
Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato &c. tom. 2. n. 29.
PSAL. LII. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, tom. 2. n. 554.
PSAL. LVIII. Misericordia ejus præveniet me, tom. 3. num 518.
Deus ostendet mihi super inimicos, tom. 3. n. 1054.
PSAL. LXIV. Sanctum est templum tuum mirabile in æquitate, tom 2. num. 28.
PSAL. LXXII. Mei pene moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, tom. 2. n. 878.
PSAL. LXXXII. Imple facies eorum ignominia, to. 3. num. 53.
PSAL. LXXXIII. Gratiam & gloriam dabit Dominus tom. 3. n. 892. & 913.
PSAL. LXXXX. Eripiam eum & glorificabo eum, to. 3. num. 890.
PSAL. CIV. Dedit eis regiones gentium & labores populorum possidebunt, tom. 3. n. 1052.
PSAL. CVIII. Caro mea immutata est propter oleum, tom. 1. n. 307.
PSAL. CX. Redemptionem misit Dominus populo suo, tom. 3. num. 385.
Initium sapientiæ timor Domini. tom. 3. n. 546.
PSAL. CXVIII. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, tom. 2. n. 397.
Iustus es Domine & rectum judiciú tuum, to. 2. n. 485.
Quia omnia serviunt tibi, tom. 2. n. 97.
Da mihi intellectú ut discam mandata tua, to. 3. n. 187.
Averte oculos meos ne videant vanitatem, to. 3. n. 187
Inclina cor meum in testimonia tua, tom. 3. n. 188.
PSAL. CXXXIX. Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori, to. 1. num. 194.

Ex libro proverb. Salomonis.

CAP. VII. Præparatur voluntas à Domino, to. 3. n. 478.
CAP. XVI. Hominis est præparare cor, to. 1. n. 541.
CAP. XX. Quis gloriabitur castum se habere cor, to. 1. num. 223.
CAP. XXV. Nubes & ventus & pluviæ non sequentes, tom. 1. n. 92

Ex libro Sapientiæ.

CAP. I. & III. Deus mortem non fecit, invidiâ autem diaboli &c. tom. 2. num. 90.
CAP. II. Invidiâ diaboli mors intravit in Orbem terrarum, to. 3. num. 785.
CAP. XII. Ipsum qui non debet puniri condemnare &c. tom. 2. num. 602. & 955. & 974.
Virtus enim tua justitiæ initium est, to. n. 944. & 974.
Cùm ergò sis justus justè omnia disponis, to. 2. 2. n. 974.
Virtutem enim ostendis tu qui non crederis esse in virtute consummatus, ibid.
Tu autèm dominator virtutis cum tranquillitate judicas. &c. ibid

Ex libro Ecclesiastici.

CAP. I. Omnis sapientia à Domino Deo est, tom. 2. nu. 774.
CAP. III. Dedecus filij, pater sine honore, to. 2. n. 961.
CAP. V. Avarus non implebitur pecunia, & qui amat pecunias fructum non capiet ex eis, tom. 2. num. 357.
CAP. VII. Considera opera Domini quod nemo, to. 3. num. 395.
Solummodo hoc inveni quòd fecerit Deus hominem rectum, tom. 2. num. 76.
CAP. XXII. Confusio patris est de filio indisciplinato, tom. 2. num. 961.
CAP. XXVI. Transgressores paravit ad Romphæam, tom. 3. num. 1024.
CAP. XLIV. Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi, tom. 2. num. 28.

Auctorita-

Ex libro Isaiæ.

CAP. I. Si volueritis & audieritis me? tom. 1. nu. 367.
CAP. V. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, tom. 3. num. 361.
CAP. VII. Nisi credideritis non intelligetis, t. 2 n. 18.
CAP. XIV. Ascendam super altitudinem nubium, tom. 1. num. 382.
Dominus enim exercituum decrevit & quis &c. tom. 3. num. 975.
CAP. XXIX. Perdam sapientiam Sapientium, to. 2. num. 12.
CAP. LIX. Corruit in plateis veritas & æquitas non potuit ingredi, tom 2. num. 781.

Ex libro Hieremiæ Prophetæ.

CAP. XXXI. Hoc est pactum quod feriam cum domo Israël dabo legem meam &c. tom. 2. n. 31. & 724.

Ex libro Danielis Prophetæ.

CAP. IX. Peccavimus iniquè egimus, tom. 1. n. 222.
CAP. XII. Fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates, tom. 2. n. 28.

Ex libro Oseæ Prophetæ.

CAP. IX. Fiant similes & abominabiles sicut ea quæ dilexerunt, tom. 2. num. 931.

Ex libro Zachariæ Prophetæ

CAP I. Convertimini ad me & ego convertar ad vos, tom. 1. num. 342.

Ex libro Malachiæ Prophetæ

CAP. III. Vanus est qui servit Deō, tom. 3. num. 290.

Ex libro secundo Machabæorum.

CAP. XVI. Destinavit non admittere illicita. t. 3. n. 884

Ex Evangelio secundum Matthæum.

CAP. I. Vocabis nomem ejus Iesum; ipse enim, to. 3. nu. 384. & 929.
CAP. V. Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum, tom. 2. num. 28. & 50.
CAP. VI. Nemo potest duobus Dominis servire, to. 2. num. 930.
Dimitte nobis debita nostra, tom. 3. num. 319.
CAP. VIII. Non inveni tantam fidem in Israël, tom. 1. nu. 527.
CAP. IX. Non est opus valentibus medicus, tom. 3. num. 82.
CAP. X. Sed spiritus Patris qui loquitur in vobis, to. 1. nu. 42. & 275. tom. 3 num. 199.
CAP. XI. Venite ad me, tom. 1. num. 336.
CAP. XVIII. Sic non est voluntas ante Patrem vestrū, tom. 3. n. 380.
CAP. XIX. Qui potest capere capiat, tom. 1. n. 204.
Si vis ad vitam ingredi, tom. 3. num. 1028.
CAP. XX. Congregabunt Angeli electos ejus à quatuor ventis, tom. 3. num. 956.
Amice non facio tibi injuriam: tolle quod tuum est. tom. 3. num. 1003.
CAP. XXII. Quomodo ejus filius est, tom. 3. n. 291.
CAP. XXIII. Vt videantur ab hominibus amant primos recubitus &c. to. 2. num. 359.
CAP. XXIV. Nisi breviati fuissent dies illi non fieret salva &c. to. 3. num. 956
CAP. XXV. Ignis æternus paratus diabolo & Angelis ejus, tom. 3. num. 898. & 1024.

Ex Evangelio secundum Marcum.

CAP. XIII. Sed propter electos quos elegit breviabit dies illos, tom. 3. num. 959.

Ex Evangelio secundum Lucam

CAP. XII. Nolite timere pusillus grex, tom. 3. n. 454.
CAP. XXII. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est vadit. tom. 3. num. 885.
CAP. XXIV. Aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas, tom. 3. num. 187.

Ex Evangelio secundum Ioannem.

CAP. I. Qui illuminat omnem hominem, to. 3. n. 374.
Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. tom. 3. num. 31.
CAP. III. Spiritus ubi vult spirat, tom. 1. num. 281.
Non potest homo accipere quicquam nisi, tom. 3. n. 192.
Exaltari oportet filium hominis. tom. 3. num. 384.
CAP. V. Aquæ motionem, tom. 1. num. 281.
Nemo potest venire ad me nisi &c. tom. 3. num. 541.
Sicut audio judico, tom. 2. num. 9.
CAP. VI. Omnis qui audivit à Patre & didicit, tom. 3. num. 251.
CAP. VII. Si quis voluerit voluntatem ejus facere cognoscet de doctrina, tom. 2. num. 397.
CAP. VIII. Quæ audivit ab eo, hæc loquebatur in mundo, tom. 2. num. 9.
Si vos Filius liberaverit tunc verè liberi eritis, tom. 2. num. 96. & 463.
Omnis qui facit peccatum servus est peccati, tom. 2. num. 463. & 411. & 468. tom. 3. num. 772.
In veritate non stetit, tom. 2. num 696.
Veritas liberabit vos, tom. 3 num 612.
Ille homicida erat ab initio, tom. 3. num. 786.
CAP. X. Animam meam pono pro ovibus meis, to. 3. num. 338.
Nemo rapiet eas de manu mea, tom. 3. num. 957.
CAP. XI. Ego sciebam quia semper me audis, tom. 3. num. 368.
CAP. XV. Sine me nihil potestis facere, tom. 1. n. 337. & tom. 2. num 405.
Omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis, tom. 2. num. 9.
Si non venissem & locutus fuissem tom. 3. num. 362.
CAP. XVII. Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, tom. 2. num. 799.
Non pro mundo rogo, tom. 3. num. 389.

Ex Actibus Apostolorum.

CAP. I. Domine si in tempore hoc restitues, t. 3. n. 292.
Non aliud nomen est sub cælo datum hominibus, to. 3. num. 291.
CAP. II. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, tom. 3. num. 885.
CAP. IV. Convenerunt facere quæ manus tua & consilium decreverunt, tom. 3. num. 885 & 898.
Cap. IX. Quid me vis facere. tom. 3. num. 597.
CAP X. Vnxit eum Deus Spiritu sancto, t. 1. n. 309.
Testificari quia Ipse constitutus est à Deo judex vivorum, tom. 3. num. 885.
CAP. XIII. Crediderunt quotquot erant prærodinati ad vitam æternam, tom. 3. num. 954.
CAP. XVI. Loqui verbum Dei in Asia & in Bithynia, to. 3. n. 288.
CAP. XVII. Iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, tom. 3. num. 885.
CAP. XXII. Deus Patrum nostrorum præordinavit te ut cognosceres voluntatem ejus, tom. 3. num. 890

Ex Epistola ad Romanos.

CAP. I. Tradidit eos Deus in desideria &c. tom. 1. num. 109. & 193.
Obedire fidei, tom. 1. num. 501.
Quid prædestinatus est Filius Dei, tom. 3. n. 884. & 890.
Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sāctis ibid.

CAP.

CAP. II. Naturaliter quæ legis sunt faciunt, tom. 1. num. 86. 200. 202. 203. 285. tom. 2. num. 173.
Ejusmodi ipsi sunt lex qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, tom. 2. num. 310.
Quicunque enim sine lege peccaverunt, tom. 1. n. 197. 86 & tom. 2. num. 293.
In lege gloriaris, tom. 1. num. 242. (n. 415.
Quod impossibile erat legi in quo infirmabatur, tom. 3.
CAP. III. Ex operibus legis nemo justificatur, tom. 1. num. 89. Ignorantes Dei justitiam to. 1 n. 238
Per legem cognitio peccati, tom. 1 num. 245 & tom. 3 num. 32. 78
CAP. IV. Non ex lege hereditas, tom. 1. num. 249.
Ei qui operatur merces non imputatur &c. to. 1. n. 339 358 & tom. 2 num. 163
Lex iram operatur, tom. 3 num. 40
CAP. V. Peccatum intravit, tom 1 num. 85
In omnes mors transiit, tom. 1 num. 86
Caro concupiscit adversus Spiritum, tom. 1 num. 86
Quæ scripta est non in tabulis lapideis sed tabulis &c. tom. 1 num. 110
Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, tom. 2 num. 90
Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, tom. 2 num. 724.
Lex subintravit ut abundaret delictum, tom. 3 num. 40.
CAP. VI. Non enim estis sub lege tom. 1. num. 87
Quid ergo dicimus lex peccatum est. tom. 1. num. 110
Lex subintravit, ut abundaret delictum tom. 1. n. 244
Qui fecerit homo vivet in ea tom. 1. n. 2. 52
Gratia Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro tom. 2. n. 2. & . 165. 173 (& 446
Cum essetis servi peccati liberi fuistis justitiæ t. 2. n. 103
Non regnet peccatum in vestro mortali corpore &c. t. 2 num. 330. 336. 418. tom. 3. n. 441
Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Dei &c. tom. 2. num. 47 465 468
Lex peccati & mortis tom. 3 num. 923
CAP. VII. Sicut enim lex non esset. &c. tom. 1 num. 85
Mandatum quod erat ad vitam tom. 1 n. 86
Velle adjacet mihi tom. 1 num. 86
Scio quia non habitat in carne mea tom. 1 num. 86
Gratia Dei per Iesum Christum tom. 1 n. 86
Lex membrorum tom. 1 n. 137
Peccatum non cognovi nisi per legem tom. 1 n 245
Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, non concupisces tom. 2. num. 188 317.
Video aliam legem in membris meis tom. 2 n. 270. 922 tom. num. 801
Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus tom. 2 num. 4, 1 815 & tom. 3 n. 32 & 64 179 791 923.
Non quod volo ago tom 2 num. 955
CAP. VIII. Vnius delicto mortui sunt tom. 1 n. 85
Primitias spiritus habentes tom. 1 num. 86
Quod impossibile erat legi tom. 1 num. 87
Qui de peccato damnavit peccatum tom. 1 n. 217
Spiritus interpellat pro nobis tom. 1 num. 275
Corpus mortuum est propter peccatum tom. 2 n. 90
In his omnibus superamus per eum qui dilexit nos t. 2 num. 286
Vt obediatis concupiscentijs ejus t. 2 n 330 336 418
Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati tom. 2 num. 451 & tom. 3 n. 35
Deus qui justificat: quis est qui condemnet tom. 2 n. 955
Quicumq; spiritu Dei aguntur hi filij sunt Dei t. 3 n. 202
Vbi est gloriatio tua? tom. 3 num. 321
Nam quid oremus sicut oportet nescimus tom. 3 n. 537
Non enim accepistis spiritum servitutis n. 43 tom 3 o 8
Nam quos præscivit & prædestinavit tom. 3 num. 885
Illos & glorificavit tom. 3 n. 890 892
Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum tom 3 num. 454 1026
Quis nos separabit à charitate Christi tom. 3 num. 973
CAP. IX. Nunquid iniquitas apud Deum t. 1 n. 87
Offenderunt in lapidem offensionis tom. 1 num. 237
Non volentis neque currentis tom. 1 n. 276 & t. 3 n. 201
Non ego sed gratia Dei mecum tom. 3 num. 208
Vasa iræ parata in interitum tom. 3 n. 898 & 1024
Vt secundum electionem propositum Dei maneret tom. 3 num. 905
O homo tu quis es qui respondeas Deo tom. 3 n. 1056
CAP. X. Prope est verbum tom. 1 num. 199
Ignorantes Dei justitiam tom. 1 n. 242 & tom. 3 n. 3
Quomodo invocabunt in quem non crediderunt tom. 1 num. 507 tom. 2 n. 293 tom. 3 n. 303
CAP. XI. Dedit illis Deus spiritum compunctionis t. 1 n. 87
Si autem gratia jam non ex operibus t. 1. n. 337 & tom. 2 num. 163 781. & tom. 3 num. 114 & 541
Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia tom. 2 n. 173
Nunquid repulit Deus plebem suam tom. 3 n. 63
Quis cognovit sensum Domini tom. 3 num. 64
O altitudo divitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei t. 3 n. 999
CAP. XII. Sicut unicuiq; partitus est mensuram fidei tom. 1 num. 12
Nolite conformari huic sæculo tom. 2 num. 526
CAP. XIII. Plenitudo legis dilectio tom. 3 n. 495
CAP. XIV. Omne quod non est ex fide peccatum est tom. 2 num. 554
Regnum Dei justitia & pax tom. 2 num 799
CAP. XV. Et ipsi pleni estis dilectione repleti omni scientia tom. 2 n. 21 (nu. 958
CAP. XVI. Salutate Rufum electum in Domino tom. 3.

Ex prima Epistola ad Corinthios.

CAP. I. Nũquid Paulus crucifixus est pro vobis t. 1 n. 88
Factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemptio tom. 2 num. 2
Nonne stultam fecit Deus sapientiã hujus mundi t. 2 n. 12
In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia tom. 2 num. 20
Sanctificatis in Christo vocatis sanctis tom. 3 n. 962
CAP. II. Loquimur Dei sapientiam inter perfectos t. 3 num 885.
Loquimur sapientiam Dei quam prædestinavit t. 3 n. 890
CAP. III. Ego plantavi Apollo rigavit tom. 3 n. 207
CAP. IV. Nam si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non &c. tom. 2 num 46
Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? tom. 2 n. 405 & tom. 3 n. 478 (392
CAP. VI. Qui adhæret Domino unus spiritus est t. 2 n.
CAP. VII. Quod vult faciat tom. 1 num. 220
Nolite fraudare invicem nisi ex consensu tom. 2 n. 338
CAP. X. Sive manducatis sive bibitis tom. 1 num. 295
CAP. XII. Excellentiorem vobis viã demonstro t. 1 n. 87
CAP. XIII. Charitas operit multitudinem peccatorum tom. 2 num. 670
Charitas patiens est, non æmulatur tom. 3 num. 531
CAP. XV. Infirmabatur non in se tom. 1 num. 87
Gratia Dei sum id quod sum tom. 2 n. 2
Qui dat nobis victoriam per D. nostrum Iesum Christum

ftum tom. 2 num. 286 & tom. 3 num. 208.
Virtus peccati lex tom. 3 num. 36 & 40 & 94
Non prius quod spirituale, sed quod animale tom. 3 n. 57
Sicut in Adam omnes moriuntur tom. 3 num. 334
Sit Deus omnia in omnibus tom, 3 num. 525
Miserabiliores omnibus hominibus tom. 3 num. 915

Ex secunda Epistola ad Corinthios.

Cap. III. Littera occidit tom. 3 n. 40
Obtusi sunt sensus eorum tom. 3 num. 288
Quoniam in Christo evacuatur tom. 3 num. 295
Vbi spiritus Domini, ibi libertas tom. 3 num. 764
Cap. IV. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere tom. 2 num. 20
Cap. VII. Sæculi tristitia mortem operatur t. 2 n. 381
Cap. IX. Vnusquisque prout destinavit in corde suo tom. 3 num. 824
Cap. XII. Audivi arcana verba quæ non licet homini loqui tom. 2 n. 8
Ne magnitudo revelationum extollat me tom. 1 n. 230
Cap. XIII. Oramus ad Deum, ut nihil mali faciatis tom. 3 num. 187.
An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus tom. 3 num. 199

Ex Epistola ad Galatas.

Cap. III. Conclusit Scriptura sub peccato tom. 3 num. 40 & 265 & 321
Itaque lex Pædagogus noster tom. 3 num. 49 & 52
Cap. IV. Ejice ancillam & filium ejus tom. 3 n. 295
Cap. V. Vt non quæcunq; vultis illa faciatis t. 2 n. 815
Caro concupiscit adversus spiritum tom. 3 num. 199 & 321 & 403 426 (num. 441
Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis to. 3
Gaudium & pax tom. 3 num. 521
Cap. VI. Vos in libertatem vocati estis tom. 3 n. 364

Ex Epistola ad Ephesios.

Cap. I. Prædestinati secundum propositũ ejus t. 3 n. 191
Prædestinavit nos in adoptioné filiorum t. 3 n. 885 & 890
In quo nos sorte vocati sumus tom. 3 n. 918.
Omnibus Sanctis qui sunt Ephesi tom. 3 n. 962
Sicut elegit nos ante mundi constitutionem tom. 3 n. 892 927 954
Cap. II. Gratia ejus salutі per fidem tom. 2 n. 2
Eramus natura filij iræ tom. 1 n. 126
Cap. III. Vt in charitate radicati & fundati possitis comprehendere &c. to. 2 n. 17 & 20
Cap. V. Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit tom. 3 n. 384 & 381
Surge qui dormis tom. 3 n. 464

Ex Epistola ad Philippenses.

Cap. I. Qui cœpit in vobis opus bonum perficiet usq; in diem Christi tom. 1 n. 86 & tom. 2 405
Vobis datum est pro Christo to. 1 n. 169
Deus operatur in vobis tom. 3 n. 478
Cap. II. Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate to. 1 n. 272 & tom. 2 num. 405 & to. 3 n. 209 & 472
Cap. III. Veruntamen ad quod pervenimus t. 1 n. 88
Non quia jam acceperim aut perfectus sim to. 1 n. 229

Ex Epistola ad Colossenses.

Cap. III. Renovamini spiritu mentis vestræ & induite novum hominem to. 2 n. 78
Omne quodcumque facitis in verbo, aut opere &c.
Induite ergò vos sicut electi Dei & dilecti viscera misericordiæ tom. 2 n. 398
tom. 3 nu. 918

Ex prima ad Timotheum.

Cap. I. Christus Iesus venit in mundum to. 1 n. 484
Cap. II. Deus vult omnes salvos fieri tom. 1 n. 87 & 446 & 453 to. 3 n. 369 & 1099
Redemptioné semetipsum dedit pro omnibus t. 3 n. 381

Ex secunda Epistola ad Timotheum.

Cap. I. Formam habe sanorum verborum quæ à me audivisti in fide tom. 2 n. 8
Cap. II. In magna domo tom. 1 nu. 88
Quæ audivisti à me per multos testes hæc commenda tom. 2 n. 8
Omnia sustineo propter electos to. 3 n. 380

Ad Philemonem.

Ita frater te fruar in Domino tom. 2 n. 402

Ex Epistola ad Hebræos.

Cap. I. Virga æquitatis, virga regni tui to. 2 n. 781
Cap. II. Sine fide impossibile est placere Deo t. 2 n. 554

Ex Epistola Iacobi.

Cap. I. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua t. 2 n. 188 & 317 & 413
Omne datum optimum, to. 3 n. 192
Qui perspexerit in legem perfectam, tom. 3 n. 764
Cap. II. Quicunq; totam legem servaverit, to. 3 n. 3
Cap. III. Linguam autem nullus hominum domare potest, to. 3 n. 221

Ex prima Epistola Petri.

Cap. I. Petrus Apost. electis advenis t. 3 n. 380 & 958
Cap. II. Quasi liberi & non quasi velamen habentes malitiæ, to. 3 n. 764 (n. 793
A quo quis devictus est hujus & servus addictus est, t. 3
Vos autem genus electorum, to. 3 n. 258

Ex secunda Petri.

Cap. II. Velut multa animalia, &c. to. 2 n. 201
A quo quis superatus est, ejus & servus est, to. 2 n. 278 & 468 & to. 3 num. 95
Audaces sibi placentes, tom. 2 n. 608
Cap. III. Crescite in gratia & in cognitione Domini, to. 2 n. 21
Nolens aliquos perire, tom. 3 n. 380

Ex prima Epistola prima Ioannis.

Cap. I. Hæc est annuntiatio quam audivimus ab eo & annunciamus vobis, to. 2 n. 8
Nolite diligere mundum, to. 2 n. 351 & 516 & 524 & to. 3 n. 109
Ipse est propitiatio pro peccatis nostris to. 3 n. 381
Exierunt ex nobis quia non erant ex nobis, to. 3 n. 956
Cap. II. Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est &c. tom. 2. n. 316
Cap. III. Qui natus est Deo peccatum non facit, to. 3 num. 826
Cap. IV. Sed ex Deo est, tom. 3 nu. 78
Perfecta charitas foràs mittit timorem. to. 3 n. 4
Cap. V. Mandata ejus gravia non sunt. to. 3 n. 22

Ex Epistola tertia.

Is qui amat primatum gerere in eis, tom. 2 num. 358

Ex Epistola Iudæ.

Præscripti in Iudicium, tom. 3 num. 1024.

Ex Apocalypsi.

Cap. II. Dabo tibi coronam vitæ tom. 3. num. 890

Finis Tomi tertij & ultimi.

Digitized by Google

Digitized by Google

5-5-2

Digitized by Google

Digitized by Google